

560
2.425
560-X
2

DIVI

AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS

OMNIA, QVÆ MAGNA HACTENUS doctorum virorum industria reperiri potuerunt,

OPERA

NVNC POSTREMVM REPVRGATA AD PLVrium antiquorum codicum sedulam collationem, & ita emendata atque aucta vt meritò dicas præcellere omnibus editionibus, si cum prioribus hanc nostram contuleris.

IN QVA QVID PRÆSTITVM SIT, DOCET PRÆFATIO ad Lectorem: & quæ singulis tomis contineantur, catalogus eorum post elogia pro D. Ambrosio succedens complectitur.

Tres indices adiecimus locupletissimos: primus est locorum scripturæ, qui pugnare videntur, conciliatorum à D. Ambrosio: secundus locorum explicatorum ab eodem: tertius rerum & verborum memoria dignorum.

PALENCIA · BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL

Apud Gulielmum Merlin, in ponte Numulariorum: & Sebastianum Nuellium, sub Ciconiis, via Iacobea: & Michaëlam Guillard, viduam Gulielmi Desbois, sub Sole aureo, eadem via.

AN. DO. M. D. LXIX.

Cum priuilegio Regis.

PRIVILEGII SVMMA.

CAROLI IX. Galliarum regis singulari priuilegio cautum est, ne quis opera D. Chrysostomi, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Gregorij & Bernardi, ex collatione veterum librorum in celeberrimis bibliothecis conquisitorum recognita & aucta, ante nouennium à die primæ editionis numerandum, præter Gulielmum Merlin, & Sebastianum Niuellium typographos, bibliopolásque, ad eorum castigationis exemplum imprimat, néve alibi impressa diuendat. Secus qui faxit, pœnis ex sanctione priuilegij, quam literæ vberiores ab eius maiestate Lutetiæ, 14. Aprilis, 1568. impetratæ continent, multabitur.

ILLVSTRISSIMO ET REVEREN-

DISSIMO CARDINALI, D. HIERONYMO SOV-

CHERIO, CISTERCII ET CLARAEVALLIS ABBATI

religiosissimo, Ioannes Gillotius Campanus

S. P. D.

QVANQVAM iisce turbulentis & contentiosis temporibus necessaria videatur nouorum librorum editio vel ad euitandam vel ad refellendam peruersam illam de religione opinionem, quam sibi fingunt & multis contrà voluminibus & libellis tueri conantur ij qui à Patrum doctrina defecerunt, quíque se ab vnitate Ecclesiæ seiunxerunt: eorum tamen præclarius esse facinus videtur, qui veterum authorum maximè Ecclesiasticorum monimenta iniuria temporum scribarúmque, atque etiam incuria vel temeritate potiùs typographorum, depravata restituunt menáisque repurgant, quàm qui huiusmodi noua cudunt volumina. Nam si antiqua illa emendatè legantur rectéque intelligantur eo sensu quo à diuinis olim hominibus in posteritatem sunt deriuata, procul dubio inde satis firma tanquam è plenißima pharetra, tela depromemus, quibus nos contra eos qui scelerato perniciosóque consilio Christianæ religioni ceu bellum denuntiant & quasi cum Deo pugnant, defendere possimus: nihilque opus erit tam multis licet piis & doctis codicibus nouis, qui quotidie in manus hominum deueniunt. Nec enim certamen illud de Religione quod factiosi homines inferunt, nouum est, nec recens illa defensio & errorum propulsatio quam olim pro fide, pro sacramentis, grauißimísque rebus susceperunt Maiores nostri: sed vetus renouata est impietas, & ex multis antiquorum sectis, velut mendicorum vestes ex diuersis pannis, consarcinata. Cui quidem malo vt occurratur hìc pro dignitate, simul vt qui sani sunt & verè pij in officio contineantur, non tam recentiores, ni fallor, quàm veteres legendi sunt authores. E quorum scriptis tanquam è lympidißimis fontibus, potius quàm è riuulis, aquam cælestis antidoti haurire debemus, & bibere plenis crateribus, vt postea à venenatis ipsi poculis cauere possimus, & aliis si quid in virulentis & dißipatis cisternis imbiberint, mederi. Quod tamen remedium nemo quantumuis expertus, sua duntaxat arte iudicióque fretus, præstare plenè poterit, nisi antidotum illud, quod vult adhibere, omnibus sordibus repurgatum sit, & ita eliquatum atque confectum, vt sanet non exulceret, alimentúmque non venenum infundat. Quale nonnunquam est illud quod propinari solet ab iis qui sine præsidio codicum antiquorum, libros se restituere profitentur integerrimos. Nam persæpe dum suo plus quàm par est ingenio fidunt, illos corrumpunt & à vero sensu pleráque sententias deducunt. Sed qui veterum libros emendandos suscipiunt, illud semper spectare debent, & in id omnes animi vires intendere: vt quod habent in manibus quàm emaculatum exeat & correctum ad fidem & diligentem obseruationem exemplarium vetustorum, quibus excußis & attentè perlectis, si dißideant, adhibendum est iudicium virorum doctißimorum & quorum studium perpetuum & ingenium acre in literis. Quod nos sanè præstare conati sumus in his D. Ambrosii monimentis, omnémque nostram industriam contulimus, vt puriora atque locupletiora in publicum venirent: studiúmne voluntati respondeat, illorum esto iudicium qui nostram hanc editionem cum aliis conferre voluerint. Nam licet fuerit Erasmus diligens quidem in eo primùm corrigendo, emendauerit deprauata, restituerit amputata, resecuerit assuta, reposuerit Græca quæ vel aberant, vel figuris nihil significantibus fuerant addita: multa tamen nescio qua animi voluntate & consilio refragantibus etiam libris veteribus, vel perperam sustulit, vel indigniùs suppossuit. Fuerit etiam diligentior simul & fidelior Ioannes Costerius in excutiendis & euoluendis exemplaribus vetustis, vt voces malè commutatas aut auulsas reponeret, sententias aut penitus relictas aut in alienum locum reiectas disponeret: nemo enim non videt quàm hic egregiam operam nauarit, vt integræ valetudini restitueret Ambrosium, aut medicinam faceret morbis ab illo relictis vel non sublatis. Sed ambo ita curarunt, vt neuter omnino persanare potuerit. Quanquam illi laude sua fraudandi non sunt, si quid bene egerunt, venia autem danda, si quid minus castigatum reliquerunt. Nam fieri haud quaquam potuit, vt omnium exemplarium copia venerit in illorum manus. Vnum aut duo fortasse habuerunt, sed non omnia quæ vbique sunt regionum, legerunt: aut ea certè quæ erant pleniora, castigatiora & veritati magis consona non euoluerunt. Cuius rei fidem facient illa quæ præter cætera in antiquis codicibus manuscriptis reperimus addenda libris de fide, libro secundo de Abraham patriarcha, & in epistola ad Romanos: quorum tamen nonnulla iusta de causa non reposuimus, sed seorsum ad finem operum subscripsimus inter varias lectiones. Taceo quæ indignißimè corrupta emendauimus ex collatione veterum, quas sententias in integrum, id est, veræ & germanæ dignitati restituimus, quos versus adiecimus, quæ vera pro falsis vel inseruimus, vel ad marginem affiximus: vel si commodam habere

ſententiam putauimus,nec tamen receptæ lectioni præferri deberent,ad finem ſubiecimus:vt lector diligens & curioſus obſeruaret ex varia multiplicíque ſententia,quæ lectio magis arrideret, quæque melior eſſe videretur. Quæ quidem ſingula non ſine magno labore & ſtudio præſtitimus:nec minori diligentia (id citra arrogantiam dictum exiſtimari velim) curauimus reddere & ſeruare vetera quæ à D. Ambroſio reperta ſunt,quam ille quæſiuit noua:cui ſi pulchrum fuit & glorioſum integra ſcripſiſſe,nobis quoque erit honeſtũ & laudabile corrupta reſtituiſſe: nec enim minor virtus eſſe creditur parta tueri,quàm quærere: ſed,vt ait quidam,Plus eſt ſeruaſſe repertum,quàm quæſiſſe nouum. Quæ cùm ita ſint audebimus quicquid corrigendo crebróque verſando noſtrum fecimus,id iure nobis vendicare. Quod vt munitius & commendatius in manus hominum deueniret, cùm ego diu multúmque cogitaſſem cuius nominis atque amplitudinis patrocinio apparere poſſet,tu,illuſtriſsime Cardinalis,mihi occurriſti digniſsimus cui nominatim conſecrarem,vtpote qui religione & in Deum pietate, doctrina & morum integritate plurimùm apud omnes valeas. Videmus enim has tuas virtutes non ſolùm noſtra in regione,ſed ferè tota in Europa veluti lumen quoddam elucere: nec quemquam eſſe in tota Gallia qui religioſior, qui in bonis Eccleſiæ rectiſsimè adminiſtrandis & optimè collocandis ſanctior,qui in tanto dignitatis faſtigio demiſsior,qui in ieiunio & oratione frequentior,qui denique vigilantior dum elaboras ne quis Religioſorum, ne quod præterea monaſteriorum ſummæ amplitudini tuæ concreditorum peſſum eat: adeò præter cæteros ſanctè munus Abbatis tueris, cuius etiam hoc officium eſt, exemplum ſe aliis ac ducem præbere ad vitæ ſanctimoniam: qua tantùm potes apud tuos, vt plus verbis admonitoria quadam comitate conditis efficias,quàm alius quiuis duritia & minis caſtigatoria ſeueritate plenis. Vnde omnes te ceu vitæ monaſticæ Phœnicem ſuſpiciunt ac venerantur. Maximè autem id facere par eſt vniuerſos Ciſtercienſis ordinis viros,in quos tua ſumma extiterunt merita. Quod cùm ſtudioſiſsimè ſemper,tum ampliſsima cum teſtificatione perfecerunt, quando te nec ambientem nec expectantem ſed etiam obnixè renitentem,ex præclaro illo Claræuallis Cœnobio,(in quo fideliter adminiſtrando ſic tua prudentia fuit mirabilis,vt illud quod eſt D. Bernardi eius inſtitutoris inſtitutis clariſsimum clarius reddideris:) non tam hominum ſuffragiis,quàm diuini numinis calculo,in Ciſtercij quoque Cœnobiarcham delegerunt: vt quemadmodum vni illi,ita monaſteriis omnibus tuæ profeſsionis ſalutaris eſſes. Quod ſi recuſaſſes,nunc indignè princeps illa tui inſtituti Abbatia, vt cæteræ fermè omnes, ab iniuſtis & mercenariis dominis vſurparetur. Sed ne oblatum munus per tuam modeſtiam recuſare poſſes,effectum eſt quidem ſapientiſsimè, cùm vni iam præeſſes,vt tu donec ſummus Pontifex & Rex noſter Chriſtianiſsimus, ad alterius monaſteriorum præfecturam idoneum ordinis tui virum elegiſſent, amborum ſimul functionibus adminiſtrandis citius non deeſſes,quàm irregularis regularibus,profanus ſacris,vel potius miles monachis præficeretur. Hæc enim ſunt varia illa luporum genera,qui poſtquam in religionis monaſticæ caulas irruperunt,omnia in peius ruunt,& retrò ſublapſa feruntur. Te autem ſuarum rerum gubernaculis admotum ſenſit illico tuus ille ordo,qui, cùm propemodum marceſceret,nullum tranquilum atque otioſum vitæ ſpiritum ducis,vt priſtina vitæ integritate refloreſcat. Velim hîc inſignem ſcribendi adeſſe artificem qui rem pro ſui merito tractaret,& quæ à te in hac primaria dignitate multa cum laude ſummáque omnium admiratione geruntur,veluti in tabula coloribus ſuis depingeret. Sed cùm ad tam præclara facinora exæquanda mei animi facultates ſint impares,ego imitabor Timanthem, quódque penicillo exprimere non poſſum, velo obtegam. Non tamen hoc ſilentio diſsimulandum quod obſcurari non poteſt, ſed infirmo etiam ſermone explicandum,quàm non mediocriter illuſtrauerit tui nominis decus ſacroſancta Synodus Tridentina,in cuius vel prouiſis prudenter, vel actis conſtanter,vel reſponſis acutè illa tui animi virtus & recondita doctrina explorata omnes in ſui admirationem ita rapuit, vt & clariſsima & vna omnium voce vbicunque gentium prædicata ſit. Qua fama & celebritate accenſus Pius pontifex maximus,motu proprio te meritiſsimum in Senatum ſuorum Cardinalium adſcripſit. Quam dignitatem,vt ſumma eſt tua modeſtia,& iis honoribus qui tibi iam ob raras animi tui dotes delati ſunt contẽta,non tu ſolus excuſaſti & pertinaciſsimo conatu recuſaſti, ſed etiam cum viris principibus egiſti, vt ſuis literis apud Pontificem tuam ſenectutem iam prouectam,tuam præſentiam in reſtaurandis & conſeruandis hîc monaſteriis Ciſtercienſium, quibus omnibus præes, neceſſariam, tuam denique vitam monaſticam ab omni faſtu & ambitione alienam,non idoneam ad hoc onus gerendum quod eſſet ſupra vires,ſupra meritum,ſupra fortunam,cauſarentur. Verùm tanta eſt vis gloriæ,quæ ex virtute emanat, vt negligentes ſequatur,& quò quis eam longius fugit,eò citius illam aſſequatur. Tantum enim abfuit

vt

vt Pontifex literarum excuſationem audierit,cauſámque hanc & detrectationem acceperit,quin magis inflammatus ad te ornandum,decretum Pontificiæ authoritatis miſerit, & in virtute obedientiæ mandarit,ne reijceres hoc munus ad quod diuina prouidentia delectus eras: ſed Moyſem Heliámque imitareris,qui licet imparati,illa tamen,ad quæ diuinitus mittebantur,omnia feliciſſimè confecerunt. Sciebat nimirum beatiſſimus Pater tuas illas excellentes virtutes,prudens conſilium,exquiſitam doctrinam,&,vt paucis abſoluam, vitæ ſanctitatem tanti eſſe ponderis ad horum temporum caliginem, diſcutiendam & tempeſtatem in Eccleſia tot ventis hæreticorum agitata & penè obruta, ſedandam,quanti eſt momenti ſolers peritia gubernatoris tum potiſſimum cùm nauis vndarum procellis in mari iactatur. Cæterùm ne fortè mireris, reuerendiſsime Præſul, quid mihi venerit in mentem homini vix tibi de facie noto, vt non ſolùm ad te ſcribere, ſed etiam lucubrationes meas nuncupare ſim auſus,in cauſa fuere tuæ virtutes illæ,quas paulò antè commemoraui, quæ tamen non ſolæ me,etſi ſint ſingulares, ad te non modò colendum, verumetiam ad omne meum ſtudium tibi dedicandum incitarunt:ſed & impulit tua humanitas,manſuetudo, facilitas,de quibus aliquid dicerem, niſi vererer ne tuo modeſtiſsimo ingenio eſſem moleſtus,qui huiuſmodi laudum præconiis,tametſi optimo iure poſsis,demulceri non vis. Perſuaſit quoque benigniſſimi ſimul & ſtudioſorum amantiſsimi pectoris tui candor, quem mihi oratione depinxerunt nonnulli tuorum Religioſorum, quos cùm adhuc apud Trecas Grammaticæ ſcholas regerem, quondam diſcipulos habui, ſed de cætero habiturus ſum doctores & magiſtros, & iam tanto interuallo me antecedunt in omni genere diſciplinarum,vt ab illis diſcere poſsim, quæ à me diſcere debuerant. Viſum eſt denique pulchrè congruere ſi proficiſceretur Ambroſius Præſul,ad Antiſtitem: ſi doctor, ad doctorem doctrinæque patronum: ſi defenſor Chriſtianæ libertatis,ad eum qui illam tueri ſi non ſumma authoritate poteſt,certè conſilio nouit, animo vult. In quo relegendo hanc ſaltem voluptatem capies,quod virtutum tuarum tractationem recognoſces, & te ita in rerum functione,velut in quodam ſpeculo, verſari videbis, vt ſummus Chriſtianæ vitæ magiſter & docuit factíſque expreſsit. Reliquum eſt,vir ornatiſsime,vt Ambroſium noſtrum,id eſt,noſtra opera,ſtudio & induſtria emendatum, æquo animo accipias, atque in tuam fidem & clientelam recipias:qui quidem prodit etiam aliquantò locupletior quàm antea: prodibit verò feliciter ſi tua celſitudo approbarit, & meum ſtudium ad D. Hieronymi & Gregorij magni caſtigationem ex collatione veterum mirum in modum excitabit. Deus opt. max. tuum iter ad ſummum Pontificem ad Cardinalatus inſigne accipiendum, bene fortunet, téque ei dignitati & Reip. Chriſtianæ iuuandæ diu ſeruet incolumem. Vale:

Lutetiæ, 14. Aug. 1568.

(***)

DE RECOGNITIONE ET VTILITATE HVIVS EDITIONIS, CANDIDO LECTORI IOANNES GILLOTIVS.

REs humanæ omnes eam naturæ vel artis conditionem ſortitæ ſunt, vt ſi non rectè gubernentur, paulatim omnino exoleſcant. Id primùm in vinetis clariſſimè quotidie cernimus: niſi enim diligenti cura ſubinde excolantur, & ſarmentis luxuriãtibus herbíſque noxiis emundentur, degenerant protinus & ſylueſcunt. In vrbiũ quoque adminiſtratione ſi quis negligentior fuerit ad ea reſtituenda quæ nimia vetuſtate labefactantur, quid aliud expectabis, quàm quod olim Maiorum prudentia fuerat ſtabilitum, incuria poſterorum, prorſus intercidat? In ædibus verò ſacris & locis ſummo numini diuíſque iandudum ritè poſitis, ſi operam ad reparandum quod eſt ruinæ proximum ſubmoueas, quid aliud ſequetur, quàm quod inſignes ſtructuræ antiquitate laborantes aliquando tandem funditus corruant? Idipſum maximè vſu venire ſolet in libris & literarum monimentis: niſi enim accuratè & fideliter emendentur, & identidem per literatos homines ad priſtinam dignitatem reuocentur, facilè vitio temporis quod omnia ſeneſcere cogit, vel quorundam qui illos impurè colunt, inſcitia corrumpuntur: vt interim non commemorem veræ pietatis oſores, quorum furioſæ cogitationes nihil aliud attentant magis, quàm malitioſè deprauatis auitæ religionis ſcriptoribus, quos ſe emendare mentiuntur, eò deueniant, vt quaſi authorum veterum ſuffragiis, deinceps victoriam in rebus controuerſis retuliſſe videantur. Alij præterea non deſunt nouitatum fautores, qui cùm nihil habeant quod pro luxatis & cariosis locis reſtituant, minimè verentur futiles ipſorum coniecturas tanquam authoris verã atque genunam lectionem ſupponere. Quod quidem in D. Ambroſij operibus non ſemel factum deprehendimus, dum ſua quique ſomnia maluerunt in contextum inducere, quàm perquiſitis exemplaribus antiquis, ea ſedulò euoluere, illorúmque ſubſidio errata quæ iam olim irrepſerant, ſcitè & prudenter expungere: Adeò vt ne vnus aut alter ſufficere potuerit ad eas tenebras diſcutiendas quas illi ſuis commẽtis offuderunt, ſed multis iam fuerit cum mendarum portentis edomandis, longo labore depugnandum. Inter cęteros verò qui id tentarunt, diligentiſſimus fuit Ioãnes Coſterius, vir quidem induſtrius, & ad hos labores ſuſtinendos aptiſſimus, qui omnem quam potuit operam impendit, vt ad collationem vetuſtorum aliquot libellorum, quibus non temerè nixus eſt, aliqua ex parte mederetur Ambroſio, vulneráque illi inflicta ſapienter obligaret. Quanuis autem ſic curaſſe videretur, vt nihil vllius opera ad ſanitatem adiici poſſe putaretur: tamen omnia quæ peroptauit reſtituere & ſuo nitori reddere nequiuit, quia non potuit nanciſci omnes vetuſtos codices, ſed tantùm quos circumiacentes regiones habuerunt. Quæ igitur illi defuere præſidia, ea Niuellius noſter ex celeberrimis Pariſiorum bibliothecis conquiſiuit. Nam cùm ſanctorum Patrum & Eccleſiæ doctorum monimenta omnia ſuis typis procudere deſtinaſſet, & iam D. Auguſtinum fermè ad vmbilicum perduxiſſet, prelo quoque ſubiecit diuinum Ambroſium: vt ambo, ſi fieri poſſet, ſimul prodirent atque in manus hominum deuenirent. Id quod certè contigiſſet, niſi bellum ciuile & inteſtinum preli curſum impediſſet. Noluit tamen hos ipſos non recognitos edere, ſed, vt aiunt, omnem lapidem mouit, vt ſublatis mendis, ſi quæ reliquę eſſent, prodirent caſtigatiores, & aliquantò puriores reiectis iis quæ non ſine tædio legebantur, nonnullarúmque rerum quæ hactenus delituerant, incremento, locupletiores. Cuius rei prouinciam, maximè in D. Ambroſio, mihi obtulit: quam, etſi non eram ignarus mediocritatis meæ, non quidem reſpui, ſed ne nihil agerem, præter ſpem oblatam vtraque manu arripui: vt hoc ſeculo erudito certè ſed opinionibus etiam variis turbulento, meam qualemcunque operam exhiberem in reſtituẽdis veterum ſcriptis, quæ nunc, cùm auſu temerario ab hæreticis quotidie cõtrà quàm habent vetuſtiſſima exemplaria, interpolari manifeſtiſſimè videamus, ſummo ſtudio ſunt excutienda. Sic enim fieri poſſe arbitramur, vt traditionem à Maioribus quaſi per manus acceptam, tueri & ab omni errore defendere atque vindicare poſſimus. Verũtamen prius quàm ad hoc opus me accingerem, etſi iam typis commiſſus ad finem properaret Epiſtolarum & Sermonum tomus, à quo neſcio qua de cauſa cœperat impreſſio, libuit, vt dixi, perquiſitis vetuſtioribus Monachorum bibliothecis, in quibus veterum opes reconditas ſeruari audiebamus, D. Ambroſij exemplaria congerere quotquot huic noſtro inſtituto conuenire & opem aliquem adferre poſſe credidimus: & ſine quibus adeò ſæpe fallit coniectura, vt dum quiſque vulnuſculo mederi ſtudet, vulnus infligat immedicabile, malúmque malo adiungat. Omnium igitur primi à quibus huiuſmodi volumina multuò accepimus, fuere Victoriani, quorum bibliotheca libris exquiſitiſsimis inſtructa eſt. Illi vt ſunt bonarum literarum ſtudioſi & ad publicam vtilitatem propẽſi, eam humanitatem oſtenderũt, vt quinque vetuſtos codices Ambroſianos vltrò nobis obtulerint. Deinde Dionyſiani, apud quos inuenimus viginti & amplius volumina venerandæ antiquitatis, vt ex hoc facilè diuinare poſſis, quàm olim monaſterium illud fuerit excultum literis ſanctioribus, & quàm magno ſtudio & reges Francorum veterum ſcripta vndique cõquiſita in hunc locum condiderint, & monachi condita reſeruarint, & ab internecione qua ſæuitum eſt in bonas literas ſi non prorſus vindicarint, certè quę Vulcani edacitatem & Martis ſęuitiã effugerãt, reſtaurarint. Ex illa multitudine nouem ſelegimus, in quibus

quibus plus esse prędidij sperabamus,quod essent perātiqua & ita præ vetustate obliterata,vt coacti fuerimus in elementariorum ordinem iterum descendere,& quod pueri faciunt,in noscitādis literis operam ponere.Oblatum est etiā vnum exemplarSorbonicū vetus quidem,pulchris & manifestissimis characteribus descriptū,quod nō parum adiumēti attulit. Quædā deniq; suppeditauit S. Germani bibliotheca libris selectissimis & raris,veteribus & nouis tā pulchrè extructa & referta,vt omnia ferè doctissimorū hominū scripta eo in loco recōdita visere queas. Hos igitur nacti codices,cōtulimus cū impressis,& ad fidē illorū si quid in iis mutilū aut deprauatū reperimus, vt licuit,restituimus:si quid truncatum,reposuimus: si quid confusum,digessimus. Sed quia nōnunquam dissidebant exemplaria,non quicquid offendimus diuersum statim præcipiti temerarióque iudicio inseruimus, sed religiosè selegimus: atque in iis ipsis ne nos quoque falleremur,aliorum etiam iudicio vsi sumus: vt tam ex aliis, quàm vel ex ipsa sententia, vel ex cognitione rerum quid esset legendum clarissimè appareret. Si voces occurrerunt diuersæ,aut sensus mutatis aliquot verbis variatus, qui tamen ferri cōmodè posset,nō è medio sustulimus,ne videremur lectionem iam receptam immutasse:sed præfixa hac * vel ista † diuersitatis nota lateri adscripsimus:vel si spatium marginis ferre non potuit quicquid fuit dissidij in diuersis exemplaribus,ad finem operis annotauimus, Lectori iudicium permittentes,vt quam magis probaret lectionem sequeretur. Cùm verò defuit exemplar scriptum,quod rarò contigit,recurrimus ad Germanicum emendatum à Cosserio,ad cuius collationem correximus Sermones quosdam,nempe à tregesimo quarto, quousque iam festinauerat editio tertij tomi,à quo,vt suprà indicauimus,Typographus incœperat:alios item Sermones iam excusos,& epistolas quarum nullum congesseramus exemplar,post editionem retractauimus, & cum impressis recognoscentes,etiam subiecimus ad calcem varias lectiones, ne quid desiderari posset in hac nostra editione,quam plenam & perfectam reddere contendimus. Quòd si quis nostris verbis fidem non habet & me fucum facere putat vt quæstus sit vberior ex commēdatione huius impressionis, conferat si lubet cum prioribus,& fateri cogetur nostram quantulancunque operam non fuisse inutilem,cùm viderit D.Ambrosium tantis mendis,quibus adhuc scatebat, ita repurgatum , tantáque fide & diligentia excusum,vt noua quadam veste donatus , germanóque ac natiuo decori restitutus esse videatur.Et ne voces singulas quas hîc post tantam hominum eruditissimorum diligentiam , emendauimus , & singulos versus quos restituimus,recensere & annotare pergamus : (opus enim esset laboris infiniti,& fructus nō ita magni:) liceat saltem paucis commemorare,quam in vnoquoque tomo ex scriptis exemplaribus titulorum quorundam librorum reperimus diuersitatem:quódque nostrum fuerit ex collatione veterum, quod etiam aliorum,de iis quæ cadunt in suspicionem,extiterit iudicium.

Libri tres de Virginibus,vt inde exordiar,(nam lubens prætermitto libros officiorum , in quibus non ita multum vidimus diuersi,nec ita corruptos & mutilos offendimus,&si cōtulerimus cum sex vetustissimis codicimus:)præferunt titulum de Virginitate in exemplari Sorbonico:& qui est tertius in impressis in quartum etiam dissecatur,& incipit ibi Col.98.lin.36.*Nobile apud veteres , &c.* qui quidem alibi descriptus assignatur etiam secundus de Viduis.Sed nostra impressio Aldinę 1562. omnino respondet , ex qua varias lectiones collectas à Manutio,ad finem editionis huius adiecimus.Quæ in excusis inscribitur *Exhortatio ad virgines*, in eodem Sorbonico dicitur liber tertius de Viduis, cuius operis secundum iam indicauimus,cùm tamen vnum tantùm habeamus.Erasmus putauit *Librum ad virginem deuotam*,non esse D.Ambrosij,postea tamen nihil detraxit è primo tomo , quòd nihil haberet in quod caderet vlla suspicio.*Liber ad virginem lapsam*,vel, *de lapsu virginis*, (sic enim appellatur in duobus manuscriptis) qui illum proximè sequitur,habetur inter Hieronymi opera,prima serie tomi quarti , (nam Erasmus ita distribuit quæ sibi aliena videbantur,vt tres classes fecerit:) hoc titulo,*In Susannam lapsam obiurgatio* : nisi quòd hîc deest principium,in fine quædam adiecta sunt & nonnulla alia variata:cuius libri caput nonum in Ambrosiana editione,(quia apud D. Hieronymum & in descriptis calamo libris ad hunc locum , perpetua est oratio,) dicitur,*Epistola ad violatorem*,vel *Inuectio ad corruptorem:* caput verò decimum,*Consolatio* vel *lamentatio ad lapsam*:licet non nouus tractatus,sed extremum caput superioris esse videatur. *Libri de pœnitentia*,in aliquibus scriptis habent hunc titulum,*Contra Nouatianos*.E quibus D. Augustinus libro secundo contra Iulianum Pelagianum non longè à principio , citat locum his verbis : *De duobus residuis argumentis vestris ,quæ ad baptismum pertinent,mox videbimus quid ille vir*(annuens D.Ambrosium)*senserit , & quomodo vos ingenti mole authoritatis obtriuerit.Dicit enim in libris contra Nouatianos Omnes homines sub peccato nascimur,* &c. quæ habentur hîc libro primo de pœnitentia,cap.ij.col.169.lin.vltima,vsque ad eum locum,*Quid ergo dicemus* &c.Hoc idcirco admonendum hîc duxi,ne quis putaret D.Ambrosium alios scripsisse libros contra Nouatianos.Germani omiserunt *Exhortationem ad pœnitentiam*,quod illam dicerent non ab Ambrosio sed Augustino conscriptam. Placuit verò non omittere,&si nihil habeamus quod de ea pronuntiemus,nisi quod non inuenimus in antiquis.*Liber de fuga seculi*,qui in nostra editione adiunctus est primo tomo,& in Basiliensi tertio , continuò post librum secundum de Iacob vel de vita beata , inscribitur etiam *de Esau vel de fuga seculi* apud eosdem Germanos : quem titulum non reperimus in manuscriptis. Liber verò *de bono mortis* sequitur librum de Isaac & anima,nam & sic incipit : *Quoniam de anima superiore libro sermonem aliquem contexuimus &c.* Nos tamen ordinem antiquum non inuertimus , etiàm si ratio id postulare videbatur.

In secundo tomo sunt *libri de vocatione Gentium*,de quibus Erasmus dubiam protulit sententiam : sed Costerius monuit se ex multorum veterum exemplarium obseruatione,deprehendisse illos esse Prospe-

ri Aquitanici,quemadmodum & epiſtolam lxxxiiij.ad Demetriadem, quam tamen vt eruditam Nannius in ſcholiis,quæ etiam huic operi affiximus,credit Ambroſianam eſſe,ſed ſtilo dilutiori conſcriptam propter puellare ingenium ad quod ſe attemperare volebat. Nos in tãta veterum codicum multitudine, quos vndique corrogauimus, nullum exemplar reperimus nec librorum de vocatione Gentium, nec illius qui in eodem tomo,titulo hoc notatur, *de fide contra Arianos*, quem idem Coſterius probat non eſſe Ambroſij ex epiſtola D.Auguſtini ad Fortunatianum,quæ eſt numero cẽteſima vndecima,vbi quædam citantur ex eo libro non Ambroſij,ſed Gregorij Nazianzeni nomine. Vnde colligi poteſt à D. Ambroſio Latinum factum fuiſſe, & ſic inter Ambroſianas lucubrationes receptum. Nam quæ adducuntur à Theodoreto in Polymorpho ex Ambroſij libro de fide, ea deſumpta ſunt nõ ex hoc libello de fide contra Arianos,ſed ex libris de fide ad Gratianum.

Quod attinet ad tertium tomum, in quo ſunt orationes, epiſtolæ & Sermones ad populum, nihil eſt quod præterea dicamus,niſi quòd quidam Sermones Eraſmo ſuppoſititij videntur,Coſterio eiuſdem omnes authoris,ſed fortè non Ambroſij:quòd nonnulli reperiãtur inter Auguſtinianos,plerique tribuantur Maximo Taurinenſi,vel,vt alij volunt,Mediolanenſi Epiſcopo. Cuiuſcũque autem ſint videntur eſſe hominis non indocti & in declamandis homiliis diligenter exercitati: qualis ſine controuerſia fuit D. Ambroſius,qui cùm ad maturiorem deueniſſet ætatem ita grauiter & diſertè præſtare norat quę in Rhetorum ſcholis puer didicerat,vt Probus,præfectus Prętorij,ob eximiam prudentiæ ciuilis & diſceptationum forenſium opinionem ad ſe euõcarit.Epiſcopus verò creatus,& à tribunalibus mundi ad tribunalia Chriſti abreptus, ita omnem vim illam dicendi & ſenatoriam linguæ facundiam ad Eccleſiaſticum munus conuertit & in docendo populo applicuit,vt ferè omnia eius monumenta,quæ ad nos tranſmiſit,videantur declamatoriæ cõciones habitæ palam, non ſcriptæ domi: dictæ publicè vt populum inſtrueret, non priuatim elaboratæ vt poſteritati relinqueret. Quod ſi ipſa dictione,vt vult Coſterius,referant omnes vnum eundémque authorem,certè conſtat nonageſimum primum eſſe D. Ambroſij,qui in epiſtola vltima ſcribens ad ſororem,dicit ſe ad populum talem habuiſſe ſermonem de inuẽtione corporum ſanctorum Geruaſij & Prothaſij:aut impoſtor fuit impudentiſſimus & audaciſſimus qui illum confinxit.De reliquis,aliorum eſto iudicium:nos quid pro certo proferamus non habemus.Proinde nihil in titulis immutauimus, nullúmque Sermonem reiecimus, ne illum quidem qui eſt de baptiſmo Auguſtini, etiam ſi Ambroſianam phraſim non redolere dicatur.

Iam veniamus ad quartum tomum qui complectitur explanationes ſcripturarum veteris teſtamenti, cum aliis quibuſdam opuſculis,quorum omnium exemplaria miræ vetuſtatis habuimus,excepto vno libello de Salomone,& duabus illis precationibus de pręparatione ſacerdotis ad Miſſæ munus.Videat lector diligens an ſtilus diſſonans à phraſi Ambroſiana coarguere poſſit non eſſe Ambroſij. De Apologia & de Interpellatione diximus in præfatione ad Lectorem quę illis præmiſſa eſt,quid iudicaremus:nempe ipſum de Apologia ſecundum eſſe eiuſdem authoris in codicibus ſcriptis. De Interpellatione autem Dauid minus etiam dubitamus quin verè ſit D. Ambroſij, cùm in omnibus vetuſtis exemplaribus,quorum vnum tam multę eſt antiquitatis,vt iurare poſſis ætate D.Ambroſij ſcriptum eſſe,reperiamus deſcriptum ſtatim poſt primum illum de Interpellatione ſancti Iob,hũc enim præfert titulum.Tertio loco ponitur ille qui eſt ſecundus in iis qui impreſſi leguntur,cuius initium: *Superior nobis diſputatio fuit de Interpellatione ſanctorum,&c.* Quorſum enim dixiſſet,ſanctorum,ſi vnius tantùm,id eſt,ſancti Iob,pręceſſiſſet interpellatio?Adde quod libro primo de Interpellatione,cap.1.ſub finem,ait:*Vtriuſque igitur interpellationes conſiderare cordi eſt,&c.* quem librũ ſi attentè legas,ne vllam quidem mentionem fieri de Dauid interpellatione cognoſces,ſed ſolùm Iob. Vnde coniicimus ex illis perantiquis voluminibus quatuor hos libros iſto ordine diſponendos,vt poſt primum de Interpellatione Iob, vt vocatur,qui incipit: *Multas nobis perturbationes*:collocetur hic de Interpellatione Dauid,cuius initium:*Multi quidem deplorauerunt,&c.*Tum ille ſequatur: *Superior nobis diſputatio,&c.* Quartum denique locum obtineat,qui tertius eſt, cuius principium:*Decurſa eſt interpellatio ſancti Iob,&c.* Aut hic poſtremus ſecundo loco reſtituendus:aut ſi quem habet in impreſſis retinuerit,neceſſe eſt,vt ſicut propoſuit,poſt decurſam interpellationem ſancti Iob duobus libris, ſequatur & illa quæ pollicita eſt de ſancto Dauid: ſi non totidem libris,quòd alterius ſtilus dilucidior eſſe videatur,(de quo diximus in illa præfatione quæ præmonet Lectorem:)vel quòd conſentaneum nõ eſt Ambroſium bis de re eadem ſcripſiſſe:cur iterum ſuſcepit interpellationem pro ſancto Iob? Præterea vtraque interpellatio non eſt ducta ab eodem Pſalmo,ſed vna à Pſalmo ſeptuageſimo ſecundo, altera à Pſalmo quadrageſimo primo. Per nos tamen non ſtabit,quin ſuo quiſque liberè fruatur iudicio: hoc enim tantum quod iuuandi animo argumentis quibuſdam deprehendimus,indicamus,non ſtudio renouandi aliquid ſtatuimus.

Quintus & vltimus tomus qui comprehendit eos D. Ambroſij commentarios in nouum Teſtamentum, quos hactenus licuit reperire,nihil alienum habere iudicatur:niſi quòd quidam ſuſpicantur imperfectum illum commentarium in Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos, alterius eſſe quàm Ambroſij. Commentarios quidem in Epiſtolam ad Romanos multis in locis deprauatos inuenimus, vt iam monuimus in præfatiuncula quæ illis præpoſita eſt: ſed quia pleraque quæ in ſcripto codice reperiebamus, videbantur paraphraſtica & à ſcriba quopiam tranſmutata, quaſique per alium ſermonem commentata,non auſi ſumus quæ vel addita vel decurtata putabamus reſtituere & in contextum inſerere: ſed liberum cuique lectori relinquentes iudicium, illa appreſſimus ad finem, vt quam malit lectionem arripiat.

In

In hoc autem tomo quæ erant contextus ſcripturæ curauimus excudi alio charactere, vt commmodi-tati lectorum conſuleremus. De iis verò quæ à nobis adiecta ſunt, ſiue fuerint antea ſeorſum ab aliis impreſſa nomine Ambroſij, ſiue nunc primùm noſtra opera è tenebris eruta, nihil opus eſt agamus pluribus: quia ſinguli tractatus ſingulas habent vel præfationes ex quibus intelligere licet quod fuerit noſtrum, quod eorum qui prius in lucem emiſerint de huiuſmodi libris iudicium: vel in fronte præfixum titulum qui ſatis indicat quod ſit cuiuſque argumentum. D. Ambroſius, vt id obiter attingamus, non ex propoſito edidit expoſitionem in Cantica Canticorũ, ſed eo libro vſque adeò delectatus eſt, vt vbicũque eius explicandi ſeſe obtulit occaſio, illam ſemper accepit: quemadmodum apparet in omnibus eius ſcriptis, ex quibus diligenter & ſtudioſè perlectis, excerpta ſunt à viro inſigni domino Demochare, doctore Sorbonico, & ex multis partibus, veluti membris in vnum corpus digeſta omnia quæ ad interpretationem cuiuſque loci pertinere videbantur. Quod etiam iam tentatum fuerat à quibuſdam lectionis Ambroſianæ ſtudioſis, & maximè ab ipſo Coſterio, cuius diligentiam nemo eſt qui non laudet: verùm quia omnia commutauit, multa ademit, plura de ſuo addidit, dum vnicum orationis filum facere voluit, non ingratam fore putamus operam illius qui notatis locis, è quibus ſingula deſumpta ſunt, nihil quæquam præteriit quod ad expoſitionem Canticorum faciebat.

Ne quid autem hîc prætermittamus, optime Lector, quod te ſcire oporteat, libet etiam recẽſere quędam Ambroſij opera ab ipſo ſcripta, vt apparet, ſed quæ vel vitio temporum perierunt, vel non hactenus inuenta deſiderantur. Scripſit igitur in Eſaiam, vt ipſe ſibi abundè teſtis eſt his verbis in Lucam: *Quid ſit autem in Hieruſalem ſiſti domino, dicerem, niſi in Eſaiæ commentis antè dixiſſem.* Teſtis præterea D. Auguſtinus, qui libro quarto ad Bonifacium cap. ſecundo non ſemel citat D. Ambroſium in commentariis quibus expoſuit Eſaiam: & libro ſecundo contra Iulianum Pelagianum. Hoc opus ſi inueniri poſſet, haberemus non tam Prophetam vocaliſſimum quàm Euangeliſtam veriſſimum rectè, vt credere eſt, explicatum. Scripſit etiam quoſdam libros contra Platonicos, vt teſtatur idem Auguſtinus epiſtola xxxiiij. ad Paulinum, vbi ſic ait: *Libros beatiſſimi Papæ* (ſic olim appellabantur Epiſcopi) *Amboſii credo habere ſanctitatem tuam: eos autem multùm deſidero, quos aduerſus nonnullos imperitiſſimos qui de Platonis libris Dominũ profeciſſe contendunt, diligẽtiſſimè & copioſiſſimè ſcripſit.* Et libro ſecũdo cõtra Iulianum his verbis: *An fortè ipſum quoque Ambroſiũ ſciſſe ac docuiſſe dubitabis, Deum eſſe hominem, eruditorem & animæ & corporis? Audi ergo quid dicat in libris de Philoſophia cõtra Platonem Philoſophum &c.* Citatur ibidem ſemel atque iterum liber de Sacramento regenerationis, ſiue de Philoſophia, qui non eſt idem cum libris de Sacramentis in quibus agitur de Baptiſmo: quia in his verba ab Auguſtino adducta non inueniuntur. Recitantur quædam alia opera à Tritthemio, in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, non adhuc reperta: nempe libri vndecim in Pſalmos, liber de iudiciis, de quadraginta manſionibus, & maximè liber hymnorum, quorum nonnulli iam impreſſi leguntur, quibus nos recens adiecimus illum qui eſt de ſancta Agatha: ſed dolemus alios intercidiſſe. conſtat enim D. Ambroſium in modulandis lyricis & Sanctorum laudibus decantandis non infelicem fuiſſe. Id eò commemoratum eſt à nobis, vt ſi quis rerum antiquarum ſtudioſus fortè in euoluendis bibliothecis, vbi reconduntur omnium præſtantiſſimæ opes literariæ, repererit huiuſmodi theſauros, non pigeat è tenebris eruere & in apertam lucem producere. Nos primi damus ex conquiſitis vndequaque libris veteribus, & ſi non recenſeantur inter eius opera, libellum ſeu potius fragmentum de Spiritu ſancto, Tractatum de concordia Matthæi & Lucæ narrantium genealogiam Chriſti, & epiſtolas duas: de quibus omnibus quid cenſeamus & vnde ſumpſerimus, monuimus in cuiuſque limine, ſimul & indicauimus cuius authoris ſit liber ille De pœnitentia, quem nobis ſuppeditauit Sorbonicum exemplar. Et hæc ſunt quæ pro mediocritate noſtra præſtitimus omnibus ſacrarũ literarum candidatis, quorum ſtudia atque per illos vtilitatem publicam iuuare conati ſumus. Reſtat iam, humaniſſime Lector, vt beneuolè noſtro labore fruaris in otio, & diſcurras inoffenſus in Ambroſianis campis amœniſſimis, quos tibi tantis ſpinis ac vepribus magno cum ſudore repurgauimus, vt ne vllus quidem aculeus relictus eſſe videatur, qui cuiuſquam animum pungere ac offendere poſſit, quin flores lectiſſimos facilè decerpat: niſi fortè aliquis dimiſſus ſit ab iis quibus delegata fuit caſtigandi & imprimendi præfectura. Quorum labore expleto ſi quid nos curſim relegendo in quibuſdam libris deprehẽdimus, quod nouum ſcrupulum ac ſtimulum ſuffigere, aut cuiquam faceſſere negotium viſum eſt, inter errata poſt varias lectiones redegimus: tu cætera leuiora pro tuo candore excuſabis, vt noſtrum ſtudium tua benignitate ad meliora ſemper accendas. Vale.

VITA SANCTISSIMI AC PRÆSTANTISSIMI viri D. Ambrosii Mediolanensis Antistitis, ex ipsius potissimùm scriptis contexta, per Ioannem Costerium, ordinis D. Augustini Canonicum.

POSTEAQVAM magnis ac infinitis sudoribus sanctissimi ac grauissimi viri Ambrosij scripta à crassis ac prodigiosis erroribus, quibus præclarissimum illud ecclesiæ lumen obductum erat veterum ac castigatiorum codicum subsidio repurgare conati sumus, ac antiquo, quoad licuit, restituere candori, rem neque ingratam plerisque, neque inutilem facturus videbar, si eiusdem quoque viri sanctissimam ac laudatissimam vitã pro nostri mediocritate ingenij, scribendíque tenuitate persequi tentarem: præsertim quòd longo iam vsu, & tanquam domestica consuetudine Ambrosio familiarior factus, quæ sint eius dotes, me vtcunque ostendere, & tanquam rudiori peniculo depingere posse non planè diffidebam. Quicquid enim hîc scripturus sum, nequaquam id è commentitiis ac fictis rebus, sed cùm ex historiis antiquioribus ac fide dignis, tum verò ex ipsius viri præclaris ac diuinis libris desumere statui: certò sciens, neminem verius absolutiúsque exprimere posse quis quantúsque fuerit Ambrosius, quàm ipse Ambrosius: cùm omnium sententia, nemo sit vlli notior, quàm quisque sibi: & ipsa quoque hominis oratio, vera absolutáque sit mentis imago. Non quidem, quòd omnia quæ ad huius viri laudes pertinent, hîc complecti aut velim, aut etiam possim: id enim ab humano ingenio fieri posse non puto, cùm ea sit vitæ ipsius claritas, ea dignitas ac magnitudo, vt omnia quæ ab eo gesta videmus, excellétissima sint, & veluti miracula quædam summarum laudum in eo posita esse videamus. Equidem ita censeo, nullam esse tam paratam ac instructam dicendi vim, nullum tam fœcundum orationis genus, quod cum eius infinitis ac diuinis laudibus cõparari possit. Neque verò propterea encomiũ eius instituimus, tanquam ipsum nostra laudatione ac commendatione egere existimemus. id enim fuerit perabsurdum & plenum stultitiæ ac vanitatis: sed quòd id nobis conducibile, nostræque saluti commodum ac salutare futurum putem, qui propositis sanctissimorum virorum exemplis, & nostram damnare ignauiã, & ad virtutis pietatísque studium excitari soleamus.

Igitur vir insignis Ambrosius Romę natus est, sub Cæsaris Constantij imperio, filio Constantini principis, qui tunc res Romanas gubernabat. Nobiles ac claros habuisse parentes, vel id vnum satis ostendit, quòd patrem Gallicanæ prouinciæ præfectum fuisse legimus, quæ tũc summa dignitas non nisi in summos ac præclarissimos viros conferebatur. Ipse nusquam (ni fallor) in scriptis suis aut parentum, aut familiæ suæ meminit: quòd sciret veram nobilitatem non in antiquitate generis, vel parentum splendore ac dignitate sitam, sed in virtutis cultu & morum integritate ac ornamento consistere. Alienis enim & tanquam emendicatis laudibus niti, humilis & abiecti animi est: & parẽtibus nasci præclaris, & illorum non imitari virtutes, dedecore est maiores afficere, non gloria illustrare. Patri nomen fuit Ambrosius, mater quæ fuerit, nusquam inuenio. Pium vtrumque fuisse parentem verisimile est: è quibus tanquam ex sancto & incorrupto semine adeo insignes ac præclari fructus pullularint. Fratrem habuit Satyrum nomine, sororem Marcellinam vocatam. Porrò de Satyri excellenti ac rara pietate copiosè ac eloquenter in illis duabus orationibus agit, quibus mortuum veterum more commendauit. Mortem eius molestissimè tulit: quòd eo in rebus humanis nihil habere se diceret preciosius, nil amabilius, nihil charius. Pio, inquit, semper affectu solicitus, latus meum tuo latere sepiebas: charitate vt frater, cura vt pater, solicitudine vt senior, reuerentia vt iunior. Marcellinam sororem virginitatem professam fuisse constat: cuius eximias sanctásque virtutes tum in his orationibus, de quibus nunc dixi, tum in iis libris quos ad eam De virginitate conscripsit, strictim obitérque recenset. Liberalibus artibus Romæ institutus fuit, vbi tum temporis & religionis & eloquentiæ fastigium erat. Erat Ambrosio viuidus, erectus, & excelsus animus, & qui à primis annis contempta fortunæ temeritate ac vanitate nihil humile, nihil abiectum meditaretur. Itaque quicquid tunc eruditionis vel apud Græcos, vel apud Latinos erat, summo tunc studio euoluit, excussit: assiduo ac pertinaci labore animum cunctis artibus ac disciplinis excolens, & tũc ex Ægyptiis opibus incõparabilem thesaurum sibi corradens, quem postea ad dei templi dignitatem maiestatémque ampliandam esset exprompturus. Quantum verò isthic promouerit felix illud ac præclarum ingenium, coniecturam sumere licet tum ex laudatissimis ac eloquentissimis libris, quos ad posteritatem transmisit, tum verò ex eo, quod simul ac maturiorem attigisset ætatem, & in declamatoria palæstra summa cum omnium admiratione luculenter grauitérque oraret, vir illustris Probus, præfectus prætorij, ob eximiam prudentiæ ciuilis opinionem eum ad se vocat: vt in consiliis ac grauissimarum rerum disceptationibus operam sibi nauaret: ratus nihil tam egregium ac magnificum in eum conferri posse, quod non ipsius virtus ac præclara merita superarent. Hic est Probus, qui postea Valentiniani iunioris post mortuum patrem, pueritiam rexit, fidámque operam principi suo nauauit: constanter se iis obiectans, qui imperium tanquam rectore destitutum per tyrannidem inuadere conabantur. In ea administratione rerum publicarum, cùm Ambrosius fidei ac prudentiæ suæ multa ac præclara documenta cum summa iustitiæ ac æquitatis laude dedisset, voluntate Christianissimi principis Valentiniani maioris, qui in Iouiniani demortui locum suffectus erat, Liguriã Æmiliámque prouincias gubernandas accepit. Ita enim se comparabat, vt nunquam dignitatem aliquam videretur consecutus, etiam amplissimam, quin maiore semper & ampliore dignus haberetur. Sita est Liguria inter Apenninos montes & Padum fluuium, ab altero latere Galliam, ab altero Hetruriam habens. Caput eius Genua est: vrbs florentissima, & omni genere diuitiarum differta. Erat porrò ea conditio id temporis ardua in primis ac perdifficilis: quòd populus ille nouis rebus subinde studens, frequentes motus cieret, nec nisi grauissimarum legum seueritate, ac maxima cum difficultate in officio contineri posset. Quare opus hîc erat viro insigni, qui & prudentia & vsu rerum præstãs, turbata componeret, nutantia sustineret, pacata in quiete ac tranquillitate conseruaret. Erat hic Ambrosius futuri muneris cui destinatus erat, veluti tyrocinium quoddam facturus: qui sermone, sententia, expeditóque consilio suprà quàm dici possit admirabilis, singulis rebus salutaria remedia celeriter adferebat. Itaque fieri non potuit, vt tam singularis virtus ac præclarum lumen diu terrenis ac forensibus rebus tanquam sub modio esset absconditum: ponendum erat super candelabrum, in summo atque eminenti ecclesiasticæ dignitatis fastigio, vt eius claritate atque splendore errorum caligo longè latéque profligaretur. Ea igitur tempestate tota ferè Insubria, magnáque Italiæ pars Arriana peste corrupta erat: maximas ad eam rem faces suggerente Auxentio quodam, homine & sceleratissimo & crudelissimo, qui nefandi dogmatis venenum longè latéque diffuderat. Hic postquam sanctum virum Dionysium, qui tum Mediolanensis ecclesiæ gubernacula tenebat, fraude ac scelere suo in exilium exturbasset, nefario ausu in Christi ouile sæuus ac sanguinarius lupus irrupit: nihil prius habens, quàm vt innoxium gregem Christi rabido ore discerperet. Fur enim qui non per ianuam, sed aliunde in ouile ascẽdit, non venit, nisi vt furetur, vt mactet, & perdat. Is est Auxentius, cuius maleficio

maleficio D. Martinus postea Turonensis archipræsul, Mediolano non sine acerbissimis iniuriis fuit eiectus. Huius Auxētij meminit Ambrosius tertio De spiritu sancto libro, quem Mediolanensem ecclesiam armis exercitúque occupasse scribit. Hac igitur peste extincta, in comitiali contentione populus penes quem tunc ius erat deligēdi antistitis, in duas partes dissectus, in diuersam sententiam rapiebatur: cùm ij qui Arriano dogmate imbuti essent, quempiam è sua factione: contrà catholici episcopum orthodoxum habere vellent. Porrò cùm hîc summa vtrinque contentione diu multúmque tumultuatum esset, & res iam ad manifestam periculosámq; spectaret seditionem, ac ciuitatis perniciem, Probus præfectus rei periculo permotus, Ambrosium, cuius efficacem linguæ facundiam animúmque magno rerum vsu & exactæ prudentiæ præsidiis instructum sciebat, eò mittit, turbulentos comitiorum fluctus, & excitatum intestinæ seditionis incendium virtute atque autoritate repressurum. Is postquam templum ingressus est, & facundissimo illo suo ore tumultuantem populum componere studet, nihílque non agit, quod ad tollendas simultates, ad sarciendam concordiam faceret, repente omnes depositis priuatis odiis, cōtentionibúsque reiectis, in eum mirificè conuersi sunt: & qui prius atrocibus odiis, ac periculosissimè inter se dissiderent, nunc communibus votis, summóque animorum consensu, Ambrosium efflagitarunt. Miratus ille pertinacissimo conatu obstitit: hominem prophanū, rerum ecclesiasticarum rudem, & cui adhuc emerenda essent baptismatis sacramēta, sacris rebus admoueri nequaquam debere: rem esse supra vires suas, supra meritum, supra fortunam. Non esse tam effœtam ac orbatam Vmbriam, imò ne Insubriam quidem, vt non habeat viros maximarum virtutum ornamentis clarissimos, qui huic functioni maximè essent idonei. Aliud esse præfectum agere, aliud episcopum: alia esse tribunalia mūdi, alia tribunalia Christi. Et quid hic, inquit, vixdū tyro facturus sum, cùm hic satis habeat etiam veteranus quod agat? Sed hic homo eloquentissimus erat e linguis. Nam quò ille obstinatius repugnat, hòc populi studia acrius inflammātur: & quò ille se vociferatur indigniorem, eò omnibus dignior videbatur. Porrò Valentinianus Augustus vbi audiuit quod gestum erat, mirum in modum gauisus est, (eximiam quippe viri virtutem multis è rebus exploratam habebat) statímque & suo suffragio addito populi approbat voluntatem: simul etiam & deo gratias agēs, quòd eū sibi delegisset in sacerdotem, quem ipse olim moderandæ genti suæ præfecisset. Proinde imperat, vt quæ statuerant, perficere maturarent. Impendio quoque lætabatur Probus præfectus, qui hic non falsum vatem se fuisse videbat. Ambrosio enim Mediolanum proficiscenti dixerat: Vade, age non vt iudex, sed vt episcopus. Ipse tamen nihilo segnius omnem quærit modum, quo obsistat: quærit latebras, quærit patronos, quærit procrastinationem: sed frustra id à se reiicere conatur, ad quod olim diuina prouidentia delectus erat: cùm Salomone testante non sit sapientia, non sit prudentia, non sit consilium cōtra dominum. Quàm autem inuito & obluctanti illi hoc onus impositum sit, ipse in secundo De pœnitentia libro breuiter docet. Igitur cùm nusquam videret elabendi viam, nusquam esse neque fugæ, neque consiliis suis locum, multísque iam argumentis domini erga se intelligeret voluntatem, populi tamen precibus cessit: omnibus mirum in modum lætantibus, maximè verò catholicis, qui hunc tanquam præclarissimum ac felicissimum sidus post turbulentissimas tempestates illuxisse sibi putabant, datúmque sibi tanquam alterum Moysen, qui pro ipsis contra fidei hostes veluti contra Amalechitas pugnaret, datum tanquam fortissimum Dauid, qui egrederetur & ingrederetur ad imperium regis, datum eum, qui staret ex aduerso in die prælij, & murum se opponeret pro domo Israel, datum deniq; eum, qui tueri ecclesiæ libertatem & autoritate posset, cōsilio sciret, animo vellet. Nondū sacra vnda in Christo regeneratus erat, sed in catechumenorū erat ordine, hoc est, eorum qui fidei mysteria docebantur, & studio ac sedulitate veluti quendam fidei cādidatum agebant. Cùm ergo sancto lauacro baptizandus esset, à nullo id nisi à catholico episcopo factum volebat: iam tunc Arrianorum
A perfidiam suspectam atque exosam habens: & haud aliter tunc ipsis affectus, quàm olim inuictissimus Sampson Philistæis erat, quorum ipse perniciem atque excidium primis ab annis meditabatur. Volebat enim deus fortissimum & inexpugnabile propugnaculum erigi contra faciem Damasci, cōtra hæreticorum præduram & peracerbam sæuitiam; volebat talem virum in eum locum substitui, qui afflictæ tunc pietati, & cadenti religionis ruinæ quasi manum dorsúmque apponeret. Deformis ac miseranda enim tunc erat Ecclesiæ facies, cùm intestinis discordiis omnia essent discissa, cúmque distracta atque diuulsa à se membra, non solum vires atque robur omne, sed speciem quoque & vitam ipsam amiserant. Quare opus erat eximio & insigni artifice, qui prostrata erigeret, disiuncta coniungeret, expoliret deformia, & mortuis spiritum vitámque conferret. Quis hîc explicare queat infinitos eos ac planè Herculanos labores quos vir sanctissimus in tam arduo ac difficili negocio pertulit? Non ita difficile est, pacatam ac quietam rempubli-
B cam in officio contiñere, conseruare in sua firmitate, quæ rectè firmitérque constituta sunt: cæterùm quæ collapsa, quæ discissa sunt, in antiquam soliditatem integritatémque restituere, quanti sit laboris ac difficultatis, nō aliis persuaseris, quàm iis qui in eam arenam quandóque descenderint & in eo stadio exerciti fuerint. Prouincia sanè multis nominibus perdifficilis erat, cùm ob ciuitatem opibus luxúq; diffluentem, ob plurimos Arriana peste corruptos, tum verò ob Cæsaris aulam, quæ malorum agmen secum semper adferre solet: nimirum quòd ea diuersarum ac barbararum gentium homines haberet permixtos, qui morum petulantia omnia corrumpebant. Delectus est autem Ambrosius Mediolanensium antistes, anno post Christum natum trecentesimo septuagesimoseptimo, Gratiano & Equitio Consulibus, imperante Valentiniano Christianissimo ac pientissimo principe. Velim hîc cumprimis insignem scribendi adesse artificem, qui rem pro sui merito ac dignitate tra-
C ctaret, & quæ ab eo in hac pontificia dignitate multa cum laude summáque omnium admiratione gesta sunt, veluti in tabula coloribus suis depingeret: putarem tantam rerum omnium maiestatem magnitudinémq; futuram, vt non nisi præclara summáque ingenia ea capere ac intelligere possēt. Inculpatam honestámque ac omni ciuili virtute perpolitam vitam hactenus duxerat, præfecturam ac consulatum ita gesserat, vt nemine maiori fide atque integritate gessisse opiner: verùm postquā reiectis veteris hominis exuuiis, iā in Christi verba iurasset, & in eum præterea se locum elatum videret, vbi eum tanquam in amplissimo theatro constitutum omnes intuerentur, in eum omnium vndique intenderent oculi, tanquam in suum pastorem, in suum antistitem, & in eū qui personā summi principis in terra sustineat, alius tunc illi animus, alia viuēdi ratio: talis certé, qualē tunc ea functio flagitabat. Quæ enim tūc vitæ puritas? quæ grauitas, quæ modestia? quæ laborū patientia? quæ orandi legēdíque frequentia? Ea sanè tanta fuit, vt miraculum sit, hominem à tribunalibus ac rerum forensium strepitu ad ecclesiasticum
D munus abreptum, illa statim in docendo potuisse præstare, quæ ipsum tūc effecisse miramur. Nā docendi munus, quæ primæ sunt episcopi partes, statim ab pontificatus sui initio diligenter grauitérque impleuit: quanquam id ab eo non nisi incredibili labore, summísque vigiliis effectum putem. Tametsi enim humanioribus literis & singulari quadam dicendi scribendíque arte probè esset excultus, diuinarum tamen literarum scientiam nondum attigerat, quæ illi in primis tunc necessaria erat. Quapropter summo tunc studio Græcorum comentaria, maximè verò Origenis, cui tunc eruditionis primas dabant, euoluit: quorum subsidio fretus, multa de scripturis & publicè disseruit, & priuatim conscripsit. Quod tamen an quisquam iure calumniari possit, non video: cùm & ætate iam maturiori, & sacrarum literarum rudis ad episcopalem dignitatem (vt dixi) ascitus sit, quæ tunc non discendi, sed docendi munus poscebat. Maximè verò quòd multæ tum essent hæreticorum etiam eruditorū turmę, quibus refellendis, reuincēdis, opprimendis Christi

antistes

antiſtes opponere ſe debebat. Qua de re ipſe in principio
eius operis quod De officiis conſcripſit,ita ait:Homines di- A
ſcunt prius, quod doceant: & ab alio accipiunt, quod aliis
tradant.Quod ne ipſum quidem mihi accidit.Ego enim ra-
ptus de tribunalibus atque adminiſtrationis infulis ad ſa-
cerdotium, docere vos cœpi, quod ipſe non didici. Itaque
factum eſt,vt prius docere inciperem,quàm diſcere.Diſcen-
dum igitur mihi ſimul & docendum eſt,quoniam non vaca-
uit antea diſcere.Et quantumlibet quiſque profecerit,nemo
eſt qui doceri non egeat,dum viuit.Hæc ille.Quos quidem
De officiis libros in clericorum ſuorum gratiam ſtatim ab
impoſito ſibi pontificatu contexuit: Ciceronis & ordinem
& argumenta ſecutus, qui De officiis ad Marcum filium
Athenis Græcæ philoſophiæ operam dantem magna tum
eloquentia tum eruditione ſcripſit. Nunc autem his omiſ-
ſis, de ipſius ſacerdotali ac planè apoſtolica autoritate di-
cendum eſt, quam in aſſerenda eccleſiæ libertate, in vindi-
canda æquitate egregiè oſtendebat:maximè apud eos, quo-
rum potentia populo eſſet formidabilis, & qui per imperij
licentiam multa facerent,quæ optimus quiſque non impro- B
bare non poſſet. Paucis igitur ab inito pontificatu excurſis
diebus,dum ipſe & Valentinianus Auguſtus de rebus impe-
rij,de belli pacíſque negociis, déque eccleſiæ ſtatu,amicè ac
familiariter inter ſe tractãt,opportunitatem hic nactus Am-
broſius, grauiſſima ac liberrima oratione de immodica
principum potentia ac libertate conqueritur:qui multa præ-
ter æquitatem, plurima pro ſuo affectu agerent,quibus ſub-
iectum populum opprimerent verius quàm iuuarent. Non
eſſe memores legis diuinæ, non tueri eccleſiæ dignitatem,
non defendere innocentium cauſſas, non publicam patriæ
libertatem priuatis ſuis cupiditatibus anteferre: multa pro-
ferendo ac dilatando imperio, pauca pro amplificanda
Chriſti facere gloria. Magnam aulicorum, magnam magi-
ſtratuum,itémque fœneratorum ac menſariorum eſſe licen-
tiam, qui pauperum fortunas acerbiſſimis iniuriis emunge-
rent, & annonam iniquiſſimis artibus impudentiſſimè fla-
gellarent. Plurimos denique eſſe, qui recti atque honeſti
obliti, cuncta ſibi tanquam in ſumma vitæ libertate licere C
vellent. Cæſar laudata epiſcopi fiducia: Noueram, inquit,
prius hanc tuam Ambroſi libertatem: qua tantum abeſt vt
offendar,vt etiam cùm te epiſcopum deſignatum audiſſem,
mirum in modum fuerim gauiſus,& approbata populi vo-
luntate, meum quoque calculum cæterorum ſuffragiis ad-
dendum putauerim. Macte igitur virtute, age quod tui mu-
neris eſt,cura vt res Chriſtiana conſiſtat incolumis,vt vete-
ris religionis diſciplina incorrupta perſeueret: doce quæ
amare, doce quæ fugere debeamus. Habes animas noſtras
fidei tuæ concreditas: his conſule, his Chriſtianæ medicinæ
appone præſidia,vt cuiuſque morbus atque ægritudo expo-
ſcit.Talis tunc erat recentis adhuc ſacerdotis apud potentiſ-
ſimum principem autoritas, talis libertas, talis etiam gra-
tia: vt quod plerique toto vitæ ſuæ tempore multis ac pro-
fuſiſſimis largitionibus impetrare nequeunt, id Ambro-
ſius ſolius vitæ merito ſit conſequutus. Poſtquam verò do-
mum domini ſummo ſtudio repurgare cœpit, quam veri-
ſimile eſt Auxentij antiſtitis ſceleratiſſima impietate grauiter D
prophanatam fuiſſe,& reuellere peſtiferas Arriani ſemi-
nis radices,quod illius maleficio iſthic proſeminatum erat,
Arriana factio totis viribus omníque armorum genere in
Chriſti ſacerdotem impetum facit, omnia agẽs,omnia ten-
tans,vt lacerata ac conuulſa eius dignitate,pontificatu deie-
ctum in exilium pellerent.Ferociores erant,quòd Iuſtinam
Valentiniani ſenioris Imperatoris vxorem huius nefandi
ſui erroris propugnatricem haberent, quæ cùm viuo adhuc
marito,quem Arrianæ perfidiæ ſeueriſſimum vindicem ſcie-
bat, virus hoc longum iam tempus ſuis confouiſſet inclu-
ſum viſceribus,eo demortuo ſecura euomuit:multa interim
& clàm & palàm faciens,quibus illum inexpugnabilem ec-
cleſiæ murum Ambroſium deiicere atque euertere tenta-
bat.Hunc enim ſolum ſuis conatibus obſiſtere,hunc Arria-
num dogma palàm quotidie oppugnare videbat: & qui ne-
que cõſilio,neque opera,neque dictis, neq; factis quicquam
prætermitteret, quod ad impugnandam atque euertendam
horum ſentẽtiam pertineret. Fremebat illa,& muliebri im-
potẽtia acta, funeſto ac diro animo certũ exitium viro ſan-
ctiſſimo apparabat.Coëgerat dudum Cõſtantius Cęſar Ari-
mini cõcilium,non alia voluntate, quàm vt ea quæ in Chri-
ſtianiſſima Nicena ſynodo,aduerſus Arrij veſaniam de ho-
mouſio decreta ac confirmata eſſent reſcinderentur:in quo
multi(vt Auguſtini verbis dicam) paucorum fraude circum-
uenti, grauem ac miſerandam fidei ſuæ iacturam fecerunt.
Qua de re agit Ambroſius in Epiſtola ad Valentinianũ Au-
guſtum, quæ numero eſt trigeſimaſecunda. Cum iis,in-
quiens, benè conuenit Arriano, qui creaturam Chriſtum
dicunt,quod etiam Gentiles ac Iudęi promptiſſimè cõfiten-
tur.Hoc ſcriptum eſt in Ariminẽſi ſynodo. Meritóque con-
cilium illud exhorreo, ſequens tractatum Niceni concilij:à
quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare. Igitur quæ
Arimini paucorũ hominũ nefaria temeritate decreta erant,
Iuſtina ab omnibus ſeruari volebat.Hic cùm Ambroſius cõ-
ſtanter ſeſe opponeret,& Ieſabelis illius tanquam alter He-
lias maliciam nihili faceret, illa tanquam peracerbam cõtu-
meliam ab ipſo perpeſſa, Valẽtinianum filium atrociſſimis
criminationibus in epiſcopi odium impellit.Qui vlciſcendæ
matris ſtudio adeo concitatus fuit,vt ſtatim militarem ma-
num ad eccleſiã miſerit,matris iniuriam grauius atque acer-
bius vindicare volens.Miles effractis templi foribus Chriſti
ſacerdotem ad Cæſarem pertrahere volens, populi adcur-
rentis ac obſiſtentis audacia eſt impeditus: paratior enim
erat mortem oppetere, quàm vt epiſcopum ſuum hoſtium
permitteret voluntati. Iuſtina vbi intellexiſſet populi erga
pontificem ſtudium, neque interim dira illa flamma quam
animo conceperat, reſtingui poſſet, Meniuolo, qui tum
ſcribarum erat præfectus legem ferre imperat, qua ea quæ
in Ariminenſi Cõcilio conſtituta eſſent,confirmarentur:ca-
pitale autem fore, ſi ea quiſquam conuellere ac impugnare
tentaret. Meniuolus vir Chriſtianæ pietatis parere noluit:
ſed ſtatim detractum baltheum quo cingebatur, ad pedes
reginæ abiecit, omnem contumeliam dicens ſe pati malle,
quàm vt crudelem illam ac ſanguinariam legem ipſe ſanci- C
ret. Reginæ imperium hoc ferebat moleſtius, quod ſciret
Ambroſij nomen magna apud eam flagrare inuidia,omné-
que eius cõſilium in epiſcopi necem eſſe propenſum, quem
ipſe pro vitæ ſuæ merito omni veneratione ac defenſione
dignum exiſtimabat. Magnis tamen ac ſplendidis promiſ-
ſis quorundam animos expugnatos ad hæc audenda regi-
na incitauit. Dum hæc iſta molitur, mors Gratiani princi-
pis fraude ac ſcelere Andragathij nunciatur: quæ res Iuſti-
næ impetum ac furorem repreſſit, quæ alioqui conquietu-
ra non videbatur, niſi Ambroſio è medio ſublato. Venerat
id tẽporis è Syriæ partibus Mediolanum alius quidam Au-
xentius,homo crudeli prorſus ingenio, qui non minus fer-
ro quàm lingua paſſim deſæuiret, impuro ſceleſtóque ore
multa profundens,quibus Chriſtianę fidei puriſſimã verita-
tem labefactare ac ſubuertere contendebat. Is vt cõmodius
noceret, cùm ſciret illius Auxẽtij, qui apud Inſubres graues
motus excitarat, nomen eſſe odioſum, ementito vocabulo
Mercurinum ſe appellabat. Hic ergo peſſimis artibus in
Cæſaris aulam irrepens, tempúſque nouandis ac turbandis D
rebus opportunum conſpicatus, ob impotentiſſimum regi-
næ in pontificem odium,ſurſum ac deorſum omnia miſcet:
vt aut fraude aut potentia Arriani dogmatis impugnatores
opprimerentur. Denique cùm videret Ambroſium vigilan-
tiſſimo atque acerrimo ſtudio ſuam ſententiam oppugna-
re,deteſtari mores,ſęuitiam inſectari,eius autoritatem apud
principem ſummo ſtudio conuellere contendebat, egít-
que apud eum, vt cum Ambroſio, non quidem in eccleſia,
vt fieri ſolet, ſed in principis aula de rebus fidei certamen
ſubiret. Hoc tentare audebat homo verſutus ac vafer: non
quòd doctiſſimum & eloquentiſſimum virum ſuperare ſe
poſſe ſperaret, ſed quòd huius certaminis eos arbitros de-
legiſſet, qui vt in ſuam ſententiam erant propenſi, ita pon-
tificis libertatem autoritatémque ferre nequibant. Mittit
Cæſar Dalmatium Prætorianæ cohortis præfectum ad Am-
broſium,imperans vt ad palatiũ veniat.Renuit ille:dicẽs in
cauſſa fidei eos iudicare debere,qui nec munere impares eſ-
ſent,

sent,nec iure dissimiles,hoc est, de sacerdotibus sacerdotes. Sed cur non audimus eum hæc suis verbis tonãtem? Quando audisti, inquit, clementissime Imperator, in causa fidei laicos de episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur,vt sacerdotalis iuris simus immemores, & quod deus donauit mihi,hoc ipse aliis putem esse cedẽdum?Si docendus est episcopus à laico, quid sequatur,laicus ergo disputet,& episcopus audiat,episcopus discat à laico. At certè si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei episcopos solere de Imperatoribus Christianis,non Imperatores de episcopis iudicare?Eris deo fauente etiam senectutis maturitate prouectior, & tunc de hoc censebis, qualis ille episcopus sit,qui laicis ius sacerdotale substernit.Pater tuꝰ deo fauente vir maturioris æui dicebat. Nõ est meũ iudicare inter episcopos : tua nunc dicit clementia, Ego debeo iudicare? Et ille baptizatus in Christo,inhabilem se ponderi putabat tanti iudicij, clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis sacramenta seruantur,arrogat de fide iudicium,cùm fidei ipsius sacramenta non nouerit? Et postea: Si ad synodum prouocat Auxentius,vt de fide disputet,licet non sit necesse propter vnum tot episcopos fatigari, qui etiam si angelus de cœlo esset, paci ecclesiarum non deberet præferri, cùm audiero synodum congregari, & ipse non deero. Tolle igitur legem,si vis esse certamen.Et paulò pòst:Dignanter igitur Imperator accipe, quòd ad consistorium tuum venire non potui.Ego in consistorio nisi pro te stare non didici:& intra palatium certare non possum, qui palatij secreta, nec quæro,nec noui.Hæc ille in epistola ad Valẽtinianum conscripta,quę in ordine est trigesima secunda.Prolixius autem hæc intexenda putaui, quod ad huius rei cognitionem, de qua nunc agimus,plurimum facerent.Cæterùm Auxentius postquam hic se nihil feciſſe videbat,diro scelestóque consilio nouas rursum insidias episcopo parat.Duæ erant Mediolani basilicæ,altera in vrbe,quæ Portiana dicebatur, altera haud ita procul extra muros sita. Vtramque catholici tenebant.Auxentius iniquum esse apud Cæsarem querebatur,duo simul templa ab Ambrosianis occupari:interim verò neque se, neque ipsum Cæsarem habere orandi locum. Facilè iunioris principis animum superiore pontificis libertate exasperatum,in suam sentẽtiam trahit, maximè accedentibus persuasionibus matris, quæ episcopi odio nihil non tentatum volebat,quod huic obesset. Hic viro sanctissimo acerrima denuo pugna incumbit. Et sanè tanta erat id temporis rerum turbatio,tam graues motus, vt tanquam perrupto aggere, claustris repagulísque discussis malorum flumina exundarent.Verùm in sancto antistite tanta animi fortitudo,ea vis consilij exactæque prudentiæ consederat, vt in tanta malorum acerbitate, cùm alij maximè diffidendum,neque malorum impressiones ferendas putarent,tunc ipse alacrior, robustior ac lætior redderetur. Mandat ergo illi Augustus, vt aut basilicam tradat, aut in exilium eat. Sed quid agit? Fieri sanè non poterat, vt apud constantem virũ plus præponderaret pœnæ formido,quàm amor Christi:hominis timor magis quàm dei:denique vt perfidia vinceret,quem fides armabat.Quid quærit,inquit, Imperator? quid expectat?An vt ego maiorum hæreditatem regiæ cedã potestati? vt dilectam domini vineam porcorum sordibus conspurcandam tradam?vt domini arcam in Allophylorum ac incircumcisorum hominum non vsus sed abusus transferri permittam?Non est Ambrosius tam stultus,vt hoc putet:tam timidus,vt velit:tam potens, vt possit. Hæreditas maiorum fides est:hæreditas maiorum,templum est Christi:sed propitius,inquit,mihi sit dominus, ne hæreditatem patrum meorum Cæsari tradam.Data est mihi vinea domini,vt seruem,non vt perdam: vt colam, non vt euertam : vt ædificem,non vt demoliar:vt plantem,non vt reuellam.Nõ patiar,vt eam porcorum rictus euertant.Porci sunt, qui in eam irrumpere gestiunt:magistri luxuriæ,pudicitiæ osores, incentores petulantiæ,obtrectatores pudoris.Pudica & casta est ecclesia Christi: iniquum fuerit,si quis mẽbra Christi tollens,membra faciat meretricis.Melius mihi est mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Templum quod hactenus seruaui in pace,in bello nõ deseram: depositũ quod A seruandum accepi, neque viuus, neque occisus dimittam: Cæsaris nec gratiam quæro, nec offensam metuo. Quid quærit Imperator? Quid ambit Auxentius? Quid cruento ore ac sanguinolentis manibus basilicam quærit? Non tradam. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? Non recuso.Non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo, vitam obsecrans : sed pro altaribus gratius immolabor.Principis furorem non timeo.Facio ego quod sacerdotis est:quod Imperatoris est,faciat Imperator. Domum priuati nullo iure temerare potest,domum dei existimat auferendam?Nec mihi fas est eam tradere,nec Imperatori accipere. Ad Imperatorem palatia pertinent,ad sacerdotem ecclesiæ. Publicorum mœnium ius illi concessum est non sacrorum. Hac episcopi libertate ad maiorem addactus insaniam Cæsar, missis aliquod militum centuriis,imperat vt abreptum è templo statim ad se perducant.Verùm nequicquam humana temeritas ei nocere volebat, quem diuina bonitas custodia sua communitum seruabat.Obseperant illi Portianam basilicam, & tanquam rabidi ca- B nes discursantes, aditus latebrasque omnes explorant: verùm dei iudicio cæcitate perfusi, etiam quod apertum erat videre nequibant. Quid miramur:Cum altero Helisæo erat illis negocium. Illum angelorum vallatum præsidio Syrorum agmina frustra quęrebant ad necem:in hunc Gothorum militum crudelis caterua insiliit, & nemine pugnante se oppugnari conspiciunt, nullo resistente se sentiunt superari. Retundebantur barbarica tela, pugnacium virorum manus rigebant,& truces oculi flammam ignémque euibrantes, subita sunt cæcitate percussi.Habebat episcopus arma quibus ferocem hostem feriebat:non gladios, sed preces:non tela,sed merita.Inter arma,inter acies, inter tela securus erat,non armatorum militum manu defensus, sed diuina protectione munitus. Hic mihi rursum considera intrepidum atque inuictum Ambrosij pectus, neque vllo instantis periculi metu consternatum.Tantum enim abfuit, vt circumfusorum militum atque armorum strepitus C ipsum turbarit,vt etiam in tantis turbis,in tanto asperrimarum rerum concursu, in tanto aduersariorum fremitu & furore, diuinos hymnos piam plebem quæ cum amantissimo pastore mori parata in templo excubabat, edocuerit : nimirum modulatione ac suauitate diuini carminis, luctuosi carminis acerbitatem temperare ac mitigare volens. Qua de re in ea oratione quam ad populum de Auxentio habuit,ita scribit:Hymnorum, inquit, meorum carminibus deceptum populum ferunt.Planè nec hoc abnuo. Grande carmen istud est,& quo nihil potentius.Quid enim potentius, quàm confessio trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes student fidem fateri, patrem & filium & spiritum sanctum norunt versibus prædicare.Facti sunt igitur omnes magistri,qui vix poterant esse discipuli. Hæc ille. Eodem quoque tempore, & in eodem loco cœlesti oraculo commonitus, sanctissimorum martyrum Geruasij & Prothasij corpora reperit, quæ longa temporis vetustate neglecta iacebant. Donati erant martyrij triumphali corona Neronis Imperatoris tempore, decisis capitibus per Rauennatem præfectum:orti verò D ex præclarissimis parentibus, patre Vitale, excellentissimo martyre,matre Valeria, insigni pietate fœmina. Multa & præclara miracula tunc per sanctorũ martyrũ merita edita sunt:quibus & catholica plebs admodũ in fide Christi confirmata,& aduersariorum cõtumacia grauiter repressa fuit. Scribit ea de re Ambrosiꝰ in Epist. ad Marcellinã sorore,vbi obiter ea perstringit,quæ tunc ad populũ est loquutus:Gratias,inquit,tibi domine Iesu,qui hoc tẽpore tales nobis sanctorũ martyrũ spiritꝰ excitasti,quo ecclesia tua præsidia maiora desiderat.Cognoscãt omnes,quales ego propugnatores requirã,qui propugnare possint impugnare nõ soleant. Hos ego adquisiui tibi plebs sancta,qui prosint omnibꝰ nemini noceãt.Tales ego ãbio defensores,tales milites habeo:quorũ quò maiora,eò tutiora patrocinia sũt.Horũ etiã illis ipsis qui mihi inuidẽt,opto præsidia. Veniãt ergo, & videãt stipatores meos,talibꝰ me armis ãbiri nõ nego. Hactenus ille.

Istarum

Istarum ergo rerum inusitata & admiranda magnitudo effecit, vt & Iustinæ Imperatricis funesta & pernicioſa consilia, & militum rabies conquiesceret. Nam qui pro templi foribus excubabant, rerum nouitate & maiestate perculsi, abiectis armis, positaque nocendi voluntate, templum ingressi sunt, non quidem perdendi animo, vti prius, sed orandi: vt iam haberet episcopus defensores, quos hostes putabat: iam essent socij, qui aduersarij fuerant. Quæ tunc fidelis populi exultatio? quod tripudium? quæ tunc deum laudantium voces? Verùm Arrianorum deplorata insania nullis interim remediis ad sanitatem reduci potuit. Quæ enim piis præbebant gloriæ & lætitiæ causam, ea impiis & factiosis hominibus erant incitamentum furoris: & quæ diuina virtute gerebantur, ea ipsi quorundam incantamẽtis, ea dæmonum præstigiis, ea Ambrosij fuco ac fraudi tribuebant: hæc apud Cæsarem, hæc apud reginam, hæc apud factioſos homines clamitabant. Proinde Calligonus eunuchorum præfectus, quorum tunc maxima apud principes potentia erat, sanctum virum rursum adortus: Me, inquit, viuo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollam. Ambrosius nihil territus, Deus, ait, permittat tibi facere, quod minaris. Ego enim patiar, quod episcopi est: tu facies, quod est spadonis. Minas tuas non timeo. Carnem enim occidere potes, animam autem non potes. Vitam istam corporis potes eripere, meritum non potes extinguere. Anima enim quæ deo subdita est, humanæ potestati non est subiecta. An nocere te putas? Imò magnum commodum præstas. Vitam adimis temporalem, vt succedat perpetua: mors quippe peccati & miseriarum est fuga, non damnum morientis. Quis non miretur in homine tam excelsum animum, tam inuictum & insuperabile pectoris robur? Meminit ipse huius spadonis in eo libro, quem De Ioseph patriarcha conscripsit, vbi locum de eunuchis Pharaonis enarrat. Quoniam verò de spadonibus mentio incidit, volo & aliud hic attexere, quo id genus hominum imbrobitas ostendatur. Duo erant Gratiano Imperatori cubicularij, non minus arrogantia quàm perfidia celebres: vterque Arrianæ vesaniæ morbo laborabat. Hi cùm humanæ naturæ plenitudinem in Christo, animámque ab eo susceptam negarent, propositis quęstiunculis petulantius Ambrosio insultabant, volebántque eas publicè ab eo si posset, refelli. Itaque vir pius qui nihil non facere paratus erat, quo & alienæ saluti prodesset, & fidei Christianæ integritatem ab improborum calumniis vindicaret, postridie in templum venit, & illorum voto, & populi expectationi facturus satis. Aderat hominum infinita multitudo. Verùm isti qui insultandi magis quàm discendi gratia, hác quæstionem viro sancto proposuerãt, dicto concioni die, expectante episcopo ac populo horum aduentum, conscensis equis vrbe egressi, sacerdotem cum populo in templo operientem proteruiter eluserunt. Cuius sceleris diuino nutu confestim pœnas dedere: cùm ex equo vterque collapsus, fracta ceruice infelices animas efflauerint. Diuus Ambrosius cùm diutius expectasset, suggestum ascendens de proposita quæstione pulchrè prolixéque disseruit, ita orsus: Debitum fratres curo soluendum, sed hesternos meos non inuenio creditores: nisi fortè improuiso conuentu putauerint nos esse turbandos: sed nunquam fides vera turbatur. Hic tractatus titulum nunc habet De incarnationis dominicę sacramento: cuius frequens est apud antiquos scriptores mentio. Leo Papa in epistola quadam ad Leonem Augustum contra Apollinaristas librum hunc conscriptum dicit. Interea Maximus tyránus, qui Gratiano Cæsare fraude sua interempto, Occidentis imperium inuaserat, vbi audiuit quæ à Valentiniano aduersus Ambrosium antistitem gerebantur, eum per literas monuit, ne quid in sanctum virum nouum moliretur: alioquin se daturum operam, ne impietas maneret inulta. Et sanè quod fuerat comminatus, perfecit. Cùm enim Cæsarem in sententia persistere videret, coactis copiis Mediolanum infestis signis contendit, ingentem fortè cladem imperio illaturus, ni Cæsar explorato hostis aduentu fuga sese in Illyricum contulisset. Quia verò nunc Maximi memoria incidit, opportunè videbor & hic commemorare, qua fiducia Ambrosius & cum eo egerit. Valentinianus Augustus Gratiani fratris crudelem & iniquam necem molestissimè ferens, legatum ad Maximum mittere volebat, qui interempti fratris exuuias ad se deferret. Res ardua ac perdifficilis videbatur, quod cum homine feritate ac truculentia terribili, cum vsurpatore imperij, & recentis victoriæ triumpho elato, & cuius barbaricam feritatem omnes extimescerent, transigendum esset negocium. Cæsar & ij quorum consilio maximis in rebus vtebatur, antisti Ambrosio, cuius clarissimam eloquentiam, in rebus gerendis diligentiam ac fidem, maximè verò magnitudinem animi, ac constantiam perspectam habebant, legationis huius pondus imponendum censebant. Hunc esse solum, qui efferatum & indomitum regis animum aut oratione flectere, aut authoritate premere posset: & qui in ea re & pro sua dignitate, & pro suorum salute cuncta esset facturus. Ipse quia & Gratianum vnicè dum viueret, complexus esset, & Valentiniani pupilli patrem se debere esse existimaret, hominis immanitate nequaquam deterritus, rem quamuis difficillimam ac odiosam in se recepit. Primo aduentu, regis contumeliis exceptus fuit, secundo quod volebat extorsit. At qua libertate? qua prudentia? qua authoritate? Nequaquam fœda adulatione blandiebatur tyranno, non agebat, non dicebat quicquam, per quod sacerdotali dignitati quicquam decederet: sed maiestatis ac reuerẽtiæ plenus, quod erat muneris sui, summa cũ omnium admiratione implebat. Regi offerenti osculum (vt tum moris erat) ægrè dare voluit. Quid, inquit, oscularis eum, quem non agnoueris? Si me agnosceres, non hoc loco videres. Episcopus inter consistorianos stare non debet. Commotus es, ait, episcope? Non, inquit, iniuria, sed verecũdia, quod in alieno loco consisto. Huius cõtentionis ac tragœdiæ summam, quæ tunc illi cum rege fuit, habes in ea epistola quam ad Valentinianum scripsit, in qua legationis suæ euentum exponit. Vt autem ad superiora redeam, postquam pientissimus princeps Theodosius, cui Gratianus, extincto Valente patruo suo, cùm ob multa præclarè summáque cum laude ab eo gesta, tum ob singularem spectatissimámque ipsius erga se fidem Orientis imperium dederat, postquam, inquam, is intellexit, quæ vel à Valentiniano aduersus Ambrosium, vel à Maximo erga Valentinianum gesta essent, Cæsarem literis monuit, ne contra pietatem, quam in primis tueri deberet, bellum susciperet, néue patriam auitámque fidem impietate aliqua contemeraret: denique mirum sibi nequaquam videri scribit, quòd fœda ac principe parum digna fuga elapsus, tyranni non ausus fuisset expectare aduentum, qui contra deum, in quo solum principum fiducia esse debet, arma sumpsisset. Resumeret tamen animum, atque in primis episcopum sibi pacatum redderet, se daturum operam, ne id tyrannus efficeret, quod tentabat. Statim itaq; coactis quãtis maximè potuit ex omni Oriente copiis, tanto silentio, tantáque celeritate rem gessit, vt prius quàm Byzantio mouisse putaretur, in hostium conspectum sese effunderet. Maximum igitur exiguo tempore arridentis fortunæ felicitate vsum intra Aquileiæ muros captum ferro obtruncat: simul & Gratiani Cæsaris innocẽtissimam cædem vltus, & Valentiniano incruentum reddens imperium. Ad hunc ergo modum finem habuit acerbissima atque grauissima contentio, quæ Diuo Ambrosio cum Valentiniano Cæsare fuit. Et sanè haud minor postea fuit illi cum Cæsare animorum coniunctio, maximè verò Iustina extincta, quàm antea disiũctio fuerat: vt liqueat, Cęsarẽ non tam sua voluntate, quàm matris perfidia ad eam stultitiam fuisse protractum. Denique quàm acerbè eius mortem tulerit, tum in ea præclarissima atque eloquentissima oratione, qua mortuum laudauit, tum in epistola quam ad Theodosium post ipsius mortem scripsit, satis ostendit. Doleo, inquit, fateor dolore acerbo, non solum quòd immatura ætate Valentinianus Augustus decesserit: sed etiam informatus fide. Tuis institutis tantam erga deum nostrum deuotionem nostram induerat, atque tanto in me incubuerat affectu, vt quem antè persequebatur, nunc diligeret: quem antè vt aduersariũ repellebat, nunc vt parentem putaret. Quod ego non pro recordatione veteris iniuriæ exprompsi, sed pro testimonio conuersionis. Illud enim alienũ, hoc suum.

Quod

Quod à te infusum sibi ita tenuit, vt matris persuasionẽ excluderet. Ille se à me nutritũ prę ferebat, ille vt sedulũ patrẽ desiderabat. Ille simulato à quibusdã aduẽt⁹ mei nũcio, impatienter præstolabatur. Quin etiã illis ipsis publici doloris diebus cùm sãctos & summos domini sacerdotes intra Gallias haberet, vt à me tamẽ sacramentis baptismatis initiaretur, scribẽdũ arbitratus est. Quod & si non rationabiliter, amabiliter tamẽ erga me suum studium testificatus est. Hactenus ille. Verùm post Valentiniani necem cùm Eugenius occupato imperio, Victoriæ aram Romę instaurari iussisset, ac paulò pòst Mediolanum veniret, Ambrosius sacrilegi tyranni deuitans conspectum, relicta vrbe Bononiam concessit. Hic cum diutius hæreret, sumptibus sanctissimæ viduæ Iulianę basilicam extruxit, in qua sanctissimorum martyrum Agricolæ ac Vitalis corpora, quæ longo tempore neglectim inter Iudæorum cadauera iacuerant, recondidit. Multa ibi tunc sanctæ plebis exultatio, magna lætitia: præsertim cùm dæmones martyrum virtutem palàm confiterẽtur, neque sacris altaribus sub quibus conditi erant, sese admoueri paterentur. Denique sanctus episcopus crucis lignum & clauos, quibus præclarissimus martyr Agricola ligno affixus fuerat magna religione Mediolanum detulit, quemadmodum ipse quarto De virginitate libro apertè testatur. Theodosius verò vir Christianissimus, & præstantis animi ac spectatæ virtutis Imperator post Valẽtiniani mortem totius Orientis ac Occidentis potitus Imperio, sanctũ Christi sacerdotem Ambrosium vnico amplectebatur ac venerabatur affectu, atq; in eius admirabili virtute summũ præsidium collocabat: quòd huius diuina ope potẽtissimorum hostium fregisset potentiam, atque perpetuo victoriarum cursu vsum esse se sciret. Itaque hunc patris loco habere, sine huius consilio nihil facere, omnem regni ac bellorũ curam in ipsius voluntate ac consilio ponere, ipsius denique sententiam tanquã diuinum oraculum expectare se debere existimabat. Quiddam verò accidit, per quod & episcopi infracta inuictaque autoritas, & Imperatoris incomparabilis modestia ostenderetur. Thessalonice ciuitas in Macedonia sita est, populosa admodum, & eius regionis primaria. Coorta in ea seditione, quidam è Cæsaris familia à furente populo est interemptus. Ita quidem Ruffinus: Theodoretus verò viros aliquot insignes, & qui summum in republica magistratum gerebant saxis oppressos, & contumelioſè per vrbẽ distractos fuisse scribit. Porrò Sozomenus rem accuratius describens: Bothericum tunc Thessalonicẽsem præsidem, furentis populi impetum præcipuè sustinuisse dicit: quòd aurigam qui præerat equis Illyricorum militum, & in currulibus certaminibus primas tenebat, ob flagitia coniectum in vincula, populo petente, eximere nollet. Cæsar igitur postquam rei atrocitatem intellexisset, acriter incanduit: interim tamen repressa ac dissimulata ira, ad Circenses ludos populum euocat. Ibi confestim Cæsaris iussu circunfusi milites, nulla habita neq; ætatis neq; innocentiæ ratione, in omnes promiscuè tanta rabie atque ęquitia grassati sunt, vt Theodoretus septem hominum millia in ea mactatione occubuisse dicat. Eo verò durius atque funestius hoc facinus omnibus videbatur, quod postquam nonnulli qui sceleris autores fuerant, à magistratu supplicio essent affecti, ad insontes tamen ac miseros summæ calamitatis pœna recidisset. Elapsis inde aliquot dieb⁹, cùm Imperator ab Eugenij tyranni cæde reuersus Mediolanum venisset, more solito tẽplum ingredi volenti Ambrosius cõstanter sese opponens: Quid, inquit, tentas Cæsar? quid moliris? Túne domini tẽplum post tam crudelem innocentiũ hominum stragem intrare audes? Qua fronte manus ad domini aram protendes, quæ adhuc insontiũ sanguine stillant? Noli Cæsar, noli priorem iniquitatem hac temeritate augere: noli hoc tuum tam graue vulnus noua plaga exasperare. Exhorresco hoc tam immane facinus Cæsar, exhorresco sæuitiam: & hũc tuum gladium multorum tam iniqua morte cruentum videre non possum. Datus est tibi Cæsar gladius. Sed quare? An vt innocentium sanguinem desæuias, & singulorum incumbas ceruicibus? Nihil minus. Datus est tibi, vt sontes punias, defendas insontes: vt libertatem defendas, non vt inferas seruitutem: vt serues vitam, non vt mortem intẽtes: breuiter, ad laudem tibi datus est bonorũ, ad vindictam malorum. Sed quæ fuit hæc tua crudelitas? quæ immanitas? quis vel barbaricus furor tantum ausit? Et hæc tu non vides? pro his non doles, non ingemiscis? Clamat tibi dico Cæsar horum sanguis de terra, clamat innocẽtia, clamat æquitas: & mihi crede, non erit hic surdus, non conniuebit, non dissimulabit, qui innocentium causam defendere ac vindicare solet. Cæsar cùm neque sacerdotis libertatem, neque vim doloris, quem ipsi sua oratione incusserat, ferre posset, cum gemitu ac lachrymis in palatium se recepit: vbi totos sex menses mœrori intabescẽs, nullum solatium recipere neque voluit, nequé potuit, adeò durũ hoc vinculum, quo sacerdos ipsum ligauerat, hominem torsit. O incõparabilem põtificis dignitatẽ, ô Imperatoris pietatẽ insignẽ! Non tulit iniquo animo episcopi iurgia, adeò quoque regali põtentiæ vir sanctissimus venerandus erat. Venerant natalitiæ feriæ Christi saluatoris. Cæsar Ruffinum aulæ præfectum ad Ambrosium mittit, obsecrans, vt ipsi anathẽmatis vinculum soluat, liceatque interesse rebus diuinis. Cùm is nihil egisset, Cæsar acerbitatẽ doloris sui nõ ferẽs, ipse Ambrosium adit, non quidem templum ingressus, ne rursùm repelleretur, sed in vestibulo cõsistens, vbi tum fortè episcopus considebat. Gemit hic, plorat, obsecrat, vt nexus illi dissoluat. Quid, inquit ille, agis Cæsar? quid poscis? Num tam immani sceleri tuo dignam pœnitudinem ostendisti. Tuum est, ait ille, remedium dare, meum accipere. Impera quid fieri velis: non obsistam, non reluctabor, non querar de acerbitate remedij, id vnum specto, hoc solum ambio, vt cũ deo meo in gratiã redire possim. Post longum igitur mœrorem, post multorum contemptas preces, cessit tandem præsul Cæsaris lachrymis: verùm non prius anathemate absoluit, quàm in locum pœnitẽtibus destinatum is sese conferret, vbi posito diademate, abiecta purpura, humi prostratus, vberrimo lachrymarum imbre effuso, dei misericordiam efflagitabat. Voluit præterea Ambrosius legem ab eo condi, vt si qui ob maleficium per Cæsaris edictum iuberentur occidi, id non nisi post trigesimum diem fieret: vt interea temporis maturo sedatóque animo ac rebus omnibus rationis libra perpensis, aut parcendum esse videretur, aut vindicandum. Operæprecium fuerit, opinor, si eam legem hic subiiciamus. Est autem huiusmodi: Imperatores Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Augusti, Fabiano præfecto prætorio Illyrici. Si vindicari in aliquos seuerius contra nostram consuetudinem iusserimus, pro causæ intuitu, noluimus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum sors & fortuna suspensa sit. Reos sanè excipiat, vinciatque custodia, & excubiis solertibus vigilanter obseruet. Datum vndecimo Cal. Septemb. Veronæ, Antonio & Syagrio Consulibus. Hoc imperiale decretum multis postea salutare fuit, atque in primis ipsi Theodosio Cæsari, qui illud condiderat. Nam cùm Antiocheni imperatam pecuniam, quam belli assiduitate exhaustus exigere cogebatur, dare nolentes, concitato tumultu statuam Placillæ reginæ vxoris suæ essent demoliti, eámque incredibili & intoleranda petulantia magnam per vrbis partem non sine acerbis contumeliis pertraxissent, eam iniuriam vxori laudatissimæ fœminæ illatam, quam ipse & viuam incredibili amore prosecutus fuerat, & mortuam omni affecerat honore, molestissimè ferens Cæsar, primùm quidem ciuitati priuilegia vniuersa ademit, deinde principatum (erat enim Antiochia ciuitas eius regionis primaria) in Laodicenos, qui tum proximi erant, transtulit: interminatus quoque se statim aduolaturum, & rebellem ciuitatem incendio consumpturum. Et sanè quod fuerat comminatus perfecisset, nisi hac lege impeditus, ratione ac tempore animum refrenasset. Erat Theodosio acre ac concitatum ingenium: quod vt facilè ac leuiter admittebat iram, ita non ita difficulter ponebat. Sed nunc ad superiora reuertamur. Postquam igitur Cæsar Ambrosij voluntati obtemperasset, dum postea interest rei diuinæ ac pro more ad altare munus obtulisset, intra cancellos restitit. Id cùm episcopus vidisset,

vidisset, per diaconum suum rogat, num quid vellet, quòd isthic hæreret. Dicenti se nihil aliud velle, quàm vt diuina mysteria peragi videret: Ea, inquit ille, isthinc tibi videre non licet. Habent in dei templo sacerdotes, habent & laici suum locum. Neque enim quia Cæsar es, idcirco diuinis rebus te ingerere debes: purpura quippe Imperatorem, nō sacerdotem facit. Statim ergo loco excessit, nihil proteruius locutus, nullámq; offensi animi significationem præbēs, sed incōparabilem modestiam ac pietatem præ se ferens. Adeò verò hæc sancti episcopi libertas Cæsari placuit, vt cùm postea in Cōstātinopolitana vrbe tēplum ipsum ingressum Nectarius eius ecclesiæ præsul vt intra cancellos veniret, inuitasset: Si hic, inquit, Ambrosius esset, neutiquā id mihi facere liceret: per hūc enim quid inter sacerdotem & Imperatorem intersit, meo rubore perdidici. Cuius ego autoritatem tāti facio, vt is solus sit, quem ego episcopi nomine dignum censeam. Sed de his satis. Subsiste verò hic paulisper lector, & rei magnitudinem, de qua nunc diximus, penitius atque exactius mecū expende. Episcopus erat Ambrosius. At qualis? Non quidem vnius prouinciæ, aut multarū ciuitatum, sed vnius duntaxat vrbis gubernacula tenens: rebus non in immensum extēsis, non satellitio aut clientelis stipatus, neque potentiæ magnitudine formidabilis, sed rebus ac censu pauper: cōtrà verò, Theodosij Imperatoris incōparabilis potentia, infinitę opes, amplissimum ac sine fine imperium: cui regna, cui prouinciæ, vrbes, castella, duces, tribūni, milites, mortales omnes, cui maria, cui terra omnis parebat: hūc, inquam, lictoribus, apparitoribus, ac militibus septū, purpuráque ac diademate cōspicuum, vnus Ambrosius templum intrare volentem excluſit, huic sacris interdixit, hunc multos mēses domi mœrori intabescere fecit, hūc denique non alia ratione in gratiam recipere voluit, nisi posito regio ornatu, pœnitentis personam induisset. Quis hæc non miretur? quis similem vnquam audiuit in sacerdote fuisse cōstantiam? At quo philtro, quibus incantamentis, quibus armis, quibus munitus præsidiis hæc tentauit, effecit? Non aliis sanè, quàm incomparabili vitæ integritate, quàm sanctissimis moribus, quàm feruidis ac efficacibus precibus, quæ eam illi autoritatem conciliabant, quam & Cæsaris potentia reformidaret, & quam nulla vnquam dignitas, nullus terror, nullæ minæ, nulla tyrannis, nullaque barbarica immanitas euincere potuit. Fūdatus erat fortissima fide super fortissimum lapidem Christum: idcirco nullo neque vētorum turbine, neque fluminū ac tēpestatum impulsu à sua stabilitate dimoueri potuit. Nequaquam oculos eius radiantis purpuræ fulgor perstringebat, non diadema auro gemmísque intertextū mouebat, non armatorū militum deterrebat strepitus: nimirū qui sciret hęc vmbræ fumóque esse similia: qui simulac cōparuerit, statim euanescit ac perit. Non erat ex iis pastoribus, qui iuxta propheticam paræmiam liniunt parietem absq; temperamento, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas: sed in spiritu & virtute Heliæ, regis peccatum constantissimè arguit, illius nec fauorē expetens, nec timens offensam. Verùm ad alia nūc mihi properādum video, si vnum adhuc Ambrosianæ libertatis exemplum subiecero. In Oriētis partibus Christiani quodā in loco iussu episcopi ignem in Iudæorū synagogam iniecerant, simul & in phanum Valentinianorum hæreticorū, qui portētosa superstitione trigintaduos æonas colebant, quos ipsi vocabāt deos. Sceleratissimum verò erat hoc hominū genus, tātáque erat istorum petulantia, passímque debacchātium ac insultātium rabies, vt Christiani, præsertim verò eius loci episcopus, qui id in ecclesiæ cōtumeliam cōtemptúmque fieri videbat, ferre nequiret. Comes tūc Oriētis, homo barbarico ac feroci ingenio, relationem ad Theodosiū tūc Mediolani agentē mittit, dari sibi facultatem deposcēs, qua in huius rei autores atrocius vindicaret. Iussit Cæsar, vt de cæteris supplicium sumeretur, episcopus verò exusta delubra suis sumptibus restauraret. Diuus Ambrosius, qui id temporis Aquileiæ erat, vbi rem intellexit, incredibili dolore affectus, literis Cæsarem monet, ne quid hac in re faciat, quod vel gratum Christiani nominis hostibus, vel sua pietate clementiáque foret indignum. Sed prestat ipsius verba audire. Exercitus, inquit, semper iugibus ferè curis fum, Imperator beatissime, sed nunquam in tanto æstu fui, quāto nunc: cùm video cauēdum, ne quid sit, quod adscribatur mihi etiam de sacrilegij periculo. Itaque peto, vt patienter sermonem meū audias. Nam si indignus sum qui à te audiar, indignus sum qui pro te offeram, cui tua vota, cui tuas preces cōmittas. Ipse ergo non audies eum, quem pro te audiri velis? Non audies pro se agentem, quem pro aliis audisti? Nec vereris iudicium tuum, ne cùm indignum putaris quem audias, indignum feceris qui pro te audiatur? Sed neque imperiale est, libertatem dicendi denegare: neque sacerdotale, quod sentiat, non dicere. Relatū est a comite Orientis militarium partium incēsam esse synagogam, idque autore factum episcopo. Iussisti vindicari in cæteros, synagogam ab ipso exædificari episcopo. Erit igitur locus Iudæorum perfidiæ factus de exuuiis ecclesiæ: & patrimonium quod fauore Christi acquisitum est Christianis, hoc transferetur ad donaria perfidorum? Legimus templa idolis antiquitus condita de manubiis Cymbrorum, de spoliis rēliquorum hostium. Hunc titulum Iudæi in fronte synagogæ suæ scribent, Templum impietatis factum de manubiis Christianorum. Hunc tu dabis triumphum Iudæis de ecclesia dei? Hoc trophæum de populo Christi? Hæc gaudia imperator perfidis? Hanc celebritatem synagogæ? Hos luctus ecclesiæ? Graue est fidem tuam pro Iudæis periclitari. Consule tibi Imperator, aut patere me consulere mihi. Ego certè quod honorificentius fieri potuit, feci: vt me magis audires in regia, ne si necesse esset, audires in ecclesia. Hæc ille. Quæ ego ex prolixa illa epistola ad Theodosium scripta vellicatim sparsímque sublegi, vt historiæ fidem quàm possem breuiter ob oculos ponerem. Ita nihil à sanctissimo viro neglectum est, nihil non summa cum diligentia curatum, quod ad defensionem ecclesiæ dei, quod ad eius proferendam atque amplificandam gloriam pertineret: in summo rerum discrimine, in ipsius vitæ periculo inuictum semper animum retinens, neque vllis rerum humanarum casibus succumbentem. Hæc erat illius constantia, hæc autoritas: quam illi cum primis conciliabat insignis vitæ sanctimonia, & pectus nulla auaritiæ labe imbutum: quæ alioqui magnos interdum viros corrumpere, retunderéque virtutis aciem solet, & facere, vt nulla habita neque dignitatis suæ neque honestatis ratione, in fœdam ac dedecorosam assentationem sese prosternant. Verùm is ab hac peste adeò liber fuit, vt postquam omnibus in pios vsus distractis, nihil iam domi haberet, quod aut in subsidium pauperum, aut in redemptionem captiuorum conferre posset, templi vasa in eos vsus confregerit. Quæ res quanquam magnam illi apud Arrianos conflasset inuidiam, qui nihil non quod à viro sancto fieri videbant, in calumniam rapiebant: habebat tamen & firmas veràsque rationes, & multorum quoque exempla, quibus hoc defendebat. Scribit de ea re in ea Oratione quam ad populum contra Auxentium dixit: Inuidiam, inquit, faciunt, quia aurum erogatur. Nec ego hanc inuidiam perhorresco. Habeo ærarios. Ærarij mei, pauperes Christi sunt. Hunc noui congregare thesaurum. Vtinam hoc mihi semper crimen adscribant, quia aurum pauperibus erogatur. Quod si obiiciunt, quòd defensionem ab iis requiram, non nego, sed etiam ambio. Habeo defensionem, sed in orationibus pauperum. Cæci illi & claudi, debiles & senes, robustis bellatoribus fortiores sunt. Denique munera pauperum deum obligant, quia scriptum est: Qui largitur pauperi, deo fœnerat. Præsidia bellatorū diuinam sæpe gratiam non merentur. Meminit quoque istius rei Officiorum libro secundo, vicesimooctauo capite: quò studiosum lectorem remittimus, ne huiusmodi recensendis plus æquo prolixiores videamur. Denique & rem fecerim difficillimam, & viribus nostris longè superiorem, si cunctas viri sanctissimi virtutes hic referre velim: cùm eæ tam multæ sint atque præclaræ, vt in eo nihil quod reprehendi, quod verò laudari, quod celebrari atque efferri, inueniri, vbique possit. Durissimas atque acerbissimas aduersariorum impressiones frequenter sensit: quas non armorum strepitu,

ſtrepitu, ac bellico certamine, ſed pietate & conſtantiſſima in deum fide euicit. Arma illi erant aſſiduæ preces, arma illi erant ieiunia, lachrymæ atque ſuſpiria: quorum præſidio & principum furorem, & ferociam militum, & hæreticorum inſidias maliciamque cõtempſit. Conſtantia verò erat in eo virilis, & talis quæ eccleſiæ præſulem deceret: non immanis ſeueritas, non barbarus atq; agreſtis rigor: vt ſeueritatis atq; clementiæ in eo pulchrum eſſet temperamentum: quorum alterum ad malorum tolerantiam, & improborum repreſſionem, alterum ad domeſticam conſuetudinem & Chriſtianam faceret pietatem: Nimirum vt omnes venerarentur maieſtatem, amarent mãſuetudinem, æquitatem ac iudiciũ pertimeſcerent. Quibus rebus tantam conſecutus eſt famã ac gloriam, vt non ſolum in Inſubribus, Æthruria, tota deniq; Italia primus, ſed apud exteras ac barbaras nationes ſummꝰ etiam ac venerandus haberetur. Ferunt Arbogaſtem comitem, hominem ſæuo & immiti ingenio, cuius ſcelere Valẽtinianum principem laqueo ſtrangulatum dicunt, cùm ſubactis Francis, quibuſcum aliquandiu bellum geſſerat, in cõuiuio ab eius gentis regulis rogaretur, num Ambroſium noſſet, atque is probè eum ſe noſſe diceret, frequentérque adfuiſſe prandenti, non mirum eſt, inquiunt illi, ſi hac victoria ſis potitus, qui ab illo viro amaris, qui imperat ſoli, vt curſum ſiſtat, & paret. Denique & Marcomannorum regina per quendam qui ex Italiæ partibus ad eam venerat, cognita viri fama, literis ad eum miſſis doceri poſtulabat, quæ ad Chriſtianam fidem pertinebant. Scribit Paulinus Ambroſium epiſtolam in modum catechiſmi ad eam ſcripſiſſe: verum eã tẽporis iniuria, ſicuti alia pleraque, intercidiſſe dolemus. Erant verò eo tempore Marcomanni, qui nunc ſunt Bohemi, gens ferox & bellicoſa: qui poſtea traiecto Danubio, in Croatia ſedes fixerunt. Sic igitur ſancti viri laudatiſſima fama & exiſtimationis amplitudo Italiam, Germaniã, Galliam, Græciam denique omnem peruaſerat, vt nullus ferè locus eſſet, in quo non Ambroſij nomen celebre ac ſacroſanctum haberetur. Extat & Magni Baſilij honorifica & plena laudis epiſtola, quam è media Græcia ad eum tranſmiſit. Hoc agebat eius erga Chriſtum ſtudium, hoc illius in fide conſtantia, hoc auguſta illa dignitas atque autoritas, hoc alienæ ſalutis ſitis, & rara erga peccatores clementia. Habebat ſanctiſſimus paſtor, quemadmodũ ille euangelicus Samaritanus, vinũ & oleũ: alterũ quod morderet, alterũ quod leniret. Acerbiori remedio vtebatur apud eos, qui Chriſti gloriæ, qui eccleſiæ dignitati incõmodare volebant, hic iuſtiſſimã eius ſeueritatem nemo non pertimeſcebat: cæterũ erga eos qui per humanam imbecillitatem in peccatũ prolapſi erant, incredibilem oſtendebat manſuetudinem ac lenitatem. Quæ eſt vſquam in ſcriptis eius acerbitas? quæ durities? imò quæ non ſuauitas? quæ non moderatio? quæ non benignitas? Docent hæc præclariſſimi ac Chriſtianiſſimi libri, quos De pœnitentia aduerſus crudeles Nouatianos cõſcripſit, qui in peccatum prolapſis veniam denegandam eſſe blaterabant. Quantum porrò in iis eſt pietatis? quantum clementiæ? quantum ſolatij? Qua non arte verborum erigit iacentes? quam non ſpem ac fiduciam diffidentibus præbet? Iacere putes cum iacentibus, lachrymari cum lachrimantibus, gemere cum gementibus, ita vir clementiſſimus in omnem ſeſe formam tranſmutat, vt homines diaboli faucib. ereptos lucrifaceret Chriſto. Eam ſanè lenitatis ac moderationis laudem longè latéque ferebat, vt & hæreticis quoque hoc nomine amandus ac venerandus eſſet, eiúſque nominis vbi opus erat non ſine honoris præfatione meminiſſe non poſſẽt. Certè Pelagius hæreticus in eo opere quod in defenſionẽ liberi arbitrij cõtra dei gratiã cõſcripſit, Auguſtino affirmãte, hiſce laudibus virũ ſanctũ exornat: Beatus, inquit, Ambroſius, in cuiꝰ libris prẽcipuè Romana elucet fides, qui ſcriptorũ inter Latinos flos quidã ſpecioſus enituit, cuius fidem & puriſſimũ in ſcripturis ſenſũ ne inimicus quidẽ ausꝰ eſt reprehendere. Loculentum ſanè præconiũ, & hoc ſplendidius, quòd ab aduerſario prolatum. Corruptiſſimum tũc erat ſeculum, & propter opinionum diuerſitatẽ pugnax admodũ ac factioſũ, vt quiſquis excellẽtiori doctrina cæteris

A

B

C

D

præſtare videretur, vix hæreſeos ſuſpicionem euaderet: & tamen inter tantas tempeſtates atque opinionum fluctus adeò feliciter ac tranquillè Ambroſius enauigauit, vt neminem vnquam fuiſſe legamus, qui illi hæreſeos notam inuſſerit. Nam quòd plerique Petri negationem exagitant, quam Ambroſium ſecus intellexiſſe volunt, quàm hiſtoriæ fides contineat, id viri ſancti pietati potius quàm peruicaciæ tribuendũ. Nunc verò vt & cætera perſequamur, de excellentiſſima ipſius eruditione aliquid dicendum nobis eſt: quanquàm ſanè non videam, quid etiam ab eloquentiſſimis viris, nedum à me, hic quicquam pro rei dignitate dici poſſit, cùm ea citra controuerſiam in eo abſolutiſſima fuerit. Nam quantum ad philoſophiæ cognitionem attinet, eam penitus imbiberat, maximæ verò Platonicam: quam etiam quia procul eſſet ab odioſis contentionibus, & ad rem nihil facientibus, proximéque puriſſimæ accederet veritati, diuus quoque Aurelius Auguſtinus, cùm incredibili inueſtigandæ veritatis ſtudio, prius quàm in Chriſto regeneratus eſſet, teneretur, impenſè amauit. Quod enim Ambroſius ea inſtructiſſimus fuit, cùm alia multa, tum illud cum primis euidentiſſimè docet, quod cum ipſi pontificale munus importunè ac pertinaciter à populo obtruderetur, eam tunc profiteri voluerit. Denique in iis libris quos De patriarchis, potiſſimum verò de Abraham inſcripſit, nemo non diſpiciet, quantam eius ſcientiæ cognitionem ſit aſſecutus. Porrò hiſtoriarum tum Græcarum, tum Latinarum callentiſſimus erat: quod cùm aliis multis ex locis, tum verò ex ipſius in Pſalmum 45. commentario agnoſcere licet: vbi ciuilium bellorum ſeriem, quibus Romanum ſubinde concuſſum fuit imperium, tanta luce ac eloquentia breuiter & veluti leuiori brachio perſtringit, vt in eo ſtudio duntaxat verſatus fuiſſe videatur. De Græcarum literarum cognitione non eſt quod hîc multa & non neceſſaria dicam, cùm earum fuerit exactiſſimè & pleniſſimè doctus: quod in primis libri De opere ſex dierum conclamant: in quibus (quẽadmodum Hieronymus dicit) diui Baſilij, & Hippolyti ſententiam eſt ſecutus. Sed qua facilitate ac orationis nitore hic Græca expreſſit? quid hic non eſt inſignis artificij? Dixerint alij eſſe furtum, dixerint corniculam alienis pennis veſtitam, vtinam pium hoc ſanctiſſimi viri furtum in multis aliis deprehendere daretur? vtinam è Latinis ſcriptoribus huiuſmodi corniculæ complures fuiſſent, multorum ſanè Græcorum eloquentiſſimos libros Romana ſaltem lingua loquentes haberemus, quorum nunc ne veſtigium quidem ſupereſſe ſtudioſi deplorant. Nam quis nunc vel fragmentum Hippolyti proferat, è cuius libris Ambroſium multa ſublegiſſe Hieronymus ſcribit, & cuius ipſe doctrinam ac eloquentiam tãtopere prædicat? Scripſit Baſilius in Eſaiam prophetam, ſcripſit & Ambroſius: at cùm ego in eo opere D. Baſilium eum ſecutum fuiſſe putem, quem theſaurum, quas haberemus opes, ſi hoc Ambroſianum opus prodiret in lucem? Quod autem eorum nomen ſuppreſſit, quorum opera in ſcribendo eſt vſus, id laudatiſſimo conſilio factum eſt, quod nullam aut offendiculi aut diffidij cauſam ſimplicioribus dare vellet, qui eorum audito nomine qui ob praua dogmata improbati ac ſuſpecti eſſent, ſtatim ceu conſpecto baſiliſco reſilientes, nullum ex lectione perciperent fructum. Quod ergo eorum ſubſidio vſus eſt, diligẽtiæ fuit: quod nomina preſſit, prudentiæ. Quanquam ſanè quicquid vel ſuum, vel alienũ eſt, non poteſt non placere, non poteſt non ſumma laude dignũ iudicari: tãtum eſt in ipſius ſermone eloquẽtiæ, tantum amœnitatis, tantũ nitoris, etiam in iis quæ obſcura ſunt, & nõ ita facilè ſplẽdeſcunt, nec ſermonis lenocinia pigmẽtaq; admittũt. Neq; enim ita magnæ eſt difficultatis, in feſtiuo ac plauſibili ac veluti theatrico argumento eruditionis ac eloquẽtiæ diuitias oſtentare: cæterum res per ſe incultas ac retruſas expolire ac proferre poſſe in lucem, hominis eſt & eximiè docti, & maximè ingenioſi, & qui in dicẽdo ſcribendóq; probè ſit exercitatus. Eius rei ipſe clariſſimũ ſpecimen dedit, in iis libris quos De fide & ſpiritu ſancto ad Gratianum Auguſtũ cõſcripſit. Deum immortalem quanta luce, quanta eloquẽtia, quanta pietate? Putes

eum in mediis campis solutis habenis excurrisse, non inter prærupta & aspera loca desudasse: ita nusquam hæret, nusquā se torquet, nusquā à cœpta via ceu fessꝰ viator declinat. Cæterum quando eiusmodi argumentum tractabat, quod non solum admitteret, sed vltro quoque tanquam iure suo elaboratiorem ac floridiorem dictionem afflagitaret, hic pia quadam ambitione opes suas mira arte ostentat, hic congestum olim ex Ægyptiis atque exoticis opibus thesaurum in ecclesiæ gloriam atque ornamentum depromit. Quibus nō eloquentiæ viribus sententiarum ac verborum pondere, Symmachi Romanæ vrbis præfecti, eloquētissimi quidem, sed superstitiosi hominis conatū repressit? Volebat ille Victoriæ aram iam pridem deiectam restaurari, & veterem idololatriam iam sepultam tanquam reuocare ad vitam: sed tantam hic sensit Ambrosianæ orationis vim, tantam potētiam, vt quod moliebatur, perficere se posse diffideret. Denique in eo opere quod ad Marcellinam sororem De virginitate præscripsit, quid est non limatum, non expolitum, non excultum? In quibus, inquit Hieronymus, tanto se effudit eloquio, vt quicquid ad laudes virginū pertineret, exquisierit, expresserit, ordinarit. Sanè Aurelius Augustinus in eo opere cui De doctrina Christiana titulum dedit, horum librorum honorificè meminit: re ipsa ostendens, quam clarè in his eluceat temperatum illud ac ornatum orationis genus, cuius est apud oratores tam frequens plenáque laudatio. Ornatus enim cum primis hic studiosissimus est: perinde ac si cerussa ac purpurisso virginitatis ora depingat, quo spectatoribus speciosior gratiórq; haberi posset. Nactus hic erat campum, in quo ingenij sui frena laxaret: quin & alibi quoque data opportunitate virginitatis est facūdissimus & locupletissimus præco: vt verisimile sit, pudicitiæ decus incolume illi conseruatum fuisse, quam & tantopere amauit, & tam facundo ore ab eo laudatam fuisse videmus. Deniq; tantum potuit sanctissimi præsulis suauis ac mellita oratio, vt ex ipsa Mauritania, & remotissimis mundi partibus virgines cōplures Mediolanum pelliceret, quæ abdicatis mundi istius pompis ac voluptatibus, nihil prius habebāt in votis, quam vt à sancto viro sacro velamine ornarentur, & quę deinde Christi amore intra pudicitiæ septa nemine cogente sese continerēt. Hęc quidem de ipsius De virginitate libris, cæterum in iis quos in fratris Satyri morte descripsit, quos ipse in enarratione primi Psalmi libros consolationis & resurrectionis nominat, quæ non variarum ac insignium rerū fœcunditas? quæ non verborum lauticiæs? Præterea quid dicendum de commentariis, quibus Dauidicos psalmos enarrat? Quid in his est non eruditum, non varium, non ornatū? Dauidicam lyram suauissimo linguæ plectro attrectat, & psalterium quod demulcendis piorum mētibus regius propheta cantauit, ea ipse quoque sermonis suauitate ac modulatione decantat: vt si viueret Dauid, non posset non felicem ac beatum sese existimare, qui carminis sui tam præclarum atque insignem nactus esset interpretem. Quæ hic non mysteria profert in lucem? quam hic excutit omnia? quam nihil negligit? quam piè docet? quantos excitat ignes? quantos relinquit aculeos? Rapit, trahit, impellit hominem quò velit: tanta est & in dicendo suauitas, & efficacia in persuadendo. Sic delectat, vt id solum affectasse videatur: sic docet vt meliorem te fieri sentias: sic monet, vt sequi etiam cogaris inuitus: sic obiurgat, vt tamen non possis irasci. Artificiosa planè apis fauos construens omni suauitate deliciisque differtos, quorum vitali pastu animæ sanctæ mirum in modum saginantur. Nam & id quoque olim cælitus ostensum fuisse opinor: cùm eius etiamnum infantis & in cunis iacētis apum examen ora vultúmque repleuit, posteáque sine noxa in aëra conuolauit. His ergo rebus, hisce artibus vir sanctus effecit, vt ob incōparabilem vitæ sanctitatem & doctrinæ præstantiam, principibus viris, magnatibusque esset admodum venerandus ac metuēdus, populo autem ob docendi admirandam felicitatem longè gratissimus, quem quasi reuinctū de lingua quò vellet trahebat. Efficacissimam eius oris facundiā persensit Aurelius Augustinus, qui dū ipsius docendi modū, dū amœnitatē dictionis miratur, sensit animo infigi aculeos, sensit se rapi atque impelli quò ferè nolebat: denique sic hominem traxit, sic vellicauit, sic reuinxit: vt inciperet amare, quod prius odisset: odisse, quod antè amasset. Hæc Ambrosij lingua excussit illi Manichæum, excussit illi mundi amorem, quibus ceu duobus capistris miser ad omnem miseriam trahebatur. Hinc ipse eum salutis suæ prædicabat autorem, patris venerabatur ac colebat affectu: hinc denique tam frequens ac honorifica in scriptis suis Ambrosij mentio: cuius pectus, sanctum dei oraculum, cuius os spiritus sancti fistulam, fontémque salientis aquæ in vitam æternam, cuius denique eloquia ministrare adipem frumenti diuini, & lætitiam olei, & sobriam vini ebrietatem populo dei scribit. Hæc ergo erant viri sanctissima merita, hæc fama, hæc apud omnes gratia: vt nemo esset qui hunc non amaret, non suspiceret, non vnicè amplecteretur. Senectutem duxit mœstitia plenam, cùm ob crebras Barbarorum irruptiones, qui Italiam, Vmbriam ferro igníque deuastantes, Christianæ religioni incredibilem calamitatem adferebant: tum verò etiam, quòd auaritiæ pestem longius in dies liberiúsque serpentem nullo remedio sanari posse conspiceret, maximè apud eos, qui potentia cæteris præstabant, qui attritis populi fortunis omnia ferè pro suo arbitrio actitabant. Itaque cùm dominus famulum suum ex his turbulentissimis rebus ad se vocare volebat, febre correptus, longáque ac lenta infirmitate consumptus, integerrimis sensibus è vita decessit, summo cum omnium luctu, qui sanctissimum ac vigilantissimum animarum medicum, parentem omnium longè amantissimum, & publicæ libertatis patronum ac conseruatorem extinctum esse clamabant: adeò vt Stilico Comes, homo aliàs non ita æquus, per Ambrosij mortem Italiæ ruinam imminere diceret: quod hunc sua virtute tanquam firmissimam ac constantissimam basim Imperium sustinere crederet. Dum lectulo decumberet, nobilibus viris & amicis ad eum venientibus, & persuadere volentibus, vt diuturniorem sibi vitam à domino impetraret, præclarissimā illam & apostolico viro dignam sententiam dixit: Non ita inter vos vixi, vt vixisse me pudeat: nec mori timeo, quia bonum dominum habemus. Decessit autem quarto die mensis Aprilis, eius anni, qui fuit à partu deiparæ virginis nonagesimus annus supra trecentos, Cæsario Atticóque Consulibus, peractis in episcopatu annis plus minus viginti.

DIVI

Diui Ambrosij Mediolanensis Episcopi vita, a Paulino presbytero ad beatum Augustinum conscripta.

HORTARIS, venerabilis pater Augustine, vt sicut beati viri, Athanasius episcopus, & Hieronymꝰ presbyter, stylo prosecuti sunt vitas sanctorũ Pauli & Antonij in eremo positorũ, sicut etiam Martini venerabilis episcopi Turonẽsis ecclesiæ Seuerus seruus dei sermone contexuit, sic etiam ego beati Ambrosij episcopi Mediolanensium ecclesię, meo prosequar stylo. Sed ego vt meritis tantorum virorum, qui muri ecclesiarum sunt, & eloquentiæ fontes, ita etiã sermone me imparem noui. Tamen quia absurdũ esse opinor quod præcipis, declinare: ea quæ à probatissimis viris, qui illi ante me astiterunt & maximè ab sorore ipsius venerabili Marcellina didici, vel quæ ipse vidi cũ illi astarem, vel quæ ab iis agnoui qui illum in diuersis prouinciis post obitum ipsius se vidisse narrarunt, vel quæ ad illum scripta sunt cùm adhuc obiisse nesciretur, adiutus orationibus tuis, & meritis tanti viri, licet inculto sermone, breuiter strictimque describam: vt lectoris animum etsi sermo offendat, tamen breuitas ad legendum prouocet. Nec verborum fucis veritatem obducam: ne dum scriptor elegantiæ pompam requirit, lector tantarum virtutum amittat scientiam: quem non magis verborum phaleras, pompásque sermonum, quàm virtutes rerum, gratiámque spiritus sancti spectare conuenit. Siquidem nouimus viatores gratiorem habere aquam, breui vena stillantem, fortè cùm sitiunt, quàm profluentis fontis riuos, quorum copiam sitis tempore reperire non possunt. Et hordeaceus panis dulcis solet esse etiam iis qui centenis vicibus ferculorum quotidiani conuiuij copias ructare consuerunt. Sed & hortorum amœna mirantibus, herbæ agrestes placere consuerunt. Quamobrem obsecro vos omnes, in quorum manibus liber iste versabitur, vt credatis vera esse quę dicimus: nec putet me quisquam studio amoris aliquid quod fide careat posuisse: quandoquidem melius sit penitus nihil dicere, quàm aliquid falsi proferre: cùm sciamus, nos omnium sermonum nostrorum reddituros esse rationem. Nec dubitem, etsi non ab omnibus omnia, tamen à diuersis diuersa sciri, & ea cognita nonnullis esse, quæ etiam minus ipse aut audire aut videre potui. Vnde à die natiuitatis eius initium sumam, vt gratia viri ab incunabulis quę fuerit agnoscatur. Igitur posito in administratione præfecturæ Galliarum, patre eius Ambrosio, natus est Ambrosius. Qui infans in area prætorij in cuna positus, cùm dormiret aperto ore, subitò examen apum adueniens, faciem eius atque ora compleuit, ita vt ingrediendi in os egrediendíque frequentarent vices. Quæ pater qui propè cum matre vel filia deambulabat, ne abigerentur ab ancilla quæ curam nutriendi infantis susceperat, prohibens (solicita enim erat ne infanti nocerent) expectabat patrio affectu quo fine illud miraculum clauderetur. At illæ post aliquandiu eũolantes, in tantam aëris altitudinem subleuatæ sunt, vt humanis oculis minimè viderentur. Quo facto territus pater ait: Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit. Operabatur enim iam tunc dominus in seruuli sui infantia, vt impleretur quod dictũ est: Fauum mellis, sermones boni. Illud enim examen apum, scriptorum ipsius nobis generabat fauos, qui cœlestia dona annunciarent, & mentes hominum de terrenis ad cœlum erigerent. Postea verò cùm adoleuisset, & esset in vrbe Roma constitutus cum matre vidua, & sorore quæ virginitatem iam fuerat professa, comite alia virgine, cuius virginis soror Candida, & ipsa eiusdem professionis, quæ nunc Carthagine degit iam anus, cùm videret sacerdotis à domestica sorore, vel matre manus osculari, ipse ludens offerebat dexteram, dicens & sibi id ab eis fieri oportere, siquidem episcopum se futurum esse memorabat. Loquebatur enim in illo spiritus sanctus, qui illũ ad sacerdotium nutriebat. Illa verò, vt adolescentem & nescientem quid diceret; respuebat. Sed postquã edoctus liberalibus disciplinis; Vrbe egressus est: professúsque in auditorio præfecturæ prætorij, ita splendidè causas perorabat, vt eligeretur à viro illustri Probo, tunc præfecto prætorij, ad consilium tribuendum. Post hæc Cõsularitatis suscepit insignia, vt regeret Liguriam Æmiliámque prouincias: venítque Mediolanũ. Per idem tempus mortuo Auxentio Arrianæ perfidiæ episcopo (qui Dionysio beatæ memoriæ confessore ad exilium destinato, incubabat ecclesiæ) cùm populus ad seditionẽ esset commotus, essétque cura illi sedandæ seditionis, ne populus ciuitatis in periculum sui verteretur, perrexit ad ecclesiam. Ibíque cùm alloqueretur plebem, subitò vox fertur infantis in populo sonuisse, Ambrosium episcopum. Ad cuius vocis sonum, totius populi ora conuersa sunt, acclamãtis Ambrosium Episcopum: ita vt qui antea turbulantissimè dissidebant, quia & Arriani sibi & Catholici sibi Episcopum cupiebant: superatis alterutris, ordinari repente hunc vnum mirabili & incredibili concordia consenserunt. Quo ille cognito, egressus ecclesiam tribunal sibi parari fecit: quippe mox futurus episcopus altiora conscendit. Tunc cõtra consuetudinem suam, tormenta iussit personis adhibere. Quod cùm faceret, populus nihilominus acclamabat: Peccatum tuum super nos. Sed non similiter is populus tũc clamauit sicut populus Iudæorum. Illi enim vocibus suis sanguinem dominicum effuderunt, dicentes, Sanguis huius super nos: isti verò catechumenum scientes, fideli voce remissionem illi peccatorum omnium per baptismatis gratiã promittebant. Tunc ille turbatus reuertẽs domum, philosophiam profiteri voluit, futurus scilicet vetus philosophus Christi, qui contemptis secularibus pompis piscatorum secuturus esset vestigia: qui Christo populos congregarunt, non fucis verborum, sed simplici sermone, & veræ fidei ratione, missi sine pera, sine virga, etiam ipsos philosophos conuerterunt. Quod vbi ne faceret reuocatus est, publicas mulieres publicè ad se ingredi fecit: ad hoc tantum, vt visis his, populi intentio reuocaretur. At verò populus magis magísque clamabat: Peccatum tuum super nos. At ille cum videret nihil intentionem suam proficere posse, fugam parauit: Egressúsque noctis medio ciuitatem, cùm Ticinum se pergere putaret, manè ad portam ciuitatis Mediolanensis quæ Romana dicitur, inuenitur. Deus enim qui ecclesiæ suæ catholicæ murum parabat aduersus inimicos suos, & turrem erigebat Dauid contra faciem Damasci, hoc est perfidiam hæreticorum, fugam illius impediuit. Qui inuentus cum custodiretur à populo, missa relatio est ad clementissimum Imperatorem Valentinianum, qui summo gaudio accepit quòd Iudex à se directus ad sacerdotium peteretur. Lætabatur etiam Probus præfectus, quòd verbum eius impleretur in Ambrosio. Dixerat enim proficiscenti, cùm mandata ab eodem darentur, vt moris est: Vade, age non vt iudex, sed vt episcopus. Pendente itaque relatione iterum fugã parauit, atq; in possessione cuiusdã Leontij clarissimi viri aliquãdiu delituit. Sed vbi relationi respõsũ est; ab eodem Leontio proditur: præceptum enim erat vicario, vt insisteret rebꝰ perficiẽdis. Qui iniuncta sibi cũ vellet implere, proposito edicto cõuenit omnes, vt si vellẽt sibi cõsulere, rebusq; suis, proderent virũ. Proditus itaq; & adductus Mediolanum, cùm intelligeret circa se dei voluntatem, nec se diutus posse resistere, postulauit se non nisi à catholico episcopo baptizari. Solicitè enim cauebat perfidiã Arrianorũ. Baptizatus itaq; fertur omnia Ecclesiastica officia implesse, atq; octaua die episcopus ordinatus est summa cum gratia & lætitia cunctorum. Igitur post annos aliquot ordinationis suæ, ad vrbem Romam, hoc est, ad proprium solum perrexit, ibiq; sanctam puellam, de qua suprà memorauimus, cui manum offerre solitus erat, in domo propria cum germana sicut reliquerat inuenit, iam matre defuncta.

Matth. 12.

Prou. 16.

Atque cùm illa dexteram illius oſculaturetur, ſubridens ait illi: Ecce, vt dicebam tibi, ſacerdotis manum oſcularis. Per idem tempus cùm trans Tyberim apud quandā clariſſimam inuitatur vt ſacrificium in domo offerret, quædam balneatrix quæ paralytica in lecto iacebat, cùm cognouiſſet ibidē eſſe domini ſacerdotem, in ſellula ſe ad eandem domum ad quam ille inuitatus venerat, portari fecit, atque orāti & imponenti manus veſtimēta attigit. Quæ cum exoſculaturetur, ſtatim ſanitate recepta ambulare cœpit: vt impleretur illud dominicum dictum ad apoſtolos: Etiam maiora his facietis credentes in nomine meo. Quod tamen ſignum ſanitatis vt mirabile fuit, ita etiam nec occultū. Nam ego hoc poſt annos plurimos ſanctis viris referentibus poſitus in Vrbe cognoui. Sirmium verò cum ad ordinandum epiſcopum Anemmium perrexiſſet, ibíque Iuſtinæ tunc temporis reginæ potentia & multitudine coadunata, eccleſia pelleretur, vt nō ab ipſo, ſed ab hæreticis Arrianis epiſcopus in eadem eccleſia ordinaretur, eſſétque cōſtitutus in tribunali, nihil curans eorum quæ à muliere excitabantur, vna de virginibus Arrianorum impudentior cæteris, tribunal conſcendens apprehenſo veſtimento ſacerdotis, cum illum attrahere vellet ad partem mulierū, vt ab ipſis cæſus de eccleſia pelleretur, ait ei (vt ipſe ſolitus erat referre.) Et ſi ego indignus tāto ſacerdotio ſum, tamen te non conuenit vel profeſſionem tuā, in qualemcunque ſacerdotem manus iniicere: vnde debes vereri dei iudicium, ne tibi aliquid mali eueniat. Quod dictum exitus confirmauit. Nam alio die mortuam ad ſepulchrum vſque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Et hoc factum non leuem aduerſariis incuſſit metum, pacémque magnam Eccleſiæ catholicæ in ordinando epiſcopo tribuit. Ordinato itaque catholico ſacerdote Mediolanū reuertitur, ibíque ſupradictæ Iuſtinæ mulieris innumeras inſidias ſuſtinuit, quæ muneribus atque honoribus aduerſus ſanctum virum oblatis, populum excitabat: ſed infirmorum mentes talibus promiſſis decipiebantur. Promittebat enim tribunatus, & diuerſas alias dignitates iis qui illum de eccleſia raptum ad exilium perduxiſſent. Quod cùm multi conarentur, ſed deo præſule perficere non valerent, vnus infœlicior cæteris nomine Euthymius, tanto furore excitatus eſt, vt iuxta eccleſiam ſibi domum pararet, atque in eadem carrum conſtitueret, quò facilius raptum ad exilium perduceret. Sed iniquitas eius in verticem ipſius deſcendit. Poſt annum enim eodem die quo illum rapere ſe arbitrabatur, eodem carpento impoſitus, de eadem domo ipſe ad exilium deſtinatus eſt, reputās ſibi iuſto iudicio dei id in ſe eſſe conuerſum, vt in eo carpento dirigeretur ad exilium, quod ipſe parauerat ſacerdoti. Cui nō minimum ſolatij ſacerdos præbuit, dando ſumptus, vel alia quæ erant neceſſaria. Sed hæc confeſſio hominis nec mulieris furorem, nec væſanorū Arrianorum dementiam repreſſit. Maiore enim accenſi amentia, baſilicam Portianam inuadere nitebantur. Exercitus ētiam armatus ad cuſtodiendas fores eccleſiæ eſt directus, vt nemo auderet catholicam eccleſiam ingredi. Sed dominus qui de aduerſariis ſuis eccleſiæ ſuæ triumphos donare conſueuit, ad eccleſiæ ſuæ munimentum, militum corda conuertit, vt aduerſis ſcutis eccleſiæ fores ſeruarent, nec egredi dimitterent, ſed ingredi eccleſiam plebem catholicam minimè prohiberent. Sed nec hoc ſatis erat miſſis militibus, niſi etiam pro catholica fide cum plebe pariter acclamarēt. Hoc in tempore primum antiphonæ, hymni ac vigiliæ in eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt. Cuius celebritatis deuotio vſque in hodiernum diem non ſolum in eadem eccleſia, verum per omnes penè occidentis prouincias manet. Per idem tempus ſancti martyres Protaſius & Geruaſius ſe ſacerdoti reuelauerunt. erant enim in baſilica poſiti, in qua ſunt hodie corpora Naboris & Felicis martyrū. Sed ſancti martyres Nabor & Felix celeberrimè frequentabantur: Protaſij verò & Geruaſij martyrum vt nomina, ita etiā ſepulchra incognita erant: in tantum vt ſupra ipſorū ſepulchra ambularent omnes qui vellent ad cācellos peruenire, quibus ſanctorum Naboris & Felicis martyrum ab iniuria ſepulchra defendebantur. Sed vbi ſanctorum martyrum ſunt corpora leuata, & in lecticis poſita, multorum ibi ſanatæ ægritudines perdocentur. Cæcus etiam Seuerus nomine, qui nunc vſque in eadem baſilica, quæ dicitur Ambroſiana, in quam martyrum corpora ſunt trāſlata, religioſè ſeruit, vbi veſtem martyrum attigit, ſtatim lumen recepit. Obſeſſi etiam corpora à ſpiritibus immundis curara, ſumma cum gratia domum repetebant. Sed iis beneficiis martyrum in quantum creſcebat fides eccleſiæ catholicæ, in tantū Arrianorū perfidia minuebatur. Denique ex hoc tēpore ſedari cœpit perſecutio quę Iuſtinæ furore accēdebatur, vt ſacerdos de eccleſia pelleretur. Tamen intra palatium multitudo Arrianorū cum Iuſtina conſtituta deridebat tantam dei gratiam, quam eccleſiæ ſuæ catholicæ dominus Ieſus meritis martyrū ſuorum conferre dignatus eſt, venerabilémque virum Ambroſium narrabat pecunia cōparaſſe homines, qui ſe vexari ab immundis ſpiritibus mentirentur, atq; ita ab illo, ſicut & à martyribus ſe torqueri dicerēt. Sed hoc Iudaïco ore loquebantur Arriani, ſuppares ſcilicet eorū. Illi enim de domino dicebant: Quoniam in Beelzebub principe dæmoniorū eiicit dæmonia. Iſti de martyribus, vel de domini ſacerdote loquebantur, quòd non dei gratia, quæ per ipſos operabatur, immūdi ſpiritus pellerentur, ſed accepta pecunia ſe torqueri mentirentur. Clamabāt enim dæmones, Scimus vos martyres. Et Arriani dicebāt: Neſcimus eſſe martyres. Iā hoc & in euāgelio legim⁹ vbi dixerūt dęmones ad dominū Ieſum, Scimus te quia ſis dei filius. Et Iudæi dixerūt: Hic autē vnde ſit, neſcimus. Sed non hic teſtimoniū accipitur dæmonū, ſed confeſſio. Vnde miſeriores Arriani vel Iudæi, vt quod confitentur dęmones, illi negant. Deus tamen, qui gratiā eccleſiæ ſuæ augere cōſueuit, non paſſus eſt diu inſultari à perfidis ſanctis ſuis. Vnus itaq; ex ipſa multitudine ſubitò arreptus ſpiritu immūdo, clamare cœpit, ita optare ſe torqueri eos, vt ipſe torquebatur, qui negarēt martyres, vel qui non crēderent in trinitatis vnitatē, quam docet Ambroſius. At illi hac voce confuſi, qui conuerti debuerant, & dignam tali confeſſione agere pœnitentiā, in piſcinā demerſum hominē necauerūt, perfidiæ homicidiū iungētes. Deduxit enim illos ad hunc finē digna neceſſitas. Sāctus verò Ambroſius epiſcopus maioris humilitatis vir factus, donatā ſibi à domino gratiā reſeruauit, creſcebátq; quotidie fide & amore coram deo & hominibus. Per idem tēpus erat quidā vir de hæreſi Arrianorū, acerrimus nimiū diſputator, & durus, atq; incōuertibilis ad fidem catholicā. Is conſtitutus in eccleſia tractante epiſcopo, vidit (vt ipſe poſtmodum loquebatur) angelum ad aures epiſcopi tractātis loquentē, vt verba angeli populo epiſcopus nunciare videretur. Quo viſo conuerſus, fidē quā expugnabat, cœpit ipſe defendere. Fuerūt etiā duo cubicularij tunc tēporis Gratiani imperatoris, de hæreſi Arrianorum, qui tractandā epiſcopo quæſtionē proponerent. Ad quam audiendam altero die ad Baſilicā Portianam omnes ſe affuturos promiſerant. Erat enim quæſtio de incarnatione domini. Sed alio die miſerandi homines ſuperbiæ tumore completi, nec memores promiſſorum, contēnentes deum in ſacerdote ipſius, nec plebis expectantis conſiderātes iniuriam, immemores etiam dictorum dominicorum: Quoniam qui ſcandalizauerit vnum ex minimis iſtis, oportet vt mola aſinaria collo eius alligetur, & demergatur in profundum maris: conſcendentes in equos quaſi gratia geſtandi, ciuitatem egreſſi ſunt, expectante ſacerdote, & plebe in eccleſia conſtituta. Sed huius contumaciæ qui finis fuerit horreſco referens. Subitò enim præcipitati, miſeras animas emiſerunt, atque corpora illorum ſepulturæ ſūt tradita. Sanctus verò Ambroſius cùm ignoraret quid factum eſſet, nec diutius poſſet plebem tenere, aſcēdens pro tribunali, de eadem quæſtione quæ fuerat propoſita ſermonem adorſus eſt dicens: Debitum fratres curo ſoluendū, ſed heſternos meos non inuenio creditores. & reliqua quæ ſcripta ſūt in libro qui de incarnatione domini intitulatur. Occiſo itaq; Gratiano imperatore, recipiendi corporis eius cauſa ſecundā ad Maximum ſuſcepit legationē. Apud quē quā conſtāter egerit, qui voluerit cognoſcere, ipſius legationis epiſtolā ad Valentinian iuniorē datā cū legerit, approbabit.

Nobis

Ioan. 14.

Pſalm. 7.

De hīs extat Serm. 91.

Matth. 12.

Marc. 1.

Matth. 18.

Habes To. 2. cap. 1.

Tom. 3. epi. 27.

Nobis enim alienum à promiſſione viſum eſt illa inſerere, ne adiunctæ epiſtolæ prolixitas faſtidium legenti afferret. Ipſum verò Maximum à communionis conſortio ſegregauit, admonens vt effuſi ſanguinis domini ſui, & (quod eſt grauius) innocentis, ageret pœnitentiam, ſi ſibi apud deum vellet eſſe conſultum. Sed ille cùm pœnitétiam declinat ſuperbo ſpiritu, non ſolum futuram, ſed etiam præſentem ſalutem amiſit, regnúmque quod malè arripuerat fœmineo quodã timore depoſuit, vt procuratorem ſe reipublicæ nomine præfuiſſe cõfiteretur. Mortua verò Iuſtina quidam aruſpex Innocentius nomine, non opere, cùm pro cauſa maleficiorum à iudice torqueretur, aliud quam interrogabatur fateri cœpit. Clamabat enim, ab angelo maiora tormenta ſibi adhiberi, eo, qui cuſtodiret Ambroſium, quoniam tẽporibus Iuſtinæ ad excitanda odia populorum in epiſcopum, cacumen tecti eccleſiæ conſcendens medio noctis ſacrificauerit. Sed quantò inſtantius & ſolicitius opera maligna exercebat, tãtò magis amor populi circa fidem catholicam, & domini ſacerdotem conualeſcebat. Miſſiſſe etiam ſe dæmones, qui illum necarent, fatebatur: ſed dæmones renunciaſſe, ſe nõ ſolum ad ipſum appropinquare minimè poſſe, verùm etiam nec ad fores domus in qua manebat epiſcopus: quia ignis inſuperabilis omne illud ædificium cõmuniret, vt etiã longè poſiti vrerentur: atque ita ceſſaſſe artes ſuas, quibus aduerſus domini ſacerdotem ſe aliquid poſſe arbitrabatur. Alius etiam gladium ferens ad cubiculũ vſque, vt interficeret ſacerdotem peruenit: ſed cum eleuaſſet manum diſtricto gladio dextera obrigente remanſit. Tũc ſe miſſum à Iuſtina poſtquam cõfeſſus eſt, brachium quod iniquè cum extenderetur riguerat, ſanatum eſt confeſſione. Per idem tempus cum vir illuſtris Probus puerum ſuum notarium, qui ſpiritu immũdo grauiter vexabatur, duxiſſet ad epiſcopum, egreſſum vrbe dimiſit diabolus, timens ad virum ſanctum perduci. Atque ita puer quandiu Mediolani apud epiſcopũ fuit, nulla cõminatio diaboli apparuit. Sed vbi egreſſus Mediolano eſt, & prope vrbem peruenit, idem ſpiritus qui illum antea habuerat, vexare eum cœpit. Qui cùm interrogaretur ab exorciſtis, cur quandiu Mediolani fuiſſet, nõ in illo apparuiſſet, confeſſus eſt diabolus timuiſſe ſe Ambroſium, & ideo receſſiſſe ad tempus, atque expectaſſe in illo loco vbi ab illo receſſerat, donec reuerteretur: quo reuertente, vas quod deſeruerat repetiſſet. Extincto itaque Maximo, poſito Theodoſio imperatore Mediolani, Ambroſio verò epiſcopo conſtituto Aquileiæ, in partibus Orientis in quodam caſtello à Chriſtianis viris ſynagoga Iudæorum & lucus Valentinianorum incendio conſumpta ſunt, propterea quòd Iudæi vel Valentiniani inſultarent monachis Chriſtianis. Valentinianorum enim hæreſis triginta deos colit. Sed de huiuſmodi facto comes orientis ad imperatorem relationem direxit. Qua accepta imperator præceperat vt ſynagoga ab epiſcopo loci reædificaretur, in monachos verò vindicaretur. Sed huius præcepti tenor cùm ad aures peruenisſet venerabilis viri Ambroſij epiſcopi, direxit ad Imperatorem epiſtolam, quia ipſe in tempore excurrere non poterat, qua illum conuẽnit vt id, quod ab eodem ſtatutum fuerat, reuocaretur, ſeruarique ſibi deberi ab eo audientiam: quoniam ſi dignus non eſſet, qui ab eo audiretur, dignus etiam non eſſet qui pro illo à domino audiretur, vel cui preces ſuas, aut cui vota ſua committeret. Paratum etiam ſe eſſe pro tali negocio mortem ſubire, ne diſſimulatione ſui præuaricatorem faceret imperatorem, qui tam iniuſta contra eccleſiam præcepiſſet. Poſteà verò cùm Mediolanum reuerteretur poſito imperatore in eccleſia, de eadem cauſa tractauit in populo. In quo tractatu introduxit domini perſonam loquentis imperatori: Ego te ex vltimo imperatorem feci, ego tibi exercitum inimici tui tradidi, ego tibi copias quas ille aduerſum te exercitui ſuo præparauerat, dedi, ego inimicum tuum in poteſtatem tuam redegi, ego de ſemine tuo ſupra ſolium regni conſtitui, ego te triumphare ſine labore feci: & tu de me inimicis meis donas triumphos? Cui deſcendẽti exhedram, imperator ait, Contra nos propoſuiſti hodie epiſcope? At ille reſpondit non ſe cõtra ipſũ, ſed pro ipſo fuiſſe locutum. Tũc imperator: Reuera, inquit, dura præceperam contra epiſcopum de ſynagoga reparãda. In monachos verò vindicandũ eſſe à comitib. qui in tempore aderãt, dicebatur. Quibus epiſcopus: Ego quidem cũ Imperatore nunc ago, vobiſcũ verò mihi aliter agẽdum eſt. Atque ita obtinuit vt illa que ſtatuta fuerãt, reuocarẽtur. Nec prius ad altare accedere voluit, niſi fide ſua imperator illum agere debere teſtaretur. Cui epiſcopus: Ergo ago fide tua. Reſpondit Imperator: Age fide mea. Qua ſponſione iterata, iam ſecurus peregit ſacerdos diuina myſteria. Hęc autẽ ſcripta ſunt in epiſtola quam ad germanam ſuam fecit, in qua tractatum inſeruit quem eodem die habuit de baculo nuceo qui à propheta Hieremia viſus eſſe deſcribitur. Per idẽ tempus cauſa Theſſalonicenſis ciuitatis non minima ſucceſſit tribulatio ſacerdoti, cum penè comperiſſet ciuitatem deletam. Promiſerat enim illi imperator ſe veniam daturum ciuibus ſupradictæ ciuitatis, ſed agentibus comitibus occultè cum imperatore, ignorante ſacerdote vſque in horam tertiam, gladio ciuitas eſt donata, atq; plurimi interẽpti innocentes. Quod factum vbi comperiſſet ſacerdos, copiam imperatori egrediendi eccleſiam denegauit: nec prius dignum iudicauit cœtui eccleſiæ vel ſacramentorum communioni, quàm publicam ageret pœnitentiam. Cui imperator contrà aſſerebat, Dauid adulterium ſimul & homicidium perpetraſſe. Sed reſponſum illico eſt: Qui ſecutus es errantem, ſequere corrigentem. Quod vbi audiuit clementiſſimus imperator: ita ſuſcepit animo, vt publicam pœnitentiã non abhorreret. Cuius correctionis profectus ſecũdam illi parauit victoriam. Duo potentiſſimi & ſapientiſſimi viri Perſarum ad famam ſacerdotis venere Mediolanum, deferentes ſecum plurimas quæſtiones, vt ex his probarent ſapientiam viri. Cum quo ab hora diei prima vſque ad horam ferè tertiam noctis per interpretem diſputauerunt, admirantes diſceſſerũt ab eo. Et vt ſe probarent non ob aliam cauſſam veniſſe, niſi vt certo certius noſcerent virum quem fama compererant: alia die valefacientes imperatori, profecti ſunt ad vrbem Romam, illic volentes cognoſcere potẽtiam illuſtris viri Probi, qua cognita ad propria ſunt reuerſi. Theodoſio egreſſo de Italia, & Conſtantinopoli conſtituto, Valentiniano Auguſto intra Gallias poſito, directa relatio eſt ſub nomine ſenatus à Symmacho tunc præfecto vrbis de reperenda ara Victoriæ, & ſumptibus cæremoniarum. Sed vbi comperit ſacerdos, miſſo libello ad imperatorem, poſtulauit vt ad ſe relationis exemplaria dirigerentur, quibus ipſe pro partibus ſuis reſponſurus eſſet. Qua relatione accepta, præclariſſimum libellum conſcripſit, vt contrà nihil vnquam auderet Symmachus vir eloquentiſſimus reſpondere. Sed poſtquam auguſtæ memoriæ Valentinianus in Viennenſi ciuitate (quæ eſt Galliarum ciuitas) vitam finiuit, Eugenius ſuſcepit imperium: qui vbi imperare cœpit, non multò pòſt petentibus Flauiano tunc præfecto, & Arbogaſte comite, aram Victoriæ, & ſumptus cæremoniarum (quod Valentinianus auguſtæ memoriæ adhuc in minoribus annis conſtitutus petentibus denegauerat) oblitus fidei ſuæ conceſſit. Hoc vbi audiuit ſacerdos, relicta ciuitate Mediolanenſi, ad quam ille feſtinatò veniebat, ad Bononienſem ciuitatem emigrauit, atque inde Fabentiam vſq; perrexit, Vbi cùm aliquantis degeret diebus, inuitatus à Florentinis, ad Thuſciam vſque deſcendit, declinans ſacrilegi viri aſpectum, non formidans imperantis iniuriam. Nam & epiſtolam ad eundem dedit, in qua conuẽnit conſcientiam illius, de qua pauca de multis ponenda duxi. Etſi imperatoria poteſtas magna ſit, tamen conſidera Imperator quãtus ſit, qui corda hominum videt, conſciẽtiam interiorem interrogat. Nouit omnia antequam fiant, nouit & interna pectoris tui. Ipſi falli vos non patimini, & deum vultis celare? Hoc non cecidit in animum tuũ. Quamuis enim illi agebant tã perſeueranter, nónne tuum fuit imperator pro dei ſummi & veri & viui veneratione perſeuerãtius obſiſtere, & negare quod erat iniuria ſacrilegis? Et iterũ. Quomodo igitur meis vocibus & apud deũ & apud omnes homines teneor? Aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, niſi conſulerem mihi, quia non potui tibi. In ſupradicta itaq; ciuitate Florẽtinorũ, cùm in do-

Vide epiſto. las. 30. & 31.

mo clariſſimi quondam viri Decentis,& quod eſt amplius, Chriſtiani,maneret,filius ipſius Pãſophius nomine, admodum paruulus, cùm ſpiritu immundo laboraret, frequenti oratione, & impoſitione manus ſacerdotis ipſius eſt ſanatus. Sed poſt aliquãtos dies ſubita infirmitate correptus,infantulus exhalauit ſpiritum. Cuius mater valde religioſa,& plena fide, ac timore dei, ablato illo de ſuperiore parte domus, ad inferiora deſcendit, ac in lecto ſacerdotis ipſo abſente compoſuit. Quem cùm reuertens ſacerdos in lectulo inueniſſet(erat enim illo in tempore extra domum poſitus) miſeratus matrem,& fidem ipſius cõtemplatus, Heliſæo ſimilis, ſupra corpus infantis ſe ipſe compoſuit, atque orando meruit viuum reddere matri, quẽ mortuum inuenerat. Ad quem etiam infantulum libellum conſcripſit, vt quod ætatis infantia ſcire non poterat,legẽdo agnoſceret. Verum tamen factum ſcriptis ſuis non commemorauit: ſed quo affectu declinauerit commemorare, non eſt noſtrum iudicare.In eadem etiam ciuitate Baſilicam cõſtituit,in qua depoſuit reliquias martyrum Vitalis & Agricolæ, quorum corpora in Bononiẽſi ciuitate leuauerat. Poſita enim erãt corpora martyrum inter corpora Iudæorũ: nec erat cognitum populo Chriſtiano, niſi ſe ſancti martyres ſacerdoti ipſi reuelarent.Quę cùm deponerentur ſub altari quod in eadem Baſilica conſtitutum eſt,magna illic totius plebis ſanctę lætitia atque exultatio fuit, pœna dæmonum confitentium martyrum merita. Per idem tempus Arbogaſtes comes aduerſum gentem ſuam, hoc eſt,Francorum, bellum parauit, atque pugnando non paruã multitudinem manu fudit,cum reliquis verò pacem firmauit.Sed cùm in cõuiuio à regibus gentis ſuæ interrogaretur vtrum ſciret Ambroſium, & reſpõdiſſet noſſe ſe virũ,& diligi ab eo, atque frequẽter cum illo conuiuari ſolitum, audiuit: Ideo vincis omnes,quia ab illo viro diligeris,qui dicit Soli,ſta: & ſtat. Quod ego ideo poſui, vt cuius famæ fuerit vir ſanctus etiam apud Barbaras gentes, legentes agnoſcant. Nam & nos referente iuuene quodam Arbogaſtis admodum religioſo cognouimus, qui tunc interfuit. Erat enim in tempore quo hæc loquebatur, vini miniſter. Profectus itaque ſacerdos de Thuſciæ partibus Mediolanum reuertitur,iam inde egreſſo Eugenio contra Theodoſium imperatorem:ibíque Chriſtiani imperatoris præſtolabatur aduentum, ſecurus de dei potentia quòd non traderet credentem in ſe,hominibus iniuſtis,nec relinqueret virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum,ne extẽderent iuſti ad iniquitatem manus ſuas. Promiſerat enim Arbogaſtes tunc comes, & Fabianus præfectus Mediolano egredientes, cùm victores reuerterẽtur,ſtabulum ſe eſſe facturos in Eccleſia Mediolanenſi, atque clericos ſub armis probaturos.Sed miſerandi homines cùm dæmonibus malè creduli ſunt, & aperiunt os ſuum in blaſphemiam contra deum,ſpem ſibi victoriæ ademerunt.Cauſa autem commotionis hæc fuit, quia munera imperatoris, qui ſe ſacrilegio commiſcuerat, ab Eccleſia reſpuebantur, nec orãdi illi cum Eccleſia ſocietas tribuebatur. Sed dominus qui Eccleſiam ſuam tueri conſueuit, de cœlo iaculatus eſt iudicium,atque omnem victoriam ad religioſum imperatorem tranſtulit Theodoſium. Extincto itaq; Eugenio à ſatellibus ſuis,cùm ſcripta acciperet imperatoris, non illi alia cura maior fuit, quàm vt pro iis interueniret,quos renatos inuenerat. Obſecrauit primò ſcriptis imperatorem miſſo diacono: poſtea verò quàm directus eſt Ioannes tunc tribunus & notarius, qui nunc præfectus eſt, ad tuitionem eorum qui ad Eccleſiam confugerant, etiam ipſe Aquileiam perrexit, precaturus pro eis:quibus facilè venia impetrata eſt,quia Chriſtianiſſimus imperator prouolutus pedibus ſacerdotis,teſtabatur meritis & orationibus eius ſe eſſe ſeruatum. Reuertens itaque de vrbe Aquileienſi, vno die præceſſit imperatorem. Nec diu clemẽtiſſimæ memoriæ Theodoſius imperator ſuſceptis filiis in eccleſia,& traditis ſacerdoti,in hac luce fuit. Poſt cuius obitum ferè trienniũ ſuperuixit.Quo in tempore ſancti Nazarij martyris corpus, quod erat in horto poſitum extra ciuitatem,leuatum ad baſilicã Apoſtolorum quę eſt Romana,trãſtulit. Vidimus autem in ſepulchro quo iacebat corpus martyris,(qui quãdo ſit paſſus,vſq; in hodiernum diem ſcire nõ poſſumus)ſanguinem martyris ita recentem,quaſi eodem die fuiſſet effuſus. Caput etiã ita integrũ atque incorruptum cum capillis capitis atque barba, vt nobis videretur eodem tempore,quo leuabatur, lotum atque compoſitum in ſepulchro.Et quid mirum? quandoquidem dominus hoc in euangelio antè promiſit, quod capillus de capite eorum non periret.Etiam odore tãto repleti ſumus, vt omnium aromatum vinceret ſuauitatem.Leuato corpore martyris,& in lectica cõpoſito, ſtatim ad ſanctũ Celſum martyrẽ,qui in eodem horto poſitus eſt cum ſancto ſacerdote ad orationem perreximus.Nunquam tamen illum antea fortaſſe in eodem loco compertum habemus. Sed hoc erat ſignum reuelati martyris,ſi ſanctus ſacerdos ad locum ad quem nunquam antea fuerat oratum iſſet. Cognouimus tamen à cuſtodibus loci ipſius, quod à parentibus illis traditum ſit,non diſcedere de loco illo per omnem generationem & progeniem ſuorũ, eò quòd theſauri magni in eodẽ loco poſiti eſſent.Et verè magni theſauri, quos non ærugo, neque tinea exterminat,neque fures effodiunt & furantur: quia cuſtos eorum Chriſtus fuit & mori lucrum.Tranſlato itaque corpore martyris ad Baſilicam Apoſtolorum, vbi pridem ſanctorum apoſtolorum reliquiæ ſumma omnium deuotione poſitæ fuerant,cùm tractaret epiſcopus,quidam de populo repletus ſpiritu immundo clamare cœpit ſe torqueri ab Ambroſio.At ille conuerſus ad eum ait: Obmutesce diabole, quia non te torquet Ambroſius: ſed fides ſanctorum,& inuidia tua,quoniam illò vides aſcendere homines,vnde tu deiectus es.Nam Ambroſius neſcit inflari.Quo dicto,ille qui clamabat obmutuit, proſtratúſque in terram eſt,nec amplius vocem,qua obſtrepere poſſet, emiſit.Per idem tempus cum conſulatus ſui tempore Imperator Honorius in vrbe Mediolanenſi Libycarum ferarum exhiberet munus,populo illuc concurrente data copia eſt miſſis militibus ab Stilicone comite, hortatu Euſebij præfecti, vt Creſconius quidam de eccleſia raperetur. Quem confugientem ad altare domini ſanctus epiſcopus cum clericis qui in tempore aderant,defendẽdum circundedit.Sed multitudo militum,quæ duces ſuos habebat de perfidia Arrianorum, præualuit aduerſum paucos, atque ablato Creſconio exultantes ad amphiteatrum reuerſi ſunt, eccleſiæ luctum non modicum relinquentes. Nam ſacerdos proſtratus ante altare domini factum diu fleuit. Sed cùm reuerſi eſſent, & renunciaſſent iis à quibus fuerant deſtinati milites,dimiſſi leopardi ſaltu celeri ad eundem locum in quo ſederant qui de eccleſia triumphabant, aſcendentes grauiter laniatos reliquerunt. Quod vbi vidit Stilico comes, pœnitia motus eſt, ita vt per multos dies ſatisfaceret ſacerdoti,& illæſum quidem illum qui ablatus fuerat, dimiſit: ſed quia grauiſſimorum criminum erat reus, & aliter emendari non poterat,ad exiliũ deſtinatur,non multò pòſt indulgentia proſequente. Per idem tempus cùm ad palatium pergeret,cúmque pro loco officij noſtri ſequeremur, Theodolo tũc notario,qui poſtea ſumma cum gratia Mutinenſem rexit eccleſiam,cum caſu quidam pede eſſet lapſus,atque proſtratus iaceret in terra,ridente,conuerſus ſacerdos ait:Et tu qui ſtas,vide ne cadas. Quo dicto,ſtatim is qui alienũ lapſũ riſerat, ſuum doluit. Fritigildis verò regina Marcomannorum,cum à quodam Chriſtiano viro, qui ad illam fortè de Italiæ partibus venerat, audiret famam viri,Chriſto credidit, cuius illum ſeruulum recognouerat:miſſiſque Mediolanum muneribus ad Eccleſiam per legatos poſtulauit, vt ſcriptis ipſius qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille epiſtolam fecit præclaram in modum catechiſmi, in qua etiam admonuit, vt ſuaderet viro Romanis pacem ſeruare.Qua accepta epiſtola mulier ſuaſit viro,& cum populo ſuo ſe Romanis tradidit. Quæ cùm veniſſet Mediolanum,plurimum doluit quòd ſanctum ſacerdotem ad quem feſtinarat,minimè reperiſſet. Iam enim de hac luce migrauerat. Temporibus verò Gratiani (vt retro redeam) cùm ad prætorium Macedonij tunc magiſtri officiorum pro quodam intercedẽdo perrexiſſet, atque præcepto ſupradicti viri fores inueniſſet clauſas, nec copiam ingrediendi adeptus eſſet,ait:Et tu quidem venies ad eccleſiam,quam nec tu ingredière,

Luc. 21.

gredière,ianuis licet non clausis. Quod factum est mortuo Gratiano.confugiens etenim Macedonius ad ecclesiam,patentibus ianuis aditum reperire non poterat. Erat autem venerabilis episcopus multæ abstinẽtiæ,& vigiliarum multarum & laborum quotidiano ieiunio macerans corpus. Cui prandendi nunquam consuetudo fuit, nisi die sabbati & dominico,vel cùm natalitia celeberrimorum martyrum essent.Orandi etiam assiduitas magna die ac nocte. Nec operam declinabat scribendi propria manu libros,nisi cùm aliqua infirmitate corpus eius attenuaretur. Erat etiã in illo solicitudo omnium ecclesiarum, interueniendi etiam magna assiduitas & constantia.In rebus etiam diuinis implendis fortissimus,in tantum vt quod implere solitus erat circa baptizãdos,quinque postea episcopi à tempore quo decessit,vix implerent. Solicitus etiam nimium pro pauperibus & captiuis. Nam in tempore quo episcopus ordinatus est, aurum omne atque argentum quod habere poterat, ecclesiæ vel pauperibus contulit.Prædia etiam quæ habebat, reseruato vsufructu germanæ suæ,donauit ecclesiæ: nihil sibi quod hic suum diceret,derelinquens: vt nudus atque expeditus miles Christi dominum suum sequeretur,qui cum diues esset, propter nos pauper factus est,vt nos eius inopia ditaremur. Erat enim gaudens cum gaudentibus, & flens cum flentibus.Siquidem quotiensc̃unque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset,ita flebat,vt & illum flere compelleret.Videbatur etiam sibi cum iacente iacere.Causas autem criminum quas illi confitebantur,nulli nisi domino soli apud quẽ intercedebat,loquebatur:bonũ relinquens exemplũ posteris sacerdotibus,vt intercessores apud deũ magis sint,quã accusatores apud homines.Nã & secundũ apostolum, circa huiusmodi hominẽ cõfirmanda charitas est:quia ipse sui accusator est,nec expectat accusatorẽ,sed præuenit, vt confitendo suũ alleuet ipse delictum,nec habeat quod aduersarius criminetur.Ideóque scriptura dicit : Iustus in principio sermonis accusator est sui.Vocem enim eripit aduersario,& quasi dentes quosdam paratos ad prædam criminationis infestæ,peccatorum suorum confessione confringit, dans honorem deo, cui nuda sunt omnia,& qui vult vitam magis peccatoris quàm mortem.Nam ipsi pœnitenti non sufficit sola cõfessio, nisi subsequatur & emendatio facti, vt pœnitens non faciat pœnitenda. Humiliet animam suam sicut Dauid sanctus, qui postquam audiuit à propheta, Dimissum est peccatum tuum:humilior factus est in emendatione peccati, ita vt cinerem sicut panem manducaret, & potum suum cum fletu misceret. Flebat etiam amarissimè quotiescunque fortè nunciatum illi fuerat de cuiuscunque sancti obitu sacerdotis,in tantum vt nos illum consolari niteremur, ignorantes pium affectum viri,nec qua ratione ita fleret intelligentes. Quibus ille huiusmodi responsum reddebat. Non se flere quia recesserat qui fuerat mortuus nunciatus,sed quia præcesserat, vel quia difficile esset inuenire virum qui summo sacerdotio dignus haberetur. Ipse autem de sua morte antè prædixit quòd vsque pascha nobiscum futurus esset. quod quidem meruit dominum obsecrando, quò maturius hinc liberaretur.Ingemiscebat enim vehementer cùm videret radicem omnium malorum auaritiam pullulare, quæ neque copia,neque inopia minui potest,magis magísque crescere in hominibus,& maximè in iis, qui in potestatibus erant constituti,ita vt interueniendi illi apud illos grauissimus labor esset, quia omnia precio distrahebantur. Quæ res primo omne malum inuexit Italiæ, & exinde omnia vergunt in peius.Et quid dicam si in huiusmodi personis rabiem suam exercet, qui solent aut filiorum aut propinquorum causas prætendere ad excusandas excusationes in peccatis, quandoquidem plerosque cœperit etiam cœlibes sacerdotes vel leuitas,quibus portio deus est,vt etiam ipsi illam appetant?Et væ mihi misero,quia nec in fine mundi prouocamur,vt tam graui iugo seruitutis liberari velimus, quo demergimur ad profundũ inferni, vt faciamus nobis amicos de mãmona iniquitatis,qui nos recipiant in æterna tabernacula.Attamen beatus ille,qui quandoque conuersus diruptis vinculis,atque proiecto iugo huiusmodi dominationis,

2.Cor.2.

Prou.18.

A

B

C

D

tenebit & allidet paruulos eius ad petram, hoc est, omnes intentiones eius allidet ad Christum,qui secundũ Apostolũ petra est,quæ omnes ad se allisos interimit,ipsa inuiolabilis manens, nec reum faciens eum qui ad se alliserit nequissimi vteri deteriores partus,sed innocentem : ita vt securus possit dicere:Portio mea dominus. Quia cui nihil in seculo est,illi portio est Christus.Et qui contempserit pauca,multa percipiet, insuper & vitam æternam possidebit. Antè paucos verò dies quàm lectulo detineretur,cùm quadragesimumtertium psalmum dictaret, me & excipiente & vidente, subitò in modum scuti breuis, ignis caput eius cooperuit atque paulatim per os ipsius tanquam in domum habitator ingressus est,& facies eius facta est velut nix,postea verò reuersus est vultus ad speciem suam. Quod cùm fieret, stupore perculsus obrigui, nec potui scribere quæ ab illo dicebantur,nisi posteaquam visio ipsa transibat. Dicebat enim in eo tempore testimonium scripturæ diuinæ, quod ego optimè retinebam. Nam scribendi vel dictandi ipso die finem fecit. Sed quidem ipsum psalmum explere non potuit.Ego verò id quod visum à me fuerat,honorabili viro Casto diacono (sub cuius cura degebam) statim retuli. At ille repletus gratia dei,spiritus sancti aduentum me in illo vidisse edocuit ex lectione Actuum apostolorum. Superioribus autem diebus cùm Stiliconis Comitis seruus,qui dæmonio laborauerat, in Ambrosiana basilica iam sanus maneret, commendatus à domino suo, (ferebatur enim quòd libenter ab eodem haberetur) facere falsas epistolas tribunatus compertum est, in tantum vt tenerentur homines qui ad ministrandum pergebant. Sed vbi ad personam serui sui peruenit Comes Stilico,noluit in eum vindicare.Homines etiam qui decepti fuerãt,interuentu sacerdotis dimisit, de ipso verò seruo sacerdoti questus est. Quem vir sanctus dum de ecclesia Ambrosiana egrederetur, requiri fecit,atque ad se perduci.Quem cùm interrogasset, & deprehendisset autorem tanti flagitij, ait: Oportet illum tradi satanæ in interitum carnis,ne talia in posterum audeat admittere.Quem eodem momento cùm adhuc sermo esset in ore sacerdotis, spiritus immundus arreptum discerpere cœpit. Quo viso, non minimo timore repleti sumus & admiratione. Multos etiam diebus ipsis imponente illo manus & imperante,ab spiritibus immundis vidimus esse purgatos.Per idem tempus Nicẽtius quidam ex tribuno & notario,quodam pedum dolore tenebatur,vt rarò in publico videretur, cùm ad altare accessisset vt sacramenta percipere, calcatúsque casu à sacerdote exclamaret, audiuimus: Vade, & amodò saluus eris. Nec amplius doluisse pedes, tempore quo sanctus sacerdos de hac luce migrauit,lachrymis testabatur. Sed post dies hos ordinato sacerdote ecclesiæ Ticinensi, incidit in infirmitatem. Qua cùm plurimis diebus detineretur in lectulo,Comes Stilico dixisse fertur, quòd tanto viro recedente de corpore interitus immineret Italiæ.Vnde conuocatis ad se nobilibus viris illius ciuitatis, quos diligi à sancto sacerdote cognouerat,partim interminatus est illis, partim blando sermone persuasit, vt pergerent ad sanctum sacerdotem,suaderéntque illi, vt sibi viuendi peteret à domino commeatum.Quod ille vbi ab illis audiuit,respondit:Non ita inter vos vixi, vt pudeat me viuere:nec timeo mori, quoniam dominum bonum habemus. Eodem tempore cùm in extrema parte porticus in qua iacebat, in vno positi Castus, Polemius,Venerius,& Felix tunc diaconi secum tractarent, voce ita pressa vt vix inuicem se audirent,qui post obitum illius episcopus ordinãdus esset,atq; cùm de nomine sancti loquerẽtur.Simpliciani:tanquam interesset tractatui, cùm longè positus ab ipsis iaceret,approbans exclamauit tertiò: Senex sed bonus. Erat enim Simplicianus æui maturior. Qua voce audita expaueſcentes fugerunt. Defuncto tamen eo non alius illi succeſſit,nisi is quem ille bonum senem trina voce signauerat. Cui Simpliciano Venerius,quem suprà memorauimus, succeſſit. Felix verò nunc vsque Bononiensem regit ecclesiam.Castus autem & Polemius nutriti ab Ambrosio bonæ arboris boni fructus,in ecclesia Mediolanensi diaconij funguntur officio.In eodem tamen loco, in quo iacebat

(sicut referẽte sancto Basiano episcopo Laudensis ecclesiæ, qui ab eodem audierat, didicimus) cùm oraret vnà cum supradicto sacerdote, viderat dominum Iesum aduenisse ad se, & arridentem sibi. Nec multos post dies ablatus est. Sed & eodem tempore quo migrauit ad dominum, ab hora circiter vndecima diei, vsque ad illam horam qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis orauit: nos verò labia illius moueri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus autem sacerdos ecclesiæ Vercellensis, cùm in superiori domo se ad quietem composuisset, tertiò vocem vocantis se audiuit, dicentisque sibi: Surge, festina: quia modò est recessurus. Qui descendens obtulit sancto domini corpus. Quod vbi accepit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens, vt in virtute escæ anima refectior, angelorum nunc consortio, quorũ vitã vixit in terris, & Heliæ societate lætetur, quia vt Helias nunquam regibus vel vllis potestatibus, ita nec iste pro dei timore loqui veritus est. Atque inde ad ecclesiam maiorem antelucana hora corpus ipsius portatum est. Ibique eadem fuit nocte qua vigilauimus in pascha: quem plurimi infantes baptizati cùm à fonte venirent, viderunt, ita vt aliqui sedentem in cathedra & in tribunali dicerent, alij verò ambulantem suis parentibus digito ostenderent: sed illi videntes videre non poterant, quia mundatos oculos non habebant. Plurimi autem stellam supra corpus eius se videre narrabant. Sed lucescente die dominico cùm corpus illius peractis sacramentis diuinis de ecclesia leuaretur, portandum ad basilicam Ambrosianam, in qua positus est, ita ibi dæmonum turba clamabat se ab illo torqueri, vt eiulatus eorum ferri non posset. Quæ gratia sacerdotis non solum in illo loco, verumetiam in plurimis prouinciis vsque in hodiernum diem manet. Iactabat etiam turba virorum ac mulierum oraria vel semicinctia sua, vt corpus sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur. Erat enim exequiarum turba innumerabilis, totius dignitatis, totiúsque sexus, omniúmque penè ætatum, non solum Christianorum, sed etiam Iudæorum & Paganorum: maiore tamen gratia ordo præcedebat eorum qui fuerant baptizati. Eodem verò quo obiit die, sicut textus epistolæ loquitur, quæ à successore eius venerabili viro Simpliciano susceptа est de partibus Orientis ad ipsum tanquam adhuc nobiscũ viuentem directa, quæ nunc vsque Mediolani habetur in monasterio, quibusdam sanctis viris apparuit orãs cum illis & imponens illis manus. Habet enim diem epistola quo directa est: qua lecta inuenimus diem esse quo ille defunctus est. Intra Thusciam verò ciuitate Florentia, vbi nunc vir sanctus Zenobius episcopus est, quia promiserat illos se sæpius visitaturum, frequenter ad altare quod est in basilica Ambrosiana, quæ ibidem ab ipso constituta est, visus est orare, sicut ipso sancto viro sacerdote Zenobio referente didicimus. In eadẽ etiam domo in qua declinans Eugenium mansit, tempore quo Radagaisus supradictam ciuitatem obsidebat, cùm iam penitus desperassent viri ciuitatis, per visum cuidam apparuit, & promisit alio die salutem illis affuturam. Quo referente ciuiũ animi sunt erecti. Nam altero die adueniente Stilicone Comite cum exercitu, facta est de hoste victoria. Hæc Pansophia religiosa fœmina matre pueri Pansophij referente cognouimus. Mascezeli etiam desperanti de salute sua vel exercitus quem ducebat contra Gildonem, baculum tenens manu in visu noctis apparuit; atque cum prouolueretur ad pedes sancti viri Mascezel, percutiens terram senex baculo quo regebatur, tertiò (hac enim illi specie apparuerat) ait: Hic, hic, hic, signans locum: deditque intellectum viro quem visitatione dignum fuerat arbitratus, vt agnosceret se in ipso loco in quo sanctum domini viderat sacerdotem, die tertia victoriã adepturum: atque ita securus bellum & inchoauit, & cõsummauit. Nos tamen ea Mediolani positi ipso Mascezele referente cognouimus. Nam & in hac prouincia in qua nunc positi hæc describimus, plurimis hoc ipsum retulit sacerdotibus, quibus etiam referentibus securius antè nobis cognita huic libro adiungere, arbitrati sumus. Sisinni etiam & Alexandri martyrum, qui nostris temporibus, post obitum sancti Ambrosij in Agaumæ partibus, persequẽtibus Gentilibus martyrij coronam adepti sunt, cùm reliquias Mediolani summa cum deuotione susciperemus, adueniente quodam cæco & referente cognouimus, qui eodem die tacto loculo in quo sanctorum reliquiæ portabantur, lumen recepit, quod per visum noctis vidisset nauem appropinquare litori in qua erat multitudo albatorum virorum. Quibus descendẽtibus ad terram, cùm vnum de turba precaretur vt sciret qui essent ij viri, audierit Ambrosium eiúsque consortes. Quo audito nomine, cùm deprecaretur vt lumen reciperet, audiuit ab eo: Perge Mediolanum, & occurre fratribus meis qui illò venturi sunt (designans diem) & recipies lumen. Erat enim vir (vt ipse asserebat) de litore Dalmateno, nec se antè veniisse in ciuitatem asserebat priusquam recto itinere reliquiis sanctorum occurrisset nondum videns: sed tacto loculo videre cœpisse. His itaque decursis, non arbitror graue videri, si paululum promissi nostri metas excesserimus, vt domini dictum, quod per os sanctorum prophetarum locutus est, completum esse doceamus: Sedentem aduersus fratrem suum, & detrahentem occultè, persequebar. Et alibi: Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Vt quicunque fortè huiusmodi captus est consuetudine, cùm legerit qualiter in iis qui sancto viro detrahere ausi sunt, fuerit vindicatum, ipse etiam in aliis emendetur. Igitur Donatus quidam natione Afer, presbyter tamen ecclesiæ Mediolanensis, cùm in conuiuio positus, in quo erant nonnulli religiosi viri, detraheret memoriæ sacerdotis, aspernantibus illis, & deserentibus linguam nequam, subito vulnere percussus graui, de eodem loco in quo iacebat, alienis manibus subleuatus, in lectulum positus est, atque inde ad sepulchrum vsque perductus. In vrbe etiam Carthaginiensi, cum apud Fortunatum diaconum fratrem venerabilis viri Aurelij episcopi ad conuiuium venissem vnà cum Vincẽtio Colossitano episcopo, Murano etiã episcopo Bolitano, sed & aliis episcopis & diaconibus, Murano episcopo detrahenti sancto viro, retuli exitum presbyteri superius memorati: quod ille de alio dictũ, de se oraculum, maturo suo exitu comprobauit. Nam de eodem loco in quo iacebat, cùm subitò vulnere ingenti esset percussus, alienis manibus ad lectum portatus est, atque inde ad domum in qua hospitabatur reductus, diem clausit extremum. Is finis virorum detrahentium fuit: quem videntes qui tunc aderant, admirati sunt. Vnde hortor & obsecro omnem hominem qui hunc librum legerit, vt imitetur vitam viri, laudet dei gratiam, declinet detrahẽtium linguas, si vult magis consortium habere cum Ambrosio in resurrectione vitæ, quàm cum detrahẽtibus illis subire supplicium, quod nullus sapiens non declinat. Tuam etiam precor beatitudinem pater Augustine, vt pro me humillimo peccatore Paulino cum omnibus sanctis qui tecum inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, in veritate orare digneris, vt qui in adipiscenda gratia cum tanto viro non sum dignus habere consortium, adeptus meorum veniam peccatorum, sit mihi præmium fugisse supplicium.

Psal 49. *Ibi. 100.*

Elogia

ELOGIA ALIQVOT PRO EXI-
MIO CHRISTI CONFESSORE, DOCTORE
CLARISSIMO, NECNON ECCLESIAE DEI
acerrimo propugnatore D. Ambrosio, Antistite Mediolanensi, è monimentis scriptorum facundissimæ quondam Græciæ cum primis illustrium selecta, iudicio deprompta ac Latinè reddita per Godefridum Tilmānum Cartusiæ Parisiensis monachum.

* *
*

Ex Hermia Sozomeno genere Salaminio.

To. 6. & c. 6.

ET quidem Iouianus dum abit Cōstantinopolin, repentina morte præreptus est in vico Bithyniæ secus viam sito, cui nomen Dadastana.

Subfinem. 3. to. & initium. 4.

Ex Socrate Scholastico.) Inauguratus primùm consulatu, vnà cum filio suo Baroniano, die Februarij mensis septima decima, quum menses septem imperasset, vixisset item annos tres & triginta.

vbi sup.

Hermias Sozomenus.) Exercitus simul atq; attigit Nicæam Bithyniæ, imperatorem declatat Valentinianum, virum vtique probum nec tanto indignum principatu. Sanè tum aderat redux ab exilio. Fama enim est Iulianum quum Romano potiretur imperio, exauthorasse hunc militiæ sacramento ac perpetis fugæ ignominia malè multasse, qui eatenus præfuisset ductando exercitui, & ei catalogo militum datus dux qui Iouiani vocantur. Prætexebat Iulianus minus iusto seruatum illi decorum in ductandis militibus aduersum hostes. Rei autē veritas hinc colligitur. Apud occiduos Galatas degens adhuc Iulianus, venit in templum quoddam immolaturus. Erat tum cum eo & Valentinianus.

Iouianorum acies altera ab Heraclianis.

li. 3. ca. 16.

Theodoritus Cyrensis episcopus.) Hic, Tribunus cùm esset, quo ferueret zelo pro tuenda pietate, palàm exeruit. Etenim stupidus ille ac planè delyrus fanum Fortunæ ingressurus choreas agebat. Proinde ad ianuas vtrinque constiterāt æditui, qui aquulæ asperginibus, sua quidem opinione, præpurgabant adyta templi ingressuros. Valentinianus verò imperatoris prædux vt vidit chlamydi insperſam aquæ guttulam, id molitus est, quo vtrunque promeruit imperiū. Pugnum siquidem infregit ædituo, hinc se inquinatum astruens, non item expurgatum. Impurus ille factum conspicatus, relegat hominem in oppidum quoddam desertо in loco situm illic vitam peracturum. Atqui Valentinianus post annum quidem cum mensibus aliquot, suæ confessionis recepit mercedem, nempe imperium. Neque enim in illa tantum vita iustus ille iudex eos meritò afficit honore, quos perspicit circa diuinum cultum obsequentes esse & officiosos: sed & nonnunquàm in præsenti suam piis laboribus resoluit mercedem. quò donis hic interim munificè collatis, certiorem concipiamus spem futurorum.

γνώμη.

li. 4. cap. 1.

Theodor.) Proinde fratrem è Pæonia accitum in cōsortium assumpsit imperij, quod vtinam non admisisset nondum licet lue attactum Ariani dogmatis. Vendicato sibi Europæ imperio, mox vt se occidentem versus recepit, subditos perdocuit omnem vitæ æquitatem à prædicatione exorsus tuēdæ pietatis. Auxentius enim Mediolanensis ecclesiæ episcopus qui corruptelam in se receperat Arianæ impietatis ac proinde fuerat abdicatus complurium synodorū decretis, cùm emigrasset vita, Imperator accitos ad se episcopos hisce vsus verbis alloquitur: Perspicuè nostis, vtpote diuinis innutriti sermonibus, cuiusmodi esse conueniat eum qui dignus censeatur apice tāti pontificatus. Nemo vestrum controuerterit talem expeti, qui non sermone modò, sed integritate potius vitæ mores debeat subditorum componere ac moderari, qui illis se exemplar exhibeat virtutis totius, vt doctrinam ipse suam sanciat ac firmet propriæ testimonio conuersationis. Quare nunc quæso, in throno pontificiæ istius dignitatis constituite talem: cui nos qui habenas moderamur imperij, citra omnimodam simulationem capita nostra succlinemus, & eius monita quamlibet increpatoria, perinde ac medelam è medicantis manu nihil grauatim excipiamus. Homines enim quum simus, necesse prorsum, vt offendamus alicubi aut labamur.

γνῶμη. Cap. 6. *O imperatoria modestiam sapientiæ & æquitati coniunctam!*

His dictis, Imperatorem orabat synodus, suo magis vt suffragio comprobaret ac decerneret præficiendum quem ornamentis sapientiæ iuxtà ac pietatis cognosceret prælucere. Quibus ille, sanè rei tantæ molitio augustior est, quàm vt ei subeundæ possim esse par. Iustius est de re tanta vos decernere, quos diuina gratia declarauit dignos, suóque splendore illustrauit. Egressis itaque episcopis, vt seorsim de re præsenti consilia inirent, ciuium coorta est seditio. Nam hi quidem hunc, illum alij contentiosiùs censebant præferendum. Auxentij enim complices Arij morbo afflati decernebant vnum sibi dari è concordibus dogmati suo: è diuerso pars sana deposcebat sibi eum in episcopum præfici qui secum in dogmate esset consentaneus. Ambrosius, cuius fidei gentis illius concredita erat præfectura, vt eam motoriam populi seditionem intellexit, veritus ne quid per eam nouaretur, in ecclesiam quàm ocyssimè contendit. Illi mox depugnata ea velitatione, in communem prorupêre vocem deposcentes præfici sibi in pastorem Ambrosium, eatenus licet nondum sacro baptismate initiatum.

Ambrosii electio θεοπρεπὴς.

Re comperta imperator iubet euestigio virum omni laude cumulatissimum sacro initiari baptismate simul & creari pontificem. Mentem enim eius probè sciebat quouis esse perpendiculo directiorem, & quicquid suo semel suffragio decreuisset, id omni regula esse absolutius. Id proinde interpretabatur factum suffragante numinis annutu, coniecturā colligens ex eorum concordi assensu qui priùs tam à se abibant suffragiis diuersi. Ambrosio igitur assequuto admirabile prorsus donum sanctissimi baptismatis ac munere pontificiæ dignitatis primùm inito, optimus per omnia imperator hunc fertur hymnum obtulisse saluatori ac domino, quum præsens spectasset, quæ fiebant, omnia: Gratia tibi esto domine omnipotens ac Saluator noster qui viro huic, cui ego quidem in manus corpora dederam, tu animas concredidisti, ac proinde declarasti iustum fuisse, quod pro illo tuleram, suffragium. Excursis inde diebus aliquot, eximius vir hic Ambrosius inter differendum cum Imperatore, plurima libertate vsus dequerebatur & incusabat quosdam, qui quum pro potestate agerent, in nō admodum paucis transuersi ibant à rectitudine iustitiæ. Ibi imperator, Tuā isthanc in dicēdo libertatem non hodie primùm perspectam teneo & exploratam: quare eius nihil obscurè conscius adeò tuæ

creationi

creationi non reclamaui, vt meo etiam iuuerim ſuffragio. Perge igitur tu piaculis mederi animarum noſtrarum, iuxta præſcriptam formulam legis diuinæ. Et hæc quidem imperator Mediolani & dixit & fecit.

To.6.cap. 24. *Hermias Sozomenus.*) Sanè qui occiduam plagam incolebant ſacerdotes, quum ſolerter ac prouidè anteuertiſſent iis, qui neſcio quid nouæ doctrinæ geſtiebant apud ſe moliri aut ſerere: fidem initio naſcentis eccleſiæ ſibi traditam à patribus, ſtudio propenſiore intemeratam conſeruabant, adeò vt non admodum multos inuenire eſſet toto occidente prauis opinionibus imbutos, immo ſolos propè aſſectatores Auxentij. Quin hic quoque non ita diu in viuis fuit, & nequâ remoraretur fidei curſum, è medio ſublatus eſt. Hoc mortuo, in ſeditionem verſa eſt multitudo, dum non præciſè eligentium vota conſpirant in vnum aliquem, qui Mediolanenſi eccleſiæ præficeretur epiſcopus, eóque periclitabatur ciuitas. Singuli enim quique rem videntes cadere præter expectationem, ſuáque ſe ſpe fruſtrari, interminabantur molituros ſe eſſe, cuiuſmodi ſolent contingere inter obſtrepentis populi tumultus. Ambroſius porrò tum eius gentis prætor, veritus eam populi motionem & in eccleſiam profectus conſulebat, ſibi vt temperarent ab eiuſmodi velitatione, propoſita illis ſeueritate legum, ad hoc ſuggerens, quantus bonorum cumulus diriuetur ac promânet ex vna concordia ac mutua pace. Finem concioni nondum impoſuerat, & ecce poſita mox inter ſe præconcepta indignatione, ſuffragia ad vnum omnes in conſulem inëundæ concordiæ conferunt pro aſſerendo illi epiſcopatu. Inuitabant proinde ad ſacri baptiſmatis ſuſceptionem, neque enim dum eo initiatus erat. Obſecrabant inſuper fineret ſe exorari ad eius ſacerdotij inaugurationem. Quid? Quantò eam prouinciam ſtudioſius à ſe deprecaretur ac repelleret, citráque fucum omnem defugeret: tantò illi populus cupidiùs imminebat, nec ſe alio vllo pacto interquieturum confirmabat à cœpta contentione. Hæc denique vt innotuerunt imperialis aulæ principibus & de his rumor percrebuit, fertur omnibus palam. Valentinianus fuſis ad deum precibus, gratiam hanc ipſi deo tranſcripſiſſe, qui eum ſibi delegiſſet in ſacerdotem, quem moderandæ genti præfeciſſet. Edoctus, quàm cupidæ inſtaret huic promotioni populus, quámque à ſe Ambroſius ſtudioſè id depelleret vtrimque coniecturam collegit dei annutu vtique diſpenſari hæc pro concordia eccleſiæ Mediolanenſis. quare iuſſit quàm citiſſimè eum deſignari pontificem. Atqui vt initiatus eſt primum baptiſmate & aſſenſus factæ de ſe electioni, eſt creatus pontifex, author fuit eccleſiæ ſuæ in concordem ſententiam circa diuina reuocandæ, quæ multo alioqui tempore priùs diſſenſionis morbo laborarat, præſide Auxentio. Cæterùm Ambroſius hic qualè ſe exhibuerit à ſuſcepta mox dignitate, quámque pro virili & inſigniter admodū ſacerdotij munus obiuerit, in ſubſequentibus dicetur pro locorum opportunitate.

Ibi. 4.c.30. *Theodoritus.*) Sanè inter epiſcopos duo præfulſerunt Gregorij, Nazianzenus prior, alter Nyſſenus. Et quidem hic frater, alter verò erat contubernalis & in opere dei collega Baſilij magni. Quo tempore in Cappadocia hi non inſtrenuam nauabant operam propugnandæ pietati: Petrus quoque pro tuenda fide fortiter acturus ſe eis adiunxit. Petrus inquam, cui quidem licet ſortitò communes cum Baſilio & hoc Gregorio genitores, non eſt alioqui datum externam illam eruditionem vel ſortitò attingere. Atqui is longè latéque nihilominus ſplendorem ſuæ effundebat vitæ. In Piſidia proinde Optimus, in Lycaonia item Amphilochius multa cum animi generoſitate, pro propugnanda maiorum ſuorum fide in acie conſiſtentes violentam hoſtium impreſſionem propulſabant. In occiduis porrò, Damaſus Romanæ ſedis præſul, Ambroſius item cuius moderationi Mediolanenſis eccleſia concredita erat, iaculis ſuis eminus excuſſis conficiebant hoſtes. His velut ſuffraganei accedebant, qui adacti incolere extremas terrarum ſolitudines, ſuos in fide ſuffulciebant iugi miſſitatione literarum & proinde hoſtiles conatus elidebant ac demoliebantur. Qui enim vniuerſam hanc mundi machinam iuſta temperie moderatur ac regit, dedit viros gubernandæ eccleſiæ gnaros: quique iſti tantæ fluctuationi ſe ex æquo opponerent, electorum item ducum fortitudinem obiecit hoſtium immanitati. Neque id ſolū, ſed & pharmaca clementer indulſit malis quæ per temporum iniquitatem ſuboriuntur, depellendis opportuna.

hoſtiū nempe Arianorū.

Socrates Scholaſticus.) Valentiniano Imperatore quietem agente nec vlla eum diſcruciante moleſtia hæreſeων, Damaſus à Liberij morte ſacerdotium epiſcopatus accepit, ex quo contigit Romanam eccleſiam non vnis agitari intemperiis. Cauſa incidit hæc: Vrſinus quidam, & reliqua. Sub hoc ipſum tempus, aliud proinde Mediolani contigit fieri memorabile. Defuncto ſiquidem Auxentio eius ciuitatis epiſcopo qui & Arianorum ſuffragiis fuerat creatus, rurſus ipſi Mediolanenſes turbas concibant pro epiſcopi electione, nec vna aut ſimplex erat contentio aliis alium præficere ſtudentibus. Quum autem ea de re eſſet coorta ſeditio, Ambroſius prouinciæ præſes ſimul & conſulari dignitate illuſtris, veritus ne quid indecori deſignaretur per eam turbam in ciuitate promotam, in eccleſiam curſu contendit ſtudio ſedandæ motoriæ illius ſeditionis. Illò vt appulit primùm, aduenienti ſilentium præbuit populus. Quúmque permulta ſuggereret quæ in rem præſentem mirè conducerent, populi citra rationem ac modum frementis repreſſit impetum: & ecce tibi vna actûtum redditur & concors omnium ſententia, acclamantium epiſcopatu dignum eſſe Ambroſium. Ipſum itaque flagitabant in commune omnes deſignari epiſcopum. Hac enim vnica ratione populum in vnionem conſpirare poſſe & amabilem amplexurum concordiam eorum quæ ad fidei ſyncritatem ſpectant. Iam quando non ſine numinis afflatu vox hæc populi concors eſſe apparebat præſentibus epiſcopis, nihil illi cunctati comprehendunt Ambroſium, & quidem priùs Catechumenum luſtralibus baptiſmi aquis regenerant, móxque ad apicem epiſcopalis ſacerdotij quamlibet reclamantem eum poſtulantes operam dederunt vt res innoteſceret Valentiniano Imperatori. Admiratus Imperator populi concordiam, dei id eſſe opus quum agnouiſſet: nihil obſcurè epiſcopis dicebat deferendum eſſe & obſecundandum diuinæ voluntati quæ iuberet virum initiari in epiſcopum. Eiuſmodi enim ſuffragium quod pro Ambroſio reddebatur, à deo, magis quàm ab hominibus pendêre. Sanè Ambroſio ad eum modum conſtituto, priùs in ſectas diſſecta plebs Mediolanenſis, in vnitatem tunc reuocata eſt fidei per hunc beatum.

Lib.4.c.29.

è cap.30.

Socrates Scholaſticus.) Iuſtina Imperatoris Valentiniani mater, Ariana, viuente quidem viro * nihil noxæ in eos inuehere valuit, qui conſubſtantialitatem [patris ac filij] agnoſcebant. Hæc Mediolanum ingreſſa, & ingenio filij per ætatem tenellam verſatili & ſequaci abuſa, plurimum turbellæ exciuit aduerſus Ambroſium epiſcopum, adeò vt virum edicto proſcripturiret. Quum autem plebs eximio pontificis amore flagrans toto nixu reluctaretur aulicis ſtudio adnitentibus auellere ex adytis templi exilio relegandum, nuntiatur interim Gratiani mors Maximi tyranni dolo perempti. Diem igitur ſuum obiit conſulatu Meregaudi & Saturnini, imperio perfunctus annis quindecim, anno item vitæ ſuæ viceſimoquarto. Caſus hic ingruens matris Imperatoris iram aduerſus Ambroſium quamlibet flagrantem diremit & conſopiuit.

Lib.5.ca.11. * Valentiniano maiore. τὸ ὁμόσιον.

Theodoritus.) Iuſtina magni quidem Valentiniani vxor, at iunioris mater ſemina Arianicæ doctrinæ quæ multò priùs in ſe receperat, tum nota fecit filio. Quòd enim perſpicuè noſſet, quanto ille ſuus vir flagraret ardore fidei, ſtuduit toto illius tempore in arcano habere inſtillatum ſibi errorem. Vt autem mentem filij contemplata eſt tenellam adhuc, eóque quancunque in partem eſſe ſequacem, tum interrita illi adhibuit illicem erroris ſuadelam. Ille monita matris vſui ſibi & accommoda fore ratus, dum oculos in naturæ illecebram coniiceret, letalem hamum haudquaquàm perſpiciebat. Et quidem ille cum Ambroſio hac de re primum texit ſermonem, ſecum reputans, huic ſi perſuaſiſſet, nullo negotio ſe euicturum reliquos. E diuerſo Ambroſius illi paternæ pietatis memoriam renouabat: admonebat proinde, ne ſineret hæreditatem vlla ſui parte imminui, quam tutam & indemnem per manus acceperat. At iuuenculus,

Lib.5.cap. 12.

Cap.13.

iuuenculus, cuiuſmodi illi aſſolent iuuenes, non à ſe modò repellebat quæ dicebantur, quin & impotenti ira incanduit, miſſiſque grauis armaturæ manipulis aliquot & ſcutigeris, coronæ in modum, ambitũ cinxit eccleſiæ. Hiſce terriculamentis adeò nihil deterrebatur fortiſſimus ille heros, vt ea haberet potiùs loco laruarum, quas ſolent nõnulli obtendere exterrẽdis puſionibus. Tum ille demum animo exaſperatus, palàm iuſſit è veſtibulo templi progredi ſacerdotem. Ad hæc ille: mea equidem vnius ſponte, id neutiquam ſim facturus. Ne ſperes lupis proditurum me mandram excipiendis ouibus deſtinatam: at neque diuinæ maieſtatis derogatoribus traditurus vnquam ſum dei templum. Quare ſi apud te conſtitutum eſt dedere me neci, hîc hîc in me diſtringito gladium, aut iaculo quolibet transfigito: tali enim mactationis genere nihil inuitus defungar. Multò pòſt tẽpore, relatu quidem didicit Maximus quæ temerario auſu præſumpta fuerant aduerſus celeberrimum veritatis præconem. Datis proinde ad Valentinianum literis edicit, bellum vt dirimeret pietati indictum, ſimul admonens ut pergeret à ſe excutere pietatem per manus acceptam à patre, interminatus alioqui bellum, ni ſe ſinat perſuaderi. Nec minis contentus, addidit & verbis opus ipſum. Mediolanũ enim verſus contracto exercitu concitus iuit, quò loci Valentinianus degebat, qui vt reſciuit tyranni aduentum, nihil cunctatus ad Illyrios profugit, doctrice experientia edoctus quantum decerpſiſſet emolumenti è matris conſilio.

Cap. 14.

Theodoſius proinde Imperator omni laude digniſſimus vt reſciuit quæ deſignaſſet Imperator *, quæ item tyrannus ſcripſiſſet: adoleſcenti fuga dilapſo per literas mandauit nihil mirabile videri, ſi timiditas penes Imperatorem eſſet: contrà, robur adiungeretur tyranno. quando ille bellum indixiſſet pietati: tyrannus ediuerſo pietati iuiſſet ſuppetias. Et quidem qui deſertor eſt pietatis, cogitur ſibi nudo fugâ conſulere: contrà, qui armis ſe præmuniit pietatis, aduerſus eâ nudatum inualeſcit. Æquum enim eſt adeſſe eum tuendę pietati, qui legem tulit pietatis. Et hæc quidem longiore diſparatus interuallo ſcripſit. Certior tandem factus de adoleſcentis fuga, ad ferendam opem accinxit ſe: vtque vidit in ſuo eum eſſe regno qui neutiquam proprium tueri poterat, in primis curandæ illius animæ ſalutarem adhibuit medelam, & morbum impietatis aliunde illi inſititium exemit ac paternæ reſtituit pietati. Dein hortatus, animo vt eſſet præſenti, & educto aduerſus tyrannum exercitu, ipſum quidem peremit: & incruentum tradidit adoleſcenti Imperium. Se enim interpretabatur fore iniurium ac leges viólaturũ cum Gratiano icti ex compacto fœderis, ni pœnam iniuſtæ cædis vltricem exegiſſet de eis qui dolo malo circumuentum peremerant.

*Cap. 15. * Valentinianus iunior ſcilicet.*

γνώμη.

Hermias Sozomenus.) Tunc quoq; Iuſtina Imperatoris mater Ariano imbuta dogmate, negotia faceſſebat Ambroſio Mediolanenſium epiſcopo, & aduerſus eccleſias turbarum agmen concitabat, adnitens noua quædam moliri aduerſus decreta Nicenæ ſynodi, maximi muneris habens loco, ſi eorum qui Arimini conuenerant, fides inualeſceret. Quòd verò Ambroſius diuerſa via eluctaretur, iniquiore id ferens animo, viro ſtruit calumniam ac traducit apud filium quaſi grauem paſſa cõtumeliam. Valentinianus proinde prætentam calumniam ſuſpicatus eſſe veram, tãquam maternæ vltor iniuriæ, militum robur mittit eccleſiæ, qui oppugnantes templum foribus violenta impreſſione decuſſis irruperunt, Ambroſiúmque pertrahebant eadem hora abducturi in exilium. Circunfuſa proinde illi multitudo eccleſiæ nixu toto obſiſtebat militibus, adeò vt in commune ſtatuerint priùs mortem oppetere quàm neglectim trãſmittete ſacerdotem. Iuſtina intellecto populi fauore, impotentiore ira incanduit, agitabátque conſilium quo tandem pacto ſuam molitionem lege lata ſanciret. Accito igitur ad ſe Meniuolo qui ſcribis tum præerat ſanciẽdarum legũ, iubebat quàm ocyſſimè ſtatui legem pro cõfirmatione fidei in Ariminenſi conciliabulo decretæ. Prouinciam eiuſmodi obeũdæ actionis à ſe repellentem ac deprecantem Meniuolum (erat enim catholicæ eccleſiæ iuratiſſimus) inuitabat illa ineſcãs hominem pollicitatione ſplendidioris cuiuſpiam honoris. Atqui non perſuaſit. quin & detractũ quo cingebatur, balteum ad pedes proiecit luſtinæ, ſubiiciens ſe adeò nihil morari luculẽtioris officij honorem pro mercede impietatis, vt id quoque quod eſſet in manibus, à ſe libens excuteret. Illo igitur aliquandiu inſtãte nullo ſe pacto id admiſſurum, ad ſtatuendam eiuſmodi legem alij ſubminiſtrarunt. Tenore legis ſtatuebatur, vt quique intrepidè in eorũ deſcenderent opinionem qui Arimini, dein Conſtantinopoli conuenerant: eos autem qui impedimento forent aut legi per Imperatorem latæ non parerent, mulctari morte. Imperatoris mater huc dum ſtudio tota incumbit, legémque adproperat, ad opus perducere, nunciatur mors Gratiani dolo intercepti Andragathij qui exercitui Maximi ductando præerat. Annos quidem agebat natus circiter quatuor & viginti, quum quindecim imperaſſet. Hac audita quæ contigerat calamitate, Iuſtina ab ira aduerſus Ambroſium concepta conquieuit.

Tomo 7. cap. 13.

Theodoritus.) Theſſalonice ciuitas eſt & ampliſſima & incolis apprimè frequens, in cenſu quidem gentis Macedonicæ, at eadem princeps eſt Theſſalię & Achaię, aliarum inſuper non paucarum gentium, quantæcunque tandem agnoſcunt Illyricæ totius prouinciæ præſidem. Ea in verbe ſeditione quadam coorta, è primariis aliquot crebrò lapidũ iactu appetiti ſunt, & per contumeliam compitatim diſtracti. Comperta per nuncium indignitate rei geſtæ, incandeſcens Imperator non tulit impotentis iræ impetum, neque rationis fræno coërcuit ſurgentem primùm impreſſionem furoris: magis autem pro eius arbitrio ſiuit euagari ad expetendam vltionem admiſſi facinoris, qua quidem accepta poteſtate furialis ille impetus perinde ac tyrãnus ſecurus legum omnium, perrupto iuſtitię vinculo, iugóque à ſe excuſſo rationis, præter omnem æquitatem enſes diſtrinxit in paſſim obuios. Inſontes iuxtà ac flagitio obnoxios cędi iuſſit. Conſtans fama eſt occidione occiſa eſſe ad ſeptẽ millia hominũ, & quidem nullo præeunte iudicio, nulla item ſentẽtia damnationis pronũciata in eos qui temerè admiſſi facinoris fuerant authores. ſed quemadmodum aſſolet, meſſis tempore, ſpicarum inſtar cæſi ſunt citra delectum ac velut demeſſi omnes.

Lib. 5. c. 17.

Tanta hac & planè luctuoſa dignitate rei quę contigerat, certò cõperta, Ambroſius Imperatori dein ingredienti Mediolanum, & iam ingreſſuro pro more dei templum, commodùm ſit pro veſtibulo obuius, híſq; verbis aggreſſus hominem abarcet ſacræ ædis aditu: Mihi tu quidem ô Imperator vidêre neſcius, quanta ſit cruentiſſimæ cædis illius tuo iuſſu perpetratæ magnitudo. At ne nunc vel poſito furore tandem agnoſcit ratio, quò temeritatis ſis progreſſus. Quãta ſit moles tui iſtius peccati ipſa forſan maieſtas imperij nõ ſinit te tecum expendere: quando poteſtas ſe oppandit, luménque adimit rationi. Noſſe tamen te cõuenit communis naturæ cõditionem, & quàm ſit in mortem decidua ac diffluens, cuódque primigenij noſtri parentis origo è puluere deſumpta ſit, & quia nos qui è puluere prodiuimus, in eundem relabemur. At neque rationi conſentaneũ ſit te ſic flore deliniri iſtius interlucentis purpuræ, vt infirmitatem neſcias corporis quod ea amicitur. Principatum quidem obtines in eos ô Imperator, qui tibi congeneres ſunt eóque & conſerui. Vnus enim vniuerſorum & Dominus & Imperator, qui & hanc vniuerſitatis molem condidit. Quibus itaq; oculis templum ſpectabis eius, qui omnium eſt in commune dominus? Quibus item pedibus calcaturũ te confidis pauimentum illud, quod ſanctum eſt? Manus proinde iſtas deſtillantes adhuc cruore iniuſtæ cædis, qua fronte expandere poſſis? Quid? impurîs ne iſtis manibus ſacratiſſimum excipies corpus domini tui? Qua tu confidentia iiſdem auſis ori admouere ſanguinem honore omni digniſſimum, qui furore dictante iuſſeris præter legum æquitatem tãtum ſanguinis effundi? Hinc igitur abito: caue trãſgreſſionem hãc priorem alterâ accumules. Vinculum proinde excipito potiùs, quod Deus qui & vniuerſorum dominus, deſuper ſuo ſancit ac firmat ſuffragio. Sanè id ſalutare quum ſit, conciliat ſanitatem. Imperator eiuſmodi ſermonibus moriger, ſuſpirãs & lachrymabũdus in regiam ſe recepit. Eloquiis ſiquidem diuinis innutritus nihil obſcurè norat quæ ſacerdotibus quidem

dem munia peculariter cõpeterent, quæ iam propria essent regum. Multũ defluxerat tẽporis, octo nimirum absumptis mensibus, festúsque dies appetebat Saluatori nostro natalitius. Imperator interim residens in regia, in lamentis erat assiduus, stillas profundens lachrymarum. Id quum perpẽdisset Rufinus tum Regiæ magister, cui per multam cum Imperatore contractam cõsuetudinem, liberior suppetebat loquendi facultas, is propiùs accedens rogat lachrymarũ causam. Tum ille solito amarius ingemiscens, cúmque profusiore lachrymarum profluuio: Tu quidem, ait, ô Rufine ludis, quippe quem nullus tãgit malorũ meorum sensus. Ego contrà, mecum reputans calamitatis propriæ magnitudinem ingemisco ac lamentor, quãdoquidem seruis quibuslibet, imò ipsis mendicis patet Dei templum, datúrque liber ingressus, suum vt dominum supplices deprecentur: mihi vni illius negatur introitus. Huc accedit, quia cœlũ mihi obseratum est. Subit enim mentem dominicæ illius sententiæ, quam luculenter admodum pronuntiauit: Quẽcunque ligaueritis super terram, erit ligatus & in cœlis. Subiecit ille, Si quidẽ videtur, ad pontificem ipse currã obtestaturus, denique & persuasurus, tua isthæc vincula vt soluat. Haud quaquam exorari se aut persuaderi sinet, ait Imperator. Noui planè ego, quàm sit tenax iustæ semel sententiæ Ambrosius. Neque enim maiestatem reueritus Imperatoriæ potestatis, prescriptam sibi à deo legẽ prætergredietur. Rufinus simul ac lacinioso admodum verborũ viu pollicitus esset in suam se sententiam adducturum Ambrosium, iubet Imperator quàm ocyssimè adeat pontificem. Quin & ipse illectus, iamque persuasus Rufini pollicitatione, tensim est eum sequutus: Rufinũ vt primùm admirabilis vidit Ambrosius: Canum, ait, impudentiã æmularis ô Rufine. Tu enim, cuius cõsilio tanta hæc edita est cædes hominũ, à fronte videris derasisse pudorem. Depuduisse enim videris, nec quicquam timere, qui aduersus dei imanem tanta rabie vesanieris. A supplicatione Rufinus quum subiecisset mox affore Imperatorẽ, ibi tum admirabilis Ambrosius dei zelo præferuidus & incandescens: Tibi, ait, ô Rufine prædico, quia abarcebo eum vel aditu sacri huius vestibuli. Sin is in tyrannidem iam vertit Imperiũ, patiar nihil inuitus hîc me mactari. Hæc quum inaudisset Rufinus, per internuntium significat Imperatori, quem sibi mentis scopum præstituisset pontifex, hortatus proinde ab regia ne quò digrederetur. Imperator dũ medio in foro consisteret, de eiusmodi certior factus respõdit: virum adeo, & quicquid intorserit cõtumeliarum, eas quippe cõmeritus, feram. Sacram vt attigit porticũ, dei quidem tẽplum introgressus non est, antistitem verò ad ẽs in salutatoria domo cõsidentem, supplex orat se eximi vinculis. Cõtrà, ille tyrãnicum ipsius aduẽtum vocabat: obiiciebatque Theodosiũ ferocire aduersus deum, qui illius proculcaret leges. Ad hæc Imperator, Nulla in re, ait, mihi sumo audaciam aduersus statas legũ sanctiones. Atque adeò præter æquitatem ne hæc quidẽ sacra vestibula velim transcẽdere. Tantum est, efflictim abs te contendo hisce absolui vinculis, vtque mentem subeat aliquãdo benignitas cõmunis omnium domini. neu tu mihi oppiles ianuã quam omnibus adaperuit qui vti vellent pœnitentiæ fomentis. Ad hæc pontifex, Quam tu quæso, ostẽdisti pœnitentiam tantæ istius abs te admissæ iniquitatis? Vulnera isthæc propè incurabilia quibusnã medicamentis curasti? Cui Imperator, Tuæ est functionis & vulnerũ grauitatem indicare & attẽperare medelam, atq; adeò ad sanitatem promouere quãlibet medicatu difficilia: mei autem officij fuerit, quæ obtuleris, excipere. His subtexuit admirabilis Ambrosius, Quãdoquidem furoris arbitrio permittis iudicium, & de causæ cognitione non ratio pronũtiat, sed incandescentis animi affectio: mihi tu legem scribe inducẽtem abrogantémue quę in posterum per iracũdiam decernẽtur. Id rite vt obseruetur, sanguinariæ aut capitales sentẽtiæ, necnon proscriptiones literis quidem inscriptæ maneant dies triginta, iudiciũ accepturæ quod demum præscribet ratio. Hisce euolutis diebus, scribæ qui deliberata exceperãt, quæ iussi erant perscribere, tibi repręsentent. Animo enim tum sereniore, ratio per se discernens, decretum prius in quæstionem reuocabit, tum agnoscet iniustúmne, an iustum fuerit. Et quidem iniustam si deprehenderit fuisse sentẽtiam, nulli dubium quin media dirumpi debeat scriptura. Sin iustam cõpereris, rata habebitur, ac proinde sententiis ritè pronũciatis nihil obfuerit dierũ numerus. Admonitioni huic assensus Imperator, eámq; interpretatus longè esse optimam, legem iussit actũtum perscribi, & eam subscriptione manus propriæ communiit. Ad eum modum eximius pontifex Ambrosius vincula illi resoluit: atque ita demum integerrimus fide Imperator dei templum ausus ingredi, nõ equidẽ stans, non item genua acclinãs terrę, supplex dominũ obtestabatur: sed pronus & in aream tẽpli deiectus, in Dauidicam illã erupit vocem: Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secũdum verbum tuũ. Capillos concerpens ac diuellicans manibus, pertundens frontẽ, crebrísque lachrymarũ guttis aspergẽs pauimentum, veniã supplex precabatur sibi indulgeri. Appetẽte dein tẽpore offerẽdi ad sacrã mensam munera, attollẽs se ab humo nec minùs profundens lachrymarũ ad altaris gradum conscendit. Peracta oblatione, intus restitit secus cancellos pro more sibi eatenus obseruato. Nec id interim pressit silentio magnus ille Ambrosius, sed perdocuit quæ esset locorũ differentia. Primum quidẽ percontatur, num qua re illi esset opus. Quúmque dixisset Imperator præstolari se diuinorũ mysteriorum perceptionem: vsus ille ministro, diaconorum præside significari iubet hęc, Adyta templi scito ô Imperator solis peruia esse sacerdotibus: cæteris verò vniuersim imperuia, nec licere cuiquam ea contingere. Quare egreditor, cúmque cæteris in cõmune cõsistito. Purpura enim imperatores, nõ item sacerdotes facit. Quin salutarem hanc introductionẽ quum lętis animis excepisset integerrimus fide Imperator, orat suo nomine responderi, nulla se temeritate vsum restitisse intra cancellos, sed hũc se didicisse morem Cõstantinopoli. Proinde gratiam, ait, illi debeo pro hac salutari medela. Tanta tamque præstãti virtute pontifex iuxtà ac Imperator eniteſcebant. Me equidẽ magnoperè iuuat demirari vtriusq; præstantiam: in pontifice quidẽ liberrimã increpandi fiduciam, in Imperatore autem expromptam & alacrem obediẽtiam: in illo flagrantis zeli feruorem, in hoc fidei synceritatem. Et hic quidẽ formulas exercendæ pietatis, quas doctore didicerat eximio põtifice, reuersus Cõstantinopolim pressius tueri voluit. Quum enim per temporis euolutionem festus dies deo sacer incidisset qui illum inuitaret ad dei tẽplum, muneribus sacræ mẽsæ oblatis, mox egressus est. Nectarius ecclesiæ tunc præsul quũ rogasset per nũtium, quid ni tandẽ intus perstitisset, suspirãs respondit: Multo cum labore didici, quo differat ab Imperatore sacerdos. Vix tandem internanciſci potui veritatis magistrum. Ambrosium enim noui, qui solus dignè vocetur episcopus. Tãtum adfert emolumẽti tẽpestiua increpatio à viro profecta qui eximia virtute splendescit.

γνώμη

Hermias Sozomenus.) Ab Eugenij cæde, Theodosius Mediolanũ ingressus, orationis gratia se in ecclesiã conferebat. Quúmque proximè adsisteret foribus, ecce Imperatori obuius fit Ambrosius ciuitatis episcopus, mediáq; in plebe arrepto eius purpureo amiculo, siste gradũ, ait. Viro enim peccati squalore cõtaminato, manúsque habẽti prẽter tenorem iustitię cruẽtas, non fas cum sine præuia pœnitẽtia vel limen ingredi sacræ ædis, aut mysteriorũ dei fieri participem. Admiratus Imperator sacerdotis libertatẽ, conscius sibi ac proinde mœstus, & cõmissorum pœnitudine interpũctus, in regiã reuersus est. Admissi facinoris isthæc fuerat occasio: Bothericho Thessalonicẽsium tum prẽside, vnus aliquis eorum qui moderãdis equis præerat Illyricorũ militũ, oculis in pocillatorem turpiter coniectis ad rem cum illo obscœnã adiecit animũ ac tẽtauit scelus, eóque cõprehensus claudebatur carcere. Quúmque dies appeteret edendorũ certaminũ Circensium quæ apud Thessalonicẽses habẽtur insignia, populus cupidè quærebat aurigam illum eximi vinculis, tanquam peropportunum futuris certaminibus. Simul ac vidit se nihil precariò promouisse, in seditionẽ erupit periculosè molestam, tandémque Botherichum sustulit è medio. His per internuntium delatis Imperator flamma correptus impotentis iræ imperauit occidione occidi statum quendam numerum, eorum qui passim & citra delectum obuij forent. Et quidem per hoc ciuitas permultis, nec iustis cædibus differta

T. 7. cap. 24.

Theodoritus finit numerũ ad 7. milia.

differta est. Quum enim plerique externi eò adnauigassent primùm, ac de via appulissent, prꝛeter omnem suam expectationem sunt abducti, quos miserabilis prorsum calamitas inopinos inuoluit, in quibus est & hæc: Negotiator quum pro comprehensis duobus liberis se vltro obtulisset, precabatur, mortem vt ipse oppeteret illorum exorandæ salutis gratia. Atque adeò in mercedem vltroneus offerebat militibus, quicquid penes se erat auri. Atqui milites miserti calamitatis quæ inopinè interceperat hominem, pro alterutro liberorum quem è duobus delegisset, supplicationem admiserunt. Dicebant enim sibi periculosum fore, si vtroque neci subtracto, numerus deprehenderetur imminutus. Dum pater cõiectis in vtrunque oculis, lamentis illiquescit & lachrymis, nescius vtrum alteri præeligeret: dum amoris erga vtrunque victus illecebra, sic hꝛereret consilij inops, interim cæsus vterque est. Audiui proinde famulum insigniter probum fuisse, qui tum pro redemptione domini ad cædẽ iam abducti alacriter morte occubuerit. Ob eiusmodi, alia insuper pleraq;, vt par est credere, admissa flagitia, Imperatorem quum increpasset Ambrosius, abarcuit ingressu ecclesiæ & communione priuauit fidelium. Denique is in publico cœtu ecclesiæ peccatum suum confessus est: totóque per Ambrosium præstituto tempore perinde ac in luctu, sibi vsu interdixit ornamẽtorum imperialium. Ad hæc legem præscripsit his qui administrandis imperij negotiis prꝛerant, vt eorum qui addicendi essent neci, supplicium in trigesimũ prorogaretur diem. Ita enim intermedio hoc tempore ira remollesceret Imperatoris, séque sensim remittente concepta indignatione, locus misericordiæ succederet simul & pœnitentiæ.

Quæ ab hoc Ambrosio præclarè sunt gesta, nec tanto indigna sacerdotio, permulta quidem & alia sunt: quæ vel solis indigenis par est credere esse perspecta & explorata. In his quæ summa cum laude opera confecit, primariam palmam prꝛripere audio & hoc: Mos eatenus inoleuerat cõcionis habendæ coram Imperatoribus intra cancellos sacri chori positis & ob dignitatis eminẽtiam à populi confinio disparatis. Ambrosius simul atque intellexit per assentationem aut certè per disciplinæ ecclesiasticę corruptelam id esse inuectum, Imperatori locum in ecclesia esse debere præscripsit, eum qui sacri chori cancellis est proximus. Eò quidem, vt qui primas tenet in populo, primariam quoque obtineat cathedram: pontifex verò, suis prꝛsit sacerdotibus. Hãc etiamnum traditionem vt longè optimam plurimi fecit Theodosius Imperator, sed & ij qui secundum eum sunt rerum potiti. Quin ex illo tum tempore in hodiernum vsq; diem eam obseruari perspicimus. Clarissimi quoque viri istius opus illud commemoratione dignissimum meo arbitratu necessarium esse videtur, quod per manus acceptũ tradatur scripturæ. Vnus aliquis Græcus ex eorũ albo erat, qui populo singulatim irrogant tributũ. Is maledicto quopiam incesserat Gratianum: nimirum dixerat patre esse indignũ. Ob hoc, intentam aduersum se actionem cùm non parum diu sustinuisset, addictus est morti. Et ecce cùm ad supplicũ abducendus foret, Ambrosius in regiam cõcessit pro homine deprecaturus. Studio autem eorum qui infensè oderant virum, Gratiano item sedulam operam dante spectandæ venationi, cuiusmodi esse solent exercitia regum, captãdæ priuæ voluptatis gratia, non item studio iuuandæ reipublicæ, dum illic diu hæsisset Ambrosius, nullo nempe eorũ qui regias fores obseruant, nuntiante pontificis aduentum quòd importunus aduenisset, in alterum locum cessit. Profectus enim ad portam, quâ immittebant feras, aliquantum delituit. Dein cum venatoribus vnà ingressus non se illinc subduxit, ne Gratiano quidem supplicante, non item iis qui circunsistebant, non inquam, cessit loco priùs quàm ipso in tempore illinc auferret ab Imperatore salutare decretum pro eius liberatione qui ad mortem abducebatur. Vt cætera proinde sileam, circa ecclesiasticarum sanctionum obseruationem quàm tenax fuerit, quámque seriam operam dederit formandæ vitæ clericorum suæ ditionis, explicari vix possit. E multis porrò illic præclarè actis, hæc mihi dicta sunto in argumentum liberrimæ loquendi fiduciæ, qua diuini honoris tuendi gratia prꝛpollebat aduersus violentos principes.

O vtinã & hodie, hinc suã dignitatem tueretur ecclesia.

Theodoritus.) Ab vxoris morte aliquãtum defluxerat temporis, & ecce quiddam fieri cõtigit, quo suum erga illam amorem perspicuè declarauit. Ærario enim per continentia bella exhausto Imperator adactus tributum insolens ciuitatibus indixit. Id iniquiore animo tulêre Antiocheni. vt hi primùm vidêre eos quibus irrogatũ erat vectigal, crucibus appendi, talia tentarunt, cuiusmodi assolet plebs ad seditionem nata, arrepta vndelibet occasione. Inciſam in æs statuã Placillæ (fuerat enim id nominis Imperatrici) decutiunt, & allisam humo pertrahunt compitatim. Re comperta, ira vti par erat, incandescens Imperator prꝛrogatiuas Antiochenis prærogatas abrogauit, primatúmque contradidit finitimæ ciuitati, ratus id illos grauissimè laturos. Non enim ita pridem Laodicæa principatum inuiderat Antiochensibus. Nec contentus, se incendio traditurum ciuitatem interminabatur ac demoliturum, eámque in vicum deformaturum. Alioqui proceres ciuitatis tanti compertos facinoris prius sustulerant, quàm relatu didicisset Imperator eiusmodi tragœdiam. Et hæc quidem cuncta fieri edixerat Imperator, nihil alioqui eorum affectui datum est, prohibẽte lege quam sciuerat ipse magni illius hortatu Ambrosij, &c.

Sub finẽ 18. cap. lib. 5.

Cap. 19.

Cap. 20.

Idem Theodoritus in Polymorpho, vbi tribus dialogis disputat cõtra quosdam sui temporis hæreticos, dialogo primo citat Ambrosij quædam testimonia cum hac præfatione honorifica: Audio Ambrosium qui Mediolani Archiepiscopalem sedem administrauit, aduersus omnem quidem hæresim se præclarè gessisse: pulcherrima autem scripsisse, & quę cum Apostolorum doctrina conueniunt, &c.

Augustinus libro primo contra Iulianum Pelagianum hoc etiam profert testimonium de Ambrosio: Sed adhuc audi alium excellentem Dei dispensatorẽ, quem veneror vt patrem, in Christo enim Iesu per Euangelium ipse me genuit, & eo Christi ministro lauacrum regenerationis accepi, beatum loquor Ambrosium, cuius pro catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula, siue operibus, siue sermonibus & ipse sum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus, &c.

In Concilio Aquileiensi, cui prꝛfuit Ambrosius, multa eius dicta referuntur quæ protulit contra phanaticas opiniones Palladij & Secundiani Arianæ sectæ hæreticorum. Et primùm in decreto Imperatorum Gratiani, Valentiniani & Theodosij, qui hoc Concilium in Aquileiensium ciuitatem conuenire iusserant, hac commendatione allegatur: Nam quod Ambrosius & vitæ merito & Dei dignatione conspicuus Episcopus Mediolanensium ciuitatis, ibi multitudinem nõ opus esse suggerit, vbi veritas non laboraret in pluribus, si locata esset in paucis: séque eorum, qui contrà adstarent, assertionibus, & sacerdotes vicinarum ex Italia ciuitatum satis abundéque sufficere posse suggerit, abstinendum venerabilium virorum fatigatione censuimus, &c.

Post multas impietates prolatas à Palladio sic condemnatus est à Concilio, cuius sententiam sic protulit Ambrosius: Etsi in multis impietatibus deprehensus sit, erubescimus tamen, vt videatur, qui sacerdotium sibi vendicat, à laïcis esse damnatus. Ac per hoc, quoniam & in hoc ipso damnandus est, qui laïcorum expectat sẽtẽtiam cùm magis de laïcis sacerdotes debeant iudicare, iuxta ea quæ hodie audiuimus Palladium profitentem, & iuxta ea quæ condemnare noluit, pronuntio illum sacerdotio indignum & carendum, & in loco eius catholicus ordinetur.

Basilij Magni epistola ad Ambrosium Mediolanensem Episcopum.

Epistola ordine. 55.

MAgna semper fuere & multa domini nostri dona, quippe quorum neque magnitudinem quis admetiatur, neque adnumeret multitudinem. Vnum proinde est, quod iure debeat inter maxima cẽseri ab iis, quos beneficiorum in se collatorum non ingrata recordatio facilè tangit, nimirum præsens hoc quòd nobis indulsit, longissimo licet locorum situ seiunctos coniungi

iungi posse mutuo literarũ alloquio, imò cognitionis etiam modum duplicem gratuitò nobis impertiuit. Vnum quidem, per domesticum & familiarem congressum: alterum, quo ipsa cõciliatur familiaritas, literarum missitatione. Iam quando per ea quæ locutus es, te cognouimus, & quidem cognouimus* neutiquam ex eo quòd menti nostræ vlla corporis lineamenta notásve impresserimus: magis autem, quia interioris tui hominis elegantiam nos perdocuit variegata sermonum tuorum expressio. Singuli enim quique nostrûm ex abundantia cordis loquimur. Gloriam proinde deo nostro rependimus qui per singulas quasque generationes deligit qui se illi probent ac placeant. Qui olim quidem à gregibus ouium excitauit populo suo principem, & Amos à caprili seuocatum quum sancti sui spiritus gratia præmuniisset, ad propheticam extulit dignitatem: nunc porrò virum ex imperatrice ciuitate profectum (cui princeps authoritas gentis totius moderandæ fuerat concredita) virum inquam, prudentia & grauitate præcelsum, claritudine generis ac vitæ splendore illustrem, virum orandi præstantia non minus ac rebus per vitam præclarè gestis cum primis spectabilem pertraxit ad pastoralem curam gregis Christiani. Qui excussis à se semel præcipuis quibusque vitæ istius bonis, iisque detrimenti loco habitis, vt Christum lucrifaceret, amplissimæ & quaquauersum celebratæ nauis, ecclesiæ nimirum dei moderandę sibi delata gubernacula accepit pro tuenda quæ in Christum est, fide. Agedum igitur tu ô homo dei, quando non ab hominibus quidem accepisti Christi Euangelium aut edoctus es: quin ipse magis dominus ex albo iudicum terræ seuocatum te transcripsit ad hanc apostolicam præsidentiam, decerta mihi bonum certamen. Populi ægritudinem emendato. Si qua fortè lues Arianæ vesaniæ suo illum attigit affl-tu, tu ipsum innoua, priscorum patrum ingressus vestigiis. Tuæ insuper erga nos dilectionis fundamentum quod iecisti, ad absolutam structuram prouehere contendito, assiduitate epistolaris alloquij. Hoc enim pacto ipsi poterimus alter alteri spiritu coniungi quàm longissimo licet interstitio terreni incolatus alter ab altero disiungamur.

*quippe quem ne de facie quidem norat.

pro ποιμνίων legendũ arbitror ποιμένων, vt sit, è pastoribus ouiũ.

E QVARTO FASTORVM F. BAPTISTÆ MANTVANI, carmelitani ordinis Decoris vnici, selectum camen in laudem sanctissimi doctoris Ambrosij.

Quarta dies eius magnum decedere vidit
Ambrosium, magnáque polos conscendere pompa.
Ipse fuit terris iubar omnibus, Vrbem
Quam Mediolanum dicunt, quia conditor eius
Brennus in his agris monstrosum repperit aprum
Vestitum partim seris, & vellere partim.
Seu potius, quòd sit fluuiis inclusa duobus,
Rexit, & abraso fecit squalore nitentem.
Arrius humani generis letale venenum,
Legis in excidium natus, fideique ruinam,
Polluerat gentes, totúmque infecerat orbem,
Præsertim Italiam. Tunc tota insubria fractis
Viribus ægrotans isto in langnore iacebat.
Ambrosius qui tunc erat ex proconsule factus
Pastor, in hanc hydram clana insurrexit & arcu.
Et velut Alcides alius Lernæa fugauit
Toxica, niligenas abigens ab ouilibus Hydros.
Nilus enim tulit hoc monstrum virosius omni
Aspide, saxificæ crudelius ore Medusæ.
Ambrosius verò genus à primatibus vrbis
Traxerat Æneadis, & erat Romana propago.
Augustinus ab hoc sancti vitalia fontis
Sacramenta habuit, fideique exordia rectæ.
Theodosium mundi dominum delubra volentem
Indugredi, vetuit: donec peccata dolendo
Ablueret, tulit æquo animo rex iurgia, tali
Maiestate fuit venerandus & indole pastor.
Quum populus pastore carens venisset in vnum,
Et multa à multis super hoc orata fuissent.
O res mira, Deus qui consulit omnibus æquè,
Venit in infantis linguam, populóque silente
Ambrosium tali dignum clamauit honore.

Difficilè effectum res est sortita, laborem
Hunc illo fugiente: Deus qui cœperat, ipse
Consummauit opus, victúmque in sede locauit.
Vt suscepit onus, mox tanquam mane rubentem
Sol super auroram veniens effulsit, & omnes
Illustrans populos, noctem submouit opacam,
Fœcundauit agros animarum, & semina culto
Sancta solo iaciens collegit in horrea Christi
Frugis in ingentes onus exurgentis aceruos.
In melius sacros ritus, & sancta reduxit
Sacramenta docens populos, documenta nepotes
Illa tenent, & adhuc eius vestigia seruant.
Scripta manent, quæ quanta fuit prudentia in illo,
Significant, lingua quantum pollebat vtraque.
Quum puer in cunis olim dormiret apertis
Fortè labris, examen apum super illius ora
Sidit, & ingrediens buccas tenerúmque labellum
Inuenisse fauis tectum se credidit: At mox
In sublime volans altos discessit in austros.
Hoc pater augurio lætus, si vixeris, inquit,
Chare puer tua te mittet facundia ad astra.
Ipse duos tumuli sedem monstrantibus ipsis
Martyras inuenit fratres, te sancte Protasi
Te pie Geruasi, quibus est post funera tandem
Additus, hoc omni populo rogitante repertor.
Quarta dies Aprilis erat, quæ vidit aperto
Ambrosium supra scandentem sydera cœlo.
Sancte pater qui tanta potes, nos aspice ab alto,
Italiæ pacem, populísque Insubribus ora,
Et placare deum nostro reminiscere seclo.

Finis encomiastici carminis.

Eius, nimirũ Aprilis mẽsis.

Originẽ vnde traxerit Mediolanum.

Ambrosius Romanus gente.

Attende Ambrosii τὸ παῤῥησίαν.

Collatio elegans.

Prodigium.

Inuentio S. Geruasii & Protasii.

Δέησις.

LECTORI S.

NE Lector vnum aliquem librum inquirens cogeretur vniuersos euoluere, cuiusuis sectionis librorum ordinem ac titulos hîc indicauimus, numero columnæ qua quisque habetur adiecto, vt statim inuenire posset quem peteret.

CATALOGVS TOMI PRIMI.

Officiorum libri III. columna 1
De virginibus lib. III. 78
Ad virgines exhortatio. 115
Institutio virginis. 129
Ad virginem deuotam lib. I. 143
Ad virginem lapsam lib. I. 147
De viduis liber I. 153
De pœnitentia lib. II. 168
Exhortatio ad pœnitentiam. 194
De fuga seculi lib. I. 196
De bono mortis lib. I. 212

CATALOGVS TOMI SECVNDI.

De vocatione Gentium lib. II. 233
De fide ad Gratianum lib. V. 271
De spiritu sancto ad eundem lib. III. 358
De fide contra Arianos lib. I. 414
De incarnationis dominicæ sacramẽto lib. I. 424
De mysterio Paschæ lib. I. 439

CATALOGVS TOMI TERTII.

Oratio funebris de obitu Valentiniani Imp. 443
Oratio Funebris de excessu fratris sui Satyri. 454
Oratio secunda de eodem, de fide resurrectionis. 466.
De fide resurrectionis liber nomine Ambrosij. 486.
Oratio funebris de morte Theodosij Imp. 491
Epistolarum numero lxxxv. lib. X. 505
Sermones nonaginta tres. 688

CATALOGVS TOMI QVARTI.

Hexaëmeron lib. VI. col.801
De dignitate humanæ conditionis libellus à quibusdam asscriptus Ambrosio. 896
De paradiso lib. I. 899
De Cain & Abel lib. II. 924
De Noë & arca lib. I. 954
De Abraham patriarcha lib. II. 987
De Isaac & anima lib. I. 1032
De Iacob & vita beata lib. II. 1051
De Ioseph patriarcha lib. I. 1076
De benedictionibus patriarcharum lib. I. 1094
De Nabuthe Iesraëlita lib. I. 1106
De Helia & ieiunio lib. I. 1121
De Thobia lib. I. 1139
De interpellatione lib. III. 1158
Apologiæ Dauid lib. II. 1180
De interpellatione Dauid lib. I. 1215
De Salomone liber I. 1224
De iis qui initiantur mysteriis lib. I. 1229
De sacramentis Ecclesiasticis lib. VI. 1237
De dignitate sacerdotali lib. I. 1257
Precationes ad Missam præparantes II. 1263
Commẽtarij in duodecim psalmos Dauidicos, scilicet I. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. XLIII. XLV. XLVII. XLVIII. & LXI. 1270
Commentarij in Psalmum CXVIII. in XXII. Sermones distincti. 1421

CATALOGVS TOMI QVINTI.

Commentariorum in Euangelium Lucæ lib. X. 1619.

Commentarij in
1. ad Romanos. 1800
2. ad Corinthios. 1879
1. ad Galatas. 1970
1. ad Ephesios. 1993
1. ad Philippenses. 2012
1. ad Colossenses. 2023
2. ad Thessalonicenses. 2037
2. ad Timotheum. 2050
1. ad Titum. 2073
1. ad Philemonem. 2077
1. ad Hebræos. 2079

QVAE SEQVVNTVR SEORSVM erant prius edita.

Expositio in Apocalypsim, per Vascosanum Lutetiæ, anno 1548. col.3015
Expositio in Cantica Canticorum excerpta à Costerio, fuit impressa Louanij. 1558. nunc prodit collecta à D. Demochare. 4046
Orationes aliquot depromptæ ex Archiuis Cartusiæ Parisiensis excusę per Carolam Guillard Lutetiæ anno 1549. 4116
Epistolæ aliquot philosophorum interprete Ambrosio, collectæ à Gilberto Cognato & impressæ per Oporinum Basileæ, anno 1554. col.4133
Hymni aliquot hinc inde collecti & excusi prius per eandem Carolam Guillard Lutetiæ, anno 1549. 4137

QVAE RECENS ADIECTA SVNT ex vetustissimis & calamo descriptis codicibus.

Tractatus de Spiritu sancto. 4143
Tractatus de Concordia Matthæi & Lucæ, de genealogia Christi. 4147
Epistolæ duæ. 4149
De pœnitentia liber I. 4152
Scholia Petri Nãnij in epistolas Ambrosij, primùm impressa Basileæ 1551. 4176
Variæ Lectiones. 4222

CA-

CATALOGVS TOMI PRIMI.

Officiorum Libri III.	Col. 1
De Virginibus libri III.	Col. 78
Ad Virgines exhortatio.	Col. 115
Inſtitutio virginis.	Col. 129
Ad virginem deuotam liber I.	Col. 143
Ad virginem lapſam liber I.	Col. 147
De Viduis liber I.	Col. 153
De pœnitentia libri II.	Col. 168
Exhortatio ad pœnitentiam.	Col. 194
De fuga ſeculi liber I.	Col. 196
De bono mortis liber I.	Col. 212

CAPITA LIBRI PRIMI OFFICIORVM.

Epiſcopi proprium munus docere populum. Caput I.
Tacendo fugimus periculum, & diſcimus rectè dicere. Cap. II.
Taciturnitatem moderandam eſſe, & quòd in ira ſilendum ſit. Cap. III.
Orationem non affectus promat, ſed ratio. Hinc enim inſidias loquenti tendit hoſtis inuiſibilis. Cap. IIII.
Quòd etiam carnales inimicos cũ nos inſtinctu diaboli ad conuitia prouocant, patientia ſuperare debeamus. Cap. V.
Exemplum patientiæ Dauid. Cap. VI.
Quòd pſalmus. 38. non ſolum ſilentij laude, ſed etiam contemptu rerum valde ſit mirabilis. Cap. VII.
Quòd nomen officij non ſolum philoſophis, ſed etiam noſtris vſitatum ſit. Cap. VIII.
Officij diuiſio, & honeſtum atque vtile vnde metiantur Chriſtiani. Cap. IX.
De decoro, & quòd primum officium ſit linguæ moderatio. Cap. X.
Officium omne aut medium aut perfectum eſſe. Cap. XI.
Non externis ſed internis & æternis bonis æſtimatur felicitas. Cap. XII.
Deum, etiam cum non putatur, regere omnia quæ creauit. Cap. XIII.
Deum nihil præterire, & ſcripturarum teſtimoniis, & Solis comprobatur exemplo. Cap. XIIII.
His quibus diſplicet quod bonis male, & malis ſit bene, ſatisfacere debere Lazari & Pauli exempla. Cap. XV.
Commemoratis beatitudinibus de Euang. hic laborem dicit eſſe, mercedem in cœlo. Cap. XVI.
Adoleſcentis officia, & exempla huic ætati propoſita. Cap. XVII.
De bono verecundiæ, quod maxime in ſancta dei eminuit genitrice, & quòd geſtus exterioris hominis perſæpe qualitatem interioris oſtendat. Cap. XVIII.
In omnibus actis viriliter agendum, nec quicquam affectatum aut fœmineum attentandum. Cap. XIX.
Intemperantium hominum conſortia, mulierum quoque commercia vitanda. Cap. XX.
De iracũdia in ſe reprimẽda, & in aliis mitigãda. Cap. XXI.
De cogitationibus & appetitu, & decoro ſermonis in confabulando & in diſceptando. Cap. XXII.
Quòd ioca, quæ philoſophi ponunt inter officia, penitus ab eccleſia ſint remouenda. Cap. XXIII.
De tribus quæ in vita actiua neceſſario ſunt obſeruanda, & quod appetitũ rationi cedere cõueniat. Cap. XXIIII.
Quòd virtutes quatuor principales in patribus noſtris non mediocriter ſint conſummatæ. Cap. XXV.
Quid in veritatis inueſtigatione ſeruandũ ſit. Cap. XXVI.
Quòd virtutes quatuor ita perplexæ ſint, vt ab inuicem ſeparari nequeant. Cap. XXVII.
Primum quòd philoſophi dicunt & ſecundum iuſtitiæ munus, apud nos excludi, tertium verò à noſtris mutuatum. Cap. XXVIII.
Iuſtitiam & fidem hoſtibus etiã exhibẽdam. Cap. XXIX.
De beneficentia. Cap. XXX.
De reddendo beneficio. Cap. XXXI.
Beneuolentiam liberalitate potiorem eſſe. Cap. XXXII.
Beneuolentiam in eccleſia maximè, & earundem virtutum hominibus perſeuerare. Cap. XXXIII.
Laus beneuolentiæ. Cap. XXXIIII.
De fortitudine. Cap. XXXV.
Fortitudinem maxime in animo & contemptu rerum conſtare labentium. Cap. XXXVI.
Mala æquanimiter toleranda, & interdum etiam declinanda. Cap. XXXVII.
Quòd prouidentia magnum munimen fortitudinis ſit. Cap. XXXVIII.
Fortitudinem aduerſus omnia vitia dimicare debere. Cap. XXXIX.
Virtutem bellicam noſtris etiam non inuſitatam. Cap. XL.
Fortitudinem non ſolum in vincendo, ſed etiam plus in tolerando conſtare. Cap. XLI.
Poteſtates non irritandas, & adulationibus non attendendum. Cap. XLII.
De temperantia, & eius partibus. Cap. XLIII.
Officio ſibi congruo quẽq; ſtudere debere. Cap. XLIIII.
De pulchro & honeſto. Cap. XLV.
Quòd pulchra & honeſta ſint naturalia, turpia vero contra naturam. Cap. XLVI.
Quarum paſſionum reſtrictione pulchrum illud poſſit acquiri. Cap. XLVII.
De tribus generibus hominum iniurias accipientium. Cap. XLVIII.
De vanitate calcanda. Cap. XLIX.
Quod officiorum gratia miniſtros altaris maximè deceat. Cap. L.

Diui Ambrosij
EPISCOPI MEDIOLANENSIS
OFFICIORVM LIBER PRIMVS.

Episcopi proprium munus, docere populum. Caput primum.

NON arrogans videri arbitror, si inter filios suscipiam affectum docendi, cum ipse humilitatis magister dixerit: Venite filij, audite me: timorem domini docebo vos. In quo licet & humilitatē verecundiæ eius spectare, & gratiam. Dicendo enim, timorem domini, qui communis videtur esse omnibus, expressit insigne documentum verecundiæ. Et tamen cum ipse timor initium sapientiæ sit, & effector beatitudinis, quoniā timentes deum beati sunt: præceptorem se sapientiæ edocendæ, & demonstratorem beatitudinis adipiscēdæ, * euidenter signi ficauit. Et nos ergo ad imitandam verecūdiam seduli, ad conferendam gratiam non vsurpatores, quæ illi spiritus infudit sapientiæ, ea per illum nobis manifestata, & † vsu comperta atque exemplo, vobis quasi liberis tradimus, cum iam effugere non possimus officium docēdi, quod nobis refugientibus imposuit sacerdotij necessitudo. Dedit enim deus quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò euangelistas, alios autem * pastores & doctores. Non igitur mihi apostolorum gloriam vindico. Quis enim hoc, nisi quos ipse filius elegit dei? Non prophetarum gratiam, non † virtutem euangelistarum, non pastorum circunspectionem, sed tantummodo intentionem & diligētiam circa scripturas diuinas opto assequi, quam vltimam posuit Apostolus inter officia sanctorum, & hanc ipsam, vt docendi studio possim discere. Vnus enim verus magister est, qui solus non didicit quod * omnes doceret. Homines autem discūt prius quod doceant, & ab illo accipiunt quod aliis tradant. Quod ne ipsum quidem mihi accidit. Ego enim raptus † de tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium, docere vos cœpi quod ipse non didici. Itaque factum est vt prius docere inciperem, quàm discere. Discendum igitur mihi simul & docendum est, quoniam non * vacaui ante discere. Et quantumlibet quisque profecerit, nemo est qui doceri non egeat dum viuit.

Psal.33.

* Pudēter.

† visu.

Ephes.4.

* prædicatores.

† vigilantiam.

* per homines.

† à.

* vacauit.

Tacendo fugimus periculum, & discimus recte dicere. Cap. II.

QVid autē præ cæteris debemus discere quàm tacere, vt possimus loqui, ne prius me vox cōdemnet mea, quàm absoluat aliena? Scriptum est enim: Ex verbis tuis cōdemnaberis. Quid opus est igitur vt properes periculum susciperе condemnationis loquēdo, cum tacendo possis esse tutior? Complures vidi loquendo peccatū incidisse, vix quenquam tacēdo. Ideoque tacere nosse quàm loqui, difficilius est. Scio loqui plerosq;, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quenquam, cum sibi loqui nihil prosit. Sapiens est ergo qui nouit tacere. Denique sapientia dei dixit: Dominus dedit mihi linguam eruditionis, vt sciam quādo oporteat sermonem dicere. Meritò ergo sapiens, qui à domino accepit quo tempore sibi loquendum sit. Vnde bene ait scriptura: Homo sapiens tacebit vsque ad tēpus. Ideo sancti domini qui sciebant quia vox hominis plerumque peccati * annuncia est, & initium erroris humani sermo est hominis, amabāt tacere. Denique sanctus domini ait: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquā in lingua mea. Sciebat enim & legerat diuinæ esse protectionis, vt homo à linguæ suæ flagello absconderetur, & à conscientiæ suæ testimonio. Verberamur enim tacito cogitationis nostrę opprobrio, & iudicio conscientiæ: verberamur etiam vocis nostræ verbere, cùm loquimur ea quorum sono cæditur animus noster, & mens consauciatur. Quis enim est qui mundum cor à peccatorum habeat colluuione, aut non delinquat in lingua sua? Et ideo quia neminē sciebat castum

Matth.12.

Esaiæ 50.

Eccles.20.

* peccato adiuncta.

Psal.38.

A os seruare posse ab immunditia sermonis, ipse sibi silentio legem imposuit innocētiæ, vt tacendo culpā declinaret, quam vix effugere posset loquendo. Audiamus ergo cautionis magistrum: Dixi, custodiam vias meas: Hoc est, tacito cogitationis præcepto indixi mihi vt custodirem vias meas. Aliæ sunt viæ quas debemus sequi, aliæ quas custodire. Sequi vias domini, custodire nostras, ne in culpā dirigantur. Potes autem custodire, si non citò loquaris. Lex dicit: Audi Israel dominū deum tuum. Non dicit loquere, sed audi. Ideo Eua lapsa est, quia locuta est viro quod nō audierat à domino deo suo. Prima vox dei dicit tibi: Audi. Si audias, custodis vias tuas: & si lapsus es, citò corrige. In quo enim corrigit iunior viā suam, nisi in custodiendo verba domini? Tace ergo prius, & audi, & non delinques in lingua tua. Graue malum, vt aliquis ore suo condemnetur. Etenim si pro ocioso verbo reddet vnusquisque rationem: quantò magis pro verbo impuritatis & turpitudinis? Grauiora sunt enim verba præcipitationis, quā ociosa. Ergo si pro ocioso verbo ratio poscitur: quantò magis pro sermone impietatis pœna exoluitur?

Psalm.38.

Deuter.6.

Psalm.118.

Matth.12.

B

Taciturnitatem moderandam esse, & quod in ira silendum sit. Caput III.

QVid igitur? Mutos nos esse oportet? Minimè. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Deinde si pro ocioso * verbo reddemus rationem, videamus ne reddamus & pro ocioso silentio. Est enim magnum & negocioſum silentiū, vt erat Susannæ, quę plus egit tacendo, quàm si esset locuta. Tacendo enim apud homines, locuta est deo. Nec vllum maius indiciū suæ castitatis inuenit, quàm silentium. Conscientia loquebatur, vbi vox non audiebatur: nec quærebat pro se hominū iudicium, quæ habebat domini testimonium. Ab illo igitur volebat absolui, quem sciebat nullo modo posse falli. Ipse dominus in euangelio tacens operabatur salutem * hominum. Rectè ergo Dauid non silētium sibi indixit perpetuū, sed custodiam. Custodiamus ergo cor nostrū, custodiamus os nostrum. Vtrunque enim scriptum est hîc, vt os custodiamus. Alibi tibi dicitur: Omni custodia serua cor tuū. Si custodiebat Dauid, tu non custodies? Si immūda labia habebat Esaias, qui dixit: O miser ego, quoniam cōpunctus sum, quia cùm sim homo, & immunda labia habeam: si, inquam, propheta domini immunda habebat labia, quomodo nos munda habemus? Et cui, nisi vnicuique nostrum scriptum est: Sepi possessionem tuam spinis, & aurum & argētum tuum alliga, & ori tuo fac ostium & vectem, & verbis tuis iugum & statera? Possessio tua, mens tua est. Aurū tuum, cor tuum est. Argētum tuum, eloquium tuum est. Eloquia domini, eloquia casta, argētum igne examinatum. Bona etiam possessio, mens bona. Deniq; possessio † preciosa, homo mūdus. Sepi ergo hanc possessionem, & circunuallato cogitationibus, munito * spinis solici tudinum, ne in eam irruant & captiuā ducant irrationabiles corporis passiones, ne incursent motus graues, ne † diripiāt vindemiam eius transeuntes viam. Custodi interiorē hominem tuum. Noli eum quasi vilē negligere ac fastidire, quia preciosa possessio est. Et meritò preciosa, cuius fructus non caducus & temporalis, sed stabilis atq; æternæ salutis est. Cole ergo possessionē tuam, vt sint tibi agri. Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciuiat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis suis coerceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. Alliga sensum tuum, * non sit remissus ac defluus, ne dicatur de te: Non est malagma ponere, † neque oleum, neque alligaturam. Habet suas habenas mentis sobrietas, quibus regitur & gubernatur. Sit ori tuo ostium, vt claudatur vbi oportet: & obseretur diligentius, ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, & contumeliam rependas cōtumeliæ. Audisti hodie lectum: Irascimini, & nolite peccare. Ergo & si irascimur, quia affectus naturæ est, non potestatis: malum sermonem non proferamus de ore nostro, ne in culpam ruamus. Sed iugum sit verbis tuis & statera, hoc est, humilitas atque mensura, vt lingua tua menti subdita sit. Restringatur habenæ vinculis, frænos habeat suos, quibus reuocari possit. Ad mensuram sermones proferat libra examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.

Eccles.3.

* sermone.

Daniel.13.

* omniam.

Prouer.4.

Esaiæ 6.

Eccles.28.

Psal.11.

† bona.

* piis solicitudinibus.

† dissumpant.

* ne.

Esaiæ 1.

† apponere.

Psalm.4.

Orationem non affectus promat, ſed ratio. Hinc enim inſidias loquenti tendit hoſtis inuiſibilis. Cap. IIII.

HÆC ſi cuſtodiat aliquis, fit mitis, manſuetus, modeſtus. Cuſtodiendo enim * os ſuum, retinendo linguam ſuam, nec prius loquendo quàm interroget, & expendat, atque examinet verba ſua, ſi dicendum hoc, ſi dicēdum aduerſus hunc, ſi tempus ſermonis ſit huius, is profectò exercet modeſtiam, ac māſuetudinem, & patientiam: vt non ex indignatione & ira in ſermonem erumpat, non alicuius paſſionis indicium det in verbis ſuis, non ardorem libidinis flammare in ſermone ſuo indicet, & ineſſe dictis ſuis ſtimulos iracundiæ: poſtremò ne ſermo qui commendare interiora debet, vitium aliquod eſſe in moribus aperiat & prodat. Tunc enim maximè inſidiatur aduerſarius, quando videt nobis paſſiones aliquas generari: tunc fomites mouet, laqueos parat. Vnde non immeritò (ſicut au diſtis hodie legi) Propheta dicit: Quia ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Symmachus irritationis verbum dixit, alij perturbationis. Laqueus aduerſarij eſt ſermo noſter, ſed etiam ipſe non minus aduerſarius eſt nobis. Loquimur plerūque quod excipiat inimicus, & quaſi noſtro gladio nos vulneret. Quantò tolerabilius eſt, alieno gladio quàm noſtro perire? Explorat ergo aduerſarius noſtra arma, & cōcutit ſua tela. Si viderit moueri me, inſerit aculeos ſuos, vt ſeminaria iurgiorum excitet. Si emiſero verbum indecorum, laqueum ſuum ſtringit. Interdū mihi quaſi eſcam proponit vindictæ poſſibilitatem, vt dum vindicare cupio, ipſe me inferam laqueo, & nodum mortis aſtringā mihi. Si quis ergo hunc aduerſarium ſentit præſentem eſſe, tunc magis cuſtodiam adhibere debet ori ſuo, ne det locū aduerſario. Sed non multi hunc vident. Sed etiam ille cauendus eſt, qui videri poteſt, quicunque irritat, quicunque incitat, quicunque exaſperat, quicunque incentiua luxuriæ aut libidinis ſuggerit.

* cor.

Pſalm. 90. Symmachus.

Quod etiam carnales inimicos cùm nos inſtinctu diaboli ad conuitia prouocant, patientia ſuperare debeamus. Huius rei exemplum inducitur Dauid laceſſitus à Semei.

Caput V.

QVando ergo aliquis nobis conuiciatur, laceſſit, ad violentiam prouocat, ad iurgium vocat, tunc ſilētium exerceamus, tunc muti fieri non erubeſcamus. Peccator eſt enim qui nos prouocat, qui iniuriam facit, & nos ſimiles ſui fieri deſiderat. Denique ſi taceas, ſi diſſimules, ſolet dicere: Quid taces? Loquere ſi audes. Sed non audes: mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur, victum ſe ſeputat, irriſum, poſthabitum, atque illuſum. Si reſpondeas, ſuperiorem ſe factum arbitratur, quia parem inuenit. Si enim taceas, dicetur: Ille conuiciatus eſt huic, contempſit iſte. Si referas contumeliam, dicetur: Ambo conuiciati ſunt. Vterq; condemnatur, nemo abſoluitur. Ergo illius eſt ſtudium, vt irritet, vt ſimilia illi loquar, ſimilia agam. Iuſti eſt autem diſſimulare, nihil loqui, tenere bonæ fructum conſcientię, plus committere bonorum iudicio, quàm criminantis inſolentiæ, contētum eſſe grauitate morum ſuorum. Hoc eſt enim ſilere à bonis, quia bene ſibi conſcius, falſis non debet moueri, nec æſtimare plus ponderis in alieno eſſe conuitio, quàm in ſuo teſtimonio. Ita fit, vt etiam humilitatem cuſtodiat. Si autem nolit humilior videri, talia tractat, & dicit ipſe ſecum: Hic ergo me contemnat, & in conſpectu meo loquatur talia aduerſum me, quaſi nō poſſim ego ei aperire os meum? Cur non etiam ego dicam, In quibus eum mœſtifica re poſſim? Hic ergo mihi iniurias faciat, quaſi vir non ſim, quaſi vindicare me non poſſim? Hic me criminetur, quaſi ego non poſſim grauiora in eum componere? Qui talia dicit, non eſt mitis atque humilis, non eſt ſine tentatione. Tentator eum exagitat, ipſe ei tales opiniones inſerit. Plerunque adhibet hominem atque apponit nequam ſpiritus qui hæc illi dicat. Sed tu in petra fixum veſtigium tene. Et ſi ſeruus conuitium dicat, iuſtus tacet. Etſi infirmus contumeliam faciat, iuſtus tacet. Et ſi pauper criminetur, iuſtus non reſpondet. Hæc ſunt arma iuſti, vt * cedēdo vincat. Sicut periti iaculandi cedentes ſolent vincere, & fugientes grauioribus ſequentem vulnerare ictibus.

Pſal. 38.

* tacendo.

Exemplum patientiæ Dauid. Caput VI.

QVid enim eſt opus moueri, cùm audimus conuitia? Cur non imitamur dicētem: Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis? An hoc dixit tantummodo, non etiam fecit Dauid? Imò & fecit. Nam cùm ei conuitiaretur Semei filius Gemini, tacebat Dauid: & quamuis ſeptus armatis, non retorquebat conuitium, non vltionem quærebat, eouſque vt dicente ſibi Saruię filio quod vindicare in eum vellet, non permiſerit. Ibat ergo tanquam mutus & humiliatus, ibat tacens: nec mouebatur, cùm vir appellaretur ſanguinis, qui erat conſcius propriæ manſuetudinis. Non ergo mouebatur conuitiis, cui abundabat bonorum operum conſcientia. Itaque is qui citò iniuria mouetur, facit ſe dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior eſt itaque qui contemnit iniuriam, quàm qui dolet. Qui enim contemnit, quaſi non ſentiat, ita deſpicit: qui autem dolet, quaſi ſenſerit torquetur.

Pſalm. 38.

2. Reg. 16.

Quod pſalmus trigeſimuſoctauus non ſolum ſilentij laude, ſed etiam contemptu rerum valde ſit mirabilis.

Caput VII.

NEque improuidè ad vos filios meos ſcribens, huius pſalmi proœmio vſus ſum, quem pſalmum propheta Dauid ſancto Idithum canendum dedit. Ego vobis tenendum ſuadeo, delectatus eius ſenſu profundo & virtute ſentētiarum. Aduertimus enim ex his quæ breuiter libauimus, & ſilendi patientiam, & opportunitatem loquendi, & in poſterioribus contemptum diuitiarum, quę maxima virtutum fundamenta ſunt, hoc pſalmō doceri. Dum igitur hunc pſalmum conſidero, ſucceſſit animo de officiis ſcribere. De quibus etiam ſi quidam philoſophiæ ſtudentes ſcripſerunt, vt Panætius & filius eius apud Græcos, Tullius apud Latinos, non alienum duxi à noſtro munere, vt & ipſe ſcriberem. Et ſicut Tullius ad erudiendum filium, ita ego quoque ad vos informandos filios meos. Neque enim minus vos diligo quos in Euangelio genui, quàm ſi coniugio ſuſcepiſſem. Non enim vehementior eſt natura ad diligēdum, quàm gratia. Plus certè diligere debemus quos perpetuò nobiſcum putamus futuros, quàm quos in hoc tantùm ſeculo. Illi degeneres naſcuntur frequenter, qui dedeceant patrem: vos antè elegimus vt diligamus. Itaque illi neceſſitate diliguntur, quæ non ſatis idonea atque diuturna eſt ad perpetuitatem diligendi magiſtra: vos iudicio, quo magnum charitati pondus ad vim diligendi adiungitur, probare quos diligas, & diligere quos elegeris.

Panætius. Cicero.

Quid nomen officij, non ſolum philoſophis, ſed etiam noſtris vſitatum ſit. Cap. VIII.

ERGO quoniam perſonæ conueniunt, videamus vtrum res ipſa conueniat ſcribere de officiis, & vtrum hoc nomē philoſophorum tantummodo ſcholæ aptum ſit, an etiam in ſcripturis reperiatur diuinis. Pulchrè itaque dum legimus hodie euāgelium (quaſi adhortaretur ad ſcribendum) ſpiritus ſanctus obtulit nobis lectionem, qua confirmaremur etiam in nobis officium dici poſſe. Nam cùm Zacharias ſacerdos obmutuiſſet in templo, & loqui non poſſet, factum eſt, inquit, vt impleti ſunt dies officij eius, abiit in domum ſuam. Legimus igitur officium dici à nobis poſſe. Nec ratio ipſa abhorret, quandoquidem officium ab efficiēdo dictum putamus, quaſi efficium: ſed propter decorem ſermonis vna immutata litera, officium nuncupari. Vel certè, vt ea agas, quæ nulli officiant, proſint omnibus.

Lucæ 1.

Officium vnde.

Officij diuiſio, & honeſtum atque vtile vnde metiantur Chriſtiani. Caput IX.

OFficia autem ab honeſto & vtili duci exiſtimauerunt, & de iis duobus eligere quid præſtet. Deinde incidere vt duo concurrant honeſta, & duo vtilia, & quæratur quid honeſtius, & quid vtilius. Primum igitur in tres partes officium diuiditur, honeſtum & vtile, & quid præſtantius. Deinde hæc tria in quinque genera

nera diuiſerunt:in duo honeſta,& duo vtilia,& eligendi iudicium.Prima igitur pertinere dicunt ad decus honeſtatémque vitæ. Secunda ad vitæ commoda,copias, opes, facultates.De iis eligendi ſubeſſe iudicium.Hæc illi.Nos autem nihil omnino niſi quod deceat & honeſtum ſit, futurorum magis quàm præſentium metimur formula: nihílque vtile, niſi quod ad vitæ illius æternę proſit gratiam definimus,non quod ad delectationem præſentis.Neque aliqua commoda in facultatibus & copiis opum conſtituimus,ſed incommoda hæc putamus,ſi non reiiciantur, eáque oneri magis cùm ſint æſtimari,quàm diſpendio cùm erogantur. Non ſuperfluum igitur ſcriptionis noſtræ eſt opus, quia officium diuerſa æſtimamus regula, atque illi æſtimauerunt. Illi ſeculi commoda in bonis ducunt, nos hæc etiam in detrimentis: quoniam qui hîc recipit bona,vt ille diues,illic cruciatur,&
Luc.16. Lazarus qui mala hîc pertulit, illic conſolationem inuenit. Deinde qui illa non legunt,noſtra legent ſi volent, qui non ſermonum ſupellectilem, neque artem dicendi, ſed ſimplicem rerum exquirunt gratiam.

De decoro,& quod primum officium ſit linguæ moderatio.
Caput X.

DEcorum autem in noſtris ſcripturis primo conſtitui loco (quod Græcè πρέπον dicitur) inſtruimur & docemur, legentes: Te decet hymnus deus in Sion. Vel Græcè σοὶ πρέπει
Pſalm.64. Titum 2. Hebr.2. ὑμνὸς ὁ θεὸς ἐυσεβῶ. Et Apoſtolus ait: Loquere quæ decent ſanam doctrinam. Et alibi: Decebat autem eum per quem omnia, & propter quem omnia, multis filiis in gloriam adductis, ducem ſalutis eorum per paſſionem conſummari.Nunquid prior Panætius,nunquid Ariſtoteles,qui & ipſe diſputauit de officio, quàm Dauid: cùm & ipſe Pythagoras qui legitur Socrate antiquior,
Pythagoras Socrate antiquior. prophetam ſecutus Dauid,legem ſilentij dederit ſuis?Sed ille, vt per quinquennium diſcipulis vſum inhiberet loquendi: Dauid autem non vt naturæ munus imminueret, ſed vt
Pſalm.38. cuſtodiam proferendi ſermonis doceret. Et Pythagoras qui dem, vt non loquendo loqui doceret: Dauid, vt loquendo magis diſceremus loqui. Quomodo enim ſine exercitio doctrina,aut ſine vſu profectus? Qui diſciplinam bellicam vult aſſequi, quotidie exercitatur armis, & tanquam in procinctu poſitus præludit prælium,& velut coram poſito prætendit hoſte:atque ad peritiam viréſque iaculandi, vel ſuos explorat lacertos,vel aduerſariorum declinat ictus,& vigilanti exit obtutu.Qui nauim in mari regere gubernaculis ſtudet, vel remis ducere,prius in fluuio præludit. Qui canendi ſuauitatem & vocis affectant præſtantiam, prius ſenſim canendo vocem excitant.Et qui viribus corporis legitimóque luctandi certamine coronam petunt,quotidiano vſu paleſtræ durantes membra, nutrientes patientiam, laborem aſſueſcunt.Necnon ipſa natura nos in paruulis docet,quòd prius ſonos meditantur loquendi,vt loqui diſcant. Itaque ſonus, exercitatio quędam & palæſtra vocis eſt.Ita ergo qui volunt diſcere cautionem loquendi, quod naturæ eſt non negent, quod cuſtodiæ eſt exerceant: vt qui in ſpecula ſunt, ſpeculando intendant,non dormiendo. Omnis enim res propriis ac domeſticis exercitiis augetur. Ergo Dauid tacebat, non ſemper,ſed pro tempore:non iugiter,neque omnibus,ſed ir
Pſalm.37. ritanti aduerſario, prouocanti peccatori non reſpondebat. Et ſicut alibi ait:Loquentes vanitatem & cogitantes dolum,
Proue.26. non audiebat quaſi ſurdus,& quaſi mutus non aperiebat illis os ſuum. Quia & alibi habes:Noli reſpondere imprudenti ad imprudentiam eius,ne ſimilis illi fias.Primum igitur of
Loquendi modus officium primum. ficium eſt,loquendi modus.Hoc ſacrificium laudis deo dependitur,hoc reuerentia exhibetur,cùm ſcripturæ diuinæ leguntur,hoc honorantur parętes.Scio loqui pleroſque, cùm tacere neſciant.Rarum eſt tacere quenquam, cùm ſibi non proſit loqui.Sapiens vt loquatur,multa prius cõſiderat,quid dicat,aut cui dicat,quo in loco,quo tempore.Eſt ergo & ta-
*in factis. Eccl.3. cendi & loquendi modus.Eſt etiã * facti modus.Pulchrum eſt igitur tenere menſuram officij.

Officium omne,aut medium,aut perfectum eſſe.
Caput XI.

A OFficium autem omne,aut medium,aut perfectum eſt: quod æquè ſcripturarum authoritate probare poſſumus.Habemus etenim in euangelio dixiſſe dominum: Si vis in vitam æ- Matth.19. ternam venire,ſerua mãdata.Dicit ille: Quæ? Ieſus autem dixit illi:Non homicidium facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falſum teſtimonium dices, Honora patrem & matrem, Et diliges proximum tuum ſicut teipſum. Hæc ſunt media officia, quibus aliquid deeſt. Denique dicit illi adoleſcens:Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea,quid adhuc mihi deeſt? Ait illi Ieſus: Si vis perfectus eſſe,vade,vende bona tua,& da pauperibus,& habebis theſaurum in cœlo:& veni ſequere me. Et ſuprà habes ſcri- Matth.5. ptum,vbi diligendos inimicos,& orandum dicit pro calumniantibus & perſequentibus nos,& benedicere maledicentes.Hoc nos facere debemus, ſi volumus perfecti eſſe, ſicut pater noſter qui in cœlo eſt, qui ſuper bonos & malos ſolem ſuum iubet radios ſuos effundere,& pluuia & rore ter-
B ras vniuerſorum ſine vlla diſcretione pingueſcere. Hoc eſt igitur perfectum officium quod κατόρθωμα dixerunt Græci, quo corriguntur omnia, quæ aliquos potuerunt lapſus habere.Bona etiam miſericordia, quæ & ipſa perfectos facit, quia imitatur perfectum patrem. Nihil tam commendat Chriſtianam animam,quàm miſericordia. Primùm in pauperes,vt communes iudices partus naturę,quæ omnibus ad vſum generat fructus terrarum:vt quod habes, largiaris pauperi,& conſortem & cõformem tuum adiuues.Tu numum largiris,ille vitam accipit.Tu pecuniam das, ille ſubſtantiam ſuam æſtimat.Tuus denarius cenſus illius eſt.Ad hæc plus ille tibi confert,cùm ſit debitor ſalutis.Si nudum veſtias,teipſum induis iuſtitiam.Si peregrinum ſub tectum inducas tuum,ſi ſuſcipias egentem, ille tibi acquiret ſanctorum amicitias & æterna tabernacula. Non mediocris iſta gratia. Cor- 1.Cor.9.
poralia ſeminas,& recipis ſpiritualia. Miraris iudicium domini de ſancto Iob? mirare virtutem eius, qui poterat dice- Iob 29.
re:Oculus eram cæcorum,& pes claudorum. Ego eram in-
C firmorum pater, velleribus agnorum meorũ calefacti ſunt humeri eorum. Foris non habitabat peregrinus: oſtium meum omni venienti patebat.Beatus planè, de cuius domo nunquam vacuo ſinu pauper exiuit.Neque enim quiſquam Pſalm.40.
magis beatus, quàm qui intelligit ſuper pauperis neceſſitatem,& infirmi atque inopis ærumnam. In die iudicij habebit ſalutem à domino,quem habebit ſuæ debitorem miſericordiæ.

Non externis, ſed internis & æternis bonis æſtimatur felicitas.
Caput XII.

SEd plerique reuocantur ab officio diſpenſatricis miſericordiæ, dum putant hominis actus non curare dominũ, aut neſcire eum quid in occultis geramus,quid teneat noſtra cõſcientia: aut iudicium eius nequaquã iuſtum videri,quando peccatores diuitiis abundare vident,gaudere honoribus,ſanitate,liberis:contrà autem iuſtos inopes degere, inhonoros, ſine liberis, infirmos corpore, luctu frequenti.
D Nec mediocris ea quæſtio, quandoquidem tres illi reges amici Iob, propterea eum peccatorem pronunciabant, quia inopem factum ex diuite, orbatũ liberis ex fœcundo parente,perfuſum vlceribus,inhorrẽtem vibicibus,exaratum vulneribus à capite vſque ad pedes videbant. Quibus hanc ſanctus Iob proponit aſſertionem: Si ego propter peccata mea hæc patior,cur impij viuunt?Inueterauerunt autem,& in diuitiis ſemen eorum ſecundum voluntatem,filij eorum in oculis,domus eorum abũdant,timor nuſquam,flagellum autem à domino non eſt in ipſis.Hæc vidẽs infirmus corde exagitatur,& ſtudium auertit ſuum.Cuius dicturus ſermones, antè ſanctus præmiſit Iob,dicens:Portate me,ego autem loquar, deinde ridete me. Nam & ſi arguor, quaſi homo arguor. Portate ergo onus ſermonum meorum. Dicturus enim ſum,quod non probo, ſed ad vos redarguendos proferam ſermones iniquos. Aut certè, quia ita eſt verſus. Quid autem?Nunquid ab homine arguor?hoc eſt,homo me non poteſt redarguere, quia peccaui, & ſi argui dignus ſum: quia non ex euidenti culpa me arguitis, ſed ex iniuriis æſti-

matis merita delictorum. Videns ergo infirmus abundare iniuſtos ſucceſſibus proſperis, ſe autem atteri, dicit domino: Diſcede à me, vias tuas ſcire nolo. Quid prodeſt, quia ſeruimus ei? Aut quæ vtilitas, quia occurrimus ipſi? In manibus eorum omnia bona, opera autem impiorum non videt. Laudatur in Platone, quod in Politia ſua poſuit eum, qui contra iuſtitiam diſputandi partes recepiſſet, poſtulare veniam dictorum quæ non probaret, & veri inueniendi atque examinandæ diſputationis gratia, illam ſibi impoſitam perſonam dicere. Quod eouſq; Tullius probauit, vt ipſe in libris quos ſcripſit de Republica, eam ſententiam dicendam putauerit. Quantò antiquior illis Iob, qui hæc primus reperit? Nec eloquentiæ phalerandæ gratia, ſed veritatis probandæ præmittenda æſtimauit. Satímque ipſe quæſtionem enodem reddidit, ſubiiciens, quod extinguatur lucerna impiorum, & futura ſit eorum eæerſio. Non falli deum doctorem ſapientiæ & diſciplinæ, ſed eſſe veritatis iudicem. Et ideo non ſecundum forenſem abundantiam æſtimandam beatitudinem ſingulorum, ſed ſecundum interiorem conſcientiam, quæ innocentium, & flagitioſorum merita diſcernit, vera atque incorrupta pœnarum præmiorúmque arbitra. Moritur innocens in poteſtate ſimplicitatis ſuæ, in abundantia propriæ voluntatis, ſicut adipe repletam animam gerens. At verò peccator quamuis foris abundet, & delitiis diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit, & vltimum diem claudit, nihil ſecum eorum quæ epulatus fuerat referens, bonorum nihil ſecum auferens, niſi precia ſcelerum ſuorum. Hęc cogitans, nega, ſi potes, diuini eſſe iudicij remunerationem. Ille ſuo affectu beatus, hic miſer: ille ſuo iudicio abſolutus, hic reus: ille in exitu lætus, hic mœrens. Cui abſolui poteſt, qui nec ſibi innocens eſt? Dicite, inquit, mihi, vbi eſt protectio tabernaculorum eius? Signum eius non inuenietur. Vita etenim facinoroſi, vt ſomnium. Aperuit oculos, tranſiuit requies eius, euanuit delectatio: licet ipſa quæ videtur etiam
Pſalm. 54. dum viuunt impiorum requies in inferno ſit. Viuētes enim in inferna deſcendunt. Vides conuiuium peccatoris, interroga eius conſcientiam. Nónne grauius omnibus fœtet ſepulchris? Intueris lætitiam eius, & ſalubritatem miraris corporis, filiorum atque opum abundantiam. Introſpice vlcera & vibices animæ eius, cordíſque mœſtitudinem. Nam de opibus quid loquar, cùm legeris: Quia non in abundantia eſt vita eius, cùm ſcias quia & ſi tibi videatur diues, ſibi pauper ſit, & tuum iudicium ſuo refellat? De multitudine quoque filiorum, & de indolentia quid loquar, cùm ſe ipſe lugeat, & ſine hærede futurum iudicet, cùm imitatores ſui ſucceſſores ſuos eſſe nolit? Nulla enim hæreditas peccatoris. Ergo impius ipſe ſibi pœna eſt, iuſtus autem ipſe ſibi gloria. Et vtrique aut bonorum aut malorum operum merces ex ſeipſo ſoluitur.

Deum, etiam cùm non putatur, regere omnia quæ creauit.

Caput XIII.

SED reuertamur ad propoſitum, ne diuiſionem factam præteriiſſe videamur, quia occurrimus opinioni eorum qui videntes ſceleratos quoſque diuites, lætos, honoratos, potentes, cùm plerique iuſtorum egeant, atque infirmi ſint, putant vel nihil deum curare de nobis, vt Epicurei dicunt, vel neſcire actus hominum, vt flagitioſi putant: vel ſi ſcit omnia, iniquum eſſe iudicem, vt bonos egere patiatur, abundare improbos. Nec ſuperfluus velut quidam excurſus fuit, vt opinioni huiuſmodi, ipſorum affectus reſponderet quos beatos iudicant, cùm ipſi ſe miſeros putēt. Arbitratus enim ſum, quòd ipſi ſibi facilius quàm nobis crederint. Quo decurſo, procliuè æſtimo, vt refellam cætera. Et primò eorum aſſertionem, qui deum putāt curam mundi nequaquam habere, ſicut Ariſtoteles aſſerit, vſque ad lunam eius deſcendere prouidentiam. Et quis operator negligat operis ſui curam? Quis deſerat & deſtituat, quod ipſe condendum putauit? Si iniuria eſt regere, nonne eſt maior iniuria feciſſe: cùm aliquid non feciſſe nulla iniuſtitia ſit: non curare quod feceris, ſumma inclementia? Quòd ſi aut deum creatorem ſuum abnegant, aut ferarum & beſtiarum ſe haberi numero cenſent, quid de illis dicamus, qui hac ſe A condemnant iniuria, vt omnia deum ire ipſi aſſerant, & omnia in virtute eius conſiſtere, vim & maieſtatem eius per omnia elementa penetrare, terras, cœlum, maria: & putant iniuriam eius, ſi mentem hominis, qua nihil nobis ipſe pręſtantius dedit, penetret, & diuinæ maieſtatis ingrediatur ſcientia? Sed horum magiſtrum velut ebrium, & voluptatis patronum, ipſi qui putantur ſobrij irrident philoſophi. Nam de Ariſtotelis opinione quid loquar, qui putat deum ſuis contentum eſſe finibus, & præſcripto regni modo degere, vt poetarum loquuntur fabulæ, qui mundum in tres ferunt eſſe diuiſum, vt alij cœlum, alij mare, alij inferna coercenda imperij ſorte obuenerint, eóſque cauere, ne vſurpata alienarum partium ſolicitudine, inter ſe bellum excitent. Similiter ergo aſſerit, quòd terrarum curam non habeat, ſicut maris vel inferni non habet: Et quomodo ipſi excludunt, quos ſequuntur poetas?

Deum nihil præterire & ſcripturarum teſtimoniis, & ſolis comprobatur exemplo, qui licet creatura ſit, tamen vel lumine, vel calore cuncta penetrat.

B *Caput XIIII.*

SEquitur illa reſponſio, vtrum deum, ſi operis ſui cura non præterierit, prætereat ſcientia. Ergo qui plantauit aurem, non audit? qui finxit Pſal. 93.
oculum, non videt, non conſiderat? Non pręteriit hæc vana opinio ſanctos prophetas. Denique Dauid inducit eos loquentes, quos ſuperbia inflatos aſſerit. Quid enim tam ſuperbum, quàm cùm ipſi ſub peccato ſint, alios indignè ferant peccatores viuere, dicentes: Vſquequo peccatores domine, vſquequo peccatores gloriabūtur? Et infrà: Et dixerunt: Non videbit dominus, nec intelli- Ibidem.
get deus Iacob. Quibus reſpondet Propheta, dicens: Intelligite nunc inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem, non audit? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem ſcientiam? Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Qui ea quæ vana ſunt deprehendit, ea quæ facta ſunt neſcit, & ignorat quod ipſe fecit? Poteſt opus ſuū
C ignorare artifex? Homo eſt, & in opere ſuo latentia deprehendit, & deus opus ſuum neſcit? Altius ergo profundum in opere, quàm in authore. Et fecit aliquid quod ſupra ſe eſſet, cuius meritum ignoraret author, cuius affectum neſciret arbiter? Hæc illis. Cæterum nobis ſatis eſt ipſius teſtimonium qui ait: Ego ſum ſcrutās corda & renes. Et in euāgelio quod Hier. 17.
air dominus Ieſus: Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Lucæ 5.
Sciebat enim quòd cogitarent mala. Denique euangeliſta teſtatur, dicens: Sciebat enim Ieſus cogitationes eorum. Quo Lucæ 6.
rum non poterit ſatis mouere opinio, ſi facta eorum conſideremus. Nolūt ſupra ſe eſſe iudicem, quem nihil fallat. Nolunt ei dare occultorum ſcientiam, qui metuunt occulta ſua prodi. Sed etiam dominus ſciens opera eorum, tradidit eos in tenebras. In nocte, inquit, erit fur. Et oculus adulteri ſeruabit tenebras, dicens: Non conſiderabit me oculus, & latibulum perſonæ oppoſuit ſuæ. Omnis enim qui lucem fugit, di- Iob 24.
ligit tenebras, ſtudens latere: cùm deum latere non poſſit, qui intra profundum abyſſi, & intra hominum mentes, non
D ſolum tractata, ſed etiam voluenda cognoſcit. Denique & ille qui dicit in Eccleſiaſtico: Quis videt me? & tenebræ coo- Eccleſ. 23.
periunt me, & parietes, quem vereor? quamuis in lecto ſuo poſitus hæc cogitet, vbi non putauerit comprehenditur. Et erit, inquit, dedecus, quod non intellexerit timorē dei. Quid autem tam ſtolidum quàm putare, quòd deum quicquam prætereat: cùm ſol qui miniſter luminis eſt, etiam abdita penetret, & in fundamenta domus uel ſecreta conclauia vis caloris eius irrumpat? Quis neget verna temperie tepefieri interiora terrarum, quas glacies hiberna cōſtrinxerit? Norunt ergo arborum occulta vim caloris vel frigoris, adeo vt radices arborum aut vrantur frigore, aut fotu ſolis vireſcant. Denique vbi clementia cœli arriſerit, varios terra ſe fundit in fructus. Si igitur radius ſolis fundit lumen ſuum ſuper omnem terram, & in ea quæ clauſa ſunt ſe inſerit, nec vectibus ferreis aut grauium valuarum obicibus, quo minus penetret impeditur: quomodo non poteſt intelligibilis dei ſplendor in cogitationes hominum & corda ſemet (quæ

ipſe

ipſe creauit)inſerere? ſed ea quæ ipſe fecit,non videt, & fecit vt meliora ſint quæ facta ſunt, & potentiora quàm ipſe eſt qui ea fecit, vt poſſint quando volunt cognitionem ſui operatoris latere? Tantam ergo virtutem & poteſtatem inſeruit mentibus noſtris, vt eam comprehendere cum velit ipſe non poſſit?

His quibus diſplicet quòd bonis malè,& malis ſit bene, ſatisfacere debere Lazari & Pauli exempla. Cap. 15.

DVO abſoluimus, & vt arbitramur non incõgruè nobis huiuſmodi cecidit diſputatio. Tertium genus quæſtionis reſidet huiuſmodi: Cur peccatores abundent opibus & diuitiis, epulentur iugiter,ſine mœrore,ſine luctu,iuſti autem egeant,& afficiantur
Lucæ 16. aut coniugum amiſſione,aut liberorum. Quibus ſatisfacere debuit illa euangelij parabola, quòd diues byſſo & purpura induebatur, & epulas copioſas exhibebat quotidie: pauper autem plenus vlceribus de menſa eius colligebat reliquias. Poſt obitum verò vtriuſque,pauper erat in ſinu Abrahæ requiem habens,diues in ſuppliciis. Nónne euidens eſt,meritorum aut præmia aut ſupplicia poſt mortem manere? Et rectè,quia in certamine labor eſt,poſt certamen aliis victoria, aliis ignominia. Nunquid priuſquam curſus conficiatur,pal
2. Tim. 4. ma cuiquam datur,aut defertur corona? Meritò Paulus certamen,inquit,bonum certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: * quod reliquum,repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ,
* in reliquo. quam reddet mihi dominus in illa die,iuſtus iudex. Non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui diligunt aduentum eius. In illa,inquit,die reddet, non hîc. Hîc autem in laboribus,in periculis,in naufragiis, quaſi athleta bonus decerta-
Act. 14. bat: quia ſciebat,quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum dei. Ergo non poteſt quis præmium accipere,niſi legitimè certauerit. Nec eſt glorioſa victoria,niſi vbi fuerint laborioſa certamina.

Commemoratis beatitudinibus de euangelio,hic laborem dicit eſſe, mercedem in cœlo, ponens exemplum athletarum & ſpectatorum. Caput 16.

NOnne iniuſtus eſt,qui antè quærat præmium
Matth. 5. quàm certamen fuerit abſolutum? Ideoque dominus in euangelio ait,Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorũ eſt regnum cœlorum. Nõ dixit,Beati diuites,ſed pauperes. Inde incipit beatitudo iudicio diuino,vbi ærumna æſtimatur huma no. Beati qui eſuriunt, quia ipſi ſaturabuntur. Beati qui lugent,quoniam ipſi conſolationem habebunt. Beati miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur deus. Beati mundo corde, quoniam ipſi deum videbunt. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis,cùm vobis maledicent homines & perſequentur,& dicent omne malum aduerſum vos,propter iuſtitiam. Gaudete,& exultate,quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlo. Futuram,non præſentem:in cœlo,non in terra: mercedem promiſit eſſe reddendam. Quid alibi poſcis, quod alibi debetur? Quid præproperè coronam exigis,antequam vincas? Quid detergere puluerem? quid requieſcere cupis? Quid epulari geſtis antequam ſtadium ſoluatur? Adhuc populus ſpectat, adhuc athletæ in ſtemmate ſunt, & tu iam ocium petis? Sed fortè dicas: Cur impij lætantur? Cur luxuriantur? Cur etiam ipſi non mecum laborant? Quoniam qui non ſubſcripſerint ad coronã,non tenentur ad laborem certaminis. Qui in ſtadium non deſcenderint,non ſe perfun dunt oleo,non obliniunt puluere. Quos manet gloria,expectat iniuria. Vnguentati ſpectare ſolent,non decertare: non ſolem,æſtus,puluerem,imbréſque perpeti. Dicant ergo & ipſis athletæ: Venite,nobiſcum laborate. Sed reſpondebunt ſpectatores: Nos hîc interim de vobis iudicamus,vos autem ſine nobis coronæ(ſi viceritis)gloriam vendicabitis. Iſti igitur qui in delitiis,qui in luxuria,rapinis, quæſtibus, honoribus,ſtudia poſuerunt ſua,ſpectatores magis quàm præliatores ſunt. Habent lucrum laboris, fructum virtutis non habent. Fouent ocium, aſtutia & improbitate aggerant diuitiarum aceruos,ſed exoluẽt(ſeram licet)nequitiæ ſuæ pœnam. Horum requies in inferno,tua verò in cœlo. Horum domus in ſepulchro, tua in paradiſo. Vnde pulchrè, vigilare eos in tumulo Iob dixit: quia ſoporem quietis habere nõ poſſunt, quem ille dormiuit,qui reſurrexit. Noli igitur vt paruulus ſapere,vt paruulus loqui, vt paruulus cogitare, vt paruulus * vendicare ea quæ ſunt poſterioris ætatis. Perfectorum eſt corona. Expecta,vt veniat quod perfectum eſt,quando non per ſpeciem & in ænigmate,ſed facie ad faciem formam ipſam redopertæ veritatis poſſis cognoſcere. Tunc qua cauſa ille diues fuerit,qui erat improbus & raptor alieni,qua cauſa potens alius,qua cauſa ille abundauerit liberis, ille fultus honoribus: reuelabitur. Fortaſſe vt dicatur raptori, diues eras,qua cauſa aliena rapiebas? Egeſtas non compulit, inopia non coegit. Nónne ideo te diuitem feci,vt excuſationem habere non poſſis. Dicatur etiam potenti: Cur non affuiſti viduæ,orphanis quoque iniuriam patientibus? Nunquid tu infirmus eras? Nũquid non poteras ſubuenire? Ideo te feci potentem, vt non inferres violentiam, ſed repelleres. Nónne Eccleſ. 4. tibi ſcriptum eſt: Eripe iniuriam patientem? Nónne tibi ſcri Pſal. 81. ptum eſt: Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate? Dicatur etiam abundanti liberis: Honoribus cumulaui te: ſalubritatem corporis conceſſi tibi,cur non ſecutus es præcepta mea? Famule meus quid feci tibi, aut quid contriſtaui te? Nónne ego tibi liberos dedi, honores contu- Mich. 6. li,ſalutem donaui? Cur me negabas? Cur æſtimabas quòd ad ſcientiam meam quæ gereres non peruenirent? Cur tenebas dona mea,diſpiciebas mandata mea? Denique de Iuda proditore hæc colligere licet, qui & apoſtolus inter duodecim electus eſt, & loculos pecuniarum, quas pauperibus erogaret,commiſſos habebat, ne videretur, aut quaſi inhonorus, aut quaſi egenus dominum prodidiſſe. Et ideo vt iuſtificaretur in eo dominus,hæc ei contulit,vt non quaſi iniuria exaſperatus,ſed quaſi præuaricatus gratiam,maiori eſſet offenſæ obnoxius.

Adoleſcentis officia & exempla huic ætati propoſita. Caput 17.

DVoniam igitur & pœnam improbitati,& virtuti fore præmium, ſatis claruit: de officiis aggrediamur dicere,quæ nobis ab adoleſcentia ſpectanda ſunt,vt cùm ætate accreſcant ſimul ſtudia bonorum actuum. Eſt igitur bonorum adoleſcentium timorem dei habere,deferre parentibus honorem,habere ſenioribus reuerentiam,caſtitatem tueri,non aſpernari humilitatem,diligere clementiam ac verecundiam, quæ ornamento ſunt minori ætati. Vt enim in ſenibus grauitas, in iuuenibus alacritas,ita in adoleſcentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturæ. Erat Iſaac deum timens, vtpote Abrahæ indoles, honorem deferens patri vſque eo, vt aduerſus paternam voluntatem nec mortem recuſaret. Ioſeph quoque cùm ſomniaſſet quod ſol & luna & ſtellę adorarent Gene. 22. eum,ſedulum tamen obſequium deferebat patri: caſtus ita Gene. 37. vt ne ſermonem quidem audire vellet niſi pudicum: humilis vſque ad ſeruitutem,verecundus vſque ad fugam,patiens vſque ad carcerem, remiſſor iniurię vſque ad remunerationem. Cuius tanta verecundia fuit,vt comprehenſus à muliere,veſtem in manibus eius fugiens mallet relinquere,quàm verecundiam deponere. Moyſes quoque & Hieremias ele- Gene 39. cti à domino,vt oracula dei prædicarent populo,quod poterant per gratiam,excuſabant per verecundiam.

De bono verecundiæ,quod maximè in ſancta dei eminuit genitrice, & quod geſtus exterioris hominis perſæpe qualitatem interioris oſtendat. Caput 18.

PVlchra igitur virtus verecũdię,& ſuauis gratia,quę non ſolùm in factis,ſed etiam in ipſis ſpectatur ſermonibus,ne modum progredia ris loquendi, ne quid indecorum ſermo reſonet tuus. Speculum enim mentis, plerunque in verbis refulget. Ipſum vocis ſonum libret modeſtia, ne cuiuſquam offendat aurem vox fortior. Denique in ipſo canendi genere, prima diſciplina verecundia eſt, imò etiam in omni vſu loquendi, vt ſenſim quis aut pſallere,aut canere,aut poſtremò loqui incipiat,vt verecunda principia commendent proceſſum. Silentium quoque ipſum in quo eſt reliquarum virtutũ ocium, maximus actus

verecundiæ est. Denique si aut infantiæ putatur, aut superbiæ, probro datur: si verecundiæ, laudi ducitur. Tacebat in periculis Susanna, & grauius verecundiæ, quàm vitæ damnum esse putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutē. Deo soli loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui: refugiebat ora intueri virorum. Est enim & in oculis verecundia, vt nec videre viros fœmina, nec videri velit. Neque verò quisquam solius hanc laudem castitatis putet. Est enim verecundia pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim regendæ castitatis pudor est comes: qui si se prætendat ad ea quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat. Hic primus in ipso cognitionis ingressu domini matrem commendat legentibus, & tanquam testis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur,
Lucæ 1. astruit, quòd in cubiculo, quòd sola, quòd salutata ab angelo tacet, & mota est in introitu eius, quòd ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus virginis. Itaque quamuis esset humilis, præ verecundia, tamen non resalutauit, nec vllum responsum retulit, nisi vbi de suscipienda domini ge- B
neratione cognouit, vt qualitatem effectus disceret, non vt sermonem refelleret. In ipsa quoq; oratione nostra multùm verecundia placet, multùm conciliat gratiæ apud deum nos-
Luc. 18. strū. Nónne hæc prætulit publicanum, & cōmendauit eum qui nec oculos audebat ad cœlum leuare? Ideo iustificatur magis domini iudicio, quàm ille pharisæus, quem deformauit præsumptio. Ideóque oremus in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante deum locuples, vt ait Petrus.
1. Petri 3. Magna igitur modestia, quæ cùm sit etiā sui iuris remissior, nihil sibi vsurpans, nihil vindicans, & quodammodo intra vires suas contractior, diues est apud deū, apud quem nemo diues. Diues est modestia, quia portio dei est. Paulus quoq; orationem deferri præcepit cum verecundia & sobrietate. Primam hanc & quasi præuiam vult esse orationis futurę, vt non glorietur peccatoris oratio, sed quasi colore pudoris obducta, quò plus defert verecundiæ de recordatione delicti,
Tullius, li. 1. de offic. decori. eò vberiorem mereatur gratiam. Est etiam in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecūdia. Habitus enim mentis, in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, C
* Stupidior. aut leuior, aut iactantior, aut * turbidior: aut contra grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus. Meministis filij quēdam amicum cùm sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum à me non receptum, quod gestus eius plurimum dedeceret. Alterum quoque cùm in clero repe-
† iussisse. rissem, † iubere me ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idque dixi, cùm redderetur post offensam muneri. Hoc solum excepi, nec fefellit sententia. Vterque enim ab ecclesia recessit, vt qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arianę infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniæ studio, ne iudicium subiret, sacerdotem se nostrum negauit. Lucebat in illorum incessu imago leuitatis, species quædam scurrarum percursantium. Sunt etiam qui sensim ambulādo imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pōparum, & statuarum motus nutan D
tium, vt quotiensc unq; gradum transferunt, modulos quosdam seruare videantur. Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cū causa exigit alicuius periculi, vel iusta necessitas. Nam plerunque festinantes anhelos videmus torquere ora, quibus si causa desit festinationis necessariæ, næuus iustæ offensionis est. Sed non de his dico, quibus rara properatio ex causa nascitur, sed quibus iugis & continua in naturam vertitur: nec in illis ego tanquam simulachrorum effigies probo, nec in istis tāquam excussorum ruinas. Est etiam
* ne. gressus probabilis, in quo sit species authoritatis, grauitatisque pondus, trāquillitatis vestigium, ita tamen * si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex (nihil enim fucatum placet) motum natura informet. Si quid sanè in natura vitij est, industria emendet, vt ars desit, non desit correctio. Quod si etiam ista spectantur altiùs, quantò magis cauendum est, ne quid turpe ore exeat. Hoc enim grauiMatth. 15. ter coinquinat hominem. Non enim cibus inquinat hominem, sed iniusta obtrectatio, sed verborum obscœnitas. Hęc A etiam vulgo pudori sunt: In nostro verò officio, nullum verbum quòd inhonestè cadat, non incutit verecūdiam. Et non solùm nihil ipsi indecorum loqui, sed ne aurem quidem debemus huiusmodi prębere dictis: sicut Ioseph ne incongrua Genes. 8.
suæ audiret verecundiæ, veste fugit relicta: quoniam quem delectat audire, alterum loqui prouocat. Intelligere quoque quod turpe sit, pudori maximo est. Spectare verò si quid huiusmodi fortuito accidat, quanti horroris est? Quod ergo in aliis displicet, nunquid potest in seipso placere? Hæc ipsa natura nos docet, quæ perfectè quidem omnes partes nostri corporis explicauit, vt & necessitati consuleret, & gratiam venustaret. Sed tamen eas quæ decoræ aspectu forent, in quibus formæ apex quasi in arce quadam locatus, & figuræ suauitas, & vultus species emineret, operandique vsus esset paratior, obuias atque apertas reliquit. Eas verò in quibus esset naturalis obsequium necessitatis, ne deformè sui præberent
* commendauit. spectaculum, partim tanquam in ipso * emendauit atque abscondit corpore, partim docuit & suasit tegendas. Nónne igitur ipsa natura est magistra verecundiæ? Cuius exemplo modestia hominum (quam à modo scientiæ quid deceret appellatam arbitror) id quod in hac nostri corporis fabrica abditum reperit, operuit & texit, vt ostium illud tegebatur, quod ex transuerso faciendum in arca illa Noe iu- Genes. 39.
sto dictum est, in qua vel ecclesiæ, vel nostri figura est corporis, per quod ostium egeruntur reliquiæ ciborum. Ergo naturæ opifex, sic nostrę studuit verecundiæ, sic decorum illud & honestum in nostro custodiuit corpore, vt velut ductus quosdam aquę, exitus cuniculorum nostrorum post tergum relegaret, atq; ab aspectu nostro auerteret, ne purgatio ventris † visum oculorum offenderet. De quo pulchrè Apostolus ait: Quæ videntur, inquit, membra corporis infirmiora, † visum. 1. Cor. 12.
necessariora sunt. Et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his abūdantiorem honorem circundamus, & quæ inhonesta sunt nostra, honestatem abundantiorem habent. Etenim imitatione naturæ industria auxit gratiam. Quod alio loco etiam altius interpretati sumus, vt non solum abscondamus ab oculis, verum etiam quæ abscondenda accepimus, eorum indicia vsúsque membrorum suis appellationibus nuncupare indecorum putemus. Denique si casu aperiantur hæ partes, confunditur verecundia: si studio, impu-
Gen. 9. dentia æstimatur. Vnde & filius Noe Cham offensam retulit, quia nudatum videns patrem risit. Qui autem operuerunt patrem, acceperūt benedictionis gratiam. Ex quo mos vetus & in vrbe Roma, & in plerisque ciuitatibus fuit, vt filij cum parentibus puberes, vel generi non lauarent, ne paternæ reuerentiæ authoritas minueretur: licet plerique se & in lauacro quantum possunt tegant, ne vel illic vbi nudum totum est corpus, huiusmodi intecta portio sit. Sacerdotes
Exod. 28. quoque veteri more, sicut in Exodo legimus, brachas accipiebant, sicut ad Mosen dictum est à domino: Et facies illis brachas lineas, vt tegatur turpitudo pudoris, à lumbis vsque ad femora erunt, & habebit eas Aaron & filij eius, cum intrabunt in tabernaculum testimonij, & cum accedent sacrificare ad aram sancti, & non inducent super se peccatum, ne moriantur. Quod nonnulli nostrorum seruare adhuc ferun tur, plerique spiritali interpretatione ad cautionem verecun diæ, & custodiam castitatis dictum arbitrantur.

In omnibus actis viriliter agendum, ne quicquam affectatum aut fœmineum attentandum. Cap. 19.

DElectauit me diutiùs in partibus demorari verecundiæ, quia ad vos loquebar, qui aut bona eius ex vobis recognoscitis, aut damna ignoratis. Quæ cùm sit omnibus ætatibus, personis, temporibus & locis apta, tamen adolescentes, iuuenilésque annos maximè decet. In omni autem seruādum ætate, vt deceat quod
Tullius, li. 1. de officio decori. agas, & conueniat, & quadret sibi ordo vitæ tuæ. Vnde Tullius etiam ordinem putat in illo decoro seruari oportere, idque positum dicit, in formositate, ordine, ornatu, ad actionem apto. Quæ difficile ait loquendo explicari posse, & ideo satis esse intelligi. Formositatem autem cur posuerit, non satis intelligo, quanuis ille etiam vires corporis laudet: nos certè in pulchritudine corporis locum virtutis non ponimus,

mus,gratiam tamen non excludimus,quia verecũdia & vultus ipſos ſolet pudore perfundere, gratioréſque reddere. Vt enim artifex in materia commodiore melius operari ſolet, ſic verecundia in ipſo quoque corporis decore plus eminet, ita tamen,vt etiam ipſe non ſit affectatus decor corporis,ſed naturalis,ſimplex,neglectus magis quàm expetitus,non pre
* indutus. cioſis & albentibus * adiutus veſtimentis , ſed communibus,vt honeſtati vel neceſſitati nihil deſit, nihil accedat nitori. Vox ipſa non remiſſa, non fracta , nihil fœmineum ſonans , qualem multi grauitatis ſpecie ſimulare conſuerunt, ſed formam quandam & regulam ac ſuccum virilem reſeruans.Hoc eſt enim pulchritudinem viuendi tenere, conuenientia cuique ſexui & perſonæ reddere.Hic ordo geſtorum optimus , hic ornatus ad omnem actionem accommodus. Sed vt molliculum & infractũ,aut vocis ſonum,aut geſtum corporis non probo,ita neque agreſtem ac ruſticum.Naturam imitemur.Eius effigies,formula diſciplinæ,forma honeſtatis eſt.

Intemperantium hominum conſortia,mulierum quoque commercia vitanda. Cap. 20.

HAbet ſanè ſuos ſcopulos verecũdia,non quos ipſa inuehit, ſed quos ſæpe incurrit, ſi intemperantium incidamus conſortia, qui ſub ſpecie iocunditatis venenum infundunt bonis: hi ſi aſidui ſint,& maximè in conuiuio, ludo, ac ioco,eneruant grauitatem illam virilem . Caueamus itaque ne dum relaxare animum volumus , ſoluamus omnem harmoniam,quaſi concẽtum quendam bonorum operum. Vſus enim citò inflectit naturam.Vnde quod prudenter facitis conuenire Eccleſiaſticis, & maximè miniſtrorum officiis arbitror,declinare extraneorum conuiuia,vel vt ipſi hoſpitales ſitis peregrinantibus,vel vt ea cautione nullus ſit op probrio locus . Conuiuia quippe extraneorum occupationes habent,tum etiam epulandi produnt cupiditatem.Surrepunt etiam fabulæ frequenter de ſeculo ac voluptatibus, claudere aures non potes:prohibere,putatur ſuperbiæ: ſurrepunt etiam præter voluntatem pocula.Melius eſt tuæ domui ſemel excuſes , quàm alienæ frequenter : & vt ipſe ſobrius ſurgas,tamen ex aliena inſolentia condemnari non debet præſentia tua.Viduarum ac virginum domos,niſi viſitãdi gratia,iuniores adire nõ eſt opus: Et hoc cum ſenioribus, hoc eſt,vel cum Epiſcopo , vel ſi grauior eſt cauſa cum preſbyteris.Quid neceſſe eſt,vt demus obtrectandi locum ſeculares?Quid opus eſt,vt illæ quoque viſitationes crebræ accipiant authoritatem? Quid ſi aliqua illarum fortè labatur? Cur alieni lapſus ſubeas inuidiam?Quàm multos etiam fortes illecebra decepit ? Quanti non dederunt errori locum, & dederunt ſuſpicioni? Cur non illa tempora quibus ab eccleſia vacas,lectioni impendas ? Cur non Chriſtum reuiſas, Chriſtum alloquaris , Chriſtum audias ? Illum alloquimur cùm oramus, illum audimus , cùm diuina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Vna eſt domus,quæ omnes capit.Illi potius ad nos veniant,qui nos requirunt.Quid nobis cum fabulis?Miniſterium altaribus Chriſti,non obſequium hominibus deferendum recepimus.Humiles nos eſſe decet,mites,manſuetos,graues, patientes,modum tenere in omnibus,vt nullũ vitium eſſe in moribus, vel tacitus vultus,vel ſermo annunciet.

De iracundia in ſe reprimenda,& in aliis mitiganda. Caput 21.

CAueatur iracundia: aut ſi præcaueri non poteſt, cohibeatur . Mala enim lex peccati indignatio eſt,quę ita animum perturbat,vt rationi non relinquat locum.Primùm eſt igitur, ſi fieri poteſt, vt morum tranquillitas vſu quodam affectionis propoſito in naturam vertatur.Deinde quoniam ita plerunque motus infixus eſt naturæ ac moribus, vt euelli atque * euitari non
† euinci. queat: ſi præuideri potuerit, ratione reprimatur . Aut ſi prius occupatus fuerit animus ab indignatione , quàm conſilio proſpici ac prouideri potuerit, ne occuparetur : meditare quomodo motum animi tui vincas , iracundiam temperes.Reſiſte iræ ſi potes,cede ſi non potes: quia ſcriptum eſt:
Rom.12. Date locum iræ.Iacob fratri indignanti piè ceſſit,& Rebeccæ,id eſt,patientiæ inſtructus conſilio abeſſe maluit & peregrinari,quàm excitare fratris indignationem,& tunc redire, cùm fratrem mitigatum putaret.Et ideo tantam apud deum inuenit gratiam.Quibus deinde obſequiis,quantis muneribus fratrem ipſum reconciliauit ſibi , vt ille præreptæ benedictionis non meminiſſet, meminiſſet delatæ ſatisfactionis. Ergo ſi præuenerit & præoccupauerit mẽtem tuam iracundia,& aſcenderit in te, non relinquas locum tuum . Locus tuus patientia eſt , locus tuus ſapientia eſt , locus tuus ratio eſt,locus tuus ſedatio indignationis eſt . Aut ſi te contumacia reſpondentis mouerit , & peruerſitas impulerit ad indignationem:ſi non potueris mitigare mentem , reprime linguam tuam.Sic enim ſcriptum eſt: Cohibe linguam tuam à Pſal.33.
malo,& labia tua ne loquantur dolum . Deinde inquire pacem,& ſequere eam.Pacem illam ſancti Iacob vide,qua primum ſedato animum.Si non præualueris,frænos linguæ impone tuæ : deinde reconciliationis ſtudium non prætermittas.Hæc oratores ſeculi de noſtris vſurpata in ſuis poſuere libris.Sed ille ſenſus huius habet gratiam,qui prior dixit: Vitemus ergo aut temperemus iracundiam , ne ſit eius aut in laudibus exceptio, aut in vitiis exaggeratio . Non mediocre eſt , mitigare iracundiam , non inferius quàm omnino non commoueri.Hoc noſtrũ eſt,naturæ illud.Illæ denique commotiones in pueris innoxiæ ſunt , quæ plus habent gratiæ, quàm amaritudinis.Et ſi citò pueri inter ſe mouentur, facilè ſedantur,& maiori ſuauitate in ſe recurrũt.Neſciunt ſe ſubdolè artificioſéque tractare.Nolite hos contemnere pueros, de quibus dominus ait:Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini Matth.18.
ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Itaque & ipſe dominus,hoc eſt,dei virtus , ſicut puer cùm maledice- 1.Pet.2.
retur,non remaledixit:cùm percuteretur,non repercuſſit.Ita ergo te compara, vt quaſi puer iniuriam non teneas , maliciam non exerceas , omnia à te innocenter proficiſcantur. Non conſideres quid ab aliis in te referatur locum tuum ſerua,ſimplicitatem & puritatem tui pectoris cuſtodi.Noli reſpondere irato ad iracundiam eius, * ſiue imprudenti ad im * ſicut
prudentiam eius . Citò culpa culpam excutit . Si lapides teras,nónne ignis erumpit? Ferunt Gentiles , vt in maius omnia verbis extollere ſolent, Archytæ Tarentini dictum philoſophi,quod ad villicum ſuum dixerit: O te infelicem, quàm te afflictarem niſi iratus eſſem. Sed etiam Dauid , & armata- 1.Reg.25.
tam dexteram in indignatione compreſſerat.Et quantò plus eſt non remaledicere,quàm non vindicare?Et bellatores aduerſus Nabal ad vltionem paratos,Abigail deprecatione reuocauerat.Vnde aduertimus , tempeſtiuis quoque interceſſionibus non ſolùm cedere nos, ſed etiam delectari oportere.Eouſque autẽ delectatus eſt,vt benediceret interuenienti, quod ab ſtudio vindictæ reuocatus foret . Iam dixerat de inimicis ſuis: Quoniam declinauerunt in me iniquitates, Pſalm.54.
& in ira moleſti erant mihi. Audiamus turbatus in ira quid dixerit:Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ,& volabo & requieſcam ? Illi ergo ad iracundiam prouocabant,hic tranquillitatem eligebat.Iam dixerat:Iraſcimini & nolite pecca- Pſalm.4.
re.Moralis magiſter,qui naturalem affectum inflectendum magis ratione doctrinæ,quàm extirpandum nouerat,moralia docet. Hoc eſt:Iraſcimini vbi culpa eſt , cui iraſci debeatis.Non poteſt enim fieri,vt non rerum indignitate moueamur:alioquin non virtus,ſed † lenitudo & remiſſio iudicatur.Iraſcimini ergo ita,vt à culpa abſtineatis.Vel ſic: Si iraſcimini,nolite peccare, ſed vincite ratione iracundiam . Vel certè ſic:Si iraſcimini,vobis iraſcimini, quia commoti eſtis, & non peccabitis.Qui enim ſibi iraſcitur, quia citò commotus eſt,deſinit iraſci alteri.Qui autem vult iram ſuam iuſtam probare, plus inflammatur ; & citò in culpam cadit. Melior eſt autem ſecundum Salomonem,qui iracundiam continet, Prouer.16.
quàm qui vrbem capit,quia ira etiam fortes decipit. Cauere igitur debem⁹,ne in perturbationes prius incidamus, quàm animos noſtros ratio componat. Exanimat enim mentem plerunque aut ira,aut dolor,aut formido mortis , & improuiſo percellit ictu . Ideo præuenire pulchrum eſt cogitatione, quæ voluendo mentem exerceat , ne repentinis excitetur commotionibus , ſed iugo quodam rationis & habenis conſtricta miteſcat.

† lẽtitudo.

De cogitationibus, & appetitu, & decoro sermonis in confabulando, & in disceptando. Caput 22.

SVnt autem gemini motus, hoc est, cogitationum & appetitus, alteri cogitationum, alteri appetitus, non cõfusi, sed discreti & dispares. Cogitationes verum exquirere, & quasi emolere muneris habent: appetitus ad aliquid impellit agẽdum atque excitat. Itaque ipso genere naturæ suæ, & cogitationes tranquillitatem sedationis infundunt, & appetitus motum agendi excutit. Ita ergo informati simus, vt bonarum rerum subeat animum cogitatio: appetitus autem rationi obtemperet (si verè vt illud decorum custodiamus, animum volumus intendere) ne rationem excludat rei alicuius affectus, sed ratio quid honestati conueniat, examinet. Et quoniam ad conseruationem decori spectare diximus, vt sciamus in factis dictisve quis modus, prior autem ordo loquendi quàm faciendi est, sermo in duo diuiditur, in colloquium familiare, & in tractatum disceptationémque fidei atque iustitiæ. In vtroque seruandum ne sit aliqua perturbatio, sed tanquam mitis & placidus, & beneuolentiæ plenus & gratiæ, sine vlla sermo ducatur contumelia. Absit pertinax in familiari sermone contentio: quæstiones enim magis excitare inanes, quàm vtilitatis aliquid afferre solet. Disceptatio sine ira, suauitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione. Et sicut in omni actu vitæ id cauere debemus, ne rationem nimius animi motus excludat, sed teneamus consilij locum: ita etiam in sermone formulam eam tenere cõuenit, ne aut ira excitetur, aut odium, aut cupiditatis nostræ, aut ignauiæ aliqua exprimamus indicia. Sit igitur sermo huiusmodi de scripturis maximè. Quid enim magis nos oportet loqui, quàm de conuersatione optima, adhortatione obseruationis, disciplinaque custodia? Habeat caput eius rationem, & finis modum. Sermo enim tædiosus iras excitat. Quàm verò indecorũ, vt cùm omnis confabulatio habere soleat incremẽtum gratiæ, habeat næuum offensionis. Tractatus quoque de doctrina fidei, de magisterio continentiæ, de disceptatione iustitiæ, de hortatione diligentiæ, non vnus semper, sed vt se dederit lectio, nobis & arripiendus est, & prout possumus prosequendus: neque nimium prolixus, neque citò interruptus, ne vel fastidium derelinquat, vel desidiam prodat atque incuriam. Oratio sit pura, simplex, dilucida, atq; manifesta, plena grauitatis & ponderis, non affectata elegantia, sed non intermissa gratia.

Quod ioca quæ philosophi ponunt inter officia, penitus ab ecclesia sint remouenda. Caput 23.

MVlta præterea de ratione dicendi dant præcepta seculares viri, quę nobis prætereunda arbitror, vt de iocandi disciplina. Nam licet interdum honesta ioca ac suauia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula: quoniam quæ in scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum vsurpare possumus? Cauendum est etiam in fabulis, ne inflectant grauitatem seuerioris propositi. Lucæ 6. Væ vobis qui ridetis, quia flebitis, ait dominus: & nos ridendi materiam requirimus, vt hîc ridentes: illic fleamus? Non solum profusos, sed omnes etiam iocos declinãdos arbitror, plenum tamen suauitatis & gratiæ sermonẽ esse non indecorum. Nam de voce quid loquar, quam simplicem & puram esse satis arbitror? Canorã autem esse, naturæ est, non industriæ. Sit sanè distincta pronunciationis modo, & plena succi virilis, vt aggrestem ac subrusticum fugiat sonum, non * sonet. vt rithmum affectet scenicum, sed mysticum * seruet.

De tribus quæ in vita actiua necessario sunt obseruanda, & quod appetitum rationi cedere conueniat. Cap. 24.

DE ratione dicendi satis dictũ puto, nunc de actione vitæ quid congruat cõsideremus. Tria autem in hoc genere spectanda cernimus. Vnum, vt rationi appetitus non reluctetur. Hoc enim solum modo possunt officia nostra illi decoro conuenire. Si enim appetitus rationi obediat, facilè id quod deceat in omnibus officiis cõseruari potest. Deinde ne maiore studio quàm res ipsa est quæ suscipitur, vel minore, aut paruam magno ambitu suscepisse, aut magnam inferiore destituisse videamur. Tertium de moderatione studiorum, operúmque nostrorum. De ordine quoque rerum, & de opportunitate temporum, non dissimulandum puto. Sed primum illud quasi fundamentum est omnium, vt appetitus rationi pareat. Secundum & tertium, idem est, hoc est, in vtroque moderatio. Vacat enim apud nos speciei liberalitas, quæ pulchritudo habetur, & dignitatis cõtemplatio. Sequitur de ordine rerum, & de opportunitate temporum. Ac per hoc tria sunt, quæ videamus, vtrum in aliquo sanctorum consummata possimus docere. Primùm igitur ipse pater Abraham, qui ad magisterium futuræ successionis informatus & instructus est, iussus exire de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, nónne multiplicitate necessitudinis perstrictus affectu, tamen appetitum rationi obedientem præbuit? Quem enim terræ suæ, cognationis, domus quoque propriæ gratia, non delectaret: Et hunc ergo mulcebat suorum suauitas, sed imperij cœlestis & remunerationis æternæ cõsideratio mouebat amplius. Nónne considerabat vxorem imbecillem ad labores, teneram ad iniurias, decoram ad incentiua insolentium, sine summo non posse duci periculo? Et tamen subire omnia, quàm excusare consultiùs diiudicauit. Deinde cum descenderet in Ægyptum, monuit, vt diceret se sororem esse, non vxorem ipsius. Aduerte quanti appetitus. Timebat vxoris pudori, timebat propriæ saluti, suspectas habebat Ægyptiorum libidines, & tamen prævaluit apud eum ratio exequendæ deuotionis. Consideranit enim quòd dei fauore vbique tutus esse posset: offenso autem domino, etiam domi non posset illæsus manere. Vicit igitur appetitum ratio, & obedientem sibi præstitit. Capto nepote, non perterritus, neque tot regum turbatus populis, bellum repetiit: victoria potitus, prædæ partem cuius ipse fuit author, recusauit. Promisso quoque sibi filio, cùm consideraret emortui corporis sui vires depositas, sterilitatem coniugis, & supremam senectutem: etiam contra vsum naturæ deo credidit. Aduerte conuenire omnia. Appetitus non defuit, sed repressus est: animus æqualis gerendis, qui nec magna pro vilibus, nec minora pro magnis duceret. Moderatio pro negociis, ordo rerum, opportunitas temporum, mensura verborum. Fide primus, iustitia præcipuus, in prælio strenuus, in victoria non auarus, domi hospitalis, vxori sedulus. Sanctum quoque eius nepotem Iacob delectabat domi securum degere, sed mater voluit eum peregrinari, vt daret fraternæ iracundiæ locum. Vicit appetitum, consilij salubritas. Exul domo, profugus à parentibus, vbique tamen conuenientem mensuram negociis tenuit, & temporibus opportunitatem reseruauit. Acceptus domi parentibus, vt alter maturitate prouocatus obsequij benedictionem daret, alter amore pio propenderet. Fraterno quoque iudicio prælatus, cùm cibum suum fratri cedendum putasset, delectabatur vtique alimento secundum naturam, sed secundum pietatem cessit petito. Pastor domino gregis ĩdus, socero gener sedulus, impiger in labore, in conuiuio parcus, in satisfactione præuius, in remuneratione largus. Denique sic fraternam mitigauit iracundiam, vt cuius verebatur inimicitias, adipisceretur gratiam. Quid de Ioseph loquar, qui vtique habebat cupiditatem libertatis, & suscepit seruitij necessitatem? Quàm subditus in seruitute, quàm in virtute constans, quàm benignus in carcere, sapiens in interpretatione, in potestate moderatus, in vbertate prouidus, in fame iustus, ordinem laudis rebus adiũgens, & opportunitatem temporibus, æquitatem populis officij sui moderatione dispensans? Iob quoque iuxta secundis atque aduersis rebus irreprehẽsibilis, patiens, gratus deo, atq; acceptus, vexabatur doloribus, sed se consolabatur. Dauid etiã fortis in bello, patiens in aduersis, in Hierusalem pacificus, in victoria mãsuetus, in peccato dolens, in senectute prouidus, rerum modos, vices temporum, per singularum sonos seruauit ętatum: vt mihi videatur non minus viuendi genere, quàm canendi suauitate prædulcis * moralẽ deo sui fudisse meriti cantilenã. Quod his viris principaliũ virtutum officiũ defuit? Quarum primo loco constituerunt prudentiam, quæ in veri inuestigatione versatur, & scientiæ plenioris infundit cupiditatem. Secũdo iustitiam, quæ suum cuique

Genes. 12.

Ibidem.

Genes. 14.

Gen. 17. & 18.

Gen. 25.

Gen. 37.

* immortalem.

cuique tribuit, alienum non vendicat: vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem custodiat. Tertiò fortitudinem, quæ & in rebus bellicis excelsi animi magnitudine, & domi eminet, corporisque præstat viribus. Quartò temperantiam, quæ modum ordinemque seruat omnium, quæ vel agenda vel dicenda arbitramur.

Quod virtutes quatuor principales, in patribus nostis non mediocriter sint consummatæ. Cap. 25.

HÆc forsitan aliquis dicat primo loco poni oportuisse, quoniã ab his quatuor virtutibus nascuntur officiorum genera. Sed hoc artis est, vt primò officium definiatur, postea certa in genera diuidatur. Nos autem artem fugimus, exempla maiorum proponimus, quæ neque obscuritatem afferunt ad intelligendum, neque ad tractandum versutias. Sit igitur nobis vita maiorum, disciplinæ speculum non calliditatis commentarium: imitandi reuerentia, non disputandi astutia. Fuit igitur in sancto Abraham primo loco prudentia, de quo dicit scriptura: Credidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Nemo enim prudens, qui deum nescit. Denique insipiens dixit: Quia non est deus. Nam sapiens nõ diceret. Quomodo enim sapiens, qui non requirit authorem suum, qui dicit lapidi, Pater meus es tu: qui dicit diabolo, vt Manichæus, Author meus es tu? Quomodo sapiens, vt * Arianus, qui mauult imperfectum authorem habere atque degenerem, quàm verum atque perfectum? Quomodo sapiens, vt Marcion atque Eunomius, qui malũt deum malum quàm bonum habere: Quomodo sapiens, qui deum suum non timet? Initium enim sapientiæ timor domini. Et alibi habes: Sapientes non declinant de ore domini, sed tractãt in confessionibus suis. Simul quoque dicẽdo scriptura. Reputatum est ei ad iustitiam: alterius virtutis gratiam ei detulit, Primùm igitur nostri definierunt ptudentiam in veri cõsistere cognitione. Quis enim illorum ante Abraham, Dauid, Salomonem? Deinde iustitiam spectare ad societatem generis humani. Denique Dauid ait: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Iustus misereturr, iustus commodat. Sapienti & iusto, totus mũdus diuitiarum est. Iustus communia pro suis habet, sua pro communibus. Iustus seipsum priusquam alios accusat. Ille enim iustus, qui nec sibi parcit, & occulta sua latere non patitur. Vide quàm iustus Abraham. In senectute susceperat filium per repromissionem, reposcenti domino negandum ad sacrificium (quanuis vnicum) non putauit. Aduerte hîc omnes virtutes quatuor in vno facto. Fuit sapientiæ, deo credere, nec filij gratiam anteferre authoris præcepto. Fuit iustitiæ, acceptum reddere. Fuit fortitudinis, appetitum ratione cohibere. Ducebat hostiam pater, interrogabat filius, tentabatur affectus patrius, sed non vincebatur. Repetebat filius appellationem paternam, compungebat paterna viscera, sed non minuebat deuotionem. Accedit & quarta virtus temperantia. Tenebat iustus & pietatis modum, & executionis ordinem. Denique dum sacrificio necessaria vehit, dum ignem adolet, dum filium ligat, dum gladium educit: hoc immolandi ordine meruit, vt filiũ reseruaret. Quid sapiẽtius sancto Iacob, qui deũ vidit facie ad faciẽ, & meruit benedictionem? Quid iustius, qui ea quæ acquisierat oblatis muneribus cum fratre diuisit? Quid fortius, qui cum deo luctatus est? Quid modestius, qui modestiam ita & locis & temporibus deferebat, vt filiæ iniuriam malet prætexere coniugio quàm vindicare, eo quòd inter alienos positus amori potius consulendum, quàm odia colligenda censebat? Noe quã sapiens, qui tantam fabricauit arcam? Quàm iustus, qui ad semen omnium reseruatus, solus ex omnibus & præteritæ generationis superstes est factus, & author futuræ, mũdo potius & vniuersis magis quàm sibi natus? Quàm fortis, vt diluuium vinceret? Quàm temperans, vt diluuium toleraret? quando introiret, qua moderatione degeret, quando coruum, quando columbam dimitteret, quando reciperet reuertentes, quando exeundi opportunitatem captaret, agnosceret?

Gene. 15. Roma. 4. Psal. 52. * Arius. Eccles. 1. Roma. 4. Psal. 111. Gene. 15. & 18. Prouer. 18. Gene. 15. Gene. 22. Gene. 32. Gene. 6, 7. & 8.

Quid in veritatis inuestigatione seruandum sit Cap. 26.

ITaque tractant in veri inuestigatione tenendum illud decorũ, v summo studio requiratur quid verum sit, non falsa pro veris ducere, nõ obscuris vera inuoluere, nõ superfluis vel implexis atque ambiguis occupare animũ. Quid tam indecorũ, quàm venerari * signa quæ ipsi faciunt? Quid tam obscurum, quàm de Astronomia & Gæometria tractare quod probant, & profundi aeris spacia metiri, cœlũ quoque & mare numeris includere: relinquere causas salutis, errores quærere? An non ille eruditus in omni sapientia Ægyptiorum Moyses probauit ista? Sed illam sapientiam detrimentum & stultitiam iudicauit, & auersus ab ea, intimo deũ quæsiuit affectu. Ideóque vidit, interrogauit audiuit loquẽtem. Quis magis sapiens, quàm ille quem docuit deus, qui omnem sapientiam Aegyptiorum, omniúmque artium potentias operis sui virtute euacuauit? Non hic incognita pro cognitis habebat, hísque temerè assentiebatur. Quæ duo in hoc maximè naturali atque honesto loco vitanda dicũt, qui sibi nec contra naturam esse nec turpe iudicant saxa adorare, & à simulacris auxilium petere, quæ nihil sentiunt. Quãtò igitur excelsior virtus est sapientia, tantò magis enitendum esse arbitror nobis, vt assequi eam possimus. Itaque ne quid contra naturam, ne quid turpe atque indecorum sentiamus: duo hæc, id est, & tempus & diligentiam ad considerationem rerum examinandi gratia conferre debemus. Nihil est enim magis quo homo cæteris animantibus præstet, quã quod rationis est particeps, causas rerum requirit, generis sui authorem inuestigandum putat, in cuius potestate vitæ necísque nostræ potestas sit, qui mundum hũc suo nutu regat, cui sciamus rationem esse reddendam nostrorum actuum. Nihil est enim quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm vt credamus eum iudicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent. Omnibus igitur hominibus inest secundum naturam humanam verum inuestigare, quod ad studium cognitionis & scientiæ trahit, & inquirendi infundit cupiditatem. In quo excellere vniuersis pulchrum videtur, sed paucorum est assequi, qui voluendo cogitationes, consilia examinando, non mediocrem impendunt laborem, vt ad illud beate honestéque viuendum peruenire possint, atque operibus appropinquare. Non enim qui dixerit, inquit, mihi domine, domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit ea quæ dico. Nam studia scientiæ sine factis, haud scio an etiam inuoluant magis.

* lignã.

Matth. 7

Quod virtutes quatuor ita perplexæ sint, vt ab inuicem separari nequeant. Caput 27.

PRimus igitur officij fons prudentia est. Quid enim tam plenum officij, quàm deferre authori studium atque reuerentiam? Qui tamen fons & in virtutes deriuatur cæteras. Neq; enim potest iustitia sine prudentia esse, cum examinare quid iustũ, quíd ve iniustum sit, non mediocris prudentiæ sit. Summus in vtroque error. Qui enim iustum iudicat iniustum, iniustum verò iustum, execrabilis erit apud deum. Vt quid abũdant iustitiæ imprudenti, Salomon ait? Neque iterum prudentia sine iustitia est. Pietas enim in deum, initium intellectus. Quo aduertimus illud ab huius seculi trãslatũ magis quàm inuentum sapientibus, quia pietas fundamentũ est omnium virtutum. Iustitiæ autem pietas est prima in deum, secunda in patriam, tertia in parentes. Item in omnes, quæ & ipsa secundum naturæ est magisterium. Siquidem ab ineunte ætate vbi primum sensus infundi cœperit, vitam amamus tanquam dei munus, patriam parentésque diligimus. Deinde æquales quibus sociari cupimus. Hinc charitas nascitur qne alios sibi præfert, non quærens quæ sua sunt, in quibus est principatus iustitiæ. Omnibus quoque animantibus innascitur, primum salutem tueri, cauere quæ noceant, expetere quæ prosint: vt pastum, vt latibula, quibus se à periculis, imbribus sole defendãt, quod est prudentiæ. Succedit quoque vt omnium genera animantium, congregabilia natura sint, primo generis sui ac formæ consortibus, tum etiã cæteris: vt videmus boues armentis, equos gregibus, & maximè pares paribus delectari. Ceruos quoque ceruis, & plerun-

Tullius li. 1. de origine honesti ex quatuor fontibus.

runque hominibus adiungi. Iam de procreandi ſtudio & ſobolis, vel etiam generantium amore, quid loquar, in quo eſt forma iuſtitiæ præcipua? Liquet igitur & has & reliquas cognatas ſibi eſſe virtutes. Siquidem & fortitudo quæ vel in bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena ſit iuſtitiæ: & ſcire quo conſilio defendat atque adiuuet, captare etiam temporum & locorum opportunitates, prudentiæ ac modeſtiæ ſit: & temperantia ipſa ſine prudentia modum ſcire nō poſſit, opportunitatem noſcere, & ſecundum menſuram reddere, ſit iuſtitiæ. Et in omnibus iſtis magnanimitas neceſſaria ſit, & quædam fortitudo mentis, plerunque & corporis, vt quis quod velit poſſit implere.

Primum quod philoſophi dicunt & ſecundum iuſtitiæ munus apud nos excludi, tertium verò à noſtris mutuatum. *Cap.* 28.

IVſtitia igitur ad ſocietatem generis humani, & ad communitatē refertur. Societatis enim ratio diuiditur in duas partes, iuſtitiam & beneficentiam, quam eandem liberalitatem & benignitatem vocant. Iuſtitia mihi excelſior videtur, liberalitas gratior. Illa cenſuram tenet, iſta bonitatē. Sed primum ipſum quod putant philoſophi iuſtitiæ munus, apud nos excluditur. Dicunt enim illi eam primam eſſe iuſtitiæ formam, vt nemini quis noceat niſi laceſſitus iniuria. Quod Euangelij authoritate vacuatur. Vult enim ſcriptura, vt ſit in nobis ſpiritus filij hominis, qui venit conferre gratiam, non inferre iniuriam. Deinde formam iuſtitiæ putauerunt, vt quis communia, id eſt publica pro publicis habeat, priuata pro ſuis. Nec hoc quidem ſecundum naturam. Natura enim omnia omnibus in commune profudit. Sic enim deus generari iuſſit omnia, vt paſtus omnibus communis eſſet, & terra foret onium quædam communis poſſeſſio. Natura igitur ius commune generauit, vſurpatio ius fecit priuatum. Quo in loco aiunt placuiſſe Stoicis, quæ in terris gignantur, omnia ad vſus hominum creari. Homines autem hominum cauſa eſſe generatos, vt ipſi inter ſe aliis alij prodeſſe poſſint. Vnde hoc, niſi de noſtris ſcripturis dicendum ſumpſerunt? Moyſes enim ſcripſit, quia dixit deus: Faciamus hominem ad imaginem noſtram, & ſecundum ſimilitudinem, & habeat poteſtatem piſcium maris, & volatilium cœli, & pecorum, & omnium repentium ſuper terram. Et Dauid ait: Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris. Ergo omnia ſubiecta eſſe homini de noſtris didicerunt, & ideo cenſent propter hominem eſſe generata. Hominem quoque hominis cauſa generatum eſſe in libris Moyſi reperimus, dicente domino: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Ad adiumentum ergo mulier data eſt viro, quæ generaret, vt homo homini adiumento foret. Denique antequam mulier formaretur, dictum eſt de Adam: Non eſt inuentus adiutor ſimilis illi. Adiumentum enim homo niſi de homine habere non poterat. Ex omnibus igitur animantibus nullum animal ſimile, & vt abſolute dicamus, nullus adiutor hominis ſimilis inuētus eſt. Muliebris igitur ſexus adiutor expectabatur. Ergo ſecūdum dei voluntatem, vel naturæ copulam, inuicem nobis eſſe auxilio debemus, certare officiis, velut in medio omnes vtilitates ponere, & vt verbo ſcripturæ vtar, adiumentum ferre alter alteri, vel ſtudio, vel officio, vel pecunia, vel operibus, vel quolibet modo, vt inter nos ſocietatis augeatur gratia, nec quiſquam ab officio vel periculi terrore reuocetur, ſed omnia ſua ducat, vel aduerſa vel proſpera. Denique ſanctus Moyſes pro populo patriæ bella ſuſcipere grauia non reformidauit, nec regis potentiſſimi trepidauit arma, nec barbaricæ immanitatis expauit ferociam, ſed abiecit ſalutē ſuam, vt plebi libertatem redderet. Magnus itaque iuſtitiæ ſplendor, quæ aliis potius nata quàm ſibi, communitatem & ſocietatem noſtram adiuuat, excelſitatem tenet, vt ſuo iudicio omnia ſubiecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula ſuſcipiat aliena. Quis nō cuperet hanc virtutis arcem tenere, niſi prima auaritia infirmaret atque inflecteret tantæ virtutis vigorem? Etenim dum augere opes, aggerare pecunias, occupare terras poſſeſſionibus cupimus, præſtare diuitiis: iuſtitiæ formam exuimus, beneficentiam communem amittimus. Quomodo enim poteſt iuſtus eſſe, qui ſtudet eripere alteri quod ſibi quærat? Potētiæ quoque cupiditas, formam iuſtitiæ virilem effœminat. Quomodo enim poteſt pro aliis interuenire, qui alios ſibi ſubiicere conatur: & infirmo aduerſus potentes opem ferre, qui ipſe grauem libertati affectat potētiam?

Iuſtitiam & fidem hoſtibus etiam exhibendam. *Cap.* 29.

QVanta autem iuſtitia ſit, ex hoc intelligi poteſt, quòd nec locis, nec perſonis, nec temporibus excipitur, quæ etiam hoſtibus reſeruatur: vt ſi conſtitutus ſit cum hoſte aut locus aut dies prælio, aduerſus iuſtitiam putetur, aut loco præuenire, aut tempore. Intereſt enim vtrum aliquis pugna aliqua & cōflictu graui capiatur, an ſuperiore gratia, vel aliquo euentu. Siquidē vehementioribus hoſtibus & infidis, & his qui amplius læſerint vehementior refertur vltio: vt Madianitis, qui per- Nume. 31.
mulieres ſuas pleroſque peccare fecerant ex plebe Iudæorum, vnde & dei in populum patrum iracundia effuſa eſt. Et ideo factum eſt, vt nullum Moyſes victor ſupereſſe pa- Ioſ. 9.
teretur: Gabaonitas autem qui fraude magis quàm bello tentauerant plebem patrum, non expugnaret Ieſus, ſed cōditionis impoſitæ afficeret iniuria: Syros verò Heliſæus quos obſidentes in ciuitatem duxerat momentaria cæcitate percuſſos, cùm quò ingrederentur videre non poſſent, volenti regi Iſrael percutere non acquieſceret, dicens: Non 4. Reg 6.
percuties quos non captiuaſti in lancea & in gladio tuo: pone eis panem & aquam vt manducent & bibant, & remittantur, & eant ad dominum ſuum: vt humanitate prouocati gratiam repræſentarent. Denique poſtea in terram Iſrael venire piratæ Syriæ deſtiterunt. Si ergo etiam in bello iuſtitia valet, quantò magis in pace ſeruāda eſt? Et hanc gratiam propheta his detulit, qui ad eum corripiendum venerāt. Sic enim legimus: quòd in obſidionem eius miſerat rex Syriæ exercitum ſuum, cognito quòd Heliſæus eſſet, qui conſiliis & argumentationibus eius obuiaret omnibus. Quem videns exercitum Giezi ſeruus prophetæ, de ſalutis periculo trepidare cœpit. Cui dixit propheta: Noli timere, quoniā plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Et rogante propheta vt aperirentur oculi ſeruo ſuo, aperti ſunt. Vidit itaque Giezi totum montem equis repletum & curribus in circuitu Heliſæi. Quibus deſcendentibus ait propheta: Percutiat dominus cæcitate exercitum Syriæ. Quo impetrato dixit ad Syros: Venite poſt me, & ducam vos ad hominem quem quæritis. Et viderunt Heliſæum, quem corripere geſtiebāt, & videntes tenere non poterant. Liquet igitur etiam in bello fidem & iuſtitiam ſeruari oportere, nec vllum decorum eſſe poſſe, ſi violetur fides. Denique etiam aduerſarios molli veteres appellatione nominabant, vt peregrinos vocarēt. Hoſtes enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Quod æque etiam ipſum de noſtris aſſumptum docere poſſumus. Aduerſarios enim ſuos Hebræi allophylos, hoc eſt, alienigenas, latino appellabant vocabulo. Denique in libro Regnorum primo ſic legimus: Et factum eſt in diebus illis, con- 1. Reg. 4.
uenerunt alienigenæ in pugnam ad Iſrael. Fundamentum ergo eſt iuſtitiæ fides. Iuſtorum enim corda meditantur fidem: & qui ſe iuſtus accuſat, iuſtitiam ſupra fidem collocat. Nam tunc iuſtitia eius apparet, ſi vera feteatur. Denique & dominus per Eſaiam: Ecce, inquit, mitto lapidem in funda- Eſa. 28.
mentum Sion, id eſt, Chriſtum, in fundamentum eccleſiæ. Fides enim omnium Chriſtus. Eccleſia autem quædam forma iuſtitiæ eſt, commune ius omnium. In commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Denique qui ſeipſum ſibi abnegat, ipſe iuſtus, ipſe dignus Chriſto eſt. Ideo & Paulus fundamētum poſuit Chriſtum, vt ſupra eum opera iuſtitiæ locaremus, quia fides fundamentum eſt. In operibus autem aut malis iniquitas, aut bonis iuſtitia eſt.

De beneficentia. *Caput* 30.

SEd iam de beneficētia loquamur, quæ diuiditur etiam ipſa in beneuolentiā & liberalitatē. Ex his igitur duabus conſtat beneficentia, vt ſit perfecta. Nō enim ſatis eſt beneuelle, ſed etiam benefacere.

Tullius li. 1. quemadmodū ex beneficentia quæ iuſtitiæ cō iuncta eſt officia manent.

facere. Nec satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fon-
2. Corin. 9. te, hoc est, ex bona voluntate proficiscatur. Hilarem enim
datorem diligit deus. Nam si inuitus facis, quæ tibi mer-
2. Corin. 9. ces est? Vnde Apostolus generaliter, inquit: Si volens hoc
ago, mercedem habeo: si inuitus, dispensatio mihi credita
est. In Euangelio quoque multas disciplinas accepimus iu-
stæ liberalitatis. Pulchrum est igitur bene velle, & eo lar-
giri consilio, vt prosis, non vt noceas: Nam si luxurioso ad
luxuriæ effusionem, adultero ad mercedem adulterij lar-
giendum putes, non est beneficentia ista vbi nulla est be-
neuolentia. Officere enim istud est, non prodesse alteri: si
largiaris ei qui conspiret aduersus patriam, qui congregare
cupiat tuo sumptu perditos, qui impugnent ecclesiam. Non
est hæc probabilis liberalitas, si adiuues eum qui aduersus
viduam & pupillos graui decernit iurgio, aut vi aliqua pos-
sessiones eorum eripere conatur. Non probatur largitas,
si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat: si iniustè quę-
Luc. 19. rat, & iustè dispensandum putet: i. f. fortè, vt ille Zacheus,
reddas quadruplum prius ei quem fraudaueris: & gentilita-
tis vitia fidei studio & credentis operatione cōpenies. Fun- B
damentum igitur habeat liberalitas tua. hoc primum quæ-
ritur, vt cum fide conferas, fraudem non facias oblatis, ne
dicas te plus conferre, & minus conferas. Quid enim opus
est dicere? Fraus promissi est: in tua potestate est largiri quod
velis. Fraus fundamentum soluit, & opus corruit. Nunquid
Act. 5. Petrus ita indignatione efferbuit, vt Ananiam extingui vel-
let, vel vxorem eius? Sed exemplo eorum noluit perire cæ-
teros. Nec illa perfecta est liberalitas, si iactantiæ causa ma-
gis quàm misericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen im-
ponit operi tuo. Quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur.
Vides quàm moralem iudicem habeas? Te consulit, quo-
modo opus tuum suscipiat, mentem tuam prius interrogat.
Matth. 6. Nesciat inquit sinistra tua quid faciat dextra tua. Non de
corpore loquitur, sed etiā vnanimus tuus, frater tuus quod
facis nesciat, ne dum hîc mercedem quæris iactantiæ, illic re
munerationis fructum amittas. Perfecta autem est libera-
litas, vbi silentio quis tegit opus suum, & necessitatibus sin
gulorum occultè subuenit: quem laudat os pauperis, & nō C
labia sua. Deinde perfecta liberalitas fide, causa, loco, tem-
pore commodatur, vt primùm opereris circa domesticos fi-
dei. Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum si-
ne sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præ-
sertim egere erubescat. si in causam ceciderit, aut captiui-
tatis suorum, aut calumniæ, & non adiuues: si sit in carcere,
& pœnis & suppliciis propter debitum aliquod iustus ex-
crucietur: (nam & si omnibus debetur misericordia, tamen
iusto amplius:) si tēpore afflictionis suę nihil à te impetret,
si tempore periculi quo rapitur ad mortem, plus apud te pe-
Iob 29. cunia tua valeat, quàm vita morituri. De quo pulchre Iob
dixit: Benedictio perituri in me veniebat. Personarum qui-
dem deus acceptor non est, quia nouit omnia. Nos autem
omnibus quidem debemus misericordiam. Sed quia pleriq;
fraude eam quærunt, & fingunt ærumnam, ideo vbi causa
manifestatur, persona cognoscitur, tempus vrget, largius
se debet profundere misericordia. Non enim auarus domi-
nus est, vt plurimum quęrat. Beatus quidem qui dimittit o- D
mnia, & sequitur eum. Sed & ille beatus est, qui quod habet
Lucæ 21. ex affectu facit. Denique duo æra viduæ illius diuitum mu-
neribus prætulit: quia totum illa quod habuit contulit, illi
autem ex abundanti partem exiguam contulerunt. Affectus
igitur diuitem collationem aut pauperem facit, & precium
rebus imponit. Cæterùm deus non vult simul effundi opes,
3. Reg. 19. sed dispensari, nisi forte vt Helisæus qui boues suos occidit,
& pauit pauperes ex eo quod habuit, vt nulla cura tenere-
tur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se pro-
pheticam daret. Est etiam illa probanda liberalitas, vt pro-
ximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Me-
lius est enim vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab aliis
sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium neces-
sitati, non tamen vt illi ditiores eo fieri velint, quod tu pos-
ses conferre inopibus. Causa enim præstat, non gratia. Ne-
que enim propterea te domino dicasti, vt tuos diuites fa-
cias, sed vt vitam tibi perpetuam fructu boni operis acqui-

ras, & precio misericordiæ peccata redimas tua. Putāt se pa-
rum poscere? precium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adi-
mere contendunt. Et accusat quod eum diuitem non feceris, cum, te ille velit æternæ viræ fraudare mercede? Consi-
lium præmisimus, authoritatem petamus. Primum igitur ne
minem debet pudere, si ex diuite pauper fiat, dum largitur
pauperi, quia Christus pauper factus est cum diues esset, vt 2. Cor. 8.
nos sua inopia ditaret. Dedit regulā quàm sequamur vt bo-
na ratio sit exinaniti patrimonij, si quis pauperum famem
repulit, inopiam subleuauit. Vnde & consilium in hoc do,
Apostolus dicit: Hoc enim vobis vtile est, vt Christum imi-
temini. Consilium bonis datur, correptio errantes coercet.
Denique quasi bonis dicit: Qui non tantū facere sed & vel- Ibidem.
le cœpistis ab anno præterito. Perfectorum vtrumque est
non pars. Itaque docet, & liberalitatem sine beneuolentia,
& beneuolentiam sine liberalitate non esse perfectam. Vn-
de ad perfectum hortatur dicens: Nunc ergo & facere con-
summate, vt quemadmodum prompta est in vobis volun-
tas faciendi, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Si e-
nim voluntas prompta est, secundum id quod habet acce-
pta est, non secundum id quod non habet. Non enim vt aliis
refectio sit, vobis autem angustia, sed ex æqualitate in hoc
tempore vestra abundātia sit ad illorum inopiam, vt & illo-
rum abundantia sit ad vestram inopiam, vt fiat æqualitas, si-
cut scriptum est: Qui multum, non abundauit: & qui modi- Exod. 16.
cum non minorauit. Aduertimus quemadmodum & bene- 2. Corin. 8.
uolentiam, & liberalitatem, & modū comprehendit, & fru-
ctum atque personas. Ideo modum, quia imperfectis dabat
consilium. Non enim patiuntur angustias, nisi imperfecti.
Sed & si quis ecclesiam nolens grauare in sacerdotio aliquo
constitutus, aut ministerio, non totum quod habet confe-
rat, sed operetur cum honestate quantum officio satis est,
non mihi imperfectus videtur. Et puto quod hic angustiam
non animi sed rei familiaris dixerit. De personis autem pu-
to dictum: vt vestra abundantia sit ad illorum inopiam, &
illorum abundantia ad vestram inopiam: id est, vt populi
abundantia sit bonæ operationis ad illorum subleuandam
alendo inopiam: & illorum abundantia spiritalis, adiuuet in
plebe inopiam meriti spiritalis, & conferat ei gratiam. Vn- Ibidem.
de exemplum optimum posui: Qui multum, non abunda-
uit: & qui modicum, nō minuit. Bene hortatur ad officium
misericordiæ omnes homines istud exemplum: quoniam
& qui plurimum auri possidet, non abundat, quia nihil est
quicquid in hoc seculo est: & qui exiguū habet non minuit,
quia nihil est quod amittit. Res sine dispendio est, quæ tota
dispendium est. Est etiam sic intellectus bonus. Qui pluri-
mum habet, & si non donat, non abundat: quia quantumuis
acquirat, eget, semper qui plus concupiscit. Et qui exiguum
habet, non minuit, quia nō multum est quod pauperem pa-
scit. Similiter ergo & ille pauper qui confert spiritalia pro-
pecuniariis, & si plurimum habeat gratiæ, non abundat. Nō
enim onerat gratia, sed alleuat mentem. Sed etiam sic potest
intelligi: Non abundas ô homo. Quantum est enim quod
accepisti, etsi tibi multū est? Ioānes quo nemo maior est in- Lucæ 7.
ter natos mulierum, inferior tamen erat eo qui minor est in
regno cœlorum. Potest & sic intelligi: Non abundat dei gra-
tia corporaliter, quia spiritualis est. Quis eius potest aut ma-
gnitudinem aut latitudinem comprehendere quam non vi-
det? Fides si fuerit sicut granum sinapis, montes transferre Matth. 17.
potest, & non tibi datur vltra granum sinapis, Si in te abun-
det gratia, * est verendum ne mens tua tanto munere in- * Non.
cipiat extolli: quia multi sunt qui ab altitudine cordis sui
grauius corruerunt, quàm si nullam habuissent dei gratia-
am. Et qui parum habet, non minuit, quia non est corpo-
reum vt diuidatur: & quod parum videtur habenti, pluri-
mum est cui nihil deest. Considerandā etiam in largiendo
ætas atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, quæ
ingenuos prodit natales, vt senibus plus largiaris, qui sibi
labore iam non queunt victum quærere. Similiter & debi-
litas corporis, & hæc iuuanda promptius. Tum si quis ex
diuitiis cecidit in egestatem, & maximè si non vitio suo, sed
aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis quæ habe-
bat amisit. Sed fortè dicat aliquis: Cæcus vno loco sedet &

præte-

præteritur,& iuuenis validus frequenter accipit. Verum eſt quia obrepit propter importunitatem. Non eſt illud iudicij, ſed tædij. Nam & dominus ait in euãgelio, de eo qui iam clauſerat oſtium ſuum, ſi quis oſtium eius procacius pulſet, quia ſurgit & dat illi propter importunitatem. Luc. 11.

De reddendo beneficio. Cap. 31.

PVlchrum quoq; eſt, propẽſiorem eius haberi rationem, qui tibi aut beneficiũ aliquod, aut munus cõtulit, ſi ipſe in neceſſitatem incidit. Quid enim tam cõtra officium, quàm nõ reddere quod acceperis? Nec menſura pari, ſed vberiore reddẽdum arbitror, & vſum penſandum beneficij, vt tantò ſubuenias, quantò eius ærumnam repellas. Etenim ſuperiorem nõ eſſe in referẽdo, quàm in conferẽdo beneficio, hoc eſt minorem eſſe: quoniam qui prior cõtulit, tẽpore ſuperior eſt, humanitate prior. Vnde imitãda nobis eſt in hoc quoq; natura terrarum, quæ ſuceptum ſemen multiplicatiori ſolet numero reddere quàm acceperit. Ideo eſt tibi ſcriptum: Sicut agricultura eſt homo inſipiens, & tanquam vinea homo egens ſenſu. Si reliqueris eum, deſolabitur. Sicut agricultura ergo etiam ſapiens, vt tanquam fœnerata ſibi maiore mẽſura ſemina ſuſcepta reſtituat. Terra ergo aut ſpontaneos fructus germinat, aut creditos vberiore cumulo refundit ac reddit. Vtrunquè debes quodam hæreditario vſu parentis, ne relinquaris ſicut infœcundus ager. Eſto tamen vt aliquis excuſare poſſit quod non dederit, quomodo excuſare poteſt quod nõ reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non reddere verò non licet. Ideo pulchrè Salomon ait: Si ſederis cœnare ad menſam potentis, ſapiẽter intellige ea quæ apponuntur tibi: & mitte manum tuam, ſciens quod oportet te talia præparare. Si autem inſaſiabilis es, noli concupiſcere eſcas eius, hæc enim obtinent vitam falſam. Quem nos imitari cupientes, ſententias ſcripſimus. Conferre gratiam, bonum eſt: at qui referre neſcit, duriſſimus. Humanitatis exemplum ipſa terra ſuggerit. Spontaneos fructus miniſtrat quos nõ ſeueris, multiplicatum quoque reddit quod acceperit. Negare tibi pecuniam numeratam nõ licet, quomodo licet acceptam non referre gratiam? In Prouerbiis quoque habes, quod ita plurimum redhibitio iſta gratiæ apud deum conſueuit valere, vt etiam in die ruinæ inueniat gratiam, quando poſſunt præpõderare peccata. Et quid aliis vtar exemplis, cùm dominus ipſe remunerationem vberiorem ſanctorum meritis in euangelio polliceatur, atque exhortetur vt operemur bonum opus, dicens: Dimittite, & dimittetur vobis: date & dabitur vobis: menſuram bonam, commotam, ſupereffluẽtem dabunt in ſinum veſtrum? Itaque & illud conuiuium Salomonis, non de cibis, ſed de operibus eſt bonis. Quo enim melius epulantur animi, quàm bonis factis? Aut quid aliud tam facilè poteſt iuſtorum explere mentes, quàm boni operis conſcientia? Qui autem iocundior cibus quàm facere voluntatem dei? Quem cibum ſibi ſolum dominus abundare memorat, ſicut ſcriptùm eſt in euangelio: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei, qui eſt in cœlo. Hoc cibo delectemur, de quo ait Propheta: Delectare in domino. Hoc cibo delectantur, qui ſuperiores delectationes mirabili ingenio comprehẽderunt, qui poſſunt ſcire, qualis ſit illa munda & intelligibilis mentis delectatio. Edamus ergo panem ſapientiæ, & ſaturemur in verbo dei: quia non in ſolo pane, ſed in omni verbo dei vita eſt hominis facti ad imaginem dei. De poculo vero ſatis expreſſe dicit ſanctus Iob: Sicut terra expectans pluuiam, ſic & iſti ſermones meos.

Lucæ 6. Ioan. 4. Pſal. 36. Deut. 8. Matth. 4. Geneſ. 1. Iob 29.

Beneuolentiam liberalitate potiorem eſſe. Cap. 32.

PVlchrum eſt ergo vt diuinarum ſcripturarum humeſcamus alloquio, & quaſi ros ſic in nos dei verba deſcendant. Cùm igitur ſederis ad illam menſam potentis, intellige quis ſit iſte potens: & in paradiſo delectationis poſitus, atque in conuiuio ſapientiæ collocatus, conſidera quæ apponuntur tibi. Scriptura diuina, conuiuium ſapientiæ eſt: ſinguli libri, ſingula ſunt fercula. Intellige prius quæ habeãtur in ferculis dapes, & tunc mitte manum, vt ea quæ legis vel quæ accipis à domino deo tuo, operibus exequaris, & collatam in te gratiam officiis repræſentes: vt Petrus & Paulus, qui euangelizando vicem quandam largitori muneris reddiderunt, vt poſſint ſinguli dicere: Gratia autem dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me egena non fuit, ſed habundãtius illis omnibus laboraui. Alius ergo fructum accepti beneficij, vt aurum auro, argentum argento rependit: alius laborem: alius, haud ſcio an etiã locupletius, ſolum reſtituit affectum. Quid enim ſi reddẽdi nulla facultas ſupperit? In beneficio reddendo plus animus quàm cenſus operatur: magiſque præponderat beneuolentia, quàm poſſibilitas referendi muneris. Gratia enim in eo ipſo quod habetur refertur. Magna igitur beneuolẽtia, quæ etiamſi nihil conferat, plus exhibet: & cùm in patrimonio nihil habeat, largitur pluribus: idque facit ſine vllo ſuo diſpendio, & lucro omnium. Et ideo præſtat beneuolentia ſupra ipſam liberalitatem. Ditior hæc moribus, quàm illa muneribus. Plures enim ſunt qui indigẽt beneficio, quàm qui abundant. Eſt autem beneuolentia coniuncta liberalitati, à qua ipſa liberalitas proficiſcitur: cùm largitatis affectum ſequitur largiendi vſus & ſeparata atque diſcreta. Vbi enim deeſt liberalitas, beneuolentia manet communis quædam parens omnium, quæ amicitiam connectit & copulat, in cõ ſiliis fidelis, in proſperis læta, in triſtibus mœſta, vt vnuſquiſque beneuolentis ſe magis quàm ſapientis credat conſilio: vt Dauid cùm eſſet prudentior, Ionathæ tamen iunioris cõſiliis acquieſcebat. Tolle ex vſu hominum beneuolentiam, tanquam ſolem è mundo tuleris, ita erit: quia ſine ea vſus hominum eſſe non poteſt, vt peregrinanti monſtrare viam, reuocare errantem, deferre hoſpitium. Aquam de aqua profluenti dare, lumen de lumine accendere. Non igitur mediocris virtus, de qua ſibi plaudebat Iob dicens: Foris autem non habitat: hoſpes, ianua mea omni venienti patebat. Beneuolentia itaque in his eſt omnibus, tanquã fons aquæ reficiens ſitientem, tanquam lumen quod atiã in aliis luceat, nec illis deſit, qui de ſuo lumine aliis lumen accẽderint. Eſt etiam illa beneuolentiæ liberalitas, vt ſi quod habes debitoris chirographum, ſcindens reſtituas, nihil à debitore conſecutus debiti. Quod exẽplo ſui facere nos debere Iob ſanctus admonet. Nam qui habet, non mutuatur: qui non habet, non liberat ſyngrapham. Quid igitur etiam ſi ipſe non exigas, auaris hæredibus reſeruas, quam potes cum beneuolentiæ laude ſine damno pecuniæ repræſentare? Atque vt plenius diſcutiamus, beneuolentia à domeſticis primum profecta perſonis, id eſt, à filiis, parentibus, fratribus, per coniunctionum gradus in ciuitatũ peruenit ambitum, & de paradiſo egreſſa mundum repleuit. Denique cum in viro & fœmina beneuolentem deus poſuiſſet affectum, dixit: Erũt ambo in vna carne, & in vno ſpiritu. Vnde ſe Eua ſerpenti credidit, quoniam quæ beneuolentiam acceperat, eſſe maleuolentiam non opinabatur.

1. Corin. 15. Iob 31. Gene. 2.

Beneuolentiam in eccleſia maximè, & earundem virtutum hominibus perſeuerare. Cap. 33.

AVgetur beneuolentia cœtu eccleſiæ, fidei conſortio, initiandi ſocietate, percipiende gratiæ neceſſitudine, myſteriorumcõmunione. Hæc enim etiã appellationes neceſſitudinũ, reuerẽtiam filiorum, authoritatẽ & pietatẽ, germanitatẽ fratrum ſibi vendicãt: Multum igitur ad cumuládam ſpectat beneuolentiam neceſſitudo gratiæ: Adiuuant etiam parium ſtudia virtutum. Siquidem beneuolentia etiam morum facit ſimilitudinem. Denique Ionathas filius regis imitabatur ſancti Dauid manſuetudinem, propter quod diligebat eũ. Vnde & illud: Cum ſancto ſanctus eris, nõ ſolum ad conuerſationem, ſed etiam ad beneuolentiam deriuandum videtur. Nam vtique & filii Noe ſimul habitabant, & non erat in his morum concordia. Habitabant etiã in domo patris Eſau & Iacob, ſed diſcrepabant. Non enim erat beneuolentia inter eos, quæ ſibi præferret alterum: ſed magis cõtentio, quæ præriperet benedictionẽ. Nam cum alter prædurus, alter manſuetus eſſet: inter diſpares, mores & ſtudia compugnantia. beneuolentia eſſe non poterat. Adde quia ſanctus Iacob paternæ degenerem domus virtuti præferre non poterat. Nihil autem tam cõſociabile, quàm cum æquitate iuſtitia, que velut compar & ſocia beneuolentiæ, facit

1. Reg. 19. Pſal. 17.

vt eos

vt eos quos pares nobis credimus, diligamus. Habet autem in se beneuolentia etiam fortitudinem. Nam cùm amicitia ex beneuolētiæ fonte procedat, non dubitat pro amico gra-
Eccles. 22. uia vitæ sustinere pericula. Et si mala mihi, inquit, euenerint, per illum sustineo.

Laus beneuolentiæ. Cap. 34.

BEneuolentia etiam gladium iracundiæ extorquere consueuit. Beneuolentia facit vt amici vulnera vtilia magis, quàm voluntaria inimici oscula,
Prouer. 17. sint. Beneuolentia facit vt vnus fiat ex pluribus: quoniã & si plures amici sint, vnus fiũt, in quibus vnus spiritus & vna sententia est. Simul aduertimus etiã correptiones in amicitia gratas esse, quæ aculeos habent, dolorem non habẽt. Compũgimur enim cõsoriis sermonibus, sed beneuolẽtię delectamur sedulitate. Ad summã, non omnibus eadem semper officia debẽtur, nec personarũ semper, sed plerunq; causarum & tẽporum prælationes sunt, vt vicinum quis interdum magis quàm fratrem adiuuerit. Quoniam & Salo-
Ibidem 27. mon dicit: Melior est vicinus in proximo, quàm frater longè habitans. Et ideo plerunque amici se beneuolentiæ quisque committit, quàm fratris necessitudini. Tantùm valet beneuolentia, vt plerunque pignora vincat naturæ.

De fortitudine, quam sine iustitia virtutem non esse, manifestis declaratur indiciis. Cap. 35.

SAtis copiosè iustitiæ loco honesti naturã & vim tractauimus. Nũc de fortitudine tractemus, quæ velut excelsior cęteris, diuiditur in res bellicas & domesticas. Sed bellicarum rerum studium à nostro officio iam alienũ videtur, quia animi magis quàm corporis officio intendimus, nec ad arma iam spectat vsus noster, sed ad pacis negocia. Maiores autem nostri, vt Iesus Naue, Hieroboal, Samson, Dauid summam rebus quoque bellicis retulere gloriam. Est itaq; fortitudo velut excelsior cæteris, sed nũquam incomitata virtus. Non enim seipsam cõmittit sibi, alioquin fortitudo sine iustitia, iniquitatis materia est. Quò enim validior est, eò promptior est, vt inferiorem opprimat: cùm in ipsis rebus bellicis iusta bella, an iniusta sint, spectandum putetur. Nunquam Dauid, nisi lacessitus, bellum intulit. Itaque prudentiam fortitudinis comi-
1. Reg 17. tem habuit in prælio. Nam & aduersus Goliã immani mole corporis virum, singulari certamine dimicaturus, arma quibus oneraretur respuit. Virtus enim suis lacertis magis quã alienis integumẽtis nititur. Deinde eminus, quò grauiùs feriret, ictu lapidis hostẽ interemit: postea nunquam nisi consulto domino bellum adorsus est. Ideo in omnibus victor præliis, vsque ad summam senectutem manu promptus, bel
*hominib' lo aduersus Titanas suscepto, ferocibus bellator miscebatur * agminibus, gloriæ cupidus, incuriosus salutis. Sed non
Hebr. 11. hęc sola præclara fortitudo est, sed etiam illorum glorioſam fortitudinem accipimus, qui per fidem magnitudine animi obstruxerunt leonum ora, extinxerunt virtutem ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate fortes, qui non comitatu & legionibus succincti, cõmunem cum multis victoriam, sed nuda virtute animi singularem de perfi-
Danie. 14. dis retulerunt triumphum. Quàm insuperabilis Daniel, qui circa latera sua rugientes non expauit leones. Fremebant bestiæ, & ille epulabatur.

Fortitudinem maximè in animo & contemptu rerum constare labentium. Cap. 36.

NON igitur in viribus corporis & lacertis tãtummodo fortitudinis gloria est, sed magis in virtute animi. Neque in inferenda, sed in depellenda iniuria lex virtutis est. Qui enim non repellit à socio iniuriam si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit.
Exod. 24. Vnde sanctus Moyses hinc prius orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cùm vidisset Hebræum ab Ægyptio iniuriam accipientem, defendit ita vt Ægyptium sterneret,
Prouer. 24. atque in arena abscõderet. Salomon quoque ait: Eripe eum qui ducitur ad mortem. Vnde igitur hoc vel Tullius, vel etiam Panætius, aut ipse Aristoteles transtulerint, apertum est satis, quanquam etiam his duobus antiquior dixerit Iob:
Iob 29. Saluum feci pauperem de manu potentis, & pupillum cui adiutor non erat, adiui. Benedictio perituri in me veniebat. Nónne hic fortissimus, qui tam fortiter pertulit impetus diaboli, & vicit eum in virtute mentis suæ? Neque verò de eius dubitandum fortitudine, cui dicit dominus. Ac-
Iob 40. cinge sicut vir lumbos tuos, suscipe altitudinem & virtutem, omnem autem iniurioſum humiliato. Apostolus quoque ait: Habetis fortissimam consolationem. Est ergo for-
Heb. 6. tis qui se in dolore aliquo cõsolatur, Et reuera iure ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circunfertur mutatione. Quid autem excelsius & magnificentius, quàm exercere mẽtem, afficere carnem & in seruitutem redigere, vt obediat imperio, consiliis obtemperet, vt in adeundis laboribus impigrè exequatur propositum animi ac voluntatem? Hæc igitur prima vis fortitudinis, quoniam in duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primo vt externa corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis quàm expetenda ducat. Secundo, vt ea quæ summa sunt, omnésque res in quibus honestas & illud τὸ πρέπον cernitur, præclara animi intentione vsque ad effectum persequatur. Quid enim tam præclarum, quàm vt ita animum tuum informes, vt neque diuitias, neque voluptates, neque honores in maximis constituas, neque in his studium omne conteras? Quod cũ ita affectus animo fueris, necesse est vt illud honestum ac decorum præponendum putes, illíque mentem ita intendas tuam, vt quicquid acciderit quo frangi animi solent, aut patrimonij amissio, aut honoris imminutio, aut obtrectatio infidelium, quasi superior non sentias. Deinde vt te salutis ipsius pericula pro iustitia suscepta non moueant. Hæc vera fortitudo est, quam habet Christi athleta: qui nisi legitimè certauerit, non coronatur. An mediocre
2. Tim. 2. tibi videtur præceptum fortitudinis? Tribulatio patientiam
Rom. 5. operatur, patientia probationem, probatio verò spem. Vide quot certamina, & vna corona. Quod præceptum non dat, nisi qui est confortatus in Christo Iesu, cuius caro requiem non habebat, afflictio vndique: foris pugnæ, intus timores.
2. Corin. 7. Et quanuis in periculis, in laboribus plurimis, in carceribus, in mortibus positus, animo tamen non frãgebatur, sed præliabatur, adeò vt potentior suis fieret infirmitatibus. Itaque considera quemadmodum eos qui ad officia Ecclesiæ accedunt, despiciẽtiam rerum humanarum habere debe
Coloſ. 2. re doceat. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis? Nec tetigeritis, nec attaminaueritis, ne gustaueritis, quę sunt omnia ad corruptelam ipso vsu. Et infra: Si ergo consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Et iterũ: Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram.
1. Tim. 4. Et hæc quidem adhuc omnibus fidelibus: tibi autem fili contemptum diuitiarum, prophanarum quoque & aniliũ fabularum suadet declinationem, nihil permitẽs nisi quod te exerceat ad pietatem: quia corporalis exercitatio nulli rei vsui est, pietas autem ad omnia vtilis. Exerceat ergo te pietas ad iustitiam, continentiam, mãsuetudinem, vt fugias iuuenilia opera, confirmatus & radicatus in gratia, bonum fidei subeas certamen: non te implices negociis secularibus, quoniam deo militas. Etenim si his qui imperatori militat, a susceptionibus litium, actu negociorum forensium, vẽditione mercium prohibetur humanis legibus: quãtomagis qui fidei exercet militiam, ab omni vsu negociationis abstinere debet, agelluli sui contẽtus fructibus, si habet: si non habet, stipendiorum suorũm fructu? Siquidem bonus
Psalm. 36. testis est, qui dicit: Iuuenis fui, & senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Ea est enim tranquillitas animi & temperantia, quæ neque studio quærendi afficitur, neque egestatis metu angitur.

Mala æquanimiter toleranda, & interdum etiam declinanda. Cap. 37.

EST etiam quę dicitur vacuitas animi ab angoribus vt neque in doloribus molliores simus, neque in prosperis elatiores. Quòd si hi qui ad capessendã rempublicam adhortantur aliquos, hęc præcepta dant

dant: quantò magis nos qui ad officium eccleſiæ vocamur, talia debemus agere quæ placeant deo. vt & prætendat in nobis virtus Chriſti, & ita ſimus noſtro probati imperatori, vt membra noſtra arma iuſtitiæ ſint, arma non carnalia in quibus peccatum regnet, ſed arma fortia deo, quibus peccatum deſtruatur? Moriatur caro noſtra, vt in ea omnis culpa moriatur, & quaſi ex mortuis viuentes, nouis reſurgamus operibus ac moribus. Hęc ſunt plena honeſti & de-
Matth.10. ri officij ſtipendia fortitudinis. Sed quia in omnibus quæ agimus, non ſolùm quid honeſtum, ſed etiam quid poſſibile ſit quęrimus, ne fortè aggrediamur aliquid quod non poſſimus exequi: vnde nos tempore perſecutionis de ciuitate in ciuitatem cedere, imò vt ipſius verbo vtar, fugere vult dominus: ne temerè aliquis dum martyrij deſiderat gloriã, offerat ſe pęriculis, quæ fortaſſe caro infirmior aut remiſſior animus ferre ac tolerare non queat.

Quod prouidentia magnum munimen fortitudinis ſit.
Caput XXXVIII.

NEc rurſus propter ignauiam cedere quis ac deſerere fidẽ debet metu periculi. Qua gratia præparandus eſt animus, exercenda mens, ſtabiliẽda ad conſtantiam: vt nullis perturbari animus poſſit terroribus, nullis frangi moleſtiis, nullis ſuppliciis cedere. Quæ difficile quidem ſuſtinentur. Sed quia omnia ſupplicia grauiorum ſuppliciorum vincuntur formidine, ideo ſi conſilio firmes animum tuum, nec à ratione diſcedendũ putes, & proponas diuini iudicij metum, perpetui ſupplicij tormenta, potes animi ſubire tolerantiam. Hoc igitur diligentiæ eſt, vt quis ita ſe comparet: illud ingenij, ſi quis poteſt vigore mentis præuidere quæ futura ſunt, & tanquam ante oculos locare, quid poſſit accidere: & quid agere debeat, ſi ita acciderit, definire: interdũ duo & tria ſimul voluere animo, quæ coniiciat, aut ſingula aut coniuncta accidere poſſe, & aut ſingulis aut coniunctis diſponere actus quos intelligat profuturos. Fortis ergo eſt viri, non diſſimulare cùm aliquid immineat, ſed prætendere & tanquam explorare de ſpecula quadam mentis, & obuiare cogitatione prouida rebus futuris, ne fortè dicat poſtea: Ideo iſta incidi, quia non arbitrabar poſſe euenire. Denique niſi explorentur aduerſa, citò occupant. Vt in bello improuiſus hoſtis vix ſuſtinetur, & ſi imperatos inueniat facilè opprimit: ita animũ mala inexplorata plus frangunt. In his ergo duobus illa eſt animi excellentia, vt primùm animus tuus bonis exercitatus cogitationibus, mundo corde quod verum &
Matth.5. honeſtum eſt videat: Beati enim mundo corde, quia ipſi etiam deum videbunt. atque id quod honeſtum eſt, ſolum bonum iudicet. Deinde nullis perturbetur occupationibus, nullis cupiditatibus fluctuet. Neque verò id quiſquam facilè facit. Quid enim tam difficilè, quàm deſpicere tanquã ex arce aliqua ſapientiæ opes, aliáque omnia, quæ pleriſque videntur magna & pręcelſa? Deinde vt iudicium tuum ſtabili ratione confirmes, & quæ iudicaueris leuia, tanquã nihil profutura contemnas. Deinde, vt ſi quid acciderit aduerſi, idque graue & acerbũ putetur, ita feras, vt nihil præ-
Iob 1. ter naturam accediſſe putes, cùm legeris: Nudus ſum natus, nudus exibo: quæ dominus dedit dominus abſtulit: & vtique & filios amiſerat & facultates: ſeruésque in omnibus
Iob 2. perſonam ſapientis & iuſti, ſicut ille ſeruauit qui ait: Sicut domino placuit ita factum eſt, ſit nomen domini benedictum. Et infra: Sicut vna inſipientium mulierum locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu domini, quæ mala ſunt nõ ſuſtinebimus?

Fortitudinem aduerſus omnia vitia dimicare debere, præcipuè aduerſus auaritiam. Cap. XXXIX.

QUon eſt igitur mediocris nec diſcreta à cęteris animi fortitudo, quæ bellum cmm virtutibus gerat, ſed quæ ſola defendat ornamenta virtutum omnium, & iudicia cuſtodiat, & quę inexpiabili prælio aduerſus omnia vicia decernat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduerſus voluptates, dura aduerſus illecebras, quibus aurẽ deferre neſciat, nec (vt dicitur) aue dicat, pecuniam negligat, auaritiam fugiat tanquam labem quandam quæ virtutem effœminet. Nihil enim tam contrarium fortitudini, quàm lucro vinci. Frequenter pulſis hoſtibus, inclinata in fugam aduerſariorum acie, dum exuuiis cæſorum capitur prędator, inter ipſos quos ſtrauit miſerandus occubuit: & triumphis ſuis deiectæ legiones dum ſpoliis occupantur, hoſtem in ſe reuocarunt qui fugerat. Fortitudo igitur tam immanem peſtem repellat & proterat, nec tententur cupiditatibus, nec frangatur metu, quia virtus ſibi conſtat, vt fortiter omnia perſequatur vitia, tanquam virtutis venena: iracundiam velut quibuſdam propulſet armis, quæ tollit conſilium, & tanquam ægritudinem vitet. Gloriæ quoque caueat appetentiam, quæ frequenter nocuit immoderatius appetita, ſemper autem vſurpata. Quid horum ſancto Iob, vel in virtute defuit, vel in vitio obrepſit? Quomodo laborem ægritudinis, frigoris, famis, pertulit? Quomodo deſpexit ſalutis periculum? Nunquid rapinis diuitię coaceruatę, de quibus tanta in opibus affluebant? Nunquid auaritia, cenſus, aut voluptatis ſtudia cupiditatéſque excitauit? Nunquid trium regum iniurioſa contentio, vel ſeruorum contumelia in iram excuſſit? Nũquid gloria ſicut leuem extulit, qui imprecabatur grauia ſibi, ſi vnquam vel non voluntariam celauiſſet culpam, vel reueritus eſſet multitudinem plebis, quo minus annunciaret eam in conſpectu omnium? Neque enim conſentaneæ ſunt vitiis virtutes, ſed ſibi conſtant. Quis igitur tam fortis, quàm ſanctus Iob? Cui ſecundus adiudicari poteſt, qui parem vix reperit?

Virtutem bellicam noſtris etiam non inuſitatam. Cap. XL.

SED fortaſſe aliquos bellica defixos gloria tenet, vt putent ſolam eſſe præliarem fortitudinem, & ideo me ad iſta deflexiſſe, quia illa noſtris deforet. Quàm fortis Ieſus Naue, vt vno prælio quin- Ioſuæ 10.
que reges captos ſterneret cum populis ſuis? Deinde cùm aduerſum Gabaonitas ſurgeret prælių, & vereretur ne nox Iudic.7.
impediret victoriam, magnitudine mentis & fidei clamauit: Stet ſol. & ſtetit dum hæc victoria conſummaretur. Ge- 1.Reg.14.
deon in trecentis viris, de ingenti populo & acerbo hoſte reuexit triumphum. Ionathas adoleſcens virtutem fecit in
magno prælio. Quid de machabæis loquar? Sed prius de po 1.Mach.2.
pulo dicam patrum, qui cùm eſſent parati ad repugnandum pro templo dei, & pro legitimis ſuis, dolo hoſtium die laceſſiti ſabbati, maluerunt vulneribus offerre nuda corpora, quàm repugnare, ne violarent ſabbatum. Itaque omnes læti ſe obtulerunt morti. Sed Machabæi conſiderantes quòd hoc exemplo gens omnis poſſet perire, ſabbato etiam, cùm ipſi in bellum prouocarentur, vlti ſunt innocentium necem fratrũ ſuorum. Vnde poſtea ſtimulatus rex Antiochus, cùm bellum accenderet per duces ſuos Lyſiam Nicanorem, Gordiam, ita cum Orientalibus ſuis & aſſyriis attritus eſt copiis, vt quadraginta & octo milia in medio campi à tribus milibus proſternerentur. Virtutem ducis Iudæ Machabæi de v- 1.Mach.6.
no eius milite conſiderare. Nanque Eleazarus cùm ſupereminentem cæteris elephantem lorica veſtitum regia aduerteret, arbitratus quòd in eo eſſet rex, curſu concito in medium legionis ſe prorupit, & abiecto clypeo vtraque manu interficiebat beſtiam, atq; intrauit ſub eam, & ſubiecto gladio interemit eam. Itaque cadens beſtia oppreſſit Eleazarum, atque ita mortuus eſt. Quanta igitur virtus animi, primò vt mortem non timeret: deinde vt circumfuſus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hoſtes, medium penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abiecto clypeo, vtraque manu vulneratæ molem beſtiæ ſubiret ac ſuſtineret, poſt infra ipſam ſucederet, quo pleniore feriret ictu, cuius ruina incluſus magis quàm oppreſſus, ſuo eſt ſepultus triunpho? Nec fefellit opinio virum, quanuis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis ſpectaculo defixi hoſtes, inermem occupatum incurſare non auſi, poſt caſum ruentis beſtiæ ſic trepidauerunt, vt impares ſe omnes vnius virtuti arbitrarentur. Denique rex Antiochus Lyſiæ filius, qui cum cẽtum viginti milibus hominum armatus venerat, & cum triginta duobus elephantis, ita vt ad ortum ſolis per ſingulas beſtias velut montes quidam armorum coruſco tanquam lampadibus ardẽtibus refulgerent, vnius territus fortitudine pacem rogaret. Itaque Eleazarus hæredem virtutis ſuæ pacem reliquit. Sed hæc triumphorum ſint.

Fortit-

Fortitudinem non solùm in vincendo, sed etiam plus in tolerando constare. Cap. XLI.

VErum quia fortitudo non solùm secundis rebus, sed etiam aduersis probatur, spectemus nunc Iudæ Machabei exitum. Is enim post victum Nicanorem regis Demetrij ducem, securior aduersus viginti milia exercitus regis, cum nongenis viris bellum adorsus, volẽtibus his cedere ne multitudine opprimerentur, glorioſam magis mortẽ, quàm turpem fugã ſuaſit: Ne crimen, inquit, noſtræ relinquamus
1.Mach.9. gloriæ. Itaque commiſſo prælio, cùm à primo ortu diei in veſperam dimicaretur, dextrum cornu in quo validiſſimã manum aduertit hoſtium, aggreſſus facilè auertit. Sed dum fugiẽtes ſequitur, à tergo vulneri locum præbuit: ita glorioſiorem triumphis mortem inuenit. Quid Ionathan fratrem eius attexam, qui cum parua manu aduerſus exercitus regios pugnans, deſertus à ſuis, & cum duobus tãtùm relictus, repa rauit bellum, auertit hoſtem, fugitantes ſuos ad ſocietatem reuocauit triumphi? Habes fortitudinem bellicã, in qua non mediocris honeſti ac decori forma eſt, quod mortem ſeruituti præferat ac turpitudini. Quid autẽ de martyrum dicam
2.Mach.7. paſſionibus? Et ne longius euagemur, nõ minorem de ſuperbo rege Antiochõ Machabæi pueri reuexerũt triumphum, quàm parẽtes proprij: ſiquidem illi armati, iſti ſine armis vicerũt. Stetit inuicta ſeptem puerorum cohors regiis cincta legionibus: defecerunt ſupplicia, ceſſerunt tortores, non defecerunt martyres. Alius corio capitis exutus, ſpeciem muta uerat, virtutem auxerat. Alius linguam iuſſus amputandam promere, reſpondit: Non ſolos dominos audit loquẽtes, qui audiebat Moyſen tacentem. Plus audit tacitas cogitationes ſuorum, quàm voces omnium. Linguæ flagellum times, fla gellum ſanguinis nõ times? Habet & ſanguis vocem ſuam, qua clamat ad deum, ſicut clamauit in Abel. Quid de matre loquar, quæ ſpectabat læta filiorum quot funera tot trophæa, & morientium vocibus tanquam pſallẽtium cãtibus delectabatur, pulcherrimam vẽtris ſui citharam in filiis cernens, & pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciorem? Quid de bimulis loquar, qui ante palmam victoriæ accepe runt, quàm ſenſum naturæ? Quid de ſancta Agne, quæ in duarum maximarum rerum poſita periculo, caſtitatis & ſalutis, caſtitatem protexit, ſalutem cum immortalitate commutauit? Non prætereamus etiam ſanctum Laurẽtium, qui cùm videret Sixtum epiſcopum ſuum ad martyrium duci, flere cœpit, non paſſionem illius, ſed ſuam remãſionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quò progrederis ſine filio, pater? Quò ſacerdos ſancte, ſine diacono properas? Nunquã ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueueras. Quid in me ergo diſplicuit pater? Num degenerem probaſti? Experire certè vtrum idoneum miniſtrum elegeris. Cui commiſiſti dominici ſanguinis conſecrationem, cui conſummãdorum conſortium ſacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas? Vide ne periclitetur iudicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abiectio diſcipuli, detrimẽtum eſt magiſtri. Quid quod illuſtres & præſtãtes viri diſcipulorum certaminibus magis quàm ſuis vincunt? Denique Abraam filium obtulit, Petrus ſtephanum præmiſit. Et tu pater oſtende in filio vir tutem tuam, offer quem eruditi, vt ſecurus iudicij tui comitatu nobili peruenias ad coronam. Tunc Sixtus: Non ego te fili relinquo ac defero: ſed maiora tibi debentur certamina. Nos quaſi ſenes leuioris pugnæ curſum recipimus, te quaſi iuuenem manet glorioſior te tyranno triumphus. Mox venies, flere deſiſte, poſt triduum me ſequeris. Inter ſacerdotem & Leuitam hic medius numerus decet. Non erat tuum ſub magiſtro vincere, quaſi adiutorem quæreres. Quid conſortiũ paſſionis meæ expetis? Totam tibi hæreditatem eius dimitto. Quid præſentiam meam requiris? Infirmi diſcipuli magiſtrum præcedant, fortes ſequantur, vt vincant ſine magiſtro, qui iam non indigent magiſterio. Sic & Helias Heliſæum reliquit. Tibi ergo commendo noſtræ virtutis ſucceſſionem. Talis erat contentio, digna ſanè, de qua certarent ſacerdos & miniſter, quis prior pateretur pro Chriſti nomine. In fabulis ferũtur tragicis, excitatos theatri magnos eſſe plauſus, cùm ſe Pylades Oreſtem diceret: Oreſtes, vt A erat, Oreſtem ſe eſſe aſſeueraret: ille vt pro Oreſte necaretur, Oreſtes ne Pyladem pro ſe patereturne cari. Sed illis non licebat viuere, quòd vterque eſſet parricidij reus, alter qui feciſſet, alter qui adiuuiſſet. Hic Laurentium ſanctum ad hoc nullus vrgebat niſi amor deuotionis, tamen & ipſe poſt triduum, cum illuſo tyranno impoſitus ſuper craticulam exuraretur, *Aſſum eſt, inquit, verſa & manduca. Ita animi virtute vincebat ignis naturam. *Aſſatum.

Poteſtates non irritandas, & adulationibus non adtendendum. Cap. XLII.

CAuendum etiã reor, ne dum aliqui nimia glorie ducuntur cupiditate, inſolentius abutantur poteſtatibus, & plerunque auerſos à nobis animos gentilium, in ſtudia perſecutionis excitent atque inflamment ad iracundiam. Itaque vt illi perſeuerare poſſint, & ſupplicia vincere, quantos perire faciunt? Proſpiciẽdum etiam, ne adulantibus aperiamus aurẽ. Emolliri enim adulatione, non ſolùm fortitudinis non eſſe, ſed etiam ignaB uiæ videtur.

De temperantia & eius partibus. Cap. XLIII.

QVoniã de tribus virtutibus diximus, reſtat vt de quarta virtute dicamus, quę temperãtia ac modeſtia vocatur: in qua maximè tranquillitas animi, ſtudiũ mãſuetudinis, moderationis gratia, honeſti cura, decoris conſideratio ſpectatur & quæritur. Ordo igitur quidam vitæ nobis tenendus eſt, vt à verecũdia prima quædam fundamenta ducãtur: quæ ſocia ac familiaris eſt mẽtis placiditati, proteruiam fugitãs, ab omni aliena luxu, ſobrietatẽ diligit, honeſtatẽ fouet, decorũ illud requirit. Sequatur conuerſationis electio, vt adiungamur probatiſſimis quibuſque ſenioribus. Nãque vt æqualiũ vſus dulcior, ita ſenum tutior eſt: qui magiſterio quodam & ductu vitæ colorat mores adoleſcẽtiũ, & velut murice probitatis inficit. Nanque ſi hi qui ſunt ignari lo-
C corum, cum ſolertibus viarum iter adoriri geſtiunt, quantò magis adoleſcentes cum ſenibus debent nouũ ſibi iter vitæ aggredi, quo minus errare poſſint, & à vero tramite virtutis deflectere? Nihil enim pulchrius, quàm eoſdem & magiſtros vitę & teſtes habere. Quærendum eſt etiam in omni actu, quid perſonis, temporibus conueniat atque ætatibus, quid etiam ſingulorum ingeniis ſit accommodum. Sepe enim quod alterum decet, alterum non decet. Aliud iuueni aptum, aliud ſeni: aliud in periculis, aliud in rebus ſecũdis. Saltauit ante arcam domini Dauid, non ſaltauit Samuel. 1.Reg.6.
Nec ideo ille reprehenſus, ſed magis iſte laudatus. Mutauit vultum coram rege, cui nomen Achis. At hoc ſi feciſſet re- 1.Reg 21.
mota formidine quo minus cognoſceretur, nequaquã leuitatis reprehenſione carere potuiſſet. Saul quoque valla- 1.Reg.10.
tus choro prophetarũ, etiã ipſe prophetauit: & de ſolo qua ſi indigno memoratum eſt: Et ſaul inter prophetas.

Officio ſibi congruo quemque ſtudere debere. Cap. XLIIII.

VNuſquiſque igitur ſuum ingenium nouerit, & ad id ſe applicet quod ſibi aptum elegerit. Itaq; quid
D ſequatur, prius conſideret. Nõ ſolùm nouerit bona ſua, ſed etiam vitia cognoſcat: æqualémque ſe iudicem ſui præbeat, vt bonis intẽdat, vitia declinet. Alius deſtinguendę lectioni aptior: alius pſalmo gratior: alius exorcizandis qui malo laborant ſpiritu ſolicitior: alius ſacrario opportunior habetur. Hæc omnia ſpectet ſacerdos, & quid cuique congruat, id officij deputet. Quo etenim vnũquemque ſuum ducit ingenium, aut quod officium decet, id maiore implet gratia. Sed id cùm in omni vita difficile ſit, tum in noſtro actu difficilimũ eſt. Amat enim vnuſquiſque ſequi vitam pareatum. Denique plerique ad militiam feruntur, quorum militauerunt parẽtes, alij ad actiones diuerſas. In Eccleſiaſtico verò officio nihil rarius inuenias, q̃ eum qui ſequatur inſtitutum patris: vel quia graues deterrent actus, vel quia in lubrica ætate difficilior abſtinentia: vel quia alacri adoleſcentiæ videtur vita obſcurior: & ideo ad ea conuertuntur ſtudia, quæ plauſibiliora arbitrantur. Præſentia quippe plures quàm futura præferunt. Illi autem præſentibus, nos futuris militamus. Vnde quò præſtantior

cautìa,

cauſſa, eò debet eſſe cura attentior.

De pulchro & honeſto. Caput XLV.

HEneamus igitur verecundiam,& eam quæ totius vitæ ornatum attollit modeſtiam.Non enim mediocre eſt rebus ſingulis modum ſeruare atque impartiri ordinem , in quo vere prælucet illud quod decorũ dicitur, quod ita cum honeſto iũgitur vt ſeparari non queat.Siquidẽ & quod decet, honeſtũ eſt:& quod honeſtũ eſt , decet:vt magis in ſermone diſtinctio ſit quàm in virtute diſcretio . Differre enim ea inter ſe intelligi poteſt , explicari nõ poteſt . Et vt conemur aliquid eruere diſtinctionis,honeſtas velut bona valetudo eſt,& quędã ſalubritas corporis:decus autẽ tanquã venuſtas & pulchritudo ſit. Sicut ergo pulchritudo ſuper ſalubritatẽ ac valetudinẽ videtur excellere,& tamẽ ſine his eſſe nõ poteſt, neque vllo ſeparari modo,quoniã niſi bona valetudo ſit,pulchritudo eſſe ac venuſtas nõ poteſt: ſic honeſtas decorũ illud in ſe cõtinet,vt ab ea profectũ videatur, & ſine ea eſſe non poſſit. Velut ſalubritas igitur totius operis actúſque noſtri honeſtas eſt,& ſicut ſpecies eſt decorum,quod cum honeſtate confuſum opinione diſtinguitur.Nam etſi in aliquo videatur excellere , tamen in radice eſt honeſtatis , ſed flore præcipuo,vt ſine ea decidat,in ea floreat . Quid enim eſt honeſtas,niſi quæ turpitudinem,quaſi mortem fugiat ? Quid verò inhoneſtum,niſi quod ariditatem ac mortem afferat? Virente igitur ſubſtãtia virtutis , decorum illud tanquam flos emicat,quia radix ſalua eſt . At verò propoſiti noſtri radice vitioſa, nihil germinat. Habes hoc in noſtris aliquanto expreſſius.Dicit enim Dauid: Dominus regnauit, decorem in
Pſal.92. duit.Et Apoſtolus ait:Sicut in die,honeſtè ambulate.Quod
Rom.13. Græcè dicitur εὐσχημόνως. Hoc autem propriè ſignificat, bono habitu,bona ſpecie . Deus ergo primum hominem cùm cõderet,bona habitudine, bona membrorum compoſitione formauit, & optimam ei ſpeciem dedit, remiſſionem nõ dederat peccatorum: ſed poſteaquam renouauit eum ſpiritu,& infudit ei gratiam,qui venerat in ſerui forma,& in hominis ſpecie, aſſumpſit decorem redemptionis humanæ. Et
Pſal.92. ideo dixit propheta: Dominus regnauit , decorẽ induit.De-
Pſal.64. inde alibi dicit: Te decet hymnus deus in Sion . Hoc eſt dicere. Honeſtum eſt, vt te timeamus,te diligamus, te prece-
1.Cor.14. mur,te honorificemus.Scriptũ eſt enim: Omnia veſtra honeſtè fiant. Sed poſſumus & hominem timere,diligere,rogare,honorare . Hymnus ſpecialiter deo dicitur . Hoc tanquam excellentius cæteris credere eſt decorum , quod de-
1.Tim.2. ferimus deo.Mulierem quoque in habitu ornato orare con-
1.Cori.11. uenit,ſed ſpecialiter eam decet orare velatam,& orare promittentem caſtitatem cum bona conuerſatione.

Quod naturalia pulchra ſint & honeſta:Turpia verò contra naturam. Cap. XLVI.

ESt igitur decorum quod præminet, cuius diuiſio gemina eſt . Nam eſt decorum , quaſi generale, quod per vniuerſitatem funditur honeſtatis, & quaſi toto ſpectatur corpore. Eſt etiam ſpeciale, quod in parte aliqua enitet. Illud generale ita eſt,ac ſi æquabilẽ formam atque vniuerſitatem honeſtatis in omni actu ſuo habeat concinẽtem, cum omnis ſibi eius vita cõſentit, nec in vlla aliqua re diſcrepat . Hoc ſpeciale , cùm aliquem actũ in ſuis habet virtutibus prẽminentem . Simul illud aduerte,quod & decorũ eſt, ſecumdum naturam viuere,ſecũdum naturam degere,& turpe eſt quod fit cõtra naturã.Ait
1.Corin.11. enim Apoſtolus quaſi interrogans: Decet mulierem nõ velatam orare deũ? Nec ipſa natura nos docet . Quod vir quidem ſi comam habeat,ignominia eſt illi,quoniam cõtra naturam eſt . Et iterum dicit : Mulier verò ſi capillos habeat, gloria eſt illi. Eſt enim ſecundum naturam,quoniam quidẽ capilli pro velamine ſunt. Hoc eſt enim naturale velamen. Perſonam igitur nobis & ſpeciẽ natura ipſa diſpenſat , quã ſeruare debemus: vtinámque & innocẽtiam eius cuſtodire poſſimns,nec acceptam noſtra malitia mutaret. Habes hoc decorum generale, quia fecit deus mundi iſtius pulchritu-
Geneſ.1. dinem . Habes & per partes, quia cùm faceret deus lucem, & diem noctémq; diſtingueret,cùm conderet cœlum,cùm terras & maria ſepararet,cùm ſolem & lunam & ſtellas cõſtitueret lucere ſuper terram, probauit ſingula.Ergo decorum hoc, quod in ſingulis mundi partibus elucebat , in vniuerſitate reſplenduit , ſicut probat ſapientia dicens : Ego eram cui applaudebat,cùm lætaretur orbe perfecto. Prouer.8. Similiter ergo & in fabrica humani corporis grata eſt vniuſcuiuſque membri portio.Sed plus in cõmune compoſitio membrorum apta delectat , quod ita ſibi quadrare & conuenire videantur.

Quarum paſſionum reſtrictione pulchrum illud poſſit acquiri. Caput XLVII.

SI quis igitur æquabilitatem vniuerſæ vitæ , & ſingularũ actionum modos ſeruet , ordinem quoque & conſtãtiam dictorum atq; operum moderationémq; cuſtodiat,in eius vita decorum illud excellit,& quaſi in quodam ſpeculo elucet.Accedat tamen ſuauis ſermo,vt conciliet ſibi affectũ audiẽtium, gratúmque ſe vel familiaribus,vel ciuibus,vel ſi fieri poteſt,omnibus præbeat.neque adulãtem ſe,neq; adulandum cuiquam exhibeat.Alterum enim calliditatis eſt,vanitatis alterum. Non deſpiciat quid de ſe vnuſquiſq; & maxime vir optimus ſentiat. Hoc enim modo diſcit bonis deferre reuerẽtiam.Nam negligere bonorum iudicia,vel arrogantiæ vel diſſolutionis eſt:quorum alterum ſuperbiæ aſcribitur,alterum negligentiæ . Caueat etiam motus animi ſui. Ipſe enim ſibi & obſeruãdus & circũſpiciendus eſt,& vt aduerſum ſe cauendus,ita etiam de ſe tuendus.Sunt enim motus in quibus eſt appetitus ille qui quaſi quodam prorũpit impetu.Vnde Gęrcè ὁρμὴ dicitur,quod vi quadam ſe repentè proripiat. Non mediocris in his vis quædam animi atq; naturæ eſt. Quæ tamen vis gemina eſt.Vna in appetitu,altera in ratione poſita, quæ appetitum refrænet,& ſibi obedientem præſtet,& ducat quò velit,& tanquam ſedulo magiſterio edoceat quid fieri,quid euitari oporteat, vt bonæ dominatrici obtemperet. Soliciti enim debemus eſſe,ne quid temerè aut incurioſè geramus , aut quicquam omnino cuius probabilem nõ poſſimus rationem reddere. Actus enim noſtri cauſa,etſi nõ omnibus redditur, tamen ab omnibus examinatur. Nec verò habemus in quo nos poſſimus excuſare.Nam etſi vis quædam naturæ in omni appetitu ſit,tamen idẽ appetitus rationi ſubiectus eſt lege naturæ ipſius,& obedit ei.Vnde boni ſpeculatoris eſt,ita prætẽdere animo,vt appetitus neque præcurrat rationem, neq; deſerat: ne præcurrendo perturbet atque excludat , eámque deſerendo deſtituat. Perturbatio tollit conſtantiam, deſtitutio prodit ignauiam,accuſat pigriciam.Perturbata enim mente latius ſe ac lõgius fundit appetitus,& tanquam efferato impetu frænos rationis nõ ſuſcipit,nec vlla ſentit aurigæ moderamina,quibus poſſit reflecti.Vnde plerunque non ſolùm dum animus exagitatur, amittitur ratio: ſed etiam inflãmatur vultus, vel iracundia,vel libidine,palleſcit timore,voluptate ſe non capit,& nimia geſtit lætitia.Hæc cùm fiunt,abiicitur illa naturalis quędam cenſura,grauitáſque morum:nec teneri poteſt illa quæ in rebus gerendis atque conſiliis ſola poteſt authoritatẽ ſuam,atque illud quod deceat tenere,conſtantia.Grauior autem appetitus ex indignatione nimia naſcitur,quam acceptæ plerunque accendit iniuriæ dolor.De quo ſatis nos pſalmi quem in præfatione poſuimus, præcepta inſtruunt. Pulchrè autem & hoc accidit,vt ſcripturi de officiis,ea præfationis noſtrę aſſertione vteremur,quę & ipſa ad officij magiſterium pertineret.

De tribus generibus hominum iniurias accipientium. Caput XLVIII.

SED quia ſuprà,vt oportebat,perſtrinximus,quẽadmodum vnuſquiſque cauere poſſit ne excitetur accepta iniuria,verẽtes ne præfatio prolixior fieret,nunc de eo vberius diſputandum arbitror. Locus enim opportunus eſt,vt in partibus temperantiæ dicamus, quemadmodum reprimatur iracundia. Tria itaque genera eſſe hominum iniuriam accipientium , in ſcripturis diuinis demonſtrare volumus , ſi poſſumus. Vnum eſt eorum quibus peccator inſultat,conuitiatur,inquietat.Iis quia

deeſt

deest iustitia, pudor crescit, augetur dolor. Horum similes plurimi de meo ordine, de meo numero. Nam mihi infirmo si quis iniuriam facit, forsitã, licet infirmus, donem iniuriam meam. Si crimen obiiciat, non sum tantus, vt sim contentus conscientia mea, etiam si me eius obiecti alienum nouerim, sed cupio abluere ingenui pudoris notam, tanquam infirmus. Ergo oculum pro oculo & dentem pro dente exigo, & conuitium conuitio rependo. Si vero is sum qui proficiam, & si nondum perfectus, non retorqueo contumeliam: & si influat ille conuitiis, & inundet aures meas contumeliis, ego taceo, & nihil respondeo. Si verò perfectus sim (verbi gratia loquor, nam veritate infirmus sum) si ergo perfectus sim, benedico maledicentem, sicut benedicebat, & Paulus, qui ait: Maledicimur & benedicimus. Audierat enim dicentem: Diligite inimicos vestros, orate pro calumniantibus & persequentibus vos. Ideo Paulus persecutionem patiebatur & sustinebat, quia vincebat & mitigabat humanũ affectum propositæ mercedis gratia, vt filius dei fieret, si dilexisset inimicum. Tamen & sanctum Dauid in hoc quoq; genere virtutis imparem Paulo non fuisse edocere possumus: Qui primo quidem cùm malediceret ei filius Semei, & crimina obiiceret, tacebat & humiliabatur, & silebat à bonis suis, hoc est, bonorum operum conscientia: deinde expetebat maledici sibi, quia maledicto illo diuinam exquirebat misericordiam. Vide autem quomodo & humilitatem & iustitiam & prudentiam erendæ à domino gratiæ reseruauerit. Primo dicit: Ideo maledicit mihi, quia dominus dixit illi, vt maledicat. Habes hnmilitatem, quia ea quæ diuinitus imperabantur, æquanimiter quasi seruulus ferenda arbitrabatur. Iterum dixit: Ecce filius meus qui exiuit de ventre meo, quærit animam meam. Habes iustitiam. Si enim à nostris grauiora patimur, cur indignè ferimus quæ inferuntur ab alienis? Tertio ait: Dimitte illum vt maledicat, quoniam dixit illi dominus, vt videat humiliationem meam, & retribuet mihi dominus pro maledicto hoc. Nec iam solùm cõuitiantem pertulit, sed etiam lapidantem & sequentem illæsum reliquit, quinetiam post victoriam petenti veniam libenter ignouit. Quod eo inserui, vt Euangelico spiritu sanctum Dauid non solùm inoffensum, sed etiam gratum fuisse conuitianti docerem, & delectatum potius quàm exasperatum iniuriis, pro quibus mercedem sibi reddendam arbitrabatur. Sed tamen quanuis perfectus, adhuc perfectiora quærebat. Incalescebat iniurię dolore quasi homo, sed vincebat spiritu, quasi bonus miles. Tolerabat quasi athleta fortis: patientiæ autem finis promissorum expectatio, & ideo dicebat: Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum, qui est, vt sciam quid desit mihi. Finem illum quærit promissorum cœlestium, vel illum quando vnusquisque surget suo in ordine, primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt, deinde finis. Tradito enim regno deo & patri, & euacuatis omnibus potestatibus, vt Apostolus dixit, perfectio incipit. Hic ergo impedimentum, hic infirmitas etiam perfectorum, illic plena perfectio. Ideo & dies illos requirit vitæ æternæ qui sunt, non qui præteruent, vt cognoscat quid sibi desit, quæ terra sit repromissionis, perpetuos fructus ferens, quæ prima apud patrẽ mansio, quæ secunda, quæ tertia, in quibus pro ratione meritorum vnusquisque requiescit. Illa ergo nobis expetenda in quibus perfectio, in quibus veritas est. Hic vmbra, hic imago, illic veritas. Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœlestibus. Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert seipse quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, vbi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est.

Deuter.19.

1.Cor.4. Matth.5.

2.Reg.16.

Psalm.38.

1.Cor.15.

De vanitate calcanda. *Caput* 49.

ERgo dum hîc sumus, seruemus imaginem, vt ibi perueniamus ad veritatem. Sit in nobis imago iustitiæ, sit imago sapientię, quia veniemus ad illum diem, & secũdum imaginem æstimabimur. Non A inueniat in te aduersarius imaginem suam, non rabiem, non furorem. In his enim imago nequitiæ est. Aduersarius enim diabolus sicut leo rugiens quærit quem occidat, quem deuoret. Non inueniat auri cupiditatem, non argenti aceruos, non vitiorum simulacra, ne auferat tibi vocem libertatis. Vox enim libertatis illa est, vt dicas: Veniet huius mũdi princeps, & in me inueniet nihil: Itaque si securus es, quòd nihil in te inueniat, cum venerit perscrutari, dices illud quod dixit ad Laban Iacob patriarcha: Cognosce si quid tuorum apud me est. Meritò beatus Iacob, apud quem nihil Laban suum potuit reperire. Absconderat enim Rachel simulacra deorum eius aurea & argentea. Itaque si sapientia, si fides, si contemptus seculi, si gratia tua absc̃odat omnem perfidiam, beatus eris, quia non respicis in vanitates & insanias falsas. An mediocre est tollere vocem aduersario, vt arguendi te non possit habere authoritatem? Itaque qui non respicit in vanitates, non conturbatur: qui enim respicit, conturbatur, & vanissimè quidem. Quid est enim congregare opes, nisi B vanum? quia caduca quærere, vanum est latis. Cùm autem congregaueris, qui scias, an possidere liceat tibi? Nónne vanum est vt mercator noctibus ac diebus conficiat iter, quo aggerare possit thesauri aceruos, merces congerat, conturbetur ad precium, ne fortè minoris vendat quàm emerit, aucupetur locorum precia, & subitò aut latrones in se inuidia famosæ negociationis excitet, aut non expectatis serenioribus flatibus, dum lucrum quærit, naufragium impatiens moræ incidat? An non conturbatur etiam ille vanè, qui summo labore coaceruat, quod nescíat cui hæredi relinquat? Sæpe quod auarus summa congesserit solicitudine, præcipiti effusione dilapidat hæres luxuriosus: & diu quæsita, turpis hel luo, presentium cæcus, futuri improuidus, quadam absorbet voragine. Sæpe etiam speratus successor inuidiam partæ acquirit hæreditatis, & celeri obitu extraneis aditæ successionis transcribit compendia. Quid ergo vanè araneam texis, quæ inanis & sine fructu est, & tanquam casses suspendis inutiles diuitiarum copias, quæ & si fluant, nihil prosunt, imò C exuunt te imaginem dei, & induunt terreni imaginem? Si tyranni aliquis imaginem habeat, nónne obnoxius est damnationi? Tu deponis imaginem æterni imperatoris, & erigis in te imaginem mortis. Eiice magis de ciuitate animæ tuæ imaginem diaboli, & atrolle imaginẽ Christi. Hæc in te fulgeat in tua ciuitate, hoc est in anima resplendeat, quæ obliterat vitiorum imagines. De quibus ait Dauid: Domine, in ciuitate tua, ad nihilum deduces imagines eorum, Cum enim depinxerit illam Hierusalem dominus ad imaginem suam, tũc aduersariorum omnis imago delebitur.

1.Petri 5.

Ioan.14.

Gene.13.

Psalm.72.

Quod officiorum gratia ministros altaris maximè deceat, quod testimonio Leuitici comprobatur. *Cap.* 50.

QVòd si Euangelio domini etiam populus ipse ad despicientiam opum informatus atque institutus est, quantò magis vos leuitas oportet terrenis non teneri cupiditatibus, D quorum deus portio est? Nam cum diuideretur à Moyse possessio terrena patrum populo, excepit Leuitas dominus à terrenæ possessionis consortio, quod ipse illis esset funiculus hæreditatis. Vnde ait Dauid: Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Denique sic appellatur Leuita, ipse meus, vel ipse pro me. Magnum ergo munus eius, vt de eo dominus dicat, ipse meus. Vel quemadmodum Petro dixit de statere in ore piscis reperto: Dabis eis pro me & pro te. Vnde & Apostolus cum episcopum dixisset debere esse sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, docibilem, non auarum, non litigiosum, domui suæ bene præpositum: addidit, diaconos similiter oportet esse graues, nõ bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectãtes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem proben tur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes. Aduertimus, quanta in nobis requirantur, vt abstinens sit à vino minister domini, vt testimonio bono fulciatur, nõ solum

Psal.15.

Matth.17.

1.Tim.3.

fidelium,sed etiam ab his qui foris sunt. Decet enim actuum operúmque nostrorũ testem esse publicam existimationem & attestationem, ne derogetur muneri: vt qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, authorem prædicet, & dominum veneretur, qui tales seruulos habeat. Laus enim domini, vbi munda possessio, & innocens familiæ disciplina. De castimonia autem quid loquar, quando vna tantùm, nec repetita permittitur copula? Et in ipso ergo coniugio lex est, non iterare cõiugium, nec secundæ coniugis sortiri coniunctionem. Quod plerisque mirum videtur, cur etiam ante baptismum iteratij coniugij ad electionem muneris & ordinationis prærogatiuam impedimenta generentur, cùm etiam delicta obesse non soleant, si lauacri remissa fuerint sacramento. Sed intelligere debemus, quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In coniugio non culpa sed lex est. Quod culpæ est igitur, in baptismate relaxatur: quod legis est, in coniugio non soluitur. Quomodo autem potest hortator esse viduitatis, qui ipse coniugia frequentauerit? Inoffensum autem exhibendum & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri ministerij gratiam accepistis. Quod eo non præterij, quia in plerisque abditioribus locis cùm ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt, & id tanquam vsu veteri defendũt, quando per interualla dierum sacrificium deferebatur, & tamen castificabatur etiam populus per biduum aut per triduum, vt ad sacrificium purus accederet, vt in veteri testamento legimus: Et lauabat vestimenta sua. Si in figura tanta obseruantia, quanta in veritate? Disce sacerdos atque Leuita, quid sit lauare vestimenta tua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter & corpore, audes pro aliis supplicare, audes pro aliis ministrare? Non mediocre officium Leuitarum, de quibus dicit dominus: Ecce eligo Leuitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito aperiente vuluam in filiis Israel: redemptiones eorum erunt isti, & erũt Leuitæ mihi. Mihi enim sanctificaui primogenitum in terra Ægypti. Cognouimus, quia non inter cæteros Leuitæ computantur, sed omnibus præferuntur, qui eliguntur ex omnibus, & sanctificantur, vt primogenita fructuum atque primitiæ quæ domino deputantur, in quibus est votorum solutio, & redemptio peccatorum. Non accipies, inquit, eos inter filios Israel, & constitues Leuitas super tabernaculum testimonij, & super omnia vasa eius, altare & super quæcunque sunt ipso. Ipsi tollant tabernaculũ, & omnia vasa eius, & ipsi ministrent in eo, & in circuitu tabernaculi castra ipsi cõstituant, & promouendo, tabernaculum ipsi deponant Leuitæ: & constituendo castra, rursum ipsum tabernaculum ipsi statuant. Alienigena quicunque accesserit, morte moriatur. Tu ergo electus ex omni numero filiorum Israel, inter sacros fructus quasi primogenitus æstimatus, præpositus tabernaculo, vt prætendas in castris sanctitatis & fidei, ad quæ si alienigena accesserit, morte morietur, positus vt operias arcam testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur à Leuitis, ne videant qui videre non debent, & sumant qui seruare non possunt. Moyses denique circuncisionem vidit spiritalem, sed operuit eam vt in signo circuncisionem præscriberet. Vidit & azyma synceritatis & veritatis, vidit passionem domini, operuit azymis corporalibus azyma veritatis: operuit passionem domini, agni vel vituli immolatione: & boni Leuitæ seruauerunt mysterium fidei suæ sub hoc tegmine, & tu mediocre putas, quod commissum est tibi? Primùm vt alta dei videas, quod est sapientiæ: deinde vt excubias pro populo deferas, quod est iustitiæ: castra defendas, tabernaculúmq; tuearis, quod est fortitudinis: teipsum

A continentem ac sobrium præstes, quod est temperãtiæ. Hæc virtutum genera principalia constituerunt etiam hi qui foris sunt: sed communitatis superiorem ordinem quàm sapientiæ iudicauerunt, cum sapientia fundamentum sit, iustitia opus sit, quod manere non potest nisi fundamentum habeat. Fundamentum autem Christus est. Prima ergo fides, quæ est sapientia, vt Salomon dicit, secutus patrem: Initium sapiẽtiæ timor domini. Et lex dicit: Diliges dominum deum tuum, diliges proximum tuum. Pulchrum est igitur, vt gratiam tuam atque officia in societatem humani generis conferas. Sed primum illud decorum est, vt quod habes preciosissimum, hoc est, mentem tuam (qua nihil habes præstantius) deo deputes. Cùm solueris authori debitum, licet vt opera tua in beneficentiam & adiumenta hominum conferas, atque opem feras necessitatibus, aut pecunia, aut officio, aut etiam quocunque munere: quod latè patet in vestro ministerio. Pecunia, vt subuenias, debito obligatum liberes. Officio, vt seruanda suscipias, quæ metuit amittere, qui deponenda credidit. Officium est igitur depositum seruare ac

B reddere. Sed interdùm commutatio fit, aut tempore, aut necessitate, vt non sit officium reddere quod acceperis: Vt si quis contra patriam opem Barbaris ferens pecuniam apertus hostis reposcat, aut si cui reddas cùm adsit qui extorqueat, si furenti restituas cum seruare non queat, si insaniẽti gladium depositum non neges quo se ille interimat, nónne soluisse contra officium est? Si furto quæsita sciens suscipias, vt fraudetur qui amiserat, nónne contra officium est? Est etiam contra officium nonnũquam soluere promissum, sacramentum custodire: vt Herodes, qui iurauit quoniam quicquid petitus esset, daret filiæ Herodiadis, & necem Ioannis præstitit, ne promissum negaret. Nam de Iepte quid dicam, qui immolauit filiam, quæ sibi victori prima occurrerat, quo votum impleret quod spoponderat, vt quicquid sibi primum occurrisset, offerret deo. Melius fuerat nihil tale promittere, quàm promissum parricidio soluere. Hæc quanti consilij sit prospicere, non ignoratis. Et ideo eligitur Leuita, qui sacrarium custodiat, ne fallatur consilio, ne fidem deserat, ne mor

C tem timeat, ne quid intemperantius gerat, vt specie ipsa grauitatem præferat: nec solum animum, sed etiam oculos continentes habere quem deceat, ne vel ipse frontem sobrietatis fortuitus violet occursus: Quoniã qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, adulterauit eam in corde suo. Ita adulterium non solùm facti colluuione, sed etiam aspectus intentione committitur. Magna hæc videntur, ac nimis seuera, sed in magno munere non superflua, quando tanta est Leuitarum gratia, vt de his Moyses in benedictionibus diceret: Date Leui veros eius, date Leui manifestos eius, date Leui sortem suffragij sui, & veritates eius viro sancto, quem tentauerunt in tentationibus, maledixerunt super aquã contradictionis. Qui dicit patri suo & matri suæ, non noui te: & fratres suos non cognouit, & filios suos abdicauit: hic custodit verba tua, & testamentum tuum obseruabit. Illi ergo veri eius, & manifesti eius, qui nihil in corde doli habeant, nihil fraudis occultent, sed verba eius custodiant, & in corde suo conferant, sicut conferebat & Maria: qui suos parentes

D officio suo non nouerint præferendos, qui violatores oderint castitatis, pudicitiæ vlciscantur iniuriam, nouerint officiorum tempora, quod maius, quod minus sit, quod cuique aptum sit tempori, & vt id solùm sequantur quod honestum est. Sanè vbi duo honesta, id quod honestius est, præponendum putent. Hi iure benedicti. Si quis ergo manifestet iustitias dei, & incẽsum ponat, benedic domine virtutem ipsius, opera manuum eius suscipe, vt gratiam propheticæ benedictionis inueniat apud eum qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

1.Cor.3. Eccles.1. Deut.6.

Quando non sit reddendum depositum.

Matth.14.

Iudic.11.

Matth.5.

Deut.33.

CAPI-

CAPITVLA LIBRI SECVNDI OFFICIORVM.

Honeſtate vitam acquiri beatam. Caput I.

Beatitudinem multis & diuerſis modis philoſophos æſtimaſſe, ſed iuxta noſtros in cognitione diuina ſolummodo & bonis operibus conſtare. Cap.II.

Omnia philoſophorum apud nos argumenta vaneſcere, qui aut in ſola rerum ſcientia, aut voluptate, aut commoditate corporis & externa beatitudinem cõſtituere. Cap.III.

Beatitudinem doloribus & neceſſitatibus adipiſci, exempla de patribus. Cap.IIII.

Quæ putantur bona, plerunque impedimento eſſe ad beatam & æternam vitam: & quę mala, materias quaſdam eſſe virtutum & æternarum beatitudinum. Cap.V.

De vtili non quæſtuoſo illo, ſed iuſto & honeſto. Cap.VI.

Vtilitatem præcipuè fide & dilectione & æquitate metiendam: exempla de Dauid & Moyſe, qui idcirco maximè diligebantur à populis, quia pro ipſis ſeſe obiectarent periculis. Cap.VII.

Cõſilia plurimùm ad conciliationem valere aliorum, quod claruit in Salomone. Cap.VIII.

Virtutes omnes indiuiduas, ſed opinione vulgi ſeiũctas, nec tamen apud ipſum vulgus alteram ſine altera comprobari, non ſolùm à philoſophis, ſed plus etiam intimatur à noſtris. Cap.IX.

Myſtica interptatio ſuper Salomone & regina Saba. Cap.X.

Quòd à probis viris conſilium ſit requirendum: exempla de patribus. Cap.XI.

Improbos homines, licet prudentes videantur, fugiendos. Caput XII.

Sapientiã vitioſos homines ſibi vẽdicare nõ debere, quippe quę nullũ conſortiũ cum vitiis poteſt habere. Cap.XIII.

Quod prudentia omnibus virtutibus ſit aſſocia, maximè in cupiditate calcanda. Cap.XIIII.

De liberalitate quæ non ſolùm facultatum diſperſione, ſed & beneuolentia conſtat & conſilio. Cap.XV.

De ſobrietate quæ & temperantia, in liberalitate ſeruanda, exemplum de Ioſeph & eius prudentiſſimo per interpretationem ſomnij conſilio. Cap.XVI.

A qualis meriti viro conſilium ſit requirẽdum. Introducuntur Paulus & Ioſeph. Cap.XVII.

Quòd mali conſiliarij ſæpe fiant in ruinam. Introducitur Roboam conſilio iuuenum deceptus. Cap.XVIII.

Iuſtitia & beneuolentia & affabilitate non fucata plurimos poſſe conciliari. Cap.XIX.

Ad commendationes hominum plurimum valere ſi probatis adhæreant. exempla de patribus: & diſpares etiam ætate, vitæ delectari ſimilitudine. exemplum ponitur de Petro & Ioanne. Cap.XX.

De laude miſerationis & hoſpitalitatis, & malo prodigalitatis & inanis fauoris, & hoc maximè in ſacerdotibus reprehenditur, qui omnia ornatè & ordinatè agere debent. Caput XXI.

De modo inter remiſſionem & ſeueritatem conſeruando, & quod ſimulata remiſſio grauiores aliquando cauſas adoriatur, exemplum de Abſalon. Cap.XXII.

Quòd pecunia redẽpti non diu fidẽ cuſtodiãt. Cap.XXIII.

Bonis tantùm artibus ad honores nitendum, maximè Eccleſiaſticos, nec inferiores ordines ſimulatis virtutibus epiſcopo derogare, nec itẽ epiſcopum clero eſſe inuidũ, ſed iuſtum in omnibus maximè in iudicãdo. Cap.XXIIII.

Fauores & beneficia plus pauperibus quàm diuitibus eroganda, quia de eo quod diues fortè dedignatur, pauper maximam tibi habet gratiam, & quod beneficia non ſola pecunia fiant. Cap.XXV.

De malo auaritiæ. exempla de Balaam, & Acham, & Dalila. Caput XXVI.

De benignitate, & quòd excommunicatio tardius ſit exerenda. Cap.XXVII.

De bono compaſſionis, & quod ſacris eccleſiarum theſauris non ſit parcendum tempore neceſſitatis. Exempli cauſa inducitur Laurentius, & ipſe Ambro. Cap.XXVIII.

Depoſita viduarum, imò omnium fidelium in eccleſia cum ſui etiam periculo conſeruanda. exẽplum de Onia & Heliodoro, & ſeipſo, & Ticinenſi epiſcopo. Cap.XXIX.

Qui fugiendi, & qui ſint in bono zelandi. Cap.XXX.

DIVI AMBROSII EPISCOPI

Mediolanenſis Officiorum, Liber II.

Honeſtate vitam acquiri beatam. Caput I.

SVperiore libro de officiis tractauimus, quæ conuenire honeſtati arbitrabamur, in qua vitam beatã poſitam eſſe minimè dubitabamus, quam ſcriptura appellat vitam ęternam. Tantus enim ſplendor honeſtatis eſt, vt vitam beatã efficiant tranquillitas conſciẽtię, & ſecuritas innocentiæ. Et ideo ſicut exortus ſol, lunæ globũ & cætera ſtellarum abſcondit lumina: ita fulgor honeſtatis, vbi vero & incorrupto vibrat decore, cætera quæ putantur bona ſecundum voluptatẽ corporis, aut ſecundum ſeculum clara & illuſtria, obumbrat. Beata planè, quæ non alienis ęſtimatur iudiciis, ſed domeſticis percipitur ſenſibus, tanquam ſui iudex. Neq; enim populares opiniones pro mercede aliqua requirit, neq; pro ſupplicio pauet. Itaque quò minus ſequitur gloriã, eò magis ſuper eam eminet. Nam qui gloriam requirunt, his ea merces præſentium, vmbra futurorum eſt, quæ impediat vitam æternam: quod in Euangelio ſcriptum eſt: Amen dico vobis, receperunt mercedẽ ſuam: de his ſcilicet qui velut tuba canẽdo vulgare liberalitatem ſuam quam faciunt circa pauperes, geſtiũt. Similiter & de ieiunio quod oſtentationis cauſa faciunt. Habẽt, inquit, mercedem ſuam. Honeſtatis igitur eſt vel miſericordiam facere, vel ieiunium deferre in abſcondito, vt mercedem videaris à ſolo deo tuo quærere, non etiam ab hominibus. Nam qui ab hominibus quęrit, habet mercedem ſuam: qui autem à deo, habet vitam æternam, quam præſtare non poteſt niſi author æternitatis, ſicut illud eſt: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Vnde expreſſius ſcriptura vitam æternam appellauit eam quæ ſic ſit beata, vt non hominum opinionibus æſtimanda relinqueretur, ſed diuino iudicio committeretur. Matth.6. Luc.23.

Beatitudinem multis & diuerſis modis philoſophos æſtimaſſe, ſed iuxta noſtros in cognitione diuina ſolummodo & bonis operibus conſtare. Cap. II.

TAque philoſophi vitam beatã, alij in non dolendo poſuerũt, vt Hieronymus: Alij in rerum ſcientia, vt Herillus, qui audiẽs ab Ariſtotele & Theophraſto mirabiliter laudatã eſſe rerum ſcientiam, ſolam eam quaſi ſummũ bonum poſuit, cum illi eam quaſi bonum, non quaſi ſolum bonum laudauerint. Alij voluptatem dixerunt, vt Epicurus. Alij, vt Calipho, & poſt eũ Diodorus, ita interpretati ſunt, vt alter ad voluptatẽ, alter ad vacuitatem doloris, conſortiũ honeſtatis adiungerent, quòd ſine ea non poſſit eſſe beata vita. Zenon ſtoicus, ſolum & ſummum bonum quod honeſtũ eſt: Ariſtoteles autem & Theophraſtus & cæteri Peripatetici, in virtute quidẽ, hoc eſt, in honeſtate vitam beatam eſſe, ſed compleri eius beatitudinẽ etiam corporis voluptatibus atq; externis bonis aſſeruerunt. Scriptura autem diuina vitam beatã in cognitione poſuit diuinitatis, & fructu bonę operationis. Denique vtriuſque aſſertionis Euangelicum ſuppetit teſtimonium. Nam & de ſcientia ita dicit dominus Ieſus: Hæc eſt autem vita ęterna, vt cognoſcant te ſolum verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ. Et de operibus ita reſpondit: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Sed ne æſtimetur hoc recens eſſe, & prius tractatũ à philoſophis, quàm in Euangelio prædicatum: anteriores Euãgelio philoſophi, id eſt, Ariſtoteles, & Theophraſtus vel Zenon atq; Hieronymus, ſed poſteriores prophetis, accipiant, quàm longè antequã philoſophorum nomẽ audiretur, per os ſancti Dauid vtrũque apertè videatur expreſſum. Scriptũ eſt enim: Beatus homo quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Habemus & alibi: Beatus vir qui timet dominum, in mãdatis eius cupiet nimis. Docuimus de cognitione, cuius prẽmium æternitatis Ioan.17. Matth.19. Pſalm.93. Pſalm.111.

fructum esse commemorauit, adiiciens propheta, quia sint in domo huius timẽtis dominum, vel eruditi in lege, & cupiẽtis in mãdatis diuinis: gloria, inquit, & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculũ seculi. De operibus quoque in eodẽ psalmo subiunxit, vitæ æternæ suppetere præmium viro iusto. Denique ait: Beatus vir qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in seculum non commouebitur. In memoria æterna erit iustus. Et infra: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Habet ergo vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum. Habent & bona facta, quia vir iustus & dictis & rebus probatur. Nam & si exercitatus sit in sermonibus, & desidiosus in operibus, prudentiam suam factis repellit: & grauius est scire quid facias, nec fecisse quod faciendum cognoueris. Cõtra quoque strenuum esse in operibus, affectu infidum, ita est ac si vitioso fundamento pulchra culminum velis eleuare fastigia: quod quò plus struxeris, plus corruit: quia sine munimento fidei bona opera non possunt manere. Infida statio in portu nauem perforat, & arenosum solum citò cedit, nec potest impositæ ędificationis sustinere onera. Ibi ergo plenitudo præmij, vbi virtutum perfectio, & quædam in factis atque dictis æqualitas est sobrietatis.

Omnia philosophorum apud nos argumenta vanescere, qui aut in sola rerum scientia, aut voluptate, aut commoditate corporis & externa beatitudinem constituêre. Cap. 3.

QUoniã sola rerum scientia explosa est, vel quasi inanis secundum philosophię disputationes superfluas, vel quasi semiperfecta sentẽtia: consideremus quam enodẽ de eo diuina scriptura absoluat sententiã, de quo tam multiplices & implicatas atq; confusas videmus esse quęstiones philosophię. Nihil enim bonũ scriptura nisi quod honestũ asserit, virtutémque in omni rerum statu beatam iudicat, quę neque augeatur bonis corporis, vel externis, neq; minuatur aduersis: nihílq; beatum, nisi quod à peccato alienũ sit, plenum innocẽtiæ, plenum gratiæ dei. Scriptũ est enim: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorũ, & in via peccatorũ non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege domini fuit voluntas eius. Et alibi: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini. Innocentia igitur & scientia beatum faciũt. Bonæ quoque operationis mercedem esse beatitudinẽ vitæ æternæ, superius aduertimus. Restat igitur, vt spreto patrocinio voluptatis, aut doloris metu (quorũ alterum quasi infractum & molliculũ, alterum quasi euiratum & infirmum despuitur) in ipsis doloribus vitam beatam eminere demonstrem. Quod facilè doceri potest, cum legerimus: Beati estis, cùm vobis maledicẽt & persequẽtur, & dicent omne malum aduersum vos, mentientes propter iustitiã. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Sic enim persecuti sunt & prophetas ante vos. Et alibi: Qui vult venire post me, abneget se metipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Psalm.1.
Psalm.118.
Matth.5.
Matth.16.

Beatitudinem doloribus & necessitatibus adipisci, exempla de patribus. Caput 4.

ESt ergo beatitudo & in doloribus, quos plena suauitatis virtus cõprimit & coercet, ipsa sibi domesticis opibus abũdans, vel ad conscientiã vel ad gratiam. Neque enim parum beatus Moyses, cum Ægyptiorũ vallatus populis, & mari clausus, per fluctus sibi & populo patrum, pedestrẽ viam piis meritis inuenisset. Quando autem fortior, quàm tunc erat Moyses, cum extremis circumuentus periculis, non desperabat salutẽ, sed exigebat triumphum? Quid Aaron, quando se beatiorẽ credidit, quàm tunc quando medius stetit inter viuos ac mortuos, & obiectu sui statuit mortẽ, ne ad viuorum transiret agmina à cadaueribus mortuorum? Quid de puero Daniele loquar, qui tam sapiẽs erat, vt inter leones fame exasperatos, nulla bestialis sæuitiæ formidine frangeretur: ita alienus à metu vt posset epulari, nec vereretur ne ad pastum exẽplo sui feras prouocaret? Est ergo & in dolore virtus, quæ sibi bonæ suauitatem exhibeat conscientiæ: & ideo indicio est, quod non minuat dolor virtutis voluptatẽ. Sicut ergo nulla virtuti decessio beatitudinis per dolorem, ita etiam nulla accessio per voluptatem corpo-

Exod.14.
Hebr.11.
Num.16.
Daniel.14.

A ris, aut commodorum gratia. De quibus pulchrè Apostolus ait: Quæ mihi lucra fuerunt, hæc duxi propter Christum detrimenta esse. Et addidit: Propter quem omnia duxi damna, & æstimo vt stercora, vt Christum lucrifaciã. Denique Moyses damnum suum credidit thesauros esse Ægyptiorũ, & opprobriũ dominicæ crucis prætulit, nec tunc diues cùm abundaret pecunia, nec postea pauper cùm egeret alimento: nisi fortè tunc alicui minus beatus videtur fuisse, cum in deserto quotidiana alimonia sibi & populo suo deforet. Sed quod summi boni ac beatitudinis nemo negare audeat, manna ei, hoc est, panis angelorum ministrabatur è cœlo, carnes quoque quotidiana pluuia totius plebis epulis redũdabant. Heliæ quoque sancto panis ad victum deerat, si quæreretur: sed non videbatur deesse, quia non quærebatur. Itaque diurno coruorum obsequio, mane panis, caro ad vesperam deferebatur. Nũquid ideo minus beatus, quia pauper erat sibi? Minimè. Imò eò magis beat⁹, quia deo diues. Aliis enim quàm sibi diuitem esse præstat, vt iste erat, qui tẽpore famis cibum
B à vidua petebat, largiturus ei vt hydria farinæ per triennium & sex mẽses non deficeret, & per quotidianos vsus olei vas viduæ inopi sufficeret ac ministraret. Meritò ibi volebat Petrus esse, vbi istos videbat. Meritò in monte cum Christo in gloria apparuerunt, quia & ipse pauper factus est, cum diues esset. Nullum ergo adminiculum præstant diuitiæ ad vitam beatam. Quod euidenter dominus in Euangelio demonstrauit, dicens: Beati pauperes, quoniam vestrum est regnũ dei. Beati qui nunc esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Beati qui nunc fletis quia ridebitis. Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur mala, non solum impedimento non esse ad vitam beatam, sed etiam adiumentò, euidentissimè pronunciatum est.

Philipp.3.
Hebr.11.
Exod.16.
3.Reg.17.
Ibidem.
Matth.17.
2.Cor.8.
Lucæ 6.

Quæ putantur bona, plerunque impedimento esse ad beatam & æternam vitam: & quæ mala, materias quasdam esse virtutum & æternarum beatitudinum. Caput 5.

SEd & illa quæ vidẽtur bona, diuitias, satietatem, lætitiam expertẽ doloris, detrimento esse ad fru-
C ctum beatitudinis, dominico declaratũ iudicio liquet, cum dicitur: Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationẽ vestram: Vę vobis qui saturati estis, quia esurietis. Et illis qui rident, quia lugebũt. Sic ergo non solùm adminiculo non sunt ad vitam beatã, corporis aut externa bona, sed etiã dispẽdio sunt. Inde enim beatus Nabuthe: etiam cùm lapidaretur à diuite, quia pauper & infirmus aduersus opes regias solo erat affectu & religione diues, vt pecunia regali non cõmutaret paternæ vineæ hæreditatẽ, eóque perfectus, quia sanguine proprio defenderet iura maiorum suorum. Inde quoque miser Achab, etiã suo iudicio, quia paupere rem necari fecerat, vt eius possideret vineam. Certum est, solum & summum bonum esse virtutẽ, eámque abundare solam ad vitæ fructum beatæ, nec externis aut corporis bonis, sed virtute sola vitam præstari beatam, per quam vita æterna acquiritur. Vita enim beata fructus præsentiũ, vita autem æterna spes futurorum est. Sũt tamen qui in hoc corpore tam infirmo, tam fragili, impossibilem vitam beatam putant, in
D quo necesse est angi, dolere, deplorare, ægrescere: quasi verò ego in corporis exultatione dicam vitam beatam consistere, & non in altitudine sapientiæ, suauitate conscientiæ, virtutis sublimitate. Nõ enim in passione esse, sed victorẽ esse passionis beatũ est, nec frangi temporalis motu doloris metuẽtem accidere hæc quæ grauia ad vim doloris feruntur, cęcitatem, exilium, famem, stuprum filiæ, amissionem liberorum. Quis neget beatum Isaac, qui non videbat in senectute, & beatitudines suis benedictionibus cõferebat? An nõ beatus Iacob, qui profugus patria domo, mercenarius pastor exilium sustinuit, filiæ pudicitiã ingemuit esse temeratam, famẽque pertulit? Non ergo beati, quorũ fide deus accipit testimoniũ, cum dicitur: Deus Abrahã, deus Isaac, deus Iacob? Misera est seruitus, sed non miser Ioseph, imò planè beatus, cùm dominæ libidines in seruitute positus coerceret. Quid de sancto Dauid loquar qui triũ filiorũ deplorauit obitũ, Amnõ & Absalõ, atq; infantuli ex ea quę fuit Vriæ nati: & quod his durius, incestũ filiæ Thamar? Quo non beatus, de cuius successione beatitudinis author exortus est, qui plurimos fecit beatos?

Ibidem.
Genes.27.
Genes.31.
Genes.34.
Gen.39.
2.Reg.12. 13. & 18.
3.Reg.21.

X Scantudo vit qd.

Beati

Ioan.20. Beati enim qui non viderunt & crediderunt. Fuerunt & ipſi
Hebr.11. in ſenſu infirmitatis, ſed conualuerũt de infirmitate fortes.
Tobiæ 2. Quid laborioſius autem ſancto Iob, vel in domus incendio, vel filiorum decem interitu momentario, vel doloribus corporis? Nunquid minus beatus, quàm ſi illa non pertuliſſet, in quibus magis probatus eſt? Eſto tamen fuiſſe in illis aliquid acerbitatis: quem virtus animi non abſcõdit dolorem? Neq; enim profundum mare negauerim, quia vadoſa ſunt littora: Neque cœlum lucidum, quia interdum obtexitur nubibus: neque terram fœcundam, quia aliquibus locis ieiuna glarea eſt: aut lætas ſegetes, quia intermixtam ſolent habere ſterilem auenam. Similiter puta beatæ meſſem conſcientiæ interpellari aliquo acerbo dolore. Nónne totius manipulis vitæ beatæ, ſi quid fortè accidit aduerſi atque amaritudinis, tanquam ſterilis auena abſconditur, aut tanquam lolij amaritudo frumenti ſuauitate obducitur? Sed iam ad propoſita pergamus.

De vtili, non qnæſtuoſo illo, ſed iuſto & honeſto. Cap. VI.

SVperiore libro ita diuiſionem fecimus, vt primo loco eſſet honeſtum ac decorũ, à quo officia ducerentur: ſecundo loco quid vtile. Et quemadmodum in primo diximus, quia inter honeſtum & decorũ eſt quædam diſtinctio, quę magis intelligi quàm explicari poſſit: ſic & cùm vtile tractamus, conſiderandum videtur quid vtilius. Vtilitatem autem non pecuniarij lucri eſtimatione ſubducimus, ſed acqui
1.Tim.4. ſitione pietatis, ſicut Apoſtolus ait: Pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ præſentis & futuræ. Itaque in ſcripturis diuinis, ſi diligenter quæramus, ſæpe inueni
1.Cor.6. mus quod honeſtum eſt, vtile vocari. Omnia mihi licent, ſed non omnia vtilia ſunt. Supra de vitiis loquebatur. Nunc ergo dicit: Licet peccare, ſed nõ decet. In poteſtate ſunt peccata, ſed non ſunt honeſta. Luxuriari prõptum eſt, ſed non iuſtum. Non enim deo eſca, ſed ventri colligitur. Ergo quia quod vtile, id etiam iuſtũ: iuſtum eſt, vt ſeruiamus Chriſto, qui nos redemit. Ideo iuſti qui pro eius nomine morti ſe obtulerunt. Iniuſti qui declinauerunt, de quibus dicitur: Quæ
Pſalm.29. vtilitas in ſanguine meo, dum deſcẽdo in corruptionem? Id eſt, quis iuſtitiæ meæ profectus? Vnde & illi: Alligemus iu-
Sapien.2. ſtum, quia inutilis eſt nobis, id eſt, iniuſtus, qui nos arguit, condemnat, corripit. Licet hoc poſſit etiam ad auaritiam hominum impiorum deriuari, quæ perfidiæ vicina eſt. Sicut in Iuda proditore legimus, qui auaritiæ ſtudio & pecuniæ cupi
Matth.27. ditate, laqueum proditionis incurrit atque incidit. De hac igitur tractandum eſt vtilitate, quæ ſit plena honeſtatis, ſicut
1.Corin.7. ipſis verbis definiuit Apoſtolus dicens: Hoc autem ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum iniiciam vobis, ſed ad id quod honeſtum eſt. Liquet igitur quod honeſtum eſt, vtile & iuſtum eſſe: & quod vtile, honeſtũ & iuſtum: & quod iuſtum, vtile & honeſtum. Neque enim mihi ad mercatores lucri cupidine auaros, ſed ad filios ſermo eſt, & ſermo de officiis, quæ vobis (quos elegi in miniſterium domini) inculcare geſtio atque infundere, vt ea quæ mentibus ac moribus veſtris vſu atque inſtitutione inolita atque impreſſa ſunt, etiam ſermone ac diſciplina aperiantur. Itaque de vtilitate di-
Pſalm.118. cturus, vtar illo verſiculo prophetico: Declina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam: ne vtilitatis ſonus excitet pecuniæ cupiditatem. Denique aliqui habẽt: Declina cor meum in teſtimonia tua, & non ad vtilitatem: hoc eſt, illam quæſtuum nundinas aucupãtem vtilitatem, illam vſu hominum ad pecuniæ ſtudia inflexam ac deriuatam. Vulgo enim hoc ſolum dicunt vtile, quod quæſtuoſum. Nos autem de ea
1.Tim.6. tractamus vtilitate, quæ damnis quæritur, vt Chriſtum lucremur, cuius quæſtus eſt pietas cum ſufficientia. Magnus profecto quæſtus quo pietatem acquirimus, quæ apud deum dives eſt, non caducis facultatibus, ſed muneribus æternis: in quibus non tentatio lubrica, ſed conſtans & perpetua ſit gratia. Eſt ergo vtilitas, alia corporalis, alia pietatis, ſicut diuiſit
Ibidem 4. Apoſtolus. Corporalis enim exercitatio ad modicum inquit vtilis eſt, pietas autem ad omnia vtilis eſt. Quid autem tam honeſtum, quàm integritas? Quid tam decorum, quàm immaculatum ſeruare corpus, & inuiolatum atque incontaminatum pudorem? Quid etiam tam decorum, quàm vt vidua A vxor defuncto coniugi fidem ſeruet? Quid etiam hoc vtilius, quo regnum cœleſte acquiritur? Sũt enim qui ſe caſtra- Matth.19. uerunt propter regnum cœlorum.

Vtilitatẽ præcipuè fide ac dilectione & æquitate metiendam: exempla de Dauid & Moyſe, qui idcirco maximè deligebantur à populis, quia pro ipſis ſeſe obiectarent periculis.

Caput VII.

EST igitur non ſolum familiare cõtubernium honeſtatis & vtilitatis, ſed eadem quoque vtilitas quæ honeſtas. Ideo & ille qui regnũ cœlorum volebat omnibus aperire, non quod ſibi vtile quærebat, ſed quod omnibus. Vnde ordo quidam nobis & gradus faciendus eſt, etiam ab his vſitatis & communibus ad ea quæ ſunt præcellentia, vt ex pluribus vtilitatis colligamus profectũ. Ac primùm nouerimus nihil tam vtile quàm diligi, nihil tam inutile quàm non amari. Nã odio haberi, exitiale ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, vt omni ſedulitate commendemus exiſtimationem opinionémque noſtram, ac primum placiditate mentis & animi benignitate influamus in affectum hominum. Popularis enim & grata eſt omnibus bonitas, nihilque quod tam facilè illabatur humanis ſenſibus. Ea ſi mãſuetudine morum ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate ſermonis, verborúmque honore, patiẽti quoque ſermonum vice, modeſtiæque adiuuetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim non ſolum in priuatis, ſed etiam in ipſis regibus, quantum facilitas blãdæ affabilitatis profecerit, aut ſuperbia verborúmque obfuerit tumor, vt regna ipſa labefactaret, & poteſtatem ſolueret. Iam ſiquis conſilio, vſu, miniſterio, officiis popularem comprehendat gratiam, aut ſiquis periculum ſuum pro vniuerſa plebe offerat, non eſt dubium quod tantum charitatis à plebe in eum refundatur, vt populus ſalutem eius & gratiam ſibi præferat. Quantas Moyſes à populo illatas abſor- Exod.32. bebat contumelias, & cùm dominus in inſolentes vindicare vellet, ſe tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ plebem ſubduceret. Quàm miti ſermone poſt iniurias appellabat populum, cõſolabatur in laboribus, delinibat oraculis, fouebat operibus. Et cùm deo conſtanter Exod.34. loqueretur, homines tamen humili & grata appellatione af- Deut.34. fari ſolebat. Meritò æſtimatus eſt ſupra homines, vt & vultum eius non poſſent intendere, & ſepulturam eius non repertam crederent: quia ſic ſibi totius plebis mentes deuinxerat, vt plus eum pro manſuetudine diligerent, quàm pro factis admirarẽtur. Quid eius imitator ſanctus Dauid, electus 1.Reg 16. ex omnibus ad plebem regendam, quàm mitis & blandus, humilis ſpiritu, ſedulus corde, facilis affatu? Ante regnum ſe pro omnibus offerebat, rex cum omnibus æquabat ſuam militiam, & partiebatur laborem, fortis in prælio, manſuetus in imperio, patiens in conuitio, ferre magis promptus quàm referre iniurias. Ideo tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum etiam inuitus peteretur, & reſiſtẽs cogeretur, ſenex ne prælio intereſſet à ſuis rogaretur, quòd mallẽt omnes pro ipſo periclitari, quàm illum pro omnibus. Ita ſibi gratis of- 2.Reg 2. ficiis plebem obligauerat. Primùm vt in diſcordiis populi exulare in Hebron mallet, quàm in Hieruſalẽ regnare. Deinde vt etiam in hoſte poſitam virtutem diligeret: iuſtitiam etiam his qui arma contra ſe tulerant, æquè ac ſuis præſtandam putaret. Denique fortiſſimum aduerſæ partis propugnatorem Abner ducem, & inferẽtem prælia miratus eſt, & Ibidem 3. orantem pacis gratiam, non aſpernatus honorauit cõuiuio: interemptũ inſidiis, doluit & fleuit: proſequutus exequias, honeſtauit: mortem vltus, conſcientię fidem præſtitit, quam filio inter hæreditaria iura tranſcripſit, magis ſolicitus, ne innocẽtis mortem inultam relinqueret, quàm quo ſuam mortem doleret. Non mediocre iſtud, præſertim in rege, ſic obire humilitatis munia, vt communem ſe exhiberet etiam in fimis, alieno periculo cibum non quærere, potum recuſare, peccatum fateri, ſéque ipſum pro populo offerre morti, vt in ſe diuina indignatio conuerteretur, cum ferienti angelo offerens ſe diceret: Ecce ſum ego qui peccaui, & ego paſtor malum feci, & iſte grex quid fecit? Fiat manus tua in me. 2.Reg.24. Nam quid alia dicam, quòd dolum meditantibus os ſuum

non aperiebat,& tanquam non audiens,nullum sermonem referendum putabat?Non respondebat conuitiis, cùm sibi derogaretur orabat, cum malediceretur benedicebat. Ambulans in simplicitate,& superborum fugitans arrogãtiam, sectator extitit immaculatorum.Qui cinerem miscebat alimẽtis suis,cùm peccata propria deploraret, & potum suum temperabat fletibus.Meritò sic expetitus est ab vniuerso populo,vt venirent ad eum omnes tribus Israel dicentes: Ecce nos ossa tua & caro tua sumus : & heri & nudiustertius cùm esset Saul & regnaret super nos,tu eras qui producebas & inducebas Israel.Et dixit tibi dominus: Tu pasces populum meũ.Et quid plura de eo dicam, de quo huiusmodi dei processit sententia, vt de eo diceret : Inueni Dauid seruum meum secundum cor meum ? Quis enim in sanctitate cordis & iustitia sicut iste ambulauit, vt impleret voluntatem dei?Propter quem & delinquentibus posteris eius venia data,& prærogatiua est reseruata hæredibus. Quis igitur non diligeret eum,quem videbat ita charum amicis, vt quia ipse syncere amicos diligebat,æquè diligi se à suis amicis arbitraretur?Denique parentes eum filiis suis,filij præferebant parẽtibus.Vnde grauiter indignatus Saul, percutere Ionathan filium suum hasta voluit,quia pluris apud eum valere Dauid amicitiam iudicabat,quàm vel pietatem vel authoritatẽ paternam. Etenim ad incentiuum charitatis communis plurimum proficit,si quis vicem amantibus reddat,nec minus redamare se probet,quàm ipse amatur, idque amicitiæ fidelis patet exẽplis.Quid enim tam populare quàm gratia? Quid tam insitum naturæ, quàm vt diligentem diligas ? Quid tam inolitũ atque impressum affectibus humanis, quàm vt eum amare inducas in animum, à quo te amari velis? Meritò Sapiens dicit:Perde pecuniam propter fratrem & amicum.Et alibi:Amicum salutare non erubescam, & à facie illius non me abscõdam.Siquidem vitæ & immortalitatis medicamentũ in amico esse, Ecclesiasticus sermo testatur. Et summum in charitate præsidium nemo dubitauerit,cum Apostolus dicat:Omnia suffert,omnia credit,omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam cadit.Ideo Dauid non cecidit, quia charus fuit omnibus, & diligi à subiectis quàm timeri maluit. Timor enim temporalis tutaminis seruat excubias, nescit diuturnitatis custodiam.Itaque vbi timor decesserit,audacia obrepit:quoniam fidem non timor cogit, sed affectus exhibet. Prima ergo ad commendationem nostri est charitas.Bonum est ergo testimonium habere de plurimorum dilectione.Hinc nascitur fides, vt committere se tuo affectui non vereantur etiam alieni, quem pluribus charum aduerterint. Similiter etiam per fidem ad charitatem peruenitur: vt qui vni aut duobus præstiterit fidem, tanquam influat in animos vniuersorum,& omnium acquirat gratiam.

Psalm.101. 2.Reg.5. 1.Reg.20. Eccles.29. Eccles.22. 1.Cor.13.

Consilia plurimorum ad conciliationem valere aliorum,quòd clarsit in Salomone. Caput 8.

DVO igitur hæc ad commendationem nostri plurimum operantur, charitas & fides, & tertium hoc, si habeas quod in te admiratione dignũ plerique existiment,& iure honorandum putent.Et quia consiliorum vsus maximè conciliat homines,ideo prudentia & iustitia in vnoquoque desiderãtur,& ea expectantur à pluribus:vt in quo ea sint illi deferatur fides,quo possit vtile consilium ac fidele desideranti dare . Quis enim ei se committat , quem non putet plus sapere , quàm ipse sapiat qui quærit consilium?Necesse est igitur, vt præstantior sit à quo cõsilium petitur,quàm ille est qui petit.Quid enim consulas hominem,quem non arbitreris posse melius aliquid reperire,quàm ipse intelligis?Quod si eum inueneris qui viuacitate ingenij,mentis vigore atque authoritate prẽstet,& accedat eò vt exemplo & vsu paratior sit,præsentia soluat pericula , prospiciat futura, denunciet imminentia , argumenta expediat,remedium ferat in tempore,paratus sit non solum ad consulendum,sed etiam ad subueniendum: huic ita fides habetur,vt dicat qui consilium petit: Et si mala mihi euenerint , per illum sustineo . Huiusmodi igitur viro salutem nostram & existimationem committimus , qui sit (vt supra diximus)iustus & prudẽs.Facit enim iustitia,vt nullus sit fraudis metus:facit etiam prudentia,vt nulla erroris suspitio sit. Promptius tamen nos iusto viro quàm prudenti committimus,vt secundum vsum vulgi loquar. Cæterùm sapientum definitione,in quo vna virtus est,concurrunt cæteræ,nec potest sine iustitia esse prudentia.Quod etiam in nostris inuenimus.Dicit enim Dauid : Iustus autem miseretur & fœnerat.Quid fœneret iustus,alibi dicit:Iocundus vir qui miseretur & fœnerat,disponet sermones suos in iudicio.Ipsum illud nobile Salomonis iudicium nónne sapientiæ plenum ac iustitiæ est? Itaque spectemus illud si ita est.Duæ,inquit,mulieres in conspectu regis Salomonis steterunt , & dixit vna ad eum:Audi me domine:Ego & hęc mulier in vno habitantes cubiculo , ante diem tertium partu edito singulos filios suscepimus,& eramus vnà,arbiter nullus domi,nec vlla alia fœmina nobiscũ nisi nos solæ : & mortuus est filius eius hac nocte,vt obdormiuit super eum,& surrexit media nocte, & accepit filium meum de sinu meo,& collocauit eum in sinu suo,& filium suum mortuum posuit in sinu meo.Et surrexi mane vt lactarem paruulũ,& inueni eum mortuum.Et consideraui illum diluculo,& non erat filius meus.Et respondit altera:Nõ,sed filius meus est hic qui viuit, filius autem tuus qui mortuus est.Et hæc erat contentio , cùm vtraque filium sibi vendicaret superstitem , defunctum autem suum negaret.Tunc rex iussit afferri machæram,& infantem diuidi,& singulas partes dari singulis,dimidiam vni,& dimidiam alteri.Exclamauit mulier quæ vero erat affectu percita:Nequaquam domine infantem diuidas,detur potius illi & viuat,& non interficias eum.At respõdit altera: Neque meus,neque huius sit infans,diuidite eum.Et statuit rex dari infantem ei mulieri quæ dixerat:Nolite interficere eum,sed date eum illi mulieri:quia mota sunt,inquit,viscera eius in filio suo. Itaque non immeritò æstimatus est intellectus dei in eo esse, in quo occulta sunt dei.Quid autem occultius,quàm internorum viscerum testimonia,in quæ sapientis intellectus velut quidam pietatis descendit arbiter,& velut quandam genitalis alui vocem eruit,qua maternus patuit affectus,qui elegerat filium suum vel apud alienam viuere, quàm in conspectu matris necari? Sapientiæ igitur fuit,latentes distingue re conscientias , ex occultis eruere veritatem , & velut quadam machæra ita spiritus gladio penetrare, non solum veteri,sed etiam animæ & mẽtis viscera.Iustitiæ quoque,vt quæ suum necauerat,alienum non tolleret , sed vera mater reciperet suum.Denique etiam scriptura hoc pronunciat.Audiuit,inquit,omnis Israel hoc iudicium,quod iudicauit rex:& timuerunt à facie regis, eo quòd intellectus dei in eo esset, vt faceret iustitiam. Denique & ipse Salomon ita popoposcit sapientiam , vt daretur sibi cor prudens audire & iudicare cum iustitia.

1.Reg.3.

Virtutes omnes indiuiduas, sed opinione vulgi seiunctas,nec tamen apud ipsum vulgus alteram sine altera comprobari,non solum à philosophis, sed plus etiam intimatur à nostris.

Caput 9.

LIquet igitur etiam secũdum scripturam diuinam quæ antiquior est,sapiẽtiam sine iustitia esse non posse:quia vbi vna earum virtutum , ibi vtraque est.Daniel quoque quàm sapienter alta interrogatione fraudulentę accusationis deprehendit mendacium, vt calumniatorum sibi respõsio non conueniret? Prudentiæ igitur fuit vocis suæ testimonio reos prodere. Iustitiæ quoque nocentes supplicio dare,innocentem subducere. Est ergo indiuiduum sapientiæ atque iustitiæ contubernium , sed vulgi vsu diuiditur vna quædam forma virtutum, vt temperantia sit in despiciendis voluptatibus : fortitudo spectetur in laboribus & periculis, prudentia in delectu bonorum,sciens commoda & aduersa distinguere : iustitia quæ sit bona custos iuris alieni,& vindex proprietatis,suum cuique conseruans.Sit igitur nobis communis opinionis gratia,quadripartita hæc facta diuisio,vt ab illa subtili disputatione philosophiæ sapientiæque , quæ limandæ veritatis causa quasi ex adyto quodam eruitur, retrahentes pedem, forensem vsum ac popularem sensum sequamur.Hac igitur diuisione seruata,reuertamur ad propositum. Prudentissimo cuique causam nostram committimus, & ab eo consilium promptius quàm

Daniel.13.

quàm à cæteris poſcimus. Præſtat tamen fidele iuſti conſilium viri, & ſapientiſſimi ingenio frequenter præponderat. Prou.27. Vtiliora enim vulnera amici, quàm alienorum oſcula:

Myſtica interpretatio ſuper Salomone & regina Saba. Cap. 10.

DEnique quia iuſti iudicium eſt, ſapientis autem argumẽtum: in illo cenſura diſceptationis, in hoc calliditas inuentionis. Quod ſi vtrunque connectas, erit magna conſiliorum ſalubritas, quæ ab vniuerſis ſpectatur admiratione ſapiẽtiæ & amore iuſtitiæ, vt omnes quærant audire ſapiẽtiam eius viri, in quo vtriuſque virtutis copula ſit: ſicut quærebant omnes reges terræ videre faciem 3.Reg 10. Salomonis, & audire ſapiẽtiam eius, ita vt & Saba regina veniret ad eum, & tentaret eum in quæſtionibus. Et venit, inquit, & omnia locuta eſt quæ habebat in corde ſuo, & audiuit omnem ſapientiam Salomonis, nec vllum verbum præteriit eam. Quæ ſit iſta, quam nihil prętereat, nec ſit aliquid quod ei non annunciauerit verus Salomon, cognoſce ô homo ex his quæ audis loquentem. Verus eſt, inquit, ſermo B quem audiui in terra mea de ſermonibus tuis, & de prudentia tua, & non credidi his qui dicebant mihi, donec veni, & viderũt oculi mei, & nunc non eſt nec dimidia quidem pars ſecundum ea quę annunciabantur mihi. Appoſuiſti bona ſuper omnia quæ audiui in terra mea. Beatæ mulieres tuæ, & beati pueri tui qui aſſiſtũt tibi, qui audiunt omnem prudentiam tuam. Intellige cõuiuium veri Salomonis: & quę apponuntur in eo conuiuio, intellige ſapiẽter, & conſidera in qua terra congregatio nationum audierit famam ſapientiæ veræ atq; iuſtitiæ, & quibus eum viderit oculis, contemplantibus 2.Cor.4. vtique quæ non videntur. Quoniam quæ videntur, temporalia ſunt: quę autem non vidẽtur, æterna. Quæ ſunt beatæ mu Matth.12. lieres, niſi illæ de quibus dicitur: Quia multæ verbum dei audiunt & pariunt? Et alibi: Quicunque enim verbum dei fecerit, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt. Qui etiam pueri tui beati qui aſſiſtunt, niſi Paulus qui dicebat: V ſque in hunc Lucæ 2. diem ſto proteſtans minori ac maiori: & Simeon qui expectabat in templo vt videret cõſolationem Iſrael? Quomodo ergo dimitti poſceret, niſi quia aſſiſtens domino, diſcedendi habere facultatem non poterat: niſi voluntatem domini adeptus eſſet? Exempli cauſa propoſitus eſt nobis Salomon, à quo certatim vt audiretur eius ſapientia poſtulabatur.

Quod à probis viris conſilium ſit requirendum: Exemplum de patribus. Caput 11.

Gene.40. & 41. IOſeph quoq; nec in carcere feriatus erat, quo minus de rebus incertis conſuleretur. Cuius conſilium Ægypto vniuerſę profuit, vt non ſentiret ſeptem annorum ſterilitatem, alióſque populos miDaniel.2. 7.& ſeq.capitibus. ſeræ famis leuaret ieiunio. Daniel ex captiuis regaliũ conſultorum arbiter factus, conſiliis ſuis emendauit præſentia, annunciauit futura. Ex his enim quæ frequenter interpretatus oſtenderat veri ſe eſſe annuncium, fides ei in omnibus deferebatur. Sed etiam tertius locus de his qui admiratione digni æſtimarentur, Ioſeph, Salomonis & Danielis exẽplo decurſus videtur. Nam quid de Moyſe loquar, cuius omnis Iſrael quotidie cõſilia præſtolabatur, quorum vita fidem facie bat prudentiæ, admirationémque eius augebat? Quis ſe non committeret conſilio Moyſi, cui ſeniores ſi qua ſupra ſuum intellectum & virtutem eſſe arbitrarẽtur diiudicanda ſeruabant? Ezech.28. Quis Danielis conſilium refugeret, de quo ipſe deus dixit: Quis Daniele ſapientior? Aut quomodo dubitare homines de eorum mentibus poſſent, quibus deus tantam confe rebat gratiã? Moyſi conſilio bella conficiebantur, Moyſi meritis de cœlo affluebat alimonia, potus è petra. Quàm purus Daniel.14. Danielis animus, vt mulceret Barbaros mores, mitigaret leones? Quæ in illo temperantia? quanta animi & corporis continentia? Nec immeritò mirabilis factus omnibus, quando (quod vehementer admirantur homines,) regalibus fultus amicitiis, aurum non quærebat, nec delatum ſibi honorem Hebr.11. Gen.39. pluris faciebat quàm fidem. Quinetiam periclitari malebat pro lege domini, quàm pro gratia hominis inflecti. Nam de ſancti Ioſeph, (quem penè prætereram,) caſtimonia & iuſtitia quid dicam: quarũ altera illecebras heriles reſpuit, refutauit præmia: altera mortẽ contẽpſit, metum repulit, carcerem A prę optauit? Quis hũc priuatæ cauſę ad conſulendũ idoneum non iudicaret, cuius ferax animus & mens fertilis, temporis Genes.41. ſterilitatem quodam conſiliorũ & cordis vbere fœcũdauit?

Improbos homines licet prudentes videantur fugiendos. Cap. 12.

ADuertimus igitur, quod in acquirendis conſiliis plurimũ adiungat vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vſus, frugalitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis è turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria eſt, vbi intemperantia, vbi vitiorum cõfuſio, quis inde ſibi aliquid hauriendũ exiſtimet? Quis non deſpiciat morum colluuionem? Quis vtilem cauſæ alienæ iudicet, quem videt inutilem vitæ ſuæ? Quis iterum improbũ, maleuolum, contumelioſum non fugiat, & ad nocẽdum paratum? Quis non eum omni ſtudio declinet? Quis verò, quanuis inſtructum ad conſilij opem, difficilem tamen acceſſu, ambiat, in quo ſit illud, tanquam ſiquis aquæ fontem præcludat? Quid enim prodeſt habere ſapientiam, ſi conſilium neges? Si conB ſulendi intercludas copiam, clauſiſti fontem, vt nec aliis influat, nec tibi proſit. Pulchrè autem & de illo cõuenit, qui habens prudentiam, commaculat eam vitiorum ſordibus, eo quod aquæ exitum contaminet. Degeneres animos vita arguit. Quomodo enim eum potes iudicare conſilio ſuperiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet eſſe, cui me cõmittere paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi det conſiliũ, quod non dat ſibi: & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacet: cuius animum voluptates occupẽt, libido deuinciat, auaritias ſubiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hic cõſilij locus, vbi nullus quieti? Admirandus mihi & ſuſpiciendus conſiliarius, quem propitius dominus patribus dedit, offenſus abſtulit. Huius imitator debet eſſe, qui poteſt conſilium dare, & alienam à vitiis cuſtodire prudẽtiam, quia nihil inquinatum in illam incurrit. Apoc.21.

Sapientiam vitioſos homines ſibi vendicare non debere, quippe quæ nullum conſortium cum vitiis poteſt habere. Cap. 13.

QVIS igitur tantam vultu ſpeciem præferat C pulchritudinis, & beluinis poſterioribus ac ferinis vnguibus formæ ſuperioris dehoneſtet gratiam: cùm tam admirabilis & præclara forma virtutum ſit, & ſpecialiter pulchritudo ſapientiæ, ſicut ſeries ſcripturę indicat? Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem ſtellarum diſpoſitionem luci cõparata inuenitur purior. Lucem etenim hanc ſuſcipit nox, ſapientiam autem non vincit malitia. Dixi mus de eius pulchritudine, & ſcripturę teſtimonio comprobauimus: ſupereſt vt doceamus ſcripturæ authoritate nullum ei cõtubernium cum vitiis eſſe, ſed indiuiduam cum cæteris virtutibus coniunctionem, cuius ſpiritus eſt diſertus, ſine inquinamẽto, certus, ſanctus, amans bonum, acutus, qui nihil vetet benefacere, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem Sapien.7. habens virtutem, omnia proſpiciens.

Quòd prudentia omnibus virtutibus ſit aſſocia, maximè in cupiditate calcanda. Cap. 14.

OMnia igitur operatur prudẽtia, cum omnibus bo D nis habet conſortium. Nam quomodo poteſt vtile conſiliũ dare, niſi habeat iuſtitiam, induat conſtantiam, mortem non formidet, nullo terrore, nullo reuocetur metu, nulla adulatione à vero deflectẽdum putet: exilium non refugiat, quæ nouerit ſapienti patriam mũdum eſſe: egeſtatem non timeat, quæ nihil deeſſe ſapienti ſciat, cui totus mundus diuitiarum eſt? Quid enim præcelſius illo viro, qui auro moueri neſciat, contemptum habeat pecuniarũ, & velut ex arce quadam deſpiciat hominum cupiditates? Quod qui fecerit, hunc homines ſupra hominem eſſe arbitrantur. Quis eſt, inquit, & laudabimus eum? Fecit Eccleſ.31. enim mirabilia in vita ſua. Quomodo enim non admirãdus, qui diuitias ſpernit, quas plerique ſaluti propriæ prætulerũt? Decet igitur omnes cenſura frugalitatis, continentiæ authoritas, & maximè eum qui honore præſtet, ne præminentem virum theſauri poſſideant ſui, & pecuniis ſeruiat, qui præeſt liberis. Illud magis decet, vt ſupra theſaurum ſit animo, & infra amicum obſequio. Humilitas enim gratiam auget. Hæc plena laudis & digna primario viro, non communem cum

Tyriis negociatoribus & Galatis mercatoribus habere turpis lucri cupidinem, nec omne bonum locare in pecunia, & tãquam mercennario munere quotidianos numerare quæstus calculari compendio.

De liberalitate, quæ non solum facultatum dispersione, sed & benevolentia constat & consilio. Cap. 15.

QVòd si ab his sobrium gerere animum, laudabile est: quantò illud præstantius si dilectionẽ multitudinis liberalitate acquiras, neque superflua circa importunos, neque restricta circa indigentes? Plurima autem genera liberalitatis sunt, non solùm quotidiano sumptu egentibus, quo vitam suam sustinere possint, disponere ac dispensare alimoniam: verumetiam his qui publicè egere verecũdantur, consulere ac subuenire, quatenus communis egenorum alimonia non exhauriatur. De eo enim loquor qui præest alicui muneri, vt si officium sacerdotis gerat, aut dispensatoris, vt de his suggerat Episcopo, nec reprimat si quem positũ in necessitate aliqua cognouerit, aut deiectum opibus ad inopiæ necessitatem redactum, maximè si non effusione adolescentiæ, sed direptione alicuius & amissione patrimonij in eam reciderit iniuriam, vt sumptũ exercere diurnum non queat. Summa etiam liberalitas, captiuos redimere, eripere ex hostiũ manibus, subtrahere neci homines, & maximè fœminas turpitudini, reddere parentibus liberos, parentes liberis, ciues patriæ restituere. Nota sunt hæc nimis Illyrici vastitate & Thraciæ, quanti vbique venales erant toto captiui orbe: quos si reuoces, vnius prouinciæ numerum explere non possint. Fuerunt tamen qui etiam quos ecclesiæ redemerunt, in seruitutem reuocare vellent, ipsa grauiores captiuitate, qui inuiderent alienam misericordiam. Ipsi si in captiuitatem venissent, seruirent liberi: si venditi fuissent, seruitutis ministerium non recusarent: & volunt alienam libertatem rescindere, qui suam seruitutem non possent rescindere, nisi fortè precium recipere emptori placeret: in quo tamẽ non rescinditur seruitus, sed redimitur. Præcipua est igitur liberalitas, redimere captiuos, & maximè ab hoste Barbaro, qui nihil de ferat humanitatis ad misericordiam, nisi quòd auaritia reseruauerit ad redemptionem: æs alienum subire, si debitor soluendo non sit, atque artetur ad solutionem, quæ sit iure debita, & inopia destituta: enutrire paruulos, pupillos tueri. Sunt etiam qui virgines orbatas parẽtibus tuendæ pudicitiæ gratia connubio locent, nec solum studio sed etiam sumptu
1. Tim. 5. adiuuẽt. Est etiam genus illud liberalitatis quod Apostolus docet, si quis fidelis habet viduas, subministret illis, vt earum alimoniis ecclesia non grauetur, vt his quæ verè viduæ sunt sufficiat. Vtilis igitur huiusmodi liberalitas, sed non communis omnibus. Sunt enim pleriq; etiam viri boni, qui tenues sunt censu, cõtenti quidem exiguo ad sui vsum, sed non idonei ad subsidium leuandæ paupertatis alienæ. Tamen suppetit aliud beneficentiæ genus, quo iuuare possint inferiorem. Est enim duplex liberalitas, vna quæ subsidio rei adiuuat, id est, vsu pecuniæ: altera quæ operarum collatione impẽditur, multò frequenter splendidior, multóque clarior. Quantò illustrius
Gen. 14. Abrahã captum armis victricibus recepit nepotem, quàm si redemisset? Quantò vtilius regem Pharaonem sanctus Ioseph consilio prouidentiæ iuuit, quàm si contulisset
Gene. 41. pecuniam? Pecunia enim vnius ciuitatis non redemit vbertatem, prospicientia totius Ægypti per * quinquennium famem repulit. Facilè autẽ pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciũt. Hæc vsu augentur, pecunia minuitur, & citò deficit, atque ipsam destituit benignitatem: vt quò pluribus largiri volueris, eò pauciores adiuues, & sæpe tibi desit quod aliis conferẽdum putaueris. Consilij autem operisq; collatio, quò in plures diffunditur, eò redũdantior manet, & in suum fontem recurrit. In se enim refluit vbertas prudentię: & quò pluribus fluxerit, eò exercitius fit omne quod remanet.

* Septennium.

De sobrietate, quæ & temperantia, in liberalitate seruanda. Exemplum de Ioseph, & eius prudentissimo per interpretationem somnij consilio. Cap. 16.

LIquet igitur debere esse liberalitatis modum, ne fiat inutilis largitas: cuius sobrietas tenenda est, maximè sacerdotibus, vt non pro iactantia, sed pro iustitia dispensent. Nusquam enim maior auiditas petitionis. Veniunt validi, veniunt nullam causam nisi vagandi habentes, & volunt subsidia vacuare pauperum, exinanire sumptum: nec exiguo contenti, maiora quærunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione licitantes incrementa quæstuum. His si quis facilè deferat fidem, citò exhaurit paupertũ alimoniis profutura compendia. Modus adsit largiendi, vt nec illi inanes recedant, neque transcribatur vita pauperum in spolia fraudulentorum. Ea ergo mensura sit, vt neque humanitas deseratur, nec destituatur necessitas. Plerique simulant debita: sit veri examen. Exutos se per latrocinia deplorant: aut iniuria fidem faciat, aut cognitio personæ, quo propensius iuuentur. Ab ecclesia relegatis sumptus impartiendus, si desit eis alendi copia. Itaque qui modum seruat, auarus nulli, sed largus omnibus est. Non enim solas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos considerandis necessitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas, quàm vox pauperi. Neque verò fieri potest, vt non extorqueat amplius importunitas vociferantium, sed non semper impudentiæ locus sit. Videndus est ille qui te non videt, requirendus ille, qui erubescit videri. Ille etiam clausus in carcere, occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam personet, qui aures non potest. Quo plus te operari viderit populus, magis diliget. Scio plerosque sacerdotes, quò plus contulerunt, plus abundasse: quoniam quicunque bonum operarium videt, ipsi confert, quod ille suo officio dispenset, securus quod ad pauperem sua perueniat misericordia. Nemo enim vult, nisi pauperi proficere suam collationem. Nam si quem aut immoderatum aut nimis tenacem dispensatorem viderit, vtrunque despiciet, si aut superfluis erogationibus dissipet alieni fructus laboris, aut recondat sacculis. Sicut igitur modus liberalitatis tenendus est, ita etiam calcar plerunque adhibẽdum videtur. Modus ideo, vt quod benefacis, id quotidie facere possis, ne subtrahas necessitati quod indulseris effusioni. Calcar propterea, quia melius operatur pecunia in pauperis cibo, quàm in diuitis sacculo. Caue ne intra loculos tuos includas salutem inopum, & tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum. Potuit donare Ioseph totas opes Ægypti, & effundere thesauros regios: noluit tamen de alieno effusus videri: maluit frumenta vendere, quàm donare esurientibus: quia si paucis donasset, plu- Genes. 41.
ribus defuisset. Eam liberalitatem probauit, quæ abundaret omnibus. Patefecit horrea vt omnes emerent subsidium frumentarium, ne gratis accipiendo cultus terrarum relinquerent: quoniam qui alieno vtitur suum negligit. Itaque primum omnium coaceruauit pecunias, deinde instrumenta cætera, ad postremum iura terrarum regi acquisiuit: non vt omnes exueret suo, sed fulciret, publicum tributum constitueret, quo sua tutius habere possent. Quod ita fuit gratum omnibus quibus terras ademerat, vt non venditionem sui iuris, sed redemptionem salutis putarent. Denique dixerunt: Sanasti nos, inuenimus gratiam in conspectu domini Genes. 47.
nostri. Nam & de proprietate nihil amiserant, qui ius recepe rant: & de vtilitate nihil perdiderant, qui acquisierant perpetuitatem. O virum magnum, qui non largitatis superfluæ temporalem captauit gloriam, sed perpetuam commoditatem constituit ptouidentiæ. Fecit enim vt tributis populi se iuuarent suis, nec in tempore necessitatis aliena subsidia desiderarent. Melius enim fuit conferre aliquid de fructibus, quàm totum de iure amittere. Quintam portionem collationis statuit, & in prouidendo perspicacior, & in tributo liberalior. Denique nunquam postea Ægyptus huiusmodi famem pertulit. Quàm præclarè autem collegit futura: Pri- Genes. 41.
mum quàm argutè regalis interpres somnij veritatem expressit. Somnium regis primum hoc fuit. Septem iuuencæ Pharaonis
ascendebant de flumine visu decoræ, & pingues corpore, & somnium.
ad oram pascebantur fluminis. Aliæ quoque vitulæ visu deformes ac ieiunæ corpore, post illas iuuencas ascendebant de flumine, & iuxta eas in ipso riparum thoro pascebantur: & visæ sunt hæ vitulæ tenues atque exiles deuorare illas quæ præstabant & forma, & gratia. Et somnium secundum hoc fuit: Septem spicæ pingues, electæ & bonæ de terra surgebant:

bant: & post eas septem spicæ exiles & vento corruptæ ac A marcidæ se subiicere moliebantur: & visum est quòd lætas & vberes spicas, steriles spicæ & tenues deuorauerunt. Hoc somnium ita aperuit sanctus Ioseph, eo quòd septem iuuencæ septem anni forent, & septem spicæ similiter septem anni forent ex fœtu & fructu interpretatus tempora. Fœtus enim iuuencæ annum exprimit, & fructus segetis annum consummat integrum. Quæ ideo ascendebant de flumine, quod dies anni ac tempora fluminis prætereunt modo & cursim labuntur. Annos itaque septem priores vberes, terræ fertiles ac fœcundos declarat futuros. Posteriores autem alios septem annos steriles atque infœcundos, quorum sterilitas absumptura foret vbertatem superiorum. Qua gratia prospiciendum admonuit, vt vberioribus annis congregaretur subsidium frumentarium, quod sustentare posset in opiam futuræ infœcunditatis, Quid primum mirer? Ingenium quo in ipsum veritatis descendit cubile, an consilium quo tam graui atque diuturnæ prospexit necessitati: an vigilantiam atque iustitiam: quarum altera impositio sibi tanto munere congregauit tam multiplices commeatus, altera æqualitatem per omnes seruauit? Nam de magnanimitate quid loquar? quod venditus à fratribus in seruitutem non retulit iniuriam, sed famem depulit: Quid de suauitate qua dilecti fratris præsentiam pia fraude quæsiuit, quem simulato per elegantiam furto reum statuit rapinæ, vt obsidem teneret gratiæ? Vnde meritò ei à patre dicitur: Filius
Gen.49. ampliatus meus Ioseph, filius meus ampliatus, zelotes filius meus, filius meus adolescentior. Adiuuet te deus meus, & benedicat te benedictione cœli à summo, benedictione terræ habentis omnia propter benedictiones patris tui & matris tuæ. Prævaluit super benedictiones montium manentium, & desideria collium æternorum. Et in Deuteronomio: Qui visus est, inquit, in rubo, veniat super caput
Deut.33. Ioseph, & super verticem ipsius, honorificus inter fratres suos primitiuus: tauri decus eius, cornua vnicornis cornua ipsius. In ipsis gentes ventilabit simul vsque ad extremum terræ Ipsi decem milia Effraim, & ipsi milia Manasses.

A qualis meriti viro consilium sit requirendum, Introducuntur Paulus & Ioseph. Caput 17.

TAlis itaque debet esse qui consilium alteri det, vt seipsum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate: vt sit eius sermo salubris atq; irreprehensibilis, consilium vtile, vita honesta, sententia decora. Ta-
1. Corin.7. lis erat Paulus, qui consilium dabat virginibus, magisterium sacerdotibus, vt primum seipsum præberet nobis formam ad imitandum. Ideo & humiliari sciebat, sicut sciuit & Ioseph, qui summo ortus patriarcharum genere, non dedignatus degenerem seruitutem, exhibat eam obsequiis, illustrabat virtutibus. Sciuit humiliari, qui & venditores & emptorem passus est, & dominum appellabat eum. Audi hu-
Gen.39. miliantem se: Si dominus meus præter me nihil scit indomo sua, & omnia quæcunque habet, dedit in manus meas, neque subtractum est à me quicquam præter te, quæ vxor D illius es, quomodo faciam verbum malum hoc, & peccabo coram domino? Plena vox humilitatis, plena castimoniæ. Humilitatis, quia domino deferebat honorificentiam, quia referebat gratiam. Plena quoque castimoniæ, quia turpi flagitio contaminari, graue peccatū putabat: Talis igitur debet esse cōsiliarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum quod vitam eius ac mores refellat, nihil improbum ac maleuolum, quod auertat consulentes. Alia sunt enim quæ fugiuntur, alia quæ contēnuntur. Fugimus ea quæ possunt nocere, quę malicioſè possunt in noxam serpere: vt si is qui consulitur, dubia sit fide, & pecuniæ auidus, vt possit precio mutari, si iniuriosus, hic fugitur ac declinatur. Qui verò voluptarius, intemperans, & si alienus à fraude, tamen auarus & cupidior lucri turpis, hic contēnitur. Quod enim specimen industriæ, quem fructum laboris edere potest, quam recipere animo curam ac soli-
Philip.4. citudinem, qui se corpori dederit atque ignauiæ? Ideo boni vir consilij dicit: Ego autem didici, in quibus sum sufficiens esse. Sciebat enim omnium malorum radicem esse auaritiam, & ideo suo contentus erat, alienum non requirebat. Satis mihi, inquit, est, quod habeo, siue parum siue plurimum habeam, mihi plurimum est. Expressius aliquid dicendū videtur. Signato verbo vsus est. Sufficit mihi, inquit, in quo sum: id est, nec deest, nec superfluit. Non deest, quia nihil quæro amplius. Non superfluit, quia non soli mihi habeo, sed pluribus. Hoc de pecunia. Cæterùm de omnibus dici potest, quia sufficiebant illi præsentia: hoc est, non honorē maiorē, non obsequia vberiora desiderabat, non gloriæ immodicæ cupidus, aut gratiam indebitè quærebat, sed debiti finem certaminis, patiens laboris, securus meriti præstolabatur. Scio, inquit, & humiliari. Non ergo indocta humilitas, Philip.4. sed quę habeat sui modestiam & scientiā, laudi datur. Est enim humilitas formidinis, est & imperitię atque ignorātię. Ideo & scriptura ait: Et humiles spiritu saluabit. Preclarè ergo dixit: Scio & humiliari, id est, quo in loco, qua moderati- Psalm.33. one, quo fine, in quo officio, in quo munere. Nescivit Pha- Lucæ 18. riseus humiliari. ideo deiectus est sciuit publicanus, ideo iu- Philip.4. stificatus est. Sciebat & abūdare Paulus, qui animū habebat diuitem, & si thesaurum diuitis non habebat. Sciebat abundare, quia non quærebat datum in pecunia, sed requirebat fructum in gratia. Possumus & sic intelligere, quia sciebat abundare, quipoterat dicere: Os nostrum patet ad vos ô Co- 1. Cor. 6. rinthij, cor nostrū dilatatū est. In omnibus erat imbutus, & saturari & esurire. Beatus qui sciebat saturari in Christo. Nō ergo illa corporalis, sed spiritalis est saturitas, quam operatur scientia. Et meritò scientia opus est, quia non in pane so- Deut. 8. lo viuit homo, sed in omni verbo dei, Ergo qui sic sciebat Matth. 4. saturari & sic esurire, sciebat vt semper noua quæreret, esurire & sitire dominum. Sciebat esurire, qui sciebat, quia esurientes manducabunt: sciebat & poterat abundare, qui nihil habebat, & possidebat omnia.

Quod mali consiliarij sæpe fiant in ruinam, Introducitur Roboam consilio iuuenum deceptus. Caput 18.

C GRegiè itaque viros alicui præsidentes muneri commendat iustitia, econtrà iniquitas destituit atque impugnat. Exemplo nobis est scriptura quæ dicit: Cùm populus Israel post mortem Salomonis rogasset filium eius Roboam, vt releuaret ceruices 2. Reg. 12. eorum à seruitute dura, & paterni imperij tēperaret austeritatem, illum spreto senili consilio de suggestione adolescentium responsum dedisse huiusmodi, quod & onus adiiceret super patris iugum, & leuiora grauioribus suppliciis mutaret. Quo responso exasperati populi responderunt: Non est nobis portio cum Dauid, neque hæreditas in filiis Iesse. Reuertere vnusquisque id tabernacula tua Israel, quoniam hic homo neque in principem neque in ducem erit nobis. Itaque desertus à populo ac destitutus, vix duarum tribuum propter Dauid meritum habere potuit societatem.

Iustitia & beneuolentia & affabilitate non fucata plurimos posse conciliari. Caput 19.

D CLaret ergo quoniam & æquitas imperia confirmet, & iniustitia dissoluat. Nam quomodo potest malicia regnum possidere, quæ ne vnam quidem priuatam potest regere familiam? Summa igitur benignitate opus est, vt nō solum publica gubernacula, sed etiā priuata iura tueamur. Plurimùm iuuat beneuolentia, quæ omnes studet beneficiis amplecti, deuincire officiis, oppignerare gratia. Affabilitatem quoque sermonis diximus, ad conciliandam gratiam valere plurimū. Sed hanc volumus esse syncerā ac sobriam sine vlla adulatione, ne simplicitatem ac puritatem alloquij dedeceat sermonis adulatio. Forma enim esse debemus cæteris, non solùm in opere, sed etiam in sermone, in castitate, ac fide. Quales haberi volumus, tales simus; & qualem affectum habemus, talem aperiamus. Neque dicamus in corde nostro verbum iniquum, quod abscondi putemus silentio ab eo qui audit in occulto dicta, qui occulta facit, & cognoscit secreta viscerum, qui sensum visceribus infudit. Ergo tanquam sub oculis constituti iudicis, quicquid gerimus, in luce positum putemus, vt omnibus manifestetur.

Ad tem-

Ad commendationes hominum plurimum valere si probatis adhæreant: Exempla de patribus: & dispares etiam ætate, vitæ delectari similitudine: Exemplum ponitur de Petro & Ioanne. Caput 20.

PLurimùm itaque prodest vnicuique bonis iungi. Adolescentibus quoque vtile, vt claros & sapientes viros sequantur: quoniam qui congreditur sapientibus, sapiens est: qui autem cohæret imprudentibus, imprudens agnoscitur. Et ad institutionem itaque plurimùm proficit, & ad probitatis testimonium. Ostendunt enim adolescentes eorum se imitatores esse, quibus adhæserint: & ea conualescit opinio, quòd ab his viuendi acceperint similitudinem, cum quibus conuersandi hauserint cupiditatem. Inde tantus Iesus Naue, quòd eum non solum erudiuit ad legis scientiam Moysi copula, verùm etiam sanctificauit ad gratiam. Denique cùm in eius tabernaculo diuina refulgeret præsentia, & videretur maiestas domini, solus erat in tabernaculo Iesus Naue. Moyses cum deo loquebatur: Iesus pariter nube sacra tegebatur. Presbyteri & populus deorsum stabant: Iesus cum Moyse ad accipiendam legem ascendebat. Omnis populus intrà castra erat: Iesus extra castra in tabernaculo testimonij. Cùm columna nubis descenderet, & loqueretur cum Moyse, quasi fidus astabat minister. Nec exibat de tabernaculo iuuenis, cùm seniores longè positi diuina trepidarent miracula. Vbique igitur inter admiranda opera & reuerenda secreta sancto Moysi indiuiduus adhærebat. Vnde factum est, vt qui fuerat socius conuersationis, fieret successor potestatis. Meritò vir huiusmodi euasit, vt sisteret fluminum cursus, diceret: Stet sol, & staret Sol quasi eius spectator victoriæ, noctem differret, diem produceret: & quod Moysi negatum est, solus eligeretur, vt populum introduceret in terram repromissionis. Magnus vir fidei miraculis, magnus triumphis. Illius augustiora opera, huius prosperiora. Vterque igitur diuina subnixus gratia, vltra humanam processit conditionem. Ille mari, hic cælo imperauit. Pulchra itaque copula seniorum atque adolescentium. Alij testimonio, alij solatio sunt, alij magisterio, alij delectationi. Omitto quòd Abrahæ sit Loth adolescentulus etiam proficiscenti, ne fortè hoc propinquitatis magis fuisse existimetur & necessariæ potius quàm voluntariæ adiunctionis. Quid de Helia atque Helisæo loquamur? Licet enim nō expressè Helisæum iuuenem scriptura significauerit, aduertimus tamen & colligimus iuniorem fuisse. In Actibus Apostolorum Barnabas Marcum assumpsit, Paulus Silan, Paulus Timotheum, Paulus Titum. Sed illis superioribus videmus diuisa officia, vt seniores consilio præualerent, iuueniores ministerio. Plerunque etiam virtutibus pares, dispares ætatibus, sui delectantur copula, sicut delectabantur Petrus & Ioannes. Nam adolescentem legimus in euangelio Ioannem & sua voce, licet meritis & sapientia nulli fuerit seniorum secundus. Erat enim in eo senectus venerabilis morum, & cana prudentia. Vita enim immaculata, bonæ senectutis stipendium est.

Prouer.13.

Deut.31.

Iosue.10.

Sapien.4.

De laude miserationis & hospitalitatis, & malo prodigalitatis & inanis fauoris, & hoc maximè in sacerdotibus reprehenditur, qui omnia ornatè & ordinatè agere debent. Caput 21.

ADiuuat hoc quoque ad profectum bonæ existimationis. si de potentis manibus eripias inopem, de morte damnatum eruas, quantum sine pertur batione fieri potest, ne videamur iactantiæ magis causa facere, quàm misericordiæ, & grauiora inferre vulnera, dum leuioribus mederi desideramus. Iam si oppressum opibus potentis, & factione magis quàm sceleris sui precio grauatum liberaueris, egregiæ conualescit opinionis testimonium. Commendat plerosque etiam hospitalitas. Est enim publica species humanitatis, vt peregrinus hospitio nō egeat, suscipiatur officiosè, pateat aduenienti ianua. Valde id decorum totius est orbis existimatione, peregrinos cum honore suscipere, non deesse mensæ hospitalitatis gratiam, occurrere officiis liberalitatis, explorare aduentus hospitum. Quod Abrahæ laudi est datum, qui ante ianuam suam speculabatur, ne fortè præteriret peregrinus aliquis, & diligenter prætendebat excubias vt occurreret, vt præueniret, vt rogaret, ne transiret hospes, dicēs: Domine, si inueni gratiam ante te, ne præterieris puerum tuum. Et ideo pro hospitalitatis mercede fructum posteritatis recepit. Loth quoque nepos eius, non solùm genere, sed etiam virtute proximus, propter hospitalitatis affectum, Sodomitana à se suisque supplicia detorsit. Decet igitur hospitalem esse, benignum, iustum, non alieni cupidum, imò de suo iure cedentem potius aliqua si fuerit lacessitus, quàm aliena iura pulsantem: fugitantem litium, abhorrentem à iurgiis, redimentem concordiam & tranquillitatis gratiam. Si quidem de suo iure virum bonum aliquid relaxare, nō solùm liberalitatis, sed plerunque etiam commoditatis est. Primum dispendio litis carere, non mediocre est lucrum. Deinde accedit ad fructum quo augetur amicitia, ex qua oriuntur plurimæ commoditates, quæ contemnenti aliquo in tempore postea fructuosæ sint. In officiis autem hospitalibus omnibus quidem humanitas impartienda est, iustis autem vberior deferenda honorificentia. Quicunque enim iustum receperit in nomine iusti, mercedē iusti accipiet, vt dominus pronunciauit. Tanta autē est apud deum hospitalitatis gratia, vt ne potus quidem aquæ frigidæ à præmiis remunerationis immunis sit. Vides quia Abraham deum recepit hospitio dum hospites quærit? Vides quia Loth angelos suscepit? Qui scis an & tu cùm suscipis hospitem suscipias Christum? Licet in hospite sit Christus, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait: In carcere eram, & venistis ad me: nudus eram, & operuistis me. Suaue est igitur nō pecuniæ, sed gratiæ studere. Verùm hoc malum iamdudum humanis influxit mentibus, vt pecunia honori sit, & animi hominum diuitiarum admiratione capiantur. Inde se immersit auaritia, veluti quædam bonorum ariditas officiorum, vt homines damnum putent, quicquid præter morem impenditur. Sed etiam in hoc aduersus auaritiam, ne quod afferre possit impedimentum, prospexit scriptura venerabilis, dicens: Quia melior est hospitalitas cum oleribus. Et infra: Melior est panis in suauitate cum pace. Non enim prodigos nos docet esse scriptura, sed liberales. Largitatis enim duo sunt genera. Vnum liberalitatis, alterum prodigæ effusionis. Liberale est hospitio suscipere, nudum vestire, redimere captiuos, non habentes sumptum iuuare. Prodigum est, sumptuosis affluere conuiuiis, & vino plurimo. Vnde legisti: Prodigum est vinum, & contumeliosa ebrietas, Prodigum est popularis fauoris gratia exinanire proprias opes. Quod faciunt qui ludis circensibus vel etiam theatralibus & muneribus gladiatoris, vel etiam venationibus patrimonium dilapidant suum, vt vincant superiorum celebritates, cùm totum illud sit inane quod agunt. Quandoquidē etiam bonorum operum sumptibus immoderatum esse non deceat. Pulchra liberalitas erga ipsos quoque pauperes mensuram tenere, vt abundes pluribus, non conciliandi fauoris gratia vltra modum fluere. Quicquid ex affectu puro ac syncero promitur, hoc est decorum. non superfluas ædificationes aggredi, nec prætermittere necessarias. Et maximè sacerdoti hoc conuenit, ornare dei templum decore congruo, vt etiā hoc cultu aula domini resplendeat, impensas misericordiæ conuenientes frequentare, quantum oporteat largiri peregrinis, non superflua, sed competentia: non redundantia, sed congrua humanitati, ne sumptu pauperum alienam sibi quærat gratiam, ne restrictiorem erga clericos aut indulgentiorem se præbeat. Alterum enim inhumanum, alterum prodigum, si aut sumptus desit necessitati eorum, quos à sordidis negociationis aucupiis retrahere debeas, aut voluptatis superfluat.

Matth.10.

Matth.25.

Prouer.15.

Prouer.20.

De modò inter remissionem & seueritatem conseruando, & quòd simulata remissio grauiores aliquando causas adoriatur, exemplum de Absalon. Caput 22.

QVinetiam verborum ipsorum & præceptorum esse mēsuram cōuenit, ne aut nimia remissio videatur, aut nimia seueritas. Plerique enim remissiores malūt esse, vt videantur boni. Sed nihil simulatum

simulatū & fictū veræ virtutis esse certū est, quinetiam diuturnū esse non solet. In principio vernat: in processu tanquā flosculus dissipatur & soluitur. quod autem verum ac syncerum alta radice fundatur. Et vt exemplis assertiones nostras probemus (quoniam quæ simulata sunt diuturna esse non possunt, sed tanquam ad tempus virentia citò decidunt) ex ea familia ex qua nobis plurima ad virtutis profectum exempla accersiuimus, vnum simulationis & fraudis proferamus testimonium. Absalon erat Dauid regis filius, decore
2. Reg. 15. insignis, egregius forma, præstans iuuenta, ita vt vir talis in Israel non reperiretur, à vestigio pedis vsque ad verticem immaculatus. Is fecit sibi currus, & equos, & viros quinquaginta, qui præcurrerent ante eum. Surgebat diluculo, & stabat ante portam in via: & si quem aduertisset regis iudicia quærentem, accedebat ad eum, dicens: Ex qua ciuitate es tu? Respondit ille: Ex vna tribu sum de tribubus Israel seruus tuus. Referebat Absalon: Verba tua bona sunt & directa: & qui te audiat non est tibi datus à rege. Quis cōstituet me iudicem? Et quisquis ad me veniet, cuicunque fuerit iudicium necessarium, iustificabo illum. Talibus delinibat sin B gulos sermonibus. Et cùm accederent adorare eum, extendens manus suas, apprehendebat atque osculabatur eos. Sic conuertit in se corda omnium, dum blanditiæ huiusmodi in timorum tangunt viscerum sensum. Sed delicati isti & ambitiosi elegerunt honorabilia & grata ad tempus & iocunda. Vbi autem parua processit dilatio, quam prudens omnium propheta paulisper cedendo interponendam putauit, non potuerunt tolerare ac sustinere. Denique non dubitans de victoria Dauid, commendabat filium dimicaturis, vt ei parcerent. Ideóque nec prælio interesse maluit, ne vel referre arma parricidæ, licet videretur, sed tamen * filio. Li-
*filioli. quet igitur ea esse perpetua ac solida, quæ vera sunt, & quæ syncerè potiùs quàm dolo congregantur. Ea verò quæ simulatione, atque assentatione parta sunt, non posse diu perseuerare.

Quòd pecunia redempti non diu fidem custodiant, quia quos semel pecunia redemeris, semper se remissione & adulatione putant redimendos. Cap. 23.

C

QVis igitur vel illos qui pecunia ad obediētiam redimuntur, vel eos qui assentatione inuitantur, fidos sibi arbitretur? Nam & illi frequenter se vendere volunt, & isti imperia dura ferre non possunt. Leui assentatiuncula facilè capiuntur: si perstrinxeris verbo, immurmurant, deserunt, infesti abeunt, indignantes relinquunt, imperare malunt quàm obedire. Quasi obnoxios beneficio, subiectos sibi debere esse existimant, quos præpositos sibi habere debeant. Quis igitur sibi fideles puX tet, quos vel pecunia vel adulatione sibi obligandos crediderit? Nam & ille qui pecuniam acceperit, vilem se & despectum iudicat, nisi sæpe redimatur, itaque frequenter expectat precium suum: & ille qui obsecratione ambitus videtur, vult semper rogari.

Bonis tantum artibus ad honores nitendum, maximè ecclesiasticos, nec inferiores ordines simulatis virtutibus episcopo derogare, nec item episcopum clero esse inuidum, sed iustum in omnibus, maximè in iudicando.

D

Caput 24.

IRgo bonis artibus & syncero proposito nitendū ad honorem arbitror, & maximè ecclesiasticū: vt neque resupina arrogantia, vel remissa negligentia sit, neque turpis affectatio, & indecora ambitio. Ad omnia abundat animi directa simplicitas, satisque seipsa commendat. In ipso verò munere, neque seueritatem esse duram conuenit, nec nimiam remissionē: ne aut potestatem excercere, aut susceptū officium nequaquam implere videamur. Enitendū quoque vt beneficiis atque officiis obligemus plurimos, & collatam reseruemus gratiā: ne iure beneficij fiant immemores, qui se grauiter læsos dolēt. Sæpe enim vsu venit, vt quos gratia foueris vel aliquo superiore cumulaueris gradu, auertas, si indigné aliquem eis præponēdū iudices. Sed & sacerdotem beneficiis suis vel iudiciis fauere conuenit, vt æquitatem custodiat, & presbytero vel ministro deferre vt parenti. Neque eos, qui semel A probati sunt, arrogantes esse oportet, sed magis tanquā memores gratiæ, humilitatem tenere: neque offendi sacerdotem, si aut presbyter, aut minister, aut quisquam de clero, aut misericordia, aut ieiunio, aut integritate, aut doctrinā, aut lectione existimationem accumulet suam. Gratia enim ecclesiæ, laus doctoris est: bonum opus alicuius prædicari, ita tamen si nullo studio fiat iactantiæ. Laudēt enim vnum- Prouer. 27.
quenque proximorum labia, & non os suum, & cōmendent opera non studia sua. Cæterùm si quis non obediat episcopo, extollere atque exaltare sese desiderans, obūbrare merita episcopi simulata affectatione doctrinæ, aut humilitatis, aut misericordiæ, is à verò deuius superbi: Quoniam veritatis ea est regula, vt nihil facias commendandi tui causa, quo minor alius fiat: neque si quid boni habeas, id ad deformationem alterius & vituperationem exerceas. Non defendas improbum, & sancta indigno committenda arbitreris: neque iterum vrgeas & impugnes, cuius crimen non deprehenderis. Nam cùm in omnibus iniustitia citò offendat, tum maximè in ecclesia, vbi æquitatem esse oportet, vbi æqualitatem haberi decet, vt nihil sibi potentior plus vindicet, nihil vsurpet ditior. Siue eum pauper, siue diues, in Chri sto vnum sunt: nihil sanctior plus sibi arroget. Ipsum enim par est esse humiliorem. Sed nec personam alterius accipia- Iacob. 2.
mus in iudicio. gratia absit, causam merita decernant. Nihil sic opinionem, imò fidem grauat, quàm si in iudicando potētiori dones causam inferioris, vel pauperem innocentem arguas, diuitem excuses reum culpę. Pronum quippe est genus hominum fauere honoratioribus, ne læsos se putent, ne victi doleant. Sed primum si offensam vereris, non recipias iudicium: si sacerdos es, aut si quisquam alius, non lacessas. Licet tibi silere in negocio duntaxat pecuniario, quāquam sit constantiæ adesse æquitati. In causa autem dei, vbi communionis periculum est, etiam dissimulare, peccatum est non leue.

Fauores & beneficia plus pauperibus quàm diuitibus eroganda, quia de eo quòd diues forte dedignatur, pauper maximam tibi habet gratiam: & quòd beneficia non sola fiant pecunia.

Caput 25.

QVid autem tibi prodest fauere diuiti? An quia citius amātē remuneret? His enim fauemus frequentius, à quibus referendæ vicem speramus gratiæ. Sed eo magis infirmo & inopi nos studere cōuenit, quia pro eo qui nō habet, remunerationē speramus à domino Iesu: qui sub specie conuiuij generalē virtutis edidit formā, vt his potius nostra cōferamus beneficia qui nobis ea nō possunt repræsentare, dicens, ad conuiuium atque epulas nō eos qui diuites sunt, Lucæ 14.
sed pauperes inuitādos. Diuites enim rogari videntur, vt ipsi quoque nobis reddāt conuiuiū. Pauperes (quia non habent quod restituant) cùm acceperint, remuneratorē nobis faciunt dominū, qui se pro paupere obligandū obtulit. Ad ipsū quoque seculi vsum collatio beneficij facta in pauperes magis quàm in locupletes, plus iuuat: quia diues dedignatur beneficium, & pudet eum debitorem esse gratiæ. Quinetiam id quod collatum est sibi, meritis suis arogat, quod vel vt debitum acceperit, vel ideo datum sit, eo quòd is qui dedit, reddendum sibi à diuite vberius existimauerit. Ità in accipiendo beneficio, eo ipso quod acceperint diuites, dedisse se magis quàm accepisse existimant. Pauper verò & si non habet vnde reddat pecuniam, refert gratiam. In quo certū est, quod plus reddat quàm acceperit. Pecunia enim numo soluitur, gratia nunquam exinanitur. Reddendo vacuatur pecunia, gratia autem & habendo soluitur, & soluendo retinetur. Deinde quod diues refugit, pauper fatetur, quod sit obligatus debito, sibique subuentum, non honori suo delatum putat: donatos sibi arbitratur filios vitā redditam, seruatam familiam. Quantó igitur melius, apud bonos, quàm apud ingratos locare beneficium? Vnde dominus ad discipulos ait: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque Matth. 10.
pecuniam, qua velut falce, pullulantem in pectoribus humanis succidit auaritiam. Petrus quoque claudo (qui ex vtero matris suæ portabatur) ait: Argentum & aurum non habeo, sed quod habeo do tibi. In nomine Iesu Christi Actuum 3.
Nazareni

Nazareni, surge & ambula. Itaque pecuniam non dedit, sanitatem dedit. Quanto melius est salutem habere sine pecunia, quàm pecuniam sine salute. Surrexit claudus, quod non sperabat: pecuniam non accepit, quam sperabat. Sed hæc vix in sanctis domini reperiuntur, vt diuitiæ contemptui sint.

De malo auaritiæ, exempla de Balaam, & Acham, & Dalila. Caput 26.

CÆterùm ita incubuerunt mores hominum ad admirationem diuitiarum, vt nemo nisi diues honore dignus putetur. Neque hic recēs vsus, sed iamdudum, quod peius est inoleuit hoc vitiū humanis mentibus. Siquidem cùm Hierico magna ciuitas tubarū sacerdotaliū sono corruisset, & Iesus Naue potiretur victoria, cognouit infirmatam esse virtutem populi per auaritiam, atque auri cupiditatem. Nam cùm de spoliis vrbis incensæ, sustulisset Acham vestem auream, & ducenta argenti didrachmata, & linguam auream, oblatus domino negare non potuit, sed prodidit furtū. Vetus igitur & antiqua auaritia est, quæ cùm ipsis diuinæ legis cœpit oraculis, imò propter ipsam reprimendam lex dei data est. Propter auaritiam Balac putauit Balaan præmiis posse tentari, vt malediceret populum patrum: & vicisset auaritia, nisi dominus à maledicto eum abstinere vetuisset. Et propter auaritiam præcipitatus Acham, in exitium deduxerat totam plebem parentū. Itaque Iesus Naue, qui potuit solem sistere ne procederet, auaritiam hominum non potuit sistere ne serperet. Ad vocem eius sol stetit, auaritia non stetit. Sole itaque stante cōfecit Iesus triumphum, auaritia autem procedente, penè amisit victoriam. Quid? fortissimum omnium Samson, nónne Dalilæ mulieris auaritia decepit? Itaque ille qui rugientem leonem manibus discerpsit suis, qui vinctus & alienigenis traditus, sine vllo adiutore solus dissolutis vinculis, mille ex his peremit viros, qui funes intextos neruis velut mollia sparti fila dirupit, is super genua mulieris inflexa ceruice truncatus inuicti crinis ornatum, prærogatiuam suæ virtutis amisit. Influxit pecunia in gremium mulieris, & à viro discessit gratia. Feralis igitur auaritia, illecebrosa pecunia, quæ habentes contaminat, non habentes non iuuat. Esto tamen vt aliquando adiuuet pecunia, inferiorem tamen & ipsum desiderantem. Quid ad eum, qui non desiderat, qui nō requirit, quid auxilio eius non indiget, studio non flectitur? Quid * vt aliis sit ille copiosior qui habet? Nunquid, idcirco honestior quia habet quo honestas plerunq; amittitur, quia habet quod custodiat, magis quàm quod possideat? Illud enim possidemus quo vtimur: quod autem vltra vsum est, nō vtique habet possessionis fructum, sed custodię periculum.

Ios. 6 & 7.
Num. 22.
Iudicū 14.
Ibidem 16.
*ad alios si

De benignitate, & quod excommunicatio tardius sit exerenda. Caput 27.

AD summā nouimus quod pecunię contēptus iustitiæ forma sit: & ideo auaritiam declinare debemus, & omni studio intendere, ne quid faciamus vnquam aduersus iustitiam, sed in omnibus gestis & operibus custodiamus eam. Si volumus commendare nos deo, charitatem habeamus, vnanimes simus, humilitatem sequamur, alter alterum existimantes superiorem sibi. Hæc est enim humilitas, si nihil sibi quis arroget, sed inferiorem se esse existimet. Episcopus vt membris suis vtatur clericis, & maximè ministris qui sunt verè filij: quem cuique viderit aptum muneri, ei deputet. Cum dolore amputatur etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc à medico bono abscinditur. Sic episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre vlcera, adurere aliqua, nō abscindere, postremò quod sanari non potest, cum dolore abscindere. Vnde pulcherrimum illud præceptum magis eminet, vt cogitemus non quæ nostra sunt, sed quæ aliorum. Hoc enim modo nihil erit, quod vel irati nostro indulgeamus affectui, vel fauentes nostræ plus iusto tribuamus aliquid voluntati.

Philip. 2.

De bono compassionis, & quòd sacris ecclesiarum thesauris non sit parcendum tempore necessitatis, exempli causa inducitur Laurentius & ipse Ambrosius. Caput 28.

HOc maximum incentiuum misericordiæ, vt compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum quantum possumus iuuemus, & plus interdum quàm possumus. Melius est enim pro misericordia causas præstare, vel inuidiam perpeti, quàm prætendere inclementiam: vt nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, vt captiuos redimeremus: quod Arrianis displicere poterat, nec tam factum displicere, quàm vt esset quod in nobis reprehenderent. Quis autem est tam durus, immitis, ferreus, cui displiceat quòd homo redimitur à morte, fœmina ab impuritatibus Barbarorū, quæ grauiores morte sunt: adolescētulę, vel pueruli, vel infantes ab idolorū contagiis, quibus mortis metu inquinabantur? Quam causam nos etsi non sine ratione aliqua gessimus, tamen ita in populo prosecuti sumus, vt confiteremur, multóque fuisse commodius astrueremus, vt animas domino quàm aurum seruaremus. Qui enim sine auro misit apostolos, & ecclesias sine auro congregauit. Aurum ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid opus custodire quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri atque argenti de templo domini Assyrij sustulerint? Nónne melius conflat sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quàm sacrilegus contaminata asportet hostis? Nónne dicturus est dominus: Cur passus es tot inopes fame emori? Et certè habebas aurum, vt ministrasses alimoniam. Cur tot captiui deducti in commercium sunt, nec redēpti? Cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, vt vasa viuentiū seruares, quàm metallorum. His non posset responsum referri. Quid enim diceres? Timui ne templo dei ornatus deesset? Responderet: Aurum sacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum, redemptio captiuorum est. Et verè illa sunt vasa preciosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est domini, qui operatur quod sanguis eius operatus est. Tunc vas dominici sanguinis agnosco, cùm in vtroque videro redeptionem, vt calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Quàm pulchrum vt cùm agmina captiuorum ab ecclesia redimuntur, dicatur: Hos Christus redemit: Ecce aurum quod probari potest, ecce aurum vtile, ecce aurum Christi quod à morte liberat, ecce aurum quo redimitur pudicitia, seruatur castitas. Hos ergo malui vobis liberos tradere, quàm aurum reseruare. Hic numerus captiuorum, hic ordo præstātior est, quàm species poculorum. Huic muneri proficere debuit aurum redemptoris, vt redimeret periclitantes. Agnosco infusum auro sanguinem Christi, non solum irrutilasse, verūetiam diuinæ operationis impressisse virtutem redemptionis munere. Tale aurum sanctus martyr Laurentius domino reseruauit, à quo cùm quærerentur thesauri ecclesiæ. promisit domonstraturum se. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus vbi essent thesauri quos promiserat, ostēdit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri ecclesiæ: & verè thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. Denique Apostolus ait: Habemus thesaurum in vasis fictilibus. Quos meliores thesauros habet Christus, quàm eos in quibus se esse dixit? Sic enim scriptum est: Esuriui, & dedistis mihi māducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes erant, & collegistis me. Et infrà: Quod enim vni horū feciſtis, mihi feciſtis. Quos meliores Iesus habet thesauros, quàm eos in quibus amat videri? Hos thesauros demōstrauit Laurētius, & vicit, quòd eos nec persecutor potuit auferre. Itaq; Ioachim qui aurum in obsidione seruabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ: & aurum vidit diripi, & se in captiuitatem perduci. Laurentius qui aurum ecclesiæ maluit erogare pauperibus, quàm persecutori reseruare, pro singulari interpretationis viuacitate sacrā martyrij accepit coronam. Nunquid dictum est sancto Laurentio: Non debuisti erogare thesauros ecclesiæ, vasa sacramentorum vendere? Opus est, vt quis fide syncera & perspicaci prouidentia munus hoc impleat. Sanè si in sua aliquis deriuat emolumenta, crimen est: Sin verò pauperibus erogat, captiuum redimit, misericordia

Ecclesia quare habeat aurū.
Sacramentorum ornatus.
Thesaurus domini.
Thesauri ecclesiæ pauperes. 2. Cor. 4. Matth. 25.
4. Reg. 25. 2. Paral. 36.

miſericordia eſt. Nemo enim poteſt dicere, cur pauper viuit? Nemo poteſt queri, quia captiui redempti ſunt. Nemo poteſt accuſare, quia templum dei ædificatũ eſt. Nemo poteſt indignari, quia humandis fidelium reliquiis ſpacia laxata ſunt. Nemo poteſt dolere, quia in ſepulturis Chriſtianorũ, requies defunctorũ eſt. In his tribus generibus vaſa eccleſiæ etiã initiata cõfringere, conflare, vendere licet. Opus eſt vt de eccleſia myſtici poculi forma nõ exeat, ne ad vſus nefarios ſacri calicis miniſteriũ trãsferatur. Ideo intra eccleſiam primùm quæſita ſunt vaſa quæ initiata non eſſent: deinde comminuta, poſtremò conflata, per minutas erogationes diſpenſata egentibus, captiuorum quoque preciis profecerunt. Quod ſi deſunt noua, & quæ nequaquam initiata videantur: in huiuſmodi vſus, quos ſuprà diximus, arbitror omnia piè poſſe conuerti.

Vaſa eccleſiæ confringenda ſunt tribus generibus.

Depoſita viduarum, imò omnium fidelium in eccleſia cum ſui etiam periculo conſeruanda. Exemplum de Onia & Heliodoro, & ſeipſo, & Ticinenſi epiſcopo. Caput 29.

ILlud ſanè diligenter tuendum eſt, vt depoſita viduarum intemerata mancant, ſine vlla ſeruentur offenſione: nec ſolùm viduarum, ſed etiam omnium. Fides enim exhibenda omnibus, ſed maior eſt viduarum cauſa & pupillorum. Deniq; hoc ſolo viduarum nomine (ſicut in libris Machabæorum legimus) commendatum templo omne ſeruatum eſt. Nam cùm indicium factum eſſet pecuniarũ, quas in templo Hieroſolymis maximas reperiri poſſe Simon nefarius Antiocho regi prodidit, miſſus in Hieruſalem Heliodorus, ad templum venit, & ſummo ſacerdoti aperuit indicij inuidiam, & aduentus ſui cauſam. Tunc ſacerdos depoſita eſſe dixit viduarum victualia & pupillorum, quædam autem Hircani Tobiæ viri ſancti: eaque domonſtrauit, Argenti talenta quadringenta erant, auri verò ducenta. Quæ cùm Heliodorus ereptum ire vellet, & regis vendicare commodis, ſacerdotes ante altare iactauerũt ſe, induti ſacerdotales ſtolas, & deum viuum qui depoſitis legem dederat, flentes inuocabant cuſtodem ſe præceptorum præſtare ſuorũ. Vultus verò & color ſummi ſacerdotis immutatus, declarabat dolorem animi, & mentis intẽtæ ſolicitudinem. Flebant omnes, quod in contemptum locus venturus foret, ſi nec in dei templo tuta fidei ſeruaretur cuſtodia: accinctæq; mulieres pectus, & clauſæ virgines pulſabant ianuas, ad muros alij currebant, per feneſtras alij proſpectabant, omnes ad cœlum tendebant manus, orantes, vt ſuis dominus adeſſet legibus. Heliodorus autem nec his territus, quod intenderat, vrgebat, & ſatellitibus ſuis ærarium ſepſerat, cum ſubitò apparuit illi terribilis eques armis præfulgens aureis: equus autem eius erat inſigni ornatus opertorio. Alij quoque duo iuuenes apparuerunt in virtute inclyta, decore grato, cum ſplendore gloriæ, ſpecioſi amictu, qui circum ſteterunt eum, & vtraque ex parte flagellabant ſacrilegum, ſine vlla intermiſſione continuato verbere. Quid multa? Circumfuſus caligine in terram concidit, & euidenti diuinæ operationis indicio examinatus iacebat, nec vlla ſpes in eo reſidebat ſalutis. Oborta eſt lætitia metuentibus, metus ſuperbis, deiectíque ex amicis Heliodori quidam rogabant Oniam vt vitam poſceret ei, quoniam ſupremum gerebat ſpiritum. Rogante itaque ſacerdote ſummo, iidem iuuenes iterum Heliodoro apparuerunt, iiſdem amicti veſtibus, & dixerunt ad eum: Onię ſummo ſacerdoti gratias age: propter quem tibi vita eſt reddita. Tu autem expertus flagella dei, vade & nuncia tuis omnibus, quantum cognoueris templi religionẽ, & dei poteſtatem. His dictis non comparuerũt. Heliodorus itaque recepto ſpiritu, hoſtiam domino obtulit, Oniæ ſacerdoti gratias egit, & cũ exercitu ad regem reuertitur, dicens: Si quem habes hoſtem, aut inſidiatorem rerũ tuarũ, illuc eum dirige, & flagellatũ recipies eum. Seruanda eſt igitur filij depoſitis fides, adhibenda diligentia. Egregiè hinc veſtrum eniteſcit miniſterium, ſi ſuſcepta impreſſio potentis quam vel vidua vel orphani tolerare non queant, eccleſiæ ſubſidio cohibeatur, ſi oſtendatis plus apud vos mandatũ domini, quàm diuitis valere gratiam. Meminiſtis ipſi quotiens aduerſus regales impetus pro viduarũ, imò omniũ depoſitis certamen ſubierimus. Commune hoc vobiſcum mihi, recens exemplũ eccleſiæ Ticinenſis proferam, quæ viduæ depoſitũ quod ſuſceperat, amittere periclitabatur. Interpellante enim eo qui ſibi illud imperiali reſcripto vendicare cupiebat, clerici non tenebant authoritatem, honorati quoque & interceſſores dati, non poſſe præceptis imperatoris obuiari ferebãt. Legebatur reſcripti forma, directio Magiſtri officiorũ ſtatuta, Agens in rebus imminebat. Quid plura? Traditũ erat. Tamen communicato mecũ conſilio, obſedit ſanctus epiſcopus ea conclauia, ad quæ tranſlatũ illud depoſitũ viduæ cognouerat. Quod vbi non potuit auferri, receptũ ſub chirographo eſt. Poſtea iterũ flagitabatur ex chirographo: Præceptũ imperator iterauerat, vt ipſe per ſemetipſum nos conueniret. Negatum eſt, & expoſita diuinæ legis authoritate, & ſerie lectionis, & Heliodori periculo, vix tandem, rationẽ imperator accepit. Poſt etiam tentata fuerat obreptio, ſed præuenit ſanctus epiſcopus vt redderet viduæ quod acceperat. Fides interim ſalua eſt, oppreſſio non eſt formidini, quia iam res non fides periclitatur.

2. Mach. 3.

Qui fugiendi, & qui ſint in bono Zelandi. Cap. 30.

EIlij fugite improbos, cauete inuidos. Inter improbũ & inuidum hoc intereſt: Improbus ſuo delectatur bono, inuidus torquetur alieno. Ille diligit mala, hic bona odit: vt propè tolerabilior ſit, qui ſibi vult bene, quàm qui malè omnibus. Filij ante factũ cogitate: & cùm diutius cogitaueritis, tunc facite quod probatis. Laudabilis mors cùm occaſio datur, rapienda eſt illico. Dilata gloria fugit, nec facilè comprehenditur. Fidem diligite, quoniam per fidem & deuotionem Ioſias magnum ſibi ab vniuerſis amorem acquiſiuit: quoniam celebrauit paſcha domini, cùm eſſet annorum decem & octo, quemadmodum nemo ante eum. Zelo itaque vt vicit ſuperiores, ita & vos filij zelum dei ſumite, Exquirat vos dei zelus & deuoret, vt vnuſquiſque veſtrum dicat: Exquiſiuit me zelus domus tuæ. Apoſtolus Chriſti zelotes dictus eſt. Quid de Apoſtolo dico? Ipſe Dominus ait Zelus domus tuæ comedit me. Sit ergo inter vos dei zelus, non iſte humanus quem inuidia generat: Sit inter vos pax, quæ ſuper omnem ſenſum eſt. Amate vos inuicem. Nihil charitate dulcius, nihil pace gratius. Et voſipſi ſcitis, quod præ cæteris vos ſemper dilexi & diligo: Quaſi vnius patris filij, coaluiſtis in affectũ germanitatis. Quæ bona ſunt tenete, & deus pacis & dilectionis erit vobiſcum in domino Ieſu, cui eſt honor, gloria, magnificentia, poteſtas, cum ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

1. Tim. 5.
4. Reg. 22.
2. Paral. 35.
3. Eſdræ 1.
Ioan. 2.
Pſalm. 68.
Philip. 4.

CAPITVLA LIBRI TERTII OFFICIORVM.

Quòd ſancti & in quiete maxima operentur & mira, oſtenditur ex Moyſe & Heliſæo. Cap. I.
Honeſtum & vtile apud Chriſtianos vnũ eſſe, qui non commoda temporalia ſequimur, ſed æterna. Cap. II.
De calumnia reprimenda, & beneficentia cunctis exhibenda. Exemplum de harmonia membrorum, quæ ſingula ſingulis obſequuntur. Cap. III.
Alienis incommodis noſtra lucra non quęrenda. Cap. IIII.
Nihil à ſapientibus niſi quod honeſtũ ſit expetendum, & honeſtati ſalutem quoque poſtponendã, in quo Dauid maximè commendatur, & Ioannes. Cap. V.
Famis tempore ſubueniendum, nec auarè partis incubandum, vel precia captanda. Exempla de Ioſeph, & diuite auaro in euangelio. Cap. VI.
Peregrinos tempore famis vrbe non arcendos: quòd non ſolum inhoneſtum, ſed & inutile præpoſitis comprobatur exemplis. Cap. VII.
Honeſtatem ſaluti quoque prælatam à deo comprobari. Exempla de Ioſue & Caleb & cæteris exploratoribus. Cap. VIII.
Fraudes & turpia lucra clericos maximè dedecere, & omnes honeſtatem Dauid & Nabuthe imitari debere. Cap. IX.
Vitia virtutibus obliterari, & perfidis etiam ac fraudulentis fidem

fidem oportere cuſtodiri:quod Ioſue Gabaonitis intimatur exhibuiſſe. Cap. X
Auaros & fraudulentos interdum cupitis fraudari, ſemper autem apud deum maleuolentiæ reatu obnoxios teneri. Fabula de quodam Syracuſano, & paradigma de Doech Idumæo, & Anania. Cap. XI.
De malo temerarij iuramenti.paradigma de Herode & Iepte: & quod filia eius ſponte ſua die condicta reuerſa, fidem illorum præcellat Pythagoræorum, qui ſe vades inuicem dederunt. Cap. XII.
Quantum periculum Iudith honeſtatis intuitu ſubierit. Cap. XIII.
Quòd ſemper honeſtatem ſequatur vtilitas, quòd licet apud homines aliter ſæpe contingere videatur, apud deum tamen perpetuò ita eſſe comprobatur multis exemplis. Cap. XIIII.
Laus honeſtatis, magnanimitate. Heſter, & fide Ionathæ commendatur & Abimelech. Cap. XV.
De moderamine amicitiæ conſeruandæ, clauditur volumẽ. Cap. XVI.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
Mediolanenſis Officiorum, Liber tertius.

Quòd ſancti & in quiete maxima operentur & mira, oſtenditur ex Moyſe & Heliſæo. Caput I.

DAuid propheta docuit nos tanquam in ampla domo deambulare in corde noſtro,& conuerſari cum eo tanquã cum bono cõtubernali:vt ipſe ſibi diceret,&loqueretur ſecũ,vt eſt illud:Dixi cuſtodiam vias meas. Salomõ quoque filius eius ait:Bibe aquã de tuis vaſis,& de puteorũ tuorũ fontibus,hoc eſt,tuo cõſilio vtere. Aqua enim alta, conſiliũ in corde viri.Nemo,inquit,alienus particeps ſit tibi,fons aquę tuę ſit tibi proprius:& iocundare cũ tua vxore,quę eſt tibi à iuuentute.Ceruus amicitię,& pullus gratiarum confabulẽtur tecũ.Non ergo primus Scipio ſciuit ſolus non eſſe,cùm ſolus eſſet:nec minus negocioſus, cum ocioſus eſſet. Sciuit ante ipſum Moyſes,qui cùm taceret,clamabat:cùm ocioſus ſtaret,pręliabatur: nec ſolùm prælіabatur,ſed etiam de hoſtibus quos non contigerat, triumphabat.Adeo ocioſus, vt manus eius alij ſuſtinerent:nec minus quàm cæreri negocioſus,qui ocioſis manibus expugnabat hoſtem, quem non poterant vincere qui dimicabãt. Ergo Moyſes & in ſilentio loquebatur,& in ocio operabatur. Cuius autẽ maiora negocia,quàm huius ocia,qui quadraginta diebus poſitus in mõte,totam legem complexus eſt,& in illa ſolitudine qui cũ eo loqueretur nõ defuit? Vnde & Dauid ait:Audiam quid loquatur in me deus.Et quãtò plus eſt,ſicum aliquo deus loquatur,quàm ipſe ſecũ? Tranſibant apoſtoli,& vmbra eorũ curabat infirmos.Tangebantur veſtimenta eorum,& ſanitas deferebatur.Sermonem locutus eſt Helias,& pluuia ſtetit,nec cecidit ſuper terram tribus annis,& ſex menſibus.Iterum locutus eſt,& hydria farinę nõ defecit,& vas olei toto famis diuturnæ tempore nõ eſt exinanitum. Et quoniam pleroſque delectãt bellica:Quid eſt præſtãtius magnis exercitus lacertis, an ſuis meritis confeciſſe prælium? Sedebat Heliſæus in vno loco,& rex Syriæ magnam belli molẽ inferebat populo patrum, diuerſiſque conſiliorum acerbabat fraudibus, & circumuenire inſidiis moliebatur, ſed omnes eius apparatus propheta deprehendebat, & vigore mentis per gratiam dei vbique præſens, cogitationes hoſtium ſuis annunciabat, & monebat quibus cauerent locis. Quod vbi regi Syriæ manifeſtatum eſt, miſſo exercitu clauſit prophetam.Orauit Heliſæus,& omnes illos cæcitate percuti fecit, & captiuos intrare Samariam, qui venerant obſidere eum.Conferamus hoc ocium cum aliorum ocio.Alij enim requieſcendi cauſa abducere animum à negociis ſolent,& à conuentu cœtúque hominũ ſubtrahere ſeſe,& aut ruris petere ſecretum,captare agrorum ſolitudines,aut intra vrbem vacare animo,indulgere quieti & trãquillitati.Heliſæus autem,aut in ſolitudine Iordanem tranſitu ſuo diuidit,vt pars defluat poſterior, ſuperior autem in fontem recurrat:aut in Carmelo reſoluta difficultate generandi, inopina ſterilem conceptione fœcũdat, aut reſuſcitat mortuos, aut ciborum temperat amaritudines, & facit farinæ admixtione dulceſcere:aut decem panibus diſtributis reliquias colligit plebe ſaturata:ferrum ſecuris excuſſum,& in fluuij Iordanis merſum profundo,miſſo in aquas ligno facit ſupernatare:aut emundatione leproſum,aut ſiccitatem imbribus, aut famem mutat fœcunditate.Quando ergo iuſtus ſolus eſt, qui cum deo ſemper eſt? Quando ſolitarius eſt,qui nunquam ſeparatur à Chriſto?Quis nos,inquit, ſeparabit à dilectione Chriſti? Confido quia neque mors, neque vita, neque angelus. Quando autem feriatur à negocio, qui nunquam feriatur à merito, quo conſummatur negocium? Quibus autem locis circumſcribitur, cui totus mũdus diuitiarum poſſeſſio eſt? Qua æſtimatione definitur, qui nunquam opinione comprehenditur? Etenim quaſi ignoratur & cognoſcitur, quaſi moritur & ecce viuit, quaſi triſtis & ſemper lætior: vt egenus & largus,vt qui nihil habeat, & poſſideat omnia.Nihil enim ſpectat vir iuſtus, niſi quod conſtans & honeſtũ eſt. Et ideo etiam ſi alij videatur pauper, ſibi diues eſt, qui non eorum quæ caduca, ſed eorum quæ æterna ſunt æſtimatione cenſetur.

4.Reg.4. Ibidem 6. Ibidem 5. Roma.8. 2.Cor.6.

Honeſtum & vtile apud Chriſtianos vnum eſſe, qui non commoda temporalia ſequimur, ſed æterna. Cap. II.

ET quoniam de duobus ſuperioribus locis diximus,in quibus honeſtum illud & vtile tractauimus, ſequitur vtrum honeſtatẽ & vtilitatem inter ſe cõparare debeamus, & quęrere quid ſit ſequendũ.Sicut enim ſupra tractauimus,vtrũ honeſtũ illud an turpe eſſet, & ſecũdo loco,vtrũ vtile an inutile:ſimiliter hoc loco,vtrum honeſtũ ſit an vtile, nonnulli requirendũ putant. Nos autem monemus,ne hæc inter ſe velut compugnantia inducere videamur,quę iam ſupra vnum eſſe oſtendimus:nec honeſtũ eſſe poſſe niſi quod vtile, nec vtile, niſi quod honeſtũ: quia non ſequimur ſapientiam carnis, apud quam vtilitas pecuniariæ iſtius commoditatis pluris habetur, ſed ſapientiam quæ ex deo eſt, apud quam ea quę in hoc ſeculo magna ęſtimantur, pro detrimento habentur. Hoc enim catorthoma quod perfectũ & abſolutum officiũ eſt, à verò virtutis fonte proficiſcitur. Cui ſecundũ eſt commune officium, quod ipſo ſermone ſignificatur, non eſſe arduæ virtutis ac ſingularis, quod poteſt plurimis eſſe commune.Nam pecuniæ cõpendia captare,familiare multis: elegantiori conuiuio & ſuauioribus delectari epulis vſitatum eſt. Ieiunare autem & continentem eſſe paucorũ eſt: & alieni cupidũ non eſſe, rarũ. Contrà autem detrahere velle alteri & non eſſe contentum ſuo.Nam in hoc cum pleriſque conſortium eſt. Alia igitur prima, alia media officia. Prima cum paucis,media cum pluribus. Denique in iiſdem verbis frequenter diſcretio eſt. Aliter enim bonum deum dicimus,aliter hominem:aliter iuſtum deum appellamus, aliter hominem. Similiter & ſapientem deum aliter dicimus, aliter hominem. Quod & in euangelio docemur: Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter qui in cœlis eſt, perfectus eſt. Ipſum Pauſũ lego perfectũ & non perfectum. Nam cùm dixiſſet: Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim, ſequar autem ſic vt comprehendam, ſtatim ſubiecit: Quicũque ergo perfecti ſumus.Duplex eſt enim forma perfectionis: alia medios, alia plenos numeros habens.Alia hîc,alia ibi. Alia ſecundũ hominis poſſibilitatẽ, alia ſecundũ perfectionẽ futuram.Deus autem iuſtus per omnia,ſapiẽs ſuper omnia,perfectus in omnibus. Inter ipſos quoque homines diſtantia eſt.Aliter Daniel ſapiens,de quo dictũ eſt:Quis Daniele ſapiẽtior? aliter alij ſapientes.Aliter Salomon,qui repletus eſt ſapiẽtia ſuper omnẽ ſapientiã antiquorũ,& ſuper omnes ſapiẽtes Ægypti.Aliud eſt enim communiter ſapere, aliud ſapere perfectè,Qui cõmuniter ſapit, pro tẽporalibus ſapit,pro ſe ſapit,vt alteri aliquid detrahat. & ſibi adiũgat.Qui perfectè ſapit, neſcit ſua ſpectare cõmoda,

Matth.5. Philip.3. Ezech.28. 3.Reg.4.

Pſal.38. Prouer.5. Exod.17. Ibidẽ 24. Pſalm.48. Actuum 5. 3.Reg.17. 4.Reg.6.

Philip.2. da,sed ad illud quod æternum est,quod decorum atque honestum toto affectu intendit, quærens non quod sibi vtile est, sed quod omnibus. itaque hæc sit formula, vt inter duo illa honestum atque vtile errare nequeamus : eò quod iustus nihil alteri detrahendum putet,nec alterius incommodo suum commodum augeri velit. Hanc formam tibi præ-
1.Cor.10 scribit Apostolus dicens : Omnia licent,sed non omnia expediunt. Omnia licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suũ est quærat, sed quod alterius. Hoc est, nemo cõmodum suum quęrat,sed alterius:nemo honorem suũ quę-
Philip.2. rat, sed alterius. Vnde & alibi dicit : Alter alterum existimantes superiorem sibi, non quæ sua sunt singuli cogitantes, sed quę aliorum.Nemo etiam suam gratiam quærat,nemo suam laudem,sed alterius. Quod euidẽter etiam in Prouerbiis declaratum esse aduertimus,dicente sancto per Salomonẽ spiritu:Fili si sapiens fueris, tibi sapiens eris & proximis:si autem malus euaseris,solus hauries mala.Sapiens enim aliis consulit sicut iustus , quandoquidem cõsors sui est vtriusque forma virtutis.

De calumnia reprimenda,& beneficentia cunctis exhibenda. Exemplum de harmonia membrorum,quæ singula singulis obsequuntur. Caput 3.

Si quis igitur vult placere omnibus per omnia, quærat non quod sibi vtile est, sed quod multis, sicut quærebat & Paulus . Hoc est enim cõformari Christo, alienum non quærere, nihil alteri
Ibidem detrahere vt acquirat sibi. Christus enim dominus cùm esset in forma dei,exinaniuit se vt formam susciperet hominis,quam operum suorum locupletaret virtutibus. Tu ergo spolias quem Christus induit?Tu exuis,quem vestiuit Christus?Hoc enim agis, quando alterius detrimento tua commoda augeri expetis. Considera ô homo,vnde nomen sumpseris:ab humo vtique quæ nihil cuiquam eripit, sed omnia largitur omnibus,& diuersos in vsum omnium animãtium fructus ministrat.Inde appellata humanitas,specialis & domestica virtus hominis,quæ consortem adiuuet. Ipsa te doceat forma tui corporis , membrorúnque vsus . Nunquid membrum tuum alterius membri officia sibi vendicat,vt oculus officium oris , aut os oculi officium sibi vendicet aut manus pedum ministerium,aut pes manum? Quinetiam ipsæ manus dextra ac sinistra dispartita habent officia pleraque, vt si vsum cõmutes vtriusque, aduersum naturam sit, priúsque totum hominem exuas, quàm membrorum tuorum ministeria conuertas, si aut de sinistra cibum suggeras, aut de dextera fungaris ministerio sinistræ, vt reliquias ciborum abluas : nisi fortè poscat necessitas.Finge hanc & da oculo virtutem,vt possit detrahere sensum capiti, auditum auribus,menti cogitationes,odoratum naribus, ori saporẽ, & sibi conferat, nónne omnem statum dissoluet naturæ?
1.Corin.12. Vnde pulchrè Apostolus ait: Si totũ corpus oculus, vbi auditus ? si totum auditus, vbi odoratus ? Omnes ergo vnum corpus sumus & diuersa membra,sed omnia corpori necessaria.Non enim potest membrum membro dicere, non es mihi necessarium : quinetiam ipsa quæ videntur infirmiora membra esse, multomagis necessaria sunt, & maiorem plerunque tuendi se requirunt solicitudinem . Et si quid dolet membrum vnum, compatiuntur ei membra omnia. Vnde quàm graue est vt detrahamus aliquid ei,cui nos compati oportet : & cui debemus consortium ministerij , ei fraudi & noxæ simus? Hæc vtique lex naturæ est,quę nos ad omnem stringit humanitatem,vt alter alteri tanquã vnius partes corporis inuicem deferamus.Nec detrahẽdum quicquam putemus,cùm cõtra naturę legem sit,non iuuare.Sic enim nascimur vt consentiant membra membris,& alterum alteri adhæreat,& obsequãtur sibi mutuo ministerio.Quòd si vnum desit officio suo, impediantur & cętera: vt si eruat oculum manus, nónne sibi operis sui vsum negauit? Si pedem vulneret,quantorum sibi actuum profectum inuiderit?Et quãto grauius est totum hominem quàm vnum membrum detrahi? Iam si in vno membro totum corpus violatur,vtique in vno homine cõmunio totius humanitatis soluitur, violatur natura generis humani , & sanctæ ecclesię congregatio, quę in vnum connexum corpus atque compactum vnitate fidei & charitatis assurgit. Christus quoq; dominus qui pro vniuersis mortuus est, mercedem sanguinis sui euacuatam dolebit. Quid quòd etiam ipsa lex domini hanc formam tenendam edocet, vt nihil alteri detrahas tui commodi ser- Exod.23.
uandi gratia,cùm dicit:Non transferas terminos antiquos, Deut.22.
quos statuerunt patres tui. cùm vitulum errantem fratris Tob.4.
tui reducendum præcipit,cùm furem mori iubet, cùm vetat mercennarium debita mercede fraudari,cùm pecuniam sine vsuris reddendam censet?Subuenire enim non habenti humanitatis est, duritię autem plus extorquere quàm dederis.Etenim si ideo inops auxilio tuo eguit, quia non habuit vnde de suo redderet,nónne impiũ est,si sub humanitatis simulatione amplius ab eo poscas,qui non habebat vnde minus solueret?Absoluis igitur alteri debitorem, vt condemnes tibi:& hanc humanitatem vocas,vbi est iniquitatis auctio.Hoc pręstamus cæteris animantibus,quod alia genera animantium conferre aliquid nesciunt . Feræ autem eripiunt,homines tribuunt. Vnde & Psalmista ait:Iustus misere- Psal.36.
tur & tribuit. Sunt tamen quibus & feræ conferant . Siquidem collatione sobolem suam nutriũt , & aues cibo suo pullos satiant suos: homini autem soli tributũ est,vt omnes tanquam suos pascat.Debetur illud ipso naturæ iure. Quod si nõ licet non dare,quomodo detrahere licet? Nec ipsæ leges nos docent,quæ ea quæ detracta sunt alicui cum iniuria personę,aut rei ipsius cumulo,restitui iubent : quo furem à detrahendo,aut pœna deterreant,aut mulcta reuocent.Ponetamen quòd aliquis possit aut pœnã non timere,aut mulctę illudere.Nunquid dignum est vt aliqui alteri detrahant? Seruile hoc vitiũ, & familiare vltimæ conditioni,adeo contra naturã,vt inopia magis hoc extorquere videatur , quàm natura suadere.Seruorum tamen occulta furta,diuitum rapinæ publicę.Quid autem tam contra naturam, quàm violare alterũ tui commodi causa, cùm pro omnibus excubandum,subeundas molestias, suscipiendum laborem naturalis effectus persuadeat, & gloriosum vnicuique ducatur, si periculis propriis quærat vniuersorum trãquillitatem:multóque sibi vnusquisque arbitretur gratius excidia patriæ repulisse,quàm propria pericula: pręstãtiúsque esse existimet, quòd operam suam patriæ impenderit., quàm si in ocio positus tranquillam vitam voluptatum copiis functus egisset?

Alienis incommodis, nostra lucra non quærenda. Caput 4.

Hinc igitur colligitur , quòd homo qui secundũ naturæ formatus est directionem vt obediat ei,nocere non possit alteri . Quòd si cui noceat,naturã violet: neq; tãtum esse cõmodi quòd adipisci sese putet,quantũ incõmodi quod ex eo sibi accidat.Quæ enim pœna grauior , quàm interioris vulnus conscientiæ? Quod seuerius iudicium quàm domesticum, quo vnusquisque sibi est reus,séque ipse arguit quòd iniuriam fratri indignè fecerit?Quod non mediocriter scriptura condemnat, dicens: Ex ore stultorum beculus contumeliæ.Stultitiæ igitur condemnatur,qui cõtumeliam facit.Nónne hoc magis fugiendum, quàm mors, quàm dispendium , quàm inopia, quàm exilium,quàm debilitatis dolor ? Quis enim vitium corporis, aut patrimonij damnum non leuius ducat vitio animi, & existimationis dispendio ? Liquet igitur id expetendum & tenendum omnibus,quod eadem singulorum sit vtilitas, quę sit vniuersorum,nihilque iudicandũ vtile, nisi quod in 1.Corin. 9.
cõmune prosit. Quomodo enim potest vni prodesse, quod inutile sit omnibus?Mihi certè non videtur, qui inutilis est omnibus,sibi vtilis esse posse.Etenim si vna lex naturæ omnibus, vna vtique vtilitas vniuersorum. Quòd si vna vtilitas vniuersorum, ad consulendum vtique omnibus naturæ lege constringimur.Non est ergo eius qui consultum velit alteri secundum naturam , nocere ei aduersus legem naturæ. Etenim si hi qui in stadio currunt , ita feruntur præceptis informari atque instrui,vt vnusquisque celeritate non fraude contendat, cursúque quantum potest ad victoriam properet,supplantare autem alterum aut manu deiicere non ausit:quantomagis in hoc cursu vitæ istius,sine fraude alterius & circumscriptione quærenda nobis victoria est?Quærunt aliqui, si sapiens in naufragio positus insipienti naufrago tabulam

tabulam extorquere possit, vtrum debeat. Mihi quidem, & si præstabilius communi videatur vsui, sapientem de naufragio quàm insipientem euadere. tamen non videtur quòd vir Christianus, & iustus, & sapiens quærere sibi vitam alienam morte debeat, vt pote qui etiam si in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit: ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. De quo in euangelij libris aperta & euidens sententia est: Reconde gladium tuum. Omnis enim qui gladio percusserit, gladio feriętur. Quis latro detestabilior, quàm persecutor qui venerat vt Christum occideret? Sed noluit se Christus persecutorũ defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare. Cur enim te potiorem altero iudices, cùm viri sit Christiani præferre sibi alterum, nihil sibi arrogare, nullum sibi honorem assumere, non vendicare meriti sui precium? Denique cur non tuũ tolerare potius incommodum, quàm alienum commodum diripere assuescas? Quid tam aduersus naturam, quàm non esse cõtentum, eo quòd habeas aliena quęrere, ambire turpiter? Nam si honestas secundum naturam (omnia enim fecit deus bona valde) turpitudo vtique contraria est. Non potest ergo honestati conuenire & turpitudini, cùm hęc inter se discreta naturæ lege sint.

Matth. 26.

Gen. 1.

Nihil à sapientibus nisi quod honestum sit expetendum, & honestati salutem quoque postponendam: In quo Dauid maximè commendatur. Caput 5.

SEd iam vt etiam in hoc libro ponamus fastigium, in quo velut in fine disputationis nostræ dirigamus sententiam, vt nihil expetẽdum sit, nisi quod honestum. Nihil nanque agit sapiens, nisi quod honestũ sit, nisi quod cum synceritate sine fraude sit: neque quicquam facit, in quo se crimine quoquam obliget, etiam si latere possit. Sibi enim est reus priusquã cæteris, nec tam pudẽda apud eũ publicatio flagitij, quàm conscientia est. Quod non fictis fabulis, vt. Philosophi disputant, sed verissimis iustorum virorum exemplis docere possumus. Nõ igitur ego simulabo terræ hiatũ, quæ magnis quibusdam dissiluerit soluta imbribus, in quem descendisse Gyges, atque ibi fabularem illum equum æneũ offendisse à Platone inducitur, qui in lateribus suis fores haberet: quas vbi aperuit, animaduertisse anulum aureum in digito mortui hominis, cuius illic exanime corpus iaceret, auríque auafum sustulisse anulum. Sed cùm se ad pastores recepisset regios, de quorum ipse numero foret, casu quodam, quòd palam eius anuli ad palmam conuerterat, ipse omnes videbat, atque à nullo videbatur deinde cùm in locum suum reuocasset anulum, videbatur ab omnibus. Cuius solers factus miraculi, per anuli opportunitatem reginæ stupro potitus, necem regi intulit, cæterisque interemptis quos necandos putauerat, ne sibi impedimento forent, Lydiæ regnum adeptus est. Da, inquit, hunc anulum sapienti, vt beneficio eius possit latere, cùm deliquerit. Non minus fugiet peccatorum cõtagium, quàm si non possit latere. Non enim latebra sapienti spes impunitatis, sed innocentia est. Denique lex non iusto est posita, sed iniusto: quia iustus legẽm habet mentis suæ, & ęquitatis ac iustitię suæ normã. Ideóque non terrore pœnæ reuocatur à culpa, sed honestatis regula. Ergo vt ad propositum redeamus, non fabulosa pro veris, sed vera pro fabulosis exẽpla proferamus. Quid enim mihi opus est fingere hiatum terræ, equũ æneum, anulúmque aureum in digito defuncti repertũ: cuius anuli tãta sit vis, vt pro arbitrio suo qui eũ sit indutus, appareat cùm velit: cùm autẽ nolit, cõspectui se prẽsentiũ subtrahat, vt prẽsens nõ possit videri? Nempe eò tendit istud, vtrũ sapiens etiam si isto vtatur anulo, quo póssit propria flagitia celare & regnũ assequi, nolit ne peccare, & grauius ducat sceleris contagiũ, pœnarũm doloribus: an verò spe impunitatis vtatur ad perpetrãdũ scelus. Quid, inquam, mihi opus est figmento anuli, cùm possim docere ex rebus gestis, quod vir sapiens cùm sibi in peccato non solum latẽdum, sed etiam regnandum videret, si peccatum admitteret, contra autem periculũ salutis cerneret, si declinaret flagitiũ: eligeret tamen magis salutis periculum vt vacaret flagitio, quàm flagitium quo sibi regnum pararet? Denique Dauid cùm fugeret à facie regis Saul, cùm eũ rex cum tribus milibus virorũ electorum ad inferendã necem in deserto quæreret, ingressus in castra regis, cùm dormientem offendisset, non solum ipse non percussit, sed etiam protexit, ne ab alio qui simul ingressus fuerat, perimeretur. Nam cùm diceret ei Abisai: Conclusit hodie dominus inimicum tuum in manibus tuis, & nunc occidam eum: respondit: Non consumas illum, quoniam quis iniiciet manum suam in christum domini, & purus erit? Et addidit: Viuit dominus, quia nisi dominus percusserit illum, aut nisi hora illius venerit vt moriatur, vel in pugnam descenderit, & apponatur mihi, non sit à domino iniicere manũ meam in christum domini. Itaque non permisit necari eum, sed solum lanceam, quæ erat ad caput eius, & lenticulam tulit aquæ, dormientibus cunctis. egressus de castris transiuit in cacumen montis, & coarguere cœpit stipatores regios, & præcipuè principem militiæ Abner, quod nequaquam fidam custodiam regi & domino suo adhiberet. Denique demonstraret, vbi esset lancea regis, vel lenticula quæ erat ad caput eius. Et appellatus à rege lanceam reddidit: & dominus, inquit, restituat vnicuique iustitias suas, & fidem suam: sicut tradidit te dominus in manus meas, & nolui iniicere manum meam in christum domini. Et cùm hoc diceret, timebat tamen insidias eius, & fugit, sedem exilio mutans. Nec tamen salutem prætulit innocentiæ, cùm iam secundo facultate sibi tributa regis necandi* noluisset vti occasionis beneficio, quæ & securitatem salutis metuenti, & regnum offerebat exuli. Vbi opus fuit Ioani Gygęo anulo, qui si tacuisset, non esset occisus ab Hærode? Præstare hoc illi potuit silentium suum, vt & videretur & non occideretur. Sed quia non solum peccare se propter salutis defensionem pasus non est, sed ne alienum quidem peccatũ ferre ac perpeti potuit, ideo in se causam necis excitauit. Certè hoc negare non possunt potuisse fieri vt taceret, qui de illo Gyge negant potuisse fieri vt anuli beneficio absconderetur. Sed fabula, & si vim non habet veritatis, hanc tamen rationem habet: vt si possit celare se vir iustus, tamẽ ira peccatũ declinet, quasi celare non possit: nec personam suam indutus anulum, sed vitam suam Christum indutus abscondat, sicut Apostolus ait: Quia vita nostra abscondita est cum christo in deo. Nemo ergo hic fulgere quærat, nemo sibi arroget, nemo se iactet. Nolebat se Christus hic cognosci, nolebat prædicari in euangelio nomen suum cùm in terris versaretur, venit vt lateret seculum hoc. Ergo & nos simili modo abscondamus vitam nostram Christi exemplo, fugiamus iactantiam, prædicari non expetamus. Melius est hic esse in humilitate, ibi in gloria. Cùm, inquit, Christus apparuerit, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria.

1 Tim. 1.

1 Reg. 26.

*potuisset

Coloss. 3.

Ibidem.

Famis tempore subueniendum, nec auarè partis incumbendum, vel precia captanda. Exempla de Ioseph, & diuite auaro in euangelio. Caput 6.

NOn vincat igitur honestatem vtilitas, sed honestas vtilitatem. Hanc dico vtilitatẽ, quæ æstimatur secundum vulgi opinionem. Mortificetur auaritia, moriatur concupiscentia. Sanctus in negociationem introisse se negat: quia preciorũ captare incrementa, non simplicitatis, sed versutiæ est. Et alius ait: Captans precia frumenti, maledictus in plebe est. Definita est sententia, nihil disputationi relinquens, quale controuersiarum genus solet dicendi esse, cùm alius alleget agriculturam laudabilem apud omnes haberi, fructus terræ simplices esse triplos, plus qui seminauerit, eum probatiorem fore, vberiores reditus industriæ non fraudari, negligentiam magis & incuriam ruris inculti reprehendi solere. Araui, inquit, studiosius, vberius seminaui, diligentius excolui, bono collegi prouentu, solicitius recondi, seruaui fideliter, prouidè custodiui. Nunc in tempore famis vendo, subuenio esurientibus, vendo frumentum non alienum, sed meũ, non pluris quàm cæteri, imo etiam minori precio. Quid hic fraudis est, cùm multi possent periclitari si non haberent quod emerent. Num industria in crimen vocatur? Num diligentia reprehenditur? Num prouidentia vituperatur? Fortasse dicat: Et Ioseph frumenta in abundantia collegit, in caritate

Prouer. 11.

ritate vendidit. Num carius aliquis emere cõpellitur? Num vis adhibetur emptori? Omnibus defertur emẽdi copia, nulli irrogatur iniuria. His igitur quantum cuiusque fert ingenium disputatis, exurgit alius, dicens: Bona quidem agricultura, quæ fructus ministrat omnibus, quæ simplici industria accumulat terrarum fœcunditatem, nihil doli, nihil fraudis interserens. Deniq; siquid vitij fuerit, plus dispendij est: quia si bene aliquis seuerit, melius metet: & si syncerum tritici granum seminauerit, puriorem ac synceram messem colliget. Fœcunda terra multiplicatum reddit quod acceperat, fidelis ager fœneratos solet restituere prouẽtus. De reditibus igitur vberis glebæ expectare debes tui mercedem laboris, de fertilitate pinguis soli iusta sperare compendia. Cur ad fraudem conuertis naturę industriam & indulgentiam? Cur inuides vsibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis à pauperibus sterilitatem? Cùm enim non sentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante precium, te condente frumentum, optant potius nihil nasci, quàm te de fame publica negociari. Ambis frumentorum indigẽtiam, alimentorum penuriam, vberis soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras quando sterilior prouẽtus sit, quando exilior partus: votis tuis gaudes arrisisse maledictum, vt nihil vsquam nasceretur. Tunc messem tuam venisse lætaris, tunc tibi de omnium miseria congeris opes, & hanc tu industriam vocas, hanc diligentiam nominas, quę calliditatis versutia, quę astutia fraudis est: & hoc tu remedium vocas, quod est commentum nequitiæ. Latrocinium hoc an fœnus appellem? Captantur tanquam latrocinij tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Augetur precium tanquam sorte cumulatum fœnoris, quo periculum capitis aceruatur. Tibi conditæ frugis multiplicatur vsura, tu frumentum quasi fœnerator occultas, quasi venditor auctionaris. Quid imprecaris malè omnibus, quia maior futura sit fames, quasi nihil frugum supersit, quasi infœcũdior annus sequatur? Lucrum tuum, damnum publicum est. Ioseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit: nec precia captauit annonæ, sed perenne subsidium collocauit: nihil sibi acquisiuit, sed quemadmodum fames etiam in posterum vinceretur, prouida ordinatione disposuit. Legisti quemadmodum hunc frumentarij precij captatorem exponat in euangelio dominus Iesus, cuius possessio diuites fructus attulit, & ille quasi egens dicebat: Quid faciam? non habeo quo congregem. Destruam horrea mea, & maiora faciam: cùm scire non posset, vtrum sequenti nocte anima sua ab eo repeteretur. Nesciebat quid faceret, quasi ei alimenta deessent, hærebat ambiguo. Non capiebant horrea annonam, & ille se egere credebat. Rectè igitur Salomon: Qui continet, inquit, frumentum, relinquet illud nationibus, non hæredibus: quoniam auaritiæ emolumentum ad successorum iura non peruenit. Quod non legitimè acquiritur, quasi ventis quibusdam ita extraneis diripientibus dissipatur. Et addidit: Captans annonam maledictus in plebe est, benedictio autem in capite eius qui participat. Vides ergo quod largitorem frumenti esse deceat, non precij captatorem. Non est igitur ista vtilitas, in qua plus honestati detrahitur, quàm vtilitati adiungitur.

Lucæ 12.

Prouer. 11.

Peregrinos tempore famis vrbe non arcendos, quod non solùm inhonestum, sed & inutile propositis comprobatur exemplis.

Caput 7.

SED & illi qui peregrinos vrbe prohibent, nequaquam probandi: expellere eo tempore quo deberent iuuare, separare à commerciis communis patrẽtis, fusos omnibus partus negare, inita iam consortia viuendi * auerruncare: cum quibus fuerint communia iura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri? Feræ non expellunt feras, & homo excludit hominem? Feræ ac bestiæ communem putant omnibus victum, quem terra ministrat. Illæ etiam conformem sui generis adiuuant: homo impugnat, qui nihil à se alienum debet credere quicquid humani est. Quanto ille rectius, qui cùm iam prouecta processisset ætate, & famem toleraret ciuitas, atque (vt in talibus solet) peterent vulgo, vt peregrini vrbe prohiberentur, præfecturæ vrbanæ curam cæteris maiorem sustinens, conuocauit honoratos, & locupletiores viros popposcit vt in medium consulerent, dicens: Quàm immane esset peregrinos eiici, quàm hominem exueret, qui cibum morienti negaret. Canes ante mensam impastos esse non patimur, & homines extrudimus? Quàm inutile quoque tot populos mundo perire, quos dira conficeret tabes: quantos vrbi suæ perire, qui solerent adiumento esse, vel in conferendis subsidiis, vel in celebrandis commerciis, neminem fame aliena iuuari: protrahere vt plurimum diem posse, non inopiam repellere: imò tot cultoribus extinctis, tot agricolis occidẽtibus, occasura in perpetuum subsidia frumentaria. Hos igitur excludimus, qui victum nobis inferre consuerunt? Hos nolumus, in tempore necessitatis pascere, qui nos omni ætate pauerunt? Quanta sunt quæ ab ipsis nobis hoc ipso tempore ministrantur? Non in solo pane viuit homo. Nostra illic familia, plerique etiam nostri parentes sunt. Reddamus quod accepimus. Sed veremur, ne cumulemus inopiam. Primùm omnium misericordia nunquam destituitur, sed adiuuatur. Deinde subsidia annonæ quæ his impartienda sunt, collatione redimamus, reparemus auro. Nunquid his deficientibus, non alij nobis redimendi cultores videntur? Quanto * vilius est pascere quàm emere cultores? Vbi etiam repares? Vbi inuenias quem reformes? Adde: si inuenias quem ignarum, & alieni vsus: numero possis substituere, non cultui. Quid plura? Collato auro, coacta frumenta sunt. Ita nec abundantiam vrbis minuit, & peregrinis alimoniam subministrauit. Quantæ hoc commendationis apud deum fuit sanctissimo seni? Quantæ apud homines gloriæ? Hic magnus verè probatus, qui verè potuit imperatori dicere, demõstrans prouinciæ totius populos: Hos tibi omnes reseruaui, hi viuunt beneficio tui senatus, hos tua curia iam morti abstulit. Quanto hoc vtilius, quàm illud quod proximè Romæ factum est, eiectos esse vrbe amplissima, qui iam plurimam illic ætatem transegerant, flentes cum filiis abiisse, quibus velut ciuibus amoliendum exilium deplorarent, interruptas complurium necessitudines, diremptas affinitates. Et certè arriserat anni fœcunditas, inuecticio vrbs sola egebat frumento: potuisset iuuari, si peterent ab Italis frumẽtum, quorum filij expellebantur. Nihil hoc turpius, excludere quasi alienum, & exigere quasi suum. Quid illum eiicis, qui de suo pascitur? Quid illum eiicis qui te pascit? Seruum retines, trudis parentem? Frumentum suscipis, nec affectum impartis? Victum extorques, nec rependis gratiam? Quàm deforme hoc, quàm inutile? Quomodo enim potest vtile esse quod non decet? Quantis corporatorum subsidiis dudum Roma fraudata est? Potuit & illos non amittere, & euadere famem, expectatis ventorum opportunis flatibus, & speratarum commeatu nauium. Quàm verò illud superius honestum atq; vtile? Quid enim tam decorum atque honestum, quàm collatione locupletum iuuare egentes, ministrare victum esurientibus, nulli cibum defore? Quid tam vtile, quàm cultores agrorum reseruari, non interire plebem rusticanorum? Quod honestum igitur, vtile: & quod vtile, honestum. Econtrà, quod inutile, indecorum: quod autem indecorum, id etiam inutile.

Deut. 8. Matth. 4.

* vtilius.

Honestatem saluti quoque prælatam à deo comprobari: Exempla de Iosue, & Caleb, & cæteris exploratoribus.

Caput 8.

QVando maiores nostri seruitio exire potuissent, nisi id non solùm turpe, sed etiam inutile credidissent, regi seruire Ægyptiorum? Iesus quoque & Caleb missi ad explorandam terram, vberem quidem terram, sed à ferocissimis inhabitari gentibus nunciauerunt. Terrore belli populus infractus, recusabat terræ eius possessionem. Suadebant missi exploratores Iesus & Caleb terram esse vtilem: indecorum putabãt cedere nationibus: lapidari potius eligebant, quod minabatur populus, quàm decedere de honestate. Dissuadebant alij, plebs reclamabat, dicens aduersus diras & asperas gentes bellum fore, cadendum sibi in prælio, mulieres suas & pueros direptioni futuros. Exarsit domini indignatio, vt omnes vellet perdere, sed rogante Moyse temperauit sententiam, vltionem

Numer. 13.

Ibidem 14.

distulit: satis esse perfidis supplicij iudicans, vt si parceret interim, nec percuteret incredulos, ad eam tamen terrā quam recusauerant, propter incredulitatis suæ precium non perue nirent: sed pueri & mulieres qui non immurmurauerant, vel sexu, vel ætate veniabiles caperent eius terræ promissam hæreditatem. Denique quicunque erant à vicesimo anno & supra, in deserto eorum membra ceciderunt, sed aliorum dilata est pœna. Qui autem ascenderunt cum Iesu, & dissuadendum putauerunt, plaga mala statim mortui sunt. Iesus verò & Caleb cum innoxia ætate vel sexu in terram promissionis intrarunt. Pars igitur melior gloriam prætulit, deterior salutem honestati. Diuina autem sententia eos probauit, qui honesta vtilibus præstare arbitrabantur. Eos verò condemnauit, apud quos ea quæ videbantur saluti potius quàm honestati accommoda, præponderabant.

Fraudes & turpia lucra clericos maximè dedecere, & omnes honestatem Dauid & Nabuthæ imitari debere.

Caput 9.

NIhil itaq; deformius quàm nullum habere amorem honestatis, & vsu quodam degeneris mercaturæ quæstu solicitari ignobili, auaro æstuare corde, diebus ac noctibus inhiare in alieni detrimenta patrimonij, non eleuare animum ad honestatis nitorem, non considerare veræ laudis pulchritudinem. Hinc nascuntur aucupia quæsitæ hæreditatis, continentiæ atque grauitatis simulatione captatæ, quod abhorret à proposito Christiani viri. Omne enim quod arte elicitum, & fraude compositum est, caret merito simplicitatis. In ipsis qui nullum ecclesiastici ordinis officium receperint, incongrua iudicatur affectatæ ambitio hæreditatis. In supremo fine vitæ positos, suum habere iudicium, vt liberè testētur quod sensiunt, qui postea non sunt emendaturi: cùm honestum non sit compendia aliis vel debita, vel parata auertere, cùm vel sacerdotis vel ministri sit prodesse si fieri potest omnibus, obesse nemini. Denique, si non potest alteri subueniri nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum. Ideóque in causis pecuniariis interuenire non est sacerdotis, in quibus non potest fieri quin frequenter lædatur alter qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere, prodesse velle omnibus: posse autem solius est dei. Nam in causa capitis nocere ei quem iuuare debeas periclitantem, non sine peccato est graui. In causa autem pecuniæ odiū quærere, insipientiæ est: cùm pro salute hominis graues frequenter fiant molestiæ, in quo etiam periclitari gloriosum sit. Proposita igitur forma in sacerdotis officio teneatur, vt nulli noceat, ne lacessitus quidem, & aliqua iniuria offensus. Bonus enim est
Psalm. 7. vir qui dixit: Si reddidi retribuentibus mihi mala. Quæ enim est gloria si eum non lædimus qui nos non læserit? Sed illa virtus est, si læsus remittas. Quàm honestum, quod Dauid, cū potuisset regi inimico nocere, maluit parcere? Quàm etiam vtile, quia successori hoc profuit, vt discerent omnes fidem regi proprio seruare, nec vsurpare imperium, sed vereri? Itaque & honestas vtilitati prælata est, & vtilitas secuta est honestatem. Parū est quod pepercit: addidit, quòd etiam in bello doluit occisum, & flebiliter deplorauit dicēs: Mon-
1. Reg. 1. tes qui estis in Gelboe, neque ros, neque pluuia cadat super vos. Montes mortis, quoniam ibi sublata est protectio potentium, protectio Saul. Non est vnctus in oleo, sed sanguine vulneratorum, & ex adipe belligerantium. Sagitta Ionathæ non est retro reuersa, & gladius Saul non est reuersus vacuus. Saul & Ionathas speciosi & charissimi, inseparabiles in vita sua, & in morte non sunt separati. Super aquilas leuiores, super leones potentiores. Filiæ Israel plorate super Saul, qui vestiebat vos vestimenta coccinea cum ornamento vestro, qui imponebat aurum super vestimenta vestra. Quomodo ceciderunt potētes in media pugna? Ionathas in morte vulneratus est. Doleo in te frater Ionatha, speciosus valde. Ceciderat amor tuus in me, sicut amor mulierum. Quomodo ceciderunt potentes, & perierunt arma concupiscenda? Quæ mater vnicum sic defleret filium, quemadmodum hic defleuit inimicum? Quis gratiæ authorem tantis prosequeretur laudibus, quantis iste prosecutus est insidiatorem

A capitis sui? Quàm piè doluit, quanto ingemuit affectu? Aruerunt montes prophetico maledicto, & diuina vis sententiam maledicētis impleuit. Itaque pro regiæ necis spectaculo pœnam elementa soluerunt. Quid verò sancto Nabuthæ, quæ fuit causa mortis, nisi honestatis contemplatio? Nam cùm 3. Reg. 21.
ab eo vineam rex poscceret, pecuniam daturum se pollicens, indecorum precium pro paterna recusauit hæreditate: maluitque morte declinare huiusmodi turpitudinem. Non mihi, inquit, fiat à domino, vt dem tibi hæreditatem patrum meorum. Hoc est, tantum mihi opprobrium non fiat: non permittat deus tantum extorqueri flagitium. Non vtique de vitibus dicit: (neque enim de vitibus cura est deo, neque de terreno spacio) sed de iure loquitur patrum. Potuit vtique & aliam vineam de vineis regis accipere, & in amicis esse, in quo non mediocris seculi huius vtilitas æstimari solet: sed quod turpe erat, iudicauit quidem non videri vtile: maluítque periculum cum honestate, quàm vtilitatem cum opprobrio. Vulgarem vtilitatem loquor, non illam in qua etiam
B honestatis gratia est. Denique & ipse rex potuit extorquere, sed impudens arbitrabatur: sed occisum doluit. Dominus quoque mulieris immanitatem, quæ honestatis immemor, turpe antetulit lucrum, congruo supplicio plectandam annunciauit. Turpis est itaque omnis fraus. Denique etiam in rebus vilibus execrabilis est stateræ fallacia, & fraudulenta mensura. Si in foro rerum venalium in vsu commerciorum fraus plectitur, potest ne irreprehensibilis videri inter officia virtutum? Clamat Salomon: Pōdus magnū & exiguum, Prou. 20.
& mensuræ duplices, immūda sunt apud deum. Suprà quoque ait: Statera adultera, abominatio est domino: pondus autem æquum, acceptabile est illi.

Vitia virtutibus obliterari, & perfidis ac etiam fraudulentis fidem oportere custodiri: quod Iosue Gabaonitis intimatur exhibuisse. *Cap.* 10.

C IN omnibus igitur decora est fides, iustitia grata, mensura æquitatis iocunda. Quid autem loquar de contractibus cęteris, ac maximè de coēptione prædiorum, vel transactionibus, atq; pactis? Nōne honestatis formulæ sunt, dolum malum abesse: eúmq; cuius dolus fuerit deprehensus, duplici pœnę obnoxium fore? Vbiq; igitur honestatis præpōderat cōsideratio, quæ dolum excludit, fraudem eiicit. Vnde rectè generalem Dauid pro- Psalm. 14.
pheta prompsit sententiam, dicens: Nec fecit proximo suo malum. Non solùm itaque in cōtractibus (in quibus etiam vitia eorum quæ veneunt, prodi iubentur: ac nisi intimauerit venditor, quanuis in ius emptoris transcripserit, doli actione vacuātur) sed etiam generaliter in omnibus dolus abesse debet: aperienda simplicitas, intimanda veritas est. Veterem autem istam de dolo non iurisperitorum formulam, sed patriarcharum sententiam scriptura diuina euidenter expressit in libro testamenti veteris, qui Iesu Naue inscribitur. Nam cùm exisset fama per populos, siccatum esse mare in Hebræorum transitu, fluxisse aquam de petra, de cœlo diur- Ios. 3.
nam ministrari alimoniam tot milibus populi abūdantem, Ibidem 6.
corruisse muros Hierico, sacro tubarum sono ictos, & vlulatu plebis arietatos, Gethæorum quoque regem victum,
D & suspensum in ligno vsque ad vesperam: Gabaonitæ me- Ios. 9.
tuentes validam manum, venerunt cum versutia, simulantes se de terra longinqua esse, diúque peregrinatos dirupisse calciamenta, detriuisse amictus vestium, quarum veterascentium indicia monstrarent. Causam autem tanti laboris, emendæ pacis, & ineundæ cum Hebræis esse amicitiæ cupiditatem, & cœperunt ab Iesu Naue poscere vt secum firmaret societatem. Et quia adhuc erat ignarus locorum, atque incolarum inscius, non cognouit fraudes eorum, neque dominum interrogauit, sed citò credidit. Adeo sancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos posse non crederetur. Quis hoc reprehendat in sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant? Et quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant: fallere quid sit ignorant, libenter credunt quod ipsi sunt, nec possunt suspectū habere quod non sunt. Hinc Salomon ait: Innocens credit omni verbo. Non vituperanda fa- Prou. 14.
cilitas, sed laudāda bonitas. Hoc est, innocentem esse, ignorare quod noceat: & si circumscribitur ab aliquo, de omnibus

bus tamen bene iudicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur. Hac igitur mentis suæ * deuotione inclinatus vt crederet, testamentum disposuit, pacem dedit, confirmauit societatem. Sed vbi in terras eorum ventum est, deprehensa fraude, quod cùm essent finitimi, aduenas se esse simulauerant, circunscriptum sese populus patrum indignari cœpit. Iesus tamen pacem quam dederat reuocandam non censuit, quia firmata erat sacramẽti religione: ne dum alienam perfidiam arguit, suam fidem solueret. Mulctauit tamen eos vilioris ob sequio ministerij. Clementior sententia, sed diuturnior. Manet enim officiis pœna veteris astutiæ hæreditario in hunc diem ministerio deputata.

* dote.

Auaros & fraudulentos interdum cupitis fraudari, semper autem apud deum maleuolentiæ reatu obnoxios teneri. Fabula de quodam Syracusano, & paradigma de Doech Idumæo, & Anania. Caput 11.

NON ergo in hæreditatibus adeundis digitorum percussiones, & nudi successoris salutationes notabo (nam hæc etiam vulgo notabilia) non simulatæ piscationis compositas copias, vt emptoris illiceretur affect⁹. Cur enim tam studiosus luxuriæ ac deliciarum repertus est, vt huiusmodi fraudem pateretur? Quid mihi tractare de Syracusano illo amœno secretóque secessu, & de Siculi hominis calliditate: qui cùm peregrinum aliquem reperisset, cognito quòd cupidus esset hortorum venalium, ad cœnam in hortos rogauit. Promisit inuitatus postridie se venire. Veniens offendit illic magnam piscatorũ multitudinem, exquisitis copiis adornatum conuiuium, in prospectu cœnantium ante hortulos compositos piscatores, vbi nunquam ante iaciebant retia: vnusquisque quod ceperat, certatim offerebat epulantibus: supra mensam pisces ingerebantur, oculos recumbentium resilientes verberabant. Mirari cœpit hospes tantam copiam piscium, tantúmque numerum cymbarum. Respondetur, nulla, nec vnquam illic præter hesternum diem piscari solitos. Quàm hic redarguendi haberet authoritatem doli, qui tam turpe captarit aucupium deliciarum? Qui enim alterum peccati arguit, ipse à peccato debet alienus esse. Non ergo huiusmodi nugas ego in hanc ecclesiasticæ censionis authoritatem vocabo, quæ generaliter condemnat omnem lucri turpis appetentiam, breuíque sermonis compendio excludit leuitatem ac versutiam. Nam de illo quid loquar, qui de eo testamento quod ab aliis licet factum, falsum tamen cognouerit, hæreditatem sibi aut legatum vendicet, & lucrum quærat alieno crimine: cùm etiam leges publicæ eum qui sciens falso vtitur, tanquam reum astringant facinoris? Regula autem iustitiæ manifesta est, quod à vero declinare virum non deceat bonum, nec damno iniusto afficere quenquam, nec doli aliquid annectere, fraudísve componere. Act.5. Quid euidentius eo, quòd Ananias, quia fraudauit de precio agri sui quem ipse vendiderat, & portionem precij tanquam summæ totius numerum ante pedes posuit apostolorum, sicut reus fraudis interiit? Licuit vtique illi nihil offerre, & hoc sine fraude feciſſet. Sed quia fraudem admiscuit, non liberalitatis gratiam reportauit, sed fallaciæ pœnam exoluit. Et dominus in euangelio cum dolo accedẽtes repudiauit, dicens: Matth.8. Vulpes foueas habent: quoniam in simplicitate cordis & in Psalm.51. innocentia nos iubet viuere. Dauid quoque ait: Sicut nouacula acuta fecisti dolum: nequitiæ arguens proditorem, eo quòd instrumentum huiusmodi ad hominis adhibetur ornatum, & plerunque vlcerat. Si quis igitur prætendat gratiam, & dolum nectat, Doech proditoris exemplo, vt eum quem celare & protegere debeat, prodat ad mortem: instrumenti istius comparatione censetur, quod ebriæ mentis & 1.Reg.22. titubãtis vitio manus vulnerare consueuit. Sicut iste malitiæ ebrius vino, per funestæ proditionis indicium Achimelech sacerdoti necem detulit, eo quòd prophetam hospitio susce-

A pisset, quem rex inuidiæ accensus stimulis persequebatur.

De malo temerarij iuramenti, paradigma de Herode & Iepte, & quòd filia eius sponte sua die condicta reuersa, fidem illorum præcellat Pythagoræorum, qui se vades inuicem dederunt. Caput 12.

PRorum igitur ac syncerum oportet esse affectum, vt vnusquisque simplicem sermonem proferat, vas suũ in sanctificatione possideat, nec fratrem suum circunscriptione verborum inducat, nihil 1.Thes.5. promittat inhonestum: aut si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quàm facere quod turpe sit. Sæpe plerique constringunt seipsos iurisiurandi sacramento: & cùm ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt: sicut de Hero Matth.14. de suprà scripsimus, qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter soluit. Turpe, quòd regnum pro saltatione promittitur, crudele quod mors prophetæ pro iurisiurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tali fuisset periurium sacramento? si tamen periurium possit dici, quòd ebrius inB ter vina iurauerat, quòd euiratus inter saltãtium choros promiserat. Infertur disco prophetę caput: & hoc ęstimatum est fidei esse, quòd amentiæ fuit. Neque vnquam adducar vt credam non incautè principem promisisse Iepte, vt immolaret Iudic.11. deo quicquid sibi reuertenti intra limen domus suæ occurreret, cùm & ipsum voti pœnituerit sui, postquam filia occurrit sibi. Denique conscidit vestimenta sua, & dixit: Heu me filia, impedisti mihi, impedisti mihi, in stimulum dolorum facta es mihi. Qui licet pio metu ac formidine acerbitatem duræ solutionis impleuerit, tamen luctum annuum etiam posteris deplorandum statuit ac dereliquit. Dura promissio, acerbior solutio, quam necesse habuit lugere etiam ipse qui fecit. Denique factum est præceptum & decretum in Israel ex diebus in dies. Ambulabunt, inquit, filiæ populi Israel, lugentes filiam Iepte Galaditæ quatuor diebus in anno. Non possum accusare virum qui necesse habuit implere quæ vouerat: sed tamen miserabilis necessitas quæ soluitur parricidio. Melius est non vouere, quàm vouere id quod sibi cui C promittitur nolit exolui. Denique in Isaac habemus exem- Genes.22. plum, pro quo arietem deus statuit immolari sibi. Non semper igitur promissa soluenda omnia sunt. Denique ipse dominus frequenter suam mutat sententiam, sicut scriptura indicat. Nam & in eo libro qui inscribitur Numeri, proposue- Num.14. rat percutere morte, & perdere populum: sed postea rogatus à Moyse, reconciliatus est populo suo. Et iterum ad Moy Ibidem 16. sen & Aaron ait: Diuidite vos de medio synagogæ, & consummabo eos simul. Quibus discedentibus à cœtu, Dathan & Abiron, atque Chore subitò impios terra prærupto soluta hiatu absorbuit. Præcellentius & antiquius istud exemplum de filia Iepte, quàm illud quod memorabile habetur apud philosophos de duobus Pythagoræis. Quorum alter cùm à tyranno Dionysio capitis damnatus esset, præscripto mortis die, popposcit vt domum pergẽdi ei facultas daretur, quo commendaret suos. Ac ne reuertendi nutaret fides, vadem mortis obtulit ea conditione, vt si ipse deforet ad constitutum diem, vas eius sibi pro eo moriendum agnosceret. D Nec qualitatem sponsionis qui offerebatur recusauit, constantíq; animo diem necis præstolabatur. Itaque alter se non subtraxit, alter ad diem repedauit. Quod eousque fuit mirabile, vt tyrannus eos sibi in amicitiam adscisceret, quorum vrgebat periculum. Quod ergo in spectatis & eruditis viris plenum miraculi est, hoc in virgine multo magnificentius, multóque illustrius deprehenditur, quæ ingemiscenti patri ait: Fac mihi vt exiuit de ore tuo. Sed spacium duorum po- Iudic.11. posçit mensium, vt cum æqualibus conuentũ ageret in montibus, quæ virginitatem eius prædestinatam neci pio affectu prosequerentur. Nec fletus æqualium mouit puellam, nec dolor flexit, nec gemitus retardauit, nec dies præteriit, nec fefellit hora. Rediit ad patrem, quasi ad votum rediret, & voluntate propria cunctãtem impulit, fecítque arbitratu spontaneo, vt quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium.

Quantum periculum Iudith honestatis intuitu subierit. Caput 13.

Iudith 11. 12.13.

ECCE tibi Iudith se offert mirabilis, quæ formidatum populis virum Holofernem adiit, Assyriorum triūphali septum caterua. Quem primo formæ gratia & vultus decore perculit, deinde sermonis circunscripsit elegantia. Primus triumphus eius fuit, quòd integrum pudorem de tabernaculo hostis reuexit. Secundus, quòd fœmina de viro reportauit victoriam, fugauit populos consilio suo. Horruerunt Persæ audaciam eius. Vtique (quod in illis Pythagoræis duobus mirantur) non expauit mortis periculum, sed nec pudoris, quod est grauius bonis fœminis: non vnius ictum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidauit. Stetit inter cuneos bellatorum fœmina, inter victricia arma, secura mortis. Quantum ad molem spectat periculi, moritura processit, quantum ad fidem, dimicatura. Honestatem igitur secuta est Iudith: & dum eam sequitur, vtilitatem inuenit. Honestatis enim fuit prohibere, ne populus dei se prophanis dederet, ne ritus patrios & sacramenta proderet, ne sacras virgines, viduas graues, pudicas matronas Barbaricæ subiiceret impuritati, ne obsidionem deditione solueret. Honestatis fuit se malle pro omnibus periclitari, vt omnes eximeret periculo. Quanta honestatis authoritas, vt consilium de summis rebus fœmina sibi vendicaret, nec principibus populi committeret? Quāta honestatis authoritas, vt deum adiutorem præsumeret: quanta gratia, vt inueniret?

Quòd semper honestatem sequatur vtilitas: quòd licet apud homines aliter sæpe contingere videatur, apud deum tamen perpetuò ita esse comprobatur multis exemplis.

Caput 14.

QVid verò Helisæus nisi honestatem secutus est, cùm exercitum Syriæ, qui ad obsidendum eum venerat, captiuum introduxit in Samariam, cuius oculos cæcitate obduxerat, & dixit: Domine

4.Reg.6. aperi oculos eorum, vt videant. & viderunt? Itaque cùm rex Israel percutere ingressos vellet, eámque sibi dari à propheta facultatem posceret, respondit non percutiēdos, quorum captiuitatem non esset manu operatus, armísq; bellicis: sed magis subsidio alimentorum iuuādos. Denique epularibus refecti copiis, nunquam postea in terram Israel piratæ Syriæ reuertendum putarunt. Quanto hoc sublimius quàm illud Græcorum: quod cum duo populi aduersum se de gloria imperióque decertarent, & alter ex his haberet copiam, quemadmodum naues alterius populi clāculo exureret, turpe credidit: maluítque minus posse honestè, quàm plus turpiter. Et isti quidem sine flagitio hæc facere nequibant, vt eos qui consummandi belli Persici gratia in societatem conuenerant, hac fraude deciperent: quam licet possent negare, non possent tamē non erubescere. Helisæus autem non fraude, deceptos licet, sed potestate domini percussos: maluit tamen seruare quàm perdere: quia decorum foret hosti parcere, & aduersario donare vitam, quàm potuisset auferre: nisi peperciſſet. Liquet igitur id quod decorum est, semper esse

Iudith 11. 12.13. vtile. Nam & Iudith sancta decoro contemptu propriæ salutis soluit obsidionis periculum, & publicam honestate propria acquisiuit vtilitatem. Et Helisæus glorioſiùs ignouit quàm perculit, & vtilius reseruauit hostes, quàm ceperat. Quid autem aliud Ioannes, nisi honestatem considerauit, vt

Marc.6. inhonestas nuptias, etiam in rege non posset perpeti, dicens: Non licet tibi illam vxorem habere? Potuit tacere, nisi indecorum sibi iudicasset mortis metu verum non dicere, inclinari regi, propheticam authoritatem adulatione subtexere. Sciebat vtique moriturum se esse, quia regi aduersabatur, sed honestatem saluti prætulit. Et tamen quid vtilius quàm

Daniel.13. quod passionis viro sancto aduexit gloriam? Sancta quoque Susanna denunciato falsi testimonij terrore, cùm hinc se videret vrgeri periculo, inde opprobrio, maluit honesta morte vitare opprobrium, quàm studio salutis turpem vitam subire ac sustinere. Itaque dum honestati intendit, etiam vitam reseruauit: quæ si id quod sibi videbatur ad vitam vtile, præoptauisset, non tantam reportasset gloriā: imò etiam id quod non solum inutile, sed etiam periculosum foret, pœnam criminis forsitā non euasisset. Aduertimus igitur, quia id quod turpe est, non potest esse vtile: neque rursus id quod honestum est, inutile: quia complex honestatis est semper vtilitas, & vtilitatis honestas. Memorabile ferunt rhetores, quòd dux Romanorum cum ad eum aduersarij regis medicus veniſſet, pollicens daturum se regi venenum, vinctum eum ad hostem remiserit. Et reuera præclarum, vt qui virtutis certamen susceperat, nollet fraude vincere. Non enim in victoria honestatem ponebat, sed ipsam, nisi honestate quæsitam, victoriam turpem pronūciabat. Redeamus ad nostrum Moysen, atque ad superiora reuertamur: vt quanto præstantiora, tanto antiquiora promamus. Nolebat Ægypti rex populum dimittere patrum. Dixit Moyses sacerdoti Aaron, vt extenderet virgam suam super omnes aquas Ægypti. Exod.7. Extendit Aaron, & conuersa est aqua fluminis in sanguinem, & nemo poterat bibere aquam: omnésque Ægyptij siti peribant, syncera autem fluenta patribus abundabant. Iactauerunt fauillam in cœlum, & facta sunt vlcera, & vesicæ cadentes in hominibus & quadrupedibus. Ibidem 9. Deduxerunt grandinem in igne flammeo, contrita erant super terram omnia. Rogauit Moyses & vniuersa in suam gratiam reuerterunt. Grando sedata est, sanata vlcera, solitos potus flumina præbuerunt. Iterum caligantibus tenebris operta erat terra per triduum, ex quo Moyses manum leuauerat, & tenebras infuderat. Moriebatur omne primogenitum Ægyptiorum, cùm Hebræorum omnis esset inoffensa progenies. Ibidem 11. Rogatus Moyses, vt his quoque finem exitiis daret, orauit & impetrauit. In illo prædicandum, quod à fraudis consortio temperauit: in hoc mirabile, quoniam diuinitus intenta supplicia, virtute propria etiam ab hoste detorserit. Verè nimium, sicut scriptum est, māsuetus & mitis, sciebat quòd fidem rex non seruaret promissi, tamen honestum putabat vt rogatus oraret, læsus benediceret, appetitus remitteret. Num.12. Proiecit virgam, & serpens factus est, qui deuorauit serpentes Ægyptiorum: Exod.7. significans quòd verbum caro fieret, quæ serpentis diri venena vacuaret per remissionem & indulgentiam peccatorum. Virga est enim verbum directum, regale plenum potestatis, insigne imperij. Virga serpens facta est, quoniam qui erat filius dei, ex deo patre natus, filius hominis factus est natus ex virgine: qui quasi serpens exaltatus in cruce, medicinam vulneribus infudit humanis. Vnde & ipse dominus ait: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium Ioan.3. hominis. Denique & alterum signum ad dominum Iesum pertinet, quod fecit Moyses. Manum suam misit in sinum, & Exod.4. protulit eam, & facta est manus eius sicut nix. Iterum misit & protulit eam, & erat sicut carnis humanæ species: significans domini Iesu primum fulgorem diuinitatis, postea susceptionem carnis, in qua fide credere omnes gentes populósque oporteret. Meritò manum misit, quia dextera dei Christus est, in cuius diuinitatem & incarnationem si quis non crediderit, quasi reprobus flagellatur: sicut iste rex, qui quoniam signis non credidit euidentibus, postea flagellatus orabat, vt veniam mereretur. Quantus igitur honestatis affectus esse debeat, ex his probatur, & eo maximè quod se obiiciebat pro populo dicens: vt remitteret populo deus, Exod.32. aut certe de libro viuentium se deleret. Tobias quoque formam expressit honestatis euidentius, cùm relicto conuiuio Tob.2. mortuos sepeliret, & ad cibos pauperis mensæ inuitaret inopes. Raguel præcipuè, qui contemplatione honestatis, cùm Ibid.7. rogaretur, vt filiam suam in coniugium daret, vitia quoque filiæ non tacebat, ne circunuenire petitorem videretur tacendo. Itaque cùm Tobias filius Tobiæ posceret vt sibi daret puellam, respōdit: lege quidem ipsi eam deberi tanquam propinquo, sed dedisse se eam iam sex viris, & omnes eos esse mortuos. Iustus itaq; vir plus alienis timebat, & malebat innuptam sibi manere filiam, quàm propter nuptias eius extraneos periclitari. Quàm breuiter absoluit omnes quæstiones philosophorum. Illi de vitiis tractant domorum, tegenda an prodenda à venditore videātur: hic noster, nec filiæ vitia celanda arbitratus est. Et certè non ipse affectabat vt eam traderet, sed rogabatur. Quanto vtique iste honestior sit illis, dubitare non possumus, si conferamus quanto præstantior sit filiæ causa, quàm rei venalis pecunia. Consideremus aliud quod in captiuitate gestum summum tenuit honestatis decorē. Nullis enim aduersis honestas impeditur, quæ in his

his eminet,& magis præcellit quàm in proſperis. Inter vincula itaque,inter arma,flammas,ſeruitutem(quæ liberis omni ſupplicio grauior eſt)inter pœnas morientium,excidia patriæ, * viuorum formidinẽ,ſanguinem peremptorum, non excidit tamen cura honeſtatis maioribus noſtris,ſed inter euerſæ patrię cineres & fauillas,in affectibus piis reſplenduit & refulſit.Nam cùm in Perſidem ducerentur patres noſtri, qui tunc dei omnipotentis cultores erant,acceptum ignem de altari ſacerdotes domini occultè in valle abſconderunt. Erat illic velut patens puteus, aquæ ſeceſſu infrequens, nec populari vſui patens,ignoto & ab arbitris remoto loco : ibi obſignauerunt indicio ſacro pariter ac ſilentio ignem reconditum.Non illis ſtudio fuit aurum defodere,argentum abſcondere,quod ſeruarent poſteris ſuis:ſed inter extrema ſua honeſtatis curam habentes,ſacrum ignem ſeruandum putarunt : ne eum vel impuri contaminarent, vel defunctorum ſanguis extingueret,vel deformium ruinarum aceruus aboleret.Abierunt itaque in Perſidem ſola religione liberi,quoniam ſola illis per captiuitatẽ extorqueri nequiuit.Poſt plurimum verò temporis,quando placuit deo,dedit hanc mentem regi Perſarum vt inſtaurari in Iudæa templum,& legitimos reparari Hieroſolymis ritus iuberet.Cuius gratia muneris Neemiam ſacerdotem rex Perſarum direxit.At ille ſecum deduxit illorum ſacerdotum nepotes, qui profecturi de patrio ſolo,ſacrum (ne periret) ignem abſconderant.Venientes autem,vt patrum ſermone eſt proditum,non inuenerunt ignem,ſed aquam craſſam. Et cùm deeſſet ignis quo adolerent altaria,haurire eos aquam Neemias ſacerdos,ſibi que deferre,& aſpergere ſuper ligna iuſſit. Tunc, viſu mirabile,cùm eſſet cœlum intextum nubibus, ſol repẽte illuxit, accenſus eſt magnus ignis,ita vt omnes in tam euidenti domini gratia factum ſtupentes, lætitia perfunderentur. Orabat Neemias,pſallebant ſacerdotes hymnũ deo:vtque conſumptum eſt ſacrificium , iuſſit iterum Neemias reſidua aqua maiores perfundi lapides.Quo facto flãma accenſa eſt, lumen autem refulgens ab altari cõſumptum illico eſt. Hoc patefacto indicio,rex Perſarum eo loco in quo ignis fuerat abſconditus,& poſtea reperta eſt aqua:templum fieri mandauit,cui inferebantur dona plurima.Appellauerunt autem illud qui erant cum ſancto Neemia,Epathar,quod interpretationem habet purificationis: à plurimis Nephthe vocatur. Inuenitur autem in deſcriptionibus Hieremiæ prophetæ, quòd iuſſerit accipere de igne eos qui poſtea eſſent futuri. Hic eſt ignis qui cecidit ſuper ſacrificium Moyſi, & conſumpſit illud,ſicut ſcriptum eſt: Quia exiuit ignis à domino , & conſumpſit vniuerſa quæ erant ſuper altare holocauſta.Hoc igne oportebat ſanctificari ſacrificium . Ideoque & in filios Aaron qui alienum ignem inferre voluerunt, exiuit iterum ignis à domino,& conſumpſit eos,ita vt mortui extra caſtra proiicerentur.Veniens autem Hieremias in locum,inuenit domum in modum ſpeluncæ,& tabernaculum,& arcam,& altare incenſi intulit illuc , & obſtruxit oſtium . Quod cùm hi qui ſimul venerant,curioſius perſcrutarentur,vt notarent ſibi locum,nequaquam comprehendere atque inuenire potuerunt.Vt autem cognouit Hieremias quod affectaſſent,dixit: Ignotus erit locus , donec congreget deus congregationem populi,& propitius fiat.Tunc deus oſtendet hæc,& apparebit maieſtas domini. Cõgregationem populi tenemus, propitiationem domini dei noſtri agnoſcimus,quam propitiator in ſua operatus eſt paſſione.Arbitror quòd nec ignem iſtum poſſimus ignorare, cùm legerimus, quia baptizat dominus Ieſus in ſpiritu ſancto & igni, ſicut in euangelio dixit Ioannes . Meritò conſumebatur ſacrificium , quoniam pro peccato erat . Ille autem ignis typus ſpiritus ſancti fuit, qui deſcenſurus erat poſt domini aſcenſionẽ,& remiſſurus peccata omnium:qui quaſi ignis inflammat animum ac mẽtem fidelem.Vnde ait Hieremias accepto ſpiritu : Et factum eſt in corde meo vt ignis ardens,flammigerans in oſſibus meis: & diſſolutus ſum vndique, & ferre non poſſum . Sed & in Actibus apoſtolorum cùm decidiſſet ſuper apoſtolos ſpiritus ſanctus,& pleroſque qui expectabant promiſſa domini: tanquam ignem diſperſas eſſe linguas legimus. Denique ſic vaporabatur ſingulorum animus,vt muſto repleti eſſe æſtimarentur,qui acceperant linguarum diuerſitatem.Quid ergo ſibi vult,quòd ignis aqua factus eſt,& aqua ignem excitauit,niſi quia ſpiritalis gratia per ignem exurit , per aquam mũdat peccata noſtra?Eluitur enim peccatum, & exuritur. Vnde & Apoſtolus ait: Vniuſcuiuſque opus quale ſit , ignis probabit.Et infrà:Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur:ipſe autem ſaluus erit,ſic tamen quaſi per ignem. Quod ideo poſuimus,vt probaremus per ignem exuri peccata.Notum eſt ergo hunc eſſe verè ignem ſacrum, qui tunc in typo futuræ remiſſionis peccatorum deſcendit ſuper ſacrificium. Hic igitur ignis abſconditur captiuitatis tempore,quo culpa regnat:tempore autem libertatis promitur.Et licet in aquæ ſpeciem mutatus,tamen ſeruat ignis naturam, vt conſumeret ſacrificium.Nec mireris,cùm legeris, quia pater deus dixit:Ego ſum ignis conſumens.Et alibi: Me derẽliquerũt fontem aquæ viuæ . Ipſe quoque dominus Ieſus quaſi ignis inflammat audientium corda,quaſi fons refrigerat . Nam ipſe in euangelio ſuo dicit , quod ideo venerit vt ignem in terras mitteret,& potum ſitientibus aquæ viuæ miniſtraret.Heliæ quoque tempore deſcendit ignis, quando prouocauit prophetas gentium vt altare ſine igne accenderent . Et cùm illi nequiſſent facere,hoſtiam ſuam tertio ipſe perfudit aqua,& manabat aqua in circuitu altaris,& exclamauit, & cecidit ignis à domino de cœlis,& conſumpſit holocauſtum. Hoſtia illa tu es.Conſidera tacitus ſingula.In te deſcendit vapor ſpiritus ſancti,te videtur exurere cùm tua peccata cõſumit.Denique quod conſumptum eſt ſacrificium Moyſi tempore, ſacrificium pro peccato erat.Vnde Moyſes ait,ſicut in Machabæorum ſcriptum eſt libro , eo quòd non ſit manducatum quod erat pro peccato,conſumptum eſt.Nónne tibi conſumi videtur,quando in baptiſmatis ſacramento interit homo totus exterior? Vetus homo noſter exterior crucifixus eſt cruci, Apoſtolus clamat. Illic, ſicut patrum exempla te docent, Ægyptius demergitur: Hebræus reſurgit ſancto renouatus ſpiritu , qui etiam per mare rubrum inoffenſo tranſiuit veſtigio,vbi baptizati ſunt patres ſub nube,& in mari.In diluuio quoque Noe tempore mortua eſt omnis caro , iuſtus tamen cum ſua progenie ſeruatus eſt.An non conſumitur homo,cùm abſorbetur mortale iſtud à vita?Denique exterior corrumpitur,ſed interior renouatur.Nec ſolùm in baptiſmate,ſed etiam in pœnitentia fit carnis interitus ad profectum ſpiritus,ſicut apoſtolica docemur authoritate, dicente ſancto Paulo:Iudicaui vt preſens eum qui ſic operatus eſt, tradere huiuſmodi ſatanæ in interitum carnis,vt ſpiritus ſaluus ſit in die domini noſtri Ieſu Chriſti . Prolixior excurſus admirandi gratia myſterij factus videtur,dum ſtudemus reuelatum plenius ſacramentum pandere, quod eouſque plenum honeſtatis eſt,vt ſit plenum religionis . Quanta autem honeſtatis cura maioribus fuit , vt vnius mulieris iniuriam ſtupro illatam intemperantium,bello perſequerentur,& victo populo tribus Beniamin obteſtarentur in coniugium ſe eis proprias filias non daturos ? Remanſerat tribus ſine vllo poſteritatis ſubſidio , niſi fraudis neceſſariæ accepiſſet licentiam.Quæ tamen indulgentia congruo intemperantiæ ſupplicio non videtur vacare, quãdo illis hoc ſolùm permiſſum eſt,vt raptu inirent coniugia , non connubij ſacramento. Et reuera dignum fuit,vt qui alienum cõtubernium ſoluerant, ipſi nuptiarum amitterent ſolennitatem . Quàm plena autem miſerationis hiſtoria ? Vir, inquit, Leuita acceperat ſibi iugalem(quam à concubitu concubinam appellatam arbitror)quæ aliquanto poſt quibuſdam(vt fieri ſolet)offenſa rebus,ad patrem ſe contulit,& fuit illic quatuor menſibus. Exurrexit vir eius,& abiit ad ſoceri ſui domum, vt cum ſua iugali repararet gratiam , & reuocaret eam, ac reduceret. Occurrit mulier,atq; in domum patris ſui introduxit maritum. Lætatus adoleſcentulæ pater venit obuiam , & ſedit cum eo tribus diebus,& epulati ſunt,& quieuerunt. Et ſequenti die ſurrexit Leuita diluculo,& retentus eſt à ſocero , vt tam citò non deſereret conuiuij iocunditatem . Et alio & tertio die non permiſit pater adoleſcentulæ proficiſci generum ſuum, donec lætitia & gratia inter eos omnis conſummaretur.Sed die ſeptimo cùm iam ad veſperum declinaret dies,poſt menſas & læta cõuiuia,cùm prætexeret finitimæ noctis viciniam

* vitorum.
2.Mach.1.
Ibidem 2.
Leuitic.9.
Ibidem 10.
2.Mach.2.
Ioan.1.
Hier.20.
Act.2.
1.Cor.3.
Deuter.4. Hebr.12. Hier.2.
Lucæ 12. Ioan.7.
3.Reg.18.
2. Mach.2.
Rom.6.
2.Cor.4.
Gene.7.
1.Cor.5.
Iudic.19.

& apud ſuos potius, quàm apud extraneos requieſcendum putaret, nequiuit tenere, & dimiſit vnà cum filia ſua virum. Verum vbi facta eſt aliqua progreſſio, cùm veſper iam propior vrgeret, & appropinquandum foret ad vrbem Iebuſæorum, dicente ſeruulo, vt ad eam dominus ſuus deflecteret, non acquieuit dominus ſuus, quia non erat ea ciuitas filiorum Iſrael: ſed intendit peruenire vſque Gabaa, quæ habitabatur à populo tribus Beniamin. Nec erat quiſquam qui aduenientes reciperet hoſpitio, niſi vir peregrinus progreſſa ætate. Qui cum aſpexiſſet eos, interrogauit Leuitam: quò vadis, vel vnde venis? quo reſpondente quòd eſſet viator, & repeteret montem Effrem, & non eſſet qui colligeret eum: hoſpitium obtulit, adornauit cõuiuium. At vbi ſatietas epulandi facta eſt, & menſæ remotæ, irruentes peſtilentes viri circunierunt domum. Tunc ſenior filiam ſuam virginem, & coæqualem eius cum qua cubitare ſolita eſſet, offerebat viris iniquitatis, tantùm ne vis irrogaretur hoſpiti. Verum vbi parum ratio proceſſit, & vis prævaluit, ceſſit Leuites iugalem ſuam. Et cognouerunt eam, & tota nocte illuſerunt ei. Quæ atrocitate vel dolore victa iniuriæ, ante oſtium hoſpitij quo vir ſuus diuerterat, proiecit ſe atque exhalauit ſpiritum, ſupremo licet vitæ munere affectum bonæ coniugis ſeruans, vt exequias ſaltem ſui funeris marito reſeruaret. Quo cognito (ne multis morer) omnis propè populus Iſrael in bellum exarſit, dubióque euentu cum anceps maneret prælium, tertia tamen præliandi vice traditus eſt populus Beniamin populo Iſrael, & diuina iudicatus ſententia pœnas intemperantiæ luit. Cõdemnatus quoque ne quis ei ex numero patrum filiam ſuam daret in vxorem. Id confirmatum iuriſiurãdi ſacramento eſt. Sed compuncti quòd tam acerbam in fratres tuliſſent ſententiam, ita ſeueritatem eius temperauerunt, vt orbatas parentibus virgines in coniugium ſibi aſciſcerent, quorum patres pro delicto perempti forent, vel raptu copulam ſociarent: quia pro tam turpis commiſſi facinore, qui alieni matrimonij ius violauerant, indignos ſe impetrãdo exhibuere matrimonio. Sed ne periret vna populo tribus, fraudis indulta eſt conniuentia. Quanta igitur honeſtatis cura maioribus fuerit, hinc proditur, vt quadraginta milia virorum ſtringerẽt gladium aduerſus fratres ſuos de tribu Beniamin, dum vlciſci volunt iniuriam impudicitiæ, quia temeratores caſtitatis non * ſufferebantur. Itaque eo bello cæſa ſunt vtrinque ſexagintaquinque milia bellatorum, & exuſtę vrbes. Et cùm inferior primò fuiſſet populus Iſrael, tamen nec aduerſi metu belli percitus vindicandæ caſtitatis ſequeſtrauit dolorem. Ruebat in prælium, vel ſanguine ſuo parãs cõmiſſi flagitij diluere notam. Et quid mirum ſi populo dei decorum illud atque honeſtum curæ fuit, quando etiam leproſis (ſicut in libris Regnorum legimus) honeſtatis non defuit conſideratio? Fames erat magna in Samaria, quia obſederat eam Syrorum exercitus. Rex militares excubias ſupra murum ſolicitus reuiſebat, interpellauit eum mulier dicens: Perſuaſit mihi hæc mulier vt afferrem filium meum, & attuli, & coximus, & comedimus eum, & promiſit vt & ipſa poſt ea filium ſuum afferret, & carnes illius ſimul mãducaremus. Nunc autem filium ſuum abſcõdit, & non vult eum afferre. Motus rex quòd non ſolum humanis, ſed etiam parricidalibus cadaueribus mulieres paſtæ viderẽtur, & tam atrocis calamitatis exemplo percitus, Heliſæo prophetæ mandauit necem, cuius in poteſtate fore crederet, vt obſidionẽ ſolueret, propulſaret famem, vel quia non permiſerat regi vt percuteret Syros quos cæcitate perfuderat. Sedebat Heliſæus cum ſenioribus in Bethel, & priuſquã introiret ad eum regis nuncius, ait ad ſeniores viros: Si vidiſtis, quoniam filius homicidæ illius miſit auferre caput meum? Et introiuit nuncius, & mandatum regis pertulit, denuncians præſens capitis periculum. Cui reſpondit propheta: Hac hora diei craſtina, menſura ſimilaginis ſiclo, & duæ menſurę hordei ſiclo in porta Samariæ. Et cum miſſus à rege nuncius non credidiſſet, dicens: Si pluerit dominus de cœlo abũdantiam frumenti, ne ſic quidem id poſſe effici. Dixit ad eum Heliſæus: Quia non credidiſti, oculis videbis tuis, & non manducabis. Et factus eſt ſubitò in caſtris Syriæ velut quadrigarum ſonus, & vox † multitudinis, & vox magnæ virtutis, atq; ingens belli tumultus: &

* offerebantur.

4. Reg. 6.

Ibidem 7.

† multa equitum.

A arbitrati ſunt Syrij, quòd rex Iſrael in ſocietatem aduocaſſet prælij regem Ægypti, & regem Amorræorum: & fugerunt diluculo, relinquentes tabernacula ſua, quoniam verebãtur ne improuiſo aduentu nouorum opprimerẽtur hoſtium, & coniunctis regum viribus non poſſent reſiſtere. Id incognitum Samariæ erat,* quoniam victi metu, & fame tabidi, nec prætendere audebant. Erant autem leproſi quatuor ad portam ciuitatis, quibus vita erat ſupplicium, & mori lucrum, & dixerunt ad ſe inuicem: Ecce nos hic ſedemus, & morimur. Si ingredimur vrbem, moriemur fame: ſi manemus hîc, nullum ſubſidium viuendi ſuppetit nobis. Eamus in caſtra Syriæ, aut compẽdium mortis erit, aut ſalutis remedium. Perrexerunt itaque, & intrauerunt caſtra: & ecce omnia nuda hoſtium. Ingreſſi tabernacula, primum repertis alimentis † fugauerunt famem, deinde auri & argẽti quantum potuerunt diripuerunt. Et cùm ſoli poſſent prædæ incubare, elegerunt tamen regi nunciare fugiſſe Syrios: quia id honeſtum arbitrabantur, quàm repreſſo indicio fouere fraudis rapinam. Quo indicio egreſſus eſt populus, & diripuit caſtra Syriæ, & B commeatus hoſtium: abundantiam fecit annonæ, vilitatem reddidit, vt ſecundum propheticum dictum menſura ſimilaginis ſiclo, & duæ menſuræ hordei pari precio conſtarent. In hac lętitia plebis nuncius ille in quo requieſcebat rex, conſtitutus in porta, inter exeuntium feſtinationẽ & remeantium exultationem, conculcatus à plebe mortuus eſt.

* quin iam.

† leuarunt.

Laus honeſtatis, magnanimitate Heſter, & fide Ionathæ commendatur & Achimelech. Cap. 15.

QVID Heſter regina, nónne vt populũ ſuum periculo erueret (quod erat decorum atque honeſtum) morti ſe obtulit, nec immitis regis trepidauit furorem? Ipſe quoque rex Perſarum ferox atque tumido corde, tamen decorum iudicauit indici inſidiarum quæ ſibi paratæ forent, gratiam repræſentare, populúm que liberum à ſeruitute eripere, eruere neci, nec parcere neci eius qui tam indecora ſuaſiſſet. Denique quem ſecundum à ſe, ac præcipuum inter omnes amicos haberet, cruci tradidit, quod dehoneſtatum ſe eius fraudulentis conſiliis animaduertiſſet. Ea enim amicitia probabilis, quæ honeſtatẽ tuetur, præferenda ſanè opibus, honoribus, poteſtatibus: honeſtati verò præferri non ſolet, ſed honeſtatem ſequi. Qualis fuit Ionathæ, qui pro pietate nec offenſam patris, nec ſalutis periculum refugiebat. Qualis fuit Achimelech, qui pro hoſpitalis gratiæ officiis necem potius ſibi, quàm proditionem fugientis amici, ſubeundam arbitrabatur.

Heſter 2. & ſequen.

2. Reg. 22.

De moderamine amicitiæ conſeruandæ, clauditur volumen. Caput 16.

NIhil igitur præferẽdum honeſtati: quæ tamen ne amicitiæ ſtudio prætereatur, etiam hoc ſcriptura admonet. Sunt enim pleræq; philoſophorũ quæſtiones, vtrum amici cauſa quiſquam contra patriam ſentire nécne debeat, vt amico obediat: vtrum oporteat vt fidem deſerat, dum indulget atq; intendit amici commoditatibus. Et ſcriptura quidem ait: Claua & gladius & ſagitta ferrata, ſic homo eſt teſtimonium dãs falſum aduerſus amicum ſuũ. Sed conſidera quid aſtruat. Non teſtimonium reprehendit dictum in amicum, ſed falſum teſtimonium. Quid enim ſi dei cauſa, quid ſi patriæ cogatur aliquis dicere teſtimonium? Nunquid præponderare debet amicitia religioni, præponderare charitati ciuium? In his tamen ipſis rebus requirenda eſt veritas teſtimonij, ne amicus appetatur amici perfidia, cuius fide abſolui debebat. Amicus itaque ne que noxio gratificari debet, neque innocenti inſidiari: Sanè ſi neceſſe ſit dicere teſtimonium, ſi quid in amico vitij cognouerit, corripere occultè: ſi non audierit, corripere palam. Sunt enim bonæ correptiones, & plerunque meliores, quàm tacita amicitia. Et ſi lædi ſe putat amicus, tu tamen corripe. Et ſi amaritudo correptionis animum eius vulneret, tu tamen corripere ne verearis. Tolerabiliora ſunt enim amici vulnera, quàm adulantium oſcula. Errantem igitur amicum corripe, innocentem amicum ne deſeras. Conſtans enim debet eſſe amicitia, perſeuerare in affectu, non puerili modo amicos mutare vaga quadã debemus ſententia. Aperi pectus tuum amico, vt fidelis ſit tibi, & capias ex eo vitæ tuæ iocun-

Prou. 25.

Prou. 27.

iocunditatem. Fidelis enim amicus medicamentum est vi- A
tæ & immortalitatis gratia. Defer amico, vt æquali, nec te pu-
deat vt præuenias amicum officio. Amicitia enim nescit su-
Eccles.22. perbiam. Ideo Sapiens dicit: Amicum salutare non erubes-
cas. Nec deseras amicũ in necessitate, nec derelinquas eum,
neque destituas, quoniam amicitia vitę adiumentum est. Id-
Colos.6. eo in ea onera nostra portemus, sicut Apostolus docuit. Di-
cit enim his quos eadem complexa est charitas. Etenim si a-
mici secundæ res amicos adiuuant, cur non & in aduersis a-
mici rebus amicorum adiumentum suppetat? Iuuemus con
silio, cõferamus studia, compatiamur affectu. Si necesse est,
toleremus propter amicum etiam aspera. Plerunque inimi-
citiæ subeundæ sunt propter amici innocentiam, sæpe obtre
ctationes, si restiteris vel responderis cùm amicus arguitur
& accusatur: nec te pœniteant eiusmodi offensiones. Iusti e-
nim vox est: Et si mala mihi euenerint propter amicum, su-
stineo: In aduersis enim amicus probatur. Nam in prosperis
amici omnes videntur. Sed vt in aduersis amici patientia &
tolerantia necessaria, sic in prosperis authoritas congrua est, B
vt insolentiam extollentis se amici reprimat & redarguat.
Iob 19. Quàm pulchrè in aduersis posit9 Iob dicit: Miseremini mei
amici mei, miseremini. Nõ quasi abiecta vox ista est, sed qua
si censoria. Nam cùm iniustè argueretur ab amicis, respon-
dit: Miseremini mei amici, hoc est, misericordiam debetis fa
cere. Opprimitis autem vos & impugnatis hominem, cuius
ærumnis compati pro amicitia vos oportebat. Seruate igitur
filij initam cum fratribus amicitiã, qua nihil est in rebus hu-
manis pulchrius. Solatium quippe vitæ huius est, vt habeas
cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui com
mittas secretum pectoris, vt colloces tibi fidelem virum, qui
in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in per-
Daniel.3. secutionibus adhortetur. Quàm boni amici Hebræi pueri,
quos à sui amore nec fornacis ardentis flamma diuisit? De
2.Reg.1. quo loco, vt superius diximus, bene ait sanctus Dauid? Saul
& Ionathas speciosi & charissimi, inseparabiles in vita sua,
& in morte non sunt separati. Hic est amicitiæ fructus, non
vt fides propter amicitiam deseratur. Non potest enim ho-
mini amicus esse, qui deo fuerit infidus. Pietatis custos ami- C
citia est, & æqualitatis magistra, vt superior inferiori se exhi
beat æqualem, inferior superiori. Inter dispares enim mores
non potest esse amicitia: & ideo cõuenire sibi vtriusque de-
bet gratia. Nec authoritas desit inferiori, si res poposcerit,
nec humilitas superiori. Audiat quasi parem, quasi æqualem,
& ille quasi amicus moneat, obiurget non iactantiæ studio,
sed affectu charitatis. Neque monitio aspera sit, neque ob-
iurgatio contumeliosa. Sicut enim adulationis fugitans ami
citia debet esse, ita etiam aliena insolentiæ. Quid est enim a-
micus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adiun-
gas atque applices, & ita misceas, vt vnum velis fieri ex duo-
bus, cui te tanquam alteri tibi cõmittas, à quo nihil timeas,
nihil ipse commodi tui causa inhonestum petas? Non enim
vectigalis amicitia est, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus
est enim amicitia, non quæstus: quia non pecunia quæritur,
sed gratia: nec licitatione preciorum, sed concertatione be-
neuolentiæ. Denique meliores amicitiæ sunt inopum ple- D
runque quàm diuitũ: & frequenter diuites sine amicis sunt,
quibus abundant pauperes. Non est enim vera amicitia, v-
bi est fallax adulatio. Diuitibus itaque plerique assentatoriè
gratificãtur, erga pauperem nemo assentator est. Verum est,
quicquid defertur pauperi: huius amicitia inuidia vacat.
Quid amicitia precio sius, quæ angelis communis & homi-
Luc.16. nibus est? Vnde & dominus Iesus dicit: Facite vobis amicos
de iniquo mammona, qui recipiant vos in æterna taberna-
cula sua. Ipse nos deus amicos ex seruulis facit, sicut ipse ait:
Ioan.15. Iam vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.
Dedit formam amicitiæ quam sequamur, vt faciamus ami-
ci voluntatem, vt aperiamus secreta nostra amico quæcun-
que in pectore habemus, & nos illius arcana non ignore-
mus. Ostendamus illi nos pectus nostrum, & ille nobis ape
riat suum. Ideo, inquit, vos dixi amicos, quia omnia quæ-
cunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Nihil ergo oc-
cultat amicus si verus est: effundit animum suum, sicut ef-
fundebat mysteria patris dominus Iesus. Ergo qui facit man

datum dei, eius amicus est, & hoc honoratur nomine. Qui
est vnanimis, ipse amicus est: quod vnitas animorum in ami
cis sit, neque quisquam detestabilior, quàm qui amicitiam
læserit. Vnde in proditore dominus hoc grauissimum inue-
nit quo eius condemnaret perfidiam, quod gratiæ vicem
non repræsentauerit, & conuiuiis amicitiæ venenum mali-
tiæ miscuerit. Itaque sic ait: Tu verò homo vnanimis, dux Psalm.54.
meus & notus meus, qui semper mecum dulces capiebas ci-
bos: hoc est, non potest sustineri istud, quia vnanimis appe-
tisti eum, qui tibi donauerat gratiam. Nam si inimicus meus
maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & ab eo qui me ode-
rat, absconderem me. Inimicus vitari potest, amicus non po-
test, si insidiari velit. Illum cauemus cui non committimus
cõsilia nostra: hunc cauere non possumus, cui commisimus.
Itaque ad aceruandam peccati inuidiam non dixit: Tu verò
seruus meus, apostolus meus, sed vnanimis meus: hoc est,
non meus, sed etiam tuus proditor es, qui vnanimum prodi-
disti. Dominus ipse cùm à tribus regibus offensus esset, qui
sancto Iob honorem non detulissent, ignoscere his per ami-
cum maluit, vt amicitiæ suffragium remissio fieret peccato-
rum. Itaque rogauit Iob, & dominus ignouit. Profuit illis a-
micitia, quibus obfuit insolentia.

HÆC apud vos deposui filij, quæ custodiatis in a-
nimis vestris: quæ vtrum aliquid profectus ha-
beant, vos probabitis. Interim copiam multam
exemplorum afferunt. Nam prope omnia maio-
rum exempla, plurima quoque dicta his tribus inclusa libris
tenentur, vt etsi sermo nihil deferat gratiæ, series tamen ve-
tustatis quodam compendio expressa, plurimum instructio-
nis conferat.

OFFICIORVM FINIS.

Diui Ambrosij
EPISCOPI MEDIOLANENSIS,
ad Marcellinam sororem suam de virginibus,
Liber primus.

SI iuxta cœlestis sententiam veritatis,
verbi totius, quodcunque ociosum Matth.12.
fuerimus locuti, habemus præstare
rationem: vel si vnusquisque seruus
credita sibi talenta gratiæ spiritualis
(quæ nummulariis diuidẽda forent)
vt crescentibus multiplicarentur vsu
ris, intra terram suam vel quasi timi- Matth.25.
dus fœnerator, vel quasi auarus possessor absconderit, non
mediocrem domino reuertẽte offensam incidet: iure nobis Lucæ 19.
verẽdum est, quibus licet ingenium tenue, necessitas tamen
maxima, eloquia dei credita populi fœnerare mentibus, ne
vocis quoque nostrę poscat vsuram, prę sertim cùm studium
à nobis dominus non profectum requirat. Vnde scribendi
aliquid sententia, fuit. Maiore siquidem pudoris periculo au
ditur vox nostra quàm legitur. Liber enim non erubescit. E-
quidem ingenio diffisus, sed diuinæ misericordiæ prouoca-
tus exemplis, sermonem meditari audeo. Nam volente deo Num.22.
etiam asina locuta est. Quod si mihi sub istius seculi one-
ribus constituto assistat angelus, ego quoque muta diu ora la-
xabo. Potest enim soluere impedimenta imperitiæ, qui in il-
la asina soluit naturæ. In arca veteris testamenti virga floruit Ibid.27.
sacerdotis: facilè deo est, vt in sancta ecclesia de nostris quo
que nodis flos germinet. Cur autem desperandum quòd do Exod.3.
minus loquatur in hominibus, qui est locutus in sentibus,
nec rubum est dedignatus? Atque vtinam meas quoque il-
luminet spinas. Erunt fortasse qui etiam in nostris sentibus
aliquem mirentur lucere fulgorem, erunt quos spina nostra
non vrat, erunt quibus de rubo audita vox nostra soluat de
pedibus calciamẽtum, vt impedimentis corporalibus exua-

tur mentis inceſſus. Sed hæc ſanctorum merita virorum. Vti
Lucæ 13. nam me ſub illa infructuoſa adhuc ficu iacentem ex aliqua
Ieſus parte reſpiceret, ferret quoque poſt triennium fructus
& noſtra ficus. Sed vnde tantùm peccatoribus ſpei? Vtinam
ſaltē ille euangelicus dominicæ cultor vineæ ficum noſtram
fortaſſe iam iuſſus excidere, dimittat illam & hoc anno, vſq;
dum fodiat, & mittat cophinum ſtercoris: nam fortè de ter-
Pſalm. 112. ra ſuſcitet inopem, & de ſtercore erigat pauperem. Beati qui
ſub vite & olea equos ſuos alligant, laborem curſuum ſuo-
rum paci & lætitiæ conſecrantes, ne ficus adhuc, id eſt, illece
broſa delitiarum obumbret prurigo mundi, humilis ad alti-
tudinem, fragilis ad laborem, mollis ad vſum, ſterilis ad fru-
ctum. Ac fortaſſe miretur aliquis, cur ſcribere audeo qui lo-
qui nequeo. Attamen ſi repetamus quæ legimus in euange-
Lucæ 1. licis ſcripturis, & ſacerdotalibus factis, ac nobis ſanctus Za-
charias propheta documēto ſit: inueniet eſſe quod vox non
explicet, ſtilus ſignet. Quòd ſi nomen Ioannis reddidit patri
vocem, ego quoque deſperare non debeo, quin vocem licet
mutus accipiam, ſi loquar Chriſtum, cuius quidem genera-
Eſaiæ 53. tionem iuxta propheticum dictum quis enarrabit? Et ideo
quaſi ſeruus domini familiā prædicabo. Immaculatus enim
dominus, immaculatā ſibi familiam etiam in hoc pleno col-
luuionum fragilitatis humanæ corpore conſecrauit. Et bene
procedit, vt quoniam hodie natalis eſt virginis, de virgini-
bus ſit loquendū, & ex prædicatione libet ſumat exordium.
Natalis eſt virginis, integritatem ſequamur. Natalis eſt mar-
tyris, hoſtias immolemus. Natalis eſt ſanctæ Agnes, miren-
tur viri, non deſperent paruuli, ſtupeant nuptæ, imitentur in
nuptæ. Sed quid dignū ea loqui poſſumus, cuius ne nomen
quidem eſt vacuum luce laudis? Fuit deuotio ſupra ætatem:
virtus ſupra naturam, vt mihi videatur non hominis habuiſ-
ſe nomen, ſed oraculum martyris, quæ indicauit quid eſſet
futura. Habeo tamen vnde mihi ſubſidium comparetur. No
men virginis titulus eſt pudoris. Appellabo martyrem. Prædicaui ſatis, prolixa laudatio eſt quæ non quæritur, ſed tene-
tur. Faceſſant igitur ingenia, eloquētia conticeſcat. Vox vna
præconium eſt. Hanc ſenes, hanc iuuenes, hanc pueri canāt.
Nemo eſt laudabilior, quàm qui ab omnibus laudari poteſt.
Quot homines, tot præcones qui martyrem prædicant dum
loquuntur. Hæc duodecim annorum martyrium feciſſe tra-
ditur. Quo deteſtabilior crudelitas, quæ nec minuſculæ pe-
percit ætati. Imò magna vis fidei, quæ etiam ab illa teſtimo-
nium inuenit ætate. Fuítne in illo corpuſculo vulneri locus?
Et quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo fer-
rum vinceret. At iſtius ætatis puellæ toruos etiam vultus pa-
rentum ferre non poſſunt, & acu diſtricta ſolent puncta fle-
re quaſi vulnera. Hæc inter cruentas carnificum impauida
manus, hæc ſtridentium grauibus immobilis tractibus cate-
narum, nunc furētis mucroni militis totum offerre corpus,
mori adhuc neſcia, ſed parata vel ſi ad aras inuita raperetur,
tendere Chriſto inter ignes manus, atque in ipſis ſacrilegis
focis trophæum domini ſignare victoris: nunc ferratis colla
manúſque ambas inſerere nexibus. Sed nullus tam tenuia
membra poterat nexus includere. Nouum martyrij genus.
Nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ, certare dif-
ficilis, facilis coronari: magiſterium virtutis impleuit, quæ
præiudicium vehebat ætatis. Non ſic ad thalamum nupta
properaret, vt ad ſupplicij locum, læta ſucceſſu, gradu feſtina
1. Tim. 1. virgo proceſſit, non intorto crine caput compta, ſed Chri-
ſto: non floſculis redimita, ſed moribus. Flere omnes, ipſa ſi-
ne fletu. Mirari plerique quod tam facile vitæ ſuæ prodiga,
quam nōdum hauſerat, iam quaſi perfuncta donaret. Stupe-
re vniuerſi, quod iam diuinitatis teſtis exiſteret, quæ adhuc
arbitra ſui per ætatem eſſe non poſſet. Effecit deniq; vt ei de
deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur: quia
quod vltra naturam eſt, de authore naturæ eſt. Quanto ter-
rore egit carnifex vt timeretur, quantis blanditiis vt ſuade-
ret, quantorum vota vt ſibi ad nuptias proueniret. At illa: Et
hæc ſponſi iniuria eſt, inquit, expectare placituram. Qui me
ſibi prior elegit, accipiet: quid percuſſor moraris? Pereat cor-
pus, quod amari poteſt oculis, quibus nolo. Stetit, orauit, cer
uicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quaſi ipſe ad-
dictus fuiſſet, tremere percuſſoris dextram, pallere ora alie-

A no timentis periculo, cùm puella non timeret ſuo. Habetis
igitur in vna hoſtia duplex martyrium, pudoris & religionis.
Et virgo permanſit, & martyrium obtinuit. Inuitat nunc in-
tegritatis amor, & tu ſoror ſancta vel mutis tacita moribus,
vt aliquid de virginitate dicamus, ne veluti tranſitu quodam
præſtricta videatur, quæ principalis eſt virtus. Non enim id-
eo laudabilis virginitas, quia in martyrib⁹ reperitur, ſed quia
ipſa martyres faciat. Quis autē humano eam poſſit ingenio
comprehendere, quam nec natura ſuis incluſit legibus? Aut
quis naturali voce complecti, quod ſupra vſum naturæ ſit?
E cœlo arceſſiuit, quòd imitaretur in terris. Nec immeritò vi
uendi ſibi vſum quæſiuit è cœlo, quæ ſponſum ſibi inuenit
in cœlo. Hæc nubes aera angelos ſideraque tranſgrediens,
verbum dei in ipſo ſinu patris inuenit, & toto hauſit pecto-
re. Nam quis tantū cùm inuenerit relinquat boni? Vnguen-
tum enim exinanitum eſt nomē tuum. Propterea adoleſcen Cantic. 1.
tulæ dilexerunt te & attraxerūt te. Poſtremò non meum eſt
illud, quoniam quæ non nubunt neq; nubentur, erunt ſicut Matth. 22.
B angeli dei in cœlo. Nemo ergo miretur ſi angelis comparen
tur, quæ angelorum domino copulantur. Quis igitur neget
hanc vitam fluxiſſe de cœlo, quam non facilè inuenimus in
terris? Niſi poſtquam deus in hęc terreni corporis mēbra de- Ioan. 1.
ſcendit: tunc in vtero virgo cōcepit, & verbum caro factum
eſt: vt quod caro factū eſt, caro fieret dei. Dicet aliquis: Sed
etiam Helias nullis corporei coitus fuiſſe permixtus cupidi-
tatibus inuenitur: Ideo ergo curru raptus ad cœlū, ideo cum 4. Reg. 2.
domino apparet in gloria, ideo dominici venturus eſt præ- Exod. 15.
curſor aduentus. Et Maria ſumens tympanum pudore virgi-
neo choros duxit. Sed cōſiderate cuius illa ſpeciem tunc ge-
rebat. Nónne eccleſiæ, quę religioſos populi cœtus qui car-
mina diuina concinerent, immaculato virgo ſpiritu copula-
uit? Nam etiam templo Hieroſolymis fuiſſe legimus virgi-
nes deputatas. Sed quid Apoſtolus dicit: Hęc autem in figu- 1. Cor. 10.
ra contingebant illis, vt eſſent indicia futurorū. Figura enim
in paucis eſt, vita in pluribus. At verò poſteaquam dominus
in corpus hoc veniens, cōtubernium diuinitatis & corporis
C ſine vlla concretæ confuſionis labe ſociauit, tunc toto orbe
diffuſus corporib⁹ humanis vitę cœleſtis vſus inoleuit. Hoc
illud eſt quod miniſtrantes in terris angeli decantarūt futu-
rum genus, quod miniſterium domino immaculati corpo-
ris obſequiis exhiberet. Hęc eſt cœleſtis illa militia, quā lau- Lucæ 2.
dātium exercitus angelorū promittebat in terris. Habemus
ergo authoritatē vetuſtatis à ſeculo, plenitudinem profeſſio
nis à Chriſto. Certè non eſt hoc mihi cōmune cum gētibus,
non populare cum Barbaris, non cum cęteris animātibus vſi
tatum, cum quibus & ſi vnum eūdémq; vitalem aeris huius
carpimus ſpiritum, vulgarem terreni corporis participamus
ſtatum, generandi quoque non diſcrepamus vſu: hoc ſolo ta
men naturę parilis conuitia declinamus, quod virginitas af-
fectatur à gentibus: ſed conſecrata violatur, incurſatur à Bar
baris, neſcitur à reliquis. Quis mihi prętendit Veſtę virgines
& Palladis ſacerdotes? Qualis iſta eſt non morum pudicitia
ſed annorum, quę non perpetuitate, ſed ętate pręſcribitur?
Petulantior eſt talis integritas, cuius corruptela ſeniori ſer-
D uatur ętati. Ipſi docent virgines ſuas non debere perſeuera-
re nec poſſe, qui virginitati finem dederunt. Qualis autem
eſt illa religio, vbi pudicæ adoleſcentes iubentur eſſe, impu-
dicę anus? Sed nec illa pudica eſt quę lege tenetur, & illa im
pudica quę lege dimittitur. O myſteria, ô mores, vbi neceſſi
tas imponitur caſtitati, authoritas libidini datur. Itaque nec
caſta eſt, quę metu cogitur, nec honeſta quæ mercede con-
ducitur, nec pudor ille, qui intemperantium oculorum quo
tidiano expoſitus conuitio flagitioſis aſpectibus verbera-
tur. Conferuntur immunitates, offeruntur precia, quaſi non
hoc maximum petulantiæ ſit indicium, caſtitatem vende-
re. Quod precio promittitur, precio addicitur, & precio re-
muneratur. Neſcit redimere caſtitatem quæ vendere ſolet.
Quid de ſacris Phrygiis loquar, in quibus impudicitia di-
ſciplina eſt, atque vtinam ſexus fragilioris? Quid de Orgiis
Liberi, vbi religionis myſterium eſt incentiuum libidinis?
Qualis igitur poteſt ibi vita eſſe ſacerdotum, vbi colitur ſtu-
prum deorum? Non habent igitur ſacram virginem. Vi-
deamus ne fortè aliquam vel philoſophiæ pręcepta forma-
uerint,

uerint, quæ magiſterium ſibi omnium ſolent vendicare vir tutum. Pythagoræa quædam vna ex virginibus celebratur fabulis: quæ cum à tyranno cogeretur ſecretum prodere, ne quid in ſe ad extorquendam confeſſionem vel tormentis liceret, morſu linguam abſcidiſſe fertur, atque in tyranni faciem deſpuiſſe: vt qui interrogandi finem non faciebat, non haberet quam interrogaret. Eadem tamen forti animo, ſed tumenti vtero, exemplum taciturnitatis, & proluuium caſtitatis, victa eſt cupiditatibus, quæ tormentis vinci nequiuit. Igitur quæ mentis potuit tegere ſecretum, corporis non texit opprobrium. Vicit naturam, ſed non tenuit diſciplinam. Quàm vellet in voce munimentum ſui pudoris exiſtere? eò fortaſſe erudierat illam pœnitentia, vt culpam negaret. Non igitur inuicta vndique. Nam & tyrannus licet non potuerit inuenire quod interrogabat, tamen quod non interrogabat inuenit. Quanto noſtræ virgines fortiores, quę vincunt etiam quas non vident poteſtates: quibus non tantum de carne & ſanguine, ſed etiam de ipſo mundi principe ſecuſque rectore victoria eſt. Aetate vtique Agnes minor, ſed virtute maior, triũpho numeroſior, conſtantia confidentior, non ſibi linguam propter metum abſtulit, ſed propter trophęum reſeruauit. Nihil enim habuit quod prodi timeret, cuius non erat criminoſa ſed religioſa confeſſio. Itaque illa ſecretum tantũmodo celauit, hęc probauit deum: quẽ quia ætas nondũ poterat confiteri, natura confeſſa eſt. In laudationibus ſolet patria prædicari & parentes, vt in commemoratione authoris dignitas ſucceſſionis exaggeretur. Ego licet laudationem nõ ſuſceperim virginitatis, ſed expreſſionem, ad rem tamen pertinere arbitror, vt quę ſit ei patria, quis author appareat. Ac prius vbi ſit patria definiamus. Si enim ibi eſt patria, vbi genitale domicilium: in cœlo profecto eſt patria caſtitatis. Itaque hic aduena, ibi incola eſt. Quid autem eſt caſtitas virginalis, niſi expers cõtagionis integritas? Atque eius authorem quem poſſumus exiſtimare niſi immaculatum dei filium, cuius caro non vidit corruptionem, diuinitas non eſt experta contagionem? Videte igitur quanta virginitatis merita ſint. Chriſtus ante virginem, Chriſtus ex virgine, à patre qũidẽ natus ante ſecula, ſed ex virgine natus ob ſecula. Illud naturæ ſuæ, hoc noſtræ vtilitatis eſt. Illud erat ſemper, hoc voluit. Spectate aliud virginitatis meritũ. Chriſtus virginis ſponſus, & ſi dici poteſt, Chriſtus virginæ caſtitatis. Virginitas enim Chriſti, non virginitatis eſt Chriſtus. Virgo eſt ergo quę nupſit, virgo quæ nos ſuo vtero portauit, virgo quæ genuit, virgo quæ proprio lacte nutriuit. De qua legimus, quãta fecit virgo Hieruſalen. Non deficient de petra vbera, neque nix à libano, aut declinauit aqua valida vento quæ portatur. Qualis eſt hæc virgo quæ trinitatis fontibus irrigatur, cui de petra fluunt aquę, non deficiunt v-
1.Cor.10. bera, mella funduntur? Petra autem eſt iuxta Apoſtolum Chriſtus. Ergo à Chriſto non deficiunt vbera, claritas à deo, flumen à ſpiritu. Hęc eſt trinitas quę eccleſiam ſuam irrigat, pater Chriſtus, & ſpiritus. Sed iam à matre deſcendamus ad
Ibidem 7. filias. De virginibus, inquit Apoſtolus, pręceptum domini non habeo, conſilium autem do. Si doctor gentium non habuit, habere quis potuit? Et præceptum quidem nõ habuit, ſed habuit exemplum. Non enim imperaripoteſt virginitas, ſed optari. Nam quę ſupra nos ſunt, in voto magis quam in magiſterio ſunt. Sed volo vos, inquit, ſine ſolicitudine eſſe. Nam qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quę domini ſunt, quomodo placeat deo. Et virgo cogitat quæ domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Nam quę nupta eſt, cogitat quæ mundi ſunt, quomodo placeat viro. Non ego quidem diſſua
Roma.14. deo matrimonium, ſed virginitatis attexo beneficium. Qui
1.Cor.7. infirmus eſt, inquit, olera manducet. Aliud exigo, aliud admiror. Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? ne quæſieris vxorem. Hoc præceptum eſt copu
Ibidem. latis. De virginibus autem quid ait? Et qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit, melius fa-
*peccat. cit. Illa non peccat, ſi nubat: hæc ſi non *nubat, æterna eſt. Ibi remedium infirmitatis, hîc gloria caſtitatis. Illa non reprehenditur, iſta laudatur. Conferamus ſi placet bona mulierum cum vltimis virginum. Iactet licet fœcũdo ſe mulier nobilis partu, quo plures generauerit, plus laborat. Numerat ſolatia filiorum, ſed numeret pariter & moleſtias. Nubit, & plorat. Qualia ſunt vota quæ flentur? Concipit & graueſcit. Prius vtique impedimentum fœcũditas incipit afferre, quàm fructum. Parturit & ægrotat. Quàm dulce pignus quod à periculo incipit, & in periculis deſinit, prius dolori futurum quàm voluptati. Periculis emitur, nec pro arbitrio poſſidetur. Quid recenſeam nutriendi moleſtias inſtituendi & copulandi? Felicium ſunt iſtæ miſerię: Habet mater hę redes, ſed auget dolores. Nam de aduerſis non oportet dicere, ne ſanctiſſimorum parentum animi contremiſcant. Vide mi ſoror quàm graue ſit pati quod non oportet audiri. Et hęc in præſenti ſeculo. Venient autem dies, quando dicant: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt. Filiæ e- Lucæ 23
nim huius ſeculi generantur & generant, filia autem regni abſtinet à voluptate viri & à voluptate carnis, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quid ego famulatus graues & addicta viris ſeruitia replicem fœminarum, quas ante iuſſit deus ſeruire, quàm ſeruos? Quæ eò proſequor, vt indulgentius obſequãtur. Quibus hoc ſi probæ ſunt, merces eſt charitatis: ſi im 1. Corin. 7
probæ, pœna delicti. Hinc illa naſcũtur incentiua vitiorũ, vt quæſitis coloribus ora depingãt, dum viris diſplicere formidãt, & de adulterio vultus meditentur adulterium caſtitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quęrere, & dum verẽtur maritale iudicium, prodere ſuum? Prior enim de ſe pronũciat, quę cupit mutare quod nata eſt. Ita dũ alij ſtudet placere, prius ſibi ipſa diſplicet. Quem iudicẽ mulier veriorẽ requirimus deformitatis tuę, quàm te ipſam quę videri times? Si pulchra es, quid abſcõderis: Si deformis, cur te formoſam eſſe mẽtiris, nec tuę cõſcientię, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere: & iraſceris ſi amet aliam, qui adulterare in te docetur? Malè magiſtra es iniuriæ tuæ. Lenocinari refugit etiam quæ paſſa lenonem eſt? Ac licet vilis mulier, non alteri tamẽ ſed ſibi peccat, tolerabilioráque propè modum in adultero crimina ſunt. Ibi enim pudicitia, hîc natura adulteratur. Iam quanto precio opus eſt, ne etiam pulchra diſpliceat. Hinc precioſa collo dependent monilia, inde per humum veſtis trahitur aurata. Emitur igitur hæc ſpecies an habetur? Quid quod etiam odorum variæ adhibentur illecebræ, gemmis onerantur aures, oculis color alter infunditur? Quid ibi remanet ſuum, vbi tam multa mutantur? Senſus ſuos amittit mulier, & viuere poſſe ſe credit: Vos verò beatę virgines quæ talia tormenta potius quàm ornamenta neſcitis, quibus pudor ſanctus verecunda ſuffuſus ora, & bona caſtitas eſt decori: non humanis addictæ occulis, alieno errore merita veſtra penſatis. Habetis ſanè & vos veſtræ militiam pulchritudinis, cui virtutis militat forma non corporis, quam nulla extinguet ætas, nulla eripere mors poteſt, nulla ægritudo corrumpere: ſolus formæ arbiter petitur deus, quę etiam in corpore minus pulchro diligit animas pulchriores. Non vteri onus notum, non dolor partus, & tamen numeroſior ſoboles piæ mentis, quæ omnes proliberis habet: fœcunda ſucceſſoribus, ſterilis orbitatibus, neſcit funera, nouit hæredes. Sic ſancta eccleſia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo eſt caſtitate, mater eſt prole. Parturit itaque nos virgo, non viro plena, ſed ſpiritu. Parit nos virgo, nõ cum dolore membrorum, ſed cum gaudiis angelorum. Nutrit nos virgo, non corporis lacte ſed apoſtoli, quo infirmam adhuc creſcentis populi lactauit ætatem. Quæ igitur nupta plures liberos habet quàm ſancta eccleſia, quæ virgo eſt ſacramentis, mater eſt populis, cuius fœcunditatem etiam ſcriptura teſtatur dicens: Quoniam plures fi- Eſaiæ 54.
lij deſertæ magis quàm eius quę habet virum? Noſtra virum nõ habet, ſed habet ſponſum, eo quod ſiue eccleſia in populis, ſiue anima in ſingulis, dei verbo, ſine vllo flexu pudoris, quaſi ſponſo innubit ęterno, effœta iniurię fœta rationis, Audiſtis parentes quibus erudire virtutibus, quibus inſtituere diſciplinis filias debeatis, vt habere poſſitis quarum meritis veſtra delicta redimantur. Virgo dei donum eſt, munus parentum, ſacerdotium caſtitatis. Virgo matris hoſtia eſt, cuius quotidiano ſacrificio vis diuina placatur. Virgo indiuiduum pignus parentum, quę non dote ſolliciter, non emigratione deſtituat, non offendat iniuria. Sed nepotes

potes aliquis habere desiderat,& aui nomen acquirere.Primùm suos tradit,dum quęrit alienos. Deinde certis defraudari incipit,dum sperat incertos : confert opes proprias , & adhuc poscitur,nisi dotem soluat exigitur. Si diu viuat,onerosus est.Emere istud est generum,non acquirere,qui parẽtibus filię vendat aspectus . Ideo ne tot mensibus gestatur vtero,vt in alienam transeat potestatem?Ideo commendandę virginis cura suscipitur , vt citius parentibus auferatur. Dicet aliquis: Ergo dissuades nuptias ? Ego verò suadeo , & eos damno qui dissuadere consuerunt , vt pote qui Saræ ac Rebeccę & Rachel cęterarúnque veterum coniugia fœminarum pro documentis singularium virtutum recensere soleam.Qui enim copulam damnat, damnat & filios,& ductã per successionũ seriem,generis societatem damnat humani. Nam quemadmodum duratura in seculum ętas succedere posset ætati, nisi gratia nuptiarum procreandę studium sobolis incitaret? Aut quomodo prædicari potest quod immaculatus Isaac ad altaria dei victima paternæ pietatis accessit, quod Israel humano situs in corpore deum vidit, & religio sum populo dedit nomen , quorum originem damnat? Vnum sanè licet sacrilegi homines habent,quod in his etiam à sapientissimis probetur : qui coniugia damnando profitẽtur,ipsi non debuissent nasci,Non vtique dissuadeo nuptias, si fructus sacræ virginitatis enumero . Paucarũ quippe hoc munus est, illud omnium. Nec potest esse virginitas,nisi habeat vnde nascatur. Bona cum bonis comparo,quo facilius quid præstet eluceat. Neque meam sententiam affero, sed eam repeto, quam edidit spiritus sanctus per prophetam. Melior est,inquit, sterilitas cũ virtute . Primùm enim quod nupturę prę cęteris concupiscunt,vt sponsi decore se iactẽt, eo necesse est impares sacris se fateantur esse virginibus,qui bus solis contingit dicere: Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis . Quis est iste sponsus? Non vilibus addictus obsequiis, non caducis superbus diuitiis, sed cuius sedes in seculum seculi, filiæ regum in honore eius. Astitit regina à dextris eius in vestitu deaurato, varietate circunamicta virtutũ. Audi igitur filia , & vide , & inclina aurem tuam,& obliuiscere populum tuum & domũ patris tui,quoniam concupiuit rex speciem tuam, quia ipse est deus tuus. Et aduerte quantum tibi spiritus sanctus scripturæ diuinę testificatione detulerit. Regnum,aurum,pulchritudinem. Regnum, vel quia sponsa es regis æterni , vel quia inuictum animum gerens,ab illecebris voluptatũ non captiua haberis, sed quasi regina dominaris. Aurum,quia sicut illa materies examinata igne preciosior est, ita corporis species virginalis spiritu consecrata diuino, formæ suæ acquirit augmentum.Pulchritudinem verò quis potest maiorem existimare decore eius quę amatur à rege , probatur à iudice, dicatur domino, consecratur deo,semper spõsa,semper innupta , vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor?Hęc profectò vera pulchritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire à domino : Tota es formosa proxima mea,& reprehẽsio nõ est in te.Veni huc à Libano, veni huc à libano transibis & pertrãsibis à principio fidei à capite Sanir & Hermon, à latibulis leonum, à montibus pardorum. Quibus indiciis ostenditur perfecta & irreprehensibilis virginalis animæ pulchritudo, altaribus consecrata diuinis,inter occursus & latibula spiritualium bestiarum non inflexa mortalibus, sed intenta mysteriis dei meruisse dilectum,cuius vbera plena lętitiæ. Vinũ enim lætificat cor hominis.Et odor, inquit, vestimentorũ tuorũ super omnia aromata. Et infra : Et odor,inquit,vestimentorum tuorũ sicut odor Libani.Vide quem nobis tribuas virgo processum. Primus enim odor tuus super omnia aromata quę in saluatoris missa sunt sepulturam: & mortuos corporis motus, membrorúmq; redolet obisse delitias. Secundus odor tuus sicut odor Libani dominici corporis,integritatẽ virgineæ florem castitatis exhalat.Fauum itaque mellis tua opera componant. Digna enim virginitas quę apibus conparetur , sic laboriosa,sic pudica,sic cõtinens.Rore pascitur apes,nescit concubitus,mella componit.Ros quoque virginis est sermo diuinus,quia sicut ros dei verba descendunt . Pudor virginis est intemerata natura. Partus virginis fœtus labiorum, expers amaritudinis,fertilis suauitatis:in commune labor,cõmunis est fructus.Quàm te velim filia imitatricem esse huius apiculæ,cui cibus flos est,ore soboles legitur,ore cõponitur. Hanc imitare tu filia, verba tua nullum doli velamen obtendant,nullum habeant fraudis inuolucrum:vt & puritatem habeant, & plena grauitatis sint.Meritorum quoq; tuorum tibi æterna posteritas tuo ore pariatur. Nec soli tibi, sed etiam pluribus congreges.Quis scit enim quando à te anima tua reposcatur? Nec receptacula horreorum frumentis coaceruata dimittens,nec vitę tuæ vsui profutura , nec meritis, rapiaris eò quò thesaurum ferre non possis . Dives igitur esto , sed pauperi, vt naturæ participes tuæ , participes sint etiam facultatum.Florem quoque tibi domõstro carpendum,illum vtique qui dixit:Ego flos campi, & lilium conuallium,tanquam lilium in medio spinarum:quod est euidentis indicij, spiritalium nequitiarum sentibus virtutes obsideri,vnde nemo fructũ referat, nisi qui cautus accedat.Sume igitur alas virgo, sed spiritus, vt superuoles vitia , si contingere cupis Christum. In altis habitat, & humilia respicit. Et species eius sicut cedrus Libani, quæ comam nubibus , radicem in terris inserit.Principium enim eius in cœlo,posteriora eius in terris, fructus cœlo proximos ediderunt . Scrutare diligentius tam bonum florem,nec vbique eum in pectoris tui conualle reperies:humilibus enim frequenter inhalatur.Amat generari in hortis, in quibus eum Susanna dum deambularet inuenit,mori prius quàm violari parata. Qui sint autem horti, ipse demonstrat dicens : Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus:eo quod in hortis huiusmodi impressam signaculis imaginem dei, synceri fontis vnda resplendeat, ne volutabris spiritualium bestiarum,sparso cœno fluenta turbentur.Hinc ille murali septus spiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque sicut hortus furibus inaccessus vitem redolet,fragrat oleam, rosam renidet, vt in vite religio, in olea pax, in rosa pudor sacratæ virginitatis inolescat. Hic est odor quem Iacob patriarcha fragrauit. quando meruit audire:Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. Nam licet plenus omnibus ferè fructibus patriarchæ sancti fuerit ager:ille tamen fruges maiore virtutis labore generauit, hic flores . Accingere itaque virgo, & si vis huiuscemodi tibi vt hortus aspiret , propheticis eum claude pręceptis.Pone custodiam ori tuo,& ostium circunstantiæ labiis tuis : vt etiam tu possis dicere : Tanquam malus in lignis nemoris , ita fraternus meus in medio filiorum.In vmbra eius concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis.Inueni quẽ dilexit anima mea,tenui eũ,& nõ relinquã eum. Descẽdat fraternus meus in hortum suum & manducet fructum pomorum suorum.Veni fraterne mi, exeamus in agrum,pone me vt sigillum in cor tuum,& velut signaculum super brachium tuum. Fraternus meus candidus & rubeus. Decet enim vt plenè noueris virgo quẽ diligis, atque omne in eo & ingenitæ diuinitatis & assumptæ mysteriũ incorporationis agnoscas.Candidus meritò, quia patris splendor:rubeus, quia partus est virginis:color in eo fulget & rutilat vtriusque naturæ . Memento tamen antiquiora in eo diuinitatis insignia,quàm corporis sacramenta: quia nõ cœpit à virgine,sed qui erat venit in virginẽ.Ille discretus à militibus,ille lancea vulneratus, vt nos sacri vulneris cruore sanaret, respondebit tibi profectò , est enim mitis & humilis corde,blandus aspectu, Exurge aquilo, & veni auster,aspira hortum meũ,& fluant aromata mea.Ex omnibus enim partibus mundi odor sanctæ religionis adoleuit, dilectæ quo virginis membra fragrarunt . Formosa es proxima mea, vt bona opinio,pulchra vt Hierusalem. Non caduci itaque corporis pulchritudo vel morbo peritura vel senio, sed nullis obnoxia casibus opinio bonorũ nunquam moritura meritorum virginibus est decori. Et quoniam nõ humanis iam sed cœlestibus,quorum vita viuis in terris, digna es comparari : accipe à domino pręcepta quæ serues. Pone me vt sigillum, inquit,in cor tuum , & velut signaculum super brachium tuum : quo signatiora prudentiæ tuæ factorúnque documenta promantur , in quibus figura dei Christus eluceat, qui paternæ ambitum exæquans naturæ, totũ quicquid à patre diuinitatis assumpsit, expressit. Vnde etiam

Genes. 22. Genes. 28. &32.

Psalm. 44.

Cantic. 4.

Psalm. 103. Cantic. 4.

Cantic. 2.

Psalm. 112.

Danie 13.

Cantic. 4.

Genes. 27.

Cantic. 5.

Ioan. 19.

Cantic. 4.

Psalm. 140.

Ephe.1&4. etiam apoſtolus in ſpiritu nos dicit eſſe ſignatos : quoniam patris imaginem habemus in filio, ſigillum filij habemus in ſpiritu. Hac trinitate ſignati caueamus diligentius, ne quod accepimus pignus in cordibus noſtris, aut morum leuitas, aut vllius adulterij fraus reſignet. Sed faceſſat hic ſacris virginibus metus, quibus tanta præſidia tribuit primùm eccleſia, quæ teneræ prolis ſolicita ſucceſſu, ipſa quaſi murus abundantibus in modũ turrium increſcit vberibus, donec ſoluto obſidionis hoſtilis incurſu, pacem validæ iuuentutis maternæ præſidio virtutis acquirat. Vnde & propheta ait:
Pſal.121. Fiat pax in virtute tua,& habundantia in turribus tuis. Tum ipſe pacis dominus poſtquam validioribus brachiis commiſſa ſibi vineta complexus,palmites ſuos gemmare cõſpexerit,vultu preſule naſcentibus fructibus auras temperat,ſicut ipſe teſtatur dicens : Vinea mea eſt in conſpectu meo.
Cantic.7. Mille Salomoni & ducenti qui ſeruant fructum eius. Supra ait Sexaginta potentes in circumitu propaginis eius ſtrictis armatos telis, & eruditos præliaribus diſciplinis, hic mille ducentos. Creuit numerus vbi creuit & fructus : quia quò
4. Reg. 6. Ioſ. 5. ſanctior quiſque, eò munitior. Sic Heliſæus propheta exercitus angelorum præſidio ſibi adeſſe monſtrauit. Sic Ieſus Naue ducem militiæ cœleſtis agnouit. Poſſunt igitur fructum in nobis cuſtodire,qui poſſunt etiam militare pro nobis. Vobis autem virgines ſanctæſpeciale præſidium eſt,quę intemerato pudore ſacrum domini ſeruatis cubile. Neque mirum ſi pro vobis angeli militant, quæ angelorum moribus militatis. Meretur eorum præſidium caſtitas virginalis, quorum vitam meretur. Et quid pluribus exequar laudem caſtitatis? Caſtitas enim angelos fecit. Qui eam ſeruauit angelus eſt,qui perdidit diabolus. Hinc religio etiam nomen accepit. Virgo eſt quę deo nubit. Meretrix quæ deos fecit. Nam de reſurrectione quid dicam, cuius præmia iam tenetis?
Matth. 22. In reſurrectione autem neque nubent, neque nubẽtur, ſed erunt ſicut angeli,inquit, in cœlo. Quod nobis promittitur, vobis præſto eſt, vtorũque noſtrorum vſus apud vos eſt. De hoc mundo eſtis, & non eſtis in hoc mundo. Seculum vos habere meruit,tenere non potuit. Quàm preclarum autem angelos propter intemperantiam ſuam in ſeculum cecidiſſe de cœlo,virgines propter caſtimoniam in cœlum transiſſe de ſeculo? Beatæ virgines,quas non illecebra ſolicitat corporum, non colluuio præcipitat voluptatum. Cibus parſimonię,potus abſtinentię,docet vitia neſcire,qui
Exod.32. docet cauſas neſcire vitiorum. Cauſa peccandi etiam iuſtos
Gene.19. ſępe decepit. Hinc populus dei poſtquam ſedit bibere, deũ
Ibidem 9. negauit. Hinc Loth concubitus filiarum ignorauit & pertulit. Hinc inuerſis veſtigiis filij Noe patri quandam pudenda texerunt,quæ procax vidit,modeſtus erubuit, pius texit, offenſurus ſi & ipſe vidiſſet. Quanta vis eſt vini, vt quem diluuia non rẽdauerunt, vina nudarent? Quid illud? Quãtæ felicitatis eſt quod nulla vos habendi cupiditas inflammat? Pauperquod habes poſcit, quod non habes non requirit : fructus laboris tui theſaurus eſt inopi: & duo æra ſi ſola ſint, cenſus eſt largientis. Audi ergo ſoror quantis careas. Nam caue quid debeas. Nec meum eſt docere, nec tuum diſcere. Perfectæ enim virtutis vſus magiſterium non deſiderat,ſed informat. Cernis vt pomparũ ferculis ſimilis incedat, quæ ſe componit vt placeat, omnium in ſe vultus & ora conuertens,eo ipſo quo ſtudet placere, deformior. Prius enim populo diſplicet, quàm placeat viro. At in vobis reiecta decoris cura plus placet, & hoc ipſum quod vos non ornatis, ornatus eſt. Certè laceræ vulneribus aures,& depreſſæ onera miſeræ cerui cis,non ſunt alleuamenta pœnarum,ſed diſcrimina metallorum. Hinc collum catena conſtringit,inde pedem compes includit. Nihil refert, auro corpus oneretur an ferro. Si ceruix premitur, ſi grauatur inceſſus, nil precium iuuat : niſi quod vos mulieres ne pereat vobis pœna,trepidatis. Quid intereſt, vtrum aliena ſententia, an veſtra vos damnet? Hinc vos etiam miſerabiliores quàm qui publico iure damnantur : quod illi optant exui, vos ligari. Quàm verò miſerabilis illa conditio, quòd tanquam mancipij forma venalis nuptura licitatur : & qui precio vicerit, emat. Tolerabilius tamen mancipia veneunt,quæ ſæpe ſibi dominos legunt. Virgo ſi eligat,crimẽ eſt: ſi non eligat,con-

A tumelia. Quæ quanuis pulchra ſit & decora, & timet videri, & cupit. Cupit, vt ſe charius vendat: timet,ne hoc ipſum deceat quod videtur. Quanta autem votorum ludibria, & ad procorum euentus ſuſpecti metus, ne pauper illudat,ne diues faſtidiat, ne pulcher irrideat, ne nobilis ſpernat. Dicet aliquis: Tu nobis quotidie virginum canis laudes : quid faciam qui eadem quotidie cantito,& proficio nihil? Sed nõ mea culpa. Denique de Placentino ſacrandę virgines veniunt,de Bononienſi veniunt,de Mauritania veniũt,vt hîc velentur: magnã rem videtis: hîc tracto, & alibi perſuadeo. Si ita eſt, alibi tractemus vt vobis perſuadeamns, Quid? quod etiam qui me non audiunt ſequuntur: qui audiunt, non ſequuntur? Nam pleraſque virgines cognoui velle,& prohiberi eriam prodirè à matribus,& quod eſt grauius,viduis,cum quibus hic mihi ſermo eſt. Nempe ſi hominem amarẽt filiæ veſtræ,per legẽ poſſent eligere quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, deum non licet? Cõtuemini quàm dulcis pudicitiæ fructus ſit, qui Barbaricis quoque inoleuit
B effectibus. Ex vltimis infra vltráq; Mauritaniæ partibus deductæ virgines hic ſacrari geſtiunt: & cùm ſint omnes famiIiæ in vinculis,pudicitia tamen neſcit eſſe captiua. Profitetur regnum æternitatis, quæ mœret iniuriam ſeruitutis. Nam quid de Bononienſibus virginibus loquar,fœcundo pudoris agmine,quæ mundanis ſe deliciis abdicantes ſacrarium virginitatis incolunt ſine contubernali ſexu, contubernali pudore prouectæ ad vicenarium numerum,& centenarium fructum,relictóque parentũ hoſpitio tendunt in tabernaculis Chriſti indefeſſæ milites caſtitatis? Nunc cantibus ſpiritualibus perſonant, nunc victum operibus exercent. Liberalitatis quoque ſubſidium manu quærunt. Quod ſi inueſtigãdæ virginitatis inoleuerit odor,(nanque præ cæteris ſpeculandi venatum pudoris explorãt,) totis curarum veſtigiis prædam latentem vſq; ad ipſa cubilia perſequuntur: aut ſi liberior alicuius volatus affulſerit, totis omnes videas aſſurgere alis, concrepare pennis, emicare plauſu, vt caſto pudicitiæ choro cingant volantem, donec albenti delectata comitatu, in
C plagas pudoris & indaginem caſtitatis, domus patriæque oblita ſuccedat. Bonum itaque ſi virgini ſtudia parentum quæ ſi flabra pudoris aſpirẽt. Sed illud glorioſius, ſi tenerę ignis ætatis, etiam ſine veteribus nutrimentis ſponte ſe rapiat in fomitem caſtitatis. Dotem negabunt parentes? ſed habes diuitem ſponſum, cuius contenta theſauro, patrię ſucceſſionis emolumenta non quęras. Quanto dotalibus pręſtat compendiis caſta paupertas: & tamen quam audiſtis aliquando propter ſtudium integritatis legitimę factam ſucceſſionis
* extorrem? Contradicunt parentes, ſed volunt vinci, reſiſtunt primo,qui * credere timẽt. Indignantur frequenter,vt diſcas vincere : abdicationem minantur, vt tentẽt, ſi poteſ damna ſeculi non timere. Queſitis blandiuntur illecebris, vt videant ſi variarum mollire te non queat blanditia voluptatũ. Excerceris virgo dum cogeris. Et hęc tibi prima certamina anxia parentum vota proponunt. Vince prius puella pietatem. Si vincis domum, vincis & ſeculum. Sed eſto, maneant vos damna patrimonij. Nónne caducarum & fragilium diſpendium facultatum, futura cœli regna compenſant? Quanquã ſi verbis cœleſtibus credimus, nemo eſt qui
D reliquerit domum aut parentes,aut fratres,aut vxorem,aut Lucæ 19. filios propter regnum dei, & non recipiat ſepties tantum in hoc tempore,in ſeculo autem venturo vitam ęternam poſſidebit. Crede fidem tuam deo,quę homini pecuniam credis: fœnerare Chriſto. Bonus depoſitę ſpei cuſtos, multiplicatis fidei tuę talentum ſoluit vſuris. Non fallit veritas,non circunſcribit iuſtitia, non decipit virtus. Quòd ſi non creditis oraculo, vel exemplis credite. Memorię noſtrę puellam dudum nobilis in ſeculo, nunc nobilior deo, cum vrgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad ſacroſanctum altare confugit. Quò enim melius virgo recurreret, quàm vbi ſacrarium virginitatis offertur? Ne is quidem finis audacię. Stabat ad aram dei pudoris hoſtia, victima caſtitatis, nunc capiti dexteram ſacerdotis imponens,precem poſcẽs, nunc iuſtę impatiens morę,ac ſummum altari ſubiecta verticem. Nũ melius,inquit, mater tu me quàm altare velabis, quod ſanctificat ipſa velamina? Plus talis decet flammeus,

* exortem.
* al. cedere.

in quo

in quo caput omnium Christus quotidie cõsecratur. Quid agitis vos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animum? Iam dudum prouisas habeo. Sponsum offertis? meliorem reperi. Quaslibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, potẽtiam prædicate. Habeo eum cui nemo se comparet, diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cœlo. Si talem habetis, non refuto optionem: si non reperitis, non prouidetis mihi, sed inuidetis. Silentibus cæteris vnus abruptius, Quid si, inquit, pater tuus viueret, innuptã te manere pateretur? Tum illa maiori religione, moderatiore pietate: & ideo fortasse defecit, ne quis impedimentum posset afferre, Quod ille responsum de patre, de se oraculũ, maturo sui probauit exitio. Ita cæteri eadem quisque metuentes, fauere cœperunt qui impedire quærebant: nec dispendium debitarum attulit virginitas facultatum, sed etiam emolumentum integritatis accepit. Habetis puellæ deuotionis præmium, parentes cauete offensionis exemplum.

DIVI AMBROSII EPISCOPI

Mediolanensis de Virginibus, Liber II.

Vperiore libro quantum virginitatis munus sit, euoluimus (nõ enim potuimus explicare) vt per se cœlestis gratia muneris inuitet legẽtem. Secũdo libro virginẽ institui decet, & tãquã cõpetentium præceptorũ magisteriis erudiri. Sed quoniam nos infirmi ad monendũ sumus, & impares ad docẽdum, (debet enim is, qui docet supra eum qui docetur excellere:) ne vel susceptũ deseruisse munus, vel nobis arrogasse amplius videremur, exemplis potius quã præceptis putauimus imbuendam: licet amplius proficiatur exemplo: quoniã nec difficile quod iã factũ est existimatur, & vtile quod probatũ, & religiosum quod hereditario quodã peternæ virtutis vsu, in nos est successione trãsfusum. Quod si quis nos præsumptionis arguit, arguat potius sedulitatis: quia rogantibus virginibus ne hoc quidẽ putaui negandũ. Malui enim me in periculum deduci pudoris, quàm non obsequi volũtati earũ, quarum studiis etiam deus noster placido se indulget assensu. Sed neq; præsumptio notari potest, quoniã cùm haberẽt vnde discerent, affectũ potius quàm magisterium quęsiuerũt meum. Et excusari sedulitas nõ potest, quoniam cùm haberẽt authoritatẽ martyris ad obseruantiã disciplinę, nõ superfluũ iudicaui, si nostri sermonis blãditiã deriuarent ad professionis illecebram. Ille docere facilis, qui seuero vitia coercet affectu: nos qui docere nõ possumus, blãdiamur. Et quoniã pleręq; absentes nostri desiderabant sermonis vsum: volumen hoc condidi, quo profectæ ad se vocis meæ munus tenẽtes, deesse non crederent, quẽ tenerent. Sed proposita persequamur. Sic igitur vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitáq; beatę Mariæ, & quæ velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius dei matre? quid splendidius ea, quam splẽdor elegit? quid castius ea quæ corpus sine corporis cõtagione generauit? Nam de cæteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu syncerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens, lo-
1. Tim. 6. quendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem sed deum quærere: nullũ lædere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactãtiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit propinquis? quando fastidiuit, humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? eos solos solita cœtus virorum inuisere, quos misericordia non erubescceret, neque præteriret verecundia. Nihil toruũ in occulis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundũ: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulãtior: vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum: vt mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita foris luceat. Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam: alterum vltra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hîc cõgeminatos ieiunio dies? Et si quando reficiendi succesisset voluntas, cibus plerunque obuius, qui mortem arceret, non delitias ministraret. Dormire non prius cupiditas quàm necessitas fuit. Et tamẽ cùm quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta reperit, aut somno interrupta cõtinuat, aut dispositа gerit, aut gerenda prænunciat. Prodire domo nescia, nisi cùm ad ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cũ parentibus aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode quàm seipsa: quę in cessu affectúque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret: & tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodẽ. Plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat, quę virtutes magistras habet: quia quicquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur: sic implebat omnia virtutis officia, vt non tam disceret quàm doceret. Talem hanc euangelista monstrauit, talem angelus reperit, talẽ spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, vt eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint, quæ digna fuit ex qua dei filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus angeli inuẽta domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet: neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cùm sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot prophetæ? Denique & Gabriel eam Lucæ 1.
vbi reuisere solebat inuenit, & angelũ Maria, quasi viri specie mota, trepidauit, quasi nõ incognitũ audito nomine recognouit. Ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in angelo, vt agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, & appellata respondit. sed Lucæ 1.
quæ primo titubauerat aspectu, postea promisit obsequium. Quàm verò religiosa in propinquas fuerit, scriptura diuina significat, Nam & humilior facta est vbi se à deo cognouit electam, & statim ad cognatam suam in montana processit, non vtique vt exemplo crederet, quæ iam crediderat oraculo: Beata enim, inquit, quæ credidisti. Et tribus cum ea mensibus mansit. Tanti enim interuallo temporis non fides quæritur, sed pietas exhibetur, Et hoc posteà quam in vtero parentis exiliens puer matrem domini salutauit, prius compos deuotionis quàm naturæ Inde rot sequentibus signis, cùm sterilis pareret, virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret magus, expectaret Simeon, sidera nunciarent: Maria mobilis ad introitum, immobilis ad miraculũ: conseruabat, in-
quit, hæc omnia in corde suo. Quamuis mater domini, disce Ibidem 2.
re tamen præcepta domini desiderabat: & quæ deum genuerat, deum tamen scire cupiebat. Quid quòd annis quoque omnibus ibat in Hierusalem solenni die Paschę, & ibat cum Ioseph? Vbique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic indiuiduus debet esse virginitati: sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit. Hęc est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, vt eius vnius vita omnium disciplina sit. Si igitur author non displicet, opus probemus: vt quæcunque sibi eius exoptat prẽmium, imitetur exemplum. Quantę in vna virgine species virtutum emicant. Secretum verecundię, vexillum fidei, deuotionis obsequium, virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occurret, quantas complexa ad dominum trahet dicens: Hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore. Quemadmodum eas ipse dominus commendabit patri: nimirum illud & repetens suum:

Ioan.17. suum: Pater sancte,istæ sunt quas seruaui tibi, in quibus filius hominis caput reclinans quieuit, pero vt vbi ego sum, & ipsæ sint mecũ. Sed non solùm sibi debent prodesse,quæ non solæ vixerunt sibi. hæc parentes redimat,hæc fratres.

Ibidem Pater iuste, mundus me non cognouit, istæ autem me cognouerunt,& mundum cognoscere noluerunt. Quæ pom-

Exod.15. pa illa quæ gratia, quanta angelorũ lætitia plaudentiũ,quod habitare mereatur virgo in cœlo, quæ cœlestem vitam vixit in seculo? Tunc etiam Maria tympanum sumens choros virginales excitabit cantãtes domino, quòd per mare seculi sine secularibus fluctibus transierunt. Tunc vnaquæque ex

Psalm.42. ultabit dicens:Introibo ad altare dei mei, ad deum qui læti-

Psalm.49. ficat iuuentutem meam. Immolo deo sacrificium laudis & reddo altissimo vota mea. Neque enim dubitauerim vobis patere altaria, quarum mentes altaria dei confidenter dixerim,in quibus quotidie pro redemptione corporis Christus immolatur.Nam si corpus virginis dei templum est,animus quid est, qui tanquam membrorum cineribus excitatis, sacerdotis æterni redopertus manu vaporẽ diuini ignis exhalat?Beatæ virgines,quæ tã immortali spiritalis gratia,vt horti B floribus, vt tẽpla religione,vt altaria sacerdote.Ergo sancta Maria disciplinam vitæ informet, Thecla doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptialem, & sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutauit. Nanque parata ad feras, cùm aspectus quoque declinaret virorũ, ac vitalia ipsa sæuo offerret leoni, fecit vt qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi, muto testificantem sono, quòd sacrum virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia, & propriæ oblita naturæ, naturam induerat quàm homines amiserant. Videres quadam naturæ transfusione homines feritatem indutos sæuitiam imperare bestiæ, bestiam exosculantem pedes virginis docere quid homines facere deberent. Tantum habet virginitas admirationis, vt eam etiam leones mirentur. Non impastos cibus flexit, non citatos impetus rapuit, non stimulatos ira exasperauit,non vsus decepit assuetos,non feros natura possedit.Docuerũt religionem,dum adorant mar tyrem:docuerunt etiam castitatem, dum virgini nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis,tanquã verecũdantibus ne mas aliquis vel bestia virginem nudam videret. Dicet aliquis:Cur exemplum attulisti Mariæ, quasi reperiri queat,quæ matrem domini possit imitari?Cur etiam Theclę, quam gentiũ doctor instituit? Da huiuscemodi do-

* discipulam. ctorem, si * disciplinam requiris huiusmodi. Recens vobis exemplũ profero, vt intelligatis Apostolum non vnius esse doctorem, sed omniũ. Antiochiæ nuper virgo quædam fuit fugitans publici vsus aspectũ, sed quo magis virorum euitabat oculos, eo amplius incẽdebat. Pulchritudo enim audita nec visa plus desideratur,duobus stimulis cupiditatũ,amoris cognitionis: dum & nihil occurrit quod minus placeat, & plus putatur esse quod placeat, quod non iudex oculus explorat, sed animus amator exoptat. Itaque sancta virgo ne diutius alerentur potiendæ spe cupiditatis,integritatem pudoris professa,sic restinxit improborum faces,vt non iam amaretur, sed produceretur.Ecce persecutio. Puella fugere nescia,certè pauida ne incideret in insidiatores pudoris,ani- D mum ad virtutem parauit:tam religiosa,vt mortem non timeret:tam pudica,vt expectaret.Venit coronę dies:maxima omnium expectatio.producitur puella,duplex professa certamen,& castitatis,& religionis. Sed vbi viderunt constantiam professionis,metum pudoris,paratam ad cruciatus, erubescentem ad aspectus,excogitare cœperũt, quemadmodũ specie castitatis religionem tollerent,vt cum id abstulissent quòd erat amplius,etiam id eriperẽt quod reliquerant. Aut sacrificare virginem,aut lupanari prostitui iubent.Quo modo deos suos colunt,qui sic vindicant?aut quemadmodũ ipsi viuunt,qui ita iudicant?Hic puella,non quod de religione ambigeret,sed de pudore trepidaret, ipsa secũ: Quid agimus?hodie aut martyr, aut virgo.altera nobis inuidetur corona.Sed nec virginis nomen agnoscitur,vbi virginitatis author negatur.Nam quemadmodum virgo,si meretricem colas? quemadmodum virgo, si adulteros diligas?quemadmodum virgo,si amorem petas? Tolerabilius est enim mẽtem virginem quàm carnem habere. Vtrunque bonum, si liceat:si non liceat, saltem non homini castæ,sed deo simus. Et Raab meretrix fuit, sed postquam deo credidit,salutem Ios.2.& 6. inuenit. Et Iudith se, vt adultero placeret,ornauit: quæ ta- Iudit.6. men quia hoc religione non amore faciebat, nemo eam adulterã iudicauit. Bene successit exemplũ. Nam si illa quæ se commisit religioni,& pudorem seruauit & patriam: fortassis & nos seruando religionem,seruabimus etiam castitatem.Quòd si Iudith pudicitiam religioni præferre voluisset, perdita patria etiam pudicitiam perdidisset.Itaque talibus informata exemplis,simul animo tenens verba dominiquibus ait: Quicũque perdiderit animam suam propter me, inue- Matth.10. niet eam,fleuit,tacuit,ne eam vel loquentem adulter audiret:nec pudoris elegit iniuriam,sed Christi recusauit.Existimate vtrũ adulterare potuerit corpus,quę nec vocem adulterauit?Iam dudum verecundatur oratio mea,& quasi audire gestorum seriem criminosam atque explanare formidat. Claudite aurẽ virgines dei,ducitur puella dei ad lupanar:sed aperite aurẽ virgines dei, virgo prostitui potest, adulterari nõ potest.Vbicunq; dei virgo est, dei templum est:nec lupanaria infamãt castitatẽ,sed castitas etiam loci abolet infamiam.Ingens petulentium concursus ad fornicẽ. Discite martyrum miracula sanctæ virgines,dediscite locorum vocabula.Clauditur intus columba, strepunt accipitres foris,certãt singuli qui prædam primus inuadat.At illa manibus ad cœlum leuatis,quasi ad domum venisset orationis,non ad libidinis diuersorium:Christe,inquit, qui domuisti Danieli vir Danie.14. gini feros leones, potes etiam domare hominum feras mentes.Chaldæis rorauit ignis:Iudæis se vnda suspendit miseri- Danie.13. cordia tua, non natura sua.Susanna ad suppliciũ genu fixit, & de adulteris triumphauit. Aruit dextera quæ templi tui dona violabat, nunc templum ipsum attrectatur tuũ,ne patiaris incestum sacrilegij, qui non passus es furtum. Benedicatur & nunc nomen tuum:vt quę ad adulteriũ veni,virgo discedam. Vix compleuerat precem, & ecce vir militis spe- C cie terribilis irrupit. Quemadmodum eum virgo vt vidit, tremuit, cui populus tremens cessit? Sed non illa immemor lectionis:Et Daniel,inquit,supplicium Susannæ,spectaturus aduenerat:& quã populus damnauit, vnus absoluit. Potest & in hoc lupi habitu ouis latere. Habet & Christus milites suos,qui etiam legiones habet. Aut fortasse percussor intrauit:ne vereare anima, talis solet martyres facere. O virgo, fides tua te saluam fecit. Cui miles:Ne quæso paueas soror. Frater huc veni, saluare animam non perdere. Serua me,vt ipsa serueris.Quasi adulter ingressus,si vis martyr egrediar. Vestimenta mutemus, conueniunt mihi tua,& mea tibi,sed vtraque Christo. Tua vestis me verum militem facit, mea te virginem,Bene tu vestieris,ego melius exuar, vt me persecutor agnoscat. Sume habitum qui abscondat fœminam, trade qui consecret martyrem. Induere chlamydem quæ occultet membra virginis, seruet pudorem. Sume pileum qui tegat crines, abscondat ora.Solent erubescere qui lupanar intrauerint. Sanè cùm egressa fueris, ne respicias retro, Gene.19. memor vxoris Loth, quæ naturam suam,quia impudicos licet castis oculis respexit amisit.Nec vereare ne quid pereat sacrificio. Ego pro te hostiam deo reddo, tu pro me militem Christo, habens bonam militiam castitatis, quæ stipendiis militat sempiternis, loricam iustitiæ,quæ spiritali munimine corpus includat:scutum fidei,quo vulnus repellas, galeã salutis. Ibi enim est præsidium nostræ salutis, vbi Christus Ephes.5. est: quoniam mulieris caput vir, virginis Christus. Et intra hæc verba chlamydem exuit,suspectus tamen adhuc habitus & persecutoris & adulteri, Virgo ceruicem, chlamydem cœpit miles offerre. Quæ pompa illa, quæ gratia, cùm in lupanari de martyrio certarent? Addantur personæ, miles & virgo, hoc est, dissimiles inter se natura, sed dei miseratione consimiles, vt compleatur oraculum, Tunc lupi, & Esa.65. agni simul pascentur. Ecce agna & lupus non solùm pascũtur simul, sed etiam immolãtur. Quid plura? Mutato habitu euolat puella de laqueo,iam non suis alis,vt pote quæ spiritalibus ferebatur: &(quod nulla vnquam viderũt secula,) egreditur de lupanari virgo,sed Christi.At illi qui videbant

oculis

oculis & non videbant, ceu raptores ad agnam, lupi fremere ad prædam. Vnus qui erat immodestior, introiuit. Sed vbi hausit oculis rei textum : Quid hoc, inquit, est? Puella ingressa est, vir videtur. Ecce non fabulosum illud, cerua pro virgine, sed quod verum est, miles ex virgine. At etiam audieram & non credideram, quòd aquas Christus in vina cõuertit : iam mutare cœpit & sexus. Recedamus hinc dum adhuc qui fuimus sumus. Nunquid & ipse mutatus sum, qui aliud cerno quàm credo? Ad lupanar veni, cerno vadimonium: & tamen mutatus egrediar, pudicus exibo, qui adulter intraui. Indicio rei, quia debebatur tanto corona victori, damnatus est pro virgine qui pro virgine comprehensus est. Ita de lupanari non solùm virgo, sed etiam martyres exierunt. Fertur puella ad locum supplicij cucurrisse, certasse ambo de nece, cũ ille diceret: Ego sum iussus occidi, te absoluit sententia, quando me tenuit. At illa clamare cœpit: Non ego te mortis vadem elegi, sed prædem pudoris optaui. Si pudor quæritur, manet nexus: si sanguis exposcitur, fideiussorem non desidero, habeo vnde dissoluã. In me lata est ista sententia, quæ pro me lata est. Certè si pecuniæ te fideiussorem dedissem, & absente me iudex tuũ censum fœneratori adiudicasset, eadem me sententia conuenires, meo patrimonio soluerem tuos nexus. Si recusarem, quis me indignam morte censeret? Quanto maior est capitis huius vsura? Moriar innocens, ne moriar nocens. Nihil hic medium est, hodie aut rea ero tui sanguinis, aut martyr mei. Si citò redij, quis me audet excludere? Si moram feci, quis audet absoluere? Plus legibus debeo rea non solum fugę meæ, sed etiam cædis alienæ. Sufficiunt membra morti, quæ non sufficiebant iniuriæ. Est in virgine vulneri locus, qui non erat contumeliæ. Ego opprobrium declinaui, non martyriũ tibi cessi. Vestem, non professionem mutaui. Quod si mihi præripis mortem non redemisti me, sed circumueneristi. Caue ne quæso contendas, caue ne contradicere audeas. Noli eripere beneficiũ quod dedisti. Dũ mihi hanc sententiã negas, illam restituis superiorem. Sententia enim sententia superiore mutatur. Si posterior me non tenet, superior tenet. Possumus vterque satisfacere sententiæ, si me prius patiaris occidi. In te non habent aliam quam exerceant pœnam, in virgine obnoxius pudor est. Itaque glorioſior eris, si videaris de adultera martyrem fecisse, quàm de martyre adulterã reddidisse. Quid expectatis? Duo contenderũt, & ambo vicerunt: nec diuisa est corona, sed addita. Ita sancti martyres inuicem sibi beneficia conferentes, altera principium martyrio dedit, alter dedit effectum. At etiam Philosophorũ gymnasia Damonem & Pythiam Pythagoręos in cœlum ferunt, quorũ vnus cum esset morti adiudicatus, commendandorum suorum tempus popoſcit. Tyrannus autem astutissimus, quod reperiri non posse existimaret, petiuit vt sponsorem daret qui pro se feriretur, si ipse faceret moram. Quid de duobus præclarius, nescio: vtrunque præclarum. alter mortis vadem inuenit, alter se obtulit. Itaque cũ reus moram supplicio faceret, fideiussos vultu sereno mortem non recusauit. Cùm duceretur, amicus reuersus est, ceruicem substituit, colla subiecit. Tunc admiratus tyrannus chariorem philosophis amicitiam quàm vitam fuisse, petiuit vt ipse ab his quos damnauerat, in amicitiam reciperetur. Tãta virtutis est gratia, vt & tyrannũ inclinaret. Digna laude, sed minora nostris. Nam illic ambo viri, hîc vna virgo, quę primo etiam sexum vinceret. Illi amici, isti incogniti. Illi tyranno vni se obtulerũt, isti tyrannis pluribus, hoc etiam crudelioribus, quod ille pepercit, isti occiderunt. Inter illos in vno obnoxia necessitas, in his amborum voluntas libera. Hoc quoque isti prudentiores, quod illis studij sui finis amicitiæ gratia, istis corona martyrij. Illi enim certauerunt hominibus, isti deo. Et quoniam rei istius fecimus mentionem par est contexere quid de diis suis senserit, quo magis infirmos iudicetis, quos irrident sui. Nanque is cùm veniſſet in templum Iouis, amictum aureum quo operiebatur simulachrum eius, detrahi iussit, imponi laneum, dicens, aurum hyeme frigidũ, æstate onerosum esse. Sic deum irrisit suum, vt nec onus ferre posse, nec frigus putaret. item cum Æsculapij barbam vidisset auream, tolli imperauit, incongruũ esse appellans vt filius barbam haberet, cum Apollo pater eius adhuc non haberet. Item simulachris tenentibus aureas pateras ademit, allegans accipere se debere quòd dij darent: Quoniam hæc sunt vota, inquit, hominum, vt a diis quæ bona sunt adipiscamus. Nihil autem auro melius: quòd tamen si malum est, habere deos non debere. Si malũ non est, habere magis homines debere qui vti scirent. Ita ludibrio habiti sunt, vt neque Iupiter vestem suam defendere potuerit, nec barbam Aesculapius, nec Appollo pubescere adhuc cœperit, neque omnes qui dicuntur dij, retrahere potuerint pateras quas tenebant, non tam furti reatũ timentes quàm sensum non habentes. Quis igitur eos colat, qui nec defendere se quasi dij, nec abscondere quasi homines possunt? At in templo dei, nónne cùm Hieroboam rex sceleratissimus dona quę pater eius posuerat auferret, ac super sanctũ altare libaret idolis, dextera eius quam tetendit aruit, nec sua ei quæ inuocabat idola profuerũt. Deinde cõuersus ad dominum rogauit veniam, statímque manus eius quæ aruerat sacrilegio, sanata est religione. Tam maturũ in vno & misericordiæ diuinæ & indignationis exemplũ extitit, vt sacrificanti subitò dextera adimeretur, pœnitenti venia daretur. Hæc ego vobis sanctæ virgines nondum triennalis sacerdos munuscula paraui, licet vsu indoctus, sed vestris edoctus moribus. Quantus etenim adolescere vsus potuit, in tam parua initiatæ religionis ætate? Si quos hîc flores cernitis, de vestræ vitæ collectos legite sinu. Non sunt hæc præcepta virginibus, sed de virginibus exempla. Vestrę virtutis effigiem nostra depinxit oratio, vestrę grauitatis imaginem quasi in speculo quodam sermonis istius cernitis refulgere. Vos si quam nostro gratiam inhalastis ingenio, vestrũ est quicquid iste redolet liber. Et quoniam quot homines, tot sentẽtię: siquid defecatũ est in sermone nostro, omnes legant: si quid decoctum, maturiores probent: siquid modestum, pectoribus inhæreat, genas pingat: siquid florulentũ, ætas florulenta non improbet. Debuimus sponsæ citare amorem. Scriptum est enim: Diliges dominum deum tuũ. Debuimus in nuptiis calamistris quibusdam crines saltem orationis ornare. Scriptum est enim: Plaude manu, & percute pede. Debuimus perpetuos spargere thalamo rosis: Etiam & in his coniugis temporalibus nubenti prius plauditur, quàm imperatur: ne antè dura offendant imperia, quã blanditiis amor fotus inolescat. Equorũ vis plausæ sonitum discit amare ceruicis, ne recuset iugum. Denique prius assuescitur verbo lasciuiæ, quàm verbere disciplinæ. Ast vbi colla subdiderit iugo, & habena constringit, & stimulus vrget, & compares trahunt, & iugalis inuitat. Sic etiam virgo nostra debuit prius amore pio ludere, aurea thori regni cœlestis fulcra mirari, in ipso vestibulo nuptiarũ, & postes frondium sertis cernere coronatos, & chori strepentis interius haurire delitias, ne se prius dominico iugo timefacta subduceret, quàm vocata inclinaret. Veni igitur huc à Libano sponsa, veni huc à Libano, transibis & pertransibis. Sæpius enim nobis iste versiculus recantandus est, vt vel do minicis vocata verbis, sequatur, si qua non credit humanis. Hoc nos magisterium non inuenimus, sed accepimus, sic instituit mystici carminis doctrina cœlestis. Osculetur me ab osculo oris sui, quia bona vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Vnguentum exinanitum est nomen tuum. Totus iste delitiarum locus ludum sonat, plausum excitat, amorem prouocat. Ideo, inquit, adolescentulæ dilexerunt te, & attraxerunt te. Retro in odorem vnguentorum tuorũ curramus. Induxit me rex in tabernaculũ suum. Ab osculis cœpit, vt ad tabernaculũ perueniret. Atque illa tam patiens duri laboris, exercitatæque virtutis, vt aperiat manu clausſtra, in agrũ exeat, in castellis maneat, in principio tamen retro odorem currit vnguenti mox cum in tabernaculum venerit, vnguentum mutatur à castellis. Deniq; quò euadat videte: Si murus inquit est, ædificemus super eum turres argenteas. Quæ ludebat osculis, iam turres erigit, vt precioſis sanctorum turrita fastigiis, non solum hostiles frustretur incursus, verũ etiam bonorum propugnacula struat tuta meritorum.

Ioan. 2.

3. Reg. 12. & 13.

Deute. 6.

Ezech. 2.

Cantic. 1.

DIVI

DIVI AMBROSII EPISCOPI *Mediolanensis de Virginibus, Liber tertius.*

QVoniam quæ habuimus digessimus superioribus libris duobus, tẽpus est soror sancta, ea quæ mecum conferre soles, beatę memorię Liberij præcepta reuoluere, vt quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior. Nanque is, cùm in saluatoris natali ad apostolum Petrũ, virginitatis professionem, vestis quoque mutatione signares (quo enim melius die, quã que virgo posteritatem acquisiuit) atque astantibus etiam puellis dei cõpluribus qnæ certarent inuicem de tua societate: bonas, inquit, filia nuptias desiderasti. Vides quantus ad natalem sponsi tui populus
Ioan.2. conuenerit, & nemo impastus recesserit. Hic est qui rogatus ad nuptias aquam in vina conuertit. In te quoque syncerũ sacramentum conferet virginitatis, quę prius eras obnoxia
Matth.15. vilibus natutæ materialis elementis. Hic est qui quinque panibus & duobus piscibus quatuor milia populi in deserto pauit. Sed plures pauisset, si iam tũc qui pascerẽtur, fuissent. Denique ad tuas nuptias plures vocauit. Sed iam non panis ex ordeo, sed corpus ministratur è cœlo. Hodie quidem secũdum hominẽ homo natus ex virgine, sed ante omnia genera tus ex patre, qui matrem corpore, virtute referat patrem. Vnigenitus in terris, vnigenitus in cœlo. Deus ex deo, partus ex virgine. Iustitia de patre, virtus de potente, lumen ex lumine. Non impar generanti, non potestate discretus, non verbi extensione aut prolatione cõfusus, aut cum patre mixtus. Sed vt à patre generationis iure distinctus sit, ipse est fraternus tuus, sine quo nec cœlestia nec marina nec terrena
Ioan.1. consistunt. Verbum patris bonum, quod erat in principio. Habes eius æternitatem. Et erat, inquit, apud patrem. Habes indiscretam à patre inseparabilémque virtutem. Et deus erat verbum. Habes ingenitam eius diuinitatem. De compendio enim tibi fides est haurienda. Hunc filia dilige, quia
Lucæ 18. bonus est. Nemo enim bonus nisi solus deus. Si enim nõ dubitatur quia deus filius, deus autem bonus: vtique nõ dubi-
Psalm.109. tatur, quia bonus filius deus. Hunc inquam dilige. Ipse est
Psalm. 44. quem pater genuit ante luciferum vt æternum, ex vtero ge-
Matth.17. nerauit vt filium, ex corde eructauit vt verbum. Ipse est in quo complacuit pater. Ipse est patris brachium: quia creator est omnium. Patris sapientia, quia ex dei ore processit.
Coloss.2. Patris virtus, quia diuinitatis in eo corporaliter habitat plenitudo. Quem pater ita diligit vt in sinu porter, ad dexterã
1.Corin.1. locet, vt sapientiam dicat, virtutem nouerit. Si igitur virtus dei Christus, nunquid aliquando sine virtute deus? Nũquid aliquãdo sine filio pater? Si semper vtique pater, vtique semper & filius. Perfecti ergo patris perfectus est filius. Nã qui virtuti derogat, ei derogat cuius est virtus. Inæqualitatem non recipit perfecta diuinitas. Dilige igitur quem pater dili-
Ioan.5. git, honorifica quẽ honorificat pater. Qui enim non honorificat filium, nõ honorificat patrem. Et qui negat filium, nec patrem habet. Hęc quantum ad fidem. Sed interdum etiam
1.Timo.5. cum fides tuta est, iuuẽtus suspecta est. Modico itaque vino vtere, ne infirmitatem corporis augeas, non vt voluptatem excites. Incendunt enim pariter duo, vinum & adolescẽtia. Infrẽnant etiam teneram ætatem ieiunia, & parsimonia cibi retinaculis quibusdam indomitas cohibeat cupiditates. Ratio reuocet, mitiget spes, restringat metus. Namqui moderari nescit cupiditatibus, sicut equus rapta tur indomitus, voluitur, obteritur, laniatur, affligitur. Quod aliquando iuueni ob amorem Dianæ contigisse proditur. Sed poeticis mendaciis coloratur fabula, vt Neptunus prælati riualis dolore incitatur, equis dicatur furorem immisisse, quo eius magna potentia prædicetur, quod iuuenem non in virtute vicit, sed fraude decepit. Vnde etiam sacrificium quotannis instaurãt Dianæ, vt equus ad eius immoletur aras. Quam virginẽ dicunt, quę (id quod etiam meretrices erubescere solent,) amare potuit non amantem. Sed habeãt per me licet fabulę suã authoritatem, quasi non, licet sceleſtum vtrumque, minus tamen sit iuuenem amore adulteræ sic flagrasse vt periret, quàm duos (vt ipsi dicunt) deos de adulterio certasse: Iouem autem dolore scortantis filiæ in medicum vindicasse adulteri, quod eius curasset vulnera, qui Dianam in syluis adulterasset, venatricem sanè optimam non ferarum, sed libidinum, sed ferarum etiam vt nuda, venetur. Dent igitur Neptuno dominatum furoris, vt adstruant crimen incesti amoris. Dent dianæ regnum in siluis quas incolebat, vt confirment adulteriũ quod gerebat. Dent Aesculapio quod mortuum reformauerit, dummodo profiteantur quod fulmina tus ipse don euaserit. Dent etiam Ioui fulmina quæ non habuit, vt testificentur quæ habuit opprobria. Sed à fabulis ad proposita reuertamur. Escis quoque ommibus quæ gignant membris calorem, parce vtẽdum puto. Carnes enim etiam aquilas volantes deponunt. In vobis quoque ales interior illa de qua legimus, Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua: Psal.102. sublime tenẽs, virgineo præpes volatu superfluæ carnis nesciat appetentiam. Conuiuiorum deuitandæ celebritatẽs, fugiendæ salutationes. Ipsas visitationes in iunioribus esse pauciores volo, si fortè deferendum sit parentibus aut æqualibus. Teritur enim officiis pudor, audacia emicat, risus subrepit, modestia soluitur: dum affectatur vrbanitas interroganti nõ respondere, infantia: respondere, fabula est. Deesse igitur sermonem virgini, quã superesse malo. Nam si mulie- 1.Cor.14.
res etiam de rebus diuinis in ecclesia iubentur tacere, domi viros suos interrogare, de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem? An verò mediocre pudoris exemplum est, quod Rebecca cùm veniret ad nuptias, & sponsum vidisset, velamen Genes.24.
accepit: ne prius videretur, quàm iungeretur? Et vtique pulchra virgo non decori timuit, sed pudori. Quid Rachel? quẽ Genes.29.
admodum extorto oculo fleuit & gemuit? Nec flere desisset, nisi proximum cognouisset. Ita & pudoris seruauit officium, & pietatis non amisit affectum. Quod si viro dicitur, virginem non consideres, ne quando scandalizet te: quid dicendum sacræ virgini, quæ si amet, animo peccat: si amatur, & facto? Maxima est virtus tacendi, præsertim in ecclesia. Nulla te diuinarum sententia fugiet lectionum, si aurem ad moueas, vocem premas. Nullum ex ore verbum quod reuocare velis, proferas, sed parcior loquendi fiducia sit. Copiosum quippe in multiloquio peccatum. Homicidæ dictũ Prouer.10.
est: Peccasti, quiesce: ne peccaret amplius. Sed virgini dicen- Gene.4.
dum est, quiesce ne pecces. Conseruabat enim Maria, vt le- Lucæ 2.
gimus, omnia in corde suo quæ de filio dicebantur: & tu cũ legitur aliquid quo Christus aut venturus annuciatur, aut venisse ostenditur, noli fabulando obstrepere, sed mentem admoue. An quicquam est indignius, quã oracula diuina circũ strepi ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur: circũsonare sacramenta cõfusis vocibus, vt impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cùm gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deferunt? Vnde illud exemplum proditur. Alexandro sacrificante Macedonum rege, puerulum barbarũ qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore manfisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reuerentiæ, vt naturam vinceret: atque ille nõ deos, qui nulli erant, sed regem timebat. Quid enim timeret eos, qui, si idem ignis eos cõtigisset, arsissent? Quid quod quidam in conuiuio patris adolescẽs iubetur, ne meretricios amores indiciis insolentibus prodat? Et tu in ministerio dei virgo gemitus, excreatus, tusses, risus abstine. Quod ille in conuiuio potest, tu in ministerio dei non potes? Vocis virginitas prima signetur, claudat ora pudor, debilitatem excludat religio, instituat consuetudo naturam. Virginem mihi prius grauitas sua nũciet, pudore obuio, gradu sobrio, vultu modesto, & prænuncia integritatis antecẽat signa virtutis. Non satis probabilis virgo est quæ requiritur cùm videtur. Frequens sermo est, cũ plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis ostreperent, sacerdotem dei præcepisse vt contiterent, ac reuerentiam sacræ deferrent orationi: tunc subitò circumfusos strepitus quieuisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt? Et irrationale animal per reuerentiam recognoscit, quòd per naturam ignorat: hominum tantam esse immodestiam, vt plerique de-

ferre

ferre neſciant mentium religioni, quod deferunt aurium vo luptati? Hæc tecum ſanctæ memoriæ Liberius, quæ apud alios maiora verbis, apud te minora exẽplis, ita omnem diſciplinam non ſolùm virtute adæquaſti, ſed etiã æmulatione viciſti. Nanque ieiunium in præceptis habemus, ſed ſingulorum dierũ. Tu autẽ multiplicatis noctibus ac diebus innumera tempora ſine cibo tranſigis: & ſi quando rogaris vt cibum ſumas, pauliſper deponas codicem, reſpondeas illico:
Matth. 4. Non in pane ſolo viuit homo, ſed in omni verbo Dei. Ipſe epularum vſus cibus obuius, vt edendi faſtidio ieiunium deſideretur, potus è fonte, fletus in prece, ſomnus in codice. Hęc iunioribus conuenere annis, donec mẽs æui matura caneſceret. Aſt vbi domiti trophæũ corporis virgo ſuſtulerit, moderandũ labori, vt magiſtra ſuppari ſeruetur ætati. Cito fœcũdis onerata palmitibus emeritæ ætatis vitis crepat, niſi aliquando reprimatur. Eadem tamen donec adoleſcit exuberat, & inueterata amputatur, ne ſylueſcat ſarmentis, aut fœtu nimio exinanita moriatur. Bonus agricola optimam vitẽ & fotu terræ cohibet, & defendit à frigore, & ne meridiano ſole vratur, explorat. Agrum quoque vicibus exercet, vel ſi non patitur otioſum, diuerſa alternat ſemina, mutatis vt fœtibus arua requieſcãt. Tu quoque virgo veterana pectoris tui colles diuerſis ſaltẽ ſeminibus ſere. nunc alimoniis mediocribus, nũc ieiuniis parcioribus, lectione, opere, prece: vt mutatio laboris, induciæ ſint quietis. Non totus meſſem generat ager. Hinc de collibus vineta conſurgunt, illinc purpuraſcentes cernas oliuas, hîc olentes roſas. Sępe etiam relictis aratris ipſe validus agricola digito ſolum ſcalpit, vt florum deponat radices, & aſperis manibus quibus luctantes inter vineta flectit iuuencos, moliter ouiũ preſſat vbera. Eo quippe melior ager, quo numeroſior fructus. Ergo & tu boni agricolę exẽplum ſecuta, nõ perennibus ieiuniis tanquam depreſſis vomeribus humũ tuã findas. Floreat in hortis tuis roſa pudoris, lilium mentis, & irriguũ ſacri ſanguinis violaria bibant fontem. Vulgo hoc ferunt: Quod velis prolixè facere, aliquando ne feceris. Debet eſſe aliquid quod quadrageſimę diebus addatur, ſed ita, vt nihil oſtentationis cauſa fiat, ſed religionis. Oratio quoque nos Deo crebra com-
Pſalm. 118. mẽdet. Si enim propheta dicit: Septies in die laudem dixi tibi: qui regni erat neceſſitatibus occupatus, quid nos facere
Matth. 26. oportet qui legimus: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem? Certè ſolennes orationes cum gratiarum actione ſunt deferẽdę, cùm è ſomno ſurgimus, cùm prodimus, cùm cibum paramus ſumere, cum ſumpſerimus, & hora incenſi, cùm denique cubitum pergimus. Sed etiam in ipſo cubili volo pſalmos cum oratione dominica frequenti contexas vice, vel cùm euigilaueris, vel antequam corpus ſopor irriget, vt te in ipſo quietis exordio rerum ſecularium cura liberam, diuina meditantem ſomnus inueniat. Denique etiã ille philoſophiæ ipſius qui nomen inuenit, quotidie priuſquam cubitum iret, tibicinem iubebat mòliora canere, vt anxia curis ſecularibus corda mulceret. Sed ille, ſicut is qui laterẽ lauat, ſecularia ſecularibus fruſtra cupiebat abolere. Magis enim ſe oblinebat luto, qui remedium à voluptate quærebat. Nos autem terrenorum vitiorum colluuione deterſa, ab omni inquinamento carnis mentium interna mundemus. Symbolum quoque ſpecialiter debemus tanquam noſtri ſignaculũ cordis antelucanis horis quotidie recenſere. Quòd etiam cum horremus aliquid, animo recurrendum eſt. Quando enim ſine militiæ ſacramento miles in tẽtorio, bellator in prælio? Iam illud quis non ad noſtram inſtitutionem dictum in-
Pſalm. 6. telligat, quod ait ſanctus propheta: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo? Nam ſiũe lectum iuxta literam intelligas, tãtam vbertatem oſtendit profundi oportere lachrymarum, vt lauetur lectus, ſtratum rigetur fletibus obſecrantis, Fletus enim præſentiũ,
Lucæ 6. merces eſt futurorum. Quoniam beati qui fletis, ipſi enim ridebitis. Siue pro corpore accipiamus propheticũ dictum, delicta corporis pœnitẽtiæ lachrymis abluamus. Fecit enim
Cantic. 3. ſibi lectum Salomon ex lignis Libani, columnæ eius argenteæ erant, acclinatorium eius aureum, dorſum eius gemmatum ſtratum. Quis eſt iſte lectus, niſi noſtri corporis ſpecies? Nanque in gemmis aer ſpecie fulgoris oſtenditur, in A auro ignis, aqua in argento, terra per lignum: ex quibus corpus humanum quatuor conſtat elementis, in quo noſtra recubat anima, ſi non aſpero montiũ, non humi arido expers quietis exiſtat, ſed ſublimis à vitiis ligno fulta requieſcat. Vn
Pſalm. 40. de & Dauid dicit: Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius. Nam lectus doloris eſſe qui poteſt, cum dolere nõ poſſit qui non habet ſenſum? Corpus autem doloris, ſicut corpus eſt mortis. Infelix ego homo quis me liberabit de
Roma. 7. corpore mortis huius? Et quoniam verſiculum induximus, in quo dominici corporis fecimus mentionem: ne quem forte perturbet legentem, quod dominus corpus ſuſcepit doloris, recordetur quia Lazari mortem doluit & fleuit, & in
Ioan. 11. paſſione eſt vulneratus, atque ex vulnere ſanguis & aqua e-
Ioan. 19. xiuit, ſpiritúmque exhalauit. Aqua ad lauacrum, ſanguis ad potum, ſpiritus ad reſurrectionem. Vnus enim eſt Chriſtus nobis ſpes, fides; charitas. Spes in reſurrectione, fide in lauacro, charitas in ſacramento. Tamen vt corpus ſuſcepit doloris, ita etiam ſtratum in infirmitate verſauit, quia conuertit in commodum carnis humanæ. Nam paſſione infirmitas eſt B ſoluta, mors reſurrectione: & tamen mœrere pro ſeculo gaudere debetis in domino, triſtes ad pœnitentiam, alacres ad gratiam: licet & flere cum flentibus, & gaudere cum gau-
Roma. 12. dentibus, oportere gentium doctor ſalutari præceptione præſcripſerit. Verùm qui penitus enodare cicatricem omnem deſiderat quæſtionis, ad eundem confugiat Apoſtolũ.
Coloſ. 3. Omne enim, inquit, quodcunque facitis in verbo aut in facto, omnia in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes deo patri per ipſum. Omniá ergo dicta noſtra factá que referamus ad Chriſtum, qui vitam fecit ex morte, lucẽ creauit ex tenebris. Nanque vt corpus ægrotum nunc calidioribus fouetur, nunc frigidioribus temperatur, remedio rúmque mutatio ſi iuxta præceptum fiat medici, ſalutaris eſt: ſi contra mandatum vſurpetur, languoris augmentũ eſt: ita medico noſtro quicquid penditur Chriſto, remediũ eſt: quicquid vſurpatur, incommodum. Debet igitur bonæ conſcientiæ mentis eſſe lætitia, non incõditis comeſſationibus, nõ nuptialibus excitata ſymphoniis. Ibi enim intuta verecũ-
C dia, illecebra ſuſpecta eſt, vbi comes delitiarum eſt extrema ſaltatio. Ab hac virgines dei procul eſſe deſidero. Nemo enim, vt dixit quidam ſecularium doctor, ſaltat ſobrius, niſi qui inſanit. Quod ſi iuxta ſapientiam ſecularem, ſaltationis, aut temulentia author eſt, aut dementia: quid diuinarum
Marci. 6. ſcripturarum cautum putamus exemplis, cum Ioannes præ-
nuncius Chriſti ſaltatricis optione iugulatus exemplo ſit, plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quàm ſacrilegi furoris amentiam? Et quoniam talis vitij non ſtrictim prætereunda eſt recordatio, intereſt, vt quis, & à quibus, & quam ob cauſam, quomodo, & quo tempore ſit occiſus, aduertere debeamus. Ab adulteris iuſtus occiditur, & à reis in iudicem capitalis ſceleris pœna conuertitur. Deinde præmium ſaltatricis, mors eſt prophetæ. Poſtremò, quod etiam omnes Barbari horrere conſuerunt, inter epulas atque conuiuia conſummandæ crudelitatis profertur edictum. Et à conuiuio ad carcerem, de carcere ad conuiuium feralis flagicij circũfertur obſequium. Quanta in vno facinore ſunt crimina?
D Extruitur regifico luxu ferale conuiuium, & explorato quãdo maior ſolito turba conuenerit, reginæ filia intimis mandata ſecretis, in conſpectum virorum ſaltatura producitur. Quid enim potuit filia de adultera matre diſcere, niſi damnum pudoris? An quicquam eſt tam pronum ad libidines, quàm inconditis motibus ea quæ vel natura abſcondit, vel diſciplina velauit, membrorum operta nudare, ludere oculis, rotare ceruicem, comam ſpargere? Meritò inde in iniuriam diuinitatis proceditur. Quid enim ibi verecũdię poteſt eſſe vbi ſaltatur, ſtrepitur, cõcrepatur? Tũc rex, inquit, delectatus dixit puellæ, vt peteret de rege quod vellet. Deinde iurauit, quod vel dimidium regni ſi petiſſet, concederet. Vide quemadmodum ſeculares ipſi de ſecularibus ſuis iudicent poteſtatibus, vt pro ſaltatione etiam regna donentur. Puella autem admonita à matre ſua, popoſcit afferri ſibi in diſco caput Ioannis. Quod dicit, Rex contriſtatus eſt. non pœnitentia regis, ſed confeſſio iniquitatis eſt: quã diuinæ habet conſuetudo ſententiæ, vt qui geſſerunt impia, ipſi propria confeſſione

feſſione ſe damnent. Sed propter diſcumbẽtes, inquit: Quid indignius quàm vt homicidium fieri iuberet, ne diſcumbentibus diſpliceret? Et propter ius, inquit, iurandum: O religionem nouam: Tolerabilius peieraſſet. Vnde non immeritò dominus in Euãgelio iubet non eſſe iurandum, ne ſit cauſa periurij, ne ſit neceſſitas delinquendi. Itaque ne iuſiurãdum violaretur, percutitur innocens. Quid prius horreſcam, neſcio. Tolerabiliora periuria quàm ſacramenta ſunt tyrannorum. Quis non cum è conuiuio ad carcerem curſari videret, putaret prophetam iuſſum eſſe dimitti? Quis, inquam, cum audiſſet natalem eſſe Herodis, ſolenne conuiuium, puellæ optionem eligendi quod vellet datam, miſſum ad Ioãnem ob ſolutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum delitiis? quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad pœnam propheta cõuiuiali tempore, cõuiuiali præcepto, quo non cuperet vel abſolui: perimitur gladio, caput eius affertur in diſco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur. Intuere rex acerbiſſime tuo ſpectacula digna cõuiuio. Porrige dexteram, ne quid ſæuitiæ tuæ deſit, vt inter digitos tuos riui defluant ſacri cruoris. Et quoniam non exaturari epulis fames, nõ reſtingui poculis potuit inauditæ ſæuitiæ ſitis, bibe ſanguinem ſcaturiẽtibus adhuc venis execti capitis profluentem. Cerne oculos in ipſa morte ſceleris tui teſtes, auerſantes conſpectũ deliciarum. Claudũtur lumina, nõ tam mortis neceſſitate, quã horrore luxuriæ. Os aureum illud exangue, cuius ſentẽtiam ferre non poteras, cõticeſcit, & adhuc timetur. Lingua tamen, quæ ſolet etiam poſt mortem officium ſeruare viuẽtis, palpitante licet motu dãnabat inceſtum. Portabatur hoc caput ad Herodiadẽ, lætatur, exultat, quaſi crimen euaſerit, quia iudicem trucidauit. Quid dicitis vos ſanctæ fœminæ? Videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? Saltet, ſed adulteræ filia. Quæ verò pudica eſt, quę caſta eſt, filias ſuas religionem doceat, nõ ſaltationem. Vos autem graues & prudẽtes viri, diſcite deteſtabilium hominum epulas euitare. Talia ſunt conuiuia, qualia iudicia perfidorum. Iam ad finem orationis vela pandẽti bene ſuggeris ſoror ſancta, quid ſuper eorũ meritis exiſtimandum ſit, qui ſe præcipitauere ex alto, vel in fluuium demerſerunt, ne perſecutorum inciderent manus, cum ſcriptura diuina vim ſibi Chriſtianum prohibeat inferre. Et quidem de virginibus in neceſſitate cuſtodiæ conſtitutis enodem habemus aſſertionem, cùm martyrij extet exemplum. Sancta Pelagia apud Antiochiam quondam fuit, annorum ferè quindecim, ſoror virginum, & ipſa virgo. Hęc primo domi claſſico perſecutionis incluſa, cùm ſe à prædonibus fidei vel pudoris circunſederi videret, abſente matre, & ſororibus, vacua præſidio, ſed deo plenior: quid agimus, inquit, niſi proſpicias captiua virginitas? Et votum eſt, & metus eſt mori, quia mors non excipitur, ſed adſciſcitur. Moriamur ſcilicet, vel ſi nolunt licere, moriamur. Deus remedio non offenditur, & facinus fides ableuat. Certè ſi vim ipſam nominis cogitemus, quæ vis voluntaria: illa magis eſt vis mori velle, nec poſſe. Nec difficultatẽ veremur. Quis enim eſt qui vult mori, & non poſſit, cùm ſint ad mortem tam procliues viæ? Iam enim ſacrilegas aras præcipitata ſubuertam, & accẽſos focos cruore reſtinguã. Non timeo ne dextera deficiens non peragat ictum, nec pectus ſe dolore ſubducat. Nullũ peccatum carni relinquã, non verebor ne deſit gladius. Poſſumus mori noſtris armis, poſſumus mori ſine carnificis beneficio. Matris in gremio fertur ornaſſe caput, nuptialem induiſſe veſtem, vt non ad mortem ire diceres, ſed ad ſponſum. Aſt vbi deteſtandi perſecutores ereptam ſibi viderunt prædam pudoris, matrem, & ſorores cœperunt quærere. Verùm illæ ſpirituali volatu iam campum caſtitatis tenebant, cùm ſubitò hinc perſecutoribus imminentibus, inde torrente fluuio exclusæ à fuga, incluſæ ad coronã, quid veremur? inquiunt. Ecce aqua: quis nos baptizari prohibet? Et hoc baptiſma eſt, quo peccata donantur, regna quærũtur. Et hoc baptiſma eſt, poſt quod nemo delinquit. Excipiat nos aqua quæ regenerare cõſueuit. Excipiat nos aqua quæ virgines facit. Excipiat nos aqua quæ cœlum aperit, infirmos tegit, mortem abſcondit, martyres reddit. Te rerum conditor precamur deus, ne exanimata ſpiritu corpora vel vnda diſpergat, ne mors ſepa-

Matth. 5.

ret funera, quarum vitam non ſeparauit affectus, ſed ſit vna conſtantia, vna mors, vna etiam ſepultura. Hæc effatæ, & ſuſpenſæ paululum, incincto ſinu quo pudorem tegerent, nec greſſum impedirent, conſertis manibus tanquam choros ducerent, in medium progrediuntur alueum, vbi vnda torrentior, vbi profundum abruptius, illò veſtigia dirigentes. Nulla pedem retulit, nulla ſuſpendit inceſſum, nulla tentauit vbi greſſum figeret, anxiæ cum terra occurreret, offenſæ vado, lætæ profundo. Videres piam matrem ſtringentem nodo manus, gaudere de pignore, timere de caſu, ne ſibi filias vel fluctus auferret. Has tibi, inquit, hoſtias Chriſte immolo, præſules caſtitatis, duces itineris, comites paſſionis. Sed quis iure miretur tantam viuentibus fuiſſe conſtãtiam, cùm etiam defunctæ immobilem ſtationem corporum vindicauerint? Non cadauera vnda nudauit, non rapidi curſus fluminie volutarunt. Quin etiam ſancta mater licet ſenſu carens pietatis, tamen adhuc ſeruabat amplexum: & religioſum quem ſtrinxerat nodum, nec morte laxabat: vt quę religioni debitũ ſoluerat, pietate hærede mereretur. Nam quas ad martyrium iunxerat, vſque ad tumulum vindicabat. Sed quid alienigenis apud te ſoror vtor exemplis, quam hæreditariæ caſtitatis inſpirata ſucceſſio, parentis infuſione martyris erudiuit? Vnde enim didiciſti, quæ non habuiſti vnde diſceres, conſtituta in agro, nulla ſocia virgine, nullo informata doctore? Non ergo diſcipulam (quod fieri ſine magiſtro non poteſt,) ſed hæredem virtutis egiſti, Quî enim fieri poſſet, vt ſancta Soteris tibi non eſſet mentis author, cui author eſt generis, quæ perſecutionis ætate ſeruilibus quoque contumeliis ad faſtigium paſſionis euecta, etiam vultum ipſum qui inter cruciatus totius corporis liber eſſe conſueuit iniuriæ, & ſpectare potius tormenta quàm perpeti, carnifici dedit: tam fortis & patiens, vt cùm teneras pœnæ offerret genas, prius carnifex cædendo deficeret, quàm martyr iniuriæ cederet. Non vultum inflexit, non ora conuertit: non gemitum, non lachrymam dedit. Denique cùm cætera pœnarum genera viciſſet, gladium quem quærebat inuenit. Nobile apud veteres Salomonis illud fertur fuiſſe iudicium, cum à duabus litigantibus mulieribus interpellatus eſſet: quarum altera conuerſa per ſomnum cum infantem oppreſſiſſet ſuum, poſtulabat alienum. Altera veri amoris conſcia, & culpę neſcia, filium iure proprium vindicabat. Vtraque igitur perſeueranter nitente, cognitoris hæſit intentio. Non enim poterat Salomon arbiter eſſe interioris arcani, cùm petentis vtriuſque mens eſſet occultior. Euentu conuentus ambiguo machæram promi iuſſit, mandatóque miniſtris quo ſimularent triſte miniſterĩu, diuidi iuſſit infantem, vt ſingulæ mulieres ſingulas partes adipiſcerentur. Quo audito illa quę petebat alienum, non ſolum acquieuit, ſed etiam diuiſionẽ paruuli depoposcit, nullo affectu * conuenta materno. Illa quæ ſuum ſciebat infantem, non vinci metuens, ſed orbari, nec iam ſolatio proprio, ſed pignori ſuo cõſulens, orare occepit, vt incolumis magis puer traderetur alienæ, quàm ſectus in partes matri propriæ redderetur. Vnde Salomõ qui non maieſtate diuina, ſed argumentis vt homo interiorem interrogabat affectum, illi potius iudicauit paruulum eſſe reddendum, quam veram matrem dolor proprius prodidiſſet. Illam vero quam morituri paruuli miſericordia non mouebat, ex ortem pronunciauit eſſe naturæ, quam exortẽ vidit eſſe pietatis. Veritas ergo non latuit, ſed tamen per ſimulationem alterius fluctuauit. Diúque etiam bona mater euentu hęſit ambiguo, dum iudicij periclitatur incerto. Hęc licet in figura ſuperioribus ſint facta temporibus, ſcripta ſunt tamen ad correprionem noſtram, vt intelligamus prodi omnia poſſe quæ facta ſunt, & omnia compoſita reuelari. Duę igitur iſtę, quoniam propoſitum eſt nobis hoc loco non tractare de mulieribus: Duę inquam, iſtę, fides eſt, atque tentatio. Tentatio, inquam, communis ab initio author erroris, quę poſtquam poſteritatem ſuam carnalis vitio cõuerſationis, & ſomno mentis amiſit, poſteritatis fructus auferre conatur alienę. Itaque dum tentatio litigat: fides fluctuat, donec machęra Chriſti latentes diſtinguat affectus. Quæ eſt hæc machæra Chriſti? Illa de qua ſcriptum eſt: Gladium veni mittere in terram. Eſt enim gladius de quo ſcriptum eſt: Et tuam ipſius ani-

3. Reg. 3.

* cõmota.

1. Cor. 10.

Matth. 10.
Lucæ 3.

mam pertranſibit gladius. Qui autẽ ſit hic gladius, quæ ma- A
Hebr.4. chæra, cognoſce. Verbum, inquit, acutum, & validum, & penetrabilius omni gladio acutiſſimo, penetrans vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, artuúmque, & medullarum. Bonus gladius verbum dei, bonus gladius, vtpote ſcrutator cordis, & renis, qui mendacium à veritate diſcernat, atque eos quorum animam pertranſierit, non interficiat, ſed reſeruet. Hæc igitur de regnorum dicta ſint libro aſſumpta de cauſa, de hiſtoria recenſita, de conſcientia vſurpata, & fide prõpta. Nunc decurſæ ex libro Iudicum inſpiciamus ſeriem lectionis. Non enim ocioſis parricidium fuit auribus audiendum.
Iudic.11. Itaque repetamus hiſtoriam. Iepte iudex Iudæorum fuit. Is euentu belli conflictatus ambiguo, præliorúmque veritus incerta, votum vouit huiuſmodi, ſi aduerſarios depuliſſet, vt quicquid ei primum intra domus ſuæ limen occurriſſet, hoſtiam immolaret deo ſuorum præſuli triumphorum. Itaque bello potitus, fuſisque hoſtibus domum rediit: cui in ipſo veſtibulo filia memor pietatis, ignara oblationis occurrit. Sed recordatus illico pater, & propriæ ſponſionis admonitus, in B
gemuit ſoluendi muneris ſponſiones. Heu me, inquit, filia, perdidiſti me. Ego enim aperui os meũ de te ad dominum. Tum illa: O pater, ſi in me aperuiſti os tuum ad dominum, fac mihi ita vt exiuit de ore tuo. Duorum tamen tantũ menſium inducias poſtulauit, donec in montem aſcenderet, & ſuper virginitatem ſuam fleret. Deinde duobus poſt exactis menſibus remeauit ad patrem. Votum ille compleuit. His enim verbis vtendum eſt, quando ſcriptura diuina effectum rei non prodidit, ſed refugit parricidij mentionem. Quid igitur hoc probamus? Minimè verò gentiũ. Sed tamen etſi parricidium non probo, aduerto præuaricãdæ metum, & formi
Geneſ.22. dinem ſponſionis. Denique ad Abraham dictum eſt: Nunc ſcio quia amas dominum deum tuum, quia non pepercisti vnico filio tuo. Habes igitur indicium quo docetur præuaricandũ temerè non eſſe promiſſum. Verum deo parricidium non probari, in eadem aſſeritur lectione, cùm pro filio ouis ſubiicitur, vt ipſa potius quàm filius feriretur. Habuit igitur Iepte quod ſequeretur exemplum, quia dominus ſanguine C
nõ delectaretur humano. In vno enim oraculo ad Abraham prompto docuit filiorum ſalutem religionis obſequio poſthabendam, offerri à parentibus deo debere filios, non debere iugulari. Certè cùm hæc filia tam ſolicita fuerit de patris voto, cur pater non dubitauerit de filiæ parricidio: & cùm illa paternum caueret mendacium, iſte filiæ non cauerit interitum? Dicet aliquis: Qua ratione illic deus non permiſerit parricidium fieri, hic ſit paſſus impleri? Nũquid acceptor perſonarum deus? Non, ſed meritorum atque virtutum. Certè dum cõſilium eſſet ambiguum, ſignare debuit oraculum, quid ad præſens facto, & in reliquum conueniret exemplo. Vbi verò iam præceſſiſſet exemplum, neceſſarium non iudicauit oraculum, cum facti forma veteris quid fieri oporteret oſtenderit. Aut fortaſſe quia non vna forma meritorum, ideo non vna forma factorum. Pater doluit, fleuit filia, vterque de dei miſeratione dubitauit. Non doluit Abraham, nec conſuluit parentis affectum. Vbi audiuit diuinitatis oraculum, non diſtulit ſacrificium, ſed maturauit obſequiũ. Non
D
dubitauit Iſaac, cùm imparibus ſequeretur patrem paſſibus. Non fleuit cum ligaretur, non dilationem popoſcit, cum offerretur. Et ideo miſericordia largior, vbi fides promptior. Et bene non fleuit factum patris, quia riſus eſt matris. Pro qua deuotionis exultatione ouis pro illo iuſſa eſt immolari, quia ſe ipſe non diſtulerat immolandum, nec de dei miſeratione ambiguus, nec de ſui deuotione ſolicitus. Nemo igitur inuentus eſt, qui tam cruentũ patris reuocaret affectum, quia omnis promiſſio muneris conueniebat officio. Sacrificium itaque ſanguinis immolatur, & nemo eſt qui reſiſtat. Sacrificium caſtitatis offertur, & qui prohibeat non inuenitur. Pater parricidium promiſit, & ſoluitur. Pater integritatem filiæ vouit, & tam piæ oblationis nõ inuidetur affectus. Illic filia dolens ſanguinem ſuum obtulit pro patria ſponſione. Hic tam pium promiſſum nec hæreditario munere, nec propria ſoluitur voluntate. Quo in negocio etiam nos vocamur in culpã. Quam tandem? Quia nuptias prohibuimus illicitas? Vocent ergo in eandem culpam etiam Ioannem Baptiſtam. Et cum aliud nihil fortè habeamus quod probetur in nobis, hoc ſolùm condemnetur in nobis quod probatum eſt in Propheta. An erubeſcendum protulimus authorem? Quam vero cauſam aliam habuit ille martyrij, repetite animo. Cauſa illius paſſionis certè hęc fuit. Non licet, inquit, ti- Matth.14.
bi eam vxorem habere. Si hoc de vxore hominis, quanto magis de virgine deo conſecrata? Si hoc dictum eſt regi, quanto magis dicendum eſt priuatis? Gratias itaque diuinitati quod hic nullus Herodes, atque vtinam nulla Herodias. Nõ licuit ergo pro virginitate ſermonem dicere? Et cur ſcriptum eſt: Iudicate pupillo, & iuſtificate viduam? Et cur ſcriptum eſt: Pſalm.81.
Patris orphanorum, & iudicis viduarum? Ergo caſtimoniæ Pſalm.67.
& integritati deditas deſeremus, aut etiam cõdemnabimus? At certè ipſis gentilibus inter aras, & focos venerabilis ſolet eſſe virginitas: & in quibus nulla meritorum eſt pietas, nulla mentis integritas, in iis tamen carnis virginitas prædicatur. A prophanis igitur ceremoniis virgines nemo prohibebit, ab eccleſia dei virginitas arcebitur? Illic coguntur quod non docentur, hîc interdicitur quod non licet non doceri. Illic præmiis reuocantur à nuptiis, hîc ad nuptias coartabuntur iniuriis? Illic violentia fit vt capiantur, hîc fiet violentia ne profiteantur? Et poteſt eſſe patientia ſacerdotum, vt non vel morte oblata, ſi ita neceſſe eſt, integritatis ſacrificiũ vindicetur. Conſiderate quia virgines præ apoſtolis reſurrectionem domini videre meruerunt. Certè hoc docuit hodierna quæ decurſa eſt lectio. Nam cum in nouo monumento (ſicut Ioãnes dixit) corpus poſitum eſſet domini Ieſu, in ſuo autem monumento (ſicut eſt ſecundũ librum Euangelij Mat- Ioan.19.
thæi) poſuiſſet Ioſeph domini corpus, obſeruabant virgines. Bene & Matthęus monumentum dixit nouum, ne ex monu Matth.27.
mento veteri reſurrexiſſe alius crederetur. Bene etiam ſecundum ſpiritum iuſti in monumentum poſitum eſt, quia Chriſtus à mortuis in nouo iuſti reſurgit affectu. Bene etiam ſecundum literam alienum monumentũ fuit, quia ſuum monumentum dominus non quæſiuit. Habeant tumulum qui ſub lege ſunt mortis. Victor mortis ſuum tumulum non habebat. Non enim ille ſepulchrum mortis deſiderabat, qui de morte trophæa referebat. Vidit ergo Maria reſurrectionem domini, & prima vidit, & credidit. Vidit & Maria Magdalena, quãuis adhuc iſta nutaret. Hoc loco non mediocrem aduertite quæſtionem, ne ſubdubitare de reſurrectione domini virgines debeatis. Videte quod meritum. Non ſola carnis
virginem facit, ſed etiam mentis integritas. Denique Maria Ioan.20.
Magdalena dominum prohibetur tangere, quia nutabat de reſurrectionis fide. Illa igitur tangit Chriſtum, quæ fide tangit. Magdalena autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Quæ foris eſt, plorat: nam quæ intus eſt, plorare non nouit. Plorat autem quia corpus non videt Chriſti: & periſſe putat, quia ipſa non cernit. Ergo Maria foris, ſed non Petrus, non Ioannes foris. Denique illi currentes intrauerunt, & ideo non plorauerunt, & gratulantes receſſerunt. Illa quę non introiuit, fleuit, non credidit, fraude ſublatum putauit, nec cùm angelos cerneret, credendum arbitrabatur: Et ideo
dicunt ei angeli: Mulier quid ploras? quem quæris? Hoc an- Ibidem.
geli dicũt, & dominus poſtea iiſdem verbis repetiuit, vt ſciatis quia angelorum verba mandata ſunt domini. Denique eadem (vt dixi) etiam dominus verba repetiuit, dicens: Mulier quid ploras? quem quæris? Quæ non credit, mulier eſt: nam qui credit, in virum perfectum reſurgit, in menſuram
ætatis plenitudinis Chriſti. Mulier, inquit, non de ſexu, ſed Epheſ.4.
de cunctatione conuitium eſt. Et bene mulier quę nutabat, quia virgo iam crediderat. Quid ploras? hoc eſt, tu tibi es cauſa plorandi, tu tibi es author flendi, quæ es Chriſti incredula. Ploras quia non vides Chriſtum: crede, & videbis. Adeſt Chriſtus, nec vnquam iis à quibus quæritur deeſt. Quid ploras? hoc eſt, non lachrymis opus eſt, ſed fide prompta, & deo digna. Noli cogitare mortalia, & non plorabis: noli cogitare peritura, & flendi cauſam habere non poteris. Cur inde ploras, vnde alij gratulantur? Quem quæris? hoc eſt. Non vides quia adeſt Chriſtus? non vides quia Chriſtus eſt dei virtus, quia Chriſtus eſt dei ſapientia, quia Chriſtus eſt ſanctitas, quia Chriſtus eſt caſtitas, 1.Cor.1.
quia Chriſtus integritas, quia Chriſtus natus eſt ex virgine,

gine,quia Christus ex patre,& apud patrem,& in patre sem
per,natus non factus,nec degener,sed semper verus deus ex
deo vero? Tulerunt, inquit, dominum de monumento, &
Ioan.20. nescio vbi posuerunt eum. Erras mulier quæ putas ab aliis
Christum de monumento esse sublatum, & non potestate
propria resuscitatum. Sed nemo tulit dei virtutem,nemo tu-
1.Corin.1. lit dei sapientiam,nemo tulit venerabilem castitatem. Non
tollitur Christus de monumento iusti,nec de suæ virginis se
creto,& piæ mentis arcano: & si qui volunt tollere, auferre non possunt. Tunc ait illi dominus:Maria, respice ad me.
Quando non credit,mulier est:quando cõuerti incipit,Ma-
ria vocatur, hoc est, nomen eius accipit quæ parturit Chri-
stum. Est enim anima quæ spiritualiter parit Christum. Re-
spice,inquit,ad me. Qui Christum respicit, emẽdatur. Errat
autem quę Christum non videt. Et ideo illa conuersa respe-
xit,& dixit:Rabbi,quod interpretatur magister. Quæ respe
xit,conuertitur:quæ conuertitur, plenius intuetur: quæ vi-
det,proficit. Et ideo magistrum appellat,quem mortuum es
se credebat. Aloquitur quem putabat amissum. Noli,inquit,
me tangere:hoc est,Etsi correptionis tentamenta sunt, non
tangit tamen Christum nutãtis affectus. Noli,inquit,me tan
gere,hoc est,noli tangere dei virtutem,dei sapientiam,reue-
rendam integritatem,honorabilem castitatem. Sed vade ad
fratres meos. Quid est aliud dicere,nisi,iam noli foris flere?
Vade ad electos,& ad obseruantissimos sacerdotes,& dic il-
Ioan.20. lis:Ascendo ad patrẽ meum,& patrem vestrũ,deum meum,
& deum vestrum. Quid est aliud dicere,nisi ne mulier hinc
moueas quæstionem? Certè à perfectioribus quære, dicent
tibi,quæ distinctio sit inter patrẽ meum,& patrem vestrum.
Nam qui iuxta diuinam generationem pater mihi est,is iux
ta adoptionẽ pater vester est. Patrem meum dicendo,à crea-
turis se dei filius seperauit. Patrem vestrum dicendo, adop-
tionis spiritalis gratiam designauit. Ita & deum meum dicen
do,mysterium suæ incarnationis ostendit, vt quem patrem
naturaliter habet, deum appellet propter susceptí corporis
sacramẽtum. Deum quoque vestrum cùm dicit, profectum
in nobis suæ operationis ostendit. Et verè deus noster factus
est nobis,ex quo passus est Christus,quãdo vt alia omittam,
pro integritate seruanda mori virgines sunt paratæ. Nihil de
causa, nihil de persona loquor. Vbi enim domini gratia, ibi
debet esse pax domini. Nec quenquam publicis arguo, sed
meipsum defensatum venio. Accusati enim sumus: & nisi
fallor,accusatores nostri plerique devobis sunt. Horum ego
affectus redarguere malo,quàm personas prodere. Criminis
autem inuidia hæc est,quia suadeo castitatem. Qui hoc non
libenter accipit, ipse se prodit. Virginitatem, inquit, doces,
& persuades plurimis. Vtinam conuincerer,vtinam tanti cri
minis probaretur effectus. Non vererer inuidiam, si efficaciam recognoscerem. Atque vtinam me exemplis potius argueretis,quàm sermonibus cæderetis. Sed vereor ne præuaricatores mihi apposuisse videar,qui me alienis commẽdent
laudibus. Initiatas,inquit,sacris mysteriis,& consecratas in-
tegritati puellas nubere prohibes. Vtinam potuissem reuo-
care nupturas. Vtinam possem flammeum nuptiale pio inte
gritatis velamine mutare. An indignum videtur, vt sacratæ
virgines à sacrosanctis altaribus non abducãtur ad nuptias?
Et quibus licet spõsum eligere,non licet deum præferre? In
me ergo facti conditio mutatur, vt pro opprobrio mihi ce-
dat quod semper spectauit ad gratiam sacerdotum,iacere se-
mina integritatis,& virginitatis studia prouocare. Quæro e-
nim vtrum quasi improbum hoc,an quasi nouum, an quasi
inutile reprehẽdatur? Si quasi improbum,improba ergo vo-
ta sunt omnium,improba vita est angelorum, quam gratia
resurrectionis imitatur. Qui enim non nubũt neque nuben
Matth.22. tur,erunt sicut angeli in cœlo: qui hoc vtique reprehendit,
Lucæ 20. resurrectionis vota condemnat. Itaq; improbum videri non
potest,quod hominibus pro præmio constitutũ est. Nec po-
test eius rei species displicere, cuius veritas, & in fructu est,
& in voto. Sed esto,non sit improbum, nũquid nouum est?
Nos enim noua omnia quæ Christus non docuit,iure dam-
namus,quia fidelibus via Christus est. Si igitur Christus nõ
docuit quod docemus, etiam nos id detestabile iudicamus.
Discutiamus ergo vtrum Christus integritatem docuerit,an

A repudiandam putauerit? Et sunt, inquit,spadones,qui seip- Matth.19.
sos castrauerunt propter regnum cœlorum. Est ergo præcla-
ra militia quæ regno cœlorum militat. Itaque iam tunc do-
minus docuit,esse debere intemerata studia castitatis. Vnde
& apostoli eam cæteris præeminere cernentes,si ita est cau-
sa,aiunt,viri,cum vxore,non expedit nubere. Quo dicto &
grauiora iudicarunt onera vinculi coniugalis, & veræ inte-
gritatis gratiam prætulerunt. Sed dominus qui sciret prædi-
candam omnibus integritatem,imitandam paucis:non om-
nes,inquit,capiunt verbum istud,sed quibus datum est,hoc
est,non est cõmunis plurimis,& vulgaris integritas,nec pro
infirmitate permittitur,sed pro virtute conceditur. Denique
cùm dixisset:Et sunt spadones qui seipsos castrauerunt pro-
pter regnum cœlorum:vt ostenderet hoc non mediocris es-
se virtutis, Qui potest,inquit,capere,capiat. Et ideo post hoc
verbum offeruntur pueri ad benedicendum, qui corruptelæ
expertes,integritatis munus immaculata ætate seruarent.
Talium enim est regnum cœlorum,qui in puerilem castimo Ibidem.
B niam tanquam in naturam infantium corruptelæ ignorãtia
remeauerint. Est ergo etiã cœlesti voce probata virginitas,
dominicísque expetenda præceptis. Quo loco magisterium
diuinæ vocis imitemur. Nam cùm in superioribus coniugiũ
memorauerit non esse soluendum nisi ex causa fornicatio-
nis,in posterioribus integritatis gratiam donúmque contexuit:vt doceret non damnandas esse nuptias,sed probandas,
nuptiis tamen ipsis integritatis studia præferẽda. Quis enim
tam auersus à vero qui nuptias dãnet? Sed quis tam alienus
à ratione,qui coniugij onera non sentiat? Etenim mulier in- 1.Cor.7.
nupta & virgo,cogitat quæ sunt domini, vt sit sancta corpo-
re & spiritu. Nam quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi,
quomodo placeat viro. Et præter has molestias quanuis nu-
bendo non peccet, contritionem tamen habebit carnis hu-
iusmodi. Grauis enim partus labor est,grauis creãdorum,&
erudiẽdorum liberorum molestia. Quibus antè præscripsit,
ne quis huiusmodi auerteretur iniuriis. Multæ enim in par-
tus doloribus cõstitutæ,coniugio se renunciare dicunt. Mul
C ti etiam matrimonij onera non ferẽtes,alieno ab vxore auer
tuntur affectu. Et ideo Apostolus ante præmisit:Iunctus es Ibidem.
vxori? noli quærere solutionem. Et bene ait:Iũctus es. Quo-
dam enim vir & vxor nexu inter se amatorio copulantur,&
quibusdam inuicem sibi habenis amoris adstricti sunt. Bona
igitur vincula nuptiarum,sed tamen vincula: & si vincula,ta
men vincula charitatis. Bonum cõiugium,sed tamen à iugo
tractum,& iugo mundi,vt viro potius cupiat placere,quàm
deo. Bona etiam vulnera charitatis,& osculis prę ferenda. V-
tiliora enim vulnera amici,quàm voluntaria oscula inimici. Prou.20.
Deniq; Petrus vulneratur,Iudas osculatur. Illum oscula con
demnant,hunc vulnera emendant. Illius osculis proditionis
* vulnera funduntur,istius lachrymis culpa lauatur. Itaque * venena.
vt ostenderet sermo propheticus bona vulnera charitatis,ec
clesia dicit in Canticis canticorum: Quia vulnerata charita-
te ego sum. Nemo ergo vel qui coniugium elegit,reprehen-
dat integritatem: vel qui integritatem sequitur, condemnet
coniugium. Nanque huius sentẽtiæ aduersarios interpretes
D damnauit iamdudum ecclesia,eos scilicet qui audeant solue
re copulam coniugalem. Audite enim quid dicat sacrosan-
cta ecclesia: Veni frater meus,exeamus in agrum,requiesca- Cantic.7.
mus in castellis, diluculo surgamus in vineas, videamus si
floruit vitis. Multos ager fructus habet, sed ille melior est
qui & fructibus redundat,& floribus. Est ergo ecclesiæ ager
diuersis fœcũdus copiis. Hîc cernas germina virginitatis flo-
re vernantia, illic tanquam in campis syluæ viduitatem gra-
uitate pollentem,alibi tanquam vberi fruge coniugij eccle-
siæ segetem replentem mundi horrea,ac veluti maritatę vi-
neæ fœtibus torcularia Iesu domini redundantia, in quibus
fidelis coniugij fructus exuberat. Nec improbum igitur nec
nouum integritatis est studium. Videamus ne fortè inutile
iudicetur. Nonnullos enim dixisse audiui quod periit mun-
dus,defecit genus hominũ,coniugia labefactata sunt. Quæ-
ro quis tandem quæsiuit vxorem,qui non inuenerit? Quan-
do fuerint bella pro virgine? Quis vnquam pro virgine sit
peremptus? De coniugiis autem ista nascuntur,vt perimatur
adulter vxoris,raptor prælíis appetatur. Ista reipublicæ sem-

per damno fuerunt. Pro virgine ſacra nemo damnatus eſt, quia caſtitatem non pœna cohibet, ſed religio auget, fidéſque conſeruat. Si quis igitur putat conſecratione virginum minui genus humanum, conſideret quia vbi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines: vbi virginitatis ſtudia crebriora, ibi numerum quoque hominum eſſe maiorem. Diſcite quantas Alexandrina, totiúſque Orientis & Africana eccleſia quotannis ſacrare conſueuerint. Pauciores hîc homines prodeunt, quàm illic virgines conſecrantur. Ex ipſius igitur orbis terrarum vſu non inutilis virginitas exiſtimatur, præſertim cùm per virginem ſalus venerit orbem fœcundatura Romanum. Quod ſi quis hoc prohibet, prohibeat igitur pudicas vxores degere, quia frequentius poſſunt parere incontinentes. Nulla peregrinanti marito fidem ſeruet, ne damnum faciat prolis futuræ, & partus frequentioris amittat ætatem. Sed difficilior fit via adoleſcentibus ad nuptias impetrandas. Quid ſi fortè commodior? Quæro enim cum his aliquem habere tractatum, qui arcendæ virginitatis ſententiam gerunt: itaque qui ſunt iſti, diſcutere debemus, vtrum qui vxores habent, an qui non habent. Si qui habent, timere non debẽt: vxores eorum iam virgines eſſe non poſſunt. Si qui non habent, non ſibi iniuriam faciant, quod eius tantum nuptias ſperauerint, quæ nuptura non eſſet. An fortaſſe patres pro filiarum coniũctione ſoliciti, moleſtè ferunt virgines conſecrari? Nec hi quod vereantur habent, ſi ſequatur conſilium. Inter paucas ſuæ citius eligentur. Aiunt etiam plerique maturioris ætatis virgines eſſe velandas. Neque ego abnuo, ſacerdotalis eſſe cautionis debere, vt non temerè puella veletur. Spectet planè, ſpectet ætatem ſacerdos, ſed fidei vel pudoris. Spectet & maturitatem verecundiæ, examinet grauitatis caniciem, morum ſenectam, pudicitiæ annos, animos caſtitatis. Tamen deinde ſi matris tuta cuſtodia, comitum ſobria ſedulitas, ſi hæc præſtò ſunt, non deeſt virgini longæua canicies. Si hæc deſunt, differatur puella moribus quàm annis. Non ergo ætas reiicitur florentior, ſed animus examinatur. At certè Theclam non ſenectus ſed virtus probauit. Et hinc quid plura contexam, cùm omnis ætas habilis deo, perfecta ſit Chriſto? Denique non virtutem ætatis appendicem dicimus, ſed virtutis ætatem. Nec mirere in adoleſcentulis profeſſionem, cum legeris in paruulis paſſionem,

Pſalm.8. Scriptum eſt enim: Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem. An dubitamus, ſi eum vſque ad continentiam ſequatur adoleſcentia, quem vſque ad mortem confitetur infantia? Et quaſi incredibile putamus, ſi puellæ nubiles Chriſtum ſequantur ad regnum, quem etiam pueri ſequebantur

Matth.14. in deſertum? Sicut legimus, quia ſaturata ſunt de quinque panibus quatuor milia hominum, exceptis, inquit, pueris, & mulieribus: nolite ergo à Chriſto arcere infantes, quia & ip

Ibidem 19. ſi pro Chriſti nomine ſubiere martyrium. Talium eſt enim regnum cœlorum. Vocat eos dominus, & tu prohibes? De ipſis enim dominus ait: Sinite eos venire ad me. Nolite ado

Cantic.1. leſcentulas arcere, de quibus ſcriptum eſt: Propterea adoleſcentulæ dilexerunt te nimis, & introduxerunt te in do-

Lucæ 1. mum matris ſuæ. Nolite poſtremò à Chriſti charitate etiam paruulos ſeparare, quem etiam intra matris vterum adhuc poſiti exultatione prophetica fatebantur. In ipſis adhuc eccleſiæ principiis turbæ requirebant eum. Qua ratione? Quia manus, inquit, imponens curabat eos. Nec tempus ad ſanandum, nec locus quæritur. Omnibus enim locis omnibúſque temporibus non eſt prætermittenda medicina. Intra domum Maria ab angelo benedicitur, intra domum Dauid vngitur in prophetam. Vbique Ieſus curat, vbique ſanat, in itinere, in domo, in deſerto. In itinere curatur quæ fimbriam tetigit. In domo principis ſynagogæ filia reſuſcitatur. In deſerto turba ſanatur. Denique ſic habes: Cùm ſol

Lucæ 8. autem occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis lan-

Ibidem 4. guoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens curabat eos. Sanabat ergo & in deſerto, & occidente iam ſole, & ſanabat impoñs manus, vt & deum ſe, & hominem demonſtraret. Non immeritò igitur facta iam die turbæ requirebant eum. Vide ordinem. Sole occidente ægri deferuntur ad Chriſtum, facta autem die turbæ requirebant eum. Quando enim niſi per diem quæritur Chriſtus?

A Nam qui in luce ambulat, non recedit à Chriſto. Itaque nox habebat adhuc ægrotantium gemitus, dies iam fidem plebis, iam lætitiam ſanatorum: vt quod ſcriptum eſt, compleretur: Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum Pſal.29. lætitia. Quæ enim turbæ maior gratia, quàm vt etiam in deſertum locum Chriſtum ſequatur? In quo ille docet, à perfecto abeſſe debere iactantiam. Non enim ſanandorum copiam, ſed operum iactantiam declinabat. Et nos igitur ſi ſalui eſſe deſideramus, vel ſi iam meremur ſanitatem, procul à luxuria, procul à laſciuia, tanquam in arido vitæ iſtius, & ieiuno ſolo quadam ſiti corporis fugitantem delitiarum Chriſtum ſequamur. Sequamur per diem. Adeſt eccleſiæ Ioan.8. dies, quem Abraham vidit, & gauiſus eſt. Sequamur ergo per diem Chriſtum. Non enim in noctibus reperitur. In Cantic.3. cubili, inquit, meo, in noctibus quæſiui quem dilexit anima mea: quæſiui eum, & non inueni eum: vocaui eum, & non obaudiuit me. Non in foro, non in platæis Chriſtus reperitur. Denique nec illa eum in foro, & in platæis potuit reperire, quæ dixit: Exurgam, ibo, & circunibo in ciuitate,

B in foro, & in platæis, & quæram quem dilexit anima mea. Quæſiui eum, & non inueni eum. Vocaui eum, & non obaudiuit me. Nequaquam igitur ibi quæramus Chriſtum, vbi inuenire non poſſumus. Non eſt Chriſtus circunforanus. Chriſtus enim eſt pax, in foro lites. Chriſtus iuſtitia eſt, in foro iniquitas. Chriſtus operator eſt, in foro inane ocium. Chriſtus charitas eſt, in foro obtrectatio. Chriſtus fides eſt, in foro fraus atque perfidia. Chriſtus in eccleſia eſt, in foro idola. Et vt illa vidua quam in alio perſtrinximus libro, cognoſcat non obtrectandi me locutum illa ſtudio, ſed monendi, méque non aſperum, ſed ſolicitum: gratiam reconciliationis accipiat. In eccleſia vidua iuſtificatur, in foro circunuenitur. Fugiamus ergo forum, fugia- Prou.7. mus platæas. Prudentiam autem notam aſſume tibi, & cuſtodias te à muliere aliena. Per feneſtram enim de domo ſua in platæis proſpicit. Fugiamus platæas. Non enim iniuria tantummodo eſt non inueniſſe quem quæras, ſed etiam plerunque vbi non oportet quæſiſſe vulnus eſt, quæſiſſe in do-

C mibus virorum qui ſibi falſo doctorum nomen aſſumunt, quæſiſſe procacius quàm verecundius. Ergo caueamus exemplo eccleſiæ illius, ne qui nos cuſtodes inueniant qui cir- Cantic.5. cuneunt ciuitatem. Inuenerunt, inquit, me cuſtodes qui circuneunt ciuitatem: percuſſerunt & vulnerauerunt me, & tulerunt pallium meum à me cuſtodes murorum. Non in ſe filiæ, non, inquam, in ſe filiæ, ſed in nobis vulneratur eccleſia. Caueamus igitur ne lapſus noſter, vulnus eccleſiæ fiat: ne quis à nobis pallium auferat, hoc eſt, amictum prudentiæ, inſigne patientiæ, quo mollioris ambitio veſtis exuitur. Qui enim mollioribus veſtibus induuntur, in domibus re- Matth.11. gum ſunt. Nobis autem pallium dedit Chriſtus, quo Apoſtolos ſuos, & corpus ſuum ipſe veſtiuit. Quod denique iu- Ibidem 5. bet te dare ſi quis à te tunicã petat, vt dimittas ei & pallium, id eſt, inſigne philoſophiæ tuæ tradas, & quaſi amictu prudentiæ tuæ eum qui antè nudus fuerat, circunueſtias. Ibi igitur filiæ Chriſtum quæramus, vbi quærit eccleſia, in montibus boni odoris, qui excelſorum ſublimitate factorum, ſuauem vitę odorem pro meritorum verticibus exhalant. Fugit enim platæas, fugit conuentus, & ſtrepitus fori, iuxta quod

D ſcriptum eſt: Fuge fraternus meus, & ſimilis efficere cerno Cantic.2. aut hinnulo cerui in montes aromatum. Serpentinis enim inuiſus colubris, effugitans canum, atque humi reptantibus infeſtus ſerpentibus, neſcit habitare niſi in ſublimitate virtutum, neſcit commorari niſi in talibus eccleſiæ filiabus quæ poſſunt dicere: Chriſti enim bonus odor ſumus deo: ſed qui 2.Cor.2. buſdam odor mortis in mortem, in iis qui pereunt: quibuſdam odor vitæ in vitam, in iis vtique qui odorem reſurrectionis dominicæ viuida fide ſperant. Iſti ſunt aromatum montes, qui domini corpus Ieſu acceperũt, & in linteis cum Ioan.19. aromatibus ligauerunt. Quicunque enim crediderunt quia Ieſus mortuus eſt, & ſepultus eſt, & reſurrexit: hi excelſum veræ cacumen fidei virtutum faſtigiis extulerunt. Vbi ergo Chriſtus quæritur? In pectore prudentis ſcilicet ſacerdotis. Et quoniam de deſerto tractatus hic ſumitur: vbi quærendus ſit, etiam ipſe monſtrat, dicens: Ego flos campi, & Cantic.2.

lilium

lilium conuallium,tanquam lilium in medio ſpinarum.Ecce alius locus, in quo ſolet dominus diuerſari, imò non in vno loco,ſed in pluribus.Ego,inquit,flos campi:quia patentem ſimplicitatem puræ mentis frequentat. Et lilium conuallium. Flos enim.humilitatis eſt Chriſtus, non luxuriæ, non voluptatum atque laſciuiæ,ſed flos ſimplicitatis,flos humilitatis,tanquam lilium in medio ſpinarum. Nónne inter aſperitates laborum, contritionéſque animorum boni flos odoris aſſurgit, quia contrito corde deus placatur? Hoc eſt deſertum filiæ,quod ducit ad regnum. Hoc eſt etiam deſertum quod floret vt lilium, iuxta quod ſcriptum eſt: Lætare ſterilis, & exulta deſertum,& floreat vt lilium. In hoc deſerto filiæ,arbor illa bona fructifera, quæ bonos fructus facit, incipit brachia factorum ſuorum diffundere, verticem diuinitatis attollere.Iuxta quam noſtræ ligna * ſyluæ fruteſcant:quia ſicut arbor mali inter ligna ſyluæ, ita frater meus inter medium filiorum, vt videns hoc Eccleſia lætetur, & gaudeat dicens:In vmbra eius concupiui & ſedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis. Videns, inquam, hoc eccleſia, & fidei noſtræ iam læta ſucceſſu dicat:Inducite me in domo vini,& ordinate in me charitatem.Charitas non poteſt eſſe ſine fide. Tres enim ſunt velut vades eccleſiæ, ſpes, fides, charitas.Cùm ſpes præceſſerit,fides fundata fuerit: ordinatur charitas,eccleſia copulatur. Didiciſti ergo vbi Chriſtum requiras, diſce etiam quemadmodum poſſis mereri, vt ille te quærat.Excita ſpiritum ſanctum, dicens: Exurge aquilo, & veni auſter, aſpira hortum meum, & profluant aromata mea.Deſcendat fraternus meus in hortum ſuum, & mandu cet fructum pomiferarum ſuarum.Hortus verbi,animæ vernantis affectus eſt,& in pomiferis virtutis eſt fructus.Venit ergo:& ſiue manduces ſiue bibas,ſi Chriſtum inuocas, adeſt,dicens:Venite manducate panes meos, & bibite vinum meum:ſiue etiam dormias,pulſat ad ianuã. Venit, inquam, frequenter,& per proſpectum mittit manum ſuam,ſed non ſemper nec ad omnes,ſed ad eam animam quæ poteſt dicere:Nocte exui me tunicam meam.Etenim in hac ſeculi nocte prius tibi corporalis vitæ amictus eſt exuendus. Exuit enim ſe carne dominus, vt pro te de dominationibus & poteſtatibus mundi iſtius triumpharet.Quomodo induam illam?Vide anima deo deuota quid dicat. Sic ſe actus corporis & terrenos exuit mores,vt neſciat quomodo,etiam ſi velit rurſus poſſit induere. Quomodo induam illam? Hoc eſt, qua verecundia?quo pudore?qua poſtremò memoria?Conſuetudo enim boni,vſum prauitatis veteris amiſit. Laui pedes meos,quomodo inquinabo illos? Didiciſti in Euãgelio, quod pedes lauare, fidei myſterium, humilitatis inſigne ſit, iuxta quod ſcriptum eſt:Si ego laui pedes veſtros dominus & magiſter,quantomagis vos debetis alter alterius pedes lauare? Sed hoc ad humilitatem pertinet. Quantùm vero ad myſterium, pedes debet lauare ſuos qui vult partem habere cum Chriſto. Si enim non lauero, inquit, tibi pedes, non habebis partem mecum.Cum hoc Petro dicitur,quid de nobis cẽſetur?Qui lauit igitur pedes,non neceſſe habet iterum lauare:& ideo caueat ne inquinet eos.Et bene ſancta eccleſia dicit:Laui pedes meos.Non dicit, quomodo iterum lauabo eos?ſed quomodo iterũ inquinabo eos? quaſi oblita maculæ veteris,oblita contagij. Admonet igitur in miniſterio corporali,quemadmodum ſpirituale debeamus actuum noſtrorum diluere veſtigium. Itaque pedes cùm ſemel laueris æterni fontis irriguo, & myſterij mundaueris ſacramento, caue iterum corporeæ cupiditatis illuuiem, ne lutulenti actus ſordibus inquinentur. Iſti ſunt pedes quos Dauid lauit in ſpiritu, qui te docet quemadmodũ eos inquinare non poſſis, dicens: Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. Vtique hic non corporis, ſed animi intellige pedes. Quomodo enim terrenus homo in cœlo haberet corporis pedes?Hieruſalem enim,ſicut Paulus te docuit, in cœlo eſt. Et idem te docuit quemadmodum in cœlo ſtare poſſis, cum dicit: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Conuerſatio morum, conuerſatio factorum, conuerſatio fidei. Quiſquis ſic viuit,poteſt dicere: Frater meus miſit manum ſuam per proſpectum,& venter meus turbatus eſt ad illum: ſurrexi aperire fratri meo.Bonum eſt vt ad aduentum domini interiora turbentur. Si ad angeli aduentum Maria turbata eſt, quantomagis ad Chriſti nos turbamur aduentum? Influentibus quippe diuinis, corporeus peregrinatur affectus,& vſus ille exterioris hominis exoleſcit. Et tu turbare, & tu feſtina. Feſtinantes illi agnum manducare præcipiuntur. Surge, aperi, ad ianuam Chriſtus eſt, veſtibula domus tuæ pulſat:ſi aperueris,introibit,& introibit cum patre.Nec ſolùm cùm ingreſſus fuerit,mercedem relinquit, ſed etiam prius quàm ingrediatur,mercedem præmittit.Adhuc anima turbatur,adhuc parietes domus ſuæ palpat, adhuc oſtium quærit vbi Chriſtus eſt,adhuc ſoluit vinculum carnis,& corporis clauſtrum,adhuc Chriſtus foris pulſat.Manus,inquit, meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni in manibus clauſuræ.Quam myrrham ſtillant animæ manus, niſi illam quam obtulit iuſtus ille Nicodemus magiſter in Iſrael, ille qui meruit lauacri primus audire myſterium,qui attulit mixturam myrrhæ, & aloes quaſi libras centum, & miſit in corpus Ieſu? Perfectum vtique odorem fidei attulit. Hunc odorem fragrat anima quæ Chriſto aperire incipit: vt accipiat primum odorem dominicæ ſepulturæ, & credat quia caro eius non vidit corruptionem, nec odore aliquo mortis emarcuit,ſed æterni illius floris, & ſemper virentis odore condita ſurrexit. Quomodo enim poterat vel in carne marceſcere,cuius nomen vnguentum exinanitum eſt? Exinaniuit ſe,vt ſpiraret tibi. Semper vnguentum hoc erat,ſed erat apud patrem, erat in patre:olebat tantum angelis & archangelis, tanquam intra vas cœli. Aperuit os pater dicens: Ecce poſui te in teſtamentum generis mei,in lucem gentiũ, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.Deſcendit filius, repleta ſunt omnia nouo odore verbi. Eructauit cor patris verbum bonum, fragrauit filius, ſpiritus ſanctus exhalauit, atque per omnium corda diffudit. Diffuſa eſt enim charitas dei in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum. Ipſe dei filius in corpore tãquam in vaſe odorem primo cohibebat ſuum, operiens tempus:ſicut ait: Dominus dat mihi linguam eruditionis, vt ſciam quando oporteat me dicere ſermonem. Venit hora,aperuit os,exiuit vnguentum,quando virtus exibat de eo. Hoc vnguentum exinanitum eſt ſupra Iudæos, & collectum eſt à gentibus.Exinanitum in Iudæa: & redoluit in omnibus terris. Hoc vnguento vncta eſt Maria, & virgo concepit, virgo peperit bonum odorem dei filium. Hoc vnguentum effuſum eſt ſuper aquas, & ſanctificauit aquas. Hoc vnguento vncti ſunt tres pueri, & humorem iis flamma rorauit.Hoc Daniel vnctus eſt, & leonum ora molliuit, feritatémque permulſit. Fluit hoc vnguentum quotidie,& nunquam deficit. Accipe vas tuum virgo, & accede, vt poſſis hoc vnguento repleri. Accipe vnguentum æſtimatum trecentis denariis, ſed gratis datum, non venditum, vt omnes haberent. Gratis virgo vngere, noli contriſtari ſicut Iudas, quia hoc vnguentum effunditur, ſed conſepeli te in Chriſtum.Claude ſanè vas tuum, ne vnguentum effluat. Claude integritatis claue,loquendi verecundia, abſtinentia gloriandi. Hoc quæ habet vnguentum, Chriſtum recipit. Et ideo quę habebat, ait: Aperui, inquit, fratri meo: frater meus tranſiuit.Quomodo tranſiuit?id eſt,mentis interna penetrauit,ſicut dictum eſt Marię:Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Viuum enim verbum dei ſicut gladius acutus penetrans corporalium repagula cogitationum, cordis interna rimatur. Et tu igitur anima vna de populo, vna de plebe:neque enim Chriſtus ſtupet aliqua ſecularium diſcrimina dignitatum, nec auratam veſtem, aut monile precioſum, aut nobilia coruſcãtium gemmarum ſerta miratur, quorum diſpendiis ſępe lis mouetur in eccleſia, pax fugatur. Certè tu vna de virginibus, quę corporis tui gratiam ſplendore mentis illuminas. (Propior enim es quę eccleſiæ compareris.)Tu inquam,in cubiculo tuo,& nocturno tempore conſtituta, ſemper meditare Chriſtum, & eius aduentum omnibus ſperato momentis.Si tardare tibi videtur, exurge.Tardare videtur cùm diu dormis, tardare videtur cum ab oratione vacas, tardare videtur cùm vocem non excitas pſalmis.Primitias vigiliarum tuarum Chriſto dicato, primitias actuũ tuorum Chriſto immola. Audiſti in ſuperioribus quia vocauit te dicens:Veni à Libano ſponſa,veni à Libano, tranſi-

Esaiæ 35. Matth.7. * filiæ. Cantic.2. Prouer.9. Cantic.5. Ioan.13. Pſalm.121. Philipp.3. Lucæ 1. Exod.12. Cantic.5. Ioan.19. Pſalm.15. Lucæ 2. Hebr.4. Esaiæ 49. Rom.5. Pſalm. 44. Esaiæ 50. Ioan.12. Cantic.5. Cantic.4.

transibis & pertransibis à principio fidei. Transibis in seculum certatura, pertransibis ad Christum triumphatura de seculo. Audisti quia te à leonum & pardorum, id est, à spiritualium nequitiarum incursionibus separauit. Audisti quia placet ei tuarum pulchritudo virtutum. Audisti quia vestimentorum tuorum aromata, hoc est, bonum odorem integritatis omnibus odoribus prætulit. Audisti quia hortus es clausus, suauium pomiferarum refertus fructibus. Pete igitur vt aspiret tibi spiritus sanctus, spiret supra cubile tuum, atque odorem piæ mentis, & gratiæ spiritalis accumulet.

Cantic.5. Respondebit tibi: Ego dormiui, & cor meum vigilat. Audis vocem pulsantis ad ianuam, & dicentis: Aperi mihi soror mea, surge proxima mea, columba mea, perfecta mea, charitate proxima, simplicitate columba, virtute perfecta, quia caput meum plenū est rore. Sicut enim ros cœli nocturnas amouet siccitates, ita ros domini nostri Iesu Christi nocturnis, & secularibus tenebris æternæ vitæ stillauit humorem. Hoc est caput quod æstu mundi nescisse arescere. Vnde ait:

Lucæ 23. Quia si in humido hoc faciunt, in arido quid facient? Hoc igitur caput rorat aliis, sibi abundat. Et bene abundat caput Christi, quia caput tuum Christus est, qui plenus est semper, nec liberalitatibus exhauritur suis, aut diuturna deficit largitate. In hoc caput ferrum non ascendit, quod est instrumentum belli, insigne discordiæ. Nunc expecta, & vide, ros ille qualis sit, scilicet non vulgaris humoris. Cincinni autem sunt in eo guttarum noctis. Noli proxima mea accipere cincinnos corporalium capillorum. Non illa ornamenta, sed crimina sunt. Lenocinia formæ, nō præcepta virtutis. Alios cin

Iudic.16. cinnos Nazaræus habet, in quibus ferrum non ascēdit, quos nemo præcidit, qui non calamistris compositi, & arte digesti, sed multiplici crispantes virtutum nitentium gratia refulserunt. Disce in historia quales Nazaræus cincinnos habeat, quos quandiu Samson habuit intactos, nunquam vinci potuit. Cincinnos perdidit, & meritum virtutis amisit. Audita igitur virtute verbi, quam exueras tunicam nocte, ne quæsieris quemadmodū induas eam. Offertur enim, & frequenter offertur per nequitiam spiritalem. Quemadmodum, inquam, induas eam, obliuiscaris, & nescias: & quasi iam dominus assistat, exors corporalium vinculorum turbata consurgas, internam orationibus prepares mentem dum surgis, vt ex humilibus ad superna contendas, & studeas fores tui cordis aperire: dum manus tuas tendis ad Christum, fidelem tua gesta spirabunt odorem. Admoue igitur manus naribus tuis, & odorem actuum tuorum indefessa ac peruigili alacritate mentis explora. Mulcebit te odor dextræ tuę, & fragrantiam resurrectionis tua membra redolebunt, myrrham digiti tui sudabunt, hoc est, fidei veræ gratiam spiritualia gesta fragrabunt. Capis ergo virgo ex interiore tuo corpore voluptatem, & ipsa tibi dulcis, ipsa tibi suauis es, ipsa tibi (quod peccantibus sæpe contingit,) non incipis displicere. Plus enim tibi placebit nuda simplicitas corporeæ fraudis exuta tegminibus. Talem te Christus desiderauit, talem te Christus elegit. Aperto itaque ingreditur ostio. Neq; enim potest fallere, qui se ingressurum esse promisit. Complectere igitur quē quæsisti, accede ad ipsum, & illuminaberis: tene illum, roga ne citò abeat, obsecra ne recedat. Verbū enim dei currit, fastidio non capitur, negligentia non tenetur. Obeat anima tua in verbo eius, & cœlestis sermonis insiste vestigio, ci-

Cantic.5. tò enim transit. Denique quid ait illa? Quæsiui eum, & non inueni illū: vocaui eum, & non obaudiuit me. Ne putes displicere te, quæ vocasti, quæ rogasti, quæ aperuisti, quod tam citò abiit. Sinit nos sæpe tentari. Denique turbis rogantibus

Lucæ 4. ne recederet, quid ait in Euangelio? Et aliis ciuitatibus oportet me euangelizare verbum dei, quia ideo missus sum. Sed etiam si tibi ille abisse videtur, tu rursus explora: noli iam deo deuota illos metuendos circunforanos intelligibiles timere custodes, noli timere eos qui circuneunt ciuitatem, noli vulnera formidare, quæ sequētibus Christum nocere non possunt. Etiam si corpus tuum, hoc est, vitam corporis tui auferant, vicinus est Christus: quem cùm inueneris, vbi cum eodem commorari debes agnosce, ne fortè ante discedat. Citò enim deserit negligentes. Quis igitur te nisi sancta ecclesia debet docere quemadmodum Christum teneas? Imò A iam docuit, si quæ legis intelligas. Quàm modicum, inquit, fuit cùm transij ab ipsis, donec inueni quem dilexit anima mea: tenui eum, & non relinquam eum. Quibus igitur Christus tenetur? Non iniuriæ nexibus, non restium nodis, sed vinculis charitatis, mentis habenis stringitur, & animæ tenetur affectu. Si vis & tu tenere Christū, quære iugiter, nec pœnam metuas. Inter enim supplicia frequenter corporis, inter ipsas persecutorum manus Christus melius inuenitur. Quàm modicum, inquit, fuit, cùm transiui ab ipsis. Exiguo enim spacio breuique momento cùm persecutorum manus euaseris, nec succubueris potestatibus mundi, tibi Christus occurrit, nec te diu tentari patitur. Quæ sic Christum requirit, quæ Christum inuenit, potest dicere: Tenui eum, nec relinquam eum, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum eius quæ me concepit. Quæ est domus matris tuæ, & cubiculum eius, nisi internum tuæ sectetúmque naturæ? Hanc domum serua, huius domus mundato penetralia, vt cùm immaculata domus fuerit, nec vllius

B adulterinæ conscientiæ sordibus inquinata, spiritualis domus in sacerdotium sanctum lapide angulari coaugmentata consurgat, & spiritus sanctus habitet in ea. Quæ sic Christum requirit, quæ sic Christum obsecrat, non relinquitur ab eo, imò etiam frequenter reuisitur. Est enim nobiscum vs Matth.28. que ad consummationem mūdi. Ergo Christus repertus est, & tenetur, & repertus est ille qui per fenestrā tuam manum misit. Quæ est fenestra nostra, nisi per quam opera Christi videmus, oculus scilicet animi, & mentis obtutus? Et ideo virgo per fenestram tuam Christus introeat, Christus manum suam mittat per fenestram, tibi veniat verbi non corporis amor. Si igitur per fenestrā tuam manum mittit dei verbum, vide quemadmodum fenestras tuas præpares, vide quemadmodum ab omni puluere delictorum detergere debeas. Nihil tetrum habeat, nihil adulterinum fenestra virgines. Procul stibium, & cæteras affectati nugas decoris, procul adulterini amoris illecebras. Similis aurium causa est, quibus non suspendenda onera, non figenda vulnera, sed vnus ornatus

C est, audire quod prosit. Ianuam quoque tuam disce temporibus obserare nocturnis, non facilè quisquam patētem reperiat. Sponsus ipse vult clausam esse cùm pulsat. Ianua nostra os nostrum est. Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperiatur nisi ante pulsauerit dei verbum. Denique ideo scriptum est: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclu Cantic.4. sus, fons signatus. Nec facilè aperiat os suum, ne vulgari designet alloquio. Neque de ipsis diuinis decet nisi verbo dei interpellata respondeas. Quid tibi cum cęteris? Soli Christo lo 1.Cor.14. quere, soli fabulare Christo. Si enim mulieres in ecclesia taceant, quanto magis non decet patere virginis ianuam, non decet viduæ patere fores? Citò insidiator pudoris obrepit, citò verbum excidit quod reuocare desideres. Si Euæ clausa fuisset ianua: nec Adam deceptus fuisset, nec respondisset interrogata serpenti. Introiuit mors per fenestram, hoc est, per Hier.9. Euæ ostium. Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, postremò si vbi non oportet loquaris. Clausæ sint igitur labiorum fores tuorum, &

D obseratum maneat vocis vestibulum, tunc fortasse reserandum cùm audieris dei vocem, cùm audieris dei verbum. Tunc tibi myrrha sudabit, tunc tibi baptismatis aspirabit gratia, vt ab elementis mundi commoriare cum Christo, & cum Christo resurgas. Quid adhuc, inquit, velut viuentes Coloss.2. de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis quæ sunt ad corruptionem ipso vsu. Corruptela enim abesse debet à castis. Itaque carnis & mundi sepelite curam: quia cum Christo resurrexistis, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est. Cùm Christum quæri- Coloss.3. tis, patrem deum videtis. Christus enim in dextera dei sedet. Sed ea quę Christum requirit, non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in platęis voce querula, gressu lubrica, facilis auditu, vilis aspectu. Terrenum tibi apostolus consortium negat, & vltra naturę propemodum terminos alis ad cœlum docet spiritualibus euolandum. Quæ sursum sunt, inquit, sapite, non quæ super terram. Sed quia Ibidem. hoc impossibile erat in hoc corporis velut claustro reclusis, & quia defunctis corporibus anima fertur ad superiora

reuo-

reuolare,alligata dum viuimus,quadam noſtræ legenaturę,
ideo addidit: Mortui enim eſtis,& vita veſtra abſcondita eſt
Ibidem. cum Chriſto in deo. Si abſcondita eſt cum Chriſto in deo,
Roman. 6. non appareat mũdo.Chriſtus enim mortuus eſt mundo,vi-
uit deo. Vide nunc quemadmodum deſiderari amet Chri-
ſtus, confabulationes non amet. Aperuit virgo illa ſuas fo-
res dei verbo: ſed tranſiuit, inquit, & exiuit anima mea in
verbo eius.Exiuit à mundo,exiuit à ſeculo,remanſit in Chri
Cantic 5. ſto.Quæſiui,inquit,eum,& non inueni eũ.Amat enim Chri
ſtus diu requiri.Inuenerunt illam cuſtodes murorum. For-
taſſe ſunt,& alij cuſtodes,quos magis intelligere debeamus.
Eſt enim ciuitas quæ portas murorum clauſas non habet,de
Apoc.21. qua dictum eſt:Et portæ eius non claudẽtur per diem.Nox
enim non erit amplius in ea, afferent gloriam & honorem
gentes in illam.Illa eſt ergo ciuitas Hieruſalem quæ in cœlo
eſt, intra quam iam quaſi perfecta & immaculata ſeruaris.
Non enim intrat in eam omne commune.Communis caſti
tas non eſt, communis pudicitia non eſt, quæ in libro vitæ
ſcribitur.Si igitur inuenimus ciuitatẽ, ingrediamur in eam,
videamus lumen eius,videamus muros,videamus tribus,vi-
deamus fundamenta muralia,videamus etiam cuſtodes mu
rorum. Sed quomodo ingrediamur in eam? In hac ciuitate
Ioan.14. vita eſt, & vna eſt via quæ ducit ad vitam. Via ergo Chri-
ſtus eſt. Ergo Chriſtum ſequamur. Sed ipſa in cœlo eſt ci-
uitas. Quomodo igitur aſcendamus ad cœlum, docet te e-
Apoc.21. uangeliſta qui dicit: Et eduxit me ſpiritus in montem ma-
gnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Hieru-
ſalem deſcẽdentem de cœlo.Aſcendamus ergo ſpiritu, quia
caro aſcendere ad eam non poteſt.Aſcendamus nos interim
ad cœlum,vt ad nos poſtea de cœlo illa deſcendat,in qua lu-
men eſt ſimile lapidis precioſiſſimi,vt lapidis iaſpidis & cry-
ſtalli.Habet murum magnum & altum.Didiciſti lumen, di-
diciſti murum: diſce portas, diſce cuſtodes. Habet, inquit,
portas duodecim,& in portis angelos duodecim, in quibus
duodecim tribuum filiorum Iſrael ſuperſcripta ſunt nomi-
na. In portis patriarcharum nomina continentur, in muro
Apoſtolorum.Fundamenta enim ciuitatis apoſtoli, & lapis
angularis eſt Chriſtus, in quo omnis ſtructura conſurgit.
Deus extra,deus intus,deus vbique eſt. Habet enim,inquit,
ciuitas maieſtatem dei.Ergo & vos ſanctæ virgines,& qui-
cũque iuſti eſtis, & immaculatam animæ geritis caſtitatem,
Epheſ.2. ciues ſanctorũ eſtis, & domeſtici dei. Sed tunc nobilitatem
iſtam patriæ poſſidebitis, ſi Chriſtum intra ciuitatis huius ſe
pta quæritis, ingreſſi per fidem, actúſque precioſos patriar-
charum,clarificati lumine,fundati ſuper Apoſtolos, verſan-
tes inter angelos.Quomodo igitur iſti cuſtodes angeli ſunt,
qui caſtæ animæ pallium tollũt?Aliud pallium virginum eſt,
aliud adoleſcentiæ circunforanæ.Illa quæ in foro Chriſtum
requirit,pallium etiam quod habebat amiſit.Prudẽtia enim
non in foro & in platæis, ſed in eccleſia poſſidetur. Et for-
taſſe, vt cum ipſis quoque veniamus in gratiam, atque om-
nium miſericordem deum eſſe doceamus, quia & illi Chri-
ſtum aliquando reperiunt,ſi tamen iugiter quęrant:pallium
Pſal.62. hoc amictus corporis eſt. Ergo qui quæſiuit in cubili Chri-
Pſal.113. ſtum,ſi tamẽ ſic quæſiuit, ſicut ille qui dixit:Sic memor fui
tui ſuper ſtratum meũ. Si quæſiuit iuxta quod ſcriptum eſt:
In noctibus extollite manus veſtras in ſancta.Si quæſiuit in
ciuitate,in foro,& in platæis, in ciuitate dei noſtri. In foro
Lucæ 14. fortaſſe in quo iudex ille diuini iuris ſedet. In platæis vnde
collecti ſunt, qui ad cœnam dominicam conuenerunt. Po-
teſt cuſtodientibus ciuitatem dei angelis dum diu quærit oc
currere. Quinetiam ex cœleſti cuſtodum natura cœleſtem
intelligere poſſumus ciuitatem,cœleſte forum iuſtitiæ ſem-
piternæ,non viles platæas, ſed fortaſſe in quibus ſuperfluere
Prouer.5. fons ille conſueuit,de quo ſcriptum eſt: Superfluant tibi a-
quæ de tuo fonte, & in platæis tuis diffundantur tuæ aquæ.
Qui ſic ergo Chriſtum requirit,ad angelos peruenit. Sed ſi
bonis ad angelos meritis peruenitur: cur qui peruenerit vul
neratur?Eſt & gladius bonus,cuius gladij bonũ vulnus. Vul
nerat dei verbum,ſed non vlcerat. Eſt vulnus boni amoris,
ſunt vulnera charitatis.Ideoque dixit:Vulnerata charitate e-
Ibidẽ 27. go ſum.Quæ perfecta eſt,vulneratę charitatis eſt.Bona ſunt
igitur verbi vulnera,bona ſunt amantis vulnera. Vtiliora e-

A nim vulnera amici,quàm voluntaria oſcula inimici. Vulne-
ratæ charitatis Rebecca eſt,quæ derelictis parentibus migra
uit ad ſponſum,vulneratæ charitatis Rachel,quæ zelauit ſo-
rorem,amauit maritum.Sorori enim quod abundaret filiis,
ipſa adhuc ſterilis inuidebat, quia typum gerebat eccleſiæ,
cui dicitur: Lætare ſterilis quæ non paris: erumpe,& clama Galat.4.
quæ non parturis.Inuenerunt ergo cuſtodes, & vulneraue- Cantic.5.
runt eam,& tulerunt ei pallium,hoc eſt,actus corporales:in
uolucrum ſuſtulerunt, vt nuda mentis ſimplicitas quæreret
Chriſtum : quia nemo poteſt amictu veſtitus philoſophiæ,
in habitu ſcilicet ſapientiæ ſecularis Chriſtum videre.Et be-
ne tollitur ei amictus philoſophiæ, ne quis eam per philo- Coloſ.2.
ſophiam deprædetur.Bene tollitur ei pallium quæ ad Chri-
ſtum propinquat, vt deum viſura mundo corde gradiatur.
Beati enim mundo corde, quia ipſi deum videbunt. Deni- Matth.5.
que vbi mundauit cor, verbum reperit, deum vidit. Quæ-
re ergo illum virgo.Imò quæramus omnes: anima enim ſe-
xum non habet.Sed ideo fortaſſe fœmineum nomen acce-
pit,quod eam violentior æſtus corporis angit.Ipſa autem im
B petus carnis amore ſui molli quadam,& blanda ratione de-
mulcet.Ergo orationibus, & obſecrationibus deum inuita-
re debemus, vt quaſi bonus auſter afflare dignetur, verbí-
que nobis auram cœleſtis aſpiret, quæ fructiferas arbores
non turbare vento graui, ſed leni ſpiramine flatúque molli
conſueuit agitare.Vnde ſcriptum eſt:Poſuit me currus Ami
nadab: eo quod anima noſtra coniungitur corpori, vt velut
quidam equorum frementium currus rectorem ſui quærat
aurigam.Aminadab enim pater Naaſon fuit,ſicut in Nume-
ris legimus,qui erat princeps populi Iudæ. Cuius figura re-
fertur ad Chriſtum, qui verus populi princeps animam iuſti
velut currum agitator aſcendens, verbi habenis gubernat,
ne violentorum equorum furore in abrupta rapiatur. Sunt
enim eius velut quatuor equi,quatuor affectiones,ira,cupi-
ditas,voluptas,timor. Quibus furentibus cùm cœperit agi,
nequaquam ſeipſa cognoſcit.Corruptibile enim corpus ani Sap.9.
mam grauat,& tanquam irrationabilium animalium curſus
inuitam rapit,voluentibus curis velut quodam impetu pro-
C ruentem,donec memoratæ corporis paſſiones verbi virtute
miteſcant.Hæc verbi tanquam boni agitatoris eſt prouiden-
tia,ne illi animæ quę in ſe nõ eſt morti obnoxia,corpus mor
tale coniunctum agitationem ſui faciat eſſe difficilem. Pri-
mò igitur hos veloces motus corporis domitet, & nexu ra-
tionis infrænet:dein caueat ne diſpari motu ſe velut equi im
plicent,vt bonum aut improbus decoloret, aut tardus impe Ezech.1.
diat,aut turbidus inquietet.Fremit enim equus maliciæ, ſe-
ſéque iactando currum lædit, grauat iugalem. Hunc bonus
auriga demulcet, & in campum veritatis mittit, fraudis de-
clinat anfractus. Tutus ad ſuperiora curſus eſt, periculoſus
ad inferiora deſcenſus.Inde quaſi emeriti qui bene portaue-
rint iugum verbi,vſque ad domini pręſepe ducuntur,in quo
non fœnum eſt eſca, ſed panis qui deſcendit è cœlo. Huius Ibidem.
currus rotæ ſunt, de quibus dixit propheta: Et ſpiritus vitæ
erat in rotis,eo quod currus animę teres,& rotundus ſine vl
la offenſione voluatur.Sed ne lõgius labamur,inuitatur dei
verbum in hortum nucis,in quo fructus propheticæ lectio-
nis,& ſacerdotalis eſt gratiæ,quę amara in tentationibus,du
ra in laboribus,in virtutibus interioribus fructuoſa eſt.Vn-
de etiam virga Aaron nucea floruit, non iam natura ſua, ſed Num.17.
virtute ſecreta. Deſcendat ergo in hortum ſuum, vt vinde-
miet fidem,capiat odores,pabulum cœleſte reperiat, ſuaui-
tatem noſtri mellis epuletur, dicens: Vindemiaui myrrham Cantic.5.
meam cum aromatibus meis,mãducaui panem meum cum
melle meo. Quod diuerſarum virtutum cõcretum floribus,
illarum apum,quæ ſapientiam prædicant,cõſono opere con
gregatum,ſancta eccleſia in fauis condit,vt cibus Chriſti ſit.
Omnia igitur habemus in Chriſto,omnis anima accedat ad
eum,ſiue corporalibus ægra peccatis, ſiue clauis quibuſdam
ſecularis cupiditatis infixa, ſiue imperfecta adhuc quidem,
ſed intenta tamen meditatione proficiens,ſiue multis aliqua
ſit iam perfacta virtutibus,omnis in domini poteſtate eſt,&
omnia Chriſtus eſt nobis. Si vulnus curare deſideras, me-
dicus eſt. Si febribus æſtuas, fons eſt. Si grauaris iniquitate,
iuſtitia eſt. Si auxilio indiges, virtus eſt. Si mortem times,

vita est. Si cœlum desideras, via est. Si tenebras fugis, lux est. A
Psalm. 33. Si cibum quæris, alimẽtum est. Gustate igitur & videte, quo
Marc. 5. niam suauis est dominus: beatus vir qui sperat in eo. Sperauit in eo illa quæ fluxu sanguinis laborabat, & continuò sanata est: sed quia fidelis accessit: & tu cum fide filia vel fimbriam eius attinge. Iam secularium fluxus voluptatum modo torrentis exundans, verbi salutaris calore siccabitur, si cũ fide accedas tamen, si pari deuotione diuini sermonis extremam saltem fimbriam comprehendas, si tremens procidas ante domini pedes. Vbi sunt pedes verbi, nisi vbi est corpus Christi? O thesauris omnibus opulentior fides. O virtutibus corporis omnibus fides fortior. O medicis omnibus salutarior. Simul vt accessit mulier, virtutem sensit, medicinam impetrauit: vt si oculum lumini admoueas, illuminatur antequam sentias, & operatio lucis præuenit apparatum. Passio inueterata, passio immedicabilis, quæ & artis omnem vicerat excogitationem, & pecuniarum submin istrationem, solo fimbriæ curatur attactu. Illius igitur fœminæ tibi virgo, & in adeundo seruanda verecundia, & in fide imitanda deuotio est. Quanta verò illa gratia, quod ea quæ videri erubescebat, vitium tamen non erubuit confiteri? Noli ergo lapsus occulere tuos, fatere quod ille iam nouit, noli erubescere
Hier. 17. quod non erubuerunt prophetæ. Audi Hieremiam dicentem: Sana me domine & sanabor. Sic & illa dixit cum tangeret fimbriam: Sana me domine, & sanabor: salua me domine, & saluabor, quia gloria mea tu es. Sola enim sana est, quam tu sanaueris. Si quis tamen tibi dicat, (quia sic plerunque tentantur fideles,) Vbi est verbum domini? veniat. Dic-
Matth. 27. tum est enim de domino: Descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in deo, liberet nunc eum si vult. Si quis ergo tibi insultando hoc dixerit, & te in fabulas voluerit euocare, noli respondere ei. Noluit enim talibus respondere Christus. Solum Christum interroga. Illis enim si dixeris,
Hier. 17. non credent: si interrogaueris, non respondebunt tibi. Dic soli verbo: Non laboraui sequens post te, & diem hominis non concupiui. Hoc dixit illa mulier, & sterit sanguis. Quanuis fatigata, quanuis ægra quæ diu quæsierat Chri-
C stum, dixit tamen: Non laboraui sequens post te. Neque enim laborat quæ Christum sequitur, cùm laborantes ad se vt requiescant euocet. Ergo ipsum sequamur. Quandiu ipsum sequimur, non laboramus: quia non est labor in Iacob.
Esaiæ 40. Et in Esaia: Qui expectant dominum: current, & non laborabunt. Deinde cùm quæreret Christus, quis tetigisset eum, nónne tibi videtur illa dixisse, quid interrogas? Domine tu scis, quæ prodeunt per labia mea, ante faciem tuam sunt.
Hier. 17. Et ideo non confundor peccata propria confiteri. Confundantur qui persequuntur me, & non confundar ego. Non
Lucæ 5. confusus est Petrus dicere: Exi à me domine, quia peccator sum ego. Vir enim sapiens & grauis, in quo esset ecclesiæ firmamentum, & magisterium disciplinæ, nihil vtilius sibi esse prospexit, quàm ne secundantis operis extolleretur euentu. Et ideo: Exi, inquit, à me domine. Non rogat vt deseratur, sed ne infletur. Paulus quoque carnis stimulo gloria-
2. Cor. 12. tur, quod sibi ne extolleretur, prouisum est. Illecebrosa iactantia est, quam etiam Paulus veretur. Lubrica, quæ etiam
D in Paulo cauetur. Sed non iste facili mobilis casu, qui reuelationibus timebat extolli. Et ideo quasi fortis athleta lætatur, quòd vulnere corporis emere didicerat animæ sanitatem. Ergo & tu si munera diuina superfluere in te, & redundare cognoueris, tuam metire virtutem, gratiam deo redde, contemplationémque corporis, velut nauis saburram suscipe, ne te in tantis mundi fluctibus iactantiæ alicuius aura circunferat. Apes illa sapiens cum aeris motus suspectos habet, lapillis sæpe sublatis per inania se librat nubila, ne leue alarum remigium præcipitent flabra ventorum. Paulus
Actuũ 14. & Barnabas putauerunt se grauari, cùm cernerent se adorari. Et tu caue virgo illius apiculæ modo ne alarum tuarum volatum aura mundi huius extollat. Habet enim anima vo-
Esaiæ 60. latus suos. Et ideo dictum est: Qui sunt isti qui sicut nubes volant, & sicut columbæ cum pullis suis? Habet ergo anima spirituales volatus, quæ breui momento totum percurrit orbem. Liberæ enim sunt cogitationes prudentium. Quantò ad altiora, & diuiniora se subrigunt, tantò magis sine vllo terrenæ molis impedimento feruntur. Itaque adhærens deo, & imaginis in se referens cœlestis effigiem, vbi cursus suos ab equorum perturbatione placidauerit, in illum æthereum purúmque locum plausu spiritualium euecta pennarum despicit omnia, quæ in hoc mundo sunt, & æternis intenta virtutibus supra mundum labitur. Supra mundum enim iustitia est, supra mundum charitas, supra mundum castitas, supra mundum bonitas, supra mundum est sapientia: & si in hoc mundo sit, supra mundum tamen est. Supra mundum Matth. 4.
erat iustitia, cùm omnia regna mundi & vniuersam eius gloriam diabolus offerret. Supra mundum fuit, quæ de mundo
Ioan. 14. nihil attigit. Denique ait: Venit huius mundi princeps, & in
1. Cor. 6. me inuenit nihil. Discite ergo in hoc mundo supra mũdum esse: & si corpus geritis, volitet in vobis ales interior. Supra mundum est ille qui tollit deum in corpore suo. Sed deum imitari non possumus, imitemur Apostolos quos mundus odio habuit, quia non erant de hoc mundo. Hos imitare, Ioan. 15.
hos sequere. Sed arduum putas humana virtute supra mun
B dum ascẽdere. Bene asseris: Nam & Apostoli non quasi consortes, sed quasi discipuli sequendo dominum supra mundum esse meruerunt. Et tu esto Christi discipula, Christi æ- Ibidem 17.
mula: & pro te rogat, qui pro illis rogauit. Non enim pro Apostolis tantùm, inquit, rogo, sed & pro iis qui credent per sermonem eorum in me, vt omnes vnum sint. Vnum igitur nos esse vult dominus, vt supra mundum simus omnes, vt vna sit castitas, vna volũtas, vna bonitas, vna gratia. His enim alitur, & augetur animæ volatus. Ergo non pigrescamus deserere terrena. Ea est enim natura pennarum, vt agitando se virtutem capiat: eo iuuatur volatus, quo anima delectatur. Quæ si semper deum sequatur, atque in domo domini habitare desideret, & eius delectatione pascatur, ac miraculis virtutem alatur cœlestium: foris relinquet inuidiam, quæ extra chorum est angelorum, foris cupiditates corporis, quæ templum dei maculare non debent. Et ideo quoniam templum dei sumus, materiales à nobis solicitudines abdicemus. Ac ne fortè philosophica alicui aut poetica vsurpasse videamur, vt currus, equos, alas animæ diceremus, quæ illi magis assum
C pere de nostris: domesticis nos vsos subsidiis, propheticæ series lectionis ostendit, quæ in hunc modum à sancto Eze- Ezech. 1.
chiele scripta est: Et facta est illic super me manus domini, & vidi, & ecce spiritus vrgens veniebat ab aquilone, & nubes magna erat in eo, & ignis refulgẽs, & lumen in eo, & in medio sicut lumen electri in medio ignis, & lumen in eo, & in medio sicut similitudo quatuor animalium. Vides igitur animalia iam quatuor esse descripta. Cuiusmodi sint animalia ista, debemus aduertere. Similitudo, inquit, vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris illorum quatuor, & facies vituli à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor, & alæ eorum extensæ. Hîc quoque animã describi accepimus, cuius quatuor animalia, quatuor affectiones sunt, sed non ita vt illæ quas suprà descripsimus. Adhuc enim illę erudiuntur animę, processũmq; accipiunt, hęc iam perfecta describitur. Denique illę inuitantur ad cœlum, hæc in cœlo est cum dei verbo. Habet autem quatuor affectiones, id est similitudini hominis, leonis, vituli, & aqui
D læ comparandas. Quas formas librorum Euãgelicorum proprietate accepimus figuratas. Et ideo hic quoque in homine rationabilis, in leone impetibilis, in vitulo concupiscibilis, in aquila visibilis, per figuras animalium species affectionis expressa est. Nam in omni sapiente viro prudentes Græciæ esse memorauerunt, λογιστικὸν, θυμικὸν, ἐπιθυμητικὸν φιλοκαλικὸν. Latini verò prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque iustitiã. Prudentia enim rationis humanæ est. Fortitudo vim quandam ferocientis virtutis habet, mortísq; contemptum. Temperantia sacratæ vinculo charitatis, mysteriorúmq; contemplatione cœlestium negligit corporis voluptates. Iustitia in alto quodam suggestu locata videt exploratq; omnia: quę aliis potius nata quàm sibi, non tam suas vtilitates quàm publica emolumenta rimatur. Meritóque anima operata iustitiam, formam aquilæ accipit, quod terrena defugiens, totáque cœlesti sublimis & intenta mysterio, resurrectionis gloriã precio æquitatis adipiscitur. Propter quod ad eam dictum est: Renouabitur sicut aquilę iuuentus tua. Est ergo &

iuxta

iuxta Dauid,alis ſpititualibus anima fulta, quam eouſq; vo-
Pſalm.123. lucrem nobis voluit declarare,vt alibi quoque diceret: Ani-
ma noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Et a-
Pſalm.10. libi:In domino confido:quomodo dicitis animæ meæ, trãſ-
migra in montes ſicut paſſer? Habet igitur alas anima ſuas,
quibus ſe poſſit libera leuare de terris. Alarum autem remi
gium non materialis compago pẽnarum,ſed continuus or-
do bonorum factorũ eſt:qualis ille dominicus,cui benedici
Pſalm.56. tur:In vmbra alarum tuarum ſperabo. Non ſolùm enim ma
nus domini affixæ cruci in modum volantis extentæ, ſed e-
tiam facta cœleſtia,velut vmbra refrigerante ſalutis æternæ,
mundi feruentis incendia temperarunt. Ergo quia volandi
nobis data eſt copia, excitet in ſe vnuſquiſque gratiam dei,
ac poſteriora obliuiſcens,priora appetens,ad deſtinata con-
tendat. Procul à militiæ honoribus,procul ab æſtibus mun-
di: ne quod fabulæ ferunt, æſtu ſolis cæra reſoluta Icareos
volatus penna relabente deſtituat. Nam licet grauitas dicto
rum abſit,poetico tamen ſale declarare voluerunt,pruden-
*cœlum. tium maturitati tutos volatus eſſe per *ſeculum,iuuenilem
verò leuitatem obnoxiam cupiditatibus mundi,refluẽtibus
pennis,& per obliuia veritatis meritorum compage reſolu-
ta,maiore pernicie in terram relabi. Haud facilis volatus o-
mnibus, difficilis etiam diſcordantibus in terris animalibus
vitæ curſus humanæ eſt. At ſi ſibi actus noſtri ordo conue-
niat, videbit & in nobis propheta rotam illam vnam ſuper
terram coniunctam animalibus quatuor. Videbit ergo rur-
ſus Ezechiel. videt enim adhuc & viget, & vigebit. Videbit,
inquam, rotam in medio rotæ ſuper terram ſine offenſio-
ne labentem. Rota enim ſuper terram, vita eſt corporis ad
animæ aptata virtutem, & ad euangelicum cohærenti cur-
ſu formata præceptum. Rota autem in medio rotæ, velu-
ti vita intra vitam: quod ſanctorum ſibi vita non diſſonet,
ſed qualis fuerit ſuperioris ætatis, talis ſit & ſequentis: vel
quod in hac vita corporis, vitæ voluatur vſus æternæ. Cùm
iſta congruerint, tunc diuina vox reſultet, tunc ſuper ſimi-
litudinem throni, ſimilitudo ſicut ſpecies hominis appare-
Ioan.1. bit. Hic homo, verbum eſt: quia verbum caro factum eſt.
Hic homo noſtrorum eſt agitator animalium, noſtrorum
rector eſt morum, qui pro noſtrorum ratione meritorum,
aut currum plerunque aut montem aſcendit aut nauem,
ſed nauem in qua aut apoſtoli nauigant,aut piſcatur Petrus.
Lucæ 5. Nec enim vilis eſt nauis quæ ducitur in altum,hoc eſt,ab in-
credulis ſeparatur. Cur enim nauis eligitur in qua Chri-
ſtus ſedeat, turba doceatur, niſi quia nauis eccleſia eſt, quæ
Ibidem. pleno dominicæ crucis velo ſancti flatu ſpiritus in hoc be-
ne nauigat mundo? In hac naui piſcatur Petrus,& nunc reti-
bus, nunc hamo piſcari iubetur. Grande myſterium. Spiri-
talis enim videtur eſſe piſcatio, qua doctrinæ hamum mit-
tere iubetur in ſeculum, vt primum illum martyrem Ste-
phanum de mari verrat, qui cenſum Chriſti in interioribus
contineret. Martyr enim Chriſti, theſaurus eccleſiæ. Mar-
tyr igitur ille qui de mari cœlum primus aſcendit, captus à
Petro,miniſter altaris,non reti,ſed hamo leuatus,vt riuo ſui
ſanguinis eleuaretur. Cuius in ore theſaurus erat,cùm Chri
ſtum in confeſſione loqueretur. Qui enim theſaurus in no-
bis eſt,niſi dei verbum? Ergo & de retibus & hamo piſcatur
perfectior,vt reti cõcludat,hamo adurat. Sed reti turba con
cluditur,hamo ſingularis eligitur. O ſi mihi liceret illum ha
mum vorare, qui adureret os meum, & leui daret ſalutem
vulnere. Intrate igitur filiæ in apoſtolorum retia, quæ non
hominis authoritate, ſed dei voce laxantur. Rete enim ſa-
pientiæ ſpiritalis atque doctrinæ regnum cœlorum eſt, quia
Matth.13. ſcriptum eſt: Simile eſt regnum cœlorum reti miſſo in ma-
Lucæ 5. re. Audiſtis hodie dicentem dominum Ieſum Simoni: Duc
in altum,& laxate retia veſtra in capturam. Antè non duce-
bat in altum Petrus,quando piſcabatur in ſtagno. Et ſi mare
erat,altum non erat. Altum mare ſcriptura neſcit. Quid er-
go ſit altum,accipe. Aqua alta,cõcilium in corde viri. Altum
cor viri eſt,vbi nihil vadoſum eſt. Duc ergo in altum diſpu-
tationis tuæ fideique remigium:duc in cor viri. Per parabo-
lam hîc vocat ad eccleſiam Petrum, quem ſecundum Mat-
Matth.4. thæum ſimplici vocauit ſermone,dicens: Venite, & faciam
vos piſcatores hominum. Eſt & aliud myſterium. Duc in al-

tum: quia antè in arena erat quando in ſynagoga erat, alta
non erat aqua Iudææ. Deniq; Samaritana & puteum altum Ioan.4.
putabat,dicens: Et puteus altus eſt,vnde mihi aquam viuam
habes dare? Non ergo ducere in altum poterat,quãdo cum
Iudæis credebat,qui etiam de puteo aquam haurire non po
terãt. Ideo dicitur Petro: Duc in altum,hoc eſt,duc ad Chri-
ſtum. Altus enim Chriſtus,de quo dicitur ad Ioannem à pa
tre: Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis. Duc ergo ad Lucæ 1.
Chriſtum. Et bene altum,in quo eſt altitudo diuitiarum,ſa- Rom.11.
pientiæ & ſcientiæ dei. Duc in altum,quia altos ſuper altum
cuſtodiet,& exaltabit. Ibi ergo altæ aquæ vbi Chriſtus eſt,
hoc eſt,fides,altæ aquę,quæ timent deum,quales illæ: Vide-
runt te aquæ deus,viderunt te aquæ,& timuerunt. Apud Iu Pſalm.76.
dæos aqua alta non erat in corde viri. Ideóque dominus ait:
Populus hic labiis me honorat,cor autem eorum longè eſt Matth.15.
à me. In corde amat eſſe Chriſtus. Sicut enim fuit Ionas in Ibidẽ.12.
ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit & filius
hominis in corde terrę tribus diebus & tribus noctibus. De-
niq; vt ſcias quia de fide dicit,Duc in altum: ait Petrus: Præ- Lucæ 5.
ceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, ſed in
verbo tuo laxabo retia. Noctem habebat Petrus antequam
Chriſtum videret. Nondum ei venerat dies, quia veram
non viderat lucem. Synagoga nox eſt,dies eccleſia eſt. Vn-
de & Paulus dicit: Nox præceſſit,dies autem appropinqua-
uit. Bona lux quæ perfidiæ excuſſit caliginem,fidei diem fe Rom.13.
cit. Dies factus eſt Petrus,dies Paulus. Ideoque hodie nata-
li eorum ſpiritus ſanctus increpuit,dicens: Dies diei eructat Pſalm.18.
verbum: hoc eſt,ex intimo theſauro cordis fidem prædicant
Chriſti. Et bonus vterque dies,qui nobis verum lumen euo
muit. Hæc in euangelio legimus: Et fortaſſe in cœlo hodie
de nobis Chriſti & Petri iſte ſit ſermo. Quotidie piſcatur
Petrus,quotidie ei dicit dominus: Duc in altum. Videor mi- Lucæ 5.
hi audire dicentem Petrum: Præceptor, per totam noctem
laborantes nihil cepimus. Nox fuit cùm pauciores ad vigi-
lias conuenerunt. Laborat in nobis Petrus, quando noſtra
laborat deuotio. Laborat & Paulus. Denique audiſtis di-
centem hodie: Quis infirmatur,& ego non infirmor? No- 2.Cor.11.
lite facere vt pro vobis laborent Apoſtoli. Ergo dicunt ei:
Per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Nullus cer-
tè de ditioribus ieiunauit. Quibus hodie bene reſpondit Pe 1.Petri.1.
trus: In timore hoc incolatus veſtri tempus conuerſami-
ni,ſcientes quod non corruptibilibus argento vel auro re-
dempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ tradi-
tionis, ſed precioſo ſanguine quaſi agni incontaminati &
immaculati Chriſti Ieſu. Non ergo aurum & argentum vos
liberauit,ſed probatio fidei multo precioſior auro quod pe-
rit. Bonus ſeruus precium ſtudet reparare domino, quod
pro ſe ſolutum eſt. Noli aurum parare filia,noli argentum.
Non diuitiis iſtis te Chriſtus redemit. Paratum habeto pre-
cium: non ſemper exigeris,ſed ſemper debes. Sanguinẽ ſol-
uit,ſanguinem debes. Ille pro te ſoluit,tu pro te redde. Era-
mus oppignerati malo creditori,peccatis. Contraximus chi-
rographum culpæ,pœnam ſanguinis debebamus. Venit do-
minus Ieſus, ſuum pro nobis ſanguinem obtulit. Sed non
potes ſanguinem reddere. Bonus quidem ſeruus debet pre-
cium ſuum reparare domino ſuo. Sed ſi non poteſt precium
reddere: vel hoc faciet, ne precio videatur indignus. Ergo
& tu dignum te gere tali precio, ne veniat Chriſtus qui te
mundauit,qui te redemit: & ſi te in peccato inuenerit, dicat
tibi: Quæ vtilitas in ſanguine meo? Quid profeci tibi, dum Pſalm.29.
deſcendo in corruptionem? Sed ne mireris quomodo de-
ſcenderit in corruptionem: cuius caro (vt alibi ſcriptum eſt) Acto.2.
non vidit corruptionem. Deſcendit quidem in locum cor-
ruptionis,qui penetrauit inferna, ſed corruptionem incor-
ruptus excluſit. Verùm (vt iam ad ſuperiora redeamus) ro-
gate,vt & mihi dicatur: Duc in altum, & laxate retia veſtra
in capturam. Quis enim eſt qui ſine deo piſcetur hanc ple-
bem, præſertim cùm tantæ tempeſtates & procellæ mundi
huius obſiſtant? Sed quando vult dominus,iubet laxare re-
tia,& capitur multitudo piſcium. Nec ſolùm vna,ſed etiam
altera nauis impletur, quia plures eccleſiæ immaculata ple-
be complentur. Et bene accidit, quia nos laboraturos do-
minus ſciebat, & auxium de ſociis miniſtrauit. Adeſt pi-
ſca-

ſcator eccleſię Bononienſis aptus ad hoc piſcandi genus. Da domine piſces, quia dediſti adiutores. Nec tamen noſtris, ſed apoſtolicis vtimur retibus. In illos ſinus & quoſdam apoſtolicarum diſputationum receſſus veſtrum (ô filiæ) cogatur agmen. Viuificet vos petrus filiæ, qui & pro vidua interuenit, quãtò magis pro virgine? Qui diutius viduas flere non paſſus, motus earum lachrymis ſuſcitauit altricem. Viuificet
1.Cor.7. vos Paulus, qui vos præcepit honorari, qui ait: Bonum eſt ſi ſic maneant ſicut & ego. Honore prouocat, magiſterio do-
Matth.19. cet, inuitat exemplo. Viuificet ille, qui relictis ſuis omnibus ſecutus eſt dominum: ſecutus eſt Petrus, ſecutus eſt Ioannes. Vide quid piſcator etiam iſte profecerit: dum in mari lucrum ſuum quærit, vitam inuenit omnium. Lembum deſeruit, deum repperit. Scalmum requirit, verbum inuenit. Lina laxauit, fidem vinxit. Plicauit retia, homines eleuauit. Mare ſpreuit, cœlum acquiſiuit. Hic ergo piſcator, dum ipſe turbato agitatur ſalo, mobili mentes ſtatione nutantes fundauit in petra. Adſtruamus igitur piſcatoris artem frequẽtius, vt plenius de virtute credamus. Fuerit miniſter ignobilis, vt
B ſit euangeliſta nobilior. Paupertate egenus, vt virtute locupletior. Vilis ad honorem videtur, ſed pretioſus ad fidem. Quantò minus creditur piſcatori, tantò amplius creditur, quia nõ ſua, ſed diuina ſunt quæ locutus eſt. Obſequitur plebeia conditio, expectationem aufert ſapientiæ ſecularis, opinionem auget ſapientiæ ſpiritualis, Qui legem non didicit, & quæ legis ſunt, ſapit, ipſe ſibi lex eſt. Qui legem non didicit, & vltra legem loquitur, ab eo accipit à quo ipſa lex venit. Quæ tam repentina dignitas? Piſcatores duo in monte domini, vni latori legis, executori alteri conferũtur. Videte qualis iſte piſcator ſit. Moyſes quidem terrena omnia & mundanæ ſapientiæ altitudinem ſupergreſſus, vſque ad cœlum, & ſidera prudẽtia mentis aſcẽdit. Piſcatoris iſtius mens non nubibus caligatur, non temporibus includitur, non myſteriis naturæ cœleſtis excluditur: ſed omnem corporalem materiam ſupergreſſa, verbum apud deum vidit, & quod verbum ipſum deus eſſet, aſpexit. Nec obtutu carnis in Petro infirmatã trepidauit, ſed dei filium etiam in homine deprehendit vt aſſumptio corporis ad ius diuinitatis aſſumentis
C adſcita, in nomen trãſiret auctoris. Et Moyſes quidem cùm dicit: Et dixit deus, & fecit deus: patrem filiúmque ſignauit. Sed ille non ignorabat: ego adhuc ignorabam. Deniq; poſt legem populus errauit, poſt euangelium credidit. Magna in diuerſis virtutibus dei gratia. In illo, quia mundum deſcripſit: in iſtò, quia mundum ignorauit.

FINIS.

Diui Ambroſij
MEDIOLANENSIS EPISCOPI *ad virgines exhortatio.*

D

VI ad conuiuium magnum inuitantur, apophoreta ſecum referre conſueuerunt. Ego ad Bononienſe inuitatus conuiuium, vbi ſancti martyris celebrata tranſlatio eſt, apophoreta vobis plena ſanctitatis & gratiæ referuaui. Apophoreta autem ſolent habere triumphos principum, & hæc apophoreta triũphalia ſunt. Chriſti enim noſtri principis triumphi ſunt martyrum palmæ. Nec verò huc dirigebam iter, ſed quia petitus à vobis ſum, debui mecum deferre quæ aliis parabantur, ne minor ad vos venirem: vt quod in me minus eſt, quàm præſumebatur, in martyre plus inueniretur. Martyri nomen Agricola eſt, cui Vitalis ſeruus fuit antè, nunc conſors & collega martyrij. Præceſſit ſeruus vt prouideret locum: ſecutus eſt dominus, ſecurus quòd fide ſeruuli iam inueniret paratum. Non aliena laudamus. Paſſio enim ſeruí, domini diſciplina eſt. Hic inſtituit, ille impleuit. Nihil illi decerpitur. Quomodo enim minui poteſt quod Chriſtus donauit? Egregiè & ille qui homini ſeruiuit, ſeruiendo didicit, quomodo Chriſto placeret. Hic tamen geminam laudem acquiſiuit: in illo magiſterij, in ſe martyrij. Certauerunt tamen inter ſe inuicem beneficiis, poſtquam æquales eſſe meruerunt. Hic illum ad martyrium præmiſit, *iſte illum accerſiuit. Nullum ergo ad commendationem hominis conditio affert impedimẽtum, nec dignitas proſapię meritum, ſed fides affert. Siue ſeruus ſiue liber, omnes in Chriſto vnum ſumus: & vnuſquiſque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à domino. Nec ſeruitus derogat, nec libertas adiuat. Vide ad eam rem quàm nihil in conditione momenti ſit. Seruus, inquit, vocatus es? nõ ſit tibi curę. Qui 1.Corin.7.
enim vocatus eſt in domino ſeruus, lebertus eſt domini. Similiter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Vide, inquã, vim Apoſtoli. Plus putatur dediſſe ei qui ſeruus, quàm ei qui liber vocatus eſt. Ex ſeruo enim libertus Chriſti fit, ex libero ſeruus. Sed nulli plus dedit, verum vtrique æqualem menſuram diuiſit. Apud Chriſtũ enim ſeruitus & libertas æqua lance penduntur, nec vllo diſcerniculo bonæ ſeruitutis & libertatis merita diuiduntur, quia nulla maior eſt dignitas quàm ſeruire Chriſto. Denique Paulus ſeruus Chriſti Ieſu. Rom.1.
Hęc enim ſeruitus glorioſa eſt, in qua gloriatur & Apoſtolus. An non ſumma gloria eſt, quando tali precio æſtimati ſumus, vt ſanguine domini redimeremur? Sed pergamus ad cætera. Cúmque ſanctus Vitalis cogeretur à perſequentibus vt Chriſtum negaret, & ille amplius profiteretur dominum Ieſum Chriſtum, omnia tormentorum genera in eum exercentes, vt non eſſet in corpore eius ſine vulnere locus, orationem fudit ad dominum, dicens: Domine Ieſu Chriſte ſaluator meus, & deus meus, iube ſuſcipi ſpiritũ meum: quia iam deſidero vt accipiam coronam, quam angelus tuus ſanctus mihi oſtendit. Et completa oratione emiſit ſpiritum. Sanctus verò Agricola mitior habebatur moribus, vt ab ipſis etiam inimicis diligeretur. Ideóque differebant eius paſſionem. Sed hæc perſecutorum honorificentia, omni erat immanitate acerbior, quia inuidebat martyrium. Denique vbi non acquieuit ſanctus Agricola, crucifixus eſt, vt aduertamus illas blanditias eorum non ſedulitatis fuiſſe, ſed fraudis. Supplicio ſerui, dominum terrere voluerunt. Vertit hoc Chriſtus in gratiam, vt martyrio ſerui, dominus inuitaretur. Vtrique nomen aptum martyrio, vt deſignati ad martyrium ipſis vocabulis viderentur. Ille Vitalis dictus eſt, quaſi qui contemptu iſtius vitę, veram illam vitam æternam ſibi haberet acquirere: Iſte Agricola, qui bonos fructus ſpiritalis gratiæ ſeminaret, & ſacri ſanguinis effuſione, meritorum ſuorum omnium virtutúmque rigaret plantaria. Sepulti autem erant, Agricola & Vitalis, in Iudæorum ſolo, inter ipſorum ſepulchra. Iudæi ambierunt cum ſeruulis ſepulturæ habere conſortium, quorum dominum negauerunt. Sic & aliquando Balaam dixit: Moriatur anima mea pro animis Nume.23.
iuſtorum: & tamen non cõmunicauit eorum operibus cùm viueret, quorum in animis cupiebat mori. Et iſti quos viuentes perſecuti ſunt, mortuos honorabant. Illic igitur martyris exuuias requirebamus, tanquam inter ſpinas roſam legentes: circunfundebamur Iudæis, cùm ſacræ reliquiæ eueherentur. Aderat populus eccleſiæ cum plauſu & lætitia. Dicebant Iudæi: Flores viſi ſunt in terra, cùm viderent martyres. Dicebant Chriſtiani: tempus inciſionis adeſt. Iam qui metit, mercedem accipit. Alij ſeminauerũt, & nos metimus martyrum fructus. Iterum audientes Iudæi voces plaudentis eccleſiæ, dicebant inter ſe: Vox turturis audita eſt in terra noſtra. Vnde bene lectum eſt: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Dies diei, Chriſtianus Chriſtiano. Nox nocti, Iudæus Iudæo. Indicabant ergo Iudæi quod haberent ſcientiam martyrum, ſed non ſcientiam verbi: id eſt, non ſecũdum illam ſolius boni, & ſolius veri ſcientiam. Ignorantes enim dei iuſtitiam, & volentes ſe iuſtificare, iuſtitiam dei non receperunt. Detuli ergo vobis munera, quæ meis legi manibus, id eſt, crucis trophæa, cuius gratiam in operibus agnoſcitis. Certè & ipſi dæmones confitentur. Condant alij aurum atque argentum, ac de latẽtibus eruant Ioan.4. Canti.2. Pſalm.18. Rom.10.

ve-

venis. Legant preciosa monilium serta. Temporalis ille thesaurus est, & sæpe habentibus perniciosus. Nos legimus martyris clauos, & multos quidem, & plura fuerunt vulnera quàm membra. Clamare martyrem diceres ad populum Iudeorum, cùm clauos eius colligeremus. Mitte manus tuas in
Esa.20. latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Collegimus sanguinem triumphalem, & crucis lignum. Hæc sanctę viduę negare non potuimus postulanti. Munera itaque salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur. Ea igitur vidua sancta est Iuliana, quę hoc domino templum parauit atque obtulit, quod hodie dedicamus, digna tali oblatione, quę in sobole sua templa iam domino pudicitiæ atque integritatis sacrauit. Dum Iulianam volui dicere, Iudæam dixi. Non errauit lingua, sed definiuit. Iudæa enim est anima
Psalm.75. quæ Christum fatetur. Denique notus in Iudæa deus, Id est, vbi agnoscebatur deus, non vbi negabatur. Est ergo in spiritu Iudæa, vbi maior portio intellectus & synterior: quia
Ioan.4. salus ex Iudæis est. Linguæ igitur error testimonium sanctitatis inuenit. Honoremus ergo hanc viduam, quia scriptum
1.Timo.5. est: Viduas honora, quę verè viduæ sunt. Licet verborum nostrorum honorem non ambat, quę apostoli mandatum adęquauerit, habēs in bonis operibus tęstimonium, quę bene filios educauerit, melius instituerit. Quis hāc non vt destitutam & miserabilem deplorauit, quando amisit maritum? At ista ministrū sacris ereptum altaribus amplius ingemuit, quàm sibi coniugem aut patrem filiis. Nam etsi prę sidio esset mariti viduata & solatio, tamen apud piam mentem causa eccleśię pręponderabat. Succinxit itaque mentis viscera, & circumfusam se vidēs numero filiarum trium, & vnius filij, quo solent terreri cæteræ, hoc fortior facta, tali filios alloquio conuenit. Filij amisistis patrem, matrem habetis. Melior quidem fuisset illa commutatio, si pater viueret, mater deesset. Tamen infirma licet & desolata ostendo vobis, si vultis sequi, quo arbitremini patrem vobis non decessisse. Habetis enim meliorem de cœlo parentem. Ille est qui & hos suffulsit patres. Quid enim aliud iam supereſt spei? Pater vobis fuit diues gratia, non pecunia, opulētus ministerio, non patrimonio: cuius hæreditas fides est locuples deo, sed egena seculo. Satis vos diuites reliquit, si propositum eius sequamini. Sola est fides vtrique indiscreta sexui, census virorum, dos virginum. Et tu quidem fili aliquantò propior patri, agnosce quæ matri debeas, quod domui vocabulum reddas. Ætas te excusat, sed hæreditas vocat. Iocundentur fili pater & mater in te. Noli matrem contemnere quasi imprudentem. Regis admonitio, inquit, quem erudiuit mater sua. Quid seruabis fili? Dictiones dei. Primogenite tibi dico fili. Quid filij mei ventris? Quid natus mearum orationum? Ne dederis mulieri tuam honestatem. Audis quid Sapiens dicat, quid scriptura asserat. Cōsidera quis te vt nascereris iuuerit, filius es votorum magis quàm dolorum meorū. Considera cui te muneri pater tali nomine designauerit qui vocauit Laurentium. Ibi vota deposuimus, inde nomē assumpsimus. Vota effectus secutus est, redde martyri quod debes martyri. Ille te nobis impetrauit, tu restitue quod de te huiusmodi nominis appellatione promisimus. Quid autē est fili aliud quod eligendū putes, nisi deum patrum tuorū? ipse enim pauperes & diuites facit, humiles &
Psalm.112. excelsos facit. Suscitat à terra pauperē, & de stercore inopē, & sedere eum facit eum cum potētatibus in tribunali honoris & hęreditatis. Dat votū optanti, & benedicet annos iusti. Quid hoc fili pręcellēti⁹, aut quid est vita hominis in hac terra, nisi leuis cursor? En trāsiuimus & nihil vidimus. Atq; vtinam hunc cursorē imitaremur: vt nihil videremus, & nulla portaremus onera. Sed quod est grauius, cursus vacuus, & onera inania. Inania quidem sed non leuia, neque delicti vacua: quia graue fœnus peccati est: vnde clamat sanctus Iob:
Iob 7. Nónne tentatio est vita hominis in terra? aut sicut mercennarij quotidiani vita eius, & sicut seruus timens dominum suum, qui vmbram inuenerit, & sicut mercennarius expectans mercedē suam, sic ego expectaui in vacuū. Noctes autem dolorū datę sunt mihi. Si dormiero, dico, quando dies? cùm surrexero, iterū quando vesper? Plenus sum dolorum à vespere vsque mane. Vita autem mea leuior quàm fauil-

A la. Periit autem in vana spe. Nihil igitur est homo, nisi tu domine intendas in eum, & visitationem eius facias vsque mane, & in requiem eum inducas. Arbor si excidatur, repullulat, & floret ab aquę odore. Homo cùm ceciderit, nihil est, ingruunt super eum dolores. Hanc igitur tentationem tantarum necessitatum, si vultis filij vitare, integritas corporis expetenda vobis est: quam ego pro consilio suadeo non pro imperio pręcipio. Sola est enim virginitas quæ suaderi potest, imperari non potest. Res magis voti, quàm præcepti. Quod enim gratię est, non iubetur, sed desideratur, electio nísque magis est, quàm seruitutis. Vnde & Apostolus dicit:
De virginibus autem præceptum domini non habeo, consi- 1.Cor.7.
lium autem do tanquam misericordiam consecutus à domino. Legerat enim dixisse dominum spadonibus: Quicūque Esaiæ 56.
custodierint præcepta mea, & elegerint quæ ego volo, & amplectentur testamētum meum: dabo illis in domo mea, & in muro meo locum nominatum, meliorē filiorum & filiarum, nomen ęternum dabo illis, & non deficiens. Meliorem, inquit, locum vobis dabo, spadonibus dicit: is videlicet,
B qui se resecta genitali parte abscíderint. Ipsi sunt ergo qui habent in cœlo præmia cæteris præstantiora. Hoc in euangelio suo prędicat dei filius. Dicentibus enim Apostolis, quia si ita est causa viri, vt non liceat illi vxorem dimittere, nisi ex sola causa fornicationis, non expedit nubere, respondit dominus: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus Matth.19.
datum est. Hoc est, non capit hoc conditionis humanę infirmitas, vt omnibus pateat: sed illis solis facile est ad capiendū, quibus diuina refulsit gratia, vt castrare se possint, quo regnum cœlorum adipiscantur. Audistis filię quantum sit præmium integritatis. Regnum acquirit, & regnum cœleste, vitam angelorum exhibet. Hoc vobis suadeo, quo nihil pulchrius, vt inter homines angeli sitis, qui nulla sibi ligantur
nuptiali copula. Quoniam quę non nubunt, & qui vxores Ibidē.22.
non ducunt, sicut angeli in terris sunt, vt tribulationem car- 1.Cor.7.
nis non sentiant, seruitutem ignorent, à mundanæ cogitationis ableuētur contagio, diuinis rebus mentem intēdant: vt tanquam exuti corporis infirmitate, non quæ hominis
C sunt, sed quæ dei sunt, cogitent. Considerate filiæ si velitis nubere, quantum vobis desit, quibus pater deest. Deest opima dos: quod ipsum tamen si abundaret, timeretis magno precio seruitutem. Nunc verò quis non despiciat destitutas patre? Quò confugietis? Vnde auxilium postulabitis aduersus virorum iniurias? Quanta in ipsis coniugiis incommoda sunt? Quàm graues plerunque contumelię? Quāta vincula? Primum ipsum coniugium vinculum est, quo alligatur viro nupta, & ei in subiectionē astringitur. Bonum quidē charitatis vinculum est, sed tamen vinculum: de quo cùm velit se exuere nupta, non possit: nec liberum sui habere arbitrium.
Denique Apostolus dicit: Mulier sui corporis potestatem Ibidem.
non habet, sed vir. Et quid mirum de muliere, quando quidem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier? Si qui fortior est, potestatem non habet, quanto minus infirmior? Nō ergo absoluit mulierem cōmunis seruitus, sed grauius adstringit. Videte itaq; quid scriptura dicat, quid Apostolus suadeat. Quis vobis potest melius consilium dare,
D quam ille vas dominicæ electionis? Quid igitur dicat, percipite auribus: Volo autē omnes homines esse sicut meipsum.
Et iterum dicit de nō nuptis & viduis: Bonum est illis, si sic Ibidem.
maneant, sicut & ego. Volo vos imitatrices esse tāti apostoli, vt vitam eius sequamini, qui coniugij vinculū refugit, vt vinctus esset Christi Iesu. Non potuisset ad tantam apostolatus sui peruenire gratiam, si fuisset alligatus coniugij contubernio. Quod si ille qui & doctrina prestantissimus erat, & tantum Christi donum habebat, iudicauit tantum momenti esse si abstineret ab vsu copulæ coniugalis, & ideò sic mansit, ne plurimum suo muneri decerperetur: quod neque orationi vacare semper liceret, neque semper diuinis intendere mandatis, quem coniugij cura reuocaret, vt placere vxori esset necesse: quid vtique vos eligere oportet, quibus sola virginitas potest libertatem dare? Quoniam quæ nupserit, ad seruitutē pecunia sua venditur. Meliori conditione mancipia quàm coniugia comparantur. In illis meritum emitur seruitutis, in istis precium ad seruitutem additur. Nupta venalis

nalis auro grauatur, auro æſtimatur. Experta ſum filiæ labores copulæ, coniugij indignitates. Et ſub bono coniuge, nec tamen ſub bono marito libera fui: ſeruiebam viro, & laborabam placere. Miſeratus eſt dominus, & fecit miniſtrum, continuóque & mihi & vobis, raptus eſt. Et fortaſſe miſerante domino, ne diceretur maritus. Videtis filię longæuam matrem doloribus, & adhuc immaturam viduitatis ſtipendiis. Videtis amiſſum omne præſidium & ornamentum. Nec auxilium viri habeo, nec virginitatis gratiam. Et de me leuis cura. Vos mœreo: vos conſidero. Remanſerunt mihi onera coniugij, abiere adiumēta. Quanto mallam in hos nunquam veniſſe vſus. Poteſtis tamen excuſare patrem, ableuare matrem. Si quid in nobis amiſſum eſt, in vobis repręſentetur. Hoc ſolo nos coniugij non pœnitebit, ſi vobis labor noſter profecerit. Proximū putabo matrem eſſe virginum, ac ſi virginitatem tenerem. Conſiderate filię quam ſibi veniens in has terras dominus Ieſus matrem elegerit, ſalutem mundo daturus. Per virginem venit, & mulieris lapſus partu virginis ſoluit. Veſtra quoque integritas meos ſoluat errores. Quid boni ſit virginitas, conſiderate: deſtitutam me B eſſe certum eſt, præſidio egere. Sed ſi volueritis ſic manere, nullius opem requiram, abundabit mihi ad omnem opitulationem veſtrę integritatis corona. Quis non dicet beatam, quam nunc miſerā putant? Quis nō honorabit tot virginum matrem? Quis non venerabitur aulam pudoris? Multas fœminas ſcriptura diuina in lucem euexit, palmā tamen publicæ ſalutis ſolis virginibus dedit. In veteri teſtamento terra ac mari clauſum Hebręorum populum virgo per maria pedes duxit. In euangelio authorem mundi & redemptorem virgo generauit. Virgo eſt eccleſia, quam ſtuduit
2. Cor. 11. Apoſtolus virginem caſtam aſſignare Chriſto. Virgo eſt filia Sion. Virgo eſt ciuitas illa Hieruſalem quæ in cœlo eſt, in quam nihil commune intrat atque immūdum. Virgo eſt & illa quam vocat Ieſus, cui & dixit: Ades huc à Libano ſpōſa, ades huc à Libano, tranſibis & pertranſibis. A principio fidei non ſolum tranſit virgo, ſed etiam pertranſit, quę feſtinat ad ſponſum. Tranſit ſeculum, pertranſit ad Chriſtum: vel quia ea quæ Chriſto ſe dicauerit, tranſeundo ad cœleſtia, terrena pertranſeat. Nam & ipſe ſponſus ſic venit ad ſponſam ſuam, vt ſaliat ſuper montes, tranſiliat ſuper col-
Canti. 4. les. Addit adhuc ad laudem virginitatis: Hortus clauſus ſoror mea ſponſa, hortus clauſus, fons ſignatus: quod meliores afferat fructus clauſtro pudoris ſepta virginitas, inqua intemerata permaneant caſtitatis ſignacula. Hunc hortum animæ veſtræ, hunc fontem ſeruate puri liquoris, vt eum in vobis nemo perturbet, nemo reſignet, quem genitalis in vobis origo ſignauit. Nemo auferat animę veſtræ vineam. & vilia olera ſerat. Vinea enim quidā fructus virginalis eſt: Coniugia velut olerū plantaria ſunt, in quibus frequens zelus eſt: & ideo ſicut olera herbarum, citò cadunt atque marceſcunt, niſi finem imponat ſenectus, aut ad perfectum vehat continentia. Non veniat ergo in vobis Achab, qui concupiſcat vineam veſtram delere & extinguere. Nec veniat in vobis Iezabel, vanum illud & ſeculare profluuium: hoc enim ſignificatur vocabulo, vana & vacua redundantia. Sed
3. Reg. 21. veniat. Nabuthe, qui venit à patre, ſicut indicat nominis ipſius interpretatio, qui vineam ſanguine defendat ſuo, & pro D ea mortem offerat. Hic eſt qui lapidatus pro nobis eſt, pro
2. Corin. 8. nobis mortuus, pro nobis falſis appetitus teſtimoniis. Qui pauper huc venit, cùm diues eſſet, vt vos eius inopia ditaremini. Hic eſt vitis, qui redundantibus gratię ſuæ fructibus repleuit vniuerſum orbem terrarum. Hic in veſtris pectoribus alta maneat defixus radice, vt & fructus veſter exuberet, & liquore gratię ſpiritualis corporei vaporis incendia temperentur. Hic eſt qui venit in nube leui, ſicut dixit pro-
Eſaiæ 19. pheta: Ecce dominus ſedet ſuper nubem leuem, & veniet in Ægyptum. Significans quod in Ægyptum, id eſt, in afflictionem iſtam mundi huius veniret per virginem. Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat: leuem, quia virgo erat, nullis oneribus grauata coniugij. Ipſa eſt virga germinans florem, quia pura & ad dominum libero corde directa virginitas, quę nullis in hoc ſeculo curarum anfractibus reflectatur. Ideo illam dominus de cruce diſcipulo

A ſuo dilectiſſimo ſibi tradidit ſancto Ioanni, qui dixit patri & matri ſuæ, non noui vos. Denique vocatus à Chriſto reliquit patrem verbum ſecutus. Huic traditur virgo, qui ſuos neſciat: huic traditur virgo, qui de pectore Chriſti hauriat ſapientiam: huic traditur virgo, qui fratres ſuos non cognouit, & filios ſuos non ſciuit. Ideoque brnedicit eum lex: Date Leui veros eius, data Leui ſortes eius. Vnde & matrem domini ipſe ſuſcepit. Scriptum enim habemus, quia ex illa hora ſuſcepit eam diſcipulus in ſua. Quid eſt in ſua, cùm reliquerit patrē, & Chriſtum ſecutus ſit? Aut quomodo in ſua, Matth. 19. cū ipſi apoſtoli dixerint: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te? Quę ſua habebat Ioānes, qui mūdana & ſecularia non habebat, quia de mundo non erat? Quæ ergo habebat ſua, niſi ea quę à Chriſto acceperat? Bonus verbi ſapientięque poſſeſſor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ apoſtoli à Chriſto acceperint: Accipite, inquit ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt: & quorum detinueritis, detenta. Neque enim mater domini Ieſu niſi ad poſſeſſorem gratiæ demigraret, vbi Chriſtus habebat habitaculum. Data ergo & vos filij mei vero illi Leui veros eius. Eſtote nubes, ſed leues. Eritis profectò ſi ableuet virginitas onera conditionis, & tenebras huius limoſæ carnis illuminet. Ideo dicit illa: Nigra ſum, & decora, filiæ Hie Cantic. 1. ruſalem. Nigra per carnem, decora per virginitatem. Nubes itaque ſunt, & graues nubes, quę nupſerint. Náque à nubibus verbum nubentium tractum arbitror. Denique operiuntur & nubes, cùm acceperint nupturæ velamina. Et verè graues nubes, quę ſuſtinēt ſarcinam matrimonij. Nam etiam grauari aluo feruntur, cùm ſemina conceptionis acceperint. Date ergo Leui veros eius. Quid tam verum quàm intemerata virginitas, quæ ſignaculū pudoris & clauſtrum integritatis genitale cuſtodit? At verò cùm vſu coniugij iuuencula defloratur, amittit quod ſuum eſt, quando ei miſcetur alienum. Illud ergo verum quod naſcimur, non in quod mutamur: quod à creatore accepimus, non quod de contubernio aſſumpſimus. Date ergo vero illi Leui, illi ſacerdotum principi, vero Aaron, vero Melchiſedech veros eius, C quales ipſe condidit, non quales ſeculi huius vſus efficit: vt opus ſuum in vobis & illud genitale ſignaculū inuiolatum atque integrum recognoſcat. Date illi & exhibete illum Adam qui fuit ante peccatū, illam Euam quę fuit antequam Geneſ. 3. lubricum ſerpentis hauriret venenum, priuſquam eius ſupplantarentur inſidiis, quando non habebant quo confunderentur. Nam vtique nunc, licet bona ſint coniugia, tamen habent quod inter ſe ipſi coniuges erubeſcant. Tales ergo eſtote filij, quales Adam & Eua in paradiſo fuerunt. De quibus ſcriptum eſt, quòd poſtea quàm de paradiſo eſt eiectus Geneſ. 4. Adam, cognouit Euam vxorem ſuam, & illa concepit, & peperit filium, cui nomen Abel. Melior itaque ſecūdus, quàm prior fructus: quia iſte immaculatus, ille maculoſus. Iſte adhærens deo, & totus à domino, ille mundana & terrena poſſeſſio. Denique in iſto mundi redemptio annunciatur, ab illo mundi ruina. In hoc Chriſti ſacrificium, in illo diaboli parricidium. Nihil ergo vobis ſit filij cum poſſeſſione ſeculi, nec terrenę vobis & Iudaicę poſſeſſionis vllos vindicandos eſſe ſortitus arbitremini. Legimus quidem quia Moyſes, id eſt lex, terras bello & cæde quæſitas, ſorte diſtribuendas Hebræorum populo cenſuerit, quarum poſſeſſionem ſibi Salphæ filiæ poſtularunt, ſed quia Salphæ filiæ. Tamen idem Nume. 27. Moyſes Leuitis non diuiſit terram, quorum non erat terrenus, ſed ſuperior incolatus. Sed iis ſine labore terreno ſacri ſtipendia miniſterij deputauit. Salphæ autem filiæ quid ſunt quę terram petunt, niſi (vt interpretatio docet) oris obumbratio? quę vtique in illis eſt, quibus non eſt verbum in ore ipſorum, nec in ſermone eorum veritas: ſicut in populo Iudæorum, qui nolunt Chriſtum deum dei filium confiteri. Tales igitur terram requirunt, & huiuſmodi poſtulant poſſeſſionem, in qua tota vitæ ſuæ ætate deſudent, & pro fructibus ſpinas curarum & ſolicitudinum metant. Fugite ergo filiæ vmbram oris, quæ in lumen æternum creditis, quod illuminat omnem hominem, quæ non tanquam in vmbra Chriſtum, ſed in lumine confitemini. Populus qui ſedebat Eſaiæ 9. in vmbra mortis, lux orta eſt illis. Fuimus ergo in vmbra,

ſed

sed nunc iam non sumus, qui Christum fatemur. Atque vtinam licuisset & mihi dicere, qui Christo profitemur. Et tamen profiteamur, ego viduitatem, vos virginitatem. Fiat in vobis ore salutem confessio. Date ergo Leui illi salutari nostro sortes eius. Sors eius Leuitica est, sors eius virginitas est, sors eius viduitas est: quoniam non solum virgo, sed etiam mulier innupta cogitat quæ sunt domini. Vnde & Apostolus dixit: In quo & sorte constituti sumus. Sicut enim in veteri testamento terra sorte diuisa est, ita in euangelio sorte quadam domino deputamur. Vnde & scriptum est de euangelistis: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & supra vestimentum meũ miserunt sortem. Et apostoli, cùm eligendus esset duodecimus apostolus in locum Iudæ, sorte munus apostolatus deferendum arbitrati sunt. Itaque oratione facta, vt de duobus dominus quem vellet eligeret: sors cecidit super Mathiam. Illa igitur vetus terrena sortitio, hęc spiritualis. In illa census seculi materialis, in hac personalis officij. Ibi possessio curarum, hîc diuisio gratiarum. Illic possidemus arua plena laboris atque mœstitiæ, hîc possidemur à Christo. Vnde & sanctus domini dicit: Possedisti renes meos. Hic filij possideat renes vestros, vt in illis seminaria maneant castitatis, incentiua virtutum. Ideoque dicate vos Christo, confitemini ei, vt dicatis: Portio mea dominus. Non potest hoc nupta dicere, sed innupta. Nupta enim quærit viro suo, innupta autem Christo placere. Illa mundi, hæc Christi possessio est. Christi possessio Leuita est, qui nihil sibi de terris vendicat. Qui quærit vxorem, non potest dicere: Portio mea dominus. Denique Christi minister quid ait? Argentum & aurum non habeo, sed quod habeo, do tibi: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Hoc enim acceperat, quoniam aurum non desiderauerat. Denique missus erat sine virga, sine sacculo, sine pecunia. Et ideo gloriabatur, quia non habebat quod non acceperat. Non enim erubescebat in paupertate, quem pauper redemerat. Ideoque dixit: Surge & ambula: quia legerat: Iste pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum, Sit ergo vobis portio dominus, dominus qui sterilem & parientem facit. Vtranque facit, sed altera in tristicia parit, altera in sterilitate lętatur: Cui dicitur: Lætare sterilis quę non caris, erumpe & exclama quæ non parturis. Habet filios sine partus dolore. Vnde & dicitur de ecclesia: Quis audiuit sit parturiuit terra vno die, & gens nata est simul? Vno autem die terra non parturit, sed parit gratia. Venit paschę dies, in toto orbe baptismi sacramenta celebrantur, velantur sacræ virgines. Vno ergo die sine aliquo dolore multos filios & filias solet ecclesia parturire. Ideoque pulchré dicitur: Et gens nata est simul, de populo consecrato. Videtis mysteria, videtis gratiam Christi, gratiam spiritus sancti, quæ velut quadam sorte defertur: quoniam non ex operibus, sed ex fide vnusquisque iustificatur à domino. Sicut enim sortis euentus non in nostra est potestate, sed quem casus attulerit: sic gratia domini non quasi ex mercedis merito, sed quasi ex voluntate defertur. Vnde & Apostolus ait de diuisionibus gratiarum, quæ diuerso modo dei seruulis deferuntur. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Prout vult, inquit, non prout debetur. Denique, & dominus ait illis, vberiorem mercedem pro opere postulantibus, & conquerentibus quòd parem accepissent cum iis qui posterius aduenerant: Si ego bonus, oculus tuus quare nequam est? Date ergo filij sortes vestras ei qui vltra meritum laboris remunerationem suis donare consueuit. Date veritatem ipsius viro sancto, id est, integritatem. Ipsius enim est integritas, qui immaculatus aduenit. Veritas itaque virginitas, corruptela mendacium est. State ergo in corde vestro, sicut bona vinea in propagine sua. Multæ enim tentationes sunt, ideóque ait scriptura: Tentauerunt eum in tentatione, & maledixerunt ei super aquam contradictionis Cades. Tentatur virginitas à plerisque petitoribus. Et cùm voluerit virgo perseuerare, existunt qui contradicant. Contradicit petitor, & refutatus maledicit. In opprobrio esse videtur innupta vel virgo, vel vidua. Cades enim innupta est, quæ est sancta corpore & spiritu, & domino se dicauit, quæ reliquit parentes, & non facit voluntatem eorum qui solent dicere: Debes nobis filia nepotes. Cades est quæ filios nescit. Quod si illa diuitiis seculi præfert opprobrium Christi, quod necesse est subeat, qui quærit Christo placere: quanto magis vos, quos pater prouocat ad integritatem, mater hortatur id sequi quod conuenit? Bonum est ergo virginitas. Denique qui iudicauit, inquit, in corde suo seruare virginẽ suam, benefacit. Igitur, & qui matrimonio iungit virginem suam, benefacit: & qui non iungit, melius facit. Ille bene facit propter laqueum, hic melius facit propter vtilitatem. Illud pro remedio, istud pro præmio. Beatior autem erit quæ sic manserit secũdum meum consilium. Puto enim quòd & ego spiritum dei habeam. Sequimini ergo filiæ consilium Apostoli, donum spiritus sancti. Sumite ergo & vos sicut sumpsit Maria soror Moysi & Aaron tympanum in manibus vestris & exite dicentes: Cantemus domino, gloriose enim honorificatus est: equum & ascensorem proiecit in mare. Mortificate membra vestra, vt tympani modo nulla in iis lasciuia carnis exæstuet, omnisque flagrantię corporalis sensus intereat. Nesciat in iis nisi in mortuis corporis voluptatibus solus spiritus resultare. Si enim mortui fueritis peccato, viuetis deo. Viuetis autem si non regnet in corpore vestro mortuo vlla concupiscentia. Versate manibus vestris crucem domini Iesu, & in vestris eam operibus ableuantes, calcate mundi huius profundum, & pertransite, vt ille sicut equus adhinniens in libidinem, nullum locum inueniat in vobis. & quicunque voluerit persequens comprehendere vos, demergatur. Dextera læuáque circa vos aquæ murus sit, vt vapor omnis corporis tẽperetur, donec ad illos intelligibiles duodecim fontes, & septuaginta arbores palmarũ, ad illam magni requiẽ sabbati diuina vos dignatio perducat, & in monte hæreditatis suæ plantare dignetur, vbi sancta Maria choros ducit. Induite ergo filiæ dominũ Iesum Christum, quærite veram sapientiã, de qua dicit sanctus Iob: Sapientia autẽ vnde inuẽta, aut qui locus disciplinæ? Abyssus dixit: Non est in me. Mare dixit: Non est mecum. Bene abyssus dixit, non est in me, quia resurrexit. Non enim habet quẽ tenere non potuit. Denique habes in euangelio, quia angeli dixerunt mulieribus ad sepulchrum veniẽtibus: Iesum qui crucifixus est, quæritis: non est hîc, sed surrexit. Quid est, non est hîc? id est, non est in sepulchro, non est in infernis, sed in cœlestibus est. Mare quoque, hoc est, seculum dicit, mundus hic dicit, non est mecum: quia supra mundum est, quem vitæ humanę lapsus atque illecebra non immutauit: quia peccatum fecit, nec est dolus inuentus in ore eius. Abyssus ergo dixit: Non est in me. Mare dixit: non est mecum. Sed cœlum non dixit, quia non est apud se, quem receperat resurgẽtem. Paradisus non dixit: non est in me, quem regnare in se absoluto quoq; latrone cognouerat, sicut ipse dominus dixit: Hodie mecum eris in paradiso. Attrahite filiæ sapientiam in interiora vestri cordis promptuaria, quoniam ea est omni auro argentóque presiosior, quam mors nescit: quia non mortui laudant dominum, sed viuentes. Et vos igitur vt viuatis, laudate dominum, & laudate eum diebus ac noctibus. Laudabitis autẽ, si ab eo nulla vos auertat cupiditas matrimonij, & cura mũdi: quoniam quæ coniugium sortiuntur, solicitantur mundi huius negociis. Considerate filiæ quid votis debeatis parentum. Aperuimus ad deum os nostrum, votum est voluntas parentum. Nos orauimus, vos soluite. Quanta vis sit in votis parentum, Iepte Galaditæ filia vos debet docere, quæ ne frustraretur oblationem patriam, etiam mortem suam obtulit. Nam cùm ille solicitus de belli periculo vouisset, si prosperior pugnæ euentus foret, id quod regredienti domum suam primo sibi occurreret, deo se immolaturum: vbi victoria potitus est, occurrit filia læta præ cæteris gaudio victoriæ & pietatis officio. Ingemuit pater, nõ affectus immemor, sed memor voti. Quæsiuit causam filia, respondit ille quid domino promisisset. Tum illa hortata est, vt promissum deo munus impleret. Itaque incautã patris oblationem sanguine suo soluit. Hæc vobis filiæ sunt communia. Tu autem fili quem mihi verus Helcana, id est, dei dedit possessio, postulatus meus, petitus meus (inde enim etiã Samuel nomẽ accepit. Tu, inquã, impetrat⁹ meus, & votiuus meus, qui quomodo in vterũ meum venetis, nescio

1.Cor.7. Ephe.1. Ioan.19. Act.1. Psalm.138. Psalm.118. Act.3. Psalm.33. Esaiæ 54. Ibidem 66. Galat.3. 1.Cor.12. Matt.20. Psal.105. 1.Cor.7. Exod.15. Exod.15. Rom.6. Roma.13. Iob 28. Matth.28. 1.Petr.2. Lucæ 23. Psalm.113. Iudicũ 11.

ſcio(iam enim deſperaueram ſobolem ſexus virilis) quem mihi vota mea, non aliqua ſolennis cœtus ſecreta formarũt. Tu,inquam fili, agnoſce à quo donatus ſis mihi. Ille tua ora plaſmauit,ille tua membra diſtinxit, ille mea orata ſuſcepit, cuius templo, cuius obſequio te antequam naſcereris ſacraui. Non parentibus, non tibi, ſed deo natus es: cuius antequam de vulua matris exires, eſſe cœpiſti. Et omnes quidẽ illius ſumus, ſed tamen tu ſpecialiter promiſſus domino,tu
Pſalm.75. redderis, quia ſcriptum eſt:Vouete & redditte domino deo veſtro. Ego miſera, ego indigna, & tamen quaſi Anna promiſi, vt omnibus vitæ diebus ac noctibus à conſpectu domini non recedas.Ego promiſi, tu exequere. Dominus ſibi hoſtiæ ſuæ munus implebit. Hæc & alia pia mater,quę poſt quam congruentem filiorum vidit affectum, ablactatum ſuum vberibus gratiæ ſpiritualis in templum domini de-
1.Reg.2. ducens, conuerſa ad preces: Confirmatum eſt, inquit,cor meum in domino, exaltatum eſt cornu meum in domino. Dilatatum eſt eos meum ſuper inimicos meos, lętor in ſalutari tuo: quoniam non eſt ſanctus alius quomodo dominus,& non eſt iuſtus quomodo deus noſter, & non eſt ſanctus prętер te. Iſta igitur ad filios mater dicit, quæ ſimul & viduitis in ſe, & integritatis in liberis titulos in domum ſuam intulit quaſi quoſdam fœmineos principatus.Egregia ſanè fœmina,quę ſibi nihil reliquit:totũ quod habuit,deo obtulit:cuius vita inſtitutio diſciplinæ eſt, & quædam formula caſtitatis,bono propoſito,& meliore magiſterio. Exemplum enim viduitatis, & virginitatis magiſterium eſt. Procedit in eccleſiam filiarum virginum ſepta comitatu, domeſticum decus inuehens: & inuenit in eccleſia quod ſuum dicat, filium ſacrarum lectionum oracula perſonantem:vt videantur ſibi ſorores domi diſcere, cùm frater auditur. Mater quoque ad imitationem cœleſtis exempli gaudet ſe proficere de filio & omnia legentis verba pio mandat affectu, & ſedulo corde conſeruat. Sed quanuis nil maternis defuerit hortationibus,ego quoque vos filię vel paucis alloquar:
Matth.6. Quærite dominum Ieſum, qui nos monet vt quæramus regnum dei, & ecce omnia, inquit, ſuppetent vobis. Sed malo ego vos ante meritum deferre, & ſic exigere mercedem. bona merces, ſed diuinior diſpenſator mercedis & auctor muneris. In regno merces,in Chriſto remunerãdi poteſtas. Quærite illam in ſcripturis diuinis, ibi Chriſtus inuenitur:
Cantic.1. & dicite ſicut illa dicebat:Annuncia mihi quem dilexit anima mea.Sed ſynagoga quęrebat quem amiſerat, vos quęrite quem non amittatis. Sed cur ſynagoga dicis, quem dilexi, & non dicis,quem diligo? ideo non tenes, quia dilexiſſe te dicis.Cur non potius adhuc diligis, vt poſſis tenere? Verùm illam omittamus. Tu virgo cùm cœperis quærere, adeſt.Neque enim fieri poteſt vt deſit quęrentibus ſe, quia palam factus eſt non quærentibus, & inuentus eſt non interrogantibus. Dum tractas & cogitas præſto eſt. Diſce interrogare cùm venerit, vbi paſcat, vbi maneat, ſicut illa dicebat:Vbi paſcis,vbi manes in meridiano? Vbi enim Chriſtus manet, niſi vbi iuſtitiæ meridies fulget? Ideoque ſacratæ
Pſalm.18. ſcripturæ docetur teſtimonio, qui dicit: In ſole poſuit ta-
Pſalm.35. bernaculum ſuum.Vnde & alibi idem dicit Propheta,In lumine tuo videbimus lumen. Lumen filius eſt:lumen & pa-
Hebr.1. ter qui videtur in filio:quoniam filius ſplendor gloriæ patris, & imago ſubſtantiæ eius eſt. Sed etiam in tuo lumine virgo Chriſtum require, in bonis cogitationibus, in bonis
Matth.5. operibus, quę luceant coram patre tuo qui in cœlis eſt.Quę re in noctibus,quære in cubili tuo,quoniam & nocte venit & pulſat ianuam tuã. Vult enim te omnibus inuigilare momentis,vult ianuam tuæ mentis patentem inuenire.Eſt & illa ianua quam vult patere vt aperiatur, vt reſonet os tuum laudem domini, gratiam ſponſi, crucis confeſſionem, cùm ſymbolum recenſes,pſalmos in cubiculo tuo concinis. Er-
Luc.12. go cùm venerit, vigilantem te inueniat, vt parata ſis. Dormiat caro tua, vigilet fides, dormiant illecebræ corporis, vigilet cordis prudẽtia, membra tua redoleant crucẽ Chriſti, & ſepulturæ odorẽ:vt nihil iis ſomnus caloris infundat,nullos excitet motus. Ipſa eſt anima quę ſe Chriſto aperit, quã nulli vapores carnis exagitant. Cùm hęc inuenerit ſponſus, tranſibit:anima tua illum ſequatur,diſcedat à cubili ſuo,ex-

eat in verbo eius,ſicut ſcriptum eſt.Exiuit anima mea in verbo tuo, id eſt,peregrinetur à corpore,vt deo adſit:quoniam cùm eſt in corpore, peregrinatur à Chriſto. Vnde & Apo-
2. Corin.5. ſtolus ait:Audemus ergo & contendimus magis peregrinari de corpore, & adeſſe ad dominum. Et ideo contendimus ſiue abſentes, ſiue præſentes placere illi. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt reportet vnus quiſque propria corporis ſicut geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Quàm citò cauſam probauit, qua corpus reſurgit. Oportet enim carnem reſurgere, quæ remunerationem ſuorum eſt adeptura geſtorum, vt quæ in corpore geſſimus, in corpore recipiamus. Vult igitur ſe dominus ſæpius quæri. diſcedit, currit vt reſuſcitet gratiam, quam vult à te, etiam in te reſuſcitari: ſicut habemus ad Timotheum ſcriptum:
2.Timo.1. Propter quam cauſam admoneo te vt reſuſcites gratiam dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Quæ autem reſuſcitauerit gratiam, fit vulnerata charitatis, ſicut illa dixit: quia vulnerata charitatis ego ſum. Si ſuſcitaueritis & reſuſcitaueritis charitatem, quid iſtud ſit, poterimus intelli
Eſa.49. gere (ſi repetamus) quia ſagitta eſt dominus Iſus, cui dicit pater:Poſui te ſicut ſagittam electam. Et quia ipſe eſt charitas,ſunt vtique iacula charitatis,quibus vulnerat ſeſe quęrentes. Denique & alligati vinculis ipſum ſequuntur, quia quos vulnerat, ligat. Ergo ſunt etiam vincula charitatis, qui
ad Philem. bus ligatus eſt Paulus, qui ait: Paulus vinctus Ieſu Chriſti. Vulnera autem charitatis eſſe,docet Iob quo nemo amplius Chriſtum dilexit qui diligebat etiam in ipſis ſui corporis
Iob 6. cruciatibus. Vnde dicebat: Sagittæ autem domini in meo corpore ſunt, quarum furor ebibit ſanguinem meum:cùm cœpero loqui compungunt me.Sunt ergo charitatis vulnera,& bona vulnera.Denique meliora vulnera amici,quã vo
Prouer.27. luntaria oſcula inimici.Hieremias quoq; æſtuabat,& ignem
Hier.37. charitatis quo inflammabatur ad officium prophetandi,ferre non poterat. Denique demergebatur in lacum,quia Iudęis futura excidia annunciabat,& tacere non poterat. Lapi
Acto.6. dabatur Stephanus,& illa pro Chriſto vulnera quaſi vulnera charitatis pio excipiebat affectu. Vapulabant apoſtoli, & congratulabantur. Quàm bonus eſt dominus,pro quo dulces & iniuriæ ſunt, & grata mors.Et bene grata,quæ acqui-
Eccleſ.9. rit immortalitatem. In omni,inquit, tempore ſint veſtimenta tua candida.Quid candidus virginitate? quid nitidius intacti veſtimento pudoris? Bona quidem caſtitas coniugalis, & caſtitas viduitatis. Munda omnis caſtitas,ſed fortè non omnis candida,aut nõ candida in omni tempore. Non candida,quando non habet quis ſui corporis poteſtatem,quando ad tempus ſequeſtratur oratio.De virginitate ergo pulchrè dicitur:In omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum in capite tuo,vt faces tuæ ſemper poſſint lucere, nec extinguantur cùm cœperit ſponſus ille cœleſtis venire. Quam autem vnctionem in capite tuo Eccleſiaſtes dixerit, de Prouerbiis colligimus:quia oculi hominis in capite eius, id eſt,ſapientię tuę ſenſus.Ideo fortè & euangelica mulier il
Lucæ 7. la laudatur,quæ pedes domini capillis ſuis terſit, quod fide ſe humiliauerit, ne per carnis elata ſapientiam videretur, quam legi ſubditam verus occultorum interpres Paulus negauit, eo quòd Chriſto ſubiiceretur. Et pulchrè hoc poſſumus intelligere etiam corporaliter:quoniam in propheticis ſcriptis reprehenduntur filiæ Sion,quod alta ceruice procederent,nutibus oculorum,& itinere pedum trahentes ſimul tunicas,& ludentes pedibus.Et ideo gloriam veſtis earum, & ornatus earum, crines & cincinnos, dominus ablaturum eſſe ſe dicit.Rectè iſta mulier ſparſit capillos ſuos,vt nodos crinium euangelica ſolueret diſciplina. Vnde & apoſtoli di
1.Petri.3. xerunt:Non in plicatu capillorũ, ſicut Petrus docuit:neque
1.Timo.2. in tortis crinibus,aut auro,& margaritis,vel veſte precioſa, vt Paulus aſſeruit:ſed magis interioris hominis ornamenta fœminis requirenda: quoniam ille abſconditus cordis homo, qui eſt pauper ſeculo, ipſe eſt locuples deo. Audiſtis filię quia pauperes vos vocatis.Quis autem eſt homo diues, cùm multis egeat,niſi ille cui nõ eſt graue peccatum in con
Eccleſ.13. ſcietia?Bona eſt enim,inquit,ſubſtantia,cui non eſt peccatũ in conſcientia. Audiſtis, inquam,in quo poſſitis apud deum eſſe locupletes, vt ſit in vobis,inquit,incorruptibilis & mo-

deſtus

deſtus ſpiritus. Bonę enim diuitiæ ſunt innocentię atque
ſimplicitatis, quibus peccatum non imputatur, quia nulla in
iis doli fraudiſque verſutia eſt. Omnis enim ſimplex obtre
ctare nō nouit, neſcit inuidere, ſuo cōtentus eſt, aliena non
quęrit. Et ſi egeat, ſibi diues videtur, ſi ſuppetat quod ali-
2.Cor.8. mento eſt ſatis. Denique pulchrè apoſtolus Paulus: Et pro-
funda, inquit, paupertas eorum abundauit in diuitiis ſimpli
citatis eorum. Et qua eccleſia congruis erat ornatibus com-
pta, & de Chriſto lumen recipiens refulgebat. Poteſt etiam
ſic locus ille accipi, eo quòd ſynagoga ad eccleſiam dicat:
Cantic.1. Vbi paſcis, vbi manes in meridiano: ne fortè fiam circuma
micta ſuper greges ſodalium tuorum. Mercennaria eſſe de-
ſiderat, quę ſibi vendicabat ante dominatum. Quàm dam-
noſa perfidia eſt. Sed quia incredula, immitis, ſacrilega, id-
eo eam à gregibus eccleſię ſuę ſeparat Chriſtus, dicens:
Niſi ſcias te ô decora in mulieribus, hoc eſt, prius te quæ
ſis ipſa cognoſce, & tunc pete vt meis gregibus appropin-
ques. Et bene in mulieribus decora dicitur ſynagoga, non
in virginibus, quia Euam mulierem ſequebatur, per quàm
lapſus aduenit. Eccleſia autem decora in virginibus eſt, quia B
virgo ſine ruga eſt. Scire ergo debet ſiue vir ſiue mulier,
quia ad imaginem dei eſt & ſimilitudinem. In quo enim ad
imaginem dei ſumus, niſi in animæ ſubſtantia & mentis vi
Pſalm.55. gore? Hæc noſtra omnis portio. Denique Dauid inquit: In
deo ſperabo, non timebo quid faciat mihi caro. Non ergo
Gen.6. caro ſumus, ſed ſpiritus. De Iudęis autem dictum eſt: Non
permanebit in iis ſpiritus meus, quia carnes ſunt. Non au-
rum ſumus, non pecunia, non diuitiarum copię. Illa enim
noſtra. Et ideo tibi dicit Moyſes: Attēde tibi, hoc eſt, animę
tuę, ne pereas, ne carnalis fias. Attende tibi, hoc eſt, imagini
quam à Chriſto accepiſti, ſimilitudini ad quam factus es. I-
pſam ſerua imaginē, quam Chriſtus in te operibus ſuis pin-
xit: ſicut ipſe ait ad Hieruſalem, id eſt, ad animam pacificam:
Eccleſi.12. Ecce ego Hieruſalem pinxi muros tuos. Attende ergo tu
pręcipuè fili: attende tibi vt lęteris in iuuentute tua: cui dicit
ſcriptura: Lętare adoleſcens in iuuentute tua. Non vnius ti-
bi dicit tempus ætatis. Eſt quaſi quidam flos vitæ, bonorúm
Pſalm.102. que ętas operum, de qua ſcriptum eſt: Renouabitur ſicut a- C
quilæ iuuentus tua. Et oblectet, inquit, te cor tuū in diebus
adoleſcentię, tuę & ambula in via cordis tui ſine macula, &
in aſpectu oculorum tuorum, & non in audacia oculorum
tuorum. In aſpectu vtique ſpirituali, non audacia ſeculari.
Et ſcito quòd ſuper hæc omnia adducet te deus in iudiciū,
& repellet iram à corde tuo, & amouebit nequitiam à carne
tua. Attende tibi virgo & tu, vt inſiſtas orationi, & vultus
Eccleſ.18. tuus aſſidua obſecratione palleſcat. Sed ante orationem prę
para animam tuam, vt non videaris tentare deum, cùm de-
precaris: vt id quod oras, mores tui loquantur, fides adiu-
uet, opera commendent. Attende tibi, quod dico tibi: cui-
cunque virgini loquor. Nam tibi pię non deeſt inſtitutionis
magiſtra. Attende, inquam, virgo ſacrę pręſertim profeſſi-
onis, & ab hominis irreuerentis oculis caue. Et ſi ad tēpus
prętercierit quaſi viator, tamen os ſuum aperit, & ab omni a-
qua proxima bibet, vt te inebriet. Nullus ſit tuus ſine ma-
tre progreſſus, quæ ſit anxia tui cuſtos pudoris. Ipſa quoque
ad eccleſiam progreſſio rarior ſit adoleſcentulis. Conſide-
ra quanta fuerit Maria, & tamen nuſquam alibi, niſi in cubi D
culo reperitur cùm quæritur. Illa te doceat quid ſequaris.
Angelum in ſpecie viri vidit, & pauebat corde, peregrina-
Lucæ 1. batur aſpectu: vnde dicit ad eam angelus: Ne timeas Maria.
Eccleſ.21. Decet ſolitudo verecundiam, & gymnaſium pudoris, ſecre
tum eſt. Quid enim tibi vel ad proximam facilè accedere?
Pes fatui facilis in domum proximi: qui autem ſapiens eſt,
Ibidem 22. verecundatur. Inde naſcuntur fabulæ, de quibus pulchrè
admoneris vt caueas, cùm dicit tibi vir ſapiens: Quis dabit
diſciplinæ meę cuſtodiam, & ſupra labia mea ſignaculum
certum, ne cadam ab illis, & lingua mea perdat me? Si vi-
rilis ſexus iubetur tacere coram ſenioribus, quàm indeco-
rum eſt virgines loqui, & varios ſerere ſermones? Eſto vt
imperes tibi ſilentium, nunquid potes aliis imperare ne au
dias? Poteſt quis aliquando frēnos ori ſuo imponere, & ver
bis ſtateram, auribus non poteſt. Loqui enim in nobis eſt,
audire ex aliena pendet poteſtate. Sępe enim audimus quod

A nolumus. Quid deinde aliud nos ſcriptura admoneat conſi
deremus. Non iurandum, inquit facilè, quia plerūque mul Matth.5.
ti caſus accidunt, vt non poſſimus implere quod iurauerimus. Qui autem non iurat, vtique non peierat: qui autem iu
rat, aliquando neceſſe eſt incidat periurium, quia omnis ho- Pſal.115.
mo mēdax. Noli ergo iurare, ne incipias peierare. Nec ipſam
quidem liberiorem læticiam in virginibus decet eſſe. Quæ
ſi non habent quod fleant, lapſus fleant peccantium. Ete-
nim quæ aliorum lapſus fleuerit, ſuos cauebit. Fleant poſtre-
mò vel illa contemplatione, vt hîc flentes, illic accipiant con
ſolationem: ne ſicut diues ille qui hîc luxuriatus eſt, illic pœ
nas graues ſubire domini declaratur oracuło, & tu audias:
Recepiſti bona in vita tua. Quanto beatior Lazarus qui Lucæ 16.
hîc fleuit, & illic exultat: hîc eſuriuit, & illic epulatur. Si vis
ergo & tu bonam lęticiam ſequi, demōſtrat tibi Eccleſiaſtes
liber quam ſequi debeas, qui ait: Veni, manduca in lęticia Eccles.9.
panem tuum: quoniam iam placuerunt deo facta tua. Quid
autem idem Eccleſiaſtes monuerit nos omnes de immode-
ratione ridēdi, cōſideremus. Sicut vox, inquit, ſpinarum ſub Ibidem 7.
B olla, ita riſus ſtultorum. Nempe ſpinæ cùm ardent, ſonant,
& citò exuruntur, vt nullus caloris ſit effectus. Vnde & de
Iudæis dictū eſt: Exarcerūt ſicut ignis in ſpinis. Exuſti ſunt e- Pſalm.117.
nim ſuo riſu, & cō flagrarūt in domini paſſione, quādo in a-
nimæ ſuæ iocabātur incendium, dicentes: Sperauit in domi Pſalm.21.
no, eripiat eū, ſaluum faciat eum, quoniam vult eum. Et deri
dentes percutiebant calamo caput eius, & ſpinis eum coro- Ioan.19.
nabant, atque acetum ei vt biberet, offerebant. Ille riſus ſy-
nagogam incendit in æternum. Sic ergo eſt riſus ſtultorum,
qui ſine gratia ſonat, & ollam ſui corporis vrit. Meritò nega Gen.18.
bat Sara quia riſerat, ne videretur ridendo de effectu pro-
miſſorū dubitaſſe cœleſtium: & tamen ille riſus plenus gra-
uitatis fuerat & pudoris, quem nemo alius teſtis niſi deus ſo
lus, cognoſceret, quem occulta non fallūt. Quàm pulchrum
& illud: Noli feſtinare in ſpiritu tuo iraſci, quia ira in ſinu Eccleſ.7.
ſtultorum requieſcit, hoc eſt, etſi cauſa ſit quæ moueat indi
gnationem, nō ſit feſtina vindicta, ne immoderatus calor in-
dignationis exæſtuet. Non poteſt igitur auferre quod natu-
C ralis eſt motus, ſed moram inſerit, vt medicina conſilij tem-
peret iracundiam. Sic enim Dauid antè iam dixerat: Iraſci- Pſalm.4.
mini, & nolite peccare. Non quo imperaret iracundiam, ſed
quòd id quod naturæ eſſet, auferre non poſſet, & quaſi bo
nus medicus remedium daret, vt ipſa iracūdia non noceret.
Denique etiam ſi quis prolapſus eſſet corde, quoniam ira
neſcit tenere moderamen, ſuadet vt compungatur in cubi-
libus ſuis, & ſuum vnuſquiſque condemnet errorem. Sic e-
nim ſcriptum eſt: Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubi
libus veſtris compungimini. Voluit itaque omnes homines
ſuorum delictorum eſſe cenſores, vt & qui publico teſtimo
nio non tenetur, ſeipſum iudicem qui in occulto lapſus eſt
erubeſcat, & aculeo quodam coerceat amaritudinis & pu-
doris. Quid de parſimonia loquar, cùm ſapiens dicat: Aufer Eccleſ.23.
à me ventris concupiſcentias, & concubitus cupiditas ne ap
prehendat me? Nec infirmitatem ex ieiunio, & abſtinētiam
reformides. Infirmitas enim grauis ſobriam facit animam.
Quomodo etiam docent Salomonis prouerbia, bonæ opi-
nioni ſtudēdum, dicendo: Potius eſt nomen bonum quàm Prouer.22.
diuitię multæ. Quid eſt enim patrimoniū, niſi bona illa gu-
bernatio, vnde ſanctus Iob dicit: Benedictio morituri ſuper Iob 29.
me veniebat, & os viduæ me benedicebat. Oculus eram cæ
corum, & pes claudorū: inualidorum pater. Si vidi nudum
prætereuntem, & non veſtiui: ſi me non benedixerunt egen
tes, & de velleribus ouium mearum humeros eorum nō ca
lefeci, ſi abſcondi aliquando peccatum meum, quod vel im
prudens non ex voluntate commiſerim, ſi aliquando permi
ſi vacuo ſinu exire inopē ianuam meam? His enim nomen
bonum paratur. Præ cæteris tamen in virgine præcellit ſtu-
dium ſobrietatis. Sobrietatem dico non vini abſtinentiam,
ſed corporalis laſciuiæ, qua grauius quàm vino inebriamur.
Dat enim calicē ruinæ & iræ poculum. Vnde & dicit domi
nus ad Hieruſalem: Audi humiliata & ebria non à vino. Ec Eſaiæ 51.
ce accepi de manu tua calicē ruinæ, & poculum iræ. Si hūc
calicem exinaniuerit ſynagoga, non bibant filiæ eccleſiæ.
De Iudæis enim dictum eſt: Filiæ eorum compoſitæ, cir- Pſalm.143.
cumornatæ

1.Corin.3. 2.Cor.11. cumornatæ quomodo ſimilitudo templi. Vos autem templum dei eſtis, filiæ eius qui non tranſfiguratur in angelum lucis, ſed verum lumẽ de vero eſt lumine. Ideo in vobis nõ ſimilitudo,ſed veritas ſit. Multæ autem cùm ſtudium caſtitatis profiteantur, affectant adminicula pulchritudinis,vt conptiores prodeãt, nitidiore vultu quàm ſacras domini decet,

Coloſ.2. quibus apoſtolico ſermone reſpondeo : Quæ mortuæ eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi, quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis?Ne tetigeritis,inquit,ne attaminaueritis,ne guſtaueritis quæ ſunt omnia ad corruptelam.At non ſancta Soteris,vt domeſticum piæ parentis proferamus exemplũ. Habemus enim nos ſacerdotes noſtram nobilitatem præfecturis & conſulatibus præferendam. Habemus,inquam,fidei dignitates quæ perire non norunt.At non,vt dixi,Soteris vultus ſui curam gerebat : quæ cùm eſſet decora facie valde, & nobilis virgo maiorum proſapia, conſulatus & præfecturas parentũ ſacra poſthabuit fide,& immolare iuſſa non acquieuit.Quã perſecutor immanis palmis cędi præcepit,vt tenera virgo dolori cederet, aut pudori.At illa vbi audiuit hanc vocẽ,vultum aperuit,ſoli inuelata atq; intacta martyrio,& volens iniuriæ occurrit, vultum offerens,vt ibi martyrij fieret ſacrificium,vbi ſolet eſſe tentamentum pudoris . Gaudebat enim diſpendio pulchritudinis periculum integritatis auferri.Sed illi potuerunt quidem vultum eius vulnerum vibicibus exarare,faciem tamẽ virtutis eius & gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerũt. Hetruſcum iuuenem veteres fabulæ ferunt,cùm propter admirandam oris proprij pulchritudinem in amorem accenderet fœminas, ſtigmatibus inaraſſe vultũ ſuum, ne qua eum adamare poſſet. Videro vtrum caſtus fuerit illius animus,affectus tamen non innocens,propter quẽ in ſe ipſe animaduerteret.Ille tamen ſola excepit vulnera ne noceret:hęc triumphales retulit martyrij cicatrices, vt imaginem dei quã acceperat,reſaruaret.Seruate & vos hanc imaginem filiæ,ſeruate ſcripturæ præcepta diuinæ, vt omne os

Prouer.93. iniqui obſtruatur.Scriptum eſt enim:Beatus quẽ tu erudieris domine,& de lege tua docueris eum.Bonus dominus erudit & docet,& plerunq; arguit.Sed etiam quẽ arguit,beatum facit.Beatus enim homo quem arguit dominus.Et ideo increpationes eius nõ refugias,quia charitatis & gratię ſunt. Ipſe enim percutit,& quaſi bonus medicus manibus ſuis ſanat.Septies de neceſſitatibus te liberat,in ſeptimo autẽ non te contingit malum.In fame eripiet te à morte,in pugna autem de manu ferri te exuet,à flagello linguæ te abſcondit.Si enim tu nulli putaueris derogandum, alienæ linguæ flagella non metues.Mirè autem ſermones maledicorum expreſſit dicẽdo,linguæ flagellum,cuius ſonus latè reſultet.A quo

1.Petr.3. nos ſeparare cupiens Petrus apoſtolus monet: vt non reddamus malum pro malo,& maledictum pro maledicto: ſed magis cùm maledicitur nobis,benedictionis referamus gra

Pſalm.33. tiam, Et ideo dicit: Cohibe linguam tũam à malo,tanquam linguæ flagello, nec timeas verborum ſonum, ſi munda eſt conſcientia tua.Bonũ eſt quidem nullum (ſi fieri poteſt) locum obtrectationi dare : ſed quia pleriq; non vitiis ſed virtutibus derogant,reprehendant quod laudis eſt, non inueniant quod erroris eſt.Sed,quod peius eſt,non ſolũ ab aliena lingua,ſed etiã à noſtra flagellamur . Et hæc ſunt grauiora verbera,cum ex multiloquio peccatũ incurrimus.Et ideo cuſtodi virgo vias tuas,vt nõ delinquas in lingua tua. Et bona loqui plerunque crimen eſt virginis.Sed quid miraris de

1.Timo. 2. virgine,cùm mulier in ſilentio iubeatur diſcere? Bonus eſt

Danic.13. pudor,quem commendant ſilentia. Suſanna periclitabatur & tacebat,vt melius tacito pudore loqueretur.Denique inuenit verecũdia defenſorem,qui defenderet caſtitatem. De qua bene dicitur,quòd eam à flagello linguæ dominus abſ-

Gen.39. condit. Quid de fœminis dicimus ? Ioſeph tacuit accuſatus, vt melius eum innocentia quàm lingua defenderet. Tacuit

Daniel.14. Daniel omnibus ſapientior,& ora clauſit leonũ. Vnde pul-

A chrè ſanctus Dauid dicit: Poſui,inquit,ori meo cuſtodiam, dum conſiſteret aduerſum me peccator. Quid enim vis loqui? Vereris ne te tacente obiecta credantur? Sed audi bonũ magiſtrum dicẽtem ſanctum Iob :Ecce rideo opprobrium, & non loquor:clamabo, & nuſquam iudicium:id eſt,crimi nator aliquis opprobria iacit? habes quod intra te rideas,ſi crimen conſcientiæ nõ recognoſcis. Quid enim referas verba verbis:Nondum eſt iudicium:& ſi clames,nõ appropinquat.Debentur tibi in hoc ſeculo multa certamina.Vicerat ſanctus Iob damni dolorem:vicerat, imò excluſerat luctus acerbitatem in amiſſionibus filiorum, vicerat vulnerũ aſperitates,vibices corporis,adhibentur mulieris tentamenta,& ipſa non ſenſit,Adhuc amicorum increpationes ad certamẽ ei vltimum reſeruãtur. Luctatus fuerat cum affectu patrio, luctatus cum dolore corporis & ęgritudine:oportebat eum ſubire etiam ſermonum tentationes.Ergo quando vides viduam diſpendiis aliquibus laborare,aut filiorum incommoditate vel morte,iuſtum iniuriis affici:noli ex iſtius ſeculi in

B commodis merita eius penſare, aut mirari quod derelictus à domino ſit.Hic quidem luctamur, ſed alibi coronamur. Non de me tantùm ,ſed de omnibus hominibus cõmuniter ſum locutus. Nam vnde mihi tantùm meriti, cui indulgentia pro corona eſt?Hîc lucta,illic brauiũ:hîc militia,illic ſtipendium eſt.Ergo dũ in hoc mundo ſum, adhuc luctor, adhuc decerto, adhuc impellor vt decidam. Sed potens eſt dominus,qui impulſum ſuſcipiat, labẽtem ſtatuat,nutãtem erigat.Quid ergo miraris aliquem laborare? Donec vita eſt iſta,certamẽ nõ deerit.Non exit corona,nullus probatur,ni Matth.10. & 24.
ſi qui perſeuerauerit vſque in finẽ, vt poſteapoſſit qui legiti mè certauerit coronari.Quis fortior Paulo?quis beatior?Ille tamen vas electionis dominicę,nõ antè ſibi coronam vin Acto.9.
dicauit quàm certamen omne conſummaretur.Ideóque ait? 2.Tim.4.
Certamen bonum certaui,curſum conſummaui,fidem ſeruaui:quod reliquum,repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ: quã non ſolũ ſibi, ſed etiam omnibus diligentibus aduentum domini dicit eſſe reddendam.Pulchrè dixit,aduentum Chriſti diligentibus.Nemo enim feſtinat ad iudicium,niſi de in-

C nocentia ſecurus,aut qui de labore præſumit, cui aut gratia domini,aut pia pro Chriſto certamina ſuffragantur.Quam vtique habebit prærogatiuam & ea vidua quę bene filios educauerit,& in liberis gratulabitur,& maximè quę omnes quos ſuſcepit,domino dedit. Vnde & illa euangelica vidua Luc.21.
diuitibus antefertur. Non ſolùm enim quia totum quod habuit, ad victum pauperum miſit,ſed etiam quòd duo æra detulit, dominica voce laudatur,id eſt, plenam fidem.Deni Ibidem.10.
que ad hominis ſanitatem & ille Samaritanus duo æra ſtabulario dedit, quibus vlcera curaret illius à latronibus vulnerati. Ergo quia & ſecundum vetus teſtamentum Mariæ ſororis Aaron virginitatem, & ſecundũ nouum ſanctę Marię matris domini integritatem ſtudio ſuę prolis imitata eſt, remunerationem fidei diuino iudicio conſequetur, quę nihil ſibi ad ſeculi ſubſidium reſeruauit,ſed totum domino ſobolis piæ munus impendit. Te nunc domine,precor, vt ſupra hanc domũ tuam, ſupra hęc altaria, quę hodie dedican-

D tur, ſupra hos lapides ſpirituales quibus ſenſibile tibi in ſingulis templum ſacratur, quotidianus pręſul intendas, orationéſque ſeruorum tuorum,quæ in hoc loco funduntur, diuina tua ſuſcipias miſericordia.Fiat tibi in odorem ſanctificationis omne ſacrificium quod in hoc templo fide integra, pia ſedulitate defertur. Et cùm ad illam reſpicis hoſtiam ſalutarem per quàm peccatum mundi huius aboletur, reſpicias etiam ad has piæ hoſtias caſtitatis,& diuturno eas tueaaris auxilio, vt fiant tibi in odorem ſuauitatis hoſtię acceptabiles, Chriſto domino placentes, & integrum ſpiritum eorum animam & corpus ſine querelę loco vſque in diem domini Ieſu Chriſti filij tui ſeruare digneris, Amen.

FINIS.

CAPITA INSTITVTIONIS VIRGINIS.

De commendatione Eusebij, quòd Ambrosiam filiam suam deo deuouerit, ac de laude huiusce modi oblationis, virtute quoque taciturnitatis, & loco orandi. Cap. I.
De commendatione ordinis in oratione seruandi, & quòd à diuinis laudibus inchoandum sit, & quomodo virgo tria in se seruare debeat. Cap. II.
Quòd sexus muliebris non sit culpādus propter erroris causam quam Eua inuexit. Et quomodo omnium animantium gratia foris, hominis autem intus existat. Cap. III.
Quomodo per mulierem ecclesiæ gratia figuratur. Quódque mulier lapsus sui in peccatum excusationem habeat quam vir habet. Cap. IIII.
Quomodo mulierem audire vir iubeatur. Quomodo etiam Maria non solū virginitatis incentiuū attulit, sed & deum intulerit. Et de confutatione hæreticorum, qui sanctissimam Mariam perseueraſſe virginem negauerunt. Cap. V.
Quomodo non derogauerit virginitati Mariæ quod cōiunx Ioseph nominata fuerit. Cap. VI.
Quòd Maria pudorem nunquam mutauerit, quæ nec animum mutauerat. Cap. VII.
Quòd Maria sit porta illa clausa quam Ezechiel descripsit, in qua sedit Christus, & exiuit. Cap. VIII.
Quemadmodum virgo Maria sit virga & hortus clausus, ac paradisus, & fons signatus, atque porta clausa. Cap. IX.
Quòd Christus qui corona est virginum, sit vnus sicut & pater vnus est, & spiritus vnus: & quomodo in personis diuinis sit æqualitas. Cap. X.
Quòd nulli alij laborare aut seruire debeamus, nisi soli Christo, qui primus est. Et quomodo aliquando secundus & nouissimus dicatur. Cap. XI.
Quomodo Christus dicatur iuuenis secundus & finis omni populo eius. Quomodo etiam virgo Maria dicatur aula regalis. Cap. XII.
Quomodo Mariana virginitas dicatur leuis nubes, super quam dominus sedit, quæ aliis virginibus pluuiam spiritualem irrorat, & vnguentum integritatis. Cap. XIII.
Quomodo gressus Mariæ speciosi dicantur in calciamentis. Et quòd moduli fœmorum suorum similes sint torquibus, & vmbilicus crater tornatilis, & venter sicut aceruus tritici minuti inter lilia. Cap. XIIII.
Quomodo sacræ virgines dicantur lilia Christi, & de anno dominicæ benignitatis. Cap. XV.
Quomodo filiæ Hierusalem egredi iubeantur ad videndum regem Salomonem, &c. Et de stola pię operationis quam induere debent virgines. Cap. XVI.
Quomodo in virginibus videatur angelorum vita in terris, quam in paradiso amiseramus: & de deuota deprecatione quā Ambrosius fecit super virginē velādam. Cap. XVII.

Diui Ambrosij

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

institutio virginis, ad Eusebium.

De commendatione Eusebij quod Ambrosiam filiam suam deo deuouerit, ac de laude huiusce modi oblationis, virtute quoque taciturnitatis, & loco orandi. Cap. I.

COmmendas mihi pignus tuum, quod æquè est meum, Ambrosiam domini sacram: & pio eius affectu tibi asseris præstantiorem reliqua sobole solicitudinem. Et verè ita est apud mentem fidelem. Cæteros enim instituis, vt emittas domo atque alienis copules, istam tecum semper habebis. In cæteris quoq; paternę vteris pietatis necessitudine, in hac vltra patrem procedis, votóque & studio progrederis, vt placeat deo. Quæ cùm sit prestantior causa votorū, sola tamen soluat quicquid A pro se & pro omnibus filiis debes. Hoc est sacrificium quod Abel obtulit ex primitiuis ouium suarum fœtibus. Quod & Apostolus præ cæteris laudat ad Corinthios, dicens: Quoniā qui statuit in corde suo firmus, & iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Vnde pulchrè Dauid cū descripsisset ecclesiæ gratiam, cuius omnis gloria intus est non foris (in bonis enim cogitationibus, atque immaculato castitatis affectu, & syncerę proposito conscientiæ summa est laus) subtexuit, dicens: Afferentur regi virgines post eam. Et conuersus ad dominum patrem: Proximæ, inquit, eius afferentur tibi: afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis. Quæ est proxima, nisi quæ Christo propinquat, cui dicit deus verbū: Exurge, veni proxima mea, formosa mea, colūba mea, quia ecce hyems præteriit? Antequam verbū dei reciperet, hyems erat, inhonora, sine fructu: vbi verbum dei recepit, & mundus ei est crucifixus, æstas est facta. Denique feruore sancti B spiritus vaporata, flos esse cœpit, & spirare odorem fidei, fragrantiam castitatis, suauitatem gratiæ. Vnde & alibi addidit: Oculi tui columbæ extra taciturnitatem tuam: eo quòd tota spiritalis & simplex sicut columba (in cuius specie visus est à Ioanne descendere spiritus sanctus) spiritalia videat, & nouerit ea quæ viderit tacere mysteria. Non enim mediocris virtus tacere. Est enim & tempus tacendi, sicut tempus loquendi: sicut & scriptum est: Dominus dat mihi linguam eruditionis, quando oporteat dicere sermonem. Virginitatis itaque dos quædam est verecundia, quæ commendatur silentio. Ideo ecclesię gloria intus est, non vtique in multiloquio, sed in sensibus vel in penetralibus sacramētorum, sicut ipsa dicit ad sponsum: Quis dabit te fratrem mihi lactentem vbera matris meæ, & inueniens te foris osculabor te? Et quidem non spernēt me, assumam te, & ducam te in domum matris meæ, & in secretum eius quæ cōcepit me. Et suprà ait: Introduxit me rex in cubiculum suum. Foris osculatur ecclesia Christum, & ab eo in cubiculū introducitur. Osculatus est C eam foris, quando tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit tanquam gigas ad currendam viam. Tanquam gigas foris est, quia non rapinā arbitratus est esse se æqualem deo: formā serui accepit. Foris ergo factus est, qui erat intus. Vide illū intus, quando legis quod in sinu est patris. Cognosce illū foris, quando nos quærit vt redimat. Foris sibi factus est, vt mihi intus esset, & fieret medicus noster. Ibi ergo simus, vbi Christus medicus est, radicatus & fixus in cordibus nostris. Et ideo sicut ipse præcepit: Cùm oras, intra in cubiculum tuum, & effunde super te animā tuam. Cubiculū tuum interiorum secretum est, cubiculum tuum conscientia tua est. Denique Ecclesiastes tibi dicit: Et quidem in conscientia tua regi ne maledixeris, & in penetralibus cubiculorum ne maledicto deoueris diuitem. Ibi ergo ora, & ora in occulto: vt audiat te qui in occulto audit, & ora sine ira & discepta tione, abdicato occulta dedecoris. Iustus enim non proditionem criminis metuit, sed contagionem.

1.Cor.7. Psal.44. Cantic.2. Galat.6. Cantic.4. Ioan.1. Eccles.3. Esaiæ 50. Canti.8. Cantic.2. Psal.18. Philipp.2. Ioan.1. Matth.6.

De commendatione ordinis in oratione seruandi, & quod à diuinis laudibus inchoandum sit. Et quomodo virgo tria in se seruare debeat. Cap. II.

D QVàm bona oratio cum misericordia. Bona oratio quæ ordinē seruat, vt primo à diuinis inchoemus laudibus. Si enim cùm apud hominem agimus, benecuolum volumus iudicem facere: quātò magis cùm dominum nostrum precamur? Primò ergo immolemus deo sacrificium laudis, vt & Apostolus dicit: Obsecro ergo primò omnium fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones. Doceat te Dauidicus psalmus octauus, qui cœpit à dei laudibus: Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Hactenus oratio. Inde sequitur obsecratio, vt destruatur inimicus. Postulatio, vt lunam & stellas videat: lunam ecclesiam, stellas filios ecclesiæ cœlestis gratiæ luce fulgentes: & quod petit, prophetico spiritu visurum se esse promittit. Gratiarum actio quòd tuetur dominus hominem, & hunc limum corporis

1.Tim.2. Matth.18.

nostri diuina visitatione confirmat, vel quod homini animantium genera vniuersa subiecit. Similiter & dominica oratio omnia comprehendit, quam vulgare non opus est. Tu autem qui legis, quemadmodum distinguere debeas recognoscis: præcipuè tamen (vt dixi) commendanda est oratio, sicut premisi, placiditate animi & tranquillitate, vt vnusquisque sibi constet & congruat, & fiat illud quod scriptum est:
Matth.18. Si duobus ex vobis conuenerit super terram, de omni re quancunque petierint, fiet à patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Qui sunt isti duo, nisi anima & corpus?
1.Corin.9. Vnde & Paulus castigabat carnem suam, & seruituti redigebat, vt esset animæ tanquam imperatrici suę caro subdita, & mentis imperiis obtemperaret, ne esset in vno homine dissidium, ac bellum intra se gereret, & legi mentis repugnaret lex corporis. Duo igitur ista diuersa ratione quadam & pace iungebat, secundum quod ipse asseruit dicens: Quia
Ephes.2. Christus est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem sepis, soluit inimicitias in carne sua: ne id ageret quod nollet, atq; id faceret quod odisset. Isti ergo sunt duo,
Psal.55. anima & caro. Vnde & Dauid ait: Non timebo quid faciat mihi caro: quam aduersariam animę suæ nosset. Quæ tamen duo (vt euidentius exprimamus) non solum duo sunt, sed etiam duo homines, vnus interior, alter exterior. Isti duo si sibi propositi in æqualitatem concurrant, vt cogitationes factis, & cogitationibus facta conueniant, vitæ nostræ rota sine vlla offensione voluetur, vt quemadmodũ scriptum est:
Psalm.76. Fiat vox tonitrui in rota. Isti igitur duo vnum sunt: nec solum vnum, sed vnus homo. Vnde & Apostolus ait: Vt duos
Ephes.2. conderet in vno homine, faciens pacem, & reconciliaret vtrosque in vno corpore deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso, vt in vtrisque accessum habeamus in vno spiritu ad patrem. Sunt etiam duo homines, vetus & nouus. Vetus ille peccato obnoxius & obsoletus, ac vestimenti veteris similitudine attritus & sciissus, quem in baptismate affi
Roman.6. gimus cruci. Vnde Apostolus ait: Quia vetus homo noster simul crucifixus est cruci, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Vetus ergo affigitur, vt moriatur peccato, vt nouus resurgat, qui renouatur per gratiam. Diximus de duobus. Fortasse dicat aliquis: Quid de tribus dicis,
Matth.18. quoniam sic habet scriptura: Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum? Hinc
1.Thes.5. quoque ratio manifesta est, quia idem Apostolus dicit: Ipse autem deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester & anima & corpus sine querela in die domini nostri Iesu Christi seruetur. Vbi ergo tres isti integri, ibi Christus est in medio eorum: qui hos tres intus gubernat & regit, ac fideli pace componit. Hæc igitur tria, integra præ cæteris in se virgo custodiat, vt nullam det sacræ virginitatis querelam, & sit inoffensa, sine ruga, sine macula. De qua licet frequentibus libris dixerimus, tamen memorati pignoris causa, hunc ad te librum condendum arbitrati sumus.

Quòd sexus muliebris non sit culpandus propter erroris causam quam Eua inuexit. Et quomodo omnium animantium gratia foris, hominis autem intus existat. Caput III.

PRona virginitas, quæ sexum vtrunque non solum absoluit à crimine, verumetiã prouocauit ad gratiam. Accusamus autem plerũque fœmineum sexum quod erroris causam inuexerit, & non consideramus quanto iustius in nos obiurgatio retorqueatur. Nam vt repetamus à principio, & rerum exordia interrogemus: quãtum ei delatum sit, inuestigabimus, & quam in misera conditionis humanæ fragilitate, fœmina inuenerit gratiam. Nam cùm omnia opera sua laudauerit deus, cœlum, terram, maria, noctẽ, & diem, quòd ista proficerent ad vsum laboris, illa ad fructum quietis, laudauerit feras, bestias: vbi ad hominem vẽtum est, solus non videtur esse laudatus, propter quem omnia generata sunt. Quæ igitur causa est, nisi fortè ea, quia alia in specie sunt, homo in occulto? Nihil in bestiis plus reperias, quàm quod videtur: in homine nihil est inferius, quàm quod videtur: qui cùm ex animo constet & corpore, hoc vtique in eo seruit quod videtur: illud autem in eo regit hominem quod non videtur. Merito ergo alia in exordio laudantur, istius laudatio non promitur, sed reseruatur: quia aliorum gratia foris, huius intus est. Aliorum in natiuitate, huius in corde. Quid enim tam altũ & tam profundum quàm mens hominis, quæ quasi inuolucro quodã corporis tegitur & occultatur: vt eam haud facilè quisquam introspicere & speculari queat? Ideo ergo homo non ante laudatur, quia non in forensi pelle: sed in interiore homine ante probandus, sic prædicandus est, quem præclarè definiuit
1.Petri 3. apostolus Petrus, dicens: Absconditum esse cordis hominem in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante deũ locuples. Meritò ergo differtur, vt sequatur fœnorata eius laudatio, cuius dilatio non dispendium, sed incrementũ est. Nemo ergo se despiciat quasi vilem, nec contuitu corporis
Iob 1. sese æstimet. Nam & si dixerit sanctus Iob: Nudus exiui de ventre matris meæ, nudus & hinc abibo: habuit tamen quò non solum inter homines, sed etiam apud deum diues inueniretur. Quid autem locupletius, quàm quod ad imaginem dei est ac similitudinẽ? Ad imaginem autem interior est homo, non iste exterior: ille qui sensu æstimatur, non oculis comprehenditur. Ille ergo nobis expectandus est, qui serius inuestigatur. Ideo deus non putauit hominis fabricam esse laudandam, quia maior eius virtute est portio. Præclara quidem species, & præstantior cæteris animantibus, sed irrationabilia specie corporis æstimentur: ea autem quæ rationis plena sunt, communem laudem sequestrent. Homo igitur mihi non tam vultu quàm affectu admirandus emineat atq; excellat: vt in his laudetur, in quibus etiam deus prophetico
Psalm.65. iudicio laudatur, de quo scriptum est: Terribilis in consiliis super filios hominum: cuius opera coram deo luceant, qui bona iugibus operibus facta contexat. Et ideo laudatio eius non in exordio, sed in fine est. Nemo enim nisi legitimè cer-
2.Tim.2. taucrit, coronabitur. Ideoque Sapiens tibi dicit: Ante mor-
Eccles.11. tem non laudes hominem quenquam. Qua ratione hoc dixerit, superioribus docuit, dicens: Quia in fine hominis nudantur opera eius. Spectemus tertium, in quo manifestauit deus sententiam suam. Cùm enim fecisset hominem, & potuisset in paradiso operari & custodire, dixit: Nõ est bonum
Genes.2. solum esse hominem. Faciamus, inquit, ei adiutorium secundum se. Sine muliere igitur homo non habet laudem, in muliere prædicatur. Nam cùm dicit: Non est bonum solum esse hominem, confirmat vtique bonum esse hominum genus, si virili sexui fœmineus sexus accedat. Simul illud considerandum, quia ille de terra factus & limo est, ista de viro. Et caro quidem limus, sed ille adhuc informis, iste informatus. Iam illud præclarum Apostolicum arcessamus exemplum quod habemus scriptum: Quia relinquet homo patrem &
Ephes.5. matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia.

Quomodo per mulierem ecclesiæ gratia figuratur. Quódque mulier lapsus sui in peccatum excusationem habeat quam vir habet. Caput IIII.

ADuertimus itaq; per mulierem cœleste illud impletum esse mysterium, ecclesiæ in ea gratiam figuratam, propter quam Christus descendit, & æternum illud opus humanę redemptionis absoluit. Vnde & Adam vocauit nomen mulieris suæ vitam. Nam & in populis per mulierẽ successionis humanę series & propago diffunditur, & per ecclesiam vita cõquiritur ęterna. Sanè negare non possumus quod errauerit mulier. Quid miraris tamen si infirmior lapsus est sexus, cùm sit lapsus etiam fortior? Mulier excusationem habet in peccato, vir non habet. Illa (vt scriptura asserit) à sapientissimo omnium serpente decepta est, tu à muliere, id est, illã superior creatura decepit, te inferior. Te enim mulier decepit, illam malus licet tamen angelus. Si tu inferiori nõ potuisti resistere, quomodo illa potuit superiori? Culpa tua illã absoluit. Si de merito culpę dubitas, interrogemus sententiam qua illi dictum est: In
Genes.3. tristitia paries filios, & ad virum tuum conuersio tua, & ipse tibi dominabitur. Viro autem dicitur: Terra es, & in terram ibis. Et verè iuxta hanc sententiam, quandoquidem si Adam quod à domino deo audierat, seruare non potuit, quomodo potuit seruare mulier quod audiuit à viro? Si illum dei vox

non

non confirmauit,quomodo iſtam vox firmaret humana?De nique Adam conuentus quòd contra diuina quæ coram audierat præcepta guſtaſſet, nihil habuit quod diceret: niſi quod ſibi mulier dediſſet,& manducaſſet:mulier autem ait: Serpens traduxit me,& māducaui. Quanto maior mulieris abſolutio?Ille arguitur, hæc interrogatur. Adde illud, quod & prior culpam fatetur.Etenim quæ ſe dicit eſſe ſeductam, teſtatur errorem.Erroris igitur medicina confeſſio eſt. In iudicio ipſo quanto clementior mulier viro?Ille mulierē ſuam accuſauit,iſta ſerpentem:hoc eſt,nec accuſata crimen retorſit,ſed ipſum accuſatorem ſuum maluit(ſi poſſet) abſoluere, quàm ligare.Habes igitur & culpæ abſolutionem in confeſſione,& ſententiæ in executione.In triſtitia,inquit,paries filios.Condemnationis ſuæ pondus agnoſcit,munus pœnalis conditionis exequitur. Pro te mulier doloribus ſuis militat, & remunerationem ex pœna inuenit, vt per filios per quos affligitur,liberetur.Facta eſt itaque gratia ex iniuria, ſalus ex
1.Tim.2. infirmitate. Scriptum eſt enim: Quia ſalua erit per filiorum generationem.Cum ſalute itaque parit,quos in triſtitia parturiuit:& ad laudem educat,quos peperit cum dolore. Sed dicis ô vir,quia mulier tentatio fuerit viri.Verum eſt etiam: ſi eſt decora,ecce alia tentatio.Tamen Abrahæ deſcendenti in Ægyptum,vxoris pulchritudo non nocuit,imò magis profuit:honoratus eſt enim per vxorem, non ludibrio habitus in vxore. Cur autem tu vultus decorem in coniuge magis quàm morum requiras?Placeat vxor honeſtate magis quàm pulchritudine.Illa eligatur,quæ Sarā moribus referat. Non eſt vitium mulieris,eſſe quod naſcitur:ſed vitiū viri eſt quærere in vxore quo ſæpe tentetur: in quo ſi infirmior fuerit mulier,ipſa labatur: ſi fortior,vir periclitetur. Nō poſſumus reprehendere diuini artificis opus:ſed quem delectat corporis pulchritudo,multò magis illa delectet venuſtas,quæ ad imaginem dei eſt intus non foris comptior.Si ergo vxor tentatio eſt, eſto cautior: quære remedium aduerſus tentatio-
Matth.26. nis periculum.Vigilate,inquit,& orate,ne intretis in tentationem. Dominus hoc dixit, vir audiuit, mulier impleuit. Quotidie mulieres ieiunant,& non indicta præſtāt ieiunia, peccatum agnoſcunt,accerſunt remedium. Semel de interdicto mulier manducauit,& quotidie ieiunium ſoluit. Qui ſecutus es errantem,ſequere corrigentem.Ambo manducaſtis,cur ſola ieiunat?hoc eſt,ambo deliquiſtis, cur ſola remedium quærit errori?

Quomodo mulierem audire vir iubeatur. Quomodo etiam Maria non ſolùm virginitatis incentiuum attulit, ſed & deum intulerit. Et de confutatione hæreticorum qui ſanctiſſimam Mariam perſeueraſſe virginem negauerunt. Cap. V.

VEni Eua iam ſobria,veni Eua,& ſi in te aliquando intemperās,ſed iam in prole ieiuna,Veni Eua iam talis,vt non de paradiſo excludaris,ſed rapiaris ad cœlum.Veni Eua iam Sara, quæ parias filios non in triſtitia,ſed in exultatione:non in mœrore, ſed riſu. Iſaac tibi multiplex naſcetur.Veni iterum Eua iam Sara,de qua di
Gen.21. catur viro:Audi Sarai vxorem tuam.Sis tu licet viro ſubdita, quia eſſe te deceat:citò tamen ſoluiſti ſentētiam,vt vir te audire iubeatur.Si typum Chriſti illa pariendo à viro meretur audiri, quantum proficit ſexus, qui Chriſtum (ſalua tamen virginitate) generauit?Veni ergo Eua,iam Maria, quæ nobis non ſolùm virginitatis incentiuum attulit, ſed etiam deum
Eſaiæ 7. intulit.Vnde lætus & exultans tanto munere dicit Eſaias:Ecce virgo in vtero concipiet,& pariet filium,& vocabitur nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum deus.Vnde hoc munus?Non de terra vtiq;, ſed de cœlo vas ſibi hoc per quod deſcēderet Chriſtus elegit,& ſacrauit templum pudoris.Per vnam deſcendit, ſed multas vocauit.Vn-
Exod.15. de & ſpeciale Maria domini hoc nomen inuenit,quod ſignificat,deus ex genere meo.Dictæ ſunt & ante Mariæ multæ: nam & Maria ſoror Aaron dicta fuit,ſed illa Maria amaritudo maris vocabatur. Venit ergo dominus in amaritudinem
Ibidem. fragilitatis humanæ, vt conditionis amaritudo dulceſceret verbi cœleſtis ſuauitate,& gratia temperata. Hoc ſignificauit fons Mara per lignum dulcoratus, eo quòd populus nationum amarus antè peccatis,vel caro noſtra temperamento paſſionis dominicæ in vſus alteros mutaretur.Egregia igi tur Maria,quæ ſignū ſactæ virginitatis extulit,& intemeratę integritatis pium Chriſto vexillū leuauit.Et tamen cùm omnes ad cultum virginitatis,ſanctę Mariæ aduocentur exemplo,fuerunt qui eam negarent virginem perſeueraſſe. Hoc tantum ſacrilegiū ſilere iam dudum maluimus,ſed quia cauſa vocauit in medium, ita vt eius prolapſionis etiam Epiſcopus argueretur,indēnatum non putauimus relinquendum: & maximè quia & mulierem eam legimus, ſicut in Chana Galilææ ipſe Dominus dicenti ſibi:Vinum non habent fili, Ioan.2.
reſpōdit:Quid mihi & tibi eſt mulier?Et alibi legimus quod Matth.1. dixerit Matthæus de Ioſeph & Maria:Inuenta eſt antequam conuenirent,in vtero habens de ſpiritu ſancto.Et infrà:Non cognouit eam donec peperit.Et iterū de Ioſeph:Noluit eam Ibidem 12. traducere.Et fratres domini vidētur ſignificare quod de Maria ſuſcepti ſint.Et Apoſtolus ait:Poſtquam venit plenitudo Galat.4. temporis, miſit Deus filium ſuum factū ex muliere, factum ſub lege.Quæ ſingula notanda nobis ſunt, vt qui illa legit, ſermonis huiuſmodi vinculo non alligetur. Reſpondeamus itaque ſuo ordine.De mulieris nomine quid mouemur?Ad ſexum retulit:non enim corruptelæ ſed ſexus vocabulū eſt. Vulgi vſus non præiudicat veritati. Denique virginitas primum hoc nomen accepit. Nam cùm ſumpſiſſet deus vnam de coſtis Adæ,& ſuppleuiſſet carnem in locum ipſius:Ædificauit,inquit,eam in mulierem.Vtique adhuc virum non cognouerat,& iam mulier vocabatur.Rationem quoque nominis huius ſcriptura non tacuit, dicens: Quia dixit Adam: Gene.2. Os de oſſibus meis,& caro de carne mea.Hęc vocabitur mulier, quoniam de viro ſuo ſumpta eſt. Quia ſumpta eſt, inquit,de viro ſuo,non quia virum experta.Itaque quandiu in paradiſo fuit,mulier vocata eſt,& cognita viro non erat.Vbi autem eiecta eſt de paradiſo,tunc legitur,quia Adam cogno Ibidem 4. uit Euam mulierem ſuam,& tunc cōcepit & peperit filium. Primus igitur ſolutus eſt nodus.Secunda quæſtio,quia ſcriptum eſt:Antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero ha- Matth.1. bens.Cōſuetudo autem diuinæ ſcripturæ eſt,vt cauſam quæ ſuſcepta eſt adſtruat,incidētem differat.Quo ſoluitur etiam tertia quęſtio,qua dictum eſt:Non cognouit eam donec pe Ibidem. perit filium.Quid ergo?Poſtea cognouit?Minimè.Denique ſcriptū eſt:Ego ſum deus,& donec ſeneſcatis ego ſum. Nunquid igitur poſtquam ſenuerunt,quia dictum erat,deus eſſe deſiuit?Item in propheta Dauid legimus:Dixit dominus do Pſal.109. mino meo,ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Nunquid ſubiectis populis nationum,qui antè videbantur inimici, cùm ſalutis authorem negarent,ſimulachris ſeruirent:ad dextram patris filius ſedere deſiuit,aut in perpetuum non ſedebit? Quid autem præiudicat Mariæ,ſi cœleſtis conſilij myſterium Ioſeph non intellexit,& putauit virginem non eſſe quam prēgnantem videret?Reſurrectionem eius angeli ignorauerunt,quod ſignificant verſiculi:Tollite portas principes veſtras,& eleuami- Ibidem 23. ni portæ æternales,& introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ?Interrogant quaſi ignorent,& alij reſpondet:Dominus fortis & potens,dominus potens in prælio, ipſe eſt rex gloriæ.Et repetiuit propheta eoſdem verſiculos,& nihilominus illi quaſi ignorantes,iterum interrogauerunt. Sic enim ſcriptum eſt: Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales,& introibit rex gloriæ?Quis eſt iſte rex gloriæ? Quomodo ergo homo potuit diuinum ſcire ſecretum, quod angeli neſciebant?Et in Eſaię libro habes:Quis eſt iſte Eſaiæ 63. qui aduenit ex Edom, rubor veſtimentorum ex Boſor? Et vtique minus erat hominē reſurrexiſſe,quàm virginem parturire.Etenim iam Heliæ precibus,Heliſæi orationibus,mor 3.Reg.17. tui reſurrexerant,nunquam autem antè,nūquam poſtea vir 4.Reg.4. go generauit.Hoc autem opinatus eſt quòd traduceret eam quaſi ream, antequam ab angelo moneretur:poſtea autem quaſi fidelis nec dubius,virginitatis eius ſeruauit oraculum.

Quomodo non derogauerit virginitati Mariæ quòd coniunx Ioſeph nominata fuerit. Caput VI.

NEC illud moueat quod ait: Quia Ioſeph accepit Matth.1. coniugē ſuam,& profectus eſt in Ægyptum.Deſponſata enim viro cōiugis nomen accepit. Cùm enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen adſciſcitur.Non enim defloratio virginitatis facit cōiugium,

ſed pactio coniugalis. Denique cùm iungitur puella, coniugium eſt, non cùm virili admixtione cognoſcitur. Quod autem fuit deſponſata cõnubio, licet alibi plenius dixerimus, libare ſatis eſt cauſam cœleſtis myſterij: vt ab his qui Mariã grauem vtero cernerent, non adulterium virginitatis, ſed deſponſatæ partus legitimus crederetur. Maluit enim dominus aliquos de ſua generatione, quàm de matris pudore dubitare. Fratres autem gentis & generis, populi quoque conſortio nuncupari docet dominus ipſe qui dicit: Narrabo nomen tuũ fratribus meis, in medio eccleſiæ laudabo te. Paulus quoque ait: Optabam ego ipſe anathema eſſe pro fratribus meis. Potuerunt autem & fratres eſſe ex Ioſeph, non ex Maria. Quod quidem ſiquis diligentius proſequatur, inueniet. Nos ea perſequenda non putauimus, quoniam fraternum nomen liquet pluribus eſſe commune. An verò dominus Ieſus eam ſibi matrem eligeret, quæ virili ſemine aulam poſſet inceſtare cœleſtem: quaſi eam cui impoſſibile eſſet virginalis pudoris ſeruare cuſtodiam? Cuius exemplo cæteræ ad integritatis ſtudium prouocantur, ipſa ab huiuſmodi quod per ſe cæteris propoſitum foret, munere deuiaret? Et quæ eſſet, cui maius quàm matri dominus meritum repone ret, præmium reſeruaret? Nulli enim vberiora quàm virgini tati deputauit munera, ſicut ſcriptura nos docet. Sic enim per Eſaiã dominus locutus eſt: Ne dicat ſpado, quia ego ſum lignum aridum. Hæc dicit dominus ſpadonibus: Quicunque cuſtodierint præcepta mea, & elegerint quæ ego volo, & amplectentur teſtamentum meum: dabo illis in domo mea, & in muro meo locum nominatum meliorẽ filiorum & filiarum, nomen æternum dabo illis, & non deficient. Aliis promittit vt non deficiant: matrem ſuam deficere patiebatur? Sed non deficit Maria, non deficit virginitatis magiſtra, nec fieri poterat, vt quæ deum portauerat, portandum hominem arbitraretur. Nec Ioſeph vir iuſtus in hanc proruiſſet amentiam, vt matri domini corporeo concubitu miſceretur. Sed tamen Maria ſuis, non alienis moribus defendatur. Non defecit, vt dixi. Ipſe teſtis eſt filius dei, qui cùm eſſet in cruce, diſcipulum matri commendabat vt filium, diſcipulo eam tradebat vt matrem. Docuit hoc Ioannes, qui myſtica magis ſcripſit. Alij enim euangeliſtæ ſcripſerunt, quod in paſſione domini terra contremuit, ſol refugit, perſe cutoribus venia poſtulata eſt. Iſte dilectus domini qui è pectore eius hauſerat ſecreta ſapientiæ, & piæ voluntatis arcana, ab aliis dicta præteriit, hoc diligentius proſecutus eſt, vt materne virginitatis perſeuerantiam ſuo iudicio comprobaret, quaſi filius de matris pudore ſolicitus, ne quis eam tanto conuitio temeratæ integritatis aſpergeret. Dignum quippe erat, vt qui latroni veniam donabat, matrem dubio pudoris abſolueret. Dicit ergo ad matrem: Mulier, ecce filius tuus. Dicit ad diſcipulum: Ecce mater tua. Ipſe eſt diſcipulus, cui mater commendabatur. Quomodo marito vxorem tolleret, ſi fuerat Maria mixta coniugio, aut vſum thori coniugalis cognouerat?

Psalm. 21.
Roman. 9.
Esaiæ 56.
Ioan. 19.

Quòd Maria pudorem nunquam mutauerit, quæ nec animum mutauerat. Cap. VII.

LAudite ora impij, aperite aures pij, audite quid Chriſtus loquatur. Teſtatur de cruce dominus Ieſus, & pauliſper publicam differt ſalutem, ne matrem inhonoram relinquat. Subſcribitur Ioannes in teſtamento Chriſti. Legatur matri pudoris defenſio, teſtimonium integritatis. Legatur & diſcipulo matris cuſtodia, pietatis gratia commendatur. Et ex illo ſuſcepit eam diſcipulus in ſuam. Non vtiquæ Chriſtus faciebat diuortium, non Maria relinquebat virum. Sed cum quo virgo habitare debebat, quàm cum eo quem filij hæredem, integritatis ſciret eſſe cuſtodem? Stabat ante crucem mater, & fugientibus viris, ſtabat intrepida. Videte vtrum pudorẽm mutare potuerit mater Ieſu, quæ animum non mutauit. Spectabat piis oculis filij vulnera, per quem ſciebat omnibus futurã redemptionem. Stabat non degeneri mater ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in cruce filius, mater ſe perſecutoribus offerebat. Si hoc ſolùm eſſet vt ante filium proſterneretur, laudandus pietatis affectus, quòd ſuperſtes filio eſſe nolebat: ſin verò vt cum filio moreretur, cum eodem geſtiebat reſurgere, non ignara fuit myſterij quod genuiſſet reſurrecturũ: ſimul quia publico vſui impendi mortem filij nouerat, præſtolabatur ſi fortè etiam ſua morte publico muneri aliquid adderetur. Sed Chriſti paſſio adiutore non eguit, ſicut ipſe dominus longe antè prædixit: Et reſpexi, & non erat adiutor: & attẽdi, & nemo ſuſcipiebat, & liberabo eos brachio meo. Quomodo ergo extorqueri potuit integritas Mariæ, quæ fugientibus apoſtolis ſupplicia non timebat? Sed ipſa ſe offerabat periculis, cuius tanta gratia, vt non ſolùm in ſe virginitatis gratiam reſeruaret, ſed etiam his quos viſeret, integritatis inſigne cõferret. Viſitauit Ioannem Baptiſtam, & in vtero matris priuſquam naſceretur, exultauit. Ad vocem Mariæ exultauit infantulus, obſecutus antequam genitus. Nec immeritò manſit integer corpore, quem in tribus menſibus oleo quodam ſuæ præſentię & integritatis vnguento domini mater exercuit. Eadémq; poſtea Ioanni euangeliſtæ eſt tradita coniugium neſcienti. Vnde non miror præ cæteris locutum myſteria diuina, cui præſto erat aula cœleſtium ſacrementorum. Nunc mihi dicant qui hanc quæſtionem ſerunt: Quid eſt quod ait dominus per prophetam. Nunc reuocabo captiuitatem Iacob, & miſerebor adhuc domus Iſrael? Et infra: Congregabo, inquit, eos de gentibus, & congregabo illos de regionibus nationum, & ſanctificabor in his in conſpectu gentium, & ſcient quòd ego ſum dominus deus ipſorum, dum apparebo illis inter nationes, & non auertã amplius faciem meã ab eis, pro eo quòd effudi iram meam in domum Iſrael, dicit dominus. Et infrà dicit propheta, vidiſſe ſe in monte alto nimis ædificationem ciuitatis, cuius portæ plurimæ ſignificantur, vna tamen clauſa deſcribitur, de qua ſic ait: Et conuerti me ſecundum viam portæ ſanctorum exterioris, quæ reſpicit ad oriẽtem, & hæc erat clauſa. Et ait ad me dominus: Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & nemo trãſibit per eam: quoniam dominus deus Iſrael tranſibit per eam. Eritque clauſa, quoniam dux hic ſedebit in ea, vt manducet panem in conſpectu domini. Secundum viam portæ intrabit, & ſecundum viam eius exibit. Quæ eſt hęc porta, niſi Maria: ideo clauſa quia virgo? Porta igitur Maria per quam Chriſtus intrauit in hunc mũdum, quando virginali fuſus eſt partu, & genitalia virginitatis clauſtra non ſoluit. Manſit intemeratum ſeptum pudoris, & inuiolata integritatis durauere ſignacula, cùm exiret ex virgine, cuius altitudinem mundus ſuſtinere non poſſet.

Ideo in praeced. tit. pag. 1793
Esaiæ 63.
Lucæ 1.
Ezech. 39.
Ibid. 44.
Psal. 23.
Iob 3.
Ezech. 44.
Ioan. 10.
Psal. 147.

Quòd Maria ſit porta illa clauſa quam Ezechiel deſcripſit, in qua ſedit Chriſtus & exiuit. Caput VIII.

HÆC, inquit porta clauſa erit, & nõ aperietur. Bona porta Maria, quæ clauſa erat, & non aperiebatur. Tranſiuit per eam Chriſtus, ſed non aperuit. Et vt doceamur, quia portam habet omnis homo per quam Chriſtus ingreditur. Tollite, inquit, portas principis veſtri, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quanto magis ergo porta erat in Maria, in qua ſedit Chriſtus corporaliter, & exiuit? Eſt enim & porta ventris, vnde ait Iob ſanctus: Intenebreſcant, inquit, ſtellæ noctis illius, quia non concluſit portas ventris matris meæ. Eſt ergo & porta ventris, ſed non omnis clauſa ſemper, verùm vna ſola potuit manere clauſa, per quam ſine diſpendio clauſtrorum genitalium, virginis partus exiuit. Ideo ait propheta: Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & nemo tranſibit per eam, hoc eſt, nemo hominum: quoniam dominus, inquit, deus Iſrael tranſibit per eam. Eritq; clauſa, id eſt, & poſt tranſitum domini erit clauſa: & non aperietur à quoquam. Nec aperta eſt, quoniam habuit ſemper ianuam ſuam Chriſtus, qui dixit: Ego ſum ianua, quam nemo ab ea potuit auellere. Hæc porta ad orientem aſpiciebat, quoniam verum lumen effudit, quæ generauit orientem, peperitque ſolem iuſtitiæ. Audiant ergo imprudentes, clauſa, inquit, hęc porta eſt, quæ ſolum recepit deum Iſrael. Si igitur de eo dictum eſt ad eccleſiam: Quoniam cõfortauit ſeras portarum tuarum, ſuam portam confortare non potuit? Sed confortauit profectò, & ſeruauit intactam. Denique non eſt aperta: audiant igitur prophetam dicentem: Non aperietur, eritque clauſa

clauſa,hoc eſt,non aperietur,ab eo cui deſponſabitur. Non licebit enim vt aperiatur per quam dominus trāſibit.Et poſt eum,inquit,erit clauſa:hoc eſt,non aperiet eam Ioſeph:quo niam dicetur ei : Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim ex ea naſcetur, de ſpiritu ſancto eſt. Porta ergo clauſa virginitas eſt, & hortus clauſus virginitas, & fons ſignatus virginitas.

Matth 1.

Quemadmodum virgo Maria ſit virga & hortus clauſus,ac paradiſus & fons ſignatus,atque porta clauſa. Cap. IX.

AVdi virgo diligentius apertis auribus, & clauſo pudore:aperi manus,vt te pauper agnoſcat: claude oſtium,ne temerator irrepat:aperi mentē, ſerua ſignaculum.Virga quoque à radice virginitas eſt.Sic enim ſcriptum eſt:Exiet virga à radice Ieſſe,& flos à radice aſcendet.Non cauata eſt hæc virga,ſed ſolida. Nemo ergo adurat virgam tuam, vt florem ſuum cuſtodiat. Virga es ô virgo,nō curueris,non inflectaris in terram,vt in te flos paternæ radicis aſcendat.Hortus clauſus es virgo,ſerua fructus tuos : non aſcendant in te ſpinæ, ſed vuæ tuæ floreant. Hortus clauſus es filia, nemo auferat ſepē tui pudoris, quia ſcriptum eſt : Et deſtruentem ſepem mordebit ſerpens. Sed illam ſolùm offerat de qua ſcriptum eſt : Quid inciſa es ſepis?Nemo parietem tuum deſtruat,ne ſis in cōculcationem. Paradiſus es virgo,Euam caue.Fons ſignatus es virgo,nemo aquam tuam polluat, nemo conturbet, vt imaginem tuam in fonte tuo ſemper attendas.Porta clauſa es virgo,nemo aperiat ianuam tuam, quam ſemel clauſit ſanctus & verus, qui habet clauem Dauid,qui aperit & nemo claudit: & claudit & nemo aperit. Aperuit tibi ſcripturas, nemo eas claudat:clauſit pudorem tuum,nemo aperiat eum.

Eſaiæ 11.

Eccleſ.10.

Apoc.3.

Quòd Chriſtus qui corona eſt virginum,ſit vnus ſicut & pater vnus eſt,& ſpiritus vnus:& quomodo in perſonis diuinis ſit æqualitas. Cap. X.

VEnio,inquit,citò,tene quod habes: nemo accipiat coronam tuam.Quæ eſt corona tua,ni ſi illa de qua dictum eſt:Et eris corona decoris in manu domini ? Quis hoc dicit, niſi ille de quo dixit Eccleſiaſtes:Eſt vnus, & non eſt ſecundus?Quis eſt iſte:niſi ille de quo dictum eſt : Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus?Vnus eſt,quia vnigenitus dei filius: vnus,quia ſolus,vt ſcriptum eſt: Qui expandit cœlum ſolus, & ambulat ſicut in terra ſuper mare.Hic ergo non eſt ſecundus,quia primus eſt.Non eſt ſecundus, quia vnus eſt. Vnus deus pater ex quo omnia,& nos in illo:& vnus dominus Ieſus Chriſtus,per quem omnia & nos per ipſum . Vnus deus pater,& vnus dei filius,& vnus ſpiritus ſanctus,ſicut ſcriptū eſt:Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus,diuidēs ſingulis prout vult.Vnus,inquit,vnus,quia vnus deus. Nullus ſecundus,quia quod vult facit,non quod imperatur. Vnus ergo pater deus,& vnus dei filius. Vnus & vnus, quia non duo dij.Vnus filius,quia cum patre vnum eſt, ſicut ipſe dixit:Ego & pater vnum ſumus.Et vnus ſpiritus,quia vnitas trinitatis eſt,non ordine diſtincta,non tempore. Sed dicunt lectum:Ite baptizate gentes in nomine patris & filij,& ſpiritus ſancti.Et obiiciūt,quia primo patrem nominauit,ſecundo filium,tertio ſpiritum ſanctum.Nunquid ergo,quia dicit euangelium:In principio erat verbum,& verbum erat apud deum:inferiorem ſignificauit patrem, quia primo verbum dei in principio ſemper eſſe ac fuiſſe memorauit? Aut cùm dixit Apoſtolus:In regno Chriſti & dei, ordinem fecit? Aut cùm dicit ipſe dominus Ieſus:Spiritus domini ſuper me, eo quod vnxit me:euangelizare pauperibus miſit me,prædicare captiuis remiſſionem,eminētiorem filio dei ſpiritum eſſe teſtatus eſt ? Aduertis virgo quemadmodum iſta ſoluantur. Aperi ad hæc aures tuas,os tuū claude. Aperi aures, vt fidem audias: claude os, vt teneas verecundiam . Deinde illud legunt,quia dixit:In nomine patris & filij,& ſpiritus ſancti:& non intelligunt quid ante præmiſerit . In nomine, inquit. Tres perſonas quidem ſignificauit, ſed vnum trinitatis nomen aſſeruit . Vnus itaque deus, vnum nomen , vna diuinitas,vna maieſtas.Nullus ergo ſecundus, quia principium omnium trinitas eſt, & trinitatis primatus ſuper omnia eſt. Ergo,vnus & non eſt ſecundus. Vnus eſt, qui ſecūdum non habet, quia vnicus ſolus ſine peccato , ſolus ſine adiutorio, qui ait.Reſpexi,& non erat adiutor.

Ibidem.

Eſaiæ 62.
Eccleſ.4.
Matth.23.
Iob 9.

1.Corin.8.

Ibidem 12.

Ioan.10.

Matth.28.

Ioan.1.

Epheſ.5.
Lucæ 4.

Eccleſ.4.
Eſaiæ 63.

Quòd nulli alij laborare aut ſeruire debeamus niſi ſoli Chriſto qui primus eſt. Et quomodo aliquando ſecundus & nouiſſimus dicatur. Cap. XI.

NON eſt finis laboris eius , quia pro omnibus aduocatus noſter eſt apud patrem,& infirmitates noſtras ſuſcepit,& pro nobis dolet & infirmatur,ſicut ait:Æger eram,& non viſitaſtis me:cuius oculus non ſatiatur diuitiis,quia ipſe eſt altitudo diuitiarū ſapientiæ & ſcientiæ dei,in quo ſunt theſauri myſteriorum cœleſtium.Cur ergo ſeculo potius laboramus,& fraudamus animam noſtram tantæ bonitatis diſpendio , qui nulli alij niſi huic ſeruire domino deberemus? Hic ergo non eſt ſecundus.Ego certè hoc teſtimonium defero. Lego quia primus eſt, lego quia non eſt ſecundus: illi qui ſecūdum aiunt,doceant lectione. Sed dicit aliquis, quia ſcriptum eſt:Primus homo de terra terrenus , ſecundus homo de cœlo cœleſtis . Verùm, ante videamus de quo dicat: Secundus,inquit,homo:quaſi hominem ſecundum dixit.Et ego dico quia primus eſt ſecundum diuinitatem,antequam nullus: ſecundus autem ſecūdum carnem, quia poſt Adam. Ego plus dico, non ſolùm ſecundum lego hominem, ſed etiam nouiſſimum.Denique ſic habes: Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem,nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem.Vide clementiam Chriſti, ipſe eſt primus & nouiſſimus.Qui primus erat,propter nos ſe nouiſſimum fecit.Primus,quia per ipſum omnia:nouiſſimus, quia per ipſum reſurrectio.Deſcendit enim & proiecit ſe vt caderet,infra omnes ſe faciens,vt omnes iacentes leuaret. Vnde & ait Eccleſiaſtes:Quia ſi ceciderit vnus, eriget ſocium ſuum, & væ illi qui vnicus ceciderit, & non eſt ſecundus vt eum erigat.Et quidem ſi dormiant duo,eſt calor illis , & vnus quomodo calefiet?Hoc eſt,qui Chriſtum habet ſecum, & ſi ceciderit,reſurget:& ſi mortuus fuerit,reuiuiſcet:quia adeſt ille qui venit ignem in terram mittere. Deniq; & Heliſæus cùm puerum reſuſcitaret, inſufflauit illi, vt infunderet vitæ calorem.Habeto ergo tecum hunc ignem in pectore tuo, qui te reſuſcitet,ne frigus tibi perpetuæ mortis irrepat.Hic ergo iuuenis ſe proiecit, qui venit per Mariam, & infundebat vitæ calorem pectoribus audientium. Vnde dicunt illi in euangelio: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis , cùm aperiret nobis ſcripturas?

A

B

C

Eccleſ.4.

Eſaiæ 53.

Matth.25.

Rom.11.

Coloſ.2.

1.Cor.15.

Ibidem.

4.Reg.4.

Lucæ 24.

Quomodo Chriſtus dicatur iuuenis ſecundus,& finis omni populo eius. Quomodo etiam virgo Maria dicatur aula regalis. Cap. XII.

HIC eſt iuuenis ſecundus,vt dicit Eccleſiaſtes:Vidi vniuerſos qui viuūt, qui ambulāt ſub ſole cum iuuene ſecundo,quis reſurget pro eo?Quis enim pro Chriſto reſurget,cùm ille pro omnibus reſurrexerit,& in illo omnes reſurrexerint,cùm ſpem reſurrectionis acceperint?De Chriſto autem dictum liquet,quando aduertis cōgruere iſtum locum cùm benedictione vel prophetia Iacob,qui ait de Iuda:Quis ſuſcitabit eum?Non vtique alter,quia ipſe ſe ſuſcitauit,ſicut ipſe ait:Soluite templum hoc, & in triduo reſuſcitabo illud.Hoc autem dicebat de templo corporis ſui. Illud quoque verè Chriſto conuenit ſoli quod addidit:Non eſt finis omni populo eius: quia populus Chriſti innumerabilis finem non habet, cui fides reſurrectionis æternæ,perpetuæ vitæ acquirit ætatem. Secundum carnem itaque & iuuenem dictum,& cadere vel reſurgere,dubium non eſt.Denique & illud attexuit , quia optimus puer pauper & ſapiens: pauper enim factus eſt, cùm diues eſſet. Ipſe ergo rex Iſrael tranſiuit hanc portā,ipſe dux ſedit in ea,quando verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, quaſi rex ſedens in aula regali vteri virginalis,vel in olla feruenti, ſicut ſcriptum eſt:Moab aula ſpei,vel olla ſpei meæ. Vtrunque enim diuerſis in codicibus inuenitur.Aula regalis eſt virgo, quæ non eſt viro ſubdita,ſed deo ſoli.Eſt & olla vterus Mariæ,quæ ſpiritu feruenti qui ſuperuenit in eam, repleuit orbem terrarum,cùm peperit ſaluatorem.Qui manducauit in porta ſedens, vtique cibum illum de quo dixit : Meus cibus eſt,vt faciam voluntatem patris mei,qui in cœlo eſt.

D

Eccleſ.5.

Gen.49.
Ioan.2.

2.Cor.8.

Ioan.1.

Pſalm 59.

Ioan.4.

Quomodo Mariana virginitas dicatur leuis nubes, super quam dominus sedit, quæ aliis virginibus pluuiam spiritalem irrorat & vnguentum integritatis. Cap. XIII.

QDiuitias Marianæ virginitatis: quasi olla ferbuit, & quasi nubes pluit in terras gratia Christi. Scriptum est enim de ea: Ecce dominus venit, sedens Esaiæ 19. super nubem leuem. Verè leuem, quę coniugij onera nesciuit. Verè leuem, quæ leuauit hunc mundũ de graui fœnore peccatorum. Leuis erat quæ remissionem peccatorum vtero gestabat. Denique eleuauit Ioannem in vtero Lucæ 1. cõstitutum, qui ad vocem eius exiliuit, & infans exultauit in gaudio, prius sensu deuotionis, quàm spiritus infusione vitalis animatus. Excipite igitur, excipite sacræ virgines nubis huius pluuiam spiritalem temperamentum flagrantiæ corporalis, vt corporis omnes restinguatis ardores, atque interna mentis vestræ humescant. Huius imbrem nubis sacratæ Sapien. 1. patres nostri annunciauerunt nobis salutẽ mundi futurum. Psal. 71. Hunc imbrem significabant esse venturum stillicidia stillantia super terram, quæ Hierobaal poposcit & meruit. Bonam Iu. 6. nubem sequimini, quæ fontem intra se genuit, quo rigauit orbem terrarum. Excipite ergo voluntariam pluuiam, pluPsal. 67. uiam benedictionis, quam hæreditati suæ dominus effudit. Excipite aquam, & non effluat vobis: quia nubes est, diluat vos & sacro humore perfundat: quia olla est, spiritu vaporet æterno. Excipite itaque ex hac Moabitide olla gratiæ cœlestis vnguẽtum, nec vereamini, ne deficiat quod exinanitum est, & plus redundat, quãdoquidem in omnem terram odor Cantic. 1. eius exiuit, sicut scriptum est: Vnguentum exinanitum nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te. Descẽdat istud vnguentum in animæ præcordia, viscerúmque secreta, quo non delitiarum odores sancta Maria, sed diuinæ gratiæ spiramenta redolebat. Hæc pluuia Euæ restinxit appetentiam: hoc vnguentum fœtorem hæreditarij erroris absterſit, Ioan. 12. hoc vnguentum Maria soror Lazari in pedes Christi effudit, Lucæ 7. & tota domus pio repleta odore fragrauit. Nec vlla se pauperem putet, nulla se arbitretur inopẽ, nulla metuat ne precioſum hoc vnguẽtum emere non possit, aut fontem istum Esaiæ 55. putet esse venalem. Qui sitis, inquit, ite ad aquam, & qui cunque non habetis argentum, ite & emite & bibite sine argento. Et suprà ait: Gratis venundati estis, & sine argento re2. Cor. 8. dimemini. Ideo pauper factus est dominus cùm diues esset, vt eum omnes emant, & egenos præcipuè sua paupertate locupletet. Parate igitur vasa domini vt excipiatis hũc fontem aquæ viuæ, fontem virginitatis, integritatis vnguentum, odo1. Pet. 2. rem fidei, & suauis misericordiæ gratia florulentum: induamini agni eius innocentiam, qui cùm malediceretur, non remaledixit: cùm percuteretur, non repercussit.

Quomodo gressus Mariæ speciosi dicantur in calciamẽtis. Et quòd moduli fœmorum suorum similes sint torquibus. Et vmbilicus crater tornatilis. Et venter sicut aceruus tritici minuti inter lilia. Cap. XIIII.

HANC imitamini filiæ, cui pulchrè conuenit illud quod de ecclesia prophetatum est: Speciosi facti sunt gressus tui in calciamentis filia Aminadab: eo quòd speciosè ecclesia euangelij prædicatione Cantic. 7. processit. Speciosè procedit anima, quæ corpore velut calciamento vtitur, vt quo velit suum posit sine impedimento vllo circũferre vestigium. In hoc calciamento speciosè processit Maria, quæ sine vlla cõmixtione corporeæ consuetudinis authorem salutis virgo generauit. Vnde egregiè Ioannes Ioan. 1. ait: Non sum dignus soluere corrigiam calciamenti eius, id est: Non sum dignus incarnationis mysterium comprehendere angustiis mentis humanæ, atque inopis vilitate sermoEsaiæ 55. nis absoluere. Vnde & Esaias dixit: Generationem eius quis Ibidem 52. enarrabit? Speciosi ergo gressus vel Mariæ vel ecclesiæ, quoniam speciosi pedes euangelizantium. Quàm pulchra etiam illa quæ in figura ecclesiæ dẽ Maria prophetata sunt, si tamen non membra corporis, sed mysteria generationis eius intendas. Dicitur enim ad eam: Moduli fœmorum tuorum simiCantic. 7. les torquibus, opera manuum artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis non deficiens mixto. Venter tuus sicut aceruus tritici minuti inter lilia, eo quòd continens sibi sit in omnibus Christi ortus ex virgine. Sicut victores solẽt secularium

A præliorum, strenuorum virorum donatis torquibus honorare ceruices: ita iugum nostrum leuauit, vt fidelium colla virtutis insignibus coronaret. Verè autem aluus ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis piæ gratiam, diuinitatis suæ plenitudine subministrans. In quo virginis vtero, simul aceruus tritici & lilij floris gratia germinabat, quoniam & granum tritici generabat, & lilium. Granum tritici, secundum quod scriptũ est: Amen, amen dico vobis, nisi granum Ioan. 12. tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Sed quia de vno grano tritici aceruus est factus, completum est illud propheticum: Et conualles abũdabunt frumen Psal. 64. to: quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit. Hoc itaque granum, omnes homines perpetua cœlestium munerum esca saturauit. Consummatum est illud propheti ci oris eloquium, dicẽte eodem Dauid: Cibauit eos ex adi- Ibid. 80. pe frumenti, & de petra melle saturauit eos. In hoc grano esse etiam lilium, diuina testantur oracula, quia scriptum est:
B Ego sum flos campi & lilium conuallium: sicut lilium in me Cantic. 2. dio spinarum. Christus erat lilium in medio spinarum, quando erat in medio Iudæorum.

Quomodo sacræ virgines dicantur lilia Christi, & de anno dominicæ benignitatis. Cap. XV.

AVdi virgo quid dicat. Lilium, inquit, cõuallium, id est, humilium animarũ & mitium. Esto ergo mitis, humilis, atque mansueta: vt in te sicut liliũ germinet Christus, de quo & alibi habes: Labia Ibidem 5. eius lilia stillantia myrrham plenam: id est, qui Christi passionem loquuntur, & suo ore concelebrant, ac mortificationem eius in suo circunferunt corpore. Christi lilia sunt specialiter sacræ virgines, quarum est splendida & immaculata virginitas. Vnde plerique accipiunt quod ecclesia videatur dicere: Ego sum flos campi, & lilium cõuallium: quæ in hac Ibidem 2. conualle istius mundi gratiã boni odoris exhalat sedula confessione pietatis. Denique & alibi dicit: Frater meus descendat in hortum suum, in phialas aromatis, pascere in hortis,
C & colligere lilia. Ego fratri meo, & frater meus mihi, qui pascit inter lilia. Ex illo ergo vtero Mariæ diffusus est in hunc mundum aceruus tritici minuti inter lilia, quando natus est Christus, cui dicit propheta Dauid: Benedices coronam an- Psal. 64. ni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate. Pinguescent fines deserti, exultatione colles accingentur, induti sunt arietes ouium, & conualles abundant frumento: etenim clamabunt, & hymnum dicent. Quis est annus dominicæ bonitatis, nisi ille de quo scriptura dicit: Tẽpore accepto Esaiæ 48. exaudiui te, & in die salutis adiuui te: quando populorum fide ecclesiam fœcundauit, iustitia induit sacerdotes? Vnde & Apostolus dicit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nũc 2. Cor. 6. dies salutis, quando venit dominus prædicare annum domini acceptum, & diem retributionis. Sicut in Euangelio suo Lucæ 4. ipse memorauit, dicens: Spiritus domini super me, propter quod vnxit me, &c. Tũc ergo dominus operibus suis, & gloria & honore sui tempus coronauit aduentus. Totus enim ille annus cõuersationis eius in hoc mundo, diuersarum habuit certamina passionũ. Vicit Herodem paruulus, de quo
D in passione infantium triumphauit. Esuriuit, sitiuit, pro nobis vapulauit, pro nobis contumeliarum indigna tolerauit, crucem ascendit, mortuus est pro nobis.

Quomodo filiæ Hierusalem egredi iubeantur ad videndum regem Salomonem, &c. Et de stola piæ operationis quam induere debent virgines. Cap. XVI.

VIdes quãta certamina passus est, sed tamẽ non auarus exactor præmij, cui abundauit vna cœlestis corona virtutis. Vnde egredimini filiæ Hierusalem, sicut vos hortatur scriptura diuina in Canticis can- Cantic. 3. ticorum: Egredimini & videte regem Salomonem in corona, qua coronauit eum mater eius in die spõsalium eius & iocũditatis cordis eius: quia fecit sibi, inquit, charitatem à filiabus Hierusalem: hoc est, egredimini ex his angustiis & solicitudinibus corporalibus, egredimini ex hac delectatione carnali, peregrinamini de corpore, vt adesse domino possitis, quoniam qui in carne sunt, domino suo placere non pos- Rom. 8. sunt. Dicatur ergo vobis quia non estis in carne, sed in spiritu.

ritu. Eritis autem in ſpiritu, ſi potueritis comprehendere Salomonis veri illius pacifici charitatem, quam fecit ſibiipſe, & ideo coronam accepit à matre, beata matre Hieruſalem. Beatus & Mariæ vterus, qui tantum dominum coronauit, quando formauit. Coronauit eum quando generauit, quia & ſi eum ſine aliqua ſui operatione formauerit, quia ſpiritus
Lucæ 1. ſanctus ſuperuenit in virginẽ (vnde & ipſe ait: Inoperatum
Pſal. 138. meum viderũt oculi tui) tamen hoc ipſo quod ad omnium ſalutem eum concepit & peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis impoſuit, vt per fidem credentium fieret omnis
Eph. 1. 4. 5. viri caput Chriſtus. Inoperata ergo eſt caro Chriſti, quam vt Maria virgo conciperet, inuſitato quodam nouóque incarnationis myſterio, ſine vlla virilis ſeminis admixtione diuinę gratia diſpoſitionis quod erat carnis aſſumpſit ex virgine, atque in illa nouiſsimi Adam immaculati hominis membra formauit. Hominem audis, ſed ſupra hominem intellige,
Exod. 34. quia ſcriptum eſt: Non coques agnum in lacte matris ſuæ.
Coloſ. 2. Et alibi legis: Et homo eſt, & quis agnoſcet eum? Ergo non debes agnum illum, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat, conditionis humanę viribus æſtimare, & maiestatem incomprehẽſibilis poteſtatis, degeneris cognitionis infirmitaté concludere. Non enim illum perfectæ fidei ci-
Geneſ. 17. bum Iacob coxit in lacte, quo Iſaac pater ita eſt delectatus, vt ei prærogatiuã omnem benedictionis prophetica ſobrietate cõferret. Et ideo Apoſtolus ſcripſit ſuccum lactis tenuis
Hebr. 5. cibum eſſe doctrinæ, dicens: Quia omnis qui alitur lacte, expers eſt verborum iuſtitiæ: paruulus enim eſt, perfectorum autem eſt ſolida eſca. Et tu ergo filia, ſume ſtolam illam mu-
Prou. 31. lieris piæ operationis ſtudio contextam, quæ manus ſuas aperit pauperi, & lucerna eius non extinguitur in tota nocte, atque indue te, & huiuſmodi epulas affer ad patrem, vt di-
Gene. 27. cat: Quid eſt quod tam citò veniſti filia? laudet in tenera adhuc ætate prudentiam, piæ quoque deuotionis affectum, & dicat tibi: Accede ad me filia: odoratúſq; odorem veſtimentorum tuorum benedicat te, dicens: Ecce odor filiæ meę, ſicut odor agri pleni, quem benedixit dominus. &, Det tibi dominus à rore cœli deſuper, & ab vbertate terræ abundantiã. Atque his adiungat: Qui maledixerit tibi, maledictus erit: & qui benedixerit tibi, benedictus erit. Hac ſtola indutus Iacob hominẽ vidit, & ab eo quaſi à domino deo benedictio-
Ibid. 49. nem popoſcit, & appellauit locum, Viſio dei. Hac ſtola indutus, vidit illam ſtolam Chriſti, de qua ait: Lauauit in vino ſtolam ſuam. Et benedixit Ioſeph, dicẽs: Filius ampliatus meus Ioſeph, filius ampliatus zelatus meus, filius meus adoleſcentior ad me reuertere: ſignificans dominicæ reſurrectionis in ſigne. Et addidit: Benedictio patris tui & matris tuæ prævaluit ſuper benedictiones montium manentium, & deſideria collium æternorum, id eſt, ſuper regem gratiæ. Hanc ſume ſtolam vt induas Chriſtum, atque in eius agnitione reno-
Coloſ. 3. ueris. Indue ergo ſicut electa dei viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modeſtiam, charitatem,
Roman. 13. quæ eſt vnitatis vinculum: vt nemini quicquam debeas, niſi inuicem ſororem tuam diligas, nec gratiæ eius inuideas, ſed quo probatiorem videris imiteris: vt ſit in te pax Chriſti & gratia, & verbum dei habitet in corde tuo, atque huius mun-
*contagiones. di fugias * cogitationes. Semel mundo mortua, ne quæſo te tigeris, ne attaminaueris quæ ſunt iſtius ſeculi, ſed ſemper in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus abducas te ab huius ſeculi conuerſatione: non homini, ſed deo cantans. Et ſicut ſancta faciebat Maria, conferas in corde tuo. Quaſi bo-
Pſal. 118. na quoque agricula rumines in ore tuo præcepta diuina, vt dicas & tu: Exercebor in mirabilibus tuis: nec dormitet aut ſtillet anima tua præ tædio. Stillicidia enim eiiciunt hominem tempore hyemali: anima autem perfecta non ſtillat, in
Ibidem. qua nulla grauioris eſt rima peccati, ſed manet in domo ſua, & inoffenſæ habitationis nouitate lætatur & fruitur. Ac ſi aliquid fortè nutauerit, dicas: Confirma me in verbis tuis.

Quomodo in virginibus videatur angelorum vita in terris, quam in paradiſo amiſeramus. Et de deuota deprecatione quam Ambroſius fecit ſuper virginem velandam.

Caput XVII.

A NVNC ad te decurſis omnibus pater gloriæ vota conuerto, cuius pietati inceſſabiles gratias agimus, quòd in virginibus ſacris angelorum vitam videmus in terris, quam in paradiſo quondam amiſeramus. Quid enim vel ad inuitanda virginum ſtudia, confirmandáque virtutem, vel ad concelebrandã virginitatis gloriam plus conferre potuiſti, quàm vt deus ex virgine naſceretur? Amplius nobis profuit culpa, quàm nocuit: in quo redemptio quidem noſtra diuinum munus inuenit. Sed ipſe quoq; vnigenitus filius tuus venturus in terras ſuſcipere quod amiſſum eſt, puriorem carnis ſuæ generationem reperire non potuit, quàm vt habitatione cœleſtis aulam virginis dedicaret, in qua eſſet & immaculatæ caſtitatis ſacrariũ, & dei templum. Quid autem illud attexam, quod diuino tuo munere cum ſanctis Moyſe & Aaron virgo pedes per fluctus duxit Hebræorum exercitum? Relinquo vetera, priuata non quæro, ſatis eſt iſta nobilitas Exod. 15.
familiæ virginali. Te quæſo vt tuearis hanc famulam tuam,
B quæ tibi ſeruire, tibi animam ſuam, tibi integritatis ſuæ ſtudium dicare præſumpſit. Quam ſacerdotali munere offero, affectu patrio commendo, vt propitius & præſul conferas ei gratiam, quo cœleſtium thalamorum immorantem adytis ſponſum excutiat, mereatur videre, introducatur in cubiculum dei ſui regis, mereatur audire dicentem ſibi: Ades huc à Libano ſponſa, ades huc à Libano, tranſibis & pertranſibis Cantic. 4.
à principio fidei, vt tranſeat ſeculum, ad illa æterna pertranſeat. Intende igitur pater in tuum munus, cui ſanctificando nullius conſilium requiſiſti: ſed ipſe ſine vllo petitore atque arbitro tantam contuliſti gratiam, quantam ante oracula diuina credere nemo potuiſſet, vt in ſuo vtero deum virgo portaret. Cuius prærogatiua muneris prouocata crebreſcũt ſtudia virginitatis, & ſacræ integritatis exẽpla. Quibus hæc quoque famula tua ad huiuſcemodi virtutis gratiã laceſſita, tuis aſſiſtit altaribus, non rutilanti cæſarie flauum deferens crinem, flammeo nuptiali dicatum: ſed illum crinem quo euangelica illa mulier ſancta Maria pedes Chriſti ſedula pietate Lucæ 7.
C deterſit, & domum totam effuſo impleuit vnguento, ſacro Ioan. 12.
offerens velamine conſecrandum. Adeſt puella quam non nuptiarum feſta, non præmia, non onerati pondus vteri, votiuo nupturis dolore ſolicitent: ſed quæ immaculatos ſibi fidei partus & pietatis expoſcat, vt in vtero accipiat de ſpiritu ſancto, & ſpiritum ſalutis deo fœta parturiat. Sed vt iſta procedere poſſit meritorum gratia, tu deus pater omnipotens ſuffragia commendationis adiunge. Non enim ſolitaria dos pudoris eſt. Succingat ſacræ virginis crinẽ modeſtia, ſobrietas, continẽtia, vt virtutum accincta comitatu, purpureo dominici ſanguinis redimita velamine, mortificationem domini Ieſu in ſua carne circunferat. Hæc ſunt enim meliora vela 2. Cor. 4.
mina, quæ ſunt indumenta virtutum, quibus culpa obtegitur, innocẽtia reuelatur. His igitur famulam tuam indue veſtimentis, quæ in omni tempore munda ſint. Mũdum enim manet, quicquid nulla interueniens culpa fuſcauerit, vt ei iure dicatur: Quoniam placuerunt deo facta tua. In omni tem Eccleſ. 9.
pore ſint veſtimenta ſua candida, & oleum in capite non de- Matth. 25.
D ſit, quo faces ſuas myſticas poſſit accendere: vt cùm venerit ſponſus, inter illas ſapientes virgines cœleſti thalamo digna numeretur, quæ deuotionis ac fidei ſuæ grauitatiſque lumine munus ſacræ profeſſionis illuminet. Tuere igitur ancillam tuam pater charitatis & gloriæ, vt quaſi in horto clauſo & fonte ſignato teneat clauſtra pudicitiæ, ſignacula veritatis. Agrum ſuum colere nouerit, quem colebat ſanctus Iacob, & ſexageſimos & centeſimos quoque fructus capeſſat in huius virtutibus & fortitudinibus agri. Suſcites in ea gra- Cantic. 3.
tiam, & reſuſcites charitatem. Inueniat quem dilexit, teneat eum, nec dimittat eũ donec bona illa vulnera charitatis excipiat, quæ oſculis præferuntur. Semper parata, noctibus & diebus toto ſpiritu mẽtis inuigilet, ne vnquam verbum eam inueniat dormientem. Et quoniam vult ſe dilectus tuus ſæpius quæri, vt exploret affectum recurrentem, ſequatur, exeat fides, & anima eius in verbo tuo peregrinetur corpore, vt aſſit deo: vigilet cor eius, caro dormiat, ne malè incipiat vigilare peccatis. Tu domine adiunge alios ſacræ virginitatis ornatus. Adiunge ſedulos pios cultus: vt nouerit poſsidere

vas ſuum,nouerit humiliari,dilectionẽ teneat, veritatis murum,pudoris ſeptum:non pineæ velamen eius,non vincant cupreſsi: pudicitiam eius non turtures, ſimplicitatem eius non vincant columbæ.Sit in corde ſimplicitas,in verbis modus,erga omnes pudor, pietas erga propinquos, circa egenos & inopes miſericordia,quod bonum eſt teneat,ab omni ſpecie abſtineat mala:veniat ſuper eam benedictio moriturus,& os viduæ benedicat eam . Pone vt ſignaculũ verbum tuum in corde eius,in brachio eius, vt in omnibus ſenſibus & operibus eius Chriſtus eluceat.Chriſtum intendat,Chriſtum loquatur.Aqua multa non poſſit eius excludere charitatem,nec perſecutio,nec gladius,nec periculum:ſed confirmata in omni verbo & opere bono,gloriam tuam induat,& in tua gratia conuerſetur in hoc mundo.Sanctifices eam in veritate,in virtute confirmes, in charitate connectas, atque ad illam cœleſtẽ gloriam pudicitiæ & integritatis coronam illibatam immaculatámque diuino tuo fauore perducas : vt illic agni tui ſequatur veſtigia,in meridiano paſcat,in meridiano maneat,nec in greges ſodalium incidat,ſed agnis tuis admixtà ſine offenſione verſetur comes virginum , pediſſequa Mariarum.Egredere itaque tu domine Ieſu in die ſponſalium tuorum,ſuſcipe iam dudum deuotã tibi ſpiritu, nunc etiam profeſſione, imple agnitione voluntatis tuæ, aſſume ab initio in ſalutem in ſanctificatione ſpiritus & fide veritatis,vt dicat famula tua:Tenuiſti manum dexteram meam,& in voluntate tua deduxiſti me, & in gloria aſſumpſiſti me. Aperi manum tuam,& imple animam eius benedictione:vt ſaluam facias ſperantem in te:& fiat vas in honorem ſanctificatum,vtile domino,ad omne opus bonum probatum:per illam æternalem crucem,per illam venerabilem gloriam trinitatis.Cui eſt honor,gloria,perpetuitas,patri deo & filio & ſpiritui ſancto,à ſeculis nunc & ſemper,per omnia ſecula ſeculorum,Amen.

Cantic.8.
Ibidem.
Rom.8.
Apoc.14.
Pſalm.72.
Ibid.144.
Roman.9.

FINIS.

CAPITA LIBRI AD VIRGINEM DEVOTAM.

Qua ratione virgo deuota nullum tractatum habere debeat cum ſecularibus hominibus,nec aliquid apud illos quærere. Cap. I.
De repulſione excuſationis quam virgo prætendere poſſet, aliiſq; pulchris admonitionibus,vt ſecularium hominum conuerſationem deuitet. Cap. II.
Quemadmodum virgo intrare debeat in cubulum, & clauſo oſtio patrem orare,vt det ei mentem bonam & intellectum,vt ſciat quos ſequi,& quos vitare debeat, cum pulchra inſtructione de cauendis & agendis. Cap. III.

Diui Ambroſij

MEDIOLANENSIS EPISCOPI liber ad Virginem deuotam.

Qua ratione virgo deuota nullum tractatum habere debeat cum ſecularibus hominibus,nec aliquid apud illos quærere. Caput I.

Pſalm. 44. AVDI filia & vide & inclina aurẽ tuam, & obliuiſcere populum tuum , & domum patris tui : quoniam concupiuit rex ſpeciem tuam:quoniam ipſe eſt dominus deus tuus, & adorabunt eum. Ipſius te deuouiſti eſſe ſponſam,deuota deo diceris. Quid tibi cum hominibus ſecularibus , aut quem tractatum habes cum illis?Quid vis ſcire cum ipſis?perditionem quam ipſi ſequuntur?Si caſtitatem quæris,hanc illi non habent.Si fidem quæris,quis eſt fidelis in illis,quem tu comitaberis?Si autem Chriſtũ quæris,non manet in illis.Neſcio quid quæras,quales amicitias vel quales fabulas habeas cum illis.Denouiſti animam tuam ad deſtruenda omnia quæ ſunt huius ſeculi . Quomodo autem quæris ſeculum cui renunciaſti? Reuerti vis ad vomitum tuum ſicut canis, aut velut ſus lota iterum in volutationem,ſicut ſcriptum eſt,dicente Apoſtolo:Si quæ deſtruxi iterum reædificabo, prævaricatorem legis me conſtituo.Iterum ipſe repetit,dicens:Quicquid in ſeculo eſt,concupiſcentia carnis eſt,& concupiſcentia oculorum: quod non eſt de deo,ſed de hoc mundo eſt.Item alibi dicit:Si quis voluerit amicus eſſe huius mundi,inimicus dei conſtituetur. Quid dicis deuota deo ? Quid vis hominibus placere ? Quid deſideras, vel quid quæris ? Si deum quæris, tecum eſt . Si autem hominem quæris , non hoc deuouiſti. Quid ſunt homines?Homines huius ſeculi.Et ſeculum trãſit,& concupiſcẽtia eius.Qui autem fecerit quæ ſcripta ſunt, manet in æternum.Quid deſideras,neſcio.Si aurum,argentum,ſi vitam,ſi veſtem ſplẽdidam,hoc tibi non placuit cum deo:hoc deus non admiratur,ſed cor contritum & humiliatum.Quid queris homines ſeculi,quos ſanctus apoſtolus iudicat Paulus,dicens:Quorum deus vẽter eſt,& gloria in pudendis ipſorum,qui terrena ſapiunt: noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt? Si ergo cõuerſationem in cœlis habemus, quæ ſurſum ſunt, quærere debemus , vbi Chriſtus eſt , non quę ſunt ſuper terram.Rogo ſoror,qui ſunt iſti homines huius ſeculi ? Fratres tuos ſpiritales homines non ſequeris, & ſequeris carnales:qui ſi non ſaturentur,murmurabunt.Miſiſti margaritas tuas ante porcos , qui conculcent eas pedibus ſuis,& conuerſi elidant te.Non audiſti:Vitate canes,vitate malos operarios . Qui ſunt iſti ? Homines huius ſeculi, qui non ſequũtur veſtigia Chriſti. Rogo te quid tibi demonſtrant?Dic mihi,caſtitatem quam non habent? Quid?fidem quam non inueniunt? Doctrinam quam non ſequuntur,niſi diabolicam ſapiẽtiam huius ſeculi ? Ieiunium quod odiũt? Abſtinentiam quam iudicant ? Humilitatem quam opprimunt? Sobrietatem quam negligunt ? Synceram mentem quam non habent,niſi duplicem? Verecundiam quam proiiciunt à ſe?Neſcio autem quid vis ſtudere cum ipſis.

De repulſione excuſationis,quam virgo prætendere poſſet,aliiſque pulchris admonitionibus. vt ſecularium hominum conuerſationem deuitet. Caput II.

SEd quid dicis ? Ego autem conuerto eos ad me. Si autem ad te conuerſi fuerint, non tibi expedit. Quid quærit lupus cum agno? vel quid quærit canis niſi panem ? Quare autem rugit leo niſi pro præda?Tu te ipſam caſtam cuſtodi,ſi potes:quid vis docere, quod tu ipſa non facis ? Sicut dicit Apoſtolus : Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex deo ſunt. Si autem ab ipſis doctrinam accipias, docebunt te quod faciunt,vel quod ſequuntur,concupiſcentiam , fornicationem, libidinem,auaritiam,fraudem, immundiciam, impudicitiã, luxuriam,ebrietatem, improbitatem,turpiloquium, ſtulticiam , maleficia , homicidia, iram, rixam, & omnem maliciam. Quid dicis miſera, vel quid excuſas ? Deuouiſti animam tuam, vt ab ipſis hominibus recederes , nunc autem quid quæris?Rogo non confunderis,quando de te illi ſibi fabulas faciunt, dicentes: Ecce deuota deo, quæ nos ſequitur. Dereliquit enim viam ſuam , & per terminos agri ſui errauit,viam habitationis ſuæ non inuenit.Venite, præoccupemus eam, & ducemus in viam noſtram. Cecidiſti miſera in via lata & ſpacioſa, quæ ducit ad mortem. Videtur tibi eſſe bona,quæ mala eſt: ſequeris eos amãs, & neſcis quoniam recta in foueam cadis,memor non es arctam & anguſtã eſſe viam quæ ducit ad vitam? Laborioſa tibi videtur eſſe quę bona eſt. Oblita es dictũ fuiſſe : Quia per multas tribulationes nos oportet in regnũ cœlorum introire? Nũc autem voluntati tuæ vis ſtudere:Non legiſti Salomonem dicẽtem,Bonis bona creata ſunt ab initio : ſimiliter impiis & peccatoribus bona & mala.Item ipſo dicẽte:Initium vitæ hominis ſpiritaliter arguetur.Spiritalis omnia iudicat,ipſe autẽ à nemine iudicatur.Vbi es deo deuota?Spiritalis quidẽ de aliis iudicans, tu ipſa iudicaris.Quid queris cum illis?Quæ pars fideli cum infidele?Vel quæ pars ſancti hominis ad canem?Virgo potes eſſe

1.Pet.2. Galat.2. 1.Ioan.2. Iacob.4. 1.Ioan.2. Pſalm.50. Philip.3. Coloſ.3. Pſal.18. Matth.7. Philip.3. Matth.7. Act.14. Eccleſ.33. 1.Cor.2. 2.Cor.6.

esse corpore, sed non mente corrupta. Oculi autē tui obcæcati sunt nimio ardore libidinis, in quibus trabes subiacet. Aures tuæ plenæ sunt omni spurcicia virili. Pedes vero tui veloces sunt, & non sunt pigri ad ianuam foris. Vbi sanctitas, vbi verecundia, vbi sobrietas, vbi grauitas, vbi castitas, vbi modestia, vbi fides, vbi continentia, vbi pura mens? Vbi sunt illa omnia pro quibus fidē tuam opposueras quàm perdidisti? Melius enim fuerat te non vouisse & facere, quàm vouere, & non facere. Non potes duobus dominis seruire, aut deo, aut mammonæ, sicut scriptum est: Cum peruerso, subuerteris. Non potest committi pānum vetus cum nouo. Tollit enim fortitudinem eius, & peior scissura fit. Volatilia ad sibi similia conueniunt, & veritas ad eos qui operantur eam reuertetur. Absit vt tu mihi soror esse dicaris, quæ cum talibus conuersaris. Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos: aut facite arborē malam, & fructus eius malos. Vnaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur. Quicūque autem qualis fueris, cum tali se iūgit. Columba dimissa de manu hominis, statim reuersa est ad eum in arcam. Nā coruus dimissus, carnem secutus est: quem tu quoque vis sequi, vt non reuertaris ad ianuam Christi. Est tibi conuersatio cum bestiis agri, & cum volatilibus cœli, sicut & coruus nō memoraris dominum qui te de diluuio liberauit, non quæris cubile tuum vmbrosum & bonum, vbi requiem temporalem habuisti. Non tibi ante oculos est tēp estas, atque oblita es charitatem Christi, & tenes charitatem hominum huius sæculi, qui non habēt charitatem in se nisi diabolicam. Illi autem aliam carnem sequuntur, & non desinunt quoadusque moriūtur. Recede misera de illis hominibus, ne carnes tuas electas comedant, & talos tuos euertant, & relinquaris nuda & spoliata sicut in cucumerario. Modo autē quid facies, quia nuda es & spoliata? Ibis ad vicinos tuos quos ante oderas, petēs ab ipsis operimentum pudoris? Illi autem dare nolunt dicentes: Vbi est vestimētum tuum splendidū, quod ante portare solebas? Quid dicis, & quid respondes eis, quā frigus obligauit? Gratulantur autem in malis tuis quæ tibi venerunt. Tunc te planges dicendo: Heu mihi miseræ, cui talia venerunt. Quid mihi profuit illa captiuitas quæ me captauit miseram & infelicem? Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, & habitauero in extremo maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Tunc dices: Vadam & reuertar ad virū meum primarium, quia melius mihi erat tunc magis quàm modo, qui mihi dabat vestimenta mea, & oleum meum in tempore suo. Modo autem quid facio? Tunc reuerteris in domum tuam cum fletu, vnde exieras gaudens. Sedebis in angulo domus tuæ lugens, & cōtristata plorans die ac nocte, quærens qui simul tecum contristetur, & non erit: & consolantes te, & non inuenies. Et dabunt tibi eleemosynam quos ante oderas, & mouebūt capita sua super te dicentes: Ecce quæ erat deuota deo, modo facta est vt stercora terræ, & sicut ciuitas quæ expugnatur. Vbi est castitas illius? Vbi sunt omnia illa quæ eam sequebantur? Dereliquerunt enim illā, quia castitas erat dux eorum, perdidit castitatem, & fugerunt omnia illa. Modo autem quid facies misera? Vbi sunt illi quos insequebaris? Redimāt te si possunt. Quam potes dare commutationem pro anima tua quam fraudasti per inobedientiam tuam, vt non audires fratres tuos, vel sorores quæ tibi demonstrabant, ne te iungeres cum hominibus secularibus? Nunc autem quid faciemus tibi, vel quid dicemus, quos audire noluisti? nisi vt nosipsos plangamus super te dicētes: Parce domine, parce. Qui forte fletum nostrum, & gemitum exaudire dignetur, vt det tibi animū conuertēdi ad ipsum denuo, vt rememores peccata tua dicendo: Quantis panibus mercenarij patris mei abundāt, ego autem fame pereo? Surgam itaque, & vadam ad patrem meum, & dicam illi: Pater peccaui in cœlū, & coram te, iam non sum digna vocari filia tua, suscipe me sicut vnam ex ancillis tuis, vt viuam. Quid si fortè pro te occiderit vitulum illum saginatum? Zelans enim te, zelor. desponsaui enim te vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo enim ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic tui sensus corrumpantur, & excidant à charitate quæ est in Christo Iesu.

Matth. 6. Psalm. 17. Matth. 9. Eccles. 27. Matth. 7. Genes. 8.

Quemadmodum virgo intrare debeat in cubiculum, & clauso ostio patrem orare vt det ei mentem bonam, & intellectum, vt sciat quos sequi, & quos vitare debeat, cum pulchra instructione de cauendis & agendis. Caput III.

VIde ergo & caue de istis hominibus, vt mihi soror, & domina nomineris. Intra in cubiculum, clauso ostio ora patrem tuum vt det tibi mentem bonā & intellectū, vt scias quos debeas sequi, & quos vitare: quia multi sunt qui fingūt se esse quod nō sunt, sed mentiūtur: & nescis quo niā de anima tua agitur, ne ducant te captiuā sicut bouē qui ad occisionē ducitur, aut velut canem, vt alligetur. Ne festines sicut auis in laqueū. Audi me, remoue pedē tuum de illis, sede sedula in domo tua, operare manibus tuis quod bonum est, vt habeas vnde communicare possis necessitatem sustinētibus. Ora sine intermissione, ne facilis videaris in plateis. Certa bonum certamē, curre velocius vt comprehendas in quo cōprehensa es à Christo. Audiant te homines, & lætētur de bono animo, & de mente qua viuis. Da eleemosynam, & ecce omnia mūda erunt tibi. Non te pigeat visitare infirmos. Exhis enim in dilectione firmaberis. Non iurabis omnino, neque per verum, neque per mēdacium, sed sit sermo tuus: est est, non non. Quod autem amplius est, à malo est. Irascere, & noli peccare. Ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operātibus iniquitatem. Humilia te filia ante dominū, quoniam deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Accede ad dominum vt illuminet te, & non erubesces in cōspectu illius. Recede de voluptate seculi, & indue te constātia virtutis. Depone vestimēta huius seculi, & indue te tunica perpetuitatis: Derelinque cibos istius seculi, & accipe tibi sancta sanctorū. Memorare Sidrach, Misach, Abdenago, & Daniel recusasse carnes, & vinum gentiliū, & accepisse sibi olera & legumina. Memento Machabęam propter carnes porcinas passam fuisse, & filios ipsius assatos vel frixos in oleo. Ambula filia in habitu sancto cum verecundia, & sobrietate, & grauitate, depone mendacium, loquere veritatem cum proximo tuo. Ora filia sine intermissione, ieiuna frequēter, & da eleemosynam, quoniam eleemosyna à morte liberat, & non patitur ire in tenebras. Munus bonum est eleemosyna, quæ purgat omnem sordem & squalorem. Beata eris, si hæc omnia cùm legeris, facias. Zelare quod bonum est, vt quod malum est obliuiscaris. Benedicat te pater, & filius, & spiritus sanctus, benedictione qua patres nostros benedicere dignatus est Abraham, Isaac & Iacob. Ora pro me filia, quia & ego solicitus sum de te, sicut scriptum est: Orate pro inuicem. Item frater fratrem adiuuans exaltabitur. Exaltet te dominus in sanctitatē & dilectionem, sicut scriptum est: Qui diligit fratrem suum legem impleuit. Impleat dominus omnes petitiones tuas. Præstet hoc tibi deus pater per Iesum Christum filium suum dominum, & deū, regem, iudicem, saluatorem, redemptorémque nostrum, qui est benedictus cum spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

Matth. 6. 1. Thes. 5. 1. Timo. 6. Lucæ 11. Iacobi 5. Psal. 4. Psal. 140. 1. Pet. 5. Dani. 1. 2. Mac. 7. Ephe. 4. Tobiæ 4. Iacobi 5. Prouer. 18 Roma. 13. Psalm. 19.

FINIS.

CAPITA LIBRI AD VIRGINEM LAPSAM.

Quòd pro corruptione deo dicatæ virginis omnes boni cōlugere debeant. Cap. I.
Increpatio eiusdem corruptæ, quòd corruptorem admiserit. Cap. II.
Quòd læsa corruptæ conscientia, neque cœlum, neque terram tutè contueri audeat. Cap. III.
Qualem excusationem corruptę afferre soleant. Cap. III.
Quę solita sint obseruāri in velatiōe sacrę virginis. Cap. V.
Quibus se defendere debeat refugiis, virgo de stupro solicitata. Cap. VI.
Quàm diligentiam superior facere teneatur circa virgines consecratas. Cap. VII.
Remedium adhibendum corruptæ virgini. Cap. VIII.
Corruptoris obiurgatio. Cap. IX.
Ad virginem lapsam exhortatio. Cap. X.

DIVI

Diui Ambrosij MEDIOLANENSIS EPISCOpi Liber ad Virgininem lapsam.

Quòd pro corruptione deo dicatæ virginis omnes boni conlugere debeant. Caput I.

AVdite me nunc qui prope estis,& qui longe,qui timetis deum,& ecclesię eius gaudio cõgaudetis,& tristitiæ cõlugetis,sicut scriptum est:Gaudete cũ gaudentibus, & flete cum flentibus. Vos inquam appello qui charitatem Christi verissimã tenetis,& super iniquitate non gaudetis, sed potius inge miscitis. Aduertite verba oris mei,& an ex iusto dolore procedant iudicate, & detecti sceleris qualitatem mecum pariter perhorrere, Virgo nobilis, dicata Christo, sapiens, erudita, ruit in foueam turpitudinis, concepit dolorem,& peperit iniquitatem. Se perdidit,& ecclesiam maculauit. Hinc omnis anima Christiana graue vulnus excepit , quia sanctũ datum est canibus, & margaritæ missæ sunt ante porcos. Arabidis enim hominibus nomen sceleratum est sanctitatis, & ab immundis, & luteis precioſum conculcatum est propositum castitatis. Hinc æstus animo meo,hinc insanus dolor, quia vnum malum bona plurima secum trahit, & vna nubecula peccatricis penè totam lucem obscurauit ecclesiæ. Assumam ergo vocem propheticam,& flebiliter dicam: Audite me omnes populi,& videte dolorem meum : virgines meæ,& iuuenes mei abierunt in captiuitatem. Verè hęc est captiuitas , vbi animæ à peccato captiuæ ducuntur ad mortem, & à diabolica dominatione possidentur.

Rom.12.

Psalm.7.

Matth.7.

Thre.1.

Increpatio eiusdem corruptæ,quòd corruptorem admiserit. Caput II.

ADte ergo nũc sermo sit,quę caput horum,& causa malorum es, quæ multipliciter misera cũ gloria virginitatis nomẽ etiam perdidisti. Nefas est enim Susannam vocari non castam,non licet nominari quod non es. Vnde incipiam ? quod primum, quod vltimum dicam? Bona commemorẽ quæ perdidisti, an mala defleam quæ inuenisti?Eras virgo in paradiso dei, vtique inter flores ecclesiæ.Eras sponsa Christi, eras templum dei, eras habitaculum spiritus sancti. Et cum dico totiens, eras, necesse est vt totiens ingemiscas,quia non es quod fuisti.Incedebas in ecclesia tanquam columba illa de qua scriptum est:Pennæ columbæ deargentatæ,& posteriora dorsi eius in pallore auri . Splendebas vt argentum, fulgębas vt aurum, quando cum syncera cõscientia procedebas. Eras tanquam stella in manu domini,nullum ventum,nullius belli nebulas pertimescebas. Quæ ista subitanea conuersio? Quæ ista repentina mutatio? De dei virgine facta es corruptio Satanę,desponsa Christi,scortum execrabile,de templo Dei,fanum munditię : de habitaculo spiritus sancti tugurium diaboli.Quę incedebas cum fiducia vt columba, nunc lates in tenebris sicut stellio.Quę fulgebas vt aurũ propter virginitatis honorem,nunc vilior facta es luto platearũ,vt etiam in dignorum pedibus conculceris.Quę fueras stella radians in manu domini,veluti de alto ruens cœlo,lumen tuum extinctum est,& conuersa es in carbonem.

Psalm. 67.

Quòd læsa corruptæ conscientia, neque cœlum, neque terram tutè contueri audeat. Caput. III.

VÆ tibi misera,& iterum væ,quę tanta bona propter parui temporis luxuriam perdidisti. Quam tibi spem apud Christum dominũ reliquisti , cuius membra tollens fecisti membra meretricis? Quis te spiritus sanctus visitabit, cùm eum repudiasti, qui se quoque à cogitationibus sordidis longe faciat ? Sed veniamus ad humana,vt illa diuina noscãtur.Aspice quis sanctorum,aut quæ sanctarum tibi approximare non horreat, aperi oculos tuos si potes,erige frontem,si audes aliquẽ sanctorum fiducialiter intueri?Nónne tuam faciem conscięntiæ commissum tanquam plumbum inclinat & premit? Nónne tenebræ ante oculos tuos,& dura caligo versatur? Nónne timor & tremor animam tuam,& membra quassant?Si ergo homines in carne constitutos,& alicuius forsitan delicti obnoxios non potes intueri,tam graui confusione sepulta:quid facies coram castis Apostolis? Quid facies corã Helia,Daniele,& tantorum exercitu prophetarum?Quid facies coram Ioanne?Quid facies corã Maria, Tecla, & Agne, & immaculato thoro puritatis?Quid denique coram angelis sanctis? Nónne splendore & claritate immaculatorum quasi fulminibus percussa combureris?

1.Corin.6.

Qualem excusationem corruptæ afferre soleant. Cap. IIII.

SEd dictura es forsitan : Non potui sustinere, quia carnẽ fragilem circumferebã. Respondebit tibi beata Tecla cum suis innumerabilibus sociis : Et nos eadẽ carne amictę fuimus, non tamẽ plenum propositum castitatis nostrę aut fragilitas carnis potuit mutilare,aut sęuitia tyrannorum per varia tormenta potuit deiicere. Reuera non potest caro corrumpi,nisi mẽs fuerit antè corrupta.Remanebit ergo in crimine anima quę carnem prędcedit in voluptate.Sed dicis:Nolui hoc malũ,sed violentiam passa sum. Respondebit tibi fortissima illa Susanna cuius tu nomẽ fallaciter baiulas:Ego etenim inter duos presbyteros posita,inter duos vtique iudices populi,inter syluas paradisi sola cõstituta vinci nõ potui,quia nec volui.Tu ab vno ineptissimo adulescẽte, & in media ciuitate, quomodo vim potuisti perferre , nisi quia vltrò voluisti violari ? Quis deniq; tuas voces audiuit? Quis obluctationes sensit?Vt autẽ hæc omittã,certè post illatam violentiã prodere scelus si non aliis vel parentibus, vel tuis sororibus debuisti. Esset enim excusatio infelicitatis,esset conscientiæ plena purgatio,si hostem pudicitiæ tuę deduxisses in publicum.Sed erubuisti forsitan, ne te violatã multi cognoscerent.Et quid timuisti vbi non erat timor,nisi vt tacendo crimẽ * cum adulterio sępius sociares? Esto autẽ, pudor prohibuit confiteri. Quid de secunda commixtione dicis? Quid de tertia? Quid de frequenti commercio fœditatis ? Cesset,cesset iam violentiæ figmentum,cesset ruboris augmentum,vbi totiẽs membra illa dicata Christo,sceleſto mœcho suis visceribus polluenda præbuisti. Horret, horret animus,meus tabescit, cùm ad adytum sceleris peruenitur.Nam & medicus quanuis fortis sit animo, tamen cũ altius secat vulnus, puto ex parte aliqua sustinebit horrorem. Heu perdita, iam ne intelligis omnes vias excusationis omnimodis clausas?Iam ne sentis quantum tibi mali,& in carne,& in anima nefaria libido coutulerit?Non istam confusionem de te tuus expectauerat pater , qui te sibi singulare gloriam computabat. Non hunc luctum,& has lachrymas ex te sibi nasci tua crediderat mater,quæ partus sui gemitũ per tuam virginitatem consolabatur. Non fratres tui, non sorores hoc ex te dedecus expectabant, quos omnes quasi vno gladio tui sceleris grauiter sauciasti.Si fuisses communi sorte defuncta,flerent te modicum propter desiderium parentes,sed exultassent granditer quia immaculatam præmiserant virginem , hostiam viuam , domino propitiatricem suorum videlicet delictorum. At nunc plangunt mortuam, & non mortuam , lugent viuam , & non viuam. Mortuam vtique gloria virginitatis,viuam dedecore turpitudinis. Ingratus est pater suis visceribus ex quibus sata es , maledicit suo vtero mater ex quo in hanc lucem infeliciter processisti. Nec tamen modum suo dolori reperiunt, nisi hoc solum planè videntur habere solatium,quia te nec pater compulit, nec mater coegit, vt virginitatem profitereris , quam vltrò & propria voluntate professa es. Nam scio cùm multas difficultates tibi tuus genitor proponeret, cùm arduum esse iter seruandæ virginitatis ingereret,te non solùm pertinaciter perstitisse, sed etiam reuelationes tibi datas dixisti terribiles. Inquantum sibi ergo sperabant mercedem ex eo quod non tuo proposito restiterunt,intantum tibi intellige misera pondus iudicij crescere, quia non seruasti quod vltro promisisti. Quibus te spinis serpẽs ille nequissimus obligauit? Quibus te venenis infecit ille qui Euã decepit,vt tãta te cæcitate percuteret,tantã animæ tuæ faceret obliuionẽ?

* Cum adultero sæpius sociateris.

Quæ

Quæ ſolita ſint obſeruari in velatione ſacræ virginis. Cap. V.

NOn es memorata diei ſanctæ dominicæ reſurrectionis, in quo diuino altari te obtuliſti velandã? In tanto itaq; ſolenni conuentu eccleſiæ dei, inter lumina illa ſplendida, inter candidatos regni cœleſtis quaſi regina regi nuptura proceſſeras. Non es memorata qualis allocutio facta eſt illa die ad te: Aſpice filia & intuere, & obliuiſcere populum tuum,& domum patris tui,& concupiſcet rex decorẽ tuũ,quia ipſe eſt dominus deus tuus? Reminiſcere ergo quantus ad ſpõſi tui,& domini nuptias conuenerit populus. Seruare te oportuit fidem,quã ſub tantis teſtibus pollicita es, ſemper cogitare cui virginitatẽ ſpopõderis. Facilius te oportuit ſanguinem cum ſpiritu fundere,quàm perdere caſtitatem tuam. His tunc in illo die cõſecrationis tuæ dictis,& multis ſupra caſtitatem tuã præconiis,ſacro velamine tecta es, vbi omnis populus dotẽ tuã ſubſcribens,non atramento,ſed ſpiritu,pariter clamauit, amen. Vincor lachrymis cùm hæc recordor, compũgor ſtimulis cùm hæc exempla conſidero. Nam ſi inter decem teſtes confectis ſponſaliis, nuptiis conſummatis, quæuis viro fœmina coniuncta mortali, nõ ſine magno periculo perpetrat adulteriũ: quid putes fore ſi inter innumerabiles teſtes eccleſiæ,coram angelis,exercitibus cœli facta copula ſpiritalis per adulteriũ ſoluitur? Neſcio an poſſit ei digna mors an pœna cogitari. Dicit aliquis: Melius eſt ergo nubere quã vri. Hoc dictum ad nõ pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterùm quæ ſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit,iam nupſit,iam immortali iuncta eſt viro. Et iam ſi voluerit nubere, communi lege coniugij adulterium perpetrat,ancilla mortis efficitur. Si hoc ita eſt, quid de illa dicendũ eſt quæ occulta & furtiua turpitudine conſtupratur, & fingit ſe eſſe quod non eſt? Habitu virgo, facto non virgo. Bis adultera, & in actu, & in aſpectu.

Pſalm. 44.

1. Corin. 7.

Quibus ſe defendere debeat refugiis virgo de ſtupro ſolicitata. Cap. VI.

SEd ad te iterum redeo,quæ obliuionem tantorũ paſſa bonorum,receptaculum tantorum malorũ facta es. Quomodo tibi in actu illo ignominioſo non veniebat in mẽtem habitus virginitatis,procellus in eccleſiam inter virgineos choros? Quomodo oculos tuos non perſtringebat lux vigiliarum? Aures tuas non penetrabat hymnorum ſpiritalium cantus? Mentem tuã nõ ventilabat lectionum cœleſtium virtus? hinc vel maximè clamante Apoſtolo: Fugite fornicationem,quia omne peccatum quodcunque fecerit homo,extra corpus eſt: qui autẽ fornicatur, in corpus ſuum peccat. Et cùm dicit, In corpus ſuum,tamen in Chriſtũ eum peccare demõſtrat. Nam ſubiungit: Non eſtis veſtri. Empti enim eſtis precio magno, glorificate, & portate deum in corpore veſtro. Et iterũ dicit: Fornicatio autem & omnis immundicia nec nominetur inter vos, ſicut decet ſanctos. Et ſepoſita omni adulatione ſententiam figit Apoſtolus: Hoc, inquit, ſcitote intelligentes,quia omnis fornicator,aut immundus,aut auarus non erit hæres in regno dei. Hæc tanta & tam terribilia non tibi veniebãt in mẽtem,cùm ad illud opus nefarium tua membra peterentur? Sed mortifera te obliuio tanquam in gurgitem altiſſimum demergebat,& quaſi captiuam execrabilis libido ducebat. Nonne vel illum locum tabulis ſeparatum in quo in eccleſia ſtabas,recordari debuiſti, ad quem religioſæ matronę,& nobiles certatim currebant,tua oſcula petentes,quæ ſanctiores & meliores te erant? Nónne vel illa præcepta quæ oculis tuis ipſe ſcriptus paries ingerebat, recordari debuiſti? Diuiſa eſt mulier & virgo: quę non eſt nupta, cogitat quæ domini ſunt, quomodo ſit ſancta corpore & ſpiritu. Tu autem in contrarium vertens dictum, ita cogitans, ita agens, vt nec corpore eſſes ſancta nec ſpiritu: corpore quidem fornicando, ſpiritu autem virginitatem mentiendo, Proh nefas, ſolet fama ſubſequi factum: tua autem ad malum fama prœuenit. Nam cùm ante triennium rumor quidam & ſuſurratio de te fuiſſet,tu ſynceritatem prætẽdebas, vindictam de maledicis in eccleſia poſtulabas publicè. Quos æſtus ego ſuſtinui? Quos pater tuus pro tua ſuſtinuit opinione labores,requirẽtes ſingulos,ſingulos adſtringẽtes vt ad authorẽ infamiæ veniremus. Graue enim erat nobis, & intolerabile de dei virgine,vel turpe aliquid dici vel credi. Nec hoc verita es, nec ante oculos habuiſti, ne venires inimicis tuis in gaudium, & eos haberes infenſos qui pro tua opinione laborabãt. Multum audax,multum temeraria, vt te conſcientia tua non terreret, ſimulata virginitate, putares te etiam deum poſſe decipere. Sed ille qui dixit: Nihil occultum quod non reueletur. Et vos,inquit,feciſtis in occulto,ego autem in manifeſto vos faciam. Ille qui nõ mentitur,furtiuum ſcelus deduxit in publicum,& in conſpectu ſolis huius tenebrarum veſtrarũ opera denudauit. O quicquid prætendit ſermo,crudeliora occurrunt,& cupiens moderari nõ inuenit modum. Oblita es propoſitum,oblita parentes,oblita es eccleſiam,oblita gloriam dignitatis tuę,oblita honorem virginitatis, etiã oblita promiſſionem regni, oblita iudicium terribile, amplexa es corruptionem,protuliſti fructum confuſionis,finem verò mortem fœiſſimam, & interitum ſempiternum.

Matth. 10.

Quam diligentiam ſuperior facere teneatur circa virgines conſecratas. Cap. VII.

LEt certè non habes quod de noſtra negligẽtia cõqueraris. Quodcunque enim ad officium paſtoris pertinet,& tibi & omnibus nõ negatum eſt. Dilectio ſpiritalis adhibita, commonitio ſancta non deſiit. Oblitta domum patris tui, vt ſcriptum eſt, ad monaſterium virginale tranſiſti. Non dico tuta eſſe debueras inter tot poſita ſi voluiſſes, ſed etiam tutelam aliis præſtare potuiſſes. Sed fruſtra hæc, & alia prouiſa ſunt. Hymnum virginitatis expoſui, quo & gloriam propoſiti,& obſeruantiam pariter decantantes, Seminaui ſecus viam,ſeminaui in ſpinis, ſeminaui in petroſa. Aut enim ex corde tuo verba mea volucres, id eſt, dæmones rapuerunt, aut malis tuis cogitationibus ſuffocata ſunt,aut aruerunt nimio æſtu libidinis. Heu me quia vbi putaui ædificare aurum, argentum,lapides precioſos,inuentus ſum ligna,fœnum,ſtipulã, arſuras materias laboraſſe. Dicam & ego ſecundũ prophetam: Heu me quia factus ſum ſicut qui colligit ſtipulam in meſſe. Equidem ſi tibi ſoli damnum feciſſes,erat quidẽ triſtitia,ſed forſitan tolerabilis. Nũc verò quantas animas tuo ſcelere ſauciaſti,quãtas animas propter te de propoſito ſuo pœnitere feciſti? Quanta labia etiã fidelium inquinata ſunt, viam domini blaſphemando? Aperuit in nos gentilitas os ſuum: aduerſus ſanctam eccleſiam ſynagoga Iudæorũ per tuum dedecus exultauit. Quod ſi is qui vnum ſcãdalizauerit,mola circũligatus iactari debet in mare, quid de te pronuncias,per cuius ſcelus omnis anima ſauciata eſt,& nomẽ domini in gentibus blaſphematum eſt? Nónne quotiens dicitur: O virgines: totiens tibi cumulus iniquitatis augetur? Iaces ecce vulnerata. Iaces ecce proſtrata.

Pſalm. 44.

Luc. 8.

1. Corin. 3.

Matt. 18.

Remedium adhibendum corruptæ virgini. Cap. VIII.

VUlnus quidẽ eſſe, ſed ſubuenire nõ poſſum, quia totũ caput in dolore,& totum cor in mœſticia eſt, à pedibus vſq; ad caput, ſicut ait Eſaias: Non eſt malagma imponere. Infirmitas tua omne humanæ medicinæ excluſit auxilium. Et licet tam boni quã mali iuſta indignatione permoti, te omni depopulatione dignã, omni tormentorum genere diſcrutiatam iudicent morte mulctandam,aut ignibus exurendam. Ego tamen qui ſcio grauiora facinoroſis ſeruari tormenta,& ſine fine impias animas cruciatus manere non temporales vtique, ſed æternos: aliis te volo cruciatibus affici, profuturis vtique, non animam perdituris. Ego ſecundum diuinam ſententiam dabo conſilium. Solum enim & vnicum tentandum eſt remedium, illud quod diuina vox per Ezechielem miſeris porrigit. Nolo, inquit, mortem peccatoris, ſed tantum vt conuertatur & viuat. Et iterum: Poſt hæc, inquit, dixi: Conuertere ad me, nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare non aſcẽdit ſanitas filiæ populi mei? Hęc vtique dicta pœnitentiam ſapiunt, hæ ſententiæ dei vocant ad pœnitentiam peccatores. Pœnitudo enim neceſſaria eſt, ſicut vulneratis ſunt neceſſaria medicamina. Sed quanta putas,& qualis neceſſaria pœnitentia,quæ aut æquet crimina, aut certè excedat? Vide ergo ſi ſimplex hoc peccatum adulterij

Eſaiæ. 1.

Ezech. 33.

Hiere. 8.

terij est, an duplex sit per illam necem quæ facta dicitur in occulto: & secundum conscientiæ molé exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. Pœnitétia ergo non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autē sic agitur: Si tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum de-
Matth.8. letum sit, & si te iam credas prope ipsas positā tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium sine fine. Cùm hæc certa fide sicut est animo conceperis, quia necesse est prævaricatricem animam tartareis pœnis, & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum esse post baptismum quàm pœnitentię solatium, quantamuis afflictionem, quantumuis laborem, & indecorem subire, esto contenta: dummodo ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente retractans, proprij facti tu ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimās, sicut es, quomodo possis reuiuiscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanā gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lachrymas, qui masculum simpliciter non aspexerunt. Palleścat facies, quæ quondam viruit impudicè. Deniq; totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat: quia malè sibi de pulchritudine placuit.
Psal.118. Cor verò sit liquescēs sicut cera, ieiuniis, inquietās seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucietur, quia in membra corporis cum
Zacha.1. haberet dominationem, malo cessit imperio. Talis vita, talis actio pœnitentiæ si fuerit perseuerans audebit sperare, & si non gloriam, certè pœnæ vacuationē. Dicit enim deus: Cō-
Ioel.2. uertimini ad me, & conuertar ad vos. Cōuertimini ex toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, in planctu: dirumpite corda vestra, & non vestimentum, quoniam pius & misericors
2.Reg.12. sum. Sic cōuersus magnus ille Dauid iustificatus est. Sic Niniue peccatrix illa ciuitas incumbentem sibi euasit interi-
Ionæ 3. tum. Peccator ergo sibiipsi non pepercit, à deo illi parcitur. Et si futuras pœnas, gehennæ præcipuas, in hoc paruo vitæ spacio cōpensauerit, seipsum ab ęterno iudicio liberat. Gran di plagæ, alta & prolixa opus est medicina. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. Nam non est dubium leuius esse crimen vbi peccatum suum vltrò homo confitetur & pœnitet. At vbi celans mala sua inuitus detegitur, & nolens publicatur, illud grauius scelus est, quod tibi vtique proueniisse negare non poteris. Et ideo fortius est dolendum, quia peccatum est fortius. Si mente cernerent homines peccatores quale iudicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate seculari, si non infidelitate grauaretur. Quantumuis & qualemuis cruciatum longior vita ducerent, optarent: dum modo illas pœnas æterni ignis non incurrerent. Sed tu quę iam ingressa es agonem pœnitentiæ, insiste misera fortiter, inhęre tāquam naufragus tabulæ, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari. Inhære pœnitentię vsque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humano die posse veniam dari, quia decipit te qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim propriè in dominum peccasti, ab illo solo te conuenit in die iudicij expectare remedium.

Corruptoris obiurgatio. Caput IX.

DE te autem fili serpentis, minister diaboli, violator templi dei, qui vno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium vtique & sacrilegium. Sacrilegium planè, vbi vas Christo oblatum, domino
Danie.5. dedicatum, dementi temeritate polluisti. Balthasar ille rex Persarum, qui in vasis domini quæ de templo Hierosolymis fuerāt à patre eius ablata, bibere cum suis amicis, & concubinis vsurpauit, ipsa nocte angeli manu percussus, crudeli morte punitus est. Quid de te arbitraris perdite pariter, & perditor, qui vas rationabile cōsecratum Christo, sanctificatum spiritui sancto impie temerasti, polluisti sacrilege, &
Matth.26. tui propositi immemor, & iudicij diuini contemptor? Melius enim fuerat omnino te nō esse natum, quàm sic natum, vt te sibi gehenna proprium filium vendicaret. Et licet ipsa
Prouer.28 conscientia sceleris te agat per diuersa prępcipitem: (Fugit enim impius nemine persequente se,) licet te diræ imagines peccati dormientem quoque perterreant, non solum vigilantem: tamen ne quid à pastore etiā oui morbidæ vel moriturę medicaminis denegatum sit, do consilium: Petas vltro carcerem pœnitentię, obstringas catenis viscera, animā tuam gemitibus ieiuniisque discrucies, sanctorum petas auxilium, iaceas sub pedibus electorum, vt non per cor im-
Rom.2. pœnitens thesaurizes tibi iram in die iusti iudicij Dei, qui reddet singulis secundum opera sua. Nec te in eorum numero constituas, quos luget Paulus: Qui ante peccauerunt,
2.Cor.12. & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & libidine quę gesserūt. Nec tibi de multitudine peccantium similium blandiaris & dicas: Non solus hoc ego egi, multos habeo socios: sed recogita, quia multitudo so-
Genes.19. ciorum impunitatē non facit criminum. Nam Sodoma & Gomorra in totis quinque ciuitatibus innumerabiles vtiq; habitabant populi, & omnes pariter qui libidinosè corpora sua tractauerunt, igneis imbribus cōflagrati sunt: solus autē Loth de illo ineuitabili incendio euasit, quia ab illa turpitudine se alienum prępstiterat. Exclude ergo vel nunc infelix de corde tuo blandimenta serpentis, & luctu, & fletu continuo, dum in corpore tuo immundo anima illa tenebrosa versatur, remedium tibi in die necessitatis acquire, semper ante oculos tuos habens Apostoli sentētiam: Quia
2.Cori.5. omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis sui secundum quæ gessit, siue bonum siue malum.

Ad virginem lapsam exhortatio. Cap. X.*

*Nōnulla exēplaria ex hoc vltimo capite libellum faciebant Thre.2.

QVis consoletur te virgo filia Sion, quia magna facta est sicut mare contritio tua. Effunde sicut aquā cor tuum ante faciem domini: Extolle ad eū manus pro remedio animę tuę, & peccatorū tuorū. Accipe igitur lamentū. Et primum quidem nullo die quinquagesimus Psalmus intermittatur, quia in negocio tali cantatus est. Et vsq; versiculum illum: Cor contritum & humiliatum deus non spernit, cum lachrymis gemitúque percurrens: insuper etiam hanc lamentationem non sine cō
Hiere.9. punctione cordis in conspectu dei iudicis funde: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarū, vt defleam vulnera animę meę? Conuersi sunt dies festi mei in luctū & cantica in lamentationē, recessit sonus hymnorū, & lętitia psalmorū, & successit stridor dentium & fletus
Psal.38. oculorum. Obmutui & humiliata sum, & silui à bonis, & dolor meus reuocatus est. Conçaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Timor & tremor venerunt super me, & contexerūt me tenebrę. Abyssus circumdedit me, postremò mersit caput meum in fissūras montiū.
Gene.19. Heu me, quia facta sum sicut Sodoma & combusta sum sicut Gomorra, quis miserebitur cineres meos? Durius offendi q̄ Sodoma, quia illa legē nescіens deliquerat, ego autem
1.Reg.2. accepta gratia peccaui in dominū. Si homo peccet in homi-
Psalm.7. nem: erit qui interueniat: Ego quę peccaui in dominū, quē propitiatorem inueniam? Concepi dolorē, & peperi iniquitatem. Lacum aperui & effodi eum, & incidi in foueam quā feci: Ideo cōuersus est dolor meus in capite meo, & in vertice meo iniquitas mea descendit. Immunditia mea ante pedes meos. nō fui memor nouissimorum meorum, & cecidi mirabiliter, nec est qui consoletur me. O quàm acerbus fructus luxurię, amarior felle, crudelior gladio. Quomodo facta sum in desolationem? Subitò defeci, perij propter iniquitatem meam, velut è somno exurgens: ideo in ciuitate
Psalm.101. domini vilificata est imago mea. Deletum est de libro vitę nomen meū, facta sum sicut noctua in domicilio, sicut pas-
Psal.141. ser vnicus in ędificio, non est qui consoletur me. Consi-
Psalm.30. dero à dextris, & video, & non est qui agnoscat me. Periit fuga à me, & nō est qui requirat animam meam. Facta sum sicut vas perditum, quoniam audiui vituperationem omniū circa me habitātiū. Vę diei illi in quo me infelix vterus genuit, & lux ista crudelis excepit. Oportuerat me potius nō fuisse natam, q̄ sic in gentibus fabula fierē. Propter me confusio & improperium factum est omnibus famulis domini, & eum digne colentibus. Lugete me montes & colles, lugete me fontes & flumina, quia fletus filia ego sum. Lugete me be-

me bestię siluarum,reptilia terrę,& volucres cœli,& omnis anima quæ vita frueris. Nam vos beatæ feræ & volueres, quibus nullus metus de inferis, neque post mortem reddenda est ratio: nos manet pœna crudelis tartari, qui habentes sensum delinquimus, & ideo non est pax peccatoribus.Meum est peccatum,mea iniquitas. Non sunt similia offensa hominum, quia horribilis hæc impietas est, carne pollicita seruare virginem, & castitatem professa publicè, mentita sum domino: ideo non est mihi fiducia inuocandi dominum altissimum,quia obstructum estos delinquentiũ. Psalm.62. Nam meum malum propheta cecinit:Quod qui elõgant se Psalm.72. à deo,peribunt, disperdit omnem fornicantem à se. Et itePsalm.21. rum:Adhæsit anima mea faucibus meis, & in puluerẽ mortis deducta sum. Veruntamen clamabo ad dominũ,cum adhuc tempus est,dum datur spaciũ,quia in morte nõ est memoria,& in inferno nõ est cõfessio. Domine ne in ira tua arPsalm.37. guas me,neq; in furore tuo corripias me. Quoniã sagittę tuę infixæ sunt mihi, & non est sanitas in carne mea a vultu iræ tuæ.Non est pax ossibus meis à facie iræ tuæ.Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum, sicut onus gravue grauatæ sunt super me.Computruerunt & deterioraverunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Miseriis afflicta sum vsq; in finem,rugio à gemitu cordis mei. Cor meũ conturbatũ est intra me,dereliquit me virtus mea, & lumẽ oculorum meorum,& ipsum non est mecum.Deus repulisti me,& destruxisti me, ostẽdisti mihi dura potasti me vino compunctionis,expulsa sum ab oculis tuis,iam nõ adiiciam vt respiciam ad templum sanctum tuum,& facta sum in exterminio. Quæ vtilitas in sanguine meo,dum descẽdo in corruptionem? Nũquid mortuis facies mirabilia,aut meExech.33. dici susci tabunt? Tuus sermo est, tua promissio est: Nolo mortem peccatoris, sed conuersionem,vt possit viuere. Ad te Deus meus conuersio, quia solus potes reuocare omnia,Psalm.118. & ab inferis animas reuocas.Tu soluis compeditos,tu deus Psalm.2. elisos erigis, cæcos illuminas, mortuos suscitas. Erraui sicut ouis perdita, require famulam tuam,ne lupus crudelis gluPsalm.38. tiat me.Multi dicunt animæ meæ,non est salus in deo eius. Sed tuum consilium tecum est.Quot sunt dies famulæ tuæ.Psalm.118 quando facies mecum iudicium? Defecit in salutari tuo anima mea, defecerũt in lachrymis oculi mei, effusa est in terra gloria mea. Quando respiciens restitues animam meam? Propter iniquitatẽ corripuisti me, & tabescere fecisti sicutPsalm.24. araneam animã meã. Memento domine quod puluis sum, vide humilitatem meam,& laborem meum,& remitte omPsalm.38. nia peccata mea.Remitte mihi vt refrigerer priusquam abIob 9. eam,& amplius non ero,nec in inferno erit confessio.Potẽs es domine dirumpere vincula mea quibus ligata sum atq; constricta,qui Raab sordidam non aspernatus es. Irã tuam domine auferà me, quia peccaui tibi crudeliter, donec iustifices causam meam,& educas me in lumine deus virtutũ. Da pœnitentiæ effectum, confessionis perseuerantiam, ne me induret deceptor animę.Hoc mihi donũ,hanc mihi gratiã de tuo fonte præstari cupio deus, vt in ęternũ tibi confitear.Qui viuis & regnas in trinitate in secula seculorũ,Amẽ.

FINIS.

Diui Ambrosij

MEDIOLANENSIS EPISCOPI *de Viduis Liber Vnus.*

BENE accidit fratres, vt quoniam tribus libris superioribus de virginum laudibus disseruimus, viduarum tractatus incideret.Neq; enim inhonoras debuimus pręterire,& à virginum pręconio separare,quas apostolica sententia cum virginibus copulauit. Iuxta 1.Cor.7. quod scriptum est: Et mulier inupta, & virgo cogitat quæ sunt domini,vt sit sancta corpore & spiritu. Quodammodo enim magisterium virginitatis,viduarum valescit exemplis. Quæ cumviro castum cubile custodiunt, documento virginibus sunt integritatem deo esse seruandam. Et propemodum non inferioris virtutis est eo abstinere coniugio quod aliquando delectauerit,quàm coniugij oblectamenta nescire. In vtroq; fortes, vt eas & coniugij non pœniteat cui fidem seruent, & coniugalia oblectamenta non alligẽt, ne videantur infirmæ, quæ sibi adesse non possunt. In hac ipsa tamen virtute præmia sunt reposita libertatis. Mulier enim vincta est quanto tempore vir eius viuit.quod si dormiuerit vir eius,libera est,cui vult nubat: tantum in domino. Beatior autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium dico.Puto enim quod & ego spiritum dei habeã. Euidenter igitur expressit apostolus quid interst, cum aliã 1. Corin.7. vinctam esse dixerit, aliam beatiorem esse memorauerit. Idque non tam ex suo iudicio, quàm diuini spiritus docuit infusione depromptum, vt cœlestis ista non humana sententia videretur.Quid verò illud quod temporibus iis quibus fames omne genus vrgebat humanum,Helias ad viduã 3.Reg.17. destinatus est? Et vide quemadmodum propria singulis gratia reseruetur. Angelus ad virginem,propheta ad viduam. Lucæ 1. Adde quod Gabriel ille,hic Helias,vt ex angelorum & prophetarum numero præstantissimi principes videantur electi. Sed non simplex viduitatis laus est,nisi virtus etiam viduitatis accedat.Nam vtique multæ viduæ antè,sed vna omnibus antefertur: in qua non tam cæteræ reuocantur ab studio,quàm virtutis prouocantur exemplo.Solicitas igitur aures præsagio facit, quamuis simplicitas intellectus ipsa moralis sit, quæ ad virtutis exemplum viduas cohortetur: quia non professione, sed meritò videtur vnaquæque præstare,& hospitalitatis apud deum gratiã non perire,qui potum aquæ frigidæ, sicut in Euangelio ipse memorauit, præ- Matth.10. mio æternitatis remuneret amplissimo,& farinę breuis oleí que mensuram indeficienti affluentium copiarum vbertate compensat.Nam si quis de gentilibus dixit,communia omnia amicorum esse debere,quantomagis debent esse cõmunia cognatorum? Cognati enim sumus,qui in vnam seriem corporis copulamur.Sed tamen non præscripto quodã hospitalitatis fine concludimur. Cur enim proprium id quod in seculo est putes,cum commune sit seculum? Aut cur priuatos terræ deputes fructus,cùm terra cõmunis sit? Respi- Matth.6. cite, inquit, volatilia cœli, quoniam non serunt,neque metunt.Etenim quibus nihil est proprium,nihil deest. Et sententiæ suæ deus arbiter nouit seruare promissum.Denique aues non congregant, & redundant,quia pater cœlestis pascit illas.Nos autem generalis monimenta sententiæ ad vsus proprios deriuantes: Omne,inquit,lignum quod habet in Genes.1. se fructus seminis satiui,erit vobis in escam, & omnibus bestiis,& omnibus auibus,& omnibus sepentibus super terrã: congerando egemus,& congregando euacuamur. Nõ possumus enim sperare promissum,qui non seruamus oraculũ. Salubre est igitur præceptum quoque hospitalitatis aduertere,vt hospitibus deferamus: quia nos quoque sumus hospites mundi. Quàm verò sancta vidua, quæ cum fame vrgeretur extrema,venerationem deo debitã reseruabat.Nec solùm sibi vsurpabat alimenta, sed cum filio diuidebat, ne caro pignori superuiueret. Magnum pietatis officium, sed religionis vberius.Nam sicut neminem filio oportuit anteferri, ita propheta dei, & filio præferri debuit & saluti. Cui non exiguum victum, sed vitæ suæ omne subsidium existimanda est detulisse,quæ nihil reliquit sibi,tam hospitalis vt totum daret, tam fidelis vt citò crederet. Ergo vidua non abstinentia corporis tantũ definitur,sed virtute designatur. Cui præcepta non do ego, sed Apostolus tribuit. Honorificentiam non solus impartior, sed gẽtium doctor prius detulit dicens:Viduas honora quæ veræ viduæ sunt.Si qua au- 1.Tim.5. tem vidua filios aut nepotes habet,discat primum suam domum regere,& mutuam vicem reddere parentibus. Vnde aduertitur vtrunque pietatis affectum viduæ inesse debere, vt filios diligat, parentibus deferat. Ita dum obsequium parentibus rependit: magisterium exercet in filios, suóq; ipsa remuneratur officio, cùm id quod aliis defert, sibi proficit. Hoc enim acceptum est coram deo. Et ideo si cogitas

vidua

vidua quæ dei sunt, debes id sequi quod deo placere didicisti. Et supra quidē sanctus Apostolus ad continentiæ studiū
1.Timo.5. viduas cohortatus, dixit eas cogitare quæ sunt domini. Alibi autem vbi eligitur vidua quæ probata est, non solùm co-
Ibidem. gitare præcipitur, sed etiam sperare de domino. Quæ enim verè vidua est, inquit, & desolata, sperat in dominum, & instat obsecrationibus & orationibus die ac nocte. Nec immeritò has irreprehensibiles ostendit esse debere, quibus vt opus virtutis indicitur, ita etiam honorificentia larga defertur, vt etiam ab episcopis honorentur. Qualis autem eligi debeat, ipso doctoris sermone describitur. Non minus, inquit, sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor. Non quo senectus sola viduam faciat, sed quo viduitatis merita, stipendia senectutis sint. Nam vtiq; illa præclarior quæ calorem adolescentiæ, & iunioris feruescentem edomat ætatis ardorem, nec mariti gratiam, nec vberiora liberorū oblectamenta desiderans: quàm quæ effœta iam corpore, frigida senectute, natura æui, nec calere voluptatibus potest, nec sperare de partu. Neq; verò si qua in secundas nuptias inciderit, (quas vtiq; apostolica præcepta nō dānant,) quasi B fructu pudoris amisso, si rursus soluta fuerit viro, ab affectu viduitatis arcetur. Habebit illa quidem vel seræ meritū castitatis, sed probatior erit quæ alterius non fuerit experta coniugium. In illa enim eminet studium castitatis, huic aut
1.Tim.5. senectus, aut pudor modū videtur fecisse nubendi. Nec sola tamen castitas corporis viduæ fortitudo est, sed magna & vberrima disciplina virtutis, quæ in operib⁹ bonis testimonium habeat, si filios educauerit, si hospitio receperit, si sanctorum pedes lauerit, si tribulationem patientibus subministrauerit, si postremò omne opus bonū fuerit subsecuta. Vides quàm multas virtutum comprehenderit disciplinas: Primò pietatis officium: secundò hospitalitatis studium, & humilitatis obsequium: tertiò misericordiæ ministerium, liberalitatisq; subsidium: ad summam omnis executionem boni operis flagitauit. Et ideo adolescentiores deuitandas putat, eo quod nō valeant tantæ opera implere virtutis. Etenim vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum, feruorem calentis inflammat ætatis. Bonique C doctoris est materiā arcere peccati: prima enim institutionis est disciplina culpam auertere, secunda virtutem infun-
Lucæ 2. dere. Tamen cùm sciuerit Apostolus Annam illam ab adolescentia octogenariam viduam dominicorum operum extitisse prænunciam, non puto quod iuniores reuocandas pu
1.Cor.7. tarit à viduitatis affectu, maximè cum dixerit: Melius est nubere quàm vri. Nam vtique pro remedio nuptias suasit, vt peritura sanetur: non pro electione præscripsit, casta & cōtinēs quid sequatur. Aliud est enim subuenire labēti, aliud suadere virtuti. Et quid de humanis iudiciis loquar, cum diuinis iudiciis in nullo grauius Iudæi dominum læsisse prodantur, quàm quod viduæ gratiam minorúmque iura violarent? Hæc propheticis causa vocibus conclamatur, quæ meritum Iudæis refectionis inueherit. Hæc sola causa delicti inuidiam mitigatura memoratur, si honoretur vidua in
Esaiæ 1. honorib⁹, æqui iustitia iudicij deferatur. Sic enim habes: Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus dicit dominus. Et alibi: Pupillum & viduam suscipiet. Et
Psal.145. alibi: Viduam eius benedicens benedicam. In quo ecclesiæ D
Psal.131. quoque figura prætexitur. Videtis igitur sanctæ viduæ nequaquam lubrico munus studio deferendum, quod diuinæ benedictionis subsidiis honoratur. Quid verò illud, vt ad
3.Re.17. superiora redeamus, quòd cū in omni terra esset fames maxima, viduæ tamen deo cura non defuit, atq; ad alendam eā propheta directus est? In quo cum me admoneat dominus, quod in veritate dicturus sit, ad mysterium videtur solicitare aures. Quid enim verius Christi, & ecclesiæ potest esse mysterio? Non igitur ociose inter multas viduas vna præfertur. Quæ enim talis, ad quam tantus propheta, qui ad cœlum raptus est, dirigatur, eo præsertim tēpore quo clausum est cœlum annis tribus, & mēsibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra? Vbique ergo fames erat, & adhuc tamē hæc vidua non egebat. Qui sunt hi tres anni? Fortè illi quibus dominus venit in terras, & fructū in ficulnea
Lucæ 13. inuenire non potuit: iuxta quod scriptū est: Ecce anni tres

A sunt, ex quo veni quærens fructū in ficulnea hac, & non inuenio. Hæc est profectò vidua illa, de qua dictum est: Lætare sterilis quæ non parturis, erumpe & exclama quæ non parturis: quoniam multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. Et bene vidua, cui benedicitur: Ignominiæ & Esaiæ 54. viduitatis tuæ non eris memor, quia ego dominus qui facio te. Et fortasse ideo vidua quæ amisit quidem virum secundum corporis passionem, sed in die iudicij filium hominis quem amisisse visa est receptura. Tempus enim breue, inquit, dereliqui te, vt glorioſius scilicet fidē relicta seruares. Habent itaq; omnes quod imitentur exemplum, virgines, nuptæ & viduæ. Et fortasse ideo ecclesia, virgo, nupta, vidua, quia vnum corpus in Christo sunt. Hæc igitur illa vi- Rom.12. dua est, propter quam verbi cœlestis siccitas cùm esset in terris, prophetæ sunt destinati. Erat enim vidua quæ sterilis erat, sed partum suo tēpori reseruabat. Vn de nec illius nobis videtur persona mediocris, qui aridam terram verbi rigauit rore cœlesti, clausúmque cœlum non humana vtique potestate reserauit. Quis enim est qui cœlum potest aperire nisi Christus, cui quotidie de peccatoribus cibus ecclesiæ cumulo congregatur? Neque enim humanæ facultatis est dicere: Hydria farinæ non deficiet, & vas olei non deficiet 3.Reg.17. vsque in diem quo dabit dominus pluuiam super terram. Nam licet mos sit ita præfari prophetis, tamen hic vera dei vox est. Ideo præmissum est: Quia hæc dicit dominus. Domini enim est perpetuitatem sacramentorum spōdere cœlestium, & non defuturam spiritalis exultationis gratiā polliceri. Largiri munimenta vitæ, fidei signacula, dona virtutum. Quid est autem: Vsq; in illum diē quo dabit dominus Psalm.71. pluuiam super terrā, nisi quia descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram? In quo veteris mysterium referatur historiæ, quo sanctus Gedeon mystici Iudic.6. certaminis præliator futurę capiens insigne victorię, spiritale sacramentum vigore mentis agnouit, pluuiam illam verbi rorem esse diuini, quæ primo pluit in vellus, cū terra omnis perpetuis siccitatibus æstuaret. Secundo verò indicio vniuersam terrā fuso imbre madefecit, cū siccitas esset in vellere. Aduertit enim vir prędagus futurę ecclesię crescentis insigne. Nā primo intra Iudęā diuini cœpit ros sermonis humescere. (Notus enim in Iudęa deus,) cū arida fi- Psalm.71. dei totius orbis vniuersa torrerent. Sed vbi Ioseph greges deū negare cœperūt, & ausu nefario immanium delictorū cōtrahere diuinitatis offensam, tunc per omnes terras fuso imbris rore cœlestis, populus Iudæorum æstu perfidiæ suæ cœpit arescere, cùm ecclesiā sanctam ex omnibus terrarum partibus cōgregatam, propheticæ nubes, & salutaris imber apostolicus irrigarent. Hæc est illa pluuia non terrarum humido, nō nebuloso concreta montium, sed cœlestium scripturarum salubri per totum orbem imbre diffusa. Ostenditur exemplo igitur, non omnium esse diuinæ mereri miracula potestatis, sed eorum quibus religioſę deuotionis studia suffragentur. Et diuini eos fructu operis abdicari, qui re uerentiæ cœlestis sunt exortes. Ostenditur etiam in mysterio, quod ad instaurandam ecclesiam dei filius humani corporis sacramenta susceperit, abdicato populo Iudæorum, quibus consiliarius, & propheta beneficiorúmque adempta sunt miracula diuinorum, eo quod ciuico quodam inuidiæ næuo in dei filium credere noluerunt. Docuit igitur scriptura quanta collatio gratiæ, quantum etiam sit munus diuinæ benedictionis in viduis. Quibus quoniam honorificētia à Deo tanta confertur, facilè est aduertere qualis debeat vita cōpetere. Docet enim Anna quales deceat esse viduas, quæ immaturo mariti obitu destituta, maturæ tamen à deo remunerationem laudis inuenit, non minus religionis officio, quàm studio castitatis intenta. Vidua, inquit, octoginta Lucæ 2. & quatuor annorum, vidua quæ non discedebat de templo, vidua quæ ieiuniis & obsecrationibus die ac nocte seruiret. Vides qualis vidua prædicetur, vnius viri vxor, ætatis quo- 1.Timo. que probata iam processu, viuida religioni, & effœta iā corpore, cui diuersorium in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio, quæ dierum noctiúmque temporibus indefessæ deuotionis obsequio cum corporis agnosceret senectutem, pietatis tamen nescire ætatē. Sic instituitur à iuuentute vidua,

dua, sic prædicatur in senectute veterana: quæ viduitatem non occasione temporis, non imbecillitate corporis, sed virtutis magnanimitate seruauerit. Etenim cùm dicit septem annis eam cum viro fuisse à virginitate sua, ab adolescentiæ vtique studiis inchoata prædicat subsidia senectutis. Docemur itaque triplicem castitatis esse virtutem: vnam coniugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis. Non enim aliam sic prædicamus, vt excludamus alias. Suis quibusque professionibus ista conducunt. In hoc ecclesiæ opulens disciplina, quòd quos præferat, habet: quos reiiciat, non habet: atque vtinam habere nunquam possit. Ita igitur virginitatem prædicamus, vt viduas non reiiciamus. Ita viduas honoramus, vt suus honor coniugio reseruetur. Non nostra hoc præcepta, sed diuina testimonia docent. Reminiscamur itaque quemadmodum Maria, quēadmodum Anna, quemadmodum Susanna laudentur. Et quoniam non laudes earum tantummodo prædicandæ sunt, sed disciplinæ etiam sunt sequendæ, reminiscamur vbi Susanna, vbi Anna, vbi Maria sint repertæ, & aduertamus quemadmodum singulæ aptis laudibus prædicentur, & vbinam commorantur. Nupta in paradiso, vidua in templo, virgo in secreto: sed in illis tardior fructus, in virgine maturior. Illas senectus probat, virginitas laus ætatis est, nec adiumenta quærit annorum, quæ omnium est fructus ætatum. Adolescētiam decet, iuuentutem ornat, amplificat senectutem, omníque ævo habet iustitiæ suæ canos, maturitatem grauitatis, velamen pudoris, qui deuotionem non impediat, religionem augeat. Aduertimus enim ex sequentibus, quia quotannis in die solenni paschæ sancta Maria, cum Ioseph Hierusalem petebat: vbique impigra deuotio, vbique assiduus virgini comes pudoris adiungitur. Nec inflatur domini mater quasi secura de meritis, sed quo meritum maius agnouit, eo votum vberius exoluit, officium copiosius detulit, munus religiosius vexit, mysticum tempus impleuit. Quanto igitur vos magis conuenit intentas esse studio castitatis, ne locum siniſtræ relinquatis opinioni, quæ pudicitiæ testimonium in solis habetis moribus? Virgo enim licet in ea quoque maior sit motum prærogatiua quàm corporis, calumniam tamen integritate carnis abiurat. Vidua quæ probandæ subsidium virginitatis amiserit, non in voce obstetricis, sed in suis moribus habet castitatis examen. Docuit igitur scriptura, quàm attentus viduæ esse debeat & religiosus affectus. Docuit etiam libro eodem, sed alio loco, quàm misericordem in pauperes, & liberalem esse conueniat, nec paupertatis debere contemplatione reuocari: quia liberalitas non cumulo patrimonij, sed largitatis definitur affectu. Denique dominica voce
Lucæ 21. illa vidua omnibus antefertur, de qua dictum est: Vidua hęc plus omnibus misit. In qua moraliter dominus instituit vniuersos, ne quis à collatione ministerij paupertatis pudore reuocetur: nec sibi diuites blandiantur, quòd plus videantur conferre, quàm pauperes. Vberior est enim nummus è paruo, quàm thesaurus è maximo: quia non quantum detur, sed quantum resideat, expenditur. Nemo plus tribuit, quàm qui nihil sibi relinquit. Quid tu dives egeni comparatione te iactas, & cùm tota onereris auro, precioſam per humum trahens vestem, quasi inferior tuis & parua, diuitiis honorari desideras, quia inopem collatione vicisti? Et flumina superfluunt cùm redundant. Gratior tamen haustus è riuulo est. Spumant & musta dum feruent, nec damnum putat agricola quod defluxerit. Gementibus areis dum cęditur messis, frumenta defolliunt. Sed deficiētibus messibus non deficit hydria de farina, & plena olei testa desudat. Exinaniuit tamen dolia diuitum siccitas, cùm viduæ pauxillulum olearium redundaret. Non ergo quid fastidio expuas, sed quantum deuotione conferas, æstimādum est. Denique nulla plus tribuit, quàm illa quæ de filiorum alimentis pauit prophetam. Et ideo quia nulla plus contulit, nulla plus meruit. Hæc moraliter: nec mysticè tamen despexeris hanc mulierem in gazophylacium duo æra mittentem. Magna planè fœmina, quæ diuino iudicio meruit omnibus anteferri, ne fortè illa sit quæ de fide sua ad subsidium hominum duo testamenta contulerit. Et ideo nulla plus fecit. Nec quisquam hominum quantitatem potuit collationis eius æquare, quæ fidem cum misericordia copulauit. Et tu igitur quæcunque vitam studio viduitatis exerces, ne dubites ad gazophylacium duo æra deferre, vel fidei plena, vel gratiæ. Felix illa, quę de thesauro suo integram regis imaginem profert. Thesaurus tuus sapientia, thesaurus tuus castitas atque iustitia est, thesaurus tuus intellectus bonus: qualis ille thesaurus fuit, de quo magorum viri, aurum, thus & myrrham cùm Matth. 2. adorarent dominum, protulerunt, auro regis potentiam declarantes, deum thure venerantes, myrrha resurrectionem corporis confitētes. Habes & tu thesaurum hunc, si in te requiras. Habemus etenim thesaurum in vasis fictilibus. Ha- 2. Corin. 4. bes aurum quod conferas. Non enim renitentis metalli precium de te deus exigit, sed illud aurum quod iudicij die nequeat ignis exurere. Nec dona precioſa deposcit, sed odorem fidei, quem altaria tui cordis exhalent, & religiosæ mentis spiret affectus. Ex hoc igitur thesauro, non solùm magorum tria munera, sed etiam duo viduæ æra promuntur, in quibus integra cœlestis imago regis effulgeat, splendor gloriæ eius, & imago substantiæ. Bona & illa planè laborioſæ stipendia castitatis, quæ de suo opere, quotidianóque penso conferat vidua, nocturnis pariter ac diurnis iugi exercēs labore pensa temporibus, & pudicitiæ quæstuosæ peruigil, opere mercedem cōgregans, vt intemeratum defuncti coniugis cubile custodiat, alere dulces liberos possit, & ministrare pauperibus. Hæc est præferenda diuitibus: hæc est quæ Christi iudicium non timebit. Hanc æmulamini filiæ. Bo- 1. Cor. 12. num est enim æmulari in bono semper. Æmulamini meliora charismata. Spectat vos dominus semper, spectat, inquam Iesus, cùm ad gazophylacium acceditis, & de bonorum operum mercedibus stipem portatis egentibus conferendam. Quantum est igitur vt æra tua conferas, & Christi corpus acquiras? Noli ergo vacua prodire in conspectu domini dei tui, vacua misericordiæ, vacua fidei, vacua castitatis. Non enim inanes dominus, sed virtutibus opimas spectare Iesus & laudare consueuit. Videat te adolescentula laborantem, videat ministrātem. Hęc est enim merces quam deo debes, vt de aliarum quoq; profectibus mercedem deo tuo conferas. Nulla merces deo melior quàm ea quæ habet pietatis munera. An verò mediocris tibi vidua illa videtur Noemi, quæ viduitatem suam messis manipulis sustentabat Ruth 1. alienæ, quàm ævo grauem alebat nurus? Nam hoc quoque & ad subsidium, & ad gratiam viduarum proficit, vt ita instituant nurus suas, quo possint in his maturæ habere subsidium senectutis, & quasi stipendium magisterij, mercedem quoque suæ capere disciplinę. Etenim quę bene instituerit, bene erudierit nurum suam Ruth, ei deesse non poterit, quę viduitatem socrus paternæ domui prę ferat. Et si vir quoque eius mortuus fuerit, non relinquat tamen, alat inopem, soletur mœrentem, nec dimissa discedat. Nescit enim egere optima disciplina. Sic illa Noemi duobus destituta filiis & marito, quę fructus fœcunditatis amiserat, pietatis emolumenta non perdidit. Nam & solatium mœroris, & subsidiū paupertatis inuenit. Videtis igitur sanctæ fœminę quàm fœcunda sit vidua prole virtutum, meritorúmque suorum sobole, quę perire non possit. Bona igitur vidua egere non nouit: & si fessæ fuerit ætatis, & supremæ paupertatis, eruditionis tamen suæ solet habere mercedem. Et si proximi defuerint, inuenit tamen extraneos qui matrem colant, reuereātur parentem, paruíque alimentorum sumptibus mercedem cupiant suæ cōmendationis acquirere. Plus enim viduę rependūt merita, quàm cibus quærit, sumptus impēdit. Sed tristes videtur ducere dies & lachrymis tēpus exigere. Hoc beatior quòd perpetua sibi gaudia exiguis fletibus emit, paruíq; momentis tempora acquirit ęterna. Quibus benedicitur: Beatę Lucæ 6. tristes, ipsę enim ridebitis. Quis igitur falsas prę sentium imagines gaudiorū futurę securitatis prę ferat voluptati? An despicabilis nobis author videtur ille dominici corporis, author electus, qui cinerem sicut panem manducabat, & potū Psal. 101. cum fletu miscebat, vt vespertinis lachrymis, matutinæ sibi lætitiam redemptionis acquireret? Vnde igitur plurimùm gaudere meruit, nisi quia plurimùm fleuit, & tanquam lachrymarum precio suarum futurę sibi glorię gratiam comparauit? Habet igitur vidua bonā commēdationis suę materiam

riam,vt dum virum luget, fleat ſeculum,& in promptu ſint lachrymæ redẽptrices, dum pendũtur mortuis, viuentibus profuturæ.Paratus eſt mœſtitudine animi fletus oculorum, miſericordiam conciliat,laborem minuit,dolorem ableuat, ſeruat pudorem, nec iam miſera ſibi videtur quæ conſolationem in lachrymis haber,in quibus ſunt charitatis ſtipendia,pietatis officia.Sed nec fortitudo bonę viduæ deeſſe cõſueuit.Hæc enim vera eſt fortitudo quæ naturæ vſum,ſexus infirmitatem, mentis deuotione tranſgreditur, qualis in illa fuit,cui nomen Iudith,quæ viros obſidione fractos, perculſos metu, tabidos fame, ſola potuit à colluuione reuocare, ab hoſte defendere. Etenim,vt legimus,cũ Holofernes ſucceſſu multorum terribilis præliorum intra muros innumera virorum milia coegiſſet, armatis pauentibus,& de extrema iam ſorte tractãtibus,extra murum proceſſit,& illo præſtantior exercitu quem liberauit, & eo fortior quem fugauit.Sed diſcas maturæ viduitatis affectum,ſeriem ipſam proſequere ſcripturarum.A diebus enim viri ſui quibus ille defunctus eſt, veſtem iocunditatis depoſuit, mœroris aſſumpſit, per omnes dies intenta ieiunio,ſabbato tantum & dominica, ſacratarúmque temporibus feriarum nõ refectioni indulgens,ſed religioni deferens.Hoc eſt enim,ſiue mandu catis,ſiue bibitis,in nomine domini Ieſu Chriſti agenda eſſe omnia, vt etiam ipſa refectio corporalis ſacro religionis cultui deferatur. Diuturnis igitur mœroribus, & quotidianis roborata ieiuniis ſancta Iudith, quæ ſeculi oblectamenta non quæreret, periculi negligens, mortiſque contemptu fortior,vt cõmentitium ſtrueret dolum,veſtem illam iocunditatis,quam viuente viro veſtiri ſolebat,ſe induit,quaſi placitura viro ſi patriam liberaret. Sed virum aliũ videbat, cui placere quærebat:illum vtique de quo dictum eſt: Poſt me venit vir qui ante me factus eſt. Et bene coniugales pugnatura reſumpſit ornatus, quia monimẽta coniugij arma ſunt caſtitatis.Neque enim vidua aliis aut placere poſſet,aut vincere. Quid cætera proſequamur, quod inter tot milia hoſtium caſta permanſit? Quid eius ſapientiam prædicemus, quod huiuſmodi cõmenta eſt conſilium,vt dum potentem elicit intemperantia,à ſe inferiores arceret, occaſionem pararet victoriæ,abſtinentiæ meritum,pudicitiæ gratiam reſeruaret? Nec cibo enim, vt legimus, maculata, nec adultero, non minus ſeruatæ caſtitatis ex hoſtibus reuexit trophęum, quàm patriæ liberatæ. Quid ſobrietatem loquamur?Temperantia enim virtus eſt fœminarum. Inebriatis vino viris & ſomno ſepultis abſtulit vidua gladium, exeruit manum, bellatoris abſcidit caput,per medios hoſtium acies intemerata proceſſit.Aduertatis igitur quãtum nocere mulieribus poſſit ebrietas,quando viros vina ſic ſoluunt, vt vincantur à fœminis.Eſto igitur vidua temperans,caſta primum à vino, vt caſta poſſis eſſe ab adultero.Nequaquam te ille tentabit, ſi vina non tentent.Nam ſi Iudith bibiſſet,dormiſſet cum adultero. Sed quia non bibit, haud difficile ebrios exercitus vnius ſobrietas, & vincere potuit, & eludere. Nec dexteræ tantum hoc opus,ſed maiora trophæa ſapientiæ.Nam manu ſolum Holoferne viciſſet,conſilio autem omnium hoſtium vicit exercitum. Suſpenſo enim Holofernis capite,quod virorum conſilio nõ potuit excogitari,ſuorum erexit animos, hoſtium fregit,ſuos pudore excitans,hoſtes quoque terrore percellẽs,eo quod cæſi ſunt & fatigati.Ita vnius viduæ temperantia atque ſobrietas non ſolum naturam ſuam vicit, ſed quod eſt amplius,fecit viros etiam fortiores.Nec his tamen eleuata ſucceſſibus, cui vtique gaudere & exultare licebat iure victoriæ,viduitatis reliquit officium,ſed contemptis omnibus qui eius nuptias ambiebãt, veſtem iocunditatis depoſuit,viduitatis reſumpſit,nec triumphorum ſuorum amauit ornatus, illos exiſtimans eſſe meliores quibus vitia corporis,quàm quibus hoſtium arma vincuntur. Ac ne vna viduã tantum hoc opus imitabile aliis videatur impleſſe, plures alias vel parilis vel proximæ fuiſſe virtutis nequaquam dubitandum videtur. Bona enim ſeges plurimas ſpicas fructu refertas ferre conſueuit. Nec dubites illam veterum ſegetem temporum in complurium fœminarum moribus fœcundaſſe.Sed quia prolixum eſt complecti omnes, cognoſcite aliquas, & præcipuè Debboram, cuius nobis prodidit ſcriptura virtutem.Hæc enim docuit non ſolùm viri auxilio viduas non egere,verum etiam viris poſſe eſſe ſubſidio:quę nec ſexus infirmitate reuocata munia virorum obeũda ſuſcepit,& ſuſcepta cumulauit. Denique cùm Iudæi iudicum regerentur arbitrio, qui virili non poterant vel æquitate regi, vel virtute defendi, bellis hincinde ardentibus, Debboram ſibi cuius regerentur iudicio,cooptarunt. Itaque multã milia virorum vna vidua & in pace rexit,& ab hoſte defendit. Multi iudices in Iſrael,ſed nulla antè iudex fœmina. Multi iudices poſt Ieſum,ſed nullus propheta. Et ideo lectũ iſtius puto eſſe iudicium, & geſta eius arbitror eſſe deſcripta, ne mulieres à virtutis officio muliebris ſexus infirmitate reuocentur.Vidua populos regit,vidua ducit exercitus,vidua duces eligit,vidua bella diſponit,mandat triumphos. Non ergo natura rea eſt culpæ, nec infirmitati obnoxia. Strenuos enim non ſexus, ſed virtus facit. Et in pace quidem nulla querimonia, nullus error mulieris inuenitur, cùm plerique non mediocrium peccatorum authores populo ſuo iudices extitiſſent.Vbi verò Chananęa gens ferox prælio,& affluentium copiarum opima ſucceſſu,hoſtiles in populum Iudæorum animos extulerunt, vidua præ cæteris bellicos iuſtruit apparatus.Et vt diſcas non publicis copiis domeſticas neceſſitates fuiſſe ſubnixas,ſed domeſticis diſciplinis munus publicum gubernatum,domo propria filium ducem producit exercitus:vt agnoſcatis quod poſſit inſtituere vidua bellatorem.Quem quaſi mater erudiit,quaſi iudex propoſuit,quaſi fortis inſtituit, quaſi prophetes victoriæ certa tranſmiſit. Denique in mulieris manu ſummam fuiſſe victoriæ docet Barach filius dicens: Niſi tu veneris mecum, non ibo, quia non noui diem in qua dirigit dominus angelum ſuum mecum. Quanta ergo fœminæ iſtius virtus, cui dux dicit exercitus:Niſi tu veneris,non ibo? Quanta,inquam,viduæ fortitudo,quæ à periculis filium nec materno reuocat affectu,immo ad victoriam filium ſtudio matris hortatur dicens:quod in manu mulieris ſit ſumma victoriæ.Debbora ergo prælij probauit euentum.Barach iuſſus produxit exercitum. Hialech cœpit triumphum.Huic enim prophetia Debboræ milauit. Quæ myſtice nobis ortum ſurrecturæ ex gentibus eccleſiæ reuelauit,cui triumphus de Siſara ſpiritali,hoc eſt, de aduerſariis poteſtatibus quæreretur. Nobis igitur prophetarum oracula dimicarunt, nobis illa prophetarum iudicia & arma vicerunt. Et ideo non populus Iudæorum,ſed etiam Hialech victoriam de hoſte quæſiuit.Infelix ergo populus, qui hoſtem quem fugauit, perſequi fidei virtute non potuit. Itaque illorum delicto ſalus gentibus, illorum deſidia nobis ſeruata victoria eſt. Hialech ergo proſtrauit Siſaram, quem tamen coruſco duce, (hoc enim ſignificat interpretatio Barach,) manus veterum fugauerat Iudæorum. Frequenter enim, vt legimus, orationibus & meritis prophetarum cœleſtia patribus affuere ſubſidia, ſed his iam tũc de nequitiis ſpiritualibus victoria paratur, quibus dicitur in euangelio: Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mũdi. Ergo principium victoriæ à maioribus, finis in eccleſia. Eccleſia autem non armis ſecularibus vincit aduerſarias poteſtates,ſed armis ſpiritualibus, quæ ſunt fortia deo ad deſtruendas munitiones, & altitudinem nequitiæ ſpiritualis. Et ideo Siſaræ ſitis, lactis poculo reſtinguitur, quia oratione ſuperatur. Quod enim nobis ſalutare ad eſcam,hoc aduerſariæ poteſtati lethale ad infirmitatem. Arma eccleſiæ,fides: arma eccleſiæ,oratio eſt, quæ aduerſarium vincit. Ergo ſecundum hiſtoriam, ad prouocandos animos fœminarum,fœmina iudicauit,fœmina diſpoſuit, fœmina prophetauit, fœmina triumphauit, & præliaribus intermixta copiis, imperio viros docuit militare fœmineo.Secundum myſterium veræ fidei, militia eccleſiæ victoria eſt.Non ergo habetis quod per naturam vos excuſetis fœminæ. Non habetis viduæ, quod ad infirmitatem ſexus,ad amiſſionem ſubſidij maritalis mobilitatem veſtram referre poſſitis.Satis vnicuique præſidij eſt,ſi virtus animi non deſit. Et ipſe in viduis frequens proceſſus ætatis munimen pudoris eſt, & ipſe amiſſi coniugis dolor, vſus operis, domus cura, ſolicitudo liberorum noxiam pudori ſolet arcere laſciuiam. Atque ipſe lugubris habitus, pompa

Iudith 8. 1.Cori. 10. Iudith 10. Ioan 1. Iudic.4. Iudic.4. Matth.25. 1.Cori.10.

funebris,fletus assiduus,& mœstæ fronti inarantibus rugis impressa tristitia,petulantium premit oculos, restringuit libidines, procaces auertit aspectus. bonus custos pudoris, pietatis dolor: non obrepit culpa, si cura non desit. Didicistis igitur viduæ subsidio vos non egere naturæ, & posse salubritatẽ tenere consilij, nec domestico indigere præsidio, quæ etiam publicæ potestis apicem potentiæ vindicare.Sed fortasse dicit aliqua, ei tolerabiliorem viduitatem cui profluant res secundæ, aduersis verò viduas citò frangi, facilè succumbere.De quo & si ipso doceamur vsu,læta viduis lubrica magis esse quàm seria,tamen scripturarum instruimur exemplis, infirmitatibus quoque viduarum non deesse solere subsidia,faciliúsque quàm cęteris diuina atque humana suppetere,si bene filios instituant,generos legant.Denique
Lucæ 4. cum socrus Simonis magnis febribus detineretur,Petrus & Andreas rogauerunt dominum pro ea. Et stans super illam, imperauit febri, & remisit illam: & continuo surgens ministrabat illis. Magnis (inquit) tenebatur febribus,& rogauerunt illum pro ea.Et tu habes proximos,qui deo pro te
B supplicent.Habes Apostolos proximos,habes martyres proximos,si ipsa martyribus deuotionis societate,misericordię quoque muneribus appropinques. Proximus est enim qui misericordiam facit. Fac & tu misericordiam, & eris Petro proxima. Non sanguinis necessitudo, sed virtutis cognatio facit proximos:quia non in carne ambulamus,sed in spiritu. Ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, vt pro te rogent, & recedant cupiditates tuæ verbo dei pulsæ.
Philip.3. Surgas illico, quæ in terris iacebas, vt Christo ministres. Nostra enim conuersatio in cœlis est, vnde & saluatorem expectamus dominum Iesum. Nemo enim iacens Christo
Matth.25. ministrat. ministra pauperi, & ministrasti Christo. Quod enim vni horum fecistis,mihi, inquit,fecistis. Habetis ergo viduæ auxilium, si tales vobis generos posteritatis vestræ patronos, tales proximos eligatis. Ergo rogauerunt pro vidua Petrus & Andreas. Vtinam exístat aliquis qui tam citò possit rogare pro nobis, vel certè iste qui pro socru rogat
C Petrus,& Andreas frater eius.Tunc enim pro affinitate poterant, nunc iam possunt pro nobis & pro omnibus impetrare. Videtis enim quod magno peccato obnoxia, minus idonea sit quæ pro se precetur, certè quæ pro se impetret. Adhibeat igitur ad medicum alios precatores. Ægri enim, nisi ad eos aliorum precibus medicus fuerit inuitatus, pro se rogare non possunt. Infirma est caro, mens ægra est, & peccatorum vinculis impedita. Ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigium.obsecrandi sunt angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt, martyres obsecrãdi,quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare.Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata, lauerunt. Isti enim sunt dei martyres, nostri præsules,speculatores vitæ,actuúmque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere,quia ipsi infirmitatem corporis etiam cùm vincerent cognouerunt. Inuenit ergo Petri socrus qui pro se rogarent. Et tu vidua inuenis qui pro te supplicent, si quasi verè vidua & desolata in de-
D um speres, instes obsecrationibus, insistas orationibus,afficias corpus tuum quasi quotidie moriens, vt moriendo
1.Tim.5. reuiuiscas.Fugias delicias,vt etiam ægra saneris. Nam vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est. Sublata est tibi causa nubendi, habes qui pro te intercedant: ne dixeris,destituta sum: Querela nupturæ est. Ne dixeris: sola ego sum. Castitas solitudinem quærit: pudica secretum, impudica conuentum. Sed negocium habes & intercessorem,aduersarium vereris apud iudicem,pro te dominus interuenit di-
Esaiæ 1. cens:Iudicate pupillo, & iustificate viduam. Sed patrimonium vis tueri,maius pudoris est patrimonium, quod melius regit vidua quàm nupta.Seruus peccauit,ignosce. Melius est enim alterius culpam feras, quàm tuam prodas. Sed vis nubere, licet, non habet crimen simplex voluntas,causam non quæro, cur fingitur? Si honestum putas, fatere, si incongruum,sile,ne accuses Deum,ne accuses propinquos quod præsidia tibi desint. Vtinam non desit voluntas.ne te cõsulere liberis dicas,quibus matrem eripis.Est etiam quod

facultati licet,ætati non licet.Cur maternæ parantur nuptiæ inter nuptias filiarum,& plerunque post nuptias? Cur adulta filia discit prius sponsum matris quam suum erubescere? Suasimus fateor vt vestẽ mutares,non vt flãmeum sumeres: vt à sepulchro recederes,non vt thalamũ præparares. Quid sibi vult noua nupta post generos? Quàm indecorum est iuniores habere liberos quàm nepotes. Sed ad propositum reuertamur, ne qui nostrorum dolemus vulnera peccatorum, medicum relinquamus: & dum alienis medemur vlceribus, vlcera nostra cumulemus. Rogatur ergo hic medicus. Ne timeas, quia magnus est dominus, & fortasse ad ægram non dignatur venire. Venit enim ad nos sæpe de cœlo, nec solum diuites, sed etiam pauperes solet & seruulos pauperem visitare. Venit & nunc rogatus ad Petri socrum, Lucæ 4.
& stans super illam,imperauit febri,& remisit illam: & continuò surgens ministrabat illi. Sicut dignus memoria,ita dignus desiderio,dignus etiam charitate dominicę in singulos dignationis affectus,& facta miranda: visitare viduas nõ dedignatur,& tugurij vilis penetralia angusta succedere. Quasi deus imperat,quasi homo visitat. Gratias euãgelio,per quod etiam nos qui oculis nostris venientem in hunc mundum non vidimus Christum,videmur ei dum facta eius legimus interesse:vt sicut illi quibus appropinquabat,fidem mutuabantur ex eo,ita etiam nobis dum gestis eius credimus, appropinquet. Vides qualia habeat genera sanitatum? imperat febri, imperat spiritibus immundis, alibi ipse imponit manus. Non solùm igitur verbo, sed etiam tactu ægros curare consueuit. Et tu igitur quæ variis mundi æstuas cupiditatibus,vel forma viri alicuius capta vel pecunia, roga Christũ, adhibe medicum,porrige ei dexteram tuam,tãgat interiora tua dei manus, verbíque cœlestis gratia interiorum venas scrutetur animorum. Pulset dei dextera secreta cordis. Alij oculos luto illiniuit, vt videre posset: creatórque omnium docet nos nostræ memores debere esse naturæ,& corporis cernere vilitatem. Nemo enim magis potest videre diuina, nisi qui humilitatis suæ conscius,nescit extolli. Alius sacerdoti se offerre pręcipitur,vt carere in perpetuum lepræ possit exuuiis. Solus enim mentis & animi potest.seruare mũditiam,qui ei sacerdoti se nouit offerre, quem pro peccatis nostris accepimus aduocatum: Illum vtiq; cui dicitur: Tu es Psal.109.
sacerdos in æternũ secundũ ordinem Melchisedech.Nec vereare moram aliquam sanitatis,nescit indumẽtum qui sanatur à Christo. Opus est vt remedium adhibeas quod acceperis.Simul enim vt præceptum dederit,cæcus videt, paralyticus ambulat, mutus loquitur, surdus audit,febriens ministrat,lunaticus liberatur. Et tu igitur quæcunq; indecore alicuius rei cupiditate languescis, obsecra dominum, fidem defer,nec vllam timeas moram,vbi adest oratio,adest verbum: fugatur cupiditas, libido discedit. Ne confessionis verearis offensam,imò magis præsume prærogatiuam. Incon- Luc.4.
tinenti enim quæ morbo antea corporis laborabas,Christo incipies ministrare. Potest etiam hoc loco videri Petri socrus affectio voluntatis,ex qua sibi velut semen futuræ posteritatis assumpserat: quod vnicuique voluntas sua posteritatis est author. Ex voluntate enim sapientia nascitur, quã
sapiens in matrimonium adscíscit sibi,dicens: Proposui er- Sapien.8.
go hanc adducere ego mihi in coniugium.Ergo voluntas illa quæ primo variarum cupiditatum æstibus madefacta languebat,postea per Apostolatus officium in ministeriũ Christi iam robusta surrexit.Simul qualis esse debeat quæ Christo ministrat, ostenditur. Oportet eam primo carere variarum illecebris voluptatum, vitare internum corporis animíq; languorem,vt corpus & sanguinem Christi ministret. Neque enim potest quisquam peccatis suis æger miniméq; sanus,immortalium sanitatũ remedia ministrare. Vide quid agas sacerdos, ne febrienti manu corpus Christi attingas. prius curare,vt ministrare possis. Si mundos eos qui antè fuerãt leprosi,Christus iubet occurrere sacerdotibus,quantomagis mundum ipsum conuenit esse sacerdotem? Non habet igitur quod molestè ferat illa vidua quod sibi non pepercerim,quando nec mihi parco. Surrexit itaque Petri,inquit,socrus,& ministrabat illis. Et bene surrexit. Sacramẽti enim typũ Apostolica iam gratia ministrabat. Proprium est

autem ſurgere Chriſti miniſtros. Iuxta quod ſcriptum eſt: A
Epheſ.5. Surge qui dormis,& exurge à mortuis. Didicimus igitur nec ſumptibus egere viduas,quæ donare conſueuerint: nec ſubſidio, quibus ſæpe in periculis maximis defenſæ ſunt virorum copiæ. Maritalia iis quoque officia vel à generis vel à proximis facile ſolere reparari: eſſe etiam in eas diuinam miſericordiam promptiorem: & ideo cùm ſuppetere non videatur cauſa,nubendi ſtudium abeſſe debere. Quod tamen pro conſilio dicimus,non pro præcepto imperamus,prouocantes potius viduam,quàm ligantes. Neque enim prohibemus ſecundas nuptias,ſed nō ſuademus. Alia eſt enim infirmitatis contemplatio,alia gratia caſtitatis. Plus dico,nō prohibemus ſecundas nuptias,ſed nō probamus ſæpe repetitas. Neq; enim quicquid licet, & decet. Omnia mihi licēt,dicit
1.Cor.6. Apoſtolus,ſed nō omnia ſunt vtilia. Et vinū bibere licet,ſed plurimū non decet. Licet ergo nubere,ſed pulchrius eſt abſtinere. Sunt enim vincula nuptiarum. Vultis ſcire quæ vincula? Quæ ſub viro eſt mulier,viuente viro alligata eſt legi.
1.Corin.7. Si autem mortuus fuerit,ſoluta eſt à lege viri. Probatum eſt B igitur vinculum eſſe coniugium, quo mulier ligatur & ſoluitur. Bona mutui amoris gratia, ſed maior eſt ſeruitus. Neque enim mulier ſui corporis poteſtatem habet, ſed vir. Et ne fortè tibi non coniugij videatur iſta ſeruitus eſſe,ſed ſexus: ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Quanta igitur coniugij neceſſitas,quæ ſubiicit alteri etiam fortiorem. Mutuis enim neceſſitatibus ab vtroq; ſeruitur. Nec temperanti licet iugo ſubducere caput, cū alte-
Ibidem. rius intemperantiæ ſeruiendum ſit. Precio, inquit, empti eſtis,nolite fieri ſerui hominum. Videtis quàm cuidens ſit cōiugalis definitio ſeruitutis. Non ego hoc dico, ſed Apoſtolus: nec ille, ſed Chriſtus qui loquebatur in eo. Et hanc vti-
Ibidem. que ſeruitutem de bonis coniugibus definiuit. Nanq; ſupra ſic habes: Sanctificatus eſt vir infidelis per vxorem fidelem. Et ſanctificata eſt mulier infidelis,per maritum fidelem. Et infra: Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat. Non eſt ſeruituti deditus frater aut ſoror in talibus. Si igitur bonum coniugium ſeruitus eſt, malum coniugium quid eſt, quando nequeunt ſe inuicem ſanctificare, ſed perdere? Sed vt ad gratiam virtutis viduas adhortamur: ita enim ad eccleſiæ diſciplinam fœminas prouocamus,quæ eccleſia conſtat ex omnibus. Et licet Chriſti grex conſtet ex omnibus,grex tamen in aliis pabulo veſcitur, in aliis adhuc lacte nutritur,quibus lupi illi qui latent in veſtimento ouium,ſunt cauendi,abſtinentiæ ſpeciem prætendentes,prouocātes autem intemperantiæ fœditatem. Etenim quia ſciunt valida onera caſtitatis: cū ipſi ea attingere digitulis non queāt,ab aliis ſupra modum exigunt, cùm ipſi ſeruare nec modum poſſint, ſed iniuſto ſub faſce ſuccumbant. Menſura enim oneris pro menſura debet eſſe geſtantis, alioquin impoſiti oneris fit ruina, vbi vectoris infirmitas eſt. Nam & infantiū fauces ſtrangulat eſca robuſtior. Et ideo ſicut multitudo vectorū non paucorum viribus ęſtimatur,nec tamen fortioribus de aliorum infirmitate præſcribitur, ſed vnicuiq; quantum oneris ſubire cupiat, relaxatur, manente mercedis cumulo in virtutis augmento: ita etiam fœminis non laqueus iniiciendus,non ſupra vires abſtinentiæ grauioris vectura ſubeunda eſt: ſed D relinquendum vt vnaquęque ſe pendat,non authoritate aliqua coacta præcepti, ſed incremento gratiæ prouocata. Et ideo diuerſis virtutibus merces diuerſa propoſita eſt. Nec aliud reprehenditur,vt aliud prædicetur: ſed omnia prædi-
Hebr.13. cantur, vt quæ meliora ſunt,præferantur. Honorabile itaq; coniugium, ſed honorabilior integritas: nam & qui matri-
1.Corin.7. monio iungit virginem ſuam, benefacit: & qui non iungit, melius facit. Quod igitur bonū eſt,non vitandū eſt: & quod eſt melius, eligendum eſt. Itaq; non imponitur, ſed præpo-
Ibidem. nitur. Et ideo bene Apoſtolus dixit: De virginibus autē præceptum domini non habeo,conſilium autē do. Etenim præceptū in ſubditos fertur,conſilium amicis datur. Vbi præceptū eſt, ibi lex eſt: vbi conſiliū,ibi gratia eſt. Præceptū vt ad naturā reuocet, conſilium vt ad gratiam prouocet. Et ideo lex Iudæis lata eſt, gratia autem electioribus reſernata eſt, lex vt à naturæ finibus culpæ ſtudio demeantes, ad naturæ obſeruantiam pœnæ terrore reuocaret: gratia autem vt electos tum ſtudio bonorū,tum propoſitis etiam præmiis prouocaret. Et vt intelligas diſtantiam præcepti atque conſilij, Matth.19. illum recorderis cui in Euangelio ante præſcribitur,ne homicidium faciat,ne adulterium admittat,ne falſum teſtimonium dicat. Præceptum etenim ibi eſt,vbi eſt pœna peccati. At verò cùm ſe præcepta legis memoraſſet impleſſe,conſilium ei datur vt vendat omnia,& ſequatur dominū. Hæc enim non pręcepto imperantur,ſed pro conſilio deferuntur. Duplex nanque forma mandati eſt, vna præceptiua, altera voluntaria. Vnde & dominus in alia dicit: Non occides,vbi præcepit. In alia: Si vis perfectus eſſe,vende omnia tua. Er- Lucæ 17. go hic liber eſt à præcepto,cuius defertur arbitrio. Itaq; qui præceptum impleuerint, poſſunt dicere: Serui inutiles ſumus,quod debuimus facere fecimus. Hoc virgo non dicit. Non dicit ille, qui bona ſua vendidit, ſed quaſi repoſita expectat pręmia,ſicut ſanctus Apoſtolus ait: Ecce nos relinqui Matth.19. mus omnia,& ſecuti ſumus te. Quid ergo nobis erit? Non enim quaſi inutilis ſeruus, quod debuit facere, feciſſe ſe dixit, ſed quaſi vtilis domino, qui commiſſa ſibi talenta quæſitis multiplicauit vſuris: mercedem fidei atque virtutis,bene ſibi conſcius meritorúmque ſecurus expectat. Et ideo ei cum cæteris dicitur: Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione: cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & ipſi ſuper duodecim ſedes, iudicantes tribus Iſrael. At verò illi qui talenta ſeruauerit, & ſi præmia, minora tamen præmia pollicetur,dicens: Quia ſuper pauca fui- Ibidem 25. ſti fidelis,ſuper multa te conſtituam. Fides igitur ex debito, miſericordia in præmio. Qui bene credidit, vt ei credatur emeruit. Qui bene contulit, quoniam ſuum non quæſiuit, quod cœleſte eſt impetrauit. Ideo ergo præceptum non datur, conſilium datur. Præceptum enim caſtitatis eſt,conſilium integritatis. Sed non omnes capiunt verbum iſtud,ſed quibus datum eſt. Sunt enim ſpadones qui de matris vtero ſic nati ſunt, in quibus naturæ neceſſitas virtus non eſt ca- Ibidem 16. ſtitatis. Et ſunt ſpadones,qui ſeipſos caſtrauerunt,voluntate vtique, non neceſsitate. Et ſunt ſpadones qui facti ſunt ab C hominibus. Et ideo magna in iis continentiæ gratia, quia voluntas facit, non infirmitas continentem. Nam decet integrum diuini operis ſeruare munus, nec illis fortè parum ſit,lubrico corporis nō teneri. Nam etſi erepta eſt ſubeūdi iſtius palma certaminis,erepta etiam materia periculi, & quanuis non queunt coronari,non queunt tamen vinci. Habent alia genera virtutum, quibus commendare ſe debeant,ſi fides firma ſit,proflua miſericordia, aliena auaricia, frequens gratia. Sed in iſtis nulla culpa, quia facti ignorantia. Non eadem cauſa eorum, qui in ſe ipſos ferro vtuntur, quos non imprudenter defleximus. Sunt enim qui virtutis loco ponant,ferro culpam compeſcere. De quibus & ſi noſtram nolumus proferre ſententiā, quanuis ſint ſtatuta maiorum,conſiderent tamen, ne quis id ad profeſsionē infirmitatis trahat, nō ad firmitatis gloriam. Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur, nec pedis vtatur obſequio,qui gradiendi periculum reformidat, nec oculi intēdat officio,qui concupiſcentiæ timet lapſum. Sed quid prodeſt carnem abſcindere,cum etiam ipſa culpa ſit in aſpectu? Nam & qui viderit mulierem ad concupiſcēdum, iam mœchatus eſt eam Ibidem 5. in corde ſuo. Et quæ ſimiliter virum in concupiſcentia viderit,adulteratur. Caſtos ergo non infirmos eſſe nos conuenit. Pudicos oculos habere,nō debiles. Nemo igitur,vt pleriq; arbitrantur, ſe debet abſcindere,ſed magis vincere. Victores enim recipit eccleſia,non victos. Et quid argumētis opus? Præſto ſit Apoſtolici forma præſcripti. Sic enim habes: Galat.5. Vtinā & abſcindantur qui volunt vos circuncidi. Cur enim coronæ occaſio, & virtutis vſus eripitur homini qui ad laudem natus eſt, ad victoriam præparatus eſt, qui ipſe potius virtute animi caſtrare ſe poſſit? Sunt enim ſpadones qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnū cœlorū. Sed hoc non omnibus imperatur,ſed ab omnibus flagitatur. Etenim qui mā data dat decretorū,ſemper tenere debet menſurā: & qui pē- Prouer.11. ſa diſtribuit,æquitatem debet examinis reſeruare. Statera enim fallax abominatio eſt apud deū. Eſt ergo minus pondus & maius. Sed vtrunq; non recipit eccleſia. Pondus enim maius & minimū,& menſuræ duplices,immunda in conſpectu domini.

domini. Vtraque sunt pensa quæ diuidit sapientia. Et ita diuidit virtutem, vt vires æstimet singulorũ. Et ideo dicit: Qui potest capere capiat. Scit enim creator omnium, affectus esse varios singulorum. Et ideo præmiis virtutem prouocauit, non infirmitatem vinculis alligauit. Scit & ille gentium doRom.7. ctor bonus morum auriga nostrorũ, & quidam interiorum rector affectuum, qui de seipso didicerat, legi mentis legem corporis repugnare, eandem tamen Christi gratiæ cedere. Scit, inquam, varios cursus mentium repugnare. Et ideo neque intantum adhortationem integritatis intendit, vt abolere gratiam nuptiarum, neque ita coniugium prætulit, vt studia integritatis extingueret. Sed à continentiæ persuasione incipiens, ad incontinentiæ remedia descendit. Et cùm brauium supernæ vocationis fortioribus demonstrasset, deficere tamen in via neminem passus est, ita plaudens prioribus, vt non despiceret & sequentes. Didicerat enim & ipse, quia dominus Iesus aliis panem ordeaceum ne in via deficerent, aliis corpus suum vt ad regnum contenderent, ministrauit. Nec dominus ipse præceptum imposuit, sed voluntatem inuitauit. Nec Apostolus præceptum statuit, sed consilium dedit. Sed non hoc humanum consilium, humanarum virium habere mensuram. Diuinæ munus misericordiæ confitetur in se esse collatum, vt fideliter sciret prima præferre, secun-
1. Corin.7. da disponere. Et ideo existimo, inquit, non statuo. Et existimo bonum esse propter instantem necessitatem. Non ergo copula nuptialis quasi culpa vitanda, sed quasi necessitatis
Genes.3. sarcina declinanda. Iex enim adstrinxit vxorem, vt in laboribus & in tristitia filios generet, & conuersio eius ad virum sit, quod ei ipse dominetur. Ergo laboribus & doloribus in generatione filiorum addicitur nupta, non vidua, & dominatui viri sola subditur copulata, non virgo. Omnium autem horum virgo libera est, quæ verbo dei suum spopondit affectum, quæ sponsum benedictionis cum facibus expectat, bonæ lumine voluntatis accenso. Et ideo prouocatur consiliis, non vinculis alligatur. Sed nec vidua præceptum accipit, sed consilium: cõsilium autẽ non semel datũ, sed sæ-
1. Corin.7. pe repetitum. Et primò dixit: Bonum est enim mulierẽ non tangere. Et iterũ: Volo sic omnes homines esse, sicut & meipsum. Et tertio: Bonum est illis, si sic maneant sicut & ego: Et quartò: Bonum est propter instantem necessitatem: & hoc placere domino, & hoc honestum esse. Postremò beatiorem esse in viduitate perseuerantem, non tantùm suo cõsilio, sed etiam dei spiritu definiuit. Quę nam igitur talis consiliarij benignitatem recuset, qui & voluntati habenas indulgeat, & id suadeat aliis quod in se expertus vtile iudicauit, non facile comprehendi, nec fastidiosius æquari? Quæ igitur refugiat sancta fieri corpore & spiritu, cùm supra laborem sit præmium, supra vsum gratia, supra opus merces? Atque hoc ita dico, non vt laqueum cæteris iniiciam, sed vt commissi mihi ruris operarius agrum hunc ecclesiæ fertilẽ cernam, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis grauitate pollentem, nunc etiam coniugij fructibus redundantem. Nam & si diuersi, vnius tamẽ agri fructus sunt, nec tanta hortorum lilia, quantæ aristæ segetum, messium spicę, compluriúmq; spacia camporum recipiendis aptantur seminibus, quàm redditis nouales fructibus feriãtur. Bona ergo viduitas, quæ totiens Apostolico iudicio prædicatur. Hæc ènim magistra fidei, magistra est castitatis. Vnde & illi qui deorum suorum adulteria & probra venerantur, cœlibatus & viduitatis statuere pœnas, vt æmuli criminum mulctarẽt studia virtutum. Specie quidem qua fœcunditatem quærerent, sed studio quo propositum castitatis abolerent. Nam confectis & miles stipendiis arma deponit, & relicto officio quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur, vt & ipse exercitæ laboribus vitæ requiem consequatur, & alios spes futuræ quietis subeundis faciat operibus promptiores. A-
* torquenda aliis æstiua. gricola quoq; maturior torquẽdam aliis stiuam* committit, & iuuenili grauatus opere prouidentiam curæ senilis explorat. Vitem facilius tõdere quàm premere, vt iuuenescentem luxuriam reprimat, & adolescentum lasciuiam falce succidat, parcorum quandam partuum castitatem docens etiam in vitibus expetendam. Similis huic vidua velut emeritis veterana stipẽdiis castitatis, & si cõiugij arma deponat, domus A tamen totius pacẽ gubernat: & si vehendis oneribus ociosa, maritandis tamẽ iunioribus prouida. Vbi cultus vtilior, vbi fructus vberior sit, quorũ copiam aptior senili grauitate disponit. Itaque si maturioribus potius quàm iunioribus committitur ager, cur putes vtiliorẽ nuptam esse quàm viduam? Quod si persecutores fidei, persecutores fuerunt etiam viduitatis, vtiq; fidem persequentibus, viduitas non pro supplicio fugienda est, sed tenenda pro præmio. Sed fortasse aliquibus propter suscipiendos liberos coniugia iteranda videantur. Quod si filiorum studiũ causa nubendi est: vtiq; vbi est fructus filiorum, causa non suppetit: quanquam cuius consilij sit, iterum experiri velle, frustra tentatam fœcunditatem, aut subire quam pertulerit orbitatem? Hæc enim iterandi causa est filios non habentibus. Ergo illa quæ liberos suscepit & perdidit, (cùm ipsa enim maior contentio quæ spem generandi habet.) Illa, inquam, nónne sibi videtur inB ter ipsa repetitarum fœdera nuptiarum amissorũ prætexere funera filiorum? Nónne iterum passura quod repetit, & ad ipsos votorum tumulos exceptarum orbitatum imagines lamentorum strepitus perhorrescit? Vel cùm accensis funalibus nox ducitur, nónne pompæ funebris exequias magis putat quàm thalamum prępararí? Cur igitur filia dolores magis quos times repetis, quàm filios quos iam non speras, requiris? Si grauis est dolor, subterfugienda causa eius est, nõ petenda. Nam tibi quid consilij tribuam, quę liberos habes? Quæ tibi causa nubendi, nisi fortè leuitatis error, & intemperantiæ vsus, & saucij cogit pectoris conscientia? Sed consilium sobriis non ebriis datur. Et ideo apud liberam conscientiam mihi sermo est, cui vtrũque integrum est. Habeat saucia remedium, honesta consilium. Tu, inquam, filia quid moliris? Cur hæredes quæris extraneos, cum habeas tuos? Non filios desideras quos habes, sed seruitutem quam non habes. Hæc est enim vera seruitus, in qua infractior amor, quam non defloratæ pignus virginitatis, & plena sancti pudoris, & gratiæ ætas prima commendat. Vbi offensa grauior, suspectior insolentia, concordia infrequentior, quam nõ
C temporibus inolitus amor, non vigens annis forma conciliat. Molesta pietas, vt amare liberos metuas, aspicere liberos erubescas, atque inde oriatur causa discordiæ, vnde solet mutuus amor mulcere affectus parentum. Generare liberos vis, non fratres futuros tuorum, sed aduersarios filiorum. Quid est ergo generare alios liberos, nisi spoliare quos habes liberos: quibus pariter auferuntur, & pietatis officia, & compendia facultatum? Lex diuina cœlesti inter se coniuges authoritate constrinxit, & difficile manet mutuus amor. Tulit enim costam de viro, & formauit fœminam, vt sibi eos inuicem copularet, dicens: Et erunt duo in carne Genes.2. vna. Non hoc de secundis sed primis nuptiis dixit. Neque enim Eua secundum accepit virum, neque sancta ecclesia secundum agnouit virum. Sacramentum enim illud magnũ Ephes.5. est in Christo & in ecclesia. Et ideo custodiendum est. Sed neque Isaac aliam præter Rebeccam sciuit vxorem. Neque Abraham * aliam, nisi cum Saram sepeliuit vxorẽ. Nam in *al. Abrahã patrẽ cum alia, nisi, &c. sancta Rachel magis figura mysterij fuit, quàm ordo coniuD gij. Et tamen in ea quoque habemus quod ad primi coniugij gratiam referre possimus. Si quam primo sponsam habuit, plus amauit, nec fraus excluſit affectum, nec sponsæ amorem coniugij interuentus aboleuit. Itaque sanctus patriarcha nos docuit, quantum deferre primis nuptiis debeamus, cum tantum primis sponsalibus ipse detulerit. Cauete igitur filiæ ne & gratiarum nuptiarum tenere nequeatis, & molestias augeatis.

FINIS.

CAPITA PRIMI LIBRI DE POENITENTIA.

De cõmendatione moderationis erga peccatores seruandæ ab his qui illorum morbos curare debent, per exempla, scripturam atque rationem, cum acri reprehensione eorum qui dura pro mitibus sequenda opinãtur: & cùm ipsi quærant misericordiam domini, aliis eam denegant,

cuiuſmodi ſunt doctores Nouatianorum. Cap. I.
De repulſione reſponſionum, quibus Nouatiani errorem ſuum defendere conantur. Cap. II.
De ſententia ſcripturæ in ſuperiori capitulo adductæ, & quemadmodum fieri poſſit, vt aliquis qui victus ſupplicijs deum ſermone negauerit, & corde adorauerit, per pœnitentiam mereatur veniam peccatorum. Cap. III.
De dictorum in ſuperiori capitulo multiplici probatione ex ſacrarum ſcripturarum teſtimoniis. Cap. IIII.
De confutatione erroris Nouatianorũ, qui ſpem veniæ excludant per exemplum de illo ſemiuiuo relicto à latronibus, quem pius Samaritanus dominus Ieſus miſericordia motus curauit, & ſupra ſuum iumentũ impoſuit vulneratum, & à ſacerdote atque leuita prætereuntibus, per quos Nouatiani intelliguntur, fuit neglectus. Cap. V.
De eccleſia Chriſti per cœnam ſignificata, ad quam omnes vocati ſunt, ſiue boni ſiue mali, & qui ſe excuſauerunt, Nouatiani ſunt atque cæteri hæretici, qui partem cum Chriſto non habebunt, eo quod pœnitentiæ lauacrum reſpuant. Cap. VI.
De multiplici poteſtate data diſcipulis à Chriſto, cum reprehenſione Nouatianorum, qui remiſſionem in baptiſmo concedunt, ſed pœnitentiæ lauacrum negant, cùm nihil interſit inter vtrunque ſacramentum. Cap. VII.
De falſo intellectu ſcripturæ quo Nouatianus errorem ſuũ probare contẽdit, quem author hic efficaciter reprobat, fultus ſcripturæ ſacræ teſtimoniis. Cap. VIII.
Qualiter intelligenda ſint verba Ioannis in canonica ſua dicentis: Eſt peccatum ad mortem, non de illo dico vt oret quis: cum ſanctus Ioannes non ignorauerit Moyſen atq; Hieremiam atque Stephanum pro ſalute aliorum oraſſe, atque exauditos fuiſſe. Cap. IX.
De eo quod nullus fidem habens excluſus ſit à venia: Quòd hi quoque qui poſt pœnitentiam coronam martyrij meruerunt, maius etiam donum fidei perceperunt. De forma quoque pœnitentis in ſemiuiuo à latronibus relicto conuenienter expreſſa. Cap. X.
De aliis quibuſdam ſcripturis quibus eliditur error Nouatiani veniam poſt lapſam negantis, cùm dominus Ieſus venerit in mundum non vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Cap. XI.
Quemadmodũ teſtimoniis ipſius Dauid atque ſancti Pauli reprobetur falſitas Nouatiani, quia caſtigat deus omnem filium quem recipit, & quem caſtigauit, morti non tradidit. Cap. XII.
Quòd peccantes tradantur plerunque à deo atque ab eius eccleſia in poteſtatem diaboli, in afflictionem carnis vt ſpiritus ſaluetur. De cuſtodia quoque oculorum ſeruanda, & velamine mulierum: atque exemplo Ioſeph colloquia pudica eſſe ſeruanda. Cap. XIII.
De exhortatione ad caſtimoniæ puritatem, atque fomentorum luxuriæ reſecationem. Quòd ſatan quoq; author ſit debilitatis, in cuius poteſtatem per excommunicationis cenſuram plerique dantur ad tempus, vt ſpiritus ſaluetur. Cap. XIIII.
De eccleſiæ farina, & fermentum peccatorum quemadmodum expurgetur, fermentúmque hæreticorum quomodo in eccleſiæ farina abſcondatur. De paſcha quoque noſtro Chriſto immolato pro peccatoribus, quos inuidus à tanta gratia excluſit Nouatianus. Cap. XV.
De miſericordia domini Ieſu. Et quemadmodum hi qui eius clementiam non imitantur, ſpiritus ipſius non ſint. Et quod miſericordia facta pœnitentibus in præſenti, teſtimonium ſit remunerationis futuræ. Cap. XVI.
De indulgentia & ſeueritate erga pertinaces. Et qui ſint qui circunueniantur à ſatana. Et quod per interitum carnis non intellexerit Apoſtolus eius conſumptionem: ſed caſtigationem atque vitiorum repreſſionem. Cap. XVII.

Diui Ambroſij

epiſcopi Mediolanenſis de pœnitentia Lib. I.

De commendatione moderationis erga peccatores ſeruandæ ab his qui illorum morbos curare debent, per exempla, ſcripturam atq; rationem, cum acri reprehenſione eorum qui dura pro mitibus ſequenda opinantur: & cùm ipſi quærant miſericordiam domini, aliis eam denegant, cuiuſmodi ſunt doctores Nouatianorum. Cap. I.

SI * virtutum finis ille eſt maximus, qui plurimorum ſpectat profectum, moderatio propè omnium pulcherrima eſt, quæ ne ipſos quidẽ quos damnat, offendit: & quos dãnauerit, dignos ſolet facere abſolutione. Deniq; ſola eſt, quę domini quęſitam ſanguine eccleſiam propagauerit, imitatrix beneficij cœleſtis, & redẽptionis vniuerſorũ ſalubri fine tẽperans, quem ferre poſſint aures hominũ, mentes non refugere, non pauere animi. Etenim qui ſtudet humanæ infirmitatis emẽdare vitia, ipſam in firmitatẽ ſuis debet ſuſtinere, & quodãmodo penſare humeris, nõ abicere. Nã paſtor ille euãgelicus laſſam ouẽ vexiſſe legitur, non abieciſſe. Et Salomõ ait: Noli iuſtus eſſe nimiũ. Debet enim iuſtitiã tẽperare moderatio. Nam quemadmodum ſe tibi curandum præbeat, quem faſtidio † dedas, qui contẽptui ſe non cõpaſſioni medico ſuo putet futurũ? Ideo dominus Ieſus cõpaſſus nobis eſt, vt ad ſe vocaret, nõ vt deterreret. Mitis venit, venit humilis. Deniq; ait: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiã. Reficit ergo dominus, non excludit neq; abiicit, meritóque tales diſcipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes, plebẽ dei colligerent, non repudiarẽt. Vnde liquet eos inter Chriſti diſcipulos nõ eſſe habẽdos, qui dura pro mitibus, ſuperba pro humilibus ſequẽda opinãtur: & cũ ipſi quęrãt domini miſericordiã, aliis eam denegant, vt ſunt doctores Nouatianorum, qui mundos ſe appellãt. Quid his ſuperbius, cũ ſcriptura dicat: quia nemo mundus à peccatis, nec vnius diei infans? Et Dauid clamet: A delicto meo munda me? Sanctiores iſti quã Dauid, de cuius naſci familia Chriſtus incarnationis elegit myſterio, cuius poſteritas aula cœleſtis eſt, vtero virginali ſuſcipiens mundi redẽptorem. Quid autem durius quàm vt indicant pœnitẽtiam, quam non relaxent, cùm vtique veniam negando incentiuum auferant pœnitentiæ? Nemo enim poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperauerit indulgentiam. Sed negant his oportere reddi communionem, qui præuaricatione lapſi ſint. Si vnum tantum crimen exciperent ſacrilegij, cui veniã negarent, durè quidem, ſed tamen diuinis tantum redargui viderentur ſententiis, aſſertionibus tamen ſuis conuenirent. Dominus enim crimen nullum excepit, qui peccata donauit omnia. At cùm omnia peccata Stoicorum quodam more paribus putent æſtimanda mẽſuris, & æquè eum qui gallum (vt aiunt) gallinaceum, atque illum qui patrem ſuffocauerit, in perpetuum aſſerant cœleſtibus abdicãdum myſteriis: quomodo vnius criminis obiiciunt reos, cum indigniſſimum eſſe non poſſint etiam ipſi negare, vt paucorum pœna veniat ad multos?

De repulſione reſponſionum quibus Nouatiani errorem ſuum defendere conantur. Cap. II.

SED aiunt ſe domino deferre reuerentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſeruent: imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt mandata reſcindere, cõmiſſum munus refundere. Nam cùm ipſe in euangelio ſuo dixerit dominus Ieſus: Accipite ſpiritum ſanctum, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, detẽta erunt. Quis eſt ergo qui magis honorat, vtrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in vtroq; ſeruat obedientiam, vt peccatum & alliget & relaxet. Hæreſis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non reſoluat, non vult ſoluere quod ligauit: in quo ſe ſuámq; damnat ſententiam, ſua damnat ſententia. Dominus enim

* Vatum.
Lucæ 15.
Eccleſ. 7.
† habeas.
Matth. 11.
Iob 15.
Pſalm. 50.
Pſalm. 50.
Ioan. 20.

enim par ius & soluendi esse voluit & ligandi,qui vtrunque pari conditione permisit. Ergo qui soluendi ius non habet, nec ligandi habet.Sicut enim secundum dominicam sententiam,qui ligandi ius habet,& soluendi habet:ita istorũ assertio seipsum strangulat,vt quia soluendi sibi ius negant,negare debeant & ligãdi.Quomodo igitur potest alterum licere, alterum non licere? Quibus donatum est vtrunq;,aut vtrunque licere manifestum est, aut vtrunque non licere certum est:ecclesiæ autem vtrũque licet,hæresi vtrunque non licet. Ius enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Rectè igitur ecclesia vindicat,quæ veros sacerdotes habet:hæresis vindicare nõ potest,quæ sacerdotes dei non habet.Non vindicando autem ipsa de se pronũciat,quod cùm sacerdotes non habeat,ius sibi vindicare non debeat sacerdotale. Ita in impudenti contumacia pudentẽ cernimus confessionem.Spectat etiam illud,quoniam qui spiritũ sanctum accepit,& soluendi peccati potestatem, & ligandi accepit. Sic enim scriptum est:Accipite spiritum sanctum,quorum remiseritis peccata, remittũtur:& quorum retinueritis, detenta erunt:ergo qui soluere non potest peccatum,non habet spiritum sanctum. Munus enim spiritus sancti est officiũ sacerdotis, ius autem spiritus sancti in soluendis ligandisque criminibus est.Quomodo igitur munus eius vindicãt,de cuius diffidunt iure & potestate?Quid,quod insolẽtiores sunt?Nam cùm ad misericordiam prõptior quàm ad seueritatem sit spiritus dei, quod ait se velle,id nolunt:quod nolle,hoc agunt: cùm vindicare iudicis sit,remittere misericordis.Tolerabilius igitur Nouatiane remitteres quàm ligares.Aliud enim quasi delinquendi parte vsurpares,aliud quasi ærumnæ cõpassus ignosceres. Sed aiunt se exceptis grauioribus criminibus relaxare veniam leuioribus.Non hoc quidem author vestri erroris Nouatianus ait,qui nemini pœnitentiam dãdam putauit,ea scilicet contẽplatione,vt quod ipse non posset soluere,non ligaret, ne ligando sperari à se faceret solutionem. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia,qui distinctionem peccatorum facitis, quæ soluẽda à vobis putetis,& quæ sine remedio esse arbitremini. Sed deus distinctionem non facit,qui misericordiam suam promisit omnibus,& relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine vlla exceptione concessit. Sed qui culpam exaggerauit, exaggeret etiam pœnitentiã.Maiora enim crimina,maioribus abluuntur fletibus. Ita nec Nouatianus probatur, qui veniam intercluſit omnibus:nec vos eius discipuli,imitatores eiusdem & condemnatores,qui ibi minuitis studia pœnitentiæ,vbi augeri oportet, quia grauiora peccata maioribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia. Quæ autem ista peruersitas est, vt vobis vindicetis possibilia concessa,deo (vt ipsi dicitis) impossibilia reseruetis?hoc est,sibi eligere causas ignoscẽdi,deo materiam sæuiendi relinquere.Et vbi est illud? Sit autem deus verax,omnis homo mendax,sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis,& vincas cùm iudicaris?Vt cognoscamus igitur deum misericordiæ magis indulgẽtem esse quàm seueritatis tenacem: ipse ait: Misericordiam malo, quàm sacrificium.Quomodo igitur vestrum potest acceptum esse sacrificium deo,qui negatis misericordiam,cùm ipse dicat nolle se mortem peccatoris,sed correctionem?Cuius interpres Apostolus ait:Quia deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati,& de peccato damnauit peccatum in carne,vt iustificatio legis impleretur in nobis. Non similitudine carnis ait,quia Christus veritatẽ susceptit carnis humanæ. Non similitudinem,neque in similitudine peccati ait, quia peccatum non fecit,sed peccatum pro nobis factus est: sed venit in similitudine carnis peccati,hoc est,susceptit similitudinem carnis peccatricis.Ideo similitudinem,quia scriptum est:Et homo est,& quis agnoscit eum?Homo erat carne,secundum hominẽ qui agnosceretur,virtute supra hominem, qui non agnosceretur, ita & hic carnem habebat nostram, sed carnis huius vitia non habebat. Non enim sicut omnis homo est,ex virili erat & fœminea permixtione generatus, sed natus de spiritu sancto & virgine immaculatum corpus susceperat,quod non solùm nulla vitia maculauerãt, sed nec generationis aut conceptionis concretio iniuriosa fuscauerat.Nam omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est,sicut habes lectum dicente Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Christi autem caro damnauit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit, vt in carne nostra esset iustificatio per gratiam,vbi erat ante coluuio per culpam.Quid ergo dicemus ad hæc,nisi quod dixit Apostolus: Si deus pro nobis,quis contra nos?Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum,quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?Quis accusabit aduersum electos dei? Deus qui iustificat.Quis est qui damnet? Christus qui mortuus est,imò qui & resurrexit, qui est in dextera dei, qui etiam interpellat pro nobis. Pro quibus ergo Christus interpellat, eos Nouatianus accusat. Quos Christus ad salutem redemit, eos Nouatianus damnat ad mortem. Christus dicit:Tollite iugum meum super vos,& discite à me quia mitis sum.Nouatianus dicit,immitis sum.Christus dicit:Inuenietis requiem animabus vestris:iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est:his graue onus & durum imponit iugum Nouatianus. Quàm propẽsus igitur ad misericordiam sit dominus Iesus, licet ista satis instruant, tamen ipse etiam te doceat, quia cùm aduersus impressionem persecutionis instruere nos vellet,ait:Nolite timere eos qui occidunt corpus,animam autem non possunt occidere:sed potius eum timete, qui potest animam, & corpus mittere in gehennam. Et infra:Omnis ergo qui confessus me fuerit coram hominibus,confitebor & ego eum corã patre meo qui est in cœlis.Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui est in cœlis. Vbi confitetur, pro omnibus cõfitetur,omnes complectitur:vbi negat, non omnes negat.Sicut enim supra habetur:Omnis qui me confessus fuerit,confitebor & ego eum,hoc est,omnem.Consequens erat, vt infra quoque sic diceret: Omnis autem qui negauerit me.Sed ne omnes negare videretur, ita subiecit: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum.Gratiam promittit omnibus,non omnibus minatur iniuriam:quod est miserationis,exaggerat:quod vltionis, extenuat.Atque ita scriptum est,non solum in eo libro, qui secundum Matthæũ scribitur euangelij domini Iesu,sed etiam in eo lectum est,quem secundum Lucam reperimus:vt scias non ociosè id posuisse vtrunque.

Roman.3. Psalm.50. Oseæ 6. Roman.8. 2. Corin.5. Psal 50: Rom.7: Ibidem 8. Matth.11. Ibid.10. Lucæ 12.

De sententia scripturæ in superiore capitulo adductæ,& quemadmodum fieri possit,vt aliquis qui victus supplicijs deum sermone negauerit, & corde adorauerit, per pœnitẽtiam mereatur veniam peccatorum. Cap. III.

DIximus quid scriptum sit,colligamus sententiam. Omnis,inquit,qui me confessus fuerit: id est, ex quacunque vita,ex quocunque statu, qui confessus me fuerit, habebit remuneratorem me confessionis suæ.Cum dicitur: Omnis, nullus à remuneratione qui fuerit confessus excluditur.Non similiter, omnis qui negauerit,negabitur.Potest enim fieri vt aliquis victus supplicijs,sermone neget,& corde adoret.Nunquid eadem causa est eius qui sponte neget,& eius quem tormenta inclinauerint ad sacrilegium,non voluntas? Quàm indignum autem, cum apud homines valeat certaminis gratia, vt apud deum non valere asseratur? Nam sæpe in hoc athletarum seculari certamine etiam victos quorum fuerint certamina probata, vulgus hominum cum victoribus coronare consueuit, maxime quos viderit,aut forte dolo aut fraude * excisos victoria.Christus ergo athletas suos quos viderit grauibus paulisper cessisse suppliciis,sine venia patietur manere? Nunquid non habebit remunerationem laboris,qui etiam quos proiicit,non in æternum proiicit?Dicit enim Dauid:Non in æternum proiiciet deus.Et cõtra hunc audiemus hæresim dicentem:Proiiciet in æternum?Nec in finem,inquit,misericordiam suam abscindet à generatione in generationem,aut obliuiscetur misereri deus,clamat propheta:Et sunt qui diuinæ miserationis quædam inducant obliuia? Sed aiunt ideo se ista asserere,ne mutabilem deum facere videantur, si his quibus fuerat iratus,ignoscat.

Matth.18. *excisos. Psal.76.

De dictorum in superiori capitulo multiplici probatione ex sacrarum scripturarum testimoniis. Cap. IIII.

QVid ergo? Repudiabimus diuina oracula, & opiniones istorum sequemur? Sed non deus alienis assertionibus, sed suis æstimandus vocibus est. Quod enim promptius edere possumus insigne eius misericordiæ, quàm quod ipse per prophetam Oseæ, quibus tanquam iratus minabatur, continuò tanquam recõciliatus indulget? Ait enim: Quid tibi faciam Effrem, aut quid tibi faciam Iuda? Et infra: Quomodo te cõstituam? Velut Adama efficiam te, & sicut Seboim. In ipsa indignatione velut patrio quodam affectu hæret, quomodo ad pœnam tradat errantem. Et si Iudæus miretur, deus tamen adhuc secum examinat. Sed continuò qui dixerat: Sicut Adama faciã te, & sicut Seboim, quæ duæ vrbes ex vicinia Sodomorum parilis excidij traxere consortium: Conuersum est, inquit, cor meum, in eo ipso conturbata est pœnitentia mea. Non faciam secundum iracundiam furoris mei. Nonne apparet quod ideo nobis peccantibus indignetur dominus Iesus, vt indignationis suę nos terrore conuertat: Indignatio ergo eius non vltionis executio, sed magis absolutionis operatio est. Sic enim dixit: Si cõuersus ingemueris, saluus eris. * Expectat gemitus nostros, sed temporales, vt remittat perpetuos: expectat lachrymas nostras, vt profundat pietatem suam. Sic in euangelio, viduę matris lachrymis compassus, filium eius resuscitauit. Expectat conuersionẽ nostram, vt reuertamur & ipse ad gratiam: quæ, si nullus lapsus nobis irreperet, in nobis perseueraret. Sed quia peccatis nostris contrahimus offensam, indignatur vt humiliemur, humiliamur vt digni simus magis miseratione quàm pœna. Doceat te certè Hieremias, dicẽs: Quia non repellet in æternum dominus, quoniam cùm humiliauerit, inquit, miserebitur secundum multitudinem misericordiæ suæ. Quia non humiliauit toto corde suo, neq; repulit filios hominum. Hoc certè in threnis Hieremiæ legimus. Et ex his vel cæteris quæ sequuntur aduertimus, quia ideo humiliat sub pedes suos omnes victos terræ, vt iudicium eius declinemus. Sed nec toto corde humiliat peccatorem vsque ad terram, quia etiam de terra suscitat inopem, & de stercore erigit pauperem. Non enim ex toto corde humiliatur, qui se venię reseruat. Quod si non ex toto corde omnem humiliat peccatorem, quanto magis eum qui non ex toto peccauit? Nam sicut dixit de Iudæis: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me: fortasse & de aliquibus lapsis dicat: Isti labiis me negarunt, sed corde mecum sunt. Vicit eos pœna, non auertit perfidia. Sine causa autem his aliqui veniam negant, quorum fidem eo vsque cõsectatus persecutor est, vt eam studeret expugnare tormentis. Negarunt semel, sed quotidie confitentur. Negarunt sermone, sed confitentur gemitibus. Confitentur eiulatibus, confitentur fletibus, confitẽtur liberis non coactis vocibus. Cesserunt quidem ad tempus diaboli tentationi, sed etiam diabolus postea recessit ab his, quos sibi vindicare non potuit. Cessit ergo fletibus, cessit pœnitentiæ. Quos inuaserat alienos, perdidit suos. Nonne ita istud est, ac si quis captiuum victæ vrbis populum abducat? Captiuus abducitur, sed inuitus, qui in alienas terras necessitate contendat, intimo tamen non migret affectu, patriam secum animo vehat, quærat copiam quemadmodum reuertatur. Quid ergo? Cum huiusmodi reuertitur, num est aliquis qui persuadeat eum non recipiendum, minore scilicet honore, sed studio propensiore, ne habeat in quo insultet aduersarius? Si armato ignoscis ei qui pugnare non potuit, non ignoscis ei, in quo sola pugnabat fides? Ipsius diaboli de huiusmodi lapsis si requiramus sententiam, nonne videtur dicere: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me: Quomodo enim mecum est, qui non recedit à Christo? Sine causa autem me colere vidẽtur, qui doctrinam Iesu custodiunt. Ego autem putabam quod mea docerent, plus damnant dum comperta deserunt. Certè Iesus in his amplius gloriatur, dum recipit reuertentes. Exultant omnes angeli, quia gaudium maius est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm in nonaginta & nouem iustis qui non indigent pœnitentia. De me in cœlo, de me in terris triumphus sumitur: nihil Christo periit, quando hi qui ad me cum fletu venerunt, cùm desiderio ad ecclesiam reuertuntur. Et horum exemplo etiam de meis periclitor, qui didicerint nihil hic esse vbi homines præsentibus prouocantur præmiis, & plurimum illic, vbi gemitus, lachrymæ, ieiunia, meis epulis præferuntur.

Oseæ 11.
* Spectat, &c.
Lucæ 7.
Thren 3.
Psal. 112.
Esaiæ 29.
Lucæ 15.

De confutatione erroris Nouatianorum, qui spem veniæ excludunt, per exemplum de illo semiuiuo relicto a latronibus, quẽ pius Samaritanus dominus Iesus misericordia motus curauit, & supra suum iumentum imposuit vulneratum, & à sacerdote atque leuita prætercuntibus, per quos Nouatiani intelliguntur, fuit neglectus. Cap. V.

HOS ergo Nouatiani excluditis. Quid est enim aliud excludere, nisi spem veniæ negare? Sed neq; semiuiuum illum derelictum à latronibus, Samaritanus præteriit, sed vulnera eius oleo vinóque curauit, prius infundens oleum quo foueret, & supra iumentum suum imposuit vulneratum, in quo eius peccata vexit omnia, nec ouem pastor despexit errantem. Vos autem dicitis: Noli me tangere, vos dicitis volentes iustificare vosipsos: Non est proximus noster: superbiores quàm legisperitus, illé Christum tentare cupiebat. Ille enim dixit: Quis est meus proximus? Ille interrogat, vos negatis. Sicut sacerdos ille descendens, & sicut Leuita præteriens, quem curandum suscipere debuistis, nec recipientes hospitio, pro quo Christus duos numerauit denarios, cuius te proximum fieri Christus iubet, vt facilius in eum misericordiam habeas. Ipse enim est proximus, quem non solum conformis natura coniunxerit, sed etiam misericordia copulauerit. Ab eo te alienum superbia facit, extollens te frustrà inflatus mente carnis tuæ, & non tenens caput. Si enim caput teneres, aduerteres non tibi eum deserendum pro quo Christus mortuus est. Si caput teneres, aduerteres corpus omne compaginando potius quàm soluendo in incrementum dei per copulam charitatis, & redemptionem crescere peccatoris. Cùm igitur fructum omnem aufertis pœnitentiæ, quid aliud dicitis, nisi hoc: Nemo de vulneratis nostrum ingrediatur hospitium, nemo sanetur in nostra ecclesia? Apud nos non curantur ęgroti, sani sumus, medicum non habemus necessarium, quia ipse ait: Non opus est sanis medicus, sed his qui malè habent.

Lucæ 10.
Ibidem 15.
Colos. 2.
Matth. 9.

De ecclesia Christi per cœnam significata, ad quam omnes vocati sunt, sive boni sive mali: & qui se excusauerunt, Nouatiani sunt, atq; cæteri hæretici qui partem cum Christo non habebunt, eo quod pœnitentiæ lauacrum respuant. Caput VI.

ERGO domine Iesu ad ecclesiam tuam totus aduenì, quoniam Nouatianus excusat. Nouatianus dicit: Iuga bouum emi: qui iugum Christi suaue non suscipit, & onus graue collo imponit suo, quod portare nõ queat. Nouatianus seruos tuos à quibus inuitabatur tenuit, & contumelia affectos occidit, quos iterati baptismatis labe inquinauit. Mitte ergo ad exitus viarum, & collige bonos & malos, & debiles, & cæcos, & claudos introduc in ecclesiam tuam. Iube impleatur domus tua, introduc omnes ad cœnam tuam: quia quem tu vocaueris, dignum facies si sequatur. Ille sanè reiicitur, qui non habuerit vestem nuptialem, hoc est, amictum charitatis, velamen gratiæ. Mitte, inquam, ad vniuersos, non excusat ecclesia tua à cœna tua. Excusat Nouatianus. Non dicit familia tua. Sana sum, medicum non requiro, sed dicit: Sana me domine, & sanabor: salua me & saluabor. Denique ecclesiæ tuæ species est in illa, quæ accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti tui, dicens intra se: Quia si tetigero vestimentum eius, salua ero. Hæc ergo ecclesia confitetur vulnera sua, hæc curari cupit. Et tu quidem domine, omnes cupis sanare, sed non omnes curari volunt. Non vult Nouatianus, qui se putat esse sanum. Tu domine ægrum te esse dicis, & in minimo nostram sentis infirmitatem, dicens: Æger eram, & visitastis me. Nouatianus illum minimum visitare nescit, in quo

Lucæ 14.
Matth. 11.
Hier. 17.
Matth. 9.

quo tu desideras visitari. Tu dicis Petro excusanti, ne ei pedes lauares: Nisi lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. Quod ergo isti possunt consortium tecum habere, qui claues regni non suscipiunt, negantes quod dimittere peccata debeant? Quod quidem rectè de se fatẽtur: non habent enim Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia diuisione * discerpunt. Sed hoc improbè, quod etiam in ecclesia donari peccata negant posse, cùm Petro dictum sit: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis. Cùm & ipse vas electionis dominicæ dicat: Si cui autem quid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, propter vos in persona Christi. Cur igitur Paulum legunt, si eum tam impiè arbitrantur errasse, vt ius sibi vindicaret domini sui? Sed vindicauit acceptum, non vsurpauit indebitum.

Ioan.13.
* dispergunt.
Matth.16.
2.Corin.2.

De multiplici potestate data discipulis à Christo, cum reprehensione Nouatianorum, qui remissionem in baptismo concedũt, sed pœnitentiæ lauacrum negant, cùm nihil interfit inter vtrunque sacramentum. Cap. VII.

VVLT dominus plurimum posse discipulos suos, vult à seruulis suis ea fieri in nomine suo, quæ faciebat ipse positus in terris. Denique ait: Et maiora his facietis. Dedit vt mortuos suscitarent. Et cùm ipse Saulo reddere posset vsum videndi, eum tamen ad Ananiam discipulum suum misit, vt eius benedictione Saulo refunderentur oculi quos amiserat. Petrum quoque secum in mari iussit ambulare: & quia titubauit, reprehendit illico, eo quod dona gratiarum fidei pauxillitate minuisset. Dedit etiam discipulis vt lux mundi essent per gratiam, qui erat ipse lux mũdi. Et quia descensurus esset è cœlo, & in cœlum ascensurus, Heliam ad cœlum leuauit, inde eum terris placito redditurus tempore. Baptizaturus quoque in spiritu sancto & igni, per Ioannem baptismatis sacramenta præmisit. Omnia denique donauit discipulis suis, de quibus ait: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eos nocebit: supra ægros manus imponent, & bene habebunt. Omnia ergo dedit: sed nulla in his hominis potestas est, vbi diuini muneris gratia viget. Cur ergo manus imponitis, & benedictionis opus creditis, si quis fortè reuelauerit ægrotus? Cur præsumitis aliquos à colluuione diaboli per vos mundari posse? Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo vtique remissio peccatorum omnium est. Quid interest, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent? Vnum in vtroque ministerium est. Sed dices quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne dei nomen operatur? Quid ergo? Vbi vultis vindicatis vobis dei gratiam? vbi vultis repudiatis? Sed hoc insolentis arrogantiæ, non sancti timoris est, vt fastidio vobis sint qui volunt agere pœnitentiã. Perpeti videlicet flentium lachrymas non potestis. Non ferunt oculi vestri vilia vestimentorum, illuuiem sordidatorum, superbo oculo, & tumido corde delicati mei, arroganti voce dicentes singuli: Noli me tangere, quia mundus sum. Dixit quidem dominus ad Mariam Magdalenam: Noli me tangere: sed non dixit, quia mundus sum, qui mundus erat: tu audes Nouatiane mundum te dicere, qui & si oueribus mundus esses, hoc solo verbo fieres immundus? Esaias dicit: O miser ego, & compunctus corde: quia cùm sim homo, & immũda labia habeam, in medio quoque populi immunda labia habentis inhabitem: & tu dicis mundus sum, cùm mundus non sit, vt scriptũ est, nec vnius diei infans? Dauid dicit: Et à delicto meo munda me: quem vtique misericordem sæpe domini iustificauit gratia: tu mundus, cùm tam iniustus sis, vt non miserearis, vt festucam in oculo fratris tui videas, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideres? Immundus enim apud deum omnis iniquus. Quid autem iniustius, quàm vt velis tibi dimitti peccata tua, cùm roganti ipse non putes remittenda? Quid iniustius, quàm vt te iustifices in quo dãnas alterum, cùm grauiora committas? Denique remissionem celebratu-

Ioan.14.
Actuum 9.
Matth.14.
Ibidem 5.
4.Reg.2.
Matth.3.
Marc.16.
Ioan.20.
Esaiæ 6.
Iob 15.
Psalm.50.
Matth.7.

rus peccatorum nostrorum dominus Iesus dicenti sibi Ioanni: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? respõdit: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Et dominus quidem venit ad peccatorẽ, cùm peccatum ipse non haberet, & baptizari voluit cui mundari necesse non erat. Matth 3.

De falso intellectu scripturæ, quo Nouatianus errorem suum probare contendit, quem author hic efficaciter reprobat fultus scripturæ sacræ testimoniis. Cap. VIII.

NOS quis ferat, qui putatis vobis opus non esse mundari per pœnitentiam: quia mundatos dicitis vos esse per gratiam: quasi iam peccare vobis impossibile sit? Sed dicẽt: Scriptum est: Si peccauerit homo in hominẽ, orabunt pro eo ad dominum: si autem in dominum peccauerit homo, quis orabit pro eo? Primùm, vt supra iam dixi, tunc te ista paterer obiicere, si solis præuaricatoribus non relaxares pœnitentiam. Tamen quid scrupuli ista afferret quæstio? Non enim scriptum est: Nullus orabit pro eo, sed quis orabit? hoc est, quis ille sit, qui in tali causa orare possit, quæritur, non excluditur. Denique habes in psal. decimoquarto: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Non enim nullus, sed probatus habitabit. Nec hoc dicit quod nemo requiescat, sed requiescat electus: vt scias hoc esse verum, quod non multo post in psalmo vigesimotertio, ait: Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius? id est, non quicunque de vulgo nec plebeiæ vilitatis aliquis, sed vitæ egregiæ singularisq; meriti. Et vt scias quia cùm dicitur, quis, non intelligitur nullus, sed aliquis significatur. Cùm dixisset: Quis ascẽdet in montem domini? subiecit: Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam. Et alibi: Quis sapiens & intelliget hęc? Nunquid dicit, quia nullus intelliget? Et in Euangelio: Quis fidelis dispensator & prudens, quem constituet dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Et vt comprehẽdas quia de eo dixit, qui vtique est, non de eo qui non est, subiunxit: Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus, inuenerit sic faciẽtem. Et illud ita opinor dictum: Deus quis similis tibi? non vtique nullus: quia imago patris filius est. Similiter igitur accipiendum: Quis orabit pro eo? hoc est, singularis vitæ aliquis debet orare pro eo qui peccauit in dominum, quia quo maior culpa, eo maiora sunt quærenda suffragia. Non enim quicunque de vulgo pro Iudæorum populo, sed Moyses rogauit, quando vituli caput fidei immemores adorauerunt. Nũquid errauit Moyses? At certè quia non errauit, quod rogauit, & meruit, & impetrauit. Quid enim talis affectus non impetraret, quando se obiecit pro populo, dicens: Et nunc si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro vitæ? Vides quia non tanquam deliciosus intercessor, & fastidij plenus sibi consulat, ne offensionem contrahat: quod Nouatianus metuere se dicit: sed magis omnium memor, sui immemor, offendere non timebat ipse, vt plebem ab offensionis periculo exueret, & liberaret. Meritò ergo scriptum est: quis orabit pro eo, hoc est, talis qualis Moyses qui se offerat pro peccãtibus: talis qualis Hieremias, cui cùm esset dictum à domino deo nostro: noli orare pro populo isto: tamen orauit, & veniam promeruit. Denique intercessione prophetica, & obsecratione tanti vatis inflexus dominus dicit ad Hierusalem: quoniam ea quoque pœnitentiam pro delictis egerat, dicens: Domine omnipotens deus Israel, anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te: Audi domine, & miserere. Et iubet luctus vestimenta deponi, & abiici gemitus pœnitentiæ. Sic enim scriptum est in fine libri: Exue te Hierusalem stola luctus, & vexationis tuæ, & indue te decorem eius, quæ à deo tibi data est gloriæ in æternum. 1.Reg.2. Exod.32. Hier.7. Baruch 3. Ibidem 5.

Qualiter intelligenda sint verba Ioannis in canonica sua dicentis: Est peccatum ad mortem, non de illo dico vt oret quis: cùm sanctus Ioannes non ignorauerit Moysen atque Hieremiam atque Stephanum pro salute aliorum orasse atque exauditos fuisse. Cap. IX.

TAles igitur precatores in delictis maximis sunt requirendi. Nam si quicũque de populo orent, non exaudiuntur. Vnde nec illa quæstio vestra quicquam poterit afferre ponderis, quam sumitis de
1.Ioan.5. epistola Ioannis dicentis: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabit illi vitam deus: quia non peccat ad mortem. Est peccatum ad mortem, non de illo dico vt oret. Non enim ad Moysen & Hieremiam loquebatur: sed ad populum, qui suorum peccatorum alium precatorem deberet adhibere, cui satis est si pro leuioribus delictis deum precetur, grauiorum veniam iustorum orationibus reseruãdam putet. Nam quomodo Ioannes diceret non orandum pro delicto grauiore, qui legisset Moysen rogasse, & impetrasse, vbi erat præuaricatio voluntaria, qui sciret etiam Hieremiam rogasse? Quomodo Ioannes diceret non orandum pro peccato quod esset ad mortem, qui ipse in A-
Apoc.2. pocalypsi scripsit mãdatum angelo ecclesię Pergami: Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scãdalum coram filiis Israel, manducare immolata, & fornicari: ita & tu habes tenentes doctrinam Nicolaitarum, similiter age pœnitentiam, alioquin venio tibi? Vides quod deus qui pœnitentiam exigit, veniam polliceatur? Denique & tibi dicit: Qui habet aures, audiat, quid spiritus dicat ecclesiis: Vincenti dabo manducare manna. Nonne ipse Ioannes cognouerat Stephanũ pro persecutoribus suis, qui Christi nomen audire non poterant, deprecatum, cùm de ipsis à
Acto.3. quibus lapidabatur, diceret: Domine, ne statuas illis hoc peccatum: cuius precationis effectum in apostolo videmus? Paulus enim qui lapidantium Stephanum vestimenta seruabat, non multo postea per gratiam Christi factus apostolus est, qui fuerat antè persecutor.

De eo quòd nullus fidem habens excluſus ſit à venia. Quòd hi quoque qui poſt pœnitentiam coronam martyrij meruerunt, maius etiam donum fidei perceperunt. De forma quoque pœnitentis in ſemiuiuo à latronibus relicto conuenienter expreſſa. Cap. X.

ERgo quia de Ioannis generali epistola sermo est, ipsius Ioãnis in euangelio scripta interrogemus, vtrũ cum vestra interpretatione conueniant. Scribit enim dixisse dominum: Quia
Ioan.3. sic dilexit deus hunc mũdum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipso, nõ pereat: sed habeat vitã æternam. Si quem ergo lapsum reuocare cupias, vt credat: an vt nõ credat, hortaris? Vtique vt credat. Sed qui credit, iuxta domini sentẽtiam habebit vitam ęternam. Quo modo ergo prohibebis orare pro eo, cui æterna vita debe-
1.Cor.12. tur, cùm diuinæ sit gratiæ fides, sicut Apostolus in diuisionibus gratiarum docet, quia alij datur in eodem spiritu fides:
Lucæ 17. & discipuli domino dicant: Adauge nobis fidem? Qui ergo fidem habet, habet vitam æternam: qui vitam habet, non est
Ioan.3. excluſus à venia: Omnis, inquit, qui credit in eum, non pereat. Cùm, omnis, dicitur, nullus excluditur, nullus excipitur. Non enim excipit eum qui lapsus est, si tamen postea
* armasse. bene credat. Plurimos comperimus se * reformasse post lapsum, & pro nomine dei passos. Num possumus his martyrum consortia negare, quibus dominus Ieſus non negauit? Audemus igitur dicere non esse his vitam redditam, quibus Christus coronam reddidit? Sicut ergo post lapsum plerisque, si patiantur, corona redditur: ita si credant, & fides red-
Philip.1. ditur. Quæ fides dei donum est, sicut habes scriptum: Quia à deo vobis datum est, non solum vt credatis in eum, sed etiam vt pro illo patiamini. Nunquid is qui dei donum habet, potest non habere indulgentiam? Non vna autem, sed duplex gratia est, vt omnis qui credit, & patiatur pro domino Ieſu. Habet igitur qui credit suam gratiam: habet autem alteram si fides eius passionibus coronetur. Neq; enim priusquam pateretur Petrus, sine gratia fuit: sed vbi passus est, acquisiuit alteram. Et plerique qui non habuerunt gratiam vt pro Ieſu paterentur, habuerunt tamen gratiam vt in Ieſum
Ioan.3. crederẽt. Ideo dicitur: Vt omnis qui credit in eum non pereat. Omnis, inquit, hoc est, ex quocunque statu, ex quocunque lapsu, si credat, perire non timeat. Potest enim fieri vt a-
A liquem de Hierusalem descendentem in Hiericho, hoc est, de martyrij certamine relapsum, in istius vitæ cupiditate seculariq́ue gratia vulneratum à latronibus, hoc est, à persecutoribus, & semiuiuum relictum, euangelicus ille Samaritanus inueniat, qui nostrarum custos animarum est. (Samaritanus enim custos dicitur,) & non prætereat eum, sed curet & sanet: fortasse ideo non præterit eum: quia aliquid in eo vitale agnoscit, vnde possit vitam resumere. Nónne vobis videtur ille qui lapsus est, semiuiuus esse, si vitale aliquid fides spiret? Nam qui penitus deum ex suo corde abiicit, ille mortuus est: qui ergo non penitus abiecit, sed per impressionem tormentorum ad tempus negauit, semiuiuus est. Aut si mortuus est, cur ei dicitis agendam pœnitentiam, qui iam curari non potest? Si semiuiuus est, infunde vinum & oleum, non vinum sine oleo: sed quod foueat & remordeat. Tolle eum in iumentum tuum, trade stabulario, duo æra ad eius curam impende, esto ei proximus. Proximus autem esse non potes,
Lucæ 10. nisi facias misericordiã. Nemo enim potest dici proximus,
B nisi qui curauerit, non occiderit. Si autem vis dici proximus, Ibidem. dicit tibi Christus: Vade & tu fac similiter.

De aliis quibuſdam ſcripturis quibus eliditur error Nouatiani veniam poſt lapſum negantis, cum dominus Ieſus venerit in mundum non vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Cap. XI.

ALiud simile considerabimus. Qui credit in filium, Ioan.3. habet vitam æternam: qui autem non credit filio, non videbit vitam, sed ira dei manet super eum. Quod manet, vtique iam cœpit, & ex delicto aliquo cœpit: quia antè non credidit. Vbi ergo quis credit, ira dei discedit, vita autem accedit. Credere ergo in Christum, lucrum vitæ est. Qui enim credit in eum, non iudicatur. Sed referunt hoc loco, quoniam is qui credit in Christum, custodire debeat sermonem eius. Sic enim aiunt scriptum dicente domino: Ego lux in hunc mundum veni, vt o- Ioan.12.
mnis qui credit in me, in tenebris non maneat: & si quis au-
C dierit sermonem meum, & custodierit eum, ego non iudico eum. Ille non iudicat, & tu iudicas? Ille dicit, vt qui credit in me, in tenebris non maneat: hoc est, & si fuit in tenebris, nõ permaneat in eis, errorem emendet, culpam corrigat, custodiat mandata mea. Dixi enim: Nolo mortem peccatoris sed Ezech.33. conuersionem, dixi supra: Quoniam qui in me credit, non iudicatur: & hoc custodio. Non enim veni vt iudicem mun- Ioan.3. dum: sed vt saluetur mundus per me. Libẽter ignosco, prom ptè indulgeo, misericordiam malo quàm sacrificium: quia per sacrificium, iustus commẽdatur: per misericordiam peccator redimitur. Non veni vocare iustos, sed peccatores. In Matth.9. lege sacrificium, in Euangelio misericordia est: lex per Moysen data est, per me gratia. Quid hoc euidentius? Denique & subter ait: Qui spernit me, & non accipit verba mea: habet Ioan.12. qui iudicet eum. Num tibi videtur accipere verba Christi, Ioan.12. qui se non correxerit? Profectò non videtur. Qui ergo corrigit se, accipit verbum eius. Hoc est enim verbum eius, vt se vnusquisque reuocet à culpa. Aut excludas igitur necesse est
D hanc eius sententiam: aut si negare non potes, acquiescas. Oportet eum quoque mandata custodire dominica, qui peccare desiit, delictis renunciauit. Non ergo de eo debes interpretari dictum, qui semper custodierit. Si enim hoc sensisset, addidisset, semper. Non addẽdo autem de eo pronunciauit, qui quod audiuit, custodierit. Audiuit autem, vt corrigeret errorem. Custodiuit igitur quod audiuit.

Quemadmodum teſtimoniis ipſius Dauid atque ſancti Pauli reprobetur falſitas Nouatiani: quia caſtigat deus omnẽ filium quem recipit, & quem caſtigat, morti non tradit. Cap. XII.

QVAM verò durum sit vt ad pœnam vocetur perpetuam, qui vel postea custodit domini mandata, ipse te doceat qui etiam non custodientibus mandata sua veniam non negauit, sicut habes in psalmi corpore: Si iu- Psal.88.
stitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum,

&

& in flagellis delicta eorum, misericordiam autē meam non dispergam ab eis. Omnibus igitur promittit misericordiam. Sed ne sine iudicio hanc esse misericordiam putes, est discretio inter eos qui perpetuam detulerint obedientiam mandatis cœlestibus, & inter eos qui aliquando vel errore vel necessitate lapsi sint. Et ne nostro circūscribi te argumēto putes, Christi iudicium accipe. Etenim ait: Si sciens seruus voluntatem domini, & non fecit, vapulabit multis: si autem nesciuit, vapulabit paucis. Vterque igitur si credat, recipitur: Quia castigat omnē filium deus quē recipit: & quem castigat, morti vtique non tradit, quia scriptū est: Castigans castigauit me dominus, & morti non tradidit me. Denique Paulus docet non deferēdos eos qui peccatum ad mortem fecerint: sed potius lachrymarum panibus, & potu coercendos flebili, ita tamen vt ipsa moderata esset tristitia. Hoc enim significat: Et potum dabis eis in lachrymis in mensura, vt ipsa mœstitia mensuram habeat, ne fortè abundantiore tristitia absorbeatur, qui agit pœnitentiam, sicut scripsit ad Corinthios Paulus: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Sed nec virga grauis est, quoniam legerat: Tu quidem percuties eum virga, animam autem eius à morte liberabis. Quid esset in virga venire, docet inuectio fornicationis, accusatio incesti, reprehensio tumoris, quod inflati essent, quos magis lugere oporteret: postremo condemnatio rei, vt tolleretur à consortio communionis, & traderetur aduersario, non ad interitum animę, sed carnis. Sicut enim dominus in animam sancti Iob potestatem nō dedit, sed in carnem eius permisit licentiam: ita & hic traditur satanæ in interitum carnis, vt serpens terram eius lingeret, animæ non noceret. Moriatur ergo caro nostra cupiditatibus, sit captiua, sit subdita, nec legi mentis nostræ repugnet, sed bonæ seruituti subiecta moriatur, sicut in Paulo, qui castigabat corpus suum, vt seruituti redigeret, quo probabilior fieret prædicatio, si lex carnis eius cum lege mentis congrueret & conueniret. Interit enim caro, cum sapientia eius transit in spiritum, vt iam non quæ carnis sunt sapiat, sed quæ sunt spiritus. Vtinam videam infirmari carnem meam, vtinam non trahar captiuus in legem peccati, vtinam non in carne viuam, sed in fide Christi. Et ideo maior in infirmitate corporis gratia, quàm in salute. Denique & Paulum quem multum dilexit, noluit liberare ab infirmitate carnis, cui petenti vt discederet à se infirmitas, respondit: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Et Paulus plus sibi in infirmitatibus placet, dicens: Cùm infirmor, tunc potens sum. Consummatur enim carnis in infirmitatibus, animæ fortitudo.

Lucæ 12.
Hebr. 12.
Psalm. 117.
Psalm. 79.
1. Corin. 4.
Prouer. 23.
1. Cor. 5.
Rom. 7.
1. Cor. 9.
Rom. 8.
2. Cor. 12.
Ibidem.

Quòd peccantes tradantur plerunque à deo, atque ab eius ecclesia in potestatem diaboli, in afflictionem carnis vt spiritus saluetur. De custodia quoque oculorum seruanda, & velamine mulierum, atque exemplo Ioseph colloquia pudica esse seruanda. Cap. XIII.

EXplanauimus Pauli sententiam, nunc verba ipsa consideremus, qua ratione dixerit, quòd tradiderit eum satanæ in interitum carnis, quia tentator noster diabolus est. Nam debilitates menbris singulis inferre. & ęgritudines toto solet mouere corpori. Denique percussit sanctum Iob vlcere malo à pedibus vsque ad caput: quia in potestatem acceperat interitū carnis eius, dicente deo: Ecce trado tibi eum, tantummodo animam eius custodi. Hoc iisdem verbis Apostolus transtulit, dicens, quòd tradiderit huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Magna potestas, magna gratia, quæ imperat diabolo, vt se ipse destruat. Se enim destruit, cùm hominem quem tentando supplātare studet, ex infirmo fortiorem efficit: quia dum carnem debilitat, mētem eius corroborat. Ægritudo enim carnis peccatum repellit, luxuria autem carnis culpam adolet. Illuditur ergo diabolus, vt se ipse morsu suo vulneret, & contra se armet, quem debilitandum putauit. Sic & sanctum Iob magis armauit postea quàm vulnerauit, qui totum corpus diris perfusus vlceribus, diaboli quidem morsum pertulit, sed venena non sensit. Et ideo bene ei dictum est: Adduces draconē in hamo, ludes eum sicut auem, ligabis eum

1. Corint. 5.
Iob 1.
Ibidem. 40.

A sicut passerem, puer imponet super eum manum. Vides quemadmodum à Paulo illudatur, vt in cauernā eius sicut puer ille propheticus manum mittat, & nihil serpens noceat ei, de latebris eruat eum, de veneno eius faciat spiritale antidotum, vt quod venenum est, medicamentum fiat: venenum ad interitum carnis, medicamentum sit ad salutem spiritus. Quod enim nocet corpori, iuuat spiritū. Manducet ergo terram meam serpens, dentem carni infigat, conterat corpus, dicat dominus & de me, Trado tibi eum, tantummodo animam eius custodi. Quanta vis Christi, vt custodia hominis imperetur, etiam ipsi diabolo, qui semper vult nocere. Dominum ergo Iesum nobis propitiemus. Imperante Christo & diabolus ipse sit prædę suæ custos: Vel inuitus mandatis obsecundat cœlestibus, & quanuis immitis, tamen mansuetis obsequitur imperiis. Sed quid ego cōmendo obsequium eius? Sit ille semper malus, vt sit bonus deus semper, qui malitiam eius nobis in gratiam conuertit. Vult nocere ille, sed non potest, si Christus obsistat. Carnē vlcerat, sed custodit animam. Terram deuorat, sed reseruat spiritum. Denique Esaiæ 65.
B scriptum est: Tunc lupi & agni simul pascentur, leo & bos paleam manducabunt, serpens autem terram vt panem: & non nocebunt, neque vastabunt in monte sancto meo, dicit dominus. Damnati enim serpentis hæc est sententia: Erit tibi terra cibus. Quę terra? Ea vtique de qua dictum est: Genes. 3.
Terra es, & in terram ibis. Hanc terram serpens manducat, si propitius est nobis dominus Iesus, vt non compatiatur anima carnis debilitati, non accendatur vapore corporis, & calore membrorum. Bonum est nubere magis quàm vri. Est 1. Corint. 7.
enim flamma quæ interna vrit. Vnde hunc ignem non alligemus in sinu mentis, & recessu pectoris, nec interioris nostri vramus exuuias, & forense hoc nostræ animę vestimentum, velaménque carnale, edax libidinis flamma consumat, sed transeamus per ignem. Et si quod incidit amoris incendium, transiliat, & non alliget adulterinam cupiditatem viriculis cogitationum, nullos sibi nodos assiduæ nexu meditationis astringat, non intendat sæpius in formam mulieris meretricis, nec adolescentula ad vultum iuuenis oculos leuet. Et si fortuitu aspexit, & capta est, quanto magis capietur si curiosa aspexerit? Vel consuetudo nos doceat. Ideo velamine obnubit caput suum mulier, vt etiam in publico tuta verecundia sit: non facilè vultus eius in adolescentis o-
C culos occurrat, nuptiali velamine tecta sit, ne vel fortuitis occursibus pateat ad vulnus vel alienum, vel suum: sed vtrunque suum vulnus est. Quod si tegmine caput velat, ne temerè aut videatur aut videat (dum enim caput velatur, vultus absconditur) quanto magis velare se debet pudoris tegmine, vt etiam in publico habeat suum ipsa secretum? Verùm esto inciderit oculus, sed non intendat affectus. Nō enim vidisse crimen est: sed cauēdum ne origo criminis sit. Videt carnalis oculus, sed premat cordis oculus mentis verecundia. Habemus immortalem & indulgentem dominum. Prouer. 5.
Dixit quidem propheta: Nolo intendas in formam mulieris Matth. 5.
fornicariæ. Sed tamen dominus dixit: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterauit eam in corde suo. Non dixit: si quis viderit, adulterauit: sed si quis ad concupiscendum viderit: non aspectū obligauit, sed affectum quę
D fuit. Bonus tamen pudor qui ipsos corporis oculos sic premere consueuit, vt sæpe nō videamus etiam quod videmus. Etenim specie aspicere videmus quicquid occurrerit: sed si non misceatur animi intentio, hic quoque secundum carnis officium noster aspectus vanescit: ita plus videmus animo quàm corpore. Et si viderit caro, ignem non alligemus in Prouer. 6.
sinu: hoc est, in secreto mentis, animique arcano. Non implicemus ignem hunc ossibus, nō ipsi nobis nodos iniiciamus, non misceamus sermonem aliquem cum huiusmodi, vnde exęstuet ignis. Adulterinus sermo iuuenculæ, nodus adolescentium est: verba adolescētis vincula sunt amoris. Vidit Gen. 39.
hunc ignem Ioseph, quādo eum adulterij cupida mulier allocuta est: voluit eum capere sermone, misit laqueos labiorum suorum, sed pudicum virum ligare non potuit. Soluit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo grauitatis, habena cautelæ, fidei custodia, castimonię disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit, misit manū, & apprehendit

* nudum prehendit veſtem eius,vt * nodum ſtringeret. Verba petulantis mulieris, cupiditatum retia ſunt, manus eius amoris nodus eſt. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo,excuſſa veſtis, ſolutus eſt nodus:& ideo quia non alligauit ignem in ſinu mentis ſuæ,non combuſſit corpus ſuum.

De exhortatione ad caſtimoniæ puritatem atque fomentorum luxuriæ reſecationem. Quòd ſatan quoque author ſit debilitatis, in cuius poteſtatem per excommunicationis cenſuram plerique dantur ad tempus, vt ſpiritus ſaluetur. Caput. XIIII.

VIdes ergo, quia animus noſter culpæ author eſt. Itaque innocens caro, ſed plerunque peccati miniſtra.Ergo non te vincat formæ concupiſcentia. Multa retia tenduntur à diabolo,multi laquei.Oculus meretricislaqueus amatoris eſt.Ipſi nobis oculi noſtri retia ſunt, & ideo ſcriptum eſt:Neque capiaris oculis tuis. Ipſi nobis ergo tendimus retia,quibus inuoluimur & implicamur.Ipſi nobis vincula nectimus,ſicut legimus: quia vinculis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Et id-
Prouer. 5. eo tranſeamus ignem adoleſcētiæ,ardorèmque iuuenilis ætatis,trāſeamus aquam,non remaneamus in aqua, ne flumina nos profunda concludant. Tranſeamus magis, vt & nos
Pſalm. 123. dicamus : Torrentem partranſiuit anima noſtra. Qui enim
Eſaiæ 43. tranſit ſaluus eſt. Denique dominus ſic ait : Si tranſeas per
Pſalm. 36. aquam,flumina te non concludent. Et Propheta dicit:Vidi impium ſuperexaltatum vltra cedros Libani: & tranſiui,& ecce non erat.Tranſi ſocularia,& cecidiſſe aſpicies altitudines impiorum.Moyſes quoque tranſiens ſecularia flumina,
Exod 3. vidit viſum magnum , & ait:Tranſiens videbo hoc viſum. Si enim fuiſſet in corporis vitiis & ſeculi iſtius lubricis voluptatibus, tanta non vidiſſet myſteria.Tranſeamus ergo & nos ignem hunc libidinis,quem timens Paulus,ſed nobis ti-
1. Cor.6. mens,qui caſtigando corpus ſuum fecerat vt iam non time-
Ibidem. 6. ret ſibi, dicit nobis: Fugite fornicationem . Fugiamus ergo tanquam ſequentem,quæ non poſt nos, ſed in nobis ſequitur.Noſmetipſos ergo videamus diligenter,ne dum illam fugimus,nobiſcum eam portemus.Volumus enim plerunque fugere, ſed ſi non penitus eam de noſtro excutimus animo, C tollimus eam magis quàm relinquimus.Tranſiliamus ergo
Eſaiæ 50. eam ne nobis dicatur:Ambulate in igne flammæ veſtrę,quā accendiſtis vobis: quoniam ſicut ille qui alligat ignem in ſinu,veſtimenta conburit:ſic qui ambulat ſuper ignem,pedes
Prouer. 6. cōburat neceſſe eſt, quoniam ſcriptum eſt:Ambulabit quis ſuper carbones ignis,pedes aũt non conburet?Grauis ignis eſt,& ideo non demus illi alimenta luxuriæ. Paſcitur libido conuiuiis,nutritur deliciis,vino accenditur, ebrietate flammatur.Grauiora his ſunt fomenta verborum,quę vino quodam Sodomitanę vitis mentem inebriant.Caueamus tamē & huius abundantiam vini.Vbi ęnim caro inebriatur,mens titubat,animus vacillat,cor fluctuat.Ideo ad vtrumque vtile
1.Tim.6. pręceptū eſt, quo monetur Timotheus his verbis:Vino modico vtere propter frequentes tuas infirmitates.Cùm calet corpus, tradit vaporem : cùm alget morbi frigore caro, refrigore animam tuam:cùm dolet corpus tuũ,triſtis eſt mens tua:ſed triſticia tua in gaudium veniet. Noli ergo timere ſi manducetur caro tua, anima tua non deuoratur. Ideo Da- D uid non timere ſe dicit, quia carnem eius non animam ini-
Pſalm. 26. mici edebant, ſicut legimus : Dum appropinquāt ſuper me nocentes, vt edant carnes meas : Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt,& ceciderunt.Ruinam igitur ſolam facit ſibi ſerpens:ideo ſerpenti traditur, qui à ſerpente eliſus eſt, vt quem deiecit, hunc erigat,& fiat ruina ſerpentis, hominis reſurrectio. Satanam autem corporalis huius contritionis & carnalis authorem debilitatis ſcriptura oſtendit,
2.Cor.12. Paulo dicente:Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, vt me collaphizet,vt non extollar. Sic enim curare Paulus didicit, quemadmodum ipſe ſanatus eſt. Bonus itaque doctor dum promittit alterum de duobus,vtrunque donauit. Venit in virga, quià à communione ſacra conuictum
1. Cor.5. remouit. Et bene dicitur tradi ſatanæ, qui ſeparatur à Chri-
Ibidem. 4. ſti corpore . Venit etiam in charitate ſpiritúque manſuetudinis : vel quia ſic tradidit vt ſpiritum eius ſaluum faceret: vel quia eum quem ante ſequeſtrauerat,poſtea ſacramentis A reddidit. Nā & ſequeſtrari eportet grauiter lapſum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat.Expurgādum Ibidem.5.
eſt vetus fermentum,vel in ſingulis vetus homo,hoc eſt,exterior homo cum actibus ſuis,vel in populo inueteratus pec Coloſ. 3.
catis vitiiſque concretus.Bene dixit,expurgandum non proiiciendum . Quod enim expurgatur , non totum iudicatur inutile . Ideo enim purgatur, vt vtile ab inutili ſeparetur. Quod autem proiicitur,nihil in ſe vtile habere creditur.

De eccleſiæ farina & fermentum peccatorum quemadmodum expurgetur fermentúmque hæreticorum quomodo in eccleſiæ farina abſcondatur. De paſcha quoque noſtro Chriſto immolato pro peccatoribus, quos inuidus à tanta gratia excluſit Nouatianus. Caput XV.

IAm tum igitur Apoſtolus addendum ſacramentis iudicauit cœleſtibus,ſi purgari ſe ipſe vellet.Et bene ait:Expurgate.Velut operibus enim quibuſdam totius populi purgatur, & plebis lachrymis abluitur,qui orationibus & fletibus plebis redimitur à peccato,& in homine mundatur interiore.Donauit enim Chri-
B ſtus eccleſiæ ſuæ, vt vnum per omnes redimeret, quæ domini Ieſu meruit aduentum vt per vnum omnes redimerentur. Hic ſenſus Pauli eſt,quem verba obſcuriorem faciunt. Conſideremus ipſum Apoſtoli ſermonem:Expurgate,inquit,ve- 1.Corin.5.
tus fermentum,vt ſitis noua conſperſio,ſicut eſtis azymi.Si ue quòd tota eccleſia ſuſcipit onus peccatoris,cui compatiendum & fletu & oratione,& dolore eſt : & quaſi fermento eius ſe totam conſpergat,vt per vniuerſos ea quæ ſuperflua ſunt in aliquo pœnitentiam agente, viritim miſericordiæ aut compaſſionis velut collatiua quadam admixtione
purgentur:Siue vt illa mulier euangelica docet, quę typum Lucæ 13.
prętendit eccleſię, eo quòd fermentum abſcondit in farina ſua donec fermentetur totum, vt mundum omne ſumatur. Docuit me dominus in euangelio quid ſit fermentum, dicens:Non intelligitis,quia non de pane dixi:Attendite à fer Matth.16.
mento Phariſęorum & Sadducęorum.Tunc,inquit, intellexerunt , quia non dixit à panibus , ſed à doctrina Phariſæorum & Sadducæorum attenderēt ſibi.Hoc ergo fermētum,
hoc eſt, doctrinā Phariſæorum & diſputationem Sadducęorum,abſcondit eccleſia in farina ſua,cùm literam legis duriorem ſpiritali interpretatione molliuit, & velut mola quadam ſuę diſputationis infregit, proferens velut de folliculis literarum myſteriorum interna ſecreta, & reſurrectionis fidem aſtruens,qua dei miſericordia prædicatur,qua reparari vita creditur mortuorum . Non abſurda autem videtur ad hunc locum aſſumptio comparationis huius . Siquidem regnum cœlorum eſt peccatoris redemptio,& ideo farina eccleſiæ conſpergamur omnes boni & mali, vt ſimus omnes in noua cōſperſione.Quis autem non vereretur,ne fermenti vitioſioris admixtio maſſam decoloraret?Ideo dixit : Vt ſitis noua conſperſio,ſicut eſtis azymi:hoc eſt,tales cōſperſio vos reddat,qualis erat innocentiæ veſtræ pura ſynceritas. Ita ſi miſereamur, non fuſcamur peccato alieno , ſed redemptionem eius acquirimus noſtræ gratiæ, vt qualis erat puritas, perſeueret.Et ideo addidit:Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus:hoc eſt, paſſio domini omnibus profuit, & peccatoribus donauit redemptionem , quos flagitij pœnituit admiſſi, Itaque epulemur bonum cibum pœnitentiam gerētes,læti redemptione. Nullus enim cibus eſt bene
uolentia & pietate dulcior, epulis noſtris atque lętitię nulla Lucæ 15.
de peccatore ſeruato inuidia admiſceatur, ne ſeipſe à domo patris quemadmodum expoſitus in euangilio inuidus ille frater excludat,qui fratrem receptum doluit,quem in perpetuum gaudebat excluſum.Cuius vos ſimiles eſſe Nouatiani non poteſtis negare, qui ideo (vt dicitis) in eccleſiam non conuenitis,quia per pœnitentiam tributa ſpes fuerat his qui lapſi ſunt reuertendi.Sed hoc prętentum eſt ſpecie,cęterum epiſcopatus amiſſi dolore ſuccenſus Nouatianus ſchiſma compoſuit. Sed non intelligitis quia de vobis quoque pro- 1.Corint.5.
phetauit Apoſtolus & vobis dicit:Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis , vt tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit?Vtique tunc penitus tollitur, cùm aboletur peccatum eius. Non enim excludendum ab eccleſia dicit Apoſtolus,qui ſuadet eſſe purgandum.

De mi-

De misericordia domini Iesu. Et quemadmodum ij qui eius clementiam non imitantur, spiritus ipsius non sint. Et quod misericordia facta pœnitentibus in præsenti, testimonium sit remunerationis futuræ. *Caput XVI.*

Vum igitur Apostolus peccatum remiserit, qua vos authoritate dimittendum negatis? Quis reuerētior Christi: Nouatianus, an Paulus? Sed nouerat Paulus dominum misericordem, nouerat dominum Iesum seueritate magis discipulorum offensum, quàm misericordia. Denique Iacobū & Ioannem, dicentes quòd ignem de cœlo peterent, qui consumeret eos qui dominum recipere nolebāt, confutauit Iesus, dicens: Nescitis cuius spiritus estis? filius enim hominis non venit animas hominum perdere, sed saluas facere. Et illis quidem dixit: Nescitis cuius spiritus estis, qui ipsius erant spiritus: vobis autem dicit: Non estis spiritus mei, qui meam clementiam nō tenetis, qui meam refutatis misericordiā, qui excluditis pœnitētiam, quam ego per apostolos meos prędicari volui in nomine meo. Frustra enim dicitis vos prædicare pœnitentiam, qui tollitis fructum pœnitentiæ. Homines enim ad aliquod studium aut præmiis aut fructibus incitantur. Omne autem studium torpescit dilatione. Et ideo dominus vt præsentium fructu cumularetur deuotio discipulorum, dixit quoniam qui dimisit omnia sua, & deum secutus esset, septies tantum reciperet & hîc, & in futurum. Prius hîc promisit, vt fastidia dilationis auferret: addidit & in futurum vt hîc discerес credere in futurum quoque soluenda tibi præmia. Remuneratio igitur præsentium, testimonium futurorum est. Si quis igitur occulta crimina habens, propter Christum tamen studiosè pœnitētiam egerit: quomodo isthic recipit, si ei communio non refunditur? Volo veniam reus speret, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, vt ignoscatur, obsecret: & cùm secundo & tertio fuerit dilata eius communio, credat remissius se supplicasse, fletus augeat miserabilior, postea reuertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lauet fletibus, nec dimittat, vt de ipso dicat dominus Iesus: Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Cognoui quosdam in pœnitentia sulcasse vultum lachrymis, exarasse continuis fletibus genas, strauisse corpus suum calcandum omnibus, ieiuno ore semper & pallido mortis speciem spiranti in corpore prætulisse.

Lucæ 9.

Matth. 19.

Lucæ 7.

Quibus indulgentia, quibus seueritas exhibenda. *Caput XVII.*

Quid expectamus vt mortui mereantur veniam, qui mortem sibi intulerunt cum viuerent? Satis est, inquit, ei qui talis est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus: ita vt ecōtrario magis donetis & consolemini, ne fortè abundantiore tristitia absorbeatur. Si satis ad condemnationem est obiurgatio quæ fit à pluribus, satis est quoque ad remissionem peccati obsecratio quæ fit à pluribus. Moralis magister, & nostræ fragilitatis conscius, & pietatis diuinæ interpres vult donari peccatum, vult consolationem adhiberi, ne tristitia pœnitentem tædio longæ dilationis absorbeat. Ideo ergo donauit Apostolus, nec solùm donauit, sed etiam cōfirmari in eum charitatem voluit. Qui charus est, non habet duritiam, sed mansuetudinem. Nec solùm donauit ipse, sed voluit etiam omnes donare, & se propter alios donasse dixit, ne multi propter vnum diutius contristarentur. Si cui, inquit, donastis, & ego: nam & ego propter vos in personā Christi, vt non circumueniamur a satana. Nec enim versutias eius ignoramus. Rectè potest serpentem cauere, qui eius potest versutias non ignorare, quę multę ad nocendū sunt: vult enim semper nocere, semper circumuenire vt mortem inferat. Sed debemus cauere ne remedium nostrum fiat eius triumphus. Circuuenimur enim ab eo, si per nimiam tristitiam pereat qui potest liberari per indulgentiam. Et vt sciremus quia de baptizato dicit, addidit: Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis, non vtique fornicariis huius mundi. Et infrà subiunxit: Nunc autem scripsi vobis, non commisceri, si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens. Quos simul subiunxit ad pœnam, simul voluit etiam ad veniam pertinere. Si quis autem talis est, inquit, cùm hoc nec cibum sumas. Quàm seuerus pertinacibus, quàm indulgens rogantibus. Aduersum illos Christi armatur iniuria, his Christi inuocatio suffragatur. At ne quis fortè eo moueatur, quia scriptum est: Tradidi huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, & dicat: Quomodo potuit ad veniam pertinere, cuius omnis interierit caro, cùm manifestum sit in vtroque redemptum hominem, in vtroque saluari, neque animam sine carne, neque carnem sine anima, cùm sibi sint gestorum operum consortiis copulatę, sine consortio vel pœnę esse vel præmij? Is sibi responsum hoc habeat, quòd interitus non consummatam absumptionem carnis significet, sed castigationem. Sicut enim mortuus peccato, deo viuit: ita illecebra carnis interit, & cupiditatibus suis moritur caro, vt castitati cęterisque bonis operibus reuiuiscat, Et quod aptius exemplum quàm de matre sumamus? Nanque ipsa de qua assumpti sumus terra, intermisso exercitio cultúque videtur deserta, & aut vinetis quibus consitus est ager, aut oleis moritur, succum tamen proprium velut quandam sui animam non amittit. Denique repetita cultione, & creditis seminibus quibus habilis æstimatur, feracior assurgit fructibus. Non ergo alienum si etiam nostra caro interire sic dicitur, vt repressa magis quàm assumpta credatur.

1. Cor. 2.

1. Cor. 5.

FINIS LIBRI PRIMI.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE PŒNITENTIA LIBER SECUNDUS.

Quòd pœnitentia non solum solicitè, sed & maturè sit agenda. *Caput I.*

Et si nō pauca quæ ad cohortationem pœnitentię proficiāt, scripta sint libro superiore, tamē cùm adiici possint cō plura, ne velut semesas verborū nostrorum epulas reliquisse videamur, in ceptū prosequamur conuiuium. Agenda est enim pœnitentia non solùm solicitè, sed etiam maturè: ne fortè euangelicus ille paterfamilias qui arborem ficum plantauit in vinea sua veniat, & quęrens fructum in ea, si nō inuenerit, dicat cultori vineæ: Succide illā: vt quid etiam terrā occupat? Ei nisi cultor vineæ interueniat, dicēs: Domine remitte illā & hoc anno, vsq; dum fodiā circa illam, & mittam cophinū stercoris: excidatur ficulnea. Stercoremus ergo & nos agrū hunc quem possidemus, & imitemur laboriosos agricolas, quos nō pudet fimo pingui satiare terrā, & immundo cinere agrū aspergere, vt fructus vberiores colligant. Et quemadmodū stercoremus, docet Apostolus, dicēs: Et æstimo omnia vt stercora, vt Christū lucrifaciam: qui per infamiam & bonam famā meruit Christo placere. Legerat enim quòd Abraham dum se stercus & cinerem fatetur, summa humilitate inuenit dei gratiam. Legerat quòd Iob in stercore sedans, omnia quæ amiserat recuperauit. Legera prophetantem Dauid quòd deus de terra suscitat inopem, & de sterco re erigit pauperem. Et nos ergo non erubescamus fateri domino peccata nostra. Pudor est vt vnusquisque crimina sua prodat. Sed ille pudor agrum suum arat, spinas tollit perpetuas, sentes amputat, fructus adolet quos in te mortuos esse credebas. Sequere illum qui bene arādo agrum suum fructus quęsiuit ęternos, Maledicimur, inquit, & benedicimus: persecutionem patimur. & sustinemus. Blasphemamur, & obsecramus, tāquam purgamenta huius mūdi facti sumus. Si & tu sic araueris, seminabis spiritalia. Ara vt peccatum auferas, fructum acquiras. Ille arauit, vt persecutoris in se eradicaret affectum. Quid plus potuit nobis conferre Christus ad studium correctionis, quàm vt conuerteret, & daret nobis ex persecutore doctorem?

Lucæ 13.

Philip. 3.

Gene. 18.

Iob 42.

Psalm. 112.

1. Corin. 4.

De redargutorum hæreticorum obnisu, authoritatem apostolicæ sententiæ suo errori suffragari iactantium: & defensionis illius repulsione, ex dictis Apostoli, qui sibi contrarius esse non potuit. *Caput II.*

Cùm

CVm igitur tam cuidẽti & ipsius Apostoli & scriptorum eius exemplo redarguantur, tamen adhuc obniti volunt,& authoritatem aiunt apostolicæ sibi suffragari sententiæ,allegantes scriptum
Hcb. 6. ad Hebræos : Impossibile est enim hos qui semel illuminati sunt,& gustauerunt donum cœleste,& participes facti sunt spiritussancti,& bonum gustauerunt dei verbum, virtutésque futuri seculi,lapsos iterum reuocari in pœnitentiã, rursus crucifigentes filium dei, & ostentatione triumphantes. Nunquid Paulus aduersus factum suum prædicare potuit?
2.Cor.5. Donauit Corinthio peccatum per pœnitentiam : quomodo hic potuit sententiam suam ipse reprehẽdere? Ergo quia non potuit quod ædificauerat destruere, non contrarium dixisse eũ, sed diuersum aduertimus. Quod enim contrarium est, seipsum impugnat:quod diuersum est, distinctam solet habere rationem. Ita autem contrarium non est,vt alterum suffragetur alteri. Etenim quia de remittenda prædicauit pœnitentia, debuit & de iis qui iterandum putant baptismum, non silere : & prius sollicitudinem nobis auferri oportuit, vt sciremus etiam post baptismum, si qui peccarent, donari eis posse peccatum, ne spe veniæ destitutos iterandi baptismatis opinio vana peruerteret. Deinde iterandum non esse baptisma, rationabili disputatione suadendum fuit. De baptismate autem dictum verba ipsa declarant, quibus significauit impossibile esse lapsos renouari in pœnitentiam. Per lauacrum enim renouamur, per quod renascimur, sicut ipse Paulus dicit : Consepulti enim sumus cum illo per baptis
Rom.6. mum in morte,vt quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambule-
Ephes.4. mus. Et alibi. Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem qui secundum deum creatus est. Et ali-
Psalm.102. bi:Renouabitur sicut aquilę iuuẽtus tua. Quòd etiam aquila cùm fuerit mortua, ex suis reliquiis renascatur: sicut per baptismatis sacramentum cùm fuerimus peccato mortui,renascimur deo, ac reformamur. Vnum ergo baptismum do-
Ephes.6. cet,sicut alibi: Vna fides,vnum,inquit,baptisma.Illud quoque euidẽs,quod in eo qui baptizatur,crucifigitur filius dei: quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi cruci-
Rom.4. xa esset in Christo Iesu.Denique scriptum est: Quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et infrà: Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, scientes quia vetus homo noster simul cõfixus est cruci. Et ad Colos-
Colos.2. ses ait: Consepulti ei in baptismo, in quo & consurrexistis. Quod ideo scriptum est, vt credamus quia ipse crucifigitur in nobis, vt per illum peccata nostra mundentur, vt ipse chirographum nostrum affigat cruci, qui solus potest donare delicta . Ipse in nobis principatus & potestates triumphet:
Eph. 1.&3. quoniam de ipso scriptum est : Principatus & potestates ostentauit triumphans eos in semetipso.Ergo quod ait in hac
Hebr.6. epistola quę scribitur ad Hebręos:Impossibile esse lapsos renouari in pœnitentiam, ac rursus crucifigentes filium dei, & ostentatione triumphantes:eo spectat,vt de baptismo dictum credamus, in quo crucifigimus filium dei in nobis, vt per illum nobis mundus crucifigatur : quia quadam triumphamus specie, dum similitudinem mortis eius assumimus, qui principatus & potestates in sua cruce ostentauit ac triumphauit , vt in mortis eius similitudine nos quoque de principatibus, quorum iugum deponimus, triumphemus. Semel autem crucifixus est Christus, semel peccato mortuus,& ideo vnum non plura baptismata. Quid quod & supra doctrinam baptismorum præmisit?Et quia multa erant baptismata in lege,meritò reprehendit illos qui perfecta dimittant, & principia verbi requirant. Docet nos scire oportere destructa esse vniuersa legis baptismata , vnum baptisma esse in ecclesia.Hortatur autem nos vt relinquentes initium verbi, ad perfectum tendamus. Et hoc faciemus , inIbidem. quid,si quidem permiserit deus.Non potest enim sine fauore dei aliquis esse perfectus.Possem quidem etiam illud dicere ei, qui hoc de pœnitentia dictum putat : quia quæ inMatth.19. possibilia sunt homini,possibilia sunt apud deum:& potens est deus quando vult donare nobis peccata, etiam quæ putamus non posse concedi . Et ideoquod nobis impossibile impetratu videtur,deo donare possibile est.Nam & impossibile videbatur vt peccatum abluere aqua. Denique Naa- 4.Reg.5.
man Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit. Sed quod impossibile erat , fecit deus possibile esse, De pecca-
qui tantum nobis donauit gratiam. Similiter impossibile vi- rorum re-
debatur per pœnitentiam peccata dimitti . Concessit hoc missione.
Christus apostolis suis,quod ab apostolis ad sacerdotum officia transmissum est. Factum est igitur possibile, quod impossibile videbatur. Sed tamen de baptismo dictum,ne quis iteraret, vera ratione persuadet.

Quòd Apostolus non venerit contra euidentem doctrinam Christi, qui de peccatore pœnitentiam agente comparationem posuit filij prodigi, & quemadmodum ex hoc ad spem veniæ per pœnitentiam prouocemur. Caput III.

NEque enim Apostolus contra euidentem Christi doctrinam veniret, qui de peccatore pœnitentiam agente comparationem posuit, eo quòd per- Lucæ 15.
egrè profectus acceptam à patre omnem substantiam deuorauerit viuendo luxuriosè, & postea panem patris desiderauit cùm vesceretur siliquis,& meruit stolam,annulum, calceamentum,immolationem quoque vituli,quæ speciem habet passionis dominicæ,per quam cœleste sacramentum nobis donatum est.Bene dicitur quia peregrè profectus est qui erat à sacris altaribus separatus : hoc est enim ab Hierusalem illa quæ in cœlo est, ciuico quodam & domestico sanctorum separari domicilio. Vnde & Apostolus Ephes.2.
ait:Ergo iam non estis aduenę atque peregrini,sed ciues sanctorum, & domestici dei.Et cõsumpsit, inquit,substantiam suam.Meritò consumpsit eam,cuius fides in operibus claudicabat.Fdes enim eorum quę sperantur substantia est, re- Hebr.11.
rum argumentum non apparentium. Et bona sustantia fides, in qua spei est nostræ patrimonium. Nec mirum si fame peribat,qui diuino alimẽto egebat,cuius desiderio compulsus:Surgam,inquit,& ibo ad patrem meum, & dicàm il Lucæ15.
li : Pater peccaui in cœlum,& coram te. Nónne aduertistis id euidenter iam nobis expositum, quod merendi gratia sacramenti ad precandum impellimur : & hoc auferre vultis propter quod agitur pœnitentia?Tolle gubernatori peruenidi spem, & in mediis fluctibus incertus errabit. Tolle luctatori coronam , lentus iacebit in stadio. Tolle piscatori capiendi efficaciam,desinit iactare retia.Quomodo ergo potest qui famem patitur animæ suæ , studiosius deum precari, si sacram desperet alimoniam?Peccaui,inquit,in cœlum, & coram te.Fatetur vtique peccatum ad mortem, ne quem vos agentem cuiuslibet criminis pœnitentiam iure excludi putaretis, quando is,qui in cœlum peccauit, vel in regnum cœleste,vel in animam suam, quod est peccatum ad mortem, & peccauit coram deo, cui soli dicitur : Tibi soli pecca Psalm.50.
ui, & malum coram te feci:tam citò veniam meretur, vt venienti & adhuc longè posito occurrat pater, & osculum tribuat, quod insigne est sacræ pacis : stolam proferri iubeat, quæ vestis est nuptialis,quam si quis non habuerit, à conui- Matth.22.
uio nuptiali excluditur. Det annulum in manum eius,quod est fidei pignus,& sancti spiritus signaculum. Calceamenta deferri pręcipiat:celebraturus enim pascha domini,epulaturus agnum, tectum debet aduersus omnes incursus bestiarum spiritalium,morsùsque serpentis habere vestigium. Vitulum pręcipiat occidi:quia pascha nostrum immolatus 1.Corin.5.
est Christus . Etenim quotiescunque sanguinem domini Ibidem 11.
sumimus, mortem domini annunciamus. Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est,ita quotiẽscunque peccata donantur,corporis eius sacramentum sumimus:vt per sanguinem eius fiat peccatorum remissio. Ergo euidentissimè domini prædicatione mandatum est etiam grauissimi criminis reis,si ex toto corde & manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, sacramenti cœlestis refundendam gratiam. Vnde nihil vobis ad excusationem resedisse certum est.

De spiritu blasphemiæ qui non remittetur hic, neque in futuro : & quomodo intelligatur illud de hæreticis atque schismaticis , qui ecclesiam separant , quibus indulgentia negatur, quandiu tanti criminis meritæ non deposuerint. Cap. IIII.

Perlatum

PErlatum est tamen ad nos, etiam illud vos obiice A
Matth.12. re solere, quod dicatis scriptum esse: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur hominibus: Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra spiritum sanctũ, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Quo exemplo omnis assertio vestra destruitur & absoluitur. Scriptum est enim: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus. Cur igitur non remittitis? Cur ligatis vinculaque non soluitis? Cur nodos nectitis quos nõ relaxatis? Remittite cæteris, agite de iis quos peccantes in spiritum sanctum euangelica authoritate in perpetuum adstringi putatis. Et tamen quos adstringat consideremus, repetentes superiora lectionis ipsius, vt euidentius comprehẽdamus. Di-
Lucæ 11. cebant Iudæi: Hic nõ eiicit dęmonia nisi in Beelzebub principe dęmoniorum. Respondit Iesus: Omne regnũ diuisum contra se destruetur, & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit. Si enim Satanas Satanam eiicit, aduersum se diuisus est: quomodo ergo stabit regnum eius? Quod si B
ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciũt? De iis vtique expressum videmus, qui dominum Iesum in Beelzebub eiicere dęmonia loquebantur, quibus sic respondit dominus, quod Satanæ hæreditas in iis esset qui Satanæ conparārent saluatorem omnium, & in regno diaboli constituerẽt Christi gratiam. Et vt cognosceremus quia de hac dixit blasphemia, adiunxit: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Hos ergo qui hæc loquuntur, negat ad veniam pertinere. Denique Petrus Simoni, qui magicę artis consuetudine deprauatus putasset quòd gratiam Christi per impositionem manus, atq; infusionem
Acto.8. spiritus sancti compararet pecunia, ait: Non est tibi pars neque sors in hac fide: quia cor tuum non est rectum apud deum. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & precare dominum, si fortè remittatur tibi recordatio cordis tui. In obligatione enim iniquitatis, & amaritudine fellis video te esse. Vides quod hunc magica vanitate blasphemantem in spiritum sanctum, apostolica authoritate condemnet, & C
eo magis quia puram conscientiam fidei non habebat: & tamen non intercluſit ei spem veniæ, quem inuitauit ad pœnitentiam? Responsum est igitur à domino blasphemiæ Pharisæorum, & ideo his pote statis suæ gratiam negat, quæ in remissionem peccatorum est, qui cœlestem eius potestatem diabolico fultam suffragio vindicarent. Eos quoque asserit diabolico vti spiritu, qui separarent ecclesiam dei: vt omnium temporum hęreticos & schismaticos comprehenderet, quibus indulgentiam negat: quòd omne peccatum circa singulos est, hoc in vniuersos. Soli enim sunt qui volunt soluere Christi gratiam, qui ecclesię membra discerpunt, propter quam passus est dominus Iesus, spiritúsque sanctus datus est nobis. Denique vt sciatis quia de dispersoribus dicit, sic ha-
Matth.12. bemus scriptum: Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecũ, dispergit. Et vt sciremus de his dictum, statim subiunxit: Ideo dico vobis, omne peccatum & blasphemia remitetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur hominibus. Cùm dicit, Ideo dico vobis: nón ne euidenter hoc præ cæteris à nobis intelligi voluit? Meritóque adiunxit: Arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit. Congregatio enim mala bonum facere fructum non potest. Arbor itaque congregatio est, fructus boni arboris, filij ecclesię sunt. Et ideo reuertimini ad ecclesiam, si qui vos separastis impiè. Omnibus e-
Iohel.2. nim conuersis pollicetur veniam, quia scriptum est: Omnis quicunque inuocauerit nomẽ domini, saluus erit. Denique etiam Iudæorum populus qui dicebat de domino Iesu: Dæ-
Ioan.8. monium habet: qui dicebat: In Beelzebub eiicit dæmonia: qui crucifixit dominum Iesum, Petri prædicatione vocatur ad baptismum, vt sceleris tanti merita deponat.

De infructuosa pœnitentia Iudæ, qui non coram deo, sed coram Iudæis pœnituit, quòdque pœnitentia debeat esse syncera, non dolosa. Et quomodo intelligenda sint verba Apostoli Petri, quibus Nouatiani errorem suum defendunt. De differẽti quo-

que accessu ad baptismum atque pœnitentiam. Caput V.

SEd quid mirum, si salutem negatis aliis, qui vestram recusatis? licet illi nihil deferant qui à vobis pœnitentiam petunt. Arbitror enim quòd etiam Iudas potuisset tanta dei miseratione non excludi à venia, si pœnitentiam non apud Iudęos, sed apud Christum egisset. Peccaui, inquit, quòd tradiderim sanguinem iustum. Respondérunt: Quid ad nos? Tu videris. Quæ vox alia vestra est cùm etiam minoris peccati reus vobis factum proprium confitetur? Quid respõdetis aliud nisi hoc, Quid ad nos? tu videris? Hunc sermonem laqueus sequitur: cò feralior est pœna, quò culpa est minor. Sed si isti non conuertuntur, vel vos reuertimini, qui lapsu vario de innocentiæ fideique præcelso fastigio decidistis. Bonum dominum habemus, qui velit donare omnibus, qui te per prophetam vocauit, dicens: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero, tu autem memor esto, & iudicemur. Referunt tamen quæstionem de verbo Apostoli Petri: quia dixit: Si fortè, & putant non confirmasse Petrum vt agenti pœnitentiam peccatum remiteret. Sed considerent de quo loquatur, hoc est, de Simone, qui non ex fide crederet: sed dolum cogitaret, Denique & dominus dicenti ei, cuius non plenam synceritatem videret, Sequar te, ait: Vulpes foueas habent. Quem ergo dominus ante baptismum prohibuit se qui, quoniam fraudulentum videbat: miraris si post baptismum prævaricantem non absoluit Apostolus, quem in obligatione iniquitatis manere pronunciat? Sed hoc illis responsum sit. Ego autem nec Petrum dubitasse dico, nec verbis vnius præiudicio tantam causam strangulandã arbitror. Nam si putant dubitasse Petrum, nunquid & deus dubitauit qui ait ad Hieremiam prophetam: Sta in atrio domus domi
Hiere.26. ni, & responsum dabis omni Iudæ, iis qui veniunt adorare in domo domini, omnia verba quæ constitui tibi respondere illis: noli auferre verbum, forsitan audient, & auertentur? Dicant ergo dominum ignorasse quid esset futurum. Sed non ignorantia eo verbo exprimitur: sed in scripturis diuinis frequens huiusmodi consuetudo aduertitur, eo quod
Ezech.3. simplex sit elocutio. Siquidem & ad Ezechiel dicit dominus: Fili hominis mittam ego te ad domum Israel, ad eos qui me exacerbauerunt, ipsi & patres eorum vsque in hodiernum, & dices ad eos: Hæc dicit dominus, si fortè audient & terrebuntur. Nesciebat ergo eos posse aut non posse cõuerti? Non ergo semper dubitantis ista est elocutio. Denique ipsi sapientes seculi, qui omnem gloriam suam statuũt in expressione verborum, quod Latinè fortè dicimus, Græcè τάχα non vbique pro dubitatione posuerunt. Aiunt itaque dixisse primum suorum poetam: ἦ τάχα χήρα ἔσομαι, quod est,
Iliad. 3. citò vidua ero. Et alibi: τάχα γάρ σε καταπαύσουσιν ἀχαιοὶ πάντες ἐφορμηθέντες. Non enim dubitaret omnibus simul insurgentibus, vnum facilè ab vniuersis posse prosterni. Sed nos nostris magis quàm alienis vtamur. Denique habes in euangelio, quia ipse filius de patre ait, cùm misisset seruos ad vindẽ
Matth.21. suam, & occisi essent, dixisse patrem: Mittam filium meum dilectissimum, forsitan ipsum verebuntur. Et alibi ex sua
Ioan.8. persona filius ait: Neque me scitis, neque patrem meum. Si enim me sciretis, & patrem meum forsitan sciretis. Si ergo D
his verbis vsus est Petrus, quibus dominus vsus est sine præiudicio sententiæ suæ, cur non accipiamus & Petrum his vsum sermonibus sine suæ fidei præiudicio? Neque poterat dubitare de Christi munere, qui sibi soluendorum peccatorum dederat potestatem, præsertim cùm versutiis hæreticorum locum non deberet relinquere, qui ideo volunt spem hominũ destituere, vt iterandi baptismatis apud despe rantes facilius inducant persuasionem. Sed Apostoli hoc habentes secundum Christi magisterium pœnitentiam docuerunt, spoponderunt veniam, culpã relaxauerunt: sicut & do
Psalm.31. cuit Dauid, dicens: Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum. Vtrunque enim beatum dixit, & cuius iniquitas remittitur per lauacrum, & cuius peccatum tegitur operibus bonis. Qui enim agit pœnitentiam, non solum diluere lachrymis debet peccatum suum: sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora, vt non

ei im-

ei imputetur peccatum. Ergo tegamus lapsus nostros posterioribus factis, mundemus fletibus, vt audiat nos dominus deus noster ingemiscentes, sicut audiuit lachrymantem Effrem, quemadmodum scriptum est, dicente deo: Audiens
Hiere.31. audiui Effrem lachrymantem. Et ipsa verba Effrem lamentantis expressit dicēs: Castigasti me, & castigatus sum, sicut vitulus non sum edoctus. Vitulus enim lūdit, & præsepe deserit, & ideo Effrem sicut vitulus non est edoctus lōgè po-
Tob.1. situs à præsepi, quia præsepe domini deseruit, & Hieroboam secutus vitulos adorauit, quod prophetia futurum per Aaron indicauerat, sic lapsurum populum Iudæorum. Ideo-
Hiere.31. q; agens pœnitentiam dicit: Cōuerte me, & conuertar: quia tu dominus meus: quia in nouissimo captiuitatis meæ pœnitentiam egi, & postquam cognoui, ingemui super dies confusionis, & subiectus sum tibi, quia accepi opprobrium & demonstraui te.

De institutione atque exhortatione ad lamenta pœnitentiæ ex diuersis sacræ scripturæ sententiis atque exemplis. Cap. VI.

ADuertimus quomodo agēda sit pœnitentia, quibus sermonibus, quibus fletibus, vt peccati dies cōfusionis appelletur. Cōfusio est enim quando Christus negatur. Et ideo subiiciamus nos deo, vt non subditi simus peccato, & delictorum nostrorum memoriam recensentes tanquam opprobrium erubescamus, non velut quandam gloriam prædicemus, sicut quidam expugnata pudicitia, oppressa iustitia gloriantur: & tanta fiat conuersio, vt qui deum non agnoscebamus, ipsi eum iam aliis demonstremus: motus autem dominus tali conuersione
Aierem.31. nostra respondeat: A iuuentute mea es tu filius dilectus mihi Effrem, vt puer in deliciis, quoniam eo quòd sermones mei in ipso sunt, memoria memor ero eius, propterea festinaui super illum, misericordia miserebor eius, dixit dominus. Quam autem misericordiam nobis polliceatur, infra ostendit dicēs: Inebriaui omnem animam sitientem, & omnem animam esurientem satiaui. Ideo exurrexi, & vidi: & somnus meus mihi dulcis est. Aduertimus quòd *peccan-
*pœnitentibus. tibus dominus sacramenta promittat sua, & ideo omnes cō uertamur ad dominum. Si isti non conuertuntur, vel vos reuertimini qui lapsu vario de innocentiæ fideique præcelso
Esaiæ 43. fastigio decidistis. Bonum dominum habemus, qui velit donare omnibus, qui te per prophetam vocauit, dicens: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: tu autē memor esto, vt iudicemur. Ego, inquit, memor non ero, tu autem memor esto: hoc est, non reuoco illa: quęcunque delicta donaui tibi, velut quadam obliuione tecta sint, tu autem memor esto. Ego, inquit, memor non ero propter gratiam, tu memor esto propter correctionē: memor esto vt scias donatum esse peccatum, ne glorieris quasi innocēs, ne te iustificādo plus ingraueris: sed si vis iustificari, fatere delictum tuum. Soluit enim criminum nexus verecunda cōfessio peccatorum. Vides quid à te exigat deus tuus, vt memor sis eius quā accepisti gratię. Nō glorieris quasi nō acceperis. Vides qua remissionis policitatione te prouocet ad cōfitendum. Vide ne reluctādo mādatis cœlestibus in deuotionem
Lucæ 7. Iudęorum incidas, quibus dicit dominus Iesus: Cantauimus vobis, & nō saltastis: lamentauimus, & nō ploraſtis. Vilis sermo, sed nō vile mysterium. Et ideo cauēdum ne quis vulgari quadam sermonis huius deceptus interpretatione, putet nobis saltationis lubricę histrionicos motus, & scenę deliramēta mandari (hęc etiam in adolescentula ętate vitiosa sunt) sed
2. Reg.6. saltationem eam mandauit, qua saltauit Dauid ante arcam domini. Totum enim decet quicquid defertur religioni, vt nullum obsequium quod proficiat ad cultum & obseruantiam Christi, erubescamus. Nō ergo illa deliciarum comes, atque luxuriæ saltatio prędicatur: sed qua vnusquisque corpus attollat impigrum, nec humi pigra iacere membra, vel tardis sinat torpere vestigiis. Saltabat spiritaliter Paulus cum se pro nobis extenderet, & posteriora obliuiscens, priora ap-
Philip.3. petens, contenderet ad brauium Christi. Tu quoque cùm ad baptismum venis, manus eleuare, pedes quibus ad æterna conscendas, velociores habere admoneris. Hæc saltatio fidei sōcia, gratię comes. Hoc est ergo mysterium: Cantauimus vobis, noui vtique canticum testamenti, & non saltastis, hoc est, non eleuastis animum ad spiritalem gratiam. Lamentauimus, & non ploraſtis: hoc est, nō egistis pœnitentiam. Et deo derelictus est Iudæorum populus, quia nec egit pœnitentiam, & gratiam refutauit. Per Ioannem pœnitentia, per Christum gratia. Istam quasi dominus donat, illam quasi seruus annunciat. Vtrunque igitur ecclesia custodit, vt & consequatur gratiam, & non abiiciat pœnitentiam. Gratia enim munus largientis est, pœnitentia delinquentis remedium. Sciuit Hieremias magnum remedium esse pœnitentiæ, quam in Threnis suis suscepit pro Hierusalem, & ipsam inducit agentem Hierusalem, dicens: Plo-
Thre.1. rans plorauit in nocte, & lachrymę eius in maxillis eius, nec est qui consoletur ab omnibus qui diligunt eam. Viæ Sion lugent. Et adiecit: in his ergo fleo, hinc oculi mei caligauerūt à fletu, quia elōgauit à me qui me cōsolabatur. Aduertimus quòd hunc malorum suorum acerbissimum cumulum arbitrabatur, quia deerat qui consolaretur mœrentem. Quomodo ergo vos ipsam consolationem aufertis, qui spem relaxandæ negatis pœnitentiæ? Sed audiant qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conuersione. Vide, inquit, domine, quia tribulor, venter meus turbatus est à fletu meo, cōuersum est cor meum in me. Cognouisti intentionem animi, fidem mentis cognosce, & habitum corporis. Sederunt, inquit, in terra, tacuerunt seniores filiæ Sion, & imposuerunt terram super ca-
Ibidem 2. put suum, præcinxerūt se cilicio, deduxerūt in terram principes, virgines Hierusalem defecerunt in lachrymis, oculi
Ionæ 3. mei caligauerunt. Turbatus est vēter meus, effusa est in terra gloria mea. Sic fleuit & Niniue populus, & denunciatum excidium ciuitatis euasit. Tanta est enim pœnitentiæ medicina, vt mutare videatur suam deus sententiam. In te est igitur vt euadas: vult rogari dominus, vult de se sperari, vult tibi supplicari. Homo es, & vis rogari vt ignoscas, & putas deum tibi non roganti ignoscere? Ipse dominus Hierusalem fleuit, vt quia ipsa flere nolebat, domini lachrymis ad veniam pertineret. Ipse nos flere vult, vt euadere possimus
Lucæ 23. sicut habes scriptum in euangelio: Filiæ Hierusalem nolite me flere, sed vosipsas flete. Fleuit Dauid, & meruit vt mor-
2.Reg.14. tem populi pereūtis diuina remoueret misericordia, quando tribus sibi propositis optionibus, eam tamen in qua maiorem domini miserationem experiretur, elegit. Quid erubescis tu peccata tua flere, cùm deus etiam prophetas iusserit flere pro populis? Denique & Ezechiel iussus est flere Hi-
Ezech.2. erusalem, & accepit librum in cuius capite scripta erant, lamentatio, & melos, & væ: duo tristia, & vnum delectabile: quoniam ille saluus erit in futurum, qui in hoc seculo plus
Eccles.7. fleuerit. Cor enim sapientum in domo luctus, & cor stultorum in domo epularum. Et ipse dominus ait: Beati qui nunc
Lucæ 6. fletis quia ridebitis.

De Lazaro suscitato, & fletu sororum eius. De lachrymatione quopue Iesu, vbi spiritalis resurrectio peccatorum innuitur. De inuidia quoque Iudæorum qui Lazarum interficere cogitabant, quorum duritiæ Nouatiani successores sunt, qui per pœnitentiam suscitatos interficere volunt. Cap. VII.

FLeamus igitur ad tempus, vt exultemus in æternum. Timeamus dominū, preueniamus eum cōfitēdo peccata nostra. Corrigamus lapsus nostros, emendemus errorē, ne & de nobis dicatur: Heu
Esaiæ 45. me anima, quia periit timor tuus à terra: & qui corrigat, in hominibus non est. Quid vereris apud bonum dominū tuas iniquitatis fateri? Dic, inquit, iniquitates tuas, vt iustificeris. Adhuc reo culpæ, iustificationis præmia proponuntur. Ille enim iustificatur, qui proprium crimen sponte agnouerit. Denique iustus in exordio sermonis accusator est sui.
Prouer.18. Nouit omnia dominus, sed expectat vocem tuam: non vt puniat, sed vt ignoscat: non vult vt insultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat. Præueni accusatorem tuum: si te ipse accusaueris, accusatorem nullum timebis: si te detuleris ipse, & si mortuus fueris reuiuisces. Veniet ad monu-
Lucæ 10. mentum Christus, & si viderit flere pro te Martham boni fœminam ministerij, & flere Mariā quę attētè audiebat verbum

bum dei, ſicut ſancta eccleſia quæ optimam partem ſibi elegit: mouebitur miſericordia, cùm viderit in tuo obitu lachrymas plurimorum, & dicet: Vbi poſuiſtis eum? hoc eſt, Ioan.11. in quo reorum ſtatu eſt, in quo pœnitentium ordine? Videam quẽ fletis, vt lachrymis ſuis ipſe me moueat. Videam ſi iam peccato ei cuius venia poſcitur, defunctus eſt. Dicet plebs: Veni, & vide. Quid eſt veni? Hoc eſt, veniat peccatorum remiſſio, veniat defunctorum vita, mortuorum reſurrectio, veniat & in hunc peccatorem regnum tuum. Veniet itaque, & leuari lapidem iubebit, quem ceruicibus peccatoris lapſus impoſuit. Potuit remouere lapidem imperio ſermonis. Iubenti enim Chriſto etiam inſenſibilis ſolet natura obedire. Poterat tacita vi operationis occultæ tranſferre ſaxum ſepulchri, in cuius paſſione motis ſubitò lapidibus plurima defunctorum ſepulchra patuerunt: ſed hominibus iuſſit vt remouerent lapidem: in veritate quidem, vt increduli crederent quod videbant, & aſpicerent reſurgentem mortuum. In typo autem, quod nobis donaret vt leuaremus delictorum onera, moles quaſdam reorum. Noſtrum eſt onera remouere, illius eſt reſuſcitare, illius educere de ſepulchris exutos vinculis. Videns itaq; graue onus peccatoris illachrymat dominus Ieſus: ſolam enim flere non patitur eccleſiam. Compatitur dilectæ ſuæ, & dicit defuncto: Veni foras: hoc eſt, qui iaces in tenebris conſciẽtiæ, & delictorũ tuorum ſordibus quodam reorũ carcere, Exi foras, delictum proprium prode, vt iuſtificeris: ore enim cõfeſſio fit ad ſalutem. Si con- Rom.10. feſſus fuerit à Chriſto vocatus, clauſtra rumpentur, & omnia ſoluentur vincula, etſi corruptelæ corporeæ fœtor grauis ſit. Quatriduum enim habebat ille cuius fœtebat in tumulo caro: cuius autem caro non vidit corruptionem, tri- Pſalm.15. duo fuit in ſepulchro. Carnis enim vitia neſciuit, quæ ex quatuor conſtat elementorũ ſubſtantiis. Quantuſlibet ergo mortui fœtor ſit, aboletur omnis vbi ſacrũ redoleuerit vnguentum: & ſurgit defunctus, & ſoluere iubentur eius vincula, quę adhuc in peccato ſunt: tollere velamen de facie eius. quod veritatẽ gratiæ quam acceperat, obũbrabat. Sed quia venia donatus eſt, reuelare faciem, aperire vultum iubetur. Non habet enim quod erubeſcat, cui peccatũ remiſſum eſt. In tanta verò domini gratia, tantóque diuini muneris miraculo, cùm oporteret vniuerſos lętari, cõmouebantur impij, Ioan.12. & aduerſus Chriſtum concilium congregabant: Lazarum quoque interficere volebant. Nónne meritò eorum ſucceſſores vos fore cognoſcitis, quorum duritiæ hæredes eſtis? Nam & vos indignamini, & cõtra eccleſiã congregatis concilium: quia videtis mortuos in eccleſia reuiuiſcere, & peccatorum indulta venia reſuſcitari. Itaque, quod in vobis eſt, per inuidiam rurſus vultis interficere ſuſcitatos. Sed Ieſus non reuocat beneficia, imò cumulo ſuæ liberalitatis amplificat. Reuiſit ſolicitè reſuſcitatum, & celebratæ reſurrectionis gratia lætus ad cœnam venit, quam ei ſua præparauit eccleſia, in qua ille qui fuerat mortuus, vnus inter diſcumbentes cum Chriſto inuenitur. Tunc mirãtur omnes qui vident puro vtique obtutu mentis, qui inuidere non norunt. Tales enim eccleſia filios habet. Mirantur (vt dixi) quomodo ille qui iacebat in tumulo heri & nudiuſtertius, vnus ſit de diſ- Ibidem. cumbentibus cum domino Ieſu. Ipſa Maria mittit vnguentum in pedes domini Ieſu. Ideo fortè in pedes, quia vnus de infimis ereptus eſt morti. Omnes enim corpus Chriſti ſumus, ſed alij fortè ſuperiora mẽbra ſunt. Os erat Chriſti A- 2.Cor.13. poſtolus qui dicebat: Experimentũ quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Os eius prophetæ per quos loquebatur futura. Vtinã ego pes eius eſſe merear, & mittat in me Maria vnguentum ſuum precioſum, & vngat, & peccata extergat.

De ſpiritalibus vnguentis, atque inibi author quædam modeſtè de ſeipſo ſubiicit. *Caput VIII.*

QVod igitur de Lazaro legimus, in vnoquoque debemus conuerſo peccatore credere, qui licet fœtorem habeat, tamen fidei precioſæ emendatur vnguento. Tantum enim gratię fides habet, vt vbi ante diem fœtebat mortuus, illic bono odore tota repleatur domus. Fœtebat Corinthia domus quando ſcriptum eſt 1.Corin.5. de ea: Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis 2.Cor.2. nec inter gentes. Fœtor enim erat, quia modicũ fermentum totam maſſam corruperat. Cœpit bene olere cùm dicitur: Si cui quid donaſtis, & ego. Nam & ego quod donaui, propter vos in perſona Chriſti. Itaque liberato peccatore factum eſt in eo gaudium magnum, & redoluit domus tota ſuauitate gratię. Vnde bene conſcius apoſtolus quod omnes apoſtolicę remiſſionis perfudiſſet vnguẽto, ait: Chriſti bonus odor Ibidem. ſumus deo in his qui ſalui fiunt. Huius igitur effuſione vnguenti lętãtur omnes, ſolus Iudas contradicit. Ergo & nunc Ioan.12. qui præuaricator eſt, contradicit: repręhendit qui proditor, ſed à Chriſto ipſe reprehenditur, qui dominicæ remedium mortis ignorat, & tamẽ myſterium ſepulturę nõ intelligit. Id eo enim & paſſus & mortuus eſt dominus, vt nos redimeret à morte. Hoc excellentiſſimum indicat precium ſuæ mortis, quo peccator abſoluitur, & in nouam aſſumitur gratiam, vt veniant & mirentur omnes quomodo cum Chriſto recumbat, & laudantes deum dicant: Manducemus & epulemur, Lucæ 15. quia hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Si quis autem infidelis obiecerit, quare cum publicanis & peccatoribus mãducet, reſpondetur ei: Non opus eſt ſanis medi Matth.9. cus, ſed his qui malè habent. Oſtende igitur medico vulnus tuum, vt ſanari poſſis: & ſi non monſtraueris, nouit: ſed à te expectat audire vocem tuam. Abſterge lachrymis cicatrices tuas. Sic peccatum mulier illa in euangelio fœtorémque ſui erroris abſterſit, ſic culpam diluit, dum Ieſu pedes lachrymis lauit. Vtinam mihi quoque pedum tuorum lutum Ieſu reſerues, quos dum in me deambulas, inquinaſti. Vtinam ſordes veſtigiorũ tuorum detergẽdas mihi offeras, quas ego actu meo tuis affixi greſſibus. Sed vnde mihi aqua viua, qua pedes tuos poſſim lauare? Si aquam non habeo, habeo lachrymas, quibus dum pedes tuos lauo, vtinam me ip- Ibidem. ſum diluam. Vnde mihi vt de me dicas: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum? Plus debuiſſe me fateor, & plus dimiſſum mihi, qui de forenſium ſtrepitu iurgiorum, & à publicæ terrore adminiſtrationis, ad ſacerdotium vocatus ſum: & ideo vereor ne ingratus inueniar, ſi minus diligam, cui plus dimiſſum eſt. Sed nõ omnes mulierem iſtam æquare poſſunt, quæ etiam Simoni, qui prandium domino dabat, meritò prelata eſt, quæ omnibus qui volunt veniam promereri, magiſterium præſtitit, oſculando pedes Chriſti, lachrymis lauando, tergẽdo crinibus, vngẽdo vnguento. In oſculo inſigne charitatis eſt, & ideo dicit dominus Ieſus: Oſculetur me ab oſculo oris ſui. Capilli quid ſignifi- Cant.1. cant, niſi vt mouearis inclinata omni inſularum dignitate ſecularium ad obſecrandam indulgentiam, ad terram te ipſe proſternas: vt humi iacens moueas miſericordiam? Vnguento quoque bonæ cõuerſationis exprimitur odor. Rex nempe erat Dauid, & dicebat: Lauabo per ſingulas noctes Pſalm.6. lectum meum, lachrymis ſtratum meum rigabo. Et ideo tantam gratiam meruit, vt ex eius familia virgo eligeretur quæ nobis partu proprio Chriſtum ederet. Ideo & iſta in euangelio prædicatur mulier. Tamen ſi hanc æquare non poſſumus, ſcit dominus Ieſus & infirmis ſubuenire, vbi non eſt quæ poſſit parare conuiuium, quæ deferre vnguentum, fontem aquę viuę ſecum portare. Venit ipſe ad ſepulchrum. Vtinam ergo ad hoc monumentum meum digneris accedere domine Ieſu, tuis me lachrymis laues, quoniam durioribus oculis non habeo tantas lachrymas, vt poſſim mea lauare delicta. Si illachrymaueris pro me, ſaluus ero: ſi dignus fuero lachrymis tuis, fœtorem abſtergo delictorum omnium. Si fuero dignus vt pauliſper illachrymes, vocabis me de monumento huius corporis, & dices: Exi foras: vt non Ioan.11. intra corporis huius anguſtias incluſæ teneantur cogitationes meæ, ſed egrediantur ad Chriſtum, in lumine verſentur, vt non cogitem opera tenebrarum, ſed opera lucis. Qui enim peccatum cogitat, intra ſuam conſcientiam ſtudet ſe ipſe includere. Voca ergo foras ſeruum tuum. Quanuis ligatus vinculis peccatorum meorũ vinctos habeam pedes, innexas manus, & cogitationibus & operibus mortuis iam ſepultus, te vocante liber egrediar, & inueniar vnus de diſcumbentibus in conuiuio tuo, & domus tua precioſo repleatur vnguento, ſi quem redimere dignatus es, cuſtodieris. Dicetur enim Ecce ille non in eccleſiæ nutritus ſinu, non edomitus à puero, ſed raptus à tribunalibus, abductus vanita-

vanitatibus ſeculi huius, à præconis voce ad Pſalmiſtæ aſ-
ſuefactus canticum,in ſacerdotio manet non virtute ſua,ſed
Chriſti gratia, & inter conuiuas menſæ cœleſtis recumbit.
Serua domine munus tuum,cuſtodi donum quod contuli-
ſti etiam refugienti.Ego ſciebam quòd non eram dignus vo
cari epiſcopus,quoniam dederam me ſeculo huic: ſed gra-
tia tua ſum quod ſum, & ſum quidem minimus omnium e-
piſcoporum, & infimus meritò:tamen quia & ego laborem
aliquem pro ſancta eccleſia tua ſuſcepi, hunc fructum tue-
re, ne quem perditum vocaſti ad ſacerdotium, eum ſacer-
dotem perire patiaris:ac primum vt cõdolere norimus pec-
cantibus affectu intimo.Hæc enim ſumma virtus, quia ſcri-
ptum eſt:Et non gaudebis ſuper filiis Iuda in die perditionis
eorum,& ne magna loquaris in die tribulationis eorum:ſed
quotienſcunq; peccatum alicuius lapſi exponitur, cõpatiar:
nec ſuperbè increpem,ſed lugeã & defleam: vt dum alium
Gene.38. fleo, me ipſum defleam dicens: iuſtificata eſt magis Tha-
mar quàm ego. Fortaſſe adoleſcentula lapſe ſit occaſionibus, quæ delictorũ fomites ſunt, decepta ac præcipitata ſit:
peccamus & ſeniores. Repugnat in nobis lex huius carnis B
legi mentis noſtræ & captiuos nos trahit in peccatum, vt fa-
ciamus quod nolumus. Illi de ætate ſuppetit excuſatio, mi-
hi iam nulla. Illa enim debet diſcere, nos docere. Ergo iu-
ſtificata eſt magis Thamar quàm ego. Incuſamus alicuius
1.Tim.6. auaritiam, recordemur ſi nihil ipſi auarè fecimus:& ſi feci-
mus, quoniam radix eſt malorum auaritia, & tanquam ſub
terra occultè in noſtro ſerpit corpore: dicamus ſinguli, iu-
ſtificata eſt magis Thamar quàm ego. Si commoti fuerimus
in quenquam grauiter,leuiorem cauſam laicus habet quàm
epiſcopus: eo quod commotus egerit aliquid, retractemus
nobiſcum,& dicamus:iuſtificatus eſt magis iſte qui commo
tionis arguitur,quàm ego. Hæc enim ſi dicamus, ipſi nobis
cauemus,ne dicat nobis dominus Ieſus,aut quiſquam de di-
Matth.7. ſcipulis eius:Feſtucam in oculo fratris tui vides, trabem au
tem quæ in oculo tuo eſt, non vides? Hypocrita eiice pri-
mum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtu-
cam de oculo fratris tui. Non ergo erubeſcamus dicere gra
uiorem noſtram culpam eſſe quàm eius quem arguendum
putamus,quia dixit hoc Iudas qui arguebat Thamar, & re-
cordatus ſuam ipſe culpam ait: Iuſtificata eſt magis Tha-
mar quam ego:in quo & altitudo myſterij eſt,& morale pre
ceptum, & ideo culpæ eius deputatum non eſt, quia ipſe
ſe accuſauit prius quàm ab aliis accuſaretur.Non ergo gau-
deamus ſuper alicuius peccato, ſed magis lugeamus: quia
Micheæ 7. ſcriptum eſt: Noli ſupergaudere mihi inimica mea quia ce-
cidi ſed reſurgam: quoniam ſi ſedero in tenebris, dominus
illuminabit me. Iram domini ſuſtinebo, quia peccaui ei, do
nec iuſtificet cauſam meam, & faciat iudicium meum, &
educat me ad lumen,& videbo iuſtitiam eius, & videbit ini
mica mea, & cooperietur confuſione,quæ dicit ad me: Vbi
eſt dominus deus tuus? Oculi mei videbunt eam, & erit in
cõculcationem ſicut lutum in via.Nec immeritò, quoniam
qui lapſu alieno gaudet, diaboli gaudet victoria. Et ideo do
leamus magis cùm audimus periiſſe hominem, pro quo
Chriſtus mortuus eſt, qui nec in meſſe ſtipulam negligit.
Atque vtinam hanc ſtipulam in meſſe,hoc eſt, inanem aue-
Ibidem. nam fructus mei non abiiciat,ſed colligat, ſicut ait:Heu me D
quia factus ſum ſicut qui colligit ſtipulam in meſſe, & race
mum in vindemia: vt vel primitiua manducet in me gratię
ſuæ, etſi poſteriora non approbem. Ergo & agendam pœ-
nitentiam, & tribuendam veniam credere nos conuenit,vt
veniam tamen tanquam ex fide ſperemus,non tanquam ex
debito. Aliud eſt enim mereri,aliud præſumere. Tanquam
ex ſyngrapha fides impetrat. Præſumptio autem arroganti
eſt propior quàm roganti. Prius,ſolue debitum,vt quod
ſperaueris, impetrare merearis. Solue boni affectum debi-
toris,vt vſuram non facias:ſed fidei tuæ cenſu contracti no-
minis fœnus euacues. Plura ſoluẽdi habet ſubſidia qui deo,
quàm is qui homini debet. Homo pecuniam pro pecunia
repoſcit,quæ non ſemper debitori præſto eſt:deus affectum
exigit, qui in tua poteſtate eſt. Nemo pauper eſt qui deo
debet, niſi qui ſeipſum pauperem fecerit. Et ſi non habet
quæ vendat, habet quæ ſoluat. Oratio, lachrymæ, ieiunia,

A debitoris boni cenſus eſt, multòque vberior quàm ſi quis
ex preciis fundorum pecuniam ſine fide deferat. Denique
pauper erat Ananias cùm vendito agro pecuniam deferret Acto.5.
ad apoſtolos, vnde nec ſoluere ſe potuit, ſed implicauit.Di- Lucæ 21.
ues illa vidua quæ duo ęra minuta in gazophylacium miſit,
de qua dictum eſt:Hęc vidua paupercula plus omnibus mi-
ſit. Non enim pecuniam deus, ſed fidem quærit.

De eleemoſyna qua intentione fieri debeat. De falſæ quoque & infructuoſæ pœnitentiæ multiplicibus modis.
Caput IX.

NEque ego abnuo liberalitatibus in pauperes fa-
ctis poſſe minui peccatum, ſed ſi fides commen-
det expenſas. Quid enim prodeſt collatio patri-
monij ſine gratia charitatis? Sunt qui iactantiam
ſolam decore largitatis affectent, vt eo ſe probatos vulgo
velint,quod ſibi nihil reliquerint: ſed dum præſentis ſeculi
mercedem requirunt,nõ recondunt in futurum:& quia hîc Matth.6.
perceperũt mercedem ſuam, illic ſperare non poſſunt. Sunt
qui opes ſuas tumultuario mentis impulſu, non iudicio per
petuo, vbi eccleſiæ contulerunt, poſtea reuocandas puta-
runt: quibus nec prima merces rata eſt, nec ſecunda, quia
nec prima iudicium habuit, & ſecunda habuit ſacrilegium.
Sunt quos pœnituerit opes ſuas diuiſiſſe pauperibus:ſed eos
qui pœnitentiam agunt,hoc ſolum † pœnitere non debet, † hoc ſoli
ne ipſius pœnitentię agant pœnitentiam.Nam plerique fu- timere o-
turi ſupplicij metu,peccatorum ſuorum cõſcij pœnitentiam portet, ne
petunt: & cùm acceperint,publicę ſupplicationis reuocan- &c.
tur pudore. Hi videntur malorum petiſſe pœnitentiam, a-
gere bonorum.Nonnulli ideo poſcunt pœnitentiam,vt ſta-
tim ſibi reddi communionem velint: hi non tam ſe ſoluere
cupiunt,quàm ſacerdotem ligare.Suam enim conſcientiam
non exuunt, ſacerdotis induunt.Prœceptum eſt:Nolite ſan- Matth.7.
ctum dare canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante
porcos.hoc eſt,immundis impuritatibus † ſacrę communi- † ſpiriti-
onis non impertienda conſortia.Itaq; videas eos mutata ve bus.
ſte incedere,quos lugere & gemere oportebat,quia veſtem
C illam ablutionis & gratię ſordidarunt:fœminas autem mar-
garitis onerare aures, curuare ceruices, quas bene Chriſto,
non auro inclinarent:quę ſeipſas flere debebant,quòd mar-
garitam quę de cœlo eſt, perdiderunt. Sunt etiam qui arbi-
trentur hoc eſſe pœnitentiam, ſi abſtineant à ſacramentis
cœleſtibus.Hi ſæuiores in ſe iudices ſunt, qui pœnam præ-
ſcribunt ſibi, declinant remedium, quos vel pœnam ſuam
conueniebat dolere, quia cœleſti fraudarentur gratia. Alij
propoſita ſpe agendæ pœnitentiæ licentiam ſibi delinquen-
di propagatam putant, cùm pœnitentia remedium peccati
ſit, non peccandi incentiuum. Vulneri enim medicamen-
tum neceſſarium eſt, non vulnus medicamento: quia pro-
pter vulnus medicamentum quæritur,non propter medica
mentum vulnus deſideratur. Infirma deinde ſpes quæ com
mittitur tempori, cùm omne tempus incertum ſit,non om-
ni ſpes tempori ſit vt ſuperſtes.

Quòd pœnitentia ſit facienda cum humilitate & oratione atque fletu, quorum neceſſitas exemplis ſcripturæ probatur. De pœnitentia quoque publica in eccleſia non iteranda, & de renunciatione ſui ipſius, atque priſtinæ vitæ, atque crucis dominicæ baiulatione pœnitentibus opportunis. Cap. X.

AN quiſquã ferat vt erubeſcas deum rogare, qui
nõ erubeſcis rogare hominem:& pudeat te deo
ſupplicare quem nõ lates,cùm te nõ pudeat pec
cata tua homini quem lateas cõfiteri? An teſtes
precationis & conſcios refugis, cùm ſi homini ſatis faciendum ſit, multos neceſſe eſt ambias, obſecres vt dignentur
interuenire,ad genua te ipſe proſternas,oſculeris veſtigia,fi
lios offeras culpæ adhuc ignaros paternæ etiam veniæ pre-
catores? Hoc ergo in eccleſia facere faſtidis, vt deo ſuppli-
ces, vt patrocinium tibi ad deum obſecrandum ſanctæ ple-
bis requiras,vbi nihil eſt quod pudori eſſe debeat, niſi non
fateri,cùm omnes ſimus peccatores,vbi ille laudabilior qui
humilior: ille iuſtior, qui ſibi abiectior? Fleat pro te mater
eccleſia,& culpam tuam lachrymis lauet: videat te Chriſtus
mœrentem,vt dicat:Beati triſtes, quia gaudebitis. Amat, vt Lucæ 6.
pro

Lucæ 7. pro vno multi rogent. Denique in euangelio motus viduæ lachrymis,quia plurimi pro ea flebant,filium eius resuscitauit. Ideo citius exaudiuit Iesus Petrum vt Dorcas resurgeret,quia pauperes mortem mulieris ingemiscebant. Ideo ipsi Petro statim dimisit,quia amarissimè fleuit. Et tu si amarissimè fleas, Christus ad te respiciet,culpa discedet. Vsus enim doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita dum dolemus admissa,admittenda excludimus,& fit quædam de condemnatione culpæ,disciplina innocentię. Nil ergo te reuocet à pœnitentia,hæc tibi communis cum sanctis est. Vtinámque imitanda talis,qualis sanctorum deploratio. Dauid manducabat sicut panem cinerem, & potum suum lachrymis temperabat. Ideo nunc amplius gaudet,qui amplius fleuit. Per exitus aquarum descenderunt,inquit,oculi mei. Ioannes multum plorauit,& reuelata sibi dicit Christi mysteria. At verò illa mulier quæ cum esset in peccatis,& deberet flere,gaudebat,& veste purpurea atque coccinea operiebatur,& auro se multo & preciosis lapidibus ornabat,nunc æterni fletus luget ærumnam. Meritò reprehenduntur qui sæpius agendam pœnitẽtiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si verè agerent pœnitentiam, iterãdam postea non putarent: quia sicut vnum baptisma,ita vna pœnitentia,quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati: sed hæc delictorum leuiorum,illa grauiorum. Facilius autem inueni qui innocentiam seruauerint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam. An quisquam illam pœnitentiam putat,vbi acquirendæ ambitio dignitatis,vbi vini effusio,vbi ipsius copulæ coniugalis vsus? Renunciandum seculo est,somno ipsi minus indulgendum quàm natura postulat,interpellandus est gemitibus,interrumpendus est suspiriis,sequestrandus orationibus, viuendum ita, vt vitali huic moriamur vsui, seipsum sibi homo abneget, & totus mutetur: sicut quendam adolescẽtem fabulæ ferunt post amores meretricios peregrè profectũ, & abolito amore regressum postea veteri occurrisse dilectæ, quæ vbi non interpellatam mirata putauerit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum: responderit ille: Sed ego non sum ego. Vnde bene

Matth.16. dominus ait: Qui vult post me venire,abneget semetipsum sibi,& tollat crucem suam,& sequatur me. Etenim qui mortui & sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viuentes de hoc mundo decernere. Ne tetigeritis, inquit, nec attaminaueritis,quæ sunt omnia ad corruptelam ipso vsu, eo quod ipse huius vitæ vsus corruptela sit integritatis.

De non differendo pœnitentiam. Et de grauitate pœnæ conscientiæ præteritorum peccatorum memoria, & qua ratione seipsam abscondere non possit. De motibus quoque sensituis menti repugnantibus quomodo ad petram Christum elidi debeant.

Cap. XI.

BOna ergo pœnitentia: quæ si non esset,omnes ad senectutem differrẽt ablutionis gratiam. Quibus satis responsi sit,quia melius est vt habeam quod sarciam,quàm non habeam quo vestiar. Sed sicut semel assuta redintegrantur, ita frequenter suta soluuntur. Eos autem qui pœnitentiam differunt,satis ipse dominus ad

Matth.3. monuit dicens: Pœnitentiam agite,appropinquabit enim regnum cœlorum. Nescimus qua hora fur veniat,nescimus an

Genes.3. proxima nocte à nobis reposcatur anima. Adam post culpam statim de paradiso deus eiecit, non distulit, sed statim separauit à deliciis, vt ageret pœnitentiam, statim tunicam vestiuit pelliceam,non sericam. Quid enim est quod differas? An vt plura peccata committas? Ergo quia deus bonus

Rom.2. est,ideo tu malus,& diuitias bonitatis eius & patientiæ con

Psal.94. temnis? Sed bonitas domini magis ad pœnitentiam te debet adducere. Ideo ad omnes sanctus Dauid dicit: Venite adoremus,& procidamus ante eum, & ploremus ante dominum nostrum qui fecit nos. De peccatore autem sine pœnitentia

1.Reg.15. mortuo,quia nihil aliud supereſt nisi grauiter mœrere, nisi flere,habes plorantem ipsum & dicentem: Filius meus Absalon,filius meus Absalon. Qui enim penitus est mortuus, sine vlla exceptione defletur. De his qui exules atque peregrini limitum paternorum, quos lex Moysi sancta præscripsit,mundanis implicabantur erroribus,audis canẽtem: Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus dum recordaremur Sion. Inducit enim lapsorum gemitus in ipso temporum præsentium, & rerum labentium adhuc positos statu debere resipiscere, eorum videlicet exemplo qui propter peccati precium deducti erant in captiuitatis ærumnam. Nihil est autem quod tam summo dolori sit quàm si vnusquisque positus sub captiuitate peccati recordetur vnde lapsus sit,atque vnde deciderit,eo quòd ad corporea atque terrena ab illo specioſa ac pulchra diuinæ cognitionis intentione deflexerit. Sic habes Adam abscondentem se vbi deum cognouit esse præsentem,& quæsitum latere voluisse, & vocatum à domino ea voce quæ latentis morderet affectum, hoc est, Adam vbi es? hoc est,cur te abscondis? Cur lates? Cur fugis eum quem videre desiderabas? Ita grauis culpa est conscientiæ,vt sine iudice ipsa se puniat,& velare se cupiat,& tamen apud deum nuda sit. Et ideo nemo in peccato positus arrogare sibi debet authoritatem aut vsurpationem sacramentorum,quia scriptum est: Peccasti,quiesce. Quod in præsenti psalmo Dauid dicit: In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Et infra: Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Si enim caro menti repugnat, nec subdita est animi gubernaculo,& mentis imperio, aliena est terra,quę non domatur exercitio cultoris: & ideo non potest fructus charitatis,patientiam pacis afferre. Melius est ergo tunc quiescere, cùm exercere non queas opera pœnitentiæ,ne in ipsa pœnitentia fiat quod postea indigeat,pœnitentia. Quæ si semel fuerit vsurpata, nec iure celebrata: nec prioris fructum obtinet, & aufert vsum posterioris. Sanè & cùm caro repugnat, mens ad dominum debet esse intenta: & si opera non sequuntur,fides deseruiat: & si impugnant vel carnis illecebræ,vel potestates aduersariæ,maneat mens deo dedita. Tunc enim maximè vrgemur cùm caro cedit,& sunt qui vehementer incumbant miseræ animæ,quærentes omne auferre præsidium. Vnde illud est: Exinanite exinanite vsque ad fundamentum in ea. Quam miseratus Dauid ait: Filia Babylonis misera. Misera vtique, quæ Babylonis filia est,quæ dei filia esse desiuit. Cui tamen medicum inuitat dicens: Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram,hoc est,qui infirmas & lubricas cogitationes elidat ad Christum: qui omnes irrationabiles motus sui reuerentia & disceptatione comminuat: vt si adulterino quis amore raptatur,excludat ignem, copulamque meretricis, & se studio suo abdicet, vt Christum acquirat. Didicimus ergo & agendam pœnitentiam,& eo agendam tempore quo culpæ deferuescat luxuria, & in captiuitate peccati positos,reuerentiores nos,non vsurpatores esse debere. Nam si Moysi propius accedere gestienti, vt cognitionem mysterij cœlestis hauriret, dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum: quanto magis nos animæ nostræ pedes exuere vinculis corporalibus,& gressus omnes mundi istius nexu debemus absoluere?

Psal.136.

Genes.3.

Genes.4. Psal.136.

Ibidem.

Exod.3.

FINIS.

Diui Ambrosij

AD POENITENTIAM AGENDAM EXHORTATIO.

ADmoneo vos fratres in cõspectu dei, timori vestro adiungere timorẽ meũ. Qui autem non timet, timentem me contemnit,sed malo suo. Audite ergo quæ dicturus sum. Certus sum quia homo baptizatus,si vitam,non audeo dicere sine peccato, sed si vitam sine crimine duxerit,& alia peccata habuerit, quæ quotidie dimittantur in oratione dicenti: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus

Matth.6.

nostris:& aliis faciat quod sibi à deo cupit fieri:quãdo diem A
Matt.7. finierit,vitam non finit,sed transit de vita in vitam. Siue iste voluntate sua currat ad baptismum, siue in periculo consti tutus bapbtizetur,& exeat:ad dominum vadit, ad requiem vadit. Baptizatus homo si postea desertor violatórque sacra menti fuerit,peccat,& deum repellit à se. Si autem agat pœ nitentiam ex toto corde, vbi deus videt, saluabitur,sicut vi
2.Reg.12. dit cor Dauid quando increpatus à propheta grauiter post comminationes terribiles dei exclamauit,dicens:Peccaui:& mox vt audiuit, abstulit peccatum suum. Quantũ valẽt tres syllabæ. Tres enim syllabæ sunt,Peccaui, sed in tribus syllabis flamma sacrificij cordis eius ad cœlũ ascendit. Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento quo erat constrictus,& à Christi corpore separatus,& bene post pœnitẽtiam vixerit,& post reconciliationem, cùm defunctus fuerit,ad dominũ vadit, ad requiem vadit,à regno dei non priuabitur, & à populo diaboli separabitur. Qui au tem positus in vltima necessitate ægritudinis suæ acceperit pœnitentiã, & mox reconciliatus fuerit, & vadit,id est, exit de corpore: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed B
nõ præsumo dicere quia bene hinc exit. Non præsumo,non polliceor,non dico, non vos fallo,non vos decipio,non vo bis promitto. Fidelis bene viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam dum sanus est,& reconciliatus,si postea bene vixerit,securus est. Sed dicis: quid est si bene vixerit? vel in hoc nos instrue sacerdos bone, vt hoc sciamus. Illud nescire te dicis,an ille qui infirmus & impotẽs est peccare,si pœnitentiam accipit, & mox transit, facinora sua relaxantur in die iudicij? Hinc nullam securitatem nobis das? Quid est be ne viuere post pœnitentiã? doce nos. Dico vobis,abstinere ab ebriositate, à concupiscẽtia,à furto,à malo eloquio,ab ip
Matth. 12. so immoderato risu, à verbo ocioso, vnde reddituri sunt ho mines rationem in die iudicij. Ecce quàm leuia dixi, vt tacerem grauia & pestifera. Et aliud dico: Non solum post pœnitentiam ab istis intus homo obseruare se debet, sed & ante pœnitentiam dum sanus est,quia nescit si possit ipsam pœ nitẽtiam accipere,& confiteri deo & sacerdoti peccata sua. C
Ecce quod dixi post pœnitentiam, dico ante pœnitentiam melius. Agens verò pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus,si exierit,an securus hinc exeat, ego non sum securus. Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Quod dico attendite. Ego illud planius expono, ne aliquis me malè intelligat. Nunquid dico damnabitur? nõ dico: sed nec liberabitur dico. An aliud mihi dicis, sancte episcope? Quid tibi dicam,nescio. Dixi non præsumo, non promitto, prorsus nescio de dei voluntate. Vis te frater à dubio liberari,vis quod incertum est euadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es,& inuenerit te nouissimus dies, securus es. Ergo curre & recõ cilieris. Si sic agis,securus es. Quare securus? vis dicam tibi? Quia egisti pœnitentiam eo tempore quo & peccare potui sti. Ecce dixi quare securus es. Si autem tunc agere vis ipsam pœnitentiam quando peccare iam non potes, peccata te di miserunt,non tu illa. Sed vnde scis,inquit, si fortè deus mihi misereatur,& dimittat mihi peccata mea? Bene dicis frater,bene dicis, vnde scio: & ideo tibi do pœnitentiam,quia nescio. At ille inquit: Ergo dimitte causam meam deo. Quid D
tu me verbis affligis, & non iudici me deo dimittis? Illius iudicio te committo,eius iudicio me commendo. Nam si sci rem nihil tibi prodesse,non te admonerem,nõ te terrerem. Duæ res sunt, aut ignoscetur tibi, aut non tibi ignoscetur. Quid horum tibi futurum sit, nescio, sed do consilium: Dimitte incertum, & tene certum. Et dum viuis age pœnitentiam veram, vt cùm veneris in iudicium dei, non à deo con fundaris, sed ab eo in regnum inducaris. Hoc præstante domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum.

FINIS.

CAPITVLA LIBRI DE FVGA SECVLI.

Qua ratione homo impediatur vt à terrenis se exuere,mentémque eleuare, & semper ascendere sine diuino auxilio non possit. Et quòd ascendere volens, non læta seculi & amœna, sed plena doloris & luctus sequi debeat. Quòd etiam saluus esse volẽs à Christo doceatur, vt supra mundum ascendat, & hoc seculum fugiat. Cap. I.

Quòd etiam lex doceat seculum esse fugiendum, & deum sequendum. Et de absolutione quatuor quæstionum secundum mysticum intellectum per adaptationẽ ad diuersa genera virtutum iuxta quatuor quæ posita sunt in lege circa vrbes ad refugia dispositas. Cap. II.

Quòd præmemorata virtutũ genera etiam in Apostolo non adumbrata, sed expressa habeantur, vt ex dictis ipsius apertè demonstratur. Cap. III.

Quid sit fugere seculum, cum exhortatione vt fidei suffragio subnixi accedamus ad sedem gratiæ, hoc seculum & eius contagionem fugientes,neque fugere erubescentes, cùm gloriosum sit ita fugere, quemadmodum ex fuga Iacob & aliorum sanctorum patrum demonstratur. Et quàm beata etiam sit fuga quam Iacob suscepit. Cap. IIII.

Cur hinc fugere debeamus, & quomodo trãsire cum Moyse, vt videamus deum, calceamenta pedũ soluẽdo. Quomodo etiam relinquere vmbram huius vitæ, & cum sancto Dauid euolare, etsi non vt aquila, saltem vt passer etiam si non ad cœlum, saltem ad montes. Cap. V.

Qua ratione volens fugere, velociter & diligenter fugere debeat: quo etiam fugiendum sit, & ad quod bonum animas nostras erigere debeamus. Cap. VI.

Quòd non mediocris sit causa cur hinc fugere debeamus. Quódq; non impigrè malitia huius seculi fugienda sit, & quid sit hinc fugere. Cur etiam malitia in terris versetur & sæuiat. Qua præterea ratione dominus Iesus vindictam diaboli authoris malitiæ distulerit, neque eadem sententia in ipsum, & in hominem dicta sit. Cap. VII.

Quomodo hinc animo fugere possimus, etsi corpore retineamur. Quod etiam hinc, quia tempus breue est,fugiamus, ne cum prætereunte figura mundi opera nostra nósque ipsi prætereamus: quod si cauere velimus,mãdata dei non prætereamus, neque disciplinæ alicuius profectum, quemadmodum Ioseph fecit, & in Sara ostenditur, & sicut Iacob executus est. Cap. VIII.

De exhortatione quòd hinc fugiamus, sicut fugit de patria sanctus Iacob, & sicut cerui fugiunt ad fontes aquarum, quos & Dauid sitiebat. Quis quoque sit iste fons, & quid hunc fontem desiderans facere debeat,exemplo Susannę. Quomodo etiam sicut Paulus & Loth fugerunt, nos fugere debeamus. Quibus præterea modis quis bene fugere possit. Cap. IX.

Diui Ambrosij

MEDIOLANENSIS EPISCOPI *de Fuga seculi, Liber vnus.*

Qua ratione homo impediatur vt à terrenis se exuere,mentémque eleuare, & semper ascendere sine diuino auxilio non possit. Et quod ascendere volens,non læta seculi & amœna,sed plena doloris & luctus sequi debeat. Quòd etiam saluus esse volens, à Christo doceatur vt supra mundum ascendat, & hoc seculum fugiat. Cap. I.

FRequens nobis de effugiendo seculo isto est sermo,atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus & solicitus affectus. Sed quod peius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum,& vanitatum offusio mentem occupat,vt quod studeas vitare,hoc cogites,animóque voluas. Quod cauere difficile est homini,exuere autem impossibile. Denique voti eam magis esse rem quàm

Psal.118. quàm effectus,testatur Propheta dicendo: Declina cor meũ in testimonia tua,& non in auaritiam.Non enim in potesta te nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes, quæ improuiso offusæ mentem animúmque cõfundunt, atque aliò trahunt,quàm tu proposuerís. Ad secularia reuocant, mundana inserunt,voluptuaria ingerunt,illecebrosa intexunt,ip sóque in tempore quo eleuare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus ad terrena plerũq; deiicimur.Quis autem tam beatus qui in corde suo semper ascẽdat?Sed hoc sine auxilio diuino quomodo fieri potest? Nullo profecto
Psal.83. modo.Denique supra eadem scriptura dicit: Beatus vir cuius est auxilium abs te domine, ascensus in corde eius. Beatus planè,quem delectatio nõ reuocat, quem voluptas non
Genes.19. inclinat,qui ad inferiora non respicit.Quod nec ipsius Loth vxor potuit euadere. Quo admonitus exemplo Apostolus,
Philipp.3. posteriora obliuiscens,& ea quæ sunt priora appetens,festinabat ad brauiũ,& peruenire meruit, quia ante se Christum videbat,à quo ad iustitiæ vocabatur coronam.Sed peruenit ille qui seipsum sibi abnegauit,vt Christum lucraretur.Deniq; non ipse viuebat,sed viuebat in eo Christus.Nam quis inter tot passiones huius corporis,inter tantas illecebras huius seculi, tutum atq; intemeratum seruare potest vestigiũ? Respexit oculus,& sensum mentis euertit:audiuit auris,& intentionem inflexit:inhalauit odor,& cogitationem impediuit:os libauit,& crimen reddidit:tactus contigit,& ignem
Hier.9. adoleuit.Intrauit mors per fenestram,dixit propheta. Fene-
Matth.5. stra tua est oculus tuus.Si videris mulierem ad concupiscendum,intrauit mors:si audias sermones meretricios, intrauit mors:si luxuria sensus tuos capiat,penetrauit mors. Et ideo qui vult ascendere:non læta seculi,non amœna,non delecta
Eccles.7. bilia,sed plena doloris & fletus sequatur.Melius est enim ire in domum luctus,quàm in domum gaudij. Denique nec Adam de paradiso descẽdisset,nisi delectatione deceptus esset.Pulchrè igitur Dauid,qui periculosos homines etiam ipso aspectu fuerat expertus, beatum illum dicit cui spes omnis in dei nomine est.Sic enim non respicit in vanitates, & insanias falsas,si semper Christum intendat, si semper Chri stum interioribus oculis aspiciat. Vnde iterum ad seipsum
Psal.118. conuersus ait : Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Vanitas circus est, quia nihil prodest: vanitas est equorum velocitas,quia mendax ad salutem est:vanitas theatrum est,
Eccles 1. vanitas ludus omnis. Omnia vanitas, inquit, Ecclesiastes, quæ in hoc seculo sunt.Denique qui saluus esse vult, supra mundum ascendat,quærat verbum apud deum,fugiat hunc mundum, terras relinquat. Non enim potest percipere illud quod est,& est semper,nisi prius hinc fugerit. Vnde &
Ioan.14. dominus volens patri deo appropinquare apostolos,ait:Surgite eamus hinc.

Quod etiam lex doceat seculum esse fugiendum,& deum sequendum. Et de absolutione quatuor quæstionum secundum mysticum intellectum per adaptationem ad diuersa genera virtutum iuxta quatuor quæ posita sunt in lege circa vrbes ad refugia dispositas. *Caput 11.*

Num.35. DOcet te etiam lex fugiendum seculum,deum sequendum.Quid enim aliud docet cum dicit: Disponetis vobis ciuitates ad refugium,& erunt vobis refugia,quò refugiat homicida omnis qui per
Iosue 20. cusserit animam inuitus.Et infrà:Sex ciuitates ad refugia erunt vobis,tres ciuitates dabitis trans Iordanem,& tres ciuitates dabitis in terra Chanaan?Apertè quidem confugientibus ob crimen homicidij,refugia proposita sunt.Sed si consideremus altius, quatuor sunt quæ admonent profundius esse spectanda arcana lectionis istius.Vnum,qua ratione ex iis ciuitatibus quæ Leuitis in portionem sorte obuenerunt, sex ciuitates ad refugium datæ sint homicidij crimine laborãtibus,cur non etiam aliarum tribuum ciuitates ad hoc munus deputatæ?Secũdum,qua ratione sex numero:non enim ociosè numerus hic præscriptus videtur neque plurium,neque pauciorum ciuitatum?Tertium,cur tres vltra Iordanem ciuitates,& tres in regione Chananæa dispositæ sint, quæ refugio peccantibus forent?Quartum,cur denumeratio & definitio temporis comprehensa sit,intra quod habitet homicida in ciuitate refugij,quoad moriatur sacerdos magnus,& post mortem sacerdotis magni reuertatur homicida in ciuitatem habitationis suæ?De singulis ergo oportet dicere, atque eo ordine quo proposuimus,quæsita absoluere.Competenter itaque Leuitarum ciuitates datas ad refugium,primo explicandum est.Congruè autem prouisum liquet,quia Leuitæ fugitantes sunt mũdi huius,vt placeant deo:relinquunt patriam,parentes,filios,omnem cognationem,vt adhęreant vni deo.Deniq; & Abrahæ dictum est:Exi de terra tua,& de Genes.12. cognatione tua,& de domo patris tui.Sed fortè dicas:Leuita non erat.Sed habebat in lumbis suis Leuin,vt legimus ad Hebræos scriptum. Et dominus Leuitis dicit cum discipulis Hebr.7. suis,hoc est apostolis dicit:Si quis vult post me venire,abne Lucæ 9. ger semetipsum,& tollat crucẽ suam, & sequatur me: quanquam ad omnes iam dictum sit:Vos autem genus electum, 1.Petri 2. regale sacerdotium,gẽs sancta,populus in adoptionem.Venit plenitudo,reliquiæ cessarunt.Christus enim omnes vocauit,omnibus profectio patet,vt omnes sequantur, omnibus regnum propositum,& vita æterna. Ergo cui deus portio est,nihil debet curare nisi deum, ne alterius impediatur necessitatis munere.Quod enim ad alia officia cõfertur,hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. Hæc enim vera est sacerdotis fuga,abdicatio domesticorũ,& quę dam alienatio charissimorum,vt suis se abneget,qui seruire deo gestit.Rectè ergo fugaces fugacibus cõmendauit æternæ legis sanctio,vt qui hunc mundũ obliti sunt, eos recipiãt qui peccata sua cõdemnantes atque opera,obliuionem vitæ superioris expectent,& secularia quæ gesserint, abolere desi derent.Fugitans igitur est suorum,sacri altaris eius minister. Vnde dominus quasi princeps sacerdotum,formam Leuitis in euangelio dans suo,dixit:Quæ est mater mea,aut qui sunt Matth.12. fratres mei?Hoc est,non agnosco matrem, non recognosco fratres, ignoro proximos. Mater mea & fratres mei ij sunt qui audiunt verbum dei,& faciunt.Solum ergo verbum dei nouit minister, cùm eos nouit in quibus operatur dei verbum.Et ideo exul est mundi,fugitans corporis,fugitans passionum,qui abdicat se omnibus,vt solus remaneat,sicut He 3.Reg.19. lias dixit:Et ego relictus sum solus.Sed non erat solus,cum quo erat Christus. Et ipse dominus relictus est solus. Sed Ioan.16. non sum,inquit solus,quoniam pater mecum est. Est etiam illa causa,quia Leuitæ ministri sunt dei.Et ideo ipsorum ciuitates fugientibus homicidis per legem deputantur, quia ipsorum est diuina mandata exequi circa eos,qui crimen mortale admiserint.Nescit ecclesia publicas leges,suas nouit.Vt dominico sacerdos obediat imperio,audi Leuitam dicẽtem: Tradidi huiusmodi satanæ in interitum carnis,vt spiritus sal- 1.Cor.5. uus sit in die domini nostri Iesu Christi. Percussus igitur leuitico gladio,moriatur sensus carnis in nobis, vt viuat anima nostra. Nisi enim sensus carnis occiderit, nullus potest esse fructus vitæ æternæ. Sex autem ciuitatum refugia sunt ita,vt prima ciuitas sit cognitio verbi, & ad imaginem eius forma viuendi.Quicunque eam cognitionem fuerit ingressus,tutus à pœna est: secundum quod & dominus ait: Iam vos mundi estis propter sermonẽ quem locutus sum vobis. Ioan.15. Et alibi:Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Ioan.17. deum verum,& quem misisti Iesum Christum.Hæc est igitur ciuitas velut Metropolis,cui adiacent aliæ quinque ciuitates Leuitarum.Secunda est ciuitas,consideratio diuinæ operationis,qua creatus est mundus. Tertia ciuitas contemplatio potestatis regiæ,& maiestatis æternæ.Quarta ciuitas, propitiationis diuinæ contuitus.Quinta ciuitas,legis diuinæ contemplatio,quæ præcipit quid faciendum sit.Sexta quoque ciuitas,portio legis quæ præscribit quid non faciendum sit.Quanta abundantia diuinæ misericordię,quantæ diuitiæ pietatis eius, vt singulorum studia fragilitatésque humanæ conditionis considerans, quibus & inuiti ac reluctantes ad culpam ducimur, & non voluntaria delicta victi illecebris frequenter cõmittimus,diuersa nobis refugia proponat, sex videlicet vrbium,vt quo numero mundus formatus est,eodem numero aduersus mũdana vitia, & seculi huius naufragia remedium prouideretur. Primum igitur est remedium, vt si boni propositi viro culpa irrepserit,is sine vlla cõperendinatione,si perfectam velit habere securitatem,ad ipsam rerum omniũ arcem properet,vbí verbum est dei, in illo sinu

patrio,id est,arcano ac recessu dei,vbi est fons sapientiæ,vn A
de pro morte,vitæ æternæ hauriat potum immortalem.Se-
cundum est remedium,vt qui non potest cognitionem bo-
ni illius prælibare,& tardior vel ingenio est, vel fidei cõpre-
hensione, quoniam veloci mentis vigore atque ingenij acu-
mine ad cognitionis summam contẽditur,saltem opera do-
mini consideret,atq; ex his quæ facta sunt,tanti contemple-
tur operis authorem,quoniam ex his bonis quæ sunt in con
stitutione istius creaturæ (bona enim valde sunt,sicut domi-
nus dixit) bonum illud summum atque æternum cõprehen-
ditur.Qui ordo rerum, quæ disciplina ,quæ gratia ? Nónne
his quanuis tardum ingenium diligere authorẽ suum prouo
catur?Etenim si parentes quia nos genuerũt,amamus: quan
to magis diligere debemus creatorem parentum,authorém
que nostrum?Ergo operatoria virtus dei etsi non videtur, ta
men ex suis operibus æstimatur, operatorémque opera sua
produnt,vt intelligatur qui non comprehenditur . Vnde &
Ioan.10. dominus ait:Si mihi non creditis,vel operibus credite.Bona
igitur etiam hæc ciuitas ad refugium,quæ ædificatoris sui te B
stificatur gratiam,& affectum nostrum excitat,vt eius simus
cupidiores,qui tantam nobis fabricæ huius videatur contu-
lisse pulchritudinem. Tertius ordo est regalis potestatis con
templatio,vt subiiciamur regi,si non deferimus tanquam pa
renti.Metu enim præsidentis plerunque fit obediens pote-
stati,qui est saluti ingratus,vt necessitatem sobrietatis agno-
scat qui noluit ac nequiuit gratiam pietatis agnoscere.Corri
git ergo necessitas,quẽ pietas prouocare debuerat.Hæ sunt
tres ciuitates trans Iordanem,perfectiori prudẽtiæ ad refu-
gium datæ,vt primo culpã fugiamus inductione animi con
formis ad imaginem dei.Ita enim creati sumus,dicente deo:
Genes.1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram.
Hæc ergo primæ illius ciuitatis lex est. Deinde si per fragili-
tatem carnis,& mundi illecebras , ita mentem nostram for-
mare non possumus,reuerentia paternæ generationis,& se-
1.Pet.4. dulitate prolis peccatum leuemus . Charitas enim multitu-
dinem peccatorum operit . Qui ergo ad imaginem dei esse
non potuerit,sit ad plenitudinem charitatis. Illa ciuitas cul-
pam excludit,hæc soluit.Hæc denique lex secundę ciuitatis:
Deut.6. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota
anima tua,& ex tota virtute tua. Sed si rursus angusti animi
& imminuti sunt qui abundantiam charitatis & gratiam re-
cipere non possunt,habes tertiam ciuitatem,vt diuinæ pote
statis formido te sobriũ faciat,& inflectat metus. Et hæc lex
Matth.4. tertia:Dominũ deum tuum adorabis,& ipsi soli seruies.Hæ
igitur præcipuè virtutes,& ideo paucorum,non plurium,su
pra Iordanem positæ,vt exprimas quasi imago archetypum,
diligas quasi filius patrẽ, adores quasi subditus regem. Qui
enim Iordanem transierint,Iordanis autem descẽsio eorum
dicitur.Qui descẽderint ergo ex illis superioribus virtutibus
ad hæc inferiora,id est,in quibus integritas,charitas,humili-
tas vacillauerit, habent propria homini refugia quæ petant,
vt qui obnoxij delictis,& inflexi vitiis sunt non voluntariis,
sperent dominũ sibi reconciliari posse si veniam petant,spe
rent posse se corrigi si præcepta sequãtur cœlestium manda-
torum,quibus aut informamur ad innocentiam, aut reuoca D
mur à culpa . Hæ igitur intra Iordanem ciuitates sequendæ
sunt,vt propitiemus nobis deum,sequamur quæ iubet,vite-
mus quæ prohibet. Sit ergo propiciãdæ diuinitatis ambitio,
sequendę præceptionis obeditio,interdictę præuaricationis
cautio, quibus propitiatoriam dei misericordiam & nomo-
theticen eius prouidentiam vel institutorum obsequio , vel
interdictorum declinatione veneremur. Quartum supereſt,
Iosue 20. quod ait: Quia vsque ad illud tempus erit in ciuitate refugij
homicida ille,donec moriatur sacerdos magnus. In quo se-
cundum literam hæret interpretatio. Primum ipsa fuga sor-
te magis quàm æquitate alicuius examinis definita , deinde
in causis paribus impar euentus. Poterat enim fieri vt post
homicidæ illius refugium sequenti die obiret magnus sacer
dos.Quæ autem sub incerto sententia?Ergo quia hæret lite-
ra,quæramus spiritalia . Quis est iste magnus sacerdos , nisi
1.Ioan.3. dei filius,verbum dei,cuius aduocationem pro nobis habe-
mus apud patrem, qui exors est omnium voluntariorum &
accidentium delictorũ,in quo consistunt omnia quæ in ter-

ris sunt,& quæ in cœlo.Vinculo enim verbi constricta om-
nia sunt, & eius continentur potentia, & in ipso constant,
quoniam in ipso creata sunt omnia,& in ipso habitat omnis
plenitudo.Et ideo omnia manẽt, quia dissolui illa non sinit,
quæ ipse constringit,quoniam in eius voluntate consistunt.
Omnia enim quoad vult suo imperio coercet & regit,& na
turali concordia ligat . Viuit igitur verbum dei, & maximè
in animis viuit piorum, nec vnquam moritur plenitudo di-
uinitatis. Nunquam enim moritur sempiterna diuinitas, &
æterna dei virtus.Sanè moritur nobis,si à nostra anima sepa
ratur,non quo morte corrumpatur,sed quo dissoluatur at-
que exuatur mens nostra ab eius coniunctione. Mors enim
vera est,verbi & animæ separatio.Denique statim incipit a-
nima peccatis patere voluntariis.

Quod præmemoratæ virtutum genera etiam in Apostolo non adumbrata, sed expresse habeantur, vt ex dictis ipsius aper te demonstratur. *Caput III.*

HAbemus hæc genera,non adumbrata, sed ex-
pressa,virtutum, in Apostolo, dicente eo: Ita Rom.1.
quod in me est,prõptus sum & vobis qui Ro-
mæ estis euangelizare.Non enim erubesco e-
uangelium. Virtus enim dei est in salutem o-
mni credenti,Iudæo primum,& Græco. Iustitia enim dei in
eo reuelatur,id est,in eo qui credidit.Denique addidit.Ex fi-
de in fidem,sicut scriptum est: Iustus autem ex fide viuit. In
quo igitur iustitia dei reuelatur,nisi in eo qui conformis est
imaginis dei?Habes primum præceptum ad imaginem. Se-
cundũ,quia inuisibilia illius per ea quæ facta sunt intelligun
tur, id est, sempiterna virtus eius & diuinitas operibus eius
cognoscitur:hæc est operatoria virtus.Tertium de imperiali
potestate,quia verbũ dei regale est,& iudiciale, & plenum
iustitiæ sacerdotalis,remunerationem bonorum actuum,&
retributionem malorum vẽturis in iudicium suum seruans:
de quibus ait Apostolus:Scimus autem quoniam iudicium Rom.2.
dei est secũdum veritatem in eos qui talia agunt. Itaque qui
veritatem & iustitiam dei cognouit,non debet ea agere quæ
C morte digna sint. Sequitur bonitas dei propitiatoria vtique
de qua dicit:An diuitias bonitatis eius,& patientiæ, & lon-
ganimitatis contemnis?ignoras quoniam bonitas dei ad pœ
nitentiam te adducit?id est,debet te adducere,prouocare,vt
quia bonus est deus, sperare possis tuorum peccatorum in-
dulgentiam.Non vult enim vindicare,qui est paratus igno-
scere. Subtexuit etiam legislationem,id est,nomotheticen,
vt si quis contemplatione diuinæ bonitatis resoluitur, & ma
gis ad negligentiam quàm ad pœnitentiam prouocatur, le-
gem sequatur:Quoniam & quicunque,inquit,sine lege pec
cauerunt,sine lege & peribunt:& quicunque in lege pecca-
uerunt,per legem iudicabuntur.Lex autem gemina est,na-
turalis, & scripta. Naturalis in corde, scripta in tabulis. O-
mnes ergo sub lege,sed naturali.Sed non est omnium,vt vn-
usquisque sibi sit lex.Ille autem sibi lex est,qui facit spon-
te quæ legis sunt,& in corde suo scriptum opus legis osten-
dit.Habes quæ bona legis sint, quæ tamen non solum scire
vel audire perfunctoriè,sed etiam facere debemus. Non e- Ibidem.
nim auditores legis iusti sunt apud deum , sed factores legis
iustificabuntur. Cognouisti etiam quæ mala sint . Primum
natura ipsa boni operis magistra est.Scis non furandum,&
seruum tuum si furtum tibi fecerit verberas:& si quis ad vx-
orem tuam affectauerit,persequendum putas. Quod ergo
in aliis reprehendis , ipse committis ? Qui prædicas non fu-
randum,furaris?Qui dicis non adulterandum,adulteras?Se-
cuta est etiam lex quæ data est per Moysen . Per legem au-
tem agnitio peccati.Accepisti etiam quid declinares,& ea a-
gis quæ prohibita cognoscis?Lex autem quid operatur,nisi
vt omnis mundus fieret subditus deo , quia non solum He-
bræo lata est, verum etiam aduenam vocauit, quæ non ex-
clusit proselytum?Sed quia & lex os omniũ potuit obstrue-
re,non potuit mentem cõuertere,ideo vltimum remedium
postremæ illius ciuitatis debebatur, in quo esset refugium
salutare , vt mors principis sacerdotum ab omni nos mor-
tis liberaret formidine , atque exueret metu. Quis ille est, Ioan.1.
nisi de quo lectum est: Ecce agnus dei, ecce qui tollit pec- Rom.3.
cata mundi : quem proposuit deus propiciationem per fi-
dem

dem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ? Accipe autem quia ipse princeps est sacerdotum magnus: pater iurauit de eo, dicens: Tu es sacerdos in æternum. Rectè in æternum, quia alij temporales omnes sub peccato: hic autem imprætaricabile habet sacerdotium. Omnes sub morte, hic autem semper viuens, quoniam qui saluare alios potest, ipse perire quemadmodum posset? Talis enim, inquit, nobis decebat. Recta elocutio. Siquidem & apud eos qui verborum & elocutionum delectum habuerũt, huiusmodi inuenitur, dicẽte alio, locum editiore quàm victoribus decebat. Quod ideo nõ præterij, vt sciamus quia Apostolus naturalibus magis quàm vulgatis aut secundum artem vtitur verbis. Talis ergo, inquit decebat, vt esset princeps sacerdos, iustus, sanctus, innocens, immaculatus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Hoc est igitur verbum, quod supra cœlos habitans illuminat omnia: vnde & vnctus naturaliter legitur à deo patre: quia lumen est verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: hoc est verbum dei, in quo est magnum sacerdotium, cuius Moyses in illo vestimento principis sacerdotum indumenta describit intelligibilia, quod virtute sua induit mundum, & tanquam eo amictus fulget in omnibus. Induit etiam cognationem generis humani per huius corporis susceptionem, & inenarrabilem charitatem, infundens, se omnibus spiritu & plenitudine diuinitatis suæ, de cuius plenitudine omnes accepimus: vt sciamus supereminentem scientiæ charitatem Christi, & impleamur in omnem plenitudinem dei. Caput est enim omnium Christus, ex quo totum corpus producitur, & mutua sibi connexione coniungitur, incrementum sui in ædificationem charitatis accipiens. Hoc est igitur verbum, quod supereminet, quod Moysi in illius arcæ testimonij ædificatione dicit: Immittes in arcam testimonij quæcunque dabo tibi, & facies impositionem propiciatorij. Et infrà: Impones propiciatorium supra arcam desuper, & immittes testimonia quæ dabo, & innotescam tibi inde, & loquar tibi desuper: hoc est, inde vbi super cœlos est, vbi apud patrem est, inde tibi loquar.

Psal. 109.
Hebr. 7.
Ioan. 1.
Ephes. 3.
Exod. 25.

Quid sit fugere seculum, cum exhortatione vt fidei suffragio subnixi accedamus ad sedem gratiæ, hoc seculũ & eius contagionem fugientes, neque fugere erubescentes, cum gloriosum sit ita fugere, quemadmodum ex fuga Iacob & aliorum sanctorum patrum demõstratur. Et quàm beata etiam sit fuga quam Iacob suscepit. *Caput IIII.*

ACcedamus itaque fidei suffragio subnixi, & eius remigiis subleuati, ad illam sedem gratiæ, fugientes hoc seculum, & eius contagionem. Hoc est autem fugere, abstinere à peccatis, ad similitudinem & imaginem dei formam virtutum assumere, extendere vires nostras ad imitationem dei secundum mensuram nostræ possibilitatis. Vir enim perfectus, imago & gloria est dei. Vnde & dominus ait: Perfecti estote, sicut & pater vester qui in cœlis est, perfectus est. Hoc est igitur similem esse dei, habere iustitiam, habere sapientiam, & in virtute esse perfectum. Deus enim est sine peccato. Et ideo qui peccatum fugit, ad imaginem est dei. Non est igitur dubium quòd is qui à peccato est abstinens, fugit. Vnde & Apostolus clamat: Fugite fornicationem. Persequuntur enim nos peccatorum illecebræ, persequitur libido. Sed tu fuge tanquam furiosam dominam, quæ si comprehenderit, nec die nec nocte requiescere sinit, exagitat, vrit, incendit. Fuge auaritiam, ne te interius comprehendat. Fuge inuidiam, quæ non solùm alienos, verùm multo magis eum quem possederit, lacerare consueuit. Fuge perfidiam, ne te suis inuoluat retibus. Vnde & dominus ait: Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Quod si in alia persequẽtur vos, in aliam fugite. Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis. Etenim quanuis propter infirmitatem carnis fugam nobis suadere videatur, tamen melius fugit, qui fugit illecebram seculi arem, vt non teneatur diuitiarum suarum solicitudine, non thesauri contemplatione, non vitę istius cupiditate, sed directa animi intentione festinet ad gloriam regni cœlestis, properet ad coronam, nec terrenorum contuitu à sui corporis passione reuocetur. Fuga ergo mors est vel celebrata, vel adumbrata. Et fortè illas exprimit refugij legitimi ciuitates, vt confugiamus ad virtutum culmina, quas pro præmiis bono fœnatori alibi dispensat, dicens: Quia in modico fidelis fuisti, eris potestatem habens super decem ciuitates. Sed quia legem impleuit, qui potuit dicere: Non veni soluere legem, sed implere: perfectiorem numerum remunerationis indulget. Non ergo erubescamus fugere. Gloriosa enim hæc fuga est, fugere à facie peccati. Sic fugit Iacob matre sua dicente: Dixit enim Rebecca: Exurgens, fuge in Mesopotamiam. Sic fugit Moyses à facie regis Pharao, ne eum aula regia coinquinaret, ne irretiret potentia. Denique preciosius Ægypti diuitiis æstimauit opprobrium Christi. Sic fugit etiam Dauid à facie regis Saul, à facie Absalon. Denique fugiens augebat incrementa pietatis, qui & insidiatori pepercit, & parricidę salutem rogauit. Sic fugit & populus Hebręorum, vt fides eius & vita inter fluctus sibi aperiret viam. Fuga illa erat trames innocentiæ, virtutis via, pietatis assumptio. Audeo dicere: Sic fugit & Ionas in Tharsis, non corporis fuga, sed mentis ascensione, qui vsque ad Christi ascendit similitudinem, vt fieret typus Christi, dicit enim: Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Nam si sic non fugisset, nunquam de ventre ceti esset auditus. Sed si dubitas, doceat te Rebecca, quàm beata sit fuga quam suscepit Iacob. Suasit Rebecca: Fuga, inquit, in Mesopotamiam, & Isaac dicit: Surgens vade in Mesopotamiam in domum Bathuel. In hymnis vel oraculis à plerisque (vt ante nos scriptum est) Bathuel sapientia dicitur: interpretatione autem Latina, filia dei significatur. In domum ergo sapientiæ mittitur Iacob, & accipere iubetur vxorem à filiabus Laban, qui habitabat in Charris, quod significat cauernas, in quibus species est sensuum, qui sunt tanquam in cauernis corporis, vt visus in oculis, auditus in auribus, odoratus in naribus, in ore sapor. Qui enim delectatur hoc mundo, & tripudiat in voluptatibus corporis, obnoxius est sensuum passionibus, atque in his habitat & diuersatur. Vnde ei dicit Rebecca, habitando paucos dies cum illo, non multo tempore, ne corporeis coloretur voluptatibus, & seculi capiatur illecebris. Persuadet autem habitare, vt discat studiosius disciplinæ virtutes sensuum, & velut situs quosdam carnis atque regiones, vt se cognoscat, & nouerit vehementiam carnis, quid & qua causa creatum sit, quemadmodum vnusquisque sensus operetur. Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam. Malè sic videt oculus. Videat ergo oculus, & fungatur suo munere: non lubricæ mentis imperio dirigatur ad lapsum, vt vitium referat pro officio. Breue ergo tempus ad cognoscendos sensus, vel potius experiendos datur, & fortasse tenerioris adolescentiæ prima exordia: statimque reuocatur, ne diutius titubet in lubrico, & diuidua quadam inundatione corporis huius seculi mergantur animi interiora vestigia. Cùm autem vel expertus fuerit, vel steterit in instabili & incerto, atque humido solo, reuocatur à matre patientia vel perseuerantia quæ dicit: Mittam ad te, & accersam te inde, vt & illic in lubrico tutum portum inuenias sapientiæ, quæ te non sinat tanquam in naufragio fluctuare, & reuersus perseuerare circa dei noueris cultum, & sis in conuentu gentium, significans eius fide ecclesiam gentium congregandam. His igitur patientiæ & perseuerantiæ instructus disciplinis, profectus Iacob copulam sibi acquisiuit de sapientiæ domo, consortem propositi, opimam dotem prudentiæ, cum qua vitæ tempora sine vlla offensione transcurreret. Audito igitur thesauro sapientiæ, variarum sibi ouium instituit gregem, sedulum, rationabilem, virtutum plurimarum diuersitate fulgentem. Vnde & iactantia carnis eius recidit, quod significat femoris stupor, salua sacra interpretatione mysterij. His ergo virtutibus velut gradibus quibusdam mens eius ascendit in cœlum, & dei secreta cognouit, & confirmatus est & repletus, vt Laban scrutans domum eius nihil apud eum inane, nihil vacuum reperiret, nulla simulachra, nullum effigiem vanitatis. Non

Lucæ 19.
Matth. 5.
Gene. 27.
Ionæ 2.
Matth. 5.
Matth. 5.
1. Corin. 6.
Matth. 10.
Genes. 31.

enim apud eum erat imago, sed veritas: non effigies ignauię, sed solida forma iustitiæ, & veræ virtutis expressio intelligibilis. Itaque Laban perscrutatus est domum eius spiritalem, & non inuenit effigies. Plena enim erat non figurarum, sed negociorum: potuisset autem inuenire fundamenta virtutum & culmina, nisi cæcitatem cordis, & perfidæ mentis caliginem detulisset. Denique ea improbitatis cæcitate suffusi mentem Sodomitæ ostium nequaquam sancti Loth inuenire potuerunt. Vnde enim mens impia videre potuit viri sancti vel exitum vel ingressum? Ipse quoque dominus in euangelio ait: Venit enim princeps mundi huius, & in me inuenit nihil. Quomodo nihil inuenire potuit in eo in quo pleni tudo diuinitatis habitabat: & habitabat corporaliter, de quo virtus exibat, & sanabat omnes? Quomodo nihil inuenire potuit in soliditate virtutis, vbertate sapientiæ, integritate iustitiæ? Ipse dixisti domine: Plenus sum, ipse dixisti: Mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Misit manum qui non credebat, & dominum te & deum reperit. Non ergo tu vacuus, sed ille cęcus & inanis princeps istius mundi, qui nescit nisi sua cernere, nescit nisi sua inuenire: ea quæ Christi sunt, nescit agnoscere. Aut si sic: quemadmodum plerique habent: Non inueniet in me nihil, hoc est, non inueniet in me, malitiam, quia malitia nihil est: non inueniet mortuum, quia mortuus non est. Sed quomodo mortuum inueniret in eo, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt? Non inueniet, inquit, peccatum in me, qui mũdi peccatũ abstuli. Quomodo enim nihil habet, qui omnia habet? Et quod plus est, omnia habet quæ pater habet, sicut ipse ait: Omnia quæ pater habet, mea sunt.

Genes. 19. Ioan. 14. Colos. 3. Lucæ 6. Ioan. 20. 1. Corin. 1. Ioan. 1. Ioan. 16.

Cur hinc fugere debeamus, & quomodo transire cum Moyse vt videamus deum, calceamenta pedum soluendo. Quomodo etiam relinquere vmbram huius vitæ, & cum sancto Dauid euolare, etsi non vt aquila, saltem vt passer: etiam si non ad cœlum, saltem ad montes. *Caput V.*

Galat. 6. Psalm. 36. Exod. 3. Matth. 10. Esaiæ 52. Psal. 33. Ioan. 14. Psalm. 39. Gene. 31. Ioan. 5.

EVgiamus ergo hinc, vbi nihil est, vbi inane est omne quod magnificum putatur esse, vbi & qui se putat aliquid esse, nihil est, & omnino non est. Vidi, inquit, impium superexaltatum & eleuatum vltra cedros Libani, & transiui, & ecce non erat. Et tu transi sicut Dauid: transi sicut bonus seruus, vt dicatur tibi: Transi recumbe. Transi sicut Moyses, vt videas deum Abraham, Isaac, & Iacob, & videas visum magnum. Sed si videre vis, solue calceamentum pedum tuorum, solue omne vinculum iniquitatis, solue vincula seculi, relinque calceamentum quod terrenum est. Ideo Iesus sine calceamento, auro, & argẽto apostolos destinauit, ne secum terrena portarent. Qui enim bonum quærit, non in calceamento, sed pedum velocitate & decore laudatur dicẽte scriptura: Quàm specioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Solue ergo calceamentum pedum tuorum, vt specioſi sint ad euangelizandum. Solue dixit, non liga. Solue vt transeas, & illum quem mirabaris in terra impium, nihil illic esse, nihil posse reperias. Transi igitur, hoc est, fuge de terris, vbi malitia est, vbi auaritia. Ideo dicit tibi Dauid: Declina à malo & fac bonum. Declinare, fugere est vtique. Malum autem in terris, bonum in cœlo est. Vnde & addidit: Inquire pacem, & sequere eam. Pax in cœlo est. Denique de cœlo veniens dixit: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Ergo quia fugienda & declinanda sunt mala, mala autem in terris, in terris iniquitates: fugiamus terrena, ne nos comprehendant iniquitates, quæ etiam sanctum comprehenderunt Dauid, sicut ipse testatur, dicens: Comprehenderunt me iniquitates meę, & non potui vt viderem: eo quod fumo iniquitatis oculus animæ cæcatur, ne videat quæ sunt lucida. Sic ergo & Laban bona Iacob videre non potuit, & princeps huius mundi gloriam Christi. Sed fortè dicas: Cur igitur Iacob ad Laban missus est, si Laban reprehensibilis? Si nomen consideremus, candidus dicitur Latinè: ergo ad splendidiora iubetur egredi Iacob. Sed quia carnalis erat, melius intelligimus splendidiora vitæ huius. Qua si nõdum perfectus, primo ad eum vadit, apud quem ad horam exultaret in luce eius. Filios autem deteriores habebat, id est, tolerabilius nomẽ quàm opera. Et ideo & matris consilio, & diuino oraculo, & ipsius Iacob amatoris disciplinæ voluntate citò deseritur ac relinquitur. Abscondit autem simulacra sancta Rachel, id est, ecclesia, vel prudentia, quia ecclesia inanes, ideas & vanas nescit simulacrorum figuras, sed veram nouit trinitatis substantiam. Denique vmbram aboleuit, splendorem gloriæ manifestauit. Relinquamus ergo vmbram, qui solem quærimus: deseramus fumum, qui lumen sequimur. Fumus iniquitas est, quia sicut fumus oculis, sic iniquitas vtẽtibus ea vmbra est vitæ. Vmbra enim est nostra hæc vita in terra, sicut Iob dixit: Quid autem hic nisi tentationes? Omne tempus in solicitudine, omnis vita in molestiis. In medio, inquit, laqueorum ambulabis. Et alius in via qua ambulabat extentos sibi, sed absconditos laqueos querebatur, ne * deprehensus caderet. Volebat fugere sicut passer, sed adhuc laqueus contritus non erat. Periit, inquit, fuga à me. Grauatas habebat pẽnas per illam tenebrosam aquam in nubibus aeris, & fortasse euolare non poterat. Denique illas pennas quærebat accipere vt euolaret, & requiesceret, sicut scriptum est: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Vbi enim volatus ibi requies. Denique alibi dicit: Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ. Sed fortasse dicas: Quomodo ergo hic dicit fugam à se perisse, qui supra dixerat: Si sumpsero pennas meas ante lucem? Nunquid contrarium est? Absit. Multa enim iustorum certamina. Nunquid semel Athleta luctatur? Quotiens post coronas multas vincitur? In alio certamine quotiens qui sæpe vicerat, interdum fluctuat, & in incerto hæret? & sæpe fit vt fortibus fortis congrediatur, maiorãque oriantur certamina, vbi maiora virium documenta. Ergo Dauid vbi fugam quærebat, vt euaderet aduersarium, & non inueniebat pennas suas, ancipiti fluctuabat certamine. Siquidem vbi in potestate habet pennas suas, titulus psalmi in finem est: id est, perfectionem & cõsummationem victoriæ. Denique quasi victor dicit: Domine probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Meritò habebat facultatem volandi, qui pennas resurrectionis acceperat. Hic autem adhuc in spelũca est, id est, in carne, in antro quodam istius corporis, cum rege Saul filio duritiæ, & intelligibilis illius principis potestate decertans, qui nõ videtur, sed intelligitur. Vnde & psalmi titulus, intellectus est, quem tamen Dauid positus in carne conclusit, sed vt concluderet rogando meruit. Denique à voce precationis cœpit. Adde illud quod ille ex persona saluatoris psalmus dicitur, iste ex persona Dauid, qui in potestate non habebat victoriã, sed sperabat à Christo, & ipse tamen postea quam expandit ad deum manus suas, tãquam pennas animæ suæ, & cõfugit ad dominum, & spiritus sancti deductionem popposcit, quo cognosceret viam per quam posset ascendere, inclinari vidit cœlos vt Christus descenderet, & rogauit vt eum leuaret manu sua. Aut fortè ideo pẽnas suas iam non quærebat, quia perfectior factus manum Christi desiderabat. Qui vult igitur manu Christi leuari, ante ipse euoleт, habeat pennas suas. Qui fugit seculum, pennas habet, etsi suas non habet: ne fortè ille solus non habeat suas, qui potestatem habet volandi: si suas, inquam, non habet, ab eo qui habet accipiat. Qui fugit ergo seculum, volat. Ecce, inquit, elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Euolauit ergo Dauid, sicut nicticorax in domicilio. Si autem ad Christum referas, euolauit in corporis passione, vt sub vmbra alarum suarum protegeret populos nationum. Euolauit diuinitate, mansit corpore, atque habitauit in deserto, vt plures fierent desertæ filij, quàm eius quæ habebat virum. Illud ergo corpus sequamur, vt & nos resurgamus. Vbi enim corpus, ibi & aquilæ. Qui non potest vt aquila volare, volitet vt passer. Qui non potest ad cœlum, volet ad mõtes, fugiat autem vallestria, quæ citò corrumpuntur humore, & ad montes transeat. Transiuit ad montes Segor nepos Abrahæ, & saluus factus est: quæ autem non potuit ascendere affectu fœmineo reclinata, salutem amisit. Appropinquãtibus montibus æternis, dominus dicit per Micheam prophetam: Surgite hinc, quia non est vobis hîc refrigeratio. Propter spurcitiam corrupti

Iob 8. Eccles. 9. Psal. 141. * deprehensos cauerat. Ibidem. Psalm. 54. Psal. 67. Psal. 138. Ibidem. Esaiæ 54. Matth. 24. Genes. 19. Micheæ 2. Rom. 10.

rupti estis corruptione, persecutionẽ passi estis. Et dominus
Lucæ 21. dicit: Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: vbi mons
Sion, & ciuitas pacis Hierusalem, non terrenis, sed viuis con
structa lapidibus, & decem milia angelorum, primitiuorum
ecclesia, perfectorũ spiritus, iustorum deus, qui in sanguine
Hier. 12. suo melius locutus est quàm Abel. Ille enim vindictam cla-
mauit, hic indulgẽtiam: ille peccatum fratris accusat, hic pec
catum mundi remisit: ille prodidit crimen, hic texit, secun-
Psal 31. dum quod scriptum est: Beati quorum tecta sunt peccata.

Qua ratione volens fugere, velociter & diligenter fugere debeat: quo etiam fugiendum sit, & ad quod bonum animas nostras erigere debeamus. Caput VI.

SED qui fugit, velociter fugiat, ne comprehendatur. Velociter deprædetur hunc mundum, vt Hebræus Ægyptum. Qui parturit, pariat: ne onusto & degrauato iniquitatibus mentis vtero fugere nõ possit: & fugiat non quasi lactantem ferens, sed quasi expeditum: non paruulum gestans, sed perfectum in Christo exhibens: fugiat non quasi feriatus in sabbato, sed tãquam operarius in negocio, nec tanquam sterilis in frigore, sed tanquam, opimus in messe. Ideo enim di-
Matth. 24. ctum est: Orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Fuga ergo hæc fœcunda virtutum est, non effœta meritorum. Fuga hæc nescit frigus timoris, tremorem mortis, contractionem solicitudinis, dissolutionis ocium, lasciuiæ ferias, torpo rem lentitudinis, sed vitæ cœlestis requirit impigrum viatorem, regni superioris competitorem strenuum, diuitem agri
Deut. 10. colã, qui fructus suos cogat, & cogendo diripiat. Quid enim aliud à te ô homo quæritur, nisi vt timeas dominum, requiras eum, post ipsum ambules, comprehendas vias eius? In quo, inquit, comprehẽdam dominum? Si comprehendam in holocaustis? Non in decem milibus hœdorũ, non in milibus arietum: non in fructibus impietatis recõciliatur dominus, & peccata redimuntur, sed in bona vita domini gratia comprehenditur. Renunciatum est, inquit, tibi ô homo quid sit bonum, aut quid dominus exquirat à te. Quid aliud nisi vt facias iustitiam, & diligas misericordiã, & paratus sis ire cum
Ioan. 14. domino deo tuo? Dicit ergo euangeliũ: Surgite, eamus hinc.
Deut. 23. Dicit tibi lex: Post dominum deum tuum ambulabis. Didici sti quomodo hinc fugias: quid moraris? Dicit tibi euangeliũ
Matth. 3. iterum: Progenies viperarum, quis vobis demonstrauit fugere ab ira ventura? Et dicit hoc illis qui veniebant ad baptis mum pœnitentiæ. Ergo pœnitentia fuga est bona. Gratia dei fuga est bona, in qua est assumptio fugientis. Desertum fu-
3. Reg. 19. ga est bona, ad quod fugit Helias, Helisæus, Ioãnes baptista. Fugit Helias mulierem Iezabel, id est, effusionem vanitatis, & fugit ad montem Oreb, quod significat exsiccationem, vt siccaretur in eo carnalis profluuium vanitatis, & cognosceret plenius deum. Erat enim ad torrẽtem Chorrad, quod est cognitio, vbi abundantiam profluentem diuinæ cognitionis hauriret, ita fugiens seculum, vt nec cibũ corporis huius exquireret, nisi quem aues detulissent ministræ, quanquam esca eius plerunque terrena non fuerit. Denique quadraginta diebus in virtute escæ quam acceperat, ambulauit. Vtique non mulierem fugiebat propheta tantus, sed hoc seculum. An mortem timebat qui se obtulerat requirenti, & qui dicebat ad dominum: Recipe animam meam? tædium vitæ istius sustinens, non cupiditatem: sed fugiebat secularem illecebram, & conuersationis maculosæ contagionem, & impiæ ac præuaricatricis nationis sacrilegia. Salomon quoq; in mulieris illius specie corruptelam seculi huius exponit, & mere
Prouer. 21. tricias artes declinãdas edocet. Hæc est mulier aliena & fornicaria, à qua te vt custodias adhortatur. Ne declines in vias seculi cor tuum, sed colloces illud in manu domini, in qua est cor regis. Qui enim seipsum regit, quod pluris est quàm aliis imperare, cor eius in manu dei est, & quo deus vult conuertit illud. Non mirum si conuertit in bonum, qui perfectæ bonitatis est. In manu ergo dei sumus, vt bonum quæra-
Amos 5. mus, illud bonum incorruptibile atque incommutabile, de quo dicit Amos propheta: Exquirite bonum & non malignum, vt viuatis, & sic erit vobiscum dominus deus omnipotens. Quomodo dixistis: Odio habuimus mala, & dilexi-
mus bona? Vbi ergo bonus deus, ibi bona sunt quæ desiderauit videre Dauid, & visurum se credidit, sicut ipse ait: Cre- Psal. 26.
do videre bona domini in terra viuentium. Illa enim bona sunt quæ manent semper, quæ non queunt temporis vel ætatis mutatione corrumpi. In illis bonis est qui deum quæsierit & inuenerit. Vbi enim cor hominis, ibi & thesaurus e- Matth. 6.
ius est. Non enim solet bonum datum deprecantibus dominus denegare. Ergo quia bonus dominus est, & maximè sustinentibus se bonus est, ipsi adhæreamus, cum ipso simus tota anima nostra, toto corde, tota virtute, vt simus in lumine eius, & videamus eius gloriam, & delectationis supernæ fruamur gratia. Ad illud igitur bonum erigamus animas nostras, vt in illo simus, atq; in ipso viuamus. Ipsi adhæreamus, quod est supra omnem mentẽ, & omnem considerationem, & pace vtitur perpetua ac tranquillitate. Pax autem supra omnem mentem est, & supra omnem sensum. Hoc est bonum quod penetrat omnia, & omnes in ipso viuimus, atque ex ipso pendemus. Ipsum autem supra se nihil habet, sed est diuinum. Nemo enim bonus nisi vnus deus. Quod ergo bo Marc. 10.
num, diuinum est: & quod diuinum, bonum. Et ideo dicitur. Aperiente te manum, implebuntur omnia bonitate. Per Psal. 103.
bonitatem enim dei nobis vniuersa tribuuntur, meritò bona, quibus nihil admixtum est mali. Hæc bona promittit scriptura fidelibus, dicens: Quæ bona sunt terræ, manducabitis. Esaiæ 1.
Boni ergo illi? similes simus, vt quæ bona sunt adipiscamur. Bonum quod est, sine iniquitate est, sine dolo, sine asperitate, cum gratia, cum pietate, cum synceritate & beneuolentia, charitate, iustitia. Itaque omnes virtutes bonitas tãquam mater fœcunda amplectitur.

Quòd non mediocris sit causa cur hinc fugere debeamus. Quódque non impigrè malitia huius seculi fugienda sit. Et quid sit hinc fugere. Cur etiam malitia in terris versetur & sæuiat. Qua præterea ratione dominus Iesus vindictam diaboli authoris malitiæ distulerit, neque eadem sententia in ipsum & in hominem dicta sit. Caput VII.

EST igitur non mediocris causa cur hinc fugere debeamus, vt perueniamus à malis ad bona, ab incertis ad fidelia & plena veritatis, à morte ad vitam. Ipse quoque dominus dicendo: Posui ante te bonum & malum, vi Eccles. 15.
tam & mortem: demonstrauit quia bonum vita est, sed æterna. Si enim hæc obnoxia seculo, atque eius malignitati: vtiq; illa est bona, quæ non corrumpitur & mutatur, quæ nullo vitio degenerat, quæ virtute acquiritur. Fu-
giamus ergo malitiã seculi huius, in quo ipsi dies, inquit, ma- Ephes. 5.
li sunt, & fugiamus impigrè. Ideoque Esaias clamat: Conua- Esaiæ 35.
lescite manus remissæ, & genua dissoluta, id est, non corporis sed animæ genua conualescite, vt directum ad cœli altissima mentis vestigiũ possit attolli, vt sit doctrina solidior, vita maturior, gratia plenior, prudentia circunspectior. Hoc est enim fugere, scire quò tendas, ableuare se à seculo, ableuare se à corpore, ne iterum frustra se aliquis extollat, & inflata mente carnis suæ non teneat caput, & dicatur de his: Fuge- Iob 9.
runt, & non viderunt. Sed hoc est fugere hinc, mori elementis istius mundi, abscõdere vitam in deo, declinare corruptiones, nõ attaminare cupiditates, nescire quæ sunt mũdi istius, qui nobis varios gignit dolores, exinanit cũ repleuerit, cùm exinaniuerit, replet. Et hęc omnia inania & vacua, in quibus nullus solidus est fructus. Mortuus est diues, & nihil habet, quia non est in deum diues: & ideo insipiens, quia sapientia cultura est dei: abstinere autem à malis, disciplina est. Quis ergo non fugiat malitiæ locum, officinam improbitatis quæ interire nesciat? Denique non ociosè signum positum est supra Cain, ne quis eum occideret, vt significaretur quòd non extinguatur & auferatur à terris malitia. Timebat Cain ne Genes. 4.
occideretur, quia fugere nesciebat. Augetur enim & cumulatur ipso vsu malitia, & est sine moderatione, sine fine, dolo & fraude decernẽs, quę factis suis proditur, & sanguine peremptorum, sicut & Cain proditus est. Versatur itaque in terris malitia, atque istic erat, & ideo rogamus voluntatem dei fieri in terris sicut & in cœlis, vt & hîc sit innocentia. Itaque malitia quoniam illic iam locum non habet, hîc circuit, hîc sæuit, seséque infundit, non mundo illo mersa diluuio, non Sodomitano exusta incendio. Denique grauius postea in

 semi-

seminariis pullulauit,vsque in ipsum parricidales ac sacrilegas iniiciens manus vniuersorum authorem salutis.Lex factum damnat,non aufert malitiam.Ipse dominus Iesus peccatum * donauit, authorem eius distulit, vt esset per quem iusti probarentur. Etenim quia malum deus non fecit, sed nequitia diaboli inseruit:vindictam deus distulit, vt ab ipsis quos deceperat,diabolus vinceretur.Exercentur ergo decepti vt & precium luant facilitatis, & sumant studia virtutis, industriam cautionis. Vnde ait:Estote astuti sicut serpentes. Quare sicut serpentes? Vt & ille spolietur suo, & qui alios exuere voluit,amittat quæ sunt ipsius,non venena,sed merita naturæ.Deniq; deiicitur ille,cum tu ascenderis.Scriptum est enim: Videbam satanam sicut fulgur cadentem de cœlo. Non fulgur,inquit,sed sicut fulgur, quia suum lumen amisit,quod habebat antequam tibi tuum lumen vellet auferre. Verùm fortè dicas quia & de saluatore legimus, quia sicut fulgur coruscans de sub cœlo,ita erit & aduentus filij hominis.Bene & hîc sicut fulgur,quia & hîc supra fulgur.Deniq; fulgur de sub cœlo,lumen autem verum supra cœlum. Ergo satanas sicut fulgur,quia amisit quod habuit,tu autem recepisti quod amiseras. Non enim ita circa illum sicut circa te soluta est sententia.Nam Christi gratia quæ te resoluit,illum adstrinxit. Manet enim maledictio directa in serpẽtem propter tuam deceptionem. Sic enim dictum est ad eum: Maledictus tu ab omnibus pecoribus terræ.Omnium enim communis inimicus est,qui fuit hostis bonorum, & pro iis damnatur quos adhuc non læserat: quoniam qui hominem læsit,cui illa omnia subiecta sunt,læsit omnia. Communem etenim legem soluit,quia & ipse homini cum cæteris subditus est:ideo communi odio omnium atque execratione maledictio eius oneratur. Genus autem dánationis, non mors sed pœna diuturna est.Super pectus,inquit,tuũ & ventrem ambulabis.Premenda enim fuit noxia conscientia, & proterenda malitia, fraudulentúmque secretum tanquam à dei facie relegandum: simul ostẽditur quod terrena malitia sit, quæ in terram recuruetur.Denique addidit: Et terram edes omnes dies vitæ tuæ. Describi quidem his natura serpentis videtur,sed magis omne vas malitiæ describitur,omnis serpens improbitatis, qui in ventrem se deiicit,atque intra se venenum suum claudit,& intus in pectore suo voluit, cogitationibus suis lubricus, & super fraudes suas ambulans, suis dolis se ipse implicans,mouens semper atque exagitans sua venena cum cogitat,ventrem quoque,hoc est, seminarium cordis sui proterens. Vnde pulchrè Dauid ait: Alienati sunt peccatores ab vtero,errauerunt à ventre,locuti sunt falsa.Furor illis secundum similitudinem serpentis,sicut aspidis surdæ & obstruẽtis aures suas,quæ non exaudiet vocem incantantium,& venefici,cùm incantatur à sapiente.Propter hoc etiam illud pulchrè dictum videtur quod in libro prophetico legimus:Vẽtrem meum doleo,ventrem meum doleo: quia ibi est malitia,vbi debet esse innocentia:& illud plus laborat,quod in nobis debet esse tranquillius,atque id nequitiæ vestigiis proculcatur,stimulatur vnguibus,processu quodam improbitatis incrementóque concutitur,vbi est genitale seminarium posteritatis æternæ. Videtur quidem hoc ad id esse referendum quod doleat periisse quos creauit filios & susceperit,sed multo magis quod in ventre suo verbi seminarium non habebant.Ideo ventrem suum dicit,quasi pretiosissimum.Pretiosus enim mentis vterus est,in quo fœcunda seges consiliorum verbi semine pullulare consueuit,& vitæ totius solent atq; virtutum ac disciplinarum quædam membra formari.Sed vt reuertamur ad propositum, quod malitiam deus reprimendam,interímque abolendam putauerit, ait ad serpentem:Et inimicitias ponam inter te & inter mulierem,& semen tuum & semen mulieris.Ipsa tibi obseruabit caput,& tu illius calcaneum.Vbi inimicitiæ sunt, discordia est,nocendíque studium:vbi nocendi studium,ibi malitia ponitur.Ergo discordiæ inter serpentem & mulierem,discordiæ malitia subest.Non est ergo sublata malitia. Deniq; seruatum est serpenti vt calcaneum mulieris & seminis eius obseruet,quo noceat,& venenum suum infundat. Non ergo ambulemus in terrenis,& serpens nobis nocere non potest. Sumamus euangelicum calceamentum quo venenum serpentis excluditur,morsus eius hebetatur,vt simus calceati pedes in euangelium.Et fortasse ideo Moyses iubetur soluere calceamentum pedum suorum, vt sumeret calceamentum euangelij,vel quia non Moysi,id est,non prophetis,sed Apostolis prædicatio euãgelij debebatur. Ea est quam supra diximus:dicta in serpentem sententia: in hominem quoque cuiusmodi dicta sit,consideremus.Maledictus est ille qui author est culpæ,sed non maledictus est iste qui aliena fraude deceptus est:tamen quia non seruauit mandatũ dei,operum suorum labore damnatur.Maledicitur sanè terra, sed in operibus peccatoris,& maledicitur donec resoluatur in terram. Ideo ergo deus suscepit carnem,vt maledictum carnis peccatricis aboleret,& factus est pro nobis maledictum,vt benedictio absorberet maledictionẽ,integritas peccatum,indulgentia sentẽtiam,vita mortem.Suscepit enim & mortem,vt impleretur sentẽtia,satisfieret iudicato per maledictum carnis peccatricis vsque ad mortem.Nihil ergo factum est contra sententiam dei,cùm sit diuinæ cõditio impleta sententię. Maledictũ enim vsque ad mortem,post mortem autẽ gratia. Mortui ergo seculo sumus, quid adhuc seculo deseruimus? Mortui sumus cum Christo,quid adhuc vitæ huius actus requirimus? Mortem enim Christi in corpore nostro circunferimus,vt & vita Christi in nobis manifestetur.Nõ ergo iam nostram illam vitam,sed Christi vitam viuimus,vitam innocentiæ,vitam castimoniæ, vitam simplicitatis, omniúmque virtutum.Cum Christo resurrexerimus, in ipso viuamus, in ipso ascendamus, vt serpens calcaneum nostrum quod vulneret,in terrenis reperire non possit.

Exod.3.

Genes.3.

Matth.10.

Luc. 10.

Luc. 17.

Psal.57.

Hier.4.

Genes.3.

Ephes.6.

Quomodo hinc animo fugere possimus,etsi corpore retineamur. Quòd etiam hinc quia tempus breue est fugiamus, ne cum prætereunte figura mundi opera nostra,nosque ipsi prætereamus: quod si cauere velimus, mandata dei non prætereamus,neque disciplinæ alicuius profectum, quemadmodum Ioseph fecit,& in Sara ostẽditur,& sic Iacob executus est.

Cap. VIII.

Fugiamus hinc.Potes animo fugere,etsi retineris corpore.Potes & hic esse,& adesse ad dominum, si illi adhæreat anima tua,si post ipsum cogitationibus tuis ambules,si fide non specie vias eius sequaris,si ad ipsum confugias. Est enim refugium & virtus, cui dicit Dauid: Ad te confugi, & non sum deceptus. Ergo quia deus refugium,deus autẽ in cœlo,& supra cœlos: vtiq; hinc illò confugiendũ est,vbi pax,vbi requies ab operibus, vbi epulemur sabbatũ magnum, sicut dixit Moyses:Et erũt sabbata terræ vobis escæ.Epulatorium enim & plenum iucunditatis & tranquillitatis est, requiescere in deo, & eius delectationem videre. Qui ergo confugimus ad deum, ad mundum reuertemur?Qui peccato mortui sumus, peccata repetemus? Qui renunciauimus seculo & vsui eius, iterum in luto eius hærebimus?Fugiamus hinc, quia tempus breue est. Audi quomodo fugias. Et qui habent vxores, ita sint ac si non habeant:& qui flent,tanquam non flentes:& qui gaudent, tanquam non gaudentes:& qui emunt,tanquam non possidentes:& qui hoc mundo vtuntur,tanquam non vtantur.Præterit enim figura huius mundi. Non ergo cùm prætereunte figura mundi opera nostra prætereant, ne etiam ipsi prætereamus, sed maneamus in veritate.Si maneamus in Christo,manemus in veritate,& cum eo manebimus, & nõ præteribimus,sed dicemus:Benedictio domini super vos,benediximus vobis in nomine domini.Qui enim prætereunt, non possunt dicere,quia non dixerunt prætereuntes viam: benedictio domini super vos, quemadmodum dixit propheta. Itaque si volumus non præterire opera nostra, non prætereamus mandata dei,non prætereamus requirendi Iesu domini diligentiam, emerendi eius gratiam. Non præteriuit eum illa mulier quæ vsque in pharisæi domum ingressa, in qua Christus recumbebat, in pedes eius superfudit vnguentum. Non prætereamus disciplinæ alicuius profectum, sicut etiam Ioseph adolescentulus non præteriuit, quia fratres suos requirebat, & ad eum festinabat locum in quo pascebant oues, & cum cognouisset quia in Dothaim sunt,perrexit eò.Significatur autem illo verbo Dothaim,defectus idoneus, id est, vanarum opinionum defectus non mediо-

Psalm.76.

1. Corin.7.

Psal.118.

Luc.7.

Genes.37.

mediocris,sed perfectus & plenus,in quo profectus est animæ.Sapiens enim quando monuit,addidit: Deficiunt enim
seculares opiniones,quæ mulieribus infirmis comparantur.
Vnde pulchrè quo ostenderetur Sara ad profectum venis-
Genes.18. se vt generaret, risum & lætitiam: Defecerunt, inquit, Saræ
fieri muliebria.Bona ergo defectio cupiditatum,defectio va
nitatis,quia veritatis adiectio est.Vnde & sanctus Dauid ait:
Psal.118. Defecit in salutare tuum anima mea.Paritura enim erat quę
cõcesserat:& promiserat deus,paritura lætitiam,& sobriam
illam iucunditatis ebrietatem,paritura ante expectatum in-
genium celeritate partus,fœta sapientiæ.Denique & de aliis
Exod.1. Hebræis mulieribus habes,quia Hebrææ prius pariũt,quàm
veniant obstetrices,eo quòd animæ iustorum non expectẽt
artes & disciplinas propter inuentionum genera, nec requi
rant adiumenta generandi,sed sponte partus suos fundant,
expectationémque præueniant. Nec minus impiger ad in-
Genes.27. ueniendum,quàm ad exequendum Iacob:cui cùm mater di
xisset vt inferret patri escas, definitionum genera suppetisse
cernimus.Nam & citò inuenit, & inuentorum suorum au-
thorem testificatus est deum,in quo & diligentiæ palma, &
ingenij sanctificatur vbertas.Prima ergo definitio in inuen-
tione.Quod inuenitur,quæritur:& quod quæritur, tempo-
ris est:quod temporis est,vtique diligentiæ est.Ingenium igi
tur diuini est muneris:quod autem diuini muneris, hoc na-
turæ.Ingenium ergo naturæ est,inuentio diligentiæ:illud si-
ne tempore,hoc indiget tempore. Ideoque illud in tempo-
re prẽsto est,hoc in spatio temporis inuestigatur.Illud supra
nos,hoc verò ad nos refertur . Quærenti igitur patri cibum
Matth.4. verbi: Non enim in solo pane viuit homo , sed in omni ver-
bo dei . Talem cibum quærebat Isaac , talem cibum esuriuit
Petrus,quando vidit credituri gentilis populi mysteria,Esau
præsto non habuit cibũ spiritalis & velocioris ingenij.Dum
ille venatur & quærit , & prædarum atque agrestem sermo-
nem suggerere parat , præuenit Iacob celeri inuentione , &
miti, & propè domestica responsione suaue verbum mini-
Gene.27. strans,quo eum mulceret ac delectaret.Vnde miratus pater
ait:Quid est hoc,quòd tam citò inuenire potuisti fili mi?Re-
spondit Iacob : Quod tradidit dominus deus tuus in manus
meas.Prima definitio in interrogatione est,secũda in respon
so.Plena igitur omnia reperiens pater quę erant vel ingenij,
vel diligentiæ, definitionis consummationem concluſit, di-
cens:Ecce odor filij mei tanquam odor agri pleni,cui bene-
dixit dominus . Ager enim & naturale habet fertilitatis in-
genium,& culturæ diligentiam temporalem: meritóque in
eo est plenitudo,cui vtrunque non deest simul . Cùm addi-
derit,quem benedixit dominus,videtur naturæ gratiam præ
tulisse inuentionis labori.Et confirmauit Esau,dicens: Iustè
vocatum est nomen illius Iacob.Supplantauit enim me iam
bis,& primogenita mea accepit.Sed fortè dicas:In quo mo-
ram fecit,qui ad venationem à patre missus est?Sed considera
quia & pater pronunciauit quia paratum habere non pos
set quod spiritaliter petebatur,& ideo quia deficiebat inge-
Ibidem. nio,vel diligentiæ subsidium vt adiungeret exigebat.Celeri-
tatis quoque admonet,qui ait:Cape arcum & sagittam. Ac-
cepit tamen & diligentiæ fructum,qui agnoscit superius, &
sui ingenij munus.Nec immeritò domesticos cibos detulit,
qui de domesticis seminis sui sapientiæ sibi acquisiuit copu
lam.Bona autem diligentia cum sapientia, & inuentio cum
ingenio naturali.Denique habens in promptu sapientiæ co-
pulam sanctus Isaac,deambulabat in campo,imò ab alienabatur.Et nos primò sapientiæ copulemur,& sic exeamus in
campum quęrere & inuenire cupientes.Multi enim sine sa-
pientia malè quærunt . Et ideo Cain quia non acceperat à
deo prudẽtiam,malè quæsiuit,malè exiuit in campum.Abel
benè,qui perfectũ sacrificij munus impleuit . Bonum enim
sapientiæ sacrificium, bona est hostia fides, & omnis virtus.
Denique sapientia interfecit suas hostias,& miscuit in crate
Prouer.9. re vinum suum . Et ideo vt insipientibus gentilibus potum
fidei daret,ad creatorem suum conuocauit eos, dicens: Qui
est insipiens,diuertat ad me.Et egentibus sensu dixit: Veni-
te & edite de meis panibus,& bibite vinum quod miscui vo
bis.De hoc cratere Plato in suos libros transferendum puta
uit,ad cuius potum vocauit animas,sed eas explere nesciuit,

A qui potum non fidei,sed perfidiæ ministrabat.

De exhortatione quod hinc fugiamus, sicut fugit de patria sanctus Iacob, & sicut cerui fugiunt ad fontes aquarum, quos & Dauid sitiebat. Quis quoque sit iste fons, & quid hunc fontem desiderans facere debeat, exemplo Susannæ. Quomodo etiam sicut Paulus & Loth fugerunt, nos fugere debeamus. Quibus præterea modis quis bene fugere possit. *Caput IX.*

FVgiamus hinc,sicut fugit de patria sanctus Iacob . Sciebat enim veram patriam esse superiorem.Fugiamus sicut cerui ad fontes aquarum,quos sitiebat Dauid.Sitiat & anima nostra.Quis est ille fons?Audi dicentem: Quo- Psalm.35.
niam apud te est fons vitæ.Huic fonti dicat anima:Quando
veniam & apparebo ante faciem tuam?Fons enim deus est.
Sed qui hunc fontem desiderat, effundat super se animam
suam,vt nihil possessioni carnis relinquat,sed vbique anima
superfluat.Pulchrè eam effudit Susanna, vt euaporare in ea
non possent incendia corporis, mortis formidines, vitæ cu-
piditates.Effusa super ipsam anima, omne restinxit carnale
B desiderium,seculare studium.Quæ etiam prodigiosorum se
num & impudentium presbyterorum non potuit flammas
restinguere, nisi in his libidinis profluuium redundasset. A
quibus cùm intenderetur calumnia si assensus negaretur a-
dulterio, ingemuit Susanna, & dixit : Angustiæ mihi assunt Daniel.13.
vndique.Si enim hoc fecero,morte æterna peribo : si autem
non fecero,non effugiam manus vestras. Melius tamen iu-
dicauit crimen potius fugere,quàm periculum.Plorauit ita-
que cùm crimen obiiceretur,plorauit cùm sibi de pudica &
casta adulteri iudicium vindicarẽt, non mortem deplorans,
sed castitatis calumniam.Religionis iniuriam plorauit,& ef
fudit super se non corpus,sed animam. Effudisset enim cor-
pus , si carnalibus acquieuisset . Denique cùm morte dam-
naretur,exclamauit quasi iudex reorum,arbitra calumnian-
tium:& innocentis conscientiæ authoritate diuinam sibi in
iudicium accersiuit cognitionem,non timore mortis percita,sed arguentis cẽsuræ potestate præcelsa.Susanna ergo fu-
C git seculum,& se ideo credidit,ad illam arcem ciuitatis æter-
næ fugiens,quæ totum mũdum complectitur, quoniam in-
tra deum sunt omnia.Fugit & Paulus,vt euaderet per fene- 2.Cor.11.
stram in sporta demissus.Spartum enim triplex corrũpi non Eccles.4.
posse nouerat.Sed fugit vt euangeliũ domini toto orbe prædicaret:& ideo in paradisum raptus est.Et nos fugiamus per
fenestram,audientes præcepta domini,& visu sobrio,atque
oculorum castitate seruantes.Fugiamus sicut Loth Sodomi- Genes.19.
tana crimina amplius quàm supplicia formidãs.Magis enim
pius certa scelerum fugit cõtagia,qui Sodomitanis domum
clausit,nec cohabitans,nec cogitans eos,quorum flagitia ne
sciebat,& opprobria auersabatur: nec fugiens respexit eos,
quorum conuersationes non desiderabat . Fugit ergo sicut
Loth,qui renunciat vitiis,abdicat se incolarum moribus,qui
post se non respicit,qui superiorem illam ciuitatem ingredi-
tur introitu cogitationum suarum , nec recedit ex ea donec
moriatur princeps sacerdotum , qui tulit peccatum mundi.
Mortuus quidem semel est , sed moritur vnicuique qui ba- Ioan.1.
D ptizatur in morte Christi:vt sepeliamur cum eo,& resurga- Rom.6.
mus cum eo,& in nouitate vitæ illius ambulemus.Bene fu-
gis,si cor tuum non imitetur peccatorum consilia,cogitatio
nes eorum.Bene fugis,si oculus tuus fugiat calices & phia-
las,ne fiat libidinosus dum moratur in vino,si oculus tuus a-
liena declinet,vt lingua tua veritatem custodiat.Bene fugis,
si non respondeas imprudenti ad imprudentiam illius.Bene
fugis,si auferas gressum pedum tuorum ex ore insipiẽtium.
Citò enim malis ducibus erratur.Sed si vis bene fugere,lon-
gè fac vias tuas ab eorum sermonibus.Mortuus est tibi prin-
ceps sacerdotum,tibi crucifixus est, vt clauis eius adhæreas.
Te enim in illa carne & tua peccata suscepit, affixa sunt in
patibulo tuorum delictorum chirographa , vt iam mundo
nihil debeas,cui semel renunciasti.Et rectè nihil debes, cui Galat.6.
suppetit dicere:Mihi enim mũdus crucifixus est,& ego mun
do:vt iam mortem non timeas,si geras Christum, in quo po
tes dicere: Vbi est mors victoria tua ? Vbi est mors aculeus 1.Cor.15.
tuus ? Etenim cùm vetus homo noster affixus est cruci, de- Roman.6.
structum est peccatum, obtusus aculeus , vacuata culpa, vt

vlterius ſeruire flagitiis deſinamus. Abiit enim vetus homo in nobis. Nunc autem iam non vetus homo in nobis, ſed noua eſt creatura, habens in ſe ſimilitudinẽ Chriſti, cuius mortis ſimilitudini conſepulti, imaginem vitę eius aſſumpſimus, alas gratiæ ſpiritalis accepimus. Sic igitur volate, vt dicatur
Eſaiæ 60. de vobis. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & ſicut columbæ cum pullis ſuis? vt nebulæ veſtræ rorent iuſtitiam, & columbæ pariant ſimplicitatem. Sic nauigate quaſi trãsfretantes mundum, non pererrantes, quaſi naues Tharſis, vt ad intelligibiles portus curſum dirigatis, & conuehatis diuitias
Thren. 4. maris. Sic feſtinate vt dicatur de vobis: Leues facti ſunt ſuper aquilas. Ab ira enim ventura fugiendum videtis, quam declinare poterunt qui per pœnitentiam ſibi ſpem locauerint euadendi, & reconciliationis futuræ fidem hauſerint, per dominum noſtrum, cui regnum eſt à ſeculis, & nunc, & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

CAPITVLA LIBRI DE BONO MORTIS.

De cauſa facilitatis ſcribendi de bono mortis, & qua ratione mors bona vel mala videri poſſit, cum argumento ex deſcriptione vitæ & mortis accepto, quo mors dicenda videatur mala. Caput I.

De tribus mortis generibus. Et quòd mors tertia (quæ eſt animæ & corporis ſeceſſio) cùm omnes abſoluat, paucos delectet. Quódque hoc non eius ſit vitium, ſed noſtræ infirmitatis, qui delectatione vitæ iſtius capimur: in qua cùm plus ſit amaritudinis quàm voluptatis, mors quæ eſt finis illius, bona eſt: nec vita iſta tantopere deſideranda. Caput II.

Quid ſecundum ſcripturam ſit mors, & quid vita. Et quòd in hac vita ſit quædã mors bona, cùm ſcilicet quis in hac vita poſitus ſpeciẽ mortis imitatur, & ita ſe agit, vt ei moriantur omnes corporis delectationes, & etiam ipſe cupiditatibus omnibus mundíque illecebris moriatur. Ad quam & ipſe Apoſtolus nos hortatur, docens iſtam mortem in hac vita poſitis expetendam. Et quomodo quis ſic mortem imitetur. Quibus etiam rebus deflectatur & abducatur. Caput III.

De ſolutione obiectionis qua mors arguitur non eſſe bona, quia deus eam non fecerit, & qua ratione omnifariam mors ſit bonum. Quódq; ideo fruſtra homines mortem timeãt, præſertim cùm ſit finis peccati, & quòd ipſa mundum redemerit. Caput IIII.

Qua ratione cõmunis omnium mors non ſit timenda. Quo modo etiam dum in corpore ſumus, vſum mortis imitantes abducere nos debeamus à nexu corporis, omniaque terrena relinquere, conſcẽdere ad diuina, ſurgere de mundanis, fugere hæc mala, & exaltare animam ad imaginem & ſimilitudinem dei, eámque munire muris ac ſpeculatore. Quomodo etiam ipſa debeat ingredi in hortos atq; paradiſum, & ex illo abũdantiam virtutum transferre, & in hortum mentis tranſplantare, in quem verbum dei inuitatum deſcendat, & paſcatur: & cognoſcere quos fructus & cibos epuletur, quibúſve delectetur. Cap. V.

Quomodo cauendi ſint laquei principatuum aeriorum, qui nos rectè gradiẽtes & ad altiora tendentes impedire quęrunt, & ad terrena reuocare. Cap. VI.

Quomodo noſtri nobis ſint laquei cauendi. Et de moleſtiis huius vitæ, propter quas totam vitam odio habuit Eccleſiaſtes, & mortem laudauit. Quódque impio amarior ſit vita quàm mors, cùm grauius ſit ad peccatũ viuere, quàm in peccato mori. Ex quibus concluditur mortem non eſſe malum. Cap. VII.

Qua ratione non mors ipſa quæ terribilis, apud viuẽtes æſtimatur, ſit terribilis, ſed opinio de morte, & de confutatione duarum cauſarum ob quas mortem inſipientes verentur. Quódque mors generaliter non ſit mala, licet ſpecialiter peſſima ſit mors peccatorum. Cur præterea Græci finem appellauerint mortem: Et quantam morti ſanctus Iob laudem tribuerit. Cap. VIII.

Quemadmodum ex recapitulatione de bono mortis, probetur anima non mori cum corpore, & quod in bonis demoratura ſit. Quid etiam nobis cauendum ſit, & quid faciendum, ſi velimus poſt mortem huius corporis in iſtis bonis eſſe. Cap. IX.

De diuino teſtimonio quo demonſtratur quòd anima non moriatur cum corpore. Et de errore hominum qui precioſa ſtruunt ſepulchra, tanquam animæ & corporis receptacula, cùm animarum ſuperiora eſſe habitacula ſcripturæ teſtimoniis valde probetur. Cap. X.

De iuſtarum animarum ingenti lætitia per ſeptenarium ordinem digeſta. Ac de admonitione vt & nos ſtudium adhibeamus quo anima noſtra deo appropinquet, & ab eo non ſeparemur: quo etiam modo hoc facere debeamus. Quódq; non vereamur illum omnibus debitum finem, in quo Eſdras remunerationem ſuæ deuotionis inuenit. Caput XI.

De conſolatiua exhortatione vt intrepidè pergamus ad redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum, & ad patriarcharum concilium, ſanctorum cœtum, iuſtorúmque conuentum, vbi paradiſus iucunditatis, paratæque ſeruulis Ieſu promiſſæ manſiones: qua ratione præterea illuc feſtinare debeamus. Cap. XII.

Diui Ambroſij MEDIOLANENSIS EPISCOPI *de bono mortis, liber vnus.*

De cauſa facilitatis ſcribẽdi de bono mortis, & qua ratione mors bona vel mala videri poſſit, cum argumento ex deſcriptione vitæ & mortis accepto, quo mors dicenda videatur mala. Caput I.

QVoniam de anima ſuperioro libro ſermonem aliquem contexuimus, facilio rem viã putamus de bono mortis conficere aliquid. Quæ ſi animæ noceat, malum videri poteſt: ſi nihil autem offi ciat animæ, ne malum quidẽ. Quod au tem malum non eſt, id etiam bonum: quoniam quod vitioſum, id malum: quod autem vitio caret, id bonum: ideoque bona malis cõtraria ſunt, & mala bonis. Denique innocentia eſt vbi non eſt nocendi voluntas: & noxius dicitur, qui non ſit innoxius: miſericors, qui remittat: immiſericors, qui ignoſcere atq; inflecti neſciat. Sed fortè aliquis aſſerit: Quid tam contrarium quàm vita morti? Si ergo vita bona putatur, quomodo mors non eſt mala? Et ideo quid ſit vita, quid etiam mors, conſideremus. Vita eſt ſpirandi munere frui, mors priuari. Hoc autem ſpirandi munus apud pleroſque in bonis ducitur. Hoc eſt ergo vita, frui bonis: mors contrà, bonis exui. Et ſcriptura dicit: Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: vitam bonum appellans, mortem malum: & illa ſibi priora, & hæc ſibi conferens. Deniq; vt lectionis diuinæ exemplo vtamur, in paradiſo eſt poſitus homo, vt ederet de ligno vitę, & cæteris paradiſi lignis, de ligno autem in quo eſſet cognitio boni & mali, non ederet: qua die autem ederet, morte moreretur. Non ſeruauit præceptum, & caruit fructu, atque eiectus de paradiſo mortem guſtauit. Malum igitur mors, quæ precio damnationis infertur.

Eccleſ. 15.

Geneſ. 3.

De tribus mortis generibus. Et quòd mors tertia (quæ eſt animæ & corporis ſeceßio) cùm omnes abſoluat, paucos delectet. Quódque hoc non eius ſit vitium, ſed noſtræ infirmitatis, qui delectatione vitæ iſtius capimur: in qua cùm plus ſit amaritudinis quàm voluptatis, mors quæ eſt finis illius, bona eſt, nec vita iſta tantopere deſideranda.

Caput II.

Sed

SEd mortis tria sunt genera. Vna mori peccati est, de qua scriptum est: Anima quæ peccat, ipsa morietur. Alia mors mystica, quando quis peccato moritur, & deo viuit, de qua ait idem Apostolus: Ezech. 18. Consepulti enim sumus cum illo per baptismũ in mortem. Roma. 6. Tertia mors qua cursum vitæ huius & munus explemus, id est, animæ corporisque secessio. Aduertimus igitur quod vna mors sit mala, si propter peccatum moriamur: alia mors bona sit, qua is qui fuerit mortuus, iustificatus est à peccato. Tertia mors media sit. Nam & bona iustis videtur, & pleriſque metuenda. Quæ cũ absoluat omnes, paucos delectat. Sed non hoc mortis est vitium, sed nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis, & delectatione vitæ istius capimur & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis quã voluptatis est. An nõ sancti ac sapientes viri, qui longæuitatem peregrinationis huius ingemiscebant, dissolui & cum Christo esse pulchrius æstimantes, denique diem Philip. 1. generationis suæ execrabantur, sicut ille qui ait: Pereat dies Iob 3. illa in qua natus sum? Quid enim est quo hæc vita delectatur, plena ærumnarum & solicitudinum, in qua innumerę calumniæ, & multę molestię, & multę lachrymę eorum qui afflictantur molestiis, & non est, inquit, qui eos consoletur? Et Eccles. 4. ideo laudat Ecclesiastes defunctos magis quàm viuentes. Et optimus, inquit, supra hos duos qui nondum natus est, qui non vidit hoc malum. Et alibi idem Ecclesiastes meliorem longeuo viro asseruit, quem abortu eiecit mater sua, quia non vidit hæc mala quæ fiunt in hoc mundo, nec in has venit tenebras, nec in vanitate ambulauit seculi, & ideo requiem hic magis habebit qui in hanc vitã non venit, quàm ille qui venit. Quid enim boni est homini in hac vita, qui in vmbra viuit, nec expleri potest cupiditatibus suis? Et si repleatur diuitiis, fructum quietis amittit, quia cogitur custodire quod misera auiditate quæsierit, vt miserius eas possideat, cui prodesse non poterunt. Quid enim miserius quàm vt custodia torqueat, quarum abũdantia nihil prosit? Itaque si plena oneris vita, vtique finis eius alleuamentum est. Alleuamẽtum autem bonum mors, mors autem finis. Mors igitur bonum est. Neque enim aliter gauisus est & Simeon, Lucæ 2. qui responsum acceperat non visurum se mortẽ, nisi prius videret Christum domini: & cũm eum parentes in tẽplum ducerent, suscepit manibus suis, & dixit: Nunc dimittis dómine seruum tuum in pace: quasi necessitate quadam teneretur in hac vita, non voluntate. Ita dimitti petit quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. Sunt enim velut vincula quædã corporis huius, & quod est grauius, vincula tentationum, quę nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis adstringunt quadam lege peccati. Denique in exitu ipso videmus quemadmodum anima, decedentis paulatim soluat se vinculis carnis, & ore emissa euolet tanquam carcereo corporis huius exuta gurgustio. Denique festinabat etiam sanPsal. 38. ctus Dauid de hoc loco peregrinationis exire, dicens: Aduena ego sum apud te in terra & peregrinus, sicut omnes patres mei. Et ideo tanquam peregrinus ad illam sanctorum conmunem omnium patriam festinabat, petens pro huius commorationis inquinamento remitti sibi peccata priusquam discederet de vita. Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem, quia ad vitam æternam non potuerit peruenire, quia vita æterna remiIbidem. missio peccatorum est. Ideoque dicit: Remitte mihi vt refrigerer priusquam eam, & amplius non ero. Quid igitur tantoperere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tantò maiore oneratur sarcina peccatorum? Ipse Matth. 6. dominus ait: Sufficit diei malitia sua. Et Iacob dixit: Dies an Gen. 47. norum vitæ meæ quos habeo, centũ triginta, minimi & mali, non quia dies mali, sed quia nobis accessu dierum malitiæ incrementa cumulantur. Nullus enim dies sine nostro Philip. 1. peccato præterit. Vnde egregiè Apostolus ait: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: aliud ad necessitatem vitę referens, aliud ad mortis vtilitatem. Christus enim nobis viuere, cui seruimus, cui oportet vt à sanctis suis in euangelij prædicatione deferatur obsequium. Denique & Simeon qui ait: Nũc dimittis seruum tuum, propter Christum expectabat. Cristus enim rex noster est, & ideo quod rex iubet, deserere

A non possumus & contemnere. Quantos imperator terræ huius in peregrinis locis aut honoris specie, aut muneris alicui causa iubet degere? Nunquid hinc consulto imperatore discedunt? Et quanto amplius est diuinis parere quàm humanis? Viuere ergo sancto Christus est, & mori lucrum. Quasi seruus non refugit vitæ obsequium, & quasi sapiens lucrum mortis amplectitur. Lucrum est euasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, & ad meliora transisse. Et addiPhilip. 1. dit: Dissolui, & cum Christo esse: multo enim melius: permanere autem in carne, magis necessarium propter vos. Aliud melius, aliud necessarium, Necessarium propter fructum operis, melius propter gratiam & copulam Christi,

Quid secundum scripturam sit mors, & quid vita. Et quòd in hac vita sit quædam mors bona, cum scilicet quis in hac vita positus speciem mortis imitatur, & ita se agit vt ei moriantur omnes corporis delectationes, & etiam ipse cupiditatibus omnibus mundique illecebris moriatur: ad quam & ipse Apostolus nos hortatur, docens istam mortem in hac vita positis expetendam. Et quomodo quis sic mortem
B *imitetur. Quibus etiam rebus deflectatur & abducatur.*

Caput III.

ERgo quoniam docuit apostolus eum qui euaserit ex hoc corpore, si meruerit tamen, cum Christo futurum: quid sit mors, quid etiam vita, consideremus. Itaque scriptura docẽte cognouimus quia mors absolutio est animæ & corporis, & quædam hominis separatio. Soluimur enim hoc nexu animæ & corporis cum recedimus. Vnde & Dauid ait: Dirupisti vincula mea, tibi Psalm. 115. sacrificabo hostiam laudis. Vincula autem vitę huius, id est, coniunctionis nostæ quæ ex anima constat & corpore, significari docet superior versiculus psalmi huius: Preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Et ideo quasi propheta præuidens se cum sanctis, & qui pro deuotione animas suas in Christo deposuerunt, futurum, lætatur, quia & ipse obtulit se fideliter pro dei populo aduersus Goliam sin1. Reg. 17. gulari certamine dimicare, vt solus commune periculum &
C crimen refelleret, vel cum se morti pro domini placanda offensione promptus obiiceret, vel cum se pro salute populi laborantis diuinæ vltioni paratus offerret. Sciebat enim gloriosius esse pro Christo mori, quàm regnare in hoc seculo. Quid enim præstantius quàm fieri Christi hostiam? Itaque cùm frequẽter ab eo legamus domino oblata esse sacrificia, hoc tamen loco addidit: Tibi sacrificabo hostiam laudis. Non sacrifico, inquit, sed sacrificabo, significans illud perfectum esse sacrificium, quando vnusquisque domino corporis huius vinculis absolutus assisteret, & offerret se hostiam laudis, quia ante mortem nulla est perfecta laudatio. Neque quisquam in hac vita potest definito præconio prædicari, cùm posteriora eius incerta sint. Mors igitur solutio est animæ & corporis. Denique & in apostolo docuimus lePhilip. 1. ctum Dissolui & cum Christo esse, multo melius. Solutio autem ista quid aliud agit, nisi vt corpus resoluatur & quiescat, anima autem conuertatur in requiem suam, & sit libera, quæ si pia est, cum Christo futura sit? Quid igitur in hac
D vita aliud iusti agunt, nisi vt exuant se huius corporis * co- * Contagitationibus, quæ velut vincula nos ligant, & se ab his mogionibus. lestiis separare contendat, renuncient voluptatibus suis atque luxuriæ, fugiant flammas libidinum? Nonne igitur vnusquisque in hac vita positus speciem mortis imitatur, qui potest ita se agere vt ei moriantur omnes corporis delectationes, & cupiditatibus omnibus mũdique illecebris etiam ipse moriatur, sicuti mortuus erat Paulus dicens: Mihi enim Galat. 6. mundus crucifixus est, & ego mundo? Denique vt sciamus quia est mors in hac vita, & bona mors, hortatur nos vt mortem Iesu in corpore nostro circunferamus. Qui enim habuerit in se mortem Iesu, is & vitam domini Iesu in corpore suo habebit. Operetur igitur mors in nobis, vt operetur & vita. Bona vita post mortem, hoc est, bona vita post victoriam, bona vita absoluto certamine, vt iam lex carnis legi mentis repugnare non nouerit, vt iam nobis nulla sit cum corpore mortis contentio: sed sit in corpore mortis victoria. Atque haud scio ipse an maioris virtutis mors ista quàm

vita sit. Certè apostoli moueor authoritate dicentis: Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Vnius mors quantorum populorum vitam ædificabat. Itaque docet & istam mortem in hac vita positis expetendã, vt mors Chri-
2.Corin.4. sti in corpore nostro eluceat, & illã beatam qua corrũpitur
2.Corin.5. exterior, vt renouetur interior homo noster, & terrestris domus nostra dissoluatur, vt habitaculum nobis cœleste referatur, Imitatur igitur mortem qui se à communione carnis huius abducit, atque illis vinculis soluit, de quibus tibi
Esaiæ 58. dicit dominus per Esaiam: Solue omnem colligationem iniustitiæ, dissolue obligationes violentarum cõmutationum, dimittet confractos in remissionem, & omnem circunscriptionem iniquam dirumpe. Imitatur & ille mortem qui se voluptatibus exuit, & à terrenis cogitationibus attollit atque ableuat, & in illo cœlesti habitaculo locat, in quo Paulus cum adhuc viueret conuersabatur. Aliter enim non di-
Philip.1. ceret: Nostra autem cõuersatio in cœlis est: quod pariter ad præsumptionem meriti potest meditationémque conferri. Illic enim erat eius meditatio, illic animæ eius conuersatio, illic eius prudentia, quæ vtique intra angustias carnis huius B hærere non solebat. Sapiens enim cùm illud diuinum requirit, absoluit animam suam corpore, & eius abnegat contubernium, cùm illam veri tractat scientiam, quam velut nudam sibi & apertam desiderat demonstrari, & ideo retibus quibusdam & nebulis huius corporis se quærit exuere. Neque enim manibus istis aut oculis atque auribus comprehẽ-
2.Cor.4. dere illam supernam possumus veritatem: quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Denique sæpe fallimur visu, & aliter pleraque quàm sunt videmus. Fallimur etiam auditu: & ideo non contemplemur illa quæ videntur, sed quæ non videntur, si nolumus falli. Quando igitur anima nostra non fallitur, quando solium veritatis attingit, nisi quando se ab isto secernit corpore, neque ab ipso decipitur & illuditur? Illuditur enim visu oculorũ, illuditur auditu aurium: & ideo relinquat illud & deserat.
Colos.2. Vnde Apostolus clamat: Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis omnia quę sunt ad corruptelam. In corrupte lam enim sunt, quæ sunt in corporis indulgentia. Et ideo o- C stendens non per corporis diligentiam, sed per animæ eleuationem, & cordis humilitatem inuenisse quod verum est, addidit: Nostra autem cõuersatio in cœlis est. Ibi igitur quærat quod verum est, quod est & manet, séque in sese colligat & cõgreget omnem aciem virtutis suæ, neque aliis committat & credat, sed seipsum cognoscat & intelligat, & quod sibi videtur verum esse, hoc sequendum nouerit: quod delectatione carnali eligendum æstimauerit, hoc sciat falsum, ab eo fugiat & recedat, quia fraudis est plenum. Meritò ergo depreciauit & dehonestauit hoc corpus, corpus mortis appellans. Quis enim oculis potuit videre virtutum splendorem? quis iustitiam manibus comprehendere? quis sapientiam oculorum obtutibus intueri? Denique quãdo aliquid cogitamus, neminem nobis occurrere, neminem volumus obstrepere auribus nostris, atque ita intendimus animo, vt plerunque nõ videamus præsentia. Quinetiam in noctibus syncerius cogitamus, & tunc melius quę mouent, corde me
Prouer.4. ditamur. Vnde & propheta ait: Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Sæpe etiam aliqui D claudunt oculos siquid profundè volunt nisu cogitationis eruere, oculorum impedimenta vitantes. Sępe etiam solitudines captamus, ne cuius sermo nostris auribus insusurret, & quasi semita quædam inhærentem cogitationi animam abducat à vero, atque ab intentione deflectat. Multas igitur occupationes nobis corporis huius necessitas gignit, atque vsus inuehit, quibus impeditur animæ vigor, ac reuocatur
Iob 10. intentio. Vnde de se pulchrè dicit sanctus Iob: Memento quia lutum me finxisti. Si ergo lutum est corpus, oblinit nos vtique, non diluit, & coinquinat animam inquinamento intemperantiæ. Corium & carnem me, inquit, induisti, ossibus & neruis intexuisti. Ligatur itaque & distenditur anima nostra istius corporis neruis, & ideo interdũ rigescit, sæpe curuatur. Et addidit: Ab iniquitate innocentem me non feci-
sti. Si enim impius fuero, væ mihi: si autem sim iustus non potuero me reclinare. Plenus enim confusionis sum. Indu-

A xisti super me tentationes. Quid enim est aliud hęc vita, nisi plena laqueorum? Inter laqueos ambulamus, inter plurimas versamus tentationes. Deniq; idem supra ait: Nunquid non
Iob 7. tentatio est vita hominis in terra? Bene addidit in terra, quia est vita hominis & in cœlo. Sicut mercenarij, inquit, merces vita eius, in labore scilicet & tepore, leuior fabulis, & fluitans & natans verbis: cuius habitatio in luteis domibus, & ipsa vita in luto, nulla firmitudo sententiæ, nulla constantia. In die nox desideratur, in nocte dies quæritur, ante escam gemitus, inter cibos fletus, lachrymæ, dolores, timores, solicitudines, nulla requies à perturbationibus, nulla à laboribus reclinatio, iræ, & indignationis motus horridior. Plerique cupiunt mortem, & non impetrant: si autem impetrauerint, gratulantur, quia sola est mors requies * viro.

* vera.

De solutione obiectionis qua mors arguitur non esse bona, quia deus eam non fecerit, & qua ratione omnifariam mors sit bonum. Quódque ideo frustra homines mortem timeant, præsertim cum sit finis peccati, & quòd ipsa mundum redemerit. Cap. IIII.

 ED dicet aliquis scriptum esse quia deus mortem Sapien.1.
non fecit. Vita erat in paradiso, vbi lignum vitæ, & vita erat lux hominum. Mors igitur mala, quæ accessit & subintrauit. Sed quomodo mors mala, si aut secundum gentiles sensu caret, aut secundum Apostolum lucrũ Christus est, cum quo esse multo melius? Quomo Philip.1.
do igitur mors nobis malum, si nullus post mortem sensus est? Vbi enim nullus sensus, nullus vtique iniurię dolor, quia dolor sensus est. Aut quia est post mortem sensus, est vtique vita post mortem, & superstes mortis est anima, quę sensu vtitur, & vita fungitur. Cum autem manet post mortem vita atque anima, manet bonum, nec morte amittitur, sed auge tur, nec vllo impedimento mortis retardatur anima, sed operatur magis, quia operatur quæ sua sunt, sine vlla societate corporis, quod animæ maiori oneri quàm vsui est. Quid igitur mali est animæ, quæ puritatem suam custodierit, & virtutum disciplinam seruauerit? Aut si non seruauerit, non mors malum, sed vita, quia vita non fuit. Quæ est enim vita vitiis peccatisq; obsita? Quid igitur accusamus mortem, quæ aut vitæ preciũ luit, aut abolet eius dolorem atque cruciatũ? Itaque mors aut suæ quietis bono vtitur, aut malo alieno laborat. Nunc illud specta: Si vita oneri, mors absolutioni: si vita supplicio, mors remedio: aut si iudicium post mortẽ, etiam vita post mortem. Mors igitur ea non est bona? Aut si hic vita bona, quomodo mors illic non est bona, cum ibi nullus superfit terribilis iudicij metus? Sed ipsa hæc vita bona si est, quibus rebus bona est? Virtute vtique, & bonis moribus. Non ergo secundũ animæ & corporis copulam bona est, sed quia per virtutem quod malũ est suũ repellit. Quod autem bonum est mortis adipiscitur, vt quod animæ est, magis quàm id quod contubernij & coniunctionis operetur. Quod si vita bona quæ animæ se à corpore separãtis est speculum, & si anima bona quæ se eleuat atque abducit à corporis contubernio: & mors vtique est bonum, quæ animam à societate carnis huius absoluit & liberat. Omnifariam igitur mors est bonum, & quia compugnantia diuidit, ne se in uicem impugnent, & quia portus quidam est eorũ qui magno vitæ istius iactati salo, fidæ quietis stationem requirũt. Et quia deteriorem statum non efficit, sed qualem in singulis inuenerit, talẽ iudicio futuro reseruat, & quiete ipsa fouet, & præsentium inuidiæ subducit, & futurorum expectatione componit. Accedit eo, quod frustra homines mortem timent, quasi finem naturæ. Nam si recolamus quod deus mortem non fecerit, sed postquam homo lapsus in flagitiũ est, prævaricationis & fraudis sententia comprehenderit vt in terram suam terra remearet, inueniemus mortem finem esse peccati, ne quo esset vita diuturnior, eo fieret culpa numerosior. Passus est igitur dominus subintrare mortem, vt culpa cessaret. Sed ne iterum naturæ finis esset in morte, data est resurrectio mortuorum, vt per mortem culpa deficeret, per resurrectionem autem perpetuaretur natura. Itaque mors hæc transitus vniuersorum est. Opus est vt constanter transeas. Transitur autem à corruptione ad incorruptionem,

nem, à mortalitate ad immortalitatem, à perturbatione ad tranquillitatem. Non igitur nomen te mortis offendat, sed boni transitus beneficia delectent. Quid est enim mors nisi sepultura vitiorum, virtutum suscitatio? Vnde & ille ait: Moriatur anima mea in animis iustorum, id est, cõsepeliatur, vt
Nume. 23. sua vitia deponat, iustorum assumat gratiam, qui mortificationem Christi in corpore suo atque anima circunferunt.
2. Cor. 4. Mortificatio autem Christi, remissio peccatorum, abolitio criminum, erroris obliuio, assumptio gratiarum est. Quid autem de bono mortis plenius possumus dicere, quàm quod mors est quæ mundum redemit?

Qua ratione communis omnium mors non sit timenda. Quomodo etiam dum in corpore sumus vsum mortis imitantes, abducere nos debeamus à nexu corporis, omniáque terrena relinquere, conscendere ad diuina, surgere de mundanis, fugere hæc mala, & exaltare animam ad imaginem & similitudinem dei, eanque munire muris ac speculatore. Quomodo etiam ipsa debeat ingredi in hortos atque paradisum, & ex illo abundantiam virtutum transferre, & in hortum mentis transplantare, in quem verbum dei inuitatum descendat & pascatur, & cognoscere quos fructus & cibos epuletur, quibúsue delectetur. Cap. V.

SEd de communi omnium morte dicamus. Quid eã timeamus, quę animę nocere non soleat? Scri
Matth. 10. ptũ est enim, Nolite timere eos qui occidũt corpus, animã autem non possunt occidere. Per mortem autẽ istam anima liberatur, dũ à corporis cõtubernio se cernitur, & inuolucris perturbationis exuitur. Vnde & nos dum in corpore sumus vsum mortis imitantes, ableuemus animam nostram ex istius carnis cubili, & tanquam de isto exurgamus sepulchro. Abducamus nos à corporis nexu, relinquamus omnia quæcunque terrena sunt, vt cùm venerit aduersarius, nihil in nobis inueniat suum. Contendamus ad illud æternum, ad illud diuinum euolemus pennis dilectionis, & remigio charitatis. Surgamus hinc, hoc est, de seculaIona. 14. ribus atque mundanis. Dixit enim dominus: Surgite eamus C hinc, præcipiens vt vnusquisque surgat de terrenis, erigat animam humi iacẽtem, ad superna attollat, excitet aquilam
Psalm. 102. suam, & illam aquilam ad quam dictum est: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Ad animam hoc dictum est. Anima ergo nostra sicut aquila alta petat, supra nubes volet, renouatis splendescat exuuiis, cœlo volatus suos inferat, vbi laqueos incidere non possit. Auis enim quæ descendit ex alto, vel quæ in altum se extollere non potest, frequenter aut laqueis capitur, aut viscо fallitur, aut quibuscunque irretitur insidiis. Sic quoque & anima nostra caueat ad hæc mundana descendere. Laqueus in auro, viscum est in argento, nexus in prædio, clauus in amore. Dum aurũ petimus, strangulamur: dum argentum quærimus, in viscо eius hæremus: dum prædium inuadimus, alligamur. Quid in vanum quærimus lucrum, precioſæ animæ detrimentum? Exiguus tibi
Lucæ 9. est totus mundus pro vnius animæ dispendio. Quid enim prodest homini, si hunc mundum lucretur, animæ verò suæ D detrimentum patiatur? Aut quam commutationẽ dabis pro anima tua? Non auro redimitur, non argẽto, imò auro amittitur. Quin etiam mulieris decus dum tentat, adstringit. Clauus est libido, clauus tristitia, clauus iracundia, claui sunt omnes passiones quæ velut veru quodam animam nostrã penetrant, & infigunt corpori, viscеribúsque eius annectunt. Fugiamus ergo hæc mala, & exaltemus animam nostram ad illam imaginem dei & similitudinem. Fuga malorum similitudo dei est, & virtutibus imago dei acquiritur. Ideo qui nos pinxit quasi author, pinxit virtutum coloribus. Ecce ego, inquit, ad Hierusalem, pinxi muros tuos. Non detergamus penicillo negligentiæ depicta animæ nostræ firmamenta muralia, Ideo dixit: Muros pinxi, quibus hostem possimus auertere. Habet anima muros suos, de quibus eminet, & de quibus ait: Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa. His munitur muris, his obsessa defenditur. Et verè murus
Cantic. 8. anima, quæ prætenditur in castris. Vnde & ipsa ait in canticis: Ego murus, & vbera mea vt turres. Bonus murus quem A pinxit dominus, sicut ipse ait: In manibus meis pinxi muros tuos, & in cõspectu meo es semper. Bona anima quæ habet speculatorem deum, & in manibus eius est, sicut anima prophetica, quæ in manus domini commendatur vt spiritus, & quæ in conspectu dei est. Oculi enim domini super iustos, si Psalm. 33. cut & ipse ait: Ego eram in oculis eius tanquam inueniens pacem. Bonas turres habet, quæ habet & de intelligibilibus verbum, & de moralibus disciplinam. Ideoque hæc anima habens gratiam suorum vberum ingreditur in hortos, & in ueniens illic sponsum sedentem & disputantem cum amicis, ait: Qui sedes in hortis, vocẽ tuam insinua mihi. Mihi, inquit, non amicis. Fuge frater meus. Hortatur vt fugiat sponsus, quia iam sequi potest etiam ipsa terrena fugientem. Dicit vt similis sit damulę, quę euadit de retibus. Vult enim & ipsa fugere & euolare supra mundum. Hinc hortum illum sibi Plato cõposuit, quem Iouis hortum alibi, alibi hortum mentis appellauit. Iouem enim & deum & mentem totius mundi dixit: In hunc introisse animam, quam venerem nuncupat, vt se abundantia & diuitiis horti repleret, in quo re- B pletus potu iaceret, purum qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum conposuit, eo quod anima deo adhærens, in hortũ mentis ingressa sit, in quo esset abũdantia diuersarum virtutũ, floresq; sermonum. Quis autem ignorat quod ex paradiso illo quem legimus in Genesi habẽtem li- Gen. 2.
gnũ vitę, & lignũ scientię boni & mali, & ligna cętera, abundantiam virtutũ putauerit transferẽdam, & in hortum mẽtis esse plantandam? Quem in cãticis Cantiçorum Salomõ hortum animę significauit, vel ipsam animã. Sic enim scriptum
Cant. 4. est: Hortus clausus soror mea sponsa, hortus clausus, fons signatus, trãsmissiones tuæ paradisus. Et infra ait anima: Exurge aquilo, & veni auster: perfla hortum meum, & defluant vnguenta mea. Descendat frater meus in hortum suum, Quanto hoc pulchrius quod anima ornata virtutum floribus hortus sit, vel in se paradisum habeat germinantem. In quem hortum inuitat verbum dei descendere: vt anima illa verbi imbre cœlestis, & eius copiis irrigata fructificet. Verbum autem dei pascitur animę virtutibus, quoties obedientem sibi & opimam inuenerit, & carpit fructus eius, atq; his dalectatur. Cum autem descenderit in eam dei verbũ, defluunt ex ea salubriũ vnguenta verborum, & diuersarum fragrant longe lateque redolentia gratiarum spiramina. Vnde ait sponsus (Sponsus autem animæ dei verbum est, cui anima legitimo quodam cõnubij fœdere copulatur:) Ingres- Cantic. 5.
sus sum in hortum meum soror mea spõsa, vindemiaui myrrham meam cum vnguẽtis meis, manducaui panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Edite proximi mei & bibite, & inebriamini fratres mei. Ego dormio, & cor meum vigilat. Cognoscamus quos fructus & cibos epuletur deus, quibúsue delectetur. Delectatur eo si quis mortificet peccatum suũ, obliteret culpã suam, sepeliat atque abolefaciat iniquitates suas. Myrrha enim est sepultura mortuorum. Mortua autem peccata sunt, quę vitę suauitatem habere non possunt. Perfunduntur autem diuini sermonis vnguentis, & fortiore cibo verbi velut pane, & suaui ore sermone velut melle curantur quędam vulnera delictorum. Sermones autẽ cibos esse docet & alibi Salomõ, dicẽs:
Prou. 16. Faui mellis, sermones boni. In illo ergo horto sermones bo ni sunt, alius qui culpam cœrceat, alius qui iniquitatẽ corripiat, alius qui mori faciat insolentiam, & velut sepeliat eam, quando correptus aliquis erroribus suis renũciat. Est etiam sermo fortior qui confirmat cor hominis validioribus scripturę cœlestis alimentis. Est etiam sermo suasorius dulcis vt mel, & tamen peccatoris conscientiam in ipsa suauitate compungens. Est etiam feruentioris spiritus sermo, qui inebriat sicut vinum, & cor hominis lætificat. Est etiam lacteus sermo, purus & candidus. Hos cibos dulcium vtiliũque sermonum epulandos, sponsus proximis suis dicit: Edite proximi mei & bibite, & inebriamini fratres mei. Proximi autẽ sunt qui eum sequntur, & nuptiis eius inter sunt. Quo cibo & potu repleta anima (bibit enim vnusquisque aquã de suis vasis, & de puteorum suorum fontibus) atque inebriata, seculo dormiebat, vigilabat deo. Et ideo sicut posteriora docent, aperiri sibi deus verbum eius ianuam postulabat, vt

eam

eam ſuo repleret ingreſſu. Hinc ergo epulatores illi Platonici, hinc nectar illud ex vino & melle prophetico, hinc ſonus ille tranſlatus eſt, hinc vita illa perpetua, quam deus dixit ſuos epulari, quia Chriſtus vita eſt. Ideoque talium ſermonum ſeminibus animæ eius repletus eſt venter, atque ipſa exiuit in verbo. Quæ autem exit anima à ſeruitio iſto, & eleuat ſe à corpore, verbum ſequitur.

Quomodo cauendi ſint laquei principatuum aeriorum qui nos rectè gradientes & ad altiora tendentes impedire quærunt, & ad terrena reuocare. Caput VI.

SEd ſunt principatus aerij, & poteſtates mũdi, qui nos velut de muro deiicere animæ, vel impedire rectè gradientes, vel ad altiora tendentes quærũt deponere, & ad terrena reuocare. Sed nos multo magis ad ſublimia mentem erigamus, verbũ ſequentes dei. Illi principatus offerunt ſecularia, quibus tuam mentem incuruent. Tu magis ad Chriſtum anima dirige greſſus tuos. Iniiciunt cupiditatem auri, argenti, vicinæ poſſeſſionis, vt acquirendæ eius gratia excuſes à cœna illius qui ad nuptias
Matth. 22. verbi te inuitauit. Tu caue ne excuſes, ſed veſtem te indue
B nuptialem, & vtere conuiuio diuitis, ne dines qui te inuitauerat, cum excuſaueris tu, dum es ſecularibus occupatus, alios inuitet, & tu excludaris. Iniiciunt etiam honoris appetentiam poteſtates mundi, vt te extollas ſicut Adam, & dum vis adæquari deo ſimilitudine poteſtatis, diuina præcepta
Matth. 13. deſpicias, & quæ habebas incipias amittere. Qui enim non habet, & quod habet auferetur ab eo. Quotiens in oratione nobis, qua maximè deo appropinquamus, offunduntur ea quæ plena ſunt opprobrij alicuius aut ſceleris, quo nos à ſtudio precationis auertant. Quotiẽs inimicus cordi noſtro conatur inſerere quo nos reflectat à ſanctitatis propoſito, & piis votis. Quotiẽs corporeos inflammat ardores. Quotiens occurſare facit oculos meretricios, quibus caſtum iuſti tenet affectũ, vt improuiſo amoris ſpiculo feriat imparatum. Quotiens inſerit animo tuo verbum iniquum, & cogitatio-
Deuter. 8. nes cordis abſconditas, de quo tibi dicit lex: Attẽde tibi ne fiat verbum abſconditum in corde tuo iniquum, & dicat tibi dominus: Quid cogitas mala in corde tuo? Nè ve cùm
C abundaueris auro & argento, & opimis agrorum fructibus, vel honoribus, dicas: Virtus mea dedit mihi hæc: & obliuiſcaris dominum deum tuum. His ergo anima quæ cupit euolare, deponitur. Sed tu obluctare quaſi bonus miles Chriſti Ieſu, & inferiora obliuiſcens, terrena deſpiciens, ad cœleſtia & æterna contende. Attolle animam tuam, ne eam illiciat eſca laqueorũ. Voluptates ſeculi, eſcę quędam ſunt: & quod peius eſt, eſcæ malorum, eſcæ tentationum. Dum
Prouer. 23. voluptatem quęris, laqueos incurris. Oculus enim meretricis, laqueus amatoris eſt. Oculus ergo meretricis eſt laqueus. Laqueus eſt etiam ſermo meretricis, qui obdulcat ad tempus fauces tuas, & poſtea exaſperat eas amaritudine conſcientię peccatricis. Laqueus eſt aliena poſſeſſio plena amœnitatis. Omne iter iſtius vitæ, plenum laqueorum eſt. Vnde iu-
Pſalm. 141. ſtus dicit: In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueos mihi. In via, inquit, hac abſconderunt. Ideo tu illam viam
Ioan. 14. Pſal. 22. ambula quę dicit: Ego ſum via, veritas, & vita, vt dicas: Animam meã conuertit, deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum. Moriatur igitur nobis hoc ſeculum, mo-
D riatur nobis carnis iſtius ſapientia, quę inimica eſt deo. Subiiciamus animam noſtram ſoli Chriſto, vt dicat vnuſquiſq;
Pſalm. 61. Nonne deo ſubiecta eſt anima mea? Nõ ſeculo ſubdita, non mundo, inquit, ſubdita. Non poteſt hoc pecuniоſus, non poteſt auarus dicere, ſed dicit iuſtus & continens. Auarus autẽ
Lucæ 12. dicit: Anima, habes multa bona in annos multos poſita, requieſce, mãduca, bibe, epulare: quia auari anima ſubdita eſt luxuriæ corporali, iuſti autem anima vtitur corpore vt inſtrumento aut organo, quæ velut præclara artifex quo vult obſequium corporis ducit, & effingit de eo ſpeciem quam elegerit, & eas quas voluerit facit in eo reſonare virtutes, pangens nunc modulos caſtitatis, nunc modulos temperantiæ, ſobrietatis carnem, integritatis dulcedinem, virginitatis ſuauitatem, grauitatem viduitatis. Interdum tamen modulator compatitur organo ſuo. Et ideo honeſta modulare, vt ſit honeſta compaſſio. Nam & ille qui videt, videndo
A plerunque, & audiens audiendo afficitur. Et ideo dicit ſcriptura: Oculi tui recta videant. Et infra: Ne multus fueris ad Prouer. 4.
alienam. Noli intendere in oculos iuuenculæ. Noli intendere in verba meretricis.

Quomodo noſtri nobis ſint laquei cauendi. Et de moleſtiis huius vitæ, propter quas totam vitam odio habuit Eccleſiaſtes, & mortem laudauit. Quódque impio amarior ſit vita quàm mors, cùm grauius ſit ad peccatum viuere, quàm in peccato mori. Ex quibus cõcluditur mortem non eſſe malum. Caput VII.

ET quid de extraneis laqueis loquor? Noſtri nobis laquei ſunt cauendi. In ipſo hoc corpore noſtro laquei circunfuſi nobis ſunt, quos debemus vitare. Non credamus nos huic corpori, non miſceamus cum eo animam noſtram. Cum amico, inquit, miſce animam tuam, non cum inimico, Inimicũ tibi eſt corpus tuum, quod repugnat menti tuæ, cuius opera inimicitiæ, diſſenſiones, lites, perturbationéſq; ſunt. Noli cùm eo miſcere
B animam tuam, ne vtrunque confundas. Nam ſi miſcetur, ergo melior fit caro, quæ inferior eſt, quam anima quæ ſuperior, quia anima vitam corpori tradit, caro autem mortem animæ tranſfundit. Confunditur ergo vtriuſque operatio, confunditur propè ipſa vtriuſque ſubſtantia. Igitur ſuſcipit in ſe anima inſenſibilitatem defuncti corporis, & corpus omnibus animę virtutibus fungitur. Ac ne fortè quia infunditur anima corpori, etiam confundi putetur, exemplũ nobis ſit huius luminis gratia. Siquidem & lumen terreno loco infunditur, nec tamen confunditur. Non ſit ergo cõfuſa operatio quorum diſpar ſubſtantia eſt, ſed ſit anima in corpore vt viuificet corpus, gubernet, & illuminet. Negare tamen non poſſumus quod compatiatur corpori ſuo, nam & contriſtatur. Siquidem Ieſus ait: Triſtis eſt anima mea vſque Matth. 26.
ad mortem. affectum hominis in ſe exprimens. Et alibi: Anima mea turbata eſt. Siquidem & modulator modulis ſuis, Pſalm. 6.
aut tibię, aut citharæ, aut organi, voce, geſtu, affectúque compatitur, in triſtibus ſonis triſtior, in lętis lętior, in acutioribus
C excitatior, in ipſis mitioribus mitior atq; manſuetior, vt ſonos cantuum ipſe commẽdet & quodammodo moduletur affectus. Anima quoque in hoc corpore tanquam in fidibus muſicis, quę ſobria eſt, cum ſummis, vt ita dicã, digitis velut neruorum ſonos ita pulſat carnis paſſiones, vt cõſonum reddat morum atque virtutum conſentientémque concentum, vt in omnibus cogitationibus ſuis, in omnibus operibus id cuſtodiat, vt omnia conſilia & facta ſibi concinant. Anima eſt ergo quę vtitur, corpus quod vſui eſt, ac per hoc aliud quod in imperio, aliud quod in miniſterio, aliud quod ſumus, aliud quod noſtrum eſt. Si quis animæ pulchritudinem diligit, nos diligit: ſi quis corporis decorem diligit, non ipſum hominem, ſed carnis diligit pulchritudinem, quæ tamen citò marceſcit & defluit. Vnde illi intende, de quo dicit propheta: Qui non accepit in vanum animam ſuam. In Pſalm. 23.
vanũ accipit animã ſuam, vt iam de huius vitę dicamus moleſtiis, qui ſecularia ſtruit, ædificat corporalia. Quotidie ad edendum & bibendum ſurgimus, & nullus expletur, vt non poſt momentum eſuriat ac ſitiat. Quotidie lucrum quæri-
D mus, & nullus cupiditati modus ponitur. Non ſatiabitur, in Eccles. 1.
quit, oculus viſu, nec auris auditu. Qui diligit argentum, non ſatiatur argento. Nullus finis laboris, & nullus eſt fructus abundantiæ. Cupimus quotidie ſcire noua: & quid eſt ipſa ſcientia, niſi quotidiani doloris adiectio? Omnia quæ ſunt iam fuerunt, & nihil ſub ſole eſt nouum, ſed omnia vanitas. Eccles. 4.
Totam vitam odio habuit, dixit Eccleſiaſtes. Qui vitam odio habuit, vtique mortẽ prędicauit. Denique mortuos laudauit magis quam viuẽtes, & illum iudicauit beatum, qui in hanc vitam non venit, nec inanem hunc ſuſcepit laborem. Circuiuit, inquit, cor meũ vt ſcirem impij lætitiã, & vt cõſi- Eccles. 7.
derarem & quærerem ſapientiam & numerum, & vt ſcirem per imperium lætitiam & moleſtiam & iactationem & inueni ego eam amariorem quam mortẽ: nõ quia amara ſit mors, ſed quia impio amara, & tamẽ amarior vita q̃ mors. Grauius eſt enim ad peccatum viuere, q̃ in peccato mori, quia impius quàm diu viuit peccatũ auget: ſi moriatur, pec-

care

221

care desinit. Plerique criminum suorum absolutione lętantur: si emendaturi sunt, rectè: si perseueraturi in eis, stultè: quia longè illis plus damnatio profuisset, ne incrementa facerent peccatorum. De quo sublimis est sententia apostoli
Rom.1. dicentis, quod non solum ij qui flagitiosa agunt, sed etiã qui ea approbant, digni morte sunt: sed & illos qui talia condenant in aliis qualia ipsi agunt, inexcusabiles haberi, vt & sua damnet eos sententia: cùm enim alios condemnant, seipsos condemnant. Nec sibi eos blãdiri oportere quia pœnarum ad tempus immunes videntur, & exortes reatus, cùm grauiores pœnas intra se luant, & sibi rei sint, qui aliis non videntur, atque in se intorqueant grauiorẽ conscientię sentẽtiam, cùm de aliorum peccatis iudicant. Sed noli, inquit, ô
Roma.2. homo diuinæ bonitatis & patiẽtię thesauros contẽnere. Bonitas enim dei ad pœnitentiam te prouocat, ad correctionẽ inuitat: duritia autem tua qua in erroris pertinacia perseueras, futuri iudicij auget seueritatem, vt dignam retributionem tuorum accipias delictorum. Non igitur mors malum. Nam neque apud viuentes mors est, neq; apud defunctos. Apud alios enim non est, quia adhuc viuunt, alij transierũt. Itaque neque apud eos mala est qui eam adhuc nesciũt, hoc ipso quia nesciunt: neque apud eos qui iam & secũdum corpus nihil sentiunt, & secundum animam liberati sunt.

Qua ratione non mors ipsa, quæ terribilis apud viuentes æstimatur, sit terribilis, sed opinio de morte. Et de confutatione duarum causarum ob quas mortem insipientes verentur. Quódque mors generaliter non sit mala, licet specialiter pessima sit mors peccatorum. Cur præterea Græci finem appellauerint mortem. Et quantam morti sanctus Iob laudem tribuerit. Cap. VIII.

QVod si terribilis apud viuẽtes ęstimatur, non mors ipsa terribilis est, sed opinio de morte, quam vnusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro sua conscientia perhorrescit. Suæ igitur vnusquisq; cõscientiæ vulnus accusat, non mortis acerbitatem. Denique iustis mors quietis est portus, nocẽtibus naufragium putatur. Certè iis quibus grauis est timor mortis, nõ est graue mori, sed graue est viuere sub metu mortis. Non ergo mors grauis, sed metus mortis. Metus autem opinionis est, opinio verò nostræ infirmitatis, contraria veritati. Nam per veritatem virtus, per opinionem infirmitas. Opinio autem non mortis vtique, sed vitę est. Ergo illud graue vita magis inuenitur esse. Liquet igitur quia mortis metus nõ ad mortem referendus est, sed ad vitam. Non enim habemus quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit, vita nostra commisit. Etenim prudentibus delictorum supplica terrori sunt, delicta autem nõ mortuorum actus sunt, sed viuentium. Vita igitur ad nos refertur, cuius actus in nostra potestate est, mors autẽ nihil ad nos. Est enim separatio animę & corporis. Anima absoluitur, corpus resoluitur. Quę absoluitur, gaudet: quod resoluitur in terram suam, nihil sentit. Quod nihil sentit, nihil agnoscit. Tamen si mors malum, quomodo iuuenes non timent fieri senes, nec finitimã mortis verentur ætatem? Patientiúsque deficit qui præsumpta morte deficit, quàm qui inopina D
ta. His quoque qui mortẽ malum putant, aptum respõsum arbitror, quia per vitam ad mortem est transitus, per mortem autem ad vitam reditus. Neque enim nisi qui mortui fuerint, possunt resurgere. Insipientes autem mortem quasi summum malorum reformidant, sapientes quasi requiem post labores & finem molorũ expetunt. Duabus autem ex causis mortem insipientes verentur: vna quod eam interitum appellant: interitur autem hominis esse nõ potest, cùm anima superstes corpori sit, saluo eo quod ipsum corpus maneat resurrectio. Altera autem causa, quod pœnas reformident, poetarum videlicet fabulis territi, latratus canis infernalis Cerberi, & Cocyti fluminis tristem voraginem, & nautã inferni gurgitis Charontem tristiorem, furiarum agmina, aut prærupta tertarea, in quibus Hydra sęuior sedẽ habeat. Tityj quoque viscera reparandis fœcunda supplicijs, quę vultur immanis sine vllo fine depascitur. Ixionij quoque orbis perpetuam sub pœnæ atrocitate vertiginẽ, &

A saxi desuper imminentis super capita accubãtium inter epulas impendentẽ ruinã. Hęc plena sunt fabularum: nec tamẽ negauerim pœnas esse post mortẽ. Sed quid ad mortem id quod post mortẽ est? Si autẽ quę post mortem sunt, referantur ad mortem: eadem etiam quę post vitam sunt, referantur ad vitam. Nulla ergo erunt supplicia quę referantur ad mortem. Mors enim, vt supra diximus, absolutio est & separatio animę & corporis. Non est autẽ mala solutio, quia dissolui & esse cũ Christo multo melius. Nõ igitur mala mors. Philip.1.
Denique mors peccatorum pessima. Nõ vtique mors pessi- Psalm.33.
ma generaliter, sed pessima specialiter peccatorũ. Denique preciosa iustorũ. Vnde liquet acerbitatẽ non mortis esse, sed culpę. Pulchrè autem Græci à fine mortẽ appellauerũ: τελευτὴν enim mortem appellant, eo quod finis iustius vitę sit. Sed etiam somnum scriptura nuncupat mortem, sicut est illud:
Lazarus amicus noster dormit, sed vadam vt suscitem eum. Ioan.11.
Somnus autem bonus, quoniam quies est, sicut scriptũ est:
Ego dormiui, & requieui, & surrexi, quoniam dominus sus- Psalm.3.
cepit me. Dulcis igitur quies mortis. Denique dominus suscitat quiescentes, quia dominus est resurrectio. Illud quo-
B que egregium, quod ait scriptura: Ante mortem nõ laudaue Eccles.11.
ris quenquã. Vnusquisque enim in nouissimis suis cognoscitur, & in filiis suis æstimatur, si bene filios suos instituit, & disciplinis competentibus erudiuit. Siquidem ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum. Dum enim vnusquisque quãdiu viuit, obnoxius est lapsui, nec senectus immunis à crimine: ideo legis quia Abrahã mortuus est in senectute Genes.25.
bona, eo quod in bonitate propositi sui permansit. Mors igitur vitæ est testimonium. Nam si laudari ante gubernator non potest, quàm in portum nauem deduxerit: quomodo laudabis hominem prius quàm in stationem mortis successerit? Et ipse sui est gubernator, & ipse vitæ huius iactatur profundo. Quandiu in salo isto, tandiu inter naufragia. Dux ipse nisi confecto prlio non sumit lauream, nec miles arma deponit, nec stipendij mercedem adipiscitur, nisi hoste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis est. Quantum autem morti dedit san- Iob.29.
C ctus Iob, qui dixit: Benedictio morituri in me veniat. Nam etsi Isaac benedixerat filios suos moriens, & Iacob benedixerat patriarchas, tamen benedictionis illius gratia poterat solis benedicentium meritis deputari, vel pietati paternæ. Hic verò nulla prærogatiua meritorũ est, nulla pietatis, sed solius mortis priuilegium, cùm benedictio cuiusque morituri tãtum virtutis habeat, vt eam sibi sanctus propheta optauerit. Ac per hoc cogitemus semper hunc versiculum, & corde teneamus. Si quẽ viderimus pauperem morituru, sumptu iuuemus, & dicat vnusquisq; nostrum: Benedictio morituri in me veniat. Si quem viderimus debilem, non deseramus: si quem in extremis positum, non relinquamus: occurrat & nobis dicere: Benedictio morituri in me veniat. Laudet & te vnusquisque moriturus, vnusquisque depositus æuo, vnusquisque cõfectus vulnere graui, vnusquisque morbo absumptus, etiam morti proximus. Hic versiculus quantos benedici fecit, quotiens mihi pudorem incussit si moriturum præterij, si non visitaui grauiter ægrum, si fastidiui inopem, si captiuum nõ redemi: si senem spreui. Sit ergo in corde semper, vt stimulet duriores, vt admoneat prõptiores. Resonent te postrema verba morituri, & benedictionem tui egrediens corpore anima secum vehat. Eripe Prouer.24.
etiam eum quia ad mortem ducitur, qui periturus erat nisi Iob 29.
tu subuenisses, vt dicas: Benedictio morituri veniat in me.

Quemadmodum ex recapitulatione de bono mortis, probetur anima non mori cum corpore, & quomodo in bonis demoratura sit. Quid etiam nobis cauendum sit, & quid faciendum si velimus post mortem huius corporis in bonis esse. Cap. IX.

QVis igitur dubitet de bono mortis, cùm id quod inquietum, id quod erubescendum, id quod inimicum nobis est, id quod violentum, id quod procellosum, & ad omnia vitia illecebrosum est, conquiescat & iaceat, & quasi feruida cauea claudatur sepulchri, relinquatur rabies eius exanimis, & emortua compago viscerum in terram resoluatur: id autẽ quod familiare

virtutibus,

virtutibus,amicũ diſciplinis, ſtudioſum gloriæ, ſequax boni,deo ſubditũ eſt,ad illud ſublime euolet,& cùm illo puro & perpetuo bono atq; immortali maneat,ipſi adhæreat, &
Actu. 17. cum ipſo ſit de quo cognationẽ ducit, vt quidam ait: Cuius & genus,ſumus?Non enim mori animam cum corpore manifeſtum eſt,quia non eſt de corpore.Non eſſe autem eam
Geneſ.2. de corpore ſcriptura multis modis edocet. Nam & Adam à domino deo noſtro accepit ſpiritum vitę, & factus eſt ho-
Pſalm. 114. mo in animam viuentem.Et Dauid ait: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit mihi. Et in quo benefecerit,audi: Quia liberauit,inquit, pedes meos à lapſu. Vides gratulari eum mortis huius remedio, quia finis factus eſt erroris, quia culpa non natura defecit. Denique, quaſi exutus & liber,dicit:Placebo domino in regione viuorum.Illa eſt enim viuorum regio,Denique illam animarum requiem dicit,terram eſſe dicit viuentium,quo peccata non penetrant,vbi virtutum viuit gloria. Iſta autem regio plena eſt mortuorum, quia plena delictorum:meritóque dictum
Matth.8. eſt: Relinque mortuos ſepelire mortuos ſuos.Sed & ſupra
Pſalm. 24. ſimiliter ait:Anima eius in bonis demorabitur, & ſemen eius hęreditabit terram.hoc eſt:Anima timentis deum habitabit in bonis,vt ſemper in eis ſit, & ſecundum ea. Quod poteſt etiam de eo accipi qui ſit in corpore,vt & ipſe ſi timeat deum,in bonis habitet,& in cœleſtibus ſit,& poſſideat corpus ſuum, & dominetur ei quaſi in ſeruitutem redacto, & poſſideat hæreditatem gloriæ & cœleſtium promiſſorũ.Vnde & nos ſi volumus poſt mortem corporis huius in bonis eſſe, caueamus ne agglutinetur anima noſtra huic corpori, ne commiſceatur,ne inhæreat,ne trahatur à corpore,& tanquam ebria perturbationibus eius vacillet & fluitet, nec ſe ei credat atque eius delectationibus, vt committat ſe eius ſenſibus.Nam & occulus eius error & fraus eſt,quia fallitur viſu:& auris eius deceptio eſt, quia & auditus illuditur: &
Prouer.4. ſapor eius deceptio eſt. Denique non ocioſè dictum eſt:Oculi tui recta videant,& lingua tua non loquatur peruerſa. Quod non eſſet dictum,niſi frequenter errarent.Vidiſti meretricem,captus es vultu eius,& forma decoram putaſti:erauerunt oculi tui,peruerſa viderunt,alia nunciauerunt.Nã ſi verè vidiſſent, vidiſſent deformem meretricis affectum,inhærentem procaciam,indecentem impudicitiam, marcẽtes libidines,tetram colluuionem,animæ vulnera, conſcientiæ
Matth.5. cicatrices.Qui viderit,inquit,mulierem ad concupiſcẽdum eam.Vides quod iſte falſum quæſiuit, qui nõ veritatem ſed adulterium requiſiuit.Videre enim quæſiuit vt concupiſceret, non vt verum cognoſceret. Errat igitur oculus vbi errat affectus.Affectus ergo deceptio eſt: deceptio viſus. Et ideo tibi dicitur: Neque capiaris oculis,id eſt,non capiatur
Prou. 6. anima tua.Mulier enim virorum precioſas animas capit.Deceptio auditus:Denique blandimento multo ſermonis mulier fornicaria ſæpe iuuenis cor ſeduxit, decepit, illuſit. Ergo non laqueis nos credamus & retibus iis quæ decipiunt & illudunt,quia corda tentãtur, impediuntur cogitationes, quæ impediuntur viſu,impediuntur auditu,odore,tactu,ſapore.Nõ ſequamur illecebroſa & ſeductoria,ſed ſequamur illud quod bonum eſt,illi adhæreamus,illud imitemur,illius præſentia, illius communicatio nos meliores faciat, mores noſtros coloret, illius quædam nos ſocietas informet. Qui enim bono adhæret, aſſumit inde quod bonum eſt,quia ſcri
Pſalm.17. ptum eſt:Cum ſancto ſanctus eris,& cum peruerſo peruerſus eris, & cum innocente innocens eris. Aſſiduitate enim atque imitatione quædam ſimilitudinis imago formatur. Ideoque addidit:Quoniam tu illuminas lucernam meam domine. Etenim qui appropinquat lumini,citius illuminatur, & plus in eo ſplẽdor æterni luminis refulget è proximo.Ergo anima quæ illi adhæret inuiſibili bono deo atque immortali,& ipſa corporea hæc fugit, & terrena & mortalia derelinquit,fitque illius ſimilis quod deſiderat,& in quo viuit & paſcitur: & quia immortali intendit, non eſt ipſa mortalis. Quæ enim peccat moritur,non vtique aliqua ſui diſſolutione, ſed meritò moritur deo, quia viuit peccato. Ergo quæ non peccat, non moritur, quia manet in ſubſtantia ſui, manet in virtute & gloria. Nam quomodo ſubſtantia eius interire poteſt, cùm vtique anima ſit quæ vitam infundit? Et

A cui anima infunditur, vita infunditur:à quo anima diſcedit, vita diſcedit.Anima ergo vita eſt.Quomodo poteſt mortem recipere,cùm ſit contraria? Sicut enim nix calorem non recipit, nam ſtatim ſoluitur, & lux non recipit tenebras:nam ſtatim diſcutit: infuſo enim lumine tenebrarum horror aufertur, ſicut admoto igne niuium rigor deſinit: ita & anima quæ vitam creat,mortem non recipit, non moritur.

De diuino teſtimonio, quo demonſtratur quòd anima non moriatur cum corpore. Et de errore hominum qui precioſa ſtruunt ſepulchra tanquam animæ & corporis receptacula,cùm animarum ſuperiora eſſe hæbitacula ſcripturæ teſtimoniis valde probetur. Cap. X.

HAbemus ergo rationẽ, ſed hęc humana,illud diuinum, quod ait dominus: Poteſtatem habeo Ioan.10.
ponendi animam meam,& poteſtacem habeo iterum ſumendi eam.Vides igitur quia non moritur cum corpore,quę & ponitur & reſumitur,& in manus dei patris cõmendatur?Sed ne fortè dicas ſpeciale eſſe quod Chriſti eſt,& quanuis ille quę ſunt hominis ſuſceperit,tamẽ
B quia alterius eſt cauſa & iſtud aſtruere: ne tempus craſtine
Lucæ 12. tur,audi dicentem:Quid ſcis an nocte hac à te tua anima repoſcatur? Nunquid dixit,moriatur in te anima tua? Sed repoſcatur à te.Quę data eſt,repoſcitur,vel repetitur à te.Repetitur enim anima,non interimitur.Quod repetitur, manet:quod interimitur,non manet.Quomodo enim interimi
Matth.10. tur,de qua dixit ſapientia dei,nõ timendum quenquam qui poteſt corpus occidere,animam autem non poteſt? De qua dicit Propheta: Anima mea in manibus tuis ſemper. Sem-
Pſalm.118. per,inquit,non in tempore.Et tu commenda animam tuam in manus domini.Non ſolùm cum recedit è corpore,ſed etiam cum eſt in corpore, eſt in manibus domini, quia non vides eam vnde veniat,aut quo vadat. Eſt & in te,& eſt cum deo.Denique cor regis in manu domini,ab eo regitur & gu-
Prouer.21. bernatur. Cor repletur mente, & mens animæ principale eſt,& virtus animæ eſt.Non eam virtutẽ dico quæ in lacertis,ſed quę in conſiliis,temperãtia,pietate, atque iuſtitia eſt. Si cor hominis in manu domini,multo magis anima.Si anima in manu dei eſt, nõ vtique anima noſtra ſepulcho ſimul
C cum corpore includitur: nec buſto tenetur, ſed quiete pia fungitur.Et ideo homines fruſtra precioſa ſtruũt ſepulchra, quaſi ea animæ & non ſolius corporis receptacula ſint. Animarum autem ſuperiora eſſe habitacula,ſcripturæ teſtimoniis valde probatur. Siquidem & in Eſdrę libris legimus:
4.Eſdræ 7. Quia cùm venerit iudicij dies,reddet terra defunctorũ corpora, & puluis reddet eas quæ in tumulis requieſcũt reliquias mortuorum. Et habitacula, inquit,reddent animas quæ his commẽdatę ſunt, & reuelabitur altiſſimus ſuper ſedem iudicij.Hę ſunt habitationes de quibus dicit dominus,mul-
Ioan.14. tas mãſiones eſſe apud patrem ſuum, quas ſuis pergẽs ad patrem diſcipulis præpararet. Sed Eſdræ vſus ſum ſcriptis, vt cognoſcant gentiles ea quæ in Philoſophiæ libris mirantur, tranſlata de noſtris. Atque vtinam non ſuperflua his & inutilia miſcuiſſent, vt dicerent animas hominum pariter ac beſtiarum eſſe communnes,earúmque ſummum prẽmium, ſi magnorũ philoſophorum animę in apes aut luſcinias demigrarent,vt qui ante hominũ genus ſermone pauiſſent, poſtea mellis dulcedine,aut cantus ſuauitate mulcerẽt.Satis fuerat dixiſſe illis quod liberatæ animæ de corporibus ἀϊδίως peterent,id eſt locum qui non videtur.Quem locum Latine Infernum dicimus. Denique & ſcriptura habitacula illa animarum promptuaria nuncupauit:quę occurrens querelę humanæ, eo quod iuſti qui præceſſerunt videantur vſque ad iudicij diem,per plurimum ſcilicet temporis debita ſibi remuneratione fraudari,mirabiliter ait coronæ eſſe ſimilẽ iudicij diem,in quo ſicut nouiſſimorum tarditas,ſic non priorum velocitas. Coronæ enim dies expectatur ab omnibus, vt intra eum diem & victi erubeſcant,& victores palmã adipiſcantur victoriæ.Illud quoq; non reliquit occultum, eo quod ſuperiores videantur qui antè generati ſunt, infirmiores qui poſtea. Comparauit enim vtero mulieris partus huius ſeculi, quoniam fortiores ſunt qui in virtute iuuentutis nati ſunt, infirmiores qui tempore ſenectutis.Defecit enim multitudine generationis hoc ſeculum tanquam vulua generantis,

generantis,& tanquam seneſcens creatura robur iuuentutis suæ, velut marcenti iam virium suarũ vigore deponit. Ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animæ remunerationem debitam. Alias manet pœna, alias gloria: & tamen nec illæ interim sine iniuria, nec istæ sine fructu sunt. Nam & illę vidêtes seruantibus legẽ dei repositam esse mercedem gloriæ, conseruari earum ab angelis habitacula, sibi autem dissimulationis & contumaciæ supplicia futura, & pudorem & confusionẽ, vt iuuentes gloriã altissimi, erubescant in eius conspectum venire, cuius mandatum temerauerũt. Sicut enim præuaricatio Adæ, ita & confusio: quoniam sicut ille per incuriam mãdatorum cœlestium lapsus est, & pudore se prolapsionis abscondit, fulgorem diuinæ præsentiæ verecundia peccatricis conscientiæ subire non ausus: ita & animæ peccatorum vibrantis luminis eius splendorem non sustinebunt, quo teste se reminiscentur errasse.

De iustarum animarum ingenti lætitia per septenarium ordinem digesta. Ac de admonitione vt & nos studium adhibeamus quo anima nostra deo appropinquet, & ab eo non separemur. Quo etiam modo hoc facere debeamus. Quódque non vereamur illum omnibus debitum finem in quo Esdras remunerationem suæ deuotionis inuenit.

Caput XI.

IVstarum autem animarũ per ordines quosdam digesta lætitia. Primum quod vicerint carnẽ, nec illecebris eius inflexæ sint. Deinde quod precio sedulitatis, & innocentiæ suę securitate potiãtur, nec quibusdam sicut impiorum animæ erroribus & perturbationibus implicentur, atque vitiorum suorum memoria torqueantur, & exagitentur quibusdam curarum æstibus. Tertiò, quod seruatæ à se legis diuino testimonio fulciantur, vt factorum suorum incertum supremo iudicio nõ vereantur euentum. Quartò, quia incipiunt intelligere requiẽ suam, & futuram sui gloriam præuidere, eáque se consolatione mulcentes in habitaculis suis, cum magna tranquillitate requiescent, stipatæ præsidiis angelorum. Quintus autem ordo exultationis vberrimæ habet suauitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatẽque peruenerint, & repromissam sibi possideãt hæreditatẽ. Est
1.Corin.15. enim ordo quietis, quia est & resurrectionis. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo, inquit, omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in ordine suo, primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderũt, deinde finis, Erit igitur ordo diuersus claritatis & gloriæ, sicut erit ordo meritorum. Processus quoque ordinum, processum exprimit claritatis. Denique sexto ordine demonstrabitur iis quod vultus earum sicut sol incipiat refulgere, & stellarum luminibus comparari: qui tamen fulgor earum corruptelam iam sentire non possit. Septimus vero ordo is erit, vt exultent cum fiducia, & sine vlla cunctatione confidant, & sine trepidatione lætentur, festinantes vultum eius videre, cui sedulę seruitutis obsequia detulerunt: de quo innoxiæ conscientiæ recordatione præsumãt gloriosam mercedem laborum exigui, quam incipientes recipere, cognouerint indignas esse huius temporis passiones, quibus remunerationis æternæ gloria tanta refertur. Hic ordo, inquit, animarum quæ sunt iustorum, quos etiam immortales non dubitauit dicere in quinto ordine, eo quod spatium, inquit, incipiunt recipere fruentes & immortales. Hæc est, inquit, requies earum per septem ordines, & futuræ gloriæ prima perfunctio priusquam in suis habitationibus quietę congregationis munere perfruantur. Vnde ait
4. Esdr. propheta ad angelum: Ergo dabitur tẽpus animabus postquam separatæ fuerint de corpore, vt videant de quo modo dixisti. Et dixit angelus: Septem dies erit libertas earum, vt videant in septem diebus qui prædicti sunt sermones, & postea congregabuntur in habitaculis suis. Hæc ideo plenius de iustorum ordine expressa sunt, quàm de passionibus impiorum, quia melius est cognoscere quomodo innocentes saluentur, quàm quomodo crucientur flagitiosi. Ergo quia iusti hanc remunerationem habent, vt videant faciem dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem, ab- Ioan.1.
hinc induamus huiusmodi studium, vt appropinquet anima nostra deo, appropinquet oratio, adhæreat illi nostrum desiderium, nõ separemur ab eo. Et hic quidem positi, meditando, legendo, quærendo copulemur deo, cognoscamus eum vt possumus. Ex parte enim hic cognoscimus, quia hic
imperfecta, illic perfecta omnia: hic paruuli, illic robusti. Vi 1.Cor.13.
demus, inquit, nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Tunc reuelata facie gloriam dei speculari licebit, quam nunc animæ corporis huius concretis visceribus inuolutæ, ex quibusdã carnis huius maculis & colluuionibus obumbratę syncerè videre non possunt. Quis Exod.33.
enim, inquit, videbit vultum meum & viuet? Et rectè. Nam si solis radios oculi nostri ferre non possunt, & si quis diutius è regione in solem intenderit, cæcari solere perhibetur: si creatura creaturam sine fraude atque offensione sui non potest intueri: quomodo potest sine periculo sui vibrãtem cernere vultum creatoris æterni, corporis huius opertus exuuiis? Quis enim iustificatur in conspectu dei, cum vnius
quoque diei infans mundus à peccato esse non possit, & nemo possit de sui cordis integritate & castimonia gloriari? Non timeamus igitur recipi ab hominibus, non vereamur Iob 15.
illum debitum omnibus finem, in quo Esdras remunerationem suæ deuotionis inuenit, dicente ei domino: Tu enim 4.Esdr.
recipieris ab hominibus, & conuersaberis residuum cum filio meo, & cum similibus tuis. Quod si illi glorioſum & iucundum erat cum similibus conuersari, quanto nobis glorioſius erit & iucundius ad meliores pergere, & conuersari cum iis quorum facta miramur? Quis vtique prior, Esdras, an Plato? Nam Paulus Esdræ, non Platonis secutus est dicta, Esdras reuelauit secũdum collatam in se reuelationem, iustos cum Christo futuros, futuros & cum sanctis. Hinc & Socrates ille festinare se dicit ad illos suos deos, ad illos optimos viros. Nostra sunt vtique quę in philosophorum literis præstant, & ille posuit ea quorum proprium testimonium non habebat: nos diuini præcepti habemus autoritatem. Moyses & Helias cum Christo apparuerunt, Abraham Matth. 17.
duos alios cum deo suscepit hospitio, Iacob dei castra con- Genes. 18.
spexit: Daniel iustos sicut solem & stellas fulgere in cœlo, Genes. 32. Daniel. 12.
reuelante sibi spiritu sancto, declarauit.

De consolatiua exhortatione vt intrepidè pergamus ad redemptorem nostrum Iesum Christum, & ad patriarcharum concilium, sanctorum cœtum, iustorúmque conuentum, vbi paradisus iucunditatis, paratæque seruulis Iesu promissæ mansiones. Qua ratione præterea illuc festinare debeamus.

Cap. XII.

ITis igitur freti intrepidè pergamus ad redemptorem nostrum Iesum, intrepidè ad patriarcharum concilium, intrepidè ad Abraham patrẽ nostrum cũ dies aduenerit, proficiscamur: intrepidè pergamus ad illum sanctorũ cœtum, iustorúmque cõuentum. Ibimus enim ad patres nostros, ibimus ad illos nostræ fidei præceptores, vt etiam si opera desint, fides opituletur, defendatur hæreditas. Ibimus & vbi sinum suum Abraham sanctus expandit, vt suscipiat pauperes, sicut suscepit & La- Lucæ 16.
zarum: in quo sinu requiescunt, qui in hoc seculo grauia atque aspera pertulerunt. Sed nunc pater etiam atque etiam extende ad suscipiendum hinc pauperem manus tuas, aperi gremium tuum, expande sinus tuos vt plures suscipias, quia plurimi in deum crediderunt. Sed tamen quanuis fides Matth. 24.
creuerit: abundat iniquitas, refrigescit charitas. Ibimus ad Matt. 8.
eos qui recumbunt in regno dei cum Abraham, Isaac & Ia- Matth. 22.
cob, quoniam rogati ad cœnam non excusauerunt. Ibimus eò vbi paradisus est iucunditatis, vbi Adam qui incidit in Lucæ 10.
latrones, nescit iam vulnera sua flere, vbi & latro ipse regni cœlestis consortio gratulatur, vbi nullæ nubes, nulla tonitrua, nullæ coruscationes, nulla ventorum procella, neque tenebrę, neque vesper, neque æstas, neque hyems vices variabunt temporum. Non frigus, non grando, non pluuiæ, non solis istius erit vsus, aut lunæ, neque stellarum globi. sed sola dei fulgebit claritas. Dominus enim erit lux omnium,

Ioan. 1. nium, & illud lumen verum quod illuminat omnem homi
nem, fulgebit omnibus. Ibimus eò vbi ſeruulis ſuis domi-
nus Ieſus manſiones parauit: vt vbi ille eſt, & nos ſimus. Sic
enim voluit. Quæ ſint illæ manſiones, audi dicentem: In do
mo patris mei manſiones multæ ſunt. Quæ ſit voluntas, ite-
rū inquit: Venio & accerſo vos ad meipſum, vt vbi ego ſum
& vos ſitis. Sed dices quia ſolis diſcipulis loquebatur, quod
ipſis ſolis ſponderit: multas manſiones igitur vndecim
tantum diſcipulis præparabat? Et vbi eſt illud quod ex om-
nibus mundi partibus venient & recumbent in dei regno?
Vnde voluntatis diuinæ dubitamus effectus? Sed Chriſti
velle, feciſſe eſt. Denique demõſtrauit & viam, demonſtra-
uit & locum, dicens: Et quo vado, vos ſcitis, & viam ſcitis.
Locus apud patrem eſt, via Chriſtus eſt, ſicut ipſe ait: Ego
ſum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad patrem niſi per
me. Ingrediamur hãc viam, teneamus veritatem, vitam ſe-
quamur. Via eſt quæ perducit, veritas eſt quæ confirmat,
vita quæ per ſe redditur. Et vt ſciamus veram voluntatem,
Ioan. 17. addidit in poſterioribus: Pater, quos dediſti mihi, volo vt
vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meã.
Repetitio iſta, confirmatio eſt, ſicut illud: Abraham, Abra-
Eſaiæ 43. ham. Et alibi: Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas.
Pulchrè autem quod ſupra promiſit, hic popoſcit. Et quia
antè promiſit, & ſic popoſcit, non antè popoſcit, & ſic pro-
miſit: promiſit quaſi arbiter muneris, cõſcius poteſtatis, po-
poſcit à patre quaſi pietatis interpres. Et antè promiſit, vt po
teſtatem cognoſcas: popoſcit poſtea, vt pietatem intelligas.
Non popoſcit antè & ſic promiſit, ne videretur promiſiſſe
potius quod impetrauerat, quàm quod promiſerat præſti-
tiſſe. Nec ſuperfluũ putes quod popoſcit, cùm tibi exprimat
paternæ voluntatis conſortium, in quo vnitatis indicium,
non incrementum eſt poteſtatis. Sequimur te domine Ieſu,
Ioan. 14. ſed vt ſequamur accerſi, quia ſine te nullus aſcendit. Tu e-
nim via es, veritas, vita: poſſibilitas, fides, præmium. Suſcipe
nos quaſi via, cõfirma quaſi veritas, viuifica quaſi vita. Pan-
de illud tuum bonum, quod videre deſiderabat Dauid in-
Pſal. 4. habitans in domo domini, ideóque dicebat: Quis oſtendit
Pſal. 26. nobis bona. Et alibi: Credo videre bona domini in terra vi
uentium. Ibi enim ſunt bona, vbi vita perpetua eſt, vita ſine
Pſalm. 64. crimine. Alibi quoq; ait: Replebimur in bonis domus tuæ.
Quod ideo frequentauit, vt ſcires hinc bonum illud philo-
ſophos tranſtuliſſe, quod ſummum aſſerunt. Pande ergo il-
Actu. 17. lud verè bonum tuum illud diuinum, in quo & viuimus, &
ſumus, & mouemur. Mouemur quaſi in via, ſumus quaſi
in veritate, viuimus quaſi in vita æterna. Demonſtra nobis
illud bonum quod eſt ſimile ſui, ſemper indiſſolubile atque
immutabile, in quo ſimus æterni in agnitione omnis boni,
Ad Philemo. ſicut vas electionis tuæ Paulus teſtificatus eſt dicens? For-
ſitan enim ideo diſceſſit ad horam, vt æternum illum recipe
res. Æternum ergo miniſtrum dei dixit, ſcribens ad Phile-
monem, cuius fidem in agnitionem omnis boni quod in ſan
ctis eſt, in Chriſtum Ieſum euidentiorem fieri poſtulabat.
In quo bono eſt requies pura, lux immortalis, gratia perpe-
tua, hæreditas animarum pia, & ſecura tranquillitas, non
morti ſubiecta, ſed erepta de morte, vbi nullæ lachrymæ,
nullus eſt fletus. Vnde enim illic fletus, vbi nullus eſt la-
pſus, vbi ſunt ſancti tui erroribus & ſolicitudinibus, inſi-

A pientiæ atq; ignorantia, timore ac metu, cupiditatibus atque
omnibus corporeis colluuionibus & paſſionibus abſoluti,
vbi regio viuentiũ eſt? Et vt aſſertioni huic adiungamus au-
thoritatem, de quo bono propheta dicit: Conuertere anima
mea in requiẽ tuã, quia dominus benefecit tibi, quoniã eri-
puit animã meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes
meos à lapſu. Placebo domino in regione viuorum. Place-
bo dixit, non placeo, hoc eſt, de tempore ſibi blanditur fu-
turo. Contraria ſunt autem præſentibus futura, & tempora-
libus æterna. Et ideo quoniam ibi viuorum regio, hic vtique
mortuorum. An non mortuorum hæc regio, vbi vmbra
mortis, vbi porta mortis, vbi corpus eſt mortis? Denique
donatur Petro, ne fortè portæ inferi præualeãt ei. Portę infe
ri iſtæ ſunt terrenæ. Vnde & ille ait: Qui exaltas me de por-
tis mortis. Sicut enim ſunt portæ iuſtitiæ, in quibus ſancti
domino confitentur, ita ſunt criminũ portę, in quibus impij
dominum negauerũt. Audi quoniam regio iſta ſit mortuo-
rum. Si quis igitur mortuum tetigerit, immundus erit. Im-
mundus autem, in conſpectu domini omnis iniquus. Si quis
B igitur tetigerit iniquitatẽ, immundus: & ſi quis in deliciis,
mortuus, quoniam quæ in delicis eſt, viuens mortua eſt. Et
qui infideles ſunt, deſcendunt infernum viuentes, etſi no-
biſcum videntur viuere, ſed in inferno ſunt. Si quis vſuram
acceperit, rapinã facit, vita non viuit, vt habes in Ezechiel.
Si quis aut iuſtus iuſtificationes domini cuſtodit vt faciat
eas, vita, inquit, viuet, & viuẽt in eis. Ipſe eſt ergo in regione
viuorũ, in illa regione vbi vita non abſcondita eſt, ſed libe-
ra: vbi non vmbra, ſed gloria. Hic enim nec ipſe Paulus vi-
uebat in gloria. Denique in corpore mortis ingemiſcebat.
Audi dicentem: Nunc enim vita noſtra abſcondita eſt cum
Chriſto in deo: cum autem Chriſtus apparuit vita noſtra,
tunc & nos cũ illo apparebimus in gloria. Feſtinemus ergo
ad vitam. Si quis vitã tangit, viuet. Denique tetigit illa mu-
lier quæ tetigit fimbriam eius, & à morte dimiſſa eſt, cui di-
citur: Fides tua te ſaluã fecit, vade in pace. Si enim qui mor-
tuum tangit, immundus eſt: ſine dubio qui viuẽtem tangit,
ſaluus eſt. Quęramus ergo viuentem. Sed iterum videamus
C ne eum quęramus inter mortuos, & dicatur nobis ſicut &
mulieribus illis: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Nõ
eſt hîc, ſed ſurrexit. Ipſe quoque dominus vbi ſe quæri vel-
let oſtendit, dicens: Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcen-
do ad patrem meum, & ad patrem veſtrum, deum meum, &
deum veſtrum. Ibi ergo quęramus eum, vbi quæſiuit Ioan-
nes, & inuenit. Ille eum in principio quæſiuit, & inuenit vi-
uentem apud viuentem, filium apud patrem. Nos eum in tẽ
porum fine quęramus, & complectamur pedes eius, & ado
remus eum, vt dicat & nobis: Nolite timere, id eſt, nolite ti-
mere à peccatis ſeculi, nolite timere ab iniquitatibus mũdi,
nolite timere à fluctibus corporalium paſſionum, ego ſum
peccatorum remiſſio: nolite timere à tenebris, ego ſum lux,
nolite timere à morte, ego ſum vita. Quicunque ad me ve-
nit, mortem non videbit in ętернum: quoniam ipſe eſt ple-
nitudo diuinitatis, & ipſi eſt gloria, decus, perpetuitas à ſe-
culis, & nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorũ, Amen.

Pſal. 114. Matth. 16. Pſal. 9. Num. 19. 1. Tim. 5. Pſalm. 54. Ezech. 33. Coloſ. 3. Lucæ 8. Lucæ 24. Ioan. 20. Marci. 6. Lucæ 24.

OPERVM AMBROSII PRIMI TOMI FINIS.

SECVNDVS TOMVS

DIVI AMBROSII OPERVM, PVGNAS CONTINENS, HOC EST, EA QVÆ PERTINENT AD CONFVTATIONEM hæreticorum ac Gentium.

***



PARISIIS,

Apud Gulielmum Merlin, in ponte Numulariorum: & Sebastianum Niuellium, sub Ciconiis, via Iacobea: & Michaëlam Guillard, viduam Gulielmi Desbois, sub Sole aureo, eadem via.

AN. DO. M. D. LXIX.

Cum priuilegio Regis.

CATALOGVS TOMI SECVNDI.

De vocatione Gentium lib. II.	Col. 233.
De fide ad Gratianum lib. V.	Col. 271.
De ſpiritu ſancto ad eundem lib. III.	Col. 358.
De fide contra Arianos lib. I.	Col. 414.
De incarnationis dominicæ ſacramento lib. I.	Col. 424.
De myſterio Paſchæ lib. I.	Col. 439.

Capita libri primi de Vocatione Gentium.

De propoſitione quæſtionum, quæ inter defenſores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ Dei vertuntur, intentione quoque authoris, ac tractãdorum ordine, iuxta quem primitus de voluntatis humanæ motibus & gradibus diſputandum eſt. De redargutione præterea quorundã non ſanè inter voluntatem & gratiam Dei diſcernentium. Cap. I.

Quòd omni humanæ voluntati naturaliter qualiſcũque inſit voluntas. Et de diſtinctione voluntatis in naturalem, animalem & ſpiritualem. Quòd etiam diuina prouidentia quamuis electum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominũ bonitatis ſuæ dona ſubtraxerit. Cap. II.

De pulchra ac ſubtili huius quæſtionis tractatione, vtrum cùm bonę voluntatis homo eſſe incipit, eadem quę in ipſo erat, corrigatur voluntas: an alia ei quam non habebat, & quæ priori repugnet, detur. Quemadmodum etiam cùm in diuinis ſcripturis ſalus generaliter omnibus hominibus promittitur, pro parte hominum omnes homines nominentur. Cap. III.

De ſolutione calumnioſæ obiectionis, qua quidem dicunt authorem per ſuperius dicta contradicere Apoſtolo definienti quòd Deus velit omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: & quòd profunditas diuinorum myſteriorum atque iudiciorum à nobis non ſit perquirenda. Cap. IIII.

Cur anterioribus ſeculis dimiſſæ ſint omnes gentes ingredi vias, vno tantum Iſraële excepto, & ad cognitionem veritatis electo. Et quare Deus vni homini det gratiam, alteri autem deneget. Cap. V.

Quid ſit natura humana ſine gratia. Cap. VI.

Cur ſaluator omnium hominum non omnibus dederit hũc ſenſum, vt cognoſceret verum Deum. Cur etiam quidam paruuli ſalui fiant renati, alij pereant non renati. Cap. VII.

Fides vnde naſcatur, & vnde acquiratur. Cap. VIII.

Quòd à Domino Deo omnia virtutum dona dirigantur & diſponantur. Et quòd omnia in manu eius ſint. Quódque Deus ſit author omnis boni. Cap. IX.

DIVI

Diui Ambrosij

EPISCOPI MEDIOLANENSIS

de vocatione omnium gentium, Lib. I.

De propositione quæstionum quæ inter defensores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ dei vertuntur, intentione quoque authoris, ac tractandorum ordine, iuxta quem primitus de voluntatis humanæ motibus & gradibus disputandum est. De redargutione præterea quorundam non sanè inter voluntatem & gratiam dei discernentium. Cap. I.

INTER defensores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ dei, magna & difficilis dudum vertitur quæstio. Quæritur enim vtrum velit deus omnes homines
1.Tim.2. saluos fieri. Et quia negari hoc non potest: cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. Cúmque hoc secundum voluntates hominum fieri videatur, gratia videtur excludi: quæ si meritis redditur, constat eã non donũ esse, sed debitum. Vnde iterum quæritur cur hoc donum sine quo nemo saluus est, ab eo qui omnes saluari vult, non omnibus conferatur. Atq; ita contrariarum disputationum nullus terminus reperitur, dum non discernitur quid manifestum, quid sit occultum. De hac igitur compugnantia opinionum, qua mensura & tẽperantia sentiendum sit, quantum dominus adiuuerit, annitar inquirere, exercens atque discutiens modulum facultatis meæ in iis quæ cordi meo sobriè (quantum arbitror) inhæserunt: vt si in eas regulas processerit stylus, quæ nihil offensionis, nihil habeãt prauitatis, non solum nobis, sed & aliis vtile sit ad aliquem nos limitem peruenisse, quem non debeamus excedere. Primitus itaque de volũtatis humanæ motibus & gradibus disputandum est. Inter quam & gratiam dei quorundam non sana discretio est, existimantium quòd prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium, nec aduertentium eadem regula sibi posse obiici quòd gratiam negent, cùm eam humanæ voluntatis non ducem volunt esse, sed comitem. Si enim tollitur voluntas, vbi ipsa est verarum origo virtutum? Si tollitur gratia, vbi ipsa est bonorum causa meritorum?

Quòd omni humanæ voluntati naturaliter qualiscunque insit voluntas. Et de distinctione voluntatis in naturalem, animalem, & spiritualem. Quòd etiam diuina prouidentia quanuis electum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxerit. Cap. II.

SED iam auxiliante Christo quod tractando concepimus, inchoemus. Omni animæ humanæ, quãtum intelligere atque experiri datur, naturaliter qualiscunque inest voluntas, qua aut appetitur qđ placet, aut declinatur quod displicet. Huius voluntatis, quantum ad naturalem pertinet motum ex vitio primæ præuaricationis infirmũ, genera sunt duo, secundum quæ voluntas hominis aut sensualis, aut animalis est. Sed cùm adest gratia dei, accedit ei per donum spiritus tertium genus, vt possit fieri spiritalis, & per hunc excellentiorem motum omnes affectus vndecũque nascentes supernę rationis lege diiudicet. Sensualis igitur volũtas, quam & carnalem possumus dicere, non erigitur supra eum motũ qui de corporis sensibus nascitur, qualis est in animis paruulorum, qui licet nullo iudicio rationis vtantur, ostendunt tamen aliquid se velle, aliquid nolle, cùm viuendo, audiẽdo, odorando, gustando, tangendo, & ea quibus delectantur, amant: & ea quibus offenduntur, oderunt. Quid autem est amare, nisi velle? aut quid est odisse, nisi nolle? Habẽt ergo etiam ipsi volũtatem suam, quæ etsi prouidendi & consulendi impos atque ignara sit, in his tamen amat agere quæ carnis sensibus blandiuntur, donec vigor rationalis ingenij per maturiora ministeria corporis excitetur, & ad famulantium sibi membrorum vsum non alieno motu, sed sua lege moueatur. Ab hoc ergo sensuali appetitu, in quo remanent ij quos etiam in annis maioribus excordes videmus & fatuos, ad animalem surgitur voluntatem: quæ priusquam spiritu dei agatur, etiam si supra sensualem motum sese attollere potest, tamen sine sui amoris participatione in terrenis occiduisque versatur. In hac humana etiam ingenia, si corporeæ voluptati non turpiter seruiant, & cupiditates suas iustitiæ atque honestatis legibus temperent, nihil supra mercedem gloriæ temporalis acquirunt. Et cùm præsentem vitam decẽter exornent, æternę tamen beatitudinis pręmium non habẽt: quia rectas actiones & bona studia sua non ad eius laudem atque honorem referunt à quo acceperunt, vt in ipsa animali discretione sublimius saperent, & excellentius cæteris enitescerent. Cùm enim quidem non solùm ad instituta vtilissimarum artium, & doctrinas liberalium disciplinarum, sed etiam ad inquisitionem summi boni aciem mentis intenderint, & inuisibilia dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerint, non agentes gratias tamen deo, nec confitentes illum sibi esse huius facultatis authorem, sed dicentes se esse sapientes, hoc est non in deo, sed in semetipsis gloriantes, quasi ad veritatis inspectionem suis studiis atque rationibus propinquassent, euanuerũt in cogitationibus suis. Et quod illuminante dei gratia inuenerãt, obcæcante superbia perdiderunt, relapsi à superna luce ad tenebras suas: hoc est, ab incommutabili atq; æterno bono ad mutabilem corruptibilémque naturam. Cùm ergo tales in amorem sui recidunt, & ita sibimet placent, vt totum quod in se laudabile iudicant, non ad dona dei referant, sed sibi vindicent, & studio propriæ voluntatis adscribant, procul ab illa spiritali exulant voluntate, & nihil in se habent quo ad vitam prouehantur æternam, incipientes in semetipsis etiam illa temporalia dei dona corrumpere, & à bono eorum vsu in consuetudinem innumerabiliũ transire vitiorum. Quanuis enim scriptum sit, quod cùm dispertiret excelsus gentes, quemadmodum dispersit filios Adam, statuit terminos gentium secundum numerum angelorum dei, & facta est portio domini populus eius Iacob, funiculus hęreditatis eius Israel: & scriptum sit dominum dicere ad Israel: Eritis mihi sancti, quia ego sanctus sum, dominus deus vester, qui segregaui vos ab omnibus gentibus esse mihi. Et quanuis scriptum sit in libro Hester, dicente Mardochæo: Gratias tibi domine, quoniam fecisti noua signa & prodigia, qualia non sunt facta in gentibus, diuidens omne seculum in sortes duas, elegisti vnam tibi populi tui, relinquens aliam gentibus: Et Paulus & Barnabas dicant: Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis conuerti ad deum viuum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quę in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Quanuis ergo hæc & multa similia, veritatis scriptura pronunciet, secundum ipsam tamen credimus & piissimè confitemur quòd nunquam vniuersitati hominum diuinæ prouidentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit, vt prophetica voces & præcepta legalia conuincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse. Vnde & inexcusabiles facti sunt, quia deos sibi dei dona fecerunt: & quæ creata erant ad vtendum, venerati sunt ad colendũ. In quam impietatem etiam illa gens quam sibi ab omnibus gentibus dominus segregauit, tota trãsisset, nisi misericordiæ suæ propositum sustentandis electorum lapsibus prętendisset. Nam plenæ sunt paginæ veteris testamenti de Israeliticæ defectionis relatu, vt apertè appareat diuinæ semper fuisse gratiæ quòd non omnis ille populus discessit à domino. Ita humana natura in primi hominis præuaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia dei, semper in deteriorem est procliuior volũtatem, cui committi non est aliud quàm dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ quàm virtutum auidior, famæ quàm

Roman.1. Ibidem. Ibidem. Psal.77. Leuit.19. Hester 10. Acto.14.

conſcientiæ diligentior, & per omnem ſui experientiam mi A
ſerior fruendo iis quæ concupiuerit, quàm carendo, nihil in
ſuis habet viribus, niſi periculi facilitatem: quoniam volun-
tas mutabilis quæ non ab incommutabili voluntate regitur,
tantò citius propinquat iniquitati, quantò acrius intenditur
actioni. Quādiu ergo homini ea placent quæ deo diſplicent,
voluntas eius animalis eſt: quia etiam ſi in bonis moribus
agat, malè adhuc viuit ſi non in dei gloriam viuit. Hoc eſt e-
nim proprium & præcipuum piorum, vt in domino glorien
tur, nec ſe niſi in deo diligant. Bene enim ſe amant, qui in ſe
opera dei amant. Nam & deus hoc amat in nobis, quod ipſe
fecit: & hoc odit, quod ipſe non fecit. Si ergo opus dei amamus in nobis, bonam voluntatē recte amamus in nobis: quę
vtique ſi opus dei non eſſet, amanda non eſſet. Quis autem
homo, niſi malæ voluntatis fuerit, bonam in ſe non amat vo
luntatem, quæ ſuperni agricolæ prima plantatio eſt? Dicen-
Matth.15. te enim veritate: Omnis plantatio quam non plantauit pa-
ter meus cœleſtis, eradicabitur: quicquid non eſt eradican-
dum, manifeſtum eſt à patre eſſe plantatum. Bona autem vo B
luntas, omnium virtutum germen eſt primum, quę innixa
origini ſuæ, in illa æterna & incommutabili voluntate re-
1. Corin.6. quieſcet, vt verè ſit ſpiritalis: quoniam qui adhæret deo, v-
nus ſpiritus eſt, dum per communionem illuminantis & il-
luminati, iuſtificantis & iuſtificati, regentis & ſubditi, omnis
actio ad vnum refertur: & quod ad vnum refertur, vtriuſque
eſt: quia nec à deo alienari poteſt, quod dedit, nec ab homi-
ne quod accepit.

De pulchra ac ſubtili huius quæſtionis tractatione, vtrum cùm bonæ voluntatis homo eſſe incipit, eadem quæ in ipſo erat, corrigatur voluntas: an alia ei quam non habebat, & quæ priori repugnet, detur. Quemadmodum etiam cùm in diuinis ſcripturis ſalus generaliter omnibus hominibus promittitur, pro parte hominum omnes homines nominentur. Cap. III.

HIC tractandum videtur vtrum cùm bonę voluntatis eſſe homo incipit, eadem quæ in ipſo erat, corrigatur voluntas: an alia ei quam non habebat, & quæ priori repugnet, detur. C
Quod vt euidentius appareat, altius id non pigeat inquirere. Omnes homines in primo homine ſine vitio conditi ſumus, & omnes naturæ noſtræ incolumitatem eiuſdem hominis præuaricatione perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis animíque corruptio, inde ignorantia & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, ſacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, iniuſta gaudia, pœnitenda conſilia, & non minor miſeriarum multitudo quàm criminum. His ergo atque aliis malis in naturam humanam irruentibus, fide perdita, ſpe relicta, intelligentia obcæcata, volūtate captiua, nemo in ſe vnde repararetur inuenit: quia etſi fuit qui naturali intellectu conatus ſit vitiis reluctari, huius tantum temporis vitam ſteriliter ornauit, ad veras autem virtutes æternámque beatitudinem non profecit. Sine cultu enim veri dei, etiam quod virtus videtur eſſe, peccatum eſt, nec placere vllus deo ſine deo poteſt. Qui verò deo non placet, cui niſi ſibi & diabolo placet? A quo cum homo ſpoliaretur: non voluntate, ſed voluntatis ſanitate priuatus eſt: D
quia nec detrudi ab innocentiæ ſtatu poſſet, niſi voluntate peccaret. Quæ ergo natura erat bona, qualitate facta eſt mala. Et ille animi motus qui nunquam poteſt ſine aliquo eſſe amore, hoc eſt ſine aliqua voluntate, non perdidit appetitum, ſed mutauit affectum, id recipiens deſiderio, quod debuit refutare iudicio. Cùm igitur homo ad pietatem redit,
Pſal.77. (de quo ideo dictum eſt: Spiritus vadens, & non rediēs: quia niſi illum deus conuerteret, non rediret) non fit nouum figmentum, nouáque creatura, non alia in eo creatur ſubſtantia, ſed eadem quæ fuerat labefactata, reparatur. Nec aliud ab eo auferetur niſi vitium, quod natura non habuit. Fuit enim in Adam natura ſine vitio, qui per volūtatis inobedientiam mala multa contraxit, & in poſteros magis magíſque multiplicanda tranſfudit. Quæ vt vincantur, atque in nihilum deducantur, non efficit niſi gratia Saluatoris, qui opus ſuum opere ſuo reparat. Sicut enim dicit Ioannes Apoſto-
1.Ioan.3. lus: In hoc apparuit filius dei, vt ſoluat opera diaboli. Et ſic-

ut rumpit vincula captiui, ſic veſtit nuditatem ſpoliati, ſic ſanat vulnera ſauciati, vt quod in ipſo agit, etiam per ipſum geratur. Cui vtique contra hoſtem ſuum non expedit ſine protectore confligere. Cum illo enim habet certamen, à quo aliquando ſuperatus eſt. Non ergo fidat de viribus ſuis, quæ etiam cùm eſſent integræ, non ſteterunt: ſed per illum quærat victoriam, qui ſolus non eſt victus, & omnibus vicit. Et ſi quærit, non dubitet quærendi affectum ab illo ſe accepiſſe quem quærit. Nec quia ſpiritu dei agitur, ideo ſe putet liberum arbitrium non habere, quod ne tunc quidem perdidit quando diabolo voluntate ſe dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum eſt, non ablatum. Quod ergo non interfectum eſt per vulnerantem, non tollitur per medentem. Vulnus ſanatur, non natura remouetur. Sed quod in natura periit, non reſtituitur niſi ab authore naturæ. Dicit dominus:
Et diſponam domui Iſrael, & domui Iudæ teſtamentum no Hier.31.
uum, non ſecundūm teſtamentum quod diſpoſui patribus Hebr.8.
eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem
illos de terra Ægypti, quia ipſi non perſeuerauerunt in teſta
mento meo, & ego eos neglexi, dicit dominus: Quia hoc eſt
teſtamentum quod diſpoſui domui Iſrael poſt dies illos, di-
cit dominus: Dabo leges meas in ſenſu ipſorum, & in corde
ipſorum ſcribam eas, & ero illis in deum, & ipſi erunt mihi
in populum. Et non docebit vnuſquiſque proximum ſuum,
& vnuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce dominum,
quia omnes cognoſcent me à puſillo eorum vſque ad magnum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum memor non ero. Et dabo illis viam alteram, & cor aliud, vt me timeant omnes dies in bonum ipſis, & filiis eorum poſt eos, & conſtituam illis teſtamentum æternum quod non auertam poſt eos, & timorem meum dabo in cor eorum ne diſcedant à me, & viſitabo eos vt bonos eos faciem. Per Eſaiam quoque de gratia ſua dominus, qua ex omnibus hominibus nouam creaturam facit, eadem prænunciat dicens: Ecce faciam noua quæ nunc orientur, & cogno Eſaiæ 42.
ſcetis ea, & faciam in deſerto viam, & in ſicca terra flumina.
Benedicent me beſtiæ agri, Sirenæ & filiæ Struthionum, C
quod dederim in deſerto aquam, & flumina in ſicca terra ad
potandum genus meum electū, populum meum quem mi-
hi acquiſiui, vt enarrent virtutes meas. Et iterum: Per meip- Eſaiæ 45.
ſum iuro, niſi exibit de ore meo iuſtitia, & verba mea non a-
uertentur, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur
omnis lingua deo. Si ergo impoſſibile eſt iſta non fieri, quia
nec incerta præſcientia dei eſt, nec mutabile conſilium, nec
inefficax voluntas, nec falſa promiſſio: omnes iſti de quibus
hæc prædicta ſunt, ſine cuiuſquam exceptione ſaluantur.
Dat enim leges ſuas in ſenſum ipſorum, eáſque in cordibus
eorum digito ſuo ſcribit, vt agnitionē dei non doctrinæ hu-
manæ opere, ſed magiſterio ſummi eruditoris accipiāt: quia 1.Corin.3.
neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat deus. Omnes hi à puſillo vſque ad magnum
cognoſcunt deum, quia vt venirent ad Chriſtum, à patre audierunt atque didicerunt: omnes educti ab errore diriguntur in viam vitæ, omnibus corde mutato recta ſapere & recta velle donatur, omnibus timor quo in mandatis dei erudiantur, inſeritur. Fit in deſerto via, & terra arida fluminibus irrigatur, vt qui prius ad confitendum deum os non aperiebant, & velut muta atque irrationabilia animalia in feritatem tranſierant beſtiarum, diuinorum eloquiorum fontibus mundati benedicant & laudent deum, enarrantes virtutes & mirabilia miſericordiæ eius qui elegit eos, & in filios adoptauit, ac noui teſtamenti fecit hæredes. Si autem Hebr.9.
(vt Apoſtolus loquitur) hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit aut ſuperordinat, quomodo fieri poteſt vt ex vlla parte diuina promiſſio reſoluatur? Manet prorſus & quotidie impletur quod Abrahæ dominus ſine conditione promiſit, ſine lege donauit: quia etſi quidam quibus hæc prædicata ſunt, non crediderunt: incredulitas Roman.3.
eorum fidem dei non euacuauit. Eſt enim deus verax, omnis autem homo mendax. Et illi quidem qui audito euangelio credere noluerunt, inexcuſabiliores facti ſunt, quàm ſi nullum præconium veritatis audiſſent. Sed certum

eſt

Genes. 26. est eos apud præscientiam dei, Abrahæ filios non fuisse, nec in illorum sorte numeratos, de quibus dictum est: Benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ. Credituros enim promisit qui dixit: Et non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce dominum: quia omnes cognoscent me à pusillo eorum vsque ad magnum. Reconciliandos promisit qui dixit: Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum memor non ero. Obedituros promisit qui dixit: Dabo illis viam alteram, & cor aliud, vt timeant me omnes dies. Perseueraturos promisit qui dixit: Timorem meum dabo in cor eorum, ne discedant à me: & visitabo eos, vt bonos eos faciam. Postremò omnes sine cuiusquam exceptione * promisit qui dixit: Per memetipsum iuro, nisi exibit de ore meo iustitia, & verba mea non auertentur, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua deo. Hic si dicamus non fieri quod deus iurauit esse faciendum: falsitatem deo (quod absit) & mendacium adscribimus veritati. Si autem (vt pietas fidesque persuadent) dei verba non excidunt, & fit omnino quod statuit, quomodo nobis veracis promissionis firmitas apparebit, cum multa adhuc hominum milia dæmoniis seruiant, & idolis genu flectant, nisi huiusmodi denunciationes dei secundum illam incommutabilem scientiam editas noueri-
1. Corin. 5. mus, in qua apud illum iam vniuersitas humana discreta est, & siue de bonis siue de malis loquatur, ita vnius partis meminit, quasi neminem hominum prætermittat? Nam cùm dicit Apostolus: Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nouа: nũquid non omnes homines videtur dixisse renouatos?
Colos. 1. Aut cùm dicit: Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipsum reconciliari omnia in ipso: nunquid non ita loquitur quasi neminem velit exortem huius
Hebr. 1. reconciliationis intelligi? Aut cùm ait: Nouissimis istis diebus locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum: nunquid aliud sonat forma sententiæ, quàm omnes homines in Christi hæreditate à patre esse transcriptos,
Psalm. 2. secundum prophetiam Dauid dicentis: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam ter-
Ioan. 12. minos terræ? Dicente enim domino: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me: nonne vniuersorum videtur promissa conuersio? Aut cùm de ecclesia prophetatur & dici-
Esaiæ 40. tur: Omnis vallis replebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erũt praua in directa, & aspera in vias planas: nun
Esaiæ 66. quid vllus hominum videtur omissus, qui non significatus sit Christo esse subdendus? Quid cùm dicitur: Et veniet omnis caro in conspectu meo vt adorent in Hierusalem, dicit
Ioelis 2. dominus: Aut illud: Et erit in diebus illis, Effundam de spiri-
Psal. 144. tu meo super omnem carnem: Aut illud: Alleuat dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos: Nunquid non ita pronunciatum est, quasi ab hoc dei munere nemo discretus sit? Habet ergo populus dei plenitudinem suam, & quanuis magna pars hominum, saluantis gratiam aut repellat aut negligat, in electis tamen & præscitis, atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur vniuersitas, vt de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur assumpti: sicut etiã cùm de impiis sermo est ita locutionem suam diuinus stylus ordinat, vt ea quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur: veluti est illud quod ait Ioannes Ba-
Ioan. 3. ptista: Qui de cœlo venit, super omnes est: quod vidit & audiuit, testificatur, & testimonium eius nemo accipit. Aut il-
Philip. 2. Psal. 13. lud Apostoli: Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Aut illud quod psalmus Dauidicus canit: Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. His igitur & aliis documentis, quæ possunt ab inquirentibus numerosiora proferri, non dubiè demonstratur interdum & pro parte terræ omnem terram, & pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominum omnes homines nominari, quorum tamen discretionem plerũque scriptura citò aperit, vt sensus legentis ab vniuersitatis appellatione ad partem quæ intelligenda est transferatur: sic-
1. Cor. 1. ut est illud Apostoli dicentis: Prædicamus Iesum Christum

* sibi obse quuturos, fortasis. vi de Romanor. 14. Philip. 2. Matth. 24.

A crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis verò vocatis Iudæis atque Græcis Christum dei virtutem, & dei sapientiam. Nunquid ipsis Christus virtus quibus scandalum, aut ipsis sapientia quibus stultitia? Sed quoniam quidam ex eisdem iustificabuntur fide, quidam autem sua impietate obdurabuntur: vnum credentium & non credentium genus sub vocatorum appellatione discreuit, vt quos à fide significabat alienos, eos quanuis audissent euangelium, ostẽderet vocationis extraneos. Hac regula per Esaiam promittit sermo diuinus, dicens: Educam cæcos in Esaiæ 42.
viam quam non nouerunt, & semitas quas nesciunt calcabunt: & faciam illis tenebras illuscere, & praua in directum. Hæc verba faciam, & non derelinquam eos. Sed quod sequitur, Ipsi autem conuersi sunt retro: ad partem quandam generis ipsorum referẽdum est, non ad eos de quibus ait: Non Esaiæ 43.
derelinquam eos. Iterum dicit dominus ad Iacob: Noli metuere, quia tecum sum. Ab oriente adducam semen tuum, & ab occasu colligam te. Dicam Aquiloni, adduc: & Africo,
B noli vetare, adduc filios meos de terra longinqua, & filias meas à summo terræ: omnes in quibus vocatum est nomen meum. In gloriam enim meam paraui illum, & finxi & feci illum. Quod autem sequitur: Et produxi plebem cæcam, & oculi eorum sunt cæci, & surdas aures habent: non potest eis vlla ratione congruere, quos in gloriam suam parasse se dicit. In iis quippe omnibus verbis quæ de vno hominum genere dicuntur, aliis personis priora, aliis posteriora conueniunt. Apud Apostolum quoque quod in parte populi agitur, sub totius populi nuncupatione narratur, & in reliquis plenitudo censetur. Cùm enim de Iudæorum obcæcatione dissereret, & quosdam ex ipsis gratia saluos fieri demonstraret, Dico ergo, inquit, nunquid repulit deus populum suum?
Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham de tri- Rom. 11.
bu Beniamin: non repulit deus plebem suam quam præscisuit. Plebs ergo præscita, plebs nõ repulsa, ij sunt qui in Christo iustificati sunt. Et quod de omni Israele dici videtur, in iis tantum quos sibi gratiæ electio reliquos fecit, ostenditur, sicut sequentia apostolici sermonis enarrant. Adiungit
C enim & dicit: An nescitis in Helia quid dicit scriptura, quem admodum interpellat deum aduersus Israel? Domine pro- Ibidem.
phetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum diuinum? Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerunt genu Baal. Sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquiæ per electionẽ gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Non ergo omnis Israel reprobatus, nec omnis electus est, sed partem cæcitas voluntaria auertit, partem sibi illuminatio gratuita reseruauit, & tamen ita de eis sermo habetur, vt & in iis qui pereunt, & in iis qui salui fiunt, nulla totius generis videatur facta discretio. Nam cùm
legitur: Secundum euãgelium quidem inimici propter vos, Ibidem.
secundum electionem autem dilecti propter patres: ita locutio sonat, tanquam eosdem dicat dilectos, quos dixit inimicos. Sed hanc caliginem apostolus ipse detersit dicendo:
D Quia cæcitas ex parte in Israel contigit: vt vnum genus in Ibidem.
duas species intelligeremus esse diuisum, & omnem hominem, omnem plenitudinem, omnem Israelem, non semper ad vniuersitatem, sed plerũque ad partem esse referendum. Inter has autem formulas locutionum, etiam illam in scripturis dictionem debemus aduertere, qua id quod ad diuersorum temporum homines pertinet, ita promittitur, quasi de vna eiusdem ætatis generatione dicatur, sicut est quod sanctus Petrus Apostolus scribens sui & futuri tempori gen
tibus ait: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, 1. Petri 2.
gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum, qui aliquando non populus, nunc autem populus dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Nunquid cum prædicarentur hæc, adhuc illi homines permanebant, quos omnes deus in præteritis generationibus dimiserat ingredi vias suas, & iidem ipsi qui prius traditi fuerant voluntatibus suis, nunc de tenebris in lumen admirabile vocabantur? Nonne illi iam defecerant, iam in

hoc mundo non erant, nec ab errore ad veritatem reditus olim mortuis ſuppetebat? Et tamen quod poſt multa ſecula gratia in poſteris impiorum ſit, loquendi conſuetudo perſtrinxit, vt ipſi videantur nunc eligi, qui prius fuerant derelicti. Pertinent autem hæc non ad eoſdem homines, ſed ad eiuſdem gentis homines: & vocatio quæ illuxit propè mundi finem, ad præteritam non recurrit ætatem. Ita modo quo dam & ipſi & non ipſi ſunt, de quibus & quibus iſta dicuntur, dum in aliquo ſpeciali à generalibus non diuiduntur, in aliquo verò à communibus ſeparantur.

Deſolutione calumnioſæ obiectionis qua quidam dicunt authorem per ſuperius dicta contradicere apoſtolo definienti quòd deus velit omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et quòd profunditas diuinorum myſteriorum atque iudiciorum à nobis non ſit perquirēda.

Caput IIII.

SED cùm legerint hæc vel audierint qui amāt calumnioſa certamina, dicent nos per huiuſmodi diſputationes Apoſtolo cōtradicere definienti, quòd deus omnes homines velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. 1. Timo. 2. Quam particulam verborum Apoſtoli ita nos integrè plenéque ſuſcipimus, vt nihil ei de præcedētibus ſiue ſubiectis quæ ad ipſam pertinent ſubtrahamus: quoniam vt cętera diuinorum eloquiorum teſtimonia ſequeſtremus, hic locus ſufficit ad euacuandum quod calumnioſè obiiciunt, & ad defendendum quod impiè diffitentur. Scribens itaque ad Timotheum Paulus Apoſtolus ait: Obſecro igitur primò omnium, fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & trāquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſalutari noſtro deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Vnus enim deus, & vnus mediator dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. De hac ergo doctrinæ apoſtolicę regula qua eccleſia vniuerſalis imbuitur, ne in diuerſum intellectum noſtro euagemur arbitrio, quid in ipſa vniuerſalis eccleſia ſentiat requiramus: quia nihil dubium eſſe poterit in præcepto, ſi obediētia concordat in ſtudio. Præcepit itaque Apoſtolus, imò per Apoſtolum dominus qui loquebatur in Apoſtolo, fieri obſecrationes & poſtulationes, gratiarū actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, ac pro iis qui in ſublimitate ſunt. Quā legem ſupplicationis ita omnium ſacerdotum & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi ſit in qua huiuſmodi orationes non celebrētur à populis Chriſtianis. Supplicat ergo vbique eccleſia deo non ſolùm pro ſanctis & in Chriſto iam regeneratis, ſed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Chriſti, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Chriſtum in membris ipſius perſequuntur, pro Iudæis quorum cæcitati lumen euangelij non refulget, pro hæreticis & ſchiſmaticis qui ab vnitate fidei & charitatis alieni ſunt. Quid autem pro iſtis petit, niſi vt relictis erroribus ſuis conuertantur ad deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantiæ tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipſi præſtare ſibi nequeunt malæ conſuetudinis pondere oppreſſi, & diaboli vinculis alligati, neque deceptiones ſuas euincere valent, quibus tam pertinaciter inhæſerunt, vt quantum amanda eſt veritas, tantùm diligant falſitatem: miſericors & iuſtus dominus pro omnibus ſibi vult hominibus ſupplicari: vt cùm videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus deum præſtitiſſe quod vt præſtaret oratus eſt: & gratias agentes pro iis qui ſalui facti ſunt, ſperemus etiam eos qui nondum illuminati ſunt, eodem diuinæ gratiæ opere eximendos de poteſtate tenebrarum, vt in regnum dei priuſquam de hac vita exeant transferantur. Quod ſi aliquos, ſicut videmus accidere, ſaluantis gratia præterierit, & pro eis oratio eccleſiæ recepta non fuerit: ad occulta diuinæ iuſtitiæ iudicia referendum, & agnoſcendum eſt ſecreti huius profunditatem nobis in hac vita patere non poſſe. Ex parte enim ſcimus, & ex parte prophetamus, & videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. Nec ſapiētiores aut ſcientiores beatiſſimo apoſtolo ſumus, qui cùm de gratiæ potentia diſputaret, magnorum myſteriorum ingreſſus arcanum, iis quę impoſſibile erat enarrare, ſuccubuit. Cùm enim dixiſſet: Nolo vos ignorare fratres myſterium hoc, vt non ſitis vobis ipſis ſapientes, quia cæcitas ex parte in Iſrael contigit, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eruat & auertat impietates ab Iacob, & hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum. Secundum euangelium quidem inimici propter vos, ſecundum electionem verò dilecti propter patres. Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio dei. Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter illorum incredulitatem: ita & iſti nunc non crediderunt in veſtra miſericordia, vt & ipſi miſericordiam conſequantur. Concluſit enim deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. Cùm ergo hæc diuinorum operum myſteria ſupra menſuras humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis ſuæ profudiſſet exceſſu, totam expoſitionis rationem tranſtulit ad ſtuporem, & admirator eorum quæ protulerat, exclamauit & dixit: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen. 1. Corin. 13. Roman. 11. Eſaiæ 59. Roman. 11.

Cur anterioribus ſeculis dimiſſæ ſint omnes gentes ingredi vias ſuas, vno tantum Iſraele excepto, & ad cognitionem veritatis electo. Et quare deus vni homini det gratiam, alteri autem deneget. *Cap. V.*

PRæmiſſa enim docētis aſſertio locum dabat multimodæ quæſtioni, vt variatæ per tot populos ac tempora gratiæ dei cauſa quæreretur: cur ſcilicet anterioribus ſeculis dimiſſæ eſſent omnes gentes ingredi vias ſuas, vno tantum Iſraele, qui diuinis eloquiis erudiretur, excepto, & ad cognitionem veritatis electo, cuius infidelitas locum tandē ſaluandis gentibus fecerit: tanquam ſi vnus populus in fide ſui generis permaneret, miſericordia dei cæteris ſe nationibus præſtare non poſſet. Cur denique ipſi quorum diminutio ſalus gentibus eſt, ab obcæcatione ſua non liberentur priuſquam ingrediatur gentium plenitudo: quaſi illuminari cum omnibus nequeant, qui omnes facta omniū gentium adoptione ſaluandi ſunt. Aut quomodo omnis Iſrael ſublata obcæcatione ſaluandus ſit, cuius innumerabilis multitudo in ſua infidelitate deficiens, ad tempora ſaluandis promiſſa non peruenit. Vel quomodo ipſarum gentium, quarum prius non eſt facta vocatio, dicatur nunc ingredi plenitudo, cùm tanta promiſcuæ ætatis & conditionis hominum milia in omnibus nationibus quę ſunt ſub cœlo, ſine Chriſti iuſtificatione moriantur. Sed horum myſteriorum iudiciorúmque cauſas pius & doctus magiſter maluit ad altitudinem diuitiarum ſapientiæ dei ſcientiæque ſuſpendere, quàm iuſtiſſimæ veritatis & miſericordiſſimæ bonitatis ſubtractum ab humana cognitione ſecretum temeraria inquiſitione diſcutere, nihil omittens de iis quæ non oportet ignorari, nihil contrectans de iis quæ non licet ſciri. Multa enim ſunt in diſpenſatione operum diuinorū, quorum cauſis latentibus ſoli monſtrantur effectus, vt cùm pateat quod geritur, non pateat cur geratur, negocio in medium deducto, & in occultum ratione ſubducta, vt in eadem re & de inſcrutabilibus præſumptio comprimatur, & de manifeſtis falſitas refutetur. Neque enim ſi neſcio cur ille Græcus creetur, hic barbarus, iſte in diuitiis, ille in egeſtate naſcatur, hunc valida proceri corporis pulchritudo ſublimet, illum debilium membrorum exilitas contracta deformet, iſte à catholicis editus in veritatis cunabulis nutriatur, ille hæreticorum progenies cum ipſo lacte matris hauriat virus erroris, ſi denique mille alias differentias in habitu corporum, in qualitatibus animorum, in conditione temporum, in more regionum diiudicare non poſſum: ideo quod omnium horum deus ſit conditor atque ordina- Roman. 11.

ordinator,ignoro. Qui vtique ſingulorum hominum ita & corpora creauit & ſpiritus, vt præter illam ſecuturam ex vniuſcuiuſque ſtudio voluntariam diuerſitatem, ipſa conditionis exordia diſſimillima numeroſitate variaret. Turbarēt autē nos & in diuerſum diſtraherēt multæ vaniloquiorū opiniones, qui de in cognoſcibilibus deuenire in incōuenientia præſumpſerunt,& has originales inæqualitates fatis,quæ nulla ſunt,& ſyderibus deputarunt,niſi certiſſima notitia teneremus deum creatorem de elementis naturalibus prout vult vas vnumquodque formare, & vnam naturam animarum,vnam naturam corporum placitis ſibi temperare menſuris. Quæ vtique opera dei humanæ intelligentiæ cognoſcibilia eſſent ſi innoteſcere debuiſſent, & manifeſtaretur cur ita quidque fieret,niſi quòd ita fieret, ſcire ſufficeret. Dicit
Exod.3. dominus ad Moyſen: Quis dedit os homini,& quis fecit mutum & non audientem,videntem & cæcum?nonne ego dominus deus?Et per Eſaiam: Nonne ego fœcundum & ſterilem feci?dicit dominus.In libro Eccleſiaſtico legitur: Bona
Eccleſ.11. & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à deo ſunt. Et
Iob 12. Iob dicit:Abundant tabernacula prædonū,& audacter prouocant deum, cùm ipſe dederit omnia in manibus eorum. Et idem de omnium rerum humanarum profectu & defectu diſputans, omnéſque mutationes ad iudicia dei referēs. Apud ipſum eſt,inquit,ſapiētia & fortitudo:ipſe habet conſilium & intelligentiam.Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet:ſi incluſerit hominem,nullus eſt qui aperiat:ſi continuerit aquas,omnia ſiccabuntur:ſi emiſerit eas,ſubuertent terIbidem. ram.Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia,ipſe nouit & decipientem,& eum qui decipitur:adducit conſiliarios in ſtultum finem,& iudices in ſtuporem. Baltheum regum diſſoluit,& præcingit fune renes eorum: ducit ſacerdotes inglorioſos, & optimates ſupplantat, commutans labium veracium, & doctrinam ſenum auferens, effundens deſpectionem ſuper principes, & eos qui oppreſſi fuerant releuans: qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbra mortis:qui multiplicat gentes,& perdet eas, & ſubuerſas in integrum reſtituet. Qui immutat cor principum terræ,& decipit eos,vt fruſtra incedant per inuium:palpabunt quaſi in tenebris,& non in luce,& errare eos faciet quaſi ebrios.Et iterum idem dicens voluntatē dei irritam eſſe non
Iob 23. poſſe: Ipſe enim, inquit, ſolus eſt,& nemo auertere poteſt cogitationem eius,& anima eius,quodcūque voluerit, hoc fiet.Liberatur pars hominum parte pereunte. Et ſi hoc voluntatum meritis velimus adſcribere, vt malos neglexiſſe gratia,bonos autem elegiſſe videatur:reſiſtet nobis innumerabilium cauſa populorum,quibus per tot ſecula nulla cœleſtis doctrinæ annunciatio coruſcauit, nec meliores fuiſſe eorum poſteros poſſumus dicere, de quibus ſcriptum eſt:
Eſaiæ 9. Gentium populus qui ſedebat in tenebris, lucem vidit magnam,& ſedētibus in tenebris & vmbra mortis lux orta eſt
1.Pet.2. illis.Et ad quos apoſtolus Petrus dicit: Vos autem genus electum,regale ſacerdotium,gens ſancta,populus acquiſitionis, vt virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocauit in tam admirabile lumen ſuum,qui quondam non populus, nunc autem populus dei,quorum aliquando non eſt miſertus,nunc autem miſeretur. Non ergo meritis minorum tribuitur quod non meruere maiores: par enim impietas & patres accuſabat & filios,eadémque ignorantiæ cæcitas omnes ſimul in eoſdem mergebat errores.Sed cur illorum non miſertus & horum miſertus ſit deus: quæ ſcientia comprehendere,quæ poteſt inueſtigare ſapientia?Latet diſcretionis iſta ratio,ſed non latet ipſa diſcretio.Non intelligimus iudicantem,ſed videmus operantem. Quid calumniamur iuſtitiæ occultæ, qui gratias debemus miſericordiæ manifeſtæ? Laudemus & veneremur quod agitur,quia tutum eſt neſcire quod tegitur.Reſpice autem & ad vniuerſalem multitudinem paruulorum,in quibus excepto illo quo in damnationem naſcitur gens humana delicto, nec præterita poſſunt merita nec futura cenſeri. Omnes enim de quibus nunc loquimur,ante vllum intelligentiæ vſum,ante liberum voluntatis arbitrium, alij ad æternam beatitudinem regenerati,alij ad perpetuam miſeriam tranſeunt non renati. Si originalem culpam fateris,omnis numerus in reatu eſt: ſi moralem innocentiam quæris,omnis ſumma ſine vitio eſt.Non inuenit quod diſcernat humana iuſtitia,ſed habet quod eligat in enarrabilis gratia dei. In abſcondito eſt conſilium, ſed non latet donum: opus exerit pietas, cauſam obſcurat poteſtas. Sed tam indubitabile eſt quod non videtur, quàm quod videtur: quia authori manifeſti operis negari confeſſio etiam incognitæ non poteſt æquitatis. Quod ſi & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitiis & ſceleribus ætatem,ſacramento baptiſmatis Chriſti in ipſo vitæ fine renouantur, & ſine vllo ſuffragio bonorum operum in regni cœleſtis conſortium transferuntur: quo intellectu diuinum iudicium comprehēdes, niſi vt indubitanter agnoſcas gratuita eſſe dei munera: & ſicut nulla ſunt tam deteſtanda facinora, quæ poſſint gratiæ arcere donum, ita nulla poſſe tam præclara opera exiſtere,quibus hoc quod gratis tribuitur,per retributionis iudicium debeatur? Vileſceret enim redemptio ſanguinis Chriſti, nec miſericordiæ dei humanorum operum prærogatiua ſuccumberet, ſi iuſtificatio quæ fit per gratiam,meritis præcedentibus deberetur,vt non munus largientis,ſed merces eſſet operantis. Vnde autem poſſet probari quod ad euacuandum originale peccatum nulla idonea eſſet induſtria, niſi & impij & facinoroſi per lauacrum Chriſti aſſumerentur in regnum, agnoſceréntque qui in ſua iuſtitia gloriantur, quàm nihil dignum agere poſſint adoptione filiorum dei ſi ad regenerationis non peruenerint ſacramentum: cùm eadem qua ſceleſtiſſimi peccatores conditione teneantur,pares futuri in ſanctificatione,ſi affuerit regeneratio,ſimul perituri ſi ceſſauerit ablutio? Si ergo etiam ex nequiſſimis in ipſo vitæ exitu gratia inuenit quos adoptet,cùm tamen multi etiam qui minus nocentes videntur,doni huius alieni ſint: quis hoc aut ſine diſpēſatione dei fieri,aut ſine profunda dicat æquitate decerni? Quod vtique non ideo iniquum eſt, quia occultum eſt: ſed ideo æquum eſt,quia iudicium dei eſſe non dubium eſt.Quod enim ab illius pendet arbitrio: qua ſententia iudicari debeat, priuſquam iudicetur incertū eſt. Cùm autem res ad finem ſuum venerit, nemini liberum eſt de exitu conqueri, quia certiſſimum eſt nihil aliter deum facere debuiſſe quàm fecerit. Qui multimodæ vocationis varietatē ad vnam gratiam pertinentem, etiam illa regula euangelicæ comparationis adſtruxit, qua oſtendit patremfamilias diuerſo tempore conducentem operarios vineæ ſub pactione denarij, quo vitæ æternæ ſignificatur æqualitas,vbi ſine dubio hora vndecima intromiſſi in,vineamtotius diei operariis exæquati, iſtorum de quibus nunc loquimur,præferunt ſortem,quos ad commendandam gratiæ excellentiam in defectu diei & concluſione vitæ diuina indulgētia numerauit,non labori precium ſoluens, ſed diuitias bonitatis ſuæ in eos quos ſine operibus eligit, effundens: vt etiam ij qui in multo labore ſudarunt, nec amplius quàm nouiſſimi acceperūt, intelligant donum ſe gratiæ, non operum accepiſſe mercedem. Vnde ſi & nos aduerſum patremfamilias murmuremus, eo quod nouiſſimè vocati totius diei operariis coæquētur,nec amplius multa opera quàm pene nulla mereantur:dicetur nobis quod vni eorum reſpōnſum eſt: Amice, non facio tibi iniuriam: Matth.20.
nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade:volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi.Aut non licet mihi de re mea facere quod volo? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Certè huic calumniatori iniuſta videbatur hæc largitas, & quid eruditionis retulit? quid rationis accepit? Non eſt ei diſpenſationis huius reuelata iuſtitia, nec ad inſpectionem ſecreti latentis admiſſus eſt: ſed vt à diſcutiendis dei iudiciis abſtineret, oppoſita eſt ei bonitas miſerantis,& volentis poteſtas,quaſi illi & ab Apoſtolo diceretur: O homo, tu quis es qui reſpondeas deo?
Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quare me feciſti Roman.9.
ſic? Omnibus ergo hominibus cuiuſlibet generis, cuiuſlibet conditionis & ætatis cauſa percipiendæ gratiæ voluntas dei eſt, apud quam ratio electionis abſcondita eſt, ab ea gratia incipientibus meritis, quam accepere ſine meritis. Quæ ſi poſſent bona eſſe ſine gratia, non diceretur: Niſi quis renatus

Ioan.3. tus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum
Ioan.6. cœlorum: &, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Sed diceretur: Niſi quis fuerit iuſtus & bonus, beatus in æternũ eſſe non poterit. Nec opus eſſet per aquam & ſpiritum renaſci, ſi per mandatum ſufficeret erudiri. Et euacuaretur fides, quæ credit per baptiſmum omnia peccata dimitti, ſi gratia non malis & impiis, ſed bonis & rectis doceretur impendi. Origo itaque veræ vitæ veræque iuſtitiæ in regenerationis eſt poſita ſacramento, vt vbi homo renaſcitur, ibi etiam ipſarum virtutum veritas oriatur. Et incipiũt ad perpetuam gloriam proficere per fidem, qui vix ad temporalem vanæ laudis poterant peruenire mercedem. Siue enim Iudæus legis ſcientia tumens, ſiue Græcus ſtudio ſapientiæ naturalis
Ioan.3. inflatus, priuſquam iuſtificetur per fidem Chriſti, concluſus eſt ſub peccato: & ſi in ſua infelicitate perſtiterit, ira dei manet ſuper eum, illa ſcilicet in Adæ præuaricatione contracta,
Epheſ.2. de qua Apoſtolus loquitur, dicens: Et vos cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatis aeris huius, ſpiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos aliquando cõuerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri. Et iterum: Qui eratis illo tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamẽtorum, promiſſionis ſpem non
Epheſ.5. Coloſ.1. habentes, & ſine deo in mundo. Et iterum: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Et iterum: Gratias agẽtes patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris, & poteſtate tenebra-
ad Tit.3. rum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. Et iterum: Eramus enim & nos aliquando inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſideriis, & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, audiẽtes inuicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri: non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abũdè per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.

Qualis ſit natura humana ſine gratia. Cap. VI.

IT vt breuiſſime pateat qualis ſit natura humana ſine gratia, dicat Iudas apoſtolus quid agat vel i-
Iudæ 1. gnorantia imperitorum, vel doctrina ſapiẽtium. Hi autem, inquit, quæcunque quidem ignorant, blaſphemant: quæcunque autem naturaliter vt muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Dicat etiam ſub verbis Zachariæ euangeliſta Lucas, ante illuminationem gratię in qua
Lucæ 1. humanum genus nocte verſetur, & de quibus ignorantię tenebris dei populus eruatur: Et tu, inquit, puer propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem domini parare vias eius, ad dandam ſcientiam ſalutis populo eius in remiſſionem peccatorum ipſorum, propter viſcera miſericordiæ domini, in quibus viſitauit nos oriens ex alto, lucere iis qui in tenebris & vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Hæc autem viſcera miſericordiæ dominus non ad vnius tantùm populi redẽptionem, ſed omnium
Ioan.11. nationum impendit ſalutem, dicente euangeliſta: Quia Ieſus moriturus erat pro gente, non tantùm pro gente, ſed etiam vt filios dei diſperſos congregaret in vnum. Hoc enim agit illa vox domini, quæ per quandam pietatis tubam toto terrarum orbe reſonantem, omnes homines & inuitat, &
Matth.11. conuenit. Nam cum dixiſſet: Confitebor tibi pater domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis: Ita pater, quoniam ſic beneplacitum eſt ante te, addidit: Omnia mihi tradita ſunt à patre meo: & nemo nouit filium niſi pater, neque patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et deinde adiecit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus

A meum leue eſt. Ioannes verò baptiſta in euangelio Ioannis prophetico ſpiritu proteſtatur, dicens: Qui de cœlo venit, ſu Ioan.3.
per omnes eſt: quod vidit & audiuit, teſtificatur, & teſtimonium eius nemo accipit. Qui accepit teſtimonium eius, ſignauit, quoniam deus verax eſt. Igitur quantum attinet ad humani generis cæcitatem longa ignorãtiæ & ſuperbiæ nocte contractam, venit in hunc mundum creator mundi, &
mundus eum non cognouit. Lux lucet in tenebris, & tene- Ioan.1.
bræ eam non comprehẽderunt. Qui ſuper omnes eſt, quod Ioan.3.
vidit & audiuit, teſtificatur, & teſtimonium eius nemo accipit. Sed quia non fuſtra deus dei filius venit in mundum, &
dedit ſemetipſum pro omnibus, mortuúſque eſt nõ tantùm Ioan.11.
pro gente, ſed etiam vt filios dei diſperſos congregaret in vnum, & vniuerſis dicit: Venite ad me omnes qui laboratis Matth.11.
& onerati eſtis: & ſeruato ſibi incognoſcibilis electionis arbitrio, dat ſui patríſque notitiam quibus eam voluerit reuelare: omnes filij lucis, filij promiſſionis, filij Abrahæ, filij dei,
genus electum, regale ſacerdotium, veri Iſraelitæ, præcogni- 1.Petri 2.
B ti & præordinati in regnum dei, qui eos vocauit non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus: teſtimonium eius qui de cœlo venit accipiunt, ſignificantes quia deus verax eſt, id eſt, expreſſè ſignificantes in ſui ſaluatione quoniam deus verax eſt, implens & perficiens quod promiſit Abrahæ omnium gentium patri: qui pollicente deo quod hæres futurus eſſet mundi, non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam deo, & pleniſſimè ſciens quoniam quod promiſit, potens eſt & facere. Quis autem tam alienus eſt à fide Abrahæ, quis tam degener ab vniuerſarum gentium patre, qui promiſſionem dei aut non impleri, aut ab alio præter
eum qui promiſit, dicat impleri? Ille quidem erit mendax, Rom.3.
deus autem eſt verax. Et omnis qui accipit teſtimoniũ eius, hoc ſignat, hoc indicat, quod per lucem illuminantem factus eſt videns, factus eſt obediens, factus eſt intelligens, ſi-
cut Ioannes euangeliſta teſtatur dicens: Scimus quia mun- 1.Ioan.5.
dus totus in maligno poſitus eſt, & ſcimus quia filius dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum deum, &
C ſimus in vero filio eius,

Cur ſaluator omnium hominum non omnibus dederit hunc ſenſum, vt cognoſcerent verum deum. Cur etiam quidam paruuli ſalui fiant renati, alij pereant non renati.

Caput VII.

SI verò quæritur cur ſaluator omnium hominum non omnibus dederit hũc ſenſum, vt cognoſcerent verum deum, & eſſent, id eſt, per manerent in vero filio eius: quãuis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam, de quo plenius in ſequentibus diſſeremus: tamen ita fortè hoc velatum ſit, ſicut illud abſconditum eſt, cur antea omnibus gentibus prætermiſsis, vnum populum ſibi quem ad veritatis cognitionem erudiret exceperit: de quo iudicio dei ſi non eſt conquerendum: multò minus de hoc quod cum electione omnium gentium geritur, murmurãdum eſt. Quæ enim deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda: quæ autem manifeſta fecit, non ſunt negãda: ne & in
D illis illicitè curioſi, & in iſtis damnabiliter inueniamur ingrati. Non autem ignoramus eſſe quoſdam tam inconſideratæ præſumptionis, & tam ſuperbæ arrogãtiæ, vt quod præci-
puus magiſter gentium non ab hominibus neque per homi Galat.1.
nem ſed diuinitus eruditus, ſupra menſuram ſciẽtiæ ſuæ longè & altè remotum eſſe confeſſius eſt, audeant falſi nominis temerare doctrina, & nihil illic occultum, nihil velint eſſe ſecretum, vbi apoſtolus non quid ſentiẽdum eſſet aperuit, ſed quid non ſcrutandum eſſet, oſtendit. Nullis etenim (quod ſuprà iam diximus) ſtudiis, nullis ingeniis indagare conceſſum eſt quo iudicio quóve conſilio deus incommutabiliter bonus, incommutabiliter iuſtus, ſemper præſcius, ſemper o-
mnipotens, ideo omnia in incredulitate concluſerit, vt om- Rom.11.
nium miſereatur, & tamẽ illis ſeculis quibus vnum Iſraelem erudiebat, innumerabiles populos impiorum illuminare diſtulerit, & nunc eundem Iſraelem, donec vniuerſitas gentium introeat, obcœcatũ eſſe patiatur, pereuntem in tot milibus naſcentium atq; morientium, & ſaluandum in eis quos

mundi

mundi finis inuenerit. Quo mysterio toto scripturarum cor pore dilatato, innotuit quidem nobis quid factum sit, quid fiat, quidue faciendum sit: sed quare ita fieri placuerit, ab humanæ intelligentiæ contemplatione subtractum est. Isti autem qui nescire aliquid erubescũt, & per occasionem obscuritatis tendunt laqueos deceptionis, omnem discretio-
Matth. 20. nem qua deus alios eligit, aliósque non eligit, (multi enim sunt vocati, pauci, autem electi) ad merita humanæ referunt voluntatis, docentes scilicet neminem gratis, sed ex retributione saluari, quia naturaliter omnibus sit insitum, vt si velint, possint veritatis esse participes, eísque affluere gratiam à quibus fuerit expetita. Quæ definitio, vt interim de gratię veritate taceatur, de his videtur aliquam ostentare ratiuncu lam qui libero vtuntur arbitrio. De paruulis verò quibus si ne vllo bonæ voluntatis merito in originali vulnere cũ cæteris mortalibus causa communis est, nihil potest expositio nis afferri qua doceatur cur isti salui fiant renati, illi pereant non renati, sub illius prouidentia & omnipotentia in cuius manu est anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis
Iob 14. hominis, & cui dicitur: Breues dies hominis sunt, numerus dierum eius apud te est. Non autem puto istos voluntatum patronos, simplicitate illorũ tam impudenter vsuros, vt aut fortuitu ista dicant accidere, aut non renatos asserant nõ perire. Apertè enim aut cum paganis conuincerentur sentire de fato, aut cum Pelagianis transfusum in posteros Adæ negare peccatum. Fato autem non baptizari paruulos nec Pelagiani potuerunt dicere, sed quia eos liberos à peccato ausi sunt profiteri, meruere damnari. Cùm autem de discretione omnium hominum quæstio ventiletur, & ab omnibus hominibus paruuli nequeant separari, simúlque de totius ætatis hominibus veritas dixerit: Filius hominis venit quære-
Lucæ 19. re & saluare quod perierat. Frustra profunditatem inscrutabilis gratiæ per liberum arbitrium conantur aperire qui causam electionis in eorum constituunt meritis qui eliguntur. Et cùm multa de maiorum volũtate ac iudicio inepta & falsa protulerint, in paruulorum tamen discretione deficiunt, nec possunt de eius quæstionis ratione reddita gloriari, quæ de omnibus hominibus tractatur, & non de omnibus expe ditur. Multiformitas autẽ & magnitudo diuinæ gratiæ probat istos contra veritatem etiam quod de maiorum voluntatibus loquuntur, astruere, eorúmque persuasioni diuinorum eloquiorum testimonia repugnare. Quæ si omnia sermoni nostro velimus annectere, modus nõ erit differendo. Quæ tamen si se recordationi offerunt, non omittentur, vt quantum satis est, manifestetur omne hominis bonum meritum ab initio fide vsque ad perseuerantiæ consummationem donum atque opus esse diuinum.

Fides vnde nascatur, & vnde acquiratur. Cap. VIII.

Roma. 1. Igitur fides quæ bonæ voluntatis & iustæ actionis est genitrix, quo ipsa fonte nascatur, apostolus Paulus exponat, qui pro Romanorũ fide deo gratias agit, dicens: Primùm quidem gratias ago deo meo per Iesum Christũ pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Ad Ephesios quo-
Ephes. 5 que scribens: Propterea, inquit, & ego audita fide vestra quę est in domino Iesu, & dilectione in omnes sanctos, non cessso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt deus domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis. De fide etiam Colossensium similiter gratias agens:
Colos. 1. Gratias agimus, inquit, deo & patri domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis. Et vt alia bona ab eodem bonorum authore percipiant, quid pro cis
Ibidem. oret enarrans: Ideo, inquit, & nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia & intellectu spiritali, vt ambuletis dignè deo placentes, in omni opere bono fructificantes & crescentes in scientia dei, in virtute confortati secundum potentiam claritatis eius in omni patientia & longanimitate cum gaudio. Item ad Thessalonicenses, qui spiritu fidei dilectionisque seruiebant: Gratias agimus, 1. Thes. 1.
inquit, deo semper pro omnibus vobis, memoriam facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fi dei vestræ & laboris & charitatis & sustinentiæ spei domini nostri Iesu Christi ante deum & patrem nostrum. Et infra Ideo & nos gratias agimus deo sine intermissione, quoniam Ibidem. 2.
cùm accepissetis à nobis verbum auditu dei, accepistis non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbũ dei qui operatur in vobis qui credidistis. Potuítne plenius aut euidentius demonstrari dei esse donum credentium fidem, quàm vt ideo agerentur gratiæ deo, quoniam ij quibus verbũ dei per homines prædicabatur, non quasi de hominum sermone dubitarunt, sed tanquam deo loquenti per homines crediderunt, qui in ipsis est operatus vt crederent? In secunda quoque ad eosdẽ Thessalonicenses epistola de fide in Christo proficientium ita Apostolus loquitur: Gratias agere de- 2. Thes. 1.
bemus deo semper pro vobis fratres, ita vt dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem, ita vt & nosipsi in vobis gloriemur in ecclesiis dei pro patientia vestra & fide in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus quas sustinetis in exemplum iusti iudicij dei, vt digni habeamini in regno dei, pro quo & patimini. Petrus quoque apostolus ex deo haberi fidem prædicans, ita scribit: Scientes quod non corru- 1. Petr. 1.
ptibilibus auro & argento redempti estis de vana conuersatione vestra paternę traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi Iesu, præcogniti quidem ante constitutionem mũdi, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos qui per ipsum fideles estis in deum, qui suscitauit eum à mortuis, & gloriam ei dedit, vt fides vestra & spes esset in domino, Item idem in secunda epistola de fidei perceptione sic loquitur: Simon Petrus ser- 2. Pet. 1.
uus & apostolus Iesu Christi, is qui coæqualem nobis adepti sunt fidem per iustitiam domini & saluatoris Iesu Christi. Vnde autem habeatur spiritus fidei, Ioannes apostolus manifestissimè docet dicens: Omnis spiritus qui confitetur 1. Ioan. 4.
Iesum in carne veniisse, ex deo est. Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex deo non est, & hic est Antichristus. Item dicit ab eo recipi euangelium, in quo est spiritus veritatis. Nos, inquit, ex deo sumus, qui nouit deum, audit nos: qui non est ex deo, non nos audit. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris, Item in actibus apostolorum Petrus apostolus fidem esse per dominũ Iesum pronuncians: Hunc Acto. 3.
inquit, quem videtis & nostis, confirmauit nomen eius, & fides quæ per eum est dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. De fide quoque Lydiæ, cuius inter alias mulieres quæ euangelium pariter audiebant, dominus cor aperuit, ita in eadem narratur historia. Die autem Ibidem. 16.
sabbatorum egressi sumus extra portam iuxta flumen, vbi videbatur esse oratio, & sedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant: & quædam mulier Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens deum, audiuit, cuius dominus cor aperuit vt intenderet iis quæ dicebantur à Paulo. Non autem ex humana sapientia esse fidem, sed ex inspiratione diuina, ipsius veritatis voce firmatur. Dicẽte enim domino ad discipulos suos: Vos autem quem me esse dicitis? re Matt. 16.
spondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Paulus verò apostolus hanc ipsam fidem secundum mensuram dari pro arbitrio largientis ita prædicat: Dico enim per gratiã quæ data est mihi, omnibus qui Rom. 12.
sunt inter vos, non plus sapere quàm oporteat sapere, sed sapere ad sobrietatem, sicut vnicuique diuisit deus mensuram fidei. Item idem vnitatẽm rectæ fidei, & consensionem in honorem dei à deo esse commendans: Deus autem, inquit, Roma. 15.
patientiæ & consolationis det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christrnm, vt vnanimes vno ore honorificetis deum & patrẽ domini nostri Iesu Christi. Et infrà: Deus autẽ spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis spe in virtute spiritus sancti. Quo testimonio non solùm fides, sed etiam gaudium & pax, & abundantia

dantia ſpei docentur niſi in virtute ſancti ſpiritus non habe
ri. Ad Epheſios verò ſcribens Apoſtolus de diuitiis gratiæ
pro malis bona retribuentis, & de fide quæ non ex nobis,
Epheſ. 2. ex dei dono habetur, hęc loquitur: Deus autem qui diues eſt
in miſericordia, propter nimiam ſuam charitatem qua dile-
xit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos
Chriſto, cuius gratia ſalui facti ſumus, & correſuſcitauit &
conſidere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu. Gratia enim
eſtis ſaluati per fidem, & hoc nõ ex vobis. Dei enim donum
eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus
figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ
præparauit deus, vt in illis ambulemus. Proprium ergo hoc
habet noua creatura per gratiam, vt qui figmentum dei ſũt,
qui natiuitate cœleſti conduntur in Chriſto, non ocio tor-
peant, nec deſidia reſoluantur, ſed de virtute in virtutem
proficiant, per viam bonorum operum ambulando, hoc eſt
enim fingi, hoc de vetere creatura nouam fieri, hoc de ima-
gine terreni hominis ad imaginem cœleſtis hominis refor-
mari, quod totum ſiue palam per cooperatores gratiæ, ſiue
occultè per ſubminiſtrationem ſpiritus, ille inchoat, ille au
get & perficit, cuius agricultura, cuius ędificatio, & cuius
figmentum ſumus.

Quòd à domino deo omnia virtutum dona dirigantur & diſponantur. Et quòd omnia in manu eius ſint. Quódque deus ſit author omnis boni. Cap. IX.

ABundè, quantum arbitror, his teſtimoniis (quam
uis & alia documenta aggregari potuerint) de-
mõſtratum eſt, fidem qua iuſtificatur impius, ni-
ſi ex dei munere non haberi, eámque nullis meri
tis prędecedentibus tribui, ſed ad hoc donari, vt principiũ poſ-
ſit eſſe meritorum: vt cùm ipſa data fuerit, non petita, ipſius
iam petitionibus bona cętera conſequantur. Vnde itaque
quædam de plurimis aſſũmenda ſunt teſtimonia, quæ in di-
uerſitate donorum oſtendant gratię largitatem. Ex deo v-
tique eſſe, vt homo viam dei eligat, & vt ſurgat à lapſu, pſal
Pſal. 36. mus Dauidicus canit, dicens: A domino greſſus hominis di
rigentur, & viam eius volet. Cùm ceciderit, non collide-
tur: quia dominus ſupponit manum ſuam. Item idem quod
Pſal. 42. duce deo veniatur ad deum: Emitte lucem tuam, & verita-
tatem tuam, ipſa me deduxerunt & adduxerunt in mon-
tem ſanctum tuum, & in tabernacula tua. Item quod in do
Pſal. 38. mino ſit hominis fortitudo, & dei voluntas præueniat libe-
randum. Fortitudinem, inquit, meam ad te cuſtodiam, quia
deus ſuſceptor meus, deus meus, volũtas eius præueniet me.
Prou. 2. In prouerbiis quoque legimus de ſapientia & intellectu:
Quoniam dominus dat ſapientiam, & à facie eius ſcientia
Ibidem 8. & intellectus. Item in eodem libro de diſpẽſationib⁹ ſapien
tiæ dei, ſine qua nullę rectæ ſunt actiones, ita dicitur: Meum
conſilium & mea tutela: ego prudentia, mea autem virtus.
Per me reges regnant, & tyranni per me obtinent terram.
Ibidẽ. 20. Item alibi, quòd nemo poſſit rectè incedere niſi domino di
Ibidem 21. rigente: A domino corriguntur greſſus viri, mortalis autem
Ibid. 19. quomodo intelligit vias ſuas? Item alibi: Omnis vir videtur
ſibi iuſtus, dirigit autem corda dominus. Et infrà: Præpara-
tur volũtas à domino. Item ibidem de cogitatione atq; con-
Eccles. 2. ſilio: Multæ cogitationes in corde viri, conſilium autem do-
mini obtinet. In libro verò Eccleſiaſtæ dicitur quod & ha-
bere neceſſaria, & eis bene vti, donũ ſit dei. Non eſt, inquit,
bonum homini niſi quod mãducat & bibit, & oſtendit ani-
mæ ſuæ bonum in labore ſuo. Et quidem hæc vidi ego, quia
à manu dei eſt. Quoniã quis manducabit aut paſcet abſque
illo? Item in eodem libro legitur quod corda & opera iu-
Eccleſ. 8. ſtorum in manu ſint dei, & tãtùm in ſtudiis ſuis proficiant,
quantùm ille donauerit. Quantumcunque laborauerit ho-
mo vt quærat, non inueniet: & quodcunque dixerit ſapiens
vt ſciat non poterit inuenire: quia vniuerſum hoc dedi in
cor meum, & cor meum vniuerſum hoc vidit, quia & iuſti,
Sapien. 7. & ſapientes, & operationes eorum in manu dei: In libro au-
tem ſapientiæ de eodem gratiæ opere ita dicitur: Quoniam
ipſe & ſapientiæ dux eſt, & ſapientium emendator: in manu
enim illius & nos, & ſermones noſtri, & omnis ſapientiæ &
Ibidem 8. operum ſcientia & diſciplinæ. De cõtinentia quoque quod
ex dei habeatur munere, eadem ſcriptura ſic loquitur: Vt ſci
ui quia aliter non poſſum eſſe cõtinens, niſi deus det: & hoc
ipſum erat ſapientiæ ſcire, cuius eſſet hoc donum. Cui ſen
tentiæ Pauli apoſtoli doctrina cõcordat in prima ad Corin
thios hæc ſcribentis: Volo autem omnes homines eſſe ſicut 1 Cor. 7.
meipſum: ſed vnuſquiſque proprium habet donum ex deo,
alius ſic, alius verò ſic. Dominus verò in euangelio ſecũdum
Matthęum hæc de continẽtię dono inſinuaſſe narratur. Di-
centibus nanque diſcipulis ſuis: Si ita eſt cauſa viri cum vxo
re, non expedit nubere: dicit illis Ieſus: Non omnes capiunt Matth. 19.
verbum iſtud: ſed quibus datum eſt à patre meo. De timore
dei & ſapientia ita in Eccleſiaſtico legitur: Corona ſapien- Eccleſ. 1.
tię timor domini: vtraque autẽ dona ſunt dei. Item de eodẽ:
Timor domini ſuper oẽnia ſe ſuperpoſuit: beatus cui do-
natum eſt habere timorem domini. Eſaias quoque de diui-
tiis ſpiritalibus, quarum author eſt dominus, ita loquitur: In
theſauris ſalus noſtra aduenit: ſapientia, & pietas, & diſcipli-
na à domino, hi ſunt theſauri iuſtitiæ. Item de altitudine di-
uitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei, cuius bonitas nullius me
rito præuenitur, hęc dicit: Qui menſus eſt manu aquam, & Eſaiæ 33.
cœlum palmo, & vniuerſam terrã pugillo, qui ſtatuit mon-
tes in libra, & rupes in ſtatera. Quis cognouit ſenſum do- Rom. 11.
mini, aut quis eius fuit conſiliarius, qui inſtruat eum, aut
quem conſuluit, & inſtruxit eum, vel quis oſtendit ei iudi
cium, aut viam prudentiæ quis oſtendit ei, vel quis prior de
dit ei, & retribuetur illi? Vnde & in libro Iob ſecundũ eun-
dem ſenſum leguntur domini verba, dicentis: Quis ante de- Iob 41.
dit mihi, vt retribuam illi? Omnia quę ſub cœlo ſunt, mea
ſunt. Hieremias verò quod à deo ſit homini recta ſapientia,
ſic profatur: Scio domine quia non eſt in homine via eius, Hiere. 10.
nec viri eſt vt dirigat iter ſuum. Item quod ad deum conuer
ſio cordis ex deo ſit, per ipſum dominus proteſtatur & di-
cit: Reſtituam illos in terram iſtam, & reędificabo & non Ibidem 24.
deſtruam, & plantabo eos, & non euellam, & dabo illis cor
vt ſciant me, quia ego ſum dominus, & erunt mihi in popu-
lum, & ego ero illis in deum, quia conuertẽtur ad me ex to-
to corde ſuo. Item idem prędicans quod vt deus cognoſca-
tur, ex deo ſit: Et ſcient, inquit, quia ego dominus deus illo- Ioel. 2.
rum: & dabo illis cor cognoſcendi me, & aures audiendi.
Quod autem omne verbum bonum & omne opus ſanctũ
ſumminiſtratio ſit ſpiritus ſancti, ſine quod nihil rectè aga-
tur, in prima ad Corinthios Paulus apoſtolus docet, dicens: 1. Cor. 12.
Ideo notum vobis facio quod, nemo in ſpiritu dei loquens
dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere dominum Ieſum
niſi in ſpiritu ſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem
autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem au-
tem dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò
deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem da
tur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiri
tum datur ſermo ſapientię, alij autem ſermo ſcientię ſecun-
dum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gra
tia ſenitatũ in vno ſpiritu, alij prophetatio, alij diſcretio ſpiri
tuum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum.
Hęc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diui-
dens ſingulis prout vult. Tantum verò vnumquęmque ha-
bere gratię, quantũ dominus donauerit, idem Apoſtolus ad
Epheſios ait: Vnũ corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis Epheſ. 5.
in vna ſpe vocationis veſtrę, vnus dominus, vna fides, vnum
baptiſma, vnus deus & pater omnium, qui ſuper omnes eſt,
& ſuper omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autem no-
ſtrum data eſt gratia ſecundũ mẽſuram donationis Chri-
ſti: propter quod dicit: Aſcendens in altum captiuam duxit
captiuitatem dedit dona hominibus. Item idem in ſecunda
ad Corinthios dicit, quod ne ad cogitandũ quidem quod ſpi
ritale eſt, idonei ſimus niſi per gratiam dei. Fiduciam autem
talem habemus per Chriſtum ad deum, non quod ſufficien 2. Corin. 3.
tes ſimus aliquid cogitare à nobis quaſi ex nobiſmetipſis,
ſed ſufficientia nobis ex deo eſt, qui & idoneos fecit nos mi
niſtros noui teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu. Litera enim
occidit, ſpiritus autem viuificat. Et iterum in eadem epiſto-
la docens bonorum operum effectum & ſufficientiam à dei
gratia miniſtrari: Potens eſt autem, inquit, deus omnem gra 2. Corin. 9.
tiam abundare facere in vobis, vt in omnibus per omnia ſuf
ficientiam habentes abundetis in omne opus bonum, ſicut
ſcriptum

249

Psalm. 111. scriptum est: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Qui autem ministrat semẽ seminãti, & panem ad manducandum præstabit, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem. Ad Ephesios verò scribens Apostolus docet quòd omnia bona quibus placetur deo, dona sint dei, & quod ab ipso peti oporteat, vt ea nõ habentibus tribuat.

Ephes. 5. Huius rei, inquit, gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutẽ corroborari per spiritum eius in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charita te radicati & firmati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quę sit latitudo & lõgitudo, sublimitas & profundum, supereminentem scientiæ charitatẽ Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundantius quàm petimus aut intelligimus, secundum virtutem qua operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia, & in Christo Iesu, in omnia secula seculorũ, amen. Omnis autem boni deum esse authorem, cuius dona nec incerta sint nec mutabilia, sed ex æterna voluntate ve-

Iacobi 1. nientia, Iacobus apostolus ita loquitur: Nolite errare fratres mei dilecti. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descẽdens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturę eius. Cui & Zacharias propheta concinit, di-

Zacha. 9. cẽs: Saluabit dominus in die illo sicut oues populum suum, quoniam lapides voluũtur super terram ipsius: quia si quid bonum, ipsius est: & si quid optimum, ab ipso est. In euange-

Matth. 13. lio verò secundum Matthæum, quòd scientiæ & intellectus dona, sint dei, quę quibus voluerit largiatur, ita dicitur: Tũc accedentes discipuli eius dixerũt: Quare in parabolis loqueris ad eos? At ipse respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.

Ioan. 6. Ioannes quoque euangelista pronunciat neminem aliquid boni habere nisi quod desursum acceperit, dicens: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. In eiusdẽ verò euangelio doctrina est ipsius veritatis quod nemo veniat ad filium, nisi attractus à patre, quia venturum deus & intelligentem & obedientem facit. Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Scriptum est enim in prophetis: Et erunt omnes dociles dei. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Et infrà: Proppter hoc dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à patre meo. In fide autem & in operibus bonis proficere ac perseuerare vsque in finem, muneris atque auxilij esse diuini, sanctarum scripturarum cõfirmat authoritas. Et

Philip. 1. enim scribens Paulus apostolus Philippensibus ait: Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Huius autem testimonij virtutem quidam volens ad sui sensus prauitatem conuertere, ita quòd dictum est, qui cœpit in vobis, volebat intelligi, quasi dictum esset, qui cœpit ex vobis: vt & initium & consummatio operis non ad deum, sed ad hominem referretur, qui & incipere & perficere voluisset. Sed hanc insanis-

Philip. 2. simam superbiam in eadem epistola excellentissimus gratię prędicator elidit, dicens: In nullo terreamini ab aduersariis, quę est illis causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à deo: quia vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Et iterũ: Cum metu, inquit, & tremore vestram salutem operamini, deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Item in prima ad Thessalonicenses docet ex

1. Thes. 3. deo esse principium & profectũ consummationémque virtutum dicens: Ipse autem deus, & pater noster, & dominus Iesus dirigat viam nostrã ad vos: vos autẽ dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem in inuicem & in omnes, quemadmodum & nos in vos, ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate vitæ ante deum & patrẽ nostrum, in aduentu domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. Ad Corinthios quoque scribens, & omnium virtutum proficientem perseuerantiam dei donum esse commẽdans: Gratias, inquit, ago deo meo semper pro vobis in gratia dei, 1. Cor. 1.
quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & sapientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem domini Iesu Christi, qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine, in diem aduẽtus domini nostri Iesu Christi. Item ad Roma- Roman. 8.
nos de charitate Christi, qua eos quos diligit, inseparabiles facit, id est, vsque in finem perseuerantes: (nam quid est aliud perseuerare, quàm tentatione non vinci?) Quis nos, inquit, separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius, sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, existimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Item, ad Corinthios, de victoria quã perficit Christus: Stimulus, inquit, mortis, pec- 1. Cor. 15.
catum est: virtus autem peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum dominum nostrum. Item, ad Thessalonicẽses, de perseuerãtia quam deus tribuit: Ipse autem, ait, deus pacis sanctificet vos per omnia, 1. Thessa. 5.
vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentum domini nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est qui vocauit vos, qui etiam faciet. Item ad Thessalonicenses, quòd omnia bona nostra siue in operando, siue in loquendo, & in eis perseuerantia, dona sint dei, ita prædicat dicens: Ipse autẽ dominus noster Iesus Christus, & deus & pater no- 2. Thessa. 2.
ster, qui dilexit nos, & dedit consolationẽ æternam, & spem bonam in gratia, exhortetur & corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono. De cætero fratres orate pro Ibidem. 3.
nobis, vt sermo domini currat, & clarificetur, sicut & apud vos, & vt liberemur ab importunis hominib' & malis. Non enim omnium est fides. Fidelis autem deus est, qui & confirmabit nos, & custodiet à malo. Petrus quoque apostolus vn-
de esse virtutem perseuerantiæ, doceat, audiamus: Deus au- 1. Petr. 5.
tem inquit, omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit solidabítque, cui est virtus & potestas in secula seculorum. Ioannes verò apostolus quòd victoria sanctorum opus dei sit habitantis in sanctis: ita loquitur: Vos ex deo e- 1. Ioan. 4.
stis filioli, & vicistis mundum: quoniam maior est qui in vobis est, quam qui in mundo. Item idem: Omne quod na- Ibidem. 5.
tum est ex deo, vincit mundum, & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. In euãgelio autem secundum Lucam, deum dare vt in fide perseueretur, ita promitur: Dixit Lucæ 22.
autem Iesus Petro: Simon, ecce satanas postulauit, vt vos cerneret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua: & tu conuersus, confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem. In euangelio quoque Ioannis, de ouibus Christi quæ de manu ipsius à nullo rapiuntur, hęc legimus dicere veritatem: Sed vos non creditis, quia non e- Ioan. 10.
stis de ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego noui illas, & sequuntur me, & vitã æternã do illis, & non peribunt in æternũ, nec quisquam rapiet eas de manu mea. Item in eodem euangelio, de iis quos pater dat filio, qui & omnes veniunt ad filium, & quorum nullus perit, hęc ipsius domini ore dicuntur: Omne quod dat mihi pater, venit ad Ioan. 6.
me, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras: quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatẽ eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, nõ perdã ex eo quicquam, sed resuscitẽ illud in nouissimo die. Multa sunt alia in cannonicarum serie scripturarum, quę vitandæ prolixitatis studio prętermimus: quoniã quę assumpsimus, nec pauca sunt, nec obscura, nec leuia: quibus plenissimè declaratur omnia quę ad promerendam vitam æternam pertinẽt, sine gratia dei nec inchoari, nec augeri posse, nec perfici, & contra omnem electionem de libero arbitrio gloriantem, illam inuictissimè reniti sententiam dicentis Apostoli: Quis 1. Corin. 4.
enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autẽ accepisti, quid gloriaris quasi nõ acceperis? Igitur profunditas illius quęstionis quã secundum admirationẽ Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrij velle & nolle non soluitur: quia licet insit homini bonum nolle, tamen

men nisi donatum non habet bonum velle, & illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam. Sed quid illud sit, quod hæc eadem natura in omnibus hominibus ante reconciliationem mala, in omnibus misera, non in
Lucæ 19. omnibus iustificatur, & à pereuntibus quadam sui parte discernitur ab eo qui venit quærere & saluare quod perierat, humano sensu prorsus nō potest indagari. Quantum libet enim impiorum malignitas accusetur resistens gratiæ dei, nunquid probabuntur eam, quibus est collata, meruisse: aut illa virtus gratiæ quæ sibi quos voluit subdidit, conuertere eos qui inconuertibiles permansere, non potuit? Tales fuerunt qui sunt attracti, quales ij qui in sua duritia sunt relicti. Sed illis tribuit gratia stupenda quod voluit, istis retribuit veritas iusta quod debuit, vt iudicium dei magis inscrutabile sit in electione gratię quàm in retributione iustitię. Veruntamen ne illa pars fidei qua piè credimus deum velle vt omnes homines veritatis agnitione saluentur, per hoc quod de effectibus gratię euidenter ostenditur, infirmata videatur, annitendum est auxiliante Christo vt nobis stabilitas huius definitionis appareat, Sed quia necessariæ inquisitionis negocium non leuem operam sibi poscit impendi, secuturam disputationē ab exordio alterius voluminis inchoemus.

FINIS LIBRI PRIMI.

CAPITVLA LIBRI SECVNDI DE VOCATIONE OMNIVM GENTIVM.

Quòd tria sint quibus in questione superius disputata inhæreri debeat, quódque deus iustus sit ordinator, & quēadmodum secundum ea quæ prædicatoribus à domino iussa sunt, nullarum nationum facta sit discretio, nemóque sit exceptus, sed ad omnes homines missum sit euangelium, & gratia salutaris dei omnibus hominibus apparuerit. Et de mysterio eius quod dictum fuit apostolis: In Viam gentium ne abieritis &c. ac de occultis dei iudiciis in hominum vocatione. Cap. I.

Quòd ad ipsam cognitionem veritatis & perceptionem salutis non quisquam suis meritis, sed ope & opera diuinæ gratiæ perueniat. Cap. II.

De consideratione differentiarum quibus diuinæ gratiæ opera & dona variata sunt. Cap. III.

Quod auersio à deo non sit diuinæ constitutionis, sed propriæ voluntatis. Cap. IIII.

Quod etiam ante aduentum Christi nationes quæ alienatæ à conuersatione Israel spem non habebant, ob hoc non sint excusabiles. Et quomodo propter persecutiones bonorum Christus populum suum auxerit. Cap. V.

Quòd Christus pro omnibus impiis & peccatoribus mortuus fuerit. Cap. VI.

Quomodo mysterium vocationis gentium prophetis fuerit cognitum & apostolis. Cap. VII.

Quare tanta multitudo non regeneratorum infantium à perpetua al ienetur salute. Cap. VIII.

Quomodo gratia tanquam famulam & receptricem donorum suorum præparet voluntatem. Cap. IX.

De recapitulatione in hoc secundo libro definitorum, & operis conclusione, quemadmodum videlicet deus omnes homines velit saluos fieri. Cap. X.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
Mediolanensis de vocatione omnium gentium, Liber secundus.

Quòd tria sint quibus in quæstione superius disputata inhæreri debeat, quódque deus iustus sit ordinator, & quēadmodum secūdum ea quæ prædicatoribus à domino iussa sunt, nullarum nationum facta sit discretio, nemóque sit exceptus, sed ad omnes homines missum sit euangelium, & gratia salutaris dei omnibus hominibus apparuerit. Et de mysterio eius quod dictum fuit apostolis: In viam gentium ne abieritis &c. ac de occultis dei iudiciis in hominum vocatione. Cap. I.

A

Emotis abdicatísque omnibus concertationibus quas intemperantium disputationū gignit animositas, tria esse perspicuum est, quibus in hac quęstione de qua secundum volumen incipimus, debeat inhęreri. Vnū, quod profitendum est deum velle omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2.
Alterū, quod dubitandum nō est, ad ipsam cognitionem veritatis, & perceptionem salutis, non suis quenquam meritis, sed ope atque opere diuinę gratię peruenire. Tertium, quod confitendum est, altitudinem iudiciorum dei, humanæ intelligentiæ penetrabilem esse non posse: & cur non omnes saluet, qui omnes vult saluos fieri, nō oportere disquiri: quoniam si quod cognosci nō potest, non quęratur inter primam ac secundam definitionē, non remanebit causa certaminis, sed secura ac tranquilla fide vtrūque prędicabitur, Roma. 9.
B vtrūque credetur. Deus quippe apud quē non est iniquitas, & cui⁹ vniuersę vię misericordia & veritas, omniū hominū bonus conditor, iustus est ordinator, neminē indebitè damnans, neminem debitè liberans, nostra plectens cùm punit noxios: sua tribuēs cùm facit iustos, vt obstruaturos loquentium iniqua, & iustificetur deus in sermonib⁹ suis, & vincat cùm iudicatur. Nec damnati iusta querimonia, nec iustificati verax est arrogantia, si vel ille dicat non meruisse se pœnā, vel iste asserat meruisse se gratiam. Sicut autem ea quę ad manifestationem gratiæ ex diuinis proferuntur eloquiis, nulla possunt ratione, differendi arte violari, vt perspicuè consonantèsque in tanta numerositate sententiæ ad aliquod praua interpretationis trahantur incertum: ita etiam quod de saluatione omnium hominum in eodem scripturarum corpore reperitur, nulla contraria argumētatione temerandum est, vt quanto hoc ipsum difficiliore intellectu capitur, tanto fide laudabiliore credatur. Magna enim fortitudo est cō sensionis, cui ad sequendam veritatem authoritas sufficit etiam latente ratione. Proinde vigilanter cōsideremus, prædicatoribus euangelij quid à domino iubeatur. Secundum Matthæum quippe sic ait: Data est mihi potestas omnis in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque adconsummationem seculi. Secūdum Marcum verò eisdem apostolis ita dicitur: Ite in orbem vniuersum, prædicate euangelium vniuersæ creaturæ: & qui crediderit, & baptizatus fuerit, ipse saluus fiet: qui verò nō crediderit, damnabitur. Nunquid hac præceptione vllarum nationum vllorúmve hominum facta discretio est? Neminem merito excepit, neminem separauit genere, neminem conditione distinxit. Ad omnes prorsus homines missum est euāgelium crucis Christi: & ne prædicantium ministeria humana tantum viderentur opere peragenda: Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Id est cùm sicut oues introieritis in medium luporum, nolite de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui vos vsque ad consummationem seculi in hoc opere non derelinquam, nō ad hoc vt nihil patiamini, sed quod multo maius est, præsturus vt nulla sęuientium crudelitate superemini. In mea enim potestate prædicabitis, & per me fiet, vt inter contradicentes, inter furentes, Abrahæ filij de lapidibus suscitentur. Ego insinuabo quod docui, ego faciam quod promisi. Tradent enim vos in conciliis, in synagogis suis flagellabūt vos, & ante reges & præsides stabitis propter me in testimoniū illis & gentibus. Cùm autē tradent vos, nolite cogitare quo modo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet enim frater fratrem in mortem, & pater filium. & insurgēt filij in parētes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Apparuit ergo (vt Apostolus ait) gratia salutaris dei omnibus hominibus, & tamen ministri

C

D

Matth. 28.

Matth. 3.

Matth. 10.

Tit. 2.

miniſtri gratiæ odio erant omnibus hominibus: & cùm alij A
eſſent qui oderant,alij qui odiis perſequentium premeban-
tur: neutra tamen pars nuncupatione omnium hominum
priuabatur,habente quidem ſalutis ſuę damnum rebellium
portione,ſed obtinente plenitudinis cenſum fidelium digni
1.Ioan.2. tate. Dicit enim Ioannes apoſtolus: Sed & ſi quis peccaue-
rit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Ghriſtum iu-
ſtum,& ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris,non pro no
ſtris autem tantum,ſed etiam pro totius mundi. Magni au-
tem & inenarrabilis ſacramenti myſterium eſt, quod prędi
Marc.16. catoribus quibus dictum eſt: Ite in orbem vniuerſum, &
prędicate euangelium vniuerſę creaturę: iiſdem prius di-
Matth.10. ctum fuerat:In viam gentium ne abieritis,& in ciuitates Sa
maritanorum ne introieritis, ſed potius ite ad oues quę pe-
rierunt domus Iſrael. Quanuis enim ad omnium hominum
1.Timo.2. vocationem euangelium dirigeretur, omnéſque dominus
ſaluos fieri,& in agnitionem veritatis veliet venire, non ta-
men ſibi diſpenſationum ſuarum abſtulerat poteſtatẽ, vt ali
ter quàm occulto iuſtóque iudicio ſtatuerat, conſilij ſui or-
do decurreret. Vnde locum nõ habent contumacium mur- B
mura querelarum, quia quod deus fieri voluit, cõſtat nõ ali-
ter fieri debuiſſe quàm voluit. Poſteriore verò tẽpore cùm
iam dominus Ieſus in dei patris gloria conſederet, & prædi-
catores verbi ſuſcepto negocio deſeruirent, volentes apo-
Acto.16. ſtoli euangelizare verbum in Aſia,vetiti ſunt ab ſpiritu ſan-
cto, & diſponentes ire in Bithyniam, prohibiti ſunt ab ſpiri
tu Ieſu,non vtique negata illis populis gratia, ſed quantùm
apparuit retardata.Nam poſtea etiam apud ipſos fides Chri
ſtiana conualuit. Quæ autem fuerit differendæ vocationis
cauſa, non claret,& tamen rei geſtæ docemur exẽplo quòd
inter generalia vel promiſſa, vel opera, vel præcepta, quæ-
dam deus à communibus excepta cauſis occultiore nouit or
dinare ratione, credo vt interpoſitis quibuſdam obumbra-
tionibus ea quæ ſecretius micant, mirabilius innoteſcant,
negligentior fiat acies de facilitate cernendi,& quodammo
do dormitet aſſuetis, ſi non excitetur inſolitis. His autem
incognoſcibiles illuminationum dilationes, inter quas vti-
que multi in infidelitate deficiunt,non ſolùm in populis re- C
motioribus impiorum,ſed etiam in ciuitatibus fidelium per
plurimas domos ac familias nouimus fieri, dum Chriſtianæ
fidei etiam qui Chriſtiani futuri ſunt aduerſantur. Multi e-
nim quod oderunt,amabunt:quod non recipiunt,prædica-
bunt. Et quis inter hęc querulis aut curioſis notum faciet,
Malach.4. cur adhuc ſol iuſtitiæ quibuſdam gentibus non oriatur, &
à tenebroſis cordibus etiam nunc radios ſuos veritas reue-
landa contineat? Cur corrigendi tam diu ſinantur errare,&
quod ſenibus in fine pręſtãdum eſt,per tam longam non tri
buatur ætatem?Cur filiis iam in Chriſtum credentibus nec-
dum credant parentes? Et rurſum à religioſis parentibus ſo-
boles praua diſcordet? Cùm tamen deo, qui initiorum fidei
incrementíque largitor eſt, ſecundum ipſius præceptũ quo
tidie pro omnibus ſupplicetur,vt & ſi exaudit,nota ſit gra-
tia miſerationis:& ſi non exaudit, intelligatur iudicium ve-
ritatis. Sed ne in præteritis quidem ſeculis hæc eadem gra-
Pſalm.76. tia, quæ poſt domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem v-
bique diffuſa eſt, & de qua ſcriptum eſt,Illuxerunt coruſca-
tiones tuæ orbi teræ: defuit mundo. Quanuis enim ſpecia D
li cura atque indulgentia dei populũ Iſraeliticum conſtet e-
lectum,omnéſque aliæ nationes ſuas vias ingredi,hoc eſt ſe
cundum propriam permiſſæ ſint viuere volũtatem, non ita
ſe tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus auer-
tit, vt eos ad cognoſcendum ſe atque metuendũ nullis ſi-
gnificationibus admoneret. Cœlũ quippe ac terra & mare,
omníſque creatura quæ videri atque intelligi poteſt,ad hãc
præcipuè diſpoſita eſt humani generis vtilitatem, vt natura
rationalis de comtemplatione tot ſpecierum, de experimẽ-
tis tot bonorum,de perceptione tot munerum,ad cultum &
Actu.17. dilectionem ſui imbueretur authoris,implẽte omnia ſpiritu
Pſalm.118. dei,in quo viuimus,mouemur,& ſumus:quoniã & ſi longè
eſt à peccatoribns ſalus,præſentia tamen ſalutis ipſius ac vir
Pſalm.32. tute nihil vacuum eſt. Igitur ſicut dicit Propheta: Miſeri-
cordia domini plena eſt terra, quæ nullis vnquam ſeculis,
nullis generationibus defuit,eámque prouidentiam qua v-

niuerſitatem rerum adminiſtrat & continet, regendis alen
diſque naturis ſemper impendit, diſpoſitum habens ex in-
commutabilis æternitate conſilij, quibus quidque tempo-
ribus diſtribueret, & multiformis gratiæ ſuæ inſcrutabiles
inueſtigabiléſque menſuras,per quæ dona ac ſacramenta va
riaret. Sicut enim iſta gratiæ largitas quæ in omnes gentes
nouiſſimè effluxit,non euacuat eam quæ ſuper vnum Iſrael
ſub lege rorauit, nec præſentes diuitię fidem præteritæ ab-
rogant parcitati: ita nec de illa cura dei,quæ patriarcharum
filiis propriè præſidebat, coniiciendum eſt gubernacula di
uinæ miſericordiæ cęteris hominibus fuiſſe ſubtracta, qui
quidem in comparatione electorum videntur abiecti, ſed
nunquam ſunt manifeſtis occultíſque beneficiis abdicati.
Legimus enim in Actibus apoſtolorum Paulum & Berna-
bam apoſtolos Lycaoniis dicere: Viri, quid hæc facitis? Et Acto.14.
nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes
vobis ab his vanis cõuerti ad deum viuum, qui fecit cœlum
& terram,& mare,& omnia.quę in eis ſunt,qui in præteri-
tis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.
Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, bene- B
faciens de cœlo,dans pluuias & tempora fructifera,implens
cibo & lætitia corda veſtra. Quod eſt autem hoc teſtimo-
nium quod ſemper domino deſeruiuit,& nunquam de eius
bonitate ac poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi ine-
narrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorũ e-
ius diues & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus
quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis ele
mentorum,ac voluminibus temporum,communis & publi
ca diuinæ inſtitutionis doctrina legeretur? Cœlum ergo,cũ
ctaque cœleſtia,mare & terra,omniáque quę in eis ſunt,cõ-
ſono ſpeciei ſuę ordinationíſque concentu proteſtabuntur
gloriam dei,& prædicatione perpetua maieſtatem ſui loque
bantur authoris. Et tamen maximus numerus hominũ qui
vias voluntatis ſuę ambulare permiſſus eſt, non intellexit,
nec ſecutus hanc legem eſt, & odor vitæ qui ſpirabat ad vi- 2.Corin.2.
tam,factus eſt ei odor mortis ad mortem,vt etiam in illis vi
ſibilibus teſtimoniis diſceretur quòd litera occideret, ſpiri- Ibidem.3.
C tus autem viuificaret.

*Quòd ad ipſam cognitionem veritatis, & perceptionem ſalu-
tis non quiſquam ſuis meritis, ſed ope & opera diuinæ gra
tiæ perueniat. Cæput 11.*

QVod ergo in Iſrael per conſtitutionem legis & prophetica eloquia gerebatur, hoc in vniuerſis nationibus,totius creaturę teſtimonia & bonita-
tis dei miracula ſemper egerunt. Sed cùm in illo
populo cui vtraque eruditio prębuit,nemo niſi gratia iuſtifi
catus ſit per ſpiritum fidei,quis ambigat eos qui de quibuſ-
cunq; nationibus quibuſlibet temporibus deo placere potu
erũt,ſpiritu gratię dei fuiſſe diſcretos? Quę etſi parcior antea
atque occultior fuit,nullis tamen ſeculis ſe negauit, virtute
vna,quãtitate diuerſa,conſilio incommutabili,opere multi-
formi. Nam & in iis diebus quibus totum mũdum ineffabi-
lium donorũ flumina rigant,nõ idem modus omnibus, nec
eadem menſura cõfertur. Quanuis enim per miniſtros ver-
bi & gratiæ dei eadem cunctis veritas prędicetur,eadem co
hortatio adhibeatur, dei tamen agricultura eſt, dei ędifica-
D tio, cuius virtus inuiſibiliter agit, vt incremento proficiat
quod ædificatur aut colitur: ſicut atteſtatur Paulus apoſto- 1.Cor.3.
lus,dicens: Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus? Mini-
ſtri eius cui credidiſtis, & vnicuique ſicut dominus dedit.
Ego plantaui,Apollo rigauit, ſed deus incrementum dedit. Ibidem.
Itaque neq; qui plantat,eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui
incrementũ dat,deus. Qui plantat autem,& qui rigat,vnum
ſunt. Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſe-
cũdum ſuum laborem. Dei enim ſumus adiutores, dei agri-
cultura eſtis,dei ædificatio eſtis. Agriculturæ ergo huius at-
que ædificationis intantum quiſque adiutor & operarius ac
miniſter eſt, inquantum vnicuique dominus dederit. Et ij
qui miniſtrorum labore excoluntur,ad eum proficiunt mo
dum ad quem illos incrementi author euexerit. In agro e-
nim domini non vniformis nec vna plantatio eſt. Et quan-
uis in vnum decorem totius templi ſtructura cõueniat,non
idem tamẽ locus eſt, nec idem vſus omnium lapidum: ſicut

& in

& in vno corpore non omnia membra eundem actum habent, dicente Apostolo: Nunc autem posuit deus membra, & vnumquodque eorum sicut voluit. Hæc verò membra vnde apta, vnde vtilia, vnde sint pulchra, idem doctor exponit, dicēs: Ideo notum vobis facio quòd nemo in spiritu dei loquens dicit anathema Iesu: & nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministrationū sunt, idem autem dominus: & diuisiones operationū sunt, idem verò deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetatio, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum: hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Hæc magistro gentium tanta luce, tanta euidentia prędicante, qua ratione qua causa dubitandum est, an omnium nobis virtutum germen ex deo sit, vel quis nisi insipientissimus de differentia diuinorū munerum conqueratur, aut imparibus ascribendum meritis arbitretur, quòd non æqualiter de superna liberalitate cōfertur? Si enim hæc distributio secundum præcedentium operum merita proueniret, non ipsorum donorum catalogum tali conclusione Apostolus terminaret, vt diceret: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Vbi vtique si meritorum causas voluisset intelligi, diceret: Diuidens singulis prout merentur: sicut plantatoribus aut rigatoribus præmium deuotionis spopondit, dicens: Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundū suum laborem. Datur ergo vnicuique sine merito vnde tendat ad meritum, & datur ante vllum laborem vnde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem. Quod ita esse etiam euāgelicæ veritatis testimonio agnoscitur, vbi per comparationem dicitur, quòd homo peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis substantiam suam: & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, id est, secundum propriam & naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum: quia aliud est posse operari, aliud operari: & aliud est posse habere charitatem, aliud habere charitatem: & aliud est capacem esse continentiæ, iustitiæ, sapientiæ, aliud verò esse continentem, iustum, atque sapientem. Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est, quia reparabilem & sanabilem esse, de natura est: reparatum autem & sanatum esse, de gratia est. Denique isti quibus secundum modulum capacitatis suę, quem in eis distributor substantię præuidebat, dispar creditus est numerus talentorum: non meriti remunerationem, sed operis accepere materiam. In qua duorum seruorum vigilantissima industria nō solum glorioſis laudibus honestatur, sed etiam in æterna domini sui gaudia intrare præcipitur. Tertij verò pigrum ocium, & desidiosa nequitia sic punitur, vt & vituperationis dedecoretur opprobrio, & portione quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat perdere inutilem fidē, qui non exercuerat charitatem. Vnde & in subsequēti sermone quo apertissimè declaratur futuri forma iudicij, sedente filio hominis in sede maiestatis suæ, antequam facta congregatione omnium gentium alij ducuntur ad dexteram, alij ad siniſtram constituendi: laudatis dextris de operibus charitatis, nihil aliud siniſtris obiicitur quàm misericordię beneuolentiæque neglectus. Acceperant ergo etiam isti fidem, sed non sectati fuerant dilectionem: nec de non seruato, sed de nō aucto munere damnabuntur. Quanuis enim omnia bona, dona sint dei, à deo tamen quædam etiam non pętita tribuūtur, vt per ipsa quæ accepta sunt, ea quæ nondum sunt donata, quęrantur. Semen quippe quod iacitur in terram, non ob hoc seritur, vt ipsum solum maneat, sed vt fructum afferendo, multiplex atque numerosum sit. Cui quidem profectus ab illo est qui dat incrementum: sed terra viuens, & de gratiæ iam imbre fœcunda, habet quod ipsa expectetur ad id quod accepit, augendum.

1.Cor.12. Ibidem. Ibidem. 1.Cor.3. Matth. 25. Ibidem.

De considerationę differentiarum quibus diuinæ gratiæ operara & dona variata sunt. *Caput III.*

Hīs rectè (vt arbitror) quantum dominus tribuit pertractatis, ad id vnde digressa est disputatio, reuertamur: ad considerationem scilicet differentiarum quibus diuinæ gratiæ opera ac dona variata sunt. Altitudo quippe diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ, sic semper misericordiam suam & iudicium temperauit, vt secretissima æterni consilij voluntate noluerit in omnibus super omnes generationes aut super omnes homines, æquales donorum suorum esse mensuras. Siquidem aliter eos iuuerit, quos ad cognoscendum se, cœli & terræ testimoniis conueniebat: aliter illos quibus non solùm elementorum famulatu, sed etiam doctrina legis, prophetarum oraculis, miraculorum signis, & angelorum cooperationibus consulebat. Et multò magis aliter misericordiam suam vniuersis hominibus declarauerit, quando filius dei factus est filius hominis, vt inueniretur ab eis, qui eum nō quærebant, & appareret iis qui illum non interrogabant, & non in vno tantùm populo Israeliticæ stirpis excelleret, sed in omni gente quæ est sub cœlo, multiplicatū Abrahæ semen oriretur, in quam hæredum successionē non filij carnis, sed filij promissionis intrarent. Et quāta in præteritis seculis super cæteras nationes, tāta nunc esset in gente Iudæa parcitas gratię, cùm tamē introducta plenitudine gentiū, etiam ipsorū ariditati earundem rigationum inundatio spondeatur. Quæ itaque causæ sint harum sub eadem gratia dissimilitudinū, quæue rationes, sanctis scripturis non loquentibus quis loquetur? Et cū in eis scientia Pauli apostoli à disputatione transeat ad stuporem: cuius erit tanta præsumptio, qui hæc differendo existimet aperienda potius quàm silentio miranda? Patienter igitur & æquanimiter ignoretur tam remotum ab humana cogitatione secretum: nec tamen quia nequeunt clausa penetrari, ideo etiam reseratorum est prætereundus introitus. Manifestauerunt enim diuinorū eloquiorum multæ authoritates, & continua omnium seculorum experimenta docuerunt, iustam dei misericordiam, misericordémque iustitiam nec alendis vnquam corporibus hominum, nec docēdis iuuandisque eorum mētibus defuisse. Semper etenim pluit super bonos & malos, semper solem suum oriri fecit super iustos & iniustos, semper vitales auras præbuit, semper diei & noctis vicissitudines ministrauit, vbertatem agris, multiplicationem seminibus, fœcunditatem generandis hominibus semper impendit. Et si quando aliquid horum minuit, benignis correptionibus auersionem desidiámque malè vtentium castigauit, vt miserationes eius quærerent in aduersis, cuius iustitiam non timuerant in secundis. Denique si ad ipsa mūdi exordia recurramus, inueniemus omnium sanctorum qui diluuium pręcesserūt, dei spiritum fuisse rectorem, propter quod & filij dei nominati sunt: quoniā sicut ait Apostolus: Quicunque spiritu dei aguntur, hi filij sunt dei. Et cùm ijdem neglecta obseruantia patrum, illicitis se reproborum connubiis miscuissent, atque ob nephariam societatem digni exterminio iudicarentur, dominus ait: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniā caro sunt. Vnde apparet quòd iste populus cuius generationes discreto ordine cum annorum numero digeruntur, spiritalis antea fuit, ea vtique voluntate cui spiritus sanctus præsidebat, sic impendens moderaminis sui regimen, vt declinandi ad vitia non adimeret potestatem, qua potestate hic populus si non vteretur, non relinqueret deum, nec relinqueretur à deo, esséтque ille de quo dictum est. Felix qui potuit transgredi, & non est transgressus. Quādiu ergo apud deum manſit, ea voluntate mansit, quam deus inspirauit & rexit. Præparatur enim (sicut scriptum est) voluntas à domino. Sed huius prępparationis non vnus semper prouectus, nec vna mensura est: quoniā multis modis & innumerabilibus differentiis gratiæ opera & dona variantur, inque ipsis singulis generibus munerum dissimiles sunt gradus, & impares quantitates. Sicut enim in germinibus herbarum atque lignorū quæ terra producit, non vna species, nec vnum in omnibus genus est, sed singula quæque in sui seminis forma, & in suę stirpis qualitate gignūtur: plenum autem decorem non statim

Rom.11. Rom.8. Genes.6. Eccles.31.

Vide quæ dictum sit supra eiusdem capitis circa finem quæ pertinent ad hunc locum.

tim vt eduntur accipiunt, sed certis & ordinatis prouehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitus quantitatem per succedētia sibi incremēta perueniant: ita & semina charismatum, plātæque virtutum non in omni agro cordis humani totum hoc pariter quod sunt futura nascuntur, nec facilè reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio. Exerit quidem frequenter potens & misericors deus mirabiles istos suæ operationis effectus, & quibusdam mētibus non expectata profectuum mora, totū simul quicquid collaturus est, inuehit. In Abrahæ lūbis Leui sanctificatur, Hebr. 7. & simul cum eo domus Aarō & sacerdotalis ordo benedicitur. Genes. 18. In Isaac de repromissione concepto, & contra spem sterilium senum nato, omnium gentiū vocatio, & tota Christi forma præconditur. Malach. 1. Iacob nullo merito suffragante dilectus, priusquam nascatur eligitur. Hieremiæ dicitur: Priusquam te formarem in vtero, noui te: & priusquam exires de vulua, sanctificaui te. Hierem. 1. Ioannes intra Elizabeth matris viscera spiritu sancto replet⁹ exultat, & vt nullus inter natos mulierum maior sit, prius sentit initia gratiæ quàm naturæ. Luca. 1. Sed cùm & alia similium documentorum exempla non desint, quæ breuitatis studio præterimus: multò tamen crebrior, multóque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quicquid superna largitas donat, accrescit, vt conferendorum munerum causæ de iis quæ sunt collata, pariantur.

Quidam accepta fide diffidentia non carent, quam vtique inesse sibi nouerat qui dicebat: Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Marc. 9. Quam nec illi abesse penitus à suis animis sentiebant qui dixerūt: Domine auge nobis fidem. Luca. 17. Quidam quod credunt, non intelligunt, & multi eorū diu in suę simplicitatis modulo detinentur. Multi verò citò intellectus lumen accipiunt. Ipsa autem intelligentia non in omnibus eundem habet vigorem, aut similem facultatem. Et plurimi cùm & fide & intellectu videantur ornati, laborant tamen indigentia charitatis: & iis quæ fide & intellectu vident, nequeūt inhærere: quoniā perseuerari in eo non potest, quod non toto corde diligitur. Donū quoq; ipsius charitatis non semper eiusmodi est: vt quicquid ad plenitudinē ipsius pertinet, simul à percipiēte sumatur. Est enim amor qui potest alio amore superari. Et sæpe dilectio dei ex mundi dilectione marcescit, nisi ad eum feruorem spiritu sancto inflāmante profecerit, qui nullo extingui frigore, nullo possit tepore languere. Cùm itaque in hoc inenarrabili dono dei omnium summa donorum, & quædam sit cunctarum vita virtutum: ad hoc cætera conferuntur, vt habeat animæ fidelis intētio, per quæ ad perfectam charitatem possit eniti. Quæ quoniam non solùm ex deo, sed etiam deus est, stabiles & perseuerātes atque insuperabiles facit quos flumine suæ voluptatis impleuerit. Qui autem istarum aquarū dulcedinem nesciunt, & adhuc de mundi huius torrentibus bibunt, aut etiam si aliquid primoribus labris de vitę fonte gustauerūt, Apocal. 16. inebriari tamen aureo Babylonis calice delectantur: suo prorsus decipiuntur arbitio, sua voluntate labūtur: & si in hac desidia perseuerant, ipsi se iis quæ accepere, dispoliant. Facilè enim quælibet bona sine charitate possunt perire, quæ non possunt sine charitate prodesse.

Quòd auersio à deo non sit diuinæ constitutionis, sed propriæ voluntatis. *Cap. IIII.*

HÆc autem summatim breuitérq; perstricta ad id valent, vt certissimè nouerimus nullum fidelium à deo non discedētem relinqui, neque cuiusquam ruinam ex diuina esse constitutione dispositam, sed multis qui iam iudicio rationis vtūtur, ideo liberum esse discedere, vt non discessisse fit præmium: & vt quod non potest, nisi cooperante spiritu dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri. Quæ voluntas in malis actionibus sola esse potest, in bonis autem sola esse non potest. Quamuis enim secundum naturam sit homini vt bonæ sit voluntatis, vitium tamen quod per malam voluntatem irruit in naturam, non naturæ superatur virtute, sed gratiæ. Regebatur ergo primus ille populus dei, spiritu dei, & à maledicti ac prædamnati populi societate ac moribus per eruditionē sancti spiritus abstinebat, custodiens discretionem sui à permixtione carnalium, quorum mala tam diu sustinuit patientia dei, quādiu boni per id quod eos non imitabantur, placere potuerunt. Vbi verò etiam boni malorum imitatione corrupti sunt, & per voluntatis defectum in eandam nequitiam cōspirauit vniuersitas: quos (excepta Genes. 6. Noë domo) vna impietas prophanauit, sentētia vna deleuit. Bonitas autem dei ne illi quidem parti defuit, quæ in charitate non stetit, & ab initio sui veneno diabolici liuoris intumuit. Principē enim gentis impiæ sancti fratris meritis inuidentem, cædémque eius parricidiali corde meditantem, dignatur dominus paterno mitigare consilio, dicēs ad Cain: Ibidem. 4. Vt quid tristis factus es? vt quid cōcidit vultus tuus? Nónne si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti? Quiesce. Ad te enim erit conuersio eius, & tu dominaberis eius. Depone, inquit, ortam de inuidiæ æmulatione tristitiam, & flammas odij crudelis extingue. Nihil tibi Abel nocuit, nec mihi placēdo te læsit, despexi munera tua meo iudicio, non illius voto. Opus enim bonum negligenter egisti: recta fuisset oblatio tua, si fuisset recta discretio. Sciens cui offerres, scire debueras quid voueres. Non digne inter me & te diuisisti, quoniam tibi electiora seruasti. Tuus ergo hic error est, tuúmq; peccatū. quiesce, & noli in insontem fratrē moueri, ad te potius tua culpa reuocetur. noli peccato regnum in te dare, sed tu potius in ipsum sume dominatū. Pœnitendo enim nec in maius facinus progredieris, & ab eo in quo te dolēs displicuisse, mūdaberis. Cùm ergo talia ad Cain loqueretur deus: nunquid ambiguū est voluisse eum, & quantum ad medendi modum sufficiebat, egisse, vt Cain ab illo impietatis furore resipiscceret? Sed malitia pertinax inde facta est inexcusabilior, vnde debuit esse correctior. Et vtique præsciebat deus ad quem finem insanientis esset progressura conceptio. Neque ex eo quod falli scientia diuina nō poterat, necessitate peccandi vrgebatur facinus voluntatis: à cuius vtique intentione atq; effectu potuit incolumitas Abel illæsa defendi, nisi placuisset deo cum magna laude patientiæ suę, vt temporalis furor impij fieret perpetuus honor iusti. Posteris verò istius fratricidæ, quāuis in progenitoris sui moribus viuerent, nūquam se diuinam bonitatem negasse quis non facilè aduertat, si consideret quantum eis prodesse potuerit tam longua patientia dei, tam diues bonorum temporalium copia, & multiplicatæ fœcunditatis tam numerosa propagatio? quæ beneficia licet obduratis nihil remedij & emēdationis attulerint, probant tamen aduersionem eorum non diuinæ fuisse cōstitutionis, sed propriæ voluntatis. In conseruatione autem Noë filiorúmque eius & Gene. 7. nuruum, in quibus omnium gentium seminarium disponebatur, quanta diuinæ gratiæ opera reuelata sint, sancta scriptura manifestat, dum in illa mirādæ capacitatis archa, vniuersi generis animalium quantùm reparationis aderat receptrice, cōgregatura ad se omne hominum genus ecclesia figuratur. Dum per lignum & aquam redemptio crucis Christi, & ablutio regenerationis aperitur. Dum in iis qui ex illa mundi vastatione saluati sunt, omnium gentium plenitudo benedicitur, Dum donum fœcunditatis iteratur, & solo esu suffocatorum & sanguinis interdicto, libertas edendi quod placuerit, augetur, salutísque securitas in testimonio versicoloris arcus, hoc est in signo multiformis gratiæ consecratur. Quæ vtique mysteria atque sacramenta non vnius tantùm familiæ pauciſſimos tunc homines, sed in ipsis omnes eorum posteros imbuebant, vt quod eruditioni impendebatur parentum, proficeret scientiæ filiorū. Iam verò procurrente humanæ propagationis augmento, cùm ipsa mortalium numerositas de suis multiplicationibus superbiret, & secūdum elationis suę altitudinem cœlo cuperet molem immodicæ instructionis inserere, quàm mirabilis erga cohi- Gene. 11. bendam hanc insolentiam fuit diuinæ censura iustitię? Quæ vnam illorum populorum loquelam notis sibi inuicem significationibus consonantem, septuaginta & duarum linguarum varietate confudit, vt & inter dissonas voces operantium pereūte concordia, insanę molitionis machina solueretur, & habitādo orbi terrarum daret incolas malę congregationis opportuna dispersio. In isto autem opere prouidentiæ dei pręordinabantur miracula gratiæ Christianæ, quæ omnem hanc dispersionem in illius ædificationis erat

vocatura

vocatura compagem,in qua omne genu flectitur deo, & omnis lingua confitetur, quoniam Iesus in gloria dei patris
Philip.2. est.Hāc latitudinem gratiæ in plenitudine dispositorū temporum reuelandæ,facta ad Abrahā promissio dei signis iam luculentioribus indicabat,quando duplex eius successio,fi-
Gen.16.& 21. lij scilicet carnis,& filij promissionis,multitudini arenarum comparabatur & siderum, & vir senex per annosam vxoris sterilitatem ab spe iam prolis alienus, credebat laudabili fide per germen vnius filij patrem futurū esse se mundi, prospiciens illum in semine suo, imò conspiciens,qui dixit: A-
Ioan.8. brahā diem meum vidit, & gauisus est. Qua fide Abraham cùm iustificaretur,nondum mandatum circuncisionis acceperat, sed cùm esset in præputio naturali, reputata est fides eius ad iustitiam, & eadem fides signaculum circuncisionis acceperat in eo corporis membro,per quod semen procreationis peruenturum erat ad eam carnem, in qua sine carnali semine dei filius deus verbum caro fieret, ac de Abrahæ filia Maria virgine nasceretur,assumptis omnib⁹ in huius natiuitatis consortium, qui in Christo per spiritum sanctum regenerati,quod Abraham credidit,credidissent.

Quòd etiam ante aduentum Christi nationes quæ alienatæ à conuersatione Israel,spem non habebant,ob hoc non sint excusabiles. Et quomodo propter persecutiones bonorum Christus populum suum auxerit. Cap. V.

Genes.12. HÆc autem fides antequā veniret,hoc semen de quo Abrahæ dictum est:In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ: intra vnius stirpis populum continebatur,vigente apud veros Israelitas spe redemptionis nostrę,quoniam etsi fuerunt ex alienigenis quos tēporibus legis veritas illustrare dignata sit,tam pauci fuerunt,vt vix cognoscātur an fuerint. Neq; ob hoc excusabiles sint nationes,quæ alienatæ à conuersatione Israel spem non habentes, & sine deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ quæ nunc vniuersum mūdum rigat, pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim semper est vniuersis hominibus quædā supernæ mensura doctrinæ,quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit,sufficit tamen, sicut dominus iudicauit, quibusdā ad remedium, omnibus ad testimoniū:
Rom.5. vt non dubiè,sed euidēter appareat,quòd nisi vbi abundauit peccatū, superabundaret gratia,nūc quoque vniuersum genus humanum similis obcæcaret impietas. An fortè(vt plerique garriūt) meliora,quàm veterum ingenia nostris seculis orta sunt, & aptiores diuinis donis animas tēpora extrema pepererūt?Quod etiam si ita esset,ad bonitatem id referēdum esset authoris,qui vocandis ad vitam æternam populis,ea quę non reniterētur,corda finxisset. Sed nihil prorsus nouatū est in generatione carnali, nec generosior auis minorū orta successio est,cùm potius in hominibus illius temporis quo mundi redemptor aduenit, quantò erat propago tardior,tantò sit iniquitas inuenta robustior. Probauit hoc Iudaïci furoris impietas:& quàm apta euāgelio Christi fuerit illa generatio,non solùm populi, sed etiam scribarum,&
Ioan.1. principū,ac sacerdotū corda docuerunt:quibus parū fuit in agnum dei tollentem peccatū mundi: cōtra testificationem legis,contra oracula prophetarum,contra diuinarū experimēta virtutum,seditionibus,cōtumeliis,sputis,alapis,colaphis,lapidibus,flagris,& ad postremum crucis atrocitate sęuisse,nisi etiā testes resurrectionis eius eadem persequerentur insania: quā apostoli quādo à pōtificibus flagellati sunt:
Act.4. ostenderunt in psalmo Dauidico prophetatā, dicentes:Domine, tu es qui fecisti cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt:qui spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes,& populi meditati sunt inania:astiterūt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum,& aduersus Christū eius? Cōuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum filium tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel,facere quæ manus tua & consilium decreuerunt fieri. Igitur ad manifestandam gratiam dei, quæ ex æterno eius incommutabilique consilio in salutem omnium gentium disponebatur, non priora quasi incapacia declinata sunt tēpora,sed ista electa,quæ tales populos ediderunt, quorum ferox & volūtaria iniquitas non consulendi affectu,sed intentione sæuiendi persisteret facere quæ manus dei & consilium decreuerunt fieri,vt mirabilior esset gratia & potētia dei,quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus,tam inimicis cordibus fecit sibi populum fidelem,subditum,sanctum,qui non per sapiētiam huius mundi peruenit ad lumen sapiētiæ dei, sed per illius donum de quo testatur Ioannes apostolus,dicēs: Scimus quia
1.Ioan.5. filius dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum deum,& simus in vero filio eius. Cui testimonio apostolus Paulus consonat,dicens:Gratias agentes patri qui di-
Coloss.1. gnos nos fecit in partem sortis sanctorū in lumine, qui eripuit nos de tenebris,& de potestate tenebrarum, & trāstulit in regnū filij dilectionis suæ.Et iterum idem: Eramus e-
ad Titum. nim,inquit,aliquando insipientes,increduli,errātes,seruiētes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes,odibiles,odientes inuicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri,non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis spiritus sancti, quem effudit in nos abūdè per Iesum Christum saluatorem nostrum vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secūdum spē vitæ æternæ.Potuitne plenius,luculentius,verius explicari quæ merita hominum Christus inuenerit, & quos sibi mores subiecerit,quę ad se corda conuerterit,quando venit
Matth.9. mederi non sanis, sed malè habētibus,& vocare non iustos,
Esaiæ 9. sed peccatores:quoniā gētium populus qui sedebat in tenebris,lucem vidit magnā,& sedentibus in tenebris & vmbra mortis,lux orta est illis.Fremebāt gentes,irascebātur populi,sæuiebāt reges,& potestates cōtradicebāt, superstitiones & totius mūdi reluctabantur errores. Sed de resistentibus, furētibus,persequentibus, populū suum Christus augebat, & per vincula ac supplicia mortésque sanctorum roborabatur fides,vincebat veritas,pérque vniuersum mundum dominici agri segetis multiplicabatur vbertas.Tanta enim desuper præbebatur constantia fidei,fiducia spei,fortitudo tolerantiæ,vt ille ignis dilectionis,quem in cordibus fidelium spiritus sanctus accēderat,nullo modo opprimentibus posset extingui: cùm & qui cruciabantur,vehementius inardescerent:& qui sæuiebāt,eandē quam persequebantur, flammam sæpe cōciperent,qua beatus apostolus Paulus ignitus
Rom.5. fidēter feruētérque dicebat: Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad dominū nostrum Iesum Christum, per quē & accessum habemus fide in gratiā istam in qua stamus,sed & gloriamur in spe glorię filiorum dei,nō solùm autem,sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patiētiam operatur,patiētia autem probationem,probatio verò spem,spes autem non confundit,quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris,per spiritum sanctū qui datus est nobis.Et iterū: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribu-
Ibidem 8. latio,an angustia,an persecutio,an fames,an nuditas,an periculū,an gladius?Sicut scriptum est:quia propter te mortificamur tota die,existimati sumus sicut oues occisionis.Sed
Psal.43. in his omnibus superamus,per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors,neque vita,neque angeli,neque principatus, neque instātia,neque futura, neque fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate dei quæ est in Christo Iesu domino nostro. Hæc charitas diffusa per spiritum sanctum fecit vt mundus fidelium mundum vinceret impiorum. Hæc Neronis crudelitatem, Domitiani furorem, multorúmque post eos principum glorioso innumerabilium martyrum fine confudit,donante Christo imitatoribus suis de persecutionibus regum,æternarum stemmata coronarum.

Quòd Christus pro omnibus impiis & peccatoribus mortuus fuerit. Caput VI.

NVlla igitur ratio dubitandi est Iesum Christum dominum nostrum pro impiis & peccatoribus mortuum,à quorum numero liber inuentus est. Nónne est pro omnibus mortuus Christus? Sed prorsus pro omnibus mortuus est Christus. Nemo ergo omnium hominū ante reconciliationem,quę per Christi sanguinem facta est, non aut peccator aut impius fuit, dicente Apostolo:

Roman. 5. Apostolo: Si enim Christus cùm adhuc infirmi essemus, iuxta tempus pro impiis mortuus est: vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori: commendat autem suam charitatẽ deus in nobis, quoniam si cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multò magis iustificati sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per morrem filij eius, multò magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Idem autem Apostolus in secunda ad Corinthios ait: Charitas enim Christi vrget nos iudicantes hoc, quoniã si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, vt & qui viuunt, iam non sibi viuãt, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

2. Corin. 5.

1. Tim. 1. De seipso verò quid pronunciet, audiamus: Fidelis, inquit, sermo & omni acceptione dignus, quia Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationẽ eorum qui crediturí sunt illi in vitam æternam. Siue ergo circuncisio, siue præputium, peccato vniuersaliter concludebatur, vnúsque omnes reatus obstrinxerat, & inter magis minúsque impios nemo erat qui posset absque Christi redemptione saluari: quæ redemptio vniuerso sese intulit mundo, & omnibus hominibus indifferẽter innotuit: quandoquidẽ in die quinquagesimo ab illo Pascha in quo se hostiam deo verus agnus obtulerat, cùm apostoli & qui cum eis vnanimes erant, repleti spiritu sancto linguis omniũ gentium loquerentur, conueniebat excita miraculo diuersi generis hominum multitudo, vt euangelium Christi in eis qui

Acto. 2. aderant, totus mundus audiret. Confluxerant autem (sicut scriptum est) Parthi & Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Iudęam & Cappadociam, Ponthum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & aduenę Romani, Iudæi quoque & Proselyti, Cretes & Arabes, audientes eorum linguis prædicari magnalia dei: quorum testificatio etiam in eas gentes quæ remotiores sunt, longè latéque procurreret. Ad cuius rei effectum credimus prouidẽtia dei Romani regni latitudinem præparatam, vt nationes vocandæ ad vnitatẽ corporis Christi, prius iure vnius consociarentur impietatis: quanuis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere quos Roma, multósque iam populorum sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit. Quæ tamen per apostolici sacerdotij principatum amplior facta est arce religionis quàm solio potestatis. Quod si fortè, quemadmodum quasdam gentes, quod non volunt, in consortium filiorum dei nouimus adoptatas, ita etiam nũc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes quibus nondũ gratia saluatoris illuxit: non ambigimus etiã circa illas occulto iudicio dei tempus vocationis esse dispositũ, quo euangelium quod nondũ viderunt, audiant atq; suscipiant. Quibus tamen illa mensura generalis auxilij, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur: quanuis tã acerbo natura humana vulnere sauciata sit, vt ad cognitionẽ dei neminem contemplatio spontanea plenè valeat erudire, nisi obumbrationem cordis vera lux discusserit, quam inscrutabili iudicio deus iustus & bonus non ita prętéritis seculis quẽadmodum in nouissimis diebus effudit. Vnde & beatus apostolus Pau-

Colos. 1. lus scribẽs Colossensibus ait: Mysterium quod abscõditum fuit à seculis & generationibus, nunc autẽ manifestatum est sanctis eius, quibus voluit deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in nobis.

Quomodo mysterium vocationis gentium prophetis fuerit cognitum & apostolis. Cap. VII.

NVnquid hoc mysterium etiam prophetis incognitum fuit? & illi per quos spiritus sanctus loquebatur, ea quorũ ab ipsis fiebant denunciationes, nescíebant? Non ita planè intelligendum puto, sed ipsis gentibus abscõditum fuisse mysterium, quod dominus quando voluit, & quibus voluit reuelauit. Nam de vocatione gentium quę non erant populus dei, & quibus prius non

Deut. 32. misertus est, nunc autem miseretur, in Deuteronomio ita dicitur: Et vidit dominus, & zelauit, & iratus est propter iram filiorũ suorum & filiarum, & dixit: Auertã faciem meam ab eis, & ostendam quid erit in nouissimo, quia generatio peruersa est filiis, in quibus non est fides in illis. Ipsi in zelũ compulerunt me in hoc quod non est deus, irritauerunt me in idolis suis. Et ego in zelum incitabo eos in eis qui non erat gens, super gente insipiente irritabo eos. Et Dauid hæc de adoraturis deum omnibus gentibus præcinit: Omnes gẽtes Psalm. 85. quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te domine, & glorificabũt nomen tuum. Et iterum idem: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gẽtes seruient ei. Et iterum: Psal. 71. Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabũt eum. Esaias quoq; similia annunciat, dicens: Quo Esaiæ 28. niam erit in nouissimis diebus manifestus mons domini, & domus dei in cacumine montiũ, & exaltabitur super colles, & venient ad eum omnes gentes. Et iterum idem: Et faciet, inquit, dominus sabaoth omnibus gentibus, in mõte isto bibent in iucũditate vinum, vngentur vnguẽto in monte isto, tradet hæc omnia gẽtibus, hoc enim consilium super omnes gẽtes. Et iterum idẽ: Et reuelabit dominus brachium suum sanctum in cõspectu omnium gentium, & videbunt omnes gentes terræ salutẽ quæ à domino est. Et iterũ: Ecce aduenæ ad te per me accedent, & ad te fugient. Et infra: Gentes quæ te non cognouerũt, inuocabũt te: & populi qui te nesciunt, ad te confugient. Oseæ quoq; paria prophetat, dicens: Et erit Oseæ 1. in loco in quo dictum est eis: Non populus meus vos, ibi vocabuntur filij dei viui, & congregabuntur filij Iudæ, & filij Israel in idipsum. Et iterum: Miserebor nõ dilectæ, & dicam nõ populo meo: popul⁹ meus es tu, & ipse dicet: deus meus es tu. Sub apostolis verò cùm ij qui in Christum ex circuncisione crediderant, eos qui gentiles erant, dicebantúrque præputium, iustificationum gratiæ arbitrarentur participes esse nõ posse: docet beatus apostolus Petrus quàm indiscretus apud deum vterq; sit populus, si in vnitatem fidei ambo conuenerint. Cùm autẽ, inquit, cœpissem loqui, decidit spi- Actu. 11. ritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio. Recordatus sum autem verbi domini sicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis deus sicut & nobis qui credi- Actu. 1. dimus in dominum Iesum Christum, ego quis eram qui possem prohibere deum? His auditis, tacuerunt, & glorificauerunt deum, dicentes: Ergo & gentibus deus pœnitentiam ad vitã dedit. Iacobus quoque apostolus de hac vocatione gentium dicit: Viri fratres audite me: Simon narrauit quemad- Actu. 15. modum primum deus visitauit sumere ex gentibus populum nomini suo, & huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & diruta eius ædificabo, & erigam illud, vt requirant cæteri hominum dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomẽ meum, dicit dominus faciens hæc: notum à seculo est domino opus suum. Amos 9. Simeon quoque ille cui responsum erat à spiritu sancto non Lucæ 2. eum visurum mortem priusquam videret Christum domini, de salute omnium gentium quæ in Christo reuelabatur, hæc dixit: Nunc dimitte seruum tuum domine secundum verbũ tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum, Quod parasti ante faciem omnium populorum, Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. His & aliis testimoniis scripturarum non dubiè demõstratur istam ditissimam, potentissimam, benignissimam gratiam qua in nouissimo mundi tempore omnes gentes in regnum Christi vocantur, prioribus seculis in occulto dei absconditam fuisse consilio. Et cur hac manifestatione qua nunc vniuersis nationibus innotescit, antea reuelata non fuerit, nullam posse scientiam comprehẽdere, nullam intelligentiam penetrare: cùm tamen illud quod de bonitate dei piissimè credi- 1. Tim. 2. tur, quia omnes homines velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non oporteat nisi perpetuum æternúmque sentiri, secundum eas mensuras quibus deus dona generalia specialibus nouit cumulare muneribus: vt & qui exertes gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguãtur: & qui eius lumine enituerint, non in suo merito, sed in domino gloriẽtur. In hoc sanè angusto quidem, sed tamen recto intelligentiæ tramite non parum difficultatis opponit cõsideratio paruulo-

rum,qui nullo iudicio rationis vtuntur,quo authoris sui beneficia sentientes,ad agnitionem valeant veritatis accedere, nec videntur de neglectu opitulantis gratiæ iustè argui,in il la ignorantia naturaliter constituti, quam dubium non est nullam recipere scientiam,nullam sentire doctrinam.

Quare tanta multitudo non regeneratorum infantium à perpetua alienetur salute. Cap. VIII.

1.Tim.2. VNde cùm omnes homines velit deus saluos fieri, quid est quod alienatur à salute perpetua tanta infantium multitudo, tótque in his ætatibus hominum milia extra vitam relinquũtur æternam:qua si ad hoc tantùm conditi sint ab eo,qui neminẽ odiens creauit, vt quia in hunc mundum cum peccati carne venerunt, insolubilis culpæ vincula sine reatu propriæ actionis inciderent?quid hoc profundius,quid mirabilius esse potest? Neque credi fas est eos qui regenerationis non adepti sunt sacramentum,ad vllum beatorum pertinere consortiũ.Et magis stupendũ,magísque sit mirum,quod vbi actio non offendit,vbi arbitriũ non resistit,vbi eadem miseria,similis imbecillitas,causa communis est,non vnum esse de tanta paralitate iudicem:& quales reprobat abdicatio, tales adoptat electio.Verũtamen de hac altitudine discretionis dei non conturbabitur cor nostrum si firma & stabili fide omne iudiciũ dei iustum esse credamus, nec appetamus habere cognitũ, quod voluit esse secretum,vt vbi inuestigari non potest quare ita iudicet,sufficiat scire quis iudicet.Quanquam non ita incognoscibilis ista sit quæstio,vt nihil sit quod de ea eruditionis possimus acquirere,si ad contẽplandum id quod videri potest,tranquillus sobrij cordis adhibeatur intuitus.Cùm enim consideramus inter paganos,inter Iudæos,inter hæreticos,inter ipsos catholicos Christianos quàm multiplex pereat numerus paruulorũ,quos quantum ad proprias pertinet voluntates,neque bonum aliquid,neq; malum constat egisse:discimus super eos illam manere sentẽtiam,quam humanum genus præuaricatione primi parentis excepit,cuius sententiæ rigor dum etiam circa tales non resoluitur,quàm magnum illud peccatum fuerit demõstratur.Nemo autem putaretur non innocens nasci, nisi etiam talibus esset noxium non renasci.De immaturitate verò mortis non est ratio conquerendi,cùm semel in naturam nostram per peccatum ingressa mortalitas obnoxium sibi omnem vitæ nostræ fecerit diem.Esset enim,quoniam secundum aliquem modum immortalis dici homo posset,si esset tẽpus intra quod mori omnino non posset. Sed nũquam corruptio ita incorruptionis est particeps, vt non semper obnoxium sit defectioni quod debetur occasui.Vitæ huius principiũ,mortis exordium est, nec prius incipit augeri ætas nostra quàm minui.Cui si quid adiicitur spatij temporalis,non ad hoc accedit vt maneat,sed in hoc transit vt pereat.Quod ergo ab initij sui die mortale est:qualibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit,nec vnquam ei vicinius est posse viuere,quàm posse deficere. Quãuis autem ex vna causa omnium hominum sit orta mortalitas,non in vnam tamen,sed in multiplicem imbecillitatem corruptibilis natura distrahitur.Et siue morbis, siue debilitatibus,siue vulneribus,non solùm anni aut menses vel dies ætatis humanæ,sed & omnes horæ omniáq; momenta subiecta sunt.Nec est aliquod mortis genus aut vllus obeundi modus qui non intra vniuersitatem mortalium in
Eccles. 40. aliquam incidat portionem. Manet enim graue iugũ super filios Adam à die exitus de ventre matris eorũ,in diem sepulturæ in matrem omnium.Sed huius asperrimi iugi pondera non ita in Adæ filios irruerunt,vt diuina iustitia nihil eis suæ dimensionis adhiberet,quæ defectionũ legibus ita defecturа subiecit,vt ab eis moderatiõnũ suarum non auerteret potestatem.Ideo omnia omnes incíderent mala,quia per communem conditionem omnes omnibus subiacerent , sed vt generali necessitate variata,causas sibi dominus indulgentię correptionísque seruaret , essẽtque in vno omnium debito quod & misericors remitteret, & iustus exigeret . Cùm igitur iusta & omnipotens prouidẽtia dei inceſſabiliter vniuersa diiudicet,& nemo in hunc mundum veniat,neque ab hoc mundo exeat,nisi eo ortu atq; decessũ, quem rerum arbiter secũdum altissimam scientiam suam sapientiamq; decernit, A sicut scriptũ est in libro Iob: Quis ignorat quòd omnia hæc Iob 12.
manus domini fecerit, in cuius manu anima omnis viuẽtis,
& spiritus vniuersæ carnis hominis? Et iterum: Breues dies Iob 14.
hominis sunt,& numerus dierum eius apud te est.Quis audeat causas operum & consiliorum eius inquirere? Inscrutabile enim est,valdéque secretum cur tantis differentiis conditio humana variata sit.Illum ab infantia vsque in senectutem longæua carpit infirmitas,nec inter perseuerantes dolores statutæ deficit tempus ætatis.Illum integris valentem viribus annosissimus vigor vegetat. Huic in pueritia finis est, illi in adolescentia.Huic vltra iuuentutem non licet progredi: illi impossibile est vsq; ad loquẽdi rudimenta grandescere.Quas vitę metas multiformiter inæquales minus acerbas experiretur caduca mortalitas,si præsentis tantùm seculi detrimenta pateretur,& non in æternas miserias caderent,qui hinc sine lauacro regenerationis exissent.Sed cùm inscrutabilis sit causa tam donorum quæ gratia tribuit, quàm miseriarum quas natura promeruit:ipsa nos intelligentię difficul
B tas ad nostrum remittit authorem . Et cùm quærimus quomodo omnes homines saluos fieri velit , qui non omnibus illud tempus impertit,in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sint capaces,non irreligiosè arbitror credi,neque inconuenienter intelligi quòd isti paucorũ dierum homines ad illam pertineant gratiæ partẽ,quæ semper vniuersis est impensa nationibus,qua vtiq; si bene eorum vterentur parentes,etiam ipsi per eosdem iuuarẽtur.Omnium nanque exordia paruulorum,totáque illa principia necdum rationalis infantiæ,sub arbitrio iacent volũtatis alienæ,nec vllo modo eis nisi per alios consuli potest,& consequens est illos ad eorũ pertinere consortium,quorum vel recto vel prauo agũtur affectu . Sicut enim ex aliena cõfessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt. Et cùm ipsi nec præsentis vitæ desiderium habuerunt,nec futuræ:quàm ipsorum factum est nasci, tam ipsorũ efficitur non renasci . Sicut autem circa maiores præter illam generalem gratiam parcius atq; occultius omnium hominũ corda pul-
C santem,excellẽtiore opere,largiore munere,potentiore virtute vocatio specialis exeritur,ita etiam circa innumeros paruulos eadem manifestatur electio,quæ quidem nec illis qui renati non sunt,in parentibus defuit,sed iis qui renati sunt, præ parentibus affuit:ita vt multis sæpe quos suorum impietas deseruit,alienorum cura seruierit,& ad regenerationem venerint per extraneos,quæ eis non erat prouidẽda per proximos. In quo opere gratiæ quis nisi arrogantissimus atque vanissimus de diuina iustitia conqueratur,quòd non omnibus paruulis similis prouidentia consulat,omniáque pericula quæ morituroru regenerationẽ prohibere possunt, aut potestate submoueat,aut miseratione præueniat? Quod vtique erga omnes ita fieret, si ita fieri omnino deberet. Non autem latet quantum cordibus fidelium desidię gigneretur, si in baptizandis paruulis nihil de cuiusquam negligentia,nihil de ipsorum esset mortalitate metuendũ:quandoquidem vt tales baptismo fraudarentur,nullo modo posset accidere. Hac verò tam inamissibili fœlicitate infantium vehementis-
D simè opinio illius roboraretur erroris, qui gratiã dei secundum merita hominum dari audet contra fidem catholicam prædicare.Videretur quippe inculpabili innocentiæ hoc tota æquitate deberi , vt neminem eorum adoptio præteriret, quos nullus reatus perstringeret:nec impiè à quodã de paruulorum baptismo dictum fuisset.Habet gratia quod adoptet,nõ habet vnda quod diluat.Sed hoc detestabiliter prædicatum omnes discipuli veritatis intelligunt:& inde manifestum est eos qui salui fiunt,non merito, sed gratia liberari,quia sine baptismo mortuos perisse non dubium est.Qui vtique nisi grauissimi peccati essent participes,non perirẽt. Nunc autem occulta quidem dei discretione,sed iusta sic ostenditur & quid conferat gratia,& quid præuaricatrix mereatur natura: vt nec contra donum eleuetur superbia, nec cõtra periculum cesset industria.Siue igitur nouissima contemplẽtur secula,seu prima,seu media , rationabiliter & piè creditur omnes homines saluos fieri deum velle , semperq; 1.Tim.2.
voluisse:& hoc non aliundè monstratur, quàm de iis beneficiis,eáque prouidẽtia dei, quàm vniuersis generationibus
com-

communiter atque indifferenter impẽdit. Fuerunt enim ac A
ſunt huiuſmodi dona ita generalia, vt per ipſorum teſtimonia ad quærendum verum deum poſſent homines adiuuari: quibus donis authorem ſuum per omnia ſecula proteſtanti bus: ſpecialis gratiæ largitas ſuperfuſa eſt. Quæ licet copioſius nũc quàm antè præſtetur, cauſas tamen diſtributionum ſuarum dominus apud ſcientiam ſuam tenuit, & intra ſecretum potentiſſimæ voluntatis occuluit: quæ ſi omnibus vniformiter affluerent, non laterent. Et quàm nulla eſt ambiguitas de benignitate generali, tam de ſpeciali miſericordia nihil quod ſtupendum eſſet exiſteret, ac proinde illa eſſet gratia, iſta non eſſet. Deo autem placuit & hanc multis tribuere, & illam à nemine ſubmouere, vt ex vtraque appareat non negatum vniuerſitati, quod collatum eſt portioni: ſed in aliis prævaluiſſe gratiam, in aliis reſiluiſſe naturam. Hanc quippe abundantiorem gratiam ita credimus, atque experimur potentem, vt nullo modo arbitremur eſſe violentam, quo quicquid in ſaluandis hominibus agitur, ex ſola dei voluntate peragatur, cùm etiam ipſis paruulis per alienæ volun B
tatis ſubueniatur obſequium.

Quomodo gratia tanquam famulam & receptricem donorum ſuorum præparet voluntatem. Cap. IX.

GRatia quidem dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, inci tando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, córque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniũgitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, vt diuino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos ſiue occultos ſiue manifeſtos omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quod autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt diuinæ, & voluntatis humanæ. Siue igitur initia, ſiue profectus fidelium, ſiue vſque in finem perſeuerãtium C
cogitemus genus, nulla ſpecies cuiuſquam virtutis occurrit, quæ vel ſine dono diuinæ gratiæ, vel ſine conſenſu noſtræ voluntatis habeatur. Ipſa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, vt in eo quem vocat, primam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum præparet voluntatem. Nam virtus nolentium nulla eſt, nec poteſt aſſeri vel fidem, vel ſpem, vel charitatem eis ineſſe, quorum ab his bonis conſenſus alienus eſt. Hunc autem cõſenſum non ſolùm cohortatio prædicantium, & incitamenta doctrinæ,
Prouer. 9. ſed & metus gignit, propter quod ſcriptum eſt: Principium ſapientiæ timor domini. Qui quantiſlibet terroribus infera tur, non aliud agit, quàm vt quem fecerit timẽtem, faciat & volentem, nec ſolùm volentem, ſed etiam ſapientem. Vnde
Eccleſ. 25. & illud ſcriptum eſt: Beatus cui donatum eſt habere timorem dei. Quid enim tam beatificum quàm hic timor, qui genitor eruditórque ſapientiæ eſt? In cuius vtique deuotione deuota eſt & voluntas, quæ authore gratiæ eodem proficit timore quo cœpit. Cùm ergo hic timor etiam per quandam vim magni terroris immittitur, nõ ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur, ſed illa potius quæ mentem premebat caligo diſcutitur, vt voluntas deprauata prius atque captiua, recta efficiatur & libera. Vnde ſicut animus nihil virtutis capit niſi radiũ veri acceperit luminis, ita gratia nihil ei quem vocat, confert: niſi oculos in eo aperuerit voluntatis. Quę in pleriſque (ſicut ſuperius diſputatum eſt) ab ipſo initio ſui ardentiſſima citis & magnis ditatur augmentis: in pleriſq; autem tardè cunctantérque proficiens, vix ad ea incrementa
Ioan. 6. prouehitur, quæ idoneam ad perſeuerandum habeant firmitatem. Dicit quidem dominus: Nemo venit ad me, niſi pater qui miſit me, attraxerit eum. Sed hoc ideo dictum eſt, vt illam fidem ſine qua nemo ad Chriſtum venit, ex patris habe
Matth. 16. ri munere nouerimus, ſecundum illud quod Apoſtolo dicitur: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Qui in cordibus trahendorum hoc egit vt crederent, hoc effecit vt vellent. Non enim eſſet vnde traherentur, ſi ſequaces fide & voluntate non eſſent: quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt, neque accedunt qui diſſentiunt, ſed recedũt. Qui ergo veniunt, amore ducũtur: dilecti enim ſunt, & dilexerunt: quæſiti ſunt, & quæſierũt: & quod eos voluit deus velle, voluerunt: qui ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem quę poteſt nolle, non auferat. Alioquin nemo vnquam fidelium receſſiſſet à fide. Neminem concupiſcentia vinceret, neminem triſtitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigeſceret, nullius patientia frangeretur, & collatam ſibi gratiã nemo negligeret. Sed quia hæc poſſunt fieri, & in conſenſum talium tentationũ facilis nimium procliuiſque deſcenſio eſt, nunquam debet in auribus fidelium vox illa domini non ſonare, qua apoſtolis dicitur: Vigilate Matth. 26.
& orate, ne intretis in tentationem. Vbi ſi de vigilando tantùm, non etiam de orando diſcipulos admoneret, ſolas liberi arbitrij vires videretur hortatus. Sed cùm addidit: Et orate, ſatis docuit ſuperni futurum muneris, vt eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret. Tale eſt & illud
quod ait: Simon, Simon, ecce ſatanas expoſtulauit vt vos cer Lucæ 22.
neret velut triticum, ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua: & tu tandem conuerſus, confirma fratres tuos, & roga, ne intretis in tentationem. Si ergo defectura erat fides tanti apoſtoli niſi pro eo Chriſtus oraret, inerat ei proculdubio mutabilitas, quæ poſſet in tentatione nutare, & non ita iam perſeuerantiæ fuerat virtute ſolidatus, vt nullis periculis eſſet obnoxius. Siquidem tam grauis eum perturbatio etiam poſt iſta concuſſerit, vt in Caiphæ domo vnius ancillæ interrogatione pauefactus, vſq; ad trinam negationem Chriſti, cui moriturum ſe ſpoponderat, conſtantia deficiente per Matth. 26.
ductus ſit. Qui ergo tunc cõturbatum cor apoſtoli, non humanis, ſed diuinis conuenit oculis, & ad largos pœnitudinis fletus potenti incitauit aſpectu, potuit hanc firmitatem animi præcipuo conferre diſcipulo, vt ſicut ipſum dominum nihil ab explendæ paſſionis propoſito deterrebat, ita nec beatum Petrum vlla tunc formido ſuperaret. Sed hæc ſtabilitas illius tantummodo propria fuit, qui ſolus verè potentérque
dicebat: Poteſtatem habeo ponere animam meam, & pote- Ioan. 10.
ſtatem habeo iterum ſumere eam. In cæteris verò hominibus, donec caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus ad- Galat. 5.
uerſus carnem, & donec ſpiritus quidem promptus eſt, caro
autem infirma, incommutabilis animi firmitudo non poteſt Matth. 26.
reperiri: quoniam non huius, ſed alterius vitæ eſt verè perfecta & ſecura fœlicitas. In præſentis autem agonis incerto, vbi tota vita tentatio eſt, & ab inſidianti ſuperbia nec ipſa eſt tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris ſanctis ſuis donet virtutem perſeuerandi vſque in finem diuina protectio, à nullis tamen aufert quod ipſis repugnat ex ipſis, vt in omnibus ſtudiis eorum atque conatibus ſemper inter ſe velle & nolle decertet. Quam compugnantiam idem beatiſſimus Petrus etiam in ipſa palmarum omnium conſummatione perpeſſus eſt. Si quidem hoc ipſe
dominus proteſtetur & dicat: Amen, amen dico tibi, quan- Ioan. 21.
do iuuenis eras, præcingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te præ D
cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte glorificaturus eſſet deum. Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortiſſimam petram quæ ab illa principali petra communionem & virtutis ſumpſit & nominis, hoc deſiderium ſemper habuiſſe, vt ei moriẽdi pro Chriſto conſtantia donaretur? Veruntamen ita incuitabilis erat oblucta tio trepidationis, vt vir martyrij auidiſſimus, adepturus quidem denunciaretur victoriam paſſionis, ſed non ſine tentatione formidinis. Meritò igitur non ſolum ab incipientibus, verum etiam à prouectiſſimis ſanctis vniformiter domino ſupplicatur, & dicitur: Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Vniuerſis enim qui in fide & dilectione per Matth. 6.
manent, ab ipſo donatur ne in tentatione ſuperentur: vt qui
gloriatur, in domino glorietur: ipſamq; gloriam iiſdem qui- 1. Cor. 1.
bus eam impertit, adſcribit: vt quanuis auxilio dei ſteterint, tamen quia in ſe habebant vnde caderent, ipſorum ſit meritum quod ſteterunt. Igitur ſicut qui crediderunt, iuuantur vt in fide maneant: ſic & qui nondum crediderunt, iuuantur vt

credát.Et quemadmodum illi in sua habent potestate vt exeant:ita & isti in sua habent potestate ne veniant.Fitque manifestum quòd diuersis atque innumeris modis omnes homines vult deus saluos fieri,& in agnitionem veritatis veni re.Sed qui veniunt,dei auxilio diriguntur:qui non veniunt, sua pertinacia reluctátur.Quanuis autem multi amantes tenebras suas,splendorem non recipiant veritatis,& multi qui illuminati fuerant, tenebrescant: verbum tamen dei manet in æternum,& de promissionis veritate nihil excidit. Intrat quotidie prescita & promissa gentium plenitudo,& in Abrahæ semine omnis gens,omnis tribus, omnis lingua benedicitur.Quod enim pater filio dedit,filius non amittit, neque quisquá potest de manu eius eripere quod accepit.Firmum fundamentum dei stat,& mansuri in æternum templi ædificatio non vacillat, prætenta super omnes veritate & misericordia dei:à quo quod & nemini negatur, & nulli debetur, in iis quos promisit, efficitur. Ipse enim operatur omnia in omnibus. Sed omnia proculdubio iusta & bona. Vniuersæ enim viæ domini, misericordia & veritas. Qui sicut præscivit ante secula quanta totius mundi hominum multitudo, vel communibus vsa donis, vel specialibus adiuta præsidiis, declinans tamen ab itinere veritatis & vitæ ingressura esset latitudinem erroris & mortis: ita semper prænotum habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ,& per seruitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret: vt nullo excidente de plenitudine promissorum, qui nec prouectu erat fallendus,nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus quos eligit ex omnibus. Vniuersitati quippe hominum, quod abundè probauimus, ita multiplex atque ineffabilis bonitas dei consuluit semper & cōsulit, vt neque vlli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua iustitia gloriari, cùm & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & istos dei gratia perducat ad gloriam.

Esaiæ 40.

Psal.24.

De recapitulatione in hoc secundo libro definitorum & operis conclusione, quemadmodum videlicet deus omnes homines velit saluos fieri. *Cap. X.*

QVod itaque in principio secūdi huius voluminis insinuauimus,hoc nunc iterum commendamus, vt cùm de gratię profunditate & altitudine disputatur,tribus illis saluberrimis & veracissimis definitionibus simus innixi.Quarum vna profitetur æternum & proprium diuinę esse bonitatis,vt omnes homines saluos fieri velit,& in agnitionem veritatis venire.Alia simul prædicat omnem hominem qui saluus fit, quique in agnitionem veritatis venit,dei auxilio iuuari & regi, vtque in fide quæ per dilectionem operatur permaneat, custodiri. Tertia verò temperanter & sobriè protestatur non omnem voluntatis dei comprehendi posse rationem, & multas diuinorum operū causas ab humana intelligentia esse subductas:vt cùm in temporibus,in nationibus,in familiis,in paruulis,in nondum natis & genitis quædam aut variè aut insigniter gesta noscuntur, non ambigimus ea ex illis esse quæ iustus & misericors deus in hoc transituro seculo noluit sciri. Quod quidem ad vtilitatem nostram dispositum sentiendum est, vt quoniam salui facti sumus, cui præparauit deus, quod oculus non vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis ascendit, sicut constanter credimus videndum quod nondum videmus:ita patienter expectemus intelligēdum quod nondum intelligimus. Si ergo cesset insidiosa malignitas, si insolens præsumptio conquiescat:his rectè (vt arbitror) pertractatis, nullius supereſt causa certaminis, neq; vltra necesse est nos interminabilibus quæstionibus occupari.Elaboratum est enim,quantum dominus adiuuit,vt non solùm in nouissimis diebus, sed etiam in cūctis retrò seculis probaretur gratiam dei omnibus hominibus affuisse, prouidentia quidem pari, & bonitate generali,sed multitudo opere, diuersaque mensura:quoniam siue occultè siue manifestè, ipse est (vt Apostolus ait) saluator omnium hominum, maximè fidelium. Quæ sententia subtilissimæ breuitatis, & validissimi roboris,si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc de qua egimus controuersiam dirimit.Dicendo enim, qui est saluator omnium hominum, confirmauit bonitatem dei super

1.Tim.2.

Galat.5.

1.Corin.2.

1.Tim.4.

A

B

C

D

vniuersos homines esse generalem. Adiiciendo autem, maximè fidelium,ostēdit esse partem generis humani,quæ merito fidei diuinitus inspiratæ,ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis prouehatur:quod vtique nulla iniquitate agitur iustissimi & misericordissimi dei, cuius iudicium in his dispensationibus non cum arrogantia discutiendum,sed cum tremore laudandum est: siquidem in ipsis quoque fidelium populis (quod iam superius ostensum est) non eadem omnibus nec paria conferantur,& ante vlla humanorum pōdera meritorum,dissimillima diuinorum mensura sit munerum.Si enim de parentum carnalium iudiciis conqueri nō audemus,cùm aliquos filios suos ante vlla morum examina, ante aliqua pietatis obsequia, indulgentiore amplectuntur affectu, in dominis quoque erga famulos libera est dispositio, nec iustè à quoquam reprehenditur qui de vnius conditionis familia quosdam sibi quos benignius honestaret,& quos liberius erudiret,elegit:nūquid de summi patris & veri domini beneuolentissima æquitate causandum est, quod in magna domo eius innumeris differentiis vniuersa variātur?Cúmque nemo aliquid boni habeat quòd non ille donauerit,non omnes tamen iisdem virtutibus micant,aut eadem charismatum dote ditantur. Nec possumus hanc diuersitatem graduum causis aptare meritorum, cùm totius boni meriti principalis causa sit gratia, de cuius opibus sumitur quicquid in singulis probabile reperitur. Sicut ergo de iis quæ intra ecclesiam multiformiter spiritus sanctus operatur,impium est vllam querelam corde concipere: ita etiam de illa prouidentia quæ infidelibus præsidet,nullatenus murmurandum est:quoniam & iustus & bonus arbiter nec voluntatis iniquæ est,nec discretionis incertæ,vt sub immensa omnipotentis dei misericordia atque iustitia putemus quòd quisquam pereat qui perire non debeat. Nulla pars mundi ab euangelio vacat Christi,& licet illa generalis vocatio non quiescat,tamen etiam ista specialis iam vniuersis est facta communis.Ex omni gente, ex omni conditione adoptantur quotidie milia senum,milia iuuenum,milia paruulorum,& effectibus gratiæ Christianæ etiam ipsa quibus mundus atteritur,arma famulātur. Quàm multos enim qui in tranquillitate pacis, sacramentum baptismatis suscipere differebant, ad aquam regenerationis confugere instantis periculi metus impulit,& lentis tepidísque animis quod diu cohortatio quieta non suasit, minax subitò terror extorsit. Quidam ecclesiæ filij ab hostibus capti dominos suos Christi euangelio manciparunt:& quibus conditione bellica seruiebant,eisdem fidei magisterio præfuerunt. At alij Barbari dum Romanis auxiliantur,quod in suis locis nosse non poterant,in nostris didicere regionibus, & ad sedes suas cùm Christianæ religionis institutione remearunt.Ita nihil obsistere diuinæ gratiæ potest,quo minus id quod voluerit, impleatur, dum etiam discordiæ ad vnitatem trahunt, & plagæ in remedia vertuntur, vt ecclesia vnde metuit periculum,inde sumat augmentum.Ad quoslibet igitur rerum humanarum exitus se nostra conuertat inspectio, nulla secula, nulla negocia,nullos generationum ortus atque decessus ab æternis & inscrutabilibus iudiciis dei vacare reperiet. Omnes varietatum compugnantiæ,& vniuersæ dissimilium pro uētuum causæ, quas inuestigare & discernere non valemus, in illa æterna scientia simul notæ, simúlque diuisæ sunt. Et nihil ibi inordinatum est etiam de necdum existētium qualitatibus actionum: quoniam non est in deo accidens motus,aut noua voluntas,aut temporale consilium,nec cogitatio eius cum rerum mutabilium inæqualitate variatur, sed cuncta pariter tempora & temporalia sempiterno ac stabili comprehendit intuitu,& omnibus omnia iam retribuit,qui quæ sunt futura, iam fecit. Hinc illud est beati Pauli apostoli scribentis ad Ephesios: Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo:sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum dominum nostrum,secundum propositum volūtatis suæ,in laudem gloriæ gratiæ suæ: & cætera quæ sub eiusdem sensus prædica-

Ephesi.1.

tione

tione cõnectit, docens donum atque opus gratiæ in æterno
semper dei mansisse consilio, omnésq; adoptionis filios, non
solum in eo tempore quo iam existentes vocati sunt, sed e-
tiam priusquam mũdus conderetur, electos. In qua electio-
ne quicquid hominum in Christo pręcognitum non est, nul
la eidem ratione sociabitur. Omnes enim qui in regnum dei
de cuiuslibet temporis vocatione venturi sunt, in ista quæ se
cula cuncta præcessit, adoptione signati sunt. Et sicut nullus
infidelium in hac sorte numeratus, ita nullus piorum ab hac
sorte discretus est. De plenitudine quippe membrorum cor
poris Christi, præscientia dei, quæ falli non potest, nihil per-
dit, & nullo detrimento minui potest summa prącognita, at
que in Christo ante secula æterna prælecta, sicut ad Timo-
2.Tim.6. theum scribẽs Apostolus, dicit: Collabora euangelio secun-
dum virtutem dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione
sancta, non secũdum opera nostra, sed secundum suum pro-
positum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante
tempora æterna. Contra hanc inuictæ veritatis splendidissi-
mam lucem solent quidam non sobriè dicere, superfluò ad
acquirẽda bonorum operum merita laborari, frustra etiam
orationibus quibus deus exorandus speratur, insisti, si ex in-
commutabili proposito eius Christianæ gratiæ subsistit ele-
ctio: nec aliter quicquã procedere potest quàm omnipoten-
tis voluntate dispositũ est. Sed qui se ingeniosè hoc arbitran
tur opponere, non intelligunt scientiam dei, quæ & præteri-
ta & præsentia & futura complectitur, tempore non teneri,
& tam in conspectu eius adstare ea quæ gerenda sunt, quàm
illa quæ aut geruntur, aut gesta sunt. Quod cùm verissimum
sit, non indiget mora cernendi & discernendi illa virtus quæ
perpetuo veróque contuitu creata & creanda, orta & oritu-
ra, acta & agẽda simul aspicit: & quicquid in vniuersitate re-
rum per secula præfinita euoluitur, ac multimodis varietati-
bus explicatur, id totum in eo iam ordine comprehendit,
quem ex ipsius summo illo perfectóq; iudicio mundi huius
finis accipiet. Hæc autem æterna & semper tranquilla cogni
tio nulla nos vrget necessitate peccandi: nec inde manat ini-
quitas, vnde iustitia: quia cùm bonus deus omnia bona fece
rit, & mali nulla sit omnino natura, à liberis voluntatibus,
quas vtique bonum fuit liberas fieri, spõtanea est orta trans-
gressio, & natura mutabilis, cuius incolumitas ab incõmuta
bili pẽdebat essentia, à summo se bono dum proprio peruer
se delectatur abrupit, cui nunc ruinæ medetur gratia dei. Et
propterea Iesus Christus venit in hunc mundum, vt soluat
opera diaboli, quæ vtique sic soluuntur, vt in destructione
eorum, etiam ab iis quibus succurritur, laboretur, quoniam
Rom.5. & hoc à saluãte donatur. Ideo beatus Apostolus: Non solùm
autem, inquit, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes
quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem proba
tionem, probatio autem spem, spes autem non confundit,
quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum
Ephes.2. sanctum qui datus est nobis. Itémq; idem ad Ephesios: Gra-
tia, inquit, saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, dei e-
nim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius e-
nim sumus figmentum, creati in Christo in operibus bonis,
quæ præparauit deus vt in illis ambulemus. Deus ergo iis
quos elegit sine meritis, dat vnde ornentur & meritis. Et fru
stra dicitur quòd ratio operãdi non sit in electis, cùm etiam
ad hoc operentur vt electi sint. Virtutum quippe munera o-
Matth.25. ciosa esse non possunt, quoniam sicut veritas ait: Omni ha-
benti dabitur, non habenti autem etiam quod habet aufere
tur ab eo. Non igitur ad hoc datur continentia, vt concupi-
scentiis non repugnet: nec ideo cuiquam tribuitur sapientia
& intellectus, vt non die ac nocte in domini lege meditetur.
Quid agit donũ dilectionis, si beneuolentiæ solicitudo non
vigilat? Quis fructus est patiẽtiæ, si nõ habet fortitudo quod
toleret? Aut quomodo in Christo piè viuere ostenditur, qui
nulla persecutione pulsatur? Vel pax quæ est à deo, & cum
deo, nũquid bene quieta est si non discordat à mundo? Aut
amor dei poterit sine diaboli inimicitiis obtineri? Neminem
prorsus dei gratia intentabilem facit, neq; ob hoc cœlestium
armorum præsidio à dextris & sinistris instruitur Christiana
militia, vt cum nullo hoste confligat, cum laudabilius sit, at-
que fœlicius pugnantem non potuisse vinci, quàm desidem
non potuisse tentari. Orationum verò solicitudinem diuinæ
electionis proposito non resolui, vno testimonio euidenter
probabo, vt cætera studio brevitatis omittam. In libro igitur
Tobiæ ad filiũ eius Tobiam Raphael angelus dicit: Memor Tob.6.
esto mandatorum patris tui, quoniam præcipit tibi accipere
debere vxorem de genere patris tui. Et nunc audi me frater,
noli computare dæmonium illud, sed postula eam. Et scito,
quoniam dabitur tibi hac nocte vxor: & cùm intraueris in
cubiculum, tolle de iecore piscis illius, & impone super car-
bones, & odor manabit, & odorabitur illud dæmonium &
fugiet, & non apparebit circa illam omnino in perpetuum.
Et cùm cœperis velle esse cum illa, surgite primùm ambo, &
deprecamini dominum cœli, vt detur vobis misericordia &
sanitas. Et nolite timere: tibi enim destinata est ante secula,
& tu eam sanabis. Quãuis ergo quod statuit deus, nulla pos-
sit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi: nec
per electionis propositum, liberi arbitrij deuotio relaxatur:
cùm implendę voluntatis dei ita sit præordinatus effectus, vt
per laborem operum, per instãtiam supplicationum, per ex-
ercitia virtutum, fiant incrementa meritorum: & qui bona
gesserint, non solùm secundum propositum dei, sed etiam se
cundũ sua merita coronentur. Ob hoc enim in remotissimo
ab humana cognitione secreto, præfinitio huius electionis
abscondita est, & de nullo ante ipsius finem pronunciari po
test, quod in electorum gloria sit futurus, vt perseuerantem
humilitatem vtilis metus seruet, & qui stat, videat ne cadat: 1.Cor.10.
& si fortè aliqua victus tentatione corruerit, non absorbea-
tur tristitia, nec de eius miseratione diffidat, qui alleuat om-
nes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Dum enim in hoc Psal.144.
corpore viuitur, nullius est negligenda correctio, nullius est
desperanda reparatio. Oret itaque sancta ecclesia, & pro iis
qui crediderunt, gratias agens, proficientem eis perseueran-
tiam petat. Pro iis autem qui extra fidem sunt, poscat vt cre-
dãt. Nec ideo ab obsecrationibus cesset, si pro aliquibus ex-
audita nõ fuerit. Deus enim qui omnes vult ad agnitionem 1.Tim.2.
veritatis venire, non potest quenquam sine iustitia refutare.

FINIS.

CAPITVLA LIBRI PRIMI DE FIDE.

Expositio fidei nostræ. Cap. I.
De vno deo. Cap. II.
Expositio dogmatis Arriani. Cap. III.
Non esse dissimilem patri filium dei. Cap. IIII.
De sempiterno dei filio. Cap. V.
Non esse creaturam dei filium. Cap. VI.
Quod facturam vel creaturam dei filium dicant Arriani. Cap. VII.
Definitio patrum de fide. Cap. VIII.

AMBROSIO RELIGIOSO SACERdoti omnipotentis dei Gratianus Augustus.

DVpio valde quẽ recordor absentem, vt cum quo
mente sum, cum eo etiam corpore sim præsenti.
Festina igitur ad me religiose dei sacerdos, vt do-
ceas doctrinam veram credentem, non quo con
tentioni studeam, aut velim deum verbis magis quàm men-
te complecti, sed vt magis aperto pectori reuelatio diuinita-
tis insidat. Docebit enim me ille quem non nego, quem fa-
teor deum ac dominum esse meum, non ei obiiciens quam
in me video creaturam, quia Christo nihil me addere posse
confiteor: velle tamen vt etiam patri me commẽdem filium
prædicando. Non ego in deo verebor inuidiam, non me ta-
lem laudatorem putabo, qui diuinitatem verbis augeam. E-
go infirmus & fragilis quantum possum prædico, non quan-
tum est ipsa diuinitas. Rogo te vt mihi des ipsum tractatum
quem dederas, augendo illic de spiritu sancto fidelem dispu
tationem, scripturis atque argumentis deum esse conuince.
Diuinitas te seruet per multos annos, parens, & cultor dei
æterni, quem colimus Iesum Christum.

Diui Ambrosij
EPISCOPI MEDIOLANENSIS
de fide ad Gratianum Augustum, Liber I.

PROLOGVS.

3.Reg.10. 2.Paral.2. REgina Austri venit audire sapientiã Salomonis, vt in libro Regnorũ legimus. Hiram quoque rex ad Salomonem misit vt cognosceret eum. Tu quoque sancte imperator Gratiane, veteris imitator historiæ, fidem meam audire voluisti. Sed non ego Salomon cuius mireris sapiẽtiam, neque tu vnius gentis, sed totius orbis Augustus, fidem libello exprimi censuisti: non vt disceres, sed vt proba res. Quid enim discas imperator Auguste, cùm ab ipsis cuna Esaiæ 1. bulis pio fuisti semper affectu? Priusquam te, inquit, formarem in vtero matris tuæ, noui te: & priusquam exires de vulua, sanctificaui te. Sanctificatio ergo non traditur, sed infunditur: & ideo diuina dona custodi. Quod enim nemo te docuit, vtiq; deus author infudit. Petis à me fidei libellum, sancte Imperator, profecturus ad prælium. Nosti enim fide magis imperatoris quàm virtute militũ quæri solere victoriam. Genes.14. Nam & Abraham trecẽtos decem & octo duxit ad bellum, & ex innumeris trophæa hostibus reportauit, signóq; dominicæ crucis & nominis, quinq; regum victriciúmq; turmarũ Iosuæ 6. subacto robore & vltus est proximum, & filium meruit & triũphum. Iesus quoque filius Naue, hostes quos totius exercitus manu valida superare non poterat, septem tubarum sacerdotaliũ sono vicit, vbi ducem militiæ cœlestis agnouit. Ergo & tu vincere paras qui Christũ adoras, vincere paras qui fidem vindicas, cuius à me libellum petisti. Mallem quidem cohortãdi ad fidem subire officium, quàm de fide disceptandi. In altero enim religiosa cõfessio est, in altero incauta præsumptio. Sed quoniam neq; tu cohortatione indiges, neque ego excusandi liber, vbi pietatis officiũ est, audax negocium verecunda occasione suscipiam, vt de fide pauca disceptem, de testimoniis plura contexam. De conciliis id potissimum sequar, quod trecenti decẽ & octo sacerdotes, tanquam Abrahæ electi iudicio, consona fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe subactis perfidis extulerunt: vt mihi videatur hoc esse diuinum, quod eodem numero in conciliis fidei habemus oraculum, quo in historia pietatis exemplum.

Expositio fidei nostræ. Caput I.

ASsertio autẽ nostræ fidei hæc est, vt vnum deum esse dicamus. Neque vt gẽtes filium separemus. Neque vt Iudæi natum ex parte ante tempora, & ex virgine postea editum denegemus. Neque vt Sabellius patrem confundamus & verbum, vt eundem patrem asseramus & filium. Neq; vt Fotinus initium filij ex virgine disputemus. Neq; vt Arrius plures credendo & dissimiles potestates, plures deos gentili errore faciamus, quia scri- Deut.6. ptũ est: Audi Israel, dominus deus tuus deus vnus est. Deus enim & dominus nomen magnificentiæ, nomen est potesta- Exod.15. tis: sicut ipse dicit: Dominus nomen mihi est. Et sicut alibi Esaiæ 42. propheta asserit: Dominus omnipotens nomen est ei. Dominus ergo & deus, vel quod dominetur omnibus, vel quod spectet omnia, & timeatur à cũctis. Si ergo vnus deus: vnum Matth.28. nomen, vna potestas, vna est trinitas. Denique ipse dicit: Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Ioan.10. In nomine vtique, non in nominibus. Ipse etiam dicit: Ego & pater vnum sumus. Vnum dixit, ne fiat discretio potestatis. Sumus addidit, vt patrem filiumque cognoscas, quò perfectus pater perfectum filium genuisse credatur, & pater & filius vnum sint, non confusione, sed vnitate naturæ.

De deo vno. Caput II.

VNum ergo deum, nõ duos aut tres deos dicimus, vt impia Arrianorum hæresis dum criminatur incurrit. Tres enim deos dicit, qui diuinitatem separat trinitatis, cùm dominus dicendo: Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti, vnius esse trinitatem potestatis ostenderit. Nos patrem & filium & spiritum sanctum confitemur, ita vt in trinitate perfecta & plenitudo sit diuinitatis, & vnitas potestatis. Omne regnum in se diuisum facilè destruetur. Dominus hoc dicit. Non ergo diuisum est regnum trinitatis. Si diuisum non est, vnum est: quod autem vnum non est, diuisum est. Tale ergo regnum esse cupiunt trinitatis, quod diuisione sui facilè destruatur. Imò quia non potest destrui, constat non esse diuisum. Non enim diuiditur vnitas nec scinditur, & ideo nec corruptelæ subditur, nec ætati. Non quicunque, inquit, qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum cœlorum. Non ergo perfunctoria fides debet esse, imperator Auguste. Scriptum est enim: Zelus domus tuæ comedit me. Itaque fideli spiritu & mente deuota Iesum dominum inuocemus, deum esse credamus, vt in nomine eius quicquid à patre petimus impetremus. Pater enim se per filium vult rogari. Filius vult rogari patrem. Concordat pietatis gratia, nec virtutis facta discordant. Quæcunque enim pater facit, eadem & Ioan.8. filius facit similiter. Et similiter facit, & eadem facit filius: sed vult rogari patrẽ in eo quod ipse facturus est, vt non impossibilitatis iudicium, sed vnitatem potestatis agnoscas. Iure igitur adorandus atque venerandus est dei filius, qui mundum diuinitate sua condidit, & nostrum pietate sua informauit affectum. Et ideo bonum deum, sempiternum, perfectum, omnipotentem, verum debemus credere, vt in lege accepimus & prophetis, scripturísque diuinis cæteris, quia sine his deus non est. Non potest enim bonus non esse qui deus est, cùm in natura dei plenitudo bonitatis sit. Neque ex tempore deus potest esse, qui fecit tempora, neque potest imperfectus deus esse. Qui enim minor est, imperfectus vtique est, cui desit aliquid quo maiorem possit æquare. Hæc igitur fidei nostræ prædicatio. Deus malus non est, deo impossibile nihil est, deus temporalis non est, deus minor non est. Si fallor, redarguant. Quia igitur deus Christus, & bonus vtique & omnipotens & sempiternus & perfectus & verus est. Hæc enim in natura diuinitatis sunt. Aut igitur negent naturam diuinitatis in Christo, aut quæ diuinæ naturæ sunt, deo negare non possunt. Certè ne quis possit errare, sequatur ea quibus scriptura sancta vt intelligere possimus filium significat. Verbum dicitur, filius dicitur, dei virtus dicitur, dicitur dei sapientia. Verbum, quia immaculatus: virtus, quia perfectus: filius, quia genitus ex patre: sapiẽtia, quia vnum cum patre, vnum ætẽrnitate, vnum diuinitate. Non enim pater ipse qui filius, sed inter patrem & filium generationis expressa distinctio est, vt ex deo deus, ex manente manens, plenus è pleno sit. Non sunt igitur hæc nuda nomina, sed operatricis virtutis indicia. Est enim plenitudo diuinitatis in patre, est plenitudo diuinitatis in filio, sed non discrepans, sed vna diuinitas. Nec confusum quod vnum est, nec multiplex quod indifferẽs. Etenim si omnium credentium, sicut scriptũ est: Erat anima vna, & cor vnum. Si omnis qui Acto.4. adhæret domino, vnus spiritus est, vt Apostolus dixit: Si vir 1.Cor.6. & vxor in carne vna sunt, si omnes homines, quãtum ad naturam pertinet, vnius substantiæ sumus: si hoc de humanis scriptura dicit, quia multi vnum sunt, quorum nulla potest esse cum diuinis cõparatio: quanto magis pater & filius in diuinitate vnum sunt, vbi nec substãtiæ nec voluntatis vlla est differentia. Nanq; aliter quomodo vnum deum dicimus? Diuersitas plures facit, vnitas potestatis excludit numeri quantitatem, quia vnitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est. Quantam verò scriptura diuina patris & filij secũdum diuinitatem expresserit vnitatẽ, prophetica testantur oracula. Sic enim dicit dominus sabaoth: Labor Ægypti, Esaiæ 45. & mercatus Æthiopũ & Sabain, viri excelsi ad te transibunt, & tui erunt serui, & post te sequentur alligati vinculis, & adorabunt te, & in te deprecabuntur, quoniam in te est deus, & non est deus præter te. Tu enim es deus, & nesciebamus, deus Israel. Audis propheticam vocem. In te, inquit est deus, & non est deus præter te. Quomodo hoc secundum Arrianos conuenit? Necesse est negent aut patris aut filij diuinitatem, nisi eiusdem diuinitatis crediderint vnitatem. In te, in- Ioan.5. quit, est deus, quoniam in filio pater. Scriptum est enim: Pater

ter qui in me manet, ipſe loquitur: & opera quę ego facio, & Ioan.14. ipſe facit, Sed & alibi in patre filius eſt, quia dicit: Ego in patre, & pater in me eſt. Diſſoluant ſi poſſunt hanc naturę proprietatẽ, & operis vnitatem. Deus igitur in deo eſt, ſed non duo dij. Scriptũ eſt enim quia vnus deus, & dominus in domino, ſed non duo domini, quia æquè ſcriptum eſt: Nolite duobus dominis ſeruire. Et lex dicit: Audi Iſrael, dominus Deuter.6. deus tuus deus vnus eſt. Et vtique in eodem eſt teſtamento: Matth.6. Pluit dominus à domino. Dominus, inquit, à domino pluit. Luc. 16. Sic & in Geneſi habes: Et dixit dominus, & fecit deus. Et in- Deut.6. fra: Et fecit deus hominem ad imaginem dei, ſed tamen non Geneſ.19. duo dij, ſed vnus deus fecit. Vtrobiq; igitur vnitas operatio- Geneſ.1. nis ſeruatur & nominis. Nam vtique cùm legimus, deus ex deo, non duos deos dicimus. Denique habès in pſalmo quadrageſimoquarto, quòd & deum patrem dicit Propheta, & deum filium declarauit, dicens: Sedes tua deus in ſeculum ſe- Pſal.44. culi. Et infrà: Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Deus eſt qui vngit, & deus qui ſecundum carnem vngitur dei filius. Denique quos habet vnctionis ſuæ Chriſtus niſi in carne cõſortes? Vides igitur quia deus à deo vnctus, ſed in aſſumptione naturæ vnctus humanæ dei filius deſignatur, nec legis forma violatur. Et hic ergo cùm dicitur: Pluit dominus à domino, vnitatẽ diuinitatis agnoſce. Operationis enim vnitas non facit pluralem diuinitatem, ſicut ipſe dominus oſtendit, dicens: Credite mihi, quia ego in pa- Ioan.10. tre, & pater in me: alioquin vel propter opera ipſa credite. Et hîc aduertimus quòd vnitatem diuinitatis, per vnitatẽ operũ deſignauerit. Vt autem vna deitas & patris & filij, & vna dominatio probaretur, ne Gẽtilis aut Iudaicæ impietatis incurreremus errorem, prouidẽs Apoſtolus, quid ſequi deberemus, oſtẽdit dicens: Vnus deus pater, ex quo omnia, & 1. Corin.8. nos in ipſo, & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Sicut enim vnum dicendo dominũ Ieſum Chriſtũ, patrem dominum nõ negauit: ita vnum dicendo deum patrem, æquè à deitatis veritate nec filium ſeparauit. Vnde nec pluralitatem diuinitatis, ſed vnitatem poteſtatis oſtẽdit: quia & in dominatione diuinitas, & in diuinitate Pſalm.91. dominatus eſt, ſicut ſcriptũ eſt: Scitote quoniam dominus ipſe eſt deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos. In te igitur eſt deus per vnitatem naturæ, & non eſt deus præter te, per pro- Hier.4. prietatẽ ſubſtãtiæ, repulſam differẽtiæ. Et in Hieremiæ quoque libro vnum deum ſcriptura dicit: & tamen & patrem & Baruc.3. filium confitetur. Itaq; ſic habes: Hic eſt deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum, qui adinuenit omnem viam diſciplinæ: & dedit eã Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc, in terris viſus eſt, & cum hominibus cõuerſatus eſt. De filio dicit: Ipſe enim eſt cum hominibus conuerſatus. Et dicit: Hic eſt deus noſter, nõ æſtimabitur alius ad eum. Quid diſcutimus eum de quo tantus dicit propheta? Sanctus ſpiritus dicit quòd ad eum non poſſit alius æſtimari, Quę enim poteſt eſſe alia æſtimatio vbi diuinitatis vnitas eſt? Confitebatur hoc populus in periculis conſtitutus. Neſciebat ſerere quæſtionem, quia religionem timebat. Adeſto ſancte ſpiritus prophetis tuis quibus ineſſe conſueſti, quibus credimus. Si prophetis non credimus, ſapientibus credo huius mundi? Eſaiæ 33. Sed vbi ſapiens, vbi ſcriba? Ruſticus noſter cùm ficus inſere- 1. Cor. 1. ret, inuenit quod philoſophus ignorauit. Quæ ſtulta ſunt enim huius mundi elegit deus, vt confundat quæ ſunt fortia. Pſal.75. Credimus Iudæis, quia notus aliquando in Iudæa deus: ſed hoc ipſum negant, propter quod credimus, quia non noũerunt patrem, qui filium negauerunt. Vnum deum cõmunis natura teſtatur, quia vnus eſt mundus. Vnum deum fides ſignificat, quia vna fides noui & veteris teſtamenti. Vnum ſpiritum ſanctum teſtificatur gratia, quia vnum baptiſma in nomine trinitatis eſt. Vnum deum prophetæ dicũt, apoſtoli au- Matth.2. diunt. Vnum deum Magi crediderũt, & aurum thus & myrram ſupplices ad Chriſti cunabula detulerunt. Auro regem fatentes, vt deum thure venerantes. Theſaurus enim regni, ſacrificium dei: myrrha eſt ſepulturę. Quid igitur voluerunt ſibi myſtica munera inter abiecta præſepia, niſi vt intelligeremus in Chriſto differẽtiam diuinitatis & carnis? Vt homo cernitur, vt dominus adoratur, iacet in pannis, ſed fulget in ſtellis. Cunæ naſcentem indicant, & ſtellæ dominãtem. Ca-

ro eſt quæ inuoluitur, diuinitas, cui ab angelis miniſtratur. Ita nec dignitas naturalis maieſtatis amittitur, & aſſumptæ carnis veritas comprobatur. Hæc eſt fides noſtra. Sic ſe deus Daniel.3. cognoſci voluit ab hominibus, ſic tres pueri crediderũt, nec incendia circumiecta ſenſerunt, cum infidos noxius ignis exureret, & fideles innoxia flamma roraret, quibus aliorum incendia refrigerabant, quia merito fidei perdiderat ſuam pœna naturam. Aderat enim in ſpecie angeli qui monebat, vt in numero trinitatis, vnius eſſet laudatio poteſtatis. Benedicebatur deus, videbatur in angelo dei filius, ſancta & ſpiritalis in pueris gratia loquebatur.

Expoſitio dogmatis Arriani. *Cap. III.*

NVnc cõſideremus quas Arriani dei filio inferant quæſtiones. Diſſimilem patri dicunt eſſe dei filiũ. Hoc ſi homini obiiciatur, iniuria eſt. Ex tempore cœpiſſe dicunt dei filium, cùm conditor ipſe ſit temporum. Homines ſumus, & eſſe nolumus temporales. Ex tempore cœpimus, & ſine tempore futuros eſſe nos credimus, & fieri nos optamus æternos. Et quomodo negare poſſumus dei filium ſempiternum, quem ſempiternum docet atque demonſtrat natura non gratia? Creatum dicunt. Quis authorem inter opera ſua deputet, vt videatur id eſſe quod fecit? Bonum negant. Sacrilega vox ipſa ſe damnat, vt indulgentiam ſperare non poſſit. Negant verum dei filium, negant omnipotentẽ, cùm fateantur omnia facta per filium, omnia creata per dei eſſe virtutem. Quid eſt enim virtus, niſi perfecta natura? Negant etiam diuinitate vnum eſſe cum patre. Deleant ergo euangelium, deleant Chriſti vocem. Ipſe enim dixit: Ego & pater vnum ſumus. Non ego hoc di- Ioan.10. co, Chriſtus dixit. Nũquid fallax vt mentiretur? Nũquid impius, vt quod non erat, vſurparet? Sed ſingula ſuis locis pleniùs digererentur. Nunc quoniam hæreticus dicit eſſe diſſimilem, idque verſutis diſputationibus adſtruere nititur, dicẽdum eſt nobis quod ſcriptum eſt: Cauete ne quis vos de- Coloſ.2. prædetur per philoſophiam & inanem ſeductionem, ſecundum traditionem hominum, & ſecundum elementa huius mundi, & non ſecũdum Chriſtum, quia in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Omnẽ enim vim venenorum ſuorum in dialectica diſputatione conſtituũt, quæ philoſophorum ſententia definitur, non adſtruendi vim habere, ſed ſtudium deſtruendi. Sed non in dialectica com- 1. Corin. 4. placuit deo ſaluum facere populum ſuum. Regnum enim dei in ſimplicitate fidei eſt, non in contentione ſermonis.

Non eſſe diſſimilem patri filium dei. *Cap. IIII.*

DIſſimilem igitur dicunt eſſe. Non negamus: imò potiùs horremus hanc vocẽ. Sed nolo argumento credas ſancte Imperator, & noſtræ diſputationi, ſcripturas interrogemus, interrogemus Apoſtolos, interrogemus Prophetas, interrogemus Chriſtum. Quid multa? Patrem interrogemus, cuius honori ſtudere ſe dicunt, ſi filius degener iudicetur. Sed non eſt honorificentia boni patris, filij iniuria. Non poteſt bono patri placere ſi filius degeneraſſe potiùs à patre, quàm patrem æquaſſe credatur. Da veniam ſancte Imperator, ſi ad ipſos pauliſper verba conuerto. Sed quem potiſſimum legam, Eudoxium, Eunomiúmve, an Arrium vel Aetium eius magiſtros? Plura enim, nomina, ſed vna perfidia, impietate non diſſonans, communione diſcordans, non diſſimilis fraude, ſed cogitatione diſcreta. Cur enim ſecum nolint conuenire, non intelligo. Eunomij perſonam diffugiunt Arriani, ſed eius perfidiam aſſerunt, impietatem exequuntur. Aiunt enim prodidiſſe effuſius quæ Arrius ſcripſerat. Magna cæcitatis effuſio. Authorem probant, executorem refutant. Itaq; nunc in plures ſeſe diuiſere formas. Alij Eudoxium, alij Eunomiũ vel Aetium, alij Palladium vel Demophilum atque Auxentium, vel perfidię eius hæredes ſequuntur, alij diuerſos. Nunquid diuiſus 1. Corin. 1. eſt Chriſtus? Sed qui eum à patre diuidunt, ipſi ſe ſcindunt: & ideo quoniam cõmuniter aduerſus eccleſiam dei, quibus inter ſeipſos non conuenit, conſpirarunt, communi nomine hæreticos quibus reſpondendum eſt, nominabo. Hæreſis enim, velut quædam Hydra fabularum, vulneribus ſuis Hydra. creuit. Et dum ſæpe reciditur, pullulauit, igni debita, incendióque peritura. Aut velut quædam monſtruoſi Sylla por- Sylla.

tenti in varias formas distincta perfidiæ, velut supernè vacuum Christianæ sectæ nomen obtẽdit. Sed quos in illo impietatis suæ freto miseros inter naufragia fidei repererit fluctuantes, belu|nis succincta prodigiis tetri dogmatis sæuo dente dilacerat. Cuius spelũcam sancte Imperator, vt ferunt nautæ, cæcis latebris inhorrẽtem, omnémque eius viciniam ceruleis canibus inter perfidiæ saxa resonantem, clausa quo-
Eccles.28. Philip.3. ad Tit.3. dammodo præterire aure debemus. Scriptum est enim: Sepi aures tuas spinis. Et alibi: Videte canes, videte malos operarios. Et iterum: Hæreticum post primam correptionẽ deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio damnatus. Itaque tanquam boni gubernatores quo tutius prætermeare possimus, fidei vela ten-
Colos.1. demus scripturarúmque relegamus ordinem. Apostolus dicit imaginem patris Christum esse: ait enim quòd ipse sit imago dei inuisibilis, primogenitus vniuersæ creaturæ. Primogenitus, inquit, non primo creatus, vt & genitus pro natura, & primus pro perpetuitate credatur. Alibi quoque A-
Hebr.1. postolus asseruit quòd ipsum posuit hæredem omnium, per quem fecit & secula, qui est splẽdor gloriæ, & character substantiæ eius. Imaginem Apostolus dicit, & Arrius dicit esse dissimilem. Cur imago, si similitudinem non habet? In pictu-
ris homines nolunt esse dissimiles, & Arrius dissimilem patrem contendit in filio, & vult vt pater dissimilem genuerit sui, quasi impotens qui generare similem non potuerit. Pro-
Psal.35. phetæ dicunt: In lumine tuo videbimus lumen. Prophetæ
Sapien.7. dicunt: Splendor est enim lucis æternę, & speculum sine macula dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Vide quanta dicantur. Splendor, quòd claritas paternæ lucis in filio sit. Speculum sine macula, quòd pater videatur in filio. Imago bonitatis, quòd non corpus in corpore, sed virtus in filio tota cernatur. Imago docet non esse dissimilem, character expressum esse significat, splendor signat æternum. Imago itaque non vultus est corporalis, non fucis cõposita, non ceris, sed simplex de deo, egressa de patre, expressa de fonte. Per hanc imaginem Philippo patrem dominus demonstrauit, dicens:
Ioan.14. Philippe, qui me videt, videt & patrem. Et quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Videt enim in imagine patrem, qui videt in filio. Vides quam imaginem dicat. Imago ista veritas est, imago ista iustitia est, imago ista dei virtus est, nõ muta, quia verbum est: non insensibilis, quia sapientia est: non inanis, quia virtus est: non vacua, quia vita est: non mortua, quia resurrectio est. Vides ergo quia dum imago dicitur, patrem significat esse cuius imago sit filius, quia nemo potest ipse sibi imago sua esse. Plura possem de filio testimonia dicere, sed ne fortè ipse sibi nimium fauisse dicatur, patrem interroge-
Genes.1. mus. Nempe ipse dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Pater filio dicit: Ad similitudinem nostram: & tu dissimilem filium dei dicis? Ioannes dicit: Di-
1.Ioan.3. lecti filij dei sumus, & nondum apparet quid erimus: scimus quia si reuelatum fuerit, similes ei erimus. O improuida amentia. O impudens peruicacia, homines sumus, & in quo possumus, ad similitudinẽ dei erimus, & similem audemus
Gene.1. dei filium denegare? Ergo pater dicit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. In principio ipsius mundi patrem & filium esse audio, & vnum opus cerno. Audio loquentem, agnosco faciẽtem, sed & patris & filij vnam imaginem, vnam similitudinem lego. Similitudo hæc non diuersitatis, sed vnitatis est. Quod igitur tibi vsurpas, filio dei derogas, cùm vtique nisi per imaginem dei, ad imaginem dei esse non possis.

De sempiterno dei filio. Caput V.

CLaret igitur non esse dissimilem, & ideo procliuior via est vt etiam sempiternũ esse fateamur, cùm similis sempiterno vtique sempiternus sit. Si autem patrem sempiternum dicimus, & hoc idem filium denegamus, dicimus esse dissimilem. Sempiterno enim temporale dissimile est. Clamat propheta sempiternum, clamat & apostolus sempiternũ. Plenum est vetus testamentum testimoniis filij sempiterni, plenum est nouum. Ordinem ergo teneamus. Scriptum est in veteri testamen-
Esaiæ 43. to, vt vel vnũ è pluribus dicam: Ante me non fuit alius deus, & post me non erit. Nihil ergo argumentabor, teipsum interrogo. Quis hoc dicit, pater, an filius? Vtrum dixeris, eo te conuinci intelliges, vel si credas, doceri. Quis ergo hoc dicit, pater, an filius? Si filius, ante me, inquit, non fuit alius deus: si pater, post me, inquit, non erit: hic priorem, ille posteriorem non habet, inuicem in se, & pater in filio, & filius in patre cognoscitur. Cùm enim patrem dixeris, eius etiam filium designasti, quia nemo ipse sibi pater est. Cùm filium nominas, etiam patrẽ eius fateris, quia nemo ipse sibi filius est. Itaque nec filius sine patre, nec pater potest esse sine filio. Semper igitur pater, semper & filius. In principio enim Ioan.1. erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum: hoc erat in principio apud deum. Erat, inquit, apud deum. Erat, erat, erat, erat, ecce quater erat. Vbi impius inuenit quòd non erat? Alibi quoque Ioannes in epistola sua 1.Ioan.1. dicit quod erat in principio: indefinitè tenditur erat. Quicquid excogitaueris, erat filius. Omnes autem hæreses hoc capitulo breui piscator noster exclusit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio præuenitur. Ergo Arrius conticęscat. Quod autem erat apud deum, non commixtione confunditur, sed manentis verbi apud patrem solida perfectione distinguitur, vt Sabellius obmutescat. Et deus erat verbum. Non ergo in prolatione sermonis hoc verbum est, sed in illa cœlestis designatione virtutis, vt confitetur Fotinus. Quod verò erat in principio apud deum, sempiternæ diuinitatis in patre & filio inseparabilis vnitas edocetur, vt erubescat Eudoxius, & Eunomius. Ioan.1. Postremo, cùm omnia per ipsum facta dicantur, ipse conditor noui vtique testamenti & veteris designatur, vt Manichæus locum tentationis habere non possit. Ita piscator bonus intra vnum omnes rete concluſit, vt faceret inhabiles fraudi, quanuis essent inutiles captioni. Dic mihi hæretice, dat enim veniam clementissimus Imperator, vt te non obloquendi studio, nec audiendi cupiditate, sed exponendi gratia paulisper alloquar. Dic mihi, inquam, Fuítne aliquando tempus quo omnipotens deus pater non erat, & deus erat? Tempus inquis, non adstruo. Bene & argutè. Si enim tempus dixeris, teipsum conuinces: quia necesse est asseras fuisse tempus ante filium, cùm filius temporis author sit, & creator. Non potest enim post opus suum ipse cœpisse. Necesse est igitur authorem operis sui esse fatearis. Ante tempora, inquis, non nego filium. Sed cùm filium dico, ostendo priorem patrem: quia pater, inquis, filio prior est. Quid est hoc? Negas esse tempus ante filium: & tamen nescio quid ante filium vis præcessisse quod temporis sit: & ostẽdis media nescio quæ molimina fuisse generandi, in quo generationem patris significas temporalem. Nam si pater esse cœpit, deus ergo primò erat, postea pater factus est. Quomodo ergo immutabilis deus? Si enim antè deus, postea pater, vtiq; generationis accessione mutatus est. Sed auertat deus hanc amẽtiam. Nos enim ad impietatem eorum redarguendam, hanc retulimus quæstionem: quia pia mens generationem sine tempore asserit, vt & sempiternum patrem cum filio dicat, nec aliquando asserat esse mutatum. Iungat igitur honorificentia patri filium, quem diuinitas iunxit: non separet impietas, quem generationis proprietas copulauit. Honorificemus filium, vt honorificemus & patrem, sicut in euangelio scriptum est. Sempiternitas filij, paternæ maiestatis insigne est. Si iste non semper fuit, ergo ille mutatus est: sed si semper fuit filius, ergo nec pater aliquando mutatus est, qui immutabilis semper est. Itaque videmus quòd illi qui volunt negare filium sempiternum, volunt patrem docere esse mutatum. Accipe aliud quo clareat filium sempi-
Rom.1. ternum. Apostolus dicit quòd dei sempiterna virtus sit atque diuinitas. Virtus autem dei Christus est. Scriptum est e-
1.Cor.1. nim Christum esse dei virtutem, & dei sapientiam. Ergo si Christus dei virtus, quia virtus dei sempiterna, sempiternus igitur & Christus. Non ergo ex vsu generationis humanæ calumniam hæretice instruas, neque ex nostro sermone componas. Neque enim angustis sermonibus nostris, imensæ magnitudinem possumus diuinitatis includere, cuius magnitudinis non est finis. Nanque hominis generationem si definire contendas, tẽpus ostendis. Generatio autem

diuina

diuina ſupra omnia eſt. Latè patet, ſupra omnes cogitationes aſcendit & ſenſus. Scriptū eſt enim: Nemo venit ad patrē niſi per me. Quicquid igitur de patre cogitaueris, quam libet eius æternitatem, non potes de eo aliquid niſi per filiū cogitare, nec poteſt vllus ad patrem niſi per filium tranſire ſenſus. Hic eſt, inquit, filius meus dilectiſſimus. Eſt, inquit, quod indeſinenter eſt. Vnde & Dauid, In æternum, inquit, domine permanet verbum tuum in cœlo. Quod enim manet, nec ſubſtantia nec æternitate deficit. Quæris à me, quomodo ſi filius ſit, non priorem habeat patrem: quæro item abs te, quando aut quomodo filium patres eſſe generatum? Mihi enim impoſſibile eſt generationis eſſe ſecretū. Mens deficit, vox ſilet, non mea tantùm, ſed angelorum. Supra potestates, ſupra angelos, ſupra Cherubim, ſupra Seraphim, ſupra omnem ſenſum eſt, quia ſcriptum eſt: Pax autem Chriſti quę eſt ſupra omnem ſenſum. Si pax Chriſti ſupra omnem ſenſum eſt, quemadmodum non eſt ſuper omnem ſenſum tanta generatio? Tu quoque manum ori admoue, ſcrutari non licet ſuperna myſteria. Licet ſcire quod natus ſit, non licet diſcutere quemadmodum natus ſit. Illud negare mihi non licet, hoc quærere metus eſt. Nam ſi Paulus ea quæ audiuit raptus in tertium cœlum, ineffabilia dicit, quomodo nos exprimere poſſumus paternæ generationis arcanum, quod nec ſentire potuimus, nec audire? Verùm ſi me ad cō ſuetudinem trahis generationis humanæ, vt patrem dicas priorem, vide vtrum ad generationem dei, terrenæ generationis exempla conueniant. Si ſecundum hominem loquamur, negare non poteris priores eſſe in homine patris quàm filij paſſiones. Prior creuit, prior ſenuit, prior doluit, prior fleuit. Si igitur hic tempore minor, ille antiquior paſſione. Si hic generationis incurrit ætatem, nec ille generandi euaſit pudorem. Quid te iſta quęſtionum tormenta delectant? Audis dei filium, aut dele nomen, aut agnoſce naturam. Audis vterum, agnoſce generationis perſpicuæ veritatem. Audis cor, verbum intellige. Audis dexteram, cognoſce virtutem. Audis os, cognoſce ſapientiam. Non hæc ſunt in deo corporaliter æſtimanda. Incomprehenſibiliter generatur filius. Impaſſibiliter generat pater, & tamē ex ſe generauit, & ante omnem intellectū generauit deus verus deum verum. Pater diligit, & tu diſcutis: pater complacet, & tu cum Iudæis inuides: pater honorificat, & tu cum gētibus conuitiaris? Queris à me vtrum prior non poſſit eſſe qui pater eſt. Quæro à te, vt doceas quando pater fuerit prior: aut teſtimoniis, aut argumētis collige veritatem. Si teſtimoniis, accepiſti vtique ſempiternam dei eſſe virtutem. Legiſti etiam dicentem: Iſrael ſi me audieris, non erit in te deus recēs, neque adorabis deum alienum. Aliud horum ęternitatem, aliud proprietatem ſuſtantię indifferentis ſignificat, vt neque poſteriorem neque alterius diuinitatis filium eſſe credamus. Nam ſi poſterior eſt, recens eſt: & ſi vnius non eſt diuinitatis, alienus eſt. Sed nec poſterior, quia recens non eſt: nec alienus, quia ex patre natus, quia ſupra omnia eſt deus benedictus in ſecula, ſicut ſcriptum eſt. Sed ſi alienum putant, cur adorant eum, cùm ſcriptum ſit: Neque adorabis deum allienum? Aut ſi non adorant, fateantur, & finis eſt, ne quem ſub religioſi nominis profeſſione decipiant. Hęc nempe ſunt teſtimonia ſcripturarum. Aut ſi habes aliud, profer re debebis. Supereſt vt & argumentis veritas colligatur. Quanquam etiam humanis teſtimoniis argumēta cedere ſoleant, argumentare tamen hæretice vt voles. Vſu, inquis, accipimus, eo qui naſcitur priorem, eſſe qui generat. Perſequere igitur omnia veſtigia conſuetudinis: & ſi cętera conueniunt, non obſiſto quin & iſtud requiras. Si autem nulla concordant, quemadmodum cùm deſint cętera, hoc ſolum exigis? Ergo quia vſum requiris, quando generatus eſt ex patre, paruulus fuit, vidiſti in cunis infantulum vagientem? Proceſſus aliquos accepit ętatis? Si enim infirmitatem generationis habuit, neceſſe eſt vt non ſolùm naſcendi, ſed etiam viuendi inciderit infirmitatem. Sed fortaſſe eò prolaberis amentię, vt de dei filio iſta non abnuas, qui eum ex infirmitate metiris humana: quid ſi deum negare non potes nomine, infirmitate tamen hominem vis probare? Quid ſi dum filium diſcutis, patrem arguis: & dum Chriſto præiudicas, patrem adiudicas? Nam ſi diuina generatio ſubiecta tempori fuit, & id ex vſu generationis vſurpatur humanæ, ergo & pater corporali vtero portauit filium, decem menſium curriculis onus vexit? ſed quomodo ſine ſexu altero generationis vſus? Vides ſolennem generationis ſeriem non cœpiſſe, & tu partus cuiuſdam corporei neceſſitates putas fuiſſe ſolennes. Tu vſum quęris, ego ſexum. Tu tempus exigis, ego ordinem. Tu finem diſcutis, ego quęro principium. Nēpe finis ex principio, non principium pendet ex fine. Omne, inquis, quod natum eſt, principium habet. Et ideo quia filius eſt, principium habet, & ex tempore eſſe cœpit, quod ipſorum ore ſit dictum. Ego autem filium natum eſſe profiteor: quod reliquum eſt impietatis, horreſco. Deum confiteris homo, & tali circumſcribis calumnia? Deus hanc auertat * amentiam. Rurſus obiiciunt: Ergo non eſt filius ſi non habet quæ habent filij. Ignoſcat mihi pater, ignoſcat mihi filius, ignoſcat ſpiritus ſanctus, quæſtionem pro pietate * referre cupienti: Eſt certe pater, & manet ſemper, ſunt etiam creaturæ pro diſpoſitione diuina. Eſt ergo aliquid eorum quod non ſubiectum ſit aut locis, aut temporibus, aut creationi, aut cauſę alicui vel authori? Profecto nihil. Quid ergo dicitis? Eſt horum aliquid quo egeat pater? Impium eſt dicere. Ergo aut deſinite quæ creaturarum ſunt aptare diuinitati, aut ſi comparare contenditis, conſiderate quò veſtra procedat impietas, quod abſit vt vel in ſenſus noſtros aliquādo veniat. Nos enim piam reſponſionem tenemus. Nanque omnipotens deus eſt, & ideo nullo eorum pater indiget, quia non habet mutationem ſui aliquam vel profectum quo nos egemus, quorum infirmitas ex huiuſmodi rebus profectum accipit. Qui autem omnipotens eſt, vtique non creatus, & ſine loco, & ſupra tempora eſt. Nihil enim ante deum: imò hoc ipſum verbū, ante deum dicere eſſe aliquid, graue. Ergo ſi ita eſt, quia nihil horum eſt in deo patre quæ profectum ſignificēt, quia deus eſt: nihil horum aptari etiam poteſt dei filio, vt vel initium accipiat vel profectū, quia deus verus ex deo vero eſt. Ergo quia vſitatum non reperimus ordinem, acquieſce Arriane præcipuam filij generationem fuiſſe. Acquieſce, inquam: & ſi mihi non credis, erubeſce vel dei vocem dicentis: Cui me ſimilem exiſtimatis? Et iterum: Quia non ſicut homo, ita & deus. Etenim ſi operatio dei præcipua eſt, quia non manibus operatur aliquid, non labore cōficit, non diebus abſoluit. (Ipſe enim dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt) cur non credamus præcipuam generationem eſſe eius in filio, cuius præcipuam operationem in operibus eius agnoſcimus? dignum certè eſt vt ſpecialiter & præcipuè videatur generaſſe filium. Habeat generationis inuſitatæ gloriam, qui habet poteſtatis inuſitatæ gratiam. Non ſolùm admirabilis ex patre generatio Chriſti, ſed admirabilis etiam ipſa generatio eius ex virgine. Tu illam dicis noſtræ ſimilem conceptionis, & ego probo iſtam noſtræ eſſe diſſimilem, imò teipſum cogā fateri. Dic quemadmodum ſit natus ex Maria, quo vſu vterus eum habuerit virginalis, quomodo ſine ſemine viri partus, vnde virgo prę gnans, quemadmodum puella mater antè fœta, quàm copulam vxoris experta? cauſa deerat, & generabatur filius. Vnde ergo legis nouatæ partus? Si igitur in virgine vſus defuit generationis humanæ, quemadmodū in deo patre proprię generationis vſum requiris? Certè vſus in ſexu eſt: quia ſexus in carne eſt. Vbi ergo caro non eſt, quemadmodum carnis infirmitatem exigis? Nemo meliorem diſcutit. Credere tibi iuſſum eſt, & nō diſcutere permiſſum eſt. Scriptū eſt enim: Credidit Abraham deo. Nec ſolùm in generatione filij ſermo defecit, ſed etiam in operibus dei. Scriptum eſt enim: Omnia opera eius in fide. Opera ergo eius in fide, generatio ſine fide? Et diſcutimus quæ non videmus, qui iubemur credere magis quàm diſcutere quæ videmus? Dicet aliquis: Quomodo generatus eſt filius quaſi ſempiternus, quaſi verbum, quaſi ſplendor lucis ęternę, quia ſimul ſplendor operatur vt naſcitur? Apoſtoli iſtud exemplum eſt, non meum. Noli ergo credere quod fuerit vel momentum aliquod quo fuerit ſine ſapientia deus, aut ſine ſplendore lux. Noli Arriane ex noſtris æſtimare diuina, ſed diuina crede vbi humana nō inuenis. Rex gentilis in igne cū tribus pueris He-

* auertūcaſsit.

* proprietatis.

Ioan. 6.
Marc. 17.
Pſalm. 118.
Philip. 4.
2. Cor. 12.
Pſalm. 80.
Rom. 9.
Num. 23.
Pſal. 148.
Geneſ. 15.
Pſal. 32.

Daniel.3. ris Hebræis quarti quasi angeli vidit figuram: & quia præ-
stare putabat angelis dei filium, quem non legit sed credi iu
Genes.10. dicauit. Abraham quoque tres vidit,& vnum adorauit.Pe-
Matth.17. trus in monte Moysen & Heliá cum filio dei vidit, nec er-
rauit in natura, nec errauit in gloria. Denique quid facere
deberet, non illos,sed Christum interrogauit.Nam etsi tri-
bus parabat obsequium, vnius tamẽ expectabat imperium.
Sed quoniam vel tabernaculorum numerum deferendum
tribus simpliciter æstimauit, emendatur dei patris authori-
Ibidem. tate dicentis:Hic est filius meus dilectissimus,ipsum audite.
id est, quid conseruos tuos cum domino socias tuo?Hic est
filius meus, non Moyses filius,non Helias filius, sed hic fi-
lius.Sensit emẽdationem apostolus,procidit in faciem con-
sternatus patris voce, & filij claritate. Sed eleuatur à filio,
qui iacentes erigere consueuit. Vnum vidit, solum vidit dei
filium. Recesserũt enim seruuli, vt solus dominus qui solus
designabatur,filius videretur.Quid igitur sibi vult illa visio,
non æqualitatem Christi seruorúmque significans,sed my-
sterium signans,nisi vt appareret nobis quod lex & prophe-
tæ cum euãgelio cõgruentes,sempiternum dei filium quem
annũciauerant,reuelarent?Ergo & nos cùm audimus ex vte
ro filium, ex corde verbum, credamus quia non plasmatus
manibus,sed ex patre natus: nõ artificis opus, sed progenies
est patris.Et ideo qui dicit:Hic est filius meus,non dixit:hic
est temporalis:non dixit,hæc est creatura mea,hæc factura
mea, hic seruus meus, sed hic filius meus, quam videtis in
gloria.Hic est deus Abraham,deus Isaac,deus Iacob,qui ap-
paruit in rubo Moysi,de quo Moyses ait:Qui est, misit me.
Exod.3. Non pater in rubo,non pater in eremo,sed filius Moysi lo-
Acto.7. cutus est. Denique de ipso Stephanus dixit: Hic est qui fuit
in ecclesia in eremo.Hic est ergo qui legem dedit,ipse qui lo
cutus est Moysi dicens:Ego sum deus Abraham,deus Isaac,
deus Iacob.Hic est deus patriarcharum,hic est deus prophe
tarum.Filium ergo legimus:mens tua percipit lectionem,e-
dat lingua confessionem. Auser hinc argumenta vbi fides
quæritur,in ipsis gymnasiis suis iam dialectica taceat. Non
quæro quid loquantur philosophi,requiro quid faciant,soli
in suis gymnasiis remanserunt. Vide quàm fides argumen-
tis præponderet. Illi quotidie à suis consortibus deseruntur
qui copiosè disputant, isti quotidie crescunt qui simpliciter
credunt. Non creditur philosophis, creditur piscatoribus:
non creditur dialecticis, creditur publicanis. Illi voluptati-
bus & deliciis orbem ligarunt, isti ieiuniis & doloribus e-
xuerunt. Plures itaque iam cœpit illicere iniuria quàm vo-
luptas. Nunc videamus quo distant à gentilibus Arriani.
Illi deos appellant dispares sexu, dissimiles potestate: isti tri
nitatem asserunt differentis diuinitatis, & dissimilis po-
testatis. Illi deorum suorum principium asserunt tempora-
le, & isti Christum cœpisse ex tempore mentiuntur. Non
ne ex philosophia omnem impietatis suæ traxerunt colo-
rem? Illi tamen quod venerantur amplificant, isti dei filium
creaturam asserunt esse, qui deus est.

Non esse creaturam dei filium. Cap. VI.

PAtuit, vt arbitror,sancte Imperator,neque dissi-
milem esse patris, neque ex tempore esse domi-
num Iesum. Restat vt illud quoque sacrilegium
redarguatur, & probemus creaturam non esse
dei filium: in quo nobis præsentis oraculum lectionis aspi-
Marc.16. rat.Audiuimus enim legi dicente domino:Ite in orbem v-
niuersum,& prædicate euangelium vniuersæ creaturę.Qui
vniuersam creaturã dicit, nullã excipit. Et ideo vbi sunt qui
creaturam Christum appellant?Nam si creatura esset,nun-
quid ipse sibi mandaret euangelium prædicari? Non igitur
creatura est,sed creator,qui docẽdæ creaturæ discipulis suis
mandat officium. Non ergo creatura Christus. Vanitati e-
Rom.8. nim creatura subiecta est, sicut apostolus dixit.Nunquid er-
go Christus subiectus est vanitati? Rursus iuxta eundem a-
postolum,Creatura cõgemiscit & comparturit vsque nunc.
Nunquid ergo Christus congemiscit & comparturit qui no
2.Corin.3. stros à morte gemitus liberauit? Creatura, inquit,liberabi-
tur à seruitute corruptionis. Videmus igitur magnam inter
creaturam & dominum esse distantiam, quia seruitus crea-
tura est, dominus autem spiritus est: vbi autem spiritus do-

A mini est, ibi libertas.Quis hũc induxit errorem,vt cum qui
creauit omnia,qui fecit omnia,diceret creaturam? Num ip-
se dominus se creauit? Si enim lectum est quod per ipsum o
mnia facta sunt,& sine ipso factum est nihil:nunquid ipse se Ioan.1.
fecit?Si lectum est quod negari non potest, quia deus in sa
pientia fecit omnia:nunquid verisimile videri potest quia à
seipsa est facta sapientia?Legimus genitum,quia pater dixit:
Ego ex vtero ante luliferum genui te. Legimus primogeni- Psal.109.
tum filium, legimus vnigenitum. Primogenitum, quia ne-
mo ante ipsum. Vnigenitum,quia nemo post ipsum. Legi-
mus etiam: Generationem eius quis enarrabit? Generatio- Esaiæ 53.
nem,inquit,non creationem. Quis his tantis ac talibus con
ferri potest?Ostendit etiam dei filius distantiam generatio-
nis & gratię dicens:Ascẽdo ad patrem meum,& patrem ve Ioan. 20.
strum:deum meum,& deum vestrum.Non dixit: Ascendo
ad patrem nostrum,sed ascẽdo ad patrem meum, & patrem
vestrum. Separatio ista diuersitatẽ ostendit, quod illius ge-
nitor,noster creator sit.Et addidit:Deum meũ,& deum ve-
strum,quia licet ipse & pater vnum sint, & illi pater sit pro-
B prietate naturæ,nobis deus pater cœperit esse per filium nõ
naturæ iure,sed gratiæ:tamen vtramque naturam hic signi-
ficare videtur in Christo, & diuinitatis & carnis, Diuinita-
tis ex patre,carnis,ex matre. Illamq; ante omnia,istamq; ex
virgine.Denique ante patrem vt filius nominauit,deum po
stea vt homo nuncupauit.Vbique autem deum suum quod
ex persona dicat hominis,testimonia docent.Deus deus me Psalm.21.
us respice in me,quare me dereliquisti? Et alibi: De ventre Ibidem.
matris meæ deus meus es tu.Et supra quasi homo patitur,
& infra homo est qui ex matris ventre iactatur. Itaque cùm
dicit:De ventre matris meę deus meus es tu, significat eum
qui pater semper erat, ex illo deũ sibi esse, ex quo de ventre
matris iactatus est. Cùm igitur in Euangelio, in Apostolo,
in prophetis generationem Christi legerimus,vnde audent
dicere creatum esse vel factum? Et quidem in quo creatum
legerint, in quo factum, considerare deberẽt. Edoctum est
enim dei filium de deo esse genitum,de deo natum. Factum
autem in quo legerint,diligenter aduertant.Non enim deus
C factus, sed deus dei filius natus est. Postea autem secũdum
carnem homo factus ex Maria est. Si mihi non credunt,cre
dant apostolo dicenti: Postquam verò venit plenitudo tem- Galat.4.
poris,misit deus filium suum factum ex muliere,factum sub
lege.Filium,inquit,suum,non vnum demultis:non commu
nem,sed suum. Suum cum dicit,generationis æternæ pro-
pritatem signauit. Hunc postea factum ex muliere asseruit,
vt factura non diuinitati, sed assumptioni corporis adscri-
beretur.Factum ex muliere per carnis susceptionem. Fa-
ctum sub lege per obseruantiam legis. Generatio autem il-
la cœlestis ante legem, ista post legem.

Quod facturam vel creaturam dei filium dicant Arriani.

Caput VII.

VNde & illud vanè iactare consuerunt quod scri-
ptum est? Et deum eum & Christum fecit deus.
Imperiti legant totũ & intelligant. Sic enim scri-
ptum est:Et deum eum, & Christum fecit deus, Acto.2.
hunc Iesum quem vos crucifixistis:non diuinitas crucifixa,
D sed caro est. Hoc vtique fieri potuit quod potuit crucifigi.
Nõ ergo factura dei filius.Facessat igitur & illud de quo ca-
lumniari solẽt, & discant quemadmodũ dictum sit: Domi-
nus creauit me: nõ dixit, pater creauit, sed dominus creauit
me.Caro dominum cognoscit. Gloria patrẽ significat.Crea
tura nostra dominum cõfitetur.Charitas patrem nouit.Ita
que quis ignoret quia ob causam incorporationis hoc dici-
tur?In eo igitur se creatum dicit,in quo & hominem testifi
catur dicẽs:Quid me quæritis occidere hominem?In quo & Ioan.7.
crucifixus est,mortuus & sepultus est.Nec dubitandũ quod Prophetiæ
præteritum posuit quod erat futurum. Hæc enim consue- cõsuetudo.
tudo est prophetiæ, vt quæ futura sunt, vel quasi præsentia
vel quasi facta dicantur. Denique in Psal.xxj.legisti: Tauri
pingues obsederunt me. Legisti etiam: Diuiserunt sibi ve-
stimenta mea.Quod euangelista de tempore passionis pro
phetatum esse significat.Deo enim quæ sunt futura præsen-
tia sunt: & ei cui præcognita sunt omnia,ventura pro factis
sunt,sicut scriptum est:Qui fecit quę ventura sunt.Nec mi- 2.Timo.1
rum si

rum si ante secula fundatum se esse dicit, cùm legeris prædestinatum ante tempora secularia. Quam verum de incarnatione id videatur expressum, declarant sequentia. Sapientia, inquit, ædificauit sibi domum, & subdidit columnas septem, & inter duas hostias miscuit in cratere vinum suum. Prouer. 9. & parauit suam mẽsam, & misit suos seruos cõuocans eum altissima prędicatione dicens: Qui est insipiens, declinet ad me. Nonne in euangelio post incarnationem hæc omnia videmus esse completa? quod sacri cõuiuij celebrauit mysteria, quod apostolos misit, voce * clamauit dicẽs: Si quis sitit, * clara. veniat ad me, & bibat. Ergo sequentia respondẽt prioribus, Ioan. 7. & totius cursum incarnationis videmus prophetiæ expositione digestum. Multa alia documenta præsto esse possunt huiusmodi de incarnatione dicta videri. Sed non me inuoluo libris, ne tractatus videatur esse diffusior. Nunc ipsos Arrianos interrogo vtrum idem putent esse genitum quod creatum? Si enim idem dicunt, nihil vtique distat inter generare & creare. Ergo quoniam & nos creati sumus, inter nos & Christum, inter Christum & elementa nulla distantia est. Sed quanuis amentes sint, id tamen non audebunt dicere. Postremò vt insipientiæ eorum quod verum non est indulgeam: si nihil, vt putant, distat in verbo: cur non eum quem colunt, meliore appellant nomine? Cur verbo non vtuntur patris? Cur abiiciunt quod honorificentiæ est, assumunt quod iniuriæ? Si autem distat inter creatum & genitum, vt ego arbitror: cùm legerimus genitum, non vtique idem & genitum intelligemus & creatum. Dicant igitur generatum ex patre, ex virgine procreatum: aut dicant quomodo dei filius & genitus & creatus, vna natura, & maximè deus diuersitatem non recipit. Certè faceret nostra sententia. Paulum interrogemus, qui spiritu dei plenus has præuidens quæstiones, generaliter contra gentes, specialiter contra Arrianos locutus ait diuino iudicio eos esse damnatos qui seruirent Roman. 1. creaturæ potius quàm creatori. Denique sic habes: Tradidit illos deus in desideria cordis eorum, vt cõtumeliis afficiant corpora sua inter semetipsos, qui commutauerunt veritatẽ dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est deus benedictus in secula. Prohibuit itaque me Paulus creaturę seruire, sed Christo admonet seruiendum. Non ergo creatura Christus. Paulus, inquit seruus Iesu Christi. Bonus seruus qui dominum recognoscit, ipse creaturæ seruire nos prohibet. Quemadmodũ ergo Christo ipse seruiret, si creaturam Christũ putaret? Aut igitur desinant colere quem creaturam appellant, aut desinant quem colere se simulant, dicere creaturam, ne sub appellatione cultorum sacrilegia grauiora committant. Detestabilior enim domesticus hostis quàm extraneus, & grauius scelus aduersus Christum, cùm abutantur Christi nomine. Quem igitur meliorẽ interpretem quęrimus scripturarũ, quàm illum doctorem gentium, vas electionis, electum de persecutoribus, qui Iesum quem persecutus fuerat, fatetur? Legerat vtique Salomonem plus quàm Arrius, & erat peritus in lege: & ideo quia legerat, non creatum Christum di- Psal. 148. cit esse, sed genitum. Legerat enim. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mãdauit, & creata sunt. Nunquid dicto factus est Christus? Nunquid mandato creatus est Christus? Quomodo autem creatura in deo esse potest? Etenim deus naturæ simplicis est, non coniunctæ atque cõpositę, cui nihil accidat, sed solùm quod diuinum est, in natura habeat sua, complens omnia, nusquam ipse confusus, penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus, vbique totus, eodémque tempore vel in cœlo vel in terris vel in nouissimo maris præsens, visu incomprehensibilis, factu interpretabilis, sensu inæstimabilis, fide sequendus, religione venerandus, vt quicquid religiosius sentiri potest quicquid præstantius ad decorem, quicquid sublimius ad potestatem, hoc deo intelligas cõuenire. Ergo quia in filio conplacet pater, crede quia dignus patre filius. Crede quia ex deo exiuit filius, vt ipse testatur dicens: Ioan. 8. Ex deo processi & veni. Et alibi: A deo exiui. Qui ex deo Ioan. 16. processit, & à deo exiuit: nihil aliud potest habere nisi quod dei est. Vnde non solùm deus, sed etiam verus deus. Verus è vero, & adeo verus, vt ipse sit veritas. Itaque si nomẽ quæritimus, veritas est, Si maiestatem quęrimus naturalẽ, eo vsque filius dei verus est, vt & proprius. Scriptum est enim: Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Tradidit vtique secundum carnem. Proprietas diuinitatis est, veritas proprietatis, misericordia pietatis, oblatio securitatis. Sed ne calumniarentur quia scriptum est, Tradidit eum pater: ipse Apostolus alibi dixit: Pax à deo patre, & domino nostro Iesu Christo, qui se dedit pro peccatis nostris. Et alibi: Sicut Christus dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis. Si ergo & traditus est à patre, & ipse se tradidit, apparet vnam esse operationem, vnam esse patris & filij voluntatem. Si naturalem ergo maiestatem quærimus, genitus est. Qui genitum inficiatur, proprium negat. Qui proprium abnuit, communem cęteris arbitratur. Sin verò generationis ipsius proprietatem requirimus, ex deo exiuit. Nam cùm in vsu nostro id sit exire quod iam sit, & ex interioribus secretis prodire videatur quod exire perhibetur: angustis licet sermonibus proprietatem diuinæ generationis aduertamus, vt non ex loco aliquo videatur exisse, sed vt deus ex deo, filius ex patre. Nec videatur cœpisse ex tempore qui ex patre nascendo prodiit, vt dixit ipse qui natus est: Ex ore altissimi prodij. Sed si naturam non agnoscunt, si nõ credunt scripturis, vel operibus credant. Cui dicit pater: Faciamus hominem: nisi ei quem verum filium sciret? In quo nisi in vero suam imaginem recognosceret? Non est vnum adoptiuus & verus: nec filius diceret, Vnum sumus: si secum vero qui verus non erat, ipse conferret. Faciamus ergo, dicit pater: qui dixit, verus est. Potest ne ergo verus non esse ille qui fecit: & quod dicenti defertur, facienti negatur? Quomodo autem nisi verum filium sciret, committeret ei volũtatis suæ vnitatem, & operis viritatem? Cùm enim eadem faciat filius opera quę pater facit, & quos vult viuificet filius, sicut scriptum est, nec * differens potestate, & liber est voluntate: ita vnitas seruatur, quia & virtus dei in diuinitatis proprietate est, & libertas nõ in aliqua differentia, sed in vnitate est voluntatis. Turbati in freto Apostoli, licet adhuc non credentes corde, vbi primum sub pedibus domini lude re aquas, & inquieto maris æstu deambulantis domini super aquas intrepida videre vestigia, subitóque naui quæ fluctibus turbaretur, vbi eam tamen Christus ascendit, placida æquora, & elementa conspexere famulantia, verum dei filium crederunt dicentes: Verè dei filius es. Hoc idem centurio cum aliis qui secum erant, tremefactis mundi cardinibus in passione domini, cõfitẽtur, & tu hæretice negas. Centurio dicit: Verè filius dei erat iste. Erat, inquit, centurio: & Matth. 17. Arrianus dicit, non erat. Ille ergo generationis & veritatem & æternitatem asseruit, manu cruentus, sed mente deuotus. Tu hæretice veritatem generationis negas, tempus adscribis: vtinam manus potius quàm animũ cruentasses. Sed nec manu innocens, & mente feralis, quantum in te est mortem infers, qui infirmum opinaris. Imò, quod grauius est, etsi diuinitas vulnus sentire nõ possit, quod in te tamen est, maiestatem suam in Christo, nõ corpus interficere conaris. Verum igitur deum dubitare non possumus, quem verum dei filium & carnifices crediderunt, & dęmones fatebantur: quorum nunc non testimonia requiruntur, sed tuis tamen sacrilegiis præferuntur. Illos nominauimus vt erubescores, diuina quoque responsa adhibuimus vt crederes. Clamat dominus per Esaiam: Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum, quod benedicetur super terram, & benedicent deum verum: & qui iurant super terram, iurabunt per deum verum. Hæc dixit Esaias quando vidit maiestatem eius. Hoc in euangelio designatur, quod maiestatem viderit Christi, & locutus sit de eo. Accipe tamen quod etiam scripserit Euangelista Ioannes in epistola dicens: Scimus quo- 1. Ioan. 5. niam filius dei apparuit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus patrem, & simus in vero filio eius Iesu Christo. Hic est verus deus, & vita æterna. Verum Ioannes filium dei, & verum deum dicit. Ergo si verus deus, vtique non creatus, nihil fallax habens atque fucatum, nihil confusum atque dissimile.

Roman. 8.
Galat. 1.
Ephes. 5.
Ecclẽs. 24.
Genes. 1.
Ioan. 10.
* Indifferens.
Esaiæ 65.

Definitio patrum de fide. *Cap. VIII.*

Deus

DEus igitur ex deo, lumẽ de lumine, verus deus de deo vero, ex patre natus, non factus, vnius substãtiæ cum patre. Sic nempe nostri secundum scripturas dixerunt patres, qui etiam sacrilega dogmata ideo suis inserenda putauere decretis, vt Arrij perfidia ipsa se proderet, ne quasi fucis quibusdam & coloribus illita velaretur. Fucum enim faciunt qui non audent explicare quod sentiunt censoriè. Itaque impietas Arriana non expositione referatur, sed damnatione detegitur: vt qui curiosè gestit audire, prius damnatam cognoscere ne laberetur, quam expositam audiret vt crederet.

Expositio quæ Arrij perfidiam damnat. Cap. IX.

ECos, inquit, qui dicunt: Erat quando non erat, & antequam nascereturnõ erat: & qui ex nihilo factum, aut ex alia substantia vel ousia dicunt esse, aut mutabilem & conuertibilem dei filium, anathematizat catholica & apostolica ecclesia. Accepisti sancte imperator eos qui talia asserunt, iure damnatos, non humana industria, non compositione aliqua: sed trecenti decem & octo, vt supra dixi, episcopi ad conciliũ conuenerunt. Sed vt in numero eorum per signum suæ passionis & nominis dominus Iesus suo probaret se adesse concilio, crux in trecentis, Iesu nomen in decem & octo est sacerdotibus. Hoc & in Ariminensi concilio habuit prima cõfessio, & post Ariminense concilium secunda correctio. Epistola ad imperatorem Constantium missa testatur correctionem, secuta-
Ioan. 1. concilia confitentur. Arrius ergo dicit: Erat quando non erat: sed scriptura dicit, erat: non dicit, non erat. Denique Ioannes scripsit: In principio erat verbum, & verbũ erat apud deum, & deus erat verbũ, hoc erat in principio apud deum. Ecce quotiens erat, & nusquam dixit quod non erat. Cui ergo credimus: Ioanni in Christi pectore recumbenti, an Arrio inter effusa se sua viscera volutanti, vt agnoscerem us similem Iudę proditoris Arrij quoque fuisse perfidiã, quem similis pœna damnauit: effusa sunt enim & Arrij viscera.
Actuum. 1. Pudet dicere vbi, atque ita crepuit medius prostratus in faciem, ea quibus Christum negauerat fœda ora pollutus. Crepuit enim, sicut etiam de Iuda. Petrus apostolus dixit, quia possedit agrum de mercede iniustitiæ, & in faciem prostratus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius Nõ est fortuita mors vbi in sacrilegio pari pœnæ parile processit exemplum, vt idem subirent supplicium qui eundem dominum negauerunt, & qui eundem dominum prodiderũt. Veniamus ad alia. Arrius dicit: Antequam nascereturnon erat, sed scriptura dicit omnia esse per filium. Quomodo ergo aliis dedit esse, qui non erat? Cùm autem dicit impius, quando & antè, hęc vtique duo verba tempus ostendunt. Quomodo ergo negant tempus ante filium, & volunt prius fuisse quæ temporis sunt, cum idipsum, quando & antè & aliquando non fuisse, sit temporis? Arrius dixit ex nihilo dei filium, quomodo ergo dei filius? Quomodo paterno generatus ex vtero? Quomodo eructuatum ex corde verbum legitur, nisi vt ex intimo & inæstimabili patris intelligatur, vt scriptum est, prodisse secreto? Filius enim aut per adoptionem, aut per naturã est. Per adoptionẽ nos filij dicimur, ille per veritatem naturæ est. Quomodo ergo ex nihilo ille, qui
Ioan. 8. ex nihilo fecit omnia? Non habet filium qui nescit vnde sit. Denique nec Iudęi habebant filium, quia vnde esset nesciebant. Et ideo dixit his dominus: Nescitis vnde veni. Et infra: Neque me noscitis, neque patrem meum scitis. Qui enim negat ex patre filium, nec patrem ex quo est filius nouit, neque filium nouit qui patrem nescit. Arrius dicit: Ex alia substantia. Quæ igitur alia substantia æquatur dei filio, vt ex ipsa dei filius sit, aut quomodo reprehendunt quia nos in deo aut ousiam Græcè, aut Latinè substantiam dicimus, cum ex alia dicendo substantia deum esse filium, etiam ipsi substantiam dei esse confirment? Sed si de nomine substantiæ aut naturæ diuinæ voluerint dicere, facilè reuincuntur, quia & ousiam Græcè, & Latinè substantiam frequenter scriptura me
2. Petri. 1. morauit. Et Petrus vult nos, vt legimus, diuinæ consortes fieri naturę. Quod si ex alia substantia filium dicent, ipsi se reuincunt, & verbum substantiæ quod metuunt confitendo, & filiũ creaturis quibus prędicare se simulant* coæquabũt. Arrius dicit creaturam dei filium, non sicut cęteras creaturas. Quę enim creatura non sicut alia creatura est? Homo nõ vt angelus? terra non vt cœlum? sol non vt aqua? lumẽ nõ vt tenebræ? Nihil ergo prędicãdo donauit, sed ad simplices decipiẽdos, misero colore fraudem suę impietatis obduxit. Arrius dicit mutabilẽ & cõuertibilem dei filiũ. Quomodo ergo deus sit mutabilis, cùm ipse dixerit: Ego sum, ego sum & nõ sum mutatus? Verè nunc mihi propheticum illud est cõfitendũ, quod prophetaturus de domino prędmittit Esaias dicens: O miser ego & compuncto corde, qui cùm immunda labia habeam, in medio quoque populi inhabitem immunda labia habentis, vidi dominũ Sabaoth. Ergo si Esaias miserum se dicit, qui vidit dominum Sabaoth: quid ego de me dicam, qui cùm immunda labia habeam, cogor de dei gene
Psal. 38. ratione tractare? Quid igitur de iis quæ metuo, locuturus erumpo, cùm Dauid de iis quæ sciat, ori suo custodiam petat? O si mihi quoque vnum de Seraphim candẽtem illum carbonem quem de altari diuino sumpsit, vtriusque forcipe deferens testamenti, immunda adurat labia. Aut quia tunc Seraphim descendit in figura ad prophetam: tu autem domine reuelato mysterio ad nos in carne venisti, non per legatum, neque per nuncium, sed ipse per te, ab occultis meis
Psalm. 70. conscientiam meam mũdes, vt ego quoque dudum immundus, sed iam per tuam misericordiã fide mundus, illud Dauidicum canam dicens? Psallam tibi in cithara deus Israel, gaudebunt labia mea dum cãtauero tibi, & anima mea quã redemisti. Itaque domine calumniatores tuos & hostes relinquens, confer te ad nos, & sanctifica aures principis Gratiani, omniúnque præterea quorum in manus hic libellus venerit, vacuas mihi præsta, necubi auditæ perfidiæ sordes resident. Emunda ergo, emunda autem non fontanis poculis, nec fluuiali haustu, nec susurro prętermeantis riuuli, sed
Esaiæ 1. sermonibus ad vicem aquarũ operantibus, supra nitorem a quarũ perspicuis, & omni purioribus niue, illis vtique sermonibus quibus dixisti per Esaiam: Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, vt niuem dealbabo. Est etiam poculum quo secreta mentis mundare cõsuesti. Poculum non naturæ veteris, nec ex vite solẽni, sed poculum nouum de cœlo delatũ, in terra expressum ex illo botrione peregrino, qui sicut vua de vite, ita ille in carne crucis pependit è ligno. Ex hoc ergo botrione est poculum quod lætificat cor hominis, sobrietatem inebriat, crapulam fidei & veræ religionis exhalat, crapulam castitatis infundit. Hoc igitur poculo domine meus, domini aures Augusti mentis emunda, vt sicut poculo naturali homines inebriati quietem diligunt, timorem mortis expellunt, iniurias nõ sentiunt, aliena non quærunt, suorum obliuiscuntur, ita etiam poculo tuo crapulatus pacem diligat, & fidei exultatione securus mortem infide-
Matth. 19. litatis ignoret, patientiam charitatis exhibeat, sacrilegia aliena non teneat, fidem etiam pignoribus suis præferat, secundum quod scriptum est: Relinque omnia tua, & veni sequere me. Hoc poculo domine Iesu sensus etiam nostros dilue, vt te adoremus, te colamus visibilium & inuisibilium creatorem. Non potes ergo inuisibilis aut bonus non esse, qui id etiam tuis operibus contulisti.

* Confe-rendo.

Mala. 3.

Esaiæ 6.

FINIS.

CAPITA LIBRI SECVNDI DE FIDE.

Quòd Arriani bonum dei filium negent.	Cap. I.
De vero & bono dei filio.	Cap. II.
De omnipotenti dei filio.	Cap. III.
De domino maiestatis dei filio.	Cap. IIII.

DIVI

Diui Ambrosij MEDIOLANENSIS EPISCOPI de fide ad Gratianum Augustum Liber II.

PROLOGVS.

SAtis, vt arbitror, libro superiore sancte Imperator, edoctum est sempiternum esse deum dei filium, non dissimilem patri, genitum, non creatum. Deum quoque verum dei filium scripturam lectionibus approbauimus, & apertis maiestatis suæ indiciis designatum. Itaq; quanuis ista ad fidem copiosè redundantia sint, quod à fontis meatu magnitudo plerunque decurrentis fluminis æstimatur, tamen quo purius niteat fides, tripartita videtur deriuãda distinctio. Sunt enim euidentia indicia quæ proprietatem deitatis ostendũt: Sunt quæ similitudinẽ patris & filij: Sunt etiam quę perspicuam diuinæ maiestatis exprimunt vnitatem. Proprietatis itaque sunt, generatio, deus, filius, verbum. Similitudinis, splendor, character, speculum, imago. Vnitatis æternæ, sapientia, virtus, veritas, vita. Hęc indicia ita dei filium signant, vt ex his & sempiternum patrem esse cognoscas, nec ab eo filium discrepantem. Ex eo enim qui est generatio, ex sempiterno deus, ex patre filius, ex deo verbum, splendor glorię, character substrantię, speculum dei, maiestatis imago, de bono bonitas, de sapiente sapientia, de forti virtus, de vero veritas, de viuente vita. Concordant igitur patris & filij indicia, quibus non discrepare inter se, sed vnius maiestatis esse nemo dubitauerit. Quorum singulorum proferremus exempla nominum, nisi coartandi sermonis studio teneremur. His duodecim tanquam lapidibus preciosis fidei columna consurgit. Hi sunt enim precioſi illi lapides, sardius, iaspis, smaragdus, chrysolithus, & cæteti, quibus sancti Aaron, illius vtique qui figuram gessit Christi, veri scilicet vestimentum sacerdotis intexitur, circundati auro lapides, & sculpti de nominibus filiorum Israel, duodecim lapides sibi inuicem cohærentes. Nam si eos aliquis separet aut secernat, omnis fidei structura dissoluitur. Itaque principium fidei nostræ est, scire quòd genitus est dei filius. Si genitus non est, nec filius est. Nec satis est dixisse filium, nisi & vnigenitum filium designaueris. Si creatura est, deus non est: si deus non est, nec vita est: si non est vita, nec veritas est. Ergo tria illa, id est, generatio, filius, vnigenitus, principaliter & propriè indicant ex deo filium. Tria sequentia, id est, deus, vita, veritas, virtutem eius manifestant, qua condidit & fecit subsistere creaturam. In ipso enim viuimus, mouemur & sumus, sicut ait Paulus. Et ideo in illis tribus proprietas filij, in istis aliis paternæ ac filij operationis vnitas declaratur. Imago quoque & splendor & character dicitur dei filius, quia hæc incomprehensibilem & inuestigabilem paternæ diuinitatem maiestatis in filio, & expressam similitudinem reuelarunt. Hęc quoque tria videmus ad similitudinem pertinere. Reliquum est virtus, sapientia, iustitia: vt his singulis operationibus æternitas probaretur. Hoc igitur est illud vestimentum preciosis lapidibus adornatum, hîc veri amictus est sacerdotis, hæc vestis nuptialis, hic textus propheticus, qui bene nouerit ista contexere. Neque vilis ista textura est, de qua dominus dicit per prophetam: Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam? Nec communes isti lapides, lapides vt legimus supplementi. Omnis enim in eo perfectio est, si nihil desit lapidis compositi & circundati auro, intelligibili scilicet natura. Si eos bene mens nostra componat, naturalisque sensus probabili ratione conpaginet. Denique quàm non mediocres lapides sint, lectio docet: quod cùm alij alia viliora deferrent, istos tamen lapides super humeros suos religiosi principes attulerunt, ex quibus fecerunt rationale opus textile. Textile enim opus est quãdo fidei facta concordant. Nec me aliquis errare putet, quia supra tripertitã de quaternis, subtet vero quadripertitam de ternis feci distinctionẽ. Boni operis gratia per diuersas plus placet formas. Bona enim & illa quæ textrinũ indumenti sacerdotalis ostendit, vel lex scilicet, vel ecclesia, quę binas vestes fecit viro suo, sicut scriptum est, vnã operis, alteram mẽtis, fidei intexens factorúmque valamina. Itaque alibi, sicut legimus, aurũ prætexit, & postea hyacinthum ac purpuram cum cocco subiungit & byssо. Rursus alibi ex hyacintho & cæteris prius flosculos format, aurumque subnectit, & vnus est habitus sacerdotis, vt iisdem coloribus micans, gratiæ decorísque diuersitas, ordinis diuersitate resplendeat. Itaque vt etiam rationis typicæ * serie designatur, auro & argento probabili non est dubium eloquia domini designari, quibus fides constat. Scriptum est enim: Eloquia domini eloquia casta, argentũ ingne examinatum, probatum, terræ purgatum septuplum. Hyacinthus autem aeris habet similitudinem, quẽ spiramus, & cuius carpimus flatum. Purpura quoque speciem aquarum exprimit. Per coccum ignis intelligitur, terra per byssum, hæc enim ex terra gignitur. Ex his autem quatuor elementis corpus subsistit humanum. Siue ergo mentis fidei præcedente concinentia, corporis facta subnectas: siue facta pręcedant, & fides astipuletur comes religiosa factorũ, hic religiosi ornatus antistitis, hoc velamen est sacerdotis. Bona ergo fides, cum pulchro operum renitet ornatu: de qua vt ad summam loquar, definitiones istę sunt, quæ non queunt solui. Si ex nihilo est, non est filius. Si creatura est, non est creator. Si factura est, non est omnium factor. Si discens, non pręcognitor. Si accipiens, nõ est perfectus. Si proficiẽs, non est deus. Si dissimilis, nõ imago. Si per gratiã, non per naturam. Si bonitatis expers, author malitiæ. Nemo bonus nisi vnus deus.

* series designatur.

Psalm. 11.

Matth. 19.

Quòd Arriani bonum filium dei negent. Cap. I.

STupeo itaque ad reliqua sancte Imperator, & toto corpore animóque deficio, esse aliquos homines, vel potius nõ homines, sed humana adopertos specie, intus autẽ dementiæ bestialis, qui post tãta domini & tam diuina beneficia bonũ negent esse authorẽ bonorum. Scriptũ est, inquiũt: Nemo bonus nisi vnus deus. Scriptũ est, agnosco, sed litera errorẽ non habet, vtinam Arriana interpretatio non haberet. Apices sine crimine sunt, sensus in crimine. Dictũ domini saluatoris agnosco. Sed consideremus quãdo dicat cui dicat, qua circunspectione dicat. Dicit vtique in hominis forma dei filius, & dicit scribæ, ei scilicet qui magistrũ bonum dei filium nominaret, deum negaret, quod ille non credidit, Christus adiungit vt dei filium non vt bonum magistrum, sed vt bonum deũ credat. Nam si vbi vnus deus dicitur, nequaquã tamen dei filius à diuinitatis plenitudine separatur: quomodo vbi vnus deus bonus nuncupatur, à plenitudine diuinę potestatis vnigenitus excluditur? Necesse est igitur aut deũ negent dei filiũ, aut deum bonum esse fateantur. Et ideo circunspectione cœlesti non dixit: Nemo bonus nisi vnus pater, sed nemo bonus nisi vnus deus. Pater enim proprium generantis est nomẽ, deus autẽ vnus est, nequaquam deitatẽ trinitatis excludit, & ideo natura laudatur. Bonitas ergo in natura est dei, & in natura dei etiã dei filius. Et ideo nõ quod singularitatis, sed quod trinitatis est prędicatur. Nõ igitur à domino bonitas negatur, sed talis discipulus refutatur. Nam cùm scriba dixisset: Magister bone: respondit dominus: Quid me dicis bonum? id est, quem deum nõ credis? Non est satis vt bonum dicas. Non tales ego quæro discipulos qui me magis secundum hominem magistrum bonum quàm secundum diuinitatem deum bonum credant. Sed nolo prærogatiua naturæ suę & priuilegio potestatis vtatur. Non dicatur bonus, si nõ meretur à nobis. Si hoc non meretur operibus, si beneficiis non meretur, abdicetur suæ iure naturæ, subdatur nostro iudicio. Qui iudicaturus de nobis est, non dedignatur iudicari, vt iustificetur in sermonibus suis, & vincat cum iudicatur. Hiccine ergo non bonus, qui bona tribuit mihi? Hiccine non bonus, qui cùm sexcenta milia populi Iudæorum persecutoribus suis cederent, dehiscentẽ subitò rubri maris æstum indiuidua aquarum mole diuisit,

Marc. 10.

Psalm. 50.

Psalm. 12.

diuisit,vt fideles circunfusa vnda muniret,infidos refusa de
Nume. 20. mergeret?Hiccine non bonus, cuius imperio maria solida-
ta fugientibus,saxa humefacta sitientibus,vt opus veri agno
sceretur authoris,cùm humor rigesceret, petra inundaret?
1.Cor.10. Quod vt agnosceres opus Christi,Apostolus dixit:Petra au-
tem erat Christus. Hiccine non bonus, qui tam innumera
Psalm. 77. populi milia, ne qua incesseret fames, in deserto pauit pane
Sapien.16 cœlesti,sine vsu laboris,cum fructu quietis,ita vt eorum per
quadraginta annos nec vestimenta veterascerent,nec calce
amenta tererentur,instar fidelibus futuræ resurrectionis o-
stendens, quod nec factorum decora splendidorum, nec
circunfusæ virtutis nitor, nec vitæ cursus periret humanæ.
Hiccine non bonus, qui nobis cœlum fecit esse quod terra
est, vt sicut in cœlo quasi in speculo quodam,stellarum lu-
centium refulgent globi, ita etiam Apostolorum & marty-
rum & sacerdotum vice stellarum splendentium toto illu-
cescerent chori mundo? Ergo non solùm bonus, sed etiam
pastor bonus,hoc est,non sibi tantum,sed etiam ouibus suis
Ioan. 10. bonus..Bonus enim pastor animam suam ponit pro ouibus
suis.Posuit planè animam suam,vt nostram leuaret.Sed pro
Ibidem. diuinitatis potestate posuit & sumpsit,sicut scriptum est:Po
testatem habeo ponendi animam meam,& potestatem ha-
beo sumendi eam.Nullus eam tollit à me, sed ego à meme-
ipso pono eam.Vides bonitatem,quia sponte posuit:vides
potestatem,quia sumpsit.Et tu bonum negas,cùm ipse de se
Matth. 20. in euangelio dixerit, Si ego bonus,quare oculus tuus ne-
quam?Ingrate,quid agis?Bonum negas per quem bona spe
Esaiæ 64. ras,si tamen credas? Bonũ negas qui dedit nobis quæ ocu-
1. Cor.2. lus non vidit,nec auris audiuit?Nec in bonum credam?Bo-
num est enim confiteri domino.Mihi expedit vt domino cõ
Psalm. 117. fitear. Scriptum est enim: Confitemini domino, quoniam
bonus.Mihi expedit vt iudicem meum bonum arbitrer.Do
minus enim bonus iudex domui Israel.Ergo si iudex, dei fi
lius vtique:quoniam iudex dominus,& deus bonus est. Iu-
dex autem dei filius est, & deus bonus iudex dei filius. Si
fortasse non credas aliis, non credas filio:audi patrem dicẽ-
Psalm. 44. tem:Eructauit cor meum verbum bonum.Bonum ergo ver
Ioan. 1. bum est verbum hoc de quo scriptum est, Et verbũ erat a-
pud deum,& deus erat verbum.Ergo si verbum bonum est,
filius autem dei verbum est : bonus vtique deus est dei fili-
us,etiam sinon placeat Arrianis. Erubescant aliquando. Iu-
Ioan.7. dei dicebant: Bonus est:etsi alij dicebant,non est:alij dice-
bant tamen,bonus est,& vos omnes bonum negatis.Bonus
est,qui peccatum vnius donat,& bonus non est,qui pecca-
Ioan.1. tum mundi abstulit: De ipso enim dictũ est,Ecce agnus dei,
ecce qui tollit peccatum mundi.Sed quid dubitamus?Cre-
Cantic.1. didit iam Ecclesia bonum, & confessa est dicendo: Oscu-
letur me ab osculo oris sui,quoniam bona vbera tua super
Cantic. 7. vinum. Et alibi, Et fauces tuæ tanquàm vinum optimum.
Bonus ergo ille nos legis & gratiæ nutriuit vberibus,cœle-
sti curas hominum prædicatione demulcẽs. Et nos bonum
negamus,cùm sit imago bonitatis,exprimens æternæ in se-
Sapien.7. bonitatis effigiem?sicut & supra ostendimus scriptum,quia
ipse est speculum sine macula, & imago bonitatis illius.

De vero & bono deo dei filio. Cap. II.

SEd quid vobis videtur,qui bonum & verum deũ
dei filium denegatis,cùm scriptum sit,quòd nul-
1. Corin.8. lus deus nisi vnus?Nam & si sunt qui dicãtur dii,
an inter eos Christum annumeratis qui dicũtur
& non sunt?cùm speciale sit eius,vt semper sit,& prẽter ip-
sum bonus & verus alius deus non sit : quoniam in ipso est
deus:speciale autem etiam patris sit, vt post ipsum verus a-
lius deus non sit,quia vnus deus.Nec iuxta Sabellianos pa-
trem filiúmque confundens, nec iuxta Arrianos patrem fi-
liúmque secernens. Pater enim & filius distinctionem ha-
bent,vt pater & filius separationem diuinitatis non habent.

De omnipotente dei filio. Caput III.

ITaque cùm verus & bonus dei filius,vtique om
nipotens deus dei filius.Num hinc quoque du-
Exod.15. bitari potest?Supra diximus lectũ quia deus om
nipotẽs nomen est ei. Ergo quia filius dominus,
dominus autem omnipotens:omnipotens est dei filius.Sed
Apoca.1. accipe etiam eam de qua dubitare nequeas lectionem.Ecce

A venit,inquit,cum nubibus, & videbit eum omnis oculus,&
qui eum cõpunxerunt, & plangẽt se super eum omnes trib⁹
terræ,etiam amen.Ego sum alpha &o,dicit dominus Iesus,
qui est,& qui erat, & qui venturus est omnipotens. Quem
igitur compunxerunt, & quem speramus esse venturũ, nisi
filium dei ?Ergo omnipotens dominus & deus etiam Chri-
stus est.Accipe aliud sancte Imperator, accipe Christum lo
quentem.Hęc dicit dominusomnipotens:Posthonorem mi Zacha. 2.
sit me super gentes quæ deprędauerunt vos : quoniam qui
tãgit vos,quasi qui tangit pupillam oculi eius. Quia ecce e-
go iniicio manum meam super eosqui deprædauerunt vos,
& erunt in prędam qui prædauerunt eos, & scient quia do-
minus omnipotens misit me, Vtique qui dicit, dominus est
omnipotens:& qui misit,dominus est omnipotens.Ergo &
patris & filij omnipotentia, sed tamen deus vnus omnipo-
tens,quia vnitas potestatis est.Atque vt scias Imperator Au-
guste Christum esse qui loquutus est & in prophetis & in
Euãgelio,tanquam in prędestinatione Euangelij per Esaiam
dicit:Ipse qui loquebar,assum:hoc est, assum in Euangelio Esaiæ 52.
B qui loquebar in lege. Deinde alibi, Omnia quæ pater ha- Ioan.16.
bet,mea sunt.Quę sunt omnia?Non vtique loquutus est de
creatis:hęc enim omnia facta sunt per filium.Sed ea quæ pa
ter habet,id est,æternitatem, maiestatem,diuinitatẽque na-
scendo possidet. Ergo cum qui omnia habet quę pater ha-
bet,(scriptum est enim:Omnia quæ pater habet, mea sunt)
omnipotentem esse dubitare non possumus.Nec vereor,ne
quia scriptũ est de deo, Beatus & solus potens ne, ab eo dei 1.Timo.6.
filius separetur,cùm scriptura deum solum potentẽ dixerit,
non patrem solum,& ipse de Christo deus pater asserat per
prophetam,Posui adiutoriũ super potentem.Non ergo pa- Psalm.88.
ter solus potens,sed potẽs etiam dei filius.In patre enim lau-
datur & filius.Certè ostẽdat aliquis quid sit quod non possit
dei filius. Quis ei adiutor cũ cœlum faceret,fuit? Quis ad-
iutor cùm conderet mundum? An qui in constitutione an
gelorum & dominationum adiutore non eguit, eguit vt hõ
minem liberaret? Scriptum est, inquiunt, Pater si possibile Matth.26.
est, transfer à me calicem hunc. Et ideo si omnipotens est,
C quomodo de possibilitate ambigit? Ergo quia omnipoten-
tem probaui,probaui vtique ambigere eum de possibilitate
non posse.Verba,inquis,Christi sunt.Verum dicis.Sed quã-
do & in qua forma loquatur aduerte.Hominis substantiam
gerit,hominis assumpsit affectũ. Denique supra habes quia
progressus pusillum procidit in faciem suam,orans & dicẽs:
Pater,si possibile est,transeat à me calix iste.Non ergo qua-
si deus, sed quasi homo loquitur. Deus enim possibile ali-
quid aut impossibile nesciebat? Aut aliquid impossibile deo,
cùm scriptum sit:Impossibile enim tibi nihil est. De quo au
tem dubitat,de se,an de patre?De eo vtique cui dicit, trans-
fer : dubitat hominis affectu.Ergo propheta non putat ali-
quid impossibile deo. Propheta non dubitat, & filium du-
bitare tu credis?Num intra homines constitues deum?Et du
bitat de patre deus,& de morte formidat? Timet ergo Chri
stus : & dum Petrus non timeat, Christus timet?Petrus di- Ioan.13.
cit, Animam meam pro te ponã.Christus dicit, Anima mea Ioan. 12.
turbatur.Vtrunque verum est, & plenum vtrunque ratio-
nis, quod & ille qui est inferior,non timet : & ille qui supe
D rior est, gerit timentis affectum. Ille enim quasi homo vim
mortis ignorat,iste quasi deus in corpore constitutus fragi-
litatem carnis exponit, vt eorum qui sacramentum incar-
nationis abiurant, excluderetur impietas. Denique & hęc
dixit, & Manichęus non credidit, Valentinus negauit,Mar-
cion phantasma iudicauit.Eoúsque autẽ hominem quem in
veritate corporis demonstrabat, æquabat affectu, vt dice- Matth.26.
ret,Sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis: cùm vti-
que similiter sit Christi velle quod pater vult, cuius simili-
ter est facere quod pater facit. Quo loco etiam illa vestra
quęstio conticescit,quam soletis obiicere, quia dixit domi-
nus,Non sicut ego volo,sed sicut tu vis.Et alibi:Ad hoc de- Ioan.6.
scendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed vo-
luntatem eius qui me misit. Ergo vt quasi interpositis ple-
nioris expositionis pauliſper induciis, cur dixerit si possi-
bile est,volũtatis interim liberę dominum fuisse doceamus.
In tantum processistis impietatis, vt negetis quòd filius dei
liberæ

liberæ voluntatis sit. Ac certè soletis etiam sancto spiritui
Ioan.3. derogare, & negare non potestis scriptum esse: Spiritus vbi
vult spirat. Vbi vult, inquit, non vbi iubetur. Ergo si spiritus
vbi vult spirat, filius quod vult non agit? Et certè idem dei
filius in Euangelio suo dicit vbi velit spirandi suppetere spi-
ritui facultatem. Nunquid ergo superiorem fatetur, quia illi
1.Cor.12. licet quod sibi non licet? Apostolus quoque dicit quia om-
nia operatur vnus atque idem spiritus, diuidēs singulis pro-
ut vult. Prout vult, inquit, hoc est, pro liberæ voluntatis ar-
bitrio, non pro necessitatis obsequio. Et diuidit spiritus non
mediocria, sed quæ deus consueuit operari, gratiam curati-
onum, & operationem virtutum. Ergo diuidit spiritus pro-
ut vult, filius dei non liberat quem vult? Sed audi etiam ip-
sum agere quod vult. Dixit enim: Vt faciam voluntatem tu
Psal.39. am deus meus volui. Et alibi: Voluntariè sacrificabo tibi. Sci
Psal.53. uit sanctus Apostolus Petrus Iesum in potestate habere quę
vellet, & ideo quum videret ambulare eum supra mare, ait:
Matt.14. Domine si tu es, iube me venire ad te super aquam. Petrus
credidit quia si Christus iubeat, naturę possit conditio mu-
tari, vt humanis se subiiciat vnda vestigiis, & discrepantium
naturarum possit conuenire concordia. Petrus poscit vt iu-
beat, non vt roget Christus. Christus non rogauit, sed iuss-
sit, & factum est: & Arrius contradicit? Quid est tamē quod
Ioan.5. pater velit, & filius nolit: aut filius velit, & pater nolit? Pater
quos vult viuificat, & filius quos vult viuificat, sicut scri-
ptum est, Dic nunc quos viuificauerit filius: & pater viuifi-
care noluerit? Cùm autem filius quos velit viuificet, & ope-
ratio vna sit: vides quia non solùm filius voluntatem patris,
sed etiam pater filij faciat voluntatem. Quid est autem vi-
uificare nisi per filij passionem? Passio autem Christi, volun
tas est patris. Quos ergo filius viuificat, per patris viuificat
voluntatem. Vna igitur est voluntas. Quæ autem voluntas
patris, nisi vt veniret Iesus in hunc mundum, & nos mun-
Matt.8. daret à vitiis? Audi leprosum dicentem: Si vis, potes me mun
dare. Respondit Christus, Volo: & statim sequutus est effe-
ctus sanitatis. Vides quia filius arbiter suæ voluntatis est, &
Christi voluntas eadem quæ paterna est: quanquàm cùm di
Ioan.16. xerit: Omnia quæ pater habet, mea sunt: sine dubio quia ni
hil excipitur: quam pater habet, eandem habet & filius vo
luntatem. Vna ergo voluntas, vbi vna operatio. In deo enim
vna voluntatis series, operationis effectus est. Sed alia vo-
luntas hominis, alia dei. Denique vt scias vitam in voluntа-
te esse hominis, quia mortem timemus: passionē autē Chri-
sti in voluntate diuina, vt pateretur pro nobis: cum Petrus
Matth.16. dominum vellet à passione reuocare, dominus ait: Nō sapis
ea quę dei sunt, sed quę sunt hominum. Suscepit ergo vo-
luntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confidenter tri-
stitiam nomino, quia crucē prædico. Mea est uolūtas quam
suam dixit, quia vt homo suscepit tristitiam meam, vt homo
Matth.26. loquutus est. Ideo ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.
Mea est tristitia, quam nemo suscepit affectu. Nemo enim
moriturus exultat. Mihi compatitur, mihi tristis est, mihi do
let. Ergo pro me & in me doluit, qui prose nihil habuit quod
doleret. Doles igitur domine Iesu, non tua sed mea vulnera,
non tuam mortem, sed nostram infirmitatem, sicut ait pro-
Esaiæ 53. pheta: Quia pro nobis dolet. Et nos domine æstimauimus
te esse in doloribus, cùm tu non pro te, sed pro me doleres.
Et quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro vno fleuit?
Quid mirū si moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum
Ioan.11. resuscitaturus illachrymat? Verum & ibi piæ sororis lachry-
mis commouetur, quia mentem humanam tangebat: & hic
alto operatur effectu, vt sicut mors eius mortem abstulit, li
uor eius vlcera nostra curauit: ita etiam mœrorem nostrum
mœror eius aboleret. Vt homo ergo dubitat, vt homo tur
batur. Non turbatur virtus, non turbatur eius diuinitas, sed
turbatur anima, turbatur secundum humanæ fragilitatis as-
sumptionem. Et ideo quia suscepit animam, suscepit & ani-
*Psalm.21. mæ passiones. Non enim eo quod deus erat, aut turbari aut
Matth.27. mori posset. Denique, deus deus, inquit, meus, quare me de-
reliquisti? Vt homo ergo loquitur, meos circunferens me-
tus, quod in periculis positi à domino deseri nos putamus.
Vt homo turbatur, vt homo flet, vt homo crucifigitur. Sic
Galat.5. enim & Apostolus Paulus dixit: Quia Christi carnem cru-

A cifixerunt. Et alibi apostolus Petrus ait: Christo passo secun 1.Petr.4.
dum carnem. Caro igitur est passa, diuinitas autem mortis
libera, passioni corpus, naturæ humanæ legi concessit. An
verò mori diuinitas potest, cùm anima non possit? Nolite, Matth.10.
inquit, timere eos qui corpus possunt occidere, animam au-
tem non possunt. Si ergo anima occidi non potest, quomo
do diuinitas potest?

De domino maiestatis dei filio. Cap. IIII.

VNde illud quod lectū est dominū maiestatis
crucifixum esse, non quasi in maiestate sua-
crucifixū putemus: sed quia idē deus, idē ho
mo: per diuinitatē deus, per supsceptionem
carnis homo Iesus Christus: dominus maie-
statis dicitur crucifixus, quia cōsors vtriusque naturę, id est
humanę atque diuinę, in natura hominis subiit passionem,
vt indiscretè & dominus maiestatis dicatur esse qui passus
est, & filius hominis, sicut scriptū est, qui descendit de cœlo.
Per naturā igitur hominis & dubitauit & tęduit & resurre-
xit. Quod enim cecidit, hoc resurrexit per naturā hominis.
B Dicit etiam illud de quo calumniari solent, quia dictum est:
Vado ad patrem, quoniam pater maior me est. Quomodo Ioan.14.
vadit nisi per mortem, & venit nisi per resurrectionem? De-
nique addidit, vt de assumptione se dixisse signaret: Propte-
rea dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis.
Loquebatur enim passionem sui corporis & resurrectionē,
per quam credere cœperant qui ante dubitabant. Neque e-
nim deus de loco ad locum transit: qui vbique semper est.
Vt homo est qui vadit, ipse est qui venit. Denique & alibi di
cit: Surgite eamus, inquit. In eo ergo vadit & venit, quod
est cōmune nobiscum. Nam quomodo potest minor esse
deus, cùm deus perfectus & plenus sit? Sed minor in natura
hominis: & miraris si ex persona hominis patrem dixit maio
rem, qui in persona hominis se vermē dixit esse, non homi
nem? Dixit enim: Ego autem sum vermis, & nō homo. Et a-
libi: Sicut ouis ad occisionem ductus est. Si in hoc minorem Psalm.21.
dicis, negare non possum. Sed vt verbo vtar scripturę, non Esaiæ 53.
minor natus, sed minoratus est, hoc est, minor factus est.
C Quomodo autem minor factus, nisi quia cùm in forma dei Philip.2.
esset, nō rapinam arbitratus est esse se æqualē deo, sed seme
tipsum exinaniuit? Non amittens vtiq; quod erat, sed assu-
mens quod non erat, quia formā serui accepit. Denique vt
sciremus persuscеptionem corporis minoratum, de homine
Dauid prophetauit, dicēs: Quid est homo quod memores e- Psalm.8.
ius, aut filius hominis, nisi quia visitas eū? Minorasti eū pau-
lominus ab angelis. Hoc ipsum interpretatus Apostolus, ait:
Nā paulominus minoratum ab angelis videmus Iesum pro- Heb.2.
pter passionem mortis, gloriam & honore coronatū, vt sine
deo pro omnibus gustaret mortē. Non solùm ergo à patre,
sed etiam ab angelis minor filius dei factus est. Et si hoc ad
prę iudicium trahis: num ergo filius in natura dei minor est,
quàm sui angeli qui ei seruiūt & ministrāt? Ita dum minorē
vultis asserere, inpietatem incurritis, vt angelorum naturam
dei filio prę feratis. Sed non est seruus supra dominum suū. Matth.10.
Denique & in carne constituto angeli ministrabant, vt nihil Matth.4.
ei agnoscas per naturā * corporis imminutum. Neq; enim *hominis.
D deus sui pati potuit detrimentum: cùm id quod adsumpsit
ex virgine, nec accessio diuinæ nec deminutio potestatis sit.
Non est ergo secundum diuinitatem minor, qui plenitudi
nem habet diuinitatis & gloriæ. Maior enim & minor in iis
quæ corporalia sunt, distingui solent. Aut statu maior, aut
plenitudine, aut certè ætate: vacant enim ista vbi de diuinis
tractatus inducitur. Maior etiam vulgo dici solet qui aliquē
instituit & informat. In dei autem sapientia non cadit vt in
stituta sit alterius disciplinis, cùm ipsa disciplinarū omnium
tradiderit institutum. Quam bene autem posuit Apostolus,
quòd sine deo pro omnibus gustauerit mortem, ne diuini- Hebr.2.
tatis illam passionem putaremus fuisse, non carnis. Ergo si
non inuenerūt quemadmodum possent probare maiorem,
non verbis calumnientur, sed verborum rationem requi-
rant. Ego illos interrogo: quo putant esse maiorem, si quia
pater est, eò maiorem putant, Sed non hīc ætas & tempus,
neq; canities patris, & filij pueritia est. Hæc enim maiorem
solent facere patrem, Cęterùm pater & filius, generantis &
nati

nati nomina sunt, quæ non videntur separare, sed iungere. Non enim pietas naturæ detrimentũ est, Nanque homines sibi inuicem conciliat necessitudo, non separat. Itaque si nec de natura afferre possunt aliquam quęstionem, vel testimoniis credant. Denique filium non esse eo minorem quia filius est, Euangelista testatur, & æqualem esse quia filius est,
Ioan.5. ipse significat dicens: Propterea enim volebant eum occidere Iudæi, quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrẽ proprium dicebat deum, æqualem se faciens deo. Non Iudæi hoc dicunt, sed euangelista testatur, quod æqualem se faciebat deo, proprium se filium dei dicens: Non enim scri
Ibidem. ptum est ex persona Iudæorum dicentium: Propterea volebant eum Iudæi occidere, sed Euangelista ex sua persona dicit: Propterea enim volebant illum Iudæi occidere. Et interpretatus est causam, Ideo Iudæos ad necem eius esse commotos, quod cùm & sabbatum quasi deus solueret, & deum patrem sibi proprium vindicaret, non solùm in solutione sabbati maiestatem diuinę potestatis, sed etiã in patris proprij nomine ius sibi æternæ æqualitatis asciscceret. Quibus aptissimè respondit dei filius, vt & dei se filium, & ęqua
Ioan.5. lem probaret. Quæcunque, inquit, pater fecerit, eadem & filius facit similiter. Filius igitur patri & dicitur & probatur æqualis. Bona æqualitas, quæ & differentiam diuinitatis excludit, & cum filio patrem signat, cui filius sit æqualis. Non est enim diuersa nec singularis æqualitas, quia nemo æqualis ipse sibi solus est. Ergo Euangelista interpretatus est quid sit proprium filium dei se dicere, hoc est, æqualem se facere
Philip.2. deo. Vnde id sequutus Apostolus dixit: Non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo. Quod enim quis non habet, rapere conatur. Ergo non quasi rapinam habebat æqualitatem cum patre, quam in natura sui tanquam deus & dominus possidebat. Vnde addidit, Formam serui accepit. Contrarius vtique seruus æquali. Aequalis ergo in dei forma, minor in susceptione carnis, & hominis passione. Nam quomodo eadem posset minor esse æqualisque natura? Quomodo autem si minor est, eadem similiter facit quæ pater facit? Nam quemadmodum eadem operatio diuersę esset potestatis? Nunquid sic potest minor quemadmodum maior operari, aut vna operatio potest esse vbi diuersa substantia est? Itaque accipe Christum secundum diuinitatem minorem
Gene.22. non posse dici. Ipse loquitur ad Abraham: Per meipsum iuraui. Ostendit autem apostolus eum qui iurauit per
Hebr.6. se, minorem esse non posse. Itaque sic ait: Abrahæ cùm repromisisset deus, quoniam nullum alium maiorẽ habebat, iurauit per seipsum, dicens: Nisi benedicendo benedixero te, & multiplicando multiplicauero te. Ergo maiorem non habuit Christus, & ideo per se iurauit. Et bene addidit: Homines enim per maiorem iurant, quia homines maiorem habent, deus non habet. Aut si volunt de patre dictum videri, reliqua non cohęrent. Neque enim pater visus est Abrahę, & deo patri pedes lauit, sed in eo futuri hominis est fi-
Ioan. 8. gura. Denique dei filius dixit: Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Ipse est ergo qui per se iurauit, quem Abraham vidit. Et reuera quomodo maiorem habet, qui diuinitate cum patre vnum est? Quod enim vnum est, dissimile non est. Inter maiorem autem minorèmque discretio est. Ergo de filio & de patre prędentis docet lectionis exemplũ, quia nec pater minorem habet, nec maiorem dei filius, cùm in patre & filio nulla distantia diuinitatis sit, sed vna maiestas. Nec illud sanè metuo quod solent obtendere minorem esse quia missus est. Si enim & minor non docetur, & honorificentię docetur æqualitas, cùm ita omnes honorificent filium sicut honorificant patrem, constat eo minorem non esse qui missus est. Non ergo humani sermonis angustias, sed verborum charitatem intuere, operibns crede. Considera quia dominus noster Iesus Christus in Esaia loquutus est, ab spiritu sancto esse se missum. Nunquid ergo spiritu minor filius quia missus ab spiritu est? Habes igitur scriptũ
Esaiæ 48. quod filius à patre & spiritu eius dicat esse se missum. Ego sum, inquit, primus, & ego in æternum, & manus mea fundauit terram, dextera mea solidauit cœlum. Et infra: Ego loquutus sum, ego vocaui, ego adduxi eum, & prosperum iter eius feci. Accedite ad me, & audite hæc, non in occulto ab initio locutus sum. Cùm fierent, illic eram: & nunc dominus misit me, & spiritus eius. Vtique qui cœlum fecit & terram, ipse dicit à domino & spiritu eius esse se missum. Videte ergo quod simplicitas sermonis, non iniuria missionis sit. Ipse igitur missus à patre, ipse est missus ab spiritu. Et vt agnoscas nullam maiestatis esse distantiam, etiam filius spiritum mittit, sicut ipse dixit: Cùm venerit autem paracle Ioan.15.
tus quem ego mittam vobis à patre meo, spiritum veritatis, qui à patre meo procedit. Hunc eundem paracletum & à patre esse mittendum supra posuit, dicens: Paracletus au- Ioan.14.
tem spiritus ille sanctus, quem mittet pater in nomine meo. Vide vnitatẽ, quia quem deus pater mittit, mittit & filius. Et quem mittit pater, mittit & spiritus. Aut si volunt filium missum, quia dexteram patris filium legimus, ipsi de patre quod de filio abnuunt, fatebuntur: nisi fortè aut alterum sibi patrem, aut alterum sibi filium inueniant Arriani. Sileant igitur inanes de sermonibus quęstiones, quia regnum dei, sicut scriptum est, non in persuasione verbi est, sed in 1.Cor.4.
ostensione virtutis. Seruemus distinctionem diuinitatis & carnis: vnus in vtraque loquitur dei filius, quia in eodem vtraque natura est. Et si idem loquitur, non vno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam dei, nunc hominis passiones, quia quasi deus loquitur quæ sunt diuina, quia verbum est: quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur. Hic est panis viuus, qui descendit de cœlo. Panis hic caro est, sicut ipse dixit: Hic panis Ioan.6.
quem ego dabo, caro mea est. Hic est qui descendit, hic est quem pater sanctificauit, & misit in hunc mundum. Hęc ipsa litera nos docet, sanctificatione non diuinitatem eguisse, sed carnem. Denique ipse dominus dixit: Et ego memetipsum sanctifico pro ipsis: vt agnoscas quod & sanctificatur in carne pro nobis, & diuinitate sanctificat. Hic idem est Galat.4.
quem pater misit, sed factum ex muliere, factum sub lege, ut Apostolus dixit. Hic est qui ait: Spiritus domini super me: Luc.4.
propter quod vnxit me: euãgelizare pauperibus misit me. Hic est qui dicit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me Ioan.7.
misit. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina vtrum ex deo est, an ego à meipse loquar. Alia ergo ex deo doctrina, alia ex homine. Itaque Iudæi cùm doctrinam eius secundum hominem quęrerent vt dicerent, Quo modo hic literas nouit, cùm non didicerit? respondit Iesus & dixit: Mea doctrina non est mea. Nam cùm sine eruditio Ibidem.
ne literarum doceat, non quasi homo, sed potius vt deus videtur docere, qui doctrinam non didicerit, sed inuenerit. Adinuenit enim omnem viam disciplinæ, vt supra lectum est. Nam vtique de filio dei dictum est: Hic est deus noster, Baruch.3.
& non ęstimabitur alius ad eum, qui adinuenit omnem viam disciplinæ. Post hęc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Quomodo ergo secundum diuinitatem doctrinam suam non habet, qui adinuenit omnem viam disciplinę antequam videretur in terris? aut quomodo minor, de quo dictum est: Non ęstimabitur alius ad eum? Vtique incomparabilis dicitur, ad quem nemo alius æstimari potest. Sed ita incomparabilis, vt & patri nequeat anteferri. Quod si de patre dictum putant, impietatem Sabellij non euadent, vt patri susceptionem humanæ carnis attribuant. Prosequamur sequentia. Qui à semetipso, inquit, loquitur, Ioan.7.
gloriam suam quærit. Vide vnitatem, quæ & patrem signat & filium. Non potest non esse qui loquitur, sed non potest, à semetipso esse quod loquitur, in quo naturaliter ex patre sunt omnia. Quid est autem, Gloriam suam quęrit? Hoc est, non diuisam à patre gloriam. Nam vtique & verbum deus habet gloriam. Denique dicit: Vt videant gloriam meam. Sed illa verbi gloria, eadem patris gloria est, sicut scriptum
est: Dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Ita igi- Philip.2.
tur secundum diuinitatem dei filius suam gloriam habet, vt patris & filij vna sit gloria. Non est ergo minor in claritate, Coloss.2.
quia vna gloria. Non minor diuinitate, quia plenitudo diuinitatis in Christo est. Et quomodo, inquit, scriptum est: Ioan.17.
Pater, venit hora, clarifica filium tuum? Qui hoc dicit, clarificatione, inquit, indiget. Hucusque oculos habes, quod reliquum est non legisti. Sequitur enim: Vt filius tuus clarificet te. Nunquid & pater indiget, quia clarificandus à filio est?

lio est? Pari modo obedientiam filio obiicere solent, quia
Philip.2. scriptum est: Et specie inuentus vt homo, humiliauit semet-
ipsum, factus obediens vsque ad mortem. Et hominem prę-
misit, & vsque ad mortem dixit, vt intelligeremus obedien-
tiam mortis non diuinitatis fuisse, sed incarnationis, in qua
& officia nostra suscepit, & nomina. Didicimus itaq; vnam
esse potẽtiam trinitatis, quam nos in ipsa quoq; docuit passio
ne[Filius enim patitur: In manus patris commendatur spiri
tus: Deus quoq; pater maxima voce inclamatur.]atque post
ipsam docuit passionem. Filius enim patitur per corporis sa
cramentũ, Apostolis spiritus sanctus infunditur, pater quo-
que maxima voce signatur. Didicimus vnam patris & filij
esse imaginem, vnam similitudinẽ, vnam sanctificationem.
Didicimus vnam esse operationem, vnam gloriam, vnam
quoque diuinitatẽ. Vnus ergo & solus deus, quia scriptum
Matth.4. est: Dominũ deum tuum adorabis, & illi soli seruies: Vnus
deus, non vt ipse sit pater & filius, sicut impius Sabellius as-
serit, sed quia patris & filij spiritúsque sancti vna diuinitas
sit: vbi autem vna diuinitas, vna voluntas, & vna præceptio.
Denique vt scias & patrem esse, & filium esse, & vnum opus
1.Thes.5. patris & filij esse, Apostolum sequere, qui dixit: Ipse autem
deus & pater noster & dominus Iesus dirigat viam nostram
ad vos. Et patrem loquitur, & filium loquitur: sed vnitas di-
rectionis est, quia vnitas potestatis est. Sic & alibi habes: I-
2.Thes.2. pse autem dominus noster Iesus Christus, & deus & pater
noster qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, &
spem bonam in gratia, consoletur corda vestra & confir-
met. Quantam vnitatem ostendit, vt consolationis vnitas
non pluralitas sit? Conticescat ergo perfidia, aut si ratione
non vincitur, morali humanitate flectatur. Consideremus
quàm moraliter egerit dominus, vt nos non solùm fidem,
sed etiam mores doceret. Nanque in forma hominis consti-
Lucæ 2. tutus, subditus erat Ioseph & Mariæ. Nunquid ergo minor
& hominibus, quia subditus? Aliud pietatis, aliud potesta-
tis est, sed non præiudicat pietas potestati. In eo ergo legis
subditum patri, in corpore scilicet, in quo erat subditus ma-
tri. Agamus & nos moraliter, persuadeamus illis quod sibi
Psal.94. prosit, obsecremus & ploremus ante dominum qui fecit
nos. Non enim vincere volumus, sed sanare: non insidiosè
agim⁹, sed religiosè monemus. Sæpe flectit humanitas, quos
nec virtus potuerit superare, nec ratio. Denique dominus
illum hominem qui ex Hiericho descendens incidit in latro
Lucæ 10. nes, quem non asperioribus legis medicamentis, non pro-
phetico rigore curauerat, oleo curauit & vino. Veniant er-
go ad hunc omnes qui sanari volunt, accipiant medicamen-
tum quod & à patre detulit, & præparauit in cœlo, ex illis
confectum immortalibus succis, hoc ex terra non pullulat.
Expers enim omnis natura huius confectionis. Diuino e-
nim consilio suscepit hanc carnem, vt ostenderet legem car-
nis legi esse subditam mentis. Suscepit carnem, vt quasi ho-
mo vinceret qui homines erudiret. Quid mihi prodesset, si
quasi deus exerta potestate diuinitatem suam tantummodo
inuiolabilem demonstrasset? Aut cur susciperet carnem, ni-
si vt tentari se naturæ atque infirmitatis meæ conditione pa-
teretur? Tentari debuit, cõpati mihi debuit, vt scirem quem-
admodum tentatus vincerem, compassus euaderem. Vicit
per continentiam, vicit per contemptum diuitiarum, vicit
per fidem, calcauit ambitionem, fugauit intemperantiam,
Matth.4. lasciuiam relegauit. Hoc medicamentum Petrus vidit, &
retia sua, instrumenta videlicet quæstus & subsidia dereli-
quit, renuncians carnis concupiscentiæ tanquam corruptæ
naui, in quam quasi sentina quædam multarum ingreditur
passionum. Magnum ergo medicamẽtum, quod non solùm
cicatricem vetusti vulneris amputauit, sed etiam causam pas
sionis incidit. O fides thesauris omnibus opulentior! O fi-
des vulnerum nostrorum peccatorúmq; medicina præstan-
tior! Consideremus quia nobis prodest bene credere. Mihi
enim prodest scire, quia propter me Christus suscepit meas
infirmitates, mei corporis subiit passiones, pro me pecca-
tum, hoc est, pro omni homine, pro me maledictum factus
est, & pro me atque in me subditus atque subiectus, pro me
agnus, pro me vitis, pro me lapis, pro me seruus, pro me fi-

A lius ancillæ, pro me diem iudicij ignorans, pro me nescius
diem aut horam. Nam quomodo posset diem nescire, qui
dies fecit & tempora? Quomodo posset diem ignorare iudi-
cij, qui & horam iudicij futuri expressit & causam? Factus er
go maledictum non secundum diuinitatem, sed secundum
carnem. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui pendet Deuter.21.
in ligno. Secundum carnem vtique pependit: & ideo male-
dictum, quia nostra maledicta suscepit. Ille fleuit, ne tu ho-
mo diu fleres. Ille iniurias passus est, ne tu iniuriam tuam do
leres. Grande remedium, solatium habere de Christo. Ille e-
nim pro nobis hæc patientius tulit, & sumus qui patienter
hęc pro illius nomine ferre nequeamus? Quis appetitus non
discat ignoscere, quando pro persecutoribus suis Christus
& crucifixus orabat? Vides ne illas quas tu putas Christi in-
firmitates, tuas esse virtutes? Cur de remediis nostris ei quæ-
stionem mouemus? Lachrymę illæ nos lauant. Fletus illi nos
abluunt, ac dubitatio illa nos firmat, ne tu si cœperis dubita-
re, desperes. Quantò maior est iniuria, tantò vberior debe-
B tur gratia. Sed & in ipsis iniuriis cognosce diuinitatem. In
cruce pendebat, & elementa ei omnia seruiebant. Sol refu-
git, dies occidit. Obfusæ & circunfusæ tenebræ. Terra tre-
muit, non tremuit qui pependit. Quid aliud hæc quàm au-
thoris reuerentiam signant? Quia in cruce est vides: quia re-
gnum dei donat, nõ vides? quia mortem gustauit legis, quia
latronem quoque ad paradisum inuitauit, non legis? Mulie-
res flentes intueris ad tumulum, non intueris angelos excu-
bantes? Quid dixerit legis, quid gesserit non legis? Dicis
Chananææ mulieri dixisse dominum: Non sum missus nisi Matth.15.
ad oues quæ perierunt domus Israel. Non dicis, quoniam id
quod ab ea rogatus est fecit? Vnde intelligere te conuenit,
quia missus non id significat quod alieno sit coactus impe-
rio, sed quod voluntario functus sit arbitratu, alioquin con-
temptum ostendis patris. Si enim, vt tu interpretaris, pater-
norum famulus præceptorum Christus venerat in Iudæam,
vt solis eius incolis mederetur, & Chananææ prius filiam (vt
legimus) liberauit, non vtique alieni fuit executor imperij,
C sed voluntarij liberi arbitrij. Vbi autem libertas voluntatis,
ibi nulla præuaricatio missionis. Nec vereare ne displiceat
patri quod fecit filius, cùm ipse dicat: Quæcunque placita Ioan.8.
sunt ei, facio semper. Et alibi: Opera quæ ego facio, ipse fa- Ioan.14.
cit. Quomodo ergo patri potuit displicere quod ipse fecit
per filium? Vnus enim deus, sicut scriptum est, qui iustifica-
uit circuncisionem ex fide, & præputium per fidem. Omnia Roman.3.
lege, omnia diligenter aduerte, inuenies sic demonstrasse se
Christum, vt deus in homine cerneretur. Nec malitiosè acci
pias de patre filium gloriantem, cum audias patrem in filio
complacentem. Sed si moralibus flecti non queunt, prouo-
cemus ad iudicem. Ad quem tãdem ibimus? Nempe ad eum
qui iudicium habet. Nunquid ad patrem? Sed pater non iudi
cat quenquam. Omne enim iudicium dedit filio. Dedit vti- Ioan.5.
que, generando, non largiendo. Vide quàm te noluerit filio
suo derogare, vt tibi ipsum iudicẽ daret. Videamus ergo an-
te iudicium quis causam meliorem habeat, ego, an tu. Nem-
pe prudentis actoris est, prius conciliare sibi iudicem. Ho-
D minem honoras, deum non honoras? Quid ergo cõciliat co-
gnitorem, honorificẽtia, an iniuria? Pone me peccasse, quod
non est, num offenditur honore suo Christus? Peccamus o-
mnes. Quis ergo veniam promerebitur, qui defert honorifi
centiam, an qui irrogat cõtumeliam? Aut si te ratio non mo-
uet, species saltem iudicij ipsa commoueat. Attolle oculos
ad iudicem tuos, intuere qui sedeat, cum quo sedeat, vbi se-
deat. Sedet Christus ad dexterã patris. Aut si oculis hoc non Marc.16.
potes comprehendere, audi dicentem prophetam: Dixit do- Psal.109.
minus domino meo, sede ad dexteram meam. Sedet ergo ad
dexteram patris filius. Dic nunc qui de secularibus arbitra-
ris æstimanda diuina. Num tibi videatur inferior qui ad dex
teram sedet? Num iniuriam patris, qui ad sinistram sedet? Pa
ter honorat, & tu iniuriam putas? Pater mauult id esse pieta-
tis exemplum, & tu putas præceptionis imperium? De mor-
te surrexit, & ad dexteram dei sedet. Sed dixit, inquis, pater.
Accipe etiam vbi non dicit pater, & prædicit filius, Amo-
do videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtu- Matth.26.

tis.Et hoc de assumptione corporis dicit.Hinc dicit:Sede ad dexteram meam.Nam si de æterna sede diuinitatis quæris, interrogatus à Pilato si ipse esset rex Iudæorum, ait: In hoc
Ioan.18. sum natus.Vnde & apostolus moner,hoc esse nobis vtile, si Christum non ex præcepto neque ex gratia, sed quasi dilectissimũ filium ad dexteram dei sedere credamus. Sic enim
Colos.3. habes:Quæ sursum sunt quærite,vbi Christus est ad dexteram dei sedens,quæ sursum sunt sapite. Hoc est enim superiora sapere, credere quia Christus vt sedeat, non quasi iussus obsequitur,sed quasi filius dilectissimus honoratur.Pro-
Psal.109. pter rationem ergo corporis dicit:Sede ad dexteram meam, donec ponã inimicos tuos scabellũ pedum tuorum. Quod si & hoc ad calumniam trahis, quia pater ad filium dixit,Ponam inimicos tuos : etiam pater trahit ad filium quos filius
Ioan.6. suscitet atque viuificet.Nemo enim,inquit,potest venire ad me,nisi pater qui misit me,attraxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et tu filium dei pro infirmitate discis esse subiectum,cui pater attrahit, quos ille in nouissimo die suscitet ? Hæccine tibi videtur esse subiectio, in qua regnum patri paratur,cum pater ad filium trahat,& calumnię locus non sit,cùm patri regnum filius tradat,nec aliquid prę feratur?Hęc enim documenta pietatis sunt,quod & pater filio,& filius patri tradat.Ita enim sibi tradunt, vt neque ille qui accipit quasi alienum acquirat,nec qui tradit amittat.Ad dexteram quoque sedere nulla prælatio est, neque ad sinistram iniuria. Diuinitas enim gradũ nescit, nec loco aliquo circunscribitur,nec temporibus definitur. Angustis animis homines ista pensamus.Nulla differentia charitatis,nullum discrimen est vnitatis.Sed cur longius euagamur ? Circunspectasti omnia,vidisti iudicem,aduertisti angelos prædicantes.Illi laudant,& tu vituperas? Dominationes & potestates venerantur, & tu calumniaris? Adorant omnes sancti eius,
Esaiæ 6. non adorat dei filius,non adorat spiritus sanctus. Seraphim dicunt:Sanctus,sanctus,sanctus.Quid sibi vult sub vno nomine sanctitatis,trina repetitio?Si trina repetitio,cur vna laudatio?Si vna laudatio,cur trina repetitio?Trina repetitio cur nisi quia pater & filius & spiritus sanctus sanctitate vnum sunt?Non dixit semel,ne filium sequestraret,non bis,ne spiritum præteriret, non quater, ne creaturam sibi coniungeret.Et vt ostenderet trinitatis vnam esse deitatem, cum tertiò dixisset: Sanctus, sanctus, sanctus: addidit singulariter: Dominus deus Sabaoth.Sanctus igitur pater,Sanctus filius, sanctus & dei spiritus. Adoratur igitur trinitas, non adorat. Laudatur trinitas,non laudat.Ego malo sicut Seraphim credere, & sicut omnes potestates virtutésque cœlestes adorare.Igitur prosecutionem tuam videamus, quemadmodum concilies tibi iudicem.Dic sanè,dic inquam: Ego te Christe puto esse dissimilem patri. Respondebit & ille: Discerne si potes. Discerne, inquam, quo putes esse dissimilem ? Dic a-
Deut.19. liud:Creaturam,inquies,te arbitror. Respondebit & Chri-
Ioan.8. stus : si duorum hominum testimonium verum est, tu nec mihi nec patri saltem credere debuisti, qui genitum nominauit?Bonum,inquit,nego.Dicet & ille:Fiat tibi secundum fidem tuam,vt tibi bonus non sim.Omnipotentem non arbitror.Respondebit & ipse:Non possum ergo tibi tua peccata donare.Subiectum dico. Referet ad hoc: Cur igitur libertatem ac veniam ab eo petis quem putas pro seruitio esse subiectum ? Video hærere prosecutionem tuam: non vrgeo, quia peccatorum meorum ipse sum conscius : non inuideo veniam, quia ipse opto indulgentiam, votum tuum scire desidero.En allego apud iudicẽ desideria tua,non prodo crimina. Seriem tuorum expecto votorum. Dic vtique ea quæ in communi voto sunt.Dic inquam:Domine fac me ad imaginem dei.Respondebit & ille: Ad quam imaginem, quam negasti?Dic,Fac me incorruptibilem.Referet vtique, Quomodo te incorruptibilem facere possum,quem tu crea
1.Cor.15. turam dicendo,capacem corruptibilitatis esse voluisti? Mortui resurgent incorrupti, & tu corruptibilem dicis quem
Leuit.19. deum cernis?Dic,bonus esto mihi. Dicet tibi: Quid postulas quod negasti?Ego te bonum volui.Ego dixi: Estote sancti,quoniam ipse sanctus sum: Et tu mihi id negare contendis:Expectas veniam peccatorum?Sed nemo potest donare

A peccata nisi solus deus. Itaque cùm verus & solus tibi deus Matt.1.
non sim,non possum vtique tua peccata donare.Hæc Arrianus dicat.Et Fotinianus:Nego te,inquit, deum. Respondebit & dominus: Dixit insipiens in corde suo, non est deus. Psal.52.
De quo dictum putas, de Iudæo, de gentili, an de diabolo?
De quo vis dictum sit Fotiniane, tolerabilior est ille qui tacuit.Tu verò & voce ausus es dicere, vt insipiente insipientior probareris.Negas ergo,inquit,deum,cùm ego dixerim:
Dij estis,& filij excelsi omnes.Et tu deum negas, cuius o- Psal.81.
pera diuina circunspicis?Dicat & Sabellianus:Ego teipsum
patrem & filium & spiritum sanctum arbitror. Respondebit & dominus:Non audis patrem, non audis filium? Nunquid hic vlla confusio est?scriptura ipsa te docet patrem esse qui detulit iudicium,filium esse qui iudicat. Non audisti Ioan.8.
me dicentem:solus non sum, sed ego, & qui misit me pater?Dicet & Manichæus: Ego authorem carnis nostræ diabolum credo. Respondebit ei: Ergo quid facies in cœlestibus? Vade ad authorem tuum. Ego eos volo mecum esse,
B quos dedit mihi pater. Tu te à diabolo creatum Manichæe arbitraris, ad illius ergo festina sedem, vbi ignis & sulphur, vbi non restinguitur eius incẽdium,nec vnquam pœna morietur.Omitto alia hæreticorum portenta,non nomina,qui dicunt:Qui dies erit iudicij, quæ erit forma sententiæ? Re-
spõdebit his omnibus & ille moraliter:Populus meus,quid Michæ 6.
feci tibi, aut quid contristaui te? Nonne ex Ægypto eduxi te,& ex domo seruitutis liberaui te?sed parum est ex Ægypto liberasse, & ex domo seruitutis eripuisse, plus est teipsum dedisse pro nobis.Dices ergo:Nonne vestras omnes susscepi iniurias?Nonne corpus meum pro vobis obtuli?Non ne mortem oppetiui,quod non erat diuinitatis meæ,sed vestræ redemptionis?Hæccine referuntur gratiæ,hoc profecit sanguis meus,sicut in propheta ipse iam dixi: Quæ vtilitas Psalm.29.
in sanguine meo, quia descendi in corruptionem? Hoc ergo profeci,vt me impiè negaretis, pro quibus ista sustinui?
Ego verò tunc domine Iesu etsi grauium peccatorum mihi
ipse sim conscius,dicam tamen,non te negaui, habes quod
C ignoscas fragilitati carnis. Delictum fateor, peccatum non abnuo.Si vis potes me saluare:quia hoc qui dixit,& meruit:
Ne quæso in iudicium intres cum seruo tuo.Non quæro vt
iudices, sed ignoscas. Quid putamus Christũ iudicaturum?
Ego scio,iudicaturum dico,imò iam iudicauit. Tenemus eius sententiam,Vt omnes,inquit, honorificent filium, sicut
honorificant patrem.Qui non honorificat filium, non ho- Ioan.5.
norificat patrem, qui misit illum. Si displicet sententia, appella ad patrem, rescinde iudicium quod pater detulit. Dic
quia dissimilem habet filium: Respondebit tibi: Ergo mentitus sum,qui dixi filio:Faciamus hominem ad imaginem & Genes.1.
similitudinem nostram. Dic quia creauit: Respondebit tibi:Cur ergo adorasti,quem creaturam putasti?Dic quia minorem generauit filium: Respondebit, Metire, videamus.
Dic quia ei non debuisti credere: Referet ad hoc: Non tibi
dixeram: Hic est filius meus dilectissimus, in quo compla- Matth.17.
cui,ipsum audite?Quid est,ipsum audite?Dicentem vtique: Ioan.17.
Omnia quæ pater habet,mea sunt.Hoc audierunt Apostoli, Matth.28.
sicut scriptum est: & ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.Si ceciderunt qui confessi sunt, quid facient qui
D negarunt? Sed illos Iesus tetigit & leuauit, vos iacere patietur,ne videatis gloriam quam negastis.Videamus ergo quo
niam quem filius damnat,& pater damnat.Et ideo honorificemus filium sicut honorificamus patrem, vt per filium ad
patrem peruenire possimus. Hæc ego Imperator Auguste carptim ac breuiter impolita magis proposui, quàm enodata digessi. Quod si qua Arriani inconsummata arbitrantur,
ego vix fateor inchoata.Siqua adhuc superesse opinantur,ego prope omnia.Infidelibus enim totum deest,sed abundat
fidelibus. Denique vna confessio Petri abundauit ad fidem Matth.16.
Christo: Tu es Christus filius dei viui. Sat est enim generationem scire diuinam,non diuisam,non deminutã,non deri
uatoriam,non creatam.Hoc etiam totis scripturarum exponitur libris,nec adhuc ab impiis creditur.Incrassatum est enim, vt scriptum est, cor eorum & auribus suis grauiter au-
dierunt,& oculos suos grauauerunt:nequãdo oculis suis vi- Esaiæ 6.
deant,

deant,& auribus audiant,& corde intelligant. Nanque more Iudaico aures suas Arriani claudere solent, aut ferere tumultum,quotiescunque verbum salutis auditur. Et quid mirum si humanis vocibus credere non soleant infideles, qui non credunt diuinis? Filius dei dicebat,sicut habes in Euan-
Ioan.12. gelio: Pater clarifica nomen tuum. Vox patris de cœlo audita est dicentis: Et clarificaui,& iterum clarificabo. Infideles hæc audiebant,sed non credebant. Dicebat filius,respondebat pater. Dicebant Iudæi: Tonitruum factum est illi,alij dicebãt: Angelus locutus est ei. Paulus quoque sicut scriptum
Acto.9. est in Actibus Apostolorum, cùm voce Christi vocaretur ad gratiam,pluréque comites pariter incederent, solus vocem Christi audisse se dixit. Adeo sancte Imperator,qui credit audit,& audit vt credat. Qui non credit, non audit, sed nec vult nec potest audire,ne credat. Atque vtinam quod in me est audire vellent vt crederent, audire cum bona charitate & mãsuetudine vt verum quærentes,non veritatem im-
ad Tit.3. pugnantes. Scriptum est enim, vt non intendamus fabulis & genealogiis interminabilibus,quæ quęstiones magis præ B
stant quàm ædificationem dei quæ in fide est. Finis autem præcepti est charitas de corde puro,& conscientia bona, &
1.Tim.1. fide non ficta. A quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legisdoctores, non intelligentes neque quæ loquũtur,neque de quibus affirmant. Alibi quo
1.Tim.2. que idem Apostolus dicit: Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita. Tales deserẽdos Apostolus dicit,qui quæstiones serunt,hos esse hæreticos: de quibus alibi dicit quod
1.Tim.4. discedent quidam à fide, intendentes spiritibus erroris, &
1.Ioan.2. doctrinis dæmoniorum. Et Ioannes dicit hæreticos esse antichristos,Arianos vtique designãs. Hæc enim hæresis post omnes hæreses cœpit,& ex omni hæresi venena collegit. Si-
Apoc.13. cut enim de antichristo scriptum est quia aperuit os suum in blasphemia ad deum, blasphemare nomẽ eius, & bellum facere cum sanctis eius: ita & isti filio dei derogant, nec martyribus pepercerunt: & quod fortasse ille non faciet,scripturas falsauere diuinas. Itaq; qui dicit quia Iesus non est Christus,hic est antichristus. Qui negat saluatorem mundi, ne-
C
gat Iesum: qui negat filium, negat & patrem, quia scriptum
1.Ioan.2. est: Omnis qui negat filium,negat & patrem. Neque verò te Imperator pluribus tenere debeo bello intentum,& victricia de barbaris trophæa meditantem. Progredere planè scuto fidei septus,& gladium spiritus habens,progredere ad victoriam superioribus promissam temporibus, & diuinis oraculis prophetatam. Nanque & futuram nostri depopula-
Ezech.33. tionem,& bella Gothorum Ezechiel illo iam tempore prophetauit. Sic enim habes: Propterea prophetiza fili hominis,& dic,O Gog,hæc dicit dominus: In die illa cum constituetur habitare populus meus Israel in pace, surges & venies de loco tuo ab extremo Aquilonis,& gẽtes tecum multæ,sessores equorum omnes, congregatio multa & magna, & virtus copiosa, & descendet ad populum meum Israel, vt nubes operiet terram in nouissimis diebus,&c. Gog iste Gothus est,quem iam videmus exisse, de quo promittitur nobis futura victoria,dicente domino: Et deprædabũt eos qui deprædati eos fuerant,& despoliabunt eos qui sibi spolia detraxerant,dicit dominus. Eritque in die illa, dabo Gog,hoc
D
est Gothis, locum nominatum monumentum in Israel multorum virorum congestum,qui superuenerunt ad mare, & per circuitum struet vallis peristomion, & obruet illic Gog & totam multitudinem eius,& vocabitur polyãdrium Gog, & obruet eos domus Israel vt purgetur terra. Nec ambiguũ sancte Imperator,quod qui perfidiæ alienæ pugnam excepimus,fidei catholicæ in te vigentis,habituri sumus auxilium. Euidens enim antehac diuinæ indignationis causa præcessit: vt ibi primum fides Romano imperio frangeretur, vbi

A fracta est deo. Non libet confessorum neces, tormenta, exilia recordari,piorum sacerdotia,proditorum munera. Nonne de Thraciæ partibus per ripensem Daciam & Mysiam omnémque Valeriam Pannoniorum, totum illum limitem sacrilegis pariter vocibus & barbaricis motibus audiuimus inhorrentem? Quid poterat nobis vicinia tam feralis inuehere? Aut quemadmodum res Romana tali tuta poterat esse custodia? Sed iam satis supérque omnipotens deus nostro exilio,nostróque sanguine,confessorum neces, exilia sacerdotum,& nephas tantæ impietatis eluimus, satis claruit eos qui violauerunt fidem,tutos esse non posse. Conuertere domine,fideíque tuæ attolle vexilla. Non hic aquilæ militares, neque volatus auium exercitum ducunt, sed tuum domine Iesu nomen & cultus. Non hic infidelis aliqua regio, sed ea quæ confessores mittere solet Italia,aliquando tentata, mutata nunquam: quam dudum ab hoste barbaro defendisti, nunc etiam vindicasti. Non hic imperatoris mens lubrica, sed fides fixa. Ostẽde nunc euidens tuæ maiestatis indicium, vt is qui te verum virtutum dominum,& cœlestis militiæ ducem, is qui te veram dei virtutem credit esse atque sapientiam, non tẽporalem vtique nec creatam sed sempiternam, sicut scriptum est,dei virtutem & diuinitatem, tuæ maiesta- 1.Corin.1.
tis fultus auxilio,fidei suæ trophæa mereatur.

FINIS.

CAPITA LIBRI TERTII.

Qua ratione author ea quæ in superioribus libellis breuiter digesta sunt, in hoc libro latius exequi curauerit. Cur etiam illicitum putari nõ debeat quòd ad informationem vitæ humanæ comparationem à poeticis fabulis deriuatam induxerit. Cap. I.

Quòd nos magis quàm poetæ illecebram secularis lasciuiæ pernicioſam debeamus iudicare. Quódque nostræ salutis gratia Christus corporis infirmitates susceperit, licet secundum diuinitatem æqualis sit patri in altitudine & immortalitate. Quòd præterea (contra hæreticorum insaniam) cùm de deo dicitur,solus,non separetur filius. Caput II.

Quomodo filius factus intelligatur. Quemadmodum etiam omnia per ipsum facta sint, cum diuersorum hæreticorum confutatione. Cap. III.

Quid significet quòd de incarnatione domini scriptum est: Deus creauit me principium viarum suarum. Et quòd Christus dicatur principium, non solum per relationem ad diuinitatem,sed etiam ad documenta virtutum. Quomodo etiam intelligatur id quod scriptum legitur: Puer natus est nobis,&c. quo multæ hęreses extinguuntur. De solutione quoque dubitationis quomodo de incarnatione Christi dictum sit: Dominus creauit me,&c. cùm ante incarnationem eius creatura mundi fuerit. Cap. IIII.

De solutione obiectionis sumptæ ex eo quod scriptum est: Post me venit vir qui ante me factus est,cum confutatione erroris Arrianorum. Et quomodo iuxta mysticam intelligentiam historiæ de Booz & Ruth designatus fuerit Christus, qui ecclesiam sibi copulauit. Quomodo etiam sæpe ad causam pertineat cùm Christus dicitur factus. Quomodo deniq; ipse idem sacerdos sit & hostia. Cap. V.

Quòd patris & filij vnum sit regnum, & non diuisum, sicut Arriana sæuitas asseruit. Cap. VI.

Quòd vna sit maiestas & vna gloria, vna quoque substantia patris & filij,cum redargutione Arrianorum,& quemadmodum fraudem eorum cauere debeamus. Cap. VII.

Diui Ambrosij
EPISCOPI MEDIOLANENSIS
de fide ad Gratianum Augustum, Liber III.

Qua ratione author ea quæ in superioribus libellis breuiter digesta sunt, in hoc libro latius exequi curauerit: Cur etiam illicitu putari non debeat quòd ad informationem vitæ humanæ comparationem à poeticis fabulis deriuatam induxerit. Cap. I.

OVoniam clementissime Imperator, instruendi tui gratia, aliqua de fide mihi scribenda mandaueras, & verecundantem, coram etiam ipse fueras adhortatus, ideo quasi in procinctu positus, duos tantum cõscripsi libellos, quibus vias quasdam fidei & semitas demonstrarem. Sed quoniam mens praua quorundam, ferendis intenta quæstionibus, stilo lacessit vberiore confligi, tuæ quoque pia me cura clementiæ ad cætera vocat, volens in pluribus experiri quem in paucis probasti, ea quæ per paucis superius digesta sunt, placuit paulo latius exequi, ne ea quasi diffidentia assertionis deseruisse potius quàm securitate fiduciæ proposuisse videamur. Et quia hydræ nominis & scyllei littoris comparationem induximus, vt ostenderemus vel re diuiua plantaria cauenda perfidiæ, vel famosa naufragia, siquis contra licitum putat colorem disputationis eiusmodi à poeticis fabulis deriuatum, & cùm in fide nihil quod vituperare possit inuenerit, aliquid in sermone reprehendit, agnoscat non solùm sententias, sed etiam versiculos poetarũ scripturis insertos diuinis. Vnde enim illud: Huius & genus sumus, quod Paulus vsu prophetico doctus vsurpat? Nã & gigãtes & vallem Titanum prophetici sermonis series non refugit. Et Esaias sirenas & filias passerum dixit, Et Hieremias de Babylone memorauit, quod habitabunt in ea filiæ sirenum: vt ostenderet Babylonis, hoc est, secularis confusionis illecebras, vetustis lasciuiæ fabulis comparandas, quæ velut scopuloso in istius vitæ littore, dulcé resonare quandam sed mortiferam cantilenam ad capiendos animos adolescẽtium viderentur? quam sapiens etiam ab ipso poeta Græco inducitur quasi quibusdam prudentiæ suæ circundatus vinculis præteriisse. Ita difficile iudicatum est ante aduentum Christi etiam fortiores non posse capi speciosæ delitiis voluptatis.

Acto. 17.

Quòd nos magis quàm poetæ illecebram secularis lasciuiæ perniciosam debeamus iudicare. Quódque nostræ salutis gratia Christus corporis infirmitates susceperit, licet secundum diuinitatem æqualis sit patri in altitudine & immortalitate. Quòd præterea (contra hæreticorum insaniam) cùm de deo dicitur, solus, non separetur filius. Cap. II.

QVod si poeta ille, permitiosam mentibus hominũ, & subeundis obnoxiam naufragiis, lasciuiæ secularis illecebram iudicauit, quid nos æstimare oportet, quibus scriptum est: Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis. Et alibi: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne aliis prædicans ipse reprobus efficiar? Non enim per luxuriã nobis Christus, sed per ieiunium salutem attulit. Neque ille emerendæ gratiæ suæ causa, sed nostræ eruditionis gratia ieiunauit. Neque infirmitate corporis victus est vt esuriret, sed esuriendo susceptæ corporis fidem præstitit, vt non solum corpus, sed etiam infirmitates nostri corporis doceret à se esse susceptas. Sicut scriptũ est: Quoniam infirmitates nostras accepit, & ægritudines nostras portauit. Corporis est igitur, hoc est, nostrum est quod esuriit, nostrũ est quod fleuit, quod ẽristis fuit vsque ad mortem: Cur ad diuinitatem quę sunt nostra referunt? Corporis est quod etiam factus asseritur. Deniq; sic habes: Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Homo, inquit factus est, non deus factus est. Qui autem idem altissimus, idem homo, nisi mediator dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis? Et hoc vtique ad incarnati onem pertinet. Redẽptio enim nostra per sanguinem, remissio per potestatem, vita per gratiam. Quasi altissimus donat, quasi homo precatur. Aliud creatoris, aliud redemptoris est. Distincta licet, vnius tamen autoris beneficia sunt, decuit enim vt ille nos redimeret qui creauit. Quis autem neget Christum esse altissimum significatum? Nam qui aliter sentit, deo patri sacramentum incarnationis adscribit. Sed hinc dubitari non potest quod altissimus Christus sit, cùm etiam alibi dixerit de mysterio passionis: Dedit vocem suam altissimus, & mota est terra. Et in euangelio habes: Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem domini parare vias eius. Ergo quia altissimus deus est & Christus. Et solus vtiq; cùm dicitur deus, non separatur etiam dei filius. Qui enim altissimus, solus: sicut scriptum est: Cognoscant quoniam dominus nomen est tibi, tu solus altissimus super omnem terram. Vnde etiam illud explosum est: quod solent ad calumniam deriuare, quod de deo scriptũ est: Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilẽ. De deo enim scriptum est, quòd est commune nomen patri & filio. Nam si vbicunque deum legunt, negant etiam filium designari, & impij sunt diuinitatis potentiam filio denegando, & incarnatum patrem Sabelliana impietate adstruere videbuntur. Dicãt enim quomodo illud non impie de patre intelligere possint, quod Apostolus ait: In quo & cõsurrexistis per fidem operationis dei qui suscitauit illum à mortuis. Et aduertant de sequentibus quid incurrant. Sequitur enim: Et cùm mortui essetis delictis & præputio carnis vestræ, viuificauit nos cum illo, donans nobis delicta, delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, exuens se carnem. Ergo non deus pater solus intelligendus est qui suscitauit carnem, & non etiam filius cuius templum resuscitatum est. Qui suscitauit vtique & viuificauit. Qui viuificauit & delicta donauit. Qui delicta donauit, chirographum tulit, affixit illud cruci. Qui affixit illud cruci, carnem se exuit. Sed pater non se exuit carnem. Non enim pater caro factus est, sed verbum, sicut legimus, caro factum est. Videtis ergo quod Arriani dum separant à patre filium, in id periculum incidunt vt patrem passum esse commemorent. Nos autem facile docemus de filij dictum operatione. Nam & ipse corpus suum resuscitauit, sicut ipse dixit: Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud. Et ipse viuificat nos cum suo corpore: Sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Et ipse delicta donauit dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Et ipse chirographum affixit cruci, qui crucifixus est per corporis passionem: Nec alius se carnem exuit, nisi dei filius qui carnem se induit. Ipse ergo significatur deus, qui opus nostræ resurrectionis operatus est. Ergo cum legis deum, non separes patrem, non separes filium, quia diuinitas patris & filij, vna eadémque est. Et ideo nec ibi separes vbi legis, quod beatus & solus potẽs. De eo enim dictum est, sicut habes: Præcipio coram deo qui viuificauit omnia, sed etiam Christus viuificat. Conuenit ergo & patri & filio dei nomen, quando conuenit & operationis effectus. Prosequamur & cætera. Præcipio, inquit, corã deo qui viuificat omnia & Christo Iesu in deo. Hic etiã verbum est, sicut scriptum est: In deo laudabo verbum, in deo sempiterna sua virtus est Iesus. In deo igitur vnitatem diuinitatis, in Christi autem nomine incarnationis testificatus est sacramentum. Deniq; vt de incarnatione Christi se dixisse ostenderet, subdidit: Qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt serues mandatum sine macula vsque in aduentum domini nostri Iesu Christi: Quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, & rex regum & dominus dominãtium. Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. Quem vidit hominum nemo, sed nec videre potest. Ergo de deo hæc scripta sunt, cuius nominis & dignitas & veritas communis est filio. Cur igitur hoc loco filius separatur, cùm etiam filio hæc cuncta conueniant? Aut si non cõueniunt, nega deum vt neges quæ deo sunt conuenientia. Beatus negari non potest qui beatitudines donat. Beati enim quibus remissæ sunt iniquitates.

Roman. 13. 1. Corin. 9. Esaiæ 53. Psal. 86. 1. Tim. 1. Psal. 17. Lucæ 1. 1. Tim. 6. Coloss. 1. Ioan. 2. Ioan. 5. Lucæ 7. 1. Tim. 6. Psal. 55. 1. Tim. 6. Apocal. 19. 1. Tim. 6. Psal. 31.

Beatus

Beatus negari non potest qui sanam doctrinam tribuit, sicut scriptum est, quæ est secundum euangelium claritatis. Beatus dei potens abnui non potest, de quo pater dicit: Posui adiutorium super potentem. Immortalitatem autem eius quis audeat diffiteri, cùm etiam aliis immortalitatem ipse largitus sit, sicut scriptum est de sapientia dei: Per hanc habeo immortalitatem: sed alia immortalitas suæ naturæ, alia nostræ est. Non sunt fragilia comparanda diuinis, vna sola substantia diuinitatis, quæ mori nescit. Vnde & Apostolus cùm sciret animam & angelos immortales, quòd solus deus immortalitatem habeat prædicauit. Nam & anima moritur. Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Nec & angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est creatoris. Neque ad præiudicium trahas, quòd non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Vrihel. Et in ipsis enim naturæ capacitas vitio obnoxia, sed non obnoxia disciplina. Omnis enim rationalis creatura accidentia recipit, & subiecta iudicio est. In accidentibus autem & pœna iudicij & corruptela est & profectus. Vnde & Ecclesiastes ait: Quoniam omne opus suum deus adducet in iudicium. Ergo corruptelæ & mortis, etiam si non moriatur aut peccet, capax tamen omnis est creatura. Nec ex immortali natura habet, sed ex disciplina vel gratia, si se in aliquibus ad vitia non mutat. Alia ergo immortalitas quæ donatur, alia quæ sine capacitate mutabilitatis est semper. An negatur immortalis diuinitas Christi, quia in carne pro omnibus mortem gustauit? Iam ergo melior Gabriel quàm Christus, quia ille non est defunctus, hic mortuus est. Sed nō est seruus supra dominum, alia enim carnis infirmitas, alia diuinitatis æternitas. Mors carnis est, immortalitas potestatis. Quòd si diuinitas fecit ne caro videret corruptionem, quæ vtique corruptelæ erat obnoxia per naturā, quomodo mori posset ipsa diuinitas? Quomodo autem lucem inaccessibilem non habitat filius, cùm in sinu patris filius sit? Lux autem pater, lux etiam ipse sit filius, quia deus lux est. Aut si aliam lucem inaccessibilem nisi diuinitatis putamus, nunquid melior patre lux est, vt non sit in luce, quia scriptū est: Et apud patrem est, & in patre? Non ergo separent filium cùm legunt solum deum, nec patrem separent cùm legunt filium solum. In terris filius sine patre non est, & putas quod pater sine filio sit in cælo: in carne est filius, cum dico in carne est, vel in terris, secundum euangelij tempora loquor: nunc enim secundum carnem non iam nouimus Christum. Ergo in carne est filius, & solus non est, secundum quod scriptum est: Et non sum solus, quia pater mecum est, & putas quod sit pater solus in luce? An ne hoc argumentum * putes, accipe etiam testimonium: Deum, inquit, nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quomodo solus pater, si in sinu patris filius est? quomodo enarrat quem non videt? Non ergo solus pater. Accipe nunc & solum patrem, & solum filium. Solus pater, quòd alius pater non est. Solus filius, quod alius filius non est. Solus deus, quòd vna diuinitas trinitatis est.

Psal. 88.
Sapien. 8.
Ezech. 18.
Eccles. 11.
Hebr. 2.
Matth. 10.
Ioan. 1.
Ioan. 8.
Ioan. 1.
* at ne hoc argutum, &c.

Quomodo filius factus intelligatur. Quemadmodum etiam omnia per ipsum facta sint, cum diuersorum hæreticorum confutatione.

Caput III.

SAtis ergo claret, & solum deum non esse patrem sine filio, & solum deum non intelligi filium sine patre. In quo autem factus sit, per os sancti patriarchæ locutus asseruit dicēs: Quia repleta est malis anima mea, & vita mea in inferno appropinquauit: Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Et hic sicut homo, inquit, non sicut deus, factus sum. Et repleta est malis anima mea. Anima vtique, non diuinitas. Factus est in eo in quo erat infernus debitus, factus est in eo in quo cum aliis æstimatur, diuinitas enim similitudinem collationis abiurat, & tamen in ipsa carne morti obnoxia maiestatem aduerte diuinitatis in Christo. Et si factus est sicut homo & sicut caro factus est, tamen inter mortuos liber, & liber sine adiutorio. Sed quomodo hic sine adiutorio fuisse se filius dicit, cùm supra dictum sit: Posui adiutorium super potentem? Ergo & hic distingue naturas. Adiutorium caro habet, diuinitas non habet. Liber igitur est qui

Psal. 87.
Psalm. 88.

A mortis vincula nesciuit, non captus ab inferis, sed qui operatus sit in infernis: sine adiutorio est, quod non per nūcium, neque legatum, sed ipse per se dominus saluum fecit populum suum. Quomodo enim potuit adiutorium sui corporis quærere suscitandi, qui alios suscitauit? Ac licet homines quoque resuscitauerint mortuum, non in sua tamen virtute fecerunt, sed in Christi nomine. Aliud est rogare, aliud imperare: aliud mereri, aliud donare. Helias ergo suscitauit, sed orauit, non imperauit. Helisæus suscitauit configuratus mortuo, suscitauit etiam ipsius mortui corporis tactus, vt esset typus venturum eum qui missus in similitudine carnis humanæ etiam sepultus mortuos suscitaret. Petrus quoque cùm Æneam curaret, ait: In nomine Iesu Nazareni surge & ambula. Non in suo ait, sed in Christi nomine. Surge autem, verbum est imperantis, sed fiducia de merito est, non præsumptio de potestate, & de nominis operatione, non de sua virtute præceptionis autoritas. Quid igitur Arriani dicunt? In nomine Christi & Petrus imperat, & illi nolunt imperasse dei filium, sed rogasse. Sed lectum est quòd rogauit. Discedi stantiam: Rogat quasi filius hominis, imperat quasi dei filius. An non defertis hoc dei filio, quod etiam diabolus detulit? Et vos maiore sacrilegio derogatis. Ille dicit: Si filius dei es, dic lapidi huic vt fiat panis. Ille dicit impera, vos dicitis obsecra. Ille credit quòd iubente dei filio elementorum rerúmque in aduersum natura vertatur, vos creditis quòd nisi roget dei filius, nec voluntas ipsius impleatur. Et diabolus ex potestate æstimandum putat dei filium, vos de infirmitate. Tolerabiliora sunt tentamenta diaboli, quàm argumenta sint Arrij. Nec moueat quòd potentem filium dixit hominis, cum dominum maiestatis legeris crucifixum. Quæ autem maior potentia, quàm supra cœlestes potestates habere dominatum? Habebat autem qui thronis, dominationibus, angelis imperabat. Nā & si erat inter bestias, sicut scriptum est, tamen angeli ministrabant ei: vt agnoscas aliud incarnationis esse, aliud potestatis: secundum carnem itaque tentatur à bestiis, secundum dignitatem ab angelis adoratur. Didicimus igitur factum esse hominem, & ad hominem hoc esse referendum. Denique & alibi habes: Qui factus est ei ex semine Dauid, secundum carnem vtique ex semine Dauid factus est: Deus autem ante secula ex deo natus est. Nec semper tamē factum esse ad creationem refertur. Scriptum est enim: Domine refugium factus es nobis, Factus es mihi in salutem. Non vtique creationis definitio vel editio declaratur. Sed refugium factus mihi, & conuersus mihi dicitur ad salutem, sicut & Apostolus dixit: Qui factus est nobis sapientia à deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Nobis factum, non creatum ex patre dixit. Denique quomodo dicat factum nobis esse sapientiam, in posterioribus exposuit dicens: Sed loquimur dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit deus ante tempora secularia in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent. Vbi mysterium passionis exprimitur, non vtiq; generationis æternæ series declaratur. Sapientia igitur mea, crux domini est: redemptio mea, mors domini est. Sanguine enim precioso redempti sumus, vt Apostolus Petrus dixit. Sanguine igitur suo quasi homo, dominus nos redemit, idémque quasi deus peccata donauit. Non ergo in verbis quasdam constituamus insidias, & verborum tendiculas aucupemur, vt quia & aliud secundum impios significare putatur sermo qui legitur, non id quod sensus exprimat, sed quod litera ostendat, interpretemur. Sic perierūt Iudæi dum sensuum profunda despiciunt, & sequuntur nuda verborum. Litera enim occidit, spiritus autem viuificat. Et tamen inter duo grauia sacrilegia fortasse detestabilius sit ad diuinitatem referre quæ carnis sunt, quàm ad literam referre quæ spiritus sunt. Illi timuerunt in deo carnem credere, & ideo redemptionis gratiam perdiderunt, quia causam salutis abiurant. Isti diuinitatis maiestatem vsque ad carnis infirma deducunt. Detestādi Iudæi qui carnem domini crucifixerunt, detestabiliores tamen eos arbitror, qui diuinitatem Christi cruci subditam crediderunt. Denique qui cum Iudæis sæpe tractabat, hæreticum, inquit, post vnam correptio-

2. Reg. 17.
4. Reg. 4.
4. Reg. 13.
Act. 9.
Lucæ 4.
Marc. 1.
Roman. 1.
Psalm. 89.
1. Corin. 1.
1. Cor. 2.
Ibidem.
1. Petri 1.
2. Corin. 3.
Ad Tit. 3.

ptionem deuita. Nec tamen ſine iniuria patris factum nobis eſſe ſapientiam,ad illam inenarrabilem nec vllis temporibus momentiſque obnoxiam Chriſti generationem ſacri lega interpretatione deriuant. Nam præter id quod filij iniuria patris eſt contumelia, etiam in patrem ſacrilegia iſtà
Roman.3. procedunt,de quo ſcriptum eſt:Eſt autem deus verax, omnis autem homo mendax.Aut ſi de filio putant dictum,generationi quidem non præiudicant, quia deum verum huius lectionis authoritate,quod abnuunt,confitentur. Prolixum eſt ſi velim ſingula recenſere quotiens factum legerimus,non vtique per naturam,ſed per gratiam.Nam & Moy
Exod.15. ſes dicit: Adiutor & protector factus eſt mihi in ſalutem. Et
Pſal.30. Dauid dicit:Eſto mihi in deum protectorem,& in domum refugij,vt ſaluum me facias. Et Eſaias dicit: Factus es omni ciuitati humili adiutor.Non vtique ſancti deo dicunt: Creatus es, ſed protector & adiutor per gratiam tuam factus es nobis.Vnde nec illud verendum eſt quod ſolent Arriani ſæua interpretatione componere,dicentes factum eſſe dei ver
Ioan.1. bum:quia ſcriptum eſt,inquiunt: Quod factum eſt in ipſo, vita erat.Primum intelligant,ſi ad ſubſtantiam diuinam referant,quod factum eſt,Manichæorum ſe quæſtionibus implicari. Obiiciunt enim Manichæi: Si quod in ipſo factum eſt, vita eſt: eſt ergo aliquid quod in ipſo factum non ſit, & mors ſit, vt duo impiè inducant principia. Sed hoc damnat eccleſia. Deinde vnde poſſunt docere ſic pronunciaſſe euangeliſtam?Plerique enim docti & fideles ſic pronunciant:Omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. Alij ſic: Omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil.Deinde:Quod factum eſt,pronunciant, & ſubiungunt:In ipſo,hoc eſt:Quicquid autem factum eſt,
Actuũ 17. eſt in ipſo.Quid eſt,in ipſo?Apoſtolus docet dicens: In ipſo ſumus,& viuimus, & mouemur. Tamen etiam ſi quemadmodum velint pronuncient, non poſſunt hinc calumniari deo verbo,ſi ad ſubſtãtiam eius velint referre,quod factum eſt,quin calumniẽtur & patri deo,de quo ſcriptum eſt: Qui
Ioan.3. autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius quod in deo ſunt facta.Ecce hîc opera hominis in deo facta legimus, & ad ſubſtantiam tamen diuinam referre non poſſumus. Sed aut per ipſum facta cognoſcimus, vt
Coloſ.1. eſt illud apoſtolicũ,quod omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt,& ipſe eſt ante omnes,& omnia in ipſo conſtãt.Aut vt docet præſentis lectio teſtimonij, virtutes quibus vitæ æternę fructus acquiritur,in deo facta eſtimare debemus,charitatem,pietatem,religionem,fidem,& alia huiuſmodi, quæ in voluntate dei facta ſunt.Ergo ſicut in dei patris,ita etiam
Epheſi.2. in Chriſti volũtate & virtute facta ſunt,ſicut legimus: Creati in Chriſto in operibus bonis.Et in Pſalmo:Fiat pax in virPſal.121. tute tua.Et alibi:Omnia in ſapientia feciſti. In ſapientia, inPſal.103. quit, feciſti, non ſapientiam feciſti. Nam cùm omnia in ſapientia facta ſint,Chriſtus autem dei ſapientia ſit, non accedens vtique,ſed ſubſiſtens & permanens in æternum, ſi facta eſt ſapientia,iam deteriore conditione facta eſt,quam omnia,eo quod ſapientia fieri per ſeipſam non potuit.Ergo ſi factum eſſe frequenter ad aliud,non ad naturam refertur,etiam creatum eſſe ad cauſam refertur.

Quid ſignificet quod de incarnatione domini ſcriptum eſt: Deus creauit me principium viarum ſuarum.

Caput IIII.

VNDE intelligimus illud quod de incarnatione domini ſcriptum eſt:Dominus creauit me principium viarum ſuarum in opera ſua, id
Prouer.8. ſignificare quod ad redimenda opera patris, dominus Ieſus ex virgine ſit creatus. Neque enim dubitari poteſt de incarnationis dictum eſſe myſterio, cum propter opera ſua corruptelæ ſeruitio liberanda dominus ſuſcéperit carnem,vt illum qui imperium habebat mortis,per ſui corporis deſtrueret paſſionem. Caro enim Chriſti propter opera,diuinitas ante opera,quia ipſe ante omnia, & omnia in ipſo conſtant.Non ergo diuinitas propter opera,ſed propter diuinitatem opera, ſicut Apoſtolus declarauit dicens,quod propter filium dei omnia. Sic enim habes:
Hebr.2. Decebat autem eum per quem omnia, & propter quem omnia,multis filiis in gloriam adductis,ducem ſalutis eorum per paſſionẽ conſummari.Nonne euidenter expoſuit quod dei filius qui propter diuinitatẽ ſuam omnia creauit, is poſtea propter populi ſalutem & carnis ſuſceptionem,& mortis aſſumpſerit paſſionem?Propter quæ autem opera ſit creatus ex virgine,ipſe dominus cùm illum cæcum curaret,oſtendit
Ioan.9. dicens: In illo me oportet operari opera eius qui miſit me. Et addidit,vt de incarnatione dictum crederemus: Cùm in hoc mundo ſum,lux ſum huius mundi.Etenim quaſi homo in hoc mundo pro tempore eſt, nam quaſi deus ſemper eſt.
Matth.28. Denique alibi ait:Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem mundi.Nec de principio reſidet aliquid quæſtionis,
Ioan.8. cùm interrogatus in carne: Tu quis es? reſponderit: Principium,quod & loquor vobis. Quod non ſolum ad diuinitatis æternitatem refertur,ſed etiam ad documenta virtutum. Ex hoc enim & deum ſe probauit æternum, quia omnium ipſe principium eſt,& vniuſcuiuſque virtutis autor eſt, quia
Coloſ.1. eccleſiæ caput eſt,ſicut ſcriptum eſt:Quia ipſe caput corporis eccleſiæ,qui eſt principium,primogenitus ex mortuis.Liquet igitur & de incarnatione dictum eſſe principium viarum ſuarum,quod ad ſacramentum ſuſcepti corporis videtur eſſe referendum. Ideo enim carnem ſuſcepit, vt ad cœlum nobis ſterneret iter. Denique ait: Aſcendo ad patrem meum,& ad patrem veſtrũ:deum meum & deum veſtrum. Denique vt ſcias quòd vias ſuas omnipotens pater ſecũdum
Zachar.3. incarnationem præſcripſerit filio, habes in Zacharia ad Ieſum indutum veſtimenta ſordida,ab angelo dictum:Hæc dicit dominus omnipotẽs:Si in viis meis ambulaueris,& præcepta mea cuſtodieris. Quod eſt veſtimentum illud ſordidum, niſi carnis aſſumptio? Viæ igitur domini velut quidam tramites bonæ vitæ ſunt, qui diriguntur à Chriſto, qui
Ioan.14. ait:Ego ſum via,& veritas,& vita. Via ergo ſuperna, eſt dei virtus.Chriſtus enim nobis via eſt,& bona via,quæ credentibus cœli regna patefecit. Viæ autem domini, viæ rectæ
Pſal.15. ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Vias tuas domine notas fac mihi. Via caſtitas,via fides,via eſt abſtinentia. Eſt nanque via vir-
Pſal.138. tutis, eſt & via iniquitatis. Scriptum eſt enim: Et vide ſi eſt via iniquitatis in me. Principium itaque noſtræ virtutis eſt
2.Cor.8. Chriſtus. Principium integritatis, qui docuit, virgines non viriles expectare concubitus, ſed integritatem mentis & corporis, ſancto magis dicare ſpiritui, quàm marito. Principium parſimoniæ Chriſtus,qui pauper factus eſt, cùm eſſet diues. Principium patientiæ Chriſtus, qui cùm male-
1.Petr.2. diceretur, non maledixerit: cùm percuteretur, non repercuſſit.Principium humilitatis Chriſtus,qui formam ſerui ac
Philip.2. cepit, cùm patrem deum maieſtate virtutis æquaret. Ex illo enim accepit virtus vnaquæque principium. Et ideo vt
Eſaiæ 9. hæc virtutum genera diſceremus, filius datus eſt nobis, cuius principium ſuper humeros eius. Principium illud, crux domini eſt, principium fortitudinis, quo via ſanctis eſt reſerata martyribus ad ſacri certaminis paſſionem. Vidit hoc
Ibidem. principium Eſaias,& ideo ait:Puer natus eſt nobis,filius datus eſt nobis. Viderunt magi,& ideo cùm paruulum in præſepi cernerent,adorauerunt,dicentes: Puer natus eſt nobis.
Matth.2. Cùm ſtellam conſpicerent,prædicantes, filius datus eſt nobis. Aliud munus terris, aliud munus eſt cœlo, & vtrunque vnus in vtroq; perfectus, & ſine mutabilitate diuinitatis, & ſine humanæ imminutione naturæ. Vnum adorauerunt,eidémque munera obtulerunt,vt oſtenderent ipſum eſſe cœli dominum,qui in præſepibus vigeretur. Diſtingue ſingulorum momenta verborum:Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis.Et ſi ex patre natus,non tamen nobis natus,ſed datus eſt: quia non filius propter nos, ſed nos propter filium. Neque enim nobis natus eſt,qui & ante nos natus eſt,& totius eſt cõditor creaturæ. Neque nunc primum naſcitur qui erat ſemper,& erat in principio,ſed illud quod non erat,nobis naſcitur. Quod etiam angelus paſtoribus cùm loquere tur dixit eſſe generatum, ſicut habes ſcriptum: Quia natus eſt vobis hodie ſaluator qui eſt Chriſtus deus in ciuitate Da uid: nobis ergo quod non erat natum eſt, hoc eſt, puer ex virgine,corpus ex Maria.Hoc enim poſt nos,illud ante nos. Alij ſic habent: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis. Hoc eſt,qui erat filius dei,hic ex Maria puer natus eſt nobis,

&

& datus est nobis. Qui datus sit, audi prophetam dicentem:
Psal.84. Et salutare tuum da nobis. Quod enim supra nos est, datur:
quod de cœlo est, datur: sicut etiam alibi de spiritu legimus,
Roman.5. quod charitas dei effusa est in cordibus nostris per spiritum
sanctum qui datus est nobis. Sed vide quemadmodum hic
locus multas hæreses extinguat. Puer natus est nobis: nobis,
non Iudæis: nobis, non Manichæis: nobis, non Marcionitis.
Propheta dicit: Nobis, hoc est credentibus, non incredulis:
Et ille quidem misericordia sua omnibus natus est. Sed per-
fidia hæreticorum fecit, vt non omnibus nasceretur qui om
Matth.5. nibus natus est. Nam & lumen diei oriri iubetur super bo-
nos & malos: sed oriri non videntibus non videtur. Sicut er
go puer non omnibus natus est, sed fidelibus, sic filius non
infidelibus datus est, sed fidelibus nobis datus est, non Foti-
nianis. Illi enim non datum nobis dei filium dicunt esse, sed
ab initio inter nos natum. Nobis, non Sabellianis. Illi enim
nolunt filium datum, eundem asserentes patrem esse quem
filium. Nobis, non Arrianis, & ipsi enim non habent filium
pro salute datum, sed pro infirmitate transmissum. Non ha-
bent consiliarium quem putant futura nescisse, non habent
filium, quem sempiternum non putant, cùm scriptum sit de
Ioan.1. verbo dei, quòd erat in principio. Et alibi: In principio erat
Prou.8. verbum. Deniq; vt ad propositum reuertamur exemplum:
In principio, inquit, antequam terram faceret, & antequam
produceret fontes aquarum, ante omnes colles genuit me.
Fortasse dices, quomodo de incarnatione Christi dictum es-
se memorauerim, Dominus creauit me, cùm ante incarna-
tionem Christi creatura sit mundi? Sed considera quòd mo-
ris est scripturis diuinis, & futura pro præteritis dicere, & ge
minam in Christo significare substantiam, diuinitatis, & car
nis, ne quis aut diuinitatem neget eius aut carnem. Nam sic-
Esaiæ 9. ut in Esaia habes: Puer natus est nobis, filius datus est nobis,
ita hic quoque antè præmisit creaturam carnis, & subtexuit
assertionem diuinitatis, vt scires nō duos Christos, sed vnum
esse, qui & ante secula generatus sit ex patre, & vltimis tem-
poribus creatus ex virgine, hoc est: Ego sum ille creatus ex
Prouer.8. homine, creatus ad causam, qui sum generatus ante secula.
Denique dicturus, Dominus creauit me, præmisit: commemorabo quæ à seculo sunt. Dicturus genuit, premisit, in prin
cipio, antequam terram faceret, ante omnes colles genuit
me. Antè, cum dicitur, in infinitum retro sine aliqua defini-
Ioan.8. tione porrigitur. Denique ante Abraham, inquit, ego sum,
non vtique post Adam: & ante luciferum, non vtique post
angelos. Sed ante, cum dicit, non se intra aliquem, sed omnia
intra se dicit. Sic enim moris est æternitatem dei scripturis
significare diuinis. Denique alibi habes: Priusquam montes
Psalm.89. fierent, aut formaretur orbis terræ, à seculo & vsque in secu
lum tu es. Ante omnia ergo generatio, inter omnia & pro-
pter omnia creatura. Natus ex patre supra legem, factus ex
Maria sub lege.

De solutione obiectionis sumptæ ex eo quod scriptum est: Post me venit vir, qui ante me factus est: cum confutatione erroris Arrianorum. Et quomodo iuxta mysticam intelligentiam historiæ de Booz & Ruth designatus fuerit Christus, qui ecclesiam sibi copulauit. Quomodo etiam sæpe ad causam pertineat cum Christus dicitur factus. Quomodo deniq; ipse idem sacerdos sit & hostia. Cap. V.

Ioan.1. SED scriptum est: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Vnde dicunt: Ecce qui erat, factus est. Ipsa verba perpendamus, post me, inquit, venit vir. Vir ergo est qui venit, ipse qui factus est, vir autem nomen est sexus. Sexus autem non vtique diuinitati, sed naturæ deputatur humanæ. Possem ergo dicere: Erat in præcognitione quidem corporis, sed æternitate virtutis. Nam & ecclesia erat, & sancti erant prædestinati ante sæcula. Sed non id loco hoc dico: sed illud assero, factum esse, non ad diuinitatem, sed ad incarnationis pertinere naturam, sicut ipse Ioannes dixit: Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est. Itaque cùm geminam, sicut supra dixi, in Christo substantiam proposuisset, vt vtranque intelligas & diuinitatis & carnis, hoc loco cœpit à carne. Est enim scripturis promiscua consuetudo diuinis, vt interdum à diuinitate Christi incipiant, & ad incarnationis

A sacramenta descendant: interdum ab humilitate incarnationis exordium sumant: & ad gloriam diuinitatis assurgant, vt in prophetis, euāgelistis, frequenter & in Paulo. Ergo & hic iuxta memoratam consuetudinem ab incarnatione domini cœpit de eius diuinitate dicturus, non vt confunderet humana atq; diuina, sed vt distingueret. Verùm Arriani, velut Iudaici caupones, miscent aquam cum vino: quia diuinam generationem humanámque confundūt, ad diuinitatem referentes quod de carne sit dictum. Nec metuo quod obiecturi videtur, quod in superioribus non habet virum. Sic enim habet: Qui post me venit. Sed vide, antè ibi quid præmi
serit: Verbum, inquit, caro factum est. Et ideo non addidit Ioan.1.
virum: quia carnem dixerat. Per carnem autem virum intelligimus, & per virum carnem. Ergo quod dixerat: Verbum caro factum est, virum hoc loco nominare superfluum fuit, quem iam carnis expressione significauerat. Quo exemplo in posterioribus quoq; & agnum præmisit, qui tolleret peccatum mundi Et vt incarnatum intelligeres, quem ante me
B morauit, ait: Hic est de quo ante dixi, post me venit vir qui ante me factus est, hoc est, virum dixi, non deum factū. Sed vt ipsum incarnatum declararet esse, qui ante sæcula erat, ne duos filios crederemus, ait: Quia prior me erat. Nam si, factus est, ad diuinam generationem retulisset, quid opus fuerat vt adhuc adderet tertium, atque iteraret quod supra dixerat? Sed quia ante de incarnatione tantum dixerat: Post me venit vir, qui ante me factus est, ideo addidit: Quia prior me erat, quoniam diuinitatis æternitas fuerat exprimenda. Et hæc est causa prælationis, vt meritò antelatus videatur, qui proprij patris sempiterna virtus est. Dat tamen intellectus 1.Corin.1.
spiritalis vbertas, vt excurrere & euagrari ad concludendos libeat Arrianos, qui volunt factum hoc loco non ad virum, sed ad diuinitatem referre. Quid est enim tenere quod possint, cùm dixerit Baptista: Post me venit, qui ante me factus est, hoc est, supra meritū meum factus, supra meam gratiam: tempore carnis posterior, diuinitatis honore venerabilis. Post me enim venit, temporis est: prior me erat, æternitatis: ante me factus est, honoris est, quia etiam incarnationis my
C sterium supra humanam est gratiam. Denique in inferioribus, quid suprà contexuisset, expressit, dicens: Post me venit vir, cuius non sum dignus calceamenta portare. Præstātiam vtique dignitatis, non æternitatem diuinæ generationis exponens. Quod eo vsque ad incarnationem pertinet, vt typum in hominibus mysticè calceamēta antè præmiserit. Lege enim proximo defuncti, vel fratri copula deferebatur eius vxoris, vt semen fratris vel proximi resuscitaret. Vnde Ruth 2.
quod Ruth, licet illa alienigena, tamen quia maritum habuerat ex Iudęis, qui reliquerat superstitem proximum, eámque colligētem manipulos suæ messis, quibus alebat & socrum, Booz vidit & amauit, nō aliter eam accepit vxorem, nisi calceamentum eius antè soluisset, cui vxor debebatur ex lege. Historia simplex, sed alta mysteria: aliud enim gerebatur, aliud figurabatur. Nam si secundum literam sensum torqueamus, propè quidam pudor est, & horror in verbo est, si ad commixtionis corporeæ consuetudinem sententiam intellectúmque referamus. Designabatur autem futurus ex Iu-
D dæis, ex quibus Christus secundum carnem, qui proximi sui, hoc est, populi mortui semen, doctrinæ cœlestis semine resuscitaret, cui calceamentum nuptiale ecclesiæ copulandæ præscripta legis spiritalia deferebant. Non Moyses sponsus. Illi enim dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum, Exod.3.
vt domino suo cedat. Non Iesus Naue filius sponsus. Nam & ipsi dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum, ne ex similitudine nominis sponsus ecclesiæ crederetur. Non a- Iosuæ 5.
lius sponsus, sed solus Christus, & sponsus de quo dixit Ioannes: Qui habet sponsam, sponsus est. Illis igitur calcea- Ioan.3.
mentum soluitur, huic solui non potest, sicut dixit Ioannes: Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius. Solus Ioan.1.
ergo Christus est sponsus, cui illa veniens ex gentibus sponsa, ante inops atque ieiuna, sed iam Christi messe dives, nubat: quæ manipulos fœcundæ segetis verbíque reliquias gremio legat mentis interno, vt exhaustam illam viduam morte filij, atq; inopem defuncti populi matrem nouis pascat alimentis, non relinquēs destitutam viduam, & nouos quęrēs.

Solus ergo Christus est sponsus, qui nec synagogæ ipsi manipulos suæ messis inuidebat. Vtinam seipsam non excluderet. Habuit quos per se colligeret, sed quia sponsus eius est mortuus, quasi filio egena defuncto, per ecclesiam manipulos quibus viueret colligebat, quos venientes in exultatione
Psal.125. portabunt, sicut scriptum est: Venientes autem venient in exultatione, tollentes manipulos suos. Quis enim sibi alius sponsam audeat ecclesiam vindicare, quam à Libano vnus & solus vocauit, dicens: Ades huc à Libano sponsa, ades huc
Cantic.4. à Libano? Aut de quo alio potuit ecclesia dicere: Fauces eius
Cantic.5. dulcedines: & totus desiderium? Et quia de calceamento pedum tractatum sumpsimus, cui alij nisi verbo dei incarnato conuenit dici: Crura eius columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas? Solus enim Christus inambulat animis, & graditur in mente sanctorum, in quibus velut aureis basibus fundamentísque preciosis solidata vestigia verbi cœlestis hæserunt. Claret igitur hinc & virum & typum ad incarnationis spectare mysterium, non ad substantiam diuinitatis, sed ad incarnationem. Sæpe nonnunquam etiam ad causam pertinet, cùm dicitur factus. Nam si ad diuinitatem refers: ergo & in opprobrium deus factus est. Sic enim habes:
Psal.88. Tu autem repulisti, & ad nihilum redegisti, dispulisti Christum tuum. Et infra: Factus est in opprobrium vicinis suis. Et vicinis, inquit, non ciuibus, non domesticis, non adhæren-
1.Corin.6. tibus: Quoniam qui adhæret domino, vnus spiritus est. Qui vicinus est, nõ adhæret. Factus est in opprobrium, quia crux
1.Cor.1. domini Iudæis scandalum, Græcis stultitia. Nam sapiẽtibus per eandem crucem excelsior factus est cœlis, excelsior angelis, & melioris testamenti factus est sponsor, ipse qui erat prioris. Vide quàm non refugiam ista, vt etiam congeram.
Hebr.1. Sed quomodo factus sit considera: primum quòd purificatione facta consedit in dextera magnitudinis in excelsis, tanto melior factus angelis. Vbi purificatio hostia, vbi hostia corpus, vbi corpus oblatio, vbi munus oblationis: ibi sacrifi-
Hebr.7. cium passionis. Deinde sponsor melioris testamenti. Vbi testamentum, mors necesse est præcedat testatoris, sicut sub-
Hebr.9. ter est scriptum. Mors autem non ad diuinitatis æternitatem, sed ad fragilitatem refertur humanam. Excelsior quoque cœlis factus quomodo sit ostenditur. Immaculatús, in-
Hebr.7. quit, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet quotidie necessitatem, sicut sacerdotes prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo, sicut scriptum est. Nemo excelsior factus dicitur, nisi qui in aliquo fuerit humilior. In eo igitur excellentior factus est, sedendo ad dexteram patris, in quo se minor angelis factus obtulit passioni. Postremò ipse A-
Philip.2. postolus ad Philippenses ait quod in similitudinem hominis factus est, specie inuentus vt homo, humiliauit semetip sum, factus obediens vsque ad mortem. Vide vbi factus sit: in similitudine, inquit, hominis, non in potestate dei: & factus obediens vsque ad mortem, vt obedientiam quidem hominis habuerit, regnum diuinitatis. Quantis igitur adhuc vtemur exemplis ad incarnationem vel aliquid referendum esse quod factus est. Quod autem & factum est, idem est &
Psalm.148. creatum. Dixit enim, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Creatum quoque supra ostendimus in libro primo de incarnatione dictum videri. Ipse etiam apostolus asserendo seruiendum non esse creaturæ, significauit ex deo filium non creatum esse, sed genitum: tamen etiam alibi vt manifestaret quomodo in Salomone sit lectũ, Dominus creauit me:
Prouer.8. quid in Christo creatum esset, ostendit. Itaque totius seriem
Hebr.2. capitis recenseamus. Sic enim habes: Ergo quia filij participes sunt sanguinis & carnis, & ipse similiter particeps factus est eorundem, vt per mortem destrueret hunc, qui mortis habebat imperium. Quis ergo est qui nos participes suæ voluit esse carnis & sanguinis? vtique dei filius. Quomodo nisi per carnem particeps factus est noster, aut per quam, nisi per corporis mortem, mortis vincula dissoluit? Morti enim mors facta est susceptio mortis in Christo. Ergo de incarnatione proposuit. Videamus sequentia. Nec enim statim an-
Ibidem. gelos, inquit, assumpsit, sed semen Abrahæ, vnde habuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret & fidelis princeps sacerdos à deo, vt expiaret peccata populi. In quo enim

A passus est ipse & tentatus, potest & tentatos iuuare. Propter Hebr.2.
quod fratres sanctissimi vocationis cœlestis participes intue
mini Apostolum & principem sacerdotum confessionis nostræ Iesum fidelem esse creatori suo, sicut Moyses in domo
eius asserit. Hæc nempe verba sunt Apostoli. Videtis in quo
creatum dicat, in quo assumpsit, inquit, semen Abrahæ: cor- Hebr.2.
poralem vtique generationem asserit. In quo autem nisi in
corpore expiauit populi peccata? In quo passus est nisi in cor
pore? sicut & supra diximus: Christo passo secundum car-
nem. In quo sacerdos, nisi in eo quod sacerdotali assumpsit
ex genere? Et sacerdos enim aliquid debet offerre, & secun- Hebr.9.
dum legem in sancta intrare. Per sanguinem ergo, quia san-
guinem taurorum hircorúmque repudiauerat deus, hunc v-
tique sacerdotem per suum sanguinem, sicut legisti, in san-
cta sanctorum cœli summa penetrantem oportebat intrare,
vt æterna nostrorum esset ablutio peccatorum. Idem ergo
sacerdos, idem & hostia, & sacerdotium, tamen & sacrifi-
cium humanæ cõditionis officium est. Nam & agnus ad im-
B molandum ductus est, & sacerdos erat secundum ordinem
Melchisedech. Nemo igitur vbi ordinẽ cernit humanæ con-
ditionis, ibi ius diuinitatis adscribat. Nam & illum Melchi-
sedech per quem Abraham hostias suas obtulit, non ange-
lum vtique secũdum Iudaica ludibria intelligit ecclesia, sed Hebr.7.
virum sanctum, ac sacerdotem dei, qui typum gerens domi-
ni, & sine patre, & sine matre, & sine generationis enarratio
ne, & sine initio, & sine fine describitur, vt ostenderet sempi
ternum filium dei in hunc mundum esse venturum, qui &
sine patre secundum incarnationem natus est, & sine matre
secundum diuinam generationem, & sine enarratione ge-
nerationis, quia scriptum est: Generationẽ autem eius quis Esaiæ 53.
enarrabit? Ergo illum Melchisedech in Christi typo sacerdo
tem dei accipimus. Sed illum in typo, hunc in veritate, typus
autem vmbra est veritatis. Illum in nomine vnius ciuitatis,
hunc regem in reconciliationẽ totius mundi: quia scriptum
est: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, hoc est, 2.Cor.5.
sempiterna diuinitas. Aut si pater in filio, sicut filius in patre,
C & substãtiæ vtique & operationis vnitas non negatur. Quo-
modo autem negare meritò possunt etiam si velint, cùm scri
ptum sit: Pater autem in me manens, ipse loquitur, & ope- Ioan.14.
ra quæ ego facio ipse facit? Non dixit, & ipse facit, ne simili-
tudinem magis quàm vnitatem operis æstimares. Sed dicen
do, quæ ego facio, ipse facit: manifestũ reliquit quòd vnum
opus patris & filij credere debeamus. Denique vbi similitu-
dinem operum, non vnitatem voluit intelligi. Qui credit, in Ibidem.
quit in me: opera quæ ego facio, & ipse faciet. Bene hic in-
terponendo, &, similitudinem nobis donauit, vbi vnitatem
naturalẽ negauit. Vnum est igitur opus patris & filij, etiam
si non plàcet Arrianis.

Quòd patris & filij vnum sit regnum, & non diuisum, sicut Arriana sæuitas asseruit. Cap. VI.

QVæro autem quomodo regnum velint pa-
tris & filij esse diuisum, cùm dominus dixe-
rit, vt supra ostendimus: Omne regnum in- Matth.12.
ter se diuisum, facilè destruetur. Et ideo ad
excludendum Arrianæ sacrilegium sæuita- 2.Petri 1.
D tis, vnum imperium patris & filij, etiam Pe-
trus sanctus asseruit, dicens: Quapropter satisagite fratres
certam vocationem & collectionem facere. Hæc enim fa-
cientes non errabitis. Sic enim abundantius ministrabitur
introitus in æternum imperium dei & domini nostri conser
uatoris Iesu Christi. Aut si quis de Christi tantum imperio
dictum putat, & hoc ideo sic accipit, vt patrem filiúmque
potestate secernat, is tamen & regnum filij fatebitur, & æter
num. Itaque non solùm duo inducent regna diuisa, vt obno-
xia sint defectui, sed etiam cùm regna cõparabilia nulla sint
dei regno, quod filij esse etiam si velint negare, non possunt:
aut contra suam sententiam ridebunt, vt idem patris & filij
regnum esse fateantur. Aut, quod sacrilegium est dicere: Ius
patri regni minoris adscribent. Aut, quod contrarium est,
quẽ minorẽ diuinitate impiè memorant, eius regnũ fatebun
tur æquale. Sed hoc non quadrat, non cõgruit, non cohæret.
Dicant igitur vnum esse regnum, sicut nos dicimus & pro-
bamus. Probamus autem non nostris, sed cœlestibus testi-
mo-

moniis. Primum enim etiam aliis exẽplis discе regnum cœ- A
lorum regnum filij esse. Ipse enim dixit: Amen amẽ dico vo-
Marc.9. bis, quoniam sunt aliqui de istis astantibus, qui non gusta-
bunt mortem, donec videant filium hominis venientem in
regnum suum. Dubitari ergo non potest quòd sit regnum fi
Matth.16. lij dei, sed accipe ipsum esse regnum filij quod patris est. A-
men dico vobis, quòd sunt quidam circũstantiam, qui non
gustabunt mortem, donec videant regnum dei venientis in
virtute. Eo enim vsque regnum est, vt vnum sit præmium.
Idem hæres, eadem merita, idem sponsor, quomodo non
Ibid.13. idem regnum, cùm præsertim ipse de se filius dixerit: Tunc
iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui? Quòd enim pa
tris est per maiestatis proprietatem, id etiam filij est per eius
dem claritudinis vnitatem. Ergo & patris regnum scriptura
dixit, & filij. Accipe nunc quòd vbi regnum dei dicit, nec
patris nec filij separat potestatem, quia & patris vnum & fi-
Lucæ 13. lij regnum vno dei nomine comprehẽdit, sicut habes Cùm
videritis Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in
regno dei. An negamus in regno filij prophetas esse, cùm
Ibid.23. & latroni dicenti: Meméto mei cùm veneris in regnum tu- B
um: respondebit dominus: Amen amen dico tibi, hodie me-
cum eris in paradiso? Aut quid est esse in regno dei, nisi æter
nam nescire mortẽ: Qui autem nesciunt æternam mortem,
vident filium hominis veniẽtem in regnum suum. Quomo
do ergo potest non in potestate habere quod donat, dicens:
Matth.16. Tibi dabo claues regni cœlorum? Et videto distantiam. Ser
uus aperit, dominus largitur. Iste per se, ille per Christum.
Famulus claues accipit, dominus ordinat potestates. Aliud
ius donantis, aliud dispensantis obsequium est. Accipe ad-
huc vnum regnum, vnum imperium esse patris & filij. Ha-
bes ad Timotheũ: Paulus apostolus Iesu Christi secundum
imperium dei saluatoris nostri, & Iesu christi spei nostræ.
Vnum igitur patris & filij regnum euidenter est declaratũ,
Ephes.3. sicut & Apostolus Paulus asseruit, dicens: Hoc autẽ scitote,
quod omnis impudicus, aut immundus, aut auarus, quod
est idololatria, non habet hęreditatẽ in regno Christi & dei.
Ergo vnum regnum, & vna diuinitas. Vnam diuinitatem lex
probauit, quę dicit vnum deũ. Probauit & Apostolus dicen- C
Colos.2. do de Christo: In quo habitat omnis plenitudo diuinita-
tis corporaliter. Si enim iuxta Apostolum, plenitudo om-
nis corporaliter diuinitatis in Christo est, aut vnius diuini-
tatis patrem & filium fatebuntur: aut si patris & filij diuinita
tem cupiunt separare, cùm omnem plenitudinem diuinita-
tis corporaliter filius habeat, quid est quod patri æstimant
amplius adscribendum, cùm amplius nihil sit plenitudine,
& plenitudo perfectio sit? Ergo vna diuinitas.

Quòd vna sit maiestas, & vna gloria, vna quoque substantia patris & filij, cum redargutione Arrianorum. Et quemadmodum fraudem eorum cauere debeamus. Caput VII.

IMaginem autem vnam & similitudinẽ vnam su-
pra diximus. Supereſt vt vnius quoque maiesta-
tis patrem filiúmque doceamus. Nec longe abe-
rit. Cùm enim ipse dixerit de se filius: Cùm autẽ
Matth.25. venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum
eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. Ecce filij ex-
pressa est maiestas. Quid ei deest, cuius increatã maiestatem
negare non possunt? Est ergo filij maiestas, Accipiãt nunc, vt D
dubitare non possint, quod patris & filij vna maiestas sit. I-
Lucæ.9 pse dominus dixit: Nã qui me erubuerit & meos sermones,
hunc filius hominis erubesset cum venerit in maiestate sua,
& patris, & sanctorum angeloruu. Quid est: Et sanctorũ an-
gelorum, nisi quòd honorantur & serui domini: dignitatem
suam ergo ad filium & patrem retulit, non vt angeli habeãt
cum patre & filio æquale consortium, sed vt ptæminentem
gloriam dei cernant. Neque enim suam maiestatem angeli
habent: sicut lectum est de filio: Cùm sederit in sede maie-
statis suæ: sed assistunt vt patris & filij gloriam videant qui-
bus aut possunt aut merentur aspectibus. Denique ipsa se
Matt.25. explanant verba diuiua, vt intelligas illam gloriam & patris
& filij cum angelis nõ esse cõmunem. Sic enim habes: Cúm
autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes an-
geli cum eo. Et vt doceret vnam maiestatem & vnam glori-
ria esse patris & suam, ipse in alio libro ait: Et filius hominis

cõfundet eum, cùm venerit in gloria patris sui cum angelis
sanctis. Illi in obsequio, hic in gloria. Illi in comitatu, iste in
suggestu. Illi stant, hic sedet. Vt verbo tamẽ vsus vtamur hu-
mani, hic iudicat, hiministrant. Diuinæ autẽ non præmisit
maiestatẽ patris, & subdidit suam & angelorũ, ne de superi-
oribus ad inferiora feciſſe graduum quẽdam ordinẽ videre
tur. Sed quia pater inferior videri non poterat, præmisit ma
iestatem suam, & addidit patris & angelorum, ne se medium
inter patrẽ & angelos nominãdo, aut ab angelis ad patrẽ per
sui quoque incrementa feciſſe quendã videretur ascensum,
aut à patre rursus ad angelos per ordinem cum sui etiam de
minutione crederetur fuisse descensum. Nã nos qui vnã di-
uinitatẽ patris & filij cõfitemur: diuersum, vt Arriani, ordinẽ
non putamus. De substãtia autem imperator Auguste quid
loquar? Vnius filium cum patre esse substantię cùm imaginẽ
patris ternæ substantiæ filium legimus, vt in nullo secũdum
diuinitatem à patre intelligas discrepare. Iuxta hãc imaginẽ
dixit: Omnia quæ pater habet, mea sunt: ergo nec substan- Ioan.16.
tiam in deo possumus denegare. Neq; enim insubstantiuus
est qui aliis dedit habere substãtiam, licet alia sit substantia
dei, alia creaturæ. Non potest insubstantiuus filius dei esse,
per quem cuncta subsistunt. Et ideo ait: Non est abscondi- Psal.138.
tum os meum quę feciſti in abscondito, & substantia mea in
inferioribus terræ. Virtuti enim & diuinitati, ea quæ ante
constitutionẽ mundi, vel in perspicabili maiestate sunt ge-
sta, abscondita esse non poterant. Legimus ergo substantiã.
Sed dices de incarnatione dictam esse substantiam. Interim
nomen substantiæ lectum probaui, & lectum non pro patri
monio, vt dicitis. Iam, si placet, accipiamus secundum my-
sterium in inferioribus Christi fuisse substantiam. Etenim
vt defunctorum animas in sui corporis anima liberaret, vin
cula mortis solueret, peccata donaret, operatus est in infer-
no, & tamẽ quid obstat quo minus illam diuinam intelligas
substãtiam, cùm deus ita vbique sit, vt ei dictum sit: Si ascen Ibidem.
dero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades.
Denique ad substantiam diuinam deriuandam esse intellec-
tum, sequentibus declarauit, dicens: Inoperatum meum vi Ibidem.
derunt oculi tui, eo quod non operis factura sit filius, sed
verbum genitum potestatis æternæ, ἀκατέργαστον enim dixit,
hoc est, inoperatum atque increatum verbum sine alicuius
creaturæ testimonio ex patre natum, & tamen abundantius
aliis ad substantiam testimoniis. Sit ista hoc loco substantia
corporalis, dummodo non opus dei filium, sed inoperatam
eius diuinitatem & ipse fatearis. Scio autem aliquos dicere
inoperatum esse etiam incarnationis mysterium, quod non
sit virilis copulæ vsu operatum, quòd partus est virginis.
Si ergo plerique hoc loco nec Mariæ partum opus esse di-
xerunt, tu Arriane opus putas esse dei verbum? At hic tan-
tum substantiam legimus. Nónne & alibi dixit: Portę effra-
ctę sunt, montes ceciderunt, & reuelata est substãtia: nũquid
hîc & creatura significatur? Solent enim aliqui dicere pecu-
niariam esse substantiam. Ergo si ad hunc sensum refers, id-
eo ceciderũt montes, vt pecuniarium patrimonium cerne-
retur. Sed si meminerimus qui mõtes ceciderint: illi vtique
de quibus dictum est, si habueritis fidem sicut granum sina Matth.21.
pis, dicetis huic monti, tollere, & iactare in mare. Montes er
go sunt altitudines se extollẽtes. Denique in Græco, regna
ceciderunt, habetur. Quæ regna, nisi sataną, de quo dixit
dominus: Quomodo stabit regnum ipsius? Ipsos ergo legi- Ibidem 12.
mus montes, quæ regna sunt diaboli. Ideoque istis cadenti-
bus regnis de corde fidelium, reuelatum est paternæ dei fi-
lium Christum esse substantię. Qui sunt etiam illi ipsi mon
tes ærei, de quorum medio quatuor currus procedunt? Ad-
uertimus altitudinem illam, & extollentem se aduersus sci-
entiam dei, verbo domini corruisse, cùm diceret dei filius:
Obmutesce, & exi immunde spiritus. De quo & in prophe- Marc.1.
ta dixit: Ecce ego ad te mons corrupte. Isti ergo ceciderunt Hiere.51.
montes, & reuelatum est quòd esset in Christo diuina sub-
stantia, dicentibus iis qui viderunt: Verè filius dei est. Non Luc.4.
enim humana, sed diuina potestate dæmoniis imperabat.
Hieremias quoque dicit: Super montes accipite luctum, & Hiere.9
super semitas desertas planctum, quia defecerunt eo quòd
non sint homines, non acceperunt vocem substantiæ, à vo-
latilibus

latilibus vsque ad iumenta expauerunt & perierunt. Nec
præterit etiam alibi cùm fragilitates exponeret conditionis
humanæ, vt susceptã à se infirmitatem carnis, & affectum
nostræ mentis ostenderet, dixisse domino per Prophetam:
Psalm. 88. Memento domine quæ est substantia mea. Quod in natura
fragilitatis humanæ dei filius loquebatur, de quo suprà, vt
Ibidem. incarnationis mysteriã reuelaret, ait: Tu verò repulisti do-
mine, & pro nihilo dispulisti Christum tuum, euertisti testa
mentum serui tui, prophanasti in terra sanctitatem eius. In
Philip. 2. quo vtique seruum dixit nisi in carne, quod non rapinam ar
bitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit
serui formam accipiens, in similitudinem hominũ factus, &
specie inuentus vt homo? Mea ergo susceptione seruus, sua
Hierc. 23. dominus potestate est. Quid illud quod habes: Quoniã qui
stetit in substãtia domini. Et alibi: Et si stetissent in substan-
tia mea, & audissent verba mea, & si docuissent verba mea,
& si docuissent plebem meam, auertissem eos à nequitiis &
conuentionibus suis? Quomodo negant dei esse substantiã,
quomodo verbum substantiæ, quod creberrimum in scri-
pturis est, putant esse vitandum, cùm ipsi ex alia substantia
hoc est, ἐπρούσιον dicendo filium, substantiam tamen in deo
esse non abnuant? Non igitur verbũ, sed vim verbi fugiunt,
quia nolunt verũ esse dei filium. Nam licet humano verbo
non possit diuinæ generationis series cõprehendi, tamẽ iu-
dicarunt patres fidem suam tali proprie contra ἐπρούσιον ser-
mone signãdã, authoritatẽ sequuti prophetę, qui ait: Qui ste
tit in substantia dei, & vidit verbũ eius. Secũdum impietatẽ
igitur suam positũ substantiæ verbũ recipiunt Arriani. Se-
cundũ pietatẽ autem fidelium cõprobatum repudiant & re-
futant. Nã quid est aliud, cur homousion patri nolint filium
dici, nisi quia nolũt verum dei filium confiteri? sicut author
ipsorum Eusebius Nicomediensis epistola sua prodidit, di-
cens: Si verum, inquit, dei filium & increatum dicimus, ho-
mousion cum patre incipimus confiteri. Hæc cùm lecta es-
set epistola in cõcilio Niceno, hoc verbum in tractatu fidei
posuerunt patres, quod viderunt aduersariis esse formidini,
vt tanquam euaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandæ ca-
put hæresis amputarent. Frustra autem verbum istud pro-
pter Sabellianos declinare se dicunt, & in eo suam imperi-
tiam produnt. Homousion enim aliud alij, non ipsum est si
bi. Rectè ergo homousion patri filium dicimus, quia verbo
eo & personarum distinctio, & naturæ vnitas significatur.
Annegare possunt ousiàn lectam, cùm & panẽ ὁμούσιον do-
minus dixerit: Et Moyses scripserit, ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι λαὸς περιού-
σιος. Aut quid est ousia, vel vnde dicta, nisi ousia quod sem
per maneat? Cui enim esse est semper, deus est: & ideo ma-
nens semper, ousia dicitur diuina, & propterea ὁμούσιος pa-
nis, quod ex verbi substantia, substantiam virtutis manentis
Psal. 103. cordi & animę subministret. Scriptũ est enim: Et panis con
firmat cor hominis. Seruemus igitur præcepta maiorũ, nec
Apocal. 5. hæreditaria signacula ausi rudis temeritate violemus. Librũ
signatum illum propheticum non seniores, non potestates,
non angeli, non archãgeli aperire ausi sunt, soli Christo ex-
planãdi eius prærogatiua est seruata. Librum sacerdotalem
quis nostrum designare audeat, signatum à cõfessoribus, &
multorum iam martyrio consecratum? Quem qui designa-
re coacti sunt, postea tamen damnata fraude signarunt. Qui
violare non ausi sunt, confessores & martyres exstiterunt.
Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorũ victo-
riam prędicamus? Nemo metuat, nemo formidet, plus con
fert fidelibus qui minatur. Venenatæ sunt blanditiæ perfi-
dorum, tunc cauendæ, cùm id quod negant, prędicare se si-
mulant. Sic decepti sunt & antè qui facilè crediderunt, vt i-
bi perfidiæ laqueos inciderent, vbi fidẽ esse credebant. Qui
dicit, inquiunt, Christum creaturã secundum cæteras crea-
turas, anathema sit. Audierunt simplices, & crediderunt: In
Prouer. 14. nocens enim (sicut scriptum est) credit omni verbo. Audie-
runt ergo & crediderunt, primo decepti sono: ac velut aues
intenti ad escam fidei, extentum sibi laqueum non cauerũt.
Matth. 10. Ita dum fidem sequuntur, hamum nefandę fraudis attrecta
uerunt. Et ideo: Estote, inquit, astuti sicut serpentes, & sim-
plices sicut columbæ præmittitur astutia, vt sit tuta simpli-
citas. Sunt enim serpentes euangelici, qui exuunt veterem
vsum: vt induant nouos mores, sicut scriptum est: Expoli- Coloss. 3.
antes veterẽ hominem cum actibus suis, & induẽtes nouum
secundum imaginem eius qui creauit eum. Discamus ergo
depositis vetusti hominis exuuiis, euangelicorũ serpentium
vias, vt more serpentium seruare caput, fraudem cauere no-
uerimus. Satis fuerat dicere: Qui dicit creaturam Christum,
anathema sit. Cur bonę confessioni Arriane venena permi
scis, vt totũ corpus contamines? Addendo enim secundum
cæteras creaturas, non creaturam Christum negas, sed crea-
turam dicis esse. Dissimilem creaturam enim dicis, etsi præ-
stantiorem cæteris asseras creaturis. Denique Arrius huius
impietatis magister dei filium creaturam dixit esse perfe-
ctam, sed non sicut cæteras creaturas. Vides igitur hæredi-
tario patris vestri vos vsos esse sermone. Sat est creaturam
negare, quid opus fuit addere, sed non sicut cæteras creatu-
ras? Recide quod putruit, ne serpat contagio, venenum ha-
bet, mortem affert. Deinde dicis interdum deum Christum, 1. Corin. 1.
sed ita dic deum, vt deum verum, vt plenitudinem ei pater-
næ diuinitatis assignes. Sunt enim qui dicantur dij, siue in
cœlo, siue in terra. Non enim perfunctoriè nũcupandus de-
us, sed ita vt eandem diuinitatem prædices in filio quam pa
ter habet, sicut scriptum est: Sicut enim pater vitam habet Ioan. 5.
in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso. De
dit vtique quasi filio per generationem, nõ quasi inopi per
gratiam & potestatem. Dedit ei iudicium facere, quia filius Ibidem.
hominis est. Vide quid addidit, ne tu calumnieris ex ver-
bo. Filium hominis legis, & accipientem arguis. Negas er
go deum, si nõ omnia filio quæ dei sunt, deferuntur. Cùm e
nim dixerit: Omnia quæ pater habet, mea sunt: cur tu nõ o- Ioan. 16.
mnia quę diuinæ naturę sunt, etiã in filio confiteris? Nã qui
dicit: Omnia quæ pater habet, mea sunt: quid excipit quod
nõ habet? Quid est quod, ἐμφατικῶ quàm fideli magis sermo
ne commemores, quod mortuos resuscitauerit, maria pede
transierit, infirmitates hominum curauerit? Hæc etiam ser-
uulis suis præstitit. Plus ista miror in hominibus, quòd tan- Matth. 9.
tam dederit potestatem hominibus. Aliquid de Christo au
dire desidero, quod speciale sit Christi, quod cum iis quæ
creata sunt, nõ possit esse cõmune. Quia genitus qui vnicus
est dei filius, quia deus verus ex deo vero, quia ad dexteram
patris sedet, vbique lego confessum patris & filij, semper ad
dexteram filius sedet. Nunquid melior filius patre? Nõ hoc
dicimus. Sed charitas dei honorat, humana iniquitas dero-
gat. Sciuit pater ferẽdas esse de filio quæstiones, prębuit no-
bis quod sequeremur pietatis exẽplum, ne filio derogemus.
Vno tamen loco stãtem ad dexteram dei Iesum, Stephanus
vidisse dixit. Et hoc discę, ne quam hinc moueas quęstionẽ. Acto. 7.
Cur enim vbique ad dexteram sedere ostẽditur, vno legitur
in loco stare? Sedet quasi iudex viuorum & mortuorũ, stat
quasi aduocatus suorum. Stabat ergo quasi sacerdos, quan-
do patri hostiam boni martyris offerebat, stabat quasi bono
luctatori brauium tanti præsul certaminis redditurus. Acci
pe & tu spiritum dei, vt ista distinguas, sicut accepit & Ste-
phanus, & dicas sicut dixit & martyr: Ecce video cœlos a- Ibidem.
pertos, & filium hominis stantem ad dexteram dei. Qui cœ-
los apertos habet, Iesum ad dexteram dei cerni. Qui clau-
sos oculos habet mentis, Iesum ad dexteram dei non videt.
Confiteamur ergo Iesum ad dexteram, vt cœlum nobis a-
periatur. Claudũt sibi cœlum, qui aliter confitentur. Quod
si qui obiiciunt quod filius stabat, ostendant hoc loco quod
pater sedebat. Nam licet filium hominis stare dixerit, ta-
men hoc loco nec patrem sedere memorauit. Vt autem eui
dentius cognosceretur nulla esse stãtis iniuria, sed potestas,
filium Stephanus obsecrat, vt se amplius commendaret pa-
tri, dicens: Domine Iesu, recipe spiritum meum. Et vt ean-
dem patris & filij potestatem esse ostenderet, repetiuit, di-
cens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Hoc dominus Ibidem.
in passione propria quasi filius hominis patri dicit. Hoc &
Stephanus filium dei in suo martyrio deprecatur: cùm ea-
dem gratia à patre filióque depositur, eadem potentia de-
claratur. Aut si volunt Stephanũ patri dixisse, videant quid
propria testificatione significent, Licet nos ista non moue-
ant, aduertant tamen qui totum in litera cõstituent, & in or
dine, quod filius prius rogatur. Nos autem & secundũ eo-
rum

rum interpretationem oſtendimus vnitatem paternæ maiestatis & filij. Nam cùm & pater rogatur & filius: æqualitas precationis, operationis indicat vnitatem. Si autem illis non placet filio dictũ: Domine, videmus quod etiam dominum eum negare conantur. Sed iam quia martyris tanti corona proceſſit, ſtudia certaminis relaxemus, ferias hodierni ſermonis habeamus. Proſequamur ſanctum martyrem laudibus, ſicut poſt magna decebat certamina, vulneribus quidem aduerſarij cruẽtatum, ſed Chriſti præmiis coronatum.

FINIS.

CAPITVLÆ LIBRI QVARTI DE FIDE.

Quòd non mirum videatur quod humanum genus erraue rit de filio dei, cùm & angeli non potuerint myſterium domini Ieſu Chriſti cognoſcere, niſi per reuelationem, vt ex hoc oſtenditur, quod dum domino cœlos aſcenden te multitudo angelorum triumphali agmine præcurrerẽt: Tollite portas principes veſtras &c, alij ſtupentes dixerunt: Quis eſt iſte rex gloriæ? Et quomodo nos cœlum aſcendere poſſimus. Quomodo etiam portas noſtras Chriſto aperire debeamus. Cap. I.

De confutatione Arrianorũ ex ſolutione quęſtionum quas faciunt ex illis verbis Apoſtoli: Omnis viri caput Chriſtus eſt &c. Et iſtis: Qui autem plantat, & qui rigat, vnum ſunt. Cap. II.

De ſolutione obiectionis Arrianorum ſumptę ex verbis domini dicentis: Amen amen dico vobis, non poteſt filius facere à ſe quicquam niſi quod viderit patrem facientem, cum euidenti & multiplici eorum redargutione. Cap. III.

De ſolutione obiectionum quibus impij hæretici inæqualitatem patris & filij probare contendunt. Cap. IIII.

De ſolutione quęſtionis quam plerique faciunt ex eo quod ſcriptum eſt: Sicut me miſit viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Cap. V.

De ſolutione obiectionis, quam Arriani ſumunt ex hoc quod dominus dixit: Hæc infirmitas non eſt ad mortem. Cap. VI.

De ſolutione obiectionis quam Arriani ex hoc faciũt, quod à domino dictum legitur: Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt. Cap. VII.

DIVI AMBROSII EPISCOPI *Mediolanenſis de fide ad Gratianum Auguſtum, Liber quartus.*

Quòd non mirum videatur quod humanum genus errauerit de filio dei, cùm & angeli non potuerint myſterium domini Ieſu Chriſti cognoſcere, niſi per reuelationem, vt ex hoc oſtenditur quod dum domino cœlos aſcendente multitudo angelorum triumphali agmine præcurrerent, Tollite portas principes veſtras &c. alij ſtupentes dixerunt: Quis eſt iſte rex gloriæ? Et quomodo nos cœlum aſcendere poßimus. Quomodo etiam portas noſtras Chriſto aperire debeamus.

Caput I.

COnſideranti mihi Imperator Auguſte, qua ratiõe ſic errauerit humanũ genus de dei filio, pleriquè ve in diuerſa ſeque rentur, nequaquã ſatis mirum videtur, quod errauit humana ſciẽtia de ſupernis ſed quod ſcripturis non detulit obe dientiã. Quid enim mirũ ſi myſterium dei patris & domini Ieſu Chriſti in quo Coloſ. 2. ſunt omnes theſauri ſapientię & ſcientię obſcõditi, per ſapientiam mundi nõ potuerunt homines cõprehendere, quod nec angeli cognoſcere niſi ex reuelatione potuerũt? Quis enim potuit opinione magis quàm fide ſequi dominũ Ieſum, nunc de cœli altiſſimis inferna penetrantem, nũc ab inferis ad cœleſtia reſurgentẽ, ſubito exinanitum vt habitaret in no

A bis, nec vnquam imminutũ, cùm ſemper filius in patre & in filio pater eſſet? Dubitauit in eo ipſe prænuncius, licet per ſynagogam & typũ, & dubitauit ipſe ante domini facié de ſtinatus. Denique miſſis diſcipulis interrogat? Tu es qui vẽturus es, an alium expectamus? Obſtupuerunt & angeli cœleſte myſterium, vnde cùm reſurgeret dominus, atque illum quem dudũ ſecundum carnem anguſtus ſepulchri locus texerat, reſurgentẽ ab inferis, cœli alta ſuſtinere non poſſent, hæſerunt etiam cœleſtia opinionis incerto. Veniebat enim nouis victor redimitus exuuiis, dominus in templo ſancto ſuo, præibant angeli & archãgeli, mirantes ſpolium ex mor te quæſitum. Et quanuis ſcirent nihil deo accedere † ex car ne potuiſſe, quia infra deum omnia ſunt, tamen trophęa cru cis, cuius principium ſuper humeros eius, & triumphatoris ęterni manubias intuentes, quaſi eum quem emiſerant, cœli portæ capere nõ poſſent, licet nunquã eius capiant maieſtatem, maiorẽ viam quærebant aliquam reuertenti, adeo nihil exinanitus amiſerat, debuit tamẽ nouo victori nouum iter parari. Sẽper enim victor & præcelſior æſtimatur. Sed quia æternæ ſunt iuſtitiæ portę, eædém que noui & veteris teſtamenti quibus cœlum aperitur, non mutantur vtique ſed ele uantur, quia non vnus homo, ſed totus in omnium redemB ptore mundus intrabat. Tranſlatus erat Enoch, raptus He lias. Sed non eſt ſeruus ſupra dominum. Nullus enim aſcen dit in in cœlum, niſi qui deſcẽdit de cœlo. Nam & Moyſen, licet corpus eius non apparuerit in terris, nuſquam tamẽ in gloria cœleſti legimus, niſi poſteaquam dominus reſurrectionis ſuę pignore vincula ſoluit inferni, & piorum animas eleuauit. Trãſlatus ergo Enoch, raptus Helias, ambo famu li, ambo cum corpore, ſed non poſt reſurrectionẽ, non cum manubiis mortis & triumpho crucis, viderant illos angeli. Et ideo dominũ omnium primũ ac ſolum de morte triumphantem venire cernentes, tolli portas principibus imperabant cum admiratione dicentes: Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Erant tamen & in cœleſtibus qui ſtuperent, qui admirarentur nouam pompam, nouam gloriam, & ideo requirebant: Quis eſt iſte rex gloriæ? Sed quia & angeli proceſC ſus habent ſcientiæ, & capacitatem profectus habent, habent vtique diſcretionem virtutis atque prudentiæ. Solus enim ſine proceſſu eius, quia in omni perfectione ſemper æternus eſt. Dicebant alij, illi vtique qui affuerãt reſurgenti, illi qui viderant vel iã cognouerant: Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. Iterũ multitudo angelorum triumphali agmine præcinebant: Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Rurſus alij ſtupentes dicebant: Quis eſt iſte rex gloriæ? Vidimus eum non habentem ſpeciem atque decorem. Si er go ipſe non eſt, Quis eſt iſte rex gloriæ? Reſpõdetur à ſcien tibus: Dominus virtutum, ipſe eſt rex gloriæ. Ergo domiD nus virtutum ipſe eſt filius. Et quomodo infirmum Arriani dicunt, quem dominum virtutum ſicut & patrem credi mus? Quomodo Arriani diſcretionẽ faciunt poteſtatis, cùm dominum ſabaoth patrem, dominum ſabaoth filium legeri mus? Nam & hoc ſic poſitum plerique codices habẽt, quod dominus ſabaoth ipſe ſit rex gloriæ. Sabaoth autem iterpretes alicubi dominum virtutum, alicubi regem, alicubi omni potentem interpretati ſunt. Ergo quoniam quia deſſendit filius eſt, qui aſcendit autem dominus eſt ſabaoth: omnipotens vtique dei filius eſt. Quid igitur agemus? quomodo aſcendemus ad cœlum? Sunt illic diſpoſitæ poteſtates, ordinati principes, qui cœli ianuas ſeruant, qui aſcendentem interrogant. Quis me admittet, niſi omnipotentem annunciem Chriſtum? clauſæ ſunt portæ, non cuicunque aperiuntur, non cuicunque vult, niſi qui fideliter credit, ingreditur, cuſtoditur aula imperialis. Sed eſto, indignus obrepſerit, latuerit principes portarum cœleſtium, diſcubuerit in cœna domini: ingreſſus dominus conuiuij, videns non indutũ nuptiale fidei veſtimentum, proiiciet eum in tenebras exterio res, vbi ſit fletus & ſtridor dentium, ſi fidem pacémque non ſeruet. Seruemus igitur nuptiale quod accepimus veſtimen tum, nec Chriſto propria denegemus, quem omnipotẽtem annunciant angeli, prophetæ ſignificant, apoſtoli teſtificantur, ſi-

† Externè.

Matth. 11. Esaiæ 9. Matth. 10. Ioan. 3. Genes 5. 4. Reg. 2. Psalm. 23. Ibidem. Esaiæ 53. Psalm. 23. Matth. 8.

tur,ſicut iam ſupra oſtendimus.Et fortaſſe non de iſtius tan tummodo cœli portis propheta dixerit quod præteribit:& alios enim cœlos dei verbum penetrat,de quibus dictum eſt
Hebr.4. Habemus enim ſacerdotem magnũ,principem ſacerdotum
Pſalm.18. qui penetrauit cœlos Ieſum filiũ dei. Qui ſunt iſti cœli,niſi & hi de quibus dicit Propheta : Cœli enarrant gloriam dei?
Apocal.8. Stat enim Chriſtus ad ianuam mentis tuæ. Audi tu dicente: Ecce ſto ad ianuam & pulſo, ſi quis mihi aperuerit,ingredi ar ad illum, & cœnabo cum eo & ipſe mecũ . Et eccleſia do
Cantic.5. mino dicit : Vox fratris mei pulſat ad ianuam. Ergo ſecundum ſuperius exemplum non ſolus ſtat, ſed præcedũt eum
Pſal.23. angeli qui dicũt:Tollite portas principes veſtras. Quas por tas?Illas vtique de quibus & alibi dicit:Aperite mihi portas
Pſal. 114. iuſtitię. Aperi ergo Chriſto portas tuas vt ingrediatur in te, aperi portas iuſtitiæ,aperi portas pudicitię,aperi portas for-
Pſalm. 29. titudinis atque ſapientię. Crede angelis dicentibus:Et eleuamini portæ æternales, vt introeat in te rex gloriæ, dominus ſabaoth.Porta tua vocis fidelis canora cõfeſſio eſt,porta tua oſtium verbi eſt , quam ſibi Apoſtolus optat aperiri,
Coloſ.4. dicens:Vt aperiatur mihi oſtium verbi ad eloquendum my ſteriũ Chriſti . Aperiatur igitur Chriſto porta tua, nec ſolũ aperiatur ſed etiam eleuetur,ſi tamen ęternalis eſt non cadu
Pſalm.23. ca. Scriptum eſt enim:Et eleuamini portæ æternales.Eleua-
Eſaiæ 6. tum eſt ſuper limen Eſaiæ, quando Seraphim labia eius teti git, & vidit regem dominum ſabaoth. Tuæ ergo portæ ele uabuntur,ſi ſempiternum,ſi omnipotentem, ſi inęſtimabilem, ſi incomprehenſibilem,ſi eum qui & præterita omnia & futura omnia nouerit, filium dei credas. Quod ſi pręfini tę poteſtatis & ſcientię, ſubiectúmque opinere, non eleuas portas æternales. Eleuentur ergo portę tuę,vt non Arriano ſenſu paruulus,nõ puſillus,non ſubditus, ad te Chriſtus introeat, ſed intret in dei forma,intret cum patre, intret talis
Marc.16. qualis eſt & cœlum & omnia ſupergreſſus, & mittat tibi ſpiritum ſanctum . Expedit tibi vt credas quod aſcendit & ſedet ad dexteram patris. Nam ſi eum inter creaturas & terre na impia cogitatione detineas,ſi non tibi abeat, non tibi a-
Ioan.16. ſcendat, nec paracletus ad te veniet, ſicut ipſe dixit: Nam ſi ego non abiero,paracletus non veniet ad vos: ſi autem abie ro, mittam illum ad vos. Quod ſi inter terrena eum requiras,ſicut Maria Magdalene requirebat,caue,ne & tibi dicat:
Ibidem20. Noli me tangere,nondum enim aſcendi ad patrem meum. Portæ enim tuę anguſtæ ſunt:capere me non queunt,eleuari non queunt,intrare nõ poſſum. Vade ergo ad fratres meos, hoc eſt,ad illas portas æternales , quæ cùm Ieſum viderint,eleuantur.Aeternalis porta eſt Petrus ,cui portæ inferi non prævalebunt.Aeternales portæ,Ioãnes & Iacobus, vtpote filij tonitrui . Æternales portæ ſunt eccleſiæ , vbi lau-
Pſalm.72. des Chriſti annunciare Propheta deſiderãs,dicit: Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.Grande ergo myſterium Chriſti quod ſtupuerunt & angeli.Et ideo venerari debes & domino famulus,derogare non debes, ignorare non licet, propterea enim deſcendit vt credas . Si non
Ioan.15. credis,non deſcẽdit tibi, nõ tibi paſſus eſt.Si non viniſſem, inquit,& locutus fuiſſem his,peccatum non haberent.Nũc autem excuſationem non hahent de peccato ſuo.Qui me o
Ibidem. dit & patrem meum odit . Quis igitur odit Chriſtũ niſi qui derogat?Sicut enim amoris eſt deferre , ita odij eſt derogare:qui odit,quæſtiones mouet:qui amat, reuerentiã defert.

De confutatione Arrianorum ex ſolutione quæſtionum quas faciunt ex illis verbis Apoſtoli: Omnis viri caput Chriſtus eſt &c. Et iſtis : Qui autem plantat & qui rigat vnum ſunt. *Caput II.*

1. Cor. 11. TAque diſcutiamus eorum alias quæſtiones.Scriptum eſt,inquiũt:Omnis viri caput Chriſtus eſt, caput autẽ mulieris vir, caput autẽ Chriſti deus. Qua in quęſtione dicant mihi velim,vtrum coniungere,an diuidere hæc quatuor velint. Si enim coniunge re, atque ita vt dicant deum caput eſſe Chriſti, ſicut vir eſt mulieris caput, videte quid incidant. Nam ſi hæc tanquam ex paribus ſumpta eſt cõparatio,& hæc quatuor, id eſt mulier,vir Chriſtus,& deus, quaſi ex vnius atque eiuſdem naturæ ſimilitudine comparantur , ergo mulier & deus vnius incipient eſſe naturæ . Quod ſi hoc diſplicet, quod ſacrilegium eſt dicere,vt volunt diuidant. Itaque ſi Chriſtũ apud deum patrem ita volũt eſſe,ſicut eſt mulier apud virum : vnius vtique Chriſtum & deum dicunt eſſe ſubſtantiæ, quoniam mulier & vir vnius ſunt in carne naturæ.Nam quod diſtat,in ſexu eſt. Cùm verò inter Chriſtum & deum patrem ſexus non interueniat,quod vnum inter filium & patrem in natura eſt, fatabuntur: quod diuerſum in ſexu eſt, denegabũt.Placétne iſta diuiſio,an mulierem, virũ,& Chriſtum vnius volunt eſſe ſubſtantiæ , & patrem ſeparant? Hæccine igitur diuiſio placet? Si ita eſt, videte quid incidant. Aut enim non ſolum Arrianos ſed etiam Fotinianos ſe neceſſe eſt confiteantur , quòd Chriſtum hominem tantum fatentur quem humanæ tantummodo naturæ æſtimant copulãdum: aut vel inuitos acquieſcere par eſt noſtræ ſentẽtiæ,per quã id quod impiè cogitarunt, piè religioſéque defendimus, vt ſit Chriſtus quidem ſecundum generationem diuinam dei virtus, ſecundum aſſumptionem autem carnis, vnius cum omnibus hominibus in carne ſubſtantię,ſalua tamen incarnationis ſuæ gloria, qui authoritatem ſuſcepit non imaginem carnis. Si ergo iuxta humanã cõditionem caput Chriſti deus,Non enim dixit caput Chriſti pater, ſed caput Chriſti deus,quia diuinitas vt pote creatrix caput eſt creaturæ. Et bene dixit, caput Chriſti deus, vt & diuinitatem Chriſti ſignificaret & carnem,hoc eſt,incarnationem in Chriſti nomine,in deo autem vnitatẽ diuinitatis & magnitudinem poteſtatis.Eouſque autem caput Chriſti deus ſecundum incarnationem dictum eſt, vt & caput viri Chriſtus ſecũdum incarnationem verbi dictũ ſit. Quod alibi Apoſtolus euidenter expoſuit,dicẽs:Quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut & Epheſ.5.
Chriſtus eccleſiæ.Et in conſequentibus addidit. Qui ſe tradidit pro ea.Secũdum incarnationem igitur caput viri Chriſtus,quia ſecundum incarnationem facta traditio eſt. Eſt ergo viri caput Chriſtus, caput Chriſti deus, vbi ſerui,hoc eſt, hominis, non dei forma tractatur. Sed nihil præiudicat dei filio, ſi ſecũdum carnis veritatem ſimilis ſit hominibus,qui diuinitate cum patre vnus eſt . Non enim poteſtas hac interpretatione minuitur, ſed miſericordia prædicatur. Quis autem vnam diuinitatem patris & filij piè abneget,cùm ipſe dominus cõſummaturus præcepta diſcipulis ſuis dixerit, vt ſint vnũ ſicut & nos vnum ſumus . Pro teſtimonio enim Ioan.17.
fidei poſitum eſt, licet ab Arrianis ad argumentum perfidiæ deriuetur. Etenim quoniam toties lectam negare non queunt , vnitatem extenuare conantur , vt talis videatur diuinitatis vnitas inter patrem & filium, qualis eſt inter homines vnitas deuotiõis & fidei,licet etiam inter ipſos homines vnitas naturæ ſit ex communitate naturæ . Vnde & illud apertiſſimè ſoluitur,quod ad extenuationem dominicæ vnitatis obiicere conſuerunt,quia ſcriptum eſt : Qui autem plantat 1. Corin.3.
& qui rigat vnum ſunt. Hoc Arriani ſi ſaperent non obiicerent:quomodo negare conantur,quod pater & filius vnum ſunt,cùm Paulus & Apollo & natura vnum ſint & fide?Sed tamen per omnia vnum eſſe non poſſunt, & nequeunt conparari humana diuinis.Inſeparabilis ergo deus pater verbo, inſeparabilis virtute, inſeparabilis ſapientia per diuinæ vnitatem ſubſtantiæ , & eſt in filio , ſicut frequenter ſcriptum eſt.Eſt verò,non vt egentem ſignificans,nec vt vacuum implens,quia non vacua dei virtus.Nec enim virtus virtute augetur, quia non duæ virtutes ſed vna virtus . Nec diuinitas diuinitatem accipit, quia non duæ diuinitates, ſed vna diuinitas. Nos autem per acceptam & inhabitãtem in nobis virtutem,vnum erimus in Chriſto.Communis ergo litera, ſed diſcrepans diuina humanáque ſubſtãtia.Nos vnum erimus, pater & filius vnum ſunt. Nos ſecundum gratiam: filius ſecundum ſubſtantiam . Alia autem per coniunctionem,alia per naturam vnitas. Denique vide quid ante præmiſerit, vt omnes vnum ſint,ſicut tu pater in me & ego in te. Conſidera ergo quòd non dixit: Tu in nobis & nos in te,ſed tu in
me,& ego in te , vt ſe à creaturis ſepararet . Et addidit : Et i- Ioan.17.
ſti in nobis, vt etiam hic ſuam potentiam & patris à nobis ſecerneret : vt quod nos in patre & filio ſumus , non naturæ videatur eſſe,ſed gratiæ.Quod autẽ filius & pater vnum ſunt,non hoc filius accepiſſe per gratiam, ſed naturaliter vt filius poſſidere credatur.

De ſo-

317 *De solutione obiectionis Arrianorum, sumptæ ex verbis domini dicentes: Amen amen dico vobis, non potest filius facere à se quicquam, nisi quod viderit patrem facientem, cum euidenti & multiplici eorum redargutione. Cap. III.*

ALiud rursus obiiciũt, asserentes vnam atque eandem potestatem filij & patris esse nõ posse, quia ipse dixit: Amen amen dico vobis, non potest filius facere à se quicquã, nisi quod viderit patrem Ioan.5. facientem. Itaque nihil ex se fecisse filium dicunt, nec facere posse, nisi quod viderit facientem patrem. O præscia sapientia infidelium argumẽtorum, quæ subiecit quod solueret quæstionem, addendo quod sequitur. Quia quæcunque ille fecerit, eadem & filius facit similiter. Hoc nempe sequitur. Cur ergo scriptum est? Eadem facit filius, & non talia, nisi vt in filio vnitatem non imitationẽ paterni operis æstimares. Sed tamen vt illorum quoque argumenta discutiamus, quæro vt respondeant: Vtrũ videat filius opera patris, videt itaque an nõ? Si videt, ergo & facit: si facit, desinant omnipotentem negare, quẽ omnia posse facere quæ patrem facientẽ viderit confitentur. Quid est autem, viderit? Corporalium ne aliquis vsus oculorũ est? Sed si hoc de filio vellint dicere, corporalis etiam in patre vsum operationis ostendent, vt faciẽtem videat quod ipse facturus est. Quid est autem: Non potest filius facere à se quicquam, hoc interroge mus, hoc cõsideremus. Est ergo aliquid impossibile dei virtuti atque sapientiæ? hoc est enim dei filius, qui alienam vtique non accipit fortitudinem, sed quemadmodum vita est, non aliena viuificatione subnixus, sed alios viuificans, quia ipse vita est: ita etiã sapientia est, non quasi insipiens accipiẽs sapientiam, sed qui de suo alios faciat esse sapiẽtes. Ita etiam virtus est, non quasi per infirmitatem consecutus incrementa virtutis, sed ipse virtus qui virtutem fortibus largitur. Quomodo ergo virtus quasi cum iurisiurandi attestatione dicit: Amen amen dico vobis, quod est fideliter, fideliter dico. Fideliter ergo dicis deum, & cum sacramenti quadam repetitione confirmas quod nihil facere potes, nisi quod fa
Genes.1. cientem patrem videris. Feciſti mundum, Nunquid alterum mundum pater tuus fecit, quem quasi ad exemplar acceperis? Ergo necesse est fateantur impij, aut duos aut certè multos esse mũdos, quod philosophi asserunt, vt se etiam in hoc errore gentilitatis inuoluant. Autsi velint verum sequi, dicãt sine exemplari te fecisse quod feceris. Dic mihi domine,
Marc.6. quando in mari patrem incarnatum videris ambulantem? Ego enim nescio, ego hoc de patre credere sacrilegum puto, qui te solum carnem assumpsisse cognoui. Quando vide
Ioan.2. ris in nuptiis patrem aquam in vina vertentẽ? Sed solum te vnigenitum filium legi ex patre natum, solum te ex spiritu sancto accepi & virgine secundum incarnationis sacramenta generatum. Ergo ista quæ memorauimus à te gesta, non fecit pater, sed sine exemplo paterni operis ad redimendam tuo sanguine salutem mundi, immaculatus ex aluo virginis processisti. Ac ne fortè incarnatis tantummodo putent sequestrandum esse mysterium, licet cùm dicant: Non potest filius à se facere quicquam, nihil excipiant, ita vt quidam impius dixerit, nec culicem facere potest, tam temerario ausu petulantique sermone maiestatem supernæ virtutis irridẽs.
Psalm.32. Dic domine Iesu quando terram sine te pater fecerit? Cœlum enim sine te non fecit, quia scriptum est: Verbo domini
Ioan.1. cœli firmati sunt. Sed nec terram sine te fecit, quia scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil Nam si aliquid sine te deo verbo pater fecit: nõ ergo omnia facta per verbum, & euangelista mentitur, Quod si omnia facta per verbum, & omnia per te cœperunt esse quæ non erant, vtique quæ non vidisti à patre facta, à te ipse fecisti. Nisi fortè philosophicas tibi Idæas, Platonica illa disputatione præstituunt, quas ab ipsis tamen philosophis scimus irrisas. Si autem ex te ipse fecisti, vana est assertio perfidorum, quæ authori omnium cui suppetit ex se faciendi magisterium, tribuit discendi profectum. Quod si per te negant cœlum esse factum vel terram, considerent impij quò se suo furore præcipitent, cùm scriptum sit: Dij qui non fe-
Hier.10 cerunt cœlum & terram pereãt. Peribit ergo ô Arriane, qui quod perierat & reperit & redemit? Sed ad proposita reuer

A tamur: Quomodo non potest filius facere à se quicquam. Quæramus quid sit quod facere non possit. Multę sunt impossibilitatum differentię. Est aliquid natura impossibile. Et est aliquid quod est possibile per naturam, impossibile per infirmitatem. Est etiam tertium quod sit possibile per corporis & animi firmitatem, impossibile per imperitiam aut impotentiam. Est etiam quod per definitionem immutabilis propositi & constantis perseuerantiam voluntatis atque amicitię fidem, sit impossibile mutari. Sed hęc (vt euidentius possimus aduertere) per exempla nobis disputatio dirigatur. Impossibile est vt auis sapientiæ disciplinam aliquam assequatur aut artem. Impossibile est & lapidem prodire quoquam. Impossibile est enim lapidem moueri, nisi motu moueatur alterius. Non potest ergo lapis per seipsum moueri & transire de loco. Non potest etiama quila humanis imbui disciplinis. Hebes vnam speciem, cùm impossibilitatis causa natura est. Impossibile est & debili facere opera robusti. Sed huic alia impossibilitatis causa est. Quod enim facere potest per naturam, per infirmitatem non potest. Causa igitur huic quoque impossibilitatis infirmitas. Alia ergo impossibilitatis hęc species, quoniam à faciendi possibilitate, corporis infirmitate reuocatur. Tertia quoque impossibilitatis
B est causa, quia etiam si per naturam quis & firmitatem corporis facere aliquid possit, non potest tamen facere per imperitiam vel impotentiam, vt aut indoctus aut seruus. Quas igitur harum quas enumerauimus impossibilitatum causas (vt quartam interim sequestremus) filio dei existimas conuenire, nũquid insensibilis per naturam, & immobilis sicut lapis? Lapis quidem est impiis in ruinam, fidelibus angula- 1.Petr.2.
ris. Sed non insensibilis supra quem sensibilium populorum fideles ædificantur affectus, non immobilis petra. Bibebant 1.Cor.10.
enim ex consequenti petra, petra autem erat Christus. Non ergo paternum opus per naturæ distantiã impossibile Christo. Nunquid fortè per debilitatem impossibile ei aliquid æstimamus? Sed non ille debilis qui aliorum debilitates imperiali sermone sanabat: an debilis videbatur cùm paralytico præcipiens: Tolle grabatum tuum & ambula: sanitatis Marc.2.
C iam mandabat officium, cùm adhuc ille remedium debilitatis otaret? Num debilis dominus virtutum, cùm illuminaret cæcos, inclinatos erigeret, mortuos suscitaret, votis nostris Ibidem 6.
medicinæ præcurreret effectus, orans curaret, & fimbria mundare & tactus? Nisi fortè debilitatem illam impij putabatis, quando vulnera videbatis. Erant quidem illa corporis vulnera, sed non erat vulneris illius vlla debilitas ex quo omnium vita profluebat. Vnde & propheta dixit: Liuore e- Esaiæ 53.
ius nos sanati sumus. An qui in vulnere debilis non erat, erat in maiestate? Quomodo quæro, cũ dęmoniis imperaret & reis peccata dimitteret, an cùm rogaret patrem? Quo loco fortasse dicant, quomodo pater & filius vnum sunt, si filius nunc imperat, nunc precatur. Et vnum sunt, & imperat & precatur. Sed neque cùm imperat, solus: nec cum precatur, Ioan.5.
infirmus. Solus non est, quia quęcunque filius facit, pater facit. Infirmus non est, quia & si in carne infirmatus est propter peccata nostra, tamen illud nostrę erat in eo pacis eruditio, sicut scriptum est, non suę maiestatis infirmitas. Deni- Esaiæ 53.
que vt scias quòd secundum hominem rogat, diuinitate imperat, habes in euangelio, quod Petro dixit: Rogaui pro te, Lucæ 22.
vt non deficiat fides tua. Eidem autem supra dicenti: Tu es Matth. 16.
Christus filius dei viui, Respondit: Tu es Petrus, & super hãc Petram ędificabo ecclesiam meã, & tibi dabo claues regni cœlorum. Ergo cui propria authoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat, quem cùm petrã dicit, firmamẽtum ecclesiæ indicauit? Quando igitur roget, quando imperet considera. Rogat quando passurus ostenditur, imperat quando filius dei creditur. Duas igitur species impossibilitatis vacare iam cernimus, quod neque insensibilis neque infirma potest esse dei virtus. Nunquid tertiũ profertis in medium, quòd quasi imperitus sine magistro facere nihil possit, aut seruus sine domino? Ergo mentitus es domine Iesu, qui te & magistrum & dominum ipse dixisti, & fefellisti discipulos tuos, dicens: Vos vocatis me magistrum & do- Ioan.13.
minum, & benedicitis, sum enim. Sed non falleres veritas, eos præsertim quos amicos vocasti. Tamen si vt imperitum

te ab

te ab artifice ſecernunt, viderint vt tibi, hoc eſt dei ſapientiæ, dicant peritiam defuiſſe: vnitatem tamen ſubſtantiæ inter te & patrem ſeparare nō poſſunt. Artificem nanque ab imperito imprudentia non natura ſecernit. Sed non in patre artificium, neque in te inſipientia. Non eſt enim inſipiens ſapientia. Ergo ſi neque inſenſibilis in filio natura, neque debilitas, neque imperitia, neque ſeruitus poteſt eſſe, conſiderēt quod & per naturam & maieſtatem vnum ſit cum patre filius, & per operationem non diſcrepet à patre virtus,
Ioan. 5. cum omnia quæ pater fecerit, eadem & filius faciat ſimiliter. Neque enim ſimiliter poteſt quiſquā facere idem opus quod alius fecerit, niſi quí & inæqualitatē non habeat operationis, & naturæ eiuſdem habeat vnitatem. Adhuc tamen requiro, quid ſit quod non poſſit facere à ſe filius niſi viderit facientem patrem? Et inſipienter aliqua de vilioribus e-
1. Cor. 12. xempla propono. Factus ſum enim inſipiens, vos me coegiſtis. Nam quid inſipientius quàm de maieſtate dei argumenta diſcutere, quæ queſtiones magis preſtant quā ędifica-
1. Timot. 1. tionē dei quæ eſt in fide? Sed argumentis argumenta reſpondeāt. Illis verba, nobis charitas quę in deo eſt de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta. Ergo ad infirmationem tam ineptæ propoſitionis, non piget etiam ridicula deriuare. Quomodo ergo videt filius patrem? Videt equus picturam quam per naturam imitari non poteſt. Non vtique ſic videt filius. Videt paruulus viri opera maioris, ſed imitari non poteſt. Nec vtique ſic videt filius. Ergo ſi filius & per eiuſdem cum patre arcanum commune naturæ inuiſiliter & videre & facere poteſt, & per plenitudinem diuinitatis quod voluerit exequi, quid ſupereſt niſi vt per vnitatem inſeparabilem poteſtatis, nihil credamus filium facere, niſi quod viderit patrem facientem, quia per inſeparabilem vnitatem nihil à ſe facit filius, quoniam nihil vult quod pater nolit? Quod vtique non infirmitatis ſed vnitatis eſt. Ergo nec contumax filius, vt etiam de quarta propoſitione dicamus. Nihil enim conſiliarius filius facit, quod cum patris non conueniat voluntate. Denique vidit pater quæ fecit filius, & probauit quòd bona valde. Sic enim habes in Geneſ 1. ſi: Et dixit deus: Fiat lux, & facta eſt lux, & vidit deus lucem quòd bona eſt. Nunquid hic dixit pater: Fiat talis lux qualem ipſe feci? Sed fiat lux quæ ante nō fuerat. Aut filius qualem faceret interrogauit? ſed fecit vt voluit, qualem pater vſque eo voluit vt probaret. Ergo nouum opus filij eſt. Denique ſi reprehenditur in filio ſecundum interpretationes Arrianorum, quòd quæ viderit facit, qui vtique ſecundum ſcripturas quod non vidit & fecit, & dedit eſſe quæ non erant: quid dicūt de patre: qui quod viderat prędicauit: quaſi ea quæ facienda forent non potuerit præuidere? Similiter ergo videt filius patris opus, ſicut pater opus filij. Nec quaſi alienum laudat, ſed quaſi proprium recognoſcit. Quæcun-
Ioan. 5. que enim pater fecerit, eadem & filius facit ſimiliter, vt idē opus patris filiique ſentires. Nihil ergo facit filius niſi quod pater probet, pater laudet, pater velit, quia ex patre totus eſt, non vt creatura, quæ multa committit dum ſtudio lapſú que peccati voluntatem frequenter offendit authoris. Nihil ergo filius facit niſi quod placeat patri, quia vna voluntas, vna ſententia eſt, vna eſt vera charitas, vnus operationis effectus. Denique vt ſcias charitatis eſſe, quia non poteſt filius à ſe facere quicquam niſi quod viderit faciētem patrem,
Ibidem. cum præmiſiſſet, Quæcunque enim ille fecerit, eadem & filius facit ſimiliter, ſubiecit: Pater enim diligit filium. Ergo quod dixit ſcriptura, quia non poteſt, ad inſeparabilis & indiuiduæ charitatis retulit vnitatem. Quod ſi naturaliter eſt, vt verè eſt, inſeparabilis charitas, inſeparabilis vtique eſt etiam operatio naturaliter, & impoſſibile vt opus filij cū patria non conueniat voluntate, quando id quod filius operatur, operatur & pater, & quod pater operatur, operatur & filius, & quod loquitur filius, loquitur & pater, ſicut ſcriptū
Ioan. 14. eſt: Pater meus qui in me manet, ipſe loquitur, & opera quę ego facio, ipſe facit. Nihil enim pater ſine virtute atque ſapientia ſua condidit, qui omnia in ſapientia fecit, ſicut ſcri-
Pſal. 103. ptum eſt: Omnia in ſapientia feciſti. Nihil etiam deus verbum ſine patre fecit. Non operatur ſine patre. Non ſine patria voluntate ſacroſanctæ illi ſe obtulit ſalutaris mundi tonius hoſtia paſſioni: Non ſine patria voluntate mortuos ſuſcitauit. Denique Lazarum ſuſcitaturus leuauit oculos ſurſum & dixit: Pater gratias ago tibi quia audiſti me, & ego Ioan. 11.
ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter turbam quæ circūſtat dixi, vt credat quia tu me miſiſti. Vt quānuis ex perſonæ hominis incarnati ſuſceptione loqueretur, vnitatem tamen paternæ voluntatis & operationis exprimeret, quia pater omnia audit, omnia videt quæ vult filius. Videt ergo & pater facientem filium, audit * voluntatem. Denique nō to * volun-
gauit, & exauditum ſe eſſe dixit. Nec æſtimari poteſt quod non audit pater quod velit filius: & vt ſcias quia ſemper auditur à patre, non quaſi ſeruus, nec quaſi propheta ſed quaſi filius: Et ego inquit, ſciebam quia ſemper me audis, ſed Ibidem.
propter turbam quæ circunſtat dixi, vt credant quia tu me miſiſti. Propter nos igitur gratias egit. Nec eundem patrem eundemque filium eſſe credamus, cùm idem opus patris audimus & filij. Nam vt cognoſceres non quaſi infirmum gratias egiſſe, ſed quaſi dei filium, ſemper ſibi diuinam potentiam vindicare, clamauit, Lazare veni foras. Imperantis vtique vox iſta eſt, non precantis. Sed vt ad ſuperiora redeamus, & propoſita concludamus, facit quaſi verbum filius voluntatem patris. Verbum hoc noſtrum vtique prolatiuū eſt, ſyllabæ ſunt, ſonus eſt, & tamen à ſenſu noſtro & mēte non diſcrepat, & quæ interiori tenemus affectu, ea tanquam operantis verbi teſtificatione ſignamus. Sed non ſermo noſter operatur, ſolum eſt verbum dei quod nec prolatiuum eſt, nec ἐνδιάθετον dicunt, ſed quod operatur & viuit & ſanat. Vis ſcire quale verbum, audi dicentem: Viuum eſt enim Hebr. 4.
verbum dei & validum atque operatorium & acutum, & penetrabilius & omni gladio acutiſſimo, penetrās vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus artuumque & medullarum. Verbum igitur audis dei filium, & à patria voluntate & poteſtate ſecernis. Audis quòd viuit, audis quòd ſanat, noli ergo noſtro conparare verbo. Si enim verbum noſtrū quæ nō obtutu viderit, non auditu audierit loquitur, & loquitur tamen cognita perquedam naturę humanæ interna myſteria: quomodo non impius qui ſecundum diuinitatem in dei verbo & ob tutum quēdam corporeum exigit, & auditū, & putat quod non poſſit à ſe quicquā facere filius niſi quod patrē faciētem viderit, cùm per vnitatem vt diximus eiuſdem ſubſtantię, idem velle atque idem nolle & idem poſſe, & in patre ſit & in filio & in ſpiritu ſancto? Quod ſi homines plerunque ſenſuum qualitate diſcreti, tamen vnius propoſiti intentione concordant, quid de patre nos & de filio congruit æſtimare, cùm id quod humana imitatur charitas, ſubſtantia diuina poſſideat? Ponamus tamen ſicut ipſi volunt quod quaſi in exemplari, quod viderit patrem facientem filius faciat. Et hoc vtique eiuſdem ſubſtantiæ eſt, Nullus enim poteſt alterius imitationem operationis implere, niſi qui eiuſdem naturæ habeat vnitatem.

De ſolutione obiectionum quibus impij hæretici inæqualitatem patris & filij probare contendunt. Cap. IIII.

IMperator Auguſte, quidam hoc etiam ad inęqualitatem dei patris & filij obiiciendā vſurpare conſuerunt, quia dicant omnipotentem patrem eſſe quod generauit filium, negent autem omnipotētem filium, dicentes quòd generare non potuit. Sed vide quemadmodū ſæua impietas, vt dialectica philoſophorum ſeipſa conuincat. Hac enim quæſtione, aut coæternum patri filium neceſſe eſt ſua voce fateantur, aut ſi principiū temporis filio aliquod adſcribunt, principium potentiæ neceſſe eſt tribuant etiam patri. Ita cùm omnipotentem filium negant, incipiunt (quod nefas dictu eſt) aſſerere per filium patrem omnipotentem eſſe cœpiſſe, Nam ſi per generationem omnipotēs pater, vtique aut coæternus patri filius eſt, quia ſi ſemper omnipotens pater, ſempiternus & filius: aut ſi fuit quando non erat filius ſempiternus, fuit ergo quando non erat omnipotens pater. Nam cùm volunt dicere filium aliquando cœpiſſe, in illud recidunt, vt & patris potentiam dicant non ſemper fuiſſe, ſed ex filij generatione cœpiſſe. Ita dum filio dei cupiunt derogare, plus tribuunt, vt contra fas omne authorem paternæ potētiæ declarate videantur, cùm filius dicat: Omnia quæ pater habet mea ſunt, hoc eſt, non Ioannis
quæ

quæ patri ipse tradiderit, sed quæ à patre iure generationis acceperit. Et ideo filiũ esse sempiternã didicimus virtutem. Si ergo sempiterna eius virtus atque diuinitas, vtiq; & potentia eius est sempiterna. Filius igitur qui derogat, patri derogat, pietatem offendit, violat charitatẽ. Nos honorificemus
Matth.17. filium in quo pater cõplacet. Placet enim patri vt laudetur filius in quo ipse complacuit. Respondeamus tamen intentioni eorum, ne epilogo quodam inuidiam quæstionis declinasse videamur. Generauit, inquiunt, pater, non generauit filius. Quod hic argumentum est inæqualitatis? Generatio enim paternę proprietatis est, non potentiæ, & pietas æquat, nõ separat. Denique in ipso vsu nostræ infirmitatis frequẽter euenire cognoscimus vt & infirmi filios habeant, & non habeant fortiores: habeãt serui, & nõ habeant domini: habeãt inopes, non habeant qui potẽtes sunt. Sed dicunt & hoc infirmitatis esse, quod homines volũt filios habere nec possunt: quanuis humana non sint conferenda diuinis, tamen intelligant inter ipsos quoque homines non potentię esse, sed paternæ proprietatis habere filios vel non habere. Nec in potestate nostræ volũtatis esse generare, sed in corporis qualitate. Nam si esset potentię, vtique potentior multos haberet, ergo non est potentię habere filios vel non habere. Nũquid naturæ est? Si naturæ infirmitatem putatis, & ad humana confertis exempla, eadem patris est natura quæ filij est: itaque aut verum filium dicitis, & patri in filio derogatis per vnitatem eiusdem naturæ. Sicut enim pater natura deus, ita & filius. Deos autem ait Apostolus nõ natura deos
Galat.4. esse, sed dici. Aut si negatis esse verum filium, hoc est eiusdem naturæ: non est ergo generatus, si non est generatus filius, non generauit pater. Colligitur itaque iuxta sentẽtiam vestrã, vt non sit omnipotens deus pater, quia generare non potuit, si non generauit filiũ sed creauit. Sed quia omnipotens pater cùm iuxta sententiam vestram solus generator omnipotens sit, generauit vtique filium non creauit. Verum ipsi magis quàm vobis credendum est. Ille ait: Genui, & frequenter ait, generationis suæ testis. Non est ergo naturæ, non est potentiæ in Christo aliqua quòd non generauit infirmitas, quia generatio (sicut sæpe iam diximus) non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ. Nam si ideo omnipotens pater quia filium habet, omnipotentior ergo esse potuit si plures haberet. An verò potentia eius in vna generatione deficit? At ego ostendam & Christum habere filios, quos quotidie generat, sed ea generatione vel potius regeneratione, quæ potestatis est, non naturę. Adoptio enim potestatis est, generatio proprietatis. Quod
Ioan.1. ipsa scriptura nos docuit. Dicit enim Ioannes: Quia in hoc mundo erat, & mũdus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Didicimus itaque potestatis esse quod nos filios dei fecit, proprietatis autem generationem esse oracula diuina declarant. Dicit enim sapientia dei:
Eccles.24. Ex ore altissimi prodiui, hoc est, non coacta sed libera, non potestati obnoxia, sed nata generationis arcano, priuilegio
Psalm.109. dominationis & iure potestatis. Denique de eadem sapientia, hoc est de domino Iesu, alibi pater dicit: Ex vtero ante luciferum genui te: quod vtique ideo dixit, non vt corporalem aluum declararet, sed vt proprietatem veræ generationis ostendere. Nam si ad corporalia referas, ergo omnipotens pater cum dolore & cõceptione generauit. Sed absit, vt deum ex infirmitate corporis metiamur. Et quidam vterus paternæ arcanum substantiæ, interiúsque secretum, quod non angeli, non archangeli, non potestates, non dominationes, non aliqua creaturarum potuit penetrare natura. Cum patre enim semper & in patre semper est filius. Cum patre per distinctionem indissociabilẽ trinitatis æternæ. In patre per diuinam vnitatem naturæ. Quis igitur hic arbiter diuinitatis, qui discutia patrem ac filium, ille quare generauerit, iste cur non genuerit? Seruulum suum aut ancillam, cur non genuerit nemo condemnat, isti condẽnant, cur non generauerit Christus. Cõdemnant enim sua opinione cùm derogant. Nec coniugibus inter se cur non generauerint, aut charitas minuitur, aut meritum derogatur: isti quia non

A generauit, Christi minuũt potestatem. Cur, inquiunt, filius pater non est? Quia & pater filius non est. Cur non iste generauit? Quia nec ille generatus est. Nec ideo minus habet filius quia pater non est, nec pater minus habet, quia filius non est. Dixit enim filius: Omnia quæ pater habet mea sunt. Ioan.16.
Adeo generatio in paterna proprietate, non in iure est potestatis. Est quædam indistincta distinctè incomprehensibilis & inenarrabilis substantia trinitatis. Distinctionem etenim accepimus patris & filij & spiritus sancti, non cõfusionem: distinctionem non separationem: distinctionem non plura litatem. Diuino itaque admirandóque mysterio, manentem semper accepimus patrem, semper filium, semper spiritum sanctum. Non duos patres, non duos filios, non duos spiritus. Vnus enim deus pater, ex quo omnia & nos in ipsum. Et vnus dominus Iesus per quem omnia & nos per ipsum. Vnus natus ex patre dominus Iesus, & ideo vnigenitus. Vnus & spiritus sanctus, vt idem Apostolus dixit: Sic accepi- 1. Cor. 8.
mus, sic legimus, sic tenemus, distinctionem scimus, secreta nesimus, causas non discutimus, sacramenta seruamus.
B Facinus indignum, vt qui generationis suæ facultatem non habent, diuinę generationis examen sibi arrogent, vindicẽt potestatem. Negent ergo æqualem patri filium, quod non generauit filius. Negent æqualem patri filium. quòd patrem habet. Hoc si de hominibus dicerent, quorum aliqui volunt filios habere nec possunt, iniuriam putaremus si inter duos honore pares, habenti filios qui non habet negaretur æqualis. Et ideo hoc, inquam, graue & de ipsis hominibus videtur, vt quis minor putetur quòd patrem habet. Nisi fortè tanquam constitutum in familia, putent Christum dolere quod emancipatus à patre non sit, & administrandi patrimonij non habet facultatem. Sed non est Christus in sacris qui sacra vniuersa distinxit. Quomodo volũt tamen respondeant, vera ne generatio sit, & verus filius ex deo patre natus, hoc est, ex substantia patris? An ex alia natus substantia? Si enim dicunt ex patre, hoc est ex dei substantia, conuenit quod ex substantia patris filium dicant. Ergo quia vnius substantiæ, vnius vtique potentiæ. Si verò ex alia substantia fi-
C lius est, quomodo omnipotẽs pater est, & omnipotẽs filius non est? Quid enim præstantius si ex alia substantia filium deus fecit cùm vtique & filius ex alia nos substantia filios dei fecerit? Ergo aut vnius substantiæ filius cum patre aut vnius potentiæ. Friget igitur eorum quæstio quod de Christo iudicare non possunt, imò quod vincit ille cùm iudicatur. Digni tamen sunt isti iudicio suo, qui hanc obiici unt quæstionem. Si enim ideo æqualis patri filius non est, quia non generauit filium, & isti vtique fateantur si non habent filios, qui ferunt huiusmodi quæstiones, suos sibi etiam seruulos præferendos, eo quod habentibus filios æquales esse non possunt. Si autem habent filios, non putent sibi merito, sed filiorum iure deferri: non consistit igitur hæc quęstio, quòd æqualis filius patri ideo esse non possit, quod pater generauit filium, filius nullum ex seipso generauerit. Nam & fons fluuium generat, & fluuius fontem ex seipso nõ generat. Et lux splendorem generat, non splendor lucem, & vna natura est splendoris & lucis. Vnde cùm inæqualitatem ex generationis obiectu probare non potuerint: intelligant e-
D tiam illam diuulgatam suæ calumniam quæstionis explosam. Solent enim opponere, quomodo æqualis potest esse filius patri? Nam si filius est, antequam generaretur non erat: aut si erat, cur natus est? Et Arrianos se negare consuerunt, qui proponunt Arrij quæstiones. Itaque exigunt à nobis responsionem, vt si dixerimus, quòd antequam generaretur erat, astutè referant, Ergo antequam generaretur creatus est, & non differt à cæteris creaturis, quia prius cœpit creatura esse quàm filius. Et adiiciunt, cur qui erat natus est? An quod imperfectus erat, vt postea perfectior fieret? Si autem responderimus quod non erat, obiiciunt statim: ei ergo generatio contulit vt esset qui non erat antequam nasceretur, vt hinc colligant: Erat ergo quando non erat filius. Sed qui hoc proponunt & obscuritate volunt inuoluere veritatem, dicant ipsi, vtrum temporaliter generet pater, an intemporaliter? Si enim temporaliter dixerint, quod filio obiiciunt, patri adscribent, vt videatur pa-

ter eo-

ter cœpisse esse quod non erat. Si intemporaliter, quid superest nisi vt ipsi soluant quam proposuerint quæstionem, vt cùm generationem patris abnuant temporalem, generationem quoque filij temporalem non esse fateantur? Si ergo non est generatio eius ex tempore, æstimari datur quod nihil præcesserit ante filium qui nõ sit ex tempore. Si enim aliquid ante filium, iam non sunt in ipso creata omnia quæ vel in cœlo sunt vel in terris. Et Apostolus redarguitur qui hoc in epistola sua scripsit. Quod si nihil ante generationẽ, non aduerto cur posterior asseratur quem nemo præcessit. Connectenda est alia eorum plena impietatis obiectio, quæ latentẽ habeat dolum, quo sensus facilium mentésque præstringant. Interrogãt enim vtrum omne quod finem habet aliquando cœperit? Et si acceperint eiusmodi respõsionem, quia quod finẽ habet, cœpit aliquando, referũt vtrum pater desierit generare filiũ? Quod cum tenuerint, nostro aspirãte consensu, contexũt, cœpit ergo generatio. Id si non abnuas, consequi videtur, vt si cœpit generatio, videatur in eo cœpta qui natus est, vt natus esse dicatur, qui ante nõ fuerit, vnde definiant, aliquando ergo filius non fuit. Adiiciunt alias ineptias loquacitatis suæ dicẽtes: Si verbum patris filius est, & ideo genitus dicitur quia verbum est: quod autem verbũ est, opus non est: multifariam locutus est pater, multos ergo generauit filios, si non operatus est sed locutus est verbum. Amentes homines quasi non intelligant quid intersit inter prolatiuum sermonem & in æternum permanens dei verbum ex patre natũ, natum vtique nõ prolatum, in quo non composita syllaba, sed plenitudo diuinitatis æternæ est, & vita sine fine. Subtexunt aliam impietatem, proponentes vtrũ volens an inuitus generauerit pater: vt si dixerimus volẽtem, antiquiorem generatione volũtatem videamur fateri, & referant quod non sit filius coæternus patri, quem aliquid anteceſſit, aut quòd & ipse sit creatura, quia scriptum
Psalm. 113. est: Omnia quæ voluit fecit: Cùm hoc ipsum non de patre & filio, sed de his quas filius fecit dictum sit creaturis: Sin autem inuitum patrem generasse respondemus, inualidum patrẽ dixisse videamur. Sed nihil in sempiterna generatione præcedit, nec velle nec nolle: ergo nec inuitum dixerim, nec volentem: quia generatio non in voluntatis possibilitate est, sed in iure quodam & proprietate paterni videtur esse secreti. Nam sicut bonus pater non aut ex voluntate est,
*super vtrunque aut necessitate, sed * per naturam, ita non generat ex voluntate aut necessitate pater. Esto tamen, sit generatio in voluntate generantis, quando hanc voluntatem fuisse dicunt? Si in principio, vtique si sempiterna voluntas, sempiternus & filius. Si cœpit voluntas, displicuit igitur sibi quod erat deus pater, vt mutaret statum. Displicuit ergo sibi sine filio, placere cœpit in filio. Iam illa consequentia vt dicamus: Si studium generandi nostro more assumpsit, ergo & cætera quę generationem præcedere solent nostro more assumpsit, nostro autem vsu generationis votum est non voluntas. Produnt igitur impietatem suam qui volunt generationem cœpisse Christi, vt videatur non generatio illa verbi manentis, sed prolatio fluentis esse sermonis: deinde multos inducendo filios, negent in Christo diuinæ proprietatem naturæ, vt nec vnigenitus nec primogenitus æstimetur: postremo vt si principium esse credatur, accepisse, etiam finem videatur habiturus. Sed neque principium assumpsit aliquando dei filius qui erat in principio, neque finem qui est principium vniuersitatis & finis. Nã cùm sit principium, quomodo quod habebat accepit? aut quomodo sui finem habebit, cùm omnium ipse sit finis, vt in illo fine, sine fine maneamus? Dei enim generatio cùm tẽporalis non sit, nec ante se nec in se tempus inuenit. Frigida igitur eorũ & vana quæstio in creaturis ipsis non habet locũ. Ipsa etenim quę temporalia sunt, discretionem in quibusdam habere temporis non videntur. Lux nempe splendorem generat, nec comprehendi potest quod splendor luce posterior sit, aut lux splendore antiquior, quia vbi lumen & splendor est, & vbi splendor & lumen est. Itaque nec sine splendore lumen, nec splendor potest esse sine lumine, quia & in splendore lumen, & splẽdor
Heb. 1. in lumine est. Vnde & Apostolus splendorem paternæ gloriæ filium dicit, quia splendor paternæ lucis est filius: coæternus, propter virtutis æternitatem: inseparabilis, propter claritudinis vnitatem. Ergo si temporalia hæc & aeria hæc comprehendere & separare non possumus quæ videmus, deum quem non videmus, qui super omnem est creaturam, in ipso iuæ generationis arcano possumus comprehendere, possumus eum à filio tempore separare, cùm omne tempus opus filij sit? Desinant ergo dicere: & antequam generaretur non erat. Ante enim temporis est, generatio ante tempora, & ideo quod posterius est, prius non est, nec opus ante autorem potest esse, cùm opera ipsa principium de operato re suo sumant. Nam quomodo ante operatorem suum vsus operis ęstimatur, cùm omne tempus opus sit ei, omne opus de operatore suo vt esset, acceperit? Experiri igitur adhuc istos volo qui sibi videntur astuti, vt de nostris respondeant qui calumniantur diuinis, longéque refugiunt ab inscrutabili supernæ generationis arcano: quæstionem suam humanę astruant generationis exemplo. De filio dei dicunt quod antequã generaretur non erat, hoc est de dei sapiẽtia, de virtute dei, de dei verbo, cuius generatio nihil ante se nouit: quia si aliquando, vt volunt, non fuit (quod nefas dictu est) non fuit ergo in deo perfectionis aliquando plenitudo diuinæ, si postea processum generationis accepit. Tamen vt sciant quàm vana sit & solubilis eorum quæstio, licet nihil in eo humanis diuinisue cõmune, tamen docebo homines antequam nascerentur, fuisse. Aut negent Iacob sanctũ fuisse priusquam nasceretur, qui fratrem supplantauit in matri adhuc vteri positus arcano. Negent Hieremiam antequã nasceretur sanctũ fuisse, cui dicitur: Priusquã te formarẽ in vtero matris tuæ noui te, & priusquam exires de vulua sanctificaui te, & prophetã in gentibus posui, te. Quid hoc euidentius tanti exemplo prophetæ, qui sanctificatus est antequam natus, & antequam formaretur est cognitus? Quid etiã de Ioanne loquar, de quo mater religiosa testatur, quod intra materna situs adhuc viscera, præsentiam domini spiritu cognouit, exultatione signauit, sicut scriptum meminimus matre dicente: Ecce enim vt facta est in auribus meis vox salutationis tuæ, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Erat igitur qui prophetabat, an non erat? At certè erat. Erat enim qui venerabatur autorem, erat qui loquebatur in matre. Denique Helizabet filij spiritu replebatur, Maria filij spiritu sanctificabatur: sic enim habes, quòd exultauit infans in vtero eius, & repleta est spiritu sancto. Vide singulorum verborum proprietates. Vocem quidem Mariæ prior Helizabet audiuit, Sed Ioannes prior domini gratiam sensit, pulchrè sibi conueniunt, oracula oraculis, fœmina mulieri, & pignus pignori. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo licet honore diuerso, prophetant matres spiritu paruulorum. Quis igitur autor huius miraculi, nónne dei filius qui fecit esse non natos? De rebus humanis quæstio nostra non potest conuenire: potest ne de diuinis conuenire secretis? Quid est antequam generaretur, non erat? Nunquid pater aliqua tempora conceptionis accepit, vt filium tempora prœuenirent? Aut fœminę more naturæ generationis suæ molitus est partum, vt molitio ipsa filio esset antiquior. Quid est hoc? cur diuina secreta discutimus? Proprietatem legi diuinæ generationis, non qualitatem? Facinus indignum, vt ex se quidam cœlestia metiãtur, qui tanquam vnum de spadonibus putãt Christum non nasci potuisse, sed fieri. Aut tanquam vnum de spadonibus patrem, qui filium quem generare non potuerit adoptauerit.

De solutione quæstionis quam plerique faciunt, ex eo quod scriptum est. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse viuit propter me.

Caput V.

PLerique etiam hinc faciunt quęstionẽ, quia scriptum est: Sicut misit me viuus pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, ipse viuit propter me, dicẽtes: Quomodo ęqualis est patri filius qui dixit, quod propter patrem viuit? Qui hoc proponunt, primum respondeant cuiusmodi vita sit filij, vtrum ea quam pater largitus sit nõ habenti? Sed quomodo vitam aliquando potuit non habere, cum ipse sit vita, sicut ait: Ego sum

sum via veritas & vita? Vita vtique sempiterna, sicut virtus
est sempiterna. Aliquando ergo (vt sic loquar) si vitam non
1.Thess.5. habuit, considerate quid lectum sit hodie de domino Iesu,
quod mortuus est pro nobis, vt siue vigilemus siue dormia-
mus, simul cum illo viuamus. Cuius mors, vita est: huius di-
uinitas vita non est: cùm diuinitas vita sit sempiterna? An ve-
rò vita eius in patris est potestate? Sed ne corporis quidem
sui vitam in alterius fuisse potestate memorauit, sicut scri-
Ioan.10 ptum est: Ego pono animam meam, vt iterum sumam illam:
Nemo tollit illam à me, sed ego pono eam à meipso. Pote-
statem habeo ponendi eam, & iterum potestatem habeo su
mendi eam: hoc mandatum accepi à patre meo. Eius ergo vi
ta secundum diuinitatem in alterius potestate iudicatur, cu
ius vita secundum corpus alienæ non erat subdita potestati?
Aliena enim potestas erit, si non erat vnitas potestatis. Sed
sicut potestatis suæ esse significat ponere animam & liberæ
voluntatis: ita etiam quod secundum mandatum deposuit
patris, suæ ac paternæ voluntatis significat vnitatem. Ergo si
vitam filius neque aliquo accepit ex tempore, neque alienæ
habet potestati subditam, videamus qua ratione dixerit: Si-
cut misit me viuus pater, & ego viuo propter patrem. Expo-
namus vt possumus, imò ipse potius exponat. Considera igi
tur quid ante præmiserit. Ait enim: Amen, amen dico vobis:
ante instruit quemadmodum audire debeas. Verè, inquit,
verè dico vobis: Nisi manducaueritis carnem filij hominis
& biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.
Secũdum filium hominis se dicere antè præmisit: & tu quod
secundum filium hominis de carne es loquutus & sangui-
ne, ad diuinitatem putas esse referendum? Denique addidit:
Caro enim mea vera est esca, & sanguis meus est potus. Car-
nem audis, sanguinem audis, mortis dominicæ sacramenta
cognoscis, & diuinitati calumniaris? Audi dicentem ipsum:
Quia spiritus carnem & ossa non habet. Nos autem quo-
tiescunque sacramenta sumimus, quæ per sacræ orationis
mysterium in carnem transfigurantur & sanguinem, mor-
tem domini annũciamus. Ergo postea quam se loqui secun-
dum hominis filium declarauit, & carnem sæpe repetiuit, &
sanguinem: subdidit postea: Sicut misit me viuus pater, & e-
go viuo propter patrem. Et qui manducat me, & ipse viuit
propter me. Quomodo igitur hoc accipiendum putatur: po
test enim duplex videri comparatio. Prima ita: Sicut misit
me viuus pater, & ego viuo propter patrem. Secunda: Sicut
misit me viuus pater, & ego viuo propter patrem: ita & qui
manducat me, ipse viuit propter me. Si primam eligunt, hoc
significat quòd sicut missus sum à patre & descendi à patre,
ita viuo propter patrem. Quasi quis autem missus est atque
descendit, nisi quasi filius hominis, sicut ipse supra sapientia
Ioan.8. dixit: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit
filius hominis. Ergo si quasi filius hominis missus est atque
descendit: Ita quasi filius hominis viuit propter patrem. Deni-
q; & qui manducat quasi filium hominis, & ipse viuit pro
pter filium hominis. Actum ergo incarnationis suæ aduen-
tui comparauit. Quod si secunda complacuit, nónne & æ-
qualitatem filij cum patre, & similitudinem eius cum homi-
Ioan.6. ne manifesta distinctione colligimus? Nam quid est: sicut i-
pse viuit propter patrem, & nos viuimus propter ipsum: nisi
quod sic viuificat filius hominis, sicut pater in filio carnem
Ioan.5. viuificauit humanam? Sicut enim pater suscitat mortuos, &
viuificat: sic & filius quos vult viuificat, vt ipse dominus su-
pra dixit Æqualitas ergo filij ad patrem, per vnitatem quo-
que viuificationis astruitur, quando sic viuificat filius, vt pa-
ter. Agnosce ergo eius vitam & potentiam sempiternam. Si-
militudo etiam nostra ad filium, & quædam secundum car-
Rom.8. nem vnitas declaratur: quoniam quemadmodum filius à pa
tre, sicut homo est viuificatus in carne. Sic enim scriptum
est, quod deus Iesum Christũ à mortuis suscitauit: ita etiam
nos quasi homines viuificamur à dei filio. Secundum hanc
ergo expositionem non solum ad conditionẽ humanam de-
riuatur gratia largitatis, sed etiam diuinitatis æternitas præ-
dicatur. Diuinitatis quòd ipsa viuificat, humanæ autem con-
ditionis quòd viuificata est & in Christo. Quod si quis vtrũ-
que ad Christi refert diuinitatem, ergo filius dei hominibus
comparatur, vt ita filius propter patrem viuat, sicut nos pro-

A pter filium dei viuimus. Sed filius dei vitam largitur æter-
nam, nos autem largiri nequimus, ergo nostri comparatio-
ne nec ille largitur. Habeant igitur Arriani fidei suæ præ-
mium, ne vitam æternam adipiscantur à filio. Libet iam vlte
rius progredi. Nam si illis placet hunc locum ad diuinæ per-
petuitatem referre substantiæ, accipiant etiam tertiam ex-
positionem. Nónne euidenter videtur dicere: Quod sicut vi
uus pater est, ita viuit & filius. Quod vtique quis non aduer
tat ad vnitatem vitæ, quod eadem patris & filij vita sit, esse ra
ferendum. Sicut enim pater vitam habet in semetipso, sic de Ioan.5.
dit filio vitam habere in semetipso. Dedit per vnitatem, de-
dit non vt auferat, sed vt clarificetur in filio: Dedit vt com-
placeat: Dedit non vt pater custodiret, sed vt filius possideret. Sed obiiciendum putant quòd dixit: Ego viuo propter
patrem. Vtique si ad diuinitatem referunt: propter patrem
viuit filius, quod ex patre filius est: propter patrem, quod v-
nius substantiæ cum patre: propter patrem, quod eructua-
tum est verbũ ex patris corde, quod à patre processit, quod
ex paterno generat° est vtero, quod fons pater filij est, quod
B radix pater filij est. Sed dicunt fortasse: Si vnitatem putas pa-
tris ac filij vitæ esse, cùm filius dixerit: Et ego viuo propter pa
trem. Nunquid vnitas est filij vitæ atque hominum, cùm di-
xerit filius: Qui manducat me & ipse viuit propter me? Imò
planè, sicut vnitatem fateor esse vitæ cœlestis in patre & fi-
lio per diuinæ vnitatem substantiæ, ita vel diuinæ naturę vel
dominicæ incarnationis excepto priuilegio, societatem no-
biscum vitæ spiritalis in filio esse profiteor per humanæ vni-
tatem naturæ. Qualis enim cœlestis, tales & cœlestes. Deni- 1.Cor.15.
que sicut in illo sedemus ad dexteram patris, non quòd cum
ipso sedemus, sed quod sedemus in Christi corpore, de quo
postea dicemus plenius: sicut, inquam, sedemus in Christo
per corporis vnitatem, ita & in Christo viuimus per corpo-
ris vnitatem. Non solùm autem non vereor quod scriptum
est: Et ego viuo propter patrem, sed etiam, si per patrem di- Ioan.6.
xisset, non vererer.

De solutione obiectionis quam Arriani sumunt ex hoc quod do-
C *minus dixit: Hæc infirmitas non est ad mortem.*

Caput VI.

SOlent enim etiam illud obiicere quod dixit: Ioan.11.
Hęc infirmitas non est ad mortem, sed pro cla
ritate dei, vt clarificetur filius eius per ipsum.
Non solùm enim per patrem, & à patre filius
clarificatur, quod scriptum est: Clarifica me Ioan.17.
pater. Et alibi: Nunc clarificatus est filius hominis, & deus Ioan.13.
clarificatus est in eo, & deus clarificauit eum: sed etiam per
filium, & à filio clarificatur pater, quia veritas dixit: Ego te
clarificaui super terram. Sicut ergo clarificatur per patrem,
ita etiam propter patrem viuit. Vnde & quidam δόξαν opi-
nionem magis putauerunt esse, quàm gloriam: & ideo sic in
terpretati sunt: Ego te clarificaui super terram, opus consum
maui quod dedisti mihi, & nunc clarifica me pater, hoc est,
δόξασόν μ, vt sit hic sensus: opinionem de te hominibus huiusmodi infudi, vt cognoscant te deum verum: & tu hanc de
D me confirma illis opinionem, vt credant me tuum filium &
deum verum. Iam illud ridiculum est, quod quidam ex illo
apostolico, discretionem inter patrem & filium faciunt po-
testatis, quod scriptum est: Nobis tamen vnus deus pater ex 1.Cor.8.
quo omnia & nos in ipsum, & vnus dominus Iesus per quẽ
omnia & nos per ipsum. Aiunt enim non mediocrem diui-
næ maiestatis esse distantiam, quod dictum est: ex illo om-
nia, & per hunc omnia. Nihil autem expressius quàm quod
hoc loco omnipotens filius euidenti ratione signatur. Nam
vt ex illo omnia, ita per hunc omnia. Inter omnia pater non
est, cui dictum est: Quoniam vniuersa seruiunt tibi. Inter o- Psal.118.
mnia filius non est, quia omnia per ipsum facta sunt, & om- Ioan.1.
nia in ipso constant: & ipse est super omnes cœlos. Non er-
go inter omnia filius, sed super omnia qui secũdum carnem
quidem est ex familia Iudæorum, idem tamen super omnia Philip.2.
deus benedictus in secula, cuius est nomen super omne no-
men. Et de quo dicitur: Omnia subiecit sub pedibus eius. Psalm.8.
Subiiciendo autem omnia nihil reliquit ei non subiectum, Hebr.2.
sicut Apostolus dixit. Quod si hoc etiam secundum incarna
tionis locutus est sacramentum, quemadmodum possumus

de supernæ generationis incomparabili maiestate dubitare? Nihil igitur potestatis inter patrem & filium certum est interesse. Denique eousque nihil interest potestatis, vt idem Apostolus ex eo dixerit esse omnia, per quem omnia sicut
Rom.11. habes: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Si igitur pater sicut putant tantummodo signatur, non potest idem omnipotens esse, quia ex ipso omnia, & omnipotẽs non esse, quia per ipsum omnia. Aut igitur inualidum nec omnipotentem patrem sua assertione memorabunt, aut certè omnipotentem etiam filium vel inuiti voce propria fatebuntur. Eligant tamen vtrum hic patrem declaratum putent. Si patrem, ergo & per ipsum omnia. Si filium, ergo & ex ipso omnia. Si autem & per patrem omnia, nihil vtique filio derogandum. Et si ex filio omnia, similiter & filio deferendum. Ac ne insidiari nos vnius arbitrentur obreptione
Ibidem. versiculi, totum caput recenseamus. O altitudo, inquit, diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum domini, aut quis consiliarius ei fuit? aut quis prior
B dedit illi & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula. De quo igitur dictũ putant, de patre an filio? Si de patre, sed non est sapientia dei pater, quia sapientia dei filius est. Quid est autem quod non
Sapien.7. possit sapientia, de qua scriptum est: Cùm sit vna omnipotens & permanens, in se omnia innouat? Non ergo acceden tem legimus sed permanentem. Habes ergo iuxta Salomonem, omnipotentem & permanentem sapientiam. Habes etiam bonam, quia scriptum est: Sapientiam autem non vin
Rom.11. cit malitia. Sed ad propositum reuertamur. Quàm inscrutabilia sunt, inquit, iudicia eius. Si igitur omne iudicium pater dedit filio, filium videtur declarare qui iudicat. Denique vt
Ibidem. scias quod nõ de patre, sed de filio dicit, addidit: Quis prior, inquit, dedit illi? Dedit enim pater filio, sed dedit iure generationis, non munere largitatis. Et ideo quod negari non potest, à patre accepisse filium, secundum quod scriptum est;
Matth.11. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Dicendo tamen, quis prior dedit illi, non accepisse per naturam à patre filium denegauit, sed priorem non posse dici inter patrem & filium, declarauit: quia & si pater dedit filio, non tamen quasi posteriori dedit: quia increata & inæstimabilis trinitas, quæ vnius est æternitatis & gloriæ, nec tempus, nec gradum vel
Sic habet locus apud Esaiam ca. 40. & item apud Paulum. Ambrosius tamen legisse videtur προοίδωκεν siue προσέθηκεν, cum dicit, cui nihil addi potest. Et eandem lectionem indicabãt qualiacunq; vestigia Græcorum elemẽtorum: quanquam quod nobis tradidit ædition Aldina, nec sentit cum eo quod vertit Hieronymus: nec cum eo quod æditum est nomine Septuag. Latinè.
posterioris recepit vel prioris. Quòd si Græcos magis codices sequendos putamus, quia habent τὶς προέδωκεν αὐτῷ: vides quoniam cui nihil addi potest, non dispar à pleno est. Ergo si filio magis conuenit, hoc totum apostolicum caput, videmus & de filio esse credendum, quia ex ipso omnia, sicut scriptum est: Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Esto tamen de patre dictum putent. Itaque memineri mus quod sicut ex ipso legimus omnia, ita etiam per ipsum omnia, in vniuersitatem quippe totius creaturæ patris & filij profutura authoritas. Ac licet superius omnipotentem filium paterno probauerimus exemplo, tamen quia illis derogare studium est, considerent quod & patri derogent. Si enim infirmus filius, quia per ipsum omnia, nunquid infirmus & pater, quia & per patrem omnia? Sed vt agnoscant
D nullam discretionem inter hæc esse, verum demonstrabo, eiusdem esse, ex quo aliquid, & per quem aliquid, & ostendam vtrunque de patre lectum. Sic enim habemus: Fidelis deus per quem vocati estis in cõmunionem filij eius. Quid Apostolus dixerit, considerent. Per patrem vocamur, & nihil est quæstionis. Per filium creamur, & hoc vilius æstimabimus. Pater in cõmunionem filij vocauit, & religiosè hoc sicut debemus accipimus: filius omnia creauit, & putãt non liberæ fuisse voluntatis arbitrium, sed coactæ atque seruilis operationis obsequium. Vt autem agnoscas plenius nihil distare inter patris & filij potestatẽ, cùm per patrem in communionem filij eius vocemur, ex filio est ipsa communio, sicut scriptum est: Quoniam de plenitudine eius nos omnes accepimus, licet secundum Græcum euangelium, ex plenitudine eius & intelligere debeamus. Ecce & per patrẽ communio, & ex filio communio, sed non discrepans, sed vna communio. Sicut idem Ioannes in epistola sua dixit: Et communicatio sit cum patre & cum filio eius Iesu Christo. Ac-
A cipite etiam quod non solùm ex patre & filio, sed etiam ex spiritu sancto vnam nobis communionem scriptura memorauit. Gratia, inquit, domini nostri Iesu Christi & charitas 2.Cor.13.
dei, & communicatio sancti spiritus cum omnibus vobis. Quæro autem in quo minor videatur is per quem omnia, quàm is, ex quo omnia? an quod operator asseritur? Sed operatur & pater, quia verus est qui dixit: Pater meus vsque mo Ioan.5.
do operatur, & ego operor. Sicut igitur pater operatur, operatur & filius. Non ergo operator infirmus aut vilis est, quoniam operatur & pater, & ideo quod cõmune est filio cum patre, vel propter patrem inferiore loco accipi non oportet, ne patri potius in filio ab hæreticis derogetur. Nec mediocre illud quod alibi etiam idem sanctus Ioannes ad refellendas Arrianæ perfidiæ quæstiones ait: Scitis quoniam iustus 1.Ioan.2.
est, scitote quoniam qui fecit iustitiam ex ipso natus est. Iustus autem quis nisi dominus qui iustitias dilexit? aut quem Psal.10.
sicut superiora indicant repromissorem vitæ æternæ habemus, si filium non habemus? Si igitur filius dei vitam nobis
B promisit æternam, & ipse iustus est, & ex ipso vtique nati sumus: Aut si ex filio nos per gratiam natos negat, nec iustum filium confitentur. Credas igitur necesse est etiam ex dei filio omnia, quia omnium sicut deus pater, ita & filius & author est & creator. Videmus ergo inanem esse hanc quæstionem, cùm & de filio credi conueniat, quoniam ex ipso, & Rom.11.
per ipsum, & in ipso sunt omnia. Diximus quomodo ex ipso, quomodo etiam per ipsum. In ipso autẽ omnia esse quis dubitet, cùm alibi scriptum sit: Quoniam in ipso cõdita sunt Coloss.1.
omnia in cœlis, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Habes ergo ex ipso gratiam, ipsum operatorem, in ipso omnium firmamentum.

De dissolutione obiectionis quam ex hoc faciunt quod à domino dictum legitur, Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Cap. VII.

C ILLVD quoque ad separandam patris & filij diuinitatem obiicere cõsueuerunt, quod dominus dixit in euangelio: Ego sum vitis Ioan.15.
vera, & pater meus agricola est, agricolam & vitem diuersæ dicentes esse naturæ, & vitem esse in agricolæ potestate. Sic ergo vultis esse filium secũdum diuinitatem, sicut vitis est, vt sine cultore nihil valeat, quod possit deseri vel recidi, & ex litera calumniam comparatis, quòd dominus vitem se esse dixit, incarnationis suæ significans sacramẽtum. Tamen si placet vt ex litera argumentemur, fateor & ego, imò profiteor quòd vitem se filius nominauit. Væ enim mihi si sacramentum salutis publicè denegauero. Quomodo ergo vultis accipere quòd se vitem dei filius nominauit? Si secundum diuinam substantiam dictum accipitis, & sicut inter agricolam & vitem, ita etiam inter patrem & filium diuinitatis creditis esse distãtiam, geminam filio, geminam patri facitis iniuriam. Filio, quia si secũdum diuinitatem inferior est quàm agricola, inferior etiam Paulo apostolo, vestra assertione necesse est
D æstimetur, quia Paulus agricolam se esse dixit, sicut habes: Ego plantaui, Apollo rigauit, deus autem incrementum dedit. Num ergo vultis, vt Paulus melior sit dei filio? Habetis vnam iniuriam. Alteram, quia si secundũ substantiam generationis æternę vitis est filius, cùm dixerit: Ego sum vitis, vos Ioan.15.
palmites estis, vnius nobiscum etiam illa diuinæ generatio videbitur esse substantiæ. Sed quis similis tui in diis domine, Psal.88.
sicut scriptum est. Et rursus in psalmo: Quoniam quis in nubibus æquabitur domino, aut quis similis erit domino inter filios dei? Nec tamen soli filio derogatis, sed etiam patri. Nam si in agricolæ nomine omnis paternæ prærogatiua est potestatis, cùm etiam Paulus agricola sit, patri vtique (cui filium negatis æqualem) apostolum cõparatis. Denique cùm 1.Cor.3.
scriptũ sit: Sed neque qui plantat est quicquam, neque qui rigat, sed qui dat incremẽtum deus, in eo nomine vos summa paternę maiestatis locabitis, quod videtis infirmum. Si enim qui plantat & qui rigat nihil est, sed qui dat incremẽtum deus: videte quid vestra asserere moliatur impietas, vt & pater nomine sit contemnendus agricolæ, & deus aliquis incremen-

mentum paterno operi qui tribuat requirendus. Impiè igitur ex nomine agricolæ dei patris præferendam existimant potestatem, in quo sit patri dei cum homine appellationis commune consortium. Quid autem egregium si ei (vt vultis hæretici) filio præferatur, cuius diuina substãtia ab humana conditione non discrepet? Nam si vitem filium secũdum diuinam substantiam appellatum putatis, non solum corruptelæ incertísque elementorum obnoxium iudicatis, sed etiam humanæ tantummodo consortem naturæ, quia vnius naturæ sunt vites & palmites, vt non per incarnationis sacramentum carnem dei filius assumpsisse videatur, sed principium sumpsisse de carne. Ego autem dicam planè, carnem eius licet nouo generationis mysterio, vnius tamen naturæ fuisse nobiscum, & hoc salutis nostræ sacramẽtum esse, non diuinæ generationis exordium. Vitis enim est, qui meas sustinet passiones, quandoquidem in illo nixa fragilis prius humana conditio secũdis rediuiuæ fructibus pietatis adoleuit. Veruntamen si te pompa delectat agricolæ, dicas velim quis
Hier.11. ille sit qui locutus sit in propheta: Domine notum mihi fac
B vt sciam, tunc vidi cogitationes eorum. Ego vt agnus ductus sum innocens ad immolãdum & nesciebam, aduersum me cogitauerunt consilium, dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius. Si enim filius incarnationis futuræ loquitur sacramentum quod impium est vt de patre credas, filius est
Hier.2. vtique qui supra dixit: Ego plantaui te vitem fructiferam, quomodo conuersa es in amaritudinem vitis alienæ. Itaque & filium vides esse agricolam, vnius nominis cum patre, vnius operis, vnius dignitatis atque substantiæ. Ergo si agricola & vitis est filius, vitem vtique secundum incarnationis accepimus sacramentum. Sed non solùm se esse vitem dixit, sed etiam botrionem voce prophetica nuncupauit, tunc
Num.15. quando ad vallem botrionis exploratores Moyses iussu domini direxit. Quæ est illa vallis nisi humilitas incarnationis
Num.22. & fœcunditas passionis? Et puto botrionẽ ideo dictum, quia ex vinea illa translata ex Ægypto, hoc est, ex familia Iudæo-
Psal.79. rum, vtilis mundo fructus emicuit. Nemo certè botrionem potest ad generationẽ referre diuinam, aut qui refert aliud nihil relinquit, nisi vt botrionem illum natum ex vitæ credamus. Itaque adscribit insipiens patri, quod reprehendit in filio. Verùm si iam dubitari non potest quòd vitis secundum incarnationem dei filius nominatus sit, videtis secundum quod sacramentum dominus sit locutus, quoniam pater maior est me. Nam cùm hoc in superioribus dixerit, continuò
Ioan.14. subiecit: Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est, vt agnosceres secundum id patrem esse maiorem, quia sicut agricola vitium, ita pater dominicæ carnis est cultor, quæ & augeri potuit per ætatem, & per passionem recidi, vt omne humanum genus ab æstu secularium noxio voluptatum, diffusæ salutaribus brachiis crucis vmbra velaret.

FINIS.

CAPITVLA LIBRI QVINTI DE FIDE.

De intentione authoris & trãsitu ad hunc quintum librum. Et qua ratione quinque libros de patris ac filij & spiritus
D sancti inseparabili diuinitate digesserit. De postulatione quoque veniæ si quos prolixitas huiusce sermonis offenderit, cum excusatione sui, & ministrorum dei inæqualitate atque commendatione. Cap. I.

De ampla ac diserta confutatione impiorum Arrianorum dicentium Christum à solo & vero deo separatum, per rationes & testimonia scripturarum, quibus euidẽter comprobatur quod cùm de deo solus legitur, nequaquã à patre filius separetur. Cap. II.

De solutione obiectionis qua argui potest inęqualitas patris & filij ex hoc quod filius deum patrem adorare legitur. De solutione quoque atque confutatione obiectionis Arrianorum qua probare conantur dissimilitudinem patris & filij ex responsione eiusdem filij data ad ea quæ mater filiorum Zebedæi postulabat. Cap. III.

De redargutione eorum qui vnitatem in diuinitate negare cupientes, extenuare studeant patris & filij charitatem ex A hoc quod scriptum est: Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Quomodo etiam intelligendum sit quod filius missus dicitur, & quemadmodũ dominum dicat, quem patrem nouit cum diuersorum hęreticorum condemnatione qui ex falsa superiorum intelligentia errauerunt. Cap. III.

De confutatione Arrianorum qui ideo aliam patris, aliam filij, aliam spiritus sancti dicunt esse potestatem, quia scriptũ sit: Ite docete omnes gẽtes baptizãtes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, ex verbõrũ ordine differentiã diuinæ potestatis faciẽtes. Qui præterea idcirco negãt in Christum esse credẽdum quod scriptum sit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit. Cap. V.

Quòd non debeamus deducere filium in hãc humilitatem, vt nisi quæ audierit, facere aut loqui nesciat, cum Arrianorum confutatione. Et vnde maximè vnitatem diuinæ maiestatis intelligere possimus. Quibus etiam rationibus dei filius creatura dici non possit. Cap. VI.

Quemadmodũ intelligere debeamus filium esse subiectũ patri, cum hæreticorũ condẽnatione. Quomodo etiam non solus deus pater filio, sed & filius ipse sibi subiecerit omnia. Et qua de causa filius subiectus sit in nobis. Quódque eadem sit charitas dei patris & Christi. Quod præterea nihil sit quod diuinitas sempiterna non possit, nihil quod lateat veritatẽ, fallat iustitiã, prætereat sapiẽtiam. Cap. VII.

De condemnatione execrabilium Arrianorum dicentium quòd dei filius nesciat tempora & annos, argumentorúm que suorum destructione, cum finali & conclusiua confutatione erroris eorundem, quo asserunt filium esse minorem patre. Cap. VIII.

De humili ac deuota authoris ad deum patrem conuersione rectæque fidei confessione, cum disertissima huius operis conclusione, ad laudem & gloriam inæstimabilis, in enarrabilis, incircunscriptæ & immensæ ac sanctissimæ trinitatis, perfidissimorúmque Arrianorum cõfusionem & damnationem. Cap. IX.

C

Diui Ambrosij

EPISCOPI MEDIOLANENSIS

de fide ad Gratianum Augustum, Liber V.

De intentione authoris & transitu ad hunc quintum librum. Et qua ratione quinque libros de patris & filij & spiritus sancti inseparabili diuinitate digesserit. De postulatione quoque veniæ si quos prolixitas huiusce sermonis offenderit, cum excusatione sui & ministrorum dei inæqualitate atque commendatione. Cap. I.

D QVisnam est fidelis seruus & prudens quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis in tẽpore cibum? Beatus ille seruus, quem veniens dominus eius inuenerit sic facientẽ. Non vilis hic seruus est. Magnus aliquis esse debet. Quis sit iste consideremus. Est Petrus ipsius domini ad pascendum gregem electus iudicio, qui tertiò meretur audire: Pasce agniculos meos, pasce agnos meos, pasce ouiculas meas. Itaque pascendo bene cibo fidei gregem Christi, culpam lapsus prioris aboleuit. Et ideo tertiò admonetur vt pascat, tertiò vtrum dominum diligat, interrogatur, vt quem tertiò ante crucem negauerat, tertiò fateretur. Beatus & ille seruus qui potest dicere: Lac vobis potum dedi non escam, nondum enim poteratis. No
Matth.24.
Ioan.21.
1.Cor.3.
uit enim quos quemadmodum pascat. Quis nostrum hoc facere potest? Quis nostrum potest verè dicere: Factus sum
1.Cor.9.
infirmis infirmus, vt infirmos lucrifaciam? Et tamen ille tantus ad curam gregis electus à Christo, qui sanaret infirmos, curaret inualidos, hæreticum à commisso sibi ouili statim
Ad Tit.3.
post vnã correptionẽ repellit, ne vnius erraticæ ouis scabies serpenti vlcere totum gregem contaminet. Iubet præterea stultas quæstiones & cõtentiones esse vitandas. Quid igitur nos agemus, inter messis antiquę noua zizania, imprudentes
Ibidem.

accolæ conſtituti? Si taceamus, cedere videbimur. Si cõtendamus, verendum eſt, ne nos quoque iudicemur eſſe carnales. Scriptum eſt enim de huiuſmodi quæſtionibus, quòd ge-
2. Tim. 2. nerant lites. Seruum autem domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum mo-
1. Cor. 11. deſtia docentem eos qui reſiſtũt. Et alibi: Si quis contentioſus eſt, nos talem conſuetudinem non habemus, neque eccleſia dei. Eóque ſcribere aliquid ſententiæ fuit, vt ſine ſtrepitu aliquo impietati hæreticorum noſtra pro nobis ſcripta reſpondeant. Quintum itaque imperator Auguſte hunc librum paramus ordiri. Nam & quartum librum oportuit in illa vitis diſputatione finiri, ne coaceruaſſe magis librũ eundem quodam videremur quæſtionũ tumultu, quàm fructu ſpiritalis vineæ repleuiſſe, nec in conſummatam fidei vindemiam tantis adhuc ſuperfluentibus diſputationibus decuit derelinqui. Quinque igitur libros de patris ac filij & ſpiritus ſancti inſeparabili diuinitate digerimus, ſequeſtrata interim pleniore diſputatione de ſpiritu ſancto, prouocati magiſterio euangelicæ lectionis, vt credita nobis quinq; fidei talenta quaſi quadam horum quinq; ſorte librorum humanis fœneremur affectibus, ne fortè cùm venerit dominus, & inue-
Matth. 25. nerit in terra abſconditam pecuniam ſuam, dicat mihi: Serue male & piger, ſciebas quod meto vbi non ſemino, & congrego vbi non ſparſi, oportuit ergo te cõmittere pecuniam meam nummulariis, & veniẽs ego recepiſſem quod meum
Lucæ 19. eſt. Aut quemadmodum in alio libro eſt: Et ego, inquit, veniẽs cum vſuris vtique exegiſſem. Date ergo veniam ſi quos prolixioris huiuſce ſermonis offendit audacia. Officij contemplatio cogit credere quod accepimus. Diſpenſatores ſumus myſteriorum cœleſtium. Miniſtri ſumus, non ex æquo
1. Cor. 3. omnes, ſed vnicuique, inquit, ſicut dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed deus incremẽtum dedit. Vnuſquiſq; igitur enitatur vt mercedem poſſit accipere ſecundum ſuum laborem. Dei enim ſumus (vt Apoſtolus ait) cooperarij, dei cultura, dei ędificatio. Beatus itaque ille qui tales fœnoris ſui
Ibidem. cernit vſuras. Beatus & ille qui fructus ſui operis intuetur. Beatus quoque qui ſuperędificat ſupra fundamentum fidei, aurum, argentum, lapides precioſos. Vos nobis eſtis omnia qui hæc auditis & legitis. Vos fœneratores vſuræ, verbi vſuræ, non pecuniæ. Vos agricolæ reditus. Vos ædificatores, aurum, argentum, lapidéſque precioſos ſuperædificãtes. In veſtris meritis ſacerdotalis ſumma laboris eſt. In veſtris animis fructus epiſcopalis operis eniteſcit. In veſtris profectibus, aurum domini refulget, multiplicatur argentum, ſi eloquia di-
Pſalm. 11. uina teneamus. Eloquia enim domini eloquia caſta, argentum igne examinatũ, probatum terræ, purgatũ ſeptuplum. Vos ergo facietis fœneratorem diuitem, agricolam fructuoſum. Vos peritum probabitis architectũ. Non arrogãter dico, quia non tam mea ſunt quàm veſtra quæ voueo. O ſi mi-
Matth. 25. hi liceat ſecurè de vobis nunc tẽporis dicere: Domine quinque talenta mihi dediſti, ecce alia quinque lucratus ſum, &
2. Cor. 4. oſtendere veſtrarum talenta precioſa virtutum. Habemus enim theſaurum in vaſis fictilibus. Hæc ſunt talenta quæ iubet dominus ſpiritaliter fœnerari. Aut duo æra noui & vete-
Lucæ 10. ris teſtamenti, quæ ſpoliato illi à latronibus Samaritanus ille euangelicus ad curanda vulnera dereliquit. Neq; ego fratres voti auarus ideo hęc opto, vt ſupra multa conſtituar. Sat eſt mihi prędium de veſtro profectu. Vtinam non indignus eo inueniar quod accepi, ea quæ ſunt me maiora melioribus tribuendo, non exigo. Licet ſoleas domine dicere: Volo au-
Matth. 20. tẽ & huic nouiſſimo dare, ſicut & tibi. Accipiat poteſtatem ſupra decem ciuitates qui meretur. Sit ille talis qualis Moy-
Ioſuæ 10. ſes qui legis decem verba cõſcripſit. Sit ille Ieſus Naue, qui ſubegit quinque reges, & ciuitates in deditionem accepit, vt eſſet typus venturum eius nominis virum, cuius imperio corporales omnes deliciæ vincerentur, conuerterentur gentes vt fidẽ Ieſu Chriſti magis quàm priſtina ſtudia ſua & vota ſequerentur. Sit ille Dauid, cui occurrerunt pſallentes iu-
3. Reg. 18. uenculæ, dicentes: Saul triumphauit in milibus, Dauid in decem milibus. Mihi ſat eſt, ſi non in exteriores tenebras extrudar, quemadmodum ille qui commiſſum ſibi talẽtum in terra quadam ſuæ carnis abſcondit: Sicut principes ſynagogæ cæteríque principes Iudæorum. Qui credita ſibi eloquia

A dei, humo quadam ſui corporis occuparunt, delitiiſque carnis intenti, quaſi in quandam exaltati cordis foueam fœnus cœleſte merſerunt. Nos igitur non intra latibula carnis abſconditam domini teneamus pecuniam vel mnam illam in ſudario reponamus: ſed tanquam boni nummularij cum ſudore quodam mentis & corporis æquo & parato ſemper libremus affectu, vt propè ſit verbum in ore tuo & in corde tuo. Hoc verbum dei precioſum eſt talẽtum quo redimeris. Hæc eſt pecunia per menſas animarũ ſæpe cernenda, vt frequenter agitando in omnem terram bonorum ſonus poſſit exire nummorum, per quam vita paratur æterna. Hæc eſt autem vita æterna quam largiris omnipotẽs pater, vt cognoſcamus te ſolũ verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

De ampla ac diſerta confutatione impiorum Arrianorum dicentium Chriſtum à ſolo & vero deo ſeparatum. *Cap. II.*

VNDE aduertãt Arriani quàm impij ſunt qui de ſpe noſtra & voto nobis faciunt quæſtiones. Et quoniam hic præ cæteris vociferari ſolent dicentes: ſeparatum à ſolo & vero deo Chriſtum, intellectus impios pro noſtris viribus confutemus. Hoc enim loco magis intelligere debent, quod hæc vtilitas, hæc merces eſt perfectæ virtutis, hoc diuinum & incomparabile munus, vt cognoſcamus cum patre Chriſtum, nec ſeparemus à patre filium, ſicut ſcriptura non ſeparat. Nanque hoc magis ad vnitatem, quàm ad diſtãtiam diuinæ proficit poteſtatis: Quod idem præmium vnum honorem nobis dat patris filiíque cognitio. Quoniam mercedem habere non poterit, niſi qui & patrem cognouerit & filium. Sicut enim patris, ita filij cognitio vitam acquirit æternam. Itaque ſicut in principio ſtatim verbum cum deo patre pia confeſſione iunxit euangeliſta, dicens: Et verbum erat apud deum: ita & hic ſcribendo verba domini: Vt cognoſcant te ſolum verũ deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: coniũctione illa, patrem vtique copulauit & filium, vt Chriſtum verum deum à maieſtate patris nemo ſecernat. Nunquam enim coniunctio ſeparat. Et ideo dicendo: Vt cognoſcant te ſolum verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ, & Sebellianos interfecit, & Iudæos excluſit: Eos vtique qui audirent loquentem: Ne aut illi eundem patrem putarent eſſe quem filium, ſi non addidiſſet & Chriſtum: aut iſti à patre filium ſepararent. Quæro autem cur non ſic putent ſubaudiendum, & ex ſuperioribus colligendum, vt quod præmiſit, ſolum verum deum patrem, ſubaudiamus etiam Ieſum Chriſtum ſolum verum deum. Exprimendum enim alterum non fuit, ne duos deos dicere videretur. Nam neque duos dicimus deos, & eiuſdem cum patre diuinitatis filium cõfitemur. Itaque quæramus qua ratione diuinitatis hic putent factam eſſe diſtantiam, vtrum deum negent Chriſtum? Sed negare non poſſunt. An verum deum negẽt Chriſtum? Sed dicant, ſi verum negant, vtrum falſum an nuncupatiuum deum iudicent. Nam ſecundum ſcripturas, aut verus deus eſt, aut tantummodo nuncupatiuus, aut falſus. Verus vt pater, nuncupatiuus vt ſancti, falſus vt dæmones atque ſimulacra. Dicant igitur quia filium dei confeſſione deſignent, vtrum falſo præreptum dei nomen, an vero, quaſi nuncupatiuo, inſpirationem tantum diuinitatis ineſſe arbitrantur? Falſo præreptum nomen non puto quòd dicant, vt apertiore ſe crimine impietatis inuoluant, ne vt dæmoniis & ſimulacris, ita etiam Chriſto falſo dei inditum nomen inſinuando ſe prodant. Sinautem ideo dictum putant deum, quòd inſpirationem diuinitatis habuit, ſicut & multi ſancti viri (eos enim ſcriptura deos dixit, ad quos ſermo fiebat dei) ergo non vltra homines eum præferunt, ſed comparandum hominibus arbitrantur, vt hoc eum putent eſſe quod hominibus ipſe donauit, dicens ad Moyſen: Poſui te in deum Pharaoni. Vnde & in pſalmo dictum eſt: Ego dixi dij eſtis. Et hanc tamen ſacrilegorum opinionem Paulus excludit qui ait: Nam & ſi ſunt, qui dicantur dij, ſiue in cœlo ſiue in terra. Non dixit ſunt dij, ſed ſunt qui dicantur. Chriſtus autem ſicut ſcriptũ eſt, heri & hodie ipſe eſt. Eſt, inquit, hoc eſt, non ſolùm nomine, ſed etiam veritate. Et bene ſcriptum eſt: heri & hodie ipſe eſt, vt Arrij impietas aſtruendi ſacrilegij locum inuenire non poſſet. Qui cùm legerer in pſalmo

Ioan. 1.
Ioan. 17.
Exod. 7.
Pſal. 81.
1. Corin. 8.
Hebr. 13.

Psal.2. psalmo secundo,dicentem filio patrem: Filius meus es tu, ego hodie genui te : adnotauit hodie non heri , ad æternitatem diuinæ generationis referens , quod de carnis assumptione memoratum est.Sancto igitur spiritu repletus Apostolus,vt illam elideret sæuitatem, ait: Heri & hodie ipse est & in sæcula. Heri propter æternitatem , hodie propter corporis susceptionem.Est ergo Christus,& est semper.Qui enim semper est,est.Christus autem semper est,de quo dicit Exod.3. Moyses: Qui est misit me. Erat vtique Gabriel,erat Raphael,erant angeli, sed semper esse qui aliquando non fuerint, 2.Cor.1. nequaquam pari ratione dicuntur. In Christo autem (sicut legimus)non fuit est, & non, sed est in illo fuit , vnde verè dei solius est esse,qui semper est. Ergo si & nuncupatiuum deum non audent dicere , & falsum eum dicere maioris est impietatis,restat vt deus verus sit, veri patris, non dissimilis, sed æqualis. Qui cùm & iustificet & sanctificet quos velit, non foris assumens , sed in se habens sanctificandi potestatem,quomodo non est verus deus?Nam Apostolus eum vti que verum deum dixit,qui naturaliter verus deus esset,sicut Galat.4. habes:Quia tunc,inquit,nescientes deum , seruistis his qui natura non erant dij,hoc est, qui veri dij esse non poterant, quibus hoc naturaliter minimè suppetebat.Verùm copiosè iam verum deum Christum in superioribus libris scriptura rũ lectionibus approbauimus.Ergo si Christus (vt edoctum est)deus verus est,quæramus qua ratione, cùm solũ verum deum patrem legunt,à patre filium cupiunt separare ? Si dicunt quòd verus solus deus pater est , negare non possunt, quòd & filius solus deus veritas est , & quòd Christus veritas est.Nunquid veritas vero minor est,cùm secundum appellationem nominum, verus plerunque à veritate dicatur, sapiens à sapiẽtia,iustus à iustitia?Hoc nos inter patrem non sentimus & filium:quia & patri nihil deest,quia pater est verax:& filius quia veritas est,æqualis est vero. Vt sciãt autem cùm solũ legunt nequaquam esse à patre filium separãdum, meminerint in prophetis à deo dictum:Ego extendi cœlum Iob 9. solus. Et vtique non extẽdit sine filio pater.Ipse enim filius Prouer.8. qui sapientia dei est,dixit:Quando parabat cœlos, cum ipso aderam.Et Paulus de filio dictum esse confirmat:Initio terHebr.1. ram tu fundasti domine,& opera manuum tuarum sunt cœli.Siue ergo filius cœlum fecit,sicut & Apostolus voluit intelligi , & ipse vtique non sine patre cœlum solus extendit. Prouer.3. Siue vt in Prouerbiis habes:Deus in sapientia fundauit terram,parauit autem cœlos in intellectu:ostenditur quod nec pater solus sine filio cœlos fecit, nec sine patre filius , & tamen qui cœlum extendit solus dicitur. Quàm verò id & de filio apertè intelligendum sit , quòd solus appelletur , & si nunquam inscio patre aliquid feciſſe credatur , etiam alibi Iob 9. habes vbi scriptum est:Extẽdens cœlum solus, & ambulans quasi in pauimento super mare.Nanque euangelium domini docuit nos,quod in mari non pater , sed filius ambulauit, quando Petrus rogauit eum,dicens:Domine iube me veniMatth.14. re ad te.Sed etiam prophetia ipsa documento est.Sanctus enim Iob aduentum domini prophetabat, de quo verè dixit, quod magnum cœtum erat debellaturus , & factũ est. Nam feralem illum cœtum,Zabulum scilicet vltimis temporibus venerabilis corporis sui passione prostratũ perculit & afflixit.Est ergo solus & verè dei filius. Hæc enim & filio prærogatiua defertur.De nullo enim qui creatus est,propriè dici potest quòd solus . Nam cui inest communitas creaturæ, quemadmodum quasi solus potest à cæteris separari?Itaque homo rationabilis videtur inter omnia terrena animãtia,sed tamen non est solus rationabilis. Scimus enim rationabilia esse & cœlestia opera dei,angelos & archangelos rationabiles confitemur. Si ergo angeli rationabiles, non vtique solus rationabilis homo dicitur . Sed dicunt solum dici posse solem,quia sol alter non est. Sed & ipse sol habet communia multa cum stellis,quod percurrit cœlum, quod æthereæ illius cœlestísque substantiæ est,quòd creatura est,quòd inter omnia dei opera computatur , quòd cum omnibus deo seruit,cum omnibus benedicit deum,cum omnibus laudat. Nõ ergo solus propriè dicitur, quòd nec à cæteris separatur. Itaque cùm patris & filij spiritúsque sancti diuinitati , quæ sola non inter omnia sed super omnia,est,nulla possit creatura conferri (vt de spiritu interim assertio reseruetur) sicut pater dicitur solus deus verus,cui nihil commune cum cæteris , ita etiam solus est filius imago veri dei, solus dextera patris,solus virtus dei atque sapientia. Solus ergo filius facit sicut & pater, quia scriptum est: Quæcũque facio ipse facit. Ioan.14. Cùm enim vnum opus sit patris & filij,bene de patre & filio dicitur,quod deus solus operatus est,vnde etiam cùm creatorem dicimus & patrem & filium confitemur.Nam vtique cùm Paulus diceret : Qui seruierunt creaturæ potius quàm Rom.1. creatori, nec patrem creatorem negauit ex quo omnia, nec filium per quem omnia.A quo alienum vtique non videtur, quod scriptum est:Qui solus habet immortalitatem. Quo- 1.Tim.6. modo enim immortalitatem non habet, qui vitam habet in semetipso?Habet vtique in natura,habet in substantia, & habet non per gratiam temporalem , sed per sempiternam diuinitatem , habet non ex dono quasi seruus , sed ex generationis proprietate quasi filius coæternus. Et habet sicut pater . Sicut enim pater habet vitam in semetipso , ita & filio Ioan.5. dedit vitam habere in semeripso: sicut habet, inquit, sic dedit. Didicisti supra quemadmodum dederit, ne putares esse gratiæ largitatem,vbi generationis arcanum est . Cùm ergo inter patrem & filium vitæ nulla distantia sit , quemadmodum quòd immortalitatẽ solus habeat pater, filius non habeat, æstimari potest ? Vnde intelligunt nec hoc loco à solo vero deo patre filium separandum , quia probare non possunt,quòd solus & verus dei filius non sit,cùm præsertim & hic aut subaudiatur (vt diximus) & Christum solum verum deum esse,Aut certè aliud ad diuinitatem patris & filij,aliud ad incarnationẽ Christi relatum intelligendum sit,quia non est perfecta cognitio nisi quæ & secundum æternitatem vni genitum deum verum dei filium Iesum Christum,& secundum carnem generatũ ex virgine confitetur.Quod alibi hic ipse euangelista nos docuit,dicens:Omnis spiritus qui confi 1.Ioan.4. tetur Iesum Christum in carne venisse,de deo est. Denique quàm non alienum sit etiam incarnationis hoc loco intelligere sacramẽtum,docet nos ipsius series lectionis . Sic enim habes:Pater venit hora,clarifica filium tuum,vtique cum & Ioan.17. horã venisse cõmemoret , & clarificari petat, quomodo nisi secũdum carnis assumptionẽ locutum eum cõuenit æstimari?Nam nec vlla sibi tẽporum præscripta momenta diuinitas habet,nec clarificatione indiget lumen æternum. Ergo in solo vero deo patre,& filium dei solum verum secundum diuinitatis intelligimus vnitatẽ,& in Iesu Christi nomine, quod ex virgine natus accepit, incarnationis agnoscimus sacramẽtum.Quod si cùm solum verum deum patrem legũt , filium cupiunt separare,ergo cùm de filij incarnatione legunt: Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus Actu.4. est in caput anguli . Et infra: Non est aliud nomen sub cœlo datũ hominibus,in quo oportet vos saluos fieri, patrem existimant ab impertiendæ nobis salutis beneficio separãdum. Sed neque sine patre salus, neque vita æterna sine filio. Sed asserunt Arriani:si solum verum deum sicut patrem,ita & filium dicitis , & vnius substantiæ patrem & filium confitemini:non vnum deum, sed duos deos inducitis: quia qui vnius substantiæ sunt,non vnus deus,sed duo dij videntur:sicut duo homines,aut duæ oues pluréſve dicuntur, homo autem & ouis,nec duo homines dicuntur,nec duæ oues,sed vnus homo,& vna ouis.Hæc Arriani dicũt,& hac disputatione versuta simpliciores capere nituntur.Tamen si legamus scripturas diuinas,inueniemus pluralitatẽ magis in ea cadere,quæ diuersæ discretæque substantiæ sunt,hoc est, ὑποστάσεις. Idque in Salomonis libris habemus expressum,eo loco scilicet in quo dicit tria sunt impossibilia intelligere,& quartum Prou 30. non agnosco.Vestigia aquilæ volantis,& viam serpentis supra petrã,& semitas nauis nauigantis, & vias viri in iuuentute.Vtique aquila & nauis & serpens vnius non sunt generis atque naturæ, sed differentijs discretæque substantiæ, & tamen tria sunt. Cõtra se igitur sua esse intelligant argumenta testimoniis scripturarũ.Itaq; dicẽdo, patris & filij discretam esse substantiam,differentémque deitatem , duos vtique ipsi deos asserunt.Nos autem cùm & patrem cõfitemur,& filium asserendo:tamen vnius esse diuinitatis,non duos deos, sed vnum deum dicimus . Et hoc dominicis eloquiis appro-

bamus,quia ibi plures sunt, vbi aut naturæ aut voluntatum & operationum est differentia.Denique vt suis sibi testimoniis reuincantur,duo homines dicuntur,quia licet vnius naturæ sint iure nascendi,tamen & tempore & cogitatione & opere & loco distant,& ideo non potest vnus homo dici in significatione & numero duorũ,quia non est vnitas, vbi est diuersitas,vnus autem deus dicitur, & patris & filij ac spiritus sancti gloria & plenitudo signatur . Denique tanta veritas vnitatis est, vt etiam quãdo natura sola generationis aut carnis significatur humanæ , & vnus homo de multis dicatur,sic habes: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo,id est,non vna persona hominis,sed vna caro & vna fragilitas generationis humanæ. Et addidit: Bonũ est sperare in domino quàm sperare in homine. Nec hic vtique specialem hominem,sed generalem conditionem designauit.Denique statim subiecit de pluribus:Bonum est confidere in domino,quàm cõfidere in principibus.Sed vbi homo dicitur,naturæ interdum, vt supra diximus, communis inter omnes vnitas significatur:vbi principes,variarum quædam differẽtia potestatum est.Sed inter homines aut in hominibus vnius alicuius rei vnitas est,aut charitatis,aut cupiditatis, aut carnis, aut deuotionis & fidei. Generalis autem vnitas,& quæ in se secũdum diuinitatis gloriam complectatur omnia,solius est patris & filij & spiritus sancti . Vnde & dominus cùm diuersitatẽ inter se hominum designaret, qui nihil habẽt inter se quod possit ad vnitatem indiuiduæ substantiæ pertinere: In lege vestra, inquit, scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum est.Et cùm præmisisset,duorum hominum testimonium verum est, vbi venit ad suum & patris testimonium , non dixit , verum est testimonium nostrum,quia duorum deorum testimonium est: sed ego, inquit, sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me qui misit me pater . Supra quoq; similiter ait: Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum,sed ego & qui misit me pater. Itaq; & infra & supra & patrem signauit & filium , nec pluralitatem admiscuit,nec diuinæ vnitatem substantiæ separauit.Euidens est igitur,quia quod vnius est substãtiæ,separari non potest,etiamsi non sit singularitatis,sed vnitatis. Singularitatem hanc dico, quæ Græcè μονότης dicitur . Singularitas ad personam pertinet,vnitas ad naturam. Ea verò quæ diuersæ substantiæ sunt,non solùm vnum , sed etiam plura dici solere , licet iam ex prophetico claruerit testimonio , expressius tamen ipse Apostolus declarauit,dicens:Nam etsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo siue in terra. Vides igitur quod hi qui ex diuersis substantiis sunt,& non ex vnius veritate naturæ , dij appellantur. Pater autem & filius quia vnius substantiæ sunt , non duo dij, sed vnus deus. Pater ex quo omnia,& vnus dominus Iesus Christus per quem omnia. Vnus, inquit,deus pater & vnus dominus Iesus.Et supra,Vnus deus non duo.Et infra: Vnus dominus & non duo:pluralitas ergo excluditur non vnitas sequestratur. Sed quemadmodum cùm legimus dominum Iesum,nec patrem(vt supra diximus)à dominationis iure secernimus , quod ei commune cum filio est : ita cùm legimus solum verum deum patrem, nec filium à solius veri dei iure possumus separare , quod ei commune cum patre est . Aut dicant quid aliud sentiant, quídve arbitrentur,cùm legimus:Dominum deum tuum adorabis,& illi soli seruies: vtrum Christum non adorãdum, & Christo non existiment seruiendum? Quod si illa quæ adorauit eum Chananæa impetrare meruit, quod popposcit. Et Paulus apostolus, qui seruum se Christi prima scriptorum suorum præfatione profitetur , apostolus esse meruit, non ab hominibus neq; per hominem,sed per Iesum Christum: dicant quid arbitrentur sequendum : vtrum cum Arrio malint sibi societatem esse perfidiæ, vt solum & verum deum Christum negando ostendant, quod nec adorandum eum,nec seruiendum ei iudicent: An verò consortium malint habere cum Paulo, qui seruiẽdo atque adorando etiam Christum , vtique solum verum deum voce affectúque non diffitebatur,quem pio seruitio fatebatur.

Pſal.117.
Ioan.8.
Ibidem.
1.Cor.8.
Matth.4.
Matth.15.
Rom.1.
Galat.1.

De solutione obiectionis qua argui potest inæqualitas patris & filij. Cap. III.

A QVod si quis dicat:Quoniam deum patrem adoret & filius , quia scriptum est: Vos adoratis quod nescitis,nos adoramus quod scimus,cõsideret quando & apud quẽ & cuius susceptoloquatur affectu . Denique & in superioribus non immeritò præmissum est, quòd Iesus fatigatus ex itinere sedebat & à Samaritana bibere postulabat,quia secũdum carnem hominis loquebatur . Nam secundum diuinitatem nec fatigari poterat nec sitire. Deinde cùm Samaritana qua si Iudæum appellaret , & prophetam putaret , quasi Iudæus qui spiritaliter mysteria legis doceret,respondit dicens: Vos adoratis quod nescitis,nos adoramus quod scimus. Nos inquit,hoc est,se hominibus copulauit. Quomodo autem nisi secundum carnem hominibus copulatur ? Et vt ostenderet quod secundum incarnationem responderat,addidit: Quia salus ex Iudęis est.Sed statim post hoc sequestrauit hominis affectum,dicens:Veniet,inquit,hora & nunc est,quando veri adoratores adorabunt patrem . Non dixit adorabimus.
B Quod vtique dixisset,si consortium nostri subiret obsequij: verum cùm legerimus,quòd Maria adorauit eum,intelligere debemus quòd non potest per eandem naturam & adorare quasi seruus & adorari quasi dominus , sed potius quòd vt homo inter homines adorare dicitur,& quasi dominus à famulis * adoratur.Multa ergo secundum incarnationis legimus & credimus sacramentum.Sed in ipsa naturæ humanæ affectione,maiestatem licet spectare diuinam. Fatigatur ex itinere Iesus,vt reficiat fatigatos.Petit bibere, sitientibus potum spiritalem daturus.Esurit,cibum salutis esurientibus traditurus, moritur viuificaturus, sepelitur resurrecturus, Tremulo pendet in ligno , confirmaturus trementes . Cœlum caligine obducit,vt illuminet. Terras tremefacit, vt solidet.Maria conturbat,vt mitiget.Referat tumulos mortuorum,vt ostendat domicilia esse virorum.Creatur ex virgine, vt ex deo natus esse credatur . Nescire se simulat, vt scire faciat nescientes.Adorare quasi Iudæus dicitur, vt quasi verus dei filius adoretur.Quomodo,inquiunt, filius dei, solus verus deus potest esse similis patri,cum ipse dixerit filiis Zebedæi:Calicem quidem meum bibetis,sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram , non est meum dare vobis , sed quibus paratum est à patre meo ? Hoc igitur vestrum diuinæ,vt vultis,inæqualitatis est argumentum,cùm in eo magis venerari domini clementiam, adorare gratiam deberetis,si tamen virtutis atque sapientiæ dei profunda secreta possetis aduertere . Considerate enim quæ cum filiis & pro filiis petat,mater est vtique,cui pro filiorum honore solicitæ immoderatior quidem , sed tamen ignoscenda mensura votorum est.Atque mater ætate longæua,studio religiosa,solatio destituta , quæ tunc temporis quando vel iuuanda vel alenda foret validæ prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, & voluptati suæ,mercedem sequentium Christum prętulerat filiorum. Qui prima voce vocati à domino (vt legimus) relictis retibus & patre sequuti sunt eum. Hæc igitur studio maternæ sedulitatis indulgentior,obsecrabat saluatorem dicens:Vt sedeant hi duo filij mei,vnus ad dexteram tuam, & D alius ad sinistram in regno tuo.Etsi error, pietatis tamen error est.Nesciunt enim materna viscera patientiam:& si voti auara,tamen venerabilis cupiditas , quæ non pecuniæ est auida,sed gratiæ.Nec inuerecunda petitio , quæ non sibi, sed liberis consulebat. Matrem considerate , matrem cogitate. Sed nihil mirum si vilis vobis videtur circa filios affectus parentum , qui etiam omnipotentis patris vilem putatis esse circa vnigenitum filium charitatem . Dominus cœli atque terrarum verecundabatur(vt secundum assumptionem carnis & virtutes animæ loquar) verecundabatur, inquam, & vt ipsius verbo vtar , confundebatur , matri pro filiis postulanti etiam suæ sedis consortium denegare. Vos æterni dei filium proprium,interdum pro ministerio stare conditis , interdum famulatorium, hoc est , non ex maiestatis vnitate , sed ex patris præceptione vultis eius esse confessum,& negatis hoc deo vero dei filio, quod ille hominibus apertè noluit denegare.Considerabat enim matris dilectionem , quæ filiorum mercede grandæuam solabatur senectam, & desideriis fessa maternis , charissimorum pignorum

* dom. & filius ador.

Matth.20.
Matth.20.

337

rum tolerabat abſentiam. Conſiderate etiam fœminam, hoc
eſt ſexum fragiliorem, quem dominus propria nõdum con-
firmauerat paſſione. Conſiderate, inquam, Euæ illius primæ
mulieris hæredem, transfuſa in omnes immoderatæ cupidi-
tatis ſucceſſione labentem, quam dominus adhuc proprio
ſanguine non redemerat, nondum inolitam affectibus om-
nium immodici contra fas honoris appetentiam, ſuo Chri-
ſtus cruore diluerat. Hæreditario igitur mulier delinque-
bat errore. Et quid mirum ſi mater pro filiorum ſuorum
Luc. 22. (quod eſt tolerabilius quàm pro ſe) quando etiam apoſto-
li ipſi inter ſe (ſicut legimus) de ſui prælatione certabant?
Non debuit igitur medicus omnium deſtitutam matrem,
& ægram adhuc mentem, pudoris conuitio ſauciare, ne po-
ſtulato ſibi ſuperbius denegato quaſi immoderatæ petitio-
nis damnata, mœreret. Denique dominus qui honorandam
ſciret eſſe pietatem, non mulieri ſed filiis eius reſpondit, di-
Matt. 20. centibus: Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Di-
centibus autem illis: Poſſumus. Ait illis Ieſus: Calicem qui-
dem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam vel ad
ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt
à patre meo. Quàm patiens & clemens dominus, quàm alta
ſapiẽtia & bona charitas. Volens enim oſtendere quod non
perfunctoriam rem aliquam diſcipuli poſtularent, ſed eam
quam impetrare non poſſent, prærogatiuam eis paternæ ho
norificentiæ reſeruauit, non metuens, ne quid iuri proprio
Philip. 2. derogaret, qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem
Ioan. 13. deo: ſimul diligens diſcipulos, quod ſic habes: Vſque in fi-
nem dilexit eos, noluit his quos diligeret videri quod pe-
terent denegaſſe ſanctus & bonus dominus, qui mallet a-
liquid diſſimulare de iure quàm de charitate deponere.
1. Cor. 13. Charitas enim patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non
inflatur, non quærit quæ ſua ſunt. Denique vt agnoſcatis,
non infirmitatis ſed indulgentiæ eſſe quod dixit: Non eſt
meum dare vobis, vbi ſine matre filij Zebedæi rogant, nihil
Marc. 10. de patre dixit. Sic enim habes: Non eſt meum dare vobis,
ſed quibus paratum eſt. Ita Marcus euangeliſta poſuit. Vbi
Matth. 20. verò mater pro filiis rogat, hoc eſt ſecundum Matthæum:
Non eſt, inquit, meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à
patre meo. Hic addidit à patre meo, quia maiorem indul-
gentiam maternus poſcebat affectus. Quod ſi putant, dicen-
do quibus paratum eſt à patre meo, quòd aut patri plus tri-
buit, aut ſibi aliquid derogauit, dicant vtrum & illic putent
patri aliquid derogatum, quia dixit in euangelio filius de pa-
Ioan. 5. tre: Pater non iudicat quenquam. Quod ſi ſacrilegum puta-
mus dicere quòd pater ita iudicium detulit filio, vt ipſe non
habeat. Habet enim, nec poteſt amittere quod habet natu-
raliter diuina maieſtas: ſacrilegum vtiq; æſtimare debemus,
quòd non poteſt filius dare quicquid, aut homines mereri
poſſunt, aut quæuis accipere creatura, præſertim cum ipſe di
Ioan. 14. xerit: Ego ad patrem vado, & quodcunque ab eo petieritis
in nomine meo, hoc faciam. Si enim quod pater dare poteſt,
filius non poteſt, mentita eſt ergo veritas. Non enim poteſt
facere quicquid in nomine eius pater fuerit obſecratus. Nec
enim ideo dixit: Quibus paratum eſt à patre meo, vt tantum
Matth. 20. modo à patre poſcant. Nam omnia quæcunque à patre fue-
rint poſtulata ſe donare memorauit. Denique non dixit:
Quodcunque à me petieritis hoc faciam, ſed quodcunque
ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam. Quæro nunc,
vtrum poſſibile aliquid humanæ conditioni, aut alicui crea
turæ, an impoſſibile putent à Zebedæi coniuge & filiis po-
ſtulatum? Si poſſibile, quomodo ad ſiniſtram ſuam vel ad
Ioan. 5. dexteram impertiendæ apoſtolis ſedis non habuit poteſta-
tem, qui omnia fecit eſſe cùm non erant? Aut quomodo non
poterat iudicare de meritis hominum, cui pater dedit om-
ne iudicium? Notum eſt quemadmodũ dederit. Nam quo-
modo quaſi indigens accepit filius qui omnia creauit ex ni-
Ibidem. hilo? quorum igitur naturas fecerat, eorum iudiciũ non ha-
bebat? Dedit autem filio pater omne iudicium, vt omnes,
inquit, honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Non
igitur potentia filij, ſed cognitio noſtra proficit. Neque a-
liquid ad ſubſtantiam eius accedit, ſed ad noſtram vtilita-
tem quod à nobis cognoſcitur, vt cognoſcendo dei filium,
vitam habeamus æternam. Cùm autem in cognitione filij

A dei honor illius, noſter autem non illius ſit profectus, ſi quis
putat quod dei virtus illo honore cumulatur, neceſſe eſt etiã
deum patrem credat poſſe cumulari, quod & ipſe per cogni-
tionem noſtrã clarificatur ſicut filius, iuxta quod ſcriptum
eſt, dicente filio: Ego te clarificaui ſuper terram. Ergo ſi poſ- Ioan. 17.
ſibile aliquid erat, quod petebatur, in poteſtate vtique filij
fuit. Sed tamen oſtendant qui poſſibile putant, quid de ho-
minibus aut cæteris creaturis, aut ad dexteram aut ad ſini-
ſtram dei ſedeat. Pater enim dicit filio: Sede à dexteram Matth. 22.
meam. Itaque ſi quis ad dexteram filio ſedet, inter ipſum v-
tique & patrem (vt humano vſu loquamur) filius medius re
peritur. Non ergo poſſibile homini aliquid petebatur, ſed
noluit dicere, quòd homines ſedere ſecum non poſſent. Si
quidem diuinam ſuam gloriam celare priuſquam reſurgeret
non diuulgare cupiebat. Nam & ſupra cùm inter famulos
ſuos Moyſen & Heliam apparuiſſet in gloria, monuerat di- Matth. 17.
ſcipulos ne cui dicerent quod vidiſſent. Itaq; ſi poſſibile non
erat hominibus vel creaturis cæteris hoc mereri, non debet
videri filius minus poſſe quia non dedit apoſtolis, quod nec
B pater hominibus vel creaturis dedit. Aut dicant cui horum
dederit pater? Non vtique angelis, de quibus ſcriptura di-
cit: Quod omnes angeli ſtabant in circuitu ſedis. Denique Apoc. 7.
& Gabriel ſe ſtare dixit, ſicut habes: Ego ſum Gabriel, qui Lucæ 1.
adſto ante deum: non ergo angelis, non ſenioribus qui ado-
rant ſedentem. Illi enim non ſupra ſedem maieſtatis ſedent,
ſed (vt dixit ſcriptura) in circuitu ſedis. Sedes enim aliæ vi-
ginti & quatuor ſunt, vt habes in Apocalypſi Ioannis: Et ſu- Apocal. 4.
pra ſedem vigintiquatuor ſeniores ſedentes. In euangelio
quoque ipſe dominus dicit: Cùm ſederit filius hominis in Matth. 19.
ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & ipſi ſuper ſedes duodecim
iudicantes duodecim tribus Iſrael. Non ergo ſedis ſuæ di-
xit Apoſtolis dari poſſe conſortium, ſed alias illas ſedes eſſe
duodecim, quas tamen non pro corporali confeſſu, ſed pro
ſucceſſu ſpiritalis gratiæ æſtimare debemus. Denique in li-
bro Regnorũ dixit Micheas propheta: Vidi dominum deum 3. Reg. 22.
Iſrael ſedentem ſuper thronum ſuum, & omnis militia cœli
C ſtabat circa eum ad dexteram eius & ad ſiniſtram. Quomo-
do igitur ſtantibus angelis ad dexteram vel ad ſiniſtram do-
mini dei, ſtante omni militia cœli, ſedebunt homines ad dex
teram dei vel ad ſiniſtram, quibus pro virtutis præmio an-
gelorum ſimilitudo promittitur: ſicut dominus dicit: Eri- Matth. 22.
tis ſicut angeli in cœlo? Sicut angeli, inquit, non plus quàm
angeli. Si ergo nihil plus dedit pater quàm filius, nihil vti-
que minus dedit filius quàm pater, nihil igitur minus filius
poteſt quàm pater. Ponite tamen poſſibile impetratu homi-
nibus quod poſceretur. Quid eſt quod ait: Sedere autem ad
dexteram meam vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vo-
bis? Quid eſt meum? Supra dixit: Calicem quidem meum Matt. 20.
bibetis, & infra poſuit: non eſt meum dare vobis, & ſupra
meum, & infra meum dixit, nec immutauit. Ergo ſuperiora
docent propter quid dixerit. Rogatus enim à muliere quaſi
homo, vt ad dexteram vel ad ſiniſtram ſuam filios eius ſede-
re pateretur, quia illa quaſi hominem rogauerat, & domi-
nus quaſi tantummodo homo de ſua paſſione reſpondit: Po
teſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Itaque quia
ſecundum carnem de paſſione ſui corporis loquebatur, de-
monſtrare voluit, quòd ſecundum carnem ſubeundæ paſ-
ſionis nobis exemplum ac ſimilitudinem derelinqueret, ſe-
cundum humanam autem conditionem ſedis ſupernæ con-
ſortia non donaret. Hoc eſt enim quod dixit, non eſt meum,
Sicut alibi: Mea doctrina non eſt mea: non eſt enim, inquit, Ioan. 7.
ſecundũ carnem mea: quia quæ diuina ſunt, non ſicut carnis
eloquia. Indulgẽtiam autem ſuam circa diſcipulos quos dili-
geret, quam expreſſè reuelauit præmittẽs: Calicem quidem
meum bibetis. Etenim quia nõ debebat id dare quod petie-
rant, aliud propoſuit vt prius commemoraret quid is tribue-
ret, quàm quid negaret, quõ magis æquitatem ſibi petitionis
quàm ſtudium dominicæ liberalitatis intelligerent defuiſſe.
Calicem quidem, inquit, meum bibetis, hoc eſt, paſſionem Matt. 20.
quidẽ quæ carnis meæ eſt, nõ negabo. Quod enim humanæ
aſſumptionis habeo, poteſtis imitari, donaui vobis victo-
riam paſſionis, hæreditãtem crucis. Sedere autem ad dexte-
ram meam vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis. Non

dixit,non eſt meum dare:ſed non eſt meum dare vobis:hoc eſt,non ſibi poteſtatem deeſſe aſſerens,ſed meritum creaturis.Accipe aliter: Non eſt meum dare vobis. Quid eſt, non eſt meum?qui veni humilitatem docere:non eſt meum,qui veni non miniſtrari,ſed miniſtrare:non eſt meum,qui iuſtitiam ſeruo,non gratiam.Denique ad patrem referens,addidit:Quibus paratum eſt, vt oſtenderet patrem quoque non
Acto 10. petitionibus deferri ſolere,ſed meritis, quia deus perſona-
Rom.8. rum acceptor non eſt.Vnde & Apoſtolus ait:Quos præſciuit, & prædeſtinauit. Non enim ante prædeſtinauit quàm præſciret,ſed quorum merita præſciuit,eorum præmia prædeſtinauit.Iure igitur reprehenditur mulier, quæ & impoſſibilia & ſpeciali quodam priuilegio ab eo domino poſtulauit,quia ea quæ ſanctis iudicauit eſſe donanda, non duobus apoſtolis,ſed omnibus diſcipulis,etiam ſine cuiuſquam pre-
Matth.19. catione,voluntaria ſui largitate cõtulerit,ſicut ſcriptum eſt: Duodecim vos ſedebitis ſuper ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael.Ergo etiam ſi poſſibile putemus poſtulatũ fuiſ-
Eſaiæ 6. ſe,calũniæ locus non eſt:tamen cùm legerim Seraphim ſta- B re,quomodo poſſum quod homines ad dexteram vel ad ſiniſtram filio dei ſedeant,arbitrari? Supra Cherubim dominus
Pſalm.79. ſedit,ſicut habes: Qui ſedes ſuper Cherubim,appare. Quomodo Apoſtoli ſuper Cherubim ſedebũt?Et hoc tamen colligo non ex meo ingenio,ſed ex dominicæ vocis oraculo. Ipſe enim dominus in poſterioribus apoſtolos commẽdans
Ioan.17. patri,ait:Pater quos dediſti mihi,volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum.Vtique ſi iudicaſſet quod diuinam ſedem pater hominibus daret,dixiſſet:Volo vbi ego ſedeo & illi ſedeant mecum.Sed volo,inquit,vt ſint mecum,non vt ſedeant mecum,& vbi ego,non quomodo ego.Deinde ſequitur:Vt videant claritatem meam.Nec hic dixit,vt habeant claritatem meam,ſed vt videant.Seruus enim videt,dominus poſſidet.
Pſal.26. Sicut & Dauid docuit,dicens: Vt videam voluntatem domini.Et ipſe dominus in euãgelio reuelauit,dicens: Beati mun
Matth.5. do corde:Ipſi enim deum videbunt.Videbunt,inquit, non ſuper Cherubim cum deo ſedebunt. Deſinant ergo viliora ſecundum diuinitatem æſtimare de dei filio,ne viliora quo- C que de patre æſtiment. Qui enim malè crediderit de filio dei,non poteſt bene ſentire de patre:qui malè crediderit de ſpiritu,non poteſt bene ſentire de filio.Vbi enim vna dignitas,vna gloria,vna charitas, vna maieſtas eſt. In commune derogatur quicquid in aliquo putaueris derogandum. Iam enim non erit plenitudo quam diſcernas & diuidas in aliquas portiones.

De redargutione eorum,qui vnitatem in diuinitate negare cupientes,extenuare ſtudent patris & filij charitatem ex hoc quod ſcriptum eſt:Et dilexiſti eos ſicut & me dilexiſti.

Cap. IIII.

EXiſtunt tamen Imperator Auguſte qui in hac diuinitate vnitatem ſuſtantiæ negare cupientes,extenuare ſtudeãt patris & filij charitatem,quia ſcri
Ioan.17. ptum eſt : Et dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Quod cùm dicunt,quid aliud agunt, niſi inter dei filium & homines æqualitatem quandam comparationis inducunt? Nunquid ſic diligi poſſunt à deo homines quemadmodum filius,in quo complacuit pater?Ille per ſe cõplacet, nos per D ipſum.In quibus enim deus filium ſuum ad imaginem ſuam cernit,eos per filium aſciſcit in gratiam filiorum:vt quemadmodum per imaginem ad imaginem ſumus,ſic per generationem filij in adoptionem vocemur. Alius igitur naturæ amor ſempiternus,alius gratiæ.Aut ſi ex verbis faciunt quæſtionem,quia ſcriptum eſt:Et dilexiſti eos,ſicut & me,dilexiſti, & comparationem factam putant: ergo & illud com-
Lucæ 6. paratiuè dictum putant, Eſtote ergo miſericordes, ſicut &
Matth.5. pater veſter qui in cœlis eſt.Et alibi:Eſtote perfecti, ſicut & pater meus qui in cœlis eſt perfectus eſt.Quod ſi ille ſecundum plenitudinem maieſtatis ſuæ perfectus eſt, nos autem perfecti ſecundum virtutis accidentis profectum : etiam filius diligitur à patre, ſecundum ſemper manentis plenitudinem charitatis,in nobis autem charitatem dei, virtutis emeretur profectus. Vides igitur quam gratiam deus dederit hominibus , & tu patris & filij vis ſoluere naturalem & indiuiduam charitatem:& tu verba adhuc diſcutis , vbi vni-

A tatem maieſtatis aduertis.Video totum hunc locum,ex cuius affectu loquatur.Habes enim dicentem ipſum:Clarifica
Ioan.17. me pater claritate ea quam habui priuſquam mundus eſſet apud te : & tamen vt ſcires magnum deum & ſalutarem & omnipotẽtem dei filium, indicium ſuæ maieſtatis admiſcuit dicendo:Et mea omnia tua ſunt, & tua mea. Omnia habet,
Ibidem. & tu miſſum eſſe ad iniuriam deriuas, qui ſecũdum carnem non accipis miſſum? Apoſtolus dixit, & ex verbo ſimplici præiudicium ſtruis,quo dicas inferiores à ſuperioribus mitti ſolere.Quid ad illa reſpondes,quod filius ad homines miſſus eſt? Nam ſi minorem putas eum qui mittitur, eo videlicet à quo mittitur : diſce quod & minor maiorem miſit, & maiores ad minores miſſi ſunt.Nam & Tobias Raphael archangelum miſit.Et angelus ad Balaam miſſus eſt, & dei fi-
Tob.9. lius ad Iudæos.Nunquid ergo minor etiam Iudæis dei filius
Num.22. ad quos mittebatur? De ipſo enim ſcriptum eſt: Nouiſſimè
Matth.21. autem miſit eis filium ſuum vnicum.Et vide quod ante ſeruos,poſtea filium nominauit, vt ſcias quod dei filius vnigenitus ſecundum diuinitatis potentiam, nec nomen habet, nec conſortium commune cum ſeruis , reuerendus mittitur,non cum famulis conferendus.Et benè addidit, meum, vt non vnus de multis,nec degeneris naturæ, aut minoris alicuius poteſtatis, ſed verus à vero , paternæ imago veniſſe ſubſtantiæ crederetur.Eſto tamen, minor ſit qui mittitur eo à quo mittitur,ergo & Pilato minor Chriſtus, quoniam Pilatus miſit eum ad Herodem . Sed non præiudicat poteſtati ſcriptura , quæ miſſum à patre dicit , miſſum dicit à præſide. Vnde ſi ſobriè de dei filio quæ digna ſunt opinemur , ideo miſſum intelligere debemus quod ex illo incomprehenſibi li inenarrabiliſque ſecreto maieſtatis profundæ,dedit ſe comprehendendum pro captu noſtro,mentibus noſtris dei verbum,non ſolum cùm ſe exinaniret,ſed etiam cùm habitaret in nobis,ſicut ſcriptum eſt:Quoniam inhabitabo in illis.De
Leuit.26. 2. Corin.6. nique & alibi habes quod deus dixit : Venite deſcendamus
Genesis.11. & confundamus linguas eorum.Non enim deus de loco ali
Hier.23. quando decedit,qui ait:Ego cœlum & terram compleo: ſed C in eo deſcendere videtur,ſi noſtros dei verbum penetret affectus,ſicut dixit propheta:Parate viam domino, rectas faci
Eſaiæ 40. te ſemitas eius,vt quemadmodum ipſe promiſit,veniẽs cum patre,apud nos faciat mentionem . Euidens eſt igitur quomodo veniat. Vnde & euidens eſt quomodo dominum dicat,quem patrem nouit.Ait enim: Confiteor tibi pater do-
Matth.11. mine cœli & terræ.Ante patrem dixit ſapientia ſuum,poſtea creaturę dominum nuncupauit.Itaque dominatum non eſſe vbi vera progenies eſt , ipſe dominus oſtẽdit in euangelio ſuo dicens: Quid vobis videtur de Chriſto , cuius filius eſt?
Matth.22. Dicunt ei: Dauid . Ait illis Ieſus : Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum dominũ, dicens: Dixit dominus domino
Pſal.109. meo, ſede à dextris meis? Et addidit: Si ergo Dauid in ſpiritu vocat eum dominum, quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum . O quàm cautè propter Arrianos etiã in hoc teſtimonio dominus fidei proſpexit. Non enim dixit: Vocat eum ſpiritus dominum : ſed quod Dauid dixit in ſpiritu , vt cuius ſecundum carnem filius eſt Dauid ſcilicet,eius etiam ſecũdum diuinitatem & dominus & deus crederetur. Vides igitur quod nomen pietatis & dominij diſcretum eſt.Et bene dominus ſuum quidem patrem,cœli autem & terræ dominum prædicauit , vt tu cum legis & patrem & dominum,intelligas patrem filij,& dominum creaturæ.In alio prærogatiua naturæ eſt, in alio authoritas poteſtatis.Formam enim ſerui accipiẽs,eo vtique dominum vocat,quo ſeruitutem ſuſcepit,æqualis in dei forma , ſeruus in corporis:ſeruitus enim carnis, dominatus autem diuinitatis
2. Corin. eſt. vnde & Apoſtolus ait : Deus domini noſtri Ieſu Chriſti pater gloriæ,hoc eſt,deum aſſumptionis humanæ aſſerẽs,patrem autem gloriæ.Num enim duos filios habuit deus,Chriſtum & gloriã?Minime.Ergo ſi vnus dei filius Chriſtus, vtique Chriſtus eſt gloria.Quid autẽ ei derogas qui patris gloria eſt? Si ergo & filius gloria eſt , & pater gloria, quia pater gloriæ,non poteſt aliud eſſe quàm gloria,non diuiſio gloriarum, ſed vna eſt gloria. Itaque ad proprietatem naturæ gloria refertur , dominatus ad ſuſcepti corporis ſeruitutem . Si enim caro etiam iuſti animæ ſubdita eſt,ſicut ſcriptum eſt:

Caſti-

1. Cor. 9. Castigo corpus meum & seruituti redigo, quãto magis sub
Psalm. 118. iecta est diuinitati, de qua dicitur: Quoniam vniuersa ser-
uiunt ei? Vna autem quæstione & Sabellianos & Fotinianos
& Arrianos dominus excluſit. Nam cùm dominum cum do
mino dicit, Sabellius excluditur: qui eundem patrem vult
esse quem filium. Excluditur Fotinus, qui secundum carnẽ
iudicat, quia dominus Dauid regis non peterat esse, nisi qui
Matt. 4. deus est. Scriptum est enim: Dominum deum tuum adora-
bis, & illi soli seruies. Nunquid cõtra legem propheta sen-
tiret, qui sub lege regnaret? Excluditur Arrius, quia filium
sedere audit ad dexteram patris, vt si ex vsu argumentetur
humano, ipse se perimat, & venenum sacrilegæ disputatio-
nis suæ in se refundat, vt dum inæqualitatem patris & filij
ex cõsuetudine hominum interpretatur, in vtroque à vero
deuius, eum præferat cui derogat, cõfessurus priorem quam
audit ad dextram. Excluditur etiam Manichæus. Nõ enim
negat esse se Dauid filium secundum carnẽ, vt pote qui cla-
Matth. 10. mantibs cæcis: Iesu fili Dauid miserere nobis, & delectatus
est fide, & stetit & curauit eos: Sed negat hoc suæ esse æter-
nitatis, si Dauid solius filius à perfidis nominetur. Nam fi-
lius dei est contra Hebionem: Filius Dauid est contra Ma-
nichæos. Filius dei est contra Fotinum. Filius Dauid est
contra Marcionem. Filius dei est contra Paulum Samosa-
tenum. Filius Dauid est contra Valentinum. Filius dei est
contra Arrium atque Sabellium gentiles erroris hæredes.
Dominus Dauid est contra ludæos. Qui dei filium in carne
cernentes, hominem tantummodo impio furore credebãt.
Sed ecclesiastica fide & dei patris & Dauid idem atque v-
nus est filius: quia incernationis dei mysterium vniuersæ
Hebr. 2. salus est creaturæ, secundum quod scriptum est: Vt sine
deo pro omnibus gustaret mortem: Id est, quod creatura o-
mnis sine passione aliqua diuinitatis, dominici sanguinis re
Rom. 8. dimenda sit precio, sicut alibi habes: Omnis creatura libe-
rabitur à seruitute corruptionis. Aliud est igitur secundum
diuinam substantiam: aliud secundum susceptionem carnis
filium nominari. Nam & secũdum generationem diuinam,
deo patri æqualis est filius: & secũdum susceptionem corpo
ris, deo patri seruus est. Quia formam serui, inquit, accepit,
vnus tamen atq; idem est filius. Cõtrà autem, sancto patriar
chæ Dauid, secũdum gloriam suam dominus est, secundum
corporalis successionis seriem filius est, non deficiẽs á se, sed
nostrę ius sibi adoptionis acquirẽs. Nec solùm ex genere Da
uid seruitutem susceptt in persona hominis, sed etiam ex no
Psal. 88. mine, sicut habes: Inueni Dauid seruũ meum. Et alibi, Ecce
Zacha. 3. ego mittam ad vos seruum meum: Oriens nomen est ei. Et
Esaiæ 49. ipse filius ait: Sic dicit dominus qui finxit me seruum ex vte-
ro sibi, & dixit mihi: Magnum tibi est vocari puerũ meum.
Ecce posui te in testamẽtum generis mei, in lucem Gẽtium,
vt sis in salutem, vsque ad extremum terræ. Cui hoc dicitur
Philip. 2. nisi Christo? Qui cùm in forma dei esset, exinaniuit se, & for
mam serui accepit. Quid est in dei forma, nisi in diuinitatis
plenitudine? Disce igitur, quid sit, formã serui accepit, id est,
plenitudinem perfectionis humanę, plenitudinem obedien
Psalm. 30. tiæ. Ideóque dicit in psalmo, Statuisti in loco spatioso pedes
meos: super omnes inimicos meos factus sum opprobrium:
illustra faciem tuam super seruum tuum. Seruus dictus est
homo, in quo sanctificatus est: seruus homo, in quo vnctus
est: seruus homo, in quo factus sub lege, factus ex virgine
est. Et vt compẽdio dicam, seruus dictus est, in quo matrem
habet, sicut scriptum est: O Domine, ego seruus tuus, & fi-
lius ancillæ tuæ. Nam secundum diuinam generationem,
non matrem habet, sed patrem, nec corporalis est ventris
fructus, sed sempiterna dei virtus. Ergo etiam illud cùm le
gimus quod dixit dominus: Tempus meum nondum im-
Ioan. 7. pletum est, Et: Adhuc modicum tempus vobiscum sum:
Ioan. 15. Et vado ad eum qui me misit: Et, clarificatus est filius ho-
minis, ad incarnationis sacramentũ referre debemus. Cum
autem legimus: Et deus clarificatus est in eo: Et deus clari-
ficauit eum, quid ibi est quęstionis, vbi & filius clarificatur
à patre, & pater clarificatur à filio? Deniquevt fidem vt vnita
Ioan. 16. tis & copulam trinitatis aperiret, etiam à spiritu clarifican-
dum esse se dixit, sicut habes: Ille de meo accipiet & clarifi-
cabit mę. Clarificat ergo dei filium etiam spiritus sanctus.

A Quomodo igitur ipse dixit: Si ego clarificauero meipsum, Ioan. 8.
claritas mea nihil est? Ergo nihil est claritas filij. Sacrile-
gum est dicere nisi referas ad carnem: quia ex persona ho-
minis filius loquebatur, eo quod comparatione diuinitatis
nulla est carnis claritas. Desinãt igitur impie obiicere, quod
in suam perfidiam retorquetur. Scriptum est enim: Non ne
go: Nunc clarificatus est filius hominis. Sed videant quid su
biectum sit. Clarificatus est filius hominis. Videant etiam
quid sequatur: Et deus clarificatus est in eo. Ego excusatio-
nem habeo de filio hominis, Ille de patre non habet, quia
pater non suscepit carnem: excusationem habeo & non vi-
tor: ille non habet, & calumniatur. Aut simpliciter me pa-
tiatur intelligere, aut ad carnem referre quæ carnis sunt. Pia
mens, quæ leguntur, secũdum carnẽ diuinitatémque, distin-
guit, Sacrilega confundit, & ad diuinitatis detorquet iniu-
riam, quicquid secundum humilitatem carnis est dictum.

*De confutatione Arrianorum qui ideo aliam patris, aliã fi-
lij, aliam spirituſſancti dicunt esse potestatem. Cap. V.*

B QVid quod etiam more ludaico falsi & impuden-
tes interpretes Arriani, verborum sunt diuinorũ,
dicentes: vsqueadeo aliã patris, aliam filij, aliam
spirituſſancti esse potestatem, vt scriptum sit: Ite Matth. 28.
docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris &
filij & spirituſſancti, & ex verborum ordine differentiam di
uinę faciunt potestatis? Ego autem licet hoc ipsum testimo-
nium in superioribus libris pro vnitate asseruerim maiesta-
tis ac nominis, tamen si hic faciunt quæstionem, possum te
stimoniis asserere scripturarum, in plerisque locis prius fi-
lium nominatum, postea patrem dictũ. Nũquid igitur quia
filij significatio antè præmissa est, verborum, vt Arriani vo-
lunt, præiudicio, pater secũdus à filio est? Absit inquam, ab-
sit. Nescit hunc ordinem fides, nescit discretum patris & fi-
lij honorem. Non legi, nõ audiui, nec aliquem in deo inue-
nio gradum. Nusquam secundum, nusquam tertium deum
legi, primum legi, primum ac solum audiui. Si ordinis exi-
gimus superstitionem, nec ad dexteram patris sedere filius
debet, nec primum se & principium debuit dicere. Malè er-
C go euangelista, quia prius à verbo quàm à deo cœpit dicens:
In principio erat verbum, & verbum erat apud deum. Et- Ioan. 1.
enim iuxta humani ritus ordinem prius patrem debuit no-
minare. Nesciuit etiam Apostolus ordinem qui ait: Paulus Rom. 1.
seruulus Christi Iesu vocatus Apostolus, segregatus in eu-
angelio dei. Et alibi: Gratia domini nostri Iesu Christi, & 2. Cor. 13.
chariras dei, & communicatio spirituſſancti. Si verborũ se-
quamur ordinem, in primo filium posuit, in secundo patrẽ.
Sed verborum ordo sæpe mutatur, & ideo non debes vel
de ordine vel de gradu, patri deo & filio eius facere quæ-
stionem, cùm secundum diuinitatem diuisio nulla sit vnita
tis. Ad extremum vt Christianos se non esse manifestent,
negant in Christum esse credendum, dicentes scriptum es-
se: Qui in me credit, non credit in me, sed in eum qui me mi Ioan. 12.
sit. Hanc ego expectabam confessionem, quid me quibus-
dam ambagibus ludebatis, sciam mihi aduersum gentiles es
se contentionem, sed illi conuertuntur, vos nõ conuertimi-
ni. Illi si credant, saluum est sacramentũ: vos perdidistis ac-
ceptum, & nec cœptum fortasse, sed fictũ. Scriptum est in-
D quiunt. Qui in me credit, non in me credit, sed in eum qui
me misit. Sed videte quid sequatur, & videte sic quemad-
modum se dei filius vult videri. Sequitur enim: Et qui vi- Ibidem.
det me, videt eum qui me misit, hoc est, quod pater videtur
in filio. Expositt igitur id quod antè prẽmisit: Quia ille cre-
dit in filium, qui confitetur & patrẽ. Nam qui filium nescit,
nec patrem nouit. Omnis enim qui negat filium, nec patrẽ
habet. Qui confitetur filium, & filium & patrẽ habet. Quid
est ergo: Nõ credit in me? Non in id quod corporaliter cer-
nitis, non in hominem tantummodo quem videris. Non e-
nim in hominem tantummodo credendum asseruit, vt cre
das quia Iesus Christus ipse est & dei filius & homo. Pro-
pter quod & vtrumque ait: A meipso nõ veni. Et alibi: Ego Ioan. 8.
sum principium quod & loquor vobis. Quasi homo à se nõ
venit. Quasi dei filius nõ ex homine principium habet, Sed
sum, inquit, ipse principium quod loquor vobis. Neque hu-
mana sed diuina sunt quæ locutus sum. Neque enim fas est
credere,

credere,quòd negauerit in se esse credendum, cum ipse dixerit: Vt omnis qui credit in me,in tenebris non maneat. Et
Ioan.6. alibi: Hæc est enim voluntas patris mei qui me misit, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Et alibi: Credite in deum & in me credite. Nemo ergo
Ioan.14. filium sine patre accipiat,quia filium legimus. Habet patrem filius,sed non temporalem, non ex passione, non ex conceptione, non ex gratia. Generationem legi, non legi conceptionem. Et pater dicit: Genui,non dicit creaui. Et filius non creatorem suum deum secũdum æternitatem diuinæ generationis, sed patrem nominat. Se quoque nunc ex persona hominis, nunc in dei maiestate significat: nunc vnitatem sibi diuinitatis cum deo patre vindicans,nũc fragilitatem humanæ carnis assumens: nunc doctrinam suam se non habere,nunc voluntatem suam se non quærere,nunc testimoniũ suum verum non esse, nunc verum esse significans. Nam i-
Ioan 5. pse dixit: Si ego testimonium perhibeo de meipso,testimonium meum non est verum. Et ipse in posterioribus ait: Et
Ioan.8. si ego testimoniũ perhibeo de me, verum est testimonium meum. Quomodo igitur non est verum testimonium tuum domine Iesu,cui qui credidit,in cruce licet positus, & inter confessi sceleris supplicia constitutus,merita latronis exuit,
Acto.9. præmia innocentis emeruit? Deceptus est ergo Paulus, qui ideo recepit oculos,quia credidit, quos amiserat antequam
Iosue.5. crederet? Errauit ne etiam Iesus Naue, qui ducem militiæ cœlestis agnouit, sed postea quàm credidit statim vicit, dignus qui fidei prælio triumpharet? Denique non æratas acies in bella produxit, nec ariette cæteríque tormentorum machinis,sed tubarum septem sacerdotalium sono,murorũ hostilium septa deposuit. Ita bellum immane confecit tubæ
Iosue.2. clãgor, & infula sacerdotis. Vidit hoc meretrix, & quæ in excidio ciuitatis remedia desperaret salutis, quia fides vicerat, signa fidei atque vexilla dominicæ passionis attollens, coccum in fenestra ligauit,vt species cruoris mystici quæ foret mundum redemptura vernaret. Ita foris Iesus nomen fuit præliantibus ad victoriam,intus species dominicæ passionis periclitantibus ad salutem. Vnde quia intellexit Raab cœ-
Psalm. 86. leste mysteriũ,dicit dominus in Psalmo: Memor ero Raab & Babilonis scientibus me. Quomodo ergo non est verum testimonium tuum domine,nisi secundum fragilitatem ho-
Psalm. 115. minum? Omnis enim homo mendax. Denique vt secũdum hominem dixisse se demonstraret, ait: Qui misit me pater,
Ioan.7. ipse testimonium perhibet de me. Verũ autem est testimonium secundum diuinitatem,sicut ipse ait: Et verum est testimonium meum, quia scio vnde venio,& quò vado: vos autem nescitis vnde venio & quò vado: vos secundum carnem iudicatis. Non ergo secundum diuinitatem,sed secũdum hominem iudicant, qui putant Christo testificandi scientiam
Ioan.12. defuisse. Ergo cùm audis: Qui credit in me,nõ credit in me: Et qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit: didicisti quò id putes esse referendũ. Denique, mandatũ quod esset, ostẽdit dicens: Pono animam meam,vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed pono eam à meipso. Vides ideo dictum,vt ostenderet liberam sibi ponendæ ac resumendæ animę potestatem,sicut ipse dixit: Potestatem habeo ponen-
Ioan.10. di eam: & potestatem habeo iterum sumẽdi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo. Siue igitur mandatum,siue vt aliqui Latini habent præceptum, non vtique secundum diuinitatem,sed secundum incarnationem datur, ad subeundæ victoriam passionis.

Quòd non debeamus deducere filium in hanc humilitatem, vt nisi quæ audierit, facere aut loqui nesciat, cum Arrianorum confutatione. Caput. VI.

Ioan.12. IAud verò in hãc humilitatem dei filium deducemus, vt nisi quæ audierit facere aut loqui nesciat, & præscriptam agendi loquendíque ei putemus esse mensuram,quia scriptum est: Ex meipso nõ sum locutus. Et infra: Sicut dixit mihi pater ita loquor, sed ad obedientia carnis, vt ad fidem vnitatis ista referantur. Plerique enim doctiores & audire filium & dicere aliquid filio patrem accipiunt per vnitatẽ naturæ. Quod enim per vnitatem voluntatis nouit filius, patrem velle videtur audisse. Vnde non officium corporale, sed arbitrium indisso-

A ciabile cooperationis declaratur. Neque enim verborũ hîc aliquem significat auditum, sed vnitatem voluntatis atque virtutis,quæ & in patre est & in filio. Quam etiam & in spiritusancto esse memorauit alio loco dicens: Non enim lo- Ioan.16.
quetur à semetipso,sed quę audit loquetur: vt aduerteremus quod quicquid spiritus loquitur, loquitur & filius & quicquid loquitur filius,loquitur & pater,quia vna sententia & operatio trinitatis est. Sicut enim pater videtur in filio, non vtique specie corporali,sed vnitate diuinitatis, Ita etiam pater loquitur in filio, non temporali voce, nec corporali sono,sed operis vnitate. Denique cùm dixisset: Pater qui in me Ioan.14.
manet ipse loquitur,& opera quę ego facio ipse facit, addidit: Credite mihi,quia ego in patre & pater in me est, Alioquin propter opera ipsa credite. Hic intellectus est nostrer secundum diuinarum seriem scripturarum. Arriani autem qui nolunt de deo æstimare quæ digna sunt, vel apto suis meritis confutentur exemplo, nec totum carnaliter credãt, cùm ipsi patris sui diaboli opera incorporaliter videant. Sicut de eorum cõsortibus Iudæis dominus declarauit dicẽs:
B Vos quod vidistis patrem vestrum facientem facitis, cùm Ioan.8.
vtique non quod diabolum operantem viderint, sed quod arbitria eius fecerint arguantur, inuisibiliter in his secũdum iniquitatem suam diabolo oporante peccatum. Hoc secundum Apostolum propter insipiẽtiam posuimus perfidorũ. Cæterùm satis probatum est scripturarum exemplis,ad vnitatem maiestatis pertinere diuinæ,quod & pater maneat in filio,& ea quæ loquitur filius à patre videatur audisse. Vnitatẽ autẽ maiestatis quibus aliis possumus intelligere,quam quod eadem patri & filio deferuntur? Nam quid præcellen- 1. Cor. 2.
tius potest dici,quàm quod Apostolus dixit dominum maiestatis crucifixum? Filius ergo est,& deus maiestatis,& dominus maiestatis,sed non creaturis subiecta maiestas. Non Philip. 2.
ergo creatura filius, Filius paternæ est imago substantię: omnis autem creatura dissimilis supernæ substantiæ, sed non dissimilis dei patris filius. Non ergo creatura filius. Filius non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed nulla creatura æqualis deo. Æqualis autem filius,non ergo creatura filius. Omnis creatura mutabilis, sed non mutabilis dei
C filius. Non ergo creatura dei filius, Omnis creatura accidentia boni & mali recipit suæ capacitate naturæ,eadémque decessionem sentit: Dei autem filio nihil potest ex eius diui- Eccles. 1.
nitate vel decedere vel accedere: Non ergo creatura filius. Omne opus suum adducet deus in iudicium, sed dei filius non adducitur in iudiciũ, quia ipse iudicat: Non ergo creatura dei filius. Postremò vt vnitatem intelligas, de ouibus dicens saluator: Nullus, inquit,rapit eas de manu mea. Pater quod dedit mihi maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater vnum sumus. Sic vi- Ioan.10.
uificat filius vt pater. Sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat,sic & filius quos vult viuificat. Sic suscitat filius vt Ioan.5.
pater. Sic conseruat filius vt pater. Qui nõ impar est gratia, quomodo impar est potestate? Sic etiam non perdit filius vt pater. Et ideo ne quis vel duos deos crederet, vel discretionem potestatis induceret: vnum se esse cum patre dixit. Id quemadmodum potest dicere creatura? Non ergo creatura dei filius est. Non idem est regnare & seruire: Christus autẽ & rex est & filius regis: Non ergo seruus est dei filius.
D Omnis autem creatura seruit, sed non seruit dei filius, qui ex seruis filios dei facit: Non ergo creatura dei filius. Diui- Luce 15.
næ itaque illam parabolam induxit diuitis qui in regionem longinquam profectus est accipere regnum & reuerti, seipsum secundum substantiam diuinitatis incorporationisque describens. Ipse enim dives secundum plenitudinem diuinitatis,qui pro nobis pauper factus est, cũ dives esset rex æternus, & æterno rege progenitus, peregrè profectus secundũ corporis susceptionem, quia vias hominis tanquam iter ingressus alienum, in hunc mundum venit vt regnum sibi pararet ex nobis. Venit ergo Iesus in hunc mundum regnum accipere de nobis,quibus ait: Regnum dei intra vos Luce 17.
est. Hoc est regnum quod Christus accepit,hoc est quod patri tradidit. Nam quomodo regnũ accepit,qui rex erat sempiternus? Venit ergo filius hominis accipere regnum & reuerti. Noluerunt eum suscipere Iudæi, de quibus ait: Illi qui Luce 19.
noluerunt

noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite & interficite eos.
1.Corin.15. Sequamur ſcripturarum ordinem. Ille qui venit, regnū deo patri tradet, & cum tradiderit regnū, tunc & ipſe ſubiectus erit ei qui ſibi ſubiecit omnia, vt ſit deus omnia in omnibus. Sicut filius hominis, regnum accepit dei filius: vt filius vtique hominis etiam traditurus eſt quod accepit: Sicut filius hominis tradit, ergo & vt filius hominis ſubiectionem vtique per conditionem carnis, non per maieſtatem diuinitatis agnoſceret. Et tu ad contumeliam obiicis, quod ei ſub iecerit omnia deus, cùm audias quòd regnum filius hominis
Ioan.6. deo tradat. Et vt in ſuperioribus diximus libris, legeris: Nemo venit ad me niſi pater attraxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Si literam ſequamur, vide magis atq; aduerte vnitatem honorificentiæ, & pater ſubiecit filio, & filius patri tradet. Dic quid ſit amplius, trahere an reſuſcitare? Nónne ſecundum morem hominum, miniſterium trahē tis poteſtas eſt reſuſcitantis? Sed & filius ad patrem trahit, & pater ad filium trahit, & filius ſuſcitat, & pater ſuſcitat. Fa-
Lucæ 17. ceſſant ſacrilegæ cōmenta diſcretionis, vbi vnitas poteſtatis eſt. Tradat igitur patri regnū ſuum filius, non deperit Chriſto regnum quod tradit, ſed proficit. Nos ſumus regnum, quia nobis dictum eſt: Regnum dei intra vos eſt. Et ſumus
Ioan.14. regnum Chriſti antè, poſtea patris, quia ſcriptum eſt: Nemo venit ad patrem niſi per me. Cùm in via ſum, Chriſti ſum: cùm peruenero patris ſum, ſed vbique per Chriſtū, & vbique ſub Chriſto. Bonum eſt in regno Chriſti eſſe, vt Chriſtus nobiſcum ſit, ſicut ipſe ait: Ecce ego vobiſcum ſum vſ-
Matth.28. que ad conſummationem mundi. Sed melius eſt eſſe cum
Philipp.1. Chriſto. Diſſolui enim & cum Chriſto eſſe multo melius,
Roma.5. cùm in hoc mundo ſub peccato ſimus. Chriſtus nobiſcū eſt, vt per vnius obedientiā iuſti conſtituantur multi. Et ſi pec-
Ioan.14. catum huius mundi euaſero, incipiā eſſe cum Chriſto. De-
Ioan.17. nique ait: Veniā iterum, & aſſumā vos ad me. Et infra: Volo vt vbi ego ſum, & iſti ſint mecum. Ergo nūc ſub regno Chriſti ſumus, dum in corpore verſamur, & nondū forma exuimur ſerui, quam ille cùm ſe exinaniuiſſet accepit: cùm verò gloriam eius viderimus quam habuit priuſquam mūdus eſſet, erimus in regno dei, in quo patriarchæ ſunt & prophe-
Lucæ 13. tæ: de quibus ſcriptum eſt: Cùm videritis Abraham Iſaac & Iacob, & omnes prophetas in regno dei: vt iam pleniore dei cognitione potiamur. Sed in filij regno & pater regnat, & in regno patris filius regnat, quia pater in filio, & in patre filius: & in quo habitat filius, habitat & pater: & in quo habi-
Ioan.14. tat pater, habitat filius. Sicut ipſe ait: Ego & pater veniemus, & apud eum manſionem faciemus. Ergo ſicut vna domus, ita & vnum regnum. Eouſque autem vnum patris & filij regnum eſt, vt quod filius tradit, pater accipiat: & quod pater accipit, filius non amittat. Ergo in vno regno vnitas poteſtatis eſt. Nemo igitur diuinitatem inter patrem filiúmque ſecernat.

Quemadmodum intelligere debeamus filiū eſſe ſubiectum patri, cum hæreticorum condemnatione. Cap. VII.

VOd ſi patri & filio vnum dei nomen & ius eſt, cū deus verus & ſempiternus ſit etiam dei filius, non vtique ſecundum diuinitatem ſubiectus eſt dei filius. Subiectum itaque imperator Auguſte quemadmodum debeamus accipere, conſideremus. Quomodo enim ſubiectus dei filius? vt creatura vanitati? Sed impium eſt de diuinitatis ſubſtantia, tale aliquid æſtimare. An
Pſalm.9. quemadmodum creatura omnis dei filio, quòd æquè ſcriptum eſt: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius? Sed non Chriſtus ipſe ſibi ſubiectus eſt. An quemadmodum mulier viro,
Epheſ.5. 1.Timo.2. ſicut legimus: Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint. Et alibi: Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione? Sed ſacrilegū eſt, vel patri virum, vel dei filio mulierem comparare. An
1.Petri.2. quemadmodum Petrus dixit: Subiecti eſtote omni humanę creaturę? Nec ſic itaque Chriſtus. Vel quemadmodum Paulus ſcripſit: Patri & deo, ſubiecti inuicē, in timore Chriſti?
2.Corin.8. Sed neque in ſuo, neque in alterius Chriſti timore ſubiectus eſt filius, quia vnus eſt Chriſtus. Quorum verborum vim conſiderate, quia patri ſubiecti ſumus, dum etiā Chriſtū veremur. Quomodo ergo ſubiectum intelligimus: totum Apoſtolicum caput recenſeamus, vt nihil videatur fraude ſub-

tractum, aut obreptione pręſtrictum. Si in hac, inquit, vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus o-
1.Corin.15. mnibus hominibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Videtis quoniam de reſurrectione Chriſti tracta eſt diſputatio. Quoniam ſicut per vnum hominem, inquit, mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adā omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. vnuſquiſque autem in ſuo ordine, primitię Chriſtus, deinde hi qui ſunt Chriſti, qui in aduētum eius crediderunt, deinde finis, cùm tradiderit regnum deo & patri, cùm euacuauerit omnem principatum & poteſtatē & virtutem. Oportet enim illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſſimè autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Pſalm.8.
Cùm autem dicat: Omnia ſubiecta ei, ſine dubio præter eum qui ſubiecit ei omnia. Cùm autem ſubiecta illi fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit illi, qui ſibi ſubiecit Hebr.2.
omnia, vt ſit deus omnia in omnibus. Quod etiam ad Hebræos Apoſtolus dixit: Nunc autem nondum videmus omnia illi eſſe ſubiecta, accipimus apoſtolicæ ſeriem lectionis. Quomodo igitur ſubiectum dicemus? Sabelliani & Marcionitæ dicunt, quod hæc futura ſit Chriſti ad deum patrem ſubiectio, vt in patrem filius refundatur. Si ergo ea erit verbi ſubiectio, vt reſoluatur in patre deus verbum, ergo & quæcunque patri filióque ſubiecta ſunt, in patrem & filium reſoluētur, vt ſit deus omnia & in omnibus creaturis. 1.Corin.15.
Sed abſurdum eſt dicere: Non igitur per refuſionem ſubiectio. Alia ſunt enim quæ ſubiiciuntur, ea vti que quæ creata ſunt, & alius cui ſit illa ſubiectio. Conticeſcant itaque ſcæuæ refuſionis interpretes, atque vtinam & illi tacerent, qui quoniam reſolubile dei verbum, deíque ſapientiam probare non poſſunt, infirmitatem diuinitatis ſubiectioni adſcribunt, dicentes quod ſcriptum eſt: Cùm autē ſubiecta illi 1.Corin.15.
fuerint omnia, tunc & ipſe ſubiectus erit. Videmus igitur quod nondum ſubiectum, ſed ſubiiciendum eſſe ſcriptura commemorat. Ergo nunc nō eſt ſubiectus deo patri filius. In quo igitur filium ſubiectum fore dicitis? Si in diuinitate, nec inobediens eſt, quia non eſt patri diſcors. Nec ſubiectus, quia non eſt ſeruus, ſed vnicus proprio patri filius. Denique cúm cœlum crearet, & terram conderet, & poteſtatē exercebat & charitatem. Nulla igitur ſeruilis in Chriſti diuinitate ſubiectio. Si autem nulla ſubiectio, voluntas libera eſt. Quod ſi etiam ſubiectionem putant filij, quia cum eius voluntate omnia faciat, diſcant hoc ipſum eſſe indiuiduę poteſtatis argumentum, quòd vnitas voluntatis eſt, quæ non cœpit ex tempore, ſed erat ſemper: vbi autem vnitas perpetuę voluntatis, non vtique temporalis ſubiectionis infirmitas. Si enim per naturam ſubiiceretur, ſemper ſubiectus maneret. Cùm verò ſubiiciēdus dicatur in tempore diſpenſationis, ergo ſuſceptæ non perpetuæ infirmitatis erit illa ſubiectio, maximè cùm ſempiterna dei virtus non poſſit ſtatum mutare pro tempore, nec deo patri ex tempore ius poteſtatis accedere. Nam ſi filius aliquando mutabitur, vt ſecundum diuinitatem ſubiiciatur: ergo & deus pater ſi aliquando plus poterit, vt ſubiectum ſecundum diuinitatem habeat filium, nunc interim minus poſſe ſecundū interpretationem veſtram, neceſſe eſt æſtimetur. Quid autem culpæ commeruit filius, vt poſtea, ſecundum diuinitatem ſubiici poſſe credatur? Nunquid ſecundum diuinitatem ad dexteram patris ſedere præripuit, & inuito patre ſibi prærogatiuam paterni ſolij vindicauit? Sed ipſe ait: Omnia quæ pla- Ioan.8.
cita ſunt ei facio ſemper. Ergo ſi in omnibus patri cōplaceat filius, cur ſubiicietur qui ante ſubiectus nō erat? Videamus itaque ne non diuinitatis illa ſed noſtra fiat in Chriſti timore ſubiectio, plena gratia, & plena myſterij. Itaque rurſus apoſtolica verba pandamus. Cùm autem ſubiecta, inquit, illi 1.Cor.15.
fuerint omnia, tunc & ipſe ſubiectus erit ei qui ſibi ſubiecit omnia, vt ſit deus omnia in omnibus. Ergo quid dicis? Nūc ſubiecta non ſunt ei omnia? Non ſubiecti ſanctorum chori, non angeli qui in terris poſito miniſtrabant, non archangeli qui etiā ad Mariā aduētus dominici prænūcij mittebātur, nō omnis militia cœleſtis, non Cherubim & Seraphim, non throni & dominationes & poteſtates quæ venerātur & laudant?

dant? Quomodo ergo subiecta erunt? Sic vtique quemadmodum ipse dominus dixit: Tollite iugũ meum super vos. Matt. 11. Non enim indomiti iugum portant, sed humiles atque mãsueti. Nec est planè angelis nec ipsis hominibus vilis, sed Philip. 2. gloriosa subiectio, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus in gloria est dei patris. Ideo autem antè subiecta non erant omnia, quia nondum receperãt sapientiam dei, nondum habile iugum verbi mẽtis quadam Ioan. 1. ceruice portabant. Quotquot autem, sicut scriptum est, receperũt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Dicet aliquis: Ergo iam subiectus est Christus, quia plurimi crediderunt? Minimè: Quia non in paucis est Christi subiectio, Galat. 5. sed in omnibus. Sicut enim si in me concupiscat adhuc caro aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, non videor esse subiectus, & si ex parte sim subditus: ita quia omnis ecclesia vnum corpus est Christi, quamdiu genus dissensit humanum, Christum diuidimus. Nondũ ergo subiectus est Christus, cuius non sunt adhuc membra subiecta. Cùm autem fuerimus non multa membra, sed vnus spiritus, tunc B & ipse subiectus erit, vt per ipsius subiectionem, sit deus o- 1. Corin. 15. mnia in omnibus. Sicut autem nondum subiectus est Christus, ita nondum perfectum est opus patris, quia dei filius di- Ioan. 4. xit: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei qui me misit, & perficiã opus eius. Quid igitur quęstionis est, quod in me erit filij subiectio, in quo imperfectũ est opus patris, quia non sum ipse perfectus? Ergo qui imperfectum opus facio patris, ipse filium facio esse subiectum? Sed non est iniuria ista sed gratia, quia in eo quod subiicimur, noster vtiq; nõ diuinitatis est profectus, vt subiiciamur legi, subiiciamur gratię. Quoniã antè, sicut ipse dixit Apostolus, sapientia erat Hebr. 2. carnis inimica in deũ. Legi enim nõ erat subdita. Nunc autẽ iam per Christi est subdita passionẽ. Et tamen ne quis calumnietur, videte quid diuinitus spirans scriptura præcaue rit. Ostendit enim nobis in quo subiectus erit deo Christus, dum docet in quo sibi vniuersa subiiceret. Ideoque di Hebr. 2. cit: Nunc autem non videmus omnia ei subiecta. Nam pau- C lominus quàm angelos minoratum vidimus Iesum propter passionem mortis. Ostendit itaque minorem factum in carnis susceptione. Quid igitur impedit quinetiam subiectionem in carnis susceptione significet, per quam subiiciet sibi omnia, dum in ipsa patri deo est subiectus? Consideremus Lucæ 22. itaque eius subiectionem: Pater, inquit, meus si vis transfer calicẽ hunc à me, verũ non mea voluntas sed tua fiat. Ergo secundum humanæ naturæ assumptionẽ erit illa subiectio. Philipp. 2. Quia sicut legimus: Specie inuentus vt homo, humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem. Subiectio vtique obedientia est, obedientia mortis, mors assumptionis humanæ. Assumptionis ergo humanæ erit illa subiectio. Nequaquàm igitur diuinitatis infirmitas, sed dispensatio ista pietatis est. Vide quàm non timeam eorum propositiones. Illi obiiciunt subiiciendum patri deo. Ego lego Marię Lucæ 2. subditum matri, quia scriptum est de Ioseph & Maria: Et erat subditus illis. Aut si hoc putant, dicant quòd hominibus erat subiecta diuinitas. Non igitur præiudicet quòd subiectus dicitur, cui nõ præiudicat quòd seruus legitur, quòd crucifixus asseritur, mortuus prædicatur. Qui cùm moreretur viuebat, ac subiiceretur regnabat, cùm sepeliretur resuscitabat, ac subiectum se potestati præbebat humanæ, alias se dominum maiestatis declarabat æternæ. Erat sub iudice, & ad dexteram dei solius vbi iudex perpetuus iudicabat. Matth. 26. Scriptum est denique: Amodo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis. Vapulabat à Iudæis, imperabat angelis. Natus ex Maria sub lege erat, ante Abraham supra legem erat, in carne vænerandus naturæ. Denique sol refugit, terra contremuit, conticuerunt angeli. Cuius igitur passionem elementa videre timuerunt, huius generationem videre potuerunt. Et in quo subiectionem corporis non tulerunt, in eo subiectionem naturæ venerabilis sustinebunt? Sed cùm vnius naturæ sint pater & filius & spiritus sanctus, vtique non erit pater sibiipse subiectus. Et ideo non erit in eo subiectus filius, in quo cum patre vnum est, ne per vnitatem diuinitatis videatur & pater filio esse subiectus. Ergo si-

A cut in illa cruce, non diuinitatis plenitudo, sed nostra fragilitas erat subdita: ita etiam postea subditus erit filius patri, in nostræ vtique participatione naturæ: vt subiectis carnis illecebris, non cupiditas dominetur cordi, non ambitio, nõ voluptas, sed omnia nobis deus sit, & omnino quantum capere passumus ad eius imaginẽ similitudinémque viuamus. Ad communitatem igitur beneficium trãsiuit à specie, quia in sua carne naturam totius humanæ carnis edomuit. Et i- 1. Corin. 15. deo iuxta apostolum: Sicut portauimus imaginem huius terreni, portemus & imaginem cœlestis. Quod vtique nisi per interiorem hominem non potest euenire. Deponentes igitur vniuersa, hoc est illa quæ legimus, iram, animositatem, blasphemiã, turpiloquium. Et sicut infra dicitur, Ex- Coloss. 3. poliantes nos veterem hominem cum actibus suis, induamus nouum qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creauit eum. Et vt scires, quòd cùm dicit: Vt sit deus omnia in omnibus, à deo patre nõ separet Christũ, ipse ad Colossenses, dicit. Vbi non masculus, inquit & fœmina, Iudæus & Græcus, Berbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. Ergo etiam ad Corinthios dicens: Vt sit deus omnia in omnibus, & vnitatem 1. Corin. 15. & æqualitatem cum deo patre complexus est Christi, quia nec à patre filius separatur. Et similiter sicut pater omnia in omnibus, ita omnia in omnibus etiam Christus operatur. Si ergo Christus quoque in omnibus omnia operatur, non vtique in diuinitatis maiestate subiectus est, sed in nobis. Quo modo autẽ subiectus in nobis, nisi eo modo quo minor angelis factus est, in corporis scilicet sacramento? In eo enim nondum subiecta ei omnia videbantur, quæ creatori suo à principio sui vtique seruiebant. Quod si quæsieris quemadmodum sit subiectus in nobis, ipse ostendit dicens: In carcere eram, & venistis ad me. Infirmus eram & visitastis me. Matth. 25. Quod enim vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Infirmum audis, & non moueris, subiectum audis & moueris, cùm in eo infirmus in quo subiectus, in quo peccatum atque maledictum pro nobis factus est. Sicut igitur nõ propter se, sed pro nobis peccatum atque maledictum factus est, ita non per se sed per nos erit subiectus in nobis, non in natura subiectus æterna, neque enim in natura maledictus æterna. Maledictus enim omnis qui pendet in li- Deuter. 21. gno. Maledictus, quia nostra maledicta suscepit. Subiectus quoque quia subiectionem nostram ipse subiecit, sed in seruilis formæ assumptione, non in dei maiestate: vt dum ille nostræ fragilitatis se præberet in carne consortem, nos in virtute sua diuinæ faceret consortes naturæ. Non quo aut hoc nobiscum superna Christi generatione naturale consortium, aut diuinitatis in Christo sit illa subiectio: sed sicut in illo per carnem illam, quæ est pignus nostræ salutis, sedere nos in cœlestibus, Apostolus dixit, vtique non sedentes, sic & ille per nostræ assumptionem naturæ dicitur subiectus in nobis. Quis enim tam demens qui putet, vt supra diximus, quod, ad dexterã dei patris, sedes sibi venerabilis [non] debeatur, cum licet etiam secundum carnem Christo ea à patre, generationis tamen supernæ & æqualitatis potentia deferatur? Angeli adorant, & tu tibi præsumptione sacrilega solium dei sternis? Scriptum est inquit, quòd cùm mortui Ephes. 2. D essetis peccatis, conuiuificauit vos in Christo, cuius gratia estis salui facti, & simul suscitauit simúlque facit sedere in cœlestibus in Christo Iesu. Agnosco scriptum. Sed non vt homines sedere ad dexterã sibi patiatur deus, sed vt in Christo sedere, quia ipse est omnium fundamentum, & ipse est caput ecclesiæ, in quo communis secundum carnem natura, prærogatiuam sedis cœlestis emeruit. In Christo enim deo caro. In carne autem humani natura generis omniũ hominum particeps honoratur. Sicut nos ergo in illo sedemus per corporeæ cõmune naturæ, ita & ille, qui per susceptionem nostræ carnis maledictum pro nobis factus est, cũ maledictum vtique in benedictum filium dei non cadat, ita in quam & ille per obedientiam omnium erit subiectus in nobis, cùm gentilis crediderit, cùm Iudæus agnouerit quem crucifixit, cùm Manichæus adorauerit quem in carne venisse non credidit, cùm Arrianus omnipotentem confessus fuerit quẽ negauit, cùm postremò in omnibus fuerit sapien-

tia

entia dei, iustitia, pax, charitas, resurrectio. Per sua igitur o-
pera Christus & genera diuersa virtutum erit in nobis patri
subditus, cum vitiis abdicatis & feriente delicto, vnus in o-
mnibus deo cœperit in vno sensu populorum omnium spi-
ritus adhærere, tunc erit deus omnia & in omnibns. Conclu
sionem igitur totius absolutionis breuiter colligamus: vni-
tas potestatis opinionem iniuriosæ subiectionis excludit: e-
uacuatio potestatis, & victoria de morte quęsita triumpha-
toris vtique non minuit potestatem. Subiectionem operatur obedientia, obedientiam Christus assumpsit, obedientia
vsque ad crucem, crux ad salutem. Ergo vbi opus, ibi & au-
thor est operis. Cùm igitur omnia Christo subiecta fuerint
Philip. 2. per obedientiam Christi, vt in nomine eius genu flectant,
tunc erit ipse omnia in omnibus. Nunc enim quia non om
nes credunt, non videntur omnes subiecti. Cùm omnes er
go crediderint, & dei fecerint voluntatem, erit omnia & in
omnibus Christus. Cum Christus fuerit omnia & in omni-
bus, erit omnia & in omnibus deus, quia pater manet sem-
per in filio. Quomodo ergo infirmitatis arguitur, qui rede-
mit infirmos? Ac ne fortè & illud ad infirmitatē filij referas,
quod scriptum est, quòd subiecit ei deus omnia, disce quòd
omnia sibi etiam ipse subiecerit. Scriptum est enim: Nostra
Philipp. 3. autem conuersatio in cœlis est: Vnde & saluatorem expecta
Philipp. 1. mus dominum Iesum, qui transfigurauit corpus humilitatis
nostræ, conforme vt fiat corpori gloriæ suæ secundum o-
perationem qua possit etiam subiicere sibi omnia. Didicisti
ergo quòd omnia possit sibi ipse subiicere, secundum ope-
rationem vtique diuinitatis. Disce nunc quòd secundum
Ephes. 3. carnem omnia subiecta accipiat, sicut scriptum est: Qui o-
peratus est in Christo, suscitans eum à mortuis, & constitu-
ens eum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnē prin
cipatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & o-
mne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed
etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Secun-
dum igitur carnem ei omnia subiecta tradentur, secundum
quam & à mortuis suscitatus est, & secundum animam hu
manam ac rationabilem subiectionem. Deuinè plerique in
Psalm. 61. terpretantur, quod scriptum est: Nónne deo subiecte erit
anima mea? Animam dixit non diuinitatem, animam nō ma
Ibidem. iestatem. Et vt sciremus quòd dominus per prophetam de
susceptione naturę est locutus humanę, addidit: Vsquequo
adiicietis super hominem, secundum illud quod ait in euan
Ioan. 7. gelio: Quid me quæritis interficere hominem? Et addidit:
Psalm. 61. Veruntamen precium voluerunt repellere, cucurrerunt in
sitim, ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Iu-
dæi enim reportante Iuda precium, recipere noluerūt, cur-
rentes in sitim amentiæ, quia spiritalis potus gratiam recu-
Matth. 27. sarunt. Hæc est piæ subiectionis interpretatio, Etenim cùm
dominicæ passionis hoc munus sit, vtique in quo passus est,
in hoc erit subiectus in nobis. Quærimus qua causa? Vt ne
que angeli, neque virtutes, neque altitudo, neque profun-
Rom. 8. dum, neque præsentia, neque futura, neque creatura alia se-
parare nos possit à charitate dei, quæ est in Christo Iesu. Vi-
demus itaque ex his quę diximus, nullam exceptam esse cre
aturam, sed istis quas supra dixit, omnem, si qua est, annu-
meratam esse. Simul etiam illud est considerandum, quòd
cùm in superioribus dixerit: Quis nos separabit à charitate
Christi, subter posuit: Neque mors, neque vita, nec alia crea
tura separare nos poterit à charitate dei quæ est in Christo
Ibidem. Iesu. Videmus ergo eandem charitatem dei esse, quæ Chri-
sti est. Denique non ociosè posuit chariratem dei quę est in
Christo Iesu, ne separatam dei & Christi intelligeres chari-
tatem. Nihil autem est quòd charitas diuidat. Nihil quòd
diuinitas sempiterna non possit. Nihil quòd lateat veritatē,
fallat iustitiam, prætereat sapientiam.

De condemnatione execrabilium Arrianorum dicentium quòd dei filius nesciat tempora & annos. Caput VIII.

VNde execrabiles eos, qui ista commemorant, & à
spiritu sancto esse dānatos, scire debemus. (Quos
enim alios nisi specialiter Arrianos, propheta con
demnat) qui dicunt quod dei filius nesciat tem-
pora & annos? Non enim est aliquid quod ignoret deus. Si
autē deus Christus, & altissimus Christus, ipse est enim su-

A per omnia deus. Videte quemadmodum sanctus Dauid hu
iuscemodi qui dei filio scientiam derogēt perhorrescat. Sic
enim habes: In laboribus hominum non sunt, & cum homi Roman. 8.
nibus non flagellabuntur. Ideo obtinuit eos superbia eorū, Psalm. 72.
cooperti sunt iniquitate & impietate sua, prodiit quasi ex
adipe iniquitas eorum, transierunt in dispositionem cordis.
Vtique condemnat qui ex dispositione cordis æstimanda
quæ diuina sunt atbitrantur. Nam deus nec dispositioni est
subiectus, nec ordini. Quando etiam ipsa quæ sunt in vsu
hominum, & successione generis humani, non semper ali-
qua solennis dispositione rationis, sed plerunque secretis la
tentibúsque decursa mysteriis, euenire cernamus. Cogita-
uerunt, inquit, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in ex
celso locuti sunt. Posuerunt in cœlum os suū. Videmus ita
que quòd impij sacrilegij reos damnat, qui ex similitudine
humanæ naturæ, dispositionem sibi arrogent cœlestis arca-
ni. Et dixerunt: Quomodo scit deus? & si est scientia omnis Psal. 72.
in altissimo? Nonne hæc quotidie perstrepunt Arriani, sci-
entiam omnem in Christo esse non posse. Quia ipse, inqui-
unt, diei & horæ se professus est esse ignarum? Nónne di-
cunt, quomodo sciuit, qui eum non potuisse scire comme-
morant, nisi quæ audierit & viderit, & ea quæ spectant ad di
uinæ vnitatem naturæ, ad infirmitatem quoque sacrilega in-
B terpretatione deriuant? Scriptum est, inquiūt: De die autem Marci. 13.
illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nec filius, nisi
solus pater. Primū veteres nō habent codices Græci, quod
nec filius scit. Sed non mirum si & hoc falsarunt, qui scriptu
ras interpolauere diuinas. Qua ratione autem videatur ad-
iectum, proditur dum ad interpretationem tanti sacrilegij
deriuatur. Pone tamen ab euangelistis scriptum. Medium
vtique nomen est filij. Nam & filius hominis dicitur, vt se
cundum imprudētiam assumptionis nostræ diem futuri iu-
dicij nescisse videatur. Quomodo enim nesciret diē dei fi- Colos. 2.
lius, cùm in ipso sint thesauri sapientiæ & scientiæ dei absco
diti? Quæro autem vtrum ex substantia, an ex accidenti ha-
buerit scientiam? Omnis enim scientia aut ex natura, aut ex
disciplina est. Ex natura suppetit, vt equo currere, pisci na-
tare, hæc enim faciunt antequam discant. Ex disciplina rur-
C sus suppetit, natare homini. Nam nisi didicerit, scire nō po-
terit. Cùm ergo multis animantibus suppetant ex natura fa
cere & scire quę non didicerint, quid censes de dei filio, v-
trum ex institutione, an ex natura habeat scientiam? Si ex
institutione, ergo non est natus sapientia, & ex processu cœ-
pit esse * perfectus, nec erat semper. Quod si naturalem sci- *profectus
entiam habet, vtique perfectus in principio erat, perfectus & ita mox
ex patre processit, & ideo præscientia non eguit futurorum. bis.
Non ergo nesciuit diem. Neque enim sapientiæ dei est ex
parte scire & ex parte nescire. Nā quomodo potest nescire
partem, qui fecit omnia, cum minus sit scire quam facere?
Multa enim scimus quæ facere non possimus, nec codē mo
do omnes scimus, sed ex parte cognoscimus. Nouit enim
ventorum vim stellarúmque cursus, aliter rusticus, aliter ci-
uitatis incola, aliter gubernator. Etsi omnes non norunt, o-
mnia tamē nosse dicuntur. Solus autem planè nouit ille qui
fecit omnia. Nouit gubernator quota vigilia procedat ar-
D cturus, quales ortus præexploret orionis. Non tamen colli-
gationes vergiliarum cæterarúmque stellarum, aut nume-
rum nouit, aut nomina, sicut ille qui numerat multitudinē Psal. 146.
stellarum, & omnibus his nomina vocans. Quem vtique nō
fallit operis sui virtus. Quomodo enim vultis hæc fecisse dei
filium? Nunquid quasi annulum, qui non sentit quod expri Psal. 103.
mit? Quia omnia in sapientia pater fecit, id est, omnia per fi 1. Cor. 1.
lium fecit, qui est virtus dei & sapientia. Sapientiæ autem id
conuenit, vt suorum operum & virtutes norit & causas. Et
ideo non potuit creator omnium ignorare quod fecit, nes-
cire quod ipse donauit. Nouit ergo diem quem fecit. Sed di
cis quòd pręsentem nouit, nescit futurū. Licet ineptasit pro-
positio, tamen vt de scripturis satisfaciam tibi, disce quòd
non solum præterita fecit, sed etiam quæ futura sicut scrip-
tum est: Qui fecit quę aduentura sunt. Et alibi ait scriptura:
Perquem & facta sunt secula, splendor est gloriæ, & cha-
racter substantiæ eius. Secula enim & præterita & præsen- Hebr. 1.
tia, & futura sunt. Quomodo ergo facta sunt quæ futura
sunt,

sunt nisi quia operatoria virtus est, scientia cõprehendit nu merum omnium seculorum ? Sicut enim vocat quæ non sunt tanquam quæ sint, sic & fecit quæ futura sunt tanquam
Roma. 4. quæ sint, quia non contingit vt non sint, sed necessario sunt futura quæ esse præcepit. Ergo qui fecit quæ futura sunt, eo genere quo sunt futura cognouit. Si hoc de seculis, multo magis de iudicij credendum die, eo quòd cognitionem eius habeat dei filius tanquam à se iam factæ, quia scriptum
Psal. 118. est: Dispositione tua permanebit dies. Non solùm permanet dixit, sed etiam permanebit, vt eius dispositione quæ ventura sunt gubernentur. Quæ disposuit ergo, non nouit?
Psalm. 93. Qui plantauit autem non audiet, qui finxit oculum non considerat? Videamus tamen ne quid fortè magnum sit quòd creatorem suum potuerit præterire: & tamen eligant vtrum quasi magnum aliquit & præstantius putent esse quam cætera: an quasi minimum atque abiectum, Si minimũ atque abiectum, non est iniuria (vt nostro vsu loquar) vilia & exigua nescire. Nam cum potentiæ sit scire quæ maxima sunt, despexisse magis videtur degeneris operis vilitatẽ: Fastidio igitur absolutus est, nõ potestate fraudatus. Quod si magnũ B & summũ arbitrantur scire iudicij diem dicant quid deo pa-
Matth. 11. tre maius aut melius sit. Patrẽ igitur deum nouit vt ipse ait, quòd nemo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Patrem, inquam, nouit, & diem nescit? Si ergo creditis quòd patrem reuelat, & diem non potest reuelare ? Deinde quia gradus quosdam facitis, vt patrem filio, filiũ spiritui præferatis, dicite mihi vtrum spiritus sanctus nouerit iudicij diem. Nihil enim de eo scriptũ est hoc loco. Negatis profectò. Quid si doceo, quòd nouerit? Lectũ est enim,
1. Cor. 2. Nobis autem reuelauit deus per spiritũ suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta dei. Vtique quia alta dei scrutatur, cùm deus nouerit iudicij diem, etiam spiritus nouit. Non uit enim omnia quæ deus nouit, sicut Apostolus declarat dicens: Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic & quæ dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus dei. Videte igitur, ne negando spiritum sanctum scire, negetis & patrem scire. Quæ dei sunt, cogno uit & dei spiritus: quæ autem non cognouit spiritus dei, vti- C que dei non sunt. Confitendo igitur quæ spiritus nouit dei, quod negatis filium scire, contra vestram assertionem spiritum filio præfertis. Verum non solum sacrilega ista, sed etiam inepta dubitatio. Nunc consideremus quibus modis scientia colligatur, & ostendamus ipsum filium demonstraſ se, quod & diem, sciret. Quod enim scimus, aut tempore, aut loco, aut signis, aut personis declaramus, ordine. Quomodo igitur nesciuit iudicij diẽ, qui & horã iudicij & locũ
Marci. 13. signa expressit? Denique sic habes: In illa hora qui fuerit in tecto non descendat tollere vasa, & qui in agro similiter nõ
Matth. 12. redeat retro. Eousque igitur futurorum norat periculorum euentus vt etiam præsidia periclitantibus demonstraret. An poterat dominus diem ignorare, qui ipse de se dixit, quòd filius hominis dominus est sabbati? Locum quoque etiam alibi designauit cum sibi structuras templi ostendentibus di-
Lucæ 21. cipulis diceret: Videtis hęc omnia? Amen dico vobis, nõ relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. De signo
Lucæ 6. quoque interrogatus ab apostolis dixit: Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego D sum Christus. Et infra. Terremotus, inquit, magni erunt per loca singula, & fames, & pestilentia terroréque de cœlo, & signa magna erunt. Itaq; & personas expressit & signa. Quo autem modo, vel circundaturos exercitus Hierusalem dicat, vel implenda tempora gentium, & quo ordine, Euangelicæ vtique lectionis attestatione referatur. Sciuit ergo omnia. Sed quærimus qua ratione designare momenta noluerit. Si quæramus non ignorantiæ inueniemus esse, sed sapientiæ. Nobis enim scire non proderat, vt dum certa futuri iudicij momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinẽ declinemus, ne nos inter vitia dies domini deprehẽdat. Non enim prodest scire sed metuere quod futurũ est. Scriptum est enim: Noli alta sapere, sed time. Nam si diem desi
Rom. 11. gnasset expressè, vni ætati hominum quæ proxima erat iudicio, videretur disciplinam præscripsisse viuendi, superioris temporis aut iustus esset remissior, aut peccator securior. Nanque adulter nisi quotidianam pœnam metuat, non potest adulterandi cupiditatem desinere. Nec latro obsessorũ saltuum secreta deserere, nisi sciat sibi momentis omnibus imminere supplicium. Plerunque enim quibus incentiuum est impunitas, timor tædium est. Ideo ergo dixi quòd scire non proderat, imò proderat ignorare, vt ignorantes time-
Matth. remus, vt obseruantes emendaremur, sicut ipse dixit: Estote parati quia nescitis qua hora filius hominis venturus est. Nanque miles nisi bellum in manibus esse cognoscat, prætendere non nouit in castris. Vnde alibi quoque ipse dominus interrogatus, ab apostolis, inquam, qui vtique non sicut Arrius intelligebant, sed filium dei futura scire credebant. Nam nisi hoc credidissent nunquam interrogassent. Interrogatus ergo quando restituerit regnum Israel, non se
Actor. nescire dixit, sed ait: Non est vestrum scire tempora & annos quæ pater posuit in sua potestate. Attende quid dixerit: Non est vestrum scire. Lege iterum, Non est vestrum. Vestrum dixit, non meum. Iam enim non secundum perfectionem sed secundum profectum humani corporis acno
1. Thess. 5. stræ animæ loquebatur. Vestrum ergo dixit, non meum. Quod & apostolus secutus, De temporibus autem & momentis fratres non habetis, inquit, opus vt vobis scribamus. Itaque ne apostolus quidem ipse Christi seruus dixit se nescire momenta, sed non opus esse doceri populum qui semper spiritalibus munimentis esse debet armatus vt virtus Christi in vnoquoque prętendat. Cum autem dicit dominus, de temporibus quæ pater posuit in sua potestate, vtique non potest exors esse scientię paternę, cuius nequaquam exors est potestatis, cùm potestas ex sapientia & virtute gignatur, quod vtrunque Christus est. Sed quæritis, quę causa non ita discipulis negauerit, quasi sciret & nollet dicere,
Genesi. sed neque angelos, neque filium scire memorauerit? Interrogabo vos & ego, qua causa in Genesi deus dicat: Descendam itaque vt videam secundum clamorem eorum venientem ad me si consummabuntur: Sin autem vt sciam?
Gen. 11. Qua causa etiam scriptura de deo dicat: Et descendit do-
Psalm. 13. minus videre ciuitatem & turrim quam ædificarent filij hominum? Qua causa etiam dicat propheta in psalterio: Dominus respexit super filios hominum si est intelligens aut requirens deum: quasi & illic si non descenderet deus, & hic si non prospiceret dominus, aut opera hominum ignoraret aut merita? Sed etiam in euangelio habes secũdum Lucam,
Lucæ 19. Matth. 28. Marci. 16. quia pater dicit: Quid faciam? Mittam filium meum dilectissimum, forsitan hunc verebuntur. Secũdum Matthęum autem & secundũ Marcũ habes: Quoniam misit deus vnicũ filiũ suum dicens: Verebuntur filium meum. In vno libro dicit: Forsitan verebuntur, & quasi nesciens dubitat. Nã hic sermo dubitantis est. In duobus autẽ aliis libris: Verebũtur, inquit, filium meum: hoc enim confirmat reuerentiam deferendam. Sed neque dubitare dei est neque falli. Dubitat enim qui ignorat quod futurum est: fallitur autem qui aliud prædixit, & aliud est secutum. Quid autem euidẽtius quàm quod scriptura habet aliud patrem dixisse de filio, & aliud accidisse eadem scriptura testatur? Ille dixit: verebuntur filium meum, filius autem vapulauit, illusus est, crucifixus est, mortuus est, multóque illis seruis qui prius fuerant destinati, grauiora secundum carnem passus est. Fefellit igitur pater, an ignorauit, vel subuenire non potuit? Sed verus ne-
ad Tim. 2. scit fallere. Scriptum est enim: Fidelis deus qui non mentitur. Quomodo autem ignorauit, qui nouit omnia? Aut quid non potuit, qui omnia potest? Tamen si aut ignorauit aut nõ potuit (facilius enim acquiescitis vt dicatis patrem ignorasse, quàm confiteamini filium scisse) videris quia ex hoc ipso quòd vnius substantiæ est filius cum patre, sic quemadmodum pater, ita & filius (vt secundum vestram insipientiam loquar) aut non omnia nouit, aut nõ omnia potest. Nõ sum enim auarus aut pręceps circa filij laudes, vt plus audeã dicere filium posse quam patrem, & inter patrem & filium discretionem faciam potestatis. Sed fortasse dicetis: Non ita dixisse patrem, sed de patre filium nos fefellisse. Iam ergo non solũ infirmitatis filium, sed etiam iam sacrilegij & mendacij coarguitis. Veruntamen si non creditis de patre filio,

nec

nec de se credatis. Si enim fallere nos voluit qui dixit dubi-
tasse patrem, quia nesciret quod esset futurum: fallere ergo
etiam de se nos voluit, quia futura nescire se dixit: multo-
que tolerabilius ad pudorem, si ignorantiam ante prætendit
quod de se fecit, quàm si cõtrario promissis lusus videatur ef-
fectu, quod de patre prædicauit. Sed neque fallitur pater, ne-
que fallit filius, verum ea est in scripturis consuetudo diui-
nis, sicut & superiora & multa alia exẽpla testantur, vt deus
dissimulet se scire quod nouit. Et in hoc ergo vnitas diuini-
tatis, & vnitas dispositionis in patre probatur & filio, si quẽ-
admodum deus pater cognita dissimulat, ita filius etiam in
hoc imago dei, quæ sibi sunt nota dissimulet. Edoctum est
igitur non ignorasse dei filium quæ futura sunt. Quod si fa-
tentur, & ego vt iam respondeam: qua ratione neque ange-
los neque filium sed patrem scire memorauit, solennem e-
ius circa discipulos charitatẽ etiam in hoc loco & gratiã re-
cognosco, quod ex frequentia ipsa debet omnibus esse iam
cognitũ. Mauult enim dominus nimio in discipulos amore
propensus, pendentibus his quæ cognitu inutilia iudicaret,
videri ignorare quod nouerat, quàm negare. Plusque amat
nostram vtilitatem instruere, quàm suam potentiam demon
strare. Sunt tamen plerique non ita timidiores vt ego. Malo
enim alta timere quàm sapere. Sunt tamen plerique eo freti
Lucæ 2. quod scriptum est: Et Iesus proficiebat ætate & sapientia &
gratia apud deum & homines, qui dicant confidenter quod
secundum diuinitatem quidem ea quæ futura sunt ignorare
non potuit, sed secundum nostræ conditionis assumptionẽ
ignorare se quasi filium hominis ante crucem dixit. Etenim
cùm filium dicit, non quasi de alio dicit. Nam ipse est & do
minus noster dei filius, & filius virginis. Sed medio verbo
nostrum informat affectum, vt quasi hominis filius secun-
dum susceptionem nostræ imprudentiæ vel profectus non
Acto.1. plenè adhuc sciisse omnia crederetur. Non est vestrum scire
quæ futura sunt. Eadem igitur videtur ignorare conditione
qua proficit. Nam quomodo secundum diuinitatem profi-
Coloss.2. cit in quo habitat plenitudo diuinitatis? Aut quid est quod
Matth.9. nesciat dei filius, qui dicebat: Quid cogitatis mala in cordi-
Lucæ 6. bus vestris? Quomodo nesciat de quo dicit scriptura: Ie-
sus autem norat cogitationes eorum. Hæc tamen alij di-
cant. Ego autem vt ad superiora redeam, qui proposuerim
Lucæ 20. scriptum quod pater dixit: Fortasse reuerebuntur filium
meum: quod vtique ideo arbitror positum, vt quod de ho
minibus loquebatur pater, humano locutus videatur affe-
ctu: multomagis arbitror quòd filius qui cum hominibus
conuersatus est, & hominem egit & carnem suscepit, nostrũ
assumpsit affectũ, vt nostra ignoratione nescire se diceret,
non quòd aliquid ipse nesciret. Nam & si homo in veritate
sui corporis videbatur, erat tamen vita, erat lux, & virtus
exibat de eo, quæ vulnera sauciorum, maiestatis suæ auto-
ritate sanabat. Aduertitis ergo quæstionem nobis esse subla
tam, cùm & filiũ dictum, ad susceptionem integræ condi-
tionis referatur humanæ: Et de patre ideo scriptum sit, vt
vel sic calumniari filio desinatis. Nihil ergo fuit quod igno-
rauerit dei filius. Nihil enim fuit quod ignorauerit pater.
Quòd si nihil & filius ignorauit, vt iam concludamus, di-
cant in quo eum minorum velint videri? Si minorem gene-
rauit deus filium, minus contulit. Si minus contulit, aut mi-
nus voluit, aut minus potuit. Sed nec infirmus, nec inuidus
pater, quia nec voluntas ante filium nec potestas. In quo e-
nim minor, qui omnia habet quæ pater hebet? Nam & om
Ioan.14. nia à patre iure generationis accepit, & totum patrem glo-
Philip.2. ria suę maiestatis expressit. Scriptum est inquiunt: Quoniam
pater maior me est. Sed scriptum est: Non rapinam arbitra-
Ioan.5. tus est se esse æqualẽ deo, Scriptum est, quòd propterea vo-
Ioan.10. lebãt illum Iudæi occidere, quia filium se dicebat dei, æqua
lem se faciens deo. Scriptum est: Ego & pater vnum sumus.
Vnũ legunt, multa non legunt. Nunquid ergo & minor &
æqualis per naturam eandem potest esse? Sed aliud ad diui-
nitatem refertur, aliud ad carnem. Minorem dicunt: Quæ-
ro, quis mensus sit, quis tam exaltati cordis, qui velut ante
Psal.130. tribunal suum patrem deum & filium constituat vt de præ-
latione diiudicet? Non est exaltatum cor meum, neque in-
uanum elati sunt oculi mei, Dauid dicit. Rex Dauid exaltare

cor metuit in rebus humanis, nos exaltamus aduersus diui-
na secreta? Quis igitur iudicat de dei filio? Throni, dominati
ones, angeli, potestates? sed famulantur & seruiunt. Archan-
geli? sed ministrant. Cherubin & Seraphin? sed laudãt. Quis
igitur iudicat de dei filio, cùm legeris quòd ipse pater noue- Matth.11.
rit filium, non iudicet? Nemo enim nouit filium nisi pater.
Nouit inquit, non iudicat. Aliud est nosse, aliud iudicare.
Habet pater in se scientiam, filius supra se non habet pote-
statem. Et rursus: Nemo nouit patrem nisi filius, & ipse no-
uit sicut eum pater nouit. Sed dicis quòd minorem se dixit,
dixit & lapidem. Plus dicis & impiè calumniaris, minus di-
co & piè astruo. Minorem dicis & supra angelos confiteris.
Ego minorem angelis dico, & non derogo, quia non diuini
tatem arguo, sed misericordiam prædico.

De humili ac deuota authoris ad deum patrem conuersione, rectæque fidei confessione, cum disertissima huius operis conclusione. *Caput IX.*

AD te nũc omnipotens pater cũ lachrymis verba cõuerto. Ego te quidẽ inaccessibilem, incompre
hẽsibilem, inęstimabilem promptè dixerim, sed
filium tuum minorẽ nõ ausim dicere. Nam cùm Hebr.1.
illum splendorem gloriæ & imaginem substantiæ tuæ lege-
rim, vereor ne minorem imaginem tuę dicendo substantię,
minorem substantiam tuam dicere videar, cuius imago sit
filius, cùm plenitudo tuæ diuinitatis omnis in filio sit. Im-
mensum te filiúmque tuum & spiritum sanctum, incircun-
scriptum, inęstimabilem, inenarrabilem legi libenter, credo
libenter. Et ideo æstimare non possum, vt examinare pos-
sim. Esto tamen, spiritu ausúque temeratio metiri te velim.
Vnde quæso te metiar? Funiculũ agrimensorium vidit pro-
pheta quo metiebatur angelus Hierusalem. Metiebatur ta-
men angelus non Arrius. Metiebatur Hierusalem non deũ,
& fortasse nec Hierusalem metiri poterat angelus, Vir enim
erat. Denique sic habes: Et alleuaui oculos & vidi, & ecce Ezech.40.
vir & in manu eius funiculus agrimensorius. Vir erat quia
typus suscipiendi corporis declarabatur. Vir erat ille de quo
est dictum: Post me venit vir, cuius non sum dignus solue-
re corrigiam calciamenti eius. Ergo Iesus in typo Hieruſa-
lem metitur, non Arrius deum. Et satanas transfigurat se in Ioan.1.
angelum lucis. Quid mirum si Arrius suum imitatur au- 2.Cor.11.
thorem, vt vsurpet illicita, licet quod pater suus Zabulus
per semetipsum non fecit, intolerabiliore iste sacrilegio di
uinorum sibi scientiam secretorum & supernę generationis
arcana præsumat? Zabulus enim verũ dei filium fatebatur,
Arrius negat. Si ergo metiri te omnipotens pater non queo,
possum ne sine sacrilegio de tuæ generationis disputare se-
creto? Possum ne dicere quod aliquid inter te & filium tu-
um plus minúsue sit, cùm ipse qui natus est dixerit, Omnia Ioan.16.
quæ pater habet mea sunt? Quis me constituit iudicem aut Lucæ 12.
diuisorẽ de rebus humanis? Hoc filius dicit, & nos inter pa
trem & filium diuisionem nobis & iudicium vindicamus?
Bona pietas arbitros refugit etiam in diuisione patrimonij.
Nos ergo erimus arbitri vt inter te & filium tuum increatæ
maiestatem substantiæ diuidamus? Generatio inquit, hæc, Lucæ 11.
generatio nequam est: signum quærit & signum non dabi
tur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Signum vtique datur nõ Esaiæ 7.
diuinitatis, sed incarnationis. Denique de incarnatione di-
ctum ait: Pete tibi signum. Et cùm ille dixisset, Non pe-
tam neque tentabo dominum, responsum est: Ecce virgo
in vtero cõcipiet. Ergo signum diuinitatis videre non possu-
mus, mensuram quęrimus? Væ misero mihi, impiè discutere
audemus, quem dignè rogare non possumus. Videro tamen
quid faciant Arriani. Ego te pater si maiorem omnibus di-
xero, iniurioſé te tuis operibus comparaui. Si maiorem fi-
lio, vt Arrius asserit, impiè iudicaui: de te prius erit illa sen-
tentia. Nam neque vlla fieri potest nisi ex comparatione
prælatio, neque præferri quisquam nisi de quo prius fuerit
iudicatum. Iurare nobis per cœlum non licet, iudicare de Iacobi 5.
Dei filio licet? Sed filio tuo soli iudicium de omnibus detu- Matth.3.
listi. Ioannes carnem domini baptizare metuebat, Ioannes
prohibebat dicens: Ego à te debeo baptizari & tu venis ad
me, & ego Christũ iudicio meo subdam? Moyses excusat, Pe
trus imperatum in ministerio declinat obsequium, Arrius

scrutatur

scrutatur etiam alta dei? Sed non Arrius spiritus sanctus.
Eccles.3. Sed Arrio & hominibus dictum est: Altiora te ne quęsieris
Moyses vultum domini prohibetur videre, Arrius meruit
Exod.33. videre secretum? Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.
Psalm. 98. Moyses qui cum domino apparet in gloria. Moyses ergo il
la posteriora tantummodo dei in typo vidit, Arrius totum
Exod.33. deum facie ad faciem comprehendit? Sed nemo, inquit, vi-
dere potest faciem meam & viuit Paulus etiam de inferio-
ribus dicit: Ex parte cognoscimus & ex parte prophetа-
1.Corin.13. mus, Arrius dicit: Ex toto deum non ex parte cognoui. Infe-
rior ergo Paulus quàm Arrius? Et vas electionis ex parte scit,
2. Cor.12. vas perditionis totum scit? Scio, iuquit, hominē siue in cor-
pore siue extra corpus nescio, deus scit, qui raptus est in pa-
radisum, & audiuit ineffabilia. Paulus raptus vsque ad ter-
tium cœlum, seipsum nesciuit: Arrius in stercore voluta
tus, deum sciuit? Paulus dicit de seipso, deus scit. Arrius de
deo dicit, Ego noui. Sed nō Arrius raptus in cœlum, quan-
uis eum secutus sit qui iactatione damnabili diuina præsu-
Esaiæ 14. meret dicens: Ponam thronum meum super nubes, & ero si
milis altissimo. Sicut enim ille dixit: Ero similis altissimo,
sic & Arrius altissimum dei filium similem sui vult videri,
quem non in diuinitatis æternę maiestate veneratur, sed ex
carnis infirmitate metitur.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS IN LIBRVM *primum de spiritu sancto ad Gratianum Augustum Prologus.*

Iudicū.6. Ieroboal cū sub arbore, vt legimus, quer
cu, tritici messem virga cęderet, accepit
oraculum, vt à potestate alienigenarum
in libertatem dei populū vindicaret Nec
mirū si est electus ad gratiam, cùm sub
vmbra iam tum sacræ crucis & venera-
bilis sapientiæ prędestinato incarnatio-
nis futuræ mysterio constitutus, feracis
segetis sensibilia de latibulis frumenta produceret, electio-
némq; sanctorū à purgamētis inanis paleæ sequestraret, qui
tanquam virga veritatis exerciti, superflua veteris hominis
cum eius actibus deponentes, quasi in torculari ita in eccle-
sia congregantur. Ecclesia enim torcular est fontis eterni, in
qua cœlestis vitis fructus exundat. Quo motus oraculo Ge-
deō, cum audisset quod deficientibus licet populorum mi-
libus, in vno viro dominus plebem suam ab hostibus libera
ret, obtulit hœdum caprarum, cuius carnem secundum præ
ceptum angeli & azyma supra petram posuit, & ea iure per
fudit, quę simul vt virgę cacumine quā gerebat angelus dei
contigit, de patra Ignis erupit, atque ita sacrificium quod of
ferebatur absumptum est. Quo indicio declaratum videtur
quod petra illa typum habuerit corporis Christi, quia scri-
1.Cor.10. ptum est: Bibebant de consequenti eos petra, petra autem
erat Christus. Quod vtique non ad diuinitatem eius sed ad
carnem relatum est, quę sitientium corda populorum pe-
renni riuo sui sanguinis inundauit. Iam tunc igitur in myste
rio declaratum est, quia dominus Iesus in carne sua totius
mundi peccata crucifixus aboleret. Nec solum delicta facto
rum, sed etiam cupiditates animarum. Caro enim hœdi ad
culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum, sicut
scriptum est: Quia concupiuit populus cupiditatem pessi-
mam, & dixerunt: Quis nos cibabit carne? Quod igitur ex-
tendit angelus virgam, & tetigit petram de qua ignis exiuit,
ostendit quod caro domini spiritu repleta diuino, peccata o-
Lucæ 12. mnia humanę conditionis exureret. Vnde & dominus ait:
Ignem veni mittere in terram. Aduertit igitur vir doctus &
pręsagus futuri superna mysteria, & ideo secundum oracu-
la occidit vitulum à patre suo idolis deputatum, & ipse sep-
tennem alium vitulū immolauit deo. Quo facto manifestis
simè reuelauit post aduentum domini, omnia gentilitatis a-
bolenda sacrificia, solúmque sacrificium deo dominicę pas-

A sionis pro redemptione populi deferendum. Etenim vitulus
ille erat in typo Christus, in quo septem spiritaliū plenitu- Ioan.8.
dō virtutū, sicut Esaias dixit, habitabat. Hunc vitulum & A-
brahā obtulit, quando diem domini vidit, & gauisus est. Hic
est qui nunc in hœdi typo, nūc in ouis, nūc in vituli offereba
tur. Hœdi, quod sacrificiū pro delictis sit: ouis, quod volunta
ria hostia: vituli, quod immaculata sit victima. Pręuidit ergo
mysterium sanctus Gedeon. Denique trecētos elegit ad prę
liū, vt ostenderet non in numero multitudinis, sed in sacra-
mento crucis mundum ab incursu grauiorum hostium libe
randum. Et tamē licet fortis & fidus, pleniora adhuc de do-
mino futurę victorię documēta quęrebat, dicens: Si saluas in Iudi.6.
manu mea Israel, quęadmodū locutus es domine, Ecce ego
pono lanæ vellus in area: & si ros factus fuerit super vellus,
& super omnem terram siccitas, cognoscam quia in manu
mea secundum promissa tua populum liberabis. Et ita factū
est. Sed adiecit postea vt rursum ros proflueret super totam
terram, & siccitas esset in vellere. Querit fortasse aliquis v-
trum nam quasi incredulus esse videatur, qui frequentibus
B informatus indiciis adhuc plura poscebat. Sed quemadmo-
dum poterat viderat quasi ambiguus incertúsq; tentasse, qui
mysteria loquebatur? Nō ergo ille ambiguus, sed prouidus
ne nos ambigeremus. Nam quomodo ille ambiguus, cuius
precatio habebat effectū? Vnde autē securus adorsus esset
prælium, nisi intellexisset oraculum? Ros enim in vellere,
fides erat in Iudæa, quia sicut ros dei verba descendunt. Er-
go quando totus orbis infructuoso ęstu gentilis superstitio-
nis arebat, tunc erat ros ille cœlestis visitationis in vellere.
Postea verò quàm oues quæ perierunt domus Israel: (vnde Matth.15.
puto figuram Iudaici velleris adumbratam.) Oues inquam
illæ fontem aquæ viuæ negarunt, ros fidei humentis exaruit
in pectoribus Iudęorū, meatúsque suos fons ille diuinus in
corda gentium deriuauit. Inde est quod nunc fidei rore to-
tus orbis humescit. At verò Iudæi prophetas suos & consi-
liarios perdiderunt. Nec mirum si perfidiæ subeant siccita-
tem, quos dominus deus prophetici imbris vbertate priua-
uit, dicens: Mandabo nubibus meis ne pluant super vineam Esaiæ 5.
C istam. Et enim propheticæ nubis pluuia salutaris, sicut &
Dauid dixit: Descendit sicut pluuia in vellus, & sicut stillici- Psal.71.
dia stillantia super terram. Hanc nobis scripturæ diuinæ to-
tius mundi pluuiam pollicebantur, quæ rigaret orbem sub
domini salutaris aduentu spiritus rore diuini. Venit ergo iā
dominus, venit & pluuia, venit dominus stillicidia secum
cœlestia deferens: & ideo iam nos bibimus qui antè sitieba
mus, & diuinum illum spiritum haustu interiore potamus.
Hoc ergo prævidit sanctus Gedeon, quia verum & spirita-
lem rorem etiam gentes nationésque erant fidei perceptio-
ne bibiturę, & ideo diligentius explorauit. Est enim neces-
saria cautela sanctorum. Siquidem etiā Iesus Naue cùm vi- Iosue 5.
disset ducem militię cœlestis, interrogauit: Noster es an ad-
uersariorum? ne fortè aliquibus aduersarij præstigiis falleretur. Non tamen ociosè vellus non in campo posuit vel in
prato, sed posuit in area vbi messis est tritici. Messis enim
multa, operarij autem pauci. Eo quod per fidem domini fu- Lucæ 10
D tura esset messis fœcūda virtutum. Nec illud ociosum quod
exiccauit vellus ludaicum, & rorem eius misit in peluem vt
repleretur aqua, non tamen ipse eo rore pedes lauit. Alij de
bebatur tanti prærogatiua misterij, expectabatur ille qui for
des omnium solus posset abluere. Non erat tantus Gedeon,
qui hoc sibi mysterium vindicaret. Non enim Gedeon, sed
filius hominis venit non ministrari sed ministrare. Itaque Matt.12.
cognoscamus in quo hæc mysteria videantur esse comple-
ta. Non in sancto Hieroboal. Adhuc enim erant illa prin-
cipia. Ideo gentes victæ, quia siccitas erat adhuc in gentibus.
Ideo Israel vicit, quia ros tunc manebat in vellere. Venia-
mus ad euangelium. Inuenio dominum spoliantem se vesti- Ioan.13.
menta, & pręcingentem se linteo, mittentem aquam in pe-
luem, lauantem pedes discipulorum. Hęc erat aqua, ros il-
le cœlestis, hoc prophetabatur quod illo rore cœlesti disci-
pulorum suorum dominus Iesus pedes lauaret. Et nunc ex
tendantur pedes animorum nostrorum, vult dominus Ie-
sus & nostros lauare pedes. Non enim Petro soli, sed vnicui
que dicit fideli: Nisi lauero tibi pedes, non habebis mecum
partem.

partem. Veni ergo domine Iesu, exue te vestimẽta quæ propter me induisti: esto nudus, vt nos misericordia tua vestias. Præcinge te propter nos lintẽo, vt nos tui muneris immortalitate præcingas. Mitte aquam in peluem, laua non solum pedes, sed etiam caput: nec solùm corporis nostri, sed etiã mentis vestigia. Volo exuere omnes nostræ sordes fragilitatis, vt
Cantic. 5. & ego dicam: Nocte exui tunicã meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quanta ista maiestas est? Quasi minister pedes famulorum tuorum lauas, quasi deus rorem mittis è cœlo. Nec solũ pedes lauas, sed etiam vt tecum recũbamus inuitas, & exemplo nos tuæ
Ioan. 13. dignationis hortaris, dicens: Vocatis me dominum & magistrũ, & bene facitis, sum enim. Si ergo ego laui pedes vestros dominus & magister, & vos inuicem lauate pedes vestros. Volo ergo & ego pedes lauare fratrũ meorum, volo domini implere mandatũ. Voluit me non verecundari, non dedigna ri quod ipse prius fecit. Bonum mysterium humilitatis, quia dũ alienas sordes lauo, meas abluo. Sed non hoc omnes hau rire poterãt mysterium. Lauare voluit quidem & Abraham pedes, sed hospitalitatis affectu. Volebat & Gedeon lauare pedes angelo domini, qui apparuit sibi, sed volebat vni, vole bat quasi is qui deferret obsequium, non qui donaret consortium. Hoc mysterium magnum est, quod nemo cognouit. Deniq; Petro dixit: Quod ego facio tu nescis, cognosces postea. Hoc, inquam, diuinũ mysterium est, quod etiam qui lauerũt, requirũt. Non est ergo simplex aqua cœlestis mysterij, per quam cõsequimur vt partem cũ Christo habere mereamur. Est & quædã aqua quã mittamus in peluim animę nostræ, aqua de vellere ex libro Iudicum, aqua de libro psalmorũ. Aqua est ros cœlestis oraculi. Veniat igitur, domine Iesu, hæc aqua in meã animam, in meã carnem, vt huius humore pluuiæ nostrarũ conualles mẽtium atq; intimi cordis arua virideſcãt. Veniãt in me stillicidia tua, gratiã immortali tatémq; rorantia. Dilue gressus mẽtis meæ, ne iterũ peccem. Ablue animi mei calcaneũ, vt possim abolere maledictũ, ne morsum serpẽtis interiore pede sentiã: sed sicut ipse iusisti se quẽtibus te, vt serpentes & scorpiones illæso possim calcare vestigio. Redemisti mũdum: redime vnius animam peccatoris. Hæc est specialis tuæ prærogatiua pietatis, qua totũ mundum in singulis redemisti. Helias ad vnam missus est viduã: Hæliseus mũdauit vnum: tu nobis, domine Iesu, hodie mille mũdasti. Quãtos in vrbe Roma, quãtos Alexãdriæ, quantos Antiochiæ, quãtos etiam Constãtinopoli. Nam etiam Constantinopolis iam dei verbũ recepit, & euidentia meruit tui documenta iudicij. Etenim quãdiu venena Arrianorum suis fouebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, murus armis circunsonabat hostilibus. Postea verò quàm fidei exules abdicauit, hostem ipsum iudicem regum, quem semper tremere consueuerat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obruit, sepultum possidet. Quantos ergo & Constantinopoli, quantos postremò toto hodie in orbe mundasti: Non mũdauit Damasus, non mundauit Petrus, non mundauit Ambrosius, non mũdauit Gregorius. Nostra enim seruitia, sed tua sunt sacramenta. Nèq; enim humanę opis est diuina conferre, sed tuum domine munus & patris est, qui lo-
Ioel. 2. cutus est per prophetas dicens: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabũt filij & filiæ eorum. Hic est in typo ros ille cœlestis. Hæc pluuia voluntaria sicut legi-
Psal. 67. mus: Pluuiam voluntariam segregans deus hæreditati suæ.

FINIS.

CAPITA PRIMI LIBRI DE SPIRITV SANCTO.

Non esse inter creaturas spiritum sanctum, nec inter omnia, sed super omnia. Cap. I.

Non posse ad spiritum deriuari dei, quia scriptum est de dei filio: Omnia per ipsum facta sunt, quia spiritus dei super omnia, non inter omnia est. Cap. II.

Non videri spiritũ dei à patris & filij maiestate secerni, quia scriptũ est: Nobis autem vnus deus pater ex quo omnia, & nos in ipsum: & vnus dominus Iesus per quẽ omnia, de spiritu autem nihil dixit: plerisque locis & de spiritu dixit

A scriptura & filio, & de deo patre eo loco nihil dixit, aut de de deo patre dixit & spiritu, & de filio nihil dixit. Ca. III.

Quoniam ipse est spiritus sanctus, qui est spiritus dei, & spiritus Christi. Ipse est spiritus patris, ipse paracletus, ipse spiritus veritatis, ipse spiritus vitæ. Cap. IIII.

Quia sicut pater sanctus, ita filius, ita & spiritus dicitur sanctus. Cap. V.

Quia in spiritu signamur. Cap. VI.

Quia replet omnia spiritus dei. Cap. VII.

Quia sempiternus dei filius. Cap. VIII.

Quia spiritus peccata condonat. Cap. IX.

Non de loco ad locum trãsire spiritum dei, de quo scriptum est: Qui à patre procedit, & de quo dicit filius dei: Quem ego mittam vobis. Cap. X.

Quia vna pax, vna gratia patris & filij & spũs sancti. Ca. XI.

Quia vna charitas patris & filij & spiritus sancti, & operatio trinitatis, vt passionem corporis dominus Iesus subiret. Cap. XII.

Quia vna cõmunicatio patris & filij & spũs sancti. Ca. XIII.

B Quia vnũ nomen patris & filij & spiritus sancti. Ca. XIIII.

Quia & filius paracletus dicitur sicut & spiritus, & quia beneficij & gratiæ hoc nomen non iniuriæ est. Cap. XV.

Quia sicut pater lumen, ita & filius lumen, & spiritus lumen est. Et sicut patrem ignem legimus, ita & filium & spiritum sanctum. Cap. XVI.

Quia lumẽ vultus dei spiritus, & spiritus lumen. Ca. XVII.

Quia sicut pater vita, & filius vita, & spiritus sanctus vita. Cap. XVIII.

Quia sicut pater fons vitæ est, ita etiam filius ita & spiritus sanctus. Cap. XIX.

Quia sicut pater flumẽ, ita & filius, & spũs sanctus. Ca. XX.

Diui Ambrosij
C EPISCOPI MEDIOLANENSIS
de spiritu sancto ad Gratianum Augustum, Lib. I.

Non esse inter creaturas spiritum sanctum, nec inter omnia, sed super omnia. *Cap. I.*

NON enim spiritus sanctus aut potestati alienæ est subiectus aut iuri, sed suæ libertatis arbiter, omnia pro authoritate propriæ voluntatis diuidens, sicut legimus, singulis prout vult. Non ergo in- 1. Cor. 12.
ter omnia, sed super omnia spiritus sanctus est. Iam enim de eo, quoniã ita plenè de dei filio, clementissime Imperator, instructus es vt ipse iam doceas: cupiẽtem te, & exigentem audire aliquid expressius, non morabor: præsertim cùm ita te assertione istiusmodi testificatus sis proximè delectatum, vt basilicam ecclesiæ sine vllo monitore præceperis re-
D formari. Fidei itaq; tuæ gratiam, nostræ præmium iam tenemus. Neque enim aliud possumus dicere, nisi sancti spiritus hanc fuisse gratiam, quòd ignorantibus omnibus subitò basilicam reddidisti. Spiritus, inquam, sancti hoc munus, hoc opus est, qui à nobis quidem tunc prædicabatur: sed in te operabatur. Nec superioris temporis damna deploro, quando quidem basilicę sequestratio illa cuiusdam fœnoris traxit vsuras. Etenim basilicam sequestrasti, vt fidem probares. Impleuit igitur propositum suũ pietas tua, quæ sic sequestrauerat vt probaret: sic probauit, vt redderet. Nec fructũ amisi, sed iudicium teneo, patuitq; omnibus in quadam facti discretione, discretam tibi nunquam fuisse sentẽtiam. Patuit, inquam, omnibus & tuum non fuisse cum sequestrares, & tuum esse cùm redderes. Primùm igitur, ab inferioribus inchoemus, vt quasi per gradus quosdã tractatus noster ascendat, quo faciliùs hi qui fidẽ non deferũt, vel ratione flectantur. Possunt enim dicere in principio: Nec nos didicimus seruire spiritum. Sed cùm dicant seruire Christum, quomodo possunt negare de spiritu? Quòd si secundum carnem in serui forma consentiunt Christum fuisse, constat & conue-

nit. Ergo si secundum diuinitatem suam Christus non seruit,non seruit etiam spiritus. Quòd si non seruit spiritus,omnia autem seruiũt,super omnia igitur spiritus est, qui non seruit sicut omnia . Non enim alienæ aut potestati aut iuri subiectus est,sed suæ libertatis est arbiter. Siquidem omnia pro authoritate propriæ voluntatis, diuidens sicut scriptum
1.Cor.12. est,singulis prout vult. Nunc idipsum quod diximus, testimoniis astruamus.Principiũ disputationis est,quia seruiunt omnia.Seruire autem omnia liquet, quoniam scriptum est:
Psal.118. Vniuersa seruiũt tibi.Dixit hoc spiritus per prophetam, non dixit seruimus sed seruiunt tibi, vt crederes quòd ipse à seruitio sit exceptus. Ergo cùm vniuersa seruiant, non seruiat spiritus,vtique inter vniuersa non est spiritus sanctus. Nam si inter omnia dicimus esse spiritum sanctum,vtique cùm le
2.Cor.2. gerimus,quia alta dei scrutatur spiritus,deum patrem esse super omnia denegamus.Etenim cùm ex deo spiritus sit,& spiritus oris eius,quomodo possumus inter omnia dicere spiritum sanctũ,cùm super omnia deus sit cuius est spiritus , plenæ vtique perfectæque virtutis? Ac ne apostolum arbitrentur errasse,accipiant quem fiduciæ huius sit secutus author-
Ioan.15. rem.Dominus enim in euangelio dixit: Cùm venerit paracletus quem ego mittam vobis à patre meo spiritum veritatis qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Ergo & à patre procedit spiritus sanctus & testificatur de filio.Testificatur etiam de patre testis & fidelis & verus, quo nihil ad expressionem diuinæ maiestatis est plenius,nihil ad vnitatem diuinę potestatis euidentius,cùm idem nouerit spiritus quod & filius,qui paternorum testis & consors indiuiduus secretorũ est. Excluſit itaque à cognitione dei societatem & multitudinem creaturæ,non excludendo autem spiritum sanctum,ostendit non esse socium creaturæ.Vnde &
Ioan.1. illud quod lectum est in Euangelio: Quia deum nemo vidit vnquam,nisi vnigenitus filius qui est in sinu patris,ipse enarrauit:ad exceptionem pertinet spiritus sancti. Quomodo enim deum non videt,qui scrutatur etiam alta dei? Quomodo deum non videt,qui cognouit quæ dei sunt? Quomodo deum non videt, qui ex deo est? Ergo cùm ita positum sit, quia deum nemo vidit vnquam,vidit autem spiritus, vtique exceptus est spiritus . Super omnia igitur est, qui est exceptus ex omnibus.

Non posse ad spiritum deriuari dei,quia scriptum est de dei filio.Omnia per ipsum facta sunt , quia spiritus dei super omnia,non inter omnia est. Cap.I I.

Videtur sancte Imperator plena ratio esse pietatis, sed impiis non videtur. Denique quid moliantur aduerte . Solent enim dicere hærerici , ideo inter omnia spiritum sanctum esse numerandum, quia
Ioan.1. scriptum est de dei filio:Omnia per ipsum facta sunt.Quàm
* ratio. malè confunditur * actio quæ non tenet veritatem,& præpostero ordine assertionis inuoluitur. Hoc enim tunc valeret,vt inter omnia dicerent esse spiritum sanctum,si factum probarẽt. Nanque omnia per filium scriptura dicit esse quæ facta sunt.Cùm autem factus nõ doceatur spiritus sanctus, vtique nec inter omnia,probari potest,qui neque factus est sicut omnia,nec creatus.Mihi igitur ad vtrunque hoc proficit testimonium,vt & super omnia probetur esse qui factus non est:& quia super omnia est , non videatur factus esse, nec inter ea quæ sunt facta numerandus. Quod si quis, quia omnia facta per verbum euangelista posuit,non excipit spiritum sanctum,quanquam in Ioanne locutus spiritus dei,omnia per ipsum facta sunt dixerit, non omnia facta sumus. Cùm vtique loqui in euangelistis spiritum dei ipse dominus
Matth.10. ostenderit dicens: Non enim vos estis loquentes , sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.Tamen si quis, vt dixi, hoc loco non excipit spiritum sanctum,sed inter omnia nu-
1.Cor.8. merat,nec ibi ergo excipit dei filium vbi apostolus dixit:Nobis tamen vnus deus pater , ex quo omnia, & nos in illum. Sed vt sciat quia inter omnia non est filius , legat sequentia. Nam cùm dicit:Et vnus dominus Iesus per quem omnia:ab omnibus vtique excepit dei filium , quia excepit & patrem. Eiusdem autem impietatis est vel patri vel filio vel spiritui sancto derogare. Non enim credit in patrem qui non credit in filium,nec credit in dei filium qui non credit in spiritum,

A nec potest sine regula veritatis fides stare . Nam qui negare cœperit vnitatẽ potestatis in patre & filio & spiritu sancto, non potest vtique ibi vbi nulla diuisio sit,fidem probare diuisam.Ergo quia pietatis vnitas est bene credere,etiam vnitas impietatis est malè credere . Itaque qui putant spiritum inter omnia debere numerari, quia omnia legunt facta per filium,etiam filium vtique inter omnia annumerandum putant,quia legunt ex deo omnia.Consequenter autem nec patrem secernunt ab omnibus,qui à creaturis omnibus filium non secernunt,quoniam sicut ex patre omnia,ita etiam per filium omnia.Hoc ipsum supra euidenter apostolus dixit,ne inter omnia posuisse filiũ vel impiis videretur,qui audierant dixisse filium:Pater quod dedit mihi maius omnibus est. Ioan.10.

Non videri spiritum dei à patris & filij maiestate secerni, quia scriptum est:Nobis autẽ vnus deus pater ex quo omnia, & nos in ipsum:& vnus dominus Iesus per quem omnia,de spiritu autem nihil dixit:plerisque locis & de spiritu dixit scriptura & de filio & de deo patre eo loco nihil dixit,aut de deo patre dixit & spiritu,& de dei filio nihil dixit. Cap. III.

B SED fortasse aliquis dicat,qua ratione cum dixerit hic ex patre omnia,& per filium omnia, de spiritu sancto tacuerit, & hinc cupiat præiudicium comparare. Quod si pergit malicioſè interpretari,quàm multis inueniet locis prædicatam sancti spiritus potestatem,in quibus vel de patre vel de filio nihil scriptura expresserit,sed intelligendum reliquerit . Nunquid ergo cum gratia spiritus prædicatur , dei patris aut vnigeniti filij denegatur?Non ita,quia sicut pater in filio,& filius in patre,ita etiam diffusa est charitas dei in cordibus nostris per spiritum sanctũ qui datus est nobis. Et sicut qui benedicitur in Christo , benedicitur in nomine patris & filij & spiritus sancti, quia vnum nomen est potestas vna : ita etiam vbi operatio aliqua diuina,aut patris,aut filij,aut spiritus designatur,non solùm ad sanctum spiritum,sed etiam ad patrem refertur & filium , nec solùm ad patrem sed etiam ad filium refertur & spiritum.Denique & æthiops eunuchus Cãdacis reginæ baptizatus in Christo,plenum mysterium consecutus est. Et il
C li qui negauerunt se scire spiritum sanctum,quanuis baptizatos se dicerent in Ioannis baptismo , baptizati sunt postea,quia Ioannes in remissionem peccatorum, in aduenientis Iesu,non in suo baptizauit nomine.Et ideo spiritum nesciebant,quia nec baptismum in Christi nomine,sicut Ioannes baptizare solebat,acceperant.Ioannes enim licet non baptizaret in spiritu, tamen & Christum prædicabat & spiritum. Denique cùm interrogaretur ne fortè ipse esset Christus,respondit:Ego vos aqua baptizo,veniet autem fortior me,cuius non sum dignus calciamenta portare,ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni. Ergo isti, quia nec in Christi nomine,nec cum fide spiritus sancti baptizati fuerant,non potuerant accipere baptismatis sacramẽtum.Baptizati sunt itaque in nomine Iesu Christi,nec iteratum est in his baptisma sed nouatum.Vnum enim baptisma. Vbi autem nõ est plenum baptismatis sacramentum,nec principium vel species aliqua baptismatis æstimatur.Plenum autem est, si patrẽ & filium
D spiritúmq; fatearis.Si vnum neges,totum subrues.Et quéad modum si vnum in sermone comprehendas,aut patrem,aut filium, aut spiritum sanctum, fide autem nec patrem nec filium nec spiritum abneges,plenũ est fidei sacramentum:Ita etiam quãuis & patrem & filium & spiritum dicas,& aut patris aut filij aut spiritus sancti minuas potestatẽ, vacuum est omne mysterium.Deniq; & ipſi ipsi qui dixerant: Nec si spiritus sanctus sit audiuimus, baptizati sunt postea in nomine domini Iesu Christi.Et hoc abũdauit ad gratiam,qui iam spiritum sanctum Paulo prędicante cognouerant.Nec contrarium debet videri, quia quanuis etiam postea tacitum sit de spiritu,tamen creditum est:& quod verbo tacitũ fuerat,expressum est fide.Cũ enim dicitur: In nomine domini nostri Iesu Christi , per vnitatem nominis impletum mysteriũ est, nec à Christi baptismate spiritus seperatur, quia Ioannes in pœnitẽtiam baptizauit,Christus in spiritu.Nunc consideremus vtrum quemadmodũ in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramẽtum,ita etiam sancto tantum spiritu nuncupato,nihil desit ad mysterij plenitudinẽ:& rationem

Rom.5.
Act.8.
Act.19.
Matth.3.
Act.19.

nem ſequamur: quia qui vnum dixerit, trinitatem ſignauit. Si Chriſtum, & dicas deum patrem à quo vnctus eſt filius, & ipſum qui vnctus eſt filium, & ſpiritum quo vnctus eſt deſi-
Actuũ 10. gnaſti. Scriptum eſt enim: Hũc Ieſum à Nazareth, quem vnxit deus ſpiritu ſancto. Et ſi patrem dicas, & filium eius & ſpiritum oris eius pariter indicaſti, ſi tamen id etiã corde comprehendas. Et ſi ſpiritum dicas, & deum patrem à quo procedit ſpiritus, & filium, quia filij quoque eſt ſpiritus, nuncupaſti. Vnde vt rationi copuletur authoritas, in ſpiritu quoque rectè baptizari nos poſſe ſcriptura indicat dicente domino:
Acto. 1. Vos autem baptizabimini in ſpiritu ſancto. Et alibi apoſto-
1. Cor. 12. lus ait: Omnes enim in ipſo corpore in vno ſpiritu baptizati ſumus. Vnum opus, quia vnum myſteriũ. Vnum baptiſma, quia mors vna pro mundo. Vnitas ergo operationis, vnitas prædicationis, quæ non poteſt ſeparari. Quod ſi hoc loco ſeparatur ſpiritus ab operatione patris & filij, quia dictum eſt: Ex deo omnia, & per filium omnia: ergo & ibi quia apoſto-
Rom. 9. lus de Chriſto dixit: Qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula, non ſolùm eum creaturis omnibus, ſed etiam patri (quod dictu nefas eſt) prætulit. Sed abſit. Non enim inter omnia pater, non inter plebem quandam creaturarum ſuarum. Subter creatura omnis, ſupra diuinitas patris & filij & ſpiritus ſancti. Illa ſeruit, hæc regnat. Illa ſubiacet, iſta dominatur. Illa opus, hæc author eſt operis. Illam adorat omnis,
Hebr. 1. hæc adoratur ab omnibus. Denique de filio ſcriptum eſt: Et adorent eum omnes angeli eius. Non habes, adoret ſpiritus ſanctus. Et infra: Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Nonne omnes ſunt, inquit, miniſtri ſpiritus in miniſterium qui mittuntur? Cùm dicit omnes, nunquid & ſpiritum ſanctum comprehendit? Non vtique, quia angeli & cæteræ poteſtates in miniſterium & ob-
Ioan. 15. ſequium dei filio vt ſeruiant deſtinãtur. At verò ſpiritus ſanctus, non miniſter, ſed teſtis eſt filij. Quemadmodum de ipſo filius dixit: Ille teſtimonium perhibet de me. Teſtis eſt ergo filij ſpiritus. Qui teſtis eſt nouit omnia. Sicut deus pater
Hebr. 2. teſtis eſt. Sic enim habes in poſterioribus, quia confirmata eſt ſalus noſtra teſtificãte deo ſignis quoque & prodigiis & variis virtutibus, & ſpiritus ſancti diuiſionibus. Qui diuidit, vtique ſupra omnia, non inter omnia eſt. Diuidere enim operatoris gratia, nõ operis eſt materia. Si ſupra omnia filius, per quem initium ſalus noſtra vt prædicaretur accepit: vtiq; & pater deus qui teſtificatur & aſſeuerat ſignis & prodigiis de ſalute noſtra, exceptus à cunctis eſt. Similiter autem & ſpiritus qui diuiſionibus ſuis noſtræ teſtimonium fert ſaluti, non eſt in creaturarum plebe numerandus, ſed cum patre æſtimandus & filio, qui non per inciſiones ſui diuiditur ipſe cùm diuidit. Indiuiduus enim cum ſit, nihil amittit cùm omnibus largitur. Sicut & filius regnum patre accipiente nihil perdit, nec pater filio cùm ſua tradit, amittit. Nullum itaque damnum eſſe in diuiſione gratiæ ſpiritalis, domino atteſtante cognouimus. Qui enim vbi vult ſpirat, vbique ſine
Ioan. 3. damno eſt. De quo infra dicemus plenius. Interim nũc quoniam propoſitum eſt ordine ſuo aſſerere, non eſſe inter omnia ſpiritum computandum, ipſum apoſtolum, de cuius verbis faciunt quæſtionem, aſſertionis huius adhibeamus authorem. Quæ enim eſſent illa omnia, ſiue viſibilia ſiue inuiſi-
Coloſſ. 1. bilia, ipſe ſignauit dicens: Quoniam in ipſo condita ſunt omnia in cœlis & in terra. Vides omnia de his dicta quæ vel in cœlis ſunt, vel in terra? Sunt enim in cœlis etiam inuiſibi-
Ibidem. lia quæ facta ſunt. Tamen ne cui eſſet incognitum, addidit de quibus diceret: Siue ſedes, inquit, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo cõſtant. Nunquid ergo hic inter creaturas ſpiritum ſanctum comprehendit? Aut cum dicit, ante omnes eſſe dei filium, nunquid ante patrem dixiſſe æſtimãdus eſt? Non vtique, nam ſicut hic per filium dicit omnia creata eſſe, & in ipſo omnia conſtare cœ-
Pſal. 32. leſtia, ita etiam in ſpiritu ſancto vires habere vniuerſa cœleſtia dubitari non poteſt, quando lectum eſt: Verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Super omnia eſt igitur de quo eſt omnis cœleſtium & terreſtrium virtus. Qui igitur ſuper omnia eſt, vtique non ſeruit:

A qui non ſeruit liber eſt, qui liber eſt habet iura dominatus. Hoc ſi à principio dicerem, negaretur. Sed quemadmodum illi minora negant ne maiora credantur, ita & nos minora præmittamus, vt aut perfidiã ſuam etiam in minoribus prodant: aut ſi vel minoribus cõſentiunt, maiora de minoribus colligamus. Arbitror, clementiſſime Imperator, pleniſſimè confutatos eos qui audent inter omnia ſpiritum ſanctum computare. Sed tamen vt ſciant ſe non tantum apoſtolicis teſtimoniis, ſed etiam dominicis perurgeri: quomodo audẽt inter omnia numerare ſpiritum ſanctum quando ipſe domi
nus dixerit: Qui blaſphemauerit in filium hominis, remitte- Matth. 12.
tur ei: qui autem blaſphemauerit in ſpiritum ſanctum, nec hîc nec in futurũ remittetur ei. Quomodo igitur inter creaturas audet quiſquam ſpiritum computare? Aut quis ſic ſe obligat, vt ſi creaturæ derogauerit, non putet ſibi hoc aliqua venia relaxandum? Nam ſi Iudæi, quia adorauerunt militiam cœli, diuino præſidio deſtituti ſunt: qui autem adorat & cõfitetur ſpiritum ſanctum acceptus eſt deo, qui non con
fitetur, ſacrilegij reus ſine venia damnatur, vtique hinc æſti-
B mari poteſt, non inter omnia ſed ſuper omnia eſſe ſpiritum ſanctum, cuius iniuria æternis ſuppliciis expiatur. Cur autẽ
dixerit dominus: Qui blaſphemauerit in filium hominis re- Marc. 3.
mittetur ei: qui autem blaſphemauerit in ſpiritum ſanctum, Lucæ 12.
nec hîc nec in futurũ remittetur ei, diligenter aduerte. Nunquid alia eſt offenſa filij, alia ſpiritus ſancti? Sicut enim vna diuinitas, ſic vna iniuria. Sed ſi qui corporis ſpecie deceptus humani, remiſſius aliquid ſentit de Chriſti carne quàm dignum eſt (Neq; enim vilis nobis debet videri, quæ aula virtutis fructus eſt virginis) habet culpam, non eſt tamen excluſus à venia, quam fide poſſit aſciſcere. Si qui verò ſancti ſpiritus dignitatem, maieſtatem & poteſtatem abneget ſempiternam, & putet non in ſpiritu dei eiici dæmonia, ſed in Lucæ 11.
Beelzebub, non poteſt ibi exoratio eſſe veniæ, vbi ſacrilegij plenitudo eſt: quia qui ſpiritum negauit, & deum patrem negauit & filium, quoniam idem eſt ſpiritus dei, qui ſpiritus Chriſti eſt. Vnum autem eſſe ſpiritum nemo dubitauerit, &
C ſi de vno deo plerique dubitauerint. Alium enim dixerunt plerique hæretici deum veteris, alium noui teſtamenti. Sed ſicut vnus pater, qui & olim locutus eſt, vt legimus, patribus in prophetis, & in nouiſſimis diebus nobis locutus eſt in filio: & ſicut vnus filius qui iuxta veteris ſeriem teſtamenti ab Hebr. 1.
Adam offenſus, ab Abraham viſus, à Iacob adoratus eſt, ita etiam ſpiritus ſanctus vnus eſt, qui efferbuit in prophetiis, inſufflatus eſt apoſtolis, copulatus eſt patri & filio in baptiſmatis ſacramento. De ipſo enim dicit Dauid: Et ſpiritum Pſal. 50.
ſanctum tuum ne auferas à me. De ipſo etiam alibi dixit. Quò ibo à ſpiritu tuo? Pſal. 138.

Quoniam ipſe eſt ſpiritus ſanctus, qui eſt ſpiritus dei & ſpiritus Chriſti, ipſe paracletus, ipſe ſpiritus veritatis, ipſe ſpiritus vitæ. *Cap. IIII.*

D ET ſcias quia idem ſpiritus dei eſt, qui eſt ſpiritus ſanctus, ſicut & in Apoſtolo legimus: 1. Cor. 12.
Nemo in ſpiritu dei loquens dicit anathema Ieſu. Et nemo dicit dominum Ieſum niſi in ſpiritu ſancto. Ipſum apoſtolus ſpiritum dei dixit. Ipſum etiam ſpiritum Chriſti
appellauit, ſicut habes: Vos autem in carne non eſtis, ſed in Rom. 8.
ſpiritu, ſi tamen ſpiritus dei habitat in vobis. Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Et infra: Quod ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis. Ipſe eſt ergo ſpiritus dei qui ſpiritus Chriſti. Ipſe eſt ſpiritus vitæ, ſicut ait apoſtolus: Lex enim ſpiritus vitæ in Chri- Ibidem.
ſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. Quem ergo ſpiritum vitæ Apoſtolus dixit, ipſum dominus in euangelio paracletum nominat, ipſum ſpiritum veritatis, ſicut habes:
Et rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis vt vo- Ioan. 14.
biſcum ſit in æternum ſpiritum veritatis, quem hic mundus non poteſt accipere, quia non vidit eum nec cognoſcit eum. Habes ergo & paracletum ſpiritum, eundem & ſpiritum veritatis, & ſpiritum inuiſibilem deſignatum. Quomodo igitur ſecundum diuinitatem quidam filium viſibilem putant, cùm etiam ſpiritum mundus videre non poſſit? Accipe nunc eiuſdem voce domini quod ipſe ſit ſpiritus ſanctus, qui &

Ioan.20. ſpiritus veritatis.Habes enim in vltimo libri huius:Accipite ſpiritum ſanctum.Ipſum quoque eſſe ſpiritum ſanctum qui
Acto.5. eſt ſpiritus domini Petrus docet dicens:Anania quid tibi viſum eſt mentiri ſpiritui ſancto?Et ſtatim ad vxorem Ananiæ idem ait:Quid vobis viſum eſt tentare ſpiritũ domini?Cum dicit,vobis,oſtendit de eo dictum ſpiritu de quo Ananiæ dixerat.Ipſe eſt ergo ſpiritus domini, qui ſpiritus ſanctus. Ipſum etiam ſpiritum ſanctum qui ſpiritus patris eſt, declara-
Matt.10. uit dominus dicens ſecundum Matthæum in perſecutione non eſſe cogitandum quid loquamur . Non enim vos eſtis qui loquimini , ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vo-
Lucæ 12. bis.Idem autem ſecũdum Lucam ait:Nolite ſoliciti eſſe qualiter reſpondeatis aut dicatis,Spiritus enim ſanctus dei docebit vos in ipſa hora quæ oporteat dicere.Ergo quãuis multi dicantur ſpiritus,quia lectum eſt : Qui facit angelos ſuos
Pſal.103. ſpiritus,Vnus tamen eſt dei ſpiritus.Ipſum igitur vnum ſpiritum & apoſtoli & prophetæ ſunt conſecuti. Sicut etiam vas electionis,doctor gentium dicit: quia vnum ſpiritum potauimus,quaſi eum qui non queat ſcindi, ſed infundatur animis,& ſenſibus illabatur, vt ſecularis ſitis reſtinguat ardorem . Non ergo ſanctus ſpiritus de ſubſtantia corporalium, hic enim corporalibus incorpoream infundit gratiam : ſed nec de ſubſtantia inuiſibilium creaturarum eſt: nam & illæ ſanctificationem huius accipiunt, & per hunc reliquis mundi operibus antecellunt,ſiue angelos dicas, ſiue dominationes,ſiue poteſtates , omnis creatura expectat ſancti ſpiritus
Galat.4. gratiam. Sicut enim nos per ſpiritum liberi,quia miſit deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra clamantem, abba pater, itaque iam non eſt ſeruus ſed filius:ita etiam omnis creatura reuelationem filiorum dei expectat,quos vtique ſancti ſpiritus gratia filios dei fecit. Ergo & creatura ipſa ſpiritalis gratiæ reuelatione mutatur,& liberabitur à ſeruitute corruptionis,in libertatem gloriæ filiorum dei. Omnis ergo creatura mutabilis,nõ ſolum ea quæ iam peccato aliquo aut elementorum conditione mutata eſt, verum etiam quæ corruptelæ
Ibidem. poteſt eſſe obnoxia vitio naturæ,etſi nondum eſt ſtudio diſciplinæ.Nam vt in ſuperioribus libris docuimus, & angelorum naturam liquet potuiſſe mutari. Vtique æſtimare conuenit quia qualis vnius natura,talis & cæterorum. Mutabilis ergo & reliquorum natura,ſed melior diſciplina.

Quod ſicut pater ſanctus,ita filius,ita & ſpiritus dicitur ſanctus. Cap. V.

ERGO omnis mutabilis creatura, ſed non mutabilis ſpiritus ſanctus.Neque enim aliquo vitio mutari poteſt, qui omnium abolet vitia,peccata condonat.Quomodo ergo mutabilis qui ſanctificando alios mutat ad gratiam,non ipſe mutatur? Quomodo mutabilis,qui bonus ſemper eſt?Neq; enim vnquam malus ſpiritus ſanctus, per quem nobis quæ bona ſunt miniſtrantur. Vnde & euangeliſtę duo,in vno eodémq; loco,diuerſis quidem inter ſe verbis ſed eadem deſignarunt . Habes enim in
Matth.7. Matthæo : Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris,quantomagis pater veſter qui in cœlis eſt , dabit bona petentibus ſe?Secundum Lucam autem inuenies ita ſcriptum:Quantomagis pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Aduertimus ergo bonum eſſe ſpiritum ſanctum domini iudicio,euangeliſtarum teſtimonio,quando alius pro ſancto ſpiritu bona,alius pro bonis ſanctum ſpiritum nominauit.Si igitur quod bonum eſt, hoc eſt ſpiritus ſanctus,quomodo bonus non eſt?Nec fallit, quod nonnulli
Lucæ 11. codices habent etiam ſecundum Lucam:Quantomagis pater veſter de cœlo dabit bonum datum petentibus ſe? Hoc bonum datum gratia ſpiritalis eſt,quod dominus Ieſus effudit de cœlo poſtquam patibulo crucis fixus triumphales reuehens euacuatæ mortis exuuias,victor mortis à mortuis re
Pſal.67. ſurrexit.Sicut habes:Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem,dedit dona hominibus.Et bene ait data.Sicut e-
Eſaiæ 9. nim filius datus,de quo ſcriptum eſt:Puer natus eſt nobis,filius datus eſt nobis,data eſt & gratia ſpiritalis. Quid autem dubitem dicere quia datus eſt & ſpiritus ſanctus , cùm ſcriptum ſit : Gratia dei effuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis? Quem vtiq; quoniam pe-

A ctora recipere captiua non poterant,prius dominus Ieſus captiuam duxit captiuitatem , vt liberis affectibus gratiæ diuinæ munus infunderet.Pulchrè autem duxit captiuam captiuitatem. Chriſti enim victoria,victoria libertatis eſt,quæ omnes gratiæ vindicauit,nullum aſtrinxit iniuriæ. Ergo in omnium abſolutione , nemo captiuus eſt . Et quia dominicæ tempore paſſionis,ſola feriabatur iniuria quę captiuos omnes amiſerat quos tenebat, in ſe recurrẽs captiua facta eſt ipſa captiuitas,iam non Belial addicta,ſed Chriſto,cui ſeruire libertas eſt . Qui enim in domino vocatus eſt ſeruus, li- 1. Corin.7.
bertus eſt domini.Sed vt ad propoſita reuertamur:Omnes, Pſal.13.
inquit,declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt,non eſt qui faciat bonum,non eſt vſq; ad vnum.Si excipiunt ſpiritum ſanctum,etiam ipſi eum nõ eſſe inter omnia confitẽtur. Si non excipiunt , ergo & ipſum inter omnia declinaſſe fateantur. ſed videamus vtrum bonitatem habeat,cùm fons ſit principiúmque bonitatis.Nam ſicut pater bonitatem habet,& filius habet,ita etiam bonitatem habet ſpiritus ſanctus.Quod
etiam Apoſtolus docuit dicens:Fructus autem ſpiritus,pax, Galat.5.
B charitas,gaudiũ,patiẽtia,bonitas.Quis autem dubitat q̃ bonus ſit,cuius fructꝰ eſt bonitas? Arbor enim bona bonos fru Matth.7.
ctus facit.Itaq; ſi bonus deus,quomodo non bonus qui oris eius eſt ſpiritus,qui ſcrutatur etiã alta dei? An in alta dei contagio mali poſſit intrare? Vnde & illud intelligitur,q̃ amentes ſint qui bonum filium dei abnegant , cùm bonum ſpiritum Chriſti negare non poſſint . De quo ait dei filius : Pro- Ioan.16.
pterea dixi,de meo accipiet. An non bonus ſpiritus qui bonos de peſſimis facit,peccatũ abolet,malũ delet,crimen excludit, bonũ munus infundit, de perſecutoribus apoſtolos facit,de peccatoribus ſacerdotes? Eratis,inquit,aliquãdo tenebræ, nũc autem lux in domino. Sed quid differimus eos? Epheſ.5.
Nam ſi verba exigũt,cùm facta non abnuant, accipiant bonũ ſpiritum ſcriptũ. Dixit enim Dauid: Spiritus tuus bonus Pſal.142.
deducet me in viam rectam. Quid eſt enim ſpiritus,niſi plenus bonitatis? qui cùm ſit inacceſſibilis natura, receptabilis tamen propter bonitatem ſuam nobis eſt,complens virtute
C omnia:ſed qui ſolis participetur iuſtis,ſimplex ſubſtantia,opulens virtutibus,vnicuique preſens,diuidens de ſuo ſingulis,& vtiq; totus. Meritóque filius dixit: Ite, baptizate gen- Matth.28.
tes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti , non dedignatus ſpiritus ſancti ſocietatem. Cur igitur quòd dominus nõ dedignatus eſt in baptiſmatis ſacramento,moleſtè ferũt aliqui filio vel patri ſpiritum noſtra deuotione coniungi? Bonus ergo ſpiritus. Bonus autem,nõ quaſi acquirens,ſed quaſi impertiens bonus eſt:Non enim accipit à creaturis:ſed accipitur ſpiritus ſanctus,ſicut non ſanctificatur,ſed ipſe ſanctificat.Creatura enim ſanctificatur. Sanctificat autem ſpiritus ſanctus,in quo licet verbi communio,diſcretio tamen naturę eſt. Sãctus enim dicitur & homo qui accipit,& deus qui tribuit ſanctitatẽ, quia legimus : Eſtote ſancti, quoniam Leuitic.19.
ego ſanctus ſum.Non ergo poteſt ſanctificatio & corruptela vnius eſſe naturæ. Et ideo non poteſt gratia ſancti ſpiritus & creatura vnius eſſe ſubſtantiæ . Itaque cùm omnis inuiſibilis prẽter trinitatem reliqua natura,cuius rationabilem &
D incorpoream iure quidam ſubſtantiam putant,non impertiat ſpiritalem gratiam,ſed acquirat: nec participet,ſed aſſũmat,ſeparanda vtique eſt à ſocietate ſpiritus ſancti communitas creaturæ. Credant igitur , quia creatura non eſt ſpiritus ſanctus . Aut ſi creaturam putant,cur aſſociant patri? Si creaturam arbitrantur,cur filiõ dei iungunt?Quòd ſi à patre & filio non exiſtimant ſeparandum , non æſtiment creaturam,quia vbi vna ſanctificatio,vna natura eſt.

Quia in ſpiritu ſignamur. Cap. 6.

SVNT tamen pleriq; qui eò quòd in aqua baptizamur & ſpiritu,non putent aquæ & ſpiritus diſtare munera:& ideo non putant diſtare naturã. Nec aduertũt quia in illo aquarum ſepelimur elemẽto, vt renouati per ſpiritum reſurgamus. In aqua enim imago mortis , in ſpititu pignus eſt vitæ , vt per aquam moriatur corpus peccati,quæ quaſi quodam tumulo corpus includit , & per virtutem ſpiritus renouemur à morte peccati. Et ideo hi tres teſtes vnum ſunt, ſicut Ioannes dixit : Aqua, 1.Ioan.5.
ſanguis & ſpiritus. Vnum in myſterio non in natura. Aqua

igitur

igitur teſtis eſt ſepulturæ, ſanguis teſtis eſt mortis, ſpiritus teſtis eſt vitæ. Si qua ergo in aqua gratia, non ex natura aquæ ſed ex præſentia eſt ſpirituſſancti. Nunquid in aqua viui mus ſicut in ſpiritu? Nunquid in aqua ſignamur, ſicut in ſpiritu? In ipſo enim viuimus, & ipſe eſt pignus hæreditatis no
Epheſ.1. ſtræ. Sicut & Apoſtolus ſcribens ad Epheſios ait: In quo credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto. Sancto igitur ſpiritu ſignati ſumus, nõ natura, ſed à deo, quia ſcriptum eſt: Qui vnxit nos deus, & qui ſignauit nos, & dedit pignus
2.Cor.1. ſpiritus in cordibus noſtris. Signati ergo ſpiritu à deo ſumus. Sicut enim in Chriſto morimur vt renaſcamur, ita etiã ſpiritu ſignamur vt ſplendorem atque imaginem eius & gratiam tenere poſſimus, quod eſt vtique ſpiritale ſignaculum. Nam & ſi ſpecie ſignemur in corpore, veritate tamẽ in corde ſignamur: vt ſpirituſſanctus exprimat in nobis imaginis cœleſtis effigiem. Quis igitur audeat dicere diſcretũ à deo patre & Chriſto eſſe ſpiritumſanctum, cùm per ipſum ad imaginem & ſimilitudinẽ dei eſſe mereamur, & per ipſum
2.Pet.1. fiat, quemadmodum Petrus apoſtolus dixit, vt diuinæ ſimus conſortes naturæ? In quo vtique non carnalis ſucceſſionis hæreditas, ſed adoptionis gratiæ ſpiritale commercium eſt. Atque vt ſciamus cordis noſtri magis hoc quàm corporis eſſe ſignaculum, docet propheta qui dicit: Signa-
Pſal.4. tum eſt in nobis lumen vultus tui domine, dediſti lætitiam in corde meo.

Quia replet omnia ſpiritus dei. Cap. VII.

CVM igitur omnis creatura, certis naturæ ſuæ ſit circunſcripta limitibus, ſiquidem & illa inuiſibilia opera quæ non queunt locis & finibus comprehendi, ſubſtantiæ ſuæ tamen proprietate clauduntur: quomodo quis audeat creaturam appellare ſpiritum ſanctum, qui non habeat circunſcriptam determinatamque virtutem? Quia & in omnibus & vbique ſemper eſt, quod
Pſal.23. vtique diuinitatis & dominationis eſt proprium. Domini enim eſt terra, & plenitudo eius. Et ideo cùm dominus ſeruulos ſuos apoſtolos deſtinaret: vt agnoſceremus aliud creaturam eſſe, aliud gratiam ſpiritalem: alios aliò deſtinabat, quia omnes ſimul vbique eſſe non poterant. Dedit autem omnibus ſpiritumſanctum, qui licet ſeparatis apoſtolis, ſic inſeparabilis gratiæ munus infunderet. Erant igitur diuerſæ perſonæ, ſed vnus in omnibus operationis effectus, quia vnus eſt
Acto.1. ſpirituſſanctus, de quo ait: Accipietis virtutem veniente ſpirituſancto in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem & in omni Iudæa & Samaria vſque in fines terræ. Incircunſcriptus igitur & infinitus ſpirituſſanctus, qui ſe diſcipulorum ſenſibus per ſeparatarum diuortia diſcreta regionum ſemotóſq; fines totius orbis infudit, quem nihil poteſt præterire vel
Pſal.138. fallere. Et ideo ſanctus ait: Quò ibo à ſpiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam? De quo hoc angelo ſcriptura dicit? De qua dominatione? de qua poteſtate? Cuius inuenimus angeli virtutem per plurimos eſſe diffuſam? Angeli enim ad paucos mittebantur, ſpiritus autem ſanctus populis infundebatur. Quis igitur dubitet quin diuinum ſit, quod infunditur ſimul pluribus nec videtur? Corporeum autem quod videtur àſingulis & tenetur. Sed quemadmodum ſanctificans Apoſtolos ſpiritus non eſt humanæ conſors naturæ. Ita etiam ſanctificans angelos dominationes & poteſtates, nõ habet conſortium creaturæ. Si qui autem putant non eſſe ſpiritalem in angelis ſanctitatem, ſed aliam quandam gratiam ſuæ proprietate naturæ, hi inferiores profectò angelos hominibus iudicabunt. Cùm enim & ipſi fateantur quòd ſpiritui ſancto angelos conferre non audeant, nec poſſint negare quòd hominibus infundatur ſpirituſſanctus: ſanctificatio autem ſpiritus, donum munúſque diuinum ſit, inuenientur vtique homines qui meliorem ſanctificationem habent, angelis præferendi. Sed cùm angeli hominibus in adiumenta deſcendant, intelligendum eſt quòd creatura quidem ſuperior angelorum ſit, quæ plus recipit gratiæ ſpiritalis, eiuſdem tamen & erga nos & illos munus authoris ſit. Quanta autem gratia quæ præmiis angelorum etiam inferiorem creaturam humanæ conditionis exæquet? ſicut dominus ipſe promiſit,
Matth.22. dicens: Eritis ſicut angeli in cœlo. Nec difficile. Qui enim illos angelos fecit in ſpiritu, homines quoq; per eandem gratiam ſimiles faciet angelorum. De qua autem creatura dici poteſt, quia repleuerit vniuerſa, quòd ſcriptum eſt de ſpiritu ſancto: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem? Ioel.2. non de angelo dici poteſt. Deniq; Gabriel ipſe miſſus ad Mariam, Aue, inquit, gratia plena. Spiritalem vtique in ea declarans gratiam, quod in eam ſpirituſſanctus ſuperueniret, & Lucæ 1. plenum gratiæ vterum verbo eſſet habitura cœleſtis. Domini enim eſt omnia cõplere, qui dicit: Ego cœlum & terram Hier.23. compleo. Si ergo dominus eſt qui cœlum complet & terram, quis poteſt ſpiritum ſanctum iudicare dominationis & diuinæ poteſtatis exortem, qui repleuit orbem, & quod vltra totum orbem eſt repleuit Ieſum mũdi totius redemptorem? Scriptum eſt enim: Ieſus autem plenus ſpirituſancto re Lucæ 4. greſſus eſt ab Iordane. Quis igitur alius, niſi qui eiuſdem eſſet plenitudinis, complentem omnia poſſet implere? Sed ne hoc ſecundum carnem dictum obiiciant, quanquam plus vnus ille quàm omnes, de cuius carne exibat virtus, quæ ſanaret omnes. Tamen ſicut dominus complet omnia: ita etiam de ſpiritu lectum eſt: Quoniam ſpiritus domini repleuit orbem terrarum. Habes etiam de omnibus qui conuenerant cum apoſtolis dictum, quia repleti ſancto ſpiritu loquebantur verbum dei cum fiducia. Vides quia & plenitudinem & Acto.4. fiduciam dat ſpiritus ſanctus, cuius operationem archangelus nunciat Mariæ dicens: Spirituſſanctus ſuperueniet in te. Lucæ 1. Habes etiam in euangelio, quia angelus ſecundum tempus deſcendebat in natatoria, & mouebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in natatoria ſanus fiebat. Quid in hoc typo an- Ioan.5. gelus, niſi deſcenſionem ſanctiſpiritus nunciabat, quæ noſtris futura temporibus aquas ſacerdotalibus inuocata precibus conſecraret? Ille ergo angelus ſanctiſpiritus erat nuncius, eo quod per gratiam ſpiritalem medicina noſtris eſſet animi ac mentis languoribus deferenda. Eoſdem ergo & ſpiritus habet, quos deus pater & Chriſtus miniſtros. Sic omnia replet, ſic omnia poſſidet, ſic omnia operatur in omnibus, quemadmodum & deus pater operatur & filius. Quid igitur ſancti ſpiritus operatione diuinius, cùm etiam benedictionum ſuarum præſulem ſpiritum, deus ipſe teſtetur dicens: Ponam ſpiritum meum ſupra ſemen tuum & benedi- Eſaiæ 44. ctiones meas ſuper filios tuos: Nulla enim poteſt eſſe plena benedictio, niſi per infuſionem ſpirituſſancti. Vnde & apoſtolus nihil melius hoc nobis quod optaret inuenit, ſicut ipſe dixit: Non deficimus pro vobis orantes & obſecrantes, vt Coloſ.1. repleamini cognitione voluntatis eius, in omni ſapientia & intellectu ſpiritali ambulantes dignè deo. Hanc igitur dei eſſe docuit voluntatem, vt magis in bonis operibus & ſermonibus & ſenſibus ambulantes repleamur voluntate dei, qui ponit in cordibus noſtris ſpiritumſanctum. Ergo ſi is qui habet ſpiritumſanctum, dei repletus eſt voluntate, vtique inter patrem & ſpiritum nulla diſtantia voluntatis eſt. Simul illud aduerte, quia deus dat ſpiritumſanctum. Non enim humanum hoc opus, neque ab homine datur, ſed inuocatus à ſacerdote, à deo traditur, in quo dei munus miniſterium ſacerdotis eſt. Nam ſi Paulus apoſtolus iudicauit, quòd ipſe donare ſpiritum ſanctum ſua authoritate non poſſet, & intantum ſe huic officio imparem credidit, vt à deo nos ſpiritu optaret impleri, quis tantus eſt qui huius traditionem muneris ſibi audeat arrogare? Itaque apoſtolus votum precationi detulit, non ius authoritate aliqua vindicauit. Impetrare optauit, non imperare præſumpſit. Petrus quoque ait, quia nõ erat idoneus qui poſſet ſpiritum ſanctum vel cogere vel arcere. Sic enim dixit: Ergo ſi eandem gratiam conceſſit il- Acto.11. lis deus ſicut & nobis, ego quis eram qui poſſem prohibere deum? Sed fortaſſe apoſtolicis non moueantur exemplis, & ideo diuinis vtamur oraculis. Scriptum eſt enim: Iacob puer meus, ſuſcipiam eum. Iſrael dilectus meus, ſuſcepit eum anima mea, dedi ſpiritum meum in ipſum. Dominus quoque per Eſaiam dixit: Spiritus domini ſuper me propter quod vn Eſaiæ 61. xit me. Quis ergo audeat dicere creatam ſpiritus ſancti eſſe ſubſtantiam, qui cùm illuxerit in cordibus noſtris, diuinæ cernimus pulchritudinem veritatis, & diſtantiam creaturæ diuinitatiſque cognoſcimus, vt opus ſegregetur ab authore? Aut de qua creatura deus ita locutus eſt, quod aut dominationes

tiones aut potestates effundat aut angelos? Sed de spiritu, in quit, meo effundam. Non spiritum ait, sed de spiritu. Neque enim nos capere possumus plenitudinem spiritus sancti, sed
Philipp.2. tantum accipimus quantum de suo arbiter nostri pro sua voluntate diuiserit. Sicut enim dei filius non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit, vt nos eum nostris animis percipere possemus. Exinaniuit autem nō quòd ipse esset vacuus suæ plenitudinis, sed quo mihi qui plenitudinem eius sustinere non possem, pro eo quod capere possem infunderetur. Ita etiam de spiritu sancto pater se dicit effundere super omnem carnē. Non enim totum effudit, sed quod effudit, omnibus abundauit. Supra nos ergo effusum est de spiritu. At verò supra dominū Iesum cùm in forma esset hominis, manebat spiritus, sicut scriptum est:
Ioan.1. Super quem videris spiritum descendentem de cœlo & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Circa nos ex affluenti commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet in æternum spiritus plenitudo. Quod igitur nobis satis esse iudicauit, effudit: & quod effusum est, non separatum est nec incisum secūdum quod vnitatem habebat plenitudinis, quæ aciem nostri cordis illuminet pro nostræ possibilitate virtutis. Denique tantum capimus, quantum profectus nostræ mentis acquirit. Inseparabilis est enim plenitudo gratiæ spiritalis, sed nobis pro nostræ participatur facultate naturæ. Effudit ergo deus de spiritu. Effunditur etiā charitas dei per spiritum, quo loco vnitatem debemus agnosce-
Rom.5. re operationis & gratiæ. Sicut enim de spiritu sancto deus effudit, ita etiam charitas dei effusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, vt intelligamus non esse opus sanctū spiritum qui diuinæ arbiter & fons profluus charitatis est. Similiter autem vt credas id quod effunditur cum creaturis non posse esse cōmune, sed speciale diuinitatis, etiam & filij no-
Cantic.1. men effunditur sicut habes: Vnguētum effusum est nomen tuum. Cuius virtute sermonis, nihil potest esse præstantius. Nam sicut inclusum in vase aliquo vnguētum cohibet odorem suum, qui odor quādiu vasis illius angustiis coercetur, & si ad plures non potest peruenire, tamē vim suam seruat: cum verò de vase illo quo claudebatur vnguentum fuerit effusum, longè latéque diffunditur: ita & Christi nomen ante eius aduentum in Israel populo quasi in vase aliquo Iudæo-
Psal.75. rum mentibus claudebatur: Notus enim in Iudæa deus, in Israel magnum nomen eius. Hoc vtique nomen quod vasa Iudæorum angustiis suis coercitum cōtinebant. Magnum quidem & tunc nomen, cùm infirmorum atque paucorum hæreret angustiis, sed magnitudinem sui nōdum per corda gentium & in fines totius orbis effuderat. Postea verò quàm per omnem mundum suo illuxit aduentu, per omnem vtique creaturam, diuinum illud suum nomen extendit, non repletum accessione aliqua, plenitudo enim nescit augmentum, sed replens vacua, vt esset admirabile nomen eius in vniuersa terra. Huius igitur effusio nominis, abūdantem quandam exuberantiam gratiarum bonorúmque cœlestium significat largitatem. Ex abūdanti enim superfluit quicquid effunditur. Itaque sicut creata non potest dici sapientia quæ ex ore dei procedit, nec verbum quod eructuatur ex corde, nec virtus in qua plenitudo maiestatis æternæ est: Ita etiam creatus non potest spiritus æstimari qui ex ore dei funditur, cùm ipse deus tantam ostenderit vnitatem, vt effundere se de spiritu suo dicat. Quo intelligamus, quia etiā dei patris eadem gratia sit, quæ spiritus sancti est, & quòd sine incisione ac detrimento aliquo diuidatur mentibus singulorum. Quod ergo de spiritu effunditur, nec inciditur, nec partibus aliquibus corporalibus comprehenditur aut secatur.

Quia sempiternus dei spiritus. *Cap. VIII.*

1.Ioan.3. QVomodo enim credibile est, quòd spiritus sectilibus aliquibus diuidatur? Dicit enim Ioannes de deo: Ex hoc cognoscimus, quia manet in nobis de spiritu quem dedit nobis. Quod autem manet, semper vtique est nec mutatur. Ergo si mutationem non habet, æternitatem habet. Et ideo spiritus sanctus sempiternus est, creatura autē obnoxia vitio, ideoq; mutabilis. Quod autem mutabile est, esse non potest sempiternū: & ideo non potest

A spiritus sancti & creaturæ esse cōsortium, quia sempiternus est spiritus, creatura autē omnis in tempore est. Sēpiternum autem spiritum, etiam apostolus ostēdit: Si enim sanguis hir Hebr.9.
corum & taurorū & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad carnem emundandam, quantomagis sanguis Christi qui per spiritum sempiternum se obtulit immaculatū deo? Plerique arbitrati sunt vnguentum Christi esse spiritum sanctum. Et bene vnguentum, quia oleum lætitię nuncupatum est, quo plurimarum redolente copula gratiarum, verum illum deus omnipotēs pater vnxit principem sacerdotum, qui non vt alij in typo vnctus ex lege, sed & secūdum legem vnctus in corpore, & in veritate suprà legem virtute sancti spiritus ex patre plenus est. Hoc est oleum lætitiæ, de quo dicit propheta: Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Denique Petrus vnctum spiritu dicit Christū, sicut habes: Vos scitis quod factum est verbū per totam Iudæam, incipiens à Galilæa post baptismum, quod prædicauit Ioannes Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum deus spiritu sancto. Oleum igitur lætitiæ spiritus sanctus est. Et pulchrè oB leum lætitiæ dixit, ne creaturam putares. Olei enim huiusmodi natura est, vt nequaquam naturæ alterius humido misceatur. Lætitia quoque non corpus vngit, sed intima cordis illuminat. Sicut propheta dixit: Dedisti lætitiā in corde meo. Ergo cum ludat operam qui oleum velit cum creatura humidiore confundere, quia cùm olei leuior natura sit cæteris, residentibus aliis eleuatum secernitur: quomodo putant isti deterrimi caupones, oleum lætitiæ cum cæteris creaturis sua posse fraude confundi, cùm vtique non queant incorporeis corporea, increatis creata misceri? Et bene oleum lætitiæ dicitur quo vnctus est Christus. Neque enim vsitatum fuit ei oleum & commune quærendum, quo aut vulnera curantur, aut æstus leuatur, cùm fomentum vulnerum suorum salus mundana non quæreret, nec refectionem corporis fatigati virtus sempiterna deposceret. Nec mirum si habet oleum lætitiæ, qui facit exultare morituros, tristitia mundū exuit, mœstæ fœtorem mortis aboleuit. Et ideo apostolus ait: Christi 2.Cor.2.
C enim bonus odor sumus deo. Vtique de spiritalibus significans se locutum. Sed & cùm ipse filius dei dicit: Spiritus do- Lucæ 4.
mini super me propter quod vnxit me, spiritale significat vnguentum. Ergo vnguentum Christi est spiritus. Aut si quia vnguentum exinanitum est nomen domini Iesu Christi, ipsum intelligere volunt vnguēti expressum nomine, non spiritum Christi, vtique cùm vnctum spiritu sancto dominum Iesum Petrus apostolus dixerit, liquet sine dubio quòd vnguentum dicatur & spiritus. Sed quid mirum cùm & pater & filius spiritus esse dicatur? De quo quidem dicemus plenius, cùm de vnitate nominis dicere cœperimus. Tamē quia hic quoque incidit pulcherrimus locus, ne sine corolario eum præterire videamur, accipiant quia & pater dicitur spiritus, sicut in euangelio dominus locutus est, quoniam spiritus est deus: & Christus spiritus dicitur, quia Hieremias di Ioan.4.
xit: Spiritus ante faciem nostram Christus dominus. Et pa- Thren.4.
ter ergo spiritus, & filius spiritus. Quod nō est creaturæ corD pus, hoc spiritus est. Sed non confusus cum patre & filio spiritus sanctus, verum & à patre distinctus & filio. Non enim spiritus sanctus est mortuus qui mori non potuit, quia carnem non suscepit, nec mortis capax esse potuit sempiterna diuinitas, sed mortuus secundum carnem Christus. In eo vtique mortuus quod suscepit ex virgine, non in eo quod habebat ex patre. In eo enim mortuus in quo crucifixus est Christus. Spiritus autē sanctus non potuit crucifigi, qui carnem & ossa non habuit, sed crucifixus est dei filius qui carnem & ossa suscepit, vt in illa cruce nostræ carnis tentamenta morerētur. Suscepit enim quod non erat, vt celaret quod erat. Celauit quod erat, vt tentaretur in eo, & redimeretur quod non erat, vt ad id quod erat, per id quod non erat nos vocaret. O diuinum crucis illius sacramentum in qua hæret infirmitas, virtus libera est: affiguntur vitia, eriguntur trophæa. Vnde quidam sanctus ait: Confige clauis à timore tuo Psal.118.
carnes meas, non ferreis clauis, sed timoris & fidei. Vehementior est enim virtutis strictura quàm pœnæ. Denique Petrus cum vsq; in atrium principis sacerdotum dominum sequeretur, quem nemo ligauerat, fides vinxerat, & quem

fides

fides vinxit,pœna non ſoluit.Rurſus cum ligaretur à Iudæis, A deuotio ſoluit,pœna non tenuit,quia non ſeceſſit à Chriſto. Ergo & tu crucifige peccatum, vt moriare peccato. Qui enim peccato moritur,deo viuit.Viuamus ei qui filio proprio non pepercit,vt in illius corpore noſtras crucifigeret paſſiones.Pro nobis enim mortuus eſt Chriſtus,vt nos in illius re
1.Petri 2. diuino corpore viueremus. Mortua eſt ergo in illo non vita noſtra,ſed culpa.Qui peccata,inquit,noſtra pertulit corpore ſuo ſuper lignum,vt à peccatis noſtris ſeparati cum iuſtitia viuamus,cuius vulnere plagarum ſanati ſumus. Lignum igitur illud crucis,velut quædam noſtræ nauis ſalutis,vectura noſtra,non pœna eſt. Alia enim ſalus non eſt niſi vectura ſalutis æternæ,dum mortem expetẽdo non ſentio,dum pœnam contemnendo non patior, dum metum neſcio negligẽdo. Quis eſt igitur,cuius vulnere plagarum ſanati ſumus,
2.Cor.5. niſi Chriſtus dominus? De quo idẽ prophetauit Eſaias, quia plaga eius noſtra medicina eſt. Et de quo Paulus apoſtolus in epiſtolis ſuis ſcripſit: Qui peccatum nõ cognouit, ſed pro nobis peccatum factus eſt.Hoc quippe diuinum in eo, quia B caro peccatum non fecit,nec in eo ſuſcepti corporis natura peccauit . Nam quid mirum ſi non peccauit ſola diuinitas, cùm peccandi incentiua non habeat ? Si autem ſolus exors peccati deus,omnis vtique creatura per naturam ſui,vt diximus,obnoxia poteſt eſſe peccato.

Quia ſpiritus peccata condonat. Cap. IX.

DIC igitur quicunq; ſpiritus ſancti diuinitatem negas.Spiritus autẽ obnoxius non potuit eſſe peccato, qui magis peccata condonat ? Nunquid angelus donat ? Nunquid archangelus? Nõ vtique.Sed donat ſolus pater,ſolus filius, ſolus ſpiritus ſanctus. Nemo autẽ quod poteſt donare, non poteſt vitare.Sed fortaſſe dicit aliquis,quia & Seraphim di-
Eſaiæ 6. xit Eſaiæ : Ecce tetigit hoc labia tua, & abſtulit iniquitates tuas,& peccata tua circũpurgauit.Abſtulit,inquit,& circumpurgauit.Non ego abſtuli,ſed ignis ille de altari dei,hoc eſt, gratia ſpiritalis.Quid enim aliud piè intelligere poſſumus in altari dei eſſe,niſi ſpiritus gratiã? Non vtiq; lignũ ſyluarum, C nec fuliginem atque carbonem . Aut quid tam pium quàm vt ſecundum myſterium intelligamus , quia reuelabatur in ore Eſaiæ,omnes homines per paſſionẽ Chriſti eſſe purgandos?Quia velut carbo ſecundum carnem exuſſit noſtra pec-
Zachar.3. cata,ſicut in Zacharia habes :Nõne hic titio eiectus ab igni? Et ille erat Ieſus indutus veſtimẽta ſordida.Denique vt ſciamus communis hoc redemptionis myſterium per prophetas euidentiſſimè reuelatum,etiam hoc loco habes ab illo dictum:Ecce abſtuli peccata tua:nõ quo Chriſtus peccata ſua deponeret,qui peccatum non fecit,ſed quod in carne Chriſti omne à peccatis ſuis genus abſolueretur humanum. Sed etiam ſi Seraphim abſtuliſſet peccatum,quaſi vnum vtique de miniſtris dei,ad hoc eſſet miniſterium deſtinatum.Sic enim dixit Eſaias,Quia miſſum eſt ad me vnum de Seraphim.

Non de loco ad locum tranſire ſpiritum dei,de quo ſcriptum eſt: Qui à patre procedit,& de quo dicit filius dei: Quem ego mittam vobis. Cap. X.

ET ſpiritus quidem miſſus dicitur, ſed Seraphim D ad vnum , ſpiritus ad omnes . Seraphim mittitur in miniſterium,ſpiritus operatur myſteriũ. Seraphim quod iubetur exequitur,ſpiritus quod vult diuidit.Seraphim de loco ad locum tranſit:non enim complet omnia,ſed ipſum repletur ab ſpiritu. Seraphim deſcendit cum aliquo ſecũdum naturam ſuam tranſitu. At verò de
Ioan.15. ſpiritu ſancto hoc nõ poſſumus æſtimare?De quo dicit filius dei:Cum venerit,inquit, paracletus ſpiritus veritatis, quem ego mitto vobis qui à patre procedit. Etenim ſi de loco procedit ſpiritus,& ad locũ tranſit:& ipſe pater in loco inuenitur,& filius.Si de loco exit quem pater mittit,aut filius:vtique de loco tranſiens ſpiritus atq; progrediens,& patrem ſicut corpus ſecundum impias interpretationes relinquere videtur & filium.Hoc ſecundum eos loquor qui putant quòd habeat ſpiritus deſcenſoriũ motum.Sed neq; in loco aliquo pater circunſcribitur,qui eſt ſuper omnia non ſolùm corporeæ naturę,ſed etiam inuiſibilis creaturę.Neq; filius ſuorum operum locis temporibúſque cõcluditur, qui ſuper omnem eſt creaturam,totius opifex creaturæ.Neque ſpiritus veritatis,vtpote dei ſpiritus,circunſcribitur aliquibus finibus corporalibus:qui cùm ſit incorporeus,omnem intelligibilẽ ſubſtantiã creaturæ inenarrabili diuinitatis plenitudine ſupereminet,ſpirandi vbi velit,& inſpirãdi quomodo velit, habens ſuper omnia poteſtatẽ.Non ergo quaſi ex loco mittitur ſpiritus,aut quaſi ex loco procedit quando procedit ex filio,ſicut ipſe filius cum dicit:De patre proceſſi & veni.Omnes in Ioan.10.
terficit opiniones quæ ex loco ad locum poſſunt,ſicut in aliquibus corporalibus eſtimari.Similiter cum aut intus aut foris legimus deũ eſſe, non vtiq; deũ aut intra aliquod corpus includimus , aut ab aliquo corpore ſeparamus : ſed alta hoc & inenarrabili æſtimatione,penſantes diuinæ naturæ intelligimus arcanum.Deniq; ita ſapientia ex ore altiſſimi prodiſſe ſe dicit,vt non extra patrẽ ſit,ſed apud patrem, quia verbum erat apud deum.Nec ſolùm apud patrẽ, ſed etiam in patre. Dicit enim:Ego in patre,& pater in me eſt. Sed neque cùm de patre exit,de loco recedit,aut quaſi corpus à corpore ſeparatur: neque dum in patre eſt, quaſi in corpore tanquam corpus includitur.Spiritus quoq; ſanctus cum procedit à patre & filio,non ſeparatur à patre,nõ ſeparatur à filio.Quemadmodum enim ſeparari poteſt à patre qui ſpiritus oris eius eſt?Quod vtique & æternitatis indicium,& diuinitatis exprimit vnitatem.Eſt ergo & manet ſemper qui oris eſt ſpiritus. Sed deſcendere videtur etiam,cùm illum recipimus vt habitet in nobis,ne nos ſimus à gratia eius alieni. Nobis deſcendere videtur,non quòd ille deſcendat,ſed quòd ad illum animus noſter aſcendat.De quo plenius diceremus,niſi meminiſſemus in libris iam ſuperioribus poſitum quòd & pater
dixerit: Deſcendamus & confundamus linguas eorum . Et Geneſ.11.
filius dixerit:Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit , &
pater meus diliget eum,& ad eum veniemus & manſionem Ioan.14.
apud eum faciemus. Sic igitur venit ſpiritus, quẽadmodum venit pater,quia vbi pater eſt,ibi eſt & filius:& vbi filius eſt, ibi eſt & ſpiritus ſanctus.Non ergo diſcretè venire æſtimandus eſt ſpiritus ſanctus.Venit autem non de loco ad locum, ſed à diſpoſitione conſtitutionis ad ſalutem redemptionis,à gratia viuificationis ad gratiam ſanctificationis, vt de terris ad cœlum,de iniuria ad gloriam,de ſeruitio ad regnum trãſferat.Sic ergo venit ſpiritus,quemadmodum venit pater.Dixit enim filius:Ego & pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Nunquid corporaliter pater venit? Sic ergo ſpiritus venit: in quo cùm venit , & patris & filij plena præſentia eſt. Quis autem poteſt à patre & filio ſpiritũ ſanctum ſeparare,cùm vel appellare patrem & filium ſine ſpiritu non queamus?Nemo enim dicit dominum Ieſum,niſi in ſpiritu
ſancto . Ergo ſi appellare dominum Ieſum ſine ſpiritu non 1.Cor.12.
poſſumus,vtique ſine ſpiritu prædicare non poſſumus.Si autem & angeli prædicant dominum Ieſum , quem nemo poteſt ſine ſpiritu prædicare:& in ipſis ergo ſpiritus ſanctus operatur.Probauimus igitur vnam præſentiã eſſe, vnam gratiam eſſe patris & filij & ſpiritus ſancti,quæ tam cœleſtis atque diuina eſt,vt pro ea agat gratias patri filius dicens:Confiteor tibi domine pater cœli & terræ quòd abſcondiſti hæc Matth.11.
à ſapientibus & prudentibus,& reuelaſti ea paruulis. Ergo cùm vna vocatio ſit,vna etiam gratia eſt.

Quia vna pax,vna gratia patris & filij & ſpirituſſancti. Cap. XI.

DEnique ſcriptum eſt:Gratia vobis & pax à deo pa Galat.1.
tre noſtro & domino Ieſu Chriſto . Ecce habemus,quia patris & filij vna eſt gratia , & patris & filij vna eſt pax: ſed hæc gratia & pax fructus eſt ſpiritus , ſicut ipſe apoſtolus docuit dicens : Fructus autem Galat.5.
ſpiritus,charitas,gaudium,pax,patientia.Et bona pax & neceſſaria,vt nemo diſputationum turbetur incertis,neque paſſionum corporalium tempeſtate quatiatur,ſed in ſimplicitate fidei & tranquillitate mentis quietus circa dei cultum perſeueret affectus.De pace probauimus. De gratia autem propheta Zacharias dicit: Quia promiſit deus effundere in Hieruſalem ſpiritum gratiæ & miſericordiæ . Et Apoſtolus
Petrus dicit: Pœnitentiam agite , & baptizetur vnuſquiſque Actuũ 2.
veſtrum in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum,& accipietis gratiam ſpiritus ſancti. Ergo ſicut patris & filij, ita & ſpiritus ſancti gratia eſt. Quomodo

enim sine spiritu potest esse gratia, cum gratia diuina omnis in spiritu sit? Nec solùm pacem & gratiam legimus patris & filij & spiritus sancti, sed etiam charitatem & communionem, fidelis Auguste. De charitate enim dictum est: Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas dei.

Quia vna charitas patris & filij & spiritus sancti, & operatio trinitatis, vt passionem corporis dominus Iesus subiret. Cap. 12.

Ioan.14. ACcipiamus charitatem patris. Eadē charitas quæ patris, etiam filij est. Ipse enim dixit: Qui me diligit, diligetur à patre meo, & ego diligam eum. Quæ est enim charitas filij, nisi quia se pro nobis obtulit, & suo sanguine nos redemit? Eadem autem charitas Ioan.3. & in patre est, quia scriptum est: Sic enim dilexit deus mundum, vt filium proprium daret. Tradidit ergo pater filium, & filius ipse se tradidit. Seruatur charitas, nec læditur pietas. Nulla est enim pietatis iniuria, vbi nulla est traditionis ærumna. Tradidit volentem, tradidit offerentem, non vtique ad pœnam pater filium, sed ad gratiam. Si discutis facti meritum, interroga pietatis vocabulum. Vas electionis vnitatem hanc diuinæ charitatis euidenter ostendit, quia & pater tradidit filium, & filius ipse se tradidit. Pater tradidit, quia fi- Rom.8. lio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit il- Galat.2. lum. De filio quoque dicit: Qui se tradidit pro me. Tradidit inquit. Si gratię, quid arguo? Si iniuriæ, plus debeo. Sed sicut pater tradidit filium, & filius ipse se tradidit, accipe quia & Matth.4. spiritus eum tradidit. Scriptum est enim: Tunc Iesus ductus est in desertum ab spiritu, vt tentaretur à diabolo. Ergo & spiritus diligens tradidit dei filium. Sicut enim vna est charitas patris & filij, ita hanc charitatem dei supra effundi per spiritum sanctum, & fructum esse sancti spiritus declarauimus: Galat.5. quia fructus est spiritus, charitas, gaudium, pax, patientia.

Quia vna communicatio patris & filij & spiritussancti. Cap. 13.

OMmunicationem autem & patris & filij esse manifestum est, quia scriptum est: Et communicatio nostra cū patre & cum filio eius Iesu Christo. Et alibi: Communicatio spiritus sancti cum omnibus vobis. Si igitur vna pax, vna gratia, vna charitas, vna communicatio est patris & filij & spiritus sancti: vna certè operatio est. Et vbi vna operatio est, vtiq; non potest virtus esse diuisa & discreta substantia. Nam quomodo operationis eiusdem gratia conueniret?

Quia vnum nomen patris & filij & spiritussancti. Cap. 14.

QVIS igitur vnitatem separare audeat nominis, cum operationis videat vnitatē? Sed quid ego vnitatē nominis argumentis astruo, cum diuinæ vocis euidens testimonium sit, vnum nomē esse patris & filij & spiritus sancti? Scri- Matth.28. ptum est enim: Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. In nomine dixit, nō in nominibus. Non ergo aliud nomen patris, aliud nomē filij, aliud nomen spiritus sancti, quia vnus deus: non plura nomina, quia non duo dij, nō tres dij. Et vt aperiret quia vna diuinitas, vna maiestas est, quia vnum nomen patris & filij & spiritussancti, non in alio nomine venerit filius, in alio nomine spiritussanctus, ait ip- Ioan.5. se dominus: Ego veni in nomine patris mei & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quod autem nomen patris est, hoc idem filij scriptura declarat, quia in Exodo dixit dominus: Ego antecedo in nomine meo & vocabo te nomine meo dominum in conspectu tuo. Dominus ergo dixit, quia in nomine suo vocauit dominū. Dominus ergo & patris est nomen & filij. Cùm autem vnum nomen sit patris & filij, accipe quod & spiritussancti idem nomen sit, quoniā & spiritussanctus in nomine filij venit: sicut Ioan.14. scriptum est: Paracletus autem ille spiritussanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Qui autem venit in nomine filij, vtique etiam in nomine patris venit, quia vnum nomen patris & filij est. Sic fit vt vnum & patris Acto.4. & filij nomē sit & spiritussancti. Nec enim est aliud nomen sub cœlo vllum in quo oportet saluos fieri. Simul docuit vnitatem diuini nominis esse credendam, non disparilitatem, quoniā in vnitate nominis venit Christus. In suo autem no- Ioan.5. mine venturus antichristus est, sicut scriptum est: Ego veni in nomine patris mei & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Edoctū est igitur ex his non esse in patre & filio & spiritu paracleto nominis diuersitatē. Et quod nomen est patris, id esse etiam filij nomen: similiter quod nomen est filij, esse id etiam spiritussancti. Quādoque etiam paracletus filius dicitur, sicut & spiritussanctus. Et ideo ait in euangelio dominus Iesus: Rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit vobis qui vobiscū sit in æternum spiritum veritatis. Et bene dixit alium, ne ipsum filium ipsum spiritum intelligeres. Vnitas enim nominis est non filij spiritus, quæ est Sabelliana confusio.

Quia & filius paracletus dicitur sicut & spiritus, & quia beneficij & gratiæ hoc nomen, non iniuriæ est. Cap. 15.

ITaque alius paracletus est filius, alius paracletus spiritussanctus. Filium enim paracletum dixit etiam Ioannes, sicut habes: Si quis peccauerit, pa- 1.Ioan.2. racletum habemus apud patrem Iesum Christū. Itaque quemadmodū vnitas nominis, ita etiam vnitas potestatis est. Vbi enim paracletus spiritus, ibi etiam filius. Nam sicut hic in æternum dominus futurum cum fidelibus spiritum dicit, ita etiam de se alibi ostendit, quod in æternū cum apostolis sit futurus, dicens: Ecce ego vobiscum sum omni- Matth.28. bus diebus vsque ad consummationem mundi. Vnum sunt ergo filius & spiritus, vnum nomen est trinitatis & vna inseparabilisque præsentia. Sicut autem ostēdimus paracletum filium nominatum, ita etiam ostēdimus veritatem spiritum nuncupatū, Veritas Christus, veritas spiritus. Habes enim in epistola Ioannis: Quoniā spiritus est veritas. Non solū ergo spiritus veritatis, sed etiam veritas dicitur spiritus, sicut & veritas filius prædicatur, qui ait: Ego sum via veritas & vita. Ioan.14.

Quia sicut pater lumen, ita & filius lumen, & spiritus lumen est. Et sicut patrem ignem legimus, ita & filium & spiritum sanctum. Cap. 16.

QVID autem astruam, quod sicut pater lumen, ita etiam filius lumen, & spiritussanctus lumen est? Quod vtique diuinæ potentię est. Deus enim lux est, sicut dixit Ioannes: Quia deus lux est & tene- 1.Ioan.1. bræ in eo non sunt: lux autem & filius, quia vita erat lux hominum. Et vt ostenderet se de dei filio euangelista dixisse, ait de Ioanne baptista: Non erat ille lux, sed vt testimonium Ioan.1. perhiberet de lumine. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ergo quia deus lux est, lux autem vera est dei filius: sine dubio deus verus est dei filius. Habes & alibi, quia filius dei lux est: Populus qui Esaiæ 9. sedebat in tenebris & in vmbra mortis, lucem viderunt magnam. Quid autem hoc euidētius quod ait: Quoniam apud Psal.35. te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen? hoc est, quod apud te deus omnipotens pater, qui fons vitæ es, in lumine tuo filio, lumen videbimus spiritus sancti. Sicut ipse dominus ostendit dicens: Accipite spiritum sanctum. Et ali- Ioan.20. bi: Et virtus exibat de eo. Ipsum autem patrem quis dubitet lucem esse, cum lectum sit de filio eius, quia splendor sit Luce 6. lucis æternæ? Cuius enim nisi patris splendor est filius, qui Hebræ. & cum patre semper est, nec dissimilis, sed eadem claritate semper fulget? Et Esaias significat, non solum lucem, sed etiam ignem esse spiritum sanctum, dicens: Et erit lux Israel Esaiæ 10. in igne. Itaq; prophetat eum ignem ardentem, quia in tribus istis generibus propēsius maiestatē diuinitatis aduertimus: Quoniam & sanctificare diuinitatis esse aduertimus, & illuminare ignis & lucis est propriū, & specie ignis exprimi vel videri, diuinæ est consuetudinis. Deus enim est ignis consumens, sicut Moyses dicit: Vidit enim ipse in rubo ignem, & Deut.4. audierat deum tūc quando vox facta est de flamma ignis ad Exod.3. eum dicens: Ego sum deus Abraham & deus Isaac, & deus Iacob. Vox ergo de flāma, & in rubo flamma, & flāma non noxia. Vrebatur enim rubus, & non exurebatur, eo quod illo mysterio dominus figuraret, quia illuminaturus spinas nostri corporis adueniret, nec consumpturus ærumnosos: sed mitigaturus ærūnas, qui baptizaret in spiritu sancto & igni, vt gratiam tribueret, peccata consumeret. Ergo in specie ignis deus seruat propositum. In actibus quoq; apostolorum cùm supra fideles spiritus sanctus descendisset, ignis spe- Acto.2. cies videbatur. Sic enim habes: Et factus est subitò de cœlo sonus

sonus tãquam vi magna spiritus ferretur, & repleuit totam domum vbi erant sedentes, & visæ sunt illis dispersæ lin-
Iudic.7. guæ tanquam ignis. Vnde & illud: Quando Gedeon supe-
raturus Median, trecentos viros iussit hydrias sumere, & in hydriis faces accensas habere, & in dextris tenere tubas: Ita nostri acceptum ab apostolis seruauere maiores, quod hydriæ sint corpora nostra figurata de limo, quæ timere non norunt, si feruore gratiæ spiritalis ignescant, & Iesu domini passionem canoræ vocis confessione testentur. Quis igitur de diuinitate sancti spiritus dubitet, cùm vbi spiritus gratia sit, ibi species diuinatatis appareat? Quo testimonio, non diuersitatem sed vnitatẽ diuinæ colligimus potestatis. Nam quemadmodum potest esse discretio potestatis, vbi vnius in omnibus operationis effectus est? Neque verò potest esse gratia sacramentorum, nisi vbi fuerit venia peccatorum. Quis est igitur iste ignis? Non vtique virgultis vilibus concretus, aut stipula syluarum fragosus incendiis, sed ignis ille qui vt aurum bona facta meliorat, & vt stipulam peccata consumit. Hic est vtique spiritus sanctus, qni dominici vultus & ignis appellatur & lumen.

Quia lumen vultus dei spiritus, & spiritus lumen. Caput XVII.

Psalm.4. LVMEN, sicut supra diximus: Signatum in nobis lumen vultus tui domine. Quod est ergo lumen signatum, nisi illius signaculi spiritalis, in quo credentes signati sunt? Signati, inquit, estis spiritu
Ephes.1. promissionis sancto. Et sicut lumen est vultus diuini, ita etiam ignis emicat ex dei vultu, quia scriptum est: Ignis in
Psalm.49. conspectu eius ardebit. Præfulget enim gratia diei iudicij, vt sequatur absolutio quæ sanctorum remuneratur obsequium. O magna abundantia scripturarum, quam nemo possit humano ingenio comprehendere. O maximum diuinæ vnitatis indicium. His enim duobus versiculis quàm multa signantur.

Quia sicut pater vita, & filius vita & spiritus sanctus vita. Caput XVIII.

1.Ioan.1. DIximus, quia lux est pater, lux filius, lux spiritus sanctus: accipiamus etiam quia vita est pater, vita filius, vita spiritus sanctus. Dixit enim Ioannes: Quod erat ab initio, quod audiuimus, & quod vidimus & oculis nostris perspeximus, & manus nostræ scrutatæ sunt de verbo vitæ, & vita apparuit, & vidimus & testamur, & anunciamus vobis de vita quæ erat apud patrem. Et verbum vitæ dixit & vitam, vt & patrem vitam significaret & filium. Quid enim est vitæ verbum, nisi dei verbum? Ac per hoc & deus verbum dei vita est. Et sicut verbum vitæ dicitur, ita & spiritus vitæ. Scriptum est enim: Et spi-
Ezech.1. ritus vitæ erat in rotis. Itaque sicut verbum vitæ vita est, ita & vitæ spiritus, vita est.

Quia sicut pater fons vitæ est, ita etiam filius, ita & spiritus sanctus. Caput XIX.

ACcipe nunc, quia sicut pater fons vitæ est, ita etiam filium plerique fontem vitæ memorarunt significatũ, eo quod apud te, inquit deus omnipotens, filius tuus fons vitę sit, hoc est, fons spiritus sancti, quia spiritus vita est, sicut
Psalm.35. dominus ait: Verba quę ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: quia vbi spiritus & vita, & vbi vita, etiam spiritus sanctus. Plerique tamen hoc loco patrem volunt tantummodo fontem significatum, quanquam videant quod scriptura memorauerit. Apud te, inquit, fons vitę: hoc est, apud
Ioan.6. patrem filius: quoniam verbũ apud deum, quod erat in principio & erat apud deum: sed siue patrem quis hoc loco, siue filium intelligat fontem, fontem vtique intelligimus, non aquę istius quæ creata est, sed diuinæ illius gratiæ, hoc est, spiritus sancti. Ipse est enim aqua viua: propterea dominus
Ioan.7. dicit: Si scires donum dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere: tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Hanc aquam sitiuit anima Dauid. Harum fontem aquarum desiderat ceruus, non sitiens venena serpentum. Viua est enim aqua gratia spiritalis, eo quod mẽtis interna purificet, & omne animi peccatũ abluat, occultorúmque mundet errorem.

Quia sicut pater flumen, ita & filius, ita & spiritus sanctus. Caput XX.

SEd ne quis fortè tanquã pusillitatẽ spiritus redarguat, & hinc velit quandam facere distãtiam magnitudinis, quod aqua portio videatur esse fontis exigua: quamquam creaturarum exempla minime diuinitati aptanda videãtur, tamen ne quid ex hac quoque creaturæ comparatione præiudicent, discãt non solùm aquam, sed etiam flumen dictum spiritum sanctum, secundum quod lectũ est: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu sancto quem accepturi erant qui credituri erant in eo. Ergo flumen est spiritus sanctus, & flumen maximum quod secundum Hebręos de Iesu fluxit in terris, vt ore Esaię sępe accepimus prophetatum. Magnum hoc flumen quod fluit semper, & nunquam deficit. Nec solùm flumen, sed etiam profusi impetus, & magnitudinis redundantis, sicut etiam Dauid dixit: Quia fluminis Psalm. 45.
impetus lętificat ciuitatem dei. Neque enim ciuitas dei illa Hierusalem meatu alicuius fluuij terrestris abluitur, sed ille ex vitę fonte procedens spiritus, sanctus, cuius nos breui satiamur haustu, in illis cœlestibus, thronis, dominationibus, & potestatibus, angelis & archangelis redundãtius videtur effluere pleno septem virtutum spiritalium feruens meatu. Si ei enim fluuius riparum editis superfusus exundat, quanto magis spiritus omnẽ supereminens creaturam, cùm reliqua tanquam inferiora nostræ mentis arua perstringat, cœlestem illam creaturarum naturam effusiore quadam sanctificationnis vbertate lætificat? Nec moueat quod vel hic dixit, flumina, vel alibi septem spiritus: his enim sanctificationibus septem spiritalium (sicut Esaias dixit) significatur Esaiæ 11.
plenitudo virtutum, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus timoris dei. Vnum ergo flumen, sed multi spiritalium donorum meatus. Hoc igitur flumen exit ex fonte vitæ. Nec hic rursus sensum tuum ad inferiora detorqueas, quia quędam diuersitas videtur esse fontis & fluminis: & tamen ad omnia prospexit scriptura diuina, ne infirmitas humani caperetur ingenij vilitate sermonum. Proponas tibi licet quoduis flumen, è fonte est, vnius tamen naturæ, vnius splendoris & gratiæ. Dic sanè & tu spiritum sanctum vnius cum filio dei & deo patre esse substantiæ, vnius claritatis & gloriæ. Capiam fidele compendium de vnitate virtutis, nec verebor aliquam de diuersitate magnitudinis quæstionem. Nam etiam in hoc nobis scriptura prospexit. Dicit enim dei filius: Qui biberit de aqua quam dabo ei, fiet in eo fons a- Ioan.4.
quæ salientis in vitam æternam. Hic fons vtique gratia spiritalis est: fluuius ex viuo fonte procedens. Fons igitur vitæ etiam spiritus sanctus est. Aduertis etiam ex verbis ipsis, diuinæ significari magnitudinis vnitatem, nec posse Christum etiã à perfidis fontem negari, cùm fons dicatur & spiritus. Et sicut flumen dicitur spiritus, ita & pater dixit: Ec- Esaiæ 66.
ce ego decurram in vos sicut fluuius pacis, & sicut torrens inundans gloriam gentium. Quis autem dubitet flumẽ esse dei filium, de quo æternæ vitæ flumina profluebant? Bona ergo aqua spiritalis gratia. Quis hunc fontem dabit pectori meo? in me saliat, in me fluat vitæ largitor æternæ. Superflu at in nobis fons iste, non effluat. Dicit enim sapientia: Bibe Prouer.5.
aquam de tuis vasis & de puteorum tuorum fontibus, ínque plateis tuis superfluant aquæ tuæ. Quomodo hanc aquam tenebo ne effluat, ne labatur? Quomodo vas meum conseruobo, ne qua penetrãs rima peccati, æternæ vitę distillet humorem? Doce nos domine Iesu, doce sicut docuisti Apostolos tuos dicens: Nolite thesaurizare vobis thesauros in ter- Matt.6.
ra, vbi ærugo & tinea exterminat, & vbi fures effodiunt & furantur. Furem videlicet immundum spiritum esse significat, qui in bonorum operum luce gradientibus non posset obrepere: in tenebris autem secularium cupiditatum, & inter oblectamenta terrestrium si quem ceperit voluptatum, omni virtutis æternæ flore dispoliat. Et ideo dominus dicit: Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo, vbi neque ærugo neque tinea exterminat, & vbi fures non effodiunt & furantur: Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Ærugo nostra lasciuia est, ærugo nostra libido est, ærugo no-

go noſtra luxuria eſt, quæ flagitiorum ſordibus aciem mentis obducunt. Tinea rurſus noſtra Arrius eſt : tinea noſtra Fotinus eſt, qui ſanctum eccleſiæ veſtimentū impietate ſua ſcindunt,& vnitatem diuinæ poteſtatis indiuiduam ſeparare cupientes,ſacrilego, morſu precioſum fidei velamen ob rodunt.Funditur aqua,ſi Arrius dentem impreſſerit.Effluit, ſi aculeū ſuum in alicuius vas Fotinus infixerit.Vile figmentum ſumus,citò vitia ſentimus.Sed nemo dicit figulo, quid me feciſti ſic? Nam & ſi vile vas noſtrum,aliud tamē in honore,aliud in contumelia eſt. Noli ergo aperire lacū tuum,
Pſalm.7. noli fodere vitiis atque criminibus,ne quis dicat: Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam operatus eſt.Si Ieſum quæritis , contritos lacus deſerite. Chriſtus enim non ad lacum, ſed ad puteum ſedere cōſueuit.Ibi eum Samaritana illa quæ credidit,illa quę aquam haurire cupiebat,inuenit. Quanuis manè venire debueris,tamen etiamſi ſerius veneris , etiam ſexta hora Ieſum fatigatum ex itinere inuenies.Fatigatus eſt,ſed in te, quia diu te quæſiuit , tua illum tandiu incredulitas fatigauit. Non offenditur tamen ſi modo venias,petit bibere, daturus . Bibit autem non aquam prætermeantis riuuli , ſed ſalutem tuam , bibit affectum tuum,bibit calicem, hoc eſt, paſſionem illam tuorum criminum redemptricem , vt tu ſitim iſtius mundi ſacri potus cruore reſtinguas.Sic Abraham deum poſteaquam puteum fodit emeruit. Sic Iſaac dum ad puteum deambulat, venientem illam in typo eccleſiæ accepit vxorem.Fidelis ad puteum, infidelis ad lacum. Denique & Rebecca (ſicut legimus) petitorem inuenit ad fontem , & meretrices in lacu Iezabel ſe cruore lauerant.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
Mediolanenſis in librum ſecundum de Spiritu ſancto ad Gratianum Auguſtum,
PROLOGVS.



T ſi in libro primo veteris hiſtoriæ lectione patefactum ſit,& in ipſis iudicibus Iudæorum veterum ſpiritalem gratiam refulſiſſe , & perſpiritum ſanctū cœleſtium ſacramētorum reuelata myſteria quem Moyſes non ignorauit æternū.Deniq; ſtatim in principio mundi,imò ante principium eum deo iunxit, quē ante mūdi principium ſempiternum eſſe cognouit. Nanque ſi quis diligenter aduertat, & patrem in principio
Geneſ.1. & filium,cognoſcet & ſpiritū. De patre enim ſcriptum eſt: In principio fecit deus cœlum & terram.De ſpiritu dictum eſt:Spiritus ſuperferebatur ſuper aquas.Et bene in exordio creaturæ baptiſmi figura ſignatur,per quod habuit creatura mundari.Lectum etiam de filio quòd ipſe eſt, qui diſcreuit inter medium lucis & tenebras . Vnus eſt enim deus pater qui dicit, & vnus dominus Ieſus qui facit.Sed ne rurſus aut D arrogans putes dicentis imperium, aut vile facientis obſequium:æqualem ſibi pater filium confitetur operis vnitate,
Geneſ.1. dicens: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.Et imago enim & operatio & ſimilitudo communis , quid aliud niſi maieſtatis eiuſdem ſignificat vnitatem? Tamen vt æqualitatem plenius patris filiique cognoſcas, ſicut dixit pater, & filius fecit:ita & pater operatur,& filius dicit. Pater operatur,ſicut ſcriptum eſt:Pater meus vſque mo
Ioan.5. do operatur.Filius dicit,ſicut habes dictū ad filium:Dic verbo, & ſanabitur.Et filius dicit patri:Volo vt vbi ego ſum, &
Ioan.17. iſti ſint mecum.Fecit pater quod filius dixit.Sed nec Abraham ignorauit ſpiritum ſanctum. Denique tres vidit, & vnū adorauit:quia vnus deus,vnus dominus,& vnus ſpiritus. Et ideo vnitas honoris,quia vnitas poteſtatis. Et quid de ſin
Iudic.13. gulis loquar? Samſon diuina promiſſione generatus, ſpiritum comitantē habebat. Sic enim legimus: Quia benedixit eū dominus , & cœpit ſpiritus domini comitari cū eo in caA ſtra.Et ideo futurum præuidens ſacramentum ex alienigenis poſcebat vxorem: quod pater eius ac mater(vt ſcriptum Ibidem. eſt) ignorabant quoniam à domino eſt , Meritóque fortior cęteris habebatur,quia eum ſpiritus domini dirigebat, quo duce ſolus nunc alienigenarum fugabat populos,nunc leonem morſu inuiolabilis , fortitudine inſuperabilis diſcerptum manibus diuidebat . Vtinam tam cautus ad ſeruandam gratiam, quàm fortis ad ſuperandam beſtiam. Et fortaſſe hoc non ſolùm virtutis miraculum , ſed etiam ſapientiæ myſterium,prophetiæ oraculum fuit:Neque enim ocioſum videtur quod cùm tenderet ad myſterium nuptiarum, leo rugiens occurrit ei,quem manibus ille diſcerpſit, in cuius corpore connubio potiturus optato congregationem apum reperit, & mel ſuſtulit de ore eius , quod patri tribuit edendum & matri. Habebat gētium populus mella,qui credidit: qui corpus feritatis erat antè , nunc Chriſti eſt. Nec ipſa quæſtio vacat ſacramentis quam propoſuit ſodalibus ſuis, dicens:De edente exiuit eſca,& de potente exiuit dulce. Denique eo vſque myſtica, vt tribus diebus eius reuelatio quęreretur,quæ non potuit niſi per fidem eccleſiæ,die ſeptima completo legis tempore poſt paſſionem domini reuelari. Sic enim habes,quia & apoſtoli ideo non intelligeIoan.7. B bāt quia Ieſus nondum fuerat glorificatus. Quid,inquit,dulIudicat. cius melle,quid fortius leone?Ad quę ille reſpondit:Si non domuiſſetis vitulam meam,nō inueniſſetis quæſtionem meam. O diuinum myſterium, ô euidens ſacramentum :euaſimus interemptorem , potentem vicimus . Ibi nunc cibus vitę eſt,vbi erāt antea miſerię,fames,mortes.In ſalutem pericula : in ſuauitatem amaritudo conuertitur. Gratia ex offenſione proceſſit, potentia ex infirmitate , vita de morte, Sunt tamen qui econtrario putant fundari non potuiſſe conIugium,niſi occiſo leone de tribu Iudæ . Et ideo in corpore eius, hoc eſt, eccleſia apes repertas quæ condunt mella ſapientiæ, quia poſt domini paſſionem magis apoſtoli crediderunt. Hūc igitur leonem Samſon quaſi Iudæus occiderit, & in eo mel in figura redimendæ hæreditatis inuenerit, vt reliquiæ ſaluæ fierent ſecundum electionem gratiæ. Et C decidit, inquit, ſuper eum ſpiritus domini , & deſcendit in Aſcalonem & percuſſit inde triginta viros. Neque enim poterat victoriam non tenere qui ſacramenta cernebat. Accipiant itaque in ſtolis præmium ſapientiæ , conuerſationis inſigne, qui abſoluunt & renunciant quæſtionem. Rurſus hic alia oboriūtur myſteria,quod vxor eius aufertur,& ideo vulpes incendunt manipulos alienigenarum. Eos enim qui aduerſus diuina ſacramenta contendant , decipere ſua conſueuit aſtutia. Vnde iterum cùm dicit : in Canticis canticoCantica. rum, Prendite nobis vulpes puſillas exterminantes vineas, vt vineæ noſtræ floreant . Bene puſillas vulpes dixit, quia maiores vineas exterminare non poterant, licet fortibus & diabolus ſit puſillus . Ergo ille (vt compendium faciamus hiſtoriæ, ſuo enim tempori totius lectionis noſtræ digeſtio reſeruanda eſt) inuictus , quandiu habuit gratiam ſpiritalē,ſicut dei populus ille electus à domino, ille Nazaræus in lege. Inuictus ergo Samſon atque ita inſuperabilis vt in maxilla aſinæ viros mille percuteret : ita plenus gratiæ cœleſtis, vt etiam aquam in maxilla aſini ſitiens reperiret, ſiue hoc ad miraculum conferas,ſiue ad myſterium vertas,quod in populi foret humilitate gentilis & requies & triumphus. Iuxta quod ſcriptum eſt : Qui te percuſſerit in maxillam, præbe ei & alteram. Per hanc enim iniuriarum patientiam quam erudiunt ſacramenta baptiſmatis , de quibuſdam ſtimulis iracundiæ triumphamus, vt morte obita reſurrectionis requiem conſequamur. Ille ne ergo Samſon qui funes intextos neruis, qui nouas reſtes ſicut mollia fila diſſoluit? Illéne Samſon qui crinium ſuorum palo conſtricta defixo vincla non ſenſit , quandiu habuit gratiam ſpiritalem ? Is, inquam,poſtea quàm ſpiritus dei diſceſſit ab eo , longè mutatus ab illo Samſone qui rediit Allophyllorum indutus exuuias , in mulieris genibus virtutis ſuæ degener , palpatúſque captus , ſacro crine tondetur . Tantùmne ergo momenti crines habuere capitis vt manentibus his virtus inuicta duraret, tonſo autem capite fortitudo omnis viri ſubitò ſolueretur ? Non ita eſt vt tantam vim corporalium capillorum

capillorum putemus. Sūt quidam crines religionis & fidei, crines Nazaræi in lege perfecti, in parsimonia & abstinentia consecrati, quibus illa in typo ecclesiæ quæ domini pedes oleo perfuderat, verbi cœlestis vestigia detergebat. Tūc enim & secundum carnem nouerat Christum. Illi videlicet crines de quibus dicitur: Capillatura tua vt greges caprarum: ex illo capite pullulantes, de quo dictum est: Caput autem viri Christus. Et alibi: Caput eius aurum, cephas & crines eius abietes nigræ. Et bonæ abietes, naues Tharsis, quæ fluctibus supernatent mundi, & tutum remigium salutis exhibeant, Vnde & in euangelio dominus noster visibiles capitis & intelligibiles capillos quosdam esse significans, ait: Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt, spiritualium videlicet significans facta virtutum. Neque enim de capillis nostris cura est deo. Quanquam & illud non absurdum sit æstimare, quia pro maiestate diuina eum latere nihil possit. Sed quid mihi prodest, si deus ipse omnes meos nouit capillos? Illud mihi redundat & proficit, si bonorum operum peruigil testis, remunerationem gloriæ donet æternæ. Denique & ipse Samson non corporales sed intelligibiles hos capillos esse declarans, ait: Si tonsus fuero, discedet à me virtus mea. Hoc de mysterio.

Cantic.4. Cantic.5.

CAPITVLA SECVNDI LIBRI DE SPIRITV SANCTO.

Quia dominus spiritus, quia virtus spiritus, sicut pater virtus, & filius virtus. Caput I.

Quia vnum consilium est patris & filij & spiritus sancti. Caput. II.

Quia sicut vita est cognoscere patrem & filium ita vita est cognoscere spiritum dei. Caput. III.

Quia sicut pater viuificat, ita filius, ita & spiritus sanctus. Caput IIII.

Quia sicut pater creator est omnium, ita & filius, ita & spiritus sanctus. Caput V.

Quia sicut patri & filio, ita etiam spiritui sancto seruiēdum est. Caput VI.

De eo quod scriptum est: Ecce ego firmans tonitrua & creans spiritum. Caput VII.

Creat pater dominicæ incarnationis sacramentum, creat & spiritus, creat & filius. Caput VIII.

Quia sicut pater & filius, ita & spiritus sanctus regenerat. Caput IX.

Quia eadem verba quibus spiritū inferiorem videri volunt, præeminentiam ostendunt patris & filij. Caput X.

Quia vna voluntas, vna vocatio patris & filij & spiritus sancti. Caput XI.

Quia sicut pater nouit filium, & filius patrē, sic spiritus patrē & filium. Et sicut pater reuelat nobis quæ sua sunt, sic & filius, sic & spiritus sanctus reuelat nobis. Cap. XII.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE SPIRITU SANCTO AD GRATIANUM AUGUSTUM, LIBER SECUNDUS.

Quia dominus spiritus, quia virtus spiritus, sicut pater virtus, & filius virtus. Caput I.

Vnc lectionis seriem consideremus. Supra habes quia benedixit eū dominus, & cœpit spiritus comitari cum eo. Infra ait: Et direxit super eum spiritus domini. Item ait: Si tōsus fuero, discedet à me virtus mea, postea quàm tonsus est, vide scripturā quid dicat: Dominus, inquit, discessit ab eo. Vides ergo quia ille qui comitabatur, ipse discessit. Idē est ergo dominus, quia spiritus domini, hoc est, ipsum spiritum dei, dominū nuncupauit, sicut & Apostolus ait: Dominus autē spiritus est: vbi autē spiritus domini, ibi libertas. Habes ergo dominū dictū etiam spiritum sanctum: non enim vnus, sed vnum sunt spiritus sanctus & filius. Hoc quoque loco virtutem dixit, & spiritum significauit. Sicut enim pater virtus, ita & filius virtus, & spiritus sanctus est virtus. De filio dei legisti, Christū dei virtutem esse atque sapientiam. Legimus etiam, quia virtus est pater, sicut scriptum est: Videbitis filium hominis ad dexteram virtutis. Hic vtique virtutem patrem dixit, cuius ad dexterā filius sedet, sicut habes: Dixit dominus domino meo, sede ad dexterā meam. Virtutē etiam spiritum sanctū ipse dominus nuncupauit, dicens: Accipietis virtutem aduenientem in vos spiritus sancti. Ipse enim spiritus virtus est.

Iudic.13. Ibidē.14. 1.Cor.1. Matth.26. Psal.109. Actu.1.

Quia vnum consilium est patris & filij & spiritus sancti. Caput II.

QVia legisti, spiritus consilij atque virtutis. Et sicut filius magni consilij angelus, ita etiam spiritus consilij est, vt vnum scias patris & filij & spiritus sancti esse consilium: consilium non de rebus incertis aliquibus, sed pręcognitis & statutis. Arbitrum autem diuini consilij, spiritum etiam inde cognosce. Nam cùm supra docuerimus, arbitrum baptismatis esse spiritum sanctum, baptismum autem dei esse cō silium legerimus, sicut habes: Pharisæi autem consilium dei spreuerunt, non baptizati ab eo: liquidò claret cùm sine spiritu baptisma esse non possit, sine spiritu quoque non esse consilium dei. Et vt sciamus plenius virtutem esse spiritum, scire debemus ipsum esse promissum, quādo dixit dominus: Effundam de spiritu meo super omnē carnem. Ille ergo qui promissus est nobis, ipse est virtus: sicut etiam in euangelio idem dei filius declarauit dicens: Et ego mittam promissa patris mei in vos, vos autem sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto. Eousque autem virtutem esse spiritum sanctum euangelista significat, vt & eum vi magna etiam sanctus Lucas descendisse memoraret, dicēs: Et factus est subitò de cœlo sonus, tanquam vi magna spiritus ferretur. Sed ne rursus putes ad sensibilia & corporalia hoc esse vertendum, accipe quia sic descendit & spiritus quemadmodum descensurus est Christus. Nam & ipse cum virtute descendet, sicut habes: Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli in virtute maxima & maiestate. Quomodo enim non est vna virtus atque eadem potestas, cùm vnum opus, vnum iudicium, vnum templum, vna viuificatio, vna sanctificatio, vnum etiam regnum sit patris & filij & spiritus sancti?

Lucæ 24. Actu.2. Matth. 24.

Quia sicut vita est cognoscere patrem & filium, ita vita est cognoscere spiritum dei. Caput III.

DIcant enim in quo dissimilitudinem diuini operis arbitrentur. Quando quidem sicut vita est cognoscere patrem & filium, quemadmodum ipse dominus declarauit, dicens: Hæc est autem vita æterna vt cognoscant te solum verum deum, & quem misisti Iesum Christum: ita etiam vita est cognoscere spiritum sanctum. Dicit enim dominus: Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo patrem, & alium paracletū dabit vobis, vt maneat vobiscū in ęternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec cognoscit eum: vos autem scitis eum, quia apud vos manet, & in vobis est. Ergo mundus non habebat vitam æternam, quia non acceperat spiritum. Vbi autem spiritus, ibi vita æterna. Ipse est enim spiritus vitę operator æternæ: Vnde miror, cur de solo & vero deo Arriani moueant quæstionem. Sicut enim vita ęterna est cognoscere solū & verum deum, ita vita æterna est cognoscere Iesum Christum, ita vita æterna est cognoscere spiritum sanctum, quem sic non videt mundus, quemadmodum patrem, sic non cognoscit, quemadmodum filium. Qui autem de hoc mundo non est, habet vitam æternam, & cum ipso manet spiritus in æternum, qui est lumen vitæ æternæ. Ergo si hoc confert cognitio soli veri dei, quod confert filij spiritúsque cognitio, cur filium & spiritum à veri dei honore secernis, cùm à magnitudine beneficij non secernas? Aut enim credas necesse est, solius veræ diuinitatis esse hoc maximum munus, & solam & veram diuinitatē, sicut patris, ita & filij & spiritus confitebere: aut si dixeris quia vitam æternam potest & is conferre qui verus deus non sit, incides vt patri magis derogare videaris, cuius opus non putes solius veræ diuinitatis esse præcipuū, sed

Ioan.17.

ſed creaturæ operibus conferendum.

Quia ſicut pater viuificat, ita filius, ita & ſpiritus ſanctus.
Caput IIII.

QVid autẽ mirũ ſi ſpiritus operator eſt vitæ qui viuificat ſicut pater, viuificat ſicut filius? Viuificare autẽ quis abnuat eſſe maieſtatis æternę? Scriptũ eſt enim: Viuifica ſeruum tuum. Viuificatur ergo qui ſeruus eſt, hoc eſt homo, qui vitam ante non habuit, ſed vt haberet accepit. Videamus igitur vtrum viuificetur ſpiritus, an ipſe viuificet. Sed ſcriptum eſt: Litera occidit, ſpiritus autem viuificat. Ergo viuificat ſpirttus. Sed vt intelligas patris & filij & ſpiritus ſancti viuificationem non eſſe diuiſam, accipe quia viuificationis quoque vnitas ſit, quando ipſe per ſpiritum viuificat deus. Dixit enim Paulus: Qui ſuſcitauit Chriſtum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.

Pſal. 118.
2. Corin. 3.
Roman. 8.

Quia ſicut pater creator eſt omnium, ita & filius, ita & ſpiritus ſanctus. *Caput V.*

QVis verò dubitare poteſt, quia viuificet omnia ſpiritus ſanctus, quãdo & ipſe, ſicut pater & filius creator eſt omnium: nec quicquã niſi cum ſpiritu ſancto deus omnipotens pater intelligatur operatus: quandoquidem & in principio creaturæ ſpiritus ſuperferebatur ſuper aquam. Itaque cùm ſuperferretur ſpiritus, nulla erat gratia creaturæ. Poſtea verò quàm operationem ſpiritus etiam creatura mundi iſtius ſuſcepit, omnẽ hanc gtatię meruit venuſtatem qua mũdus illuxit. Denique ſine ſpiritu ſancto vniuerſitatis gratiam manere nõ poſſe Propheta declarauit, dicens: Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis omnem faciem terræ. Non ſolùm igitur ſine ſpiritu docuit omnem creaturam ſtare non poſſe, ſed etiam creatorem totius eſſe ſpiritũ creaturæ. Et quis neget opus eſſe ſpiritus ſancti quod creata eſt terra, cuius opus eſt quod nouatur? Nam ſi negare cupierint quod per ſpiritum ſit creata, cùm per ſpiritum nouãdam negare non poſſint, meliorem ergo operationem ſpiritus ſancti quàm patris & filij qui cupiunt ſeparare defendant, quòd abhorret à vero. Neque enim dubium eſt, quod nouata terra melior quàm creata ſit: aut ſi primo ſine operatione ſpiritus ſancti, terram pater fecit & filius, poſtea verò ſpiritus ſancti operatio copulabitur, videbitur id quod factum eſt, eius quod acceſſit eguiſſe præſidio. Sed abſit vt hoc quiſquam æſtimet, vt operatio diuina varietatem creatoris quam Manichæus inducit habere credatur. An verò ſine opere ſpiritus ſancti ſubſtantiam putamus eſſe terrarum, ſine cuius opere nec cœli cõuexa ſubſiſtunt? Scriptum eſt enim: Verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Aduerte quid dicat: Omnem, inquit, virtutem cœlorum ad ſpiritum eſſe referendam. Qui enim ſuperferebatur antequam terra fieret, quomodo cùm terra fieret feriabatur? Gentiles homines per vmbram quandã noſtros ſecuti, quia veritatem ſpiritus haurire non poterant, quod cœlum ac terras lunæ quoque ſtellarúmque micantium globos ſpiritus intus alat, ſuis verſibus indiderunt. Ergo illi per ſpiritum nõ negant virtutem ſubſiſtere creaturæ: nos qui legimus, denegamus? Sed flatilẽ putatis ab illis ſpiritum deſignatum. Si illi authorẽ omnium flatilẽ ſpiritum declararũt, nos dubitamus ſpiritũ dei eſſe omniũ creatorem? Sed quid alienis immoror? Accipiant documentũ euidens nihil poſſe eſſe quod ſpiritus ſanctus negetur operatus, nec de angelis, nec de archangelis, nec de thronis, nec de dominationibus poſſe dubitari quod eius operatione ſubſiſtant. Quandoquidem ipſe ſecundum carnem dominus cui angeli ſeruiebãt, ſpiritu in virgine ſuperueniẽte generatus ſit: ſicut & ſecundum Matthæũ, ad Ioſeph angelus dixit: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam vxorem tuam: quod enim ex ea naſcetur, de ſpiritu ſancto eſt. Et ſecundum Lucam dixit ad Mariã: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Opus ergo ſpiritus, virginis partus eſt. Opus ſpiritus, fructus eſt ventris, ſecundum quod ſcriptum eſt? Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Opus ſpiritus, flos radicis eſt. Ille, inquam, flos, de quo bene eſt prophetatum: Exiet

Pſalm. 103.
Virgi. lib. 6. Aeneid.
Matth. 1.
Eſaiæ 11.

A virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Radix Ieſſe patriarchæ familia Iudæorum, virga Maria, flos Marię Chriſtus, qui bonum odorem fidei toto ſparſurus orbe virginali ex vtero germinauit, ſicut ipſe dixit: Ego flos campi, & lilium conuallium. Flos odorem ſuum ſucciſus reſeruat, & contritus accumulat, nec auulſus amittit. Ita & dominus Ieſus in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec auulſus euanuit, ſed illa lanceæ punctione ſucciſus, ſacro ſpecioſior fuſi coloris cruore vernauit, mori ipſe neſcius, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans. In hoc igitur ſpiritus ſanctus virgæ regalis flore requieuit. Bona virga, vt quidam putant, & caro domini, quæ de radice terrena ad ſuperna ſe ſubrigens, odoriferos ſacræ fructus religionis circuntulit mundo, myſteria diuinæ reuelationis, & gratiam cœleſtibus altaribus ſupereffundens. Dubitare ergo non poſſumus ſpiritum creatorem, quem dominicæ cognoſcimus incarnationis authorem. Quis enim dubitet, cùm in principio euangelij habeas, quia Chriſti generatio ſic erat: Cùm deſponſata eſſet Maria Ioſeph, ante quam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens ex ſpiritu ſancto. Nam licet plerique habeant, de ſpiritu, Græcus tamen vnde tranſtulerunt Latini ἐκ πνεύματος ἁγίου dixit, hoc eſt, ex ſpiritu ſancto. Quod ergo ex aliquo eſt, aut ex ſubſtantia eſt, aut ex poteſtate eius. Ex ſubſtantia, ſicut filius qui ait: Ex ore altiſſimi prodiui, ſicut ſpiritus qui à patre procedit. De quo dicit filius: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Ex poteſtate autem, ſicut illud eſt: Vnus deus pater, ex quo omnia. Quomodo ergo in vtero habuit Maria ex ſpiritu ſancto? Si quaſi ex ſubſtantia: ergo ſpiritus in carnem & oſſa conuerſus eſt? Non vtique. Si quaſi ex operatione & poteſtate eius virgo concepit, quis neget ſpiritum creatorem? Quid quod etiam Iob creatorem ſuum ſpiritum euidenter oſtendit, dicens: Spiritus diuinus, qui fecit me? Et diuinum vtique & creatorem, vno verſiculo demonſtrauit.

B

Matth. 1.
Eccleſ. 24.
Ioan. 16.
1. Corin. 6.

Quia ſicut patri & filio, ita etiam ſpiritui ſancto ſeruiendum eſt. *Caput VI.*

C

IGitur creator eſt ſpiritus, non eſt vtique creatura. Creaturã enim Apoſtolus creatorémq; diuiſit, dicẽs: Seruierũt creaturę potius quàm creatori. Simul creatori admonet ſeruiendũ, dãnando eos qui ſeruiunt creatore cum creatori ſeruitium debeamus. Et quoniam creatorem ſpiritum nouerat, docet eidem ſeruiendum, dicens: Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem. Nos enim ſumus circunciſio, qui ſpiritui deo ſeruimus. Quod ſi quis de Latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falſauerũt, Græcos inſpiciat codices, & aduertet quia ſcriptum eſt, οἱ πνεύματι θεοῦ λατρεύοντες: quod interpretatur, qui ſpiritui deo ſeruimus. Ergo cum ſeruiendum dicat ſpiritui, idem Apoſtolus qui non creaturæ ſed creatori aſſerit ſeruiendum, euidenter vtique & ipſe ſanctum oſtendit ſpiritum creatorem, & in æternæ diuinitatis honore venerandum, quia ſcriptum eſt: Dominum deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.

Roman.
Philipp.
Matth.

De eo quod ſcriptum eſt: Ecce ego firmans tonitrua & creans ſpiritum. *Caput VII.*

D

NEc præteriit hęreticos obiectare conſueſſe, ideo videri creatum ſpiritum ſanctum, quia plerique eorum ad argumentum adſtruendæ ſuæ impietatis aſciſcunt illud quod Amos de flatu vẽtorum locutus eſt, vt ipſe prophetieus ſermo declarat. Sic enim habes: Ecce ego firmãs tonitruum, & creans ſpiritum, & nuncians in homines Chriſtum ſuum, faciens lucẽ & nebulam & aſcendens ſuper excelſa, dominus deus omnipotens nomen eſt ei. Si hinc faciunt queſtionem, quod creatum ſpiritum dixit, quia creetur ſpiritus, Heſdras nos docuit dicens in tertio libro: Et in die ſecundo iterum creaſti ſpiritum firmaméti. Tamẽ vt propoſitis inhæreamus, his videlicet quæ Amos dixit, nónne euidenter dictorum teſtificatur ſeries De iſtius creatura mundi locutum prophetam? Denique ita cœpit: Ego dominus firmans tonitruum & creans ſpiritum. Ipſe ordo nos doceat. Nam ſi de ſpiritu ſancto dicere voluiſſet, non de tonitruo vtique prẽmiſiſſet. Neque enim anti quiora

381

tiquiora tonitrua sunt, quàm spiritus sanctus, quanuis impij sint, tamẽ id non audeant dicere. Deinde cùm subiectum videamus esse de luce & nebula, nónne manifestũ est quod de creatura mundi dictum intelligẽdum sit? Cùm enim sint aliquæ tempestates istius mundi, præcedere tonitrua, sequi ventorum flatus, cœlum nebulis caligari, lucem refundi ex tenebris, ipso vsu quotidiano exemplóque cognoscimus. Nam etiam flatus ventorum spiritus dicitur, sicut scriptum
Psal.10. est: Ignis & sulphur & spiritus procellæ. Et vt scires, quia hunc spiritum dixit, ait: Firmans tonitruum & creans spiritum: quia frequẽter creantur ista cùm fiunt. Spiritus autem sanctus æternus est, quem si quis audet dicere creatum non potest tamẽ dicere quòd quotidie creatur, sicut flabra ventorum. Denique ipsa sapientia secundũ susceptí locuta corporis sacramentum, ait: Dominus creauit me. Quanuis ventura prophetaret, tamẽ quia prædestinatus erat domini saluatoris aduentus, non dixit creat me, sed creauit me: ne frequenter sed semel crederent ex virgine Maria Iesu corpus esse generandum. Ex hoc igitur quod velut quotidianam operationem dei in tonitrui firmamento, & in spiritus creatione propheta declarauit, intellige nefas esse, vt de spiritu sancto tale aliquid æstimemus, quem ipsi impij ante secula esse negare non possunt, vnde & semper eum esse & semper manere, pia assertione testamur. Neque enim qui ante mundum super ferebatur super aquas, potest videri cœpisse post mundũ, aut multos spiritus sanctos æstimari fas est, qui veluti quotidiana generatione generentur. Absit vt se quisquam tali impietate contaminet, vt dicat frequenter creari aut vnquam creari spiritum sanctum. Cur enim frequenter creari videtur, non intelligo, nisi fortè & mori eum credant frequenter, & frequẽter recreari. Sed quemadmodum mori potest spiritus vitæ? Ergo si mori non potest, causam non habet cur sæpius sit creandus. Aut qui aliter putant, in illud sacrilegium recidunt, vt non distinguant spiritum sanctum, qui prolatiuum verbum putãt in patrem redire, prolatiuum spiritum in deum refundi, vt vnius refusio sit, & quædam vicissitudo in varias formas sese permutantis, cùm patris & filij & spiritus sancti manens semper immutabilisque distinctio vnitatem suæ teneat potestatis. Si quis tamen propheticum dictum ideo deriuãdum putat ad interpretationem spiritus sancti, quia habet: Annuncians in homines Christum suum, is ad incarnationis dominicæ mysteria dictum facilius deriuabit. Nam si te mouet quia spiritum dixit, & ideo hoc non putas deriuandum ad mysteria assumptionis humanæ: prosequere scripturas, & inuenies optimè congruere de Christo, de quo bene conuenit æstimari, quia firmauit tonitrua aduentu suo, vim videlicet & sonum cœlestium scripturarum, quarum velut quodam tonitruo mentes nostræ redduntur attonitæ vt timere discamus, & reuerentiam cœlestibus deferamus oraculis. Denique in euan-
Marc.3. gelio fratres domini, filij tonitrui dicebantur. Et cùm vox
Ioan.12. patris facta esset dicentis ad filium: Et honorificaui, & iterum honorificabo. Iudæi dicebant, tonitruum factum est illi. Nam licet gratiam veritatis haurire non possent, tamen confitebantur inuiti, & ignari mysterium loquebantur, eo quod magnũ patris de filio testimonium resultabat. In Iob quoque libro scriptura dicit: Firmamentum quoque toni-
Iob.26. trui sui quis scit quando fiet? Vtique si ad hæc commotionum cœlestium tonitrua pertinerent, non futura eorum firmamenta, sed facta dixisset. Ergo tonitrua ad sermones do-
Psal.18. mini retulit, quorum in omnem terram exiuit sonus. Spiritum autem hoc loco animam quam susceptt rationabilem atque perfectam intelligimus, quia scriptura frequenter & animam hominis spiritus vocabulo designauit, sicut habes: Qui creauit spiritum hominis in ipso. Vnde & dominus animam suã spiritus appellatione significans, ait: In manus tuas commendo spiritum meum. Et vt scires, quia Iesu domini descensionem memorauit, addidit, quod nunciaret in homines Christum suum. Annunciauit enim in baptismate, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui. Annunciauit in monte, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Annunciauit in passione, cùm sol recessit, maria terræque tremuerunt. Annunciauit in Centurione, qui

A ait: Verè dei filius erat iste. Totum igitur hũc locum aut ad simplicem intelectum istius flatus qui viuendo hauritur, aut ad mysterium dominici corporis referre debemus. Nam si hic creatum dixisset spiritum sanctum, vtique & alibi idem scriptura declarare potuisset, sicut de filio dei frequenter legimus, quia secundum carnem & factus est & creatus. Cuius tamen maiestatem in eo ipso quòd carnem pro nobis suscepit, considerare nos conuenit, vt diuinã potentiam in ipsa corporis assumptione videamus.

Creat pater dominicæ incarnationis sacramentum, creat & spiritus, creat & filius. Caput VIII.

ET enim (sicut legimus) quia creauit pater dominicæ incarnationis sacramẽtum, creauit & spiritus: ita etiam legimus, quòd & ipse suum corpus creauit. Creauit enim pater, secũdum quod scriptum est: Dominus creauit me. Et a
Galat.4. libi: Misit deus filium suum factũ ex muliere, factum sub lege. Creauit & spiritus illud omne mysterium, secundum
Matth.1. quod legimus: Quia inuenta est Maria in vtero habẽs ex spi
B ritu sancto. Habes quia creauit pater, creauit & spiritus sanctus. Accipe quia creauit & filius dei, dicente Salomone: Sa-
Prouer. 9. pientia fecit sibi domum. Ergo spiritus sanctus qui creauit dominicæ incarnationis sacramentũ, quod super omnes est creaturas, quomodo esse poterat creatura? De generalitate autem supra ostendimus, quia secũdum carnem creator est noster spiritus sanctus in homine exteriore. Nunc ostendamus quia creator est noster, etiam secundum gratię sacramentum. Et sicut creat pater, ita creat & filius, ita creat & spi
Ephes.2. ritus sanctus, sicut legimus, dicente Paulo: Dei enim donum est non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo in operibus bonis.

Quia sicut pater & filius, ita & spiritus sanctus regenerat. Caput IX.

ERgo creat pater in operibus bonis, creat & filius,
Ioan.1. quia scriptum est: Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatẽ filios dei fieri his qui cre
C dunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntte carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. Similiter ex spiritu secundum gratiam nos renasci, dominus ipse testatur, dicens: Quod natum est ex carne, caro est: quia de carne natum est. Et quod natum est de spiritu, spiritus est: quia deus spiritus est. Nolite mirari quia dixi, oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis: sed nescis vnde veniat, aut quò vadat: sic est omnis qui natus est de spiritu. Claret igitur spiritalis quoque generationis authorem esse spiritum sanctum, qua secnndum deum creamur, vt filij dei simus. Ergo cùm ille nos in regnum suum per adoptionem sacræ regenerationis assumpserit, nos ei quod suum est denegamus? Ille nos supernæ regenerationis fecit hæredes, nos hæreditatem vindicamus, refutamus authorem? Sed non potest manere beneficium, cùm author excluditur. Nec author sine munere, nec sine authore munus. Si vindicas gratiam, crede potentiam. Si refutas potentiam, gratiam ne requiras. Qui Christũ negauit, statim amisit & nomen. Nam si author vilis, quomodo dona preciosa? cur nostris ipsi muneribus inuidemus, spem imminuimus, dignitatem repudiamus, consolatorem
D negamus? Sed illum negare non possumus. Sed absit vt negemus quod maximum est, cùm Apostolus dicat: Vos autem fratres secundum Isaac promissionis filij estis: sed sicut tunc qui secundum carnem natus est, persequebatur eum qui secundum spiritum. Iterum vtique subauditur de superioribus qui secundum spiritum natus est. Qui ergo secundum spiritum nascitur, secundum deum nascitur. Renascimur autem quãdo in interiore renouamur affectu, & exterioris hominis vetustatem deponimus. Et ideo ait iterum Apostolus: Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum
Ephes.4. hominem qui secundum deum creatus est in veritate & iustitia & sanctitate. Audiant quemadmodum vnitatem diuinæ operationis scriptura signauerit. Qui renouatur spiritu mẽtis, induit nouum hominem qui secũdum deum creatus est. Sãcti igitur spiritus opus est regeneratio ista præstãtior, & noui huius hominis qui creatus est ad imaginem dei, au-

thor

thor est spiritus: quem vtique meliorem hoc exteriore esse nostro homine nemo dubitauerit. Siquidem cœlestem alterum, terrenum alterum Apostolus significauit, dicens:
1. Corin. 15. Qualis cœlestis, tales & cœlestes. Ergo cùm cœlestem faciat gratia spiritalis, quid terrenum creare possit, etiam sensu debemus aduertere, licet credamus exemplis. Dicit enim
Iob 27. alibi sanctus Iob: Viuit dominus qui sic me iudicat, & omnipotens qui ad amaritudinem perduxit animam meam, spiritus autem diuinus qui est in naribus meis. Non vtique spiritū hic auram vitalem hanc & spiramentū corporeum designauit, sed nares hic interioris sui hominis significat, quibus vitæ odorem carpebat æternæ, & gratiam cœlestis vnguenti, geminis quibusdam sensibus hauriebat. Sunt enim nares spiritales (vt legimus) quas habet sponsa verbi, cui dicitur:
Cant. 7. Et odor naris tuæ. Et alibi: Odoratus est dominus deus o-
Genes. 8. dorem suauitatis. Sunt enim quædam interioris membra hominis, cuius manus in actu, aures in auditu, pedes in processu quopam boni operis æstimantur. Itaque ex officiis, veluti quasdam colligimus membrorum figuras. Neque enim in interiore homine secundum carnalia aliquid nos conuenit opinari.

Quia eadem verba quibus spiritum inferiorem videri volunt, præeminentiam ostendunt patris & filij. Cap. X.

EST sunt quidam qui corporaliter deum putant esse formandum, cùm legunt aut manum eius, aut digitum. Nec aduertunt quod hæc non propter formam scripta sint corporis, quia in diuinitate nec membra nec partes sunt, sed propter vnitatem diuinitatis expressam, vt credamus quia impossibile est à patre deo vel filium, vel spiritum sanctum separari, cùm plenitudo diuinitatis velut corporaliter habitet in substantia trinitatis. Ideo igitur & filius, patris dextera nuncupatur, sicut lectum
Psal. 117. est: Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me. Sed quid mirum si de verbis amentes homines faciunt quæstionem, cùm faciant & de syllabis? Sunt enim qui hinc putent faciendam esse distantiam, quo dicant in spiritu deum, non cum spiritu prędicandum: & ex vna syllaba vel vsu quodam diuinitatis æstimandū putent esse momentum, argumentantes, quod si in spiritu deum prędicandum putent, ministerium sancti spiritus signare videantur. Si verò cum spiritu dicant dei vel virtutem esse vel gloriam, societatem quandam & communionem patris & filij & spiritus sancti designare videantur. Sed quis separet quod non potest separari? Quis diuidat societatem quam indiuiduam
Matth. 28. Christus ostendit? Ite, inquit, baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Nunquit hic circa patrem vel filium vel spiritum sanctum, aut verbum mutauit, aut syllabam? Non vtique, sed in nomine, inquit, patris & filij & spiritus sancti, idem de spiritu quod de patre & de se sonat. Vnde nullum spiritus sancti ministerium, sed consortium magis honoris aut operis, cùm in spiritu dicatur æstimatur: cōsidera & hic, quia ad patrem & filium hoc opinionis vestræ præiudicium deriuatur, quia hic non dixit, cum patris & filij & spiritus sancti nomine, sed in nomine: & tamen non ministerium aliquod trinitatis hac syllaba exprimitur, sed potestas. Denique vt scias quia fidei non præiudicat syllaba, sed conuincat fides syllabam, & Paulus loquitur in Christo. Nec ideo minor Christus est, quia Paulus lo
2. Cor. 2. cutus in Christo est, sicut habes: Coram deo in Christo loquimur. Quemadmodum igitur Apostolus dicit, quia in Christo loquimur, ita illud est: quia loquimur in spiritu, si-
1. Cor. 12. cut ipse Apostolus dixit: Quia nemo dicit dominum Iesum nisi in spiritu sancto. Non subiectio itaque hoc loco spiritus sancti, sed gratiæ copula designatur. Et vt scias discre-
1. Corin. 6. tionem non esse de syllaba, alibi quoque ait: Et hęc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Iesu Christi, & in spiritu dei nostri. Quàm multa possum hinc exempla proferre. Scriptum est enim: O
Ibidem. 6. mnes vos vnum estis in Christo Iesu. Et alibi: Sanctificatos
Galat. 5. in Christo Iesu. Et iterum: Vt nos essemus iustitia dei in ipso. Et alio loco, Vt excidant à fide quæ est in Christo Iesu. Verum quid ago? Dum enim similiter dico scriptum esse de filio, quemadmodum de spiritu spiritum est, magis illud incurro, vt non quia de filio scriptum est, religiose dictum videatur esse de spiritu: sed quia idem de spiritu scriptum est, etiam de filio propter spiritum obiiciant derogatū. Dicunt enim: Nunquid de deo patre scriptum est? Sed accipiant etiam de deo patre dictum: In deo laudabo sermones, in deo Psalm. 55.
laudabo verbum, Et alibi: In deo faciemus virtutem. Et in Psalm. 59.
te commemoratio mea semper: Et in tuo nomine exultabimus. Et iterum alibi: Vt manifestentur opera eius, quia in deo sunt facta. Et Paulus: In deo qui omnia creauit. Et iterum: Paulus & Syluanus & Timotheus ecclesiæ Thessalonicēsium in deo patrem & domino Iesu Christo. Et in euan
Ioan. 14. gelio: Ego in patre & pater in me, & pater in me manet. Scri
2. Cor. 10. ptum est etiam: Qui gloriatur, in domino glorietur. Et ali-
Coloss. 3. bi: Vita autem nostra abscondita est cum Christo in deo. Nunquid hic plus filio quam patri detulit, vt in deo nos diceret esse cum Christo? Aut nunquid plus nostra conditio quàm spiritus gratia sibi vindicat, vt nos possimus esse cum Christo, spiritus sanctus esse non possit? Aut cùm Christus velit esse nobiscum, sicut ipse dixit: Pater quos dedisti mihi,
Ioan. 14. volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum, dedignetur esse cum spiritu? Scriptum est etiam: Conuenientibus vobis & meo spiritu cum virtute domini Iesu. Ergo nos cum virtute domini conuenimus, & audemus dicere quod nolit dominus Iesus cum spiritu conuenire, qui non dedignatur conuenire nobiscum? Nullam igitur distantiam putat Apostolus, hac an illa syllaba vtaris. Syllaba enim coniunctionis est, cōiunctio autem seiunctionem non facit. Neque enim si diuideret, coniunctio diceretur. Quid igitur te mouet vt dicas, quia gloria est deo patri vel Christo eius, vita, virtus, magnificentia, potestas in spiritu sancto, & nolis dicere cū spiritu sancto? An quia times ne spiritū cum patre & filio sociari videaris? Sed audi & de spiritu scriptum: Lex enim spi-
Rom. 8. ritus vitæ in Christo Iesu. Et alibi deus pater dicit: Et adorabunt te, & in te deprecabūtur. In Christo orare nos debere deus pater dicit, & tu putas spiritui derogari, si in eo gloria Christi esse dicatur? Audi quod times de spiritu confiteri, nō timuisse de se sibi Apostolum vindicare. Ait enim: Cupio dis-
Philipp. 1. solui & cum Christo esse multo melius. Cum quo igitur est Apostolus, cum eo negas esse spiritum, per quem Apostolus meruit esse cum Christo? Quæ igitur ratio est, vt in spiritu malis dicere, quàm cum spiritu gloriam dei esse vel Christi? An quia si dicas in spiritu, minor Christus spiritu declaretur? Quanuis hoc refutabile sit, vt maiorem dominum facias & minorem, tamen cùm lectum sit: Quia pro nobis pec-
2. Corin. 5. catum factus est Christus, vt nos essemus iustitia dei in ipso: ille inuenitur potissimus, in quo sumus nos infimi. Sic & alibi habes: Quia omnia in ipso constant, hoc est, in eius virtu-
Coloss. 2. te. Nec comparari possunt illi quæ in eo constant, quia ex virtute eius vt constent, substantiam consequuntur. Nunquid igitur sic deum regnare vultis in spiritu, vt virtus spiritus regnandi deo principium quasi fons quidam substantiæ largiatur? Sed hoc impium est. Et ideo vt vnam patris & filij & spiritus sancti maiores nostri dicerent potestatem, cum spiritu gloriam Christi esse memorabant, quo indiuiduam copulam declararent. Quomodo enim separatur spiritus sanctus à filio, cùm ipse spiritus testimonium reddat
Roma. 8. spiritui nostro quod sumus filij dei? Si autem filij & hæredes, hæredes quidem dei, cohęredes autem Christi. Quis igitur tam amens qui cōiunctionem spiritus & Christi dissociet sempiternam, cùm spiritus etiam disiuncta connectat, per quē Christi efficimur cohæredes? Si tamen, inquit, compatimur vt conglorificemur. Si nos ergo conglorificabimur cum Christo per spiritum, quomodo & ipsum conglorificare Christo spiritum recusamus, dissociamus vitā Christi & spiritus sancti, cùm spiritus dicat, quòd simul victuri
Roman. 6. sumus cum dei filio? Dicit enim Apostolus: Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quòd etiam simul viue-
2. Tim. 2. mus cum illo. Deinde alibi: Si enim compatimur, inquit, & conuiuemus: nec solùm cōuiuemus, sed etiam conglorificabimur, nec solùm conglorificabimur, sed etiam conregnabimus. Non est igitur in syllabis istis vlla discretio: vtraque enim sylaba coniunctionis est. Denique sæpe reperimus in scripturis alteram interpositam, & alteram intellectam

Psalm.65. Psalm.104. Psalm.43. Rom.10. 1.Cor.8. Rom.11. Esaiæ 40. Psalm.144. Actu.17. Ephes.4.

ctam, sicut scriptum est: Introibo in domum tuam in holocaustis, hoc est, cum holocaustis. Et alibi: Eduxit eos in argento & auro, hoc est, cum argento & auro. Et alibi quoque ait: Nō egredieris in virtutibus nobiscū, quod est cum virtutibus. Ergo cùm & in vsu sermonis calumnia esse non possit, & ex sermone calumnia diuinitati non debeat exitari, opus est vt ad iustitiam corde credatur, & ex fide cordis fiat ad salutem in ore confessio. Sed qui corde non credūt, calumnias struunt verbis. Denique simile & illud est quod aiunt discretionem esse, quia scriptum est: Nobis autem vnus deus pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus dominus Iesus Christus per quem omnia: & nos per ipsum. Volunt enim cùm dicitur, ex illo, materiam designari. Cùm dicitur per illum, quoddā vel instrumentum operis vel ministerium declarari. Cùm dicitur autē, in illo, quod aut locus significetur aut tempus, in quo omnia facta videantur. Ita igitur distantiam quandam substantiæ probare desiderant, tāquam instrumentum ab authore, & tanquam tempus aut locum ab instrumento dirimere gestientes. Nunquid ergo alienus secūdum naturam filius à patre, quia alienum instrumentum ab operatore proprio vel authore? Aut nunquid alienus filius à spiritu, quia ab instrumenti genere aut locus separatur aut tempus? Compara nunc assertiones nostras. il li volunt ex deo tanquam ex natura dei esse materiam, vt si dicas ex ligno arcam esse factā, ex lapide statuam, ita ex deo materiam processisse, & eandem materiam tanquam per instrumentum aliquod factam esse per filium: vt non tam operatorem filium quàm instrumentum operis esse declarent, & omnia ita facta in spiritu, tāquam in aliquo loco facta vel tempore: & singula singulis tribuunt, in commune omnia negant. Verùm nos ostendimus ita ex deo patre esse omnia, vt nec amiserit deus pater quod vel per ipsum & in ipso omnia sint, nec tāquam ex materia ex ipso omnia sint. Ita quoque per dominum filium esse omnia, vt nō priuatus sit, eo quòd ex filio sint omnia: & ita omnia esse in spiritu, vt doceamus omnia esse per spiritum, & omnia esse de spiritu. Nā istæ syllabæ, sicut illę de quibus superius diximus, sic inuicem signant. Nō enim ita dixit Apostolus, ex deo omnia, & per filium omnia, vt separabilem substantiam patris filiique signaret. Sed vt inconfusibili distinctione, quòd alius sit pater, alius sit filius, doceret. Non igitur tanquā compugnantes syllbæ istæ, sed tanquam sociæ atque cōcordes sunt, vt etiam vni sæpe conueniant, sicut scriptum est: Quia ex ipso, & per ipsum & in ipso omnia sunt. Quòd si verè consideres vnde translatum sit, de filio dictum esse non ambiges. Dicit enim Apostolus secundum prophetiam Esaiæ: Quis cognouit sensum domini, aut quis consiliarius ei fuit? Et addidit: Quia ex ipso & per ipsum & in ipso omnia. Quod Esaias de operatore omnium dixit, sicut habet: Quis mēsus est manu aquam & cœlum palmo, & vniuersam terram clausa manu? Quis statuit montes in libra, & rupes in statera? Quis cognouit sensum domini, aut quis cōsiliarius ei fuit? Et addidit Apostolus: Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso omnia. Quid est ex ipso? Quod ex ipsius voluntate natura sit omnium: & ipse sit author omnium quæ esse cœperunt. Per ipsum quid est? Quia per ipsum cōstitutio & perseuerantia omnibus impertita videatur. In ipso quid est? Quia omnia ad mirabili quodam desiderio & inenarrabiliamore authorem vitæ & ministratorem gratiæ suæ ac muneris intuentur, secundum quod scriptum est: Oculi omnium in te sperant, & aperies manum tuam, & implebis omnem animam bona voluntate. De patre quoque si dicas: Ideo ex ipso, quia ex ipso operatrix sapientia, quę & omnibus ex sua & patris voluntate dedit esse quę non erant: per ipsum, quia per sapientiam eius facta sunt omnia: in ipso, quia in ipso est viuificatoriæ fons substantię, in quo viuimus & sumus & mouemur: ex spiritu quoque per ipsum formati, in ipso roborati vitæ capimus munus æternæ. Cùm hæc igitur vel patri vel filio, vel spiritui sancto conuenire videantur, nihil vtique humile in his certum est declarari, cùm & ex filio dicamus esse pleraque, & multa per patrem, sicut habes de filio dictum: Vt augeamur in ipso per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum, inquit, corpus compactum & connexum per omnem

A iuncturam ministrationis in mensurā vniuscuiusque partis augmētum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Et iterum ad Colossenses de his qui non haberēt cognitionem vnigeniti filij dei: Quia non tenēt, inquit, caput ex quo omne corpus per compaginationes & colligationes subministratum & copulatum crescit in incrementum dei. Caput enim Christum esse ecclesiæ supra diximus. Et alibi habes: Quia de plenitudine eius nos omnes accepimus. Et ipse dominus dixit: De meo accipiet, & annunciabit vobis. Et supra ait: Cognoui virtutem exisse ex me. Similiter vt cognoscas vnitatem, etiam de spiritu dicitur: Quia qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Et Ioannes ait: Ex hoc cognoscimus quia in nobis est, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et angelus dicit: Quod enim ex ea nascetur, de spiritu sancto est. Et dominus ait: Quia quod natum est de spiritu, spiritus est. Ergo sicut ex patre legimus esse omnia, ita & ex filio posse dici omnia, per quem omnia sunt, & ex spiritu esse omnia, in quo omnia sunt, testimoniis edocetur. Nunc considerabimus, vtrum per patrem esse aliquid docere possimus. Sed scriptum est: Paulus seruus Christi per voluntatem dei. Et alibi: Iam non seruus, sed filius: si autem filius, & hæres per deum. Et alibi: Sicut resurrexit Christus per gloriam patris. Et alibi deus pater ad filium dicit: Ecce
B proselyti veniunt ad te per me. Multa reperies alia, si quæras, per patrem facta. Nunquid ideo minor pater, quia & ex filio pleraque esse legimus, & per patrem facta vel dicta plurima in scripturis cœlestibus reperimus? Sed etiam per spiritum similiter legimus facta pleraque, sicut habes: Nobis autem reuelauit deus per spiritum suum. Et alibi: Bonum depositum custodi per spiritum sanctum. Et ad Ephesios: Confortari per spiritum eius. Et ad Corinthios: Alij enim datur per spiritum sermo sapientiæ. Et alibi: Si autem per spiritum facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et supra: Quia suscitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum eius in vobis. Sed fortasse dicet: Ostende mihi specialiter lectū, quia ex filio omnia, vel ex spiritu omnia? At ego refero, vt & illi mihi
C lectum esse ostendant, quia per patrem omnia. Sed cùm hæc vel patri probauerimus vel filio vel spiritui sancto conuenire, nec vllā ex huiusmodi syllabis nasci posse diuinæ distantiam potestatis, non est dubium, quia per quem omnia, ex eo omnia: & ex quo omnia, per eum omnia, & in quo omnia, per eum vel ex eo omnia, esse intelligere debemus. Omnis enim creatura & ex voluntate & per operationem & in virtute est trinitatis, sicut scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et alibi: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Coloss.2. Ioan.1. Ioan.16. Lucæ 8. Gala.6. 1.Ioan.4. Lucæ 1. Ioan.3. 1.Cor.1. Galat.4. Rom.8. Genes.1. Psalm.22.

Quia vna voluntas, vna vocatio patris & filij & spiritus sancti. Cap. XI.

NEc solùm vna operatio est vbique patris & filij & spiritus sancti, sed etiam vna atque eadem voluntas, vna vocatio, vna præceptio: quod licet in illo magno ac salutari ecclesiæ spectare mysterio. Sicut enim pater vocauit gētes ad ecclesiam, dicens: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & nō dilectā, dilectam. Et alibi: Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Ita etiam dominus Iesus ad vocandam & congregandam ecclesiam Paulum à se dicit electum, sicut habes ad Ananiam dictum à domino Iesu: Vade, quoniam vas electionis est mihi hic, ad sufferendum nomen meum coram gentibus. Sicut ergo pater deus vocauit ecclesiā, ita vocauit & Christus. Et quemadmodū Christus vocauit, ita vocauit & spiritus, dicēs: Separate mihi Paulum & Barnabā, in opus quo vocaui eos. Tūc ieiunātes, inquit, & orantes, impositisque eis manus, & dimiserūt eos. Ipsi autē præmissi ab spiritu sancto deuenerunt in Seleuciam. Ergo non solùm Christi, sed etiam spiritus sancti imperio apostolatum Paulus accepit, & ad congregationem gentium festinauit. Nec solus Paulus, sed etiā Petrus, sicut legimus in Actibus apostolorum. Nam cùm in oratione vidisset cœlum apertum, & quatuor initiis ligatum vas quoddam tanquam linteamen, in quo erant omnia genera quadrupedum & ferarum & volucrum
D cœli,

cœli, facta est vox ad eum: Surge, occide & māduca. Et Petrus dixit: Absit domine, nunquam manducaui commune & immundum. Et vox rursus ad eum: Quæ deus mundauit tu cōmune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter & receptum est vas in cœlo. Ergo cùm hoc secū Petrus tacitus cogitaret, & venissent ad eum Cornelij seruuli ab angelo destinati, ait illi spiritus: Ecce viri quærunt te: surge itaque & descende, & vade cum eis nihil dubitans, quoniam ego misi illos. Quàm euidenter expressit suam spiritus sanctus potestatem. Primo omnium, quia aspirauit oranti, affuit deprecanti. Deinde quoniam vocatus Petrus respondit, domine: & ideo secundū euidentius meruit oraculum, quia cōfessus est dominum. Sed quis iste sit dominus scriptura declarat. Respondenti enim is vtique cui respōderat loquebatur. Spiritum autem ostendunt sequentia declaratum: quia ipse qui mysterium figurabat, mysterium reuelabat. Simul illud aduerte, quia tertiò repetita figura mysterij, operationem trinitatis expressit. Et ideo in mysteriis interrogatio trina defertur, & confirmatio trina celebratur. Nec potest quis nisi trina confessione purgari. Vnde ipse Petrus in euāgelio ter tio interrogatus, vtrū diligat dominum, vt trina responsione vincula quæ dominū negando ligauit, absolueret. Tum deinde quia ad Cornelium angelus mittitur, Petrū spiritus sanctus alloquitur. Oculi enim domini super fideles terræ. Nec illud ociosum, quòd cùm in superioribus præmisisset, quod deus mūdauit, tu ne commune dixeris: subitò decidit super gentes, vt mundaret eos spiritus sanctus. Vnde ostenditur operationem spiritus, operationem esse diuinā, Petrus autē missus ab spiritu, non expectauit imperium dei patris, sed ipsius quoque spiritus illud confessus oraculū, ipsius spiritus gratiā esse testatur, dicēs: Si ergo eandē gratiā illis cō
Acto.11. cessit deus, sicut & nobis: ego quis erā qui prohiberē deum? Spiritus ergo sanctus est qui nos ab illa gentili colluuione mūdauit. In illis enim generibus quadrupedum & ferarum & volucrum, figura erat conditionis humanæ, quæ ferarum modo bestiali videtur induta sæuitia, nisi spiritus sanctificatione mitteſcat. Bona ergo gratia quæ ferinam rabiem spi
Ephes. 2. ratali simplicitate commutat. Eramus enim & nos aliquādo insipiētes, increduli, errantes, seruiētes desideriis & voluptatibus variis: nūc autem per renouationem spiritus hæredes Christi, angelorum cœpimus esse cohæredes. Itaque spiritu videns Dauid sanctus propheta ex feris nos similes futu-
Psalm. 67. ros esse cœlestium: Increpa: inquit, feras syluæ, syluam videlicet significans non ferarum fragosam cursibus, nec bestiarum gemitibus inhorrentem, sed illam syluam de qua scriptum est: Inuenimus eam in campis syluæ. In qua, sicut dixit prophetia: Iustus vt palma florebit, & velut cedrus quę in Libano est, multiplicabitur. Illa sylua quæ verbi cœlestis alimoniam propheticarum verticibus arborum contusa defluxit. Illa sylua ad quam Paulus lupus quidem raptor intrauit, sed pastor exiuit. In omnem enim terram exiuit so
Matth.7. nus eorum. Eramus ergo feræ, & ideo dicit dominus: Attendite vobis à falsis prophetis qui veniunt in vestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Sed per spiritum sanctum iam leonum sæuitia, pardorum varietas, astutia vulpium, luporum rapacitas de nostris exoleuit affectibus. Magna igitur gratia, quæ cœlo terras mutauit, vt conuersatio nostra, sicut Apostolus dixit, in cœlis sit, qui antè sicut feræ errabamus in syluis. Sed nec hoc tantùm loco Petrus apostolus, sed etiam alibi in eodem libro à spiritu sancto ædificatam ecclesiam
Acto.15. demonstrauit. Habes enim dixisse eū: Deus qui nouit corda hominum testimonium perhibuit dans his spiritum sanctum sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, mundans per fidem corda eorum. In quo illud est contuendum, quia sicut Christus lapis est angularis, qui vnitatem plebis vtriusque connexuit, ita etiam spiritus sanctus non discreuit vtriusque populi corda, sed iunxit. Non ergo tanquam Iudæus contemnas filium, quem annunciauerunt prophetæ, contemnas etiam spiritum sanctum, cōtempnas Hieremiam, quem de lacu Iudaicæ domus ille assumptus à domino pannis & funibus eleuauit. Verbum enim propheticum despiciens in lacū demersérat populus Iudæorum. Nec quisquam inuentus est de Iudeis qui leuaret prophetā, sed vnus

Æthiops Abdemelech, sicut scriptura testatur. In quo nomine figura pulcherrima est, quia sermonem propheticum quem Iudæi velut in cœnum suæ mentis carnisque detruserant, nos videlicet ex gentibus peccatores, nigri ante delictis & quondam infructuosi eleuauimus de profundo. Et ideo scriptū est: Æthiopia prę leuabit manus suas deo. In quo sanctæ ecclesiæ species significatur, quę ait in Canticis canticorum: Nigra sum & decora filia Hierusalem. Nigra per culpam, decora per gratiam: nigra per conditionem, decora per redemptionem. Aut certè nigra exercitij sui puluere. Nigra ergo dum præliatur, decora dum victoriæ suę insignibus coronatur. Et bene funibus leuatur propheta. Fidelis enim dixit: Funes ceciderunt mihi in præclaris. Bene pannis, quia ipse dominus excusantibus his qui primò ad nuptias vocati fuerant, ad exitus viarū misit, vt quotquot inuenirētur & boni & mali, ad nuptias vocarentur. His itaque pannis propheticum verbum leuauit è cœno.

Pſalm. 67. Cantic. 1. Pſalm. 17.

Quia sicut pater nouit filium, & filius patrem: sic spiritus patrem & filiū. Et sicut pater reuelat nobis quæ sua sunt, sic & filius, sic & spiritus reuelat nobis. Cap. XII.

ERis igitur & tu Abdemelech, hoc est, assumptus à domino, si de profundo gentilis imprudentiæ leuaueris dei verbum, si credideris quia non fallitur, non præteritur dei filius, non ignorat quę futura sunt, non fallitur etiam spiritus sanctus, de quo dicit dominus: Cùm venerit autē ille spiritus veritatis, deducet vos
Ioan.16. in omnem veritatem. Qui dicit omnem, nihil præterit, non diem, non horam, non præterita, non futura. Et vt scias, quia & omnia nouit, & futura annūciat, & vnius est scientię cum patre & filio, audi quid dicat de eo dei veritas: Non enim loquitur à semetipso, sed quæ audit, loquitur: & quæ euenient annunciabit vobis. Itaque vt aduertas quia nouit omnia, cū diceret filius. De die autem illa & hora nemo nouit, neque angeli cœlorum, excepit spiritum sanctum. Si autem exceptus est spiritus sanctus ab ignorantia, quomodo non exceptus est dei filius? Sed dicis: Quia cum angelis annumerauit & dei filium. Annumerauit quidem filium, sed nō annumerauit & spiritum. Aut fatere igitur potiorem esse spiritum dei filio, vt iam non solum quasi Arrianus, sed etiam quasi Fotinianus loquaris: aut agnosce quò referre debeas quod nescire filium dixit. Etenim quasi homo annumerari creaturis potuit, qui creatus est. Quod si vis dicere, quia nouit omnia, & præsciētiam habet omnium dei filius futurorum, quę filio incognita putas, ea de filio spiritus sanctus accepit. Accepit autem per vnitatem substantiæ, sicut accepit à patre filius. Ille, inquit, me clarificabit, quia de meo accipiet
Ibidem. & annunciabit vobis, Omnia quæcunque habet pater mea sunt, propterea dixi, de meo accipiet, & annunciabit vobis. Quid igitur hac euidētius vnitate? quæ habet pater filij sunt, quæ habet filius, accepit & spiritus. Accipe tamen, quia nouit iudicij diem dei filius. Lectum est in Zacharia: Et veni-
Zacha.14. et dominus deus meus & omnes sancti cum eo. In illa die non erit lumē, sed frigus & gelu: Et erit dies vna, & dies illa nota domino. Hæc igitur dies nota domino, qui veniet cū sanctis suis, secundo nos illuminaturus aduentu. Sed quod orsi sumus de spiritu prosequamur Habes enim in eo quod prætulimus exemplo quia filius dicit de spiritu: Ille me clarificabit. Clarificat ergo & spiritus filium, sicut clarificat & pater, sed etiam spiritum clarificat dei filius, sicut supra diximus. Non est ergo infirmus qui redimit mutuam claritatem per vnitatem lucis ęternæ. Nec inferior sancto spiritu, cuius hoc ipsum est quod clarificatur ab spiritu. Aussumetis ergo & tu si credas, quia hoc locutus est spiritus, quod locutus est pater, quod locutus est filius. Denique Paulus ideo assumptus est, quia sic credidit, sic docuit, quia quod oculus non vidit nec auris audiuit, quę prępararuit deus diligentibus se, nobis reuelauit per spiritum suum, sicut scriptum est. Et ideo reuelationis spiritus dicitur, sicut habes: Dat enim deus sic præparantibus se spiritum sapientię & reuelationis in cognitione eius. Vnitas igitur est scientiæ, quando sicut pater reuelat qui dat spiritum reuelationis, sic reuelat
Matth.11. & filius, quia scriptū est: Nemo nouit filium nisi pater: neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.

389

lare. Plus dixit de filio, non quod plus habeat quàm pater, sed ne minus habere credatur. Nec immeritò sic reuelat patrem qui sic nouit patrem, quemadmodum filium pater nouit. Accipe nunc quia deum patrem nouit & spiritus. Scriptum est enim: Quia sicut ea quæ hominis sunt, nemo nouit
1.Cor.2. nisi spiritus qui in ipso est: sic & quæ dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus dei. Nemo, inquit, cognouit nisi spiritus dei. Nunquid excluſus est dei filius? Non vtique, quia nec spiritus sanctus excluſus est, cùm dicitur: Neque patrem quis nouit nisi filius. Ergo vnius & pater & filius & spiritus sanctus & naturæ sunt & scientiæ. Neque cum omnibus quæ per filium facta sunt sanctus annumerãdus est spiritus, cùm deum patrem nouerit, quem (sicut scriptum est) quis potest nosse nisi filius, sed & spiritus sanctus nouit. Quis ergo? cùm dicitur, vniuersitas creaturarum, non spiritus sanctus cõprehenditur. Nunc velim respondeant, quid est in homine quod cognoscat quæ sunt hominis? Vtique rationabile quod cæteris animæ virtutibus supereminet, & quo præcipuè natura hominis æstimatur. Quid est igitur spiritus qui alta dei nouit, per quem deus omnipotens reuelatur? Nunquid plenitudine diuinitatis inferior est, qui eiusdem cum patre substantiæ etiam hoc exemplo probatur? Aut aliquid ignorat qui nouit consilia dei, & mysteria eius ab initio abscondita? Quid est quod nesciat, qui nouit omnia quę dei sunt? Spiritus enim etiam alta dei scrutatur. Ac ne putes quod scrutetur incognita, & ideo scrutetur vt discat id quod ignorat: antè præmisit, quia reuelauit nobis deus per spiritum suum: simul vt discetes, quia nouit spiritus quæ nobis per ipsum spiritũ reuelantur, in posterioribus ait: Quis enim scit hominum quæ hominis sunt, nisi spiritus qui in ipso est? Sic & quę dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus dei. Ergo si hominis spiritus nouit quę hominis sunt, & antequam scrutetur nouit, potéstne aliquid dei esse quod spiritus dei nesciat? De quo non ociosè Apostolus dixit: Quæ dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus dei, vt non scrutando cognouerit, sed nouerit per naturam. Non quòd accidens in eo scientia diuinorum, sed cognitio naturalis sit. Verum si te mouet, quia dixit, scrutatur, accipe quia id quoque de deo scriptum est, eo quòd sit scrutator cordis
Hier.17. & renum. Ipse enim dixit: Ego sum scrutans corda & renes. Etiam de filio dei habes ad Hebræos: Qui scrutator est animi & cogitationis. Vnde liquet, quia nemo inferior, superioris scrutatur interna. Diuinę enim solius est potestatis, occulta nouisse. Similiter ergo scrutatur spiritus sanctus vt pater, similiter vt filius scrutatur, cuius proprietate sermonis id exprimitur, vt videatur nihil esse quod nesciat quem nihil præterit. Denique ille electus à Christo, instructus ab spiritu est. Nam, sicut ipse testatur, per spiritum diuini cognitionẽ consecutus arcani, ostendit quia & nouit spiritus deum, & ea nobis quæ dei sunt spiritus reuelauit, sicut reuelauit & filius. Et
1.Corin.2. addidit: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, vt sciamus quę à deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in suasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtute dei. Probatum est igitur, quia sicut deus nouit quæ sua sunt, ita & filius quæ dei sunt, ita etiam spiritus reuelauit. Ex vno enim spiritu per vnum filium, in vnum patrem cognitio nostra procedit. Ex vno patre, per vnum filium, in vnum spiritum sanctum bonitas & sanctificatio & imperiale ius æternæ traditur potestatis. Vbi ergo ostensio spiritus, ibi dei virtus, nec potest esse discretio, vbi opus vnum est. Et ideo quod loquitur filius, lo
Ioan.16. quitur & pater: & quod pater loquitur, loquitur & filius. Vnde & de spiritu filius dei dixit: Non enim loquitur à se, hoc est, non sine mea & patris communione. Neque enim diuisus ac separtitus est spiritus, sed quæ audit loquitur: audit videlicet per vnitatem substantiæ & proprietatẽ scientiæ. Neque enim foraminibus aliquibus corporalibus recipit auditum, & quibusdam diuina modulis carnalibus vox resultat, vel audit id quod ignorat, quoniam in rebus humanis scientiam plerunque auditus operatur, & tamen nec in ipsis hominibus semper alloquium corporale, aut carnalis auditus est. Qui enim loquitur linguis, non hominibus, inquit, loquitur, sed deo. Nemo enim audit, spiritu enim loquitur. Ergo si in hominibus nõ semper auditus est corporalis, in deo

A tu infirmitatis humanæ sonitus, & quædam organa exigis carnalis auditus, cùm ideo audire dicatur, vt scire credatur? Nos enim id scimus quod audierimus: & antè audimus, vt scire possimus. In deo autem, quia nouit omnia ante quàm fiant, scientia præcedit auditum. Itaque vt quod velit pater, filium non ignorare dicamus, audisse memoramus. Sed in deo non sonus neque syllaba quæ significare solẽt indicium voluntatum, sed voluntatis vnitas diuinis quidem intelligitur arcanis, nostris autem significatur indiciis. Quid est ergo? non enim à se loquitur, hoc est, nõ sine me loquitur, quia loquitur veritatem, sapientiam aspirat. Non sine patre loquitur, quia dei spiritus est: non à se audit, quoniam ex deo omnia. Omnia accepit à patre filius, quia ipse dixit: Omnia mi- Matth.11.
hi tradita sunt à patre meo. Omnia patris habet filius, quia iterum ait: Omnia quæ pater habet, mea sunt. Et quæ accepit ipse per vnitatem naturæ, ex ipso per eandem vnitatem accepit spiritus, sicut ipse dominus Iesus declarat de spiritu suo, dicens: Propterea dixi, de meo accipiet, & annunciabit vo-
B bis. Quod ergo loquitur spiritus, filij est: quod dedit filius, patris est. Ita nihil à se aut filius loquitur aut spiritus, quia nihil extra se trinitas loquitur. Quod si ad infirmitatem spiritus sancti & quandam corporeæ similitudinẽ vilitatis id deriuari contendas, etiam ad filij iniuriam deriuabis, quia & de se filius dixit: Sicut audio, iudico. Et non potest aliud facere Ioan.5.
filius, nisi quod viderit facientẽ patrem. Si enim verum est, verum est quod dixit filius: Omnia quæ pater habet mea sunt, & secundum diuinitatem vnum est cum patre filius, vnum per substantiam naturalem, non vnus secundum Sabellianam perfidiam. Quod vnum itaque est per substantiæ proprietatem, non potest separari, & ideo non potest filius facere nisi quod audierit à patre, quia in æternum est permanens dei verbum, nec vnquam pater à filij operatione diuiditur, & quod operatur filius, scit patrem velle: & quod vult pater, filium nouit operari. Denique ne vel in tempore vel in ordine aliquam inter patrem & filium putares operis distantiam, sed eiusdem operationis crederes vnitatem. Et o-
C pera, inquit, quæ ego facio, ipse facit. Et rursus ne discretionem aliquam in operis distinctione sentires, sed idem velle, idem facere, idem posse patrem & filium iudicares, dicit tibi sapientia de patre. Quæcunque enim ille fecerit, eadem & filius facit similiter. Non ergo alicui prior vel secundus est actus, sed idem vnius operationis effectus est. Et ideo nihil à Ibidem.
se posse facere filius dicitur, quia à patre non potest eius operatio separari. Similiter & spiritus sancti operatio non secernitur. Vnde etiam ea quæ loquitur, audire à patre dicitur. Quid si doceo, quia & pater audit filium, sicut & filius audit patrem? Habes enim scriptum in euangelio, quia dicit filius: Pater, gratias tibi ago, quia audisti me. Quomodo audiuit pa Ioan.11.
ter filium, cùm filius nihil ad patrem in superioribus de Lazaro sit locutus? Ac ne putares, quia semel à patre auditus est filius, addidit: Et ego sciebam, quia semper me audis. Ergo non subiectæ obedientiæ, sed vnitatis auditus est sempiternæ. Similiter igitur & audire à patre spiritus, & clarificare filium dicitur. Clarificare ideo, quia docuit nos spiritus san-
D ctus filium dei imaginem esse inuisibilis dei, & splendorem gloriæ, & characterem substantiæ eius. Spiritus enim & in patriarchis & in prophetis locutus est & apostolis. Denique tunc perfectiores esse cœperunt, posteaquam spiritum receperunt. Nulla ergo distantia diuinæ virtutis & gratiæ. Nam licet diuisiones gratiarum sint, idem tamen spiritus, & diuisiones ministeriorum sint, idem tamen dominus, & diuisiones operationum sint, idem autem deus qui operatur om- 1.Cor.12.
nia in omnibus. Diuisiones autem sunt munerum, non separationes trinitatis. Denique idem est deus, qui operatur omnia in omnibus, vt scias quia non est discretio operationis inter deum patrem & spiritum sanctum, quando ea quæ operatur spiritus, operetur & pater deus, qui operatur omnia in omnibus. Nam cùm operetur omnia in omnibus, alij tamen datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia curationum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituũ, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonũ. Hęc autem omnia operatur vnus

atq; idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. Non eſt ergo dubiũ quin ea quæ operatur pater, operetur & ſpiritus. Nec ex præcepto ſicut qui corporaliter audit, vt operetur: ſed ex voluntate qui ſui eſt liber arbitrij, non alienæ famulus poteſtatis. Non enim quaſi iuſſus obtemperat, ſed quaſi largitor ſuæ moderator eſt largitatis. Vide nunc interim, vtrum omnia operari dicas ſpiritum, quæ operatur & pater. Negare tamen non potes, quia operatur pater, quæ ſpiritus ſanctus operatur, vt ſcias quia non eſt diſcretio operationis inter deũ patrem & ſpiritum ſanctum, quando ea quæ operatur ſpiritus, operatur & pater, deus qui operatur omnia in omnibus: alioquin non omnia operatur pater, ſi non operatur quæ operatur & ſpiritus. Quod ſiqua operatur ſpiritus, operatur & pater, cùm ſpiritus operationes ſuas pro voluntate ſua diuidat, neceſſe eſt id quod diuidit ſpiritus, aut inuito patre deo dicas eum ex ſua voluntate diuidere: aut ſi idem velle dixeris patrem quod vult ſpiritus ſanctus, neceſſe eſt vt vnitatem voluntatis operationiſque diuinæ vel inuitus, & ſi non corde, ſaltem ore fatearis. Quod ſi vnius & voluntatis & operationis eſt cum patre deo ſpirituſſanctus, vnius etiã ſubſtantiæ eſt, quoniam ex operibus ſuis creator agnoſcitur. Idem igitur ſpiritus, idẽ, inquit dominus, idem, inquit, deus. Et ſi ſpiritum dicas, & ſi dominũ dicas, idem eſt: & ſi deum dicas, idem eſt. Non idem vt ipſe pater, ipſe filius, ipſe ſit ſpiritus ſanctus, ſed quia & pater & filius eiuſdem eſt poteſtatis. Idem ergo eſt per ſubſtantiam atque virtutem, quia non eſt in diuinitate vel Sabelliana confuſio, vel Arriana diſcretio, vel terrena corporaliſque mutatio. Accipe aliud ſancte
Hebr.1. imperator, in cauſa validum ſed tibi notum. Multifariam, inquit, & multis modis etiam deus locutus eſt patribus in prophetis. Et ſapientia dei dixit: Mittam prophetas & apoſtolos. Et alij datur (ſicut ſcriptum eſt) per ſpiritũ ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, ſecũdum eundem ſpiritum, alij fides in eodem ſpiritu, alij gratia curationum, alij operatio virtutis, alij prophetia. Ergo ſecũdum Apoſtolum non ſolùm per patrem & filium, ſed etiam per ſpiritum ſanctũ prophetia, & ideo vnum munus vna eſt gratia. Habes ergo quia etiam ſpiritus author eſt prophetarum. Apoſtoli quoque dixerunt:
Actò.15. Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis. Et cùm dicũt, viſum, non ſolùm operatorem gratiæ ſed etiam authorem imperatæ exe cutionis oſtendunt. Sicut enim de deo legimus, placuit deo, ita etiam cum dicitur, quia viſum eſt ſpiritui ſancto, arbiter ſuæ exprimitur poteſtatis. Et quomodo non arbiter, qui ea quæ vult loquitur, quæ vult mãdat? Sicut mandat pater, mandat & filius. Sicut enim audiuit Paulus vocem dicẽtem ſibi?
Acto.3. Ego ſum, inquit, Ieſus, quem tu perſequeris, ita etiam ſpiritus Paulum & Sylam vetuit ire in Bithyniam. Et ſicut pater locutus eſt per prophetas, ita etiam de ſpiritu Agabus dicit: Hæc dicit ſpiritus ſanctus: Virum cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt eum in Hieruſalem. Et ſicut miſit ſapiẽtia apoſtolos, dicens: Ite in orbem vniuerſum, & prædicate euãgelium, ſic & ſpirituſſanctus dicit: Separate mihi Paulum & Barnabam in opus quo vocaui eos. Itaq; permiſſi à ſpiritu ſancto, quod infra ſcriptura indicat, nullam diſcretionẽ inter cæteros habuerũt apoſtolos, quaſi aliter à patre deo, aliter à ſpiritu mitterentur. Denique cùm Paulus miſſus eſſet à ſpiritu, & vas electionis erat Chriſti, & deum in ſe operatum eſſe commemorat, dicens: Qui enim operatus eſt Petro in apoſtolatum
Galat.2. circumciſionis, operatus eſt & mihi ad gentes. Cùm igitur idem ſit operatus in Paulo qui eſt operatus in Petro, hoc vtique oſtenditur quòd ſpiritus ſit operatus in Paulo, quòd etiam in Petro ſpiritus ſanctus operatus ſit. Sed & deum patrem in ſe operatum Petrus ipſe teſtatur, ſicut eſt in Actibus apoſtolorum, quia ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quia à diebus antiquis in nobis deus elegit ex ore meo audire nationes verbum euãgelij. Ecce igitur in Petro deus gratiam prædicationis operatus eſt. In quo, vtique cùm per Chriſtum electus ſit & aſſumptus, operationem Chriſti quis audeat diffiteri, cùm ipſe dominus dicat: Paſce agniculos meos? Vna igitur operatio patris & filij & ſpiritus ſancti. Niſi fortè hoc putetis qui negatis eiuſdem erga apoſtolos operis vnitatem, ideo operatum patrem, ideo operatum ſpiritum ſanctum in Petro in quo filius operatus fuerat, quaſi ei filij operatio minimè redundaret ad gratiam. Et ideo velut adiunctis atque collatis viribus patris & filij & ſpiritus ſancti operationem fuiſſe multiplicem, ne ad confirmandum Petrum Chriſti ſolius operatio vacillaret. Nec ſolùm vna operatio in Petro patris & filij & ſpiritus ſancti inuenitur, ſed etiam in omnibus apoſtolis diuinæ operationis vnitas reuelatur, & quædam ſupernæ conſtitutionis authoritas. Operatio enim diuina habet imperium, non habet miniſterium. Neque enim cùm operatur deus, aut labore aliquid extundit, aut arte, ſed dixit, & facta ſunt. Dixit: Fiat lux, & facta eſt lux. In præcepto enim dei operationis effectus eſt. Genes.
Hanc igitur regalem quandam etiam ſancto ſpiritui poteſtatem ſcripturarum teſtificatione delatam, ſi velimus aduertere, facilè poſſumus reperire, omnes apoſtolos non ſolùm Chriſti fuiſſe diſcipulos, ſed etiam patris & filij & ſpiritus ſancti miniſtres. Sicut etiam doctor gentium docet,
1.Corint. dicens: Quoſdam quidem poſuit deus in eccleſia, primò apoſtolos, ſecundò prophetas, tertiò doctores. Deinde virtutes, gratiam curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, &c. Ecce deus poſuit apoſtolos, poſuit prophetas atque doctores, dedit curationum gratiam, quam ſupra habes dari per ſpiritum ſanctum, dedit genera linguarum: ſed tamen non omnes apoſtoli, non omnes prophetæ, non omnes doctores. Non omnes, inquit, habent gratiam curationum, neque omnes, inquit, linguis loquuntur. In ſingulis enim hominibus vniuerſa dona diuina eſſe non poſſunt, pro captu vnuſquiſque id accipit quod aut deſiderat, aut meretur. Sed non huius infirmitatis ſimilis potentia trinitatis, quæ omnium munifica gratiarum eſt. Denique poſuit apoſtolos deus. Hos quos deus poſuit in eccleſia Chriſtus elegit, & apoſtolos ordinauit, & in orbem direxit, dicens: Ite in orbem vniuerſum, & prædicate euan- Marci 16.
gelium omni creaturæ, & qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, damnabitur. Signa autem credentes iſta ſequẽtur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent & bene habebunt. Ecce doctores poſuit pater, poſuit etiam Chriſtus in eccleſiis. Et ſicut pater dat gratiam curationum, ita dat & filius. Sicut pater dat dona linguarum, ita largitur & filius. Similiter de ſancto ſpiritu ſupra accepimus, quia eadem gratiarum genera largiatur. Datur enim, inquit, per ſpiritum alij gratia curationum, alij genera linguarum, alij prophetia. Ergo eadem dat ſpiritus, quæ dat pater, dat etiam filius. Accipiamus nunc expreſſius quod ſuperius prælibauimus, quia idem quod pater & filius, etiam ſpiritus ſanctus mãdet officium, eoſdémque conſtituat. Dixit enim Paulus: Attendite vobis & omni gregi Acto.20.
in quo poſuit vos ſpiritus ſanctus epiſcopos regere eccleſiam dei. Vnitas igitur imperij, vnitas conſtitutionis, vnitas largitatis. Nam ſi conſtitutionem ſepares & poteſtatem, quæ erat cauſa vt quos poſuerat apoſtolos Chriſtus, poneret deus pater, poneret & ſpiritus ſanctus, niſi fortè vt homines tanquam in conſortio poſſeſſionis aut iuris præiudicium verebantur. Et ideo diuidebatur operatio, deſtruebatur imperium. Hæc inter ipſos homines anguſta ſunt & minuta, qui plerunque tamen etiam ſi operatione non congruunt, congruunt voluntate. Vnde quidam interrogatus quid amicus eſſet, alter, inquit, ego. Si ergo homo amicum ita definiuit, vt alterum ſe eſſe diceret, per vnitatem videlicet amoris & gratiæ, quanto magis in patre & filio & ſpiritu ſancto vnitatem maieſtatis æſtimare debemus, cùm per eandem operationem ac diuinitatem vel vnitas vel certe id quod amplius eſt, ἑνότης, ſicut Græcè dicitur, exprimatur: ἓν γὰρ enim idem ſignificat: eo quòd idem habeat & pater & filius & ſpiritus ſanctus, vt idem velle & idem poſſe non ex affectione ſit voluntatis, ſed in ſubſtantia trinitatis. Hæc eſt apoſtolicæ fidei & deuotionis hæreditas, Acto.15.
quam liquet ex ipſorum conſiderare actibus. Paruerunt ergo Paulus & Barnabas ſancti ſpiritus imperatis. Paruerunt & omnes apoſtoli, ſtatímque eos quos ſeparari iuſſerat ſpiritus ordinauerunt. Separate, inquit, mihi Paulum & Barnabam. Videtis iubentis imperium, ſpectate merita feruentium,

393

tium. Credidit Paulus: & quia credidit, ſtudia perſecutoris abiecit, coronam iuſtitiæ reportauit. Credidit ille qui eccleſias deueſtabat, ſed conuerſus ad fidem: prædicabat in ſpiritu, quod ſpiritus imperabat. Vngebat athletam ſuum ſpiritus, & puluere impietatis excuſſo, debellatorem infidelium ineluctabilem variis impiorum congreſſionibus offerebat, atque ad brauium ſupernæ vocationis in Chriſto Ieſu diuerſis paſſionibus erudiebat. Barnabas quoque credidit, & quia credidit paruit. Itaque ſancti ſpiritus electus imperio, quod ei ad omne redundat inſigne meritorum, non fuit tanto indignus collegio. Vna enim gratia fulgebat in his quos ſpiritus vnus elegerat. Nec Paulus inferior Petro, quanuis ille eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens architectus ſciens veſtigia credentium fundare populorum. Nec Paulus inquam indignus Apoſtolorum collegio, cum primo quoque facilè conferendus, & nulli ſecundus. Nam qui ſe imparem neſcit, facit æqualem.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI *Mediolanenſis in librum tertium de ſpiritu ſancto ad Gratianum Auguſtum,*

PRAEFATIO.

Lucæ 4. SVperiore libro euidentibus teſtimoniis ſcripturarum docuimus, Apoſtolos & prophetas, illos ad prophetandum, hos ad euangelizandum à ſancto ſpiritu, ſicut à patre & à filio deſignatos. Nunc adiicimus quod omnes iure mirentur, & dubitare non poſſint, quod ſpiritus ſuper Chriſtum, & quod ſicut ille ſpiritum miſit, ita & filium dei ſpiritus miſit.

Ibidem. Dicit enim filius dei: Spiritus domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum. Quod cùm de libro Eſaiæ legeret, ait in Euangelio: Hodie completa eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris, vt de ſe dictum eſſe ſignaret. Ergo mirari poſſumus ſi prophetas & Apoſtolos ſpiritus miſit, cùm Chriſtus dixerit: Spiritus domini ſuper me. Et bene, ſuper me dixit, quia quaſi filius hominis loquebatur. Quaſi filius enim hominis & vnctus & miſſus eſt ad euãgelium prædicandum. Sed ſi non creditur filio, audiant etiam patrem loquentem, quia ſpiritus domini ſuper Chriſtum. Dicit enim Ioanni: Super quem videris ſpiritum deſcendentem de cœlo & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Dixit hoc deus pater Ioanni: Ioannes & audiuit & vidit & credidit. Audiuit à deo, vidit in domino, credidit quia ſpiritus erat qui deſcendebat de cœlo. Non enim columba, ſed

Ioan.1. Marc.1. Lucæ 3. ſicut columba, deſcendit. Sic enim ſcriptum eſt: Et vidi ſpiritum dei deſcendentem de cœlo ſicut columbam. Sicut Ioannes vidiſſe ſe dicit, ita ſcripſit & Marcus. Lucas autem addidit, quòd corporali ſpecie deſcendit ſpiritus ſanctus ſicut columba, ne incarnationem illam putes fuiſſe, ſed ſpeciem. Ideo autem ſpeciem prætendit, vt per ſpeciem crederet qui ſpiritum non videbat, & per ſpeciem declararet vnius honoris in imperio, vnius operationis in myſterio, vnius muneris in lauacro cum patre & filio ſibi eſſe conſortium: niſi fortè inualidum credimus, vt in eo baptizetur ſeruulus, in quo baptizatus eſt dominus. Pulchrè autem dixit, manentem ſuper eum, quia ad prophetas quotiens volebat ſpiritus vel inſpirabat, vel verbum fiebat, ſemper autem manebat in Chriſto. Nec rurſum moueat, quod ſuper eum dixit: De filio enim hominis loquebatur, quia ſicut filius hominis baptizabatur. Nam ſecundum diuinitatem non ſuper Chriſtum eſt ſpiritus, ſed in Chriſto: quia ſicut pater in filio, & filius in patre,

A ita dei ſpiritus & ſpiritus Chriſti & in patre eſt & in filio, quia oris eſt ſpiritus. Manet enim in deo qui ex deo eſt, ſicut ſcriptum eſt: Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex deo eſt. Et manet in Chriſto, quia à Chriſto accepit: & in Chriſto eſt, quia iterum ſcriptum eſt: Ille de meo accipiet. Et alibi: Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati & mortis. Non ergo ſecundum diuinitatem Chriſti ſuper Chriſtum eſt, quia non ſuper ſe eſt trinitas, ſed ſuper omnia. Supra ſe autem non eſt, ſed in ſe eſt. Quis ergo dubitet, quia prophetas & apoſtolos ſpiritus miſit, cùm dicat dei filius: Spiritus domini ſuper me? Et alibi: Ego ſum primus, & ego in æternum, & manus mea fundauit terram, & dextera mea ſolidauit cœlũ: vocabo eos, & aſtabunt ſimul, & congregabuntur omnes & audient. Quis illis hæc nunciauit? Diligens te, feci voluntatem tuam aduerſus Babylonem, vt tollatur ſemen Chaldæorum: Ego locutus ſum, & ego vocaui, adduxi eum, & proſperum iter eius feci. Accedite ad me, & audite hæc: Nónne ab initio locutus ſum, cum fierent, illic eram: & nunc dominus miſit me, & ſpiritus eius.

1.Cor.2. Ioan.16. Rom.8. Lucæ 4. Eſaiæ 44.

CAPITA TERTII LIBRI DE SPIRITV SANCTO.

Quia ſpiritus ſuper Chriſtum, & ſicut filius ſpiritum miſit; ita & ſpiritus filium dei miſit. Caput I.
Quia datus ſpiritus ſicut & filius. Cap. II.
Quia digitus dei lectus eſt ſpiritus, quo ſignificatur vnitas diuinitatis, non inæqualitas trinitatis. Cap. III.
Quia ſicut cooperatus eſt patri & filio ſpiritus ſanctus in nube & in mari cùm liberaretur populus Iudæorum, ita & cooperatur in myſterio baptiſmatis. Cap. IIII.
Quia ſanctificat pater, ſanctificat filius, ſanctificat & ſpiritus ſanctus. Cap. V.
Quia eadem ſunt opera manuum quæ ſunt opera digitorum. Cap. VI.
C Quia ſicut arguit pater, ita arguit filius, ita arguit & ſpiritus: & quia iudicat ſpiritus. Cap. VII.
Sicut lectum eſt quòd verbi gladius ſpiritus ſit, ita lectũ eſt quòd ſpiritus ſancti gladius verbum dei ſit. Cap. VIII.
Quia ſimiliter vt pater & filius, ita etiam ſpiritus contriſtatus & exaſperatus, & tentatus à Iudæis legitur. Cap. IX.
Quia deus ſpiritus ſecundum Petri ſententiam in Actibus apoſtolorum. Cap. X.
Quia deus eſt ſpiritus ſecundum euangelium. Cap. XI.
Quia adoratur ſpiritus ſanctus ſicut pater & filius, & cũ patre & filio adoratur in maieſtate dei. Cap. XII.
Quia deus ſpiritus ſanctus eſt ſecũdum Apoſtolum, & quia templum ſumus ſpiritus ſancti, ſicut & dei patris & domini Ieſu Chriſti. Cap. XIII.
Quia tres non dij, ſed vnus deus. Cap. XIIII.
Quia dominus ſpiritus ſanctꝰ, ſicut pater & filius. Cap. XV.
Quia bonus ſpiritus dei, & ſpiritus veritatis, & omnem inſinuat veritatem. Cap. XVI.
D Quia non tres domini, ſed vnus dominus. Cap. XVII.
Quia ſicut pater ſanctus, ita filius ſanctus, ita & ſpiritus dei ſanctus. Cap. XVIII.
Collectio, quia ſpiritus deus, quoniam & ſine peccato eſt, & peccata donat, & creator eſt, & ſeruimus ei, & adoratur. Hæc enim omnia dei ſunt, & quia à morte ſuſcitat. Caput XIX.
Quia ſicut pater & filius, ita & ſpiritus ſanctus ſuſcitat mortuos. Cap. XX.
Quia ſpiritus in dei ſede, & vnum regnum patris & filij & ſpiritus ſancti indiuiſum. Cap. XXI.
Quia dominus ſabaoth etiam ſpiritus ſanctus. Cap. XXII.
Quia omnipotens etiam ſpiritus dei. Cap. XXIII.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE SPIRITU SANCTO AD GRATIANUM AUGUSTUM, LIBER TERTIUS.

Quia spiritus super Christum, & sicut filius spiritum misit, ita & spiritus filium dei misit. Caput I.

QVIS est qui dicit, Misit me dominus, & spiritus eius, nisi qui venit à patre vt saluos faceret peccatores? Quem cùm audis & spiritus misit: ne cũ legis, quia filius spiritum mittit, inferioris esse spiritum crederes potestatis. Ergo & pater filium misit & spiritus, spiritũ quo-
Ioan.14. que & pater misit & filius. Pater misit, quia scriptum est: Paracletus autem ille spiritus sanctus, quem mittet pater in no-
Ioan.15. mine meo. Filius misit, quia dixit: Cùm venerit autem paracletus quem ego mittam vobis à patre meo, spiritũ veritatis. Si ergo se inuicem filius & spiritus mittunt, sicut pater mittit: non subiectionis iniuria, sed communitas potestatis est.

Quia datus est spiritus sicut & filius. Cap. II.

NEC solùm misit pater filium, sed etiam dedit, sicut ipse se filius dedit. Lectum est enim no-
Galat.1. bis: Gratia vobis à deo patre nostro, & domino Iesu Christo, qui se dedit pro peccatis nostris. Si subiectũ in eo putant fuisse, quia missus est: gratiæ esse negare non possunt, quod datus est. Datus
Esaiæ 9. est autem à patre, vt Esaias dixit: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Datus est autem audeo dicere, & ab spiritu qui missus ab spiritu est. Cùm enim non definierit à quo datus sit, ostendit datum gratia trinitatis: cùm autem ipse se filius dederit, vtique non potuit ipse sibi secundum diuinitatem esse subiectus. Ergo non potuit diuinæ subiectionis esse quod datus est. Datus est autem & spiritus sanctus, quia le-
Ioan.14. ctum est: Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. Et Apostolus ait: Quapropter qui hæc spernit, nõ hominem spernit: sed deum, qui dedit spiritum suum in nobis. Esaias quoque & spiritum datum ostendit & filium. Sic inquit: Dicit dominus qui fecit cœlum, & finxit illud, qui solidauit terram, & quæ in ea sunt, & dat populo qui est super eam spiritum, & spiritum calcãtibus eam. Et ad filium: Ego dominus deus vocaui te in æquitate, & tenebo manum tuam, & confortabo te, & dedi te in testamentum generis mei in lucem gentium, aperire oculos cæcorum, educere de vinculis alligatos. Cùm ergo & filius missus & datus sit, spiritus quoque missus & datus sit, habent vtique vnitatem diuinitatis, qui habent operis vnitatem. Vnde etiam & digitus dei appellatus est spiritus, eo quod sit patri & filio & spiritui sancto indiuidua inseparabilisq; communio. Nam sicut filium dei scri-
Exod.15. ptura dexteram dei dixit, sicut lectum est: Dextera tua domine glorificata est in virtute, dextera manus tua domine confregit inimicos: ita spiritus sanctus appellatus est digitus dei,
Lucæ 11. sicut ipse dominus dicit: Quòd si in digito dei eiicio dæmonia. Hunc enim digitum in alio libro euangelij eodem loco dei spiritum nominauit. Sic enim habes: Quod si in spiritu
Matt.12. dei eiicio dæmonia. Quid igitur expressius ad significandam diuinitatis vel operationis dici potuit vnitatem, quæ secundum diuinitatem est patris vel filij vel spiritus sancti, quam vt intelligamus, multo magis quàm corpus hoc nostrum æternæ plenitudinem diuinitatis scindi videri, si quis vnitatem substantiæ separet, multiplicet potestates, cùm vna sit eiusdem diuinitatis æternitas? Plerunque enim ex nostris sermonibus ea quæ supra nos sunt, conuenit æstimari. Et quia illa videre non possumus, ex his quæ videre possumus, colli-
Rom.1. gamus. Inuisibilia enim eius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Et subdidit: Sempiterna quoq; virtus eius & diuinitas. Quorum aliud de filio, aliud de spiritu sancto dictum videtur: vt quemadmodum sempiterna virtus patris dicitur filius, ita etiam spiritus qui diuinus est, sempiterna diuinitas esse credatur. Nã & filius quia sem-
2.Cor.3. per viuit, vita sempiterna est. Hic ergo digitus dei & sempiternus est, & diuinus. Quid enim dei proprium quod non sempiternum sit & diuinum? Hoc digito (sicut legimus) tabulas illas lapideas inscripsit, quas Moyses accepit. Non enim carnali digito deus harum literarum, quas legimus, apices & elementa formauit, sed spiritu suo dedit legem. Et ideo Apostolus dixit: Lex enim spiritalis est, quæ vtique non atramento inscripta est, sed spiritu dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Nam si Apostoli epistola scribitur in spiritu, quid obstat quominus etiam legem dei non atramento, sed spiritu dei scriptam credere debeamus: quæ vtique cordis nostri mentisque secreta non maculat, sed illuminat? Scripta est autem in tabulis lapideis, quia in typo scripta est. Sed tabulæ fractæ primo sunt & abiectæ de Moysi manibus, quia Iudæi à propheticis operibus exciderunt. Et bene tabulæ fractæ sunt, non scriptura deleta. Et tu vide ne frangatur tabula tua, ne mens tua & animus tuus diuidatur. Nunquid diuisus est Christus? Non diuisus est, sed vnum est cum patre, & te nemo ab eo separet. Si fides deficiat, tabula cordis tui frangitur. Comminuitur animi firmitudo, si vnitatem diuinitatis in trinitate non credas. Scripta
Hier.17. est fides tua, scripta est & culpa tua, sicut Hieremias dixit: Scripta est Iuda culpa tua graphio ferreo & vngue adamantino. Et scripta est, inquit, in pectore & in corde tuo. Ibi igitur culpa est, vbi gratia. Sed culpa graphio scribitur, gratia spiritu designatur. Hoc digito mysticè etiam dominus Iesus
Ioan.8. inclinato capite scribebat in terra, cùm à Iudæis adultera esset oblata, significans per figuram, quando de peccatis alterius iudicamus, nostri nos debere meminisse peccati. At ne rursus, quia legem deus spiritu sancto scripsit, inferius aliquid tanquam de ministerio spiritus crederemus, vel ex cor poris nostri æstimatione portionem quandam exiguam dei spiritum putaremus, ait alibi Apostolus: Non se humanæ scientiæ verbis loqui, sed doctis spiritus, & spiritalibus spiritalia comparare: animalem autem non percipere quæ sunt spiritus dei. Sciebat enim quòd is qui diuina carnalibus compararet, inter animalia esset, nõ inter spiritales homines computandus: stultitia enim, inquit, illi est. Et ideo quia sciebat has futuras esse animalium hominum quæstiones, præsagus futuri ait: Quis enim cognouit sensum domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.

Quia digitus dei lectus est spiritus, quo significatur vnitas diuinitatis non inæqualitas trinitatis. Caput III.

SEd si quis adhuc carnalibus inhęret ambiguis & corporalibus vacillat exemplis, consideret quia nõ potest bene sentire de filio, qui potest malè sentire de spiritu. Nam si ideo portionem quandam exiguam putant esse spiritum dei, quia digitus dei dicitur, iidem vtique & portionem exiguam dicũt esse in filio dei, quia dextera dei dicitur, sed filius & dextera & virtus dicitur. Itaque si verba nostra pẽdamus, nulla potest sine virtute esse perfectio: & ideo caueãt ne putent, quod nefas dictu est, semiperfectum in sua substantia patrem perfectionem accipere per filium, & desinãt coæternum filium patri negare. Quando enim non fuit dei virtus? Quod si aliquando putant non fuisse dei virtutem, aliquando plenitudinem in deo patre negabunt fuisse, cui putent aliquãdo defuisse virtutem. Sed hæc, vt dixi, scripta sunt, vt ad vnitatem diuinitatis ista referamus, & credamus quod Apostolus dixit: Quia plenitudo diuinitatis corporaliter habitat
Coloss.2. in Christo, & habitat in patre & habitat in spiritu sancto.

Quia sicut cooperatus est patri & filio spiritus sanctus in nube & mari cùm liberaretur populus Iudæorum, ita cooperatur in mysterio baptismatis. Cap. IIII.

EST quod sicut vnitas diuinitatis, ita vnitas operationis sit. Quod etiam ex cãtico Moysi colligi potest. Ipse enim cùm per maria traduxisset populũ Iudæorum & dei patris operationẽ & filij est confessus & spiritus, dicens: Dextera manus tua domine glorifi-
Exod.15. cata est in virtute, dextera manus tua cõfregit inimicos. Habes quia & filium sit cõfessus & patrem, cuius est dextera. Et infra ait, ne sanctũ spiritum præteriret: Misisti spiritũ tuum & cooperuit eos mare. Vides ergo quia & spiritus sanctus cooperatus patri & filio sit, vt tanquam congelascẽtibus fluctibus

ctibus in medio mari, aquarum quidam murus insurgeret ad transitum Iudæorum,& rursus Ægyptiorũ populum per spiritum refusus obrueret. Inde & columnam nubis plerique præcessisse in die populo Iudæorum,& columnam ignis in nocte arbitrantur, quo protegeret plebem suam gratia spiritalis.Hanc autem operationem dei quam totus orbis iu re miratur, sine sancti spiritus opere non fuisse, etiam Apostolus declarauit,dicẽs in figura illa præcessisse spiritalis my-
1.Cor.10. sterij veritatem,sic enim habes:Quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt,& omnes mare transierunt,& omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari,& omnes eãdem escam spiritalem mãducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt.Nam quemadmodum typus sacramenti potuit esse sine operatione spiritus sancti,cuius veritas om-
2.Cor.6. nis in spiritu est? Quod & Apostolus docuit,dicens:Sed abluti estis,sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi & in spiritu dei nostri. Vides igitur quia & pater operatur in filio, & filius operatur in spiritu:Et ideo secundum seriem scripturarum, noli dubitare in figura fuisse,quod in veritate esse ipsa etiam veritas declarauit. Quis enim operationẽ eius abnuat in baptismo, in quo operationem eius sentimus & gratiam?

Quia sanctificat pater, sanctificat filius, sanctificat spiritus sanctus. *Caput V.*

NAM sicut sanctificat pater,ita sanctificat & filius, sanctificat & spiritus. Sãctificat pater secundum quod scriptũ est:Deus pacis sanctificet vos,vt in-
1.Thess.5. teger spiritus vester & anima & corpus sine querela in die domini nostri Iesu Christi seruetur. Et alibi filius
Ioan.17. dicit:Pater,sanctifica eos in veritate.De filio autem idem A-
1.Cor.1. postolus dixit:Qui factus est nobis sapientia à deo & iustitia & sanctificatio & redemptio . Vides quia factus est sanctificatio:Sed factus est nobis,non vt ille mutaret quod erat,sed vt nos sanctificaret in carne.Spiritum quoque sanctum san-
2.Thess.2. ctificare Apostolus docet.Sic enim dicit:Gratias agere debemus deo semper pro vobis fratres dilectissimi à deo,quia elegit nos deus primitias in salutem , in sanctificatione spiritus & fide veritatis . Ergo sanctificat pater, sanctificat & filius,sanctificat & spiritus, sed vna est sanctificatio, quia vnũ est baptisma,& vna gratia sacramenti.

Quia eadem sunt opera manuum,quæ sunt opera digitorum. *Caput VI.*

HOC est eadem opera filij quę spiritus dei.Sed quid mirum si sanctificat singulos ipse sancti ficatione non indigens,sed redundans:quando tãtam,vt dixi,maiestatem eius accepimus, vt tanquam digitus à corpore , ita à deo patre inseparabilis videatur spiritus sanctus? Quod si quis ad demi nutionem non ad vnitatem potestatis putat esse referẽdum, is profectò in eam amentiam cadet,vt tanquam in vnam velut corporis formam patrem & filium & spiritum sanctum videatur tres fingere,& tãquam distinctiones quasdam figu rare membrorum.Sed accipiãt,vt sæpius dixi,non inæqualitatem,sed vnitatẽ potestatis hac testificatione signari,quandoquidẽ quæ opera dei sunt,eadem sint opera manuum.Ea-
Psal.18. dem etiam legimus opera esse digitorũ . Scriptum est enim:
Psal.101. Cœli enarrant gloriam dei,& opera manuum eius annũciat firmamentum.Et alibi:Initio terram tu fundasti domine,& opera manuum tuarum sunt cœli. Eadem igitur sunt opera manuum quæ sunt opera dei.Non ergo aliqua pro mẽbrorum corporalium qualitate discretio operationis, sed vnitas
Psal.8. potestatis est.Quæ autem opera sunt manuum,eadem opera digitorum,quia æquè scriptum est:Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum , lunam & stellas quæ tu fundasti . Quid hic igitur digiti minus quàm manus feciſſe
Psal.91. produntur,cùm idem fecerint digiti quod manus?Sicut scriptum est:Quoniam delectasti me domine in factura tua,& in operibus manuum tuarũ delectabor.Et tamen quia manum legimus filium,scriptum est enim:Nónne manus mea fecit hæc omnia?Et alibi:Posui manum meam sub tegumen to petræ,quod ad incarnationis mysteriũ spectat,quia integumentum corporis virtus dei sempiterna suscepit,vtique liquet manus &de filio dei & de spiritu sancto scripturã locu-

A tam.Et rursus quia digitum dei spiritũ legimus,ideo appellatos digitos æstimamus,vt filiũ & spiritũ designaret.Denique & vt filij & spiritus sanctificationẽ se habere memoraret,ait quidam sanctus:Manus tuæ fecerũt me & plasmauerũt me. Iob 10.

Quia sicut arguit pater, ita arguit filius,ita arguit & spiritus, & quia iudicat spiritus. *Cap. VII.*

CVR enim verborum similitudinem recusamus, vbi vnitatem potestatis asserimus, cùm eousque vnitas potestatis sit,vt & arguat spiritus sicut arguit pater & arguit filius:Sicut enim scriptũ est: Domine ne in ira tua arguas me,neque in furore tuo corri- Psal.6.
pias me . Deinde in quadragesimonono psalmo sicut dicit dominus : Arguam te & statuam ante faciem tuam peccata tua,ita etiam de spiritu sancto filius dixit: Cùm autẽ abiero, mittam paracletũ ad vos,& ille veniens arguet mundum de peccato & de iustitia,& de iudicio.Sed quo nos perfidorum hominum deducit amentia,vt quasi de ambiguo quod spiritus sanctus arguat videamur adstruere,cum iudices ipsi non queant nisi per spiritum iudicare?Denique nobile illud Sa- 3.Reg.3.
B lomonis iudicium,quod inter dubia certãtium, cùm vna oppresso paruulo quem ipsa susceperat,vindicare sibi vellet alienum,altera proprium filium defensaret,& fraudem in ipsis cogitationibus occultis , & pietatem in maternis visceribus deprehendit,vtrique per spiritus sancti munus emicuit. Neque enim latentem conscientiam fœminarum alia aliqua nisi spiritus sancti machæra penetrasset,de qua ait dominus: Non veni pacem mittere,sed machærã . Quia non ferro sed Matth.10.
spiritu mens interna penetratur.Penetrabilis est enim spiritus intelligentiæ,spiritus vnicus,multiplex,subtilis,mobilis. Et infra:Omnia prospiciẽs.Vides Propheta quid dicat, quia omnia prospicit.Et ideo etiam Salomon prospexit,vt machęram illam iuberet afferri,quia simulato quod diuidere vellet infantem,considerauit quod vera mater plus consuleret filio quàm solatio,& gratiam iuri,non gratiæ iura præferret. At verò illa quæ matris simularat affectum, vincendi studio cæca paruiduceret eius exitium , in quo nesciret pietatis dis-
C pendium.Itaque vir ille spiritalis,qui diiudicaret omnia,spiritalis enim diiudicat omnia,naturam in affectibus quęsiuit, quę latebat in vocibus,& pietatem interrogauit vt proderet veritatem.Vicit itaque mater charitatis affectu,quæ fructus est spiritus.Diiudicauit in propheta,quia per spiritum datur sermo sapientiæ.Quomodo ergo negatur quod arguere possit spiritus sanctus mundum de iudicio,qui iudicij tollit ambiguum,largitur euẽtum? Daniel quoque nisi accepisset dei spiritum,nunquam potuisset deprehendere adulterium libidinis, mendacium fraudis. Nam cùm Susanna presbyterorum coniurationibus appetita,inflexam populi mentem videret contemplatione seniorum,& omnibus destituta subsidiis, sola inter hostes pudicitiæ suæ conscientia deum arbitrum precaretur: Exaudiuit, inquit, dominus vocem eius, cùm duceretur vt periret:& excitauit dominus spiritum sanctum pueri adolescentis cui nomen Daniel. Itaque secun- Daniel.13.
dum accepti spiritus sancti gratiam , vacillantia perfidorum testimonia deprehendit . Denique non alia nisi diuinæ fuit
D operatio potestatis,vt eos vox sua proderet,quorum latebat affectus,percipite igitur spiritus sancti sacrum & cœleste miraculũ.Illa quæ maluit sibi casta esse quàm populo,illa quæ maluit innocentiæ subire periculũ quàm pudoris,quæ cùm accusaretur , tacebat: cùm damnaretur silebat, conscientiæ suæ contenta iudicio,quæ reuerentiam pudoris etiam in periculis reseruabat,ne extorsisse petulantiam viderentur, qui extorquere non potuerant castitatem, vbi dominum inuocauit,spiritum meruit,qui latentem presbyterorũ conscientiam reuelauit.Discãt pudicæ calumniam non timere.Nam quæ castimoniam vitæ prætulit,nec vitæ dispendium pertulit,& gloriam retulit castitatis.Sic & Abrahã quondam iussus adire peregrinam terram,nec vxoriæ periculo pudicitiæ, nec mortis propositæ terrore auocatus,& vitam suam & castimoniam seruauit vxoris:nullum itaque deo credidisse pœnituit,& castitas deuotionem cumulauit in Sarra,& deuotio castitatem.Ac ne quis fortè æstimet:quia dicendo scriptura: Excitauit deus spiritum sanctum pueri adolescẽtis, spiritum in eo putet fuisse hominis,non spiritum sanctum , legat in

posterioribus & inueniet quia spiritum sanctum accepit Daniel, & ideo prophetauit. Denique & rex eum prætulit, quia habebat gratiam spiritalem. Sic enim dicit: Tu autem Daniel potes, quia spiritus sanctus dei in te est. Et infra scriptura dicit: Et fuit Daniel præpositus illius, quoniam spiritus erat superans in eo. Sed etiam Moysi spiritus iudicaturis diuisus est. Sed quid de cæteris loquamur? Ipsum dominum Iesum in spiritu non solum iudicare accepimus, sed etiam vindicare. Neque enim vindicaret in antichristum, nisi antè de
2. Thess. 2. eius meritis iudicaret, quem (sicut legimus) dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.

Sicut lectum est quòd verbi gladius spiritus sit, ita lectum est quòd spiritus sancti gladius verbum dei sit.
Caput 8.

SED hic nō acquisita gratia est, sed indiuidua manet vnitas, quia neq; Christus sine spiritu, neque spiritus potest esse sine Christo. Nō enim potest diuinæ naturę vnitas separari. Et quia in medium interuenit exemplum quod dominus Iesus interficit spiritu oris sui, gladius quidem verbi spiritus intelligitur. Denique in euangelio dicit ipse dominus Iesus: Non veni pacem mittere, sed gladium. Venit enim vt spiritum daret: ideo & in ore eius gladius bis acutus, vtique gratia spiritalis. Spiritus ergo verbi gladius est. Et vt scias inæqualitatem non esse sed vnitatem naturæ, verbum quoque gladius est spiritus sancti.
Ephes. 6. Scriptum est enim: Accipientes scutum fidei in quo possitis omnia tela maligni ignita extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus quod est verbum dei. Cùm igitur verbi gladius spiritus sanctus sit, & spiritus sancti gladius verbum dei sit, vtique vnitas est potentiæ. Quam vnitatem licet etiam aliis scripturarum locis considerare.

Quia similiter vt pater & filius, ita etiam spiritus & contristatus & exasperatus, & tentatus à Iudæis legitur.
Caput 9.

NAM cùm dicat Ezechiel ad populum Iudæorum: Et contristatis me in omnibus his, dicit dominus. Paulus nouo populo in epistola
Ephes. 4. sua dicit: Nolite cōtristare spiritum sanctum dei, in quo signati estis. Rursus cùm Esaias dicat de ipsis Iudęis: Ipsi autem non crediderunt, sed exacerbauerunt spiritū. Dauid autem de deo dicit: Et exacerbauerunt altissimum in siccitate, & tentauerūt deum in cordibus suis. Accipe etiam quia cùm alibi dixerit scriptura, tentatum spiritum, tentatum etiam deum, tandem dicat & Christum esse
1. Cor. 10. tentatum. Habes enim ad Corinthios Apostolum: Neq; tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Iusta vindicta, vt aduersarij venena sentirent, qui non venerabantur authorem. Et bene dominus, æreo serpente suspēso iussit curari vulnera sauciorum. Imago enim crucis, æreus serpens est, quoniam & si in carne sua su-
Galat. 6. spensus est Christus, tamen & ipse crucifixus est mundo, & ipsi crucifixus est mūdus. Mihi enim mundus crucifixus est & ego mundo. Crucifixus est ergo in suis mūdus illecebris, & ideo non verus sed æreus suspensus est serpens: quia in veritate quidem corporis, sed sine veritate peccati suscepit dominus speciem peccatoris: vt per lubricum infirmitatis humanæ, simulando serpentē, depositis carnis exuuiis, veri destrueret serpentis astutiam. Per crucem itaque domini quæ in tentationis vltione subuenit, offensam in perfidis trinitatis agnosco, qui medicinam trinitatis accipio. Ergo cum habeas in libro Moysi, quia dominus tentatus serpentes immisit populo Iudæorum, necesse est aut vnitatem in maiestate diuina fatearis, patris & filij & spiritus sancti: aut certè cū spiritum dicat apostolica scriptura tētatum, domini nomine spiritum vtique designauit. Tentatum autem spiritum sanctum, ad Hebræos scribēs Apostolus, dicit. Sic enim habes:
Hebr. 3. Quia hæc dicit spiritus sanctus: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea. Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi semper isti errant corde: ipsi verò non cognouerunt vias meas, sicut iuraui in ira mea si introibunt in requiem meam. Ergo secundum Apostolum tentatus est spiritus, sic & ipse tentatus est, & ipse vtique in terram repromissionis Iudæorum populum dirigebat, sicut scriptum est: Quia adduxit eos per abyssum sicut equum, per desertum & non laborauerūt, & sicut pecora per campum, descendit spiritus à domino, & direxit eos. Et ipse vtique serenam cœlestis alimoniæ pluuiam ministrabat, ipse quotidianam messem quam terra non parturierat, agricola non seuerat, imbre fertili fœcundabat. Nunc spectemus singula. Requiem Iudæis promiserat deus, eam requiem spiritus suam dicit. Tentatū se à perfidis deus pater memorat, & tentatum ab iisdem se dicit & spiritus, quia vna tentatio est qua tentata est à sacrilegis vna diuinitas trinitatis. Condemnat deus populū Iudæorum, vt in terram fluentem lac & mel, hoc est, resurrectionis requiem peruenire non possit, eadem sententia condemnat & spiritus, dicens: Si introibunt in requiem meam. Vnius ergo sententia voluntatis, vnius excellentia potestatis est. Fortasse tamen aliquis diceret, hoc exemplum non posse ad proprietatem sancti spiritus deriuari, nisi alio loco etiam Petrus apostolus nos docuisset, peccatis nostris etiam spiritum posse tētari. Sic enim habes ad Ananiæ coniugem dictum: Quid vtique conuenit Act. 5.
vobis tentare spiritum domini? Etenim domini spiritus ipse est dei spiritus, quia vnus sanctus est spiritus: vt etiam Paulus apostolus docuit, dicens: Vos autem in carne non estis, Rom. 8.
sed in spiritu: si tamen spiritus dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic nō est eius. Præmisit spiritum dei: & statim subdidit eūdem esse spiritum Christi. Et cùm dixisset de spiritu, vt intelligeremus quia vbi spiritus sanctus, ibi Christus est, addidit: Si autem Christus in vobis. Deide, quomodo hic intelligimus, quia vbi spiritus, ibi Christus, ita etiam alibi ostendit, quia vbi Christus, ibi etiam spiritus sanctus sit. Nam cùm dixisset: Nūquid experimentum 1. Corin. 13.
eius quæritis qui in me loquitur Christus? alibi ait: Puto enim quòd & ego spiritum dei habeo. Inseparabilis ergo vnitas, quia vbi aut pater, aut Christus, aut spiritus, scriptura testificante, signatur, ibi plenitudo est trinitatis. 1. Corin. 7.

Quia deus spiritus, secundum Petri sententiam in Actibus apostolorum. *Cap. 10.*

SED & ipse Petrus, in eo quod proposuimus exemplo, præmisit spiritum sanctum, & postea dixit spiritum domini. Sic enim habes: Ana Act. 5.
nia, cur impleuit satanas cor tuū ad mentiendū spiritui sancto, vt fraudem faceres de precio agri? Nonne manens tibi manebat, & venditum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hoc scelus? Non es hominibus mentitus, sed deo. Et subter ad vxorem, ait: Quid vtique conuenit tentare spiritum domini? Primùm intelligimus, quia spiritū sanctū, spiritum domini dixit: Deinde cùm præmiserit spiritum, & addiderit, non es hominibus mentitus, sed deo: necesse est in spiritu sancto, aut vt vnitatem diuinitatis esse intelligas: quoniam cùm spiritus tentatur, deus fallitur. Aut si vnitatem diuinitatis conaris excludere secundum scripturæ verba, ipse vtique spiritum domini credis. Si enim & de spiritu expressum intelligimus & de patre, in deo vtique patre & spiritu sancto veritatis scientiæ aduertimus vnitatem, quia similiter à sancto spiritu sicut à deo patre mendacium deprehenditur. Quod si vtrunque de spiritu accipimus, cur quod legis perfide negare conaris? Aut igitur vnitatem diuinitatis patris & filij & spiritus sancti, aut diuinitatem sancti spiritus in patre & filio confitere, vtrum dixeris in deo, vtrunque dixisti, quia & vnitas diuinitatem adstruit & diuinitas vnitatem.

Quia deus spiritus est, secundum euangelium. *Cap. XI.*

NEC solum hoc loco euidenter sancti spiritus θεότης, hoc est, diuinitatem scriptura testatur, sed etiam ipse dominus dixit in euangelio: Quoniam deus spiritus est. Quem locum ita expresse Arriani testificamini esse de spiritu, vt eum de vestris codicibus auferatis, atque vtinam de vestris & non etiam de ecclesiæ codicibus tolleretis. Eo enim tempore quo impiæ infidelitatis Auxentius Mediolanensem ecclesiam armis exercituque occupauerat, vel à Valente atque Vrsatio nutantibus sacerdotibus suis incursabatur ecclesia Sirmiensis, falsum hoc & sacri-

401

sacrilegum simulacrum tamen in ecclesiasticis codicibus de prehensum est. Et fortasse hoc etiam in oriente fecistis, & literas quidem potuistis abolere, sed fidem non potuistis auferre. Plus vos illa litura prodebat, plus vos illa litura damnabat. Neque enim vos poteratis oblinire veritatem, sed illa litura de libro vitæ nomina vestra delebat. Cur auferebatur, quoniam deus spiritus est, si non pertinebat ad spiritum? Si enim de deo patre vultis expressum, ergo & deum patrem negatis, qui putatis esse delendum? Vtrum vultis eligite, in vtroque vos laqueus vestræ impietatis adstringit. Si gentiles vos esse fateamini vel patrem deum negando vel spiritum. Tenetur igitur vestra confessio, qua delestis oraculum dum formidatis exemplum. Delestis quidem in pectoribus animisque vestris. Cæterum diuinum non deletur oraculum, non deletur spiritus sanctus, sed auersatur impias mentes, non
Esaiæ 43. deletur gratia, sed iniquitas, quia scriptum est: Ego sum, ego
Exod.32. sum, qui deleo iniquitates tuas. Denique Moyses pro populo petens: Dele, inquit, me de libro tuo, si non parcis huic populo. Nec tamen deletus est, quia non habebat iniquitatem, sed gratiam profluebat. Vestra igitur estis confessione convicti: quod sapienter factum non possum dicere, sed astutè. Astutè enim cognouistis loci istius vos attestatione conuinci, nec argumenta vestra aduersus id posse testimonium convenire. Quò enim posset aliò intellectus loci istius deriuari, cùm series lectionis tota de spiritu sit? Nicodemus quærit de
Ioan.3. regeneratione, respondet dominus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit per aquam & spiritum, non potest introire in regnum dei. Et vt ostenderet aliam generationem secundum carnem esse, aliam secundum spiritum, addidit: Quod natum est ex carne, caro est: quia de carne natum est. Et quod natum est de spiritu, spiritus est: quia deus spiritus est. Prosequere ergo totam seriem lectionis, inuenies quod dominus impietatem vestram plenitudine assertionis exclusit. Noli, inquit, mirari, quia dixi: Oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis: sed nescis vnde veniat, aut quò vadat: sic est omnis qui natus est de spiritu. Quis est qui nascitur de spiritu, & qui efficitur spiritus, nisi qui renouatur spiritu mentis suæ? Hic est vtique qui per aquam regeneratur & spiritum sanctum, quoniam per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, spem vi-
Actor.11. tæ capimus æternæ. Et alibi Petrus apostolus ait: Vos autem spiritu sancto baptizabimini. Quis est autem qui baptizatur spiritu sancto, nisi qui renascitur per aquam & spiritum san-
Ioan.3. ctum? Ergo de sancto spiritu dominus dixit: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit per aquam & spiritum, non poterit introire in regnum dei. Et ideo de ipso nasci nos in posterioribus definiuit, per quem renasci nos in superioribus est locutus. Hac dominica sententia & scripto nitor, non argumento. Quæro tamen cur si non dubitatur per spiritum sanctum nos renasci, dubitetur de spiritu sancto nos nasci, cùm ipse dominus Iesus de spiritu sancto & natus sit & renatus? Quem si natum de spiritu sancto confitemini, quia non potestis negare, renatum autem negatis: magna insipientia, vt quod singulare dei, confiteamini: quod commune est hominum denegetis. Et ideo bene vobis dicitur quod Iudæis dictum est: Si terrena vobis dixi, & non creditis: quomodo si dixero vobis cœlestia credetis? Sed tamen vtrũque locum ita scriptum inuenimus in Græco, vt non per spiritum dixerit, sed de spiritu. Denique sic habet: ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, hoc est, de aqua & spiritu. Ergo cùm dubitari non debeat de sancto scriptum esse spiritu, quod natum est de spiritu, non est dubium, quia deus &
1.Ioan.5. sanctus spiritus, secundum quod scriptum est, quia deus spiritus. Alibi quoque vt hoc de sancto spiritu scripsisse se idem euangelista referaret, per aquam, inquit, & spiritum venit Christus Iesus. Non solùm in aqua, sed per aquam & sanguinem & spiritus testimonium: quoniam spiritus est veritatis: quia tres sunt testes, spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres vnũ sunt in Christo Iesu. Audi quomodo testis spiritus mentem renouat, aqua proficit ad lauacrum, sanguis spectat ad precium. Spiritus enim nos per adoptionem filios dei fecit, sacri fontis vnda nos abluit, sanguis domini nos redemit. Alterum igitur inuisibile, alterum visibile testimonium sacramento consequimur spirituali, quia spiritus testimonium reddit spiritui nostro. Et si in vtroque plenitudo sit sacramenti, distinctio tamen muneris est. Ergo vbi distinctio muneris non est vtique testificationis æqualitas.

Quia adoratur spiritus sanctus sicut pater & filius, & cum patre & filio adoratur in maiestate dei. Caput XII.

SED fortasse referatur, quia in posterioribus istius libri iterum dominus deum spiritum dixit, & de patre deo sensit. Sic enim habes in euangelio: Nunc est quando veri adorato- Ioan. 4.
res adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus autem est deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Non solùm enim hoc exemplo diuinitatem sancti spiritus vultis negare, sed etiam in spiritu adorare deum, tanquam ad subiectionem spiritus deriuatis. Cui loco respondebo breuiter, quia spiritus plerunque ponitur pro gratia spiritali, sicut & Apostolus dixit: Quia ipse
B spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc est gratia spiritalis: nisi fortè gemitus vos sancti spiritus audire potuistis. Ergo & hic adoratur deus, non in malicia cordis, sed in gratia spiritali. In animam enim maleuolam non Sapien.1.
intrat sapientia, quia nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Statimque subdidit: Diuisiones verò 1.Cor.12.
gratiarum sunt. Non igitur hoc ad plenitudinem nec ad portionem spiritus potest pertinere: quia neque humana mens eius plenitudinem capit, neque in vllas sui diuiditur sectiones, sed donũ gratiæ spiritalis infundit, in quo adoratur deus sicut adoratur etiam in veritate. Non enim adorat, nisi qui veritatem diuinitatis eius pio hauriat affectu. Nec vtique velut personaliter Christũ, aut sanctum personaliter spiritum comprehendit. Aut si putat quod velut personaliter dictum de spiritu videatur & de Christo, ergo deus similiter adoratur in veritate, sicut adoratur in spiritu. Aut similis igitur subiectio, quod absit vt credas, & nec filius adoratur: aut quod
C verum est, similis vnitatis gratia & spiritus adoratur. Colligamus hinc ergo & concludamus Arrianorum impias quæstiones. Si enim ideo negant adorãdum spiritum, quia deus adoratur in spiritu: negent ergo adorandam veritatem, quia deus adoratur in veritate. Nam licet plurimæ veritates sint, quia scriptũ est: Deminutæ sunt veritates à filiis hominum, Psal.11.
donatæ tamen sunt à veritate diuina quod est Christus, qui
Ioan.3. ait: Ego sum via, veritas, & vita. Ergo si hoc loco veritatem Ioan.14.
ex vsu intelligunt, intelligant etiam gratiam spiritalem, & nihil est offensionis, aut si veritatem Christum accipiunt, adorandum negent. Sed refelluntur factis piorum, serie scripturarum. Adorauit enim Christum Maria, & ideo prænuncia resurrectionis ad apostolos destinatur, soluẽs hæreditarium nexum & fœminei generis immane delictum. Hoc enim operatus est in mysterio dominus, vt vbi superabundauerat delictum, superabundaret & gratia. Meritóque ad viros fœmina destinatur, vt quæ culpam viro prima nunciauerat, prima domini gratiam nunciaret. Adorauerunt & apostoli. Et
D ideo quia detulerunt fidei testimoniũ, acceperunt fidei magisterium. Adorauerunt & angeli, de quibus scriptum est: Et adorent eum omnes angeli eius. Adorant autem non solùm diuinitatem eius, sed etiam scabellum pedum eius: quia scriptum est: Et adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est. Aut si negant quia in Christo etiam incarnationis adoranda mysteria sint, in quibus velut vestigia quædam diuinitatis expressa, & vias quasdã verbi cœlestis aduertimus, legant quia & apostoli adorabant eum in carnis gloria resurgentem. Ergo si nihil derogat quod deus adoratur in Christo, quia adoratur & Christus nihil vtiq; derogat etiam spiritui, quia deus adoratur in spiritu, qúia adoratur & spiritus, sicut Apostolus dixit: Spiritui dei seruimus. Qui enim seruit & adorat, sicut supra dictum est: Dominum deum Matth.4.
tuum adorabis, & illi soli seruies. Sed ne fortè propositum aliquos præterfugere videatur exemplum, qua ratione ad incarnationis dominicæ sacramentum spectare videatur quod ait Propheta: Adorate scabellum pedum eius, cõsideremus. Non enim ex vsu hominum æstimare debemus scabellum.

Neq; enim corporalis deus, aut non immensus, aut tanquam fulcrum pedibus eius scabellum subiectum putemus. Neq; adorandum quicquam præter deum legimus, quia scriptum
Matth. 4. est: Dominū deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Quomodo ergo aduersus legem propheta præciperet sub lege nutritus, & eruditus in lege? Non mediocris igitur quæstio, & ideo diligentius consideremus quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum. Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est dei. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandā Propheta quam dominus Iesus in carnis assumptione susceperit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam apostoli in domino Iesu (vt supra diximus) adorarunt. Neque enim diuisus Christus, sed vnus. Neq; cùm adoraretur tanquam dei filius, natus ex virgine negabatur. Cùm igitur incarnationis adorādum sit sacramentum, incar
Lucæ 1. natio autem opus spiritus sit, sicut scriptum est: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius dei: haud dubiè etiam sanctus spiritus adorandus est, quando adoratur ille qui secūdum carnem natus ex spiritu est. Ac ne quis hoc deriuet ad virginem Mariam, erat tēplum dei, non deus templi. Et ideo ille solus adorādus qui operabatur in templo. Nihil ergo officit quod deus adoratur in spiritu, quia & spiritus adoratur, quanquam si ipsa verba consideremus, quid aliud in patre & filio, & spiritu sancto, nisi eiusdem potestatis vnitatem intelligere debemus? Quid est enim, in spiritu & veritate adorare oportet? si tamen hoc non ad gratiam spiritalem referas, nec ad veræ conscientiæ fidem, sed (vt diximus) personaliter (si tamen dignum hoc verbum est maiestatis expressione diuinæ) de Christo accipias & de spiritu. Quid est ergo, adoratur in Christo pater, nisi quod est in Christo pater, & loquitur in Christo pater, & manet in Christo pater? Non vtiq; quasi corpus in corpore. Non enim deus corpus, nec quasi confusus in confuso, sed quasi verus in vero, deus in deo, lumen in lumine, quasi pater sempiternus in filio coæterno. Non ergo insertio corporis intelligitur, sed vnitas potestatis. Ergo per vnitatem potestatis coadoratur in patre Christus, cùm deus pater adoratur in Christo. Similiter itaque per vnitatem potestatis eiusdem coadoratur in deo spiritus, dum deus adoratur in spiritu. Adhuc verbi istius vim atque sermonis diligentius pertractemus, & proprietatem
Psal. 103. eius ex aliis colligamus. Omnia, inquit, in sapientia fecisti. Quid hic igitur intelligimus exortem factorum esse sapientiā? Sed omnia per ipsum facta sunt. Et Dauid ait: Verbo domini cœli firmati sunt. Ergo ipse qui dei filiū etiam cœlestiū dicit authorem, ita vtique dixit in filio facta omnia, vt in operum instauratione filium à patre minimè separaret, sed patri
Coloss. 1. iungeret. Paulus quoque ait: Quoniam in ipso condita sunt omnia in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia. Nunquid cum dicit, in ipso, negauit per ipsum? Non negauit vtiq; sed asseruit. Deniq; & alibi dixit: Vnus dominus Iesus per quem omnia. Ergo cum dicit per ipsum, negauit in ipso cōdita esse omnia, per quem dicit esse omnia? Hanc vim habent verba hæc, in ipso & cum ipso, vt vnum in his atque consimile non contrarium intelligatur. Quod etiam in inferioribus manifestauit, dicens: Omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Hæc enim tria in Christo vnum esse, cum ipso & per ipsum & in ipso, sicut supra diximus scriptura testatur. Habes enim per ipsum & in ipso condita esse omnia. Accipe etiam, quia cum ipso pater & ipse cum patre erat, cùm omnia conderentur, Sapientia dicit: Cùm pararet cœlum, cum illo eram, cùm faceret fontes aquarum. Et in veteri testamento dicendo pater, Faciamus: ostendit filium secum adorandum quasi omnium conditorē. Sicut ergo in filio creata dicuntur, quorum filius creator accipitur, ita etiā cùm in veritate adorari deus dicitur, verbi ipsius proprietate in eūdem modum frequenter expressa debet intelligi, quod & filius adoretur. Similiter itaque adoratur & spiritus, quia deus adoratur in spiritu. Ergo pater & cum filio adoratur, & cum spiritu, quia trinitas adoratur. An verò negat aliquis adorandam diuinitatem trinitatis æternæ, cùm & scripturæ diuinæ inexplicabilem ma-

A iestatem exprimant trinitatis? sicut alibi ipse Apostolus dicit: Quoniam deus qui dixit de tenebris lumen splendescere illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis dei in faciem Christi Iesu. Nempe hanc claritatē viderūt apostoli, cùm dominus Iesus diuinitatis suæ luce in monte fulgeret: viderunt, inquit, apostoli & in faciem procciderunt. Putásne illos vel cùm procciderent adorasse, cùm fulgorem diuini luminis corporalibus oculis sustinere non possent, & splendor lucis æternæ aciem visus mortalis obduceret? Aut quid aliud tunc temporis dixerunt illi videntes gloriam eius, nisi venite adoremus & procidamus ante eum?

Quia deus spiritus sanctus est secundum apostolum, & quia templum sumus spiritus sancti sicut & dei patris & domini Iesu Christi. *Cap. 13.*

ILluxit enim deus in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis dei in faciem Christi Iesu. Quis est ergo qui illuxit, vt cognoscamus deum in faciem Christi Iesu? Dixit enim, illuxit deus vt cognoscatur claritas
B dei in faciem Christi Iesu: quem putamus alium præter spiritum declaratum? Aut quis est alius præter spiritum sanctum cui diuinitatis potentia deferatur? Qui enim spiritum excludūt, necesse est inducāt alium qui cum patre & filio gloriam diuinitatis accipiat. Eadem igitur verba repetamus: Deus est qui illuxit ad illuminationem claritatis dei in faciem Christi Iesu. Habes Christū euidēter expressum. Cuius ergo claritas illuminare dicitur nisi spiritus? Ipsum ergo deū expressit qui claritatē dei dixit. Si patris, supereſt vt qui dixit de tenebris lumen splēdescere, & illuxit in cordibus nostris, spiritus sanctus intelligatur. Aliū enim non possumus cum patre filióq; venerari. Si igitur spiritum intelligis, hunc Apostolus deum dixit: Necesse est igitur deitatē spiritus etiam vos fateamini qui negatis. Sed quàm impudēter negatis, cùm legeritis quia templum habet spiritus? Scriptū est enim: Templum dei vos 1. Cor. 3.
estis, & spiritus sanctus habitat in vobis. Deus ergo tēplum habet, creatura templum non habet verum, spiritus autem
C habet tēplum qui habitat in nobis. Nam scriptum est: Quia 1. Cor. 6.
membra vestra templum est spiritus sancti. In tēplo autem non quasi sacerdos nec quasi minister, sed quasi deus inhabitat, quoniam ipse dominus Iesus dixit: Inhabitabo in illis & inter eos ambulabo, & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus. Et Dauid dicit: Dominus in templo sancto suo. Psal. 10.
Ergo spiritus habitat in templo sancto suo: sicut habitat pater, habitat & filius qui ait: Ego & pater veniemus, & mānionem apud eum faciemus. Manet autē in nobis pater per spiritum quē dedit nobis. Quomodo igitur potest simul dispar manere natura? Vtique non potest. Manet autē cum patre & filio spiritus sanctus. Vnde & Apostolus cū gratia Iesu Christi & charitate dei communicationem sancti spiritus copulauit, dicens: Gratia domini nostri Iesu Christi & charitas dei & communicatio spiritus sancti cum omnibus vobis. Aduertimus igitur quod pater & filius & spiritus sanctus in vno co
démque per naturæ eiusdem maneāt vnitatem. Ergo diuinæ
D est potestatis qui habitat in templo. Sicut enim patris & filij, ita & spiritus sancti sumus templum, non multa templa, sed vnum templum, quia vnius templum est potestatis.

Quia non tres dij, sed vnus deus. *Cap. 14.*

SED quid veremini, an illud quod oblatrare consuestis, ne tres faciatis deos? Absit. Vbi enim vna deitas intelligitur, vnus deus dicitur. Neque enim cùm filium deum dicimus, duos deos dicimus. Nam si cùm deitatē spiritus cōfitemur, putatis nos tres deos dicere. Ergo & cùm deitatem filij dicitis, quia nō potestis eam negare, duos inducitis deos. Necesse est igitur iuxta sententiam vestram si deum personæ vnius non vnius naturæ nomen putatis, aut duos deos dicatis, aut deum filiū denegetis. Sed excusemus vos ab inscientia, etsi non excusamus à culpa. Etenim secundum nostram sententiam, quia vnus deus, vna diuinitas, & vnitas intelligitur potestatis. Sicut vnum deum dicimus & patrem verum deitatis nomine confitentes, nec filium denegāres: ita etiam spiritum sanctum à deitatis non excludimus vnitate, & tres deos non asserimus, sed negamus, quia pluralitatem nō vnitas

405

tas facit,sed diuisio potestatis. Quomodo enim pluralitatem recipit vnitas diuinitatis, cùm pluralitas numeri sit,numerum autem non recipiat diuina natura?

Quia dominus spiritus sanctus, sicut pater & filius. Cap. 15.

VNus ergo deus, salua maiestate trinitatis æternæ, sicut proposito declaratur exemplo. Nec eo tamẽ solo loco trinitatem videmus nomine diuinitatis expressam, sed cùm plerisque locis,sicut & supra diximus, tum maxime in his epistolis quas ad Thessalonicenses Apostolus scripsit, diuinitatem atque dominatum patris & filij & spiritus sancti euidentissimè declarauit. Sic enim habes: Vos autem dominus multiplicet & abundare faciat charitate in inuicem & in omnes,sicut & nos in vobis ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctificatione coram deo & patre nostro in aduentu domini Iesu. Quis est igitur dominus, qui multiplicet nos & abundare faciat coram deo & patre nostro in aduentu domini Iesu? Patrem dixit,filium dixit:quem ergo cum patre & filio prætet spiritum iunxit? Quis est dominus qui corda nostra in sanctificatione confirmet? Sanctificatio enim gratia spiritalis est,sicut & infra dixit:In sanctificatione spiritus & fide veritatis. Quem putatis ergo hîc dominum, præter spiritum nuncupatum? Hoc deus pater docere vos potuit, qui ait: Super quem videris spiritũ descendentem & manentẽ super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Descendit enim spiritus in specie columbæ, vt & sapientiæ testimonium ferret, & sacramentum lauacri spiritalis impleret, & vnius se cum patre & filio operationis ostenderet. Ac ne per imprudentiam aliquid excidisse Apostolo iudicetis,sed scientem prudentémque & sancto infusum spiritu significasse deum quẽ dominum sentiebat, etiam in secunda ad Thessalonicenses epistola hoc idem repetiuit dicens:Dominus autem dirigat corda vestra in dilectione dei & patientia Christi. Quòd si dilectio dei est,& Christi patientia, dominus qui dirigat debet ostendi, si directionem sancti spiritus denegamus. Sed negare non possumus, quoniam de ipso dominus dixit: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Cum enim venerit spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem.

1.Thes.3.

Ioan.1.

Ioan.16.

Quia bonus spiritus dei,& spiritus veritatis & omnem insinuat veritatem. Cap. 16.

ET Dauid de ipso dicit:Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam. Vide quid de spiritu sancto vox dominica resultet. Filius dei venit,& quia nondum infuderat spiritum, paruulos quosdam nos degere sine spiritu declarauit. Spiritum dixit esse venturum, qui faceret ex paruulis fortiores incremento videlicet spiritalis ætatis. Quod ideo posuit,non quo virtutem spiritus anteferret,sed vt in cognitione trinitatis ostenderet plenitudinem esse virtutis. Necesse est igitur aut quartum aliquem dicatis quem sentire præter spiritum debeatis, aut certè non alium dominum iudicetis nisi spiritum designatum. Quod si euidentem conceptionem verborum exigitis, quibus dominum spiritum scriptura memorauerit, nec id latere vos potuit,quia scriptum est:Dominus autem spiritus est: quod vtiq; dictum esse de spiritu sancto, totius series lectionis ostendit. Et ideo Apostolica consideremus eloquia. Quotiens legitur Moyses, inquit,velamen positum est supra cor eorum. Cùm verò conuersi fuerint ad dominum,auferetur velamen. Dominus autem spiritus est. Vbi autem spiritus domini,ibi libertas. Nõ solùm itaque spiritum dominum dixit,sed etiam addidit:Vbi autem spiritus domini,ibi libertas. Nos itaque omnes reuelata facie gloriam domini speculantes,ad eandem imaginem reformamur à gloria in gloriam, sicut à domini spiritu:hoc est qui ad dominum sumus antè conuersi vt spiritali intellectu quasi in quodam speculo scripturarũ domini gloriam videremus,nunc ab hac gloria quę nos cõuertit ad dominum,in illam cœlestem gloriam reformamur. Ergo cùm dominus sit ad quem conuertimur, domini autem spiritus sit à quo reformamur,qui conuersi ad dominum sumus,dominus vtique spiritus sanctus est designatus. Ipse enim conuersos suscipit qui reformat. Nam quomodo quos non susceperat reformet? Quanquam quid expressionẽ quẽrimus vocis, vbi expressionem cernimus vnitatis? Nam & si dominum spiritúmque distinguas,negare tamen non potes,quia vbi dominus,ibi spiritus. Et qui fuerit conuersus ad dominum, erit conuersus ad spiritum. Si literam calumniaris, vnitatem non inficiaris. Si vnitatem vis secernere,potestatis dominum ipsum spiritum confiteris.

Pſal.142.

2.Cor.3.

A

B

C

D

Quia non tres domini sed vnus dominus. Cap. 17.

SEd fortassis iterum dicas: Si dominum spiritum dixero, tres dominos declarabo. Nunquid cum dominum filium dicis,aut filiumnegas,aut duos dominos confiteris? Absit. Ipse enim filius dixit: Nolite duobus dominis seruire. Sed non vtique aut se, aut patrem dominum denegauit: nam & patrem dominum dixit, sicut habes: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ. Et se memorauit dominum,sicut in euangelio legimus:Vocatis me dominum & magistrum & bene facitis, sum etenim. Sed non duos dominos dixit, imò ostendit se nõ duos dominos dixisse, cum præmonet: Nolite duobus dominis seruire. Non sunt enim duo domini vbi dominatus vnus est,quia pater in filio filius in patre,& ideo dominus vn⁹. Sic & lex docuit: Audi Israel, dominus deus tuus vnus est,hoc est, immutabilis semper, vnitate permanens potestatis,sem per idem nulla accessione, nulla diminutione mutatur. Ergo vnum dixit Moyses,& idem tamen dominum à domino pluisse memorauit. Apostolus quoque: Det, inquit, dominus misericordiam inuenire à domino. Dominus pluit à domino,dominus dat à domino misericordiam: dominus nec ibi discernitur vbi pluit à domino, nec hic separatur vbi miseretur à domino, sed vtroque in loco vnitas dominationis exprimitur. In Psalmo quoque habes: Dixit dominus domino meo. Nec ideo patrem suum dominum denegauit, quia filium dominum suum esse memorauit, sed ideo filium dominum suum dixit, ne crederes filium prophetæ fuisse sed dominum,quod in Euangelio ipse dominus manifestauit dicens: Si enim Dauid in spiritu vocat eum dominum, quomodo filius eius est? In spiritu dicit Dauid dominum,non spiritus dicit. Aut si hinc calumniantur, quia dominum spiritus dixit,necesse est pari sacrilegio filium dei etiam spiritus sancti filium videantur asserere. Ergo quemadmodum duos non dicimus dominos,cùm & patrem & filium designamus,ita nec tres dominos dicimus cùm dominum spiritum cõfitemur. Sicut enim tres sacrilegium est dominos aut deos dicere, ita etiam hoc plenum sacrilegij est, duos dominos aut deos dicere. Quia vnus deus, vnus est dominus,vnus est spiritus sanctus,& qui deus,dominus:& qui dominus,deus:quia & in dominatione diuinitas,& in diuinitate dominatus est. Denique & dominum & deum legisti patrẽ:Domine deus meus clamabo ad te,exaudi me. Et dominum & deum habes filium,sicut in euãgelio legisti, quia cum tetigisset Thomas latus Christi ait: Dominus meus & deus meus. Ergo sicut pater deus & filius dominus,ita & filius deus & pater dominus:alternatur pia significatio,nõ alternatur diuina natura,sed immutabilis manet gratia. Non enim largitatis collatiua sed naturalis placita charitatis sunt, quia & vnitas proprietatem habet & proprietas vnitatem.

Marci 6.

Matt.11.

Ioan.13.

Deut.6.

Matth.22.

Ioan.20

Quia sicut pater sanctus, ita filius sanctus, ita & spiritus dei sanctus. Cap. 18.

ERgo sanctus pater,sanctus filius,sanctus & spiritus,sed nõ tres sancti,quia vnus est deus sanctus, vnus est dominus. Vna est ergo vera sanctitas, sicut vna vera est diuinitas, vna illa sanctitas naturalis. Ideo omnia hæc quæ sancta nos credimus,illam solam prædicant sanctitatem: Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant & dicunt: Sanctus,sanctus, sanctus dominus deus Sabaoth. Non semel dicunt,ne singularitatem credas. Non bis dicunt, ne spiritum excludas. Non sanctos dicunt,ne pluralitatem æstimes. Sed ter repetunt & idem dicunt, vt etiam in hymno distinctionem trinitatis & diuinitatis intelligas vnitatem:hoc cùm dicunt, deum prædicant. Nos quoque nihil preciosius inuenimus quo deum prædicare possimus nisi vt sanctũ appellemus. Quod libet aliud inferius deo,inferius est domino, Ergo hinc quoq; consideratę,

rate,vtrũ aliquid ſancto ſpiritui derogandũ ſit, cuius nomẽ dei laus eſt. Sic enim laudatur pater, ſic laudatur & filius, quemadmodũ ſpiritus nominatur. Et laudat Seraphim,laudat omnis beatorum chorus,vt ſanctum deum dicat,ſanctũ filium,ſanctum ſpiritum. Quomodo igitur nõ omnia habet quæ dei ſunt, qui cum patre & filio à ſacerdotibus in baptiſmate nominatur,& in oblationibus inuocatur,cum patre & filio à Seraphim in cœleſtibus prædicatur, cum patre & filio habitat in ſanctis, infunditur iuſtis,inſpiratur prophetis Vnde & ſcriptura diuina θεοπνεῦστος dicitur, quod eum inſpiret, quod locutus eſt ſpiritus. Aut ſi nolunt omnia habere quæ dei ſunt,& poſſe omnia ſpiritum ſanctũ,dicant quid non habeat,quid ve non poſſit. Nam ſicut omnia habet filius ,nec inuidet pater quominus omnia naturaliter daret filio qui dedit quod maius eſt omnibus,quemadmodũ ſcriptura teſtatur dicens:Pater quod dedit mihi,maius eſt omnibus : ita etiam ſpiritus Chriſti habet quod maius eſt omnibus,quia iuſtitia neſcit inuidiam.Itaq; ſi diligenter aduertamus,etiam hic diuinæ poteſtatis comprehendimus vnitatem : Pater, inquit,quod dedit mihi maius omnibus eſt, & Ioan.10. nemo poteſt rapere ea de manu patris mei. Ego & pater vnum ſumus. Nam ſi rectè ſupra oſtẽdimus manum eſſe dei ſpiritum ſanctum , eadem vtique manus patris eſt quæ filij eſt manus,quoniam idem ſpiritus patris qui ſpiritus filij eſt. Ideo ſicut non rapitur patri, ita non rapitur filio,ita non rapitur & ſpiritui. Quicunque de nobis in hoc nomine trinitatis vitam accipit æternam , ex ipſo vtique quod & dediſſe filio pater, & accepiſſe à filio ſpiritus dicitur,quia ſcriptũ Ibidem. eſt: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annũciabit vobis. Quod de munere magis diſpẽſationis videtur quàm de poteſtatis diuinæ iure dixiſſe : quia quos filius redimit, ſpiritus quoq; ſanctificatorus accipit, Ex iſtis ipſis inquam verbis de quibus calumniam ſtruunt, vnitas diuinitatis aduertitur, non indigentia largitatis. Dedit pater per generationem,non per adoptionem,dedit quaſi id quod eſſet in ipſo diuinæ iure naturæ, non quaſi liberalitatis gratia quod deeſſet. Et ideo quia ſic acquirit filius populos vt pater, ſic viuificat filius vt pater:æqualitatem ſuam ad patrem vnitate poteſtatis expreſſit, dicens: Ego & pater vnum ſumus. Cùm enim dicit,ego & pater,reuelatur æqualitas. Cùm dicit,vnum ſumus,vnitas declaratur. Æqualitas confuſionem excludit, vnitas ſeparationem, æqualitas patrem filiúmque diſtinguit, vnitas patrem filiúmque non ſeparat. Ergo cùm dicit,Ego & pater : Sabellianum repellit, quia alium ſe,aliũ patrem dixit. Repellit Fotinianum, quia ſe cum deo patre iunxit. Illos ſuperioribus repellit, quia dixit : ego & pater. Inferioribus Arrianos, quia dicit:vnum ſums , tamen & in ſuperioribus & in inferioribus hæreticam iugulat ſæuitatẽ Sabellianorum , quia vnum dixit ſumus , non vnus ſumus. Arrianorum,quia ego & pater,nõ pater & ego dixit. Quod vtique non contumaciæ, ſed pietatis & præſcientiæ fuit, ne nos errorem in ordine putaremus.Neſcit enim vnitas ordinem.Gradum neſcit æqualitas,nec cadit in dei filium vt per contumatiam pietatem læderet magiſter ipſe pietatis. Refert itaque aduertere quo loci hæc dominus diſputauerit. Frequenter enim eius oracula ex locorum in quibus diuerſatus eſt qualitatibus æſtimamus. Ieiunaturus ab ſpiritu, ſicut legimus, ducitur in deſertum, vt euacuaret diaboli tentamenta. Nam & ſi in abundantia copiarum continenter vixiſſe laudandum eſt, tamen in diuitiis & amœnitatibus frequentior tentationis illecebra eſt.Denique tentator vt tentet,copias pollicetur. Et dominus vt vincat , famem nutrit. Nec ego diffiteor in diuitiis eſſe poſſe continentiam.Sed & qui mare nauigat,frequenter euadit,magis tamen obnoxius eſt periculo quàm qui nauigare noluerit. Videamus cætera. Promiſſurus regnum cœlorum Ieſus mõtem aſcendit. Alibi per ſata ducit diſcipulos , ſeminaturus in eorum affectibus cœleſtium ſegetem præceptorum,vt meſſis animorum fœcunda flaueſceret. Conſummaturus ſuſceptæ carnis officia,cùm perfectionem in diſcipulis iam videret, quos verborum ſuorum radice fundauerat , hortum ingreditur , vt olearum nouellas in domo domini plantaret, & iuſtum palmæ florentem modo vitémque fœcundam riuo ſui ſanguinis irrigaret. Hoc quoq; loco in porticu Salomonis deambulat,dedicationis vt legimus die,hoc eſt in pectore ſapientis atque pacifici deambulat Chriſtus, eius ſibi dedicaturus affectum. Quæ iſta porticus ſit, docet propheta dicens:Deambulabam in innocẽtia cordis mei in medio domus meæ. Habemus ergo in nobis domum dei. Habemus atria,habemus & porticus, qui habemus & plateas,quia ſcriptum eſt: Inque plateis tuis ſuperfluant aquæ tuæ. Dilata ergo hanc porticum tui cordis porticu dei verbo, qui dicit: Dilata os tuum, & adimplebo illud.Ergo deambulans in corde ſapiẽtis atque pacifici dei verbum,audiamus quid loquatur:Ego & pater vnum ſumus. Non dicit hoc in pectore perturbatoris & ſtulti,quia animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus dei,ſtultitia enim illi eſt. Non capiunt fidei magnitudinem anguſta impiorum pectora.Denique Iudæi audientes, Ego & pater vnũ ſumus, tulerũt lapides vt lapidarent eum, Qui hoc audire non poteſt, Iudæus eſt:qui hoc audire non poteſt, lapidat Chriſtum aſperioribus omni caute perfidiæ ſuæ ſaxis. Et ſi mihi creditis vulnerat Chriſtum. Nam & ſi ille iam vulnus ſentire non poſſit, (nunc enim ſecundum carnem iam non nouimus Chriſtum.)tamen Arrianorum impietate lapidatur,qui eccleſiæ pietate lætatur. Bonum mihi eſt domine lex oris tui, ſeruo præceptum tuum . Vnum te eſſe cum patre ipſe dixiſti , quia hoc credidit Petrus, claues regni cœlorum accepit, & ſui ſecurus peccata donauit. Quia hoc non credidit Iudas,impietatis ſuæ ſe laqueo ſtrangulauit. O dura infidelium ſaxa verborum. O informem laqueum proditoris, ſed deformius precium Iudæorum, argentum inprobum,quo aut emitur ad necem iuſtus,aut venditur. Ioſeph venditus , emptus Chriſtus : alter ad ſeruitutem,alter ad mortem.Deteſtabilis hæreditas,feralis auctio, quæ aut fratrem vendit iniuriæ, aut dominum licitatur exitio,ſalutis omnium redemptorem.Duo igitur quæ præſtantiora ſunt omnibus, Iudæa violauit, fidem atque pietatem: ſed in vtroque Chriſtum fidei & pietatis authorem. Nam & in patriarcha Ioſeph typus Chriſti fuit, & in veritate ſui corporis Chriſtus : Qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed formam ſerui accepit. Propter lapſus videlicet noſtros ſuſcipiens ſeruitutem , nec refugiens paſſionem, alibi viginti aureis emitur,alibi triginta. Quomodo enim poterat verum eius precium comprehendi,cuius non poteſt meritum definiri? Erratur in precio, quia erratur in ſtudio. Viginti aureis in veteri teſtamento venditur triginta in Euangelio. Precioſior enim typo veritas , largior gratia quam diſciplina. Opimior lege præſentia,quia lex promiſit aduentum,legem aduentus impleuit. Viginti aureis emunt Hiſmaelitæ, triginta Iudæi. Nec hic figura mediocris. Ad ſacrilegium perfidi largiores quam ad ſalutem fideles ſunt. Vtriuſque tamen contractus conſiderari conuenit qualitatem. Viginti aurei precium ſeruituris , triginta aurei crucis ſunt. Quanuis enim ſimili modo aſſumptionis & paſſionis ſint admiranda myſteria , plenitudo tamen fidei in ſacramento eſt paſſionis. Non minoris quidem æſtimo ſanctæ virginis partum, ſed gratius ſumo benedicti corporis ſacramentum. Quid clementius quàm quod mihi ſuas donauit iniurias? Plenius tamen eſt, quod tantum contulit nobis,vt qui moriturus non erat,quia deus erat, noſtra ille morte moreretur, vt nos eius ſpiritu viueremus. Denique non ocioſè & Iudas Scarioth vnguentum illud trecentis denariis æſtimauit,quod vtique ipſius precij definitione crucem videretur domini declarare. Vnde & dominus ait:Hæc enim Matth.26. mittens hoc vnguentum in corpus meum ad ſepeliendum me fecit. Cur igitur Iudas hoc carius æſtimauit? Quia peccatoribus pluris conſtat remiſſio peccatorum,& indulgentia videtur eſſe precioſior. Denique habes ſcriptum : Quia Lucæ 7. cui multum dimittitur, plus diligit . Ergo & ipſi peccatores dominicæ paſsionis quam perdiderunt gratiam confitentur & teſtimonium ferunt Chriſto,qui Chriſtum ſunt perſecuti. Aut quia in maleuolam animam nõ intrat ſapientia, etiã hoc loquebatur proditoris affectu: carius æſtimabat dominici corporis paſsionem, vt omnes à fide precij enormitate reuocaret. Ideoque dominus gratis ſe obtulit, ne quem reuocaret à Chriſto paupertatis neceſsitas. Patriarchæ cum

409

vili vendiderunt, vt omnes emerent. Esaias dixit: Quicunq; Esaiæ 55. non habetis argentum, venite emite & bibite: manducate sine argento, vt eum acquireret qui non habebat argentum. O Iuda proditor, vnguentum passionis eius trecentis denariis æstimas, & passionē eius triginta denariis vendis? Dives in æstimatione, vilis in scelere. Ergo non omnes eodē precio emunt Christum. Alio emit Fotinus qui ad mortem emit, alio Arrianus qui emit ad iniuriam, alio catholicus, qui emit ad gloriam. Sed emit sine precio, secundum quod scriptum est: Qui non habet pecuniam, emat sine precio. Non Matth 7. omnes, inquit, qui dicunt mihi domine domine, intrabunt in regnum cœlorum. Et si multi se nominent Christianos, nomen vsurpant, non omnes mercedem habent. Et Cain obtulit sacrificium, & Iudas accepit osculum, sed audiuit: Iuda osculo filium hominis tradis? hoc est amoris pignore sceLuc. 22. lus imples, & pacis instrumento odia seris, & charitatis officio mortem irrogas? Ergo nec Arriani sibi vsurpato nomine blandiantur, quia Christianos se esse dicunt. Respōdebit eis dominus: Nomen meum prætenditis, & substantiam denegais, sed non agnosco nomen meū vbi non est mea sempiterna diuinitas. Non est nomen meum quod à patre diuiditur, ab spiritu separatur, non agnosco nomen meum vbi non agnosco doctrinam meam: non agnosco nomen meum, vbi non agnosco spiritum meum. Nescit enim se spiritus patris comparare seruitiis quæ creauit. De quo multa diximus.

Collectio, quia spiritus deus, quoniam & sine peccato est, & peccata donat, & creator est, & seruimus ei, & adoratur. Hæc enim omnia dei sunt, & quia a morte suscitat. Cap. XIX.

AD summam tamen, vt in fine quæ dispersè dicta sunt, expressius colligamus, cùm ex cæteris, tum ex quatuor istis prę cæteris manifesta diuinitatis gloria comprobatur. Deus enim ex eo cognoscitur, aut quia sine peccato est, aut quia peccata condonat, aut quia creatura non est, sed creator est, aut quia non adorat sed adoratur. Sine peccato itaque nemo est, quia nemo sine peccato nisi vnus deus. Peccata quoq; nemo condonat, nisi Lucæ 5. vnus deus, quia æquè scriptum est: Quis potest peccata donare nisi solus deus? Creator quoque omniū non potest esse nisi qui creatura non est, qui creatura autē non est, sine duRoman. 1. bio deus est, quia scriptum est: Seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est deus benedictus in secula. Deus quoque non adorat, sed adoratur, quia scriptum est: Dominum deum tuum adorabis & illi soli seruies. Consideremus ergo vtrum horum aliquid habeat spiritus sanctus, quæ testimonium afferant diuinitatis. Primum igitur de eo tractemus, quia nemo sine peccato nisi vnus deus. Exigamus vt doceāt quod peccatum habeat spiritus sanctus. Sed docere non possunt, & authoritatem requirunt, vt lectione doceamus, quia non peccauit spiritus sanctus, sicut de filio lectum est, quia peccatū non fecit. Et hoc accipiant scripturarum authoritate Sapien. 7. nos docere. Scriptum est enim: Quia in sapientia est spiritus intelligentiæ spiritus vnicus, multiplex, subtilis, bene mobilis, disertus, immaculatus. Immaculatus dicit scriptura: Nunquid mentita est de filio, vt de spiritu credas esse mentitam? Dixit enim Propheta in eodem loco de sapiētia, quia nihil maculosum in illam incurrit. Ipsa immaculata est, & immaculatus eius est spiritus. Ergo si peccatum non habet spiritus, deus est. Sed quomodo reus potest esse peccati qui donat ipsa peccata, & peccatum non fecit? Et quia sine peccato est, creatura non est. Omnis enim creatura peccatorum capacitati obnoxia est, sola autem est à peccato immunis & immaculata sempiterna diuinitas. Nūc videamus Ioan. 20. vtrum peccata donet spiritus. Sed hinc dubitari non potest, cùm ipse dominus dixerit: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remissa erunt. Ecce quia per spiritum sanctum peccata, donantur. Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in patris & filij & spiritus sancti nomine peccata dimittuntur. Isti rogāt, diuinitas donat: humanum enim obsequium, sed munificentia supernæ est potestatis. In baptismo quoque peccata donari non est ambiguum. In baptismo autem operatio patris & filij & spiritus sancti est. Ergo si peccatū non habet spiritus, cùm scriptum sit: Quis potest dimittere peccata nisi vnus deus? vtique qui non potest ab vnitate naturalis nominis separari, non potest etiam à dei potestate secerni. Si autem à dei non secernitur potestate, quomodo à dei appellatione secernitur? Videamus nunc vtrum creatura sit, an creator. Sed cùm supra creatorem euidentissimè probauerimus, quia scriptum est: Spiritus diuinus qui fecit me: & innouari faciem terræ per spiritum, & sine spiritu facessere omnia declaratum sit: apparet spiritum esse creatorem. Sed quis hoc dubitet, quando sicut supra ostendimus, ne domini quidem ex virgine assumpta generatio, quæ præstantior omnibus creaturis est, operationis exors sit spiritalis? Non ergo creatura spiritus, sed creator est, qui autem creator, nō vtique creatura. Et quia creatura non est, sine dubio creator est omniū qui patri & filio cooperator est in omnibus. Si autem creator, vtique dicendo Apostolus, in condemnationem gentilitatis, quia seruierunt creaturæ potius quàm creatori qui est deus benedictus in secula: suadēdo quoque, vt supra docuimus, seruiendum esse spiritui sancto, & creatorem ostendit, & quia creator est deum appellari debere monstrauit. Quod etiam in epistola quæ ad Hebræos scripHebr. 3. ta est, comprehendit dicens: Quoniam qui omnia creauit deus est. Aut dicant igitur quid sit quod sine patre & filio & spiritu sit creatum, aut spiritū quoque vnius cum patre & filio deitatis esse fateantur. Adorandum quoque docuit, quem dominum & deum dixit. Qui enim deus vniuersitatis & dominus, vtique ab omnibus adorandus est. Sic enim scriptum est: Dominum deum tuum adorabis, & ipsi soli ser Matt. 4. uies. Aut dicant vbi legerint, quia adorat spiritus. Dictum est enim de dei filio: Adorent eum omnes angeli eius. Non Hebr. 1. lectum est, adoret spiritus. Quomodo enim potest adorare, qui non inter famulos & ministros est? Sed cum patre & filio seruitia habet subiecta iustorum, quia scriptum est: Spi- Philipp. 3. ritui dei seruimus. Adorandus igitur est nobis, cui seruiendum à nobis Apostolus docuit. Cui autem seruimus, hunc & adoramus. Iuxta quod scriptum est, vt eadem sæpe repetamus: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies: quanquam nec hoc prætermiserit apostolus, quin & spiritū diceret adorandum. Cùm enim docuerimus quia spiritus in prophetis est, nec hoc quisquam possit ambigere, quia per spiritum prophetia datur, vtique cùm adoratur qui in prophetis est, idem spiritus adoratur. Itaque sic habes: Si conue 1. Cor. 14. niat vniuersa ecclesia in vnum & omnes linguis loquantur, intret autem idiota aut infidelis, nónne dicent quod insanitis? Sin autem propherent omnes, intret autem quis idiota aut infidelis, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ob omnibus. Occulta etiam cordis eius manifesta fiunt, & ita cadēs in faciem adorabit deum, pronuncians quòd verè deus sit in vobis. Deus est ergo qui adoratur, deus qui manet & qui loquitur in prophetis: manet autem & loquitur spiritus. Ergo & spiritus adoratur. Itaque sicut pater & filius vnū sunt, quia filius omnia habet quæ pater habet: ita & spiritus vnū est cum patre & filio, quia & ipse omnia dei nouit. Non enim extorsit, ne sit amittētis iniuria: nō rapuit, ne damnum sit eius cui videtur ereptum. Neque enim aut per indigentiam rapuit, aut per excellentiam virtutis validioris extorsit, sed per vnitatem possidet potestatis. Ergo si hæc omnia operatur, quia omnia operatur vnus atq; idem spiritus: quomodo non deus, qui omnia habet quæ deus habet? Aut consideremus quid habeat deus quod non habeat spiritus sanctus. Habet deus pater diuinitatē, habet & filius, in quo habitat plenitudo diuinitatis, habet spiritus, quia scriptum est: Spiritus diuinus qui est in naribus meis. Habet deus vt scru Iob 27. tetur corda & renes: habet & filius qui dicebat: Quid cogi- Matth. 9. tatis in cordibus vestris mala? Sciebat enim Iesus cogitationes eorum. Habet & spiritus, qui etiam prophetis alieni cordis occulto manifestat, sicut supra diximus, quia occulta cordis manifesta fiant. Et quid miramur si hominum scrutatur occulta, qui scrutatur etiā alta dei? Habet deus vt verax sit, quia scriptum est: Sit autem deus verax, omnis autē homo Roma. 3. mendax. Et alibi scriptum est: Fidelis deus, qui non mentitur. Nunquid mētitur spiritus, qui est spiritus veritatis, imò

quem

quem docuimus veritatem dictum, quia & ipsum Ioannes veritatem sicut filium nuncupauit? Et in Psalmo ait Dauid:
Psal.42. Emitte lucem tuam, & veritatē tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Si lucem hic filium putas, ergo spiritus veritas est. Aut si filium putas veritatem, ergo spiritus lux est. Habet deus nomen super omne nomen, & dedit filio nomen sicut legi
Philipp. 2. mus, vt omnes in nomine Iesu genu flectant. Hoc nomen vtrū habeat spiritus cōsideremus. Sed scriptum est: Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritussancti. Habet ergo nomen super omne nomen. Quod ergo habet pater & filius, habet & spiritus per naturalis nominis vnitatem.

Quia sicut pater & filius, ita & spiritussanctus suscitat mortuos. *Caput XX.*

HAbet deus quod suscitat mortuos. Sicut enim pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Suscitat autē etiā spiritus per quem deus suscitat: quia scriptū est: Viuificabit & mor-
Roma.8. talia corpora vestra propter inhabitantē spiritū eius in vobis. Tamē ne infirmā gratiā putes, audi quia & spiritus susci-
Ezech.37. tat. Dicit enim propheta Ezechiel: Veni spiritus & insuffla in mortuos istos & viuent, & prophetaui sicut mādauit mihi, & intrauit in eos spiritus vitę, & vixerūt & steterūt in pedibus suis cōgregatio nimis multa. Et infra deus dicit: Scietis quod ego sum dominꝰ cū aperiā sepulchra vestra, & educā de sepulchris populū meū, & dabo spiritū meū in vos, & viuetis. Vtiq; cùm spiritū suū dixerit, nunquit alium præter spiritum sanctum nuncupauit? Neq; enim flatilem spiritum suum diceret, nec hic spiritus à quatuor mūdi posset venire cardinibus, quia ventorum flatus hic quem videmus, partis non vniuersitatis est. Et hic spiritus quo viuimus, singulorum non vniuersorum est. Spiritus autem sanctus est, vt & super omnes, & in omnibus sit. Itaque ex verbis propheticis spectare licet, quemadmodum ossa dudum resolutorū membrorum compage dispersa in formam rediuiui corporis viuificante spiritu reuertantur, & in suos artus fauilla concrescat, sensu prius animata coeundi, quàm specie reformata viuēdi. Nónne in facti similitudine vnitatem diuinæ recognoscimus potestatis? Sic suscitat spiritus sicut & dominus in passione propria suscitauit, cùm subitò in momēto oculi defunctorum sepulchra patuerūt, & rediuiua corpora surrexere de tumulis mortis, quæ fœtore detersо ac vitæ odore reparato expirantium fauillæ spirantium faciem receperunt. Habet ergo spiritus quod habet Christus, Habet igitur quod habet deus, quia omnia quæ habet pater, habet filiIoan.16. us. Ideoque dixit: Omnia quæ habet parer mea sunt.

Quia spiritus in dei sede, & vnum regnum patris, & filij & spiritussancti indiuisum. *Caput XXI.*

NEc illud mediocre, quod de throno dei exire fluuium legimus. Sic enim habes dicente Ioanne Euangelista: Et ostendit mihi flumen aApoca. 22. quę viuę, splendidū tanquam crystallum procedens de sede dei & agni, in medio platæ eius, & ex vtraque parte lignū vitę, faciens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructū suum, & folia ligni ad medicinam omnium gentium. Hic est vtique fluuius de dei sede procedens, hoc est, spiritussanctus: quem bibit qui cre-
Ioan.7. dit in Christū, sicut ipse ait: Qui sitit veniat ad me, & bibat. qui credit in me, sicut dicit scriptura: Flumina de vētre eius fluent aquę viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu. Ergo flumē est spiritus. Hic igitur est in dei sede. Neq; enim aqua abluit dei sedē. Denique Dauid nō supra sedem dei dixit, sed supra cœlos esse, quā libet illam intelligas aquam. Quia scriptum
Psal.148. est: Et aquę quę super cœlos sunt, laudent nomen domini. Laudent dixit, non laudet. Nam si aquæ elementum voluisset intelligi, laudet vtique dixisset. Dicendo autem pluraliter, virtutes voluit æstimari. Et quid mirum si in sede dei spiritus sanctus est, cùm ipsum regnū dei operatio spiritus sit,
Rom. 14. sicut scriptum est: Quia non est regnum dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto? Et ipse cùm
Lucæ 11. dicit saluator: Omne regnum in seipsum diuisum destruetur. Deinde subiiciendo: Quod si in spiritu dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum dei. Ostendit regnum sibi indiuisum esse cum spiritu. Quid autē dementius quàm vt neget quisquam Christo conregnare spiritum sanctum, cùm etiā nos in Christi regno conregnaturos Christo Apostolus dicat? Si enim cōmortui sumus, & conuiuemus: si sus- 2.Tim.
stinemus, & cōregnabimus. Sed nos per adoptionē, ille per potestatē: nos gratia, ille natura. Habet igitur consortium regni cum patre, & filio etiam spiritus sanctus, qui vnius naturæ, vnius dominationis, vnius etiam potestatis est.

Quia dominus Sabaoth etiam spiritussanctus. *Cap. XXII.*

TAque cùm habeat consortiū regni, quid obstat quo minus spiritum sanctū intelligamus, à quo Esaias missus est? Neque enim Paulo possumus authore dubitare, cuius sententiam in Actibus Apostolorum Lucas euāgelista sic probauit vt scriberet. De Acto.28.
nique sic habes dicente Paulo: Bene locutus est spiritus per Esaiam ad patres nostros dicens: Vade ad plebem istam, & dic: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non aspicietis. Spiritus ergo est qui misit Esaiam. Si spiB ritus misit, spiritus est vtique quem mortuo Ozia rege vidit Esaias quando dixit: Vidi dominum sedentem super Esaiæ 6.
thronum excelsum & eleuatum, & plena erat domus maiestatis eius, & Seraphim stabant in circuitu eius, sex alæ vni, & sex alæ alteri, & duabus velabant pedes, & duabus velabāt faciem, & duabus volabāt & clamabāt alter ad alterū, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus deus sabaoth, plena est vniuersa terra maiestate eius, Si stabant seraphin, quomodo volabant? Si volabant, quomodo stabant? Si hoc non possumus comprehendere quomodo deū comprehendere volumus quem non videmus? Sed sicut rotam intra rotam vidit propheta currentem, quod vtique non ad corporalis refertus speciem visionis, sed ad vtriusque gratiam testamenti, eo quòd teres vita sanctorum sit, & ita sibi concinēs, vt superioribus posteriora respondeant. Rota igitur intra rotam est vita sub lege, vita sub gratia, eo quod Iudæa intra eccleſiam sit, lex intra gratiam. Nam intra eccleſiam est, qui Iudæus est in occulto, & circuncisio cordis intra eccleſiæ sa-
C cramētum est. Sed illa Iudæa intra eccleſiā, de qua scriptum est: Notus in Iudæa deus. Ergo sicut rota intra rotam currit, Psalm.7
similiter alę stabant, & alę volabant. Similiter & seraphin duabus alis faciem, & duabus alis pedes velabant, & duabus volabant. Nam hic quoque spiritalis sapientiæ sacramentum est. Stant tempora, volant tempora. Stant præterita, volant futura. Et quasi alæ seraphin, ita faciem dei vel pedes velant: eo quod in deo qui nec principium nec finem habet, omnis ab hac cognitione principij eius & finis cursus temporum feratur. Stant ergo præterita vel futura, præsentia volant. Ne quære principij eius vel finis arcana quæ non sunt. Habes præsentia, sed laudato, non discute. Seraphin indefessis vocibus laudant, & tu discutis? Quod vtique cùm faciunt, ostendunt nobis non aliquando discutiendum deum, sed semper esse laudandum. Ergo dominus sabaoth, & spiritussanctus est.

Quia omnipotens etiam spiritus dei. *Cap. XXIII.*

AIsi fortè displicet impiis doctor quem Christus elegit, aut dominum virtutum negare possunt spiritum sanctū, qui donet quas voluerit ipse virtutes. Nunc vnitatem maiestatis licet in patre filióque & sancto spiritu cognoscere. Nam plerique dicunt patrem deum ab Esaia hoc tempore visum. Paulus spiritum dixit, Lucas probauit, Ioannes euangelista ad filium retulit. Sic enim scriptum est de filio: Hæc locutus est Iesus & abiit & Ioan.12.
abscondit se ab his. Cùm autem tanta signa feciſſet coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaiæ impleretur quem Esaiæ 53.
dixit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcauit oculos eorum & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & corde intelligant & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaias, quando vidit maiestatē eius, & locutus est de eo. Ipsa verba dixit Ioannes dixisse Esaiam, & maiestatem ei filij apparuisse euidentissimè reuelauit. Paulus autem spiritum hæc dixisse memorauit. Vnde igitur ista diuersitas? Diuersitas quidem verborum

verborum non sensuum est. Nam licet diuersa dixerint, nul
Ioan.14 lus errauit: quia & pater videtur in filio qui dixit: Qui me
1.Cor.13. videt, videt & patrem. Et filius videtur in spiritu, quia sicut
nemo dicit dominum Iesum nisi in spiritu sancto, ita non
carnali oculo, sed spiritali gratia Christus videtur. Vnde &
scriptura ait: Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illu-
cescet tibi Christus. Et Paulus cum oculos perdidisset, quo
modo nisi in spiritu Christum videbat? Vnde & dominus
ait: Ad hoc enim tibi visus sum, vt constituerem te ministrũ
& testem quibus vidisti me, & in quibus visurus es. Nam &
prophetæ spiritum accipiebant, & Christum videbant. Vna
igitur visio, vna præceptio, vna maiestas. An negas etiam do
minum maiestatis esse spiritum sanctum, cùm dominus ma-
iestatis sit crucifixus, qui natus est de spiritu sancto & vir-
gine Maria, quia non alter Christus, sed vnus est, & ante se-
cula ex patre vt dei filius natus, & in seculo vt homo carnis
assumptione generatus? Quid autẽ dicam, quia sicut pater
& filius, ita etiam spiritus immaculatus est & omnipotens?
quia Græcè παντοκράτωρ, παῦ ὅλα κρατεῖ, Salomon dixit, eo quod
Sapien 7. omnipotens & speculator sit omnium, sicut lectum esse in
libro Sapientiæ supra est demonstratum. Ergo & spiritus
in honore est & in maiestate: intuere nunc, ne quid eum
forte non deceat: aut si tibi displicet Arriane, detrahe eum
de patris filiique consortio. Sed si detrahere volueris, cœ-
lum supra te verti videbis, quia virtus eorum omnis ab spi-
ritu est: Si detrahere volueris, in deum tibi prius mittenda
est manus, quia deus spiritus. Sed quomodo detrahes eum,
qui alta scrutatur dei?

FINIS.

CAPITA LIBRI DE FIDE ORTHODO XA CONTRA ARRIANOS.

Quòd nihil periculosius iis hæreticis esse possit, quibus mul
ta nobiscum paria sunt: qui cum integrè per omnia decur
rere videantur, vno tamen verbo meram ac simplicem fi
dem inficiunt. Quódque sublato nomine substantię, quod
isti de Euangelica & Apostolica fide patrúmque traditio-
ne auferre volunt, subtiliter Arriana hæresis intromitta-
tur. Et qua ratione istud nomen tollere laborauerint.
Caput I.
De confutatione hæresis Arrianorum per firmissimas ratio
nes, & euidentia sacræ scripturæ testimonia, eo quod ita
deum filium de deo ponant, vt ex deo factus sit, non ex
deo natus, & quod homousion, id est, vnius substantiæ vo
cabulum auferant, illámque sapientiam quæ dei filius est,
creaturam intelligant. Caput II.
De destructione rationum, quibus Arriani errorem suum
defendere conantur, præcipue dicentes ideo homousion
nominari non oportere, quia in scripturis diuinis non con
tineatur. Cap. III.
Quo argumento Arriani deum non esse substantiam pro-
bare cõtendant, & de subtili illius dissolutione. Cap. IIII.
Quòd cùm vnitas substantiæ in patre & filio non solũ pro-
phetica, sed & euangelica authoritate comprobetur, non
possit dici in scripturis diuinis homousion non inueniri.
Et quæ sit ratio nominis. Quòd præterea si ad aliquam si-
militudinem velit Arrianus in deo comparationem face-
re, non possit expressius comparatum diffinire, nisi cum
dicat lumen ex lumine. Cap. V.
Quid sit deus, & vtrum ei aliquid possit comparari. Quem-
admodum etiam ratio quædam sit quæ apud Græcos lo-
gos nominatur, quæ inter patrem & filium personas vel
vocabula distinguit. Et quod illa ratio multis nominibus
appelletur, ac qua de causa singula de filio dicantur.
Caput VI.
De remotione occasionis erroris quam hæreticus Arrianus
ex hoc capere posset, quod duo nomina vel duæ personę,
id est patris & filij statuuntur, quasi duo dij dicantur.
Caput VII.
De apertione totius mysterij hæresis Arrianæ cur noluerit
filium de substantia patris credi, & de responsione ad mo
tiua Arrianorum, quódq; multum interfit inter ea quę fa-
cta sunt, & eum qui omnia fecit. Et quemadmoduin mul
tis ac variis figuris deus se patribus præostenderit, qui ta
men secundum deitatem videri non potuit. Cap. VIII.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE FIDE

Orthodoxa contra Arrianos Liber vnus.

Quòd nihil periculosius iis hæreticis esse possit, quibus multa no biscum paria sunt, qui cum integrè per omnia decurrere videantur, vno tamen verbo meram ac simplicem fidem inficiunt. Quódque sublato nomine substantiæ quod isti de euangelica & apostolica fide patrúmque traditione auferre volunt, subtiliter Arriana hæresis intromittatur. Et qua ratione istud nomen tollere laboraverint. *Caput 1.*

B Vltas quidem & graues hæreses noui
mus à plurimis ebullire, & veneni vi-
ce ad intimum pectus canceris sui vi
rus infundere. Sed vinci illi vel facile
possunt, vel facile vitari, quorum pri-
ma propositione omne consilium pe
ctoris proditur. At verò hi quib⁹ mul
ta nobiscum paria sunt, facile possunt
innoxias mentes, & soli deo deditas, fraudulenta societate
percutere, dum malorum suorum virus per bona nostra de-
fendunt. Nihil enim periculosius his hæreticis esse potest,
quàm qui cũ integrè per omnia decurrant, vno tamen ver-
bo, ac si veneni gutta merã illam ac simplicem fidem domi-
nicæ, & exinde apostolicæ traditionis inficiant. Vnde vehe-
menter nobis cauendum est, ne se vel sensibus vel auribus
nostris huiusmodi aliquid latenter insinuet: quia nihil tam
C cogit in mortem quàm sub obtentu fidei fidem violare. Vt
enim gypsum aqua permixtum, lac colore mentitur: ita hic
per verisimilem confessionem traditio inimica suggeritur.
Qua de re non similitudo confessionis, sed sensus mẽtis est
ponderandus quo confessio ipsa firmatur. Denique si dili-
gentius & accuratius attẽdatis, cur voluerint de euangelica
& apostolica fide, & de patrum traditione substantiæ no-
men auferri, proculdubio probatis hæresim Arrianam sub
tili compendio breuiatam, sublato hoc nomine intromis-
sam. Nec hoc quidem ego suspicione aut opinione colle-
ctum affirmo. Nec vti ipsi putant Academicus disputator
assisto, vt simplices sensus verborum subtilitate cõtorqueã,
sed vt contortos, & prauos tenui argumento compositos in
lucem cognitionis exponam, quo facilius possit cognita, &
cõperta iniquitas ab hominibus cuitari. Quæ etenim cau-
sa, quæue ratio extitit, vt quod docendum & quod creden-
dum cunctis ecclesis fuerat traditum, quódque patres no-
stri apostolici viri contra vniuersas hæreses, & maximè Ar-
rianam, quasi quendam obicem veritatis, quo omnes aditus
D pestiferæ doctrinæ obstruerent, sancto spiritu mundati, ca-
tholica ratione posuerunt, non sine magno nisu ab his qui
tũc * eloquio Arrianæ labis addicti sunt, laboretur auferri, * elogio.
nisi vt filium dei mutabilem, & conuertibilem, vtpote non
de propria patris substantia constitisse confingãt: cui & ini-
tium ex tempore, & ortum ex nihilo, nomen ex altero, vt
semper docuerũt, propter quod & sæpe damnati sunt, nunc
iam liberè, & securè incunctantérque ecclesis tradere, &
insinuare possint.

De confutatione hæresis Arrianorum per firmissimas rationes & euidentia sacræ scripturæ testimonia, eo quod ita deum filium de deo ponant, vt ex deo factus sit, non ex deo natus. Et quòd homousion, id est, vnius substantiæ vocabulum auferant, illãque sapientiam quæ dei filius est, creaturam intelligant. *Caput II.*

Videtis ergo omnia eos in tractatu ipsorum, nõ eu-
angelica fide, sed subdola malignitate ad seducen
dos simplices quosque posuisse. Nam iam tam su
spectum quàm manifestũ omnibus esse debet, ita
eos deum de deo posuisse, vt Arrius tradere solebat, vt ex
deo

deo factus sit, non ex deo natus. Qui si natus est, vnius substantiæ est. Si factus est, verus filius non est. Et si verus filius non est, nec verus deus est. Aut si verus deus est, & de patre non est, duo sunt habẽtes singuli & voluntates proprias, & imperia diuersa. Vel si concordia tantum & societate vnum sunt, non tamen & substantia: verus, vt iam dixi, deus non est. Sic erit deus vt Moyses Pharaoni, potestate, non genere. Filius quoque ita credendus erit, vt per Esaiam populo
Esaiæ 1. dictum est: Filios genui & exaltaui. Et alibi, Dij estis & filij
Psalm. 81. altissimi omnes. Sed & primogenitus ita habebitur, quomodo & Israel à deo primogenitus filius appellatus est. Necnon & primogenitus totius creaturæ, quasi in ordine factorum primogenitus habeatur, vt ex eo seriem quandam creandis mundi rebus assignent. Denique sublato homousion, id est vnius substantiæ vocabulo, similem gestori suo posuerunt, cum aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam & homo ad imaginem & similitudinem dei factus est, nec tamen deus est. Nec quod deus est, homo extitisse credendus est. Ita & filium dei similem volunt, vt eum aliunde similem, nõ de ipsa vna sancta & beata patris substantia dicant. Qui si de patris substantia non est, ἐξ ὐκ ὄντων est, id est de nullis extantibus vt idem Arrius tradidit. Sublato enim, vel id quod pater est, vndecunque fuerit filius, necesse est vt & initium ex nihilo & ortum ex tempore habeat. Nihil enim sine in-
Ioan. 10. tio nisi solus deus. Vnde & filius siue ipse dominus ait: Ego & pater vnum sumus: Quod ideo dixit, vt duarum personarum vocabula in vnius deitatis maiestate monstraret.
Psalm. 44. sicut & Propheta ex voce dei: Eructauit, inquit, cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Vides ergo hoc verbum bonum filium dei esse, quem non aliunde nisi de paterno pectore (& vt ita dixerim) de vtero cordis dei cre-
1. Tim. 6. dimus natum. Et proinde eum regem appellat, quia ipse est rex regum. Deum dominum cui omnia diuina opera succumbunt, qui dixit: Omnia quæ pater habet mea sunt. De
Ioan. 16. Ioan. 1. hoc & Euangelista: In principio, inquit, erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Igitur quod in principio erat, semper fuisse credendum est. Sed nec aliũde esse quàm ex eo qui principium non habet, id est de corde patris qui eructauit, inquit, cor meum verbum bonum. Nõ enim dixit: In principio factum est verbum, sed in principio, inquit, erat verbum. Quodcunque principium verbi assignare volueris, præiudicatũ habebis, quia in principio, inquit, erat. Non quod duo principia ex rerum diuersitate dicamus, sed quia sermo filius semper cum patre est, & de patre natus est. Ac proinde cuius origo principium non habet, sempiternus cum patre credendus est, quia nec pater potest vnquam sine filio nominari, nec filius sine patre vocari, ac per hoc semper filius, quia semper pater. Et deus, inquit, erat verbum. Quod deus est, semper est, ne si semper non fuerit, verus deus semper esse non possit: sicuti & in sophiæ nomine, quia secundum Apostolum ipse est sapientia pa-
Eccles. 24. tris. Ego, inquit, ex ore altissimi prodiui. Non ergo aliunde quàm de patre, quia semper cum patre. Et ideo sapientia dei appellatur, vt nunquam pater sine sapientia, hoc est sine filio suo fuisse credatur. Hæc est illa sapientia ineffabilis, quæ initio viarum dei apud Salomonem vel condita vel genita vel creata describitur, quam tamen sic conditam dicit vt semper eam cum deo fuisse ostendat. Quid enim deo dabis: vt initium possis sapientiæ ipsius consignare? Non enim ita deus sapientiam suam condidit, quasi aliquando sine sapientia fuerit. Sed cùm initio viarum suarum dicat, initium motus operis alicuius ostendit, vt hoc initium habeat sapiẽtia dei, quod de deo processit ad creanda omnia, tam cœlestia quàm terrestria, non quo cœperit esse in deo. Creata est ergo sapientia, imò genita, non sibi quæ semper erat, sed his quæ ab ea fieri oportebat, vt quia quanta & qualis esset sciri non poterat, de effectu operum suorum virtus eius, & potẽtia nosceretur, vt quod de conditis æstimamus, tunc magis timeremus cùm facta miramur. Cæterùm si tu ita creatam sapientiam dicas, vt filium dei creaturam intelligas, occurrit
Rom. 1. tibi apostolus condemnans eos qui creaturã colunt, dicens: Propter quod tradidit illos deus in desideriũ cordis eorum

A in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: qui commutauerunt veritatem dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius, quam creatori, qui est benedictus deus in secula. Hęc est inquam illa sapientia dei, quæ dicit: Ego ex ore altissimi prodiui, vniuersitatis conditrix & effectrix, id est, filius dei per quem omnia, & in quo omnia, quia vt Apostolus dixit: In ipso constituta sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue virtutes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso cõdita sunt, & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant. Hęc & Salomon: Cùm sit, inquit, vna, omnia potens & permanens in se, omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert. Quod confirmans Apostolus ait, in interiore homine habitare Christum, vt per quem à principio omnia facta sunt, per ipsum & in fine cuncta saluentur.

De destructione rationum, quibus Arriani errorem suum defendere conantur, præcipuè dicentes ideo homousion nominari non oportere, quia in scripturis diuinis non contineatur. Caput III.

SEd dicis mihi, homousion vnius substãtiæ nomẽ ob hoc potius adorent quàm creatorem seruientes. Eadem vtique Apostolus qui dixit: Vt in nomine Iesu omnes genu flectant, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur. Et Moyses: Adorent, inquit eum omnes angeli dei. Et Dauid: Omnes reges adorabunt eum. Quod quidem in scripturis non diceretur, sed quia ipse est sermo filius omnium opifex. Sed dicis homousion nominari non oportere, quia in scripturis diuinis non contineatur. Quæro & ego, homo qui hoc prohibes, si ideo nominari non debet, quia scriptum non est, an quia ita credi non liceat? Quod si ita credendum est, cur non ita profitendum? Corde enim, inquit, Apostolus, creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Aut si ideo nominandum non est, quia nec ita credendum: obtinuit Arrianæ labis assertio, quæ ideo patrem & filium vnius substantiæ denegauit, quia filium dei, modo ex nihilo, modo ex patre, sed ab alia substantia quando voluit, & quo modo voluit, & vnde voluit factum inducit, dummodo aliunde eum, & non de eo quod pater est extitisse confingat. Quem & si natũ dicit, sed hoc dicto genus: quia tursum omne quod natum est, factũ intelligit eo quod & nos à deo geniti appellemur, quos constat esse facturam. Vel si Arrianus non es, & verum filium de vero patre natum non factum agnoscis, cur non eum cum patre vnam substantiã dicis? Frustra times homo profiteri quod credis, & frustra credis si ita non credis, & meritò hæreticus denotaris. Et quanquam immutaueris dictum, quo putaris prohibuisse dei filium nũcupari facturam, sed cùm subiungis, sicuti aliquid horum quod factum est: ex aperto ostendis, non ob hoc facturam dici voluisse, quasi non debeat factus intelligi, sed non ita factum vis sicut aliquid horum quod factum est, sed tamen factum. Aliter enim dicis factum, vtpote perfectam creaturam, per quẽ facta sunt omnia, dummodo & ipsum factum intelligas, licet non ita vt cætera. Sed vt ad id reuertar, quod dicis in scripturis diuinis homousion, id est, vnius substantiæ vocabulum non inueniri, finge hoc interim sic sit, eo quod vbicunque substantia legitur, res dei non deus accipiatur, quanquam & aliud quod scriptũ nõ est, pariter profitearis, id est, deum ex deo, lumen ex lumine: quid ad hæc dicis? Aut totum mecum tene, aut totum omitte. Si enim vnius substãtiæ vocabulum inde times dicere, quia scriptum non est: timere identidem debes deum ex deo, & lumen ex lumine profiteri. Sed ego probo deum de deo, & lumen de lumine, & vnius substantię vocabulum in diuinis scripturis contineri. Cùm enim ipse dei filius qui deus est, in Euangelio suo dicat: Ego de patre exiui: iure & meritò deum de deo profitemur, quia de deo patre filium dei, deum verũ de deo vero natum esse cognoscimus. Sed non eo genere vt nos dij sumus appellati, vel vt Moyses Pharaonis deus est dictus. Sed quia verus est filius: de vero patre natus est: verè & confidenter deus de deo dicendus est, sit & lumen ex lumine. Quod scriptum non est, mecum quidem dicis, sed mecum omnino

omnino nō ſentis, vt quia ſcriptū eſt de patre: Deus lux eſt,
Ioan.1. quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &, lux lucet in tenebris, id eſt, Chriſtus in cœlo, & tenebræ eam nō ſunt aſſecutæ. Hi ſcilicet homines quorum cor ignorantiæ tenebris obcæcatum eſt, Chriſtum verum deum, & verum dei filium non agnouerunt, ſed ipſe domi-
Ioan.8. nus: Ego ſum, inquit, lux mundi, qui me ſecutus fuerit non ibit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Ergo quia lumen pater, & lux filius, rectè lumen de lumine. Sed lumen ex lumine ita aſſeris quaſi à patre qui verum lumen eſt, aliud lumen ſit factum, quod de ipſa patris ſubſtantia non ſit, ſed ſicuti aliud quodlibet lumen, quanquam à deo ſit factū, longè tamen aliud ſit ab eo qui fecerit, & ideo lumen ex lumine non de lumine dicis. Cùm ergo hæc prælocutus ſum, licet mecum non intelligas, tamen quomodocunque ipſa pronuncias, cùm ſcripta non ſint: An non & vnius ſubſtantiæ vocabulum, quod in ſcripturis non putas contineri, mecum pariter profiteris, niſi quia illic habuiſti quomodo malignos ſenſus tuos occulta fraude in vtroque cōregeres, ſed mecum hoc ipſum ſono vocis exprimeres, ſed tamen longè
B dicti intelligentiā ſeparares: ſicuti & illi hæretici qui reſurrectionem carnis negant, ad decepiēdas animas ſimplicium dicunt his quia in carne non reſurgant. Sed ſi diſcutias eos cur hoc dixerint, cum ſcias illos carnis reſurrectionem omnino negare, dicent tibi: Vtique ille erit qui in carne baptizatus non fuerit, vt anima ipſius dum in corpore eſt, de mortе delictorum ſuorum, vt de ſepulchro criminum per baptiſma in eadem reſurgat. Solius enim animę per lauacri vitalis gratiam reſurrectionem in carne defendent, nam & ipſius carnis ſalutem excludunt. Et hi per veriſimilem confeſſionem innocentium mētes occulta fraude ſeducunt. Et vt ſolet letale poculum mellis dulcedine tēperatum ſuauitate fallente perimere, ſic & hoc malum per blandimentum aurium audientium ſenſus quadam labe contaminans, contagione vitij adhærentis inficit.

Quo argumento Arriani deum non eſſe ſubſtantiam probare contendant, & de ſubtili illius diſſolutione. Cap. IIII.

DEnique & nunc poſſent homouſion ſicuti & cætera verbotenus nominare, ſi haberēt quomodo illud ad aliam intelligentiam ſæuo ſenſu peruerterēt. Sed cùm viderint ſe in hoc verbo cōcludi, nullam omnino mentionē huius fieri voluerunt, ne aut profitendo hoc crederent, aut credentes profeſſi viderentur, ſubtili ingenio excuſantes, quod aut ſcriptum non eſſet, aut deum in ſubſtantia dici non oportere, ne corporeus videretur. Deus etenim, inquiunt, efficit vt ſit ſubſtantia, non tamē vt ipſe deus in ſubſtantia deputetur, quippe aiunt cùm omnis ſubſtantia contraria recipiat, deus verò qui nihil diuerſum admittere poteſt, in ſubſtantia dici non debet. Ignoſce rem tibi ſi hoc ſimpliciter diceres, ſi rationem rei velles ſcire, ſi rudis ad hanc quæſtionem accederes, ſi non ipſe eſſes qui ſemper vel de alia ſubſtantia vel de nullis extantibus dei filium aſſerebas. At cùm idem ipſe ſis, qui hinc ſæpe cōuictus, ſæpe confeſſus, ſæpe negaſti, ſæpe aliter immutando damnatus es, qui etiam nunc in ambitione exagitans turbas omnia, quomodo putas me ignoſcere tibi poſſe frequentius eadem retractanti? Sed ne videatur hæc peruerſitas præiudicata magis quàm examinata damnari, breuiter tibi de hac oppoſitione reſpondeam, Prohibes itaque ideo ſubſtantiam nominari, quia omne quod ſubſtantia dicitur, res ipſa vnius generis habeatur. An ignoras aliter cœleſtia, aliter terrena conſtare, ſed & in ipſis cœleſtibus rebus atque mundanis magnam differentiam intereſſe? Aliter enim
1.Cor.15. angeli, aliter ſingulæ virtutes conſtitutionum ſuarum ſubſtantias acceperunt, ſicuti Apoſtolus ait: Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum. Sic & in hoc mundo, vt diuerſa genera rerum, ita & diuerſa corpora animantium, & omnibus ſui cuiuſque generis ſubſtantia, ſicut Apoſtolus dicit: Non omnis caro eadem caro. Si ergo ea quę à deo facta ſunt diuerſas qualitates ſubſtantiarum ſuarum habent, tu putas in deo talem eſſe ſubſtantiam, qualem habet aliquid horum quod factum eſt, vt poſſit contraria recipere? Abſit. Quæ eſt enim ſubſtantia dei? Ipſum quod

A deus eſt ſimplex, ſingulare, purum, nulla concretione permixtum, lympidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, ſanctum, totum. An tu putas inane aliquid eſſe & vacuum quod eſt deus? Hoc enim dici blaſphemia eſt, vt inane putetur per quem cuncta conſtiterunt, qui omnia verbo edidit, ratione compoſuit, virtute perfecit, cuius nutu & imperio vniuerſa reguntur, cuncta deſeruiunt. Et bene quod de deo legis ſcriptum: Ego ſum qui ſum, & qui eſt, miſit me. Exod.3.
Et ipſe ſaluator dominus: Hæc eſt, inquit, vita æterna, vt Ioan.17.
cognoſcant te ſolum verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Eſt ergo in ſubſtantia eſſentia ſua deus, cuius cognitio vita æterna eſt, qui & tantus eſt quantus dici non poteſt. Qui tunc dignè æſtimatur cùm inæſtimabilis dicitur, vtique velis an nolis. Ergo ipſum quod eſt, hoc eſt ſubſtantiæ huius rei qnæ eſſe defenditur: quod tamen iam dictum eſt, quantum & quale ſit, nec mente concipi, nec ſenſu æſtimari, nec animo definiri poteſt, dummodo conſtet eſſe quod eſſe creditur, vt de eo ipſo quod deus eſt, inde ſit filius, vt verus ſit filius, & verus ſit pater in filio, & filius in pa-
B tre. Hoc erit homouſion, id eſt, vnius ſubſtantię cum pa- Ioan.14.
tre. Sicut ipſe dominus ait: Ego in patre & pater in me. Ego Ioan.10.
& pater vnum ſumus: &, Ego de patre exiui: &, Qui me videt, videt & patrem. Non immeritò, quia filius dei de deo patre natus eſt, & ideo de vnitate ſubſtantię, & de maieſtate deitatis vnum ſunt, ſicuti & Hieremias prophetauit: Quis ſtabit in ſubſtantia domini, & videbit verbum domini? Et iterum: Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea, & ſi audiſſent verba mea, auertiſſem eos ab ſtudiis eorum peſſimis. Et apud Salomonem: Subſtantia mea, dulcedo mea eſt.

Quòd cùm vnitas ſubſtantiæ in patre & filio non ſolum prophetica ſed et euangelica authoritate comprobetur, non poſſit dici in ſcripturis diuinis homouſion nō inueniri. Et quæ ſit ratio nominis. Quòd præterea ſi ad aliquam ſimilitudinem velit Arrianus in deo comparationem facere, non poſſit expreſſius conparatum definire, niſi cùm dicat, lumen ex lumine. *Caput V.*

C VCum ergo hanc vnitatem ſubſtantiæ in patre & filio non ſolùm prophetica, ſed & euangelica authoritate cognoſcas, quomodo dicis in ſcripturis diuinis homouſion non inueniri, quaſi aliud ſit homouſion quàm quod dicit: Ego de deo patre exiui: Et ego & pater vnum ſumus: Vel quod prophetæ ex aperto ſubſtantiam dei intimabunt? Hæc eſt autem nominis ratio, vt in patre & in filio vnitatem ſubſtantiæ credas, licet rem ipſam (quę eſt inenarrabilis) definire non poſſis, vt ſiue lumen de lumine dicas, ſiue verbum de verbo, ſiue ſpiritum de ſpiritu, ſiue dominum de domino, quodcunque de eo dixeris, vnius tamen eſſentiæ patrem & filium credas, & de eo ipſo quod pater eſt, filium intelligas. Nam ſi aliquam cōparationem de rebus his quæ videntur in eo facias, ipſa diſſimilitudine rerum non rationem oſtendes, ſed altercationē diſputationis induces, vt cuius voce deſcriptū eſt, Cui me comparabitis? ac proinde deus cui aſſimilari nihil poteſt, ſufficiat credi quod ipſe ſentitur, quem ipſe credi ſe voluit, non indicari. Denique ſi de hoc ipſo quod mecum profiteris, ad aliquam ſimilitudinem velis in deo conferre, neſcio an quod comparaueris poſſis expreſſius definire: vt puta cū dicis lumen ex lumine, ſi ad explanandum illud ſcrupuloſa narratione cogaris, quæro quomodo lumen ex lumine credas? Vtrum quaſi lucernam ex lucerna, vel quaſi ſolem ex ſole, vt aut duas lucernas, aut duos ſoles quaſi duos deos ſub hoc exemplo inducas: Aut ſplēdorem luminis eiuſdem lucernæ, vel claritatem ſolis de eodem ſole fulgente, lumē de lumine conſignes, vt in matricem luminis patris figuram aſſimiles, filium vero in ſplendorē claritatis oſtendas, quod de eo propheta dixit: Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo Pſalm.35.
videbimus lumen. Vel Salomon cùm dicit: Candor eſt lu- Sapien.7.
cis æternæ, & ſpeculū ſine macula dei maieſtatis, & imago bonitatis illius. Vel apoſtolus hic prædicauerit ſaluatorem Coloſſ.
noſtrum imaginem eſſe inuiſibilis dei, eo quod imago lux ſua ſit quæ de eodem ſole procedit. Sed quanta ad hæc reſponderi poſſunt, quæ lites generant, quod Apoſtolus prohibet

hibet,longum est dicere: Quippe cùm constet lumen illud quod deus est æstimari,comprehendi & definire non posse. Nec verè aliquid ex his quæ in hoc mundo sunt,maiestati diuinæ comparari,quia nihil de omnibus istis quę videntur aut dicuntur secundum id quod deus est, condigna similitudine æstimari potest, quippe cùm ipsis intellectibus & sensibus maior sit. Idem prænonuit vt diuinitatem sustantię crederes,& verum filium de vero patre cognosceres. De qualitate autem rei requirere non deberes, quia quale aut quantum sit, scire non possis. Hoc enim prophetæ,hoc apostoli prædicarunt.

Quid sit deus,& vtrum ei aliquid possit cõparari. Quẽadmodum etiam ratio quædam sit quæ apud Græcos logos nominatur,quæ inter patrem et filium personas vel vocabula distinguit. Et quòd illa ratio multis nominibus appelletur,ac qua de causa singula de filio dicantur. Caput VI.

DEnique pro captu,pro viribus,pro fide nostra intueamur,deus quid sit,& videamus an ei aliquid possit comparari. Certè hic est de quo & cùm dicitur,non potest dici. Cùm æstimatur,non potest æstimari. Cùm comparatur, non potest comparari. Cũ definitur,ipsa sua difinitione crescit. Qui cœlum manu sua operit, pugno omnem ambitum mũdi claudit. Quem totum omnia nesciũt, & metuendo sciunt. Cuius nomini & virtuti famulatur hic orbis. Et ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testatur. Vide ergo si potest aliquid esse quo possit pater comparari & filius quia talis est filius qualis & pater. Non enim ipse se vnum cum patre diceret, nisi talem se qualis est pater sciret. Ratio quædam est quæ apud Græcos logos nuncupatur, quæ inter patrem & filium personas vel vocabula distinguit, quia & ipse filius ratio dicitur. Quæ tamen ratio multis nominibus appellatur. Modo verbum, modo virtus, modo sapientia modo dextera,modo brachium,modo margarita,modo thesaurus, modo retia,modo aratrum,modo fons,modo petra, modo agnus, modo homo,modo vitulus,modo aquila, modo leo, modo via, modo veritas. Et ita cùm sit deus omnia in omnibus, vt per hæc vocabula diuinarum dispositionum mysteria cognoscantur, non vt ipsa maiestas filij dei propriè definita monstretur. Quid est enim filius de eo quod pater est? Alius idem. Nam & hoc verbum nuncupatur,quia ex proprio diuino ore processit,& nihil pater sine eo aut iussit aut fecit, Virtus dicitur, quia verè de deo & semper cum deo est,& omnis potestas patris in eo consistit. Sapientia appellatur, quia de corde patris aduenies, arcana cœlestia credentibus reserauit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia opera diuina perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur, vt nihil illo preciosius habeatur. Thesaurus dicitur vt in ipso omnes opes & diuitiæ regnorum cœlestium conditæ agnoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum, & in ipso de mari seculi diuerse gentium multitudo sicut piscium per aquam baptismatis in ecclesia congregatur, vbi bonorum malorúmque discrimen agnoscitur. Aratrum nuncupatur, quia signo crucis suæ dura pectora subiiciuntur, vt necessariora in ipsa præparentur. Fons aquæ viuę appellatur, quia ex eo sitientia corda cœlestis aquę gratia irriguantur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duriciam prestat. Lapis angularis dicitur, quia vtrosque parietes noui & veteris testamenti vnus & mediator in semetipso continens copulauit. Agnus dicitur, vt innocentia Christi & passio demonstretur. Homo dicitur,quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur, quia propter nostram salutẽ pati sustinuit. Aquila dicitur, quia post venerabilem resurrectionem, vt rex altam ad patris peruolat sedem. Leo dictus est, quia ipse est rex regum, qui mortem ac zabulum virtutis suę potestate comminuit. Via est, quia per ipsum ascensus est. Veritas, quia mendaciũ nescit. Vita est, quia ipse vniuersa viuificat. Vides ergo, per hęc vocabula significationes dispositionum & operum diuinorum prędostensas, non tamen ipsum deum propriè definitũ. Estergo pater deus immensus,ęternus,incomprehensibilis, inæstimabilis. Est & filius eius deus & dominus noster,tantus quantus est & pater, sed non aliunde quam de patre, quia ego inquit, de patre exiui, hoc est lumen de lumine. Ioan. 8.

De remotione occasionis erroris quam hæreticus ex hoc capere posset, quòd duo nomina vel duæ personæ, id est, patris et filij statuuntur, quasi duo dii dicantur. Cap. VII.

SEd ne ex eo occasionẽ aliquam hęreticus capiat,cùm duo nomina vel duas personas, id est, patris & filij statuo, quasi duos deos dicã,vtili duos ex diuersitate cõfingunt. Nos autẽ patrem & filium ita nominamus vnum deum,vt in his personis & nominibus consignemus. Viderint philosophi,viderint hęretici discipuli eorum qui potestatũ diuersitate variãtur. Nobis tamen vnus deus est pater,vt apostolus dixit,ex quo omnia, & nos ex ipso, & vnus dominus Iesus Christus deus dei filius per quem omnia, & nos per ipsum. Nam duo,quid aliud intelligatur quàm duorum per partes diuisa substantia,& cum omnibus ipsi dissociata natura agẽdi ac iubendi tam voluntas quàm imperia diuisa? Porro pater ac filius & si duę personę creduntur, ratione tamen & substantia vnius sunt. Nam inęqualium societas, melioris offensa est,& in iniuriam eius qui verus deus est, non verus alius comparatur. Cùm autem ego patrem & filium statuo, vnitatem generis assigno. Et si illam in personis diuido, discretionis tamen personarum rursus eadem nomina in vnitate sui naturali legis fœdere cõsignant. Vnde & tãtus est filius quantus videbitur pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecta consummataque virtute, sicut apostolus dicit: In quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitat. Nam & Hieremias receptissimus prophetarum,hanc vnitatem diuinitatis in patre & filio sciens ait: Hic est deus noster, & non deputabitur alius absque illo, qui inuenit omnem viam prudentiæ & dedit eam Iacob puero suo,& Israel dilecto suo, Post hęc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Et Esaias hoc ipsum prædicat dicens: Hæc dicit dominus deus: Fatigata est Ægyptus, & negociatio Æthiopum, & Sabain viri excelsi ad te transient, tui erunt serui & post te ambulabunt vincti compedibus,& te deprecabuntur quoniam in te deus est & non est alius deus præter te, tu es enim deus. Quod ne putes me eo supercilio dixisse quo Sabellius fertur, qui ipsum patrem ipsum filium profitetur,non ita nos totum in vnam sententiam cogimus, vt aliorum hęreticorum fraude capiamur. Sed quia in ipso nomine personarum authoritas indiscreta cognoscitur, & filius non genere sed personaliter à patre nominatur, proinde totum patri adscribimus quod est filius, & totum filio quod pater est. Nihil non videbitur patris quod iudicabitur filij,nec filij quod defenditur patri: quia vnitas maiestatis non sinit deos plurali vocabulo appellari,quippe cũ constet patrem & filiũ vnius esse substantię: vnde vterque vnus deus est dictus. Illud ante cuncta metuentes,quod vbi pater & filius vnũ non sint, inuidia recurrat authoris interpolata natiuitas. Hoc enim placuit hęreticis,vt deus ille omnipotẽs inuisibilis immẽsus degeneraret in filio. Non modo potest esse de cõditione mutata quasi nõ potuerit pater de semetipso talẽ habere qualis & ipse est. Proinde nos verum filiũ de vero patre qui semper fuit, & est vnius substantiæ cum patre defendimus. Et hoc est quod Græci homousion appellant,id est,cũ vno aliud ipsum,vt personę audientis nomina tim fierent,non vt substantiam vocabula separarent. Colos. 2. Baruch. 3. Esaiæ 45.

De apertione totius mysterij hæresis Arrianæ,cur noluerit filium de substantia patris credi, et de responsione ad motiua Arrianorum,quodque multum interfit inter ea quæ facta sunt,et eum qui omnia fecit. Et quemadmodum in multis ac variis figuris deus se patribus præostenderit, qui tamen secundum deitatem videri non potuit. Cap. VIII.

SEd vt omnem mysterium hæresis Arrianę traducam,cur nolint filium de patris substantia credi, breuiter intimabo. Aiunt enim: Cùm sit deus pater omnipotẽs,inuisibilis, inconuertibilis,immutabilis, perfectus, semper idem, æternus: filius verò visibilis, quia sæpe patribus visus, & conuertibilis atque mutabilis, quia in variis figuris quibusque sese monstrauit. Qui si de patris, inquiunt, esset substantia, nunquam fieri posset vt ante

421

vt ante carnis assumptionẽ aut visibilis aut mutabilis cernetur, quin potius in æqualitate qua pater est, permãsisset, ex cuius substantia erat: quia quod de patre est, nec videri, nec mutari nec conuerti posse credendum est. Accedit ad caussam, cum illapsus est in Mariam, cùm virginis vterum oppleuit, aliud vtique ex illa quàm quod venerat, natum est. Vnde iam inquiunt corrupta substantia statim vertit ordinem, per dit continuò immutationem: ipsa formãdo de deo in hominem, de spiritu in carnem. Et vtiq; translatio omnis interemptio est pristini. Ac per hoc aiunt: Si filius de patris substãtia esset, iam & patrem minorem videri substantiæ suæ vel traditione vel fine, & proinde filium ex alia substantia credere maluerunt, quod conuerti, & mutari, & videri possit, quia hoc de patris substantia credi non liceat. Hæc est causa erroris, hæc origo hæresis Arrianæ, dum non intelligũt virtutem dei, neque tanti sacramenti dispositionem agnoscunt, cur deum humanis cõditionibus comparent. Quibus primo respondendum. In loco filium dei non ita visum vt deus erat, sed vt homo capere poterat de deo. Deinde variis figuris nõ immutabilem & conuertibilem ipsum esse, sed hoc esse, potentiæ dei, vt cùm se singulis prout vult reuelare dignatur, habitum mutet, non substantiam vertat, nec proprietatem qualitatis amittat, sed iuxta meritum videntis temperamentum maiestatis adhibeat, ipse tamen idẽ vt semper est in sub
Psal.101. stantiæ suæ proprietate permaneat. Sicut scriptum est: Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Nam & si multa sunt ex his quæ in hoc mundo videntur, quæ ex alio conuertantur in aliud, vt desinant esse quod erant, & hoc sint quod retro non fuerãt: vt limus cùm in hominem figuratur, limus esse iam desinit: aut pisces aut aues cùm de aqua procedunt, ex eo iam non aqua, quia aliud, vt lutum figuli cùm solidatur in testam, vt lapis, cùm dissoluitur decoctus in calcem: vt arena cùm mutatur in vitrum & cætera, quæ longum est recensere. Sed multum interest, stulte hæretice, inter ea quæ facta sunt, & eum qui omnia quemadmodũ voluit fecit. Quæ facta sunt, ascriptæ conditioni deseruiunt: qui verò fecit, suæ voluntatis & proprij iuris est. Neque potest in aliud quàm quod est aliquo cogente mutari, sed prout vult, & cui vult se demõstrat. Nam si angeli in figura hominum sæpe sunt visi, & tamen aliud non sunt quàm quod se esse norunt, neque substantiam mutant cùm formam humani corporis sumunt: quanto magis ipse dominus noster qui omnia fecit, qui ipsis angelis vt hoc possent sua institutione concessit? Huc accedit quòd sic filium dei, vt iam dictum est, visum à patribus approbamus, vt non totum in illo quod deus est, videretur: sed dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complenda erant, in illo per imaginem cernerentur. Nam quis filium dei videre potuit antequam conspicabilem materiam sicut ei placuit assumpsit, vel ipsum hominem induere dignatus est? Qui & si Abrahæ visus est, sed in forma humani corporis visus est, quo scilicet postremis temporibus in homine venturus esse demonstraretur. Iacob etiam alibi in angelo, alibi æquè videtur in homine. Qui ideo se in angelo demonstrauit, vt nuncium se magni consilij indicaret. In homine verò, cũ quo & colluctatus fuisse describitur, vt imaginem futuræ colluctationis quam cum Israel habiturus erat, cùm secundum hominem aduenisset, indicaret. Sed vt dominum crederet, cum quo tanto certamine sub figura hominis luctabatur Israel, id est homo videns deum, nomen accepit.
Gen.32. Vidi, inquit, deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Et vt qui figuram hominis viderat, quam deus dei filius induerat, Moysi in rubo in flamma ignis apparuit, vt lumen credentibus, incredulis iudicium demonstraret, quia Chri-
2.Cor.2. stus credentibus salus est, non credentibus pœna, vt Apostolus ait: Aliis odor eius vitæ in vitam, aliis odor mortis in mor-
Exod.13. tem. Populum Israel in columna nubis per diem, & per noctem in columna ignis quasi dux itineris præcedebat, vt baptismi gratiã per nubem & donum sancti spiritus per ignem ostenderet: quia apostolus Paulus in nube patres baptizatos scribit. Et spiritum sicut ignem esse, apostolorum Acta declarant. Vides ergo per omnia hæretice, characteres diuinarum scripturarũ in honorẽ dei patribus præostensos, non

A tamen ipsum deum, vt est, propriè reuelatum. Denique dum Moyses oraret vt faciem dei purè videret, quid ad illum continuò deus? Non poteris, inquit, videre faciem meam. Exod.33.
Non enim videbit homo faciem meam, & viuet. Hoc ipso quod negatur aspectus, claritas assignatur, quæ scilicet tanta est, quanta credenda est quæ inuisibilis indicatur. Cùm ergo Moyses & situm cœli, & ordines mundi, & elementorum vices, totius denique orbis ornamenta digesserit, indicarit, expresserit, cui ipse dominus testimonium perhibuit, dicẽs:
Num.12. Nemo erit ex prophetis vt seruus meus Moyses, cui facie ad faciem, ore ad os locutus sum: Deum tamẽ purè videre non potuit. Meritò quidem prophetia omnium dignus, sed non vsqueadeo vt intueri deum valeret, quia homo tantummodo esset. Et vtique hæc omnia filij verba defendimus, quem in monte Syna cum Moyse locutum esse scimus, qui agendis explicandísque rebus à patre aduenerat, quia omnia à principio per ipsum & ordinari, & explicari & manere conuenerat, vt habendi filij hæc præcipua ratio constaret. Et tamen sic visus accipitur, vt alicuius conspicabilis, vt dixi, materiæ dispositionẽ assumpta videretur, salua scilicet inuisibilitate eius, quam à conspectu omnium maiestas interfusa seposuit. Non enim sic humanis aspectibus reuelatus est, vt tota in illo deitas appareret, sed ad vicem speculi cùm conceptos intra lucem suam vultus quasi ad plenam effigiem hominis includit, ita maiestas eius præeunte fulgore intra id visum esset, quod imaginem veritatis, non ipsum deum propriè demonstraret. Sic & cùm hominem induere dignatus est, non labem æternitati intulit, vt spiritum in carnem mutaret, sed vt suscepto homini immortalitatem atque æternitatem cœlestis vitæ præstaret. Nam & si Apostolus semetipsum exinaniſſe dicit, formam serui suscipiendo, non vtique sic exinanitum accipimus, vt aliud quàm fuerat idem Christus fieret, sed vt sepositio interim maiestatis suæ honore, humanum corpus indueret, quo suscepto salus gentium fieret. Vt enim sol cum nube tegitur, claritas eius cõprimitur non cæcatur, & lumen illud quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, paruo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur: sic & homo ille quem dominus Iesus saluatórque noster, id est, deus deíque filius induit, deum tamen in illo non intercepit, sed abscondit. Denique cùm se in monte paululum extra ipsum hominem extulisset, fulgore luminis eius penè obcæcati apostoli, in terram quippe homines ceciderunt, periclitati vitam nisi eis dominus compresso rursum maiestatis suæ honore vt misericors subueniſſet, secundum illam sententiam: Nemo vidit deum, & vixit. Vt ergo claritas solis cùm vsque ad nostros emicat visus sibi salua est, quia quod non videtur, infirmitatis est nostræ, quorum oculos nubium texit obscuritas: ita probat se non suo detrimento proprij latuisse fulgoris, sed carnis, vt dixi, beneficio, cuius causa filius dei, filius hominis esse sustinuit. Nempe enim de spiritu dei virgo concepit, & quod concepit, hoc peperit, id est, deum homini suo (vt iam dixi,) sanciatum: sicut ipse dixit: Quod nascitur de carne, caro est: & quod nascitur de spiritu, spiritus est, quia deus spiritus est, & de deo natus est. Sicut & angelus ad Mariam virginem dicit: Spiritus dei veniet in te, & virtus altissimi obumbrauit te. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius dei. Vides ergo ipsum spiritum, id est filium dei venisse ad virginem, & inde dei & hominis filium processisse. Nec tamen ipso indumento carnis dei filium esse mutatum, sed eundem ipsum esse in homine, qui fuerat ante mũdum cum patre, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, sicut euangelista ait: Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Cęterum amentis est credere ab eo posse liberari, qui vt liberaret, amissus est, vt nasceretur: oppressus est, vt immortalitatem redigeret, transiuit ad mortem. Sed absit hæretice, vt sensus tuæ iniquitatis à catholicis admittatur. Nos enim credimus immutabilem & inconuertibilem, verbum & spiritum, id est filium dei: qui cùm hominem induit, non statum vertit, non ordinem perdidit, non substãtiam immutauit, sed illuuias eiusdem corporis æterno claritatis suæ lumine illustrauit, vt ad nos per tramitẽ corporis eius lux sancti spiritus, & æternæ vitæ gratia redũdaret. Quem & si pas-
Ioan.1. Ioan.3. Lucæ 1.

sum credimus & sepultũ, sed homo ille passus est quẽ filius dei suscepit, quem induit, quem portauit. Sed quia totũ ad authorem referebatur quicquid homo ille patiebatur, ideo mors & passio domini iudicatur: Non constat immortale esse quod dei est, hominis quod caducum. Tertia quoque die resurrexit, non deus in hominem, sed homo potius in deum. Ascendit in cœlos, obtulit patri suo hominem illum gratissimum munus, consedit ad dexteram patris, secundum
Psal.109. quod scriptũ est: Dixit dominus domino meo, sede ad dexteram meam. Misit nobis spiritum sanctum de propria sua & ipsa vna substantia sua protectorẽ, sanctificatorem, & deductorem in vitam æternam, sicut scriptum est ex voce dei: Effundam de spiritu meo super seruos meos & ancillas me-
Ioel.2. as. Et iterum: Spiritus ex me prodiit. Et ipse dominus saluatórque noster: De meo, inquit, accipiet. Et ex eo vtiq; quod est filius, quia & filius de eo quod pater est. Exinde præfinito tempore venturus viuos mortuósque iudicaturus, vt reddat credentibus præmia, non credentibus verò, supplicia. Cuius regnum æternum, immortale, nec initium habet nec terminum, cui est honor & gloria in secula seculorum.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE INCARNATIONIS DOMINICAE SACRAMENTO.

De introductione oblationis Cain & Abel ad hęreticorum confutationem. Et quod sententia qua ad Cain dictum est: Si recte offeras, non autem recte diuidas, peccasti: quiesce, generaliter in omnes extra ecclesiam constitutos sit lata. Cap. I.

De enumeratione hæreticorum in quos superior generalis sententia comprobatur esse lata, cum admonitione vt nos caueamus, ne & alicui nostrum dicatur: Si recte offeras: recte autem non diuidas, peccasti: quiesce. Cap. II.

De comprobatione veritatis in superiori capitulo assertæ, per testimonium Ioannis piscatoris, & de reprehensione eorum qui recusant audire quæ dicuntur, & intelligere quæ leguntur, Quídque cauendũ & quid credendum sit circa incarnati verbi naturam. Cap. III.

De confutatione diuersorum hæreticorum non distinguentium naturam diuinitatis & corporis Christi, quos superius commemorata sententia comprehendit, cum confirmatione ex confessione Petri, ac testimonio Moysi & Heliæ. Cap. IIII.

Quod confessio Petri non vnam tantum, sed omnes hæreses excluserit. Et de mysteriis incarnationis, passionis, mortis, sepulturæ & resurrectionis Christi, cum redargutione hæreticorum ærumnas & cætera quæ corporis vel animæ sunt, diuinitati attribuentium. Cap. V.

De illorum qui Christum in phantasmate venisse & passum esse prędicant, diuersorúmque aliorum hęreticorum condemnatione, ampliori tamem atque grauiori eorum qui diuinitatem & carnem domini vnius esse naturę asserunt, cum argumentorum suorum dissolutione. Cap. VI.

De authoris excusatione, ac responsione ad obiectionem qua sibi dici posset, quod de patris & filij diuinitate quinque illis libris quos scripserat, concluserum se esse promiserit, cum confutatione erroris eorum, qui animam putant à domino Iesu non esse susceptam, pulcherrimáque declaratione assumptionis humanæ naturæ: Et quomodo intelligendum sit quod scriptum est: Iesus proficiebat ætate & sapientia. Cap. VII.

De ampliori redargutione eorum qui authorem dicunt ea vsurpare quæ scripta non sint, & dei esse substãtiam atque naturam, scriptum non esse affirmant. Cap. VIII.

De cõfutatione & destructione obiectionis prędictorũ hęreticorum, qua arguunt quod non possint ingenitus & genitus vnius esse naturæ atque substantiæ, & de exemplari approbatione, cum dicitur, genitũ, non proprietatẽ naturę, sed significationẽ generationis exprimi. Quódque appellatione ingeniti & geniti species videatur esse diuersa, sed tamen indistincta diuinitas. Cap. IX.

De disputatione contra quosdam superiorem sectam sequẽtes, disputationis tamen genere discordare se putantes, qui filium similem dicunt, sed non vnius substantiæ cum patre, & quod cum sit vnius naturæ filius cum patre, etiam vnius sit potentiæ, & ita omnipotens sicut & pater, quemadmodum etiam spiritum sanctum omnipotentem scriptura testatur. Cap. X.

Diui Ambrosij
EPISCOPI MEDIOLANENSIS
liber de incarnationis dominicæ sacramento.

De introductione oblationis Cain & Abel ad hæreticorũ confutationẽ. Et quòd sententia qua ad Cain dictũ est: Si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti: quiesce, generaliter in omnes extra ecclesiam constitutos sit lata. Cap. I.

DEbitum fratres cupio soluẽdum, sed hesternos meos non inuenio creditores, nisi fortè improuiso conuentu putauerint nos esse turbandos: sed nunquam fides vera turbatur. Itaque dum illi forsitam veniũt, ad istos qui propositi sunt deflectamus agricolas, quorũ alter, hoc est Cain, à fructibus terrę, alter autẽ Abel videlicet ex primitiuis ouiũ suarũ hostiã domino obtulit. Nihil inuenio quod in specie munerum reprehẽdam, nisi quod & Cain munera sua displicuisse cognouit, & dominus dixit: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Vbi igitur est crimẽ, vbi culpa? Non in oblatione muneris, sed in oblationis affectu. Sunt quidem qui rectè arbitrentur, quia alius quæ offerret elegerat, alius quæ viliora habuit offerebat. Sed non est ita inops spiritalium sensus in nobis, vt putemus quia dominus corporale sacrificium, non spiritale quęrebat. Et ideo addidit: Quiesce, tollerabilius significans abstinere à muneribus deferendis, quàm infideli studio munus offerre. Qui enim
1.Cor.2. nescit diuidere, nescit diiudicare. Spiritalis autem diiudicat omnia. Et ideo Abraham sacrificium quod offerebat diuisit. Sciuit etiam Abel diuidere qui ex primitiuis ouiũ obtulit sacrificium, docens non terræ munera placitura deo, quæ degenerauerant in peccatores: sed ea in quibus diuini gratia mysterij refulgeret. Prophetauit itaque nos per passionem domini à culpa esse redimendos, de quo scriptũ est:
Ioan.1. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Vnde & de primitiuis obtulit, vt primogenitum designaret. Ostendit ergo verum dei sacrificium nos futuros. De quibus prophe ta ait: Afferte domino filios arietum, Meritóque dei iudicio comprobatur, quam puto generalem in omnes extra ecclesiam constitutos latam esse sententiam, Multorum enim hic figuram cerno populorum, quos diuina sententia comprehendit, quorum in illo Cain iam tunc munera refutauit.

De enumeratione hæreticorum in quos superior generalis sententia comprobatur esse lata, cum admonitione vt nos caueamus ne & alicui nostrum dicatur: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti: quiesce. Cap. 2.

GEneralis enim hęc in impios omnes sententia est. Itaq; si Iudæus offerat, qui filium virginis Mariæ à patre deo separat, dicitur ei: Si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti: quiesce. Si offerat Eunomianus, qui ex impietatis Arrianæ fonte progrediens, redundanti perfidiæ suæ labitur cœno, generationem Christi quę super omnia est asserẽs ex philosophię traditionibus colligẽdam, cùm vtique alia creaturarum sit ratio, alia secretorum potentia diuinorum: & ipsi dicitur: Si rectę offeras,
Genes.4. non rectè autem diuidas, peccasti: quiesce. Dicitur hoc Sabelliano, qui patrem filiúmque cõfundit. Dicitur hoc Marcionitę, qui alium putat deum noui, alium veteris testamenti. Dicitur hoc Manicæo, & Valentino, qui non putauerunt veritatem carnis humanæ à Christo esse susceptam. Paulus quoque Samosatenus & Basilides in eadem sententiæ sorte

sorte numerantur. Similiter quoque eiusdem sententiæ authoritate damnantur, qui diuinitatem sancti spiritus negauerunt. Alij enim quidam vel Arrianorum Iudæi, vel Arriani sunt Iudæorum: quia sicut illi filium à patre, ita & isti spiritum à deo patre & filio dei separant. Nouato quoque & Donato & omnibus qui scindere corpus ecclesiæ gestierũt, viritim dicitur: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Ecclesiæ enim sacrificium est quod offertur deo, ad Rom.12. quam Paulus dixit: Obsecro autem vos fratres per misericordiam dei, exhibere corpora vestra hostiam viuam, sanctam, deo placentem. Malè ergo sacrificium diuiserunt, ecclesiæ membra lacerando. Illos quoque percellit ista sententia qui animam rationalem ab incarnationis dominicæ sacramento, naturam hominis ab homine separare cupientes. Et isti fortasse rectè offerunt trinitati, sed rationem nesciunt naturæ humanæ diuinæque distinguere. Dei enim simplex natura est, homo ex anima rationali cõstat & corpore. Si alterum tollas, totam naturã hominis sustulisti. Aduersus omnes igitur hæreses ista sententia est, quæ fratrem nomine, non fraternè ecclesiam persequũtur. Siquidem sub optione nominis Christiani, & quadam nuncupatiua fidei germanitate, parricidalibus gladiis nos cupiunt vulnerare, quia conuersio nostra à deo est, & dominantur nobis in seculo peccatores. Peccator enim dominatur in seculo, iustus in dei regno. Caueamus igitur ne quis nos à cubiculo regis æterni, & à secreto matris ecclesiæ separare conetur, ad quod illa anima in Canticis canticorum verbum dei se introduxisse significat. Caueamus ne à sinu patris & quodam vtero paterno arcanæque naturæ, substantiam vnigeniti filij separemus, verbisque his quibus veritas susceptæ incarnationis adstruitur, diuinæ generationi præiudicia inferre meditemur, ne & nostrum alicui dicatur: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti, quiesce: Hoc est, si nesciamus quæ propria sunt diuinitatis æternæ incarnationisque distinguere, si creatorem cum suis operibus conferamus, si authorem temporum dicamus cœpisse post tempora. Neque enim potest fieri vt per quem sunt omnia, sit vnus ex omnibus.

De comprobatione veritatis in superiori capitulo assertæ, per testimonium Ioannis piscatoris, & de reprehensione eorum qui recusant audire quæ dicuntur, & intelligere quæ leguntur. Quidque cauendum, & quid credendum sit circa incarnati verbi naturam. *Cap. III.*

Ioan.1. NOlo nobis credatur, scriptura recitetur. Non ego dico à me, quia in principio erat verbum, sed audio, non ego affingo, sed lego, quod omnes legimus, sed non omnes intelligimus. Et cùm legitur, audimus omnes, & non audiunt omnes. Incrassatum est enim cor quorũdam, & aures eorum grauiter audierunt, aures scilicet interioris affectus. Non enim caro peccat quæ suum seruat officium, & recipit auditum, sed animus puri auditus prauus interpres, qui recusat audire quæ dicuntur, intelligere quæ leguntur. Quid aures tanquam cera & plumbo clauditis, & tamen dominica beneficia & officia naturæ non potestis excludere? Auditis inuiti, auditis fastidientes, auditis ne quod non audieritis excusare possitis. Auditis ergo cùm legitur: In principio erat verbum. Quis hoc dicit? Ioãnes vtique ille piscator, sed non quasi piscator hoc dicit, sed quasi humani piscator affectus, qui iam nõ pisces caperet, sed homines viuificaret. Nõ suum est quod dicit, sed eius qui viuificandi ei tribuit potestatem. Piscator enim ipsis quos ante capiebat piscibus, taciturnior erat, & circa diuina mysteria magis mutus qui vocis suæ nesciebat authorem, sed viuificatus à Christo vocem audiuit in Ioanne, verbum agnouit in Christo: & ideo plenus spiritu sancto, qui sciret principium non temporis esse, sed supra tempora, reliquit secula, & ascẽdens spiritu super omne principium, ait: In principio erat verbum, hoc est, remaneat cœlum. Nondum enim erat quando in principio erat verbum. Nam & si cœlum habet principium, deus non habet. Denique in principio fecit deus cœlum & terram. Aliud est fecit, aliud est erat. Quod fit, incipit: quod erat, principium non accepit, sed præuenit. Remaneant etiam tẽpora, quia post cœlum tempora. Remaneant etiam angeli & archangeli, & si

A principium eorum non inuenio, erat tamen quando non erant. Non erant enim qui aliquando cœperunt. Si ergo principium eorum inuenire non possum quos certum est habere principiũ, quomodo possum verbi inuenire principium, à quo omne principium non solùm creaturarum, sed etiam cogitationum nostrarum omnium præuenitur? Apertè itaq; sempiternã diuinitatem eius expresserat. Sed tamen ne quis à patre diuideret verbi æternitatem: vt eandem crederemus verbi esse quæ patris est, bonus ille piscator adiunxit: Et ver- Ioan.1.
bum erat apud deum, hoc est, quod dixerat, sic æstimandum est. Erat verbum quomodo erat pater, quoniam cum patre erat, & in patre erat, & apud patrem erat semper. Nẽpe quomodo de patre legimus erat, ita & de verbo legimus, erat. Quid discernis intellectum, qui non discernis auditum? Verbi esse apud patrem est, patris esse cum verbo est. Legimus enim, quia verbum erat apud deum. Itaq; si secundum tuam opinionem aliquando non erat, ergo secundum tuam opinionem & is in principio non erat, apud quem erat verbum.
B Per verbum enim audio, per verbum intelligo, quia deus erat. Nam si sempiternum verbum esse credidero, quod credo, non possum de patris æternitate dubitare, cuius æternus est filius. Si temporalem generationem eius existimo, incipit communitatem habere nobiscum, vt videatur pater esse cœpisse. Sed si de patre non ambigis, quia incipere esse dei non est, quia dei est sempiternam habere perfectionem: ne fortè vsu sermonis labereris humani dum verbum dicis & filium, ideo addidit: Et deus erat verbum: habes vtique quod pater, quia deus erat. Quomodo huius negas æternitatem, cui vnum cum patre dei nomen est? Non te sonus capiat, similitudóque sermonis. Aliud verbum est quod tempora habet, quod syllabis colligitur, literisque componitur, non tale verbum filius, quia non talis est pater verbi. Cauendum ergo ne & illi quæstionem vocis corporalis videamur ingerere, incorporeus est deus. Vocem vtique incorporeus corporalem non habet. Si vox corporalis non est in patre, nec filius verbum est corporale. Si corpus in patre non est, nec
C tempus in patre est. Si tempus in patre non est, vtique nec in verbo est. Quod si nullum principij tẽpus in verbo, nec numerus vtique nec gradus verbi est. Quia si numerus in verbo, ergo multa verba. Si multa verba, multi & filij. Sed vnũ verbum est, quod & gradum excludit & numerum, vnum secundum naturam. Ne quærite huiusmodi naturam, nescio multo melius hoc quàm scio. Hoc solum bene scio, quod ne scio quæ scire non possum, quod vidimus, inquit, & quod audiuimus, Ioannes dicit, hoc solum bene scire se dixit quod 1.Ioan.1.
audiuit & quod vidit, qui in Christi pectore recumbebat. Ergo illi satis est audisse, mihi non est satis? Sed quod ille audiuit, hoc mihi dixit: & quod audiuit à Christo, hoccine ego possum negare verum esse de Christo? Ergo quod audiuit audiui, & quod vidit audiui. Ille enim vidit quod vidit, non vtique diuinitatem quæ secũdum naturam suam videri non potest. Sed quia secundum naturam suam eum videre non poterat, suscepit quod erat præter naturam diuinitatis, vt secundum naturam corporis videretur. Denique & spiritus san- Lucæ 3.
D ctus in specie visus est sicut columba, quia videri diuinitas in suæ claritatis veritate non poterat.

De confutatione diuersorum hæreticorum non distinguẽtium naturam diuinitatis, & corporis Christi, quos superius commemorata sententia comprehendit, cum confirmatione ex confessione Petri, ac testimonio Moysi & Heliæ. *Caput IIII.*

NOli igitur & tu secundum naturam interpretari, quod præter diuinitatis naturã est. Nam & si credas à Christo carnẽ esse susceptam, & offeras trãsfigurandum corpus altaribus, non distinguas tamen naturam diuinitatis & corporis, & tibi dicitur: Si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti, quiesce. Diuide enim quod meum, diuide quod suum verbi est: ego quod erat illius non habebam: & ille quod meum est nõ habebat. Suscepit quod meum est, vt impartiret quod suum est. Suscepit non vt cõfunderet, sed vt repleret. Si credas susceptionem, affingas confusionem: Manichæus esse desisti, nec tamen ecclesiæ filius esse cœpisti. Si credas susceptionem corporis, adiũgas diuinitatis compassionem: portionem vtique

perfidiæ, non perfidiam declinasti. Credis enim quod tibi prodesse præsumis, non credis quod deo dignum est. Rursus si credas quia idem deus & noui & veteris testamẽti est, tempora autem verbo eius & momenta præmittas, tolerabilior Valentinus est, qui non secula ante deum, sed deos putat esse quod secula sunt. Minoris enim sacrilegij est, copulari diuinitati secula, quàm præferri. Si credas iterum quia Christus principium non sumpsit ex virgine, sed tamen aliquod ante Christum æstimes esse principium, in tempore distantia, de impietate contentio est. Virginis enim supparem negasti esse, non temporis. Ego autem & supparem virginis secundum susceptionem corporis non negabo, & creatorem temporis confitebor. Quid enim proficis si dicas, quia Christus hæc an illa sit creatura? Creatura mutatur, diuinitas adoratur. Noluit se sic Christus agnosci, nec his tantùm quæ supra hominem sunt meritis æstimari. Denique cum interMatth.16. rogasset, Quem me dicunt esse homines, cùm alij dicerent Heliam, alij Hieremiam, aut vnum ex prophetis: nullius sententiam prædicauit. Cùm Petrus dixisset, Tu es filius dei viui: hunc solum non immeritò laudauit. Ergo Ioannes dicit, Petrus dicit, Christus probauit, & tu non probas Arriane? Nec Ioanni & Petro putas esse credendum, quos vel solos pro testimonio glorię suæ dominus noster Iesus Christus ad omnium fidem credidit abundare? Denique quasi ad testimonium veteris & noui testamenti, Moyses cum Helia assciscitur: cum Ioanne Petrus frequenter adhibetur. Petrus dicit, Tu es: non dicit, tu esse cœpisti. Petrus dicit, Tu es filius dei: non dicit, tu es creatura. Dixit hoc Ioãnes. Si adhuc non credidisti, quia non intellexisti mysterium supra sapientiam recumbentis, repetiuit Petrus. Commendauit vtrunq; Christus, alterum iudicio, alterum mysterio: id enim addidit, vt legeres quòd in Christi pectore recumbebat, & intelligeres quòd eius caput, in quo principale omnium sensuum est, arcano quodam sapientiæ replebatur. Sed si non putas intelligendum esse mysterium, saltem noli impugnare iudicium. Laudatur Petrus, quia dei filium credidit quem videbat, quia se ab imperitæ plebis rudibus adhuc opinionibus separabat. Denique cùm interrogasset dominus, quid homines de filio hominis æstimarent, cùm diceretur vulgi sententia, Petrus tacebat. Taces ergo Simon, & respondentibus aliis adhuc taces, cùm ipse sis primus, qui etiam non interrogatus interrogas, nec times, ne reprehẽdaris à domino, quia non respondes interrogãti. Ideo, inquit, non respondeo,
Psal.16. quia non interrogor meam, sed alienam sententiam. Legi enim: Vt non loquatur os meum opera hominum. Opus autem est perfidorum, perfidias prædicare. Ergo taceo adhuc, quia nondum id quod sentio interrogor, non proferam labiis quod animus non probauit. Erit tempus quãdo respondeam, interrogabor & ipse quid sentiã, tunc demum respondebo quod meum est. Meũ est enim fidem loqui pietatem asserere, gratiam prædicare. Non igitur quasi pigrior sensu, voce tardior tacet, nec quasi fastidiosus differt vocis obsequium, sed quasi cautus periculum vulgaris opinionis euitat, qui periculum non euitabat salutis. Denique in posterio D ribus habes, quia exiliuit è naui vt occurreret domino, non gloriæ cupidus, sed obedientiæ præmaturus. Hic ergo qui antè reticebat, vt doceret nos quòd impiorum nec verbum debeamus iterare: hic, inquam, vbi audiuit, Vos autem quid me dicitis? statim loci non immemor sui primatum egit. Primatum confessionis vtique, non honoris: primatum fidei, non ordinis: hoc est dicere: Nunc nemo me vincat, nunc meæ partes sunt, debeo compensare quod tacui, debet prodesse quod silui. Lingua mea non habet spinas, sine impedimento fides debet exire. Dum alij cœnum, alienæ licet, prolatæ tamen impietatis euacuant, quia aut Heliam aut Hieremiam aut vnum ex prophetis Christum esse dixerũt, habuit ista vox cœnum, habuit ista vox spinas: Dum alij in hoc lauãt cœnum, dum in aliis enodantur spinæ, vox nostra filium dei Christum resultet: mihi purus est sermo, cui nullas spinas expressa reliquit impietas. Hic est ergo Petrus qui respondit præ cæteris apostolis, imò pro cæteris, & ideo fundamentum dicitur, quia nouit non solùm proprium, sed etiam commune seruare. Huic astipulatus est Christus, reuelauit pater.

A Nam qui veram generationem loquitur patris, à patre assumpsit, ex carne non sumpsit.

Quod confessio Petri non vnam tantum sed omnes hæreses excluserit. Et de mysteriis incarnationis, passionis, mortis, sepulturæ & resurrectionis Christi, cum redargutione hæreticorum earum & cætera quæ corporis vel animæ sunt, diuinitati attribuentium. Cap. V.

Fides ergo est ecclesiæ fundamentum. Non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portæ mortis ei non præualebunt, sed cõfessio vincit infernum. Et hæc confessio non vnam hæresim excludit. Nam cùm ecclesia multis tanquam bona nauis fluctibus sæpe tundatur, aduersus omnes hæreses debet valere ecclesiæ fundamentum. Dies me citius defecerit, quàm nomina hæreticorum diuersarúmque sectarum. Aduersum omnes tamen generalis ista est fides, quia Christus est dei filius, & sempiternus ex patre, & natus ex virgine. Quem quasi gigantem sanctus Dauid propheta describit, eo quod biformis geminaéque naturæ vnus sit consors diuinitatis & corporis,
B qui tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit Psal.18. tanquam gigas ad currendam viam. Sponsus animæ secundum verbum, gigas terræ, quia vsus nostri officia percurrẽs, cum deus semper esset æternus, incarnationis sacramenta susceptit, non diuiduus sed vnus, quia vtrunque vnus, & vnus in vtroque, hoc est vel diuinitate vel corpore. Non enim alter ex patre, alter ex virgine, sed idem aliter ex patre aliter ex virgine. Generatio generationi non præiudicat, nec caro diuinitati, quia nec pignus patri, nec voluntas passioni, nec passio voluntati. Idem enim patiebatur & non patiebatur, moriebatur & nõ moriebatur, sepeliebatur & non sepeliebatur, resurgebat & non resurgebat, quia corpus proprium suscitabat: quia quod cecidit, hoc resurgit: quod non cecidit non resurgit. Resurgebat igitur secundum carnem, quę mortua resurrexit. Non resurgebat secundum verbum, quod non resolutum fuerat in terram, sed apud deum semper manebat. Ergo & moriebatur secundum nostræ susce-
C ptionem naturæ, & non moriebatur secundum æternæ substantiam vitæ: & patiebatur secundum corporis susceptionem, vt susceptí corporis veritas crederetur, & non patiebatur secundum verbi impassibilem diuinitatem quo totius exors doloris est. Deniq; idem dicebat: Deus deus meus re- Psal.21. spice in me, quare me dereliquisti? quia secũdum carnem relictus est, qui secundum diuinitatem nec deseri potuit nec relinqui. Idem etiam dicit: Longè à salute mea, verba delictorum meorum: hoc est, non capiatur qui audit, quare me dereliquisti, sed intelligat quòd secundum carnem ista dicantur, quæ longè à plenitudine diuinitatis aliena sunt. Aliena sunt enim à deo verba delictorũ, quia aliena sunt & delicta verborum. Sed quoniam delicta aliena suscepi, etiam delictorum alienorum verba suscepi, vt derelictum me à patre deo esse dicam, qui apud deũ semper sum. Erat igitur immortalis in morte, impassibilis in passione. Etenim quasi deum non cepit mortis ærumna, & eundem quasi hominem infer
na viderunt. Deniq; emisit spiritum, & tamen quasi arbiter Matth.27. exuendi suscipiendiq; corporis, emisit spiritum, non amisit, pendebat in cruce, & omnia commouebat. Tremebat in ligno, quem totus tremebat hic mundus. Erat inter supplicia, excipiebat vulnera, & regnum cœleste donabat. Peccatum omniũ factus, peccata generis abluebat humani. Postremò mortuus est. Et secundo & tertio exultans atq; ouans dico: mortuus est, vt illius mors vita fieret mortuorum. Sed nec sepulchrum quidẽ eius miraculo caret. Nam cum esset vnctus à Ioseph, & in eius monumento sepultus, nouo opere quodã ipse defunctus defunctorum sepulchra referabat. Et corpus quidem eius iacebat in tumulo, ipse autem inter mortuos liber, remissionem in inferno positis, soluta mortis lege donabat. Erat enim caro eius in monumento, sed virtus eius operabatur è cœlo. Ostendebatur omnibus per corporis veritatem, quia non caro erat verbũ, sed caro erat verbi. Caro quidẽ gestauit mortem, sed impassibilis dei virtus, & si exuit corpus, nullum tamen de corpore deo damnum. Cur diuinitati attribuis ærumnas corporis, & infirmum doloris humani diuinæ cõnectis naturæ? Nunc anima, inquit, mea turbata est,

est. Anima turbata est non sapientia: immutabilis enim manebat sapientia, & si circundaretur amictu carnis. Nam in illa serui forma erat veri luminis plenitudo: & cùm se exinaniuit, lumen erat. Denique dicebat: Ambulate dum lumen habetis. Et quando in morte fuit, in vmbra non erat. Deniq; etiam in inferno positis, vitæ lumen fundebat æternæ. Radiabat etiam illic lux vera sapientiæ, illuminabat infernum, sed in inferno non claudebatur. Quis enim locus est sapientiæ? Denique dicit iustus: Sapientia autem vnde inuenta est? Quis autē locus est disciplinæ? Nescit homo viam eius, nec inuenta est inter homines. Ergo nec in tempore, nec in loco sapientia est, vnde & tempus esse significat. Sed quomodo in tempore, quæ in principio erat? quomodo in loco, quæ apud deum erat? Vnigenitus filius si quæritur, in sinu patris euangelico spiritu reperitur. Nūquid sinum patris locum putatis? Et quæritis quomodo nata sit, cùm dicat propheticus vir: Nescit homo viam eius? Et secundum homines ortum eius æstimatis, cùm Iob dicat, quod inter homines non sit inuenta. Et mortem tribuitis sapientiæ, de aqua abyssus dicit: Non est in me. Mare dicit: Non est mecū. Non dicit cœlum: Non est in me, sed abyssus dicit, Non est in me. Non enim abysso sed patri dixit: In manus tuas cōmendo spiritum meū. Ipsa anima & si fuit in abysso, iam nō est, quia scriptum est. Quoniam non relinques animam meam in inferno: nec dabis sanctū tuum videre corruptionem. Mare ergo dicit: Non est mecum, hoc est, vita nostra dicit fluctibus seculi inquieta. Non enim inter homines caro eius, quia secundum carnem iam non nouimus Christum. Terra dicit, Non est mecum, quia resurrexit. Denique angelus ait: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Et bene mare dixit: Non est mecum, quia super mare erat. Denique in mari & corporeis vestigiis ambulabat, quando & subiectum mari super mare Petrum ambulare præcepit, qui licet titubauerit, titubauit tamē non per imbecillitatem iubentis, sed per infirmitatem obedientis. Ergo splendori gloriæ, non permisceas nostræ atramentum naturæ, non luci nebulam humanæ carnis offundas. Rursus passionem prædicans, si nequaquam id quod est passibile recognoscas, pietatem domini refelliſti, salutem tuam negasti. Vnde amentes eos æstimare debemus, qui audientes dicentem dei filium: Quid me cædis, secundum naturam diuinitatis subiectum iniuriæ putauerunt. Dixit enim: Quid me cædis, sed cædem diuina natura non sensit. Dixit: Dorsum meum dedi in flagella, & maxillas meas in palmas: vultum autem meum non auerti à confusione sputorum. Sed dorsum & maxillas dixit & vultum, hoc est, humani corporis portiones. Quod enim caro verbi patiebatur, vel manens in carne dei verbum patiebatur carne, sicut scriptū est, Christo in carne passo: in se vtique pro corporis assumptione referebat, vt quæ nostra sunt, ipse susciperet & suis circunuesti ret humana. Rectè igitur secundum naturam suam & caro passa est, nec ea corporis passione verbi natura mutata est. In veritate enim nostra est resurrectio, & ideo in veritate Christi passio prædicatur.

Ioan.12. Iob 28. Matth.14. Ioan.7. Esaiæ 50. 1.Petri 4.

De illorum qui Christum in phantasmate venisse & passum esse prædicant, diuersorúmque aliorum hæreticorum condemnatione, ampliori tamen atque grauiori eorum qui diuinitatem & carnem domini vnius esse naturæ asserunt, cum argumentorum suorum dissolutione. Cap. 6.

NEque enim quod quidam dicunt, in phantasmate passus est, quia nec in phātasmate super mare ambulauit, quod discipuli in euangelio opinati esse produntur, sed excusantur, quia nondum erat spiritus datus, nondum enim Iesus fuerat honorificatus. Nobis iam crucifixus est Christus & resurrexit, nobis iam spiritus datus est, qui assertor est veritatis. Et discipuli quidē aliquando errauerunt, ne nos posteà errare possemus. Ergo illorum error nobis proficit. Quasi homines errarunt, quasi discipuli crediderunt. Et hos igitur qui in phantasmate veniſse Iesum prædicant, & illos cōdem nare debemus qui aduersa erroris linea, non vnum eundém que filium dei dicunt, sed alium esse qui ex deo patre natus sit, alium qui sit generatus ex virgine, cùm euangelista dicat: Quia verbum caro factum est, vt vnum dominum Iesum, non duos crederes. Nōnulli etiam aliud dei verbum, alium verum dei filium crediderunt, cùm ipsum qui in principio erat verbum apud deum patrem, in sua propria veniſse euangelista testetur. Sunt autem qui tanquam ad vnum prophetarum, ita ad Christum factum esse verbum arbitrati sunt, non ipsum esse dei verbum. Sed de nullo prophetarum dictum est, quia verbum caro factum est, nullus prophetarum abstulit peccata mundi. De nullo alio dictum est: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. De nullo prophetarum legimus quòd sit dominus maiestatis, quod de Christo apostolus dixit: Quia Iudæi dominum maiestatis crucifixerunt. Sed dum hos redarguimus, emergūt alij qui carnem domini dicant & diuinitatem vnius esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerūt? Iam tolerabiliores sunt Arriani, quorum per istos perfidiæ robur adolescit, vt maiore contētione asserant patrem & filium & spiritum sanctum vnius non esse substantiæ, quia isti diuinitatem domini & carnem substantiæ vnius dicere tentauerunt. Deinde cùm isti dicant, quia verbum in carnem, capillos sanguinem & ossa conuersum est, & à natura mutatum est, propriè datur illis locus vt infirmitatem carnis ad infirmitatem diuinitatis quadam facta diuinæ naturæ mutatione detorqueant. Sunt etiam qui in tantum impietatis prodierint, vt putent quia diuinitas domini circuncisa est, & imperfecta de perfecta facta est, & in ligno non caro, sed illa operatrix omnium substantia diuina, in carnis specie coagulata pendebat? Quis autem non horrescat, qui audiat quia non ex Maria virgine, sed ex diuina substantia passibilem sibi carnem fecerit dei verbum? Quod asserendo eò prolabuntur, vt non ex tempore corpus domini esse susceptū sed coæternum dei verbo semper fuisse contendant. Horum omnium authores sunt, qui diuinitatem & carnem domini vnius naturę fuisse dixerunt. Legi enim, quod non crederē nisi ipse legissem: legi inquam in cuiusdam libris sic positum, & organū & eum à quo mouebatur organum, vnius in Christo fuisse naturæ. Quod ideo posui, vt ex scripturis nomen deprehendatur authoris, & aduertant, quanuis exquisitissimis argumentis, & phaleratis sermonibus non posse vim veritatis obduci. Et hic mihi frequenter Niceni concilij tractatum se tenere commemorat. Sed in illo tractatu patres nostri, non carnem, sed dei verbum vnius substantiæ cum patre esse dixerunt. Et verbum quidem ex paterna processisse substantia, carnem autem ex virgine esse confessi sunt. Quomodo igitur Niceni concilij nomen obtenditur, & noua inducuntur quæ nunquam nostri senſere maiores? Cùm vtique scripturæ dicant, quia Christus secundum carnem passus est, non secundum diuinitatem. Scripturæ dicant, quia virgo in vtero accipiet & pariet filium? Accepit enim virtutem & peperit filium, quem & ipsa susceptit. Denique hoc etiam Gabriel proprio sermone declarat dicens: Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur dei filius. Ex te, inquit, vt secundum hominem quod ex ipsa nasceretur aduerteres. Ex se enim generauit Maria, vt quod generatur ex ipsa, in eo salua generationis dominicæ prærogatiua, corporis esset vera natura. Sed & Paulus dicit se prædestinatum esse in Euangelium dei, quod antè, inquit, promiserat per prophetas de filio suo, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem. Et ad Galatas: Postquam autem venit plenitudo temporis misit deus filium suum factum ex muliere. Et ad Timotheum dixit: Mēmor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid. Ergo ex nobis accepit, quod proprium offerret pro nobis, vt nos redimeret ex nostro: & quod nostrum non erat, ex suo nobis diuina sua largitate conferret. Secundum naturam igitur se obtulit nostram, vt vltra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium, de suo præmium est. Multáque in eodem & secundum naturam inuenies, & vltra naturam. Secundū conditionem etenim corporis in vtero fuit, natus est, lactatus est, in præsepi est collocatus. Sed supra conditionem virgo concepit, virgo generauit, vt crederes quia deus erat qui innouabat naturam, & homo erat qui secundum naturam nascebatur ex homine. Neque enim, vt quidam interpretati sunt, natura ipsa mutata verbi est, quæ immutabilis semper est, sicut ipse dixit: Videte videte me, quia ego sum & non sum

Matth.3. 1.Cor.2. Esaiæ 7. Lucæ 1. Rom.1. Galat.4. 2.Tim.2. Malac.3.

Hebr.2. sum mutatus. Sed etiam Paulus dixit, quia Iesus Christus heri & hodie, ipse est & in secula, hoc est, quia non secundum naturam mutatus est carnis, sed immutabilis etiam in ipsa mutabili conditionis humanæ qualitate permansit. Didicistis igitur, quia sacrificium de nostro obtulit. Nam quæ erat causa incarnationis, nisi vt caro quæ peccauerat, per se redimeretur? Quod peccauerat igitur hoc redẽptum est. Non est ergo immolata diuinitas verbi, quia non peccauerat diuinitas verbi: & ideo non est verbi natura in carnis conuersa naturã, quia immunis peccati diuinitas, pro peccato quod non fecerat, se non debebat offerre. Hoc enim in se obtulit Christus quod induit. Induit quod ante non habuit. Non igitur diuinitatis suæ diuinitatem induit, in quo erat plenitudo diuinitatis æternæ. Sed carnem assumpsit, vt spolium carnis exueret, atque in semetipso & manubias diaboli crucifigeret, & trophæa virtutis erigeret. Ergo si caro omni & in Christo subiacuit iniuriæ, quomodo vnius illam cum diuinitate dicitis esse substantiæ verbum? Si enim vnius substantiæ verbum & caro, quæ de terra habet naturam: cur vnius substantiæ asseratur verbum atque anima, quam perfectam naturæ susceptt humanæ? Vnius autem substantiæ est verbum cum deo secundum paternam professionem, & ipsius domini assertionẽ, qui ait: Ego & pater vnum sumus. Vnius ergo substantiæ pater cum terreno corpore prædicatur? Et adhuc indignamini Arrianis, quia hi dicunt filium dei creaturam esse, cùm ipsi dicatis patrem vnius cum creaturis esse substantiæ? Quid autem aliud agitis ista dicendo, nisi vt aut limum Adæ, terrámque nostram diuinæ substantiæ comparetis, aut certè diuinitatem in terrenæ corruptelæ iniuriam transferatis? Dicendo enim quòd verbum, caro & ossa factum est, in terram vtique dicitis esse conuersum, quoniam caro & ossa de terris sunt. Scriptum est, inquiunt, quia verbum caro factum est. Scriptum est, non nego, sed considera quid sequatur. Sequitur enim: Et habitauit in nobis, hoc est, illud verbum, quod carnem susceptt, hoc habitauit in nobis, hoc est, in carne habitauit humana, & ideo Emmanuel dictus est, hoc est, nobiscum deus. Hoc ergo verbum caro factum est, pro eo quod est, homo factus est. Sicut e-

Ioel.2. tiam Ioel dixit: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Non enim super irrationabilem carnem, sed in homines futura promittitur gratiæ spiritalis effusio. Quod si secundum literam vos tenetis, vt putetis ex eo quod scriptum est, quod verbum caro factum est, verbum dei in carnem esse conuersum: nunquid negatis scriptum esse de domino, quia peccatum non fecit, sed peccatum factus est? Ergo in peccatum conuersus est dominus? Non ita, sed quia peccata nostra susceptt, peccatum dictus est. Nam & maledictum dictus est dominus, non quia in maledictum conuersus est dominus, sed quia nostrum susceptt ipse maledictum. Male-

Deut.21. dictus enim, inquit, qui pendet in ligno. Miraris ergo, quia

Ioan.1. scriptum est: Verbum caro factum est, cum caro assumpta sit à dei verbo, quãdo de peccato quod non habuit scriptum est: Quia peccatum factus est? Hoc est, non naturam operationémque peccati, vtpote in similitudinem carnis peccati factus, sed vt peccatum nostrum in sua carne crucifigeret, susceptionem pro nobis, infirmitatem obnoxij iam corporis peccati carnalis assumpsit. Desinant ergo dicere naturam verbi, in corporis naturam esse mutatam, ne pari interpretatione videatur natura verbi in contagium mutata peccati. Aliud est enim quod assumpsit, & aliud quod assumptum est. Virtus venit in virginem, sicut & angelus ad eam dixit:

Lucæ 1. Quia virtus altissimi obumbrabit te. Sed natum est corpus ex virgine, & ideo cœlestis quidem descensio, sed humana conceptio est. Non ergo eadem carnis potuit esse diuinitatísque natura.

De authoris excusatione ac responsione ad obiectionem qua sibi dici posset, quod de patris & filij diuinitate quinque illis libris quos scripserat, conclusurum se esse promiserit, cum confutatione erroris eorum, qui animam putant à domino Iesu non esse susceptam, pulcherrimáque declaratione assumptionis humanæ naturæ. Et quomodo intelligendum sit quod scriptum est: Iesus proficiebat ætate & sapientia. Cap. VII.

POssem latius prosequi, sed vereor ne hæc ipsa aliquibus aut superflua aut prolixa videantur. Fortassis enim dicat aliquis: Nónne de patris & filij diuinitate quinque illis quos scripsisti libris, conclusurum te esse promiseras? Sed quid faciam cùm quotidie nouas seminent quæstiones? Non præterit sponsio, sed adstringit obiectio. Nam quemadmodum potest finis esse responsi, si modus nullus obiecti sit? Et tamen de patris & filij diuinitate consummaturum responsionem in superioribus me spoponderam. Hoc autem libro de incarnationis dominicæ sacramento, plenior sicut debuit facta digestio est. Nam cùm illud quod ait dominus: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et infra: Pater Matth.26. meus si possibile est, transfer à me calicem hunc: sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis: nõ ad spiritus sancti compassionem, sed ad rationabilis assumptionem animæ & naturæ humanæ refertur affectum, consequens est, vt per assertionem dominici sacramenti & plenitudinem naturæ humanæ fuisse astruamus in Christo, & ab infirmitatis præiudicio spiritum sanctum separemus. Non est enim obnoxius infirmitati, qui non est obnoxius passioni. Quæro igitur qua ratione animam putent quidam à domino Iesu non esse susceptam: an quia metus est ne sensu Christus laberetur humano? Dicunt quippe quia concupiscentia carnis legi mentis repugnet. Sed qui hoc ait, tantum abest vt Christum putauerit lege carnis in peccati vincula fuisse deducendum, vt ipse in æstu positus fragilitatis humanæ, per Christum sibi subueniri posse crediderit, dicens: Infelix ego homo, quis Rom.7. me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Qui ergo alios à carnis lubrico vindicabat, nunquid formidare poterat, ne etiam ipse dominatu quodam carnis istius vinceretur? Sed carnis istius, sicut volunt, formidabat illecebras. Ergo & carnis susceptionem declinare debuerat, ne ad lubricum traheretur erroris. Sed quomodo lubricum poterat timere peccati, qui peccatum remissurus aduenerat? Et ideo cùm susceperit carnem hominis, consequens est vt perfectionem incarnationis plenitudinémq; susceperit: nihil enim in Christo imperfectũ. Suscepit itaque carnem, vt resuscitaret. Assumpsit animam, sed animam perfectam, rationabilem, humanam assumpsit atque susceptt. Nam quis potest negare quod susceperit animam, cùm ipse dicat: Animã meam pono pro ouibus meis? Et iterũ: Propterea me pater diligit, quia ego pono animam Ioan.10. meam, vt iterũ sumam illam. Non per parabolã hoc dicitur, nec perfunctoria significatione, in qua aliud dicitur, & aliud intelligitur, Sicut illud: Neomenias & sabbata vestra odit a- Esaiæ 1. nima mea. Licet etiam illud ad Christi animam possit referri, quæ ideo posita est vt aboleret Iudaicæ superstitionis errorem, & vnius sacrificij institueret veritatem. Sed de hoc dubitent prophetico, euangelium hoc refutare non possunt de animæ proprietate dictum, cùm de morte domini & resurrectione sit dictum. Denique addidit: Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso: potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatẽ habeo iterum sumẽdi eam. Eãdem igitur ponit quam susceptt. Suscepit dico. Nõ enim verbum ipsum dei viuum in sua carne ad nostræ animæ vicẽ factum est, sed sicut carnem nostram, ita & animam nostram perfectam naturæ humanæ assumptione susceptt. Assumpsit inquam animam, vt incarnationis suæ benediceret sacramento, susceptt affectum meum vt emẽdaret. Quid autem opus fuit carnem susceptt sine anima, cum vtique insensibilis caro & irrationabilis anima nec peccato sit obnoxia nec digna præmio? Illud ergo pro nobis susceptt, quod in nobis amplius periclitabatur. Quid autem mihi prodest, si totum me Ioan.7. non redemit? Sed totum me redemit, qui ait: Mihi indignamini qui totum hominem sanum feci sabbato. Totum redemit: quia in virum perfectum fidelis non ex parte sed totus resurgit. Desinant ergo isti misericordes timere, ne Christus carnem suam vel animam perfectam sensumq; hominis non potuerit gubernare, qui etiam illum a sinæ pullũ quem Psal.95. antè nemo sederat gubernauit. Qui plãtauit aurem, non audiet? Qui alios regebat, se regere ipse non poterat? Qui peccata donabat, peccatũ ipse faciebat? Desinãt nimium soliciti isti

isti tanquam pædagogi Christi vereri, ne etiam in ipso concupiscentia carnis legem mentis oppresserit, quæ non oppressit in Paulo, sed tantūmodo repugnauit. Athleta Christi victorias mentis numerat suæ. Hi trepidant ne caro tituberit in domino, quæ vicit in seruulo? Non vult pro se timere nos Christus, non vult pro se flere nos dominus. De
Lucæ 23. nique dicit: Filiæ Hierusalem nolite me flere, vos ipsas flete.
Et istis dicit: nolite mihi timere, vobis timete. An non au-
Psal. 26. distis dicentem Dauid: Dominus illuminatio mea & salus
mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo tre
Psalm. 55. pidabo? Et alibi: Non timebo quid faciat mihi homo. Et a-
libi: Nō timebo quid faciat mihi caro. Ego ergo lapsum na
turæ humanæ timere potui, quem homo ipse non timuit?
Deus igitur ante carnem, deus in carne, perfectionem natu
ræ assumpsi humanæ, suscepi sensum hominis, sed non sum
sensu carnis inflatus. Sensu hominis animam meam dixi esse
turbatā, sensu hominis esuriui, sensu hominis rogaui, qui ro
gantes exaudire consueui. Sensu hominis profeci, sicut scri-
Lucæ 2. ptū est: Et Iesus proficiebat ætate & sapiētia & gratia apud
deū & homines. Quomodo proficiebat sapiētia dei? Doceat
te ordo verborum. Profectus ætatis, & profectus sapientię,
sed humanæ est. Ideo ætatem antè præmisit, vt secundū ho
minem crederes dictum. Ætas enim non diuinitatis, sed cor
poris est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sa-
pientia hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia à sen-
su sapientia. Iesus autem proficiebat ætate & sapientia. Quis
sensus proficiebat? Si humanus, ergo & ipse susceptus est. Si
diuinus, ergo mutabilis per profectum. Quod enim profi
cit, vtique mutatur, in melius. Sed quod diuinum est, nō mu
tatur. Quod ergo mutatur, non vtique diuinum. Sensus igi-
tur proficiebat humanus, sensum ergo suscepit humanum.
Et vt sciamus quia secundum hominem loquebatur, præmi
sit, dicens: Puer autem cōfortabatur & crescebat, & imple
batur sapientia, & gratia dei erat cum illo. Et puer nostræ
nomen ætatis est, nec confortari virtus poterat dei, nec cre
scere deus, nec altitudo sapientiæ dei, nec plenitudo diui-
nitatis impleri. Quæ igitur implebatur, erat non dei sed no
stra sapientia. Nam quomodo implebatur, qui vt omnia im
pleret, descendit? Per quem autem sensum, vt Esaias dixit,
Esaiæ 8 patrem puer nesciebat aut matrem? Scriptū est enim: Priusquam sciat puer patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci & spolia Samarię. Sapiētiam enim dei futura & occul
ta non fallunt. Expers autem agnitionis infantia per huma-
nam vtique imprudētiam quod adhuc non didicit, ignorat.
Sed verendum est, inquā, ne si duos principales sensus aut
geminam sapientiam Christo tribuimus, Christum diuida-
mus. Nūquid cùm & diuinitatem eius adoramus & carnē,
Christum diuidimus? Nunquid cùm in eo imaginē dei cru-
cémque veneramur, diuidimus eum? Apostolus certè qui
2. Cor. 13. de eo dixit: Quoniam & si crucifixus est ex infirmitate no-
1. Cor. 1. stra, viuit tamen ex virtute dei: ipse dixit, quia non diuisus
est Christus. Nunquid etiam cùm dicimus, quia animam ra-
tionabilem & intellectus nostri suscepit capacē, diuidimus
eum? Non enim ipse deus verbum, pro anima rationabili &
intellectus capaci in carne sua fuit, sed animam rationabi-
lem & intellectus capacē, & ipsam humanā, & eiusdem sub
stantiæ cuius nostræ sunt animæ, & carnem nostræ similem
eiusdémque cuius caro est nostra substātiæ suscipiens deus
2. Corin. 5. verbum, perfectus etiam homo fuit, sine vlla tamē labe pec
cati, quia peccatum ipse non fecit, sed pro nobis peccatum
factus est, vt nos essemus iustitia dei in ipso. Caro ergo ip-
sius & anima, eiusdem cuius animæ nostræ caróque substan
tiæ. Nec timeo ne tetrada videar inducere. Nos enim vere
solam qui hoc asserimus, colimus trinitatē. Non enim Chri
stum diuido, cùm carnis eius diuinitatísque distinguo sub-
stantiam, sed vnum Christum cum patre & spiritu dei præ-
dico, & illos magis qui carnem Christi vnius cum diuinita-
te eius dicunt esse substantiæ tetrada inducere demonstra
bo. Non enim quod eiusdem substantię est, vnus, sed vnum
est. Nam vtique filium eiusdem cum patre substantiæ con-
fitentes in tractatu concilij Niceni, nō vnam personam, sed
vnam diuinitatem in patre & filio crediderunt. Ergo cùm
dicunt eiusdem carnem, cuius & filius dei erat, fuisse sub-

A stantiæ, ipsi quod nobis obiiciunt ineptiis vanæ assertionis incurrunt, vt diuidant Christum. Itaque quartum increatum quod adoremus inducunt, cùm sola increata sit diuinitas trinitatis.

De ampliori redargutione eorum, qui authorem dicunt ea vsurpare quæ scripta non sint, & dei esse substantiam atque naturam, scriptum non esse affirmant. Cap. 8.

Concluseram librum, sed religionis fuit ne præteruecti videremur, quod soluere nequiremus. Nam dudum audierint quidam dicentibus nobis: Filium dei qui generatus sit, patri qui genera-
uit, inęqualem esse, non posse, quanuis ille generatus sit, iste generauerit, quia generatio non potestatis est, sed natu
rę: aduersus illam quidem quęstionem vocem sibi arbitran
tur occlusam, sed tergiuersatione damnabili in eodem loco
vestigium vertunt, vt putent mutationem fieri quęstionis
mutatione sermonis, dicētes: Quomodo possunt ingenitus
& genitus esse vnius naturę atque substantię? Ergo vt respon
deam, clementissime imperator per te mihi propositę quæ-
stioni, primum omnium ingenitum in scripturis diuinis nus
quam inuenio. Non legi, non audiui. Cuius igitur mutabili-
B tatis sint homines istiusmodi, vt nos dicant ea vsurpare quę
nō sunt scripta, cùm ea quę sunt scripta dicamus, & ipsi ob-
iiciant quod scriptum non sit: nónne ipsi sibi aduersantur,
& authoritati calumniæ suæ derogant? Dicunt etenim non
esse scriptum, dei esse substantiam atque naturam, cùm vti-
que filium dei patris esse splendorē gloriæ & characterem
substantię eius, scriptura testetur, & multos alios de diuina
dixisse substantia, in alio libro pleniſſimè ostenderimus. Na
turam quoque diuinam quis abnuat, cùm Petrus apostolus
in epistola sua scripserit, id operatā domini misericordiam 1. Pet. 1.
per passionem crucis, vt nos, inquit, faceret diuinæ consor-
tes naturę. Sed etiam alibi Paulus scripsit: Sed tunc quidem Galat. 4.
ignorantes deum, his qui natura non sunt dij, seruistis. Ita
enim & in Grecis codicibus inuenimus, quorum potior au
thoritas est. Quid igitur agunt qui negant naturam esse di-
uinam, nisi vt iam non solum filio calumnientur, sed etiam
C patri: Si enim negatur natura deus esse, ergo per gratiā est,
vt homines, aut certè falso creditur, vt dęmones, quorum
simulachra dei appellatione donantur. Sed apostolicam au-
thoritatem sequamur, vt dicamus in simulachris naturam
non esse diuinam. Si ergo in simulachris non est, non est in
dęmoniis: supereſt, vt in deo diuina sit natura atque substan
tia. Docuimus igitur apostolica authoritate rectè de deo pa-
tre dici, quod natura sit deus. Accipiant nunc quod eadem
dei patris sit natura, quę filij est, eadem sit & spiritus sancti,
ne fortè idem dicant: Naturā quidem legimus esse diuinam,
naturę autem diuinę non legimus vnitatem. Sed cùm ipse fi
lius dixerit: Ego & pater vnū sumus, vnitatē diuinitatis pro- Ioan. 10.
bauit. Cū dixerit: Omnia quę pater habet mea sunt. Et in- Ioan. 16.
frà: Pater omnia mea tua sunt, & tua mea, asseruit vnitatem. Ioan. 17.
Cùm dixerit, pater qui in me manet ipse loquitur, & opera Ioan. 14.
quę ego facio ipse facit, vnitatem euidentissimè declarauit.
Deinde Petrus vnam naturam ostendit esse diuinam. Po-
tuit enim sic dicere, si aliter ęstimasset, potuit, inquā sic di-
D cere, vt nos faceret diuinarum consortes naturarum, maxi-
mè cùm per filium in naturę diuinę consortiū transeamus:
Nunquid potest donare quod non habet? Ergo non est du-
bium, quia de eo quod habet donat, & ideo habet naturam
diuinam, qui consortia diuinę donat naturę. Apostolus quo
que Paulus dicendo: Qui natura non sunt dij, ostendit v- Galat. 4.
nam veri dei esse naturam. Nanque & ipse potuit dicere:
Qui naturis non sunt dij, si sciret pluralitatem diuinæ es-
se naturæ, vt alia esset in patre, alia in filio, alia in spiritu san
cto. Dicendo ergo: Natura non sunt dij, vnitatem naturæ
expressit diuinæ. Quid est autem natura deum esse, nisi ve-
rum deum esse? Sicut ad Thessalonicenses dicit: Quomodo 1. Thes. 1.
conuersi estis ad deum à simulachris seruire deo viuo & ve-
ro? Illi enim dij esse simulantur, natura autem deus viuus &
verus est. Nam & in ipso vsu nostro est adoptiuus filius &
verus filius. Adoptiuum filium non dicimus filium esse na-
tura, sed eum dicimus natura esse, qui verus est filius. Ergo
& naturam & substantiam esse diuinam probauimus lectio

ne. Vnitatem quoque non pluralitatem diuinæ esse naturæ, apostolica autoritas domonstrauit.

De confutatione et destructione obiectionis præmemoratorum hæreticorum, qua arguunt quòd non possint ingenitus & genitus vnius esse naturæ atque substantiæ, & de exemplari approbatione, cùm dicitur genitum, non proprietatem naturæ, sed significationem generationis exprimi. Quódque appellatione ingeniti & geniti species videatur esse diuersa, sed tamen indistincta diuinitas. Cap. 9.

NVnc illi asserant, vbi ingenitum patrem legerint. Sed si dialectico more concedi sibi id postulant, vt quod lectum non sit, pro lecto vsurpent: produnt se contentionis studio differre, non cognitionem quærere veritatis. Namque in ipsa dialectica si non concedatur quod concedi sibi postulant, qui aditum cõtentionis inuenire desiderant: principium inuenire nequeunt disputandi, & hoc ibi, vbi contentio est magis de disputatio B nis argutiis, quàm de examine veritatis. Hæc est enim dialecticorum gloria, si videantur expugnare verbis & refellere veritatem. Contrà definitio fidei est, vt veritas non verba pandantur. Denique verba philosophorum excludit simplex veritas piscatorum. Quæ igitur ista assertio est, vbi si non donauero eis verbum ingeniti, assertionis principium inuenire non possunt? Vbi ergo legerint demonstrent. Excideratanimo. Nunc redeo in memoriam. Lectum est, inquiunt. Nam Arrius dixit ingenitum patrem, & genitum & creatum filium. En quo authore, contra apostolica scripta contendant. Contendant tamen, si modo se Arrij discipulos esse fateantur. Nam quomodo negant magistrum, cuius inuentum sequuntur? Sed si illi hoc dicunt quod Arrius, iustius ego debeo dicere quod Apostolus dixit: Patrem enim dixit, non ingenitum nominauit: filium dixit, & genitũ C filium nominauit. Quod legi, non nego, imò libenter vsurpo, quod nõ legi, vsurpare non debeo. Sed tamẽ quod in dialectica non faceremus vsurpent, ne fortè dicant, quia genitum non legimus patrem sicut filium, ideo ingenitum æstimare debemus. Intelligitur hoc, ergo non legitur. Sed si intelligitur, nec spiritum sanctum genitum legi. Ergo spiritus quia genitus non est, ingenitus vtique secundum vestram sententiam nominandus est. Si igitur ingenitum dicitis & genitum non posse vnius esse substantiæ, supereſt vt de patre & spiritu sancto, quia nec patrẽ genitum ligimus, nec spiritum sanctum, vnitatem, diuinæ naturæ & substãtię nõ negetis. Si enim in eo est vis omnis vestrę disputationis, quod ingenitus & genitus nõ possunt esse vnius naturæ: ergo qui non est genitus, cum eo qui non sit genitus, vnius naturæ atque substantiæ est. Et si ideo putatis patrem maiorem esse, quia genitus non est, nunquid & spiritus sanctus maior est filio? Multa possunt & innumera exempla suppetere, vt de eo quod genitum non sit, dicatur ingenitũ. Nam & mundum plerique ingenitum esse dixerunt, & materiam D rerũ omnium quam Græci hylen dicũt, quasi syluam materialem, ingenitã esse memorarunt. Vident igitur in hoc verbo prærogatiuam quandam potestatis esse non posse, nisi fortè hoc verbo sibi honorare deum videntur, quo philosophi mundum putauerunt esse donandum. Nunquid ergo sic ingenitus pater sicut mundus? Absit. Aut hic solus deum decet sermo, cùm deus vltra sermonũ omniũ sit ambitum? Nihil igitur preciosum deo in eo sermone, qui communis possit esse cum cæteris. Sed tamen, quemadmodum vultis, inæstimabilis sit huius prærogatiua sermonis, quæ non authoritate aliqua designatur, sed vestro æstimatur arbitrio. Quò igitur hoc proficit, vt ex verbo velitis facere inter patrem & filium distantiam naturæ, distantiam potestatis? Ingenitus, inquit, & genitus non possunt vnius esse naturæ atque substantiæ vt quemadmodum interdum dicunt, inoperatus & factus, non sunt vnius naturæ. Neque enim discretionem faciunt ingeniti & inoperati, neque distantiam volunt esse inter genitum vel creatum, modo vt creaturam filium dicant. Dicunt ergo quia pater omnem causam, hoc est ἀυτίαρ sicut Græci dicunt supergressus, cùm ex alio creatus non sit, non sit filius, vtique substantia sit, non aliunde

principiũ habẽs & causam ex qua sit: & ideo, inquiunt, alia talis substãtia esse non potest, quia omnia ex patre deo habent subsistẽdi causam. Vnde non esse verisimile dicunt, vt filius qui ex patre est, & ex se causam non habet vt sit, sed ex patre, similis sit patri. Cùm pater ex alio causam non habeat, filius autẽ (vt ipsi allegant) esse non potuerit, nisi hoc ipsum ex patre vt esset, acceperit. Ideoq; ingenitum & genitum dicunt esse dissimilem, quasi verò (quod alibi sæpe iam dixi) generatio potestatis sit, non naturæ. Cùm enim dico genitum, nõ proprietatem naturæ, sed significationẽ generationis expressi: & hoc exemplis euidẽtioribus approbabo. Nam si generaliter dicam filium, nec addam cuius, potest intelligi, & filius hominis, & filius iniquitatis, & filius pestilentiæ, & filius diaboli, sicut de Iudæis scriptura testatur, & quod in vsu est, & fœtus pecudis, & pulli columbarum. Et ideo in appellatione filiorum non est expressio significata naturę. At verò si naturam designare desidero, aut hominem nuncupabo, aut equum nominabo, aut auem dicam, vt natura possit intelligi. Ita ergo si naturam cupio designare diuinam, deum verum debeo nominare. Cùm autem filium dico, generatum significo. Cùm patrem quoque dico, generasse declaro. Non ergo hinc naturæ discretionem facias, cùm sit hoc significatorium generãtis & geniti. Significatori autem huiusmodi exprimunt substantiæ qualitatem. Multi enim, vt dixi filij, sed diuersitas filiorum. Alius per naturam, alius per gratiam. Multæ creaturæ inuisibiles & visibiles. Inuisibiles, vt principatus & potestates, throni & dominationes. Visibiles, vt sol, luna, stellæ, homo, terra. Ergo diuersæ species & diuersæ creaturarum substantiæ sunt. Itaque si velis proprietatem creaturæ alicuius exprimere, aut solem aut lunam nominabis aut stellas. Et sic intelligitur quid sit quod significandum putaueris. Cæterùm si factum dicas aut creatum, quod interdum filium dicunt, quia multa facta & creata sunt, nõ proprietatem substantiæ videris significasse, sed speciem qualitatis. Aliud enim substantia, aliud qualitas est. Denique diximus & alibi, vsian ita interpretatos Latinos, vt substantiam dicerent. Vsia autẽ dei cùm dicatur, quid aliud significatur, nisi deum semper esse? Quod literæ ipsæ exprimunt: quanuis diuina vsai, hoc est, cũ sit semper, vsia dicitur, vnius literæ mutato ordine propter sonum & compendium decorémque sermonis. Ergo vsia, quod semper sit deus significat. Ingeniti autem, vt tu vis, vel geniti appellatio quid sit, declarat: hoc est quod non ex alio sit pater, nec ex se filius. Species hic videtur esse diuersa. Species vtiq; distincta, sed indistincta diuinitas. Quæris quomodo hoc probari possit? Etiam in creaturis ostendam diuersam speciem, diuersa initia in plerisque, & vnam esse substantiam, & de scripturis exempla proferam. Itaque si in his quæ mortalia sunt hoc potest conuenire: quemadmodum patris & filij & spiritus diuinitati legem cuiusdam necessitatis imponunt? Omnia nempe volatilia quæ eiusdem generis videntur, eiusdem vtique & naturæ sunt, vt aquilarum vnum genus & vna natura est, vulturum similiter, & cæterorum secundum genus suum volatilium. Quemadmodum autem cœperint esse volatilia, tres species reperimus, & ortus eorum causas legimus esse diuersas. Scriptum est enim dixisse deum: Producant aquæ repentia animarum viuentium & volatilia volantium. Et paulo post cùm paradisum fecisset deus, & posuisset in eo hominem, scriptum est: Quia figurauit deus de terra bestias agri, & volatilia cœli. Significantur ergo volatilia hoc loco figurata de terra. Supra quoque legisti, quia dixit deus auibus: Crescite & multiplicamini. Vtique ex coitu maris & fœminæ generationis incremẽta præcipiens. Itaque aduertimus etiã que vnius generis sunt, diuerso modo esse cœpisse, alia de aquis, alia de terra, alia de maris & fœminæ generatione, & vnius tamen hæc esse naturæ, dissimilitudinemq; substantiæ non habere. Quid verò tam vnius naturę quàm caro nostra cum dominici corporis veritate? Diuersis tamen vtraque ducta causis, orta principiis est. Caro enim domini spiritu in virginem superueniente generata, non expectauit virilis fœmineiq; coitus solenne commercium. Caro verò

Genes.

Genes.

nostra

437

noſtra, niſi virilis iuxta fœmineúſque ſexus, genitalia ſulcis naturalibus obducat ſeminat, intra viſcera neſcit materna formari: & tamen cùm generationis fuerit cauſa diuerſa, carnis tamen in Chriſto cum hominibus omnibus vna natura eſt. Partus enim virginis, non naturam mutauit, ſed generandi vſum nouauit. Denique caro de carne nata eſt. Habuit ergo de ſuo virgo quod traderet. Non enim alienum dedit mater, ſed proprium è viſceribus ſuis contulit, inuſitato modo, ſed vſitato munere. Habuit igitur carnem virgo, quam naturæ ſolennis iure tranſcripſit in fœtum. Eadem igitur ſecundum carnem generantis Mariæ, genitíque natura, nec diſſimilis fratribus, quia dicit ſcriptura, vt per omnia ſimilis Hebr. 2. fratribus fieret. Similis vtique dei filius noſtri, non ſecũdum diuinitatis plenitudinem, ſed ſecundum animæ rationalis & vt expreſſius dicamus, humanæ noſtríque corporis veritatem. Quid autem de ipſo loquamur Adam, qui cùm ſit formatus è limo terræ, generauit vtique filios ſuæ conſortes naturæ, participes generis, ſucceſſionis hæredes? Diuerſa quidem in filiis & parente principia, ſed humanæ conditionis vna natura. Nec tamen diſſimilitudo ortus, ſimilitudini ſubſtantiæ præiudicauit. Similis ergo filius patri etiam in his quæ propter humanæ conditionis fragilitatem ſimilitudinis plenitudinem hahere non poſſent. Quomodo ergo dei patris diſſimilis filius verus?

De diſputatione contra quoſdã ſuperiorẽ ſectã ſequentes, diſputationis tamen genere diſcordare ſe putantes, qui filium ſimilem dicunt, ſed non vnius ſubſtantiæ cum patre, & quod cùm ſit vnius naturæ filius cum patre, etiam vnius ſit potentiæ, & ita omnipotẽs ſicut & pater, quemadmodum etiam ſpiritum ſanctum omnipotentem ſcriptura teſtatur. Cap. 10.

SEd plerique eandem ſectam ſequentes, diſputationis genere diſcordare ſe putant, ab his qui diſsimilem patri per omnia filium dicunt. Ideo horum quoque qui ſimilem dicunt filium, ſed non vnius ſubſtantiæ cum patre, ineptias diſcutiamus. Quæ non vnius naturæ ſunt, diuerſæ ſunt vtique atque diſtantis: & quę diſtantis naturæ, conſequens eſt, vt ſimilia eſſe non poſsint, niſi fortè ſecundum ſpeciem ſimilia dicas, diſsimilia ſecundum veritatem. Nam & lactis & niuis & cygni albentis, color ſpecies eſt, ſed diſcrepantiam ſeruat diſtantis naturæ, nec differentia naturarum, ſpecierum ſimilitudine coloratur. Quomodo ergo iſti ſimilem dicunt patrem & filium, qui vnitatem ſubſtantiæ negant? An ſecundum formam & figuram colorem ſimilem putant? Sed hæc corporis ſunt, hæc compoſitionem quandam indicant. Quomodo autem inuiſibili ſimilitudinem ſecundũ colorem aptamus aut formam? Aut quomodo creatura poteſt eſſe ſimilis increato? Quomodo ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ eius, ſi diuerſa gloria (vt illi dicunt) diuerſa ſubſtantia eſt? Secundum gloriam, inquiunt, & operationem ſimilis eſt, & propterea imago dei dicitur filius. Ergo ſi per aliqua non per omnia ſimilis, pro parte ſimilis, pro parte diſſimilis. Huic autem propoſitioni conſequens eſt, vt ſi ex parte ſimilis, non in toto eſt, pro parte ſit dei imago compoſita: ac per hoc ſequitur, vt & ipſe compoſitus videatur, cuius ſit imago compoſita. Compoſita autem ſi ex parte ſimilitudinem ſeruet, imago eius ex parte ſimilis eſſe non poſſit. Sed qui ſimilem ſecundum vnitatem naturæ negãt, ſimilem cæteris arbitrantur. Solent enim dicere: Cur putatis, quia multum dedit ſcriptura filio, quia imaginem dicit, cùm ipſe deus dixerit Leui. 19. hominibus: Eſtote ſancti, quoniam ego ſanctus ſum. Et fi- Matth. 5. lius dixerit: Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter qui in cœlis eſt, perfectus eſt. Nec intelligunt eo ipſo aſtrui, quia non

A ſecundum partem ſed ſecundum plenitudinem diuinitatis & perfectionem ſimilis ſit filius patri. Denique ſi multi ſimiles, cur ſolus filius imago inuiſibilis dei dicitur, & character ſubſtantiæ eius, niſi quia in eo naturæ eiuſdem vnitas, & eius maieſtatis expreſſio eſt? Alia enim ſecundum imitationem ſimilitudo, alia ſecundum naturam: quod propoſitorum exemplorum etiam verba indicant. Dicit enim ſcriptura: Eſtote ſancti, vt fiant id per imitationem homines. Ergo dicitur, eſtote, quia non ſunt. De ſe autem dicit deus: quia ſanctus ſum, non vtique proficiente proceſſu, ſed manente natura. Denique ait ſapientia: Eſtote perfecti, vt incipiant habere quod non habent. De patre autem dicit: Sicut pater veſter qui in cœlis eſt, perfectus eſt. Eſt ergo perfectus pater, qui eſt, ſemper eſt. Ideo vel vſia græcè quod ſit ſemper, vel latinè, quod in ſuo maneat, nec ope ſubſiſtat aliena, appellatur ſubſtantia. Sanctus ergo pater, & perfectus pater. Sanctus etiam & perfectus filius quaſi imago dei. Imago autem dei, quia omnia quæ ſunt dei videntur in filio, id eſt ſempiterna diuinitas, omnipotentia atque maieſtas.

B Talis ergo qualis eſt deus, ſua videtur imagine. Vnde oportet vt imaginem eius talem credas, qualis eſt deus. Nam ſi imagini detrahas, & vtique ei cuius imago eſt videbitur eſſe detractum. Si minorem imaginem credas, minor deus apparebit imagine. Qualem enim æſtimaueris imaginem, talis tibi videbitur hic, cuius inuiſibilis eſt imago. Dixit enim imago. Qui me videt, videt & patrem. At qualem æſtimaueris eum cuius imaginem eſſe filium credis, talis tibi neceſſariò filius æſtimandus eſt. Vnde quia increatus pater, increatus & filius: quia non minor pater, non minor filius: qnia omnipotens pater, omnipotens & filius. Dictum eſt igitur, etiam ſi vſurpent quod non legunt, vt ingenitum dicant, verbo tamen nihil impediri quo minus vnius naturæ atque ſubſtantiæ Chriſtum cum patre eſſe credamus. Quod ſi vnius naturæ, vtique vnius potentiæ. Qui quidem locus haud difficilior eſt ad refellenda ſtudia perfidorum. Quomodo enim negant omnipotentem Chriſtum, quod ſcriptum eſt, qui volunt vſurpare quod non docent ſcriptum? Ioan. 14.

C Omnipotentem etenim Chriſtum ſupra docuimus. Et in Ioannis euangeliſtæ Apocalypſi, & in Zachariæ prophetia, & in euangelio ſignificatum. Quæ ſi quis recenſenda putat, ſuperiora reuoluat & repetat. Tamen (quod ibi propter congeſtionem teſtimoniorum pene præterij) dicant de quo putent dictum quod Amos prophetauit? Sic enim ſcriptum Amos. 9. eſt: Dominus qui attigit terram & mouet eam, & lugebunt omnes commorantes in ea, & aſcendet ſicut flumen Ægypti. Qui ædificat ſuper cœlum aſcenſionem ſuam, & repromiſſionem ſuam ſuper terrã, confirmat, qui aduocat aquam maris, & effundit eam ſuper faciem terræ, dominus omnipotens nomen eſt ei. Nónne hæc omnia in filium intelligãt conuenire? Qui terram deſcendens tetigit, in paſſione commouit, de terris aſcendit in cœlum, & ſuper terram deſcendit è cœlo, ſicut ipſe promiſerat. Sed quid de filio laboro, cùm etiam ſpiritum omnipotentem ſcriptura teſtetur? Scriptum eſt enim: Verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu Pſal. 32. oris eius omnis virtus eorum. Et de ſapientia ſcriptum eſt:

D Quia habeat in ſe omnipotentem ſpiritum. Dicit enim Sa- Sapien. 7. lomon, quia omnium artifex docuit me ſapientia. Eſt enim in ea ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, bonus, mobilis, diſertus, immaculatus, manifeſtus, inuiolabilis, bonum amans, acutus, prouidens, poſſibilis, munificus, benignus, ſtabilis, integer, ſine ſolicitudine, qui omnia poteſt, omnia ſpectat, & per omnia penetrans ſpirituum intelligibilium.

FINIS.

Diui

Diui Ambrosij
EPISCOPI MEDIOLANENSIS
de mysterio paschæ, Liber Vnus.

Vnde sacrum nomen paschæ descenderit, & qua ratione Christus se in passionem paschæ mysterio consecrauerit. Cap. 1.

PAschæ mysterium de fide omnibus credentibus in Christo renatis, recidiuatum fidei annuæ felicitatis gaudium & gloriam submini strat. Quod quidem sacrum nomen ab ipsius domini passione descendit. Pascha enim passio est saluatoris, sicuti beatus Apostolus di-
1.Cor.5. cit: Pascha enim nostrum immolatus est Christus. Ad hoc enim humanum corpus Christus accipiens, se in passionem paschæ mysterio cõsecrauit, vt quisquis huius muneris per fidem, participationem esset indeptus, consortio dominicæ felicitatis dignus merito censeretur.

De commendatione paschalis temporis, ab iis quæ eo tempore facta commemorantur. Cap. 2.

ESt enim pascha verè anni principium, primi mensis exordium, nouella germinum reparatio, ac tetræ hyemis nocte discussa, primi veris restituta iucunditas. Hoc, inquam, tempore visibilium & inuisibilium conditor deus, defixa humo cœli machinam suspendens, diem solis ardore radiauit, splendorem lunæ solatio noctis attribuit, pendentem cœli cameram splendentium syderum decorauit ornatu, mare certis littorum finibus coercens, concauæ ac stridentis vndæ æstum metas statuti limitis haud iussit excedere. Et vt plana mundi facies oculorum eminus subtraheretur aspectui, ad hoc in ornatum mũdialis fabricæ, nemorosi colles atque excelsi constituti sunt montes, vt iterum mortalibus campestris ornatus iucundior adueniret.

Qua ratione homo terrestris creaturæ factus sit dominus, & quomodo gratiam creatoris amiserit, ac mortis sententiam incurrerit. Quódque ita diabolus mortis sortitus sit imperium, & omnes à deo deuiantes tartari clausos ergastulo possederit. Caput 3.

IPséque homo diuini opificij dignatione formatus, ad hoc terrestris creaturæ effectus est dominus, vt diuinis institutionibus parens, eius tãtum & voluntatẽ seruaret, qui se in tantis rebus dominum præfecisset ex nihilo. Qui in ipso exordio, non nescius, deprauatus inuidia, dum super indultum dei opificium cupit fieri, quod natura non dederat, amisit gratiam quam creatoris pietas attribuerat: continuò ob concupiscentiam diabolicę deceptionis, sententiam mortis præuaricator incurrens, etiam ad futuræ ex se stirpis originem propagauit,
Sapien.2. vt diuina hoc loco rectè sententia compleretur. Inuidia diaboli, mors itroiuit in orbem terrarum. Ita per occasionem delicti, in vniuersis peccatoribus diabolus mortis est sortitus imperium, atque omnes à deo deuiantes, peccati vinculo obstrictos, squalentis tartari clausos ergastulo possidebat.

Quomodo deus humanam carnem assumens, & corpus conditioni mortis addicens, ad tartara descenderit, & seras inferni ianuásque confringens, vinctos è diaboli faucibus reuocauerit. Cap. 4.

QVorum interitum dolẽs diuina censura, non per seruum vatem, nec per angelum inuisibilem, sed ad hoc per substantiam humanæ carnis, in homine deus veniens habitauit, vt honestam viuendi formam mortalibus daret, & temporariis æternam in se credentibus vitam, exemplo suæ mortis ac resurrectionis aperiret. Vt enim incredulitas & simulacrorum cultus, cœli aditum clauserat, ita inferni baratrum præuaricatoribus perfidia procurarat. In quorum suppliciis vsque ad aduentum saluatoris domini Iesu Christi, diabolus per mortem regnauit, donec humanæ carnis ad deum attemperata substantia, immaculatum corpus conditioni mortis addixit. Expers peccati Christus, cùm ad tartari ima descenderet, seras infernianuásque confringens, vinctas peccato animas mortis dominatione destructa, è diaboli faucibus reuocauit ad vitam, atque ita diuinum triumphum æternis characteribus est cõscriptũ, dum dicit: Vbi est mors aculeus tuus? vbi est mors 1.Cor.
victoria tua? Quam fœlicitatem reparatæ salutis, Paulus recolens clamat: Sicuti per Adam mors intrauit in hunc mundum, ita & per Christum salus restituta est mundo. Et iterum: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Et adiiciens ait: Sicut portauimus imaginem terreni, id est vetusti hominis in crimine: sic portemus imaginem cœlestis, id est susceptι, redempti, reparati, ac purificati hominis salutem, teneamus in Christo: quia idem ipse Apostolus ait: Initium Christus, id est author resurrectionis & vitæ, deinde hi qui sunt Christi, id est qui in forma puritatis eius viuentes, de spe resurrectionis eius securi erunt, cum ipso cœlestis promissi gloriam possessuri, sicut ipse dominus in euangelio ait: Qui, inquit, me secutus fuerit, non Ioan.
periet, sed transiet de morte ad vitam. Ita saluatoris passio vitæ humanæ salus est. Ad hoc enim pro nobis mori voluit, vt nos in eum credentes perpetuò viueremus. Voluit pro tempore fieri quod nos sumus, vt nos æternitatis eius promissionem indepti, cum eodem perpetuò viueremus.

De ingentibus paschalis mysterij, dieique illius præconiis. Cap. 5.

HÆc, inquam, illa est cœlestium mysteriorum gratia, hoc paschę donum, hæc optabilis anni festiuitas, hæc exordia gignẽtium rerum. Hinc vitalis lauacri sacræ ecclesiæ editi puerperio infantes paruulorum simplicitate renati, baratro innocentis perstrepunt conscientiæ. Hinc casti patres, pudicæ etiam matres, nouellam per fidem stirpem prosequuntur innumeram. Hinc sub fidei arbore ab vtero fontis innocui cereorum splendet ornatus. Hinc cœlestis meriti sanctificantur munere, & sacramenti spiritalis celebri mysterio saginantur. Hinc vnius plebis gremio beatæ ecclesiæ nutrita fraternitas, vnicę diuinitatis substantiam, ac virtutis trinum nomen adorantes, psalmum annuæ festiuitatis cum Propheta concelebrant. Hic est dies quem fecit dominus, exultemus lætemur in eo. Quis, inquam, dies? Nempe ille qui attribuit viuendi principium, lucis exordium, author luminis, id est, Psal.
ipse dominus Iesus Christus qui de semetipso ait: Ego sum, Ioan.
inquit, dies: qui per diem ambulat non offendit: id est qui Christum in omnibus sequitur, per eius vestigia vsque ad æternæ lucis solium transmeabit, sicut ipse patrem pro nobis adhuc in corpore constitutus, orat, dicens: Pater, volo Ioan.
vt vbi ego sum, ibi sint & hi qui in me crediderunt, vt sicut tu in me & ego in te, ita & illi maneant in nobis. Hic, inquá, exultationis & lętitiæ dies est, in quo promissum perfectæ glorię consecuti, rectè plebs sancta ad instar angelorum futuræ laudis mysteriũ, adhuc in hoc seculo cõstituti, domino cum Propheta cantamus: Hic est dies quem fecit dominus, exultemus & lętemur in eo, id est author institutionis, redemptionis, & vitę perpetuę, dominus Iesus Christus, qui est rex regum, & dominus dominorum absque initio, sine fine in patre regnans cum spiritu sancto, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

OPERVM DIVI AMBROSII SECVNDI TOMI FINIS.

TERTIVS TOMVS

DIVI AMBROSII OPERVM, CONTINENS ORATIONES, EPISTOLAS, ET SERMONES AD POPVLVM HABITOS.

***



PARISIIS,

Apud Gulielmum Merlin, in ponte Numulariorum: & Sebastianum Niuellium, sub Ciconiis, via Iacobea: & Michaëlam Guillard, viduam Gulielmi Desbois, sub Sole aureo, eadem via.

AN. DO. M. D. LXIX.

Cum priuilegio Regis.

CATALOGVS TOMI TERTII.

Oratio funebris de obitu Valentiniani Imperatoris.	Col. 443.
De excessu fratris sui Satyri, funebris.	Col. 454.
De fide resurrectionis, de eodem.	Col. 466.
De fide resurrectionis fragmentum nomine Ambrosij.	Col. 486.
Funebris de morte Theodosij Imperatoris.	Col. 491.
Epistolæ ad diuersos, variis argumentis.	Col. 505.
Conciones ad populum breues.	Col. 688.

Diui Ambrosij
MEDIOLANENSIS EPISCOPI
oratio funebris de obitu Valentiniani Imperatoris.

Tsi incrementum doloris sit, id quod doleas scribere: quoniam tamen plerunque in eius quem amissum dolemus, cõmemoratione requiescimus, eo quod in scribendo, dum in eũ mentem dirigimus, intentionémque defigimus, videtur nobis in sermone reuiuiscere: signare aliquid de Valentiniani iunioris vltimis cordi fuit, ne aut obliterasse silentio bene meriti de nobis pignoris memoriam videremur, atque inhonoratam reliquisse, aut refugisse incentiuum dolendi, cùm doluisse plerunque solatium sit dolentis: simul vt cùm de ipso aut ad ipsum loquor, tãquam de præsenti sermo sit. Quid igitur primum defleam? Quid primum amara conquestione deplorem? Cõuersi sunt dies nobis votorum nostrorum in lachrymas. Siquidem Valentinianus nobis, sed non talis qualis sperabatur, aduenit. Et iste quidem vel morte sua voluit implere promissum, sed nobis acerbissima est facta eius, quæ exoptabatur, præsentia. Vtinam adhuc nobis abesset, vt sibi viueret. Sed ille non passus cùm audiret alpes Italiæ hoste infestari Barbaro, maluit periclitari se si Gallias derelinqueret, quàm nostro deesse periculo. Magnum discrimen agnoscimus imperatoris, quod Romano subuenire voluit imperio. Hæc causa mortis, quæ plena laudis. Soluamus bono principi stipendiarias lachrymas, quia ille nobis soluit etiam mortis suæ stipendium. Nec tamen flendi admonitio necessaria. Flent omnes, flent & ignoti, flent & timentes, flent & inuiti, flẽt & Barbari, flent & qui videbantur inimici. Quantos iste de Galliis vsque huc totius tractu itineris populorũ egit gemitus? Omnes enim non tanquam imperatorem sibi, sed tanquam parentem publicum obisse domestico fletu doloris illachrymant, suáque omnes funera dolent. Amisimus enim imperatorem in quo duo pariter acerbant dolorem, annorum immaturitas, & consiliorum senectus. In his
Thren.1. ergo fleo, sicut dixit propheta: Oculi mei caligauerunt à fletu, quia elongauit à me qui cõsolabatur me. Oculi mei non solum corporis, sed etiam mentis hebetati sunt, & quadam cæcitate omnis sensus obductus est, quoniam ereptus est mihi qui conuertit animam meam, & ad spem maximam de summa rerum desperatione reuocauit. Audite omnes populi & videte dolorem meum. Virgines meæ & iuuenes mei abierunt in captiuitatem: sed cognito quod de Valentiniani essent partibus, liberi reuerterunt. Militauit hostis Barbarus imperatori adolescenti, & suæ oblitus victoriæ, memor fuit imperialis reuerẽtiæ. Laxauit sponte quos ceperat, excusans quod ignorasset Italos. Nos adhuc murum alpibus addere parabamus. Valentiniani gratia non expectauit Alpium vallum, fluenta amnium, aggeres niuium, sed Alpes & fluuios supergressa, muro nos sui imperij protexit. Vnde prophetici
Ibidem. Threni mihi vtendum exordio videtur. Quomodo mœret Italia, quæ abundabat gaudiis? Plorans plorauit in nocte, & lachrymę illius in maxillis eius. Non est qui eam consoletur ab omnibus qui diligunt eam. Omnes qui amant illam, despexerunt eam. Omnis populus eius ingemiscens. Et quia de Hierusalem, id est ecclesia, plorauit in nocte, quoniam qui eam splẽdidiorem fide sua & deuotione faciebat, occubuit: meritò ergo plorans plorauit, & adhuc lachrymæ eius in maxillis eius. Vbertatem quidem fletuum solet vultus humescentis declarare infusio, cùm lachrymis genæ rorant. Sed
Cantic.5. quia scriptum est: Genæ eius sicut phialæ aromatis gignentes vnguentaria, labia eius sicut lilia distillantia myrrham plenam: mysticè ecclesiæ gratia deflentis accipitur, quę in obitu Valentiniani bonum doloris sui effudit vnguentum, & A vitam eius prædicando concelebrat. Cui mors obesse non potuit, eo quod odor prædicationis vniuersorũ ore celebrabilis, fœtorem omnem mortis obleuit. Flet igitur ecclesia pignus suum, & lachrymæ eius in maxillis eius. Quid sit maxilla, audi: Qui te percusserit in maxillã, præbe ei & alteram: Lucæ 6.
eo quod in dolore sit patiens vt pœniteat verberantem. Percussa eras ecclesia in maxilla tua cùm amitteres Gratianum, præbuisti & alteram quando tibi Valentinianus ereptus est. Meritò tibi non in vna maxilla, sed in vtraque sunt lachrymæ, quia piè germanum vtrũque deploras. Ploras igitur ecclesia, & fletum genæ tuæ velut fluentibus quibusdam stillicidiis pietatis exundant. Quæ sunt istæ genæ ecclesię, de quibus & alibi ait scriptura: Vt corium malorũ granatorum genæ tuæ? Istæ sunt genæ, in quibus solet nitere verecũdia, pul Cantic.6.
chritudo fulgere, in quibus aut flos iuuentæ aut perfectæ ætatis insigne est. In obitu igitur fidelium imperatorum quidam fidei pudor, quædam ecclesiæ verecundia est, & in tam immatura morte piorum principũ omnis ecclesiæ mœstior
B pulchritudo est. Plorat ecclesia in sapientibus suis, qui velut caput ecclesiæ sunt. Oculi enim sapientis in capite eius. Plo Eccles.2.
rat in oculis, hoc est, in suis fidelibus, quia scriptum est: Ocu Cantic.4.
li tui sicut colũbæ, extra taciturnitatem tuam: eo quod & videant spiritualiter, & nouerint ea quæ viderint tacere mysteria. Plorat in sacerdotibus suis, qui sunt sicut genæ ecclesiæ, in quibus est barba Aarõ, hoc est barba sacerdotalis, in quẽ Psal.132.
de capite descendit vnguentum. Isti sunt in quibus est pulchritudo ecclesiæ, in quibus flos eius gratior, in quibus ætas perfectior, qui velut cortices malorum punicorũ decorem floris præferant abstinentia corporali, intus autem commissam sibi plebem diuersæ ætatis & sexus foueant sapientia spirituali, obiecti quidem seculo ad iniurias, sed interna mysteria diuidentes. Plorat in virginibus suis, quæ sunt sicut lilia myrrha plena, candorem integritatis, & mortificatæ corporalis illecebræ gloriam præferentes. In his ergo flet, sicut scri
ptum est: Viæ Sion lugent, sacerdotes eius ingemiscũt, virgi- Thren.1.
nes eius abductæ, & ipsa indignatur intra se. Et intra se quidem indignatur, ad Valentinianum autem dicit: Assumam
C te & inducam te in domum matris meæ, & in secretum eius Cantic.8.
quæ concepit me. Potum tibi dabo à vino operosi vnguenti, hoc est multi operis, multi odoris vnguenti, à fluxu malorum granatorum meorum: vt bibat vinum quod lætificat cor hominis, & defluat in eum malorũ granatorum fluxus, in quibus multus & diuersus est fructus. Sermo enim multorum sensuum, & de diuersis scripturis abũdans, sermo angelorum, sermo apostolorum ac prophetarum, quos vno velut corio ecclesia sancta complectitur, malorum fluxus est granatorum. Videns hæc Valentinianus integræ plena gratiæ respondet: Misericordiæ domini quod non defecimus, Thren.3.
quia non sunt consummatæ miserationes eius. Renouabit illa sicut lux matutina. Multi sunt gemitus mei, & cor meum defecit. Sors mea dominus, dixit. Ideo suscitabo eum. Bonus est dominus sustinentibus eum, animæ quæ quærit eum: bonum est sperare in salutare domini: Bonũ est viro cùm portauerit iugum graue in iuuentute sua: sedebit singulariter, &
D silebit, quia tulit iugum graue. Et ille quidem se suarum virtutum remuneratione solatur, eo quod in iuuentute sua labores absorbuit, pericula multorum tolerauit. Iugum maluit graue emendationis propositi, quàm molle illud ac plenum deliciarum inuidia mentis ceruice portare. Bene beatus planè qui vel in senectute correxit errorem, beatus qui vel sub ictu mortis animũ conuertit à vitiis. Beati enim quo- Psal.13.
rum tecta sunt peccata, quia scriptum est: Desine à malo & Psal.33.
fac bonum, & inhabita in secula seculorum. Quicunque ergo desierit à peccatis, & fuerit ad meliora in quacunque conuersus ætate, habet superiorum indulgentiam peccatorum, quæ fuerit vel patienti confessus affectu, vel corrigenti auersatus ingenio. Sed huic cum plurimis veniæ societas emerendæ. Plurimi enim sunt qui se à peccatis iuuẽtutis in senectute reuocare potuerunt. Rarus autem qui in iuuentute graue iugum seria sobrietate portauerit. Hoc est illud iugum de
quo dominus in euangelio ait: Venite ad me omnes qui la- Matth.11.
boratis & onerati estis, & ego vos reficiam: tollite iugum

meum ſuper vos. Si quis ergo antequam graui oneretur pec
catorum ſarcina tulerit iugum in iuuentute, ſingulariter ſe-
debit, non cum plurimis conferendus, ſed cum illo poteſt di
Pſal.4. cere: Quoniam tu ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Sed for
tè dicas, quomodo iugũ graue dicit Hieremias, cùm in euan
gelio dominus dixerit: Iugum meum ſuaue, & onus meum
leue eſt? Ac primum diſce quia Græcus iugum tantummodo
poſuit, non addidit graue. Tamen & illud aduerte, quia etſi
ita eſſet in Threnis, in euãgelio iugum ſuaue dixerit, & onus
leue, non iugum leue. Poteſt enim graue iugum verbi eſſe,
ſed ſuaue. Graue adoleſcenti, graue iuueni, cuius ætas eſt flo-
rulentior, vt nolit iugo verbi ſubiiciendam animi præbere
ceruicem. Poteſt & graue verbi iugum videri præ pondere
diſciplinæ, auſteritate correctionis, pondere abſtinentiæ, re-
ſtrictionéque laſciuiæ, ſuaue tamen eſſe fructu gratiæ, ſpe re
munerationis æternæ, purioris conſciẽtiæ ſuauitate. Tamen
iugum verbi ſuaue dixit, onus obedientiæ leue: quoniam ei
qui iugum verbi patienti ceruice ſuſceperit, diſciplinæ onus
graue eſſe non poterit. Qui ergo tulerit à iuuentute iugum,
ſingulariter ſedebit, & ſilebit reuelata ſibi gaudens diuinæ
remunerationis æterna myſteria. Aut certè ſilebit, non opus
habens excuſatione peccati, quod matura confeſſione præ-
uenit, & propera correctione depoſuit. Non enim dicetur
Eccleſ.25. huic: Quæ in iuuentute non congregaſti, quomodo inue-
nies in ſenectute? Poteſt autem & ſic intelligi: Quoniam qui
citò portauerit iugum verbi, hoc eſt, à iuuentute non ſe mi-
ſcebit cum iuuenibus, ſedebit ſeorſum & ſilebit, donec ple-
na ſe perfectione virtutis erudiat, & magnam induat animo
patientiam, dabítque percutienti maxillam ſuam, etiam cæ-
dis contẽtus iniuria, vt mandatis obſequatur cœleſtibus. Ma
gnum eſt enim vel abſtinere à vitiis iuuentutis, vel ea in ip-
ſo iuuentutis veſtibulo derelinquere, atque ad ſaniora con-
uerti: lubricæ enim & perplexæ viæ ſunt iuuentutis. Deni-
Prouer.3. que Salomon ait: Tria mihi impoſſibilia ſunt intelligere, &
quartum quod non cognoſco. Veſtigia aquilæ volantis, &
vias ſerpentis in petra, & ſemitas nauis nauigantis, & vias vi-
Pſal.24. ri in iuuentute. Dauid autem ait: Delicta iuuentutis meæ &
ignorantias meas ne memineris. Iuuenis enim non ſolùm
fragilitate lubricæ ætatis prolabitur, verumetiam ignoran-
tia cœleſtium mandatorum plerunque delinquit. Citò au-
tem meretur veniam qui prætendit ignorantiam. Propheta
Ibidem. itaque dicit: Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne
memineris. Non dicit, delicta ſenectutis meæ & ſcientiæ
meæ ne memineris, ſed quaſi propheta qui citò correxerit
& emendauerit vitia iuuentutis, ætatem ignorantiámq; præ-
tendit. Valẽtinianus quoque in delicto prophetæ ſimul ait:
Delicta adoleſcentiæ & ignorẽtiæ meæ ne memineris. Non
ſolum dixit, ſed etiam ante correxit errorem, quàm diſceret
eſſe lapſum alicuius erroris. Itaq; dicit: Correctionem inuen
tutis meæ ne memineris. Error in pluribus eſt, in paucis cor-
rectio. Et quid iam de aliis dicam, qui etiam ludo iuuentutis
putauerit abſtinendum, reſecandam ætatis licentiam, ſeueri
tatis publicæ duritiam molliendam, lenitatem ſenectutis in
alienis annis deferendam ei qui in periculum conuicti cri- D
minis vocaretur? Ferebatur primo ludis Circẽſibus delecta-
ri: ſic iſtud abſterſit, vt ne ſolennibus quidem principum na
talibus, vel imperialis honoris gratia Circenſes putaret eſſe
celebrandos. Aiebant aliqui ferarum cum venationibus oc-
cupari, atque ab actibus publicis intentionem eius abduci.
Omnes feras vno momento iuſſit interfici. Audire in conſi
ſtorio negocia, & Danielis ſpiritu, in quibus dubitarent ſe-
nes, vel perſonæ alicuius contuitu ducerentur, congruam ve
rò adoleſcentem videres ſenilem ferre ſentẽtiam. Iactabant
inuidi, qui præmature prandium peteret: cœpit ita frequen-
tare ieiunium, vt plerunque ipſe impranſus conuiuium ſo-
lenne ſuis comitibus exhiberet, quo & religioni ſacræ ſatiſ-
faceret, & principis humanitati. Scenicę cuiuſdam forma ac
decore deperire Romæ adoleſcentes nobiles nunciabatur:
Iuſſit eam ad comitatum venire. Miſſus precio deprauatus
ſine mandati effectu rediit. Alterum miſit, ne voluiſſe emen
dare vitia adoleſcẽtum & non potuiſſe videretur. Datus eſt
obtrectãdi aliquibus locus, deductam tamen nunquam aut

A ſpectauit aut vidit. Poſtea redire præcepit, vt & omnes agno
ſcerent irritum eius non eſſe mandatum, & adoleſcẽtes do-
ceret ab amore mulieris tẽperare, quàm ipſe qui potuit ha-
bere in poteſtate, deſpexerat. Et hæc fecit cùm adhuc non
haberet vxorem, & tamen exhiberet ſui tanquam vinctus
coniugio caſtitatem. Quis tam dominus ſerui quàm ille ſui
corporis fuit? Quis tam aliorum arbiter, quàm ille ſuæ cen-
ſor ætatis? Quid de pietate eius loquar? qui cùm homines no
bili ortos genere, & locupleti proſapia, quæ citò mouere in-
uidiam ſolet regiæ cupiditatis, acculator vrgeret, præfectus
inſiſteret, reſpondit, nihil cruentum ſanctis præſertim die-
bus ſtatueretur. Et cùm poſt aliquot dies accuſatoris lege-
retur libellus, calumniam pronunciaturus, accuſatum li-
berè donec præfectus cognoſceret, obſeruare iuſſit. Ne-
que antè aut poſtea quiſquam tanti criminis ſub adoleſcen-
te imperatore formidauit inuidiam. Riſit adoleſcens quod
robuſti metuunt imperatores. Miſerat propter recuperan-
da templorum iura, ſacerdotiorum prophana priuilegia, cul
tus ſacrorum ſuorum Roma legatos, & quod eſt grauius, ſe-
B natus nomine nitebantur. Et cùm vniuerſi qui in conſiſto-
rio aderant Chriſtiani pariter atque gentiles dicerent eſſe
reddenda, ſolus velut Daniel excitato in ſe dei ſpiritu ar-
guebat perfidiæ Chriſtianos, gentilibus obuiabat, dicens:
Quod pius frater eripuit, quomodo à me putatis eſſe red-
dendum, cùm in eo & religio lædatur & frater, à quo ſe nol-
let pietate ſuperari? Et cùm paterno conueniretur exemplo,
quod ſub patre ſuo ea nullus abſtulerat, reſpondit: Patrem
meum laudatis quia non abſtulit, nec ego abſtuli. Nunquid
pater meus reddidit, vt me debere reddere poſtuletis? Po-
ſtremò & ſi pater reddidiſſet, frater abſtulerat. Imitatorem
in ea parte fratris eſſe me mallem. Aut nunquid meus pater
Auguſtus fuit, & frater non fuit? Par vtrique debetur reue-
rentia, & par vtriuſque eſt circa rempublicam gratia. Vtrũ-
que imitabor, vt & non reddam, quod & pater reddere non
potuit, quia nullus abſtulerat: & ſeruẽ quod à fratre eſt con-
ſtitutum. Poſtulet parens Roma alia quæcunque deſide-
C rat. Debeo affectum parenti, ſed magis obſequium debeo
ſalutis authori. Quid de amore prouincialium loquar, vel
quo eos ipſe complectebatur, vel qui ab iis conſultori ſuo
rependebatur, quibus nihil vnquam indici paſſus eſt? Prę-
terita, inquit, non queunt ſoluere, noua poterunt ſuſtinere?
Hoc laudant prouinciæ Iulianum: & ille quidem in robuſta
ætate, iſte in proceſſu adoleſcentiæ. Ille plurima reperit, &
exhauſit omnia: iſte nihil inuenit, & omnibus abundauit.
Audiuit in tranſalpinis partibus poſitus ad Italiæ fines Bar-
baros appropinquaſſe: ſolicitus ne alieno hoſte ſuum re-
gnum attentaretur, venire properabat cupiens dimittere
Gallicana ocia, & pericula noſtra ſuſcipere. Hæc mihi cum
aliis communia, illa priuata quod ſæpe me appellabat abſen
tem, & à me initiatum ſe ſacris myſteriis præferebat. Quin-
etiam cùm rumor quidam ad Viẽnenſem pertuliſſet vrbem
quod inuitandi eius ad Italiam gratia eò pergerẽ, quàm gau-
debat, quàm gratulabatur me ſibi optato affore, mora ei ad-
uentus mei prolixior videbatur: atque vtinam aduentum i-
pſius nullus præueniſſet nuncius. Iam promiſeram me pro-
fecturum, reſpondens vel honoratis petentibus, vel præfe-
cto vt tranquillitati Italiæ conſuleretur, me ſicut ſuperfluo
ingerere non poſſem, propter verecundiam, ita neceſſitati-
bus non defuturum. Confirmatum hoc erat. Ecce poſtridie
literę de inſtruendis manſionibus, inuectio ornamentorum
regalium, aliáque eiuſmodi quæ ingreſſurum iter imperato-
rem ſignificarent. Quibus rebus ab ipſis quibus fuerat po-
ſtulata, intermiſſa legatio eſt. Reus mihi videbar ſperatæ
meæ præſentiæ, nec impletę: ſed vtinam viuenti tibi hunc de
berem reatum. Excuſarem quod nulla tua audiſſem pericu-
la, nullas tuas accepiſſem literas, quod non potuiſſem pro-
priis animalibus occurrere, etiam ſi iter ingreſſus eſſem. Ita-
que ſecurus venię, dum dies ſubduco, * aduẽtum tuum in- * adue-
telligo. Ecce reſcriptũ accipio, vt ſine mora pergendum pu- tui
tarem, eo quod vadem fidei tuę haberẽ caput, comitẽ tuum go.
velles. Num reſtiti? Num moratus ſum? Additur eo vt pro-
perarem ocyus, nec arbitrarer cauſam itineris mei Syno-
dum

dum Gallorum esse episcoporum, propter quorum frequen
tes dissensiones crebrò me excusaueram, sed vt ipse baptiza-
retur in ipso egressu. Gestarum iam rerum indicia potui co-
gnoscere, sed properandi studio nihil aduertere potera. Iam
superabam Alpium iuga, & ecce nuncius amarus mihi & o-
mnibus de tanti morte imperatoris. Reflexi, iter fletibus
meis laui. Quibus ego votis omnium proficiscebar? Quo ge
mitu omnium reuertebar? Non enim imperatorem sibi, sed
salutem ereptam putabat. Quanto ipse angebar dolore? Pri-
mum quod tãtus princeps, quod dulce pignus meum, quod
ita mei cupidissimus occidisset. Quos ego æstus eius illo bi-
duo fuisse comperi, quo literis quas ad me miserat superui-
xit. Vesperi profectus est silentiarius, tertio die mane quære-
bat iam ne remeasset, iam ne venirem? Ita sibi salutem quan
dam venturam arbitrabatur. O iuuenis optime, vtinam te vi
uentem inuenire potuissem, vtinam te dilatio aliqua meo re
seruasset aduentui. Nihil de aliqua mei virtute polliceor, ni-
hil de ingenio atque prudentia: sed quanta ego cura inter te
& comitem tuum, quanta sedulitate cõcordiam & gratiam
refudissem. Quàm meipsum pro tua obtulissem fide, quàm
in meipsum eos recepissem, quibus ille se timere dicebat.
Certè si comes non esset inflexus, tecum remansissem. Præ-
sumebam de te quod ipse me audires: si pro te non esse audi
tum videres, multa habueram quæ tenerem. Nunc nihil ha-
beo præter lachrymas & fletus. Quotidie mihi maior ad do
lorem es, crescis ad gemitum. Omnes quanti me feceris pro
testantur. Omnes absentiam meam causam tuæ mortis ap-
pellant. Sed non sum Helias, non sum propheta, quo potue-
rim futura cognoscere, sed sum vox clamãtis in gemitu, quo
possim deflere præterita. Quid enim habeo quod melius fa-
ciam, quàm vt tibi lachrymas pro tanto tuo in me affectu re-
pendam? Ego te suscepi paruulum, cùm legatus ad hostem
tuum pergerem. Ego Iustinæ maternis traditum manibus
amplexus sum. Ego tuus iterum legatus repetiui Gallias, &
mihi dulce illud officium fuit pro salute tua primo, deinde
pro pace atque pietate qua fraternas reliquias postulabas,
nondum pro te securus, & iam pro fraternæ sepulturæ hono
re solicitus. Sed reuertamur ad Threnos, & ipsa doloris in-
grediamur viscera. Quid testabor, inquit, tibi, aut quid assi-
milabo tibi filia Hierusalẽ? quis saluam faciet te? & quis con-
solabitur te virgo filia Sion? Quia magna facta est super te
contritio tua, quis sanabit te? Quis autem me consolabitur, à
quo alij petunt consolationis officium? Impleuit me amari-
tudine, inebriauit me felle. Ventrem meum doleo, vt pro-
phetico vtar eloquio, quoniam quem in euangelio eram ge-
neraturus, amisi. Sed ille non amisit gratiam quam popposcit,
qui mihi in sermone quo vtebar ad plebem, hodie resurre-
xit. Nam cùm in tractatum incidissem propositæ lectionis,
quod populus pauper benediceret deũ: quærere cœpi quis
esset hic populus, & distinguere quod esset populus alter di
ues, alter pauper: diues Iudæorum, pauper ecclesiæ. Diues il-
le eloquiis sibi creditis, iste pauper aliena eloquia mutuatus.
Meritò pauper, quia congregatus à paupere est, illo videli-
cet qui pauper factus est cùm diues esset, vt nos eius inopia
ditaremur. Exinaniuit enim se, vt omnes repleret. Sed quo-
modo pauper, qui habebat æternitatis diuitias, & plenitudi-
nem diuinitatis? Denique in carne erat, & dicebat: A modo
videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis. Et
alibi ad Petrum dicit: Tibi dabo claues regni cœlorum. Hic
ergo pauper qui regnum cœleste donabat? Sed audi quomo
do pauper. Tollite, inquit, iugum meum super vos, quia mi-
tis sum, & humilis corde. Ideo & populus eius pauper est,
non indigentia, quem diuite illo populo video ditiorẽ. Non
solùm enim oracula prophetarum, sed etiam apostolorum
meruit diuino fusa spiritu habere præcepta. Non ergo ino-
pia pauper, sed spiritu, cui dictum est: Beati pauperes spiritu,
ipsorum est enim regnum cœlorum. Verè beati pauperes,
qui acceperunt quod diuites non habebant. Ex hoc numero
est ille propheticus pauper, de quo scriptum est: Iste pauper
clamauit, & dominus exaudiuit eum. Ex hoc populo ille qui
ait: Argentum & aurum non habeo, sed quod habeo, hoc do
tibi: In nomine Iesu Nazareni surge & ambula. Ille ergo pau
per author populi pauperis dicit: Deus laudem meam ne ta-

A cueris, quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est.
Locuti sunt super me lingua dolosa, & sermonibus odij cir-
cundederunt me, & expugnauerunt me gratis. Pro eo vt me
diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabã. Bonum scu-
tum oratio, quo omnia aduersarij ignita spicula repellũtur.
Orabat ergo dominus Iesus, & eius imitator Valentinianus
orabat. Sed fortè dicatur, quid ei profuit sua oratio? Ecce in
primo vitæ occidit cursu, de celeritate mortis non de gene-
re loquor. Nõ enim accusationis voce vtor, sed doloris. Sed
etiam dominus orabat, & crucifixus est. Hoc enim orabat,
vt peccatum mundi tolleret. Audiamus ergo quid oret Chri
sti discipulus. Vtique quod magister docuit. Docuit autem Matth. 26.
vt vigilemus & oremus, ne intremus in tentationem, hoc
est, ne incidamus in peccatum. Hæc est enim tentatio Chri-
stiani, si in suæ animæ periculum prolabatur: mortem au-
tem timere non est perfectionis. Rogare autem quis debeat
& pro inimicis suis, orare etiam pro persequentibus, sicut
dominus orabat, dicens: Pater, dimitte illis, non enim sciunt Lucæ 23.
B quid faciunt. Vide clementiam magnam, illi suum perseque
bantur authorem, ipse aduersariis etiam grauia peccata do-
nabat, quin etiam ignorantiæ velamine excusabat admis-
sum, dicens: Quia nesciunt quid faciunt. Nam si scirent, do- Ibidem.
minum non persequerentur suum, in cuius potestate ac iu-
re salutem esse suam arbitrarentur. Et quia non sola Christi
persecutores eius erant morte contenti, addebant maledi-
cta atque conuitia, vt ait ipse: Maledicent ipsi, & tu benedi- Psal. 108.
ces. Docuit nos quòd timere maledicta persequentium mi-
nimè debeamus, cùm habeamus benedictionis authorem.
Nec mouere nos conuitia debeant, vbi præsul est qui pos-
sit auferre maledicta. Quid illud quod mori non timuit? I-
mò pro omnibus se obtulit, dicens quod frustra innoxij in
inuidiam vocarentur, quod frustra propter se alij periclita-
rentur. Sibíque potius mortem optabat, ne ipse aliis causa
mortis esset. Hoc est illud euangelicum domini in ipsa sui
captione dicentis: Si me quæritis, sinite hos abire. Occidit i- Ioan. 18.
taque pro omnibus quos diligebat. Pro quo amici sui pa-
C rum putabant si omnes perirent. Aduertimus quem circa a-
micos suos habuerit animum. Consideremus quem erga
germanas suas habuerit affectum. In ipsis requiescebat, in i-
psis se consolabatur, in ipsis relaxabat animum, & fessa curis
corda mulcebat. Rogabat eas vt si quo pueritiæ suæ lapsu, si
sermone aliquo offensæ à fratre viderentur, ignoscerent, ve-
niam sibi à domino deprecarentur. Manus, caput sororibus
osculabatur, immemor imperij, memor germanitatis: &
quo magis aliis potestatis iure præstaret, hoc se magis humi-
lem sororibus exhibebat. Rogabat vt non meminissent in-
iuriæ, meminissent gratiæ: vt quod acciderat de earum pos-
sessione, audiret negocium. Tãtus enim erat, vt etiam in cau-
sa sororum æquus fore arbiter à prouincialibus existimare-
tur, quod etsi circa sanctas necessitudines suas charitate pro
penderet, tamen pietatem suam iustitia temperaret. Audi-
uit negocium non de iure, sed possessione prædij. Hinc pie-
tas pro sororibus, inde misericordia pro orphani causa cer-
tabat, vt pro eo apud ipsas interueniret sorores. Remisit ad
D iudicem publicè negocium, ne aut ius, aut pietatem læde-
ret. Priuatim tamen, quantum ex proposito nobilium puel-
larum aduertimus, pium sanctis sororibus impressit affe-
ctum, vt concedendi prædij voluntatem haberent, iudicium
darent. Verè dignæ tanto fratre germanæ, quæ quod mater
sibi reliquerat mallent de suo potius iure laxare, quàm fra-
trem in sua causa verecundiam sustinere. Hæc est vobis san-
ctæ animæ hæreditas precioſior fraternæ laudis & glorię, his
vos pius frater nobiliores & ditiores reddidit, qui caput ve-
strum non gemmis * onerabat, sed osculis. Manus vestras * ornabat.
non tam regalibus ambiebat insignibus, quàm imperatorio
ore lambebat. In vestræ fructu præsentiæ omne ponebat so
latium, vt nec ipsam nimiè desideraret vxorem. Ideo nu-
ptias differebat, quia pius eum vestræ gratiæ pascebat affe-
ctus. Hæc vobis desiderio amplius quàm dolori sint, vt fra-
terna gloria plus reficiat mentem, quàm dolor torqueat: pa-
scunt frequenter & lachrymæ & mentem alleuant: fletus re
frigerant pectus, & mœstum solantur affectum. Durum qui
dem funus videtis, sed stabat & sancta Maria iuxta crucem Ioan. 19.

filij,& ſpectabat virgo ſui vnigeniti paſſionem. Stantem illam lego,ſtentem non lego. Vnde dixit ei filius,Mulier,ecce filius tuus. Et diſcipulo dixit,Ecce mater tua: hęreditatem illis charitatis ſuæ & gratiæ derelinquens. In quo vobis pia pignora,quoniam fratrem veſtrum ſeruare propter mea peccata non merui, affectum paternum exhibere deſidero. Illum intueor in vobis,illum teneo,illum puto eſſe mihi præſentem,imò vtrunque germanum, quos velut oculos mihi effoſſos doleo. Felicius epiſcopos perſequantur imperatores quàm diligant. Quanto mihi beatius Maximus minabatur? In illius odio laus erat, in horum amore ſupplicij feralis hæreditas. Vtinam filij pro vobis licuiſſet hunc ſpiritum fundere: compendium doloris inueneram, & glorioſius mihi fuerat pro tantis obire pignoribus. Sed ad veſtram ſanctæ filiæ conſolationem reuertar, quanuis rerum geſtarum acerbitas vim omnem conſolationis abſorbeat. Quæ ſi breuis ſit, nihil afferet quo mœſtum affectum demulceat: ſin prolixior, longiorem afferat admonitionem doloris. Quo enim prolixior fueris, hoc magis in conſolãdo afficies eum quem B conſolari velis, & diutius mœrorem eius tenebis. Non igitur velut penicillo quodam ſermonis mei veſtras abſtergam lachrymas. Neque enim id facere vellem, etiam ſi poſſem. Eſt enim piis affectibus quædam etiam flendi voluptas, & plerunque grauis lachrymis euaporat dolor. Sed id poſtulo, ne vel infixum pectori veſtro fratrem duris gemitibus releuetis, vel auertatis planctibus, vel requieſcentem excitetis. Ille vobis maneat in corde, ille viuat in pectore, ille amplexibus piis hæreat vt ſolebat. Ille fraterna oſcula premat, ille ſemper in oculis ſit, ſemper in oſculis, ſemper in alloquiis, ſemper in mentibus: ille iam talis, vt ei nihil timeatis ſicut antè. Obliuiſcamini eius ærumnam, teneatis gratiam. Ille vobis auxiliaturus ſperetur, ille noctibus præſul aſſiſtat, illum à vobis iam nec ſomnus excludat. Propter ipſum delectet quies, vt vobis gratior reuertatur. In vobis eſt filiæ vt fratrẽ vobis iam nemo poſſit auferre. Sed corpus eius tenere deſideratis, tumulum circunfuſe tenetis. Ille tumulus fratris vobis habitatio ſit. Ille ſit aula palatij, in quo chara membra requieſcunt. Quod ſi me ad illum reuocatis dolorem, quod citò exceſſit è vita: nec ego abnuo immatura obiiſſe ætate, quẽ noſtræ vitæ temporibus fulcire cuperemus, vt de noſtris annis viueret, qui fungi non potuit ſuis. Sed quæro vtrum aliquis ſit poſt mortem ſenſus, an nullus? Si eſt, viuit: imò quia eſt, vita iam fruitur æterna. Quomodo enim non habet ſenſum, cuius anima viuit & viget, & remeabit ad corpus, & faciet illud cùm refuſa fuerit, reuiuiſcere? Clamat Apoſtolus:
1. Theſſ. 4. Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Nam ſi credimus quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & deus illos qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo. Manet ergo eorum vita, quos manet reſurrectio. Quod ſi gentes qui ſpem reſurrectionis non habent, hoc vno ſe conſolantur quo dicant quòd nullus poſt mortem ſenſus ſit defunctorum, ac per hoc nullus remaneat ſenſus doloris: quanto magis nos conſolationem recipere debemus, quia mors metuẽda non ſit, eo quod finis ſit peccatorum: vita autem deſperanda non D ſit, quæ reſurrectione reparatur? Iob quoque docet nec mor-
Iob 14. tem timendam, & potius optandam piis, dicens: Vtinam in inferno me cuſtodires, & abſconderes me donec mitigetur ira tua, & conſtituas mihi tempus in quo memor ſis mei. Si enim mortuus fuerit homo, viuet. Conſummans dies vitæ meæ ſuſtinebo donec iterum fiam. Tunc vocabis, & ego tibi obediam. Opera autem manuum tuarum ne deſpicias. Eſto tamen dolendum ſit quod primæua obierit ætate. Gratulandum autem quod virtutum ſtipendiis veteranus deceſſerit. Tanta enim fuit emendatio vitæ eius in illo omnibus lubrico adoleſcentiæ tempore, tanta laus morum eius, vt omnem memoriam doloris obducat. Quod enim obiit fragilitatis eſt: quod talis fuit, admirationis. Quàm beata fuiſſet reſpublica ſi eum diutius ſeruare potuiſſet. Sed quia vita ſanctorum non hic in terris eſt, ſed in cœlo (Iuſtis enim
Philip. 1. viuere Chriſtus, & mori lucrũ, quia & diſſolui & cum Chriſto eſſe, multo melius) dolendum eſt quod nobis citò raptus ſit, conſolandum quòd ad meliora tranſierit. Denique

A Dauid moriturum filium flebat, mortuum non dolebat: flebat ne ſibi eriperetur: ſed flere deſiuit ereptum, quem ſciebat eſſe cum Chriſto. Et vt ſcias verum eſſe quod affero, 2. Reg. 13. inceſtum Ammon filium fleuit occiſum, parricidam Abſalon doluit interemptum, dicens: Filius meus Abſalon, filius 2. Reg. 18. meus Abſalon. Innocentem filium non putauit eſſe lugendum, quia illos ſibi periſſe pro ſcelere, hunc pro innocentia credidit eſſe victurum. Nihil ergo habetis quod grauiſſimè doleatis in fratre: homo natus eſt, humanæ fuit obnoxius fragilitati. Nemo ſe redimit à morte, non diues, non ipſi reges, imò ipſi grauioribus ſubiacent. Iob dixit: Numerati anni dati ſunt potenti, timor autem eius in auribus eius: quando videtur habere pacem, tunc veniet ei cuerſio. Vobis quoque ipſis tam acerba incidiſſe patienter ferre debetis, quæ videtis vobis communia eſſe cum ſanctis. Etiam Dauid amiſſis filiis deſtitutus eſt. Optaſſet illos tales obire, qualis vobis frater ereptus eſt. Ille crimina doluit, non exitum filiorum. Sed eſto fuerit ingemiſcendum: Quouſque luctus tempora protrahuntur, duorum menſium curricula in fraterni funeris quotidiano clauſiſtis amplexu? Sola in Iudic. 11. ſcripturis Iepte filia fletus ſui tempora poſtulauit, cognito quod pater eius profecturus ad prælium vouerat quia id rerum potitus offerret domino quod ſibi primum occurreret. Poſt victoriam reuertenti occurrerat filia ignara pietatis, ignara promiſſi. Vidit eam, & ingemuit pater, dicẽs: Heu me filia, impediſti me, in ſtimulum doloris facta es mihi. Ego verò aperui os meum de te ad dominum, & non potero auertere. Illa dixit ad eum: Pater, ſi in me aperuiſti os tuum, fac mihi ita vt exiit de ore tuo. Et iterum dixit: Sine menſibus duobus, & vadens flebo in montibus ſuper virginitatem meam ego & compares amicæ meæ. Itaque duobus exactis regreſſa menſibus, ſacrificij munus impleuit. Quæ decreto populi Iſrael quaternis in anno diebus ab eiuſdem plebis fœminis deploratur. Ad deflendum igitur ſuæ virginitatis florem duos ſat eſſe mẽſes Iepte filia iudicauit, & adhuc non venerat reſurrectio, & hoc ſpatio temporis ſatis putauit à C paucis ſe eſſe defletam. Vobiſcum omnes populi defleuerũt, omnes ingemuerunt prouinciæ, & adhuc parua putatis veſtri hæc eſſe ſupplicia? Si fratrem veſtrum redimere poſſetis exitio, nollet tamen ille veſtra affectione reſuſcitari: qui ſe meliùs viuere credidit in vobis, qui optauit potiùs ſeipſum mori, quàm veſtram videre iniuriam, qui pro vobis ſe libenter fuit paratus offerre, qui ipſo veſtri doloris die, dicitur hanc ſolam emiſſe vocem: Væ miſeris ſororibus meis. Itaque magis veſtram deſtitutionem, quàm ſuam mortem dolebat. Sed audio vos dolere quòd non acceperit ſacramenta baptiſmatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis eſt niſi voluntas, niſi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, vt antequam in Italiam veniſſet, initiaretur, & proximè baptizari ſe à me velle ſignificauit. Et ideo præ cæteris cauſis me accerſiendum putauit. Non habet ergo gratiam quam deſiderauit? Non habet quam popoſcit? Et quia popoſcit, accepit? Et vbi illud eſt: Iuſtus quacunque morte præuentus fue- Sapien. 4. rit, anima eius in refrigerio erit? Solue igitur, pater ſancte, munus ſeruo tuo, quod Moyſes dum in ſpiritu vidit, accepit: Quod dauid, quia ex reuelatione cognouit, emeruit. Solue, inquam, ſeruo tuo Valentiniano munus quod concupiuit, munus quod popoſcit ſanus, robuſtus, incolumis. Si affectus ægritudine diſtuliſſet, tamen non penitus à tua miſericordia eſſet alienus, qui celeritate temporis eſſet, non voluntate, fraudatus. Solue ergo, ſeruo tuo munus tuæ gratiæ, quàm ille nunquam negauit: qui ante diem mortis templorum priuilegia negauit inſurgentibus quos reuereri poſſet. Aſtabat virorum caterua gentilium, ſuplicabat ſenatus. Non metuebat hominibus diſplicere, vt tibi ſoli placeret in Chriſto. Qui habuit ſpiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut quia ſolenniter non ſunt celebrata myſteria, hoc mouet? Ergo nec martyres, ſi catechumeni fuerint, coronentur. Non enim coronentur ſi non initiantur. Quòd ſi ſuo abluuntur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit & voluntas. Ne quæſo, eum, domine, à fratre ſeiũgas, ne iugum hoc pię germanitatis patiaris abrumpi. Hic tuus iam, & tuo iudicio vindicatus, periclitatur amplius Gratianus, ſi ſepa-

separetur à fratre, si non mereatur esse cum eo, per quem meruit vindicari. Quas ille nunc manus ad te pater erigit, quas pro fratre preces fundit? quo ei inhæret amplexu? quẽ admodum sibi cum non patitur auelli? Adest etiã pater qui militiã sub Iuliano & tribunatus honores fidei amore contempsit. Dona patri filium, fratri germanum, quorum vtrunque imitatus est, alterum fide, alterum deuotione pariter atque pietate in tẽplorum priuilegiis denegandis. Quod patri defuerat, adiunxit: quod frater constituit, custodiuit. Et huic adhuc intercessionẽ ascisco, cui remunerationem præsumo? Date manibus sancta mysteria. Pio requiem eius poscamus affectu. Date sacramenta cœlestia mysteria. Animã piam nostris oblationibus prosequamur. Extollite populi mecũ manus in sancta, vt eo saltẽ munere vicem eius meritis rependamus. Nec ego floribus tumulũ eius aspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam. Spargant alij plenis lilia calathis, nobis liliũ est Christus. Hoc reliquias eius sacrabo, hoc eius gratiam commendabo. Nunquam ego piorum fratrum separabo nomina, merita discernã. Scio quòd dominũ com- B
Genes.5. memoratio ista conciliet, copula ista delectet. Nec putet ali
4. Reg.23. quis meritis eorum obitus celeritate detractum. Raptus est
2. Eldr.1. Enoch, ne malitia mutaret cor eius. Et Iosias decimooctauo anno regni sui ita domini pascha celebrauit, vt omnes retro principes deuotione superaret, nec diutius fidei suæ meritis superuixit, imò quia plebi Iudææ graue imminebat exitiũ, rex iustus antè sublatus est. Metuo ne & tu nobis aliqua nostri offensione sis raptus, vt octauo regni tui anno imminentis mali acerbitatẽ quasi iustus euaderes. Sed iam chara mihi complectar viscera, & debito quondam sepulchro prius tamen singula mẽbra perspiciam. Valentinianus meus, iuuenis meus candidus & ruber, habens in se imaginem Christi.
Cantic.5. Talibus enim prosequitur ecclesia in Canticis Christũ. Nec iniuriam pates, charactere domini inscribũtur & seruuli, & nomine imperatoris signantur milites. Deniq; & ipse domi-
Psal.104. nus dixit: Nolite tangere Christos meos. Et: Vos estis lux
Matth.5. mundi. Et Iacob dixit: Iuda, te laudabũt fratres tui. Ad filium
Genes.49. loquebatur, & dominũ reuelabat. Et de Ioseph dixit: Filius C
Ibidem. meus ampliatus, filius meus ampliatus Ioseph, & Christum significabat. Licet ergo & mihi charactere domini signare seruulum: Iuuenis meus candidus & ruber electus è decem milibus. Electus est filius meus, cùm post mortem patris par
Cantic.5. uulus ascisceretur imperio. Caput eius aurum cephas, oculi eius sicut columbæ super abũdantiam aquarum. Ibi enim sedimus & fleuimus, dixerunt qui inde venerunt: Venter eius pyxis eburnea, qui reciperet oracula scripturarum, vt posset
Hier.4. dicere: Ventrem meum doleo, sicut dixit propheta. Dicit e-
Cantic.5. nim hæc qui imitator est Christi. Genæ eius phialæ aromatis, quibus Christus influebat vnguentum. Labia eius lilia distillantia myrrha plena. Manus eius tornatæ aureæ, plenæ tarsis, eo quod in verbis eius iustitia refulgeret, in factis & operibus reniteret gratia, in quo & plenum virtutis & authoritatis regalis esset alloquium, nec inflexa aliquo mortis terrore constantia, & factorum preciosa emẽdata correctio. Omnis enim bonus operarius, manus Christi est, fauces eius dulcedines, & totum desiderium. Quàm dulcia enim omnia iu- D
dicia eius vniuersorum faucibus adhæserunt? Quanta gratia sermones ipsius singuli recẽsentur? Quemadmodum fili desideraris à populis? mihi certè impressisti quę pectore teneo, verba illa postrema, quibus me vadẽ tuum fieri postulabas. Reliquisti ipse de me testimonium iudicij glorioſi. Ego tibi fidem meam exhibere nõ potui quam parabam. Dixi tamen absens, & dicentem me fidem pro te Christus audiuit. Tenetur in cœlo spõsio mea, etsi non tenetur in terris. Obligatus
Cantic.6. sum deo, etsi non potui hominibus obligari. Locutus sum de corpore tuo. Nunc alloquar animam tuam dignam propheticis ornamẽtis. Iisdem igitur vtar exordiis. Quænam est hæc prospiciens sicut diluculum, speciosa sicut luna, electa
Rom.13. sicut sol? Videor mihi te videre fulgentem, videor audire dicentem: Diluculũ mihi est pater. Nox terrena præcessit, dies cœlestis appropinquauit. Prospicis nos igitur sancta anima, de loco superiore tanquam inferiora respiciens. Existi de tenebris istius seculi, & vt luna resplendes, vt sol refulges. Bene vt luna, quia & antè in vmbra licet istius corporis refulgebas, & terrarum tenebras illuminabas, & nunc lumen à sole iustitiæ mutuata clarum diem ducis. Videre igitur videor te tanquam de corpore recedentem, & repulsa noctis caligine surgentem diluculo sicut solem, appropinquantem deo, & rapido volatu sicut aquilam quę terrena sunt relinquentem. Cantic.7. Conuertere Sunamitis conuertere: cõuertere, & videbimus in te. Conuertere ad nos pacifica, vt gloriam tuam sororibus tuis monstres, & incipient se tuæ quietis & gratiæ securitate solari. Semel tantum ad nos conuertere, vt te videamus. Et rursus conuertere atque ad Hierusalem illam ciuitatem sanctorũ tota intentione festina. Aut certè ad animam piam Christus hoc dicit, iubet illam pauliſper conuerti, vt nobis gloria eius appareat, vt requies futura cum sanctis. Et postea præcipit eam ad illud supernum sanctorum festinare consortium. Quid videbitis, inquit, in Sunamite, de qua venit sicut Ibidem. chori castrorum? Hoc est in ea quæ multum & aduersus plurimos in corpore præliata est? Etenim pugnauit aduersus extraneos hostes, pugnauit aduersus lubricas seculi mutationes, pugnauit aduersus corporis fragilitates, aduersus multiplices passiones. Audiuit à domino: Conuertere Sunamitis. Conuersa est ad pacem semel in seculo, conuersa est iterata communione ad gratiam Christi. Et ideo pulchra conuersio eius in seculo, pulcherrimus incessus eius, & volatus in cœlum. Vnde meretur audire: Speciosi facti sunt gressus tui in Ibidem. calceamentis filia Aminadab, hoc est filia principis. Speciosa es enim in processu, habitasti in corpore, tanquam calcea mento eo vsa, non vt in volucro, vt quia superior & eminentior eo vt velles tuum circunferres sine vlla offensione vestigium. Vel certè sicut calceamentũ illud exoluere, sicut Moyses fecit, cui dictum est: Solue calceamentũ pedum tuorum. Exod.3. Dicit igitur tibi nunc Pater Aminadab ille populi princeps: Audi filia & vide, quoniam concupiuit rex speciem tuam. Psal.44. Speciosi ergo facti sunt gressus tui in calceamentis filia A- Cantic.7. minadab. Moduli fœmorum tuorum similes torquibus, hoc est, consonans sibi in omnibus factis tuis gratia atque moderatio magnorum æquauit insignia triumphorum. Denique moderatione tua & trãquillitate pacifica nec Gallia hostem sensit, & Italia hostem repulit, qui eius finibus imminebat. Torques autem insignia esse victoriæ dubitari non potest, cùm ij qui in bello fortiter fecerint, torquibus honorentur. Vmbilicus tuus crater tornatilis non deficiens mixto. Venter tuus aceruus tritici muniti inter lilia. Ceruix tua sicut turris eburnea. Oculi tui stagna in Esebon. Bonus vmbilicus animæ virtutum omnium capax, sicut crater ab ipso fidei authore tornatus. Sapiẽtia enim in cratere miscuit vinũ suum, dicens: Venite edite panes meos, & bibite vinum quod mi- Prou.9. scui vobis. Vmbilicus ergo iste tornatus omni decore virtutum non deficit mixto. Venter quoque eius non solum iustitiæ velut frumẽtario cibo replebatur, sed etiam gratiæ suauitate quæ florebat lilium. Ceruix quoque eius candida & pura, iugo Christi spõte subiecta, cogitationes rationabiles, fidei odor, circuncisionis attentio, ornatus capitis gloriosus, quod non regalia diademata, sed domini sanguinis insignia coronarent. Meritò tanquam rex peccati victor & cœlesti corona redimitus ascendit. Cuius animæ dicit deus verbum. Cantic 7. Quàm pulchra & suauis facta est charitas in deliciis tuis? Pulchra, per virtutis decoram: suauis, per gratiam. Procera sicut palma, quę vincentis est præmium. Tuæ ascendenti animæ Gratianus frater occurrit, & complexus eam, dicit: Ego fratri meo, & super me conuersio eius: vel quod sibi eam cupiat inhærere, vel quod pietate fraterna quasi aduocatus assistat, dicens conuersionem eius etiam suæ gratiæ præferendam. Veni, inquit, frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in vineas. Hoc est, venisti eò, vbi diuersarum virtutum fructus pro singulorum meritis deferuntur, vbi abundant meritorum prẽmia. Exeamus ergo in agrum in quo non vacuus labor, sed fœcundus prouentus est gratiarũ, quod in terris seminasti, hic mete, quod ibi sparsisti, hic collige. Aut certè veni in illum agrum qui est odor Iacob, hoc est veni in gremium Iacob, vt sicut Lazarus Lucæ 16. pauper in Abrahæ sinu, ita etiam tu in Iacob patriarchæ tranquillitate requiescas. Sinus enim patriarcharum recessus quidam est quietis æternæ. Meritò ergo Iacob est fructuosus,

sicut Isaac patriarcha testatus est dicens: Ecce odor filij mei
Gen.27. tanquam odor agri pleni quem benedixit dominus. Requiescamus, inquit, in castellis: ostendens illic esse requiem tutionem, quæ septo cœlestis refugij munita atque vallata non exagiterur secularium incursibus bestiarū. In foribus, inquit, nostris omnes fœtus arborum, noua & vetera frater meus
Cantic.7. seruaui tibi. Quis dabit te frater fratrem mihi, lactentem v-
Ibidem. bera matris meæ? Inueniens te foris, osculabor te, assumam te & inducam te in domum matris meæ, & in secretum eius quę concepit me. Potum dabo tibi à vino operosi vnguenti, à fluxu malorum granatorum meorum. Lęua eius sub caput meum, & dextera eius complectetur me. Promittit fratri augustæ memoriæ Gratianus præsto sibi fructus diuersarum esse virtutum. Fuit enim & ipse fidelis in domino, pius atque mansuetus puro corde. Fuit etiam castus corpore, qui præter coniugium nescierit fœminæ alterius consuetudinem. Ideo in foribus sedis suæ habet fructus paratos, nec longè petendos, offert quæ seruauerit fratri noua & vetera, hoc est, & testamenti veteris & euangelij sacramẽta, & dicit: Quis dabit
B te frater fratrem mihi, lactentem vbera matris meæ? hoc est, non quicunque te, sed Christus illuminabit gratia spirituali. Ille te baptizauit, quia humana tibi officia defuerūt. Plus adeptus es qui minora te amisisse credebas. Quæ sunt vbera ecclesiæ, nisi sacramenta baptismatis? Et bene ait lactentem, quasi qui baptizatus lactis niuei succum requirat. Inueniens, inquit, te foris, osculabor te, hoc est, extra corpus te reperiens, osculo mysticæ pacis amplectar. Nemo te spernet, nullus excludet, in penetralia te arcana ecclesiæ matris ducam, & in omnia secreta mysterij, vt bibas poculum gratiæ spiritualis. Amplexatus igitur fratrem ducere cœpit ad propriam mansionem: & quia pio officio ad vlteriora processerat, cum fratre cœpit ascẽdere, petens vt sibi & fratri maior illic charitas augeatur, eo quod vitia humana defecerant, inuidia atque iactantia, quæ in plerisque solent fraternæ pietatis iura vacuare. Videntes eos vel angeli vel aliæ animę quærunt ab iis, quæ veluti comitatu suo fratres hos & officio deducebant, dicentes: Quæ est hæc quæ ascendit candida inni-
C Cantic 8. tens super fratrem suum? Nec nos quidem dubitabamus de meritis Valentiniani, sed iam credamus vel testimoniis angelorum quod detersa labe peccati ablutus ascendit, quem sua fides lauit, & petitio cõsecrauit: credamus quia ascendit à deserto, hoc est ex hoc arido & inculto loco ad illas florulentas delectationes, vbi cum fratre coniunctus æternæ vitæ fruitur voluptate. Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit. Nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? Quis vetabit commendationis prosecutionem cõplecti?
Psal.136. Si oblitus fuero te sancta Hierusalem, hoc est, sancta anima, pia & pacifica germanitas, obliuiscatur me dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, si nõ meminero tui, si non meminero Hierusalem in principio meæ lætitiæ. Ipse me citius quàm vos obliuiscar. Et si vnquam sermo tacebit, loquetur affectus. Et si vox deficiet, non deficiet gratia, quæ meis
D est infixa præcordiis. Quomodo ceciderunt potentes? Quo modo vterq; super illa Babylonis ceciderunt flumina? Quo modo rapidiora vtriusque vitæ fuere curricula, quàm ipsius Rhodani sunt fluenta? O mihi Gratiane & Valentiniane specioſi & charissimi, quàm angusto vitam fine clausistis, quàm proxima vobis mortis fuere cõfinia, quàm sepulchra vicina. Gratiane inquam & Valẽtiniane in vestris nominibus adhærere iuuat atque delectat, in vestri commemoratione requiescere. Omnibus Gratiane & Valentiniane specioſi & charissimi, inseparabiles in vita, & in morte non estis separati. Non vos discreuit tumulus, quos non discernebat affectus. Non causa mortis separauit, quos pietas non iũgebat. Non virtutum distantia dispares fecit, super columbas simpliciores, super aquilas leuiores, super agnos clementiores, super virulos innocentiores. Gratiani sagitta non est reuersa retro, & Valentiani iustitia non fuit vacua, nec inanis authoritas. Quomodo sine pugna ceciderunt potentes? Doleo in te fili Gratiane, suauis mihi valde. Plurima dedisti tuæ pietatis in-

A signia. Tu me inter tua pericula requirebas, tu in tuis extremis me appellabas, meum de te plus dolebas dolorẽ, quàm tuam mortem. Doleo etiam in te fili Valentiniane, specioſus mihi valde. Ceciderat amor tuus in me, sicut amor pignoris. Tu per me putabas eripi te periculis, tu me non solum vt parentem diligebas, sed vt redẽptorem tui & liberatorem sperabas. Tu dicebas, putas ne videbo patrem meum? Specioſa de me voluntas tua, sed non efficax præsumptio. Heu mihi vanæ spes in homine, sed tu in sacerdote. Heu mihi quod vo lũtatem tuam non ante cognoui. Heu mihi quod non clanculo ante misisti. Heu mihi qualia amisi pignora. Quomodo ceciderunt potentes, & perierunt arma concupiscentia deum? Et quia nemo habet quod alij plus deferat, quàm quod sibi optat: non me ab illis post mortem separes, quos in hac vita charissimos sensi. Domine peto, vt vbi ego fuero, sint & illi mecum: vt illic eorum perpetua copula fruar, quia hic vti eorum diuturniore coniunctione non potui. Te quæso summe deus, vt charissimos iuuenes matura resurrectione
B suscites & resuscites, vt immaturum hunc vitæ istius cursum matura resurrectione compenses.

FINIS.

Diui Ambrosij

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

oratio funebris de exceſſu fratris ſui Satyri.



Deduximus fratres dilectissimi hostiã meam, hostiam incontaminatam, hostiam deo placentẽ, dominum & fratrem meum Satyrum. Memineram quippe eum esse mortalem, nec fefellit opinio, sed superabundauit gratia.
C Itaque nihil habeo quod querar, sed habeo in quo deo gratias agam, quia semper optaui, vt si quæ perturbationes vel ecclesiã vel me manerent, in me potius ac meam reciderent domũ. Deo igitur gratias, quia in hoc omnium metu, cum omnia motibus sint suspecta barbaricis, cõmunem mœrorem priuato dolore transegi, & in me cõuersum est quicquid timebamus omnes: atq; vtinam hic cõsummatum sit, vt dolor meus publici doloris redẽptio sit. Nihil quidẽ habui fratres charissimi in rebus humanis tanto fratre precioſius, nihil amabilius, nihil charius. Sed præstant priuatis publica. Ipsius quoque si quis sententiã scisciteretur, mallet occidi pro aliis, quàm sibi viuere. Propterea enim pro omnibus secũdum carnem Christus est mortuus, vt nõ nobis solis viuere discceremus. Accedit illud, quod ingratus diuinitati esse non possum. Lætãdum est enim magis quod talẽ fratrẽ habuerim, quàm dolendũ quod fratrem amiserim. Illud enim munus, hoc debitum est: itaq; perfunctus sum quãdiu licuit cõmisso mihi fœnore, qui de-
D posuit pignus recepit. Nihil interest vtrũ abiures depositũ, an doleas restitutũ. In vtroq; enim fidei ambiguum, vitæ periculum est. An si pecuniam neges, culpa est: si hostiam neges, impietas non est: cũ pecuniæ fœnerator illudi possit, naturæ author, & necessitudinis credẽtor fraudari nõ queat? Itaque quãto vberior fœnoris summa, tanto gratior vsura sortis. Vnde ingrati de fratris morte esse non possumus, quia quod naturæ communis fuit reddidit, quod gratiæ singularis est meruit. Quis enim cõmunem conditionẽ recuset? Quis doleat sibi proprium pignus ereptum, cum ad solatiũ nostri filium suũ vnicũ pro nobis pater tradiderit ad mortem? Quis exceptum se putet esse debere à conditione moriẽdi, qui non sit exceptus à conditione nascendi? Magnum pietatis mysteriũ, vt mors corporis nec in Christo esset excepta: ac licet naturæ dominus, carnis tamen quam susceperat legem non recusaret. Et mihi necesse est mori, illi necesse non fuit. An qui de seruo dicit: Si eum volo sic manere donec venio, quid ad te? Ioan.21
non potuit ipse sic manere si vellet? Sed perpetuitate vitæ huius sibi precium, mihi sacrificium perdidisset. Quod igitur

455

tur maius est solatium nostri, quàm quod secũdum carnem & Christus est mortuus? Aut cur ego vehementius fleam fratrem, cùm sciam illam mori non potuisse pietatem? Cur solus præ cæteris fleam, quem fletis omnes? Priuatum dolorem communi dolore digessi, præsertim cùm meæ lachrymæ nihil prosint, vestræ autem lachrymæ fidem astruant, consolationem afferant. Fletis diuites, & flendo probatis nihil opitulari repositas diuitias ad salutem, cùm pecuniæ precio mors differri non queat, & pari vsu diuitem ino pémque dies supremus eripiat. Fletis senes, quod in hoc liberorum sortem pauetis: & ideo quia vitam corporis producere non potestis, instituite liberos nõn ad vsum corporis, sed ad virtutis officium. Fletis & iuuenes, quod naturę finis non sit maturitas senectutis. Fleuerunt & pauperes, & quod multo est preciosius, multóq; vberius, lachrymis suis eius delicta lauerunt. Illæ sunt lachrymæ redẽptrices, illi gemitus qui dolorem mortis abscondunt. Ille dolor qui perpe

*obducat tuę vbertate lętitię veteris sensum doloris *obducat. Itaq; li cet priuatũ funus, tamẽ fletus est publicus, & ideo nõ potest fletus esse diuturnus, qui vniuersorũ est affectibus consecratus. Nã quid te mi frater amantissime fleam, qui mihi sic ere prius es, vt esses omnium? Non enim perdidi vsum tui, sed commutaui, antè corpore inseparabilis, nunc indiuiduus affectu. Manes enim mecum, ac semper manebis. Et quidem cùm viueres nobiscum, nunquam te patria eripuit mihi, nec ipse mihi vnquam patriam prætulisti, & nunc alteram præstitisti. Cœpi enim hic iam non esse peregrinus, vbi melior mei portio est. Nunquam enim totus in me fui, sed in altero nostri pars maior amborum: vterque autẽ eramus in Christo, in quo & summa vniuersitatis, & portio singulorum est. Hic mihi tumulus genitali solo gratior, in quo non naturæ, sed gratiæ meę fructus est. In isto corpore enim quod nunc exanime iacet, præstantior vitæ meæ functio, quia in hoc quoque quod gero corpore, vberior tui portio. Atque vtinam vt memoriæ, vt gratiæ, ita etiã vitæ tuæ hoc quicquid est quod spiramus, spirare possemus, dimidiúmq; meorum decideret temporum, quod ad tuorum proficeret vsum. Par enim erat vt quibus indiuisum semper fuit patrimonium facultatum, non esset vitę diuisum tempus: vel certè qui indistincta semper habuimus viuendi consortia, non haberemus distincta moriendi cõtubernia. Nunc verò frater, quò progrediar, quò ve cõuertar? Bos bouem requirit, séque non totum putat, & frequenti mugitu pium testatur affectum, si fortè defecerit cum quo ducere collo aratra consueuit: ego te frater nõ requiram? Aut possim vnquam obliuisci tui, cum quo vitæ huius semper aratra sustinui? Labore inferior fui, sed amore cõiunctior: nõ tam mea virtute habilis, quàm tua patientia tolerabilis: qui pio semper solicitus affectu latus meum tuo latere sepiebas, charitate vt frater, cura vt pater, solicitudine vt senior, reuerentia vt iunior. Ita in vnius necessitudinis gradu complurium mihi necessitudinum officia impendebas, vt in te non vnum, sed plures amissos requiram, in quo vno ignorata adulatio, est expressa pietas. Neque enim habebas quod simulatione adderes, qui totum pietate comprehenderas, vt nec incrementa reciperes, nec vicẽ expectares. Sed quò immemor officij, memor gratiæ, immodico dolore progredior? Reuocat Apostolus, & tan-

1. Thes. 4. quam frænos mœroris inducit dicens, sicut nuper audistis: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non tristes sitis, sicut & cæteri qui spem non habent. Date veniam

1. Corin. 4. fratres charissimi. Neque enim omnes possumus dicere: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi: sed ad imitãdum si autem quæritis, habetis quem possitis imitari. Non omnes ad docendum idonei, vtinam omnes addiscendum habiles. Non grauem lachrymis contraximus culpam. Non omnis infidelitatis aut infirmitatis est fletus. Alius est naturæ dolor, alia est tristitia diffidentiæ, & plurimum refert desiderare quod habueris, & lugere quod amiseris. Non solus dolor lachrymas habet, habet & lætitia lachrymas. Et pietas fletum excitat, & oratio stratum rigat, & precatio iuxta prophe-ticum dictum lectulum lauat. Fecerunt & fletum magnum sui, cùm patriarchę sepelirentur. Lachrymę ergo pietatis indices, non illices sunt doloris. Lachrymatus sum ergo fateor etiam ego, sed lachrymatus est & dominus. Ille alienum, ego fratrẽ. Ille in vno lachrymatus est omnes, ego in omnibus lachrymabor te frater, Ille nostro non suo lachrymatus est affectu. Neque enim diuinitas lachrymas habet, sed lachrymatus eo quo tristis fuit: lachrymatus est eo quo crucifixus est, quo mortuus, quo sepultus est. Lachrymatus est eo de quo hodie nobis insinuauit Propheta, dicẽs: Mater Psal. 86. Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Eo lachrymatus est quo matrem Sion dixit, genitus in Iudæa, susceptus ex virgine. Matrem autem secundum diuinitatem habere non potuit, qui author est matris. Ille factus est non diuina generatione, sed humana, quia homo factus est, deus natus est: sicut & alibi habes: Puer natus Esaiæ 9. est nobis, filius datus est nobis. In puero enim nomen ætatis, in filio plenitudo diuinitatis est: factus ex matre, natus ex patre, idem tamen & natus & datus, non diuersum, sed vnũ putes. Vnus enim dei filius, & natus ex patre, & ortus ex virgine distanti ordine, sed in vnum concurrente nomine, sicut & pręsens lectio docet, quia & homo factus est in ea, & ipse Psal. 86. fundauit eam altissimus, homo vtique corpore, altissimus potestate. Et si deus & homo diuersitate naturæ, idem tamẽ non alter in vtroque. Aliud ergo speciale naturæ suæ, aliud commune nobiscum, sed in vtroque vnus, & in vtroque perfectus. Non igitur mirandum est quia & dominum eum, & Christum fecit deus. Fecit ergo Iesum eum vtique qui ex corpore nomen accepit, fecit eum de quo etiam Patriarcha scribit Dauid, quia mater Sion dicet homo, & homo factus est Ibidem. in ea. Quasi homo ergo factus dissimilis, vtique non diuinitate, sed corpore: nec discretus à patre, sed exceptus in munere: manens in cõsortio potestatis, segregatus in mysterio passionis. Plura loci huius tractatus exposcit, quib⁹ possimus ostendere authoritatem patris, proprietatem filij, trinitatis totius vnitatem: sed cõsolandi hodie nõ tractandi partes recepi: quanquam abducere à mœrore animũ intentione tractandi, cõsolationis vsus sit. Sed temperandus mihi mœror, quàm alienandus affectus est, vt mulceantur magis desideria quàm sopiantur. Non libet enim abire à fratre lõgius & occupatione subduci, cùm velut comitãdi eius gratia hic sermo susceptus sit, vt diutius sensu prosequar proficiscentem, & quem oculis teneo, mente complectar. In illo enim totam oculorum aciem figere libet, cum illo totis animorũ officiis immorari, illum toto bianditiarũ ambire obsequio, dum stupet animus. Nec amissum credo, quem adhuc cerno prẽsentẽ: nec mortuum puto, cuius adhuc officia non requiro, quibus ego vitę meæ vsum & spirandi omne munus addixerã. Quid enim referam tantæ gratiæ, tãto labori? Ego te frater hęredem feceram, tu me hęredẽ reliquisti. Ego te superstitẽ optabam, tu me superstitem dimisisti. Ego pro muneribus tuis vt compensarẽ beneficia, vota referebam, nunc & vota perdidi, sed tamen tua beneficia non amisi. Quid agam mei successor hæredis? Quid agam meæ vitæ superstes? Quid agam exors huius quod cupio luminis: Quas grates, quæ munera referam tibi? Nihil à me præter lachrymas habes. Aut fortasse securus meriti tui, quas solas superstites habeo lachrymas, non requiris. Nam etiam cùm adhuc viueres, flere prohibebas, mœrorémque magis nostrum quam tuam mortem tibi esse testabaris dolori. Prohibent vlterius prodire lachrymę, fletúsque reuocant. Prohibet etiam tui gratia, ne dũ nostra deflemus, de tuis meritis desperare videamur. At certè vt nobis etiam mœroris istius minuas acerbitatem, non habeo quod timeam qui timebam tibi, non habeo quod mihi iam mũdus eripiat. Et si sancta superstit soror Marcelliana, integritate venerabilis, æqualis morib⁹, non impar officiis: tibi tamen ambo plus timebamus, in te vitæ huius iucunditatem repositam putabamus. Propter te viuere delectabat, propter te non pigebat mori. Te enim ambo superstitẽ precabamur, tibi nos superuiuere non iuuabat. Quando non cohorruit animus cùm metus huiusmodi titillaret? Quomodo consternata mens erat ægritudinis tuæ nuncio? Vę miserę opinioni, putabamus redditum, quem videmus dilatum. Tuis enim votis apud sanctum martyrem Laurentium impetratum esse nunc cognoscimus commeatum, atque vtinam non solum commeatum, sed etiam prolixum vi

tæ tem-

tæ tempus rogasses. Potuisti annos plurimos impetrare viuendi, qui potuisti commeatum impetrare veniēdi, Et quidem tibi omnipotēs æternæ deus gratias ago, quod vel hæc nobis suprema solatia non negasti, quod amantissimi fratris ex Siculis Africanísue regionibus exoptatum nobis reditū cōtulisti. Ita enim maturè postquam venit ereptus est, quasi propter hoc solum videretur esse dilatus, vt ad fratres rediret. Habeo planè pignus meum quod nulla mihi peregrinatio iam possit auellere. Habeo quas complectar reliquias. Habeo tumulum quem corpore tegam. Habeo sepulchrum super quod iaceam, & commēdabiliorem deo futurum esse me credam, quod supra sancti corporis ossa requiescā. Vtinam sic potuissem aduersus mortem quoque tuam meum corpus obiicere. Si gladiis petitus esses, me pro te potius suffigendum dedissem. Si exeuntem potuissem reuocare animam, meam potius obtulissem. Nihil mihi profuit vltimos hausisse anhelitus, nihil flatus meos inspirasse moriēti. Putabam enim quod aut tuam mortem ipse susciperem, aut meam vitam in te ipse transfunderem. O infelicia illa, sed tamen dulcia suprema oscula pignora. O amplexus miseri, inter quos exanimum corpus obriguit, halitus supremus euanuit. Stringebā quidē brachia, sed iam perdideram quem tenebam, & extremum spiritum ore relegebam, vt consortium mortis haurirem. Sed nescio quomodo vitalis ille mihi halitus factus est, & maiorem gratiam in ipsa morte redolebat. Atque vtinam si tuam nequiui meo spiritu vitam producere, vel vltimi anhelitus tui vigor trāsfundi potuisset in meam mētem, & illam tui animi puritatem atque innocentiam noster spirasset affectus. Hanc mihi hæreditatem frater charissime reliquisses, quæ non lachrymabili dolore percuteret aspectum, sed memorabili gratia commendaret hæredem. Quid igitur nunc agam, cùm omnes vitæ istius suauitates, cuncta solatia, cuncta denique ornamenta amiserim? Tu enim mihi vnus eras domi solatio, foris decori, tu inquā in consiliis arbiter, curę particeps, deprecator solicitudinis, depulsor mœroris: tu meorum assertor actuū, cogitationúmque defensor: tu postremò vnus in quo domestica solicitudo resideret, publica cura requiesceret. Testor sanctam animam tuam, me in publicis ecclesię id sæpe veritum esse, ne displicerem tibi. Denique vbi redisti, obiurgasti moram: ita domi forísque eruditor quidam & arbiter sacerdotis, vt domestica cogitare non sineres, publica curare censeres. Vt vereor, ne videar arroganter dicere: Hęc enim laudis tuę portio est, quia sine offensione vlla & guber nasti fratris domum, & commendasti sacerdotium. Sentio e quidem quod repetendis officiis tuis, recensendísque virtutibus afficiatur animus, sed tamen inipsa mei affectione requiesco, atque hæ mihi recordationes etsi dolorē renouant, tamen voluptatem afferunt. An ego possum aut non cogitare de te, aut vnquam sine lachrymis cogitare? Et potero vnquam aut tanti non meminisse fratris, aut sine lachrymabili quadam meminisse gratia? Quid enim mihi vnquam iucundum quod non esset ex te profectum? Quid inquam mihi sine te, aut tibi vnquam sine me voluptati fuit? Quis non vsus nobis, & prope visus ipse somnúsque communis? Quę discreta vnquam voluntas, quod nō commune vestigium? ferè vt cum gradum tollerem, vel tu meum, vel ego tuum corpus videremur attollere. Quod si quādo sine altero prodeundum fuit, intectum latus putares, affectum vultu cerneres, mœstum animum iudicares, non assueta gratia, nō vigor solitus prænitebat, suspecta omnibus solitudo metum alicuius ægritudinis afferebat. Ita nouum videbatur omnibus nos diuidi. Ego certè fraternæ absentiæ impatiens, vel non immemor, quasi præsentē reflexa sæpius ceruice quærebam, & coram alloqui atque aspicere videbar mihi. Sed tanquam suspensum collo iugum, vbi speratis excideram, trahere me putabam, difficilis progredi, verecūdus videri, & redire deproperans, quod sine te procedere non liberet. At verò vbi ambobus prodeundum fuit, non plura in itinere vestigia quam verba, nec incessus quàm sermo crebrior, nec ambulandi cura, sed colloquendi gratia. Vterque enim nostrum ex alterius ore pendebat, non intento aspectu legere iter, sed mutuò solicitos excipere sermones, haurire

A oculorum gratiam, spirare fraternæ imaginis voluptatem. Quas virtutes tuas tacitus mecum ipse mirabar, quàm plaudebā mihi quod tali me dominus fratre donauerat, tam pudico, tam efficaci, tam innocēti, tam simplici, vt cùm tuam innocentiam cogitarem, efficaciam desperarem: cùm efficatiā cernerem, innocentiam non putarem: sed vtrunq; mira quadam virtute iungebas. Denique ea quæ ambo nequiueramus cōcludere, solus implesti. Plaudebat sibi, vt audio, Prosper quod sacerdotij mei occasione redditurū se quæ abstulerat non putabat, sed vehementiorē tuam vnius efficatiam expertus est quàm duorum. Itaque soluit omnia, nec modo rationi ingratus tuæ, nec illudens pudori, sed & modestiæ gratus, nec insolēs efficaciæ. Sed cui frater illa quæsisti? Nos enim idem volebamus laborum tuorum esse præmiū, quod ducumentum erat. Peregisti omnia, & vbi perfunctus omnibus reuertisti, tu solus nobis qui omnibus es præferēdus eriperis, quasi ideo mortem distuleris, vt consummares pietatis officium, palmam efficaciæ reportares. Quàm nec ipsi nos frater charissime seculi huius delectabāt honores, quod nos à nobis inuicem diuidebāt, quos ideo adepti sumus, nō quia fuit eorum expetenda perceptio, sed ne vilis dissimulatio videretur. Aut fortasse ideo sunt tributi, vt quia immaturo tui obitu nostræ futurus erat voluptatis occasus, sine B nobis iam viuere disceremus. Equidem præsagæ mentis agnosco formidinem, dum repeto sæpe quæ scripserim. Reuocabam te frater, ne ipse Africam peteres, ac potius aliquē destinares: timebam te comittere viæ, fluctibus credere, & solito metus maior incesserat animā. Sed & peregrinationē explicuisti, & rem ordinasti, & veteri & sentinoso, vt audio, nauigio iterū te fluctibus credidisti. Nanq; dum celeritatem aucuparis, cautelā prętermisisti, auidus nostræ gratiæ, dissimulās periculi tui. O fallax lętitia, ô incerta humanarū rerū curricula. Ex Africa redditū, ex mari restitutū, ex naufragio seruatum putabamus iam nobis nō posse eripi, sed grauiora naufragia in terris positi sustinemus. Nā quē non potuerūt naufragia ad mortē deducere strenuis natatib⁹ euitata, eius mors cœpit nobis esse naufragio. Quid enim supereſt suaui C tatis, quib⁹ tā prędulce decus, tā charū in his mūdi tenebris lumen extinctū est, in quo non nostrę solū familię sed totius patriæ decus occidit? Habeo sanè vobis fratres dilectissimi, plebs sancta, maximam gratiam, quòd non alium dolorem meum quám vestrum putatis, quòd vobis accidisse hāc nostri creditis solitudinem, quod fletum totius ciuitatis, ætatū omnium, ordinum omnium, vota noua quadam pietate desertis, Non enim misericordiæ priuatæ dolor, sed quoddam publicæ officium & munus est gratiæ. Aut si qua vos mei tangit misericordia quod talem fratrē amiserim, habeo fructum vberem, habeo vestri pignus affectus. Mallem fratē viuere, sed tamen publicum officium in secundis rebus iucundius est, in aduersis gratius. Neque verò mihi mediocre meritum tanti videtur officij. Neque enim ociosē vel in actibus Apostolorum Thabitam mortuam flētes viduæ de- Actor. scribuntur, vel in Euangelio mota lachrymis viduæ proseques turba funus adolescētis inducitur, cui resurrectio de- Lucæ. bebatur: illam tamen Thabitam viduæ, hūc tota ciuitas fle- D uit. Non ergo dubium est vestris lachrymis Apostolorum patrocinium comparari, non inquàm dubium est Christum misericordia motū cū vos flentes videret. Et si nunc nō tetigit loculum, suscepit tamen cōmēdatum spiritum. Et si non appellauit corporis voce defunctum, diuinæ tamen potestatis authoritate à cruciatibus mortis, & nequitiæ spiritalis incursionibus eius animam liberauit. Et si non rescedit in loculo qui erat mortuus, tamen requieuit in Christo. Et si non locutus est nobis, tamen ea quæ supra nos sunt cernit, & quæ potiora sunt nobis iam se videre lætatur. Per ea enim quæ in Euangelio legimus, quæ futura sunt intelligimus, & præsentium species futurorum est. Non opus fuit ei resurrectio temporalis, cui æterna debetur. Quid enim in hanc miseram & ærumnosam recideret labem, atque in hāc flebilem vitam rediret, quem raptum magis esse ex tam imminentibus malis, vrgentibúsque periculis gaudere debemus? Nam si pacato seculo bellísque cessantib⁹ raptū Enoch Gen. 5. nemo defleuit, sed magis Propheta laudauit, sicut de illo scriptura

459

Sapien 4. criptura dixit: Raptus est ne malitia mutaret cor eius: quã to magis nunc iure dicendum est, cum ad seculi lubricũ vitæ accedat ambiguum: Raptus est, ne manus incideret Barbarorum. Raptus est ne totius orbis excidia, mundi finem propinquorum funera, ciuiũ mortes, ne postremò sanctarũ virginum atque viduarum, quod omni morte acerbius est, colluuionem videret. Ego verò te frater cum vitæ tuæ flore, tum mortis commoditate beatum arbitror. Non enim nobis ereptus es, sed periculis: non vitã amisisti, sed ingruẽtium acerbitatum formidine caruisti. Nam qua eras sanctę mentis misericordia in tuos, si nunc vrgeri Italiam tam propinquo hoste cognosceres, quantũ ingemisceres, quam dolores in Alpium vallo summam nostræ salutis consistere, lignorúmque concędibus constrtui murum pudoris: qua afflictione mœreres tam tenui discrimine tuos ab hoste distineri, ab hoste impuro atque crudeli, qui nec pudicitiæ parceret nec saluti? Quo nam inquam hæc modo ferres, quæ nos perpeti, & fortasse (quod grauius est) spectare cogemur, rapi virgines, & auulsos à complexu parentum paruos liberos supra tela iactari, incestari sacrata deo corpora, & senilem vidue maturioris vterum in vsus desuetos onerum redire nõ pignorum? Quonam inquam modo ista tolerares qui etiam vltimo spiritu, tui iam fortassis oblitus, & adhuc nostri non immemor, de cauenda incursione Barbarorum nos sæpius admonebas, commemorãs non frustra te dixisse fugiendũ, fortasse ideo quod nos destitui tua morte cernebas: quod nõ infirmitate animi, sed pietate faciebas, & si infirmus pro nobis, tamẽ firmus tibi. Qui cùm à viro nobili reuocareris Symmocho tuo parente, quod ardere bello Italia diceretur, quòd in periculũ tenderes, quòd in hostẽ incurreres, respondisti hanc ipsam tibi causam esse veniẽdi ne nostro deesses periculo, vt consortem te fraterni discriminis exhiberes. Felix igitur tam opportuno obitu, quia non es in hunc seruatus dolorẽ: certè felicior quàm sancta soror, quæ tuo solatio destituta, de suo pudore solicita, duobus nuper beata germanis, nunc ex duobus fratribus ærumnosa, neque alterum sequi potest, neque alterum derelinquere, cui tumulus hospitium tuus, & corporis tui sepulchrum est domus, atque vtinam vel hoc tutum diuersorium, cibus in fletibus, potus in lachrymis. Cibum etenim dedisti nobis panem lachrymarum & potum dedisti nobis in lachrymis in mensuram, aut fortasse vltra mensuram. Nam quid de me loquor, cui neque mori licet, ne sororem relinquam, neque viuere libet, ne à te reuellar? Quid enim mihi sine te potest esse iucundũ, in quo omnis semper fuit nostra iucũditas? Aut quid diutius in hac vita degere iuuat, atque in terris morari, in quibus tam diu iucundè viximus quandiu simul viximus? Et si esset quod hîc delectare nos posset, sine te delectare non posset. Et si quando voluissemus impensè vitam producere, iam tamen sine te esse nollemus. Hec intolerabilia. Quid enim tolerabile sine te tanto vitæ comite, tanto laborum meorum officiorúmq; consorte? Cuius ego casum, quo esset tolerabilior, nec præmeditari potui: ita pauebat animus de illo tale aliquid cogitare, non quo conditionem ignorarem, sed quidam votorum vsus sensum communis fragilitatis obduxerat, vt de illo nisi secunda omnia cogitare nescirem. Denique proximè cum graui quodam atq; vtinam supremo vrgerer occasu, hoc solùm dolebam quod nõ ipse assideres lectulo, ac votiuum mihi cum sancta sorore partitus officium, morientis oculos digitis tuis clauderes. Quid optaueram? Quid rependo? Quæ vota deficiunt? Quę ministeria succedunt? Aliud præparabam, aliud exhibere compellor, non iam ipse ministerium funeris, sed minister. O dura oculorum lumina, quæ potuisti: is fratrem videre morientẽ. O immites & asperæ manus, quę clausistis oculos in quibus plus videbam. O durior ceruix, quę tam lugubre onus cõsolabili licet obsequio gestare potuisti. Hæc tu frater mihi iustius exhiberes. Hæc ego à te expectabam, hæc ego officia desiderabam. Nũc verò ipse meæ vitæ superstes, quod sine te solatium capiam, qui solus mœrentem solari solebas, excitare lætitiam, mœstitiam propulsare? Qualem te nunc ego frater aspicio, iam nulla mihi verba referentem, iã nulla offerentem oscula? quanquam ita mutuus semper vtrique

A nostrum insederit amor, vt interiore potius foueretur affectu, quàm forensi blanditia diuulgaretur. Neque aliorum quærebamus testimonium, qui tantam nostri gratiam tenebamus. Ita virilis se vtrique nostrum germanitatis succus infuderat, vt non blanditiis probaremus amorem, sed conscientia teste pietatis interno amore contenti, fucum blanditiarum non requirere videremur, quos & ipsa in amorem mutuũ imago formaret. Nescio qua enim expressione mentis, qua corporis similitudine alter in altero videbamur. Quis te aspexit, qui non me visum putare? Quotiens aliquos salutaui, qui quoniam te prius consalutauerant, se à me iam dicerent salutatos? Quanti tibi dixerunt aliquid qui se mihi dixisse memorarẽt? Quæ mihi hinc gaudia, quanta frequenter oborta lętitia, quod eos errare in nobis cernerẽ? Quàm gratus error, quàm iucunda prolapsio, quã religiosa fallacia, quã suauis calumnia. Neque enim de tuis erat aliquid aut factis aut sermonibus quod timerẽ, qui mihi tua lętabar adscribi. Tamẽ si vehemẽtius contenderent quod se mihi aliquid B intimasse memorarẽt, respondebam ridens & gaudẽs: Vide te ne fratri dixeritis: Nam cũ omnia nobis essent nostra communia, indiuidus spiritus, indiuiduus affectus, solum tamẽ commune non erat secretum amicorum, non quo conferẽ di periculum vereremur, sed tenendi seruaremus fidẽ. Sanè si consilio pendendares esset, erat semper commune consilium, non semper commune secretũ. Nam & si amici ita alteri nostrum dicerent, vt dicta sua ad alterutrum peruenirent, tamen scio plerunque complacitum ita fidem secreti esse seruatam, vt nec fratri committeretur. Erat enim fidele indicium, & extraneo non esse proditum, quod non esset cũ fratre collatũ. His igitur tantis ac talibus bonis in excessum quandam fateor mentis elatus, superstitem me timere desiderarem, quod illum vita crederem digniorem, & ideo excepi plagam quam ferre non possum. Tolerabiliora enim C tanti doloris præmeditata quàm inexplorata vulnera. Quis iam mœstum solabitur? Quis afflictum leuabit? Cum quo participabo curas? Quas me ab istius mũdi vindicabit vsu? Tu enim actor negociorum, censor seruulorum, arbiter fratrum, non litis sed pietatis arbiter. Nam si quãdo aliquid cũ sancta sorore mihi conferendum fuit, vtra melior videretur sententia, te iudicem sumebamus, qui nullius læderes os, atque vtrique satisfacere gestiens & amandi affectum tenebas, & censendi modum, vt & vtrunque gratum dimitteres, & vtriusque tibi gratiã vindicares. Aut si ipse aliquid disceptandum deferres, quàm grata contẽtio tua, quam sine felle ipsa indignatio, quã seruulis ipsis coercitio non amara, cũ te fratribus magis deferre, quàm ex affectu diceres vindicare. Nobis enim professio repressit studia coercẽdi, imò tu frater ab omni nos abducebas coercitionis affectu, vindicare pollicens, & lenire desiderans. Non mediocris igitur prudentiæ testimonium, quæ ita à sapientibus definitur, bonorum primum esse deum scire, & verum illud atque diuinum pia mente venerari, illam amabilem & concupiscendã æternæ pulchritudinem veritatis tota mentis charitate diligere. Secundum autem, in proximos à diuino illo fonte atque cœlesti naturæ deriuare pietatẽ: quod etiam mundi sapiẽtes nostris hausere de legibus. Neque enim deriuare ista in hominũ disciplinas, nisi de cœlesti illo diuinæ legis fonte potuissent. Quid igitur obseruantiam eius erga dei cultum prædicem? qui priusquam perfectioribus esset initiatus misteriis, in naufragio constitutus, cùm ea qua veheretur natis scopuloso illisa vado, & vrgentibus hinc atque inde fluctibus solueretur, non mortem metuẽs, sed ne vacuus mysterij exiret è vita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium sacramentum poposcit, non vt curiosos oculos insereret arcanis, sed vt fidei suæ consequeretur auxilium? Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit in mare, non requirens de nauis compage resolutam tabulã cui supernatans iuuaretur, quoniã fidei solius arma quęrerat. Itaque his se tectum atq; munitum satis credens, alia auxilia non desiderauit. Simul fortitudinem eius spectare licet, qui fatiscente remigio nõ quasi naufragus tabulam sumpserit, sed quasi fortis ex seipso adminiculum suæ virtutis assumpserit. Nec deseruit spes, nec

fefellit

fefellit opinio. Denique primus ſeruatus ex vndis, & in portum terrenæ ſtationis euectus, præſulem ſuum cui ſe crediderat recognouit, ſtatímque vbi etiam cæteros ſeruulos ſuos vel ipſe liberauit, vel liberatos comperit, negligens facultatum, nec amiſſa deſiderans dei eccleſiam requiſiuit, vt ageret gratias liberatus, & myſteria æterna cognoſceret, pronuncians nullum referendæ gratiæ maius eſſe officium. Quod ſi homini non referre, ſimile homicidio iudicatũ eſt: quantum crimen eſt non referre deo? Eſt ergo prudentis agnoſcere ſeipſum, & quemadmodum à ſapientibus definitum eſt, ſecundum naturã viuere. Quid enim eſt tam ſecũdum naturam, quàm referre authori gratiam? Aſpice cœlum
Pſalm.18. hoc, nonne authori refert gratiam cum videtur? Cœli enim enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Mare ipſum cùm ſedatum atque tranquillũ eſt, diuinæ ſerenitatis teſtatur indicium: cum mouetur, indignatio ſuperna terrori eſt. Nonne omnes dei gratiam iure miramur, cùm aduertimus quod inſenſibilis natura quadã ſenſibili ratione ſuos fluctus coerceat, & fines ſuos vnda cognoſcat? Nam de terris quid loquar, quæ diuino obediẽtes præcepto, omnibus ſponte animantibus pabulum ſubminiſtrant, atque id quod acceperint agri, velut creſcentibus vſuris multiplicatum cumulatúmque reſtituũt? Ergo ille qui natura duce diuini rationẽ operis igneo mentis vigore perceperat, ſciuit primo omnium ſeruatori ſuo gratiam eſſe referendã. Sed quia referre poterat, habere poterat. Eſt enim huiuſcemodi gratiæ vis, vt & cùm refertur habeatur, & habendo referatur. Referebat igitur gratiam, deferebat fidẽ. Nam qui tantum myſterij cœleſtis inuoluti in orario præſidium fuiſſet expertus, quantum arbitrabatur ſi ore ſumeret, & toto pectoris hauriret arcano: quàm maius putabat fuſũ in viſcera, quod tantum ſibi tectum orario profuiſſet? Sed non ita auidus fuit, vt eſſet incautus. Scimus enim pleroſq; auiditate ſtudij prætermittere cautionem. Aduocauit ad ſe epiſcopum, nec vllam veram putauit niſi veræ fidei gratiã, percontatúſque ex eo eſt vtrúmnam cum epiſcopis catholicis, hoc eſt cum Romana eccleſia cõueniret: & fortè & ad id locorum in ſchiſmate regionis illius eccleſia erat. Lucifer enim ſe à noſtra tunc temporis communione diuiſerat, & quanquam pro fide exulaſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes, non putauit tamen fidem eſſe in ſchiſmate. Nam etſi fidem erga deum tenerent, tamen erga dei eccleſiam non tenerent, cuius patiebantur velut quoſdam artus diuidi, & mẽbra lacerari. Etenim cùm propter eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti corpus eccleſia ſit, non videtur ab his exhiberi Chriſto fides, à quibus euacuatur eius paſſio, corpúſque diſtrahitur. Itaque quanuis gratiæ fœnus teneret, & metueret tanti nominis debitor nauigare, tamẽ eò tranſire maluit, vbi tuto poſſet exoluere. Iudicabat enim diuinæ ſolutionẽ gratiæ in affectu ac fide eſſe, quam quidem ſtatim vbi primum copia liberior eccleſiæ fuit, implere non diſtulit. Dei gratiam & accepit deſideratam, & ſeruauit acceptam. Nihil igitur ea prudentia ſapientius, quæ diuina & humana ſecernit, Nam quid ſpectatam in ſtipẽdiis forenſibus eius facundiam loquar, quę incredibili admiratione in auditorio emicuit? Sed malo illa laudare, quæ perceptis myſteriis dei duxit humanis eſſe potiora. Fortitudinem quoqne eius ſi quis plenius ſpectare volet, conſideret quotiens poſt naufragiũ inuicto quodam contẽptu vitæ huius maria tranſfretauerit, deffuſaſque regiones obeundo peragrarit: poſtremò quòd hoc ipſo tempore periculum non refugerit, ſed ad periculũ venerit patiens iniuriæ, negligens frigoris, atque vtinam ſolicitus cautionis: ſed hoc ipſo beatus, quod dũ licuit vigore vti corporis, inoffenſo ad exequenda quæ vellet functus iuuentutis officio, vitam vixit, debilitatem ignorauit. Qua verò proſecutione ſimplicitatem eius ediſſeram? Ea eſt enim quædam morum temperantia, mentíſque ſobrietas. Date quæſo veniam, & permittite dolori meo, vt de eo mihi paulo vberius liceat loqui, cum quo iam non conceditur colloqui. Certè & vobis proficit vt aduertatis non fragilitate quadam vos hoc officium, ſed iudicio detuliſſe, nec miſericordia mortis impulſos, ſed virtutum honorificentia prouocatos. Anima enim benedicta omnis ſimplex. Tantæ au-

A tem ſimpliciratis erat, vt cõuerſus in puerũm, ſimplicitatem illius ętatis innoxiæ, perfectę virtutis effigie, & quodam ingnum cœlorum, quoniã credidit dei verbo, quoniam ſicut-nocentium morum ſpeculo reluceret. Intrauit igitur in re-puer artem repulit adulandi, iniuriæ dolorem clementer ab ſorbuit, quam clementius vindicauit, querelæ quàm dõlo promptior, ſatiſfactioni facilis, difficilis ambitioni, ſanctus pudori, vt frequenter in eo ſuperfluam magis verecundiam prædicares, quàm neceſſariam quæreres. Sed nunquam ſuperflua fundamenta virtutis. Pudor enim non reuocat, ſed commendat officium. Itaque velut quadam virginali verecundia ſuffuſus ora, cum vultu affectũ proderet, ſi fortè aliquam ſubitò veniens offendiſſet parentẽ, velut depreſſus & quaſi demerſus in terrã, licet in ipſo nequaquam diſſimilis cœtu virorum, rarus attollere os, eleuare oculos, referre ſermonem, quod pudico quodam mentis pudore faciebat, cum quo caſtimonia quoque corporis congruebat. Erenim intemerata ſacri baptiſmatis dona ſeruauit, mũdus corpore, purior corde, non minus adulterini ſermonis opprobrium quàm corporis perhorreſcens, non minorem ratus pudicitiæ reuerentiam deferendam integritate verborum, quàm corporis caſtitate. Denique in tantum caſtimoniam dilexit,
B vt nec vxorem expeteret, licet in eo non ſolum caſtitatis appetentia fuerit, ſed etiam pietatis gratia. Miro autem modo & coniugium diſſimulabat, & iactantiam declinabat: tantáque erat diſſimulatio, vt nobis quoque vrgentibus differre magis conſortium quàm refugere videretur. Hoc vnum ita que fuit, quod nec fratribus crederet, non aliqua cunctationis hæſitantia, ſed virtutis verecundia. Quis igitur non miretur virum inter fratres duos, alteram virginem, alterum ſacerdotem, ætate medium, magnanimitate non imparem, ita inter duo maxima munera præſtitiſſe, vt alterius minoris caſtitatem, alterius ſanctitatem referret, non profeſſionis vinculo, ſed virtutis officio? Ergo ſi libido atque iracundia, reliquorum vitiorum educatrices ſunt, iure caſtitatem atque clementiam dixerim quaſdã virtutum parentes: quanquam pietas quoque vt omnium principatus bonorum, ita etiam
C ſeminarium virtutum eſt cæterarum. Nam de parſimonia quid loquar, & quadam habendi caſtitate? Is enim non quę rit aliena qui ſua ſeruat, nec inflatur in modico qui contentus eſt proprio. Nihil ergo aliud niſi proprium recuperare voluit, magis ne fraudaretur, quã vt ditaretur. Nam eos qui aliena quęrunt, rectè accipitres pecuniæ nominabat. Quod 1. Tim.
ſi radix malorum omnium auaritia eſt, vtique vitia exuit qui pecuniam non requirit. Nunquam accuratioribus epulis aut cõgeſtis ferculis delectatus eſt, niſi cùm amicos ad epulas rogarer, quantũ naturæ ſatis eſſet, non quantum voluptati ſupereſſet requirens. Et certè erat non pauper opibus, ſed tamen pauper ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlo- Matth.
rum. De iſtius beatitudine nequaquam vtique dubitare debemus, qui neque vt opulens exultauit in diuitiis, neque vt pauper exiguum quod habuit iudicauit. Supereſt vt ad concluſionem cardinalium virtutum, etiam iuſtitiæ partes in eo debeamus aduertere. Nam etſi cognatæ ſint inter ſe concretæque virtutes, tamẽ ſingularum quædam forma expreſſior
D deſideratur, maximéque iuſtitiæ. Ea enim ſibi parcior foris tota eſt, & quicquid habet quadam inclementia ſui, dũ rapitur amore communi, tranſſundit in proximos. Sed huius multiplex ſpecies. Alia ergo propinquos, alia erga vniuerſos, alia erga dei cultum vel adiumentum inopum. Itaque qualis in vniuerſos fuerit, prouincialiũ quibus præfuit, ſtudia docent, qui parentem magis fuiſſe proprium quàm iudicem loquebantur, gratum piæ neceſſitudinis arbitrũ conſtantem æqui iuris diſceptatorẽ. Inter fratres autem qualis fuerit, licet omne hominum genus beneuolẽtia complecteretur, indiuiſum patrimonium docet, nec diſtributa aut delibata, ſed reſeruata hæreditas. Etenim pietatẽ ſibi cauſam eſſe negauit teſtandi. Nam hoc quoque vltimo ſermone ſignauit, cùm quos dilexerat cõmendaret, ſibi nec vxoris arbitrium fuiſſe ducendæ, ne à fratribus diuelleretur: nec teſtamenti faciẽdi voluntatẽ, ne noſtrum in aliquo arbitrium læderetur. Denique & oratus & obſecratus à nobis, nihil tamen condendum putauit, nõ oblitus pauperum, ſed tãtum

obſecrans

Genes. 27. obsecrans esse tribuendum, quantum nobis iustum videretur. Quo vno satis & diuini timoris expressit indicium, & humanæ edidit religionis exemplum. Nam quod pauperibus contulit, deo detulit: quoniam qui largitur pauperi, fœneratur deo: & postulando quod iustum est, non exiguum sed totum reliquit. Hæc enim est summa iustitiæ, vendere quæ habeas, & conferre pauperibus. Qui enim dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Ergo dispensatores nos non hæredes reliquit. Nam hæreditas successori quæritur, dispensatio pauperibus obligatur. Vnde non immeritò quantus fuerit, hodie quoque per vocē lectoris par uuli spiritus sanctus expressit: Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animā suam, nec fecit proximo suo dolum, hęc est generatio requirētium deum. Hic ergo & in montem domini ascēder, & in tabernaculo habitabit dei, quia ingressus sine macula operatus est iustitiam, locutus est veritatem, non decepit proximum, nec pecuniā fœneratus est suam, qui semper voluit recuperare hæreditariam. Agnosco oraculum: quod enim nulla ordinauit dispositio, spiritus reuelauit. Quid verò illud recēseam, quod supra ipsam iustitiam pietate progressus, cùm quædam incubatori communium fructuum mei contemplatione muneris putasse esse tribuenda, largitatis me iactabat authorē, portionis suæ lucrum ad commune consortium conferebat? Hæc & alia quæ mihi tunc erant voluptati maximæ, nunc recordatione doloris exasperauit. Manent tamen, erūntque semper, nec tanquam vmbra præterierunt, neque virtutis gratia cum corpore occidit, nec idem naturæ meritorúmq; finis, licet ipsius naturæ vsus, non in æternum occidat, sed temporali quadā vacatione requiescat. Talibus igitur perfunctum virtutibus, ereptum periculis, desiderio magis quā amissione flebo. Suadet enim ipsa opportunitas mortis vt prosequendum magis gratia quàm dalendū putemus. Scriptum est enim: in cōmuni dolore proprium vacare debere. Neque enim prophetico sermone, vni illi mulieri quæ figuratur, sed singulis dicitur, cum ecclesiæ dictum videtur. Dicitur ergo & ad me, & dicit scriptura cœlestis: Hoccine doces, sic instituis dei plebem? An nescis quia exemplum tuū, periculum cæterorum est? Nisi fortè exauditum non esse te quereris. Primum istud arrogantis est impudentiæ, mereri solum velle, quod multis etiam sanctis negatum noueris, cū scias quia non est personarum acceptor deus. Nam & misericors deus, tamen si semper exaudiret omnes, non iam ex voluntate libera, sed ex quadā velut necessitate facere videretur. Deinde cùm omnes rogēt, si exaudiret omnes, nemo moreretur. Pro quantis ergo quotidie rogas? Nunquid constitutio dei contemplatione soluenda est tui? Cur ergo non impetratum aliquando doles, quod non semper impe-
4. Esdr. 10. trabile esse cognoscis? Stulta, inquit, super omnes mulieres: nonne vides luctum nostrū, & quæ nobis contigerunt, quoniam Sion mater nostra omnium in tristitia contristatur, & humilitate humiliata est? Lugete validissime & nunc, quoniam omnes lugemus: & tristes estote, quoniam omnes cōtristati sumus. Tu enim contristaris in fratre. Interroga terram, & dicet tibi, quoniam hæc est quę debebat lugere tantorum superstites germinū, & ex ipsa, inquit initio omnes nati, & alij venient, & ecce penè omnes in perditionem ambulant, & in exterminium sit multitudo eorum. Et quis ergo debet lugere magis, nisi quæ tam magnam multitudinē perdidit, quàm tu qui pro vno doles? Absorbeat igitur nostrum dolorem communis dolor, & acerbitatem proprij mœroris excludat. Non enim dolere debemus eos, quos cernimus liberatos: neque enim ociosē tam sanctas hoc tempore animas corporeis vinculis reminiscimur absolutas. Nanque velut diuino iudicio tam graues viduas ita vno tēpore defunctas videmus, vt profectionis quidam videatur excessus, non mortis occasus, ne veterana emeritis stipendiis pudicitia in dubiū diu seruati pudoris incideret. Quos gemitus mihi, quos dolores tam acerba excitat recordatio? Etsi mœroribus non vacabam, tamen in ipso dolore priuato, in ipso tantorum amisso flore meritorum, cōmunis quædam naturæ me conditio solabatur, defixúsque in vno dolor acerbitatem publici funeris, domesticæ specie pietatis

A obduxerat. Repete ergo sacra scriptura solatia tua. Iuuat enim tuis præceptis, tuis sententiis immorari. Quàm facilius Lucæ 6.
est cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere? Sed iam audiamus quæ scripta sunt. Nūc, inquit, retine apud temetipsum dolorem tuum, & fortiter fer qui tibi contigerunt casus. Si enim iustificaueris terminum dei, & filium tuum recipies in tempore, & in mulieribus collaudaberis. Si hoc ad mulierem, quanto magis ad sacerdotem? Si de filio, non vtique absurdum etiam de fratrum amissione talia memorari: quāquam si mihi fuisset filius, nunquam eū amplius dilexissem. Nam sicut in obitu liberorum effusi labores, susceptí frustra dolores mœrorem videntur augere, ita etiam in fratribus consuetudinis vsus atque collegij, acerbitatem doloris accendunt. Sed ecce dicentem scripturā audio: Noli facere hunc sermonem, sed cōsenti persuaderi. Esdr. 10.
Qui enim fles casus Sion, & consolare propter dolorē Hierusalem. Vides ergo quia sancta nostra cōtaminata sunt, & nomē quod nominatum est super nos, penè prophanatum est, & iuuenes nostri contumeliam passi sunt, & sacerdotes
B nostri succensi sunt, & Leuitæ nostri in captiuitate fuerunt, & mulieres nostrę cōtaminatæ sunt, & virgines nostræ vim passæ sunt, & iusti nostri rapti sunt, & paruuli nostri proditi sunt, & iuuenes nostri seruierūt, & fortes nostri inualidi facti sunt. Et quod omnium maius, signaculū Sion, quoniam resignata est de gloria sua nunc, & tradita est in manibus eorū, qui nos oderunt. Tu ergo excute tuam multam tristitiam, & depone abs te multitudinem dolorum, vt tibi repropitietur fortis, & requiem faciat tibi altissimus requietione dolorum. Cessabunt igitur lacrhrymæ: parendum est enim remediis salutaribus, quia debet aliquid inter fidos & perfidos interesse. Fleant ergo qui spem resurrectionis habere non possunt, quā non sententia dei eripit, sed fidei inclemētia. Interest inter Christi seruulos, idolorúmque cultores, vt illi fleant suos quos in perpetuum existimant interisse, illi nullas habeant lachrymarum ferias, nullam tristitiæ requiē consequantur, qui nullam putant requiem mortuorum: nobis verò quibus mors non naturæ, sed vitæ istius finis est,
C quoniā in melius ipsa natura reparatur: : fletus omnes casus mortis abstergat. Certè si illi sibi aliqua solatia repererunt, qui finem sensus, defectúmque naturæ mortem arbitrati sunt: quanto magis nos, quibus meliora post mortem præmia bonorum factorum conscientia pollicetur? Habent gētiles solatia sua, quia requiem malorum omnium mortem existimant. Et vt vitæ fructu carent, ita etiam caruisse se putant omni sensu & dolore pœnarum, quas in hac vita graues & assiduas sustinemus. Nos verò vt erectiores præmio, ita etiam patientiores solatio esse debemus. Non enim amitti, sed præmitti videntur, quos non absumptura mors, sed eternitas receptura est. Cessabunt ergo lachrymæ: aut si cessare non poterunt, in cōmunibus lamentis flebo te frater, & sub dolore publico domesticos gemitus tegam. Nam cessare quî poterunt, cum ad omnem sonum nominis tui lachrymæ surrepant, vel cùm vsus ipse recordationem excitat, vel cùm affectus imaginem repræsentat, vel cùm recordatio dolorē renouat? Quando enim dees qui tātis officiis repręsentaris? Ades inquàm, & semper ostenderis, & toto te animo ac mē te complector, aspicio, alloquor, osculor, comprehēdo vel
D in ipsa quiete nocturna, vel in luce clara cū reuisere & solari dignaris mœrentem. Deniq; ipsæ iam noctes, quæ quasi molestiores viuente te videbantur, quod mutui conspectus copiā denegarent, ipse iam somnus colloquiorum nostrorū dudū interruptor inamabilis, dulcis esse iam cœpit, quia te mihi reddidit. Non igitur miseri, sed beati, quorum nec præsentia deficit, nec cura minuitur, & augetur gratia. Etenim somni similis imago mortis. Quod si in quiete nocturna vinculis adhuc corporeis inhærentes, & quasi inter carceraria religatæ claustra membrorum possunt tamen animæ altiora & discreta perspicere, quanto magis spectant hæc cum iā puro æthereóque sensu nulla corporeæ labis impedimenta patiuntur? Meritóque mihi conquerenti vergēte quodā iam in occasum die, quòd non reuiseres quiescentem, totus omni tēpore indiuiduus affuisti, ita vt illo perfusus sopore membrorum, cùm ego vigilarem tibi, tu viueres mihi, dicerem:

Quid

Quid est mors frater? Nam certè nullis à me separare momentis. Ita enim vbique præsto eras, vt quam in istius vitæ vsu habere copiam nequibamus, nunc nobis semper & vbique præsto sit. Nam tunc vtique omnia præsto esse non poterant: nec enim complexiones nostræ conspectúsque & osculorum corporalium suauitates locis omnibus & omnibus temporibus superebant. Animorum imagines semper nobiscum erant, etiam quando non eramus vna, quæ nunc quidem occiderunt, assiduéque aduolant, quo maiore desiderio, eo maiore copia. Teneo igitur te frater, nec mihi te aut mors aut tempus auellet. Ipse dulces lachrymæ sunt, ipsi fletus iucundi, quibus restinguitur ardor animi, & quasi relaxatus euaporat affectus. Neque enim sine te esse possum, aut tui nō meminisse vnquā, aut meminisse sine lachrymis. O amari dies, qui interruptam copulam proditis. O flebiles noctes, quæ tam bonum consortem quietis & indiuiduum mihi comitem perdidistis. Quas ederetis cruces nisi se offunderet imago præsentis, nisi visiones animi repræsentarent, quem species corporis denegaret? Iam iam frater animo meo charissime, quanquam immaturo desseris obitu, beatus tamen qui ista non sustines, nec amissum fratrē mœrere compelleris, quem absentē diu ferre non poteras, sed recursu celeri reuisebas. Quod si tunc solitudinis meæ tædia repellere, mœstitiam fraternæ mentis ableuare properabas, quanto nunc crebrius afflictum animum debes reuisere, & ex te conceptum, per te lenire mœrorem? At mihi tamen dat aliquas officij vsus inducias, & obsequij sacerdotalis intentio abducit animū. De sancta verò sorore quid fiet, quæ licet diuino metu pietatem temperet, rursus tamen ipsum pietatis dolorem studio religionis accendit: strata humi, & totum gremio sui complexa tumulum, laborioso fessa incessu, tristis affectu, dies noctésque mœrorem integrat. Nam licet fletum plerunque sermone suspendat, in oratione renouat. Et quanuis scripturarum memoria consolationes serentibus præcurrat, flendi tamen desiderium precandi assiduitate compensat, lachrymarum vbertatem tunc præcipuè quando nemo interrūpere possit, instaurans. Ita quod miserearis habes, quod reprehendas non habes. Flere enim in oratione virtutis est: & quanquam istud familiare virginibus, quibus mollior sexus, tenerior affectus contuitu communis fragilitatis, in lachrymas etiam sine domestici sensu doloris exuberat, tamen cùm maior causa mœrendi est, finis mœroris excluditur. Deest igitur consolandi via, quia suppetit excusandi gratia. Neq; enim possis prohibere quod doceas, præsertim cùm religionis adstruat lachrymas, non doloris, & communis seriem deplorationis inmetu pudoris obtexat. Consolare ergo qui potes adire animum, penetrare mentem. Cernat te esse prę̄sentem, sentiat non esse defunctum, vt cuius secura de merito, eius defuncta solatio, discat pro eo non grauiter dolere, qui se admonuerit non dolendum, Sed quid ego demoror frater, quid expectem vt nostra tecum commoriatur, & quasi consepeliatur oratio? Licet ipsa species & exanimis corporis forma soletur, oculósque manens gratia & permanens figura demulceat, nihil in quam moror, procedamus ad tumulum, sed prius vltimum coram populo vale dico, pacem prædico, osculum soluo: præcede ad illam communem omnibus & debitam, sed iam mihi præ cæteris desiderabilem domum. Para hospiti consortium, & quemadmodum hic omnia nobis fuere communia, ita illic quoque ius diuiduum nesciamus. Ne quæso cupientem tui diu deseras, properantem expecta, festinantem adiuua, & si diutius morari tibi videbor, accersi. Neque enim vnquam prolixus abfuimus à nobis, tu tamen solebas reuisere. Nunc quoniam tu redire iam non potes, nos ad te ibimus: æquum est vt officium rependamus, subeamus vicem. Nunquam nobis fuit vitæ cōditio discretior, semper aut sanitas aut ægritudo cōmunis, vt cùm alter ægresceret, alter in morbum incurreret: cùm alter reualescceret, vterque cōsurgeret. Quomodo ius nostrum amisimus? Et nunc consortium ægritudinis fuit, quomodo mortis consortium non fuit? Tibi nunc omnipotens deus innoxiam commendo animam, tibi hostiam meam offero, cape propitius ac serenus fraternum munus, sacrificium sacerdotis, hæc mei iam libamenta præmitto. In hoc ad te pignore venio, non pecuniæ, sed vitæ pignore, ne me diutius residere facias tanti fœnoris debitorem. Non mediocris est fraterni amoris vsura, nec vilis naturæ sors quam cumulauit incrementum virtutis. Possum ferre, si citò cogar exoluere.

FINIS.

Diui Ambrosij
EPISCOPI MEDIOLANENSIS
de fide resurrectionis oratio.

Vperiore libro aliquid indulsimus desiderio, ne tanquam feruenti plagæ austeriora adhibita medicamenta exasperarent magis quàm lenirent dolorem: simul quia fratrem sæpius allocuti sumus, & oculis tenebamus, absurdum nō fuit relaxare paulisper affectum naturæ, qui lachrymis magis pascitur, fletibus delinitur, stupore defigitur. Mollis enim & tenera species est forma pietatis, nihil insolens amat, nil immite, nil durum, ferēdo autem probatur patientia magis quàm resistēdo. Ergo quia dudū dies mortis inter lachrymabiles aspectus debuit animum inclinare fraternū qui totum tenebat, nunc quoniam die septimo ad sepulchrū redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est, à fratre paululū ad communem humani generis cohortationem iuuat deriuare mentem, intentionémque trāsfundere, ita vt neque totis sensibus defigamur in fratre, ne obrepat affectus: neque tātę exules pietatis & gratię, eum quē diligimus deseramus, & verè ipsi nobis tāti doloris augeamus iniuriā, si hodie nobis & in sermone moriatur. Vnde proposuimus fratres charissimi, solari nos cōmuni vsu, nec durum putare quicquid vniuersos manet, & ideo mortem non esse lugendam. Primum, quia communis sit, & cūctis debita. Deinde, quia nos seculi huius absoluit ærumnis. Postremò, quia somni specie vbi ab istius mundi labore requietum sit, vigor nobis viuacior refundatur. Quem dolorem non soletur resurrectionis gratia? quē non excludat mœrorē, si credas nihil perire morte, imò ipsius celeritate fieri mortis plus perire ne possit? Erit ergo fratres charissimi, vt in adhortatione communi etiam fratri nostro pendamus affectū, nec ab eo longius deuiasse videamur, si per resurrectionis spem, & futuræ gloriæ suauitatem etiam in sermone nobis hodie reuiuiscat. Ordiamur igitur ab eo, vt lugendū nobis nostrorum obitum non esse doceamus. Quid enim absurdius, quàm vt id quod scias omnibus esse præscriptum, quasi speciale deplores? Hoc est animum supra conditionem extollere, legem non recipere communē, naturæ consortium recusare, mente carnis inflari, & carnis ipsius nesci e mensuram. Quid absurdius quàm nescire qui sis, affectare quod non sis? Aut quid imprudentius, quod futurum scias, id cùm acciderit, ferre non posse? Natura ipsa nos reuocat, & huiuscemodi mœroribus quadam sui collatione subducit. Quis est enim tam grauis luctus, aut tam acerbus dolor, in quo nō interdum relaxetur, animus? Habet hoc natura, vt quanuis homines in tristibus rebus sint, tamen, si modo homines sunt, à mœrore mentem paulisper abducant. Fuisse etiam quidam feruntur populi, qui ortus hominum lugerent, obitúsque celebrarent. Nec imprudenter. Eos enim qui in hoc vitæ salū veniissent, mœrendos putabant: eos verò qui ex istius mundi procellis & fluctibus emersissent, non iniusto gaudio prosequendos arbitrabantur. Nos quoque ipsi natales dies defunctorū obliuiscimur, & eum quo obierint diem celebri solennitate renouamus. Non est grauis subeundus mœror secundum naturam, ne aut excellentiorē aliquam naturæ exceptationem nobis arrogare videamur, aut communē recusare. Etenim mors æqualis est omnibus, indiscreta pauperibus, in excepta diuitibus

467

diuitibus. Et ideo licet per vnius peccatum, in omnes tamen
Rom. 5. pertranſiuit: vt quem generis non refugimus authorem, nō
refugiamus & mortis: & ſit nobis ſicut per vnum mors, ita
per vnum etiam reſurrectio, nec recuſemus ærumnam, vt
Luc. 19. perueniamus ad gratiam. Venit enim, vt legimus, Chriſtus
ſaluum facere quod perierat, & vt non ſolum viuorum, ſed
etiam mortuorum dominetur. Lapſus ſum in Adam, de pa-
radiſo eiectus in Adam, mortuus in Adam: quem reuocaret
niſi me in Adam inuenerit, vt in illo culpæ obnoxium, mor-
ti debitum, ita in Chriſto iuſtificatum? Si ergo debitū mor-
tis eſt, ſolutio debet eſſe tolerabilis. Sed hic locus poſterio-
ribus partibus reſeruandus. Nunc propoſitum eſt aſſerere
mortem grauiori non debere eſſe mœrori, quòd eum natu-
ra ipſa reſpuat. Denique Lyciorum feruntur eſſe præcepta,
quæ viros iubeant muliebrem veſtem induere, ſi mœrori in
dulgeant, eò quòd mollem & effœminatum iudicauerint
in viro luctum. Deforme eſt enim eos qui pro fide, pro re-
ligione, pro patria, pro æquitate iudicij, atq; intentione vir-
tutis obuium morti debent pectus offerre, mœrere in alio
grauius, quod in ſe ſi cauſa exegerit, expetendum eſt. Nam
quemadmodum potes in te non refugere, quod impatiētius
aliis doleas accidiſſe? Depone mœrorem ſi potes, include ſi
non potes. Aut abſorbendus omnis, aut premendus eſt do-
lor. Cur enim mœſtitiam tuam non ratio potius quàm dies
leniat? Nam quod obliteratura eſt tēporis ſeries, melius pru
dētia mitigabit. Quin etiam hoc ipſum irreligioſum, puto,
erga ipſorum memoriā quos dolemus amiſſos, vt obliuiſci
eorum malimus, quàm conſolatione mulceri: aut cum hor-
rore reminiſci quàm meminiſſe cum gratia: recordationem
timere, quorum imago debeat eſſe voluptati, diffidere po-
tius quàm ſperare de meritis defunctorum, & pœnæ addi-
ctos, quàm immortalitati debitos quos dilexeris æſtimare.
Sed dicis: Quos diligebamus, amiſimus. Nonne hæc nobis
cum ipſo mundo elemētis quæ communia ſunt, quſa ad tēpus credita in perpetuum tenere non poſſumus? Gemit terra ſub aratris, imbribus cæditur, tēpeſtate concutitur, ſtringitur frigore, ſole torretur, vt fructus annuos fœta parturiat: & cùm ſe vario flore veſtierit, exuitur proprio & ſpoliatur ornatu. Quantos hæc raptores habet, nec fructum ſuum queritur amiſſum, quem ideo generauit vt amitteret, nec in poſterum negat, quem ſibi meminit auferendum. Cœlum ipſum non ſemper ſtellarum micantium globis fulget, & quaſi quibuſdam inſignitur coronis. Nō ſemper ortu lucis albeſcit, radiis ſolis irrutilat, ſed aſſiduis vicibus ille quidam mundi vultus gratiſſimus humēti noxium caligat horrore. Quid gratius luce? Quid ſole iucundus, qui quotidie occidit? Deceſſiſſe tamen hæc nobis non moleſtè ferimus, quia redire præſumimus. Doceris in his quam in tuis debeas exhibere patientiam. Si ſuperiora tibi occidunt, nec dolori ſunt: cur ſi occiderint humana, doleantur? Sit tamen patiens dolor, ſit in triſtibus modus qui exigitur in ſecundis. An ſi immoderatè gaudere non conuenit, lugere conuenit? Non enim mediocre malum eſt immoderatio doloris, aut metus mortis. Quātos ad laqueum impulit, armauit ad gladium, vt in eo ipſo amentiam ſuam proderent, mortem non ferentes, & mortem appetentes, & quod pro malo fugerent, pro remedio adſciſcerent: qui quoniam conſentaneum naturæ ſuæ ferre ac perpeti nequeunt, contrarium voti incidunt, vt ab his in perpetuum ſeparentur quos ſequi deſiderauerunt. Sed hæc rara, quoniam natura ipſa reuocat, etſi præcipitet amentia. Illud verò frequens in mulieribus, vt clamores publicos ferant, quaſi metuant ne earum ingoretur ærumna, vt illuuiem veſtis affectent, quaſi in ea ſit ſenſus dolendi, vt impexum ſordibus immadident caput, vt poſtremò (quod pleriſque in locis vulgo fieri ſolet) diſciſſo amictu: diloricata veſte ſecreti pudoris nuda proſtituant, quaſi ipſum lenocinentur pudorem, quia pudoris ſui præmia perdiderunt. Sic procaces oculi prouocantur vt concupiſcant, vt amare incipiant membra nudata, quæ ſi non aſpicerent, non amarent. Atque vtinam ſordidata illa tegumenta corporis non ſpeciem, ſed mentem obnuberent. Latet plerumque ſub triſti amictu mentis laſciuia, & deformis horror veſtis obtexitur, vt ſecreta petu-

lantium tegantur animorum. Satis piè virum luget, quæ ſer-
A uat pudorem, non deſerit fidem. Hæc bene defunctis of-
ficia impenduntur, vt viuant in mētibus, in affectibus per-
ſeuerent. Non amiſit virum quæ exhibet caſtitatem: non eſt
viduata coniugio, quæ non mutauit nomen mariti. Nec tu
perdidiſti hæredem quæ adiuuas cohæredem, ſed pro ſuc-
ceſſore corruptibilium mutaſti conſortem immortalium.
Habes qui tibi repræſentet hæredem, ſolue pauperi quod
debetur hæredi, vt non ſolùm maternæ aut paternæ ſene-
ctutis, ſed etiam vitæ propriæ ſit ſuperſtes. Plus ſucceſſori
tuo relinques, ſi portio eius non ad luxum præſentium pro-
ficiat, ſed ad precium futurorum. Sed deſideramus amiſſos.
Duo ſunt enim quæ maximè angunt, aut deſiderium eo-
rum quos amiſerimus, ſicut meo exemplo metior: aut quod
eos vitæ ſuauitate priuatos, ereptos laboris ſui fuctibus
arbitramur. Tenera enim amoris eſt titilatio, quæ ex im-
prouiſo affectum excitat, vt ſedandi magis quam excluden-
di doloris facultas relinquatur: ſimul quia pium videtur
deſiderare quod admiſeris, & ſpecie virtutis adoleſcit infir-
B mitas. Sed cur tu putes patientiorem illam eſſe debere quę
dilectum ad peregrina dimiſerit, & militiæ gratia, vel ſu-
ſceptæ adminiſtrationis officio, vel negociandi vſu tranſ-
fretaſſe compererit, quàm te qui nō fortuito arbitrio dere-
linqueris, aut ſtudio pecuniæ, ſed lege naturæ? Sed recu-
perandi tibi intercluſa ſpes quaſi cuidam certa redeundi.
Et plerumque dubia plus fatigant, vbi periculi metus inte-
ger: grauiúſq; eſt timere ne acciderit, quàm tolerare quod
iam noueris accidiſſe. Aliud enim ſummam formidinis co-
aceruat, aliud finem expectat doloris. An dominis ius eſt
quo decreuerint transferre mancipia, deo non eſt? Sed non
ſuppetit expectare remeantem, ſuppetit tamen præcedentem ſequi. Et certè breuis vitæ vſus nec illi multum videtur eripuiſſe qui antè præceſſit, nec te differre diutius
qui remāſeris. Quod ſi deſiderium tuum mitigare non poſſis, nonne tamen videtur indignum pro deſiderij tui ſtudio
rerum ordinem velle conuerti? Amantium ardentiora vti-
C que deſideria ſunt, & tamen neceſſitatis contuitu tempe-
rantur. Etſi dolent deſeri, lugere tamen non ſolent. Deſti-
tuti amare impatiētius erubeſcūt. Ita patiētia deſiderij plus
probatur. Quid autem de his loquar qui defunctos putant
vitæ ſuauitate priuari? Nulla poteſt eſſe iucunditas inter has
vitæ noſtræ amaritudines aut dolores, quæ vel ex corporis
ipſius infirmitate, vel extrinſecus accidentium incommo-
ditate generātur. Anxij enim ſemper, & ad ipſa † lętitiæ vo- † lætio-
ta ſuſpenſi quodam fluctuamus incerto, ſperātes dubia pro rum.
certis incommoda pro ſecundis, caduca pro ſolidis, nihil habēntes poteſtatis in arbitrio, firmitatis in voto. At ſi aliquid
contra voluntatem acciderit, perditos nos putamus: plúſque aduerſorum dolore frangimur, quàm ſecundorum fructu potimur. Quibus igitur carent bonis qui maioribus eripiuntur incommodis? Valetudo credo bona, plus adiuuat
quàm affligit mala: aut opulentia plus delectat, quàm egeſtas afficit: aut filiorum magis amabilis gratia, quàm lugubris amiſſio: aut adoleſcentia iucundior, quàm ſenectus triſtior. Quā plerūque ſuorū tædet votorum, & optati pœni-
D tet, vt doleat impetratum quod non impetrare mutuebat!
Exilia verò, & cæterarum pœnarum acerbitates quæ poteſt
compenſare patria, quæ voluptates, quæ etiam cùm ſunt
debilitantur tamen, aut non vtēdi affectu, aut amittēdi metu? Eſto tamen, maneat inoffenſus, immunis à doloribus,
perpes in voluptibus vitæ curſus humanæ: quid tamen
commodi conſequi poteſt anima in iſtiuſmodi corporis in-
cluſa compaginibus, & quibuſdam membrorum anguſtiis
coartata? Si caro noſtra carcerem fugit, ſi deteſtatur omne
quicquid euagandi facultatem negat, quæ vtique paruis vl-
tra ſe audiendi vidēdíque excurrere videtur ſenſibus, quanto magis anima noſtra corporeum iſtud euadere geſtit ergaſtulum, quæ motu aëreo libera, neſcimus quo vadat, aut
vnde veniat? Scimus tamen quod corpori ſuperuiuat, & ea
iam depoſitis proprij ſenſus repagulis expedita liberò cernat obtutu, quæ antè ſita in corpore non videbat. Quod exemplo dormientium poſſumus æſtimare, quorum animi
velut ſepulto quiete corpore, ad altiora ſe ſubrigunt, & renunciant

nunciãt corpori rerum abſcentium vel etiam cœleſtium viſiones. Ergo ſi mors carnis & ſeculi nos abſoluit ærumnis, vtique malum non eſt, quæ libertatem reſtituit, & excludit dolorem. Hinc igitur nobis adoriendus diſputandi locus, mortem malum non eſſe, quia ærumnarum omnium malorúmque perfugium eſt, & fida ſtatio ſecuritatis, ac portus quietis*. Nũquid in hac vita non experimur aduerſa? Quas non procellas tempeſtatéſque perpetimur? Quibus nõ exagitamur incommodis? Cuius parcitur meritis? Sanctus patriarcha Iſrael profugus patria, fratre, parentibus, domum mutauit exilio, ſtuprum filiæ, generi necem fleuit, famem pertulit, ſepulturam defunctus amiſit. transferri enim oſſa ſua, ne vel mortuus requieſceret, obſecrauit. Sanctus Ioſeph odia fratrum, inſidias inuidorum, ſeruulorum obſequia, mercatorum imperia, dominæ petulantiam, mariti inſcitiam, carceris quoque eſt expertus ærumnã. Sanctus Dauid filios amiſit duos, vnum inceſtum, alterum parricidam. Hos habuiſſe pudoris eſt, doloris eſt perdidiſſe. Amiſit & tertium quem amabat paruulũ. hunc viuẽtem adhuc fleuit, mortuum non deſiderauit. Sic enim legimus quod ægrotãte puero deprecabatur Dauid dominũ pro eo, & ieiunauit, & in cilicio iacuit, & adſtantibus maioribus natu vt excitarent eum de terra, nec ſurgendum ſibi, nec cœnandum putauit. Vbi verò defunctum puerum comperit, ſurrexit de terra, lauit illico, vnctus eſt, veſtimenta mutauit, adorauit dominum, cibum ſumpſit, Cum hæc miranda ſuis pueris viderẽtur, reſpõdit eis, rectè ſe infante viuẽte ieiunaſſe, ploraſſe, quia iure arbitrabatur dominum poſſe miſereri, nec dubitandum quod vitam poſſet ſeruare viuentis, qui poſſet viuificare defunctos: iã verò obita morte quid ieiunaret, qui iam non poſſet reducere mortuum, exanimẽque reuocare? Ego, inquit, ibo ad eum, ipſe autem non reuertetur ad me. O maximum ſolatium deſiderantis. O verum ſapientis iudicium. O miram patientiam ſeruientis, vt nemo ſibi aduerſi aliquid accidiſſe indignè ferat, & contra meritum ſuũ ſe queratur afflictum. Quis enim tũ es qui de tuo merito antè pronuncies? Cur præuenire deſideras cognitorem? Cur eripis ſentẽtiã iudicaturo? Nec ſanctis iſtud permiſſum eſt, nec à ſanctis impunè vnquam eſt vſurpatum. Dauid ſe propterea flagellatũ ſuo carmine confitetur: Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſeculo, obtinuerunt diuitias. Ergo ſine cauſſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocẽtes manus meas, & fui flagellatus tota die, & vindex meus in matutinum. Petrus quoque quamuis plenus fide deuotionis, tamẽ quia nondum conſcius noſtræ infirmitatis præſumptiuè dixerat domino, Animam meam pro te ponam: tentationem præſumptionis antequam tertio gallus cantaret incurrit: licet ipſa tentatio documentum fuerit ad ſalutem, vt diſcam non contemnere carnis infirmitatem, ne contemnẽdo tentemur. Si Petrus tentatus eſt, quis præſumat, quis adſtruat ſe non poſſe tentari? Atque haud dubiè pro nobis tentatus eſt Petrus, vt in fortiore nõ eſſet tentamenti periculum, ſed in illo diſceremus quemadmodum in perſecutionibus reſiſtentes etſi vitæ ſtudio tantaremur, tentationis tamen aculeum patientiæ lachrymis vinceremus. Idem tamen Dauid, ne quem fortaſſis ſcripturarum tenacem moueat factorum diuerſitas, idem inquam Dauid parricidam mortuum fleuit, qui non fleuerat innocentem. Denique cum ploraret & lugeret, dixit: Filius meus Abſalon, filius meus Abſalon. Quis dabit mihi mortem pro te? Non* ſolũ ergo fletur Abſalon, fletur parricida: fletur Ammõ, non ſolum fletur inceſtus, ſed etiam vindicatur, alter contemptu regni, alter fratris exilio, fletur ſceleratus, non fletur dilectus. Quæ cauſſa, quæ ratio? Non mediocris igitur in prudentibus deliberatio, ſapientibus confirmatio. Magna enim prudentiæ in tanta factorum diuerſitate conſtantia. Vna eſt fides, & illos mortuos fleuit, & flendum infantem mortuum non putauit. Illos enim ſibi periſſe credebat, hunc reſurrecturum ſperabat. Sed de reſurrectione poſterius, nunc ad propoſita reuertamur.. Præmiſimus enim etiam ſanctos viros grauia in hoc mundo & multa perpeſſos, ſine ſuffragatione meritorum, cum ærumna laborum. Vnde regreſſus ad ſe Dauid in poſterioribus dicit: Memento domine quia puluis ſumus. homo tanquam fœnum dies eius. Et alibi: Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereũt. Quid enim nobis miſerius, qui tanquam ſpoliati & nudi proiicimur in hãc vitam, corpore fragili, corde lubrico, imbecillo animo, anxij ad ſollicitudinem, deſidioſi ad laborem, proni ad voluptates? Non naſci igitur longè optimum, ſecundũ ſancti Salomonis ſententiã. Ipſum enim, etiam ij qui ſibi viſi ſunt in philoſophia excellere, ſecuti ſunt. Nam ipſe illis anterior, noſtris poſterior, ita in Eccleſiaſte locutus eſt: Et laudaui ego omnes defunctos qui iam mortui ſunt, magis quàm viuentes qui cunque viuunt vſq; adhuc: & optimus ſuper hos duos, qui nondum natus eſt, & qui non vidit hoc opus malum, quod factum eſt ſub ſole. Et vidi ego vniuerſum laborem eorũ, & omuem virtutem operis huius, quia æmulatio viro ab altero. Et quidẽ hoc vanitas, & præſumptio ſpiritus. Et quis hoc dixit, niſi ille qui ſapientiam popoſcit & impetrauit, vt ſciret diſpoſitiones orbis terrarum, & virtutem elementorum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, non ignoraret naturas animalium, & iras colligeret beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum deprehenderet? Quem igitur non latuerunt cœleſtia, quemadmodum laterẽt mortalia? Qui cogitationem mulieris inueſtigauit, infantem vindicantis alienum: qui naturas animalium, quas non acceperat, diuina tamen gratia aſpirãte cognouit: hic de ſuæ cõditione naturæ quam in ſe expertus eſt, errare aut mentiri potuit? Sed non ſolus hoc ſenſit, etſi ſolus expreſſit. Legerat ſanctum dixiſſe Iob: Pereat dies illa qua natus ſum. & cognouerat, naſci, malorum omnium eſſe principium: & ideo diem qua natus eſt, perire optauit, vt tolleretur origo incõmodorum: & optauit perire diem generationis ſuæ, vt diem reſurrectionis acciperet. Audierat etiã Salomon dixiſſe patrem ſuum: Notum fac mihi domine finem meũ, & numerum dierum meorum qui eſt, vt ſciam quid deſit mihi. Nouerat enim Dauid non poſſe id quod perfectum eſt, hic cõprehendi, & ideo ad ea quæ ſunt futura properabat. Nunc enim ex parte ſcimus, & ex parte cognoſcimus: tunc autem id quod perfectum eſt, poterit comprehendi, cùm reuelata facie nobis ſpeculandæ maieſtatis æternitatiſq; diuinæ cœperit relucere nõ vmbra, ſed veritas. Nemo tamen feſtinaret ad finem, niſi vitæ iſtius fugeret incommoditatẽ. Et ideo etiam Dauid quare ad finem feſtinet, expoſuit dicens: Ecce veteres poſuiſti dies meos, & habitudo mea tanquam nihil ante te: veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuẽs. Quid igitur moramur fugere vanitatem? Aut quid nos delectat in hoc ſeculo vanè conturbari, theſaurum pecuniarum condere, & ignorare cui congregemus hæredi? Petamus amoueri à nobis plagas, eripi nos, & inſipienti ſeculo carere, de peregrinatione diuturna ad illam redire patriam & naturalem domum. In hac enim terra aduenæ ſumus atq; peregrini: remigrandum eò vnde deſcendimus, ambiendũ & obſecrandum non perfunctoriè, ſed obnixè, vtà dolis & ab iniquitate loquacium liberemur. Et ille qui remedium nouerat prolongatum tamen ſuum ingemit incolatum, & cum peccatoribus & iniquis ſe habitare deplorat. Quid ego faciam qui & peccatum habeo, & ignoro remediũ? Hieremias quoque quod generatus ſit & ipſe deplorat his verbis dicens: Heu me mater, vt quid me peperiſti virũ cauſſam dicentem iudicij? In omni terra non profui, neque profuit mihi quiſquam: virtus mea defecit. Si igitur ſancti viri vitam fugiunt, quorum vita etſi nobis vtilis, ſibi tamen inutilis æſtimatur: quid nos facere oportet, qui nec aliis prodeſſe poſſumus, & nobis vitam hanc quaſi fœnebrem pecuniam vſurario quodã cumulo graueſcentem onerari in dies peccatorũ ære ſentimus? Quotidie morior, Apoſtolus dicit, meli9 vtiq; quẽ illi qui meditationẽ mortis philoſophiã eſſe dixerunt. Illi enim ſtudium prædicarunt, hic vſum mortis exercuit. Et illi quidem propter ſe, Paulus autem ipſe perfectus moriebatur, non propter ſuam, ſed propter noſtram infirmitatem. Quid autem eſt mortis meditatio, niſi quædam corporis & animæ ſegregatio? Quia mors ipſa nõ aliud quàm corporis atque animæ ſeceſſio definitur. Sed hoc ſecundum communem opinionem. Secundum ſcripturas autem triplicem eſſe mortem accipimus. Vna eſt cum moriemur

* Nam quid.

Gen. 18.

Gene. 37.

2. Reg. 12.

Pſalm. 72.

Ioan. 13.

2. Reg. 18.

*ſolus

Pſalm. 102.

Pſalm. 143.

Eccle.

Iob.

Pſalm.

1. Cor.

Pſalm.

Hier.

1. Cor.

mur peccato, deo viuimus. Beata igitur mors quæ culpæ refuga, domino dedita, à mortali nos separat, immortali nos consecrat. Alia mors est vitæ excessus, qua mortuus est patriarcha Abraham, patriarcha Dauid, & sepulti sunt cum patribus suis, cum anima nexu corporis liberatur. Tertia mors est de qua dictum est: Dimitte mortuos sepelire mortuos Matth. 8. Ezech. 18. suos. Ea morte non solum caro, sed etiam anima moritur. Anima enim quæ peccat, ipsa morietur. Moritur enim domino non naturæ infirmitate, sed culpæ. Sed hæc mors non perfunctio huius est vitæ, sed lapsus erroris. Vna ergo est mors spiritalis, alia naturalis, tertia pœnalis. Sed non quæ naturalis, eadem pœnalis. Non enim pro pœna, sed pro remedio dedit mortem. Denique Adæ peccanti præscriptum est Gene. 3. aliud pro pœna, aliud pro remedio. Pro pœna dicitur: Quoniam audisti vocem vxoris tuæ, & manducasti de ligno de quo præceperam tibi ab hoc solo ne manducares, maledicta terra in operibus tuis, manducabis fructum eius omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & edes pabulũ agri tui. Cum sudore vultus tui manducabis panem tuum, donec reuertaris in terram de qua assumptus es. Habes pœnarum ferias, quia aduersus spinas seculi huius, & solicitudines mundi, voluptatésque diuitiarum quæ verbum excludunt, pœnam includunt, mors pro remedio data est, quasi finis malorum. Non enim dixit, Quoniam audisti vocem mulieris, reuerteris in terram. Hæc enim esset pœnalis sententia, quemadmodum est illa: Maledicta terra, spinas & Gene. 3. tribulos germinabit tibi, sed dixit: Mãducabis panem tuum in sudore, donec reuertaris in terram. Vides mortem magis metam esse nostrarum pœnarum, qua cursus huius vitæ inciditur. Ergo mors non solum malum non est, sed etiam bonum est. Denique pro bono quæritur, sicut scriptum est: Apoc. 9. Quærent homines mortem, & non inuenient eam. Quærent enim illi qui dicturi sunt montibus, Cadite super nos: & collibus, operite nos. Quæret etiam anima illa quæ pec- Lucæ 23. cat. Quærit diues ille positus in inferno, qui vult digito Laza- Lucæ 16. ri refrigerari linguam suam. Videmus itaq; quod & mors hæc lucrum est, & vita pœna est. Vnde & Paulus ait: Mihi Philipp. 1. enim viuere Christus est, & mori lucrum. Quid est Christus, nisi mors corporis, spiritus vitæ? Et ideo commoriamur cum eo, vt viuamus cum eo. Sit quidam quotidianus vsus in nobis affectúsque moriendi, vt per illam quam diximus segregationem à corporeis cupiditatibus anima nostra se discat extrahere, & tanquam in sublimi locata quo terrenæ adire libidines, & eam sibi glutinare non possint, suscipiat mortis imaginem, ne pœnam mortis incurrat. Repugnat enim lex carnis legi mentis, & eam legi erroris addicit, sicut Roma. 7. Apostolus reuelauit, dicens: Video enim legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Omnes impugnamur, omnes sentimus, sed non omnes liberamur. Et ideo infœlix ego homo, nisi remedium quæram. Sed quod remedium? Quis me liberabit de corpore mortis? Gratia dei per Iesum Christum dominũ nostrum. Habemus medicum, sequamur remedium. Remedium nostrum, Christi gratia: & corpus mortis, corpus est nostrum. Ergo peregrinemur à corpore, ne peregrinemur à Christo: etsi in corpore sumus, tamen quæ sunt corporis non sequamur, nec deseramus iura naturæ, sed dona gratiæ præoptemus. Philip. 1. Dissolui enim, & cum Christo esse, multo melius: permanere autem in carne magis necessarium propter vos: sed non omnibus necessarium: Domine Iesu, non mihi, qui nul li vtilis sum. Nam mihi lucrum est mori, ne plura peccem. Lucrum mihi est mori, qui ipso libro quo alios consolor, quasi vehementiori monitore ad desiderium amissi fratris impellor, quoniam me eius non sinit obliuisci. nunc magis amo, & vehementius desidero: desidero cum loquor, desidero cum relego: & ideo hoc potius scribendum arbitror, ne quando ab eius recordatione diuellar. Quod non contra scripturas facio, sed cum scripturis sentio, vt patientius doleam, impatientius desiderem. Præstitisti mihi frater ne Nume. 23. mortem timerem, atque vtinam moriatur anima mea in anima tua. Hoc enim sibi Balaã pro maximo bono optat donatus spiritu prophetandi. Moriatur, inquit, anima mea in animis iustorum, & fiat semen meum sicut semen iustorum.

A Et vere hoc secundum prophetiam optat. Qui enim viderat ortum Christi, vidit eius triumphalem mortem, vidit in eo perennem hominum resurrectionem, & ideo mori non timet resurrecturus. Non moriatur ergo anima mea in peccato, nec peccatum in se recipiat: sed moriatur in anima iusti, vt eius recipiat æquitatem. Denique qui moritur in Christo, fit eius gratiæ particeps in lauacro. Non ergo formidabilis mors: nec amara egentibus: nec gratiosa diuitibus: nec iniusta senioribus: nec ignaua fortibus: nec perpetua fidelibus: nec improuisa sapientibus. Quàm multi enim vitam solo mortis stimulo consecrarunt, quantos viuere puduit, mori profuit? Morte vnius plerunque accepimus maximos populos liberatos. Morte Imperatoris fugatos exercitus hostium, quos viuus vincere nequiuisset. Morte martyrum religio defensa, cumulata fides, ecclesia roborata est, vicerunt mortui, victi persecutores sunt. Itaque quorum vitam nesci mus, horum mortem celebramus. Vnde & Dauid prophetice gloriatus in suæ mentis excessu, Preciosa, inquit, in con- Psalm. 115. spectu domini mors sanctorum eius. Mortem maluit præ
B ferre quàm vitam. Ipsa mors martyrum, præmium vitæ est. Morte etiam inimicorum odia soluũtur. Quid plura? Vnius morte mundus redẽptus est. Potuit enim Christus non mori si voluisset. Sed neque refugiendam mortem quasi ignauam putauit, neq; melius nos quàm moriendo seruasset. Itaque mors eius vita est omniũ. morte eius signamur, mortem eius orantes annunciamus, mortem eius offerentes prædicamus, mors eius victoria eius, mors eius sacramentum est, mors eius annua solẽnitas mundi est. Quid præterea de eius morte dicamus, cum diuino probemus exẽplo, quia immortalitatem mors sola quæsiuit, atq; ipsa se mors redemit? Non igitur mœrenda mors, quæ causa salutis est publicæ, non fugienda mors, quam dei filius non dedignatus est, non refugit, non resoluẽdus est ordo naturæ. Quod enim commune est omnibus, exceptum singulis esse non potest. Et mors qui dem in natura non fuit, sed conuersa in naturam est, non enim à principio deus mortem instituit, sed pro remedio de-
C dit. Et consideremus ne videatur esse contrarium. Nam si bo Sap. 1 & 2. num est mors, cur scriptum est, quia deus mortem non fecit, sed malitia hominum mors introiuit in orbem terrarum. Reuera enim mors diuino operi necessaria non fuit, cum in paradiso positis bonorum omnium iugis successus affluere t, sed præuaricatione damnata in labore diurno gemitúque intolerando vita hominum cœpit esse miserabilis, debuit dari finis malorum, vt mors restitueret quod vita amiserat. Immortalitas enim oneri potius quàm vsui est, nisi aspiret gratia. Et si bene discutias, non naturæ mors ista est, sed malitiæ. Manet enim natura, malitia moritur. Resurgit quod fuit: atque vtinam vt peccandi liberum, ita vacuum culpæ prioris. Sed hoc ipsum indicio est mortem non esse naturæ, quia idem erimus qui fuimus. Itaque aut peccatorum nostrorum supplicia pẽdemus, aut bene gestorum gratiam consequemur. Resurget enim natura eadem, iam stipendiis mortis honoratior. Denique mortui qui in Christo 1. Thes. 4. sunt, resurgent primi, deinde & nos qui viuimus, inquit, si-
D mul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, & ita semper cum domino erimus. Illi primi, viuentes autem secundi. Illi cum Iesu, viuentes per Iesum. Illis dulcior vita post requiem viuentibus, etsi grata compendia, tamen ignorata remedia. Nihil est igitur quod in morte timea mus, nihil quod debeamus dolere, si aut naturæ repetenti vita quæ accepta est rependatur, aut petenti impendatur officio, in quo religionis cultus, aut virtutis vsus est. Neque enim quisquam sibi vt sic maneret optauit. Ioanni promissum æstimatum est, sed non est creditum. Verba tenemus, sentẽtiam deriuamus. Ipso in libro negat sibi quod non moreretur esse promissum, ne quem vana spes exemplo incesseret. Quod si id velle, spes insolens est: quanto insolentius est, quod non præter modum acciderit, vltra modum dolere? Gentiles plerũque se consolantur viri vel de commoditate ærũnæ, vel de iure naturæ, vel de immortalitate animę: quibus vtinam sermo constaret, ac non miseram animam in varia portentorum ludibria formásque transfunderent. Quid igitur nos facere oportet, quorum stipendium resurrectio

est, cuius gratiam quoniam negare pleriq; non possunt, fidē abnuunt? Et ideo non vno argumento aliquo sed pluribus modis vt possumus adstruamus. Equidē omnia aut vsu, aut ratione, aut exemplo, aut eo quia decorum sit ea esse, ideo esse creduntur, & ad finem singula suffragātur. Vsus, quia mouemur. Ratio, quia quod mouet, virtutis alterius conuenit æstimari. Exemplum quia generauit ager, fruges, & ideo generaturum esse præsumimus. Decorum, quia vbi fructū non putamus, decere tamen credimus vt virtutis opera minime deseramus. Singula igitur singulis adstruūtur. Tribus tamen euidētius colligitur resurrectionis fides, quibus omnia comprehēduntur: ratione vniuersitatis, exemplo, testimonio rei gestæ, quia plurimi surrexerunt. Ratio euidens est, quia cum omnis vitæ nostræ vsus in corporis animæque consortio sit, resurrectio autē aut boni actus præmiū habeat, aut pœnam improbi, necesse sit corpus resurgere cuius actus expēditur. Quomodo enim in iudicium vocabitur anima sine corpore, cum de suo & corporis contubernio ratio præstanda sit? Resurrectio omnibus erit, sed ideo difficile creditur, quia nō nostrum meritum, sed dei munus est. Prima igitur resurrectionis fides vsus est mundi, rerúmq; status omnium, generationum series, successionum vices, obitus ortúsq; signorum, diei & noctis occasus, eorúmque quotidie tāquam rediuiua successio. Temperamēti quoque genitalis huius aliter ratio subesse nō posset, nisi humoris ipsius quo omnia terrena generantur, quātum diurni solis æstus extorreret, tantum rore nocturno dispositio diuina repararet. Nā quid de fructibus loquar? Nōne tibi videntur occidere cum decidūt, resurgere cum reuirescūt? Quod fatum est resurgit, resurgit quod mortuum est, & in eadem genera, in easdem species reformatur. Hos terra primum reddidit fructus, in his primū natura nostræ speciem resurrectionis imitata est. Quid dubitas de corpore corpus resurgere? Granum seritur, granum resurgit: pomum decidit, pomū resurgit. Sed flore granum induitur, fol
1.Cor.15. liculóque vestitur. Et hoc mortale oportet induere immortalitatem, & hoc corruptibile induere incorruptionem. Flos resurrectionis immortalitas est. Flos resurrectionis incorruptio est. Quid enim vberius quiete perpetua? Quid locupletius securitate diuturna? Hic est multiplex fructus, cuius prouentus pullulat fœcūdior hominum naturam post mortem. Sed miraris quemadmodum putrefacta solidentur, dispersa coeant, absumpta reparētur: non miraris quemadmodum semina vapore & cōpressu terræ soluta viridescāt? Nam vtique etiam ipsa terreno cohalitu putrefacta soluūtur, & cū occata soli genitalis succus animauerit, quodam calore vitali spiritum quendā herbæ viridantis exhalāt. Deinde paulatim teneram spicæ adolescentis ætatem culmo erigit, & vaginis quibusdam natura tanquam sedula mater includit, ne pubescentem glacies adurat aspera, atq; à nimio solis defendat ardore. Frugem quoq; ipsam adhuc quasi primis erumpentem cunabulis, mox adultam, ne pluuia decutiat, ne aura dispergat, ne auium minorū morsus interimat, vallo aristarum sepire consueuit. Quid igitur miraris si homines quos acceperit terra restituat, cum seminum corpora quæ cū vi fuscauerit, viuificet, erigat, vestiat, muniat, atque defendat? Desine ergo dubitare quod depositū generis humani terræ fides reddat, quæ commēdata sibi semina vsurario quodam fœnore multiplicata restituat. Nam quid de generibus arborum loquar, quę posito surgunt de semine, fructúsque resolutos rediuiua fœcunditate resuscitant, & formæ veteri atque imagini suæ reddunt, multāsque ætates quædam arborū corpora reparata transmittunt, vt ipsa durādo vincant secula? Putrescere videmus acinum, vitem resurgere: surculus inseritur, arbor renascitur. An de reparandis arboribus diuina est prouidentia, de hominibus nulla cura? Et qui ea quæ ad vsus hominum dedit, perire non passus est, hominem perire patietur, quem ad imaginem sui fecit? Sed incredibile tibi videtur vt mor-
1.Cor.15. tui reuiuiscant. Insipiens tu, ipse quod seminas, nonne prius moritur, vt viuificetur? Sere quemlibet fructum arentem, resuscitatur. Sed habet succum: & nostrum corpus habet sanguinem suum, habet humorē suum, hic nostri succus est corporis. Vnde illud quoque explosum arbitror, quod arentem surculum quidam reuiuiscere negant, idque ad preiudicium

A carnis deriuare nituntur. Non enim caro arida, cum caro omnis è limo sit, limus in humore, humor è terris. Denique multa gignentia quamuis iugi serenitate, humo arida areno saque nascuntur, quoniam ipsa sibi terra ad humorem sufficit. Num igitur in hominibus terra degenerat, quæ omnia regenerare cōsueuit? Vnde claret non esse dubitandum quod secundū naturam magis quàm contra naturā est interire. Sequitur illud quod gentiles plerunque perturbat, quomodo fieri possit vt quos mare absorbuerit, ferę dilacerauerint, bestiæ deuorauerint, terra restituat? Quo ita demum veniatur necesse est, vt non de fide resurrectionis, sed de parte dubitetur. Esto enim vt laceratorum corpora non resurgant, resurgunt cæteri. Nec resurrectio destruitur si cōditio excipitur. Miror tamen cur vel de his dubitandū putent, quasi non omnia quæ ex terris sunt, in terrā redeant, & in terram resoluantur. Mare quoq; ipsum quæcunque corpora humana demerserit, vicinis expuit vnda plerūque littoribus. Quod ni ita esset, difficile credo deo foret dispersa cōnectere, dissipata so-
B ciare, cui mundus obtemperat, muta obsequuntur elemēta, seruit natura: quasi non maioris miraculi sit limum animare quàm iungere? Auis in regione Arabiæ, cui nomen est Phœnix, rediuiuo suæ carnis humore reparabilis, cū mortua fuerit reuiuiscit. Solos non credimus homines resuscitari? Atqui hoc relatione crebra, & scripturarum authoritate cognouimus, memoratam auem quingentorū annorum spatia vitali vsui habere præscripta, eámque cum sibi finē vitæ adesse præsaga quadā naturæ suæ æstimatione cognouerit, thecam sibi de thure & myrrha & cæteris odoribus adornare, completóque opere pariter ac tēpore intrare illam, atq; emori, ex cuius humore oriri vermē, paulatímque eum in nauis eiusdem figuram concrescere, vsúmq; formari, subnixā quoque remigio pennarum renouatæ vitæ officia munere pietatis ordiri.
C Nam thecam illam vel tumulū corporis, vel incunabulum resurgētis, in qua deficiens occidit, & occidens resurrexit, ex Æthiopia in Lycaoniam vehit, atq; ita resurrectione auis huius locorum incolæ cōpletum quingentorum annorū tempus intelligunt. Ergo isti aui quingentesimus resurrectionis annus est, nobis millesimus. Illi in hoc seculo, nobis in consummatione mundi. Pleriq; etiam opinantur quod auis hæc rogum sibi ipsa succendat, & rursus de fauillis suis & cineribus reuiuiscat. Sed fortasse natura discretior, fidei quoque discretionē videatur afferre. In originem principiúmque hominis procreandi mens nostra redeat. Viri estis, fœminæ estis: quæ humana sunt, nō ignoratis: & si qui ignoratis, ex nihilo putatis esse quod nascimur, quàm ex paruo quanti exurgimus? Etsi non exprimimus, intelligimus tamen quid velimus, vel potius quid nolimus dicere. Vnde hoc caput, & vultus iste mirabilis, cuius artificem non videmus, opus videmus, in varia officia vsúsq; formatur? Vnde forma erectior, status excelsior faciendi vis, sentiendi viuacitas, gradiendi facultas? Ignota certe nobis sunt naturæ organa, sed nota ministeria. Et tu semen fuisti, & tuum corpus semen est resur-
D recturi. Audi Paulum, & disce quia semen es: Seminatur in 1.Cor.15.
corruptione, surgit in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surgit in gloria. Seminatur in infirmitate, surgit in virtute. Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale. Et tu ergo seminaris vt cætera, quid miraris si resurgis vt cætera? Sed illa credis quia vides, ista non credis quia non
Ioan.20. vides. Beatiores qui non viderunt, & crediderunt. Tamen antequam tempus veniat, nec illa creduntur, non enim omne tempus accommodum ad resuscitanda semina. Alio triticum seminatur, alio nascitur: alio vitis inseritur, alio gemmantia sarmenta pubescunt, luxuriat pampinus, vua formatur, alio plantatur olea, alio velut aluo grauis & onusta prole baccarum fructus sui vbertate curuescit. Ante vero quàm suum cuique tempus adueniat, fœtura restrictior est: nec generationis ætatem habet in potestate generandi ipsa quæ generat. Nunc informem situ, nunc fœtuum nudam, nunc virentem floribus, nunc carētem ipsam omnium cernas parentem: quæ vtique vellet omnibus se vestire temporibus, nec vnquam aurea segetum aut viridātia pratorum indumenta deponere, ipsa sui egens, & prouentuum suorum quæ in alios transfuderit, indotata compendiis. Ergo

&

475

& noſtram reſurrectionem etſi non credis fide, non credis exemplo: vſu es crediturus. Et aliis quidem fructibus, vt viti oleæ pomíſque diuerſis, anni ætas extrema habilis maturandis: nobis quoque mundi conſummatio tanquàm extremus anni finis accommodam reſurgendi præſcribit ætatem. Et bene in conſummatione mũdi reſurrectio mortuorum eſt, ne poſt reſurrectionem in hoc malũ nobis eſſet ſeculum reſcidendum. Ideo enim Chriſtus eſt paſſus, vt nos ex hoc malo ſeculo liberaret, ne iterum nos huius ſeculi tentamenta ſubruerent, & obeſſet renaſci, ſi renaſceremur ad culpam. Et rationem igitur reſurrectionis, & tẽpus tenemus. Rationẽ, quia in omnibus ſibi fœtibus æquè natura reſpondet: nec in ſola hominum ſucceſſione degenerat tempus, quia omnia in anni fine generantur. Mundi tempora, annus vnus eſt. Et quid mirum ſi annus vnus eſt, quãdo dies vna eſt? Vna enim die dominus operarios conduxit ad vineam, dicens: Quid hic ſtatis tota die otioſi? Cauſæ originũ ſemina ſunt. Semen eſſe corpus humanum, gẽtium doctor aſſeruit. Eſt ergo ſubſtantia reſurgendi, quando eſt ſeries ſeminandi. Quod ſi ſub vnde vellet, vel quomodo vellet homines regenerare, qui mundum ex nulla materia, nulla ſubſtantia eſſe iuſſit, & factus eſt? Cœlum aſpice, terram intuere. Vnde ſtellarũ ignes? Vnde orbis ſolis fadius, & globus lunæ? Vnde montium vertices, dura ſaxorum, nemoroſa ſyluarum? Vnde vel diffuſus aer, vel infuſæ vel ſuperfuſæ aquæ? Sed ſi hæc omnia deus fecit ex nihilo, Ipſe enim dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt: cur miremur renaſci poſſe quod fuerit, cum videamus natum eſſe quod non fuit? Illud mirum, quod cum reſurrectionem non credant, tamen ne genus pereat hominum, clementi quadã benignitate proſpiciunt, & ideo tranſire ac demigrare in corpora dicunt animas, ne mundus intereat. Sed quid ſit difficilius, ipſi aſſerant, tranſire animas, an redire: ſua repetere, an noua quærere. Sed illi dubitẽt qui non didicerunt, nos vero qui legimus legem, prophetas, apoſtolos, euangelium, dubitare fas non eſt. Quis enim dubitet cum legit, Et in tempore illo ſaluabitur omnis plebs tua quę ſcripta eſt in libro, & multi dormientium in terræ foſſis vna apertione exurgent, hi in vitam æternã, & hi in opprobrium & in confuſionem perpetuam: & intelligentes ſplendebunt vt ſplendor firmamenti, & ex iuſtis multi ſicut ſtellæ in ſecula? Bene itaque dormientiũ dixit quietem, vt intelligas mortem non eſſe perpetuam, quæ ſomni vice initur ad tempus, & ad tempus excluditur. Meliorémque profectum vitæ eius oſtendit quæ futura poſt mortem eſt, quàm eius quæ ante mortem mœrore ac dolore tranſigitur. Siquidem illa ſtellis comparatur, hæc ærũnæ addicitur. Nam quid illa contexam quæ alio loco ſcripta ſunt, Suſcitabis me, & confitebor tibi? Quid etiam illud quod Iob ſanctus vitæ iſtius expertus iniurias, & aduerſa omnia patientia virtutis exuperans, compenſationem ſibi malorum præſentium de reſurrectione promiſit, dicens: Suſcitabis corpus meum hoc, quod multa mala paſſum eſt? Eſaias quoque reſurrectionem populis annuncians, dominici ſe nuncium dixit eſſe reſponſi. Sic enim habes, Os enim domini locutum eſt, Et dicent die illa. Quid igitur os domini locutum ſit populos eſſe dicturos, in poſterioribus declaratur, vbi ſcriptum eſt: Propter timorẽ tuum in vtero accepimus & parturiuimus ſpiritum ſalutis tuæ, quem effudiſti ſuper terram: cadent qui inhabitant terram, reſurgent qui in monumentis ſunt. Ros enim qui abs te eſt, ſanitas eſt illis: terra vero impiorum peribit. Ambulate populus meus, & intra in receſſus tuos. Abſconde te aliquantulum donec tranſeat ira dei. Quam bene receſſus eſſe ſignauit tumulos mortuorum, quibus pauxillulum abſcondimur, vt in iudicium dei quod pro noſtris ſceleribus ius debitæ indignationis aſſumet, tolerabilius tranſire poſſimus. Viuit igitur qui abſcõditur, & quieſcit quaſi è medio ſe ſubtrahens & recedens, ne eum arctioribus laqueis mundi huius inuoluat ærumna, quibus repoſitam reſurrectionis eſſe lætitiam, ſanitatémque corporum ſolutorum diuino rore reparabilem, cœleſtia oracula propheticis vocibus pollicẽtur. Et bene ros ſignificatur, quo genitalia omnia terrarum ſemina ſuſcitantur. Quid igitur mirum ſi fatiſcentis quoque

Matth.22.

Pſal.148.

Danie.12.

Eſaiæ 26.

A corporis noſtri cineres ac fauillæ pinguedine cœleſtis roris exuberant, & accepto humore vitali in cõpagem ſuam membrorum noſtrorũ habitus reformantur? Dicit etiam ſanctus Ezechiel propheta & plena expoſitione deſcribit quemadmodum arentibus vigor oſſibus refundatur, ſenſus redeat, motus accedat, neruiſque redeuntibus corporis compago rigeſcat humani: quemadmodum nimis arida renatis oſſa viſceribus veſtiantur, venarúmque hiatus & ſanguinis riuulos extentæ cutis velamen obducat. In ipſis, dum legimus, propheticis ſermonibus, humanorum videtur ſeges corporum rediuiua conſurgere, atque ipſa ſpatia diffuſa camporum nouis videas pullulare ſeminibus. Quod ſi veteres ſapientes ſatis Hydræ dentibus in regione Thebana inhorruiſſe armatorum ſegetem crediderunt, cum vtique alterius naturæ ſemina certum ſit in naturã verti alteram nequiuiſſe, nec partum ſuis diſcordem fudiſſe ſeminibus, vt ex ſerpente homines naſcerentur, vt caro ex dentibus gigneretur: quanto magis vtique credẽdum eſt, quæcunque ſunt ſeminata, in ſuam
B naturam reſurgere, nec à ſatione ſua ſegetes diſcrepare, nec duris mollia, nec mollibus dura viuiſcere: nec in ſanguinem venena cõuerti, ſed carnẽ de carne, os de oſſibus, ſanguinem de ſanguine, humorẽ de humore reparari? Poteſtis ergo gentiles reformationẽ negare naturæ, qui mutationem poteſtis aſſerere? Poteſtis non credere oraculis, non euangeliis, non prophetis, qui fabulis inanibus creditis? Sed iam ipſum audiamus prophetã. Sic enim ait: Et facta eſt ſuper me manus Ezech.37.
domini, & eduxit me in ſpiritu dominus, & poſuit me in medio cãpo, & hic erat plenus oſſibus humanis, & circunduxit me per gyrũ eorum, & ecce multa valde in facie campi, arida nimis. Et ait ad me, Fili hominis, ſi viuent oſſa iſta? Et dixi: Domine tu ſcis. Et ait ad me, Sta, & dices illis, Oſſa arida audite verbum domini. Hæc dicit dominus oſſibus iſtis: Ecce ego induco in vos ſpiritum vitæ, & dabo in vos neruos, &
C adducam ſuper vos viſcera, & extendam ſuper vos cutem, & dabo ſpiritũ meum in vos, & viuetis, & ſcietis quod ego ſum dominus. Et prophetaui ſicut mandauit mihi. Et factum eſt cum prophetarẽ hæc omnia, & ecce factus eſt terræmotus magnus. Vide nunc quemadmodum & auditum in oſſibus & motũ prius oſtendat eſſe, quàm vitæ ſpiritus refundatur. Nã & ſupra oſſa arida iubẽtur audire, quaſi ſenſum habeant audiendi, & hic acceſſiſſe eorum vnũquodque ad ſuam compaginem prophetico ſermone ſignatum: Sic enim habes, Et accedebant oſſa vnumquodque ad ſuam compaginem. Et vidi, & ecce ſuper illa nerui & viſcera naſcebantur, & aſcendebat ſuper ea cutis deſuper, & ſpiritus in his non erat. Magna domini gratia quod futuræ reſurrectionis propheta teſtis adhibetur, vt nos quoque ea illius oculis videremus. Neque enim omnes teſtes adhiberi poterãt, ſed in vno omnes teſtes ſumus, quia nec in virum ſanctum cadit mendacium, nec in tantum error prophetã. Nec minus veriſimile debet videri quia iubente deo oſſa in ſuam cõpaginem reformãtur, cum
D vtique innumera habeamus exẽpla quibus natura rerum cœleſtibus eſt obſecuta præceptis, vt terra pabulum gignere iuberetur & gigneret, vt ad virgæ tactum ſitiẽtibus populis petra vomeret aquam, atque æſtu torridis miſeratione diuina vndarent fluenta dura ſaxorum. Virga in ſerpentẽ verſa quid Exod.4.
aliud indicauit, niſi volente deo ex inſenſibilibus ſenſibilia poſſe generari? An vero incredibilius putas quod oſſa cum iubentur accedunt, quàm quod retrorſum fluenta vertũtur, maria fugiunt? Sic enim propheta teſtatur: Mare vidit & fu- Pſal.109.
git, Iordanis cõuerſus eſt retrorſum. Nec ſuper hoc ambigi poteſt quod duorum populorũ alterius ſalute, alterius obitu cõprobatum eſt aquarum curſus ſtetiſſe frænatos, eoſdémq; aliis circũfuſos, aliis ad mortem refuſos, vt alios mergerent, alios reſeruarent. Quid in ipſo euangelio? nõne ibi probauit dominus quod verbo vnda miteſcat, fugentur cœli nubila, cedant flabra ventorum, placidiſque littoribus muta deo famulentur elemẽta? Sed perſequamur cætera, vt quemadmodum ſpiritu vitæ animẽtur defuncti, ſurgant iacentes, ſepulchra reſerẽtur, poſſimus aduertere. Et ait ad me: Prophetiza fili hominis, & dic ſpiritui, Hæc dicit dominus: A quatuor vẽtis cœli veni ſpiritus, & inſuffla in mortuos iſtos, & viuãt. Et prophetaui ſicut mãdauit mihi, & intrauit in eos ſpiritus

vitæ, & vixerunt, & ſteterunt in pedibus ſuis congregatio nimis multa. Et locutus eſt dominus ad me, dicens: Fili hominis, oſſa hæc omnis domus Iſrael eſt. Ipſi enim dicunt, Aridafacta ſunt oſſa noſtra, periit ſpes noſtra, interiuimus. Propterea prophetiza & dic, Hæc dicit dominus: Ecce ego aperiam vobis monumẽta veſtra, & educam vos de monumentis veſtris in terram Iſrael, & ſcietis quod ego ſum dominus, cum aperiam ſepulchra veſtra, & educam de ſepulchris populum meum, & dabo ſpiritum meũ in vobis, & viuetis, & ponam vos ſuper terrã veſtrã, & ſcietis quod ego dominus locutus ſum, & faciã, dicit dominus. Aduertimus quẽadmodum vitalis ſpiritus in artus reſumatur, cognouimus quẽadmodum dehiſcentibus tumulis mortui ſuſcitentur. An vero mirandũ eſt iuſſu domini mortuorũ ſepulchra reſerari, cum tota ſuis terminis vno tonitruo terra quatiatur, mare ſuis ex undet finibus, itémque ſuarum curſus refrænetur vndarum?

1.Cor.15. Denique ille qui crediderit quia in momento oculi, in nouiſſima tuba mortui reſurgent, cum primis rapietur in nubibus obuiã Chriſto in aera. qui non crediderit, relinquetur: & perfidiæ ſuæ ſubdet ſe ipſe ſententiæ. Oſtendit tibi dominus etiam in euãgelio, vt iam ad exempla veniamus, quẽadmodũ reſurgas. Nõ enim vnum Lazarũ, ſed fidem omnium ſuſcitauit. Quod tu ſi credas cũ legis, mens quoque tua quæ mortua fuerat, in illo Lazaro reuiuiſcit. Quid enim ſibi vult

Ioan.11. quod dominus ad monumentum acceſſit, magna voce clamauit, Lazare exi foras: niſi vt futuræ reſurrectionis ſpecimen præſtaret, exemplum ederet? Cur voce clamauit, quaſi ſpiritu non ſoleat operari, quaſi tacitus non ſoleat imperare?

1.Cor.15. Sed vt illud oſtẽderet quod ſcriptum eſt: Quoniã in momento oculi, in nouiſſima tuba & mortui reſurgent incorrupti. Tubarum enim crepitus, vocis metitur elatio. Et clamauit, Lazare exi foras. Cur etiam nomen additur, niſi forte ne alius reſuſcitatus pro alio videretur, aut fortuita magis reſurrectio q̃ imperata? Audiuit ergo defunctus, & exiuit foras de monumẽto, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies eius ſorario colligata erat. Comprehẽde ſi potes quemadmodum clauſis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradum dirigat, inſeparabili greſſu, ſeparabilique progreſſu. Manebant vincula, nec tenebant: tegebantur oculi, ſed videbant. Videbat denique qui reſurgebat, qui ambulabat, qui deferebat ſepulchrum. Virtute enim diuinæ præceptionis operante, natura ſuum non requirebat officium, & tãquam in exceſſu poſita, non iam ſuo ordini, ſed diuino nutui ſeruiebat. Rũpebantur prius mortis quàm ſepulturæ vincula, agebatur prius quàm parabatur inceſſus. Si miraris hęc, diſce qui imperauerit, tum mirari deſines. Ieſus Chriſtus dei virtus, vita, lux, reſurrectio mortuorum, virtus erexit iacentem, vita greſſum extulit, lux fugauit tenebras, reparauit obtutũ, reſurrectio viuendi gratiam reformauit. Forteſſe moueat quod Iudæi lapidem tollunt, Iudæi inſtitas ſoluunt, ne forte & tu ſolicitus ſis qui lapidem de monumento tuo tollant. quaſi vero qui ſpiritum refundere poterat, lapidem mouere non poterat, aut vincula rumpere, qui vinctum fecerat ambulare, aut deoperire faciem qui opertis oculis lumen infuderat, aut findere petram qui poterat reformare naturam. Sed vt vel oculis ſuis crederent, qui credere mente nolebãt, remouent lapidem, vident cadauer, fœtorem ſentiunt, inſtitas rũpunt. Non poſſunt negare defunctum quem aſpiciunt reſurgentem, vident ſigna mortis, & vitæ munera. Quid ſi dum conantur, labore ipſo emendãtur? Quid ſi dum audiunt, vel auribus ſuis credunt? Quid ſi dum intuentur, vel oculis ſuis corriguntur? Quid ſi dum rumpunt vincula, mẽtes ſuas ſoluunt? Quid ſi dum Lazarus exuitur, populus liberatur: dum Lazarũ abire permittunt, ipſi ad dominum reuertuntur? Deniq; multi qui venerant ad Mariam: videntes quæ facta ſunt, crediderunt. Nec hoc ſolum exemplũ edidit dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſed alios quoque reſuſcitauit, vt nos vel exẽplis vberioribus crederemus. Reſuſcitauit adoleſcentem fletu viduæ matris inflexus, quando acceſſit & tetigit loculum, dicens: Adoleſcens, tibi dico ſurge. & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Statim vt audiuit, ſtatim reſedit, ſtatim locutus eſt. Alia

Lucæ 6. enim virtutis gratia, alius ordo naturæ. Nam quid de archiſy

Matt.9. nagogæ filia loquar, in cuius obitu flebant turbæ, tibicines

perſonabant? Etenim ad finem mortis pompa funeris exhibetur. Quam cito ad vocem domini cõuertitur ſpiritus, redi uiuum corpus erigitur, cibus ſumitur, vt vitæ teſtimonium crederetur? Et quid miremur ad vocem dei refundi animã, redire oſſibus viſcera, cum meminerimus prophetici tactu corporis mortuum ſuſcitatum? Helias orauit, & defunctum ſuſcitauit infantem: Petrus in nomine Chriſti Thabitam ſurgere atque ambulare præcepit: & redditã ſibi pauperes gratulati crediderunt pro alimẽtis, & nos adhuc pro ſalute non credimus? Illi reſurrectionem alienam ſuis lachrymis redemerũt, nos noſtram nec Chriſti redimimus paſſione, qui cũ emitteret ſpiritum, vt oſtenderet pro noſtra reſurrectione ſe mortuum, ſeriem ipſam reſurrectionis exercuit. Simul enim vt clamans iterum voce magna emiſit ſpiritum, terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum dormientium reſurrexerunt, & exeuntes de monumento poſt reſurrectionem eius venerũt in ſanB ctam ciuitatem, & multis apparuerũt. Si hæc lecta ſunt cum emitteret ſpiritum, cur incredibilia putamus cum redire cœperit ad iudicium, præſertim cum hæc reſurrectio documentum illius reſurrectionis, & futuræ veritatis ſit exemplum? Minus autem exemplũ eſt quàm veritas. Quis igitur in domini paſſione monumenta aperuit, manum reſurgentibus dedit, viam qua ciuitatem ſanctam peterẽt demonſtrauit? Si nemo fuit, fuit itaque vis diuina quæ operaretur in corpo ribus mortuorũ. Hominis tu quæris auxilium, vbi opus dei cernis? Non egent humanis diuina myſteria. Cœlum deus fieri iuſſit, & factum eſt. Terram creari ſtatuit, & creata eſt. Quis humeris ſaxa conuexit? quis congeſſit impenſas? quis laboranti deo ſuam operam miniſtrauit? In momento hæc facta ſunt. Vis ſcire quàm breui? Dixit, & facta ſunt. Si dicto elementa conſurgunt, cur dicto mortui non reſurgant? Quicet mortui ſint, tamen aliquando vixerunt, habuerunt ſpiritum ſentiendi, habuerunt vires agendi. plurimúmque refert, capax animi non fuiſſe, & exanimum remanſiſſe. DiaC bolus dixit: Dic lapidi huic vt fiat panis. Confitetur iubente deo conuerti poſſe naturam: tu non credis iubente deo reformari poſſe naturam? De ſoliis curſu cœlique ratione philoſophi diſputant, & ſunt qui putant his eſſe credendum, cum quid loquantur ignorent. Neque enim cœlum aſcenderunt, axem dimenſi, mundum oculis perſcrutati ſunt, quia nullus eorum cum deo in principio fuit, nullus eorum de deo dixit, Cum pararet cœlum, cum ipſo eram, & eram cum eo componens, ego eram cui aggaudebat. Si ergo illis creditur, non creditur deo qui ait: Quemadmodum cœlum nouum, & terra noua quę ego facio manere coram me, ſic ſtabit nomen veſtrum & ſemen veſtrum, & erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato, & veniet omnis caro in conſpectu meo, vt adorent in Hieruſalem dixit dominus deus, & exibunt, & videbunt membra hominum qui præuaricati ſunt in me. Nam vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt in aſpectum vniuerſæ carnis. Si terra renouatur & cœlum, cur dubitemus hominem poſſe renouari, propter quem terra facta & cœlum eſt? Si præuaricator ſeruatur ad pœnam, cur iuſtus

D non perpetuatur ad gloriam? Si vermis non moritur peccatorum, quemadmodum interibit caro iuſtorum? Hæc eſt enim reſurrectio, ſicut verbi ipſius ſono exprimitur, vt quod cecidit, hoc reſurgat: quod mortuum fuerit, reuiuiſcat. Et hæc eſt ſeries & cauſſa iuſtitiæ, vt quoniam corporis animíque communis eſt actus, quæ animus cogitauit, corpus efficit: vtrunque in iudicium veniat, vtrunque aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reſeruetur. Nam propemodum abſurdum videtur, vt cum animi legem lex carnis impugnet, & mens plerunque quod odit hoc faciat, quando inhabitans in homine peccatum carnis operatur: animus ſubdatur iniuriæ, alienæ reus culpæ: caro quiete potiatur author ærumnæ: & ſolus atteratur qui non ſolus errauit: aut ſolus gloriam referat, qui non ſolus glorię militauit. Plena, ni fallor, & iuſta ratio. Sed ego rationem à Chriſto non exigo. Si ratione conuincor, fidem abnuo. Credidit Abraham deo, & nos credamus: vt qui ſumus generis, etiam fidei ſimus hęredes. Credidit & Dauid, propter quod locutus eſt: & nos credamus, vt poſſimus

simus loqui,scientes quoniam qui suscitauit dominũ Iesum Christum,& nos cũ Iesu suscitabit. Hoc enim promisit qui nunquã mentitur deus. Hoc promisit veritas in Euangelio suo dicens,Hæc est autẽ volũtas eius qui misit me,vt omne quod dedit mihi, non perdã ex eo,sed resuscitẽ illud in nouissimo die. Nec satis putauit semel dixisse,sed etiam repetiit, expressione firmauit. Sic enim sequitur, Hæc est enim volũtas patris mei qui misit me,vt omnis qui videt filium,& credit in eum,habeat vitam æternam,& resuscitabo eum in nouissimo die. Quis hoc dicit? Vtique is qui mortuus plurima defunctorũ corpora suscitauit. Si deo non credimus:nec exemplo credimus. Non credimus quod promisit, quando etiã quod non promisit effecit? Ipse autẽ quam caussam moriendi habuisset,nisi habuisset caussam resurgendi? Et enim quoniam dei mori non poterat sapientia,resurgere autẽ non poterat quod mortuum non erat: assumitur caro quæ mori posset, vt dum moritur quod solet:quod mortuum fuerat, hoc resurgeret. Neque enim poterat esse nisi par hominem resurrectio:quoniã sicut per hominẽ mors,ita per hominem resurrectio mortuorum. Ergo resurrexit homo,quoniã homo mortuus,& resuscitatus homo,sed resuscitãs deus: tunc secũdum carnem homo,nunc per omnia deus. Nunc enim secundum carnem iam non nouimus Christum,sed carnem per gratiam tenemus,vt ipsum primitias quiescentium, ipsum primogenitum ex mortuis nouerimus. Primitiæ vtique eiusdem sunt generis atque naturæ,cuius & reliqui fructus, quorum pro lætiore prouentu primitiua deo munera deferuntur,sacrum munus pro omnibus,& quasi reparatæ quædam liba naturæ. Primitiæ ergo quiescentium Christus. Sed vtrum suorum quiescentium,qui quasi mortis exortes dulci quodam sopore tenentur,an omniũ mortuorum? Sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. Itaque sicut primitiæ mortis in Adam,ita etiam primitiæ resurrectionis in Christo omnes resurgũt. Sed nemo desperet, neque iustus doleat commune consortium resurgendi, cum præcipuum fructum virtutis expectet. Omnes quidem resurgent, sed vnusquisque,vt ait Apostolus,in suo ordine. Communis est diuinæ fructus clementiæ,sed distinctus ordo meritorum. Dies omnibus lucet, sol omnes populos fouet, pluuia possessiones omnium vberiore imbre fœcũdat. Omnes nascimur,omnes resurgemus, sed in vtroque vel viuendi, vel reuiuiscendi gratia dispar diuersaque conditio. In momento enim,in ictu oculi,in nouissima tuba & mortui resurgent incorrupti,& nos immutabimur. Quin etiam in ipsa morte quiescunt alij,viuunt alij. Bona quies, sed vita melior. Denique Paulus ad vitam excitat quiescentem,dicens:Surge qui dormis,& exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Ergo hic excitatur vt viuat, vt similis Pauli sit,vt possit dicere,Quia nos qui viuimus,non præueniemus eos qui dormierunt. Non enim communem hunc viuendi loquitur vsum,spirandique commercium, sed meritum resurgendi. Nam cum dixisset:Et mortui qui in Christo sunt,resurgent primi:subiecit deinde,Et nos qui viuimus,simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera. Vtique mortuus est Paulus, & passione venerabili vitã corporis cum immortali gloria commutauit. Num fefellit ergo qui se viuentem scripsit in nubibus obuiam Christo esse rapiendum? Hoc enim de Enoch legimus aut Helia, sed & tu rapieris in spiritu. Ecce currus Heliæ: ecce ignes etsi non videntur,parantur vt iustus ascendat,innocens transferatur, & tua vita mori nescit. Denique Apostoli mori nescierunt, Vnde dictum est: Amen,amen dico vobis, multi ex his adstantibus non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo. Viuit enim qui non habet quod moriatur in eo, qui non habet ex Ægypto calciamentum aliquod vt vinculum,sed exuit illud priusquam corporis huius deponat officium. Non solus itaque Enoch viuit, quia non solus est: rapietur & Paulus obuiam Christo. Viuunt etiam Patriarchæ,neque enim aliter deus Abrahã,deus Isaac,& deus Iacob,nisi mortui viuerent,diceretur. Deus enim mortuorum non est,sed viuentium. Viuemus & nos, si gesta moresque maiorum voluerimus imitari. Miramur patriarcharum præmia,imitemur obsequia, prædicemus gratiam. Non escis inducti, seculi laqueos incidamus, arripiamus opportunitatem temporis,præscriptum legis, clementiam vocationis,desiderium passionis. Exierunt de terra sua Patriarchæ,& nos exeamus,proposito de corporis potestate nos exeamus,illi exilio:sed exilium non putarunt quod deuotio obiret,non necessitas imperaret. Illi terram solo mutarunt,nos cœlo terram mutemus. Illi habitatione, nos spiritu. Illis illuminatum stellis cœlum ostenderit,sapientia nostri cordis oculos illuminet. Sic typus veritati,& veritas concurrit typo. Abraham paratus hospitibus,fidelis deo, impiger ministerio, promptus officio, trinitatem in typo vidit, hospitalitatem religione cumulauit, tres suscipiens, vnum adorans,& personarum distinctione seruata, vnum tamen dominum nominabat, tribus honorificentiam muneris deferens, & vnam significant potestatem. Loquebatur enim in eo non doctrina, sed gratia: & melius credebat ille quod non didicerat,quàm nos qui discimus. Nemo enim typum falsauerat veritatis,& ideo tres vidit, sed vnitatẽ veneratur. Tres mensuras similaginis promit,vnum immolat vitulum, satis credens vnum esse sacrificium, trium munus: vna hostia,trium gratia. Nam in quatuor regibus quis non intelligat quod materialis elementa naturæ præfigurato dominicæ passionis indicio,& omnia sibi mundana subiecerit,fidelis in bello,abstinens in triumpho,qui donis non hominum diteſcere,sed dei mallet. Generare se posse filium senex credidit, immolare posse se filium pater iudicauit: nec patrius trepidauit affectus, cum senis dexteram pietas adiuuaret. Sciebat enim acceptiorem deo filium immolatũ esse quàm sanum. Ergo adducit ad sacrificium filium dilectissimum:& quem sero susceperat,cito obtulit:nec paterni nominis appellatione reuocatur, cum ille patrem vocaret, hic filium. Chara quidem nominum pignora,sed amabiliora præcepta. Itaque licet compaterentur corda, vota durabant. Distrinxit super filium gladium paterna manu, & patrio percussit affectu. Ne periret pœna trepidauit,ne ictus erraret,dextera deficeret,sensit pietatis affectum,sed non omisit deuotionis negocium,& properabat obsequium etiam cum audiret oraculum. Vnde nos quoque deum omnibus quos diligimus præferamus,patri,matri,fratribus,vt possit nos seruare dilectos,sicut in Abraham vberiorem remuneratorẽ quàm ministrum videmus. Obtulit quidẽ filium pater, sed deus non sanguine sed pietate placatur. Ouem pro homine demonstrauit in ligno,vt & filium patri redderet,nec periret hostia sacerdoti. Itaque nec Abraham parricidio cruentatus: nec deus sacrificio defraudatus est. Vidit propheta, nec affectauit iactantiam, nec tenuit pertinaciam, ouem pro homine mutauit: quo magis ostenditur quàm religiose obtulerit, quem tam libenter receperit. Et tu si deo munus tuum offeras,non amittes. Sed auari sumus,deus vnicum filium morti pro nobis obtulit,nos nostros negamus. Vidit hoc Abrahã, & agnouit mysterium,salutem nobis in ligno futuram: nec latuit in vno eodémque sacrificio aliud esse quod videretur offerri,aliud quod posset occidi. Imitemur ergo Abrahæ deuotionem, imitemur Isaac bonitatem, imitemur castimoniam. Bonus plane & pudicus vir,deuotus deo,castus vxori, qui iniuriam non reddidit,excludentibus cessit, pœnitentes eosdem recepit,nec proteruus contumaciæ, nec durus gratiæ,litium fugitans cum recederet,facilis veniæ cum reciperet,profusior bonitate cũ ignosceret, petebat societatis consortium,adiunxit conuiuium voluptatis. Imitemur etiam in Iacob typũ Christi, sit eius in nobis aliqua similitudo factorum,erimus consortes si fuerimus imitatores. Matri obediuit,fratri cessit,socero seruiuit, mercedem de lucris non de gregis diuisione quæsiuit. Non auara diuisio, vbi lucratiua portio. Nec illa ociosa significatio, scala de cœlo, quod per crucem Christi angelorum atque hominum futura consortia viderentur:cui obstupefactum esset femur, vt in femore suo agnosceret generationis hæredem, & obstupefactio femoris:passionẽ prophetaret hęredis. Videmus igitur cœlum patere virtuti:nec hoc esse paucorum. Multi enim veniẽt ab oriente,& ab occidente,& aquilone,& austro, & recũbent in regno dei, delectationem perpetuæ quietis sepultis animorũ motibus exprimentes. Sequamur Abraham moribus,

Ioan. 6.
1. Cor. 15.
2. Corin. 5.
1. Cor. 15.
Ephe. 5.
1. Thess. 4.
Gene. 5.
4. Reg. 2.
Matth. 16.
Luce 10.
Genes. 18.
Gene. 22.
Gene. 28.
Matth. 8.

vt nos eripiat in gremium ſuum,& tanquam Lazarũ ſuæ humanitatis hæredem propriis circunfuſum virtutibus pio foueat amplexu.Nõ enim nos in gremio corporali,ſed in quodam bonorum factorum amictu ſancti patriarchæ probata deo ſucceſſio fouet.Nolite,inquit, ſeduci, deus non irridetur. Gala.6. Aduertimus quàm graue ſit ſacrilegium reſurrectionem 1.Cor.15. non credere.Si enim non reſurgemus, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt,ergo Chriſtus nõ reſurrexit.Si enim nobis non reſurrexit,vtique non reſurrexit, qui ſibi cur reſurgeret, rationem non habebat.Reſurrexit in eo mũdus, reſurrexit in Apoc.21. eo cœlũ,reſurrexit in eo terra.Erit enim cœlũ nouum,& terra noua.Sibi autẽ non erat neceſſaria reſurrectio, quẽ mortis vincula non tenebant.Nam etſi ſecũdum hominem mortuus,in ipſis tamen erat liber infernis. Vis ſcire q̃ liber? Fa- Pſalm.87. ctus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber. Et bene liber,qui ſe poterat ſuſcitare,iuxta quod ſcriptum eſt: Soluite hoc templum,& in triduo reſuſcitabo illud. Et bene liber,qui alios deſcendebat redẽpturus.Factus eſt autem Ioan.2. ſicut homo,non ſpecie vtique,ſed veritate formatus,quia & Philipp.2. homo eſt,& quis cognoſcet eum? Etenim ſimilitudine hominum factus,& ſpecie inuẽtus vt homo,humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem,vt per illam.ſ.obe- Ioan.1. dientiam eius gloriã videremus,gloriam quaſi vnigeniti ſecundũ ſanctum Ioannem.Ita enim ſcripturę figura ſeruatur, vt & vnigeniti gloria,& perfecti hominis natura ſeruetur in Chriſto.Itaque adiutore non eguit.Neque enim eguit cum faceret mundum,vt egeret cum redimeret:non legatus,non Pſalm.32. nuncius,ſed ipſe dominus ſaluũ fecit eum.Ipſe dixit,& facta ſunt.ipſe dominus ſaluum fecit eum : vbique ipſe, quia per ipſum omnia.Quis autem adiuuaret eum in quo creata ſunt 1.Cor.15. omnia,& omnia in ipſo conſtant. Quis adiuuaret eum qui omnia in momẽto facit,& in nouiſſima tuba mortuos ſuſcitat?Non quia prima aut ſecunda non poſſit aut tertia,ſed ordo ſeruatur,non quo difficultas ſero vincenda,ſed legitimus numerus explicandus ſit. Tempus autem arbitror de tubarum ſpecie dicere,quoniam ſermo propinquat ad finem, vt noſtri quoq; conſummandi eloquij tuba ſignum ſit.Septem tubas legimus in Apocalypſi Ioannis,quas ſeptem ſumpſere angeli, vbi habes quoniã ſeptimus angelus tuba cecinit, & facta eſt vox magna de cœlo,dicens: Factum eſt regnum huius mundi dei & Chriſti eius, & regnabit in ſecula ſeculo Apocal.4. rum.Tuba quidem & pro voce accipitur,quia habes: Quoniam ecce oſtium apertum in cœlo , & vox prima quam audiui,ſicut tubæ loquentis mecum,& dicentis:Aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri. Legimus etiam: Canite Pſalm.150. initio menſis tuba.Sed etiã alibi:Laudate eum in ſono tubę. Ergo quid ſibi vult tubarum ſignificatio,omni virtute debemus aduertere,ne quaſi fabulam aniliter accipientes pericli temur,ſi indigna dogmate ſpiritali,nec conueniẽtia ſcriptu- Ephe.6. rarum eminentiæ ſentiamus.Nam cum legimus bellum nobis eſſe non aduerſus carnem & ſanguinem , ſed aduerſus ſpiritalia nequitiæ quæ ſunt in cœleſtibus: non carnalia vtique arma,ſed fortia deo æſtimare debemus.Non enim ſatis eſt tubam videre,nec ſonum eius audire, niſi proprietatem ſonitus intelligas.Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum?Vnde oportet vocis tubæ nos ſcire virtutem,ne videamur barbari cum tubas huiuſmodi aut audimus aut loquimur.Et ideo cum loquimur,oremus vt eas nobis ſpirituſſanctus interpretetur.Requiramus igitur in ſcripturis veteribus quid de tubarum genere legerimus , ſcientes eas ſolennitates quæ Iudæis lege præſcriptæ ſunt,ſuperiorum eſſe vmbram celebritatũ, cœleſtiúmque feſtorum. Hic enim vmbra,illic veritas.Per vmbram ad veritatem peruenire nitamur.Cuius figura etiã alibi expreſſa eſt. Habes enim Leui.23. quia locutus eſt dominus ad Moyſen : Loquere filiis Iſrael, dicens:Menſe ſeptimo,vna menſis erit vobis requies in me- Nume.10. moriale tubarum vocata,ſancta erit vobis.Omne opus ſerui le non facietis,accendetis holocauſtum domino.In Numeris autem locutus eſt dominus ad Moyſen , dicens: Fac tibi duas tubas ductiles,argenteas facies eas,& erunt tibi ad euocandam ſynagogam,& promouenda caſtra,& tuba canes in illis, & colligetur omnis turba ad oſtium tabernaculi teſtimonij.Si autem in vna tuba cecineris, ad te venient omnes principes & duces Iſrael:& tuba canetis ſignificationem primam,& promouebunt caſtra,& conſtituentur ad Orientẽ. Et tuba canetis ſignificationem ſecundam, & promouebũt caſtra,& conſtituentur ad Liba. Et tuba canetis ſignificationem tertiam,& promouebunt caſtra,quæ conſtituentur ad Boream.Et tuba canetis ſignificationẽ quartam, & promouebunt caſtra quæ conſtituentur ad Aquilonem. Significationem tuba canent in promotu eorum,& congregabitis ſynagogam.Tuba canite & non ſignificatione , & filij Aaron ſacerdotes tubis canent,& erit vobis legitimũ ſempiternum in progenies veſtras . Si autem exieritis in bellum in terram veſtrã:aduerſarios qui reſiſtunt vobis,ſignabitis tubis,& reminiſcemini coram deo , & liberationẽ habebitis à mortuis veſtris.Et in diebus lætitiæ veſtræ,& in diebus feſtis veſtris, & in neomeniis veſtris concinite tubis,& in holocauſtis & ſacrificiis ſalutaribus veſtris , & erit vobis in commemoratione veſtra coram domino, ait dominus . Quid igitur dies feſtos in potu & in epulis æſtimabimus ? Sed nemo nos in manducãdo diiudicet.Nouimus enim quia lex ſpiritalis eſt. Roma.7. Nemo ergo nos iudicet in eſcis aliquibus,aut in potu,aut in parte diei feſti,aut neomeniis, aut ſabbato, quæ ſunt vmbra futurorum,corpus autem Chriſti.Corpus itaque Chriſti requiramus,quod nobis quaſi nouiſſima tuba vox de cœlo paterna monſtrauit,tunc cum dicebant Iudæi quia tonitruum Ioan.12. factum eſt illi.Corpus Chriſti quod iterum tuba nobis no- 1.Theſ.4. uiſſima reuelabit,quoniam ipſe dominus in iuſſu archange- Matt.24. li,& in tuba domini deſcẽdet de cœlo,& mortui qui in Chri Luce 17. ſto ſunt reſurgent.Vbi enim corpus,illic aquilæ,vbi Chriſti corpus, ibi veritas . Septima igitur tuba hebdomadis requiẽ videtur ſignificare,quæ non ſolum in diebus & annis & periodis æſtimatur(vnde & iubileus ſacratus eſt numerus)ſed etiam annum ſeptuageſimum comprehendit , quando in Hieruſalem regreſſus eſt populus , qui ſeptuaginta annis in captiuitate durauit. in centeſimis quoque etiam & in mil- 3.Reg.18. leſimis ſacri obſeruatio minime præteritur. Neque enim ocioſe dixit: Reliqui mihi ſeptem milia virorum qui non flexerunt genua Baal . Ergo vmbra futuræ quietis in diebus, menſibus, annis , mundi ipſius tempore figuratur : & ideo per Moyſen mandatur filiis Iſrael, vt ſeptimo menſe vna Leuit.23. menſis ſingulis fiat requies in memoriale tubarum, nec ſeruile aliquod opus,ſed deo ſacrificium offeratur, eò quód in ipſo fine hebdomadis quaſi mundi ſabbato ſpiritalia à nobis non carnalia opera flagitentur. Quod enim carnale,ſeruile:quia animo caro ſeruit,liberum innocentia facit, culpa vernaculum . Oportuit igitur per ſpeculum & in ænigmate 1.Cor.13. fieri ſpiritalia . Nunc enim per ſpeculum videmus , tunc facie ad faciem.Nunc ſecundum carnem militamus,tunc ſpiritu videbimus diuina myſteria.Et ideo veræ legis character in noſtris moribus exprimatur,qui in dei ambulamus imagine,quoniam iam legis vmbra tranſiuit,vmbra Iudæis carnalibus, imago nobis, veritas reſurrecturis . Tria enim hæc ſecundum legem eſſe cognouimus,vmbram,imaginem,veritatem. Vmbram in lege , imaginem in Euangelio , veritatem in iudicio.Sed Chriſti omnia, & in Chriſto omnia, quẽ nunc ſecundum veritatem videre non poſſumus, ſed videmus quaſi in quadam imagine, futurorum vmbram in lege perſpeximus.Ergo Chriſtus non vmbra, ſed imago dei,non vacua imago , ſed veritas. Et ideo per Moyſen lex:quia vmbra per hominem, figura per legem, per Ieſum veritas . Neque enim veritas aliunde,niſi per veritatem procederet . Siquis ergo hanc imaginem dei videre deſiderat , debet diligere deum,vt diligatur à deo,& ſit iam non ſeruus,ſed amicus,qui mandata dei fecerit,vt poſſit introire in nubem,vbi eſt deus . Ipſe faciet ſibi rationabiles tubas duas ductiles argento probato , hoc eſt precioſo verbo compoſitas & ornatas , quibus non raucum increpans terribili ſonitu murmur interſtrepat , ſed ſublimes gratiæ deo continua iubilatione fundantur . Talium enim tubarum ſonitu mortui ſuſcitantur, non crepitu vtique aeris, *. ſed verbo veritatis animati. *alias aeris Et fortaſſe duæ iſtæ tubæ ſunt , per quas diuino ſpiritu Pau- 1.Cor.14. lus increpuit, dicens: Orabo ſpiritu , orabo & mente : pſallam ſpiritu,pſallam & mente.Altera enim ſine altera nequaquam videtur vocationẽ habere perfectam . Nec tamen omnium

483

mnium est vtraque canere tuba, nec est omnium vniuersam colligere synagogam, sed solis sacerdotibus & ministris dei canentibus ista prærogatiua defertur, vt quicunque audierit & secutus eò fuerit vbi est dei gloria, & ad tabernaculum testimonij præmatura intentione conuenerit, opera possit spectare diuina, & legitimum illud æternúmque domicilium in suæ posteritatis seriem promereri. Tunc enim bellum conficitur, hostis fugatur, quando spiritus gratia concinit, & mentis industria, Sunt & illæ salutares tubæ, si corde credas, & ore confitearis. corde enim creditur ad iustiRom.10. tiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hac igitur gemina tuba ad illam sanctã terram, resurrectionis scilicet gratiam peruenitur: & ideo semper tibi concinat, vt semper audias dei voces: semper te angelorum prophetarúmque oracula excitent atque commoueant, vt ad superiora festines in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum dei, in voce exultationis & confessionis sonitus epulantis. Non enim soli hostes harum tubarum sonitu vincuntur, sed & delectationes: & dies festi, & neomeniæ sine his esse non possunt. Nemo enim potest nisi diuini hauriat promissa sermonis, & resultantibus credat oraculis, exultare dies festos lætitia, aut neomenias agere, quibus se corporali gratia & seculari occupatione vacuatum, Christi repleri luce desideret. Sacrificia quoque ipsa deo probata esse non possunt, nisi confessio vocis aspiret, quæ sacerdotali oblatione ad obsecrandam dei gratiam populos excitare consuecuit. Itaque simus prædicatores domini, & laudemus eum in voce tubæ, non exigua de virtute eius & vilia sentientes, sed ea quæ possint aurem mentis implere, & intimæ conscientiæ penetrare secretum, & ea quæ corpori conueniant, diuinitati non putemus aptanda. Nec diuinæ magnitudinem potestatis humanis viribus metiamur, vt quæramus quomodo quis resurgat, aut quali corpore veniat, aut quemadmodum soluta coeant, lapsa reparentur. Hæc enim arbitrio dei simul vt statuuntur implentur, nec sensibilis tubarum expectatur auditus, sed inuisibilis potentia magnificentiæ cœlestis operatur. Deo enim velle pro facto est, nec resurrectionis requirendus nisus, sed fructus nobis est expetendus. Quæ procliue celebrabitur, si exinaniti vitiis plenitudinem spiritalis mysterij consequamur gratiamque renouatam caro sumat à spiritu, & fulgorem lucis æternæ anima mereatur à Christo. Sed non solum singulorum, verum etiam vniuersitatis ista mysteria sunt. Aduerte enim iuxta typum legis ordinem gratiæ. Cum tuba prima cecinerit, orientales congregat quasi præcipuos & electos. Cum secunda, suppares meritis qui secundum Libanum siti dereliquerint ludibria nationũ. Cum tertia, eos qui tãquam in mari exagitati istius flatu mundi seculi huius fluctibus vacilllarint. Cum quarta, illos qui dura mentium nequaquam satis potuerint eloquij spiritualis mollire præcepto, & ideo secundum Boream vocati sunt. Boreas enim secundum Salomonẽ durus est ventus. Itaque licet in momento resuscitẽtur omnes, omnes tamen meritorum ordine suscitantur. Et ideo primi resurgẽt, qui maturo deuotionis occursu, & quodam antelucano fidei exortu prodeuntis solis æterni radios receperunt. Quod vel de patriarchis iuxta veteris seriem testamẽti, vel de Apostolis iuxta euangelium iure memorauerim. Secundi autem qui ritum gentium relinquentes, ab errore sacrilego transierunt in ecclesiæ disciplinam. Et ideo illi primi ex patribus, isti secundi ex gentibus. Ab illis enim lux fidei cœpit, in istis vsque ad mundi occasum suscepta durauit. Tertij suscitantur, & qui ab Austro, & qui ab Aquilone sunt. His quatuor terra distinguitur, his quatuor annus includitur, his quatuor ecclesia congregatur. Omnes enim qui sacrosanctæ ecclesiæ copulati, diuini nominis appellatione censentur, prærogatiuam resurrectionis, & delectationis æternæ gratiam cõsequentur: quoniam venient ab oriente & occidente, & ab aquilone & austro, & recumbent in regno dei. Non enim exigua mundum suum Christus luce complectitur: quando quidem à summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius. Omnes enim benignus illustrat, nec refutare leuem, sed emendare vult: nec excludere durum ecclesia, sed mollire desiderat. Et ideo eos in Canticis canticorum ecclesia, in euangelio Christus inuitat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. tollite iugum meum super vos, & discite quia mitis sum, & humilis corde. Ecclesiæ quoque vocem inuitantis agnosce. Dicit enim: Exurge aquilo, & veni auster, perfla ortum meum, & defluant vnguenta mea. Descendat frater meus in ortum suum, & edat fructum pomiferarum suarum. Sciens enim iam tunc etiam ortum tibi fore opera fructuosa, Christo tuo fructum de talibus pollicebare, quæ primo te in cubiculum dixisti regis introductam, diligens vbera super vinum, cum diligentem amares, lactantem quæreres, pericula pro religione contemneres, deinde à Libano sponsa rogaris vt venias, iudicio domini adhuc tota formosa, tota irreprehẽsibilis. Sic enim scriptum est: Tota es formosa proxima mea, & reprehẽsio non est in te. ades huc à Libano. Postea ipsa iam nullos aquæ lapsus, iam nullos impetus descendentes à Libano pertimescẽs, Aquilonẽ & Austrum aduocas, perflari cupiẽs ortum tuum, vt in aliis vnguenta tua defluant, in aliis multiplices fœcunditatis tuæ fructus offeras Christo. Et ideo beatus qui custodit verba prophetiæ huius quæ nobis resurrectionem euidentioribus testimoniis reuelauit, dicens: Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes ante sedem, & libros aperuerũt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui de scriptis in libris secundum facta sua, & dedit mare mortuos qui in ipso erant, & inferi dederunt mortuos qui penes se erant. Ne ergo dubites quemadmodum resurgant quos inferi reuomunt, mare reddit. Accipe etiam quando promittatur gratia futura iustorum. Et audiui, inquit, vocem magnam de cœlo dicentem: Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habitabit cum illis, & ipsi populus eius erunt, & ipse deus cum illis erit illorum deus, & delebit omnem lachrymam de oculis eorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor vltra erit. Compara nunc si placeat atque contende vitam hanc cum illa vita. Elige si potes perpetuam corporis vitam in labore ærumnáque miserabili tantarum commutationum, votorúmque tædio, fastidio voluptatum. Nonne si deus ista perpetuare velit, illa diligeres? Nam si per se ipsa vita fugienda est, vt sit molestiarum fuga, requies ærumnarum: quanto magis ea requies est expetenda, cui futurę resurrectionis voluptas perpetua succedet, vbi nulla criminum series, nulla illecebra delictorum? Quis in dolore tam patiens, qui non mortẽ oret? Quis in infirmitate tam constãs, vt non optet mori se potius quàm debilem viuere? Quis in mœrore tam fortis, vt nõ desideret eo se vel moriendo defungi? Quod si ipsi nobis dum viuimus displicemus, cum viuendi finem præstitũ esse nouerimus: quanto amplius vitæ nos tæderet istius si sine fine futuros nobis labores huius corporis cerneremus? Quis est igitur qui se velit mortis exortem? Aut quid grauius immortalitate miserabili? Si in hac vita, inquit, in Christo tantum sperãtes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus: nõ quo in Christo sperare sit miserum, sed quia Christus sperantibus in se, vitam alteram præparauerit. Hæc enim peccato obnoxia est, illa præmio reseruata. Ipsos cursus breues nostrarum ætatum quantum videmus nobis afferre fastidium? Puer adolescentiam desiderat, adolescens annos sibi maioris metitur ætatis, iuuenis beneficio æui florentis ingratus, senilem honorificentiam concupiscit. ita omnibus ex natura venit velle mutari, contra sectas philosophorum, qui vel animam solam durare dicant post corporis mortem, vel μεταψύχωσιν credant, quia eius nos quod sumus, pœnitet. Denique etiam ipsa postremum vota fastidio sunt: & quæ mereri optauimus, cum meruerimus, abdicamus. Vnde non immerito etiam sancti viri prolongatum incolatum suum sæpe doluerunt. Doluit Dauid, doluit Hieremias, doluit Helias. Si sapientibus creditur: & hi in quibus diuinus spiritus loquebatur, ad meliora properabant. Si reliquorum iudicia scisciteamur, vt omnes in vnam conueniant sententiam, quanti mortem mœrori, quanti mortem formidini prætulerunt, iudicantes videlicet grauiorem metum mœroris esse quàm mortem. adeo suis malis mors non timetur, sed vitæ miseriis antefertur, cum experitur morientis exitus, & euitatur formi-

Matt.11.

Cantic.4.

Apoc.20.

Apoc.21.

1.Cor.15.

Luc.13.

Psal.18.

do viuẽtis. Sed esto, huic vitæ resurrectio præferatur. Quid? philosophi ipsi genus post mortem aliquod repererunt, quo nos vti magis quàm resurgere delectabit? Et illi quidem qui dicunt animas immortales esse, non satis mulcere me possunt cum pro parte me redimunt. Nam quæ potest esse gratia, vbi non totus euasi? Quæ vita si in me opus dei occidat? Quæ iustitia, si naturæ finis mors sit, errãti & iusto vitæ communis? Quæ veritas, vt quia ipsa se moueat, & semper moueatur anima, immortalis esse credatur, quod nobis in corpore commune cum bestiis: ante corpus quid geratur incertum, nec ex contrariis colligatur veritas, sed destruatur? An vero illorum sententia placet qui nostras animas, vbi ex hoc corpore emigrauerint, in corpora ferarum variarúmque animantium transire commemorant? At certe hæc Circeis medicamentorum illecebris composita esse ludibria pœnarum ipsi philosophi differere solẽt, nec tam illos qui perpessi ista simulentur, quàm sensus eorum qui ista cõfinxerint, velut Circeos populos ferunt in varia bestiarum monstra conuersos? Quid enim tam simile prodigij quàm homines credere in habitum ferarum posse mutari? Quanto maioris est prodigij gubernatricem hominis animam, aduersam humano generi bestiarum suscipere naturam, capacémque rationis ad irrationabile animal posse trãsire, quàm corporis effigies esse mutatas? Vos ipsi hæc destruitis qui docetis. Nam magicis incantata carminibus portento huius conuersionis genera tradidistis. Ludunt hæc poetæ, reprehendunt philosophi, & quæ putant ficta de viuentibus, hæc arbitrantur vera de mortuis. Illi autem qui ista finxerunt, non suam probare fabulam, sed philosophorum errores irridere voluerunt, qui putãt quod illa anima quæ miti humilique proposito iracundiam vincere, patientiam assumere, cruore abstinere consueuerat, eadem frequenti motu leonis incensa, iræ impatiens, effræna rabie, sitire sanguinem, cædémque possit expetere. Et illa quæ populorum fremitus varios regali quodam consilio temperabat, & rationabili voce mulcebat, eadem se inter deuia atque deserta ritu luporum patiatur vlulare. Aut quæ iniusto sub onere gemens duros aratri labores quæstu miserabili mugiebat, eadem postea in figurã hominis commutata, leui cornu quærat in fronte. Vel illa quam præpetes prius pennæ vsque ad alta cœli per sublime aeris alarum remigiis euehebãt, eadem postea volatus iam non suos requirat, & se humani doleat corporis grauitate pigrescere. Hinc fortasse & illum Icarũ perdidistis, quod persuasionibus vestris inductus adolescens, prius autem se fuisse fortasse credi derat. Hinc etiam senes plerique decepti sunt, vt graui immorentur dolori, cygneis male creduli fabulis, dum putant modulis se mulcendo flebilibus, albentem molli pluma mutare caniciẽ. Hæc quàm incredibilia, quàm deformia? Quanto illud est conuenientius, vt credas secundum naturam, credas secundum vsum fructuum cæterorum, credas secũdum gestorum exempla, oracula prophetarum, Christi cœleste promissum. Quid vero præstantius, quàm vt opus dei radices non perire, & secundum imaginem & similitudinem dei factos trãsferri non posse in effigies bestiarum, cum vtique ad similitudinem dei non corporis sit imago, sed spiritus? Nam quemadmodum homo cui subiecta sunt animantium genera cæterorum, in subiectum sibi animal meliore sui parte demigret? Non patitur hoc natura: & si pateretur natura, non pateretur gratia. Sed videro quid vos de vobis gentes opinionis habeatis. Neque enim mirum debet videri quod creditis vos in bestias posse mutari, qui bestias adoratis. Ego tamen malim de vestro merito melius iudicetis, vt non inter cœtus ferarum, sed inter angelorum consortia vos credatis futuros, & animos ex hoc iam vitæ anfractu & terreni corporis colluuione discedere, & ad illa concilia superna contendere. Et sic sanctorum sit peruenire, laudem dicere deo, quam citharizantes illos dicere prophetica lectione comperimus, quia magna & mirabilia opera tua domine deus omnipotens, iustæ & veræ viæ tuæ rex Gentium: quis non timebit & magnificabit nomen tuum? quia solus sanctus es, quia omnes gentes venient & adorabunt ante te. Videre quoque tuas Iesu nuptias, in quibus de terrenis ad cœlestia concinentibus omnium gaudiis sponsa deducitur. Ad

A te enim omnis caro veniet, iam non seculo obnoxia, sed spiritui copulata. Videre thalamos ornatos byssino, rosis, liliis, Psalm. & coronis. Sic enim cuius alterius ornantur nuptiæ, confessorum liuore, martyrum sanguine, liliis virginum, coronis etiam sacerdotum? Hoc sibi præ cæteris Dauid sanctus optauit, vt hæc spectaret & cerneret. Denique ait: Vnam petiui à Psalm. domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini, omnes dies vitæ meæ, & videam voluntatem domini. Iuuat hoc credere, sperare delectat. Certe non credidisse pœnæ est, sperasse gratia. Quod si in hoc erro, quia angelis me post mortem sociari malo quàm bestiis, libenter in hoc erro: neque vnquam hac me opinione dum viuo, fraudari patiar. Quid enim mihi supereſt solatij, quàm quod me citius ad te frater spero venturũ, nec digressus tui inter nos longa diuortia fore, tuis intercessionibus mihi hoc posse conferri, vt citius desiderantem tui aduoces? Quis enim est qui non sibi debeat istud optare præ cæteris, vt corruptibile hoc induat incorruptelam, & mortale hoc induat immortalitatem, vt qui nunc 1. Cor. 15.
B morti corporis fragilitate succumbimus, supra naturam siti mortem iam timere nequeamus.

FINIS.

LECTORI.

Dum scriptorum veterum monimenta versaremus, incidimus forte fortuna in librorum quorũdam farraginem, cui titulus inscribitur Antidotum contra diuersas omnium fere seculorum hæreses, beneficio & industria Ioannis Sichardi theologiæ sacræ academiæ mystæ celeberrimi anno quingentesimo vigesimooctauo supra millesimum in lucem prolatam: delitescens isthic inter cætera opuscula fragmentum hoc de resurrectionis fide Ambrosianam nomenclaturam præ se ferens reperimus. Quod quidem Ambrosii esse τὸν γνήσιον partum vt adfirmare ausi non fuerimus, ita, me deus amet, Ambrosium his de eadem re non scripsisse lubenter negauerimus. Hoc tamen vt curioso lectori satisfaceremus, huic operi ob argumenti similitudinem libuit subiicere. vtut verò sese res habuerit, dignum certe opus, Ambrosio
C *adscriptu dignissimum. Vale.*

Diui Ambrosij
MEDIOLANEN. EPISCOPI,
de fide resurrectionis Liber

ΑΚΕΦΑΛΟΣ.

D Enique nunquam magis quanta & clementia & potentia redemptor noster abundaret apparuit, quàm cùm mysterium incarnationis aggressus est, vt suscipiẽdo scilicet nostram substantiam, & patibuli & tumuli iura susciperet. Nostris ergo prosperis aduersa ei impõsa sunt: & diuina atque humana in redemptoris nostri natura quoddam inter se sacrum iniere cõmercium: vt testimonium ab humanitate diuinitas, præmiũ à diuinitate ferret humanitas. Hoc est, vt vulneribus corporis deus noster magnitudinem erga nos sui amoris ostenderet: & consortio diuinitatis recompensari sibi obedientiæ gratiam, & animus noster, & corpus agnosceret. Qua igitur fide, quáve deuotione huic domino tãtorum in nos donorum munifico adhærere ac deseruire debeamus, intuendum est, qui ita nullum largiendi modum habuit, vt tantum fidelibus donaret in præmio, quantum ipse possidebat in regno. Et vt crederemus nos eius fieri posse cohæredes, etiam naturæ nostræ consors esse delegit: non tamen vt substantiam à diuinitatis arce detruderet, sed vt nos infirmos, & in extrema mortis vilitate ac necessitate degentes, ad gloriam resurrectionis attraheret: quia in se quicquid nobis pollicebatur ostendit, & non perire carnis istius substantiam resurgendo perdocuit, & vbi ei post resurrectionem

Sacrum cõmercium humanitatis cum diuinitate in Christo.

Munificentia dei larga in homines.

nem futura esset habitatio, ascensione monstrauit. Hoc est ergo magnum, & prorsus magnum pietatis sacramentum, quod in carne manifestatum esse, vt rerum prouentus manifestauit, ita Gētium doctor annūciauit. Iustificatum autem est in spiritu, quoniam mediator dei & hominum homo Christus Iesus, non solum sperandæ nobis felicitatis, sed etiam capessendæ præbuit veritatis exemplum. Quod sanè sacramentum pietatis, per quod nos conditor noster ac redemptor amplectitur, sicut testimonio veritatis splenduit, ita etiam in ascensione assumptum in gloria celebratum est obsequiis angelorum. Et ideo nō est despicienda carnis humanæ natura, quæ in sanctæ trinitatis substantiam atq; consortium per dominum Christum ingredi meruit. Verbum enim dei, quod dominus Christus est, qui est primogenitus ex mortuis, quique totius creaturæ primatum tenet, ad imaginem suam, quam prius ipse condiderat, venit. De qua imagine scriptum est: Et plasmauit deus hominē ad imaginem & similitudinem suam. Et carnem, prætercarnem, mediante anima rationali, ex sancta virgine Maria suscipiens, & similia. Id est, animam & carnem per similia purificās, factus est per omnia homo, absque peccato. Mediāte ergo anima, deo & carne, hic qui omnes (vt ait Apostolus) diuites facit, pauper effectus est, vt illius inopia nos diuinis atque cœlestibus diuitiis ditaremur per signū illud salutis, quod dedit deus generi humano, dicente Propheta: Ecce, dominus dabit vobis signum, ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium, qui antequam sciat vocare patrem aut matrem suam, butyrum & mel manducabit, id est, spiritu sancto repletus est, cuius doctrina nobis dulcior super mel & fauū, qui spolia Samariæ à Magis accipiens, homo, rex, & deus comprobatus est. De hoc etiam mirabili signo sanctus Simeon ad virginem matrem dicit: Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. De quo signo & beatus Apostolus ait: Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Pro imagine ergo sua Christus, quam in primo condiderat homine, quam viderat in homine diaboli arte fucatam, venit in similitudine carnis peccati, vt hominem per lignum præuaricationis morte damnatum per passionem crucis, & mortem ad pristinam reuocaret imaginem: quæ imago per incuriam quidem obscurari potest, deleri autem per naturam nō potest. De hac imagine dicit Propheta: Quanquam in imagine dei ambulet homo, tamen vanè conturbatur. Nullus ergo est, qui non aliquam imaginem habeat, id est, aut sanctitatis aut peccati. In imagine dei ambulamus, quādo cogitationes bonæ, quæ nobis à deo insitæ sunt, in nobis permanent, & ad opera bona nos perducunt. Memoria ergo dei excludit à corde nostro cuncta flagitia atque peccata, quæ diabolus nititur in corde nostro seminare atq; depingere. Vnde dicitur à Propheta: Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Nihil ergo prodest legisse vel audisse, nisi ea quæ legeris, aut audieris bona, in memoriæ thesauro reposueris. Sicut enim tria sunt in homine, id est, corpus, anima, & spiritus: sic tria sunt eminētiora, quæ nos aut ad bona, aut ad mala perducunt, hoc est, aut cogitatio, aut locutio, aut operatio. Quæ tria breuiter spiritus sanctus in primo psalmo comprehendit, dicens: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorū, & in via peccatorum nō stetit, & in cathedra pestilentiæ nō sedit. Isti enim sunt terni statores diaboli, qui miseræ insidiantur animæ, vt aut in dicto, aut in facto, aut in cogitatu eam incitēt ad peccatum. Spiritu ergo, anima, & corpore, aut bene agimus, aut male: aut casti sumus, aut fornicamur. Et ideo sicut auari, & raptores serui sunt mammonæ, & sicut gulones & ebriosi serui sunt ventris atque libidinis, sic omne peccatum dominatur hominibus, probante hoc Propheta, ac dicente: Erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan. Hi sunt quinque sensus carnales, qui miseræ animæ tenebris Ægypti oppressæ loquuntur. Ægyptus enim persequens, siue tribulans interpretatur. Nisi ergo aquilonem frigidissimum ventum, calore fidei, Christo nos iuuante, qui bona docet & delectatur, vicerimus, statim nobis calorem concupiscentiæ atque libidinis suscitabit. Attenuetur ergo ieiu-

Declaratur locus Esaiæ

Lucæ 2.

1. Corint. 1.

Imaginem suam Christus reparauit.

Psalm. 38.

In imagine dei ambulare.

Psal. 71.

Tria in homine.

Declaratur locus primi psalmi.

Aegyptus quid sonet.

A niis caro, & circuncidetur omni spirituali concupiscentiæ cultro, nec regnet peccatum in nostro mortali corpore, vt effugere consortia mundi, & opprobria diaboli possimus. Ieiunium ergo afflictio, atque humiliatio animæ est, afflictio autem & corporis. Hæc de imagine dei, ad quam factus est homo, dicta sufficiant. Erubescant nunc impij hæretici, qui aereum, aut simulatorium phantasticum corpus, aut deum fuisse, aut nostrum futurum esse, aut metapsycosin mentiuntur. Satis reuera impium est & iniustum, vt Iob, qui oculis suis vulnera conspexit sua, & putredines ac vermes corporis sui manibus palpauit, in alia dicatur carne aut anima resurgere. Quod ergo de beato Iob diximus, hoc de Petro, hoc de Paulo, & de omnibus sanctis, qui diuersis pro deo tormentis animas posuerunt. Quæritur sanè illusoriè à nobis ab hæreticis, vtrum in resurrectione diuersitas sexus sit, id est, fœminæ cum viris resurgant, ignorantes cæci sententiam domini dicentis: Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit eos. Vbi ergo vera caro, ibi diuersitas sexus est, & sic diuersitas sexus ibi vtique est: Ioannes, Ioannes est: & Maria, Maria est: vere quippe carnis resurrectio sine operibus carnis erit: quia sicut veritas ait: Neque nubent, neque vxores accipient, sed erunt sicut angeli dei in cœlo. Similitudo ergo angelica promittitur, non substantia carnis negatur. Quomodo enim dicitur: Neque nubent, neque nubentur, nisi de his dicatur, qui possunt nubere, & tamen non nubent? Si enim hic in ista vita, quæ tota tentatio est super terram, multi propter regnum cœlorum semetipsos castrantes non nubent, & non solum viri, sed etiam fœminæ Christo iuuante hoc faciunt, quanto magis hoc in illa beata vita non dicamus fieri, sed nec cogitare licebit? Catholicum ergo & rectum est, vtrumque sexum in carnis resurrectione sine sexus operibus confiteri, cùm vt dictum est, adhuc in hac vita positi nitamur cum dei adiutorio opera carnis, quæ contra spiritum concupiscit, non implere, probante hoc Apostolo ac dicente: Vos in carne non estis, sed in spiritu. Negando enim eos in carne, quos in carne esse constabat, non carnis substantiam, sed peccata, id est, opera carnis in eis damnauit. Et iterum: Vt absorbeatur quod mortale est à vita. Quia licet exterior homo noster corrumpatur, sed renouatur interior. Quod tamen non solum in regno cœlorum, & baptismate, sed etiam in pœnitentibus quotidie fieri nouerimus, in quibus carnis interitus ad profectum cedit spiritalem. Cui ergo nec opera carnis erunt, nec augmenta membrorum, nec capillus crescit aut vnguis: quia omnes in virū perfectum, qui Christus est, resurgemus. Si enim patribus in eremo qua draginta annis non capilli, non vngues creuerunt, aut vestimenta, aut calciamenta attrita sunt, hoc in regno cœlorum, vbi aufugiet dolor, & gemitus, & tristitia: quæri quàm impium sit sapiens lector intelligit. Sed cōtra hanc tam veram támque firmam doctrinam, & tam clara documenta, & omni virtute subnixa, solent nobis hæretici illud Apostoli opponere quo ait: Non omnis caro eadem caro, sed alia caro hominis, alia volucrum, & cætera quæ prosequitur. Non intelligentes miseri, beatum Apostolum de corporis hoc onere, non generis differentia dixisse. Alia est caro hominis, id est, serui dei alia pecoris, id est, ethnici, & peccatoris, atq; hæretici. Qui cùm in honore esset sanguine redēptus Christi, atque honoratus, non intellexit, sed comparatns est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Alia volucrū, id est, martyrum, qui ad cœlestia pennis spiritus sancti subuecti conscendunt. Alia piscium, id est, qui post salutaris baptismi aquam assumuntur. Alia gloria solis, id est, Christi. Alia gloria lunæ, id est, ecclesiæ, & alia gloria stellarum, id est, seminis Abrahæ, & eorum qui se per fidem & opera bona filios eius ostendunt. Stella enim ab stella differt in claritate, id est, apostoli & prophetæ, illi qui cupierunt videre & audire Christum: isti autem viderūt & audierunt eum. Sunt & corpora cœlestia, & corpora terrestria, id est, Christianorum & Iudæorum. Postremo autem vt omnium resurrectionem ostenderet, sic concluſit sententiam suam, dicens: Sic erit & resurrectio mortuorū. Quod vt ita possit intelligi, nostræ cōditionis quod in hoc seculo fit ponamus exemplum

Ieiunium.

Resurrectio corporum cuiusmodi sit futura.

Diuersitas sexus in resurrectione.

1. Cor. 5.

Declaratur locus Pauli 1. Corin. 15.

Caro volucrum. Caro piscium.

Stellas differre à stellis quid sit.

plum. Infans enim cùm in puerũ creuerit, puer verò in iuuenem, iuuenis autem in virum, & vir in senẽ, nequaquam per singulas ætates perit, sed semper idem est qui fuit. Paulatim ergo hic ætas, non autem natura perit. In illa autẽ cœlesti Hierusalem, vbi sol iste ac luna septuplum lucebunt, diuersitates non erunt ætatum: ibi enim nec infans, nec senex, nec paruus erit, qui non impleat dies suos, vtpote filius resurrectionis, & in mensuram perueniat plenitudinis Christi, vt nec desint alicui annorum spatia, nec supersint. In illo ergo tempore, cùm ætas fuerit vna cũctorum, & sanctus & peccator simili erunt resurrectione perfecti, nec inter se variabunt tempore, nec ætate, sed alius ad præmia æterna, & in centuplum bona percipienda alius ad supplicia pertrahetur æterna. Cùm ergo in genere humano aliter & aliter nascamur homines, in carnis resurrectione vna omnibus & similis erit resurrectio. Aliter enim Adam, aliter Eua, aliter Cain, & Abel, & omnes homines nati sunt atque nascuntur: aliter autem homo Christus Iesus, qui est mediator dei & hominum natus est. Licet ergo diuersis exordiis nascatur homo, vna tamen hominis natura non differt resurrectione carnis, omniúmque membrorum. Quæ omnia membra vna domini sententia declarabantur, cùm de illo homine loqueretur, qui non habuit vestem nuptialem, nec seruauit illud mandatum: Omni tempore munda sint vestimenta tua, quem manibus pedibúsque constringi iussit, & auferri, ne recumberet in conuiuio, ne sederet in solio, ne staret ad dexteram dei, sed mitti in gehẽnam ignis. Si enim in igne isto temporali, qui omne quod accipit consumit, omnipotens deus potentiam suam in tribus pueris ostendit, qui in camino ignis ardẽtis capillos eorum intactos reseruauit, in resurrectione capillos nostros non resuscitabit? Resuscitabit planè sine aliquanto augmento, vel detrimento. Ipsi ergo procedent de monumẽtis, qui in monumentis illati fuerant. Veniet ergo omnis caro non solum de terra, sed etiam de mari, & de fluminibus, vt videat salutere dei. Mandabit enim piscibus, ac fluminibus, ac bestiis terræ, & volatilibus cœli, & eructabunt ossa & carnes mortuorum, vt resurgant alij in vitam æternam, alij in opprobrium & confusionem sempiternam. Tunc videbunt iusti impiorum pœnam atque cruciatus, quoniam vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur, & erunt in conspectu omni carni. Quia verò hanc habemus spem, sicut exhibuimus membra nostra famulari immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeamus ea famulari iustitiæ in sanctificationem vitæ, vt resurgẽtes à mortuis in nouitate vitæ ambulemus, vt vita domini Iesu manifestetur in carne nostra mortali, propter spiritum eius habitantem in nobis. Iustum igitur est, & verè iustum, vt qui semper mortificationem Christi in corpore nostro circuntulimus, vita quoque eius in corpore nostro manifestetur, spoliantes nos vetere homine cum actibus suis & erroris tunica nos exuamus, vt nouam, qui Christus est, induamus, imitantes sponsam eius dicẽtem. Nocte exui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Hãc ergo maiestatis ac potentiæ artem, id est resurrectionem, figulus ille facit, qui per Hieremiam prophetam loquitur ad populum peccatorem, dicens: Nunquid sicut figulus iste, nõ potero vos reformare, ac redintegrare domus Israel? Qui etiam hanc mirabilẽ maiestatis suæ potentiã in manu Moysi ostẽdit, quam in candorẽ mutatam deinceps colori pristino restituit. Sed & ipsum resurrectionis vocabulum aperte significat, nõ aliud ruere, & aliud resuscitari. Quod ergo in homine moritur, hoc & viuificatur. Ita ergo secundum resurrectionem mortuorum, nec cùm errat ignorat. Vulneratus denique ille Hierichontinus in euangelio cõtinuo fertur ad stabulũ, & delictorum plagæ per miserantis gratiam immortalitate sanantur. Prophetia ergo quæ pendebat, verè in domini Christi carne completa est, quam spiritus sanctus nos cupiens edocere, locutus est: Ait enim: Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, innitens super fratruelem suum, & delitiis affluens? Et iterũ: Fratruelis meus candidus & rubicundus. Rubicundus ergo ex incarnatione, candidus autem ex diuinitate. Quod ita esse comprobat beatus Ioannes apostolus, cùm dicit: Quia equus super quẽ sedebat dominus rubeus erat, corpus scilicet sanctum, quod ex sancta virgine assumpsit, cui in cœlos ascendenti dicitur: Quis est iste, qui venit de Aedom, tinctis vestibus de Bosra? Et: Quare rubrum est vestimentum tuum, & indumenta tua, sicut calcantium in torculari? Et est sensus: Quis est iste, qui ascendit è terra, cuius vestimenta sunt sanguine respersa? Illud autem quod in Zacharia propheta dicitur: quia sequebantur eum equi variorum colorum, id est, qui vel in martyrio rubri, vel sturnini in volatu, vel varij in virtutibus, vel candidi in virginitate monstrantur. Quod autẽ equus iste rufus, albus denuo à sancto Ioãne describitur, diuinitatis immortalitas, & incorruptio eius ostẽditur. Et ideo omnes, qui eum sequuntur, candidis non solum vtuntur vestibus, sed etiã equis sedentibus incorruptis videlicet immortalibúsque corporibus. Et ideo hunc omnes sancti, ipso iuuante, imitantur: quia vestimenta sua non coinquinant ac virgines gratia ipsius donante permanẽt, & ideo in albis vestibus (vt dictum est) erunt, sequentes agnum quocũque ierit. Totum ergo hominem (sicut dictum est) filius dei suscepit ex virgine, totum integrum resuscitauit, id est, animam & corpus, adimplens sententiam suam, qua ait: Omne quod dat mihi pater ad me veniet, & non perdã ex eo quicquam, sed ego suscitabo illud in nouissimo die. Quod dictũ tam de se, quàm de membris suis dominum Christum dixisse intelligimus, qui suo, & membrorum suorum ore in omnibus sanctis loquitur libris. Clamat ergo ad deum & caput in corpore, & corp⁹ in capite, hoc est, & ecclesia in Christo, & Christus in ecclesia: quia in nullo membra à capite, neque caput separatur à membris. Tunc ergo videbũt eum aduersarij eius, qui eum compunxerunt, & clamauerunt: Tolle, tolle, crucifige eum. Tunc angelorum vaticinium comprobabitur, qui stupentibus Apostolis, dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? sic nanque veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Quod autem dominus post resurrectionem suam duobus in via discipulis colloquens, repente euanuisse legitur diuinæ virtutis fuit, non vmbræ, aut phantasmatis. Alioquin & ante passionem cùm tenuissent, & eduxissent eum de Nazareth, vt præcipitarent de supercilio montis, supra quem ciuitas illorum ædificata erat, dubium quod transiuit per medium illorum? id est, elapsus est de manibus eorum. Aut nunquid carnem non habuit, qui flagellũ de fune fecit, & omnes inimicos eius ac persecutores de templo eliminauit? Vbi omnis diuinitatis eius potentia claruit. Illud autem quod post resurrectionem ad discipulos clausis ingressus est ianuis, eiusdem virtutis fuit, cuius ex oculis euanescere. Dicũt enim homines seculi istius, APOLLONIVM magum, cùm ante DOMICIANVM imperatorem in consistorio staret, repente non comparuisse. Hæc tamen nos diximus, non quod magum dæmone repletum domino Christo comparemus, sed vt hæreticorum insaniam confutaremus. Quod ergo mago licet, si tamen verum est, domino non licet? Linx quippe (vt physiologi ferunt) omnia opposita visu limpidissimo penetrat, domin⁹ autẽ Christus clausis ianuis, nisi phãtasma fuerit, intrare non poterit? Quod certe & ante resurrectionem pendulo super mare ambulauit incessu, eiusdem virtutis fuit. Et hoc ipsum apostolo suo præbuit Petro, qui cùm fide super aquas ambularet, infidelitate postea mergi cœpit, qui mergi potuisset, nisi eum citius dextera domini continuisset. Aquilæ & vultures transmarina cadauera sentiunt, Saluator apostolos suos nisi ostia aperuerit non videbit? Ad postremum dicas mihi velim, quod maius sit, tantam terræ magnitudinem tribus appendere digitis & super aquas incertam librari, an dominũ transire per clausam creaturam? Creatori quod maius est, tribuis, & quod minus est calumniaris. Petrus apostolus (vt iam dictum est) super aquas ambulabat, & graui & solido corpori mollis vnda, nisi paululum dubitasset, non cesserit, & tu deum calumniaris quare clausis ingressus sit ostiis? Paululum ergo fides Petri dubitauit, & statim naturam suã corpus agnouit, vt nos scilicet remus super aquas nõ corpus ambulasse, sed fidem. Noli ad iudicium tuum potentiam domini magorum præstigiis aut æquare, aut inferiorem facere, vt videatur fuisse, quod non fuit:

Actas resurgentium.

Matth. 22. Eccle. 9.

Cantic. 5.

Hiere. 18.

Resurrectionis nomen.

Rubicũdus fratruelis in Canticis.

Zachar.

Ioan. 6.

Christ. fuisse putalma.

Apollonius magus.

Linx ut dendo vi

Vultures trãsmarina cadauera facunt.

Fides Pe super aq ambulau nõ corpu

fuit,vt putetur comediſſe ſine dentibus,fregiſſe panem ſine manibus,ambulaſſe ſine pedibus,locutum fuiſſe ſine lingua aut capite, reclinatum eſſe mõſtrare ſine corpore. Et quomodo,inquies.non cognoſcebãt eum in itinere,ſi ipſum habebat corpus,quod ante paſſionẽ ſuam habuit? Erras enim. & multum erras,qui non audis Euangelium:Quia oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.Et paulo poſt:Oculi, inquit,eorum aperti ſunt,& cognouerunt eum.Nunquid in tantum deſipis,vt alium eum fuiſſe dicas, quando cognoſcebatur?& certe vnus idémque erat. Cognoſcere ergo & non cognoſcere videntium oculorum fuit, non eius qui videbatur, vt vaticinium ſancti Hieremiæ compleretur , qui ait: Quare ſicut colonus futurus es in terra,& ſicut viator declinans ad manendum? Denique,vt ſcias errorem qui verſabatur in medio,non corporis domini,ſed oculorũ fuiſſe clauſorum:aperti ſunt oculi eorum , & mox agnoſcebant eum. Nam & Maria Magdalena,quamdiu viuum quærebat inter mortuos non cognoſcebat Ieſum . At vbi eum cognouit, mox dominum confitetur.Iam naui verò omnibus diſcipulis vnà poſitis,Ieſus ſtabat in littore:cæteris autem eum non cognoſcentibus,Ioannes prior cognouit eum,& dixit: Dominus eſt . Dicebat rem veram,& ſatis congruum erat , vt virginitas virginale prius cognoſceret corpus. Idem ergo erat,& idem non ab omnibus videbatur.Statimque Euangeliſta ſubiungit: Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum:Tu quis es?ſcientes,quia dominus eſt. Nõ tamen quod alter deus,alter homo eſſet,ſed vnus atque idem eſſet filius dei,& filius hominis: Cognoſcebatur enĩ vt homo,adorabatur autem vt deus:cõplens illud quod eis ipſe dominus imprecatus fuerat,dicens ad patrem:Hæc eſt autem vita æterna,vt cognoſcant te ſolum verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.Dignum ergo eſt,& ſatis dignum , vt caro hominis cœlis inferatur, cuius habitator deus eſſe dignatus eſt, nec poteſt videri iniuria hominem factum eſſe cœli incolam,cuius vaginam non eſt dedignatus ſpiritus , qui deus eſt. Iuſtum ergo fuit, vt corpus in quo deus habitando terram viuificare dignatus eſt,per quod particeps noſtri factus eſt, ad immortalitatem perduceret. Vbi ergo dei habitatio eſſe debuit,niſi in regno dei? Vbi autem regnum dei,niſi in cœlis:ibi omnis eccleſia cum illo erit. Cùm ergo lutum carnis noſtræ in teſtam fuerit excoctum,& quæ prius graui põdere premebatur in terram , acceptis pennis gratiæ ſpiritalis cum ſubuectione angelorum volabit ad cœlum , ibi verum & pacificum ſuæ ſalutis obſidem habet in æternum.

Nõagnitus Chriſtus à diſcipulis.

Chriſtus à Ioanne primum agnitus.

FINIS.

Diui Ambroſij

ORATIO DE EXITV VITA,

ac virtutibus Theodoſii Imperatoris, habita in celebritate quadrageſimi diei obitus ſui, Honorio principe filio eius aſſiſtente.

HOC nobis motus terrarum graues, hoc iuges pluuiæ minabantur, & vltra ſolitum caligo tenebroſior denuntiabat, quod clementiſſimus Imperator Theodoſius receſſurus eſſet è terris . Ipſa igitur exceſſum eius elementa mœrebant. Cœlum tenebris obductum , aer perpeti horrens caligine. Terra quatiebatur motibus,replebatur aquarum alluuionibus . Quid ni mundus ipſe defleret eum principem continuo eſſe rapiendum,per quem dura mundi iſtius tem perari ſolerent,cùm criminum pœnas indulgentia præueniret? Et ille quidem abiit ſibi in regnum quod non depoſuit, ſed mutauit, in tabernacula Chriſti iure pietatis aſcitus, in illam Hieruſalem ſupernam , vbi nunc poſitus dicit: Sicut audiuimus, ita & videmus in ciuitate domini virtutum , in ciuitate dei noſtri,quam deus fundauit in æternum.Sed plurimos tanquam paterno deſtitutos præſidio dereliquit , ac potiſſimum filios . Sed non ſunt deſtituti quos pietatis ſuæ reliquit hæredes.Non ſunt deſtituti quibus Chriſti acquiſiuit gratiam, & exercitus fidem , cui documento fuit deum fauere pietati,vltorémque eſſe perfidiæ . Eius ergo principis & proximè conclamauimus obitum, & nunc quadrageſimum celebramus aſſiſtente ſacris altaribus Honorio principe: quia ſicut ſanctus Ioſeph patri ſuo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit,ita & hic Theodoſio patri iuſta perſoluit.Et quia alij tertium diem & trigeſimum , alij ſeptimum & quadrageſimum obſeruare conſueuerũt,quid doceat lectio,conſideremus.Defuncto,inquit,Iacob præcepit Ioſeph pueris ſepultoribus,vt ſepelirent eum.Et ſepelierunt ſepultores Iſrael,& repleti ſunt ei quadraginta dies, ſic enim dinumerantur dies ſepulturæ . Et luxit eum Ægyptus ſeptuaginta diebus . Hæc ergo ſequenda ſolennitas , quam præſcribit lectio. Sed etiam in Deuteronomio ſcriptum eſt: Quia planxerunt filij Iſrael Moyſen diebus triginta,& conſummati ſunt dies luctus . Vtraque ergo obſeruatio habet authoritatem , qua neceſſarium pietatis impletur officium. Bonus itaque Ioſeph,qui formam pio muneri dedit , quem amabat pater,cui dixit: Adiuuet te deus meus, & benedicat te benedictione terræ habentis omnia propter benedictionem mammillarum & vuluæ,benedictionis matris tuæ, & propter benedictionem patris tui . Pij patris ſoboles bona. Celebrat ergo & iſte quadrageſimam patris Iacob ſupplantatoris illius , & nos celebramus Theodoſij quadrageſimam , qui imitatus Iacob ſupplantauit perfidiam tyranno-rum,qui abſcondit ſimulachra gentium . Omnes enim cultus idolorum fides eius abſcondit . Omnes enim cerimonias obliteraui,qui etiam iis qui in ſe peccauerant , doluit quam dederat periiſſe indulgentiam , & veniam denegatam.Sed non negabunt filij quod donauit pater, non negabunt , etiam ſi quidam interturbare conatus ſit . Neque enim potuerunt negare quod in commune donauit, qui ſoluunt quod ſingulis dedit.Nihil glorioſius exitus tanti principis habuit,qui omnia iam filiis tradidiſſet , regnum , poteſtatem,nomen Auguſti.Nihil,inquam,ſpecioſius ei in morte ſeruatum eſt,quàm quod immane quantis promiſſa anno narum exigendarum relaxatio dum moratur, facta eſt ſucceſſio eius indulgentiarum hæreditas , vt ille qui voluit impedire, ſibi odium fecerit , Theodoſio tamen tantæ cumulus gratiæ non adẽptus ſit.Nec immerito . Si enim priuatorum vltimæ voluntates & deficientium teſtamenta habent perpetem firmitatem : quomodo poteſt tanti principis eſſe irritũ teſtamẽtum? Glorioſius quoq; in eo Theodoſius , qui non communi iure teſtatus eſt.De filiis enim nihil habebat nouũ quod cõderet,quibus totum dederat, niſi vt eos præſenti commendaret parenti. De ſubditis ſibi & commiſſis teſtari debuit,vt legata dimitteret , fidei commiſſa ſignaret. Præcepit dare legem indulgentiæ , quam ſcriptam reliquit. Quid dignius , quàm vt teſtamentum imperatoris lex ſit? Ergo tantus imperator receſſit à nobis,ſed non totus receſſit.Reliquit enim nobis liberos ſuos, in quibus eum debemus agnoſcere,& in quibus eum & cernimus & tenemus. Nec moueat ætas:fides militum , imperatoris perfecta ætas eſt.Eſt enim perfecta ætas,vbi perfecta eſt virtus . Reciproca hæc,quia & fides imperatoris,militum virtus eſt . Recognoſcitis nempe quos vobis Theodoſij fides triumphos acquiſierit:cum locorum anguſtiis & impedimẽtis calonum agmen paulo ſerius in aciẽ deſcenderet,& inequitare hoſtis mora belli videretur,deſiliuit equo princeps , & ante aciem ſolus progrediens , ait: Vbi eſt Theodoſij deus ? Iam hoc Chriſto proximus loquebatur . Quis enim poſſet hoc dicere,niſi qui Chriſto ſe adhærere cognoſceret? Quo dicto excitauit omnes,& exẽplo omnes armauit,& iam certe ſenior ætate,ſed validus fide.Theodoſij ergo fides fuit veſtra victoria: veſtra fides , filiorum eius fortitudo ſit . Fides ergo auget ætatem . Denique nec Abraham vt in ſenectute generaret filium,conſiderauit ætatem, nec Sara vt pareret. Nec

Pſal.47.

Geneſ.50.

Ibidem.

Deut.34.

Gene.49.

Hebr.11. mirum si auget ætatem fides, cùm repręsentet futura. Quid enim est fides, nisi rerum earum quæ sperantur substantia? Sic nos scripturæ docent. Ergo si substantia eorum quæ sperantur, fides est: quanto magis eorum quæ videntur? Bona
Abac.2. Hebr.10. fides, de qua scriptum est: Iustus autem ex fide viuit. quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem non subtrahamus nos ad dispendium animæ, sed inhęreamus fidei ad animæ nostræ acquisitionem, quoniam in hac fidei
Ibid.11. militia testimonium consecuti sunt seniores nostri Abraham, Isaac, Iacob. Et ideo hæreditatem nobis fidei reliquerunt. Fidelis Abraham, qui non ex operibus, sed ex fide iu-
Genes.15. Ibidem 22. Ibidem 28. stificatus est, quoniam deo credidit. Isaac per fidem nec gladium feriturí parentis expauit. Iacob paternæ fidei vestigiis intentus dum iter agit, angelorum vidit exercitum, & vocauit concilium dei. Alibi quoque, id est, in libris Re-
4.Reg.6. gum, Helisæus erat intra Samariam, & subito eum circunfusus Syrorum obsedit exercitus. Vidit eos Giezi, & ait ad dominum suum: O domine, quid faciemus? Et dixit Helisæus B propheta: Noli timere: quoniã nobiscum plures sunt, quam cùm illis. Et rogauit vt aperiret deus oculos Giezi. Et aperti sunt oculi eius, & vidit plenum montem equis & curribus in circuitu Helisæi, & rogauit Helisæus vt percuteret eos deus cæcitate, & percussi sunt: & introierunt in ciuitatem, quo ingrederentur, nequaquam videntes. Audistis certe milites qui circunfusi estis, quia vbi perfidia, ibi cæcitas est. Merito ergo cæcus erat exercitus infidelium. Vbi autem fides, ibi exercitus angelorũ est. Bona itaque fides, quæ frequenter operatur in mortuis. Denique aduersarius & legiones suæ quotidiana martyrum virtute torquentur. Vnde arbitror quod fila chordarum citharæ ideo fides dicantur, quoniam & mortua sonum reddant. Quo magis ac magis enitendum est, ne in hoc viuendi munere siti simus ingrati, sed pij pignoribus prncipis sedulum ac patrium impendamus affectum. Soluite filiis eius quod debetis patri. Plus debetis defuncto, quàm debuistis viuenti. Etenim si in liberis priuatorum non sine graui scelere minorum iura temerantur, quanto magis in filijs imperatoris? Addatur, & cu- C ius imperatoris? Imperatoris pij, imperatoris misericordis, imperatoris fidelis, de quo non mediocrè locuta est scriptu-
Prouer.20. ra, dicens: Magnum & honorabile est homo misericors. Inuenire autem virum fidelem, difficile est. Si magnum est misericordem aut fidelem quemcunque hominem inuenire, quanto magis imperatorem, quem potestas ad vlciscendum impellat, sed reuocet tamen ab vltione miseratio? Quid præstantius fide imperatoris, quem non extollat potentia, superbia non erigat, sed pietas inclinet? De quo Salomon præ-
Ibidem 16. clare ait: Iniqui regis imitatio similis rugitui leonis, sicut autem ros in herba, sic & hilaritas eius. Quantum igitur est deponere terrorem potentiæ, præferre suauitatem gratiæ? Beneficium se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cùm rogaretur ignoscere. Et tunc propior erat veniæ, cùm fuisset commotio maior iracundiæ. Prærogatiua ignoscendi erat, indignatum fuisse. Et optabatur in eo quod in aliis timebatur, vt irasceretur. Hoc erat remedium reorum, quoniam cùm haberet supra omnes potestatem, quasi D parens expostulare malebat, quàm quasi iudex punire. Sæpe trementes vidimus quos obiurgabat, & conuictos sceleris, cùm desperassent, solutos crimine. Vincere enim volebat, non plectere: æquitatis iudex, non pœnæ arbiter, qui nunquam veniam cõfitenti negaret. Aut si quid esset quod occulta conscientia inoluerat, deo seruabat. Hanc vocem eius homines magis quàm pœnam timebant, quod tanta imperatorem ageret verecundia, vt mallet sibi homines religione quàm timore astringere. Maximum philosophorum impunitatẽ ferunt dedisse iis facinoribus, quæ per iram com-
Psal.4. missa forent: sed scriptura diuina melius ait: Irascimini, & nolite peccare. Maluit peccatum recidere, quàm excusare. Satius est indignatione laudem clementiæ reperire, quàm ira in vltionem excitari. Quis ergo dubitabit filiis eius maximum præsidium fore apud deum? Domino fauente Arca-
4.Reg.22. & 23. 3.Reg.15. dius imperator iam validus inuentus est. Honorius continuo pulsat adolescentiæ fores, prouectior ætate quàm Iosias. Ille enim destitutus patre orsus imperium vsque ad tri-

cesimum & primum annum regni sui perduxit ætatẽ, & placuit domino quod præ cæteris regibus Israel domini pascha
2.Paral.35. celebrauit, & ceremoniarum aboleuit errores, Asa quoque adhuc inualidus corporis robore, cùm regnandi curricula recepisset, quadraginta annis regnauit in Hierusalem: quoniam cùm Aethiopum infinita vrgeretur atque innumerabili multitudine, sperauit à domino & in paucis se posse saluari. Vtinam tam fidelis processu quàm exordio. Nam seruatus in paucis & victor, postea à Syriis auxilia relicto domino postulauit, & medicos adhibuit ad pedum dolorem. Accepto enim tanto iudicio diuini fauoris, auxiliatorem suum non derelinquere debuit, sed tenere. Ideo ei nec medici profuerunt, & quasi incredulus mortem impleuit. Sed illorum patres Abias & Amos ambo infideles. Theodosius verò plenus timoris dei, plenus misericordiæ, speramus quod liberis suis apud Christum præsul assistat, si dominus propitius sit rebus humanis. Bonum est misericors homo, qui dum aliis subuenit, sibi cõsulit, & in alieno remedio vulnera sua curat. Agnoscit enim se esse hominẽ qui nouit ignoscere, & vias Christi sequitur, qui carne suscepta maluit in hunc mundum redemptor venire quàm iudex. Vnde pulchrè Psalmista dixit: Dilexi, quoniam audiet dominus vo- Psal.114.
cem orationis meæ, In quo psalmo dum legitur, velut ipsum Theodosium loquẽtem audimus. Dilexi, inquit. Agnosco vocem piam, cuius testimonia vocis agnosco. Et verè dilexit, qui officia diligentis impleuit, qui seruauit hostes, qui dilexit inimicos, qui iis à quibus est appetitus ignouit, qui regni affectatores perire non passus est. Non mediocris sed perfecti in lege vox ista est dicere, dilexi. Plenitudo enim le Roman.
gis, dilectio est. Sed quid dilexerit, audiamus. Cùm tacet, vt get nos dilectio. vtique diuinæ charitatis gratia significatur: quia diligimus illud quod est super omnia desiderabilia desiderabile: de quo scriptum est: Diliges dominũ deum Deut.6.
tuum. Ergo decedẽs è terris pia anima, & sancto repleta spiritu, quasi interrogantibus iis qui sibi occurrerent cùm sese ad sublimia & superna subrigeret, dicebat: dilexi. Nihil hoc plenius, nihil expressius. Interrogabant angeli vel archangeli: Quid egistis in terris? (occultorum enim solus cognitor deus) dicebat: dilexi. Hoc est dicere: Legem impleui: euãgelium non præterii. Hoc est dicere, morti me obtuli, & tota die existimatus sum sicut ouis occisionis. Et ideo Roman.
confido, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Hoc mandatum legis etiam in euangelio dominus Iesus docet esse seruandum, cùm dicit ad Petrum: Simon Ioannis diligis me? Et ille respondit: Tu scis do Ioan.21.
mine quia diligo te. Et iterum dixit: Simon Ioannis diligis me? Et iterum respondit, Etiam domine: tu scis, quia diligo te. Et tertio interrogatus ait: Omnia tu scis, tu scis quia amo te. Confirmauit itaque charitatem trina responsio, vel aboleuit trinæ negationis errorem. Et hic trinam responsionem si quærimus, inuenimus, Dilexi, quoniam audiet dominus
vocem orationis meæ. Dilexi, quoniam inclinauit aurem Psal.114.
suam mihi, vt in diebus meis inuocarem eum. Dilexi, quia tribulationem & dolorem inueni, & pro nomine dei mei pericula inferni non refugi, sed expectaui vt comprehendere & inuenire me possent. Et pulchrè ait, Dilexi: quia iam cursum vitæ huius impleuerat. Vnde & Apostolus in pas- 2.Tim.4.
sione iam positus ait: Certamẽ bonum certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod reliquum est, reposita est mihi corona iustitiæ. Magnus dominus, qui nobis dedit certamina, quibus mereatur qui vicerit coronari. Dilexi, inquit, confidens, quoniam audiet dominus vocem orationis meę. Dilexi, & ideo inclinauit aurem suam mihi, vt iacentem erigeret, mortuum suscitaret. Non enim deus inclinat aurem suam vt audiat corporaliter, sed vt condescendat nobis quo nos audire dignetur, & infirmitates nostræ releuare substantie. Inclinat se nobis, vt nostra ad eum ascendat oratio. Voce non indiget, qui misericordiam defert. Neque enim voce indiguit, qui Moysen tacentem audiuit, & non loquentem, sed interpellantem gemitibus ineffabilibus ad se clamare dicebat. Nouit deus & sanguinẽ audire, cui nulla vox, subest,

subest, lingua non suppetit. sed accepit vocem sacræ tituloA ducitur. Sed quid est quod ait: Ad requiem meã, nisi secun-
passiõis. Clamauit in martyrio, clamauit in parricidio quod dum illud intelligas quod ait dominus Iesus: Venite bene- Matth. 25.
pertulit pro sacrificio. Dilexi, inquit, & ideo diligens feci dicti patris mei, hæreditate possidete paratũ vobis regnum
voluntatem domini, & inuocaui eum non in paucis, sed in à constitutione mundi? Tanquam enim possessionem hæ-
omnibus diebus vitæ meæ. Nam certis diebus inuocare, nõ reditariam, de qua recipimus quæ promissa sunt nobis. Fide-
omnibus, fastidientis est, non sperantis, & pro vsu affluen- lis deus quæ semel seruis suis præparat, non subtrahit. Si fi-
tium commodorum mercedem gratiarum referre, non pro des nostra meneat, manet & sponsio. Vide ô homo circa te
deuotionis affectu. Et ideo Paulus in omnibus, inquit, gra- gratiam Christi adhuc in terris quas teris, & in cœlo possi-
1. Thes 5. tias agite. Quando enim non habes quod deo debeas, aut des. Ibi ergo sit cor tuum, vbi est possessio tua. Hæc est re-
quando sine dei munere es, cui quotidie viuendi vsus à do- quiesquæ iustis debetur, negatur indignis. Vnde ait domi-
2. Corin. 4. mino est? Quid enim habes quod non accepisti? Ergo quia nus: Sicut iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Psalm. 94.
semper accipis, semper inuoca. Et quia quod habes, à domi- Qui enim non cognouerunt vias domini, non ingrediun-
no est, debitorem te semper esse cognosce. Malo tamen vt tur in requiem domini. Qui autem bonum certamen certa- 2. Tim. 4.
quasi diligẽs quàm coactus debitũ tuum soluas. Audi dicen uit, & cursum consummauit, ipsi dicitur: Conuertere in re-
Psalm. 114. tem: Circundederunt me dolores mortis. Ego tamen & in quiem tuam. Bona requies præterire quæ mundi sunt, & in
mortis dolore dominum dilexi. Pericula inferni inuenerunt illis quæ supra mundum sunt cœlestium consortiis requie-
me, non timentem vtique, sed amantẽ, sed sperantem, quod scere secretorum. Hæc est requies ad quam properauit, di-
Roman. 8. nullæ me angustiæ, nulla persecutio, nulla pericula, nullus cens: Quis dabit mihi pennas sicut colũbæ, & volabo & re- Psalm. 54.
gladius separat à Christo. Denique volens inuenit tribula- B quiescam? Hanc sanctus requiem suam nouit, ad hanc re-
Ibidem 5. tionem & dolorem, sciens quia tribulatio patientiam ope- quiem conuertendum animæ suæ dicit. Erat ergo anima in
ratur, patientia probationem, probatio spem. Et enim quasi requie sua, ad quam dicit esse redeundum. Hæc est requies
bonus athleta quæsiuit certamina, vt coronam inueniret: sabbati magni, vt vnusquisque sanctorum supra mundi sen-
quam tamen non suis viribus, sed domini auxilio nouit sibi sibilia sit in illo intelligibili secreto totus intẽtus atque ad-
esse donatam. Non enim potuisset vincere, nisi eum qui cer- hærens deo. Hæc est requies illa sabbati quo requieuit deus
tantes adiuuat inuocasset. Miser homo congreditur vt vin- ab omnibus operibus mundi istius. Feriatus his seculi cu-
cat, & ipse in periculum ruit, nisi domini nomen affuerit, si ris Theodosius se ereptum gaudet, & eleuat animam suam,
Psal. 114. cùm veretur orauerit, dicẽs: O domine libera animã meam. atque ad illam perpetuam dirigit requiem, pulchre sibi con
Roma. 7. Hinc illud apostolicum: Video legẽ carnis meæ repugnan- sultum asserens, quod eripuerit animam eius deus de mor-
tem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, te, quam mortem frequenter in hoc seculi istius lubrico su-
quod est in membris meis. Infelix ego homo, quis me libe- stinebat, inquietus fluctibus peccatorum: eripuerit etiam
rabit de corpore mortis huius? gratia dei per Iesum Chri- oculos eius à lachrymis. Fugit enim dolor, & tristitia, & ge-
stum dominum nostrum. Ille vincit, qui gratiam dei sperat, mitus. Et alibi habemus: Deleuit omnem lachrymam ab o- Apocal. 21.
non qui de sua virtute præsumit. Cur ergo non præsumas culis eorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque
gratiam, cùm habeas præsulem certaminis misericordiam? clamor, neque dolor. Si ergo mors non erit, lapsum sentire
Psalm. 114. Misericors enim & iustus dominus, & deus noster misere- non poterit in illa requie cõstitutus, sed placebit deo in re-
tur. Bis misericordiam posuit, semel iustitiam. In medio iu- gione viuorum. Non enim vt hic homo inuolutus est mor-
stitia est, gemino septo inclusa misericordiæ. Superabũdant C tis corpore obnoxio lapsibus atque delictis, ita & illic. Ideó-
enim peccata, superabundet ergo misericordia. Apud do- que regio illa viuorum est, vbi anima est, quæ ad imaginem
minum omnium virtutũ abundantia est, quia dominus vir- & similitudinem dei facta est, non caro figurata de limo: id-
tutum est. Neque tamen iustitia sine misericordia est, ne- eo in terrã reuertitur, anima ad requiem festinat supernam,
Eccle. 7. que sine miseratione iustitia: quia scriptum est: Noli esse ni- cui dicitur: Cõuertere anima mea in requiem tuã, in quam Psalm. 114.
mium iustus. Quod supra mensuram est, etsi bonum est, ta- festinauit intrare Theodosius, atque ingredi ciuitatem Hie-
men tu non sustines. Mensuram serua, vt secundum mensu- rusalem, de qua dictum est: Et reges terræ ferent gloriam
ram recipias. Non impedit tamen iustitia misericordiam, suam in illam. Illa est vera gloria quæ ibi sumitur, illud re-
Psal. 111. quia misericordia ipsa iustitia est. Dispersit dedit pauperi- gnum beatissimum quod ibi possidetur, ad quod festinabat
bus, iustitia eius manet in æternum. Nouit enim iustus debe- Apostolus, dicens: Audemus ergo, & consentimus magis 2. Corin. 5.
re se infirmis atque inopibus subuenire. Vnde dominus ve- peregrinari de corpore, & adesse ad dominum, & ideo con-
niens ad baptismum, vt nobis infirmantibus peccata dona- nitimur siue absentes siue præsentes placere illi. Absolu-
Matth. 3. ret, ait ad Ioannem: Sine modo. Sic enim decet nos implere tus igitur dubio certamine fruitur nunc angustæ memoriæ
omnem iustitiam. Liquet igitur iustitiam esse misericordiã, Theodosius luce perpetua, tranquillitate diuturna, & pro
& misericordiam esse iustitiam. Etenim si dei nos misericor- iis quæ in hoc gesit corpore, munerationis diuinæ fructi-
dia non sustentaret, quomodo in ipso exordio paruuli viue bus gratulatur. Ergo quia dilexit augustę memoriæ Theo-
remus, cùm effusi vtero de calidis in frigida, de humidis in dosius dominum deum suum, meruit sanctorum consortia.
arida piscium more iactemur, quos naufragos in hãc vitam D Et ego vt quidem sermonem meum per orationem conclu
quidam naturæ fluctus expuerit? Ratio deest, sed gratia di- dam, dilexi virum misericordem, humilem imperio, corde
uina non deficit. Ipse ergo custodit paruulos, aut certe eos puro & pectore mãsueto præditum, qualem dominus amare
qui se paruulos humili confitentur affectu. Bona igitur hu- consueuit, dicens: Supra quem requiescam, nisi supra hu- Esaię. 66.
2. Reg. 24. militas, quæ liberat periclitantes, iacentes erigit. Nouit eam milem & mansuetum? Dilexi virum, qui magis arguentem
ille qui dixit: Ecce sum ego, peccaui, & ego pastor male fe- quàm adulantem probaret. Strauit omne quo vtebatur in-
ci, & isti in hoc grege quid fecerunt? Fiat manus tua in me. signe regium, defleuit in ecclesia publicè peccatum suum,
Bene hoc dicit qui regnum suum deo subiecit, & pœniten- quod ei aliorum fraude obrepserat. Gemitu & lachrymis
tiam gessit, & peccatum suum confessus veniam postulauit, orauit veniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit im-
ipse per humilitatem peruenit ad salutem. Humiliauit se perator publicè agere pœnitentiam, neque vllus postea die-
Christus, vt omnes eleuaret. Ipse ad Christi peruenit re- es fuit, quo non illum doleret errorem. Quid quod præ-
quiem, qui humilitatem Christi fuerat secutus. Et ideo quia claram adeptus victoriam, tamen quia hostes in acie stra-
humilem se præbuit Theodosius imperator, & vbi pecca- ti sunt, abstinuit à consortio sacramentorum, donec do-
Psal. 114. tum obrepsit, veniam postulauit: conuersa est anima eius in mini circa se gratia filiorum exprimeretur aduentu? Dilexi
requiem suam, sicut habet scriptura quæ dicit: Conuertere virum, qui me in supernis suis vltimo spiritu requirebat.
anima mea in requiẽ tuam; quia dominus benefecit mihi. Dilexi virum, qui cùm iam corpore solueretur, magis de
Pulchre dicit animæ conuertere, quasi diuturno cuiusque statu ecclesiarum quàm de suis periculis angebatur. Dile-
operis sudore exercitæ, vt à labore conuertatur ad requiem. xi ergo fateor, & ideo dolorem meum intimo viscere do-
Conuertitur equus ad stabulum, vbi cursum impleuerit: na lui, & prolixiore sermonis prosecutione solandum putaui.
uis ad portum, vbi ad stationem fidam à fluctuũ mole sub- Dilexi, & præsumo de domino, quod suscipiat vocem ora-

tionis

tionis meæ,qua prosequor animam piam. Circundederunt
Psal.114. me dolores mortis,pericula inferni inuenerunt me.Multorum enim pericula sunt, sed remedia paucorũ. In omnibus sacerdos periclitatur,in omnibus reis angitur. Quod enim alij patiuntur,ipse sustinet: & iterum liberatur cùm alij qui tenentur periculis,liberantur.Cõteror corde, quia ereptus est vir quam vix possumus inuenire.Sed tamen tu solus domine inuocandus es tu rogandus, vt eum in filiis repræsentes.Tu domine custodiens etiam paruulos in hac humilitate, saluos facito sperantes in te. Da requiem perfecto seruo tuo Theodosio, requiem quam præparasti sanctis tuis. Illò conuertatur anima eius,vnde descendit, vbi mortis aculeum sentire nõ possit, vbi cognoscat mortem hanc non hominis finẽ esse, sed culpæ.Quod enim mortuus est, pec-
Rom.6. cato mortuus est,vt iam peccato locus esse non possit. Resurget autem, vt perfectior renouato munere vita reparetur. Dilexi, & ideo prosequor eum vsque ad regionem viuorum,nec deseram, donec fletu precibus inducam virum
B quo sua merita vocant,in montem domini sanctum,vbi perennis vita, vbi corruptelæ nulla contagio,nullus gemitus, nullus dolor, nulla consortia mortuorum, vera regio vi-
1.Cor.15. uentium,vbi mortale hoc induat immortalitatem,& corruptibile hoc induat incorruptionem.Magna requies,quæ votum impleat diligentis,pulcherrima promissio. Ideo centesimus quartusdecimus psalmus inscribitur. Denique supra in quartodecimopsalmo perfectionem hominis accepimus sed illic formatus perfectus licet vir, sed adhuc peccato obnoxius,quia viuit in seculo. Hic vera perfectio est, vbi iam culpa cessauit,gratia perpetuæ quietis affulsit. Ideo centesimus quartusdecimus psalmus, quia remuneratio charitatis est, vnde domini pascha quartadecima luna formam celebritatis accepit: quoniam qui pascha celebrat, debet esse perfectus,debet amare dominum Iesum, qui diligens populum perfecta charitate, sese obtulit passioni. Et sic diligamus nos quoq;,vt si necesse fuerit pro domini nomine mortem non fugiamus,nullum existimemus dolorem,nihil metuamus. Perfecta enim charitas timorem expellit foras.
C
1.Ioan.4. Grãde numeri mysterium, quãdo pater filium vnicum pro nobis omnibus tradidit, cùm pleno luminis sui orbe luna fulgeret.Ita est enim ecclesia,quæ piè pascha celebrat domini nostri Iesu Christi sicut luna perfecta in æternum manet.Quisquis bene hic domini pascha celebrat, in lumine perpetuo erit.Quis splendidius celebrauit, quàm qui sacrilegos remouit errores, clausit templa, simulacra destruxit? In hoc Iosias rex superioribus antelatus est. Manet ergo in lumine Theodosius,& sanctorũ cœtibus gloriatur. Illic nũc complectitur Gratianum iam sua vulnera non mœrentem, quia inuenit vltorem. Qui licet indigna morte præuentus ac præreptus sit,requiem animæ suæ possidet.Ille bonus vterq; & pietatis interpres largius misericordiæ suæ consor-
Psalm.18. tio delectatur. De quibus bene dicitur: Dies diei eructat verbum. Contra autem Maximus & Eugenius in inferno quasi nox nocti indicat scientiam,docentes exemplo miserabili quàm durum sit arma suis principibus irrogare. De
Psal.36. quibus pulchre dicitur: Vidi impium superexaltatum & e-
D leuatum super cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, Transiuit enim pius de caligine seculari ad lumen æternum, & nõ erat impius qui esse desiuit iniquus.Nunc se Augustæ memoriæ Theodosius regnare cognoscit, quando in regno domini Iesu Christi,& considerat templum eius.Nunc sibi rex est,quando recipit etiam filium Gratianum, & pulchra iam dulcissima sibi pignora quæ hic amiserat, quando eius flaccilla adhæreret fidelis anima deo,quãdo patrem sibi reddidum gratulatur,quando Constantino adhæreret. Cui licet baptismatis gratia in vltimis constituto omnia peccata dimiserit,tamen quod primus imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit,cuius temporibus completum est illud pro-
Zacha.14. pheticum: In illo die erit quod super frenum equi est, sanctum domino omnipotenti.Quod illa sanctæ memoriæ Helena mater eius infuso tibi sancto spiritu reuelauit. Beatus Constantinus tali parente,quæ imperanti filio diuini muneris quæsiuit auxilium, quo inter prælia quoque tutus assisteret,& periculum non timeret.Magna fœmina,quæ multo amplius inuenit quod imperatori conferret, quàm quod ab imperatore acciperet. Anxia mater pro filio cui regnum orbis Romani cesserat,festinauit Hierosolymam, & scrutata est locum dominicæ passionis. Stabulariam hanc primo fuisse asserunt,sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est. Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe domini requisiuit. Bona stabularia, quæ stabularium non ignorauit illum qui vulnera curauit à latronibus vulnerati.Bona stabularia, quæ maluit existimari stercora, Philip.3.
vt Christum lucrifaceret. Ideo illum Christus de stercore leuauit ad regnum,secundum quod scriptum est: Quia susci- Psal.112.
tat de terra inopem,& de stercore erigit pauperem.Venit ergo Helena, cœpit reuisere loca sancta, infudit ei spiritus vt lignum crucis requireret, accessit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ, vbi est victoria? Quæro vel vexillum salutis, & non inuenio.Ego,inquit,in regnis, & crux domini in puluere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus?
Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror,si redemptio ipsa non cernitur? Video quid egeris diabole,vt gladius quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderauit,nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina vt vita appareat.Promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum.Aperiatur humus,vt salus fulgeat.Quid egisti diabole,vt absconderes lignum, nisi vt iterum vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem quæ sine imminutione virginitatis edidit eũ qui crucifixus vinceret te, & mortuus subiugaret. Vinceris & hodie, vt mulier tuas insidias deprehendat.Illa quasi sancta dominum gestauit, ego crucem eius inuestigabo.Illa generatum decuit, ego resuscitatum. Illa fecit vt deus inter homines videretur, ego ad remedium peccatorum diuinum de ruinis eleuabo vexillum. Aperit itaque humum,decutit puluerem, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerto hæret vt mulier, sed certam indaginem sanctus spiritus inspirat, eo quòd duo latrones cum domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum, sed poterat fieri vt patibula inter se ruina cõfunderet,casus mutaret, & inuerteret. Redit ad euangelij lectionem, inuenit quia in medio patibulo prælatus titulus erat,Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hinc Ioan.19.
collecta est series veritatis,titulo crux patuit salutaris. Hoc est quod petentibus Iudæis Pilatus respondit:Quod scripsi, Ibidem.
scripsi,id est,non ea scripsi quæ vobis placerent, sed quæ ætas futura cognosceret,nõ vobis scripsi, sed posteritati propemodum dicens: Habeat Helena quæ legat vnde crucem domini recognoscat.Inuenit ergo titulum, regem adorauit, non lignum vtique, quia hic Gentilis est error, & vanitas impiorum. Sed adorauit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo. Illum qui sicut scarabæus clamauit,vt persecutoribus suis peccata donaret.Auida mulier festinabat tangere remedium immortalitatis,metuebat calcare sacramentum salutis. Læto corde, & trepidanti vestigio quid faceret nesciebat. Pertendit tamen ad cubile, veritatis lignum refulsit,& gratia micuit,vt quia iam fœminã visitauerat Christus in Maria,spiritus in Helena visitaret:docuit etiam quod mulier ignorabat, & deduxit in viam quam mortalis scire non poterat. Quæsiuit clauos, quibus crucifixus est dominus,& inuenit.De vno clauo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Visitata est Maria vt Euam liberaret, visitata est Helena vt imperatores redimerentur. Misit itaque filio suo Constantino diadema gẽmis insignitũ, quas preciosior ferro innexas crucis redemptionis diuinę gemma connecteret.Misit & frænum. vtroque vsus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros reges. Principium itaque credentium imperatorum,sanctum est quod super frænum:ex illo fides vt persecutio cessaret,deuotio succederet. Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite regum leuauit & locauit, vt crux Christi in regibus adoretur. Non insolentia ista,sed pietas est,cùm defertur sacræ redemptioni. Bonus itaque clauus Romani imperatoris, qui totum regit orbem

bem,ac veſtit principum frontem, vt ſint prædicatores qui perſecutores eſſe conſuerunt.Rectè in capite clauus, vt vbi ienſus eſt,ibi præſidium. In vertice corona, in manibus habena.corona de cruce,vt fides luceat, habena quoq; de crece,vt poteſtas regat,ſitq; iuſta moderatio, non iniuſta præceptio . Habeant hoc etiam principes Chriſti ſibi liberalitate conceſſum , vt ad imitationem domini dicatur de imperatore Romano : Poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo.Ex illo gratulatur eccleſia , erubeſcit Iudæus , non ſolum erubeſcit,ſed etiam torquetur,quod ipſe ſibi author confuſionis eſt.Dum inſultat Chriſto,confeſſus eſt eum regem , dum regem Iudæorum appellauit , ſacrilegium ſuum qui non credidit , confitetur . Ecce, inquiunt: Et crucifiximus Ieſum,vt Chriſtiani & poſt mortem reſurgant,& mortui regnent.Nos crucifiximus quem reges adorant . Quem non adoramus,ipſi adorant . Ecce & clauus in honore eſt: & quem ad mortem impreſſimus,remedium ſalutis eſt,atque inuiſibili quadam poteſtate dæmones torquet.Putabamus nos viciſſe, ſed victos fatemur . Iterum Chriſtus reſurrexit, & reſurrexiſſe eum principes agnouerunt . Iterum viuit,qui non videtur.Nunc maior nobis contentio,nunc pugna nobis vehemẽtior aduerſus eum cui regna famulantur, cui ſeruit poteſtas,illum contempſimus, quomodo regibus reſiſtemus?Ferro pedum eius reges inclinantur.Reges adorant,& Fotiniani diuinitatem eius negant? Clauum crucis eius diademati ſuo præferũt imperatores,& Arriani poteſtati eius imminuũt?Sed quæro,quare ſanctum ſuper frænum, niſi vt imperatorũ inſolentiam refrenaret,cõprimeret licentiam tyrannorum , qui quaſi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria impune committere? Quæ Neronum , quæ Caligularum cæterorúmque probra comperimus,quibus non fuit ſanctum ſuper frænum . Quid ergo aliud egit Helenæ operatio , vt fræna dirigeret, niſi vt omnibus imperatoribus ſancto dicere ſpiritu videretur : Nolite fieri ſicut equus & mulus , ſed in fræno & chamo maxillas eorum conſtringeret , qui ſe non agnoſcerent reges , vt regerent ſibi ſubditos? Prona enim poteſtas in vitium ferebatur,& more pecudum vaga ſeſe libidine polluebãt. Ignorabant deum,reſtrinxit eos crux domini , & reuocauit à lapſu impietatis. Leuauit oculos eorum , vt Chriſtum in cœlo quærerent.Exuerunt ſe chamo perfidiæ,ſuſceperunt frænа deuotionis & fidei,ſecuti dicentem : Tollite iugum meum ſuper vos.Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue eſt.Inde reliqui principes Chriſtiani, præter vnum Iulianum,qui ſalutis ſuæ authorem reliquit, dum philoſophiæ ſe dedidit errori,inde Gratianus & Theodoſius . Non ergo mentita eſt prophetia, dicens : Ambulabunt reges in lumine tuo . Ambulabunt plane ac maxime Gratianus & Theodoſius præ cæteris principes non iam armis militum , ſed meritis ſuis tecti,nõ purpureum habitum , ſed amictum induti gloriæ . Qui cùm hic delectarentur abſolutione multorum , quanto magis illic pepercisſe ſe pluribus recenſendo pietatis ſuæ recordatione mulcentur , qui nunc luce fruuntur candida , longe meliora illic , quàm hic poſſidebant, habitacula conſecuti,dicẽtes:O Iſrael, quàm magna eſt domus domini,& quàm ingẽs locus poſſeſſionis eius:magnus, & non habens finem. Et perfuncti maximis laboribus inter ſe cõferunt:Bonum eſt viro cùm portauerit iugũ graue à iuuentute.ſedebit ſingulariter,& ſilebit,quia portauit iugum graue.Qui enim iugum graue portauit à iuuentute requieſcit: poſtea remotus à turba præcipuum locum quietis ſuæ poſſidet,dicens : Quoniam tu ſingulariter in ſpe conſtituiſti me . Portauit iugum graue à iuuentute ſua Lazarus pauper, ideo ſingulariter in ſinu Abrahæ requieſcit diuinæ teſtimonio lectionis. Portauit iugum graue Theodoſius à iuuentute, quando inſidiabantur eius ſaluti qui patrem eius triumphatorem occiderant.Portauit iugum graue, quando ſubiit pietatis exilium,quãdo infuſis Romano imperio barbaris ſuſcepit imperium . Portauit iugum graue , vt tyrannos Romano imperio demoueret.Sed quia hic in labore,ibi in requie . Sed iam veniamus ad Auguſti corporis tranſmiſſionem.Fles Honori germen Auguſtum , & lachrymis pium teſtificaris affectum quod inhonorum adhuc honore tumuli patris corpus per ſpacia multa tranſmittis. Sed & patriarcha Iacob propter populum liberandum quem terra fames graui vrgebat periculo , relicta domo ſenex ad peregrina contendit,atque ibi defunctus , ad ſepulchrum patrium per aliquot dies filio proſequente deductus eſt . Nec derogatum eſt aliquid meritis eius,ſed magis acceſſit ad laudem,quod pro ſuis carens dedita domus ſorte , quodam ſupremi funeris peregrinatus eſt exilio . Fles etiam imperator Auguſte,quod nõ vſque Cõſtantinopolim reuerendas reliquias ipſe proſequeris. Eadem tibi cauſa nobiſcũ eſt, omnes iuſto dolore proſequimur:omnes(ſi fieri poſſet)deductores tecum eſſe cuperemus. Sed Ioſeph ad finitimã acceſſit prouinciam.Hic multa interiacent regionum diuortia,hic maria transfretãda ſunt.Nec hoc quidem tibi laborioſum , niſi te teneret reſpublica , quam boni imperatores & parẽtibus & filiis prætulerunt.Denique ideo te imperatorem pater fecit,dominus confirmauit,vt non ſolum militares patri , ſed omnibus imperares . Nec vereare ne inhonoræ videantur quocunque acceſſerint reliquiæ triumphales.Non hoc ſentit Italia,quæ claros ſpectauit triumphos,quæ à tyrannis iterum liberata concelebrat ſuæ libertatis authorem.Non hoc Conſtantinopolis , quæ ſecundo ad victoriam principem miſit,quem cùm vellet tenere,non potuit . Expectabat quidem in reditu eius triumphales ſolennitates,& titulos victoriarum.Expectabat totius orbis imperatorem ſtipatum exercitu Gallicano,& totius orbis ſubnixum viribus. Sed nunc illuc Theodoſius potentior,nunc glorioſior redit, quem angelorum caterua deducit , quem ſanctorum turba proſequitur.Beata planè quæ paradiſi incolam ſuſcipis , & habitatorem ſupernæ illius ciuitatis auguſto ſepulti corporis tenebis hoſpitio.

Gene.46.

FINIS.

INDEX EPISTOLARVM DIVI AMBROSII *Mediolanenſis epiſcopi.*

EPISTOLAE LIBRI PRIMI.

Ambroſius Iuſto , exponens quid ſignificet illud didrachmum,cuius dimidiũ Hebræus præcipitur offerre pro redemptione animæ ſuæ. Epiſtola I.

Ambroſius Simpliciano,explanãs quid ſibi velit quod Moyſes poſt oblatum ſacrificium, & immolatas domino ſalutares hoſtias,dimidiam partem ſanguinis in crateras miſerit,dimidiam autem ad altare fuderit. Epiſtola II.

Ambroſius Simpliciano , cauſam reddens cur Moyſes propheta maximus inueniatur,magis Aaron fratris cõſilium quàm ſuum probaſſe.Cur etiam tam difficile támque rarum ſit pœnitentiam peccati gerere in hac vita homini. Epiſtola III.

Ambroſius Irenæo , declarans quomodo intelligendum ſit quod in Exodo legitur : Abominanda apud Aegyptios immolemus deo?Qualibus præterea ductoribus, & qua via ad eccleſiam Chriſti perueniatur. Qui illam ingrediantur,& quid eis in ipſa ſit agendum. Epiſtola IIII.

Ambroſius Felici Comenſi epiſcopo,aſſerens ſe & lectione ſermonis illius,& ſpe futuri aduẽtus refocillatum,ſimúlque vt venire non negligat adhortans. Epiſtola V.

Ambroſius Irenæo,Pythagoricum mandatum commemorans,quo ille diſcipulos ſuos communem atque vſitatam populo viam ingredi prohibuit, & vt idem à ſacerdotib⁹ obſeruetur,multiplici ratione perſuadens.Epiſtola VI.

EPISTOLAE LIBRI SECVNDI.

Ambroſius Simpliciano,elegãter de vera libertate ac etiam ſeruitute diſputans,fortiſſimíſque argumentis ſolum ſapientem vera libertate gaudere , & omnem inſipientem ſeruum eſſe comprobans, atque ad illam amplectendam plurimum cohortans. Epiſtola VII.

Ambroſius Fauſtino, eundem propter obitum Germanæ acerbo dolore mœrentem,conſolans. Epiſtola VIII.

Ambroſius Bellicio graui ægritudine priuſquam in dominum Ieſum crederet iactato , poſtea verò reualeſcente, illum

Pſalm.20.

Matth.11.

Eſaiæ 60.

Baruc.3.

Thren.3.

Pſalm.4.

Luc.16.

Pſal.31.

illum ex diuinæ visitationis pietate in fide Christi confortans,& ad aliorum sacramentorum perceptionem exhortans. Epistola IX.

EPISTOLÆ LIBRI TERTII.

Ambrosius Simpliciano, pulchre de veris diuitiis, ac contraria paupertate disserens, & quod omnis solúsque sapiens verè diues, atque insipiens pauper sit,demõstrans. Epistola X.

Ambrosius Irenæo,versiculum illum,Speciosus forma,&c. Græco sermone annotatum voluens, pluribúsque rationibus & exemplis nos prouocans, vt illi summo bono quod est dominus Iesus, quo nihil est speciosius, animo intendamus,illud quæramus,illud intueamur,illud teneamus,in illo versemur,illi adhęreamus,& in eo pascamur. Epistola XI.

Ambrosius Irenæo, prosequens illud verbum Aggæi prophetæ: Si tempus vobis est vt habitetis in domibus cælatis?multo ex hoc nos sermone commonens vt in superioribus domibus,& non in vallestribus & subterraneis habitemus,talésque domos nosmetipsos domino ædificemus. Epistola XII.

EPISTOLÆ LIBRI QVARTI.

Ambrosius Irenæo, hanc quæstionem: Vtrum sit aliqua apud deum differentia charitatis eorum qui à pueritia & eorum qui iuuentutis aut posterioris ætatis processu crediderint,dissoluens. Epistola XIII.

Ambrosius Irenæo,errorem remouens,ne quis eum de quo in superiori epistola dictum est,quòd duas habebat vxores,& duas asciuisse sibi animas intelligat. Epist.XIIII.

Ambrosius Irenæo, causam reddens cur lex prohibuerit mulieres vti veste virili, atque viros indui stola muliebri. Epistola XV.

Ambrosius Irenæo,epistolam ad Ephesios summaria ac breui explanatione perstringens. Epistola XVI.

Ambrosius clericos quosdam cui propter leuem aliquam offensionem ab officio desistunt,redarguit,& ad constantiam exhortatur. Epistola XVII.

EPISTOLÆ LIBRI QVINTI.

Ambrosius Horontiano, eum docens ex Michæa prophetа, quomodo anima vetus & infirma à recto itinere deuians lapsa sit:quóve processu conuertatur, gradúmque reparet ac reformet,& vt in proposito suo perseueret admonens. Epistola XVIII.

Ambrosius Horõtiano, disserens quemadmodum animam euangelicam quæ est ecclesiæ filia, dominus Iesus primo susceperit,erudierit,atque consummauerit. Epist. XIX.

Ambrosius Horontiano,quæ sit diuina hæreditas definiens, & cur tanti æstimetur, vt propter eam plerique morti se offerant. Epistola XX.

Ambrosius Horõtiano,quæstionem de natura & substantia animæ subtili responsione dissoluens. Epist. XXI.

Ambrosius Horontiano, superioris quæstionis responsionem latius explanans atque complens. Epist.XXII.

Ambrosius Horontiano, dubitationem tollens de quo spiritu dictum sit, quia postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Epistola.XXIII.

Ambrosius Marcello, narrans se causam veternosi iurgij inter illum & fratrem ac sororem componendi tanquam arbitrum suscepisse, rationémque huiuscemodi compositionis exponens. Epistola XXIIII.

Gratianus Augustus beato Ambrosio, vt ad se docendum venire festinet postulans,& vt scripturis atque argumentis spiritum sanctum deum esse conuincat,rogans. Epistola XXV.

Ambrosius Gratiano Augusto, epistolam ipsius plurimum commendans, súæque voluntati se satisfacturum pollicens. Epistola XXVI.

Ambrosius Valentiniano imperatori, legationis suæ expositionem insinuans. Epist.XXVII.

Ambrosius Theodosio imperatori, seipsum excusans, & vt ille facinoris sui pœnitẽtiam agat,rationibus atque exemplis suadens,rogans,hortans,& admonens. Epistola XXVIII.

Ambrosius Theodosio imperatori vindicari iubenti in episcopum & Christianos qui synagogam incenderunt,vehementer eum ob hoc arguens,atque vt aliam epistolam dictari iubeat, & quod prius iussum fuerat emendet, exhortans. Epistola XXIX.

Ambrosius Valentiniano, eũdem rogans atque conueniens ne ad petitionem Gentilium aras eorum imperatorio decreto instaurari iubeat, ostendénsque ex tali decreto, primum deo,deinde patri & fratri iniurias irrogari. Epistola XXX.

Symmachi vrbis præfecti persuadentis ritus veteres circa cultum deorum esse seruandos,ad imperatores relatio.

Ambrosius Valentiniano imperatori, relationi Symmachi respondens,aptissimísque cõfutationibus eam refellens. Epistola XXXI.

Ambrosius Valentiano imperatori, recusans certare cum Auxentio Arriano in consistorio imperatore iudicaturo ex eo quod in causa fidei episcopi de laicis in ecclesia, & non laici de episcopis in consistorio debeant iudicare. Epistola XXXII.

Sancti Ambrosij in Auxentium de basilicis tradendis inuehentis,suósque ad constantiam atque tolerantiam exhortantis,oratio.

Ambrosius Marcellinæ sorori suæ, referens illi quid in causa de basilicis tradendis actum sit, & in quo statu resipsa nunc consistat. Epistola XXXIII.

Ambrosius Theodosio imperatori, decessum Valentiniani Augusti vehementer se dolere, aptissimúmque pro sepultura eius locum præparatum esse insinuans. Epistola XXXIIII.

Ambrosius Eusebio episcopo,apparitori præfecturæ offensam quam contraxerat esse remissam,Faustinumque paruulum tussi laborantem ad sororem venisse referens. Epistola XXXV.

EPISTOLÆ LIBRI SEXTI.

Ambrosius Sabino episcopo, eos qui indignum duxerint, quòd Paulinus venditis facultatibus, & seculo relicto, secretum quoddam elegerit, confutans & comprobans, quod non ignominiosum aut turpe,sed glorioſum sit,opprobriosum,vilem,& nudum fieri pro Christo. Quidetiam denudatio ipsius Dauid figurauerit,exponens. Epistola XXXVI.

Ambrosius Chromatio, ex illo quod in libro Numerorum à Balaam dictum esse legitur, quia non mentitur deus, nec est augurator in Israel: discutiens vnde habuerit iste qui augur erat,vt oraculum dei loqueretur & futura manifestaret. Epistola XXXVII.

Ambrosius Horontiano,rationem huic quæstioni reddens, cur prius omnia vel volatilia, vel terrestria, vel quæ in aquis sunt, producta fuerint, quàm homo propter quem cuncta illa creata sunt,formaretur.Epist. XXXVIII.

Ambrosius Horontiano, de diuisione prophetica quæ operatorem atque opera distinxit, ratione quoque sex dierum quibus factus est mũdus, & mysterio septimi atque octaui numeri subtiliter differens. Epist.XXXIX.

Ambrosius Sabino,libellos illi mittens,atque rogãs vt scrutanter discutiat,& quæ corrigenda decreuerit,arbitrij sui iudicio corrigat. Epistola XL.

Ambrosius Sabino, ex eo quod illi complacuit vsus epistolarum,spondens se frequentius eum scriptis suis, præsertim cùm solus sit,velle alloqui, solitudinémque plurimũ commendans atque suadens. Epistola XLI.

Ambrosius Sabino, de paradiso quid alij senserint referens, & quæ sua de mystico paradiso sit sententia, pulchra expositione declarans. Epistola XLII.

Ambrosius Sisynnio,pietatem illius commendans quod filio ignouerit,qui eo inconsulto vxorem acceperat.Epistola XLIII.

EPISTOLÆ LIBRI SEPTIMI.

Ambrosius Constantio, in suscepto ecclesiæ gubernamine illum

ne illum confortans, ac diligenti commonitione instituens qualem se debeat coram plebe domini exhibere loquendo,docendo, admonendo,hortando, persuadendo, obsecrando, vt vitiis & terrenis cupiditatibus renuncient,virtutes sectétur,bonorúmque operum diuitias quærant, & domino in sobrietate & gratia & tota mentis sedulitate seruiant. Demum eidem aliam quandam ecclesiam commendans. Epist.XLIIII.

Ambrosius Sabino, causam reddens cur post scripturam prius directam codicem apertius scriptum transmiserit. Cur etiam propriam manum stylo suo affixerit,ad epistolarem inde ludum eum inuitans,& vsum illius exponẽs. Epist.XLV.

Ambrosius Eusebio, iucunditatem illius in filiis & filiorum benedictionem recensens. Epist.XLVI.

Ambrosius Irenæo, confutans errorem cuiusdam maledici Apollinaristæ, qui non potest audire quod dominus noster Iesus Christus pro nobis seruitutem susceperit. Epist.XLVII.

Ambrosius Irenæo,prosequens illud quod in Hieremia scriptum est: Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit: naturam istius auis describendo, & eam diabolo ac membris suis adaptando. Epist.XLVIII.

Ambrosius Syricio, narrans illum Prisco aduenienti literas dedisse,& se eidem reuertenti alias reddidisse. Et quia vtrunque eorum officio remuneratus sit,etiam eius officij precium incremẽta debere adipisci gratiæ. Epist.XLIX.

Ambrosius Attico,scribens literas suas Priscum sibi,& se illi alias reddidisse, Priscum dilectioni suæ amplius commendans. Epist.L.

Ambrosius Felici,significãs tuberum sibi missorum partem amicis direxisse.Et illum quod se tamdiu nequaquam reuiserit,arguens. Epist.LI.

Ambrosius Romulo, quæstioni illius, cur videlicet deus dixerit: Ponam cœlum æreum, & terram ferream, satisfaciens. Epist.LII.

Ambrosius Titiano, illi congaudens quod à Rufino liberatus sit,quem sibi grauiorem iudicem in negocio cum nepte sua arbitrabatur. Epist.LIII.

Ambrosius Syricio,gratum sibi asserens cùm & ab ipso literas accipiat,& ille aliquos de conseruitio suo dirigat,eósque se diligere contestans,qui non patiuntur se à suo munere diutius abesse, & ad sequendum dominum Iesum suadens. Epist.LIIII.

Ambrosius Fœgadio & Delphino episcopis, insinuans Polybium vt vtrique eorum scriberet popposcisse,ac post datam epistolam vtriusque nomine conscriptam, alteram exegisse,& ei se illam dedisse. Epist.LV.

Ambrosius Romulo,de eo quod Aaron populo poscenti sibi deos fieri aurum detraxerit, & quòd eo auro figuratum sit vituli caput,& quod Moyses tam dure indignatus sit vt iuberet quemque insurgere in necem proximi sui, quid ipse sentiat exprimens. Epist.LVI.

Ambrosius Seuero episcopo, scribens compresbyterum suum Iacobum Campaniæ sibi ad requiescendum littora, vbi orationi vacet, & deo seruiat, elegisse, se vero in medio omnium molestiarum freto versari conquerens. Epist.LVII.

Ambrosius Studio, pia illi persuasione respondens quid in causa cuiusdam criminosi potius agere debeat. Epist.LVIII.

Ambrosius sacerdotibus quibusdam & omni clero plebis Thessalonicensium,de obitu,vita, virtutibus, & conuersatione sancti viri Acholij. Epist.LIX.

Ambrosius Anysio sancti Acholij successori, de successione eius congaudens,vitámque sancti Acholij commendans, & illius adolescentiam,iuuẽtutem atque senectutem benedicens. Epist.LX.

Ambrosius Candidiano,splendorem sermonis & fulgorem affectus eius commendans, illíque benedictionem optans. Epist.LXI.

EPISTOLÆ LIBRI OCTAVI.

Ambrosius Irenæo,quæstionem cur dominus deus manna pluerit populo patrum,& nunc non pluat, dissoluens. Epist.LXII.

Ambrosius Iusto, differens quod veteres quos plerique secundum artem scripsisse negant, secundum gratiam quæ super omnem artem est, scripserint: de quorum tamen scriptis ij qui de arte scripserunt,artem inuenerunt. Epist.LXIII.

Ambrosius Syagrio Veronensis ecclesiæ episcopo, literis illius respondens, eúmque vehementer arguens de iudicio attentato in causa cuiusdam virginis per turpes quasdam personas accusatæ,& cur causam istam ad se reuocauerit,& qualem in ea sententiam pronunciauerit, exponens. Epist.LXIIII.

Ambrosius Syagrio, pro castitatis contumelia dolẽtem que relam faciens, atque ex scripturis sanctis ostendens quantum maiores nostri reuerentiæ detulerint castimoniæ, quantúmve vltionis studium aduersum temeratores pudicitiæ fuerit. Epist.LXV.

Ambrosius Paterno,eundem quia filio neptem, ex filia copulare voluit,redarguens,& vt ab ea discedat intentione, commonens. Epist.LXVI.

Ambrosius Quinegio,illum de consultatione sua commendans. Epist.LXVII.

Ambrosius Antonio,amorem eius in se,& sui animum in illum commemorans. Epist.LXVIII.

Ambrosius Alypio,literas illius sibi esse redditas, & se suis respondisse literis significans. Epist.LXIX.

EPISTOLÆ LIBRI NONI.

Ambrosius Vigilio, instituens eum quomodo plebem docere debeat,ac inter cætera vt coniugia ex alienigenis refugiant,Sampsonísque exemplo comprobans quàm per nicioſum sit alienigenæ mulieris copulam adsciuisse. Epist.LXX.

Ambrosius Irenæo, occasione eius quod in Apostolo scriptum est:Lex enim iram operatur,&c. quæstionem cur lata sit lex,absoluens. Epist.LXXI.

Ambrosius Irenæo, causam reddens cur pleraque in lege præcepta sint, quæ per euangelium vacuata videntur, vt est circuncisio corporalis, & obseruatio sabbati, aliaque plura huiusmodi,Cur etiam lex pædagogus dicatur. Epist.LXXII.

Ambrosius Clementiano, vim Apostolicæ disputationis in superiori epistola notatæ aperiens, simúlque ostendens Iudæum non esse secundum adoptionem hæredem. Epist.LXXIII.

Ambrosius Horontiano, ex eo quod ab Apostolo commemoratum est, Abraham credidit deo, & reputatum est ei ad iustitiam, &c. colligens quod ij magis Abrahæ filij qui ex fide hæredes sunt,ipsam quoq; fidem plurimum commendans. Epist.LXXIIII.

Ambrosius Bellicio,exponens quid sibi velit illud quod dominus Iesus videns à generatione cæcum, expuit,& fecit lutum,& superunxit oculos cæci,&c. Epist.LXXV.

Ambrosius Studio,quæstionem ab eo propositam quam in quadam epistola superius ad eundem scripta absoluit, latius ac plenius pertractans & absoluens.Epist.LXXVI.

Ambrosius Constantio,causam reddens cur circuncisio veteris testamenti authoritate quasi vtilis imperetur,& noui testamenti magisterio quasi inutilis repudietur,aduersantiúmque obiectiones arguta responsione dissoluens. Epist.LXXVII.

EPISTOLÆ LIBRI DECIMI.

Ambrosius Theophilo,dolenter conquerens de statu causæ discordiarum inter Euagrium & Flauianum,& quid eum in hac re agere velit,exponens. Epist.LXXVIII.

Ambrosius Theophilo & Anysio, excusans se de iudicio ferendo inter Bonosum episcopum & accusatores eius, illíque causam istam committens. Eosdem præterea approbans merito abhorruisse blasphemiã quorundam qui inuiolatam virginem Mariam plures peperisse filios mentiuntur. Epist.LXXIX.

Syricius papa Mediolanensi ecclesiæ, narrans quid actum sit contra hæreticos qui sub velamento pij nominis serpentino sermone catholicam veritatem corrumpere, ac fideles Christianos sauciare moliti sunt, admonénsque vt ab illis se custodiant. Epist.LXXX.

Ambrosius, Bassianus & cæteri Syricio papæ, pastoralem illius solicitudinem circa ouile Christi custodiendum, & lupos arcendos commendantes, virginitatémque contra istorum dementiam coniugio prę ferentes: Immaculatam præterea Christi genitricẽ Mariam, ratione, testimoniis, figuris, & exemplis astruentes in partu virginem permansisse: Præconia denique viduitatis attexentes, ac tandem Iouinianum & reliquos hæreticos esse dãnatos insinuantes. Epist.LXXXI.

Ambrosius Vercellensi ecclesiæ, & eis qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, dolenter conquerens quod ipsa sola adhuc sacerdotem non habeat, illósque admonens vt parentum exemplasequantur ad postulandum sacerdotem. Eorum præterea errorem qui nullum dicunt esse abstinentiæ meritum, vel virginitatis fructum, rationibus scripturis & exemplis confutans, voluptatem quoque condemnans, & ieiunium, abstinentiam, temperantiam ac virginitatem excellenter commẽdans: Vercellenses deinceps ad constantiam & alias virtutes exhortans. Quódq; maxime in Episcopi petitione abesse debeat malignitas. Ac tandem qualis in episcopum eligẽdus, qualésve & ipsi esse debeant, exponens. Epist.LXXXII.

Ambrosius episcopis per Æmiliam constitutis, eos de celebritate paschali instruens. Epist.LXXXIII.

Ambrosius sacræ virgini Demetriadi, magnis præconiis veram humilitatem exaltãs, aduersantémque illi superbiam digna vituperatione confundens. Ac per hoc ipsam ad elationem cauendam, & præsidio synceræ humilitatis armandam persuadens. Epist.LXXXIIII.

FINIS INDICIS.

Diui Ambrosij MEDIOLANEN. EPISCOPI *epistolarum, Liber primus.*

Diui Ambrosii ad Iustum, exponentis quid significet illud didrachmum cuius dimidium Hebræus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ.

Epistola I.

AMbrosius Iusto: Pulchrè admones frater vt epistolares fabulas, & sermonem absentium ad interpretationem conferamus oraculi cœlestis, interrogãs me quid significet illud didrachmum cuius dimidium Hebræus præcipitur offerre pro redẽptione animæ suæ. Quid enim tam consociabile, quàm de diuinis rebus sermonẽ contexere. Est autem dimidium didrachmi, drachma. Redẽptio autem animæ fides. Fides ergo drachma, quam illa mulier in euangelio, vt legimus, amissam diligenter requirit, lucernam accendens, & mundans domum suam: & si inuenerit, conuocat amicas & vicinas, petens congratulari eas secum, quod inuenerit drachmam quam perdiderat. Magnum enim damnum animæ si quis fidem amiserit, vel gratiam, quam fidei precio acquisiuit sibi. Et tu ergo accende lucernam tuam. Lucerna tua oculus tuus est, ille interior oculus scilicet mentis. Istam lucernam accẽde, quæ accipit oleum spiritale, & lucet in tota domo sua. Quære drachmam, redemptionem animæ tuæ: quam qui amiserit, turbatur: qui inuenerit, exultat. Est & redemptio animæ misericordia. Redemptio enim animæ hominis, diuitiæ eius sunt, quibus vtique fit misericordia, quæ sumptu pauperes iuuat. Fides igitur gratia, gratia misericordia, misericordia redemptio est animæ, quæ drachma, hoc est integro precio summę plenioris expenditur. Sic enim scriptum est, dicente domino ad Moysen: Quod si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione ipsorum, & dabunt singuli redẽptionem animæ suæ domino, & non erit in his ruina in visitatione eorum. Et hoc est quod dabunt quotquot perambulant visitationem, didrachmi dimidiam partem, quod est secundum didrachmum sanctum, Viginti oboli didrachmum. Dimidia autem pars didrachmi illatio domino. Omnis qui intrauerit visitare à viginti annis & supra, dabunt illationem domino. Qui diues est, non adiiciet: & qui pauper est, non minorabitur à dimidia parte didrachmi, cùm cœperint dare oblationẽ domino, & exorare pro animabus suis. Et accipies pecuniam illationis à filiis Israel, & dabis illam in opus tabernaculi testimonij, & erit filiis Israel legitimum memoriale in conspectu domini, & orare pro animabus vestris. Ita ergo deerat vel diues qui plꝰ offerret, vel pauper qui minus haberet, si in pecunia dimidium didrachmum istud non in virtute esset. Vnde aduertendum quod non materialis ista, sed intelligibilis drachma sit, quæ ex æquo ab omnibus cõferenda existimabatur. Denique etiam de illa cœlesti esca (Esca autem & delectatio alimenti cœlestis sapiẽtia est, qua vescebantur in paradiso locati, qui erat indeficiens animæ cibus, quẽ vocauit manna diuinus sermo) ita legimus distributionem factam per singulas animas, vt æqualis fieret diuisio. Et collegerunt secundum dispositionem Moysi, is qui plurimum, & qui minimum, & mensuram fecerunt Gomor, & non abundauit & superfuit ei qui multum: & ei qui minus, nõ defuit. Vnusquisque enim pro numero animarum qui apud se erat in tabernaculis, collegerũt per singula capita Gomor, id est, mensuram vini, sicut habet interpretatio. Est autem mensura sapientiæ: quæ si supra mensuram sit, nocet, quia scriptum est: Noli esse multum sapiens. Et Paulus docuit secundum mensuram dari diuisionem gratiarum, cùm dicit: Quia vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secũdum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, & diuidi eam gratiam secundum voluntatem spiritus. Quod diuidit, æquitatis est: quod autem secundum voluntatem suam diuidit, potestatis. Vel quia id velit vnicuique conferre quod profuturum nouerit. Gomor ergo mensura est, & mensura vini, quod lætificat cor hominis. Quid autem nisi sapientiæ potus, iucunditas cordis est? Hoc est illud vinum quod miscuit in cratere sapientia, & offert bibendum, vt sumamus nobis sobrietatem & prudentiam, quod ea æqualitate transfundi oportet sensibus & cogitationibus nostris, & omnibus motibus, qui intra hanc nostram sunt domum, vt sciamus posse abundare omnibus, deficere nulli. Plenius autem de sanguine Christi intelligitur, cuius ad gratiam nil minuitur, nihil adaugetur. Et si parum sumas, & si plurimum haurias, eadem perfecta est omnibus mensura redemptionis. Pascha quoque domini, hoc est, agnum ita patres epulari iubentur, vt secundum numerum animarum epulentur suarum, neque plures, neque pauciores, neque aliis plus dari, aliis minus sed secundum animas singulorum: ne aut fortiores amplius sumant, aut infirmiores minus. Gratia enim æqualis singulis diuiditur, redemptio diuiditur, donum diuiditur. Neque plures oportet esse, ne quis vacuus spei & redemptionis recedat. Plures sunt quando aliqui extra numerum sunt, sancti numerati sunt omnes, & capilli eorum. Cognouit enim dominus qui sunt ipsius. Neque pauciores, ne magnitudine gratiæ sit ad recipiendum infirmior. Et ideo omnes æqualitatem deuotionis & fidei deferre præcepit ad pascha domini, id est, ad transitum. Pascha autem est quando anima irrationabilem deponit passionem, sumit autem bonam compassionem, vt compatiatur Christo, & transitum eius in se suscipiat, vt inhabitet in ea, & deambulet, & fiat eius deus. Gratia itaque æqualis per omnes, virtus autem diuersa in singulis. Vnusquisque ergo portionem competentem suis viribus sumat,

Lucæ 15.

Matth. 6.

Exod. 30.

Ibid. ad.

Eccles. 7. 1. Cor. 12.

Matth. 20. 2. Tim. 2.

sumat,ne aut fortior indigeat,aut oneretur infirmior. Ha-
bes hoc in euangelio, quia merces æqualis omnibus soluitur in vinea laborantibus,sed pauci ad brauium,pauci ad co
Matt.20. ronam perueniunt, pauci dicunt: Reposita est mihi corona
2.Tim.4. iustitiæ.Alia est enim merces liberalitatis & gratiæ,aliud vir
tutis stipendium, laboris remuneratio. Ergo didrachmum redemptio est, imò dimidium didrachmi. Redimit autem nos à morte,redimit à seruitute, ne subiecti simus mundo, cui renunciamus. Vnde dominus in euangelio dicit ad Pe-
Matth.17. trum,vt vadat ad mare,& mittat hamum,in ore piscis inuen
tum staterem sumat,& det pro domino & pro se, exigentibus didrachma. Hoc est igitur didrachma quod exigebatur secundum legem,sed non debebat illud filius regis,sed alienus. Quid enim se Christus redimeret ab hoc mundo, qui venerat vt tolleret peccatum mundi? Quid se à peccato redimeret, qui descenderat vt omnibus peccatum dimitteret? Quid se redimeret à seruitute,qui se exinaniuerat,vt vniuersis libertatem daret? Quid se redimeret à morte,qui carnem susceperat, vt morte sua omnibus resurrectionem acquireret? Non vtique opus habuit redemptione redemptor vniuersorum,sed sicut circuncisionem accepit vt legem impleret,& ad baptismum venit vt impleret iustitiam, ita etiam didrachma exigentibus solutionem non recusauit, statim staterem pro didrachma iussit pro se & Petro dari.Maluit enim supra legem soluere,quàm id quod erat legis negare.Ostendit autem contra legem Iudæos facere,qui ab vno didrachmum exigerent, cùm dimidium didrachmi exigendũ Moyses præscripserit.Et ideo & pro se & pro Petro tanquam singulas drachmas in statere solui mandauit.Bonus autem census Christi,qui statere soluitur,quia statera iustitia est, iustitia autem supra legem. Denique finis legis Christus est ad
Rom.10. iustitiam omni credenti.Hic stater in ore piscis inuenitur,illius piscis quem capiunt piscatores hominum, illius piscis qui ponderat sermones suos, vt igne examinatos proferat. Hunc staterem nescierũt Iudæi, quem proditori dederunt. Lex autem dimidium didrachmi pro redemptione animæ exigit,quam drachmam deo deputat, quia totum didrachmum vindicare non poterat.Vix enim in Iudæo vel portio deuotionis poterat inuestigari. Qui autem verus est liber, verus Hebræus, totus est dei: totum quod habet, libertatis
Exod.21. est.Nihil habet illius qui libertatem recusat, dicens: Dilexi dominum meum,& vxorem, & infantes: non abibo liber. Quod non solum ad dominum, sed etiam ad eius refertur infirmitatem qui se subiecerit mundo, quod diligat mundum,vel mentem suam,id est,non huius authorem voluntatis.Nec solum ad vxorem,sed etiam ad delectationem refertur, quæ domesticam non illam æternam curam suscipit. Huic ergo ad limen & ostium suum dominus suus aurem pertundit,vt meminerit sermonis sui quo seruitutem elegit.
Matth.19. Et ideo tu Christiane istum ne imiteris, quia tibi scriptum est,non vt didrachmi dimidium (si tamen vis perfectus esse) deo offeras,sed vt omnia tua vendas,& des pauperibus.Nec vt portionem seruitutis mundo reserues,sed vt totum te abneges,& domini crucem tollas,& sequaris eum. Cognouimus itaque ideo dimidium didrachmi lege postulari, quia dimidium generi huius mundi seruabatur, id est, conuersationi seculari, & vsui domestico & posteritati reseruabatur, quibus necesse erat & sortem ex sorte,id est, transmissionis deputari. Vnde & dominus tentantibus se Pharisæis subdo-
Ibid.22. la interrogatione vtrum suaderet censum dari Cæsari, respondit:Quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numisma census.At illi obtulerunt ei denarium, in quo erat imago Cæsaris. Ait illis: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei,Deo.ostendens illos ita esse imperfectos, qui sibi perfecti viderentur, vt prius Cæsari quàm deo soluerent. Quibus enim prior esset cura mundi, ab iis prius solu-
Daniel.1. endum foret quod erat mundi.Vnde & ait:Reddite,id est, vos reddite quæ sunt Cæsaris, apud quos figura & imago inuenitur Cæsaris.Illi ergo Hebræi pueri Ananias, Azarias, Misael, ille Daniel sapientior, qui non adorauerunt imaginem regis, qui non receperunt eam, qui nihil de illa mensa regis accipiebant, non tenebantur ad solutionem tributi. Nihil enim eorum quæ sub rege terreno erant,possidebant.

A Ergo eorum imitatores non soluunt tributum,quibus portio deus est. Ideo dominus ait: Reddite, id est, vos reddite qui protulistis imaginem Cæsaris,apud quos inuenitur:ego autem nihil debeo Cæsari, quia nihil huius mundi habeo. Venit enim huius mundi princeps, & in me inuenit nihil. Nihil debuit Petrus, nihil apostoli mei, quia non sunt de Ioan.14.
hoc mundo. Et si in hoc mundo sunt, ego misi eos in hunc mundum. Sed iam non sunt de hoc mundo, quia mecum sunt supra mundum.Ergo quod diuinæ legis est, solui iubetur,non quod Cæsaris. Et tamen & ipsum perfectus, id est, prædicator euangelij iam non debebat, qui plus prædicabat. Non debebat filius dei, non debebat & Petrus in adoptionem à patre adscitus per gratiam.sed ne scandalizentur, inquit,vade ad mare,& mitte hamũ, & eum piscem qui pri- Matt.17.
mus ascẽderit,tolle,& aperto ore eius inuenies ibi staterem, illum sumens da iis pro me & te.O magna mysteria,dat dimidium didrachmi quod lex iubebat,& non negat quod le-
B gis est,quasi factus ex muliere,sub lege factus.secundum in Gala.4.
carnationem locutus sum.Ex muliere secundum sexum:mulier sexus est,virgo species:sexus generis, virgo integritatis. in quo ergo venit sub lege,in eo factus est ex muliere,id est, in corpore. Et ideo didrachma solui iubet pro se & Petro, quia vterque sub lege generati.Iubet ergo secundum legem solui, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Et tamen state- Ibidem.
rem dari iubet,quo vectes imponerent ori suo, ne ex multiloquio peccatum admitterent. Et iubet dari in ore piscis repertum, vt agnoscerent verbum. Qui enim quod legis est, exigebant:cur quod legis est,nesciebant? Verbum enim dei ignorare non debebãt:quia scriptum est:Prope est verbum Deut.30.
in ore tuo,& in corde tuo. Totum igitur didrachmum deo soluit, qui seculo nihil reseruauit. Deo enim iustitia soluitur,quæ est mentis sobrietas. Deo soluitur sermonis custodia,quæ est sermonis sobrietas. Corde enim creditur ad iu- Rom.10.
stitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Potest autem &
C drachma pro veteri testamento accipi, didrachmum pro vtriusque testamenti precio,quia secundum legem vnusquisque per legem redimebatur.Qui autem secundum euangelium redimitur,soluit drachmam secundum legem: sanguine redimitur Christi secundum gratiam, geminam habens redemptionem,& deuotionis & sanguinis. Nec enim fides sola ad perfectionem satis est, nisi etiam baptismatis adipiscatur gratiam,& sanguinem Christi redemptus accipiat.Bona ergo drachma quæ deo soluitur. Non est drachma denarius, sed diuersum est. Denique in denario imago Cæsaris est,in drachma imago dei. Quia vnius est dei, ad imitationẽ ipsius,ab vno incipit,& in infinitum diffunditur. Et iterum de infinito numero in vnum quasi in finem omnia reuertuntur: quia deus & principium & finis omnium est.Vnde nec numerum monada, sed elementum numeri quibus ea cura est appellauerunt.Et hoc propterea diximus,quia scriptum Apoc.1.
est: Ego sum α & ω: primus, & nouissimus. &, Audi Israel: Deut.6.
Dominus deus tuus deus vnus est. Et tu ergo ad similitudinem domini vnus esto atque idem.Non hodie sobrius, cras ebriosus:hodie pacificus,crastina die litigiosus: hodie frugi, crastina die incõtinens.Mutatur enim vnusquisque morum
D varietate,& fit alter,in quo non agnoscitur quod fuit: & incipit esse quod non fuit,sui degener. Graue est enim mutari in peius,sed esto sicut imago in drachma,immutabilis, eundem habitum seruans.Quotidie videns drachmam, attende imaginem:hoc est,videns legem, attende in lege imaginem dei Christum.Quia ipse imago dei inuisibilis & incorruptibilis, luceat tibi velut in speculo legis. Confitere eum in lege,vt eum in euangelio recognoscas. Si cognouisti in mandatis,recognoscis in operibus.Vale,& si non infructuose di drachmum istud commissum mihi arbitraris, iterum si quid habes,committere ne dubitaueris.

Sancti Ambrosii ad Simplicianum,explicantis quid sibi velit quod Moyses post oblatum sacrificium,& immolatas domino salutares hostias, dimidiam partem sanguinis in crateras miserit,dimidiam autem ad altare fuderis.

Epistola II.

AMbrosius Simpliciano. Motum te cùm legeres, significasti mihi, quid sibi velit, quod Moyses post oblatum sacrificiũ, & immolatas domino salutares hostias, dimidiam partem sanguinis in crateras miserit, dimidiam autem ad altare effuderit. Sed quid est quod ipse dubites, & à nobis requiras, cùm fidei & acquirendæ cognitionis diuinæ gratia totum orbem peragraueris, & quotidianæ lectioni nocturnis ac diurnis vicibus omne vitæ huius tempus deputaueris, acri præsertim ingenio etiam intelligibilia complectens? Vtpote qui etiam philosophiæ libros quàm à verò sint deuij demonstrare soleas, & plerosque tam inanes esse, vt prius scribentum in suis scriptis sermo quàm vita eorum defecerit. Tamen quia collatio sermonis, vt pecuniæ, magno est vsui atque ea maximus in commune emolumentum negociationis profectus paratur: quod mirabilis sit ista sanguinis diuisio, reticere non queo. Pars enim eius moralem sapientiæ disciplinam videtur significare, pars mysticam. Illa quæ in crateras mittitur, moralis est: hæc quæ ad altare effunditur, mystica: eo quod diuino munere & aspiratione quadam humanis infundatur mentibus, vt conuenientia & fidei plena de deo sentiant. Denique qui locuti sunt de eius maiestate, & de cœlestibus, vel apostoli, vel sancti prophetæ, non nisi ex reuelatione demonstrata sibi loqui ausi sunt. Vnde Paulus & raptum se in paradisum, & audisse se verba quæ non licet homini loqui, in epistola sua testificatus est. Stephanus quoque vidit cœlos apertos, & Iesum ad dexteram dei stantem. Et Esaias propheta vidit sedẽtem. Nam de Moyse quid loquar, de quo dicit scriptura, quod non surrexit amplius propheta in Israel sicut Moyses, qui vidit dominum facie ad faciem in omnibus signis & prodigiis quæ fecit in terra Ægypti? Mystica ergo deo libantur, qui splendore diuinæ sapientiæ, cuius pater & genitor est, inflammat animæ vigorem, ac mentem illuminat. Sapientia autem dei Christus, in cuius pectore recumbebat Ioannes, vt de principali illo secretóque sapientiæ hausisse diuina proderetur mysteria. Denique ipse conscius munĕris hoc scripsit, qui sibi quod acceperat vindicare, & suo assignare ingenio reformidabat. Sed & ipse dominus dicebat apostolis os suum aperiens: Accipite spiritum sanctum, quo declarauit se esse qui Moysi dixerat: Ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui. Ergo hæc sapientia diuina inenarrabilis, impermixta atque incorrupta sanctorum animis sui infundit gratiam, & cognitionem reuelat, vt speculentur eius gloriam. Illa autem moralis sapientię disciplina est, quæ mittitur in crateras, & ex illis percipitur atque hauritur. Crateres igitur sensuum receptacula. Crateres oculi sunt duo, aures sunt, nares sunt, os quoque & aliæ partes conuenientes muneri. Oculi enim visum recipiunt & ministrant, auditum aures, odorem nares, ora gustatum, &c. In istos crateres verbum illud in quo est principatus sacerdotij vel prophetiæ, effundit sanguinis sui partes, vt viuificet atq; animet irrationabiles portiones, & faciat rationabiles. Denique vbi legis diuinæ præcepta nu merauit atque annunciauit populo, Theoriam postea intelligibilis illius arcæ testimonij vel candelabri vel thymiamatis locuturus immolauit hostias & libauit, sanguinis partem infundens altaribus sacris, partem autem infudit crateribus. Fit ergo diuisio mysticæ illius, hoc est, diuinæ moralísque sapientiæ. λόγος enim diuisor est animarum atque virtutũ. λόγος autem verbum dei validum & acutũ, quod pertransit & penetrat vsque ad diuisionem animæ, virtutes quoque distinguit & diuidit, cuius minister Moyses diuisione sanguinis virtutum genera distinxit. Et quia nihil præ cæteris in lege, nisi Christi aduentus annunciatur, atque eius præfiguratur passio, vide ne ista sit hostia salutaris, quam verbum deus in semetipso obtulit, atque in suo immolauit corpore. Quod primo moralem in euangelio, sed etiam in lege docuit disciplinam, & in sua patientia atque in ipso actu & opere monstrauit, tanquam in crateras ita in mores nostros sensúsque transfundens velut substantiam quandam & vitalia ipsa sapientiæ, quibus mentes hominum viuificauit ad virtutis seminarium, & instituta pietatis. deinde accedens ad altare effudit hostiæ suæ sanguinem. Itaque siue ita hęc accipias, pius

Exod. 24.

(vt arbitror) sensus est: siue secũdum Salomonem velis, concurrit æque, vt quia sanguinem misit in crateras Moyses propheta, cognoscas ipsum esse sanguinẽ de quo scriptum est: Prouer. 9.
quia sapientia miscuit in cratere vinum suum dicens vẽite et
querent insipientiã, & quærerent sapientiam. Hauritur ergo
de cratere sapiẽtia, hauritur disciplina, hauritur intellectus,
hauritur correctio, hauritur vitæ emẽdatio, hauritur morum
& consiliorum temperatio, pietatis gratia, virtutis incremen
tũ, fons vbertatis. Quod verò ad altare effundit sanguinem,
intelligere licet ablutionem mundi, remissionem omnium
peccatorũ. Etenim sanguinem illum ad altare quasi hostiam Hebr. 9.
effundit ad multorum exhauriẽda peccata. Agnus enim ho-
stia est, sed agnus non irrationabilis naturæ, sed diuinæ po-
tentiæ, de quo dictum est: Ecce agnus dei, ecce qui tollit pec Ioan. 1.
catum mundi. Non solum enim mundauit sanguine delicta
vniuersorum, sed etiam diuina potestate donauit. An non ti
bi videtur effudisse sanguinem suum, de cuius latere supra
ipsum passionis altare aqua cucurrit & sanguis? Vale, & nos
parentis affectu dilige, vt facis.

Diui Ambrosii ad Simplicianum, causam reddentis cur Moyses propheta maximus inueniatur, magis Aaron fratris consiliũ quam suum probasse, Cur etiam tam difficile támque rarum sit pœnitentiam peccati gerere in hac vita homini.

Epistola III.

AMbrosius Simpliciano: Quantus sit vnusquisque in suo munere, exẽplo debet esse lectio, quæ iure te mouit, quod Moyses ille quo nemo præsentius deum vidit, neque surrexit amplius in Israel propheta qui deum facie ad faciem sicut Moyses videret, ille qui quadraginta diebus cum deo iugiter & noctibus fuit cùm legem acciperet in monte: ille, inquam, cui deus dabat quos loqueretur sermones, inuenitur magis Aaron fratris consilium quàm suum probasse. Fuit ergo quisquam hominum Moyse prudentior & instructior? Atque ipsum Aaron postea cum Maria circa Æthiopissæ personam legimus errasse. sed hoc ipsum diligenter discute, vbi Moyses scientia præpõderet, vbi Aaron consilio. Moyses magnus propheta, qui de Christo dixit: Sicut me, ipsum Deut. 18.
audietis. Et de quo ipse dominus ait: Si Moysen & prophe- Luce 16.
tas non audiunt: necsi quis ex mortuis ad illos abierit, credent. Ergo in causa prophetiæ præfertur Moyses sicut propheta. Vbi autẽ causa & munus & officiũ sacerdotij est, præfertur Aaron sicut sacerdos. Tractemus ergo ipsum locum. Leuitic. 4.
Immolatus erat hircus pro peccato, & oblatus in holocaustum. Quæsiuit eum postea Moyses, & combustus erat. Et
iratus est Moyses ad filios Aaron Eleazar & Ithamar, qui superfuerant, dicens: Quare non manducastis quod oblatum
est pro peccato in loco sancto? Quoniam quidem sancta sanctorum sunt hæc vobis mãducare, vt auferatis peccatum synagogæ, & intus manducandum esse, sicut mihi præceptum
est, ait. Cùm ergo iratum eum vidisset Aaron, placidè respon
dit ei: Si hodie obtulerint pro peccato suo holocausta sua cõ
tra dominum, & acciderint mihi talia, mãducabo quod pro
peccato obtulerũt hodie, nunquid placebit domino? Et audi
uit Moyses, & placuit illi. Quid ista significent, cõsideremus.
Nihil peccare, solius est dei: emẽdare sapientis est, & corrige
re erratum, & pœnitẽtiam gerere peccati. Id tamen est difficile in hac vita hominũ. Quid enim tam rarum, quàm vt inuenias virum qui seipsum coarguat, & factum condemnet
suum? Rara itaque confessio de peccato, rara pœnitẽtia, rara
in hominibus verbi eius assertio. Repugnat enim natura, repugnat verecundia. Natura, quia omnes sub peccato: & qui
carnem gerit, culpæ obnoxius est. Ergo repugnat natura car
nis, & illecebra seculi innocentiæ integritatique. Repugnat
etiam verecundia, quia erubescit vnusquisque propriam cul
pam fateri, dum præsentia magis quàm futura cogitat. Stude
bat autẽ Moyses peccati vacuam reperire animã, vt exuuias
erroris deponeret, & nuda culpæ sine vllo sui pudore discederet. Sed non inuenit, quia cito impetus irrationabilis præ-
uenit, & flãma quædam celerrimi motus animã depascitur,
atq; exurit eius innocẽtiam. Præpõderant enim futuris præ-
sentia,

sentia,& violenta moderatis,& plura paucioribus,& iucun
da seriis, & asperis mollia, & tristibus læta, & illecebrosa
rigidioribus, & præpropera tardioribus. Velox enim est
iniquitas, quæ ad nocendum occasiones suggerit, quia ve-
Psalm.13. loces pedes eius ad effundendum sanguinem. Lenta autem
virtus omnis & diuturna cunctatrix ante iudicat, & ado-
rienda incipit. Ita mens boni, speculatrix consiliorum suo-
rum est, priúsque examinat quid decorum atque hone-
stum: iniquitas verò opere cogitationem anteuertit. Pigra
igitur & verecunda est pœnitentia, quia premitur & reuo-
catur præsentium pudore. Solis enim intendit futuris, quo-
rum spes sera, tardior fructus, & ideo petitio ipsa tardior.
Inter hæc spei & virtutis molimina præcurrit impudentia,
& specie præsentium pœnitentia excluditur, & tanquam ex-
uritur affectus eius, & huiusmodi aboletur in vitiis. Quæ-
rit eam lex, & non inuenit. Ambusta est enim feruore & fu-
mo iniquitatis, & indignatio quædam legis mouetur. Dicit
Moyses deuorandam fuisse pœnitentiam in sanctis sancto-
rum, sacerdotes quasi segniores increpat. Respondit Aa-
ron, prouidum debere esse iudicium sacerdotale, nec faci-
lè male sanæ conscientiæ committendum id muneris, ne fiat
error deterior priore. Vase enim fœtido vel oleum vel vi-
num facile corrumpitur ac deterioratur. Quomodo autem
poterat vbi ignis alienus erat, peccatũ exuri, & hoc sub con-
spectu domini, cui & occulta sunt cognita? Nunquid potest
placere domino siquis cùm adhuc versetur in iniquitatibus,
& iniustitiam corde inclusam teneat, dicat se agere pœniten
tiam? Simile est ac si quis æger se sanum simulet, magis ægro
tabit: quia nihil ei prodesse potest simulatio sanitatis, cum
verbo adumbretur, non vllo fulciatur subsidio virtutis. Ignis
itaque alienus est libido. Ignis alienus est omne iniustæ in-
cendium cupiditatis. Ignis est alienus omnis ardor auaritiæ.
Hoc igni nemo mundatur, sed exuritur. Nam vbi iste ignis
alienus est, siquis in conspectu se offerat domini, ignis eum
Leuit.10. cœlestis absumit, sicut Abiud & Nadab quos exussit ignis
cœlestis pariter cum iis quæ pro peccato sacris fuerant obla-
ta altaribus. Qui ergo vult mundare peccatum suum, ignem
à se remoueat alienum. Illi soli igitur se offerat qui culpam
non hominem exurit. Qui sit iste ignis, audi dicẽtem: Quia
Matth.3. Iesus baptizat in spiritu sancto & igni. Hic est ignis qui sic-
Matth.9. cauit hæmorrousæ per duodecim annos sanguinem pro-
Lucæ 19. fluentem. Hic est qui peccatũ Zachæi abstulit dicentis quod
dimidium bonorum suorum daret pauperibus, & si cui quic
quam abstulit, redderet quadruplum. Hic est ignis qui ab-
sterst culpam latronis. Ignis enim consumens est qui dixit
Ibidem 13. ei: Hodie mecum eris in paradiso. Illos itaque sanauit, in qui
bus simplicem & puram reperit confessionem, nihil mali-
gnum, nihil fraudulentũ. Denique Iudas ad remedium per-
Matt.27. uenire non potuit, cùm diceret: Peccaui quod tradiderim
sanguinem iustum: qui alienum ignem voluebat in pectore
suo, qui eum inflammauit ad laqueum. Indignus enim re-
medio fuit, quia non intimo mentis conuersus ingemuit, &
sedulo gessit pœnitentiam. Tantę enim pietatis est dominus
Iesus, vt & ipsi donaret veniam, si Christi expectasset mise-
ricordiam. Hanc ergo culpam sacerdotes non auferunt, ne-
que peccatum eius qui in dolo se offert, & adhuc in studio
delinquendi est. Non enim possunt epulari in eo quod ple-
num fraudis, & serpentis interius cicatricis est. Cibus enim
sacerdotis est in peccatorum remissione. Vnde ait princeps
Ioan.4. sacerdotum: Meus cibus est vt faciam volũtatem patris mei
qui in cœlo est. Quæ est voluntas dei, nisi ea, cùm conuersus
ingemueris, tunc saluus eris? In illo ergo subdolo cibus nul-
lus est. Denique nec ipse epulandi suauitatem capere potest
in quo non syncera & pura conscięntia est. Amaritudo enim
fraudis epulandi suauitatem obducit: nec permittit mala
conscientia vt reficiat & pascat obnoxium animum pœni-
tentia. Ideo ergo talis affectus, talis petitio, talis pœnitentia
non est vsui aut voluptati sacerdotibus. Meritóque hircus il
le qui pro peccato oblatus est in holocaustum, quia non fuit
syncera hostia, exustus est, quia in eius sacrificio ignis alie-
nus repertus est. Non est itaque complacitum & acceptum
sacrificium deo. Non est enim acceptum nisi quod fuerit in
diuitiis sinceritatis & veritatis probatum. Ideo & alibi legis

A duos hircos, vnum in quo sors domini, alterum transmissio- Leui.10.
nis. Illum in quo sors domini, offerri atque immolari pro
peccato: illum vero in quo sors transmissionis, dimitti in de-
sertum, vt accipiat populi iniquitates, vel alicuius peccato-
ris. Sicut enim duo sunt in agro, & vnus eorum assumitur, a- Matt.24.
lius derelinquitur: ita sunt duo hirci, vnus qui ad sacrificium
est vtilis, alius qui in desertum dimittitur. Hic nulli vsui ne-
que edendus, neque epulandus à sacerdotum filiis. Sicut
enim ex iis quæ alimentorum sunt, quod bonum est editur,
quod inutile aut malum, proiicitur: ita & bona opera epu-
latoria dicimus, quæ sunt esui. Non placebit ergo domi-
no si manducet sacerdos sacrificium in quo fraus sit obla-
tionis, non sedulæ confessionis sinceritas. Et ideo hircus i-
ste in desertum dimittendus est, vbi errauerunt patres no-
stri, errauerunt in eo, & non potuerunt ad resurrectionis
terram peruenire, sed interiit à terra memoria eorum. De-
nique quæ sunt epulatoria opera, audi. Et erunt sabbata ter-
B ræ nobis escæ. Epulatoria enim & refectoria requies in deo,
quæ facit animi tranquillitatem. Vnde & nos etiam in ser-
mone requiescamus. Vale, & nos, vt diligis, dilige: quia nos
te diligimus.

*Diui Ambrosii ad Irenæum, declarantis quomodo intelligen-
dum sit quod in Exodo legitur, Abominanda apud Ægy-
ptios immolemus deo. Qualibus præterea ductoribus, & qua
via ad ecclesiam Christi perueniatur, Qui illam ingredian-
tur, & quid eis in ipsa sit agendum.*

Epistola IIII.

AMbrosius Irenæo. Moueri te significasti mi-
hi eo quod legeris, Abominanda apud Ægy- Exod.8.
ptios immolemus deo. Sed habuisti quo istud
solueres, quia in Genesi scriptum est quod Gene.46.
Ægyptij pastorem pecorum abominabantur.
C Non vtique propter hominem, sed propter pecora. Illi enim
aratro terram inuertebãt. Abraham autem & Iacob, & post-
ea Moyses, Dauid, pastores fuerunt, regalem quandam in
hoc munere disciplinam induentes. Oderant ergo Ægyptij
immolata sacrificia, id est, perfecta studia virtutum, & plena
disciplinæ. Quod ergo vitiosi oderunt, hoc apud bonos syn-
cerum ac pium est. Opus virtutis detestatur luxuriosus hel-
luo, refugit Ægyptius: ita corpus quod illecebras diligit, auer
satur animæ virtutes, abominatur imperium, refugit virtu-
tum disciplinas, & omnia opera quæ huiusmodi sunt. Quæ
ergo Ægyptius refugit, Ægyptius ille & non homo, hæc tu
amplectere, qui habes humanitatis scientiam. Illa autem de-
clina quæ illi sequuntur atque eligunt, quoniam duo sibi i-
sta congruere non possunt prudentia, & insipientia. Itaque
sicut iis quæ in quodam censu imprudentiæ atque intempe-
rantiæ sunt, abdicat se prudentia, abdicat continentia, ita
eorum omnis exors insipiens est atque incontinens, quæ in
bonis atque in hæreditate sapientis viri sunt & continentis.
Denique sanctæ illæ tali coniugio Lia & Rachel, vna labo- Gene.29.
riosa, altera aspiratio fortis, refugientes non generis neces-
situdinem, sed morum discrepantiam, cùm viri exerciti Ia-
D cob sermone edoctæ essent quod vellet discedere, vt La-
ban & filiorum eius inuidiam declinaret atque ignauiam,
responderunt: Nunquid est nobis portio aut hæreditas in
domo patris nostri, & non sicut alienæ existimamur ei? Ven-
didit enim nos, & deuorauit precium nostrum. Ecce pri-
mum, quia ignauus & inuidus laboriosam & disciplinæ te-
nacem alienat à se ac defugit, seséq; cupit separare: quoniam Ibidem 31.
eas oneri esse cernit sibi, & putat se lucrum fecisse quod a-
lienauit eas, & hoc esse suum precium iudicat, eúmque fru-
ctum voluptatis suæ. Nunc audiamus quomodo quæ habet
virtus, non habeat ignauia. Aiunt enim omnes diuitiæ & glo
ria, quam tulit deus patri nostro, nobis erit, & filiis nostris.
Merito deo arbitro dicunt esse sublata, quia ipse est author
bonorum, cuius gratia ignaui exuuntur, quia decorem hæ-
reditatis diuinæ capere improbi atque infirmi non queunt,
succedit autem intentus, & spiritum in se fortis habens.
Quis autem fortis nisi solus deus, qui omnia coercet & re-
git? His ergo debetur hæreditas dei. Vnde & Esaias dicit:

Esaiæ 1. Est hæreditas credentibus in domino. Et pulchrè ait: Est hæ A
reditas. ipsa enim sola hæreditas est, alia nō est. Neque enim
cæcus thesaurus hæreditas est, neque caduca omnia hære-
ditatis habent commodum. Sola est illa hæreditas, in quibus
Psal. 118. est portio deus. Vnde sanctus domini dicit: Portio mea do-
minus. Et alibi: Hæres factus sum testimoniorum tuorum.
Videas quæ possideat iustus, mandata dei, oracula eius, præ-
cepta eius. In his diues est, his pascitur, in his delectatur, qua
si in omnibus diuitiis. Hæc ergo possidentes Lia & Rachel,
opes patrias non requirebant, in quibus erat pecunia adul-
tera, irrationabilis species, & spiritualis expers vigoris. De-
nique quasi diuites & liberæ non eum diuitem, sed egen-
tem arbitrabātur. Omnis enim bonarum & liberalium con
sors disciplinarum neminem insipiētium diuitem putat, sed
inopem atque egenum, abiectum quoque, & si regalibus di-
uitiis affluat, & superbus auro suam iactet potentiam. Fu-
gienda est igitur talium societas, & si aliqua generis copulen
tur necessitudine. Noxiæ sunt enim conuersationes cum in-
sipientibus, & inficiunt sobriam mentem ac decolorant:
quia sicut adhærens sancto sanctus eris: ita cum peruerso B
peruersus eris. Frequenter enim accidit vt quis contra pro-
positum suum intemperantem audiens, cùm velit ipse con-
tinentiæ disciplinam tenere, fuco insipientiæ coloretur, meri-
tóque contrariæ sibi sunt & repugnantes disciplina atque
insolentia. Vnde cùm vir exercitatus earum sententiam quę
reret, vocem emittunt probatæ iam diuturno exercitio vir-
tutis. Nunquid est nobis portio aut hæreditas in domo pa-
tris nostri? Id est, consulis nos vtrum velimus ab eo recede-
re? Quasi verò non cognoueris quod nullam habeamus cu-
piditatem eius societatis, neque nos dulcis pluribus secula-
rium diuitiarum cupiditas teneat, aut lætitia luxuriæ. Hæc
sunt quæ nos miseria aliena nobis duximus. Hæc sunt quæ
Gene. 31. plena inopiæ atque egestatis arbitramur. Adiiciunt etiam
causam successionis, quia veram gloriam, & boni thesauri
copias amisit Labā, in quibus maximus vigor datus est men-
tis, & bona moneta imaginis dei & similitudinis, quia spiri-
tualem monetam amisit, quia splendida magis seculi elegit, C
quàm vera & vtilia vitæ suæ: quorum decor expertem diui-
norum bonorum præterit: quoniam ille quæ putat pulchra,
in iis se fallit ipsum & decipit. Vnde audi eius verba & iudi-
cia. Secutus sanctum Iacob, & filias suas, ne forte apud eas
suorum vitiorum reperiret aliquid, & reuocandi ad se habe-
ret authoritatem, coarguens iustum, cum ratione esset redar
gutus, & nihil respondere ac referre posset, quo eum debe-
ret tenere: Si annunciasses, inquit, mihi, emisissem te. In quo
prodidit quid iustus fugerit, ne eum prosequeretur, ne de-
duceret, ne tali comitatu stipatus procederet. Primum quod
multorum dominorum mancipio se subiicere non debuit,
vt ab eo tanquam seruulus dimitteretur. Deinde quia vir ex-
ercitio intentus, & quærens veram viam ad virtutem perse-
qui, non hominem deductorem, sed oracula quæsiuit cœle-
stia: Quæ me, inquit, hinc præceperunt abire, & nunc comi-
tantur viantem. Sed quomodo me dimisisses? An cum læti-
tia tua, quæ plena est mœstitudinis, cum tympanis scilicet at
que organis immoderata modulantibus, & sonis tibiarum D
suauibus insuauia resultantibus sonis dissonis, crepitibus di-
screpantibus, vocibus mutis, cymbalis animam ferientibus.
His me delectari posse credidisti? his reuocari? Hæc sunt quæ
ego fugi: nec vereor verborum tuorum inuidiam. Fugi, ne
me talia sequerentur, ne quid de tuis accipiens abirem. Non
enim talibus deductoribus ad ecclesiam Christi peruenitur,
ad quem tendebat Iacob, vt eo deduceret populorum co-
pias, inueheret nationum diuitias, posteritatem infunderet,
fugiens vmbram inanium rerum, præferens insensibilibus
simulachris virtutum spirantem decorem, plausibilibus prę
ponens seria. Vides enim quemadmodum conuiuia genti-
les adornent, festa annuncient, sed ea piis mentibus infesti o
ra sunt: quia iis plerique decipiuntur, dulcibus capiuntur e-
pulis, capiuntur saltantium choris, dum ieiunia nostra fu-
giunt, dum ea sibi aspera putant, dum corpori noxia & mo-
lesta arbitrantur. An opinatus es quia aurum tuum desidē
rarem? Sed non habes aurum igne examinatum, quo iusti
probantur. An quia argentum cuperem? Sed non habes ar-

gentum, qui non habes splendorem alloquij cœlestis. Sed
fortasse speraui quod adiiceres mihi ad obsequium seruulos
tuos. Ego verò liberos quæro, fugio seruos peccati. Sed for-
te comites itineris & duces viarum necessarij fuerunt. Vti-
nam sequi possent, ego illis mōstrarem domini vias. Sed qui
deum nescitis, vias eius quomodo nouistis? Vias eius ingre-
diuntur electi à domino. Non quicunque intrant eas, sed ta-
men nemo excluditur. Sequatur qui paratus est, ingrediatur
viam quæ ducit ad Mesopotamiam, vt qui eam petit, per a-
quas transeat, aquas Tigris atque Euphratæ, fortitudinis at-
que iustitiæ, per lachrymas pœnitentiæ, baptismum gratiæ.
In ea est virtus exercitus dei. Omnes enim qui sunt in eccle-
sia, deo militant. In ea est grex ille insignis diuersarum virtu
tum, quem Iacob sibi elegit. Omnis enim signe signo ani-
ma, indocta & inerudita est, disciplinarum nescia. quæ au-
tem insignita, eadem diues operum, & gratiarum opima. Ad
eam qui venit, iratum fratrem reconciliet prius. Ad eam qui
venit, Sichimam precio sam illam & actuosam inhabitet vir-
tutum officinam, vbi læsæ castitatis grauis vltio. Ad eam qui
venit, luctetur cum deo, vt ad imitationem eius se exerceat,
ad humilitatem Christi & passiones eius congrediatur. Tol- Luc. 9.
lat crucem suam, & Christum sequatur. Denique bonus con
gressor nō æmulatur, non inflatur, imò etiam benedicit con-
grediētem sibi tali munere. Sequamur ergo sanctum Iacob,
& vias eius, vt perueniamus ad eas passiones, ad eas congres
siones, perueniamus ad murum, perueniamus ad patiētiam
matrem fidelium, & ad patrem Isaac, id est, iucunditatis ca-
pacem, lætitię redundantē, Vbi iam patientia, ibi lętitia: quia
post tribulationes patientia, patientia autem probationem
operatur, in qua est spes, de qua non cōfundimur, quoniam
qui non fuerit confusus crucem Christi, nec Christus con-
fundetur in eo. Vale fili, & non erubescas patrem interroga
re, qui non erubescis in passionibus Christi gloriari.

*Diui Ambrosii ad Fœlicem Comensem episcopum, se & lectione ser-
monis illius & spe futuri aduentus refocillatum asserentis,
simúlque vt venire non negligat adhortantis.*

Epistola V.

AMbrosius Felici Comensi episcopo. Etsi ha-
bitu corporis minus valebam, tamen vbi ser-
monem vnanimis mihi pectoris tui legi, non
mediocrem sumpsi ad conualescendum gra-
tiam, quasi quodam tui alloquij pulegio refo-
tus, simul quia celebrem vtrique nostrum annunciasti diem
affore, quo suscepisti gubernacula summi sacerdotij, de quo
ante momentum cum fratre nostro Bassiano loquebar. Or-
tus enim sermo de Basilicę, quam condidit apostolorum no
mine, dedicatione, dedit huic sermoni viam. siquidem signi-
ficabat quod sedulo tuæ quæreret sanctitatis præsentiam.
Tum ego nostris fabuis intexui diem natalis tui, qui foret
in exordio ipso kalendarum Nouenbrium, eúmque (si non
fallerer) appropinquasse, & crastina celebrandum die, vnde
posthac non excusaturum promisi ego de te, quoniam & ti-
bi id de me licet. Promisi illi, exegi mihi. Prę sumptum enim
habeo quod affuturus sis, quia debes adesse. Non ergo te
magis meum promissum tenebit, quàm tuum institutum,
qui id in animum induxeris, vt quod oportet facias. Aduer-
tis itaque quia non tam promissi audax, quàm tui conscius
fratri spopondi. Veni igitur, ne duos sacerdotes redarguas,
te qui non affueris, & me qui tam facile promiserim. Natale
autem tuum prosequemur nostris orationibus, & tu nostri
in tuis votis nō obliuiscaris. Te noster spiritus comitabitur,
tu quoque cùm ingredieris secundum tabernaculū quod di-
citur sancta sanctorū, facito nostro more, vt nos quoque te-
cum inducas cum spiritu. Adolens aureū illud thymiamate-
rion, nos ne intermiseris. Ipsum est enim quod in secūdo ta-
bernaculo est, de quo plena sapientię oratio tua sicut incen-
sum dirigitur ad cœlestia. Ibi arca testamenti vndiq; auro te-
cta. i. doctrina Christi, doctrina sapientiæ dei. Ibi dolium au-
reum habens manna, receptaculum scilicet spiritalis alimo-
niæ, & diuinę prōptuarium cognitionis. Ibi virga Aaron insi
gne sacerdotalis gratię aruerat ante, sed in Christo reflorui t.

Ibi

Ibi cherubim ſuper tabulas teſtamenti, lectionis cognitio
ſacræ. Ibi propiciatorium, ſupra quod in excelſis deus ver-
bum eſt, imago inuiſibilis dei, quod tibi dicit: Loquar te-
Gene.25. cum deſuper propiciatoriũ de medio duorum Cherubim.
Sic enim loquitur nobiſcum, vt nos eius ſermonem intelli-
gamus: vel quia non mundana, ſed intelligibilia loquitur, ſi-
Pſal.77. cut ait: Aperiam in parabolis os meum. Vbi enim Chriſtus,
ibi omnia, ibi doctrina eius, ibi peccatorum remiſſio, ibi gra
Nume 16. tia, ibi ſeparatio mortuorum ac viuentium. Et Aaron qui-
dem ſemel ſtetit in medio eorum obiiciẽs ſe ne mors tranſ-
iret ad viuentium agmina à funeribus mortuorum. Hic au-
tem quaſi verbum ſemper ſtat in ſingulis, quem nos non vi
demus intra nos, ſeparans rationabiles virtutes à cadaueri-
bus paſſionum letalium, & peſtilentium cogitationum. Hic
ſtat quaſi qui in hunc mundum venerit vt aculeum mortis
hebetaret, deuoratorium eius obſtrueret, viuentibus æter-
nitatem gratiæ daret, defunctis reſurrectionem cõcederet.
Huic tu militas bonã militiam, huius depoſitũ cuſtodis, hu-
Deut.15. ius pecuniam fœneras, ſecundum quod ſcriptum eſt: Fœne-
rabis gentibus. Bonum fœnus ſpiritalis gratiæ, quod veniẽs
dominus cum vſuris exiget, & cùm te bene diſpenſaſſe in-
uenerit, dabit tibi plura pro paucioribus, erítque mihi fru-
ctus dulciſſimus, quod meum in te iudicium comprobabi-
tur, ordinatio non reprehendetur, quam accepiſti per impo-
ſitionem manuum mearum, & benedictionem in nomine
domini Ieſu. Fac ergo bonum opus, vt in illo die mercedem
Lucæ 10. inuenias, & ego in te, & tu in me requieſcamus. Multa meſ-
ſis Chriſti, ſed pauci operarij, & difficilè reperiuntur qui ad-
iuuent. Verum hoc vetus, ſed potens eſt dominus qui mit-
tat operarios in meſſem ſuam. Certe in illo ordine Comen
ſium iam plerique cœperunt credere magiſterio tuo, & do-
ctrina tua verbum dei receperunt, ſed qui dedit credentes,
& adiutores dabit, quo & tibi excuſandi auferatur neceſſi-
tas, quod ſerius nos inuiſeris: & mihi crebrior tuæ preſentiæ
refundatur gratia. Vale, & nos dilige, vt facis.

Diui Ambroſii ad Irenæum, pythagoricum mandatum commemorantis, quo ille diſcipulos ſuos communem atque vſitatam populo viam ingredi prohibuit: & vt idem à ſacerdotibus obſeruetur, multiplici ratione perſuadentis. Epiſt. VI.

AMbroſius Irenæo: Pythagoricum mandatum in aliquorũ ſcriptis prædicari inuenimus, quo ille diſcipulos ſuos communem atque vſitatam populo prohibuerit ingredi viã. Sed hoc vnde aſſumpſerit, non eſt incognitum. Nam cùm ex populo Iudæorum (vt plerique arbitrãtur) genus du
Exod.3. xerit, ex eius diſciplina deriuauit etiam magiſterij præcepta, meritóque magnus apud philoſophos habitus, æqualem (vt aiunt) vix reperit. Legerat itaq; in Exodo Moyſi diuino præ-
ceptum eſſe oraculo: Solue calciamentum pedum tuorum. Id etiam præceptum Ieſu Naue, videlicet vt detritæ & popu laris viæ deponerent puluerem, qui viam domini ambulare deſiderarent. Legerat præceptum eidem Moyſi, vt montem cum ſacerdotibus aſcenderet, populus autem deorſum ſta-
ret. Separauit igitur ſacerdotes à populo, & poſteà ipſum Moyſen introire intra nubem præcepit. Vides diuiſiones? Ni hil in ſacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum ſtudio atque vſu & moribus inconditæ mul titudinis? Sobriam à turbis grauitatem, ſeriam vitam, ſingu-
lare pondus dignitas ſibi vindicat ſacerdotalis. Quomodo enim poteſt obſeruari à populo qui nihil habet ſecretum à populo, diſpar à multitudine? Quid enim in te miretur ſi ſua in te recognoſcat, ſi nihil in te aſpiciat quod vltra ſe inue-
niat, ſi quæ in ſe erubeſcit, in te quem reuerendum arbitra-
tur offendat? Superegrediamur igitur plebeias opiniones, &

A ſtrata quædam gregalis conuerſationis, ac detritæ viæ orbi-
tas declinemus, ac vulgaris ſemitæ ſolum, quam currit ille cu
ius vita leuior curſore, de quo dicitur: Tranſiuit, & non vi-
dit. ſed quæramus nobis viam inacceſſam ſermonibus inſo-
lentium, inuiam operibus imperitorum, quam nullus ma-
culoſus deterat, maculoſus ſcilicet ignauiæ ſuæ ſordibus, &
fumo iniquitatis oblitus, tenebríſque & parietinis quibuſ-
dam animæ ruinoſus, qui nullam virtutis ſuauitatem guſta-
uerit, aut certe limis eam ſpectandam magis quàm directo
affectu, & aperto ſinu mentis ſuſcipiendam arbitratus ſit: &
quod plerique amant, qui ſibi faceti atque vrbani videntur,
pulchritudinem ſapientiæ in dedecus verſutiæ transfiguran
tes, veram non intuens gratiam, tanquam in nocte poſitus
non credit in die viuentibus: quia de numero Themanorum
& Sabæornm eſt deficientium & auertentium ſe à veritate,
de quibus dicit Iob: Videte vias Themanorum, & ſemitas Iob 6.
Sabæorum, quia confuſionem incident qui in ciuitatibus &
B diuitiis ſpem habent. Ita & vos inſurrexiſtis in me ſine mi-
ſericordia: vnde viſo vulnere meo timete. Has igitur deuias
ſemitas declinantium, & illum deficientium puluerem, qui
propter ſuam appetentiam ceciderunt ſæpe in deſerto, de-
relinquamus. Conuertamur autem, & ſequamur ſapientiæ
viam quam non calcauerunt filij glorificantium ſe & iactan
tium, quam interitus ignorat, mors neſcit, quia deus direxit
eam. Abyſſus dixit, Non eſt in me: mare dixit, non eſt me- Ibidem 28.
cum. Sed ſi quæris viam ſapiẽtiæ & diſciplinæ, colere deum,
atque ei ſubditum eſſe, ſapientia eſt: abſtinere autem à pec-
catis, diſciplina eſt. Quid igitur nobis cum iſtius ſeculi via,
in qua eſt tentatio, imò ipſa vita hominis tentatio eſt, & exi-
lior quàm ſermo fabularũ, habitare in luteis domibus, dies
& noctes in lucris ponere, & de lucris ſemper cogitare, &
ſicut mercenarius diurnam mercedem quærere, atque (vt ci
C cadas aiunt) aura quadam paſci cupiditatum? Vere ſicut cica-
das, quia de die in diem viuunt, quæſtúque rumpuntur ſuo.
Quid enim aliud ſunt homines nullius ponderis, nullius diſ
ciplinæ, niſi vt videantur ſicut cicadæ, ad mortem nati diur-
nam, ſtrepentes magis quàm loquentes? Qui ſub ardore fer-
uentium cupiditatum ſe mulceant cantu ſibi noxio, ſtatím-
que occidant, nullum fructum ferentes, nihil habentes gra-
tiæ. Horum igitur viæ noxiæ, tortuoſæque ſerpentium, qui
venenato lapſu corporis ſeſe trahunt, atque in ſpiram nequi
tiæ ſeſe colligunt, & erigere non queunt ad cœleſtia. Ingre- Pſal.99.
diamur autem portas domini, portas iuſtitię, quas iuſtus qui
fuerit ingreſſus, confitetur domino. Sed hæc paucorum in-
greſſio. vnde dominus ait: Quia anguſta porta, & arcta eſt Matt.7.
via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam. La-
ta autẽ porta & ſpatioſa via quam multi gradiuntur, ad mor-
tem dirigit, & viatores ſuos eò ducit. Sit ergo via noſtra an-
guſtior, virtus exuberantior, trames preſſior, fides ſubli-
mior, callis arctior, vigor mentis exũdans, ſemitæ rectæ, quia
inflexibilia ſunt virtutum veſtigia. Vnde Salomon: O qui
D dereliquerũt ſemitas rectas, ſit greſſus ad ſuperiora, quia me-
lius eſt aſcendere quàm deſcendere. Denique, ſicut lectum
eſt hodie: Væ iis qui deſcendunt in Aegyptum. Non vtique Eſa.31.
tranſire in Aegyptum, criminoſum eſt, ſed tranſire in mo-
res Aegyptiorum, tranſire in eorum perfidiam, eſcæ cupidi-
tatem, luxuriæ deformitatem, qui eò tranſit, deſcendit: qui
deſcendit, cadit. Declinemus itaque Aegyptium hominem,
& non deum. Vitiis enim ſuis etiam ipſe rex Aegyptiorum
in poteſtatem eſt datus, cuius comparatione Moyſes deus
exiſtimatus eſt, imperans regnis, ſubiiciens ſibi poteſtates.
Vnde ei dictum legimus: Faciam te in deum regi Pharaoni. Exo.7.
Vale, & nos, vt facis, quaſi filius dilige.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
Mediolanenſis epiſtolarum Liber II.

Diui Ambroſii ad Simplicianum, elegãter de vera libertate ac etiam ſeruitute diſputantis, fortiſſimiſque argumentis ſolum ſapientem vera libertate gaudere, & omnem inſipientem ſeruum eſſe comprobantis, atque ad illam amplectendam plurimum cohortantis.

Epiſt. VII.

AMbroſius Simpliciano. Proximè cùm veteris amoris vſu familiaris inter nos ſermo crederetur, delectari te inſinuaſti mihi cùm aliquid de Pauli apoſtoli ſcriptis coram populo ad diſputãdum aſſumerem, quod eius profundum in conſiliis vix comprehẽdatur, ſublime in ſententiis audientem erigat, diſputantem accendat, tum quia in pleriſque ita ſe ipſe ſuis exponat ſermonibus, vt is qui tractat, nihil inueniat, quod adiiciat ſuum, ac ſi velit aliquid dicere, Grammatici magis quàm diſputatoris fungatur munere. In eo tamen, tum quoniam & veteris affectum amicitiæ, & quod plus eſt, paternæ gratiæ amorem recognoſco: (nam vetuſtas habet aliquid cum pluribus conſociabile, patrius amor non habet:) tum quia non ieiune me feciſſe iam quod poſtulas arbitratus es, parebo voluntati tuæ: admonitus præſertim & prouocatus exemplo meo, quod mihi non difficillimum, quia non magnum aliquem ſed me ipſum imitabor, cùm in meos non magnos aliquos vſus reuertor. Et de conſiliis quidem, cùm beatæ vitæ imago atque effigies noſtro ſermone exprimeretur, putamus eam factam complexionem, vt pluribus fortaſſe aliis, tibi certe amanti noſtri non improbemur, licet difficilius ſit tuo iudicio quàm plurium non diſplicere. Sed iudicij pondus affectu ableuas, eóque mihi blandior. Hæc autem epiſto

1. Cor. 7. la quoniam te abſentem offendit, de ſententiis Pauli eſt apoſtoli, qui nos à ſeruitute in libertatem vocat, dicens: Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. oſtẽdens libertatem

† al. in cognitione eſſe ſapientiæ. noſtram † in Chriſti eſſe ſapientia. Quæ ſententia magno à philoſophis fluctuata atque iactata eſt diſputationis molimine, dicentibus quia omnis ſapiens liber, omnis autem inſipiens ſeruiat. Sed multo hoc prius Dauid filius dixit, qui

Eccleſ. 23. ait: Stultus ſicut luna mutatur. Sapiens enim non metu frangitur, non poteſtate mutatur, non attollitur proſperis, non triſtibus mergitur. Vbi enim ſapientia, ibi virtus animi, ibi conſtantia & fortitudo. Sapiens ergo idem eſt animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus: nec vt paruulus fluctuat, vt circunferatur omni vento doctrinæ, ſed manet perfectus in Chriſto, fundatus charitate, radicatus fide. Sapiens ergo defectus rerum ignorat, & varium animũ nef-

Matt. 13. cit, ſed fulgebit ſicut ſol iuſtitiæ, qui in regno patris ſui fulget. Vnde tamen hoc plenius hauſerit philoſophia, de qua patrum diſciplina & prudentia, conſideremus. Nónne primus Noe cùm aduertiſſet quia inſipienter filius ſuus Cham riſe-

Gene. 9. rat nudatum patrem, maledixit ei dicẽs: Maledictus Cham, ſeruus domeſticus erit fratribus ſuis, & præpoſuit ei fratres eius dominos, qui ſapienter patris ſenectutem honorandam putarunt. Nónne etiam fons ille, diſciplinarum omnium Iacob vbertatem diſputationis huius omnium pectoribus infudit, qui ſapientiæ merito prælatus eſt fratri ſeniori? Denique pater pius qui inter duos filios affectu certaret paterno, ſed diſceptaret iudicio (affectus enim neceſſitudine fertur, meritis autem iudicia formantur) cùm diuideret alteri gratiam, alteri miſericordiam: ſapienti gratiam, inſipienti miſericordiam, quia ad virtutem ſe propriis viribus erigere non poterat, nec ſpontaneum greſſum attollere, benedixit eum vt ſeruiret fratri ſuo, & eſſet ipſius ſeruus: oſtendens ita deteriorem eſſe ſeruitute inſipientiam, vt remedio ei ſeruitus ſit, quia ſtultus regere ſe non poteſt: & niſi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. Diligens ergo pater & conſulens ſeruum eum fratris ſui fecit, vt eius regeretur conſilio. Ideo inconſultis populis ſapientes quique adhibentur rectores, qui plebeiam inſipientiam vigore proprio regant, vt potentiæ ſpecie dominentur, quo vel inuitos authoritate poteſtatis ſubiiciant ad obediendum prudentioribus, & obſequendum legibus. Impoſuit igitur inſipienti velut in domito iugum, & cui in gladio ſuo viuendum dixerat, libertatem negauit, ne temeritate laberetur: præfecit ei fratrem, cuius authoritate & moderatione ſubiectus proficeret ad conuerſionem. Et quia ſeruitus habet diſcretionem (Eſt enim neceſſitatis infirmior, voluntatis fortior, quia pulchrius eſt bonum, quod non ex neceſſitate fit, ſed ex voluntate) ideo ei primo iugum impoſuit neceſſitatis, poſtea benedictionem ei voluntariæ ſubiectionis impartiuit. Non igitur natura ſeruum facit, ſed inſipiẽtia: nec manumiſſio liberum, ſed diſciplina. Denique Eſau liber natus eſt, & ſeruus factus Gene. 25. eſt. Ioſeph venditus in ſeruitutem eſt, & electus eſt ad poteſtatem, vt ſuis emptoribus imperaret. Non dedignabatur tamen obſequium ſedulitatis, ſed tenebat virtutis faſtigium, conſeruabat libertatem innocentiæ integritatis authoritatem. Vnde pulchrè Pſalmiſta ait: In ſeruum venundatus eſt Pſal. 104. Ioſeph, humiliauerũt in compedibus pedes eius. In ſeruum, inquit, venundatus eſt, non ſeruus factus. Humiliauerũt pedes eius, non animam eius. Quomodo enim humiliata eſt a- Ibidem. nima, de qua dicit: Ferrũ pertranſiuit anima eius? Nam cùm aliorum animas peccatum tranſeat (ferrum enim peccatum eſt, quod eſt penetrabile) Ioſeph ſancti anima ita non patuit peccato, vt magis peccatum ipſa penetraret. Denique nec herilis illecebræ flexus eſt delinimento, nec immerito flammas non ſenſit libidinis, quia maiorem diuinæ flagrabat ardoreni gratiæ. Vnde & hoc pulchrè de eo dictum eſt: Quia Ibidem. eloquium domini vſſit eum, quo reſtrinxit ignitas diaboli ſagittas. Quomodo hic ſeruus, qui erudiuit principes populi in illa frumentaria diſpenſatione, vt futuræ inopiæ conſulerent, & declinando prouiderent? Aut quomodo ſeruus, qui totam terram acquiſiuit, & vniuerſum populum Aegyptiorum in ſeruitutem redegit? Non vt conditionem ſeruitij ignobilis irrogaret, ſed vt tributum conſtitueret, præter poſſeſſionem tamen ſacerdotalem, quam à tributis immunem reſeruauit, vt apud Aegyptios quoque inuiolabilis haberetur religio ſacerdotalis. Non fecit igitur eum ſeruum venditio. Nam vtique negociatoribus erat venditus. Verum ſi precium ſpectes, multos inuenies qui emerunt ſibi puellas formæ elegantioris quarum amore capti turpi ſeruitio ſeſe dederunt: Videbatur Apeme concubina Darij regis ſedens 3. Eſdr. ad dexteram eius auferẽs de capite eius diadema, & ſuo imponens vertici, palmis faciem eius ſiniſtra manu verberans, quam rex aperto ore intuebatur, gaudens ſi quando arrideret ei mulier: quod ſi ea indignaretur, miſerum ſe atque afflictum putabat, vt poteſtate ſubmiſſa blanditias obtexeret, & conciliari ſibi eam deprecaretur. Sed quid iſta magno allegamus ambitu? Non videmus plerunque in poteſtatem piraticam vel immanium Barbarorum redactos parentes à filiis redimi? Nunquid leges pecuniæ potiores quàm leges naturæ? Nunquid in ſeruitute accreſcit pietas? Plerique emptores leonum ſunt, & tamen non dominãtur leonibus, ſed ita ſubiiciuntur verſa vice, vt ſi exaſperatos eos excutere ceruice toros viderint, fugiant & delitеſcant. Nihil ergo præiudicat pecunia, quæ plerunque ſibi dominos emit: nihil tabulæ auctionales, quibus emptor frequenter adiudicatur atque addicitur. Cõtractus non mutat genus, nec ſapientiæ libertatem adimit. Denique famulo ſapienti multi (vt ſcriptum eſt) ſeruiunt liberi, & eſt ſeruus intelligens qui regat dominos ſtultos. Quem ergo magis liberum cenſes? Sola eſt ſapientia libera, quæ diuitibus pauperes præficit, & quæ ſeruos propriis fœnerare dominis facit, fœnerare non pecuniam, ſed intellectum, fœnerare talentum illius domini cæterníque theſauri qui nunquam corrumpitur, cuius & vſura precioſa eſt, fœnerare illud intelligibile eloquiorum argentum cœleſtium, de quo lex dicit: Fœnerabis gentibus, Deut. 15. tu autem non mutuaberis. Quod Hebræus fœnerauit gentibus, ipſe autem non accepit à populis doctrinã, ſed tradidit, cui aperuit dominus theſaurum ſuum, vt gentes pluuia ſermonis ſui faceret humeſcere, & fieret princeps gentium, ipſe autem ſupra ſe principem nullum haberet. Liber eſt ergo qui ſapiens eſt, precio emptus oraculorum cœleſtium, illo auro, illo argento emptus ſermonis diuini, precióq; emptus ſanguinis

sanguinis (non enim nimium est emptorem agnoscere) precio emptus gratiæ, qui audiuit & intellexit dicentem: Qui sititis, ite ad aquã: & quicũque nõ habetis argẽtum, ite, emite, & bibite, & mãducate. Liber est ille, qui progrediẽs in bellum, si viderit mulierem bonam aspectu, & deprædatus opes inimicorum suorum, repertam illic concupierit eam, demptis superfluis, & indumento captiuitatis detracto, in vxorem eam sibi copulauerit, iam non seruam, sed liberam. intelligit enim famulatui prudentiam & disciplinã non subiacere. Ideóque lex dicit: Non venundabitur pecunia. Omne enim precioſum non est dignũ. Et Iob dicit: Attrahe sapientiam in interiora. Non illi comparabitur Aethiopiæ topazion, quod auro habetur argentóque precioſius. Sed non ille solum liber qui dominum licitatorem non pertulit, aut tollentem digitum non vidit, sed ille magis liber, qui intra se liber est, qui legibus naturæ liber est, legem sciens naturę præscriptam esse moribus, non conditionibus, & mẽsuram officiorum consentaneam non hominis arbitrio, sed naturæ disciplinis. Vtrum igitur iste liber tibi tantummodo, an quidam censor videtur, & præfectus moribus? Vnde verè ait scriptura, quia pauperes diuitum præpositi erunt, & priuati vtique administrantium. An tibi liber videtur qui pecunia suffragium sibi emit? Qui plausum populi magis quàm iudicium requirit prudentium? Ille ergo liber est qui populariboſ auris mouetur? Ille qui reformidat sibilũ vulgi? Sed non ista libertas, quam manumissus accipit, & palma lictoris donatus acquirit. Non enim munificẽtiam, sed virtutem libertatem esse arbitror, quæ non suffragiis defertur alienis, sed magnanimitate propria vindicatur ac possidetur. Sapiẽs enim semper liber, semper honoratus, semper is qui præsit legibus. Denique iusto non est posita lex, sed iniusto. Iustus enim ipse sibi lex est, non habens necesse longius sibi arcessere formam virtutis, quam corde inclusam gerat, scriptum habens opus legis in tabulis cordis sui, cui dictum sit: Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus. Quid enim nobis tã proximum quam dei verbũ? Hoc est verbum in corde nostro, & in ore nostro, quod non videmus & tenemus. Sapiens ergo liber, quoniam qui ea facit quæ vult, liber est. Sed non omnis bona voluntas, sed sapientis est omnia quæ bona sunt velle. Odit enim malum, quia quod bonum est elegit. Ergo si quod bonum est elegit, arbiter electionis, & eligens operationis liber est, quia quod vult facit. Liber ergo sapiens. Sapiens omnia quę facit, bene facit. Qui autem bene facit omnia, recte facit omnia. Qui vero recte facit omnia, vtique inoffense & irreprehensibiliter, & sine damno, & commotione sui facit omnia. Cui igitur hoc subest, vt inoffense faciat, faciat irreprehensibiliter, faciat sine cõmotione sui, sine damno: nihil insipiẽter facit, sed sapiẽter omnia. Qui autẽ sapiẽter facit, nihil habet quod metuat. Metus enim in peccato est. Vbi autem nulla formido, ibi libertas: vbi libertas, ibi potestas faciendi quod vult. Solus ergo sapiens liber est. Etenim qui neque cogi potest, neque prohiberi, is nequaquam seruus. Sapiẽtis autem est neque cogi, neque prohiberi. Non est igitur seruus sapiens. Prohibetur enim qui nõ fungitur iis quæ desiderat. Quæ autem desiderat sapiẽs, nisi ea quæ virtutis & disciplinæ sunt, sine quibus esse nõ potest? In ipso enim sunt, nec diuellũtur ab eo. Quod si diuelluntur, iam non sapiens, qui sit sine virtutis vsu ac disciplina, quibus ipse se fraudet si non sit voluntarius virtutis interpres. Quod si cogitur, manifestum est quod inuitus faciat. In omnibus autem factis aut à virtute correctiones sunt, aut à malitia prolapsiones, aut media ac indifferentia. Virtutis non coactus, sed voluntarius executor est sapiens, quoniam omnia quæ placent agit: malitiam fugitans, nec somnium eius admittit. Indifferentibus ita non mouetur, vt nullis momentis sicut vulgus hominum huc atque illuc inclinetur, sed tanquam in statera mens eius æqua lance pendeat, vt neque ad voluptaria propendat, neque omnino ad ea quæ sunt auersanda, vel leuiter studium inclinet suum, sed immobilis maneat affectu. Vnde liquet quia nihil inuitus facit sapiens, neque cogitur: quia si seruus esset, cogeretur. liber igitur est sapiens. Apostolus quoque sic definit dicens: Non sum ergo liber, non sum Apostolus. Sed adeo

Esaiç.55.
Iob.28.
1.Tim.1.
Roman.2.
Prouer.5.
2.Corin.9.

A liber, vt cum subintrassent quidam tentare libertatem eius, nec ad horam ipse (vt ipse ait) cederet subiectioni, vt veritas euangelij prædicaretur. Qui ergo non cessit, volens prædicauit. Vbi voluntas, ibi merces voluntatis. Vbi necessitas, ibi obsequium necessitatis. Melior ergo volũtas quã necessitas. Velle ergo sapientis est, parere & seruire insipientis. Hæc etiam Apostoli definitio dicentis: Si enim volens hoc ago, Ibidem.
mercedem habeõ: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Sapienti igitur merces defertur, sapiens autem ex voluntate facit. Liber itaque secundum Apostolum sapiens. Vnde & ipse clamat: Vos enim in libertatem vocati estis, tantum Gala.5.
ne libertatem in occasionem carnis detis. Sequestrata lege, Christianũ ne inuitus videatur legi succũbere, vocat in Euãgelium, quod voluntas & prædicat, & operatur. Iudæus sub lege, Christianus per Euangelium. In lege seruitus, in Euangelio libertas, vbi cognitio sapientiæ. Omnis ergo qui Christum recipit, sapiens: qui autem sapiens, liber. omnis igitur
B Christianus & liber & sapiens. Docuit me tamen Apostolus quod vltra ipsam libertatem sit, vt & seruire libertas sit. Cum liber, inquit, essem, omnium me seruum feci, vt plures 1.Cor.9.
lucrifacerem. Quid est vltra libertatem nisi habere spiritum gratiæ, habere charitatem? Libertas enim liberum facit hominibus, charitas amicum deo. Vnde ait Christus: Vos au- Ioan.15.
tem dixi amicos. Bona charitas, de qua dicitur: Per charita- Gala.5.
tem spiritus seruite inuicem. Seruiuit & Christus, vt omnes liberos faceret. Manus eius in cophino seruierunt: qui non Psalm.80.
rapinam arbitratus esse se equalem deo, formam serui accepit, & omnia omnibus factus est, vt omnibus salutẽ afferret. Philipp.2. 1.Corin.9.
Cuius imitator Paulus, & quasi sub lege erat, & quasi sine Ibidem.
lege viuebat pro eorum vtilitate quos cupiebat lucrari, & infirmis volens fiebat infirmus, vt eos confirmaret, & currebat vt comprehenderet, & corpus suum castigabat, vt potestates aereas in Christo triumpharet. Est ergo sapienti & seruire libertas. Vnde colligitur quia stulto & imperare seruitus est: & quod peius est, cum paucioribus præ-
C sit, pluribus dominis & grauioribus seruit. Seruit enim propriis passionibus, seruit cupiditatibus suis, quarum dominatum nec nocte potest fugere, nec die, quia intra se dominos habet, intra se seruitium patitur intolerabile. Gemina enim seruitus est, altera corporis, animarũ altera. Domini autem corporis quidem homines, animarum autem malitiæ & passiones, à quibus sola animi libertas sapientem vindicat, vt seruitio ei liceat exire. Quæramus igitur illum vere sapientem, vere liberum, qui quamuis sub plurium hominum do-
minatu degat, libere dicit: Quis est qui mecum iudicio con- Hiere.2.
tendat? Tu solus manum tuam à me abstine, à cuius conspectu non potero me abscondere, & timor tuus non me per- Psalm.50.
cellat. Quem secutus Dauid rex ait: Tibi soli peccaui. Regali enim subnixus fastigio, quasi legum dominus legibus
reus non erat, soli deo obnoxius tenebatur, qui dominus est 1.Cor.4.
potestatum. Alium audi liberum: Mihi autem pro minimo est vt à vobis diiudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum diiudico. Nihil enim mihi sum conscius, qui autem di-
D iudicat me, dominus est. Vera libertas hominis spiritualis, 1.Corin.2.
quia diiudicat omnia, ipse autẽ à nemine diiudicatur, nec à quacunque creatura participe, sed soli deo se subditum nouit, qui solus sine peccato est, de quo dicit Iob: Viuit dominus, qui sic me iudicat. Solus enĩ ille potest iudicare iustum, cuius in conspectu cœlum non est mundum, nec stellarum pura & clara lumina. Quis est qui Sophoclea in medium ferat carmina dicentia: Iupiter mihi præest, nullus autem hominum? Quanto antiquior Iob, quanto vetustior Dauid? Agnoscant ergo de nostris se habere quæcunque præstantiora locuti sunt. Quis igitur sapiens, nisi qui ad ipsa peruenit diuinitatis secreta, & manifestata sibi cognouit occulta sapientiæ? Solus igitur sapiens, qui duce deo vsus est ad cognoscenda veritatis cubilia, & mortalis homo immortalis dei hæres, & successor est factus per gratiam, & quidam iucunditatis particeps, sicut scriptum est: Propterea vnxit te Psalm.44.
deus deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Si quis igitur propius ipsa introspiciat rerum negocia, cognoscet quanta sapienti adiumenta, & quanta in ipsis insipienti refragia sint, quid huic adiumento libertas, illi impedimento

seruitus

seruitus sit. Insurgit enim sapiens quasi victor debellatis à A se ac triumphatis libidinis, timoris, ignauiæ, mœstitudinis, cæterisque vitiis, donec ea de possessione suæ mentis eliminet, & omnibus terminis finibúsque suis propulset atque arceat: quoniam dux cautior nouit excursus cauere latrocinantium, & quædam furta belli, quæ iniquissimi animæ nostræ aduersarij ignitis sæpe pertẽtant spiculis. Sunt enim nobis quædam & in pace prælia, & in bello pax. Vnde & ille
1.Cor.7. ait: Foris pugnæ, intus timores. Sed in his omnibus superaRoman.8. mus propter eum qui dilexit nos. Dicit quia neq; angustiis, neque persecutionibus, neque fame, neque periculo mortis terretur. Qui vero hæc timet, qui mortem reformidat, quomodo non seruus? Seruit profecto, & miseram quidem seruitutem. Nihil enim sic animam ad omnem seruitutem deiicit quomodo formido mortis. Quomodo enim se erigat abiectus & vilis sensus atque ignobilis, demersus in omnem infirmitatis voraginem vitæ huius cupiditate? Vide quàm
Gene.4. seruus: abscondam me, inquit, & ero gemens & tremens su- B per terrã, & erit, omnis qui inuenerit me, occidet me. Itaque quasi seruus signum accepit, nec sic tamen necem potuit euadere. Seruit igitur peccator formidini, seruit etiam cupiditati, seruit auaritiæ, seruit libidini, seruit malitiæ, seruit iracundiæ: & videtur huiusmodi sibi liber? Sed magis seruit quàm si sub tyrannis positus. Illi autem liberi sunt, qui legibus viuunt. Lex autem vera sermo rectus, lex vera non insculpta tabulis, nec ære incisa, sed impressa mẽtibus, atque in
Rom.2. fixa sensibus, quãdo sapiens non sub lege, sed ipse sibi lex est opus legis in corde suo continens, naturali sibi stylo & quadam inscriptione formatum. Tãtum ne igitur cęcitatis est, vt non videamus manifestas rerum expressiones, & virtutum imagines? Et quàm indignum, vt populi integri obediant humanis legibus, quo sint libertatis participes: sapientes autem veram legem naturæ expressam ad imaginem dei, veramque rationem signiferam libertatis negligant & derelinquant, cũ in ea tanta libertas sit, vt paruuli seruire vitiis nesciamus, alieni ab ira, exortes auaritiæ, ignari libidinis. Quã miserum igitur, vt qui nascimur in libertate, moriamur in C seruitute. Sed hoc fit leuitate animi atque infirmitate morum, quia curas inanes voluimus, & operamur superuacua. Sapientis autem cor actùmque & opus radicatum esse de-
Exod.17. cet atque immobile. Hoc docuit Moyses quando manus ei grauiores fiebant, ita vt vix sustineret eas Iesus Naue. Ideoque vincebat populus quando non perfunctoria gerebantur opera, sed plena ponderis atque virtutis, non nutantis animi, nec titubantis affectu, sed fundatæ mentis stabilitate. Ergo sapiens extendit manus suas, stultus autem contrahit,
Eccle.4. sicut scriptũ est: Quia stultus cõplexus est manus suas, & vorauit viscera sua, carnalia magis cogitans quàm spiritualia. At non filia Iudæ, quę expandens manus clamauit ad domi-
Danie.13. num: Tu scis quia falsum testimonium aduersum me dicũt. Melius est arbitrata non peccare, & incidere in calumnias accusantium, quàm peccatum subire sub impunitatis velamine. Ea ergo contẽptu mortis seruauit innocentiã. Sed nec
Iudicũ.11. filia Iepte, quæ votum patris de immolatione sua proprio atque hortatorio firmauit assensu. Non enim ego de con- D temptu mortis libros philosophorum depromo, aut Gymnosophistas Indorum, quorum præ cæteris Calani laudatur responsum Alexandro, cum eum iuberet sequi. Qua me, inquit, laude dignum Græciam petere poscis, si possum cogi facere quod nolo? Et vere plenus authoritatis sermo, sed magis mens libertatis. Denique & epistolam scripsit Calanus Alexandro: Amici persuadent tibi manus & necessitatem inferre Indorum philosopho, nec in somniis videntes nostra opera. Corpora enim transferes de loco ad locum, animas non coges facere quod nolũt, non magis quàm saxa & ligna vocem emittere. Maximus ignis viuentibus corporibus dolorem inurit, & gignit corruptionem, super hũc nos sumus: viuentes enim exurimur. Non est rex neque princeps qui extorqueat nobis facere quod non proposuimus. Nec similes sumus Græciæ philosophorum, qui verba pro rebus meditati sunt ad opinionis celebritatem. Nobis res sociæ verbis, & verba rebus: res celeres, & sermones breues, in virtute nobis libertas beata est. Præclara verba, sed verba: præclara constantia, sed viri: præclara epistola, sed philosophi. Apud nos autem & puellæ de mortis appetentia sublimes vsque ad cœlum erexere virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnen, quid Pelagiam loquar, quæ tanquam nobilia vitulamina pullulates, ad mortem quasi ad immortalitatem festinauerunt? Inter leones virgo exultauit, & prodeuntes bestias expectauit intrepida. Et vt nostra cũ Indorum Gymnosophistis conferamus: quod ille verbis gloriatus est, sanctus Laurentius factis probauit, vt viuus exureretur, & flãmis superstes diceret: Versa, manduca. Haud deneger Abrahamidarum & Maccabæorum concertatus puerorum, quorum alij super flammas canebant, alij cum exurerentur non rogabant vt parceretur, sed inuehebantur, vt amplius persecutor inflammaretur. Liber igitur sapiẽs. Quid autem sublimius sancta Pelagia, quæ vallata à persecutoribus priusquam tamen in eorum conspectum veniret, aiebat: Volens morior, nemo me continget manu, nemo oculo proteruo violabit virginem. Mecum feram pudorem, mecum incolumem verecundiam. Nullum prædones lucrum suæ capient insolentię. Pelagia Christum sequetur, libertatem nemo auferet, nemo captiuam videbit liberam fidem, insignémque pudicitiam, & prosapiam prudentiæ. Quod seruum est, hic manebit nullos in vsus debitum. Magna igitur piæ virginitatis libertas, quæ septa agminibus persecutorum, inter maxima pericula integritatis & vitæ nequaquam inclinata est. At non ille cui dominatur ira, subiicitur enim iugo peccati. Homo enim iracundus peccatum effodit. Qui autem pecca Ioan.1. tum facit, seruus est peccati. At non ille liber qui seruit auaritiæ. Non potest enim possidere vas suum. Non ille liber qui seruiens desideriis & voluptatibus vago fluitat errore. 1.Thes.4. Non ille liber qui curuatur ambitu: seruit enim alieno imperio: sed ille liber qui potest dicere: Omnia mihi licẽt, sed 1.Corin.6. ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis. Ille liber qui ait: Quid enim libertas nostra iudicatur ab Ibidem. infideli conscientia? Libertas igitur sapienti non insipienti Prouer.26 conuenit: quoniam qui deligat lapidem in fundibulo, similis est ei qui dat imprudenti claritatẽ, seipsum vulnerat, atq; sibi potius dum intorquet iaculum, affert periculum. Certe sicut tormento acerbatur, & geminatur malum saxi ruina, sic insipientis in libertate ruina vehementior est. Recidẽda igitur insipienti potestas, non adiicienda libertas est. Seruitus enim ei conuenit. Ideóque addidit: Spinæ nascuntur in Ibidem manu ebrioſi, seruitus autem in manu imprudentis. quia sicut ille suis vulneratur poculis, ita insipiens suis factis. Ille bibendo se peccato inserit, iste operando se culpæ adiudicat, & factis suis trahitur in seruitutem. Videbat se Paulus in Roma.7. captiuitatem trahi à lege peccati, & ideo vt liberaretur, confugit ad libertatis gratiam. Non sunt igitur liberi insipientes, quibus dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus Psalm.31. non est intellectus. In fræno & chamo maxillas eorum constringe, qui non appropinquant tibi. Multa flagella peccatorum: quia multis flagellis opus est vt eorum imprudentia coerceatur. Disciplina hoc exigit, non inclemẽtia. Denique Prouer.19. qui parcit baculo suo, odit filium suum. simul quia vnusquisque grauius suis peccatur flagellatur. Grauia enim delictorum ponderã, grauia criminũ verbera, sicut onus grauantur graue, & infligãt animę cicatrices, & putrescere faciunt mentis vlcera. Deponamus igitur tam grauẽ seruitutis sarcinam, renunciemus luxuriæ ac deliciis, quæ nos quibusdã adstringũt nexibus cupiditatũ, & vinculis ligant. Nihil enim prosunt deliciæ stulto. Et quicunque à pueritia dederit se deliciis, manebit in seruitute, vt viuens mortuus sit. Recidatur ergo luxuries, deliciæ resecentur. Etsi quis fuit luxuriosus, valedicat superioribus. Reciſa enim vinea fructum affert, semiputata frondescit, neglecta luxuriat. Ideóque scriptum est: Tanquam agricultura homo imprudens & tanquam vinea homo egens sensu. si reliqueris eum, desertus erit. Colamus ergo corpus hoc nostrũ, castigemus illud, redigamus 1.Corin.9. ad seruitutem, non illud despiciamus. Sũt enim membra nostra arma iustitiæ, sunt & arma peccati. Si eleuentur, arma iustitiæ sunt, vt peccatum in his non dominetur, si mortuum fuerit peccato, non regnabit in eo culpa, & erunt membra nostra à peccato libera. Non obediamus igitur cupiditatibus

bus eius,neque exhibeamus membra noſtra arma iniquita- Roma.6.
tis peccato. Si videris mulierem ad concupiſcendum eam, Matth.5.
membra tua arma peccati ſunt.Si locutus es ad ſolicitādam
eam,lingua tua & os tuum membra peccati ſunt.Si abſtuli-
ſti terminos à patribus poſitos, membra tua arma peccati
ſunt.Si feſtinaſti velocioribus pedibus ad effundendum in-
nocentium ſanguinem, membra tua arma iniquitatis ſunt.
Contra ſi vidiſti egenum,& induxiſti in domū tuam, mem-
bra tua arma iuſtitiæ ſunt. Si eripuiſti iniuriam accipiētem,
vel eum qui ducebatur ad mortem,ſi ſcidiſti chirographum
debitoris,mēbra tua arma iuſtitiæ ſunt. Si confeſſus es Chri
ſtum(Arma enim intellectus labia ſapientiæ) labia tua mem
bra iuſtitiæ ſunt.Qui poteſt dicere: Oculus eram cæcorum, Iob.29.
pes claudorum, pater infirmorum: mēbra eius mēbra iuſti- Roma.6.
tiæ ſunt. Ergo liberati à peccato,quaſi precio empti ſangui-
nis Chriſti non ſubiiciamur ſeruituti hominum vel paſſio-
num.Non erubeſcamus peccatum noſtrū fateri.Vide quàm
liber qui poterat dicere: Non reueritus ſum multitudinem
populi,vt non annunciarem in conſpectu omnium pecca-
tum meum.Qui enim confitetur domino,exuitur à ſeruitu-
te.Iuſtus enim accuſator eſt ſui in principio ſermonis. Non
ſolū liber,ſed etiā iuſtus:ſed iuſtitia in libertate eſt,& liber- Prouer.18.
tas in cōfeſſione.Simul enim ac cōfeſſus quis fuerit,abſolui Pſalm.31.
tur. Denique: Dixi pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam
meam domino,& tu remiſiſti impietatem cordis mei.Mora
ergo abſolutionis in confitendo eſt,confeſſionem ſequitur
peccatorū remiſſio. Sapiens eſt igitur qui confitetur. Liber
cui peccatum dimiſſum eſt,nulla iam trahēs æra peccati.Va
le,& nos dilige,vt facis,quia & ego te diligo.

Diui Ambroſii ad Fauſtinum,eundem propter obitum germa-
næ acerbo dolore mœrentem conſolantis.Epiſto. VIII.

AMbroſius Fauſtino. Acerbo te doliturum dolore obitum germanæ tuæ non ignorabam,nō tamen vt à nobis te ablegares, ſed vt nobis redderes.Nā etſi minus iucunda ſolatia mœrētibus,tamē non- nunquam neceſſaria ſunt.Tu autem abiſti in ſecreta mon- tium,& inter ferarum diuerſaris ſpelæa,omni humanę con- uerſationis vſu abdicatus, & quod grauius eſt, iudicio tuo. Tantum ne de te commeruit germana tua,vt propter quam excellere apud te debuit conditio humana,quæ tam egregiā fœminam tulit, propter eam apud te minoris prærogatiuæ ſit? Illa certe vita excedens hoc ſe mulcebat ſolatio, quod te ſibi ſuperſtitem derelinqueret,parentem nepotibus,præ- ſulem paruulis,auxiliatorem deſtitutis. Tu ita te & nepoti- bus & nobis abnegas,vt conſolationis illius fructum nō ſen tiamus.Illa te chara pignora vocant non ad dolendum, ſed ad conſolandum,vt cum te vident,matrem ſibi non credant obiſſe.In te eā recognoſcāt,in te eius præſentiā teneāt, in te vitam eius ſibi manere arbitrentur.Sed doles quod dudum florentiſſima repente occiderit.Verum hoc nobis commu- ne non ſolum cū hominibus,ſed etiam cum ciuitatibus terriſque ipſis eſt.Nempe de Bononienſi veniens vrbe à tergo Claternam,ipſam Bononiam, Mutinam, Regium derelin- quebas,in dextera erat Brixillum, à fronte occurrebat Pla- centia,veterem nobilitatem ipſo adhuc nomine ſonans, ad lævam Apœnini inculta miſeratus,& florentiſſimorū quon- dam populorum caſtella cōſiderabas, atque affectu relege- bas dolenti.Tot igitur ſemirutarum vrbium cadauera, ter- rarúmque ſub eodem conſpectu expoſita funera non te ad- monent vnius,ſanctæ licet & admirabilis,fœminæ deceſſio nem conſolabiliorem habendam,præſertim cum illa in per petuum proſtrata ac diruta ſint, hæc autem ad tempus qui- dem erepta nobis meliorem illic vitam exigat? itaque non tam deplorandam quàm proſequendam orationibus reor. Nec mœſtificandam lachrymis tuis,ſed magis oblationibus animam eius domino commendādam arbitror.Verum for- te aſſeras ſecurum te de meritis eius ac fide, nequire tamen ferre deſiderium,quod eam iam non videas ſecundum car- nem,idque tibi ſummo dolori ſit. Nec illud te mouet Apo- 2.Corin.5. ſtolicum quod ait: Quia neminem nouimus ex hoc ſecun- dum carnem: & ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtū, ſed nunc iam non nouimus.Caro enim noſtra perpetua eſſe ac diuturna non poteſt, neceſſe eſt occidat vt reſurgat, ne-

A ceſſe eſt reſoluatur vt requieſcat,vt fiat quidam finis pecca-
cati.Et ideo multos cognouimus ſecundum carnē,ſed nunc
iam non nouimus.Ipſum dominum Ieſum cognouimus(in
quit Apoſtolus) ſecundum carnem,ſed nunc iam non noui-
mus.Iam enim carnis depoſuerat exuuias,iam ſpecie homi-
nis nō videbatur,iam pro omnibus mortuus erat,& omnes
in illo mortui,ſed vt per ipſum renouati,& viuificati ſpiritu
iam non ſibi,ſed Chriſto viuerent.Vnde & alibi ait idem A-
poſtolus:Viuo autem iam non ego,viuit autem in me Chri Gala.2.
ſtus.Meritóque qui ante cognouerat ſecundū carnem Chri
ſtum,iam operationes eius inuiſibiliter agnoſcens,iam non
carnem eius ſed potentiam ſcrutans,qui ante perſecutor diſ-
cipulos hominis, & pediſequos carnis infeſtis odiis vrge-
bat,poſtea doctor gentium factus veneratores maieſtatis ea-
ius ad prædicationem euangelij inſtruere atque informare
cœperat. Et ideo addidit: Si quis in Chriſto noua creatura,
id eſt,qui perfectus in Chriſto noua creatura eſt, quoniam 2.Corin.5.
B qui caro eſt,imperfectus eſt.Denique ipſe dominus ait: Nō
permanebit ſpiritus meus in iſtis hominibus,quoniam car-
nes ſunt. Carnalis itaque non eſt in Chriſto, ſed ſi quis in
Chriſto eſt,noua creatura eſt, non naturæ nouitate forma- Gene.7.
tus,ſed gratiæ. Vetera itaque quæ ſecundum carnem erant, 2.Cor.5.
tranſierunt,facta ſunt noua omnia.Quæ illa?niſi quæ ſcriba
doctus in regno cœlorum nouit,ſimilis illius patris familias Matth.13.
qui profert de theſauro ſuo noua,& vetera:neq; vetera ſine
nouis,neq; noua ſine veteribus.Ideo & eccleſia dicit: Quia
noua & vetera ſeruaui tibi.Sed tranſierunt vetera,id eſt, le- Cantic.7.
gis myſteria abſcondita: in Chriſto facta ſunt omnia noua.
Hæc eſt noua creatura,de qua Apoſtolus ad Galatas ait: In Gala.5.
Chriſto enim Ieſu neque circūciſio aliquid valet,neque præ
putiū,ſed noua creatura. Per quā iam renouata caro floret,
& fructum inuenit gratiæ,quæ ante inueterati flagitij ſpinas
habebat.Quid ergo eſt quod mœreamus,ſi iam ad animam
dicitur: Renouabitur ſicut aquilæ inuentus tua? Quid eſt Pſal.102.
C quod ingemiſcamus pro mortuis, cū iam reconciliatio mun
di apud deum patrem facta ſit per dominum Ieſum? Quo-
niam ergo Chriſti beneficia tenemus, cū apud omnes, tum
apud te pro Chriſto legatione fungimur, vt noueris irreuo- 2.Corin.5.
cabilia eius eſſe dona,vt credas quod ſemper credidiſti, nec
nimio mœrore tuam in dubium adducas ſentētiam,quia id-
eo peccatum factus eſt dominus Ieſus,vt tolleret peccatum
mundi,& eſſemus in illo omnes iuſtitia dei, iam non culpæ
obnoxij,ſed iuſtitiæ remuneratione ſecuri.Vale,& nos dili-
ge,quia nos te diligimus.

Diui Ambroſii ad Bellicium,graui ægritudine priuſquam in
dominum Ieſum crederet iactatum,poſtea autem reualeſcere
incipientem, illum ex diuinæ viſitationis pietate in fide
Chriſti confortantis,& ad aliorum ſacramentorum percep-
tionem exhortantis. Epiſto. IX.

Mbroſius Bellicio: Iactatum te graui ægritudine
significaſti mihi credidiſſe in dominū Ieſum, &
A iam cœpiſſe reualeſcere.Ad ſalutem igitur ea in-
firmitas fuit,plus aculei quàm periculi ferēs, quia
D diu promiſſū remordebas.Hoc eſt quod ait: Per- Deute.32.
cutiam, & ſanabo. Percuſſit infirmitate,ſanauit fide. Vidit
enim interiorem affectum tuum non vacuum piæ cupidita-
tis, ſed executi dilationibus. Et ideo admonere maluit, ita
vt ſalutem non læderet,deuotionem excitaret. Quomodo
enim ſaluti noceret qui ſolet dicere, vt legimus in euange-
lio: Ego veniam,& curabo eum?Ergo & cum à tuis inuita- Matth.8.
retur vt inuiſeret domum tuam,ſine dubio dixit:Egoveniā,
& curabo eum.Et ſi non audiſti eum,ille tamen quaſi deus
inſenſibiliter locutus eſt. Etſi non vidiſti eum, ille tamen
quod te incorporaliter inuiſerit, dubitari non poteſt. Sed
vidiſti eum, qui credidiſti ei:vidiſti eum,qui recepiſti eum
hoſpitio tuæ mentis: vidiſti eum ſpiritu, vidiſti eum oculis
interioribus. Tene ergo hoſpitem nouum diu expectatum,
ſed ſero ſuſceptum, in quo & viuimus, & ſumus,& mouē-
mur. Guſtaſti igitur fidei prima exordia, non fiat verbum Acto.17.
occultū in corde tuo.Hæc omnis gratia eſt, hoc omne mu-
nus.Nemo enim penetralia domus de ingreſſu æſtimat.Si-
quidem omnis fructus in interioribus eſt. Neque enim ſa-

pientis

pientis est à fenestra respicere in domum,& stultitia hominis audire per ostium. Alia sunt sacramentorum perfectorũ mysteria,quæ oculus non vidit,nec auris audiuit, quæ præparauit deus diligentibus eum,vt dixit scriptura. Alia sunt illa quæ de gloria futura annunciarunt Prophetæ, quibus 1.Corin.2. reuelatum est,& euangelizarunt sancti, spiritu dei misso de cœlo, in quæ concupiscunt & angeli videre, vt ait Apostolus Petrus. Alia sunt illa in quibus est mundi redẽptio, pec- 1.Petri.1. catorum remissio,gratiarum diuisio,sacramentorum participatio:quæ cum acceperis, tunc mirabere tãtùm donatum esse homini, vt illud manna quod miramur fluxisse de cœlo Iudæis, nec tantæ operationis iudices ad salutem fuisse. Illud enim quicunque acceperunt, in deserto mortui sunt, præter Iesum Naue,& Caleph. Hoc sacramentum quicun- Nume.32. que gustauerit,non morietur in æternum. Sanet te dominus Iesus. Vale.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
Mediolanensis epistolarum Liber III.

Diui Ambrosii ad Simplicianum,pulchre de veris diuitiis,ac contraria paupertate differentis,& quod omnis solúsque sapiẽs vere diues,atque insipiens pauper sit,demonstrantis.
Epistola X.

AMbrosiꝰ Simpliciano. Videbamur proximè in disceptationes incidisse philosophię,cùm de Apostoli Pauli epistola sumẽtes exordium,tractaremus, quòd omnis sapiẽs liber. Verùm postea cùm 1.Pet.3. Petri Apostoli epistolam legerẽ aduerti,quòd omnis sapiẽs etiam diues. Nec sexũ exceperit, qui fœminas ornatum omnem non in preciosis monilibus, sed in bonis moribus habere scripserit. Non enim, inquit,sit extrinsecus capillorũ implicatio,aut auri circũpositio,aut habitus vestimentorum ornamẽtum,sed ille absconditus cordis homo. Duo sunt igitur,& esse hominẽ in homine,& illum esse diuitem,qui sibi nullarũ diuitiarum vsum requirat. Pulchrè autem cordis hominem dixit,eo quòd totus sapientiæ sit abscõditus,sicut ipsa sapiẽtia quæ non videtur,sed intelligitur. Nemo ante Petrũ tali expressione vsus est, vt diceret cordis hominẽ. Exterior enim homo plurima in se membra habet. Interior autem cordis homo totus sapientiæ est,plenus gratiæ, plenus 1.Petr.3. decoris. In incorruptione,inquit,quieti & modesti spiritus, qui est ante deum diues. Et verè diues, qui in conspectu dei potest diues videri,in cuius conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est. Sed solum illum deus diuitem nouit, qui sit diues æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Quis autem ante deum diues,nisi quietus & modestus spiritus,qui nunquam corrumpitur? Nónne tibi videtur diues qui habet pacem animi,tranquillitatem quietis, vt nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis,nec vetera fastidiat,& noua quærat,& semper desideranDo fiat in summis diuitiis inops? Ea est pax vere diues, quæ Philip.4. superat omnem mentem. Diues pax,diues modestia, diues fides. Fideli enim totus mundus possessio est. Diues simplicitas. Sunt enim & diuitiæ simplicitatis, quæ nihil discutit, nihil contractum,nihil suspectum,aut fraudulentum putat, sed puro se fundit affectu. Diues bonitas, quam si quis seruauerit, pascitur in diuitiis cœlestis hæreditatis, & vt antiquioribus exemplis scripturæ vtamur, beatus, inquit, vir, quem arguit dominus. Admonitionem autem dei ne recusaueris. In fame liberabit te à morte, in prælio de manu ferri liberabit te,& a flagello linguæ te abscondet. Feræ bestiæ pacificæ erunt tibi,& scies quòd in pace erit domus tua. Mitigatis enim carnis huius passionibus, quæ militare aduersum animã solent,tabernacula tua sine perturbatione erunt, domus sine offensione,semen sine defectu, posteritas sicut odor agri pleni,sepultura sicut messis. Siquidem quando alij suum defectum arbitrãtur,tunc aceruus tritici sui supernis maturus infertur apothecis. Merito iustus semper fœnerat,iniquus indiget. Ille iustitias fœnerat mandato dei pauperibus & egenis. At vero insipiens & quod putat se habere,nequaquàm possidet. An putas illum possidere, qui thesauro suo die ac nocte incubans, auara & misera torquetur solicitudine? Ille vero eget,& si alij diues videtur, sibi pauper est,qui non vtitur eo quod habet, qui adhuc alia rapit, alia desiderat. Vbi enim nullus cupiditati modꝰ, qui fructus diuitiarum? Nemo est diues,qui quod habet secum hinc auferre non potest. Quod enim hic relinquitur, non nostrum, sed alienum est. Diues Enoch,qui quod habuit secum transtulit,& omnem illum bonitatis suæ censum cœlestibus intu- Gene.5. lit receptaculis:qui ideo raptus est,ne cor eius malitia mutaret. Diues Helias, qui virtutum suarum thesauros curru- 4.Reg.2. igneo sublimis sedibus æthereis inuexit. Et tamen iste non mediocres diuitias hæredi reliquit,quas ipse non amitteret. Quis hunc pauperem vel tunc dixerit, cum victus quotidiani indigens alimonia mitteretur ad viduam, vt pascere- 3.Reg.17. tur ab ea,quando ad eius vocem cœlum claudebatur & aperiebatur, quando ad eius verbum hydria farinæ & vas olei non deficiebat per triennium: sed abundabat,nec minuebatur vsu,sed replebatur? Quis illum pauperem dixerit,ad cuius voluntatem descendebat ignis,quem in via flumina non concludebant,sed in suũ fontẽ recurrebãt,vt sicco propheta transiret pede? Duos finitimos vetus historia describit, regem Achab,& pauperẽ Nabutham: quẽ horũ pauperiorem, 3.Reg.21. quem ditiorẽ credimus? Alter regali fulcro diuitiarum præditus,inexplebilis insatiabilísque opibus suis,exiguam pauperis vineam desiderauit. Alter despiciens animo, βασιλικὰς τὰς πολυχρύσους τύχας imperialésque gazas, suo erat contentus palmite. Nonne videtur hic magis diues, hic magis rex, qui sibi abũdabat,suas regebat cupiditates, vt nihil alienum concupiscere t:ille autem egentissimus,cui aurum suum vile,alienus palmes preciosissimus existimabatur? Sed qua ratione egentissimus,cognosce: Quia diuitiæ iniustæ congregatæ euomuntur,radix autem iustorum manet, & vt palma floret. An non egẽtior paupere is qui tanquam vmbra præteriit? Hodie impius exaltatur,eras non erit, nec inuenietur aliquis locus eius. Quid est itaque diuitem esse,nisi abundare? Quis autem abundat qui sit animo contractior? Qui autẽ animo cõtractior,vtique angustior. Quæ igitur in angustiis abundantia? Non ergo diues qui nõ abundat. Vnde pulchre Dauid: Diuites,inquit,eguerunt & esurierunt: Quoniã cum Psalm.3. haberent scripturarum thesauros cœlestium,eguerunt qui non intellexerunt, & esurierunt qui nullum spiritualis gratiæ gustarunt cibum. Nihil igitur affectu sapientis ditius, nihil insipientis egentius. Nam cum regnum dei pauperum sit, quid esse locupletius potest? Et ideo præclare Apostolus: O altitudo,inquit, diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei. Roman. Præclare etiam Dauid,qui in via testimoniorum cœlestium Psalm. quasi in omnib⁹ diuitiis delectabatur. Expresse Moyses, qui ait: Neptalim satietas accipientium. Neptalim, abundantia Deuter. significatur latina interpretatione, vel dilatatio. Ibi ergo abundantia,vbi satietas. Vbi autem fames cupiditatum, vbi inexplebilis appetentia, ibi vtique paupertas. Sed quia vix vlla rei pecuniariæ vel mundi huius cupiditas satietatem habet,ideo addidit: Et replebitur benedictione. Secũdum hæc Petrus Apostolus definiuit non in auro & argento,& indumentis fœminarum esse ornamentum,sed in occulto cordis homine atque absconditoꝰ: vnde nulla se exuat cultum pietatis,ornatum gratiæ,vitæ æternæ hæreditatem. Vale,& nos dilige,quia nos te diligimus. 1.Petr.3.

Diui Ambrosii ad Irenæũ,v ersiculum illum: Speciosus forma, &c. Græco sermone annotatũ voluentis,pluribúsque rationibus & exemplis nos prouocantis,vt illi summo bono quod est dominus Iesus,quo nihil est speciosius,animo intendamus,illud quæramus,illud intueamur,illud teneamus,in illo versemur,illi adhæreamus,& in eo pascamur. *Epistola XI.* Psalm.44

AMbrosius Irenæo. Inter legendũ cum paululum requieuisse animo, quia lucubratione destiterã, Psalm.44 versiculum illum cœpi mecum voluere, quo vesperi in vigiliis vsi fueramus, ἐρρῶσθαι καλὸν παρὰ θεοῦ

ἰνοὺς τῶν ἀνθρώπων. ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων αὐτὸν Et verè
nihil ſpecioſius illo ſummo bono, cuius etiam prædicatio
ſpecioſa eſt nimis, & maximè perſeuerantis ſermonis proceſ
ſus, & quædam apoſtolicæ prædicationis veſtigia. Sed illa
qui poſſunt? Quibus donauit deus non ſolùm vt Chriſtum
annunciarent, ſed etiam pro illo paterentur. Nos quantum
poſſumus intendamus, illo animum, & in illo ſimus, illud
animo teneamus, quod eſt pulchrum, decorum, bonum, vt
fiat illuminatione eius & fulgore ſpecioſa anima noſtra, &
mens dilucida. Nam ſi oculi noſtri cum aliqua obducun-
tur caligine, paſcuntur agrorum viriditate, & ſpecie nemo-
ris vel collis herboſi omnem inæqualitatem ægreſcentis
obtutus repellunt, & quadam ſalubri ſpecie pupillæ ipſæ
atque orbes colorari videntur: quanto magis hic mentis
oculus cum illud ſummum intuetur bonum, & in eo ver-
ſatur, atque eo paſcitur, ſplendeſcit atque enitet, vt fiat il-
lud quod ſcriptum eſt: Tanquam adipe & pinguedine re-
pleatur anima mea. Denique qui ſcienter agnoſcit animas
gregis ſui, curam adhibet erbis campeſtribus, vt ſint ei paſ-
cua plurima. Herbis enim ſuauioribus & agni pinguiores
fiunt, & ſuccus lactis ſalubrior quibus paſcuis vſi ſunt diui-
tes illi qui manducauerunt & adorauerunt. Sunt enim bona
fidei paſcua, in quibus collocatur ſanctus dei. Eſt ergo & fœ-
num quo aluntur greges ouium, qui emittunt vellera ſapien
tiæ, & dant amictum prudentiæ. Et fortaſſe hoc eſt fœnum
montanum, in quod verba deſcendunt prophetæ ſicut nix
ſuper fœnum, & quod diligenter colligit ſapiens, vt ſint ei
oues ad veſtitum ſpiritalis vtique velaminis. Habet ergo ci-
bum ſuum & amictū anima quæ illi ſummo bono adhæret,
quod eſt diuinum, quod Apoſtolus Petrus ſuadet quæren-
dum, vt per eius cognitionis acquiſitionē diuinæ ſimus cō-
ſortes naturæ. Huius cognitionem aperit ſanctis ſuis deus
bonus, & donat hoc de theſauro ſuo bono, ſicut teſtificatur
lex ſacra dicēs: Quia iurauit dominus patribus tuis dare tibi
& aperire theſaurum ſuum bonum, de quo theſauro cœle-
ſti dat pluuiam terræ ſuæ, benedicere omnia opera manuū
tuarum. Hæc eſt pluuia eloquium legis quod irrorat animā
illam fœcundam & fertilem bonorū operum, vt habeat hu-
morem gratiæ. Huius boni cognitionem quærebat Dauid,
ſicut ipſe ſignificat dicens: Vnam petij à domino, hanc re-
quirā, vt inhabitē in domo domini omnes dies vitæ meæ, &
videā delectationes domini, & conſiderē templum eius. De
nique hoc eſſe ſummum bonum ſubtexuit ſtatim in eodem
pſalmo: Credo videre bona domini in terra viuentium. Hic
enim quæritur, illic facie ad faciem plene videtur. Hoc bo-
num in domo dei eſt, in illo ſecreto eius ac receſſu. Vnde i-
terum ait: Replebimur in bonis domus tuæ. Alibi quoque
hanc ſummā eſſe benedictionis expreſſit, dicens: Benedicat
te dominus ex Sion, & videas quæ bona ſunt Hieruſalem.
Ideo beatus qui illic habitat in ingreſſu fidei, hoſpitióq; men
tis, deuotionis habitaculo, conuerſatione virtutis. In illo igi-
tur ſimus, atq; in eo maneamus, de quo & Eſaias dicit: Quā
ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizātium bo
na. Qui ſunt qui euāgelizant, niſi Petrus, niſi Paulus, niſi o-
mnes Apoſtoli? Quid euāgelizant nobis, niſi dominum Ie-
ſum? Hic eſt pax noſtra, hic eſt bonum illud ſummum quia
ipſe bonus ex bono: Ex arbore enim bona bonus fructus
legitur. Deniq; & ſpiritus eius bonus qui ex ipſo accipit, &
deducit dei ſeruulos in viam rectā. Quis autem habens ſpi-
ritum dei in ſe, neget bonum, cū ipſe dicat: An oculus tuus
nequam eſt, quia ego bonus ſum? Hoc bonum veniat in ani
mam noſtram, in noſtræ mētis viſcera, quod propitius deus
dat petentibus ſe. Hic eſt theſaurus noſter, hic eſt vita no-
ſtra, hic eſt ſapientia noſtra, iuſtitia noſtra, paſtor noſter, &
paſtor bonus, hic eſt via noſtra. Vides quanta bona in vno
bono. Hæc bona nobis prædicant Euangeliſtæ. Hæc bona
requirens Dauid, ait: Quis oſtendit nobis bona? Et oſtendit
ipſum eſſe, bona, ſubiiciens: Signatum eſt in nobis lumen
vultus tui. Quis autē lumen vultus patris, niſi ſplendor glo-
riæ, & imago inuiſibilis dei, in quo & videtur & clarificatur
pater, ſicut ipſe clarificat filium ſuum? Ipſe eſt ergo dominus
Ieſus ſummum bonum quod nobis annunciatum à prophe
tis, prædicatum ab angelis, promiſſum à patre, euangeliza-

tum eſt ab Apoſtolis. Qui nobis tanquam maturitas aduenit. Nec ſolum tanquam maturitas, ſed tanquam maturitas in montibus adeſt, vt nihil acerbum, nihil immaturum in noſtris conſiliis ſit, nihil immite, nihil aſperum in operibus ac moribus, qui primus euangelizans bona affuit. Vnde & ait: Ipſe qui loquebar, adſum: id eſt, qui loquebar in Prophe tis, adſum in corpore quod ſuſcepi ex virgine, adſum interior imago dei, character ſubſtantiæ, & adſum vt homo, ſed quis cognoſcit me? Hominem enim viderunt, ſed operibus ſupra hominem crediderunt. An non vt homo cū Lazarum fleret, & rurſus ſupra hominem cum eum reſuſcitaret? An non vt homo cum vapularet, rurſus ſupra hominem cum to tius mūdi peccatum tolleret? Ad illum igitur properemus, in quo ſummum eſt bonum, quoniam ipſe eſt bonitas, ipſe patientia Iſrael, qui ad pœnitentiam te vocat, ne venias in iudicium, ſed accipias remiſſionē peccatorum. Agite, inquit, pœnitentiam. Ipſe eſt de quo clamat Amos propheta: Exquirite bonum. Ipſe eſt ſummum bonum, qui nullius indiget, & abundat omnibus. Facile abūdat in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Facile abundat de cuius plenitudine omnes accepimus, & in illo repleti ſumus, vt dicit Euangeliſta. Hoc igitur verum & ſummum bonum ſi illo concupiſcibili ſuo & delectabili anima guſtauerit, & duabus his hauſerit affectionibus, excludens dolorem & formidinem, incredibiliter exæſtuat. Oſculata enim verbum dei modum non capit, nec expletur, dicens: Suauis es domine, & in iucunditate tua doce me iuſtificationes tuas. Oſculata dei verbum, concupiſcit ſuper omnem decorem, diligit ſuper omnem lætitiam, delectatur ſuper omnia aromata, cupit frequenter videre, ſæpe intendere, cupit attrahi, vt ſequi poſſit. Vnguentum, inquit, exinanitum eſt nomen tuum: propterea te diligunt adoleſcentulæ, propterea certamus, ſed comprehendere te non poſſumus. Attrahe nos, vt poſſimus currere, vt odore vnguentorum tuorum accipiamus virtutem ſequendi. Feſtinat etiā interna myſteria videre, ipſam requiem verbi, ipſam boni illius ſummi habitationem, & lucem eius, & claritatem. In illo ſinu ac receſſu primo feſtinat audire ſermones eius: & cum audierit, ſuper omnem ſuauitatem accipit. Doceat te propheta qui guſtauit, & ait: Quā dulcia faucibus meis verba tua, ſuper mel & fauū ori meo. Quid enim aliud deſideret anima quæ ſemel ſuauitatē verbi guſtauerit, quæ ſemel claritatem eius viderit? Moyſes in monte poſitus quadraginta diebus legem accipiens, cibum corporis non requirebat. Helias ad illam feſtinans requiem rogabat vt acciperetur anima ſua à ſe. Petrus aſpiciens & ipſe in mōte dominicæ reſurrectionis gloriam, nolebat deſcendere, dicens: Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Quanta igitur illa diuinæ ſubſtantiæ gloria, quanta verbi bona, in quæ concupiſcunt & angeli proſpicere? Anima igitur quæ illud videt, corpus hoc non requirit, minimámque ſibi familiaritatem cum eo eſſe debere intelligit renunciat ſeculo, abducit ſe à vinculis carnis, exuit omnibus voluptatum iſtarū nexibus. Denique Stephanus Ieſum videbat, & lapidari non formidabat: imò cum lapidaretur, non pro ſe, ſed pro illis à quibus perimebatur rogabat. Paulus quoque raptus vſque ad tertium cœlū, cum corpore eſſet an ſine corpore, neſciebat. Raptus inquam in paradiſum, vſum proprij iam nō ſentiebat corporis, & audiens verba dei, quomodo ad corporis infirmitates deſcenderet erubeſcebat. Itaque ſciens quid vidiſſet in paradiſo vel quid audiſſet, clamabat, dicens: Quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne guſtaueritis quæ ſunt omnia ad corruptelā ipſo vſu. Volebat enim nos in figura eſſe iſtius mundi, non in poſſeſſione atq; vſu, vt ita vtamur hoc mūdo tanq̄ nō vtamur, tanq̄ prętereūtes, non tanquam reſidentes, ambulātes tāquam in imagine ſeculi, nō in cupiditate vt velociſſima diſpoſitione ipſam imaginē huius mundi tranſeamus. Denique ipſe fide ambulās non ſpecie peregrinabatur à corpore, ſed aderat domino: & cum eſſet in terris: non in terrenis, ſed in cœleſtibus conuerſabatur. Ergo anima noſtra quæ deo vult appropinquare, eleuet ſe à corpore, ſemper illi ſummo adhæreat, illi bono quod eſt diuinum, quod eſt ſemper, & quod erat ab initio, & quod erat apud deum, hoc eſt

Pſalm. 62. Matth. 3. Amos 5. Coloſ. 2. Ioan. 1. Pſalm. 118. Cantic. 1. Pſalm. 18. Exod. 34. 3. Reg. 19. Matth. 17. Acto. 7. 2. Cor. 12. Eſaiæ 52. Roma. 10. Pſalm. 52. Matth. 20. Pſal. 4. Deut. 28. Ibidem Pſalm. 64. Pſalm. 127.

Acto.17. hoc est dei verbū.Ipsum est illud diuinū in quo viuimus, & A
sumus,& mouemur.Ipsum est quod erat in principio, ipsum
est quod est.Dei enim filius Iesus Christus in nobis,inquit,
2.Cor 1. est:in quo non fuit,est & non,sed est in illo,fuit. Ipse dixit
Exod 3. Moysi vt diceret:Qui est,misit me . Cum hoc igitur anima
nostra sit,& sit(si fieri potest)semper,vt nostrum possit quis
Psalm. 118. dicere:Anima mea in manibus tuis semper. Erit autem , si
non in carne sit , sed in spiritu . Erit, si se terrenis non mi-
sceat.Cum enim ad carnalia reflectitur,tunc ei illecebra ob
repit corporis,tunc ira & indignatione exæstuat, tunc mœ-
stitia afficitur,tunc supinatur par arrogantiam,tunc dolore
affligitur . Hæ sunt ægritudines animæ graues , quibus ple-
rumque ad mortem cogitur,dum oculi eius cæcantur,vt nō
videant veræ lumen gloriæ , & diuitias æternæ hæreditatis.
Quod si eos ad deum semper intendat , accipiet à Christo
fulgorem sapientiæ,vt illuminatum in agnitione dei habeat
obtutum, vt videat illam spem nostræ vocationis , aspiciat
illud quod est bonum, & placitum, & perfectum . Quod
enim bonum,complacitum patri:quod complacitum , per-
Matth.5. fectum: sicut habes in euangelio,vbi dicit dominus:Diligi-
Lucæ 6. te inimicos vestros,vt imitemini patrem qui pluit super iu- B
stos & iniustos,quod est vtique bonitatis. Et postea conclu
dit dicens: Estote perfecti sicut pater vester qui in cœlis est,
perfectus est.Charitas enim perfecta est , denique plenitu-
Roma.13. do legis est.Quid autē tam bonum quàm charitas,quæ ma-
lum nō cogitat?Et ideo terras fugito , in quibus inuidia est,
vbi ambitio, ibi contentio.Boni ergo illius capacem se ani-
ma tua præbeat,vt supra nubes volet , sicut aquila renouetur,
sicut aquila pēnas emittat,vt renouatis alarum remigiis
alta petere nō reformidet,hāc habitationem relinquat.Ter-
renum enim habitaculum grauat animā.Exuat vetera,abii-
ciat erroris desideria, abluat oculos suos , vt videat illū fon-
tem veræ sapientiæ , illum fontem vitæ eternæ , qui affluit
Roma.11. atque exundat omnibus,nullius indigens. Quis enim dedit
illi,cum ex ipso,& per ipsum,& in ipso omnia sint? Vitæ igi-
tur fons est summum illud bonum, ex quo viuendi substan
tia ministratur omnibus.Ipsum autem in se habet vitam ma
nentem,à nullo quasi inops accipit.Largitur bona aliis,non
aliunde assumit sibi.Neque enim nostri indiget.Vnde & ait C
Psalm.15. ex persona hominis:Quoniam bonorum meorum non indi
ges .Quid ergo pulchrius quàm ei appropinquare ei adhæ-
rere?Quæ maior voluptas est,quàm quod is qui viderit, &
de fonte aquæ viuæ gratis gustauerit?Quid potest aliud de-
siderare?quæ regna?quas potestates? quam pecuniam? cum
aduertat quā miseræ etiam hic regum cōditiones sint,quàm
mutabiles imperij status,quàm exigua vitæ huius spatia,quā
ta in ipso imperio seruitia,cum ad aliorum non ad suum viu
ant arbitrium ? Quis autem peculiatus ad vitam æternam
transit ,nisi virtutum fultus peculio , quod receptum omni-
bus, solis diuitibus impossibile pronunciatur? Non ergo his
vti beatum est,sed illud videre quo ista despicias,& vana ve
ris refellas,atque inania & cassa iudices ; illam nudæ verita-
tis pulchritudinem diligas , quæ has seculi fucosissimas va-
nitates redarguat. Erige igitur oculos anima tuos , illos de D
Cantic. 4. quibus tibi verbum dei dicit : Corde nos cœpisti soror mea
sponsa,corde nos cepisti vno ab oculis tuis. Ascende in pal-
mam,vince seculum, vt teneas verbi altitudinē. Imaginem
istam mundi foris relinque,foris malitiam , introduc autem
bonitatem mentis,quæ habet gratiam in ligno vitæ , si lauer-
it stolam suam,& ingrediatur in ciuitatem,quę vera est pa-
tria sanctorum,in qua est dei tabernaculum,circa quod scri-
bæ domini prętendunt,vbi non dies,aut sol,aut luna lumen
ministrant,sed ipse dominus lumen est totam illam ciuitatē
Ioan.8. illuminans. Est enim lux mundi . Non vtique lux visibilis,
sed animarum quæ in hoc mundo sunt , intelligibilis clari-
tudo,quibus se splendenti lumine rationabilis infundit pru
dentiæ , & vt prædicatur in euangelio , incorporeæ virtutis
inflammans vapore secreta mentium,animorúmque pene-
tralia.Si quis igitur incola esse cœperit illius ciuitatis super-
næ,incola videlicet conuersatione ac moribus,non discedat
ab ea,non exeat,non reflectat vestigium,non corporis dico,
sed mentis vestigium.Non reuertatur retro . Retro luxuria,
Gene.19. retro impuritas est . Denique ascendens ad montem Loth,

retro reliquit Sodomitana flagitia . Quæ autem respexit re-
tro,non potuit ad superiora euadere.Nō ergo pedes tui re-
tro,sed mores reuertantur.Non fiant manus tuæ remissæ,&
deuotionis tuæ ac fidei genua dissoluta . Non fiat voluntatis
tuæ recidiua infirmitas,nō vllus intercursus criminum.Si in
gressus es,mane:peruenisti?cōsiste, saluans salua animā tuā.
Ascendens directum attolle gradum,nullus inde tuto redit.
Hinc via,inde ruina est. Hinc ascensus , inde præcipitium.
Ascendendi quidem labor,sed descendendi periculum.Sed
potens est dominus,qui te fundatum illic custodiat, septum
propheticis muris,& apostolicis turribus. Ideo tibi dicit do
minus:Intrate,calcate,quia assistit vindemia.Intus,nō foris
simus.Et in euangelio dei filius dicit: Qui est in tecto , non Matth.24.
descendat vasa sua tollere . Non vtique de hoc tecto dicit
sed dicit de illo . Extendit cœlum sicut cameram . Intus er- Psalm.103.
go esto intra Hierusalem,intra animā tuam pacificam, mi-
tem atque tranquillam.Non ex eas de ea , neque descendas
vas tuum istud aut honoribus aut diuitiis aut arrogantia at-
tollere.Intus esto,vt per te alienigenæ non transeant, pecca
ta animam tuam non transeant,vanæ operationes & cogita-
tiones inanes , non transibunt autem si susciteueris bellum
pro deuotionis & fidei certamine, pro veritatis studio ad-
uersus passionum illecebras , & sumpseris arma dei aduer-
sum spirituales nequitias,& astutiam diaboli, qui pertentat
sensus nostros fraude ac dolo,quem mansuetus bellator fa-
cile poterit,qui non serat iurgia, sed sicut decet seruum do-
mini,cum modestia fidē doceat,& eos qui aduersantur , re-
darguat.De hoc dicit scriptura:Qui mansuetus est, bellator
exurgat,& infirmus dicat: Omnia possum in eo qui me con Philip.4.
fortat.Hac fide fretus etiam qui infirmus est prævalebit, &
erit sancta anima eius, & stillabunt ei mōtes prophetici vel
apostolici dulcedinem, & colles fluent lac, qualis ille collis Ioel.3.
qui lactis potum Corinthiis dabat, & fluent ei aquæ de suis
vasis,& de puteorum suorum fontibus, vel de ventre eius
aquæ viuæ,spirituales videlicet , quas fidelibus suis spiritus Ioan.7.
sanctus ministrat, qui etiam animam tuam dignetur rigare,
vt abundet in te fons aquę salientis in vitam æternā.Vale,&
nos vt filius dilige,quia nos te vt parentes diligimus.

Diui Ambrosii ad Irenæum,prosequentis illud verbum Aggæi prophetæ: Si tempus vobis est vt habitetis in domibus cælatis?multa ex hoc nos sermone commonentis vt in superioribus domibus,& non in vallestribus & subterraneis habitemus,talésque domos nosmetipsos domino ædificemus.

Epistola XII.

AMbrosius Irenæo. Vbi superiorem absolui epi-
stolam,&perferendam tibi tradidi,venit in men
tem illud quod dominus in manu Aggæi prophe
tæ locutus est,dicens:Si tempus vobis est vt ha- Aggæi.1.
bitetis in domibus cælatis?Quid ergo istud est,nisi in supe-
rioribus habitandum,non in vallestribus & subterraneis ha
bitaculis?Qui enim infra terram habitant, nón possunt æ-
dificare templum dei,& dicunt: Non venit tempus vt ædifi
cetur domus domini:simul quia luxuriosorum est hypogea
quærere,captantium frigus æstiuum,eo quod resoluti deli-
ciis æstus aliter ferre ac tolerare nequeant,& ideo requirant
vmbrosa penetralia: vel quod desidiosi ignaua sub terris a-
gant ocia: deinde quod tenebrosa illos & opaca delectent
magis , quibus operiri flagitia sua credant, secundum illud: Eccles.9.
Tenebrę circundant me & parietes,quem vereor? Sed fru-
stra hoc sperant , cum profunda abyssi & abscondita deus
cernat,& omnia deprehendat antequam fiant.An non He-
lias in hypogęis , non Helisęus habitabant ? Denique alter 3.Reg.17.
mortuum viduę filium tulit ad superiora,in quibus consue-
uerat sedere,& ibi eum resuscitauit . Alteri quoque Suna- 4.Reg.4.
mitis illa magna mulier (vt scriptura testificatur) in supe-
rioribus hospitium parauit,& ibi concipiendę sobolis, quia
non habebat,meruit prerogatiuam , eiusdémque resuscitati Actor.20.
pignoris vidit miracula.Quid de Petro dicam,qui ad horam
sextam ascendens in superiora,baptizandarum gentium co- 2.Reg.6.
gnouit mysteria?At vero parricida Absalon in valle sibi re-
gis titulum statuit,& in fossam proiectus est,cum esset per-
emptus.Ergo sancti ascendunt ad dominū, flagitiosi ad vi-
tia

tia deſcendunt. Sancti in montibus, criminoſi in vallibus. A
3.Reg.20. Deus enim montium eſt, & non deus vallium. Qui ergo illic, id eſt in domibus habitant valleſtribus, in quibus non habitat deus, domum dei in ſe habere non poterant. Hanc enim dominus quærebat ab illis domum, vt ſemetipſos ædificarent, atque intra ſe dei templum viuis fidei lapidibus attollerent. Neque enim terrenorum parietum conſtructiones, & ſylueſtrium ligna culminum deſiderabat, quæ cũ fuiſſent, manus diruerat hoſtilis, ſed illud templum quærebat
2.Corin.6. quod in hominum conderetur mentibus, quibus dicendum foret: Vos eſtis templum dei. in quo habitaret dominus Ieſus, & vnde ad redemptionem vniuerſorum procederet, vt in vtero virginis ſacra reperiretur aula, in qua rex habitaret
Ioan.2. cœleſtium, & corpus humanum dei templum fieret, quod etiam cum ſolutum eſſet, in triduo reſuſcitaretur. Sed hanc domũ non luxurioſi ædificant, qui cælatas inhabitãt domos, & cælato argento delectantur. Sordet enim illis purum argentũ, ita & iſtis ſordet ſimplicis habitationis locus. Sinuãt ſpatia domorum, & adiiciendo adiiciunt, coniungentes domum ad domum, & villam ad villam, effodiunt terram, vt e- B
lementum quoque eorum cedat habitaculis, & quaſi terræ filij intra eius recondantur vterum, & abſcondantur aluo.
Hiere.22. Iſti plane ſunt de quibus dicit Hieremias: Væ qui ædificant domum ſuam non cum iuſtitia. Qui enim cum iuſtitia ædificat, non in terrenis ædificat, ſed in cœleſtibus. Aedificaſti, inquit, domũ, metire ſuperiora eius, perflatilia diſtincta feneſtris, & contignata cedro, & illita minio. Metitur autem ſuperiora, qui contemplatus iudicium dei, iudicat iudicium
Cantic.4. humilis, & iudicium pauperis. Qui autem in auaritiam intẽdit, & in ſanguinem innocentis, non ædificat ſuperiora cum iudicio: nec menſuram tenet, quia non habet Chriſtum: nec aſpirare ſibi diuinæ flatus explorat gratiæ, nec pleni luminis ſplendorem requirit: nec illita minio habet cœnacula: cui non poteſt dici. Sicut reſticula coccinea labia tua. Non ſepelietur, inquit, huiuſmodi. Qui enim viuum ſe ſub terram
Ibidem. infodit, & tanquam in ſepulchro ſepeliuit, eripuit ſibi mortuo requiem ſepulturę. Depoſitus itaque in valle corporaliũ delectationum, non inuenit ſepulchrum de quo poſſit reſurgere. Huiuſmodi ergo vir nec templum deo ædificat, quia C
1.Tim.5. nõ nouit tempus correctionis ſuæ. Quomodo enim poſſunt tales homines tẽplum ædificare, qui quaſi feræ ac beſtiæ in ſpelæa ferarum & beſtiarum latibula ſeſe receptãt, atque in foueas ſe ſerpentiũ more demergunt, & conſuetudine fraudulentæ vulpis infodiunt? Sed nec ſepulchrum ſibi condit qui ante tempus moritur. Viuens enim mortuus eſt, nec audit vocem Aggæi, id eſt epulantis, vt interpretatio declarat:
Pſalm.41. quoniam non ingreditur tabernaculum dei in voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis. Quomodo enim vocem eius audit, qui opera eius non videt? Nam ſi videret, audiret verbum quod in eius manu factum eſt, delectatus eius actibus quibus pulſauit & apertum eſt ei, & deſcendit in eius animam, vt epuletur in eo ſynceritatis & veritatis cibus.
Aggæi 1. Ergo quia non audiuit, fit iterum in manu Aggæi verbum, & dicit: Surgite de cælatis & depreſſis malitia domibus, & D
aſcendite in montem ſcripturarum cœleſtium, & cædite lignum ſapientiæ, lignum vitæ, lignum cognitionis, & dirigite vias veſtras, ordinate actus veſtros vt habeant ordinem ſuum debitum, qui neceſſarius & vtilis eſt ad ædificandum domini domum. Nam ſi non feceritis: nec cœlum dabit rorem ſuum, id eſt, ſermo cœleſtis, qui ſicut ros deſcendit ſuper fœnum, non temperabit feruidos corporalium motus paſſionum: nec ignita reſtinguet diuerſarum ſpicula cupiditatum, nec terra eius, id eſt, anima fructus dabit, eo quod areſcat, niſi repleatur irriguo verbi dei, & perfundatur à rore cœleſti, ſpiritualis vbertate gratiæ. Et quia ſciebat deſides eſſe habitantes in hypogæis, & voluptatum gurguſtiis, Excitabo, inquit, illis ſpiritum Zorobabel de tribu Iudæ, & Ioſedec ſacerdotem magnum, vt incitentur ad ædificatio-

nem diuinæ domus. Niſi enim dominus ædificauerit ſibi do Pſalm.126.
mum, inuanum laborauerunt qui ædificãt eam. Ipſe eſt Zorobabel iugis redũdantia, vtpote fons vitæ, & verbum dei, per quod omnia, & ex quo omnia, & omnia in ipſo. Hæc di- Roma.11.
cit redundantia: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Hoc eſt Ioan.7.
profluuium indeficientis meatus. Profluuium quoque nocturnum legimus quod eſt Zabulõ, id eſt, propheticum, ſed etiam & ipſum huius fluenti infuſione reſplẽduit, per quod euanuit illud profluuium vanitatis in Iezabel, quæ inimica veritati, & aduerſaria prophetarum eloquiis, ita dilacerata 4.Reg 9.
eſt canum morſibus, vt nullum eius ſupereſſet veſtigiũ, ſed toto corpore ſuo cum omnibus poſteritatis ſuæ inſignibus extingueretur. Ipſe igitur Zorobabel ex tribu Iudæ, ipſe Ieſus magnus ſacerdos, & tribu deſignatus & nomine, duo ſignificari videntur, & vnus exprimitur. Qui idem quaſi potens natus ex potente, quaſi redemptor ortus ex virgine, in vtriuſque idẽ naturæ diuerſitate diuiduæ, vnius filij dei veritatẽ gigas ſalutaris impleuit. Excitaturus itaque à mortuis Aggæi 2.
Zorobabel ſanctum ait: Adhuc ego mouebo ſemel cœlũ & terrã. Et maria & deſertũ mouerat ante hæc, cum de Aegypto liberaret populum ſuum, quando in cœlo columna erat Exod.14.
ignis, terra inter fluctus, murus in mari, via in aqua, in deſerto meſſis quotidiana frugũ cœleſtium multiplicabatur, petra ſoluebatur in fontes aquarũ. Sed mouit & poſtea in paſ- Ibidem 16. & 17.
ſione domini Ieſu, quando cœlum tenebris obductum, ſol refugit, petræ ſciſſæ, tumuli aperti, mortui reſuſcitati, draco victus in fluctibus ſuis vidit piſcatores hominum nõ ſolum nauigantes in mari, ſed etiam ambulantes ſine periculo. Deſertum quoque motum, quando infructuoſus nationum populus in meſſem cœpit deuotionis & fidei flaueſcere. & eouſque deſerti & gentium commotio facta eſt, vt apoſtolorũ quos direxit ad gentes vocãdas, tanta eſſet & tam vehemens prædicatio, vt in omnem terram exiret ſonus eorum, & in Pſalm.18.
fines orbis terræ verba eorum. Tanta inquam commotio deſerti, vt plures filij fierent deſertæ, quàm eius quæ habebat Eſaiç.54.
virum. Et floreret deſertum vt lilium, introirent electa gentium ad reſiduos populi, quo reliquiæ ſaluæ fierent per ele- Rom.11.
ctionem gratiæ. Et replebo, inquit, domum hanc argento Aggæi.2.
meo & auro: eloquiis cœleſtibus, quæ ſicut argentum igne examinatum: & veri claritate luminis, ſicut auro ſpirituali in ſanctorum occultis mentibus refulgente. Has diuitias confert eccleſiæ ſuæ, quibus intelligibiles theſauri replentur, & gloria augetur domus ſuper priorem gloriam quam po- Philip.4.
pulus habuit electus. Pax enim & tranquillitas animæ ſuper omnem domus gloriã eſt, quia pax ſuperat omnem ſenſum. Hæc eſt pax ſuper pacem, quæ dabitur poſt tertiam commotionem cœli, maris, terræ, deſerti, quando deſtruet omnes poteſtates & principatus. Cœlum enim & terra tranſibunt, Matth.24.
& omnis iſtius mundi figura, & vnuſquiſque in romphæa 1.Cor.7.
inſurget ad fratrem ſuum, id eſt, verbo penetrante medullas animæ, vt deſtruatur quicquid eſt contrarium, currus ex Zacha.9.
Ephren, & equus ex Hieruſalem, vt Zacharias dixit. Et ſic erit pax per omnia, vt nullis obſiſtentibus corporis paſſionibus, aut incredulæ mentis impedimentis, fiat in omnibus Chriſtus, ſubdita patri exhibens corda vniuerſorum. Vnde & ad ipſum ſolum myſtice dicitur: Sumam te Zorobabel, & Aggæi.
ponam te ſicut ſignaculum, quia te elegi. Et enim cum fuerit anima noſtra pacifica, vt dicatur ei, Conuertere conuer- Cantic.6.
tere Sunamitis, quod pacificam ſignificat, & vt tuo nomine vtar, ἐιρηνικὴν, tunc accipiet in ſe ſicut ſignaculum Chriſtum, id eſt imaginem dei, vt ſit ad imaginem: quoniam qualis cœ 1.Corin.15.
leſtis, tales & cœleſtes. Et oportet nos portare imaginem cœleſtis, id eſt pacem. Atque vt ſciamus verum eſſe, habes in Canticis, in vltimo, iam perfectæ animæ dici, quod & tibi dicat dominus Ieſus: Pone me vt ſignaculũ in brachium tuũ, Cantic.8.
vt luceat pax in corde tuo, & in operibus tuis Chriſtus, & formetur in te ſapientia, & iuſtitia, & redemptio. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui

DIVI AMBROSII EPISCOPI *Mediolanensis epistolarum Liber IIII.*

Diui Ambrosii ad Irenæum hanc quæstionẽ, Vtrum sit aliqua apud deum differentia charitatis eorum qui à pueritia, & eorum qui iuuentutis aut posteriorꝰ ætatis processu crediderint, dissoluentis. *Epistola XIII.*

AMbrosius Irenæo. Differentia charitatis vtrum sit aliqua apud deum, eorũ qui à pueritia crediderint, & eorum qui iuuentutis aut posterioris ætatis processu, prudẽter requirẽdũ putasti. Nã hoc quoque scriptura diuina non prætermisit, neque intactum reliquit. Siquidẽ dominus deus noster ad Iohel 1. Iohel prophetã non ocioſe ait: Lamẽtare ad me super sponsam præcinctam saccum in virum eius virginalem, dolens synagogam quæ antea virginitate sua despõsata dei verbo foret, vel animã certe quæ de bonis meritis decidisset, ita offendiculum incidisse peccatorũ flagitiis, vt odia cõtraheret, & inquinamento impietatis, ac perfidiæ obsoleta sordibus, miserabili esset despectui, lõge mutata ab illius spõsæ gratia, quæ ante meruerat audire: Spõsabo te mihi in fide, & iustitia, & Oseæ 2. misericordia. Nec immerito lamentabilis pronunciatur, quę tantorum munerum amiserat precium, & virtutũ dotalium tam graue subierat dispendium, vt ei virginalis spõsus eriperetur. Nostris enim meritis verbum dei nobis aut viuit, aut moritur. Nam si bona studia atque opera nostra sint, viuit atque operatur in nobis dei verbũ: si tenebrosæ cogitationes operationésque nostrę sint, occidit nobis sol iustitię. Et ideo lamentãdum præcipit pro ea anima. Nam sicut illis gratulandum & epulãdum est, cum quibus sponsus est, ita illi animæ lugendum cui sponsus fuerit ereptus, sicut de apostolis scriptum Matth. 9. est in Euãgelio: Quoniam cum auferetur ab eis sponsus, tũc ieiunabũt in illis diebus. Ergo & hæc anima habebat ante lætitiam & exultationem, cum haberet παρθενικὸν λόγον. Et ideo non ieiunabat, quia dies erant epularum & refectionis, cum adesset sponsus inuehens quibus aderat, vbertatis affluentiam cœlestis alimenti, copia vini rigatus, quo corda hominum lætificantur. sed posteaquàm sponsum factis amisit suis, iubetur in cilicio agere pœnitẽtiam peccatorum suorum, & deflere semetipsam, quia mortuus est ei crucifixus pro ea Christus, qui est παρθενικὸς λόγος. Si à prima ætate conuenit, nec alterius anima hæc videtur experta copulam, sed à principio virginalem fidei suæ florem Christo dicauit, atq; ipsi primis fœderata pietatis mysteriis sacros iuuẽcula cultus recepit, ipsa est Israelitica anima veteris prosapiæ ex genere patriarcharum: quæ si inoffensum fidei seruasset curriculum, magni meriti foret sponsa verbi virginalis, tanquam illa quæ apprehendit iustitiam, & obuiauit illi quasi mater, & quasi mulier à virginitate suscepit illam. Altera quoque est acquisita ex gentibus, & vtraque spõsa vnius, verbi quod est magnum mysterium. Idque tibi demonstratur in libro regnorũ. Siquidem Dauid duas vxores habuit, 1. Reg. 25. Achinaam Iezrahelitem, & Abigeam acquisitam sibi postea. Illam rigidiorem, istam misericordiæ plenã & gratiæ, hospitalem ac liberalem animam, quæ reuelata facie patrem vidit speculata eius gloriam, quæ suscepit diuinum illum paternæ gratiæ rorem, vt habet nominis interpretatio. Quid autẽ ros patris, nisi dei verbum, quod humore fidei atque iustitiæ infudit corda vniuersorum? Pulchrè igitur huic animæ verus dicit Dauid, quod illi Abigeæ dictum est, Benedictus dominus deus Israel, qui misit te hodie huc obuiam mihi, & benedicti mores tui. Et iterum dicit ei, Ascende in pace in domum tuam, vide, audiui vocem tuam, & reueritus sum faciem tuam. Denique in Canticis etiã hæc verba sunt Cantic. 2. sponsi ad sponsam, Ostende mihi faciem tuã, & insinua mihi vocem tuam. Et tunc quidem dimissa est, quoniam altẽrum habebat virum, qui dicebatur Hebraicè Nabal, Latinè 1. Reg. 25. insipiens, durus, inhospitalis, inhumanus, ingratus, qui officia nesciret referre: sed postea quàm defunctus est vir eius,

solutam à lege viri accepit eam sibi in vxorem propheta Dauid. Per cuius copulam Ecclesiæ creditura ex gentibus significantur mysteria, quę amisso viro cui ante iuncta fuerat, transiuit ad Christum, censu pio diues humilitatis & fidei, misericordiæ quoque dotata patrimonio. Sed hoc loco non ista deploratur, sed illa Achinaã quæ fuit male fortis in fratrem. Et ideo ille frater factus est in commotionem. Vnde ex persona eorum dictum est, Posuisti nos in parabolam in gentibus, cõmotionem capitis in populis. Quam nutantem inueniens diabolus, sicut leo diruit, & iucunditatem eius abstulit. Vineam eius & ficum euertit, sub quibus solebat ante requiescere, & arescere fecit fructus eius. Quos aridos miseratus atque albentes siccitate nimia dicit ad prophetam deus, Lamentare ad me super sponsam præcinctam cilicio, Iohel 1. & super virum eius virginalem, id est, super animæ huiusmodi vel synagogæ virum mortuum. Cui loco alio expostulans dicit, Eo quod oblita propositi sui, oblita charitatis, immemor gratiæ, de via disciplinæ, superiorem vxorem affectum Proverb. amiserit. Meritóque suis eam sermonibus redarguit, memorans & retexens eiusdem blanditias, & pietatis vocabula. Non sicut domesticum me vocabas, & patrem & initiatorem virginitatis tuæ. Ergo huic animę cui per intemperantiam eius mortuum est dei verbum, & ille παρθενικὸς λόγος occidit, luctum indicit, intercessorem adhibet, vt vocetur ad pœnitentiam, quo possit mereri misericordiam. Illi autem quę bona intellectu, & decora aspectu valde, sicut Abigea 1. Reg. 25. acquisita sibi erat in prælio, deuictis aduersariis, & mortuo viro qui vallatus nequitiis spiritualibus repugnabat ac resistebat ne sibi speciosa vxor adimeretur, quasi victor & diligens sponsus iucunditatem confert & gratiam, emundans eam ab omnibus pulchritudinis eius impedimentis, & exuens vestimentis captiuitatis: vt depositis omnibus capitis sui capillis, id est, peccatorum criniculis, qui quasi superflui nostro in corpore videntur, quoniam si vir comam nutriat, ignominia est illi: in vnitate fidei, in virum perfectum, 1. Corinth. Ephes. 4. in mensuram ętatis plenitudinis Christi studeat occurrere, vt omnem deponat animi perturbationem, & charitate fundata augeatur in domino Iesu, & vniuerso acquirat incremẽta corpori. Hęc est anima illa quam lex demonstrat tibi in specie mulieris bonę, quam si videris in prędam, & concupieris accipere in vxorem tibi: induces, inquit, eam in do- Deuter. 21. mum tuam, vt tota ei cõmittas interiora domus tuę, omniũ tuorum viscerum possessionẽ, offeras eius superflua, tondeas lapsus, & nouacula non satis acuta, ne faciat dolum, tuarum exuuias passionum, atque inanes sensus recidas. Ideo ait, Rades eius caput, quo nulla obstacula patiantur oculi sapientis, qui sunt in capite eius. Et sedebit, inquit, triginta diebus in domo tua: peccata proprię deplorans natiuitatis, & commenta nequissimi patris diaboli, qui vult congregare quę non generauit: vt huius mystici numeri purificatione mundata, coniugij claues adipiscatur. Et pulchrè ait, Postea intrabis ad eam, vt totus ingrediaris in animam tuam, atque intra ipsam te colligas, & in ea habites: apud eam commorare, in ipsa tibi sit omnis conuersatio, vt sis non in carne, sed in spiritu, & proponas adiungere eam tibi ad consortium vitę, sciens quoniam communicabit tecum de bonis, & perfunctus eius gratia, dicas, Puer autem erã ingeniosus, & sor- Sapient. 8. titus sum animam bonam. Et illa tibi respondeat, Assumam te, & inducam te in domum matris meę, & in secretum eius Cantic. 3. quę me concepit. Bona mater animarum Hierusalem illa quę in cœlo est. Erit ergo vxor tua, & inueniens te osculabitur te. Et si postea displicuerit tibi quod castiget corpus suũ, & seruituti redigat, non patieris eam seruire, id est, voluptatibus corporis, nec subiicies eam carni, sed liberam permanere patieris: nec alienabis eam, hoc est enim vendere: nec contemnes eam, sed permittes seruire eam deo suo in castitate fidei, & bonorum operũ sobrietate. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Irenæum, errorem remouentis ne quis eum de quo in superiori epistola dictum est quod duas habebat vxores, duas adsciuisse sibi animas intelligat.

Epistola XIIII.

Ambro-

AMbrosius Irenæo. Superiore epistola scripsimus liberandam ab aduersariis animam nostram, & cum ea indissociabilis vitæ subeundum consortium. Et quia sermo iste nobis de Deuteronomio exemplum assumpsit assertionis suę, quo loci subiectum est de viro qui
Deut.21. duas vxores habebat, vnam odibilẽ, alteram amabilem: non perfunctorie motus videris, ne forte duas animas istum sibi asciuisse aliquis intelligat: quod fieri nequaquam potest. Verum ipse non ignoras quod interdum scriptura cum allegoriam dicit: alia ad speciem synagogæ, alia ad Ecclesiam refert: alia ad animam, alia ad verbi mysterium: alia ad diuersas species & qualitates animarum: quæ discernit qui diiudicat spiritu. Vnde sequenti capitulo legis non duas animas,
Ibidem. sed diuersas qualitates vnius animę comprehensas arbitror. Est enim amabilis animæ species, quæ concupiscit voluptaria, quæ laborem fugit, copunctiones declinat, iudicium dei negligit. Ideo amabilis, quia dulcis & suauis ad tempus videtur, quæ mentem non afficiat, sed oblectet. At illa altera tristior, quæ zelo dei conficiatur, sicut vxor seuera scortari comparem suum nolit, non patiatur, non sinat, nihil indulgeat corpori, nihil voluptati & delectationi relaxet, abdicet occulta dedecoris, dura laborum sequatur, grauia periculorum. Si igitur pepererint ei ambæ, non poterit, inquit, primitiuum filium amabilis in hæreditatis institutione præponere primitiuo filio odibilis, cum sciat odibilis filium primitiuum esse. In quo non tam prælationem simpliciter significari puto quasi inter primitiuos duos, quàm expressionem solum odibilis filium primitiui habere prærogatiuam. Primi-
Exo.13.34. Lucæ 2. tiuus enim primogenitus est, sancti autẽ primogeniti sunt, quia omnis masculus adaperiens vuluam sanctus domino vocabitur. Non tamen omnis primogenitus sanctus. Non enim sanctus Esau, qui vtique primogenitus. sancti autem primogeniti sunt. Denique habes in Numeris, Ecce tuli Leuitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito qui aperit vuluam, à filiis Israel. Mihi enim in quo die percussi omne primitiuum Ægypti, sanctificaui omne primogenitum Israel. Ergo Leuitas pro primogenitis accepit. quasi sanctos enim primogenitos esse cognoscim⁹ ex epistola ad Hebræos scripta, in qua habemus: Sed appropinquastis Sion monti,
Hebr.12. & ciuitati Hierusalem, & decem milibus angelorum, & Ecclesiæ primitiuorum. Ergo sicut primogeniti Ecclesiæ sancti, sic & Leuitæ, quoniam ipsi quoque primogeniti. Non enim *nascendi* ordine sancti, sed sanctificationis munere. Leui enim tertius filius fuit Liæ, non primus vtique. Qui au-
Gene.29. Psal.57. tem sanctificatus, ipse aperit vuluam. Quam vuluam? Audi dicentem, Errauerunt peccatores ab vtero. Quia intellexisti primogenitum qui aperit vuluam, intellige vterum bonę matris, à quo non errant sancti, sed peccatores. Leuitæ autem auferuntur de medio Israel, quia nihil habent commune cum populo, cuius primogenita secularia destruunt. Pri-
Gala.1. mogenita enim seculi alterius matris sunt, à cuius vtero segregatus Paulus est cum ad gratiam vocaretur dei. Et ideo
Ioan.1. de medio populi segregatus, verbum recepit, quod est medium in corde nostro. Vnde & illud dictum est, Medius autem vestrum stat, quem vos non videtis. Non ociosus itaque nobis à lege in legem excursus fuit, vt primogenitum non esse amabilis illius, id est, remissioris & voluptariæ fi-
Deut.21. lium diceremus, quamuis præpositi capituli verba hæc exprimant, dicente scriptura, Non poterit filium amabilis primitiuum præponere, cum sciat filium odibilis primitiuum esse. Ille est vere primitiuus, qui sanctæ matris sanctus est partus. sicut illa vera mater, à cuius vtero non errant veri filij, sed peccatores. Ergo ille non veræ matris filius, non primi-
Gene.45. tiuus verus, sed quasi primitiuus iuuatur sumptu ne egeat, non vt dies sit honoratur. Hic autem dupla ex omnibus accipit, vt abunder: sicut etiam in Genesi habes patriarchas à fratre suo Ioseph geminæ singulos stolæ donatos munere cum remitterentur ad patrem, vt significarent fratrem repertum Ioseph, quem defunctum esse crediderat pater.
Deut.21. Primogenitus itaque hæreditatis accepit prærogatiuam, dicente scriptura: Hic est initium filiorum eius, & huic debentur primogenitalia. A primogenito igitur dei filio primogeniti sancti: & ab illo initio (quia ipse est initium & finis) initium sanctus nuncupatur, initium filius, cui debetur primitiarum prærogatiua, secundum illud ad Abraham dictum, Apoc.1.
Eiice ancillam, & filium eius. Non enim hæres erit filius an- Gene.21.
cillæ cum filio meo Isaac. Quod magis ad hæreditatem virtutum quàm pecuniæ spectare diuino oraculo docetur, dicente deo, Omnia quæcunque tibi dixerit Sara, audi vocem Ibidem.
eius, quoniam in Isaac vocabitur tibi semen. Quæ erat alia in Isaac, nisi sanctitatis hæreditas; quæ nobilitaret patrem? Et filium quidem ancillæ super nationes præfecit, quasi simpla conferens patrimonij: filio autem Saræ dupla dedit, cui non solum tẽporalia, sed etiam superna & perpetua collata sunt. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Irenæum, causſam reddentis cur lex prohibuerit mulieres vti veſte virili, atque viros indui ſtola muliebri,

Epiſtola XV.

AMbrosius Ireneo. Pertulisti ad me quasi filius quæsiuisse aliquos de te quid sibi velit quod tam seuere lex immundos eos dixerit qui alieni sexus vterentur vestibus, vel viros scilicet vel mulieres. Sic enim scriptum est: Non Deut.22.
erit res viri super mulierem, neque induetur vir stolam muliebrem, quia immũdus est domino omnis qui fecerit hoc. Et si vere discutias, incongruum est quod ipsa abhorret natura. Cur enim homo non vis videri esse quod natus es? Cur alienam tibi assumis speciem? Cur mentiris fœminam, vel tu fœmina virum? Suis vnumquemque sexum induit natura indumentis. Denique diuersus vsus, diuersus color, motus, incessus, diuersæ vires, diuersa vox est in viro & fœmina. Sed etiam in reliqui generis animantibus alia species leonis, alia leænæ, alia vis, alius sonus: alia tauri, alia vitulæ. In ceruis quoque quantum distat sexus, tantum discrepat species, vt eos etiam eminus possis discernere. In auibus vero etiã propria ad vestitum est inter eos & homines comparatio. In illis enim sexum naturalia ipsa indumenta discernunt. Paui mares speciosi, fœminæ non item pennarum vario pinguntur decore. Fasianis quoque diuersus color, qui distinguat sexus discretionem. Quid in pullis? quam canora vox galli? nocturnísque vicibus solenne munus ad excitandum & canendum? Nunquid illa mutant speciem suam? Cur nos mutare desideramus? Et quidem Græco more influxit vt fœminæ virilibus quasi succinctioribus tunicis vtantur. Esto tamen vt illæ imitari videantur melioris sexus naturam. Quid viri qui inferioris sexus mentiri speciem volunt? Mendacium & in verbo turpe est, nedum in habitu. Denique in templis vbi mendacium fidei, ibi mendacium naturæ. Illic assumere viros muliebrem vestem, gestúmque fœmineum, sacrum putatur. Vnde lex dicit, quia immundus erit domino omnis vir Ibidem.
qui stolam muliebrem induerit. Arbitror autem quod non tam de veste, quàm de moribus dixerit vel de vsibus nostris atque actibus, quod alius virum, alius fœminam deceat actus. Vnde & Apostolus ait, quasi interpres legis: Mulieres 1.Cor.14.
nostrę in Ecclesia taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Et ad Timotheum: Mulier 1.Tim.2.
in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum. Quam deforme autem virum facere opera muliebria. Ergo & pariant, ergo parturiant qui crispant comam sicut fœminæ. Et tamen illę velantur, isti belligerantur. Verum habeant excusatio- Ibidem.
nem qui patrios vsus sequuntur, sed tamen Barbaros, vt Persę, vt Gothi, vt Armenij. Maior quidem est natura quàm patria. Quid de aliis dicimus, qui hoc ad luxuriam deriuãdum putant, vt calamistratos & torquatos habeant in ministerio, ipsi promissa barba, illos remissa coma? Merito illic seruatur castimonia, vbi non tenetur sexus distinctio. In quo 1.Cor.11.
euidentia naturæ magisteria sunt, dicente Apostolo, Decet mulierem non velatam orare deum? Nec ipsa natura docet vos. Quod vir quidem si comam habeat, ignominia

minia est illi: mulier vero si capillos habeat, gloria est illi, quoniam quidem capilli pro velamine ei sunt. Hæc sunt quę referas requirentibus. Vale, & nos vt filius dilige, quia nos te vt parentes diligimus.

Diui Ambrosii ad Irenæum, epistolam ad Ephesios summaria ac breui explanatione perstringentis,

Epistola XVI.

AMbrosius Irenæo. Poposcisti vt summam epistolæ quæ ad Ephesios scripta est, inculcaremus tibi, quæ obscurior videretur, nisi eius distinctiones colligas, quibus persuadendum putauit apostolus de dei regno nobis non desperãdum. Proposuit itaque primum, quod bonis maximum solet esse ad studia virtutis incitamẽtum, præmiorum spem, & promissorum cœlestium hæreditatem, quæ in passione Christi & resurrectione appropinquauerint. Deinde subiecit non solum in paradisum reditum nobis reformatum esse per Christum, sed etiam cœlestis solij honorem per consortium Christi corporis carni huic esse impartitum, vt de ascendendi possibilitate iam non dubites, qui consortia tua in carne Christi regno cœlesti adhærere recognoscas, per sanguinem eius reconciliationem factam omnium quæ vel in terra vel in cœlo sunt. Qui ideo descendit, vt captiuitatem nostram auerteret: ideo ascendit, vt impleret omnia per apostolos, prophetas, sacerdotes, cõfirmationem vniuersorum, & congregationem gentium. Finem autem spei esse nostræ charitatem ipsius, vt augeamur in ipso per omnia, quia ipse est caput vniuersorum, ad quem omnes secundum mensuram operationis in vnum corpus ædificatione charitatis assurgimus. Non ergo desperandum quod capiti suo membra adhæreant, præsertim cum in adoptionem filiorum dei ab initio simus prædestinati per Iesum Christum in ipso: quam prædestinationẽ probauit, asserens illud quod ab initio prę-

Gene.2. nunciatum est. Quia relinquet homo patrem & matrem, &

Ephe.5. adhærebit vxori suæ, & erunt ambo in carne vna, sacramentum esse Christi & ecclesiæ. Si ergo Adæ & Euæ copula sacramentum magnum est in Christo & in ecclesia, certum est quòd sicut Eua os de ossibus viri fuit, & caro de carne eius, & nos mẽbra simus corporis Christi, os de ossibus Christi, & caro de carne eius. Nulla autem epistola tantum benedictionis increpuit in plebem dei quantum ista, in qua non solum benedictos nos à deo, sed in omni benedictione benedictos & spirituali & in cœlestibus significauit diuinæ locuples gratiæ testis, & prædestinatos nos in adoptionem filiorum, in filio quoque dei nos cumulatos gratia, abundasse ea ad cognoscẽdum mysterium æternę voluntatis, tum præterea in plenitudine temporum, cum pacificarentur omnia in Christo, & quæ in terra sunt, & quæ in cœlo, sorte nos in ipso constitutos, vt quæ legis sunt implerentur in nobis, & quæ gratiæ: cum etiam secundum legem electi videremur in iuuentutis ætate, quæ est vita immaculata, nihil habentes lasciuiæ puerilis, & senilis infirmitatis. Docti quoque prælium non solum aduersus carnem & sanguinem, sed etiam

Ephe.6. aduersus omnem militiam spiritualis nequitiæ, quæ est in cœlestibus, viuidis gerere virtutibus. Itaque sicut illis sorti to obtigit capta ex hoste terrarum possessio, ita nobis cecidit sors gratiæ, vt simus possessio dei, qui renes possidet nostros, id est, seminarium castitatis & temperantiæ. Quæris

Actuum 1. hanc sortem agnoscere? recordare illam quæ cecidit super Matthiam, vt in duodecimum apostolorum numerum subrogaretur. Sed etiam propheta Dauid ait, Si dormiatis inter medias sortes. cò quòd is qui medius inter veteris sortem & noui testamenti est recumbens in vtroque, ad regni

Num.27. cœlestis tranquillitatem adscisitur. Hanc sortem filiæ Salphe petebant hęreditatis paternę, & earum petitio diuino iudicio probata est. Sed illæ petebant in vmbra. Salphe enim vmbra oris significatur. In vmbra ergo sermonis petebant, loquebantur quod non reuelabatur. Paternę itaque hæreditatis petitio Salphe filiabus in vmbra sermonis erat, nobis autem est in euangelij splendore, & reuelatione gratiæ. Si-

mus itaque nos possessio dei, & ille nobis portio, in quo sunt diuitię gloriæ & hęreditatis eius. Quis enim diues nisi solus deus, qui omnia creauit? Sed multo magis diues misericordia, qui omnes redemit, & nos secundum carnis naturam iræ filios & morti obnoxios mutauit quasi author naturæ, vt simus filij pacis & charitatis. Quis enim naturam mutare po- Ephe.2.
test nisi qui creauit naturam? Itaque suscitauit mortuos, & viuificatos in Christo sedere fecit in cœlestibus in ipso domino Iesu. Non quo quisquam hominum prerogatiuam sedendi meruerit in illa sede dei, de qua pater soli filio dixit, Se- Psal.109.
de à dextris meis: sed quia in illa carne Christi per consortium eiusdem naturæ caro omnis humani generis honorata est. Nam sicut ille in nostra carne subditus legitur per vnitatem carnis, & obedientiam corporis, in quo fuit obediens vs que ad mortem, sic & nos in illius carne confidemus in cœ- Philip.2.
lestibus. Non ergo sedemus, sed in Christo sedemus, qui solus sedet ad dexteram dei filius hominis, sicut ipse dixit, A Matthæ.
modo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram dei. In eo enim abundauit gratia eius & bonitas super nos in Christo Iesu, vt operibus mortuos, per fidem redemptos, saluatos gratia tantę donaret liberalitatis munere, in quo velut resuscitata etiam ipsa natura nouæ sensit creaturæ gratiam, vt in bonis operibus ambulemus creati in Christo, qui Ephes.
ante obnoxiæ hęreditatis vitio degenerauimus. Etenim sublatis inimicitiis quę erant in carne ante, pax facta est vniuersitatis in cœlo, vt essent homines sicut angeli in terra, vt essent gentes vnum atque Israelitæ, vt in homine vno & nouus homo & vetus sublato pariete maceriæ, qui vtrumque dissidioso obice diuidebat, inter se conuenirent. Nam cum huius natura carnis iras discordias ac dissensiones excitauisset, lex nos damnatorum nexuisset vinculis, Christus Iesus insolentiam atque intemperantiam carnis mortificatione compressit, legem mandatorum in decretis euacuauit, in quibus ostendit non secundum literam interpretanda legis spiritualis dogmata, cum & sabbati ignaua ocia & corporalis superflua destrueret circuncisionis, atque omnibus acces-

C sum ad patrem in vno referaret spititu. Quomodo enim potest discordia esse, vbi vna vocatio, vnum corpus, & vnus spiritus est? Quid enim aliud descendens operatus est dominus Iesus, nisi vt de captiuitate nos in libertatem vindicaret, & illam captiuitatem vinctam perfidiam vinculis sibi captiuam faceret alligatam sapientię compedibus, mittente vnoquoque prudente pedes suos in compedes eius, sicut scriptum est: Et cum descendisset, ascenderet, vt impleret omnia, & nos omnes de plenitudine eius acciperemus? Ephes.4.
Ideoque primum repletos spiritu suo posuit in ecclesia apostolos, prophetas alios, alios euangelistas, alios autem pastores & doctores, vt eorum adhortationibus consummaretur profectus credentium, & ministerij fidelis opus cresceret, ædificaretur vnusquisque ædificatione virtutum in mensuram ætatis interioris, quæ mensura perfectior vitę immaculatæ, id est, perfecti viri, accipiens de plenitudi-

D ne Christi recipit gratię plenitudinem. Quis autem vir perfectus est nisi ille qui absolutus infantia puerilis ingenij, atque adolescentię incerto ac lubrico, & immoderato iuuentutis calore, in viri perfecti firmitatem succesierit, atque ad illam morum maturitatem adoleuerit, vt non facile deuij disputatoris alloquio flectatur, & quasi quadam doctrinę irrationabilis turbidiore in scopulos iactetur procella, ad erroris remedia se conferens, & qui veritatem non solum in sermone, sed etiam in operibus sequatur suis, & ędificationem charitatis in se suscipiat, vt in vnitate fidei & agnitionis occurrat, & quasi membrum non desit capiti suo, id est, Christo, qui est caput omnium, ex quo totum corpus fidelium & sapientium per harmoniam rationabilem verbi: hoc est enim συναρμολογούμενον ἁρμονίᾳ τοῦ λόγου δέ τι σύνημμα, id est, harmonia verbi compaginatum & compactum atque connexum: per omnem iuncturam ministrationis, in mensuram vniuscuiusque partis augmentum corporis facit, in ędificationem sui in charitate, vt assurgat vnum templum dei in omnibus, & vnum domicilij cœlestis habitaculum in spiritu vniuersorum. In quo non solum sanctorum hominum, sed omnium credentium, omnium etiam superiorum

riorum rationabilium virtutum ac potestatum, connexionem fidei spiritúsque accipiendam arbitror, vt per harmoniam quãdam virtutum ac ministeriorum corpus vnum ex omnibus rationabilis naturæ spiritualibus adhæreat capiti suo Christo, ita ædificationis compage connexa, vt ne tactu quidem iunctura singulorum adhærentium discrepare videatur. Hoc est enim quod dixit Græcus ἁφὴ τῆς χρηγίας κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ: quod non difficile erit tanto architecto secundum mensuram vniuscuiusque meritorum, ac fidei conuenientem sibi cõnectere, cum ædificatio charitatis ruinam offensionis excludat atque obstruat. Non est ergo dubitandum cœlestium potestatum adhæsura ad hoc templum ædificandum consortia. incongruum quippe intelligi quod ita assurgat humanæ charitatis ædificatio in templum dei, vt fiat in nobis habitatio dei in spiritu, non sic autem in cœlestibus potestatibus. Cuius rei gratia, vt maturius in nobis ædificatio huiusmodi procederet, hortatur nos Apostolus aperire oculos cordis, eleuare ad superiora, agnitionem dei impense quærere, veritatem discutere, absconde re in corde mandata dei, deponere erroris desideria, dedecoris occulta, renouari per gratiam sacramentorum, temperare iracundiam, commotionem ante occasum solis relaxare, cauere ne superiora tua occupet aduersarius, spiritus ille habens potestatem, qui se immersit in cor Iudæ, & comminuit animæ eius ianuas, ne posset resistere, furem excludere, mendacem auertere, exurgere à mortuis, sobrietatem assumere, vxorem viro vt ecclesiam Christo debere esse subditam, virum pro vxore animam suam offerre, sicut se pro ecclesia tradidit Christus. Postremo quasi bonum bellatorem sumere arma dei ac præ tendere semper, non solum aduersus carnem & sanguinem, sed etiam aduersum spirituales nequitias, ne à suis emolliri, ab extraneis capi possit. Hæc breuiter comprehensa vt potui perstrinxi. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad clericos quosdam qui propter leuem aliquam offensionem ab officio desistunt, redarguentis, & ad constantiam exhortantis, *Epistola XVII.*

AMbrosius clericis. Plerunque humanis obrepit mentibus, vt aliqua leui perstricti offensione, si non illis cedant pro studio volũtaria, officio desistãt. Quod in alio genere hominum tolerabile: in iis vero qui rei diuinæ intendũt, plenum doloris. Sunt enim aliqui in clericorũ munere, quibus inimicus obrepere studet, si aliàs eas non potuerit circunuenire, vt læsis huiusmodi serat cogitationes: Quid mihi prodest in clero manere, subire iniurias, labores perpeti, qua si non possit ager meus me pascere, aut si ager desit, quasi aliter exercere sumptum nequeam? Itaque huiusmodi cogitationibus etiam boni mores ab officio retrahuntur: quasi vero hoc solum sit in clerico, vt sumptum expediat suum, & non vt diuinum sibi post mortem potius subsidium locet: quanquam ille post mortem abundet, qui tutus hic potuerit decernere aduersum tot inimicorum insidias. Vnde Eccle. 4. Ecclesiastes ait: Optimi duo super vnum, quibus est merces bona in labore ipsorum: quia si ceciderit vnus, alter erigit socium suum. Vbi sunt duo optimi super vnũ nisi vbi Christus est, & is quem Christus tuetur? Quia si ceciderit qui cum domino est Iesu, erigit eum Iesus. Sed qua ratione dixit: In labore ipsorum? Ergo & Christus laborat? Vtiq; laborat, qui ait: Laboraui clamans. Laborat, sed in nobis. Denique ad puteum fatigatus sedebat. Sed quomodo laboret, docuit nos Apostolus minore exemplo dicens: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Docuit & ipse dominus sua voce: Æger eram, & non visitastis me. nudus eram, & non operuistis me. Laborat vt me iacentem erigat. Vnde in Helisæo figura domini præcessit, qui proiecit se vt mortuum erigeret, in quo symbolum est quod nobis Christus commortuus sit, vt nobis resurgeret. Proiecit itaque se vsque ad nostram Christus fragilitatem, vt nos erigeret. Proiecit se, non cecidit, sed erexit consortem. Ipse enim consortes nos sibi fecit, vt scriptum est: Quia vnctus est oleo iustitiæ præ consortibus suis. Vnde pulchre ait Ecclesiastes: Quoniam qui ceciderit, alter erigit socium suum, non ipse erigitur. Christus enim non alterius auxilio atque ope erectus est, sed ipse se resuscitauit. Denique soluite, inquit, hoc templum, & in triduo illud resuscitabo. Hoc autem dixit de templo corporis sui. Nec immerito erectus non est ab alio qui non cecidit. Nam & ille qui à secundo erigitur, cecidit: & qui cecidit, indiget auxilio vt erigatur. Quod & subiecta docent, dicente scriptura: væ illi vni cum ceciderit, & non est secundus qui eum erigat, quia & si dormiant duo, est calor illis. Cõmortui enim sumus Christo, & ideo conuiuimus. Christus nobis commortuus est, vt nos calefaceret, qui ait: Ignem veni mittere in terram. Mortuus eram, sed quia in baptismate cõmortuus Christo sum, accepi lumen vitæ à Christo. Et qui in Christo moritur, per Christum calefactus vitæ & resurrectionis vaporem accipit. Frigidus erat puer, calefecit eum Helisæus spiritu suo, dedit ei vitæ calorem. Cõdormiuit ei, vt eum calor quietis eius qui in symbolo consepultus ei fuerat, excitaret. Frigidus itaque est qui non moritur in Christo. Calefieri non potest cui ignis ardens non appropinquat. Inualescere non potest alteri qui secum non habet Christum. Et vt cognoscas secũdum mysterium dictum, non secundum numerum, quia optimi duo quàm vnus, subiecit mysticum. Et spartum triplex non corrumpitur. Tria enim quæ non sunt composita, non rumpuntur. Trinitas itaque incompositæ naturæ rumpi non potest, quia deus vnum & simplex & incompositum est quicquid est. Quod autem est, permanet: non subiicitur. Bonum est itaque adhęrere alteri, & inserere collum in torques eius, & subiicere humerum, & portare illum, nec tædiare ad vincula, quia de domo alligatorum exiuit qui regnet, puer ille qui super regem seniorem & stultum est. Ideoque qui eum sequuntur, alligati vinculis sunt. Denique Paulus vinctus Iesu Christi. Vnde & ipse Iesus captiuam duxit captiuitatem. Non satis visum est ei soluere captiuitatem, quam diabolus imposuerat, ne iterum liberos vacantésq; inuaderet, sed perfecta absolutio existimata est sub Christo degere, & iniicere pedes in compedes sapientiæ ipsius, captiuum esse vt sis liber ab aduersario. Recte puer, quoniam puer natus est nobis. & vere optimus puer, cui dictũ est à patre deo: Magnum tibi est vocari puerum meum. Sapiens quoque, vt euangelium docet: Quia proficiebat ætate & sapientia. Conuenienter etiam pauper, quia cum diues esset, pauper factus est, vt nos sua inopia ditaret. Et ideo non fastidit in regno suo pauperem, sed exaudit eum, & liberat ex omnibus angustiis & molestiis. Sub hoc ergo viuamus, vt rex ille senior & stultus nullam habeat potestatem supra nos. Qui dum vult regnare quasi voluntatis suæ dominus, nec sub vinculis esse domini Iesu, inueteratus in peccatis, stultitiæ incidit deformitatem. Quid enim stultius quàm relictis cœlestibus ad terrena intendisse, & posthabitis perpetuis elegisse ea quæ caduca sunt & fragilia? Nemo ergo dicat: Non est nobis portio in Iacob, neq; hæreditas in Israel. Nemo dicat, Non sum in clero, quia scriptum est: Date Leui cleros eius. Et iterum Dauid ait: Quia is qui inter cleros duos medius requieuerit, ipse ad superna alis euolat spiritualibus. Non dicas de deo tuo, Grauis mihi est: nec de loco tuo, Inutilis mihi est, quia scriptum est: Locum tuum noli relinquere. Vult enim auferre eum aduersarius, vult te abducere, quia inuidet spei tuæ, inuidet muneri. Sed tu quicunq; in clero es domini, portio eius & possessio, noli recedere de domini possessione, vt dicas domino: Possedisti renes meos, suscepisti me ex vtero matris meæ. Et ille tibi quasi bono seruo dicat: Transi, recumbe. Valete filij, & seruite domino, quia bonus dominus.

Ioan. 13. Ecclesi. 4. Psalm. 68. Ioan. 4. 2. Cor. 11. Matth. 25. 4. Reg. 4.

Psalm. 44. Eccles. 4. Ioan. 2. 2. Tim. 2. Lucæ 12. 4. Reg. 4. Eccles. 4. Ephe. 3. Ephe. 4. Esaiæ 9. Esaiæ 49. Lucæ 2. 2. Cor. 8. Psalm. 67. Psal. 138.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI *Mediolanensis epistolarum Liber V.*

Diui Ambrosii ad Horontianum, eum docetis ex Michea prophetа quomodo anima vetus & infirma à recto itinere deuians lapsa sit: quóue processu conuertatur, gradúmque reparet ac reformet, & vt in proposito suo perseueret admonetis, *Epistola XVIII.*

AMBROSIVS Horontiano. Prophetæ quidem congregationem gentium, atque ecclesię annunciarunt ædificationē futuram, sed tamen quia in ecclesia non solum fortium animarum iugis profectus, verumetiam infirmorum lapsus, & rursus conuersio est, ideo possumus ex propheticis libris colligere quemadmodum, aut præclara illa, & fortis anima sine vlla gradiatur offensione, aut infirmior labatur, aut lapsa reparet, ac reformet gradum. Itaque sicut in Canticis canticorum beatæ illius animę cōtinuos processus legimus, ita in Michea, de quo nobis propheta sermo exortus est, cōsideremus lapsæ conuersionem. Non enim ociosè te mouit:

Micheæ 5. Et tu Bethleem domus Ephrata, quod dictū est ab hoc prophēta. Quomodo enim potest domus furoris esse, vbi Christus natus est? Hoc enim exprimunt locorum vocabula, sed illustrant operationum mysteria. Ac primum considerēmus quid interpretationis in latino habeat Micheas. Significat autem, quis à deo: vel, vt alibi inuenimus, quis iste, Morathi filius, id est hæredis. Quis autem hæres nisi filius dei, qui ait:

Matth. 11. Omnia mihi tradita sunt à patre? Et cum ipse esset hæres, nos esse voluit cohæredes. Merito, quis iste, non è populo vnus, sed electus ad gratiam dei, in quo loquitur spiritus sanctus, qui prophetare cœpit in diebus Ioathan & Achaz, & Ezechiæ regum. Quo ordine significatur visionis profectus. A malis enim regibus ad boni regis peruenit tempora. Et ideo quoniam anima afflicta sub malis ante laborabat regibus, quem processum conuersionis suæ habeat, considerandum videtur. Destructa erat quasi infirmior, & omnis munitio eius facta erat via transeuntium, & incursus passionum, luxuriæ deliciis resoluta ac contrita erat, ac relegata à facie

Esaiæ 5. domini. Turris eius squalida erat, quæ posita est (vt in Esaiæ cantico legimus) in medio florentis vineæ. Squalet etenim, quando vitis arescit, & ouis sua errat. Regrediente autem vitis viriditate, vel oue, splendet. Nihil enim squalidius iniquitate, nihil splendidius iustitia. Ad hanc turrim reuocatur ouis, quando anima reuocatur à lapsu, & in illa oue Christi regnum redit, quod est initium, quia ipse est initium & finis, vel initium salutis, sed tamen corripitur prius, eò quòd tam grauiter errauerit, & dicitur ei: Vt quid cognouisti mala, nūquid rex non erat tibi? Hoc est, habebas regem qui te regeret & tueretur, deuiare à iustitiæ tramite non debuisti, relinquere vias domini qui tibi rationabiles sensus impartiuit. Vbi erant cogitationes tuæ, vbi consilia, quibus præuidere iniustitiam, propulsare iniquitates insito tibi vigore potuisti? Cur comprehenderunt te dolores parturientis, vt parturires iniquitates, & pareres iniustitias? Nullus enim maior est dolor, quàm is qui peccati muerone vulnerat conscientiam, neque vllum grauius est onus quàm peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curuat vsque ad terram ne se erigere possit. Grauia fili grauia nimis

Lucæ 13. delictorum pondera. Denique illa in Euangelio mulier quæ curuata erat, speciem prætendens animæ laborantis, à Christo potuit solo erigi. Huic ergo animæ dicitur: Viriliter age, & appropinqua filia Sion vt parturias. Dolores enim parturientis tribulationem operantur, tribulatio patientiam,

Rom. 5. patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit in æternum. Simul egeritur atque excluditur omne quod aduersum est bonis moribus, ne residentia eius fructescant semina, atque in nouos iterum germinent partus. Nec ociosè dantur ei cornua & vngulæ, vt conterat omnes manipulos areæ, sicut vitulus Libani. Nisi enim manipuli cō triti fuerint, paleæ ventilatæ, fructus apparere interiores & absolui nequeunt. Comminuit igitur atque excutit prius animа proficiēs passionum superflua, vt fructus suos demonstrare possit in ipsa segete. Quanta aduersa sunt quæ partus impediant bonos, hæc prius extirpanda sunt, ne his fructifera internecentur animæ sata. Tunc etiam illud prospicit prouidus animæ consultor, vt concludat eam in voluptatibus suis, atque intercludat eius cupiditates, ne in iis delectetur. Vtiles enim sunt correptiones parentis, qui non parcit, vt obedientē præceptis salutaribus præstet animam filij sui. Virga enim visitat, sicut legimus: Visitabo in virga iniquitates eorum. Itaque qui virga maxillam percutit Israeliticæ animæ, erudit eam ad disciplinam patientiæ dominica correptione. Nemo enim desperare debet quicunque corripitur atque arguitur. Qui enim diligit filium, corripit. Nemo de re medio diffidat. Ecce tibi vbi domus furorem videntis erat, ibi domus panis est: ebi crudelitas, ibi pietas: vbi pœna innocentium, ibi vniuersorum redemptio, sicut scriptum est: Et tu Bethleem domus Ephrata non es minima inter principes Iudæ. Ex te enim exibit princeps in Israel. Bethleem domus panis est, Ephrata domus furorem videntis. Hoc habet interpretatio istorum nominum. In Bethleem natus est de Maria Christus, eadem autem Bethleem quæ Ephrata. In domo igitur furoris generatus est Christus, & ideo iam non domus furoris, sed domus panis, quia panem recepit eum qui descendit de cœlo. Domus autem panis furorem videntis Ephrata, quia illic Herodes dum Christum requirit, perimi statuit infantulos, vnde vox in Rama audita est Rachel plorantis filios suos. Sed iá nemo timeat, quia requies illa quam quærebat Dauid, audita est in Ephrata, inuenta est in campis syluæ. Tunc adhuc sylua erat nationū congregatio, sed posteaquam in Christum credidit, fructuosa facta est, quia bene dicti ventris fructum recepit. Mortua est ergo Rachel parturiens, quia iam tunc quasi patriarchæ vxor furorem Herodis videbat, qui nec minusculæ ætati pepercit. Simul quia in Ephrata & peperit Beniamin specie superiorem, mysterio posteriorem, Paulum scilicet, qui antequam generaretur, non minimos dolores matri præstitit, cuius filios persequebatur. Et illic mortua & sepulta est, vt nos cōmortui & consepulti cum Christo in ecclesia resurgamus. Inde enim alia interpretatione, vel fœcundata, vel repleta fructibus, Ephrata significatur. Hic tamen, id est, in libro propheticо inuenimus ὀλιγοστὸς ἐι, id est, in paucioribus es. In Matthæo autem: Et tu Bethleem domus Iudæ non es in paucioribus. Ibi domus Iudæ, hic domus Ephrata, in quo verborum discrepantia, non sensuum est. Nam & Iudæ interior vidit furorem, & exterior pertulit. Et in paucioribus est, quia pauci sunt qui intrant in domum panis per angustam viam. Et non est in paucioribus, id est, de proficientibus, quæ Christum non agnouit. Nec minima est, quæ est domus benedictionis, & diuinæ gratię receptaculum, & in eo minima cui is qui aliquid confert Christo, videtur deferre. Et qui appetit ecclesiam, Christum appetit. In quouis minimo enim Christus aut laditur aut honoratur, secundum quod ipse ait: Quod enim vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Ipsam autem Bethleem esse quæ est Ephrata, docet lectio Geneseos, vbi ait: Mortua est autem Rachel, & sepulta est in via Ephrata, ipsa est Bethleem. In via sepulta est sancta Rachel, quæ typus fuit ecclesiæ, vt transeuntes dicant: Benedictio domini super vos, & venientes veniant in exultatione. Omnis itaque anima quæ recipit panem illum descendentem è cœlo, domus panis est, hoc est panis Christi, quæ habitantis in se panis cœlestis firmamento alitur, & corde confirmatur. Vnde & Paulus ait: Omnes enim vnus panis sumus. Omnis anima fidelis Bethleem est, sicut Hierusalem dicitur, quæ pacem & tranquillitatem habet superioris Hierusalem quæ in cœlo est. Verus panis est qui fractus & comminutus satiauit vniuersos. Quinta autem traditio hoc habet: Domus panis. Beth domus est, Leem panis dicitur. De aliorum traditionibus propter perfidiam Iudaicam, ne ipsi se redarguerent, vel ab ipsis præteritum putamus, vel

vel ſublatum ab aliis. De Iudæ quoque tribu eſſe Bethleem
docet lectio in Iudicum libro, quia vir ille Leuita accepit ſi-
Iudic.19. bi concubinam de Bethleem Iudæ, & irata eſt ei concubina
eius, & rediit in domum patris ſui in Bethleem Iudæ. Egreſ-
ſus itaque Chriſtus à diebus ſeculi (tunc enim nobis incipit
feculum, quando dies ſalutis) & egreſſus ad currẽdam viam,
dedit Iſrael vſque ad tempus parientis, cui aduenit Chri-
ſtus, aduenit fœcunditas, aduenit partus, ſicut euenit eccle-
ſiæ, quæ peperit plures quàm quæ filios habebat, & pepe-
rit ſeptem, id eſt legitimos, tranquillos, pacificos. Incipit
ergo concipere anima, & formari in ea Chriſtus, quæ rece-
perit aduentum eius, & paſcitur in diuitiis eius vt nihil ei de
Rom.8. ſit, vt videntes etiam eam aliæ animæ reuertantur ad viam
ſalutis, & erit ei pax, ſed non poteſt probari niſi tentatio-
nibus. Tunc enim pax eius exiſtimabitur & tranquillitas,
cum excluſerit vanas cogitationes vel compreſſerit, cum
motus omnes edomuerit paſſionum inſurgentium, cum in-
crebuerint anguſtiæ, perſecutio, fames, periculum, gladius.
Tunc erit, inquit, pax, quia in his omnibus ſuperamus pro-
pter eum qui nos dilexit, quoniam confidimus in eo, quia
neque mors neque quiduis tentationum nos ab eius diuel-
lat charitate & ſeparet. Tunc ergo dabit tentationes eius vt
iuſti probentur. Et dominus quidem dat tentationes ea vo-
luntate, vt neminem decipi velit. Sed quia plerique vincun-
tur infirmi tentationibus, qui fortes ſunt probantur. Tunc il
lis erit ros à domino, tunc requies, tunc erit anima iuſti ſicut
catulus leonis in ouilibus. Quod euangelico exemplo ad
Chriſtum referre non dubitauerim, quia ipſe dixit: Tunc iu-
Matth.13. ſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris ſui. Comprimentur e-
nim quadrigæ eius, irrationabiles ſcilicet impetus & motus
2.Cor.7. ſtius corporis: ſedabitur illud: Foris pugnæ, intus timores:
ſed vbique, id eſt intus & foris tranquillitas erit, & non e-
rit qui reſpondeat & reſiſtat bonæ voluntati, quia obedien-
tia carnis ſublato pariete maceriæ, cum fuerint vtraque vi-
num, omnes abolebit diſcordias. Siqua autem anima infir-
ma, ſicut ille ſecundum carnem Iſrael, titubauerit, & ab illa
Chriſti charitate perſecutionibus turbata ſe aliquantulum
ſeparauerit, corripitur atque arguitur quaſi infida, quaſi in-
grata, quaſi incredula, quę liberata à vanitatibus ſeculi in eas
reſpiciendo reciderit, à qua non munera, non taurorum ſa-
crificia, ſed tantummodo vt bonum cognoſceret, iuſtitiam
Mich.6. faceret, poſtulatum eſt. Renunciatum eſt, inquit, tibi homo
quid ſit bonum, aut quid dominus exquirit à te, niſi vt fa-
cias iudicium & iuſtitiam, & diligas miſericordiam, & para-
tus ſis ire cum domino tuo. Sed quia non ſeruauit hæc illa
Ibidem 7. infirmior anima, ideo dominus ait: Heu me quia factus ſum
ſicut qui colligit ſtipulam in meſſe, & ſicut racemum in vin-
demia. Audiẽs ergo hæc propheta in quo loquebatur deus,
ait ad illam animam: Heu me anima quòd non eſt plenus ti-
moris à terra. Vel ſi ipſe dominus dicit, miſeratus futuras
pro peccatis vltiones, atque pro noſtris erroribus ingemiſ-
cens. Audiens hæc anima, quia ſeminum ſuorum fructus
non colliget, nullum meſſe amiſſa firmamentum inueniet
ſui, premet oliuam, & vnctionem lætitiæ non habebit, ne-
que bibet vinum iucunditatis. Cognoſcens etiam in operi-
bus carnis omnia plena ſanguinis, plena circunſcriptionis,
fraudum, fallaciæ, ficta officia pietatis, compoſitas ſimulatio
nes, & inimicos ſibi omnes qui in domo ſunt, ideoque pro-
ximi ſibi corporis motus cauendos, qui ſunt graues ani-
mæ noſtræ aduerſarij, conuertitur, & de deo ſperare inci-
pit, & intelligens vere inimicam ſibi carnem exiſtere, ait
ad eam: Noli ſupergaudere mihi inimica mea, quia cecidi,
ſed reſurgam, quia ſi ſedero in tenebris, dominus illumi-
nabit me. Conſiderans etiam inſultare ſibi aliquam pote-
ſtatem quæ reſiſtebat ſibi ne meliorem ſequeretur viam, &
inequitare quod tradita eſſet in interitum carnis, vt diuer-
ſis attereretur malis, quæ vel à domino propter peccatorum
ſolutiõnem decernerentur, vel ab iniquo propter inuidiam
conuerſionis, vt ad ſe reuocaret afflictam, dicit: Adhuc i-
ram domini ſuſtinebo, qui vel lapſam caſtigat, vel tibi po-
teſtatem affligendi dedit, quia peccaui, ſuſtinebo tamen do-
nec iuſtificet cauſſam meam. Niſi enim confeſſa fuero, & ex
oluero precia iniquitatum mearum, non potero iuſtificari.

A Cum autem fuero iuſtificata, ſoluens duplicia peccata, educet iudicium meum deponens indignationem, quia ſatisfactum ſententiæ eſt. Educet me ad lumen, vt videam iuſtitiam eius, & aſpiciam delectationem eius. Videbit hoc lumen reconciliationis meæ inimica mea, id eſt, diaboli nequitia, & operietur confuſione, quæ nunc dicit: Vbi eſt deus tuus? Videbit in me miſericordiam eius, videbit pietatem eius. Et ideo non audiamus eum quandoque in aduerſis aliquibus ſeculi, cum aut dolor corporis eſt, aut filiorum amiſſio, vel cæterarum neceſſitudinum, non audiamus inquam dicentem: Vbi eſt deus tuus? Tunc eius tentationes cauendæ ſunt, cum grauis vrget dolor, tunc animam ægram auertere ſtudet. Ergo anima quæ illum non audierit inſidiantem ſibi, videns poſtea mirabilia dei, videns ſe in cœlo, diabolum autem ſicut colubrum reptantem in terreſtribus, gratulabitur dicens: Quis deus ſicut tu, auferens peccata, & transferens impietates? Qui non fuiſti memor indignationis tuæ, B ſed ſicut in mari merſiſti iniquitates noſtras ſicut Ægyptiũ plumbum, & rediſti ad miſericordiam volũtarius, quam gemino contuliſti munere, dimittens peccata, atque abſcondens, ſecundum quod ſcriptum eſt: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorũ tecta ſunt peccata. Alia enim ſanguine filij tui abluis, alia donas nobis, vt bonis operibus & confeſſionibus noſtros errores tegamus. Quod ergo ait: Auferens peccata, ad remiſſionem pertinet, quia penitus ea tollit, ita vt non ſint, quorum memor non erit. Quod vero ait: Transferens iniquitates, eò quòd confitentibus nobis lapſus noſtros, & obumbrantibus eos bonæ operationis fructu, referantur in authorem culpæ, & peccati incentorem. Quid enim aliud agit qui culpam fatetur, niſi vt aduerſantis nequitiæ ſpiritualis dolo ſe & malitia tranſductum probet? In eo itaque gratias agit anima iſta, quia & aufert dominus peccata, & tranſfert iniquitates, & demergit in profundum maris. Quod poteſt & ad baptiſmum referri, quo Ægyptius C mergitur, Hebræus reſurgit, & quo altitudine ſapientiæ & bonorum operum abundantia tegantur peccata ſuperiora, per diuitias miſericordiæ dei noſtri, qui memor promiſſionis ſuæ quam dederat Abrahæ, hæredem eius animam non eſt paſſus perire. Et illa quidem anima hoc reuocatur modo. Tu autem fili qui à primo flore pueritiæ es hæres eccleſię quę te ſuſcepit & tenet, perſeuerato in propoſito, memor gratiæ dei & muneris quod per impoſitionem ſuſcepiſti manuum mearum, vt & in hoc gradu ſicut in miniſterio ſacro fidem tuam demõſtres atque induſtriam, & expectes remunerationem domini Ieſu. Vale, & nos vt filius dilige, quia nos te diligimus.

Micheæ 7.

Ibidem.

Micheæ 7.

Pſal.31.

Diui Ambroſii ad Horontianum, differentis quemadmodum animam euangelicam, quæ eſt eccleſiæ filia, dominus Ieſus primo ſuſceperit, erudierit, atque conſummauerit.

Epiſtola XIX.

D AMbroſius Horontiano: Superiore epiſtola de ea anima ſermonem contulimus, quę itineris ſui deuios aliquos habuerit anfractus, vt vetus Iſrael ſecũdum carnem fluctuans, quia & ipſe liberabitur per domini noſtri Ieſu Chriſti gratiam, cum intrauerit plenitudo gentium, licet iſta leuiore errore conuerſione ſeſe reformauerit. Hac vero epiſtola de eccleſiæ filia nobis ſermo ſit, quam dominus Ieſus quemadmodum primo ſuſceperit, erudierit, conſummauerit in ſuo euangelio, conſideremus. Suſcepit itaque eam primo tuendam in confuſione poſitam, (exul enim paradiſi vbi niſi in cõfuſione degeret anima vniuſcuiuſque hominis?) deduxítque eam in Bethleem. Iam profectus ſuſceptæ animæ ſignificatur, quòd aſcendit ad domum panis, in qua famem fidei & ſterilitatem neſciat. De noſtrarum animarum genere & ordine loquor, quibus nos viuimus & mouemur, non de aliqua ſpecialiter. Non enim de proprietate & ſpecie alicuius, ſed de genere, vt dixi, animarum diſputandum putamus. Deſcendit in Ægyptum Chriſtus, patrocinium & ductum noſtræ animæ ferens, inde rediit in Iudęam. Fuit in

Rom.11.

deserto, fuit in Capharnaum, fuit iuxta fines Zabulon circa maritima, trāsiuit per sata, fuit in Bethphage, fuit in Ephren, in Bethania, inde transiuit in paradisum, vbi se capiendum dedit, passus est in Golgotha. Omnes isti processus animæ nostræ sunt, per quos exercitata gratiam piæ institutionis inuenit. Nam posteaquam exclusa de paradiso conditio humana in Adam & Eua in castellum relegata est, vagari cœpit huc atque illuc, errabunda circunferens vestigia sine vllo delectu. Tempore complacito sibi exinaniuit se dominus Iesus, vt exulem in se susciperet, & veteri reformaret gratiæ. Itaque inuentam recurso anfractu erroris reuocauit ad paradisum, vt euangelij docet lectio. Per sata eam duxit, vt ieiunam pasceret, primū in deserto, deinde in Capharnaum agri non vrbis incolatu, deinde iuxta fines Zabulō, circa nocturna profluuia, id est, prophetarum obscuriora ænigmata, vt disceret prætendere ad fines gentium, quo omnes conuenirent, nec timeret fluctus vitæ huius & procellas, quia habet Christus naues Tarsis, intelligibiles scilicet, quæ percurrant mare, & ad templi constructionem pias merces deuehant. In huiusmodi nauibus nauigat Christus, & in puppe tanquam bonus gubernator tranquillo quiescit mari. Commotio excitatur, & increpat ventos, vt suis tranquillitatem refundat. Transiens quoque ad gentes hanc animam liberat, quæ legis vinculis tenebatur, ne transiret ad nationum consortia. Venit in Bethaniam in locum obeditionis, ideo ibi mortuus suscitatur. Cum enim caro subdita fuerit animæ, tunc iam non quasi mortua iacet in sepulchro suo conditio humana, sed resuscitatur per gratiam Christi. Ibi etiam se pro dei nomine passioni discit offerre. De loco obeditio-
Ioan. 11. nis, vt Ioannes docet, in Ephren ducitur, id est, ad bonorum fructuum fœcunditatem. inde in Bethaniam reducitur, id est, obedientiam. Semel enim quæ pię subiectionis fructum gustauerit, seruare eam, & in ea probari sæpius nequaquam recusat. Vnde iam probata Hierosolymam venit, digna quæ sit templum dei, in qua Christus habitaret. Denique sedens super pullum asinæ dominus Iesus cum gratulatione & gaudio innocentis susciptur ætatis. Postea in paradiso verba vitæ æternæ docentur. Vnde etiam dominus se permisit capi,
Lucæ 23. sicut Ioannes scribit euāgelista, significans animam nostram vel potius conditionem humanam solutis erroris vinculis eo vnde eiecta erat in Adam, per Christum regressam. Vnde & latroni illi confitenti dicitur: Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Ille dixerat: Memento mei cum veneris in regnum tuum. Christus non de regno respondit, sed ad caussam: Hodie mecum eris in paradiso, id est, reformandum est antè quod amissum est, postea conferendum id quod augendum est, vt per paradisum ad regnum perueniatur, non per regnum ad paradisum. Seruatur discipulis quod plus conferatur pro laboribus, ideoque incolatū promisit, regnum distulit. Itaque is qui sub ictu mortis conuertitur, & confitetur dominum Iesum, mereatur incolatum paradisi. Qui vero multo ante se exercuit, & Christo militauit, acquisiuit populorū animas, pro Christo se obtulit, habeat paratum stipendiis suis dei regnum, cuius se remuneratione
Matt. 16. donatum gaudeat. Ideoque Petro dicitur: Tibi dabo claues regni cœlorum. Ex latrocinio conuersus requiem habet, in apostolatum probatus accepit potestatem. Hæc est anima euangelica, hæc est de gentibus, hæc filia ecclesiæ, longe meliore cursu quàm illa ex Iudæa proiecta, ad dominum Iesum & ad superiora se bonis consiliis & operibus attollēs, quam suscepit in Golgotha Christus, vbi Adæ sepulchrū, vt illum mortuum in sua cruce resuscitaret. Vbi ergo in Adam mors
1. Cor. 15. omnium, ibi in Christo omnium resurrectio. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Horontianum, quæ sit diuina hæreditas definientis, & cur tanto æstimetur, vt propter eam plerique mortis se offerant, *Epistola XX.*

AMbrosius Horontiano. Non ociose quærendum putasti quæ sit rei diuinæ hæreditas, & cur tanto æstimetur, vt propter eam plerique etiam mortem suam offerant. Verum si consideres quia & vsu humano hæreditatis pecuniariæ gratia facit vt venerabiliora fiant iura pietatis, quia hoc quoque plus defertur parentibus, ne læsa pietas patris vlciscatur se exhæredatione vel abdicatione contumacis pignoris, mirari profecto desines quæ sit tanta diuinæ hæreditatis appetentia. Est autem hæreditas proposita Christianis omnibus. Sic enim dicit Esaias: Est hæreditas credentibus in dominū. Quæ speratur ex repromissione, non ex lege. Quod veteris testamenti exemplo probatur, dicente Sara: Expelle ancillam, & filium eius. Non enim hęres erit filius ancillę cum filio meo Isaac. Filius Sarę Isaac, filius ancillæ Ismael. hi ante legem sunt. Ergo antiquior repromissio quàm lex. Nos secundum Isaac filij per repromissionem, Iudæi secundum carnem filij ancillæ. Nobis mater libera, quæ non parturiebat, & postea ex repromissione effudit peperitque masculum: illis mater Agar, generans in seruitutem. Liber est cui gratia promittitur, seruus cui iugum legis imponitur. Prius ergo nobis repromissio quàm illis lex, & secundum naturam antiquior libertas quàm seruitus. Libertas igitur ex repromissione, ex lege seruitus. Sed licet repromissio ipsa ante legem sit, vt diximus, ex repromissione autem libertas, in libertate charitas, secundum legem tamen est charitas, quæ maior libertate est. Non ergo serui. Et quomodo scriptum est: Laudate serui dominum? Quomodo ipse Apostolus ait: Sed vt serui Christi facientes voluntatem dei ex animo cum bona voluntate? Verum est & seruitus libera, quæ est voluntaria, de qua Apostolus ait: Qui liber vocatus est, seruus est Christi. Hæc est seruitus ex animo, non ex necessitate. Itaque nos serui quidem sumus creatoris nostri, sed libertatem habemus, quam per gratiam Christi accepimus generati ex repromissione secundum fidem. Vnde qua si ex libera geniti, libertatis sacrificium deferamus signati in fronte, sicut liberos decet, vt non confundamur, sed gloriemur signati spiritu, non carne. Quibus recte dicitur: State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Non dixit, nolite seruire, sed nolite iugo seruitutis contineri. Est enim grauius iugum seruitutis quàm seruitus. Denique Isaac filio suo Esau petenti benedictionem ait: Ecce ab vbertate terræ erit tibi benedictio, & à rore cœli à summo, & super gladium tuum viues, & seruies fratri tuo. Erit autem, cum deposueris & solueris iugum illius à collo tuo. Quomodo istud conuenit, vt seruiat cum soluerit iugum fratris à collo suo, nisi distantiam esse intelligamus seruitutis? Quæ igitur sit differentia, ipsa nobis exponat lectio. Bonus Isaac, & bonus nobis, qui secundum ipsum in libertatem nascimur: & bonus pater vtrique filio. Denique quòd vtrunque diligeret, circa alterum affectu probauit, circa alterum benedictione. Seniori enim filio dixerat, vt cibum deferret sibi, & acciperet benedictionem: sed dum ille moram facit, & cibum agrestem & forensem requirit, frater iunior domesticum detulit ex ouium grege. Bonus cibus omnium Christus est, bonus cibus est fides, suauis cibus misericordia, iucundus cibus gratia. Hos cibos epulatur populus ecclesiæ. Bonus cibus spiritus dei, bonus cibus peccatorum remissio. At vero ille prædurus cibus rigor legis, terrórque pœnarum. Agrestis cibus obseruantia literę potius quàm gratia indulgentię. Denique ille populus sub maledicto, nos in benedictione. Velox cibus fides. Prope est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo: tardior cibus legis. Denique dum lex expectatur, populus errauit. Contulit igitur benedictionem pater impigro & fideli filio: sed quia bonus pater erat, seruauit & seniori filio benedictionem, vt eum seruum faceret fratris sui, non quo familiam suam degeneri vellet seruituti addicere, sed quia is qui regere se non potest & gubernare, seruire debet, & subditus esse prudentiori, vt eius regatur consilio, ne sua stultitia precipitetur, & labatur temeritate. Pro benedictione igitur huiusmodi confertur seruitus. Denique inter bona annumeratur, inter collatam terrę vbertatem, & rorem cœli à summo. Sed quia dixerat, Super gladium tuum viues: ne ei fortitudinis aut potestatis noceret præsumptio, addidit: Seruies fratri tuo. vt carnis fructus vberes, & diuinę rorem adipiscaris gratię, & eum sequaris qui te suo gubernaculo regat. Sed tunc erit istud,

istud, Cum depositeris iugum eius à collo tuo, vt voluntariæ seruitutis mercedem habeas, non iniuriam subeas necessitatis. Inhonora huiuscemodi seruitus, quæ necessitate cogitur. Honorata autem quæ pietate defertur. Vnde Apostolus: Si volens hoc ago, mercedem habeo. si inuitus, dispensatio mihi credita est. Melius vtique mercedis præmium quàm dispensationis obsequium est. Nos igitur non contineamur seruitutis iugo, sed charitate spiritus seruiamus, quia dicit apostolus: Per charitatem spiritus seruite inuicem. Timor legis est, charitas euangelij. Denique initium sapientiæ timor domini. Plenitudo autem legis charitas. Tamen & ipsa lex dicit, Et in hoc verbo omne mandatum instauratur, & in isto vno, inquit, sermone impletur: Diliges proximũ tuum. Hoc est igitur quod proposuimus: quia etsi ex lege seruitus, tamen secundum legem libertas. Charitas enim libertatis, timor seruitutis est. Est igitur & charitas legis, & seruitus charitatis, sed lex charitatis prænuncia est, charitas euangelij piæ seruitutis arbitra est. Non superflua itaque lex, quæ tanquam pædagogus prosequitur infirmiores. Infirmitatem dicorum morum, non corporum. Infantes enim sunt qui fari verbum dei nesciunt, qui eius opera non recipiunt. Nam si ætas senectutis vita immaculata, vtique ætas adolescentiæ est vita maculosa. Lex ergo pædagogus fuit, id est, nomos, donec fides veniret. Et quasi infirmi, inquit, custodiebamur à lege, conclusi in eam fidem quæ reuelanda foret. Postquam autem fides aduenit, non dicit euangelium, sed fidem. Ea est enim sola fides, quæ est in euangelio. Nam licet iustitia dei in eo reuelatur, quæ est ex fide in fidem, tamen sic illa legis est fides, si ei accedat fidei plenitudo. Merito ergo fides ista quasi sola dicitur, quia illa sine hac fides non est, sed in hac confirmatur. Denique vbi hæc fides venit, plenitudo aduenit, ad uenit filiorum adoptio, cessauit infirmitas, abiit infantia, in virum perfectum assurgimus, Christum induimus. Quomodo igitur infirmus & paruulus esse potest, in quo Christus est dei virtus? Ergo ad perfectionem venimus, perfectionis præcepta accepimus. Audisti hodie lectum: Non possum ego à me facere quicquam. sicut audio, & iudico. Audisti lectum: Ego non accuso vos, ego non iudico. Ego non accuso, Moyses vos accusat, in quem speratis. Audisti lectum: Si ego testimoniũ perhibuero de meipso, testimonium meum non est verũ. Didici qualis iudex, qualis testis esse debeam. Non enim quasi infirmus dicit: Non possum ego à me facere quicquã, sed infirmus ille qui sic intelligit. Nihil quidem sine patre facit filius, quia communis operatio, & vnitas potestatis est. Sed hoc loco quasi iudex loquitur, vt cognoscamus homines in iudicando quòd non ex volũtate nostra & potestate, sed ex æquitate debeamus formare sententiam. Constitue aliquem reum coargutum & conuictum criminis, non adstruentem defensionis genera, sed deprecantem, ac voluentem se ad genua iudicis. respondet ei iudex: Non possum à me facere quicquam. Iustitia in iudicando, non potentia est in iudicando. Ego non iudico, sed facta tua de te iudicant. Ipsa te accusant, & ipsa te condemnant. Leges te adiudicant, quas iudex non conuerto, sed custodio. Nihil ex me ego profero, sed ex te forma iudicij in te procedit. Secundum quod audio, iudico, non secundum quod volo, & ideo iudicium meum verum est, quia non voluntati indulgeo, sed æquitati. Consideremus itaque quæ sit iudicandi religio. Dominus cœli atque terrarum iudex omnium dicit: Non possum à me facere quicquam. sicut audio, & iudico. Et homo dicit domino suo: Nescis quoniam potestatem habeo dimittere te, & potestatem habeo crucifigere te? Quare dominus non potest? Quia iudicium, inquit, meum verum est. Non enim quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me, id est, non voluntatem hominis quem videtis: non arbitrium hominis, quem vos hominem tantummodo iudicatis: non voluntatem carnis, quia spiritus promptus, caro autem infirma: sed volũtatem diuinam, quæ author legis, arbitraque iudicij est. Similiter & testis verus est, qui non sibi, sed alij fert testimonium. Scriptum est enim: Laudet te proximus tuus, & non os tuum. Pulchre autem dicitur Iudæis mystice: Ego vos non iudico, id est, ego vniuersorum redemptio, ego peccatorum remissio vos

1.Cor.9.
Gala.5. Eccles.1. Rom.13. Gala.5.
Gala.3.
Rom.1.
1.Cor.1. Ioan.5.
Ibidem.
Ibidem.
Ioan.5. Ioan.19.
Ioan.5.
Matt.26.
Prou.17. Ioan.8.

A non iudico, quia me non recepistis. Non iudico, qui libenter indulgeo. Ego non iudico, qui sanguine meo redimo peccatores. Ego non iudico, qui deleo iniquitates, & memor non ero. Ego non iudico, qui malo vitam quàm mortem peccatoris. Ego non iudico, quia non damno, sed iustifico confitentes: Moyses vos accusat, ille vos arguit, in quem speratis: ille accusat vos, quia iudicandi non habet potestatem, quæ eius debetur authori. Ille ergo in quem speratis, ac cusat: iste in quem sperare noluistis, absoluit. Magna, Iudęi, imprudentia. Merito accusantur in criminibus suis, quia accusatorem elegerunt, & bonum iudicem refutarunt. Ideoque deest illis absolutio, pœna non deest. Rectè ergo fili à lege cœpisti, in euangelio confirmatus es, à fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus enim ex fide viuit. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Abac.2. Rom.1.

Diui Ambrosii ad Horontianum, quæstionem de natura & substantia animæ, subtili responsione dissoluentis.

B

Epistola XXI.

AMbrosius Horontiano: Quæsisti à me vtrum anima cœlestis esse videatur substantiæ. Non enim aut sanguinem, aut ignem, aut neruorum harmoniam animã putas, vt vulgus philosophorum interpretatur, aut vt illa patricia quædam eorum prosapia Platonis disputat, quod ipsum se mouet, & non mouetur ab alio, ipsa tibi anima videtur: vel certe vt Aristoteles acri ingenio quintum quoddam elementi genus induxit, probasti, id est, entelechian, ex quo componeres & velut fingeres animæ substantiam. De quo tibi Esdræ librum legendum suadeo, qui & illas philosophorũ nugas despexerit, & abditiore prudẽtia, quam collegerat ex reuelatione, perstrinxerit eas substantiæ esse superioris. Apostolus quoque etsi non expressit, tamen intelligẽdum nobis reliquit quasi bonus magister, & spiritualis agricola, occultis doctrinæ seminibus excitans discipulorum ingenia, quòd animæ nostræ potioris creaturę sint, & cuiusdam pręstantissimę naturę. Cum enim dicit, quia vanitati creatura subiecta est, non spõte, sed propter eum, qui subiecit in spe, quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum dei: ostendit non mediocrem animarum esse gratiam, quarum vigore & virtute in adoptionem filiorum dei assurgit humanum genus, habens in se quod ad similitudinem & imaginem dei tributum est sibi. Animæ enim neque tactu aliquo comprehenduntur, neque visu corporeo videntur, & ideo præferunt illius incorporeæ & inuisibilis naturæ similitudinem, & supergrediuntur substantia sua corpoream & sensibilem qualitatem. Quę enim videntur, temporalia sunt, temporalia significant, temporalibus agglutinantur. Illa autem quę non videtur, ęterno illi & summo adhærent bono, atque in ipso viuunt, & sunt & mouentur, nec ab eo, si boni consulunt, se patiuntur separari ac diuidi. Vnaquęque ergo anima videns se corporeo isto clausam gurgustio, quę tamen terrenę huius habitationis consortio non degenerauerit, ingemiscit grauata corporis huius coniunctione: quia corruptibile corpus grauat animam, & inclinat terrenum habitaculum mentem multarum cogitationum. simúlque cognoscens quia per fidem ambulat, non per speciem, peregrinari vult de corpore, & adesse ad dominum. Aduertimus igitur quomodo vanitati creatura subiecta sit, non ex voluntate sua, sed ex diuino arbitrio, quo dispositum est animas corporibus coniungi oportere propter spem earum, vt dum sperant bona, dignas se prestent cœlesti remuneratione. Omnes enim nos oportet adesse ad tribunal Christi. Ideo vnius cuiusque anima pręuideat rependenda sibi merita conuersationis suę. Et pulchre ait: Propria corporis, id est, quod suscepit regendum, vt si bene rexit, prẽmium referat, propter quod in spe subiecta est. si male, supplicium, quia non sperauit in deum, nec ad illam adoptionem filiorum, & ad verę libertatem affectauit glorię. Docuit igitur Apostolus quòd humani generis creatura subiecta vanitati sit. Quid enim tam subiectum vanitati quàm homo & quàm anima eius? De consortibus

C

D

2.Cor.4. Sapien.9. 2.Cor.5. Ibidem. Ibidem. Rom.8.

2.Cor.5. Psal.143. Psalm.38. eius dicit: Cum sumus in corpore isto, ingemiscimus grauati. Sed & Dauid dicit: Homo vanitati similis factus est. Et, Vniuersa vanitas omnis homo viuens. Vita itaque hominis in hoc seculo vanitas est. Huic vanitati subiecta est anima. Itaque sanctus cum facit quæ sunt corporis, non sponte facit, non volens, sed propter eum qui subiecit in spe, facit, vt ei pareat. Ab hoc igitur exemplo animę progrediamur ad creaturas reliquas. Propone tibi solem, lunam, & stellas, quæ cœli lumina etsi præclaro fulgent nitore, creaturæ sunt tamen, & ad quotidianum ministerium vel surgunt vel occidũt, seruientes dispositioni creatoris æterni, ministrantes splendorem quo vestiuntur, atque die noctéque emicant. Quotiens sol iste obtexitur nubibus, quotiens obiectum afferunt terræ, cum è regione eius luminis sui radius fuerit repercussus: oriuntur ipsi: sed vt ait scriptura, Luna nouit occasus suos. Nouit quando pleno orbe suo luceat, quando exinanito. Stellæ quoque nebulis obductæ vanescunt, quæ sustinent ministerium huius mundani vsus, non sponte vtique, sed in spe, quia sperant etiam huius laboris gratiam ab eo qui subiecit eas. Ideoque propter eum sustinent, id est, propter eius voluntatem. Nec mirum si patienter sustinẽt, cum sciant dominum suum, & creatorem omnium siue quæ in cœlo, siue quæ in terra sunt, suscepisse nostri corporis fragilitatem, nostræ conditionis seruitutem. Cur ergo illa seruitutem corruptionis suæ non patienter sustineant, cum dominus omnium pro toto mundo se humiliauerit vsque ad

Philipp.2. 2.Corin.5. mortem, serui formam susceperit, peccatum mundi, maledictum etiam pro nobis factus sit? Illius ergo imitantes bonitatem cœlestes creaturæ, licet ingemiscant quod mundi huius vanitati subiectæ sint, consolantur se tamen quod libe

Roma.11. rabuntur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ, cum filiorum dei adoptio venerit, quæ est vniuersorum redemptio. Cum enim intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus erit. Cui enim non ignoscit populo, qui ignos-

Matt.27. cit etiam illi persecutori suo qui dixit, Crucifige, crucifige: Sanguis eius super nos & super filios nostros? Sed quia vanitati etiam cœlestis subiecta creatura est, licet istud in spe, etiam horum perfidiam & temulẽtiam vanitate huius mundi lapsam pertinere ad veniam patietur veritatis pietas, & redemptio vniuersitatis. Ergo vt concludamus, & ille tantus ac talis sol, & illa luna quam noctis tenebræ non operiunt, & illæ stellæ quæ sunt ornamenta cœli, seruitutem corruptionis nunc sustinent, quia corruptibile omne corpus.

Matth.24. Siquidem & cœli peribunt, & cœlum & terra præteribit. Postea autem & sol & luna & cætera stellarum lumina re-

1.Cor.15. quiescent in gloria filiorum dei, quando erit deus omnia in omnibus: qui & in te & in nobis sit per suam plenitudinem & misericordiã. An ipsos quoque angelos qui in istius mundi laboribus diuersa sustinent ministeria, sicut in Apocalypsi legimus Ioannis, non ingemiscere credimus cum adhibentur pœnarum & excidiorum ministri? Qui habentes vitam beatam mallent vtique eam in illo superiore tranquillitatis suæ statu currere, quàm nostrorum peccatorum pœnis

Lucæ 15. vltricibus interpolari. Etenim qui gaudent vnius peccatoris redemptione, vtique tantorum peccatorum ærumnis ingemiscunt. Si igitur etiam cœlestes creaturæ & potestates seruitutem corruptionis sustinent, sed in spe, vt pro nobis postea & nobiscum lætentur, etiam nos passiones huius temporis futuræ spe & expectatione consolemur gloriæ. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Horontianum, superioris quæstionis responsionem latius explanantis atque complentis.

Epistola XXII.

AMbrosius Horontiano: Superior epistola tuæ inquisitioni respondit. Hęc meę responsionis portio est, quæ non soluat, sed impleat superiorem. Nam dum vlteriora recenseo, mouit

Rom.8. me fateor quia addidit: Scimus enim quòd omnis creatura congemiscit: cum in priori capitulo sine adiectione dixerit, quia creatura vanitati subiecta est. Non enim

Ibidem. omnem creaturam, sed creaturã subiectam dixit. Et iterum

A ait: Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis. Tertio autem addidit quòd omnis creatura congemiscat. Quid sibi igitur vult ista adiectio? Nisi forte quia non omnis creatura subiecta vanitati est: & quia non omnis vanitati subiecta est, non omnis à seruitute corruptionis liberabitur. Quid enim liberetur à seruitute quæ vanitatis & corruptionis eius expers atque immunis sit? Omnis autem congemiscat, non in suo, sed in nostro labore, & compartiatur illum fortasse spiritum salutis, spiritum iucũditatis, expectans adoptionem filiorum dei, vt communem de redemptione humani generis consequatur lætitiam & exultationem. Aut propter charitatem igitur suam omnis ingemiscit nostrum laborem, aut propter membrum sui corporis, cuius caput Christus est. Sed siue ita vt diximus, siue simpliciter subiectam creaturam omnem dixerit congemiscere & compartirire, vt voles intellige. Nunc illud consideremus quod adiecit: Non solum autem illa, sed etiam nos primitias spiritus habentes ipsi intra nos ingemiscimus, adoptionem filiorum

Ephe.1. Coloss.1. Rom.8.

B expectantes, redemptionem corporis nostri. Quid sit adoptio filiorum, superior pagina docet. Et ideo exponendi sensus gratia ad superiorem recurrendum est paginam. Qui spiritu, inquit, facta carnis mortificat, viuet. Nec mirum si viuat, cum filius dei fiat, qui habet spiritũ dei. Adeo filius dei, vt non accipiat spiritum seruitutis, sed spiritum adoptionis filiorum, eousque vt testimonium spiritui nostro sanctus spiritus reddat quòd sumus filij dei. Testimonium autem hoc est spiritus sancti, quòd ipse est qui clamat in cordibus nostris, Abba pater: sicut ad Galatas scriptum est. Sed & illud grande testimonium quòd filij sumus dei, quia sumus hæredes dei, cohæredes autem Christi. Cohæres autem est eius qui conglorificatur ei. Conglorificatur vero ille qui patiendo pro ipso, compatitur ei. Et vt nos hortetur ad passionem, adiungit: quia omnia quæ patimur, minora sunt & indigna quorum pro laboribus tanta rependatur futurorum merces bonorũ, quæ reuelabitur in nobis, cum ad dei imaginem reformati gloriam eius facie ad faciem aspicere meruerimus.

vbi supra. Rom.8. Galat.4. Rom.8. Rom.8.

C Et vt magnitudinem reuelationis futuræ extolleret, addidit, quod & creatura hanc reuelationem expectet filiorum dei, quæ nunc vanitati subiecta est, non sponte, sed in spe, quia sperat de Christo gratiam ministerij sui: vel quia & ipsa liberabitur à seruitute corruptionis, vt assumatur in libertatem gloriæ filiorum dei, vt sit vna libertas creaturæ, & filiorum dei, cum reuelata fuerit eorum gloria. Verum nunc dum reuelatio procrastinatur, congemiscit omnis creatura expectans adoptionis & redemptionis nostræ gloriam, parturiés iam illum spiritum salutis, & volens liberari à vanitatis seruitio. Cui coniunxit Apostolus etiam sanctorum gemitum, qui habent primitias spiritus: nam & ipsi ingemiscunt. Quamuis enim de suo merito securi sint, tamen quia futura est adhuc redemptio totius corporis ecclesiæ, compatiuntur. Cum enim adhuc membra patiuntur corporis sui, quomodo alia membra licet superiora non compatiuntur membris vnius corporis laborantibus? Vnde puto dixisse Apostolum, quia tunc & ipse filius subiectus erit, qui ei sub-

Ibidem. Rom.8. 1.Cor.12.

D iecit omnia. Qui enim adhuc laborant, nondum subiecti sunt, in quibus fortasse adhuc sitit Christus, adhuc esurit, in quibus nudus est, eò quòd non impleant verbum dei, non induant Christum, qui est indumentum credentium, amictus fidelium. Sed & illi in quibus æger est, adhuc medicina indigent, & ideo nondum subditi. Subiectio enim ista virtutis est, non infirmitatis. Denique in fortibus & facientibus mandatum dei, subiectus est dei filius. Nunc autem magis in iis laborat qui non subueniunt laborantibus, quàm in illis qui sibi postulant subueniri. Hæc est pia interpretatio & vera subiectionis domini Iesu, qui ideo se subiiciet, vt sit deus omnia in omnibus. Sensum Apostolicum percurrimus, nunc consideremus qui sunt primitias spiritus habentes. Et ideo legem interrogemus quid sit quod primitiarum vel initij nomine declarauerit. Initia, inquit, areæ & lacus tui non fraudabis. Et infra: Initia primitiarum tuarum inferes in domum domini dei tui. Aliæ sunt primitiæ, aliæ decimæ. Primitiæ maioris gratiæ, sanctificationis obseruantissimæ. Ideo placuit Abel, quia non est

Matth.6. 1.Cor.15. Rom.8. Exod.23. Genes.4.

suum

suum munus moratus, qui de primitiuis ouium obtulit. Licet aliqui distantiam velint esse inter primitias & primogenita, id est, quæ primo nascuntur, eò quod collectis seminibus quasi ex omnibus initia offerantur areæ: tamen de messe quod primum tollitur, id offertur domino. sed de hoc alias. Sanctificari autem videtur primitiarum munere tota
1.Cori.12. areæ messis, sed ipsæ sanctiores primitiæ sunt. similiter sancti primitiæ sunt domini, præcipue apostoli. Primum enim deus posuit in ecclesia apostolos, qui & pleraque prophetarunt, & euangelizarunt dominum Iesum, quia primi recepe
Lucæ 2. runt eum. Recepit eum Symeon propheta, Zacharias pro-
Ibidem 1. pheta, Ioannes filius eius, Nathanael, in quo dolus non erat,
Ioan. 1. & ideo sub ficu requiescebat. Ioseph qui dicebatur iustus,
Luc. 23. qui sepeliuit eum. Isti sunt primitiæ fidei nostræ, sed tamen
eadem cæterorum natura seminum, quæ primitiarũ, licet in
Matth. 3. aliquibus minor gratia. Potens est enim deus ex lapidibus filios Abrahæ excitare. En tibi exemplum de ipso domino Iesu. In resurrectione mortuorum primogenitus ex mortuis dicitur. Eundem ipse Apostolus primitias significauit,
Colos. 1. dicens: In Christo omnes viuificantur, vnusquisque autem
1.Corin.15. in suo ordine, primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt. Eadem in illo corporis veritas quæ in nobis, sed tamen & primogenitus ex mortuis dicitur, quia primus resurrexit: & primitiæ, quia sanctior omnibus fructus, qui etiam cæteros consortij sui fructus sanctificauit. Ipse etiam initium eorum qui ad imaginem, quasi imago inuisibilis dei, in quo secundum diuinitatem nihil corporeum, nihil temporale, quia splendor est gloriæ paternæ, & imago substantiæ eius. Produximus sermonem epi-
Hebr. 1. stolarem, dum volumus quid sint primitiæ significare. Primitiæ ergo nostri apostoli electi ex omnibus præsentis tem-
Ioan. 14. poris fructibus, quibus dictum est: Et maiora his facietis. Fudit enim se in eos gratia dei. Isti, inquam, ingemiscebant expectantes redemptionem totius corporis, & adhuc ingemiscunt, quia multorum est labor qui adhuc fluctuant. Et si aliquis ad superiora se littoris subsistat, & adhuc medio corpore cedatur fluctibus, ingemiscit & comparturit, donec totus euadat. Ingemiscit vtique qui adhuc nobis dicit:
2.Cor.11. Quis infirmatur & ego non infirmor? Nõ ergo nos moueat
Rom.8. quod ita scriptum est: Qui primitias spiritus habentes, ipsi intra nos ingemiscimus adoptionem filiorum expectantes redemptionem corporis nostri. Sensus enim apertus est, eo quod primitias spiritus habentes ingemiscunt, adoptionem filiorum expectantes. Quæ adoptio filiorum, redemptio totius corporis est, quando facie ad faciem quasi dei filius per adoptionem videbit illud diuinum & æternum bonum. Est enim adoptio filiorum in ecclesia domini, quãdo clamat spi-
Galat. 4. ritus: Abba pater: sicut habes ad Galatas. Sed illa erit perfecta, quando resurgent omnes in incorruptione, honore, gloria, qui merẽtur dei faciem videre. Tunc enim vere redemptam se humana iudicabit conditio. Vnde Apostolus gloRoma.8. riatur, dicens: Quia spe salui facti sumus. Saluat enim spes,
Lucæ 18. sicut & fides, de qua dicitur: Fides tua te saluum fecit. Er-
Philip. 1. go creatura que non sponte, sed in spe vanitati subiecta est, spe saluatur sicut & Paulus cùm sciret lucrum sibi esse mori, vt cùm Christo esset solutus corpore, permanebat in car-
Roma.8. ne propter eos quos Christo acquireret. Spes autem quid
2.Cor.2. est nisi futurorum expectatio? Vnde ait: Spes autem quæ videtur, non est spes. Non enim quæ videntur, sed quæ non videntur æterna sunt. Nam quod videt quis, quid sperat? Videmur enim tenere ea quæ videmus. Quomodo ergo quæ
1.Cor.2. tenemus speramus? Nihil igitur eorum quæ sperantur videtur. Oculus enim non vidit, nec auris audiuit quæ præparaRom.8. uit deus diligentibus eum. Ergo si sperari non potest quod videtur, non bene habent aliqui, nam quod videt quis, quid & sperat? Nisi & forte sic intelligas, nam quod videt quis, quid & sperat, vel quid expectat? Quia illud verum est, quia
Psalm.39. id speramus quod non videmus: & ideo quamuis abesse videatur à nobis, expectamus illud per patientiam. Expectans enim expectaui dominum, & respexit me. Ideo ergo expectamus patienter, quia bonus est dominus sustinentibus eũ. Et videtur conuenire, quia reddidit patientiam, Expectamus quæ speramus, & nõ videmus. Multum enim facit qui

A sperat & ea expectat quæ non videntur, & propterea quod intendat mentem ad illud, omne quod est sustinet. Pulchrè autem dicitur: Spes autem quæ videtur, non est spes, de po- Roma.8.
testatibus istius seculi, de dignitatibus, de diuitiis. Vides nescio quem fascibus præminẽtem & curribus, nihil habet spei in curribus qui videntur. Nec in ipso cœli elemento spes est, sed in domino cœli. Nec Chaldæus in stellis spẽ habet quas obseruat, nec dies in possessionibus, auarus in vsuris, sed ille spem habet qui in eum spem suam ponit quem nõ videt, id est, in domino Iesu, qui medius nostrum stat, & non videtur. Denique quæ oculus non vidit, nec auris audiuit quæ 1.Cor.2.
præparauit dominus diligentibus eum.

Diui Ambrosii ad Horontianum, dubitationem tollentis, de
B *quo spiritu dictum sit, quia postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* *Epistola XXIII.*

AMbrosius Horontiano: Concatenantur sibi epistolæ nostræ, vt tanquam inter præsentes videamur sermonem cedere. Ita ego ex tua interroga tione, túque ex mea explanatione epistolis scribendis materiam damus. Moueri enim te indicasti, de quo spiritu dictum sit: Quia postulat pro nobis gemitibus ine- Rom.8.
narrabilibus. Superiora igitur repetamus, vt lectio manifestet quod quærimus. Similiter, inquit, & spiritus adiuuat infirmitatem nostræ orationis. Nónne tibi videtur spiritus sanctus qui adiutor nobis est, sicut ille cui dicitur: Adiutor Psalm.26.
meus es tu, ne derelinquas me, neque despicias me deus salutaris meus? Quis enim alius spiritus qui possit docere Paulum quid oraret? Docet autem spiritus Christi, sicut & Christus orare discipulos suos. Quis autem post Christum doceret nisi spiritus eius, quem ipse misit vt doceret, & dirigeret nostras orationes? Oramus enim spiritu, oramus & mente. 1.Cori.14.
C Vt bene mens possit orare, præcedit spiritus, & deducit eam in viam rectam, ne obrepant carnalia, ne minora, ne etiam maiora viribus. Vnicuique enim datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Denique scriptum est: Petitè magna Ibidem 12.
& parua adiicientur vobis. Petite cœlestia, & terrena adiicientur. Ergo vult nos maiora petere, non in terrenis morari. Ille autem scit quid tribuat, diuidens singulis prout vult. Dicit enim interdum, sciens mensuram quam nos ignoramus. Nõ potestis hęc modo accipere. Peto mihi passionem martyrij. spiritus promptus est, sed videns infirmum carnis meę, ne dum maiora cupio, minora amittam, dicit: Non potes hęc accipere. Quales occasiones habui, & de ipso propè fine reuocatus sum. Nouit enim bonus medicus quę esca cui apta sit infirmitati, & cui tempori ad profectum valetudinis. Interdũ opportunitas escę sanitatem reddit, quòd si impottunè aliquis accipiat, aut non conuenienter, implicatur periculo. Ergo quia nos nescimus quid oremus, & quo
D modo oporteat, postulat pro nobis spiritus sanctus, est e- Roma.8.
nim aduocati nostri Iesu, & postulat gemitibus ineffabilibus. Dolet enim pro nobis & Christus. Et deus pater dicit: Ventrem meum doleo. Et frequenter indignantem eum le Hierem.4.
gimus & dolẽtem. Gemit autẽ vt auferat peccata nostra, doceat nos agere pœnitentiam. Est enim pius gemitus, & plenus authoritatis, de quo dicit Propheta: Et gemitus meus Psalm.37.
non est absconditus à te. Non enim latebat vt Adam, sed dicebat: Ecce ego pastor, & grex iste quid deliquit? Ego pec- 1.Para.21.
caui, in me vindica. Ex hoc igitur gemitus spiritus dei, & ille prophetę gemitus, bene ineffabilis, quia cœlestis. Ea enim quę in cœlo audiuit Paulus, ineffabilia audiuit, vt fari 2.Cor.12.
ea homines non debeant: sed quę occulta hominibus, deo nota sunt. Nouit enĩ omnia qui scrutator est cordis, sed illa scrutatur quæ mundauit spiritus. Nouit ergo deus quid postulet spiritus, & quæ spiritus sapientia sit, quia interpellat Roma.7.
pro sanctis, sicut habes: quia & spiritus interpellat pro nobis. Pro quibus enim Christus passus est, & quos sanguine mundauit suo, pro iis interpellat & spiritus. Vale, & nos vt filius dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Marcellum narrantis se causam veternosi iurgij inter illum & fratrem ac sororem componendi tanquam arbitrum suscepisse, rationemque huiuscemodi cõpositionis exponentis. *Epistola XXIIII.*

Ambro-

AMbrosius Marcello: Apud me decursus est tui textus negocij, quod non intulisti, sed recepisti, quia erat & pietatis necessitas, & probandæ in pauperes liberalitatis volũtas. Cognoui autem secundum sacræ formam præceptionis, in qua me induit & beatissimi Apostoli authoritas, & tuæ doctrinæ ac vitæ forma & disciplina. Nã cùm ipse arguerẽ quod adhuc inter vos maneret veternosum iurgium, cognoscendi mihi necessitatem partes imposuerunt. Erubui recusare, fateor, cùm præsertim rogati vtriusque partis inuicem se lacesserent dicentes, vt meo sub examine liqueret cui parti maiora iuris vel iustitiæ suffragia forent. Quid plura? Cùm iam concluſi essent dies, & paucarum horarum supereſſet spatium, quibus tamen alia audiret præfectus negocia, petierunt causæ patroni prorogari paucorum dierum tempora, vt ego residerem cognitor. Tantus ardor erat Christianis viris ne præfectus de episcopi iudicaret negocio. Aiebant præterea nescio quæ gesta indecora, & pro suo quisque studio iactabat, quæ episcopo potius iudice quàm præfecto examinari oportet. His cõfusus, simul admonitus apostolicæ præceptionis quæ arguit, dicens: Nónne de iis qui intus sunt, vos iudicatis? Et iterum: Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrem suum: sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Recepi cognitionem, ita tamen, vt compositionis essem arbiter. Videbam enim quod si pro tuis iudicarẽ partibus, posset ille non acquiescere. si pro illo ferretur sententia, obediret tua & sanctæ sororis defensio. Erat ergo iniqua decernendi conditio. Posset etiam illis videri suspecta necessitudinis sacerdotalis gratia. Quando enim victus quemuis alium quàm se æquiorem putat? Et quod verum est, erant vetusti iurgij intolerabilia vtrique parti dispendia, si finis eius aut fructu careret, aut liberalitatis solatio. Cum igitur anceps iudicium, ius controuersum, multiplices ab vtraque parte actiones cernerem, inuidiæ plenas supplicationes rescriptorum quoque obreptiones obtexerent, aduerterem etiam graui conditione illum si vicisset, acturum de duplis fructibus, & de sumptibus annosæ litis, tuo autem officio non conuenire, vt expensas iurgij posceres, nec competere vt quicquam de fructibus possessor ageres quos percepisses, malui iurgium compositione sedare, quàm pronunciatione acerbare. Alia enim habebant excitari iurgia. Tum, quod est grauissimum, & si iurgia sublata forent, erãt tamen odia mansura, quæ apud bonos mores dispendij sunt, inter hos æstus positus, cùm me persona sacerdotis, fœminei sexus, viduæ grauitas, amici quoque contemplatio, trino quodam non perfunctorio conueniret nomine, illud sequẽdum putaui, vt neminem vinci vellem, & omnes vincere. nec fefellit sententia. Vicistis enim omnes germanitati, vicistis naturæ, vicisti scripturæ dicenti: Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed putas te grauatum iactura iuris, damno pecuniæ. Meliora vtique sacerdotibus damna quàm lucra seculi sunt. Beatius est enim dare, quàm accipere. Sed forte dicas, fraudem non debui pati, iniuriam non debui perpeti, damnum subire. Quid ergo? Inferre velles? Sed & si tu non inferres, ille se passum diceret. Itaque vide quid dicat Apostolus: Quare non magis fraudem patimini? vt prope videatur qui nõ patitur feciſſe. Tolerare enim debet qui fortior est. Verũ quid ego ita tecum ago, quasi hoc meum & non tuum sit? Tu enim obtulisti quasi arbiter litis vt soror in diem vitæ suæ possideret partem prædij, post obitum eius fratri cederet omnis possessio. Neque quisquam eum vel tuo vel ecclesiæ conueniret nomine, sed sibi haberet, si tam mallet, vt nihil dispensaret ecclesiæ. Hoc cùm ego prædicarem, & præferrem tantam animo tuo infusam liberalitatis gratiam, respondit germanus tuus placere sibi oblationem si metus deteriorandæ possessionis decederet. Quemadmodum enim fœmina, & quod est amplius, vidua, possessionem regeret tributariam? Quid sibi profuturum quod sibi iura possessionis cederes, si maiora ex incultu agri subeunda sibi damna arbitraretur? Moue-

1. Cor. 5.
Ibidem. 6.

Acto. 26.

1. Cor. 6.

bat hoc vtriusque partis togatos. Itaque omnium conspiran te assensu placuit vt Lætus agrum susciperet, & certum numerum frumenti, vini, olei, sorori quotannis pensitaret. Ergo sanctæ germanæ tuę non ius, sed solicitudo decesit, non fructus, sed culturæ labor, non reditus, sed incerti euentus quædam (vt dicitur vulgo) alea. Si tempestates ventorum graues prouentum impedierint, sorori tamen tuæ sua vbertas manebit. Si nimia siccitate aruerint locorum gignẽtia, sorori tamen tuę stata non minuetur fœcunditas. Sibi adscribit Lętus cõditionem oblationis suę. si necesitates temporum & extraordinarię incubuerint exactiones, germana tua beneficio tuo & dispendio Lęti immunis erit. Lętus autem se proprietate locorum solabitur. Vicistis ergo omnes. Lętus, quia ius loci adeptus est quod non tenebat. soror, qui annuis potietur fructibus, iam sine lite, sine iurgio, nemo tamen plenius, nemo gloriosius quàm tu vicisti, qui dũ erga sororem confirmari vis liberalitatem tuam, in vtrunque eam fraternę consortem necesitudinis cõtulisti. Nam & fratri concessisti proprietatem, & sorori vsus fructum. Nihil autẽ adimitur eccleſię, quod pietati acquiritur. Charitas enim non damnum, sed lucrum Christi est. Denique charitas, fructus spiritus sancti est. Apostolico igitur charactere cognitio decursa est. Dolebamus ante quòd litẽ haberes. Profuit iurgium vt formam indueres apostolicę vitę & pręceptionis. Illud sacerdotio non congruebat, hęc transactio & apostolicam decet normam. Nec vereare ne immunis sit atque exors ecclesia liberalitatis tuę. Habet & illa fructus tuos, & quidem vberiores, habet fructus doctrinę tuę, habet tuę vitę stipendium, habet fœcunditatem, quam tuis institutis rigasti. His diues reditibus non quęrit temporalia, quia æterna possidet. Addidisti autem ei non solum apostolicos, sed etiam euangelicos fructus. dominus enim dixit: Facite vobis amicos de iniquo mammona. Feciſti & tu amicos, & quod mirabile est, ex dissidentibus. Feciſti in ius germanitatis redire fratres, feciſti eos hac charitate, hac gratia securos quod suscipiantur in æterna tabernacula. Christo igitur authore, & duobus arbitris sacerdotibus, te qui formam prior dediſti, me qui sententiam prompſi, facta pax non claudicabit, quando tanta fidei conuenerunt suffragia, vt perfidia non possit esse sine pœna. Arabit Lętus sorori, cui antea alienos inuidebat labores: messem Lætus sorori colliget, in qua ante ferre non poterat alienas donationes: deferet fructus ad sororis horrea, & hoc Lętus faciet, recepta iam etiam nominis sui proprietate. Tu interea cõformatus in apostolum Christi assumens prophetica authoritatem dices ad dominũ: Posediſti renes meos. Hęc melius Christum possessio decet, vt virtutes sacerdotis possideat sui, hos fructus capiat, qui sunt integritatis & continentię, & quod est amplius, charitatis & tranquillitatis. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Luce. 16.

Psalm. 138.

Gratiani Augusti ad beatum Ambrosium, vt ad se docẽdum venire festinet postulantis, & vt scripturis atque argumentis spiritum sanctum deum esse conuincat rogantis. Epistola XXV.

AMbrosio religioso sacerdoti omnipotẽtis dei Gratianus Augustus: Cupio valde vt quẽ recordor absentẽ, & cum quo mẽte sum, cum eodẽ corpore sim pręsenti. Festina igitur ad me religiose sacerdos, vt doceas doctrinã vere credentem, non quo contentioni studeã, aut velim magis deum verbis quàm mente complecti, sed vt magis aperto pectori reuelatio diuinitatis insideat. Docebit enim me illequẽ non nego, quẽ fateor deum ac dominum esse meum, non ei obiiciẽs quam in me video creaturam, qui Christo nihil me addere posse confiteor. Veruntamen vt etiam patri me commendem filium prędicando, non ego in deum verebor inuidiam, non me talem laudatorem putabo, qui diuinitatem verbis augeam. Ego infirmus & fragilis, quantum possum predico, non quantum est ipsa diuinitas. Rogo te vt mihi de ipso tractatu quem dederas, augendo illic de spiritu sancto fidelem disputationem, scripturis atque argumentis deum esse conuincas. Diuinitas te seruet per multos annos, & cul-

& cultor dei æterni quem colimus Iesum Christum.

Diui Ambrosii ad Gratianum Augustum, epistolam ipsius plurimum commendantis, suæq; voluntati se satisfacturum pollicentis, *Epistola XXVI.*

DEatissimo Augusto Gratiano, & Christianissimo principi Ambrosi⁹ episcopus. Nō mihi affectus defuit Christianissime prīcipū. Nihil enī habeo quod hoc verius & gloriosius dicā. Nō, in quā mihi affectus defuit, sed affectū verecūdia retardauit quo minus clementiæ tuæ ocurrerē. Reuertēti tamen si non ocurri vestigio, occurri animo, occurri voto, in quo maiora sunt officia sacerdotis. Occurri dico. Quando enim ab sui, quem toto sequebar affectu, cui sensu ac mentibus inhærebam? Et certe maior animorum præsentia est. tuum quotidianum iter legebam, nocte ac die in tuis castris cura & censu locatus, orationum excubias prætendebam, & si inualidus merito, sed affectu sedulus. Et hæc quidem cùm pro tua salute deferebamus, pro nobis faciebamus. Nihil hic adulationis est, quā tu non requiris, ego alienam nostro duco officio: sed plurimum gratiæ quam dedisti. Scit ipse nostri arbiter quem fateris, & in quem pie credis, refici viscera mea tua fide, tua salute, tua gloria, méque non solum officio publico debitas pendere preces, sed etiam amore priuato. Reddidisti enim mihi quietem ecclesiæ, perfidorum otio. Reddidisti enim mihi quietem ecclesiæ, perfidorum ora, atque (quod vtinam) & corda clausisti, & hoc non minore fidei, quàm potestatis authoritate fecisti. Nam quid de literis recentibus loquar? Scripsisti tua totam epistolam manu, vt ipsi apices fidem tuam pietatémque loquerentur. Sic

Genes. 18. Abraham sua manu quondam vitulum occidit, vt hospitibus epulantibus ministraret, nec in ministerio religioso aliorum adiumenta quæsiuit. Sed ille priuatus aut domino & angelis, aut domino in angelis deferebat, tu Imperator dignatione regali honoras infimum sacerdotem. Sed domino

Matth. 25. defertur cùm seruulus honoratur. Ipse enim dixit: Quod vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. At ego humilitatem tantummodo prædico in imperatore sublimem, ac non amplius fidem, quam verè conscia meriti tui mente dixisti, quam docet te ille quem non negas? Quis enim alius docere te potuit, vt ei non obiicias quam in te vides creaturam? Nihil moralius, nihil expressius dici potuit. Creaturam enim Christum dicere, pro obiectu cōtumeliæ est, non pro confessione reuerentiæ. Deinde quid tam insolēs, quàm id eum existimare quod nos sumus? Docuisti igitur me, à quo te discere velle profiteris. nihil tale adhuc legi, nihil tale audiui. quàm pium autem illud, quàm admirabile, quòd in deo non vereris inuidiam, de patre remunerationem pro filij amore præsumis, & laudando filium, non ei te posse aliquid addere confiteris, sed velle vt etiam patri te filij prædicatione commendes. Quod vtique solus te docuit ille qui

Ioan. 14. dixit: Qui me diligit, diligetur à patre meo. Addidisti ad hæc, quia tu infirmus & fragilis non te talē laudatorem putabis, vt diuinitatem verbis augeas, sed quantum possis præ dices, non quantū est ipsa diuinitas. Hæc infirmitas in Chri-

2. Cor. 12. sto fortior est, sicut & Apostolus dixit: Cùm infirmor, tunc potēs sum, hæc humilitas excludit fragilitatem. Veniā planè, & festinabo vt iubes, vt hæc præsens audiā, vt hæc præsens legam, cùm ex tuo ore procedunt. Misi autē duos libellos, quorum iam quia tuæ clementiæ sunt probati, periculū non verebor. De spiritu verò interim veniam scriptioni peto, quoniam quem iudicem mei sim sermonis habiturus agnoui. Interim tamen sententia & fides tua de domino & saluatore de prompta de dei filio redundat ad assertionem vberrimam, per quam sancti quoque spiritus diuinitas sempiterna credatur, vt non ei obiicias quam in te vides creaturam, nec deum patrem domini nostri Iesu Christi spiritui suo existimes inuidere. Quod enim creaturæ caret communione, diuinum est. Si dominus fauerit, huic etiam clementiæ tuæ satisfaciam voluntati, vt cuius accepisti gratiam, eum plane in dei gloria præminentem suo nomine existimes honorandum. Beatissimum te & florentissimum deus omnipotēs pater domini nostri Iesu Christi tueri ætate prolixa, & regnum tuum in summa gloria & pace perpetua confirmare dignetur, domine imperator Auguste, diuino electe iudicio, principum glorioſissime.

Diui Ambrosii ad Valentinianū imperatorem, legationis suæ expositionem insinuantis, *Epistola XXVII.*

AMbrosius Valentiniano imperatori. Etsi superioris legationis meæ fides ita approbata sit tibi, vt ratio eius à me nō quæreretur. Satis enim claruit eo ipso quòd aliquot dies retentus sum intra Gallias, me violentiam à Maximo non recepisse, neque iis astipulatum quæ ad volūtatem eius magis quàm ad pacem ponderent. Denique non commisisses secundam legationē, nisi primam probasses. Sed quia regredienti mihi decernendi secum imposuit necessitatem, ideo hac epistola expositionem legationis meæ insinuandam putaui, ne cuiusquam sermo viri prius vana intexeret, quàm reditus meus integra & sinceræ veritatis expressa signaculo manifestaret. Cum peruenissem Treuiros, prostridie processi ad palatiū. Egressus est ad me vir Gallicanus, præpositus cubiculi, eunuchus regius. Poposci adeundi copiam, quæsiuit num rescriptum haberem clementiæ tuæ. Respondi habere. Retulit non posse me, nisi in consistorio videri. Dixi non esse hunc morem sacerdotalē, certe esse aliqua de quibus serio deberem cum suo principe confabulari. Quid plura? Consuluit eum, sed eadem referenda credidit, vt liqueret etiam priora ex illius arbitrio deprompta. Dixi tamen alienum id quidem à nostro munere, sed me recepto officio nō defuturum, gratam mihi esse humilitatem in tuo præsertim, & quod verum est, fraternæ pietatis negocio. Vbi sedit in consistorio, ingressus sum, assurrexit vt osculum daret. Ego inter consistorianos steti, hortari cœperunt alij vt ascenderem, vocare ille, Respondi ego: Quid oscularis eum quem non agnoueris? Si enim me agnouisses, nō hoc loco videres. Commotus es, inquit, episcope? Non, inquam, iniuria, sed verecundia, quòd alieno cōsisto loco. Et prima, inquit, legatione ingressus es consistorium. Nec illud, inquam, mei erroris fuit. vocantis non ingredientis vitium est. Cur, inquit, ingressus es? Quia inquā, tunc vt inferiori pacem petebam, nunc vt æquali. Cuius, inquit, beneficio æquali? Respondi, omnipotentis dei, qui Valentiniano regnum quod dederat reseruauit. Ad postremum erupit, dicens: Quoniam me lusisti, & ille Bauto qui sibi regnum sub specie pueri vindicare voluit: qui etiam Barbaros mihi immisit, quasi ego non habeam quos possim adducere, cùm mihi tot milia Barbarorum militent, & annonas à me accipiant. Quod si ego tunc quando venisti non essem retentus, quis mihi obstitisset & virtuti meæ? Ad hæc ego leniter: Non opus est, inquam, vt commouearis, cùm causa nulla sit cōmotionis, sed patienter audias quę referantur istis. Propterea & ego veni, quia prima legatione dum mihi credis, per me deceptum te esse asserebas: Glorioſum mihi est hoc pro salute pupilli imperatoris. Quos enim epi-

Esaię 1. scopi magis quàm pupillos debemus tueri? Scriptum est enim: Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & eruite iniu-

Psalm. 67. riam accipientem. Et alibi: Iudices viduarum, & patres orphanorum. Tamen non exprobrabo beneficium meum Valentiniano, vt verum eloquar. Vbi ego tuis legionibus obstiti quo minus influeres in Italiam? Quibus rupibus? qua acie? quibus numeris? An verò corpore meo clausi tibi Alpes? Vtinam hoc meum esset, obiectionem non timerē, non vererer criminationes tuas. Quibus promissis lusi te vt paci acquiescerres? Nónne intra Gallias iuxta vrbem Mogontiacum comes Victor occurrit mihi quem direxisti vt pacem rogaret? In quo ergo te fefellit Valētinianus, qui prius pacem à te rogatus est quàm postularet? In quo fefellit Bauto qui deuotionem Imperatori exhibuit suo? An quia principem suum non prodidit? In quo ego te circunscripsi? Qui vbi primum veni, cùm diceres quòd Valentianianus ad te quasi filius ad patrem venire deberet, responderim non esse æquum vt aspero hyemis tempore puer cum matre vidua penetraret Alpes. Sine matre autem tanto itineri dubiis rebus committeretur. De pace nobis legationem commissam, non de aduentu eius promisionē: spondere nos id non potuisse: certum est, quod mandatum non erat, me certe nihil spopondisse, adeo vt diceres, Expectemus quid Victor responsi referat. Illum autem liquet me retento peruenisse

ueniſſe Mediolanum, negatúmque ei quod poſtulabat. De pace tantum conſpirare ſtudia, non de aduentu imperatoris, quem moueri non oporteret. Præſens etiã vbi Victor rediit. Quomodo ergo reuocaui Valentinianum? Legati iterum miſſi ad Gallias, qui eius aduentum negarent, apud Valentiam Gallorum me repererunt: milites vtriuſque partis qui cuſtodirent iuga montiũ, offendi reuertens.* Quos ego tuos reuocaui exercitus? quas de Italia reflexi aquilas? quos immiſit Barbaros Bauto comes? Et quid mirũ ſi hoc Bauto feciſſet, Trãſrhenanus genere, cum tu miniteris imperio Romano Barbarorum auxilia, & turmas tranſlimitanas, quibus commeatus prouincialium tributa ſoluebant? Vide autem quid interſit inter tuas minitationes, & Valentiniani Auguſti pueri manſuetudinem. Tu flagitabas quod Barbarorum ſtipatus agminibus Italiæ te infunderes. Valentianus Hunnos atque Alanos appropinquantes Galliæ per Alemaniæ terras reflexit. Quid habet inuidiæ ſi Bauto Barbaros cum Barbaris fecit decernere? Quoniam dum tu militem Romanum occupas, dum is aduerſum ſe vtrinque prætendit, in medio Romani imperij ſinu Iuthungi populabantur Rhetias. Et ideo aduerſus Iuthungum Hunnus accitus eſt. Idem tamen quia de finitimo proterebat Alemanniam, & iam vicinia mali vrgebat Gallias, coactus eſt triumphos ſuos deſerere, ne tu timeres. Confer vtriuſque factum. Tu feciſti incurſari Rhetias, Valentinianus ſuo tibi auro pacem redemit. Aſpice illum, quoque qui tibi ad dexterã aſſiſtit, quem Valentinianus cùm poſſet ſuum doloré vlciſci, honoratũ ad te redire fecit, Tenebat eum in ſuis terris, atque in ipſo nũcio necis fraternæ frænauit impetus: nec tibi vicem etſi non parilis dignitatis, eiuſdẽ tamen neceſſitudinis retulit. Cõfer ergo te iudice vtriuſque factũ. Ille tibi fratrẽ tuum viuentẽ remiſit, tu illi vel mortuũ redde. Quid illi reliquias germani abnegas, qui tibi aduerſum ſe auxilia non negauit? Sed vereris ne exuuiarum reditu renouetur militibus dolor? Hoc enim allegas: Quem viuentem deſeruerunt, eum defendent peremptum? Quid eum mortuum times, quem occidiſti cùm poſſes reſeruare? Hoſtem, inquis, meum peremi. Non ille tuus hoſtis, ſed tu illius. Ille iam non ſentit defenſionem. Tuam cauſam conſidera. Si quis aduerſum te hodie imperium in his partibus vſurpandum putet, quæro te, vtrum te hoſtem illius dicas, an illum tibi? Niſi fallor, vſurpator bellum infert, Imperator ius ſuum tuetur. Ergo quem non debueris occidere, eius reliquias negas? Habeat Valẽtinianus imperator vel fratris exuuias, pacis tuæ obſides. Et quomodo allegabas quòd eum non mandaueris occidi, quem prohibes ſepeliri? Poterit igitur credi quod ei non inuideris vitam, cui etiam ſepulturã inuides? Sed ad me reuertar. Audio te queri quòd ſe ad Theodoſium impetatorem potius contulerint qui ſunt cum Valentiniano imperatore. Quid igitur futurum ſperabas, cùm tu refugientes eos ad pœnam poſceres, captos necares, Theodoſius autem muneribus ditaret, donaret honoribus? Quos, inquit, occidi? Reſpondi ei, Balionem. At quem virum? qualem bellatorem? Hæccine fuit iuſta cauſa exitij, quòd imperatori ſuo fidem ſeruauit? Non ego, inquit, eum iuſſi occidi. Reſpondi: Hoc audiuimus quòd occidi iuſſus ſit. Sed, inquit, ſi ipſe ſibi vim non intuliſſet, iuſſeram eum deduci Cabillonum, & ibi viuũ exuri. Reſpondi, Ergo propterea & illud creditum eſt quòd eum occideris. Quis autem ſibi parcendum putaret, cùm occiſus ſit bellator ſtrenuus, miles fidelis, comes vtilis? Ita tum diſceſſi, vt ſe tractaturum diceret. Poſtea cùm videret me abſtinere ab epiſcopis qui communicabant ei, vel qui aliquos deuios licet à fide ad necem petebant, cõmotus eis iuſsit me ſine mora regredi. Ego verò libenter, etſi me plerique inſidias euaſurum non crederent, ingreſſus ſum iter, hoc ſolo dolore percitus, quòd Hyginum epiſcopum ſenem in exilium duci comperi, cui nihil iam niſi extremus ſupereſſet ſpiritus. Cùm de eo conuenirem comites eius, ne ſine veſte, ſine plumatio paterentur extrudi ſenem, extruſus ipſe ſum. Hæc eſt expoſitio legationis meæ. Vale Imperator, & eſto tutior aduerſus hominem pacis inuolucro bellum tegentem. Vale.

reuertẽtes.

Diui Ambroſii ad Theodoſium imperatorem, ſeipſum excuſantis, & vt ille facinoris ſui pœnitentiam agat, rationibus atque exemplis ſuadentis, rogantis, hortantis, & admonentis.

Epiſtola XXVIII.

AVguſtiſſimo imperatori Theodoſio Ambroſius: Et veteris amicitiæ dulcis mihi recordatio eſt, & beneficiorum quæ crebris meis interceſſionibus ſumma gratia in alios contuliſti, gratiæ memini. Vnde colligi poteſt quòd non ingrato aliquo affectu aduentum tuum ſemper mihi ante hac exoptatiſsimum declinare potuerim. Sed qua cauſa hoc fecerim, breuiter expediam. Soli mihi in tuo comitatu ius naturæ ereptum videbam audiendi, vt & loquẽdi priuarer munere. Motus enim frequenter es quòd ad me perueniſſent aliqua quæ in conſiſtorio tuo ſtatuta forent. Ego ergo expers communis vſuſum, cùm dicat dominus Ieſus nihil eſſe occultum quod nõ manifeſtetur. Verecũdia igitur qua potui, ſatisfeci imperiali arbitrio, & proſpexi ne aut ipſe cauſam commotionis habeas, cùm id egerim, ne quid ad me de imperialibus deferatur ſtatutis: aut ego cùm fuero præſens, aut non audiam per metum omnium, & quaſi cõniuentis famam ſubibo: aut ita audiam vt mihi aures pateant, vox intercludatur, vt audita non poſsim eloqui, ne eos qui in ſuſpicionem proditionis venerint, lædam in periculo. Quid igitur facerem? Non audirem? Sed aures non poſſem cera veterũ fabularum claudere. Proderem? Sed quod in tuis iuſsis timerem, in meis verbis deberem cauere, ne quid cruentum committeretur. Tacerem? Sed quod miſerrimũ forte omnium, alligaretur conſcientia, vox eriperetur. Et vbi illud: Sed ſi ſacerdos non dixerit erranti: is qui errauerit, in ſua culpa morietur, & ſacerdos reus erit pœnæ, quia non admonuit errantem. Accipe illud Imperator Auguſte, quòd habeas fidei ſtudium, non poſſum negare: quòd dei timorem, non diffiteor. Sed habes naturæ impetum, quem ſi quis lenire velit, cito vertes ad miſericordiam: ſi quis ſtimulet, in maius exſuſcitas, vt eum reuocare vix poſsis. Vtinam ſi nemo mitigat, nullus accendat: libenter eum committo tibi: ipſe te reuocas, & pietatis ſtudio vincis impetum naturæ. Hunc ego impetum malui cogitationibus tuis ſecreto committere, quàm meis factis publicè fortaſsis mouere. Itaque malui officio meo aliquid deeſſe quàm humilitati, & requiri in me ab aliis ſacerdotis authoritatem, quàm à te deſiderari in me amantiſsimè honorificentiam, vt repreſſo impetu integra eſſet conſilij eligendi facultas. Prætendi ægritudinem corporis reuera grauem, & niſi à viris mitioribus vix leuandam: vel emori tamen maluiſſem quàm aduentum tuum biduo aut triduo non expectarem. Sed quid facerem, non erat. Factũ eſt in vrbe Theſſalonicenſium quod nulla memoria habet, quod reuocare non potui ne fieret. Imò quod ante attrociſsimum fore dixi, cùm totiens rogarem: & quod ipſe ſero reuocando graue factum putaſti, hoc factum extenuare non poterã. Quando primum auditum eſt, propter aduentum Gallorum epiſcoporum ſynodus cõuenerat, nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit, non erat facti tui abſolutio in Ambroſij communione. In me etiam amplius commiſsi exaggeraretur inuidia, ſi nemo diceret dei noſtri reconciliationem fore neceſſariã. An pudet te Imperator hoc facere quod rex propheta author Chriſti ſecundum carnem proſapiæ fecit Dauid? Illi dictum eſt, quia dies qui haberet plurimos greges, vnam pauperis ouẽ propter aduentum hoſpitis eripuit & occidit: & cognito quod in hoc ipſe arguereturquia ipſe feciſſet, ait: Peccaui domino. Noli ergo impatienter ferre Imperator, ſi dicatur tibi: Tu feciſti iſtud quod Dauid regi dictum eſt à propheta. Si enim hoc ſedulo audieris, & dixeris: Peccaui domino. Si dixeris regale illud propheticum: Venite adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus ante dominum noſtrum qui fecit nos: dicetur, & tibi, Quoniam pœnitet te, dimittit tibi dominus peccatum tuũ, & nõ morieris. Iterum cùm plebem numerari iuſſiſſet Dauid, percuſſus eſt corde & dixit ad dominum: Peccaui vehementer quod fecerim hoc verbum, & nunc domine aufer iniquitatem ſerui tui quòd deliqui vehementer. Et miſſus eſt iterum ad eum Nathan propheta, qui ei trium optionem conditionum offerret, & quam vellet eligeret, famem tribus annis in terra, aut tribus menſibus fugeret à facie inimicorum

Luc. 1.

Ezech. 3.

Pſalm. 94.

2. Reg. 12.

2. Reg. 24.

micorum suorum, aut triduo mortem in terra. Et respon-
dit Dauid: Angustiæ sunt tria hæc vehementer, veruntamen
incidam in manum domini, quoniam multæ misericordiæ
eius nimis, & in manus hominis non incidam. Culpa autem
erat, quoniam voluit scire numerũ totius plebis quæ secum
erat: quod scire deo soli debuit reseruare. Et cùm, inquit,
mors fieret in plebe, ipso primo die ad horam prandij cùm
vidisset Dauid percutiẽtem angelum in plebem, ait Dauid:
Ego peccaui, & ego pastor malignum feci, & hic grex quid
fecit? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Itaque
pœnituit dominum, & iussit angelo vt parceret plebi, sacri-
ficium autem offerret Dauid. Erant enim tunc sacrificia pro
delictis, hæc nunc sunt sacrificia pœnitentiæ. Itaque ea hu-
militate acceptior duo factus est. Non enim mirandum pec
care hominem, sed illud reprehensibile, si non se cognoscat
errasse, non humiliet deo. Iob sanctus & ipse potens in secu
lo, ait: Peccatum meum non abscõdi, sed coram plebe omni
annunciaui. Igsi immani regi Saul dixit Ionathas filius suus:
Noli peccare in seruum tuum Dauid, & vt quid peccas in
sanguinem innocẽtem, occidere Dauid sine causa? Quia et-
si rex erat, peccabat tamen si occideret innocentem. Deni-
que etiam Dauid cùm iam regno potiretur, & audisset Ab-
ner innocentem occisum à Ioab duce militiæ suæ, ait: Inno-
cens sum ego & regnum meum amodo & vsque in æternũ
à sanguine Abner filij Ner, & ieiunauit in dolore. Hæc ideo
scripsi, non vt te confundam, sed vt regum exempla prouo-
cent, vt tollas hoc peccatũ de regno tuo. Tolles autem hu-
miliando deo animam tuam. Homo es, & tibi venit tenta-
tio, vince eam. Peccatum non tollitur nisi lachrymis & pœ-
nitẽtia. Nec angelus potest, nec archangelus: dominus ipse,
qui solus potest dicere: Ego vobiscum sum. si peccauerimus,
nisi pœnitentiam deferentibus non relaxat. Suadeo, rogo,
hortor, admoneo, quia dolori est mihi, vt tu qui pietatis in-
auditæ exemplum eras, qui apicem clementiæ tenebas, qui
singulos nocẽtes non patiebaris periclitari, tot periisse non
doleas innocentes. Etsi in præliis fœlicissime egeris, & si in
aliis quoque laudabilis, tamen apex tuorum operum pie-
tas semper fuit. Id tibi inuidit diabolus quod habebas præ-
stantissimum. Vince eum dum habes adhuc vnde possis vin
cere. Noli peccato tuo aliud peccatum addere, vt vsurpes
quod vsurpasse multis officit. Ego certe in omnibus aliis li-
cet debitor pietati tuæ, cui ingratus esse non possum, quam
pietatem multis imperatoribus præferebam, vni adæqua-
bam. Ego, inquam, causam in te contumaciæ nullam habeo,
sed habeo timoris, offerre non audeo sacrificium si volueris
assistere. An quod in vnius innocentis sanguine non licet, in
multorum licet? Non puto. Postremo scribo manu mea
quod solus legas. Ita me dominus ab omnibus tribulatio-
nibus liberet, quia non ab homine, neque per hominem,
sed aperte mihi interdictum aduerti. Cùm enim essem soli-
citus, ipsa nocte qua proficisci parabam, venisse quidem vi-
sus es ad ecclesiam, sed mihi sacrificium offerre non licuit.
Alia prætereo, vt potui cauere. Sed pertuli amore tuo, vt ar-
bitror. Dominus faciat vt omnia cum tranquillitate cedant.
Multifarie deus noster admonet, signis cœlestibus, prophe-
tarum præceptis, visionibus etiam peccatorem vult nos in-
telligere, quo rogemus eum vt perturbationes auferat, pa-
cem vobis imperantibus seruet, fides ecclesiæ & tranquil-
litas perseueret, cui prodest Christianos & pios esse Impe-
ratores. Certe vis probari deo: omnis rei tempus, vt scri-
ptum est: Tempus, inquit, faciendi domine. Et tempus be-
neplaciti deus. Tunc offeres, cùm sacrificandi acceperis fa-
cultatem quãdo hostia tua accepta sit deo. Nónne me de-
lectaret habere gratiam Imperatoris, vt secundum voluntа-
tem tuam agerem, si causa pateretur? Et simplex oratio sacri-
ficium est, hæc veniam refert, illa offensionem: quia hæc ha-
bet humilitatem, illa contemptum. Dei enim vox est quod
malit vt fiat mandatum eius, quàm deferatur sacrificiũ. Cla-
mat istud deus, ad populum Moyses annunciat, ad populos
Paulus prædicat. Id facito quod intelligis in tẽpore plus pla-
cere: Misericordiam, inquit, malo quàm sacrificium. Quare
non illi magis sint Christiani qui peccatũ condemnãt suum,
quàm qui defendere putant? Iustus enim in exordio sermo-

Iob 31.
2. Reg. 18.
2. Reg. 3.
Matth. 28.
Psalm. 118.
Psalm. 68.
Osee 6.
Matth. 9. & 12.
Ieremi. 18.

nis accusator est sui. Qui se accusat cùm peccauerit, iust⁹ est,
non ille qui se laudauerit. Vtinam Imperator etiam ante mi
hi potius credidissem, quàm consuetudini tuę: dũ puto quòd
cito ignoscis, cito reuocas, vt sæpe fecisti: & tu pręuentus es,
& ego non declinaui quod cauere non debueram. Sed gra-
tias domino, qui vult seruulos suos castigare, ne perdat. I-
stud mihi commune est cum prophetis, & tibi erit commu-
ne cum sanctis. An ego Gratiani patrem non oculis meis
pręferam? Debent veniam sancta alia pignora tua. Dulce mi
hi nomẽ ante tuli, quibus amorem cõmuniter detuli. Amo,
diligo, orationibus prosequor. Si credis sequere. Si, inquam,
credis, agnosce quod dico. Si non credis, ignosce quod facio
in quo deũ pręfero. Beatissimus & florẽtissimus cũ sanctis pi
gnoribus fruaris trãquillitate perpetua imperator Auguste.

Diui Ambrosii ad Theodosium imperatorem vindicari iubentem in episcopum & Christianos qui synagogam incẽderunt, vehementer eum ob hoc arguentis, atque vt aliam epistolam dictari iubeat, & quod prius iussum fuerat emendet, exhortantis, *Epistola XXIX.*

LEmentissimo principi ac beatissimo imperato-
ri Theodosio Augusto Ambrosius episcopus. E-
xercitus semper iugibus fere curis sum Impera-
tor beatissime, sed nunquam tanto in ęstu fui,
quanto nunc, cùm video cauendum ne quid sit quod adscri
batur mihi etiam de sacrilegij periculo. Itaque peto vt patiẽ-
ter sermonem meũ audias. Nam si indignus sum qui à te au
diar, indignus sum qui pro tẽ offeram, cui tua vota, cui tuas
committas preces. Ipse ergo non audies eum quẽ pro te au-
diri velis? Non audies pro se agentem, quem pro aliis audi-
sti? Nec vereris iudicium tuum, ne cùm indignum putaris
quem audias, indignum feceris qui pro te audiatur. Sed ne-
que imperiale est libertatem dicendi negare, neque sacerdo-
tale quod sentiat non dicere. Nihil enim in vobis Imperato-
ribus tam populare & tam amabile est, quàm libertatem e-
tiam in iis diligere qui obsequio militię vobis subditi sunt.
Siquidem hoc interest inter bonos & malos principes, quod
boni libertatem amant, seruitutem improbi. Nihil etiam in
sacerdote tam periculum apud deum, tam turpe apud homi
nes, quàm quod sentiat non libere denunciare. Siquidem
scriptum est: Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu re
gum & non confundebar. Et alibi: Fili hominis, speculato-
rem te posui domui Israel, in eo, inquit, vt si auertatur iustus
à iustitiis suis, & fecerit delictum quia non distinxisti ei, hoc
est, non dixisti quid sit cauẽdum, non retinebitur memoria
iustitię eius, & sanguinem eius de manu tua exquirã. Tu au
tem si distinxeris iusto vt non peccet, & ipse non peccaue-
rit, iustus vita viuet, quia dixisti ei: & tu animam tuam libe-
rabis. Malo igitur Imperator bonorum mihi esse tecũ, quàm
malorum consortium, & ideo clementię tuę displicere de-
bet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentij mei
periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris. Non ergo
importunus indebitis me interfero, alienis ingero, sed debi-
tis obtempero, mandatis dei nostri obedio. Quod facio pri-
mum tui amore, tui gratia, tuę studio conseruandę salutis. Si
id mihi vel non creditur, vel interdicitur, dico sanè diuinę
offense metu. Nam si meum periculum te exueret, patien-
ter me pro te offerrem, sed non libenter. Malo enim te sine
meo acceptum deo esse & glorioſum periculo. Sin autem si-
lentij mei dissimulationisque culpa & me ingrauat, nec te li
berat, malo importuniorem me quàm inutiliorem aut tur-
piorem iudices. Siquidem scriptum est, dicente sancto apo-
stolo Paulo, cuius non potes doctrinam refellere: Insta op-
portune, importune argue, obsecra, increpa in omni patien-
tia & doctrina. Habemus ergo & nos cui displicere plus pe
riculi sit, pręsertim cùm etiam Imperatoribus non displi-
ceat suo quemque fungi munere, & patiẽter audiatis vnum
quemque pro suo suggerentem officio, imò corripiatis si
non vtatur militię suę ordine. Quod ergo in iis libenter ac-
cipitis qui vobis militant, num hoc in sacerdotibus potest
molestum videri, cùm id loquamur non quod volumus, sed
quod iubemur? Scis enim lectum: Cùm stabitis ante reges
& prę-

Psal. 118.
Ezech. 3.
2. Tim. 4.
Matth. 10.

& præsides, nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et tamen si in causis reipublicæ loquar, quamuis etiam illic iustitia seruanda sit, non tanto adstringar metu si non audiar. In causa verò dei quem audies, si sacerdotem non audies, cuius maiore peccatur periculo? Quis tibi verum audebit dicere si sacerdos non audeat? Noui te pium, clementem, mitem atque tranquillum, fidem ac timorem domini cordi habentem: sed plerunque aliqua nos fallunt. Habent aliqui zelum dei, sed non secundum scientiam. Ne igitur hoc etiam fidelibus animis obrepat, cauẽdum arbitror. Noui pietatem tuam erga deum, lenitatem in homines, obligatus sum beneficiis tuarum indulgentiarũ. Et ideo plus metuo, amplius solicitor, ne etiã ipse tuo me postea iudicio cõdemnes, quod mea aut dissimulatione aut adulatione prolapsionem nõ cui taueris. Si in me peccari viderem, non deberem tacere. Scriptum est enim: Si frater tuus in te peccauerit, corripe illum primo, deinde increpa duobus & tribus testibus. si te nõ audierit: dic ecclesiæ. Causam ergo dei tacebo? Quid igitur sit quod metuam, consideremus. Relatum est à comite Orientis militarium partium incensam esse synagogam, idque authore factum episcopo. Iussisti vindicari in cæteros, synagogam ab ipso ædificari episcopo. Non adstruo expectandam fuisse assertionem episcopi. Sacerdotes enim turbarum moderatores sunt, studiosi pacis, nisi cùm & ipsi mouentur iniuria dei, aut ecclesiæ contumelia. Sit aliquis iste episcopus feruentior in exustione synagogæ, timidior in iudicio. Nõ vereris Imperator ne acquiescat sententiæ tuæ, ne præuaricetur non times? Non etiam vereris quod futurum est ne verbis resistat comiti tuo? Necesse erit igitur vt aut præuaricatorem aut martyrem faciat. Vtrunque alienum temporibus tuis, vtrunque persecutionis instar, si aut præuaricari cogatur, aut subire martyrium. Vides quo inclinet causæ exitus. si fortem episcopum putas, caueto martyrium fortioris. si inconstantem, declina lapsum fragilioris. Plus enim adstringitur qui labi infirmum coegerit. Hac proposita conditione puto dicturum episcopum quod ipse ignes sparserit, turbas compulerit, populos concluserit, ne amittat occasionem martyrij, & pro inualidis subiiciat validiorem. O beatum mendacium, quo acquiritur sibi aliorum absolutio sui gratia. Hoc est Imperator quod popposci & ego, vt in me magis vindicares, & hoc si crimen putares mihi asscriberes. Quid mandas in absentes iudicium? Habes præsentem, habes confitentem reum. Proclamo quod ego synagogam incenderim, certe quod ego illis mandauerim, ne esset locus in quo Christus negaretur. Si obiiciatur mihi, cur hic non incenderim? Diuino iam cremari cœpit iudicio, meum cessauit opus. Et si verum quæritur, ideo segnior fui, quia non putabam hoc vindicandum. Quid facerem, quod nullo vltore sine præmio foret? Tangunt hæc verecundiam, sed reuocant gratiam, ne fiat opus quo dei summi contrahatur offensio. Esto tamen, nemo episcoporũ ad hoc munus conueniat. Rogaui enim clementiam tuam: & licet ipse hoc reuocatum adhuc non legerim, reuocatum tamẽ constituamus. Quid si alij timidiores dum mortem reformidant, offerant vt de suis facultatibus reparetur synagoga, aut comes vbi hoc compererit primo constitutum, ipse de Christianorum censu exædificari iubeat? Habebis Imperator comitem præuaricatorem, & huic vexilla committes victricia, huic labarum, hoc est, Christi sacratum nomine, qui synagogam instauret, quæ Christum nesciat? Iube labarum synagogæ inferri, videamus si non resistunt, Erit igitur locus Iudæorum perfidiæ, factus de exuuiis ecclesiæ: & patrimonium quod fauore Christi acquisitum est Christianis, hoc transferetur ad donaria perfidorum? Legimus templa idolis antiquitus condita de manubiis Cimbrorum, de spoliis reliquorum hostium. Hunc titulum Iudæi in fronte synagogæ suæ scribent, Templum impietatis factum de manubiis Christianorum. Sed disciplinæ te ratio Imperator mouet. Quid igitur est amplius, disciplinæ species, an causa religionis? Cedat oportet censura deuotioni. Non audisti Imperator, quia cùm iussisset Iulianus reparari tẽplum Hierosolymis, quod diuino, qui faciebant repagulum, igne flagrarunt? Non caues ne etiam nunc faciat? Adeo à te non fuit iubendum, vt Iulianus hoc iusserit. Quid tamen mouet? Vtrum quia quod cunque edificium publicum exustum est, an quia synagogæ locus? Si ædificio incenso moueris vilissimo (quid enim in tam ignobili castro esse potuit?) non recordaris Imperator quantorum Romæ domus præfectorum incensæ sunt, & nemo vindicauit? Imò si quis Imperatorum voluit factum seuerius reprehendere, eius magis qui tanto est perculsus dispendio, causam grauet. Quid igitur dignius vt Calinici castri in parte aliqua ædificiorum incendium, an vrbis Romæ vindicandum existimaretur si oporteret? Tamen Constantinopoli dudum domus episcopi incensa est, & filius clementiæ tuæ interceſſit apud patrem, vt & suam, hoc est filij imperatoris iniuriam, & domus sacerdotalis incendium non vindicares. Non consideras Imperator ne & hoc cum vindicari iusseris, ipse iterum interueniat ne vindicetur? Sed bene illud acquisitum à patre filio. Dignum erat enim vt suam iniuriam prius ipse donaret. Bene illud cum gratiæ distinctione diuisum est, vt & filius pro sua, & pater pro filij iniuria rogaretur. Hic nihil est quod filio reserues, & vide ne quid deo deroges. Non est ergo causa tantæ commotio ni idonea, vt propter ædificij exustionem in populum tam seuere vindicetur. Multo autẽ minus quia synagoga incensa est, perfidiæ locus, impietatis domus, amentiæ receptaculum, quod deus damnauit ipse. Sic enim legimus per os Hieremiæ dicente domino deo nostro: Et faciam domui vbi invocatum est nomen meum super ipsam, in qua cõfiditis vos & loco quem dedi vobis & patribus vestris, sicut feci Sylo: & proiiciam vos à facie mea, sicut proieci fratres vestros omne semen Ephrem. Et tu noli orare pro populo isto, & noli postulare illis misericordiam, & neque accesseris ad me pro illis, quia non exaudiam te. An non vides quid isti faciunt in ciuitatibus Iudæ? Deus se pro illis prohibet rogari, quos tu vindicandos putas. At certè si iuregentium agerem, dicerem quantas ecclesiæ basilicas Iudæi tempore imperij Iuliani incenderint, duas Damasci, quarum vna vix reparata est, sed ecclesiæ non synagogæ impendiis. Altera basilica informibus horret ruinis. Incensæ sunt basilicæ Gazis, Ascalonæ, Beryto, & illis fere locis omnibus, & vindictam nemo quæsiuit. Incẽsa est & basilica Alexandriæ à gentibus & Iudæis, quæ sola præstabat cæteris. Ecclesia non vindicata est, vindicabitur synagoga? Vindicabitur etiam Valentinianorum phanum incensum? Quid est enim nisi phanum, in quo est conuentus gentilium? Licet gentiles duodecim deos appellent, isti triginta & duos æonas colant, quos appellant deos. Nam & de ipsis comperi relatum & præceptum vt in monachos vindicaretur, qui prohibentibus iter Valentinianis quo psalmos canentes ex consuetudine vsúque veteri pergebant ad celebritatem Machabæorum martyrum, moti insolentia incenderunt phanum eorum in quodam rurali vico tumultuariæ conditum. Quot se offerre habent tali optioni, cùm meminerint tempore Iuliani illum quia aram deiecit, & turbauit sacrificium, damnatum à iudice fecisse martyrium? Itaque nunquam alias ille iudex qui audiuit eum, nisi persecutor habitus est, nemo illum congressu, nemo illum vnquam oſculo dignum putauit. Qui nisi iam esset defunctus, timerem Imperator ne in eum tu vindicares, quanquam vindictam cœlestem non euaserit suo superstes hæredi. Sed refertur cognitionem mandatam iudicij, scriptúmque eo quòd non referre debuerit, sed vindicare. Requirenda quoque sublata donaria, vt omittam alia. Incensæ sunt à Iudæis ecclesiarum basilicæ, & nihil redditum est, nihil repetitum, nihil quęsitum. Quid autem habere potuit synagoga in castro vltimo, cùm totum quicquid illic est, non multum sit, nihil precioſum, nihil copioſum? Quid deinde de incendio potuit rapi Iudæis insidiantibus? Artes istæ sunt Iudæorum volẽtium calumniari, vt dum ista quæruntur, mandetur extra ordinem militaris censura iudicij, mittatur miles fortasse dicturus quod hic aliquando ante tuum Imperator dixit aduentum. Quomodo poterit nos Christus iuuare, qui pro Iudæis aduersus Christum militamus? Qui mittuntur ad vindictam Iudęorum, suos perdiderunt

Rom. 10.

Matth. 18.

Hieremi.

runt exercitus,nostros volunt perdere. In quas præterea nõ profiliant calumnias,qui etiam Christo falsis testimoniis ea lumniati sunt?In quas non profiliant calumnias homines & circa diuina mendaces? Quos nõ authores seditiones fuisse dicant?Quos non appetant, etiam quos non recognoscant, vt catenatorũ ordines innumeros spectẽt de Christiano populo, vt captiua videant colla plebis fidelis,vt condamtur in tenebras dei seruuli,vt feriantur securibus,dentur ignibus, tradantur metallis,ne pœna cito trãseat? Hunc dabis triumphum Iudæis de ecclesia dei?Hoc trophæum de Christi populo?Hæc gaudia Imperator perfidis?Hanc celebritatem synagogæ? Hoc luctus ecclesiæ ? Refert Iudæorum populus hãc solẽnitatem in dies festos suos,& inter illos profecto numerabit,quibus aut de Amorrhæis,aut de Chananæis triumphauit,aut de Pharaone rege Aegypti, aut de Nabuchodonosor regis Babyloniæ manu liberari potuit. Addet hanc celebritatem significans se de Christi populo triumphum egisse. Et cùm ipsi Romanis legibus teneri se negent, ita vt crimina leges putent,nunc velut Romanis legibus se vindicandos putent?Vbi erant istæ leges cùm incenderent ipsi sacratarum basilicarum culmina?Si Iulianus non est vltus ecclesiam,quia præuaricator erat,tu Imperator vlciscéris synagogæ iniuriam quia Christianus es? Et quid tecum post hac Christus loquetur? Non recordaris quid Dauid sancto per
2.Reg.7. Natham prophetam mandauerit ? Ego te de fratribus tuis minorem elegi,& de priuato Imperatorem feci: ego de fructu seminis tui in sede imperiali locaui. Ego tibi subieci nationes barbaras : ego tibi pacem dedi , ego tibi inimicum tuum in potestatem tuam captiuum deduxi . Frumentum non habebas ad exercitus alimoniam,ipsorum hostium manu patefeci tibi portas, aperui horrea , dederunt tibi hostes tui commeatus suos quos sibi parauerant . Ego perturbaui hostis tui consilia , vt se ipse nudaret . Ego ipsum vsurpatorem imperij ita vinxi,ac mentem eius ligaui,vt cùm haberet adhuc fugiendi copiam,tamen cum omnibus suis tanquam metuens ne quis tibi periret , ipse se clauderet . Ego comitem eius atque exercitum ex altera parte naturæ, quos ante dispersera̅m,ne ad belli societatem coirent,ad supplemẽtum tibi victoriæ congregaui . Egò exercitum tuum ex multis indomitis conueniam nationibus quasi vnius gentis fidem & tranquilitatem & concordiam seruare præcepi. Ego cùm periculum summum esset ne Alpes infida Barbarorum penetrarent consilia,intra ipsum Alpium vallum victoriam tibi contuli,vt sine damno vincerẽs . Ego te triumphare feci de inimico tuo,& tu de plebe mea das meis inimicis triumphum?Nónne propterea Maximus destitutus est, quia ante ipsos expeditionis dies cùm audisset Romæ synagogam incensam, edictum Romam miserat quasi vindex disciplinæ publicæ?Vnde populus Christianus ait:Nihil boni huic imminet. Rex iste Iudæus factus est , defensorem istum disci-
1.Cor.15. plinæ audiuimus.Quẽ mox Christus probauit,qui pro peccatoribus mortuus est.Si de sermone hoc dictum est , quid de vltione dicetur?Ille igitur statim à Francis,& à Saxonum gente,in Sicilia,Siciæ,Petauione, vbique denique terrarum victus est . Quid pio commune cum perfido ? Abolenda cum impio sunt etiam impietatis exempla . Quod illi nocuit,& quo victus offendit,hoc non sequi debet , sed damnare qui vicit.Itaque illa tibi non quasi ingrato recensui,sed quasi iure collata enumeraui,vt his admonitus cui plus collatum est,plus diligas.Denique hoc respondenti Simoni di-
Luc.7. xit dominus Iesus:Recte iudicasti. Statímque conuersus ad mulierem quæ pedes eius vnguento vnxit typum ecclesiæ gerens,ait Simoni:Propter quod dico tibi:Remissa sunt peccata eius multa,quoniam dilexit multum.Cui autem minus dimittitur,minus diligit.Hæc est mulier quę in domum Pharisæi intrauit,& eiecit Iudæum, Christum autem acquisiuit. Ecclesia enim synagogam exclusit.cur iterum tentatur vt apud Christi famulum , hoc est de pectore fidei , de domo Christi synagoga excludat ecclesiam ? Hæc ego Imperator amore & studio tui in hunc sermonem contuli. Debeo enim beneficiis tuis quibus me petente liberasti plurimos de exiliis,de carceribus,de vltimæ necis pœnis , vt malle debeam pro salute tua etiam offensionem tui animi nõ time-

A re.(Nemo maiore fiducia vtitur,quàm qui ex affectu diligit. Nemo certe debet lædere qui sibi consulit) ne tot amorum conceptam cuiuscunque sacerdotij gratiam vno momento amittam.Et tamen non damnum gratiæ deprecor, sed salutis periculum.Quanquam quantum est imperator , vt quærendum aut vindicandum non putes, quod in hunc diẽ nemo quæsiuit,nemo vnquã vindicauit?Graue est fidem tuam pro Iudæis periclitari.Gedeon cùm occidisset sacratum vitulum , dixerunt Gentiles : Dij ipsi iniuriam suam vindicent, Iudic 7.
Quis habet synagogam vindicare?Christus quẽ occiderunt, quem negauerunt?An deus pater vindicabit eos qui nec patrem recipiunt,qui filium non receperunt ? Quis habet Valentinianorũ hæresim vindicare?quam pietas tua quomodo vindicat,cùm eos excludi iusserit,nec cõueniẽdi vsurpare copiam?Si Iosiam tibi obiiciam regem deo probatum , hoc in 4.Reg.22.
istis damnabis quod in illo probatum est . Certe si mihi parum fidei defertur,iube adesse quos putaueris episcopos, tractetur Imperator qui salua fide agi debeat.Si de causis pecu
B niariis comites tuos consulis,quanto magis in causa religionis sacerdotes domini æquum est consulas?Consideret clementia tua quantos insidiatores habeat ecclesia,quantos exploratores:leuẽ rimã si offenderint, figent aculeum.Secundum homines loquor.Cæterum plus hominibus deus timetur,qui etiam imperatoribus iure præfertur.Si amico suo aliquis,si parenti aut propinquo deferendum existimat , rectè ego & deferendum deo,& eum præferendum omnibus iudicaui.Consule tibi Imperator,aut patere me consulere mihi.Quid respondebo postea si compertum fuerit data hinc authoritate aliquos Christianorum aut gladio, aut fustibus, aut plumbis necatos?Quomodo hoc purgabo factum?Quo modo excusabo apud episcopos?Qui nunc quia per triginta & innumeros annos presbyterij quidam gradu functi, vel ministri ecclesiæ retrahuntur à munere sacro,& curiæ deputantur,grauiter gemunt.Nam cùm ij qui vobis militant,certo militiæ tempore seruentur,quanto magis etiam eos consi
derare debetis qui deo militant?Quomodo,inquam,hoc ex
C cusabo apud episcopos qui queruntur de clericis,& impressione graui vastari scribunt ecclesias? Hoc tamẽ in notitiam clemẽtiæ tuæ peruenire volui,de hoc vt placet, arbitrio tuo cõsulere,& temperare dignaberis.Illud autem quod me angit,& iure angit,exclude atque eiice: Ipse facis quicquid fieri iussisti.Aut si ille facturus nõ est,malo te magis esse clemẽtem,quàm illum nõ fecisse quod iussus est. Habes in quibus domini adhuc debes circa imperiũ Romanum inuitare clemẽtiam.Habes quibus amplius quàm tibi speres.Illorũ gratia,illorũ salus te in hoc sermo ne cõueniat meo:ne causam tuam alieno cõmittas iudicio . Integra adhuc tibi sunt omnia.In hoc me ego deo nostro pro te obligo,nec verearis sacramentum.Nunquid deo displicere poterit quod pro eius emendatur honorificẽtia? Nihil mutaueris certe in illa epistola,siue missa,siue nondum missa est,dictari iube aliã,quæ plena fidei,plena pietatis sit.Tibi integrum sit emendare,mihi non est integrum dissimulare.Antiochenis tuam donasti iniuriam,inimici tui filias reuocasti,nutriẽdas apud affinem
D dedisti matri hostis tui,misisti de ærario tuo sumptus . Hæc tanta pietas,tãta erga deũ fides hoc facto obfuscabitur?Tu igitur qui armatis pepercisti hostibus , & seruasti inimicos tuos,ne quæso tanto studio putes vindicandum in Christianos.Nũc Imperator rogo vt nõ aspernanter acceperis me & pro te & pro me timentem.Sancti enim vox est,Vt quid factus sum videre contritionem populi mei,vt offensam incurrã dei?Ego certe quod honorificẽtius fieri potuit,feci, vt me magis audires in regia,ne si necesse esset,audires in ecclesia.

Diui Ambrosii ad Valentinianũ,eundem rogantis atque conuenientis ne ad petitionem Gentilium aras eorum imperatorio decreto instaurari iubeat , ostendentísque ex tali decreto, primum deo,deinde patri & fratri iniurias irrogari,

Epistola XXX.

AMbrosius episcopus beatissimo principi & Christianissimo Imperatori Valentiniano. Cùm omnes homines qui sub ditione Romana sũt,vobis militent

militent Imperatoribus terrarum atque principibus, tum ipsi vos omnipotenti deo & sacræ fidei militatis. Aliter enim salus tuta esse non poterit, nisi vnusquisque deum verum, hoc est deum Christianorum, à quo cuncta reguntur, veraciter colat. Ipse enim solus verus est deus, qui intima
Psalm. 95. mente veneretur, Dij enim gentium dæmonia, sicut scriptura dicit. Huic igitur deo vero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, nõ conniuentiam, sed fidei studium & deuotionis impẽdit. Postremo si non ista, consensum saltem aliquem non debet colendis idolis & prophanis cæremoniarum cultibus exhibere. Nemo enim deum fallit, cui omnia etiam cordis occulta manifesta sunt. Ergo cùm à te Imperator Christianissime fides deo vero sit exhibenda, cùm ipsius fidei studium cautio atque deuotio, miror quomodo aliquibus in spem venerit quòd debeas aras diis gentium tuo instauraret præcepto, ad vsus quoque sacrificiorum prophanorũ præbere sumptum. Quod enim iamdudum vel fisco vel arcæ est vindicatum, de B tuo magis conferre videbere, quàm de suo reddere. Et de dispendiis queruntur qui nunquam nostro sanguini pepercerunt, qui ipsa ecclesiarum ædificia subruerunt. Petunt etiam vt illis priuilegia deferas, qui loquendi & docendi nostris communem vsum Iuliani lege proxima denegarunt: & priuilegia illa quibus sæpe decepti sunt etiam Christiani. Nonnullos enim illis priuilegiis partim par imprudẽtiam, partim propter publicarum necessitatũ molestias declinandas irretire voluerunt, & quia non omnes fortes inueniuntur, etiam sub principibus Christianis plerique sunt lapsi. Sed hæc si iam sublata non essent, auferenda tuo imperio comprobarem. At cùm per totum ferè orbem à pluribus retro principibus inhibita interdictáque sint, Romæ autem à fratre clementiæ tuæ angustæ memoriæ Gratiano fidei veræ ratione sublata sint, & datis antiquata rescriptis: ne quæso vel fideliter statuta conuellas, vel fraterna præcepta rescindas. De negotiis ciuilibus si quid statuitur, nemo putat esse temerandum, & præceptum de religione calcatur? Nul lus obrepat iuniori ætati tuæ: siue ille gentilis est qui ista deposcit, non debet mentem tuam vinculis suæ superstitionis innectere, sed proprio studio docere & admonere te debet quemadmodum veræ fidei studere debeas, quando ille tanto motu veri vana defendit. Deferendum meritis clarorum virorum & ego suadeo, sed deum certum est omnibus præferendum. Si de re militari est consulendum, debet exercitati in præliis viri expectari sententia, consilium comproba ri. Quando de religione tractatus est, deum cogita. Nullius iniuria est, cui deus omnipotens antefertur. Habet ille sententiam suam. Inuitum non cogitis colere quod nolit, hoc idem vobis liceat Imperator, & vnusquisque patienter ferat si non extorqueatur Imperatori quod moleste ferret si ei extorquere cuperet Imperator. Ipsis gentilibus displicere consueuit præuaricantis affectus. Libere enim debet defendere vnusquisque fidele mentis suæ & seruare propositum. Quod si aliqui nomine Christiani tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, no- D mina cassa non fallãt. Quisquis hoc suadet, sacrificat, & quisquis hoc statuit. Tolerabilius tamen est vnius sacrificium, quàm lapsus omnium. Totus hic Christianorum periclitatur senatus. Si hodie gentilis aliquis imperator, quod absit, aram statueret simulacris, & eò conuenire cogeret Christianos, vt sacrificantibus interessent, vt oppleret anhelitus & ora fidelium cinis ex ara, fauilla de sacrilegio, fumus ex busto, & in ea curia sententiam diceret vbi iurati ad aram simulacri in sententiam cogerentur: (propterea enim interpretantur aram locatam, vt eius sacramento, vt ipsi putant, vnusquisque conuentus consuleret in medium, cùm curia maiore iam Christianorum numero sit referta) persecutionem esse crederet Christianus qui cogeretur tali optione ad senatum venire, quod fit plerunque: nam etiam iniuriis conuenire coguntur. Te ergo Imperatore Christiani in aram iurare cogentur? Quid est iurare, nisi eius quem testare fidei tuæ præsulem, diuinam potentiam confiteri? Te Imperatore hoc petitur & postulatur, vt aram iubeas eleuari, sumptum sacrificiis prophanis dari. Sed hoc non potest sine sacrilegio decerni. Vnde rogo te ne id decernas, statuas, vel A in eiusmodi decreta subscribas. Conuenio fidem tuam Christi sacerdos. Omnes conueniremus episcopi, nisi incredibile hoc & repentinum ad aures peruenisset hominum, quod tale aliquid esset vel in consistorio suggestum tuo, vel à senatu petitum: sed absit vt hoc senatus petisse dicatur. Pauci gentiles communi vtuntur nomine. Nam & ante biennium ferme cùm hoc petere tentarent, misit ad me sanctus Damasus Romanæ ecclesiæ sacerdos, iudicio dei electus, libellum quem Christiani senatores dederunt, & quidem innumeri, postulantes nihil se tale mandasse, non congruere gẽtilium istiusmodi petitionibus, non præbere consensum, quæsti etiam publicè priuatímque se non conuenturos ad curiam si tale aliquid decerneretur. Dignum est temporibus vestris, hoc est Christianis temporibus, vt dignitas Christianis senatoribus prophanæ deferatur voluntatis effectus? Hunc libellum ego fratri clementiæ vestræ direxi. Vnde constitit non senatum aliquid de superstitionis impensis mandasse legatis. Sed fortasse dicatur: Cur dudum non interfuerint senatui, cùm ista pererentur? Satis loquuntur quid velint qui non interfuerunt, sa tis locuti sunt, qui apud Imperatorem locuti sunt. Et miramur tamen si priuatis resistendi Romæ eripiunt libertatem qui nolunt esse liberum tibi non iubere quod non probas, non seruare quod nõ sentis. Et ideo memor legationis proxime mandatæ mihi, conuenio iterum fidem tuam, conuenio mentem tuam, ne vel respondendum secundum huiusmodi petitionem gentilium censeas, vel in eiusmodi respo sa sacrilegium subscriptionis adiungas. Certè refer ad parentem pietatis tuæ principem Theodosium, quem super omnibus fere maioribus causis consulere consuesti. Nihil maius est religione, nihil sublimius fide. Si ciuilis causa esset diuersæ parti responsio seruaretur. causa religionis est, episcopus conuenio. Detur mihi exemplum missæ relationis, vt & ego plenius respondeam, & sic de omnibus consultus C clementiæ tuæ parens respondere dignetur. Certe si aliud statuitur, episcopi hoc æquo animo pati & dissimulare non possumus, licebit tibi ad ecclesiam conuenire, sed illic non inuenies sacerdotem, aut inuenies resistentem. Quid respondebis sacerdoti dicenti tibi: Munera tua non quærit ecclesia, quia templa gentilium muneribus adornasti? Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti. Vox enim tua, manus tua: & subscriptio tua, opus est tuum. Obsequium tuum dominus Iesus recusat & respuit, quoniã idolis obsecutus es. Dixit enim tibi: Non potestis duobus Matt. dominis seruire. Priuilegia tua sacratę deo virgines non habent, & vindicant virgines Vestę? Cur sacerdotes dei requiris, quibus petitiones prophanas gentilium prętulisti? Alieni erroris societatem suscipere non possumus. Quid respondebis his verbis, puerum esse te lapsum? Omnis ętas perfecta Christo est. Omnis deo plena pueritia fidei comprobatur. Paruuli etiam Christum intrepido aduersus persecutores ore confessi sunt. Quid respondebis germano tuo? D Nónne tibi dicet: Victum me esse non credidi, quia te Imperatorem reliqui. Mori non dolui, quia te hęredem habebam. Imperio me decedere non ingemui, quia imperia mea, pręsertim de religione diuina, omnibus seculis mansura credebam. Hos ego titulos piæ virtutis erexeram, has de seculo manubias, hęc spolia de diabolo, has ego de aduersario omnium exuuias offerebam, in quibus ęterna victoria est. Quid mihi plus potuit meus hostis auferre? Abrogasti decreta mea: quod adhuc ille qui cõtra me leuauit arma, non fecit. Nunc grauius telum corpore recipio, quòd à fratre mea statuta damnantur. Meliore parte mei apud te periclitor. Illa enim mors corporis, ista virtutis est. Nunc mihi abrogatur imperium, & quod est grauius, abrogatur à tuis, abrogatur à meis, & id abrogatur quod in me etiam mei aduersarij prædicarunt. Si volens acquieuisti, damnasti fidem meam. si inuitus cessisti, prodidisti tuam. Ergo, quod grauius est, & in te periclitor. Quid respondebis etiam patri? qui te maiore dolore conueniet, dicens: De me fili pessime iudicasti, qui putasti quod ego gentilibus conniuentiã præstitissem. Nemo ad me detulit aram esse in illa Romana curia

ria,nunquam tantum nefas credidi, quod in communi illo Christianorum gentiliúmque concilio sacrificarent gẽtiles, hoc est,insultarent gẽtiles præsentibus Christianis,& inuiti Christiani interesse sacrificiis cogerentur. Multa & diuersa crimina me imperatore commissa sunt, vltus sum quæcunque sunt deprehẽsa.si quis tunc latuit,debet ergo dicere me probasse quod ad me nemo detulerat?De me pessime iudica sti,si mihi superstitio aliena,non fides mea seruauit imperiũ. Vnde cùm aduertas Imperator,deo primum,deinde patri & fratri iniurias irrogari si quid tale decernas,peto vt id facias quod saluti tuæ apud deum intelligis profuturum.

Symmachi vrbis præfecti persuadentis ritus veteres circa cultum deorum esse seruandos,ad imperatores relatio.

VBI primum senatus amplissimus, sempérque vester,subiecta legibus vitia cognouit,& à principibus piis vidit purgari famam tẽporum proximorum, boni seculi authoritatem secutus, euomuit diu pressum dolorem,atque iterum me querelarum suarum iussit esse legatũ.Cui ideo diui principis denegata est ab improbis audientia,quia non erat iustitia defutura,domini imperatores Valentiniane, Theodosi, & Arcadi inclyti victores,ac triũphatores semper Augusti. Gemino igitur functus officio,& vt præfectus vester gesta publica prosequor,& vt legatus ciuium mandata commendo.Nulla est hic dissensio volũtatum,quia iam credere homines desierunt, aliquorum ministri regum coguntur se studio præstare si discrepent.Amari,coli,diligi, maius imperio est. Quis ferat obfuisse reipublicæ priuata certamina? Merito illos senatus insequitur, qui potentiam suam famę principis prætulerunt.Noster autem labor pro clemẽtia vestra ducit excubias.Cui enim magis commodat,quòd instituta maiorum,quòd patriæ iura & fata defendimus,quàm temporum gloriæ?Quæ tum maior est,cùm vobis contra morem parentum intelligitis nil licere.Repetimus igitur religionum statum qui reipublicæ diu profuit.Certè numerentur principes vtriusque sectæ,vtriusque sententiæ,proximus eorum ceremonias patrum coluit, recentior non remouit.Si exemplum non facit religio veterum,faciat dissimulatio proximorum.Quis ita familiaris est barbaris,vt aram victoriæ non requirat? Cauti in posterum sumus, & talium rerum ostenta vitamus. Reddatur tamen saltem nomini honor, qui numini denegatus est. Multa victoriæ debet æternitas vestra, & adhuc plura debebit. Auersentur hanc potestatem quibus nihil profuit, vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere.Cunctis potentia ista votiua est,nemo colendam neget quam profitetur optandam.Quod si huius ominis non est etiam iusta vitatio, ornamentis saltem curiæ decuit abstineri. Præstate oro vos, vt ea quę pueri suscepimus,senes posteris relinquamus.Consuetudinis amor magnus est.Merito diui Constantij factum diu non stetit.Omnia vobis exempla vitanda sunt,quæ mox remota didicistis.Æternitatẽ curamus famæ & nominis vestri,ne quid futura ætas inueniat corrigendum.Vbi in leges vestras & verba iurabimus,qua religione mens falsa terrebitur,ne in testimoniis mentiatur? Omnia quidem deo plena sunt, nec vllus perfidis tutus est locus : sed plurimum valet ad metum delinquendi etiam præsentia religionis vrgeri.Illa ara cõcordiam tenet omnium,illa ara fidem conuenit singulorum , neque aliud magis authoritatem facit sententiis nostris,quàm quod omnia quasi iuratus ordo decernit. Patebit ergo sedes prophana periuriis,& hoc inclyti principes mei probabile iudicabũt, qui sacramento publico tuti sunt? Sed diuus Constantius idem fecisse dicitur,cætera potius illius principis æmulemur,qui nihil tale esset aggressus,si quis ante se alius non deuiasset.Corrigit enim sequentem lapsus prioris, & de reprehensione antecedentis exempli nascitur emendatio.Fas fuit vt parens ille clementiæ vestræ in re adhuc noua non caueret inuidiam . Num potest etiam nobis eadem defensio cõuenire si imitemur quod meminimus improbatũ? Accipiat æternitas vestra alia eiusdem principis facta, quæ in vsum dignius trahat. Nil ille decerpsit sacrarum virginũ priuilegiis, repleuit nobilibus sacerdotia, Romanis ceremoniis non negauit impensas,& per omnes vias æternę vrbis lætum secutus senatum,vidit placido ore delubra,legit inscripta fastigiis deũm nomina, percõtatus est templorum origines,miratus est conditores.Cúmque alias religiones ip se sequeretur,has seruauit imperio. Suus enim cuique mos, suus cuiq; ritus est. Varios custodes vrbibus & cultus mens diuina distribuit. Vt animæ nascentibus, ita populis fatales genij diuiduntur.Accedit vtilitas,quæ maxime homini deos asserit.Nã cùm ratio omnis in operto sit,vnde rectius quàm de memoria atque documentis rerum secũdarum cognitio venit numinum? Iam si longa ætas authoritatẽ religionibus faciat,seruanda est tot seculis fides , & sequendi sunt nobis parentes,qui secuti sunt fœliciter suos.Romam nunc putemus assistere, atque his vobiscum agere sermonibus: Optimi principes patres patriæ reueremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, vt vtar ceremoniis auitis. Neq; enim me pœnitet viuere meo more,quia libera sum.Hic cultus in leges meas orbem redegit:hæc sacra Annibalẽ à mœnibus,à capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo seruata sum, vt longęua reprehendar?Videam quod instituendum putatur? Sera tamen & contumelioſa est emendatio senectutis.Ergo diis patriis,diis indigetibus pacem rogamus.Æquũ est, quic quid omnes colunt,vnum putari . Eadem spectamus astra, commune cœlum est,idem nos mundus inuoluit.Quid interest qua quisque prudentia verũ requirat?Vno itinere non potest peruenìri ad tam grande secretum : sed hæc ociosorum disputatio est . Nunc preces non certamina offerimus. Quanto commodo sacri ærarij vestri Vestalium virginum prærogatiua detracta est? Sub largissimis imperatoribus denegatur quod parcissimi pręstiterunt?Honor solus est in illo velut stipendio castitatis.Vt vittæ earum capiti decus faciũt, ita insigne ducitur sacrificij,vacare muneribus.Nudum quo dammodo nomen immunitatis requirunt,quoniam paupertate ac dispendio tutæ sunt.Itaque amplius laudi earum tribuunt,qui aliquid rei detrahunt.Siquidem saluti publicę dicata virginitas crescit merito,cùm caret præmio . Absint ab ærarij vestri puritate ista compendia,fiscus bonorum principum non sacerdotum damnis,sed hostium spoliis augeatur. Vllúmne lucrum compensat inuidia?Et quia auaritia in mores vestros non cadit , hoc miseriores sunt , quibus subsidia vetera decerpta sunt. Etenim sub imperatoribus qui alieno abstinent,qui resistunt cupiditati,ad solam detrahitur amittentis iniuriam,quod desiderium non mouet auferentis. Agros etiam virginibus & ministris deficientium voluntate legatos fiscus retentat . Oro vos iustitiæ sacerdotes , vt vrbis vestræ sacris reddatur priuata successio. Dictent testamenta securi,& sciant sub principibus non auaris stabile esse quod scripserint. Delectet vos ista fœlicitas generis humani. cœpit causæ huius exemplum solicitare morientes . Ergo Romanæ religiones sub Romana iura non pertinẽt?Quod nomen accipiet ablatio facultatum,quas nulla lex,nullus casus fecit caducas?Capiunt legata liberti , seruis testamentorum iusta commoda non negantur, tantum nobiles virgines, & fatalium sacrorum ministri excluduntur prædiis hæreditate quæsitis . Quid iuuat saluti publicæ castum corpus dicare , & imperij æternitatem cœlestibus fulcire præsidiis , armis vestris, aquilis vestris amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia vota suscipere,& ius cum omnibus non habere ? Itaque melior est seruitus quæ hominibus impenditur.Rempublicam lędimus,cui nunquam expedit vt ingrata sit . Nemo me putet solam causam religionum tueri:ex huiusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incõmoda.Honorauerat lex parentum Vestales virgines,ac ministros deorum,victu modico,iustíque priuilegiis.Stetit muneris huius integritas vsque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium baiulorum sacræ castitatis alimenta verterũt.Secuta est hoc factum fames publica,& spem prouinciarum omnium messis ægra decepit.Non sunt hęc vitia terrarum,nihil imputamus astris.Nec rubigo segetibus obfuit, nec auena fruges necauit,sacrilegio annus exaruit . Necesse enim fuit perire omnibus quod religionib⁹ negabatur.Certe si est huius mali aliquod exẽplum, imputemus tantam famem vicibus annorum. Grauis hanc sterilitatem aura con-

 strinxit

ſtrinxit, ſylueſtribus arbuſtis vita producitur, & rurſus ad Dodonæas arbores plebis ruſticæ inopia conuolauit. Quid tale prouinciæ pertulerunt cùm religionũ miniſtros honor publicus paſceret? Quando in vſum hominũ concuſſa quercus, quando vulſæ ſunt herbarum radices, quando alternos regionum defectus deſeruit fœcunditas mutua, cum populo & virginibus ſacris communis eſſet annona? Commendabat enim terrarum prouẽtus victus antiſtitum, & remedium magis, quàm largitas erat. An dubium eſt ſemper pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium vindicauit? Dicet aliquis ſumptum publicum denegatum alienę religionis impendiis. Abſit à bonis principibus iſta ſententia, vt quod olim de cõmuni quibuſdam tributum eſt, in iure fiſci eſſe videatur. Nam cùm reſpublica de ſingulis conſtet: quod ab ea proficiſcitur, fit rurſus proprium ſingulorum. Omnia regitis, ſed ſuum cuique ſeruatis, plúſque apud vos iuſtitia quàm licentia valet. Conſulite certe munificẽtiam veſtram, an hęc publica velit exiſtimari quæ in alios tranſtuliſtis? Semel honori vrbis delata compendia deſinunt eſſe tribuentium: & quod à principio beneficium fuit, vſu atque ætate fit debitum. Inanem igitur metum diuino animo veſtro tentat incutere ſi quis aſſerit conſcientiam vos habere præbentium, niſi detrahentium ſubieritis inuidiam. Faueant clementię veſtræ ſectarum omnium arcana præſidia: & hæc maxime quæ maiores veſtros aliquando iuuerunt, vos defendant, à nobis colantur. Eum religionum ſtatum petimus, qui diuo parenti culminis veſtri ſeruauit imperium, qui Fortunato principi legitimos ſuffecit hæredes. Spectat ſenior ille diuus ex arce ſyderea lachrymas ſacerdotum, & ſe culpatum putat more violato, quem libenter ipſe ſeruabat. Præſtate etiam diuo fratri veſtro alieni cõſilij correctionem, tegite factum quod ſenatui diſplicuiſſe neſciuit. Siquidem conſtat ideo excluſam legationem, ne ad eum iudicium publicum peruenire. Pro æſtimatione eſt temporum ſuperiorum, vt non dubitetis abolere quod probandum eſt principis non fuiſſe.

Diui Ambroſii ad Valentinianum imperatorem, relationi Symmachi reſpondentis, aptiſſimiſque confutationibus eam refellentis. *Epiſtola XXXI.*

AMbroſius epiſcopus beatiſſimo principi, & clementiſſimo imperatori Valentiniano Auguſto. Cùm vir clariſſimus præfectus vrbis Symmachus ad clementiam tuam retuliſſet, vt ara quæ de vrbis Romæ curia ſublata fuerat, redderetur loco, & tu Imperator, licet adhuc in minoris æui tyrocinio florentibus nouus annis, fidei tamen virtute veteranus obſecrata gentilium non probares, eodem quo comperi puncto libellum obtuli, quo licet comprehẽderim quæ ſuggeſtioni neceſſaria viderentur, popoſci tamen exemplum mihi relationis dari. Itaque nõ fidei tuæ ambiguus, ſed prouidus cautionis, & pij certus examinis hoc ſermone relationis aſſertioni reſpondeo, hoc vnum petens, vt non verborum elegantiam, ſed vim rerum expectandam putes. Aurea enim (ſicut ſcriptura diuina docet) eſt lingua ſapientium literatorum, quæ phaleratis dotata ſermonibus, & quodam ſplendentis eloquij velut coloris precioſi coruſco reſultans, capit animorum oculos ſpecie formoſi, viſúque perſtringit. Sed aurum ſi diligentius manu tractes, foris precium, intus metallum eſt. Volue quæſo, atque excute ſectam gentilium, precioſa & grandia ſonant, veri effœta defendunt. Deum loquuntur, ſimulacrum adorãt. Tria igitur in relatione ſua vir clariſſimus præfectus vrbis propoſuit quæ valida putauit. Quòd Roma veteres, vt ait, ſuos cultus requirat. Et quod ſacerdotibus ſuis virginibúſque Veſtalibus emolumenta tribuenda ſint. Et quod emolumentis ſacerdotum negatis fames ſecuta publica ſit. in prima propoſitione, flebili Roma queſtu ſermonis illachrymat, veteres, vt ait, cultus ceremoniarum requirẽs. Hæc ſacra, inquit, Annibalem à mœnibus, à capitolio Senonas repulerunt. Itaque dum ſacrorũ potentia prædicatur, infirmitas proditur. Ergo Annibal diu ſacris inſultauit Romanis, & diis contra ſe dimicantibus vſque ad muros vrbis vincendo peruenit. Cur ſe obſideri paſſi ſunt, pro quibus deorum ſuorum arma pugnabant? Nam de Senonibus quid loquar, quos capitolij ſecreta penetrantes Romanæ reliquiæ non tuliſſent, niſi eos pauido anſer ſtrepitu prodidiſſet? En quales templa Romana præſules habent. Vbi tunc erat Iupiter? An in anſere loquebatur? Verum quid negem ſacrorum ritus militaſſe Romanis? Sed etiam Annibal eoſdem deos colebat. Vtrum volunt igitur eligant. Si in Romanis vicerunt ſacra, in Carthaginenſibus ergo ſuperata ſunt: ſi in Carthaginenſibus triumphata, nec Romanis vtique profuerunt. Faceſſat igitur inuidioſa illa populi Romani querela. Non hæc Roma mandauit. Aliis illa eos interpellat vocibus. Quid me caſſo quotidie gregis innoxij ſanguine cruẽtatis? Non in fibris pecudum, ſed in viribus bellatorum trophęa victorię ſunt. Aliis ego diſciplinis orbem ſubegi. Mi litabat Camillus qui ſublata capitolio ſigna, cæſis Tarpeiæ rupis triumphatoribus reportauit, ſtrauit virtus quos religio non remouit. Quid de Attilio loquar, qui militiã etiam mortis impendit? Africanus non inter capitolij aras, ſed inter Annibalis acies triumphum inuenit. Quid mihi veterum exempla profertis? Odiritus Neronum. Quid dicam bimeſtres imperatores, & terminos regum cum exordiis copulatos? Aut forte illud eſt nouum, Barbaros ſuis exceſſiſſe finibus? Nunquid etiam illi Chriſtiani fuerunt, quotum miſerabili nouóque exemplo alter captiuus Imperator, ſub altero captiuus orbis fefelliſſe quæ victoriam promittebant, ſuas ceremonias prodiderunt? Nunquid & tunc non erat ara Victoriæ? Pœnitet lapſus, & vetuſta canicies pudendi ſanguinis traxit ruborem. Non erubeſco cum toto orbe longæua conuerti, verum certe eſt quia nulla ætas ad perdiſcendum ſera eſt. Erubeſcat ſenectus quæ emendare ſe non poteſt. Non annorum canicies eſt laudanda, ſed morum, nullus pudor eſt ad meliora tranſire. Hoc ſolum habebam commune cum barbaris, quia deum antea neſciebam. Sacrificium veſtrum ritus eſt beſtiarum cruore reſpergi. Quid in mortuis pecudibus quæritis dei voces? Venite & diſcite in terris cœleſtẽ militiam. Hic viuimus, & illic militamus. Cœli myſterium doceat me deus ipſe qui condidit, non homo qui ſeipſum ignorauit. Cui magis de deo quàm deo credam? Quomodo poſſum vobis credere qui fatemini vos ignorare quod colitis? Vno, inquit, itinere non poteſt perueniri ad tam grande ſecretum. Quod vos ignoratis, id nos dei voce cognouimus. Et quod vos ſuſpicionibus quæritis, nos ex ipſa ſapientia dei & veritate compertum habemus. Non congruunt igitur veſtra nobiſcum. Vos pacem diis veſtris ab imperatoribus obſecratis, nos ipſis imperatoribus à Chriſto pacem rogamus. Vos manuum veſtrarum adoratis opera, nos iniuriam ducimus, omne quod fieri poteſt, deum putari. Non vult ſe deus in lapidibus coli. Denique etiam ipſi philoſophi veſtri iſtari ſerunt. Quod ſi vos ideo Chriſtum deum negatis, quia illum mortuũ eſſe non creditis: (neſcitis enim quod mors illa carnis fuerit, non diuinitatis, quæ fecit vt credentium iam nemo moriatur) quid vobis imprudentius, qui contumelioſè colitis, & honorificè derogatis? Veſtrũ enim deum lignum putatis. O contumelioſa reuerentia, Chriſtum mori potuiſſe non creditis? O honorifica peruicacia. Sed vetera, inquit, reddenda ſunt altaria ſimulacris, ornamenta delubris. Repoſcantur hæc à conſorte ſuperſtitionis. Chriſtianus imperator aram ſolius Chriſti didicit honorare. Quid manus pias & ora fidelia miniſterium ſuis cogunt ſacrilegiis exhibere? Vox imperatoris noſtri Chriſtum reſultet, & illum ſolum quem ſentit loquatur, quia cor regis in manu dei. Nunquid Imperator gentilis aram Chriſto leuauit? Dum ea quæ fuerunt repoſcunt, exemplo ſui admonent quãtum Chriſtiani imperatores religioni quem ſequuntur debeant deferre reuerentiæ, quando gentiles ſuperſtitionibus ſuis omnia detulerunt. Dum cœpimus, etiam ſequamur. Nos ſanguine gloriamur, illos diſpendium mouet. Nos hæc victoriæ loco ducimus, illi iniuriam putant. Nunquã nobis amplius contulerunt, quàm cùm verberari Chriſtianos atque proſcribi ac necari iuberent. Præmium fecit religio, quod perhidia putabat eſſe ſupplicium. Videte magnanimos: per iniurias, per inopiam, per ſupplicium nos credimus, illi ceremonias ſuas ſine queſtu manere poſſe non credunt. Habeant, inquit, Veſtales virgines immunitatem ſuam. Dicant hoc qui neſciunt credere

dere quod posset esse gratuita virginitas, prouocent lucris qui diffidunt virtutibus. Quot tamen illis virgines præmia promissa fecerunt? Vix septem Vestales capiũtur puellæ. En totus numerus quem infulę vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticæ ministrorum circũfusa comitatu, priuilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coegerunt. Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen, vsui nobile castitatis non exquisita sed abdicata lenocinia pulchritudinis: nõ illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed vsus ieiuniorum: non priuilegia, non lucra: omnia postremo talia, vt reuocari studia putes, dum exercentur officia. Sed dum exercetur officium, studium prouocatur, suis castitas cumulatur dispẽdiis. Non est virginitas quæ precio emitur, non virtutis studio possidetur. Non est integritas quæcunque tanquam in auctione nummario ad tempus solicitatur cõpendio. Prima castitatis victoria est facultatum cupiditates vincere, quia lucri studium tentamentum pudoris est. Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda virginibus, quæ Christianis munera redundabunt, quod tantas opes sufficiet ærarium? Aut si arbitrantur solis Vestali bus conferendum, non pudet vt qui totum sibi sub imperatoribus gentilibus vindicarunt, iidem sub principibus Christianis non putent nobis sortem debere esse cõmunem? Sacerdotibus quoque suis & ministris quæruntur alimenta publica non præberi. Quantus hinc verborum tumultus increpuit? At contra nobis etiam priuatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegãtur, & nemo cõqueritur. Non enim putamus iniuriam, quia dispendium non dolemus. Si priuilegium quærat sacerdos, vt onus curiale declinet, patria atque auita & omnium facultatũ possessione cedendum est. Quomodo hanc gentiles si haberent ingrauarent querelam, quod sacerdos ferias ministerij sui emat totius patrimonij sui damno, & priuatus vniuersę commoditatis dispendio vsum publici mercetur obsequij, prætendens communis salutis excubias, domesticæ inopiæ se mercede solatur, quia ministerium non vendidit, sed gratiam comparauit. Confer te causas. Vos excusare vultis decurionem, cum ecclesiæ excusare non liceat sacerdotem. Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur prophanus, nullus vltimę conditionis, nullus prodigus verecundiæ: soli ex omnibus clerico commune ius clauditur, à quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium cõmune defertur: nulla legata vel grauium viduarum, nulla donatio. Et vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præscribitur. Quod sacerdotibus phani legauerit Christiana vidua, valet: quod ministris dei, non valet. Quod ego non vt querar, sed vt sciant quid non querar, comprehendi. Malo enim vos pecunia minores esse, quàm gratia. Sed referunt ea quæ vel donata vel relicta sunt ecclesiæ, non esse temerata. Dicãt & ipsi quis templis dona detraxerit, quod factum est Christianis. Quę si facta essent gẽtilibus, redderetur potius quàm inferretur iniuria. Nunccine demum iustitia prætenditur, æquitas postulatur? Vbi tunc erat ista sententia, cùm direptis Christianorum omnium facultatibus, ipsos vitales anhelitus spiritus inuiderent. & nullis vsquam negata defunctis inhiberent supremæ commercia sepulturæ? Quos gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei ista victoria est: quod & ipsi iam facta maiorum carpunt suorum: sed quæ melioratio, vt eorum munera petãt, quorum gesta condemnant? Nemo tamen donaria delubris, & legata aruspicibus denegauit: sola sublata sunt prædia, quia non religiose vtebantur iis quæ religionis iure defenderent. Qui nostro vtuntur exemplo, cur non vtebantur officio? Nihil ecclesia sibi nisi fidem possidet. Hos reditus præbet, hos fructus. Possessio ecclesiæ sumptus est egenorum. Numerent quos redemerint templa captiuos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus viuendi subsidia ministrauerint. Prædia igitur intercepta, non iura sunt. En quod factum, quod triste piare nefas: fames, vt aiunt, publica vindicauit, quia vsui omnium proficere cœpit quod proficiebat commodis sacerdotum. Propterea ergo detractis, vt aiunt, arbusta exuta

A corticibus succo miserabili deficiẽtium ora lambebant. Propterea Chaoniam frugem glande mutantes rursus in pecudum pastus, & ad infœlicis victus alimenta reuocati, concussa quercu famem in syluis miseram solabantur. Noua videlicet prodigia terrarum quæ nunquam ante acciderant, cùm superstitio gentilis toto orbe ferueret. Reuera quando antè vacuis auenis seges fallax auari vota lusit agricolæ, & spem rusticæ plebis quæsita sulcis frugis herba destituit. Et vnde Græcis oracula habitæ suæ quercus, nisi quia remediũ sylueſtris alimoniæ cœlestis religionis donum putarunt? Talia enim suorum munera credunt deorum. Quis Dodonæas arbores nisi gentium populus adorauit, cùm pabulum triste sacri nemoris honore donaret? Non est verisimile quod indignantes eorum dij id pro pœna intulerunt, quod solebant placati conferre pro munere. Quæ autem æquitas, vt paucis sacerdotibus dolentes victum negatum, ipsi omnibus denegarẽt, cum inclemẽtior esset vindicta quàm culpa? Non est igitur idonea quæ tantam ægritudinem mundi fallentis causa constrinxerit, vt virentibus segetibus subita spes B anni adulta moreretur. Et certe ante plurimos annos templorum iura toto orbe sublata sunt. Modo ne demum diis gentilium venit in mentem suas iniurias vltum ire? Propterea, nec assueto cursu Nilus intumuit, vt vrbicorum sacerdotum dispendia vindicaret, qui non vindicauit suorum? Esto tamen si superiore anno deorum suorum iniurias vindicatas putant, cur præsenti anno contemptui fuere? Iam enim nec herbarum vulsis radicibus rusticana plebs pascitur, nec baccæ sylueſtris explorat solatia, nec cibum de sentibus rapit, sed operum læta fœlicium dum messes suas & ipsa miratur, expleuit voti satietate ieiunium, vsurarios nobis reddidit terra prouentus. Quis ergo tam nouus humanis vsibus, vt vices stupeat annorum? & tamen etiam superiore anno pleraſque nouimus prouincias redundasse frugibus. De Galliis C quid loquar solito ditioribus? Frumentum Pannoniæ quod non seuerant vendiderunt, & fœcunda Rhetia fertilitatis suæ nouit inuidiam. Nam quę solebat tutior esse ieiunio, fœcunditate hostem in se excitauit. Liguriam Venetiasque autumni frumẽta pauerunt. Ergo nec ille sacrilegio annus exaruit, & iste fidei fructibus annus efloruit. Negent etiã quod largo fœtu vineæ redundauerint. Itaque & messem fœneratam recepimus, & liberalioris vindemiæ beneficia possidemus. Postremus supereſt & maximus locus, vtrum ea quæ vobis profuerint imperatores restituere subsidia debeatis. Ait enim, vos defendant, à nobis colantur. Hoc est fidelissimi principes quod ferre non possumus, quia exprobrant nobis vestro se nomine diis suis supplicare, & vobis non mandantibus sacrilegium immane committũt, dissimulationem pro consensu interpretantes, Sibi habeant præsidia sua, suos si possunt, illa defendant. Nam si iis à quibus coluntur, auxilio esse non possunt, quomodo possunt vos defendere, à quibus non coluntur? Sed maiorum, inquit, seruandus est ritus. D Quid quòd omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse qui vel primum coactis elementorum per inane seminibus tenero orbe concreuerat, vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore, nónne postea distincto cœli, maris, terrarúmque discrimine, rerum formas quibus speciosus videtur, accepit? Exutæ humentibus tenebris nouum terræ stupuere solem. Dies in exordio non refulget, sed in processu temporis incremẽto luminis micat, & caloris exęstuat. Luna ipsa quæ propheticis oraculis species ecclesiæ figuratur, cùm primum resurgens in menstruas reparatur ætates, tenebris noctis absconditur, paulatímque cornua sua complens, vel è regione solis absoluens, clari splendore fulgoris irrutilat. Exerceri in fructus terræ ante nescíebant, post vbi imperare aruis solicitus cœpit agricola, & informe solum vestire vinetis, sylueſtres animos domesticis mollitæ cultibus exuerunt. Anni ipsius ætas prima, quæ nos vsu parili colorauit, nutu gignentium: sed in processu lapsuris floribus vernat, postremis adolescit fructibus. Nos quoque æui rudes sensus habemus infantiæ, sed mutari in annos ingenij erudimenta deponimus. Dicant igitur in suis omnia manere debuisse principiis, mundum tenebris obductum, quia splendore solis illuxerit, displicere. Et quanto gratius est animi te-

nebras depulisse quàm corporis, fideique iubar emicuisse quàm solis? Ergo & mundi sicut omnium rerum, primæua viam mutarunt, vt venerabilis canæ fidei sequeretur senectus. Quos hoc mouet, reprehendant messem, quia sera fœcunditas est: reprehendant vindemiam, quia in occasu anni est: reprehendant oliuam, quia postremus est fructus. Ergo & messis nostra fides animarum est, ecclesiæ gratia, meritorum vindemia est, quæ ab ortu mundi virebat in sanctis, sed postrema ætate se diffudit in populos, vt aduerterent omnes non rudibus animis irrepsisse fidem Christi. Nulla enim sine aduersario corona victoriæ: sed exposa ea opinione quæ ante conualuit, id quod erat verum, iure prælatum. Si ritus veteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma successit? Omitto absconditam precio humum, & pastorales casas auro degeneri renitentes. Quid (vt de ipso respondeam quod quæruntur) captarum simulacra vrbium, victósque deos, & peregrinos ritus sacrorum, alienæ superstitionis æmuli receperunt? Vnde igitur exemplum quod currus suos simulato Almonis in flumine lauat Cybele? Vnde Phrygij vates, & semper intuisa Romanis non æquæ Carthaginis numina? Quam cœlestem Aphri, Mitram Persæ, plerique Venerem colunt, pro diuersitate nominis, non pro numinis varietate. Sic deam esse & Victoriam crediderunt, quæ vtique munus est, non potestas: donatur, nō dominatur, legionum gratia, non religionum potentia. Magna igitur dea, quam militum multitudo sibi vindicat, vel præliorum donat euentus. Huius aram strui in vrbis Romæ curia petunt, hoc est, quò plures conueniunt Christiani. Omnibus in templis arę, ara etiam in templo victoriarum, quando numero delectantur, sacrificia sua vbique concelebrant. Quid est nisi insultare fidei, vnius aræ sacrificium vindicare? Ferendúmne istud, vt gētilis sacrificet, & Christianus intersit? Hauriant omnes, inquit, hauriant vel inuiti fumum oculis, symphoniam auribus, cinerem faucibus, thus naribus, & auersantium licet ora excitata focis nostris fauilla respergat. Non illis satis sunt lauacra, non porticus, non plateæ occupatæ simulacris. Etiámne in communi illo concilio non erit communis conditio? Obstringetur pia senatus portio obtestantium vocibus, adiurantium sacramentis? Si refutet, videbitur mendacium prodere: si acquiescat, sacrilegium confiteri. Vbi, inquit, in leges vestras & verba iurabimus? Ergo mensuram quæ legibus tenetur inclusa, ceremoniis gētium suffragium colligit, fidem stringit iam non solum præsentium, sed absentium etiam? Et quod est amplius, imperatores, fides vestra pulsatur. Vos enim cogitis si iubetis. Cōstantius Augustæ memorię nondum sacris initiatus mysteriis contaminari se putauit si aram illam videret. Iussit auferri, non iussit reponi. Illud authoritatem facti habet, hoc præcepti non habet. Nemo sibi de absentia blandiatur, præsentior est qui se animis inserit quàm qui oculis protestatur. Plus enim est mente connecti, quàm corpore copulari. Vos senatus cogendi consilij præsules habet, vobis coit, vobis conscientiam suam, non diis gentium præstat, vos liberis suis non tamen fidei suæ præfert. Hæc est charitas expetenda, hæc est charitas maior imperio, si fides tuta sit, quæ seruat imperium. Sed fortasse aliquem moueat ita fidelissimū principem destitutum: proinde quasi meritorum precium caducis æstimetur præsentium. Quis enim sapiens non in orbe quodam atque circuitu locata humanarum rerum nouit negocia, quia non eosdem semper successus habent, sed variant status, & mutant vices? Quem beatiorem Cneo Pompeio Romana templa miserunt? At is cùm tribus triumphis terrarum cinxisset orbem, pulsus acie, bello profugus, & sui terminis exul imperij, Canopei manu spadonis occubuit. Quem nobiliorem Cyro Persarum totius Orientis terræ regem dederunt? Is quoque cùm principes potentissimos aduersantes vicisset, victos reseruasset, muliebribus armis fusus interiit. Et ille rex qui superatos etiam consessus honore donauerat, exectò capite, & intra vtrem plenum cruoris satiari iussus incluso, fœmineis imperiis ludibrio fuit. Adeo in istius vitæ curriculo non paria paribus, sed longè diuersa referuntur. Quem etiam magis sacrificiis deditum quàm Carthaginensium ducem Hamilcarem reperimus? qui cùm toto prælij tempore inter acies positus dimicāres sacrificium faceret, vbi partem suorum victam esse cognouit, in ipsos quos adolebat se præcipitauit ignes, vt eos vel cruore suo restingueret, quos sibi nihil profuisse cognouerat. Nam de Iuliano * quid loquar? qui cùm responsis aruspicum male credulus esset, ademit sibi subsidia reuertendi. Ergo in communi casu non est communis offensa. Neminem etenim promissa nostra luserunt. Respondi lacessentibus tanquam non lacessitus. Refellendæ etenim relationis, non exponendæ superstitionis mihi studium fuit. Te tamen Imperator ipsa eorum relatio faciat cautiorem. Nam cùm de superioribus principibus texuisset, quia prior eorum numerus ceremonias patrum coluit, recentior non remouit, ad didisset etiam, si exemplum religio veterum non facit, faciat dissimulatio proximorum: euidenter docuit quod & fidei tuæ debeas, vt gentilitij ritus non sequaris exemplum: & pietati, vt fratris statuta non violes. Si enim pro suis dūtaxat partibus eorum dissimulationem principum prædicarunt, qui cùm essent Christiani, decreta tamen gentilium minimè remouerunt, quanto magis amori debent deferre fraterno, vt qui dissimulare deberes, etiamsi quid forsitan non probares, ne fraternis derogares statutis, & nunc teneas quod & fidei tuæ, & germanitatis necessitudini iudicas conuenire.

* Iulian.

Diui Ambrosii ad Valentinianum Imperatorem, recusantis certare cum Auxentio Arriano in consistorio imperatore iudicaturo, ex eo quòd in causa fidei episcopi de laicis in ecclesia, & non laici de episcopis in consistorio debeant iudicare. Epistola XXXII.

CLementissimo imperatori & beatissimo Augusto Valentiniano Ambrosius episcopus. Dalmatius me tribunus & notarius mandato, vt allegauit, clementiæ conuenit tuæ, postulans vt & ipse iudices eligerem, sicut elegisset Auxentius. Nec tamen expressit eorum nomina qui fuerant postulati, sed id addidit quod in consistorio esset futura certatio arbitro pietatis iudicio tuæ. Cui rei respondeo, vt arbitror, cōpetenter. Nec quisquam contumacē iudicare me debet, cùm hoc asseram quod Augustæ memoriæ pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei vel ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere imparsit, nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt: hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare. Quinetiam si aliàs quoque argueretur episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad episcopale iudicium pertinere. Quis igitur contumaciter respondit clementiæ tuæ? Ille qui te patri similē esse desiderat, an qui vult esse dissimilem? Nisi forte vilis quibusdā tanti imperatoris existimatur sententia, cuius & fides confessionis constantia comprobata est, & sapientia melioratæ reipublicę profectibus prædicatur. Quando audisti clementissime Imperator in causa fidei laicos de episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curamur, vt sacerdotalis iuris simus immemores, & quod deus donauit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum? Si docendus est episcopus à laico quid sequatur, laicus ergo disputet, & episcopus audiat, episcopus discat à laico. At certe si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa inquā, fidei episcopos solere de imperatoribus Christianis, non imperatores de episcopis iudicare? Eris deo fauente etiam senectutis maturitate prouectior, & tunc de hoc censebis qualis ille episcopus sit qui laicis ius sacerdotale substernit. Pater tuus deo fauēte vir maturioris æui dicebat, Nō est meum iudicare inter episcopos. Tua nunc dicit clementia, Ego debeo iudicare? Et ille baptizatus in Christo inhabilem se ponderi tanti putabat esse iudicij: clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis sacramenta seruantur, arrogat de fide iudicium, cùm fidei ipsius sacramenta non nouerit? Quales autem elegerit iudices, possumus existimationi relinquere, quando eorum nomina timet prodere. Veniant planè si qui sunt ad ecclesiam, audiant cum populo, non vt quisquam iudex resideat, sed vnusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Agitur de istius ecclesiæ sacerdote: si au-

ſi audierit illũ populus, & putauerit melius diſputare, ſequatur fidem eius: non inuidebo. Omitto quia iam ipſe populus iudicauit: taceo quia eum quem habet, de patre tuæ clementiæ poſtulauit: taceo quia pater pietatis tuæ quietẽ futuram ſpopondit ſi electus ſuſciperet ſacerdotium. Hanc fidem ſecutus ſum promiſſorum. Quod ſi de aliquorum peregrinorum aſſentatione ſe iactat, ibi ſit epiſcopus, vnde ſunt ij qui eum epiſcopatus putant nomine eſſe donandum. Nam ego nec epiſcopum noui, nec vnde ſit ſcio. Vbi illud cõſtituimus Imperator, quod iam ipſe tuum iudicium declaraſti, imò etiam dediſti leges, ne cui eſſet liberum aliud iudicare? Quod cùm præſcripſiſti aliis, præſcripſiſti & tibi. Leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat. Viſne igitur experiar, vt incipiant ij qui iudices eliguntur, aut aduerſus tuam venire ſententiam, aut certe excuſare quod Imperatoris tam ſeuero, & tam diſtricto imperio non potuerint obuiare? Sed hoc contumacis non modeſti eſt ſacerdotis. Ecce Imperator legem tuam iam ex parte reſcindis, ſed vtinam non ex parte, ſed in vniuerſum. Legem enim tuam nollem eſſe ſupra dei legẽ. Dei lex nos docuit quid ſequamur: humanæ leges hoc docere non poſſunt. Extorquere ſolent timidis commutationem, fidẽ inſpirare non poſſunt. Quis erit igitur ille qui cùm legat per tot prouincias vno momento eſſe mãdatum vt qui cunque obuiauerit Imperatori, feriatur gladio: quicunque dei templum non tradiderit, protinus occidatur. Quis, inquam, eſt qui poſſit vel vnus, vel inter paucos dicere Imperatori: Lex tua mihi nõ probatur? Non permittitur hoc dicere ſacerdotibus, permittitur laicis? Et iudicabit de fide, qui aut gratiam ſperat, aut metuit offenſam? Deinde ipſe committam vt eligam iudices laicos, qui cùm tenuerint fidei veritatem, aut proſcribantur, aut necentur, quod lex de fide lata decernit? Ego igitur aut præuaricationi offeram homines, aut pœnæ? Non tanti eſt Ambroſius, vt propter ſe deiiciat ſacerdotium. Non tanti eſt vnius vita, quanti eſt dignitas omnium ſacerdotum, quorum de conſilio iſta dictaui, intimantibus ne forte etiam gentilis eſſet aliquis aut Iudæus qui ab Auxentio eſſet electus, quibus traderemus de Chriſto trium phum, ſi de Chriſto iudicium committeremus. Quid illos aliud niſi Chriſti iniuriam audire delectat? Quid illis aliud poteſt placere, niſi (quod abſit) vt Chriſti diuinitas denegetur? Cum iis plane bene conuenit Arriano, qui creaturam Chriſtum dicit, quod etiam Gentiles ac Iudæi promptiſſimè confitentur. Hoc ſcriptum eſt in Ariminenſi ſynodo: meritóque
Rom. 8. concilium illud exhorreo, ſequens tractatum concilij Niceni, à quo me nec mors nec gladius poterit ſeparare. Quam fidem etiam parens clementiæ tuæ Theodoſius beatiſſimus Imperator & ſequitur, & probauit. Hanc fidẽ Galliæ tenent, hanc Hiſpaniæ, & cum pia diuini ſpiritus confeſſione cuſtodiunt. Si tractandum eſt, tractare in eccleſia didici: quod maiores fecerunt mei. Si conferendum de fide, ſacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino Auguſtæ memoriæ principe, qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit iudicium ſacerdotibus. Factum eſt etiam ſub Conſtantio Auguſtæ memoriæ Imperatore paternæ dignitatis hęrede. Sed quod bene cœpit, aliter conſummatum eſt. Nam epiſcopi ſincerã primo ſcripſerant fidem: ſed dum volunt quidam de fide intra palatium iudicare, id egerunt, vt circunſcriptionibus illa epiſcoporum iudicia mutarentur. Qui tamen inflexam ſtatim reuocauere ſententiã. Et certe maior numerus Arimini Niceni concilij fidem probauit, Arriana decreta damnauit. Si ad ſynodum prouocat Auxẽtius, vt de fide diſputet: licet non ſit neceſſe propter vnum tot epiſcopos fatigari, qui etiam ſi angelus de cœlo eſſet, paci eccleſiarum non deberet præferri: cùm audiero ſynodum congregari, & ipſe non deero. Tolle igitur legem, ſi vis eſſe certamen. Veniſſem Imperator ad conſiſtorium clementiæ tuæ vt hæc coram ſuggererem, ſi me vel epiſcopi vel populus permiſiſſent, dicentes de fide in eccleſia coram populo debere tractari. Atque vtinam Imperator non denũciaſſes vt quò vellem pergerem. Quotidie prodibã, nemo me aſſeruabat. Debuiſti me quò volueras deſtinare, quem ipſe omnibus offerebam. Nunc mihi à ſacerdotibus dicitur, Non multum intereſt vtrum volens relinquas, an tradas altare Chriſti. Cùm

A enim reliqueris, trades. Atque vtinam liquido mihi pateret quod Arrianis eccleſia minime traderetur: ſponte me offerrem tuæ pietatis arbitrio. Sed ſi ego ſolus interſtrepo, cur etiam de aliis omnibus inuadendis eccleſiis eſt præceptum? Vtinam confirmetur vt eccleſiis nullus moleſtus ſit, opto vt de me, qualis videtur, ſententia proferatur. Dignanter igitur Imperator accipe quod ad conſiſtorium venire non potui. Ego in conſiſtorio niſi pro te ſtare non didici, & intra palatium certare non poſſum, qui palatij ſecreta nec quæro, nec noui. Ego Ambroſius epiſcopus hunc libellum obtuli clemẽtiſſimo Imperatori, & beatiſſimo Auguſto Valẽtiniano.

Diui Ambroſii in Auxentium de baſilicis tradendis inuehentis, ſuóſque ad conſtantiam atque tolerantiam exhortantis, oratio.

VIdeo vos præter ſolitum ſubitó eſſe turbatos, atq; aſſeruantes mei. Miror quid hoc ſit, niſi forte quia per tribunos me vidiſtis aut audiſtis Imperiali mã
B dato eſſe conuentum vt quo vellem abirem hinc, & ſi qui vellent, ſequendi poteſtatem haberent. Metuiſtis ergo ne eccleſiam deſererem, & dum ſaluti meæ timeo, vos relinquerem? Sed quid & ipſe mandauerim, potuiſtis aduertere, deſerendæ eccleſiæ mihi voluntatem ſubeſſe non poſſe, quia plus dominum mũdi quàm ſeculi huius Imperatorem timerẽ. Sane ſi me vis aliqua abduceret ab eccleſia, carnem meam exturbari poſſe non mentem. Paratum me eſſe vt ſi ille faceret quod ſolet eſſe regiæ poteſtatis, ego ſubirem quod ſacerdotis eſſe conſueuit. Quid ergo turbamini? Volens nunquam ius deſeram, coactus repugnare non noui. Dolere potero, potero flere, potero gemere. aduerſus arma, milites, Gotthos quoque, lachrymæ meæ arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt ſacerdotis. Aliter nec debeo nec poſſum reſiſtere. Fugere autem & relinquere eccleſiã non ſoleo, ne quis grauioris pœnæ metu factum interpretetur. Scitis & vos ipſi quòd imperatoribus ſoleam deferre, non cedere, ſuppli-
C ciis me libenter offerre, nec metuere quæ parantur. Vtinam eſſem ſecurus quod eccleſia hęreticis minimè traderetur: ad palatium Imperatoris irem libenter, ſi hoc congrueret ſacerdotis officio, vt in palatio magis certarem quàm in eccleſia. Sed in conſiſtorio non reus ſolet Chriſtus eſſe, ſed iudex. Cauſam fidei in eccleſia agendam quis abnuat? Si quis confidit, huc veniat. inclinatum iam vel Imperatoris iudicium, quod lata lege patefecit, quo impugnat fidẽ: vel ſperata ambientium quorundam ſtudia non requirat. Non committo vt quiſquam vendat iniuriam Chriſti. Circunfuſi milites, armorum crepitus, quibus vallata eſt eccleſia, fidem non terrent meam, ſed mentem exagitant, ne dum me tenetis, perniciоſum aliquid veſtræ oboriatur ſaluti. Ego enim iam didici non timere, ſed vobis timere plus cœpi. Sinite quæſo veſtrũ ſacerdotem congredi, habemus aduerſarium qui laceſſit.
D Aduerſarius enim noſter diabolus ſicut leo rugiens circuit 1. Petr. 5.
quærens quem deuoret, vt Apoſtolus dixit. Accepit ſine dubio, accepit (non fallimur, ſed admonemur) tentandi huiuſmodi poteſtatem, ne forte corporis mei vulneribus poſſim à fidei intentione reuocari. Legitis & vos quia multis aliis
tentauit ſanctum Iob diabolus: ad poſtremum poteſtatem Iob 1. & 2.
huiuſmodi petiit, & accepit, vt tẽtaret corpus eius: quod perfudit vlceribus. Cùm eſſet propoſitum vt eccleſiæ vaſa iam traderemus, hoc reſponſi reddidi, Me, ſi de meis aliquid poſceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris eſſet, libenter offerre: templo dei nihil poſſe decerpere: nec tradere illud quod cuſtodiẽdum non tradendum acceperim. Deinde conſulere me etiam Imperatoris ſaluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi ſacerdotis, ſi vult ſibi eſſe cõſultum, recedat à Chriſti iniuria. Hæc plena humilitatis ſunt, & (vt arbitror) plena affectus eius quem Imperatori debet ſacerdos. Sed quia lucta nobis eſt non ſolum aduerſus carnem Epheſ. 6.
& ſanguinem, ſed etiam (quod grauius eſt) aduerſus ſpiritualia nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibus, tentator ille diabolus per miniſtros ſuos certamẽ auget, vulneribus corporis mei experiendum arbitratur. Scio fratres vulnera hæc quæ pro

Christo excipimus, non esse vulnera quibus vita amittitur, sed propagatur. Sinite quæso esse certamen, spectatores vos esse decet. Considerate quia si quem habet ciuitas vel athletam, vel alterius nobilis artis peritũ, optat offerre certamini. Cur in maioribus rebus repudiatis, quod vel in minoribus velle consuestis? Non metuit arma, non barbaros, qui mortẽ nõ timet, qui nulla carnis voluptate retinetur. Certe si dominus huic nos certamini deputauit, frustra peruigiles tot noctibus & diebus custodias exhibetis. Implebitur Christi voluntas. Omnipotens enim noster est dominus Iesus. hæc est fides nostra. Et ideo quod fieri mandat, implebitur: nec cõuenit vos diuinæ obuiare sententiæ. Audistis quod hodie lectũ sit, Pullũ sibi asinæ saluator per apostolos iussit adduci, mandauitq; vt si quis resisteret, diceretur: Dominus operam eius desiderat. Quid si & nunc pullũ istum asinę, hoc est animalis quod grauem sarcinam portare consueuit, sicut est humana cõditio, cui dicitur: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam, tollite iugum meum, quia leue est. Quid si inquã, pullum istum ad se modo iussit adduci missis apostolis, illis qui iam exuti corpore incomprehensibilem oculis nostris angelorũ speciem gerunt? Nonne si ab aliquo resistatur, dicent: Dominus operam eius desiderat? Si resistat vel vitæ huius cupiditas, si resistat caro & sanguis, si resistat conuersatio corporalis, quia aliquibus forsitan grati videmur: sed qui nos hic diligit, multo amplius diliget si sinat fieri hostiam Christi: quia dissolui, & cum Christo esse, multo melius: etsi manere in carne, magis necessarium propter vos. Nihil est ergo quod vereamini fratres dilectissimi. Scio enim quia quicquid passus fuero, pro Christo patiar. Et legi quod eos timere non debeam qui possunt carnem occidere. Et audiui dicẽtem: Qui perdiderit animã suam propter me, inueniet eam. Ergo si vult dominus, certum est quod nullus obsistat. Quod si adhuc nostra differt certamina, quid veremini? Seruum Christi non custodia corporalis, sed domini prouidẽtia sepire consueuit. Turbati estis quia apertas reperistis geminas fores, quas captus oculis quidam dum hospitium propriũ repetit, patefecisse memoratur. In quo cognoscite quòd nihil suffragetur humana custodia. Ecce vnus qui vidẽdi munus amisit, soluit vestra vniuersa munimina, & custodias lusit. Dominus autem suę misericordiæ custodiã non amisit. Nonne ante biduum, vt meministis, etiam illud repertum est, quod à parte læua basilicę ingressus quidam peruius fuit, quem putabatis clausum esse atque munitum? Sepserũt nempe armati basilicam, explorabant hos atque illos aditus: cæcitate perfusi sunt, vt quod apertum erat, videre non possent. itaque per plurimas noctes quod apertum fuerit, non ignoratis. Desinite ergo solicitari: quia hoc erit quod Christ⁹ iubet, & hoc esse expedit. Denique exempla vobis legis proferam. Helisæus quærebatur à rege Syriæ. missus erat exercitus qui eum caperet. circũuallatus erat vndique. cœpit timere eius seruulus, quia seruulus erat, hoc est, non erat liberæ mẽtis, & liberæ potestatis. Petiuit aperiri eius oculos sanctus propheta, & ait: Respice, & vide quanto plures sint pro nobis, quàm contra nos. Et respexit, & vidit angelorum milia. Aduertitis igitur quod seruulos Christi ij magis custodiant qui non vidẽtur, quàm qui videntur. Sed & illi si custodiunt, vestris custodiunt orationibus aduocati. Legistis nempe eos ipsos qui Helisæum quærebant, ingressos esse Samariam ad eumipsum quem capere gestiebant, cui non solum non potuerunt nocere, sed ipsius aduersus quem venerant, intercessione seruati sunt. Petrus quoque apostolus vtriusque rei vobis edit exemplum. Nam vbi eum Herodes quæsiuit & cepit, recepit in carcerem. Non enim recesserat dei seruulus, sed steterat timoris ignarus. Orabat pro eo ecclesia, sed apostolus in carcere quiescebat, quod est indicium non timentis. Missus est angelus qui dormientem excitaret, per quem Petrus productus è carcere, mortem ad tempus euasit. Idem Petrus postea victo Simone cùm præcepta dei populo semi naret, doceret castimoniam, excitauit animos gẽtilium: quibus eum quærentibus Christianæ animæ deprecatæ sunt vt paulisper cederet. Et quanuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogab itur enim vt ad instituendum & confirmandũ populum se reser-

Lucæ 19. Matth. 11. Philipp. 1. Matth. 10. 4. Reg. 6. Acto. 12.

A B C D

uaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbémque ingredi, ait: Domine, quò venis? Respondit Christus: Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinũ pertinere responsum. Christus enim nõ poterat iterum crucifigi, qui carnem passione susceptæ mortis exuerat. Quod enim mortuus est, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit deo. Intellexit ergo Petrus quòd iterum Christus crucifigẽdus esset in seruulo. Itaque sponte remeauit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statímque correptus, per crucem suam honorificauit dominum Iesum. Videtis igitur quod in seruulis suis pati velit Christus. Quid si & huic seruulo dicit: Illum volo sic manere, tu autem me sequere: & de hac arbore gustare vult fructum? Nam si illius cibus erat vt faceret voluntatem patris, idem cibus illius est vt nostris passionibus epuletur. Nónne (vt de ipso domino sumamus exemplum) quando voluit, passus est: & cùm quæreretur, inuentus est? Quando autem hora non venerat passionis, per medium quærentium transibat, & videtes eum tenere non poterant. Quo vti que euidẽter ostendit, quia quando dominus vult, vnusquisque inuenitur & capitur. Quando autẽ differt, etiam si quærentium manibus occurrat & oculis, non tenetur. Ego ipse non quotidie vel visitãdi gratia prodibam, vel pergebam ad martyres? Non regiam palatij prætexebam eundo atque redeundo? Et tamen nemo me tenuit, cùm exturbandi me haberent, vt prodiderunt postea, voluntatem, dicentes: Exi de ciuitate, & vade quo vis. Expectabam fateor magnum aliquid, aut gladium pro Christi nomine, aut incendium. At illi delicias mihi pro passionibus obtulerunt, sed athleta Christi non delicias sed passiones suas exigit. Nemo ergo vos turbet quòd aut carrum præparauerant, aut dura, vt videbatur sibi, Auxentij ipsius qui se dicit episcopum, ore iactata. Plerique narrabant percussores præmissos, pœnam mortis esse decretam: nec illa timeo, & ista non defero. Quò enim abibo, vbi non omnia plena gemitus sint atque lachrymarum, quando per ecclesias iubentur eiici catholici sacerdotes, resistentes gladio feriri, curiales proscribi omnes, nisi mãdatum impleuerint? Et hæc episcopi manu scripta, & ore dictata, qui se vt probaret doctissimum, vetus non omisit exẽplum. Legimus enim in propheta quod viderit falcem volantem. Hanc imitatus Auxentius gladium volantem per omnes vrbes direxit. Et Sathanas transfigurat se in angelum lucis, & in malum imitatur eius potẽtiam. Tu domine Iesu vno momento mundum redemisti. Auxentius vno momẽto tot populos, quod in ipso est, trucidabit, alios gladio, alios sacrilegio. Meam basilicam petit cruento ore, sanguinolentis manibus. Cui bene præsens respondit lectio: Peccatori autem dixit deus: Quare tu enarras iustitias meas? id est, non conuenit paci & furori, non conuenit Christo & Belial. Meministis etiam quod lectum est hodie, Nabuthe sanctum virum possessorem vineæ suæ interpellatum petitione regia vt vineam suã daret, vbi rex succisis vitibus olus vile sereret, eúmque respondisse, Absit vt ego patrum meorum tradam hæreditatem. Regem cõtristatum esse quòd sibi esset alienum ius relatione iusta negatum, sed muliebri consilio deceptũ. Nabuthe vites suas vel proprio cruore defendit. Si ille vineam non tradidit suam, nos trademus ecclesiam Christi? Quid igitur à me responsum est contumaciter? Dici enim conuentus: Absit à me vt tradam Christi hęreditatem. Si ille patrum hæreditatem non tradidit, ego tradam Christi hæreditatem? Sed & hoc addidi, Absit vt tradam hęreditatem patrum, hoc est, hæreditatem Dionysij qui in exilio in causa fidei defunctus est, hæreditatem Eustorgij confessoris, hæreditatem Myroclis, atque omnium retro fidelium episcoporum. Respondi ego quod sacerdotis est: quod imperatoris est, faciat imperator. Prius est vt animam mihi quàm fidem auferat, Ac cui tradam, præsens lectio euangelij docere nos debet, quid petatur, à quibus petatur. Audistis nempe legi quòd cùm Christus super pullum asinæ sederet, clamabant pueruli, & molestè ferebant Iudæi. Denique interpellauerunt dominum Iesum dicentes vt faceret eos tacere, respondit: Si hi tacebunt, lapides clamabunt. Deinde ingressus templum, eiecit nummularios, & cathedras, & columbas vendentes

Rom. 6. Ioan. 21. Ioan. 13. Psal. 49. 3. Reg. 21. Luce 19.

dentes in templo dei. Lectio nempe ista nulla nostra dispositione recitata est, sed casu, quę præsentibus bene aptatur temporibus. Semper ergo Christi laudes verba perfidorum sunt. Et nunc cùm laudatur Christus, dicunt hæretici quia se ditio commouetur, dicunt hęretici quia his mors paratur: & verè morte habent in laudibus Christi. Quomodo enim laudes eius ferre possunt, cuius infirmitatem prædicant? Itaque & hodie cum laudatur Christus, Arrianorum amentia verberatur. Gerasseni præsentiam Christi ferre non poterāt, isti peiores Gerasenis nec laudationē Christi sustinere possunt: Vident pueros Christi gloriam concinentes, quia scriptum est: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Irridentistam ętatulam fidei plenam, cùm dicunt: Ecce quid clamant? Sed respondit iis Christus: Si hi tacuerint, lapides clamabunt, hoc est, fortiores clamabūt, clamabunt & iuuenes, clamabunt & maturiores, clamabūt & senes, isti lapides ad illum iam solidati, lapidē de quo scriptum est: Lapidē quem reprobauerūt ædificantes, hic factus est in caput anguli. His igitur laudationibus inuitatus templum suum Christus ingreditur, & flagellum prehēdit, & eiicit de templo nummularios. Non patitur enim in suo templo pecuniæ esse vernaculos, non patitur in suo templo esse eos qui vendant cathedras. Quid sunt cathedræ, nisi honores? Quid sunt columbæ nisi simplices mentes vel animæ fidem candidam & puram sequentes? Ego ergo inducam in templum quem Christus excludit? Iubetur enim exire qui dignitates vendit & honores. Iubetur enim exire qui vendere vult simplices mentes fidelium. Ergo Auxentius eiicitur, Mercurinus excluditur. Vnum portentum est, & duo nomina. Etenim ne cognosceretur quis esset, mutauit sibi vocabulum: vt quia hic fuerat Auxentius episcopus Arrianus, ad decipiendā plebem, quam ille tenuerat, se vocaret Mercurinum. Mutauit ergo vocabulum, sed perfidiam non mutauit. Exuit lupum, & induit lupū. Nihil prodest quod mutauit nomēn, quid sit agnoscitur. Alius in Scythiæ partibus dicebatur, alius hic vocatur: nomina pro regionibus habet. Habet ergo iam duo nomina: & si hinc aliò perrexit, habebit & tertium. Quomodo enim patietur vt maneat ei vocabulum ad tanti sceleris indiciū? Minora fecit in Scythia, & ita erubuit vt mutaret vocabulum. sceleratiora hic ausus est, & volet, quocūque perrexerit, nomine suo prodi tātorum populorum sanguinem? Manu sua scribet, & poterit consistere animo? Paucos excludebat dominus Iesus de templo suo, Auxentius nullum reliquit. De templo suo Iesus flagello eiicit, Auxentius gladio. Iesus flagello, Mercurinus securi. Pius dominus flagello exturbat sacrilegos, nequam persequitur pios ferro. De quo bene dixistis hodie: Leges suas secum ferat. Feret etiam si nolit, feret conscientiam suam. Et si non fert chartulam, feret sanguine inscriptam animam suam, etsi atramento inscriptam epistolam non feret. Scripta est Iuda culpa tua graphio ferreo & vngue adamantino, & scripta in pectore tuo, hoc est ibi scripta vnde processit. Is mihi etiam audet mentionē facere retractādi, plenus sanguinis, plenus cruoris? Qui quos non potuerit sermone decipere, eos gladio putat esse feriendos, cruentas leges ore dictans, manu scribens, & putans quod lex fidem possit hominibus imperare. Non audiuit, & id quod hodie dictum est: Quoniam non iustificatur homo ex operibus legis? Aut, Per legem legi mortuus sum, vt deo viuam? id est, per legem spiritualem interpretatione legis est mortuus corporali. Et nos per legē domini nostri Iesu Christi moriamur huic legi, quæ sancit decreta perfidiæ. Nō lex ecclesiam congregauit, sed fides Christi. Lex enim non est ex fide, iustus autem ex fide viuit. Iustum ergo fides non lex facit, quia non est per legem iustitia, sed per fidem Christi. Qui autem fidem repudiat, & legis iura præscribit, ipse se testatur iniustum, quia iustus ex fide viuit. Hanc ergo legem quisquam sequatur qua firmatur Ariminense concilium, in qua creatura dictus est Christus? Sed aiunt: Misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Ergo factum legūt, hoc est creatum. Nónne hoc ipsum considerant quod proposuerunt, quia factus dicitur Christus, sed ex muliere, hoc est, secundum partum virginis factus est, qui secundum diuinam generationem ex patre natus est? Legerunt & hodie quia

Psal. 8. Lucæ 19.

Psalm. 117.

Ioan. 2.

Hiere. 17.

Gala. 2. Ibidem.

Rom. 1. Ibidem.

Gala. 4.

Gala. 3.

A Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Nunquid maledictum Christus secundum diuinitatem est? Sed quare maledictum dicatur, Apostolus te docet, dicens, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Hoc est, qui in carne sua nostrā carnem, in suo corpore nostras infirmitates & nostra maledicta susceptit, vt crucifigeret. Non enim ille maledictus, sed in te maledictus. Denique habet alibi: Qui peccatum non cognouit, sed pro nobis peccatum factus est: quia nostra peccata susceptit, vt sacramento suæ passionis aboleret. Hæc ego fratres coram ipso apud vos plenius disputarem, sed certus non ignaros vos esse fidei, vestrum refugit examen, & gentiles quosdam quatuor aut quinque ferme homines eligit cognitores sibi, si tamē aliquos eligit, quos vellem adesse in cœtu omnium, non vt de Christo iudicent, sed vt maiestatē audiant Christi. Tamen illi iam de Auxentio pronūciauerunt, cui tractanti quotidie non crediderunt. Quæ maior eius condemnatio, quàm

B quod sine aduersario apud iudices suos victus est? Ergo & ipsorum sententiam contra Auxētium iam tenemus: & quod gentes elegit, iure damnandus est, quia Apostoli præcepta dimisit, cùm Apostolus dicat: Audet aliquis vestrum aduersus alterum habens negocium, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? Aut nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et infra ait: Sic non est inter vos sapiēs quisquam, qui possit iudicare inter fratres, sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? Vides quia quod ille obtulit, contra authoritatem Apostoli sit? Vos eligite vtrum Auxentium, an Paulum sequi debeamus magistrum. Sed quid dicam de Apostolo, cùm ipse dominus clamet per prophetā: Audite me populus meus qui scitis iudiciū, quorum in corde lex mea est. Deus dicit, Audite me populus meus, qui scitis iudicium: Auxētius dicit, Nescitis iudicium. Videtis quia iam deum contemnit in vobis, qui sententiam cœlestis refutat oraculi. Audite me, inquit, populus meus, dicit dominus.

C Non dicit audite gentes, non dicit audite Iudæi. Iam enim [nō] populus dei qui fuerat, populus erroris est factus. Et qui populus erroris erat, populus dei esse cœpit, quia in Christū credidit. Iste ergo populus iudicat, cuius in corde lex diuina est, non humana, lex non atramēto scripta, sed spiritu dei viui non in charta exarata, sed in corde signata: lex gratiæ, non cruoris. Quis igitur vobis iniuriā facit, qui recusat vestram, an qui eligit audientiam? Conclusus vndique ad versutiam patrum suorum confugit, de imperatore vult inuidiam commouere, dicens iudicare debere adolescentem cathecumenum sacræ lectionis ignarū, & in consistorio iudicare. Quasi verò superiore anno quando ad palatium sum petitus, cum præsentibus primatibus ante consistorium tractaretur, cùm imperator basilicam vellet eripere, ego tunc aulæ contemplatione regalis infractus sim, constantiam non tenuerim sacerdotis, aut imminuto iure discesserim. Nónne meminerūt quod vbi me cognouit populus palatium petisse, ita irruit, vt vim eius ferre non possent, quando comiti militari cum expeditis ad fugandam multitudinem egresso obtulerunt om

D nes se neci pro fide Christi? Non tunc rogatus sum vt populum multo sermone mulcerem? Sponderem fidem quòd basilicā ecclesię nullus inuaderet? Et cùm pro beneficio meum sit officium postulatum, tamen quòd populus ad palatium venisset, mihi inuidia commota est. In hanc igitur inuidiam me redire desiderāt: reuocaui populum, & tamen inuidiam non euasi: quam quidem inuidiam ego temperandam arbitror, non timendam. Quid enim timeamus pro Christi nomine? nisi forte illud mouere me debet quod aiūt, Ergo non debet imperator vnam basilicam accipere ad quam procedat: & plus vult Ambrosius posse quàm imperator, vt imperatori prodeundi facultatem neget? Quod cùm dicunt, apprehendere sermones nostros gestiunt, sicut Iudæi qui Christum versuto sermone tentabant, dicentes: Magister, licet tributum dare Cæsari, aut non? Sempérne de Cæsare seruulis dei inuidia commouetur? Et hoc ad calumniam sibi arcessit impietas, vt imperiale nomen obtendat? Et isti possunt dicere quòd eorum non habeant sacrilegium, quorum imitantur magisterium? Et tamen videte quanto peiores Arriani sunt quàm Iudęi. Illi quærebant vtrum soluendum putarent

Ibidem. Deut. 21.

2. Corin. 5.

1. Cor. 6.

Esaiæ 31.

2. Cor. 3.

Matth. 22.

Cæsari ius tributi, isti imperatori volunt dare ius ecclesiæ. Sed vt perfidi suum sequuntur authorem,ita & nos quę nos dominus & author noster docuit,respondeamus. Considerans enim Iesus dolum Iudæorũ dixit ad eos:Quid me tentatis?
Matt.22. ostendite mihi denarium.Et cùm dedissent,dixit: Cuius imaginem habet & inscriptionem? Respondentes dixerunt:Cæsaris.Et ait illis Iesus:Reddite quæ sunt Cæsaris,Cæsari:& quæ sunt Dei,Deo.Ergo & ego dico illis qui mihi obiiciunt:Ostẽdite mihi denarium.Iesus Cæsaris denarium vidit,& ait:Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt,& quæ dei sunt, deo. Nunquid de ecclesiæ basilicis occupandis possunt denarium offerre Cæsari? Sed in ecclesia vnam imaginem no-
Gene.1. ui,hoc est,imaginem dei inuisibilis,de qua dixit deus:Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Il-
Hebr.1. lam imaginem de qua scriptum est:Quia Christus splendor gloriæ,& imago substantiæ eius.In ista imagine patrem cer-
Ioan.14. no,sicut dixit ipse dominus Iesus:Qui me videt,videt & pa-
Ibidem 10. trem.Non enim hæc imago à patre est separata, quæ vnita-
Ioan.16. tem me docuit trinitatis, dicens: Ego & pater vnum sumus. Et infrà:Omnia quæcunque habet pater,mea sunt.Et de spiritu sancto,dicens:quia spiritus Christi sit,& de Christo ac-
Ibidem. cepit,sicut scriptum est:Ille de meo accipiet,& annunciabit vobis. Quid igitur non humiliter responsum à nobis est? Si tributum petit,non negamus. Agri ecclesiæ soluunt tributum.Si agros desiderat imperator, potestatem habet vindicãdorum,nemo nostrum interuenit.Potest pauperibus collatio populi redundare.Non faciant de agris inuidiam, tollant eos si libitum est.Imperatori non dono, sed non nego. Aurum quærunt, possum dicere: Argentum & aurum non quæro.Sed inuidiam faciunt quia aurum erogatur, nec ego hanc inuidiam perhorresco.Habeo ærarios.Ærarij mei pauperes Christi sunt.Hunc noui congregare thesaurum. Vtinam hoc mihi semper crimen adscribant,quia aurum pauperibus erogatur. Quòd si obiiciunt quòd defensionem ab iis requirã,non nego,sed etiam ambio.habeo defensionem, sed in orationibus pauperum.Cæci illi, & claudi, debiles & senes,robustis bellatoribus fortiores sunt.Denique munera
Prou.19. pauperum deum obligant, quia scriptum est: Qui largitur pauperi,deo fœnerat.Præsidia bellatorum diuinam sæpe gratiam non merentur. Hymnorum quoque meorum carminibus deceptũ populum ferunt.Planè nec hoc abnuo.Grande carmen istud est,quo nihil potentius.Quid enim potentius quàm confessio trinitatis,quæ quotidie totius populi ore celebratur?Certatim omnes student fidem fateri,patrem & filium & spiritũ sanctum norunt versibus prædicare. Facti sunt igitur omnes magistri,qui vix poterant esse discipuli.Quid igitur ob audientius potest esse,quàm vt Christi se-
Philip.2. quamur exemplum,qui specie inuentus vt homo, humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem?Denique
Rom.5. omnes per obediẽtiam liberauit.Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt plurimi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi.Si ergo ille obediens,accipiant obedientiæ magisterium,cui nos inhæremus,dicentes iis qui nobis de imperatore inuidiam faciunt: Soluimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo.Tributum Cæsaris est,non negatur.Ecclesia dei est,Cæsari vtique non debet addici, quia ius Cæsaris esse non potest dei templum.Quod cum honorificentia imperatoris nemo dictum potest negare. Quid enim honorificẽtius quàm vt imperator ecclesiæ filius esse dicatur?Quod cùm dicitur, sine peccato dicitur,cum gratia dicitur.Imperator enim bonus intra ecclesiam,non supra ecclesiam est.Bonus enim imperator quærit auxilium ecclesiæ,non refutat.Hæc vt humiliter dicimus,ita cõstanter exponimus. Sed incendia aliqui, gladium, deportationem minantur. Didicimus Christi seruuli non timere.Non timentibus nũquam est grauis terror.
Psal.63. Denique scriptum est: Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum.Satis igitur propositis responsum videtur. Nunc il-
Lucæ 20. los interrogo quod saluator interrogauit:Baptismum Ioannis de cœlo est,an ex hominibus?Et non potuerunt respondere ei Iudæi. Si baptismum Ioannis non soluerunt Iudæi, Auxentius soluit baptismum Christi?Non enim istud ex hominibus est baptismũ,sed de cœlo,quod detulit nobis consi

A lij magni angelus,vt iustificemur deo.Cur igitur rebaptizãdos Auxentius fideles populos putat baptizatos in nomine trinitatis,cùm Apostolus dicat: Vna fides, vnum baptisma? Ephes.4. Et se hominum dicit aduersarium esse,non Christi,cùm consilium dei spernat,& condemnet baptismum,& quod Christus nobis ad redimenda nostra peccata donauit.

Diui Ambrosii ad Marcellinam sororem suam, referentis illi quid in causa de basilicis tradendis actum sit, & in quo statu res ipsa nunc consistat. Epistola XXXIII.

QVoniam omnibus epistolis ferè solicite quæris de ecclesia, accipe quid agatur. Postridie quàm accepi literas tuas quibus significaueras quod te exagitarent somnia tua,moles inquietudinũ grauium cœpit moueri. Nec iam portiana,hoc est,extramurana Basilica petebatur,sed Basilica noua,hoc est intramurana,quæ maior est. Conuenerunt
B me primo principes virtutum, viri comites consistoriani,vt & basilicam traderem,& procurarem ne quid populus turbarum moueret.Respondi quod erat ordinis, templum dei tradi à sacerdote non posse. Acclamatum est sequenti die in ecclesia,etiam præfectus eò venit, cœpit suadere vt basilica portiana cederemus.Populus reclamauit. Ita nũc discessum est,vt intimaturum se imperatori diceret.Sequẽti die, erat autem dominica, post lectiones atque tractatum dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ.Illic nunciatum est mihi compertoquod ad portianam basilicam de palatio decanos misissent,& vela suspenderent,populi partem eò pergere.Ego tamen mansi in munere,missam facere cœpi.Dum offero,raptum cognoui à populo Castulum quendam quem presbyterum dicerent Arriani. Hunc autem in platea offenderant
C transeuntes.Amarissime flere,& orare in ipsa oblatione deũ cœpi,vt subueniret, nec huius sanguis in causa ecclesiæ fieret, certe vt meus sanguis pro salute non solum populi, sed etiam pro ipsis impiis effunderetur. Quid multa?Missis presbyteris & diaconibus eripui iniuriæ virum. Condemnationes illico grauissimæ decernuntur. primo in corpus omne mercatorum.Itaque sanctis diebus hebdomadis vltimæ quibus solebant debitorum laxari vincula stridunt catenæ.imponuntur collo innocentium, exiguntur ducenta pondo auri intra totum triduum.Respondent aliqui se tantum aut duplum si peterentur daturos,dũmodo seruarent fidem.Erant pleni carceres negociatoribus. Palatina omnia officia, hoc est,memoriales,agentes in rebus, apparitores diuersorũ comitum tẽperare à processu iubentur specie qua seditioni interesse prohibebantur,honoratis multa minabãtur grauissima nisi basilicam traderent.Feruebat persecutio: ac si aperuissent portam,prorupturi in omne facinus videbãtur. Conuenior ipse à comitibus & tribunis,vt basilicæ fieret matura
D traditio,dicentibus imperatorem iure suo vti,eo quòd in potestate eius essent omnia.Respõdi,si à me peteret quod meũ esset,id est fundum meum,argentum meum,ius huiusmodi meũ me non refragaturum quãquam,omnia quæ mea sunt, essent pauperum.Verum ea quæ diuina, imperatoriæ potestati non esse subiecta.Si patrimoniũ petitur,inuadite:ii corpus,occurram.Vultis in vincula rapere? vultis in mortẽ? voluptati est mihi. Non ego me vallabo circunfusione populorum,nec altaria tenebo vitam obsecrãs,sed pro altaribus gratius immolabor.Horrebam quippe animo cùm armatos ad basilicam ecclesiæ occupandam missos cognoscerẽ, ne dum basilicam vindicant, aliqua strages fieret quæ in perniciem totius vergeret ciuitatis. Orabam ne tantæ vrbis vel totius Italiæ busto superuiuerem. Detestabar inuidiam fundendi cruoris, offerebam iugulum meum. Aderant Gotthi tribuni, adoriebar eos dicens: Propterea vos possessio Romana suscepit, vt perturbationis publicæ vos præbeatis ministros?Quo transibitis si hæc deleta fuerint? Exigebatur à me vt compescerem populum. Referebam in meo iure esse vt non excitarem,in dei manu vt mitigaret.Postremo si me incentorem putarent,iam in me vindicari oportere,vel abduci me in quas vellent terrarum solitudines.His dictis illi abierunt,ego in basilica veteri totum exegi diem,inde domum

cubitum

cubitum me recepi,vt si quis abducere vellet,inueniret paratum.Ante lucem vbi pedem limine extuli, circunfuso militе occupatur basilica . Idque à militibus imperatori mandatum dicitur,vt si prodire vellet,haberet copiam,se tamen præsto futuros si viderent cum catholicis conuenire. Alioquin se ad eum cœtum quem Ambrosius cogeret,transituros.Prodire de Arrianis nullus audebat , quia nec quisquàm de ciuibus erat,pauci de familia regia,nonnulli etiam Gothi. Quibus vt olim plaustro sedes erat , ita nunc plaustrum ecclesia est.Quocunque fœmina ista processerit,secũ suos omnes cœtus vehit. Circunfusam basilicam esse gemitu populi intellexi, sed dum leguntur lectiones ,intimatur mihi plenam populi esse basilicam etiam nouam , maiorem videri plebem quàm omnes cum essent liberi:lectorem essagitari . Quid plura? Milites ipsi qui videbantur occupasse basilicã,cognito quòd præcepissem vt abstinerentur à communionis consortio , ad conuentum hunc nostrum venire cœperunt.Quibus visis turbantur mulierum animi , prorupit se vna.Ipsi tamen milites se ad orationem venisse, nõ ad prælium loquebantur.Clamauit aliqua populus,quàm moderate,quàm constãter , quàm fideliter poscebat vt ad illam pergeremus basilicam . In illa quoque basilica fertur quod populus præsentiam flagitabat meam.Tunc ego hunc adortus sermonem sum: Audistis filij librum legi Iob,qui solenni & munere est decursus,& tẽpore.Sciuit & vsu hunc librum etiam diabolus intimandum, quo virtus omnis suæ tentationis aperitur & proditur.Et ideo se hodie motu maiore concussit.Sed gratias deo nostro,qui nos ita firmauit fide atque patientia.Vnum Iob miraturus ascenderã , omnes Iob quos mirarer inueni.In singulis vobis Iob reuixit,in singulis sancti illius patientia & virtus refulsit . Quid enim præsentius dici potuit à Christianis viris , quàm id quod hodie in vobis spiritus sanctus est locutus?Rogamus Auguste, non pugnamus.Non timemus,sed rogamus . Hoc Christianos decet,vt & tranquillitas pacis optetur & fidei,veritatísque cõstantia,nec mortis reuocetur periculo . Est enim præsul dominus,qui saluos faciet sperãtes in se.Sed veniamus ad propositas lectiones.Videtis diabolo tentandi licẽtiam dari , vt boni probentur.Inuidet inimicus bonis profectibus,tentat diuersis modis.Tentauit sanctum Iob in patrimonio, tentauit in filiis,tentauit in dolore corporis. Fortior in suo corpore tentatur , infirmior in alieno . Et mihi meas diuitias quas in vobis habeo,volebat auferre,& hoc tranquillitatis vestrę patrimonium dissipare cupiebat.Vos quoque ipsos mihi bonos filios gestiebat eripere,pro quibus ego quotidie instauro sacrificium.Vos ruinis quibusdam publicæ perturbationis conabatur inuoluere . Duo igitur iam genera tentationis excepi . Et fortasse quia infirmiorem me dominus deus nouit, adhuc in corpus meum non dedit potestatem . Et si ipse cupiam & si offeram , adhuc me fortasse huic certamini imparem iudicat,& diuersis exercet laboribus. Nec Iob ab isto cœpit certamine,sed in hoc consummauit.Tentatus est autem Iob nunciis coaceruatis malorum,tentatus est etiam per mulierem,quæ ait:Dic aliquod verbum in deum,& morere.Videtis quanta subito moueantur . Gotthi, arma, gentiles,mulcta mercatorum,pœna sanctorum.Aduertitis quid iubeatur cùm mandatur:Trade basilicam , hoc est , dic aliquod verbum in deum,& morere.Nec solum dic aduersum deum,sed etiam fac aduersus deum.Mandatur , Trade altaria dei. Vrgemur igitur præceptis regalibus , sed confirmamur scripturæ sermonibus : quæ respondit : Tanquam vna ex insipientibus locuta est. Non mediocris igitur ista tentatio . Nanque asperiores tentationes has esse cognouimus, quæ fiunt per mulieres . Denique per Euam etiam Adã supplantatus est:eóque factum est vt à mandatis cœlestibus deuiaret.Quo errore cognito,præuaricatricis conscientię reus latere cupiebat , sed latere non poterat, & ideo ait ei deus: Adam,vbi es:Hoc est,quid eras ante ? vbi nunc esse cœpisti? vbi te constitueram?quo ipse transgressus es ? Agnoscis esse te nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti. Folia sunt ista quibus nunc velare te quæris.Repudiasti fructum , sub foliis legis latere cupis , sed proderis . Recedere à domino deo tuo propter vnam mulierem desiderasti , propterea fu-

Psalm.16.
Iob 2.
Ibidem.
Gene.3.

A gis quem videre quærebas . Cum vna muliere te abscõdere maluisti, relinquere speculum mundi , incolatum paradisi, gratiam Christi . Quid dicam quòd etiam Heliam Iezabel cruenta persecuta est?quòd Iohannem Baptistam Herodias fecit occidi?Singulæ tamen singulos.Mihi quo minora longe merita,eo tentamenta grauiora.Virtus infirmior,sed plus periculi. Succedunt sibi mulierum vices , alternantur odia, commenta variantur,seniores conueniuntur,prætexitur regis iniuria . Quæ ratio igitur est aduersus hunc vermiculum moliri grauiores tentationes,nisi quia non me , sed ecclesiã persequuntur?Mandatur denique:Trade basilicam.Respondeo:Nec mihi fas est tradere , nec tibi accipere Imperator expedit.Domum priuati nullo potes iure temerare , domũ dei existimas auferendam?Allegatur,imperatori licere omnia,ipsius esse vniuersa.Respondeo:Nolite grauare imperator,vt putes te in ea quæ diuina sunt , imperiale aliquod ius habere.Noli te extollere,sed si vis diutius imperare,esto deo subditus.scriptum est:Quæ dei deo,quæ Cæsaris Cæsari.Ad B imperatorem palatia pertinent,ad sacerdotem ecclesiæ.Publicorum tibi mœnium ius commissum est , non sacrorum. Iterum dicitur mandasse,Debeo & ego vnam basilicam habere.Respondi: Non tibi licet illam habere.Quid tibi cum adultera ? Adultera est enim quæ non est legitimo Christi coniugio copulata . Dum hæc tracto , suggestum est mihi cortinas regias esse collectas:refertam autem populo basilicam præsentiam mei poscere:statímque eo conuerti sermonem meum,dicens:Quàm alta & profunda oracula sunt spiritus sancti . Matutinis horis lectum est,vt meministis fratres,quod summo animi dolore respondemus:Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam.Et reuera venerunt gentes,& plus etiã quam gẽtes venerunt. Venerunt enim Gotthi,& diuersarum nationum viri, venerunt cum armis , & circunfusi occupauerunt basilicam.Hoc nos ignari tuæ altitudinis dolebamus, sed nostra imprudentia aliud opinabatur. Venerunt gentes , sed verè in hæreditatem tuam venerunt.Qui enim gentes venerunt,facti sunt Christiani . Qui ad inuadendam hæreditatem venerunt , facti sunt cohæredes dei.Defensores habeo quos hostes putabam : socios teneo, quos aduersarios existimabam . Completum est illud quòd de domino Iesu Dauid propheta cecinit : Quia factus est in pace locus eius,& confregit cornua arcuum , scutum, & gladium,& bellum.Cuius enim hoc munus,cuius opus, nisi tuum domine Iesu?Videbas ad templum tuum armatos venire,hinc gemere populum,& frequentem adesse,ne basilica dei traderetur:inde vim militibus, imperatori: mortẽ ante oculos mihi:ne quid inter hæc furori liceret,inseruisti te domine medium,& fecisti vtraque vnum. Compescuisti armatos dicens profecto:Si ad arma concurritur , si in templo meo lis commouetur , quæ vtilitas in sanguine meo? Gratias itaque tibi Christe:non legatus,neque nuncius, sed tu domine saluum fecisti populum tuum,cõscidisti saccum meum,& præcinxisti me lætitiam . Hæc ego dicebam ratus imperatoris animum studio militum , obsectatione comitum,precatu populi posse mitescere . Interea nunciatur mihi missum notarium qui mandata deferret. Concessi paululum,mãdatúnque intimat.Quid tibi visum est,inquit,vt contra placitum faceres?Respondi : Quid placitum sit ignoro, quídve temere factum dicatur, incertum habeo . Ait : Cur presbyteros ad basilicam destinasti? Si tyrannus es,scire volo , vt sciam quemadmodum me aduersum te præparem. Retuli dicens me nihil in prẹiudicium feciſſe eccleſiæ : eo tempore quo audieram occupatam esse à militibus basilicã, gemitum tantummodo liberiorem habuisse: multísque adhortantibus vt eò pergerem,dixisse, Tradere basilicam non possum,sed pugnare non debeo.Postea vero quàm cognouerim cortinas regias inde esse sublatas , cum me populus eò ire deposceret,direxisse presbyteros , me tamen noluisse ire sed dixisse , Credo in Christo quod ipse nobiscum faciet imperator.Si hæc tyrannis videtur,habeo arma,sed in Christi nomine,habeo offerendi mei corporis potestatem.Quid moraretur ferire si tyrannum putaret? Veteri iure à sacerdotibus donata imperia,non vsurpata ? Et vulgo dici quòd imperatores sacerdotium magis optauerint , quàm imperium

3.Reg.19.
Matth.24.
Matth.22.
Psal.78.
Psalm.75.
Epheſ.2.
Psalm.29.

Ioan.6. rium ſacerdotes. Chriſtus fugit,ne rex fieret. Habemus tyrannidem noſtram. Tyrannis ſacerdotis, infirmitas eſt.
2.Cor.12. Cùm infirmor, inquit, tunc potens ſum. Cauere tamen ne ipſe ſibi tyrannum faceret, cui deus aduerſarium non excitauit. Non hoc maximũ dicere, quod tyrannus ego ſim Valentiniani, qui ſe meæ legationis obiectu queritur ad Italiã non potuiſſe tranſire. Addidi quia nunquam ſacerdotes tyranni fuerunt, ſed tytannos ſæpe ſunt paſſi. Exactus eſt totus ille dies in mœrore noſtro, ſciſſæ tamen ab illudentibus pueris cortinæ regiæ. Ego domum redire non potui, quia circunfuſi erant milites,qui baſilicam cuſtodiebãt. Cum fratribus pſalmos in eccleſiæ baſilica minore diximus. Sequenti die lectus eſt de more liber Ionæ,quo completo hunc ſermonem adorſus ſum. Liber lectus eſt fratres quo prophetatur quòd peccatores in pœnitentiam reuertãtur. Acceptum eſt ita vt ſperaretur in præſenti futurum. Addidi quòd vir iuſtus etiam offenſam cõtrahere voluiſſet, ne vel ſpectaret vel denunciaret excidium ciuitati. Et quod lugubre eſſet illud dictum. Contriſtatus quoque ſit quòd aruiſſet cucurbita.
Ionæ 4. Deum quoque dixiſſe ad Prophetam: Si triſtis es pro cucurbita? Reſpondiſſe Ionam: triſtis. Dixiſſe dominũ, ſi illud doleret quòd exuſta eſſet cucurbita, quanto magis ſibi curæ eſſe oportere tantæ plebis ſalutem? Et ideo excidium quod paratum toti vrbi fuerat, remouiſſe. Nec mora, nunciatur imperatorem iuſſiſſe vt recederent milites de baſilica, negociatoribus quoque quod exacti de condemnatione fuerãt redderetur. Quæ tunc plebis totius lætitia fuit? qui totius populi plauſus? quę gratia? Erat autẽ dies quo ſeſe dominus pro nobis tradidit, quo in eccleſia pœnitentia relaxatur. Certatim hoc nunciare milites, irruentes in altaria oſculis ſignificare pacis inſigne. Tunc agnoui quòd deus vermẽ antelucanum percuſſerat, vt tota ciuitas ſeruaretur. Hæc geſta ſunt, atque vtinam iam finita, ſed grauiores motus futuros plena commotionis imperialia verba indicant. Ego tyrannus appellor, & plus etiam quàm tyrannus. Nam cum imperatorem comites obſecrarent vti prodiret ad eccleſiam, ídque petitu militum facere ſe dicerent, reſpondit: Si vobis iuſſerit Ambroſius, vinctum me tradetis. Quid poſt hanc vocem ſuperſit, conſidera. Quam vocem omnes cohorruerunt, ſed habet à quibus exaſperetur. Denique etiam ſpeciali expreſſione Calligonus præpoſitus cubiculi mãdare mihi auſus eſt: Me viuo tu coutemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Reſpondi: Deus permittat tibi vt impleas quod minaris. Ego enim patiar quod epiſcopi, tu facies quod ſpadones. At vtinam dominus auertat eos ab eccleſia, & in me omnia ſua tela conuertant, meo ſanguine ſitim ſuam expleant.

Diui Ambroſii ad Theodoſium imperatorem, deceſſum Valentiniani Auguſti vehemẽter ſe dolere, aptiſſimúmque pro ſepultura eius locum præparatum eſſe inſinuantis,

Epiſtola XXXIIII.

AMbroſius Theodoſio Imperatori. Silẽtium meum rupit ſermo clemẽtiæ tuæ. Nihil enim in tam triſtibus rebus melius facere in animum induxerã, quàm ſi fieri poſſet, meipſũ abdere. Sed quia in ſceſſu aliquo deliteſcere, & ſacerdotio exire nõ poteram, vel ſilentio intra me latebã. Doleo enim fateor dolore acerbo, non ſolũ quòd immatura ætate Valentinianus Auguſtus deceſſerit, ſed etiã quòd informatus fide, ac tuis inſtitutis tantam deuotionem erga deum noſtrum induerat, atque tanto in me incubuerat affectu, vt quem ante perſequebatur, nunc diligeret: quem ante vt aduerſarium repellebat, nunc vt parentẽ putaret. Quod ego non pro recordatione iniuriæ veteris exprompſi, ſed pro teſtimonio conuerſionis. Illud enim alienum, hoc ſuum, quod à te infuſum ſibi ita tenuit, vt matris perſuaſionem excluderet. Ille ſe à me nutritum præferebat, ille vt ſedulum patrem deſiderabat. Ille ſimulato à quibuſdã aduentus mei nuncio, impatienter præſtolabatur. Quin etiam illiſipſis publici doloris diebus cum ſanctos & ſummos ſacerdotes domini intra Gallias haberet, vt à me tamen ſacramentis baptiſmatis initiaretur, ſcribendum arbitratus eſt. Quod etiam ſi non rationabiliter, amabiliter tamen erga me ſuum ſtudium teſtificatus eſt. Hũc ergo non intimo anhelem ſpiritu, ſecretíſque mentis atque animi viſceribus amplectar? Hunc mihi mortuum putẽ? Immo mihi magis viuum. Quas ego domino deferebam gratias, quod ita in me conuerſus eſſet, quod in emẽdatus, quaſi ſenioris cuiuſdam ætatis mores induiſſet: quas clemẽtiæ tuæ quod eum non ſolum regno reddidiſſes, ſed etiam quod eſt amplius, inſtituiſſes fidei & pietatis tuæ diſciplinis: Hunc ergo non doleam æui integrum, antequam ſacramentorum quæ deſiderauit adipiſceretur gratiam, repentina obiiſſe mors te? Refrigeraſti animum quod etiam ipſe dignatus es ferre teſtimonium dolori. Te imperator arbitrum teneo affectus mei, te meæ mentis interpretem. Sed flendi tempora aliàs non deerunt. Nunc de ſepultura eius, quoniam ſcripſit clemẽtia tua ita hic procurandũ. Sed exors receſſit baptiſmatis: quid cognouerim, non repreſſi. Eſt hic porphyreticum labrum pulcherrimũ, & in vſus huiuſmodi aptiſſimum. Nam & Maximianus Diocletiani ſocius ita humatus eſt. Sunt tabulæ porphyreticæ precioſiſſimæ, quibus veſtiebatur operculum quo regales exuuiæ claudantur. Hoc fuerat præparatum, ſed expectabatur reſcriptum clementiæ tuæ, cuius perceptione recreatæ ſunt ſanctę filię tuę, filij tui Valẽtiniani ſorores, quę ſe grauibus afficiunt modis, & amplius exagitabantur quòd diu nihil ſcriberetur ſibi. Vnde iis non parum acceſſit ſolatij, ſed dum inhumatę ſunt reliquię, nequaquam ſibi parcunt. Videntur enim ſibi germani ſui quotidianum funus tenere. Et reuera cum ſine fletu magno ac ſine dolore graui nunquam ſint, tamen quotieſcunque eò accedunt, exangues reuertuntur. Et ipſis igitur conſuletur, & chariſſimis exuuiis, ſi acceleretur ſepultura, ne ęſtiuo penitus ſoluantur calore. Vix enim ſuperiorem ęſtatem tranſegimus. Mandatum tuum ſeruo, & commẽdo domino. Diligat te dominus, quia tu domini ſeruos diligis.

Diui Ambroſii ad Euſebium epiſcopum, apparitori præfecturæ offenſam quam contraxerat eſſe remiſſam, Fauſtinúmque paruulum iuſſi laborantem ad ſororem veniſſe referentis,

Epiſtola XXXV.

AMbroſius Euſebio epiſcopo. Apparitor prefectu rę qui propter operas portuenſes offenſam contraxerat, iam in portu nauigat, opportunè autem aduenit. Nam ſimul vt accepi literas tuas, vidi prefectum, rogaui pro eo, ignouit illicò, iuſsi retrahi epiſtolam quam de facultatibus eius publicãdis dictauerat. Quòd ſi tardius veniſſet, nemo magis probaſſet inexplicabile illud opus eſſe portus reformãdi, quàm iſte qui illic naufragium fecerat, niſi te habuiſſet gubernatorem, vt aliter non poſſet inde niſi nudus exire. Fauſtinus paruulus tuſsi laborat, ad ſanctam ſororem curatum venit, & venit ſponte. Expertus enim eſt melius ſibi ventrem curari. Denique & me medicum putat, expectat prandium. Itaque hic bis ad diem curatur, & cœperat pulchrè valere, ſed dum eum nimio amore abſtinere geſtiũt, tuſsire de vẽtre plus cœpit, & laborabit ad huc, niſi ad medicamenta ſua reuertatur. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui

DIVI AMBROSII EPISCOPI Mediolanensis epistolarum Liber VI.

Diui Ambrosii ad Sabinum episcopum, eos qui indignum duxerint quòd Paulinus venditis facultatibus, & seculo relicto, secretum quoddam elegerit, confutantis & comprobantis quod non ignominiosum aut turpe, sed glorioſum sit, opprobriosum, vilem & nudum fieri pro Christo. Quid etiam denudatio ipsius Dauid figurauerit, exponentis,

Epistola XXXVI.

AMbrosius Sabino Episcopo. Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum, venditis facultatibus tam suis quàm etiam cõiugalibus, in hos se induisse cultus ad fidem cõperi, vt ea in pauperes conferat quæ redegit in pecuniã, & ipse pauper ex diuite factus tãquã deoneratus graui sarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat, quo impensius deo seruiat. Elegisse secretum affirmatur Nolanæ vrbis, vbi tumultum fugitans æuum exigat. Matrona quoque virtuti & studio eius proxime accedit, neque à proposito viri discrepat. Denique transcriptis in aliorum iura suis prædiis, virum sequitur, & exiguo illic coniugis contenta cespite solabitur se religionis & charitatis diuitiis. Soboles eis nulla, & ideo meritorum posteritas desiderata. Hæc vbi audierint proceres viri, quæ loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tanta præditum eloquentia migrasse à senatu, interceptam familiæ nobilis successionem, ferri hoc non posse? Et cum ipsi capita & supercilia sua radant si quando Isidis suscipiunt sacra, si forte Christianus vir attentior sacrosanctæ religioni vestem mutauerit, indignum facinus appellant. Equidem doleo tantam esse in mendacio obseruantiam, in veritate negligẽtiam vt confundantur plerique attentiores ad sacrosanctam re-
Lucæ 9. ligionem videri, non considerantes vocem dicentis: Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundar & ego
Exod. 2. eum coram patre meo qui est in cœlis. Sed non confusus est
Hebr. 11. Moyses, qui cum esset adscitus in domum regiam, thesauris
2. Reg. 6. Aegypti opprobrium Christi præferendum putauit. Non confusus est Dauid, qui ante arcam testimonij coram omni populo saltauit. Non confusus est Esaias, qui nudus &
Esaiæ 20. discalciatus ibat per populos oracula clamans cœlestia. Quid vtique tam deforme visibili spectaculo quàm histrionicos sinuare gestus, & fœmineo vsu mollire mẽbra? Deliciarum comes & luxuriæ ludibrium est lasciua saltatio. Quid illud
Psalm. 46. quod ipse cecinit dicens: Omnes gentes plaudite manibus? Nempe si corporalia consideremus, tanquam muliebribus intermixtum choreis putamus eum concrepare manibus, &
Ezech. 21. turpi sono plaudere. Nam & de Ezechiele dictum est: Plaude manu, & percute pede. Sed hæc quæ corporeo aspectu fiunt turpia, sacrosanctæ religionis contemplatione reuerenda sunt, vt qui ista reprehendunt, ipsi in laqueos repre-
2. Reg 6. hensionis animas suas induant. Denique reprehẽdit Michol saltantẽ Dauid, & ait ad eum: Quid honorificatus est hodie rex Israel, quia denudatus est hodie ante oculos puellarum suarum? Et respondit ei Dauid: Coram domino ludam qui elegit me pro patre tuo, & pro vniuersa domo eius, vt constitueret me regem super populum suum Israel. Et ludam coram domino, & denudabor adhuc sic, & ero nugax ante oculos tuos, & cum puellis quibus dixisti me denudatum, honorificabor. Non erubuit igitur Dauid fœmineas opiniones, nec opprobria apud mulieres subire pro religionis obsequio verecundatus est. Ludebat enim domino puer suus. & ideo amplius placuit: quia ita se humiliauit deo, vt regale posthaberet fastigium, & vltimum exhiberet deo quasi seruulus ministerium. Denique illa quæ saltationem huiusmodi reprehendit, sterilitatis damnata non dedit sobolem regiam, ne superbos crearet: & quod verũ est, nullam est adepta posteritatis suæ meritorúmque successionem. Quod si quis adhuc dubitat, accipiat euangelicum testimonium.
Matth. 11. Dixit enim dei filius: Cantauimus vobis, & non saltastis. Denique relicti sunt itaque Iudæi qui non saltauerunt, qui nescierunt manibus suis plaudere. Ascitæ sunt gentes quæ spiritualem deo plausum dederunt. Stultus enim complexus est manus suas, & deuorauit viscera sua, id est, corporalibus se implicauit negociis, & deuorauit viscera sua sicut mors præualens, & ideo non inueniet vitam æternam. Sapiens autem at tollens opera sua, vt lucerent coram patre suo qui in cœlis est, non assumpsit sed eleuauit viscera sua vsque ad resurrectionis gratiam. Hæc glorioſa sapientis saltatio, quam saltauit Dauid, & ideo vsque ad sedem Christi sublimitate spiritualis saltationis ascendit, vt videret atque audiret dicentem dominum domino suo: Sede à dextris meis. Ergo si non absurde cecidisse nobis hanc de saltatione interpretationem iudicas, non supersedeas adhuc lectionis laborem, vt etiam de Esaia mecum recẽseas, quod bene tibi cognitum est, illum non ludibrioſe sed glorioſissime denudatum esse in cõspectu populorum occursantium, vt pote qui oracula domini ore proprio resultabat. Sed forte aliquis dicat: Non igitur erat turpe vt vir nudus omnino iret per populos, cum ei & virilis sexus & muliebris occurreret? Non ipsa species offendebat oculos omnium, & maximè mulierum? Nonne ipsi nos inspicere nudos plerumque reueremur? Denique idcirco indumentis operiuntur genitalia hominum, ne deformi visu obtutum aciémque perstringant oculorum intuentium. Acquiesco & ego, sed considera quæ figura sit facti huius, quídve prætendat species huiusmodi. Eò quòd ita nudi ambulabunt pueri Iudæorum & virgines in captiuitatem deducti, sicut puer, inquit, meus Esaias vadit nudus & excalciatus. Potuit quidem hoc & sermone exprimere, sed exemplo acerbare maluit, vt species ipsa plus incuteret horroris, & quod in prophetæ corpore auersabantur, in se pertimescerent. In quo igitur horror grauior turpitudinis, in corpore prophetæ, an in perfidorum peccato quod tantam meritis suis ærumnam incidit captiuitatis? Quid si in prophetico corpore nihil opprobrij? Ille enim corporalibus nõ intendebat, sed spiritualibus. Nanque in exceſſu mentis non dicit: Audiam quid loquar, sed quid loquatur in me deus. Psalm. 84.
Neque attẽdit vtrum nudus, an vestitus sit. Denique Adam ante peccatum nudus erat, sed nudum se nesciebat, quia erat indutus virtutibus. Posteaquam vero peccatum commisit, nudum se esse vidit & texit. Noe nudatus erat, sed non erubescebat, quia erat plenus incunditatis, & spiritualis lætitiæ. Denique qui eum risit vt nudum, ipse mansit perpetuæ obnoxius opprobrio turpitudinis. At vero Ioseph ne turpiter nudaretur, vestem teliquit, & nudus aufugit. Quis igitur turpis, illa quæ vestem alienam tenuit, an is qui suam exuit? Sed vt plenius liqueat quia non se, neque ea quæ iuxta pedes sunt: prophetę aspiciunt, sed cœlestia. Lapidabatur Stephanus, & videbat cœlos apertos, & Iesum ad dexteram dei stantem. Et ideo lapidum ictus non sentiebat corpori, non considerabat vulnera, sed oculis erat Christo affixus, illi adhærebat. Ergo & Esaias nudum se non conspicabatur, sed diuinę vocis organum se prębebat, vt promeret quod in eo loquebatur deus. Sed esto vt se videret, poterat non facere quod iubebatur? Poterat turpe arbitrari quod imperabat deus? Sara quia risit, incredulitatis coarguta est, Abraham laudatus, quia in verbo dei non hęsitauit. Et donatus remuneratione maxima, quia iubente deo piè posse fieri credidit etiam parricidium. Hic igitur quid verecundię esset prophetę vbi aliud gerebatur, & aliud figurabatur? Iudęi propter flagitia sua destituti à domino deo, cœperant vinci ab aduersariis suis, conferre se volebant ad Aegyptios, vt sibi essent prędidio aduersum Assyrios, qui redire magis ad fidem, si bonos consulerent, debuissent. Iratus dominus significat vanam illos spem gerere, qui offensam domini putarunt maiore peccato leuandam, cum illi ipsi vincendi forent, in quorum auxiliis populus Iudęorum confideret. Hoc secundum historiam. Figura autem illa, quia in Aegyptiis confidit qui luxuriis deditus est, mancipatus lasciuię. Nemo autem se luxui committit, nisi qui recedit à prędceptis dei veri. Vbi autem cœperit quis luxuriari, incipit deuiare à fide vera. Ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis, & mentis sacrilegia. Ergo qui non sequitur dominum deum suum, ingurgitat se luxurię ac libidini, pestife-

Ecclesi. 4.
Matth. 5.
Psal. 109. Esaiæ 20.
Gene. 3.
Gene. 9.
Gene. 39.
Acto. 7.
Esaiæ 20.
Gene. 18. Ibidem 15. & 22.

pestiferis corporis passionibus. Qui autem se ingurgitauerit atque immerserit huiusmodi volutabris, perfidiæ laqueos
Exod.32. incurrit. Sedit enim populus mãducare & bibere, & fieri sibi deos alienos popoſcit. Vnde docet dominus quoniã qui duobus istis flagitiorum generibus dederit animam suam, exuitur indumento non vestis lanceæ, sed viuidæ virtutis, cuius amictus non temporalis. ded æternus est. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Chromatiũ, ex illo quod in libro Numerorũ à Balaam dictum esse legitur: Quia non mentitur deus, nec est augurator in Israel: discutientiũ vnde habuerit iste qui augur erat, vt oraculũ dei loqueretur & futura manifestaret.

Epistola XXXVII.

AMbrosius Chromatio. Nunquid nam mentitur deus? Sed non mentitur, quia impossibile
Hebr.6. est mentiri deũ. Impoſsibile quoque istud, nũ quid nã infirmitatis est? Nõ vtique. Nam quo modo omnia potest, si aliquid efficere nõ potest? Quid ergo ei impoſsibile? Nõ quod virtuti arduum, sed quod naturæ eius contrariũ. Impoſsibile, inquit, est ei mentiri. Impoſsibile istud non infirmitatis est, sed virtutis & maiestatis: quia veritas non recipit mendacium, nec dei virtus leuitatis errorem. Ideoque sit deus verax, omnis autem homo
Roma.3. mendax. Veritas itaque semper in eo est, fidelis manet, mutare se & negare nõ potest. Si enim verum se negat, mentitur. Mentiri autẽ non virtutis sed infirmitatis est. Nec mutare se potest, quia natura eius non recipit infirmitatem. Hoc igitur impoſsibile eius, plenitudinis est, quæ minuere se & augere non potest, non infirmitatis, quæ in eo quod se auget, imbecilla est. Ex quo colligitur impoſsibile dei potentissimum esse. Quid enim potentius quàm nescire quicquid infirmitatis est?
1.Cor.1. Est tamen & aliud infirmum dei, quod fortius est hominibus: & stultum dei, quod sapientius est hominibus: sed hoc crucis, illud diuinitatis. Si ergo quod infirmum eius, po-
ad Titum 1. tentia est: quod potentiæ, quomodo infirmum est? Sit igitur
Nume.23. nobis positum, quia non mentitur deus. Sed nec augurator augurij in Israel, secundum legem dei. Quomodo ergo Balaam prohibitum se oraculo dei dicit vt vadat ad maledicendum populo Israel, & iuit, & occurrit ei angelus domini qui eum prohiberet pergere, ita vt obsisteret asinæ eius quæ vehebat eum & nihilominus & ipse dixit ei vt iret, sed hoc diceret quod sibi infunderetur? Si augurator non est in Israel, vnde isti oraculum dei quod futura manifestauit, qui augurerat? Si oraculum dei loquebatur, vnde meritum diuinę aspirationis assumpserat? Sed non mireris infusum auguri à domino quod loqueretur, quando infusum legis in euangelio etiam principi synagogæ vni ex persequentibus Christum:
Ioan.11. Quia oportet vnum hominem mori pro populo. In quo nõ prophetiæ meritum, sed assertio veritatis est, vt aduersariorum testimonio manifestaretur, quo perfidia non credentium, vocibus suorum augurũ redargueretur. Ideo Balaam ille Chaldæus accitur ad fidem, vt Chaldæorum superstitio conticesceret. Non igitur confitentis meritum, sed vocantis oraculum est reuelante dei gratia. Quid igitur contraxit offensionis, nisi quia aliud loquebatur, aliud machinabatur? Deus enim vas mundum requirit, non immunditia inquinatum & sordibus. Tentabatur igitur Balaam, non probabatur. Erat enim plenus fallaciæ ac doli. Denique cum primo consuluisset vtrum ad illum vanitatis populum deberet pergere, & prohibitus esset, excusauit. postea missis legatis honorationibus, promissis vberioribus, muneribus cumulationibus illectus, qui renunciare debuerat, iterum consulẽdum putauit, quasi deus precio aut muneribus inflecteretur. Responsum est quasi auaro, non quasi ei qui verum quæreret, vt illuderetur potius quam informaretur. Cœpit ire, occurrit ei angelus in angusto, demõstrauit se asinæ, non demonstrauit auguri. Illi se reuelauit, istum obtriuit: tamen vt aliquãdo & ipse cognosceret, aperuit oculos eius: vidit, & adhuc tamen non credidit euidenti oraculo: & qui vel oculis credere debuisset, inuoluta & ambigua respondit. Tunc indignatus dominus, per angelum dixit: Vade, & quæcunque tibi inspirauero, hæc dices, id est, non quæ vis, sed quæ ageris loqui. Quasi organum inane sonum meis præbebis sermonibus. Ego sum qui loquar, non tu: qui ea quæ audieris resultabis, & quæ non intelliges. Nihil proficies eundo qui sine mercede remeabis pecuniæ, & sine profectu gratiæ. Denique ea prima vox eius est: Quid maledicam cui nõ maledicit deus? Vt ostenderet non in sua voluntate esse benedictionem: Hebræi populi, sed in dei gratia. A summis, inquit, montibus conspiciam eum, quoniam non oculis comprehẽdere possum hunc populum qui habitabit solus fines suos, non locorum possessione disterminãs, sed virtutis incolatu, & morum singularium proprietate, in æterna diffundẽs secula. Quis enim annumerabitur ei de nationibus aliis, qui finitimorum populorum excedit consortia iustitiæ sublimitate? quis constitutionem generationis eius colliget? Corpora quidẽ eorũ humanis seminibus concreata & figurata aduertimus, sed de superioribus & mirabilibus seminariis animæ eorum pullulauerũt. Moriatur anima mea in animis eorum, moriatur hanc corporalem vitam, vt in animis
B iustorum illius æternæ vitæ adipiscatur gratiam. In quo iam tunc sacramenti huius cœlestis & sacri baptismatis reuelata est magnificentia, per cuius operationem moriuntur homines culpæ veteri, & iniquorum operibus, vt nouitate vitæ in consortia iustorum transfigurati, in eorum mores resurgãt. Et quid mirum de hominibus, cum moriantur peccato, vt deo viuant? Hæc audiens Balach, indignatus est dicens: Ad
Roma.6. maledicendum te adduxi, & tu benedicis? Respõdit ille: Calumniam patior de eo quod nescio. Ego enim nihil meũ loquor, sed quasi cymbalum tinniẽs sonum reddo. Iterum aliò atque aliò transductus, cum vellet maledicere, benedicebat: Non est labor in Iacob neque dolor, deus illum protegit. Et infra iubet parari aras septem & sacrificia. Vtique debuit discedere, sed per infirmitatẽ mentis, & mutabilitatẽ sententiæ putabat quod auertere posset dei voluntatem. Ipse autem per excessum mentis aliud cupiebat, & aliud loquebatur. Quàm speciosa, inquit, habitacula tua ô Hebræorum militia. Tabernacula tua sicut nemora obumbrantia,
C sicut paradisus supra fluuium, & sicut cedrus secus aquas. Exibit homo ex Iacob, & obtinebit multas gentes, & attolletur regnum eius in altum, in terris quoque extendet principatum suum in Aegyptum. Qui benedicent eum, benedi-
Nume.24. centur: & qui maledixerint ei, maledicti erunt. Quem igitur nisi Christi populum significat & benedicit deus? In cuius medullas verbum dei descendit vsque ad diuisionem animæ, artuum quoque & medullarum: in quo habuisset Balaam gratiam domini, si id ex sententia & affectus sui proposito fecisset. Sed quia reuincitur mala mens consiliis suis, & occulta animi produntur exitu, ideo sequentibus insidiis
Hebr.4. animus eius aperitur. Vnde & dignam mercedem suæ inuenit maleuolentiæ. Nam cum aduerteret quod non posset in excessu mentis positus maledicere, dat cõsilium regi dicens: Illa sint oraculorum quæ deus præcepit, accipe consilium aduersus oracula dei. Populus iste iustus est, habet protectionem dei, quia non diuinationibus & auguriis sese dedit, sed soli æterno deo: ideo cæteris fide præstat. Interdum tamD men & fideles mentes corporis labũtur illecebra, & formę lenocinio. Sunt tibi mulieres plurimę, & pleręque non indecores pulchritudine. Virilis autem sexus nullo magis lubricus quam muliebri decore cito capitur, & maxime si ardor mentium alloquiis inflammetur frequentibus, & quasi facibus inardescat, si spem potiendi hauriat, affectum deferat. Iaciant igitur mulieres tuæ vocibus suis hamos, nec difficiles primos congressus suos præbeant, sed & visu faciles, & dictu affabiles circumerrent, & toto se circunfundãt exercitui, atque hos arte tractent viros, vt concubitu non indulgeant, nisi amoris mutui fidem consortio sacrilegij comprobauerint. Sic enim poterunt cœlesti protectione destitui, si ipsi à domino deo suo sacrilegiis deuiauerint. Non igitur iustus Balaam vt pote consiliarius fornicationis & sacrilegij, sicut euidenter etiam in Apocalypsi scriptum est Ioannis euangelistę, dicente domino Iesu ad angelum ecclesię
Apocal.2. Pergami: Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israel, manducare immolata, & fornicari. Ita habes & tu tenentes doctri-

nam

nam Nicolaitarum. Quo apparet inde Manichæorum sacrilegia manasse, qui miscent atque adiungunt sacrilegium turpitudini. Ergo nec deus iniustus, nec mutabilis eius sententia. Deprehendit enim mẽtem eius, & occulta cordis, & ideo tentauit eum quasi diuinum, nõ elegit quasi prophetam. Et vtique vel tantorum oraculorum gratia, & reuelationum sublimitate cõuerti debuit, sed animus nequitiæ plenus verba prompsit, non fidem detulit, consiliis infirmare cupiens quod annunciabat futurum. Et quia oracula fraudare non poterat, consilia fraudulenta subministrabat, quibus leues populi Iudæorum tentati quidem sunt, sed non expugnati. Vnius enim viri sacerdotis iustitia, solutum est omne facinoros hominis consilium: multóque mirabilius per vnum hominem potuisse liberari exercitum patrum, quam potuisse decipi. Hoc munusculum sanctæ menti tuę transmisi, quia vis me aliquid de veterum scriptorum interpretationibus paginare. Ego autem assumpsi epistolas familiari sermone attexere redolentes aliquid de patrum moribus, quarum gustum si probaueris, post hæc huiusmodi mittere non verecundabor. Malo enim senilibus verbis de supernis rebus hallucinari tecum, quod Grecè dicunt ἀδολεσχίαις γηρᾳ λαίαις περὶ τῶν ἄνω ἀδολεσχεῖσθαι, vt enitente Rebeca futuræ ecclesiæ animo videns mysteria, malo inquam hallucinari tecum verbis senilibus ne videar artem desisse, quam concitationibus deflare aliquid iam nec studiis nostris aptũ nec viribus. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Horontianum, rationem huic quæstioni reddentis, cur prius omnia vel volatilia vel terrestria, vel quæ in aquis sunt, producta fuerint, quàm homo, propter quem cũcta illa creata sunt formaretur, **Epistola XXXVIII.**

AMbrosius Horontiano. Moueri te insinuasti mihi lecto hexaemero quod ipse scripsi: quia cum tantũ diuinæ scripturę ferie vel stylo sermonis mei collatũ aduerteres homini, quantum nulli in hac terra animantiũ, prius omnia vel volatilia, vel terrestria, vel quæ in aquis sunt, produxerit terra vel aqua, quàm homo propter quem illa creata sunt generaretur: eiúsque rei rationẽ de me requirere, quã & Moyses siluerit, & ego non ausim attingere. Et forte ille oraculi interpres diuini consilio conticuerit, ne cœlestis dispositionis arbitrum se & cõsiliarium præstare videretur. Aliud est enim loqui quod infundebatur à dei spiritu, aliud voluntatem dei interpretari. Nos autem non quasi interpretes dei, sed quasi ex vsu humano rationis seminaria colligẽtes, existimamus posse nos ex eo quod humano vsui in cæteris rebus
Matth.22. ipse dominus infuderit, opinari quoniã decuit hominem postremũ creari. Et enim qui conuiuium adornat, vt ille euangelicus dies (oportet enim diuina diuinis conferamus, quo melius colligere possimus) vtique omnia prius prępărat, tauros & saginata occidit, & tunc amicos ad cœnã inuitat. Prius ergo quæ leuiora sunt parantur, & tũc rogatur honoratior. Vnde & dominus homini ante animalium cæterorum præparauit epulas, tunc ipsum quasi amicum ad suũ vocauit con
Matth.22. uiuium. Et vere amicum quasi charitatis diuinæ participem, & hæredem gloriæ. Denique ipse dicit: Amice, quomodo huc venisti ad nuptias? Præcedentia ergo ministeria sunt, amicúsque postremus rogatur. Accipe aliud. Quid est mun-
Apocal.2. dus nisi quidam agon plenus certaminum? Vnde & in Apo-
2.Tim.4. calypsi dominus ait. Vincenti dabo coronam vitæ. Et Pau-
2.Timo.2. lus ait: Certamen bonum certaui. Et alibi: Nemo nisi qui legitime certauerit, coronatur. Huius agonis instaurator vtique omnipotẽs deus est. Qui igitur agonem suscipit in hoc seculo, nonne omnia præparat quæ agoni sunt necessaria, & tunc Athletas vocat paratis præmiorum infulis creaturos ad coronam, ne moram patiatur qui vicerit, sed præmio donatus recedat? Præmia ergo hominis, terrarum fructus sunt, & cœli lumina. Illa ad vitæ præsentis vsum, hæc ad spem vitæ æternæ. Quasi athleta igitur postremus ingreditur in agonem, erigit ad cœlum oculos, videt quia & cœlestis creatura vanitati subiecta est non sponte, sed propter eum qui
Roma.8. subiecit in spe. Videt quia omnis creatura congemiscit expectans redemptionem. Videt quia omnis manet labor, erigit oculos, videt coronas luminum, lunæ & stellarum globos considerat. Quoniam iusti qui vicerint, erunt sicut stellæ in cœlo. Et castigat corpus suum, ne sibi aduersetur in certamine, vngit oleo misericordiæ, exercet diurna virtutis palestra, puluere se oblinit stadij, currit non quasi in incertum, ictus dirigit, lacertos excutit, sed non inuacuum, percutit aduersarium quem non videt, quia illum solum attendit, cui cedunt omnes etiam qui non videntur, in cuius nomine potestates aereæ diuerberantur. Ille ergo ictum librat, & Christus percutit. Ille calcem leuat, & Christus in vulnus dirigit. Denique etsi non videbat Paulus quos cæderet, non quasi aera tamen cædebat, quia in Christi prædicatione omnes spirituales nequitias quæ sibi aduersabantur conuulnerabat. Non immerito ergo postremus homo ingressus est stadium, cui parabatur corona, vt eum præcederet cœlum, quasi sui præmium. Sed non solum aduersus nequitiæ spiritualia quæ sunt in cœlestibus, sed etiam aduersus carnem & sanguinem lucta nobis, lucta aduersus satietatem, lucta cum ipsis frugibus terræ, lucta cum vino quo etiam iustus inebriatus est, quo etiam integer Iudæorum exercitus supplãtatus est: lucta cum feris bestiis, lucta cum volatilibus cœli, quibus caro saginata nõ redigitur in seruitutem: lucta cum periculis itinerum, periculis fluminum, vt ait Paulus: lucta cũ
1.Cori.11. virgultis arborũ, quibus cædebantur Apostoli. Vides quanta certamina. Terra ergo exercitium est hominis, cœlum corona, Aut quasi amicum igitur præcedere debuerunt ministeria, aut quasi athletã corona & præmia. Specta aliud. In omnibus rebus prętãtiora sunt principia & finis. Si domum consideres, potiora omnibus fundamenta & culmina, si agrum, satio & messis, plantatio & vindemia. Quàm iucunda insitiua arborũ, quam fructus votiui. Ita ergo & cœlũ primo est conditũ, nouissimus homo quasi quędã cœlestis in terris creatura. Nam etsi corpore cum bestiis confertur, animo tamen cœlestibus annumeratur. Sicut enim portauimus ima-
1.Cori.15. ginem terreni, ita portemus & imaginem cœlestis. Quomodo non cœlestis, qui ad imaginem & similitudinẽ factus est dei? Rectè ergo in constitutione mundi primum cœlum, & nouissimum cœlum, in quo quod vltra cœlũ est, deus cœli est. Denique de eo magis accipitur: Cœlum mihi thronus. Non enim deus supra elementum sedet, sed in corde hominis. Vnde & dominus ait: Veniemus ad eum, & mansionem
Ioan.14. apud eum faciemus. Principium ergo operis mundani cœlum, finis homo. Cœlum de mundo, homo supra mundum. Illud enim mundi portio, iste paradisi incola, Christi possessio. Cœlum incorruptibile putatur, & præterit: homo corruptibilis habetur, & incorruptionem induit. Illius figura perit, iste quasi immortalis resurgit. Vtrumque tamen manus domini fecerunt secundum scripturæ authoritatem. Sicut enim de cœlis legimus: Et opera manuum tuarum sunt
Psalm.101. cœli: ita & homo dicit: Manus tuæ fecerunt me, & plasma-
Psalm.118. uerunt me. Similiter quoque enarrãt dei gloriam: & vt cœlum stellarum fulget splendoribus, ita & homines meritorum luminibus micant, quorum opera coram patre suo lu-
Matth.5. cent, qui est in cœlis. Firmamentum cœli supernum illud, hoc quoque non dissimile firmamentum, de quo dictũ est:
Matth.16. Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Illud firmamentum elementorum, hoc virtutum. Iam illud præstãtius fuxerũt oleum de firma petra. Petra enim caro Christi, quæ cœlum & totum mundum redemit. Quid illa attexam, & quasi toto stadio te vrgeam, quòd hominem deus diuinæ fe-
2.Pet.1. cit consortem naturæ, sicut in epistola Petri legimus? Vnde non immerito quidam ait: Cuius & genus sumus. Dedit enĩ nobis de cognatione sua, rationabilis scilicet naturæ, vt quæramus illud diuinum quod nõ longe est ab vnoquoque nostrũ in quo & viuimus & sumus & mouemur. Cùm itaque
Actor.17. contulisset homini quod est gratiarum maximum, quasi charissimo & domestico animanti concesit ea quæ in hoc mundo sunt omnia, vt nullius indigeret quod esset necessarium vel ad vitam, vel ad bonam vitam. Quorum alia ministraret abundantia copiarum terrestrium ad voluntatis perfunctionem, alia cognitio secretorum cœlestium, quæ mentem inflammaret hominis amore, & desiderio disciplinarũ, per quas ad sublime illud diuinorũ penetralium possimus peruenire

uenire. Vtrumque igitur præstantissimũ, vt & subiectas haberet omnes mundi opes, omnia volatilia, terrestria, etiam pisces, & vsum maris, tanquam rex elementorum, ac sine labore, sine indigentia, ad imitationem & similitudinem venerandi authoris abundaret omnibus, atque in summa degeret copia, & vias sibi aperiret, gradúsque admoueret, per quos ad cœli ascendat regiam. Cuius difficilis itineris viatorem non facile reperies, illum virum qui ita sit animi inductione formatus ac voluntate, vt minima sibi cum suo corpore sit familiaritas, neque in vllum ingrediatur vitiorum contubernium, nullis assentantium pumicetur sermonibus, neque in rotis secundorum temporum positus humiles fastidiat, mœsta fugiat, sanctorum laudes excutiat atque eleuet. Nequæ gloriæ ardore aut pecuniæ præsumptæ spei omnem exurat cupiditatem. Cuius animum non inflectat mœstitia, non frangat iniuria, nulla solicitet suspicio, libido non exagitet, non expugnent passiones corporis, non inequitet vanitatum appetentia, voluptatum gratia. Iam si adiungas ci virtutes, castimoniam, sobrietatem, ac temperantiam, facile refrænare potens sit immoderatos impetus leuium passionum, mensúramque imponat delectationibus suis & cupiditatibus. Aequitate ambigua distinguat, tranquillitate mentis dubia componat. Et velut compositis omnibus corporis & mentis iurgiis, quasi bonus arbiter inoffensam teneat exterioris hominis atque interioris concordiam, placidans eos in semetipso, ac si causa exigat, nullus eum malus consiliarius reuocet metus à passionis corona. Is plane non solum quasi amicus, sed etiam quasi filius assumetur à patre, vt diuitias gloriæ & hæreditatis eius adipiscatur. Merito ergo postremus quasi finis naturæ formatus ad iustitiam inter cætera animantia iusti arbiter. Et si licet exemplum arcessere, sicut inter homines finis legis Christus ad iustitiam omni credenti, & nos tanquam iumenta contemplatione domini: sic enim propheta ait, κτηνώδης ἐγενήθην παρὰ σοί, id est, iumentum existimatus sum apud te: & quæ tamen comparatio, cùm ille peremptos redemerit, nos immolemus: ille seruos ad libertatem vocauerit, nos liberis irrogemus captiuitatem? Sed quis similis deo processit? Tamẽ postremus creaturarum omnium homo, specie gratus, mẽte sublimis, vt omni esset creaturæ miraculo. In quo ad similitudinem æterni dei νοῦς esset inuisibilis, humana specie amictus. Hinc est νοῦς animæ vigor, principatum animæ & corporis sibi quasi rector vindicans. Quem etiam si non vident animalia cætera, tamen reformidant, sicut nos deum, quem quia non videmus, timemus, & eo plus metuimus, quia non videmus. Nã que vt ad imaginem eius & similitudinem, sicut scriptũ est, præsumamus dicere, cùm ille se fundat maiestatis suæ plenitudine, & videat omnia, cœlum, aerem, terram, mare, complectens vniuersa, & penetrans per singula, vt eum nihil prętereat, & nihil sit quod non consistat in eo, atque ex ipso pẽdeat, & ipsius plenum sit, sicut ipse ait: Cœlum & terrã ego compleo, dicit dominus: ita νοῦς hominis videt omnia, & non videtur, habens sui inuisibilem substantiam, disciplinis & consiliis ac sensibus comprehendit latentia, penetrat occulta maris, atque omnia diffusa terrarum latibula vtriusque scrutator naturæ, ad similitudinem dei summi, quem imitatur & sequitur, cuius imago pro exiguis portionibus in singulis figuratur. Eleuans quoque se in aerem, & eius nubilosa prætergrediens, ad cœli alta se dirigit, studio cognitionis, & ardore sapientiæ, vbi paulisper stupefactus admiratione stellarum cœlestium, & luminum delectatus claritate, prospiciens desuper mundana ista, conferens quoque se ad hesperum atque arcturum & cæteros illos ἀπλανεῖς πλανήτας, & videns quòd inoffensus ille sit error, quem sine errore, quo magis omnia obeant, intexere atque oberrare videantur, maiore se cupiditate attollit ad ipsum gremium patris, in quo est vnigenitus dei filius enarrans secreta dei, & facie ad faciem postea reuelanda. Hunc tamen quibus dignatur, ex parte demonstrat, atque in ænigmate, simúlque de spiritu & vultu suo splendorem luminis more torrentis effundit, vt eo illuminatus dicat: Et erat ignis flammigerans in ossibus meis, & dissolutus sum vndique, & ferre non possum. Et Dauid ait: De vultu tuo iudicium meum prodeat. Hoc

Roma. 10.
Psalm. 72.
Gene. 1.
Hiere. 23.
Hiere. 27.
Psalm. 16.

igitur mentis vigore, vt reuertar vnde digressus sum, quo & externa subigit, & separata & distantia videt, & validiora viribus animalia subiicit, tantam cæteris venerationẽ sui infundit, vt certatim quasi regi obediant, voci eius obsecundent. Et cum sint irrationabilia, rationem agnoscant, & disciplinam eam imprimãt, quam natura non tribuit. Denique vi dentes feræ eius manſuetudinem, eius imperio manſuescũt. Sæpe ſuſpenderunt morſus ſuos reuocante ſono vocis humanæ. Videmus innoxio canum dente lepores ſine vulnere capi. Leones quoque ipſos, ſi vox hominis reſultauerit, prædam dimittere. Pardos atque vrſos incitari ac reuocari vocibus: equos plauſu hominũ fremere, ſilentio mollire curſum. Denique ſæpe ſine verbere prætereunt verberatos. Ita vehementius illos incitat linguę flagellum. Quid vero de muneribus loquar? Nutrit aries vellera, vt placeat homini, atque in fluuio merſatur, vt nitorem augeat. Oues quoque meliora pabula legunt, vt ſuauiore ſucco lactis fœta diſtendant vbera, ſubeunt partus dolores, vt homini ſua munera ferãt. Tauri depreſſo ſulcis per totũ diem aratro gemunt. Cameli præter ſubeundi oneris obſequia tondendos ſe exhibent vt arietes, quo velut regi diuerſa animalia tributum ſuum conferant, pẽdántque vectigal annuum. Equus tanto ſe iactans equite, glomerat greſſus ſuperbos, atque ad domini adſenſum dorſus ſinuatus herili terga ſubſternit ſedili. Sed ne forte adhuc moueat quòd nouiſſimus homo factus ſit, idem equus nos doceat non ad contẽptionem referendum eſſe, ſed honorem. Portat poſteriorem ſuum, nęc deſpicit, ſed reformidat, & per diuerſa eum ſuo circunfert labore. Vno momẽto homo longinqua obit, circumerrat diſtantia, tum équis ſingularibus, tum quadrigis triumphalibus. Et quoniam triumphales memoraui quadrigas, neceſſe eſt attexam iis currus Heliæ, quibus per aera vectus eſt. Currus elephãtorum, quibus homo victor aſſiſtens, cùm ſit poſtremus, priores regit. Sic quoque gubernator nauis in puppi ſedet, & totam nauem gubernat. Vnde puto illud non ocioſum eſſe in euangelio quod dominus Ieſus in puppi dormiebat, denique excitatus imperauit vento & mari, & ſedauit tempeſtatum, oſtendens ideo ſe nouiſſimum veniſſe, quia gubernator veniret. Vnde Apoſtolus ait: Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. Sed nõ prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Et addidit: Primus homo de terra terrenus, ſecũdus homo de cœlo cœleſtis. Recte ergo nouiſſimus quaſi totius ſumma operis, quaſi cauſſa mũdi, propter quem facta omnia, quaſi omnium habitator elemẽtorum inter feras viuit, cum piſcibus natat, ſuper aues volat, cõuerſatur cũ angelis, terrã inhabitat, & cœlo militat, ſulcat mare, aere paſcitur, cultor ſoli, viator profundi, piſcator in fluctibus, in aere auceps, in cœlo hæres, Chriſti cohęres. Hęc ſecundum induſtriã. Accipe etiam quod ſupra hominis ſubſtãtiam. Moyſes in imo ambulauit mari, in ſummo Apoſtoli. Abacuch ſine pennis volauit. Helias in terris vicit, & in cœlo triumphauit. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

4. Reg. 2. Matth. 1. Cor. 15. Exodus. Daniel. 3. Reg. & 4. Reg.

Diui Ambroſii ad Horontianum, de diuiſione prophetica quæ operatorem atque opera diſtinxit. Rattone quoque ſex dierũ quibus factus eſt mundus, & myſterio ſeptimi atque octaui numeri ſubtiliter diſſerentis, *Epiſtola XXXIX.*

AMbroſius Horontiano. Diuiſionem egregiè aduertiſti propheticam, vel potius diuinam. Nõ enim ſua Moyſes, ſed infuſa & reuelata ſibi ſcripſit, ea præcipuè quę ſunt de conſtitutione mundi, quę diuiſio operatorem atque opera diſtinxit. Nam cum aliud impaſsibile eſſet, aliud paſsionis receptabile: quod erat impaſsibile, ad deum operatorem retulit. quod autem paſsibile, ſine anima, ſine motu proprio, motum & animam & figuram à creatore accipiens ſuo, deputauit huic mundo. Quem factum non oportuit ſine gubernatore & quodã patre indefenſum relinqui. Et ideo inuiſibilẽ deum viſibilis huius mundi rectorem eſſe, & quaſi tutorẽ, apertiſsimè deſcribit. Quod ergo inuiſibile, ſempiternum: quod autem videtur, temporale. Sex itaque diebus factum mundum exprimit

595

mit, non quod deus tempore indiguerit ad constitutionem
Psalm.148. eius, cui intra momentum suppetit facere quæ velit, (dixit enim,& facta sunt) sed quia ea quæ fiũt, ordinem quærunt. Ordo autem tempus & numerum plerumque exigit. Illud quoque præcipuè, quoniam nobis ad operandum formam daturus, numerum dierum seruauit & tempora. Nos enim tempore indigemus vt aliquid maturius agamus, ne præcipitemus consilia atque opera nostra, ne ordinem prætermittamus. Cùm enim dominum legimus, vt scriptura ostendit,
Gene.1. cum sapientia & quodam consilio & dispositione fecisse & ordine, vt primo cœlum faceret quod est pulcherrimum, oportet vt eo primum oculos erigamus, illo nobis contẽdendum esse arbitremur, illam sedem terrenis omnibus præferendam putemus. Sex itaque diebus mundum creauit, septimo die requieuit ab operibus suis. Bonus septimus numer⁹,
Gene.2. quem non Pythagorico & cæterorum philosophorum more tractamus, sed secundum formam & diuisiones gratię spiritualis. Septẽ enim virtutes principales sancti spiritus pro-
Esaiæ 61. pheta Esaias cõplexus est. Hæc hebdomas sicut ipsa patris & filij & spiritus sancti venerabilis trinitas, sine tempore, sine ordine, author numeri, non sub numeri lege deuincta. Itaque sicut ad æternæ trinitatis gratiam cœlum, terram, maria formata, sicut sol, luna, & stellæ: ita etiam ad illum septenarium virtutum spiritualium circuitum atque orbem operationis diuinæ vigore præstantem, septenarium quoddam ministerium planetarum creatum aduertimus, quo hic mundus illuminatur. Quarum concurrere fertur militia ad earũ numerum quas inerrabiles ferunt stellas, & vt Græci dicunt ἀπλανεῖς. Septentrio quoque inde Latinè nomen accedit quòd septem in eo fulgor stellarum irradiet, in quem maxime gubernatores quasi ducem feruntur intendere. Descẽdit hæc de cœlo in terras prærogatiua. Nam vt transeam septiformẽ capitis nostri gratiam in oculis duobus, auribus & naribus binis, ore quoque per quod magnam suauitatem percipimus: quantum istud miraculi quod septimo mẽse in C
plerisque origo legitima formatur, & qui fuerit editus, vitalis generationis curricula sortitur: octauo autem mense interdicta naturali lege pariendi cernimus tempora, ac si forte letalis necessitas partus clausura laxauerit, periculum pariter generantis properetur & pignoris. Sed tamen ille septimanus, etsi bene nascatur, ad labores nascitur: qui autem octaua die regenerationis sortitur mysteria, consecratur per gratiam, & ad hæreditatem regni cœlestis vocatur. Magna in virtutibus spiritus sancti hebdomadis gratia, eadem tamen hebdomadẽ sonat, ogdoen consecrat. in illa sonus, in ista fructus est: ideóque octauo die soluta paradiso reddidit spiritus gratia, quos extorres sua fecerat culpa. Nouit ogdoen istam, quam octauam Latinè dicimus, vetus testamẽtum
Eccles.11. siquidem ait Ecclesiastes: Da partem illis septem, & illis qui dem octo. Hebdomas veteris testamenti est, octaua noui,
Psalm.117. quando Christus resurrexit, & dies omnibus nouæ salutis illuxit. Ille dies, de quo ait Propheta: Hic dies quem fecit dominus, exultemus & lætemur in eo, quo die se fulgor plenæ D
atque perfectæ circuncisionis humanis pectoribus infudit. Propterea & vetus testamentum dedit partem octauæ in circuncisionis solennitate. Sed illa adhuc in vmbra latebat. Venit sol iustitiæ, & consummatione passionis propriæ reuelauit sui luminis radios, quos retexit omnibus, & vitæ claritatem aperuit æternæ. Isti ergo sunt septem & octo, de quibus
Osee 3. & Osee dicit quòd eo numero conduxerit sibi, & acquisierit fidei plenitudinem. Sic enim habes: Et abij, & conduxi mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & semicoro hordei, & neuel vini. Conducendam autem ei meretricem dominus præceperat. In superioribus itaque manifestum est quòd conduxit eam, qui etiam mercedis quantitatem expressit. Quindecim autem argentei ex septem, & octo constant. hebdomadam itaque & octauam significant. Duorum igitur testamentorum, id est, plenę fidei precio prophetia consummationem accepit fidei, ecclesia plenitudinem. Primo enim testamento Israel acquisitus est populus secundo nationum & gentium. Fide ergo plena conducitur meretrix, vel ex gentibus copulam sui quęrens, vel ex adultero Iudęorum populo, qui dominum suum & authorem virginalis fidei dereliquerat, conuentus suos totius orbis spatio diffundens. Quod autem dixit, in coro & in semicoro hordei: in coro mensurę plenitudo est, in semicoro semiplena mensura. Plenitudo in euangelio, semiperfectio in lege: sicut legimus dicente domino: Non veni legem so- Matth.5.
luere, sed implere. Et alibi habemus dicente domino per Michęam prophetam: Quia tunc pax erit in terra Israel, Micheæ 5.
cum venerit Assyrius in terram eius, & insurrexerint in eum septem pastores, & octo morsus hominum. Tunc enim plena pax est fideli populo ab omnibus tentationibus & vanitatibus absoluto, cùm mundi huius vanitatem excluserint de cordibus nostris pax & gratia. Pax veteris, gratia nouĩ testamenti. Septem pastores, prẽcepta legis sunt, quibus grex adhuc quasi irrationabilis in virga Moysi per desertum ductus & gubernatus est. Octo morsus hominum, mandata euangelij, & dominici oris alloquia. Corde enim creditur
ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Boni morsus, per Roma 10.
B
quos vitę æternæ munus gustauimus, peccatorum remissionem in Christi corpore deuorantes. In veteri testamento amarus morsus est mortis, propterea dictum est: Deuorauit mors prævalens. In nouo testamento suauis morsus est
vitæ, quæ mortem absorbuit. Propterea Apostolus ait: De- 1.Cor.15.
uorata est mors in victoria sua. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors aculeus tuus? Atque vt apostolicis vtamur
testimoniis, vbi hominem fecit deus, requieuit ab omnibus Heb 4.
operibus suis in die septima. Sed quia populus Iudæorum per contumaciam contempsit mandata dei sui, ait dominus: Si introibunt in requiem meam. Et ideo aliam deus præfiniuit diem, de qua dicit: Hodie si vocem meam audieritis. Duos enim dies comprehendit scriptura generales, Heri, & hodie. De quibus dicit: Imitamini fidem Iesu Christi, heri & Ibidem 13.
hodie, ipse est in secula. In superiore die promissio est, in consequenti solutio. Sed quia hesterna die neque Moyses neque Iesus Naue populum induxit in requiem, hodierna die
Christus induxit, cui dixit pater: Ego hodie genui te. Per Psalm.2.
C
suam enim resurrectionem Iesus populo requiem comparauit. Requies enim in cœlo, non in terra est. Requies nostra, dominus est Iesus, qui ait: Hodie mecum eris in paradi- Lucæ 23.
so. Quid igitur opus est, vt explorem ortus signorum atque obitus, quorum ad exortum duris inarata vomeribus findantur noualia, vel ad occasum læta messis recumbat? Vna mihi stella abundat pro omnibus, stella splendida & matutina, cuius ad exortum seminata est non frugum, sed martyrum seges, quando Rachel plorauit filios suos, vt lachrymis Hiere.31.
ablutos suis pro Christo offerret infantulos: cuius stellæ o- Matth.2.
bitus non cremiorum insensibilium, sed spirantium defunctorum triũphales manipulos de tumulis resuscitauit. Celebretur itaque hebdomas, eò quod per septem ætatum cursus vita hominum vsque ad senectutem transcurritur, sicut Hippocrates medecinæ magister scriptis explicuit suis. Prima ætas infantia est, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta iuuentus, quinta virilis ætas, sexta æui maturitas, septima senectus. Est ergo infans, puer, adolescens, iuuenis, vir, veteranus, senex. Solon autem decem fecit ætatum ordines per annos septenos, ita vt prima ætas infantiæ vsque ad emissionem sit dentium, quibus conficiat cibum, ser monémque distinguat, vt possit effabilis; videri. Pueritia quoque vsque ad annos pubertatis procedit, & genitalia tentamenta. Adolescentia vsque ad barbæ lanuginem. Iuuenta vsque ad perfectæ virtutis processum. Quinta ætas virilis est, apta copulis coniugalibus per totam hebdomadam. Sexta quoque hebdomas virili deputatur ætati, & ad prudentiæ processum habili, & ad agendum strenuè. Septima quoque hebdomas & octaua æui maturum, & sensum vigentem, & sermonem non insuauis alloquij gratia præditum produnt. Nona hebdomas reliquias adhuc habet aliquas virium, lingua ac sapientia mollior. Decima vero hebdomas mensuram implet, ad quam is qui peruenire potuerit, non immaturo temporum cursu pulsabit mortis sera vestibula. Ergo Hippocrates & Solon vel septem ætates vel hebdomadas ætatum norunt, in illis se hebdomas præferat. Octaua autem vnam & perpetuam ætatem inuehit, qua excrescimus in virum perfectum in agnitione dei

fidei

fidei plenitudine,in qua legitimæ ætatis mensura impletur. Est etiam in visceribus nostris hebdomadis explorata gratia.Ferunt enim septem quoque esse in nobis interiora viscera,stomachum,cor,pulmonem,lien,hepar, renes duos. Septem quoque exteriora,caput,posteriora,vētrem,binas manus,& binos pedes.Præstantissima hęc,sed obnoxia dolori. Quis autem dubitet maius esse octauæ munus quæ totum renouauit hominē,vt iam nihil possit dolere?Itaque septima mūdi ætas concluſa est,octaua illuxit gratia,quæ fecit homi nem iam non huius mundi esse,sed supra mundum. Iam enim nō vitam nostram,sed Christum viuimus. Nobis enim
Philip.1. viuere Christus & mori lucrum. Itaque iam non in carne, sed in fide viuimus Christi.Vnde colligimus, quia conclusus est mundi dies.Denique nouissima hora venit dominus Iesus,& pro nobis mortuus est, & omnes in illo mortui sumus,vt viuamus deo.Nō ergo nos qui eramus viuimus, sed viuit Christus in nobis.Abiit ergo hebdomas, venit octaua. Abiit heri,venit hodie,illud hodie quod promissum est,quo admoniti sumus vocem dei audiendam & sequendam. Abiit ergo ille dies testamenti veteris,venit dies nouus,quo
Hiere.31. Hebr.8. testamentum consummatum est nouum,de quo dicit:Ecce dies veniunt,dicit dominus,& confirmabo domui Israel,& domui Iudæ testamentum nouum,non secundum testamē tum quod feci patribus illorum in die qua apprehendi manus ipsorum educere illos de terra Aegypti. Et qua ratione mutatum sit testamentum,adiicit: Quoniam ipsi non manserunt,inquit,in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit dominus. Abierunt sacerdotes legis,legis tribunalia. Accedamus ad sacerdotem nouum,ad sedem gratiæ, visitatorem
Hebre.7. animarum nostrarum,sacerdotem non secundum legē man dati carnalis creatum,sed secundum virtutem infatigabilem electum.Non enim ipse sibi honorē præripuit,sed electus à
Psalm.109. patre est,sicut ipse pater ait: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.Nouus ergo sacerdos videmus quid obtulerit?Alij sacerdotes pro se offerebant,& pro populo suo, hic quia non habuit peccatum, vt pro se offerret,pro vniuerso mundo se obtulit, & per sanguinem suum
Hebr.9. intrauit in sancta sanctorum.Hic est ergo sacerdos nouus,& noua hostia,non ex lege,sed supra legem: aduocatus mūdi,
Apocal.22. lux seculi:qui dixit:Ecce venio,& venit. Ad quē accedamus in abundantia fidei,adorantes,& obsecrātes, & sperantes in eum,quem non videmus oculis,sed affectu tenemus,cui est omnis honor semper & gloria.Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Sabinum,libellos illi mittētis, atque rogantis vt scrutanter discutiat,& quæ corrigenda decreuerit,arbitrij sui iudicio corrigat, *Epistola XL.*

AMbrosius Sabino.Remisisti mihi libellos, quos tuo iudicio probatiores habebo. Ideo misi alios non iudicij fauore delectatus, sed promissa à te, & petita à me veritate illectus. Malo enim tuo corrigatur iudicio si quid mouet, priusquam foras prodeat, vnde iam reuocādi nulla facultas sit,quàm laudari à te quod ab aliis reprehendatur. Itaque arbitrum te eorum quæ postulas rogaui.Neque enim legi à te mea quæ nonnunquam tribuo in vulgus,sed in tuæ calculum venire sententiæ desideraui.Non erit longi subsellij ista iudicatio & mora, vt dictum est antiquitus. Facile est tibi de nostris iudicare. Ego certe huc inuitatu tuo prodeundum putaui, tuum est liquido decernere, & scrutanter discutere quæ corrigas, ne tibi vitio vertāt ea quæ nobis potuerunt obrepere. Nescio quo enim modo præter imprudentiæ caliginem quæ me circun-
* authorē. fundit,vnūquemque fallunt sua scripta, & aurem * præterеunt,atque vt filij etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant. Incautius plerumque aliquid promitur,aliquid accipitur maleuolentius, aliquid exit ambiguum, tum quia alieno examinanda iudicio, non pro nostra debemus magis quàm pro aliena opinione trutinare, & discutere omnes scrupulos maleuolentiæ. Assume igitur beneuolo animo aurem versutiæ, & pertracta omnia, sermones ventila, si in iis non forenses blanditiæ,& suasoria verba,sed fidei synceritas est,& confessionis sobrietas.Notam appone ad verbum dubij ponderis,& fallacis stateræ,ne quid pro se esse aduersarius interpretetur. Esto vt reuincatur si congredi cœperit. Male se habet liber qui sine assertore non defenditur. Ipse igitur pro se loquatur,qui procedit sine interprete.Habetur hic tamen, non egredietur à nobis,nisi à te acceperit authoritatem.Itaque cū eum fide tua prodire iusseris,committetur sibi. Tamen quo 1.Cor.1.
niam non in sermone est regnum dei,sed in virtute:verbum si offenderit,virtutem professionis interrogato.Professio autem fidei sententia est,quam aduersum Sabellianos & Arrianos ita à maioribus traditam tenemus, vt patrem deum, & filium eius vnigenitum,& spiritum sanctum veneremur, hanc trinitatem vnius esse substantiæ,maiestatis,diuinitatis. In hoc nomine patris & filij & spiritus sancti baptizare nos, Matth.28.
quemadmodū scriptū est: Filium itaque coæternum patris susceпisse carnem,natum de spiritu sancto & virgine Maria æqualem patri secundum diuinitatem in dei forma,id est,in omni plenitudine diuinitatis,quæ in illo habitat, vt dixit Apostolus,corporaliter, qui in persona hominis formam ser. Coloss.2. Philip.2.
ui accepit,& se humiliauit vsque ad mortem.Ergo & aduersus Photinum hæc nobis sententia est: aduersus Apollinarem autem legitima circunspectio, vt confiteamur sicut in dei forma nihil ei defuit diuinæ naturæ & plenitudinis, sic in illa forma hominis nihil ei defuisse quo imperfectus homo iudicaretur,qui ideo venit, vt totum hominem saluum faceret.Neque enim decebat vt qui perfectum opus in aliis Ioan.7.
consummauerat, hoc imperfectum in se esse pateretur. Si enim aliquid ei defuit,non totum redemit.Si non totum redemit,fefellit igitur qui dixit ideo se veniſſe,vt totum hominem saluum faceret. Sed quia impossibile est mentiri deo, non fefellit ergo:quia ita venit,vt totum redimeret, & saluū faceret,totum vtique susceрit quod erat humanę perfectionis.Nostra sententia huiusmodi est,vt meministi. Si verba alicubi mouent,non prejudicant fidei.Et enim sermonē dubium mens non dubia obumbrat,& defendit à lapsu. Hęc tecum prelusimus,quę in libros nostrarum epistolarum referam si placet,atque in numerum reponam,vt tuo cōmendentur nomine,& tuis ad nos,& nostris ad vos literis augeatur mutuus amor per dominum,vt ita legas quo iudices, & quod mouerit,scribas ad me. Amor enim verus constantia probatur.Placet iam quod senibus vsu facilius est,quotidiano& familiari sermone epistolas texere,& si quid de scriptu ris diuinis obuium inciderit,attexere. Vale frater, & dilige amantem tui,quia plurimum te diligo.

Diui Ambrosii ad Sabinum, ex eo quòd illi complacuit vsus epistolarum,spondentis se frequentius cum scriptis suis,præsertim cum solus sit,velle alloqui,solitudinemque plurimum commendantis atque suadentis, *Epistola XLI.*

AMbrosius Sabino.Quoniā tibi quoque complacuit nostrarum vsus epistolarum, in quibus quidē inter absentes presentium sermo est, pergam frequentius te in meis scriptis & cum solus sum alloqui. Nunquam enim minus solus sum,quàm cum solus esse videor,nec minus ocioſus quàm cum ocioſus.Certe pro arbitrio arcesso quos volo,atque adiungo mihi quos magis diligo, aut quos aptiores arbitror,nemo interpellat,nemo interpolat. Tunc ergo te magis teneo,& de scripturis confero, & prolixiorem simul sermonem cedimus.Sola erat Maria, & loquebatur cū Luc.1.
angelo. Sola erat quando superuenit in eam spiritus sanctus,& virtus altissimi obumbrauit eam.Sola erat,& opera est mundi salutem,& concepit redemptionem vniuersorum. Solus erat Petrus, & totum per orbem consecrandarum gentium cognouit mysteria.Solus erat Adam, & non Act.10. Gen.3.
est præuaricatus,quia mens eius adherebat deo.Postq̄ vero ei mulier adiūcta est,nō potuit inhærere mādatis cœlestibus & ideo se abscōdebat quādo deus deābulabat in paradiso.Et nunc deambulat in paradiso deus quando diuinas scripturas lego.Paradisus est Geneſis liber,in quo virtutes pullulit patriar-

patriarcharum. Paradiſus Deuteronomium, in quo germinant legis præcepta. Paradiſus euangelium, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, & æternæ ſpei mandata diffundit per vniuerſos populos. Audiens itaque, Diligite inimicos: Audiens, Dimitte omnia tua & ſequere me: Audiens, Qui te percutit in maxilla, præbe ei alteram: & hæc non faciens, & vix diligens eum qui me diligat, non dimittens quæ habeo, iniuriam acceptam vlciſci volens, & ſublatum mihi extorquere, cùm ſcriptura dicat etiam aliud, id eſt, plus quàm petitum aut ereptum eſt, concedendum: video me conrra mandata dei facere. Et aperiens oculos conſcientiæ deambulare mihi deum præſentem recognoſco, cupio me abdere, cupio velare, ſed nudus ſum deo, apud quem nuda & intecta ſunt omnia. Erubeſcens itaque tegere pudenda facinora deſideroſ, quaſi membra mei corporis: ſed quia deus omnia videt, foliis obumbratus, latebris tectus appareo. Puto me abſconditi, quia corpore amictus ſum. Ipſa eſt tunica pellicea cum qua Adam de paradiſo eiectus eſt, nec à frigore tutus, nec tectus ab opprobrio, ſed & iniuriæ & culpæ patens. Liquet igitur ex his quia ſoli cum ſumus, tunc nos offerimus deo, tunc mentem ei noſtram aperimus, tunc amictum fraudis exuimus. Solus erat Adam quando in paradiſo conſtitutus eſt, ſolus erat & quando ad imaginem dei factus eſt, ſed non erat ſolus quando de paradiſo eiectus eſt. Solus erat dominus Ieſus quando mundum redemit. Non enim legatus neque nuncius, ſed ipſe dominus ſolus ſaluum fecit populum ſuum: etſi nunquam ſolus eſt ille, in quo pater eſt ſemper. Vnde & nos ſoli ſimus, vt dominus nobiſcum ſit. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Matt. 5. Marth. 19. Luc. 6.

Hebr. 4.

Gene. 3.

Gen. 1. & 3.

Diui Ambroſij ad Sabinum, de paradiſo quid alij ſenſerint referentis, & quæ ſua de myſtico paradiſo ſit ſententia, pulchra expoſitione declarantis. *Epiſtola XLII.*

AMbroſius Sabino. Lecto hexaemero vtrum paradiſum ſubtexuerim, requirendum putaſti, & quam de eo haberem ſententiam ſignificãdum, ídque velle te ſtudioſè cognoſcere. Ego autem iam dudum de eo ſcripſi, nõdum veteranus ſacerdos. Sententias autem de eo diuerſas eſſe plurimorum comperi. Nam Ioſephus, vtpote hiſtoriographus, locum dicit refertum arboribus virgultíſque plurimis, irrigari etiam flumine qui diuidatur in quatuor fluuios. Collecta etenim in vnum cõgregatione aquarum, non ſe penitus exinaniuit terra, & fraudauit irriguis ſuis, ſed hodiéque in fontes prorumpit, & deducit meatus fluminum, quibus pignora ſua quaſi pia mater plenis lactat vberibus. Alij alias. Omnes tamen congruunt in paradiſo & lignum vitæ radicatum, & lignum ſcientiæ quæ diſcernat bonum & malum, cætera quoque ligna plena vigoris, plena viuificationis, ſpirantia, & rationabilia. Ex quibus colligitur paradiſum ipſum nõ terrenum videri poſſe, non in ſolo aliquo, ſed in noſtro principali, quod animatur & viuificatur animæ virtutibus, & infuſione ſpiritus dei. Denique Salomon in ſpiritu paradiſum in homine eſſe euidenter declarauit. Et quia myſteria exprimit vel animæ & verbi, vel Chriſti & eccleſiæ, ideo ait de virgine anima, vel eccleſia quam volebat virginem caſtam aſſignare Chriſto, Paradiſus concluſus ſoror mea ſponſa, paradiſus concluſus, fons ſignatus. Paradiſus Græcè, Latinè ortus dicitur. Denique Suſanna in paradiſo erat, & ſic legitur Latinè. Et Adam in paradiſo erat, & ſic legimus. Ergo non te moueat quòd alij codices Latini ortum habent, alij paradiſum. Ibi ergo eſt caſta vxor, vbi virgo. Licet virgo excepta habeat clauſtra & ſignacula ſua, ſed vtraque in paradiſo, vt aduerſum æſtus corporis & carnis flagrantiam refrigeretur virtutum vmbraculis. Ergo paradiſus in principali noſtro eſt, ſylueſcens plurimarum opinionum plantariis, in quo principaliter lignum vitæ conſtituit deus, id eſt, pietatis radicem. Ea eſt enim vitæ noſtræ ſubſtantia, ſi domino & deo noſtro debitos cultus deferamus. Conſtituit etiam ſcientiæ boni & mali ſeminarium. Homo enim ſolus in cæteris animantibus terrenis habet ſcientiam boni & mali. Alia quoque illic plantaria diuerſa, quorum fructus virtutes ſunt. Sed quia ſcientiæ capax hominis affectus cognitus eſt deo quòd citius ad aſtutiam inclinaretur, quàm ad ſummum prudentiæ. (Neque enim iudicem qui fines certos in anima noſtra conſtituit, operis ſui qualitas latere poterat) eliminare voluit aſtutiam de paradiſo, quaſi prouidus author noſtræ ſalutis, & vitæ ſtudium, & diſciplinam pietatis infundere. Ideoque præcepit homini ab omni ligno quod eſt in paradiſo, guſtãdum, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali non eſſe guſtandum: ſed quia creatura omnis paſſioni obnoxia, ideo delectatio ſicut ſerpentino illapſu humanis irrepſit affectibus. Itaque non immerito ſanctus Moyſes delectationem ſerpentis figurauit ſimilitudini. Prona eſt enim in ventrẽ ſicut ſerpens, non pedibus incedens, aut vllis eleuata cruribus, ſed ſinuoſo flexu totius velut corporis ſui lubrica. Ei terra cibus eſt ſicut ſerpenti, quoniam eſcam neſcit cœleſtem. Corporalibus enim paſcitur, atque in varias mutatur ſpecies cupiditatum, & tortuoſis angulatur anfractibus. Venenum in dentibus habet, quibus vnuſquiſque ſe euiſcerat luxurioſus, heluo internecat, abliguritor perimit. Quantos ruperunt vina, diſſoluit ebrietas, diſtẽdit cruditas? Nunc intelligo qua cauſſa dominus deus inſufflauit in faciem hominis. Ibi enim ſenſus omnis, ibi ſedes atque illecebra delectationis, in oculis, auribus, naribus, atque in ore, vt ſenſus noſtros aduerſus delectationem fortiores faceret. Hæc ergo nobis, ſicut ſerpens aſtutiam, infudit. Non enim delectatio, ſed labor & diuturna meditatio cum dei gratia dat perfectam prudentiam. Tamen quia ſerpentis fraudibus inuoluta eſt humani generis hæreditas, in eo aſtutiam ſerpentis ſequamur, vt caput noſtrum non proiiciamus in pericula, ſed præ cęteris integrum cuſtodiamus. Caput autem noſtrum Chriſtus eſt. Hoc maneat incolume, vt ſerpentis venena nobis non poſſint nocere. Bona eſt enim ſapientia cum hæreditate, id eſt, cum fide, quoniam eſt hæreditas credentibus in dominum. Quod ſi primus ille homo qui cum deo loquebatur in paradiſo poſitus, labi tã facile potuit, ex terra creatus virgine, quæ ad verbum dei formata & creata recenti fuerat exortu, nondum ea parricidali cædiúmque concreta ſanguine, flagitiis & dedecore polluta, nondum carne noſtra dãnata maledicto obnoxiæ hæreditatis: quanto facilius poſtea lubrica ad peccandum via maius aduexit humano generi præcipitium, cùm deterior tolerabiliori per vices generationis ſucceſſerit? Et enim ſi magnetis lapis tantam naturæ vim habet, vt ferrum ad ſe trahat, & transfundat ſe in illius ſpeciem, ita vt pleriſque experiri volentibus cum plures annulos ferreos ad eum lapidem admouerint, omnes pari teneat modo: deinde ſi ei annulo cui adhęſerit lapis, alium admoueas annulum, & rurſus per ordinem ſingulis ſubſtituas, licet in omnes penetret per ordinem ex illo lapide vis naturę, tamen priores nexu vehementiore conſtringit, poſteriores remiſſiore: quanto magis humani generis conditio atque natura ex puriore ſtatu in deteriorem lapſa eſt, quando nequiorem attigit? Nam ſi per eas ſpecies minuitur natura quæ non ſunt culpæ capaces, quanto magis per animos atque artus labe pollutos ſcelerum virtus eius hebetatur? Vnde quia excreuerat malitia, abolita innocentia fuerat, non erat qui faceret bonitatem, non erat vſque ad vnum: venit dominus, qui reformaret naturæ gratiam, imò augeret, vt vbi ſuperabundauit peccatum, ſuperabundaret gratia. Ergo liquet & quia author hominis deus, & quòd deus vnus, non multi dij, ſed vnus qui mundum operatus eſt, & vnum non multos mundos, vt dicunt philoſophi. Primum igitur mundum creauit, deinde habitatorem mundi, cui totus mundus patria foret. Nam ſi hodie quocunque acceſſerit ſapiens, vbique ciuis eſt, vbique ſua omnia intelligit, nuſquam ſe peregrinum, nuſquam hoſpitem iudicat, quanto magis ille primus homo totius erat mundi incola, & vt Græci dicunt, κοσμοπολίτης, opus dei recens, confabulator aſſiduus, ciuis ſanctorum, complantatus virtutibus, præpoſitus omnibus terrenis animantibus, marinis, volatilibus, totum mũdum ſuam poſſeſſionem putabat, quem dominus tuebatur vt opus ſuum, neque vt bonus parens atque author deſerebat? Denique eouſque creatum fouit, vt abdicatum redimeret, eliminatum reciperet, mortuum paſſione filij ſui vnigeniti reſuſcitaret. Eſt ergo hominis author

Gen. 2.

Ibidem.

1. Cor. 11. Eph. 1. & 4.

Pſalm. 13.

Rom. 5.

Cantic. 4.

Dan. 13. Gene. 2.

deus,& diligit opus ſuum operatur bonus, nec derelinquit bonus pater,quem etiam ſicut diues paterfamilias cēſu propriæ hæreditatis redemit . Caueamus ergo ne hominem iſtum,id eſt,νοῦν,mulier illa,id eſt,paſſio ſenſuum noſtrorum, delectatione & ipſa decepta atque illuſa effœminet , & circunſcriptum in leges ſuas & ſentētiam trahat.Fugiamus delectationem ſicut ſerpentem:multas artes habet,& maximè in hominem. Nam alia animantia cibi auiditate capiuntur, homo quanto plures ſenſus oculorum auriúmque habet, tanto maiora pericula. Vale,& nos dilige,vt facis,quia nos te diligimus.

Diui Ambroſii ad Siſymnium, pietatem illius commendantis, quòd filio ignouerit qui eo inconſulto vxorem acceperat.
Epiſtola XLIII.

AMbroſius Siſynnio.Quod filio noſtro remiſiſti meo rogatu,quia te inconſulto vxorem acceperat,pietati magis tribuo quàm noſtro amori.Plus eſt enim pietatē ipſam de te impetrauiſſe,quàm cuiuſquam petitionem . Certe ſacerdos tunc magis impetrat , cum virtus prævalet.Sacerdotis enim petitio,doctrina pietatis eſt.Impetrauit igitur natura,impetrauit filius, eo plenius,quia poſtulati contemplatio temporalis ſolet eſſe,virtutis autem diuturnus habitus, & iugis animarum inductio.Pulchrè itaque geſtum, vt te patrem recognoſceres: ſimul quia iuſta indignatio fuit.Malo enim culpam fateri,vt plus laudetur paterna indulgentia:ſed & ipſa paterna offenſio fuit,quoniam venturam in locum filiæ tuæ debuiſti eligere iudicio,cui fieres pater.Nanque aut natura filios ſuſcipimus,aut electione. In natura caſus eſt, in electione iudicium : magíſque in adoptatis offendimus quàm in genitalibus filiis:quia genitales filios eſſe degeneres,ad naturam refertur: aſcitos vel adoptione vel copula dedecores eſſe , non niſi errori adſcribitur. Fuit ergo quod ſuccenſeres filio , ſed fuit etiam quod remitteres,quia ſibi vxorem elegit.Adquiſiſti filiam ſine electionis periculo. Si bonam duxit,tibi acquiſiuit gratiam:ſi errauit,recipiendo meliores facies,refutando deteriores. Maturiore quidem conſilio puella filio à patre traditur,ſed maiore obſequij propoſito à filio ad patrē ducitur,& à viro lecta ingreditur ſoceri domum, dum metuit & filius diſplicere iudiciū ſuum , & nurus miniſterium. Illum paternæ electionis prærogatiua attollit atque erigit,iſtam offenſionis humiliat metus, inclinat verecundia. Non habebit filius quod in vxorem referat quaſi exors culpæ ſi quid fortaſſe offenſum ſit,quod habet vſus:imò amplius elaborabit vt in vtroque ſuum poſſit probari & in vxore iudicium,& in ſe obſequium.Feciſti igitur quod boni parentes, vt cito ignoſceres, ſed obſecratus. Nam antequam rogareris,non erat ignoſcere,ſed factum probare. Deinde diutius differre veniam,& tibi acerbum,& illis inutile.Neque enim paterna viſcera diutius tolerare poſſent . Summæ deuotionis propoſito Abraham filium ſuum ſecundum oraculum dei offerebat in holocauſtum,& quaſi exors naturæ exerebat gladium,ne mora ſacrificium decoloraret:tamen vbi abſtinere à filio iuſſus eſt,gladium libenter recondit:& qui immolare vnigenitum fidei intentione properabat,maiore pietatis ſtudio feſtinauit ouē ſubrogare ſacrificio. Ioſeph quoque vt fratrem iuniorem teneret,ſimulabat iracundiam fratribus,& compoſitam à ſe furti fraudem indignatus eſt: tamen cum aduolueretur ad genua eius vnus ex fratribus Iudas,flerent alij,fraterno victus & compaſſus affectu, diutius tenere non potuit ſimulationem ſeueritatis, remotiſque arbitris aperuit fratribus quod germani ſui eſſent,& ipſe eſſet Ioſeph quem vendidiſſent: nec ſe memorem ſuæ eſſe iniuriæ,& non fraternæ venditionis acerbitatem fraternè excuſare, atque id quod poſſet arguere, ad altiores cauſſas referre, eò quòd ita oportuiſſet fieri procurante deo, vt tranſiret in Ægyptum qui gentem ſuam frugis externæ egentem paſceret, vt ſterilitatis tempore alendis patri & filiis ſubſidio foret. Quid autem de ſancto Dauid loquar, qui degenerem filium,& fraterno oblitum ſanguine,ad vnius mulieris petitionem paternis viſceribus mentem emollitus domo recepit?Ipſe ille euangelicus pater adoleſcentiorē filium qui prodegerat omnem ſubſtantiam à patre acceptā viuendo luxurioſe, regredientem tamen vnius ſermonis inflexus humilitate,quod in patrē peccaſſe ſe fatebatur,occurſu pio fouit,ſupra collum eius cecidit,primam illi ſtolam,annulum & calceamenta deferri iuſſit,atque honoratum oſculo, donatum munere,admirabili ſuſcepit cōuiuio. Horum te imitatorem præbuiſti pietate patria , qua proxime ad deum accedimus: & ideo ego prompte filiam noſtram adhortatus ſum vt etiam hyemali tempore viæ laborem exciperet, commodius hybernatura non ſolum in hoſpitio,ſed etiam in affectu paterno,cum iam ſucceſſerit indignationi gratia: quando quidem vt plenè te ad ſimilitudinem atque imitationem ſancto rum referres,eos accuſauiſti qui compoſitis mendaciis animum tuum aduerſum filios excitandum arbitrati ſunt. Vale,& nos dilige,quia nos te diligimus.

Luc.15.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
Mediolanenſis epiſtolarum Liber VII.

Diui Ambroſii ad Conſtantium, in ſuſcepto eccleſiæ gubernamine illum confortantis, ac diligenti cōmonitione inſtituentis qualem ſe debeat coram plebe domini exhibere loquendo , docendo, admonendo, hortando, perſuadendo, obſecrando, vt vitiis & terrenis cupiditatibus renuncient, virtutes ſectentur, bonorúmque operum diuitias quærant, & domino in ſobrietate, & gratia, & tota mentis ſedulitate ſeruiant: demum eidem aliam quandam eccleſiam commendantis, *Epiſtola XLIIII.*

AMbroſius Conſtantio.Suſcepiſti munus ſacerdotij,& in puppe eccleſię ſedens nauim aduerſus fluctus gubernas. Tene clauum fidei , vt te graues huius ſeculi turbare non poſſint procellæ.Mare quidem magnum & ſpatioſum,ſed noli vereri,quia ipſe ſuper maria fundauit eam,& ſuper flumina præparauit eam.Itaque non immerito inter tot mundo freta eccleſia domini tanquam ſupra apoſtolicam ædificata petram immobilis manet,& inconcuſſo aduerſum impetus ſæuientis ſali perſeuerat fundamine.Alluitur vndis,non quatitur,& licet frequenter elementa mundi huius magno in iſta reſultent fragore,habet tamen quo laborantes excipiat, tutiſſimum portū ſalutis.Sed tamen & ſi in mari fluctuat, currit in fluminibus , & vide ne in illis fluminib⁹ magis, de quibus dictum eſt , Eleuauerunt flumina vocem ſuam. Sunt enim flumina quę de ventre eius fluunt,qui potum à Chriſto acceperit,& de ſpiritu dei ſumpſerit.Hæc ergo flumina cum redundant ſpirituali gratia,eleuant vocem ſuam.Eſt & fluuius qui decurrit in ſanctos ſuos ſicut torrens.Eſt & fluminis impetus,qui lætificat animam pacificam atque tranquillam.Ex huius fluminis plenitudine quicūque acceperit, ſicut Ioannes euangeliſta, ſicut Petrus, Paulus, eleuat vocem ſuam,& ſicut apoſtoli euangelicæ prædicationis vocem vſque in totos fines orbis terrarum canoro diffuderunt præconio, ita & iſte incipit euangelizare dominum Ieſum . Accipe ergo à Chriſto, vt & tuus ſonus exeat. Mare eſt ſcriptura diuina,habens in ſe ſenſus profundos,altitudinem propheticorum ænigmatum,in quod mare plurima introierunt flumina.Sunt ergo & fluuij dulces atque perſpicui,ſunt & fontes niuei qui ſaliant in vitam æternam,ſunt & ſermones boni ſicut faui mellis,& gratæ ſentētiæ quæ animos audiētium ſpirituali quodam potu irrigent, & præceptorum moralium ſuauitate mulceant.Diuerſa igitur ſcripturarum diuinarum fluenta.Habes quod primum bibas,habes quod ſecundum, habes quod poſtremum. Collige aquam Chriſti, illam quæ laudat dominum.Collige aquam de pluribus locis quam effundunt nubes propheticæ.Quicūque colligit de montibus aquam,

Gene.21.

Gen.44.

2.Reg.14.

Pſalm.92.

Ioan.7.

Pſalm.64.

603

aquam,atque ad se trahit,vel haurit è fontibus, & ipse rigat sicut nubes. Imple ergo gremium mentis tuæ, vt terra tua humescat,& domesticis irrigetur fontibus. Ergo qui multa legit & intelligit,impletur:qui fuerit impletus,alios rigat. Ecclesi.11. deoque scriptura dicit: Si impletæ fuerint nubes,pluuiam in terram effundent. Sint ergo sermones tui profluí, sint puri & dilucidi, vt morali disputatione suauitatem infundas populorum auribus,& gratia verborũ tuorum plebem demulceas,vt volens quo ducis sequatur. Quòd si aliqua vel in populo vel in aliquibus contumacia vel culpa est,sint sermones tui huiusmodi vt audientem stimulent,compungant male conscium. Sermones enim sapientum tanquàm stimuli. Stimulauit & dominus Iesus Saulum,cum esset persecutor. Quàm salutaris fuerit stimulus,considera,qui ex persecutore apostolum fecit dicendo: Durum tibi est vt aduersus Acto.9. stimulum calces. Sunt etiam sermones sicut lac, quos infudit Paulus Corinthiis. Qui enim fortiorem cibum epulari non queunt,succo lactis ingenij sui exercent infantiam. Eloquia tua plena intellectus sint. Vnde & Salomon ait: Arma intellectus labia sapientis. Et alibi: Labia tua alligata sint sensu,id est,fulgeat sermonum tuorum manifestatio, intellectus coruscet,& alloquiũ tuum atque tractatus aliena non indigeat assertione, sed sermo tuus velut armis suis sese ipse tueatur, nec vllum verbum tuum inuanum exeat,& sine sensu prodeat. Est enim alligatura quæ constringere solet animorum vulnera: quam si quis reiicit,desperatam sui prodit salutem. Et ideo circa eos qui graui vlcere vexãtur,vtere oleo sermonis quo foueas mentis duritiam. Appone malagma, adiũge alligaturam salutaris præcepti, vt vagos & fluctuantes circa fidem,vel erga disciplinæ obseruantiam,nequaquam soluto animo & remisso vigore patiaris perire. Admone igitur plebem domini atque obsecra vt abundet in operibus bonis, renunciet flagitiis,non accendat flammarum incendia. Non dicam in sabbato, sed in omni tempore, ne cõburat corpus suum,fornicatio & immunditia non sit in dei seruulis, quia 1.Thes.4. immaculato seruimus dei filio. Nouerit vnusquisque se, & vas possideat suum,vt subacto quodã sui corporis solo,fru- Gene.3. ctus expectet debitos. Nec spinas & tribulos ei terra sua ger- Psal.84. minet,sed dicat & ipse,terra dedit fructus suos: atque in hac dumosa quondam passionum fragilitate, insitiua virtutum efflorcant. Edoce etiam atque institue vt faciant quod bonum est,& vnusquisque non intermittat opus probabile,siue à pluribus videatur,siue sine arbitro sit. Abundat enim sibi locuples testis conscientia. Fugiat etiam mala opprobria, etiam si se credat non posse conuinci. Nam etsi clausus paries tibus sit,& opertus tenebris,sine teste,sine conscio,habet tamen facti arbitrum quem nihil fallat,ad quem facta clamãt omnia. Denique clamauit & vox sanguinis. Sibi ipsum vnusquisque animum suum seuerum iudicem sui, vltorem sce- Gene.4. leris,& vindicem criminis habet. Denique timens & tremẽs oberrabat Cain parricidalis facinoris luens pœnas, vt ei remedio sua mors fuerit. quem vagum exulem formidato per omnia momenta terrore mortis per mortem exuit. Nemo igitur vel solus vel cum altero aliquid turpe aut improbũ faxit. Et si quis solus est,seipsum præ cæteris erubescat, quem maxime debet vereri. Nec concupiscat plurima,quia & pauca ei plurima sunt. Paupertas & opes, inopiæ & satietatis vocabula sunt. Nec dies est qui indiget aliquo, nec pauper qui non indiget. Nec quisquam viduam spernat,circunscri- Mich.3. bat pupillum,fraudet proximum suum. Væ enim illi qui congregatam dolo habet substantiam, & in sanguine ædificat ciuitatem, id est animam suam. Hæc est enim quæ ædificatur sicut ciuitas. Hanc ciuitatem non ædificat auaritia,sed de- Prou.15. struit: non ædificat libido,sed exurit atque incendit. Vis bene ædificare ciuitatem? Melius est exiguum cum dei timore,quàm thesauri magni sine timore. Diuitiæ hominis ad redemptionem animæ debent proficere, non ad destructionem. Et thesaurus redemptio est,si quis eo bene vtatur: & iterum laqueus est,si quis vti nesciat. Quid enim homini pecunia sua,nisi quoddam viaticum est? Multa oneri,moderapus est vt quis bene transeat. Cum illo enim dominus Iesus,

A qui bene transit. Ideoque legis: Si transeas per aquam, te- Esaiæ 43.
cum sum, flumina te non concludent: nec ignis exuret vestimenta tua,si transeas. Qui autem ignem alligat in corpore suo, ignem libidinis, ignem immodicæ cupiditatis, non transit,sed exurit inuolucrum istud animæ suæ. Præclarior Prou.22.
est bona existimatio quàm pecunia,& super omnes argenti aceruos bona est gratia. Fides ipsa abundat sibi, satis supérque censu suo diues. Sapienti quoque nihil alienum nisi quod virtuti incongruum. Quocunque accesserit, sua omnia,totus mundus possessio est, quoniam toto eo quasi suo vtitur. Quid igitur circunscribitur frater? quid fraudatur mercenarius? Non magna, inquit, lucra de mercede meretricis,id est,lubricæ istius fragilitatis. Meretrix ista non specialis, sed publica est. Non vna mulier, sed vaga omnis cupiditas merettrix est. Omnis perfidia, omnis fallacia meretrix,non illa sola quæ corpus prostituit suum,sed omnis anima quæ spem suam vendit,quæ deformes quæstus & degenerem stipem quærit. Et nos mercenarij sumus, qui ad mer-
B cedem laboramus, & huius operis nostri mercedem speramus à domino nostro & deo. Si quis cognoscere vult quàm mercenarij sumus,audi dicentem: Quantis panibus merce- Lucæ 15.
narij patris mei abundant: ego autem hic fame pereo. Et infra: Fac me, inquit, sicut vnum mercenariorum tuorum. Omnes mercenarij, omnes operarij. Qui tamen fructum expectat laboris, consideret quòd is qui alium mercede fraudauerit debita,& ipse fraudabitur sua. Fœneratum istud offendit,& postea cumulatiore mẽsura exoluet. Ergo qui non vult amittere quod est perpetuum, non eripiat alij quod temporale est. Nemo etiam in dolo loquatur ad proximum suum. Laqueus est in labiis nostris,& sæpe vnusquisque sermonibus suis non explicatur, sed inuoluitur. Fouea alta est os maleuoli,grande innocentiæ præcipitium,sed maius maleuolentiæ. Innocens dum credit facile, cito labitur, sed ta-
C men iste lapsus resurgit: maledicus autem suis artibus præcipitatur,vnde nunquam exiliat atque euadat. Ponderet ergo vnusquisque sermones suos non cum fraude & dolo. Statera fallax improbabilis apud deum: non illam stateram Prou.11.
dico quæ mercedem appendit alienam. & in vilibus quidem rebus raro constat fallacia, sed statera verborum ipsa apud deum est execrabilis, quæ prætendit pondus grauitatis sobriæ,& subnectit versutias fraudulentiæ. Hoc maxime condemnat deus, si decipiat aliquis proximum suum promissorum benignitate,& subdola iniquitate defœneratum opprimat, nihil sibi profuturus astutiæ suæ artibus. Quid enim prodest homini si totius mundi capiat opes,ani- Matth.16.
mam autem suam vitæ æternæ defraudet stipendio? Alia piis mentibus consideranda statera, qua singulorum facta trutinantur, in qua plerumque ad iudicium peccata propendunt,aut bene gesta peccatis præponderant. Væ mihi si præcedant flagitia,& ad mortis præiudicium letali vergant pon dere,tolerabilius si subsequantur. Omnia tamen manifesta Hebr.4.
D domino & ante iudicium: nec bona possunt latere: nec ea quæ plena sunt offensionis,abscondi. Quàm beatus qui radicem vitiorum resecare potuerit auaritiam. Is profecto stateram hanc non reformidabit. Auaritia enim plerumque 1.Tim.6.
sensus hebetat humanos, & peruertit opiniones, vt quæstum pietatem putent, & pecuniam quasi mercedem prudentiæ. Merces autem magna pietatis est: & quæstus sobrietatis, habere quod vsui est satis. Quid enim in hoc mundo prosunt diuitiarum superflua, cum in iis & nulla adiumenta nascendi sint, nec impedimenta moriendi? Nam & sine integmento in hoc mundo nascimur, & sine viatico discedimus,sine hæreditate sepelimur. Pendet per singulos nostrorum statera meritorum: atque exiguis vel boni operis, vel degeneris flagitij momentis huc atque illuc fæpe inclinatur: si mala vergant,heu me: si bona,præsto est venia. Nemo enim à peccato immunis: sed vbi propendunt bona, eleuantur peccata, obumbrantur, teguntur. Ergo die iudicij aut nostra opitulabuntur nobis opera, aut ipsa nos in profundum tanquam molari depressos lapide mergent. Grauis est enim vtpote talento plumbeo suffulta iniquitas, intolerabilis auaritia, atque omnis superbia,tetra fraudulen-

dulentia. Et ideo hortare plebem domini sperare magis in
domino, abundare in diuitiis simplicitatis, in quibus ambu-
let sine laqueo, sine impedimento. Bona etiam puri sermo-
nis synceritas, & locuples apud deum, etiam si inter laqueos
ambulet. Tamen quia alij nescit insidias aut vincula inne-
ctere, non alligatur. Illud quoque præcipuum, si persuadeas
vt nouerint humiliari, sciant verum humilitatis colorem,
naturam nouerint. Multi habent humilitatis speciem, sed
virtutem non habent: multi eam foris prætendunt, & in-
tus impugnant. Ad fucum præferunt, ad veritatem abiu-
Eccles.19. rant, ad gratiam negant. Est enim qui nequiter humiliat se,
& interiora eius plena sunt doli. Et est qui se nimium sub-
mittit ab humilitate multa. Non est ergo humilitas nisi sine
fuco, sine fraude. Ipsa est vera quæ habet piam mentis syn-
Rom.5. ceritatem. Magna virtus eius. Denique per inobedientiam
vnius hominis mors introiuit, & per obedientiam vnius do-
Gen.37.39. mini Iesu Christi facta est vniuersorum redemptio. Sciuit hu-
Psal.104. miliari sanctus Ioseph, qui cum esset à fratribus in seruitu-
tem venditus, vel à negociatoribus coemptus, humiliatus
in compedibus, vt scriptura dicit, virtutem humilitatis di-
dicit, infirmitatem repudiauit. Itaque emptus in Ægypti par-
tibus à seruo regio coquorum præposito, non prosapiæ no-
bilis conscientia, quasi germen Abrahamidarum, dedigna-
tus obsequia vernacula, fastidiuit degenerem conditionem,
sed magis gnauum se & fidelem herili imperio præbuit, al-
to intendens consilio nihil interesse in quo statu quis proba
bilem se præstaret, sed illum esse finem bonorum, vt in quo-
cunque statu probarentur: illúdque præcipuum, si magis
mores commendarent statum, quàm status mores. Etenim
quo status inferior, eo virtus eminentior. Talem itaque se
exhibebat, tam sedulum, vt ei dominus suus totam domum
Gene.39. suam crederet, ipsi omnia committeret. Vnde & vxor eius
oculos iniecit in eum capta formæ venustate. Nihil enim
ad nos si petulantibus oculis aut ætas expetitur, aut pulchri-
tudo. Ars desit, nullum est crimen decoris: illecebra face-
sat, inoffensa est species, & formæ gratia. Itaque percita at-
que animi furens interpellat iuuenem, & cogente libidine
victa passionum stimulis crimen fatetur. Verum ille abiurat
flagitium, dicens nec moribus Hebræorum conuenire nec
legibus vt alienum violent thorum quibus cura est tuendi
pudoris, vt integri nuptiarum integris socientur virginibus,
nec vlli conueniant fœminæ quæ legitimi vsus thori nesciat:
religionémque sibi esse ne ebrius turpis intemperantiæ, in-
gratus herilis indulgentiæ, cui obsequium deberet, ei grau-
em inferret contumeliam. Nunquid erubescebat illum vi-
lem dominum tamen dicere, & se seruum fateri? Quine-
tiam cum ambiret mulier, obsecraret etiam metu proditio-
nis, vel amoris sui lachrymas funderet ad extorquendi ne-
cessitatem, nec misericordia flexus ad flagitij consensum,
nec coactus metu, & precibus restitit, nec minis cessit, præ-
ponens præmiis periculosam honestatem, quàm turpem re-
munerationem casto pudori. Iterum quoque mulier ma-
ioribus adorsa tentamentis, cum inflexibilem aduerteret, e-
tiam secundo immobilem passione, effera impudentia vi-
res ministrante, iuuenem aggreditur, veste apprehensa ad
cubile trahens, complexum offerens, & pene ceperat, nisi
exuisset Ioseph vestem qua tenebatur, ne exueret amictum
humilitatis, indumentum pudoris. Sciuit igitur humiliari,
qui humiliatus est vsque ad carcerem: & cum sustineret ca-
lumniam, maluit crimen falsum subire, quàm verum refer-
re. Sciuit inquam humiliari, qui humiliabatur pro virtu-
Philip.2. te. Humiliabatur in typo eius qui se erat humiliaturus vs-
que ad mortem, mortem autem crucis: qui venturus erat
vt vitam hanc de somno resuscitaret, & somnum esse hunc
viuendi vsum doceret, in quo diuersæ commutationum vi-
ces tanquam ebriæ, & nihil solidum, nihil firmum, tanquam
dormientis somnium videntes non videmus, & audientes
non audimus, & manducantes non satiamur, gratulates non
gratulamur, currentes non peruenimus. Vanæ spes homi-
num in hoc seculo, qui ea quæ non sunt, tanquam quæ sint
sequenda arbitrentur. Itaque inanes & vacuæ rerum species
tanquam in somno venerunt, abierunt, astiterunt, euanue-

runt. Circunfusæ & dispersæ sunt, teneri videntur, & non te-
nentur. Denique vbi quis audiuit dicentem, Surge qui dor- Ephe.5.
mis, & de seculi istius somno exurrexit: falsa hæc intellexit
omnia: euigilauit, & fugit somnium, fugit potestas, abiit cu-
ra patrimonij, formæ venustas, honorum studium. Hæc e-
nim somnia sunt, quibus non mouetur qui vigilant corde,
sed dormientes exagitatur. Vadatur hunc sermonem meum
sanctus vir Ioseph, non esse perpetua nec diuturna quæ sunt
huius seculi, qui ab initio nobilis genere, censu diues, subito
ignobilis seruulus, & (quod ipsam seruitij vilitatem acerbat)
degeneris domini ære emptum mancipium. Minus enim vi
le putatur seruire libero: geminatur autem seruitus, vbi ser-
nitur vernaculis. Seruus igitur ex genere præclaro, pauper
ex parte diuite, de amore ad odium, de gratia ad supplicium,
rursus de carcere ad aulam, de reatu ad iudicium traductus,
neque aduersis fractus est, neque eleuatus secundis. Astipu
latur etiam momentarias esse vices rerum etiam sancti Da- Philip.4.
uid frequenter variatus status, qui despectus patri, precio- Esaiæ 53.
sus deo, triumpho nobilis, inuidia vilis, accitus ad ministe-
rium regium, electus ad affinitatem, postremo faciem & o-
ra mutatus, exul regni, fugitans parricidij, nunc sua offendi-
cula deplorabat, & rursus aliena remouebat, conciliato hæ-
rede nobilior quàm decolorato. Expertus igitur omnia, pul-
chrè dixit: Bonum mihi quòd humiliatus sum. Quanquam Psal.118.
hoc & ad eum possit referri, qui cum esset in dei forma, faci-
lis inclinare cœlos, descendit tamen, & formam serui acci-
piens nostras portauit infirmitates: qui præuidens sanctos
suos, non quasi rapinam sibi proprium honorem assumere,
sed subiicere se æqualibus, & alios sibi anteferre, dixit: Bo-
num mihi est quod humiliatus sum. Bonum mihi est quod
me subiecit, vt subiecta mihi sint omnia, & sit deus omnia in 2.Cor.15.
omnibus. Hanc infunde humilitatem singulorum animis, 1.Cor.11.
& te ipsum formam præbe omnibus, dicens: Imitatores mei
estote, sicut & ego Christi. Discant bonorum operum diui-
tias quærere, & morum esse locupletes. Pulchritudo diui-
tiarum non in sacculis diuitum, sed in alimentis pauperum
est. In illis infirmis & egenis melius opes lucent. Discant i-
taque pecuniosi non sua sed ea quæ sunt Christi quærere,
vt illos & Christus requirat, vt illis sua largiatur. Impendit
pro illis sanguinem suum, effudit illis spiritum suum, of-
fert illis regnum suum. Quid amplius dabit qui seipsum ob-
tulit? Aut quid est quod non sit daturus pater, qui pro no-
bis vnicum filium tradidit morti? Admone igitur illos ser-
uire domino in sobrietate & gratia, & tota mentis sedu-
litate, erigere oculos ad cœlestia, nihil ponere in lucro ni-
si quod vitæ æternæ sit. Nam iste omnis huius quæstus secu-
li, animarum dispendium est. Denique omnium detrimen- Philipp.3.
tum passus est qui volebat Christum lucrari: quod etsi mi-
rabiliter dixerit, minus tamen expressit quàm acceperat.
Hic enim de alienis locutus est, Christus autem dixit: Qui
vult post me venire, abneget seipsum sibi, vt ipse suum de- Lucæ 9.
trimentum sit, quo fiat lucrum Christi. Caduca hæc om-
nia, cum damno, sine lucro: illud solum est lucrum, vbi fru-
ctus perpetuus, vbi æternæ merces quietis. Commendo ti-
bi fili ecclesiam quę est ad forum Cornelij, quo eam de pro-
ximo interuisas frequentius, donec ei ordinetur episcopus.
Occupatus diebus ingruentibus quadragesimæ, tam longè
non possum excurrere. Habes illic Illyrios de mala doctri-
na Arrianorum, caue eorum zizania, non appropinquent fi-
delibus, non serpant adulterina semina: aduertunt quid pro-
pter suam perfidiam acciderit sibi, quiescant, aut veram fi-
dem sequantur. Difficile quidem imbuti animi infidelita-
tis venenis abolere possunt impietatis suæ glutinum, si ta-
men in iis virus infaustum inoleuerit: nec facile iis creden-
dum putes. Nerui enim sunt, & quidam artus sapientiæ, non
temere credere, maximè in caussa fidei: quæ raro perfe-
cta est in hominibus. Tamen si quis est qui licet suspectæ
sit infirmitatis, & annunciantis affectus, purgare habitam
de se opinionem velit, permitte, vt satisfeciſſe se puter: in-
dulge aliquantulum. Cuius enim excluditur satisfactio, a-
uertitur animus. Nam etiam medendi petiti cum vident
notas ægritudines, vt ipsi appellant, medicinam quidem
non

non adhibent, sed tamen medicinæ tempus expectant, nec deserunt inualidum, sed lenioribus verbis, aut quibus possunt, palpant delimentis, ne aut intetmissa ægritudo despe-
ratione animi graueſcat, aut crudior medicinam respuat, eò quòd ad maturitatem peruenire nequeat si indigestæ inso-
lens rerum huiusmodi medicus adhibeat manus. Siquidem & pomum cum immaturũ exagitatur, citò deperit. Et quia de agro exemplum sumpsimus, præcipe illis inuiolata consi
nij seruare iura, paternos custodire terminos quos lex tue-
tur. Supra fraternam charitatem frequẽter est vicini gratia. Ille enim sæpe longe, hic in proximo est, vitæ omnis testis, conuersationis arbiter. Delectet eum per finitima spatia la-
xare liberum pecus, & in herba viridi proiectum secura ca-
ptare ocia. Seruos quoque dominus iure seruitii subditos ha
beat pro moderamine coercitionis quasi animæ consortes. Paterfamiliàs enim dicitur, vt quasi filios regat, quoniam & ipse dei seruus est, & patrem appellat dominum cœli, mode
ratorem potestatum omnium. Vale, & nos dilige, vt facis, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Sabinum, causam reddentis cur post scripturam prius directam, codicem apertius scriptum transmiserit: cur etiam propriam manum stylo suo affixerit, ad epistolarem inde ludum eum inuitantis, & vsum illius exponentis, *Epistola XLV.*

AMbrosius Sabino. Trãsmisi petitum codicem scriptũ apertius atq; enodatius quàm ea scriptura est quam dudum direxi, vt legendi facilitate nullum iudicio tuo afferatur impedimẽtum. Nam exẽplaris liber non ad speciem, sed ad necessitatem scriptus est. Non enim dictamus omnia & maximè noctib⁹, quibus nolumus aliis graues esse ac molesti: tum quia ea quę dictãtur, impetu quodam proruunt, & profluo cursu ferũtur. Nobis autem quibus cura est senilem sermonem familiari vsu ad vnguem distinguere, & lẽto quodam figere gradu, aptius videtur propriã manum nostro affigere stylo, vt nõ tam deflare aliquid videamur, quàm abscondere, neque alterum scribẽtem erubescamus: sed ipsi nobis conscij sine vllo arbitro, non solum auribus, sed etiam oculis ea ponderemus quæ scribimus. Velocior est enim lin-
Psalm.44. gua quàm manus, dicẽte scriptura: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Sed fortè dicas quia velocitatem ad scribẽtem retulit. Nõ te fallit tamen id significari, quòd scribæ velociter scribentis celeritas sola possit linguæ propheticæ excipere sermones. Apostolus quoque Paulus sua scribe-
Coloss.4. bat manu, sicut ipse ait: Mea manu scripsi vobis. ille propter honorificentiam, nos propter verecũdiam. Tamen dum adhuc habes de libris iudiciũ, interludamus epistolis: quarum eiusmodi vsus est, vt disiũcti locorum interuallis, affectu adhæreamus: in quibus inter absentes imago refulget præsentiæ, & collocutio scripta separatos copulat: in quibus etiam cum amico miscemus animum, & mẽtem ei nostram infundimus. Iam si, vt hortaris, aliquid & de veteribus scriptis redoleat in epistolis, non solum animi conglutinari videntur per veræ doctrinæ profectum, sed etiam plenioris colloquij species & forma exprimi, vt inter quærendi & respondendi mutuas vices assumpta concertatio in vnum conducere, & coram videatur amicos locare, qui tali se lacessunt & cõplectuntur munere. Quid autem maiorum nostrorum exempla proferam, qui epistolis suis fidem infuderũt populorum mentibus, atque ad integros & confertos scripserunt popu-
1.Corin.5. los, & præsentes se esse, cum absentes scriberẽt, significarũt, dicente sancto Apostolo quia absens erat corpore, sed præsens spiritu, non solum cum scriberet, sed etiam cum iudicaret: Denique absens per epistolam condẽnabat, & idem absoluebat per epistolam. Epistola enim Pauli quædã effigies erat eius præsentiæ, & forma operis. Non enim vt aliorum epistolæ graues, inquit & fortes, præsentia autẽ corporis infirma, & sermo contemptibilis, talis & Apostoli: sed talis huius epistola, vt talis esset forma præcepti, qualis esset operationis substantia: quia quales sumus, inquit, verbo per epistolas absentes, tales & presentes sumus in opere. Imaginem præsentiæ suæ in epistolis expressit, fructum testimonij in opere significauit. Vale, & nos dilige, vt facis.

A *Diui Ambrosij ad Eusebium, iucunditatem illius in filiis, & filiorum benedictionem recensentis,* *Epistola XLVI.*

AMbrosius Eusebio. Fausti nus vterq; tibi redditus est, nobis vtrũque Ambrosium pignus resedit. Ipse habes quod primum in patre, & quod iucundissimũ est in filio minore, quia & virtutis apicem tenes, & humilitatis exhibes gratiam: nos quod mediũ inter patrem & iuniorem filium. Tecum summa totius domus, & perpetuati vocabuli iugis successio. Apud nos parca mediocritas, quæ & de summo pẽdeat, & in posteriore subsistat. Tecum igitur requies vtriusq; nostrum, quæ cum inuicem nobis refunditur, omnem animi abstergit solicitudinem. Tecum is qui & moribus & operibus suis & sobole tali inuenit gratiam apud dominum nostrum. Tecum is qui inter mundi huius procellas spiritalem nutriuit colũbam, quæ ei fructus asserat pacis, vncta oliua integritatis. Tecũ is qui ædificauit
B aram deo, quem benedixit deus, & filios eius dicens: Cresci- Gene.9.
te, & multiplicamini. Cum quo testamentum pacis statuit suæ, vt sit ei & filiis eius in progeniem æternam. Habes igitur hæredem diuinæ benedictionis, consortem gratiæ, participem iustitiæ. Sed vide quæso, ne iste noster Noe agricola, bonus plantator feracis vineæ, cum fuerit amoris & gratiæ tuæ inebriatus poculo, tanquam crapulatus à vino, diutius quieti indulgeat: ac forte indormierit, exciter eum Sem nostri desiderium. Est & ibi Iaphet iunior ex fratribus, qui pietatis reuerẽtia patrem induat, quem pater & dormiens videat, nec vnquam de pectore dimittat suo, quin semper oculis & complexu teneat, atq; euigilans intelligat quæ ei fecerit filius suus iunior, qui latitudo Latinè dicitur, eò quòd in labiis eius diffusa gratia, & sit in moribus propter quod benedixit eũ dominus, quia ipse tanquam bonus retrorsum re
C diẽs patrẽ texit pio charitatis velamiue, & detulit pietati honorem, de quo & pater ait Lætificet deus Iaphet in domibus Ibidem.
Sem. Vnde & in enumeratione generationũ prefertur seniori fratri, in benedictione substituitur. Præfertur propter honorem nominis, substituitur propter prærogatiuã senioris ætatis, & honorificentiam naturę debitã. Sem autem dicitur Latinè nomen. Et bene hic noster Ambrosius bonum nomen, in cuius domibus lætetur Iaphet, quia potius est no- Prouer.22.
men bonum super multas diuitiarum copias. Sit ergo & iste benedictus, & gratia eius super aurum & argentũ. sit in portione eius semen Abrahæ, sint benedictiones, in posteritate, & omni familia iusti viri. Sed maledictus nemo, benedicti omnes. Benedictus enim Saræ fructus. Salutant te Ambrosij, salutat Parthenius dulcissimus, salutat Valentinianus paratus ad humilitatem, quod Hebraicè Canaan dicitur, quasi puer fratris sui, cui & nomine suo cessit. Et ideo tanquam Nemroth gemini gigas nominis, venator egregius super ter
ram, de quo dictum est, Tanquam Nemroth gigas venator
D ante dominum. Nanque ingenio subrusticus, viribus vali- Gene.10.
dus, quos ingenio æquare non potest, viribus superat, vt Comacinas rupes gestare secum, & faciem tauro propior vultu videatur exprimere, post habitum se indignatus, & paterno exutum vocabulo metropolitanum virum Bononiensi subditum, quia infantiæ nescit blãditias, & de nutricis gremio se illæsus excussit. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Irenæum, confutantis errorem cuiusdam maledici Apollinaristæ, qui non potest audire quòd dominus noster Iesus Christus pro nobis seruitutem susceperit, *Epistola XLVII.*

AMbrosius Irenæo. Quẽ scripsisti maledici sermonis seminatorem, leuissimus est, qui iam veneni sui mercedẽ recepit. Siquidem responsum est ei publice: & quod priuatim seuerat, palã messuit. Ego autem vanum ante & inuisorẽ tantũ habebã. At vbi iste sermo ad aures peruenit meas, statim respondi quòd eum virus infeçerit Apollinare, qui nõ potest audire quòd dominus noster Iesus pro nobis seruitutẽ susceperit in istius corporis susceptione, cum apostolus clamet quod formã serui accepe Philip.2.
rit. Hoc munimentum, hæc sepes est fidei nostræ, qui hanc

Eccle.10. destruit,destruetur ipse, sicut scriptum est, Quia destruentem sepem mordebit serpens. Equidem primo leniter mandaui ei, qua ratione bonam rem malo animo facis? Ego enim beneficio annumero si quis mea legens scripta dicat mihi quod videatur moueri. Primum quia & in iis quæ scio, falli possum. Multa aurem prætereunt, multa quibusdam aliter sonant. Pulchrum est, si fieri potest, cauere omnia. Deinde quia non debeo molestè ferre si cum de apostolicis & ipsis euangelicis dominicísque verbis plerique multas quæstiones serant, etiam in meis scriptis reperiant de quo disputandum putent. Plerique enim studio indulgent suo, vt iste qui propterea orbem circuiuit vt quæreret quem reprehenderet, non quem sibi imitandum arbitraretur. Hic igitur vt arroderet aliquid de meis scriptis, caussam sibi amplam reperit, quoniam eo loci vbi dixit dominus Iesus: Confiteor tibi domine pater cœli & terræ: diximus ideo dictum vt nos intelligamus patrem filij esse, & dominum creaturæ. Quanquam in psalmo euidenter dominum dixerit patrem filius. Viderũt me, & mouerunt capita sua: adiuua me domine deus meus. Etenim secundum formam serui locutus dominum vocauit quem patrem nouerat, æqualis in dei forma seruum secundum carnis substantiam se prædicans. Seruitus enim carnis, dominatus autem diuinitatis est. Aduertis igitur primum pro tua admirabili prudentia ea quæ in euãgelio dicuntur, ad euangelij tempus referri, quo dominus Iesus inter homines humana specie conuersabatur. Nunc ergo secundum hominem iam non nouimus Christum. sit ita visus & cognitus veteribus, iam transierunt vetera, & omnia noua facta sunt. Omnia tamen ex deo, qui nos sibi per Christum reconciliauit. Eramus enim mortui, & ideo vnus pro omnibus mortuus, & vnus pro omnibus seruus factus est. Quid dicam, seruus factus est? Peccatum, opprobrium, maledictum factus est. Dixit enim apostolus, Quia pro nobis peccatum factus est, quia maledictũ factus est deminus Iesus. Dixit quia cũ sibi subiecerit omnia, tunc & ipse subiectus erit. Dixit & Petrus, In nomine Iesu Nazareni surge, & ambula. Dixit quia glorificauit puerum suum Iesum, & nemo calumniatur de tempore. In Apocalypsi autem & agnus dictus est á Ioanne, dictus est in psalmo vermis, & nõ homo. Hæc omnia factus est, vt nostræ obtunderet mortis aculeum, nostram seruitutẽ tolleret, maledicta peccata, opprobria deleret. Hæc & alia quæ consulenti cuidam, & multo plura à te scripsisti relata, cum scriptura diuina habeat, quemadmodum quisquam dubitabit dicere quæ pie scripta sunt, quoniam ad gloriam Christi spectant non ad imminutionem? Nam cum de dono eius, hoc est manna dictum sit, quia & qui minus collegit, nõ deminuit: & qui plurimũ, nõ ampliauit: vnde potuit ipse vel minui vel augeri? Quid enĩ in eo imminutum est quod nostram seruitutem, nostras infirmitates suscepit? Erat humiliatus, erat in serui forma, sed idem in gloria dei patris. Erat vermis in cruce, sed idem dimittebat peccata etiam persecutorum suorum. Erat opprobrium, sed idem maiestas domini, sicut scriptum est: Et videbitur maiestas domini, & videbit omnis caro salutare dei. Quid amisit cui nihil minus est? Non habebat quidem speciem neque decorem, sed habebat plenitudinem diuinitatis. Infirmus existimabatur, sed non destiterat esse dei virtus: videbatur vt homo sed fulgebat in terris maiestas diuina & patris gloria. Vnde pulchrè Apostolus eiusdem verbi repetitione vsus est, dicens de domino Iesu: Quia cũ in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit formã serui accipiens. Quid est in dei forma, nisi in plenitudine diuinitatis, in illa perfectionis diuinæ expressione? Ergo cum esset in plenitudine diuinitatis, exinaniuit se, & accepit plenitudinem naturę & perfectionis humanæ: sicut deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, vt esset perfectus in vtraque forma. Vnde & Dauid dicit: Speciosus forma præ filiis hominũ. Concluditur Apollinarista, nec quo se vertat habet, suis clauditur retibus. Ipse enim dixerat, Formam serui accepit, non seruus lectus est. Iterum ergo interrogo, quid est in forma dei? In natura dei. Sunt enim, ait Apostolus, qui non sunt natura dij. Quæro quid sit formam serui accipiens? Sine dubio perfectionem naturæ & conditionis (vt dixi) humanæ, vt esset in hominum similtudine. Et pulchrè non carnis, sed hominum dixit similitudinẽ, quia in carne eadem. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur. Vnde & propheta ait: Et homo est, & quis cognoscit eum? Homo secundum carnem, sed vltra hominẽ secundum diuinam operationem. Deniq; cũ leprosum tangeret, homo videbatur, sed vltra hominem cũ emundaret. Et cum Lazarum fleret mortuum, quasi homo flebat: sed supra hominem erat cum mortuum iuberet vinctis pedibus exire. Homo videbatur cum penderet in cruce, sed supra hominem cum reseratis tumulis mortuos resuscitaret. Nec sibi blandiatur virus Apollinare, quia ita legitur, Et specie inuentus vt homo. Non enim negatus est homo Iesus, cũ alibi ipse Paulus de eo dicat, Mediator dei & hominum homo Christus Iesus, sed confirmatus est. Id enim est vsus & moris scripturæ sic significare. Sic & in euangelio legimus: Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Sicut ergo quasi vnigenitus dicitur, & nõ abnuitur vnigenitus dei filius, ita vt homo dicitur, & perfectio fuisse in eo hominis non negatur. Cum esset igitur in forma serui humilliatus vsque ad mortem, erat tamen in dei gloria. Quid ei igitur obfuit seruitus? Seruus autem factus legitur, quia legitur factus ex virgine, & creatus in carne. Omnis enim creatura seruit, dicente propheta, Quia vniuersa seruiunt tibi. Vnde & deus pater ait, Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto vnxi eum. Ipse vocabit me, pater meus es tu, deus salutis meæ: & ego primogenitum ponam eum. Et in alio psalmo: Custodi naimam meam, quoniam sanctus sum, saluum fac seruum tuum. Et infra in eodem psalmo: Da potestatem puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ. Congessi enim patris & filij voces, vt ei non argumenta humana, sed diuina responderẽt oracula. Alibi, inquit, In manus tuas commendo spiritum meum. Statuisti in loco spatioso pedes meos, super omnes inimicos meos factus sum opprobrium. Et in eodem psalmo: Illustra faciem tuam super seruum tuum. Per Esaiam quoque dicit ipse filius dei, Ex vtero matris vocauit dominus nomen meum, & posuit os meum vt gladium acutum, & sub tegmento manus suæ protexit me. Posuit me sicut sagittam electam, & pharetra sua texit me, & dixit mihi, Seruus meus es Israel. Dicitur enim dei filius, & Israel, sicut alibi, Iacob puer meus, Israel dilectus meus. Solus enim vere deum patrem non solum vidit, sed etiam enarrauit. Et sequitur, In te glorificabor. Et ego dixi, in vacuum laboraui, & in nihilum dedi vires meas, ideo iudicium meum ante dominũ, & dolor meus ante deum meum. Et nũc sic dicit dominus: Qui finxit me seruum ex vtero sibi ad congregandum Iacob & Israel. Quis congregauit dei populum nisi Christus? Quis glorificatus est ante dominũ? Quis est dei virtus? Cui dixit pater, Magnum tibi est vocari te puerum meum? Et cui dicit, Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ? De quo etiam per os Ezechiel locutus est dicens: Suscitabo super eos pastorem vnum, & reget eos seruus meus Dauid, & erit eorum pastor, & ego dominus ero illis in deum, & Dauid in medio eorum princeps. Dauid vtique rex iam defunctus erat, & ideo verus Dauid, verus humilis, verus mãsuetus, verus manu fortis dei filius hoc annunciatur nomine: qui etiam in Zachariæ prophetæ libro significatur, dicente deo patre: Ecce ego mittam seruum meum, oriens nomen est ei. Nunquid quia habebat vestimenta sordida, ideo fulgorem diuinitatis suæ sol iustitiæ non habebat? Et quid plura? An infirmius putamus seruitium esse quàm peccatum, quàm maledictum, quàm opprobrium, quàm infirmitates, quas pro nobis suscepit, vt à nobis auerterentur? Factus est enim hæc omnia, vt vniuersa vacuaret. Sed hæc ideo non recipiunt quod seruus, opprobrium, peccatum, maledictum factus sit, quia verbum & carnem vnius assererunt esse substantiæ, & dicunt, ergo qui nos redemit, seruus dictus est, & peccatum debuit dici. Nec aduerterunt quòd hæc Christi gloria sit, quia seruitutẽ suscepit in corpore suo, vt libertatẽ omnibus redderet: peccata nostra portauit,

Matth.11.
Pſalm.108.
2.Cori.5.
Ibidem.
Acto.3.
Apoca.5.
Pſalm.21.
Gene.16.
Eſaiæ 40.
Eſaiæ 53.
Philip.2.
Pſal.44.
Gala.4.
Marc.4.
Ioan.11.
Philip.2.
Timo.2.
Ioan.1.
Pſalm.
Pſalm.
Pſalm.
Pſalm.
Eſaiæ 49.
Ezech.34.
Zacha.3.

tauit,vt mundi peccatum tolleret. Seruus, peccatum,male-
dictum factus est,vt tu peccati seruus esse desisteres,te diui-
næ sententiæ maledicto absolueret.Ille ergo maledictum su-
scepit tuum.Maledictus enim omnis qui pendet in ligo.Il-
Deut.21. le maledictum in cruce factus est , vt tu benedictus esses in
dei regno. Ille dehonestatus & depreciatus est, nec aliquid
Esaiæ 49. existimatus.Ille dicebat,Inuacuum laboraui. per quem me-
Philip.2. ruit Paulus dicere:Non inuacuum laboraui, vt boni operis
fructum, & euangelicæ prædicationis gloriam suis confer-
ret seruulis, per quam vniuersi sarcina laboris absoluerẽtur.
Hiere.17. His igitur auditis derelictus est in dimidio dierum suorum
perdix, qui clamauit vt congregaret quę non peperit,& op-
pressus est voce domini Iesu.Denique adornat fugam. Vale,
& nos dilige,quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Irenæum prosequẽtis illud quod in Hieremia scriptum est,Clamauit perdix,congregauit quæ non peperit:na turam istius auis describendo,& eam diabolo ac membris suis adoptando.

Epistola XLVIII.

Ibidem. AMbrosius Irenæo.Clamauit perdix,congre-
gauit quæ non peperit . Licet enim mihi de
superioris fine epistolæ sequentis mutuari
exordium.Celeberrima quæstio, & ideo vt
possimus eam absoluere , quid de natura a-
uis istius habeat historia,cõsideremus.Nam
& hoc considerare non mediocris prudentiæ est, siquidem
& Salomon cognouit naturas animalium, & locutus est de
pecoribus,& volatilibus,& de reptilibus,& de piscibus. Di-
citur itaque auis ista plena esse doli,fraudis,fallaciæ,quæ de-
cipiendi venatoris vias calleat,atque artes nouerit, vt eum à
pullis auertat suis,omniáq; tentamenta versutię non præter-
mittere, quo possit venantem abducere à nido & cubilibus
suis.Certè si insistere aduerterit,tamdiu illudit,quamdiu fo-
boli fugiendi signum tribuat & potestatem.Quam vbi eua-
sisse senserit,tunc se & ipsa subtrahit,& lubrica arte deceptũ
insidiantem relinquit. Fertur etiam promiscuæ esse permix-
tionis, vt in fœminas cum summo certamine mares irruant,
& vaga calescant libidine.Vnde impurum & maleuolum &
fraudulentum animal aduersario & circunscriptori generis
humani,fallacissimóq;,& impuritatis authori conferendum
putatur.Clamauit ergo perdix,qui à perdendo nomen acce-
pit,Sathanas ille,qui Latinè contrarius dicitur. Clamauit in
Eua primum, clamauit in Cain, clamauit in Pharaone , Da-
than,Abiron,Chore.Clamauit in Iudæis,quando petierunt
sibi fieri deos cum Moyses legẽ acciperet.Clamauit iterum,
Matth.27. quando de saluatore dixerũt:Crucifigatur,crucifigatur,San-
guis eius super nos,& super filios nostros.Clamauit quando
sibi regem fieri postulauerunt, vt recederent à domino deo
Gene.1. rege.Clamauit in omni vano & perfido.His vocibus congre
gauit sibi populos quos nõ creauerat.Deus enim hominem
ad imaginem suam fecit,& diabolus sibi hominem vocis suę
fraude sociauerat.Cõgregauit sibi nationum populos faciẽs
diuitias non cum iudicio.Vnde in prouerbio est de diuite a-
uaro:Quia perdix iste congregat diuitias non cum iudicio.
At vero meus Iesus quasi iudex bonus cum iudicio omnia
agit,qui venit,sicut scriptũ est,dicens:Ego loquor iustitiam,
& iudicium salutis.Ea igitur gratia deprædatus est perdicem
illum diabolum,abstulit ei male congregatas diuitias multi
tudinis,reuocauit ab errore animas gentium, mentésque na
tionum deuiantium. Et quia diaboli voce deceptos sciebat,
Gene.4. & ipse vt vincula nexúsque veteris erroris solueret,clamauit
Exod.14. primum in Abel,cuius clamauit vox sanguinis.Clamauit in
Psalm.117. Moyse,cui dixit: Quid clamas ad me? Clamauit in Iesu Na-
Esaiæ 40. ue.Clamauit in Dauid,qui ait:Clamaui ad te,salua me. Cla-
mauit in omnibus prophetis.Vnde & ad Esaiam dicit:Cla-
Prou.9. ma.& ille ait:Quid clamabo?Clamauit in Salomone conuo
cans cum altissima prædicatione ad sapientiam:Venite,edi-
te de meis panibus,& bibite vinum quod miscui vobis.Cla
Matt.27. mauit etiam in corpore suo,sicut scarabæus in ligno. Clama
uit vt insidiatorem falleret & circumueniret, dicens: Deus
Luc.23. deus meus quare me dereliquisti?Clamauit vt despoliaret re
spondens latroni:Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris
in paradiso.Itaque vbi clamauit Iesus, continuo perdix ille
à congregatis in dimidio dierum suorum derelictus est.Vn-

de & quidam naturæ perdicis etiam istud aptandum puta-
rũt,eò quòd aliena diripiat oua,& foueat suo corpore,atque
hac sua fraude partus alienos studeat acquirere. Sed (quod
aiunt,cornicis oculum, habent enim & volatilia suas artes)
vbi istud aduerterit cuius aut singula oua direpta,aut cubile
fuerit inuasum, solicitata soboles errore similitudinis , spe-
ciei simulatione decepta,& si infirmior viribus,induit se at-
que armat versutia,& cum labor omnis impensus nutrimen
torum educantem exhauserit,atque adolescere pulli cœpe-
rint,tunc vocem emittit,& quadam pietatis tuba prolem ad
uocat.Quæ naturali quodam auditu excitata agnoscit paren
tem,& simulantem deserit.Ita cum vult cõgregare quæ non
peperit,amittit quos nutriendos putauit.Non superfluo igi-
tur & Iesus clamauit,vt quia totius mundi populus voce per
dicis,blanditiis,arte,specie deceptus ab authore proprio de-
uiauerat lubricas artes secutus,veri parentis voce reuocatus
fallacem relinqueret,atque in dimidio dierum eius fraudu-
lentum desereret,id est,ante huius finem seculi,cui nos eri-
puit dominus Iesus , & ad vitam æternam vocauit. Itaque 1.Cor.1.
nunc mortui mũdo,viuimus deo.Cum igitur perdix iste pe-
nitus à falsis filiis derelictus fuerit, tũc erit stultus ille quem
elegit deus,& sapientem confudit,saluus:quoniam quę stul 1.Cor.3.
ta sunt mundi, elegit deus. Ideo si quis videtur sapiens esse
in hoc seculo,stultus fiat,vt sit sapiens.Vale fili,& nos dilige
vt facis quoniam nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Syricium,narrantis illum Prisco aduenienti literas dedisse,& se eidem reuertenti alias reddidisse. Et quia vtrumque eorum officio remuneratus sit,etiam eius officij pre cium incrementa debere adipisci gratiæ.

Epistola XLIX.

AMbrosius Syricio . Prisco amico & æquæuo
meo dedisti aduenienti literas . Ego quoque
reuertenti reddidi,quas & pro officio, & pro
amore debui.Vtrumque igitur nostrum suo
officio remuneratus est , quo & mihi tuas, &
meas tibi restituit.Ideo eius officij precium incrementa de-
bet adipisci gratiæ.Vale,& nos frater dilige,quia nos te dili-
gimus.

Diui Ambrosii ad Atticum , scribentis literas suas Priscum sibi,& se illi alias reddidisse , Priscum dilectioni suæ amplius commendantis.

Epistola L.

AMbrosius Attico.Prisco meo dedisti literas,Pri-
scus meus mihi reddidit, & ego Prisco. Tu Pris-
cum vt soles dilige , & plus etiam quàm soles,
quod eo suadeo, quia & ipse Priscum meum fa-
cio plurimi.Est enim erga eum priscus hic noster amor,qui
à pueritia iam inde nobis cum ætate accreuit simul, sed eum
multo post vidi tempore , vt vere mihi non solum nomine,
sed etiam tanti interuallo temporis priscus aduenerit . Vale,
& amantes tui dilige,quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Felicem, significantis tuberum sibi missorum partem amicis direxisse,& illum quòd se tamdiu nequaquam reuiserit arguentis.

Epistola LI.

AMbrosius Felici.Misisti mihi tubera,&
quidem miræ magnitudinis,vt stupori
forent ea tam grandia.Nolui in sinu,vt
aiunt abscondere,sed aliis quoque de-
monstrare malui.Itaque partem direxi
amicis,partẽ mihi reseruaui.Suaue mi
nus,non tamen ita prępotens vt cõpri-
meret querelã meã iure excitatã, quòd
nos tãdiu amantes tui nequaquã reuisas. Et caue posthac ne
maiora inuehas tubera . Nã huius nominis diuersa ratio. Vt
enim grata in munere,ita in corpore atq; in affectu molesta
sunt. De te impetra quo minus te abesse doleã. Nam caussa
cõmotionis meæ desiderium est tui.Effice si potes,vt minus
gratus sis.Rem exposui,caussam probaui.Intorquenda est a-
mentata illa non manipularis sententia.metuisti certe,sed vi
de quàm mouear,vt delectet iocari,postea tamen ne excusa
ueris.Etenim quamuis tua hæc vectigalis mihi sit excusatio,
malè de te iudicat,nec de me melius, si aut tuam absentiam
muneribus cõpensandam,aut me muneribus redimendum
putes.Vale,& nos amantes tui dilige,quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Romulum, quæstioni illius, cur videlicet deus dixerit: Ponam cœlum æreum, & terram ferream, satisfacietis.

Epistola LII.

AMbrosius Romulo. Cũ sis in agro, miror qua ratione de me quærendum putaueris cur dixerit deus: Ponã cœlum æreum, & terram ferream. Nam species ipsa agri & præsens fertilitas docere nos potest quanta clementia sit aeris, & cœli indulgentia, quando dignatur deus vbertatẽ dare: quando autem sterilitas quemadmodum clausa omnia, spissus aer, vt in rigorem æris solidatus putetur. Vnde alibi habes quia in diebus Heliæ clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex. Significatur igitur clausum cœlum æreum esse, vsum sui terris negare. Terra quoque ferrea est: cum prouentus abnuit, & iacta sibi semina tanquam hostili duritia genitali excludit aluo, quæ gremio solet blandæ matris fouere. Quando enim ferrum fructificat? Quando æs imbres relaxat? His igitur miserãdam famem minatur impiis, vt qui pietatẽ filiorum communi omnium domino & patri exhibere nesciunt, careant nutrimento paternæ indulgentiæ, sit illis cœlum æreum concreto aere, & solidato in metalli rigorem, sit illis terra ferrea partus suos nesciens, & quod plerumq; inopia habet, discordias serens. Rapto enim vtuntur qui victu indigent, vt alienis dispendiis famem suam ableuent. Iam si & offensa inhabitantium huiusmodi sit, vt diuina commotione iis inferantur prælia, verè terra est ferrea, telorum segetibus inhorrens, & suis nuda fructibus, fœcunda ad pœnam, sterilis ad alimoniam. Vbi autem abundantia: Ecce ego pluo vobis panes, dicit dominus. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Leuit. 26. Deut. 28. Lucæ 4. Exod. 16.

Diui Ambrosii ad Titianum, illi congaudentis quod à Rufino liberatus sit, quem sibi grauiorem iudicem in negocio cum nepte sua arbitrabatur.

Epistola LIII.

AMbrosius Titiano. Venit tibi innocens victoria, vt sine voti amaritudine potiaris victorię securitate. Rufinus enim ex magistro officiorum factus est in consulatu præfectus præfectorio, ac per hoc plus posse cœpit, sed tibi iã nihil obesse. Est enim aliarum præfectus partium. Quàm gaudeo vel illi vt amico, quia honore auctus inuidia leuatus est: vel tibi vt filio, quia liberatus es ab eo quẽ tibi grauiorem iudicem arbitrabare, vt si de negocio definiueris cum tua nepte, pietatis tuę sit, non formidinis. Ideoque promptior esto decisioni, cuius & spes potior & fructus est. Spes, quia pater neptis tuæ, qui de illius sententia sibi plurimum blandiebatur, iam quod de eo speret non habet. Ille enim alia curat, præterita negligit, vel cum illo quod tunc gerebat, depositi officio: iste negocij sui meritum, non sententiæ patronum considerat. Et fructus iucundior est, vt tibi referatur decisionis gratia, qui potueris iam spernere, & non spreueris, pietatem spectans necessitudinis, non stimulum offensionis. Vale, & nos dilige vt filius, quia nos te vt parentes diligimus.

Diui Ambrosii ad Syricium, gratum sibi asserentis cum & ab ipso literas accipiat, & ille aliquos de conseruitio suo dirigat, eósque se diligere contestantis qui non patiuntur se à suo munere diutius abesse, & ad sequendum dominum Iesum suadentis.

Epistola LIIII.

AMbrosius Syricio. Gratum est mihi cùm literas accipio tuas. At cum de cõseruitio nostro aliquos dirigis, vt fratrem nostrum, & compresbyterum Syrum tuis es prosecutus literis, geminatur lætitia. Sed vtinam fructus fuisset iste diuturnior. Nam statim vt venit, recurrendũ putauit: quod quidem ad desiderium meum plurimũ minuit, ad sui gratiam multũ addidit. Nam ego diligo eos vel presbyteros vel diaconos qui cum aliquo processerint, nequaquam se patiũtur à suo diutius abesse munere. Dicit enim propheta: Nõ laboraui sequens post te. Quis autẽ potest laborare sequens Iesum, cum ipse dicat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam? Sequamur ergo Iesum semper, nec desinamus. Quòd si semper sequamur, nunquã desimus. Dat enim vires sequentibus se. Itaque quo propior virtuti fueris, eo fortior eris. Plerumque cum sequimur, dicitur nobis ab aduersariis: Vbi est verbum domini? veniat. Sed nos non fatigemur sequẽdo, non auertamur subdolæ interrogationis impedimẽto. Dicebatur hoc prophetæ cum mitteretur in carcerem, cum demergeretur in voraginem luti: Vbi est verbum domini? veniat. Sed ille multo magis secutus est, & ideo ad brauium peruenit, ideo accepit coronam, quia non laborauit qui sequebatur Iesum. Non est enim labor in Iacob, nec dolor videbitur in Israel. Vale, & nos dilige, quia & nos amantem nostri vt parentem diligimus.

Matt. 11.

Diui Ambrosii ad Fœgadium & Delphinũ episcopos, insinuantis Polybiũ vt vtrique eorum scriberet poposcisse, ac post datam epistolam vtriusque nomine conscriptam alteram exegisse, & ei se illam dedisse.

Epistola LV.

AMbrosius Fœgadio & Delphino episcopis. Polybius filius noster cũ de Africanis regressus partibus, in quibus proconsularem iurisdictionẽ egregiè repræsentauit, aliquantulos nobiscũ exegisset dies, summa gratia se meis visceribus infudit. Deinde cũ abire hinc & demeare vellet, poposcit vt vtriq; vestrum scriberem. Promisi futurum. Itaque dictaui epistolam, & vtriusque conscriptã nomine dedi. Postulauit alteram. Dixi ad vtrumque vestrum datam more vsuque nostro, eò quòd sancta mens vestra non epistolarum numero, sed coniunctione nominum delectaretur. Nec per peti posset vt fieret vocabulorum separatio, quorũ affectus conueniret. Ideoq; præscriptum nostro muneri vt vteremur charitatis compẽdio. Quid plura? Exegit alteram, dedi, vt neque illi negarem quod poscceret, nec mihi immutarẽ, quod in vsum venerat. Ita & ille habet quod vtrique reddat: quia id solum prætẽdit, ne cum alteri reddidisset, alteri vacuus foret. Et ego vobis indiuisæ gratiæ munus sine vllo dependam offensionis periculo, & diuisionis scrupulo: cum præsertim etiam hæc forma scriptionis apostolicæ sit, vt & vnus ad plures, vt Paulus ad Galatas: & duo ad vnum possint scribere, sicut scriptũ est, Paulus vinctus Iesu Christi, & Timotheus frater, Philemoni. Salutem vobis dico, diligite nos, & orate pro nobis, quia ego vos diligo.

Diui Ambrosii ad Romulum, de eo quòd Aaron populo poscenti sibi deos fieri, aurum detraxerit, & quòd eo auro figuratum sit vituli caput, & quòd Moyses tam dure indignatus sit, vt iuberet quemque insurgere in necem proximi sui, quid ipse sentiat experimentis.

Epistola LVI.

AMbrosius Romulo. Epistolarũ genus propterea repertum, vt quidam nobis cum absentibus sermo sit, in dubium non venit. Sed fit hoc vsu exẽplóq; pulchrius, si inter parẽtem ac filios crebra & iucunda alloquia cedantur, vt verè inter disiunctos corpore quædam imago referatur præsentiæ. His enim adolescit officiis amor, sicut tuis ad me, aut meis ad te augetur literis. Sed hoc multo locupletius proximis tuæ dilectionis experiri cœpi affatibus, quibus me consulendũ putasti quid sibi vel let quòd Aaron aurum detraxerit populo poscenti sibi fieri deos, & quòd ex auro figuratũ sit vituli caput, vel quòd Moyses tam dure indignatus sit, vt iuberet proximum quemque insurgere gladiis in necem proximi sui. Magnũ est enim nullum pati absentibus dãnum irrepere non solum suauitatis, sed etiam collationis & liberalis scientiæ. Quid igitur de eo sentiam quoniam exposcis, conferẽdi magis quàm exponendi studio loquar. Cum Moyses in mõte Syna legem acciperet, populus erat cum Aaron sacerdote. Et quamuis frequenter ad culpam lubricus, tamen quamdiu lex dabatur, sacrilegio errasse non proditur. Verum vbi diuinum conticuit oraculum: peccatum irrepsit, vt peterẽt sibi fieri deos. Coactus Aaron petit annulos eorum, & inaures mulierũ, quæ tradita in ignem misit, & conflatum est vituli caput. Neque excusare tantum sacerdotem possumus, neque condemnare audemus. Non imprudens tamen qui annulos Iudæis & inaures abstulit. Etenim qui sacrilegiũ moliebantur, nec fidei signaculum habere poterant, nec ornamẽta aurium. Denique & patriarcha Iacob abscondit inaures cum simulachris gentium, quando in Sichimis abscondit, vt nullus audiret superstitiones

Exod. 32. Genes. 35.

stitiones gentilium. Pulchrè autem dixit: Deponite annulos & inaures aureas, quæ sunt inaures mulierũ vestrarum. Non quo virorum inaures relinqueret, sed quod viros non habere manifestaret. Congruè quoque inaures auferuntur mulieribus, ne iterum Eua vocem serpentis audiret. Et idcirco quia sacrilegium audierant, cõflatis earum inauribus conflata est imago sacrilegij. Qui enim male audit, conflare sacrilegium solet. Cur autẽ caput vituli exierit, sequentia docent: quia significabatur futurum quod Hieroboam postea tempore hoc genus sacrilegij induceret, vt populus Hebræorum adoraret vitulos aureos, siue quòd omnis perfidia similis immanitatis atque insipientiæ bestialis sit. Cuius rei indignitate percitus fregit tabulas Moyses, & commi nuit vituli caput, atque in puluerem redegit, vt omnia impietatis aboleret vestigia. Fractæ sunt enim primæ tabulæ, vt repararentur secundæ, quibus per euangelij prædicationem perfidia comminuta euanuit. Sic Moyses typum illum dissipauit Aegyptium, & altitudinem extollentem se compressit æternæ legis authoritate. Vnde & Dauid ait: Et confringet dominus cedros Libani, & comminuet eas tanquam viculum Libani. Itaque absorbuit populus omnem perfidiã ac superbiã, ne eum absorberet impietas & arrogantia. Melius est enim vt vnusquisque prævaleat carni & vitiis eius, ne dicatur de eo quia deuorauit eum mors prævalens, sed dicatur magis: Deuorata est mors in victoria sua. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Et de domino dictum: De torrente in via bibet. Quia acetum accepit, vt absorberet vniuersorum tentationes. Quod autem occidi fecit à proximis proximos, filios à parentibus, à fratribus fratres, præceptum euidens quia præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea est enim vera pietas quæ præponit diuina humanis, perpetua temporalibus. Vnde & ipse Moyses ad filios Leui dixit: Qui paratus est à domino, veniat ad me. Et dixit illis: Hæc dicit dominus deus Israel: imponite vnusquisque gladium suum in femore suo, & pertransite, vt contemplatione atque amore reuerentię diuinæ perimeretur omnis affectus necessitudinis. Et occisa quidẽ scribuntur tria milia hominum. Nec numeri inuidia mouemur, quia melius est paucorum supplicio vniuersos exui, quàm in omnes vindicari. Neque vero aliquid durum videtur pro vindicta iniuriæ cœlestis. Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio deus. Nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt: quoniam sanctis omnia deus est. Est etiam ille Leuita verus vltor & vindex, qui carnem interimit, vt seruet spiritũ, qualis erat ille qui ait: Castigo corpus meum, & seruituti redigo. Quid autem tam proximum quàm caro animæ? Quid tam proximum quàm sunt passiones corporis? Eas in se Leuita bonus interimit spiritali gladio, qui est verbum dei bis acutum & validum. Est & gladius spiritus, qui pertransit animam, sicut ad Mariam dictum est: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelẽtur multorum cordium cogitationes. Nonne caro animæ fraterno quodam copulatur cõsortio? Nonne etiam menti nostræ affinis & propinquus sermo est? Cùm igitur cõprimimus sermonẽ ne multiloquio peccatum incidamus, ius germanitatis abrũpimus, & fraternę vinculũ propinquitatis dissoluimus. Irrationabile quoque suum anima tãquam cognatum rationabili vigore dissociat. Sic ergo Moyses docuit populum insurgere in proximos suos, per quos fides reuocaretur, virtus impediretur, vt desecaretur in nobis quicquid à virtute deuium foret, confusum erroribus vitiis innexum. Hac institutione populi meruit vt nõ solum deliniret indignationem diuinam, atque offensam auerteret verumetiam conciliaret gratiam. Pro captu itaque nostro quid sentiremus, quoniam consuluisti expressimus. Ipse si quid melius habes, nobis cõparticipato, vt ex te & ex nobis discamus quid potius eligendum & sequendum sit. Vale, & vt filius nos dilige, quoniam & nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Seuerum episcopum, scribentis compresbyterum suum Iacobum Campaniæ sibi ad requiescendum littora vbi otationi vacet, & deo seruiat, elegisse, se vero in medio omnium molestiarum freto versari conquerentis,

Epistola LVII.

AMbrosio Seuero episcopo. Ex vltimo Persidis profectus sinu Iacobus frater & compresbyter noster Cãpanię sibi ad requiescendum littora, & vestras elegit amœnitates. Aduertis quib⁹ in locis quasi ab huius mũdi vacuã tempestatibus suppetere sibi posse presũpserit securitatẽ vbi post diuturnos labores reliquũ vitę exigat. Remota enĩ vestri ora littoris non solum à periculis, sed etiam ab omni strepitu tranquillitatẽ infundit sensibus, & traducit animos à terribilibus, & saęuis curarum æstibus ad honestam quietem, vt illud commune omnium specialiter vobis videatur congruere & conuenire quod ait Dauid de sancta ecclesia: Ipse super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eã. Et enim liber animus à Barbarorum incursibus, & præliorum acerbitatibus, vacat orationibus, inseruit deo, curat ea quæ sunt domini, fouet illa quæ pacis sunt & tranquillitatis. Nos autẽ obiecti Barbaricis motibus & bellorum procellis in medio versamur omnium molestiarũ freto, & pro his laboribus & periculis grauiora colligimus futuræ vitæ pericula. Vnde de nobis propheticũ illud concinere videtur pro laboribus: Vidi tabernacula Aethiopum. Etenim in istius mundi tenebris quibus obũbratur veritas futuræ perfectionis, cùm annum tertiũ & quinquagesimum iam perduxerim in hoc corpore situs, in quo tã graues iãdudum sustinemus gemitus, quomodo non in tabernaculis Aethiopũ tendimus, & habitamus cum habitãtibus Median? Qui propter tenebrosi operis conscięntiam diiudicari etiam ab homine mortali reformidant. Spiritualis enim diiudicat omnia, ipse autem à nemine diiudicatur. Vale frater, & nos dilige, vt facis, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Studium, pia illi persuasione respondentis quid in causa cuiusdam criminosi potius agere debeat.

Epistola LVIII.

AMbrosius Studio. Recognosco puræ affectũ mentis, & fidei studium, & domini nostri Iesu Christi timorem. De quo etiam ego vererer respõsum referre, cõstrictus altero quod est commissum vobis propter custodiam legum, altero autem propter misericordiam & gratiam, nisi de hoc apostolicam haberes authoritatẽ, quia non sine causa gladium portat qui iudicat: dei enim vindex est in eos qui male agunt. Quod tamen etsi cognitũ tibi foret, non ociosè sciscitandũ putasti. Nam non sunt extra ecclesiam tamen qui in aliquos capitalem sententiã ferendam existimauerunt. Plerique etiam sponte se abstinent, & laudantur quidem, nec ipsi eos possumus non prædicare, quia authoritatem Apostoli eatenus obseruamus, vt iis communionem non audeamus negare. Vides igitur quid authoritas tribuat, quid studeat misericordia. Excusationem habebis si feceris: laudem si non feceris. Sed si non potueris facere, nec tamen innocentes atterere squalore carceris & absoluere, plus quasi sacerdos probabo. Potest enim fieri vt causa cognita recipiatur ad sententiam reus, qui postea aut indulgẽtiam sibi petat, aut certe sine graui seueritate (quod quidam ait) habitet in carcere. Scio tamen plerosque gentilium gloriari solitos quòd incruentam de administratione prouinciali securim reuexerint. Si hoc gentiles, quid Christiani facere debent? Ad omnia tamen accipe respõsum saluatoris: Nam cùm adulteram reperissent Iudęi, obtulerunt eam saluatori captantes, vt si absolueret eam, videretur legem soluere, qui dixerat: Nõ veni legem soluere, sed adimplere, si damnaret: videretur aduersum finem venisse propositi sui. Hoc igitur prouidens dominus Iesus, inclinato capite scribebat in terra. Quid scribebat nisi illud propheticum: Terra terra, scribe hos viros abdicatos quod de Iechonia lectũ est in Hieremia propheta? Cùm Iudęi interpellant, in terra scribũtur nomina Iudęorum. Cùm adeunt Christiani, non scribuntur in terra fideliũ nomina, sed in cœlo. In terra autem scribuntur abdicati à patre proprio, qui patrem tentant, & contumelias irrogant authori salutis. Cùm interpellant Iudęi, inclinat caput Iesus, & quia non habet vbi reclinet caput suum, iterum erigit quasi dicturus sententiam, & ait? Qui sine peccato est, prior lapidet eam. Et iterum inclinato

nato capite ſcribebat in terra. Audientes illi, exire cœperunt
singuli incipientes à ſenioribus: vel quod ipſi plura haberent crimina qui diu vixerant, vel quia priores vim intellexerunt ſententiæ, quaſi prudentiores: & cœperunt ſua magis peccata deflere, qui alieni criminis venerant accuſatores. Recedentibus ergo illis remanſit ſolus Ieſus, & eleuans caput ad mulierem, ait: Vbi ſunt qui te accuſabant? nemo te lapidauit? Et illa reſpondit: Nemo. Dicit ei Ieſus: Nec ego te damnabo, vade, & ammodo vide ne pecces. Nõ damnat qua ſi redemptio, corrigit quaſi vita, quaſi fons abluit. Et quia quando ſe inclinat Ieſus, ideo inclinat vt iacentes eleuet, ideo ait remiſſio peccatorum: Nec ego te damnabo. Habes quod ſequaris. Poteſt enim fieri vt ille criminoſus poſſit habere ſpem correctionis, ſi ſine baptiſmo eſt: vt poſſit accipere remiſſionem: ſi baptizatus, vt pœnitentiam gerat, & corpus ſuum pro Chriſto offerat. Quantæ ſunt ad ſalutem viæ? Et ideo maiores maluerunt indulgentiores eſſe circa iudices, vt dum gladius eorum timeretur, & reprimeretur ſcelerum furor, nõ incitaretur. Quòd ſi negaretur communio, videretur criminoſorum vindicata pœna. Maluerunt igitur priores noſtri vt id in voluntate magis abſtinentis, quàm in neceſſitate ſit legis. Vale, & nos dilige, quia nos quoque te diligimus.

Diui Ambroſii ad ſacerdotes quoſdam, & omnem clerum plebis Theſſalonicenſium, de obitu, vita, virtutibus, & conuerſatione ſancti viri Acholij, *Epiſtola LIX.*

AMbroſius Anatolio, Numerio, Seuero, Philippo, Macedonio, Ammiano, Theodoſio, Eutropio, Claro, Euſebio, & Timotheo dominis ſacerdotibus, & omni clero plebis Theſſalonicenſium dilectis ſalutem. Dum ſemper affixum tenere animo deſidero virũ ſanctum, atque omnes actus eius quaſi in ſpecula poſitus explo ro, hauſi nimia indagine ſolicitudinis amaritudinẽ nuncij ce lerioris, & quod adhuc mallem neſcire, cognoui in cœleſtibus iam requieſcere virum ſanctum Acholium, quem in terris requirebamus. Quæritis quis hoc annunciauerit cùm veſtræ ſanctitatis nondum veniſſent literæ? Non teneo author rem nuncij, & vſu quidem venit vt non libenter teneamus nuncium mœſtitudinis, ſed tamen clauſo mari, occupatis terrarũ Barbarica infeſtatione regionibus, cùm deeſſet qui aduenire potuerit, non defuit qui nunciaret, vt mihi videatur ipſe ſanctus annunciaſſe ſe nobis, eo quòd iam perpetuo laboris ſui potiretur ſtipendio, & ſolutis vinculis corporis inter angelorum miniſteria Chriſto adhæreret, cupiens amantis ſui errorem abſoluere, ne illi longæuitatem vitæ huius deprecaremur, cui vitæ æternæ iam præmia deferebantur. Abiit ergo, non obiit, & emigrauit à nobis veteranus Chriſti Ieſu cœlo, terræque iſtius ſolum mutans, & plaudens alis atque remigiis ſpiritualibus dicit: Ecce elongaui fugiens. Cupiebat enim apoſtolico ſpiritu iam dudum terras relinquere, ſed tenebatur votis vniuerſorum, ſicut de Apoſtolo legimus, quia remorari eum diutius in carne erat eccleſiæ neceſſarium. Viuebat enim non ſibi, ſed omnibus, & populis erat vitæ æternæ miniſter, vt prius eius fructum etiam in aliis quàm in ſe adipiſceretur. Eſt igitur iam ſuperiorum incola, poſſeſſor ciuitatis æternæ illius Hieruſalem quę in cœlo eſt. Videt illic vrbis eius menſuram immenſam, purum aurum, lapidem precioſum, lumen ſine ſole perpetuum, & hæc omnia iam dudum quidem ſibi comperta, ſed nunc facie ad faciem manifeſta videns, dicit: Sicut audiuimus, ita & videmus in ciuitate domini virtutum, in ciuitate dei noſtri. Ibi ergo poſitus appellat populum dei, dicens: O Iſrael quàm magna eſt domus dei, & quàm ingens locus poſſeſſionis eius, magnus & non habens finem. Sed quid hoc eſt? Dum merita viri conſidero, & quaſi diſcedentem ſpiritu ſequor, & ſanctorum choris deducentibus intermiſceor, non merito vllo, ſed affectu penè ſum oblitus mei. Itáne ergo raptus eſt nobis murus fidei, gratiæ, & ſanctitatis, quem totiens ingruentibus Gotthorum cateruis nequaquã tamen potuerunt Barbarica penetrare tela, expugnare multarum gentium bellicus furor? Denique in cæteris populatores locis, illic pacem rogabant: mirantibúſque quid ſibi ſine milite vllo obſiſteret, à prudentioribus intimabatur Heliſæi intus imitatorem degere, ætate ſupparem, non imparem ſpiritu: cauerent ne exemplo Syrinci agminis ſibi quoque cæcitas offunderetur. Et tamen circa diſcipulos ſuos diuerſa dona Chriſti ſunt. Heliſæus quidem in Samariam captiuas acies induxit Syrorum. Sanctus autem Acholius precibus ſuis fecit vt de partibus Macedoniæ victores fugaret. Nónne & hoc intelligimus virtutis ſuperioris fuiſſe, vt vbi miles nullus aderat, illic pellerẽtur ſine milite? Nónne & hoc cæcitatis eſt vt fugerent, quos nullus vrgebat, ſed vrgebat & præliabatur ſanctus Acholius, non gladiis, ſed orationibus: non telis, ſed meritis? An incognitum nobis eſt dimicare ſanctos etiam cùm ferientur? Nónne ocioſus erat Heliſæus? Ocioſus ſcilicet corpore, ſed vibrabat ſpiritu, & orationibus præliabatur, quando in caſtris Syriæ vox equitum & vox virtutis magnæ audiebatur, adeo vt putarent Syri aliorum regum aduerſus ſe venire exercitus, qui populo Iſrael adiumento forent, vnde perculſi magno fugerunt pauore, ita vt leproſi quatuor qui mortis egreſſi fuerant deſiderio, caſtra hoſtium deprædarentur. Nónne in Macedonia ſimilia dominus per orationes ſancti Acholij fecit miracula, aut prope maiora? Non enim inani metu nec ſuperflua ſuſpicione, ſed ſæuiente lue, & ardenti peſtilentia perturbati Gotthi ac territi ſunt. Denique tunc fugerunt vt euaderent, regreſſi poſtea pacem rogarunt vt viuerent. Vidimus itaque in tanti viri meritis ſuperiora ſecula, & opera prophetarum quæ legebamus aſpeximus. Quaſi Heliſæus inter arma, inter acies, dum vixit verſatus eſt, meritis ſuis componens prælia. Denique vbi ſecuritas cohabitantibus reddita eſt, quod ipſo fuit durius bello, ſanctum exhalauit ſpiritum, & quaſi Helias vſque ad cœlum eleuatus eſt, non curru quidem igneo, nec equis igneis, niſi forte illa non vidimus, nec in commotione aeris, ſed in voluntate & placiditate dei noſtri, & ſanctorum angelorum lætitia, qui ad ſe tantum virum tranſiſſe gratulabantur. Certe dubitare illa nequaquam poſſumus, quandoquidem reliqua congruerunt. Siquidem eodem momento quo ille adhuc eleuabatur, velut quodam melotidis ſuæ demiſſo amictu ſanctum Anyſium diſcipulum ſuum induit, & ſui veſtiuit infulis ſacerdotij, cuius meritum & gratiam non nunc primum audio, nec in veſtris epiſtolis didici, ſed in veſtris literis recognoui. Nam quaſi præſcius ſucceſſurum ſibi, etſi promiſsis tegebat, tamen indiciis deſignabat, adiutum ſe eius cura, labore, officio memorans, vt iam declarare conſortem videretur, qui non quaſi nouus ad ſummum ſacerdotium veniret, ſed quaſi vetus ſacerdotij executor accederet. Cui pulchrè conuenit dictum illud euangelicum: Euge bone ſerue & fidelis, quoniam ſuper pauca fidelis fuiſti, ſuper multa te conſtituam. Hæc mihi de ſancto Acholio vobiſcum communia. Illud tamen ſpeciale, quo deuinctus ſum beatæ memoriæ viro, quia tribuit mihi vt eum non ignorarem. Nam cùm eo veniẽte ad Italiam ægritudine cõfectus tenerer, vt non poſſem occurrere, ipſe ad me venit, & viſitauit. Quo ſtudio, quo affectu ipſe in me, & ego in eum irruimus? Quo gemitu mala iſtius ſeculi, & ea quæ hic acciderent, deploraſſimus, ita vt lachrymarum profluuio veſtẽ infunderemus, dum ſalutatione exoptatiſsima, mutuo deſiderio & expecto diu fruimur, adhęremus amplexu. Itaque quod voti mei erat, illius beneficij fuit, quia potui illum videre. Nam etſi maior portio, & plenior cognitio ſit in ſpiritu videre quos diligimus, tamen etiam in figura corporis videre deſideramus. Sic aliquando reges terrę quęrebant faciem Salomonis videre, & audire eius ſapiẽtiam. Diſceſsit igitur à nobis, & nos in hoc reliquit ſalo: ſed quòd illi vtile, id multis ipſo Barbarico furore eſt grauius: quia illũ iſte depellebat, hunc nobis quis poterit repręſentare? Sed repręſentat dominus, & ſeipſum in diſcipulo repręſentat. Repręſentant iudicia veſtra, quibus dictum eſt: Date Leui manifeſtos eius, & veritatem ſuam. Viro ſancto dediſtis manifeſtum eius, vt pote eius inſtitutione fundatum, dediſtis imitatorem viri eius qui dixit patri ſuo, & matri ſuę, non vidi te: & fratres ſuos non ſciuit, & filios non recognouit, & cuſtodiuit verbum domini, & teſtamentum eius obſeruauit. Narrabunt populi iuſtitiam eius. Talis viri vita, talis hęreditas eſt, talis con-

Pſalm. 54.
Philip. 1.
Pſalm. 47.
Baruc 3.
4. Reg. 6.
4. Reg. 7.
Matth. 25.

lis conuersatio,talis successio.Ille se monasteriis puer dedi-
dit,& intra Achaiam angusto clausus tugurio, gratia tamen
multarum terrarum peragrauit diuortia,ad summum sacer
dotium à Macedonicis obsecratus populis , electus à sacer-
dotibus , vt vbi ante fides per sacerdotem claudebatur , ibi
postea per sacerdotem muralia fundamenta fidei confirma
rentur . Non aliter etiam eius discipulus imitatione, qui &
ipse dixit patri suo & matri suæ,non vidi te.Non vidit enim
studio,non vidit affectu,& fratres suos nō sciuit,quia deum
scire desiderauit. Et hic recognouit verbum domini, & cu-
stodiuit testamentum eius,& imponit honorem in ara eius
semper. Benedic domine fidem eius,sanctitatem, sedulita-
tem, Benedictio tua veniat super caput eius, & super verti-
cem ipsius . Sit honorificus inter fratres suos , sit in eo tauri
species,vt ventilet corda inimicorum, & sanctorum mētes
demulceat,& iudicium sacerdotū tuorum in eo sicut lilium
floreat.Valete fratres,& diligite me,quia ego vos diligo.

Diui Ambrosii ad Anysium sancti Acholij successorem , de successione eius congaudentis , vitámque sancti Acholij commendātis,& illius adolescentiam,iuuentutem, atque senectutem benedicentis. *Epistola LX.*

AMbrosius episcopus Anysio fratri . Iādudum te teneo,& si nunc primum lego, meritísque cōpertum habeo quem oculis non viderām. Doleo quidem illud accidisse,sed hoc successisse gaudeo:quia licet superstite me nō optauerim illud contingere, speraui tamen post illius sancti viri exitum hoc solum posse merito succedere . Tenemus ergo te sanctæ memoriæ Acholij dudum discipulū, nunc successorem hæredémque eius vel honoris vel gratiæ . Magnum meritum frater gaudeo tibi , ne vno quidem momento de successore tanti dubitatum viri:& magnum onus frater tanti nominis pondus subisse , tantæ libræ , tantíque examinis. Quæritur in te Acholius,& sicut erat in affectu tuo,ita in officiis desideratur illius virtutis,illius disciplinæ effigies,illius fortitudo animi in tam senili corpore.Vidi fateor virū,nam & hoc meritis illius debeo quòd illum viderim . Vidi ita illum esse in corpore,vt extra corpus putarē. Vidi imaginem illius qui se siue in corpore siue extra corpus nescíens , rap-
2.Cori.12. tum ad paradisum viderat.Ita enim percurrebat omnia ex cursu frequenti,Constantinopolim, Achaiam,Epirum,Italiam,vt iuniores eum non possent consequi. Cedebant fortiores corpore, quia eum sine impedimēto esse corporis nouerant,vt eo tantum pro velamine vteretur,non pro officio certe ad seruitium, non ad subsidium.Ita enim affecerat cor-
Galat.6. pus suum,vt in eo mundum crucifigeret,& mundo semetipsum . Benedictus dominus,& benedicta adolescentia eius quam exegit in tabernaculis dei Iacob,positus in monaste-
Matth.12. riis , in quibus cùm quæreretur à parentibus vel proximis, dicebat:Qui sunt fratres mei,aut quæ mater mea? Non noui patrem vel matrem,vel fratres meos,sed eos qui audiunt verbum dei,& faciunt.Benedictus etiam processus iuuentutis ipsius,in qua ad summum electus est sacerdotium,matu ro iam probatus virtutum stipendio . Venit enim tanquam Dauid ad pacem populi reformandam . Venit tanquam illa nauis aurum secum intelligibile vehens, & ligna cedrina,& lapides precioſos,vt illas columbæ pennas deargētatas,quibus medias inter sortes somno pacis & tranquillitatis sopo-
Canti.5. re dormiuit. Est enim sanctorum etiam somnus operarius, secundum quod scriptum est:Ego dormio,& cor meum vi-
Gene.28. gilat.Et secundum quod Iacob sanctus diuina dormiens videbat mysteria, quæ vigilans non viderat,de cœlo ad terras aerem peruium sanctis,respicientem dominum,& pollicentem terræ eius possessionem.Itaque breui somno dormiens impetrauit quod magno labore postea acquisiuit.Hęreditas eius est enim somnus sanctorum,feriatus ab omnibus corporis voluptatibus,ab omni animi perturbatione,tranquillitatem menti inuehens,placiditatem animæ,tāquam soluta nexu corporis se ableuet,& Christo adhæreat.Hic est somnus vita sanctorum, quam viuebat sanctus Acholius, cuius benedicta etiam senectus ipsa est.Verè senectus illa venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea est enim reuerenda canicies, quæ est canicies animæ in canis cogitationibus & operibus effulgens.Quæ est enim verè ætas senectu- Sapien.4.
tis, nisi vita immaculata, quæ non diebus aut mensibus,sed seculis propagatur,cuius sine fine est diuturnitas,sine debilitate longæuitas?Quo enim diuturnior,eo fortior(eo quòd diutius eam vitam vixerit) in virum perfectum excrescit. Huius igitur successorem te dominus nō solum honore, sed etiam moribus probet , & summa fundare dignetur gratia, vt ad te quoque populi cōcurrant,de quibus dicas: Qui sunt Esaiæ 60.
isti qui sicut nebulæ volāt,& sicut columbæ cum pullis suis? Veniant quoque sicut naues Tarsis,quæ accipiant frumen- 1.Parali.9.
tum quod Salomon verus impartiuit viginti mensuras,tritici.Accipiant oleum & sapientiam Salomonis, & sit pax inter te,& populum,& testamētum pacis custodias.Vale frater,& nos dilige,quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Candidianum,splendorem sermonis,& fulgorem affectus eius commendantis , illique benedictionem optantis. *Epistola LXI.*

AMbrosius Candidiano fratri. Summus quidem splēdor in sermone est tuo , sed magis in affectu elucet mihi.Nam in epistolis mentis tuæ aspicio fulgorē dilectissime frater ac beatissime. Dominus te benedicat,& det tibi sui gratiam. Nam & ipse in epistolis tuis vota magis quàm mea merita recognosco . Quæ enim merita mea tantis tuis æquentur sermonibus ? Dilige nos frater,quia nos te diligimus.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
Mediolanensis epistolarum Liber VIII.

Diui Ambrosii ad Irenæum, quæstionem , cur dominus deus manna pluerit populo patrum, & nunc non pluat,dissoluentis, *Epistola LXII.* Exod.16.

AMbrosius Irenæo. Quæris à me cur do- Ibidem.
minus deus manna pluerit populo patrum,& nunc non pluat.Si cognoscis, pluit,& quotidie pluit de cœlo manna seruientibus sibi.Et corporeū quidem illud māna hodie plerisque in locis inuenitur,sed nunc non est tanti res miraculi:quia venit quod perfectum est.Perfectum autem panis de cœlo,corpus ex virgine,de quo satis euāgelium te docet.Quanto præstantiora hæc superioribus?Illud enim māna,hoc est,panem illum qui manducauerunt , mortui sunt: hunc autem panem qui māducauerit,viuet in æternum.Sed Ioan.6.
est spirituale māna,hoc est pluuia spiritualis sapientiæ, quæ ingeniosis & quærentibus de cœlo infunditur , & irrorat mentes piorum,& obdulcat fauces eorum.Qui igitur intellexerit infusionem diuinæ sapientiæ, delectatur, nec alium cibū requirit, nec in solo pane viuit, sed in omni verbo dei. Matth.4.
Qui curiosior fuerit quærit quid sit istud quod melle dulcius sit.Respōdet illi minister dei:Hic est panis quem dedit tibi deus manducare.Qui sit iste panis,audi.Sermo,inquit, quem ordinauit deus.Hæc ergo ordinatio dei,hæc alimonia alit animam sapientis,& illuminat atque obdulcat, resplendens veritatis coruſco,& mulcens tāquam fauo quodam diuersarum virtutum suauitate,& sermone sapientiæ. Faui enim mellis sermones sunt boni,sicut scriptum est in Prouer- Prouer.16.
biis. Cur autem minutū sit,causam accipe: quia & granum sinapis minutum est, quod comparatur regno cœlorum, & fides quæ sicut granum est sinapis,potest montes tollere,& Lucæ 13.
iactare in mare.Et fermēto simile est regnū cœlorum quod Ibidē 17.
abscondit mulier in farinæ mensuris tribus donec fermentetur totum.Et Moyses caput vituli aurei comminuit sicut Lucæ 13.
puluerem,& misit in aquam,& dedit populo bibere.Incrassatum enim erat cor eorum perfidiæ immanitate,vt emolliretur,& fidei sumeret subtilitatem.Denique illa mulier quę Exod.23.
bene emoluerit assumetur,ea autem quę male emoluerit de- Matth.24.
relinquetur . Emole ergo & tu fidem tuam , vt sis sicut illa anima quæ Christi in se charitatem excitat , quam mirantur ascendētem virtutes cœlorum quod sine offensione ascendat,

dat, & ex hoc mundo ascendat cum lætitia & iucunditate, sicut vitis propago, & sicut fumus ad suprema subrigat fragrans odorem resurrectionis piæ, & suauitatem fidei, sicut habes scriptum: Quæ est hæc quæ ascendit à deserto sicut vitis propago, fumo incensa, odorificata myrrha & thure ab omnibus puluerib⁹ vnguenti? Pulchre subtilitatem eius expressit pulueris comparatione, & vnguenti commemoratione, quia in Exodo subtile legimus, & ex multis compositum thymiana illud esse incensum propheticum, quod est sanctorum oratio, vt dirigatur in conspectu domini, sicut & Dauid dicit: Dirigitur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Denique, Græcus καπυδυνθήτω ἡ προσευχή μου ὡς θυμίαμα ἐνώπιόν σου dixit. Et in Apocalypsi Ioānis legimus, quia stetit angelus ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt ei thymiamata multa de orationibus sanctorum omnium. Et ascendit, inquit, fumus thymiamatum orationum sanctorum de manu angeli in conspectu dei. Et vmbilicus animæ ac venter subtilis est illius quæ ascendit ad Christum. Ideoq; laudatur voce sponsi dicentis: Vmbilicus tuus crater tornatilis, non deficiens musto, venter tuus aceruus tritici minuti inter lilia. Est enim in omni doctrina tornatus, & potius spiritualis non deficiens plenitudine, & cœlestium secretorum cognitione. Venter quoque animæ mysticus sicut vmbilicus, quo ventre non solum fortem cibum sumit, quo corda firmantur, sed etiam suauem ac floru lentū quo delectantur. Et fortasse hoc docuit Moyses multis orationibus & piis illud mitigandum sacrilegium. In libro quoque Regnorum cùm se dominus sancto reuelaret Heliæ, vox auræ tenuis præcessit, & statim se ei dominus reuelauit, vt cognoscamus ea quæ corporea sunt, crassa esse & pinguia: & quæ spiritalia, mollia & subtilia, vt non possint comprehendi oculis. Denique & spiritus sapientiæ subtilis & mobilis legitur in libro Sapientiæ: quia est in illa spiritus intelligentię, sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, & mobilis, qui sermones suos molat prius ne quid offendat vel in sensu, vel in alloquio. Denique illi Babyloni cùm destruetur, dicitur: Et vox molæ non audietur in te amplius. Hoc igitur manna subtile erat, & ad diem colligebatur, in diem alterum non seruabatur, eo quòd inuenta sapientiæ in tempore sint gratiora, nec tam miranda quæ spatio temporis reperiuntur, quàm illa quæ præsentis funduntur ingenij viuacitate: siue quia futura reuelātur mysteria, eo quòd seruatum manna vsque ad solis exortum, esui iam esse non posset, id est vsque ad Christi aduentum habere gratiam. Oriente autem iustitiæ sole, & splendidioribus Christi corporis & sanguinis sacramentis refulgentibus cessarent inferiora, perfecta illa sumenda populo forent. Vale, & nos dilige, quia nos quoque te diligimus.

Cantic.3. Exod.30. Psal.140. Apocal.8 Cantic.7. Exod.32. 3.Reg.19. Sapien.7. Exod.26.

Diui Ambrosii ad Iustum, disserentis quòd veteres quos plerique secundum artem scripsisse negant, secūdum gratiam que super omnem artem est, scripserint: de quorum tamen scriptis ij qui de arte scripserunt, artem inuenerunt,

Epistola LXIII.

Mbrosius Iusto. Negant plerique nostros secundū artem scripsisse. Nec nos obnitimur: non enim secundum artem scripserunt, sed secundum gratiā, quæ super omnem artem est. Scripserunt enim quæ spiritus iis loqui dabat. Sed tamen ij qui de arte scripserunt, de eorum scriptis artem inuenerunt, & condiderunt commenta artis, & magisteria. Denique, in arte requiruntur præcipue, vt sit αἴτιον ὕλη αἴτιον ὑποτέλεσμα. Cùm igitur legamus sanctum Isaac patri dicere: Ecce ignis & ligna, vbi hostia? quid horum deest? Nam qui quærit, dubitat: qui respondet quærenti, pronunciat, & dubitationem absoluit. Ecce ignis, id est αἴτιον. & ligna, id est ὕλη, quæ latinè materia dicitur. Tertium quid superest nisi ὑποτέλεσμα. quod filius quæsiuit, pater retulit dicenti, vbi hostia? Deus, inquit, prouidebit sacrificium fili. Differamus paulisper mysterium. Ostendit deus pendentem Arietem cornibus. Aries autem est verbum plenum tranquillitatis, & moderationis, atque patientiæ, quo ostenditur bonum sacrificium iustitiæ etiam sapientiam, & prudenter emerendi ac propitiandi rationem cognoscere.

a

Gene.22.

A B C D

Vnde & Propheta ait: Sacrificate sacrificium iustitiæ. Itaque iustitiæ, ita vt sapientiæ sacrificium est. Ecce ergo mens calida & feruens vt ignis quæ operatur. Ecce & intelligibilia, id est materia, vbi est tertium intelligere. Ecce color, vbi est videre. Ecce sensibilia, vbi est sentire. Materia enim non ab omnibus videtur, ideóque deus dat munus intelligendi, & sentiendi, & videndi. Verbum ergo dei ὑποτέλεσμα est, id est definitio & consummatio disputationis, quod infunditur prudentioribus, & dubia confirmat. Pulchrè autem etiam ij qui in aduentum Christi non crediderunt, seipsos reuincunt, vt confiteantur quod negandum putant. Dicunt enim arietem verbum dei, & non crediderunt passionis mysterium, cùm in illo mysterio verbum dei sit, in quo impletum est sacrificium. Ergo primum accendamus in nobis ignem mentis, vt operetur in nobis. Quæramus subiicientes materiam quid sit quod nutriat animā, tanquā in tenebris requiramus eam. Neq; enim vel patres sciebant quid esset manna. Inuenerunt, inquit, manna dicentes ipsum esse sermonem & verbū dei, vnde omnes disciplinæ fonte iugi ac perpetuo fluunt ac deriuantur. Hęc est esca cœlestis. Significatur autem ex persona dicentis: Ecce ego pluā vobis panes de cœlo. αἴτιον, ergo, eo quòd operatur deus, qui irrigat mentes rore sapientiæ. ὕλη, quia videntes animæ & gustantes delectantur, & requirunt vnde sit illud splendidius luce, dulcius melle. Respondetur eis scripturæ serie, Hic est panis quem dedit vobis mādūcare dominus, & hoc est verbum dei quod disposuit deus vel ordinauit, quo pascitur anima prudentium & delectatur. Est candidū & suaue, veritatis splendore illuminans, & virtutum suauitate demulcens audientium animas. In se enim didicerat propheta quid esset consummandæ rei αἴτιον. Nam cum mitteretur ad populum dei liberandum, ad regem Ægypti, ait: Quis sum ego vt vadam, & educā populum à regis potestate? Respondit dominus: Ego ero tecum. Interrogabat Moyses: Quid dicam illis si requirant, quis est dominus qui misit te? & quod nomen est illi? Dixit dominus: Ego sum qui sum. Dices: qui est, misit me. Hoc est verum nomen dei, esse semper. Vnde & Apostolus de Christo, Dei enim filius Iesus Christus, qui in nobis est, qui per nos prædicatus est, per me & Syluanum & Timotheū. nō fuit in illo, inquit, est & non, sed est in illo fuit. Respondit Moyses: Si non crediderint mihi, neque obedierint voci meæ, dicentes, quia non apparuit tibi deus, quid dicam illis? Dedit illi signa facere, vt crederetur quia à domino missus est. Tertio ait Moyses: Non sum dignus, & gracili voce sum, & tardiori lingua, quomodo me audiet Pharao? Responsum est ei: Vade, & ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui. Interrogationes ergo illæ in medio & responsiones habent sapientiæ femina & theorian. Gratum tamen ὑποτέλεσμα est, quia ait: Ego ero tecum. Et quamuis dederit ei signa facere, tamen dubitanti iterum (vt scias quia signa non credentibus, promissum autem credentibus) respondit ad infirmitatem vel meriti, vel voti. Ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui. Perfectum ergo ὑποτέλεσμα seruatū est. Habes hoc & in euāgelio, Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Pete, ὑποτῶ αἰτῶ, id est, ab authore quære. Habes ὕλην, intelligibilia quibus quæras, pulsa, & aperit tibi deus verbum. Quæ petit, mens est, quæ operatur sicut ignis intelligibilia, in quibus mentis ardor operatur sicut ignis in lignis. aperit verbum tibi deus, quod est ὑποτέλεσμα. Habemus & alibi in euangelio dicēte domino: Cum autem tradēt vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eritis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Habes hoc & in Genesi, dicente Isaac: Quid est quod tā cito inuenisti fili? Qui dixit: Quod tradidit dominus deus tuus in manus meas. ὑποτέλεσμα dominus est. qui per dominum quærit, inuenit. Labā denique qui per dominum non quæsiuit, quia quærebat idola, non inuenit. Pulchrè autem quod dicūt, horos seruauit. Primus est horos. Vade affer mihi de venatione tua vt manducem. Excitat atque adolet velut igni quodam adhortationis suæ mentem eius, vt operetur & quærat. Secundus horos, Quid est

Psalm.4. Exod.4. Ibidem. Ibidem. 2.Cor.4. Exod.4. Ibidem. Matth.10. Matth.10. Genes.27. Ibidem. Ibidem.

623

est quod tam cito inueniſti? Hic in interrogatione eſt. Ter- A
tius horos in reſponſione. Quod tradidit dominus deus
in manus meas, ἀποστόλωμα deus eſt, qui concludit & cõſum-
mat omnia: de quo dubitandũ non eſt. Eſt & ille horros de
ſpontaneis: Si non ſeminaueritis, non metetis. Nam etſi cul
tura prouocet ſemina, tamen natura ſpontaneo quodam vt
ſurgant in iis operatur ingenio. Vnde Apoſtolus: Ego plan-
tauí, inquit, Apollo rigauit, ſed deus incrementum dedit. Ita
que neque qui plantat eſt quicquam, neque qui rigat, ſed
qui dat incrementum deus. Dat tibi deus in ſpiritu, & in cor
de tuo ſeminat dominus. Age ergo vt inſpiret, & ſeminet vt
metas: ſi non ſeminaueris, non metes. quaſi admoneris vt ſe-
mines. non ſeminaſti, non metes: ſententia eſt. Principio fi-
nis conuenit. principiũ ſemen eſt, finis meſſis. Diſce, inquit,
ex me: natura adiuuat diſcentem, deus autem author naturę
eſt. Dei quoque, vt benedicemus, quia hoc naturæ eſt, per-
diſcere. Duri enim corde non diſcunt. Incrementa per natu-
ram quæ diuini habet gratiam muneris, conſummationem
& perfectionem deus dat, id eſt illa præſtantiſſima & diuina
trinitatis natura & ſubſtãtia. Vale, & nos dilige, vt facis, quia
nos te diligimus.

Diui Ambroſii ad Syagrium Veronenſis eccleſiæ epiſcopum, li-
teris illius reſpondentis, eúmque vehementer arguentis, de iu-
dicio attentato in cauſa cuiuſdã virginis per turpes quaſdam
perſonas accuſatæ, & cur cauſam iſtam ad ſe reuocauerit, &
qualem in ea ſententiam pronunciauerit exponentis,
Epiſtola LXIIII.

AMbroſius Syagrio Veronẽſis eccleſiæ epiſcopo.
Proſpiciendum eſſe ne de noſtro obloquãtur iu
dicio chariſſimi noſtri Veronẽſes, propriis texui
ſti literis. Non arbitror fore, certe non ſolẽt. Aut
ſi obloquantur, de quo obloqui ſoleant, haud dubiè liquet,
cùm exaſperati huc veniant, pacifici ad te reuertantur, præſer
tim cùm hoc iudicium noſtrũ cum fratribus & conſacerdo-
tibus noſtris participatum proceſſerit. Tu autem ſine alicu-
ius fratris conſilio hoc iudicium tibi ſolus iudicandum pu-
taris, in quo tamen ante iudicium præiudicium feceris, vt
puellam Zenonis ſanctæ memoriæ iudicio probatam, eiúſ-
que ſanctificatam benedictione, poſt tot annos ſine author-
re crimínationis, ſine accuſatore, ſine profeſſore delationis,
in periculum reatus deducendã arbitrarere. Cui inuidia eſ-
ſet à vanis, ab hæreticis, vt ipſi volunt, à turpibus perſonis
conflata per ſcelus, per auaritiam, per intemperantiam, quæ-
rentibus proprij libertatem flagitij, ab iis poſtremo qui do-
mo eius eiecti atque eliminati forent, quòd diſcolora ope-
ra ſubtexerent, quàm prima fronte ſuæ profeſſionis prętende-
rãt. Huiuſmodi accuſatores, huiuſmodi teſtes in tuo conſti-
tuebas iudicio, qui neque accuſare audebant, neque dela-
tionis ſe nexu obligare, atque ita inſpectioni adiudicandam
conſtituebas virginem, quam nullus argueret, nullus defer-
ret. Vbi hæc cognitionis ſolennitas? Vbi talis iudicandi for-
mula? Si leges publicas interrogemus, accuſatorem exigunt
ſi eccleſiæ, duobus, inquit, & tribus teſtibus ſtat omne ver-
bum: ſed illis teſtibus qui ante heſternum & nudiuſtertius
non fuerint inimici, ne irati nocere cupiant, ne læſi vlciſci
ſeſe velint. Inoffenſus igitur affectus teſtium quæritur, ita
tamen vt accuſator prius in medium procedat. Ipſi illi preſ-
byteri Iudæorum manus ſuas prius ſupra caput impoſue-
runt Suſannæ, & accuſationem profeſſi ſunt, & pariter ad-
diderunt teſtimonij authoritatem quam imprudenter popu
lus ſub errore poſitus acceperat. Sed diuino indicio per pro-
phetam retexit & redarguit omnipotens deus, vt liqueret
omnibus eos velle inuidiã præſeminare aduerſum innocen-
tis periculum, qui deficerentur accuſationis argumento, &
firmamento probationis, coniicientes videlicet quod ſi præ-
occupatis vulgi auribus inuidia mentem inceſſeret, præiu-
dicium examinandæ veritatis inferret. Etenim cùm audita
præueniunt, aurem obſtruunt, animum occupant, ne proba
tio deſideretur, vt rumor pro conuicto teneatur crimine.
Nos igitur accuſatorem exegimus, & authorem totius ſce-
næ Maximum perurgẽdum arbitrati ſumus. Verum ille ac-
cuſationem quam ſtudio informauerat, verbo detulerat, de

1. Cor. 3.

Deut. 17. Matth. 18.

Daniel 13.

ſeruit profeſſione, & tamen affectu vrgebat, arte exequeba-
tur, ſed refugiebat nomine, quod diffideret probationi. De-
nique ſparſis rumoribus, ſed etiam epiſtolis compoſitis &
deſtinatis quæſiuit acerbare inuidiam delationis, ſed nequa-
quam opprimi potuit integritas & circunueniri. Nam ſi ha-
buiſſet probationes, nunquã inſpectionem tua ſententia fla
gitauiſſet. Quid igitur ſibi velit, & quò ſpectet quod obſte-
tricem adhibendam credideris, non poſſum aduertere. Itá-
ne ergo liberum erit accuſare omnibus, & cùm probatione
deſtiterint, patebit vt genitalium ſecretorum petant inſpe-
ctionem, & addicentur ſemper ſacræ virgines ad huiuſmo-
di ludibria, quæ & viſu & auditu horrori & pudori ſunt? De
nique non minima etiam in tuis literis tentatæ expreſsio-
nis verecundia eſt. Quæ ergo ſine damno pudoris in alie-
nis auribus reſonari non queunt, ea poſſunt in virgine ſine
eius tentari verecundia? Inueniſti tibi vile mancipium, pro- B
cacem vernulam, cur non abutaris pudibundo miniſterio,
& exponas eius modeſtiam, cùm præſertim nihil ſanctius
in virgine ſit quàm verecundia? Non enim ſacra virgo vt
corpore tantummodo integra ſit quæritur, & non vt in o-
mnib⁹ eius inoffenſus maneat pudor. Virgo domini ſuis eſt
nexa fulcris ad ſui probationem, nec alienis dotibus eget vt
ſe virginem probet, nec abditorum occultórúmque inſpe-
ctio, ſed obuia omnibus modeſtia adſtipulatur integritati.
Non placet deo quam nõ ſuorum grauitas morum probat.
Non probatur domino quæ vnius obſtetricis indiget teſti-
monio, quod plerunque quæritur precio. Ea ergo tibi locu-
ples videtur ad fidem, quæ & redimi & falli poteſt, vt excu-
ſet ream, & crimen tegat, aut neſciat, & non poſsit flagitium
deprehendere? Neque vero illud iuſtum arbitror quod tuis
comprehendiſti literis, quia niſi inſpecta fuerit, integritas pe
riclitetur, & incerto ſui fluctuet. Ergo omnes quæ inſpectæ
non ſunt, periculum ſubierunt pudoris? Ergo & quæ nuptu
ræ ſunt, prius inſpiciantur vt nubant probatiores? Ergo, & C
quæ velandæ ſunt, prius ſubiiciendæ ſunt huiuſmodi attre-
ctationi? Non enim viſitantur, ſed attrectantur, & rectius ſe-
cundum tuam ſentẽtiam inſpicitur non probata quàm con
ſecrata. Quid quod etiam ipſi archiatri dicunt non ſatis li-
quido comprehendi inſpectionis fidem, & ipſis medicinæ
vetuſtis doctoribus id ſentẽtiæ fuiſſe? Nos quoque vſu hoc
cognouimus, ſæpe inter obſtetrices obortam varietatem, &
quæſtionem excitatam, vt plus dubitatum ſit de ea quæ in-
ſpiciendam ſe præbuerit, quàm de ea quæ non fuerit inſpe-
cta. Siquidem & proximo id comperimus exemplo. Nam
quædã conditionis ſeruilis Altini inſpecta & refutata, poſt-
ea Mediolani, non meo quidem iuſſu, ſed Nicenti ex tribu-
ni & notarij domini vel patroni ſui voluntate viſitata eſt à
peritiſsima & locupleti fœmina huiuſmodi artis: & cùm ſi-
mul iſta ſuppeterent, vt neque paupertas obſtetricis ſuſpe-
ctam faceret fidem, neque indocilitas imperitiam, tamẽ ad-
huc manet quæſtio. Quid profuit igitur eam inſpici, cùm
damnatio maneat? Nam vt quiſque voluerit, aut imperitam D
medicam aut redemptam aſſeret, ita ſine effectu vllo iniuria
inſpectionis eſt. Quid deinde fiet? Quotienſcunque emer-
ſerit qui non credat, totiens virgo attrectabitur? Nam ſi vn-
quam ſe viſitandam abnuerit, ſecundum aſſertionem tuam
de crimine confitebitur. Et facilius eſt vt refutet quod nun-
quam fecerit, quàm quod fecerit. Variabuntur igitur obſte-
trices, ne ſuſpectæ aliqua repetatur gratiæ. Erit itaque inter
plures, quanquam paucorum etiam in magnis vrbibus hic
vſus medendi ſit. Erit inquam, vel maleuola, vel imperita,
quam pudoris clauſtra prætereant, & per imperitiam inte-
gro notam affigat pudori. Vides in quod periculum indu-
cas virginalem profeſsionem dum obſtetricem adhibẽdam
putas, vt iam non ſolũ verecundię ſuę diſpendio, ſed etiam
obſtetricis incerto periclitetur. Nunc conſideremus quod
obſtetricis officium ſit. Legimus etiam in veteri teſtamen-
to obſtetrices, ſed non inſpectrices. Denique ad parturien-
tes ingrediebantur, non ad virgines, vt partus ſuſciperent,
non vt pudorem examinarent. Vnde & obſtetrices dictę, eò
quòd obſiſtant dolori: vel certe pignori, ne laxatis vteri ge-
nitalibus clauſtris in tertam defluat. Secundo & tertio loco
in ſcripturis inuenimus obſtetrices adhibitas, ſed vbique

partui,

Genes.35. Ibidem 38. Exod.1. partui, nusquã inspectioni. Primo vbi Rachel parturit, deinde vbi Thamar parit, tertio vbi necandos mares Pharao mandat Hebræorum obstetricibus: quando responderunt illæ,non eo more Hebræas fœminas parere quo pariunt Aegyptiæ, sed Hebræas prius parere quàm introeant obstetrices ad eas. Qui locus vt superiori vtilis ad Hebræorum salutem, ita reliquo confragosus ad obstetricum fidem, quæ didicerunt mentiri pro salute, & fallere pro excusatione. Quid igitur suspecta & dubia captamus,cùm maiora sint alia examinandæ veritatis documenta & testimonia, in quibus expressiora insignia vel temerati pudoris sint? Quid enim est quod magis publicum sit,quàm offensa pudoris, & defloratio virginitatis? Nil profecto quod magis se probet quàm castitatis dispendium. Tumescit aluus,& incedentem fœtus sui onera grauant, vt prætermittamus alia quibus se vel tacita prodit conscientia. Ac forte sterilitatis obtentu abscondi in aliquibus possit flagitium. Hic verò cùm editus partus & expositus vel necatus (dum inuidiæ magis quàm probationi consulitur) dissipatus sit per aures vniuersorum, strangulata est libertas calumniarum. si peperit nempe, Veronæ fuit, visebatur frequenter à virginibus & mulieribus. In honore enim semper erat: Visebatur & à sacerdotibus propter pudicitiæ reuerentiam,& grauitatis speculum. Quomodo ergo potuit occulere crimen quod se vel specie sui proderet? Quomodo texit vterum? quomodo non refugit aspectum mulierum, oculos salutantium? quomodo parturiens vocem repressit? Sed hoc non patitur dolor. Denique scriptura hos maximos dicit dolores qui sunt parturientis. Sic enim inquit: Dies domini subito venit, & improuisus adest, vt dolor partus qui intercludit omnia effugia delitescẽdi. Hæc est verior documentorũ fides, quam erubescunt

Lucæ 1. & mulieres. Denique Helisabeth occultabat se mensibus quinque,eo quòd sterilis cõceperat in senectute. His signis & ipsa Mariæ virginitas apud ignaros mysterij, probri suspectabatur. Vnde &

Matth.1. Ioseph cui desponsata erat virgo, suspectum habebat vitium,dum adhuc nesciret dominicæ incarnationis sacramentum. Quid ergo? negamus inspiciendas virgines interim. Quod nusquam legerim,non adstruo, nec verum arbitror. Sed quia pleraque ad speciem facimus, non ad veritatem, & erroris gratia compluria frequenter prætendimus. sunt enim qui nesciant recte facere nisi metu pœnæ: relinquamus hoc illis quas non verecundia reuocat à lapsu, sed solus iniuriæ deterret metus, apud quas nulla cura pudoris,& castitatis gratia, sed pœnæ timor est. Relinquamus vernaculis quibus formido est deprehẽdi magis quàm peccasse. Absit à virgine sacra vt obstetricẽ nouerit. partus putatur,& remedium doloris ducitur, non examen pudoris. Relinquamus etiam illis si quæ grauibus appetitę calumniis, oppressæ testimoniis, strangulatæ argumentis, ad id confugiant, vt se offerant inspectioni, quo vel corporis probentur custodia, si tamen deprehendi potest: in quibus nutat pudoris gratia,& disciplina integritatis. Malè tamen se habet causa vbi potior est carnis quàm mentis prærogatiua. Malo morum signaculo, quàm corporis claustro virginitatem exprimi. Iam illud præclarum, quod scripsisti insinuatum tibi à quibusdam quod nequaquam tibi communicarent si eam sine visitatione suscipiendam crederes. Ergo iudicandi accepisti formulam. Quales illi qui volunt præscribere sacerdotibus quid sequi debeamus? Liberauimus itaque te à cognitionis grauissimæ necessitate, ne necesse haberes formulam mãdatam exequi. Quid nobis futurũ est qui eorum studiis non obtemperauimus? sed tamen scio illic plerosque esse qui timeant dominum. Nam & hic vidimus dudum, & illic esse comperimus qui compositam hanc querantur calumniam, quos aiunt eò offensos fauisse Maximo, quòd ista virgo non circumeat domos, nec eorum matronas salutet atque ambiat. Quid igitur fiet? quo tanto eam exuemus crimine? Quomodo persuadebimus vt cultus assumat nouos, suos exuat? Graue flagitium virginem intra secreta domus degere, claudi penetralibus suis. Sic certe lectio docet Mariam domi repertam cùm ad eam Gabriel archangelus veniisset.

Lucæ 1. Susanna fugiens turbarum inducitur. Denique cùm

Daniel 3.1. se lauaret, paradisum claudi iubebat. Quid autem præsertim in virgine, cuius præcipuum opus verecundia, quæ secreta est, tutius secreto, ad omnes actus expeditius? Munia enim pudoris induit, non concursationis. Sed de aliis videro, tuæ nunc mihi respondendum epistolæ est. Te miror frater, qui tantopere defendas Maximum non fuisse accusatorem, sed parentis dolore doluisse inuidiam sparsi rumoris, cùm ille se inimicum & aduersarium litigatorem proposito iam iurgio negare non potuerit aduersus sacram virginem iudicia attentauisse, muróque interiecto discretas ædes vxoris suæ ac virginis, diuisam germanitatis inter sorores societatem, aliaque proh dolor,& quòd virgo in agro affinitatis suæ refugisset consortium. Quomodo ergo non accusator, qui affectum accusatoris iamdudum exercuit? qui sermone suo accusationẽ detulit? aures tuas impleuit clamore? & testes auditionis deduxit? cognitionem poposcit? Quamlibet argumentatus negare non potuisti quod ad Indiciam scripseris, quoniam Maximus seu impulsu aliorum, seu dolore proprio, crimen graue detulerit. Sola hæc epistola satis est ad excusationis testimonium. Neque enim te ego tuis ad me datis literis vrgẽdum putaui, sed iis lectis quas ad virginem dederas, aduerti diuersum esse quod ad me scripseras: & tamen cum epistolæ tuæ sibi non conuenirent, consulendum te non arguẽdum putaui. Quid igitur sibi vult illa argumentatio, quia illud detulerit quod ad me scripseras, delatam videlicet eam in turpi crimine, ita vt editum & obrutum partum dici asserat? Quasi verò istud ad Indiciã non ad me scripseris. Illa vbi audiuit literis tuis Maximum subduci accusationi, literas tuas protulit, quibus eum criminis delatorem probauit: ad me datas non legerat, nec quid haberent sciebat. Ego autem exhorrui à primo calumniam, quia aduertebam non crimen intendi, sed iniuriam virginis desiderari, cuius inspectio & visitatio postulabatur, non aliquod flagitium deferebatur. Quis enim istud à principio fraude compositum nequaquam sibi congruere & conuenire non arbitraretur? Cucurrisse mulieres viles ad monasterium, iactasse partum virginis,& necem pignoris, de monasterio rumorem per populos sparsum, eúmque affluxisse in aures nouiaffinis Maximi, ab ipso interpellatum episcopum, dimissas eas quæ dixisse ferebantur, atque in fugam coactas, vt apud nos patuit eos qui audisse se dicerent, ad ecclesiam vocatos prodisse, Renatum & Leontium duos illos iniquitatis viros quos apposuit Iezabel, redarguit Daniel, subornauit Iudæorum populus, vt authorem vitæ suæ falso appeterent testimonio. Qui tamen cùm simul compòsuissent flagitium, simul ingressi essent viam, & ne quid præteream, adiuncti Maximo comitantibus (vt dixit Leontius) iis qui illum rumorem sparserant, tamen vbi in meo astiterunt iudicio, cùm primo de origine causæ quærerem, diuersa & distantia prõpsere, non locorum separati, sed mendaciorum diuortio. Cùm igitur sibiipsi non conuenirent, Mercuriam & Leam vilissimæ conditionis & detestabilioris nequitiæ personas amandauissent, aufugisset Theudule non ignara obiiciendi sibi facinoris, quod ante lectum Renati sola cubitauisset, ancilla præsto esset alia quæ stupro eiusdem Renati se diceret coinquinatam: die ipso qui dictus erat cognitioni, subtraxerunt se episcoporum conuentui, licet etiam pridie subito se profecturos idem Renatus clamauerit. Vnde ego iudicio præscripsi diem,& tamen nullo accusante, nullis testimoniis perurgentibus insinuaui sanctæ sorori quod peteres coram ipsa inspici & visitari memoratam virginem. At illa sanctè inspectionem quidẽ recusauit, sed testimonium non declinauit, dicens nihil se in Indicia cõprehendisse nisi quod esset virginalis pudoris & sanctitatis. Habitasse eum Romæ in domo nostra nobis absentibus, nulli eam se virorum familiaritati dedisse, optare cùm ea sibi à domino Iesu partem reseruari in regno dei. Paternam quoque filiam nostram interrogaui, quod ab ea nunquam soleat discedere, cuius charitas vitæ huius testimonium est. Itaque etsi quod iniurata diceret, fidei sacramento conferendum foret, sub obtestatione tamen professa est alienam criminis quo appetebatur, nec quicquam in ea scire se bonæ vacuum conuersationis. Nutricem quoque liberæ conditionis interrogauimus, cui & status haudquaquã degeneri seruitio obnoxius liberta-

libertatem vera fatendi daret, & fides atque ætas ad veritatem astipularetur,& officium nutricis ad cognitionem secreti.Ea quoque nihil se indecorum vidisse, nihil sibi quasi parenti commissum à virgine aliqua dignum reprehensione. His moti Indiciam inoffensi virginem muneris pronunciauimus.Maximum autem & Renatum & Leontium ita inuoluit sententia,vt Maximo si errorem emẽdaret, spes reditus reseruaretur, Renatus autem & Leontius excommunicati manerent,nisi forte probata sui pœnitentia , & huius facti diuturna deploratione,dignos se præberent misericordia. Vale frater,& nos dilige,quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Syagrium, pro castitatis contumelia dolentem querelam facientis,atque ex scripturis sanctis ostendentis quantum maiores nostri reuerentiæ detulerint castimoniæ quantúmue vltionis studium aduersum temeratores pudicitiæ fuerit,

Epistola LXV.

AMbrosius Syagrio.Quæ sint in nostro iudicio decursa,cõperta retines,& ideo nunc quasi animæ portionem cõuenio meæ, habens apud te pro castitatis contumelia familiarem & dolentem querelam.Itane oportuit inhonoratam atque inauditam virgini tatis causam adiudicari,vt nõ possit absolui?Hoc est nisi sua iniuria,nisi ab honesto pudore traducatur ad indecorem sui corporis oblationem, grande videlicet relatura sui testimoniũ,vt exponatur ludibrio,& procacitatis notetur. Hanc igitur prærogatiuam detulisti integritati, huiusmodi honorificentiam, qua se lacessi aut inuitari gaudeãt quæ hoc munus recipiendũ putant,vt amittant libertatem communis assertionis,nec se iure tueantur vel sanctæ legis,vel publico , vt non accusatorem exigat,non accersitorem vrgeat , sed impudentiam solam induat,ac sese proiiciat ad iniuriam ? Non ita maiores nostri despicabilem habebant castimoniam, cui tantum deferebant reuerentiæ,vt bellum aduersum temeratores pudicitiæ suscipiẽdum putarent. Denique tantum fuit vltionis studium , vt omnes tribules de Beniamin tribu extinguerentur,nisi sexcentos qui bello reliqui forent,natura editioris loci defendisset.Sic enim lectionis diuinæ serie expressum tenetur, cuius tenorem recensere congruit. Leuites viranimo maior quàm opibus , habitabat in partibus montis Ephren. Ei quippe tribui sortito obtigerat locus in possessionem terræ datus pro funiculo hæreditatis.Is sibi accepit iugalem de Iudæ Bethleem . Et vt se habent prima copularum exordia,ardebat iuuencula immodica animi cupiditate:simul quia similibus eius non fungebatur,exardescebat magis,atque immane exæstuabat. Vnde quia nihil referebatur ex parte adolescẽtulæ,vel leuitate amoris,vel vi doloris, quod haudquaquam mercede pari secum decerneret, cum eadem expostulabat, hinc frequens iurgium, quo mulier offensa claues remisit,domum reuertit.At ille amore victus, qui quod speraret non habebat aliud , cum quartum iam mensem fluere cerneret,eo contendit, fretus quod consilio parentum emolliretur animus adolescentulæ.Occurrit pro foribus socer, generum introduxit , filiam reconciliauit,& vt lætiores dimitteret, triduo tenuit , quasi repararet nuptias,ac volenti abire,quartum quoque diem comperendinauit,prætenta humanitatis specie moras innectendo. Pari modo cùm etiam quintum diem vellet adiungere superioribus,& iam nouæ deessent causæ morandi, paterno tamen affectu retinendæ filiæ desiderium non deforet , promissam profectionis copiam distulit in meridiem , vt viam cibo curati adorirentur.Post epulas quoque volens dilationem attexere , eo quòd iam vesper appropinquaret , generi precibus,ægre licet,tamen acquieuit . Ille iter suum perrexit lætus animi,quod dilectam sibi recuperauisset,qui vno comitati seruulo cùm iam declinaret dies , festino viã celerabant gradu.Mulier vehebatur iumento , viro nullus sensus laboris,qui fructu desiderij simul & vario mulieris ac vernaculi sermone viam leuaret.Denique vbi Hierosolymam appropinquarunt,quæ triginta stadiis aberat, quam Iebusæi tenebant,suggessit puer deflectendum in ciuitatem,quia sub nocte suspecta essent etiam illa quæ tutiora sunt , cauendáque tenebrarũ ambigua,maxime quia locorum incolæ non essent de filiis Israel. Et ideo præuertendum ne quid aduersa studia gerentes insidiarum inferrent , vt obscuro noctis dolum quærentibus ad perpetrandum facinus satis opportuno.Sed domino eius haud quaquam placuit sententia , vt inter alienigenas hospitio succederent , cùm Gaba & Rama non longe abessent ciuitates Beniamin.Itaque prævalẽs sententia posthabuit seruuli suggestionem , quasi ex conditione consilium æstimaretur, & non consilio quamuis infima conditio ableuaretur.Et iam sol in occasu erat, denique vix occurrit,cùm iam vrgeretur vespere , in ciuitatem succedere.Gabaonitæ incolebant locum,inhospitales,immites , intolerabiles,omnia tamen tolerabiliora quàm si aliquem hospitio recepissent . Denique commodius huic viro Leuitæ cesserat si in Gabaa hospitium nõ reperisset.Verum ne quid deesset offensionis , primo ingressu diuersorium non reperit: & cùm in publico situs alienam misericordiam implora ret, offendit aduenientem ex agro senem , quem vesper ex opere agresti compulit nocti decedere . Et cùm esset ei conspicuus,rogatus quo iret,& vnde aduentaret, respondit, de Bethleem Iudæ reuertor,contendo ad montem Ephren, & mulier est mecum,sed ecce huc diuerti,& nemo est qui hospitio recipiat,& requiescendi vsum ministret . Non quo cibi aut potus sibi,aut pecori pabulorum esset indigentia , sed tecti hospitio prohiberentur: præsto esse illa , nudum tecti hospitium desiderari. Ad ea senior benigne satis & placide, Pax,inquit,tibi,& succede hospes pariter & ciuis . Nam & mihi origo de montis Ephren partibus, & hic hospitalis habitatio,sed tempore diuturno incolatus sedes fundauit. Itaque receptos domicilio , ministerio sui & subsidiis hospitalibus iuxta fouit.Hortabatur ad lætitiam senior, & frequentioribus prouocabat poculis , vt vino adoleret curarum obliuio, cùm subito circunsistunt eos Gabaonitæ iuuenes ad omnem proiecti libidinem,nihil pensum ac moderatum habentes,quos forma mulieris illexerat , & in omnem amentiam præcipitabat.Capti enim eius decore , & per senectutem hospitis , atque infirmitatẽ subsidij accepta spe potiendi poscunt mulierem,& pulsant ianuam. Itaque egressus senior rogabat eos ne hospitales mensas turpi flagitio fœdarent,& reuerendum ius etiam indomitis Barbararum gentium nationibus violandum arbitrarentur : contribulem illum sibi, Israelitem virum legitimi thori subnixum copula non sine indignatione cœlestis arbitri tanta affici contumelia.Quod vbi parum procedere aduertit, esse sibi filiam virginem adiecit, illam se offerre maiore parentis dolore , sed minore gratiæ hospitalis dispendio,publicum flagitium priuato dedecore tolerabilius habere . At illi exagitati æstu furoris,& inflammati incentiuo libidinis, eò amplius ardebãt formam iuuenculæ,quo magis negabatur . Et iustitiæ exortes ridebant verba æquitatis filiã senis , quia minore inuidia sceleris offerebatur,despectui habentes.Itaque cùm piæ nihil proficerent preces, & seniles frustra hospes manus tenderet,desperato præsidio rapitur mulier , & per totam noctem iniuriæ impletur.At vbi lux finem intemperantiæ dedit,ianuam hospitalem repetit,non quo viri conspectum exposceret,quem magis declinandum putaret contumeliæ pudore miserabilis,sed vt affectum viro referret , quæ castitatem amiserat , & contumelię suę funus lamentabili specie ante ianuam hospitalem exponeret. Egressus itaque Leuita cùm iacentem inuenisset , arbitratus quod verecundia vultum nequaquam attollere auderet , cõsolari cœpit,quia non voluntate, sed inuita tantę iniurię succubuisset , hortari assurgere,& secum repetere domum.Sed vbi nullum responsum referebatur , quasi quiescentem maiore voce è somno excitare.Verum vbi mortis supremę patuit fides , impositas iumento reliquias domum pertulit , & diuisos artus mulieris in partes duodecim misit per singulas tribus Israel. Quo commotus vniuersus populus conuenit in Masphat , atque ibi querela per Leuitam cognita, omnes in bellum exarsere statuentes neminem virorum fas esse in tabernaculum succedere prius quàm de tanti sceleris authoribus vltio capesseretur: animisque ruebant in prælium . Sed consilium prudentiorum præuertit sententiam , non temere confligẽdum bello cum ciuibus , sed prius verbis experiendum de flagitio,&

Iudic.19.

tio,& decernendum conditionibus pro delictis. Neque iustum videri vt paucorum sceleris precium ad omnes perueniret,& priuata adolescentium peccata statum salutis publicæ labefactarent. Itaque miserunt viros qui denunciarent Gabaonitis vt tanti reos flagitij offerrent. Sin autem,cognoscerent non minoris esse criminis tantum facinus defendisse,quàm exercuisse. Verùm illis superba referentibus, consilia pacis bello mutata:neque primo aut secundo conflictu, cùm plurimi à paucis afflictarentur,cedendum Israelitæ aduersis præliis existimauerunt. Quadringenta enim milia virorum bellantium, aduersum vigintiquinque milia Beniamin tribus & septingentos Gabaonitas expertos belli iuuenes decertabant. Et cùm sinistra sorte duo sibi iam cecidissent prælia,animi tamen promptus haudquaquam deposuit Israel vincendi fiduciam, & vlciscendi præsumptam spem. Sed quia causa numeróque præstantiores,inferiores pugnæ euentu pedem retulerant,diuinam offensam rati, ieiunio & fletu maximo reconciliationem gratiæ cœlestis affectauere. Itaque orata domini pace acriores in bellum reuertuntur, vtpote quibus oraculum animos dederat, spem accumulauerat. Et simulato à fronte quod cederetur, ac dispositis per noctem insidiis à tergo vrbis, in qua locata erat manus hostium,dum hi cedunt,& illi insectantur, inuadendi vrbem vacuam facta copia,& mox admoto statimque adulto incẽdio,flammarum fragor atque æstus furens captæ vrbis speciem manifestarunt. Quo & suis fracti animi, & erecti hostium. Nam & Beniamin viri clausos se & circunuentos rati prius quàm à tergo inuaderentur,dispergere sese, atque in desertum fugere cœperunt, & contra Israel gemino agmine vrgere eos,ac palãtes persequi. Cæsa itaque vigintiquinque milia, id est omnes fere de viris Beniamin, præter sexcentos,qui arrepto scrupeæ rupis munimento, partim loci ingenio & subsidio naturæ,partim desperatione victoribus terrori fuere. Nam secundæ res cautionis admonent, in aduersis vltio pro victoria habetur. Nec fœminarum numerus tanti discriminis exors fuit, sed omnis tribus Beniamin muliebris sexus cum pueris & puellis omníque ætate gladio aut igne extinctus, sacramẽtúmque additum ne quis tribus illius vero filiam suam in vxorem daret, quo reparandi nominis omnis aboleretur successio. Belli finis simul atque iræ factus,& furor in pœnitentiam vertit:armísque positis in vnum conueniẽtes viri Israel fleuerũt fletum magnum, & celebrarunt ieiunium,dolentes vnam tribum periisse ex fratribus,atque extinctam populi sui validam manum: iure quidem pro delicti precio bellatum aduersum propugnatores flagitiorum, sed misere in sua populum conuersum viscera,
Iudic.21. & bello ciuili vtrunque afflictũ. Lachrymarum effusio mouit passionem animi,& affectum perculit, sæuitiæ ratio successit. Missíque legati ad sexcẽtos illos Beniamin viros, qui per quatuor menses edito se præruptarum tuebantur rupium,aut deserti indigentia, quæ multitudini obsidentium periculosa foret,deplorauerunt cõmunem illam esse ærumnam,quod illi cõtribules, isti cognatos & socios amisissent, sed tamen non penitus interceptam reparandę tribus successionem:consulere se in medium quomodo & sacramenti fides sibi constet, & tribus vna nequaquam à corpore auulsa intercidat. Altari itaque posito reconciliationis,& pacis oblatum sacrificium. Et quia Iabis Galaad populus erat pœnæ & maledicto obnoxius. Obstrinxerat enim se omnis Israel magno sacramento,vt si quis non ascendisset cum eo ad puniendum flagitiũ,morte moreretur: duodecim milia bellatorum directa,vt & viri omnes & mulieres ferro extinguerentur,solas virilis thori exortes reseruarent adolescentulas. Interfectis itaque omnibus Iabis Galaad,solę virgines quadrigentæ exitio cæterorum superfuerunt. Quas accipiens Israel statuit viros Beniamin belli metum deponere,& in coniugium sibi sumere integras æui ac pudoris puellas: quibus & causa esset apud viros integra,quòd nemo suorum aduersum eos bellum suscepisset,& charitatis gratia,quia propter eos supremo supplicio ereptæ forent. Hoc igitur modo quadringẽtis iuuenibus quæsita copularum consortia sunt. Sed quia ducenti numero supererant,quibus iugales deerãt, iis quoque sine fraude sacramentorum consultum accepimus.

Dies festus in Sylo quotannis celebratur. Ibi exultare solitæ virgines,& choreas ducere in honorem religionis, aliæ præire matribus,& totum iter agmine viantum repleri. Dixit vnus ex senioribus:Si ducenti illi tribus Bẽiamin viri intra vineas siti excubias tenderent,donec se omnis fœminæa turba effunderet,& surgentes ex vineis vnusquisque quam occursus dederat,vxorem sibi vendicaret, fraudi id nequaquam futurum: populum etenim fauere reparandæ tribus successioni,propter sacramentum impartire non posse filiarum suarum societatem:neque tamen contra sacramentum videri si prohibendum non putaret,quia sacramento neque cogendi neque prohibendi necessitas imposita videretur,illos sibi sine metu consulere oportere. Sane si puellarum parentes vindictã efflagitarent,partim prece, partim etiam retorquẽdo in ipsos inuitæ culpam custodię,sese reuocaturos: quia cùm scirent Beniamin viros exortes esse iugalium,cum filiabus processerint:dignam sane tribum iam nõ pœna,sed misericordia:satis durè sæuitum in eos,& debellatam corporis sui partem:immoderatius exarsisse plebem,vt successionem domesticam extingueret,atque ex suis necaret: placere deo non perire populo tribum,neque pro vna muliere tã acerbe consuli. Probauerũt consilium Israelitæ,executi sunt viri Beniamin,& dispositi in vineis loco opportuno & tempore,plenas fœminei agminis vias occupauerunt. Præbuit illis festum nuptiarum religionis solennitas. Auulsæ de complexu patrum filiæ tanquam in manum ab ipsis parentibus tradebantur,& velut pactã è gremio matris non abduci,sed prodire arbitrareris. Ita tribus Beniamin pene intercepta atque extincta breui floruit,documentum exhibẽs quod magno exitio sit insolentibus vindicta pudicitiæ,& læsæ castitatis vltio. Nec hoc solo loco, sed plerisque scriptura hoc docet. Nam & in Genesi legimus exercitum quæstionibus re- Genesi.
gem Aegypti Pharaonem quod Sarã attentauisset,& tamen alienam esse vxorem nesciebat. Est igitur domino castitatis tuendæ voluntas,quanto magis est defensandę integritatis? Vnde nulla debet virginibus sacris irrogari iniuria. Quę- Matth.
nim non nubunt,& qui vxores non ducunt,habentur sicut angeli in cœlo. Et ideo cœlesti gratię non inferamus corporalem contumeliam,quoniam potens est deus, quẽ nec præuaricatio prętereat,& moueat accepti sibi muneris & consecratę virginitatis acerba & grauis contumelia. Vale frater, & nos dilige,quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Paternum,eundem quia filio neptem ex filia copulare voluit redarguentis,& vt ab ea discedat intentione,commonentis, *Epistola LXVI.*

AMbrosius Paterno. Paterni quidẽ vnanimis mei salutationẽ legi,sed cõsultationem haud quaquã paternam, vt velis filio neptem copulare ex filia,sed nec auo te nec patre dignam. Itaque quid cõsulueris,cõsidera. Omne enim quod agere volumus,prius nomen facti eius interrogemus, & tũc vtrũ laude an vituperatione dignũ sit,existimabimus. Verbi gratia,misceri mulieri quibusdã voluptas est, medicorum etiã pueri corporibus vtile ferunt. Sed considerandum vtrum cõiugi,an extraneę,deinde nuptę an innuptę. Si quis despõsata sibi & tradita vtatur,cõiugiũ vocat. Qui alienę expugnat pudorem,adulteriũ facit,cuiusvel solo nomine repri mitur plerunque tentãdi audacia. Hostẽ ferire victoria est, reũ ęquitas,indocẽtem homicidium. Quod si quis percipiat animo,reuocat manũ. Ergo etiam tu quid cõsulas,quęso tecum retractes. Cõiugium vis inter filios nostros cõponere. Quęro vtrum pares copulandi,an impares sint. Sed,nisi fallor,compares appellari solent. Boues qui iungit ad aratrum, equos ad currum,pares eligit,& vt ętas cõueniat & forma: nec natura discrepet, nec decoloret diuersitas. Tu copulare paras filium tuum,& neptem ex filia, hoc est vt accipiat sororis suę filiam, diuersa licet matre quàm socrus editus. Interroga nominum religionem: nempe auunculus iste illius,illa huius neptis vocatur. Nec ipse te reuocat sonus nominum,cùm hic auum resonet, illa hoc nomen ad auunculum quod ad auum referat? Quanta deinde etiam reliquorum

rum confusio vocabulorum. Idem auus & socer vocabere, ea quoque tibi neptis & nurus diuerso nomine nuncupabi tur. Mutuabuntur etiam fratres diuersa vocabula, vt illa so crus fratri sit, iste gener sorori. Nubat auunculo suo neptis, & immaculatorū pignorum charitas illecebroso amore mu tetur? Super hoc igitur meam à sancto viro episcopo vestro expectari sententiam non opinor neque arbitror. Nam si ita esset, & ipse scribendum putasset. Non scribendo autem si gnificauit quod nequaquam hinc dubitandum arbitretur. Quid enim est quod dubitari queat, cùm lex diuina etiam patrueles fratres prohibeat conuenire in coniugalem copu lam qui sibi quarto sociantur gradu? Hic autem gradus ter tius est, qui etiam ciuili iure à consortio coniugij exceptus videtur. Sed prius sacræ legis scita interrogemus. Prætendis enim in tuis literis quod permissum hoc diuino iure con nubium huiusmodi pignoribus existimetur, eo quòd nō sit prohibitum. Ego autem & prohibitum assero: quia cum leuiora interdicta sint de patruelibus fratribus, multo magis hoc quod arctioris est plenum necessitudinis, interdictum arbitror. Qui enim leuiora adstringit, grauiora non soluit, sed alligat. Quod si ideo permissum putas, quia specialiter non est prohibitum, nec illud prohibitum sermone legis reperies, ne pater filiam suam accipiat vxorem. Nunquid ideo licet, quia non est prohibitū? Minime. Interdictum est enim naturæ iure, interdictum est lege quæ est in cordibus singulorum. Interdictum est inuiolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis. Quāta huiusmodi inuenies non esse interdicta lege per Moysen edita, & tamē interdicta sunt quadam voce naturæ. Multáq; sunt quæ licet facere sed non expedit. Omnia enim licent, sed non expediunt: omnia licent, sed non ædificant. Si ergo etiam ab iis nos reuocat Apostolus quæ non ædificant, quomodo faciendum putamus quod & non licet legis oraculo, & non ædificat discrepante pietatis ordine? Et tamen illa ipsa vetera quę fuerant duriora, tempe rata sunt per euangelium domini Iesu. Transierunt vete ra nouæ facta sunt noua. Quid tam solenne quàm osculum inter auunculum & neptem, quod iste quasi filiæ debet, hæc quasi parenti? Hoc igitur inoffensæ pietatis osculum suspectum facies de talibus cogitando nuptiis, & religiosissimum sacramentum charis pignoribus eripies. Sed si diuina te præ tereunt, saltem imperatorum præcepta, à quibus amplissimum accepisti honorem, haudquaquam præterire te debue runt. Nam Theodosius imperator etiam patrueles fratres & consobrinos vetuit inter se coniugij conuenire nomine, & seuerissimam pœnam statuit si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora, & tamen illi inuicem sibi æquales sunt: tantummodo quia propinquitatis necessitudine, & fraternę societatis ligātur vinculo, pietati eos voluit debere quod nati sunt. Sed dicis alicui relaxatum: Verùm, hoc legi non præiudicat. Quod enim in commune statuitur ei tantum proficit, cui relaxatum videtur. Lōge diuersa iniuria. Illud tamen licet in veteri testamento legimus, vt aliquis vxorem suam sororem diceret, istud inauditū, vt quisquam neptem suam in vxorem accipiat, & coniugem dicat. Iam illud pulcherrimum quod negasti neptem tuam auūculo suo tuo filio propinquo semine conuenire, quia non agnationis ei legitimo iure, sed cognationis copuletur necessitudine. Quasi verò & vterini fratres, id est diuerso patre, sed eadem matre geniti possint diuerso sexu inter se coniugio conuenire, cùm & ipsi agnationis ius habere non queant, sed cognationis tātum sibi titulo connexi sint. Vnde oportet ab ea discedas intentione, quæ etiam si liceret, tamen tuam familiam non propagaret. Debet enim tibi filius noster nepotes, debet etiam neptis charissima pronepotes. Vale cum tuis omnibus.

1. Corin. 6.

2. Cor. 5.

Diui Ambrosii ad Quinegium, illum de consultatione sua commendantis. *Epistola LXVII.*

AMbrosius Quinegio. Quàm ingenuo te commendasti pudore, quia de eo cōsuleres quod non probares, sed morem gereres parenti, vt pietatem non læderes, securus quod nō aliud à me posset referri, nisi quod sanctas deceret necessitudines. Ego verò libenter tua in me onera suscepi, &

A auo neptem, vt opinor, refudi. Quam nescio plane qua opinione nurum sibi fieri desiderabat, vt auum socero mutaret. Plura non opus est, ne hoc quoque accedat ad verecūdiam. Vale fili, & nos dilige, quia nos quoque te diligimus.

Diui Ambrosii ad Antonium, amorem eius in se, & sui animum in illum commemorantis. *Epistola LXVIII.*

AMbrosius Antonio. Nunquam es tacitus mihi, nec vnquam tuo me transmissum silentio querar, qui sciam quòd tuo non desim pectori. Nam cùm id pendas quod pluris est, qui potes id negare quod sæpe etiam in multos defluit, non tam amoris vsu, quàm officij vicissitudine? Ego verò etiam ex meo animo tuam vicem æstimo, vt nūquam me tibi, & te mihi absentem putem, quoniam semper animis hæremus. Nunquam tuas literas mihi deesse opiner, aut meas tibi cùm te quotidie coram alloquar, in te oculos, studia, atque omnia officia mea dirigam. His tecum delectat congredi. Nam literæ tuæ (vt aperte cum indiuiduo pectoris mei loB quar) verecundari me faciunt. Vnde peto vt supersedeas gratiarum relatu. Mihi enim mei in vos officij summa merces est, si me debito erga vos muneri non defuisse arbitrarer. Vale, & nos dilige, quia ego quoque te diligo.

Diui Ambrosii ad Alypium, literas illius sibi esse redditas, & se suis respondisse literis significantis. *Epistola LXIX.*

AMbrosius Alypio. Antiochus vir consularis reddidit mihi eximietatis tuæ literas, nec supersedi respondēdi munere. Nam per meos homines dedi literas, & ni fallor, alia oborta copia geminaui epistolam. Sed quia non tam remetienda amicitiæ munia, quàm contumeliam non cumulandam arbitror, oportuit ipso præsertim regrediente qui me tanto literarum tuarum affecit nomine, referri aliquod officium sermonis mei, vt ego vtrique vestrum & ille tibi absolueretur qui debebat referre quod acceperC rat. Vale, & diligentes te dilige.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
Mediolanensis epistolarum Liber IX.

Diui Ambrosii ad Vigilium, instituentis eum quomodo plebem docere debeat, ac inter cætera, vt coniugia ex alieni genis refugiant, Sampsoníque exemplo comprobantis quàm pernicioſum sit alienigenæ mulieris copulam asciuisse. *Epistola LXX.*

AMbrosius Vigilio. Poposcisti à me institutionis tuæ insignia, quoniam nouus accitus es ad sacerdotiū. Et quoniam teipsum ædificasti, vt oportuit, qui dignus habitus es tanto munere: quomodo & alios ędifices, significandum videtur. Primum omnium cognosce ecclesiā tibi domini commissam, ideoque vitādum semper ne quid obrepat offensionis, & fiat velut commune corpus eius gētilium admixtione. Vnde scriptura tibi dicit: Ne accipias vxorem de filiabus Chananæorum, sed vade in Mesopotamiam in domum Bathuelis, id est domum sapientiæ & eius tibi acquire copulam. Mesopotamia autē regio est in partibus orientis, quæ duobus maximis per ea locorum Euphrate & Tigri fluminibus circunuenitur, quibus origo est in Armeniæ locis. Influunt autem diuerso meatu in mare rubrum, & ideo Mesopotamiæ nomine signatur figura ecclesiæ, quæ maximis fluentorum prudentiæ irriguis atque iustitiæ fœcundat mentes fideliū, quibus sacri baptismatis, cuius typus præcessit in rubro mari, in Gene. 28. fundit gratiam, culpámq; abluit. Doce ergo plebem vt non ex alienigenis, sed ex domibus Christianis coniugij quæratur copula. Nemo fraudet mercenarium mercede debita, quia & nos mercenarij sumus dei nostri, & ab eo mercedē laboris nostri expectamus. Et tu quidem ô quicunque es negociator, mercenario tuo mercedem pecuniariam negas, id

est vilem,caducam: tibi autem negabitur merces promissorum cœlestiũ. Non fraudabis ergo,vt lex dicit,mercenarium mercede sua. Non dabis pecuniã tuam ad vsuram,quoniam scriptum est, quòd is qui pecuniam suam non dedit ad vsuram,habitabit in tabernaculo dei. Nam ille est supplãtator, qui vsurarum captat emolumenta. Itaque vir Christianus si habet,det pecuniam quasi non recepturus,aut certe sortem quam dedit, recepturus. Habet in ea non mediocrẽ vsuram gratiæ. Alioquin decipere istud est,non subuenire. Quid enim durius,quàm vt des pecuniam tuam non habenti,& ip se duplum exigas? Qui simplum non habuit vnde solueret, quemadmodum duplum soluet? Exẽplo nobis sit Thobias, qui nunquam requisiuit pecuniam quam dederat,nisi extremo vitæ suæ tempore, magis ne fraudaret hæredem, quàm vt depositam pecuniam cogeret ac recuperaret. Populi sæpe conciderunt fœnore, & ea publici exitij causa extitit. Vnde nobis sacerdotibus id præcipuè curæ sit, vt ea vitia resecemus,quæ in plurimos videntur serpere. Hospitem doce voluntarium magis quàm ex necessitate esse oportere,ne in hospitio deferendo in hospitalem affectum animi sui prodat, & in ipsa hospitis susceptione per iniuriam violetur gratia, sed magis excolatur officiorum vsu, & aliquo humanitatis ministerio. Non enim à te munera exiguntur ditia, sed officia voluntaria,plena pacis,& conuenientis concordiæ. Meliora sunt enim olera cum amicitia & gratia,quàm si exquisitis dapibus adornetur conuiuium, si desit affectus gratiæ. Legimus peremptos graui populos excidio propter violata iura hospitij Leuitis de Ephren. Propter libidinem quoque commissa bella atrocia. Sed prope nihil grauius quàm copulari alienigenæ,vbi & libidinis & discordiæ incentiua, & sacrilegij flagitia conflantur. Nam cum ipsum cõiugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat,quo modo potest coniugium dici, vbi non est fidei concordia? Cum oratio communis esse debeat, quomodo inter dispares deuotione potest esse coniugij communis charitas? Sæpe plerique capti amore fœminarum fidem suam prodiderunt, vt patrũ populus in Beelphegor. Vnde Phinees arrepto gladio interfecit Hebræum & Madianitem fœminam,& mitigauit indignationem diuinam,ne totus populus extinguere tur. Quid de pluribus exemplis loquar? Ex multis vnum pro feram,vt eius cõmemoratione liqueat quàm pernicioſum sit alienigenę mulieris asciuisse copulam. Quis fortior,& ab incunabulis suis munitior dei spiritu quàm Nazaræus Samson? Et ipse proditus est, & ipse per mulierem non potuit suam tenere gratiã. Cuius generationis & vitæ totius seriem historico digestam stylo enarrabimus secundum sacri libri continẽtiam,quæ in hunc est modum, non verborum serie, sed sensu. Multos per annos Hebræorũ populum subditum Palæstini ac subiectum habebant,quoniam fidei prærogatiuam amiserat,qua victoriam patres adepti fuere. Non penitus tamen interciderat insigne electionis apud authorẽ suũ, & funiculus hæreditatis. Sed quia rerum secundarum insolentia sæpe extollebantur, dabat eos plerunque in potestatem hostium, vt more ingenij humani remedium malorum de cœlo sibi quærerent. Tunc enim deo subditi sumus, cùm aduersariis aliquibus vrgemur. Secundæ res mentem extollunt. Quod cùm alias vsu probatum sit,maxime in ea rerum conuersione qua rursus ad Hebræos à Palæstinis versa vice res mutatæ. Nanque cùm diuturna iniuria longæ subiectionis ita essent depressa Hebræorum pectora, vt nullus virili ingenio ad libertatem animos tollere auderet, ortus est illis Sampson diuino oraculo prædestinatus,magnus vir, nec in pluribus numerandus,sed in paucis præstãtissimus, & quod sine vlla controuersia sit,viribus corporis omnium facile primus,eóque ingenti admiratione nobis spectandus à principio,non illa quæ temperantiæ & sobrietatis iam inde à pueritia vini abstinẽs præclara insignia dedit,nec illa quæ intonso capite Nazaræus sacra diu seruauit custodia: sed ab adolescentia,quæ in aliis ætas mollior,in hoc egregia, atque supra humanum modum perfectæ virtutis stupenda facinora effecit, quibus diuini oraculi mox aperuit fidem, quòd non perfunctoriè tanta eum anteisset gratia, vt descenderet angelus per quem ortus eius præter spem parentibus annunciaretur, futuri regimen & præsidium suis. Nam grauibus iam diu Palæstinorum imperiis afflictabantur. Pater illi erat de tribu Dan timens deum, haud ignobili genitus loco, præstans cæteris: mater vtero sterilis, sed animi virtutibus haud infœcunda: quæ propriæ hospitio mentis recipere meruit visionem angeli, mandatum tenuit, oraculum impleuit. Nec tamen passa sine viro scire vel diuinitatis secretum, insinuauit marito visum sibi hominem dei præclara specie futuræ sobolis ferentem oracula: qua pollicitatione sese fidentem cum coniuge fidem promissorum cœlestium participare. Quod vbi comperit, piè deum precatus orauit, vt sibi quoque visionis eus gratia tribueretur, dicens: In me domine angelus veniat tuus. Vnde ego arbitror, non zelo mulieris quæ esset spectabilis pulchritudinis, aliquid eum suspectum habuisse, vt quidam existimauit, sed magis diuinæ zelo gratiæ prouocatum, conspectus sacri voluisse participari munere. Neque enim vitiis animi praue affectus tantam apud deum inueniſſet gratiam, vt angelus in eius domum reuerteretur, qui monitis iis quæ vsus oraculi postulauisset, subito flammæ vehementis eleuatus specie, sese recepit. Id formidolosum viro mulier salubrius interpretata, in gaudium vertit, atque ademit solicitudinem, eò quod prosperorum indicium non aduersantium sit visere deum. Talibus è cœlo commendatus insignibus, vbi primum adoleuit, coniugio mentem intẽdit, siue quòd vagam ac familiarem adolescentulis abhorreret animo lubricæ libidinis consuetudinem, siue quia iam causa quærebatur quemadmodum à ceruicibus plebis suæ auerteret Palæstinorum potentiam duráque imperia. Pergens itaque in Thanata (vbi hoc nomen est in illis positæ locis, quæ tunc Palæstinorum incolis frequentabatur) virginem aspexit grata specie, & vultu decoro, & parentes proprios quorum comitatu fultus gradiebatur, orauit vt eam in coniugium sibi poscerent. Verum illi ignorantes quod eò intentio vergeret, vt Palæstinis aut negantibus infestior foret, aut acquiescentibus affectus inferendæ in subditos iniuriæ demeretur, cùm ex coniunctione æqualitas, par & gratia consortij iure accresceret, aut si quid offensum esset,longius vltionis studia procederent, quasi alienigenam declinandam arbitrabãtur. Sed vbi flectere animum pignoris legitimorum obiectu frustra experti,in arbitrium eius volentes concessere. Recepta itaque petitione, Sampson cùm sibi promissam reuiseret diuertit, & pauliſper de aggere deflexit, continuóque occurrit ei leo ferus de sylua,agresti libertate sæuior. Comes nullus,telum in manibus haudquaquam suppeditabat: cedere pudor,& conscia virtus fiduciam dare,irruentem in se brachiis amplexus necat, & lacertorum nodo exanimatum, præter aggerem supra syluestria germina proiecit ac dereliquit. Locus erat lætus pabuli herboso gramine, vinetis consitus. Itaque apud dilectissimam sibi sponsam exuuias feræ credidit sine momento futuras,cùm talium rerum tempora non terribilibus spoliis, sed mitibus gaudiis & festa fronde fiant venustiora. Denique post eadẽ regrediens via fauum in vtero leonis offendit,atque abstulit,donum parentibus ac puellę futurum. Talia enim sponsam munera decent: ac degustato melle fauum prædictis edendum dedit, causam repressit. Sed forte quadam die nuptialis festi celebrabatur conuiuium, læta in epulis iuuẽtus mutuis se ad ludum inuitabat sermonibus, cùm alius alium salsiore dicacitate perstringeret, sicut se huiusmodi vsus habet, certamen lætitiæ accendebatur. Ibi tum quæstionem huiusmodi proposuit Sampson iuuenibus coepulantibus: De manducante exiuit esca, & de forti processit dulce. Absoluentibus pollicens præmium quasi mercedem sapientię triginta sindones, & totidem stolas secũdum numerum virorum comessantium, aut mulctam ignorantibus. Qui cùm enodare implexa,& distinguere ambigua nequirent, mulierem eius partim minis exagitando, partim fatigando precibus, eo impulere, vt à viro poscęret quęstionis eius absolutionẽ, insigne futuram cõiugalis gratię in mercedem amoris. Atq; ea seu animi territa, seu muliebri ingenio inflexa, veluti pio quæstu maritalis odij dolorem prætexere cœpit quod secretum viri consors totius vitę & cõsocia non comperisset, similísque cęteris habita foret, cui arcanum viri proprij

Deut.24.
Psalm.14.
Thob.4.
Prou.15.
Iudic.20.
Num.25.
Iudic.16.
Ibidem 13.
Ibid.14.

635

proprij non crederetur. Odisti me, inquit, & non amasti, quam celasti vsque adhuc. His atque cæteris talibus inuictus certe animus, muliebribus emollitus blanditiis, aperuit dilectæ propositam quæstionem, & illa ciuibus. A quibus vix tandem septimo die qui præscriptus absoluendæ parabolæ fuerat, ante occasum solis cóperta soluta sunt, atque in hunc modum relata. Quid fortius leone? quid dulcius melle? Et ille respondit: Nec muliere aliquid perfidiosius. Nam si non domuissetis vitulam meam, nunquam intelligeretis parabolam meam. Et statim descendit in Ascalonam, & triginta viros peremit, quorum exuuias auferens, eos qui propositam quæstionem soluerant, promisso munere donauit. Abstinuit autem coniugio puellæ cuius perfidiam deprehenderat, atque in patriam domum sese recepit. Turbatáque animi iuuencula quæ indignationem læsi, ferociam fortissimi fraudi sibi futuram iusta formidine perhorresceret, in alterius viri concessit nuptias, quem tamen paranymphum sibi Sampson quasi fidum solidũ sodalem, cùm duceret eam vxorem, asciuerat, nec sic tamen prætento licet coniugio offensionis periculum auertit. Nanque vbi res prodita, volentíque ad coniugem redire, intercluſa copia, quod pater eam alij viro nupsisse diceret, sororem sane eius si vellet, ducere liceret: stimulo iniuriæ exulceratus, publicam excogitauit vltionem capessere domesticæ contumeliæ indignatione: correptísque vulpibus adulta æstate, cùm iam matura essent in agris frumenta, binas sibi inuicem cauda ad caudam ligauit, atque in medium earum ardentem inseruit facem, nodóque adstrinxit inexsolubili, & vltor iniurię super manipulos messis dimisit frumentariæ, quam secuerant incolæ Palæstinorum. At illæ igitur exterritæ quacunque præcipites conuoluebantur, spargebant incendium, & exurebat spicas eorum. Quo dispendio commoti, quod omnes sibi locorum fructus interierant, factum principibus suis intimauerunt. Et illi miserunt viros in Thannatam qui mulierem quæ variato fidem coniugio mutauerat, ac totam eius domum parentésque igni inuolueret, quòd ea causa suæ vastitatis & iniuriæ fortt, nec oportuisse lædi virum pronunciantes qui posset mălo se publico vlcisci. Nec tamen Sampson populis Palæstinorum delicti gratiam fecit, atque eo vindictæ fine contentus fuit, sed concidit eos strage maxima, plurimíque eorum ferro interiere. Ipse autem concessit in Ethan ad torrentem in deserto. Petra illic erat munitio tribus Iudæ. Palæstini verò qui eum non auderẽt lacessere, nec munitionis præruptа arduáque superare, tribum Iudæ denunciato adorsi vt ferę prælio: quod subditos sibi & tributarios, perditum iri nequaquam iustum & æquum atque ex vsu videretur publico, pro alieno præsertim facinore: consulentes in medium, tradi sibi designatorem tanti flagitij postulauerunt, atque ita illis quod ab eo commissum esset, futurum sine noxa. Qua præscripta sibi cõditione viri de tribu Iudæ tria milia ex suis congregantes ascenderunt ad eum, & præfato quod essent subdititij Palæstinorũ, quibus sibi necessitas obediendi non ex arbitrio, sed ex periculi formidine maneret, facti sui inuidiam retorquebant in eos qui ius cogendi habebant. Tum ille, Et quæ, inquit, iustitiæ forma est genus Abrahamidarũ, vt circunscriptæ primo coniugis, deinde abductæ pernicioſa mihi vindicta sit, & sine periculo domesticam iniuriam non licuerit vlcisci? Tantúmne inclinatis animos ad turpe vernularum obsequium, vt executores vos alienæ præbeatis insolentiæ, atque in vosmetipsos vertatis manus? Si pereundum est quia dolorem habui liberum, iuuat perire manibus Palæstinorum. Tentata domus, solicitata vxor. Si non licuit mihi viuere sine eorum fraude, saltem liceat mori sine scelere vestro. Retuli ego acceptam iniuriam, non intuli. Vos existimate an digna vicissitudo fuerit. Illi de damno fructuum quęruntur, ego de coniugis amissione. Conferte manipulos messis, & sociam thori. Dolorem meum ipsi probarunt, cuius iniurias vindicauerũt. Videte quo vos ministerio dignos putant. A vobis eum morte affici volunt, quem ipsi vltione dignum de iis qui me læserant iudicauerunt, & qui vindictę præbuere ministerium. Sed si adeo subdita superbis corda geritis, tradite me hostium manibus, vos nolite occidere. Non mortem abnuo, sed vestrum fugio contagium. Verum

Iudic. 14.

Iudic. 15.

si formidine ceditis insolentibus, alligate vinculis manus: inermes licet, inuenient sibi arma nodis solutæ. Certe conditioni impositæ satis futurum arbitrati sunt, si viuentem in potestatem daretis. Quibus illi auditis, quamuis tria milia virorum ascenderant, sacramentum dederunt quod à se vitæ eius vis nulla irrogaretur, tantummodo patiens vinculorum esset, vt deditionem eius patrarẽt, quo vacui fierent eius cuius arguebantur facinoris. Accepta itaque fide spelæo egressus deseruit petrę munitionem: ac duobus innexus funibus, vbi appropinquare accitos ad suscipiendum Palæstinorum validos videt, infremuit spiritu, & vniuersa dirupit vincula, atque arripiens maxillam asini iacentem percussit mille viros, fugauit alios grandi virtutis spectaculo, cùm inermo & vni cederent armatorum agmina. Et qui comminus ausi fuerant congredi, facili negocio nullo labore obtruncati: aliis fuga exitium dempsit. Vnde hodiéque Agon loco nomen est, quod ibi Sampson glorioſum certamen virtute egregia cõsummauerit. Sed vtinam quàm fortis in hostem, tam moderatus in victoria fuisset. Verum quod facile vsu venit, insolens rerum secundarum animus, qui debuit euentum pugnæ diuino fauori & prędio deferre, sibi arrogauit, dicens: In maxilla asini deleui mille viros. Nec aram statuit deo, nec hostiam immolauit, sed negligens sacrificij, assumptor gloriæ, vt triumphum suum perpetuo consecraret nomine, vocauit locum maxillæ interfectionem. Et mox siti grauiter cœpit inardescere, & potus deerat, nec iam ferre ac tolerare poterat. Vnde intelligens quod nihil tam facile esset humanæ opis quod sine diuino adiumento non difficile foret, exclamauit atque obsecrauit né sibi deus omnipotens in offensam verteret, quod imprudenter incauto sermone sibi aliquid assignauisset. Quinetiam illam victoriam deo deputabat, dicens: Tu dedisti in manu serui tui salutem magnam hanc, & nunc subueni, quia ecce morior siti, & in potestatem eorum de quibus tantum donasti triumphum, sitis necessitate adiudicor. Quomodo dei misericordia, cùm proiecisset ille maxillam, aperuit scissuram eius, & fons erupit ex ea, & bibit Sampson, & resumpsit spiritum, & vocauit locum inuocationis precibus emendauisset: ita diuersa iudicia matura edita, quod & arrogantia cito offensam incurreret, & humilitas sine vlla offensione sese reconciliaret. Verum vbi de cursa serie bellum Palæstinorum composuit, & suorum declinans ignauiam, & hostilem despiciens manum, Gazam se se contulit (ea ciuitas erat in locis Palæstinorum) & habitabat illic in diuersorio. Quod cognitum Gazæi haudquaquam dissimulatione prætulerunt, sed festinantes circundederunt diuersorium eius, & obsederunt vniuersos aditus domus, ne fugam in noctem componeret. Itaque Sampson cognito quid pararetur, compositas insidias noctis medio pręuertens, columnas domus manibus amplexus, materiem totam & culminis molem ceruice valida sustentans, in verticem montis altissimi transportauit, qui imminebat vrbi Hebron, quę populis Hebręis incolebatur. Cùm libero & vago motu transgrederetur, non solum regionis paternę terminos, sed etiam morum limites, & maiorum obseruatione prędscriptos, eam sibi futurę mox cladis pestem inuenit. Namque parum fida expertus alienigenę vxoris prima connubia, qui debuisset cauere vel postea, rursus Dalilę mulieris fornicarię copulam non declinauit: & cùm eam diligeret impensè, tentandi se causam dolis hostilibus prędstitit. Ascendentes enim Palęstini ad eam, polliciti sunt pecuniam viritim daturos mille & centum denarios, si proderet eis in quo ille fiduciam virtutis suę cõstitutam haberet, quo cognito circunueniri & capi posset. At illa quę semel se pecunię prostituerat, astute satis & callide inter epulas ad illecebras amoris quasi admirans fortitudinis eius eminẽtiam, quęrere cœpit quo tandem genere tantum prędstaret reliquorum virtutibus, simul & quasi pauida atque solicita orare, vt dilectę suę committeret qui nexus adstrictum alienę potestati substerneret. Ille autem adhuc sobrius & fortis animi aduersus delinimẽta meretricia dolum dolo retulit, dicens: quia si vitibus virentibus adhuc & non aridis alligaretur, infirmitate corporis adæquaret aliorum similitudinem. Quo

Ibidem.

Ibidem.

Iudic. 16.

Palæstini per Dalilam sibi comperto, cum vitę soporanti circundedissent vincula, quasi de improuiso excitum, haud degenerem offendere notæ & solitæ fortitudinis, cùm solitus nexibus virtus libera multis licet resisteret ac repugnaret. Sed vbi id parum processit, rursus Dalila quasi derisa & conquerens repetere artes suas, & fidem amoris poscere non prætermittebat. Cui Sampson validus adhuc consilij, dolum ridens, significauit ligatum se septem funibus qui adhuc sine vsu forent, venturum se in potestatem hostium, sed & hoc frustra fuit. Tertio quoque tanquam de mysterio deprompsit, iam lapsuro propior, si dissoluti essent crines septem capitis sui, & quasi in cubitum intexti, discederet ab eo virtus sua. Et hoc quoque lusit insidiarum fabricatores. Ad postremum cùm illusum sibi totiens procax mulier deplorauisset, indignam se habitam dolens cui committeretur arcanum, dilectique id quod pro remedio quæreret, ad proditionem suspectari videret, lachrymis fidem coegit: simul quia debebatur inuictæ ad id tempus fortitudinis viro, vt incideret ærumnam, saucius animi secretum aperit, prætendere in se virtutem dei, & esse domino sanctificatum, secundum eius præceptum comam pascere, quæ si attonderetur, desineret Nazaræus esse, & propriæ virtutis vsum amitteret. Palæstini per mulierem comperta infirmitate viri, sceleris mercedem afferunt, vt precio obnoxia dolum patraret. At illa meretriciis delinimentis fessum amoris in soporem compulit, & tonsore adhibito septem crines capitis eius admota nouacula abscidit. Continuóque interdicti præuaricatione vires minutæ. Denique ex somno experrectus: faciam, inquit, sicut soleo, & excutiam me super aduersarios: sed nec animi sui alacritatem nec virtutem agnouit, nec vigor erat, nec gratia manebat. Itaque reputans secum quàm improuidè se mulieri aduersariorum credidisset, vt caluatus tentare vlterius aliquid damnatus infirmitatis nequiret, cæcatus oculos vinculis manus præbuit, & compedibus innexus carcerem intrauit multis sibi incognitum tępestatibus. Et iam processu temporis crescere ei coma cœperat. Itaque cùm esset celebre conuiuium, Palæstinorum conuentui producitur de carcere Sampson, ac statuitur in populi conspectu. Erant tria milia ferme hominum virilis ac muliebris sexus, & grauibus in eum insultabant conuitiis, circunagebant ludibriis, quod durius & vltra ipsam captiuitatis speciem viro ingenitæ virtutis conscio tolerabatur. Nam viuere & mori, naturæ functio: ludibrio esse, probro ducitur. Cupiens igitur tantam contumeliam vel vltione solari, vel morte in reliquum præuertere, simulato quòd infirmitate corporis & nodis cõpedum sustentare sese nequiret, poposcit à puero qui dirigebat vias eius, vt admoueret eum ad columnas proximas, quibus domus omnis suffulciebatur. Et admotus, vtraque manu fulcra totius comprehendit ædificij, atque intentis ad festa sacrificij Palęstinis, quod Dagoni deo suo deferebant, per quem sibi aduersarium suum datum in potestatem arbitrabantur, muliebris perfidiæ dolos beneficiis annumerantes cœlestibus, exclamauit ad dominum, dicens: Domine adhuc semel memor pueri tui esto, vt pro duobus oculis meis vindictam tribuas de nationibus, ne dent gloriam suis diis, quod ipsis iuuantibus me in potestate acceperint, nec vitam meam pluris facio. Moriatur anima mea cum Palæstinis, vt agnoscant sibi infirmitatem meam non minus quàm virtutem exitialem fuisse. Concussit itaque columnas magna vi, ac dissoluit & comminuit eas, quas secuta ruina superioris culminis, & ipsum inuoluit, & vniuersos qui desuper aspectabant præcipitauit. Ibi magna vis marium fœminarúmque promiscue exanimata, & triumphus quęsitus perempto supra omnes superiores victorias haudquaquam degenere & decolore exitu. Nam etsi inuiolabilis ad id locorum & deinceps, atque incomparabilis in hac vita expertis belli fuerit viris, tamen in morte seipsum vicit, & insuperabilem gessit animum, vt contemneret & quasi nihilo haberet vitæ finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur fuit quod victoriarũ numero diem clausit, nec captiuum exitum sed triumphalem inuenit. Circcunscriptum autem fuisse à muliere, naturæ potius quàm personæ ascribẽdum: quia humana cõditio maior, quàm culpa inferior. Premitur enim A & cedit illecebris flagitiorum. Itaque cùm scriptura ei testificetur quòd plures in morte quàm in lumine vitæ istius positus occiderit, videtur ad aduersariorum magis exitium captus, quàm quo ipse deiectior fieret, aut minor esset. Nõ est enim se expertus inferiorem, cuius sepultura præstantior quàm potentia fuit. Denique non telis, sed cadaueribus hostium pressus humatus est, proprio tectus triumpho, clarum insigne relinquens posteris, eo quòd populum suum quem captiuum inuenerat, viginti annis in libertate iudicio suo rexit, & sepultus in patrio solo libertatis hæredẽ dimisit. Hoc ergo exemplo liquet alienigenarum consortia refugienda, ne pro charitate coniugij proditionis insidiæ succedant. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Irenæum, occasione eius quod in Apostolo scriptum est: Lex enim iram operatur, &c. quæstionem cur lata sit lex, absoluentis. *Epistola LXXI.*

B AMbrosius Irenæo. Decursa lectione Apostoli, nõ perfunctorie motus es, quia audisti hodie lectum: Lex enim iram operatur. Vbi autem non est lex, nec præuaricatio. Vnde & consulendum arbitratus es cur lata sit lex si nihil proderat, imò oberat, quæ operaretur iracundiam, & præuaricationem introduceret. Equidem sẽcundum interrogationem tuam certum est non fuisse legem necessariam quæ per Moysen data est. Nam si naturalem legem, quam deus creator infudit singulorum pectoribus, homines seruare potuissent, non fuerat opus ea lege quæ in tabulis scripta lapideis implicauit atque innodauit magis humani generis infirmitatem, quàm claqueauit atque absoluit. Esse autem legem naturalem in cordibus nostris etiam Apostolus docet, qui scribit: Quia plerunque & gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, & cùm legem non legerint, opus tamen legis scriptum habent in cordibus suis. Ea igitur C lex non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur. Quam debuimus vel futuri iudicij metu seruare, cuius testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud deum ipsa se prodit, quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia. Itaque cùm semper pateat domino, tum maxime in die iudicij manifestabitur, quãdo occulta cordis in examen venient quę putabantur latere. Quorum tamen proditio, occultorum scilicet, nequaquam noceret si lex naturalis inesset pectoribus humanis. Est enim sancta, sine versutia, sine fraude consors iustitiæ, expers iniquitatis. Denique interrogemus infantiam, videamus si in ea crimẽ reperitur, si auaritia, ambitio, dolus, fæuitia, insolentia. Nihil suum nouit, nullos honores sibi arrogat, præferre se alteri ignorat, fraudem nescit, vindicare sese nec vult nec potest. Insolentia quid sit, puro ac simplici nequit animo comprehendere. Soluit hanc legem Adam, qui D voluit sibi arrogare quod non acceperat, vt esset sicut creator & conditor suus, & diuinum honorem affectaret. Itaque per inobedientiam offensam traxit, & culpam incidit exinsolentia. Qui si non rupisset imperium, & obediens fuisset mandatis cœlestibus, prærogatiuam naturæ atque ingenitæ sibi innocẽtiæ hæredibus propriis reseruasset. Ergo quia per inobedientiam prærogatiua naturalis legis corrupta atque interdicta est, ideo scriptum legis existimatum est necessarium, vt vel partem haberet, qui vniuersum amiserat. Et cui perierat quod nascendo assumpserat, discendo saltem cognosceret & custodiret. Simul quia causa deiectionis eius superbia fuit: superbia autem orta est ex prærogatiua innocentię: debuit ea lex ferri quæ subditum deo & subiectum redderet. Nam sine lege peccatum nesciebatur, & minor erat culpa, vbi erat culpæ ignorantia. Vnde & dominus ait: Si non venissem, & locutus fuissem iis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato. Lata est ergo lex, Primum vt excusationem tolleret, ne quis diceret, peccatum nesciui, quia præscriptum non erat quid caueremus. Deinde vt omnes subditos faceret deo agnitione peccati. Omnes autem subditos fecit, quia non solum Iudæis data est, sed etiam gentes vocauit. Proselyti enim ex gentibus

Rom.

Ibidem

Gene.

Ioan.

Rom.

639

gentibus ſociabãtur. Neque verò exceptus videri poteſt qui vocatus defuit. Lex enim quos vocauit, & alligauit. Vniuerſorum itaque culpa operata eſt ſubiectionem, ſubiectio humilitatem, humilitas obedientiam generauit. Itaque quia ſuperbia culpam contraxerat, econtrario culpa obedientiam generauit. Vnde lex ſcripta quæ videbatur ſuperflua, facta eſt neceſſaria, vt peccatum peccato ſolueret. Sed ne rurſus aliquis deterreatur, & dicat incrementũ peccati factum eſſe per legem, & legem non ſolum non profuiſſe, ſed etiam obfuiſſe arbitretur, habet quo ſolari ſuam poſſit ſolicitudinem, quia & ſi per legem ſuperabundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia. Quid ſit hoc, intelligamus. Superabundauit peccatum per legem, quia per legem agnitio peccati, & cœpit mihi obeſſe ſcire id quod per infirmitatẽ vitare non poſſem. Ad cauendum enim prodeſt præſcire: ſed ſi cauere non queam, obfuit noſſe. Verſa ergo lex in contrarium, tamen ip ſo peccati incremento facta eſt mihi vtilis, quia humiliatus ſum. Vnde & dixit Dauid: Bonũ mihi quòd humiliatus ſum. Humiliando autem me, ſolui vinculum erroris ſuperioris, quo Adam & Eua exuerant omnem propriæ ſeriem ſucceſſionis. Vnde & dominus quaſi obediens venit, ut inobedientiæ & præuaricationis humanæ laqueus ſolueretur. Itaq; ſicut per inobedientiam peccatum intrauit, ita per obediẽtiam peccatum ſolutum eſt. Vnde & Apoſtolus ait: Quia ſicut per inobediẽtiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt plurimi, ita & per obedientiam vnius hominis iuſti conſtituentur multi. Habes igitur vnum, quia lex & ſuperflua fuit, & facta eſt non ſuperflua. Superflua in eo, quia non fuiſſet neceſſaria ſi illam legem naturalẽ ſeruare potuiſſemus. Sed quia non ſeruauimus, iſta lex per Moyſen neceſſaria facta eſt, vt doceret me obedientiam, & laqueum illum ſolueret præuaricationis Adæ, qui laqueus totam adſtrinxit hęreditatem. Creuit quidem culpa per legem, ſed & culpæ author ſuperbia, ſoluta eſt: idque mihi profuit. Superbia enim culpam inuenit, culpa autem gratiam fecit. Accipe aliud. Non fuit neceſſaria lex per Moyſen. Denique ſubintrauit, quod vtique non ordinarium, ſed velut fortuitum ſignificare videtur introitum, eo quòd in locum naturalis legis intrauerit. Itaque ſi illa ſuum ſeruaſſet locum, hæc lex ſcripta nequaquam eſſet ingreſſa. Sed quia illam legem excluſerat præuaricatio, ac propemodum aboleuerat, pectoribus humanis regnabat ſuperbia, inobedientiaque ſeſe diffuderat: ideo ſucceſſit iſta, vt nos ſcripto conueniret, & omne os obſtrueret, vt totũ mundum faceret deo ſubditum. Subditus autem mundus eo per legem factus eſt, quia ex præſcripto legis omnes conueniuntur, & ex operibus legis nemo iuſtificatur, id eſt quia per legem peccatum cognoſcitur, ſed culpa non relaxatur: videbatur lex nocuiſſe, quæ omnes fecerat peccatores: ſed veniens dominus Ieſus peccatum omnibus, quod nemo poterat euitare, donauit, & chirographum noſtrum ſui ſanguinis effuſione deleuit. Hoc eſt quod ait: Superabundauit peccatum per legem: ſuperabundauit autẽ gratia per Ieſum: quia poſtquam totus mundus ſubditus factus eſt, totius mundi peccatum abſtulit: ſicut teſtificatus eſt Ioannes, dicens: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Et ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis ſuis iuſtificatur, ſed qui iuſtus eſt, donatum habet, quia poſt lauacrũ iuſtificatus eſt. Fides ergo eſt quæ liberat per ſanguinem Chriſti, quia beatus ille cui peccatum remittitur, & venia donatur. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Rom. 3. Pſal. 118. Rom. 5. Ibidem 3. Coloſſ. 2. Roma. 5. Ioan. 1.

Diui Ambroſii ad Irenæum, cauſam reddentis cur pleraque in lege præcepta ſint quæ per euangelium vacuata videntur, vt eſt circumciſio corporalis, & obſeruatio ſabbati, aliáque plura huiuſmodi: cur etiam lex pædagogus dicatur,

Epiſtola LXXII.

Galat. 3.

AMbroſius Irenæo. Audiſti fili hodie lectum in Apoſtolo: quia lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. Quo vno abſolutas arbitror quæſtiones quæ pleroſq; mouere conſuerunt. Sunt enim qui dicunt: Cum legem deus Moyſi dederit, quid cauſæ eſt vt pleraque in lege ſint quę per euangelium iam vacuata

A videantur? Et quomodo vnus vtriuſque conditor teſtamẽti, cum quod licebat in lege, per euangelium cœperit non licere: vt eſt circumciſio corporalis', quæ licet etiam tunc ſigno data ſit, vt circumciſionis ſpiritualis veritas teneretur, tamen qua ratione vel in ipſo ſigno fuit? Cur iſta diuerſitas exiſtimatur, vt tunc circuncidi pietas crederetur, nunc impietas iudicetur? Deinde ſabbati diem feriatum eſſe debere obſeruabatur ex lege, ita vt ſi quis onus aliquod lignorum portaſſet, mortis fieret reus: nunc autem diem ipſum & oneribus ſubeundis & negociis obeundis ſine pœna aduertimus deputari. Et pleraque præcepta ſunt legis, quæ præſenti tempore ceſſare videãtur. Quid ergo cauſæ ſit conſideremus. Non enim ocioſè dixit Apoſtolus quia lex pædagogus noſter fuit Ibidem. in Chriſto. Pædagogus cuius eſt, maturioris, an adoleſcentis, aut pueri, hoc eſt, ætatis infirmæ? Pædagogus ergo, ſicut etiam interpretatio latina habet, doctor eſt pueri: qui vtique imperfectæ ætati nõ poteſt perfecta adhibere præcepta, quæ ſuſtinere non queat. Denique per propheram deus legis ait:

B Dabo vobis præcepta non bona, hoc eſt nõ perfecta. Quod Ezech. 20. enim bonum, vtique perfectum. Idem autem deus euangelio perfectiora ſeruauit. Siquidem ait: Non veni legem ſoluere, ſed implere. Quæ igitur iſtius cauſa diſtantiæ, niſi humana varietas? Sciebat duræ ceruicis populum Iudæorum, lapſum, humilem, perfidiæ promptiorem, qui aure audiret & non audiret, oculis videret & non videret, lubrico quodam infantiæ leuem, & immemorem præceptorum, & ideo legem tanquam pædagogum mobili plebis ingenio & menti adhibuit infirmæ, ipſaque legis præcepta moderatus, aliud legi voluit, aliud intelligi: vt inſipiẽs ſaltem quod legeret cuſtodiret, & à præſcripto literæ non recederet, ſapiens intelligeret diuinę mentis ſententiam, quam litera non reſonaret: imprudens ſeruaret legis imperium, prudens myſterium. Id

C eo lex ſeueritatem gladij habet tanquam pædagogus baculum, vt imperfectæ plebis infirmitatem pœnæ ſaltem denunciatione deterreat. Euangelium autem indulgẽtiam habet, quo peccata donantur. Iure ergo ait Paulus: quia litera occi 2. Cor. 3. dit, ſpiritus autẽ viuificat. Litera igitur occidit exiguam corporis portionem: ſpiritus intelligens, circumciſionem totius animæ corporiſque cuſtodit, vt ſuperfluis amputatis (quid enim tam ſuperfluum, quàm auaritiæ vitia, libidiniſque pecata, quæ natura non habuit, culpa quæſiuit?) caſtimonia teneatur, frugalitas diligatur. Signum igitur circumciſio corporalis, veritas autem circumciſio ſpiritualis eſt. Illa membrum amputat, iſta peccatum. Nihil imperfectum in homine natura generauit, nec tanquam ſuperfluum iubebatur auferri: ſed vt aduerterent qui partem ſui corporis amputabant, multo magis amputanda peccata, recidendos eos qui delicta ſuadent, etiam ſi quadam vnitate corporis connecterentur, ſicut habes ſcriptum: Si dextera manus tua ſcandalizat te, ab- Matth. 5. ſcinde eam, & proiice abs te. Expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat

D in gehennam. Ergo ſicut pueris, ita Iudęis mandata ſunt non plena præcepta, ſed ex parte: & velut vnam membri ſui partem mundam ſeruare præcepti ſunt, qui totum corpus ſuum mundum ſeruare non poterant. Sabbati quoque ferias vno die in hebdomada celebrare iuſſi ſunt, vt nulli oneri ſubderentur, qui à mũdanis operibus abſoluti vtinam ſic abiſſent, vt in illud perpetuum futurorum ſabbatum ſeculorum nulla ſecum grauium veherent onera delictorum. Sed quia lubricum populum deus nouerat, partem infirmioribus diei vnius obſeruatione præſcripſit, plenitudinem fortioribus reſeruauit: ſynagoga diem obſeruat, eccleſia immortalitatem. In lege igitur portio, in euangelio perfectio eſt. Populus Iudæorum ligna portare prohibetur, hoc eſt illa quæ cõſumuntur incendio. Vmbram tenet qui ſolem refugit. Tibi ſol iuſtitiæ, vmbram impedimento eſſe non paſſus, apertum gratię ſuę lumen infundens ait: Vade, & amodo vide ne pecces. Ti Ioan. 8. bi ęterni illius ſolis imitator ait: Si quis autem ſuperędificauerit ſuper fundamentum aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit. Dies enim domini manifeſtabit, quoniam in igne reuelabitur. Et vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Et ideo illud ſuperędificemus ſupra Chriſtum. Chriſtus enim

nostrum est fundamentum quod non exuratur,sed meliore tur.Aurum melioratur,igitur melioratur argentum.Audisti aurum & argentum,putas hoc materiale,congregare desideras,sed ludis operam.Hoc aurum & argentum onus habet, fructum non habet. Onus quærentis est,sumptus hæredis. Hoc aurum sicut lignum exuritur,non perpetuatur.Hoc argentum in die illo detrimẽtum vitæ tuæ, non lucrum affert. Aliud aurum,aliud argẽtum à te quæritur,hoc est sensus bonus, verbum optimum, de quibus dicit deus, quia dat vasa
Psalm.11. aurea & argentea.Hæc sunt munera dei,eloquia domini,eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplo.Gratia sensus tui,nitor casti sermonis ex igitur:splendor fidei,non tinnitus argenti. Hoc manet,illud perit:hoc mercedem habet,& migrat nobiscum:illud detrimentum habet,quod hic relinquitur. Si quis diuitum putat quod illud argentum repositum & reconditum ei suffragari possit ad vitam,onus inane portat, quod iudicij ignis absumat.Hic relinquite ligna vestra diuites,vt onus vestrum futuro incendio incrementum non addat. Si erogaueris, minuetur onus:& quod remanserit,onus non erit. Noli auare recondere,ne fias nudo quidem nomine Christianus,opere Iudæus,cùm aduerteris onera tua tibi esse supplicio.Dictum
1.Cor.3. est enim tibi non per vmbram,sed in sole,Cuius opus manserit,mercedem accipiet:si cuius arserit,detrimentum patietur.Et ideo tanquam perfectus eruditus in lege, cõfirmatus in euangelio,vtriusque fidem suscipe testamenti. Beatus e-
Esaiæ 23. nim qui seminat super omnem aquam,vbi bos & asinus calcat,sicut hodie lectũ est: hoc est qui seminat super populos, qui sequuntur testamenti vtriusque doctrinam.Bos est ille
Deut.25. aratorius,legis iugum portãs,de quo lex dicit:Boui triturant-
1.Cor.9. ti os non alligabis:qui habet scripturarũ cornua diuinarum.
Lucæ 16. Pullum autem asinæ dominus in euangelio in figura populi gentilis ascendit.Puto autem (quoniã dies est verbum dei) quod etiam illud intelligere debeamus,quia bos habet cornua plena terroris,taurus ferociam habet,asinus mansuetũdinem:quod bene ad præsentia deriuatur,quia beatus qui & seueritatem & mansuetudinem tenet,vt altero disciplina seruetur,altero innocentia non opprimatur.Nimia enim seueritas extorquet plerunque terrore mendacium. Deus diligi maluit quàm timeri. Dominus ergo charitatem exigit, seruus timorem,cùm perpetuus in homine terror esse non possit,quia scriptum,sicut hodie lectum est: Ecce in timore vestro ipsi timebũt quos timebatis. Vale fili,& nos dilige,quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Clementianum,vim apostolicæ disputationis in superiori epistola notatæ aperientis, similque ostendentis Iudæum non esse secundum adoptionem hæredem,

Epistola LXXIII.

AMbrosius Clemẽtiano. Etsi sciam quòd nihil difficilius sit quàm de Apostoli lectione disserere,cum ipse Origenes lõge minor sit in nouo quàm in veteri testamento:tamen quoniã superiore epistola visus tibi sum cur pædagogus lex diceretur,non absurde explicauisse:hodierno quoq; sermone vim ipsam apostolicæ disputationis meditabor aperire. Superiora enim lectionis eius hoc habent. Eo quod ex operibus legis nemo iustificetur,sed ex fide:quoniam qui ex
Galat.3. operibus legis sunt,sub maledicto sunt: Christus autem redemit nos de maledicto legis,factus pro nobis maledictum. Non ex lege igitur hæreditas data est,sed ex repromissione. Etenim Abrahæ dictæ sunt repromissiones & semini eius quod est Christus.Lex itaque præuaricationum gratia posita est,donec veniret semen cui repromissum est,& ideo cõclusa sunt omnia sub peccato,vt repromissio ex fide Iesu Christi daretur credẽtibus.Postquam venit autem fides,iam non sub lege,hoc est sub pædagogo sumus,quia sumus filij dei,& omnes sumus in Christo Iesu.Si autẽ omnes sumus in Christo Iesu,ergo Abrahæ semen sumus secũdum promissionem hæredes.Hæc est apostolicæ conclusio sententiæ.Sed occurrit adhuc ei quod poterat etiam Iudæus dicere, Et ego hæres sum,quoniam sub lege sum.Lex autem, vetus dicitur testamentum.Vbi autem testamentum,ibi hæreditas.Et licet ad

Hebræos ipse dixerit quia testamentum non valet nisi mors intercedat testatoris, id est, quoniam testamentum non valet quandiu viuit testator, sed eius morte firmatur: tamen quia in Hieremia dominus locutus est de Iudæis, & ait: Facta est hæreditas mihi sicut leo, hæredes eos negare noluit. Sed sunt hæredes sine re,sunt & cum re. Et dicũtur hæredes testatore viuente,qui scripti sunt,sed sine re.Sunt etiam hæredes paruuli,qui nihil differunt à seruulo,quoniam sub curatoribus sunt & actoribus.Ita,inquit,& nos eramus Iudæi sub elementis mundi huius seruientes.Postquam verò venit plenitudo temporis,& Christus aduenit,iam non sumus serui,sed liberi,si credamus in Christũ. Ergo dedit illis speciem hæreditatis, possessionem negauit.Habent nomen hæredis, vsum non habẽt:quia sicut paruuli hæredes nomen nudum hęreditatis non authoritatem vsurpant,iubendi ius & vtendi non habent,quia plenitudinem suæ ætatis expectant,vt à curatoribus liberẽtur. Sicut ergo paruuli,ita & Iudęi sub pædagogo sunt.Lex pędagogus est.Pędagogus ad magistrum ducit:magister noster solus est Christus.Nolite dicere vobis dominum & magistrum,quia dominus & magister vester vnus est Christus. Pædagogus timetur, magister viam salutis ostendit. Timor ergo ad libertatem perducit, libertas ad fidem,fides ad charitatem,charitas acquirit adoptionem,adoptio hæreditatem. Ergo vbi fides,ibi libertas: seruus enim sub metu,liber ex fide.Ille sub litera,iste sub gratia:ille in seruitute,iste in spiritu.Vbi autem spiritus domini,ibi libertas. Si igitur vbi fides,ibi libertas:vbi libertas,ibi gratia:vbi gratia,ibi hęreditas:Iudęus autem litera non spiritu in seruitute est,qui non habet fidem,non habet spiritus libertatem.Vbi autem nulla libertas,nulla gratia:vbi nulla gratia,nulla adoptio:vbi nulla adoptio,nulla successio.Tãquam clausis ergo tabulis cernit hæreditatem,non possidet, authoritatem non habet lectionis.Nam quomodo dicit,Pater noster,qui verũ dei filium negat,per quem adoptiuus acquiritur?Quomodo testamentum nuncupat,qui mortem testatoris negat?Quando libertatem vsurpat qui negat sanguinem quo redemptus est?Hic enim est nostrę precium libertatis,sicut Petrus dicit: Sanguine precioso redempti estis,non agni vtique,sed eius qui mansuetudine & humilitate tanquam agnus aduenit,& totum mundũ vna sui corporis hostia liberauit,sicut ipse ait: Sicut agnus ductus sum ad immolandum. Vnde & Ioannes ait:Ecce agnus dei,ecce qui tollit peccatum mundi.Ergo Iudæus hæres in litera,non spiritu,tãquam paruulus est sub curatoribus & actoribus. Christianus autẽ qui plenitudinem temporis agnouit, qua Christus aduenit factus ex muliere, factus sub lege:vt omnes qui sub lege erant redimeret, Christianus,inquam,per vnitatem fidei & agnitionem filij dei in virum perfectum, in mensuram ætatis exurgit plenitudinis Christi.Vale fili,& nos dilige,quia nos te diligimus.

Hebr.9.
Matth.9.
1.Cor.3.
1.Pet.1.
Ioan.1.
Galat.4.
Ephes.4.

Diui Ambrosii ad Horontianum, ex eo quod ab Apostolo commemoratũ est, Abraham credidit deo, & reputatum est ei ad iustitiam,& c.colligentis quòd ij magis Abrahæ filij qui ex fide hæredes sunt,ipsam quoque fidem plurimum commendantis,

Epistola LXXIIII.

AMbrosius Horontiano. Si Abrahã credidit deo, & reputatum est ei ad iustitiam:quod autẽ reputatur ad iustitiã,ex incredulitate ad fidem est:vtique ex fide iustificamur,non ex operibus legis. Abrahæ autem ipsi duo filij Ismael & Isaac, vnus de ancilla, alter de libera.Et responsum huiusmodi,vt expelleret ancillam,& filium ancillæ:nõ enim hæredem fore ancillæ filium. Et ideo non ancillæ nos filios esse, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberauit.Vnde colligitur quòd ij magis Abrahæ filij, qui ex fide. Præstant enim fidei quàm generationis hæredes. Lex pædagogus est, fides libera. Abiiciamus ergo opera seruitutis, teneamus gratiam libertatis. Deseramus vmbram,solem secuti,ritus Iudaicos deseramus. Circũcisio membri vnius nihil prodest.Denique ait Apostolus:Ecce ego Paulus dico vobis quoniam si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit.Non quia non possit,sed quia indignos beneficiis suis iudicet,qui vias eius deserant.Et quidem ante

Gen.15.
Galat.4.
Ibidem.
Ibidem.

Sephora

Exod.4. Sephora circũcidit filium suum, & periculum depulit quod imminebat. Sed tunc profuit cùm Christus adhuc perfecta differret, cùm paruulus esset populus credẽtium. Venit non paruulus, sed perfectus in omnibus dominus Iesus. Circunciſus est primo secundum legem, ne legem solueret: postea per crucem, vt legem impleret. Cessauit ergo quod ex parte

1.Cor.13. est, quia venit quod perfectũ est. Crux enim in Christo non vnum membrum, sed totius circuncidit superfluas voluptates. Fortasse adhuc quæritur qua ratione circuncidi ex parte voluerit, qui venerat perfectam circunciſionem demonſtraturus. De quo non puto esse diutius deliberandum. Nam si peccatum factus est, vt nostra peccata mundaret: si maledictum pro nobis factus est, vt legis maledicta vacuaret: ea ratione & circunciſus pro nobis est, vt circũciſionem legis auferret, daturus salutem crucis. Spiritu igitur ex fide spem iu-

Gala.5. stitiæ expectandam nobis asserit Apostolus, & in libertatem vocatos, libertatem nostram in occaſionem carnis non debere conferre. Siquidem neque circunciſio aliquid valet, ne que præputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Et i-

Deut.6. deo scriptum est: Diliges dominum deum tuum. Qui autem diligit, vtique credit: & credendo vnusquisque diligere incipit. Denique Abraham credidit, & sic diligere cœpit: & credidit non ex parte, sed per omnia. Aliter enim habere ple-

1.Cor.13. nam non poterat charitatem, quia scriptum est: Charitas credit omnia. Si non credit omnia, non videtur charitas esse perfecta. Ergo perfecta charitas omnem fidem habet. Non tamen facilè dixerim quòd cõtinuo omnis fides perfectam

Ibidem. charitatem habeat, quia Apostolus dixit: Si habeam omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Etenim cùm tria sint maxime in viro Christiano, spes, fides, charitas: maior his charitas. Sed arbitror propositi gratia hoc dixisse Apostolum. Neque enim videtur mihi qui habeat omnem fidem, ita vt montes transferat, charitatem non habere: quomodo & illud, Si habeat aliquis omnia mysteria, & omnem sciẽtiam, quomodo non habeat charitatem, cùm dicat Ioannes, quia omnis qui cre-

1.Ioan.4. dit quia Iesus Christus est, de deo natus est. Et suprà ipse di-

Ibidem 3. xerit: Quoniam qui de deo natus est, non peccat? Vnde colligitur, Si is qui credit quia Iesus Christus est, de deo natus est: & qui de deo natus est, non peccat: vtique is qui credit, quia Iesus Christus est, non peccat. Si quis autẽ peccat, non credit. Qui autem non credit, non diligit. Qui autem non di-

1.Pet.4. ligit, peccato obnoxius est. Ergo non diligit qui peccat. Charitas enim multitudinem operit peccatorum. Quod si charitas peccandi excludit affectum, quandoquidem etiam timorem excludit foras, plena est vtique perfectæ fidei charitas.

Lucæ 17. Denique apostoli qui futuri erant amici, dixerunt: Adauge nobis fidem: petentes à bono modico vt infirmantem in se

Matth.14. fidem sanaret. Infirmabatur adhuc fides in iis, cùm audiret etiam Petrus: Minimę fidei, quare dubitasti? Ergo fides velut præuia charitatis occupat animam, & præparat semitas venturæ dilectioni. Sic omnis fides est, vbi perfectio charitatis. Ideo puto dici quia charitas credit omnia, hoc est facit fidem omnia credere, & habere huiusmodi animã omnem fidem.

1.Cor.13. Ac per hoc vbi perfecta charitas, ibi omnis fides: sicut vbi perfecta charitas, spes omnis. Deniq; sicut omnia credit, ita

1.Ioan.4. scriptũ est, quia sperat omnia. Ideo maior, quia spem fidémque complectitur. Hanc charitatem habens nihil timet, quia

1.Cor.13. charitas timorẽ excludit foras, & ideo ablegato & exuto timore omnia suffert, omnia sustinet. Qui ergo per charitatẽ

Galat.6. omnia sustinet, non potest timere martyrium. Et ideo quasi victor alibi in fine ait: Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Bellicium, exponentis quid sibi velit illud quod dominus Iesus videns à generatione cæcum, exput, & fecit lutum, & superunxit oculos cæci, &c.

Epistola LXXV.

Ioan.9. AMbrosius Bellicio. Audisti frater lectionem euãgelij, in qua decursum est quòd prætereũs dominus Iesus vidit à generatione cæcum. Ergo nec nos quidem prẽterire debemus quem prætereundum dominus non putauit, præsertim cùm à generatione cæcus fuerit, quòd non ociosè est positum. Est enim cæcitas quæ plerunque vi ægritudinis aciem obducit oculorum, eadémque tẽporis spatio mitigatur. Est cæcitas quæ humorum infusione generatur. Ea quoque vitio plerunq; sublato, medicinæ arte depellitur: vt cognoscas, quia quod iste sanatur qui à generatione sua cæcus est, non artis est, sed potestatis. Donauit enim dominus sanitatẽ, non medicinam exercuit. Eos enim sanauit dominus Iesus quos nemo curaret. Quàm stolidi autem Iudæi qui interrogant: Hic peccauit, an parẽtes eius? debilitates corporum referentes ad merita delictorum. Et ideo dominus ait: Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestarentur opera dei in illo. Quod enim naturæ defuit, creatori competit reformare, qui author naturæ est. Vnde addidit: Cùm in hoc mundo sum, lux sum huius mundi. Hoc est, omnes possunt videre quia cæci sunt, si me lumen requirãt. Accedite & vos, Psal.33. & illuminamini, vt videre possitis. Deinde quid sibi vult quod is qui vitam refundebat imperio, salutem præcepto da Ioan.11. bat, dicens mortuo: Exi foras, & egressus est Lazarus de se- Marci 2. pulchro, dicens paralytico: Surge, tolle grabatum tuum: & surrexit paralyticus, & cœpit grabatum ipse portare, in quo solutus membris omnibus portabatur? Quid inquam, sibi vult, quod expuit & fecit lutum, & superunxit oculos cæci, & dixit ei: Vade & laua in Syloa, quod interpretatur missus: Ioan.9. & abiit, & lauit, & videre cœpit? Quæ ista ratio est? Magna ni fallor. Plus enim videt quem Iesus tangit. Simul & diuinitatem & sanctificationem eius aduerte. Quasi lux tetigit, & lumen infudit. Quasi sacerdos per figuram baptismatis mysteria gratiæ spiritualis impleuit. Expuit, vt aduerteres quia interiora Christi lumen sunt. Et verè videt qui Christi munda tur internis. Lauat saliua eius, lauat sermo eius, sicut habes: Ibidem 15. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Quod autem lutum fecit, & superunxit oculos cęci, quid aliud significat, nisi vt intelligeres quia ipse hominem luto illito reddidit sanitati, qui de luto hominem figurauit, & quod hæc caro luti nostri per baptismatis sacramenta æternæ vitæ lumen accipiat? Accede & tu ad Syloam, hoc est ad eum qui missus est à patre, sicut habes: Mea doctrina non Ioan.7. est mea, sed eius qui me misit. Diluat te Christus, vt videas. Veni ad baptismum, tempus ipsum adest: veni festinus, vt & tu dicas: Abij & laui, & videre cœpi. Vt & tu dicas: Cæcus eram, & videre cœpi. Vt & tu dicas, sicut iste refuso lumine Roma.13. ait: Nox præcesſit, dies appropinquauit. Nox erat cæcitas. Ioan.13. Nox erat cùm Iudas accepit buccellam à Iesu, & tunc introiuit in eum Sathanas, Iudæ nox erat, in quo diabolus erat. Ioanni dies erat, qui in Christi pectore recũbebat, Petro quoque dies erat, cùm lumen Christi videret in monte. Nox erat aliis, sed Petro dies erat. At verò ipsi Petro nox erat quando Christum negabat. Denique gallus cantauit, & flere cœpit, vt emendaret errorem. Iam enim dies appropinquabat. Interrogabant Iudæi cæcum, Quomodo vidisti? Grandis amentia. Interrogabant quod videbant, interrogabant causam, cùm factum viderent. Et maledixerunt ei dicentes: Tu sis discipulus eius. Maledictio eorũ benedictio est, quia benedictio eorum maledictio est. Tu sis, inquiunt, discipulus eius. Tunc prosunt quando nocere se credunt. Vale fili, & nos dilige, vt facis, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Studium, quæstionem ab eo propositam quam in quadam epistola superius ad eundem scripta absoluit, latius ac plenius pertractantis & absoluentis.

Epistola LXXVI.

AMbrosius Studio. Etsi superiore epistola hanc quam proposuisti quæstiunculã absoluerim, tamen aliquid plenius requirenti tibi vt filio afferre atque exculpere nõ superfederim. Ac semper quidem decãtata quæstio, & celebris absolutio fuit mulieris eius quæ in libro euangelij quod secundum Ioannem scribitur, adulterij rea oblata Christo est. Id enim Iudæorum commenta est tergiuersatio, vt si contra legem absolueretur, contra legẽ prolata domini Iesu sententia teneretur. Si autem damnata esset ex lege, vacare Christi

videretur gratia. Sed vehementior facta est posteaquam episcopi reos criminum grauissimorum in publicis iudiciis accusare, alij & vrgere vsque ad gladium supremámque mortem, alij accusationes huiusmodi & cruentos sacerdotum triumphos probare cœperunt. Quid enim aliud isti dicunt quàm dicebant Iudæi reos criminum legibus esse publicis puniendos, & ideo accusari eos etiam à sacerdotibus in publiciis iudiciis oportuisse, quos asserunt secundum leges oportuisse puniri? Eadem causa est, sed numerus minor, hoc est, non dispar iudicij quæstio, sed pene dispar inuidia. Vnam Christus puniri ex lege non passus est, isti minorem numerum asserunt esse punitum. At quo loco hoc iudicat Christus? Nam plerunque secundum qualitates locorum in quibus docebat famulos suos, disputationes suas formare digna
Ioan. 10. tus est, vt in porticu Salomonis, hoc est sapientis deambu-
Ibidem 7. lans loquebatur: Ego & pater vnum sumus: vt in templo dei dicebat: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. Hoc quoque iudicium in templo positus exercet, sicut scri-
Ibidem 8. ptum est in posterioribus. Sic enim habes: Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio docens in templo, & nemo apprehẽdit eum. Quid est gazophylacium? Collatio fidelium, sumptus pauperum, requies egenorum, iuxta quod sedens
Lucæ 12. Christus, vt habes secũdum Lucam, duo æra mulieris viduæ diuitum muneribus censuit præferenda, diuino videlicet testimonio præferens opimæ præmiis largitatis sedulæ liberalitatis affectum. Qui tale habebat iudicium, videamus quid ipse iuxta gazophylacium positus conferebat. Non enim ocioſe viduam prætulit duo æra mittentem. Preciosa ista pau-
Ibidem 10. pertas est, fidei opulenta mysterio. Ista sunt duo æra quæ Samaritanus ille euangelicus ad eius curanda vulnera qui incidit in latrones, stabulario dereliquit. Ergo & ista specie vidua in typo ecclesiæ hoc gazophylacio sacro conferendũ putauit, in quo pauperum sanarẽtur vulnera, peregrinorum ieiunia sedarentur. Vnde & nunc quid Christus conferat, spi-
Psalm. 11. ritualiter te oportet expendere. Diuidebat enim populis argentum igne examinatum eloquiorum cœlestium, & imaginis regiæ pecuniam populorum annumerabat affectibus. Nemo plus misit quàm qui totum donauit, satiabat esurientes, replebat inopes, illuminabat cæcos, redimebat captiuos, paralyticos erigebat, mortuos resuscitabat, & quod est amplius, conferebat absolutiones reorum, peccata donabat. Hæ sunt duo æra quæ misit ecclesia posteaquam accepit à Christo. Quid enim sunt duo æra nisi precium noui & veteris testamenti? Precium scripturæ, fides nostra est. Nam quod legitur, pro intelligentis æstimatur arbitrio. Remissio igitur peccatorum vtriusque precium testamenti est, quæ per agnum in typo annunciata est, in veritate completa per Christum. Ideo habes neque septem dierum purgationem sine trium dierum esse purgatione. Septem dierum purgatio secundum legem, quæ in specie præsentis sabbati, spirituale sabbatum annunciauit: trium dierum purgatio secundum gratiam, quæ euangelij testificatione signatur, quia tertio die dominus resurrexit. Vbi pœna præscribitur, debet esse pœnitentia peccatorum: vbi remissio donatur, gratia est. Præcedit pœnitentia, sequitur gratia. Neque pœnitentia ergo sine gratia, neque gratia sine pœnitentia. Debet enim pœnitentia prius damnare peccatum, vt gratia possit abolere. Ideo typum legis accipiens Ioannes baptizauit in pœnitentia, Christus ad gratiam. Septimus ergo dies legis mysterium signat. Octauus resurrectionis: sicut
Eccles. 11. habes in Ecclesiaste: Da partem illis septem, & illis octo.
Oseæ 3. Nam & in propheta Osee legisti dictum ad eum, Conduc tibi fornicariam quindecim denariis: eò quòd gemino ære veteris & noui testamenti, hoc est integro fidei precio, mulier illa vago quodam & meretricio gentium conuenarum comitatu fulta conducitur. Et conduxit, inquit, eam gomor hordei, & semigomor. Per hordeum significat quia imperfectos vocaret ad fidem, vt perfectos redderet. Per gomor, intelligitur plena mensura, per semigomor semiplena mensura. Plena mensura in euangelio est, semiplena in lege, cuius plenitudo nouum est testamentum. Siquidem ipse do-
Matt. 5. minus ait: Non veni legem soluere, sed implere. Nec ocioſe quindecim anabathmorum psalmos Dauidicos legimus, & quindecim gradibus ascendisse solem, cùm Ezechias iustus rex vitæ huius acciperet commeatum. Significabatur enim esse venturus sol iustitiæ, qui gradus quindecim veteris & noui testamenti illuminaturus esset præsentiæ suæ lumine, quibus nostra fides ad vitam ascendit æternam. Vnde & hoc quod hodie in Apostolo lectum est, mysticum Galat. reor, eo quòd quindecim diebus apud Petrum manserit. Videtur enim mihi quòd apostolis sanctis scripturæ diuinæ interpretationem sermone secum vario conferentibus pleni luminis refulserit claritudo, ignorantiæ vmbra decesserit. Sed iam veniamus ad mulieris huius adulteræ absolutionem. Oblata erat à scribis & pharisæis domino Iesu adul- Ioan. 8. terij rea, & hac oblata fraude, vt si eam absolueret, legem solueret videretur: sin verò damnaret, propositum sui mutaret aduentus, quia peccata omnium remissurus aduenit. Denique supra ait: Ego non iudico quenquam. Offerentes er- Ibidem. go eam, dixerunt: Hanc mulierem inuenimus publicè mœchantem. Scriptum est enim in lege Moysi omnem mœ- Leuit. 20. cham lapidari. Tu verò quid dicis de ea? Quæ cùm dicerent: Iesus inclinato capite digito scribebat in terra. Et cùm expectarent vt audirent eum, erigens caput dixit: Qui sine peccato est, prior lapidet eam. Quid tam diuinum quàm ista sententia, vt is peccata puniat qui exors ipse peccati sit? Quomodo enim feras alieni vltorem, & proprij criminis defensorem? Nónne se magis ipse condemnat, qui in alio damnat quod ipse committit? Hoc autem dixit: Et scribebat in terra. Quid? Vtique dicens: Festucam quæ in oculo Matth. 7. est fratris tui vides, trabem autem quæ in oculo tuo est, non vides. Libido enim velut festuca est, cito accenditur, propere consumitur. Sacrilegium perfidiæ, quo Iudæi negabant propriæ salutis authorem, sceleris magnitudinem personabat. Scribebat autem in terra digito quo legem scripserat. Peccatores in terra scribuntur, iusti in cœlo, sicut habes dictum ad discipulos: Gaudete quia nomina vestra scripta Lucæ 10. sunt in cœlis. Secundo autem scripsit, vt gemino testamento Iudæos scias esse damnatos. Audientes autem hoc verbum exierunt foras vnus post vnum, incipientes à senioribus, & sedebant cogitantes de se. Et remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Bene ait quod exierunt foras qui nolebant esse cum Christo. Foris litera est, intus mysteria. Sequebantur enim diuinarum lectionum quædam velut arborum folia, non fructum, qui viuebant in vmbra legis, & solem iustitiæ videre non poterant. Denique descẽdentibus illis remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Donaturus peccatum, solus remanet Iesus, sicut ipse ait: Ecce venit ho- Ioann. 4. ra, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in sua, & me solum relinquatis. Non enim legatus neque nuncius, sed ipse dominus saluum fecit populum suum. Solus remanet, quia non potest hoc cuiquam hominum cum Christo esse commune vt peccata condonet. Solius hoc munus est Christi, qui tulit peccatum mundi. Meruit & mulier absolui, quæ recedentibus Iudæis remansit sola cum Christo. Eleuans autem caput Iesus dixit mulieri: Vbi sunt qui te accusabãt? Nemo te lapidauit? Et illa respondit: Nemo domine. Et ait ad illam Iesus: Nec ego te damnabo, vade & amodo vide ne peccas. Vide lector diuina mysteria, & clemẽtiam Christi. Cùm accusatur mulier, caput Christus inclinat, eleuat autem vbi defecit accusator. Ita nullum damnari vult, absolui omnes. Breuiter autem omnes hæreticorum interimit quæstiones dicendo, Nemo te lapidauit: qui dicunt Christum diem ne- Matth. 24. scire iudicij, vel qui ait: Sedere autem ad dexterã meam vel ad sinistram non est meum dare vobis: ecce & hic ait: Nemo te lapidauit? Quomodo vtique interrogat quod videbat? Sed interrogat nobis, vt noſceremus nõ esse lapidãtam. Est etiam humani affectus hæc consuetudo, vt interrogemus sæpissime quod videmus. Et ideo mulier respondit: Nemo domine. Hoc est dicere: Quis potest lapidare quam ipse non damnas? Quis potest alium sub tali sententiæ conditione punire? Cui respondit dominus: Nec ego te damnabo. Aduerte quomodo propriam sententiam temperauit, vt Iudæi de absolutione mulieris calumniari nihil possent, sed in se magis calumniam retorquerent si queri vellent. Dimittitur enim mulier, non absoluitur, quia decrat accusator,

tor, non quia innocens approbatur. Quid ergo quærerentur qui priores à persecutione criminis, & ab executione supplicij destiterunt? Addidit autem deuię: Vade, & amodo vide ne pecces. Emẽdauit ream, non crimen absoluit. Etenim de ne pecces. Emẽdauit ream, non crimen absoluit. Etenim seueriore sententia culpa damnatur si vnusquisque crimen suum oderit, & in se incipiat condemnare delictum. Etenim cum reus occiditur, persona magis quàm culpa punitur. Vbi vero culpa deponitur, absolutio personæ est, pœna peccati. Quid est ergo: Vade, & amodo vide ne pecces? Hoc est, Ex quo te Christus redemit, corrigat gratia quam pœna non emendaret, sed plecteret. Vale fili, & nos dilige vt filius, quia nos te vt parentes diligimus.

Diui Ambrosii ad Constantium, causſam reddentis cur circuncisio veteris testamenti authoritate quasi vtilis imperetur, & noui testamenti magisterio quasi inutilis repudietur, ad uersantiumque obiectiones argutas responsione dissoluentis,

Epistola LXXVII.

AMbrosius Cõstantio. Non mediocris plerosque mouet quæstio, qua causſa circuncisio & veteris testamenti authoritate quasi vtilis imperetur, & noui testamẽti magisterio quasi inutilis repudietur, cum præsertim Abraham primus oraculum circuncisionis celebrandæ acceperit, qui diem domini Iesu vidit & garuisus est. Quod vtique in euidenti est, quia non corporalibus, sed spiritualibus legis diuinæ intenderit: & ideo veram dominici corporis passionem in agni conspexerit immolatione. Quid ergo dicemus secutum patrem Abraham vt id primus instituerit quod eius non sequeretur hæreditas? Aut qua ratione circunciduntur infantulorum corpora, & in ipso ortu subiiciuntur periculis, & hoc imperari oraculo, vt discrimen salutis fiat de mysterio religionis? Quid hoc significat? Latet enim causſa veri, & oportuit aut aperto aliquid mysterio significari, aut non periculoso mysteriorum indicio mãdari. Cur vero signum testamenti diuini in ea datur parte membrorum quæ visu inhonestior existimatur? Aut qua gratia ipse operator corporis nostri in ipso nostræ generationis exordio circuncidi opus voluit suum & vulnerari, & cruentari & abscindi partem quam velut necessariam (quia omnia disposuit ordinatè) cum cæteris membris faciendam putauit? Aut enim præter naturam est hæc portio corporis nostri, & non oportuit habere omnes homines quod esset præter naturam: aut secundum naturam est, & non decuit amputari quod secundum naturæ perfectionem creatum foret, cum præsertim alieni à portione domini dei nostri id præcipuè irridere soliti sint. Deinde cum propositum sit deo, vt frequenter ipse testificatus est, plures ad sacræ obseruantiam prouocare religionis, quanto magis inuitarentur si nõ aliqui circuncisionis ipsius aut periculo aut opprobrio reuocarẽtur? Ergo vt ad prima redeamus, & propositum prosequamur ordinem, de ipsa circuncisionis qualitate dicendum videtur. Cuius gemina debet esse defensio, quia duplex est accusatio. Vna quæ irrogatur à gentilibus, altera quæ ab iis qui de populo dei sunt existimatur. Vehementior autem gentilium, qui viros circuncisione signatos etiam opprobrio & illusione dignos arbitrantur. Sed etiam ipsorum sapientissimi quique ita circuncisionem approbant, vt electos suos erga cognoscenda & celebranda mysteria circuncidendos putent. Denique Aegyptij, qui & geometriæ & colligendis syderum cursibus operam intendunt suam, impium iudicant sacerdotem qui nequaquam habeat circuncisionis insigne. Nam neque magici carminis sapientiam, nec geometriam nec astronomiam iudicant viã suam obtinere sine circuncisionis signaculo. Et ideo vt impetrandi vim operationi adhibeant suæ, purgationem quandam vatum suorum circũcisionis arcano celebrandam existimant. Reperimus autem in historia veterum non solos Aegyptios, sed etiam Aethiopum & Arabum & Phœnicum aliquos circuncisione erga suos vsos. Et hanc putant se adhuc probandæ viam seruare rationis, eò quòd sui corporis primitiis & sanguinis initiati insidias dæmonum quas illi generi nostro moliuntur, exiguæ partis arbitrentur consecrationibus destruendas: vt qui totius hominis saluti nituntur nocere, infirmari operationem suam putent circuncisionis sacræ vel lege vel specie. Arbitror enim quod in præteritum ipse dæmonum princeps cessare suas artes erga noxiæ operationis effectum existimauerit, si ei nocere conaretur quem signaculo circuncisionis sacræ initiatum aduerteret, aut ei qui videretur in hoc saltem munere legi diuinæ obtempera re. Iam qui singulorum membrorum officia diligenter expendit, non ociosam causſam in hac membri huius portiuncula existimare poterit, qua ratione non solum circuncidatur puer, verumetiam octauo circuncidatur die: quando incipit mater pignoris nati in sanguine esse puro, quæ ante octauum diem fertur in sanguine immundo sedere. Hæc aduersum eos dicta sint qui nulla nobis vnitate fidei sociantur, & ideo tanquam aduersum dissidentes difficilior disputandi locus. Responsum autem sibi huiusmodi habeant qui credunt in dominum Iesum, quod nudare noluimus, cũ aduersum opiniones gentilium disputaremus. Nam si redempti sumus non corruptibilibus argento & auro, sed precioso sanguine domini nostri Iesu Christi, (quo vtique vendente, nisi eo qui nostrum iam peccatricis successionis ære quæsitum seruitium possidebat:) sine dubio ipse flagitabat precium, vt seruitio exueret quos tenebat obstrictos. Precium autem nostræ liberationis erat sanguis domini Iesu, quod necessario soluendum erat ei cui peccatis nostris venditi eramus. Donec igitur hoc precium pro omnibus solueretur hominibus, quod dominici sanguinis effusione pro omniũ fuit soluendum absolutione, opus fuit singulorum sanguine qui lege & consuetudinis ritu, sacræ præcepta sequerentur religionis. Sed quia preciũ pro omnibus solutũ est, posteaq̃ passus est Christus dominus, iam non opus est vt viritim sanguis singulorum circuncisione fundatur, cum in sanguine Christi circuncisio vniuersorum celebrata sit, & in illius cruce omnes simul crucifixi simus cum eo, & consepulti in eius sepulchro, cõplantati similitudini mortis eius, vt vltra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Quod si quis, vt Marcion & Manichæus, reprehendendum dei putat esse iudicium, quia vel oraculum de circuncisione celebrãda edendum putauit esse, vel legem qua sanguinis effusio mãdatur, necesse est vt is etiam dominum Iesum reprehendendum arbitretur, qui non exiguum, sed multum sanguinem pro huius mundi effudit redemptione, & hodiéque nos fundere iubet sanguinem nostrum pro tãto religionis certamine, dicens: Qui vult me sequi, tollat crucem suam, & sequatur me. Si autem nequaquam iusta est accusatio cum aliquis totum se pro pietate offerat, & multi sanguinis se mundet effusione, quomodo legem possumus reprehendere exigui stillam exigentem sanguinis, cum prædicemus dominum Iesum multi effusionem sanguinis, & totius corporis mortem imperantem? Nec ipsum circuncisionis signaculum & species feriabatur, quo populus dei velut quodam sigillo signatus corporis discernebatur à cæteris nationibus. Nunc autem Christi donatus nomine signum corporis nequaquam requirit, qui prærogatiuam diuinę meruit nuncupationis. Quid autem absurdum si propter pietatem aliquid doloris vel laboris inferri videbatur, quo plus deuotio per hæc certamina probaretur? Pulchrum etiam vt ab ipsis vitæ incunabulis insigne religionis adolesceret, & puderet vnumquemque ætatis prouectioris vel labori vel dolori cedere, quorum vtrumque tenera infantia vicisset. Sed iam leui circuncisionis dolore non opus est Christiano populo, qui mortem domini circunferens, per momenta singula fronti propriæ montis contemptum inscribit, vt pote qui sciat sine cruce domini salutẽ se habere non posse. Quis enim acu vtatur ad præliandum, cum telis instructus sit validioribus? Iam illud quiuis facile refellendum aduertit, quia propositum est plerosque potuisse ad sacræ religionis prouocari obsequium, nisi essent doloris timore vel laboris contuitu reuocati. Et potuit hoc terrere maiorem, quod infantuli plerique sustinebant sine periculo? Esto tamen aliquos infantulos Iudæorum cũ doloré circuncisi corporis plagæque feruentis sustinere non potuerint, defunctos fuisse: sed hoc nec cæteros deterrebat prouectiori ętate robustos, & laudabiliorem faciebat eum qui præceptis obedisset cœlestibus.

1. Pet. 1.

Rom. 6.

Matt. 16.

stibus. Quod si hoc in exiguo dolore arbitrantur confessionis fuisse obstaculum, quid de martyrio dicunt? Nam si reprehendunt circuncisionis dolorem, reprehẽdant & martyrum mortem, per quos cumulata non minuta religio est. In tantum autem abest nocuisse fidei circuncisionis dolorẽ, vt probabiliorem fidem faciat dolor. Maior enim fidei gratia, si quis pro religione contemnat dolorem. Et hic magis habet præmium quàm ille qui ideo dolorem voluit circuncisione subire, vt gloriaretur in lege, & laudem ex hominibus magis quàm ex deo quæreret. Oportuit igitur circuncisionem ex parte fieri ante eius aduentum, qui totum circunciderat hominem. Ex parte enim debuit assuescere humana conditio quemadmodum in id quod perfectum est crederetur. Si autem oportuit circunsidi, in qua magis parte membrorum oportuit circuncisionem fieri quàm in ea quæ quibusdam videretur inhonestior, vt iis quæ putarentur ignobiliora esse mẽbra corporis nostri, honestatẽ, abundantiorem circundarent: & quæ inhonesta sunt nostra, honestatem abundantiorem haberent? Vbi enim magis vir sanguinis sui admoneri debuit, quàm in ea parte quæ ministerium errori exhibet? Nunc tempus est vt & illis respondeamus qui dicunt: Si ea pars corporis nostri secundum naturá est, nequaquam eam amputari oportuisse: si nõ est secũdum naturam, non debuisse simul nasci. Qui quoniam tam arguti sunt, & ipsi mihi respondeant vtrum secundum naturam succesſio humana sit quæ generationibus adolescit, an contra naturam. Si enim secũdum naturam, nunquam igitur intermittẽda est. Et quomodo integritas virorum, virginitas puellarum, abstinentia viduarum, continentia coniugũ prædicatur? Nullum ergo studium quærendæ succesſionis feriari debuit. Sed ipse author naturæ non vtique generationi obsecutus est, qui de se cum esset in corpore constitutus, præbuit magisterium, & hortatus est discipulos ad integritatem dicens: Sunt spadones qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. qui potest capere, capiat. Cum sit autẽ homo compositus ex corpore & anima. (Satis est enim interim hoc dicere, & silere de spiritu) non est in vtroque idem secundum naturam: sed quod est secundum corporis naturam, id contra naturam est animæ. Et quod secundum naturam est animę, id contra naturam est corporis: vt si dicam, quod secundum naturam est visibili, id contra naturam est ei quod non videtur. Et quod secundũ naturam est ei quod non videtur, id contra naturam est visibili. Nihil ergo incongruum in hominibus dei si fiant aliqua contra naturam corporis, quæ sint secundum animæ naturam. Qui autem dicũt quoniam plures credidissent si circuncisio non fuisset, ij sibi respõsum hoc habeant, quoniam plures crederent si martyria non essent: sed præstantior est fortitudo paucorum, q̃ remissio plurimorum. Sicut autem plurima baptismatũ genera præmissa sunt, quia secuturum erat verum illud vnũ in spiritu & aqua sacramentum baptismatis, quo totus redimitur homo: ita plurimorũ circuncisio præmittenda fuit, quia secutura erat circuncisio dominicæ passionis, quam pertulit Iesus quasi agnus dei vt tolleret peccatum mundi. Hæc ideo scripsimus, vt ostenderemus quia & debuit præmitti circuncisio quæ foris est, & ea iam post aduẽtum domini iure videatur excluſa. Nũc autem circuncisio est necessaria quæ in occulto est, sicut Iudæus præstãtior qui in occulto in spiritu non litera: quoniam cum sint in vno homine duo homines dequibus dictum est: Et si qui foris est homo noster, corrumpitur secundum desideria erroris, sed qui intus est, renouatur de die in diem. Et alibi: Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem. Interior est homo noster qui est ad imaginem & similitudinem dei factus, exterior qui figuratus è limo. Sic denique & in Genesi duas tibi creaturas hominis ostendit, secundo creatum hominem significans. Sicut ergo duo homines, ita & gemina conuersatio est, vna interioris hominis, altera exterioris. Et quidem plerique actus interioris hominis perueniunt ad exteriorem hominem quemadmodum castimonia interioris hominis transit etiam ad castitatem corporis. Qui enim adulterium cordis ignorat, idem vtique nescit corporis adulterium. Non tamen etiam illud est consequens, vt qui non adulterauit corpore, non adulterauerit etiam corde, secundũ illud: Quoniam qui viderit mulierem ad concupiscendũ eã, iam adulterauit eam in corde suo. Nam etsi adhuc non sit adulter corpore, tamẽ iam affectu adulter est. Ergo est interioris hominis circuncisio. Nam qui circũciditur, totius carnis illecebras tanquam præputium exuit, vt sit in spiritu, nõ in carne, & spiritu mortificet corporis sui actus. Et hæc est quæ in occulto est circuncisio, sicut Abrahã ante in præputio erat, postea factus est in circuncisione. Sic interior homo noster quando est in carne, tanquã in præputio est: quando autem iam non est in carne, sed in spiritu, incipit esse in circuncisione, non in præputio. Sicut autem qui circunciditur, non totam carnem exuit, sed solam præputium, vbi corruptela frequentior: ita qui in occulto circunciditur, carnem illam exuit de qua scriptum est: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius vt flos fœni, aruit fœnum, & flos eius decidit. verbum autẽ domini manet in æternum. Et remanet cato, quæ videbit salutare dei, sicut scriptum est: Et videbit omnis caro salutare dei. Quæ si ista caro, munda aures, vt intelligas. Talis ergo debet esse in occulto circuncisio, vt nullam habeat comparationem cum ea quæ foris est circuncisione. Et ideo qui in occulto Iudæus est, ipse præstat, qui est à Iuda, cuius manus supra ceruicem inimicorum eius, qui recubans requieuit vt leo, & vt catulus leonis, quem laudant fratres eius. Ab hoc Iuda non deficit princeps, quia sermo eius principes facit, qui non subiiciantur illecebris secularibus, & captiuentur voluptatibus istius mundi. Et quia ipse Iudas in hanc generationem venit, ideo plurimi qui postea generati sunt, proficiunt vt virtutum principatu gaudeant. Habemus itaque circuncisionem in occulto, & occulto Iudæum, qui est spiritualis. Spiritualis autẽ, vt pote princeps, diiudicat omnia, ipse autẽ à nemine diiudicatur. Debuit ergo legis mandato præscripta circuncisio quæ ex parte erat, cessare posteaquàm venit qui circuncisionem faceret totius hominis & impleret circũcisionem legis. Quis autem est iste nisi qui dixit: Non veni legem soluere, sed implere? Quanquá si diligenter intendas, & illa sit ratio qua iam cessare debuerit præputij circuncisio, quia plenitudo gentium venit. Nõ enim Gentibus circuncisio mãdata est, sed semini Abrahã. Sic enim habes in primo oraculo: Et dixit deus ad Abrahã: Tu autem testamentum meum obseruabis, tu & semen tuũ post te in progenies eorũ. Et hoc est testamẽtum meum quod obseruabis inter me & vos, & semen tuum post te in progenies eorum: Circuncidetur vestrum omne masculinũ, & circuncidetis carnem præputij vestri, & erit in signo testamenti inter me & vos. Infans octo dierum circuncidetur vobis, omne masculinum in progenies vestras. Vernaculus domus tuæ & pecunia emptus ab omni filio alterius qui nõ est ex semine tuo, circuncisione circuncidetur, & erit testamentum meum in carne vestra in testamẽtum æternum. Et incircuncisus masculus qui non circunciderit carnem præputij sui octaua die, exterminabitur anima illa de generatione illa, quia testamentum meum transgressus est. Hebręus quidem negatur habere de octaua die, sicut Aquila significat. Sed non in Aquila omnis authoritas, qui quasi Iudęus in litera pręteriit nec posuit octauum diem. Interim & octauũ diem & in signo datam circuncisionem audisti. Signum autem rei maioris iudicium est, indicium veritatis futurę, & datum testamentum Abrahę & semini eius, cui dictum est In Isaac erit semen tuum. Ergo circuncidi licuit Iudęum vel domi eius natum, vel pecunia eius emptum. Non possumus deriuare hoc ad alienigenam aut proselytum, nisi fuerint in domo Abrahę nati, aut pecunia eius empti, vel seminis eius. Denique nihil dixit de proselytis, de quibus quando voluit dicere, nominauit eos, sicut habes: Et locutus est dominus ad Moysen dicens: Loquere ad Aaron, & ad filios eius, & ad omnes filios Israel, & dices ad eos: Homo homo à filiis Israel, & à proselytis qui sunt appositi vobis, quicumque fecerit holocaustum. Vbi ergo comprehendit eos, ibi lex eos tenet. Vbi oraculo non significantur, quomodo astringi videntur? Sic habes denique: Dic filiis Aaron, quãdo de sacerdotibus dicit. Habes quando & de Liuitis dicit. Ergo omnifariam claret etiam secundum literam legis, quanquam lex spiri-

Matth. 19.
Ioan. 1.
2. Cor. 4.
Rom. 7.

spiritualis sit, & secundum ipsam tamen literam ad circun-
cisionem teneri non potuisse nationum populos, sed ipsam
circuncisionem in signo fuisse donec plenitudo gentium in
Rom.11. traret, & sic omnis Israel saluus fieret, circuncisus corde, nõ
exigua membri vnius parte. Ergo satis & excusata à nobis &
exclusa est Iudæorũ manens hodiéque circũcisio. Quod au-
tem repræhentioni eam dicunt fuisse vel esse gentilibus, pri
mum non habent reprehẽdere ipsi vel irridere quod alij con
sortes faciunt sui. Esto tamen fuerit quod irriderent. Quid
1. Cor.1. hoc nos mouere debet, cũ ipsa crux domini Iudæis scanda-
lum, Græcis stultitia, nobis autem virtus dei sit atque sapien-
Luc.9. tia? Et ipse dominus dixerit, Qui me confusus fuerit coram
hominibus, confundar & ego eum coram patre meo qui est
in cœlis. Docens nos iis quæ ridẽtur ab hominibus, nõ com
mouendos, si qua pro religionis obsequio deferuntur.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI *Mediolanensis epistolarum Liber X.*

Diui Ambrosii ad Theophilum, dolenter conquerentis de statu caussæ discordiarum inter Euagrium & Flauianũ, & quid eum in hac re agere velit exponentis,

Epistola LXXVIII.

AMbrosius Theophilo. Nõ habet quod vrgeat Euagrius, & habet quod me-
tuat Flauian⁹, ideóque refugit examẽ. Dent fratres veniam dolori iusto, quia
propter ipsos vniuersus orbis concuti-
tur. Et illi tamen nostro non cõpatiun-
tur dolori, perstringi saltẽ se æquanimi
ter ferant ab iis quos vidẽt sua per tan-
torũ curricula tẽporum vexari intentione. Inter hos etenim
duos nihil quod ad Christi pacẽ pertineat, eligẽtes, grauis to
to orbe stabat discordia. Cui bonæ pacis naufragio sancta sy
nodus Capuensis tandem obtulerat portũ tranquillitatis, vt
omnibus per totum oriẽtem daretur cõmunio catholicam
confitẽtibus fidem, & duobus istis tuæ sanctitatis examẽ im
partiretur, fratribus & consacerdotibus nostris Aegyptiis pa
riter considentibus: quia hoc verũ iudicium futurũ arbitrati
sumus, quod neutri parti sociata cõmunione aliquo fauore
protẽderet. Cum ex his igitur æquissimæ synodi constitutis
speraremus iam remedium datũ finémque oblatum discor-
diæ, scribit sanctitas tua iterũ fratrem nostrum Flauianũ ad
precum auxilia, & imperialium rescriptorum suffragia re-
meauisse. Frustra ergo tantorum sacerdotum fusus labor,
iterum ad huius seculi iudicia reuertendum, iterum ad re-
scripta, iterum vexabuntur sacerdotes senes, transfretabunt
maria, iterum inualidi corpore patriam peregrino mutabũt
solo, iterum sacrosancta altaria deserentur, vt in loginqua
proficiscamur, iterum pauperum turbæ episcoporum, qui-
bus ante onerosa paupertas non erat, externæ opis egentes
compellentur inopiam gerere, aut certè victum inopum iti-
neris vsurpare. Interea solus exlex Flauianus (vt illi vide-
tur) non venit quando omnes conuenimus. Fœnerator &
debitor inuicem sibi occurrunt, isti sibi non possunt occur-
rere, solus exors Flauianus (vt ipse vult) sacerdotalis consor-
tij, qui nec imperialibus decretis nec sacerdotum conuen-
tui præsentiam faciat sui. Nec tamen etiam hoc moti dolo-
re, fratri Euagrio donamus speciem bonæ caussæ, qui eò de-
fensabilior sibi videtur, quod eum refugit Flauianus, aut
quòd habere se alterum arbitretur æqualem, vterque alie-
næ magis ordinationis vitiis quam suis fretus. Quos tamen
nos in meliorẽ vocamus viam, vt malimus eos suis potius bo
nis quàm alieno vitio defendi. Qua de re quoniam propriis
texuisti literis posse typũ reperiri aliquem quo possit auferri
fratrum discordia, cum sancta synodus cognitionis ius vna-
nimitati tuæ cæterísque ex Aegypto consacerdotibus no-
stris cõmiserit, iterum oportet fratrem nostrum Flauianum
conuenias, vt si in eo perseuerauerit quo veniendum non

putet, saluis concilij Niceni, sed etiam synodi Capuensis sta-
tutis, illibata pace vniuersorum ita consulas, vt non videa-
mur destruere quod ædificatum est. Si enim quæ ædificaui
destruo, præuaricatorem me ipse constituo: ac si quæ destru
xi, iterum ædificem. Seruetur ergo impartitæ pacis gratia in
ter vniuersos, & nihilominus declinatio partis alterius frus-
trandi effectum habere non possit. Sane referendum arbi-
tramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem
eccleſię, quoniam prę sumimus ea te iudicaturum quę etiam
illi displicere nequeant. Ita enim vtile erit consultum senten
tię, ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur consi-
lio quod communioni nostrę dissensionem non afferat, vt
nos quoque accepta nostrorum serie statutorũ, cũ id gestum
esse cognouerimus quod eccleſia Romana haud dubie com
probauerit, lęti fructum huiusmodi examinis adipiscamur.

Diui Ambrosii ad Theophilum & Anysium, excusantis se de iudicio ferendo inter Bonosum episcopum & accusatores eius, illisque caussam committentis: eosdem præterea approbantis meritò abhorruisse blasphemiam quorundam qui inuiolatam virginem Mariam plures peperisse filios mentiuntur,

Epistola LXXIX.

AMbrosius Theophilo & Anysio. Accepi lite-
ras vestras quibus vel pro veritate, vel pro mo
destia nostram sententiam sciscitari voluistis.
Sed cum huiusmodi fuerit concilij Capuẽsis
iudiciũ, vt finitimi Bonoso atque eius accusa-
toribus iudices tribuerẽtur, & pręcipue Macedones qui cũ
episcopo Thessalonicensi de eius factis vel cognoscerent, ad
uertimus quod nobis iudicandi forma cõpetere non posset.
Nam si integra esset hodie synodus, recte de iis quę compre-
hendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrũ
est igitur qui hoc recepistis iudicium, sententiam ferre de
omnibus, nec refugiendi, vel elabendi, vel accusatoribus vel
accusato copiam dare. Vicem enim synodi recepistis, quos
ad examinandũ synodus elegit. Denique cum Bonosus epi-
scopus post iudicium vestrum misisset ad fratrẽ nostrũ Am
brosium qui eius sententiam consuleret, interdictam sibi ec
clesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei quod ni-
hil temerandum foret, sed omnia modeste patienter ordine
gerenda. Neque contra sententiam vestram tentandum ali-
quid, vt quod videretur vobis iustitię conuenire, statueret-
is, quibus hanc synodus dederat authoritatem. Ideo pri-
mum est vt ij iudicent quibus iudicandi facultas est data.
Vos enim totius (vt scripsimus) synodi vice decernitis. Nos
quasi ex synodi authoritate iudicare non conuenit. Sane nõ
possumus negare de Marię filiis iure reprehensum, meritó-
que vestram sanctitatem abhorruisse, quòd ex eodem vte-
ro virginali ex quo secundum carnem Christus natus est, a-
lius partus effusus sit. Neque enim elegisset dominus Iesus
nasci per virginem, si eam iudicasset tam incontinentem fo
re, vt illud genitale dominici corporis, illam aulam regis ę-
terni concubitus humani semine coinquinaret. Qui enim
hoc astruit, nihil aliud nisi perfidiam Iudęorum astruit, qui
dicunt eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc acci-
piant à sacerdotibus aurhoritatem, & videatur Maria par-
tus fudisse plurimos, maiore studio veritatẽ fidei expugna-
re contendent. Et vbi est illud quod scriptũ est, dicente do-
mino ad matrem de Ioanne euangelista: Mulier ecce filius Ioan.19.
tuus, & rursus ad Ioannem de Maria: Ecce mater tua? Quid
sibi istud vult quod cum in cruce dominus positus peccatũ
mundi tolleret, pronunciauit etiam de integritate materna?
Aut quid aliud dicitur nisi vt claudat sua ora perfidia, ob-
mutescat, ne matrem domini aliquo audeat temerare con-
uitio? Testis est ergo idem arbiter, idẽ materni pudoris asser
tor quod desponsata fuerit viro tantummodo Ioseph, nul-
la tamen coniugalis coitus consuetudine thori iura cogno-
uerit. Neque enim eam susceptura ex Ioseph filios, à viri
consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addidit
testimonium euangelista dicens, quod susceperit eam disci- Ibidem.
pulus in suam. Nunquid ergo diuortium fecit? nunquid à vi
ro abduxit atque abstulit? Ergo qui hoc legit in euange-
lio, quomodo quasi naufragus titubat & fluctuat? Hoc ergo

testa-

testamentum filij est de matris integritate, hæc Mariæ locu
ples integri pudoris hæreditas, hic totius finis cõsummatio-
nis. Denique hoc dixit, & emisit spiritum, consummans om
ne mysterium bono fine pietatis. Legimus etiam & omnia
percurrimus vel de eo quod fratri nostro, & coepiscopo Bas
so in consortium regẽdæ ecclesiæ datus est Senecio, vel de
cæteris, vnde vestræ normam expectamus sententiæ.

Syricij papæ ad Mediolanensem ecclesiam, narrantis quid actum sit contra hæreticos qui sub velamento pij nominis serpentino sermone catholicam veritatem corrumpere, ac fideles Christianos sauciare moliti sunt, admonentisque, vt ab illis se custodiat, *Epistola LXXX.*

SYricius Mediolanẽsi ecclesiæ. Optarẽ semper fratres charissimi dilectionis & pacis vestræ synceritatis gaudia nunciari, ita vt vicissim discurrẽtibus literis sospitatis indicio iuuaremur vestro, quia nõ patitur nos quietos ab incursio ne sua vacare hostis antiquus ab initio mendax, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem vt deciperet, se ante decepit. Pudicitiæ aduersarius, luxuriæ magister, crudelitatibus pasci tur, abstinẽtia puniẽdus odit ieiunia, ministris suis prædicantibus dum dicit esse superflua, spem non habens de futuris,
1.Corin.15. Apostoli sententia repercussus dicentis, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. O infœlix audacia, ô desperatæ mentis astutia. Tam incognitus sermo hæreticorum intra ecclesias cancri more serpebat, vt occupans pectus, totum hominem præcipitaret in mortem. Et nisi dominus Sabaoth laqueum quem parauerat dirupisset, scena tãti mali & hypocrisis publicata multorum simplicium corda traxerat in rui nã: quia facile ad deteriorem partem mens humana traducitur, malens per spatiosa volare, quàm arctæ viæ iter per labo rem transire. Qua de re necessarium satis fuit mihi quæ hic gesta sunt, ad vestram conscientiam cognoscenda mandare, ne ignorantia sacerdotis quispiam pessimorum ecclesiam irrũpentium sub religioso nomine cõtagio violaret: sicut scri-
Matth.7. ptũ est domino dicente, Multi venient ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos. Ii videlicet qui quasi vtilitate Christi nosse se iactent, vt sub vehemento pij nominis gradientes domum orationis ingressi, sermonem serpentinę disputationis
Psalm.10. effundant, vt sagittent in obscuro rectos corde, atque veritatem catholicam vertendo ad suæ doctrinæ rabiem diabolico more traducant, atque ouium simplicitatẽ defraudent. Etquidem multarum hæresium malignitatem ab apostolis nũc vsque didicimus, & experti abrogauimus: sed nũquam tales canes ecclesiæ mysteriũ latratibus fatigauerunt, quales nunc subito hostes fidei erumpentes doctrina perfidiæ polluta, cuius sint discipuli, verborum fructibus prodiderunt. Nam cum alij hæretici singula sibi genera quæstionũ male intelligendo proposuerint conuellere atque concer-
Matth.22. pere de diuinis institutionibus: isti non habentes vestem nuptialem, sauciantes catholicos, noui & veteris testamenti (vt dixi) continentiam peruertẽtes, illecebroso atque ficto sermone aliquot Christianos cœperunt iam vastare, atque suæ dementiæ sociare, intra se continentes nequitiæ suæ virus. Verum illecti blasphemias suas conscriptione temeraria publice prodiderunt, & desperatæ mentis furore conciti passim in furorem gentiliũ publice à fidelibus Christianis viris genere optimis, religione præclaris, ad meam humilitatem subito scriptura honorifica vidẽtur esse delati, vt sacerdotali indicio detecta diuinæ legi contraria spirituali sententia deleantur. Nos sane nuptias non aspernanter accipimus quibus velamine interfumus, sed virginum nuptias deo deuotas maiore honorificentia veneramur. Facto igitur presbytero constitit doctrinæ nostræ, id est, Christianæ legi esse cõtraria. Vnde apostoli secuti præceptum, quia aliter quàm quod accepimus annunciabant, omnium nostrum tam presbyterorum & diaconorum quàm totius etiam cleri vna suscitata fuit sententia, vt Iouinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Prõtinus, Martianus, Ianuarius & Ingeniosus, qui authores nouæ hæresis & blasphemiæ inuenti sunt, diuina sententia & nostro iudicio in perpetuum damnati extra ecclesiã remanerent. Quod custodituram sanctitatem vestrã non ambigẽs, hęc scripta direxi per fratres & presbyteros meos Crescẽtem, Leopardum, & Alexandrum, qui religiosi officium fidei possint spiritu adimplere feruentes.

Diui Ambrosii Bassiani, & cæterorum ad Syricium Papam, pastoralem illius solicitudinem circa ouile Christi custodiendum, & lupos arcendos commendantium, virginitatemque contra istorum dementiam coniugio præferentium: Immaculatam præterea Christi genitricem Mariam, ratione, testimoniis, figuris & exemplis astruentium in partu virginẽ permansisse: Præconia denique viduitatis attexentium, ac tandem Iouinianum & reliquos hæreticos esse damnatos insinuantium, *Epistola LXXXI.*

DOmino dilectissimo fratri Syricio Papæ Ambrosius Episcopus, Bassianus Episcopus, & cæteri. Recognouimus literis sanctitatis tuæ bo
ni pastoris excubias, qui fideliter cõmissam tibi ianuã serues, & pia solicitudine Christi ouile custodias, dignus quẽ oues domini audiant & sequantur: & ideo quia nosti ouiculas Christi, lupos facile deprehẽdes, & ocurres quasi prouidus pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ feralique vlulatu dominicum ouile dispergant. Laudamus hoc domine frater, nobis dilectissime, & toto concelebramus affectu. Nec miramur si luporum rabie grex domini perhorruit, in quibus Christi vocem non recognouit. Agrestis enim vlulatus est, nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem seruare, promiscue omnia velle confundere, diuersorũ gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cœlestium remunerationũ inducere, quasi Christiana sit palma quã tribuit. (Hinc enim plurimi abundant tituli præmiorum) simul se isti condemnare coniugio. Sed quæ potest laus esse coniugij, si nulla virginitatis est gloria? Neque vero nos negamus sanctificatum à Christo esse
cõiugium, diuina voce dicente: Erunt ambo in carne vna, & Genes.
in vno spiritu. Sed prius est quod nati sumus, quàm quod effecti, multóque præstantius diuini operis mysterium, quàm humanæ fragilitatis remedium. Iure laudatur bona vxor, sed melius pia virgo præfertur, dicente Apostolo, Qui iungit vir 1.Cor.
ginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Hæc enim cogitat quæ dei sunt, illa quę mundi. Illa coniugalibus vinculis colligata est, hęc libera vinculorum: illa sub lege, ista sub gratia. Bonum cõiugium, per quod est inuenta posteritas successionis humanę: sed melior virginitas, per quá regni cœlestis hęreditas acquisita, & cœlestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus euenit. Denique speciale donum virginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, atque ipse repręsentauit quod elegit in matre. Quanta dementia funestorum latratuum, vt iidem dicerent Christum ex virgine non potuisse generari. Quidam ferunt ex muliere, sed ex his humanorum pignorum patribus virgines permanere. Aliis ergo pręstat Christus quod sibi (vt dicũt) pręstare non potuit? Ille vero qui carnem suam susćepit, etsi homo factus est, vt hominem redimeret, atque à morte reuocaret, inuitatus tamen quasi deus munere venit in terras, vt quem admodum dixerat: Ecce facio omnia noua: partu etiam immaculatæ virginis nasceretur, & sicut scriptum est, vt crederetur nobiscum deus. Sed de via peruersitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non virgo generauit. Quæ potuit ergo virgo concipere, potuit virgo generare: cum semper conceptus præcedat, partus sequatur. Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis angelorum dicentium, Quia non est impossibile deo omne verbum. Credatur symbolo Apostolorum quod ecclesia Romana iteratum semper custodit & seruat. Audiuit Maria vocem angeli, & quæ ante dixerat, Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit postea? Ecce ancilla domini, contingat mihi secundum verbum tuum. Hæc est virgo quę in vtero concepit, virgo quę peperit filium. Sic enim scriptum est, Ecce virgo in vtero accipiet & pariet filium. Nõ enim concepturam tantummodo virgi-

virginem,sed & parituram virginem dixit. Quæ autem est illa porta sanctorum,illa exterior ad orientem, quæ manet clausa,& nemo,inquit, pertransibit per eam nisi solus deus Israel:Nonne est hæc porta Maria, per quam in hunc mundum redemptor intrauit?Hæc porta iustitiæ,sicut ipse dixit, Sine nos implere omnem iustitiam.Hæc porta est beata Maria:de qua scriptum est,quia dominus pertransibit per eam, & erit clausa post partū,quia virgo concepit & genuit.Quid autem incredibile si contra vsum originis naturalis peperit Maria & virgo permanet, quando contra vsum naturæ mare vidit & fugit,atque in fontem suū Iordanis fluenta remea runt?Non ergo excedit fidem quod virgo peperit,quādo legimus quòd petra vomuit aquas,& in montis speciem maris vnda solidata est.Non ergo excedit fidē quòd homo exiuit de virgine,quando petra profluxit,scaturiuit ferrum super aquas,ambulauit homo super aquas. Ergo si hominem vnda portauit,non potuit hominem virgo generare : atque hominem de quo legimus:Et mittet illis dominus hominē qui saluos faciet eos,& notus erit dominus Aegyptiis?In veteri itaque testamento virgo Hebræorum per mare duxit exercitum:in nouo testamento virgo generis aula cœlestis electa est ad salutem.Quid autem etiam viduitatis attexamus præconia,cum in euāgelio post virginis celeberrimum partum Anna vidua subrogetur,quæ vixerat cum viro suo annis septē à virginitate sua,& hęc vidua annorum octogintaquatuor,quę nō discedebat de tēplo,ieiuniis& obsecrationibus seruiens die ac nocte?Et merito habilis viduitas. Denique si Adam sic exegisset ieiunium, non fuisset nudus effectus.Niniuen amor ieiunij liberauit.Et ipse dominus ait:Nō eiicietur nisi per orationem & ieiuniū. Sed quid plura apud magistrum atque doctorem?cum iam dignum prēmium retulerunt illi perfidiæ suæ,qui ideóque huc venerūt,ne super esset locus in quo non dominarētur,qui vere se Manichæos probauerunt, non credētes quia ex virgine vtique veniſſet. Quænam hæc est suppar nouorum Iudæorum amentia ? Si veniſſe non creditur,nec carnem creditur suscepiſſe.Ergo in phantasmate visus est,in phantasmate crucifixus est. Sed nobis in veritatē crucifixus est, in veritate redemptor noster. Manichæus est qui abnegat veritatem, qui carnē Christi negat,& ideo non est illis remissio peccatorum. Sed est impietas Manichæorum , quam & clementissimus execratus est Imperator,& omnes qui illos viderunt,quasi quædam contagia refugerūt,sicut testes sunt fratres & cōpresbyteri mei Crescens,Leopardus,Alexander,sancto feruētes spiritu,qui eos omnium execratione damnatos,Mediolanensi ex vrbe quasi profugos repulerunt.Ita Iouianum, Auxentium, Germinatorem,Felicem,Protinum,Genialem,Martianum,Ianuariū,& Ingeniosum , quos sanctitas tua damnauit , scias apud nos quoque secūdum iudicium tuum esse damnatos.In columem te & florentissimum deus noster tueatur omnipotēs,domine dilectissime frater.Item subscriptio.Ergo Euentius episcopus saluto sanctitatem tuam in domino , & huic epistolæ subscripsi:Maximus episcopus,Felix episcopus,Bassianus episcopus,Theodulus episcopus,ex iussu domini episcopi Geminiani,ipso præsente Aper presbyter subscripsi.Eustasius episcopus,Constantius episcopus , Eustasius episcopus,& omnes ordines subscripserunt.

Diui Ambrosii ad Vercellensem ecclesiam, & eos qui inuocāt nomen domini nostri Iesu Christi, dolenter cōquerentis quòd ipsa sola adhuc sacerdotem non habeat, illósque admonentis vt parentum exēpla sequantur ad postulandum sacerdotem. Eorúmque præterea errorem qui nullum dicunt esse abstinentiæ meritum,vel virginitatis fructum,rationibus,scripturis & exemplis confutantis,voluptatem quoque condemnantis & ieiunium,abstinentiam , temperantiam ac virginitatem excellenter commendantis:Vercellenses deinceps ad constantiā & alias virtutes exhortantis : quódque maxime in episcopi petitione abesse debeat malignitas : ac tandem qualis in episcopum eligendus,qualésue & ipsi esse debeant, exponentis,

Epistola LXXXII.

AMbrosius seruus Christi vocatus episcopus,Vercellensi ecclesiæ,& iis qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi: Gratia vobis à deo patre & vnigenito filio eius adimpleatur in spiritu sancto . Consligor dolore, quia ecclesia domini quæ est in vobis,sacerdotem adhuc nō habet,ac sola nunc ex omnibus Liguriæ atque Aemiliæ Venetiarúmque vel cæteris finitimis Italiæ partibus huiusmodi eget officio quod ex ea aliæ sibi ecclesiæ petere solebant, & (quod verecundius est) mihi adscribitur vestra intentio,quæ affert impedimentum. Nam cum sint in vobis dissensiones,quomodo possumus aliquid aut nos decernere,aut vos eligere, aut quisquam acquiescere,vt inter dissidentes suscipiat hoc munus,quod inter conuenientes vix sustineatur:Hæc est illa confessoris institutio, hæc iustorum soboles patrum, qui sanctum Eusebium quem nunquam ante cognouerant, posthabitis ciuibus simul vt viderunt , & probauerunt: tantúmque interfuit vt probaretur, quantum vt videretur ? Merito vir tantus euasit quem omnis elegit ecclesia, merito creditū quod diuino esset electus iudicio,quē omnes postulauissent. Conuenit igitur vt sequamini exemplum parentum , præsertim cum à sancto confessore institutos meliores patribus esse oporteat , quando vos melior doctor instituit atque erudiuit,modestiæque vestræ & concordiæ insigne edere,vt congruatis assensu ad postulandum sacerdotem . Etenim si iuxta dominicam sententiam, quod duobus conuenerit super terrā,de omni re quamcunque petierint,fiet,inquit , à patre meo,qui in cœlis est:vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo,ibi ego sum in medio eorum:quanto magis vbi plena est in nomine domini congregatio ? Vbi vniuersorum postulatio congruit,dubitare vos nequaquam oportet ibi dominum Iesum & voluntatis authorem,& petitionis arbitrum fore,& ordinationis præsulem,vel largitorem gratiæ. Facite ergo vos dignos videri quorū in medio Christus sit.Vbi enim pax,ibi Christus: quia pax Christus . Vbi iustitia,ibi Christus : quia Christus est iustitia.Sit in medio vestrum,vt videatis eum,ne dicatur & vobis:Medius autem vestrum stat,quem vos non videtis. Ioan.1.
Non illum viderunt Iudæi,in quem non crediderunt:nos illum deuotione conspicimus,fide cernimus.Stet igitur in medio vestrum, vt aperiantur vobis cœli qui enarrant gloriam dei , vt voluntatem eius faciatis,& operemini opus eius. Psalm.18.
Qui videt Iesum, cœli ei aperiuntur,sicut aperti sunt Stephano dicenti:Ecce video cœlos apertos,& Iesum stantem ad dexterā dei. Acto.7.
Stabat Iesus quasi aduocatus:stabat quasi solicitus,vt Stephanum athletam suum certantem iuuaret:stabat quasi paratus vt coronaret suum martyrē.Stet igitur & vobis , vt eū non timeatis sedentem.Sedens enim iudicat, sicut Daniel dicit : Throni Daniel.7.
positi sunt,& libri aperti sunt:& antiquus dierum sedit . In octogesimo autem primo Psalmō scriptum est : Deus stetit Psalm.81.
in congregatione deorū,in medio autē deos diiudicat . Stet vobis Sedēs igitur iudicat,stans iudicat, & iudicat imperfectis,inter deos autē diiudicat.Stet vobis vt defensor, vt bonus pastor,ne vos lupi incursent graues.Quo nō ociose nostra admonitio deflectit.Audio enim homines qui dicūt nullū esse abstinentiæ meritū,nullum frugalitatis,nullam virginitatis gratiā,pari omnes æstimari precio , delyrare eos qui ieiuniis castigent carnem suam, vt menti subditam faciant. Quod nunquam fecisset, nunquam scripsisset ad instruendum alios Paulus apostolus,si delyramentum putasset. Gloriatur itaque dicens:Sed castigo corpus meum , & seruituti 1.Cor.9.
redigo,ne aliis prædicans ipse reprobus inueniar . Ergo qui non castigant corpus suum , & volunt prædicare aliis , ipsi reprobi habentur.An quicquam tam reprobū , quàm quod ad luxuriam,ad corruptelam,ad lasciuiam prouocat , quàm incitamentum libidinis,incontinentiæ fomes, incendiū cupiditatis?Quæ istos Epicureos noua schola misit, non philosophorum , vt ipsi aiunt,sed imperitorum , qui voluptatem prædicent,delicias suadeant, castimoniam nullius esse dicāt vtilitatis?Fuerunt nobiscum,sed non fuerunt ex nobis . Neque enim pudet dicere quod dicit Euangelista Ioannes.Sed 1.Ioan.2.
hic positi primo ieiunabant,intra monasterium continebantur : nullus erat luxuriæ locus , interdicta ludibriosæ disputatio

tationis licentia. Hoc delicati nō potuerunt ferre. Abierunt, deinde volentes redire non ſunt recepti. Pleraque enim audieram quæ deberēt cauere. Monueram, nihil profeceram. Efferueſcentes itaque diſſeminare talia cœperunt, quibus incentores eſſent vitiorum omnium. Miſerabiles, perdiderunt vtique quod ieiunauerunt. Perdiderunt quod ſe aliquo continuerunt tempore. Nunc itaque diabolico ſtudio inuident aliorum operibus bonis, quorū ipſi fructu exciderunt. Quæ virgo audiat nullum præmium eſſe integritatis, & non ingemiſcat. (Abſit enim vt facile credat) certe vt non ſtudia deponat, & intentionem ſuæ mētis inflectat? Quæ vidua quum conceperit nullum eſſe fructum viduitatis, malit ſeruare fidem coniugij, & in triſtibus degere, quàm lætioribus ſe credere? Quæ coniugij diſtricta vinculo? ſi audiat quod nullus honos caſtitatis ſit, non poſſit incurioſa tentari corporis aut mentis facilitate? Et ideo eccleſia quotidie in lectionibus ſacris, in ſacerdotum tractatibus laudem pudici-

1. Cor. 5. tiæ, gloriam integritatis perſonat. Fruſtra ergo dicit Apoſtolus, Scripſi vobis in epiſtola, ne commiſceamini fornicariis. Et ne forte dicant, Non de omnibus mūdi nos dicimus fornicariis, ſed dicimus quód qui fuerit in Chriſto baptizatus, haberi iam nō debeat fornicarius, ſed qualiſcunque vita eius accepta ſit deo: ideo addidit Apoſtolus: Non vtique fornicariis huius mundi. Et infra: Si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum quidem ſume re. Quo enim mihi de iis qui foris ſunt iudicare? Et ad Ephe

Epheſ. 5. ſios: Fornicatio & omnis immunditia & auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos. Et infra: Hoc enim ſcitote quòd omnis impudicus, aut immundus, aut auarus, quod eſt idololatra, non habet hæreditatem in regno Chriſti & dei. De baptizatis vtique dictum liquet. Ipſi enim accipiunt

Roma. 8. hæreditatem, qui baptizantur in morte Chriſti, & conſepeliuntur cum Chriſto, vt cum ipſo reſurgant. Ideo hæredes dei, cohæredes Chriſti. Sunt hæredes dei, quia tranſcribitur in eos dei gratia: cohæredes Chriſti, quia renouantur in

Ibidem. vitam ipſius. Hæredes quoque Chriſti, quia datur illis per mortem ipſius tanquam teſtatoris hæreditas. Iſti igitur magis ſibi debent attendere qui habent quod poſsint amittere, quàm qui non habent. Iſti maiore agere cuſtodia, iſti cauere vitiorum illecebras, erroris incitamenta, quæ maxime

Exod. 32. cibo potúque oriuntur. Denique ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexit ludere. Ipſe qnoque Epicurus, quem iſti ſibi magis ſequendum quàm Apoſtolos putant, aſſertor voluptatis, etſi neget inuectricem mali eſſe voluptatem, nō negat tamen ex ea fieri quædam ex quibus generentur mala. Denique nec luxurioſorum vitam reprehenſibilem videri, quæ repletur delectationibus, niſi vel doloris vel mortis quatiatur metu. Atque hic quàm alienus à vero ſit, etiā hinc deprehenditur, quod voluptatem in homine deo authore creatam aſſerit principaliter: ſicut Philuminaris eius ſectator in Epitomis ſuis diſputat, & huius allegat hiſtoricos eſſe authores ſententiæ. Sed hoc diuina ſcriptura redarguit,

Gene. 3. quæ ſerpentis inſidiis atque illecebris infuſam Adæ atque Euæ voluptatem docet. Siquidem ipſe ſerpens voluptas ſit, & ideo variæ ac lubricæ & velut veneno quodam corruptelarum infectæ paſſiones voluptatis ſint. Appetētia igitur voluptatis conſtat acceptum Adam excidiſſe mandato dei, & fructu gratiæ. Quomodo igitur voluptas ad paradiſum reuocare nos poteſt, quæ ſola nos paradiſo exuit? Vnde & dominus Ieſus volens nos aduerſus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus ieiunauit, vt ſciremus quia aliter illecebras mali non poſſemus vincere. Denique ipſe diabolus primum tentamentorum ſuorum ſpiculum de voluptate in

Matth. 4. torſit dicens, Si filius dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Vnde ait dominus: Non in pane ſolo viuit homo, ſed in omni verbo dei, & noluit facere, cum poſſet, vt magis lectionis ſtudio quàm voluptatis intendere nos ſalutari præcepto doceret. Et quia iſti ieiunandum negant, qua cauſſa Chriſtus ieiunauerit aſtruāt, niſi vt nobis exēplo eſſet eius ieiunium. Denique in poſterioribus docuit non facile malū poſſe niſi

Ibidem 17. noſtro vinci ieiunio, dicens, Hoc genus non eiicitur niſi in oratione & ieiunio. Quid etiam ſibi vult ſcriptura quæ docet ieiunaſſe Petrum, & ieiunanti atque oranti de baptizandis gentibus reuelatum myſterium, niſi vt oſtenderet etiam ipſos ſanctos cum ieiunant, tunc fieri præſtātiores? Denique Moyſes cum ieiunaret, legem accepit. Et ideo Petrus cum ieiunaret, edoctus eſt noui teſtamenti gratiam. Daniel quoque ieiunij merito ora clauſit leonum, futurorúmque temporum vidit negocia. Aut quæ nobis ſalus eſſe poteſt niſi ieiunio eluerimus peccata noſtra: cum ſcriptura dicat: Ieiunium & eleemoſyna à peccato liberat? Qui ſunt ergo hi præceptores noui qui meritum excludant ieiunij? Nonne gentilium vox iſta eſt dicentium: Manducemus & bibamus: Quos bene irridet Apoſtolus dicens: Si ſecundum hominē pugnaui Epheſi ad beſtias, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? Manducemus & bibamus: cras enim moriemur. Hoc eſt: Quid mihi profuit vſque ad mortem contentio, niſi vt hominem redimerem meū? Qui fruſtra redimitur ſi nulla eſt ſpes reſurrectionis. Ac per hoc ſpe omni redemptionis amiſſa manducemus & bibamus: ne amittamus fructū præſentium, qui futurorum nullum tenemus. Illorum ergo eſt cibis & potibus indulgere, qui nihil poſt mortem ſuam ſperant. Denique Epicurei dicunt aſſertores voluptatis, quia mors nihil ad nos. Quo demonſtrant corpore ſe tātum non mēte viuere: nec animæ fungi, ſed carnis ſolius munere, qui ſucceſſione animæ corporiſque diſſolui munus ſuæ vitæ omne exiſtiment, perire merita virtutū, atque animæ omnem vigorē, totos ſe deficere cum corporis ſenſu, nihil reliquiarum ſupereſſe animæ, cum ipſum corpus non ſtatim reſoluatur. Prius ergo diſſoluitur anima quàm corpus: cum ſecundum ſuam opinionem vel carnē & oſſa conſiderare debeāt, quæ poſt mortem ſuperſunt, ſecundum veram autem aſſertionem negare non debeant reſurrectionis gratiam. Merito ergo hos redarguens Apoſtolus monet nos ne talibus labamur opinionibus, dicens, Nolite ſeduci, corrumpunt mores Ibidem bonos colloquia mala. Sobrij eſtote iuſte, & nolite peccare. Ignorantiam enim dei quidam habent. Bonum ergo ſobrietas, quia peccatum ebrietas eſt. Quid quod ille Epicurus defenſor voluptatis, cuius ideo frequētem facimus mentionē, vt hos aut gentilium diſcipulos, & Epicuream probemus ſectam ſequi, aut illum ipſum quē ipſi philoſophi à ſuo excludūt conſortio tanquam patronum luxuriæ, tolerabiliorem his eſſe doceamus? Clamat ergo ille (vt Demarchus aſſerit) quia non potationes, neque comeſſationes, nec filiorum ſoboles, nec fœminarum copulæ, nec piſcium copia, aliorúmque huiuſmodi, quæ ſplendido vſui parantur conuiuij, ſuauem vitam faciant, ſed ſobria diſputatio. Denique addidit quòd copiis conuiuij moderate vtantur, qui non immoderate eas quærunt. Succo ſolo & pane vel aqua qui libēter vtitur, deſpuit deliciarum epulas, quia multæ ex his generantur moleſtiæ. Etiam alibi dicunt: Non immoderatę epulę, non potationes, voluptatis ſuauitatem generant, ſed continēs vita. Cum igitur illos abdicauerit philoſophia, hos nō excludit eccleſia? Siquidem & illi, quod malam cauſſam habent, ſe aſſertionibus ſuis impugnant frequēter. Nam etſi principalis eorum ſententia ſit quòd nullam ſuauitatem voluptatis putent niſi quę cibo potúque percipiatur: tamen intelligentes in tam reprehenſibili definitione verſari ſe ſine ſummo dedecore non poſſe, ac deſeri ab omnibus, fuco quodam probabilium diſputationum ea colorare voluerūt, adeo vt diceret quidam ex iis: Dum ſtudemus delectationi per epulas & cantus, amiſimus eam quę per verbi, quo ſolo ſalui eſſe poſſumus, infunditur perceptionem. Nonne iſti diſpares, diſcolores in hac multiformi diſputatione nobis videntur, quos adeo ſcriptura condemnat, vt non prēterierit eos quos Apoſtolus redarguebat, dicēte Luca in actibus apoſtolorum, qui eum librum hiſtorico ſtylo ſcripſit: Quidam autem Epicurei & Stoici philoſophi diſputabant cum eo, & quidam dicebant, Quid vult hic ſeminiuerbius? Alij Actor. autem, Nouorum dęmoniorum videtur pronunciator eſſe, Ex hoc tamen numero non immunis gratię abiit Apoſtolus. Siquidem etiam Dionyſius Ariopagites cum Damari vxore ſua aliiſque multis credidit. Itaque illi doctiſſimorum & eloquentium cœtus ſimplici diſputatione victos ſe eſſe credentium exemplo manifeſtarūt. Quid igitur ſibi iſti vo-

lunt

659

lunt qui tentant eos peruertere quos acquisiuit Apostolus, A quos redemit Christus sanguine suo? Quid est quod asserũt baptizatos intendere non debere virtutum disciplinis, nihil illis obesse comessationes, nihil voluptatum affluentiã, insipientes esse eos qui iis careãt: virgines oportere nubere, filios facere, similiter & viduas iterare quod semel male virili admixtione expertæ sint, etiam si se continere possint, errare eas quæ nolunt iterare copulam? Quid ergo? Placet vt hominem exuentes, induamus pecudem: & expoliantes Christum, vestiamur aut superuestiamur amictus diaboli? Sed quum ipsi doctores gentium ne honestatẽ quidem cum voluptate copulãdam putauerint, eò quòd pecudem videretur cũ homine induere: nos vt beluinos vsus humano infundamus pectori, & rationabili menti inscribamus irrationabiles ritus ferarum? Quanquam multa genera sint animãtium quæ amisso pari concubitui indulgere nesciant, & tantum quam solitariæ vitæ æuum exigant: plurima quoque herbis vescantur simplicibus, nec alio nisi fonte puro sitim restinguere nouerint: canésque videamus frequenter interdicto cibo temperare solitas, vt ieiuna fame ora suspendant si B imperetur abstinentia. Ab hoc igitur reuocantur homines, quod didicerunt per hominem etiam mutæ non præuaricari bestiæ: Quid autem pulchrius abstinentia, quæ facit etiã iuuentutis annos senescere, vt fiat morum senectus? Nãque vt redundantia ciborum ac temulentia etiam maturior ætas calescit, ita mitigatur iuuentutis ferocitas epularum parsimonia, irriguóque fontis: & exterior ignis aquæ infusione extinguitur: non mirum si etiã interiora æstus corporis fluuiali potu refrigerãtur. Cibo enim flamma alitur ac deficit. Siquidem fœnum, stipulam, lignum, oleum, aliáque huiusmodi alimenta ignis sunt, quibus pascitur: ea si detrahas, vel nõ suggeras, etiam ignis sopitur. Similiter ergo vapor corporis cibo alitur aut minuitur: cibo excitatur, cibo soluitur. Luxuria igitur mater libidinis est. Quid quòd naturæ conueniens temperantia est, atque illi diuinæ legi quæ in ipso rerum ortu omnes fontes potui, fructus arborũ esui dedit? Vinum post diluuium iustus ad tentationem sui reperit. Vtamur ergo temperãtiæ naturali cibo, vtinámque possimus. C

1.Tim.5. Sed quia non omnes fortes, ideo Apostolus ait: Vino modico vtere propter frequẽtes tuas infirmitates. Non ergo propter voluptatem bibendum est, sed propter infirmitatem. Pro remedio igitur parcius, pro deliciis redundantius. De-

3.Reg.19. nique Helias quem dominus ad virtutis erudiebat profectionem, ad caput suum collyridam & vas aquæ reperit, & ideo in virtute escæ illius quadraginta diebus ieiunauit. Pa-

Daniel.1. tres nostri quũ mare transirent pedibus, aquam non vinum bibebant. Daniel & Hebræi pueri patrio cibo, & aquæ potu, ille furorem leonum repressit, isti ardentem ignem innoxio videre tactu circa membra sua pasci: Et quid de viris lo-

Iudith.12. quar? Iudith luxurioso Holopherni haud quaquam inflexit conuiuio, solo titulo sobrietatis desperatum lacertis virilibus reportauit triumphum, patriam obsidione exuit, ducem militiæ suis manibus occidit. Exemplum euidens quod & illum terribilem populis bellatorem virum luxuria sua emolliuit, & hanc fœminam temperantia cibi fortiorem viris fecit. Nõ hic in sexu suo victa est natura, sed in cibo suo D victa est, & regem superbum suis inclinauit ieiuniis. Anna

Lucæ 2. Matt.3. 4.Reg.4. 2.Esdræ 8. 2.Cor.11. octoginta quatuor annos in viduitate sua ieiuniis & obsecrationibus in templo die ac nocte seruiens, Christum agnouit. Quem Ioannes abstinẽtiæ magister quidam nouus terrarum angelus annunciauit. O stultum Helisæum qui syluestribus ramis & amaris pascebat prophetas, Immemorẽ scripturarũ Esdram qui memoria scripturas reddidit, Insipientẽ Paulũ, qui gloriatur ieiuniis, si nihil prosunt ieiunia. Sed quo

Esaiæ 58. modo nõ prosunt, quibus vitia purgantur? Quæ si deferas cũ humilitate, cũ misericordia, vt Esaias spiritu diuino locutus est, ossa tua pinguescẽt, & eris sicut ortus ebrius. Pinguescit igitur anima tua, virtutésque eius spirituali adipe ieiunij, &

Psalm.22. fructus tui multiplicãtur vbertate mentis tuæ, vt sit in te sobria ebrietas, sicut illud est poculum de quo ait propheta, Et poculũ tuum inebrians quàm præclarũ est. Sed non illa solũ

Eccles.18. laudabilis quæ parca est ciborũ temperantia, sed etiam illa quæ concupiscẽtiæ. Denique scriptum est, Post cõcupiscentias tuas ne eas, & à voluptate tua vetare. Si dederis animæ tuæ concupiscentiam, gaudio eris inimicis tuis. Et infra, Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes. Vnde Eccl.19. Paulus etiam in ipsis coniugiis temperantiam docet. Est enim velut quidam adulter incontinens in matrimonio, qui legem apostolicam præuaricatur. Quid autem loquar quanta sit virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi vt esset Colos.2. etiam corporale dei templum, in qua corporaliter (vt legimus) habitauit plenitudo diuinitatis? Virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam vniuersorum. Sola ergo non debet esse virginitas, quæ omnibus in Christo profuit? Virgo portauit quem mundus iste capere aut sustinere non potest. Qui cum ex Mariæ nasceretur vtero, genitale tamen septum pudoris, & intemerata virginitatis conseruauit signacula. Itaque in virgine Christus reperit quod suum esse vellet, quod sibi omniũ dominus assumeret. Per virum autem & mulierem caro eiecta de paradiso, per virginem iũcta est deo. Quid de altera Moysi Maria loquar, quæ fœminei dux Exod.15. agminis pede transmisit pelagi freta? Quo munere autem venerabilis Thecla etiã leonibus fuit, vt ad pedes prædæ suæ stratæ impastæ bestiæ sacrum deferrent ieiunium, nec procaci oculo virginem nec vngue violarent aspero, quoniam & ipso aspectu virginitatis violatur sanctitas? Denique qua reuerẽtia virginitatis locutus est sanctus Apostolus, De vir- 1.Cor.7. ginibus præceptum domini nõ habeo, consilium autem dotanquam misericordiam consecutus à domino? Præceptum non habet, consilium habet. Non enim præcipitur quod supra legem est, sed magis dato suadetur consilio. Nec authoritas præsumitur, sed demonstratur gratia: nec à quocunque demoustratur, sed ab eo qui misericordiam dei meruit. Horum ergo meliora quàm apostolorum consilia? Apostolus dicit, Consilium do, isti dissuadendũ putant, ne qua studeat 1.Cor.7. virginitati. Cuius quandam laudem breui versiculo prophe ta expresserit, vel potius Christus in propheta, debemus cognoscere. Ortus, inquit, clausus soror mea, ortus clausus, fõs Cantic.4. signatus. Christus hoc dicit ad ecclesiam, quam vult esse virginem sine macula, sine ruga. Bonus ortus virginitas, quæ plurimos boni ferat fructus odoris. Ortus clausus, quia vndique vallata est muro castitatis. Fons signatus, eò quòd virginitatis sit fons & origo pudicitiæ, quæ inuiolata custodiat integritatis signacula, in quo fonte imago dei luceat: quia cum munditia corporis congruit etiam puritas simplicitatis. Non potest dubitare quisquam quòd ecclesia virgo sit, quam etiam in Corinthiis despondit Apostolus Paulus virginem castam assignare Christo. In superiore igitur epistola dat consilium, & existimat bonum esse munus virginitatis, vt nullis instantis seculi turbetur necessitatibus, nulla illuuie coinquinetur, nullis exagitetur procellis. In posteriore sponsor est Christo quòd virginitatem ecclesiæ in illius plebis consignare possit integritate. Respondit mihi nunc Paule qua ratione propter instantem necessitatem des consilium: quoniam qui sine vxore est, solicitus, inquit, est quæ 1.Cor.7. domini sunt, quomodo placeat deo. Et addidit: Et mulier innupta & virgo cogitat quæ sunt domini, vt sit sancta corpore & spiritu. Habet igitur murum suum aduersus mundi huius turbines, & ideo septo diuinæ munita protectionis nullis seculi flabris inquietatur. Bonum ergo consiliũ, quia in cõsilio vtilitas est, & in præcepto laqueus. Consilium inuitat voluntarios, præceptum astringit inuitos. Siqua ergo secuta fuerit consilium, & eã nõ pœnituerit, acquisiuit vtilitatẽ. Si quam vero pœnituerit, non habet quod accuset Apostolum. Ipsa enim de infirmitate sua iudicare debuit, & ideo sibi voluntatis suæ rea est, cuius grauiore quàm ferre posset laqueo se ac nodo ligauit. Itaque tãquam bonus medicus qui & fortioribus stabilitatem virtutis conseruare cupiat, & infirmis salubritatem dare, aliis dat consilium, aliis demonstrat remedium. Qui infirmus est, olera manducet, 1.Cor.7. accipiat vxorem: qui validior est, fortiorem virtutis cibum expectet. Meritóque adiunxit: Nam qui statuit in corde suo Rom.14. firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Mulier vincta est legi quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit

mierit vir eius,libera est:cui vult nubat,tantum in domino. Beatior autem erit si sic permanserit,secundum meum consilium.Puto enim quod & ego spiritum dei habeo. Hoc est consilium dei habere, explorare diligenter omnia, & quæ meliora sunt suadere,& quæ tutiora demõstrare. Prouidus doctor multas ostendit vias, vt qua vult vnusquisque quam sibi accommodã arbitratur incedat, dũmodo occurrat quo possit incaptus prætendere.Bona virginitatis via, sed sublimis & ardua validiores requirit. Bona etiam viduitatis,non tam difficilis vt superior, sed confragosa & aspera cautiores exigit.Bona etiã matrimonij, plana & directa longiore circuitu ad castra sanctorum peruenit:ea plurimos recipit. Sũt ergo virginitatis præmia, sunt merita viduitatis, est etiam coniugali pudicitiæ locus.Gradus singularum sunt & incrementa virtutum. State igitur in corde vestro, ne quis vos subruat, ne quis possit subuertere. Docuit nos Apostolus

Exod 3. quid sit stare, hoc est quod Moysi dictum est: Locus enim in quo stas,terra sancta est. Nemo enĩ stat nisi qui fide stat, nisi qui fixus stat sui cordis sentẽtia. Alibi quoque legimus,

Deute.5. Tu autem híc sta mecum.Vtrumque ad Moysen à domino dictum est, Vbi tu stas,terra sancta est: & hic sta mecũ: hoc est,mecũ stas,si stes in ecclesia. Ipse enim locus est sanctus, ipsa terra fœcunda sanctitatis,& opima virtutum messibus. Sta ergo in ecclesia, sta vbi tibi apparui, ibi ego tecum sum. Vbi est ecclesia,ibi firmissima statio tuæ mentis est: ibi fundamentum animi tui, vbi tibi de rubo apparui. Tu rubus, ego ignis in rubo, ego in carne propterea ignis, vt tibi luceam,vt tuas spineas &.tua peccata consumá, & meam tibi demonstrem gratiam. Stantes ergo in corde vestro lupos fugate ab ecclesia quærentes prædam tollere.Non sit in vobis desidia,non sit prauum os,lingua amarior. Nolite in cõ

Psalm. 25. cilio vanitatis sedere.Scriptum est enim:Non sedi in concilio vanitatis. Nolite audire detrahentes proximis, ne dum auditis alios,prouocemini vt & ipsi derogetis proximis, &

Psalm.49. dicatur vnicuique vestrum,Sedens aduersus fratrem tuum detrahebas.Sedentes detrahunt,stantes autem dominũ be-

Psalm.133. nedicunt,quibus dicitur: Ecce nunc benedicite dominum omnes serui domini,qui statis in domo domini. Qui sedet (vt de corporeo vsu loquar) quasi ocio, & resoluitur corpore,atque intentionem mentis relaxat. Stat autem speculator prouidus,& explorator impiget, peruigil custos, qui prætendit in castris.Bellator quoque strenuus ante expecta tum stat in agmine, qui vult aduersarij consilia præuenire.

1.Cori.10. Qui stat,videat ne cadat. Qui stat obtrectare nescit. Ociosorum etenim fabulæ sunt,quibus obtrectatio seritur, mali

Psalm.25. gnitas proditur.Vnde ait propheta: Odio habui congregationem malignorum,& cum impiis non sedebo. Et in trigesimosexto psalmo,quẽ præceptis refersit moralibus, in principio statim posuit:Noli æmulari inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitatem.Malignitas plus nocet quàm malitia,quia malignitas nec puram simplicitatem habet,nec apertam malitiam, sed absconditam maleuolentiam.Difficilius autem cauẽtur occulta,quàm quæ sunt cognita.Vnde & saluator noster à spiritibus malignis cauendũ admonet,quod nos blandarum specie voluptatem capiant, cæterarúmque rerum simulatione,cum ambitionem,honorem,auaritiam, diuitias, ad superbiam potentiæ lenocinia prætendunt.Itaque cum in omni actu,tum maximè in episcopi petitione abesse debet malignitas,in quo vita formatur omniũ,vt placido & pacifico iudicio præferatur vir omnibus,qui eligatur ex omnibus, & qui medeatur omnibus. Etenim mansuetus homo,cordis medicus est. Huius se medicum etiam dominus in euangelio locutus est dicens:Non

Matth.9. opus est sanis medicus,sed iis qui male habent. Bonus medicus,qui infirmitates nostras accepit, sanauit ægritudines: & tamen iste (sicut est scriptum) non se honorificauit fieri summum sacerdotem,sed qui locutus est ad eum, pater dixit,Filius meus es tu,ego hodie genui te. Sicut & alibi dicit,

Hebr.5. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.Qui quoniam typus futurus erat sacerdotũ omnium, ideo carnem susceptt,vt in diebus carnis suæ preces & supplicationes deo patri cum magna voce & lachrymis offerret,& ex iis quæ passus est, quamuis esset filius dei, discere videretur obedientiam,quam nos doceret, vt nobis fieret, author salutis.Denique consummatis passionibus tanquam cõsummatus ipse sanitatem dedit omnibus, peccatum tulit omnium.Ideo & Aaron sacerdotem ipse elegit, vt non humana cupiditas in eligendo sacerdote præponderaret, sed gratia dei:non volũtaria oblatio,nec propria assumptio,sed cœlestis vocatio:vt is offerat munera pro peccatis, qui possit affici pro peccantibus:quia & ipse,inquit, gerat infirmitatem. Non sibi quis honorem debet sumere, sed vocari à deo:sicut & Aaron,ita & Christus non ex se sibi accepit sacerdotium.Denique cum ab Aaron per genus ducta successio,generis magis teneret hæredes,quàm iustitiæ consortes, propterea ad typum illius Melchisedech quem in veteri testamento legimus,verus Melchisedech, verus rex pacis venit,verus iustitię rex venit. Hoc enim habet nominis interpretatio,sine patre,sine matre, sine generationis enumeratione,neque initiũ dierũ,neque finẽ vitę habens,quod & ad filium dei refertur,qui matrẽ in illa diuina generatione nesciuit,patrem in hoc virginis Mariæ partu ignorauit, ex patre solo natus ante secula, ex virgine sola ortus in hoc seculo.Initium dierũ habere vtique nõ potuit, qui erat in principio.Quomodo vitæ finem haberet, qui vitæ author omnibus est?Ipse principiũ & finis omniũ. Sed refertur ad exẽplum,vt tanquam sine patre & sine matre sacerdos esse debeat,in quo non generis nobilitas,sed morum eligatur gratia,& virtutũ prærogatiua.Sit in eo fides, & morum maturitas,non alterum sine altero,sed vtrunque in vno cum bonis operibus cõueniat & factis.Vnde nos apostolus Paulus eorum vult esse imitatores,qui per fidem,inquit, & patiẽtiam possident repromissiones Abrahæ, qui per patientiam promissæ sibi benedictionis meruit accipere & possidere gratiam. Imitatores nos sancti Aaron Dauid propheta debere esse admonet, qui eum inter sanctos domini ad imitendum nobis cõstituit,dicens,Moyses & Aarõ in sacerdotibus eius, & Samuel inter inuocãtes nomen eius.Dignus plane vir qui sequendus proponatur omnibus.Nam cum dira mors propter contumaces in plebem serperet,medium se inter viuẽtes morientésque obiecit,vt mortem sisteret, ne plures perirent.Vere vir mentis & animi sacerdotalis, qui se pro domini grege quasi pastor bonus pio obiiceret affectu.Itaque infregit aculeum mortis, impetum tenuit, transitum negauit. Pietas meritum adiuuit, quia pro ipsis se obtulit qui resistebant.Discant igitur dissidentes timere domini commotionem,sacerdotes placare.Quid?Dathan & Abiron & Chore nonne propter dissensionem hiatus terræ absorbuit? Nam cum instigassent Chore & Dathan & Abiron ducentos quinquaginta viros aduersus Moysen & Aaron, vt separarent se ab iis,insurrexerunt illi dicentes, Satis sit vobis quod tota synagoga sanctorum est,& in ipsis est dominus. Vnde iratus dominus locutus est ad omnem synagogam, Considerauit & nouit dominus qui sunt eius, & sanctos adduxit ad se:& quos non elegit,non adduxit ad se. Et iusit dominus,vt eligerent sibi arulas, & incensum ponerent Chore & omnes qui cum eo insurrexerant aduersum Moysen & Aaron sacerdotes domini, vt qui electus esset à domino, ipse sanctus confirmaretur inter Leuitas domini. Et dixit Moyses ad Chore,Audite me filij Leui, Nunquid hoc pusillum est vobis quod separauit vos deus à synagogis Israel? ¡Et infra, Quæritis sacerdotio fungi?Sic tu & omnis synagoga tua congregare ad deum?Et Aaron quis est, quia murmuratis de eo?Considerateis igitur quæ offensionis causæ extiterint,quòd sacerdotio fungi indigni vellent, & propterea disiderent, quod immurmurarent improbantes in sacerdotis sui electione iudicium dei. Propterea totum populum metus ingens corripuit, pœnæ terror inuoluit vniuersos.Obsecrantibus tamen omnibus ne paucorum insolentia omnes perirent, designantur sceleris rei, & à totius populi corpore ducenti quinquaginta cum authoribus suis separantur,immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus,abripiũtur noxij, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, vt nec aerem haustu,nec cœlum visu,nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.Cessauit pœna, non cessauit malitia, ex hoc ipso

Hebr.5.

1.Tim.1.

663

ipso immurmuratio exorta populi, quod per sacerdotes pe-
rissent populus. Qua indignatione dominus perdidisset om-
nes, nisi Moysi & Aaron primò precibus inflexus, post e-
tiam obiectu sacerdotis sui Aaron maluisset ingratos maio-
re veniæ pudore donare iis quorum abnuebant gratiam. Ip-
sa prophetissa Maria, quæ cum fratribus pede transierat fre-
Num.12. ta maris, quia Æthiopissæ mysterium adhuc nescienes im-
murmurauerat aduersus fratrem Moysen, lepræ maculis in-
horruit, vt vix tanto absoluta esset contagio, nisi Moysen ro-
gasset. Quamuis ad typum synagogæ illa refertur ad mur-
muratio, quæ Æthiopissæ, id est ecclesiæ ex gentibus sa-
cramentum ignorans quotidiano immurmurat conuitio, &
inuidet ei plebi cuius fide etiam ipsa exuetur à perfidiæ suæ
Rom.11. lepra, secundum quod legimus quia cæcitas ex parte Israel
contigit donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Is-
rael saluus fieret. Et vt aduertamus, quia in sacerdotibus
diuina magis quàm humana operatur gratia, vna ex multis
Num.17. quam Moyses per tribus acceperat & reconderat, virga Aa-
ron floruit, atque ita diuini iudicij munus spectandum in sa-
cerdote populus aduertit, ac destitit parem sibi humano iu-
dicio vindicare gratiam, qui ante parem sibi prærogatiuam
competere arbitrabatur. Virga autem illa quid aliud osten-
dit, nisi quod nunquam sacerdotalis marescat gratia, & in
summa humilitate habeat in suo munere commissæ sibi flo-
rem potestatis, vel quia id quoque ad mysterium referatur?
Nec ociosè propè exitum vitæ Aaron sacerdotis hoc factum
putamus. Declarari videtur populus senior, sacerdotalis lon-
gæuæ infidelitatis vetustate carios us, quòd vltimis tempori-
bus imitatione ecclesiæ reformatus in studia fidei & deuo-
tionis, emortuum iam tot seculis rediuiua gratia florem e-
mittat. Quid autem illud significat quod post defunctum
Aaron non vniuerso populo, sed soli Moysi qui est in sacer-
dotibus domini, imperauit deus vt exuuiis Aaron sacerdo-
Num.19. tis filium eius indueret Eleazarum, nisi vt cognosceremus
quod sacerdos consecrare sacerdotem debeat, & ipse eum
induere vestimentis, hoc est virtutibus sacerdotalibus, ac
tunc si nihil ei deesse indumentorum aduerterit sacerdota-
lium, & aptè quadrare omnia, sacris eum adhibeat altaribus?
Supplicaturus enim pro populo, eligi à domino, probari de-
bet à sacerdotibus, ne quid sit quod in ipso grauiter offen-
dat, cuius officium est pro aliorum offensa interuenire. Ne-
que enim mediocris virtus sacerdotalis est, cui cauendum
non solùm ne grauioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis
quidem: vt sit promptus ad misericordiam, promissum non
remordeat, lapsum reuocet, compatiatur dolori, mansuetu-
dinem teneat, pietatem diligat, iram repellat vel decoquat,
sit quidam lituus plebis excitandæ ad deuotionem, mitifi-
candæ ad tranquillitatem. Vetus dictum est, assuesce vnus
esse: vt vita tua quandam picturam exprimat, eandem ser-
uans semper imaginem quam acceperit. Quomodo potest
vnus esse, qui nunc iracundia inflammatur, nũc indignatio-
ne graui exæstuat, nunc vultu excandescit, nunc pallore im-
mutatur, per momenta varius & discolor? Sed esto sit natu-
ræ irasci, aut plerumque causæ, hominis est tamen tempe-
rare iracundiam, non leonino raptari furore: non norit assu-
escere clamori, non ferere nec acerbare familiare iurgium.
Prou.15. Scriptum est enim: Vir iracundus effodit peccatum. Non est
Psal.4. vnus duplici corde, non est vnus qui se cohibere nescit in i-
racundia: de quo pulchre Dauid ait: Irascimini, & nolite pec
care. Non iram imperat, sed indulget naturæ, quam homo
præuenire non potest, mitigare potest. Ergo etsi irascimur,
affectus noster motum recipiat secundum naturam. Quis e-
1.Tim.3. nim ferat si ipse se gubernare nequeat, qui alios gubernan-
dos receperit? Ideoque Apostolus formam dedit, quia & e-
Titum 1. piscopum esse oportet irreprehensibilem. Et alibi ait: Oporr-
tet enim episcopum sine crimine esse sicut dei dispensato-
rem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non
percussorem, non turpis lucri cupidũ. Nam quomodo con-
1.Tim.3. ueniunt sibi dispensantis misericordia, & cupientis auaritia?
Hæc posui quæ cauenda acceperim. Virtutum autem magi-
ster Apostolus est, qui cum patientia redarguendos doceat
contradicentes, qui vnius vxoris virum præcipiat esse: non
quo exortem excludat coniugij, nam hoc supra legem præ-

A cepti est: sed vt coniugali castimonia seruet ablutionis suæ
gratiam. Neque iterum vt filios in sacerdotio creare Aposto
lica inuitetur authoritate. Habentem enim dixit filios, non
facientem, neque coniugium iterare. Quod ideo non præ-
termisi, quia plerique ita argumentantur, vnius vxoris vi-
rum dici post baptismum habitæ, eò quòd baptismo vitium
sit ablutum, quo afferebatur impedimentum. Et vitia qui-
dem atque peccata diluuntur omnia, vt si quis contamina-
uerit suum corpus cum plurimis quas nulla coniugij lege so
ciauerit, remittantur ei omnia: sed coniugia non resoluun-
tur si quis iterauerit. Culpa enim lauacro non lex soluitur.
Nulla enim culpa coniugij, sed lex est. Quod legis est igitur,
non remittitur quasi culpa, sed tenetur quasi lex. Ideo Apo-
stolus legem posuit dicens: Si quis sine crimine est vnius v-
xoris vir. Ergo quia sine crimine est vnius vxoris vir, tene-
tur ad legem sacerdotij suscipiẽdi. Qui autem iteraueri con
iugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærо-
gatiua exuitur sacerdotis. Diximus quid legis est, dicamus e-
tiam quid rationis. Sed prius cognoscamus non solùm hoc
B Apostolum de episcopo & presbytero statuisse, sed etiam Titum 1.
patres in cõcilio Niceni tractatus addidisse, neque clericum
quemquam debere esse qui secunda coniugia sortitus sit.
Quomodo enim potest consolari viduam, honorare, cohor-
tari ad custodiendam viduitatem, seruandam marito fidem,
quam ipse priori coniugio non reseruauerit? Aut quid inter-
esset inter populum & sacerdotem si iisdem astringerentur
legibus? Debet præponderare vita sacerdotis, sicut præpon-
derat gratia. Nam qui alios præceptis suis ligat, debet ipse le-
gitima præcepta in se custodire. Quàm resistebam ne ordi-
narer: postremo cum cogerer, saltem ordinatio protelare-
tur. Sed non valuit præscriptio, prævaluit impressio. Tamen
ordinationem meam occidentales episcopi iudicio, orienta-
les etiam exemplo probarunt. Et tamen neophytus prohi-
betur ordinari, ne extollatur superbia. Si dilatio ordinationi
defuit, vis cogentis est. Si non deest humilitas competens sa
cerdotio: vbi causa non hęret, vitium non imputatur. Quod
C si in aliis ecclesiis tanta suppetit ordinandi sacerdotis consi-
deratio, quanta cura expetitur in Vercellensi ecclesia, vbi
duo pariter exigi videntur ab episcopo, monasterij conti-
nentia, & disciplina ecclesiæ? Hæc enim primus in occiden-
tis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coni-
unxit, vt & in ciuitate positus instituta monachorum tene-
ret, & ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. Multùm enim ad
iumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium absti-
nentiæ, & normam integritatis iuuentutem astringat, & ver
santes intra vrbem abdicet vsu vrbis & conuersatione. Hinc
illi processerunt viri, Helias, Helisæus, Ioannes, Elizabeth,
qui pelliceis tunicis & caprinis exuuiis induti, inopes atque
egentes, angustiis & doloribus afflicti, in solitudinibus er- Hebr.11.
rabant, inter alta & condensa montium, inuia rupium, spe-
luncarum horrida, fouearum vadosa, quorum conuersatio-
D ne dignus orbis terrarum non erat. Hinc illi Daniel, Ana-
nias, Azarias, Misael, qui in aula regia pascebantur, ieiunio a-
lebantur tanquam in desertis cibo aspero, potúque obuio.
Meritóque regij seruuli regi prævaluerunt, & captiuitatem
decusso iugo contempserũt, potestates subegerunt, elemen-
ta vicerunt, naturam ignis extinxerunt, euitauerunt flam-
mas, obtuderunt aciem gladij, strinxerunt leonum ora: & v-
bi infirmiores fieri existimabantur, ibi fortiores reperieban
tur: non refugiebant ludibria humana, qui cœlestia spera-
bant præmia: non horrebant tenebras carceris, quibus æter-
ni luminis gratia refulgebat. Hos secutus Eusebius sanctus
exiuit de terra sua, & de cognatione sua, & domestico ocio
peregrinationem prætulit. Pro fide quoque exilij dura præ-
optauit atque elegit, coniuncto sibi sanctæ memoriæ Dio-
nysio, qui posthabuit imperatoris amicitiam exilio voluntа-
rio. Itaque memorabiles viri circundati armis, vallati exerci-
tu cum raperentur de ecclesia, maiore triumphabant de im-
perio, quia contumelia terrestri mercabantur mentis forti-
tudinem, regni potentiam: quibus militaris armorum strepi
tus extorquere non potuit fidem: subegerunt bestialis ani-
mi feritatem, quæ nocere sanctis nequiuit. Ira enim regis, i-
ra leonis vt in prouerbiis habes. Cõfessus est victum se esse, Prouer.19.

qui rogabat vt mutarent sententiam. Sed illi validiorem calamum suum ferreis gladiis arbitrabantur. Denique vulnerata est perfidia vt occideret, non est vulnerata sanctorum fides, non desiderarunt patrium sepulchrum quibus reseruabatur cœleste domicilium. 2.Corin.6. Errauerunt toto orbe, vt nihil habentes, & possidentes omnia. Quocunque missi essent, locus deliciarum putabatur. Neque enim illis quicquam deerat, quibus fides locuples abundabat. Denique locupletabāt alios ipsi inopes ad sumptum, opimi ad gratiam: tentabantur, sed non mortificabantur, in ieiuniis, in laboribus, in custodiis, in vigiliis. Euaserunt de infirmitate fortes, non expectabant deliciarum illecebras quos saginabat fames, non adurebat eos torrida æstas, quos refrigerabat æternæ spes gratiæ. Non frangebant glacialis plagæ frigida, quibus feruenti spiritu vernabat deuotio. Non verebantur vincula hominum, quos Iesus soluerat. Non desiderabant redimi à morte, qui præsumebant à Christo resuscitari. Denique sanctus Dionysius exegit votis vt in exilio vitam poneret, ne regressus confusa institutis & vsu infidelium studia plebis aut cleri inueniret. Meruitque hanc gratiam vt pacem domini tranquillo affectu secum referret. Itaque vt Eusebius sanctus prior leuauit vexillum confessionis, ita beatus Dionysius in exilij locis propiore martyribus titulo vitam exhalauit. Hæc igitur patientia in sancto Eusebio monasterij coaluit vsu, & durioris obseruationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Nanque hæc duo in attentiore Christianorum deuotione præstantiora esse quis ambigat, clericorum officia, & monachorum instituta? Ista ad comitatem & moralitatem disciplina, illa ad abstinentiam assuefacta atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro, illa in secreto. Spectatur ista, illa absconditur. 1.Cor.4. Ideo bonus athleta ait: Spectaculum facti sumus huic mundo. Dignus sane qui spectaretur ab angelis cum luctaretur: vt ad Christi brauium perueniret, cum certaret vt in terris vitam angelorum institueret, in cœlo nequitiam angelorum refelleret. Colluctabatur enim nequitiis spiritualibus. Meritò mundus eum spectabat, vt mundus imitaretur. Hæc ergo vita in stadio, illa in spelunca. Hæc aduersum confusionem seculi, illa aduersus carnis appetentiam. Hæc subiiciens, illa refugiens corporis voluptates. Hæc gratior: illa tutior. Hæc se ipsam regens, illa semetipsam coercens. Vtraque tamen se abnegans, vt fiat Christi, quia perfectis dictum est: Matth.16. Qui vult post me venire, abneget seipsum sibi, & tollat crucē suam, & sequatur me. Sequitur ergo Christum Galat.2. qui potest dicere: Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus. Negabat se Paulus, cum sciens, quia vincula & tribulationes eum manerent, in Hierusalem voluntarius se offerret periculis dicens: Actuū 20. Nec facio animam cariorem mihi, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi quod accepi à domino Iesu. Deniq; circunstantibus plurimis plorantibus & obsecrantibus, non reflexit animum: ita fides prompta dura sui censor est. Hæc ergo dimicat, illa se remouet. Hæc illecebras vincit, illa refugit. Huic mundus triumphatur, illi exultat. Huic mundus crucifigitur, vel ipsa mundo, illi ignoratur. Huic plura tentamenta, & ideo maior victoria: illi infrequentior lapsus, facilior custodia. 3.Reg.17. & 19. Denique ipse Helias, vt confirmaretur verbum oris eius, missus est à domino, vt se ad torrentem absconderet Charith. Minabatur Achab, minabatur Iezabel, timuit Helias, & exurrexit, & iterum in virtute escæ intelligibilis quadraginta diebus ambulauit, & quadraginta noctibus vsque ad montem Oreb, & introiuit in speluncam, & requieuit ibi, & sic postea missus est vt vngeret reges. Duratus igitur ad patientiam est solitudinum incolatu, & tanquam pastus ad virtutis adipalem agresti alimento processit fortior. Ioannes quoque in deserto adoleuit, & dominum baptizauit, & con Lucæ 3. stantiam illic prius exercuit, vt posteà regem increparet. Et quia de sancti Heliæ habitatione deserti, nomina locorum non ociosa quasi feriati præteriuimus, quid significet repetendum videtur. Missus est Helias ad torrentem Charith, ibi eum corui alebant, mane panem afferebant, ad vesperam carnes. Non immeritò mane panis afferebatur, qui confirmat cor hominis. Quo enim cibo nisi mystico alere-

A tur propheta? Ad vesperam caro ministrabatur. Intellige quæ legis, quia Charith intellectus est. Oreb omne cor quasi cor dicitur. Bersabe quoque puteus septimi, aut iuramenti Latina interpretatio est. Primum Helias in Bersabe est, concessit ad sanctæ legis mysteria, diuinique iuris sacramenta. Postea ad torrentem mittitur, ad illum fluminis impetum qui lætificat ciuitatem dei. Vtrumque aduertis vnius authoris testamentum: vetus scriptura quasi puteus profunda atque obscurior: vnde cum labore haurias, nō plenam, quia adhuc qui impleret eam, non venerat. Denique postea ait: Non veni legem soluere, sed implere. Ideo ad fluuium tran- Matt.5. sire sanctus à Christo iubetur, quoniam qui de nouo testamento biberit, non solum flumen est, sed flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, flumina intellectus, flumina co- Ioan.7. gnitionis, flumina spiritualia, quæ tamen perfidiæ aruerunt tempore ne sacrilegi biberent, potarent perfidi. Ibi prophetam domini agnoscebant corui, quem non agnoscebant lu-

B dæi. Pascebant corui, quem genus regale illud & nobile persequebatur. Quæ est Iezabel quæ persequebatur, nisi synagoga vanè fluens, vanè abundans scripturis, quas neque custodit, neque intelligit? Qui corui pascebant, nisi quorum Psal.146. pulli eum inuocant, qui iumentis dat escam, vt legimus, pullis coruorum inuocātibus eum? Sciebant illi corui quem pascerent, qui iuxta intellectum erant, & ad illum cognitionis sacræ fluuium escam vehebant. Pascit prophetam, qui intelligit, qui custodit quæ scripta sunt. Dat ei succum fides nostra, dat ei alimentum noster profectus, mentis ille nostræ sensu pascitur, in nostro sermo eius intellectu epulatur. Damus ei panem qui in lumine Euangelij positi conferimus ei nostri firmamenta cordis. His alitur, his viget, his ieiuna diu replet ora, quibus Iudæorum perfidia nullum fidei cibum submistrat. Ieiunus est illis omnis sermo propheticus, cuius adipem interiorem non vident, exesus & tenuis qui impinguare eorum fauces non potest.

C Fortasse ideo deferebant ad vesperam carnes, quasi fortiores cibos, quos infirmi ingenio Corinthij non poterant sumere, & ideo lacte potabantur Apostolico. Esca ergo fortior ad vesperam mundi huius deferebatur, mane panis. Et ideo quia dominus hanc ministrari mandauit alimoniam, bene illud propheticum dici ei hoc loco conuenit, Exitu matutino & vespere delectabis. Et infra: Parasti Psal. cibum illorum, quia ita est præparatio eius. Sed satis de magistro dictum puto, nunc discipulorum vitam prosequamur: quia in illam se laudem induerunt, hymnis dies ac noctes personant. Hæc nempe angelorum militia est, semper esse in dei laudibus, orationibus conciliare crebris, atque exorare dominum student, lectione vel operibus continuis mentem occupant, separati à cœtu mulierum, sibi-ipsi inuicem vitam præbent, custodiam. Qualis hæc vita, in qua nihil sit quod timeas, & quod imiteris plurimum adest: ieiunij labor compensatur mentis placiditate, leuatur vsu, sustentatur ocio, aut fallitur negocio, non oneratur mundi solicitudine, non occupatur alienis molestiis, non

D vrgetur vrbanis discursibus. Huic vel seruando vel edocendo muneri aduertitis qualis adhibendus magister sit, quem reperire possumus si vestra humanitas aspiret, si vos donetis inuicem vobis, si quis ab altero se læsum non putat. Non enim hæc sola est forma iustitiæ, vt non lædas eum quite non læserit, sed etiam illa, vt etiam ei remittas qui te læsent. Lædimur plerumque fraude alterius, dolo proximi. Nunquid hoc virtutis putamus, vt dolum vlciscamur dolo, fraudem referamus fraudibus? Etenim si iustitia virtus est, crimine debet vacare, nec improbitatem improbitate refellere. Quæ enim virtus, hoc à te fieri, quod in altero ipse punias? Contagio ista improbitatis, non vltio est. Nihil autem interest cui malefacias, vtrum iusto, an iniusto, cum tu malefacere non oporteat. Neque distat quomodo malignus sis, vtrum vindicandi studio, an voto nocendi, cum malignitas in vtroque genere non careat reprehensione. Nam malignum esse, ab iniusto nihil distat: ideoque dictum est: Noli malignus esse inter malignantes, neque æmulatus fueris Psal. facientes iniquitatem. Et supra idem: Odio habui congregationem malignantium. Omnes vtique complexus est, nul-

lum

lum excepit: malignitatem tenuit, non cauſſam interroga-
uit. Quæ autem melior forma quàm iuſtitiæ diuinæ? Dicit e-
nim dei filius: Diligite inimicos veſtros. Et iterum dicit: O-
Matth.5. rate pro calumniantibus & perſequentibus vos. Eouſque
perfectis ſtudium adimit vltionis, vt lædentium charitatem
imperet. Et quoniam in veteri ſcriptura dixit: Mihi vindi-
ctam, & ego retribuam. Et in euangelio ait orandum pro iis
qui læſerint, ne in eos vindicet qui vindicandum promiſit.
vult enim ex tua dimittere voluntate, in quo ex ſua conue-
nitur promiſſione. Quod ſi vindictam requiris, habes quia
Deut.32. iniuſtus amplius ſuis punitur opinionibus quàm iudiciariis
Hebr.10. Matth.5. ſeueritatibus. Et quoniam nemo poteſt eſſe ſine aliquibus
aduerſis, id agamus, ne nobis noſtro iudicio aduerſa acci-
dant. Nemo enim grauius alieno condemnari poteſt iudi-
cio, quàm inſipiens ſuo, qui ſibi eſt auctor malorum. Vnde
molesta & plena contentionis declinemus negotia, quę ne-
que fructum habent, & impedimentum afferunt. Quan-
quam id agere debemus, ne nos arbitrij noſtri pœniteat,
aut facti. Prudentis eſt enim proſpicere ne frequenter eum
pœniteat ſui. Nunquam autem pœnitere, ſolius eſt dei. Quis
verò iuſtitiæ fructus, niſi mentis tranquillitas? Aut quid eſt
iuſtè viuere, niſi cum tranquillitate viuere? Qualis forma
fuerit domini, talis totius domus eſt ſtatus. Quod ſi domi
quæruntur iſta, quantò magis in eccleſia, vbi & diues & pau
Coloſ.3. per, ſeruus & liber, Græcus & Scytha, honoratus & plebeius
omnes in Chriſto vnum ſumus? Nemo præſumat, quia di-
ues eſt, plus ſibi deferendum. Ille eſt diues in eccleſia, qui
pauperi, non ſibi, diues eſt. In eccleſia quidem fidelis diues
eſt. Fideli enim totus mundus diuitiarum eſt. Quid mirum
ſi mũdum fidelis poſſidet, qui Chriſti hæreditatem poſſidet,
quæ precioſior eſt mundo. Sanguine precioſo redempti e-
ſtis: omnibus vtique non ſolis pecunioſis dictum eſt. Sed
vultis diuites eſſe? Sequimini dicentem: Sancti in omni con
Leuiti. 19. & 20. uerſatione eſtote. Non diuitibus dicit, ſed omnibus, quia ſi-
ne diſcrimine perſonarum iudicat, vt bonus teſtis eius Apo
1.Petri.1. ſtolus dicit: Et ideo non in remiſſione, non in faſtidio, non
in exaltatione cordis, ſed in timore, inquit, hoc incolatus ve-
ſtri tempus conuerſamini. Tempus accepiſtis hac in terra,
non perpetuitatem. quaſi tempore vtamini, qui ſciatis vos
migraturos. Nolite in diuitiis confidere, quia omnia illa hîc
relinquũtur. Sola vos comitabitur fides. Erit ſane etiam iuſti
tia comes, ſi fides præuia ſit. Quid vos palpant diuitiæ? Non
auro vel argento, non poſſeſſionibus, non ſericis veſtibus de
1.Petri.1. vana veſtra cõuerſatione redempti eſtis, ſed precioſo ſangui
ne Chriſti Ieſu. Ille ergo diues eſt qui fuerit hæres dei, Chri-
ſti cohæres. Noli pauperem contẽnere, ille te diuitem facit.
Noli egentem faſtidire. Iſte pauper clamauit ad dominum,
Pſalm.33. & dominus exaudiuit eum. Noli inopem refutare, & Chri-
2.Cor.8. ſtus pauper factus eſt, cùm eſſet diues, ſed propter te pauper
Matth.10. factus eſt, vt te inopia ſua diuitem faceret. Noli quaſi diues
Actor.3. te attollere: Sine pecunia miſit apoſtolos ſuos. Denique pri-
mus eorum dixit: Argentum & aurum nõ habeo. Gloriatur
in paupertate, quaſi refugiat contaminationem. Argentum,
inquit, & aurum non habeo, Aurum & argentum neſcit or-
dine, qui neſcit vſu. Argentũ & aurum non habeo, ſed fidem
habeo. Satis diues ſum in nomine Ieſu, quod ſuper omne no
men eſt. Argẽtum non habeo, ſed nec requiro. Aurum non
Hebr.11. habeo, ſed nec deſidero, ſed habeo quod vos diuites non ha
betis. Habeo quod pluris eſſe etiam vos arbitremini. Dono
pauperibus, vt in nomine Ieſu dicam: Conualeſcite manus
remiſſæ, & genua diſſoluta. Sed vultis diuites eſſe? eſtote pau
peres. Tunc eritis per omnia diuites, ſi fueritis pauperes ſpi-
ritu. Non cenſus diuitem, ſed animus facit. Sunt qui ſe humi
liant in multis diuitiis & rectè ac prudenter. Satis enim di-
ues omnibus naturæ lex eſt, cui citò inuenias quod abũdet.
Cupiditatibus autem omnis diuitiarum abundantia, inopia
eſt. Denique nemo pauper naſcitur, ſed fit. Non ergo natu-
ræ paupertas, ſed opinionis eſt: ideoque citò inuenitur diues
naturæ, difficilè cupiditatis. Etenim quò plus vnuſquiſque
acquiſierit, plus ſitit, & quaſi quadam inardeſcit ebrietate
cupiditatum ſuarum. Quid quaſi neceſſarium quæritis cu-
mulum diuitiarum? Nihil tam neceſſarium, quàm cognoſce
re quid nõ ſit neceſſarium. Quid in carnem retorquetis ex-

A cuſationem? Non corporis venter inſatiabilem, ſed mentis
auaritia facit. Nunquid caro ſpem futuri abſtulit? Nunquid
caro ſpiritualis gratiæ ſuauitatẽ ademit? Nũquid caro fidem
impediuit? Nunquid caro aliquid furioſis dominis vanis opi
nionibus adiudicauit? Plus amat caro moderatã frugalitatẽ,
qua exuitur onere, induitur ſalubritate, qua ſolicitudinem
deponit, aſſumit tranquillitatem. Sed nec ipſæ diuitiæ vitu
perabiles. Deniq; redẽptio animę viri, diuitiæ eius: quoniam Prouer. 13.
qui pauperi donat, redimit animam ſuam. Eſt ergo & his ma
terialibus diuitiis virtuti locus. Quaſi gubernatores eſtis in
magno mari. Si bene quis gubernat ſuum nauigium, citò
tranſit fretum, vt perueniat ad portum. Qui autem neſcit re
gere ſuum cenſum, onere ſuo mergitur. Ideo ſcriptum eſt:
Poſſeſſio diuitum, ciuitas firmiſſima. Quæ eſt iſta niſi Hieru Prouer. 10.
ſalem quæ in cœlo eſt, in qua regnum dei? Bona hæc poſſeſ-
ſio, quæ fructus perpetuos facit. Bona poſſeſſio, quæ non hîc
relinquitur, ſed illic poſſidetur. In hac poſſeſſione qui fue-
B rit dicit: Portio mea dominus. Non dicit, portio mea ab illis Pſalm.118.
vſque ad illos porrecta & diffuſa terminos. Nõ dicit, pòrtio
mea inter illos vicinos, niſi fortè inter apoſtolos, inter pro-
phetas, inter ſanctos dei. hęc eſt enim iuſti portio. Non dicit,
portio mea in pratis, non in ſyluis, non in campis, niſi fortè
in campis ſyluæ, in quibus inuenitur eccleſia, de qua ſcri- Pſal.131.
ptum eſt: Inuenimus eam in campis ſyluæ. Non dicit, portio Pſal.32.
mea greges equorum. Mẽdax enim equus ad ſalutem. Non
dicit, portio mea armenta boum, aſini, oues, niſi fortè inter Eſaiæ 1.
illa enumerat armanta quæ agnoſcunt poſſeſſorem ſuum, &
in illa aſina vult conſortium habere quæ non refugit præſe-
pe Chriſti. Et illa ouis ſibi portio eſt, quæ ad immolandum Eſaiæ.53.
ducta eſt, & ille agnus coram tõdente ſe ſine voce qui non
aperuit os ſuum, cuius in humilitate iudicium exaltatũ eſt.
Bene ait, Corã tõdente, qui ſuperflua non propria in illa de-
poſuit cruce, qui corpus exuit, non diuinitatem amiſit. Non
quicunque ergo dicit, Portio mea dominus. Non auarus di-
C cit, quia venit auaritia, & dicit: Mea portio es, ego te ſubdi-
tum habui, mihi ſeruiſti, mihi te in illo auro vendidiſti, mihi
te in illa poſſeſſione adiudicaſti. Non dicit luxurioſus por-
tio mea Chriſtus: quia venit luxuria, & dicit: Mea portio es,
ego te in illo mihi mancipaui conuiuio, illis cepi epularum
retibus, ego te addictum teneo gulæ tuæ chirographo. An
ignoras quia cariùs tibi fuit menſæ tuæ quàm vitæ precium?
Tuo te iudicio reuinco, nega ſi potes, ſed negare non potes.
Denique nihil ad vitam reſeruaſti, totum ad mẽſam expen-
diſti. Non poteſt dicere adulter, portio mea dominus: quia
venit libido, & dicit: Ego ſum tibi portio, mihi te in illius a-
doleſcentulæ addixiſti amore, in illius nocte meretricis in
meas leges in mea iura migraſti. Non dicit proditor, por-
tio mea Chriſtus: quia ſtatim irruit in eum nequitia mali, &
dicit: Fallit te domine Ieſu, meus eſt iſte. Habemus exẽplum Ioan.13.
quia cum Iudas panẽ à Chriſto accepiſſet, immiſit ſe in cor
eius diabolus quaſi poſſeſſionem ſuam vindicans, quaſi por-
tionis ſuæ ius retinens, quaſi dicens: Non eſt tuus iſte, ſed
meus, meus certè miniſter, tuus proditor. meus planè iſte
D eſt: denique tecum recumbit, & mihi ſeruit: tecum epula-
tur, & mecum paſcitur. A te panem accepit, à me pecuniã.
Tecum bibit, & mihi tuum ſanguinem vendit. Quàm vera
diceret, probauit. Denique Chriſtus receſſit ab eo, ipſe quo
que Iudas reliquit Ieſum, ſequutus diabolum. Quàm mul-
tos dominos habet qui vnum refugerit. Sed nos non refu-
giamus. Quis refugiat eum quem ſequuntur alligati vin-
culis, ſed vinculis voluntariis quæ ſoluunt non alligant,
quibus vincti vinculis gloriantur dicentes: Paulus vin- Ad Philẽ.
ctus Ieſu Chriſti, & Timotheus? Glorioſiùs ab hoc ſtrin-
gimur, quàm ab aliis abſoluimur & relaxamur. Quis igi-
tur fugiat pacem? quis fugiat ſalutem? quis fugiat miſeri-
cordiam? quis fugiat redemptionem? Videtis filij quales
euaſerint qui hæc ſecuti ſunt, quomodo operentur defun-
cti. Quarum virtutum laudem miramur, earum ſtudeamus
adipiſci induſtriam: & quas prædicamus in aliis, eas in no-
bis taciti recognoſcamus. Nihil molliculum, nihil infra-
ctum ad laudem peruenit. Regnum cœlorum cogitur, & Matth.11.
cogentes diripiunt illud. Feſtinantes patres agnum man-
ducabant. Feſtina eſt fides, alacris deuotio, ſpes impigra

contradictiones animi non amat, sed traductionem ab infructuoso ocio ad fructum laborum. Quid in crastinum differs? Potes & hodiernum diem lucrari. Cauendum est enim ne & illum non teneas, & hunc amittas. Non exiguum detrimentum est vel horæ vnius, & vna hora totius vitæ portio est. Sunt iuuenes qui citò volunt ad senectutem peruenire, ne subiaceant diutiùs seniorum arbitrio. Sunt etiam senes qui velint si possint ad iuuentutem redire. Quorum studium neutrum probo, quia iuuenes fastidiosi præsentium quasi ingrati mutationem viuendi requirunt, senes dilationem, cum possit & iuuenta senescere moribus, & senectus virere operibus. Neque enim emendationem morum magis ætas affert quàm disciplina. Quantò ergo magis nos oportet spem attollere ad regnum dei, vitæ vbi nouitas, vbi gratiæ erit non ætatis commutatio. Non ocio, non somno merces paratur. Nullum opus dormientis est, nullus fructus ocij imò magis dispendium. Ociosus Esau amisit primatus benedictionē, quia maluit cibum accipere quàm
Gene.52. quærere. Laboriosus Iacob apud vtrunque parentem inuenit gratiam. Et tamen cùm superior esset Iacob virtute & gratia, cessit fratris indignationi, qui sibi prælatum frattrē
Roma.12. iuniorem dolebat. Ideo scriptum est: Date locum iræ, ne alterius indignatio te quoque in peccatum trahat, dum vis resistere, dum vis vindicari. Potes & ab illo & à te remouere culpam, si cedendum putes. Imitare patriarcham, qui de consilio matris longinqua petiit. Et cuius matris? Rebeccæ vtique, hoc est patientiæ. Cuius enim nisi patientiæ hoc consilium esse poterat? Amabat mater contra affectum pij amoris dimitti filium. Maluit enim sibi eum exulare quàm deo. Et ideo quia bona mater, vtrique detulit, iuniori filio benedictionem quam conseruare poterat. Non enim filiū filio, sed impigrum ocioso prætulit, fidelem infido. Sed etiam filio ipsi seniori non parum contulit amandando minorem filium, ne parricidium faceret. Itaque quoniam ob pietatem non propter improbitatem exulabat à parentibus, loquebatur cum deo, augebatur censu, liberis, gratia. Neque his tamen elatus est cum fratri occurreret, sed humiliatus adorauit, non vtique illum immitem, illum furibundum, illum degenerē, sed eum quem in fratre considerabat, ideoque adorauit septies, numero scilicet remissionis, quia non hominem adorabat, sed eum, quem in carne hominis esse venturum præuidebat spiritu, vt tolleret peccata mundi. Quod tibi ex Petri responsione aperitur mysterium, dicēte eo: Si peccauerit in me frater meus, quoties remittam
Matt.18. ei? Vsque septies? Vides quoniam peccatorum remissio, typus erat illius magni sabbati, illius quietis perpetuæ gratiæ, & ideo contemplatione donatur. Sed quid sibi vult quòd & vxores, & filios, & omnes disposuit suos, & præcepit vt & ipsi adorarent super terram? Non vtique vt elementum quod plerunque repletur sanguine, in quo officina est scelerum, aut vastis plerunque horret cautibus, aut præruptis rupibus, aut sterili & ieiunio solo, sed vt carnem præsidio nobis futuram. Et fortasse hoc illud est mysteriū quod edocuit
Ibidem. dominus dicens: Non solum septies, sed & septuagies septies. Et vos igitur donate iniurias vestras, vt sitis filij Iacob. Nolite exasperari sicut Esau. Imitamini sanctum Dauid, qui tanquam bonus magister reliquit nobis quod imitaremur,
Psalm.108. dicens: Pro eo vt diligerent me, detrahebant mihi, ego autē orabam: & cum maledicerētur, orabat. Bonum scutū oratio, qua cōtumelia excluditur, maledictum repellitur, & in ipsos qui maledixerunt, frequenter retorquetur, vt suo telo
Ibidem. vulnerentur. Maledicent, inquit, & tu benedices. Ambienda hominum maledictio, quæ acquirit dominicam benedictionem. Quod supereſt charissimi, considerate quia Iesus
Heb.13. extra portam passus est, & vos egredimini de hac terrena ciuitate, quia ciuitas vestra superior est Hierusalem: ibi conuersamini, vt dicatis: Nostra autem conuersatio in cœlis est.
Philip.3. Ideo Iesus exiuit de ciuitate, vt vos exeuntes de hoc mundo supra mundū sitis. Moyses solus qui deum videbat, extra castra habebat tabernaculum quando loquebatur cum deo: & hostiarū quæ pro peccato fiebant, sanguis quidem altaribus inferebatur, corpora autē extra castra comburebantur, quia nemo intra mūdi huius vitia positus peccatū deponit, nec sanguis eius acceptus est deo, nisi de corporis huius exeat inquinamēto. Hospitalitatem diligite, per quam sanctus Abraham inuenit gratiam. Hospitio suscipere filium Sara meruit effœta iam senectute. Loth quoque Sodomitani excidij euasit ignem. & tu potes suscipere angelos, si aduenientibus *officium tuum offeras. Quid de Raab dicam quæ hoc munere inuenit salutem? Compatimini iis qui alligati tenentur vinculis, tanquam simul alligati. Consolamini in luctu positos. Meliùs est enim ire in domum luctus, quàm in domum gaudij. Illinc officii meritum boni, hinc vitium lapsus refertur. Postremò illinc mercedem speras, hic recepisti. Sētite laborantibus tanquam simul laborantes. Mulier viro deferat, non seruiat: regendam se præbeat, non coercēdam. Indigna est coniugio, quæ digna est iurgio. Vir quoque vxorem tanquàm gubernator dirigat, tanquam consortem vitæ honoret, participet vt cohæredi gratiæ. Matres ablactate filios, diligite eos, & orate pro iis vt longæui super terrā sint: non in terra, sed super terram. Nihil enim longæuum in hac terra, & quod est diu, breue est, & magis lubricum. Monete eos vt magis crucem domini tollant, quàm hanc vitam diligant. Maria mater domini ante crucem filij stabat. Nullus me hoc docuit, nisi sanctus Ioannes euangelista. Mundum alij concussum in passione domini conscripserunt, cœlum tenebris obductū, refugisse solem, in paradisum Latronem, sed post piam confessionē receptum. Ioannes docuit, quòd alij non docuerunt, quēadmodum in cruce positus matrem appellauerit. Pluris putatur quòd victor suppliciorum pietatis officia matri exhibebat, quàm quòd regnum cœleste donabat vitæ æternæ. Nam si religiosum est quòd Latroni donatur venia, multò vberioris pietatis est quòd à filio mater tanto affectu honoratur. Ecce, inquit, filius tuus: Ecce Ioan.19.
mater tua. Testabatur de cruce Christus, & inter matrem atque discipulum diuidebat pietatis officia. Condebat dominus non solùm publicum, sed etiam domesticum testamentum: & hoc eius testamētum signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniæ, sed vitæ æternæ, quod non atramento scriptum est, sed spiritu dei viui, qui ait: Lingua mea calamus scribæ velociter Psal.44.
scribentis. Sed Maria nec minor quàm matrem Christi decebat, fugientibus apostolis ante crucem stabat, & piis spectabat oculis filij vulnera: quia expectabat nō pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionem aula regalis, etiam sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri. Sed Iesus non egebat adiutore ad redemptionem omnium qui omnes sine adiutore seruauit. Vnde & dicit: Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. Suscepit quidem affectum parentis, sed non quæsiuit alterius auxilium. Hanc imitamini matres sanctæ, quæ in vnico filio dilectissimo tātum maternæ virtutis exemplum edidit. Neque enim vos dulciores liberos habetis, neque illud virgo quærebat solatium, quòd alium posset generare filium. Domini seruis 1.Pet.2.
imperate quasi cōditione subditis, sed ita vt naturæ eiusdem cuius vos estis, consortes esse eos memineritis. Serui quoque dominis seruite cum voluntate. Etenim vnusquisque quod natus est, patienter debet suscipere. Nec solum bonis, sed etiam asperioribus obedite dominis. Nam quę est vestrę seruitutis gratia si bonis seruiatis sedulò? Sed si etiam asperos promereamini. Nam liberi quoque nullam habent mercedem si peccantes puniantur à iudicibus, sed illa merces est si etiam non peccantes. Et vos ergo contemplatione domini Iesu etiam si difficilibus seruiatis dominis cum patientia, mercedem habebitis. Siquidem ipse dominus iustus ab iniustis passus est, & patientia mirabili peccata nostra suæ affixit cruci, vt qui illum imitatus fuerit, peccata sua sanguine suo diluat. Ad summam, conuertimini omnes ad dominum Iesum. Sit in vobis vitæ huius delectatio in bona conscientia, patientia mortis cum spe immortalitatis, confirmatio resurrectionis cum Christi gratia, veritas cum simplicitate, fides cum confidentia, abstinentia cum sanctitate, industria cum sobrietate, conuersatio cum modestia, eruditio sine vanitate, sobrietas doctrinæ fidelis sine hæresis remulentia.

Dimi

671 *Diui Ambrosii ad episcopos per Æmiliam constitutos, eos de celebritate paschali instruentis. Epistola LXXXIII.*

DOminis fratribus dilectissimis episcopis per Æmiliam constitutis Ambrosius episcopus. Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire paschalis, & scriptura diuina nos instruit, & traditio maiorum: qui conuenientes ad synodum Nicenam, inter illa fidei vt vera ita admiranda decreta, etiã super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculãdi, decem & nouem annorum collegere rationem, & quasi quendam constituere circulum ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulũ Enneadecaterida nuncupauerunt, sequentes illud, quòd non debeamus vana quadam opinione super celebritate huiusmodi fluctuare, sed vera ratione comperta ita omnium concurrat affectio, vt vna nocte vbique sacrificium pro resurrectione domini deferatur. Domini fratres dilectissimi eò vsque à vero nos deuiare non conuenit, nec vago ingenio discrepare, vt quædam necessitas celebritatis huius omnibus sit imposita Christianis: quando quidem ipse dominus eum elegit diẽ quo pascha celebraret, qui cum obseruantiæ veræ ratione concurrit. Luc. 24. Scriptum est enim: Venit autem dies in qua necesse erat pascha immolari, & misit Petrum & Ioannem dicens: Euntes ite parate nobis pascha, vt manducemus. At illi dixerunt: Vbi vis paremus? Et dixit ad illos: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret homo amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias: Dicit tibi magister, Vbi est diuersorium vbi pascha cum discipulis manducem? Ipse vobis ostendet in superioribus locum magnum. Ibi parate. Aduertimus igitur quod non ad terrena descendere, sed in superioribus locum magnum stratum quærere debeamus, vt domini pascha celebremus. Abluere etiam sensus nostros quadam spirituali aqua fontis æterni, & deuotæ celebritatis tenere mensuram, nec opinione vulgari dies quosdam exGalat. 4. plorare lunares, cũ Apostolus dicat: Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo ne sine caussa laborauerim in vobis. Nam incipit esse contrarium. Sed aliud est obseruare gentilitio more, vt qua luna quid adoriendum sit iudices, vtputa quintam esse fugiendam, nihilque ea inchoandum. Varios quoque cursus lunæ obeundis negociis commendare, vel cauere quosdam dies, quemadmodum plerique pastores dies vel Ægyptiacos declinare consuerunt. Aliud est enim obseruantiam religiosæ mentis intendere in eum diem Psalm. 117. Exod. 12. de quo scriptum est: Hic est dies quem fecit dominus. Nam etsi scriptũ sit quòd pascha domini quartodecimo die mensis primi celebrari debeat, & verè quartamdecimam lunam ad celebrãdum dominicæ seriem passionis inquirere debeamus: tamen ex hoc possumus intelligere quòd ad huiusmodi solennitatem vel ecclesiæ perfectio, vel claræ fidei plenitudo quæratur, sicut dixit propheta cum loqueretur de filio Psalm. 88. dei: Quia sedes eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum manebit. Inde est quod ipse dominus cùm opera in terris miranda fecisset, quasi iam fundata humanarum mentium fide, tempus passionis esse memorauit Ioan. 17. dicens: Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Hanc enim celebrandæ passionis claritudinem Luc. 13. quæsitam alibi docet dicens: Ite, dicite illi vulpi: Ecce eiicio dæmonia hodie, & cras sanitates perficio, & sequenti cõsummor die. His vtique consummatur Iesus qui incipiunt esse perfecti, vt plenitudinem diuinitatis & redemptionis eius Psalm. 118. Eccles. 3. Hiere. 8. fide sua credant. Ergo & diem & horam exquirimus, vt scriptura nos instruit. Propheta etiam Dauid dicit: Tempus faciendi domine. petens accipere sensum ad cognoscenda domini testimonia. Ecclesiastes ait: Omni rei tempus. Hieremias clamat: Turtur & hirundo, agri passeres agnouerunt tempora introitus sui. Esaiæ 1. Quid autem euidentius quàm de passione domini dictum videri, Agnouit bos possessorẽ suum, & asinus præsepe domini sui? Agnoscamus ergo hoc præsepe domini, in quo alimur, pascimur & reficimur. Hoc igitur tempus præcipue scire debemus, quo per vniuersum orbem consona sacræ noctis fundatur oratio, quia & tempore commendantur preces, sicut scriptum est: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Esaiæ 49. Hoc est tempus de quo Apostolus dixit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 2. Corin. 6. Vnde necesse fuit, quia etiam post Ægyptiorum supputationes, & Alexandrinæ ecclesiæ definitionem, Episcopi quoque Romanæ ecclesiæ per literas plerique meam adhuc expectant sententiam, quid existimem scribere de die paschæ. Nam licet futuri diei paschæ inciderit quæstio, tamen etiam in reliquum quid tenendum videatur aperimus, siqua quæstio talis incurrerit. Duo autem sunt obseruanda in solennitate paschæ, quartadecima luna, & primus mensis, qui dicitur nouorum. Itaque ne à veteri testamẽto videamur discedere, ipsum de paschæ celebrandæ die capitulum recenseamus. Exod. 12. Monet Moyses populũ dicens custodiendum mensem nouorum, eum primum esse mensem prædicans. Ait enim: Hic mensis vobis principium mẽsium, primus in mensibus anni, & facies pascha domino deo tuo quartadecima die mensis primi. Ioan. 1. Lex nempe per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Ipse ergo qui legem locutus est, postea veniẽs per virginem nouissimis temporibus plenitudinem legis consummauit, quia venit non legem soluere, sed implere, & celebrauit pas- Matt. 5. cha hebdomadæ in qua fuit quartadecima luna, quinta feria. Denique ipsa die (sicut superiora docent) pascha cum discipulis manducauit. Sequenti autem die, hoc est sexta feria, crucifixus est, luna quintadecima. Sabbato quoque magno illo sextadecima fuit. Ac per hoc septimadecima luna resurrexit à mortuis. Vnde hæc lex paschæ nobis seruanda est, vt non quartamdecimã obseruemus in die resurrectionis, sed in die magis passionis, aut certè aliis proximis superioribus diebus. Quia resurrectionis celebritas die dominica celebratur, dominica autem ieiunare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei ieiunia iure damnamus. Hoc est enim in resurrectionem Christi non credere, si legem quis ieiunij die resurrectionis indicat, cum lex dicat pascha edendum cum amaritudine, hoc est cum dolore, quod tanto sacrilegio hominum author salutis sit interẽptus. Die autem dominica exultandum propheta docet dicens: Hic est dies Psal. 117. quem fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Ergo non solùm passionis diem, sed etiam resurrectionis obseruari oportet à nobis, vt habeamus & amaritudinis & lætitię diem. illa ieiunemus, ista reficiamur. Vnde si inciderit, sicut futurum est proximè, quartadecima luna mensis primi die dominica, quia neque dominica ieiunare debemus, neque tertiadecima luna die sabbati incidente ieiunium soluere, quod maximè die passionis est exhibendum, in altera hebdomada celebritas paschæ est differenda. Siquidem sequitur quintadecima luna qua passus est Christus, & erit secũda feria: tertia quoque feria erit sextadecima luna, qua domini caro in sepulchro quieuit, cum quarta etiam feria septimadecima luna futura sit, qua dominus resurrexit. Cum igitur triduum illud sacrum in hebdomadam proximè cõcurrat vltimam, intra quod triduum & passus est, & quieuit, & resurrexit, de quo triduo ait: Soluite hoc templum, & in triduo resuscita- Ioan. 8. bo illud: quid nobis potest molestiam dubitationis afferre? Nam si ea res scrupulum mouet, quia quartadecima luna nõ celebramus ipsum diem vel passionis, vel resurrectionis, ipse dominus non quartadecima luna passus est, sed quintadecima, & septimadecima resurrexit. Quod si mouet quia quartamdecimam lunam transeuntes, quæ die dominica incidit, hoc est quartodecimo kalendas Maij, sequenti dominica instaurandam celebritatem suademus, authoritas extat huiusmodi. Nam temporibus paulo superioribus cum incidisset quartadecima luna mensis primi in dominicã diem, sequenti altera dominica celebrata solennitas est. Octogesimo autem anno & nonagesimo tertio, ex die imperij Diocletiani, cum quartadecima luna esset nono kalendas Aprilis, nos celebrauimus pascha pridie kalendas Aprilis. Alexãdrini quoque & Ægyptij, vt ipsi scripserunt, cum incidisset quartadecima luna & vigesimo & octauo die Pharmutij mensis celebrauerunt pascha quinta die Pharmutij mensis, quæ est pridie kalendas Aprilis, ac sic conuenere nobiscum. Rursus nonagesimo & tertio anno à die imperij Diocletiani, cum in-

cidisset quartadecima luna in quartumdecimum diem Pharmutij mensis, quæ est quinto idus Aprilis, quæ erat dominica die, celebratum est pascha dominica Pharmutij vigesimo & primo die, qui fuit secundum nos quintodecimo kalendas Maij. Vnde cum & ratio sit & exẽplum, nihil super hoc mouere nos debet. Nunc illud est, quod enodandum videtur, quia plerique putant secundo mense nos celebraturos
Exod.12. pascha, cum scriptum sit: Custodi primum mensem nouorum: quod non potest incidere vt præter mensem nouorum pascha celebrent, nisi qui quartamdecimam ita obseruant secundum literam, vt non alio nisi ipso celebrẽt die. Denique in futurum Iudæi duodecimo, non primo mense celebraturi sunt pascha, hoc est tertio kalendas Aprilis secũdum nos: secũdum Ægyptios autem vigesimoquarto die Phamenoth mensis, qui est non primus mensis, sed duodecimus, & incipit sexto kalendas Aprilis, & finitur septimo kalendas Maij. Ergo secundum Ægyptios primo mense celebraturi sumus dominicam paschæ, hoc est septimo kalendas Maij, qui est dies trigesimus Pharmutij mensis. Nec absurdum arbitror vt inde obseruãdi mensis trahamus exemplum, vbi primum pascha celebratũ est. Vnde & maiores nostri in tractatu concilij Niceni eum diem endecateride, si quis diligenter intendat, statuendum putarunt, & ipsum mensem nouorum rectè custodierunt, quia in Ægypto hoc primo mense noua secantur frumenta. Hic autem mẽsis & primus est secundum Ægyptiorum prouentus, & primus secundum legem, & octauus est secundum consuetudinem nostram. Indictio enim Septembri mense incipit. Octauo igitur mense kalendæ Aprilis sunt. Incipit autem mensis non secundum vulgarem vsum, sed secundum consuetudinem peritorum ab æquinoctio, qui dies est duodecimo kalendas Aprilis, & finitur vndecimo kalendas Maij. Inde maximè intra hos triginta & vnũ dies sæpe celebrati paschæ dies. Sed cùm ante biennium celebrauerimus paschæ dominicam vndecimo kalendas Maij, hoc est trigesimo die mensis, secundum nostram scilicet calculationem, moueri non debemus si & proximè trigesimo die Pharmutij mensis celebraturi sumus paschæ dominicam. Verum si quis mensem secundum inde existimat, quia post triduum completi mensis qui compleri videtur vndecimo kalẽdas Maij, paschę dominica erit: illud consideret, quia quartadecima luna quæ quæritur, quartodecimo kalendas Maij erit, hoc est intra præscriptum mensis numerum. Lex autem diem passionis exigit intra primum nouorum debere celebrari. Satisfactum est igitur secundum plenitudinem lunæ, cui ad complendum mensem supersunt tres alij dies. Non ergo in alterum mensem recidit, quando intra eundem mensem qui primus est, pascha celebrabitur. Ad literam autem nos teneri non oportere (licet consuetudo celebrandi pascha ipsa nos instruat) tamen & Apostolus
1.Cor.4. docet, qui ait: Pascha nostrum immolatus est Christus. Sed
Exod.12. & proposita lectio docet literam non consequendam. Sic enim habes, Et facies pascha domino deo tuo quartodecimo die mensis primi. Diem pro luna dicit. Vnde peritissimi quoque secundum legem lunari cursu computant mensem, & ideo cum à pluribus nonis lunæ cursus incipiat, hoc est, dies primus, vides nonas Maij adhuc ad mensem primum nouorum computari posse. Ergo & iuxta legis sententiam primus hic mensis est. Denique μὴν lunam vocant Græci, vnde μῆνας Græcè dicunt menses, & naturalis vsus nationum exterarum lunam pro diebus appellat. Alium autem diem passionis, alium resurrectionis celebrandum, veteris quoque testamenti series ostendit. Sic enim habes:
Ibidem. Agnus sine macula mundus consummatus anniculus masculus erit vobis, ab ouibus & hœdis sumetis, & erit vobis in obseruatione vsque in quartamdecimam mensis huius, & occidetis illum tota multitudo synagogæ filiorum Israel ad vesperum, & sument de sanguine eius, & ponent super duos postes, & super limen ostij domus, in quibus manducabũt eum inter semetipsos: manducabunt carnem hanc noctu igni assam. Et infra: Et edetis illum cum solicitudine paschæ. Pascha est enim domini, & pertransibo in terram Ægyptiorum in nocte illa, & percutiam omne primitiuum in Ægypto ab homine vsque ad pecus, & in omni terra Ægypti faciam vindictam e-

go dominus. Et erit vobis sanguis in signo in domibus, in quibus eritis ibi, & videbo sanguinem, & protegam vos, & non erit in vobis plaga exterminij. Et conteram terram Ægypti, & erit dies hic vobis memorabilis & solennis, & diem festum agetis eum domino in progenies vestras, legitimum sempiternum, diem festum agetis illum. Aduertimus & passionis diem descriptum in ieiunio, quia ad vesperum occidendus est agnus, licet vltimum tempus pro vespere possimus accipere, secundum Ioannem qui ait: Pueri, nouissima 1.Ioan.2.
hora est. Sed & iuxta mysterium vespere diei constat occisum, quando tenebræ statim factæ sunt: & ieiunium deferendum eo die verum est, quia ita edetis illum cum solicitudine. Ieiunantibus enim solicitudo adhæret. Resurrectionis autem die exultatio refectionis est atque lætitiæ, quo die videtur exisse populus ex Ægypto primitiuis Ægyptiorum necatis, quod posteriora euidentius docent, quibus ait scriptura: Quia postquã fecerunt Iudæi pascha, sicut præcepit Moyses, factum est circa mediam noctem, & dominus percussit Exod.12.
omnem primitiuum in terra Ægypti à primitiuo Pharaonis. Et vocauit Pharao Moysen & Aaron nocte, & dixit illis: Surgite & exite de populo meo, & vos & filij Israel ite & seruite domino deo vestro. Et vrgebant Ægyptij populum festinantes quàm celerrimè expellere. Denique sic profecti sunt Israelitæ, vt non occurreret sibi azyma fermentare. Eiecerunt enim eos Ægyptij, & non potuerunt sustinere, apparatum sibi fecerant in viam. Reseratum est igitur diem resurrectionis obseruandum post dies passionis. Qui dies resurrectionis non quartadecima luna debet esse, sed postea, vt vetus loquitur testamẽtum, quia dies resurrectionis is, cum egrediens populus de Ægypto in mari & in nube baptizatus, vt Apostolus dicit, mortem vicit, panem spiritualem ac- 1.Cor.10.
cipiens, & potum de petra hauriens spiritualem. Nec passionem domini die dominica posse celebrari, etiam si quartadecima luna in dominicam inciderit, adiungendam hebdomadem alteram, sicut & septuagesimosexto anno die imperij Diocletiani factum est. Nam tunc vigesimooctauo die Pharmutij mensis, qui est septimo kalendas Maij, dominicam paschæ celebrauimus sine vlla dubitatione maiorum. Simul etiam lunæ cursus & ratio suffragatur, quoniam vigesimaprima luna proximum pascha celebrãdum est. Nam vsque ad vigesimamprimam lunam consueuit extendi. Ergo cum tot veritatis indicia concurrant, iuxta maiorum exempla festum publicæ salutis læti exultantésque celebremus, postes nostros vbi est ostium verbi quod sibi Apostolus optat aperiri, fide passionis dominicę colorantes. De hoc Psalm.
ostio dicit etiam Dauid: Pone domine custodiam ori meo, & ostium circuitus labiis meis, vt nihil aliud nisi sanguinem Christi loquamur, quo mortem vicimus, quo redempti sumus. Fragret in nobis odor Christi. Ipsum audiamus, in illum & mentis & corporis oculos dirigamus, opera eius mirantes, beneficia prædicantes, super limen ostij nostri sacræ redemptionis confessio resplendeat. Sumamus feruenti spiritu sacramentum in azymis synceritatis & veritatis, pia do- 1.Cor.5.
ctrina gloriam patriz & filij & spiritus maiestatem indiuiduam concinentes.

Diui Ambrosii ad sacram virginem Demetriadem, magnis præconiis veram humilitatem exaltantis, aduersantemque illi superbiam digna vituperatione confundentis, ac per hoc ipsam ad elationem cauendam, & præsidio syncerę humilitatis armandam, persuadentis.

Epistola LXXXIIII.

AMbrosius episcopus sacræ virgini Demetriadi. Cum splẽdidissimæ sanctimoniæ tuæ sublime propositum super humilitatis fundamenta consistere pie & sapienter intelligis, in hoc vsque, ô sacra virgo Demetrias, dignationem tuæ dignitatis inclinas, vt progressiones tuas etiam meo stylo exigas adiuuari. Quod ego, ad tenuitatem facultatis meæ respiciens, omnibus modis recusarem, neque tam maturo & erudito animo cohortationiculas meas adhibere præsumerem, nisi fiduciam efficiendi id

675

id quod iubetur, à iubente cõciperem, & tuis meritis atque orationibus confiderem esse præstandum vt oriatur in deserto aqua, & fient in sicca terra flumina. Vnde collaborandum tibi mecum est, vt qui sapientiam præstat paruulis, & linguas mutorum facit disertas, iubeat de cordis mei ariditate profluere quod sitis tua dignè possit haurire. Quæ ergo materia stylo dabitur, & vnde loquendi tecum causla sumetur? Si laudes tuas scribere aggrediar, & maiorum seriem quæ per te multum illustratur, euoluam, onerosum me forte & impudentem videri posse arbitror, qui vel humanę tibi gloriæ tentationem adulando ingeram, vel tuis ac tuorum prædicationibus ingenium meum par esse præsumam. Si vero de commendando virginitatis bono disseram, superflua erit eius nunc propositi insinuatio, quod tu à primo ætatis tuæ flore sine humanis cohortationibus elegisti, & de quo inter ipsa principia multi qui tunc in ecclesia præeminebãt, meritò non siluerunt. Valde enim mirabile erat, & inter præcipua diuinæ gratiæ exempla numerandum, quòd virgo Alicia super omnes fastigium trahens beatæ nobilitatis euecta, de cuius fœcunditate auis atque atauis responsura poste ritas, & familiæ votis expectabatur & patriæ, conuerso repente animo, desiderio cœlestium nuptiarũ declinasti mortale coniugium. Et vt omnem prosapiam tuam etiam huius virtutis titulo consecrares, primam stirpis tuæ perpetuam & virginem filio virginis spopondisti. Illam ergo ætatem tuam, & illa principia rationabiliter doctissimi viri suis adhortationibus incitarunt. Et licet plantationi suæ summus agricola valida ad profectum tuum incrementa præberet, cooperatores tamen gratiæ dei opportunæ piam adhibuere culturam, vt germen tenerum fortitudinis robur acciperet, & dignos generositate sua fructus propositi tui arbor afferret. Nostris autem paginis quid erit loci, & post ornatissima scripta excellentium magistrorum quid vtilitatis in eo quem indicere dignata es sermone reperies, nisi fortè quia & illorum in doctrinis & tuis studiis ad sublimiores gradus virtutum consuetudo proficit, cauendam te elationis admoneam, & humilitatis tibi synceritatem fida suggestione commendem, vt in omnibus actionibus in quibus tibi es bene conscia, nunquam audeas esse secura? De hoc igitur congruentissimo tibi & saluberrimo bono quod dominus donauerit, disseramus, vt inspectioni nostræ non tantum visibilia eius, sed etiam occulta referentur. Est enim multiplex virtutis istius qualitas, & licet in exterioribus quoque pulchra sit, in intimis tamen suis multo est speciosior, multóque luculentior, vbi nihil obscurum, nihil turbidum, nihil est inquietum: quia pax multa diligẽtibus legem dei, & non est illis scandalum. Accessuri autem ad beatæ humilitatis intuitum, omnem illam obiectionem quæ ignauos & inconstantes animos deprimit, repellamus. Nec generale nomen ita nos à iudicio discretionis excludat, vt omnes quoquo modo humiles putemus esse laudabiles. Imitatur quidem plerumque necessitas voluntatem, & ab imagine modestiæ parum differt forma segnitiæ. sed aliud est quod grauat, aliud quod exercet, nec in eundem finem venit labor indeclinabilis miseriæ, & expetitæ fortitudo patientiæ. Vnum est paupertatis vocabulum, sed non vna mens pauperum: quia non idem est gaudere bene expensis diuitiis, quod aut gemere de non acquisitis, aut dolere de perditis. Timoris etiam de quo deus metuitur, nulla est in appellatione distinctio. Sed aliud est timere quia peccaueris, aliud timere ne pecces. Et ibi est formido de supplicio, hic solicitudo de præmio. Ob hoc enim de illo seruili metu dicitur quia perfecta charitas foras mittit timorem. De hoc vero liberali: Timor domini sanctus manens in seculum seculi. Remota itaque illa specie humilitatis, quę tota sine fructu est, voluntarios tantùm pendamus affectus. Qui etiam si in gradibus meritorum inueniũtur impares, non sunt tamen ab ipsa virtute discordes. Prima ergo humilitatis ratio in communis vitæ versatur officiis, quibus & diuina clementia conciliatur, & societas humana connectitur. Multum enim ad roborandum dilectionem valet cum secundum doctrinam Apostolicam inuicem se homines honore præueniunt, & alter alterum superiorem existimantes, amant seruire subiecti, &

Psal.104. Psal.18. Sapien.10.

Pſal.118.

2.Ioan.4. Pſal.18.

Roma.12.

A nesciunt tumere prælati: cum & pauper diuitem non sibi dubitat anteferre, & diues pauperem sibi gaudeat æquare, cum & sublimes non superbiunt de claritate prosapię, & pauperes non extolluntur de communione naturę. Cum denique nõ plus tribuitur magnis opibus, quàm bonis moribus, nec maior ducitur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum inhonora iustitia. Ab hoc æquo & modesto iure concordię, in quo nullum est de gradu superiore certamen, nec fœlicitas aut inflat propria, aut vrit aliena. Pulchrè & mirabiliter à plerisque proficitur ad illam humilitatis fortitudinem, quæ & se extra omnem constituit dignitatem, & mauult apta esse iniuriis accipiendis, quàm idonea repellendis: vt impleatur quod ait dominus: Qui vult tecum iudicio con- Matt.5.
tendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo. Illud quod Apostolus docet dicens: Quare non ma- 1.Cor.6.
gis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Tales enim multum ad imitationem ipsius domini nostri &
B saluatoris accedunt, qui cum diues esset, pauper factus est: 2.Cor.8.
& cum malediceretur, non maledicebat, & percutienti se 1.Pet.2.
non comminabatur. Et quoniam dixerat, Diligite inimicos Matth.5.
vestros, benefacite iis qui vos oderunt: vt huiusmodi beneuolentiam confirmaret exemplo, ipse pro iis à quibus crucifigebatur, orabat. Qui ergo fideliter & scienter intelligunt quo opere saluati, & quo precio sint redempti, nolunt de mundi huius sapientibus, nolunt esse de fortibus, quoniam sicut ait Apostolus: Quæ stulta sunt mundi, elegit de- 1.Cor.1.
us, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit deus: & quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius, id est, vt nemo se placere deo per mundi sapientiam putet, quæ tota carnalis
C est, & à vera sapientia cum omni sua vanitate destruitur. Dominus enim nouit cogitationes sapientium, quoniam va Pſal.93.
næ sunt. Cum itaque discipuli veritatis humanam gloriam fugiunt, & à temporalium amore discunt, vt quæ dei sunt sapiant, non quæ hominum: proficiunt sensibus, non deficiunt, neque vigorem cordis amittunt, sed excellentissimæ intelligentię lumen accipiunt, viuentes quidem in hoc mundo, sed omnes mundi strepitus relinquentes, vt redimant tempus, quia dies mali sunt. Quo autem precio quies huius temporis aptiùs comparatur, quàm vt ipsi mundo omnes diuitiæ, omnes dignitates, & vniuersarum cupiditatum materiæ refundantur, & sancto beatóque commercio ematur Christiana libertas, fiantque filij dei de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate sublimes? Non enim, vt dilectores huius seculi putant parui cordis aut segnis est animi terrenas opes spernere, honores occiduos fa- Pſalm.9.
stidire, nec ibi gloriam quærere, vbi laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur. Vnde si verè intelligatur, contemptus iste rerum præsentium
D ad quę tendat, & qualia concupiscat, nihil huiusmodi mentibus rectius, nihil inuenietur electius, quę sacratissimis desideriis vniuersa transcendunt, neque ad vllam creaturam quamuis potentem atque mirabilem, sed ad ipsum omnium visibilium & inuisibilium ambiunt creatorem, cui appropinquare clarescere est, quem timere gaudere est, cui seruire regnare est. Sed hæc virtus quæ temporalis copiæ & patientię negligens ad vitam ęternam angusta & ardua mittitur, non debet voluntarios pauperes in consortium Christianę humilitatis admittere, eos autem à societate boni huius excludere qui ampla prædia, magnifica patrimonia, & multas in hoc seculo possident facultates, cum in populo dei multi semper qui diuitiis bene vterentur extiterint, nec vllo modo vel dici vel cogitari liceat quod Abraam & Isaac & Iacob quorum se esse deum dominus protestatus est, ideo vera humilitate caruerint, quia pauperes non fuerunt. Aut quod vir sacratissimus Melchisedech, domini & saluatoris nostri prę ferens formam, non fuerit perfectè humilis, quia & sacerdotio eminebat & regno. Vel quòd beato Iob, de quo deus pronunciat dicens: Nunquid con- Iob 2.
sideraſti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, & timens deum, & recedẽs à malo?

ideo virtus ista defuerit, quia erant (sicut scriptum est) in possessione eius septem milia ouium, & tria milia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis. Erátque vir ille magnus inter omnes orientales. Quasi tunc istius gratiæ particeps factus est, quando omnibus facultatibus perditis, vniuersa quoque familia filiisque priuatus, & percussus vulnere pessimo à planta pedis vsque ad verticem capitis, testa saniem radebat, sedens in stercore, ad imaginem elationis postmodum reuocatus est, quando corporis incolumitate renouata, septem rursus filiorum triúmque filiarum factus est pater, & duplo in vniuersam substantiam est ditatus augmento. Absit autem ab animis fidelium tam irreligiosa persuasio, vt cuiquam sanctorũ quibus deus & diuitias est largitus & honores, ad capiẽdum veræ humilitatis meritum credatur vel opulẽtia obfuisse vel dignitas, cum eis ad huius virtutis prouectum vtraque profuerint. Quamuis enim tota vita hominis tentatio sit super terram, & tam abundantia quàm inopia materia soleant esse peccati, cùm vel diues extollitur ad superbiam, vel pauper prosilit ad querelam, extiterunt tamen in omni tempore, & in nostra quoq; ætate non desunt sicut & boni pauperes, ita & boni diuites. Nec frustra beatus Apostolus Paulus Timotheum admonet dicens: Diuitibus huius seculi præcipe non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in deo qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Quod vtique fieri in vniuersa ecclesia quæ per totum mundum est diffusa, non dubium est, & pauperes Christi non eorum tantùm facultatibus sustineri, qui vt expeditiores dominum sequerentur, simul se omnibus suis opibus exuerũt, sed eidem operi etiam illorum substantias deseruire, qui possessionibus suis non aliter quàm rebus pauperum præsint, vt ecclesiasticæ vtilitati sub quadam procuratione famulentur, elaborantes singuli pro suarum virium portione vt ad victum atque vestitum familię dei necessaria conferantur, & simul prospicientes vt in domibus ipsorum sub iusto sanctóque moderamine omnes & benignitas foueat, & disciplina contineat, dicente Apostolo: Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Cum itaque ecclesia dei, quæ est corpus Christi, ita sit multimoda varietate contexta, vt in vnum decorem etiam quæ non sunt paria, concurrant, & de omni genere hominũ, & de omni gradu officiorum, de omni mensura operum, de omni qualitate virtutum fiat totius ædificationis inseparabilis connexio, & indifferens pulchritudo, nec desit soliditati quod non defuerit portioni, tantáque ibi sit pax, tantáque cõcordia, vt non possit esse nisi omnium quod est etiam singulorum, indubitanter apparet copulatricem quandam esse virtutem, qua sibi confœderatur & concinit multiplex sanctorum vnitas & speciosa diuersitas. Hæc autem virtus vera humilitas est, quæ inter quoslibet meritorum gradus nunquam sui potest esse dissimilis. Nam & in officiorum vicissitudine, & in mansuetudinis lenitate, & in volũtarię paupertatis electione, inuenitur multa distantia, & alter altero in propositi sui deuotione aut maior aut minor est. In vera autem humilitate nihil diuisum, nihílque non solidum est, & ideo omnes participes suos vnum facit, quia inæqualitatẽ ipsa non recipit. Huius igitur boni proprietas in confessione est gratiæ dei, quæ tota repellitur nisi tota suscipitur. Sicut enim alienus est à numero fidelium & à sorte sanctorum, qui in aliquo à catholica veritate dissentit: ita extra gratiam efficitur qui aliquid de eus plenitudine diffitetur, quasi homo auxilio dei in quadam actionum suarum parte egeat, in quadam autem parte non egeat, sitque vllum tempus, vllúm ve momentum quo pernicioſum illi esse non possit, si ab eo spiritus sanctus defuerit. Qui vtique secundum veræ deitatis essentiam vbique totus est, & omnia comprehendit, sed ab illis modo quodam intelligitur recedere, quos destiterit gubernare. Cessatio quippe auxilij eius pro absentia accipitur, quam sibi insanissimè vtilem putat, qui in iis quæ rectè gesserit, se magis quàm deum gaudet operatum. Plenè ergo & veraciter confitenda est gratia dei, de cuius hoc primum munere est, vt auxilium ipsius sentiatur. Propter quod dicit Apostolus: Nos autem non spiritum mũdi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, vt sciamus quæ à deo donata sunt nobis. Vnde si quis est qui aliqua se habere, existimat bona quorum non deus largitor sit, sed ipse sibi author existat, manifestum est hunc non dei spiritum habere sed mundi, & de illa secularis sapientiæ tumere doctrina, de qua dicit dominus: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius seculi? nonne stultã fecit deus sapientiam huius mundi secundum quam (sicut ait Apostolus) quidam cum cognouissent deum, non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Vidésne qualis superbis retributio debeatur, & quali mercede repleantur, qui si quo modo ad cognitionem veritatis accesserint, suæ hoc sapientiæ tribuunt, & de naturali ingenio gloriantur, tanquam deum non dei munere, sed proprij intellectus facultate cognouerint? Omnia quidem elementa mundi, & vniuersæ creaturarum naturæ, hoc ipsa sui exigunt specie, vt inuisibilia dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur: & in pulchritudine cœli & terræ quædam sunt paginæ ad omnium oculos semper patentes, & authorem suum nunquam tacentes, quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum, & eloquia scripturarum. Sed quid illud est quo corporeorum sensuum exteriora pulsantur in agro cordis cui impenditur ista cultura, nec radicem potest figere, nec germen emittere, nisi ille summus & verus agricola potentiam sui operis adhibuerit, & ad vitalem profectum ea quæ sunt plantata perduxerit? Siue enim contẽplatio creaturarum, siue sacrorum series voluminum, siue scientia differentium syncero & assiduo testimonio prædicet veritatem, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat deus. Inter omnes igitur lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium, nulla est grauior quàm superborum ruina, maximè cum ipsa elatio in dei tendit iniuriam. Nam aliter inflantur qui cupiditate extollentiæ singularis omnibus appetunt anteferri, aliter vero intumescunt qui dei auxilium refutantes, quę fieri sine ipsius opere non possunt, ex sua perfici virtute contendunt, & spem suam à domino auferunt, atque ad se transferunt, vt adimpleatur in eis quod scriptum est: Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachij sui, & à domino discedit cor eius. Hæc superbia à diabolo sumpsit exordium, qui quoniam sua (quam à creatore acceperat) potentia & dignitate sibi placuit, séque authoris sui gloriæ comparauit, cum iis angelis quos in consensum impietatis suæ traxerat, à cœlesti sublimitate deiectus est. Et ideo primis hominibus nocere potuit, quia illis male credulis per mendacia venenata persuasit vt meliores se futuros putarent si in libertatem sui arbitrij prosilirent, q si in legis datæ custodia permanerent. Siue itaque in lapsu diaboli, siue in præuaricatione hominis, initium peccati superbia est: quæ congruenter & auaritia nominatur, quia vtraque appellatio eum significat appetitũ qui & suam mensuram concupiscat excedere, & non dignetur diues esse nisi propris, tanquã habeat hoc simile deo, vt bonorum suorum ipse sibi fons, ipse sibi sit copia. Hęc autẽ elatio de peruerso vsu donorum dei nascitur. Nam si cõditor naturarum nulla pulchra, nulla sublimia naturis rationabilibus contulisset, vnde se extollerent non haberent. Nemo enim de iis quæ nõ accepit superbit, nec inflari quisquam de eo potest quod à participatione eius alienum est. Nunquam gloriatur de sobrietate temulentus, neque de beneuolentia inuidus, aut de lenitate sæuus, vel de castitate extollitur impudicus. Ipsa se à virtutibus vitia secernunt, & cum in peccatis agitur, non insita per naturam, sed ex mala voluntate concepta & propria diliguntur, quia sicut scriptum est: Mendax de proprio loquitur. Cum autem in bonis & rectis actibus laudabilis vita ducitur, dei est quod geritur, dei est quod amatur. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descẽdens à patre luminum. Vnde quia inter vi-

Iob 7. 1. Tim. 6. 1. Tim. 5. 1. Cor. 2. Rom. 1. 1. Cor. 1. Ibidem Hæc Eccles. Iacob. Iacob.

679

tia aut nulla est aut rara iactantia, & facile spernitur qui de opprobrio gloriatur: malum superbiæ maximè virtutibus est cauēdum, quia nullis opportunius insidiatur quàm quibus laus iusta debetur. Cùm ergo per ineffabilē misericordiam dei captiuis libertas, perditis salus, mortuis vita reparatur, cùm in sacramento crucis & resurrectionis Christi ad nouitatem redit vetustas, & ad innocētiam regeneratur impietas, antiquus hostis malignus fremit, & acriùs inardescit: & cum innumeris nocēdi artibus humanum genus nitatur euertere, serens discordias, incitans iras, acuens cupiditates, suadens turpia, falsa commentans, & errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans, plus vritur de virtute sanctium, quàm lætatur de fragilitate labētium. Multi enim Galat.5. seruientes deo, & in lege eius die ac nocte meditantes, crucifixerunt carnem suam cum desideriis & concupiscentiis, omniúmque illecebrarum incentiua domuerunt: non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus deprauati, mundum istum nec dilexere obsequentem, nec timuere terrentem. Tantam itaque firmitatem, & tam sublime propositum qua impugnatione diabolus posset adoriri, nisi vt quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immiteret laudis cupiditatem, & inde nouissima instrueretur tentatio, vnde nocuit prima deceptio? Non itaque desidiosis & tepidis, neque inertibus & incultis, sed magis quibusdam animis sedulis & bonorum actuum probitate lucu lentis, per gloriam irrepsit humanam: & quos impulsione non mouit, elatione deiecit. Quantò enim clariores erant meritis, tantò eos aptiores suis inuenit insidiis. In paradiso nanque ecclesiæ constitutos, & virtutum deliciis abundantes ad confidentiam liberi incitauit arbitrij, vt profectus suos in se constituerent, & ad arborem propriæ volūtatis manum præsumptionis extenderent. Restiterunt quidem huic impietati recta innumerabilia corda sanctorum, & non solum docti quique pontifices, verumetiam vniuersales ecclesiæ plebes apostolicæ sedis exemplo insaniam noui dogmatis horruerunt: sed inuenerunt quosdam viperina consilia quibus doctrinæ suę virus infunderent, & quorum linguam per dolos falsæ rationis armarent. Hinc illa erat naturæ humanę fraudulenta laudatio, & illęsę per omnes homines originalis defensio dignitatis. Hinc Adę peccatum exemplo posteris asserebatur nocuisse, non transitu: & quàm illi possibile fuerat nō violare mandatum, tam liberum esse vnicuique declinare delictum. Hinc euacuatio baptismatis paruulorum, qui sola adoptione donari, nullo autem reatu dicerētur absolui. Hinc postremò diuinę gratię simulata & insyncera confessio, quę secundum merita daretur, non ex qua merita nascerētur: quam partem superbę prędicationis quidam sibi cùm cętera abnuerent, seruauerunt. Sed hoc eos aut nimis imperitè aut valde nequiter fecisse non dubiū est, vt omnium hominum generalem ruinam meritorum priui legio subleuarent, & cùm inter nostros originalis peccati vulnera faterentur, inter suos tamen hoc tenere ostēderent, quod primorum hominum pręuaricatio solis imitatoribus obfuisset. Naturalem autē facultatem nihil sui in alieno amisisse peccato, cui possibile esset & liberum per voluntariam deuotionem promereri gratię largitatem. Verùm istam damnati dogmatis portionem catholicę mentes facilè intelli- Matth.9. gunt, & meritò detestantur: dicēte enim domino Iesu: Non Ibidem. est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores: conuincuntur isti in superbia etiam sine voce clamare: Sani sumus, opus medico nō habemus. Quę nobis expectanda sunt prędia de ope gratiæ, Ioan.1. quibus suppetunt vires de incolumitate naturæ? Nō autem frustra Ioānes protestatur, & dicit: Ecce agnus dei, ecce qui Iob16. tollit peccatum mūdi. Nec frustra scriptum est: Nemo mundus à sorde, nec infans cuius vnius diei vita est super terrā. Ibidem 14. &, Quis poterit facere mundum de immundo conceptū semine? nónne tu qui solus es? Propter quod sicut nunc in ec- Ioan.3. clesia manet constitutio saluatoris dicentis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum: ita sacratissimè erat in lege præcautum vt natus puer nisi die circumcideretur octauo, exterminaretur anima eius de populo suo, nullū in hæreditate Israel habitura consortium. Quæ omnia & multò plura documēta non tāta cura sacris paginis spiritus sanctus inseruisset, si talis esset natura in filiis Adā, qualis in ipso est principaliter instituta. Sed quia filius dei venit vt solueret opera diaboli, & vt quęreret Lucæ 19. ac saluaret quod perierat: manifestū est omnes in Adam damnationi obnoxios esse nascēdo, nisi in Christo liberati fuerint renascendo. Vnde vigilanter nobis considerandum est, in ipso regenerationis munere quid geratur. Quanuis enim ad vnum cōcurrant omnes eiusdē mysterij portiones, aliud tamē est quod visibiliter agitur, aliud quod inuisibiliter celebratur. Nec idem est in sacramento forma quod virtus, cum forma cum humani ministerij adhibeatur obsequio, virtus autē per diuini operis præstetur effectum. Ad cuius vtique potentiam referendum est quod dum homo exterior abluitur, mutatur interior, & fit noua creatura de veteri, vasa iræ in vasa misericordiæ transferuntur, & in corpus Christi conuertitur caro peccati. De impiis iusti, de captiuis liberi, de filiis hominum fiunt filij dei: qui non ex san- Ioan.1. guinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex deo nati sunt. Quod quia indubitanter accipimus verissimum est quod Apostolus docet, dicens: Quicunque Rom.8. enim spiritu dei aguntur, ij filij sunt dei. Vnde videant cuius se haberi filios velint qui definierint omnes homines voluntate propria regi, cùm idem Apostolus protestetur & dicat: Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. Re- Ibidem. futata igitur superborum impia vanitate, quibus in peccatum etiam illa quæ in eis videntur laudanda, vertuntur: nos illam humilitatē cui virtus & gloria dei est eligamus, scientes prophetam Dauid ceciniſſe de sanctis: Domine in lumi- Psalm.88. ne vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabūt tota die, & in tua iustitia exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorū tu es. Qui & alibi piissimè cōfitetur dominū in sanctis suis esse laudandū dicēs: Mirabilis deus in sanctis suis, deus Psalm.67. Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ. Huic etiam Hieremias cōcordat, & dicit: Hæc dicit dominus: Non Hier.9. glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in diuitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere & scire quia ego sum dominus. Ipse verò intellectus & sciētia vnde habeantur, pandunt Prouerbia Salomonis, & dicunt: Quoniam do Proues.2. minus dat sapientiam, & à facie eius scientia & intellectus. Vnde in Ecclesiastæ libro ipsius legimus quòd & corda & opera iustorum in manu dei sint, & tātum in studiis suis proficiant, quātum eos ille prouexerit. Quantumcūque, inquit, laborauerit homo vt quærat, non inueniet. Et quodcunque dilexerit sapiens vt sciat, non potest inuenire, quia vniuersum hoc vidit cor meum, quia iusti & sapientes & operationes eorum in manu dei. Tale est quod Apostolus prædicat, dicens: Omne verbum bonum, & omne opus sanctum, do- 1.Cori.12. num est spiritus sancti, sine quo nihil rectè agatur. Ideo, inquit, notum vobis facio quòd nemo in spiritu dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Diuisiones verò sunt gratiarum, idem autem spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem dominus: & diuisiones operationum sunt, idem verò deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientię, alij autem sermo scientię secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alteri operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidēs singulis prout vult. Sunt & alia innumerabilia testimonia quæ ex paginis & noui & veteris testamēti quadam conclamatione confirment hanc esse veræ humilitatis excellentissimam dignitatem, vt omnia quæ hominem faciunt Christianum, ad diuinæ gratię donum referantur. Sed tantā multitudinem sentētiarum in vnū congerere, immodicum fuit. præsertim cùm mihi sermo esset ad sanctimoniam tuam, cui ex formula eorum quæ cōmemorauimus, omnia se aut recordanti offerent, aut legenti, licet quędam etiam breuissima tantę sint plenitudinis, tantęque virtutis, vt nullo aduersantis ingenio possint in sensum alium detorqueri. Nam

quę

quæ contradictio admitti poteſt in eo quod ipſa veritas diſcipulis ſuis per euangelium Ioannis dixiſſe narratur? Sicut palmes, inquit, non poteſt facere fructū niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Nónne conuincitur palmes elatus, quod omni fertilitate vacuatur ſi vitis vbertate non alitur? Quis enim ſine auxilio gratiæ fructum poteſt afferre iuſtitiæ? Aut quis audet dicere ſe à Chriſto non diuidi, qui Chriſtum in ſe diffitetur operari? An fortè verendum eſt ne liberum tollere videamur arbitrium, cùm omnia per quæ propiciatur deus, ad ipſum dicimus eſſe referenda? Quod nequaquam eſſe conſequens veritatis oſtenditur. Operante enim ſpiritu dei iuuatur arbitrium, non aufertur, & hoc agit gratia, vt voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, ſeductionibus circunſepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus ſuis, ſed per opem miſerantis medici curata reualeſcat, & gaudeat ſe non interrogantem edoctam, & non quærentem eſſe quæſitam: quia impletur quotidie quod Eſaias propheta prædixit: Quibus nō eſt annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Quomodo autem hoc fiat, Ioannes apoſtolus docet dicens: Scimus quia ex deo ſumus, & mundus totus in maligno poſitus eſt. Et ſcimus quoniam filius dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum deum, & ſimus in vero filio eius. Quod vtique nūc eadem potentia dominus indeſinenter operatur, qui ait: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Vt ergo miſericordiam dei quæramus, dei miſericordia eſt qui ait: Miſerebor cui miſertus ero, & miſericordiā præſtabo cui miſericordiā præſtitero. Vnde mirè per Hieremiam idem dominus manifeſtat quód dei gratiam nemo præueniat merito ſuo, ſed propter dilectionem qua deus diligit, etiam auerſos ad miſericordiam trahi. Dilectione, inquit, æterna dilexi te, propterea traxi te ad miſerationem, quia ædificabo te, & ædificaberis virgo Iſrael. Cui ſententiæ Ioannes quoque apoſtolus congruit dicens: Non quaſi nos dilexerimus deum, ſed quoniā ipſe dilexit nos. Et infra, Nos ergo diligamus, quoniam deus prior dilexit nos. Paulus quoque apoſtolus in eadem eſt ſententia, dicens in epiſtola ad Timotheū ſecunda: Collabora euangelio ſecundum virtutem dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecūdum propoſitum ſuum & gratiam quæ data eſt nobis ante tempora æterna. Ad Titum etiam ſcribens docet nullo bono hominis merito dei gratiam præueniri. Eramus, inquit, & nos inſipientes aliquando, increduli, errātes, ſeruientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit ſaluatoris noſtri: non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis ſpiritus ſancti, quem effudit abūdè in nos per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecūdum ſpem vitæ æternæ. Omnis igitur illuminatarum mētium pius motus alienari quidem non poteſt à propria hominis volūtate: ſiquidem nihil rectè faciet niſi quod volens egerit: ſed vt ad id quod æquum & vtile eſt, animi tendat intentio, de illius æternæ & incommutabilis voluntatis inſpiratione concipitur. Et ſicut arte medici fit in oculis caligantibus, vt poſſint videre quod non vident, nec tamen non ipſorum eſt viſio quam medicina contulerit: ita in cordibus tardis & hebetibus per ſpiritum ſanctum acies obducta tergitur, & de vero lumine tenebroſæ iam & deficientes lucernæ lumen accipiunt, nec tamen niſi ipſarum erit, quicquid fulgoris acceperint. Vnde dicit dominus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat? Et idē iubet, lucernæ noſtrę ſint ſemper ardentes, vt ſcilicet ſuperneigne accenſus animus nō tepeſcat, ſed ſtudeat ſemper ardere: ac ſi vigorem eius aliqua turbarit aduerſitas, vnde cœpit inflammari, inde poſcat igniri. Proinde quia manifeſtiſſimè & prophetica & euangelica & apoſtolica doctrina nec ſuperbos nos vult eſſe, nec deſides: cooperatores nos eſſe oportet gratię dei, vt illam excitantem, iuuantem, locuple-

Ioan. 15.

Eſaiæ 52.

1. Ioan. 5.

Matth. 28.

Rom. 9.

Exod. 33.

Hiere. 31.

1. Ioan. 4.

2. Tim. 1.

Ad Titū 1.

Lucæ 12.

Ibidem.

tantem, & quotidie prouehentem vigilanter & ſobriè ſubſequamur, nunquam ceſſantes ab actione gratiarum quia inter ſecūda vitę iſtius & aduerſa, quibus gemina ſemper tentatione pulſamur, ſi proficimus, inde alimur: ſi ſtamus, inde ſubſiſtimus: ſi recidimus, inde reparamur. Dicit enim ſpiritus per prophetam Dauid: A domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet. Cùm ceciderit, non collidetur: quia dominus ſupponit manum ſuam. Non itaque fruſtra præcipitur vt boni ſimus, cùm dicitur: Declina à malo, & fac bonum. Sed nec fruſtra per Hieremiam dicit dominus: Timorem meum dabo in cor eorum, & viſitabo eos, vt bonos eos faciam. Nec ſuperflua erat præceptio Pauli apoſtoli ad Romanos dicentis: Noli vici à malo, ſed vince in bono malum. Cùm Corinthiis dicat: Oramus autem ad deum vt nihil mali faciatis. In omnibus enim monitis dei atque mandatis vna eadémque ratio eſt & diuinæ gratiæ, & humanę obediētiæ. Nec ob aliud vnquam datur præceptū, niſi vt quæ ratur præcipientis auxilium. Voces enim docentium, & literæ paginarum quæ ad eruditionem audentium vel legentium deo ſeruiunt, non carent eius virtute cui ſeruiunt, & quando id quod iubetur, ab obediente perficitur, tunc effectus diuini operis declaratur. Vigilant autem tentatoris inſidiæ, vt vbi proficit deuotio, ſubrepat elatio, & vt homo de bono opere in ſe potius quàm in domino glorietur. Sed ſolicitudo nos Apoſtoli cōtra hoc periculum monet dicentis: Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Quantò ergo excellētius in mandatis dei quique proficiunt, tantò maiores habēt cauſas formidinis & tremoris, ne de ipſis probitatis augmentis mens ſibi bene conſcia & laudis auida, in ſuperbiæ rapiatur exceſſus, & fiat immunda vanitate, dum ſibi videtur clara virtute. Sed contra hoc periculum quid beatus Petrus in prima epiſtola prędicet, audiamus: Si quis, inquit, loquitur, tanquam ſermones dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat deus, vt in omnibus honorificetur deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſecula. Item idem in epiſtola ſecunda: Gratia, inquit, vobis adimpleatur in recognitione domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nūc omnia nobis diuina virtute ſua quę ad vitam & pietatem pertinent, donauit per agnitionem ſuam, qui vocauit nos propria glorię virtute, per quam maxima nobis & precioſa promiſſa donauit, vt per hęc efficiamini diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem. Si ergo omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, deus nobis diuina ſua virtute donauit, nihil magis fugiendum eſt quàm appetitus huius concupiſcentiæ, quæ virtutem negat diuinis operis, amore proprię dignitatis. Et cùm alię cupiditates ea tantum bona quibus aduerſantur imminuant, hęc dum omnia ad ſe trahit, ſimul vniuerſa corrumpit. Cùm itaque totius ſuperbię generale nomen odioſum ſit, ſiue illa de honore ſuo, ſeu de nobilitate, vel de immodicis opibus intumeſcat, hęc pars ipſius omnibus tentationibus nocentior inuenitur, quę videtur iis quas perditas cupit, amica eſſe virtutibus. Sed quia ſublimiora quęque grauius corruunt, gaudet princeps ſuperbię eos quos potuerit ſua impulſione proſternere, ad celſiora creuiſſe. Huic autem malo firmiſſimum bonum humilitatis occurrit. Quam ideo diximus veram, quia omnium virtutum inexpugnabilis fortitudo, & quędam ſuorum eſt vita membrorum. Diſcernimus enim illam ab iis officiis quę poteſt etiam cum mundi ſapientibus habere communia, & in eo proprietatem ipſius definimus, quod per omnia deo ſubditur. Nec poteſt quicquam de meritis ſuis perdere, quorum cauſas atque prouectus non in ſe, ſed in ſuo authore conſtituit. Dignum quippe eſt vt imago dei deo ſplendeat, & inde pulchra, inde ſit compta dicens: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine. Alioquin adultera eſt, & à diuino aliena coniugio, ſi alterius cuiuſquam decorem in ſpeculo ſui cordis oſtentat, aut vllis aliis monilibus acquieſcit ornari, niſi illis quę de theſauris ſponſi per ſancti ſpiritus pignus accepit. Si autem quęlibet anima Chriſtiana huius debet continentię ſotiliditate muniri, quia omnes nuptiale ſacramentum in quocunque

A

B

C

D

1. Pet. 4.

2. Pet. 1.

Pſal. 4.

cunque vocationis suæ ordine susceperunt, quantò magis personæ tuæ dignitas præsidio huius virtutis armanda est, cui de opulentissimis gratiæ dei donis tam multiplex se ingerit materia gloriandi? Quamuis enim communis tibi sit cum multarum virginum puritate virginitas, non tamen facilè reperitur quæ possit tibi magnificentia domus & splendore antiquissimæ familiæ comparari. De quibus vt non superbias, nec tibi hoc ipsum quod eis Christum præpositus, adscribas: ipsa est vera humilitas, vera charitas, vera virginitas. Ab omni quippe contaminatione mens libera est, quæ siue in se, siue in proximo nihil diligit, nisi quod ex deo esse nouit. Nam amare aliquid quod non ex opere & spiritu dei sit, non est casta dilectio, & sufficit tentatori sublimes, & claras animas hac illusione violasse, vt quas ad illicita non impulit, placendi sibi ad elationem deiecerit. De hac charita te sine dubio Apostolus loquebatur, & istius proprietatem subtilissimis discretionibus eliquabat dicens: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. In quarum definitionum formula multo laboraremus obscurio, nisi sequentia demonstrarent quæ esset species istius charitatis, cui soli tot operum labores, tot virtutum merita non perirent. Esto enim vt multiplex loquendi peritia, quæ non solum ad omnem humanæ facundię artem, sed etiam ad angelici eloquij peruenerit facultatem, si charitate careat, inutili æris sono, & tinnitui sit comparabilis cymbalorum. Esto vt habens prophetiam, scientiam, habens fidem dæmonibus imperantem nihil sit, quia charitate sit vacuus, vt etiam ille ab hac esse possit alienus, qui in alimoniam pauperum suas distribuerit facultates, vel qui corpus suum igne torrẽdum pro Christi confessione tradiderit, incredibile videretur, nisi beatus Paulus hoc diceret, qui tamen cùm eiusdem charitatis membra describeret, docerétque qualis esset hæc virtus sine qua nullæ possint prodesse virtutes, Charitas, inquit, patiens est, benigna est, charitas nõ ęmulatur, nõ agit perperã, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, & reliqua. Inflatio ergo, & ambitio, & propriorũ bonorũ superba defensio possunt destruere eleemosynas, possũt euacuare martyria: si & magnas opes amore quis humanæ laudis effundat, & sęua supplicia non ea fortitudine quam deus tribuit, sed ea quã de se præsumpsit excipiat. Hoc est enim propria fiducia inflari, hoc vanã gloriam quibuslibet ambire dispendiis, hoc postremò est nolle habere quę dei sunt, & ibi suum constituere meritũ, vbi diuinum cessarit auxilium: hęc super bia omni peccato nocentior, omni genere est elationis insanior. A quibuslibet enim lapsibus delictorũ facile surgitur, quando opẽ à reparatore suo poscit elisus. Huic autem ruinę nihil subuenit, quia aut difficile peccatũ suũ superbus agnoscit, aut etiam si intellexerit, non currit ad medicum, sed de se sibi remedium pollicetur, nec vnquam ibi proficit cura, vbi morbus est ipsa medicina. Hunc autem corruptissimũ pestilentię istius flatum spiritus verę humilitatis & verę charitatis excludit. In nullo enim hę virtutes ab inuicem diuiduntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, vt qui in vna earum construitur, simul vtraque potiatur. Sicut enim pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas. Et si illa recolamus quæ sine bono charitatis infructuosa esse Apostolus definiuit, inueniemus eadem similem habere charitatem si eis humilitas vera defuerit. Quem enim fructum habebit aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides, aut cum iactantia largitas, aut cum elatione martyrium? Vnde quia in districtione superbiæ & humilitas tendit & charitas, de vtraque habeatur dictum quicquid de vna est disputatum. Superest nunc, sacratissima dei virgo, vt sobrio castóque iudicio sancti cordis tui arcam discutias, & aculeo totius elationis obtrito inuestiges in te atq; dinumeres quæ & qualia tibi spõsus tuus dona cõtulerit, quæ à me

2.Cor.13.

Ibidem.

non oportuit recensĕri, ne aut plura contexerem, aut paucio ra percurrerem. Verecundiæ enim tuæ onerosa foret etiam vera laudatio, & ipse contra disputationem meam facerem, si cui ab humana gloria continentiam suasissem, ad eandem te tuis præconiis incitarem. Ipsa ergo aulam tuæ mentis ingredere, & in secretario purissimæ conscientiæ tuę qualia tibi reposita sint ornamẽta circunspice, & quicquid ibi splendidum, quidquid pulchrum precioſũmque repereris, diuini operis & muneris esse ne dubites, ita vt in omnibus bonis opulentiæ tuæ & gratiam donatoris, & ius proprietatis agnoscas. Accepisti enim quæ habes, & quicquid tibi diligentia tui laboris accreuit, per ipsum tibi est auctum, per quem fuerat inchoatum. Itaque vtendum tibi est iis quæ largitus est deus, & ab eodem semper est petendum vt donis eius fideliter & scienter vtaris. Quid enim nobis boni potest esse sine ipso, quandoquidem etiam vt rectè oremus, ex ipso est, dicente Apostolo: Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quoniam secundum deum postulat pro sanctis. Et ne dubium esset de quo spiritu loqueretur, iam supra dixerat: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timorem sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Itaque ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quoniam sumus filij dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt conglorificemur. Implet igitur spiritus sanctus organum suum, & tanquam fila chordarum tangit digitus dei corda sanctorum. Qui ideo cùm die pentecostes in apostolos plebémque credẽtium, sicut à domino fuerat promissus, influeret, in specie linguarum apparuit ignearum, & loquelis omnium nationum eos super quos insederat, fecit affari, vt dubium non esset per ipsius inspirationem vtilem affectum, rationabilem sermonem animis fidelium ministrari: sicut ipse dominus discipulis suis insinuauit, & dixit: Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris qui loquitur in vobis. Quod non in solo magnarum tribulationum tempore credamus fieri, sed etiam in pace præstari. Audiamus Apostolum definiẽtem quòd ipsæ quoque cogitationes nostræ nisi à deo nobis insitæ fuerint, rectæ esse non possint. Fiduciam, inquit, talem habemus per Christum ad deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est. Vnde cum sanctorum animis ex deo sit vt illis meditatio, iusta petitio, efficax actio ex deo sit, in fide firmitas, in tribulatione patientia, in persecutione victoria, magna est in vera humilitate fœlicitas, cui deus dilectio, deus sapientia, deus consilium, deus fortitudo est. Nec dubiè ista subiectio iam ex magna parte in illius futuræ beatitudinis est constituta consortio, vbi deus erit omnia in omnibus. Quod ideo in hac vita ad plenum non potest obtineri, quia nondum mortale nostrum induit immortalitatem, nec corruptio transiit in incorruptionem, caro adhuc contra spiritum, & contra carnem spiritus concupiscit. Nec inuenitur in vllo hominum tanta concordia, vt legi mentis lex quæ membris est insita, non repugnet. Propter quod ex omnium sanctorum persona accipitur quod Ioannes apostolus ait: Si dixerimus quoniam peccatũ non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Cùm tamẽ idem ipse dicat: Qui natus est ex deo, peccatũ non facit, quoniã semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniã ex deo natus est. Vtrunque ergo verũ est: quia & nemo sine peccato est, in eo quòd nemo est sine lege peccati: & qui natus ex deo, peccatum nõ facit, quia per legem mentis, id est per charitatem quę dei semen est, peccatum non facit. Charitas enim operit multitudinem peccatorũ: & sine qua nullum prodest bonum, per quam deletur omne peccatũ. Dum igitur corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: non quidem obtinetur, vt iam anima in omnibus deus sit, quia nullus est sine tẽtationis stimulo, & sine mutabilitatis incerto. Sed quia omne datum optimum

Rom.8.

Ibidem.

Matth.10.

2.Cor.3.

1.Cor.15.

Galat.5.

1.Ioan.1.

1.Ioan.1.

1.Pet.4.

Sapien.9.

Iacob.1.

optimum,& omne donum perfectum desursum est,descen dens à patre luminum, sine dubio inde habetur virtutum omnium portio,vnde habebitur plenitudo: & tãtò quisque est beatior, deóque coniunctior, quantò plus in eo fuerit
Psalm.33. gratiæ diuinæ quàm actionis humanæ.Benedic itaque domi no in omni tempore,& laus eius in tuo ore sit semper.Anima autem tua non acquiescat nisi in domino laudari.Super bi quidem refragabuntur,sed mansueti hæc audient, & lætabuntur.

De inuentione corporum sanctorum Geruasii & Prothasii, diui Ambrosii episcopi ad sororem suam, Epistola.LXXXV.

DOminæ sorori vitæ atque oculis præferendæ, frater. Quia nihil sanctitatẽ tuam soleo eorũ præteriræ quæ hic te gerantur absente,scias etiam sanctos martyres à nobis repertos.Nam cùm basilicam dedicassem, multi tanquã vno ore interpellare cœperant,dicentes:Sic in Romana basilica dedices.Respondi,faciam, si martyrum reliquias inuenero. Statímque subiit veluti cuiusdã ardor præsagij. Quid multa?Dominus gratiam dedit,formidantibus etiam clericis iussi eruderari terram eo loci qui est ante cancellos sanctorum Felicis atque Naboris.Inueni signa conuenientia, adhibitis etiã quibus per nos manus imponenda foret,sic sancti martyres eminere cœperunt,vt adhuc nobis silentibus arripere tur vrna,& sterneretur prona ad locum sancti sepulchri. Inuenimus miræ magnitudinis viros duos,vt prisca ætas ferebat.Ossa omnia integra, sanguinis plurimum. Ingens concursus populi per totum illud biduum.Quid multa? Condiuimus integra,ad ordinem trãstulimus,vespere iam incumbẽte ad basilicam Faustæ,ibi vigiliæ tota nocte, manus impositio.Sequẽti die trãstulimus ea in basilicam quam appellant Ambrosianam.Dum trãsferimus,cæcus senatus est. Talis mihi ad populum fuit sermo.Cùm tam effusam,támque inauditam considerarem conuentus vestri celebritatẽ, & diuinæ gratiæ munera quæ in sanctis martyribus refulserunt, imparem me,fateor,huic muneri iudicabam,nec fieri posse vt sermone absoluerem,quod vix possimus animo intendere,oculis comprehendere.Sed vbi sanctarũ legi cœpit series scripturarum,largitus est spiritus sanctus,qui locutus est in prophetis,quo dignum aliquid tanto cœtu & expectatione
Psalm.18. vestra martyrúmque sanctorum meritis proferamus. Cœli enarrãt,inquit,gloriam dei.Cùm legitur hic psalmus, occurrit quod non tam elemẽta materialia quàm cœlestia merita dignum deo præconium deferre videantur.Hodierna tamẽ fortuita lectione patuit qui cœli enarrant gloriam dei. Aspicite ad dexteram meam,aspicite ad sinistram reliquias sacro sanctas,videtis cœlestis conuersationis viros spectantes animi sublimis trophæa. Isti sunt cœli qui enarrant gloriam dei.Hæc opera manuum eius quæ annunciat firmamẽtum. Non enim eos secularis illecebra,sed diuini operis gratia ad firmamentum sacratissimæ passionis euexit. Multóque ante morum virtutúmque documentis annũciauit in his martyrium, quod aduersus lubricum seculi huius stabiles per-
Philip.3. mansérunt.Cœlum erat Paulus,qui ait: Nostra conuersatio in cœlis est.Cœli erant Iacobus & Ioannes,denique filij to-
Marc.3. nitrui nuncupantur, & ideo quasi cœlum Ioannes verbum apud deum vidit. Ipse dominus Iesus perpetui luminis erat cœlum,cùm enarraret dei gloriam, sed eam quam nemo an-
Ioan.1. te conspexerat.Et ideo dixit:Deum nemo vidit vnquam nisi vnigenitus filius,qui est in sinu patris,enarrauit. Opera quo-
Iob.26. que manuum dei si quæris,audi Iob dicentem: Spiritus diuinus qui fecit.Et ideo aduersus diaboli tentamenta firmatus,inoffensæ vestigium constantiæ reseruauit. Sed veniamus ad reliqua. Dies,inquit,diei eructat verbum. Ecce veri dies,quos nulla calligo noctis interpolat. Ecce veri dies pleni luminis & fulgoris æterni, qui non perfunctorio sermone verbum dei, sed intimo corde eructarunt in confessione constantes,in martyrio perseuerantes. Alius psalmus
Psalm.111. lectus dicit:Quis sicut dominus deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Respexit sanè humilia dominus, qui latentes sub ignobili cespite reliquias sanctorum suæ ecclesiæ reuelauit, quorum anima in cœlo, corpus in terra. Suscitans à terra inopem & de stercore erigens pauperem:quos videtis vt eos cum principibus populi sui collocarit.Principes populi quos alios nisi sanctos martyres æstimare debemus,quorum iam in numerum,diu antè ignorati Prothasius Geruasiúsque proferũtur, qui sterilẽ martyribus ecclesiam Mediolanensem, iam plurimorũ matrem filiorum,lætari passionis propriæ fecerint & titulis, & exemplis?Nec hoc abhorreat à vera fide: Dies diei eructat verbum,anima animæ, vita vitæ, resurrectio resurrectioni. Et nox nocti indicat scientiam,hoc est caro carni, quorum passio veram fidei scientiam omnibus indicauit. Bonæ noctes,noctes lucidæ quæ habẽt stellas. Sicut enim stella à stel la differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum. Nõ imeritò autem plerique hanc martyrum resurrectionem appellant. Videro tamen vtrum sibi an nobis certi martyres resurrexerunt.Cognouistis, imò vidistis ipsi multos à dæmoniis purgatos. Plurimos etiam vbi vestem sanctorũ manibus contigerunt,iis quibus laborabant debilitatibus absolutos.Reparata vetusti corporis miracula,quo se per aduentũ domini Iesu gratia terris maior infuderat,vmbra quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria iactitantur?Quãta indumenta super reliquias sacratissimas vt tactu ipso medicabilia reposcantur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit,saluus erit. Gratias tibi domine Iesu quod hoc tempore tales nobis sanctorum martyrum spiritus excitasti,quo ecclesia tua præsidia maiora desiderat. Cognoscant omnes quales ego propugnatores requiram,qui propugnare possint, impugnare non soleant.Hos ego acquisiui tibi plebs sancta,qui prosint omnibus,nemini noceant.Tales ego ambio defensores,tales milites habeo.Quorum quò maiora, eò tutiora patrocinia sunt.Horum etiam illis ipsis qui mihi inuident,opto præsidia.Veniant ergo & videant stipatores meos,talibus me armis ambiri non nego.Hi in curribus,& hi in equis,nos autem in nomine domini dei nostri magnificabimur. Heliseũ
4.Reg.6. scripturæ diuinæ series refert, cùm ab exercitu Syrorum esset obsessus,dixisse timenti seruulo,ne timeret, quia plures, inquit,pro nobis sunt,quàm cõtra nos. Et vt hoc probaret, petisse, vt oculi Giezi aperirẽtur, quibus innumeros adesse vidit prophetæ exercitus angelorũ. Nos etsi eos videre non possumus,sentimus tamen. Erant clausi isti oculi quamdiu obruta sanctorum corpora delitescebãt. Aperuit oculos nostros dominus,videmus auxilia quibus sumus sæpe defensi, non videbamus hæc,sed habebamus tamẽ. Itaque trepidantibus nobis quasi dixerit dominus: Aspicite quanto vobis martyres dederim:ita reseratis oculis gloriam domini speculamur,quæ est martyrum passione præterita,& operatione præsens.Euasimus fratres, non mediocrẽ pudoris sarcinam,patronos habebamus,& nesciebamus. Inuenimus vnũ hoc quo videamur præstare maioribus.Sanctorũ martyrũ cognitionem quam illi amiserunt,nos adepti sumus.Eruuntur nobiles reliquiæ sepulchro ignobili, ostenduntur cælo trophæa.Sanguine tumulus madet,apparent cruores tui phales,notæ inuiolatæ,reliquiæ loco suo & ordinatæ repertæ,auulsum humeris caput. Nunc senes repetunt audisse se aliquãdo horum martyrum nomina,titulúmque legisse:perdiderat ciuitas suos martyres, quæ rapuit alienos. Etsi hoc dei munus est,tamen gratiam quam temporibus sacerdotij mei dominus Iesus tribuit, negare non possum: quia ipse martyr esse nequeo, hos vobis martyres acquisiui. Succedant victimæ triumphales in locum vbi Christus hostia est. Sed ille super altare,qui pro omnibus passus est:isti sub altari,qui illius redempti sunt passione.Hũc ego locum præstinaueram mihi. Dignum est enim vt ibi requiescat sacerdos, vbi offerre consueuit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem,locus iste martyribus debebatur. Condamus ergo reliquias sacrosanctas,& dignis edib⁹ inuehamus, totúmque diem fida deuotione celebremus. Acclamauit populus vt in dominicum differretur diem martyrum depositio,sed tandem obtentũ,vt sequenti fieret die. Sequenti die talis mihi ad populum iterum sermo fuit.

SERMONVM DIVI AMBROSII MEDIOLA-nensis episcopi, iuxta ordinem temporum quibus congruunt, Index.

De grano sinapis. Sermo I.
Item de grano sinapis. II.
De psalmo vigesimo primo. III.
De camelo. IIII.
Quòd simile sit regnum dei fermento. V.
De margarita. VI.
De eo quod scriptum est: Reddite quæ sunt dei deo, & de militantibus. VII.
De sabbato quo dominus manum aridam curauit. VIII.
De vnitate charitatis. IX.
De eo quod scriptum est: Quis maior est in regno cœlorum. X.
De mirabilibus. XI.
De natali domini. XII.
Item de natali domini. XIII.
Item de natali domini. XIIII.
Item de natali domini. XV.
Item de natali domini. XVI.
Increpatio de kalendis Ianuariis. XVII.
De sancta Epiphania. XVIII.
Item de sancta Epiphania. XIX.
Item de eodem. XX.
Item de die sancto Epiphaniæ. XXI.
Post epiphaniam. XXII.
De quadragesima. XXIII.
Item de quadragesima. XXIIII.
Item de quadragesima. XXV.
Item de quadragesima. XXVI.
De ieiuniis. XXVII.
Exhortatio ad plebem, & de eo quod scriptum est in euangelio: Sicut fulgur coruscans de cœlo, ita erit aduentus filij hominis, & de duobus in lecto vno. XXVIII.
Item de eodem. XXIX.
De eleemosyna. XXX.
Item de eleemosyna. XXXI.
De hospitalitate in euangelio. XXXII.
In tempore ieiunij non luxuriandum este. XXXIII.
De quadragesima. XXXIIII.
De ieiunio domini in deserto, & quomodo non in solo pane viuit homo. XXXV.
Item de quadragesima. XXXVI.
Item de eodem. XXXVII.
Item de ieiuniis & quadragesima. XXXVIII.
De ieiuniis & eleemosynis. XXXIX.
De ieiuniis Niniuitarum. XL.
De gratia baptismi. XLI.
De hostibus carnalibus non metuendis, & post cibum gratias deo referri debere. XLII.
Item de eodem. XLIII.
De sancto Latrone. XLIIII.
Item de eodem. XLV.
De pœnitentia Petri apostoli. XLVI.
De fide Petri apostoli. XLVII.
De sepultura domini. XLVIII.
De accusato domino apud Pilatum & de Susanna. XLIX.
Item de eodem. L.
De Iuda Scarioth. LI.
De die sancto Paschæ. LII.
De innouatione fidelium. LIII.
Item de eodem. LIIII.
De cruce Christi. LV.
Item de cruce Christi. LVI.
De sepulchro domini nostri Iesu Christi. LVII.
De Maria Magdalene. LVIII.
De auaritia & Anania. LIX.
De festo Pentecostes, & de psalmo centesimonono. LX.
Item de Pentecoste. LXI.
Item de pentecoste. LXII.
De natali sancti Ioannis Baptistæ. LXIII.
Item de eodem. LXIIII.
Item de Ioanne Baptista. LXV.
De natali sanctorum apostolorum Petri & Pauli. LXVI.
Item de eodem. LXVII.
Item de eodem. LXVIII.
De natali sancti Eusebij, Verscllensis episcopi. LXIX.
Item de depositione sancti Eusebij. LXX.
De natali sancti Laurentij Leuitæ & martyris. LXXI.
De natali sancti Cypriani. LXXII.
Item de sancto Cypriano. LXXIII.
De natali martyrum. LXXIIII.
In natali sanctorũ Canti, Cantiani, & Cantianillę. LXXV.
De natali sanctorum martyrum. LXXVI.
De natali sanctorum Octauij, Aduentitij, & Solutoris Tauricorum. XXVII.
De eo quod propheta ait ad filios Israel, Caupones vestri miscent aquam vino. LXXVIII.
De eo quod dicit dominus in euangelio, Vulpes foueas habent. LXXIX.
Increpatio ad plebem, & de eo quod ait dominus, Qui habet, dabitur ei: & cantauimus vobis, & non saltastis. Sermo. LXXX.
De eo quod scriptum est in euangelio, Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit. LXXXI.
De defectione lunæ. LXXXII.
Increpatio ad populum de absentia sua. LXXXIII.
Post increpationem consolatio ad populum. LXXXIIII.
De Barbaris non timendis. LXXXV.
Item de eodem. LXXXVI.
De sancto propheta Helisæo. LXXXVII.
De bellico tumultu. LXXXVIII.
De dedicatione basilicæ. LXXXIX.
De possione beatæ Agnetis. XC.
De inuentione sanctorum Geruasij & Prothasij. XCI.
De baptismo sancti Augustini. XCII.
In natali sanctorum martyrum Nazarij & Celsi. XCIII.

FINIS INDICIS.

Diui Ambrosij MEDIOLANENSIS EPI-scopi Sermones.

De grano sinapis. *Sermo I.*

LIbenter nos prædicare, & gratanter opus dei facere manifestum est. Sed cùm videmus plures è fratribus pigriùs ad ecclesiã conuenire, & domi nicis præcipue diebus minimè cœlestibus interesse mysteriis, prædicamus inuiti: non quo nos pigeat loqui, sed quia negligentiores prædicatio nostra grauet potius, non emendet. Ideo inuiti loquimur, & tacere non possumus. Prædicatio enim nostra in plebe aut regnum operatur, aut pœnam: regnum credulis, perfidis pœnam. Quisquis enim frater dominicis non interest sacramentis, necessariò apud deum castrorum desertor est diuinorum. Nam quomodo se excusare potest qui sacramentorum die prãdium sibi domi præparans, prandium cœleste contemnit, & ventris curam faciens, animæ suæ negligit medicinam? Dicit dominus in sancto euangelio, sicut lectio decursa testatur: Cui simile est regnum dei, & cui simile illud existimabo? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & facta est arbor, & volucres cœli requieuerũt in ramis eius. Mouet fortasse sensus vestros cur regnum dei tam præclarum atque tam magnificũ grano sinapis exiguo comparetur, & spei nostræ tam grande solatium, rei vilissimæ simile Lucæ 13.

mile esse dicatur, præsertim cùm alibi idem dominus discipulis suis dicat: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, tollere & iactare in mare & fiet. Igitur si fides mira est, quæ possit ab ipsis sedibus montiũ fundamẽta transferre, necsseriò ergo & grannũ sinapis magnũ est, ad cuius similitudinẽ fidem habere compellimur. Magnum autem dixerim non specie, sed virtute, & fidei qualitate, non oleri comparandum, sed vigore acrimoniæ coæquandum. Nam si diligenter intendamus, inuenimus rectè à domino hãc similitudinem comparatam. Sicut enim granum sinapis prima fronte specie sui est paruum, vile, despectum, non saporẽ prestans, non odorem circunferens, non indicans suauitatem: at vbi teri cœperit, statim odorem suum acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto feruoris calore succenditur, vt mirũ sit in tam friuolis granis tantum ignem fuisse concluſum: cuius etiam seminis cibum homines hyemis præcipue tempore magna pro suauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viscerum interna calefaciant: sæpe etiam ex hoc capiti adhibent medicinam, vt si quid inualidum, si quid egrotum fuerit, sinapis igne curetur: Ita ergo & fides Christiana prima fronte videtur esse parua, vilis & tenuis, non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, non gratiam subministrans. At vbi diuersis tentationibus teri cœperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ credulitatis aspirat: & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipsa ferueat, & participantem sibi ardere compellat: sicut in sancto euangelio Amaon & Cleophas dixerunt, dum cum ipsis post passionem dominus loqueretur: Nònne cor nostrum erat ardens in nobis in via, dum aperiret nobis dominus Iesus scripturas? Ergo granum sinapis membrorum viscera calefacit, fidei autem vigor cordium peccata coburit. Et illud quidem asperum algorẽ frigoris remouet, hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Sinapis iniquos humores decoquit corporum, fides autem libidinum fluenta consumit. Et per illud medicina capiti procuratur, per fidem autem spirituale caput nostrum, quod est Christus dominus, sæpius refouetur. Sed & fidei iuxta comparationem sinapis sancto odore perfruitur, sicut ait beatus Apostolus: Quoniam Christi bonus odor sumus deo. Igitur sanctum martyrem Laurẽtium grano sinapis possumus comparare, qui diuersis attritus passionibus, per totum orbem gratiam meruit sui fragrare martyrij, qui antea constitutus in corpore erat humilis, ignotus & vilis. posteaquam vexatus, laceratus, exustus est, vniuersis per totum mundum ecclesiis odorem suæ nobilitatis infudit. Rectè igitur huic comparatio copulatur. Siquidem granum sinapis cùm teritur, accenditur: Laurentius cùm patitur, inflammatur: Illud feruorem attritionis suæ euomuit, hic ignem plurima vexatione suspirat. Sinapis, iquam in vasculo calido vapore decoquitur. Laurentius in craticula flammarũ igne torretur. Ardebat itaque extrinsecus beatus martyr tyranni sæuientis incendiis, sed maior illum intrinsecus Christi amoris flamma torrebat. Et quãuis rex improbus ligna subiiceret, incendia maiora supponeret, tamen sanctus Laurentius has flammas fidei calore non sentit, & dum Christi præcepta cogitat, frigidũ est illi omne quod patitur. Nec enim poterat visceribus ignitum tormenta sentire, qui sensibus paradisi refrigeria possidebat. Iacet licet ante pedes tyranni exusta caro, corpus exanime, nihil tamen detrimenti patitur in terris, cuius animus demoratur in cœlis. Extenditur ergo super flammarum ignitos globos, & sæpius versatur in latera, sed quantò plus pœnarum patitur, tãtò amplius Christum dominum pertimescit: nouo admiratiõis genere alius illum torquet, & alij sæuientis tormenta proficiunt. deuotiorem Laurentium saluatori supplicia atrociora fecerunt.

Matth. 17.

Lucæ 24.

2. Cori. 2.

Item de grano sinapis. *Sermo II.*

SVperiore dominica parabolam domini differentes in qua ait: Cui simile est regnum cœlorum, & cui simile illud existimabo? Simile est grano sinapis, & cætera. multa perstrinximus quibus probaremus regnum dei grano sinapis non immeritò comparari, & distantiam in sola esse existimatione verborum, non in collatione virtutum. Siquidem fides Christiana, quæ regnũ est, eũdem vigorem obtinet quem sinapis natura depromit. Nam sicut cùm sinapis succum sumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur, ad lachrymas promouemur, & ipsam salubritatem corporis nostri cum quodam fletu austeritatis accipimus. Illinc enim nos amaritudo exasperat, acrimonia penetrat, hinc calor ignei saporis accẽdit, & toto perturbati corpore tunc magis sani efficimur, cùm amplius deploramus. Ita ergo & cùm fidei Christianæ mandata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas promouemur, & ipsam nostram salutem cum quodam fletu ac mœrore consequimur. Inde enim ieiunia nos exasperant, illinc peccatorum conscientia macerat, hinc patrimonij iactura conturbat, & toto contristati habitu magis salutem consequimur, si amplius defleamus, secundum quod ait dominus: Vos plorabitis & plangetis, seculum autẽ gaudebit. Sicut autem cùm sinapi caput fortè curandum est, iubemur abrasos capillos demere, impedimenta cutis vniuersa deponere vt nudo corpori perfectiùs medicina proueniat ita & cùm anima per fidẽ curãda est, præcipimur substãtiam à nobis seculi auferre, impediméta auri argẽtique deponere, vt nudę & soli animæ congruentiùs spiritualis medicina proueniat. Quisquis enim rebus mũdi & diuitiis seculi obuolutus est, huic fidei medicina non proderit. Ergo quod succus sinapis in corpore, hoc fides Christiana operatur in anima. Sed quoniam in eadem dominica sentẽtia scriptũ est, Quod acceptum homo misit in ortũ suum, & creuit, & facta est arbor, & volucres requieuerunt iu ramis eius: diligẽtius requiramus quis iste sit cui hæc cuncta conueniant. Diximus superius, sanctis martyribus, quia diuersis attriti sunt passionibus, naturã sinapis posse congruere. Sed quoniam dicit scriptura: Et excreuit, & facta est arbor, & volucres requieuerunt in ramis eius: arbitror hoc ipsi Christo domino rectiùs comparari, qui nascendo in hominen humiliatus vt granum est, ascendendo ad cœlum exaltatus vt arbor est. Granum planè Christus est dum patitur, arbor est cùm resurgit. Granũ, inquam, est cùm famem esuriẽs sustinet. Arbor est cùm quinq; panibus saturat quinq; milia virorum. Ibi sterilitatẽ humana conditione patitur, hic satietatẽ propria diuinitate largitur. Granum autem dixerim dominum cùm cæditur, cõtemnitur, increpatur: arborem autem, cùm cæcos illuminat, mortuos resuscitat, peccata condonat. Quod autem granum sit, ipse dicens in euangelio ait: Nisi granum triticicadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Huius igitur grani, hoc est domini saluatoris velut sinapis acrimoniam atque amaritudinem Iudęi minimè sustinentes, cõtẽpserunt succum cœlestis disciplinæ accipere, dicentes illumi nato illi cæco: Tu sis discipulus eius, nos autem Moysi discipuli sumus. Ipsi quoque Moysi mandata penitus ignorantes, qui præcepit illis specialiter hanc amaritudinem comedendam: cùm paschæ illis celebrandæ sacramenta disponeret, ait: Manducabitis illud cum amaritudine. pascha enim domini est. Non enim (sicut illi putant) iussit herbarum vilium acerrimos succos cum assis agni carnibus manducari, sed mandatorum Christi vtiliter amaros sermones præcepit cum ipso sacramento passionis dominicæ deuorari. Nòn ne enim amari videntur sermones domini, cùm dicit: Si vis perfectus esse, relinque omnia tua, & veni, sequere me? & cũ dicit non habendas duas tunicas, neque peram, neque calceamenta? Amaritudo ista sermonum, medicina est animarum. Quod autem ait euangelium, Quod acceptum homo misit in hortum suum: quem esse hominem hunc putamus qui acceptum granum velut sinapis granũ in suo orto seminauit? Ego illum esse arbitror, de quo euangelista refert: Ecce autem Ioseph qui erat decurio ab Arimathia, accessit ad Pilatum, petẽs vt depositum corpus domini sepeliret: quod acceptum tradidit sepulturæ, quæ in horto fuerat præparata: atque ideo ait scriptura: Quod acceptũ homo misit in hortum suum. Ergo Ioseph hortus flosculorum erat diuersis odoribus plenus. sed necdum in eo tale germen insenerat. Fragrabat quidem specialis animæ eius hortus varia suauita te virtutum, sed necdum Christum cum aromatibus in cordis

Luc. 13.

Matth. 17.

Luc. 24.

Matth. 10.

Matth. 19.

Exod. 12.

Luc. 24.

Ibidem

Ioan. 6.

Ibidem

Exod. 12.

Luc. 24.

Ibidem

dis sui secreto posuerat. Ita dum saluatorẽ in hortuli sui mo numento sepelit, magis illum in animæ suæ intimis collocauit. Ramos autem huius arboris si requiris: inuenies, quia ramus est Petrus, ramus est Paulus, rami sunt omnes apostoli vel martyres, ad quos si quis se fortiter tenere voluerit, fluctibus seculi minimè submergetur, quin potius sub vmbra illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem, securus à diabolicæ tempestatis procella.

De psalmo vigesimoprimo. *Sermo III.*

PSalmi qui lectus est seriem decursuri, diligenter prius debemus intendere quid in superscriptione cõtineat, vt cognita eius origine, intelligentiam ipsius faciliùs cõsequamur, & manifestato capite possint rectiùs membra distribui. Scribitur enim ita: In fine pro susceptione matutina, psalmus ipsi Dauid. Nisi fallor, susceptio matutina solis ortũ semper anteuenit, & prius quàm orbem radiorum clarus splendor illuminet, matutinum noctium tenebris terminũ ponit, ac resoluta sensim caliginum cæcitate, rebus cunctis facies quędam ac lumen infunditur. Et cùm veluti sub vna materia tenebrarum mundus in confusione iacuerit, interueniente matutino diuersa specierum varietate distinguitur, hoc est, cùm omnia cęca fuerint, oculi omnium reparantur. nox enim quodammodo aufert oculos mundo, aurora restituit, atque ita antè matutina susceptione perfruimur, vt glorioſius postmodum solis splendorem patiamur. Sed quoniam sic dicit Apostolus: Lex spiritualis est, & spiritualia spiritualibus cõparanda sunt solẽ hic Roman.7. iustitiæ arbitror designari, hoc est Christum dominum, qui nobis ignorantiæ tenebris, & peccatorum cæcitate submersis, cœlestis doctrinæ suæ lumẽ infudit, & quos non habebamus, oculos cordis inseruit, & velut radios quosdam apostolos suos misit, qui nos de nocte teterrima delinquentes liberarent, & paulatim resolutis in nobis tenebris peccatorum, matutina susceptione conuestirẽt, vt perfecti faciliùs possimus tolerare solis ardorem, hoc est, primum nos præceptis facilioribus erudirent, quò capaciores efficerent cœlestium secretorũ. Huius itaque solis iustitiæ matutino, peccatorum caligo tota perimitur: sicut ipse Propheta ait ex persona domini: Psalm.100. In matitutinis interficiebam omnes peccatores terræ, hoc est, oriente in nobis sole iustitiæ, qui habitaculum domini sumus, omnis cogitatio iniqua subuertitur. Cuius solis etiam beatus Salomon meminit ex persona reputantium sibi ac dicentium peccatorum: Sapien.5. Sol non ortus est nobis, & iustitiæ lumen non luxit nobis. Hanc quoque matutinam susceptionem in euangelio sancto possumus adscribere Mariæ Magdalenæ, quæ maturè ac diluculo ad monumentum vigilans, saluatoris resurrectionem domini prima suscepit: & clarescente mundi sole, solis iustitiæ ortum præ omnibus sola cognouit, ac susceptione quidem mututina gauisa est diem redditum, sed magis gauisa Christum à mortuis susPsalm.29. citatum: atque in ipsa completa est prophetia: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Totus autem hic psalmus digestus est ex persona domini saluatoris: quippe cùm plura de eo in nouo sint posita testamento. Di- Psalm.21. cit itaque: Deus, deus meus respice in me, & reliqua. Quare assumpti hominis agit causam, & interrogare quodammodo videtur, dicens: Deus omnium, qui es deus meus, cur me Esa.53. dereliquisti? nihil enim conscius sum. Secundum prophe- 1.Petr.2. tam enim nesciebat peccatum, nec erat dolus in ore eius. Hæc autem dicit, vt manifestaret propter nos se esse derelictum, quorum peccata portabat, ac videntes discceremus pro ipso sancto & iusto mori, cùm pro peccatoribus ille mo- Psalm.21. reretur. Denique hac voce in passione vsus est, sicut in euangelio legimus: Ely ely lammazabathani: hoc est: Deus deus meus, quare me dereliquisti? Hac, inquam, voce vsus est, vt Ibidem. quod prophetia annũciauerat, rei exitus approbaret. Et quoniam sequẽtia penè manifestata sunt, illum inspiciamus versiculum, in quo ait: Ego autem sum vermis, & non homo. Cur totius dominus creaturæ vermiculo se voluerit comparari. Possumus hoc quidem humilitati primitus assignare, quæ sanctorum virtus est maxima, sicut sanctus Moyses ante deũ animal se irrationabile profitetur: Dauid pulicem se sæpe commemorat. Sed magis illud accipiendum puto, quoniã vermis nulla extrinsecus admixtione alieni corporis, sed de sola & pura terra procreatur, ideo illum comparatum domino, quoniam & ipse saluator de sola & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moysi de manna ver- Exod.16. miculos procreatos. Digna planè & iusta comparatio. Siquidem de manna vermiculus gignitur, & dominus Christus de virgine procreatur. Quin potius ipsam Mariam manna dixerim: quia est subtilis & splẽdida, suauis & virgo, quæ velut cœlitus veniens cunctis ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit: quem qui edere aut mãducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse dominus ait: Nisi quis manducauerit meam carnem, & biberit Ioan.6. meum sanguinem, uon habebit vitam in semetipso, sed potius ipse cibus in iudicium conuertetur, sicut Apostolus dicit: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi mãducat. 1.Cori.11. Quod filiis Israel subtiliter prophetatum est in veteri testamẽto. Manna enim illis contra diuina præcepta tractãtibus, vermes effecti sunt, id est, contumaciæ vltores, & iudices. Quæ similitudo Christum indicat dominum, quem qui suauem cibum & dulcem potum haurire neglexerit, iudicẽ patietur, sicut ipse ait: Neque enim ipse pater iudicat quen- Ioan.5. quã, sed omne iudicium dedit filio. Nam quod idẽ sit vermis & iudex, alibi propheta testatur de peccatoribus, dicens: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extingue- Esaiæ 66. tur vsque in hodiernum diẽ. Quod autem ait: Diuiserũt sibi Psalm.21. vestimenta mea, & super vestimentum meum miserũt sortem: hoc factum in euangelio reperimus, quod milites quatuor qui crucifixerunt saluatorem, in quatuor partes eius si- Ioan.19. bi diuiserunt vestimenta. Vestimẽtum verò eius quod assũtum non erat, sed erat de superiore contextũ, sorte perceperunt. Quæ igitur ista vestimenta sint, videamus, qui milites, quódve etiã vestimentum. Vestimẽta esse puto prophetias, vel scripturarum celestiũ lectiones, quibus Christi domini annũciatum est sacramẽtum: quas prophetias vnũ canentes, & vnũ per omnia nunciãtes, aduersarij saluatoris, hoc est, perUersi hæretici, qui quotidie in illũ tãquam milites manus impias ingerunt, hoc est pro sua diuidũt sibi volũtate, & vnius corporis vestimẽta per varia membra distribuunt, atque spoliantes dominũ, sua falsa dogmata vestierũt. Vestimẽtum autẽ eius quod non erat consutum, sapientiam eius cœlestem possumus approbare, quia erat de superiori contextum. Nostra enim sapientia, hoc est, humana cõsuitur. Assuitur enim cùm liberos damus ad studia grammaticis, tradimus philosophis, erudimus eos, vt sapientia in illis quæ non erat, acquiratur. Domini autem sapientia non assuta est, non quæsita. Ibidem 7. Non enim didicit à magistro, sicut ipsi Iudæi dicũt: Quomodo hic literas nouit, cùm nõ didicerit? Et ipse dicat: Mea autẽ doctrina non est de hoc mũdo, sed eius qui me misit, hoc est quod ait de superiori contextum, quo vestitu vel quibus omnibus vestimẽtis ecclesia catholica semper amicta est, si- Psalm.44. cut Propheta ait: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato.

De camelo. *Sermo IIII.*

DIcit in euãgelio dominus Iesus Christus: Amẽ Matth.19. dico vobis, facilius est transire camelum per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnũ cœlorũ. Quæ sententia vereor, ne fortè vobis conueniat, qui diuitias seculi huius aut habetis, aut quęritis. Sicut enim cameli, animal quod est tortuosum atque deforme, peruersitas ipsa corporis per angustissimã acus cauernã præterire non patitur: ita & diuites oneratos auaritia, & cupiditate fœdatos, ipsa vitæ deformitas per arctã viam regni minimè introire permittit. Ait enim idẽ dominus: Arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam. Igitur in- Matt.7. camelo difficultatem quæstus præstat habitudo mẽbrorum. In diuite autem impedimẽtum magnitudo efficit peccatorũ. Gibbus enim quidam est animæ, turpe quid vel cogirare vel facere, ac mentis quædã tortuosa deformitas, immundis rebus semper intẽdere, & ab ecclesiæ sancto limine curis secularibus auocari. Vnde mihi videtur hanc deformitatem corporis propheta spiritualiter elocutus, fœditatem morum potius indicasse, cùm dicit: Non glorietur gibberosus sicut rectus,

rectus. Quasi si diceret: Non glorietur peccator vitiorum A suorum prauitate distortus, sicut gloriatur iustus conscientiæ bonæ simplicitate directus. Quanuis enim, ô peccator, proceritate corporis gaudeas, quanuis scapularum tuarum æqualitate læteris, anima tamen tua morum prauitate deformis est. Rectè ergo camelo comparatus est diues. Siquidem illum à transitu acus corporis crassitudo reuocat: hunc ab ingressu ecclesiæ patrimonij solicitudo detentat. Et sicut illum paruum foramen non capit oneratum mole membrorum: ita & hunc introitus sanctus non suscipit grauatum cumulo delictorum. Vterque habet propriam sarcinam suam. ille oneratus est carnibus, iste peccatis: & sicut ille inhabilis est angustissimæ acus cauernæ, ita & hic inconueniens est beatissimo dei regno: nisi quod camelum corpore compositum natura, hunc autem prauum voluntas efficit. Hæc autem dico fratres de iis qui festiuissimam die sanctę Epiphaniæ ne in ecclesia procurarēt, patrimoniorum suorum com B pedibus sunt detenti, & terreno quodam obligati sunt vinculo, vt venire eis ad domum domini non liceret. Nō quòd eos quippiam detinet, sed quòd ita propriis sint actibus implicati, vt iam arbitrium viuendi suæ potestatis amiserint: & dum solicitudinem patrimoniis exhibent, animarum medicinam penitus non requirunt. Quid mihi ô diues difficultatem temporis obiicis? Quid necessitatem ingeris repentinam? Si cor habes, intellige quia omni necessitate maior necessitas est salutis: & vtilior est causa, prius curare vitam, tunc peculij damna sarcire, ne dum augmētum patrimonij quærimus, sentiamus animæ detrimentum. Sed fortè iudicem metuis, quem in secretario reliquisti. Mihi crede quod magis deum iudicem metuere debebis, qui de ipso tuo iudice iudicabit. Illum ergo metuis qui mox accipiet successorem: dominum non metuis, cui nemo aliquando succedit? Considera itaque iudicij imminentem diem, & inextinguibiles gehennę flammas, stridorem horrendum dentium, tenebrarum vltimum cruciatum. Et si potest, relicta ecclesia secularibus solicitudinibus implicare. Vereor enim ne dum mundi diuitias queritis, inuaniatis potius diuitias peccatorū: & repertis thesauris seculi, cœlestes thesauros amittatis.

Quòd simile sit regnum dei fermento. *Sermo V.*

ET ipsi scitis fratres quòd ex qua dei vobiscum esse cœpi, nō cessaui omnibus vos dominicis admonere mandatis, & partim hortando, partim increpādo præcepta vobis ingerere, ita vt pleriſque pius pater fuerim: nonnullis autem durus magister extiterim. Patrē enim me sibi gratulatus est quisquis sermonē meum libenter amplexus est: durū autem magistrum sensit, qui conscientiam suā prædicatione mea percussam esse condoluit. Sed nihil mea interest, dūmodo siue pietate, siue censura Christus annuncietur in vobis: quāuis & ipsa censura sit pietas, quæ ideo circa negligentiores filios adhibetur, vt timore discāt quod amore neglexerāt. Non quòd omnes filios non æqualiter diligat pater, sed quòd indulgētia patris sit, pro diuersitate morum exhibere pietatis affectū, vt blandum filiū exhortatione prouocet, contumacē verò austeritate conueniat, de vtriusque tamen correctione securus, quoniam hūc amore verberat, illū seueritate castigat, sicut ait beatus Apostolus: Omnis quidem disciplina in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris: postea verò fructū pacificum exercitatis per eam reddet iustitię. Igitur quoniā tot tractatibus meis profecisse vos credo, libet quædā vobis diuinarum disserere literarum, vt intelligam quòd id quod dixerim, fidei viuacitate capiatis. Ait dominus in sancto euāgelio: Cui simile existimabo regnū dei? Simile est fermento quod acceptū mulier abscondit in farina, donec fermentatū est totum. Fermenti vim atque virtutē omnibus notam esse non dubium est. Nam cùm sit magnitudine paruum, specie simplex, natura commune, tantam fortitudinem intrinsecus gerit, vt cùm reconditum fuerit in farina, succus hoc totam massam faciat esse quòd ipse est, & ita semper vniuersum cumulum aspersionis suæ vigore diffundit, vt omnem ipsam magnitudinem pollinis faciat fermentum, ac sic res ipsa fortitudine sua molem sibi

Hebr. 12.

Lucæ 13.

proprij vigoris acquirit. Hoc autem faciunt mulieres vt viris suis salubriorē panem, & cibum vtilem diligēter exhibeant. Sed quoniā lex spiritualis est, & euangelium spiritualiter parabolarū ratione subsistit, videamus quid sit fermētum, quæ mulier, quid farina. Legimus in sancto euangelio, dicēte domino Christo de seipso: Nisi granū tritici cadens in terram mortuū fuerit, ipsum solum manet: si autē mortuum fuerit, multū fructum affert. Ergo si triticū dominus, & dominus est fermētum, quia fermētum nō nisi de tritico fieri solet: recte ergo fermēto dominus cōparatur, qui cùm esset specie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tāta intrinsecus sapientiæ virtute pollebat, vt doctrinā ipsius mūdus ipse vix caperet, qui cùm se cœpit per totum orbē diuinitatis vigore diffundere, statim omne hominum genus in substantiam suam sui potestate protraxit, vt & iugū spiritus sui sancti infunderet omnibus, hoc est Christianos cūctos faceret esse quod Christus est. Nam quòd homo dominus Iesus vnus & solus esset in mundo, tanquam fermentum in massa reconditum, vniuersos homines præstitit esse quod ipse est. Quisquis igitur illi fermēto Christi adhæserit, efficitur & ipse fermētum, tam sibi vtilis, quàm idoneus vniuersis, & de sua certus salute, & de aliorū acquisitione securus. Sicut igitur fermētum cùm in cumulū conspergendū est farinarum, confringitur, cōminuitur, dissipatur, & ipsum omne dissolui tur, vt dispersam illā farinæ multitudinē in vnum vigorem constringat, atque in solidum corpus redigat, quod in pulue ris modū ipsa deminutione languebat, faciatque cōiunctio ne sui vtilem massam, quod propria dissolutione videbatur inutile: sic ergo & dominus Iesus Christus cùm esset totius mūdi fermētum, diuersis passionibus confractus, laceratus, & dissolutus est, & succus eius pro salute nostra, qui est preciosus sanguis, effusus est, vt admixtione sui omne genus humanū solidaret, quod per diuersa antra resolutū iacebat. Sic C enim velut fermentū quoddam nos qui farina ex gentibus videbamur esse, adhæsimus. Nos, inquam, qui per totum orbem dispersi & deminuti penitus iacebamus, vigore passionis Christi in ipsius corpus redacti sumus, sicut beatus Apostolus ait: Quoniā sumus corpus Christi, & membra. Nos igitur qui ex nationibus in puluēris modū è terræ facie iactabamur, aspersione sanguinis domini in massam soliditatis eius aggregamur. Mulier autē quæ dicitur abscondere in farina fermētum, quæ est nisi sancta ecclesia, quæ quotidie doctrinam Christi in cordibus nostris conatur abscondere? Ipsa inquam, est mulier quæ in alio loco etiam molere dicitur sicut ait dominus: Erunt duæ molentes, vna assumetur, & vna relinquetur. Molit enim sancta ecclesia per legem, per apostolos, per prophetas, cùm cathechumenos facit, & aliæ ritatem gentilitatis dissipat atque comminuit, vt emolitos eos in farinę modū aptos faciat fermento dominici sanguinis adhærere. Fermentum enim dixerim totam domini passionem. Fermentum enim salutis nostrę est symbolum, sine quo fermento vel symbolo nemo potest vitę ęternę substā- D tiam promereri. Et quia duas euāgelium describit molētes, atque vnā ecclesiam diximus salubriter molere, alterā quā nisi synagogā accipere debemus? Molit enī & ipsa per Moysen & prophetas, sed inutiliter molit, sicut dicit Apostolus de Iudęis: Aemulationem dei habent, sed non secundū scientiam. Inutiliter, inquam, molit synagoga, quia massam suam Christi doctrina non tēperat. Atque ideo euitandum præcepit synagogę dominus esse fermentum, dicens: Cauete vos à fermēto Phariſęorum. Temperatum est enim sanguinibus & crudelitatibus Iudęorum dicentium de domino: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Vnde ait euangelium: Erunt duę molentes, vna assumetur, & vna relinquetur. Assūmetur enim in requiem ęternam sancta ecclesia, quę dominо cibum sanctitatis emoluit. Relinquetur ad molas crudęta synagoga gyrum semper passura suę perfidię.

Ephes. 2.

Matth. 24.

Rom. 10.

Matth. 16.

Ibidem.

Ibidem.

De margarita. *Sermo VI.*

SAtis ad correctionem vestram arbitror posse sufficere fratres dilecti, quòd anteriore dominica profecturus nulla vobis sacrarū literarū spiritualia do-

lia dona largitus sum, sed tantum vos increpans & arguens pro peccato, sine aliqua prædicationis consolatione dimisi. rim. Volui enim vos hoc ipsum intelligere quàm grauiter peccaueritis, quòd diuina eloquia audire minimè meruistis. Hæc enim sacerdotum vehemens & copiosa vindicta est, in dignis quibusque literarum cœlestium sacramenta non credere, nec (sicut ait dominus) dare sanctum canibus, neque margaritas proiicere porcorum pedibus inculcandas. Perdit enim cœlestis margaritę gratiã quisquis eam fœdissimo peccatori circundare conatur. Gemma enim, sicut ipsi scitis, nisi auro non conuenit, margarita nisi preciosis monilibus non aptatur. Estote ergo aurum optimum, estote monile precio- sum, vt possit in vobis margarita spiritualis includi. Margari ta enim Christus est dominus, quam negociator ille diues in euangelio venditis omnibus rebus suis emere festinauit, & maluit omnes quas habebat seculi gemmas amittere, tan tùm vt vnam Christi emeret margaritam. Vnde & ego fratres pro magnitudine quod admiseratis delicti, nolui vobis pandere euangelicæ refectionis eloquia, sed magis ingerere animosæ indignationis iniuriam, & prius vos verberibus spiritualibus emendare, ac sic margaritæ ditare muneribus. Malui, inquam, peccatum vestrum incusando acriter increpare, quàm leniter dissimulando nutrire. Quisquis enim fratrem non arguit peccantem, quodammodo hortatur vt peccet. Nolo autem putetis quod non de amore faciam vos sæpius verberando. Filius enim qui castigatione dignus est, plus amatur, sicut ait scriptura sancta: Quem enim diligit dominus, corripit: castigat autem omnem filium quem recipit. Dicite mihi si non dolendum fuerit hoc peccatum, sic vos salutis immemores tunc fuisse, vt beatissimis apostolis Petro & Paulo honorificentiam minimè reddideritis, cùm ipsos esse sciatis doctores gentium, authores martyrum, principes sacerdotum, nec volueritis eorum natalem nobiscum festiuissimum celebrare, atque illi cœlesti interesse cõuiuio, in quo pro martyrum tanta lætitia substantiam vitæ ipse nobis dominus ministrauit? Vultis autem scire quantis bonis fraudati fueritis? Interrogate fratres qui tunc mecum pariter affuerunt, quàm refecti à dominica mensa discesserint, vel quales secum domũ spirituales diuitias reportauerint. Vnum scio, quòd si quis illa die honoratus aut diues ob natalem filij sui ad decimum vsque miliarium ad prandium rogauisset, propter accuratas epulas, & inæquales mensuras, absque dubio vos ituros fuisse. Igitur fratres quotiens cunq; martyrum memoriam celebramus, prętermissis omnibus seculi actibus sine aliqua dubitatione concurrere debemus, reddere illis honorificẽtiam qui nobis salutem profusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacrata hostia pro nostra propitiatione domino sunt oblati, præsertim cùm dicat ad sanctos suos omni potens deus: Qui vos honorat, me honorat: & qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat martyres, honorat & Christum: & qui spernit sanctos, spernit & dominum.

Matth. 7.

Ibidem 13.

Prouer. 3. Hebr. 12.

Luc. 10.

De eo quod scriptum est: Reddite quæ dei sunt, deo: & de militantibus. Sermo VII.

Hic est etiã inter sermones D. Augustini de verbis Domini. ser. 19.

Onnulli fratres qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu sunt publico constituti, cũ peccant grauiter, hac solent à peccati sui pœna se voce excusare, quod militant: & ne bene aliquando faciant, occupatos se malis actibus conqueruntur, perinde quasi militia hominum non voluntas in culpa sit: ita quod ipsi gerunt, officiis suis adscribunt. Non enim militare delictum est, sed propter prædam militare peccatum est. Nec rempublicam gerere criminosum est, sed ideo agere rempublicam, vt rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile. Propterea enim prouidentia quadã militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, præda grassetur. Illud autem quale est, quod cùm ob errorem aliquem à senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis cur ebrius fuerit, cur res alienas peruaserit, cædem cur turbulentus admiserit, statim respõdeat: Quid habebam facere homo secularis aut miles? nunquid monachum sum professus aut clericum? Quasi omnis qui clericus non est aut monachus, possit ei licere quod non licet. Cũctis igitur officiis sacris literis præscribitur norma viuendi, omnis ad bene agendum prouocatur sexus, ætas & dignitas. Igitur nemo se publicis excuset actibus, nemo de occupatione militiæ conqueratur. Apud omnem Christianum prima honestatis debet esse militia. Nã vt id quod dicimus, authoritate euãgelica comprobemus, videamus lectionem quę paulo ante decursa est. Ait enim euangelium: Venerunt autem & publicani ad Ioannem, vt baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum: Magister, quid faciemus? At ille dixit: Nihil amplius exigatis quàm quod constitutum est vobis. Honesta planè publicanorum interrogatio, ac sancti prophetæ iusta responsio. Illi enim solicitè interrogant, ne aut ignorantes plus exigendo peccatum incidant, aut cessantes publicani decipiãt functionem. Hic autem moderatè præcipit, vt & iniquitas locum non habeat, & cõstitutum habeat vectigal effectum. Non enim dixit: Nihil exigatis, sed nihil amplius exigatis. Vnde intelligimus quòd apud deum non tam exactio quàm exactio iniqua damnetur. Dicit enim ipse dominus: Reddite quæ dei sunt, deo: & quæ Cæsaris, Cęsari. Igitur quod Cæsar præcipit, ferendum est: quod imperator indicit, tolerãdum est. Sed fit intolerabile dum illud præda exactionis accumulat. Hoc autem quale est quod iidem ipsi qui huiusmodi necessitates procurant, peccatis suis peccata conge minant, hoc est, fraudes ac rapinas suas commodum vocãt, cùm ipsa præda inferatur incommodum? Illud autem addũt sceleribus suis, vt quos indefensos viderint, ipsos potius persequantur: & putant se necessitates decepisse publicas, nisi domos deceperint orphanorum: ita quorum pater ante biduum forsitan fuerit amicus, collega vel frater interueniente morte eiusdem liberi habeantur tanquam ignoti, viles & miseri. Vidua autem siqua fuerit, aut sic iniuriis exagitatur vt nubat, aut si voluerit in castitatis permanere proposito, dã do munera sua facultates vix permanent. Cùm his ergo fraudibus repleuerint sacculos suos, videbis illos lætos & accuratos ad ecclesiam properare, & deo gratias agere quasi ab ipso illis hæc pecunia conferatur, illud quoque peccãtes, quod rapinarum suarum deum volunt esse participẽ. Dicit autem sanctum euangeliũ: Interrogauerunt illum & milites, Quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes: Neminem concutiatis, ne que calumniam faciatis: sed contẽti estote stipendiis vestris. Hic iam cognoscere se debet omnis homo qui militat. Non enim tantum de iis militãtibus scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisquis militię suæ cingulo vtitur, dignitatis suæ miles adscribitur. Atq; ideo hæc sententia potest dici, verbi gratia, militibus, protectoribus cunctisque rectoribus, & cuicunque qui stipẽdia publicè sibi decreta consequitur. Si amplius quærit, tãquam calumniator & concussor Ioannis sententia condemnatur. Vsque adeo autem hoc inoleuit malum, vt iam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur iura, sentẽtia ipsa venalis sit, & nulla iam causa possit esse sine causa. Hæc autem diuina sententia, quæ ad milites loquitur, potest etiam ad clericos retorqueri, quia etiam si non militare videamur seculo, tamẽ domino & deo militamus, sicut ait Apostolus: Nemo militans deo, obligat se negociis secularibus. Videmur inquam non militare remissis ac fluentibus tunicis, sed habemus militiæ nostræ cingulum, quo castimoniæ interiora cõstringuntur: de quo cingulo dominus ait ad apostolos suos: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Milites igitur Christi sumus, & stipendium ab ipso donatiuúmque percipimus, sicut dicit beatus Apostolus: Qui dedit nobis pignus spiritus, hoc est, qui spiritus sancti nos remuneratione ditauit. Si quis ergo Christianorum hoc donatiuo contentus fortè nõ fuerit, & quærit amplius, incipit hoc ipso carere quod meruit. Quod specialiter contingit hæreticis Arrianis: Dum enim nescio quid amplius quærunt, inuenientes erroris spiritum, gratiam sancti Spiritus perdiderunt. Nam & catholicus clericus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit quæ de altario domino iubẽte consequitur, sed exercet mercimonium, intercessiones vendit, viduarum munera libẽter amplectitur, hic negociator magis potest videri quàm clericus. Nec dicere possumus, nemo nos inuasores arguit violentiæ, nullus accusat, quasi non interdũ maiorem prędam à viduis blandimenta eliciant, quàm tormenta:

Lucæ 3.

Matth. 22.

Lucæ 3.

Lucæ 12.

2. Tim. 2.

2. Cor. 1.

nec interest apud deum vtrum vi an circunuētione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto teneat alienum.

De sabbato quo dominus manum aridam curauit.

Sermo VIII.

DIligenter vos audisse credo fratres, euangelicam lectionem quæ nuper lecta est, vbi dominus Iesus Christus ingressus sabbato synagogam, hominis ibi habentis manum aridam spirituali medicina curauit, non appositis herbarum succis, non pigmentorum medicaminibus colligatis, sed verbo iubens, & in ira præcipiens refudit corpori sanitatem. Ira inquam, sicut ait euangelista, restituit vigorem dexteræ. Vnde intelligimus qualis domini cæ benignitatis sit sanitas, cuius indignationis talis est medicina: aut quemadmodum placatus prodest, qui ita miseretur iratus. Verbo igitur iubet vt arenti dexteræ venarum succos infunderet. Non mirum est si is arētem reparauit dexteram, qui totum corpus de arenti puluere procreauit, & id verbi imperio restituit, quod in principio factura operationis insti- B tuit: velut authorem suum plasma cognoscens obsequitur ei portiuncula, cui totum se deberet in massa. Sed videamus quæ sit in synagoga manus arida, quæ nihil corpori prodest, quando operibus siccauit, quando etiam primùm arida esse cœperit, requiramus. Non enim vnius hominis tantùm per saluatorē causa geritur, nec vnius hominis imbecillitas procuratur, sed totius generis humani sanatur infirmitas. Nulli autem dubium est dexterā vel totius corporis præclariorem portionem hoc officij gerere, vt diurna alimenta suo corpori subministret, & prouidentia quadam ad fruendam vitam membra cætera pascat ac nutriat. Hanc igitur dexterā in Iudaico populo scribas esse dixerim, vel doctores, qui velut prę clarior portio in pharisæorum corpore à domino constituti, neglexerunt & in cætera membra sua prophetarum oracula velut escam vitæ æternæ porrigere, atque ideo doctrina eorum tanquam manus aruit imbecillis, quia fontem perennis sapientiæ non quæsiuit. Propterea deniq; factum est vt quasi contracta dextera clauem scientiæ tenere non posset, sicut C

Lucæ 6.

Ibidem 11. ait dominus: Væ vobis scribæ & pharisæi qui absconditis clauem scientiæ, & reliqua. Hæc autem clauis Christus est dominus, quo ad credulitatem fidei pectorū arcana referantur.

Matth. 16. Ista clauis, sicut ait dominus Petro: Tibi dabo clauem regni cœlorum. Ergo aruit dextera synagogæ manus, relinquens Christum, quæ prius erat in principibus Iudæorum, & deteriorauit. Quisquis enim Christi fontem deserit, & debilitatur protinus, & arescit. Sed inuenio ipsam manum quōdam cæteris membris fuisse meliorem. Sāctus enim Moyses dux Iudaici populi, velut clarior corporis sui dextera fuit cùm legem porrigendam meruit à diuinitate percipere. Dextera in quam erat sanctus Moyses, qui filios Israel velut manu prouida cœlesti manna nutriit. Hæc planè est dextera quæ lamnem & Mambrem magos niuei splendoris nitore conuicit. Ita enim scriptum habes. Atq; ideo magorum distinctæ sunt tenebræ, quia Moysi meritis lucens dextera coruscabat. Sed videamus, manus ista quando primùm arida cœperit esse vel

2. Tim. 3.

Galat. 3. mortua. Ego illam primùm in Adam aruisse confirmo, cùm D contra vetitum domini interdictæ arboris poma decerpsit, ac tunc succum immortalitatis amisit. Et siccata quodammodo est, quando hominem ad imaginem dei factum peccato suo solui facit in puluerem. Atque vtinam sola manus in peccato teneretur obnoxia: quod est grauius, omne corpus morte damnatum est, cùm dextera prima peccauerit. Nec mireris si membrum dexteræ in Adam non mansit integrum: vigor enim in illa æternitatis exaruit. Nam sicut Moysi dextera custodientis mandata domini niueo fulgore resplenduit, ita & Adæ dextera præuaricantis præcepta mortifero pallore contracta est. Hanc igitur Adæ manum saluator curat in

Lucæ 6. synagoga, hoc est totius generis humani imbecillitatem sanare festinat. Dicit etiam illi: Extēde manum tuam, qui eam idolis immolando contraxit. Dicit illi: Extende manum tuam, qui per eam res orphanorum viduarúmque gestit inuadere. Sed & tu qui putas te manum habere, & sanam, caue ne auaritia contrahatur. Quin potius extēde eam pro misericordia frequenter ad pauperem, pro hospitalitate sæpius

A ad peregrinum. Extende eam pro peccatis semper ad dominum. Esto misericors, esto largus. Obserua quod ait prophe ta: Ne sit manus tua ad accipiēdum porrecta, ad erogandum contracta. Sic enim manus tua sana esse poterit: bonis verò operibus extendatur. Eccl.

De vnitate charitatis. *Sermo IX.*

EGimus in libro qui apostolorum actibus adscribitur, tantam sub memoratis viris deuotionē plebis fuisse, ita populi Christiani floruisse primitias, vt post acceptam fidē nemo domū propriam sibi defenderet, & nemo suū aliquid vindicaret, sed iure fraternitatis essent illis cūcta communia, scilicet vt qui eodem consortio religionis tenebantur, eodem consortio frueretur & vita, hoc est vt quibus erat vna fides, esset & vna substantia: & quibus erat cōmunis Christus, communis esset & sumptus. Nephas etenim putabāt religiosi viri eum sibi participem non ascisce re in substantia, qui particeps esset in gratia: atque ideo in charitate fraternitatis omnes communiter vtebantur, nisi quod maior est fraternitas Christi quàm sanguinis. Sāguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert, Christi autem fraternitas vnanimitatem cordis animæque demonstrat, sicut scriptum est: Erat autem credētium cor vnum, atque anima vna. Verè ergo ille frater est, qui non tam corpore quàm vnanimitate germanus est. Verus inquam, frater est cuius idem spiritus & voluntas in fratre est. Melior igitur est (sicut dixi) fraternitate sanguinis Christi fraternitas: nam illa interdum sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione diuidit, hæc etiam propria cum gratulatione communicat. Illa in consortio despicit sæpe germanum, hæc assumit frequenter alienum. Tanta ergo, sicut dixi, illo in tempore Christianæ plebis deuotio fuit, vt nemo domum suam diceret, nemo proprium aliquid vindicaret, sicut ait sanctus Lucas, dicens: Nec quisquam, eorum quæ possidebat, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Neque enim quisquam, inquit, erat egens inter ipsos. Beata igitur plebs, quæ dum plures diuites habet in Christo, nullum in seculo habuit indigentem: & quæ dum æternas cogitat diuitias, à fratribus temporalem repulit paupertatem. Vendebant enim, sicut ait scriptura, prædia & domos suas & precia venditorum ante pedes apostolorum ponebant, vt erogarent prout cuique opus esset. Videte sanctorum virorum fidem, quemadmodum propter Christum toto spoliabantur patrimonio, & nihil sibi reliqui faciebant. Non ènim verebantur ne esurirent ipsi, dum timebant ne alius esuriret. Hæc igitur sub apostolis fuit in plebe deuotio: modo quid simile reperimus? Et certè idem Christus in nobis. Idem quidem Christus in nobis, sed non idem animus est in nobis. Eadem in plebe fides, sed non in plebe est ipsa largitio. Ita alter de alterius inopia non cogitat, vt illud sit quod dicit Apostolus: Alius quidem esurit, alius ebrius est. Nam plerique Christiani non solum propria non distribuunt, sed etiam diripiunt aliena. Non solum inquam, colligentes pecunias suas, ad pedes apostolorum non deferunt, sed etiam confugientes fratres suos protrahunt à pedibus sacerdotum. Nunc est illud tempus quod describit beatus Apostolus dicens: In nouissimis diebus abūdabit iniquitas multorum, & refrigescet charitas. Modò enim abundat auaritiæ iniquitas, quæ antè largitatis bonitate cessabat: & refrigescit fraternitatis charitas, quæ prius Christi amore feruebat. Tunc enim sub apostolis fraternitatis dilectio fuit, vt tunc in conuentu suo non aduenerit indigentia: tanta autem modo Christianitatis dissimulatio est, vt in cœtu nostro vix inuenias locupletem. Locupletem autem vix inueniri dico non tam facultatibus, sed operibus. Ait enim Apostolus: Diuites sint in operibus bonis. Locupletem autem illum in ecclesia intelligi voluit, qui diues est in Christo. Nam & ibi quod ait sub apostolis neminem indigētem fuisse, ostendit vtique tāta eos gratia fidei fuisse prēditos, vt omnes cœlestium diuitiarū abundauerint largitate. Rarò igitur hoc tempore inuenimus in Christiano pōpulo locupletem. Etsi plerique in domibus auro sint diuites, tamen in ecclesia iustitia sunt mendici. Dum enim circa pauperes non pro

Ad. 4.

Ibidem

Matth.

1. Cor. 11.

1. Tim. 6.

eo

eo quod prævalent, operantur, nec hoc est gratum quod offerunt, nec illud est satiabile quod reseruant. Dixit dominus ad Cain cùm offerret munera, Si autẽ rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti, quiesce. Sic & tu Christiane non recte diuidis qui de tanto auro tuo maiorem partem mãonæ referuas, quàm domino largiaris. Sic nanque Ananias in actibus apostolorum dum putat se rectè offerre & nõ rectè diuidit, pecuniã quam obtulit, perdidit: & quam domi reseruauit, amisit. Pecuniam, inquam, pariter perdidit & salutem. Dum enim ex eo quod promiserat, partem subtrahit, sacrilegij simul condemnatur & fraudis. Sacrilegij, quod deum in pollicitatione fefellerit. Fraudis, quod de integris muneribus portionem quandam putauerit subtrahẽdam. Ait enim apostolus Petrus, Non es mentitus hominibus, sed deo. Si ergo, fratres, Ananias cõdemnatur cùm non totum dederit quod de suo ipse promiserat, quid censemus de eo qui non vult reddere quod alius repromisit? Videte ergo & vos fratres quid promiseritis deo cùm primùm gratiam fidei percepistis. Ecce abundant in ciuitate nostra hospites siue peregrini, facite quod polliciti estis, ne dicatur & vobis quod Ananiæ dictum est, Non mentiti estis hominibus, sed deo.

Genes. 2. Ibidem. Acto. 5.

De eo quod scriptum est, Quis maior est in regno cœlorum.

Sermo X.

SI diligenter audistis euangelicam lectionem, intelligere potestis quæ ministris ac sacerdotibus dei reuerentia debeatur, vel qua ipsos clericos inuicem humilitatis sedulitate oporteat præuenire. Ait enim dominus percontantibus discipulis, Quis eorum in regno cœlorum maior esset futurus, statuto coram omnibus puerulo, Quicunque humiliauerit se sicut puer iste, hic maior erit in regno cœlorũ. Vnde intelligimus quòd humilitate peruenitur ad regnum, simplicitate penetratur ad cœlum. Quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicunque vult fratrem præuenire regnando, prius præueniat obsequendo, sicut ait Apostolus: Honore inuicem præuenientes. Vincat eam officiis, vt possit vincere sanctitate. Si enim te non læsit frater, obsequium meretur vt diligas. Quod si forsitan læsit, magis obsequium meretur vt vincas. Hæc enim nostra Christianitatis summa est, vt amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo fuerit patientior ad iniuriam, potentior constituetur in regno. Non enim ad imperium cœlorum peruenitur superbia, diuitiis, præfectura: sed humilitate, pauperie, lenitate. Arcta enim & angusta via est quæ ducit ad regnum. Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tanquam onustum & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit. Simul etiam vt se existimat peruenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens, repercussor limine retrorsum redire cogit. Tam enim angusta est diuiti porta cœlestis, quàm est camelo acus foraminen exiguum. Vnde ait dominus: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Sicut enim cameli animal tortuosum atque deforme exigua acus cauerna præterire non patitur, ita & diuitem auarum atque mendacem arcta cœli ianua minimè intrare permittit. Nam ideo nudi in seculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lauacrum, vt nudi quoque & expediti ad cœli ianuam properemus. Quàm autem incõgruum & absurdum est vt quem nudum mater genuit, nudum suscipit ecclesia, diues intrare velit in cœlum? Propterea adolescenti illi diuiti in euangelio à saluatore dicitur, qui sibi iustus videbatur & sanctus, & omnia legis mãdata complesse: Si vis perfectus esse vende omnia tua, & da pauperibus. Vsque adeo enim nuda virtus apta cœlo est, vt quanuis iustus, quanuis sanctus, aurum vel diuitias possidens, non possit esse perfectus. Talem enim voluit adolescentem illum dominus ad paradisum redire, qualis Adam fuerat de paradisi sub limitate deiectus. Nudus enim Adã incola paradisi fuit. Denique post peccatum nuditatem suam videns, folio pudenda contexit. Prius enim quàm peccaret, honestatis erat colore vestitus, atq; ideo nuditatem inhonestam non natura instituit, sed delicti reatus inuenit. Nam & sancti angeli in splendidissimo habitu constituti, non quòd tunicis operiuntur &

Matth. 18. Rom. 12. Matt. 7. Ibidem 19. Ibidem.

palliis, sed cùm sit in illis natiuitatis suæ nuda substantia, vestiti videntur esse quod sancti sunt. Sic igitur & Adam custodiens honestatis angelicæ dignitatem, erat quidem nudus mundanis vestibus, sed immortalitatis erat splendore vestitus. Nihil prauum respiciebant eius oculi, non cor eius turpe aliquid cogitabat, erat apud honestas mentes nuditas ipsa vestita. Sicut enim apud nequam homines turpis cogitatio à concupiscentia vestibus non arcetur, ita apud sanctos viros honesta simplicitas ad concupiscendum nuditate non trahitur: sed sicut vitiosis ad corruptelam nuda sunt omnia, ita religiosis ad castimoniam operta sunt vniuersa. Quod autem ait euangelica lectio: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & mergatur in profundum maris. Pusillos hic non ætate pueros, sed malitia paruulos dicit, sicut Apostolus ait: Malitia paruuli estote, vt sensibus perfecti sitis. Qui sunt isti nisi clerici idonei, & monachi religiosi vel laici? Quisquis igitur irreuerens aut contumeliosus extiterit, hac velut pœna plectetur, vt informi saxo religato illi ad collum, præcipitetur in mare. Sed videamus cur scandalizantibus Christianis ista pœna data sit, aut quid sibi velit ipsa sententia. Puto enim illa aliquod mysterium contineri. Quasi verò non sufficeret in mare homini demergẽdo saxum qualecunque non magnum aut enorme, sed molæ asinarię lapis ei religetur ad collum, vt cum perituro homine pereat res vsui necessaria. Sed puto hoc magis esse quod in scripturis asini figura populus gentilium nuncupatur, qui clausis oculis circa ignorantiæ molam erroris sui gyro pertrahitur, & in illa cursus directione vestigiis sæpe redeuntibus inuitus vsui laborat alieno. Nónne enim tibi videtur molam asinariam voluere gentilis populus quandiu imperitiæ suæ labore versatur? Naturæ quidem vinculis alligatus vt verbum dei molat, deum cœli quærat, sed opertæ mentis cæcitate suffusus, vt vultus animi erigere ad deum, cordis oculos leuare non possit ad cœlum. Sed quoniam molam asinariam saxum esse constat, videamus si & paganorum talis est mola. Talis planè est. Saxi enim mola est paganorum Iupiter Herculésque lapideus, circa quos cæcis oculis frequenti errore circũeunt. Cæcos inquam dixerim eorum oculos qui putant se videre quod non vident. Aspicientes enim saxum, deum se videre confingunt. Attamen qui molam voluit, consummandi aliquando finem operis habet, exeundi spem gerit laboris. Cui verò mola asinaria ad collum suspẽditur, portat lapidem qui portare iugum domini recusauit. Asinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, gẽtilis ad saxum, qui adorat eum quem non videt nec agnoscit. Deus enim non in manufactis habitat, nec in metallo aut saxo cognoscitur. Hic ergo gentilis populus cùm persecutionem Christiano intulerit, hac pœna plectitur, vt cùm sua sacrilega mola iudicandi seculi fluctibus demergatur.

Matth. 18. 1. Cor. 14.

De mirabilibus. *Sermo XI.*

QVantorum mirabilium operator sit dominus Iesus Christus intelligere possumus ex hac euangelica lectione, qua describitur tanta per eum beneficia in populũ fuisse collata vt prouocatæ hominum turbæ ad audiẽdum illum magis irruerent quàm rogarent, & medicinam salutis non sperarent per humilitatis gratiam, sed per importunitatis iniuriam, ita vt irruentes (sicut ait euãgelium) turbas à domino Iesu non desertum separaret, non synagoga repelleret, non reuerentia diuinitatis perarceret. Hæc est enim consuetudo infirmantiũ, vt dum sperant suis ægritudinibus medicinam, ab importuna petitione non loco prohibeantur, non tempore: sed quantò plus medetur ille qui sanat, tantò amplius ille importunus est qui laborat. Ergo cùm dominus illis ab irruentibus turbis semotus in terra esse non posset, aspiciens in mari duas nauiculas, vnam nauem Petri omni festinatione conscendit, vt importunitatis iniuriam vel aquarum natura depelleret, quia eam doctoris reuerentia minimè coercebat, atque exinde cœpit de nauicula Petri ad homines doctrinæ suæ verba profundere. Videte misericordiam saluatoris, separatur quidem ab hominibus corpore, doctrinæ tamẽ iis vtilitate coniũgitur. Vbique miseretur, vbiq; prodest.

Lucæ 5.

In terra positus per tactum lãguores corporum sanat, in mari constitutus per doctrinam vulnera curat animarum. Sed videamus quæ sit ista nauicula Simonis Petri, quã adducendam de duabus magis opportunam dominus iudicauit, quæ & totum saluatorem præstet ab iniuria, & credulitatis homi nibus largiatur eloquia. Inuenimus enim iam dominum na
Exod.12. uigasse in alia naui, & grauibus iniuriis lacessitum. Nauigauit enim cum Moyse in Mari rubro, quando populum Israel per vndarum fluẽta transuexit. Sed grauibus est affectus in-
Ioan.5. iuriis, sicut ipse ait in euãgelio ad Iudæos, Si crederetis Moysi, & mihi crederetis. Iniuria autem saluatoris est incredulitas synagogæ. Ergo Petri nauem eligit, Moysi deserit, hoc est spernit synagogam perfidam, fidelem assumit ecclesiã. Duæ enim quasi nauiculæ à deo destinatæ sunt, quæ in hoc, tanquam in mari, mundo salutem hominibus piscarentur, sicut
Matth.4. ait dominus apostolis: Venite faciam vos piscatores hominũ. Ex his ergo duabus nauiculis vna relinquitur ad terram inanis & vacua, altera producitur in altum onusta vel plena. Vacua enim synagoga relinquitur in littore, quia Christum B cum prophetarum amisit oraculis. Onusta autem ecclesia in altum assumitur, quia dominum cum apostolorum doctrina susci pit. Synagoga inquam remanet ad terras quasi terrenis inhærens operationibus: ecclesia autem in altitudinem reuocatur, tanquam cœlorum profunda sacramẽta discutiens, in illam scilicet altitudinem de qua Apostolus ait: O altitu-
Rom.11. do diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei. Propterea dicitur Pe
Lucæ 5. tro: Duc in altum, hoc est in profundum disputationum generationis diuinæ. Quid enim tam profundum quàm quod
Matth.16. ait Petrus ad dominum: Tu es Christus filius dei viui? Quid
Lucæ 4. tam terrenum quàm quod de domino dixerunt Iudæi: Nónne hic est filius Ioseph fabri? Ille altiore consilio natiuitatem Christi diuinitus approbauit, hi mente viperea generationem cœlestem carnaliter existimant. Vnde ait saluator Pe-
Matth.16. tro: Quia non caro & sanguis tibi hoc reuelauit, sed pater meus qui in cœlis est. Pharisæis autem dicit: Quomodo po-
Ibidem 12. testis bona loqui, cùm sitis nequam? Hanc igitur solam ec- C clesiæ nauem ascendit dominus, in qua Petrus magister est
Ibidẽ 16. constitutus, dicente domino: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Quæ nauis in altum seculi istius ita natat, vt pereunte mundo, omnes quos suscipit, seruet illæsos. Cu-
Gene.7. ius figuram iam in veteri videmus testamento. Sicut enim Noe arca naufragante mundo cunctos quos susceperat, incolumes reseruauit, ita & Petri ecclesia conflagrante seculo omnes quos amplectitur, repræsentabit illæsos. Et sicut tunc
Gene.8. transacto diluuio ad arcam Noe columba signum pacis detulit, ita & transacto iudicio ad ecclesiam Petri Christus gaudium pacis referet, quia ipse columba vel pax est, sicut pro-
Ioan.16. misit dicens: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Sed quoniam hanc eandem nauiculam Petri de qua nunc dominus cœlestis doctrinæ suæ sacramenta depromit,
Matth.8. legimus in Matthæo dormiente in eadem domino ventis insurgentibus perturbatam, ita vt cuncti apostoli mortis periculum formidarent: videamus quæ causa est quòd vna eadémque nauicula hic in tranquillitate doctrinam populis tri D buit, ibi in tempestate discipulis metum mortis inducit, præsertim cùm ibi etiam cum cæteris apostolis Simon Petrus esset. Hæc autem est causa periculi. Erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter & proditor Iudas. Quanuis illius fides fundaret nauiculam, huius tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est vbi solus Petrus nauigat, tempestas vbi Iudas adiungitur. Licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Metuentibus igitur discipulis, anxiante Petro dormiebat dominus. Durum fortè videatur quod anxiante Petro dormiebat: dormiebat Petro, nauigabat Iudæ. Vnius igitur delicto cunctorum merita quatiuntur. Obdormit Christus, ventorum spiramina concitantur. Quisquis enim peccatum admittit, statim & dormire sibi facit dominum, & procellam sibi spirituum suscitat immundorum. Necesse est autem diabolica insurgat tempestas, cùm dominica serenitas conquieuerit. Igitur si vnius Iudæ peccato cuncti periclitantur apostoli, hoc exemplo caueamus perfidum, caueamus proditorem ne per vnum plures fluctuemus. Quinetiã huiusmodi abiiciamus de nostra A nauicula, vt non obdormiat, sed vigilet in nobis dominus, atq; eo vigilante nulla nos spiritualis nequitiæ procella concutiat. Vbi enim fides integra est, ibi saluator docet, vigilat, & exultat: ibi requies, ibi tranquillitas, ibi cũctorum est medicina. Vbi autem fidei est admixta perfidia, ibi Christus torpet, dormit, & peior est ibi metus, ibi tẽpestas, ibi omnium est discrimen. Pro actibus enim nostris dominus nobis obdormit aut vigilat.

De Natali domini. *Sermo XII.*

VErum est quod ait sanctus Ioannes Baptista de do
mino saluatore dicens: Illum oportet crescere, me Ioan.3.
autem minui. Siquidem hoc primum etiam ipsis temporibus approbetur. Ecce enim in natiuitate Christi dies crescit, & Ioannis natiuitate decrescit. Illo oriente lux proficit, hoc nascente minuitur. Ipsa enim quodam modo tempora famulantia partibus suis, cùm detrimentum faciunt, seruus gignitur: cùm autem dominus nascitur, con- B sequitur augmentum. Profectum planè facit dies cùm mundi saluator oritur: defectum patitur, cùm vltimus propheta generatur. Scriptum est enim: Lex & prophetæ vsque ad Io- Lucæ 16.
annem. Atque ideo necesse erat vt obscuraretur legis obseruatio, vbi euocatio, vbi euangelij gratia refulgebat: & cessaret prophetia veteris testamenti, cùm noui testamenti gratia succedebat. Ergo in natiuitate domini proficit dies. Non mirum si proficit dies, quam splendidissima lux veritatis illu Ioan.1.
minat. Ait enim euangelista de Christo domino: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Cur non illuminaret mundum? Atque ideo dies quæ lucem humano generi pepe rit, prius ipsa eiusdem lucis fulgore resplenduit, & conclusa iam spatia sua noctium tenebras dominicæ lucis nitore discussit. Occupauerat enim totam diem noctium longitudo, nisi in ipsa dierum breuitate Christi refulsisset aduẽtus. Qui sicut ortu suo humani generis peccatorum tenebras discussit, ita & die natiuitatis suæ caliginum tenebras amputauit, & vno eodémq; ortu lucem pariter intulit & hominibus & C diebus. Vnde non est mirum si crescit dies, quæ gemino fulgoris splendore vestitur. Sed videamus adhuc quomodo dominus saluator crescat, Ioannes Baptista decrescat. Diximus in superioribus, quòd Ioannes quidem figuram legis prophetarúmque gestauerit: necesse erat ergo vt deficeret lex euangelio coruscante, & minueretur Iudaicus populus populo Christiano surgente. Quis enim dubitat de natiuitate domini synagogæ esse conuenticula vacuata, plebes multiplicatas ecclesiæ, & mirum in modum quotidie Christum per Christianos suos crescere, Ioannem minui per Iudæos? Hos diei dominici splendore fulgere, illos obscuritate noctium laborare. Nox enim super Iudæos quodammodo maMatth.27.
ior incubuit, ex quo dixerunt de nece saluatoris: Sanguis hu
ius super nos, & super filios nostros. Maioribus planè sunt noctium tenebris obscurati, ex quo conati sunt diem veritatis occidere. Hoc autem quod dicimus, vt veriùs approbare possimus, vtriusque natiuitatem breuiter exponamus. Ecce enim cùm nascitur Christus, exultant angeli, pastores Lucæ 2.
D peruigilant, magi aduenium, stella præcedit, & cuncta quæ Matth.2.
sunt in cœlis terrísque pulcherrima, ipsi domino deferuntur. Deferuntur enim illi, gloria per angelos, claritas per stellam, religio per magos, simplicitas per pastores. Et quòd apud ipsum solũ futura essent hæc omnia, nascenti illi vniuersa famulãtur. Cùm autem Ioannes cõcipitur, Zacharias ob- Lucæ 1.
mutescit, solẽnis conceditur sacerdos. Helizabet mater absconditur, significans post ortum suum legis silentium, amissionem sacerdotij, latebras synagogæ. Dubium autem non est quòd Ioannes natus pharisæis iustitiam legis abstulerit, quod conceptus patri abstulit vocis obsequium. Crescit igitur dominus semper, Ioannes Baptista minuitur. Non ideo minuitur, quòd meritis aliquid derogetur, sed quoniam saluatoris quotidie accumulatur gloria, illius minor fieri videtur. Lucerna deniq; vocatur Ioãnes, dicẽte domino: Ille erat Ioan.5.
lucerna ardẽs. Lucernæ igitur obscuratur lumen cum radius solis effulget, & defectionẽ quandam lãpadæ suæ patitur, cũ clarioris lucis splendore superatur. Quis enim sapiens lucernam requirat in sole? Non quidẽ extinguitur, sed necessaria non

703

non habetur,hoc est,quis ad Ioannis pœnitẽtiæ baptismum veniat,cùm possit saluatoris baptismo saluari? Non quidem illud reprehenditur, sed hoc magis vtile & necessarium iudicatur,quia in eo remissio peccatorum tribuitur.

Item de Natali domini. *Sermo XIII.*

NVA gratia vel quibus laudibus hunc diem Natalis domini prædicemus, prorsus ignoro. In tanta enim festiuitate ad magnificandum deum humana loquela non sufficit. Nam si tunc cùm nascebatur Christus, angelorum voce laudatus est,nunc humana Lucæ 2. laudandus est voce cùm regnat. Supergreditur enim illius temporis festiuitatem nostra solennitas.Siquidem tunc stupuerunt illi tantum nascentem dominum, nos illum suscipimus nascentem,resurgentem pariter & regnantem.Tanto igitur * facundior laudatio esse debet humani temporis, * fœcundior. quantò sunt maiora miracula.Sed quoniam dignam prædicationem exhibere non potest humana fragilitas, ad angelorum nos præconia conferamus. Et quia meritò eos æquiparare non possumus,deuotione comitemur, hoc est, in ea festiuitate eadem qua illi lætitia, nos sententia persultemus Ibidem. dicẽtes:Gloria in excelsis deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.Digna planè & iusta sententia quæ in natiuitate Christi & deo honorem repræsentat in cœlis, & hominibus pacem prẽsentat in terris.Ante saluatoris enim ortum nec cœlestia reuerentiam deferebant, nec terrena requiem possidebant.Sed videte quid dicat ipsa sententia:Pax in hominibus bonæ voluntatis.Non in quibuscunq; hominibus, sed bonæ voluntatis hominibus, vt intelligas pacem Christi non debiti esse,sed meriti.Nõ enim eam meriti angeli in ea nocte qua pastores nascentẽ dominum super gregem suum vigilias obseruãtes primi præ omnibus didicerunt.Ipsi enim primi ortum saluatoris ante omnes homines intimantibus angelis cognouerunt.Vnde mirum est quòd priùs redẽptionem seculi potuerint scire,quàm principes. Non enim angeli annunciauerunt regibus,non iudicibus,sed hominibus rusticanis. Non ergo iam mirãdum est si Christi gratiam antè scire meruerit innocentia quàm potestas,& priùs cognoscere veritatem simplex rusticatio, quàm superba dominatio. Quod enim cognouerũt pastores,principes cognoscere ne- 1.Cor.2. quiuerunt.Vnde & beatus Apostolus ait:Quem nemo principum seculi huius cognouit, & reliqua. Ergo in natiuitate domini,angeli pariter cum pastoribus sunt lætati, excelsam verò dicẽtes gloriam.Nam vicinis quodammodo & iunctis choris dei gloriam prædicauerũt.Vnde & credo eosdem angelos in eiusdem domini eadem festiuitate simili nobiscum lætitiæ vicinitate gaudere.Nam qui solẽt propter Christi ortum alloqui pastores, non possunt propter eiusdem Christi Lucæ 2. gaudium non inquirere sacerdotes? Siquidem & quod tunc ad illos saper gregem suum vigilias obseruãtes nocte intempesta locuti sunt, huius temporis mysterium designabant. Nam illo facto hoc vtique mõstrabatur, gregem populum, noctem seculum,sacerdotes esse pastores,qui iugi super plebem solicitudine vigilãtes propter Christum ab angelis minimè deseruntur.Hodierna igitur die secundum carnem natus est dominus,ita secretò, ita silentio,vt ortum eius seculum penitus ignoraret.Ignorauit enim seculum, quia & extra conscientiam patris natus,& extra ordinem naturæ conceptus. Nam Ioseph conceptum suscepit filium, quem non genuit:Maria partum edidit,quem sexus consuetudine non creauit.Sic igitur natus est dominus,vt ortum eius nemo futurum suspicaretur,nemo crederet, nemo sentiret. Quemadmodum crederent hoc futurum, quod posteaquam factum est,factum esse vix credunt?Nam quòd ita latenter & secretò saluator descensurus esset in virginem,iam antè Da- Psalm.71. uid propheta testatus est, dicens: Descendet sicut pluuia in vellus. Quid enim tam silẽter & sine strepitu fit,quàm cùm imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussionis aspergit: sed sine inquietudine hominum totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit, vnius meatus scissuram nescies,solida mollitie plures præbens meatus:& quod clausum videtur per dẽsitatem,est patulum per tenuitatem. Rectè ergo Maria velleri comparatur,quæ ita concepit dominum,vt toto eum hauriret corpore, nec eius discissuram corporis pateretur:sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam.Rectè inquam Maria velleri comparatur,de cuius fructu salutaria populis vestimẽta texũtur.Vellus planè Maria est,siquidem de molli sinu eius agnus egressus est, qui & ipse matris laniciũ,hoc est carnem gestans,molli vellere cunctorum operit vulnera populorũ. Omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur,Christi fouetur sanguine,& vt sanitatem recipiat,Christi indumento vestitur.

Item de Natali domini. *Sermo XIIII.*

LÆtitia quanta sit,quantúsque concursus cùm imperatoris mundi istius natalis celebrandus est,bone nostis:quẽadmodum duces & principes, omnes etiam militantes accuratè sericis vestibus accincti,operosis cingulis auro fulgente preciosis ambiunt solito nitidius in conspectu regis incedere.Credunt enim maius esse imperatoris gaudium,si viderit maiorem suę apparitionis ornatum,tantóque illum lætum futurum,quantò ipsi fuerint in eius festiuitate deuoti: vt quia Imperator tãquam homo corda non conspicit, affectum eorum circa se probet vel habitum contuendo: ita fit vt splendidiùs se accuret quisquis regem fideliùs diligit. Deinde quia in die Natalis suis sciunt eum largum futurum, ac donaturum plurima vel ministris suis,vel iis qui in domo eius abiecti putantur & viles, tanta prius thesauros eius replere diuitiarum varietate festinant,vt inquãtum prorogare voluerit,intantum prorogatio copiosa non desiit, & antè voluntas donandi deficiat, quàm substantia largiendi.Hęc autẽ ideo solicitè faciunt,quia maiorem sibi remunerationem pro hac solicitudine sperant futuram.Si ergo fratres seculi istius homines propter præsentis honoris gloriam terreni regis sui natalis diem tanta apparatione suscipiunt, qua nos accuratione æterni regis nostri Iesu Christi natalem suscipere debemus? qui pro deuotione nostra non nobis temporalem largitur gloriam, sed æternam,nec terreni honoris administrationẽ dabit quæ successore finitur,sed cœlestis imperij dignitatem,quæ non habet successorem.Qualis autem nostra remuneratio sit futura,dicit propheta, Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, Esaiæ 64. 1.Corin. 2. nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit dominus diligentibus se.Quibus indumẽtis nos exornari oportet? Quod autem diximus nos, hoc est animas nostras, quia rex noster Christus non tam nitorem vestium quàm animarum requirit affectum,nec inspicit ornamenta corporum,sed considerat corda meritorum,nec fragilis cinguli præcingentis lumbos operositatem miratur,sed fortis castimoniæ restringentis libidinem ad pudicitiam plus miratur. Ambiamus ergo inueniri ante ipsum probati fide,compti misericordia,moribus accurati:& qui fideliùs Christum diligit,nitidiùs se mandatorum eius obseruatione componat,vt verè nos in se credere videat, cùm ita in eius solennitate fulgemus, & magis lætus sit quò nos perspexerit puriores.Atque ideo ante complures dies castificemus corda nostra,mundemus conscientiam,purificemus spiritum,ac nitidi & sine macula immaculati domini suscipiamus aduentum,vt cuius natiuitas per immaculatam virginem constitit,eius natalis per immaculatos seruulos procuretur.Quisquis enim in illa die sordidus fuerit ac pollutus,natalem Christi ortúmque non curat,intersit licet dominicæ festiuitati corpore,mẽte tamen longiùs à saluatore seperatur,nec societatem habere potuerunt immundus & sanctus,auarus & misericors,corruptus & virgo, nisi quod magis ingerendo se indignus offensionem contrahit, cùm minimè se cognoscit.Dum enim vult officiosus esse,iniuriosus existit:sicut ille in euãgelio, qui in cœtu sanctorum inuitatus ad nuptias venire ausus est vestem non habens nu- Matth. 22. ptialem.& cùm alius niteret iustitia, alius luceret fide, alius castitate fulgeret:ille solus conscientiæ fœditate pollutus,cunctis splẽdentibus deformi horrore sordebat. Et quantò plus simul discumbentium beatorum candebat sanctitas, tantò magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus displicuisse forsitan,si in consortium iustorum minimè se dedisset. Propterea ergo sublatus manibus & pedibus in tenebras exteriores expellitur,non solum quòd peccator erat,sed quia cùm peccator esset, sanctitatis sibi meri-

tum vindicabat. Igitur fratres ſuſcepturi natalem domini, ab omni nos delictorum fæce purgemus, repleamus theſauros eius diuerſorum munerum donis, vt in die ſancta ſit vnde peregrini accipiant, reficiantur viduæ, pauperes veſtiantur. Nam quale erit ſi in vna eadémque domo inter ſeruulos vnius domini, alter exultet in holoſericis, alter conſumat in pannis: alius æſtuet cibo, alius famem frigúſque ſuſtineat: ille eructet heſternam indigeſtionis crapulam, hic heſternam ieiunij mediam non reſoluat? Aut quis erit noſtræ orationis effectus, ſi petimus vt liberemur ab inimico, qui non ſumus liberales in fratres? Simus imitatores domini noſtri. Si enim ille pauperes in cœleſti gratia voluit nobis eſſe cõſortes, cur nobis non ſint in ſubſtantia terrena conſortes? Nec extranei ſint alimoniis qui fratres ſunt ſacramentis, niſi quòd rectiùs apud dominum per ipſos agimus cauſam noſtram, vt noſtris eos alamus ſumptibus, qui illi gratias agãt. Quiſquis autem pauper dominum benedicit, illi proficit, quo faciente dominus benedicit: & ſicut ſcriptum eſt de illo, Væ illi homini per quem nomen domini blaſphematur: ita & de iſto ſcriptum eſt: Pax huic homini, per quem nomen domini benedicitur ſaluatoris. Quale autem eſt meritum largientis, vt ſolus quis operetur in domo, & per multos eccleſia dominum deprecetur? Et quod ille fortaſſis petere de diuinitate non audeat, plurimorum interpellantiũ orationibus, etiam quod non ſperabat accipiat. Quod adiutorium noſtrum commemorans beatus Apoſtolus ait: Vt per multos gratiarum actio referatur pro nobis. Et iterum: Vt fiat oblatio noſtra accepta & ſanctificata in ſpiritu ſancto.

Roman. 2. Matth. 10. Lucæ 10. Rom. 15.

Item de Natali domini. *Sermo XV.*

SAtis abundéq; dixiſſe me credo ſuperiore dominica quemadmodum compti vel nitidi natalem domini ſuſcipere debeamus, & ſuperuenientem feſtiuitatem eius ambitione retinere. Retinere inquam, vt ſi dies ſolennitatis trãſeat, apud nos ſanctificationis eius beatitudo permaneat. Hæc enim gratia natalis eſt domini ſaluatoris, vt in futurum ad prædeſtinatos tranſeat, in præteritum remaneat ad deuotos. Oportet ergo eſſe nos ſanctitate puros, mundos pudicitia, nitidos honeſtate, vt quo diem feſtum aduenire propinquiùs cernimus, hoc accuratiùs incedamus. Si enim mulierculæ ſolẽt aliquas ſuſcepturæ maculas veſtium ſuarum aqua diluere, cur non magis nos accepturi natalem domini macu las animarum noſtrarum fletibus abluamus? Et illæ quidem ſi adeo infectæ & obſcuræ ſordibus fuerint, vt maculas ſola aqua non purget, adducunt mollitiem ólei, ſaponis etiam acrimoniam: nos quoq; ſi tam graue peccatum fuerit, vt mini mè ſolis fletibus abluatur, addamus miſericordię oleum acri moniámque ieiunij. Nullum enim tam graue delictum eſt quod non purgetur abſtinentia, eleemoſynis extinguatur. Ait enim ſanctus propheta: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Magna ergo eſt eleemoſyna quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ ſuæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incẽdia delictorum, vt quanuis offenſus deus, quanuis criminibus prouocatus cogatur liberare eleemoſynis, quem diſpoſuerat punire peccatis. Cogitur enim à nobis quodámodo, dum compellitur pro actibus noſtris mutare ſententiam, & in vno eo démq; homine nunc ſeueritate iudicis permoueri, nunc patris pietate blandiri. Pater enim nobis deus eſt cùm bene agimus: iudex noſter eſt cùm peccamus. Compellitur ergo operibus noſtris dominus vt nobis ſuam miſericordiam largiatur: atque ideo ipſe in euangelio ſancto dicit, A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cœlorum cogitur. Regnum cœlorum non niſi Chriſtus eſt dominus, qui regnat in cœlis. Cogi autem verbum tunc ſolet dici, cùm res aliqua rarior aſſidua operatione denſatur. Ex quo ergo Ioannes Baptiſta ſaluatoris annunciauit aduentum, ex eo regnum cœlorũ quod prius fluidum & remiſſum apud Iudæos iacebat, credẽtium populorum cœpit aſſiduitate denſari, & omnis illa regni raritas prædicationum frequentatione ſolidari. Tam enim rarum fuit apud Iudæos regnũ, vt tranſiret ad gentes, tam fluidum vt emanaret ad populos. Nunc autem tanta credẽtium cogitur denſitate, vt fixum & ſolidum maneat ſine fine, ſicut ſcriptura dicit: Et regni eius non erit finis. Cogimus ergo regnum cœlorum, & vim quodãmodo facimus, ſicut ait euangelica lectio: Et vim facientes diripiunt illud. Vim, inquam, facimus domino non compellendo, ſed flendo: non prouocando iniuriis, ſed lachrymis exorando: non blaſphemando per ſuperbiam, ſed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, ſed miſericordia condonatur. Beata inquam violentia quę vim patienti bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur, & de iniuria nemo cauſatur: vis admittitur, & religio propagatur. Quiſquis enim violẽtior Chriſtò fuerit, religioſior habebitur à Chriſto. Aggredimur ergo in itinere dominum, ſiquidem ipſe eſt via, & more latronum ſuis eum ſpoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, theſauros, & vitam: ſed ille tam diues & largus eſt, vt non abnuat, non reſtat, & cùm omnia dederit, nihilominus omnia ipſe poſſideat. Aggredimur, inquam, illum non ferro, non fuſte, non ſaxo, ſed manſuetudine, bonis operibus, caſtitate. Hæc ſunt arma fidei noſtræ, quibus in congreſſione certamus. Vt autem his armis vti in vi inferenda poſſimus, antè corporibus noſtris vim quodammodo faciamus, expugnemus membrorum vitia, vt virtutum præmia conſequamur. Prius enim ipſi regnare debemus in nobis, vt regnum poſſimus diripere ſaluatoris. Ait ergo euangelium: Et vim facientes diripiunt illud. Raptores igitur ſumus: raptores autem non niſi diripiũt aliena. Agnoſco veram eſſe ſententiam. Chriſtum enim eccleſia rapuit ſynagogæ, & alienæ gentis regnum vim faciendo poſſedit. Nam ſaluator miſſus ſub lege, natus in lege, nutritus iuxta legem, dum à Iudæis negligitur, à gentibus occupatur: & dum à ſacerdotibus perditur, à peccatoribus inuenitur, ſicut ipſe ait: Publicani & peccatores præcedunt vos in regno cœlorum. Raptores igitur ſumus: mirandum non eſt, quippe qui à tali authore deſcendimus. Scriptum eſt enim de patriarcha noſtro Beniamin: Lupus rapax. Rapite nim quod ſuum non eſt: ita & nos velut filij rapacis lupi alienarum paſtorem ouium noſtra intentione præripimus, ſicut ipſe dicit: Non ſum miſſus niſi ad oues perditas domus Iſrael. Rapitur itaque Chriſtus cùm à Iudæis dimittitur, & ab aliis prædicatur. Rapitur Chriſtus cùm occiditur à Iudæis, & ſepelitur à nobis. Rapitur Chriſtus à vigilantibus diſcipulis, à dormientibus perditur phariſæis: ſicut mentiendo ipſi confeſſi ſunt, dum cuſtodias ponerent ſepulturæ, poſt reſurrectionem domini dicentes: Quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus. Vnde ſpiritualiter intelligimus quia Chriſtum omnes dormientes perdunt, vigilantes inueniunt: Atque ideo Apoſtolus dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Vides ergo mortuum eſſe qui ita dormit, vt non cuſtodiat ſaluatorem. Et ideo illi phariſæi velut mortui non potuerunt ſeruare viuentem. Propterea fratres non dormiamus, ſed vigilemus circa ipſum dominum noſtrum ſaluatorem, vt appoſitis iugiter cuſtodiis nemo illum auferat de ſepultura pectoris noſtri, nec dicamus aliquando: Venerunt, & dormientibus nobis furati ſunt eum. Habemus enim inimicos, qui Chriſtum de cordibus noſtris ſi obdormierimus, auferre nitantur. Vnde peruigili cura ſeruemus eum in ſepulchro animarum noſtrarũ: ibi perquieſcat, ibi dormiat, ibi cùm voluerit & reſurgat.

Ecclæ. 3. Matth. 11. Lucæ 1. Ibidem. Genes. 49. Matth. 15. Ibidem. Epheſ. 5. Matth. 28.

Item de Natali domini. *Sermo XVI.*

REne quodãmodo ſanctam hanc diem natalis domini ſolem nouum vulgus appellat, & tanta ſui authoritate id confirmat, vt Iudæi etiam atque gentiles in hac voce conſentiant. Quod libenter amplectendum nobis eſt, quia oriente ſaluatore non ſolum humani generis ſalus, ſed etiam ſolis ipſius claritas innouatur, ſicut ait Apoſtolus: Vt per ipſum reſtauret omnia ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terra ſunt. Si enim obſcuratur ſol cùm Chriſtus patitur, neceſſe eſt illum ſplendidiùs ſolito lucere cùm naſcitur. Et ſi Iudæis mortem operantibus offudit tenebras, cur non Mariæ parturienti vitam exhibeat claritatem? Aut quare non credamus quòd naſcẽte Chriſto ſol ad obſequium lucidior aduenerit, cùm magos ad indicium clarior ſtella præceſſerit? Et ſi ſtella per diem alieni tempo-

ris

707

ris officium miniſtrauit, cur non credamus quòd ſol quo-
que nocturnis horis aliquantulum aduentu maturiore de-
cerpſerit? Ex eo denique factum puto vt nox decreſceret,
dum ſol feſtinus ob dominicæ natiuitatis obſequium antè
mundo lucem protulit, quàm nox curſum ſui temporis con
ſummaret. Quin potiùs ipſam noctem fuiſſe non dico, nec
aliquid obſcuritatis habuiſſe, in qua paſtores peruigilant, ex-
ultant angeli, aſtra deſeruiunt. Nec mirari debemus quòd in
Luce 2. natiuitate Chriſti noua omnia facta ſunt, cùm nouum hoc
ipſum fuerit quod virgo peperit. Si autem præter ſolitum na
tiuitas extitit, & præter ſolitum obſequia ſunt delata. Er-
go oriente domino paſtores peruigilant, exultant angeli, ſol
obſequitur, ſtella famulatur. Et quidem angeli vel paſtores
gaudia ſua voce vel ſermonibus proſequuntur: elementa au
tem iſta gaudia ſua, quia voce non poterant, officio prote-
ſtantur. Sol igitur præter conſuetudinem in hac feſtiuitate
Ioſue 10. matutinus illuxit. Nec mirum. Si enim ad Ieſu Naue oratio-
nem defixus ſtetit in die, cur nõ ad Ieſu Chriſti natiuitatem
feſtinus promoueret in noctem? Solem igitur nouum hanc
diem vulgus appellat: & cùm dicit nouũ, vtique & veterem
eſſe demonſtrat. Veterem autem dixerim huius mundi ſo-
lem, qui defectionem patitur, qui parietibus excluditur, qui
nubibus obſcuratur. Veterem dixerim ſolem, qui vanitati
ſubiacet, qui corruptionem metuit, qui iudicium pertime-
Ioel. 2. ſcit. Scriptum eſt enim: Sol conuertetur in tenebras, & luna
in ſanguinem. Veterem inquam, dixerim, qui ſceleribus in-
tereſt hominum, adulteria non refugit, homicidium non de
clinat. Et cùm omne genus hominũ nolit eſſe medium cùm
aliquod crimen admittitur, hic ſolus in cunctis facinoribus
ſtat. Ergo quia hunc veterem eſſe manifeſtum eſt, nouum
quem niſi Chriſtum dominum reperimus? de quo ſcriptum
Malach. 4. eſt: Orietur vobis ſol iuſtitiæ: de quo etiam ex perſona pec-
catorum dicit propheta: Sol non eſt ortus nobis, & iuſtitiæ
Sapien. 5. lumen non luxit nobis. Hic enim ſol, cùm diaboli tenebris
vniuerſus mundus eſſet oppreſſus, & caligo referta crimini-
bus ſeculorum poſſideret, dignatus eſt vltimo tempore, hoc
eſt incumbente iam nocte, ortum ſuæ natiuitatis infundere.
Primò quidem ante lucem, hoc eſt antequam illuminaret
iuſtitiæ ſol, velut matutinum quoddam prophetarum miſit
Hieiem. 7. oraculum, ſicut ſcriptum eſt, Mittebam prophetas meos an
te lucem. Poſteaverò ipſe cum ſuis radiis, hoc eſt cum apo-
ſtolorum ſuorum fulgore ſplenduit, ac tanta mundum veri-
tatis luce diſcuſſit, vt diaboli tenebra nullos offenderet. Hic
eſt igitur ſol nouus qui clauſtra penetrat, inferna reſerat, cor
da rimatur. Hic nouus eſt ſol, qui ſpiritu ſuo viuificat mor-
tua, corrupta reparat, ſuſcitat iã defuncta: vel qui calore ſuo
purgat ſordida, exurit fluida, decoquit vitioſa. Ipſe inquam,
eſt qui in cunctis actibus noſtris perſpicit omnia opera no-
ſtra, & non tam cõdemnat crimina, quàm emendat. Hic pla-
nè eſt ſol iuſtus & ſapiens, qui non ſine diſcretione ſicut i-
ſtius ſol mundi bonis ac malis ſimiliter circũfertur, ſed quo-
dam iudicio veritatis, ſancto lucet, occidit peccatori. Hoc au
tem inter vtrunque intereſt ſolem: quòd ille iudicium me-
tuit, hic iudicium comminatur: quòd ille corruptionis mini-
ſter eſt, hic æternitatis eſt dominus: quòd ille creatura eſt,
hic creator. Tamen iſtum mundi ſolem, priuſquam oritur,
adhuc ante lucem propter neceſſarios vſus hominum ſolet
Pſal. 131. lucerna præcedere. Habet autem & Chriſtus ſol lucernam
Ioan. 5. ſuam quæ eius ortum præceſſit, ſicut dicit Propheta: Paraui
lucernam Chriſto meo. Quæ autem iſta lucerna ſit, oſtendit
Ibidem 1. dominus dicens de Ioãne Baptiſta: Ille erat lucerna ardens.
Ipſe autem Ioannes, vt præcedens lucernæ lumen exiguum,
ait: Ecce venit poſt me, cuius non ſum dignus ſoluere corri-
giam calceamẽtorum eius: ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſan-
cto & igni. Simul etiam intelligens lumen ſuum ſolis radiis
Ioan. 3. offuſcandum, ante prædicit: Illum oportet creſcere, me au-
tem minui. Sicut enim lucernæ claritas deſtruitur ſolis ad-
uentu, ita & Ioannis pœnitentiæ baptiſmum ſuperueniente
Chriſti gratia vacuatum eſt. Videamus igitur, hic ſol noſter
nouus quo fonte naſcatur: ſicut eſt verum, deo oritur autho
re. Diuinitatis ergo eſt filius. Diuinitatis, inquam, incorru-
ptæ, integræ, illibatæ, intelligo planè myſterium. Ideo enim
fecunda natiuitas per immaculatam Mariam, quia prior per

A diuinitatem conſtiterat illabata, vt cui prior natiuitas glo-
rioſa extitit eius ſecunda contumelioſa non fieret, hoc eſt, vt
quemadmodum virgo diuinitas ediderat, ita eum & virgo
Maria generaret. Habere etiam apud homines patrem ſcri-
bitur, ſicut legimus in euangelio dicentibus phariſæis: Nón- Matth. 13.
ne hic eſt filius Ioſeph fabri, & mater eius Maria eſt? In hoc
quoque aduerte myſterium. Faber pater dicitur Chriſti. Et
planè pater faber deus, qui totius mũdi opera fabricatus eſt.
Et planè faber, ſed qui in diluuio Noe arcam fabricare diſ-
poſuit. Faber inquam eſt qui ordinauit Moyſi tabernacu-
lum, arcam teſtamenti inſtituit, templum Salomonis erexit.
Fabrum dixerim, qui mentes rigidas expolit, cogitationes ſu
perbas recidit, humilia facta ſublimat. Hic autem faber cir-
ca arbores curuo vtitur ferramento: ſicut in euangelio legi-
mus, dicente Ioanne: Iam ſecuris ad radices arborum poſita
eſt. Omnis arbor non faciẽs fructum excidetur, & in ignem Ibidem 7.
mittetur. Hoc enim agit totum, vt vtiles cœleſtis fabricæ ar- Ibidem 3.
B bores in futuro componat, infructuoſas verò euulſas radi-
citus flammarum conſumat incendio.

Increpatio de kalendis Ianuariis. *Sermo XVII.*

IST mihi aduerſus pleroſque de veſtris fra-
tres querela non modica, de his loquor qui
nobiſcum natalem domini celebrãtes, gen-
tilium ſe feriis dederunt, & poſt illud cœle-
ſte conuiuium ſuperſtitioſis ſibi prandium
parauerunt, vt qui antè lætificati fuerant
ſanctitate, inebriarentur poſtea vanitate, ignorantes quòd
qui vult regnare cum Chriſto, non poſſit gaudere cum ſe-
culo: & qui vult inuenire iuſtitiam, debeat declinare luxu-
riam. Alia enim ratio eſt vitæ æternæ, alia deſperatio laſci-
uiæ temporalis. Ad illam virtute aſcenditur, ad iſtam perdi-
tione deſcenditur. Atque ideo qui vult eſſe diuinorum par-
ticeps, non debet eſſe ſocius idolorum. Idoli enim portio eſt
C inebriare vino mentem, ventrem cibo diſtendere, ſaltationi
bus membra torquere, & ita prauis actibus occupari, vt co-
garis ignorare quod deus eſt. Vnde ſanctus Apoſtolus hæc 2. Cor. 6.
prævidens dicit: Quæ portio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quę
ſocietas luci cum tenebris, aut quæ pars fideli cum infideli,
qui autem conſenſus templo dei cum idolis? Ergo ſi nos ſu-
mus templum dei, cur in templo dei colitur feſtiuitas ido-
lorum? Cur vbi Chriſtus habitat, qui eſt abſtinentia, tempe-
rantia, caſtitas, inducitur comeſſatio, ebrietas, atque laſciuia?
Dicit ſaluator, Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, hoc Matth. 6.
eſt deo, & mammonæ. Quomodo igitur poteſtis religioſe
epiphaniam domini procurare, qui iam kalendas, quantum
in vobis eſt, deuotiſſimè celebraſtis? Ianus enim homo fuit
vnius conditor ciuitatis, quæ Ianiculum nuncupatur, in cu-
ius honorem à gentibus kalendæ ſunt Ianuariæ nuncupatæ.
vnde qui kalendas Ianuarias colit, peccat: quoniam homini
mortuo defert diuinitatis obſequium. Inde eſt quod ait A-
poſtolus, Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos: Galat. 4.
timeo ne fine cauſa laborauerim in vobis. Obſeruauit enim
diem & menſem, qui his diebus aut non ieiunauit, aut ad ec-
D cleſiam nõ proceſſit. Obſeruauit diem qui heſterna die non
proceſſit ad eccleſiam, proceſſit ad campum. Ergo fratres o-
mni ſtudio gentilium feſtiuitatem & ferias declinemus, vt
quando illi epulantur & læti ſunt, tunc nos ſimus ſobrij at-
que ieiuni, quo intelligant lætitiam ſuam noſtra abſtinen-
tia condemnari. Non ſolum autem gentilium, ſed & Iudæo-
rum conſortia vitare debemus, quorum etiam confabula-
tio eſt magna pollutio. Hi et enim arte inſinuant ſe homini-
bus, domos penetrant, ingre diũtur prætoria, aures iudicum
& publica inquietant, & ide o magis prævalent, quò magis
ſunt impudentes. Hoc autem non recens in ipſis, ſed inuete-
ratum & originarium malum eſt. Nam olim iam & domi-
num ſaluatorem intra prætorium perſecuti ſunt, & præſidis
eum iudicio condemnarunt. In prætorio ergo à Iudæis inno
centia opprimitur, ſecretum proditur, religio condemnatur.
Cùm enim Chriſtus occidi tur, omnis in eo veritas & iuſti-
tia condemnatur, quoniam ipſe eſt innocentia, religio ſan-
ctitatis, atque myſterium.

De ſancta Epiphania. *Sermo XVIII.*

EVangelica ſcriptura refert, ſicut lectum nuper audiuimus, dominum ad Iordanem baptiſmi cauſa veniſſe, & in eodem flumine myſteriis ſe cœleſtibus conſecrari voluiſſe. Quod mirari non debemus, cur hoc baptiſmatis ipſius dominus & magiſter fecerit, quia ipſe ait: Qui fecerit ſic & docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum. Facere igitur prius voluit quod faciẽdum omnibus imperabat, vt bonus magiſter doctrinam ſuam non tam verbis inſinuaret, quàm actibus exerceret, & ad finem nos geſtu pariter confirmaret & ſenſu. Hoc autem totum hodierna die geſtum eſſe manifeſtum eſt. Quod ita verum eſſe ipſa poſſumus colligere ratione. Ratio enim exigit, vt poſt diem natalis dominici, licet interpoſitis annis, eodem autem tempore hæc feſtiuitas ſequeretur, quam & ipſam feſtiuitatem natalem appellandam puto. Tunc enim natus hominibus, hodie renatus eſt ſacramẽtis. tunc per virginem editus, hodie per myſterium generatus. Ita enim diſpoſuit dominus non longè inter ſe hominum vota diſtare, vt in vno tempore quem genitum gratulabantur in terra, ſanctificatum lætarentur in cœlis: vt qui partum virginis angelis annunciantibus poſſidebant, dei filium cœlis teſtantibus retinerent, certíque eſſent homines quia ipſe eſſet filius dei, quem virgo pepererat, diuinitas agnoſcebat. Noui enim partus noua merentur obſequia. Ibi cùm ſecundum hominem naſcitur, mater eum Maria ſinu circunfouet. Hic cùm ſecundum myſterium gignitur, pater eum deus voce complectitur. Ait enim: Hic eſt enim filius meus, in quo bene complacui, ipſum audite. Mater ergo partui molli blanditur gremio, pater filio pio teſtimonio famulatur. Mater inquam, eum adorandum magis ingerit, pater colendum gentibus manifeſtat. Sinu igitur retinetur à matre cùm naſcitur, ſed pater ei ſinus ſui fotum iugiter ſubminiſtrat. Legimus enim eum ſine intermiſſione in patris gremio quieſcentem, dicente euangeliſta: Deum nemo vidit vnquam niſi vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris. Libenter ergo in ſinu ſanctorum quieſcit dominus. vnde & Ioannis euangeliſtæ ſinum, vt in eo accumberet libenter elegit. Sinus ergo in quo Chriſtus requieſcit, non corporis gremio præparatur, non veſtimentorum ambitione componitur, ſed cœleſtium virtutum operatione colligitur. Nam Chriſti ſinus erat in Ioanne euangeliſta fides, in deo patre diuinitas, in Maria matre virginitas. Ibi ſinus Chriſti eſt vbi habitaculum eſt virtutum. Ibi reclinat caput ſuum, vbi domicilium cœleſtium inuenit pręceptorum. Nam ideo peccatoribus & infidelibus dicit: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Igitur dominus Ieſus hodie venit ad baptiſmum, & corpus ſuum ſanctum voluit aqua dilui. Dicet fortaſſe aliquis, Qui ſanctus eſt, quare voluit baptizari? Audi ergo. Ideo baptizatur Chriſtus, non vt ſanctificetur ab aquis, ſed vt ipſe aquas ſanctificet, & purificatione ſui purificet fluenta illa quæ tangit. Conſecratio enim Chriſti, conſecratio maior eſt elementi. Cùm enim ſaluator abluitur, iam tunc in noſtrum baptiſmum tota aqua mundatur, & purificatur fons, vt ſecuturis poſtmodum populis lauacri gratia miniſtretur. Præcedit ergo Chriſtus per baptiſmum, vt Chriſtiani poſt eum confidẽter populi ſubſequantur. Intelligo ergo myſterium. Ita enim & columna ignis præceſſit per mare rubrum, vt intrepidum iter Iſrael filij ſubſequerentur, & ipſa prius per aquas greſſa eſt, vt venientibus poſt ſe viandi ſemitam præpararet. Quod factum, ſicut Apoſtolus dicit, myſterium baptiſmi fuit. Baptiſmum planè quodammodo fuit, vbi homines nubes operiebat, vnda portabat. Sed hæc omnia operat⁹ eſt Chriſtus dominus idem & qui modo, qui ſicut tunc per mare filios Iſrael in ignis columna præceſſit, ita nunc per baptiſmum Chriſtianos populos in corporis ſui columna præcedit. Ipſa, inquam, eſt columna quæ tunc ſequentium oculis præſtitit, modo lucem credẽtium cordibus ſubminiſtrat. Tunc in fluentis vndarum ſolidauit ſemitam, modo in lauacro fidei veſtigia corroborat: per quam fidem, ſicut filij Iſrael, qui intrepidus ambulauerit, perſecutorem Ægyptium non timebit.

Matth. 3.

Ibidem 5.

Ibidem 3. & 17.

Ioan. 1.

Matth. 8.

Exod. 13.

Item de ſancta Epiphania. *Sermo XIX.*

EXultãdum eſt nobis fratres chariſſimi, quòd votis noſtris vota ſuccedunt, quòd gaudiis gaudia cumulantur. Ecce enim adhuc natalis dominici ſolẽnitate corda noſtra perſultant, & iam feſtiuitate ſanctæ Epiphaniæ gloriamur. Gratias igitur agere debemus domino, qui nos frequenter viſitat vt ſæpe lætificet, & iam copioſius requirit vt numeroſiùs benedicat. Quanuis igitur gentilis (licet vanè) numeroſa ſolennitate lætetur propter diuerſitatem dominorũ ſuorum, tamen plures nobis feſtiuitates præſtat vnius diei viſitatio, quàm illis multorum dæmoniorum ſuperſtitioſa præſumptio. Nam ſicut eos veritate religionis vincimus, ita votorum numero ſuperamus. Epiphaniæ ergo hodie procuramus gaudia. Quærat aliquis quid interpretetur hoc verbũ, ſcilicet quia Epiphania Græcè, Latinè dicitur apparitio. Ergo quia tunc primùm apparuit ſaluator in mundo, ipſa dies eodem vocabulo Epiphania nũcupata eſt. Quo modo autem apparuerit, requiramus, non quòd in mundo antè non fuerit, cùm mundus per ipſum factus ſit: ſed quòd tunc primũ ſignis atq; miraculis credentium cordibus deus Chriſtus illuxerit, & in tenebroſas conſciẽtias hominum fidei ſplẽdor aduenerit. Cùm igitur deus vbiq; ſit, & vniuerſa poſſideat, tanquam non viſus antea apparuiſſe dicitur. Apparuit autem non tam oculis hominum, quàm ſaluti. Nam etſi priùs natus ex virgine oculis carnalib⁹ videbatur, tamẽ non apparebat, quoniam virtutem eius adhuc fidei acies ignorabat. Vnde Iudæis per prophetam dicitur: Videtes videbitis, & non videbitis: hoc eſt, ſaluatorem quem cernerent oculis corporalib⁹, ſpirituali lumine nõ viderent. Poſtea enim quã diuinitatem ſuam mirabilibus declarauit, humanis mentibus tanquã nouus & inopinatus apparens, oculos quoſdam cordis infudit, vt cognoſceret ſenſus quem non cognouit aſpectus. Vnde fit, vt nos Chriſtũ dominum per fidem, quem nunquam vidimus, contemplemur: Iudæi quem perſpexerunt oculis, palpauerunt manibus, hodiéque non videant. Requiramus igitur quod ſignum operatus ſit vt diuinitatem ſuam populis declararet. Dicitur hoc primum feciſſe miraculum, vt aquam mutaret in vinum. Magnum planè ſignum, & ad dei credendum ſufficiens maieſtatem. Quis enim non miretur in aliud quàm erant elementa eſſe tranſlata? Nemo enim poteſt mutare naturã, niſi qui dominus eſt naturæ. Credendum eſt iam ex hoc mortalem hominem in immortalitatem poſſe conuerti, quando vilis ſubſtantia in precioſam eſt conuerſa ſubſtãtiam. Nolo enim auditor nomina tantùm perſpicias vini & aquæ: ſed ſi vis potentiam comprobare, virtutem rerum aſpice. Facto enim hoc altius neſcio quid demõſtratur. Nam cùm dominus aquam vertit in vinum, non tantùm hoc operatur ne diſcumbẽtibus deſit ebrietas, ſed vt credentibus abundet æternitas. Siquidẽ propterea in mundum venerit Chriſtus, non vt conuiuarum cellaria procuraret, ſed vt ſaluti hominum prouideret: nec vt hydrias ſubſtantia boni odoris impleret, ſed vt animas gratia ſancti ſpiritus irrigaret. Ergo cùm ex illa vili aqua vini optimi ſaporem voluit guſtare conuiuas, magis voluit ex hac vili carne reſurrectionis cœleſtis ſapientiam guſtare credentes. Nam hoc ſignum totum vtique reſurrectionis myſterium continet. Aqua enim vilis, pallens, & frigida in vinum verſa, ſcilicet precioſum rubrum, vel ignitum, hoc ſignificat, hominis ſubſtantiam conditione vilem, imbecillitate pallentem, morte frigentem in reſurrectionis gloriam commutandam, quæ eſt æternitate precioſa, gratia colorata, ſpiritu immortalitatis ignita. Hoc igitur dignum eſt credere dominum operari voluiſſe, vt per hoc terrenum ſignum, futurum iam tunc à ſapientibus cœleſte myſterium videretur. Nam ſi mirabile eſt vtique quæ defecerant conuiuiis vina ſuppleſſe, quantò eſt mirabilius vitam quæ eſt exhauſta, hominibus reparaſſe? Et ſi glorioſum eſt aquam in vinum mutare, quantò eſt glorioſiùs peccata in iuſtitiam commutare, & mores potius temperare quàm pocula? Audeo dicere illas hydrias non ſolùm illi conuiuio, ſed vniuerſo mundo precioſam illam miniſtrare ſubſtãtiam, niſi quod nobis liùs adminiſtrant. Conſtat enim ex ipſis vaſculis illos hauſiſſe ebrietatem, nos haurire iuſtitiam. Illos percepiſſe vi-

A

B

C

D

Ioan.

ni

711

ni poculum, nos calicem salutis accipere: & si dici fas est, a- A
pud illos pertransisse quod biberant, apud nos verò permanere quod sumpsimus.

Sermo XX.

Item de eodem.

MEminit sanctitas vestra fratres superioris prædicationis nostrę, qua descripsimus beatos Apostolos vno viso miraculo, hoc est, aqua in vinum à
Ioan. 2. saluatore cõuersa, in eum protinus credidisse. Ita enim ait euangelista de domino: Et manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Quod factũ non ideo tantùm scriptum est, vt illorum sub quibus factum est fidei gloria mõstraretur, sed & propter nos, qui eodem deuotionis exẽplo credulitatis gloria prouocamur. Christus enim quod operatus est nõ illis tãtũ operatus est quos habebat tũc præsentes, sed & nobis postea secuturis: vt licet maiores nostri tẽpore nos præcederent, tamẽ signorũ gratia nõ præirent. Quæ enim illis exhibita est prẽsentia rerũ in mirabilibus virtus, eadẽ virtus nobis literarũ thesauro cõseruata: vt nobis præstaret pagina, quod illis gerebat historia: immo in nobis geritur quicquid nobis ingeritur, quicquid nobis insinuatur, vt scripturarum speculo dictaretur: & potẽtiam domini quam illi carnalibus oculis cernerẽt, nos spirituali
Ibidem. lumine videremus. Et crediderunt in eum, & manifestauit gloriam suam discipulis suis. Quàm bene potentiam domini subsequitur deuotio seruulorum: & quod magister docet opere, discipuli in corde describunt. Ecce cui manifestatur virtus operantis, & fides prædicatur manifesta credentium. Prædicanda planè Apostolorum fides, quæ viso vno signo credidit in omnipotentiam saluatoris: & Apostoli dum mirantur aquam in vinum versam, ipsi ex omni fæce peccatorum similiter sunt conuersi, & instar facti miraculi ex vili substitione gentilium in preciosam deuotionẽ credentium sunt trãslati. Et vt aqua in vinum versa, sapore, rubore calore conditur: ita scientiæ, quod erat in his insulsum, accepit saporem: quod pallens, gratiæ sumpsit colorem: quod frigidũ, incaluit immortalitatis ardore. Magnificanda igitur Apostolorum fides, quæ ideo euangelico sermone descripta est, C
vt & illis esset ad laudem, & nobis proficeret ad exemplum. Sed quod peius est, his illis laus sua permanet, nos exempla non permouent. Nam quantò posteriores sumus tempore, tantò & inferiores merito. Illi enim viso vno signo statim domino crediderunt, nos acceptis adhuc tot beneficiorum mirabilibus dubitamus. Dubitamus inquam, quia præsentia diligimus, dum futura non credimus: diuitias amamus in seculo, dum eas accipere cunctamur à Christo. Iracũdia immoderatè extollimur, dum retributionis iudicium
Matth. 7. non timemus. Cæterùm qui nouit scriptum esse: Quo iudicio iudicaueritis, eodem iudicabitur de vobis: absque dubio lenis moderatus & mitis est, & plus bonitate cogit, quam seueritate compellit: amicus indulgentiæ, familiaris est veniæ: vt dum eam frequenter impartit, à domino semper accipiat. Siquidem prudentis sit rectoris ita terrenos honores agere, vt honorificentiam cœlestis dignitatis acquirat. Et si D
interdum vigorem dicendi in nobis corporis obtundat infirmitas, tamen studio deuotionis vestræ fortiores efficimur. Nam quo vos studiosiùs auditis, eo nos libentiùs prædicamus, & virtus nobis loquendi additur cùm vos intelligendi accommodatis auditum. Quis non conetur illic verbi cœlestis semen iacere, vbi illud puri cordis fœcunda terra susçipit? Quis inquam, non illic verbum saluatoris collocare velit, vbi illud non secularium solicitudo præfocet, sed disciplinarum spiritualium virtus enutriat? Ergo fratres quia in sancta Epiphania exultauimus videntes miracula saluatoris, debemus facere quod illius temporis discipuli tunc fecerunt. Quod autem dixi vidisse nos modò quod olim gestum est, videmus planè, videmúsque quotidie. Ea enim sunt Christi miracula, vt non iniquitate prætereant, sed gratia conualescant: non obliuione sepeliantur, sed virtutibus innouentur. Apud potentiam enim dei nihil est abolitum, nihil præteritum, sed pro sui magnitudine omnia illi in præ-
Psalm. 89. senti sunt, totum illi tempus est hodie. Vnde & sanctus propheta dicit: Mille anni ante oculos tuos tanquam dies vna. Quod si omne seculi tempus vna dies est domino, eadem

712

quæ mirabilia saluator patribus operatus est, operatus & nobis est. Vidimus igitur & nos sicut maiores nostri mirabilia domini, cum pari ea cum illis stupore suspeximus. Gustauimus & nos sicut illi de ipsis hydriis. Siquidem illi de his poculum vini biberunt, nos salutis calicem sumpserimus. Debemus ergo facere viso signo domini, quod nostri fecere priores. Si enim eadem in nobis diuinitatis refulsit gratia, eadẽ & fidei apud nos debet esse deuotio. Dicit enim euange-
Ioan. 2. lista de domino hoc miraculo perpetrato: Et manifestauit gloriam suam, & crediderũt discipuli in eum. Credere ergo debemus, sicut tunc Apostoli crediderunt. Dicit autem & alius: Et nos Christiani sumus, credimus in dominum saluatorem. Sed credere opus est opere, nõ sermone, non lingua,
Esaiæ 29. sed corde, ne & nobis dicatur: Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Item de die sancto Epiphaniæ. Sermo XXI.

RElique in hac sancta Epiphaniæ die hactenus à domino mirabilia facta esse cõmemorant, vt rogatus ad nuptias aquę substãtiam in vini speciem B
commutaret, ac liquorem fontium in meliorem vsum sui benedictione trãsferret, ministros hausisse aquam
Ioan. 2. de puteis, vinum in hydriis inuenisse: atque vtiliore dispendio perdidisse quod impleuerant, reperisse quod deerat: túncque primum hoc mirabili signo diuinitatis suæ declarasse virtutem. Nonnulli autem in hac sancta die ab Ioanne baptizatum eum in Iordane testantur, atque in lauacri eius gratia interfuisse loquẽdo deum patrem, sanctum quoque spiritum descendisse. Nec mirum si in domini lauacro mysterium non defuit trinitatis, cum nostrum lauacrum trinitatis compleat sacramentum. Neque enim poterat dominus non primũ circa se exhibere, quod erat postea humano generi præcepturus, cum omnia non sui caussa, sed nostræ gratia salutis efficeret. Aut nunquid propter se baptizari voluit, cùm peccatũ non haberet, sicut dicit propheta: Qui pec
Esaiæ 53. catum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius? Sed pro-
1. Pet. 2. pter nos vtique, qui multorum criminum peccatis obnoxij C
opus habeamus, vt in Christi baptismo purgaremur: atque ideo venit dominus ad lauacrum, non vt purificetur ipse aquis, sed vt nobis aquarum fluenta purificet. Ex quo enim ille in aquis se mersit, ex eo omnium credentium peccata deleuit. Necesse est autem vt omnium peccata deleuerit, qui
Ioan. 1. omnium peccata susçepit, sicut ait euangelista, Hic est agnus dei, hic est qui tollit peccatum mundi. Mirum ergo in modum vnus mergitur, & salus omnium reparatur. Adest ergo deus pater cum baptizatur dominus, adest spiritus sanctus. Videte saluatoris beneuolentiam, qua solus se in passione contumeliis subdidit, in lauacro solus gratiam non quæsiuit, vult participes esse gloriæ. Adest ergo, sicut dixi, pater, ad est & spiritus sanctus: & quia deus videri non potest, spiritus in columba, pater descendit in voce: quódque solùm ad astruendam fidem hominibus necessarium erat, exhibet saluatorem. Fides enim nostra nisi auditu non constat & visu: D
ideo se spiritus in columba oculis subdit, pater in voce se auribus subministrat. Nam nisi propter nostram credulitatem ista fieri oportuisset, potuit pater & spiritus tanquam inuisibilis deus ad verbum filium inuisibili prolapsione descendere. Igitur propter nostram fidem aperto cœlo spiritus ad Christum, pater ad filium, vox descendit ad verbum. Ver-
Ibidem. bum enim Christus est, de quo scribitur: In principio erat verbum. Bene inquam pater vox, & filius verbum dicitur, quia verbum non nisi de voce procedit. Conueniunt itaque sibi vox & verbum, & saluti hominum prouident societate mysterij. Qua autem ratione spiritus sanctus ad Christum in specie columbæ descenderit, videamus vtrum sit aliqua similitudo columbæ vel domini, sicut est vocis & verbi. Et planè non parua. Columbam enim etiam ipsum dominum dixerim, quia est alacer, mitis & simplex. Columba est, quia sanctos suos esse præcipit vt columbas, dicens: Estote simpli-
Matth. 10. ces sicut columbæ. Quod autem columba Christus sit, propheta dicit ex persona ipsius, describens post passionem reditum eius ad cœlum: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Cùm ergo Christus dominus initiaret ecclesiæ sacramenta, cœlo superuenit columba. In-
Psalm. 54. telligo

Gene.8. telligo mysterium,agnosco etiam sacramentum. Columba enim ipsa est quæ nunc ad ecclesiam Christi in baptismo venit,quæ quondam ad arcam Noe in diluuio properauit,tũc illi securitatem annuncians oliuæ ramo,modò huic æternitatem conferens diuinitatis indicio.Tunc signum pacis ore afferens, modò ipsa pacem Christum sui substantia superfundens. In Iordane igitur baptizatus est dominus. Multa mirabilia in hoc flumine sæpius facta esse scriptura comme
Psalm.13. morat,inter cætera dicens:Et Iordanis conuersus est retror sum.Puto autem esse mirabiliùs quod domino Iesu Christo ibi posito factum est. Ante enim retrorsum aquæ conuersæ fuerant, modò retrorsum peccata conuersa sunt. Et sicut tunc impetus fluminis alueum sui cursus perdidit:ita & nũc impetus peccatorum dominium sui erroris amisit. Quod quidem in propheta Helia iam illo in tempore factum pu-
4.Reg.2. to.Sicut enim Helias in Iordane diuisionem fecit vndarum: ita & spiritus domini in eodem Iordane separationem operatus est peccatorum. Ille stare fluenta præcepit, hic crimina. Et sicut sub Helia fluctus primordia fontium de quibus exierant petiuerunt: ita & sub Christo domino homines ad originis suæ infantiam,de qua fuerant exorti,sunt reuersi.

Post Epiphaniam. *Sermo XXII.*

OMnes vos fratres prædicationẽ meam in die sancta Epiphaniæ peruenisse credo,& ad vos præcipuè catechumenos:in qua descripsimus tunc, nonnullis asserentibus, aquam in vinum fuisse conuersam:pleriq; autem testantibus, illa die in Iordane dominum baptizatum. Quod licet à diuersis alterutrum factum esse credatur: ego tamen vtrumque factum esse cõfirmo,& aliud signum de alio con tineri.Vtrumque enim factum est.Nam cum baptizatus est dominus, & mysterium lauacri instituit, & humanũ genus velut vilem aquam in æternam substantiam diuinitatis sapore conuertit. Similiter & cum hydrias plenas liquore fontium vertit in vinum, vtrũque operatus est,& speciem magis necessariam nuptiis præstitit, & demonstrauit corpora hominũ per lauacrum spiritus sancti replenda esse substan-
Matth.9. tia.Quod alibi ipse dominus manifestiùs declarauit dicens, in vtres nouos vinum nouum esse condendum.In nouitate enim vtrium lauacri puritas, spiritus sancti gratia significatur in vino. Igitur catechumenos diligentius oportuit hoc audisse, quibus magis est necessarium, vt sensus vester, qui ignorantia trinitatis vt aqua nunc friget,agnitione mysterij incalescat vt vinum, & animarum vestrarum liquor vilis & tenuis in pretiosam & fortem gratiam transfundatur, vt vini vice sapiamus quod bonum est, redoleamus quod suaue
2.Corin.2. est,& possimus dicere illud Apostoli:Quoniam Christi bonus odor sumus deo. Catechumenus enim priusquam baptizetur,sicut aqua iacet,riget & pallet. Fidelis autem sicut vinum fortis & ruber est. Catechumenus inquam, sicut aqua nullius saporis,nullius odoris,nullius est precij,nec sufficiens ad vsum,nec delectabilis ad reficiendum,nec tolerabilis ad seruandum. Nam sicut aqua cum seruatur diutius, in deteriùs versa intra semet putrescit &fœtet,ita & catechumenus cum diutius catechumenus permanet, in deteriùs conuersus intra semet vilescit & deperit. Ait enim dominus
Ioan.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto,nõ intrabit in regnum cœlorum.Qui autem non intrat regnum,necessariò remanet in inferno. Rectè autem vino cõparatur fidelis. Sicut enim ex cunctarũ creaturarum substãtia omnis res vetustate deperit, solum vinũ proficit vetustate: ita ex omni genere hominum cũctis antiquitate pereũtibus,solus Christianus proficit vetustate.Et sicut vinũ in dies singulos asperitatem suã decoquens, saporis dulcedinẽ, suauitatem odoris acquirit,ita & Christianus successu temporis delictorum suorum asperitatem decoquens, sapientiam sibi diuinitatis beneuolentia trinitatis assumit.Ergo in hac sancta die baptizatus est dominus. Videte quàm bene ordinauerit, vt & in natali suo natus sit,& in Epiphania sit renatus,vt nec à lõgè à se salutis humanæ vota distarent,& æternas saluatori iugiter gratias ageremus: tũc & vota nostra celebrata sunt, quo Christo ecclesia copulata est, sicut ait Ioannes, Qui habet
Ibidem. sponsam, sponsus est. Propter has ergo nuptias saltare nos conuenit. Siquidem & Dauid rex pariter & propheta, cùm multa cecinerit, & ante arcam saltasse dicatur. Elatus enim
2.Reg.6. gaudio in saltationem prorupit. Præuidebat enim in spiritu per Mariam,de gemine suo ecclesiam Christi thalamo sociandam, de quo ait: Et ipse tanquam sponsus procedens
Psal.18. de thalamo suo. Atque ideo præ cæteris prophetarum authoribus plus cantauit, quia lætior cunctis per hæc gaudia suos posteros coniungebat, & ad propria vota omnes gentes solito dulciùs inuitabat: nos quoque docuit quid ipsis facere deberemus in nuptiis, cum ille ante nuptias tota exultatione lætatus sit.

De quadragesima. *Sermo XXIII.*

SAnctæ quadragesimæ rationem,cuius hodie initium celebramus, frequẽter edidimus,& cur tot dierum numero ieiunemus,sæpe docuimus. Diximus enim quòd dominus Iesus Christus hunc eundem numerum ieiunij consecrauit, & continuatis diebus noctibúsque non capiens cibum, vnum ieiunij corpus effecerit, hoc est, licet diei ordo noctis interrumperetur aduentu,non tamen interruptus est ordo ieiunij. Vnde erant apud eum plura temporum curricula, sed abstinentiæ dies vna, ostendens nobis ita nos hunc numerum integrum iciunare debere, vt quia totam quadragesimam complecti non possumus solido & vno ieiunio, vel quotidianis eandem sine intermissione ieiuniis celebremus,vt si quisquam vnam diem abstinẽdo prætermiserit, totam quadragesimam violarit,& propter modici temporis cibum,magni fructum laboris amiserit. Sed dicit aliquis,Quadragesimæ aliquotiens accepimus rationem,& eam consecratam à domino frequẽter audiuimus:sed cur eadem quadragesima quadraginta &
Deuter.8. duos dies habeat,audire gestimus. Legimus in veteri testamento cum sanctus Moyses filios Israel de iugo Ægyptiæ captiuitatis erueret, vt in terram eos repromissionis induceret,quadraginta & duorum dierum eum ad memoratam terram mansionibus peruenisse,tantóque illum temporum numero potitum esse promissis,quantò & nos promissis nobis à saluatore perfrui gratulamur. Eodem, inquam,numero Moyses per mansiones peruenit ad requiem, quo & nos per ieiunia properamus ad cœlũ.Ieiunia enim nostra mansiones quædam sunt,per quæ iter spiritualiter facientes,animæ virtutibus ambulamus, & diurno profectu repromissæ nobis terræ viciniores efficimur, ita vt citiùs perueniat qui deuotiùs ieiunarit. Pedes enim quidã animæ pernices sunt, fides atque ieiunium, qui citò de humilibus ad altiora conscendunt,citò de terrenis ad cœlestia gradiuntur.De his pe-
Rom.10. dibus dicit Apostolus: Quàm speciosi pedes euangelizantiũ bona.Hos pedes lauari præcepit dominus,sicut Apostolus ait de vidua,Si sanctorum pedes lauit. Digni enim hono-
1.Timo.5. re euangelizantium pacem pedes sunt,qui spirituales ad nitidi doctrina super hominum corda gradiuntur.Quadragin ta etiam & duorũ dierum numero Israel populus peruenit ad fluenta Iordanis.Eodèmque dierum circulo Christianus
Psal.113. populus peruenit ad fluenta baptismatis.Et sicut ait prophe ta, Iordanis conuersus est retrorsum,illic introeunte Israelita in aquam fluminis, vnda superfugit, hîc descendente in fontem Christiano criminum peccata diffugiunt.Et mirum in modũ illic retrorsum cõuersus fluuius in originem suam reuertitur,hîc in posterum reuocatus homo in originis suæ infantiam reparatur.Ibi fontem suum de quo egressa fuerat vnda perquirit, hîc hominem suum à quo exierat innocẽtia recognoscit.Ibi exinanitur alueus fluctibus,hîc euacuantur corda criminibus.Ibi,vt seruos dei illic aqua cœnosa nõ maidet,hîc famulos dei conscientia tetra non polluat. Iordanis enim quidam est fons lauacri,per quem qui transuerit, relictis sordibus, paradisum repromissionis ingreditur. In hoc ergo quadragenario & duali numero Israel populus relinquens Ægyptum rubri maris fluenta transcendit: & nos quoque in ipso numero relinquentes mundi Ægyptum,gehennæ ardentis stagna transimus.Illos in fluctibus vnda sustentat, nos ignis flamma non vrit. Illis solidatur aqua, nobis refrigescit incendium.Et contra naturæ vsum per æstum siccatur mare,per fontem baptismi gehẽna mitescit. In hoc inquam, mystico numero filij Israel peruenientes ad myrrham,

rham,cum præ amaritudine aquâ haurire non possent, (ha-
bebat enim fons aquam,sed dulcedinem non habebat: erat
delectabilis ad visionem, sed syncerus nõ erat ad saporem)
iniecto in eam per Moysen ligno,dulcedinem suauiter po-
tarunt:austeritatem quam noxia vnda gestabat,ligni abstu-
lit sacramentum. Quod quidem in figura factum puto. A-
quam enim amaram myrrha,legẽ esse arbitror veteris testa-
menti, quæ lex prius quàm cruce temperaretur domini, e-
rat immittis. Iubebat enim oculum pro oculo,dentem pro
dente dari, & velut austeris nullum misericordiæ refrige-
rium porrigebat. At verò vbi ligno euangelicæ passionis est
temperata,statim amaritudinem suam suauitatecommutãs,
dulcem se cũctis præstitit ad potandum, sicut ait propheta:
Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauũ
ori meo. Dulcia enim sunt eloquia quæ iubent, Si quis te
percusserit in maxillam,præbe ei & alteram. Si quis tibi au-
ferat tunicam,relinque illi & pallium,Hæc est ergo illa ama-
ritudo quæ dulcedine commutata est,id est, austeritas legis
euangelij gratia temperata est. Amara enim est legis litera
sine crucis mysterio,de qua ait apostolus:Litera occidit. At
vbi passionis illi sacramenta iunguntur,omnis eius spiritua-
liter amaritudo conditur. Et de ea dicit apostolus: Spiritus
autem viuificat.

Leui.24.
Psalm.118.
Matth.5.
Ibidem
2.Corin.3.
Ibidem

Item de quadragesima Sermo XXIIII.

REtinent adhuc sensus vestri fratres,nos hoc supe-
riore dominica prędicasse quod huius quadrage-
simæ nostrę figuram illę quadraginta & duæ mã
siones habuerint, per quas populus Israel exiens
de Ægypto, diurno profectu terram repromissionis intra-
uit, & quasi quibusdam salutis gradibus post iugum serui-
tutis ascendit ad regnum. Figura inquam fuit in illis mãsio-
nibus ieiuniorum nostrorum,non solùm in quantitate nu-
meri,sed etiam in obseruatione virtutum. Non enim tan-
tùm filij Israel in itinere deserti corporeis gressibus ambu-
larunt,quantũ in via domini religiosis actibus profecerunt.
In via planè ambulauerunt domini,quæ illos potauit in flu-
ctibus,& pauit è cœlo. Esurientibus enim in eremo manna
non defuit,pariclitantibus in mari terra non fugit. Ibi mare
in semitam sternitur, hîc cœlũ ad pabulum referatur. Pro-
pter gratiam famulorum dei Iordanis fluenta sua retinet,a-
quam suam myrrha commutat. Illic retrorsum conuersa,
quæ sequebatur vnda præcedit: hîc in melius temperata
quæ amarum stillabat vena dulcescit. Et mirum in modum
fluuius cursum perdidit, fons saporem. Sed quoniam dixi-
mus filios Israel venientes ad myrrham, aquæ amaritudine
laborasse, eámque non nisi ligni iniectione potare potuis-
se,typum quoque in illa fuisse veteris testamenti,videamus
quo exinde proficiscens populus ipse peruenerit. Peruenit
in locũ qui dicitur Elim, in quo erant duodecim fontes pu-
rissimi, & septuagin ta virentium multitudo palmarum. Vi-
dete mysterium dei quemadmodum post amaritudinem le
gis,fluenta euangelicę pietatis exuberent. Ibi fons vnus au
sterus est ad bibendum,hîc plures,omnes dulces sunt ad po
tandum. Ibi post fatigationem nulla refectio,hîc post labo-
rem refrigerium atque victoria. Sitientibus enim fontes mi
nistrantur,palmæ vincentibus offeruntur. Palmæ inquam,
offeruntur vincentibus, quia post legis duritiam ad euange
lij gratiam peruenisse,vicisse est. Præmium enim quoddam
victoris est os viuo fonte diluere, dexteram triumphali pal
ma munire. Per fontem enim lingua cõfessoris purificatur,
per palmam dextera martyris honoratur. Illa quia Christi
exaltauit gloriam, hæc quia aram sacrilegij recusauit. Præ-
mium enim quoddam est palma martyrij, quæ confitẽti lin-
guæ dulcem fructum tribuit, & victrici dexteræ glorioſum
præstat ornatum. Est planè palma martyribus suauis ad ci-
bum,vmbrosa ad requiem,honorabilis ad triumphum,sem
per virens,semper vestita foliis, semper parata victoriæ,At-
que ideo non marcescit palma,quia martyrum victoria non
marcescit. Ipsæ denique palmæ sedenti super asinam & ve-
nienti ad templum domino à populis offerũtur. Cum enim
discipuli vestimenta sua sternerent,& iter Christo suis ami-
ctibus communirent, non habuit maius præmium nisi pal-
mas quod ei deuotio plebis offerret, significans stratis in i-

Exod.15.
Matth.21.

A tinere vestibus impollutam viam esse in mundo,oblatis pal
mis ipsum mundi esse victorem. Ipse, inquam,victor est,de
quo ait scriptura, Vicit leo de tribu Iudæ. Ipse planè victor, Apoca.5.
qui destruxit diabolicam mortem, vitam illuminauit æter-
nam. Palmæ igitur aduenienti eriguntur Christo. Scriptum
est, Iustus sicut palma florebit. Rectè ergo aduenienti iu- Psam.91.
sto eriguntur vexilia iustitiæ, & authori suorum obsequun-
tur tituli triumphorum. Prius autem quàm tollantur pal-
mæ,iter domini vsq; ad templum discipulorum vestibus o-
peritur,& vt impolluta sit semita saluatoris,apostolorum a-
mictibus cõmunitur. Quod quidem in mysterium factum
puto Via enim Christi quæ ducit ad templum, fides eius est
atque doctrina. Hanc igitur viam discipuli, vt nos sine offen
sione gradiamur,amictus proprij corporis exuentes suo stra
uere martyrio, vt inter diuersarum gentium turbas iustitiæ
semitam membrorum suorum vestimenta substernant, &
cœnosam myrrhaginem mundi * operiant, & impollutam *Voragi-
viam saluatoris ostendant. Ad duodecim ergo fontes post nem.
B myrrham venit populus Israel. Legimus in propheta:Bene- Psalm.67.
dicite domino de fontibus Israel. Dominus Christus est,qui
non nisi per apostolorum ora dicitur discipulorúmque do-
ctrinam. Apostoli dicendi sunt fontes,quia velut omnes pu
rissimi gratia prædicationis exuberãt,& post amaritudinem
legis, venarũ suarum larga sapientia sacramenta poculi dul-
cedinem stillant. Nec mirum si potus dulcis est fontium, in
quorũ sinu cibus dulcior est palmarum. Apostoli ergo sunt
fontes, qui totius terræ faciem doctrinæ suæ flumine riga-
uerunt,& fatigatis gentium populis potum diuini mysterij
propinarunt. Septuaginta autem palmas iuxta fontes apo-
stolicos generatas,septuaginta illos discipulos dixerim, qui
secundo ab apostolis gradu propter salutem hominum à do
mino diriguntur:quos Lucas euangelista describens, binos
& binos asserit destinatos. Qui verè velut palmæ post cu-
ras hominum cum exultatione redeuntes gloriantur apud Lucæ 10.
dominum sibi & dæmonia esse subiecta. Rectè igitur com-
parantur palmis,qui palmarum præmio,diaboli extitere vi- Ibidem.
C ctores.

Item de quadragesima. Sermo XXV.

INtellexisse vos credo fratres,cur hic nostra ieiu-
nia illis mansionibus comparauerim, in quibus
populus Israel tãquam in procinctu quodam po-
situs Pharaonem regem quotidiano labore supe
rauit,& ab inimicis suis quasi quibusdam castris mãsionum
sese statione defenderit, ita vt quicunque ex illo comitan-
tium numero diurnæ stationis spatia non confecit,aut Pha-
rao illum occupauit, aut solitudo peruasit. Sic ergo & nos
propositum nobis quadraginta dierum iter debemus omni
labore conficere, & quibusdam quasi castris nos ieiunio-
rum deuotione munire. Castra enim nobis sunt nostra ieiu-
nia,quę nos à diabolica oppugnatione defendunt. Denique
stationes vocantur,quòd stantes & commorantes in eis ini-
micos insidiãtes repellamus. Castra planè sunt ieiunia Chri-
stianis,à quibus si quis aberrauerit,à spirituali Pharaone in-
uaditur, aut peccatorum solitudine deuoratur. Pecato-
D rum autem solitudinem patitur, qui deseritur societate san-
ctorum. Murus igitur quidam est Christiano ieiunium inex
pugnabilis diabolo,intrãsgressibilis inimico. Quis enim vn-
quam Christianorum ieiunauit, & captus est? Quis sobrius
mansit & victus est? Temulentum aggreditur diabolus,lu-
xuriosum oppugnat inimicus. Vbi autem ieiunium viderit,
fugit, metuit, pertimescit, terretur pallore eius, debilitatur
inedia,infirmitate prosternitur. Prosternitur,inquam,infir-
mitate, quia Christiana infirmitas, fortitudo est. Vnde ait
Apostolus: Cùm infirmor,tunc fortior sum. Sed requirit a- 2.Cori.12.
liquis,quemadmodum fortis infirmitas? Tũc est fortis infir-
mitas,quando caro tabescit ieiuniis,anima puritate pingue-
scit. Quantum enim illi ciborum succus subtrahitur, tãtum
huic iustitiæ virtus augetur. Tunc igitur homo imbecillis
quidem est ad sæcularia,sed fortis est ad diuina opera. Tunc
enim magis de deo cogitat,tunc iudicium metuit,tunc vin
cit inimicum. Ait enim saluator de diabolo:Hoc genus non Matth.17
eiicitur nisi in ieiunio & orationibus. Dicit vtique à diabo-
lo energumenum non nisi ieiuniis posse purgari. Videte er-

go

go quæ ieiunij virtus sit, quantam homini suo præstet gratiam, quòd tantam præstet alteri medicinam: quemadmodum proprium sanctificet hominem, quòd ita purificet alienum. Mira enim res est, alter ieiunat, & alteri prodest ieiunantis vtilitas. Ergo fratres abstinentiæ arma minimè deponamus, & quadraginta dierum ieiunia sine intermissione cu remus. Hic est enim perfectus numerus ad vincendum. Dominus enim diabolum postea quàm quadraginta dies ieiunauit, euicit: non quòd non & ante ieiunia eum vincere potuisset: sed vt ostenderet nobis tũc nos diaboli posse esse victores, cùm per quadraginta dies victores ieiunando desideriorum carnaliũ fuissemus. Eum autem qui hũc numerum consecratum gulæ intemperantia violasset, tanquam imbecillem & miserũ facilè eum ab inimico posse superari. Quo modo enim potest in altero diaboli improbitatem vincere, qui gulæ intemperantiã in seipso nõ vincit? Prius ergo homo tui victor esto, vt possis esse victor alterius. Sunt enim intra te proprij tibi hostes, qui quotidie te oppugnant. Ecce enim auaritia te diuitiarum ambitione circunuenit, luxuria epularum suauitate captiuat, hæresis scientiæ peruersitate pẽuertit. Vince ergo inimicos proprios, vt vincere possis alienos. Non enim fratres leue peccatum est, fidelibus indictã quadragesimam à domino ieiunare, & ieiunia consecrata vẽ
1. Ioan. 2. tris voracitate dissoluere. Scriptum est, Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Si vis ergo Christianus esse, debes quod Christus, facere. Ille qui peccatum nõ habebat, quadragesimam ieiunauit, tu nõ vis quadragesimam ieiunare qui peccas? Ille inquam peccatum non habebat, sed pro nostris ieiunauit peccatis. Qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es, cum Christo pro te esuriente tu prandes? Cum saluatore pro te ieiunã te tu reficeris? Non igitur, sicut dixi, leue paccatum est, indictum violare ieiunium. Nam vt hoc exemplis breuiter ap-
1. Reg. 14. probemus, legimus in libris Regnorum, cum Saul rex Israel bellum cõtra Allophylos gereret, vniuersõ eum exercitui indixisse ieiunium, & abstinentibus cunctis, eum cõtra aduersarios pugnare cœpisse. Bonus plane rex, qui hostes suos nõ tam armis, quàm deuotione vincebat, & plus dimicabat religione quàm telis. Cùm ergo Saul abstinentiam diei suis omnibus indixisset, & Ionathas eius filius præcepti nescius, inter medias hostium acies victor incedẽs fauum mellis intincta sceptri summitate gustasset, tanta indignatio repente commota est, vt & differretur victoria, & diuinitas læderetur. Denique nec bello finis imponitur, nec regi responsum propheticum datur. Vnde intelligimus quòd Saul hostes non tam virtute militum, quàm militum abstinentia superabat. Denique vnius culpa cunctis confertur ignauia, & vnius delicto omnibus generatur infirmitas. Deficit enim virtus in exercitu, vbi deficit in obseruatione ieiunium. Quod vt peccatum Saul ex ipsa diuinitatis offensione cognouit, statim Ionathæ dixit non esse parcendum, sed peccatum admissum effusione eius sanguinis expiandum. Videte quanta apud Saul regem fuerit religionis obseruãtia, qui offensum deum optauit etiam parricidio mitigare. Et quanta sit resoluti culpa ieiunij, quæ non nisi sanguinis effusione punitur. Et si ignorans Ionathas indictum à patre ieiunium quia resoluerit, morti addicitur: qui sciens indictum à Christo resoluit ieiunium, quid meretur? Ergo fratres statutũ nobis custodiamus obseruatione ieiuniũ, vt hostes nostros spirituales carnalésque vincamus. Habemus enim, sicut nostis, carnales hostes. Ieiunemus igitur vt eos & exercitus noster & Saul superet & obtineat. Nec in abstinentia positi declinemus ad fauum. Fauus enim quidam mundi est voluptas seu
Prou. 5. vitia, quæ sicut scriptum est, ad tempus quidem impinguãt fauces, nouissima amariora sunt felle.

Item de quadragesima. *Sermo XXVI.*

NOn vsque adeo cõtristari debemus fratres, quod in his quadragessimæ diebus tentatio nobis tribulationis aduenit, quoniam & saluatorem nostrũ propter ipsam quadragessimam videmus esse tentatum. Minus ergo dolere debemus seruuli, quia domini habemus exemplum. Vbi enim est similis cum Christo douotio, siimilis est & cum Christo tentatio. Conditionem enim nobis tolerandi imponit conditio ieiunandi. Credimus autem, sicut saluator noster diabolum cùm tentaretur obtinuit, ita & nos hostes nostros cùm tribulamur posse deuincere. Ieiunia enim Christi tentari possunt, non possunt superari. Angustias quidẽ in obseruatione habent, sed prosperitatem tribuunt & salutem. Videamus igitur inter cæteras tẽtationes qua dominum diabolus arte lacessat. Cùm enim Matth.
super pinnam staret tẽpli saluator, ait diabolus: Si filius dei es, mitte te deorsum, & reliqua. Verè diabolicæ fraudis astutia consuetudinis suæ nititur argumento. Semper enim religiosos de superioribus deiicere ad inferiora conatur, & de sanctis ac venerandis actibus deducere ad terrena & cœnosa festinat, vt qui stat puritate mentis in summitate templi, proiiciat se in profundum inferum contagione peccati. Nam cùm dominum de pinna templi deiicere nititur, vtiq; de perfecto religionis cultu eum remouere conatur. Pinna enim loci sancti, perfectio cœlestis est sacramenti. Rectè autem dominus super pinnam templi stare dicitur, quia de ipso scriptum est: Qui ambulabat super pennas ventorum. Pſal. 103.
Super pennas enim ventorum quodãmodo ambulabat dominus, cùm super morum nostrorum alacri conuersatione volatu incedit. Pennæ enim nobis sunt boni mores, qui nos alleuatos à terræ humilibus in cœli altiora tollunt, & volatu quodam mentis de tartari tenebris educunt, & ad paradisi amœna perducunt. Quorum morum pennas habere propheta desiderans ait: Quis dabit mihi pẽnas columbæ, & volabo & requiescam? Super hanc ergo pinnam templi saluator stare dicitur, hoc est, quasi in quodam templo fidei nostræ consistere. Vnde ait Apostolus: Vos estis templum dei, 1. Cor. 3.
& spiritus dei habitat in vobis. In hoc igitur templo stãs dominus nec recedens increpat diabolũ, dicens: Scriptum est, Deut. 6.
Non tentabis dominum deum tuum. hoc est, non tentabis Matth. 4.
eum quem putas tanquã hominem ad inferiora pellendum, sed magis tanquam deum & hominem ipsum noueris adorandum. In his ergo ieiuniorum diebus tentamur ad similitudinem saluatoris. Similiter enim & nos hostes nostri de pinna templi, hoc est, de obseruatione quadragesimæ turbare conantur. Dum enim terrores ingerunt, dum insidias parant, cupiunt nos de arce religionis abducere. Dicitur autem ei à domino: Non tẽtabis sanctos viros & famulos dei. Non enim tanquam humiles conculcandos putatis, sentietis tanquam strenuos honorandos. Sunt enim sicut dixi, plerique fratres, quos hostes nostri de perfectione religionis abducunt: qui dum præsens malum metuunt, putant deum nostræ salutis immemorem, nescientes quòd deus nullius est immemor, sed immemorem illum nostri tunc nos facimus, cùm peccamus. Cùm enim mala operamur, auertit faciem: cùm nephanda loquimur, aurem obstruit: & ideo bonitatem suam à nobis deus non tam ipse retrahit, quàm nostra illum delicta reiiciũt. Ait enim idem dominus per prophetam ad eos qui erant in tribulationibus constituti, Nun- Esaiæ 59.
quid non valet manus dei eruere vos? & reliqua. Vides ergo quoniam inter deum & hominem peccata separant. Tolle igitur peccata de medio, & deum tibi proximum tu fecisti. Luc. 11.
Quomodo enim potest fratres obliuisci nostri deus, qui etiam capillos capitis nostri in euangelio apud se dicit esse numeratos? Si enim capillorum nostrorum meminit, multo magis nostrarum animarum meminit. Per numerum enim curam circa nos solicitudinèmque cognoscimus. Nemo enim numerat nisi quod vult diligentiùs custodire, nemo numerat nisi qui veretur ne fraudem absque numero patiatur. Pastor vt saluum gregem habeat, eum frequenter annumerat. Denique dominus qui est bonus pastor, cũ vna ouicula Luc. 15.
de centum ouibus aberrasset, recurrens ad numerum propriis eam ad gregem humeris reportauit. Vsque adeo ergo habetur sub tutela qui habetur in numero, vt errãs propriis apportetur humeris, ne quid de numero minuatur. Nolite ergo putare fratres quòd vel minimi cuiusquam obliuiscatur. Deus enim omnium meminit, omnium reordatur, tantùm vt non nostris interuenientibus peccatis ei inferatur obliuio.

De ieiuniis. *Sermo XXVII.* Testimo-

719

2. Corin. 6. TEstimonium perhibet sanctus Apostolus de propheris dicens, Tempore, inquit, acceptabili exaudiuite, & in die salutis adiuui. Et subsequitur ipse, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Vnde & ego testificor vobis hos esse dies redeptionis, hoc esse tepus cœlestis quodammodo medicinæ, in quo omnium vitiorum nostrorum labem & vniuersa vulnera peccatorum sanare poterimus, si medicum animarum nostrarum fideliter exoremus vt præcepta eius tanquam susceptui idonei minimè dispernamus. Tunc enim languidus ægritudinis suæ inuenit medicinã, si omni solicitudine medici mãdata seruauerit: quòd si aliud faciat cum aliud iubetur, increscente morbo non medicus, sed præuaricator inculpa est. Medicus autem est dominus noster Iesus Christus, qui ait, Ego occidam, & viuificabo: percussiam, & sanabo. Occidit enim quodammodo antequam viuificet dominus. Occidit enim primum in nobis homicidia, adulteria, scelera, furta, per baptismum, & sic nos tanquam nouos homines æternitatis immortalitate viuificat. Morimur ergo peccatis, videlicet per lauacrum: regeneramur autẽ vitæ per spiritum, sicut ait sanctus apostolus, Quoniam mortui estis delictis vestris, & vita vestra abscondita est cum Christo. Consepulti enim estis cum illo per baptismum in mortem. Occidimur enim quodammodo cùm desinimus esse quod fuimus. Nouo enim pietatis genere in vno eodémque homine mors operatur & vita. Moritur enim cõcupiscentia peccatorum, viuificatur ordo virtutum. In vno nanque eodem homine impius & adulter occiditur, vt misericors renascatur & castus. Interimitur idololatria, vt religio propagetur. Fornicator & ebriosus extinguitur, vt continens & sobrius procreetur. Sic ergo mortificat dominus, vt viuificare faciat: sic occidit, vt prosit: sic verberat, vt emendet. Hæc est igitur circa homines suos eius tota seueritas, vt in his peccata puniantur, anima conseruetur: auferantur detestanda vitia, virtutes optimæ nutriantur, Vsqueadeo autem hac pia occasione domini cernimus plerosque conuersos in tantum ad melius profeciisse, sic de passimis optimos factos, vt cùm videas eos, credas renatos homines, cùm non videas mutatas esse personas. In tantum enim in nobis id quod prius eramus interimitur, aufertur, extinguitur, vt id quod postea sumus, denuò natum esse credamus: vnde natiuitas hæc secũda, prioris vitæ finem iam fuisse significat. Quod autem ait,

Deute. 32. Ego percutiam, & sanabo: Percutit planè præceptis suis peccatores vt sanet, mandatis verberat vt emendet, ieiunia præcipit, indicit continentiam, iudicium comminatur, & tristẽ gehennæ metum excutiens adhibet medicinam, vt dum futura pertimescimus, præsentia corrigamus. Sic namque Paulum apostolum percutiendo sanum reddidit. Cùm enim esset persecutor, impius & blasphemus, & quidem ad deuastãdas ecclesias Damascum properaret, subito fulgoris cœlestis eum terrore percussit, vt euangelici splendoris eum luce perfunderet: & carnalium luminum orbem mutauit, vt spiritualium oculorũ illuminaret aspectum. Corporis eũ debilitate perterruit, vt fidei deuotione saluaret. Surgẽs ergo à terra Paulus, exterioribus quidem oculis non videbat homines, non aerem, sed mentis luminibus Christum videbat de cœlo. Denique in tantum profuit domini ista percussio, vt de Iudæo Christianus, de blasphemo apostolus, de Saulo Paulus existeret, & eousque mutauit veterem cũ moribus hominem, vt etiam mutaret & nomen. Habentes igitur huiusmodi medicum qui percutiendo sanat, mortificando viuificat, subdamur ei cum omni patientia ad curandum, vt quicquid vlceribus fœtidum esse perspexerit, incidat, amputet, execet, vt refectis omnibus diaboli vulneribus, hoc solum in nobis faciat remanere quod dei est. Istud autem præceptum eius est primum, vt his quadraginta diebus ieiuniis, orationibus, vigiliis opera cõmodemus. Ieiuniis enim lasciua corporis castigatur, orationibus deuota saginatur anima: vigiliis diaboli insidiæ depelluntur. Deinde cùm istis mandatorum obseruationibus fuerit hoc tempus impletum, tunc purgata & fatigata tot obseruationibus anima, ad baptismum veniens spiritus sancti innundatione reficitur, & quicquid in ea diuersarum ægritudinum ardor exiccauerat, cœlestis gratiæ rore perfunditur. Vnde ponens veteris hominis corruptelam, nouæ indolem iuuentutis acquirat. Et mirum in modum in vno eodémque homine delictis sanctitas, iniquitati iustitia, senectuti succedit infantia: nouóque natiuitatis genere alter est qui renascitur, cùm ipse sit qui peccauit. Sic nanque Helias quadraginta dierum 3. Reg. 9. ac noctium curriculo continuato ieiunio, totius mundi longam ac nimiam siccitatem meruit imbrium rore restinguere, & ardentem terrarum sitim cœlestis pluuiæ largitate perfundere. Quod quidẽ in figuram nostri factum esse cognoscimus, vt nos quoque horum quadraginta circulo dierum ieiunãtes spiritualem baptismatis pluuiam tribubus nostris iandiu aridam terram cœlestis desuper imber infundat, & longam gentilium siccitatem lauacri inundatio salutaris irroret. Siccitatem enim & ardorem animæ suæ patitur quisquis baptismi gratia non rigatur. Horum ergo dierum noctiúmque ieiunio Moyses sanctus meruit cum deo loqui, stare & consistere, & de manu eius legis præcepta suscipere. Quanuis enim illum ab obtutibus dei conditio humana subtraheret, ieiuniorum tamen gratia proximum illum diui nitatis consortio faciebat. Hæc enim in nobis virtutum portio dei est, vt ieiunemus frequenter, quoniam semper deus ipse ieiunat. In quocunque igitur plus operum suorum inesse perspecerit, ipsi magis familiaris intimus & amicus est, sicut scriptura dicit: Et Moyses loquebatur cum deo facie ad Exod. 33. faciem, sicut quis loquitur cum amico suo. Vnde & dominus Iesus Christus rresurrectionis gloriam præcepturus, virtutes suas quadraginta dierum noctiúmque ieiunio dedicauit, vt ostenderet non panem esse vitam hominum. His itaque dierum quadraginta ieiuniis recõciliatur deus, aperiuntur cœli, inferna reserantur. Igitur & nos fratres dilectissimi ieiunemus continuè & deuotè hoc spatio temporis, vt propitietur nobis dominus, pateant nobis cœli, inferna contra nos non valeant.

Exortatio ad plebem, & de eo quod scriptum est in euangelio, Sicut fulgur coruscans de cœlo, ita erit aduentus filij hominis. & de duobus in lecto vno.

Sermo XXVIII.

PAucorum admodum dierum occupatione detentus cœtui vestro videor defuisse, & alterius ecclesiæ necessitatibus euocatus, minime vobis studiũ solitum dependisse. Sed quanuis vobis non affuerim corpore, tamen à vobis amore non defui: & peregrinatus sum licet conuersatione membrorum, tamen vestri spiritus non fui peregrinus, nisi quod maiore intra me desiderio vos tenebam, vt quos aspectus mihi subtraheret, dilectio præsentaret: vel quos obtutibus non videbam, corde complecterer. Eram enim solicitus in dies singulos quemadmodum festinãter quotidie ad ecclesiã veniretis: & quanquam essem de vestra deuotione securus, trepidabam tamen, quia hoc ipsum quod in vobis noueram, nõ videbam. Hic enim affectus paternæ pietatis est, vt de absentibus liberis nõ tam certa spe gaudeat, quàm solicita cogitatione desperet, & simul ac eos videre desierit, amare plus nouerit: ac per hoc intelligimus quòd amor inter præsentes gratus sit, inter absentes molestus. Eram ergo de vobis anxius, mœstus & trepidus, ne quis me absente, per negligẽtiam caderet, ne quis diaboli insidiis laberetur. Memineram enim luporum rabiem absentibus, plus præualere pastoribus. Sed domino gratias, quòd & vos illæsos custodiuit, & paruitatem meam reuocauit incolumem. Igitur quoniam post tempus spiritualibus epulis reficere nos debemus, videamus quid euangelica lectio prosequatur. Ait enim dominus, sicut nuper audiuimus, de aduentus sui tempore: Sicut fulgur coruscãs de Luc. 17. cœlo, ita erit aduentus filij hominis. Et addidit in cõsequentibus: In illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & vnus relinquetur. duæ molentes in pristino, vna assumetur, & vna relinquetur. Mouet fortasse vos fratres, cur dominus aduentum suum indicans, noctis se tempore ostenderit adenturum. Vtique eius aduentum magna cum claritate diei, magno cum nitore & timore suscipi debere à cunctis, frequenter audiuimus sacris literis prædicatum: priusquam

Eadẽ verba habet Maximus episco. suis in sermonib.

quam dominus Christus adueniat, antichristum regnaturum, qui ita tenebras humano generi suæ prauitatis infundet, vt lucem veritatis nemo penè respiciat, & caligine propria operiens mentes hominum, cæcitatem quandam spiritualibus oculis exhibebit. Nec mirũ si diabolus emittat iniquitatis tenebras, cùm ipse nox sit omnium peccatorum. Ad huius igitur terræ caliginem depellãdam velut fulgur quoddam Christus aduenier. Et sicut lucẽte die nox subuertitur, ita coruscante saluatore antichristus effugatur, nec vlterius poterit disseminare iniquitatis suæ tenebras, cùm lumen veritatis effulserit. Quod ait autem: Illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & vnus relinquetur: hic iam resurrectionis meritum demonstratur, quod pro qualitate viuendi sit gratia resurgendi: ac tanta in singulis quibúsque resurrectionis esse distantia, vt duobus etiam pariter dormientibus, & in vna sede quiescentibus, æqualis non possit esse assumptio. Quanuis enim eodem cõsortij lectulo teneantur, pro meritis tamen alter eorum rapietur ad cœlum, alter relinquetur in terris. Lectus enim quidam noster communis est terræ huius amplissimum solum, in quo corpora nostra B deposita tutissima sede requiescunt. In hoc autem lectulo ille molliùs dormit, quisquis duriùs in vita se gesserit. Possumus enim ipsa mẽbra nostra lectulos nostros proprios nuncupare, in quibus animę nostræ veluti in quodam strato suauissime demorãtur. Quod quidem sanctum prophetam sensisse arbitror, cùm dicit: Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. Beatus enim est ille cuius stratum dominus in ipsius infirmitate conuertit, vt qui fuerit paulò antè adulter, iracundus & petulans, & cunctorum scelerum infirmitatibus plenus, fiat castus, humilis & modestus. De quo stratoque spiritualiter ad paralyticum dictum est à domino: Surge, tolle grabatũ tuum, & ambula. Nõ enim tam in eo admirationis aliquid erat vt cõfracti lectuli ligneam cratem portaret paralyticus, quã vt resoluti corporis membra & debilitate cõfracti, velut animæ suæ necessarium lectulũ paralyticus ipse gestaret, & corã positis Iudæis propriis abiret pedibus, qui manibus allatus fuerat alienis. In hoc planè, sicut dixi, cõpleta est prophetica illa sententia, Versasti stratum eius in C infirmitate eius. Vt versa vice portaret lectũ, in quo fuerat paulò antè portatus, vt anima illius quę prius vasculo corporis ferebatur, postea corpus suum ipsa vtilius circũferret. Potest etiam accipi quod ait: Erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & vnus relinquetur: Christianorũ plebs, & populus Iudæorũ, qui velut vno lectulo, hoc est, vna mãdatorum lege tenẽtur, & velut simili resurrectionis spe gloriãtur. Tũc igitur Christianorũ beatus populus assumetur in gloriam Iudæorum autem execrabilis cõuentus relinquetur in terra.

Ibidem. Psal. 40. Marci 2. Lucæ 17.

Item de eodem. Sermo XXIX.

Idẽ habet Maximus episcopus Mediolanen.

SVperiore dominica capitulum euãgelicum dissẽrentes, partem quãdam ex illo perstrinximus, superest vt sequentia decurramus. Descripsimus enim quid esset quod ait dominus, In illa nocte erũt duo in lecto vno, & reliqua. Nũc ergo videamus quòd reliquum est. Dicit enim eadem diuina sententia: Erũt duæ molentes in pistrino, vna assumetur, & vna relinquetur. Primũ igitur considerãdum est quomodo cõstet molentis officium: deinde quæ sint duæ quæ molere dicũtur: tertiò quod pristinum sit, quíve molitionis effectus. Nulli dubium est, quod molere aliter non constat nisi duobus lapidibus apparatis & conuenientibus sibi, vt alteri ex iis magnitudo alterius imponatur, & illum quidem lapidem qui prior solo sternitur, esse pigrum & tardũ, & penè, vt ita dixerim, ociosum ac nisi superioris participatione lapidis ornaretur, forsitan necessarius non videretur. Ita dum ille operatur, etiam iste vtilis inuenitur. Ille autem, id est, superior lapis, tanta velocitate operis circunfertur, vt fallens oculos in ipsa celeritate stare credatur, & putetur immobilis esse dũ currat, qui quãtò violentiùs actus fuerit, tantò opus perfectius consummatur. Ita ergo prior lapis stat, iacet, & penè nihil prodest: ille verò alter quæ inferuntur, cuncta suscipit quæ veniunt, vniuersa cõplectitur, & per cauernaculas quasdam vterq; quod operatur, acquirit. Qui molit autem, hoc habere videtur officij, vt peruigili cura granorum asperitate confracta, ex intimis eorum occultísque visceribus similaginem medullámque producat, & sordium leuitate discussa, in apertum proferat omne qnod purum est, ex quo mundissimum panem conficiens gratiam domini cõsequatur. Hos igitur duos molares lapides, duo esse arbitror testamẽta, hoc est, legẽ Moysi, & euangeliũ domini, quę ita sunt disposita vel parata, vt sibi testamẽtum vtrunque conueniat, sicut ait saluator: Nõ veni legẽ soluere, sed adimplere. Et ad vicẽ molarũ aliud prius solo positum, aliud insuper collocatũ. Hoc est legẽ primũ hominibus constitutã, deinde ad perfectũ euangeliũ. Quæ lex velut inferioris molæ saxum ita erat tarda, pigra, & penitus ociosa, vt quicquid operando acceperat, id omne perderiderit, dicente de Iudæis propheta: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonũ, non est vsq; ad vnum. Ergo nisi euãgelium superpositum fuisset, adhuc lex veluti tarda & grauis iaceret in terra Iudaica, & vnius ꝓuinciæ cooperiretur angustiis. Nisi euangeliũ, inquã, datũ esset, lex necessaria omnino non esset. Hoc autem lex operabatur sine euangelio, quod vno saxo fieri potest confringere poterat, non prodesse, sicut ait beatus apostolus: Lex autem iram operatur, gratiam vero non præstat. Stante ergo lege euangelium datum est, quod veteri superpositum testamento vtrunque condecorat, ac tanta velocitate operis circunfertur, vt volubilitate sui seculum omne circumeat, hoc est, inferna visitet, cœlestia penetret, terrena collustret. Quod euangeliũ tanquã superior cunctos credentes suscipit, omnes aduenientes accípit, & veluti per quasdã cauernulas præceptorum ad interiora transmitit, vt ibi hincinde duorum testamẽtorũ salutaribus mãdatis gẽtilitatis asperitate molita perducat omne quod purũ est. Quam similitudinẽ testamẽtorũ Ezechielem prophetã arbitror perstrinxisse cum dicit rotam in medio rotæ esse connexam. Harũ igitur molarum operatione, id est, noui ac veteris, testamenti, hoc agit sancta ecclesia cura peruigili, vt peccatorum asperitate discussa, ex occultis cogitationibus medullã mundi cordis eliciat, & cœlestibus mandatis mundata ex intimis spiritualia alimenta producat. De quibus alimentis Paulus apostolus ait: Lac vobis potum dedi, non escam. Et iterum: Perfectorum autẽ est solida esca, qui propter habitũ sensus exercitatos habent & reliqua: ac spiritum nostrum omni humanitate purificans, velut similaginem deo offerre contendit, sicut Dauid sanctus ait: Sacrificium deo spiritus contribulatus. Tanta autem velocitate circunfertur euangelium, vt non nisi sapientes cursum eius intelligant, quem beatus Paulus intelligens ait: Vt sermo dei currat & clarificetur in nobis: Insipientium autem oculis videtur euangelium stare cũ non vident. Stare, inquam, illud putant, cùm mãdata eius negligunt, cùm non credunt euentura esse quæ scripta sunt. Molit autem & synagoga, sed inutiliter molit, quippe quæ vno saxo, hoc est, solo veteri testamẽto nititur laborare atque ideo nõ tam molit illa quàm dissipat & confringit, Propterea enim opus eius displicet, & ad Iudæos dicitur per ꝓphetam: Et si offeratis similaginem, vanum est.

Ibidem. Marci 2. Lucæ 17. 1. Corinth. 10. Hebr. 9. Psalm. 50. 1. Timoth. 4.

De eleemosyna. Sermo XXX.

DIcit scriptura diuina, Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleemosyna extinguit peccatũ. Magna planè & cunctis ambienda sententia, quæ hominibus iam mortuis & peccatorum suorum incendio arefactis rediuiuũ quoddam beneficium pollicetur, vt interueniente eleemosyna, sicut aqua intermortuis, succus refrigerium arescentibus infundatur, hoc est, vt miseri homines qui in mortẽ peccatis aruerant, ad vitã eleemosynis reuiuiscant, sitque illis misericordia fons salutis, quibus auaritia fuerat mortis incendiũ, vt flammas quas sibi peccãdo incenderant, largendo restringuant, atque vtiliore cõmercio qui pecuniam quondam dederat vt adulteriũ perpetraret, nunc pecuniam eroget vt adulter esse iam desinat, & emat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum, Dicit enim dominus ad discipulos suos: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quanuis ergo pollutus, quanuis multis criminibus circũseptus, si eleemosynas feceris, innocens esse cœpisti. Abstergit enim eleemosyna quod auaritia polluebat, & maculam quam res alienas diripiendo

Ecclesi. 3. Lucæ 11.

713

diripiendo contraxeras, tuas erogando purificas. Vide ergo quæ sit misericordiæ gratia, quæ vna & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum. Videamus nãque interpretationem ipsius diuinæ sententiæ, vt intelligamus cui rei eleemosyna comparetur. Ait enim: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit delictũ. Aqua ergo misericordiæ comparatur, sed aquam inuenio de fonte procedere, necesse mihi est misericordiæ fontem quærere. Inuenio plane fontẽ misericordiæ, fons de quo dicit propheta: Quoniã apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumẽ. Ipse inquam, est fons qui in euãgelio à Samaritana muliere, sicut lectum nuper audiuimus, aquam postulat, sed peccata condonat: aquam putei reprobat, sed fontem vitæ perennis indulget. Ait enim: Omnis qui biberit ex hac aqua, sitiet iterũ. qui autem biberit ex aqua quam ego dabo illi, non sitiet in æternum. Aquam ergo saluator à muliere postulat, & sitire se simulat, vt sitientibus æternam gratiam largiatur. Neque enim poterat fons sitire, neque in quo est aqua viua, poterat vndam terrenæ fæcis haurire. Sitiebat ergo Christus? Sitiebat planè, non potum hominum, sed salutem sitiebat, non aquam mundi, sed redemptionem generis humani. Mirum igitur in modum fons super puteum sedens misericordiæ ibidem fluenta producit, & mulierem sexto iam non viro sed adultero fornicantem viui meatus vnda purificat, nouóque admirationis genere mulier quæ ad puteũ Samariæ meretrix aduenerat, à Christi fonte casta regreditur, & quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportauit, Statim etiam indicante domino sua peccata recognoscens, confitetur Christum, annunciat saluatorem, & relinquens aquæ vasculum ad ciuitatem non fert hydriam, sed refert gratiam. Vacua quidem videtur reuerti onere, sed plena reuertitur sanctitate. Plena, inquam, redit, quia quæ peccatrix aduenerat, reuertitur prædicatrix. Et quæ hydriæ vasculum amiserat, Christi plenitudinem reportabat, in nullo ciuitati suæ inferens detrimẽtum. Etenim si aquam ciuibus non intulit, tamen fontem salutis inuexit. Sanctificata ergo per fidem Christi mulier domum rediit. De hac igitur dixisse prophetam puto, Eiusmodi est iniqua via mulieris meretricis, quæ cùm se abluerit, nihil se dicit fecisse prauum. De hac planè dictum est, quæ postea quàm est fonte abluta saluatoris, delictorum vitia non meminit, virtutem prædicationis assumit, & viua aqua abstergens maculas suas ad euangelizandum nõ conscientia peccati retrahitur, sed fidei calore compellitur. Nihil enim se dicit fecisse prauitatis, dũ sit nũcia veritatis: & obliuione abnegat impudicitiam, dum deuotione prædicat castitatẽ. Hæc enim virtus Christi est domini, vt quamuis peccator qui eius vnda se lauerit, denuo in virginem reparatus non meminerit ante quod fecerit, & rediuiua natiuitate infantiæ innocentiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat, sitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.

Ecle. 3.

Psalm. 35.

Ioan. 4.

Prou. 30.

Item de eleemosyna, & de muliere Samaritana.

Sermo XXXI.

RETinet vestra dilectio ante dies aliquot cùm sermonem ad vos de eleemosynis faceremus primitus, nos originẽ misericordiarũ querere voluisse, & reperto earũ fonte virtutum ostendisse, quod mulieris Samaritanæ sordes melius Christi vnda diluerit, quàm Samariæ aqua purgarit, & quòd mundius misericordia deterserit peccata quàm puteus. Mundius planè misericordia quàm puteus detergit maculas, quia putei aqua tantum corporis cutem abluit, misericordiæ autem bonitas animæ interna purificat. Hoc etiam demõstrasse quod huic euangelicæ mulieri illa prophetica meretrix conueniret, quæ postea quàm viua aqua se lauit, obliuione possessa prauitatis, nitore puritatis exultat. Neque enim de meretrice huius mundi talem sententiam propheta diceret, cuius pollutio non solũ aqua non diluitur, sed etiã polluit ipsa quod tangit, dicente Apostolo: Qui autem se iungit meretrici, vnum corpus est. Quod si vnũ corpus tactu suo efficit, & incohærentem sibi ignominiæ suæ membra transfundit, quomodo potest purificari ipsa, cùm polluat? Quæ ergo sit ista meretrix, quæ ista Samaritana mulier, cuius adulterij sordes fons Christi detersérit, solicitiùs requiramus. Ego hanc mulierem ecclesiam esse puto de gẽtibus cõgregatam, quæ & trãsactis annis quinque milibus, cùm in sexto millesimo anno idolorum fornicationibus subiaceret, omnem ignominiam suam aduenière Christi fonte purgauit, & maculas quas adulterinis sacrilegiis cõtraxerat, fide saluatoris abstersit, ac relinquens sicut inanem hydriam priorẽ patrium cursum vniuerso orbi domini annunciauit aduentum. Hæc, inquam, illa est meretrix quæ posteaquam lota est, nihil se dicit fecisse prauum. Posteaquam enim ecclesia baptismi nitore purgata est, diabolicæ impietatis non meminit, religione veritatis exultat, factáque de meretrice virgo, non recordatur priorum, sed gloriatur in integritate. Ait ergo prophe ta, Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Sæpe quidem videmus hoc fieri, vt aqua effusa flammarum restinguat incendia: sed econtrario interdum videmus quòd immensi ignium globi aquarum fluenta consumant, & veluti ab aquis accepta esca vehementiùs rediuiuis ardoribus conualescant, ita vt videatur aqua non extinxisse incendia, sed auxisse. Quænam est illa aqua quæ consumit flammas, nec ipsa consumitur à peccatoribus, sed gehennæ consumit incendia? Quæ dum per baptismum infunditur, & ipsa in hominibus & tartari restinguit ardorẽ. Viuit planè in hominibus, sicut ait dominus: Aqua autem quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis, & reliqua. Mirum ergo in modum aqua Christus vna eadémque operatione & viuificat & extinguit. Viuificat enim animas, delicta restinguit, has lauacri sui refrigerio reparat, illas gurgitis sui vnda cõsumit. Et quod ad maiorem baptismatis pertinet gratiam, apud superos mysterium celebratur, & apud inferos gehenna restinguitur: hîc fluunt aquæ, & illic tepescit incendium: hîc in fonte homo mergitur, & illic de tartaro liberatur. Sed nec mirum si in baptismi sacramento aperiatur infernum, cùm tunc quoque referetur & cœlum. Aperiũtur enim hæc elementa, vt ad lauacrum Christi conueniat libertas & gratia. Libertas enim resurrecturis tribuitur, gratia regnaturis. Illi eruuntur de pœna, hi assumuntur in gloria. Illi qui erant serui peccati, liberi fiunt iustitiæ. Hi qui angustiis seculi tenebãtur, paradisi amœna percipiunt. In baptismo ergo Christi aperiuntur cœli, aperiuntur & tartara. Inde vt spiritus sanctus adueniat, illuc vt misericordia saluatoris accedat: deferatur de cœlo vita, mors à tartaro destruatur. Ita igitur eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ extinguit incẽdium. Ergo eleemosyna quodãmodo animarũ aliud est lauacrum, vt si quis fortè post baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei vt iterũ eleemosynis emundetur, sicut ait dominus: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Nisi, quod salua fide dixerim, indulgentior est eleemosyna quàm lauacrum. Lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur. Eleemosynã autem quotiens feceris, totiens veniam promereris. Hi ergo duo misericordiarum fontes sunt, qui & vitam tribuũt & peccata condonant. Qui vtrunque custodierit, regni cœlestis honore dotabitur. Qui autem maculato fonte viuo, ad misericordiæ se fluenta contulerit, & ipse misericordiam consequetur.

Ecle. 3.

Ioan. 4.

Luc. 11.

De hospitalitate in euangelio. Sermo XXXII.

ADuertit sanctitas vestra, fratres, euangelicam lectionem, quẽadmodum dominus discipulis suis inter cæteras exequendas virtutes etiam hospitalitatis iura præscripserit. Ait enim: In quamcunque ciuitatẽ introieritis, interrogate quis in ea dignus est, & ibi manete, donec exeatis, & reliqua. Sancta planè & diuina sententia, quæ & discipulis eligendi optionem primitus detulit, & facilitatẽ penitus amputauit. Prouidit enim modum statuendo, ne vir sanctus aut citus esset in iudicando, aut leuis in hospite commutando: sicut enim nobis permisit arbitrium, ita & voluit nos tenere constantiam. Quàm enim reprehensibile est vt vir qui euangelium annunciat, & docet errandum non esse, ipse per diuersos incipiat oberrare, & domum cui pacem dixerat, deserere: hospitem cui benedictionem intulerat, cõtristare? Magna enim hospitalitatis est gratia, nec facilè violanda, omnibus aperta est, omnibus parata est, & sanctos libentes suscipit, & peccatores tolerat patien-

Matth. 10.

1. Cor. 5.

tienter. Sed repetamus sanctã ipsam diuinámque sentẽtiam. Si enim in litera placet, & in mysterio forsitan plus placebit. Ait igitur, vt cùm intramus in ciuitatem, interrogemus quis in ea vel hospes dignus, vel idonea domus sit, & ibi maneamus donec dies profectionis adueniat. Quæ sententia altiorem nobis tribuit intellectum. Nõ enim mihi videtur de huius seculi hospite vel domo iussisse, nec tam diligenter inquirere, sed de illo magis qui nos vsque ad diem exitus nostri possit inoffensos, sospites, illæsósq; seruare. Nam huius seculi hospitem citò lædimus, citò offendimus, interdum ei & post triduum displicemus. Fidelis igitur domus, & hospes dignus inquiri iussus est. Quæ domus fidelior ecclesia? quis hospes dignior saluatore? Iste peregrinos vt filios suscipit, illa susceptos refouet vt infantes. Iste hospitibus, sicut experti sumus, pedes lauare gestit, illa mensam parare festinat. Quos enim saluator viua aqua refrigerat, hos reficit cœlestibus cibis ecclesia. Hunc igitur hospitem Euãgelista inquiri iussit, & vsque ad diem exitus nostri cum hoc habitare præcepit, ne aliqua leuitate medio tempore aliorsum forsitan emigremus, hoc est, qui semel in Christũ credidimus, non iterũ velut transgressores ad idola recurramus. Scriptum est enim: Nemo potest duob⁹ dominis seruire. Dũ enim vni placere gestit, alterũ sentit iratum. Christũ igitur hospitem desererre nõ debemus, quẽadmodum & Petrus apostolus cũ suis similibus, deserẽtibus aliis dominum non reliquit. Sed dicamus quòd ille ad saluatorẽ dixit: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternę tu habes, & nos credimus. Ecce executor cœlestiũ præceptorũ, qui quoniã Christi non mutauit hospitium, meruit cum Christo regni cœlestis habere cõsortium.

Matt. 6.

Ioan. 6.

In tempore ieiunij non luxuriandum esse. *Sermo XXXIII.*

DIximus superiore dominica hoc esse fidei nostræ opus primum, vt horum quadraginta dierum curriculo deuotissimè ieiunemus, & istam esse causam salutis nostræ, si hoc tẽpore abstinentiæ operam cõmodemus. Atque ideo fratres dilectissimi inspicere debemus quæ sit huius forma ieiunij, vt respiciamus quanta sit eius vtilitas. Est enim interdum inutile & inane ieiuniũ, quod licet ventrem & omnia viscera succo saturitatis exhaurit non tamen acceptum est deo, quia mentẽ & intimos sensus minimè vinculo iniquitatis euacuat. Quid enim prodest ieiunare visceribus, & luxuriare venatibus? abstinere cibis, errare peccatis? castigare corpus inedia, mentem exercere nequitia? vinum fortè non bibere, & ebrium cogitatione malignitatis incedere? nisi quod facilior causa est saturi siue temulenti, quàm iniqui pariter & ieiuni. Ille enim peccare aliquando desinet qui ebrius aliquando obdormit, hic autem errare non cessat qui exercitatus malis ieiuniis semper inuigilat. Vnde inutile & inane est tale ieiunium quod inedia mẽbra debilitat, & animam à perditione non liberat. De quo ieiunio dicit sanctus propheta ex persona domini: Vt quid mihi ieiunastis? non tale ieiunium elegi, dicit dominus. An putatis illum ieiunare fratres qui primo diluculo non ad ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum loca sancta perquirit, sed surgens congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus syluásq; perlustrat? Seruulos, inquam, secum pertrahit, fortasse magis ad ecclesiam festinantes: & voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nescíens reum se futurum tam de suo delicto, quàm de perditione seruorum. Tota igitur die venatibus immoratur, nunc clamorem immoderatum effert, nunc silentium latenter indicit, lætus si aliquid ceperit, iratus si id quod non habebat, amiserit: & tanto studio gerit, quasi ideo indictum ieiunium fuerit, vt venetur. In his ergo luxuriis, fratres, dicite quis cultus sit dei, quæ mentis possit esse deuotio: qui propterea ieiunat, non vt deo atque orationibus vacet, sed vt tota die ociosus & liber proprias exerceat voluptates? Quanuis igitur qui eiusmodi es frater, vespere ad domum redeas, quanuis declinante iam sole manduces, potes videri tardius te refecisse, non tamen domino ieiunasse: non enim potes videri voluptatem tuam exercens, fecisse domini voluntatem. Hæc enim voluntas est domini, vt ieiunemus à cibis pariter & à peccatis. Abstinentiam indicamus corpori, vt à vitiis magis animam abstinere possimus. Frenum enim quoddam est luxuriantis animæ corpus exhaustum. Quisquis enim ieiunat & peccat, lucrum escarum fecisse videtur, non salutis, & parcendo copiis, replesse cellarium, nõ mentem saginasse virtutibus. Nonnulli autẽ diuinorum immemores præceptorum ita circa seruos suos & subditos sibi potestatem dominationis exercent, vt in his diebus non dubitent flagris eos cædere, pœnis afficere, compedibus præpedire. Et si fortè cùm ad reficiendum venitur, tardius minister affuerit, statim eũ verberibus laniare, & prius se satiare seruuli sanguine, quàm conuiuij voluptate. Horũ tale ieiunium est, quod ideo ieiunatum est, non vt diuinitatis misericordiam prouocaret, sed vt clamorem familiæ ingemiscentis effunderet. Quisquis autem cupit de deo misericordiam promereri, ipse debet prior esse misericors. Scriptũ est enim: Quamensura mensi fueritis, eadem mensura remetietur vobis. Et quod magis dolendum est, Christianus dominus Christiano in his diebus seruo non parcit, minime respiciens quod etsi seruus est conditione, gratia tamen frater est. Etenim similiter Christum induit, iisdem participat sacramentis, eodem quo & tu vtitur deo patre, cur te non vtatur vt fratre? Sunt enim plerique qui de venatibus redeuntes, magis canum quàm seruorum curam gerunt, & faciunt eos iuxta se vel recumbere vel dormire, quotidianum illis cibum sui præsentia ministrantes: qui vtrum serui eius fame moriantur ignorant, & quod est grauius, nisi diligenter his præparatum fuerit, pro cane seruus afficitur. Vides enim in nonnullorum domibus nitidos & crassos canes discurrere, homines autem pallentes & titubantes incidere. Isti ergo misere rebuntur aliquando pauperibus, qui minimè suis famulis & domibus miserentur? Scire igitur debemus fratres hoc acceptum deo esse ieiunium, non solum vt abstinentia castigemus corpora, sed etiam humilitate animas induamus. Simus ad seruulos mites, blandi ad extraneos, misericordes ad pauperes. Surgentes primo diluculo ad ecclesiam festinemus, referamus deo gratias, peccatis veniam postulemus, rogantes præteritis delictis indulgentiam, cautelam futuris. Tota die sit nobis vel oratio vel lectio. Qui literas nescit, sanctum virum perquirens eius confabulatione pascatur, nulli actus seculi actus diuinitatis impediant, non ludus tabulæ mentem auocet, non voluptas canum sensus abducat, non negotij compendium animam auiditate peruertat. Quicquid enim aliud præter mandatum dei feceris, quamuis abstineas, non ieiunas. Hoc est enim salutare ieiunium, vt sicut abstinetur corpus ab epulis, ita & anima refrænetur à vitiis. Illud etiam fratres ad perfectionem ieiunij tacendũ non est, vt qui abstinemus & minimè prandemus, hoc tempore prandia nostra pauperibus prærogemus. Hæc enim est vera iustitia, si te esuriente de cibo tuo alius satietur, & tu prædictis tui ieiuniis dominum roges, & ille pro te satiatus exoret. Vtrũque tibi proficiens, & tua fames & saturitas mendicorum. Cæterùm qui sic abstinet, vt nihil pauperibus de suis epulis largiatur, videtur quæstũ sibi suũ fecisse ieiunium, & negociationem parcendo. Ad hoc enim abstinuit, non vt placeret deo, sed ne amplius erogaret. Atque ideo bona eleemosyna cum ieiunio, quasi non quoddam negociationis genus, vt tam parce viuat, vt abstinentia sua monachos clericòsque præcedat. Nisi hoc interest, quod illi hoc quæstus causſa faciunt, nos salutis: illi pecuniæ compendio animas macerant, nos propter animarum lucrum nostra corpora castigamus.

Esaiæ 58.

De quadragesima. *Sermo XXXIIII.*

NOnnulli Christianorum fratres existimentes se diuinitatis præcepta religiosiùs obseruare pretermissa deuotione quadragesimæ, cuius hodie curamus exordium, quinquagesimá se facere mẽtiuntur, cùm id neque diuinis literis iubeatur, neque traditum sit authoritate maiorum. Sola igitur hoc faciunt animi præsumptione: & dum putãt se deuotiùs agere, superstitiosiùs conuesantur. Dicit se obseruare quinquagesimam qui fortè quadragesimam implere vix possit. Bonum est quidẽ cunctis temporibus ieiunare, sed meliùs quadragesimá ieiunare cum Christo. Hanc enim quadragesimam nobis dominus suo ieiunio consecrauit. Quo dixi ieiunio, non ieiuniis.

iuniis. Vnum enim ieiunium domini fuit, quia continuatis quadraginta diebus & noctibus cibum omnino non sumpsit. Quisquis ergo Christianus consecratam ieiunando non impleuerit quadragesimam, præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quòd legem diuinitus pro salute sua datam prandendo ipse rescindit. Rescindis enim legem, qui exemplum ieiunij dominici non custodis. Qualis autem Christianus es, cùm domino ieiunante tu prandes? Qualis Christianus es, cùm Christo esuriente tu reficeris? Ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis ieiunare formidas? Dicite enim mihi, interrogo vos qui in quadragesima prandetis, si non in conscientiis vestris rei estis, quod abstinente toto populo vos soli contra præceptum domini deuoratis: si non vobis rubor est cum exitis in publicum, ne quis vobis ieiunus occurrat: aut si non cogitatis cum ad ecclesiam proceditis, quemadmodum pacem episcopo porrigatis, ne forte ipso spiritu oculi vestri vos reprobet? Quod si hæc non cogitatis forsitan, vehementer erratis. Scire enim debetis, cùm in quadragesimæ diebus ieiuno pransus occurrit, non bene de illo iudicat qui ieiunat. Hoc enim ideo dico, quia audio complures, quod grauius est, fideles, alternis in quadragesima hebdomadis abstinere, & consecratum illum dierum numerum gula intemperanti violare, hoc est prandere septem dierum curriculo, & septem dierum spatio ieiunare. Quibus hoc dico, cur etiam per illos septem dies fraudem sibi faciant ieiunando, cum illis ieiunium tale non prosit? Quanuis enim abstineat quis certis diebus, quanuis ciborum dulciora alimenta non sumat, non tamen illi accepto fertur quadragesimę ieiunium, quod non diebus quadraginta ieiunat. Pudet dicere, senes & aniculæ quadragesimam faciunt, iuuenes & iuuenculæ non faciunt. Omni igitur solicitudine tempus sacratissimum celebremus, non præteat nos dies absque ieiunio, non nos transeat vna hebdomada absque vigiliis. Ille enim facit quadragesimam, qui ieiunando & vigilando ascendit ad pascha. Nam sicut reliquo anno ieiunare præmium est, ita in quadragesima non ieiunare peccatum est. Illa enim voluntaria sunt ieiunia, ista necessaria: illa de arbitrio veniũt, ista de lege: ad illa inuitamur, ad ista compellimur. Sed videamus iste quadraginta dierum sacratissimus numerus vnde habere cœpit exordium. Legimus primum in veteri testamento Noe temporibus, cùm omne genus humanum scelerata iniquitas occupasset, tot dierum numero patefactis cataractis cœli aquarum pluuias defluxisse, & mysterio quodam quadragesimæ inundatione orbi terrarum facta, non tam diluuium quàm baptismum contigisse. Baptismum planè fuit, per quod in peccatoribus iniquitas sublata est, Noe iustitia conseruata. Ita ergo & modo nobis dominus illius temporis quadragesimam dedit, vt constituto dierum numero, patefactis cœlis pluuia nos misericordiæ cœlestis irroret, & inundatione facta per baptismum lauacri salutaris nos imber illuminet, & sicut tunc factum est, aquarum fluctibus extinguatur in nobis delictorum iniquitas, virtutum iustitia conseruetur. Ipsa enim quæ sub Noe, & modo vertitur ratio. Baptismum enim peccatori diluuium est, consecratio est fideli. Per lauacrum enim domini saluatur iustitia, necatur iniustitia. Quod in vno eodémque factum videmus Apostolo Paulo, qui priusquam præceptis spiritualibus lauaretur, erat blasphemus, persecutor, & Saulus. At vbi pluuia super eum lauacri cœlestis influxit, necatur blasphemus, necatur persecutor, necatur & Saulus, viuificatur Apostolus, viuificatur iustus, viuificatur & Paulus. Vsq; adeo autem perdidit veterem cum actibus hominem, vt cum moribus mutaret & nomẽ. Quisquis ergo in hac deuotione quadragesimæ dominica mandata seruauerit, necabitur in eo diabolica impietas, apostolica autem reseruabitur gratia, & succedens quodammodo sibi moritur ea parte qua peccator est, viuificatur ex illa parte qua iustus est. Videamus etiam si alibi in scripturis hunc mysticum quadragesimæ numerum possimus inuenire. Legimus quòd sanctus Moyses in eremo quadraginta annorum curriculo filios Israel cœlesti manna nutrierit. Bonus ergo numerus, qui semper cœlum aperit. Bonus inquam numerus, per quem iustitia Noe saluatur, & Israel filij saginantur. Vnde & nos obseruemus hunc numerum vt aperiantur nobis cœli, quatenus & pluuia nos gratiæ spiritualis irroret, & spiritualium sacramentorum manna reficiat. Instar enim patrum nostrorum hac obseruatione quadragesimæ & iustificamur & pascimur. Iustificamur lauacro, pascimur sacramentis. Sed dicet aliquis, filios Israel in eremo quando manna saturati sunt, minimè ieiunasse. Ego autem dico illos non nisi abstinẽtiæ tunc vacasse: atq; ideo cœlestis alimoniæ gratiam meruisse. Primùm, quia desertum omne ieiunium est, quia anxietas solicitudinis concupiscẽtiam repellit escarum: deinde, in eremo vnde accuratæ epulæ? vnde vina pretiosa? vnde quadraginta annorum tempore qualiscunque substantia? Intelligimus ergo ieiunasse filios Israel, quia cognoscimus illis escarum copiam defuisse, & tunc sumpsisse cibum, quando largienti domino placuisset. Satis autem diu ieiunat qui cum Christi voluntate se reficit. Vsque adeò verò abstinentia filiorum Israel in eremo placuit saluatori, vt quorundam etiam inter ipsos intemperantia notaretur: ita vt quisquis auidior duplum mannæ cibum sibi collegerat, hic hac iniuria feriretur, vt non tam cibum sibi inueniretur seruasse, quàm vermes, scilicet, vt quia supra moderatam refectionem concupierat, velut stimulis quibusdam conscientiæ in morem vermium vrgeretur. Igitur & nos fratres obseruantes quadragesimæ quotidiana & moderata ieiunia, & tanquam in eremo constituti, nihil deliciarum secularium cogitemus, nulla nos cupiditatum corporalium dulcedo solicitet. Simus sobrij, simus casti: habentes quidem conuersationem in vrbibus, possideamus mẽte desertum. Si ita abstinentes egerimus, erit vt cœlestis mannæ reficiamur alimonia, & nullis vermium stimulis compungamur.

Genes. 7.
Acto. 9.
Coloss. 3.
Exod. 16.

De ieiunio domini in deserto, & quomodo non in solo pane viuit homo. Sermo 35.

MEminisse debet vestra dilectio, hoc me anteriore dominica prædicasse, & dedisse rationem cur dominus quadragesimam ieiunauerit, vel cur ipsa ieiunia in deserto transegerit. Diximus enim hæc omnia obseruasse eum non iustificationis suæ causa, qui erat virgo per omnia, sed nostræ salutis gratia: vt quorum generatio per intemperantiam peccauerat, per abstinentiam sanaretur. Videamus igitur quid illo in tempore vel in ipsa solitudine gestum sit. Dicit enim euangelista affuisse ibi diabolum, & saluatorem eius versutia fuisse tentatum. Ait nanque sacra lectio, esuriisse dominum, & dixisse illi diabolum: Si filius dei es, dic lapidi huic vt fiat panis. Videte artem domini qua aduersarium fraude circumuenit. Post multa ieiunia esurire se simulat, vt diabolum quem ieiunando iam vicerat, iterum esuriendo solicitet. Spem enim illi congredien di ex infirmitate famis quodammodo tribuit, vt dum veluti contra imbecillem congreditur, glorioſius superetur. Hæc enim est vera victoria, vt quia Adam immortalem glorioſum & epulantem subuerterat, nunc ab homine mortali humili atque esuriente vincatur. Cernens enim esurientem diabolus dominum, hominem putat, dubitat saluatorem, & ideo ait: Si filius dei es, dic lapidi huic vt fiat panis. O misera satanæ & extrema congressio: diabolus in deserto tentationis solida arma non inuenit, deest illi de paradiso amœnitas arborum, deest illi consiliatrix Eua, deest illi pomorum speciosa deceptio, & quia non inuenit cibum quem offerret esurienti, postulat in cibum saxa mutari. Vndique excluſus, vndique defraudatus, ad pauimenta se confert. Satis enim manifestè ostendit vastitatem sibi eremi restitisse, cùm putat propter inopiam rerum etiam elemẽta posse conuerti. Postulat igitur in panem lapides commutari. Versutus & callidus scit quid petat, nouit factum esse quod dicit. Meminit enim in veteri testamento sitientibus aquam de lapide profluxisse, vult etiam hic esurienti cibum de lapide ministrare. Retinet enim duritiam petræ in liquorem fontium resolutam. Cupit etiam hic asperitatem saxi in panis dulcedinem transformari. Suspicatur enim ipsum esse Christum, qui hæc operari solcat de natura saxorum, sicut ait Apostolus Paulus, Bibebant de spirituali consequenti petra.

Matth. 4.
Ibidem.
Exod. 17. Num. 20.
1. Cor. 10.

Petra autem erat Christus. Suspicabatur inquam ipsum esse Christum cum postulabat vt de lapide panem faceret, sed putabat tantummodo solum hominem cùm esurientem videbat. Saluator autem versutiam eius mira responsione condemnat. Nec facit quod dicit diabolus, ne videatur pro arbitrio aduersarij virtutis suæ gloriam declarare. Nec tamen respondit non posse fieri, qui negare non poterat quod sæpe iam fecerat. Igitur nec aquiescit petenti, nec denegat exploranti, ac per hoc & potentiam virtutis suæ suo reseruat arbitrio, & versutiam aduersarij diuino confutat eloquio. Re-
Matth. 4. spondit ergo illi: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo dei: In quo sunt vitæ alimenta cœlestis. Verbum au-
Ioan. 1. tem dei Christus est dominus, sicut euangelista dicit: In principio erat verbum, & verbum erat apud deum. Quisquis ergo verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit. Nec enim potest seculi panem cupere, qui pane reficitur saluatoris. Habet enim dominus suum panem, imò panis ipse
Ioan. 6. saluator est, sicut docuit dicens: Ego sum panis qui de cœlo
Psal. 103. descendi. De quo pane dicit propheta: Et panis cor hominis confirmat. Quo ergo mihi panē quem offert diabolus, cum habeam panem quem Christus impartit? Quo mihi cibum per quem protoplastum deiectum memini, Esau primitiuis
Genes. 3. fraudatum vidi, Iudam Scarioth proditionis scelere denota-
Genes. 25. tum? Adam enim per escam paradisum perdidit, Esau per lentem honorem primatus amisit, Iudas per buccellam apostolatus sublime deposuit: ex quo enim buccellam sumpsit, non iam apostolus cœpit esse, sed proditor. Sic enim scri-
Ioan. 13. ptum habes, dicente domino: Cui intinctum panem dedero, ipse me tradet. Et continuò post buccellam introiuit in illum satanas: Non bonus cibus post quem negatur dominus, post quem ingreditur inimicus. Non bonus cibus post quem Christus respuitur, deuoratur Antichristus. Non bonus cibus qui benedictione caret, maledictione completur. Illa ergo esca nobis necessaria est quæ vitam præstat, quæ animam pascit, postquam sequitur Christus, inimicus excluditur. Illam escam accipere debemus quam saluator non diabolus subsequatur, quæ perceptione sui confessorem faciat, non proditorem. Quàm bene autem ieiuniorum tempore verbum dei dixit, eò quòd reficit, vt ostenderet ieiunia nostra non debere seculi actibus occupari, sed sacris literis exerceri. Negligit enim famem corporis qui pabula lectionis intendit, nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit. Ipsa est enim refectio quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cum de diuinis scripturis cibum eloquij perennis accipimus. Ipsa est esca quæ vitam æternam tribuit, & insidias à nobis diabolicæ tentationis excludit. Quòd autem sacrarum literarum lectio vita sit, do-
Ioan. 6. minus testatur dicens: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita est.

Item de quadragesima. *Sermo 36.*

ANte dies deuotionem sanctæ quadragesimæ prædicātes, sacrarum literarum exempla protulimus, quibus approbaremus hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum, nec terrena cogitatione inuentum, sed cœlesti maiestate præceptum. Atque ideo qui constitutum numerum vna die manducando præterit, non vt vnius diei violator accusatur, sed vt totius quadragesimæ transgressor arguitur. Vnde bonum est homini vt dictum numerum sine labore ieiunet, & totius quadragesimæ consequatur pariter sanctitatem. Hæc autem non tam sacerdotum præcepta quàm dei sunt. Atque ideo qui spernit, non sacerdotem spernit, sed Christum qui in suo loquitur sacerdote. Videamus igitur quo tēpore hanc obseruantiam nobis indixerit dominus, si non veluti per istam deuotionem cuncta elementa voluerit habere profectum. Ecce enim indicta quadragesima, constricta hyemali gelu terra resoluitur, & aquarum fluenta meatus suos glacie liquefacta recipiunt, sic quoque corporum nostrorum hoc eodem tempore contracta sceleribus peccata soluuntur, & vitæ nostræ purior cursus liquefacto rigore diaboli meatum suum pristinum recognoscit. Terra inquam indicta quadragesima asperitatem deponit hyemis, ego indicta quadragesima asperitatem reiicio delictorum. Illa terra aratris scinditur, vt mundanis sit congrua frugibus: mea terra ieiuniis exaratur, vt cœlestibus sit apta seminibus. Sicut enim reditum vberiorem capit qui frequentius vexādo exercet campum, ita maiorem gratiam percipit qui exercet corporis sui campum sæpius ieiunando. Ecce enim abstinentiæ tempore herba segetum reuiuiscit in messem, surculus arboris conatur in fruticem, palmes vineæ pubescit in gemmam, & omnia de inferioribus ad altiora se subrigūt: ita hoc eodémque tempore hominum spes intermortua reuiuiscit in posterum, fides perdita reparatur in gloriam, temporalis vita proficit in æternum, & omne genus humanum ad cœlestia se subrigens, ab inferis ad altiora consurgit. Modo ferrum gestans agricola sarmenta deputat vinearum. Ita & nunc euāgelium tractans episcopus sordes amputat populorum, & isto quadragenario curriculo vniuersæ hoc agunt creaturæ, quatenus depositis superfluis ornatæ vel comptæ in pascha proce
dant. Modo omnia sunt in partu, vt tunc reperiantur in fructu. Tunc enim contra naturæ speciem spina profert rosam, calamus fragrat lilium, suauitatē arida virgulta depromunt, & ita cuncta floribus adornantur, vt festiuitatem dici magni creatura ipsa nitore sui celebrare credatur. Igitur & nos hoc eodem ieiuniorum tempore producamus de spinis nostris rosas, hoc est de peccatis iustitiam, de seueritate misericordiam, de auaritia largitatem. Istæ enim spinæ sunt corporis nostri, quæ præfocant animam, de quibus ait scriptura: Spinas & tribulos tibi germinabit terra. Germinat enim Genes. 3.
mihi terra mea spinas, si me corporalis libidinis titillatione compungit. Generat mihi tribulos, cùm me diuitiarum seculariū cupiditate discruciat. Spina enim Christiano, auaritiæ suæ radix est. Spina viro bono honoris ambitio est. Videntur enim specie apud suos grata esse, sed lædunt. His ergo nisi vigilando & ieiunando carere non possumus, quin potius per abstinentiam ipsæ spinæ vertentur in rosam. Producit enim ieiunando libido castimoniam, superbia humilitatem, sobrietas parcitatem. Hi enim sunt flores vitæ nostræ, qui suaue Christo redolent, qui odorē bonum deo spirant. Vnde ait Apostolus: Quoniam Christi bonus odor sumus deo. Hanc ergo quadragesimam largitus est nobis dominus, vt huius temporis spatio in morem totius creaturæ nunc concipiamus virtutum germina, vt in die paschæ fructum iustitiæ proferamus. Hoc autem quadragenario numero se ipse dominus Christus exercuit, non vt profectum ipse caperet, sed vt profectum salutis nobis ostenderet. Nec enim erat in illo spina peccati, quæ verteretur in florem. Ipse enim erat flos natus non de spina, sed de virga, sicut ait Propheta: Exibit virga de radice Iesse, & flos de radice eius Esaiæ. 11.
ascendet. Virga enim erat Maria, nitida, subtilis & virgo, quę Christum velut florem integritate sui corporis germinauit. Continuatis ergo quadraginta diebus hæc ieiunia non esuriens dominus procurauit: sed dicit illum Euangelista esuriisse postea. Quomodo ergo potest fieri vt qui tot dierum Matth. 4.
numero famem sitimque non senserit, postea esurierit? Esuriebat planè, nec negare possumus quòd esurierit. Esurit enim non cibum hominum, sed salutem: nec escarum seculariū epulas concupiuit, sed animarū desiderauit cœlestium sanctitatem. Cibus enim Christi est redemptio populorum: cibus Christi est paternæ voluntatis effectus, sicut ipse ait: Ioan. 4.
Meus cibus est vt faciam voluntatem patris qui me misit. Vnde & nos esuriamus cibum non qui terrenis epulis apparatur: sed qui diuinarum scripturarum lectione colligitur. Ille enim corpus ad tempus nutrit: hic autem animam reficit in æternum.

Item de quadragesima. *Sermo 37.*

SI bene retinet fratres vestra dilectio, hac superiore dominica prędicauimus quòd sanctam quadragesimam abstinendo ipse dominus consecrauerit, & tot dierum noctiúmque curriculo cibum omnino non capiens, vnum ac solidum ieiunij corpus effecerit, quod in totum non obseruare, sacrilegum est: ex parte violare, peccatum est. Hoc enim fecit causa salutis nostræ, vt rem vtilem non solum doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret, vt iisdem vestigiis quibus ad fidem contri-

731

currimus,ad abſtinentiam graderemur. Sed videamus quæ cauſa ſtererit vt ieiunia ſaluator indiceret, & ipſe ſibi prius vt bonus humani generis medicus ieiunaret. Bonus enim medicus poculum quod ægro daturus eſt, prior guſtat, vt peritiam artis ſuæ antè in ſe ipſe demõſtret, & experimentum æger accipiẽs ſecurus ſit de poculo, ſecurior de ſalute. Deinde quo loci hoc ipſum tempus ieiunij procurarit. Dicit enim euangeliſta abſtinuiſſe dominum quadraginta diebus & noctibus in deſerto. Arbitror itaque cauſam hanc eſſe ieiunij, vt quia primus Adam in paradiſo conſtitutus per intemperantiam gulę gloriam immortalitatis amiſerat, eandem immortalitatem ſecũdus Adam Chriſtus per abſtinentiam repararet. Et quia contra mandatum dei guſtans de interdicta arbore peccatum mortis inciderat, nunc ſecundum mandatum domini ieiunans, vitæ iuſtitiam mereretur. Hoc enim agit ſaluator, vt iiſdem veſtigiis quibus admiſſa fuerint delicta, purgentur, hoc eſt vt quia homo manducando deliquerat, corrigat abſtinendo: vel quia epulando mulierem cognouerat, nunc eandem ieiunando deſpiciat. Adam enim non niſi intemperantia prouocante cognouit. Quandiu autem manſit in illis intemerata parcitas, manſit & impolluta virginitas: & quandiu ieiunauerunt ab interdictis epulis, tandiu & à pudendis ieiunauere peccatis. Fames enim amica virginitatis eſt, inimica laſciuiæ. Saturitas verò caſtitatem prodigit, nutrit illecebram. Igitur, ſicut dixi, hoc agit dominus, vt iis præiudiciis quibus homo obnoxius peccato fuerat, liberetur. Propterea nanque per omnia ſecundum ſimilitudinem Adæ naſci voluit, vt ſecundum ſimilitudinem omnia hominis peccata diſſolueret. Adam enim de terra virgine natus eſt, & Chriſtus de Maria virgine procreatus. Illius maternum ſolum necdum ſciſſum fuerat, iſtius maternum ſecretum nunquam concupiſcentia violatum. Adam dei manibus plaſmatur è limo, Chriſtus dei ſpiritu formatur in vtero. Vterque ergo oritur cum patre, vterque virgine vtitur matre, vterque, ſicut euangeliſta dicit, filius dei eſt, ſed Adam creatura eſt, filius Chriſtus verò ſubſtantia. Hoc ergo agit dominus ſicut Adam ſecũdus, vt quod prior homo manducando perdiderat, hoc alter ieiunando recipiat, ac legem in paradiſo abſtinentiæ datam in deſerto cuſtodit. Sciebat enim præceptum dei non vnius loci legem eſſe, ſed mundi. Non enim intereſt, diuinitatis mandatum vtrum domi an in agro cuſtodias, cum vbique ſit qui præcepit. In deſerto itaque ſaluator implet mandatum dei, vt ibi Adam ſaluaret errantem, vbi fuerat de paradiſi poſſeſſione proiectus. Adam enim expulſus de paradiſo, inculti mundi deſerta ſuſtinuit. In deſerto ergo primum homini ſalus refunditur, vbi non ſunt epulæ, vbi deſunt deliciæ, vbi (quod eſt omnium malorum cauſa) deeſt & mulier. Potuerat enim Adam inter illas paradiſi inconcuſſus ſtare delicias, ſi Eua ibidem cum diabolicis illecebris non fuiſſet. Conueniens ergo eſt deſertum ſaluti, vbi non eſt Eua quę perſuadet, non eſt mulier quæ blanditur. Videte rem miram, in paradiſo cum Adam diabolus dimicat, vbique inſidiatur homini, vbique congreditur: ſed vbi mulierem inuenit, vincit: vbi mulierem non inuenit, victus abſcedit. Formam igitur dedit nobis deus in hoc facto, vt ieiuniorum tempore tanquam deſertum habitantes abſtineamus epulis, voluptate, muliere, nec coniungatur nobis Eua, ne nos à caſta obſeruatione illecebroſa perſuaſione ſubuertat. In deſerto enim quodammodo videtur habitare qui quadrageſimæ tempore ieiunus & caſtus eſt. Deſertum planè quoddam ipſum corpus eſt Chriſtiani cùm non repletur cibis, non poculis irrigatur, ſed arentis inediæ ſqualore negligitur. Deſertum inquam eſt corpus noſtrum cùm abſtinentia marceſcit caro, ſiti pallor obducitur, & contemptu rerum totius hominis ſpecies inculta ſordeſcit. Tunc Chriſtus dominus habitat deſertũ pectoris noſtri, cùm noſtram terram fame ſqualidam ac ſiti aridam eſſe reperit, ſecundum quod ait propheta Dauid: Sicut in terra deſerta & inuia & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi. Aliter enim ſicut in ſancto ei apparere non poſſumus, niſi terra corporis noſtri fuerit deſerta mundanis deliciis, inuia diabolicis concupiſcentiis, & inaquoſa libidinoſis illecebris. Tunc habitans ſaluator hoc deſertum corporis noſtri, omnes ibi diaboli factiones exuperat, & ſecretum ac ſecurum à cogitationibus ſeculi eſſe ſuum facit habitaculum, vt deinceps nos intra noſmet ipſos veluti in ſolitudine conſtituti, non niſi cœlum reſpicia mus & terram, hoc eſt non cogitemus alium niſi cœleſtis regni dominum, & terrenæ reſurrectionis authorem.

Matth.4. Luc.3.

Item de ieiuniis, & quadrageſima. Sermo 38.

PRopitia diuinitate ecce iam penè trãſegimus quadrageſimæ indicta ieiunia, & præcepta Chriſti domini abſtinentiæ deuotione compleuimus. Supereſt nunc vt quemadmodum famuli eius Moyſes & Helias hunc ſacratiſſimum numerum obſeruando gratiam meruerunt, ita & nos hoc ipſum tempus cuſtodiendo mereamur, ſitque ſimilis remuneratio in perceptione præmij, quorum ſimilis labor eſt in obſeruatione ieiunij. Helias enim cùm eſſet clauſum humanis iniquitatibus cœlum, & nulla mundanis rebus deſuper pluuiarum ſtillaret vbertas, atque omnia longè ſiccitatis ſqualore languerẽt, & eſſet fames magna vniuerſo generi humano (quoniam enim cœlum pluuiam non dabat, nec terra pabulum germinabat) tunc Helias ſanctus reſeruit ieiuniis ſuis cœlum, terram orationibus fœcundauit. Illius enim ſiccitatem conuertit in pluuiam, huius ſterilitatem reſoluit in partum. Tãta enim eius precibus orbem terrarum imbrium largitas irrigauit, vt arida reuiuiſcerent, mortua reſurgerent, languentia ſanarẽtur. Et ita rebus cunctis fontium quidam meatus infuſus eſt, vt purificatione facta per pluuiam, omnia creaturarum vitia lauarentur, atque inundationis illius beneficio totius mundi ſpecies innouata conſurgeret. Igitur & nos eadem quæ Helias obſeruantes ieiunia, adhibitis precibus clauſum cœlum noſtris competentibus reſeremus, quatenus illos lauacri ſalutaris imber illuminet. Clauſum enim illis eſt cœlum, quandiu nondum de cœlo ſpiritus ſanctus aduenies eorum corda viuificat, ſiccitatem quodammodo patiuntur, quia nondum gratia baptiſmatis irrigantur. Laborant etiam fame magna, quoniam velut eſurientes cœleſtia ſacramẽta deſiderant. Reſeremus ergo illis cœlum, vt aduenie̅te deſuper ſpirituali pluuia, eorum terra lauacri irriguo ſatietur, & delictorum ſterilitate depoſita incipiant fructus germinare virtutum. Etenim cœleſtis imber vitia peccatorum diluit, iuſtitiæ incrementa producit, diſcutit aridum concupiſcentiæ puluerem, lætificat vtilem caſtimoniæ puritatem, obruit auaritiæ ſordidam fæcem, nutrit æternam miſericordiæ largitatem. Sicut enim ſuperueniente Heliæ pluuia omne pabulum terra produxit, ita & ſuperueniente Chriſti lauacro omnem iuſtitiam anima germinauit. Et ſicut illic pluuiarum fontes irrigauerunt orbem, vt viuificarentur herbarum mortificata iam ſemina, ita & fons baptiſmatis irrigat genus hominum, vt animarum mortificata corda viuificet. Hoc ergo obſeruantium iſta ieiunia eſt meritum, vt orationibus eorum aut innouetur mundus, aut fratres denuo renaſcantur. Reſerandum igitur competentibus noſtris eſt cœlum, quoniam adhuc clauſum eſt apud illos. Clauſum eſt enim cœlum, quoniam myſterium nondum peruident trinitatis. Clauſo enim ſibi cœlo, ſuper cœlum quid agitur ignorant, nec ſcire poſſunt quæ ſit filij patríſque ſubſtantia, niſi prius mundi elementa tranſcenderint. Tunc enim poterit quis trinitatis aſpicere diuina myſteria, cùm cœlos ſua virtute habuerit apertos, ſicut beatus Stephanus martyr reſeruit ſibi martyrio ſuo cœlos, & ſtantem vidit ad patris dexteram ſaluatorem, ſecundum quod ipſe ait: Ecce video cœlos apertos, & ſtantem Ieſum ad dexteram dei. Ergo cui clauſi ſunt cœli, agendum eſt, vt aperiantur illi, quatenus ſuper cœlos Chriſtũ poſſit aſpicere. Nam quandiu clauſi ſunt homini, Chriſtum non poteſt videre regnantem. Quemadmodum autem clauſi cœli aperiẽdi ſunt, inquirere nos oportet. Puto autem aliter eos aperiri non poſſe niſi claues Petri apoſtoli ſumpſerimus, quas domino largiente ſuſcepit, ſicut ipſe dixit: Tibi dabo claues regni cœlorum. Imò rogemus Petrum vt ipſe nobis tanquam bonus ianitor regiæ cœleſtis aperiat. Quæ autem iſta clauis ſit, diligentius requiramus. Clauem Petri fidem eſſe dixerim

3. Reg. 18. & 19.

Actuum 7.

Matth. 16.

Petri, per quam cœlos aperuit, penetrauit inferna ſecurus, maria calcauit intrepidus. Tãta enim apoſtolicæ fidei virtus eſt, vt cuncta illi elementa pateant, hoc eſt non illi angelicæ claudantur ianuæ, non portæ prævaleant tartari, non aquarum fluenta ſubſidant. Iſta autem ipſa clauis quam fidem dicimus, videamus quemadmodum conſtet, quemadmodum ſolida ſit. Arbitror illam duodecim artificũ operatione conflatam. Duodecim enim Apoſtolorum ſymbolo fides ſancta concepta eſt, qui velut periti artifices in vnum conueniẽtes, clauem ſuo conſilio conflauerunt. Clauem enim quandam ipſum ſymbolum dixerim, per quod reſerantur diaboli tenebræ, vt lux Chriſti aduenias: aperiuntur conſcientiæ clauſa peccata, vt iuſtitiæ fulgeant opera manifeſta. Igitur hæc clauis oſtendenda eſt fratribus noſtris, vt & ipſi tanquam diſcipuli Petri inferna ſibi reſeraret cœlos aperire conſueſcant.

De ieiuniis, & eleemoſynis. Sermo 39.

NON dubito frattes contriſtari vos quotienſcunque abſentem me à vobis neceſſitas facit. Dum enim quẽ diligitis non videtis, tanquam boni filij pietatis ſtimulis laboratis. Sed ego quanuis corpore vos interdũ deſeram, tamen vos ſpiritu non relinquo. Quocunque enim iero, dilectio veſtra me ſequitur: vbicunque fuero, ibi mecum veſtra fraternitas commoratur. Quiſquis enim in Chriſti mandatis permanet, neceſſe eſt vt Chriſti adhæreat ſacerdoti: & licet longè poſitus videatur, fit tamen proximus dum illum vnius fidei gratia repræſentat. Ille ſe ſanè ſeparatum à ſacerdotibus putet, qui actibus malis ſeparatus à Chriſto eſt. Atque ideo fratres vos qui mandatum ſaluatoris facitis, quanuis abſentes à me fueritis corpore, dilectione tamen mihi minimè defuiſtis. Ita quos ſeparabat longitudo terrarum, Chriſti gratia connectebat. Sunt autem nonnulli inter vos fratres, quorum licet vultus in eccleſia videamus, cor tamen in agris eſſe cognoſcimus: & præſentiam quidem eorum cõſideramus in plebe, ſed conuerſationem eorum inuenimus in rure. De terra enim ſemper cogitant, de terra tractant, quæ terrena
Geneſ. 3. ſunt ſapiunt. His conuenit diuina illa ſententia: Quia terra es, & in terram ibis. Qui ideo aliquando ad eccleſiam veniunt, non quia ex fide Chriſtiani ſunt, ſed ne Chriſtiani ab hominibus non putentur. Quibus cum ieiunium indicitur, de intemperie ſe temporis ſemper excuſant. Dicunt enim æſtiuis menſibus, dies longa eſt, torrentior ſol eſt, ſitim ferre non poſſumus, poculis nos refrigerare debemus. Hyemis verò tempore graue frigus eſt, rigores ſunt peſſimi, algorem tolerare nequimus, eſcis calefieri nos oportet. Ita homines quorum animus ſemper eſt in prandio, prandendi ſibi cauſas inquirunt: & dum ſe à ieiuniis excuſant, tempora creatoris accuſant. Dic mihi ô delicate Chriſtiane, qui æſtum ſolis ieiunando ferre non potes, nunquid æſtus quem ſuſtentaturus es, torrentior eſt gehenna? Nunquid hyems cui re-
Matth. 8. trudendus es, horridior eſt tenebris? In exteriores enim tenebras abiicientur peccatores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium: ſicut ait dominus. Stridor inquam dentium inſtar hyberni temporis erit in illis tenebris. Ergo ſicut penetrante algore hyemis, toto homines corpore contremiſcunt, ita & in terrueniente conſcientia frigida delictorum, graui peccatores dentium ſtridore quatientur. Ita miſer peccator dum hic hyberni rigorem metuit, ibi tenebrarum frigus incurrit. Dum hic æſtum ſolis euitat, ibi gehennæ ſuſtinebit ardorem. His autem ipſis hominibus cùm dixeris vt aliquid pauperibus largiantur, ſtatim tibi obiiciunt, neceſſitates infinitæ ſunt, tributa ſunt grauia, fiſcalia explicare non poſſumus. Et tanta tibi ingerunt, vt quaſi reum te ſtatuant cur hoc ipſum illos volueris commonere. Non intelligentes quòd omnibus neceſſitatibus, ſalutis ſit neceſſitas præferenda, & quòd tributum reddere, alij prodeſt: eleemoſynam facere, ipſi proficiat qui largitur. Tributi enim redditio illi præſtat beneficium qui accipit, eleemoſynæ autem operatio ſibi confert meritum qui miniſtrat. Tributi inquam redditio detrimentum infert ſoluenti, eleemoſynæ erogatio lucrum tribuit eroganti. Ditior enim fit vir miſericors poſtea quàm

minus habere incipit pauperibus largiendo. Beata igitur eſt eleemoſyna, quæ & accipientem reficit, & lætificat erogantem. Hilarem enim datorem diligit deus. Atque ideo me- 2. Cor. 9.
lius eſt illi prius dare. Lætus ergo & hilaris eſt qui pauperibus ſubminiſtrat. Rectè planè lætus eſt, quia per numulos paucos, æternos theſauros ſibi cœleſtes acquirit. Et contra ſemper triſtis eſt & mœſtus qui tributa diſſoluit. Nec immeritò triſtis eſt, qui ad ſolutionem non dilectione adducitur, ſed terrore conſtringitur. Chriſti enim debitor lætus, Cæſaris triſtis eſt, quia hunc ad ſoluendum amor cogit, illum pœna compellit. Hic præmiis prouocatur, ille ſuppliciis coarctatur. Dicit ſanctus Apoſtolus: Diuitibus huius 1. Tim. 6.
ſeculi præcipe non ſublime ſapere, & neque in incerto diuitiarum ſperare. Vides ergo ô diues quia ſunt tuæ incertæ diuitiæ: quid ergo aurum congregas, in quo nulla certa fiducia eſt? Auri tui auaritia ceſſet, & terra eſt: ſolidi tui cupiditas auferatur, & ſordes ſunt. Aurum enim & argentum vilis eſt & abiecta materies: vbi aurum increuit humana concupiſcentia, tunc & his ſpeciebus accreuit ambitio. Aurum enim & argentum non precioſum natura inſtituit, ſed hominum voluntas effecit.

De ieiuniis Niniuitarum. Sermo 40.

REgimus in prophetis cum Niniuæ ciuitati ſubuerſio diuinitus immineret, & iuxta ſententiam dei, deſtruendi illam tempus ingrueret, conſiſtentes in ea aliud non habuiſſe præſidium, niſi vt abiectis crapuloſis epulis, ieiunia continuata ſuſciperent, & diuitiarum ambitione ſepoſita, humilitate ſe pauperratis induerent, ſcilicet vt exinde remedium perciperent, vnde his perditio contingebat, hoc eſt vt iram diuinitatis quam luxuriando prouocauerant, abſtinendo lenirent: & offenſam quam in eos ſuperbia contraxerat, humilitas mitigaret. Dicitur enim in illa tribulatione ipſe rex depoſita imperiali pur
pura, regali ambitione ſubmota, membra ſua cilicio præcinxiſſe, atque in ſacco & cinere ſe diebus ac noctibus volutaſſe. Sapiens ergo rex, qui ſciret quemadmodum aduerſa ſibi ſuperare deberet: hoſtes enim virtute ſuperabat, deum autem humilitate vincebat. Sapiens planè rex, qui intelligeret quibus armis vteretur pro temporis qualitate. Cùm enim inſidiantur illi homines, apprehendit arma bellica: cùm iraſcitur ei deus, corripit arma iuſtitiæ. Sapiens inquam rex, qui pro ſalute ciuium peccatorem ſe magis cõfitetur eſſe quàm regem. Obliuiſcitur enim ſe regem eſſe, vbi deum regem omnium pertimeſcit: nec potentiæ ſuæ meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoſcit. Obliuiſcitur ergo ſe regẽ eſſe dum proiicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem veſtitur & ſacco, ieiuniis perſeuerat, orationibus immoratur. Mira res, dum ſe regem hominum eſſe non meminit, rex incipit eſſe iuſtitiæ. Religioſus igitur princeps nõ perdidit imperium, ſed mutauit. Principatum enim antè militaris diſciplinæ tenuit, nunc cœleſtium diſciplinarũ obtinet principatum. Non inquam perdidit imperium, quia ſiue ferro ſiue iuſtitia pro ciuium ſalute primus inuigilat. Primus planè inuigilat, quia vt tota ciuitas ieiunaret, famem ſibi rex primus indixit, & ſolus omniũ cauſa prior cœpit eſurire quàm miles. Neceſſe enim erat vt qui potentior cunctis fuerat, deuotior fieret vniuerſis. Exemplo igitur ſuo præparat religionis exercitum, non armis ſed ſola deuotione munitũ: iubet omnem ſexum, omnem ætatem à diurnis epulis abſtinere. Additur religioſo exercitui numerus, cùm in tali deuotione etiam infantia militare compellitur. Pietas enim eſſe creditur in tali cauſa, paruulis quoq; cibi ſubſtantiam denegare. Non enim ſufficiebat ad placandum deum peccantium ſatisfactio, niſi ſeniorum quoque peccata, paruulorum innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta ſua iuuentus abluere. Iſta autem fratres omnia in commonitionem noſtri facta eſſe netemo eſt qui neſciat, vt quotienſcunque tribulationibus permur gemur, ad hæc præſidia concurramus, vt puta aduerſarius imminet, inimicus in promptu eſt: ieiunemus, & vincamus. Solent quidam homines quotienſcunque neceſſitatem arduam nimis patiũtur, ad proximas gentes auxilij cauſa deſtinare

735

nare legatos. Nos, quod est melius, legationem ad deum per
ieiunia destinemus, ab ipso imploremus auxilia, ad ipsum
nos corde & orationibus conferamus. Auxiliū enim illi non
aliunde rogando petiuerunt, sed de suis ieiunādo viscеribus
exegerunt. Cur enim petat ab altero qui intra se potest inue
nire quod quærit? Quanto enim deo viciniores fuerimus,
tanto aduersarij nostri à nobis longius repellentur. Oportet
Psal.72. igitur proximos nos fieri deo, quoniam dicit propheta: Ecce
qui elongant se à te, peribunt. Quòd si à deo qui longè sunt,
peribunt: vtique qui sunt proximi, saluabuntur. Aliter ergo
proximi deo esse non possumus, nisi ad eum ieiuniis, oratio-
nibus & eleemosynis propinquemus: deus enim ipse mise-
ricors, ieiunus & sanctus est. Atque ideo qui vult proximus
deo esse, debet imitari hoc esse quod est deus. Tota igitur in
tribulatione Niniuitarum ciuitas ieiunauit. Bene dixi, tota:
non solùm enim senes, iuuenes & infantes, sed etiam pecu-
des legimus ieiunasse. Mira res, ieiunant pro ciuitatis pecca-
to, quæ peccati conditio non constringit. Vnde & nos fra-
tres temporum angustias sustinentes, omnes pariter ieiuna-
re debemus, & misericordiam dei cunctorum abstinentia
deplorare. Nam quale sit, hoc Christianū pro salute sua non
facere, quod pecudes pro hominū salute fecerunt? nisi quòd
stolidior pecude est qui indicto pro se à sacerdote ieiunio
non ieiunat. Nōne enim pecus est qui non intelligit quid il-
li immineat, quid incumbat? Et pecus quidem videns decli-
nat foueam, cauet præcipitia, tu autem non vis ieiunando pe
riculum declinare quod cernis? Desperationis enim genus
est, tunc te manducare cum abstinere debeas: tunc gaudere
cùm debeas deplorare. De hac desperatione Apostolus di-
1.Cor.15. cit, quod à nobis auertat deus: Manducemus & bibamus:
cras enim moriemur. Ieiunemus ergo fratres sine intermis-
sione, vt hostes nostros orationibus & abstinentia superare
possimus per dominum nostrum Iesum Christum.

De gratia baptismi. *Sermo* 41.

QVIA constat, sicut ante dies prosecuti sumus, Ie-
sum Christum non sui causa baptizatum esse, sed
nostri: debemus fratres dilectissimi, vobis cate-
chumenis loquor, gratiam baptismatis eius om-
ni festinatione suscipere, & de fonte Iordanis quem ille be-
nedixit, benedictionem cōsecrationis haurire, vt in eum gur
gitem in quem se illius sanctitas mersit, nostra peccata mer-
gantur, scilicet vt eadem aqua quę dominum circundedit, &
seruulos circunpurget, quatenus ex venerabili Christi laua-
cro nobis vnda sancta proficiat, & iisdem vestigiis atq; my-
steriis quibus benedictionem à saluatore est mutuata, nos
fœtu beatiore purificet, gratiámque quam à Christo susce-
pit, in Christianos refundat. Ergo fratres tingi debemus eo-
dem fonte quo Christus, vt possimus esse quod Christus.
Nam, quod salua fide dixerim, licet baptismum vtrunque sit
domini, tamen gratius puto hoc baptismum esse quo nos a-
bluimur, quàm illud quo saluator baptizatur. Hoc enim ce-
lebratur per Christum, illud celebratum est per Ioannem.
In illo se magister excusat, in isto nos saluator inuitat. In illo
iustitia semiplena, in isto trinitas est perfecta. Ad illud san-
ctus venit, sanctus egressus: ad istud peccator venit, & san-
ctus abscedit. In illo benedictio confertur mysteriis, in isto
mysteriis delicta donantur. Baptizari ergo fratres debemus
eodem gurgite quo saluator: sed vt eodem fonte mergamur,
non nobis orientalis petenda est regio, non fluuius terræ Iu
daicæ. Vbi enim nunc Christus, ibi quoque Iordanis est. Ea-
dem consecratio quæ orientis flumina benedixit, occiden-
tis fluenta sanctificat. Vnde & si nomen fortè fluuio aliud sit
de seculo, ineſt tamen illi mysterium de Iordane. Denique
iisdem sacramentis res agitur quibus & tunc gesta est, nisi
quòd gratia pleniore. Tunc enim trinitatem carnalibus o-
culis vidimus, modo eādem trinitatem fidei oculis contem
plamur. Tunc Christum vix humanus vultus aspexit, nunc
eundem mens humana complectitur. Tunc spiritus sanctus
velut columbæ specie hominem circunfudit, modo se in in-
teriora hominis ipsa virtute diuinitatis infundit. Tunc pater
à domino propter filium longo auditu vocis aduenit, modo
autem descendit ad nos pariter ipse cum filio. Plenior ergo
gratia est vbi deus non assumpta specie descendit ad homi-

A nes, sed propria substantia descendere dignatur ad filios. Ibi
enim tanquā incredulis fidem vult signis corporalibus per-
suadere, hic tāquam fidelibus gratiam spirituali virtute con-
ferre. Plenioris ergo gratiæ est deum videre sicut est deus,
quàm videre eum sic vt requiras eum. Hic est perfecta trini-
tas, ibi adhuc scrutanda diuinitas. Plenior igitur est gratia
deum propria virtute cognoscere, quàm in assumpta specie
suspicari. Faciamus ergo ipsi pro nobis quod deum videmus
fecisse pro nobis, faciamus circa nos quod fieri circa se Ioan
nes optauit. Quanto magis peccatores nos humiles & igna-
ri gratiam hanc debemus ambire. Videte misericordiam sal-
uatoris: hoc nobis spōte defertur, quod propheta postulans
non meretur accipere. Quid autem causæ sit quòd Ioannes
petierit Christi baptismum, & non acceperit, debemus ad-
uertere. Ait enim illi dominus postulanti: Sine modo: sic e- Matth.3.
nim decet nos implere omnē iustitiam. Scimus autem quòd
Ioannes Baptista typum legis gerebat: iustum ergo erat vt i-
pse baptizaret dominum, scilicet vt quemadmodum secun-
B dum carnem de Iudæis saluator est genitus, ita & secundum
spiritum de lege euangelium nasceretur, vt vnde succes-
sionem ducebat originis, exinde & traditionem consecrationis
acciperet. Hoc est igitur quod ait: Sic enim decet nos imple- Ibidem.
re omnem iustitiam. Iustum enim erat vt mandata legis quę
ipse condiderat, ipse compleret, sicut alibi dicit: Non veni le Matth.5.
gem soluere, sed adimplere.

De hostibus carnalibus non metuendis, & post cibum gratias deo referri debere. *Sermo* 42.

PRequēter admonui vos fratres, vt dum licet,
dum tempus in spatio est, saluti vestræ omni-
bus modis consuleretis, & in hac vita breui vi
tam vobis prouideretis æternam. Sapiens e-
nim quisque intelligit quòd hæc vita homini
non ad quietem data sit, sed ad laborem, hoc est, vt hic labo
ret, & in posterum requiescat. Hic autem requies nulla est.
Tantis enim malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius
mors remedio putetur esse, non pœna. Nam ideo breuem il
C lam deus fecit, vt molestiæ eius, quia prosperitate non pote-
rant, temporis exiguitate finirentur. Denique sanctus Iob di Iob 7.
cit: Piraterium est vita hominis super terram, hoc est, siue
quòd homines in hac vita omnia experiantur mala. Pirate-
rium enim Latinè experimentum dici potest. Seu certè pi-
raterium, quod in hac vita circa homines diabolus tāquam
pirata desæuiat. Piraterium enim habitaculum piratarū est.
Tandiu ergo in piraterio sumus, quandiu in hac carne positi
prædonum spiritualium tentationibus subiacemus, quam-
uis in hac ipsa vita etiam carnales nobis, qui sunt barbari, pi-
ratæ non desunt, minus tamen eos timeo, qui & si auferunt
patrimonia, non possunt auferre iustitiam: si aurum tollunt,
Christum tollere certè non possunt: si diripiunt argentum,
non possunt diripere saluatorem. Quis igitur non festinet
habere sibi Christum quem non possit ab eo nec prædo di-
ripere, nec hostis auferre, nec captiuitas separare? Qui enim
habet Christum, hominem non veretur inimicum. Quid e-
nim facturus sapienti? Pecora eius abducet? hoc etiam mor-
bi lues facere consueuit. Armenta diripiet? istud damnum
D ab actores tolerando iam didicit. Ipsum fortassis non illi ad-
mouet tædia, sed remouet: hoc enim illi intulit, quod maio-
re cum molestia febris afferret, præsertim cùm dicat domi-
nus: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem Matth.10.
non possunt occidere. Illi igitur spirituales plus metuendi pi
ratæ sunt, qui non solùm corpora hominum, sed & animas
spoliare consueuerunt: qui non tam aurum mundi, quam au
rum fidei auferre nituntur: qui non tam seculi substantiam,
quam Christi sapientiam deprædantur. Nam ipsi nobis spi-
rituales hostes hos carnales immittunt, vt probemur in tri-
bulatione positi, quàm simus confidentes in deo, quàm de
solo ipso remedium postulemus. Sunt enim quidam qui in
tribulatione positi dicant malis artibus hostes vincere, iisdem
eos artibus debere superari, desperantes de deo, à dæmonibus victoriam flagitantes. Miseri homines, nesciunt
quid faciant, quid loquantur. Dū enim rebus suis metuunt,
obliti sunt religionis ac fidei. Qui res quidem suas fortè non
perdent, sed quod est amplius, suas animas perdiderunt. Di-

Iob 2. cit ſanctus Iob: Si bona excipimus de manu domini, quare non mala tolerabimus? Hoc eſt, ſi bonis ſuperuenientibus iucundamur, quare non & aduerſis accidentibus confortemur? Aduerſa tolerare, ſapienti virtutis exercitium, inſipienti prævaricationis eſt occaſio. Dixi ergo frequenter vt in hac vita breui, vitam vobis prouideatis æternã: quod doleo cur hoc facere contemnatis. Cùm enim ieiunandum dicimus, prẽter paucos nemo ieiunat. Cùm eleemoſynas faciendum, maior auaritia vos conſtringit. Orare autem, & gratias deo agere quid ſit, pleroſque de vobis etiam arbitror ignorare, qui ſurgentes primo diluculo non niſi de prandio cogitent: cùm pranderint ſomno ſe tradant, nunquam diuinitati gratias referentes, quæ illis & prandium ad refectionẽ, & ſomnum dederit ad quietem. Vtique tu Chriſtiane ſi es vtilis, me miniſſe debes cuius panem comedis, & ei laudem dicere. Dic mihi, num ſi aliquid de tuo cuicunque largiris, expectas vt tibi gratias agat, vt benedicat domum de qua ei humanitas ſit tributa? Qui ſi fortè gratias non agit, quemadmodum à te denotatur ingratus? Ita ergo & à nobis expectat qui nos paſcit deus, vt pro præſtitis ab eo eſcis illi gratias referamus, & ſaturati donis ipſius laudes ei dicamus. Hæc enim beneficiorum eſt retributio diuinorum, vt cùm refecti fuerimus, bene nos confiteamur acceptos. Cæterùm ſi accipientes diuina munera, taciti & immemores fuerimus: tãquam ingrati & indigni eorum ſubminiſtratione fraudabimur: vt deum quem beneficiis non cognouimus, malis ingruentibus requiramus, & aduerſis ſtimulemur ad rogandum, qui proſperis gratias non egimus ad fruendum: ſicut nunc contingit vt qui in pace pigri fuimus ad laudes referendas, modo in tribulatione trepidi exiſtamus ad pericula deploranda.

Item de eodem. *Sermo* 43.

SAtis abundéque dixiſſe me credo ſuperiore dominica ad correptionem eorum qui diuinis muneribus perfruentes gratias non referunt creatori, & vtentes beneficiis cœleſtibus tãquam ingrati & indigni beneficiorum non remunerantur authorẽ. Ingrati inquam, qui deum nec quaſi ſerui metuunt dominum, nec quaſi filij honorificant vt pa-
Malach.1. rentem. Dicit per prophetam deus: Si dominus ſum, vbi timor meus? ſi pater, vbi amor meus? Hoc eſt, ſi ſeruus es, redde domino timoris obſequium: ſi filius, exhibe patri pietatis affectum. Tu autem cùm gratias non agis, deum nec dili gis nec vereris. Vnde aut contumax ſeruus, aut ſuperbus es filius. Qui eſt igitur vtilis Chriſtianus, ſemper debet patri ac domino ſuo laudes dicere, & in eius gloriam omnia procu-
1.Cor.10. rare, ſicut ait beatus Apoſtolus dicens: Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam dei. Videte quale viri Chriſtiani Apoſtolus voluit eſſe conuiuium vt magis fides Chriſti, quàm prandij ſagina comedatur, & plus reficiat hominem dominici nominis frequens inuocatio, quàm epularum multiplex & copioſa collatio, meliúſque paſcat eſurientem religio quàm ſagina. Omnia, inquit, in gloriam dei. Omnes ergo actus noſtros Chriſto vult ſocio vel teſte compleri, hac ſcilicet ratione, vt bona ipſo authore faciamus, mala propter ipſius contubernium declinemus. Erubeſcit enim mala facere qui ſcit Chriſtum ſe habere participem. Chriſtus autem in bonis adiutor eſt, in malis noſter eſt conſeruator. Ergo cùm diluculo ſurgimus, debemus priuſquam procedamus è cubiculo gratias agere ſaluatori, & ante omnes actus ſeculi, actus habere pietatis, qui nos quieſcentes & dormientes in lectulis cuſtodiuit. Quis enim niſi deus dormientem cuſtodit hominem? qui ita reſolutus in ſomnum, & oblitus ſui vigoris humani, à ſe alienus efficitur, vt neſciat quid ipſe ſit, vbinam demoretur, adeſſe ſibi certè ipſe non poſſit. Neceſſarius igitur deus adeſt dormientibus, quia dormientes ſibi adeſſe non poſſunt: & à nocturnis inſidiis genus hominum ipſe cuſtodit, quia id temporis ad cuſtodiendum alter nemo peruigilat. Debeo ergo illi gratiam qui vt ego ſecurus dormiam, ille peruigilat. Ipſe enim nos deus ituros cubitum quodam gremio quietis ſuſcipit, & theſauro pacis recondito ſeruat, & caliginum quadam tuitione in lucem defendit, vt malitia inimicorum hominum repellatur tenebris, quæ non poteſt benignitate de-

A pelli, & pacem feſſis præſtet obſcuritas, quam non præſtabat humanitas. Dum enim neſcit homo vbi ſuum aduerſarium perſequatur, pacem quam volens præſtare noluit, præſtat inuitus. Debemus ergo ſurgentes gratias Chriſto agere, & omne diei opus in ſigno facere ſaluatoris. Nõne cùm adhuc gentilis eſſes, ſolebas ſigna perquirere: quæ ſigna quibus rebus eſſent proſpera, magna inquiſitione colligere? Iam nũc nolo erres in numero, ſcito quia in vno ſigno Chriſti omnium rerum eſt tuta proſperitas. Qui in hoc ſigno ſeminare cœperit, vitæ fructum conſequetur æternæ. Qui in hoc ſigno iter facere aggreditur, ad cœlum vſque perueniet. In hoc igitur nomine omnes actus noſtri dirigendi ſunt, & ad ipſum totius vitæ noſtræ commotio referenda, quia ſicut ait Apoſtolus: In ipſo viuimus & mouemur & ſumus. Act.17.
Sed & cùm veſpera diem claudit, ipſi debemus per pſalterium laudem dicere, & gloriam eius modulata ſuauitate con
cinere, quo operum noſtrorum cõſummato certamine, velB uti victores requiem mereamur, & laboris quædam palma ſit ſoporis obliuio. Hoc autem vt faciamus fratres, non ſolum docemur ratione, ſed etiam admonemur exẽplis. Nonne enim videmus minutiſſimas aues cùm illuceſcentẽ diem aurora producit, in quibuſdam nidorum cubiculis varia dulcedine perſonare, & id ſtudioſè agere priuſquam procedãt, vt creatorem ſuum, quia loquela non poſſunt, ſuauitate demulceant: & quemadmodum vnaquæque earum quoniam confeſſione nequit, modulis prodat obſequium, ita vt videa
tur ſibi deuotius gratias agere, quæ dulcius perſonauit: hoc etiã peracto diei curſu ſimiliter facere? Quid ergo ſibi vult iſta certis temporibus diſpoſita cantilena, & iugis intentio, niſi gratiarum quædam ſit immoderata confeſſio? Paſtori enim ſuo auis innoxia, quia ſermone non poteſt, ſuauitate blanditur. Habent enim & aues paſtorem ſuum, ſicut ait dominus: Reſpicite volatilia cœli, quoniam non nent, neque metunt, & pater veſter qui eſt in cœlis, paſcit illa. At quibus tandem cibis paſcuntur aues? viliſſimis ſcilicet & terrenis.
Aues ergo propter viles eſcas gratias agunt: tu precioſiſſimis
C epulis paſceris, & ingratus es? Quis igitur non erubeſcat ſenſum hominis habens, ſine pſalmorum celebritate diem claudere, cùm ipſæ aues ad gratificandum pſalterij ſuauitate perſultent, & eius gloriam non verſuum dulcedine perſonare, cuius laudem volucres modulata cantilena pronunciant? Imitare ergo frater minutiſſimas aues mane & veſpere creatori gratias referendo. Et ſi es deuotior, imitare luſciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies ſola non ſufficit, nocturna ſpatia peruigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens operi tuo adde nocturna curricula, & inſomnem ſuſcepti laboris induſtriam pſalterij ſerie conſolare. Et quia de his auibus mentionem feci quæ noctibus vigilant, nolo te imitatorem eſſe noctuę, quę licet per noctem vigilet, per diem tamen pigra vel cæca eſt, quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, ſplendorem ſolis horreſcit. Mirum enim in modum illuminatur obſcuritate, luce cæcatur. Iſtud animal hæreticorum figura eſt atque gentiD lium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem ſaluatoris horreſcunt, & grandibus diſputationum oculis cernunt vana, non reſpiciunt ſempiterna. De his ait dominus: Oculos Pſal.113.
habent, & non videbunt: in tenebris ambulant. Sunt enim acuti ad ſuperſtitioſa, hebetes ad diuina, qui dum ſe putant ſubtilibus euolare ſermonibus, tanquam noctuæ veri lumi-
nis ſplendore turbantur.

De ſancto latrone. *Sermo* 44.

QVoniam heſterno die de latrone fecimus mẽtionem, videamus quis ipſe latro ſit qui in cruce domino cõſtituto non ſolum peccatorum ſuorum veniam conſequitur, ſed etiã paradiſi amœnitate donatur, vt qui propter ſcelera damnatus fuerat ad pœnam, propter fidem transferretur ad gloriã, fueritq; illi crux quam pertulit, non tam ſupplicij damnatio, quàm ſalutis occaſio. In cruce enim poſitus Chriſtum dominũ noſtrum credidit crucifixum. Et ideo qui conſortio paſſionis vtitur, conſortio paradiſi cõdonatur. Beatus enim latro dum ſupplicium patitur, regnum cœleſte conſequitur. Ecce reus dicitur, ſicut cui dãnari ad tẽpus expediuit. Nõ enim peruenire ad gloriam, ſi

739

si non contraditus esset ad pœnam. Videamus inquam cur tantorũ criminum reus tam citò à saluatore paradisum promeretur,cùm alij multorum temporum lachrymis frequentibúsq; ieiuniis vix delictorum suorum veniam consequantur.Magna fratres & multiplex causa est. Primum quòd iste latro deuotione fidei tam repẽte mutatus est, vt præsentem pœnam despiceret,ac de futura veniam precaretur,& magis crederet vtile sibi esse de æterno iudicio petere, quàm de tẽporali supplicio postulare.Reminiscens enim scelerum suorum,& pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod speratur, quàm sentire quod patitur: potuit enim nisi de futuris amplius cogitasset,qui in Christum semel crediderat,de præsenti magis supplicio deprecari.Deinde illud ad gratiam eius maioris est meriti,quòd Christum in cruce positum credidit:& passio quæ aliis scandalum fecit,illi ad fidem profecit. Crucis enim passio multis scandalum fuit,sicut dicit Apostolus:Nos autem prædicamus Christum crucifixum:Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Rectè ergo meretur paradisum,qui crucem Christi non putauit esse scandalum,sed virtutem.Dicit enim idem apostolus,Ipsis vocatis Iudæis Christum dei virtutem,& dei sapientiam.Rectè planè & dominus huic donat paradisum,quia quem Iudas Scarioth in hortulo paradisi distraxerat,hic in crucis patibulo confitetur.Mira res,confitetur latro quem discipulus abnegauit. Mira inquam res, latro honorificat patientem, quem Iudas prodidit osculantem.Ab hoc pacis blandimenta venduntur,ab illo crucis vulnera prædicantur.Ait enim: Memento mei domine cum veneris in regno tuo.Hęc est fidei plena deuotio, vt cùm de vulneribus domini profluens sanguis cernitur,tũc de potestate eius venia postuletur:cùm videtur eius humilitas, tunc magis timeatur eius diuinitas: cùm morti addictus putatur,tunc regis illi honorificẽtia deferatur. Iste enim fidelis latro non credidit moriturũ quem annunciat regnaturum:non putat subdẽdum inferis,quem dominaturum confitetur in cœlo: non arbitratur eum apud Tartarum detineri, à quo se etiam postulat liberari.Cernat licet eius hiantia vulnera,spectet ipsius sanguinem profluentem,deum tamen credit quem reum nescit, iustum fatetur quem non meminit peccatorem. Ait enim illi alteri exprobranti latroni:Nos quidem rectè digna factis recipimus,hic autem nihil mali gessit.Intellexit enim quòd pro alienis peccatis has plagas susciperet, pro alienis sceleribus hæc vulnera sustineret: & sciuit quòd illa in corpore Christi vulnera non essent Christi vulnera,sed latronis:atque ideo plus amare cœpit postquam in corpore eius sua vulnera recognouit. Ait enim propheta:Quoniam ipse infirmitates nostras portat & pro nobis dolet. Nos autem existimabamus eum esse in dolore, liuore eius nos sanati sumus. Plus ergo in cruce positus, liuorem eius cernens latro diligit deum. Mira res, plus in cruce latro Christum diligit, quàm Iudas dilexit in cœna.Ille per cibum supplantat magistrum,hic credidit dominum per dolorem, sicut ait propheta: Qui edebat panes meos,adampliauit aduersum me supplantationem.Cognouit igitur hic latro omnem dei passionem ex ipsius fieri voluntate, & in potestate eius esse vel morti animam tradere, vel ad vitam iterum remeare, sicut ipse ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Vsque adeo autem illum liberum ab inferni legibus iudicauit,vt etiam se ab his posceret liberari.

Item de eodem sancto latrone. *Sermo* 45.

MEminit fratres vestra dilectio me dedisse rationẽ cur tantorum criminum inueteratus latro,& scelerum suorum cõfessione damnatus, paradisum in ipso supplicij patibulo potuerit promereri, & tanta fuerit celeritate saluatus,vt peccata eius gratia præuenerit antequam pœna, & prius in malis suis gloriari cœperit,quàm puniri. Non enim patitur supplicium, dum paradisum promeretur. Petro dicitur à Christo: Non potes me modo sequi,sequêris postea.Et huic dicitur:Hodie mecum eris in paradiso.Tanquam discipulus ille differtur,& hic tanquam socius inuitatur. Ille adhuc reseruatur ad præmium, etiam ad cõsortium iste deligitur.Non potes,inquit,me modo sequi.Impossibile est Petro sequi dominum,etiam facile

A latroni est esse cum domino. Hodie mecum eris in paradiso.Non in aliud differtur tempus,non in diem alteram reseruatur. Ipsa hora qua paradisus deum suscepit, suscepit & latronem:vnus passus est pro salute cunctorum,& duobus pariter immortalitatis ianua reseratur. Sed hanc tantam gloriam latroni fides præstitit.Fides enim est quæ peccata cooperit,quæ vincit crimina, quæ facit de latronibus innocentes:quanuis enim delinquentium grandis culpa sit, fidei tamen maior est gratia.Plus enim credidisse Christo,quàm se culo deliquisse,& plenioris est meriti veniam sperasse de domino,quàm culpam contraxisse de mundo.Sicut enim perfidia criminosum fecit:ita fides perfecit innocentem.Denique Iudas posteaquam fidem perdidit, innocentiam apostolatus amisit: omnium enim cirminum reus factus est posteaquam virtutum omnium dominum denegauit. Sicut ergo sufficit isti ad scelera deseruisse Christum: ita illi sufficit ad innocentiam domino credidisse.Facit igitur & fides innocentes latrones,& perfidia apostolos criminosos. Magna igitur & perfecta fides in illo latrone fuit. Magna planè est B & admirabilis fides quæ Christum crucifixũ glorificari magis credidit quàm puniri. In hoc enim totius forma salutis est.Saluatorem tunc maiestatis dominum recognoscit,cùm videtur humilitatis patientia cruciari. Vnde ait Apostolus: Si cognouissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent.Hæc inquam perfecta fides est,Christũ in cruce deum non reum credere.Vnde ille latro iustificatus est,quia saluatore in patibulo constituto Iudæis insultantibus, & vel criminosa dicentibus:Libera teipsum si potes:ille certus de diuinitate eius,& securus de voluntate se magis postulat liberari.Magna inquam fides in illo latrone fuit,& sanctis apostolis comparanda, nisi quòd & fortè præcesserit: præcessit etenim deuotione, qui præcessit & præmio. Prior enim latro ad paradisum quàm apostoli peruenerunt.Denique Petrus dominum sequitur,& iste comitatur. Dominus autem secundum fidem & meritum tribuit,& remunerationis obsequium.Omnes enim,sicut legimus, in passione saluatoris C discipuli trepidarunt, omnes eum penè cùm traderetur reliquerunt, factum est sicut scriptum est: Percutiam pastorem,& dispergentur oues gregis.Denique fidem Petrus nec admonitus potuit custodire:totiens lapsus est, quotiens ne laberetur admonitus.Et nisi modum quendam tertio denegandi ei dominus statuisset,forsitan sæpius interrogatus,sæpius abnegasset. Tantam enim trepidationem discipulis intulit passio saluatoris, vt quod apostolo Christus antè prædixerat, ancilla destrueret, & magis præualeret ostiaria ad perfidiam,quàm apostolus ad cautelam.Non bona ostiaria, quæ Petrum ideo in domum sacerdotis includit,vt à fide saluatoris excludat.Malè Adam induxit Eua, malè Petrum introduxit ancilla.Illa exclusit à paradiso, hæc exclusit à Christo. Illa persuasione sua virum decepit, hæc interrogatione sua apostolum circunscripsit. Illa ad præuaricandum Adam impulit,hæc Petrum compulit ad negandum.Et idem sexus in vtraque ostiariæ officium gerens aut excludit à vita, aut includit ad mortem.

De pœnitentia Petri apostoli. *Sermo* 46.

D DIximus fratres quòd ad similitudinem Euæ Petrum ostiaria mulier quoque deceperit, & sicut Adam fœmina circunscripsit, ita & apostolum fœmina circunuenerit. Vsitatus enim ad decipiendum sexus est, fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus recognouit. Fideles verò non nisi per mulierem oppugnare consueuit. Ibi Adam per Euam superat, hîc Petrum vincit per ostiariam.Fuit enim, sicut legimus in paradiso delitiarum diabolus:nec defuit,sicut intelligimus, in prætorio Iudæorum.Ibi imminebat satanas serpens, hic Iudas coluber perurgebat. Est ergo eadem similitudo deceptionis in Petro quæ in Adam fuit, quoniam eadem est & similitudo mandati. Accepit enim à domino vterque mandatum, Adam ne tangeret, apostolus ne negaret. Ille ne lignum scientiæ præsumeret, hic ne crucem sapientiæ præteriret.Sed transgrediens vterque præceptum pari modo delinquũt. Gustat ille quod non licet, loquitur iste quod non decet, & tamen facilior nega-

tio Petri,quàm Adæ præuaricatio.Citius enim apostolo quã protoplasto subuenitur.Hunc etenim deus ad vesperum requirit errantem, illum dominus pullorum cantu denegantem.Adam reus facti nudus erubuit,Petrus conscius * dicti correctus ingemuit.Ille tanquam deprehensus festinat ad latebras,hic tanquam emendatus prorũpit ad lachrymas.Velut latenti enim & celãti à diuinitate Adæ dicitur, Adam vbi es?Non quòd Adam cõspectum domini latere potuerit,sed quòd peccatrici conscientiæ nullus locus tutus vel certus sit dum metuit deprehendi.Respexit dominus,& apertis oculis eius emendauit errorem.Rectè oculis emendat,quia scriptum est:Oculi domini super iustos & aures eius in preces eorum.Ergo Petrus prorupit ad lachrymas, nihil voce precatus.Inuenio enim quod fleuerit, non inuenio quod dixerit.Lachrymas eius lego,satisfactionem non lego.Rectè planè Petrus fleuit & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari:& quod defendi non potest,ablui potest.Lauat enim lachryma delictum quod voce pudor est confiteri. Lachrymæ ergo verecundiæ consulunt pariter & saluti, nec erubescunt in petendo,& impetrant in rogando. Lachrymæ inquam tacitæ quodammodo preces sunt: veniam non postulant,& merentur:causam non dicunt, & misericordiam consequuntur:nisi quòd vtiliores lachrymarum preces sunt quàm sermonum,quia sermo in precãdo fortè fallit,lachryma omnino non fallit . Sermo enim interdum non totum profert negotiũ , lachryma semper totum prodit affectum. Et ideo Petrus iam non vtitur sermone quo fefellerat, quo peccauerat,quo fidem amiserat,ne per id ei non credatur ad confitendum quo vsus fuerat ad negandum,ac per hoc mauult causam suam flere quàm dicere , & quod voce negauerat,lachrymis confiteri.Inuenio autem & aliud cur tacuerit Petrus, ne tam citò veniæ postulatio per impudentiam plus offenderet quàm impetraret.Solet enim citius mereri indulgentiam qui verecundius deprecatur . In omni igitur culpa antè flendum est , sic precandum . Scimus iam hoc exemplo quemadmodum nostra peccata curemus.Ecce nihil nobis apostolus nocuit quod negauit , & plurimum profuit quòd emendauit . Denique imitemur eum dicentem alibi. Cùm enim tertio interrogaretur à domino,Simõ amas me? Respondit tertio, Domine tu scis quia diligo te. Ait dominus, Pasce oues meas . Et hoc tertio , quod quidem dictum ad compensationem prioris profecit erroris . Qui enim dominum tertio negauerat, tertio confitetur: & quotiens culpam delinquendo contraxerat , totiens grãtiam diligendo conquirit.Videte ergo quantum fletus profuerit Petro: antequam fleret, lapsus est : posteaquam fleuit, erectus est : & qui ante lachrymas præuaricator extitit,post lachrymas pastor assumptus est: & alios regendos accepit,qui priùs seipse non rexit.

De fide Petri Apostoli. Sermo 47.

Struximus superiore dominica sanctum Petrum in saluatoris passione sine erroribus profeciſſe,& posteaquam negauit dominum deum,fuisse meliorem.Fidelior enim factus est postquam fidem se perdidisse defleuit , atque ideo maiorem gratiam reperit quàm amisit . Tanquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi antè infirmus fuerat , fieret omnibus firmamentum : & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat , cæteros fidei stabilitate fundaret . Denique pro soliditate deuotionis ecclesiarum petra dicitur, sicut ait dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo ecclesiam meam.Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molémque contineat.Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur,& petra pro virtute dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus:Bibebant autem de spirituali consequenti eos petra.Petra autem erat Christus . Rectè consortium meretur nominis,qui consortium meretur & operis.In eadem enim domo Petrus fundamentum posuit,Petrus plantat,dominus incrementum dat , dominus irriguum subministrat. Petrus enim tentationibus suis proficit,fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Sic nãque in mari dum super vndas te-

merarius viator ingreditur,nutat incessũ,sed conualescit affectu:periclitatur corpore,sed deuotione non labitur: mergitur pedibus,sed Christi dextera sustentatur:sustentat fides quem vnda mergebat : & quem fluctuum procella turbabat,saluatoris dilectio confirmabat.Ambulauit enim in mari Petrus magis dilectione quàm pedibus . Non enim videbat vbi pedum vestigium poneret, videbat autem vbi figeret vestigium charitatis.In naui enim positus considerat dominum,& amore eius ductus descendit in mare : non cogitat labentes aquas,non fluenta currentia: & dum Christum respicit,non respicit elementum.Credit fide etiam inter vndas solidum inuenire vestigium,iactetur licet fluctibus mare,ventis pelagus conturbetur,non tamen turbatur Petri semita,quæ ducit ad dominũ. Ambulat igitur super aquas Petrus,& sub pedibus eius mollis vnda non cedit.Legimus in veteri testamento filios Israel per mare rubrum siccis itineribus ambulasse,& ad securitatem gradientium , ne laberetur vnda,in soliditatem quandam eam fuisse mutatam. Quanto hoc melius vbi ambulante Petro nec mutatur vnda , nec labitur,nec solidatur aqua,nec refugit? Melius inquam est,vbi eadem vnda quæ fluctuat, & sustentat : vbi idem gurges qui mergitur,& famulatur. Illic vt portaretur per mare populus Israel,meatum suum natura perdiderat : hic portatur in aquis Petrus,& cursum suum fluenta non perdunt.Temerarius ergo viator Apostolus noui itineris viam carpit,modo curuati gurgitis molem ascendit, modo subsidẽtis sitius vndam descendit,& inter marinos fluctus ascensus illi itineris descensúsque non deest : sed vbi turbatus ventis, exagitatus procellis incipit timere quod credidit, statim ei gurges subtrahitur,vnda subducitur,mox defatiscente fide fatiscit semita:tunc exclamans dominum Iesum,saluum se fieri deprecatur:quem apprehensum manu saluator liberat, & obiurgat, dicens:Modicæ fidei,quare dubitasti? Hoc est, cur tam paruæ fidei es,vt qui credendo mare ambulare cœperas,non id perseuerando trãsires?Scriptum est enim:Qui perseuerauerit vsque in finem,hic saluus erit.Sed dum cunctaris & dubitas,iter quod ingressus fueras, perdidisti. Cur inquam tam modicæ fidei es,vt non ea fide qua venire cœperas,peruenires?Intellige ergo quia in mari credulitas te portabat,perfidia summergebat . Igitur fratres sanctus Petrus dũ fluctuat, dum mergitur,dum periclitatur, sic peruenit ad dominum, ostendens nobis quod non nisi per pericula properatur ad Christum.Multi enim diabolici fluctus sunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia , à quibus ita liberari possumus,si clamantibus manum suam saluator extenderit. Nos ergo clamare ad dominum non cessemus , ille auxilium solitum non negabit.

De sepultura domini. Sermo 48.

Esterna die satis accepisse vos credo fratres dilecti tractatibus domini & fratris nostri præsentis episcopi,qui tanta facundia res diuinas disseruit,vt prædicatio eius plena fuerit sacerdotij gratia, oratoris eloquentia, institutione doctoris.Nec mirũ si is qui in pontificio primatus honorem obtinet,obtineat etiam in prædicando primatus eloquium, & virtutes dei quas sancti pectoris arcano depromit,fœcundi sermonis oratione commendet , atque ideo paruitatem meam scio auribus vestris minus solito placituram. Quis enim contẽtus sit potare de riuulo,cùm possit haurire de fonte?Terra enim aquarum tenuem rorem omnino non suscipit posteaquam eam largus pluuiarum imber infuderit.Sic igitur vestra dilectio inundata sancti sacerdotis eloquio,sermonis mei patietur vile fastidium.Quãuis enim doctus vir, quamuis disertus orator, elinguis videbitur si cœperit loqui præsente meliore:sed tamen habet solatium suum ista confusio.Nihil enim ruboris est comparatione summi sacerdotis displicere minimum sacerdotem, præsertim cùm iuuare me possit beatorum insigne consortiũ.Si enim Dauid vnius societate sancti alterum sanctum fieri posse promat, dicens: Cùm sancto sanctus eris: cur ego me , quanuis imperitum, quanuis peccatorem , non putem fieri posse prædicatorem virtutum domini tantorum consortio magistrorum? Igitur quoniam beatissimus frater noster sanctorum apostolorum laudes

* Delicti

Genes.3.

Psal.33.

Ioan.21.

Matth.16.

1.Cor.10.

Ioan.11. Exodi.14.

Matth.14.

Matth.10. & 14.

Psalm.

743

laudes magno est prosecutus eloquio, debemus & nos ipsius sepulturam domini prædicare: vt quia vnius corporis membra videmus similibus obsequiis procurata, similibus quoque integrum corpus prædicationibus exornetur. Videamus ergo de domini corpore postea quàm de cruce deponitur, quid geratur. Accepit illud Ioseph ab Arimathia vir iustus, sicut ait euangelista, & in nouo suo sepeliuit monumẽto, in quo nondum quisquam positus erat. Beatum er go corpus domini Christi, quod cùm nascitur, vtero virginis gignitur: cùm recedit, iusti tumulo commendatur. Beatum planè corpus, quod virginitas peperit, & iustitia custodiuit. Custodiuit illud Ioseph tumulus incorruptum, sicut seruauit illud Mariæ vterus illibatum. Hic enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur sanctitas, vbiq; virginitas: pudica ergo & virgo vulua, & virgo est sepultura. Quin potius ipsam sepulturam vuluam dixerim: est enim similitudo non parua. Sicut enim dominus de matris vulua viuus exiuit, & de Ioseph viuus sepultura surrexit: & sicut tunc de vtero ad prædicandum natus est, ita & nunc ad euangelizãdum renatus est de sepulchro: nisi quod glorioſior ista est quàm illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale. Post illam natiuitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cœlos. Religioſior planè ista est quàm illa natiuitas. Illa enim totius mundi dominum nouem mensibus in vtero clausum tenuit, hæc autem triduo tantum tumuli gremio custodiuit. Illa cunctorum spem tardius protulit, hæc omnium salutem citius suscitauit.

Luce 23. Ioan. 19.

De accusato domino apud Pilatum, & de Susanna. *Sermo* 49.

MIrum forsitã videatur vobis fratres, cur dominus apud præsidem Pilatum à principibus sacerdotum accusetur, & taceat, nec nequitiam eorũ sua responsione conuincat, cùm vtique ingestam accusationem non nisi refellere soleat subsecuta defensio. Mirum inquam sit fratres, quod arguatur saluator, & taceat. Taciturnitas enim interdum pro consensu habetur. Videtur enim confirmare quod obiicitur, cùm non vult respondere quod quæritur. Accusationem ergo suam dominus tacendo confirmat? Non planè accusationem suam tacendo confirmat, sed despicit nõ refellendo. Bene enim tacet, qui defensione non indiget. Ambiat defendi qui metuit superari: festinet loqui qui timet vinci. Christus autem cùm condemnatur, & superat: cùm iudicatur, & vincit: sicut ait Prophe-
Psalm. 50. ta: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Quid ergo opus erat ei loqui ante iudicium, cui ipsum iudiciũ erat plena victoria? Vincit enim cùm iudicatur Chri-
Matth. 27. stus, qui sic innocẽs approbatur. Vnde ait Pilatus: Innocẽs ego sum à sanguine huius iusti. Melior est igitur causa quæ non defenditur, & probatur: plenior iustitia est quæ nõ vere adstruitur, sed veritate fulcitur. Taceat lingua necesse est, vbi ipsa æquitas sibi adest. Taceat lingua in bono negocio, quia & malas causas obtinere consueuit. Nolo sic defendi iustitiã, sicut solet iniquitas excusari. Quod vincit Christus, nõ orationis est, sed virtutis. Scit enim saluator, qui est sapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo nõ respondendo superaret, atque ideo causam suam mauult comprobare quàm dicere. Quæ enim res illum compelleret ad loquendum, cùm silentium satis sufficeret ad vincendum? Sed fortasse metus eum cogeret, ne salutem perderet, nisi quòd ipsa erat tota causa victoriæ. Suam enim salutem perdidit,
Daniel. 13. vt salutem omnium lucraretur. In se vinci maluit, vt victor esset in cũctis. Sed quid de Christo loquar? Susanna mulier inimicos suos tacuit, & vicit. Non enim apud Danielem iudicem verborum se ratione defendit, nõ patrocinij sermone tutata est, sed in sancta fœmina tacente lingua pro ea castitas loquebatur. Castitas enim Susannæ affuit in iudicio, quæ eam defendit & in paradiso. Ibi enim pudori eius consuluit, hic saluti: ibi ne macularetur pudicitia, hic ne innocentia damnaretur. Castitas ergo Susannæ & presbyteros & impudicos cõuicit in paradiso, & in iudicio falsos accusatores obtinuit. Bisque victrix reos facit testimonij, quos reos fecerat adulterij, atque tandem iudicem meretur castitas Danielem puerum iuniorem necdum pubescentis ætatis. Multum igitur de deo pudicitia consequitur, cùm iudicem virginem promeretur. Secura enim est de victoria castitas, cui est iudicatura virginitas. Pudicitiæ autem causam nisi vir pudicus audire non debuit: talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia. Cognito igitur Daniel Susannæ negocio, cùm eam falsis accusationibus vellet plebs imperita damnare, ait idem: Mũdus ego sum à sanguine huius. Quo dicto peccantis populi reuocauit errorem. Hac ergo voce circa Susannam Daniel vtitur, qua circa dominum vsus est & Pilatus. Ait enim Pilatus: Mundus ego sum à sanguine huius iusti. Eadem igitur sententia soluitur pudicitia, qua est absoluta iustitia: sed Daniel melius quàm Pilatus. Ille enim pudicum sanguinem nõ condemnat, sed liberat: hic autem iustum sanguinem & confitetur, & tradit. Quid enim profuit testimonium perhibuisse innocentiæ, & velut reum addixisse nequitiæ, nisi quod grauius paccatum est, vnum eundémq; & pronũciare iustum, & tradere criminosum? Ipse enim iniquitatis suæ testis est, qui ore absoluit, & corde condẽnat. Lauerit licet manus suas Pilatus, tamen sua facta nõ diluit. Et quanuis abstergere se putauerit iusti sanguinem de suis membris, eo tamen sanguine mens eius tenetur, infecta. Ipse enim occidit Christum qui eum tradidit occidendum. Iudex enim constans & bonus, ne sanguinem innocentis addiceret, nec inuidiæ cedere debuit, nec timori. Daniel ergo melius quàm Pilatus. Ille peccantis populi reuocauit errorem, hic autem furentis synagogæ sacrilegium confirmauit.

Ibidem.

Matt. 27.

Item de eodem. *Sermo* 50.

ANte dies prosecuti sumus sanctæ Susannæ iudicium simile admodum fuisse iudicio saluatoris, & iisdem criminationibus laborasse memoratæ castitatem fœminæ, quibus Christi laborauit integritas. Similiter enim persecutores in Susanna passa est pudicitia, sicut & in Christo passa est iustitia. Illa enim dum in adulterio conuincit presbyteros, ipsa tanquam adultera retinetur: hic dum in sacrilegio arguit Pharisæos, ipse tẽquam sacrilegus accusatur. Quod quidem sacrilegium in Pharisæis maius adulteriũ vocari potest. Grauius est enim religionis adulterum esse quàm corporis: & plus est integritatem diuinitatis lædere, quàm integritatem hominis violare. Condemnatur ergo Susanna, cõdemnatur & dominus. Illa, quia castitatem corporis tuebatur, hic quia religionis castimoniam defendebat, Similis igitur erat in vtroque causa iudicij, nisi quòd meliore vsa est iudice Susanna quàm dominus. Hunc enim præses iudicat, hanc propheta. Hunc audit vir qui Pharisæorũ seditionibus terrebatur, hanc audit puer qui sancto spiritu replebatur. Iste quod sentit, constanter pronunciat, non defendit. Susannæ enim iudex quam absoluit, & liberat: domini cognitor quem absoluit, damnat & tradit. Simile ergo fuit penè per omnia Susannæ dominique iudicium. Siquidem nec accusatio in iis fuerit ipsa dissimilis. Susannam enim seniores deferunt, dominum Iudas accusat. Illam doctores sui, hunc discipulus proprius criminatur. Susannam inquam pseudo presbyteri arguunt, prodit pseudo episcopus saluatorem. Episcopus enim & Iudas fuit, sicut ait Propheta de eodem dicens: Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. Sed nec locus fratres in vtra que causa videtur esse dissimilis. Susanna enim in paradiso ab accusatoribus circunuenitur, dominus in ortuli paradiso à traditoribus circundatur. Illa ibi insidiatores patitur, iste hîc sustinet proditorem. Videamus autem exitum vtriusque iudicij. Susannæ accusatores tanquam falsi testes prophetica sententia feriuntur, & eiusdem criminis puniuntur rei, cuius damnare innocentis sanguinem gestiebant. Domini autem traditorẽ non inuenio à iudice esse damnatum. Non enim damnat eũ Pilatus, nõ damnat populus, sed quod est grauius, se ipse condemnat, & cessante iustitia iudicatur. Quem enim alter iudicat, potest vt cũque esse excusabilis: reus autem sine excusatione est qui conscientiæ suæ iudicio condemnatur. Quem alter iudicat, potest quandoque à suo iudice sperare indulgentiam: qui se ipse iudicat, à quo indulgen-

Psal. 108.

dulgentiam postulabit? Referens enim Iudas dominici san-
Matth. 27. guinis precium ait Iudæis, Peccaui quòd tradiderim sanguinem innocentem. Magnum igitur dominicæ innocentię testimonium est, dum accusator eius & confitetur de scelere, & reus est de mercede. Dum enim miser refudit venditionis precium, putat se facinoris sui soluere posse contractum. Sed nec iste absoluitur. Dum enim author venditionis suæ reus est, cõstat istos sceleratum cum sacrilego iniisse contractum. Sua ergo sententia Iudas proditor condemnatur. Mirum fortè sit vobis quòd non eum populus iudicauerit, non præses addixerit. Hoc sacrilegi solet esse iudicium, vt impietatem suam ipse dum recordatur, & puniat: scelus suum dum recognoscit, & vindicet. Omnium enim supergreditur sententias qui à sua conscientia, sua sententia condemnatur. Hoc inquam sacrilegi solet esse iudicium, vt conscius facti ipse se damnet, sicut ait Apostolus Paulus
ad Titũ 3. de hæretico dicens: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit proprio iudicio condemnatus. Ipse enim se damnat hæreticus, cùm de ecclesia ipse se proiicit, & de cœtu sanctorum nullo compellente procedit. Ipse enim ostendit quid mereatur à cunctis, qui suo iudicio se paratur à cunctis, Ipse inquam se damnat hæreticus, quia cùm omnes criminosi, episcopi sententia proiiciantur de consortio Christiano, hæreticus cuncta præueniens sententia suæ voluntatis abiicitur. Tali ergo hæreticus quali & Iudas pœna damnatur, vt idem sui & reus sit sceleris, & iudex sit vltionis. Tali inquam hæreticus quali & Iudas pœna damnatur, nec immeritò, quia dominum quem ille vendidit, iste blasphemat: quem ille persecutoribus tradidit quoti die iste persequitur. Persequitur enim hæreticus dominum, cùm diuinitatem ei derogat, & asserit creaturam.

De Iuda Scarioth. *Sermo* 51.

RE tinet dilectio vestra nos hoc proxima dominica prædicasse, quòd Iudas Scarioth propria sententia condemnatus, ad pharisæos dominici mercedem sanguinis reportarit, & actus pœnitentia refuderit venditionis precium, sed conscientiæ suæ non resoluerit scelus. Denique post redditum precium laqueo se suspendit, vt qui se mulctauerat pecunia, mulctaret & vita. Intelligens enim quantum scelus admiserit, non sufficit ei sacrilegij carerę mercede, nisi careret & salute. Dignum enim se morte iudicauit quod Christum vitam omnium tradidisset. Seuerissimus igitur iudex sui Iudas vel in vlciscẽdo confitetur quem negauerat in tradẽdo. Restituit ergo pecuniã pharisæis, sed nec pharisęi eam libẽter accipiunt. Dicunt enim illicitum sibi esse in suis eam habere thesauris. Videte
Matt. 27. igitur quanta vis dominicæ sit pecuniæ, quam inde Iudas reiicit, hinc pharisæi in loculos non recludunt. Iusti enim sanguinis precium pertimescit iniquitas possidere: consilium tamen ineunt pharisæi, vt ex ea ager figuli comparetur, in quo peregrinorum corpora collocentur. Quod quidem prouidentia factum puto, vt precium saluatoris nõ peccatoribus sumptum præbeat, sed peregrinis requiem subministret: nõ sacrilegis sit ad luxum, sed defunctis sit ad sepulchrum, vt iam exinde Christus & viuos sanguinis sui passione redimat, & mortuos precioſa passione suscipiat. Precio ergo dominici sanguinis ager figuli comparatur. Legimus in scripturis quod totius generis humani salus redempta sit sanguine sal
1. Petri 1. uatoris, sicut ait apostolus Petrus: Non enim redempti estis corruptibilibus auro vel argẽto, sed precioso sanguine agni incontaminati & immaculati Iesu Christi. Igitur si precium vitæ nostrę sanguis est domini, vide ergo quia illo non tam redẽpta sit agri terrena fragilitas, quàm totius mundi in
Ioan. 3. columitas sempiterna, Ait enim euangelista, Non enim venit Christus vt iudicet mũdum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Vide inquam ne pecunia illa non tam comparata sit agri parua portio, quàm totius mundi copiosa possessio, si-
Psal. 2. cut ait Dauid propheta: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. Ager ergo iste mundus hic totus est, in quo nos dispersi & disseminati domino fructũ boni operis germinamus. Sed fortasse perquiras à me, si ager mundus est, quisnam sit figulus qui

A mundi possit habere dominatum? Nisi fallor, ipse est figulus qui vascula corporis nostri fecit è limo, de quo dicit scriptura: Et fecit deus hominem de limo terræ. Ipse est figulus qui carnium nostrarum cœnosum lutum vapore sui spiritus animauit, & materiem fluidam atque terrenam ignito calore decoxit. Ipse inquam est figulus qui nos per manus suas formauit ad vitam, per Christum suum reformauit ad gloriam, sicut ait Apostolus, Ad eandem imaginem reformamur de gloria in gloriam, scilicet vt qui à priore factura propriis vitiis corruimus, in secunda natiuitate figuli huius misericordia reparemur, hoc est qui per Adæ transgressionem morte concidimus, per saluatoris gratiam denuo resurgamus. Ipse planè est figulus, de quo dicit beatus Apostolus: Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, cur me fecisti sic? Et iterum: Nũquid non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Ex eodem enim luto corporis nostri deus pro meritis singulorum alios reseruat ad pœnam, alios ad gloriam. Istius itaque figuli ager Christi sanguine emptus est peregrinis.
B Peregrinis inquam qui erant sine domo, sine patria, & toto orbe exules iactabantur, requies Christi sanguine prouidetur, vt quibus non est in mundo possessio, iis in Christo sit sepultura. Istos autẽ peregrinos quos esse dicimus nisi deuotissimos Christianos, qui renũciantes seculo, & nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt? Christianus enim qui mundum non possidet, hic totum possidet saluatorem. Ideo autem peregrinis Christi sepultura promittitur, vt qui se à carnalibus vitiis tanquam peregrinum, & alienum custodierit, is Christi requiem mereatur. Sepultura enim Christi quid est aliud, nisi requies Christiani? Nos ergo peregrini in hoc mundo sumus, & tanquam hospites in hac luce versamur, sicut ait Apostolus dicẽs: Etenim dum
2. Corin. 5. sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino. Peregrini inquã sumus, & nobis saluatoris sanguinis precio empta est sepultura. Consepulti enim sumus, sicut ait Apostolus, cum
Coloss. 2. illo per baptismum in mortem. Baptismum igitur Christi nobis est sepultura, in quo peccatis morimur, criminibus se
C palimur, & veteris hominis conscientia resoluta, in alteram natiuitatẽ rediuiua infantia reperamur. Baptismum inquam saluatoris nobis est sepultura, quia & ibi perdim⁹ ante quod viximus, & ibi denuo accipimus vt viuamus. Magna igitur sepulturæ huius est gratia, in qua nobis & vtilis mors infertur, & vita vtilior condonatur. Magna inquam huius gratia sepulturę, quæ & purificat peccatorẽ, & viuificat morientẽ.

De die sancto Paschæ. *Sermo* 52.

NO N immeritò fratres hodierna die psalmus hic legitur, in quo Propheta exultandum præcipit & lætandum. Omnes enim creaturas ad huius diei festiuitatẽ Dauid sanctus inuitat. Nam in hac die per resurrectionem Christi aperitur Tartarus, per Neophytos ecclesiæ innouatur terra, cœlum per spiritum sanctum reseratur. Apertus enim Tartarus reddit mortuos, innouata terra germinat resurgentes, cœlum reseratum suscipitascendentes. Deniq; ascendit latro in paradisum, sanctorum corpora ingrediũtur in sanctam ciuitatem, ad viuos mortui
D reuertũtur, & profectu quodam in resurrectione Christi ad altiora cuncta elemẽta se tollunt. Tartarus quos habet reddit ad superos, terra quos sepelit, mittit ad cœlum, cœlum quos suscipit, repræsentat ad dominum. Et vna eadẽmque operatione saluatoris passio eleuat de imis, suscitat de terrenis, collocat in excelsis. Resurrectio enim Christi defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Omnem ergo creaturam ad festiuitatem resurrectionis Christi Dauid sanctus inuitat. Ait enim exultandum in hac die quam fecit do
Psalm. minus & lætandum. Sed dicit aliquis, si in die gratulandum est, iis vtique gratulandum est quos dies ipsa complectitur. Cœlum autem & Tartarus extra huius mundi diem sunt cõstituta. Quomodo igitur possunt ea elemẽta ad festiuitatẽ huius diei vocari, quæ huius diei ambitu non tenentur? Sed hic dies quem fecit dominus, penetrat omnia, vniuersa continet, cœlum & terram Tartarúmque complectitur. Lux enim Christus non parietibus obstruitur, non elementis diuiditur, non tenebris obscuratur. Luxiaquã Christi dies

747

sti dies est sine nocte, dies sine fine, vbique splēdet, vbique A
radiat, vbique non deficit. Quod autem iste dies Christus
Roman.13. fit, Apostolus dicit: Nox præcessit, dies autem appropinqua
bit. Præcessit, inquit, nox, non sequitur: vt intelligas super-
ueniente Christi lumine, & diaboli tenebras effugari, & pec
catorum obscura non subsequi, & iugi splendore præteritas
caligines depelli, surrepentia delicta prohiberi. Nam quia
hic dies Christus, cœlum, terram, tartarúmque collustrer,
scriptura testatur. Quod enim super terram fulgeat, dicit Io
Ioan.1. annes: Erat lux vera, quę illuminat omnē hominē veniētem
Esaiæ 9. in hunc mūdum. Quod in inferno luceat, ait propheta: Qui
sedebant in regione vmbræ mortis, lux orta est illis. Quod
Psalm.88. in cœlis iste permaneat, refert Dauid dicens: Ponam in secu
lum seculi semen eius, & sedem eius sicut dies cœli. Quis au
tem est dies cœli nisi Christus dominus: de quo dicitur per
Psal.18. Prophetam, Dies diei eructat verbum? Ipse est enim dies
filius, cui pater dies diuinitatis suæ eructat arcanum. Ipse in
Eccles.24. quam est dies qui ait per Salomonem: Ego feci vt oriretur
in cœlo lumen indeficiens. Sicut ergo diem cœli nox om- B
nino nō sequitur, ita & Christi iustitiam peccatorum tene
bræ non sequuntur. Semper enim dies cœli splendet, lucet,
& fulget, neque aliqua potest obscuritate concludi: ita & lu
men Christi semper micat, radiat, coruscat, nec aliqua po-
test delictorum caligine comprehēdi. Vnde ait euangelista
Ioan.1. Ioannes: Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non com
prehenderunt. In resurrectione ergo Christi elementa om
nia gloriantur. Nam & solē ipsum arbitror esse in hac die
solito clariorem. Necesse est enim vt sol in eius resurrectio-
ne gaudeat, in cuius passione condoluit: & cuius mortem lu
gubri quadam caligine prosecutus est, eiusdem vitam niti-
dioris lucis splendore suscipiat: & tanquam bonus minister,
sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturæ, modo co-
ruscet in resurrectionis obsequium. In passione enim Chri
sti caliginum se nocte circundedit, & Iudęorū facinus mun
do teste congemuit. Indicium enim quoddam doloris in so
le est, tanto sceleri officium luminis denegasse, & vltione
quadam Iudęorum oculis tenebras infudisse: vt quorū men
tem cæcitas inuaserat, eorum oculos cæcitas occuparet, nec C
luceret eis mundi lumē, à quibus fuerat lumen salutis extin
ctum. Damnatio igitur quædam ingeritur pharisæis, vt te-
nebras in die iudicij peccatoribus repromissas iam apud su-
peros patiantur. Apud superos ergo crucifixo immorātur
tenebræ. Quid mirum si apud superos sunt tenebræ, cùm
lux descēdit ad inferos? Igitur fratres omnes in hac die san-
cta exultare debemus, nullus se à communi lætitia peccato
rum conscientia subtrahat, nullus à publicis votis delicto-
rum sarcina reuocetur: etenim peccator, in hac die indul-
gentia non debet desperare, est enim prærogatiua non par-
ua. Si enim latro paradisum meruit, cur non mereatur ve-
niam Christianus? Et si illi dominus cùm crucifigitur mise-
reretur, multo magis huic miserebitur cùm resurgit. Et si pas-
sionis humilitas tantum pręstitit confitenti, resurrectionis
gloria quantum tribuet deprecanti? Largior enim ad præ-
standum solet esse, sicut ipsi scitis, læta victoria, quàm ad-
dicta captiuitas.

De innouatione fidelium. *Sermo 53.* D

MAgnum fratres & mirabile donum concessit no
bis deus hunc paschæ salutarem diem, in quo re-
surgens dominus resurrectionē præstitit vniuer-
2. Corin.12. sis, & de imis ad altiora cōscendens, nos quoque
ad superiora de inferioribus in suo corpore subleuauit. Su-
mus enim secundum Apostolum omnes Christiani corpus
Christi & membra. Resurgente igitur Christo omnia neces-
sario cum eo sua viscera surrexerunt. Dum enim ille ab in-
feris transit ad superos, nos de morte transire fecit ad vitam.
Pascha enim Hebraicè, transitus dicitur vel profectus, scili-
cet quia per hoc mysterium de peioribus ad meliora transi-
tur. Bonus transitus est transire de peccatis ad iustitiam, de
vitiis ad virtutes, ad infantiam è senectute. Infantiam autem
dixerim non ætatis, sed simplicitatis: habent enim & meri-
ta ætates suas. In occiduis enim prius constituti eramus se-
nio peccatorum, resurgente Christo renouati sumus inno-
centia paruulorum. Habet & Christiana simplicitas infan-
tiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non no
uit, referire non audet, ita & Christianitatis infantia lædē-
tibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cędentibus non
repugnat. Denique, sicut iussit dominus, etiam orat pro ini-
micis, auferenti tunicam relinquit & pallium, verberāti ma Matth.5.
xillam, præbet & alteram: nisi quod in hoc melior est Chri-
sti infantia quàm naturæ. Illa enim peccare nescit, ista con-
temnit: illa per infirmitatē innoxia est, ista est innocens per
virtutem. Atque ideo laudi magis scribendum est non tam
malefacere non posse quàm nolle. Ergo, sicut diximus, ætā-
tes quædam sunt meritorum: nam & senectus morum inue
nitur in pueris, & innocētia infantum reperitur in senibus.
Denique quod in iunioribus senectus quædam sit honesta-
tis, dicit propheta: Senectus enim venerabilis est nō diutur
na, nec numero annorum computata: cani sunt enim sensus Sapien.4.
hominis. Ad apostolos autem iam seniores & maiores natu
dicit dominus, Nisi cōuersi fueritis, & efficiamini sicut puer Matth.18.
iste, nō introibitis in regnum cœlorum. Reuocat igitur eos
ad originis suæ fontē, & retrorsum ad infantiam redire com
pellit, scilicet vt qui corpore fragili senuerant, innocentiæ
moribus renascātur, sicut ait saluator: Nisi quis renatus fue Ioan.3.
rit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum dei. Di
citur ergo apostolis: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini si- Matth.18.
cut puer iste: non dicit, sicut pueri isti, sed sicut puer iste: v-
num elegit, vnum proponit. Videamus igitur quis ille tan-
tus sit qui discipulis proponitur imitandus. Non hunc arbi-
tror esse de plebe, non de publico, non de multitudine cæ-
terorum, præcipuè qui per apostolos vniuerso mūdo tribuit
sanctitatis exemplum. Non inquam hunc de publico esse
arbitror, sed de cœlo: ipse est enim de cœlo puer, de quo di
cit Esaias propheta: Puer natus est nobis, filius datus est no- Esaiæ 9.
bis. Ipse planè puer est, qui sicut innocens cùm maledicere- 1.Petri.2.
tur nō remaledixit, cùm percuteretur non repercussit, quin
potius in ipsa passione pro suis orauit inimicis dicens: Pater Lucæ 23.
dimitte eis, nesciunt enim quid faciunt. Ita simplicitatem
quam infantibus natura tribuit, dominus misericordiæ bo-
nitate cumulabat. Iste ergo puer est, qui imitandus paruu-
lus proponitur & sequendus. Nam ipse dicit: Tolle crucem Matt.16.
tuam, & sequere me.

Item de innouatione fidelium. *Sermo 54.*

REtinet sanctitas vestra fratres me hoc nuperrimè
prædicasse, quòd homo in iuniorem ætatem per
iustitiam reformetur, & quanuis fessus senio, rur
sus in puerum innocentię moribus renascatur, i-
ta vt interueniente mysterio ex vetulis iterum videamus in-
fantes. Innouatio enim quædam est, desinere quod eras, as-
sumere quod antè nō fueras. Innouatio inquam est, vnde &
Neophyti nuncupātur, quòd nouitate quadam maculas ve
tustatis abiecerint, gratiam simplicitatis assumpserint, dicē-
te Apostolo. Deponentes veterem hominem cum actibus Colos.3.
eius, induite nouum qui secundum deum creatus est. Vnde
& Dauid sanctus ait: Renouabitur sicut aquilæ iuuētus tua. Psal.102.
Intelligens per gratiam baptismi occidua vitæ nostræ posse
reuiuiscere, & iuuentute quadam renouari posse id quod in
nobis fuerat delictorum vetustate collapsum. Vt autem in-
telligas quia de gratia baptismatis Propheta loquitur, innou-
ationem ipsam aquilæ comparauit, quæ auis assidua com-
mutatione habitus sui longam ducere fertur ætatem, & ve-
tustis iam fatiscētibus plumis noua pennarum successione
iuuenescere, ita vt depositis antiquitatis exuuiis, rediuiua
indumentorū natiuitate se vestiat. Vnde intelligimus quòd
senectutem aquilæ nō sentiunt membra, sed plumæ. De no
uo ergo se vestit, & pullulantibus pennis vetusta mater ite-
rum renouatur in pullum. Pullis enim tunc comparāda est,
quando radiantibus plumis necesse est illi rursum meditari-
rudem volatum, & alarum olim exercitata remigia, tāquam
nouella volucris intra nidū pigra compescere: quāuis illi sit
volādi notitia de consuetudine, deest tamen illi de pēnarum
raritate fiducia. De baptismatis igitur gratia hoc spiritus psal
mographus prophetauit. Nam vtique Neophyti nostri nu-
per baptizati, tanquam aquilæ depositis vetustatis exuuiis,
noua sanctitatis indumenta sumpserunt, & fatiscentibus an
tiquis maculis sicut plumis leuibus, rediuiua gratia immor-

talitatis

talitatis ornãtur, ita vt in his ſenectutis occidua peccata ſenuerint, vita non ſenuerit. Tanquam aquila in pullum, ſic illi in infantiam reuocati. Eſt eis ſeculi de conuerſatione notitia, ſed adeſt illis iuſtitiæ de reparatione ſecuritas. Quid igitur ſanctus Dauid dicat, adhuc diligentius videamus. Non enim ait, Renouabitur ſicut aquilarũ, ſed ſicut aquilę iuuentus tua. Vnius ergo aquilæ renouandam in nobis aſſerit iuuẽtutem, quam vnam & ſolam aquilam rectè Chriſtum dominum dixerim, cuius iuuẽtus renouata eſt tunc, cùm à mortuis reſurrexit. Depoſitis enim corruptelæ corporalis exuuiis, rediuiua carnis aſſumptione refloruit, ſicut ipſe ait per Prophetam: Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi. Refloruit, inquit, caro mea. Videte quo verbo vſus eſt: non ait, floruit, ſed refloruit. Non enim refloreſcit niſi quod antè floruerit. Floruit autẽ caro domini, cùm primum de Mariæ virginis illibata vulua proceſſit, ſicut ait Eſaias dicens: Exibit virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Refloruit autem cùm ſucciſo per Iudæos corporis flore, rediuiua de ſepulchro reſurrectionis gloria germinauit, & in floris modum odorem pariter & nitorẽ, cunctis hominibus immortalitatis afflauit odorem, bonorum operum ſuauitatem, circunferens nitorem, incorruptelam perpetuæ diuinitatis oſtendens.

Pſal. 27.

Eſaiæ 13.

De cruce Chriſti. *Sermo* 55.

SEculi ferunt fabulæ Vlyſſem illum qui decennio marinis iactatus erroribus ad patriam peruenire non poterat, cùm in locum quẽdam curſus illum nauigij detuliſſet, in quo Sirenarum dulci cantus crudelis varietate reſonabat, & aduenientes ſic blanda modulatione mulcebat, vt non tam ſpectaculum voluptatis caperent, quàm naufragium ſalutis incurrerent. Talis enim erat illis oblectatio cantilenæ, vt quiſquis audiſſet vocis ſonitum, quaſi quadam captus illecebra non iam tenderet ad eum quem volebat portum, ſed pergeret ad exitium quod nolebat. Igitur cùm Vlyſſes inciditſſet hoc dulce naufragium, & ſuauitatis illius vellet declinare periculum, dicitur inſerta cera auribus ſociorum ſeipſum ad arborem nauigij religaſſe, quo & illi carerent pernicioſa auditus illecebra, & ſe de periculo nauigij curſus auferret. Si ergo de Vlyſſe illo refert fabula quod eum arboris religatio de periculo liberarit, quanto magis prædicandum eſt quod verè factum eſt, hoc eſt quod hodie omne genus hominũ de mortis periculo crucis arbor eripuit? Ex quo enim Chriſtus dominus religatus in cruce eſt, ex eo nos mundi illecebroſa diſcrimina velut clauſa aure trenſimus. Nec pernicioſo enim ſeculi datinemur auditu, nec curſum melioris vitæ deflectimus in ſcopulos voluptatis. Crucis enim arbor non ſolum religatum ſibi hominem patriæ repræſentat, ſed etiam ſocios circa ſe poſitos virtutis ſuæ vmbra cuſtodit. Quod autem crux ad patriam poſt multos errores redire nos faciat, dominus declarat dicens latroni in cruce poſito: Hodie mecum eris in paradiſo. Qui vtique latro diu oberrans ac naufragus aliter ad patriam paradiſi, de qua primus homo exierat, redire non poterat, niſi fuiſſet arbori religatus. Arbor enim quædam in naui, eſt crux in eccleſia, quæ inter totius ſeculi blanda & pernicioſa naufragia incolumis ſola ſeruatur. In hac ergo naui quiſquis aut arbori crucis ſe religauerit, aut aures ſuas ſcripturis diuinis clauſerit, dulcem procellam luxuriæ non timebit. Sirenarum enim quædam ſuauis figula eſt mollis cõcupiſcentia voluptatum, quæ noxiis blandimentis conſtantiam captæ mentis effœminat. Ergo dominus Chriſtus pependit in cruce, vt omne genus hominum de mundi naufragio liberaret. Sed vt omittamus Vlyſſis fabulam, quæ ficta non facta eſt, videamus ſi quod in ſcripturis diuinis exemplum ſimile poſſumus inuenire, quod dominus per ſemetipſum poſtea cõpleturus, per prophetas ſuos antè promiſerit. Legimus in veteri teſtamento cum Moyſes ſanctus filios Iſrael de captiuitate Ægypti produxiſſet, atque idem populus in deſerto graui à ſerpentibus incurſione laboraret, nec aliqua illis armorum defenſio poſſet obſiſtere, tunc ſanctum Moyſen diuino repletum ſpiritu, ſerpentem æreum affixum ligno inter medias morientiũ erexiſſe turbas, & mandaſſe populo vt de illo ſigno ſpem gerent ſanitatis, atque hac re tantam medicinam contra morſum aſpidum proueniſſe, vt quiſquis vulneratus in illam ſerpentis crucem aut reſpiceret, aut ſperaret, ſtatim remedium ſalutis acciperet. Cuius facti etiam dominus in euangelio meminit dicens: Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Vnde ſi affixus ſerpens ligno filiis Iſrael contulit ſanitatem, quanto magis ſalutem præſtat populis dominus in patibulo crucifixus? Et ſi figura tantum profuit, quantum prodeſſe credimus veritatem? Serpens igitur primus crucifigitur. Rectè planè, vt quia primus apud deum peccauerat diabolus, primus crucis ſententia feriretur. In ligno enim crucifigitur, rationabiliter factum, vt quia homo in paradiſo per arborem concupiſcentiæ deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem ſaluaretur, atque eadem materia quæ cauſa mortis fuerat, eſſet remedium ſanitatis. Deinde poſt ſerpentem in ſaluatore homo ipſe crucifigitur, ſcilicet vt poſt authorem puniatur & facinus. Per primam crucem vindicatum eſt in ſerpentem, per ſecundam in venena ſerpentis: hoc eſt, primum author ipſe punitur, deinde eius malignitas condemnatur. Virus enim quod perſuaſione ſua in hominem tranſfuderat, nunc reiicitur, nunc curatur. Nam cùm homo paſſioni addicitur, non morti traditur, ſed mortis in eo facinus emendatur. Hoc enim egit dominus per hominem quem ſuſcepit, vt dum innocens patitur, præuaricationis illius diaboli cæ in eo inobedientia corrigatur, & deinceps liber à culpa fieret, ac liber eſſet à morte. Habentes igitur dominum Ieſum, qui nos paſſione ſua liberauit, in ipſum aſpiciamus ſemper, & de ipſius ſigno ſperemus noſtris vulneribus medicinam, hoc eſt, Si fortè nobis venenum auaritię ſe diffundit, ipſum conſideremus, & ſanat. Si ſcorpionis nos libido compungit, ipſum rogemus, & curat. Si terrenarum cogitationum nos morſus lacerant, eundem precemur, & viuimus. Hi enim ſunt ſpirituales ſerpentes animarum noſtrarum, propter quos conculcandos dominus crucifixus eſt, de quibus ipſe ait: Super ſerpentes & ſcorpiones ambulabitis, & nihil vobis nocebunt. Luc. 10.

Item de cruce Chriſti. *Sermo* 56.

DIximus heſterna die quòd crux domini ſalutem generi contulerit humano, & verum eſt. Paſſio enim illius noſtra redemptio eſt, mors eius vita noſtra eſt. Ideo autẽ mala hæc cũcta ſuſtinuit, vt nos bona omnia ſentiremus. Ideo crudelitatem in ſe exerceri maluit, vt nobis miſericordiã largiretur. Bonus ideo in nos eſſe ita voluit, vt antè in ſe eſſet immittis. Auferens enim per crucẽ humani generis iniurias, omnes eas in ſua paſſione conſumpſit, vt vlterius non eſſet homini quod noceret. Grande ergo crucis eſt ſacramentum: & ſi intelligamus, per hoc ſignum etiam mundus ipſe ſaluatur. Nam cùm à nautis ſcinditur mare, prius ab ipſis arbor erigitur, velum diſtenditur, vt cruce domini facta, aquarum fluenta rumpantur, & hoc dominico ſecuri ſigno portum ſalutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim ſacramenti quædam eſt velum ſuſpenſum in arbore, quaſi Chriſtus ſit exaltatus in cruce, atque ideo confidentia de myſterio veniente homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota ſuſcipiunt. Sicut autem eccleſia ſine cruce ſtare non poteſt, ita & ſine arbore nauis infirma eſt. Statim enim diabolus in quietat, & illam ventus allidit: at vbi ſignum crucis erigitur, ſtatim & diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella ſopitur. Sed & bonus agricola cùm parat terræ, ſolum vertere, & vitæ alimenta perquirere, non niſi per ſignũ crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale ſubiicit, affigit aures, ſtiuam inſerit, figuram crucis imitatur. Compactio enim ipſa ſimilitudo quædam eſt dominicæ paſſionis. Cœlum quoque ipſum huius ſigni figura diſpoſitum eſt. Nam cùm quatuor partibus, hoc eſt oriente & occidente, ac meridiano & ſeptentrione diſtinguitur, quatuor quaſi crucis angulis continetur. Ipſius etiã inceſſus hominis cùm manus leuauerit, crucem pingit, atque ideo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipſo quoque membrorum geſtu paſſionem domini fateamur. Tunc enim citius noſtra exauditur oratio, cùm Chriſtum quem meus loquitur, etiam corpus imitatur.

751

tatur. Hoc etiam exẽplo, Moyſes ſanctus cùm contra Amalech bellum gereret, nõ armis, nõ ferro, ſed eleuatis eum ad deum manibus ſuperauit: ſic enim habes ſcriptum: Cùm eleuaſſet manus ſuas Moyſes, vincebat Iſrael: cùm autem depoſuiſſet manus ſuas, conualeſcebat Amalech. Hoc igitur dominico ſigno ſcinditur mare, terra colitur, cœlum regitur, homines conſeruantur. Hoc inquam dominico ſigno etiam referantur inferna. Nam ex quo homo dominus Ieſus qui ipſam crucem geſtabat, ſepultus in terra eſt, veluti dirupta ab eo exarata terra omnes quos retinebat mortuos germinauit. Sed videamus de hoc ipſo domini corpore poſteaquã de cruce deponitur quid geratur. Accepit illud Ioſeph ab Arimathia vir iuſtus, ſicut ait euangeliſta, & in nouo ſuo ſepeliuit monumẽto, in quo nondũ quiſquam poſitus erat. Beatum ergo corpus domini Chriſti, quod cùm naſcitur, vtero virginis gignitur: cùm recedit, iuſti tumulo commẽdatur. Beatum planè corpus, quod virginitas peperit, & iuſtitia cuſtodiuit. Cuſtodiuit illud Ioſeph tumulus incorruptũ, ſicut ſeruauit illud Mariæ virginis vterus illibatum. Hic enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur ſanctitas, vbique virginitas: Nouus illud venter concipit, nouus tumulus includit. Dominica ergo & virgo vulua, & virgo eſt ſepultura. Quin potius ipſam ſepulturam vuluam dixerim: eſt enim ſimilitudo non parua. Sic enim dominus de matris valua viuus exiuit, ita de Ioſeph ſepultura viuus ſurrexit: & ſicut tunc de vtero ad prædicandum natus eſt, ita & nunc ad euangelizandum renatus eſt de ſepulchro, niſi quòd glorioſior iſta eſt quàm illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale. Poſt illam natiuitatem ad inferos deſcenditur, poſt hanc remeatur ad cœlos. Religioſior planè eſt iſta quàm illa natiuitas. Illa enim totius mundi dominum nouem menſibus in vtero clauſum tenuit, hæc autem triduo tantum tumuli gremio cuſtodiuit. Illa cunctorum ſpem tardius protulit, hæc omnium ſalutem citius ſuſcitauit.

Exod. 17.

Luc. 23.

De ſepulchro domini noſtri Ieſu Chriſti. *Sermo* 57.

EXortaſſe quis dicat de prioris dominicæ prædicatione, in qua prædicauimus nõ minorem eſſe gloriam quòd tumulus Ioſeph ſuſcitauerit dominũ, quàm quòd eum ſanctæ Mariæ vterus procrearit: quæ comparatio ventris & tumuli, cùm illa ex intimis viſceribus edidit filium, hic autem ſolummodo locum præſtiterit ſepulturæ? At ego dico non minorem Ioſeph affectum fuiſſe quàm Mariæ. Siquidem illa vtero dominum, hic corde conceperit. Illa ſaluatori membrorum ſuorum ſecretum præſtitit, hic ſecretum ſui corporis non negauit. Illa dominum pannis inuoluit cùm natus eſt, hic linteis cùm receſſit. Illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honorauit. Conueniunt ergo ſibi obſequia, conuenit & affectus. Vnde neceſſe eſt & meritum conuenire: niſi quod angelus Mariam ad obſequium admonuit, Ioſeph autem ſola iuſtitia perſuaſit. Ioſeph in ſuo ſepulcho poſuit dominum. Legimus in Propheta: Sepulchrum patẽs eſt guttur eorum. Si ergo ſepulchrum patens eſt guttur hominum, vide ne fortè ſecundum hanc ſimilitudinem dominum Ioſeph non tam in ſepultura terrena poſuerit, quàm in monumento ſui pectoris collocarit, & cuſtodiendum illum ſuſceperit non tam memoria fragili elementorum, quàm memoria ſancta virtutum. Hæc enim virtutum fidelis eſt memoria, quæ intra ſe continens Chriſtum, lædi eum hæreticorum corruptione non patitur. De qua memoria in ſacris dicit dominus: Quotienſcunque hoc facietis, in memoriam mei facietis, donec veniam. Quotienſcũque enim Chriſtum loquimur, totiens eum ſacri oris memoria commendamus. Sepulchrum ergo patens eſt guttur eorum. Rectè planè dicit Propheta. Sepulchrũ enim Chriſti patens eſt euangeliſtarũ beatum guttur, per quod illud æterno literarũ theſauro cõdiderunt. Patens autem ſepulchrum ideo dicitur, quia qui vult ad Chriſti peruenire myſterium, non ingreditur ad illud niſi per euangelicæ ſcripturæ ſecretum. In literarum enim ſacrarum quaſi quodam nouo vaſculo commendandus eſt dominus. Quiſquis igitur illum videre deſiderat, ibi & paſſionis eius ſacramentum inuenit, & reſurrectionis gloriam recognoſcit. Patens ergo guttur ſanctorum eſt. Vnde Apoſtolus ad Corinthios ait: Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij: inuitans eos vt per prædicationis ſuæ ſemper apertam ianuam ingrediantur Chriſti ſecreta myſteria. In hac igitur pectoris memoria collocatur dominus à Ioſeph, vt in iuſtitiæ ſede requieſcat, & habeat filius hominis vbi caput reclinet. Videamus igitur quare ſaluator in aliena ſepultura ponatur, ac ſuam non habeat ſepulturam. Ideo in aliena ſepultura poni tur, quia pro aliorũ moriebatur ſalute. Mors enim iſta nõ illi illata eſt, ſed nobis delata. Mors iſta non illi accidit, ſed nobis proficit. Vt quid ergo ei propria ſupultura, qui in ſe mortem propriam non habebat? Vt quid illi tumulus in terris, cuius ſedes manebat in cœlis? Vt quid illi ſepultura, qui tridui tantum temporis ſpatio non tam in ſepulchro mortuus iacuit, quàm velut in lectulo dormiens conquieuit? Ipſa enim tẽporis breuitas declarat ſomnum potius fuiſſe quàm mortem. Sepulchrum autem, mortis eſt habitaculum neceſſarium. Neceſſarium ergo non erat mortis habitaculum Chriſto, qui vita eſt: nec opus habebat ſemper viuens domicilio defunctorum. Rectè autem hanc vitam nos in noſtro ſepulchro condidimus, vt cum ipſo viuificãte mortem noſtram à mortuis ſurgeremus. Vnde & illa Maria Magdalene quæ dominum inter cæteros defunctos in ſepulchro quærebat, arguitur, & dicitur illi: Quid quæris? viuentem cum mortuis? Hoc eſt, Quid quæris apud inferos, quem rediiſſe iam conſtat ad ſuperos? Quem illa adhuc non intelligens, nec cognoſcens, reſpondit illi: Domine ſi tu tuliſti eũ, dicito mihi vbi poſuiſti eum, & ego illum tollam. Exiſtimabat enim illum, ſicut dicit ſcriptura, hortulanum eſſe. Sancta ergo & ſimplex fœmina Chriſtum requirebat à Chriſto, ac deuotione mentis prophetat & neſcit. Ait enim domino de ſemetipſo: Si tu tuliſti eum, dicito mihi. Rectè interrogat, ſi tu tuliſti eum: ipſe enim tulit corpus ſuum, qui ſuſcitauit: ipſe tulit corpus, qui illud iacens & dormiens ſua aſpiratione collegit: ipſe tulit corpus, qui diuinitatis illud virtute geſtans portat ad cœlos. Atque ideo mulier ſapienter interrogat & requirit: Si tu tuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum? Hoc eſt, ſi illud auferens de ſepulchro ad paradiſum tranſtuliſti. Audierat enim illum dicentem latroni: Hodie mecum eris in paradiſo. Aut certè de infernis in patris dextera collocaſti, ſicut ait Apoſtolus: Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt ad dexteram dei. Beatus ergo qui ita quærit Chriſtum dominum, vt credat eum & in paradiſo coſtitutum, & in cœleſtibus collocatum. Nam qui eum aut in infernis requirit, aut tumulis, dicitur ei: Quid quæris? viuentem cum mortuis.

2. Corin. 6.

Matt. 8.

Ioan. 20.

Ibidem.

Lucæ 23.

Coloſ. 2.

Ioan. 20

De Maria Magdalene. *Sermo* 58.

FÆret adhuc ſenſibus veſtris fratres, hoc nos ante dies pauciſſimos prædicaſſe, quòd Maria Magdalene non leuiter fuerit obiurgata, cur poſt reſurrectionem dominum quæreret in ſepulchro, quòd non reminiſcens verborum eius, quibus ſe ab inferis tertia die rediturũ eſſe dixerat, putaret eum inferni legibus detineri. Arguitur enim non leuiter cur non memoraretur reſurrectionis promiſſum, ac mortis ſcrutaretur indicium. Fides enim humilis & ignara quærit quod neſcit, obliuiſcitur quod docetur. Feſtina quidem eſt ad obſequium, ſed non perfecta eſt ad credendum: anxia enim eſt de dominicæ carnis iniuria, ſed incerta eſt de reſurrectionis gloria: plorat quidem amore Chriſti, ſed mœret deſperatione corporis non reperti: periiſſe putat quem iam regnare conſtabat: ſcrutatur enim in tumulo quem vocare potius deberet è cœlo: increpatur igitur ſancta Maria tanquã pigrior ad credendum, & cùm, ſera licet, dominũ cognouiſſet, dicitur ei à ſaluatore: Noli me tangere, quia nondum aſcendi ad patrem. Noli me tangere, increpationis verbum eſt, hoc eſt, noli me tangere manibus, quoniam reſurrectionẽ meam mentis obliuione non retines. Non potes me corporis tenere complexibus, quoniam fidei perfectione non tangis. Prohibetur tactu, quę amiſit auditum. Noli me, inquit, tangere, quia nondum aſcendi ad patrem. Vdeamus quomodo nõdum ad patrem aſcenderit Chriſtus, cùm ipſe dicat, quia pater in me, & ego

Ibidem.

Ibidẽ. 14.

& ego in patre. Quomodo ergo non ascendit ad patrem, à quo per indiscretam diuinitatis substãtiam nunquam est separatus? Deum enim vnus in vno manet, semper patrem filiúmque simul esse significat. Aut nunquid illuc ascẽdere se dicit filius, vbi antè habitat quàm ascẽdat? Dixit enim idem
Ioan.3. dominus: Nemo ascendit in cœlũ nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Si ergo cùm descendit saluator, in cœlo est, multo magis etiam priusquam ascẽdat, in cœlo est. Sed vide ne fortè ad obiurgationem Mariæ, vox ista pertineat, cui paulo antè inter sepulchra quærenti domi
Ibidẽ.20. nũ dicitur: Quid quæris? viuentem cum mortuis? Nunc addatur, noli me tangere, quia nondũ ascendi ad patrẽ: hoc est, quid me cõtingere cupis, quæ me dũ inter tumulos quæris, adhuc ad patrẽ ascendisse non credis: quæ dum me inter inferna scrutaris, ad cœlestia rediisse diffidis: dũ inter mortuos quæris, viuere cum deo patre meo nõ speras. Nondũ, inquit, ascendi ad patrem: hoc est, tibi nondum ascendi ad patrem, quia apud fidem tuam adhuc detineor in sepulchro. Quan
B tum in te est enim, adhuc humilibus immoror, adhuc inhæreo terrenis, quia nõdum me fides tua eleuauit ad cœlum, Quid ergo me festinas contingere vt dei filium, quem rede untẽ ad patrem mentis deuotione non sequeris. Quisquis igitur vult contingere dominũ saluatorẽ, prius illum debet fide sua ad dexteram diuinitatis imponere, & credulitate cordis collocare in cœlestibus potius quàm inter defunctos inquirere. Illi autem ascendit dominus in patrem, qui eum semper esse credit in patre. Ascendit beatis apostolis ad pa-
Ibidẽ.14. trem, quibus ait: Qui me videt, videt & patrem. Ascendit Ioanni euangelistæ, qui apud patrem eum quæsiuit & reperit,
Ioan.1. atque ideo ait: Et verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Ascendit etiam beato Paulo, qui non cõtentus solum se scire quod nouerat, nos quoque docuit quemadmodum
Colos.3. saluatorem in cœlestibus quæreremus, dicens: Quæ sursum sunt quærite: vbi Christus est in dextera dei sedens. Et vt nos ab hac humili vel terrena inquisitione Mariæ penitus sub-
Ibidem. moueret, addidit dicens: Quæ sursum sunt, sapite, non quæ- C super terrã. Ergo iam non super terram, nec in terra, nec secundũ carnem debemus quærere saluatorem, si volumus eũ inuenire atque contingere, sed secundum diuinæ maiestatis
2. Corin.5. gloriã, vt dicamus cum apostolo Paulo: Nunc autem secundum carnem non nouimus Christum. Igitur & Stephanus beatus fide sua non super terram quæsiuit Christum, sed stantem illum ad dei dexteram recognouit: ibi illum reperit, vbi mentis deuotione quæsiuit. Non solum autem Stephanus in cœlo videt Christum, sed eum & martyrio suo tangit. Tangit enim dominum, cùm pro inimicis suis orans
Acto.5. velut fide sua tenens illum dicit: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Intelligite ergo quanta deuotionis est gloria. Maria iuxta dominum constituta eum tangere non meretur, Stephanus in terris positus Christum tangit in cœlo. Illa inter angelos præsentem non videt saluatorem, Stephanus inter Iudæos dominum cernit absentem.

De auaritia & Ananía. *Sermo* 59.

REtinet dilectio vestra fratres ante dies cùm plebis eius quæ sub beatissimis apostolis fuit, vnanimitatem largitatémque prędicaremus, vsque ad Ananię nos auaritiam peruenisse. qui illo tempo
D re in totius generis purissima vita tanquam ouis morbida solus inuentus est. Tanta enim infectus erat auaritiæ pestilentia, vt sanctus eum Petrus non tam emẽdare voluerit quàm
Prouer.22. damnare. Legerat enim: Eiice de concilio pestilentem, & exibit cum eo omniscõtentio. Solus ergo in cœtu sancto pestilens fuit, qui cunctis cõtemptu pecuniæ, lucrum vitæ requirentibus, ipse tantum lucrum magis pecuniæ mercatus est quàm salutis, & dum precij sperat compendium, animæ reperit detrimentum. Ab apostolis igitur Ananias auarus inuentus est, iam nostra excusatur humilitas. Minus enim mirandum est abũdare sub nobis hoc vitium, cùm sub apostolis cœperit pullulare: & si illorum authoritas hęc in Anania emendare non potuit, nobis quid imputabitur si eadem in plerisque fratribus corrigere non valemus? In Anania enim Petrus auaritiam si potuisset corrigere, nõ puniisset: sed dum illum punit, alios corrigit. Voluit enim vt pœna ad vnum, metus autem ad plurimos perueniret. Exemplum ergo a- 754
uaris omnibus in Anania propositum est, vt qui eiusdem criminis reus fuerit, eiusdem supplicij in iudicij die sententia feriatur. Grande igitur malum est auaritia, imò malorũ omnium est origo, sicut ait Apostolus: Radix autẽ omnium
1. Tim.6. malorum est cupiditas: quam quidem appetentes errauerũt à fide. Vides ergo quia qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurum redigit, gratiam prodigit. Auaritia enim cæcitas est, errorem religionis inducit. Cæca inquam est auaritia, sed diuersis fraudum oculata ingeniis, non videt quæ diuinitatis sunt, sed cogitat quę cupiditatis sunt. Semper enim quanuis diues sit, cogitat vnde vel ex malo adquirere: totam vitam negocium putat, compendiorum etiam omnia suppri mens, inanis prętationis suæ fœnus imponit. Erubescit vsurę nomen, & lucrum non erubescit vsurę. Semper ergo auarus alieno vtitur, alieno se pascit damno, & illi pręda ege stas alterius est, illi lętitia fletus alienus, sicut nuper factum vidimus. Quod amissa deplorant, super quę inuasa plerique gratulantur? Ecce senex pater captum deflet filiũ, & tu iam super eum velut seruulum gloriaris. Innocens rusticus perditum ingemiscit iuuencum, & tu eo rus tuum excolere disponis, & fructus te putas posse capere gemitibus alienis. Ece religiosa vidua tota supellectile dispoliatam domum suam dolet, & tu eadem supellectile domum tuam ornatam esse lętaris. Dic mihi ô Christiane, non compungeris, non constringeris cùm vides in hospitio tuo lachrymas alienas?
Exod.22. Dicit scriptura sancta ad filios Israel: A bestia captum ne tetigeritis: pollutum enim & contaminatum est quicquid fera cruenta contigerit, Et per hoc deterior bestia est, quisquis sumit quod bestia superauit. Dic igitur mihi tu Christiane, cur prędam relictam à prędonibus pręsumpsisti? Cur laceratum & contaminatum, sicut ipse putas, tuis ædibus importasti? Cur quod hostilis superauit bestia, tu sęuior bestia deuorasti? Aiunt plerique lupos leonum subsequi solere vestigia, & non longè ab eorum venatibus aberrare, scilicet vt rabiem suam rapina satient aliena: & quod leonum saturitati remanet, id luporum rapacitate consumatur. Sic & isti auaritię lupi prædonum vestigia subsecuti sunt, vt quod illorum rapacitati superauit, horum cederet feritati. Sed forsitan emisse te dicis, & ideo auaritię crimen euadis. Non ita solet constare emptio atque venditio. Bonum est emere, sed in pace, quod propria voluntate venditur, non in deprędatione. Respice contractus originem, venditionis authorem, precij quantitatem, & intelligis prædæ magis, non venditionis emptorem. Vnde enim barbaro auri gemmarúmque monilia? Vnde pellito serica vestimenta? Vnde rogo Romana mancipia sumis? Scimus ea comprouincialium nostrorum esse vel ciuium. Facit ergo vt Christianus & ciuis, qui ideo emit vt reddat.

De festo Pentecostes, & de psalmo centesimonono.

Sermo 60.

NOsse credo vos fratres quæ sit ratio quòd venerabilem hanc pentecostes diem non minore lætitia celebremus, quàm sanctum pasca curauimus, & quod eadem deuotione huius solennitatis obseruantiam decurrimus, sicut illius obsequia festiuitatis impleuimus. Tunc enim, sicut modo fecimus, ieiunauimus sabbato, vigilias celebrauimus, orationibus pernoctanter institimus: vnde necesse est similis obseruantia similem lætitiam subsequatur. Est lætitia planè consimilis: tunc enim ab inferis resurgentem suscepimus saluatorem, modo autẽ spiritum sanctum expectamus è cœlis: tunc anxij vel soliciti Christi prædicabamus aduentum, modo trepidi vel ieiuni Paracleti desideramus aduentum. In omnibus enim deus saluti prouidit humanæ. Tunc enim nobis ad resurgendum tartara saluator aperuit, modo nobis ad regnandum Paracletus cœlestia reserauit. Et quibusdam quasi profectuum gradibus tunc de morte ad vitam didicimus remeare, modo autem de terris ad cœlos meditamur ascẽdere. Hæc autem omnia operatur in nobis Christus dominus, qui priusquam
Ioan.16. rediret ad cœlos, promisit discipulis suis dicens: Cùm autem ascendero, rogabo patrem meum, & mittet vobis aliũ Paracletum qui vobiscum sit in æternum, spiritum veritatis.

Vnde

755

Vnde credendum est ad patrem peruenisse Christum, cùm videmus ad apostolos descēdisse Paracletum. Credendum inquam est, sicut ait de saluatore Dauid, in dei dextera consi-
dere, quia cernimus spiritū sanctū, sicut promisit dominus,
Psal.109. in discipulis exultare. Ait ergo Propheticus psalmorum: Di-
xit dominus domino meo, sede à dextris meis. Secundum consuetudinem nostram illi consessus offertur, qui aliquo opere perfecto victor aduenies honoris gratia promereretur vt sedeat. Ita ergo & homo Iesus Christus passione sua diabolum superans, resurrectione sua inferna reserans, tāquam perfecto opere ad cœlos victor aduenies audit à deo patre, Sede ad dexteram meam. Nec mirum si vnius sedis offertur filio consessus à patre, qui vnius est substantiæ & naturę cū patre. Cur autem ad dexteram filius esse dicatur, moueat a-
Matth.25. liquem fortasse. Licet enim dignitatis gradus nō sit vbi ple-
nitudo diuinitatis est, tamen ideo ad dexteram sedet filius, non quo præferatur patri, sed ne inferior esse credatur. Et ideo ad dexteram filius, quia secundum euangelistam ad
Apocal.17. dexteram oues, ad sinistram verò constituentur hœdi. Ne-
cesse est ergo partem ouium primus agnus obtineat, & secuturo immaculato gregi locum dux immaculatus anticipet, sicut ait Ioannes in Apocalypsi dicens: Hi sunt qui sequuntur agnum quocunq; vadit, qui se cum mulieribus non co-
Psal.109. inquinauerunt. Refert ego Propheta Dauid: Dixit domi-
nus domino meo, sede ad dexteram meam: hoc est, domi-
nus pater domino deo Christo filio throni sui offert sublimem consessum, & honoris gratia ad dexteram suam illum æterna sede constituit. Legimus in Actibus apostolorum,
Acto.7. dicente beato Stephano cùm lapidaretur à Iudæis: Ecce vi-
deo cœlos apertos, & stantem dominum Iesum ad dexteram dei. Videamus ergo quæ sit ratio quod idem dominus à Dauid sedens prophetatur, stans verò à Stephano prædicatur. Primo omnium deus qui incorporalis est & inuisi-
Ioan.4. bilis est enim spiritus, sicut ait dominus: Deus autem spiritus est sedere aut stare quomodo potest: deinde autem quali subsellio sedeat deus, qui infinitus est & immensus, & intra se ipse magis creaturam cunctam contineat. Hæc autem propterea à sanctis viris dicta arbitror esse de domino, non quo sint contraria sibi, sed vt modo eius omnipotentia, modo misericordia describatur. Nam vtique pro potestate regis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris stare suggeri-
1.Ioan.2. tur. Ait enim beatus Apostolus: Quia aduocatum habemus apud patrem Iesum Christū. Iudex ergo est Christus cùm resident, aduocatus est cùm assurgit. Iudex planè Iudæis, aduocatus Christianis. Hic enim stans apud patrem, Christianorum licet peccantium causas exorat, ibi residet cum patre Pharisæorum persequentium peccata condemnans. Illis indignans vehementer vlciscitur, his interueniens leniter miseretur. Hic stat vt suscipiat Stephani martyris spiritum, ibi residet, vt condemnet Iudæ proditoris admissum.

Item de Pentecoste. *Sermo* 61

SCire debet sanctitas vestra fratres hanc sanctam Pētecostes diem qua ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis iugis & cōtinuata festiuitas, ita vt hoc omni tempore neque ad obseruādum in dicamus ieiunia, neque ad exorandum deum genibus succidamus, sed sicut dominica solemus facere, erecti & feriati resurrectionē domini celebramus. Dominica enim nobis ideo venerabilis est atq; solennis, quia in ea saluator velut sol oriens discussis infernorum tenebris luce resurrectionis emicuit, ac propterea ipsa dies ab hominibus seculi dies solis vocatur, quòd ortus eam sol iustitiæ Christus illuminet. Instar ergo dominicæ tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies velut dominici deputantur. Resurrectio enim dominica est. Nam in dominica resurgens saluator reuersus ad homines est, & post resurrectionem totā quinquagesimā cum hominibus commoratus est. Aequalis ergo eorum necessarium vt esset festiuitas, quorum æqualis esset & sic quātitas. Sic enim disposuit dominus, vt sicut eius passione in quadragesimę ieiuniis cōtristaremur, ita eius resurrectione in quinquagesimæ feriis lętaremur. Non igitur ieiunamus in quinquagesima, quia in his diebus nobiscū dominus cōmoratur. Non inquā ieiunamus prę-
sente domino, quia ipse ait: Nunquid possunt filij sponsi ieiunare quandiu cum illis est sponsus? Cur enim abstineat corpus à cibo, cùm anima prę-
sentia domini saginatur? Non potest enim esse ieiunus qui reficitur gratia saluatoris. Societas enim Christi quodammodo esca est Christiani. Reficimur ergo in quinquagesima nobiscū domino conuersante. Cùm autem post hos dies ascendit ad cœlum, iterum ieiunamus, sicut ait idem saluator, dicens: Venient autem dies cùm aufe-
retur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Cùm enim Christus ascendit ad cœlū, nostris aufertur obtutibus, famem patimur non corporis, sed amoris & non tam cibi ie-
iunio quàm desiderio laboramus. Desideria enim quædam nostri sustinent oculi, dum nō perspiciūt quem requirunt, si-
cut ait Propheta: Defecerūt oculi mei dū spero in deo meo. Defecerūt enim Prophetę oculi, quia nondū videbat quem sperabat se esse visurū. Sic nanque apostolorū defecerunt oculi cùm euntem ad cœlum dominū nequeūt intueri, secun-
dum quod ait Lucas dicens: Et videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorū. Stabant enim beati apostoli toto suspēsi corpore, & ascēdentē ad cœlum dominum, quia incessu pedum non poterant, oculis sequebantur: & licet ad deducendum saluatorem visio humana deficeret, fidei tamen deuotio non deficit. Vsque ad nubem enim Christum deducunt, vsque ad cœlos autē cum Christo fidei deuotione cōmitantur. Vnde ait Apostolus sciēs fidē nostram in cœlis esse cum domino: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Nubes ergo ab oculis apostolorum suscepit saluatorem. Videamus ergo quæ ista nubes sit, quàm splendida, quàm præclara, quæ lucem mundi Christum suscipere meretur. Neque enim poterat obscura esse ac tetra vel tenebrosa, quia scriptum est: Et tenebrę eam non comprehenderūt. Tenebræ enim lucē gestare non poterant. Illa enim est nubes quę ascendentem suscipit Christum, quæ & testimonium Christo etiam in monte perhibuit, de qua ait euāgelista: Vox in nube audita est dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Non igitur nubes suscepit Christum, sed deus pater recepit filium, & occursu quodam pietatis ascendentem illum gremio molliore complectitur, Nam ideo pater dicitur suscipere filium nubis vmbraculo, vt ostendatur refrigerio quodam fouere eius vulnera passionis. Post crucem enim, post iniurias, post inferos non est maius Christo refrigerium, nisi quod virtute diuinitatis obumbraretur, sicut in natiuitate eius ad Mariam dicitur: Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Altissimus ergo pater, qui nascente Christo obumbrauit in virtute Mariæ, ascendentem eum suscepit in nube. Semper enim deus quos post iniurias perducit ad requiem, protegit eos nubis vmbraculo, sicut filios Israel liberatos de Ægyptó nubis columna protexit, & vt post multum laborem eos in terram repromissionis induceret, refrigerij fouit vmbraculo, sicut ait Propheta: Expandit nubem ad protegendum eos. Expandit enim nubem ne siccitate eremi fatigarentur, etiam solis ardore. Lætemur ergo in hac sancta die, sicut in pascha lętati sumus. Est enim iu-
traque die similis eadémque solennitas. In pascha enim omnes gentes baptizari solent. In pētecoste autem apostoli baptizati sunt, sicut ait dominus discipulis suis ascensurus ad cœlum: Ioannes baptizauit aqua, vos autem spiritu sancto baptizabimini, quem accepturi estis non post multos hos dies. Et ideo dicit Lucas: Cùm autem cōplerentur dies pen-
tecostes, factus est subito sonus de cœlo tanquam aduenientis spiritus validi, sedítque super singulos eorum.

Item de Pentecoste. *Sermo* 62.

ON incommodè ante dies complures, sicut retinetis fratres, prædicatio nostra processit, in qua descripsimus quòd caro domini rediuiua velut in nitore floris de tumulo germinauerit, quem tumulum situm in hortulo euāgelista testatus est, vnde non incongruè prosecuti sumus. Cōueniens enim erat vt flos preciosior in hortulo gigneretur, & bonæ frugis commendatū solo semen, intra septa domestica & amœna virētia salutem omnium pullularet. Christi enim resurrectio cūctorum est redemptio populorum. Ergo in hortulo saluator rediuiuum

corpus

corpus assumit, & inter florentes arbores & candentia lilia carne iam mortua refloresçit, & ita germinat de sepulchro, vt germinãtia & nitentia cuncta reperiat. Sic enim post hye malis rigoris frigidam quodammodo sepulturam pullulare elementa omnia festinarunt, vt resurgente domino & ipsa consurgerent. Nam vtique ex resurrectione Christi aer salubrior est, sol candidior, terra fœcundior, ex eo surculus in fruticem, herba crescit in segetem, vinea pubescit in palmitem. Si igitur cùm refloresçit Christi caro, omnia floribus vestiuntur, necesse est vt cùm idem fructum affert, etiam vniuersa fructificẽt, sicut ait idem dominus: Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. cùm autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Refloruit igitur dominus cùm resurrexit è tumulo: fructificat, cũ ascendit ad cœlum. Flos est, cùm de inferioribus terræ gignitur, fructus est cùm altissima sede reconditur. Granum est, sicut ipse ait, cùm solus crucem patitur: fructus est, cùm plurima apostolorũ credulitate circundatur. His enim post resurrectionem quadraginta diebus cum discipulis conuersatus, tota illos sapientia maturitatis edocuit, & ad bonam frugem eos omni disciplinarum fœcũditate conuertit. Deinde ascendit ad cœlum, ad patrem scilicet, fructum carnis præferens, in discipulis iustitiæ semina derelinquens. Ascendit ergo ad patrem dominus. Meminit sanctitas vestra quòd aquilæ illi de psalterio, cuius innouatam iuuentutem legimus, comparauerim saluatorem. Est enim similitudo non parua. Sicut enim aquila humilia deserit, alta petit, cœlorum vicina conscendit: ita & saluator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petiit, cœlorum fastigia penetrauit. Et sicut aquila relictis terrenis sordibus in sublime volans purioris aeris salubritate perfruitur, ita & dominus terrenorum fœcem deserens peccatorum, in sanctis suis volitans, purioris vitæ simplicitate lætatur. Per omnia igitur aquilæ comparatio conuenit saluatori. Sed quid facimus quod aquila prædam facit frequenter in alienum? Nec in hoc tamen dissimilis est saluator. Prædam enim quodammodo sustulit, cùm hominem quem susceperat, inferni raptum faucibus portauit ad cœlum, & alienæ dominationis: id est, diabolicæ potestatis seruum de captiuitate erutum duxit ad altiora captiuum, sicut scriptum est in Propheta: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quæ sententia vtique sic intelligitur, eo quòd captiuitatem hominis, quem sibi diabolus captiuauerat, illi eruendo sibi dominus captiuari, & ipsam (sicut ait) captiuitatem captam ad cœlorum alta sustulerit. Vtraque igitur captiuitas vno vocabulo nuncupatur, sed non æqualis vtraque est. Diaboli enim captiuitas seruituti subiicit: Christi autem captiuitas restituit libertati. Ascendit, inquit, in altum, captiuam duxit captiuitatem. Quàm bene triumphum domini Prophetа describit. Solebat (sicut dicunt) regum triumphantium currus, captiuorum pompa præcedere. Ecce dominum eum tem ad cœlos non præcedit, sed comitatur gloriosa captiuitas: nõ ante vehiculum ducitur, sed ipsa euehit saluatorem. Quodam enim mysterio dum filius dei filium hominis sustulit ad cœlum, ipsa captiuitas portatur, & portat. Quod autem ait, Dedit dona hominibus: hoc victoris insigne est. Post triumphum enim victor semper dona largitur. & proprio regno residens seruulorũ gaudia muneratur. Sic Christus dominus victor diabolicum post triumphum residens ad dexteram patris, hodierna die discipulis dona largitus est, non auri talenta, non argenti metalla, sed spiritus sancti cœlestia munera, vt inter cætera apostoli etiã linguis variis loquerentur, hoc est, vt Hebreæ nationis homo, Christi gloriam Romanæ facundiæ, eloquentia pertonaret, & redẽptionem generis humani peregrinæ aures, quia Iudæa prędicante lingua non caperent, propria loquela cognoscerent. Omnis lingua in prædicatione Christi resoluitur, vt maiestatem eius omnis loquela fateatur, sicut ait sanctus Dauid: Nonsunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Ne miremini autem quod ad dexteram patris residere dixi filium. Ad dexteram enim residet, non quia maior patre, sed ne minor patre esse credatur, sicut hæretici blasphemare consueuerunt. Sicut enim diuinitas honorificentiæ gradum nescit, ita scriptura sancta nouit obuiare blasphemiis.

Ioan. 12.

Psal. 102.

Psal. 67.

Ibidem.

Acto. 2.

Psal. 18.

758

De natali sancti Ioannis Baptistæ. *Sermo 63.*

IN sancti ac beatissimi Ioannis Baptistæ laudibus, cuius natalẽ hodie celebramus, quid potissimũ prædicẽ nescio, vtrũ quòd mirabiliter natus sit, an quòd mirabilius sit occisus? Natus enim est in prophetia, in veritate peremptus est: nascendo annunciauit Saluatoris aduentum, moriendo condemnauit Herodis incestum. Vir enim sanctus & iustus, & qui præter cõmunem hominum natiuitatem ex repromissione generatus fuerat, hoc de deo meruit ne communi cum cæteris de seculo morte discederet, sed corpus quod domino donãte susceperat, dominum confitendo deponeret. Ergo Ioannes per omnia voluntatem domini fecit, quia propter opus domini & natus est & defunctus. Nam vt natiuitatis eius seriem breuiter repetamus, cum essent pater eius Zacharias & mater eius Helizabeth ætatis senectute defessi, & nulla filiorum prole gauderent, procreandi etiã illis liberos tẽpus florẽtissimum præteriisset, ita vt de suscipienda iam sobole ipsa etiam eos vota deficerent, subita per angelum repromissione donantur, & nasci Ioannem Gabriel sanctus annunciat dicens: Ne timeas Zacharia, ecce exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Helizabeth concipiet & pariet filium. Exaudita est, inquit, oratio tua: vnde intelligimus quòd Ioannem Zachariæ iustitia magis orando genuerit, quàm Helizabeth senectus procurãdo susceperit. Hinc, inquam intelligimus quod Ioannem obsecratio creauerit, non voluptas. Cùm enim materni vteri viscera ætatis senectute frigescerent, & fessi corporis membra fœcunditatis gratiam perdidissent, cõtra impossibilitatem corporis, contra sterilitatem viscerum, Zachariæ precibus Helizabeth vterus intumescit & concipit Ioannem, non natura, sed gratia. Vnde necesse erat sanctum nasci filium, qui non tam complexibus quàm orationibus gigneretur. Minus autem mirari debemus quod tantam Ioannes gratiam in nascẽdo meruerit: debuit enim præcursor & præuius Christi aliquid simile habere natiuitati domini saluatoris. Siquidẽ dominus de virgine gignitur, Ioannes de sterili procreatur. Ille de adolescentula, iste de iam fessa generatur. Hebet ergo & huius natiuitas aliquid gloriæ atque miraculi. Quanuis enim vilior partus mulieris videatur ei se quàm virginis, tamen sicut Mariam suspicimus quod virgo peperit, ita in Helizabeth miramur quod anicula procreauerit, Quod quidem factum, mysterium aliquod arbitror continere, vt Ioannes qui veteris testamẽti figuram gerebat, senis mulierculæ frigido sanguine nasceretur. Dominus autem qui regni cœlestis euangeliũ prædicaret, feruentis iuuenculæ flore progrederetur. Maria enim conscia virginitatis miratur fœtum visceribus inuolutum. Helizabeth autem conscia senectutis erubescit partum vtero prægrauato. Dicit enim euangelista: Occultabat se mensibus quinque. Illud autem quàm mirandum, quòd idem Gabriel archãgelus vtriusque natiuitatis officium repræsentat. Zachariam solatur incredulum, confidentem Mariã cohortatur. Ille cur dubitauerit, vocem perdidit: hæc quia statim credidit, verbum salutare concepit. Hoc etiam in laudibus Ioannis minimè tacendum videtur, quod nondum natus etiam prophetat: & adhuc in materni vteri finibus cõstitutus, aduentum Christi, quia voce non poterat, gaudiis confitetur. Dicit enim Helizabeth ad sanctam Mariam, Simul vt facta est vox salutationis tuæ, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Exultat enim Ioannes antequã nascatur, & priusquam mundi oculis habitum recognoscat, iam spiritu mundi dominũ recognoscit. In quo arbitror propheticam conuenire sententiam, quę dicit: Priusquam te formarẽ in vtero, noui te: & priusquam exires de vulua, sanctificaui te. Vnde mirari non debemus quod ab Herode missus in carcerem, clausus Christũ semper suis discipulis intimaret, cùm etiam clausus in vtero eundem dominum gestibus prædicarit.

Luc. 1.

Ibidem.

Hieron.

Item de natali sancti Ioannis Baptistæ. *Sermo 64.*

Sancti

759 Sancti Ioannis Baptistæ natalem hodie prosecuturus tacere vellem, & laborem atq; imperitiam meam silentio coercere: sed enim ipsa vis nominis minimè me silere permittit. Nam nuncupatio vocabuli ipsius,pectoris nostri vrget secreta, silentij nostri resoluit arcana,& quod dissimulatione reticetur, admiratione compellitur. Si enim pater Zacharias cùm eum nominauit,vocem recepit:quanto magis nos cùm laudemus illum,eloquium promeremur:& si illius os cum in seculo naseretur aperuit,quanto magis cùm pro Christo patitur,ora nostra fœcũdat. Cum enim Zacharias pater eius propter incredulitatem natiuitatis illius ab angelo Gabriele silentij esset taciturnitate mulctatus, etiam diu mutus verborum dispendio mentis secreta velaret,subito nato Ioanne filio,cùm apud proximos esset contentio quo nomine vocaretur, offeruntur patri tabulæ,vt vocabulum eius prò sui arbitrio ipse describeret,& quod sermone nõ poterat,literis loqueretur: tunc mirum in modum acceptis pugillaribus vt stylum figeret,linguá resoluit,ac literas sermone præuenit,& Ioannem nõ testatus est,sed locutus. Videte igitur sancti Baptistæ meritum,vocem patri reddidit,sacerdoti eloquentiã reparauit. Videte inquam meritum:os quod angelus alligauerat,Ioannes absoluit:quod Gabriel obstruxerat, paruulus reserauit, quanquam & ipse sit angelus,sicut scriptum est de eo:Ecce mitto angelũ meum ante faciem tuam. Respicite igitur Iohannem,quanta vis sit eius vocabuli,cuius nuncupatio reddidit muto vocem,patri pietatem,populo sacerdotem. Prius enim erat tacens lingua,sterilis filio,priuatus officio: at vbi Ioannes nascitur,fit repente pater propheta vel pontifex,loquela vsum recipit,prolem affectio suscipit,sacerdotem function recognoscit. Cum ergo tanta vis sit eius vocabuli,dicturi de eo,& si tacere volumus,silere nõ possumus. Ipse enim Ioannes vox clamãtis dicitur. Quis igitur qui vocem laudet & taceat? clamorem admiretur & mutus sit? Ait enim ipse de se:Ego sum vox clamãtis in deserto. Videte quid dixerit: Non enim ait tantum:Ego sum vox,sed & clamantis vox,scilicet vt ad fidem consequendam,vox aures penetret,clamor corda concutiat,vox regnum prædicet,clamor iudiciũ comminetur. Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam saluator testimonium perhibet,dicẽs:Inter natos mulierum maior non est Ioanne Baptista. Præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas, & quisquis de muliere,inferior est Ioanne. Sed debemus diligenter inquirere cur ita dominus dixerit, hoc est, inter natos mulierũ,& non potius dixerit: Inter filios virorum non est maior Ioanne,cùm vtique mulieres natos sine viris habere non possint. Hoc autem dixit quia numerosior est proles mulierum quàm virorum. Est enim mulieris filius, qui viri filius non est. Denique sancta Maria genuit filium, qui patrem hominem non haberet. Dominus enim est mulieris filius,& viri filius nõ est,sicut dicit Apostolus:Natum de muliere,factum sub lege. Vt qui matrem in terris habet,patrem haberet in cœlis. Ergo in laudem Ioannis fœcundioris sexus generatio ponitur,vt nullius ab eo natiuitas separaretur. Dicit fortè aliquis,si inter natos mulierum maior est Ioannes, nunquid etiam maior est saluatore? Absit. Ioannes enim natus mulieris, Christus autem virginis natus est. Ille corruptibilis vteri finibus effusus est, iste impollutæ vuluæ flore progenitus. Ideo autem cùm Ioannis natiuitate domini generatio deputatur,ne dominus extra veritatem videretur esse conditionis humanæ.

De sancto Ioanne baptista. Sermo 65.

Diximus superiore dominica cùm silẽtij nostri veniam peteremus,quòd pro salute cõmuni sacerdotibus etiã tacentibus doctrina euangelica non taceat, & quòd silẽtium eorum suppleret diuina sententia. Semper enim diuina scriptura loquitur & clamat, sicut scriptum est de Ioanne:Ego sum vox clamãtis in deserto. Non enim tãtum in illo tempore clamauit Ioannes, quo pharisęis annuncians dominum saluatorẽ,dixit:Parate viam domini,rectas facite semitas domini dei nostri:sed.& hodie clamat in nobis,& vocis suæ tonitruo deserta nostrorũ concutit peccatorum. Ac licet sancta martyrij morte dormierit, vox tamẽ eius viuit:dicit enim & nobis hodie: Parate viam domini,rectas facite semitas eius. Semper enim scriptura diuina clamat & loquitur. Vnde & ad Cain dicit deus: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Nulla vtique sanguini vox est,sed clamare dicitur sanguis qui innocens effusus est,non tam verè quàm causa, & interpellare dominum non prosecutione eloquij,sed indignatione cõmissi, ac reatum suum non tam verborum accusare sermonibus, quàm cõscientiæ ipsius criminatione constringere. Quamuis enim malum factum si in verba producatur,excusationem fortasse recipit, nisi conscientia reuocetur,non potest excusari. Conscientia enim reatum suum semper tacita sine contradictione conuincit & iudicat. Hodiéque ergo Ioannes clamat & dicit: Parate viam domini,rectas facite semitas eius. Parare ergo iubemur viam domini,scilicet non aggerem itineris, sed fidei puritatem. Dominus enim non terrenã semitam carpit, sed per secreta mẽtis incedit. Si quid igitur in hac via fuerit moribus asperum,crudelitate durum,conuersatione pollutum, iubemur mundare, exæquare, componere, vt superueniens dominus non offendat in nobis,sed magis reperiat viam castitate puram,procliuẽ fide,eleemosynis eminentem. Quòd autem tali itinere incedere soleat dominus,Propheta describit dicens: Iter facite ei qui ascẽdit super occasum, dominus nomen est ei. Sed videamus,ipse Ioãnes qui parare viam domino iubet,quam ipse viam parauerit saluatori. Per omnia planè aduenientе Christo tramitem viæ suæ cõposuit & direxit. Nam fuit vtique ieiunus,humilis, parcus & virgo. Omnes enim has virtutes eius euangelista describens ait: Ipse autem Ioãnes vestitum habebat de pillis camelorum,& zona pellicea circa lumbos eius. Esca autem eius erant locustæ,& mel syluestre. Quæ igitur maior causa humilitatis in propheta,quàm contemptis mollibus vestimentis,pilorum asperitate vestiri? Quæ deuotior fides,quàm præcinctum zona paratum esse semper ad omne seruitutis obsequiũ? Quæ præclarior abstinentia,quàm spretis vitæ huius delitiis,stridulis vesci locustis ac melle syluestri? Quæ omnia hæc quoniam propheræ vsui erant, arbitror in his ipsis prophetiam fuisse. Nam vtique cùm prænuncius Christi vestimentum habebat camelorum asperitate contextum, quid aliud significat, nisi quod ipse Christus aduenies vsurus esset indumento humani corporis,quod erat peccatorum asperitate densatum,& quod velut immundissimæ bestiæ, hoc est gentilis populi circundatus exuuiis deformitatem eius ipse gestaret? Zona verò pellicea quid aliud demonstrat,nisi hanc fragilem carnem nostram, quæ ante aduentum Christi dominabatur ad vitia, post aduentum eius restrictam esse ad virtutem: vt quæ antè luxuriando dilatabatur in pinguedinem, nunc abstinendo attenuaretur in pellem? Exitum verò eius quàm beatum legimus,scilicet quod psaltria regis filia post illam mimicam voluptatem caput eius petierit. Quid mirum si psaltria occidit prophetam, quia luxuria semper est inimica iustitiæ: & quod iniquitas sine cessatione persequitur veritatem? In quo facto grande mysterium continetur. Nam vtique ipsa psaltria synagogæ est cõparanda,quæ Christum dum luxuriatur,occidit. Quod autem ista psaltria synagoga sit,dicit dominus ad Iudæos: Cãtauimus vobis, & non saltastis. Cur autem à Ioannis corpore caput ablatum sit, manifesta res est. Ioannes (sicut scripturis adstruitur) typum legis gerebat. De domino autem legimus,quia viri caput Christus est. Ergo cùm à Ioãnis corpore caput eius aufertur,Christus quodammodo à Iudæis legis cultoribus separatur. Remansit enim illis sine saluatore lex ex animis & truncata. Nam ex eo vtique Iudæi diuina non sapiunt,ex quo sine capite esse cœperunt. Iter igitur facit domino qui inter cæteras continentiæ virtutes matrimonij limitem non excedit, nec coniugij præscriptum terminum adulterina permixtione cõmaculat. Sunt enim nonnulli qui cum legibus vxores duxerint, contra diuinitatis legem sibi sociant concubinas, non intelligentes quid contrahendo matrimonia propriis vinculis constrinxerunt. Qui enim legibus ducit vxorem, profitetur se contra legem non esse facturum. Reum ergo ipse se statuit,qui adhibendo sibi adulteram ius pollicitationis excedit. Sed dicit aliquis, vxorem non habeo, ideo mihi

Genes.21. Galat.4. ancillam sociaui. Audi quid dicat scriptura ad Abraham: Eiice ancillam,& filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Sigitur ancillæ filius hæres non est, ergo nec filius est. Cur autem quæritur tale coniugium de quo susceptus filius nec successionis possit hæres esse nec sanguinis? Nec enim habere potest hæreditatis cõsortium, qui non habet originis priuilegium. Cur inquam quæritur tale contubernium, de quo nati, non filij sint matrimonij, sed testes sint adulterij? Cur huiusmodi suscipiuntur adulteri, qui patri

Sapien.3. pudori sint, non honori? Dicit scriptura: Adulterorum filij in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Mulier igitur tua si talibus moribus prædita est, vt mereatur consortium, mereatur & nomen vxoris, præsta cõcubinæ tuæ libertatem & nomen vxoris, ne tu adulter sis potiùs quàm maritus. Sed & ille iter facit domino Christianus qui professionis suæ exhibet ei fidele seruitium, & castitatem quàm promisit, custodit tam mente quàm corpore. Sunt enim plerique qui singularem vitam proponentes, singuli esse non possunt: sed quærunt sibi contubernia, atque B vtinam fratrum. Inuenisti Christianum monachũ, cui cum fratre non conuenit, & libentiùs ei cõuenit cum sorore, qui non sequitur seniorem vtilia commonentem, & sequitur adolescentulam incongrua cachinnantem: eius & si syncerè corpus sit, anima non potest esse syncerus. Sed & ille clericus iter domino facit, qui secundum euangelium viuit, & per omnia obtemperat sacerdoti. Aliqui enim cùm sint minus subditi, molestè ferunt, cùm à senioribus arguuntur. Dicunt, grauiter irascitur episcopus, patientior esse deberet. Audi ergo optime clerice, sacerdotis exigis patiẽtiam, & tui non exigis disciplinam? Nescis quia mihi salutis causa argue re aliquando permissum est, tibi nunquam peccare concessum est?

2.Tim.4. Dicit enim Apostolus: Increpa opportunè, importunè arguè. Esto ergo in omnibus subditus sacerdoti, si vis eum esse mansuetum.

De natali sanctorum apostolorum Petri & Pauli.

Sermo 66.

QVM omnes beati apostoli parem gratiam apud dominum sanctitatis obtineant, nescio quo tamen pacto Petrus & Paulus videtur præ cæteris peculiari quadam in saluatorem fidei virtute prę cellere. Quod quidem ex ipsius domini iudicio possumus approbare. Nam Petro sicut bono dispensatori clauem regni cœlestis dedit. Paulo tanquam idoneo doctori magisterium ecclesiasticæ institutionis iniũxit, scilicet vt quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietẽ: & quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum. Clauem enim quodãmodo à Christo scientiæ & Paulus accepit. Clauis enim dicenda est qua ad fidem peccatorum corda referãtur: mentium secreta pandũtur, & quicquid intrinsecus clausum tenetur, in palam rationali manifestatione producitur. Clauis inquam est quę & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit. Ambo igitur claues à domino perceperunt, scientiæ iste, ille potẽtiæ: diuitias immortalitatis ille dispensat, scientiæ thesauros iste largitur.

Colos.2. Sunt enim scientiæ thesauri, sicut scriptum est: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Ergo beatus Petrus & Paulus eminent inter vniuersos apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verum inter ipsos quis cui præponatur, incertum est: puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione, & simili eos fidei deuotione vixisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa factum putamus quod vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere sententiam. Vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent. Vno in loco, ne alteri Roma deesset. Sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrunque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In vrbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum, scilicet vt vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis: & vbi gentilium principes habitabant, illic ecclesiarum principes morarentur. Cuius autem meriti sint beatissimi Petrus

A & Paulus, hinc possumus intelligere, quod cùm dominus Orientis regionem propria illustrauerit passione, Occidentis plagam, ne quid minus esset, vice sui, apostolorum sanguine illuminare dignatus est. Et licet illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum. Hodierna igitur die beati Apostoli sanguinem profuderunt. Sed videamus causam quare ista pessi sunt, scilicet quod inter cętera mirabilia etiam magum illum Simonẽ orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruina prostrauerunt. Cùm enim idem Simon se Christum di- Actor.8. ceret, & tanquam filium ad patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatus subitò magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est dominum, & precatione sancta vicit magicam leuitatem. Prior enim ascendit in cœlum ad dominum oratio quàm volatus, & antè peruenit iusta petitio quàm iniqua præsumptio. Antè Petrus in terris positus obtinuit quod petebat, quàm Simon peruenire in cœlestibus quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut victum illum de sublimi aere deposuit, & quodã præcipitio in saxum illidens eius crura confregit. Et hoc in opprobrium facti illius, vt qui paulo ante volare tentauerat, subitò ambulare non posset: & qui pennas assumpserat, plantas amitteret. Sed ne fortè hoc mirum videatur, quod magus iste præsente apostolo per aerem aliquãdiu volitauerit: hoc patientia Petri fecit. Permisit enim illum sublimius ascendere, vt altius caderet. Voluit enim in excelsum leuari à conspectu omnium, vt ruentem illum de excelso oculi omnium peruiderent. Hæc igitur est iniquitatis elatio, vt in altum se ferat, in sublime se erigat. Sed sancta oratio omnem humiliat superbiam, vniuersam deiicit vanitatem.

Item de natali sanctorum apostolorum Petri & Pauli.

Sermo 67.

NAtalem beatissimorum apostolorum Petri & Pauli hodie celebrãtes, diuersis epulis nos reficere debemus, & tantam festiuitatem magna cum lætitia celebrare. Quis enim talium virorũ solennitatem

C non magna cum lætitia debet celebrare? Quis enim talium virorum solennitate non magnos sibi exhibeat apparatus, vt quo plus expenderit, plus se apostolos confirmet amare? Veruntamen non opus est proprio sumptu ad refectionem nostram: nam natali suo sanctus Petrus ipse nos reficit. Est enim omnibus copiis refertum vas ei, quod illi de cœlo esuriẽti delatum est. Igitur qui esurit sicut Petrus, reficitur ipse cum Pẽtro. Vt quid ergo præparemus nobis propriũ prandiũ, cùm apostolico ferculo saginemur? Cur nobis inquiramus terrenas epulas, cùm cœlestes copias habeamus? Dicit enim sanctus Lucas in Actibus Apostolorum, post oratio- Act.10. nem esurienti Petro circa horam sextam aperto cœlo, vas quoddam splendidum velut linteum fuisse delatum, in quo erant quadrupedia & repentia terræ, & volatilia cœli, & dixisse dominum ad eum: Petre surge, immola & manduca. Ecce Petrus qui dicit alibi: Aurum & argentum non est mihi: Act.3. nunc conuiuij eius vasculum splendidius est argento. Et qui propter Christum argenti speciem refutasset, per Christum argenti nitore ditatur. Pransuro igitur Petro, desunt cocorum apparatus, desunt obsequia famulorum: sed, quod est

D melius, ministeria diuina non desunt: & *vtili commutatione sancto viro quod deest in terris, abundat in cœlis. Vt refi- *vtilis commutatione ciatur enim petrus, non cellarium solicitè reseratur, sed cœlum ipsum protinus aperitur. Legimus in scripturis sanctum Heliam in deserto coruis ministrãtibus pastum: quanto me- 3.Reg. lius Petrus, cui non paruam escam tetra auis porrigit, sed integrum conuiuium multitudo angelica sumministrat? Post orationem ergo esuriit Petrus. Mirandum cur sanctũ virum post orationem fames sequatur, cùm soleat fames oratione depelli, esuriẽs anima non nisi obsecrationibus saginari: Sed puto Petrum post orationem nõ cibum esurisse hominum, sed salutem: nec inedia vexatum esse corporis, sed inopia credentium laborasse. Cùm enim Iudaicus populus perfidus & ingratus illo prædicante Christo non crederet, famem quodammodo Petrus sui officij sustinebat. Famem enim patitur qui minimè fructũ sui laboris assequitur. In cœnaculum igitur ad orationem festinus ascendit. Bene ait, In cœnaculum ad ora-

763

ad orationem ascendisse Petrum, quia omnis sanctus quando orat, relinquens humilia vel terrena in altum mentis extollitur, & in sublime suspensus rapitur, & cogitatione sancta cœlo vicinus efficitur. Atque ibi esurienti illi, hoc est cogitanti in cordis sui sublimiori loco pro salute Iudaici populi, offertur vas diuersorum generum animalibus plenum, vel diuinitate dicente illi: Tu in Iudæos solos esuris, ecce falsum fidei tuæ cunctarum gentium diuersitate reficio. Nam vtique diuersa animalia collecta in vno vasculo, diuersarum gentium congregatio collecta in vna ecclesia demõstratur, quæ ecclesia in illius vasculo splendido dum non habet maculam neque rugam, lintei nitore resplẽdet. In qua primum animal deo ex gentibus Centurio Cornelius est immolatus. De hoc ergo vasculo suo hodie nos reficit Petrus. Cùm enim videmus gentilium turbas ad fidem Christianitatis accurrere, simul cum apostolis gratulamur. Non enim mortui sunt quorum curamus natalem hodie, sed renati viuunt pane, quia participes effecti sunt Christi, qui vita est omnium. Quãuis enim corpora passione cæsa sint, interruptus tamen non est ordo viuentium. Iugiter enim & deo grátias agunt, & laudes saluatori referunt, nisi quòd resoluta mẽbrorum sarcina magis adhærent Christo, sicut ait Paulus: Dissolui, & cum Christo esse, quanto melius? Non ergo dicẽda est mors qua interueniente caremus persecutoribus, & Christo connectimur. Non est planè dicenda mors, quæ Christo mortuum socians lucrum efficit morientis, sicut ait beatus Apostolus: Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrũ. Illa autem vera est mors, quæ etiam viuentem hominem peccatorum morte constringit: qui quamuis viuere videatur, sceleribus tamen suis morti iam videtur addictus, sicut ait Apostolus de illa delicioſa vidua: Hæc autem viuens, mortua est.

Ephes. 5.

Philipp. 1.

Ibidem.

1. Tim. 5.

Item de eodem. *Sermo* 68.

NOtũ omnibus vobis est fratres, & vniuerso mundo notissimum, quod beatissimorũ Petri & Pauli natalis est hodie, nec aliquam partem orbis latere potest tanta deuotio. Siquidem de iis dicat Dauid propheta: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In omnem terram mirabilium Petri virtus diffusa est, & in fines orbis terræ epistolarum Pauli verba penetrarunt. Quis enim non audiuit quod primum Petrus sedenti ad portam speciosam claudo, & ex matris suæ olim ventre iam debili pedum restituerit firmitatem, vt quod natura minus contulerat, apostolica gratia repararet? Cùm enim idem claudus stipem rogans, aliquid pecuniæ se ab apostolis crederet accepturum, ait illi Petrus: Argentum & aurũ non habeo, sed quod habeo, hoc do tibi. In nomine domini nostri Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Beata planè largitas, quæ petenti argentũ quidem non contulit, sed contulit sanitatem. Beata largitas, quæ de thesauris suis aurum non protulit, sed protulit medicinam. Beatus & ille claudus, qui dum stipem quærit pecuniæ, diuitias incolumitatis accepit. Hoc enim ab apostolis donatum meruit, quod nullis thesauris à medicis redimere potuisset. Primum ergo signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequenter ipsum Petrum à domino nuncupatum, sicut ait: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est super quam ædificatur ecclesia, rectè prius pedes sanat: vt sicut in ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta cõfirmet. Rectè inquam primũ in Christiano pedes curat, vt iam non intrepidus nec imbecillis possit super petram ecclesiæ, sed robustus & fortis incedere. Vbi autem verba Pauli apostoli non leguntur? Quis locus ea non literis inscribit, corde retinet, conuersatione custodit, quia Paulus à domino vas electionis est nominatus? Bonum vas in quo preciosa mandatorum Christi præcepta conduntur. Bonum vas de cuius plenitudine substantia vitæ populis semper erogatur, & plenum est. Optima apostolorum nomina, petra, & vasculum, necessaria domui saluatoris. Domus enim fortitudinis petra constrũitur, vtilitate vasis ornatur. Petra ad firmitatem ne labantur sustentat populos, vas ad custodiam ne tententur operit Christianos. Exitus verò eorum de hoc seculo quàm beatus fuerit, nemo est qui nesciat. Nam prima hæc in illis beatitudo est, quòd ambo vna die passi esse noscuntur, scilicet vt quos vna fides seruitio deuinxerat, vna dies martyrio coronaret. Deinde ipsa passio licet diuersa in singulis fuerit, tamẽ quanta referta est gratiæ sanctitate? Nam Petrus crucis, sicut saluator, exitum tulit, & à dominicæ deuotionis similitudine nec morte discretus est, scilicet vt quem imitabatur fide, imitaretur & passione. De Pauli verò ceruice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda quã sanguinis, & mirum in modum sanctum apostolum baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidum potius quàm cruentum. Quæ quidem res in sancto Paulo stupenda non est. Quid enim mirum si abundat lacte nutritor ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait: Lac vobis potũ dedi, non escam. Hæc est planè repromissionis illa terra quã patribus nostris deus promisit dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac & mel. Non enim de hac terra locutus est quæ manantibus aquis cœnum inuoluit, lutúmque permiscet, sed de illa terra Pauli, & similium Pauli, quæ iugiter purum suauéque distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior est, lacte candidior? Quæ epistolæ tanquam vbera ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. De ceruice ergo Apostoli pro sanguine lac manauit. Legimus in ipso quoniam caro & sanguis regnum dei non possidebunt. Igitur iam Paulus possidet regnum, quoniam caret & sanguine, qui impedire dicitur regnaturum. Adhuc ergo Paulus in terris positus etiam in regni cœlestis substantiam transformatur.

1. Cor. 3.

Exod. 3.

1. Cor. 15.

De natali sancti Eusebij Vercellensis episcopi.

Sermo 69.

AD sancti martyris Eusebij laudem aliquid addere velle, decerpere est. Tam ineffabilium enim doctrinarum magister extitit, vt merita eius facilius operibus cognosci possint, quàm sermonibus explicari. Tantum autem de eo conscientia retinet, quantum oratio & narratio non præualet. Igitur gesta illius non verbis adornãda sunt, sed perstringenda sententiis, præsertim qui scimus eam rem comere nos non debere sermonibus, quam videmus iam comptam esse virtutibus, cùm dicat Apostolus, Regnum dei non in sermone est, sed in virtute. Ergo ad merita eius aliquid addere velle, decerpere est, me præcipuè, qui & ignarus rerum gestarum sim, & literarum imperitus sacrarum, & rudis sacerdotalium functionum. Potuissent autem prædicare sancti hæc præcessores mei vsu facilius, experimento probatius, doctrina præclarius, dominum & patrem specialiter beatum Exuperantium loquor, qui fuit eius minister in sacerdotio, comes in martyrio, particeps in labore. In cuius vultibus sanctum quoque Eusebium videre nos credimus, & quasi in quodam speculo bonitatis illius imaginem contuemur. Facile enim cognoscimus qualis magister fuerit, cuius talem vidimus esse discipulum. Sed quoniam confessionis illius simi lis hunc gloria comitatur, mauult reticere laudes paternas, ne proprias pariter iactare videatur. Quid ergo de martyris Eusebij gloria prædicem, cuius tota plebs ista sit gloria? Et cùm dicat scriptura, Gloria patris est filius sapiens: quantæ huius sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia & deuotione lætatur? In Christo enim Iesu per euangelium ipse vos genuit. Quicquid ergo in hac sancta plebe potest esse virtutum & gratiæ, in sancti Eusebij magisterio reperitur. Ex hoc autem quasi quodam virtutũ fonte lucidissimo riuulorum hæc puritas emanauit. Nam quia castitatis vigore pollebat, propositum virginitatis instituit. Quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, monachorũ introduxit forte seruitium. Quia blandimentis erat præditus lenitatis, cunctorum ciuium in deum prouocauit affectum. Quia pontificij administratione fulgebat, plures è discipulis sacerdotij sui elegit hæredes. Quanuis igitur nonnulli liberis suis relinquant auri argentíque thesauros, nemo tamen sancto Eusebio ditiores reliquit. Siquidem omnes extiterunt aut sacerdotes, aut martyres. Nam vt cætera taceam, illud quàm admirabile est, quod in hac sancta ecclesia eosdem monachos instituit, quos clericos, atque iisdem penetralibus sacerdotalia officia cõtineri, quibus & singularis castimonia conseruatur, vt esset in ipsis

Prou. 10.

viris contemptus rerum,& accuratio leuitarum:vt ſi videris monaſterij lectulos,inſtar orientalis propoſiti iudices:ſi deuotiones cleri perſpexeris, angelici ordinis obſeruatione gaudeas. Illud autem tacẽdum omnino non arbitror, quòd cùm Arrianorum deteſtanda perfidia totam cùm vniuerſo mundo Italiam perturbaſſet, atque eiuſdem peſtilentiæ ſacerdotes ſimplicitatẽ ſancti Dionyſij martyris captiuaſſent, ita vt ſubſcriptionis eius vinculũ retinerent,qua illum è manibus eorum ſapientia liberauit? Sicut enim ait ſanctus Pau
1. Cor. 9. lus;Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem:ita Euſebius hæreticis hęreticum ſe eſſe mentitus eſt, vt de hæreſi filium liberaret. Dixit enim ſe eorum conſentire perfidiæ, hoc ſibi placere quod illis, ſed quod ſibi filium Dionyſium in ſubſcribendo præponerent,grauiter ſe moueri. Vos enim,inquit,qui dicitis filium dei patri deo æqualem eſſe non poſſe, cur mihi filium prætuliſtis? Qua illi ratione permoti, ſtatim ſancti Dionyſij chirographum deleuerunt, priorem locũ ſubſcribendi beato Euſebio deferentes. Quos ille increpans & irridẽs ait,Neque ego me veſtris ſceleribus polluo, neque filium meum vobiſcum participare permit-
Lucæ 16. to. Vnde cùm dicat euangelium in hac generatione prudentiores filios tenebrarum eſſe quàm lucis, ecce hic ipſis tenebris prudentior filius lucis inuentus eſt. Tunc illi grauiter indignantes ita nequitiam ſuam fuiſſe deluſam,nouis eum per Conſtantium principem paſsionibus vexauerũt. Nam poſt multas iniurias Orientis plagæ illum in exilium relegarunt, in quo tanta paſſus eſt,vt martyrij inuictam gloriam reportaret. Dicitur enim inter cætera paſſionum genera hoc pœnale paſſionis ſupplicium pertuliſſe, vt dum interrogaretur ab Arrianis, & ſe eorum communicare perfidiæ denegaſſet, ſcalarum procliui tractu ſupinis pedibus ad imum vſq; pertraheretur,& iterum reuocatus ad ſummum, interrogatus denuo cùm eadem reſpondiſſet,eadem pateretur,ac ſic frequentem interrogationẽ frequenter huiuſmodi ſupplicium fuerit ſubſecutum. In qua paſſione ſancti Euſebij martyris licet fuerit quaſſatum caput, eliſum corpus, membra confracta,animus tamen fidei manſit inuictus. Nam quãto plus illum Arriana perfidia corporaliter lacerabat, tanto magis
Gen. 28. eum catholica integritas ſpiritualiter refouebat. Quem qui dem ſcalarum aſcenſum atque deſcenſum poſſumus dicere quem Iacob ſomnians prophetarit: & ſicut ille vidit etiam iſtas ſcalas ab imo ad cœleſtia vſque pertingere, ſic quidem per has & Euſebius aſcendit ad cœlum, & Arriani ad infe-
2. Mach. 7. ros deſcenderunt. Vnde fratres ſanctum Euſebium Machabæorum martyrum choro annumerandum puto. Siquidem illi ſingulis membris martyrium pertulerunt, hic autem totius corporis paſſione dominum ſit confeſſus, nec diſparem eorum eſſe gratiam quos etiam dies vna in martyriocopulauit.

Item de depoſitione ſancti Euſebij. *Sermo* 70.

DEpoſitionem ſancti Euſebij hodie celebramus. Quid eſt depoſitio? Non illa vtique quæ ſepelien dis in terra mẽbrorum reliquiis clericorum manibus procuratur,ſed illa qua homo vinculis carnalibus abſolutus, liber iturus ad cœlum terrenum corpus exponit. Ipſa planè eſt depoſitio, in qua concupiſcere abiicimus,ceſſamus delinquere, peccare deſinimus, & totum quicquid ſaluti eſt graue,quaſi abiecta ſarcina oneris,exponimus. Nam ideo hæc dies pro celebritate maxima procuratur,quia verè eſt ſumma feſtiuitas,mortuum eſſe vitiis,ſoli vigere iuſtitiæ. Vnde & depoſitionis ipſa dies natalis dicitur,quòd delictorum carcere liberati, libertati naſcimur ſaluatoris. Sed videamus, ſanctus Euſebius cum qua gloria ad hanc diẽ depoſitionis aduenerit. Dicitur enim ante aliquantum temporis exitus ſui manifeſta reuelatione vidiſſe ſe kalendis Auguſti de monte ad montem volare, & prophetia quadam hoc interpretatus eſt hac die exiturũ ſe eſſe de corpore. In quo facto neſcio quid primum ſit admirandum, vtrum quod meruit exitus ſui finem noſſe,an quod ſcire potuerit quæ illum poſt exitum gratia permaneret. Dicit ſan-
Pſal. 38. ctus Dauid: Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum,& reliqua. Ecce quod Propheta optauerat,martyr accepit: notiriam quam ille exorat,iſte con

A ſequitur,niſi quod ſalua fide dixerim,amplius promereatur. Ille enim finem poſtulat noſſe, iſte etiam vltra finem quid futurum eſſet agnoſcit. Ille vſque ad exitum quid deſit ignorat, iſte poſt exitum quid ſuperſit edixit. Volare ergo ſe in hac die vidit martyr Euſebius,ſicut ſcimus. Volare non poteſt niſi quod purum,leue, atque ſubtile eſt, cuius nec ſyn-
ceritas intemperantia retardatur,nec alacritas nec velocitas mole grauatur. Grauari autem volatum dico non tam mole membrorum quàm delictorum. Vnde puto etiam in ipſis auibus ideo velocius columbam penè præ omnibus volitare, quòd alacritatem & innocentiam comitetur. Denique ſanctus Dauid cum puritate mentis volare concupiſceret,non alterius animantis niſi columbæ optauit alas, dicens: Quis
Pſal. 54. dabit mihi pennas ſicut columbæ,& volabo & requieſcam? Intelligebat enim quòd altiora facilius penetrantur ſimplicitate mentis quàm leuitate pẽnarum. Volauit ergo hac die ſanctus Euſebius. Feſtiuemus iam eius innocentiam de volatu,& puritatem eius de ipſa elatione iudicemus: tanquam
B columba enim in domo dei degẽs aſſumpſit ſpirituales pennas, & requieuit in monte. Et licet ipſe de monte ad montem volare ſe dixerit,tamen in ipſa tranſlatione maiorem requiem fuiſſe ſignifico. Quid enim aliud eſt de mõte ad montem volare,niſi de ſaluatoris gratia ad patris gloriam properare? Ipſi enim ſunt montes,ſicut dicit propheta: Mons de
Dan. 2. monte ſine manibus concidentium, hoc eſt filius de patre abſque vllius creationis acceſſu.

De natali ſancti Laurentij leuitæ & martyris.
Sermo 71.

BEatiſsimi Laurentij martyris, cuius natalem hodie celebramus, paſsionem noſſe vos credo, & quãta in perſecutione pertulerit,dilectionem veſtram ſcire poſſe non dubito. Tanta enim martyrio eius gloria extitit, vt paſsione ſua mundum illuminauerit vniuerſum. Illuminauit mundum planè Laurentius eo lu
mine quo ipſe ſuccẽſus eſt, & flammis quas ipſe pertulit, o-
C mnium Chriſtianorũ corda calefecit. Quis enim hoc exemplo nolit pro Chriſto ardere cũ Laurentio,vt poſsit à Chriſto cum Laurentio coronari? Quis nolit ad horam ſuſtinere Laurentij ignem, vt æternum gehnnæ non patiatur incendium? Beati igitur Laurentij prouocamur exemplo ad martyrium,accendimur ad fidem,incaleſcimus ad deuotionem. Et ſi nobis perſecutoris flamma deeſt,fidei tamẽ flamma non deeſt. Non ardemus quidem corpore pro Chriſto, ſed ardemus affectu. Non ſubiicit mihi perſecutor ignem, ſed ſuggerit mihi ignem deſiderium ſaluatoris. Eſſe autem ſaluatoris ignem legimus in euangelio, dicente eodem domino: Neſcitis quia ignem veni mittere ſuper terram, & Lucæ 12.
quid volo niſi vt accendatur? Quo igne ſuccenſi Amaus & Cleophas dixerunt: Nónne cor noſtrum ardens erat in no- Lucæ 24.
bis in via cùm aperiret nobis Ieſus ſcripturas? Hoc igitur etiam ſanctus Laurentius igne ſuccenſus, flammarum non ſenſit incẽdium: & dum Chriſti ardet deſiderio, perſecutoris pœna non ardet. * Inquantũ enim in illo fidei ardor fer- * penam non ſentit.
D uet, in tantum ſupplicij flamma frigeſcit. Corporali enim beatus Laurentius dum laborat incendio, hinc amore Chriſti ſuccenditur, inde perſecutoris flamma torquetur, ſed diuinus ſaluatoris ardor materialem tyranni reſtinguit ardorem. Quãuis enim in fauillam membra ſoluantur,fidei tamen fortitudo non ſoluitur. Corporis detrimentum ſuſtinet, ſed lucrum ſalutis adquirit. Non enim fratres beatus Laurẽtius cita vel ſimplici paſsione perimitur. Nam qui gladio percutitur, ſemel moritur: hic autem longua & multipli ci pœna cruciatur, vt mors differatur, & non deſit ad ſupplicium, & deſit ad finem. Dicitur enim ab illo ſæuiſſimo perſecutore hæc illi conſtituta pœna, vt ardentium expoſita mole carbonum inſuper eum ferrea crate diſtentum lenta flamma conſumeret,vt non tam inflammãdo citò interimeret hominem quãdiu exurẽdo torqueret. Ita cùm vnum latus exuſtum perſecutor cerneret, aliud latus ignibus obii
Dan. 3. ceret exurendum. Legimus Ananiam, Azariam & Miſael beatiſſimos pueros à rege in camino ignis incluſos, in pœnarum ſuarum deambulaſſe flammis,& igneos globos pedibus con-

767

bus conculcasse. Vnde & beatus Laurentius non minori est gloria præferendus. Siquidem illi in pœnarum suarum flam mis ambulant, hic in ipso supplicij sui igne discumbit. Illi ve stigiis pedum conculcant incendia, hic laterum suorum de uotione restinguit. Illi inquam stantes in pœnis eleuatis ma nibus orabant dominum, hic autem prostratus in sua pœna toto corpore deum deprecatur. Iterum ergo beatus Lauren tius exustis lateribus in dorsum supinus vertitur, & renes e ius ignibus exuruntur, vt impleretur psalmi prophetia, quæ Psal.138. dicit ex persona Laurētij: Proba me domine, & tenta me, v re renes meos, & cor meum. Duplici se vtique postulat igne comburi. Nam si de vno & solo mundi igne loqueretur, suf ficeret renes tantum exurendos incendiis obtulisse, cor au tem nisi Christi flamma non vrit, sicut Amaus & Cleophas Luce 24. dixerunt: Nónne cor nostrum erat ardens in via, cùm ape riret nobis dominus scripturas? Atque ideo ad comproban dam deuotionem suam geminum sibi ignem postulat, vt lu stamine habito ostendat in se plus posse amorem Christi, quàm pœnam tyranni. Honoremus * igitur fratres beatum Laurentium, qui dum fide sua persecutoris flammas vicit, o stendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia superare, & amore Christi diem iudicij non timere. † Nos verò, fra tres dilectissimi, si ad cōsortium sanctorum martyrum per uenire volumus, de imitatione martyrum cogitemus. De bent enim in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, vt pro nobis dignentur dominum supplicare. Si enim tor menta, quæ sancti martyres pertulerunt, sufferre non posu mus, vel contra malas concupiscentias, ipsis intercedētibus pugnemus. Et quia non desunt quotidiana peccata, non de sunt etiam quotidiana remedia. Nemo se credat aliquam fœ licitatem aut aliquod verum gaudium in hoc seculo posside re. Beatitudinem hic præparare potest, possidere nō potest. Duo sibi tempora ordine suo succedent, tempus flendi & tempus ridendi. Nemo se circunueniat fratres, non est in hoc mundo tempus ridendi. Scimus fratres quia omnis ho mo gaudere desiderat: sed totum ibi quærat gaudium vbi o portet inquiri. Verumetiam in hoc mundo gaudium nec fuit, nec est, nec esse poterit. Sic enim ipse dominus in euan gelio suos discipulos admonet, dicens: In mundo pressuram habebitis. Et iterum: Mundus gaudebit, vos autem contrista bimini: sed tristitia vestra conuertetur in gaudium. Ac sic in hac vita cum labore & dolore, quod bonum est, auxiliante domino faciamus, vt in futuro seculo bonorū fructus cum gaudio & exultatione percipere possimus. Præstante domi no nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in secula seculo rum. Amen.

* al. Oremus.

† Sic finie bat hic ser mo in Clu niacensi co dice.

De natali sancti Cypriani. Sermo 72.

SAncti Cypriani festiuitatē, sicut omnibus no tum est, hodie celebramus, & natali, sicut di cunt, imminente vindemia, natalem eius mar tyrij procuramus. Conueniunt igitur vota no stra, & mundi. Mundus vindemiarum vberta te lætatur: nos sanctorum passione gaudemus. Quæ quidem passio vindemiis cōparanda est. Sicut enim vuarum expres sione vinum funditur, ita & sanctorum martyrio vini vice sanguis effunditur, nisi quod vua temporales fructus præ stat, passio sempiternos. Rectè ergo martyrium vindemiis comparatur. Habet enim & ebrietatem suam, habet & cali cem suū, de quo dicit propheta Dauid: Et calix tuus inebriās Psal.22. quàm præclarus est. Et ipse dominus in passionis suæ exitu Matt.26. constitutus ait: Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Psal.115. Et iterum Propheta: Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. Rectè inquam calix martyrio cōparatur, quia sicut calix lætificat cùm bibitur, ac omnis humor no xius vini calore decoquitur, ita & martyrij poculum cùm hauritur, omnes peccatoris fæces passionis gloria temperan tur. Vinum ergo quoddam salutare martyrij est, quod cordi lætitiam præstat, calore fidei animæ puritatem. Vinum pla nè est spirituale de illa vua quæ pro salute omnium pependit in ligno expressum. Sicut enim botrus redditurus vinū prius in vinea quadam naturæ arte suspenditur: ita & Christus red diturus vinum spirituale martyrij in crucem quadam proui dētia diuinitatis aptatur. Ipse planè botrus est quem duo ex-

ploratores illi, hoc est Iesus Naue & Caleb filius Iephone in phalanga ad filios Israel propriis humeris detulerunt. Quod quidem factum iam tunc præfigurabat aduentum domini saluatoris. Nam botrus in phalanga suspensus, in cruce Chri stus appensus ostenditur. Duo autem in phalanga portantes vuam, duo populi demonstrantur, Christianus vtique & Iu dæus. Et sicut mos est portantium, vnus præcedens, alter sub sequens: ita prior Iudæorum designatur populus, Christia norum secundus. Et sicut antecedens quod portat non vi det, & retrorsum idem semper habens quadam dorsi auer sione contemnit: qui autem sequitur, semper id oculis per spicit, semper custodit obtutibus, semper corporis vicinita te potitur: ita ergo Iudæus, & Christianus populus. Iudæus enim prior est, Christum in lege portat, & retrorsum eum ponens quadam dorsi auersione contemnit: vnde ait Pro pheta: Obscurentur eorum oculi ne videant, & dorsum ip- Psal.68. sorum semper incurua. Christianus verò sequens populus Christum semper oculis aspicit, semper custodit obtutibus, & quadam graduum suorum vicinitate cōplectitur. Et quan to eū ille populus prauo itinere post se relinquit, tanto eum iste directo cursu festinat attingere. Num.13.

Item de sancto Cypriano. Sermo 73.

Hic sermo adscribitur Maximo episcopo Mediolanensi.

ANte dies, cùm beatissimi martyris Cypriani cele braremus natalem, suauissimè in eius festiuitate iucundati sumus: quia enim hoc vindemiarum tempore passus est, tanquam & nos de vindemia dulces & varios fructus ex eius passione collegimus. Impin guauit enim nos, & refecit musto martyrij sui. Est enim mu stum quod reficit & inebriat Christianum, sed ebrietas illa magis sobrium facit. Qui enim inebriatur cœlesti gratia, ex obriatur sarcina peccatorum. Hoc nāque musto repleti san- Acto.2. cti apostoli, sicut ait scriptura, alienis linguis dei magnalia lo quebantur. In quo facto pariter ebrij esse videbantur, & so brij. Ebrij enim putabantur, quod in iis loquela præter na turam altera personabat. Sobrij erant, quod iuxta consuetu dinem mentis deum deuotione laudabant. Quodquidem non elatione aliqua aut impudentia contigit, vt viri sancti peregrino sermone loquerentur, sed prouidentia diuinitatis factum est, vt quia ad magnificādum deum vna loquela non sufficit, per plures linguas mentis deuotio solueretur. Iucun Esaiæ 5. dati enim sumus, quia de vinea domini sabaoth, sicut dicit propheta, domus Israel est, quæ domus nos sumus. Secun dum fidem enim Israelitæ nos sumus. Vnde dicit Apostolus: Quia si ex fide sunt ij, filij sunt Abrahæ. Quoniam igitur Galat.5. nos sumus Israel, vinea domini sumus, videamus diligenter ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcedinis vua, sed fellis: ne dicatur nobis quod Iudæis dictum est per Prophe tam: Sustinui vt faceret vuam, fecit autem spinas: & non iu- Esaiæ 9. stitiam, sed clamorem. Quàm dura cōditio, vt possessio quæ domino suo suauitatis fructus afferre debuit, spinarū illum asperitate compunxerit. Hoc est, cùm Iudæi saluatorem de buerint tota fidei deuotione suscipere, spinarum eum coro nauerunt passione. Quæ corona quidem, quātum in Iudæis est, erat iniuriarum cōtumelia: quantum in domino, erat co rona virtutum. Compūgunt ergo Iudæi dominum dum co ronant, compungunt dum crucifigunt. Vnde ait scriptura sancta: Videbunt in quem compunxerunt. Igitur fratres vi- Ioan.19. dete ne & nobis dicatur: Sustinui vt faceret vuam, fecit au tem spinas. Hoc est, ne spinas quas domino Iudæi cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus, & cōpungamus eum non asperitate sentium, sed operum prauitate. Sunt enim spinæ cordis, quæ verbum dei etiam vul nerare consueuerunt, de quibus meminit in euangelio salua tor, dicens seminantis semen cecidisse inter spinas, & creuis- Matt.13. se eas, ac suffocasse quod satum est. Quæ autem spinæ sint, i pse prosequitur dicens vtique solicitudines esse mundanas, quæ cùm crescunt in corde hominis, mandata in eo saluato ris suffocant. Quis enim vnquam solicitus de mundo, potuit bene solicitus esse de Christo? Quis dum lucris domus suæ prouidet, vtilitatibus ecclesiæ potuit prouidere? Vnde ait A postolus: Qui sine vxore est, solicitus est quæ sunt domini, 1.Cor.7.

quomodo placeat deo: qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Ergo fratres videte ne vinea vestra non vuas, sed spinas faciat, ne vindemia vestra non vinum afferat, sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit, & pauperibus non largitur: ille acetum colligit, non vinum. Quisquis messes recondit, & indigentibus non ministrat, iste non alimoniæ fructus reposuit, sed tribulos auaritiæ congregauit. Nam propterea ait scriptura de terra vestra: Spinas & tribulos germinabit tibi.

Genes. 3.

De natali martyrum. *Sermo* 74.

DIgnum & congruum est fratres, vt post lætitiam paschæ quã in ecclesia celebrauimus, gaudia nostra cum sanctis martyribus conferamus, & iis annunciemus dominicæ resurrectionis gloriam, qui consortes sunt dominicæ passionis. Qui enim socij sunt contumeliæ, debent & participes esse lætitiæ. Ita enim dicit beatus Apostolus: Sicut socij passionum estis, & resurrectionis eritis: si tolerabimus, inquit, & conregnabimus. Qui ergo tolerauerunt mala propter Christum, debent & gloriam habere cum Christo. Annunciemus inquam sanctis martyribus dominicæ paschæ gratiam, vt dum sepulturæ illius prædicamus reserata claustra, & horum sepulchra reserentur. Dum corpus illius mortuum dicimus tepentibus venis subitò viguisse, horum quoque membra iam frigida immortalitatis calore foueantur. Eadem enim ratio martyrem suscitat, quæ & dominum suscitauit. Nam sicut viam passionis eius experti sunt: ita experientur & vitæ. Scriptum est enim in psalmo: Notas mihi feciſti vias vitæ. Hoc vtique in resurrectione ex persona dicitur saluatoris, qui dum post mortem ab inferis redit ad superos, incipiat notam habere viam vitæ quæ antè habebatur ignota. Ignota enim erat ante Christũ via vitæ, quæ nullius adhuc resurgentis fuerat temerata vestigio. At vbi dominus resurrexit, nota facta solo attrita est plurimorum. De quibus sanctus euangelista ait: Multorum corpora sanctorum surrexerunt cum eo, & introierunt in sanctam ciuitatem. Vnde cùm dominus in resurrectione sua dixerit: Notas mihi feciſti vias vitæ, possumus & nos iam dicere domino: Notas feciſti nobis vias vitæ. Ipse enim nobis notas fecit vias vitæ, qui nobis semitam manifestauit ad vitam. Notas enim mihi fecit vias vitæ, cùm me docuit fidem, misericordiam, iustitiam, castitatem. His enim peruenitur itineribus ad salutẽ: & licet nos in resolutione corporis mortis vmbra circundet, tamen gressus suos vita non deserit, sed inter ipsas medias inferni leges incunctanter Christi virtutibus ambulamus. Vnde ait sanctus Propheta: Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quod manifestius dominus ait de fideli, dicens: Qui autem credit in me, non morietur. Et licet moriatur, viuet. Ergo fratres cum sanctis martyribus paschæ domini gloriam conferamus. Cõferamus inquam: & licet melius nouerint omnia, tamen nos illis prædicemus quemadmodum de sepulchri gremio resurrexit ad superos. Illi nobis reuelent quo pacto de inferni profundo remeauerit ad sepulchrũ. Notum, inquam, nobis faciant quemadmodum in exanime iam corpus & frigidum sese calor insinuauerit, spiritus ingesserit, sanguis infuderit, & gelatas humore venas pristini vigoris pulsus agitauerit. Notum, inquam, nobis faciant quemadmodum organum corporis dissipatum in priorem statum neruorum rursus coaptauerit resoluta compago, & harmoniam viscerum iam silentem in veterem concentum spiritus viuificans animauerit. Sacerdotes ergo prædicent quæ saluator post resurrectionem mirabilia gesſit ad superos, martyres reuelent quanta in ipsa morte refrigeria operatus sit in defunctos.

2. Cor. 1. 2. Tim. 2.

Pſal. 15.

Matth. 27.

Pſal. 15.

Pſal. 22.

Ioan. 11.

In natali sanctorum Canti, Cantiani, & Cantianillæ.

Sermo 75.

HOdie beatissimorum Canti, Cantiani, & Cantianillæ natalis est. Quàm bene & iucundè tres martyres vno penè vocabulo nuncupantur. Nec mirum si similes sunt nomine, qui sunt similes passione, si vna est illis apud homines appellatio, quibus apud deum est vna vocatio. Vniter enim vocati sunt à domino, non interposito tempore aliter & aliter passi, sed omnes eodem ictu pariter martyrium pertulerunt. Quod quidem illis parentiua quadam à Christo affectione concessum est, vt congruerent meritis qui vocabulis concordabant: & qui erant consanguinitate fratres, fierent etiam sanctitate germani: & quorum membra vnius corporis substãtia vegetabat, eorum animas eiusdem fidei confessio coronaret. Refert autem de beatis supradictis historia, quòd tempore passionis cùm eos persecutor inquireret, ascenso vehiculo iunctis mulabus eos secedere voluisse: & cùm non longè ab vrbis mœnibus iter agerent, vnum animal de subiunctis subitò corruisse, atque ita illos à persecutoribus comprehensos tentos ad pœnam. Quod factũ quàm glorioſum sit, & à diuinitate dispositum, debemus aduertere. Semper enim deus quos elegit, hos victores subuectione sublimi in aulam regni cœlestis inducit. Nam sicut Helias curru applicito quasi ascendit ad cœlum: ita & isti vehiculo admoto ad martyrium peruenerunt: & quadriga sicut illum euexit ad requiem, ita hos portauit ad gloriam. Et quanuis illa ignea quadriga fuerit, hæc tamen inferior non habenda est, quia illa vnum gestauit prophetam, hæc tres martyres sustentauit. Sed dicit aliquis: Glorioſius est gestari quadriga ignea, quàm terrena. Nec hoc planè defuit sanctis viris. Nam sicut Heliam ignea quadriga portabat, ita & martyres fides ignea iam ferebat. Ferebat inquam illos Christus, qui lumen est, qui ignis est, de quo scriptum est: Dominus noster ignis consumens est. Ergo cùm beatos de quibus loquimur, persecutor vrgeret, vehiculum conscenderunt. Qua causa? vt fugerent? Absit. Non vt fugerent, sed vt ad martyrium citius peruenirẽt: non vt latitarent, sed vt Christianos se cunctis transeuntibus manifestius approbarent. Cæterùm occultius inter plures in ciuitate latere potuerant, tutius per diuersa singuli fugæ præsidium commendare. At verò vbi quis congregatione habita stratis vehiculis apparatu dispoſito per aggerem publicum egreditur, illic non fuga dicenda est, sed profectus est. Sancti enim viri hoc facto velut in triumphali curru positi contestabantur dicentes. Ecce persecutor, ecce proficiſcimur, ecce præcedimus, quid resides? quid moraris? Subsequere nostra vestigia. Nolumus enim videri inuiti ducti ad pœnam, qui præcedere nos profitemur ad gloriam.

Deut. 4. Hebr. 12.

De natali sanctorum martyrum. *Sermo* 76.

SI quantum me necesse est dicere, & vos oportet audire, tãtum prosequi corporis mei posset infirmitas: profectò omnes excusati essemus: sed ego insinuando præceptum, vos exequendo mandatum. Sed quoniam imbecillitate percellimur, quo minus quantum oportet dicere valeamus, excuset nos mentis deuotio, quos non excusat prædicationis oratio. Hoc est, etsi à laudibus domini lingua cessamus, mirabilia tamen eius fidei operibus approbemus, si non loquimur verbis eius gloriam, factis exequamur eius gloriã, quoniã dictis facta priora sunt. Nã dominus in euangelio ita dicit: Qui fecerit sic, & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cœlorum. Audis ergo quoniam præcedit factum, subsequitur doctrina. Siquidem benefacere, prima doctrina est. Cessantibus enim verbis hoc ipsum docet hominem opus optimũ, dum videtur: quod etsi voce aures non excitet, virtute corda tamen compũgat. Quis enim bonum factum videns non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magistro vtens eius exemplo doceatur? Dictis igitur facta præcedunt. Imò sine factis dicta nihil prosunt. Nam ideo & dominus fieri voluit, sic doceri, ne sine bono opere, verborum inutilis esset & superstitioſa iactatio. Melius ergo docemur facto quàm voce. Denique sancti martyres etsi voce tacent, factorum virtute nos edocent: etsi lingua silent, martyrij passione persuadent. Vn de quanuis disertus orator facundia sua me doceat, id tamen quod vtile est mihi, melius disco exemplo sanctorum, quàm assertione verborum. Citius mihi persuadent oculi quod cernunt, quàm auris potest insinuare quod præterit. Auditui enim citò irrepit obliuio. Oculorum autem historia semper inspicitur. Quis enim non omnibus horis momentisque conspiciat quemadmodum tunc beati martyres propter nomen Christi diuersis subiacuere suppliciis, & de ipsis pœnis quodammodo triumphabant? Quanto enim plu-

ra

771

ra patiebantur, tanto se victoriosissimos credebant. Victoria enim est martyris, iudicium persequentis, sicut scriptum est: Et vincas cùm iudicaris. Cùm iudicatur enim martyr, & condemnatur, tunc vincit atque prosternit. Tali enim iudicio non est addictus ad mortem, sed absolutus ad requiem. Ac per hoc, manifestissima ratione victisse est, non perisse. Constat igitur sanctos martyres plus passione docere quàm voce, quanquam ipsamet passio sine voce non sit. Legimus enim animas eorum desub ara dei clamare vel dicere: Quousque sanctus & verus non vindicas sanguinem nostrum? Nam & deus dicit de sanguine Abel ad Cain: Vox sanguinis fratris tui clamat. Clamare igitur dicitur sanguis qui innocès effusus est, non tam voce, quàm causa. Sic & sanctorum martyrum animæ clamant, dum fidem atque innocentiam suam sensibus nostris ipsa passione commendant.

psal 50.
Apoc. 6.
Genes. 4.

De natali sanctorum Octauij, Aduentitij, & Solutoris Tauricorum. Sermo 77.

A

B

QVM omnium sanctorum martyrum fratres deuotissimè natalem celebrare debemus, tum præcipuè eorum solennitas tota nobis veneratione curanda est, qui in nostris domiciliis propriũ sanguinem profuderunt. Nam licet vniuersi sancti vbique sint, & omnibus prosint, specialiter illi tamen pro nobis interuiũt, qui & supplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur, non sibi tantum patitur, sed & ciuibus. Sibi enim patitur ad præmium, ciuibus ad exemplum. Sibi patitur ad requiem, ciuibus ad salutem. Exemplo enim eorum didicimus Christo credere, didicimus contumeliis vitam æternã quærere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid martyribus debeamus, in quo alter tortus est, vt alius saluaretur. Alter carnificem pertulit, vt Christum alter agnosceret. Alter morti addictus est, vt alius vita potiretur æterna: & ad postremum sanctus occisus est, vt peccator euaderet. Beati igitur martyres nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt bene viuendo cõuersationis, tolerando fortiter passionis. Nam ideo dominus per totum mundum diuersis in locis pati martyres voluit, vt tanquam idonei testes nos præsenti quodam fidei exemplo suæ confessionis vrgerent, vt humana fragilitas quæ prædicationi dominicæ aditu longiore vix credit, vel præsenti oculorum testimonio martyrio crederet beatorum. Cuncti igitur martyres deuotissimè percolendi sunt, sed specialiter ij veneradi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adiuuant, isti etiam adiuuant passione. Cum his autem nobis familiaritas est. Semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hic ne peccatorũ nos labes absumat, ibi ne inferni horror inuadat. Nam ideo hoc à maioribus prouisum est, vt sanctorũ ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illis Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes euadimus inferi tenebras eorum propriis meritis, attamen consocij sanctitate. Ait enim dominus Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiã meam, & portæ inferi non præualebunt ei. Si ergo apostolo & martyri Petro inferni porta non præualet: quisquis sociatur martyri, tartaro non tenetur. Martyres enim inferni porta nõ possidet, quoniam eos paradisi regna suscipiunt. Nam videmus eos vtique iam regnare. Cernimus enim ab iis frequenter obsessos immundissimis dæmonibus homines liberari, ita vt cœlesti medicina & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipse diabolus vinculis igneis alligatus producatur de sua captiuitate captiuus, vt qui prædam paulo ante ceperat, ipse subdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per sanctos fieri omnibus notũ est. Et ideo fratres veneremur eos in seculo, quos defensores habere possumus in futuro. Et sicut eis ossibus parentum nostrorum iungimur: ita & eis fidei imitatione iungamur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam religione quàm corpore.

C

D

Matth. 16.

De eo quod propheta ait ad filios Israel, Caupones vestri miscent aquam vino. Sermo 78.

NON incommodè ante dies paucos prosecuti sumus functionem hãc sacerdotalem vicem quandam negocij retinere, & quæstum esse non modi cum hoc clericatus officiũ. Est quæstus planè nõ modicus, vbi lucrum non pecuniarũ, sed adquiritur animarum: est magna negociatio, vbi redemptio hominis constat non annunciatione precij, sed annũciatione præcepti. Præceptum enim Christi talẽtum quoddam est preciosum, quo salus comparatur, quo vita redimitur: & magna est redemptio, cùm & precium datur, & pecunia non videtur. Talentum ergo magnum præceptum est saluatoris, quod commodati vice apud idoneos proficere potest, apud negligentes non potest deperire. Aliis enim cũ multiplici gratia restituitur, ab aliis cum pœnarum vsura deposcitur. Christus enim talentum quod commendat, necesse est vt requirat, & soluenti gratiam referat, non soluentem subdat iniuriis. Subdit planè iniuriis more mundi, vt debitor qui redhibitione substantiæ satisfacere non potest, satisfaciat vel corporis vltione. Hoc ergo talentum fratres nos prædicatione nostra vestris pectoribus commendamus, vt lucrum aliquod salutis vestræ domino designemus. Rationẽ daturi sumus qualiter aut prædicatio nostra proficiat, aut obedientia vestra fructificet. Non enim sine causa euãgelium annunciat, apostolus clamat, sacerdotes loquuntur: in cuiuscunque aures vox sancta peruenerit, aut beatus erit deuotione, aut reus de contestatione. Loquimur enim beatitudinem credentibus, contestamur iudicium criminosis. Mercimonium igitur est administratio sacerdotum. Vnde & propheta dicit ad filios Israel: Caupones vestri miscent aquam vino. Nõ enim de iis Cauponibus Esaias sanctus loquitur qui publicis ministeriis seruientes, meram vini speciem fraudulenta aquæ colluuione permiscent (nec enim hoc ad beatum virum more iudicis seculi pertinere poterat, cum corruptis tabernarum vasculis minus ebrioso potu populus vteretur) sed de illis vtique cauponibus loquitur qui præsunt ecclesiis, non tabernis: qui sitientibus populis non concupiscentiæ calicem porrigunt, sed virtutis: non ebrietatis ministrant poculum, sed poculum saluatoris. Istos ergo caupones propheta arguit & obiurgat, & queritur eos vino aquæ speciẽ permiscere. Hoc increpat in eis: cùm functionum diuinarum essent præsules, sectatores rerum facti sunt humanarum, sicut ipse ait propheta: Sectamini vnusquisq; domum suam. Quisquis enim sacerdos relicto pontificatus officio, mundi oblectationibus delectatur, hic aquam vino permiscet, hoc est, rebus sanctis & feruidis inserit res viles & frigidas. Sed & sic possumus accipere, quòd iidem Iudæorũ sacerdotes aquam vino miscuerint, cùm dominum saluatorem non sicut deum susciperẽt, sed sicut hominem iudicarent, & synceræ ac meræ eius diuinitati turbidum quiddam ac sordidum inferre voluerint, dicentes ad eum: Quia cùm sis homo, facis teipsum deum. Et iterum: Nos ex prostitutione non sumus nati. Dum enim se ab adulterio prostitutionis excusant, illum in diuinitate natiuitatis suæ adulterare nituntur. Sed adhuc diligentius videamus quid sit quod ait: Permiscent aquam vino. Legimus vinum in ecclesia specialiter abundare, sicut in euangelio dictum est: vinũ nouum in vtres nouos esse condendum. Hoc est, in nouos homines neophytos spiritus sancti gratiã conferendam. Si igitur preciosa & spiritualis vini gratia abundat in ecclesia, aqua vilis & fœtida non nisi in synagoga est referenda. Fœtida enim synagogæ aqua est, quæ baptismate suo peccata non diluit, sed adquirit: quæ hominem non purificat proprio lauacro, sed polluit. Denique sicut in vtribus ecclesia honoratur, ita & cum aquæ vtre synagoga proiicitur. Nam illa Agar quæ typum synagogæ gestabat, de qua ad Abraham dicitur: Eiice ancillam, & filium eius: vtique cùm eiiceretur, non cum vini sed cum vtre aquæ de tabernaculis effugatur. Certè domus Abrahæ erat diues, locuples, abundans: attamen non vinum, non oleum, non panem accepit, quæ sunt vitæ alimenta firmissima. Et rectè vitæ synagoga alimenta non accepit, quia vitam quæ est Christus, ignorat: aqua sola æger protrahitur, languidus sustentatur. Conueniens enim erat vt quæ viuentis non merebatur alimoniam vel solatium morientis acciperet. Arguuntur enim sacerdo-

Esaiæ 1.
Ioan. 10.
Ioan. 8.
Lucæ 5.
Genes. 21.
Galat. 4.

tes Iudæorum cur eccleſiaſtico vino precioſo aquam ſynagogæ abiectam iam & reprobatam voluerint permiſcere. Aqua enim in eccleſia miſceri non ſolet,ſed mutari, ſicut dominus inuitatus ad nuptias hydrias plenas aqua nõ vino miſ
Ioan.2. cuit,ſed mutauit in vinum. Ne quid enim in ſancto conuiuio vilitatis Iudaicæ reſideret, maluit naturã vertere, quàm adulterare ſubſtantiam.

De eo quòd dominus dicit in euangelio, Vulpes foueas habent. Sermo 79.



SI diligenter animaduertit euangelicum capitulũ quod lectum eſt,veſtra dilectio: ſenſus veſtros id ipſum capitulum potuit penetrare,cur dominus(ſicut ſcriptura refert) cũ
Matth.8. ab altero interpellatus fuerit, vt eum quocunque iiſſet,cauſa religioſi ſeruitij ſequere-
Lucæ 9. tur:alteri magis dixerit,Sequere me:& illo ſpreto atque deſpecto, alium potius tacentem nec opinantémque delegerit. Et cùm vtique acceptius voluntarium obſequium eſſe ſoleat quàm coactum,& ſeruitium plus placeat non quod imperio exigitur,ſed quod ſponte defertur:cur ergo iſte reſpui
B tur,cur velut indignus etiam recuſatur? Ait enim ad eum do
Matth.8. minus:Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius hominis non habet vbi caput reclinet. Primum itaque hoc conſiderare debemus,quod non eſt acceptor dominus perſonarum.Eſt enim æquus iudex & iuſtus: ſed pro qualitate horum repẽdat dilectionis affectum, & eum eligat non qui verbis promptus,deuotione piger, ſed qui fuerit lingua taci
Prouer.17. tus,mente deuotus,de quo dicit propheta: Tacitum te faciens,ſapiens videberis. De illo autem qui petulanter loqui-
Matth.7. tur,refert ſcriptura: Non omnis qui dicit mihi domine domine,intrabit in regnum cœlorum:ſed qui fecerit voluntatem meam. Hinc ergo diſcimus quòd ad dominũ non tam ore quàm corde clamandum eſt. Igitur ſaluator noſter, qui cogitationes hominum ſenſúſq; prouideat,audiens quidem vocis obſequium,mentis autem verſutiam recognoſcens, tali illum animali cõparat,quod aliud voce indicet, aliud moribus operetur. Vulpes latratu canis reſonat, dolo rapinam fraudis exercet. Tacentem ergo nec opinantem aſſumit. Tacebat quidem lingua,ſed ſpiritu loquebatur. Intelligimus enim quàm deuotus fuerit,qui ſicut ipſe aſſeruit,patrem reli
Lucæ 9. quit mortuum, vt vitæ dominum reperiret. Ait enim: Permitte mihi prius ire,& ſepelire patrem meum. Mortuum ergo illum reliquerat,quem vt reuertẽs ſepeliret exorat. Nondum dolor retinuerat,non mors retardauerat, quia feſtinabat ad vitam. Necdum morientis clauſerat oculos, necdum rigentia membra condiderat: ſtatim vt comperit aduenisſe dominum,oblitus paternæ pietatis,affectum maiorem pietate credidit plus Chriſtum diligere,quàm parentem. Lege-
Pſal.44. rat enim fortaſſe propheticam lectionem quæ dicit: Obliuiſcere populum tuum,& domum patris tui. Propterea oblitus eſt patrem,dum memor eſt in ſaluatorem. Audierat e-
Matth.10. nim euangelium domini: Qui plus dilexerit patrem aut ma-
Tob.2. trem, non eſt me dignus. Ita cùm Tobias iuſtificetur cùm ſepulturæ cauſa prandium dereliquerit, hic probatur cùm
D cauſa Chriſti,patris reliquerit ſepulturam. Ille enim non veretur ne interueniente opere terreni prandij epulas prætermitteret, hic metuit ne interueniente mora refectionẽ panis cœleſtis amittat. Vnde cùm Chriſti contemplatione ſepulturam omnibus debeamus,hic amore Chriſti patris deſeruit ſepulturam. Diſcutiamus itaque primo illius interpellationem,reſponſionémque domini ſaluatoris. Ait enim il-
Lucæ 9. le,Sequar te quocunque ieris. Prompta quidem,ſed ſuperba reſponſio. Iturus enim ad paſſionẽ erat dominus,deſcenſurus ad inferos,aſcenſurus ad cœlum: nunquid in omnibus illum poteſt fragilitas humana comitari? Stulta magis eſt iſta præſumptio,quàm religioſa cõfeſſio. Siquidem & Petro apoſtolo dicitur à domino, cùm exiſtimaret ſe ſequi per o-
Ioan.13. mnia ſaluatorem,Quo vado,non potes me modo ſequi. Et cùm pertinaciter inſiſteret,ac ſe ab eo nec morte diceret ſeparandum,tanquam iactantiæ condemnatus audit quod eſſet dominum tertio negaturus. Ita qui promittebat à confeſſione Chriſti nec morte diuelli,ab eius ſocietate interrogatione ancillulę ſeparatur:& niſi modum quendam ſtatuens,
A tertio eum dixiſſet dominum negaturum,forſitan ſæpius interrogatus,frequentius denegaſſet. Quid ergo reſpondetur illi petulanti? Vulpes foueas habent,& volucres cœli nidos, Lucæ 9.
& filius hominis nõ habet vbi caput reclinet. Videte cui rei ſubtiliter comparetur. Eſt enim hoc genus animalis fallax, & inſidiis ſemper intentum,rapina fraudes exercens, quod nihil tutum,nihil ocioſum,nihil patitur eſſe ſecurum,quod inter ipſa quoque hominum domicilia prædam requirat. Quam comparationem non ſolum propter illum ſcriptam puto,ſed propter pleroſque etiam Chriſtianos, qui ore quidem dominum confitentur, moribus autem vulpium fallacia diuerſantur. Omnis enim Chriſtianus qui ſua vult peccata celare, hic ſpiritualiter vulpes eſt. Sicut vulpes propter fraudes ſuas latibulis demoratur:ita & peccator tacens propter conſcientiam ſuam peccatorum foueis delitеſcit. Et ſicut illa non audet inter medias hominũ turbas morum ſuorum oſtendere fallaciam,ita & hic erubeſcit in media eccleſia conuerſationis ſuæ nequitiam confiteri. Vulpem planè dixerim omnem Chriſtianum qui ſuo inſidiatur vicino, qui
B quotidie nititur fines alienos arrodere, fructus inuadere, animalia deuorare,& quod eſt familiare huic tempori, non iam vulpium more pullos, ſed luporum more rapere porcos: qui dum ſuo labore poſſit ſe iuuare, ferarum rabie prædam captat alienam. Hæreticos etiam omnes arbitror vulpibus cõparãdos, qui cùm in domo domini habitare non poſſint, conuenticula ſibi quædam velut foueas præparant tenebroſas,in quibus pertinaciter latentes inſidiantur eccleſiæ,vt ſi qua innocens anima fortè præceſſerit,velut pullum gallinæ matris abſorbeant. Inſidiantur inquam vulpes eccleſiæ,hoc eſt, hæretici euangelicæ illi gallinæ de qua ait dominus: Quotiens volui congregare filios tuos ſicut gallina col- Matt.23.
ligit pullos ſuos ſub alas ſuas: ſed ipſa ſicut Sampſon arden- Iudicu.15.
tes faces vulpibus religauit.

Increpatio ad plebem, & de eo quod ait dominus: Qui habet, dabitur ei: & cantauimus vobis, & non ſaltaſtis. Sermo 80.

C PRequẽter ſtudueram apud me ipſum fratres ſubtrahere vobis dominicæ prędicationis eloquia,ac non elargiri ſępius ſermonũ cœleſtium ſacramenta. Siquidem nihil proſit offerre pabula recuſanti,& potum porrigere minimè ſitienti: cùm id quod offeras, non tam libenter hauriat,quàm faſtidioſè velut turbulẽtum reddat: atque ita fit vt & poculi ſynceritas vitietur, & cauſas delicti faſtidioſus peccator inueniat. Sic ergo & charitatiue ſtræ ingerere dominici poculi prædicationem fortè ſuperfluum eſt,cùm id anima veſtra clauſis viſceribus non tam ſitienter hauriat,quàm diſſimulanter infundat. Fundit enim mandatum domini, qui illud aure ſua percipit, corde non continet. In ſuperficie enim quadam corporis illud geſtans, ac minimè ad interiora tranſmittens quod audiuit,dum obliuiſcitur,ſeriem prædicationis effundit, & ita domum vacuus repedat, qui de eccleſia onuſtus exierat. Dicite enim mihi,quis de vobis cùm ad hoſpitiũ redierit,dicit, hodie au-
D diuimus epiſcopum de eleemoſynis diſputãtem,rem vtilem Matth.19.
prędicauit,debemus pauperibus miſereri? Proſecutus etiam eſt de idolorum execranda cultura,requiramus ne ignorantibus nobis in poſſeſſione noſtra ſit idolũ. Admonuit etiam feſtinare debere catechumenũ ad gratiam fidei, offeramus familiolæ noſtræ fidem vt quiſquis eſt fidelis accipiat,ne fortè ratio ſalutis eorum quæratur à nobis,quia vita eorum noſtro pendet arbitrio. Nemo de dei rebus cogitat, nemo de die iudicij loquitur,quaſi aut per omnia victuri,aut per omnia morituri. Mihi credite,ita viuimus in hoc ſeculo,vt cornpore moriamur: ita morimur,vt rationi reddendæ viuamus. Moritur interim homo, ſed actuum cauſa non moritur: vidente autem cauſa neceſſe eſt,vt cauſæ ſuæ perſona non deſit,ſicut ait Propheta: Ecce homo, & opera eius. Volueram ergo ſubtrahere vobis dominicæ prędicationis eloquia,non quòd iratus hoc facerem,ſed vt euangelicam ſententiam cuſtodirem. Ait enim dominus: Qui habet, dabitur ei: & qui non habet,id quod habet auferetur ab eo. Habenti ergo dari iuſſit,& non habenti non ſolũ non dari,ſed & id quod habet auferri. Quæ ſententia ſuperflua vobis forſitan videtur: ego

775

ego autem dico rectè ac ſapienter dominum præcepiſſe. Ha
bẽti ergo iubetur dari. Meretur planè accipere qui ita labo-
rauit vt propria ſolicitudine animæ ſuæ diuitias ſpirituales
adquireret: vtputa quis continentiæ forti propoſito cœpit
caſtimoniæ cuſtodire virtutem: meretur audire quæ caſtita-
tis remuneratio ſit futura, vt ad virtutis obſeruantiã audiens
remunerationis gloriam facilius poſſit pugnam quam cœpit
atterere. Alius ad miſericordiam prõptus debet audire quia
ipſi miſerebitur deus: & qui hanc terrenam ſubſtantiam cœ
leſtibus diuitiis repenſauit, neceſſe eſt vt oſcultans viciſſitu-
dinem cœleſtium præmiorum promptior ac libentior opus
domini proſequatur, & ad miſericordiæ quod habet bonũ,
largitatis addat augmentum: ideo ait dominus, Qui habet,
dabitur ei: hoc eſt, qui diues fuerit bonis operibus, hic ma-
gis euangelica prædicatione ditetur. Cæterùm ſi fornicato-
ri prædices, & dicas quòd virgo debeat permanere, & auaro
quòd omnia ſua diſtrahere debeat atque donare, ſtultitia il-
li eſt. Hanc autem prædicationem ridiculam putat, ſicut ait
1. Cor. 2. Apoſtolus: Animalis autem homo non percipit quæ ſunt ſpi
ritus: ſtultitia enim eſt illi. Tale enim eſt iis prædicare quod
perfectum eſt, quale ſi mendicũ pannis obrutum holoſerica
velis induere, & eſuriẽtem ruſticum placento delectare: ne-
ceſſe eſt vt ab vtroque recuſetur oblatio. Illi enim diſplicet
holoſerica, qui neceſſaria magis frigori veſtimẽta deſiderat:
huic placentum amarũ, dum eſcam magis ſaturitatis exqui-
rit. Iſtis ergo perſonis auferenda potius ſunt quæ ſua ſunt, ſi-
Matt. 13. cut ait euãgelium: Etiam id quod habet auferetur ab eo: hoc
eſt, cogendus eſt fornicator pannos ſuæ corruptionis abiice-
re, compellendus auarus eſt panem ſuæ cupiditatis exponе-
re. Vereor autem fratres ne hæc euangelica lectio pleriſque
Lucæ 7. de vobis congruat, quæ ait: Cantauimus vobis, & non ſalta-
ſtis: lamentauimus, & non ploraſtis. Annunciamus, ergo vo
bis regni cœleſtis gaudiũ, & minimè corda veſtra motu quo
dam alacritatis exultant. Prædicamus triſte iudicium, & ſen-
ſus veſtri ad pœnitentiam in lachrymas non prorumpunt.
Infidelitatis enim genus eſt, in diuinis rebus nec gaudere
proſperis, nec flere contrariis. Saltationem ergo à nobis re-
quirit dominus, non vtique ſinuoſi volubilitatem corporis,
ſed extollentis ſe fidei ſanctitatem. Sicut enim qui corpora-
liter ſaltat, nunc in aere ſuſpẽditur, nunc ad altiora iactatur,
nunc alternis ſaltibus loca diuerſa colluſtrat, ita & qui ſpiri-
tualiter ſaltat interueniente fide, modo in aeris ſublimita-
tem erigitur, modo ad ſyderum altiora tollitur, modo diuer-
ſis cogitationum ſaltibus paradiſum cœlúmque colluſtrat.
Et ſicut qui corporaliter ſaltat, volubilitate membrorum ſe
exercens gyrum ſibi ſaltationis adquirit, ita & qui ſpiritua-
liter ſaltat fidei alacritate ſemper mouens, gyrum ſibi totius
orbis aſſumit. Solẽt autem homines ſicut mos eſt, in ſuis vo-
tis, hoc eſt, nuptiis, præcipuè ſaltare vel canere: vnde & nos
habemus votiuas nuptias, in quibus ſaltare vel canere de-
beamus. Vota enim noſtra celebrantur quando Chriſto ec-
Ioan. 3. cleſia copulatur, ſicut ait Ioannes: Qui habet ſponſam, ſpon
ſus eſt. Propter has ergo nuptias ſaltare nos conuenit. Siqui-
2. Reg. 6. dem Dauid rex pariter & propheta dum multa cecinerit, an
te arcam teſtamenti etiam ſaltaſſe dicitur. Elatus enim gau-
dio, in ſaltationem prorupit. Præuidebat enim in ſpiritu Ma
riam de germine ſuo Chriſti thalamo ſociandam. Vnde ait:
Pſal. 18. Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Ideo i-
pſe præ cæteris prophetiarum authoribus plus cantauit, quia
lætior cunctis per hæc gaudia ſuos poſteros coniugabat, &
ad propria vota ſolito dulcius inuitans, docuit nos quid in i-
pſis nuptiis facere deberemus, cùm ille ante nuptias tanta
exultatione ſaltauerit ante arcã. Ergo ſaltauit propheta Da-
uid ante arcam. Arcam autem quid niſi ſanctam Mariam di-
xerimus? Siquidem arca intrinſecus portabat teſtamenti ta-
bulas, Maria autem ipſius teſtamenti geſtabat hæredem. Il-
la intra ſemet legem, hæc euangelium retinebat. Illa dei vo-
cem habebat, hæc verbum: veruntamen arca intus foríſque
auri nitore radiabat, ſed & ſancta Maria intus foríſque vir-
ginitatis ſplendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, i-
ſte cœleſti.

De eo quod ſcriptum eſt in euangelio: Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit. *Sermo* 81.

A Dvplex eſt tentationum ſpecies: aut enim tribula-
tio cor vexat humanum, & ſicut aurum in cami-
no per patientiam probatur vnuſquiſq; & agno-
ſcitur, aut interdũ etiam ipſa vitæ proſperitas ad
tentationem cedit hominibus. Similis nanq; eiuſdem igna-
uiæ eſt, in aduerſis humilem ac miſerabilẽ fieri, & in proſpe-
ris inſolenter efferri. Exemplum planè quod non debemus
animo deiici in aduerſis, habemus magnificum Iob indigna Iob 2.
ri in triſtibus penitus neſciẽtem, qui omnem diaboli violen
tiam velut torrentis cuiuſdam aduerſus ſe turbinem venien
tem immobili corde & inconcuſſa mentis viuacitate ſuſci-
piens, tanto clarior ex tentationibus factus eſt, quanto diffi-
ciliora & periculoſiora ei ſunt ab inimico intentata certami
na. Exempla verò eorum qui per ſecũdos vitæ ſucceſſus pro-
ſperitatéſque tentantur, multa quidem habemus & alia, non
minus tamen eius qui nunc de euangelio recitatus eſt, diui- Lucæ 21.
tis, qui alias quidem recõditas premebat diuitias, alias vana
ſpe inaniter præſumebat, dum benignitas dei auiditatis eius
intemperantiam non ſtatim ab initio, nec continuò, vt pu-
B blicare cœperit, punit. Quinimo & recõditas diuitias nouis
nihilominus & aduentitiis cumulat, ſi fortè eum aliquando
nimietate ipſa ſatiatum, ad ſenſum & intelligentiam huma-
nitatis adduceret, animámque per abundantiæ nimietatem
ſuaderet aliquid de indigẽtibus cogitare. Sed videamus quid
de eo dicit ſermo diuinus. Hominis, inquit, cuiuſdam diui- Ibidem.
tis, fructus vberes ager attulit, & cogitabat intra ſemetip-
ſum, dicens: Quid faciam? Deſtruam horrea mea, & maio-
ra ædificabo. Dicis fortaſſe, cur ager hominis nihil boni o-
peraturi, vberes attulit fructus? Vt magis magíſque dei pa-
tiẽtia noſceretur, dum ad huiuſmodi homines beneficia ſuæ
benignitatis extendit. Pluit enim ſuper iuſtos & iniuſtos, Matt. 5.
& ſolem ſuum oriri iubet ſuper bonos & malos. Verùm ta-
lis iſta benignitas dei ſicut per nimiam patientiam facultа-
tem cõuerſionis & emendationis indulget, ita maiora & gra
uiora ſupplicia coaceruat, vt conuertat ingratos. Largitus
ergo eſt deus imbres vberes agris hominis auari, ſolem præ-
ſtitit ad nutriendas ſegetes, multiplicandáſque fruges, vt a-
C ceruos diuitis augeret in omnibus moderata temperies. Igi-
tur quæ à deo præbentur etiam ingratis, iſta ſunt, terræ fœ-
cunditas, aeris temperies, fructuum lætitia, & boum ſubſi-
dia, & omnia quibus anni prouentus fœcundis ſucceſſibus
adimpletur. Quæ verò ab homine procedunt, qualia quæſo
ſint videamus. Anguſtus animus, & parũ putás omne quod
naſcitur, cuiuis abundantię deeſſe ſemper aliquid cõputans,
tum deinde inhumanum propoſitum impertiendi cuiquam
cauſam nullam idoneam putat. Vide beneficiis diuinis di-
ues quàm ingratus exiſtit. Cõmunis hominum naturæ non
meminit, æquum non putat ſaltem ex ſuperfluis aliquid e-
gentibus impertiri ſcriptum non legit, nec recordatur præ-
ceptum eſſe vt fides & miſericordia non deſerant ſe, &, Con Eſaiæ 58.
fringe eſurienti panem tuum. Et quæcunque vel à prophe-
ticis vel à cæteris doctoribus quotidie prædicantur, diues nec
audit, nec vider, nec intelligit. Si horrea quidẽ diruit, & ma-
iora reædificata fructibus largioribus replet, auaritia tamen
diuitis cor, & propoſitum non repletur: ſemper enim ſtuder
D cumulare noua veteribus, & augmentis præſentibus ſupe-
rare præterita: & dum cumulis ſemper creſcentibus ſolidos
cupit vincere numeros conditorum, ad iſtos inextricabiles
cogitationum exitus deuolutus eſt, vt nec veteribus cede-
ret, nec ſufficeret nouellis. Propterea ergo caſſæ quidem co-
gitationes eius, ſolicitudo verò inutilis & inanis. Quid, in-
quit, faciam? Quis nõ talem miſereatur? Quis non infœlicita
tem eius doleat? Anguſtatur ex abundantia, conſtringitur &
coarctatur ex opulẽtia. Infœlix in præſentibus bonis, infœli-
cior in futuris: & vt video, ager ei non tam reditus largiores
quàm gemitus attulit grauiores. Terra ei non fructuum co-
piam, ſed curarum moleſtiam germinauit: ita vt curis ac mœ
roribus ſtimulatus, egentibus & eſurientibus ſimiles perfe-
rat cruciatus. Denique & egeni vox iſta eſt: Quid faciam? vn
de cibus, vnde veſtitus? Eadem conqueritur & diues, Quid
faciam, vbi recondã? Iiſdem cruciatibus pro ſolicitudine fa-
cultatum quibus pauper pro egeſtate torquetur. Vides di-
uitem, nec opimis copiis poſſe lætari, ſed mentem eius abſu-

mit ac soluit affluẽtia, dum nullo intellectu humanitatis admonitus sentire non potest id sibi abundare quod aliis deest. Non enim apostolicis commonitionibus accommodat aurem suam, vt discat ab eo abundantiæ suæ rationem, cùm
1. Cor. 8. dicit: Vt vestra abundantia fiat, id est, proficiat ad aliorum inopiam. Et quidem mihi videtur talis hæc passio animæ similis esse iis qui tantum gulæ indulgẽt, vt dirumpi magis nimio cibo eligant, quàm alicui indulgere reliquias. Sed recordare ô homo, quis est qui largitus est tibi teipsum: qui sis, in memoriam reuoca. Seruus es dei, & dispensatio tibi commissa est dominicæ facultatis. Recordare ergo quis est qui tibi iniunxit officium dispensandi familiam tuam. Quid est quod multis prælatus es? non est vtique sine causa quod tibi à bono & iusto deo officium tribuitur largiendi, aliis necessitas imponitur indigendi. Dispensatorem igitur conseruorum tuorũ te ex dominicis facultatibus esse cognosce. Nec existimes quòd omnia ventri & deliciis tuis terra producat. Quæ in manibus habes, commissa tibi magis quàm concessa cognosce. Paruo tempore aliquantulum super iis lætaris, B & abuti eis voluptuosius delectaris: cùm verò hæc pariter cùm vita nostra defluxerint, rationem dispensationis nostræ vocamur domino reddituri. Hic mihi te pauli per indulge ô qui es qui diuitiarum dispensationem in hoc mundo sortitus es, & te in illo terribili dei iudicis tribunali astantem paululum quid vacans, si tamen vacare potes à diuitiarum solicitudinibus, intuere. Cùm interrogari cœperis: Commissas tibi opes cum quibus egentibus diuisisti, quibus necessitatem patiẽtibus subueneristi, quos de carceribus, de vinculis, de gladio profusa pecunia liberasti, quib⁹ pupillis pater, cui viduæ vir castis prouisionibus extitisti, pecunia mea, fructus mei quid apud te operis, quid vtilitatis habuere? Tu ad hæc sine dubio respondebis: Omnia simul cõposita ac recondita claustris validissimis & signaculis tutissimis communiui, nulli quicquam tribui, quinimo & ad custodiẽda ea vigilias meas addidi, curas impendi, solicitudines tribui. Sed stulto consiliario vsus es temetipso, deliberans enim ait: Quid faciam? C Consequens vtique erat te de talibus liberum ante dicere: Aperiam horrea mea, & replebo esurientes animas pauperum, patefaciam quę recondita sunt, & inuitabo indigentes, ac releuabo afflictos, imitabor beatum Ioseph, & humanita
Genes. 41. tis voce proclamabo: Si quis indiget panibus, veniat ad me, & gratiam quam dominus indulgẽtiori liberalitate mihi largitus est, cõmunem cum omnibus faciam. Velut ex communibus ergo fontibus hauriat vnusquisq; quod sufficit. Sed tu nihil tale non solũ proloqueris, verum nec cogitas quidem, quinimo hominibus quidẽ diuina inuides beneficia, tuam verò ipsius animã malignis consiliis affligis, & cogitas abundãtiam dei humanam facere penuriam. Aderãt qui animam repeterent, qui pignus huius vitæ reuocarent, & ille adhuc ad animam de opulentia loquebatur, hac nocte auferendæ à
Lucæ 12. se animæ dicebat: Anima, habes bona multa in annos multos, manduca, bibe, & epulare. Sed vide dispensationem iusti iudicij dei: indulget ei prodere ac proferre omnia consilia sua, publicare sententiam suam, vt & ipse dignam tali mente ac voto condẽnationis sententiam ferat. Quod vtique propterea scriptum est, non tantum vt quid ille passus sit nosceremus, sed quomodo nos effugere debeamus ne similiter condemnemur. Quòd si difficile tibi putas ô homo magnificentiam diuinæ largitionis imitari, imitare terram: si leuare sursum oculos non potes, saltem ea quæ deorsum sunt, & in pedibus tuis, intuere. Affer tu fructũ sicut terra, noli esse deterior insensibili elemento. Illa enim fructus quos affert, non suis vsibus vindicat, sed tuis ministrat obsequiis. Tu verò fructus illius solus inuadis, & tibi soli concludis. Quod si tantum auiditatis te morbus adstringit, vt tua velis facere omnia, accipe & ad hoc salutare remedium. Beneficium largientis præbenti magis permanet quàm suscipiẽti. Nam misericordia quidem ad indigentem peruenit, gratia autẽ multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panem: ille quidem pastus est & refectus, sed ad te redit quod dedisti cum fructibus & vsuris. Quod si difficile putas, considera frumentũ quod seminatur in terra, si non ad seminantis potius quàm ad suscipientis lucra cedit: ita etiam dum cibus tribuitur indigentibus, cum multo fœnore diuinæ gratiæ restituetur in posterum. Sit ergo tibi finis agriculturæ huius, initium cœlestium sationũ. Seminate enim, inquit, vo- Osea 10.
bis ad iustitiã. Quid ergo afflictaris, quid temeripsum excru cias luto & lateribus cõcludens humanæ vitæ subsidia? Scriptum non legis: Melius est nomen bonũ super diuitias mul- Prou. 22.
tas? Si ergo & tu gloriam ex diuitiis quæris, cognosce quia melius est mille filiorum quos per misericordiam filios adquisieris, patrem vocari, quàm mille aurcorum dominum dici. Facultates nanque relinquentur hic etiam si nolumus, bonorum verò operum conscientia nobiscum pariter pergit ad deum. Et cõsidera quanta tibi tum erit gloria, cùm te omnis ille populus qui ex promptuariis tuis pastus est & refectus, pro tribunali magni illius & iustissimi iudicis caterua consistente circũdabit, pastorem te suum, ac tutorẽ pium, & misericordẽ patrem omni gratiarum voce testabitur. Quod si ma gistratus in theatris mimis & athletis & gladiatoribus, aliisque huiusmodi generibus hominũ totum penè patrimoniũ suũ largitur ac prodigit, vt vnius horæ fauorẽ vulgi nimirum adquirat, nihil sibi vlterius profuturũ: tu dubitas & cũctaris munificus esse in huiusmodi largitionibus, in quibus iudex residet deus, fauentium & acclamantium vulgus est angeli: Vbi omnes qui à seculo fuerunt sancti, laudatores & prædicatores tui sunt: Vbi laus & fauor non simul cum die cessat, sed cum seculis permanet: Vbi corona tibi non auri, sed iustitiæ dabitur: Vbi non honores vnius vrbis, sed cœlorum regna mereberis? Et hæc omnia conquiruntur per misericordias pauperum, per dispẽsationes indigẽtium, in quibus cibi corruptibilis precio incorruptibilẽ regni cœlorum gloriam æternamque mercaris. Veni ergo, si videtur, si horum quę dicimus, apud te fides vera est, & diuitias nostras consultè & vtiliter disponamus, præparemus noua & præclarissima munera, edamus primam cãdidam in vestitu & indumentis nudorum, secũdam verò non minus nobilem, fessas & pereuntes fame animas reparemus, tertiã nihilominus editionem famosissimam præparemus, circuneamus vrbem, & requiramus eos qui ne ad misericordiam quidem poscẽdam per debilitatem venire potuerunt, præstemus sumptum, quæcunque sunt necessaria largiamur: nec te pigeat visitare ægrum, requirere clinicũ. Memento quoniam & nos cùm decumberemus in grabato nostro, cùm essemus debiles, & non posse mus ipsi per nos ire ad dominũ, deus ipse venit ad nos. Misit Rom. 8.
enim filiũ suum in similitudine carnis peccati, qui nobis attu Ioan. 6.
lit cibum seipsum. Ipse enim panis vitæ, qui de cœlo descendit, & vitam dat huic mundo. Et quo ore quæso, qua impudentia panẽ de cœlo accipientes nos, panem de terra non damus fratribus? Quod si adhuc nobis sufficit copia patrimonij, edamus etiam illam nouissimã, sed non minus fauorabilem editionem. Eamus ad carceres, requiramus vinctos, humanis miseriis & angoribus condoleamus. In his enim omnibus tibi occurrit Christus, qui cùm sit incomprehensibilis secũdum deitatis naturã, inuenietur tamen abs te per opera Matth. 25.
misericordiæ. Ipse enim dixit: Quia esuriui, & dedistis mihi mãducare: sitiui, & potastis me: nudus fui, & operuistis me. D Vides qualia munera præparat sermo diuinus. Ibi histriones accipiunt, & gladiatores, & perit omne quod perditis datur, hic in istis esurientibus ac sitientibus & nudis, ægris ac vinctis, Christus se suscipere profitetur. Quid ergo agis ô dives? quid cogitas? quid deliberas? Christo esuriente tu horrea tua claudis? Imò non claudis, sed minora destruis, & maiora reædificas? Christo indigẽte vestitu, tuæ vestes tineis consumuntur? Christo egente tu aurum quæris, aurum desideras, aurum recondis, omnia autem vides, aurum tibi vigilanti cogitatio est, & somnia dormiẽti? Sicut enim ij qui per insaniam mente trãslati sunt, non iam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident: ita etiam mens auari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum videt, semper reditus computat. Gratius aurum intuetur quàm solem videt. Ipsa eius oratio & supplicatio ad dominũ aurum quærit, & vellet atq; optaret vt omnia ei in aurum conuerterentur. Denique, quod potest, frumẽtum aurum conuertere conatur, vinum in aurũ mutat, lana ei aurum efficitur, omnes fructus eius, omne negociũ, omne quod mouetur, in aurũ vertitur. Inter-

779

Interdum etiam vsuræ arte nequissima ex ipso auro aurum nascitur. Sed quid agis? Nec satietas vnquam nec finis aderit cupiditati. Nam interdum pueris gulæ nimium deditis indulgemus desideratos cibos auidius sumere, vt nimietate ipsa satiati horrescant, & auertant se de reliquo ab huiusce modi cupiditate. Auaritia tamē nihil tale patitur, sed quanto plus inuenerit, tanto amplius quærit. Sed quid dicit scriptura diuina? Diuitiæ si affluāt, nolite cor apponere. Tu vero diuitias obstruis & concludis, vt intra locos tuos stagnantes etiam irruptiones operentur. Inde denique est quod etiam horrea tua rumpunt & deiiciunt, paternis non contentæ clausтris, & auitos terminos excedentes. Sed quid dicis? Maiora, inquit, reædificabo. Ad hoc satis incertū est, quis tibi reædificandi tempus indulget? Velocius enim tu deiiceris, quàm illa eriganter. Verum ille dies habebat & malignæ cogitationis finem dignum, & terminum competentem. Vos autē fratres si mihi auscultatis, referate aditus promptuariorum vestrorum, & largior diuitiis vestris atque fluentior exitus procuretur quàm dudum fuerat quæsitus ingressus, tanquam affluentissimus fluuius ad segetes riganda multis derivationibus trahitur per omnem terram misericordiæ affluentia. An nescitis, quia puteorum aqua si frequentius hauriatur, & salubrior efficitur, & abundantior: quòd si ociosa remanserit & immobilis, inutilior & corruptior fit: si moueatur & operetur, communem omnibus & vtilem proferet fructum? Mete ergo vberes pecuniæ tuæ fructus, orationes dico pauperum, intercessionémque sanctorum, qui pro te, officiorum tuorum memores apud iustum iudicem deum dignis operum tuorum allegationibus postulent. Caueamus exemplum diuitis istius, qui dum præsentes diuitias concludit, & de futuris solicitudinem gerit, diuitiis pariter abreptus & vita, protrahitur ad tribunal horrificū, in quo accusatrix quidē huius assistit ipsa illa quæ & totius vitæ eius comes extitit auaritia, defensor verò & intercessor nusquam vllus apparet. Circumspectat nanque sanctorum multitudinem diuinis tribunalibus assistentem, & intentis ac solicitis oculis circunlustrat si quem fortè videat charum sibi ac familiarem in hac vita obsequio suo factum, nec vsquam tamen vllum inuenit. Nullus est qui dicat: Domine, dignus est cui ignoscas, dilexit enim gētem nostram, & ecclesiam ipse ædificauit. Nullæ viduæ quæ procedentes & flentes rogent Petrum, ostendentes vestimenta sua quæ eis largitus est dives. Nullus ergo miserebitur ei qui nō est misertus. Scriptum est enim: Beati misericordes, quoniā ipsi misericordiam consequentur. Et iterū. Date, & dabitur vobis. Et qua mēsura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Sed ne hæc fortassis aduersus eum temerè & immeritò coaceruare videamur, sermones ipsius percontemur, & videamus cum ei fructus ager vberes attulisset, quid sentit. Facit saltem hoc quod vtique etiā auaro facere competabat? Orat deum & deprecatur vt fructus ad maturitatem sine læsione peruaniāt, ne grādo verberet, ne turbo vastet, ne procella subuertat. Solent enim & hæc frugibus sæpe iam maturis incidere. Nihil horum, sed destruere parat horrea, maiora ædificare. Et ipse quidē in corde suo loquitur, sed quiuidet in occulto, intra se loquētem audit in cœlis, propterea, ei & inde responsa redduntur. Quæ autem sunt quæ loquitur? Anima, inquit, habes multa bona, manduca, bibe, & epulare. Nonne, si dici ita potest, muti animalis vox ista est? Si enim porcinam animā habuisset, quid ei aliud quàm manducandi & bibendi bona nunciare debuerat? Nunc autem ita totus animalis homo est, & totus carneus, vt animā suā carnalibus & corruptibilibus escis existimet esse pascendā, & ea quæ in secessum egeruntur, animæ præparat ad vtendum. Cuius vtique natura talis est, vt virtutibus alatur, vt verbo dei saginetur, vt intellectibus piis & religiosis disciplinis, atque exercitiis excollatur. Sed quid tale habes bonum? Hæc bona ad animam defer. Verum tibi quoniā deus venter est, & totus seruus es carnis, audi dignam appellationem quate non hominum quisquam, sed ipse dominus appellas. Ait enī: Stulte, hac nocte auferetur abs te anima tua, & quæ præparasti, cuius erunt? Ipsis illis æternis cruciatibus maior est stultitiæ nota. Qui enim paulo post erat rapiēdus

Psalm. 63.

Luce 12.

Luce 7.

Matth. 5. Luce 6. Ibidem.

Luce 12.

Philipp. 3.

Luce 12.

A à vita, quæ cogitat? Destruam, inquit, horrea mea. Cui ego respondeo, & rectè quidem facis: nam verè destruere debes horrea iniquitatis, & ea quæ malè ædificaueras, manibus tuis ipse subuertere: destruere promptuaria, ex quibus nullus misericordiam consecutus est: deiicere ac subuertere mammonæ obscura & tetra domicilia. Destruam, inquit, horrea mea, & maiora ædificabo. Quod si & ista repleueris, quid quæso facturus es? Et iterum sine dubio destrues, & iterum reædificabis. Et quis finis stulti huius laboris & vani, & instanter ædificare, & instantius destruere? Si vis ergo ostendam tibi horrea iam parata, esurientium pauperum ventres, in ipsis tuos conclude thesauros. Tales enim tibi thesauri seruabuntur in cœlis, in quibus neque tinea comedit, neque Matth. 6.
fures effodiunt & furantur. Sed dicis, Cùm secunda horrea repleuero, tunc dabo pauperibus. Longos tibi promittis annos, & satis lata vitæ spatia polliceris. Talis ista promissio nō futuram continet humanitatem, sed præsentis misericordiæ dilationem. Quid enim nūc misericordiam fieri vetat?
B Frumenti copia est, tempus anni prosperum, esurientes præsto sunt flentes, nudi circūstant gementes, vincti de carceribus, & ægri de lectulis miserabiliter & flebili lamentatione circunstrepunt, tu misericordiam quid in crastinum differs, cùm hodie crudelis & immisericors fias? Audi saltem sapientissimi consilium Salomonis. Ne dicas, inquit, abi nūc, Prouer. 3.
& redi crastino, & dabo tibi. Non enim scis quid pariat superuentura dies. Sed ne huiusmodi mandata suscipias, aures tibi obstruit auaritia. Non te oportebat gratias agere deo, Ibid. 27.
exultare & letari quod non ipse mendicans alienas circuis fores, sed alij ante tuas ianuas sedent à te misericordiam postulantes? Tu verò difficilis es ad præbendum, contristaris ac declinas ne quis tibi paulo molestior cogente necessitate paupertatis existat, quasi nō potuisset fieri vt esses vnus ex iis qui ante ianuā tuam fame perditi iacent: & tu quidē satis dignè, nam voto, mente, ac proposito pauperes, & totius boni egenus. Cùm enim non habeas charitatem, cùm tibi desit humanitas, desit fides, desit spes in deo, cùm tibi desit
C misericordia, quid te egestuosius, quidve mēdicius? Pars tua cum tineis & muribus horreorum tuorum rosoribus erit. Qui vtique si talia non videres, si non corrumpi ea cerneres & cōsumi, quis tibi suadere posset aliquid inde largiri? Sed ais: Quid iniustum est si cum aliena non inuadam, propria diligentius seruo? O impudens dictum, propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? Quando in hanc ingressus es lucem, quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibúsque subsidiis stipatus ingressus es? Aduentum tuum in hunc mundum disce ab Apostolo Paulo dicente: Nihil enim intulimus in hunc mundū, 1. Tim. 6.
sed nec auferre quidem quid possumus: habentes autem victum & vestitum, his contenti simus. Terra communiter omnibus hominibus data est, proprium nemo dicat quod è communi plus quàm sufficeret sumptum, & violenter obtentum est. Veruntamen nudus ex ventre matris existi, nu- Iob 1.
dus nihilominus & reuerteris in terram. Et si quidem terræ elementum putas fortuito substitisse, impius es qui ignoras
D conditorē deum: si verò agnoscis beneficium largitoris, gratus esto creatori, & require apud temetipsum rationē cur plus tibi quàm cæteris præstitit. Nunquid iniquus est deus, vt nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia, vt tu quidē esses affluens & abundans, aliis verò deesset, & egerent? An idcirco magis quia & tibi voluit benignitatis suæ experimenta conferre, & alium per virtutem patientiæ coronare: tu verò susceptis dei muneribus etsi in sinum tuū redactis, nihil te putas agere iniquum, si tam multorum vitæ subsidia solus obtineas? Quis enim tā iniustus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorum alimenta, suum nō vsum, sed abūdantiam & delicias facit? Neque enim minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis & abundes, indigētibus denegare. Esurientium panis est quem tu detines: nudorum indumentum est quod tu recludis: miserorum redēptio est & absolutio, pecunia quam tu in terram defodis. Tot te ergo scias inuadere bona, quot possis præstare quod velis. Bona quidem ais sunt verba, sed melius est aurum. Nihil mirū. nam & si quis cū impudicis de pudicitia loquatur, & scorta

viruperet

vituperet & exprobret, ij animi quibus libido dominatur, & ex ipsa commonitione ad impudicitiam multo acrius accenduntur. Sed tibi iterum ante faciem adducam ipsas futuri iudicij dei formas, vt intelligas quales tibi gemitus recondas. O quàm multi pretij vbi in die iudicij termo ille videbitur de quo superius diximus, qui ait: Venite benedicti Matth.25. patris mei, percipite regnum quod vobis præparauit pater meus à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Qualis tibi rursum horror, qualisq; sudor, quales tenebræ superuenient audienti condemnationis illius sententiã, qua dicitur: Discedite à me maledicti: Esuriui enim, Ibidem. & non dedistis mihi manducare. Neque enim in his verbis qui alia inuasit arguitur, sed is qui non communiter vsus est iis quæ habuit, condemnatur. Nos quidem quod vtile credidimus, commonuimus. Si quis autẽ obedire vult diuinis præceptis, non ignorat quæ sit repromissionũ merces. Qui verò obedire non vult & negligit, manifesta est ignis æterni comminatio, cuius opto vos expertes effici & alienos, & effugere pœnas impiis repromissas, facientes illud quod scriptum est, vt redemptio animæ vestræ sint diuitiæ vestræ, & ad præparata pergatis regna cœlestia, per eum qui vos vocauit, Christum Iesum, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

De defectione lunæ. Sermo 82.

ET ipsi videtis fratres quòd mea nõ cessat humilitas omni circa vos solicitudine laborare, & ad frugem bonam vos tota festinatione conuertere: sed quanto plus laboro vobiscum, tanto amplius confundor in vobis. Cũ enim video tot cõmonitionibus meis nullum vos habere profectum, labor meus iam non gratu-1.Corin.9. lationi est, sed rubori. Dicit beatus Apostolus: Quis plantat vineam, & de fructu eius nõ edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit? Ecce ego pasco gregem, Christi, & gregis fructum extorquere non valeo: pasco gregem domini, & nulla ex eo religiositatis alimenta percipio. Nulla enim me fidei eius dulcedo lætificat, sed quicquid ex eo profluit, asperum & amarum est. Tunc enim pastor Christiani gregis lacte reficitur, quando bonorum operum eius candore lætatur. Quis enim fratres in vobis non grauiter ferat? non tamen de omnibus dico. Sunt enim inter vos quos ad religionis cultum debeatis habere exemplo. Quis inquam non molestè ferat sic vos esse vestræ salutis immemores, vt etiam cœlo teste peccetis? Nam cùm ante dies pleroſque de vestræ auaritiæ cupiditate pulsauerim, ipsa die circa vesperum tanta vociferatio populi extitit, vt irreligiositas eius penetraret ad cœlum. Quod cùm requirerem quid sibi clamor hic velit, dixerunt mihi quod laborãti lunæ vestra vociferatio subueniret, & defectum eius suis clamoribus adiuuaret. Risi equidem, & miratus sum vanitatem, quod quasi deuoti Christiani deo ferebatis auxiliũ. Clamabatis enim, ne tacentibus vobis perderet elemẽtum: tanquam infirmus enim & imbecillis, nisi vestris adiuuaretur vocibus, nõ posset luminaria defendere quæ creauit. Bene igitur facitis, qui diuinitati exhibetis solatium, vt vobis iuuantibus possit cœlum regere. Sed si vultis hoc plenius facere, cunctis & totis noctibus peruigilare debetis. Nam quotiens putatis vobis dormientibus luna vim passa est, & tamen de cœlo nõ corruit? Aut nunquid semper circa vesperum defectũ patitur, nõ aliquãdo & circa lucẽ laborat? Sed apud vos vespertinis tantũ horis laborare consueuit, quando copiosa cœna venter distenditur, quando maioribus poculis caput mouetur. Tunc igitur apud vos laborat luna, quando laborat & vnũ. Tunc inquam apud vos turbatur carminibus globus lunæ, quãdo calicibus turbãtur & oculi. Quomodo igitur ebrius videre potes circa lunam quid agatur in cœlo, qui circa te nõn vides quid agatur in terra? Hoc est planè quod ait sanEccle.27. ctus Salomon dicens: Stultus sicut luna mutatur. Mutaris enim sicut luna, dum stultus & insipiens ad motũ eius, qui Christianus fueras, incipis esse sacrilegus. Sacrilegium enim creatori committitur, dum imbecillitas adscribitur creaturæ. Mutaris ergo sicut luna, vt qui paulo ante fidei deuotione fulgebas, postea perfidiæ infirmitate deficias. Mutaris sicut luna, dum cerebrum tuum ita exinanitur sapientia, sicut lunæ obscuritas: te verò teterrimæ tenebræ mentis inuadunt: atque vtinam ô stulte sicut luna muteris. Illa enim citò ad plenitudinem suã redit, tu ad sapientiã nec serò conuerteris. Illa velociter colligit quod amiserat lumen, tu nec tardè fidẽ recipis quam negasti. Grauior ergo tua quàm lunæ mutatio est. Luna defectum luminis patitur, tu salutis. Quàm bene igitur scriptum est de sapiente: Et permanebit Psal.17. cum sole. Permanet enim sapiens cum sole, cùm constantia fidei permanet cum Saluatore. Sed dicit aliquis: Luna igitur non laborat? Laborat planè, negare nõ possumus, sed laborat cum cæteris creaturis, sicut ait Apostolus dicens: Quia Roma.8. omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Et infra: Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, & reliqua. Liberabitur inquit à seruitute. Vides ergo quoniam luna nõ laborat carminibus, sed laborat obsequiis: non laborat periculis, sed laborat officiis: non laborat vt pereat, sed laborat vt seruiat. Vanitati enim creatura sub- Ibidem. iecta est non sponte, & reliqua. Ergo luna à statu suo non sponte mutatur, tu de sensu tuo sponte mutaris. Illa in deminutionem sui conditione deducitur, tu in detrimentum tui voluntate pertraheris. Nolo igitur frater ita sis sicut luna cùm deficit, sed esto sicut quando est plena atque perfecta. Scriptum est enim de iusto: Sicut luna perfecta in æter- Psalm.88. num, & testis in cœlo fidelis.

Increpatio ad populum de absentia sua. Sermo 83.

DEberem fratres post hos complures dies aliquid vberius prædicare, & reuertens à tãto examine sacerdotum, dulci vos sermone reficere. Bene dixi examine sacerdotum, quia sicut apes de diuinarum scripturarum floſculis suauia mella conficiũt, & quicquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt. Rectè comparantur apibus sacerdotes, quia sicut apes castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cœlestis exhibent, aculeum legis exercent. Puri enim ad sanctificationem, suaues ad refectionem, seueri sunt ad vltionem. Apibus planè sunt comparandi, qui velut alueario quodam gratiam matris ecclesiæ continent, in qua diuersorum meritorum cellulas dulcissimis prædicationibus componentes, de vno saluatoris examine christianorum examina multa producunt. Cũ semper fratres non cessauerim vos paterna pietate corripere, miror nihil vos tot meis commonitionibus profecisse, & doleo quòd frequens prædicatio mea non vos profectu aliquo salutis corrigat, sed quadam cõtestationis pœna cõstringat. Prædicatio enim sacerdotis in plebe saluãdis est correctio, cõtestatio iudicãdis. Contestamur enim illis ante iudicium quod illos maneat in ipso iudicio, vt tunc omni excusatione submota, & rei sint de peccatis, & obnoxij contemptu. Vnde & ego interdum parcens vobis tacere vellem, sed malo vos contumaciæ causas reddere, quàm me negligẽtiæ sustinere iudicium. Comperi enim fratres quod per absentiam meam ita rari quique ad ecclesiam veniatis, ita pauci admodum procedatis, quasi me proficiscente mecum pariter veneritis, & quasi cum necessitatibus ego pertrahor, vos mecum traxerit ipsa necessitas. Pariter ergo à domo dei absentes sumus: sed hoc interest, quòd me absente necessitas efficit, vos volũtas. Nescitis quia etsi ego ab ecclesia desum, Christus ab ecclesia sua, qui est vbique, non deest? Venis frater ad ecclesiã, non inuenis ibi episcopum: sed si fideliter venis, inuenies ibi episcoporum episcopum Saluatorem. Nam Christianus qui tunc tantum procedit ad ecclesiam, quando episcopus præsens est, non tam dei causa videtur processisse, quàm hominis, nec implesse Christiani timentis officium, sed amici deferentis obsequium. Quid autem ego vos arguo, cùm possitis me vno sermone cõuincere? Conuincor enim cùm in hac parte clericos vobis magis video negligentes. Quomodo enim possum corrigere fulios, cùm fratres emendare non possim? Aut qua fiducia succenseam laicis, cum à consortibus pudoris verecundia contineam? Ego autem fratres non de omnibus loquor. Sunt certè quidem deuoti, sunt & alij negligentes: ego neminem nomino, conscientia sua vnumquemque conueniat.

Post

783 *Post increpationem consolatio ad populum.* *Sermo* 84.

AMarior fortasse fuerit increpatio mea superiore dominica, quòd plerosque de vobis acrius magisterij seueritate conuenerimus,& sim prosecutus quæ aliquot nō blandimēta deterrēt, sed tristitiam irrogarent. Verum nihil mea interest: ego enim gaudeo, sciens discipuli tristitiam magistri esse lætitiam. Tunc enim auditor proficit, quando austeriora annunciat prædicator, ei salus gignitur quando tristitia emandationis ingeritur. Dicit enim beatus apostolus, Nam quæ secundū deum 2.Cor.7. est tristitia, salutem stabilem operatur. Rectè ergo lætor, quia salutem operor cùm obiurgo: mœreat licet filius mei asperitate sermonis, me tamen delectat, qui proficere illum intelligo per mœrorē. Ait sanctus apostolus, Quis est enim Hebr.12. filius quem nō verberat pater? Non enim osculatur semper pater filium, sed & aliquando castigat. Ergo quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas suas quæ dulciores sunt, cùm amarius inferuntur. Dulcior enim est religiosa castigatio, quàm blā- B da remissio. Vnde ait propheta: Dulciora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Igitur fratres quia post Prouer.27. increpationis meæ vtilia verba credo vos benignitate sensuum profecisse, de sacris literis aliqua conferamus. Sicut enim fons qui non solito humore distillat, exagitatur furculis, & ita largior inuenitur, ac primum ex eo turbida aqua producitur, vt vnda purior subsequatur: sic ergo & sanctitas vestra asperata quidem fuerat austeritate sermonis, sed deuotior facta est dulcedine pietatis. Turbulentum enim quiddam vestri animi forsitan retinebant, sed iam ex vestris moribus profluit omne quod purum est. Videamus ergo Matth.16. quid sit quod ait ad discipulos suos dominus, Vos autē quē me dicitis? Non igitur tāquam ignarus interrogat dominus quid de eo populi discipulique sentirent, sed tanquam sciēs vniuersorum mētes, fidem manifestare voluit singulorum, vt quod corde credebant, ore narrarent. Alij enim Heliam esse credebant dominum, alij Hieremiam, alij Ioannem baptistam, Petrus solus Christū dei filium confitetur. Gradus C quidam sunt fidei: & qui deuotius credit, religiosius confi- Ibidem. tetur. Pro hac deuotione dicitur Petro: Beatus es tu Simon Bariona, quoniam caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis, Et ego dico tibi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Cùm vocaretur ergo Simō, per hanc deuotionem vocatus est Petrus. 1.Cor.10. Legimus dicēte Apostolo de ipso domino: Bibebant de spiritali petra, Petra autem erat Christus. Rectè igitur quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, vt qui cum domino fidei societatem habebat, cum domino haberet & nominis dominici vnitatem, vt sicut à Christo Christianus dicitur, ita & à petra Christo Petrus apostolus vocaretur. Sed nec populorum opinionem possumus reprobare, qui vnum de prophetis dominum existimabant. Nam ideo nonnulli velut Heliam saluatorem forsitan putauerunt, quia ad cœlos Helias, sicut saluator ascendit, sed non sicut Helias Chri- 4.Reg.2. stus est. Ille enim ad cœlos rapitur, iste regreditur. Ille tanquam infirmus ignea quadriga subuehitur, hic tanquā deus D propria virtute portatur. Ille sicut homo ducitur, hic sicut saluator ascendit. Ille ducentes sequitur angelos, comitan- Actuū 1. tes sibi angelos iste præcedit. Denique iidē angeli remeātes in terrā à domino saluatore dixerūt ad apostolos: Viri Galilæi quid statis aspiciētes in celū? Hic Iesus qui receptus est à vobis, sic veniet quēadmodū vidistis eum euntē in cœlum.

De Barbaris non timendis. *Sermo* 85.

DIximus anteriore dominica Niniuitas in tribulatione positos diuinitatis misericordiā per abstinentiā meruisse,& ciuitatem suā de periculo ieiuniis liberasse, tantæque eos fuisse sapientiæ, vt nō alienis se præsidiis defenderēt, sed propria deuotione saluarent. Nam non statim desperauerunt de salute sua, quia audierunt à propheta cùm ciuitatis emœnibus subuertendos: sed quanto proximum annūciabatur excidium, tanto magis religiosis actibus armabantur, nec reliquerunt euertendā ciuitatē suam, sed in ea potius permanserunt, sapientes scilicet, vt quæ ciuium vexabatur peccatis, ciuium orationibus saluaretur: & cui perditionem mala conuersatio intulerat, ei salutē deuotio religiosa conferret. Iustū enim erat vt quos fuerat passa peccatores, eosdē haberet proprios defensores. Ciuitati enim non nisi propter ciuium peccata infertur excidium. Desine ergo peccare, & ciuitas non peribit. Quid fugis patriam? Si vis saluus esse, tua potius peccata subterfuge. Si tu peccare desieris, victus est inimicus. Dicit ad Abraham scriptura diuina per de Gene.18. cem iustos patriam posse saluari. Igitur si iusti sunt qui saluam faciant patriam, vtique iniusti sunt qui relinquunt. Et si illi propter præsentiam suam cōsequuntur gratiam: necesse est vt ij propter desolationem mereantur offensam. Iniustus planè & impius est filius qui periclitantem deserit matrem. Mater enim quodāmodo dulcis est patria, quæ te genuit, quæ nutriuit, quæ vt fugere possis diuitem te fecit. Nāsi non tibi suppeteret sumptus copiosa substantia, fugę præsidium non haberes: atque ideo auaritia ductus, dum metuis diuitias tuas perdere, impius in matrem esse non dubitas. B Vnde intelligimus plus te pecuniæ tuæ consulere quàm saluti, dic mihi ô bone ciuis, cur fugere disponis, cur patriam derelinquis? Captiuitatem fortasse metuis. Da veniam, non intelligis, nescis quòd hæc est prima captiuitas, patriam nō videre,& quòd grauius est omni malō hostili, peregrinationis exilium. Solet qui aliquid sceleris admiserit, huiusmodi pœna damnari, vt pellatur patria, regionibus incognitis relegetur. Hoc igitur malum propria tibi prouides voluntate, quod solet supplicij causa damnatus excipere. Sed ponamus te forti esse animo,& æquanimiter tolerare posse peregrinationis iniuriam. Dic mihi, qua inter extraneos libertate victurus, nōne cum loqui cœperis, obiicietur tibi, Vnde iste exul, vnde iste fugitiuus aduenit? Num & nostram ciuitatem opprimere nititur, sicut patriā suam pressit? Ita autem aporiaberis, ita conturbaberis, vt libertati tuæ metuēs vereris ne ingenuitatis tuæ ibi non inuenias assertorē. Mihi crede, in aliena patria tanta auditurus es, quāta in tua patria aliis sæpe dixisti. Illud autē nolo dicere quod quanuis diuersis in patria tua copiis perfruaris, statim vt exieris de domo tua, mendicus & pauperes. Dicit ergo deus ad Abraham per decem iustos ciuitatē posse saluari. Malè igitur de te sentis populę Christiane, si in tanto cœtu nostro ad saluandam ciuitatem decem iustos esse nō credis. Dum enim deseris patriam, profiteris nō in ea esse dignos quorum meritis liberetur. At ego vereor ne omnibus in ea iustis relictis, tu solus qui deseris, inueniaris iniustus. Sed nolo de decē iustorum numero te perturbes: legimus etiam quòd de Sodomī tarum excidio meritis suis Loth solus liberauerit ciuitatem, quod magis valuerit ad saluandum vnius gratia, quàm aduertendum peccata multorum. Exeunti enim illi de Sodomis hospitij causa Segor parua cōceditur. Quod si iusto hospitij donatur ciuitas, quāto magis iusto patria conceditur?

Item de eodem. *Sermo* 86.

SÆpe dixisse me memini quòd hostiū tumultus bellicosos timere minimè debeamus, nec quamlibet copiosam hostium multitudinem formidare, quoniam sicut ait dominus, maior est qui in nobis est, quam qui in hoc mundo Hoc est, potentior est ad protegendos famulos suos Christus, quàm diabolus ad instigandos inimicos. Quanuis enim idem diabolus colligat sibi turbas, & crudeli eas armet insania, tamen facilè destruuntur, quia melioribus populum suum saluator circundat auxiliis. Ait enim propheta: Imittet angelum dominus in circuitu timentium Psalm.33. eum, & eripiet eos. Quod si angelus domini timentes eum de periculis eripit, non potest timere Barbarū qui timuerit saluatorem, nec potest metuere hostis impetum qui Christi præcepta seruauerit. Præcepta enim Christi, arma sunt Christianis, & diuinus timor terrorem à nobis expellit hostilem. Arma autem hæc nostra sunt quibus nos saluator instruxit, oratio, misericordia, atque ieiunium. Ieiunium enim melius quàm murus tuetur, misericordia facilius liberat quam rapina, oratio longius vulnerat quàm sagitta. Sagitta enim non nisi proximè conspectum percutit aduersa-

rium

rium. Oratio autẽ etiã lõgius positũ vulnerat inimicum. Sic nanque Helisæus propheta cum eum vellet rex Syriæ captiuare, ac suæ subdere ditioni, multisque eum armatorum cinxisset agminibus, non est territus, non turbatus, sed annuncianti puero ait: Noli timere, plures enim nobiscũ sunt quàm cum illis. O fides sancti prophetæ, non timet aduersarios quos prospicit, quoniam scit angelos secum esse quos credit. Non metuit terrenas insidias, quia cœlestia adesse sibi nouit auxilia. Plures, inquit, nobiscum sunt, quàm cũ illis. Mira res, plures è cœlo defẽsores meretur sanctitas, quàm in terris oppugnatores adduxit improbitas. Plures nobiscũ sunt, quàm cum illis. Videte beatitudinis meritum, propheta nunciat etiam de multitudine, cum puer adhuc incertus sit de salute. Spirituales oculi carnalibus quanto plus cernunt? Hic perspicit armatorum numerum, & ille non cernit defensionis indicium. Quanta est diuina misericordia? defertur hominibus beneficium, nec videtur auxilium: periclitantem consequuntur, & nesciunt. Hæc est enim pietas saluatoris, vt interueniat saluti, ac nõ se prodat aspectu: sentiatur beneficiis, & non cernatur obtutibus. Vnde errat qui putat cùm prosperè aliquid gesserit, propria se fortitudine superasse. Scire enim debet quòd aduersarij meritis magis quàm virtute vincuntur, & non tam virtute quàm sanctitate superatur, sicut sanctus Helisæus hostes suos non armis superabat, sed oratione vincebat. Nam cùm idem ministro suo ad depellendum eius timorẽ plures adesse diceret defẽsores, nec metus ab illo posset auferri, tunc orauit ad dominum dicens: Domine aperi oculos eius vt videat: & aperti sunt oculi eius, & vidit, & ecce mons totus plenus equitatu, & reliqua. Oratio ergo prophetæ aperuit oculos pueri: non mirum si oratio aperuit oculos, vt videret exercitus. Non mirum, inquam, si nouos inserit oculos, qui noua promeretur auxilia. Aut cur non aciei producat obtutum, qui acies instruxerat angelorum? Cur inquam non oratione sua hebetudinem pupillarum detergeret, qui meritis suis caliginẽ nubium penetrauit? Necessario ergo sanctus Helisæus hoc facto ministro formidoloso præstitit securitatẽ cui iam refuderat claritatem, & remouerat visionis cæcitatem, geminóque eum remunerans beneficia, absoluit eius metum, absoluit obtutum, minus timere cœpit postquam plus videre promeruit. Nam & pacem pariter promeruit, & visum. In montibus ergo cernuntur armati, apparet eos verè descendisse de cœlo, quorum aduentus primum in montibus reperitur. Ipsa enim locorũ proximitas hoc demõstrat, quòd descendentes de cœlo non nisi iuga collium sibi vicina calcauerint. Tunc igitur orauit Helisæus, & omnẽ hostilem exercitum cæcitate percussit. Non mirum si aduersariis cecitatem intulit qui famulo largitus est claritatem, & si hostibus aufert visũ qui ministro præstat aspectum. Vbi sunt qui dicunt plus quàm preces sanctorum hominũ arma posse? Ecce vna oratio Helisæi totum exercitũ vulnerauit, & vnius prophetæ meritis omnis est hostium numerus captiuatus. Quæ cæteruæ regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, vt ita hostes prosternerent, vnde illis nullus occumberet? Hæc est vera, hæc incruenta victoria, vbi sic aduersarius vincitur, vt de vincentibus nemo lædatur.

4. Reg. 6.

Ibidem.

De sancto prophæta Helisæo. Sermo. 87.

Mirum forsitan videatur quòd ante dies aliquot sancti Hilisæi gratiã describentes diximus in defensionẽ ipsius de cœlis auxilia descendisse, & armatos equites siue quadrigas ei diuinitus affuisse, astitisse etiã circa ipsum quadrigã igneã. Magna quidẽ res, sed in viro sancto miranda nõ est. Quid enim mirũ si is auxilia meretur è cœlo, cuius animus sẽper in cœlo est? sicut ait Apostolus: Nostra autẽ conuersatio in cœlis est. Ergo si nostra cõuersatio in cœlis est, & cœlestiũ cõuersatio potest esse nobiscũ: hoc est, vt qui vita viuim⁹, angelorũ rectè cõsortiũ mereamur. Est ergo sanctè viuentibus quædã inter se cognatio, cõiunctio atque societas: nec interest vtrũ in cœlis maneãt, an in terris: angelici sint habitus, vel humani, dummodo in iis sit eadẽ vita vel sanctitas. Conuersatio enim connectit quos separat elementum, & diuersis licet corporibus diuidantur, iisdem tamen

Philipp. 3.

actibus coniunguntur. Atque ideo fit vt sancti sibi quodam consortio cohærentes à se inuicem non discedant, & modo angeli ad terras veniãt, modo homines ad cœlestia transferantur, ac profectu meliore quibus vita communis est, incipiunt illis viuendi etiam elemẽta esse communia. Sed dicit aliquis: Frequenter audiuimus angelos ad homines descendisse, audire etiam cupimus quando homines ad cœlestia transmigrarint. Manifesta res est, & in promptu posita. Helias magister Helisæi nonne angelis ducentibus raptus ad cœlum est, & quadriga ignea impositus quasi in quodam triumpho victor ascendit? Victor enim extiterat non gentium Barbararum, sed secularium voluptatum. Siquidẽ graniores inimici sunt praui mores quàm hostes infesti, vt facilius intelligamus hoc tempore malignitatem hostiũ vinci posse quàm morum. Ergo Heliam angeli ad cœlũ perferũt, Helisæum angeli qui magistrum portauerant, discipulum tuebantur, & notitia quadam obsequia quæ patri exhibuerant, etiam filio deferebant. Ipse enim Heliæ spiritualis est filius, ipse eius hæres est sanctitatis. Rectè autem Helisæus Heliæ spiritualis filius dicitur, qui ascendens ad cœlum, spiritum duplicẽ ei suæ gratiæ dereliquit. Cùm enim data esset facultas Helisæo vt peteret quid vellet prius quàm ab eo reciperetur Helias, petiuit vt duplex spiritus Heliæ fieret in ipso. Tunc dixit Helias, durè petisti, sed fiet tibi. O hæreditas preciosa, in qua plus hæredi relinquitur quàm habetur, plus consequitur qui accipit, quàm possideret qui largitur. Preciosa planè hæreditas, quæ dum à patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur. Igitur Helias cùm simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Helisæo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Helias gratiæ dimisit in terris, quàm secũ portauit ad cœlos: & licet ipse ad altiora totus transfertur corpore, apud filium tamen maiore manet sanctitate. De Helisæi autem meritis quid dicamus, cuius hæc prima laus est quòd patrem voluit gratia superare, dum dari sibi amplius postulat, quàm scit apud eum esse qui possidet? Auarus quidem est in petendo, sed idoneus in promerendo: Dum enim à patre plus exigit quàm habebat, facit eũ meritis suis plus præstare quàm poterat. Nam cùm idem Helisæus post ascensum sui magistri venisset Hiericho, & rogaretur à ciuibus vt in eadem consisteret ciuitate, dixerunt: Commoratio oppidi bona est, sed aquæ malæ & steriles sunt. Tunc præcepit sibi dari vas fictile, & recondito in eo sale veniens ad exitus aquarum proiecit in aquas, dicens: Hæc dicit dominus, sanaui aquas istas, non erit ex eis moriens neque sterilis: & sanatæ sunt aquæ vsque in hunc diem. Videte ergo Helisæi quanta sint merita, cuius prima in ciuitate hospitalitas, filiorum est magna fœcunditas. Dum enim sterilitatem auertit aquarum, successionem largitur hæredum. Non enim hoc facto vnum Helisæus sanauit hominem, aut vnius domus præstitit medicinam, sed totius ciuitatis populum reparauit. Si enim tardius hoc fecisset, interueniente sterilitate senescentibus cunctis ciuitas sine habitatore remensrat. Igitur Helisæus dum curauit aquam, curauit & plebem: & dum fontem benedixit vndarum, fontem quendam indulsit animarum. Nam sicut sanctificatione eius de occultis terræ venis aqua sana prodiit, ita de occultis Vuluæ visceribus soboles sana processit. Non enim sola tantum fluenta benedixit Helisæus quæ fontium iam gremio tenebantur, sed & illa quæ humido terræ solo adhuc indiscreta paulatim erant in posterum defluxura. Vnde ait scriptura ad exitus aquarum benedixisse Helisæum, vt stillantem aquã prius sanctificatio susciperet, quã sinus fontis includeret. Igitur quoniã dicit Apostolus Paulus, Hæc in figura contingebant illis: videamus ergo ipsa figura quam habebat veritatem, hoc est, requiramus quæ sit ista ciuitas quæ sterilitate laborabat, vel quid sibi velit vas fictile, quid etiam vt aspersi sales afferant suauitatem. Legimus in eodem Apostolo dictum esse de ecclesia: Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & exclama quæ non parturis. Ergo ecclesia est illa sterilis ciuitas quæ ante aduentũ Christi aquarum vitio, hoc est sacrilegio gentilium populorum sterilitatem sustinens, deo filios procreare nõ potuit: at vbi venit Christus, velut vas fictile assumens corpus humanũ, sanauit

4. Reg. 2.

Ibidem.

4. Reg. 2.

1. Cor. 10.

Galat. 4.

787

ſanauit aquarũ vitia, hoc eſt, reſecauit ſacrilegia populorum: & ſtatim eccleſia quæ erat ſterilis, cœpit eſſe fœcunda. Vnde Eſaiæ 54. & Apoſtolus dicit: Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & Galat. 4. clama quæ nõ parturis, quia multi filij deſertæ magis quàm eius quæ habet virum. Plures enim filios ex ea eccleſia quæ erat ſterilis procreauit, quèm ſynagoga, quæ erat fœcunda, ſuſceperit. Aſperſi autẽ ſales qui ſunt qui attulerunt medici nam, facile cognoſcemus. Dicit dominus ad apoſtolos ſuos: Matth. 5. Vos eſtis ſal terræ. Ergo ſi apoſtoli ſalibus comparati ſunt, re ctè figura completur. Sicut tunc effuſi de vaſculo ſales concti dierunt aquas, ita & nunc miſſi à ſaluatore apoſtoli populos condiunt vniuerſos, vt ablata ſterilitate vitiorum, prolem incipiant germinare virtutum.

De bellico tumultu. *Sermo* 88.

MOuet fortaſſe vos fratres, quòd tumultus bellorum & incurſiones pręliorum fieri audiuimus aſſiduè: & cur noſtris tẽporibus fiant, dilectionem veſtrã fortaſſe plus moueat. Sed hæc cauſa eſt, quia quanto magis proximi ſumus mundi excidio, tanto magis regno ſumus proximi ſaluatoris. Ipſe enim dominus ait: Luc. 21. Innouiſſimis diebus exurget gens aduerſus gentem, & regnum aduerſus regnum: cùm autem videritis bella, & terræ motus, & fames, ſcitote quoniam in proximo eſt regnũ dei. Ergo vicinitas iſta bellorũ vicinum magis nobis Chriſtum eſſe demonſtrat. Atque ideo venientem aduerſarium timere non debeo, quia per hæc ſigna venire potius intelligo ſaluatorem. Quanuis enim iſte metum incutiat temporalem, ille tamen deſerit ſempiternum. Potens eſt idem dominus vt & hoſtilem à nobis repellat pauorem, & ſuam nobis præſentiam largiatur. Per hos igitur bellorum tumultus, mundi quoddam ſignificatur excidium. Futurum enim iudicium dei hæc inquietudo præcedit. Eſt autem quoddam commonitionis indicium dei, videre quod metuis, vt poſſis intelligere plus ſupereſſe quod metuas. Dum enim cauti ſumus ad ea quæ cernimus, cautiores ad illa efficimur quæ ſperamus. Vir autem ſapiens his actibus terrenis inſtruitur quem admodum futuri ſeculi debeat declinare iudicium. Dum enim perſpicit in hac communi perturbatione priores viros tuitiones mœnibus præparare, ipſe admonetur quemadmodum in futura euerſione mũdi defenſionem Chriſtianis prę paret animabus. Cernimus armari ciuitatis portas, debemus etiam prius in nobis portas armare iuſtitiæ. Sunt enim por- Pſal. 117. tæ iuſtitiæ, de quibus ſanctus Propheta dicit: Aperite mihi portas iuſtitiæ, & reliqua. Tunc autem ciuitatis porta munita eſſe poterit, ſi prius in nobis portæ iuſtitiæ muniãtur. Cæterùm nihil prodeſt muros munire propugnaculis, & deum prouocare peccatis. Illa enim conſtituitur ferro, ſaxis & ſudibus: hæc armetur miſericordia, innocentia, caſtitate. Illa telorum multitudine cuſtoditur, hæc orationum frequentia defendatur. Et ad plenum tuitionem vrbium portas principum ſolẽt ſigna præcedere. Animarum autem noſtrarum portas ſignum ſaluatoris anticipet. Ergo, fratres, propter futurum mundi iudicium armis nos cœleſtibus muniamur, accingamur lorica fidei, ſalutis galea protegamur, verbo dei velut ſpirituali gladio defendamur: qui enim his armis inſtructus fuerit, nec præſentem perturbationem metuit, nec futurum iudicium pertimeſcit. Siquidem ſanctus Dauid hac 1. Reg. 17. deuotione protectus, Goliam illum fortiſſimum armatum & inermis occiderit, & virum bellicoſum ſub munitionibus vndique circunſeptum ſola fidei virtute proſtrauerit. Cùm enim ſanctus Dauid non operiretur galea, non præcingeretur clypeo, non lancea vteretur, occidit illum non telo ferreo, ſed gladio ſpirituali. Quanuis enim inermis oculis hominum videretur, ſatis tamen erat gratia diuinitatis armatus. Verum ipſe ſpiritualis gladius, non fuit gladius. Non enim gladio Golias, ſed lapide proſtratus occubuit. Legimus in ſcripturis lapidis vocabulo Chriſtum figuraliter deſigna- Pſal. 117. ri, ſicut ait Propheta: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Igitur cum lapide Golias percutitur, Chriſti virtute proſternitur. Et in qua tandem corporis parte percutitur? In fronte ſcilicet. Gentilis enim & ſacrilegus homo ibi percutitur à Chriſto, vbi deerat Chriſtus: & ibi infertur ei mortis exitium, vbi ſignum ſalutis non inuenitur. Quanuis enim eſſet Golias vndique armorum protectione munitus, frons tamen eius patebat ad mortem: quia ſignaculum ſaluatoris non geſtabat. Atq; ideo ibi perimitur, vbi nudus à dei gratia reperitur. Hæc autem in figura facta eſſe nemo eſt qui neſciat. Nã & Dauid armorum indumentis ſeſe antè præcinxerat: ſed cùm eſſet in iis grauis & impeditus, ita vt ambulare vix poſſet, eadem ſine cunctatione proiecit, ſignificans arma illa huius mundi vana & luxurioſa eſſe opera, quibus qui ſe permiſcere voluerit, tanquam grauis & gradiẽdi ad cœlum curſum liberum non habebit. Simul & illud nos docuit, quòd non in armis tantum ſperanda victoria eſt, ſed in nomine ſaluatoris oranda.

De dedicatione Baſilicæ. *Sermo* 89.

LEgimus in ſancto euangelio, cùm Cẽturionis cuiuſdam ſeruus, qui erat illi precioſior, graui paraLuc. 7. lyſis ægritudine laboraret, & per ſeniores Iudæorum ille Centurio rogaret ſaluatorem vt eius doloribus mederetur (erat enim, vt ait ſcriptura, moriturus) inter cætera ad maiorem commendationis gratiam ſeniores dixiſſe domino: quia dignus eſt vt hoc illi præſtes: diligit e- Ibidem. nim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis. Si ergo commendatur domino, qui ædificauit ſynagogam, quantò eſt cõmendatior qui ædificauit eccleſiam? Et ſi is meretur gratiam qui impietatis receptaculum præſtitit, quantò maiorem meretur gratiam qui religioni domicilium præparauit? Et ſi ille cœleſti miſericordia viſitatur qui conſtruxit locum vbi Chriſtus ſemper negatur, quantò magis viſitandus eſt qui fabricari fecit tabernaculũ vbi Chriſtus quotidie prædicatur? In Centurione enim dominus non quid operis fecit, ſed qua mente operatus ſit, comprobauit. Nam qui tempore quo nondum Chriſtiani erant, ſolicitè ſynagogam fecit: ſi fuiſſent vtiq; Chriſtiani, intelligitur quòd multo ſolicitius feciſſet eccleſiam: ſed tamen licet ſynagogam ædificet, Chriſtum prædicat. In ipſo enim opere commonet phariſæos debere illos ſuſcipere ſaluatorem: & demonſtrat propterea ſe tabernaculum amplius edidiſſe, vt multiplicicter domini gloriam loquerẽtur. Si enim credit in Chriſtum, conditor ſynagogæ, multò magis credere debet habitator ipſius ſynagogæ. Centurio ergo ſi iuſtificatus eſt propter opus fragile vel terrenum, iuſtificandus planè eſt vir clariſſimus & prouidentiſſimus comes noſter propter opus tam perpetuum vel cœleſte: qui comes ſicut eſt Centurione dignitate potior, ita & fide debet eſſe deuotior. Sapiens vir & religioſus comes, qui quantum in bello Imperatori militat, tantum & in pace militat ſaluatori: & quantũ feſtinat de hoſtium manibus captiuos eruere, tanto magis feſtinat à diaboli ſe ſacrilegio liberare. Ibi inimicos terreni regis interficit, hic aduerſarios domini cœleſtis inſequitur. Ibi Barbaros vincit, hic dæmones. Sapiens inquam, qui ſicut comes Imperatoris eſt, ita & comes Chriſti eſſe deſiderat. Nam bene vtique & religioſè agendo dignitatem ſuam cupit eſſe perpetuam, ſecundum quod ſcriptum eſt in propheta: Et vos ô bo- Hier. 26. ni reges bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & audite vocem domini dei veſtri, & pœnitebit dominum mali quod locutus eſt aduerſus vos. Ergo cùm Centurio rogaret dominum vt dẽ morte erueret ægrotantem, & vellet dominus ad domum Centurionis pergere, in qua ſeruulus decumbebat, ait Centurio: Domine, non ſum dignus vt intres ſub te- Luc. 7. ctum meum. Excuſat igitur Centurio, & ne ſub tectum eius ingrediatur dominus, indignum ſe dicit. Ecce dignus eſt comes noſter, ſub cuius tectum hodie ſaluator ingreditur. Videamus, ipſa Centurionis excuſatio quam habeat gratiã. Ait enim hodie: Non ſum dignus vt intres ſub tectũ meum, ſed dic tantum verbo, & ſanabitur. O fides Chriſtiana, quæ cum humilitate totum impetrare conſueſti. Ecce religioſus Centurio ad accipiendam ſalutem dignior fit dum ſe profitetur indignum: & dum ædes ſuas iniurioſas putat, magis eas honorificas fecit & gratas. Magnæ enim & perfectæ fidei vir, qui intelligeret Chriſtum cœlorum eſſe, dum verebatur ne hoſpitij ſui eum anguſta non acciperent. Ergo contradicente Centurione non pergit ad domum dominus. Non pergit dominus, ſed pergit domini medicina: non viſitat ægrum ſaluator, ſed viſitat ſanitas ſaluatoris. De fratribus verò noſtris

ſanctis

sanctis viris Vitaliano & Maiano quid dicam? Scio illos gloriam ab hominibus non quærere, nisi à solo deo, sed tamen laudem eorum etsi ego taceam, ipsa opera loquuntur. Ad ipsorum enim laudē pertinet quicquid in aliis paulo antè laudauimus. Nam hoc tabernaculū etsi plurimi construxerunt, hi tamen sumptu operati sunt vno assensu. Et quo tandem sumptu, cùm sint in seculo mediocres & tenues? Illo scilicet
2. Cor. 9. de quo ait Apostolus: Abundantia fidei, & diuitiis simplicitatis. Est enim sanctis viris semper dives ipsa paupertas. Vnde credo hos beatos hanc ecclesiam non minus orationibus quàm impēdiis fabricasse. Sic enim oportebat vt opus Christi precibus magis crescerēt, quàm cæmentis. Totam enim substantiam in huius facturam operis expenderunt, & ipsis certè nihil deest. Ipsa planè est, sicut diximus, dives locuplés que paupertas, quæ expendit omnia. Sed hæc à deo benedicta est, sicut illa vidua de qua dicit dominus in euangelio:
Lucæ 21. Mulier hæc vidua pauper plus quàm omnes misit: nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera dei. Hæc autem totum victum suum quem habuit misit.

De passione beatæ Agnetis virginis. Sermo 90.

SEruus Christi Ambrosius virginibus sacris. Diem festū sacratissimæ virginis celebremus. Hinc psalmi resonent, inde concrepent lectiones. Hinc populorum turbæ lætentur, inde sustententur pauperes Christi. Omnes ergo gratulemur in domino, & ad ædificationem virginum, qualiter passa sit Agnes beatissima ad memoriam reuocemus. Tertiodecimo ætatis suæ anno mortem perdidit, & vitam inuenit: quia solum vitæ dilexit autorem. Infantia quidem computabatur in annis: sed erat senectus mentis immensa. Corpore quidem iuuencula, sed animo cana. Pulchra facie, sed pulchrior fide, & elegantior castitate. Dū à scholis reuertitur, à præfecti vrbis filio adamatur. Cuius parentes dum requisissēt, & inuenissēt, cœpit offerre plurima, & plura promittere. Denique detulerat secum prętiosissima ornamēta, quæ à beata Agne veluti quædam stercora sunt recusata. Vnde factum est vt iuuenis maiori perur geretur amoris stimulo: & putās eam meliora velle accipere ornamenta, omnium lapidū prectosorum secum detulit gloriam: & per seipsum, & per amicos, & notos, & affines, cœpit aures virginis appellare, diuitias, domos, possessiones, familias, atq; omnes huius mundi diuitias repromittere, si consensum suū eius coniugio non negaret. Ad hæc beata Agnes tale fertur iuueni dedisse respōsum: Discede à me fomes peccati, nūtrimentum facinoris, pabulum mortis: discede à me, quia iam alio amatore præuenta sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, & annulo fidei suæ subarrauit me, longè te nobilior & genere & dignitate. Ornauit me inæstimabili dextrocherio. Dextram meam & collū meum cinxit lapidibus prectosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & circundedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in facie mea, vt nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum si ei perseuerauero, repromisit. Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris vel aspicere alium, & illum derelinquere cum quo sum charitate deuincta. Cuius generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suauior, & omni gratia elegantior. A quo mihi iam thalamus collocatus est, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant. Iam mel & lac ex ore eius suscepi. Iam amplexibus eius castis astricta sum, iam corpus eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornauit genas meas. Cuius mater virgo est, cuius pater fœminam nescit. Cui angeli seruiūt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, cuius odore reuiuiscunt mortui, cuius tactu fouētur infirmi, cuius opes nunquam deficiunt, cuiúsque diuitiæ non decrescūt. Ipsi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione committo. Quem cùm amauero, casta sum: cùm tetigero, munda sum: cùm accepero, virgo sum. Nec deerunt nuptiis filij, vbi partus sine dolore succedit, & fœcūditas quotidiana cumulatur. Audiens hæc insanus iuuenis, amore carpitur cæco, & inter angustias animi anhelo cruciabatur spiritu. Inter hæc lecto prosternitur, & per alta suspiria amor medicis aperitur. Fiunt nota patri quæ fuerunt inuenta à medicis, & eadem paterna voce quæ fuerant iam dicta à filio, ad petitionem virginis reuoluuntur. Abnegat Agnes beatissima, & se nullo pacto prioris asserit sponsi fœdera violare. Cúmque pater diceret in fascibus præfecturæ se agere, & idcirco non sibi quemuis illustrissimum virum etiam posse præferri, cœpit tamen vehementissimè inquirere quis esset sponsus de cuius se Agnes potestate iactaret. Tunc extitit quidam ex parasitis eius, qui diceret hanc Christianam esse ab infantia, & magicis artibus ita occupatam, vt dicat Christum suum sponsum. Audiens hæc præfectus lætus efficitur, & missa apparitione cum ingenti strepitu suis eam tribunalibus præcipit sisti. Et primo quidem blādis eam sermonibus secretius prouocat, deinde terroribus pulsat. Sed virgo Christi nec blandimentis seducitur, nec terrore concutitur, sed eodem vultu, eodem animo perseuerat, & terrentem similiter sicut blandientem animo deridebat. Videns itaq; Symphronius præfectus tantam in puella constantiam, parentes eius allocquitur. Et quia erant nobiles, & vim eis inferre non poterat, titulum eis Christianitatis opposuit. Sequēti nanque die Agnem sibi præsentari iubet. Et iterum iterumque repetens, replicare cœpit de iuuenis amore sermonem. Cúmq; omnis sermo eius casso labore deficeret, sisti eam iterum suis tribunalibus iussit. Cui & dixit: Superstitio Christianorum, de quorum te magicis artibus iactas, nisi à te fuerit segregata, non poteris insanias abiicere pectoris, neq; æquissimis consiliis præbere cōsensum. Vnde te ad venerandam deam Vestam properare necesse est, vt si perseuerātia virginitatis placet, eius die noctúque sacrificiis reuerendis insistas. Ad hæc beata Agnes dixit: Si filium tuum, quanuis iniquo amore vexatum, tamen viuentem hominem recusaui: hominē vtique qui est rationis capax, qui & audire & videre, & palpare, & ambulare potest, & flore lucis huius cum bonis frui: si ergo hunc causa amoris Christi nulla possum ratione respicere, quomodo possum idola muta & surda, & sine sensu, & sine anima, colere, & ad iniuriam summi dei ceruicem meam vanis lapidibus inclinare? Audiēs hæc præfectus Symphronius dixit: Cupio consultum infantiæ tuæ, & adhuc te deos blasphemantem idcirco differo, quia annos tuos infra sensum aspicio. Noli ergo temetipsam ita despicere, vt motus decorū incurras. Beata Agnes dixit: Noli infantiam corporalem ita in me despicere, vt putes me te velle habere propitium. Fides enim non in annis, sed in sensibus inuenitur. Et deus omnipotens mentes magis cōprobat quàm ætates. Deos autem tuos, quorum motus me incurrere non vis, ipsos irasci permitte, ipsi loquantur, ipsi hoc mihi præcipiant, ipsi iubeant se coli, ipsi iubeant se adorari. Verum quoniam ad hoc video te tendere quod impetrare non poteris, quicquid tibi videtur, exerce. Symphronius præfectus dixit: Vnum tibi è duobus elige, aut cum virginibus deæ Vestæ sacrifica, aut cum meretricibus scortaberis in contubernio lupanari. Et longè erunt à te Christiani, qui te ita magicis artibus imbuerunt, vt hanc calamitatem intrepido animo te posse perferre confidas. Vnde, vt dixi, aut sacrifica deæ Vestæ ad laudem generis tui: aut ad ignominiam natalium tuorum, eris publicæ abiectionis scortum. Tunc beata Agnes cum ingenti constantia dixit: Si scires quis est deus meus, non ista ex ore tuo proferres. Vnde ego quia noui virtutem domini mei Iesu Christi, secura contemno minas tuas, credens quòd neque sacrificem idolis tuis, neq; polluar sordibus alienis. Mecum enim habeo custodem corporis mei angelum domini. Nam vnigenitus dei filius quem ignoras, murus est mihi impenetrabilis, & custos mihi est nunquam dormiens, & defensor mihi est nunquam deficiens. Dij autem tui aut ærei sunt, ex quibus cucumæ melius fiunt ad vsus hominum: aut lapidei, ex quibus sternuntur plateæ. Diuinitas ergo non in lapidibus vanis habitat, sed in cœlis. Non in ære aut aliquo metallo, sed in regno superno consistit. Tu autem & similes tui nisi ab istorum cultu recesseritis, simul vos pœnæ concludent. Sicut enim illi igne conflati sunt vt funderentur, sic condentes eos perpetuo incendio conflabuntur: non vt fundantur, sed vt confundantur in æternum, & pereant. Ad hæc insanus iudex iussit eam expoliari, & nudam ad lupanar duci, sub

ſub voce præconis dicẽtis Agnem ſacrilegam virginem, diis blaſphemiam inferẽtem, ſcortum lupanaribus datã. Statim autem vt expoliata eſt, crine reſoluto tantam denſitatem capillis eius diuina gratia conceſſit, vt melius videretur ſimbriis eorum, quàm veſtibus tecta. Ingreſſa autem turpitudinis locum, angelum domini ita præparatum inuenit, vt circundaret eam immẽſo lumine, ita vt nullus poſſet eam præſplendore reſpicere. Fulgebat enim tota cellula illa quaſi radians ſol in virtute ſua: & quanto quis curioſior oculis eſſe voluiſſet, tanto ſibi viſus aciem obtundebat. Cúmque ſe in orationem domino proſtrauiſſet, apparuit ante oculos eius ſtola candidiſſima, & apprehendens eam induit ſe, & dixit: Gratias tibi ago domine Ieſu Chriſte, qui me in numero ancillarum tuarum computans, veſtem hanc mihi largiri præcepiſti. Ita nanque ad menſuram corpuſculi eius aptum erat indumentum, & ita nimio candore cõſpicuum, vt nullus dubitaret hoc angelicis manibus præparatum. Interea lupanar efficitur locus orationis, in quo omnis qui fuiſſet ingreſſus, adoraret & veneraretur, dans honorem immenſo lumini, & mundior egrederetur foras, q̃ fuerat intus ingreſſus. Cúmque hæc agerentur, præfecti filius qui author erat huius ſceleris, venit ad locum cum ſodalibus ſuis iuuenculis inſulturus puellæ, cum quibus libidinis ſuæ ſe poſſe credebat lubrium exercere. Et ingreſſos ante ſe furẽtes pueros & turpiter ſæuiẽtes, cum omni veneratione & ingenti admiratione egreſſos cœpit impotentes arguere, atq; vanos & molles ac miſeros iudicare. Et irridens locum in quo virgo orabat, audacter ingreſſus eſt. Et videns tantũ lumen circa eam, non dedit honorem deo, ſed irruens in ipſum lumen, priuſquam vel manu eam contingeret, cecidit in faciem ſuam, & præfocatus à diabolo expirauit. Videntes autẽ ſocij eius quod moras intus faceret, putabãt obſcœnis eum operibus occupari. Et ingreſſus eſt vnus ex iuuenibus qui ei familiarior erat, vt cõgratularetur inſultationi eius, & mortuum eum inueniẽs, exclamauit voce magna, dicẽs: Piiſſimi Romani ſuccurrite, magicis artibus iſta meretrix præfecti filium interfecit. Fit repente concurſus populorum ad theatrum, & varia furentis populi acclamatio. Alij dicebant magam, alij innocẽtem, alij ſacrilegam conclamabant. Præfectus autem audiens filium ſuum interiſſe, cum ingẽti tumultu venit ad theatrum. Et ingreſſus locum in quo corpus filij eius iacebat exanime, cum ingenti clamore dicebat: Crudeliſſima omnium fœminarum, ad filium meum voluiſti apodixen tuæ artis magicæ demonſtrare: Et cùm talia atq; alia huiuſcemodi verba repeteret, & cauſas mortis eius ab ea vehementer inquireret, ait ad eum beatiſſima Agnes: Ille cuius volũtatem volebat perficere, ipſe in eum poteſtatem accepit. Quare autem omnes qui ad me ingreſſi ſunt, ſani ſunt? Quia vniuerſi dederũt honorem deo, qui miſit angelum ſuum, & induit me hoc indumento miſericordiæ, & cuſtodiuit corpus meum, quod ab ipſis cunabulis Chriſto conſecratum eſt, & oblatum. Videntes ergo ſplendorem angelicum adorabant omnes, & abſcedebant illæſi. Hic autem impudens ſtatim vt ingreſſus eſt, fæuire cœpit & fremere. Cúmque manum ſuam ad me contingendũ aptaret, dedit eum angelus domini in reprobã quam conſpicis mortem. Dicit ei præfectus: In hoc apparebit quia non magicis artibus iſta geſſiſti, ſi deprecata fueris ipſum angelum vt reſtituat mihi filium meum ſanum. Cui beata Agnes dixit: Licet fides veſtra hoc impetrare non mereatur à domino, tamen quia tempus eſt vt virtus domini mei Ieſu Chriſti manifeſtetur, egredimini omnes, vt ſolitam ei orationem offeram. Cúmque vniuerſi fuiſſent egreſſi, proſternens ſe in faciem planam, rogare cœpit dominum vt iuuenem ſuſcitaret. Orante autem illa, apparuit angelus domini, qui eleuauit eam flentem, & confortans animum eius, iuuenem ſuſcitauit. Qui egreſſus foras cœpit voce publica clamare & dicere: Vnus deus in cœlo, & in terra, & in mari, qui eſt deus Chriſtianorum. Nam omnia templa vana ſunt. Dij qui coluntur, omnes vani ſunt, & penitus nec ſibi poſſunt nec aliis aliquod auxilium exhibere. Ad hanc vocem omnes aruſpices, & tẽplorum pontifices conturbabantur, & fit per eos vehemẽtior quàm fuerat ſeditio populorum, atque omnes vna voce clamabãt: Tolle magam, tolle maleficam, quæ

A & mentes mutat, & animos alienat. Præfectus autem videns tanta mirabilia, obſtupuit. Sed veritus proſcriptionẽ ſi contra templorum põtifices ageret, & Agnem contra ſuam ſententiam defenſaret, vicarium ad ſeditionem populi iudicem dereliquit: ipſe autem triſtis abſceſſit, quòd eam non potuit poſt reſurrectionem filij ſui liberare. Tunc vicarius Aſpaſius nomine, iuſſit in conſpectu omnium ignem copioſum accẽdi, & in medium eam præcepit iactari flãmarum. Quod cùm fuiſſet impletum, ſtatim in duas partes diuiſę ſunt flammæ, & hinc atq; illinc ſeditioſos populos exurebant, ipſam autem penitus in nullo cõtingebat incẽdium. Eo magis non hoc virtutibus diuinis, ſed maleficiis reputantes, dabant fremitus inter ſe populi, & infinitos clamores ad cœlos. Tunc beata Agnes expandens manus ſuas in medio ignis, his verbis orationem fudit ad dominum. Omnipotens, adorande, colende, tremende pater domini noſtri Ieſu Chriſti benedico te, quia per filiũ tuum vnigenitũ euaſi manus hominum impiorum, & ſpurcitias diaboli impolluto calle tranſiui. Ecce & nunc rore cœleſti perfuſus per ſpiritum ſanctum focus
B iuxta me moritur, flamma diuiditur, & ardor incendij huius ad eos à quibus in me miniſtratur, effunditur. Benedico te pater prædicande, qui etiam inter flãmas intrepidam me ad te peruenire permittis. Ecce iam quod credidi video: quod ſperaui, iam teneo: quod concupiui, complector. Te confiteor labiis & corde, te totis viſceribus concupiſco. Ecce ad te venio viuum & verum deum, qui cum domino noſtro Ieſu Chriſto filio tuo, & cum ſpiritu ſancto viuis & regnas in cuncta ſecula ſeculorum, amen. Cúmque compleſſet oratio nem, ita omnis ignis extinctus eſt, vt nec tepor quidẽ incendij remaneret. Tunc Aſpaſius vrbis Romæ vicarius, populi ſeditionem non ferens, in guttur eius gladium mergi præcepit. Atque hoc exitu, roſeo ſui ſanguinis rubore perfuſam Chriſtus ſibi ſponſam & martyrem cõſecrauit. Parentes verò eius nullam penitus triſtitiam habentes, cum omni gaudio abſtulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in prædiolo ſuo, non longè ab vrbe, in via quæ ducitur Numentana. Vbi cùm omnis turba Chriſtianorum concurreret, inſidias à Pa-
C ganis perpeſſi ſunt: & vidẽtes populum infidelium ſuper ſe venientem armatum, omnes fugerũt. Aliquanti tamen lapidum ictibus læſi euaſerunt. Emerentiana autem, quæ fuerat collactanea eius, virgo ſanctiſſima, licet catechumena, conſtanter intrepida ſtabat immobilis, & his verbis exprobrabat eis: Superflui, miſeri, caduci, atque atrociſſimi, deum omnipotentem colentem occidiſtis, & percuſſione lapidum homines innocentes iugulaſtis. Hæc & his ſimilia dum turbis furentibus diceret, lapidata eſt ab eis, & orans iuxta ſepulchrum Agnes beatiſsimæ emiſit ſpiritum. Non dubium eſt quòd in ſuo ſanguine ſit baptizata, quæ pro defenſione iuſtitię dum confiteretur dominum, mortem conſtanter excepit. Eadem deniq; hora fit terræ motus vehementiſsimus: & cùm nimia eſſet cœli ſerenitas, tantę coruſcationes, tantáque fulgura & tonitrua extiterũt, vt pars maxima inſani populi expiraret. Vnde factum eſt vt nullus penitus ex eo aduenientibus ad ſepulchra ſanctorum aliquas moleſtias excitaret: venientes autem parentes beatæ Agnes cum ſacerdo-
D tibus nocte, abſtulerunt corpus ſanctæ Emerentianæ virginis, & ſepelierunt illud in confinio agelli beatiſsimæ virginis Agnes. Igitur dum parentes beatę Agnes aſsiduis pernoctationibus vigilarẽt ad tumulum eius, vident in medio noctis ſilentio exercitum virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribãt. Inter quas vident beatiſsimam Agnem ſimili veſte fulgẽtem, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Hæc itaque dum viderent parentes eius, & qui ſimul erant, ſtuporẽ mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat ſanctas virgines parumper gradum figere. Et ſtans parẽtibus ſuis dixit: Videte ne me quaſi mortuam lugeatis, ſed congaudete mihi & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas ſedes accepi. Et illi ſum iuncta in cœlis, quem in terris poſita tota animi intentione dilexi. Et his dictis pertranſiit. Hæc viſio publicè ab omnibus qui viderant quotidie vulgabatur. Vnde factum eſt vt poſt aliquantos annos ad Conſtantiam Conſtantini filiam hoc factum ab his qui viderant, narraretur. Erat enim ipſa Conſtantia

ſtantia regina virgo prudentiſſima, ſed ita obſeſſa vulneribus, vt à capite vſque ad pedes nulla membrorum pars libera remanſiſſet. Accepto autem conſilio, ſpe recuperandæ ſalutis venit ad tumulum martyris nocte, & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod dum faceret, repentina ſomni ſuauitate corripitur. Et vidit per viſum beatiſſimam Agnem talia ſibi monita præferentem: Conſtanter age Cõſtantia, & crede dominum Ieſum Chriſtum filium dei eſſe ſaluatorẽ tuum, per quem modo conſequeris omnium vulnerum quæ in corpore tuo pateris ſanitatem. Ad hanc vocem Conſtantia euigilat ſana, & ſic ſana, vt nec ſignum in eius membris alicuius vulneris remaneret. Reuerſa igitur ad palatiũ ſaniſſima, facit gaudium & patri ſuo Auguſto, & fratribus ſuis imperatoribus. Coronatur ciuitas tota: fit lætitia militantibus atque priuatis, & vniuerſis audientibus hæc. Infidelitas gentium confundeba tur, & fides dominica lætabatur. Interea patrem & fratres Auguſtos rogat vt baſilica beatæ Agnes conſtrueretur, & ſibi illic mauſoleum collocari præcepit. Currit hæc opinio ad omnes, & quotquot credẽtes ad eius tumulum aduenirent, ſanabantur, quacunque fuiſſent infirmitate detenti. Quod facere Chriſtum nullus dubitat vſque in hodiernum diem. Perſeuerauit autem Conſtantia Auguſti filia in virginitate, per quam multæ virgines & mediocres, & nobiles, & illuſtres, ſacra velamina ſuſceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, vſque in hodiernum diem multæ virgines Romanæ Agnem beatiſſimam quaſi in corpore manentem attendunt, & eius exemplo agentes viriliter, integræ perſeuerant, credentes ſine dubio quòd perſeuerantes perpetuæ victoriæ palmam acquirant. Hæc ego Ambroſius ſeruus Chriſti dum involuminibus diuinis inueniſſem ſcripta, non ſum paſſus infructuoſo ſilentio tegi. Ad honorem igitur tantæ martyris, ſicut geſta eius agnoui, conſcripſi, & ad ædificationem veſtrã, ô virgines Chriſti, textum paſſionis eius credidi deſtinandum, obſecrans charitatem ſpiritus ſancti, vt labor noſter in veſtra imitatione fructum in conſpectu domini valeat inuenire. Amen.

De inuentione corporum ſanctorum Geruaſii & Prothaſii. Sermo 91.

Pſal.18. HEſterno tractaui verſiculũ, Dies diei eructat verbum prout noſtri tulit captus ingenij: hodie mihi non ſolum ſuperiore tẽpore, ſed præſenti quoque prophetaſſe videtur ſcriptura diuina. Nam cùm diebus ac noctibus continuatam videam ſanctitatis veſtræ celebritatem, iſtos eſſe dies prophetici carminis, oracula declarare heſternum atque hodiernum, de quibus opportuniſſimè dicitur: Dies diei eructat verbum, & iſtas noctes de quibus aptiſſimè diſputatur, quia nox nocti indicat ſcientiam. Quid enim aliud hoc biduo niſi verbum dei intimo eructaſtis affectu, & ſcientiam vos habere fidei probauiſtis? Cui tamen celebritati veſtræ, qui ſolẽt, inuident. Et quia celebritatem veſtram inuidis animis ferre non poſſunt, cauſam celebritatis odere, atque amentiæ in tantum prodeunt, vt negent martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum. Siquidem tanta eſt incredulorum perfidia, vt tolerabilior ſit diaboli confeſſio. Dice-
Matth.8. bat enim diabolus: Ieſu fili dei viui, quid veniſti ante tempus torquere nos? Et cum hæc audirẽt Iudæi, ipſi tamen dei filium denegabant. Et nunc audiſtis clamantes dæmones & confitentes martyribus quòd pœnas ferre non poſſint, & dicentes: Quid veniſtis vt ante tempus nos tam grauiter torqueatis? Et Arriani dicunt: Non ſunt iſti martyres, nec torquere diabolum poſſunt, nec aliquem liberare, cùm tormenta dæmonum ipſorum voce probentur, & beneficia martyrum remediis cæcorum, & abſolutorum indiciis declarentur. Negant cæcum illuminatum, ſed ille non negat ſe ſanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Cæcus eſſe deſiui, & probat facto. Iſti beneficium negant, qui factum negare non poſſunt. Notus homo eſt, publicis cùm valeret mancipatus obſequiis, Seuerus nomine, lanius miniſterio. Depoſuerat officium poſtquam inciderat impedimentum.

A Vocat ad teſtimonium homines quorum ante ſuſtentabatur obſequiis. Eos indices ſuæ viſitationis accerſit, quos habebat teſtes, & arbitros cæcitatis. Clamat, quia vt contigit fimbriam de veſte martyrum, qua ſacræ reliquiæ veſtiuntur, redditum ſibi lumen ſit. Nonne ſimile illud eſt, atque illud quod in euangelio legimus? Vnius enim potentiam laudamus authoris: nec intereſt vtrum opus ſit, an munus, cùm & muneretur in opere, & operetur in munere. Quod enim aliis faciendum donauerit, hoc in aliorum opere nomen eius operatur. Legimus ergo in euangelio, Iudæos cùm viderent Ioan.9. in illo cæco ſanitatis remediũ, requiſiſſe parentum teſtimonium. Interrogabant, Quomodo videt filius veſter? cùm ille diceret, Cæcus cum eſſem, modo video. Hoc & iſte dicit: Cæcus fui, & modo video. Interrogate alios ſi mihi non creditis, interrogate extraneos, ne aſtipulari mihi parentes putetis. Deteſtabilior iſtorum quàm Iudæorum pertinacia. Illi cùm dubitarent, vel parentes interrogabant. Iſti occultè interrogant, palàm negant, iam non operi increduli, ſed authori. Sed quæro qui non credant, vtrum à martyribus poſſint
B aliqui viſitari, hoc eſt, Chriſto non credere. Ipſe enim dixit: Et maiora his facietis: an ab iſtis martyribus, quorum meri- Ioan.14.
ta iãdudum vigent, corpora dudum reperta ſunt. Quæro hîc, vtrum mihi, an ſanctis martyribus inuideant? Si mihi, nunquid à me aliquæ virtutes fiunt? Nunquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi inuident quod meum non eſt? Si martyribus (reſtat enim vt ſi mihi non inuident, martyribus inuidere videantur) oſtendunt alterius fidei fuiſſe martyres quam ipſi credunt. Neque enim aliter eorum operibus inuiderent, niſi fidem in his fuiſſe eam quam iſti non habent, iudicarent. Fidem illam maiorũ traditione firmatam, quam dæmones ipſi negare non poſſunt, ſed Arriani negant. Audiuimus hodie dicentes eos quibus manus imponebatur, neminem poſſe eſſe ſaluum qui patrem & filium & ſpiritum ſanctum negaret, qui trinitatis omnipotẽtem virtutem non crederet. Confitetur hoc diabolus, ſed Arriani nolunt fateri. Dicit enim diabolus, ſic torqueatur quemadmodum ipſe Luce 4.
à martyribus torquebatur qui ſpiritus ſancti deitatem nega
C rit. Non accipio à diabolo teſtimonium, ſed confeſſionem. Inuitus dixit diabolus, ſed exactus & tortus. Quod nequitia ſupprimit, extorquet iniuria. Cedit diabolus plagis, & adhuc cedere neſciunt Arriani. Quanta perpeſſi ſunt, & quem admodum Pharao malis ſuis indurantur. Dicebat diabolus, vt ſcriptum legimus, Scio te quis ſis. Tu es filius dei viui. Di- Luc.4.
cebant Iudæi: Neſcimus quis ſit. Dicebant hodie, & ſuperiore die vel nocte dæmones: Scimus quia martyres eſtis. Et Arriani dicũt: Neſcimus: nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt dæmones martyribus: Veniſtis perdere nos? Arriani dicunt, Non ſunt dæmonum vera tormenta, ſed ficta & compoſita ludibria. Audiui multa componi, hoc nemo vnquam fingere potuit vt dæmonia cum ſe eſſe ſimularet. Quid illud quod ita exagitari eos videmus quibus manus imponitur? vbi hic locus fraudi eſt? vbi ſuſpicio ſimulandi? Sed non ego ad ſuffragium martyrum vſurpo vocem dæmoniorum. Beneficiis ſacra paſſio ſuis comprobetur. Habet iudices, ſed purgatos: habet teſtes, ſed abſolutos. Melior vox
D eſt quam ſanitas loquitur eorum qui debiles aduenerunt. Melior vox eſt quam ſanguis emittit. Habet enim ſanguis vocem canoram, quæ de terris ad cœlum peruenit. Legiſtis dicente domino: Sanguis fratris tui clamat ad me. Et hic ſan- Genes.4.
guis clamat coloris indicio: Sanguis clamat operationis præconio: Sanguis clamat paſſionis triumpho. Satisfactum eſt petitioni veſtræ, vt condendas heſterno in hodiernum diem differremus reliquias.

De baptiſmo ſancti Auguſtini. Sermo 92.



VOD his diebus contigit, fratres humaniſſimi vidiſtis, quibus domini noſtri Ieſu Chriſti ſummam poteſtatem & clementiam intelligere potuimus, memoriæque mandare debemus, quod in nulla re magis Chriſtianis gratulari poſſumus quàm quod hoc tempore, & ætate noſtra mirandum oculis noſtris vidimus. Diuinæ

In natali sanctorum martyrum Nazarij & Celsi.

Sermo 93.

ETiam si martyribus regionis extraneæ pia votorum debita redderemus, propriis consulere vtilitatibus & commodis probaremur. Nostros enim eos fides faceret, & remotis quanlibet finibus spe rata nobis patrocinia conrogaret. Studiorum siquidem sunt huiusmodi suffragia non locorum. Proinde apud domesticos dei tantum intercessionis promereueris, quantum venerationis impenderis. Oportet itaque vt alienos potius nobis deuotio religiosa conciliet, quàm fortè proprios à nobis negligentia in religiosi teporis alienet. Agnoscamus charissimi circa ecclesiam nostram vberiorem diuinorũ munerum largitatem. Exultant felices singularum vrbium populi, si vnius saltim martyris reliquiis muniantur. Ecce nos populos martyrũ possidemus. Gaudeat terra nostra nutrix cœlestium militum, & tantorũ parens fœcunda virtutum. Rectè itaque & ex debito à filiis parentis ecclesiæ horum beatorum martyrum celebrantur insignia. Qui inluminantes virtute fidei suæ innumerabiles populos soli quidem inlatam sibi sensêre mortem, sed non solum mortis suæ beneficia possederũt. Immensa enim dei nostri pietas multiplex ad bonitatem, & artifex ad salutem, proponens arduam virtutum palmam, raro appetitore preciosam, in paucorum triumphis, plurimorum commodis prospicit. Illorum siquidem merita nostra vult esse suffragia. Simúlque dum nobis fidem veram duro martyrij agone commendat, afflictionem præcedentium, instructionem efficit posterorum. Quãta est circa nos dei nostri solicitudo? Illos examinat, vt nos erudiat. Illos conterit, vt nos adquirat: eorúmque cruciatus nostros vult esse profectus. Meritò ergo eos colimus, qui periculis suis pugnant, & nostris vtilitatibus militant, qui per lucis vitæque contemptum edocent nos quãtum deo nostro debeamus affectum. Nouerimus itaque quia non sine magno discrimine de religionis veritate dubitamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post prophetarum oracula, post apostolorum testimonia, post martyrum vulnera, veterem fidem quasi nouellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces in errore permaneas, & post morientium sudores, ociosa disputatione contẽdas. Congratulamur ergo dilectissimi fratres magnæ fidei vestræ, per quam dum exules proflua charitate suscipitis, etiam incolas paradisi & cœli ciues habere meruistis. Beatum itaque Nazarium martyrem Christi sancta Mediolanẽsis ecclesia licet totum corpore secum retineat, & mundo tamen totum in benedictione trãsmisit. Hæc est enim sanctorum martyrum gloria, quorum & si per vniuersum mundũ seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. Veneramur ergo in tanto Christi milite fidem nostrã: mater nanque martyrij fides catholica est, in qua iste illustris athleta sanguine fuso mortem pro ipsa calcauit: mater, inquam martyrij fides est. Veneremur ergo in sanctorum martyrum gloria fidem nostram. Quomodo fidem nostram? Ab istis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis euidenter asseritur. Nũquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione sentirent. In sanctis itaque præconibus veritatis resurrectionis auctoritas est. Prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum. Vnde & beatus Nazarius cuius hodie gloriosam de mundi hoste victoriam vniuersalis ecclesia festa exultatione concelebrat. Cum tempore gentilitatis non ignobilibus parentibus oriundus existeret, sacrilegi adhuc puer genitoris militiam simul & doctrinam detestari ex improuiso cœpit: atque ab innocente matre, quæ iam Christianæ fidei titulis insignita, Christo sedulè insistebat, sacrosanctæ regenerationis fluenta fidelis iam spiritu ac fide instituta præueniens de monstrari sibi flagitabat. Nondum siquidem baptismum consecutus, sed inter religionis principia consummatus: & nondum manifestatis sibi legibus, deo plenus, repente possessio atque habitaculum dei factus est: atque ita peruẽturæ vsque ad cœlos turris prius meruit eleuare fastigium, quàm dis-

unæ clemẽtiæ innumeras gratias agere debe[illegible]lius, quòd Augustinus Afer Carthaginensis, philosophus acutissimus, contempto gentilium cultu, ad veram Christianam religionem diuino nutu tãdem peruenit. Hoc resurrectionis tempus [illegible]d plici lætitia celebrandum est, Christi scilicet victoria potito ac deleto inferorum imperio, & Augustini cõuersione, quæ Christianis plurimum confert. Quis expugnauit animum? quis superauit? Non argumenta, non vis aliqua verborum, sed dei duntaxat virtus & clementia. Nonne rhetor hic habebatur præstantissimus? Nõne eius doctrina accinctus Mediolanum venit, vbi à cunctis ciuibus honorificè susceptus est? Ad quid tanta liberalium disciplinarum eruditio, tãtum philosophiæ acumen? Ad quid illud acre ingenium, illa dialectica, cæteraque artes sine præceptore adeptæ? Ad hoc vt diuina potentia magis eluceat mortalibus. Quo Aristotelica institutio, in disputando simulationes, difficultates tendebant, versutiæ, contentiones & astutiæ, quibus maximè erat instructus, argumentáque contra sacrarum literarum scripturas cùm vna essemus adducta, in quibus diuinum quandoque implorabamus auxilium? Quo tanta in dicendo hominis gratia, tanta in dicendo copia atque facundia, vt non temerè eius dicta dissolui potuissent? Ad hoc vt fides Christi stabiliretur. Sæpius me eum tentasse intelligitis, quo inter dissensiones nostras virtus diuina operaretur. Optabam mirum in modum hominem tantæ doctrinæ illuminari, à quo summa gloria & splendor, vt in merito Christianæ fidei oriri posset. Verum etiam Augustinus tanta interdum pertinacia, & disputationis suæ acrimonia ac vehementia nos vrgebat, vt inter supplicationes nostras quod deus ab eius cautionibus nos auerteret, rogare coacti simus. Matris eius Monicæ precibus & lachrymis penè continuis, nostrísque orationibus aliquantisper adhærere cœpit, & prædicationibus nostris aliquando interesse cupiebat, in quibus fidei nostræ synceritatem omnibus disciplinis, & omnium artium argumentis antecedere ostendebamus. Diuino tandem auxilio, Christi veram religionẽ amplexus est, vnde humanum genus, & Christi fideles meritò iubilare possunt. Veruntamen Simpliciano nostro probatæ sanctitatis viro non minores gratiæ agendæ sunt, à quo Augustinus de religione beata, fœlicíque vita instructus est. A quo idem multa de Christi fide tum exempla, tum miracula accepit, quibus si qua hæresis rubigo esset, penitus animum absterſit, quibus à se omnis dubitationis timor procul propulsatus est. Quantis fratres charissimi lachrymis errorem confessus est tuum? quanto luctu conuersionis diuturnitatem conquestus est? quibus verbis & quo dolore feram pœnitentiam damnauit? dimidiam enim fermè vitæ suæ partem inter gentilium mores ac vanas disciplinas, mundanósque errores consumpsit. Iubilate de tanta victoria, in qua Augustinus tanquam dux cum commilitonibus suis Adeodato, & Alypio socio captiuo nostri sunt. Hæc quidem captiuitas Augustinũ beatum faciet, regnum dei parabit. Triumphare tamen visus est Augustinus illa præsertim hora in qua nouum hominem sacro baptismate induimus, in quo vna nobiscum diuino quodam instinctu hymnum cantauimus de Christi fide. Et vt vberius instrueretur, & à cæteris gẽtilium opinionibus & erroribus remoueretur, totum cognitioni animum intendit. Nouum in Christi fide militem habemus, acerrimum contra gentiles hostem, contra hæreticos inuictissimum imperatorem. Nouum Christianum nouis vestimẽtis, cuculla nigra induimus, cingulo excorio nos ipsi præcinximus, quod Simplicianus noster ingenti lætitia donauit. Agamus gratias domino Iesu Christo ingentes, qui religioni nostræ talem ac tantum principem instituit. Gaudeamus omnes in domino, qui omnia virtute sua continet, & incomprehensibili maiestate vniuersa complectitur. Gaudeant angeli Augustini tam celebri conuersione. Gaudeant cœlum & vniuersa terra, benedicant omnes dominum, quia ad conferendum hominibus subsidium creauit & illuminauit Augustinũ, à quo tanquam religionis exordio Christiani auxilium caperent, & suffragium. A quo denique religionis constitutiones oriri potuerunt. Hanc Augustini conuersionem in futurum homines diuinis prosequentur honoribus. Amen.

disponeret fundamentum. Nondum sacramentorum conscius, & in sacrificium iam prælectus. Quid ad hæc nos infelices respõdere poterimus? Qui post nitoré baptismi, post conlatum nobis sacra regeneratione candorem, post adquisitam indumenti nuptialis angelicam dignitatem in peccatorum cœnum relapsi, & in antiqua criminum volutabra reuoluti, nineum vestimentum tetris iniquitatum ac libidinum contagiis sordidamus? Et holosericam, in qua sigillum diuinæ imaginis acceperamus impressum, maculis mortiferæ corruptionis infecimus, Et post singularem dei nostri indulgentiam innouata fœdamus, integra rescindimus, expiata violamus, repetentes opera non iam vndis purganda, sed flammis. Quid illud, quámque insigne diuinæ gratiæ munus, quod accepto iam salutari lauacro, post innumera virtutum signa post peragratas circunquaque ob Christi prædicationem innumeras regiones, cùm pro dei summi confessione diuersa per supplicia aduersus eum totus penè orbis baccharetur, & nunc atrocissimis artaretur pœnis cruciandus, nunc in longinquis finibus transueheretur exulandus, ita robustissimo Christi athleta pectore tormenta omnia deuincebat, vt strenuum de prostrato reportaret hoste trophæum, interque cruenta Cæsaris iussa vasti maris gurgitibus deiectus, ambulare ei diuina super aquas concessum est prouidentia, & rerum obstupescente natura, per insueti itineris nouas vias pendulum inferens gressum tumentia maris dorsa calcauit. Videres æquoreas sanctis substerni meritis vndas, supraque angelicis confortatum alloquiis in Christi Iesu laudibus exultare. Ecce prophanus hostis nunquam beato martyri tantum prodesset obsequio, quantum profuit odio. Sed tandem perfecto agonis certamine, cum Celso puerulo, quem ipse in holocaustum deo polluto adsumpserat ex seculo, crudeli imperio dãnatione absoluitur, gladio consecratur. Felix hic tali exitu quo omne delictum ita ab eo exiit, vt etiam redire non possit: quo sic debita sua soluit, ne vltra creditorem timeret: quo in se hostium peccata fide clausit, fide dãnauit: per quem innocentiam deuotione quæsiuit, perseuerantia inuenit, morte seruauit. Quæ cùm ita sint charissimi, licet hic tantus Christi testis preciosus confessione, preciosior sanguine, crudeli vulnere preciosior, & tincta veste candidior, licet hic Mediolanensium peculiaris putetur priuilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragij. Neque enim istius vrbis charitas proflua & fides auara, tantum huic martyri derogauerit dum sibi arrogat, vt solum erga mœnia sua, patrocinij illius beneficia affatura esse crediderit. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Inuocasti vbique martyrem, vbique te exaudit ille qui honoratur in martyre. Moderante itaque eo qui pensat vota tua, & dispensat munera sua intantum vicina præsentia efficacis præbebitur aduocati, inquantum fuerit fides deuota suscepti. Oratio enim quę castitatis, iustitiæ, eleemosynarum operibus adiuuatur, excedit mundum, penetrat paradisum, euolat vsq; ad ipsum summæ maiestatis angelo conferente conspectum. Sicut quodam loco vox testatur angelica: Et cum tu, inquit, orares, ego obtuli orationem tuã in conspectu claritatis dei. Beata anima charissimi cuius votum, cuius compunctionis incensum, cuius supplicationis holocaustũ, nulla infidelitate fumidum, nullo carnalis illecebræ fœtore pollutum, nulla sæuitia cruentum, nulla odij simultate maculatum, sed fide igneum, conscientia nitidum, sinceritate cordis odoriferum, concordia & charitate perfectum, vsque ad dei vultum per cœlestium nunciorũ defertur obsequia. Quæ cum ita sint, honoremus beatos martyres principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes dei. Quod si dicas mihi, quid honoras in carne iam resoluta atque consumpta, de qua nulla iam deo cura est? Et vbi est illud charissimi quod ipsa veritas loquitur per prophetam? Preciosa, inquit, in conspectu domini mors sanctorum eius. Et iterum, Mihi autem valde honorificãdi sunt amici tui deus. Honorare debemus seruos dei, quantomagis amicos dei? De quibus alio loco dicitur: Dominus, inquit, custodit omnia ossa eorum, & vnũ ex his non conteretur. Honoro ergo in carne martyris exceptas proChristi nomine cicatrices. Honoro viuentis memoriam per ennitate virtutis. Honoro per confessionem domini sacratos cineres. Honoro in cineribus semina æternitatis. Honoro corpus quod mihi dominum meum ostendit diligere, quod me propter dominum mortẽ docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles quod reuerentur & dęmones? quod & adfixerunt in supplicio, sed glorificat in sepulchro. Honoro itaque corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo.

Vnde supra.

Audistis charissimi fratres ex lectione sancti euangelij, quod deminus beatũ Philippum apostolũ ad sequendum se vocauerit. Ille autem statim Nathanahelẽ reperit: vt secum ad dominum veniret, hortatus est: quod factum hodiernæ festiuitati aptissimè cõuenit, quia sicut apostolus Philippus Nathanahelem vocauit, ita beatus martyr Nazarius Celsum puerum perduxit ad dominum. Nam & illi aptissimè consonat, Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Solent enim pueri sine dolo & insidiis esse. Vnde alio loco dominus dicit, nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. Oportet igitur nos imitari quod hodierna festiuitate colimus, vt quicunque gratia dei ad Christũ vocatus fuerit, alios secum pertrahat & inuitet, atque dilectionem proximis suis exhibeat sine dolo, id est sine fraude. Dolus enim est, siquis proximo loquitur in ore, & iram seruat in corde. Quod quicunque fecerit, verus Israelita esse non poterit, quia dominũ cernere non merebitur. Nã scriptum est, Beati pacifici, Beati mundo corde, quoniã ipsi deum videbunt. Interroget vnusquisque conscientiam suam: & si à proximo suo verbum læsionis aut aliam quãlibet susceptit calumniam, pro dei amore dimittat, & cũ sancto Nathanahele dignus sit videre cœlum apertum, & angelos dei ascẽdentes & descendentes supra filium hominis. Quod ipse præstare dignetur.

OPERVM DIVI AMBROSII Mediolanensis Episcopi Tomi tertij finis.

QVARTVS TOMVS

DIVI AMBROSII OPERVM, CONTINENS EXPLANATIONES, HOC EST, EA QVÆ FACIVNT AD INTERPRETATIONEM

diuinarum ſcripturarum veteris teſtamenti, cum aliis quibuſdam, quæ verſa facie licet videre.

***



PARISIIS,

Apud Gulielmum Merlin, in ponte Numulariorum: & Sebaſtianum Niuellium, ſub Ciconiis, via Iacobea: & Michaëlam Guillard, viduam Gulielmi Desbois, ſub Sole aureo, eadem via.

AN. DO. M. D. LXIX.

Cum priuilegio Regis.

CATALOGVS TOMI QVARTI.

Hexaëmeron lib. VI. Col. 801.
De paradiſo lib. I. Col. 899.
De Cain,& Abel lib. II. Col. 924.
De Noë,& arca lib. I. Col. 954.
De Abraham patriarcha lib. II. Col. 987.
De Iſaac,& anima lib. I. Col. 1032.
De Iacob,& beata vita lib. II. Col. 1051.
De Ioſeph patriarcha lib. I. Col. 1076.
De benedictionibus patriarcharum lib. I. Col. 1094.
De Nabuthe Iſraelita lib. I. Col. 1106.
De Helia & ieiunio lib. I. Col. 1121.
De Thobia lib. I. Col. 1139.
De interpellatione lib. IIII. Col. 1158.
Apologia Dauid. Col. 1180.
De apologia Dauid liber alter. Col. 1199.
De interpellatione Dauid lib. I. Col. 1215.
De Salomone lib. I. Col. 1224.
De iis qui initiantur myſteriis lib. I. Col. 1229.
De ſacramentis Eccleſiæ lib. VI. Col. 1237.
De dignitate ſacerdotali lib. I. Col. 1257.
Precationes præparantes ad miſſam II. Col. 1263.
Cõmentarij in XII. pſalmos Dauidicos, nẽpe I. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. XLIII. XLV. XLVII. XLVIII. & LXI. Col. 1270.
Commentarij in pſalmum CXVIII. in XXII. ſermones diſtincti. Col. 1421.

CAPITA PRIMI LIBRI HEXAEMERON.

De opinionibus philoſophorũ, circa rerum principia, mundíque vnitatem ac durationem errantium. Caput I.
De confutatione præmiſſarum opinionum per ſanctum Moyſem, docentem in principio deum feciſſe cœlum & terram. Caput II.
Quod non vanis abduci debeamus opinionibus, ſed ſequi ipſum Moyſem, qui & authorem mundi nouit & gubernatorem. Caput III.
De multiplici relatione & acceptione principij, & quibus modis intelligi poſſit in principio deum feciſſe cœlum & terram. Caput IIII.
Quòd hic mundus diuinæ ſit ſpecimen operationis, ac diuinæ maieſtatis inſigne. Quódque filius imago ſit dei, & ſplendor paternæ gloriæ. Et quod per ipſum & in ipſum creata ſint omnia. Caput V.
Quòd in principio temporis cœlum & terram deum feciſſe ad præſentem ſufficiat aſſertionem, & cur author prolixiorem vitauerit collectionem. Quódque de qualitate & ſubſtantia cœli, terræ quoque vel qualitate vel poſitione, ſatis ſit ad ſcientiam, quod ſcripturarum diuinarum ſeries comprehendit, eo quòd nihil proſit ad ſpem futuræ vitæ diſcutere vel enumerare ea, quæ in diſputationibus ſuis philoſophi ſe mutuo refellentes texuerunt. Caput VI.
Quomodo, quáve ratione terra facta in principio fuerit inuiſibilis: Et cur deus cum res fecit, non ſimul ornatus illis congruos donauerit. Caput VII.
Quomodo, & quam ob cauſam terra fuerit incompoſita, & quòd per tenebras quæ erant ſuper faciem abyſſi, non intelligantur malæ poteſtates, quòd earum malitiam deus creauerit. Quòd etiam ſpiritus qui ferebatur ſuper aquas, non pro alio quàm ſpiritu ſancto accipiatur, cum aperta demonſtratione, quòd malitia ex nobis orta ſit, & non à deo creatore condita. Caput VIII.
De creatione lucis, per quam ornata ſunt prius condita, & de diſtinctione inter lucem & tenebras, atque ita inter diem & noctem. Caput IX.
Quod non diei nox, ſed dies nocti ſecũdum ſcripturam anteferatur, & de vnitate diei in quo cœlum & terra cæteráque ſunt condita & creata. Caput X.

801

Diui Ambrosij MEDIOLANENSIS EPISCOPI *Hexaemeron Lib. I.*

De opinionibus philosophorum circa rerum principia, mundique vnitatem ac durationem errantium. Cap. I.

ANtúmne opinionis assumpsisse homines, vt aliqui eorum tria principia constituerent omnium, deum, & exemplar, & materiam: sicut Plato, discipulique eius: & ea incorrupta & increata, ac sine initio esse asseuerarent: deúmque non tanquã creatorem materiæ, sed tãquam artificem ad exemplar, hoc est ideam intendentem, fecisse mundum de materia quam vocant hylen, quę gignendi causas rebus omnibus dedisse asseratur: ipsum quoque mũdum incorruptum, nec creatum aut factum existimarent: alij quoque, vt Aristoteles cum suis disputandum putauit, duo principia ponerent, materiam, & speciem: & tertium cum iis quod operatorium diceretur, cui suppeteret cõpetenter efficere quod adoriundum putasset? Quid igitur tam inconueniens, quàm vt æternitatem operis cum dei omnipotentis coniungerent æternitate, vel ipsum opus deum esse dicerent, vt cœlum & terrã & mare diuinis prosequerentur honoribus? Ex quo factum est vt partes mundi deos esse crederent: quanuis de ipso mundo non mediocris inter eos quæstio sit. Nam Pythagoras vnum mundum asserit, alij innumerabiles dicunt esse mundos, vt scripsit Democritus, cui plurimum de physicis authoritatis vetustas detulit. Ipsum quoque mundum semper fuisse & fore Aristoteles vsurpat dicere. Cõtra autem Plato non semper fuisse, sed semper fore præsumit astruere. Plurimi verò nec fuisse semper, nec semper fore scriptis suis testificantur. Inter has dissensiones eorum quæ potest esse veri æstimatio, cum alij mundum ipsum deum esse dicant, quod ei mens diuina, vt putant, inesse videatur: alij partes eius, alij vtrunque: in quo nec quæ figura sit deorum, nec qui numerus, nec qui locus, aut vita possit aut cura comprehendi? Si quidem mundi æstimatione volubilem, rotundum, ardẽtem, quibusdam incitatum motibus, sine sensu deum conueniat intelligi, qui alieno non suo motu feratur.

De confutatione præmissarum opinionum per sanctum Moysen docentem in principio deum fecisse cœlum & terram. Caput II.

VNde diuino spiritu præuidẽs sanctus Moyses hos hominum errores fore, & iam fortè cœpisse, in exordio sermonis sui sic ait: In principio fecit deus cœlum, & terram. Initium rerum, authorẽ mundi, creationem materiæ comprehendens, vt deum cognosce res ante initium mundi esse, vel ipsum esse initium vniuersorum: sicut in euangelio dei filius dicentibus sibi, Tu quis es, respõdit: Initium, quod & loquor vobis: & ipsum dedisse gignendis rebus initium, & ipsum esse creatorem mundi, non idea quadam duce imitatorem materiæ, ex qua non ad arbitrium suum, sed ad speciem propositam sua opera formaret. Pulchrè quoque ait: In principio fecit.) vt incomprehensibilem celeritatem operis exprimeret, cùm effectum prius operationis impletæ, quàm indicium cœptæ explicuisset. Quis hoc dicat, aduertere debemus. Moyses vtique ille eruditus in omni sapiẽtia Ægyptiorum, quem de flumine collectum filia Pharaonis vt filium dilexit, & subsidiis regalibus fultum, omnibus secularis prudentiæ disciplinis informari atque instrui desiderauit. Qui cùm de aqua nomen acceperit, non putauit tamen dicendum quod ex aqua constarent omnia, vt Thales dixit. Et cùm esset in aula educatus regia: maluit tamen pro amore iustitiæ subire exilium voluntarium, quàm in tyrannidis fastigio peccati perfunctionem deliciis acquirere. Deniq; priusquam ad populi liberandi munus vocaretur, naturali æquitatis studio prouocatus, accipiẽtem iniuriam de popularibus suis vltus, inuidiæ sese dedit, voluptatíque eripuit: atque omnes regiæ domus declinãs tumultus, in secretum Æthiopiæ se contulit, ibíque à cæteris negociis remotus, totum diuinæ cognitioni animum intendit, vt gloriam dei videret facie ad faciem. Cui testificatur scriptura quia nemo surrexit amplius propheta in Israel sicut Moyses, qui sciuit dominum facie ad faciem. Non in visione, neque in somnio, sed ore ad os cum deo summo locutus: neque in specie, neque per ænigmata, sed clara atq; perspicua præsentiæ diuinæ dignatione donatus. Is itaque Moyses aperuit os suum, & effudit quæ in eo dominus loquebatur, secundum quod ei dixerat cum eum ad Pharaonem regem dirigeret: Vade ergo, & ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui. Etenim si quod de populo dimittendo diceret, à deo acceperat, quãtò magis quod de cœlo loqueretur? Deinque nõ in persuasione humanæ sapiẽtiæ, nec in philosophiæ simulatoriis disputationibus, sed in ostensione spiritus & virtutis tanquam testis diuini operis ausus est dicere: In principio fecit deus cœlum & terram. Non ille vt atomorum concursione mundus coiret, serum atq; ocioſum expectauit negocium: neque disciplinã quandam materiæ, quam contemplando mundum possit efficere, sed authorem deum exprimendum putauit. Aduertit enim vir plenus prudentię, quòd visibilium atque inuisibilium substãtiarum, & causas rerum mens sola diuina contineat, non vt philosophi disputant, validiorem atomorum cõplexionem perseuerantiæ iugis præstare causam: & iudicauit quòd telam araneæ texerent qui sic minuta & insubstantiua principia cœlo ac terris darent, quæ vt fortuitò coniungerẽtur, ita fortuitò ac temerè dissoluerentur, nisi in sui gubernatoris diuina virtute constarent. Nec immeritò gubernatorem nesciunt, qui non nouerunt deum, per quem omnia reguntur & gubernantur.

Quòd non vanis abduci debeamus opinionibus, sed sequi ipsum Moysen, qui & authorem mundi nouit & gubernatorem. Caput III.

SEquamur ergo eum qui & authorem nouit & gubernatorem, nec vanis abducamur opinionibus. In principio, inquit. Quàm bonus ordo, vt illud primum assereret, quod negare consueuerunt, & cognoscerent principiũ esse mundi, ne sine principio mundum esse homines arbitrarentur. Vnde & Dauid cũ de cœlo & terra & mari loqueretur, ait: Omnia in sapientia fecisti. Dedit ergo principium mundo, dedit etiam creaturæ infirmitatem, * ne anarchon, ne increatum, & diuinæ consortem substantiæ crederemus. Et pulchrè addidit de celeritate cõditionis. Fecit, ne mora in faciendo fuisse existimaretur: vt vel sic intelligerent homines quàm incomprehensibilis operator esset, qui tantum opus breui exiguóque momento suæ operationis absolueret, vt voluntatis effectus sensum temporis præueniret. Nemo operãtem vidit, sed agnouit operatum. Vbi igitur mora, cum legas: Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt? Nec artis igitur vsum nec virtutis expẽdit, qui momento suæ voluntatis maiestatem tantæ operationis impleuit, vt ea quæ non erant, esse faceret, tam velociter, vt neque voluntas operationi præcurreret, neque operatio volũtati. Miraris opus, quęris operatorem. Quis principium tanti operis dederit, quis tam citò fecerit, subiecit statim dicens: Quia deus fecit cœlum & terram. Audisti authorẽ, dubitare non debes. Hic est in quo benedixit Melchisedech Abraham patrem multarum gentium, dicens: Benedictus Abraham deo summo, qui fecit cœlum & terram. Et credidit Abrahã deo, & ait: Extendam manum meam ad deum summum, qui fecit cœlum & terram. Vides quia hoc non homo inuenit, sed deus annunciauit. Deus est enim Melchisedech, qui est rex pacis & iustitiæ, nec initium dierum neque finem habens. Non mirum ergo si deus qui est sine initio, initium omnibus dedit, vt quæ non erant, esse inciperent. Non mirum si deus qui omnia virtute sua continet, & incomprehensibili maiestate vniuersa cõplectitur, fecit hæc quæ videntur: cum etiam illa fecerit quæ non vidẽtur. Inuisibilia autem iis quæ videntur potiora esse quis neget, cùm ea quæ videntur, temporalia sint, æterna autem quæ non videntur? Quis dubitet

quod deus hæc fecerit, qui per prophetam locutus ait: Quis
Esaiæ 40. mensus est manu aquam, & cœlum palmo, & vniuersam terram clausa manu? Quis statuit montes in libra, & rupes in
Rom.11. statera, & nemora in iugo? Quis cognouit sensum domini, aut quis eius consiliarius fuit, vel quis instruxit eum? De quo etiam alibi legimus: Quia tenet circuitum terræ, & terram
Hier.51. velut nihilum fecit. Et Hieremias ait: Dij qui non fecerunt cœlum & terram, peribunt à terra, & de sub cœlo isto. Dominus qui fecit terram in virtute sua, & correxit in sapientia sua orbem, & in sua prudentia extendit cœlum, & multitudinem aquæ in cœlo. Et addidit: Insatuatus est homo à scientia sua. Qui enim corruptibilia mundi sequitur, & ex his putat quod diuinæ possit naturæ comprehendere veritatem, quomodo non infatuatur versutæ disputationis astutia? Cùm ergo tot oracula audias quibus testificatur deus quòd fecerit mundum, noli eum sine principio esse credere, quia quasi sphæra mundus esse dicatur, vt principium eius nullum videatur extare: & cum intonat, quasi in circuitu omnia commoueantur: vt vnde incipiat, vbi desinat, non facilè comprehendas: quia circuitus principium sensu colligere impossibile habetur. Neque enim sphæræ potes initium reperire, vel vnde cœperit globus lunæ, vel vbi desinat menstrua lunæ defectio. Neque verò si ipse non comprehendas, idcirco non cœpit, aut nequaquam desinet. Si ipse circuitum vel atramento vel graphio ducas, vel centro exprimas, vnde cœperis, aut vbi desieris, interuallo interposito, non facilè vel oculis colligis, vel mente repetis: & tamen & cœpisse & desiuisse ipse tibi testis es. Nam etsi sensum subterfugit, veritatem non subruit. Quæ autem initium habent & finem habent: & quibus finis datur, initium datum constat. Finem autem mundi futurum ipse saluator docet in euangelio suo dicens: Præterit enim figura huius mun
1.Cor.7. di: Et cœlum & terra præteribunt: Et infra: Ecce ego vobis-
Lucæ 21. cum sum vsque ad consummationem mundi. Quomodo er
Matth.28. go coæternum deo mundum asserunt, & creatori omnium sociant, atque æqualem esse disputant creaturam, corpúsque materiale mundi inuisibili illi atque inaccessibili naturæ diuinæ coniungẽdum putant, cùm præsertim secundum suam sententiam non possint negare, quoniam cuius partes corruptioni & mutabilitati subiacent, huius necesse est vniuersitatem iisdem passionibus quibus propriæ portiones eius sunt obnoxiæ, subiacere?

De multiplici relatione & acceptione principij, & quibus modis intelligi possit in principio deum fecisse cœlum & terram. *Cap. IIII.*

Genes.1. PRincipium igitur esse docet qui dicit: In principio fecit deus cœlũ & terram.) Principium, aut ad tempus refertur, aut ad numerum, aut ad fundamẽtum, quomodo in ædificanda domo initiũ fundamẽtum est. Principium quoque peruersionis & deprauationis dici posse scripturarum, cognoscimus authoritate. Est & principium artis, ars ipsa ex qua artificũ diuersorum deinceps cœpit operatio. Est etiam principium bonorũ operum finis optimus, vt misericordiæ principium est placere deo quod facias. Etenim ad cõferendum hominibus subsidium maximè prouocamur. Est etiam virtus diuina quæ hac exprimitur appellatione. Ad tempus refertur si velis dicere in quo tempore deus fecit cœlum & terram, id est, in exordio mundi quando fieri cœpit, sicut ait
Prouer.8. sapientia: Cùm pararet cœlum, cum illo eram. Ad numerum autem si referas, ita cõuenit vt accipias: In primis fecit deus cœlum & terram: deinde colles, regiones, fines inhabitabiles. Vel sic: Ante reliquas visibiles creaturas, diem noctem, ligna fructifera, animantium genera diuersa, cœlum & terram fecit. Si verò ad fundamentum referas, principium ter-
Ibidem. ræ fundamenta esse legisti, dicente sapientia: Quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penes illum cuncta componẽs. Est etiam bonæ principium disciplinæ, sicut est illud:
Eccles.1. Initium sapientiæ est timor domini: quoniam qui timet dominum, declinat errorem, & ad virtutis semitam vias suas dirigit. Nisi enim quis timuerit deum, non potest renunciare
Exod.13. peccato. Quod æquè etiam de illo possumus accipere, Men

sis hic initium mensium erit vobis: quanuis & de tempore eiusdem accipiatur, quia de pascha domini loquebatur, quod veris initio celebratur. In hoc ergo principio mensium cœlum & terram fecit, quod inde mundi capi oportebat exordium vbi erat opportuna omnibus verna temperies. Vnde & annus mundi imaginem nascentis expressit, vt post hybernas glacies atque hyemales caligines serenior solito verni temporis splẽdor eluceat. Dedit ergo formam futuris annorum curriculis mundi primus exortus, vt ea lege annorum vices surgerent, atque initio cuiusque anni produceret terra nouna seminum germina, quo primum dominus deus dixerat: Germinet terra herbam fœni, seminans semen secundum
Genes.1. genus & secundum similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum. Et statim produxit terra herbam fœni, & lignum fructiferum, in quo nobis & moderationis perpetuæ diuina prouidentia, & celeritas terræ germinantis ad æstimationem vernæ suffragatur ætatis. Nam etsi quocunque tempore & deo iubere promptum fuit & terræ obedire naturæ, vt inter hybernas glacies & hyemales pruinas, cœ
B lestis imperij fotu germinans terra fœtum produceret, non erat tamen dispositionis æternæ, rigido stricta gelu in virides subitò fructus laxari arua, atque horrentibus pruinis florulenta misceri. Ergo vt ostenderet scriptura veris tem-
Exod.12. pora in constitutione mundi ait: Mensis hic vobis initium mensium: primus est vobis in mensibus anni. Primum mensem, vernum tempus appellans. Decebat enim principium anni, principium esse generationis, & ipsam generationem mollioribus auris foueri: Neque enim possent tenera rerum exordia aut asperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æstus iniuriam sustinere. Simul illud aduertere licet, quia iure concurrit vt eo tempore videatur in hanc generationem atque in hos vsus ingressus tributus, quo tempore ex hac generatione in regenerationem legitimus est
1.Cor.10. transitus. Si quidem verno tempore filij Israel Ægyptum reliquerunt, & per mare transierunt, baptizati in nube & in mari, vt Apostolus dixit: Et eo tempore domini quotan-
C situs à vitiis ad virtutem, à passionibus carnis ad gratiam sobrietatémque mentis, à malitiæ nequitiæque fermento ad
Exod.12. veritatem & synceritatem. Regeneratis itaque dicitur: Mensis hic vobis initium mensium: primus est vobis in mensibus anni. Derelinquit enim & deserit qui abluitur, intelligibilem illum Pharaonem principem istius mundi, dicens: Abrenuncio tibi diabole, & angelis tuis, & operibus tuis, & imperiis tuis. Nec iam seruiet ei vel terrenis huius corporis passionibus, vel deprauatæ mentis erroribus: qui demersa omni malitia vice plumbi, bonis operibus dextera læuáque munitus, inoffenso seculi huius freta studet transire vestigio. In libro quoque qui inscribitur de Numeris, ait
Num.14. scriptura: Initium nationum Amalech, & semen eius peribit. Et vtique non omnium nationum primus est Amalech, sed quia per interpretationem Amalech, rex accipitur iniquorum, iniquæ autem gentes sunt: vide ne principem mandi huius accipere debeamus qui imperat nationibus voluntatem suam facientibus, cuius semen peribit. Semen autem
Ioan.8. eius impij & infideles sunt, quibus ait dominus: Vos ex pa-
D tre diabolo estis. Est etiam initium mysticum, vt illud est:
Apoc.1. & 22. Ego sum primus & nouissimus, initium & finis. Et illud in
Ioan.8. euangelio præcipuè, quod interrogatus dominus quis esset, respondit: Initium, quod & loquor vobis. Qui verè & secundum diuinitatem est initium omnium, quia nemo ante ipsum: & finis, quia nemo vltra ipsum: & secundum euangelium, initium est viarum domini in opera eius: vt per ipsum disceret hominum genus vias domini sequi, & operari opera dei. In hoc ergo principio, id est, in Christo, fecit deus cœlum & terram: quia per ipsum omnia facta sunt: & sine ipso
Ioan.1. Coloss.1. factũ est nihil. Quod factũ est in ipso, vita erat: quia in ipso constant omnia. Et ipse est primogenitus omnis creaturæ, si ue quia ante omnẽ creaturam, siue quia sanctus, quia primogeniti sancti sunt, vt primogenitus Israel: non quia ante omnes, sed quia sanctior cæteris: sanctus autẽ dominus supra omnem creaturam, & secundũ corporis susceptionem, quia
Rom.8. solus sine peccato, solus sine vanitate. Omnis autem creatura

805

tura ſubiecta vanitati eſt. Poſſumus etiã intelligere, In principio fecit deus cœlum & terram, id eſt, ante tẽpus: ſicut initium vitæ, nondum via: & initium domus, nondum domus. Denique alij dixerunt ὀν κεφαλαίῳ, quaſi in capite, quo ſignificatur in breui & in exiguo momento ſumma operationis impleta. Sunt ergo & qui principium non pro tempore accipiant, ſed ante tempus, ὀν κεφαλαίῳ vel caput: vt dicamus Latinè quaſi ſummam operis, quia rerum viſibilium ſumma cœlum & terra eſt, quæ non ſolum ad mundi huius ſpectaculum ornatum, ſed etiam ad iudicium rerum inuiſibilium, & quoddam argumentum eorum quæ non videntur, vt eſt illud propheticum: Cœli enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Quod ſecutus Apoſtolus aliis verbis in eadem concluſit ſententia, dicens: Quia inuiſibilia eius per ea quæ facta ſunt intelliguntur. Authorem enim angelorum & dominationum & poteſtatum facilè intelligimus eum qui momento imperij ſui hanc tantam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit eſſe quæ non erat, & non de extantibus aut rebus aut cauſis donauit habere ſubſtantiam.

Quòd hic mundus diuinæ ſit ſpecimen operationis, ac diuinæ maieſtatis inſigne. Quódque filius imago ſit dei, & ſplendor paternæ gloriæ. Et quod per ipſum & in ipſum creata ſint omnia.

Caput V.

EST ergo hic mundus diuinæ ſpecimen operationis: quia dum opus videtur, præfertur operator. Nanque vt iſtarum artium aliæ ſunt actuoſæ, quæ ſunt in corporis motu, aut ſono vocis: ceſſauit motus aut ſonus, nihil ſuperfuit nec remanſit ſpectantibus vel audientibus: aliæ theoreticæ, quæ vigorem mentis exerceant: aliæ huiuſmodi vt ceſſante quoque operationis officio, operis munus appareat, vt ædificatio atque textura, quæ etiam tacente artifice peritiam eius oſtendant, vt operatori operis ſui teſtimonium ſuffragetur: Similiter etiam hic mundus diuinæ maieſtatis inſigne eſt, vt per ipſum dei ſapientia manifeſtetur. Quem videns Propheta, ſimul & ad inuiſibilia oculos mentis attollens, ait: Quam magnificata ſunt opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti. Nec ocioſè vtique factum legimus: quia gentiles plerique qui cœternum deo mũdum volunt eſſe, quaſi adumbrationem virtutis diuinæ aſſerunt etiam ſua ſponte ſubſiſtere: & quanuis cauſam eius deum eſſe fateantur, cauſam tamen factam volunt non ex voluntate & diſpoſitione ſua, ſed ita vt cauſa vmbræ corpus eſt. Adhæret enim vmbra corpori, & fulgor lumini, naturali magis ſocietate, quàm voluntate arbitra. Pulchrè ergo ait Moyſes quia fecit deus cœlum & terram. Non dixit quia ſubeſſe fecit. Non dixit quia cauſam mundo vt eſſet præbuit: ſed fecit quaſi bonus quod foret vtile, quaſi ſapiens quod optimum iudicabat, quaſi omni porens quod ampliſſimum præuidebat. Quomodo autem quaſi vmbra eſſe poterat, vbi corpus non erat, cùm incorporei dei corporea adumbratio eſſe non poſſit? Quomodo etiam incorporei luminis ſplendor poſſit eſſe corporeus? Sed ſi quæris ſplẽdorem dei, filius eſt imago dei inuiſibilis. Qualis ergo deus eſt, talis imago. Inuiſibilis deus, etiam imago in uiſibilis. Eſt enim ſplendor gloriæ paternæ, atque eius imago ſubſtantiæ. In principio, inquit, fecit deus cœlum & terram.) Et factus eſt ergo mundus: & cœpit eſſe, qui non erat. Verbum autem dei in principio erat, & erat ſemper. Sed etiam angeli, dominationes & poteſtates etſi aliquando cœperunt, erant tamen iam quando hic mundus eſt factus. Omnia nanque creata & condita ſunt, viſibilia & inuiſibilia, ſiue ſedes, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. Omnia, inquit, per ipſum facta ſunt, & in ipſo creata ſunt. Quid eſt, in ipſo creata? Quia ipſe eſt hæres patris eò quod à patre in ipſum tranſierit hæreditas, ſicut pater dicit: Poſce à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Quæ tamen hæreditas à patre tranſit in filium, & in patrem reuertitur à filio. Egregiè itaque Apoſtolus & hoc loco filium dixit authorem omnium, & maieſtate ſua continentem omnia. Et ad Romanos de patre ait: Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ex ipſo principium & origo ſubſtantiæ vniuerſorum, id eſt, ex voluntate eius & poteſtate.

Pſal.18.

Rom.1.

Pſal.103.

Sapien.7.

Pſalm.2.

Rom.11.

A Omnia enim ex eius voluntate cœperunt, quia vnus deus pater, ex quo omnia. Etenim tanquam ex ſuo fecit: quia vnde voluit fecit. Per ipſum continuatio, finis in ipſum. Ex ipſo ergo materia, per ipſum operatio quæ ligauit atque conſtrinxit vniuerſa. In ipſum quia & quandiu vult omnia eius virtute manent atque conſiſtunt, & finis eorum in dei voluntatem recurrit, & eius arbitrio reſoluuntur.

Quòd in principio temporis cœlum & terram deum feciſſe, ad præſentem ſufficiat aſſertionem, & cur author prolixiorem vitauerit collectionem. Quódque de qualitate & ſubſtantia cœli, terræ quoque vel qualitate vel poſitione, ſatis ſit ad ſcientiam quòd ſcripturarum diuinarum ſeries comprehendit, eò quod nihil proſit ad ſpem futuræ vitæ diſcutere, vel enumerare ea quæ in diſputationibus ſuis philoſophi ſe mutuò refellentes texuerunt.

Cap. VI.

B IN principio itaque temporis cœlum & terram deus fecit. Tempus enim ab hoc mundo, non ante mundum. Dies autem temporis portio eſt, non principium. Et quanquam lectionis ſerie poſſimus aſtruere, quod primo die diem fecerit dominus & noctẽ, quæ ſunt vices temporum, & ſecundo die firmamentum fecerit quo diſcreuit aquam quæ ſub cœlo eſt, & aquam quæ ſuper cœlum: tamen ſatis eſt ad præſentem aſſertionem, quod in principio cœlum fecerit, vnde prærogatiua generationis & cauſa: & terram fecerit, in qua eſſet generationis ſubſtantia. In his enim quatuor illa elementa creata ſunt, ex quibus generantur omnia iſta quæ mundi ſunt. Elementa autem quatuor, aer, ignis, aqua & terra, quę in omnibus ſibi mixta ſunt. Siquidem & in terra ignem reperies, qui ex lapidibus & ferro frequenter excutitur: & in cœlo, cum ſit ignitus & micãs fulgentibus ſtellis polus, aqua eſſe poſſit intelligi, quæ vel ſupra cœlum eſt, vel de illo ſuperiore loco in terram largo frequenter imbre demittitur. Quæ pluribus colligere poſſemus, ſi quid ad ædificationem eccleſiæ iſta proficere videremus. Sed quia his occupari infructuoſum negotium eſt, ad illa magis intendamus animum, in quibus vitæ ſit profectus

C æternæ. De qualitate igitur & ſubſtantia cœli ſatis eſt ea promere quæ in Eſaiæ ſcriptis reperimus, qui mediocribus & viſitatis ſermonibus qualitatem naturæ cœleſtis expreſſit, dicens quod firmauerit cœlum ſicut fumum, ſubtilem eius naturam nec ſolidam cupiens declarare. Ad ſpeciem quoque eius abundat, quod ipſe de cœli firmamẽto locutus eſt, quia fecit deus cœlum ſicut cameram, quod intra cœli ambitum vniuerſa claudãtur quę vel in mari geruntur, & terris. Quod ſimiliter ſignificatur cùm legitur: Quia cœlum dominus extendit. Extenditur enim vel quaſi pellis ad tabernacula habitationéſque ſanctorum, vel quaſi liber, vt plurimorũ ſcribantur nomina qui Chriſti gratiã fide & deuotione meruerunt, quibus dicitur: Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo. De terræ quoque vel qualitate vel poſitione tractare, nihil proſit ad ſpem futuri, cùm ſatis ſit ad ſcientiam, quod ſcripturarum diuinarum ſeries comprehendit, quia ſuſpendit terram in nihilo. Quid nobis diſcutere vtrum in aere pendeat, an ſuper aquam, vt inde naſcatur controuerſia quomodo aeris natura tenuis & mollior molem poſſit ſuſtẽtare ter

D renam? Aut quomodo, ſi ſuper aquas, non pondere mergatur in aquam grauis terrarum ruina? Aut quomodo ei maris vnda non cedat, & in latera eius ſeſe loco ſuo mota diffundat? Multi etiam in medio aeris terram eſſe dixerunt, & mole ſua immobilem manere, quod æquabili motu hinc atque inde ex omni parte propendeat. De quo ſatis putamus dictũ à domino ad Iob ſeruum ſuum, quando locutus per nubem ait: Vbi eras cum fundarem terram? Indica mihi ſi habes ſcientiam. Quis poſuit menſuram eius, ſi noſti? Aut quis eſt qui ſuperinduxit menſuras ſuper eam, aut ſuper quid circuli eius confixi ſunt? Et infra: Concluſi mare portis, & dixi: Vſque huc venies, & non tranſibis, ſed in te cõminuentur fluctus tui. Nónne euidenter oſtẽdit deus omnia maieſtate ſua conſiſtere in numero, pondere atque menſura? Neq; enim creatura legem tribuit, ſed accepit, & ſeruat acceptam. Non ergo quod in medio ſit terra, quaſi æqua lance ſuſpenditur, ſed quia maieſtas dei voluntatis ſuæ eam lege conſtringit, vt

Pſal.103.

Lucæ 10.

Iob 38.

Sap.11.

ſupra inſtabile atque inane ſtabilis perſeueret: ſicut Dauid
Pſal.92. quoque propheta teſtatur, dicens: Fundauit terram ſuper firmamentum eius, non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Non vtique hic quaſi tantummodo artifex deus, ſed quaſi omnipotens prædicatur, qui non centro quodam terram, ſed præcepti ſui ſuſpenderit firmamẽto, nec eam inclinari patiatur. Non ergo menſuram centri, ſed iudicij diuini accipere debemus, quia non artis menſura eſt, ſed poteſtatis. Menſura iuſtitiæ menſura cognitionis, quia omnia non tanquam immenſa prætereant eius ſcientiam, ſed cognitioni eius tan-
Pſal.74. quam dimenſa ſubiaceant. Neque enim cùm legimus: Ego confirmaui columnas eius: verè columnis eam ſubnixã poſſumus æſtimare, ſed ea virtute quæ ſuffulciat ſubſtãtiam terræ atque ſuſtineat. Denique quia in poteſtate dei ſit terræ
Pſal.103. conſtitutio, etiam hinc collige quod ſcriptum eſt: Qui aſpicit terram, & facit eam tremere. Et alibi: Adhuc ego ſemel concutio terram. Non ergo libramentis ſuis immobilis manet, ſed frequenter dei nutu & arbitrio commouetur, ſicut
Iob 26. & Iob dicit: Quia dominus commouet eam à fundamentis: columnæ autem eius exagitantur. Et alibi: Nuda inferna in conſpectu eius, & non eſt morti inuolucrum, extendens boream pro nihilo, ſuſpendens terram in nihilum, alligans aquam in nubibus ſuis. Columnæ cœli auolauerunt, & expauerunt ab increpatione eius, virtute mitigauit mare, diſciplina ſtrauit cetum, clauſtra autem cœli timent eum. Voluntate igitur dei immobilis manet & ſtat in ſeculum terra, ſecundum Eccleſiaſtæ ſententiam & voluntate dei mouetur, & nutat. Non ergo fundamentis ſuis nixa ſubſiſtit, nec fulcris ſuis ſtabilis perſeuerat, ſed dominus ſtatuit eam, & firmamento voluntatis ſuæ continet: quia in manu eius om-
Pſal.94. nes fines terræ. Et hæc fidei ſimplicitas argumentis omnibus antecellit. Laudent alij quod ideo nuſquam decidat terra, quia ſecundum naturam in medio regionem poſſideat ſuam, eò quòd neceſſe ſit eam manere in regione ſua, nec in partem declinari alteram: quando contra naturam non mouetur, ſed ſecundum naturam, prædicent artificis diuini & operatoris æterni excellentiam. Quis enim artificum non ab illo accepit? aut quis dedit mulieribus texturæ ſapiẽtiam, aut varietatis diſciplinam? Ego tamen qui profundum maieſtatis eius, & artis excellentiam non queo comprehendere, non diſputatoriis me libramentis committo, atque menſuris: ſed omnia repoſita in eius exiſtimo poteſtate, quod voluntas eius fundamentum ſit vniuerſorum, & propter eum adhuc mundus hic maneat. Quod apoſtolicæ quoque licet
Rom.8. aſtruere authoritatis exemplo. Scriptum eſt enim: Quia vanitati creatura ſubiecta eſt, non ſponte, ſed propter eum qui ſubiecit in ſpe. Liberabitur autem & ipſa creatura à ſeruitute corruptionis, cùm gratia diuinæ remunerationis affulſerit. De natura autem & qualitate ſubſtantiæ cœli quid enumerem ea quæ diſputationibus ſuis philoſophi texuerunt: cùm alij compoſitum cœlum ex quatuor elementis aſſerant, alij quintam quandam naturã noui corporis ad conſtitutionem eius inducant, atque affingant æthereum eſſe corpus, cui neque ignis admixtus ſit, neque aer, neque aqua, neque terra: quod huiuſmodi elementa ſuum quendam curſum habeant atque vſum & motum naturæ, vt grauiora demergant & in pronum ferantur, vacua & leuia in ſuperiora ſe ſubrigant. Eſt enim proprius cuique motus. In ſphæræ autem circuitu iſta confundi, & vim ſui curſus amittere, quoniam ſphæra in orbem ſuum voluitur, & ſuperiora inferioribus, ſuperioribus quoque inferiora mutantur. Quorum autem ſecundum naturam motus mutati ſunt, horum neceſſario ferunt mutari ſolere qualitates ſubſtantiarum ſuarum. Quid igitur defendimus æthereum corpus eſſe, ne videatur corruptioni obnoxiũ? Quod enim cõpoſitum ex corruptibilibus elementis eſt, neceſſe eſt vt reſoluatur. Nam hoc ipſo quod diuerſæ eadem ſint elementa naturæ ſimplicem & inuolubilem motum habere non poſſunt, cum ſe diuerſus elementorum motus impugnet. Vnus enim motus omnibus aptus eſſe nõ poteſt, & elementis diſtantibus conuenire. Nam qui leuibus accommodus eſt, fit incommodus grauioribus elementis. Itaque quando ad ſuperiora motus cœli eſt neceſſarius, terrenis grauatur: quando ad inferiora decurſus expetitur, igneus vigor ille violenter attrahitur. Etenim contra naturæ ſuæ vſum deorſum cogitur. Omne autem quod in contrarium cogitur, non naturæ ſeruiens ſed neceſſitati, citò ſoluitur, & in ea ſcinditur ex quibus videtur eſſe cõpoſitum, in ſuam quaque regionem ſingulis recurrentibus. Hæc igitur alij conſiderantes ſtabilia eſſe non poſſe, æthereum corpus cœli ſtelarúmq; eſſe arbitrati ſunt, quintam quandam naturam corporis introducentes, quo diuturnam cœli putarent menſuram eſſe ſubſtantiam. Sed non iſta opinio propheticæ potuit obuiare ſententiæ, quam diuina quoque domini Ieſu Chriſti maieſtas dei noſtri in euãgelio comprobauit. Dixit enim Dauid: Principio terram tu fundaſti domine, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, Pſal.101.
& omnia ſicut veſtimentum veteraſcent, & tanquam amictum mutabis ea, & mutabuntur: tu verò ipſe es, & anni tui non deficient. Quod adeo probauit in euangelio dominus, Matt.24.
vt diceret: Cœlum & terra præteribunt, mea autem verba non præteribunt. Nihil igitur agunt qui propter cœli afferendam perpetuitatem, quintum corpus æthereum introducendum putarunt: cum æquè videant diſſimilem cæteris adiunctam membri vnius portionem labem corpori magis afferre conſueuiſſe. Simul illud aduerte, quia propheta Dauid cũ terram priori loco nominauit, & poſtea cœlum, credidit opus eſſe domini declarandum. Quando enim dixit, Et facta ſunt: nihil intereſt quid prius exprimas, cùm ſimul vtrunque ſit factum: ſimul ne hæc ſaltem prærogatiua cœlo diuinæ vi deatur adiudicata ſubſtantiæ, vt primogenitæ creaturæ priui legio potior æſtimetur. Itaque illos ſuis relinquamus contentionibus, qui mutuis diſputationibus ſe refellunt. Nobis autem ſatis eſt ad ſalutem, non diſputationum controuerſia, ſed præceptorum veritas: nec argumentationis aſtutia, ſed fides mentis, vt ſeruiamus creatori potius quàm creaturæ, qui Rom.1.
eſt deus benedictus in ſecula.

Quomodo quáue ratione terra facta in principio fuerit inuiſibilis: Et cur deus cùm res fecit, non ſimul ornatus illis congruos dederit. *Cap. VII.*

TErra autem erat inuiſibilis, & incompoſita.) Bonus artifex prius fundamẽtum ponit: poſtea fundamẽto poſito, ædificationis membra diſtinguit, adiungit ornatum. Poſito igitur fundamento terræ, & confirmata cœli ſubſtãtia, duo enim iſta ſunt velut cardines rerũ, ſubtexuit: Terra autem erat inuiſibilis, & incompoſita.) Quid eſt Erat, niſi ne fortè in infinitum & ſine principio extendant opinionem ſuam, & dicant: Ecce quia materia, id eſt hyle, ſicut philoſophi dicunt, etiam ſecundum ſcripturam diuinam non habuit initium? Verum hoc dicẽtibus reſpondebis quia ſcriptum eſt: Erat autem Cain operarius terræ. Et de eo qui Iubal dictus eſt, habet ſcriptura: Hic erat pater qui demonſtrauit pſalterium & citharam. Et homo erat in Auſitide regione, cui nomen Iob. Deſinant ergo de verbo quæſtionem mouere, cùm præmiſerit Moyſes quia fecit deus terram. Erat ergo ex quo facta eſt. Nam ſi ſine principio eam dicunt eſſe, iam non ſolum deum, ſed etiam hylen ſine principio dicentes, definiant vbinam erat? Si in loco, ergo etiam locus ſine principio fuiſſe aſtruitur, in quo erat materia rerum quæ principium non habebat. Quod ſi abſurdum videtur de loco credere, videte ne fortè volatilem terram debeamus æſtimare, quæ non habẽs fundamentum, alarum remigiis ſuſpendebatur. Vnde ergo ei alas ſumimus, niſi fortè huc deriuemus prophetici ſermonis interpretationem: A pennis terræ prodigia audiuimus. Et illud: Væ terræ nauium pennæ? Sed hoc ſi accipiamus, in quo aere volabat terra? Sine aere enim volare non poterat. Sed aer ad huc eſſe non poterat, quia non erat. Eſſe non poterat, quia non erat ſine rerum materia elementorum facta diſtinctio, cum ipſa adhuc elementa facta non eſſent. Vbi ergo erat materia iſta alarum ſuffulta remigiis? In aere non erat, quia aer corpus eſt mundi. Corpus autẽ eſſe aerem docet lectio, quia emiſſa ſagitta in locum quem iaculator intendit, inciſus aer ſtatim in ſeipſum reſolutus eſt. Vbi ergo erat hyle, niſi fortè dicatur quadam dementi intentione, quia in deo erat? Ergo deus qui eſt inuiſibilis naturæ atque inuiolabilis, qui lucem habi-
Genes.1.
Ibidem.
Iob 1.

809 habitat inaccessibilem, incomprehensibilis & purissimus spi
ritus, locus erat materiæ mundialis, & erat in deo mundi por
tio, cùm de hoc mundo non sit nec mens seruulorum eius,
sicut habemus scriptum: De hoc mundo non sunt, sicut &
Ioan.17. ego non sum de mundo? Quemadmodum ergo visibilia in-
uisibilibus, & ei qui ordinem ac decorē donauit omnibus,
incomposita copulabátur, nisi fortè quia dixit: Terra autem
erat inuisibilis:) & inuisibilem eam per substantiam credát:
& ideo quia aquis operta, visibilis corporeis oculis esse non
poterat, quemadmodum pleraque in profundo aquarum si-
ra visum oculorum aciémque prætereunt. Non enim deo a-
liquid est inuisibile, sed creatura mundi creaturæ vtique æsti
matione censetur. Inuisibilis etiam terra, quia nondum lux
quæ illuminaret mundū, nondum sol: postea enim lumina-
ria facta sunt cœli. Quod si solis radius plerunque etiam a-
quis operta illuminat, & profundo mersa splendore luminis
sui prodit, quis dubitet deo ea quæ in profundo sunt, inuisi-
bilia esse nó posse: nisi fortè sic accipiamus inuisibilē terrā, B
quod nondum verbo dei & protectione visitabatur, quæ ho
minem non habebat propter quem dominus respiceret in
Psal.13. terram, sicut scriptum est: Dominus respexit super filios ho-
Psal.79. minum, si est intelligens, aut requirēs deum? Et alibi ait: De
cœlo iaculatus est iudicium: terra tremuit, & quieuit. Et me-
ritò inuisibilis, quia incomposita, quæ figuram & speciem
congruentem adhuc non acceperat à proprio conditore. Et
fortasse dicant: Cur enim deus, sicut dixit, & facta sunt: non
simul ornatus congruos rebus assurgētibus donauit elemen
tis, quasi non potuerit cœlum insignitum stellis subitò vt
creatum est refulgere, & floribus ac fructibus terra vestiri?
Potuit vtique, sed ideo primo facta, postea composita decla-
rantur, ne verè increata, & sine principio crederentur, si spe
cies rerum velut ingeneratæ ab initio, non postea additæ vi-
derentur. Incomposita terra legitur, & iisdem à philosophis
æternitatis quibus deus priuilegiis honoratur. Quid dice-
rent si ab initio eius pulchritudo vernasset? Demersa aquis
describitur, velut cuidam principiorū suorum addicta nau- C
fragio, & adhuc à nonnullis facta non creditur. Quid si de-
corem primogenitum vindicaret? Accedit illud quod imi-
tatores nos sui deus esse voluit, vt primo faciamus aliqua,
postea venustemus: ne dum simul vtrunque adorimur, neu-
trum possimus implere. Fides autem nostra quodam gradu
crescit. Ideo primum fecit deus, postea venustauit, vt eun-
dem credamus ornasse qui fecit, & fecisse qui ornauerit: ne
alterum putemus ornasse, alterum creauisse, sed eundem v-
trunque esse operatum, vt primo faceret, postea componeret, ne alterum deesse alteri crederetur. Habes in euangelio
Ioan.11. huius rei euidens testimonium. Nam suscitaturus Lazarum
dominus, iussit vt Iudæi remouerent lapidem de sepulchro,
vt mortuum videntes, postea resuscitatum crederent. Dein-
de vocauit Lazarum, & resurrexit, & ligatis manibus & pe-
dibus exiit foras. Nonne poterat remouere lapidem, qui po-
terat mortuum suscitare? Et qui potuit defuncto vitam red-
dere, non potuit nexus soluere vinculorum? Cui vinctis pe-
dibus gressum dedit, huic non potuit ruptis vinculis inces-
sum reddere? Sed vtique aduertimus quod voluit primo de- D
monstrare mortuum, vt oculis suis crederent: deinde resus-
citare, tertio iubere vt ipsi vincula funeris soluerent, vt inter
ista fides infunderetur infidelibus, & per gradus quosdam
credulitas nasceretur.

Quomodo & quam ob causam terra fuerit incomposita, & quòd per tenebras quæ erant super faciem abyssi, non intelligatur ma lę potestates, quòd earum malitiam deus creauerit. Quod etiam spiritus qui ferebatur super aquas, non pro alio quàm spiritu sancto accipiatur, cum aperta demonstratione quod malitia ex nobis orta sit, & non à deo creatore condita. Cap. VIII.

FEcit ergo primum deus cœlum & terram, & ea ta
men non quasi perpetua, sed quasi corruptibilis
Esaiæ 51. creaturæ consummationi voluit subiacere. Vnde
in Esaiæ libro ait: Tollite in cœlum oculos ve-
stros, & aspicite terram deorsum, quia cœlum vt fumus soli-
datum est, terra autem vt vestimentum veterascet. Hæc ter-

ra est quæ ante erat incomposita. Nondum enim erant ma-
ria suo fine distincta, & ideo vago fluctu, & profundo gur-
gite terra inundabatur. Considera quia etiam nunc palustri
vligine terra inhorrere consueuit, nec patiens est vomeris
vbi infusus terris humor exundat. Erat ergo incomposita,
vtpote solertis agricolæ inarata culturis, quia adhuc deerat
cultor. Erat incomposita, quia nuda gignentium, nec tho-
ris herbosa riparum, nec opaca nemoribus, nec læta segeti-
bus, nec vmbrosa superciliis montium, nec odora floribus,
nec grata vinetis. Meritò incomposita, quæ ornatibus indi-
gebat, cui deerant vitium serta gemmantium. Ostendere e-
nim voluit deus quia nec mundus ipse haberet gratiam, nisi
eum vario cultu operator ornasset. Cœlum ipsum intextum
nubibus, horrorem oculis, mœstitiam animis excitare con-
sueuit. Terra imbribus madefacta, fastidio est, maria procel-
lis turbata, quos non incutiunt metus? Pulcherrima est re-
rum species, sed quid esset sine lumine? quid sine temperie?
quid sine aquarum congregatione, quibus ante dimersa po-
li huius habebantur exordia? Tolle Solem terris, tolle cœlis
stellarum globos, omnia tenebris inhorrescunt. Sic erant an
tequam lumen huic mundo dominus infunderet. Et ideo
scriptura ait: Quia tenebræ erant super abyssum.) Tenebræ Genes.1.
erant, quia splendor deerat lucis. Tenebræ erant, quia aer ip-
se tenebrosus est. Aqua ipsa sub nube tenebrosa est, quia te-
nebrosa aqua in nubibus aeris. Erant ergo tenebræ super
abyssos aquarum. Non enim malas intelligendum arbitror Psalm.17.
potestates, quod dominus earum malitiam creauerit, cùm
vtique non substantialis, sed accidens sit malitia, quæ à na-
turæ bonitate deflexit. Itaque in constitutione mundi opi-
nio malitiæ interim sequestretur, ne diuinæ operationi, &
pulcherrimæ creaturæ, ea quæ indecora sunt, admiscere vi-
deamur, maximè cum sequatur: Et spiritus dei superfereba- Genes.1.
tur super aquas.) Quem etsi aliqui pro aere accipiant, aliqui
pro spiritu, quem spiramus & carpimus auræ huius vitalis
spiritum, nos tamen cum sanctorum & fidelium sententia
congruentes, spiritum sanctum accipimus, vt in constitutio-
ne mundi operatio trinitatis eluceat. Præmisso enim quia in
principio fecit deus cœlum & terram, id est, in Christo fecit
deus, vel filius dei deus fecit, vel per filium deus fecit: quia Ioan.1.
omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: su-
pererat plenitudo operationis in spiritu, sicut scriptum est?
Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis Psal.32.
virtus eorum. Itaque quemadmodum in psalmo docemur
operationem verbi, quod est verbum dei, & virtutem quam
dedit spiritus sanctus: ita hic propheticum resultauit oracu-
lum, quia deus dixit, & deus fecit, spiritus quoque dei super-
ferebatur super aquas. Ornando enim polo cœli, germina-
turis terris pulchrè spiritus superferebatur, quia per ipsum
habebant nouorum partuum semina germinare, secundum
quod dixit Propheta: Emitte spiritum tuum, & creabun- Psal.103.
tur, & renouabis faciem terræ. Denique Syrus, qui vicinus
Hebræo est, & sermone consonat in plerisque & congruit,
sic habet: Et spiritus dei fouebat aquas.) Id est viuificabat, vt
in nouas cogeret creaturas, & fotu suo animaret ad vitam.
Nam etiam spiritum sanctum legimus creatorem, dicente
Iob: Spiritus diuinus qui fecit me. Siue ergo spiritus sanctus
superferebatur super aquas, tenebræ cōtrariarum virtutum
super eas esse non poterant, vbi locum sibi tanta gratia vin-
dicabat. Siue, vt quidem volunt, aerem accipiant, respon-
deant qua ratione spiritum dei dixerit, cum satis fuerit spiri-
tum nuncupare. Hi ergo volunt à domino deo nostro qua-
tuor primum elementa generata, cœlum, terram, mare, ae-
rem, eo quòd causæ rerum, ignis & aer, terra & aqua sint,
ex quibus mundi species constat & forma. Vbi igitur te-
nebræ nequitiarum spiritualium locum habere potuerunt,
cùm augustæ huius decorem figuræ mundus induerit? Nun-
quid simul malitiam deus creauit? Sed ea ex nobis orta, non
à creatore deo condita, morum leuitate generatur, non vl-
lam creaturæ habens prærogatiuam, nec authoritatem sub-
stantiæ naturalis, sed mutabilitatis vitium, & errorem pro-
lapsionis. Eradicari hanc deus vult de animis singulorum.
Quomodo eam ipse generaret, cùm clamet propheta: Desi- Psal.36.
nite à malitiis vestris. Et præcipuè sanctus Dauid: Desine, in-

quit,à malo,& fac bonum?Quomodo ergo ei initium à domino damus? Sed hæc opinio feralis eorum qui perturbandam ecclesiam putauerunt.Hinc Marciones, hinc Valentini, hinc pestes illæ Manichæorum funesta sanctorum mentibus tentauerunt inferre contagia.Quid nobis ipsi in lumine vitæ tenebras mortis inquirimus? Scriptura diuina salutem suggerit,vitæ odorem fragrat, vt suauitatem legens capias, non præcipitij discrimen incurras. Simpliciter lege ô homo,non tibi ipse foueam prauus interpres effodias, simplex sermo est.Quia fecit deus cœlum & terrã. Fecit quod non erat,non quod erat.Et terra erat inuisibilis, ex quo facta est,erat:& erat inuisibilis,quia exundabat aqua, & operiebat eam.Et erant super eam tenebræ superfusa,quia nondum erat lumen diei,nondum solis radius, qui solet & sub aquis latentia declarare. Quid ergo dicunt quod deus creauerit malum, cùm ex contrariis & aduersis nequaquam sibi aduersa generentur?Nec enim vita mortem generat,nec lux tenebras. Non enim sicut mutabilitates affectuũ, ita etiam generationum progressiones sunt. Illæ ex contrariis in contraria propositi deflexione vertuntur: istæ non ex contrariis in aduersa deflectuntur,sed ex eiusdem generis vel authoribus vel causis creatæ, in similitudinem sui referuntur authoris. Quid igitur dicemus? Si enim neque sine principio est quasi increata,neque à deo facta,vnde habet natura malitiam? Nam mala esse in hoc mundo nullus sapiens denegauit,cum sit tam frequens in hoc seculo lapsus ad mortem. Sed ex iis quæ iam diximus,possumus colligere quia non est viua substantia,sed mentis atque animi deprauatio,à tramite virtutis deuia, quæ incuriosorum animis quàm frequenter obrepit.Non igitur ab extraneis est nobis quàm à nobis ipsis maius periculum.Intus est aduersarius,intus author erroris, intus inquam clausus in nobismetipsis. Propositum tuum speculare, habitum tuæ mentis explora,excubias obtende aduersum mentis tuæ cogitationes,& animi cupiditates.Tuipse tibi es causa improbitatis, tuipse dux flagitiorum tuorum,atque incentor criminum. Quid alienam naturam accersis ad excusationem tuorum lapsuum? Vtinam te ipse non impelleres,vtinam non præcipitares,vtinam non inuelueres aut studiis immoderatioribus, aut indignatione, aut cupiditatibus,quæ nos innexos velut quibusdam retibus tenent.Et certè in nobis est moderari studia,cohibere iracundiam,coercere cupiditates, in nobis est etiam indulgere luxuriæ:adolere libidines inflammare iracundiam,vel inflammanti aurem accommodare,eleuari magis superbia,effundi in sæuitiam,quam reprimi humilitate,diligere mansuetudinem.Quid naturam accusas ô homo?Habet illa velut impedimenta quædam senectutem & infirmitatem.Sed senectus ipsa in bonis moribus dulcior,in cõsiliis vtilior,ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior. Infirmitas quoque corporis, sobrietas mentis
2.Cor.12. est.Vnde ait Apostolus:Cùm infirmor,tunc potens sum. Itaque non in virtutibus, sed in infirmitatibus gloriabatur. Responsum quoque diuinum refulsit oraculo salutari:quia virtus in infirmitate consummatur.Illa cauenda quæ ex nostra voluntate prodeunt delicta iuuentutis,& irrationabiles passiones corporis.Quorum igitur nos sumus domini, horum principia extrinsecus non requiramus, nec deriuemus in alios,sed agnoscamus ea quæ propriè nostra sunt. Quod enim possumus non facere si nolumus, huius electionem mali nobis potius debemus quàm aliis adscribere. Ideo etiã in iudiciis istis voluntarios reos,non ex necessitate compulsos,culpa stringit, pœna condemnat. Neque enim si per furorem aliquis innocentem peremerit obnoxius morti est: quinetiam ipsius diuinæ legis oraculo,si quis per impruden tiam intulerit necem,accipit impunitatis spem,refugij facultatem,vt possit euadere. Hoc igitur de eo quod propriè malum videtur,dictum sit.Mala enim non sunt nisi quæ crimine mentem implicant,& conscientiam ligant.Cæterùm pauperiem,ignobilitatem,ægritudinem,mortem,nemo sapiens mala dixerit, nec in malorum sorte numerauerit: quia nec contraria istis in bonis habentur maximis,quorum alia nobis ex natura, alia ex commoditate accidere videntur. Non ociosè nobis excursus iste processit,vt probaremus tenebras

A & abyssum simpliciter accipienda. Erant enim tenebræ de obumbratione cœli: quia omne corpus vmbram facit, qua obumbrat vel finitima vel inferiora,& ea maximè quæ operire atque includere videtur.Includit autem cœli polus:quia cœlum sicut camera extenditur, quemadmodum supra demonstrauimus.Non ergo principalis erat tenebrosa substantia:sed quasi vmbra secuta est mundi corpus caligo tenebrarum. Itaque momento diuinæ præceptionis mundus assurgens,intra se inclusit vmbrã:vt si quis in campi medio quem sol meridianus illuminet,locum aliquem repente obsepiat, & densis ramorum frondibus tegat:nónne quo splendidior foris species loci eius effulgeat, hoc horrenti desuper scena gurgustium eius intus obscurius fit?Aut vnde antrum,clausum vndique huiusmodi locum vocarunt:nisi quòd atro.inhorrescat situ,atque offusione tenebrarum? Istæ ergo tenebræ super aquarum abyssos erant.Nam abyssum multitudinem & profundum aquarum dici,lectio euangelij docet, vbi rogabant saluatorem dæmonia ne iuberet illis vt in abyssum irent.Sed qui docebat voluntates dæmoniorũ non esse
B faciendas,præcepit illis vt irent in porcos.Porci autem se in stagnum aquarum præcipitarunt,vt quod recusabant dæmonia non euaderent,sed digno præcipitio demergerentur.Erat ergo hæc mundi incomposita species & forma. Lucæ 8.

De creatione lucis, per quam ornata sunt prius condita,& de distinctione inter lucem & tenebras, atque ita inter diem & nõctem.

Cap. IX.

ET spiritus, inquit, dei superferebatur super aquas,& dixit deus:Fiat lux.)Meritò præmissus est spiritus dei,vbi diuina incipere habebat operatio.Fiat, inquit, lux. Vnde vox dei Genesi.
in scriptura diuina debuit inchoare,nisi à lumine?Vnde mundi ornatus,nisi à luce exordium sumere?Frustra enim esset si non videretur. Erat quidem deus ipse in lumine, quia lucẽ habitat inaccessibilem.
Et erat lumen vérum,quod illuminat omnem hominem ve- 1.Tim.6.
C nientem in hunc mundum:sed etiam lucem fieri voluit,quę Ioan.1.
oculis corporalibus comprehenderetur. Qui ædificium aliquod dignũ habitaculo patrisfamilias struere desiderat,antequam fundamenta ponat, vnde lucem ei infundat explorat:& ea prima est gratia: quæ si desit, tota domus deformior est:sed in cultu lux est, quæ reliquos domus commendat ornatus.Fiat,inquit,lux.) Plena vox luminis non dispositio- Genesi.
nis apparatum significat,sed operationis resplendet effectu. Naturæ opifex lucem locutus est,& creauit. Sermo dei voluntas est,opus dei natura est:lucem creauit,tenebras illuminauit.Et dixit deus:Fiat lux,& facta est lux.)Non ideo dixit, vt sequeretur operatio, sed dicto absoluit negocium. Vnde Psal.32.
pulchrè Dauidicũ illud.Dixit & facta sunt: quia dictum impleuit effectus.Author ergo lucis deus:locus autem & causa tenebrarum mundus est. Sed bonus author ita lucem dilexit,vt mundum ipsum infuso aperiret lumine,atq; eius speciem venustaret.Resplenduit igitur subitò aer,& expauerũt
D tenebræ noui luminis claritatem. Repressit eas, & quasi in abyssos demersit,repẽte per vniuersa mundi fulgor lucis infusus.Pulchrè itaque & propriè dixit:Facta est lux.) Sicut enim citò lux cœlum,terras,maria illuminat,& momẽto temporis sine vlla comprehensione retectis surgentis diei splendore regionibus,nostro se circunfundit aspectui,ita ortus eius citò debuit explicari. Quid miramur si deus locutus est lucem,& caliganti mundo lumen emicuit; quãdo si quis inter aquas mersus,oleum ore emiserit, clariora faciat ea quæ profundi tegebantur occultis? Dixit deus, non vt per vocis organa quidam sonus sermonis exiret, nec vt linguæ motus cœleste formaret alloquium,atq; aerem istum quidam verborum strepitus verberaret, sed vt voluntatis suæ cognitionem * proderet operationis effectu.Et discreuit inter lucem * Alias ex gitationi.
& tenebras.Et vidit deus lucem quia bona est.)Dixit,& so- Genesi.
num vocis nullus audiuit: discreuit,& operationis molimina nemo deprehendit:vidit,& oculorum eius intentionem nullus aspexit.Et vidit,inquit,deus lucẽ, quia bona est. Nec quod ignorabat vidit,nec id quod nesciebat ante aut non viderat,comprobauit: sed bonorum operum proprium est,vt ex-

815

externo commendatore non egeant, sed gratiam suam cùm videtur ipsa testetur. Plus est quod probatur aspectu quàm quòd sermone laudatur. Suo enim vtitur testimonio, nõ alieno suffragio. Quod si apud nos oculis iudiciũ emittitur, quibus simul & gratia venustatis, & rerum mensura comprehenditur: quanto magis deus omnia quę probat videt, & quæ videt probat, secundũ quod scriptũ est: Quia oculi domini super iustos? Lucis natura huiusmodi est, vt non in numero, non in mensura, non in pondere, vt alia, sed omnis eius in aspectu gratia sit. Propriis itaque sermonibus naturam lucis expressit, quæ videndo complacet, quoniam ipsa videndi officium subministrat. Nec immeritò tantum sibi prædicatorem potuit inuenire, à quo iure prima laudatur, quoniam ipsa fecit vt etiam cætera mundi mẽbra digna sint laudibus. Vidit ergo deus lucem, & vultu suo illummauit, & vidit quia bona est. Non ex parte dei sed ex generali iudicium est. Itaque non in splendore tantummodo, sed in omni vtilitate gratia lucis probatur. Vnde & discretio fit inter lucem & tenebras, vt separata lucis natura atque tenebrarũ, nihil videatur intra se habere confusum. Et vocauit deus diem lucem, & tenebras noctem vocauit: vt & non nomine ipso diem noctémque distingueret. Aduertimus itaque quod lucis ortus antequam solis, diẽ videatur aperire, (principia enim diei, noctis exitum claudunt) finísque temporis, & statutus limes nocti & dei videatur esse præscriptus. Diẽ sol clarificat, lux facit. Frequenter cœlũ nubibus texitur, vt sol tegatur, ne vllus radius eius appareat: lux tamen diem demonstrat, & tenebras abscondit.

Psal. 33.

Gene. 1.

Quòd non dici nox, sed dies nocti secundum scripturam anteferatur, & de vnitate diei in quo cœlum & terra cæteráque sunt condita & creata. *Caput X.*

Ibidem.

IT factum est vespere, & est mane dies vnus.) Quærunt aliqui, cùm prius vesperum, postea mane scriptura memorauerit, ne fortè noctẽ prius quàm diem significare videatur, Nec aduertunt primo quod præmiserit diẽ dicendo: Et vocauit deus diẽ lucẽ, & tenebras vocauit noctẽ. Deinde quod vesper finis diei sit, & mane finis noctis. Ergo vt prærogatiuã & primatus natiuitatis diei daret, prius finẽ diei significauit, post quã secutura nox esset, deinde postea finẽ noctis adiunxit. Eousque autẽ noctẽ diei scriptura anteferre non potuit, vt & diei & noctis tempora, diei appellatione cõcluserit, & tanquã principalis authoritatẽ nominis vindicauerit, & hanc scripturæ esse consuetudinem, vt potiori appellationem deputet, frequentibus exemplis probamus. Siquidem & Iacob dixit: Dies vitæ meæ pusilli & mali. Et iterum: Omnes dies vitæ meæ. Et Dauid posuit: Dies annorum meorum: non & noctes. Vnde aduertimus ea quæ nunc in specie historiæ traduntur, vim statuisse legis in posterum. Principium ergo diei, vox dei est: Fiat lux, & facta est lux. Finis diei vesper est. Iam sequens dies ex noctis fine succedit. Sententia autem dei euidens, quia diem primo vocauit lucem, & secundo vocauit tenebras noctem. Præclarè etiam vnum, non primum diem dixit: nam secuturo secũdo & tertio die, & deinceps reliquis, primũ potuit dicere: & hoc ordinis vidébatur: sed legem statuit vt vigintiquatuor horę diurnæ atquæ nocturnæ, diei tãtum nomine definiantur, vt si diceret, vigintiquatuor horarum mensura, vnius diei tempus est. Sicut enim virorum generatio computatur, & intelligitur etiam fœminarum, quia nectuntur secunda potioribus: ita etiam dies numerãtur, & noctes æstimantur adiunctæ. Sicut igitur circuitus vnus, ita dies vnus. Nam plerique etiam hebdomadam vnam, vnum diem dicunt: quod in seipso quasi in vnũ redeat diem, & quasi septies in se recurrat. Est autem & circuitus figurarum à se incipere, & in se reuerti. Vnde & seculum vnum interdum scriptura dicit. Nam etsi aliis locis secula appellat, videtur magis diuersitates statuũ publicorum vel negotiorum significare, quàm seculorum successiones aliquas definire, Quia dies domini magnus & præclarus. Et alibi: Vt quid vobis quærere diem domini? Et hic tenebræ, & non lux, Manifestum est enim quod malè conscíis & indignis dies ille tenebrosus fit, quo fulgebit innocentia, & mens noxia cruciabitur. Ceterùm quod sine interpolatione noctium, & successione tenebrarũ dies perpetuus ille remunerationis æternæ futurus sit, scriptura nos docet. Pulchrè autem vicem vtrãque, vnum dicturus diem, matutino eum fine concluſit, vt & à luce inchoare diẽ doceret, & in lucem desinere. Non enim est integrum diei tẽpus & noctis, nisi fuerit expletum. Vnde & nos semper qua si in die honestè ambulemus, & abiiciamus opera tenebrarum. Noctem enim ad quietem corporis datam esse cognoscimus, non ad muneris alicuius & operis fũctionem, quæ somno & obliuione transcurritur. Non sit in nobis comessatio, ebrietas, cubile, impudicitia. Non dicamus, Tenebræ & parietes operiũt nos, & quis scit si videbit altissimus? Sed sit in nobis amor lucis, & cura honestatis, vt tãquam in die ambulantes, opera nostra coram deo lucere cupiamus. Cui est honor, laus, gloria, potestas, cum domino nostro Iesu Christo, cum spiritu sancto, à seculis & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

Roma. 13.

Eccles. 23.

CAPITA SECVNDI LIBRI HEXAEMERON.

De transitu authoris per recapitulationem factorum die primo, ad opera secundi diei, cum deprecatione auditorum, & instructione qualiter dicenda debeant pensare. Caput I.

De creatione firmamenti, & discretione inter aquam & aquam: Et vtrum vnum tantum sit cœlum, an plures, ac de confutatione philosophorum asserentium orbes stellarum motu suo dulcem quendam & plenum suauitatis sonum reddere. Caput II.

De firmamento vtrum sit hoc quod in superioribus cœlum appellatum est, an aliud: Et quomodo aqua vera super cœlos esse possit, cum reprobatione opinionis eorum qui hoc destruere conantur. Caput III.

Quæ sit inter cœlos & firmamentum differentia, & firmamentum vnde nuncupatum sit. Quæ etiam aliorum sit sententia de prædictorum distinctione. Caput IIII.

De laude ac probatione operis secundi diei, eiusdémque clausione. Caput V.

Diui Ambrosij

EPISCOPI MEDIOLANENSIS

Hexaemeron liber secundus de die secundo.

De transitu authoris per recapitulationem factorum die primo, ad opera secundi diei, cum deprecatione auditorum, & instructione qualiter dicenda debeant pensare. *Caput I.*

DIEM primum vel potius vnum (maneat enim & prophetici prærogatiua sermonis) vt potuimus absoluimus: inquo conditum cœlum, terram creatam, aquarum exundantiã, circumfusum aerem, discretionem factam lucis atque tenebrarum, dei omnipotentis, & domini Iesu Christi, spiritus quoque sancti operatione cognouimus. Quis ergo nõ miretur dissimilibus mẽbris disparem mundũ in corpus vnum assurgere, & insolubili concordiæ charitatísque lege in societatem & connexionem sui tam distantia conuenire, vt quæ discreta natura sunt, in vnitatis & pacis vinculũ velut indiuidua compactione nectantur? Aut quis hæc videns possibilitatem rationis infirmo ingenio rimetur? Quæ omnia vis diuina incomprehensibilis humanis mẽtibus, & ineffabilis sermonibus nostris, voluntatis suæ authoritate cõnexuit. Fecit igitur deus cœlum & terram, & ea quasi author esse præcepit, non tanquam figuræ inuentor, sed tanquam operator naturæ. Nam quomodo sibi conueniunt operatoriã impassibilis dei virtus, & passibilis materiæ natura, tanquã altera ab altera quo indiguerint, mutuãtes? Nam si increata materia, videtur ergo deo creandæ potestas materiæ dę

riæ defuisse,& ab ea operationi subiacẽtia mutuatus. Si verò incompositā,mirum admodum coæternā deo materiem decorem sibi non potuisse conferre, quæ substantiam non à creatore acceperit, sed sine tempore ipsa possederit. Plus ergo inuenit operator omnium, quàm contulit.Inuenit materiem, in qua possit operari: contulit autem figuram, quæ decorem inuentis rebus afferret.Vnde excipiendus à cæteris tanquam dies vnus, non conferendus cum cæteris tanquam dies primus est,vnde*fundamenta rerum omniū posita,& causæ esse cœperunt quibus mundi huius atque vniuersæ visibilis creaturæ fulta substantia est.Quare ad secundi diei admiranda opera sermo nobis prodeat, quorum eminentia non secundum tractatus nostri possibilitatē, sed secundū scripturam*ad laudem referenda est creatoris. Vos igitur quæso vt naturaliter æstimare,quæ dicimus probabiliter,ac simplici mente & sedulo ingenio pensare dignemini,non secundum philosophiæ traditiones & inanem seductionem suasoria verisimilia colligentes,sed secundum regulam veritatis quæ oraculis diuini sermonis exprimitur, & contemplatione tantæ maiestatis fidelium pectoribus infunditur,quia scriptum est:Confirma me in verbis tuis.Nam rauerunt mihi iniusti exercitationes, sed non sicut lex tua domine, omnia præcepta tua veritas. Non ergo secundum elementorum naturas, sed secundum Christum, qui omnia quæ voluit fecit, abundans plenitudine diuinitatis suæ, cõsideremus quæ facta sunt, & naturæ possibilitatē interrogemus. Nequæ enim cùm in euangelio leprosos curaret,cęcis visum funderet, populus qui aderat & spectabat, illum medicinæ ordinem recognouit,sed potestatèm domini miratus,dedit(vt scriptum est)deo laudem. Neque secundum numerum Ægyptiorum, & cursus syderum, mensuras elementorum, extendit manum suam Moyses vt diuideretur mare rubrum,sed diuinæ imperio potestatis obtemperans. Vnde & ipse ait:Dextera manus tua domine glorificata est in virtute,dextera manus tua domine confregit inimicos.Illò igitur sancta plebs eleua mentẽ tuam,& totum animum tuū eò confer. Non sic deus videt quemadmodum homo: deus in corde,homo in facie.Nec sic igitur homo videt,quẽ admodū deus.Audis quia deus vidit,& laudauit.Noli igitur tuis oculis æstimare quæ facta sunt,opinionibúsq; colligere: sed quæ deus vidit & probauit creator, ea tu retractanda non putes.

*al.quo.

*scriptorū.

Psalm.118.

Exod.15.

De creatione firmamenti, & discretione inter aquam & aquã: & vtrum vnum tantum sit cœlum,an plures, ac de confutatione philosophorum asserentium orbes stellarum motu suo dulcem quendam & plenũ suauitatis sonum reddere. Caput II.

Genes.1.

ET dixit deus:Fiat,firmamentum inter mediam aquam, & sit discernẽs inter aquam & aquã.Et factum est sic.)Audi verba dei:Fiat, dicit.Iubentis est,non æstimantis.Imperat naturæ,nõ possibilitati obtemperat:non mensuras colligit, nõ pondus examinat.Voluntas eius,mẽsura rerũ est.Sermo eius,finis est operis.Fiat,inquit, firmamentum inter mediam,aquã.) Firmũ est omne quod statuit deus. Et satis pulchrè præmisit: Fiat firmamentum,antequam subiiceret,inter mediam aquam: vt tu prius crederes firmamentum ex præcepto dei factum, quàm de aquarum profluа qualitate dubitares. Si naturam elementorũ consideres, quomodo inter aquas solidatũ est firmamentum?Illæ profluunt, illud constringitur: illæ currunt,hoc manet.Et sit,inquit,discernens inter aquam,)Sed aqua cõfundere nõ discernere solet.Quomodo iubet quod scit secundum elementorum rationem esse contrariũ? Sed cùm sermo eius ortus naturæ sit, iure vsurpat dare legẽ naturæ qui originem dedit. Sed prius consideremus quid sit firmamentũ, vtrum ipsum sit quod in superioribus cœlum appellauit,an aliud:& si duo cœli,an plures.Nã sunt qui vnum cœlum esse dicant,nec alterius cœli fãciendi,cùm esset vna hyle,vt ipsi aiunt, potuisse suppetere substantiam, quoniam cùm omnis superiori cœlo esset expensa, nihil reliqui fuit quod ad ædificationem secũdi cœli tertiíve proficeret. Alij verò innumeros cœlos & mundos esse asserũt,quos irridentes sui.Non enim nobiscum illis maior quàm cũ suis pugna est, qui geometricis numeris & necessitatibus contendunt probare,quod aliud cœlum esse nõ possit, nec patiantur vti secundum aut tertium sit, nec operatoris virtutem idoneam vt multos cœlos faceret. Et quis nõ hanc corum arrificem facũdiam irrideat, qui cùm ex vna atque eadem causa plura eiusdem generis ab hominibus fieri posse non abnuant,de creatore omniũ dubitent vtrum plures cœlos facere potuerit,de quo scriptũ est: Dominus autem cœlos fecit.Et alibi: Omnia quæcunque voluit fecit? Quid enim difficile ei,cui velle feciſſe est? Fluitat igitur illis imposibilitatis ratio,cùm de deo disputant,cui verè dicitur:Quia impossibile tibi nihil est. Itaque nos non solum secundum, sed etiam tertium cœlum esse negare non possumus, cùm Apostolus raptum se ad tertium cœlum scriptorum suorum testificatione confirmet.Dauid etiam cœlos cœlorum,in illo laudentium dominum constituit choro. Quem imitãtes philosophi,septem stellarum,solis & lunæ,globorum consonum motum introduxerunt, quorum orbibus vel potius globis connexa memorant omnia, quos sibi innexos & velut incertos versari retro,& contrario cæteris motu ferriarbitrantur,eóque impulsu & motu ipsorum orbium dulcem quendam & plenum suauitatis atque artis & gratissimi modulaminis sonũ reddi, quomodo scissus aer tam artifici motu,& acuta cum grauibus temperante, ita varios æquabiliter concentus efficiat,vt omnem supergrediatur musici cantilenas suauitatem.Huius rei fidem si requiras atque experias sensu nobis & auditu probari,hæsitant. Nam si vera forent, quomodo tanto motu orbium concrepante,cùm ille cœlestis orbis cui affixos ferunt stellarũ cursus,qui sine intermissione voluuntur,concitatiorem habeat conuersionẽ,atque acutum sonum excitet,hic autem lunaris grauissimum,non audiretur à nobis, cùm leuiora audire soleamus? Fidem ergo eius disputationis si testimonio nostro & auditus munere exigamus probari,referuntur obsurdisse aures nostras,& hebetiorem nobis sensum audiendi factum,propter illam à principio nostræ generationis concepti sonitus consuetudinem.Et exemplum asserunt, eo quòd Nilus fluuiorum maximus,eo videlicet loco vbi se ex altissimis montibus in Catadupa illa præcipitat,magnitudine fragoris sui aures accolarum obstruat,vt audiendi munere carere dicantur.Sed facile his ipsa respondet veritas. Nam qui tonitrua audimus nubium collisione generata: tantorum orbium conuersiones,qui maiori vtique sicut motu ferri æstimantur,ita vehementiores sonitus excitarent,non audiremus?Adduntpræterea ideo sonum hunc non peruenire ad terras, ne captu homines per suauitatem eius atque dulcedinem quã celeberrimus ille cœlorũ efficit motus ab orientalibus partibus vsque in occasum, propria negotia atque opera dereliqueret, & omnia hic ociosa remanerent, quodã humanæ ad cœlestem sonũ mentis excessu. Sed ea quæ sunt aliena ab studio nostro,& à diuinæ lectionis serie,iis qui foris sunt relinquamus. Nos inhæreamus scripturarũ cœlestium magisterio.

De firmamento vtrum sit hoc quod in superioribus cœlum appellatum est,an aliud. Et quomodo aqua vera super cœlos esse possit, cum reprobatione opinionis eorum qui hoc destruere conantur. Caput III.

Genes.1.

PRopositum igitur nobis est,quiadixit deus:Fiat firmamentũ in medio aquæ,& sit discernens inter aquam & aquam.)Et hinc tractatus,vtrũ hoc firmamentum appellet quod antè iam fecit, de quo scriptũ est:In principio fecit deus cœlũ & terram. Nec fallit quod aliqui ante nos ita acceperint,eo quòd supra creatum authore deo & conditum cœlum scriptura expresserit, vt ibi quahic expositionẽ operis creationísque diffuderit, vt ibi quasi summa operis breuiter comprehensa sit, hic operationis *ipsius qualitas per ipsas*cõcurrentium rerum digesta sit species Sed mouet nos quia & nomen aliud significatur, & species solidior,& causa discernitur,& persona cooperatoris adiungitur.Sic enim scriptum est:Et discreuit deus inter medium aquæ quæ erat sub firmamento,& inter medium aquæ quæ erat super firmamentũ.) Et primo volũt id destruere quod frequenti

frequenti scripturarum lectione inolitum nostris & impres-
sum est mentibus, quia aquæ super cœlos esse non possint:
dicentes rotundū esse orbem illum cœli, cuius in medio ter-
ra sit, & in illo circuitu aquam stare non posse, quod necesse
est defluat & labatur, cùm de superioribus ad inferiora de-
cursus est. Quomodo enim aqua super orbem, vt aiunt, sta-
re potest, cùm orbis ipse voluatur? Hæc est illa versutia dia-
lecticæ, Da mihi vnde tibi respondeam. Quod si non detur,
nullum verbum refertur. Petunt sibi cōcedi, axem cœli tor-
queri motu concito: orbem autem terræ esse immobilem,
vt adstruant aquas super cœlos esse non posse, quod omnes
eas voluendo se axis effunderet: quasi verò vt concedam il-
lis quod postulant, & secundum eorū opiniones illis respon
deā, negare nō possint in illa altitudine & profundo & lon-
gitudinem esse & latitudinem, quam nemo potest compre-
hendere nisi is qui impletur in omnem plenitudinem dei, vt
Ephes.3. Apostolus ait: Quis enim potest facile esse diuini operis æ-
stimator: Est ergo latitudo in ipsa cœli altitudine. Sunt etiā,
vt de his dicamus quæ scire possumus pleraque ædificia fo-
ris rotunda, intus quadrata: & foris quadrata, intus rotunda,
quibus superiora sunt plana, in quibus aqua hærere soleat.
Quæ tamen ideo dicimus, vt aduertant opiniones suas opi-
nionibus veri similioribus reuinci posse, & desinat tantum
opus dei humanę operationis & nostrę possibilitatis cōtem
platione metiri. Nos autem scripturarum seriem atque ordi
nem quęrimus, sequimur, & opus contēplatione ęstimamus
authoris, quid dictum sit, & quis dixerit & cui dixerit, Fiat,
Gene.1. inquit, firmamentum in medio aquæ, & fit discernens inter
aquas. Audio firmamentū fieri per præceptū quo diuidere-
tur aqua, & ab inferiore superior discerneretur. Quid hoc
manifestius? Qui iussit discerni aquā interiecto & medio fir
mamento, prouidit quēadmodum diuisa atque discreta ma-
nere possit. Sermo dei virt⁹ naturæ est, & diuturnitatis sub-
stantia quo ad vsque velit eam manere qui statuit, sicut scri-
Psal.148. ptum est: Statuit ea in seculum seculi, præceptum posuit, &
non præteribit. Et vt scias quia de istis aquis hoc dixit quas
tu negas posse in superioribus cœli esse, audi superiora. Lau-
Ibidem. date eum cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt laud-
dent nomen domini. Nónne quasi aduersanti tibi dixit:
Quoniā ipse dixit & facta sunt, ipse mādauit & creata sunt.
Statuit ea in seculum seculi, præceptum posuit & non præ-
teribit? An non videtur tibi author idoneus qui legem suo
operi daret? Deus est qui dicit, venerabilis naturæ, inæstima
bilis magnitudine, immensus in remunerationibus, incom-
prehensibilis in operibus, cuius altitudinem sapientiæ quis
inuestigare facilis? Iste dicit filio, id est dicit brachio suo, di-
cit virtuti suæ, dicit sapientiæ suæ, dicit iustitiæ. Et fecit filius
quasi potens, fecit quasi virtus dei, fecit quasi sapiētia dei, fe-
cit quasi iustitia diuina. Cùm hæc audis, quid miraris si su-
pra firmamentū cœli potuit tantę maiestatis operatione vn-
da suspēdi? De aliis hæc collige, de iis quæ viderunt oculi ho-
minum: quomodo ad Iudæorum transitum, si rationē quæ-
ris, se vnda diuiserit. Non solet hoc esse naturæ, vt aqua se
discernat ab aqua, & in profundo interfusiones aquarū ter-
ræ medio separentur. Gelauerunt, inquit, fluctus, & firma-
menti specie cursum suum insolito fine frenarūt. Nónne po
tuit etiam aliter Hebræum populū liberare? Sed tibi voluit
ostendere, vt eo spectaculo etiam illa quæ non vidisti, æsti-
mares esse credēda. Iordanis quoque reflexo amne in suum
fontem reuertitur. Hærere aquā cùm labitur, & ita sursum
redire in superiora sine vllo repagulo, impossibile habetur.
Philip.4. Sed quid impossibile ei qui dedit posse quibus voluit? De-
dit posse infirmitatibus, vt infirmus dicat. Omnia possum
in eo qui me confortat. Dicant certè quemad modum aer co
gatur in nubem, vtrū pluuia nubibus generetur, an ea quæ super
bium colligatur. Videmus plerunque exire nubes de mon-
tibus. Quæro vtrum de terra ascendat aqua, an ea quæ super
cœlos est, largo imbre descendat. Si ascendit, vtique contra
naturam est vt ascendat in superiora quæ grauior est, & por-
tetur aere, cū aer subtilior sit. Aut si conciti orbis totius mo-
tu rapitur aqua, sicut imo orbe rapitur, ita summo orbe dif-
funditur. Si fundi, vt volunt, non desinit: rapi vtique nō de-
sinit: quia sicut axis cœli semper mouetur & aqua mouetur,

A & aqua semper hauritur. Si descendit, manet ergo iugiter su
pra cœlos quæ habet vnde descendat. Deinde quid obstat
si confiteatur quia aqua supra cœlos suspensa sit? Nam quo
verbo dicunt terram in medio esse suspēsam, & immobilem
manere, cùm vtique grauior sit quàm aqua, ea ratione pos-
sunt dicere non præcipitari aquam orbis illius cœlestis con-
uersione, quæ super cœlos est. Sicut enim terra inani suspen
ditur, vel pondere librato vndiq; immobilis perseuerat, ita
& aqua aut grauioribus aut æquis cum terra pōderibus exa
minatur. Ideoq; non facilè superfunditur mare terris, nisi cū
iubetur exire. Deinde cùm ipsi dicāt volui orbem cœli stel-
lis ardentibus refulgentem, nónne diuina prouidētia neces-
sario prospexit vt intra orbē cœli & supra orbem redunda-
ret aqua quæ illa feruentis axis incendia temperaret? Pro-
pterea quia exundat ignis & feruet, etiam aqua exūdauit in
terris, ne eas surgētis solis & stellarum micātium ardor exu
reret, & tenera rerū exordia insolitus vapor læderet. Quan-
ti fontes, fluuij, lacus irrigant terras, quia eas internus quidā
B ignis vaporat. Vnde enim aut arbores germinarent, aut fru-
menta vel sata prorumperent, vel orta coquerentur, nisi ea
interior quoque ignis animaret? Qui etiam de saxis frę-
quēter excutitur, & de ipso sæpe dum cæditur ligno exilit.
Ergo sicut necessaria ignis creatura, vt ordinata & dispo-
sita permaneat, cœlique clementia temperet aquarum rigo-
rem: ita etiam aquarum redundantia non superflua, ne alte-
rum altero consumeretur, quia nisi conueniens vtriusque
mensura sit, sicut ignis aquam exsiccat, ita & aqua extinguit
ignem. Ideóque pondere & mensura examinauit vniuersa.
Numerata enim sunt ei & stillicidia pluuiarū, sicut in libro Iob 38.
Iob legimus. Sciens vel rerum facilem defectum fore, vel
solutionem vniuersitatis si alterum exuperaretur ab altero,
ita vtriusque temperauit dispendia, vt neque plus ignis ex-
coqueret, neque exuberaret aqua quàm imminutio fieret
vtriusque moderata, quæ & superfluum detraheret, & neces
sarium reseruaret. Itaque cùm tanta de terris erumpant ma-
C ximorum fluenta amnium, Nilus effuso Aegyptum stagnās
flumine, Danubius de occidētalibus partibus Barbarorum,
atque Romanos intersecans populos, donec Ponto ipse cō-
datur, Rhenus de iugo Alpium vsque in Occani profunda
cursus suos dirigens, Romani memorandus aduersus feras
gentes murus imperij, Padus maritimorum commeatuum
Italicis subsidiis fidus inuector, Rhodanus rapido concitus
cursu Tyrrheni equoris freta scindens, in quo non media-
cre fertur nauigantium periculum, dum inter se maris flu-
ctus & amnis fluenta decertant: itémque de septentrionali
parte Phasis Caucasęis montibus fusus, cum pluribus aliis
in Euxinum se præcipitens mare: prolixum est singulorum
persequi fluuiorum nomina, qui vel in nostrum mare deri-
uantur, vel exinaniuntur Oceano: Cùm tanta igitur vbertas
aquarum sit, tamen plerunque terra meridianæ plagæ tor-
retur ardoribus, atque æstu soluta fatiscit in puluerem, mi-
serandi agricolæ labore consumpto, vt frequēter ad potum
siccatis puteis, arido gurgite subsidium vitale deficiat. Et
D erit quidem quando dicat abyssо, Deserta eris, & omnes Esaiæ 9.
fluuios siccabo: sicut per Esaiam futurum annūciauit. Sed e-
tiam antequam ille dies aduenīat, diuino præscitus arbitrio,
non minimum inter se ipsa elementorum natura decernit.
Crebrò itaque aut inundationibus mūdus hic quatitur, aut
nimio æstu & ariditate vexatur. Noli igitur incredibilem
opinari aquarum multitudinem, sed respice ad vim caloris,
& incredulus non eris. Multū est quod ignis absorbet: quod
vel ex illo nobis debet esse manifestum, cùm medici vasa
quædam angusta ore, pleniora desuper, intus concaua, leui
lucernæ cōcepto lumine affigunt corpori, quemadmodum
calor ille omnem in se rapiat humorem. Quis igitur dubitet
quod ignitus æther, & magno feruens vapore inflammaret
atque exureret omnia, nisi lege quadā sui prohiberetur au-
thoris, vt nec flumina, nec lacus, nec ipsa maria vim eius pos
sint restinguere? Et ideo desuper aqua impetu quodam de-
scendens, in tantos plerunque imbres rumpitur, vt flumi-
na, lacus repente repleantur ipsa maria exundent. Vnde fre
quenter & solem videmus madidum atque rorantē. In quo
euidens dat indicium quòd alimētum sibi aquarum ad tem-

periem

periem sui sumpserit. Tantũ autem inest illis impugnandæ veritatis studium, vt solem ipsum negent calidæ naturæ esse, eo quod albus sit, non rubicũdus aut rutilus in speciẽ ignis. Et ideo aiunt quod nec ignitus natura sit, & si quid habet caloris, ferunt ex nimio motu connersionis accidere. Quod ideo dicendum putant, vt nihil videatur humoris consumere, quia calorem quo humor vel minuitur vel plerũque exhauritur, non habeat naturalem. Sed nil agunt cùm ista comparant, quia nihil interest vtrum ex natura calorẽ quis habeat, an ex passione aliqua atque ex causa, quia ignis omnis consumptor humoris est, vel huiusmodi materiæ quã flamma cõsueuit exurere. Nam siue ex lignis haudquaquam semiustulatis, sed inter se collisis ignis excussus excipiatur foliis, æquè flammam adolet, ac si de igne accendas facem: siue de flammæ lumine lumen accendas, eadem species & natura est luminis, ac si illud nõ naturalis ignis adoleuerit, sed quem accidens causa generauerit. Vel hinc saltem contemplentur solis calorem, quod diuersa ei deus cõstituit cursus sui loca & tempora: ne si semper in iisdem moraretur locis, quotidiano ea vapore exureret. Mare ipsum ideo ferunt ipsi B falsam atque amaram aquam habere, quod ea quæ fluuiis in freta influat, calore absumatur, tantúmque vapore diurno consumi, quantum quotidie ex diuersis fluuiorum cursibus inuehatur. Quod ex solis quadam diiudicatione fieri perhibetur, qui quod purum ac leue est, sibi rapit: quod graue atque terrenum, relinquit, ex quo remanet falsum, illud atque aridum quod sine vsu ac suauitate potandi sit.

Quæ sit inter cælos & firmamentum differentia, & firmamentum vnde nuncupatum sit: Quæ etiam aliorum sit sententia de prædictorum distinctione. *Caput IIII.*

SEd reuertamur ad propositum, Fiat firmamentum inter medium aquę.) Nõ moueat, sicuti iam dixi, quia supra cœlũ ait, hic dicit firmamentum, quoniam & Dauid dicit: Cœli enarrãt gloriã dei, Psal.18. & opera manuum eius annũciat firmamẽtum, hoc est, mundi opus cùm videtur, suum laudat authorem. Inuisibilis enim maiestas eius per ea quæ videtur, agnoscitur. Et videtur C mihi nomen cœlorum commune esse, quia plurimos cœlos scriptura testificatur: nomen autem esse speciale firmamentum. Siquidẽ & hic ita habetur: Et vocauit deus firmamen- Genes.1. tum cœlum.) Vt videatur supra generaliter dixisse in principio cœlum factum, vt omnem cœlestis creaturæ fabricam comprehenderet: hic autem specialem firmamẽti huius exterioris soliditatem, quod dicitur cœli firmamentum, sicut Daniel.3. legimus in hymno prophetico: Benedictus es in firmamẽto cœli: Nam cœlum, quod οὐρανὸς Græcè dicitur, Latinè quia impressa stellarum lumina velut signa habeat, tanquam cælatum appellatur: sicut argentum quod signis eminentibus refulget, cælatum dicimus. οὐρανὸς autem ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν dicitur, quod videatur τὴν ὅλην ὑρᾶν ἀνωθεν γῆν. igitur terræ quæ obscurior est, οὐρανὸς nuncupatur, quia lucidus est, tanquam visibilis. Vnde puto & illud dictum: Volatilia cœli semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. Et volantia circa firmamentum cœli, eo quòd potestates quæ sunt in illo visi- D bili loco, spectent hæc omnia, & subiecta suis habeant con- 3.Reg.17. spectibus. Denique clausum cœlum dictum est temporibus Heliæ, quando in Achab & Iezabel perfidia regnabat, cui populus regali sacrilegio deseruiret, eo quòd nemo ad cœlum oculos erigebat, nemo eius authorem venerabatur, sed ligna & lapides adorabãt. Vnde hoc colligimus? quia in ma- Leuit.26. ledictionibus populi Israel dixit deus: Erit tibi cœlum super caput tuum æreũ, & terra tua ferrea: quando precium perfidiæ luens populus Iudæorum, intemperie cœli, & terræ infœcũditate multatur. De cœlo enim causa fertilitatis. Deni- Deute 33. que & Moyses benedictiones tribui Ioseph à finibus cœli & rore & abyssis fontiũ deorsum venientibus, & secundum horam à solis cursu & à cõuenientibus mensibus & à vertice montium & collium æternorum dedit, eo quòd moderatione cœlesti terrarum fœcunditas nutriatur. Ferreum ergo cœlum est, quod nullum exudat humorem, quando nul- †al.enim lis nubibus imber rumpitur. Est etiam † ferreum cœlũ, subobscurus aer, pressus atque nebulosus colore ferrugineo. Quãdo rigore frigoris stringitur terra, tunc veluti super ca-

A put nostrum humor suspensus videtur, & per momenta imminere. Plerumque etiam glacialibus ventorum flatibus rigentes aquæ consolidantur in niuem, & rupto aere nix funditur. Neque enim firmamentũ hoc potest sine aliquo rumpi fragore aut penetrari. Ideo & firmamẽtum dicitur, quod non sit inualidum, nec remissum. Vnde & de tonitruis, quæ concepto intra sinum nubium spiritu, cùm se vehementer eruptura eliserint, magno concrepant sonitu, ait scriptura: Firmans tonitrua. A firmitate ergo firmamentum est nuncupatum, vel quod diuina virtute firmatum sit, sicut scriptura nos docet, dicens: Laudate eum in firmamẽto virtutis eius. Psal.150. Nec præterit retulisse aliquos cœlos cœlorum ad intelligibiles virtutes, firmamentũ ad operatorias, Et ideo laudare Psal.148. cœlos vel enarrare gloriam dei, & opera manuum eius annunciare firmamentum. Sed nõ quasi spiritalia, sed quasi opera mundi enarrant, quemadmodum supra diximus. Alij quoque purificatorias virtutes interpretati sunt aquas quæ super cœlos sunt. Accipimus hæc quasi ad tractatus decorem: nobis tamen non alienum videtur atque absurdum si aquas veras propter illam causam quam diximus, intelligamus. Nam & ros & gelu & frigus & æstus secundum hy- Dani.3. mnum Propheticum benedicunt dominũ, benedicit & terra: & illa non ad intelligibiles naturas referimus, sed ad veritatem. Laudant etiam dracones dominũ, quia natura eorum Psal.148. & species cùm videtur, non minimum vel decoris offundit, vel inesse rationis ostendit.

De laude ac probatione operis secundi diei, eiúsdemque clausione. *Caput V.*

ET vidit deus quia bonum est.) Facit filius quod Genes.1. vult pater, laudat pater quod facit filius. Nihil in illo naturæ degeneris inuenitur, cuius opus à paterna non degenerat voluntate. Vidit vtique, nõ oculis corporalibus intendit, sed definiuit plenitudini gratiæ conuenire, vt mihi eius iudicium cognosceretur. Nos enim solemus etiã de iis quæ diuina sunt disputare. Et quid mirum si de opere retractare possint, qui de ipsius operatoris generatione faciunt quæstiones? Ipsum in iudicium vocant, ipsum inæqualem atque degenerem asserere conãtur. ideo legis: Et dixit deus, & fecit deus. Eodem pater & filius maiestatis honorantur nomine. Et vidit deus quia bonum.) Dixit tanquam omnia quæ pater vellet scienti, & vidit tanquam omnia quæ filius faceret scientia tenens, & efficiens operatione consorti. Vidit quia bonum) Non vtique cognouit quod nesciebat, sed probauit quod placebat. Non quasi incognitum placuit opus, quia nec quasi incognitus pater qui complacuit in filio, sicut scriptum est: Hic est fi- Matth.3. lius meus dilectus in quo mihi complacui. Scit autem semper filius voluntatẽ patris, & pater filij, & audit patrem filius semper, & pater filium per vnitatem naturæ voluntatis atque substantiæ. Denique testatur hoc in euãgelio suo filius Ioan.11. dicẽs ad patrem: Sciebam quia semper me audis. Imago est enĩ inuisibilis dei filius: omnia patris quasi imago exprimit: omnia eius quasi splendor gloriæ illuminat nobis atque manifestat. Videt & filius patris opus, sicut & pater filij, sicut & Ioan.5. ipse dominus declarauit: Non potest filius facere à se quicquam, nisi quod viderit facientem patrem. Vidit ergo faciẽtem patrem, & vidit per secretum inuisibilis naturæ. Et Ioã.8.38. audit similiter. Denique ait: Sicut audio, iudico: & iudicium meum verum est, quia non sum solus, sed ego, & qui misit me pater. Hoc mysticum est, illud morale. Vidit mihi, probauit mihi. Quod deus probauit, tu reprehensibile ne dixeris: quoniam quod deus mundauit, tu commune ne dixeris Act.10. †al.homo scriptum tibi esse meministi. Ergo bonum † dei nemo blas- ne blasphemet. Si firmamentum bonum, quãtò magis bonus eius mũdũ. creator, etiam si Arriani nolint, Eunomiani reclament, radicis degeneris fructus deterior? Vidit, inquit, deus, quia bonum.) Soleat artifices singula prius facere, & postea habili commissione connectere: & qui vultus hominem vel corpora excudunt de marmore, vel ære fingunt, vel ceris exprimunt, non tamen sciunt, quemadmodum sibi possint membra singula cõuenire, & quid gratiæ adferat futura cõnexio: & ideo aut laudare nõ audent, aut pro parte laudant: Deus verò tanquam æstimator vniuersitatis præuidens quæ futura

futura sunt, quasi perfecta iam laudat, quæ adhuc in primi operis exordio sunt, finem operis cognitione præueniens. Nec mirum si apud quem rerum perfectio, non in consummatione operis, sed in suæ prædestinatione est voluntatis, laudat singula quasi conuenientia futuris, laudat plenitudinem singulorum venustate compositam. Illa est enim vera pulchritudo, vt in singulis membris esse quod deceat, & in toto, vt in singulis gratia, in omnibus formæ conuenientis plenitudo laudetur. Sed iam etiam secundus nobis claudatur dies, ne dum opus adstruimus firmamenti, infirmiores eos qui audiunt, dicendi prolixitate faciamus, dum in nocte sermo producitur, quæ adhuc carens lunæ stellarúmque lumine, (nondum enim luminaria creata sunt cœli) obscuritatem possit afferre remeantibus: simul vt cibo potúque curentur corpora, ne animis epulantibus fragilitas carnis de nocturno quoque ieiunio queratur.

CAPITA TERTII LIBRI HEXAEMERON.

De introductione tertij diei, cum increpatione hominum quòd imperio dei insensibilibus elementis parentibus, ipsi non obediunt, exhortatione quoque vt populus in vnam ecclesiam domini congregetur. Caput I.

De inuisibilitate & apparitione terræ per scripturæ probationē. Et quomodo aquæ cōgregatæ fuerint in vnā collectionē, cum destructione opinionū cōtradictiū. Cap. II.

Quomodo aquarū per omnem ferè terram diffusarum vna dicatur collectio, cùm & hodie diuersa sint maria: Quomodo etiam cōgregatio vna potuerit omnes illas aquas recipere, atque exinanire terras, quæ ante fuso per vniuersum flumine stagnabantur. Caput III.

Quid sit quod ait dominus, Et appareat arida: & non dixerit, Et appareat terra. Caput IIII.

De eo quod à quibusdam additum perhibetur: Et congregata est aqua in collectiōes suas, &c. De probatione quoque, & singulari ac mira laude maris. Caput V.

Quomodo conuenerit vt terræ daretur species & gratia germinandi, & viriditas agri: ac de virtute & vtilitate huius vocis qua deus dixit: Germinet terra herbam virentē fœni, &c. cum redargutione eorum qui hanc prærogatiuam ipsi Soli adscribunt. Caput VI.

Cur prius pecori pabulum, quàm cibus homini sit creatus: simplexque victus & naturalis cibus reliquis cibis antelatus sit. De commendatione quoque ipsius, ac de mysterio herbæ virentis, & floris fœni: cum exhortatione nostri ad imitationem illius herbæ, & confutatione Manichæi, aliorúmque hæreticorum. Caput VII.

De germine, ac seminaria virtute, & admirabili germinationis & fructificationis modo, terræq; vtilitate. De laude quoque agri pleni, & salubritate succi herbarum, virgultorúmque ac foliorum remediis. Caput VIII.

De retusione causationis quod cū vtilibus etiam lætalia & pernicioſa generentur. Caput IX.

Quomodo terra secundū genus suū dicatur proferre semina, cùm plerūque semina iacta degenerent. Ac de diuersitate seminis diaboli & seminis Christi filij hominis, & quando iste homo verbum suum seminauerit super terram. Caput X.

De ortu arborum atque rosarum, & quomodo rosa humanæ vitæ speculum præferat. Caput XI.

De singulari vitis commendatione, & quomodo exemplū eius ad nostræ vitæ institutionē arcessendū sit. Cap. XII.

De arborum varietate, ac diuersis earum vtilitatibus, & ornatibus: fructuúmque suorum, atque succorum proprietatibus & medelis. Caput XIII.

De simplicium pomorum differentia, foliorúmque diuersitate. Caput XIIII.

Quòd inexplicabile sit singularum rerum exquirere proprietates: & de varia mutatione ipsius aquæ quæ omniū virgultorum nutrix est. De discrepātia quoque lachryma rum arborum, quæ eiusdem aquæ alluuione generantur. Caput XV.

Quemadmodum ad verbum domini, quod omni aquarum cursu est redundantius, subito omnis virgultorum creatura efflorueri, & victum atque medelam ministrauerit. Quomodo præterea vniuersa gignentia aut semina habeant, aut aliqua quæ cum virtute seminum videantur cōuenire. Ac de magna dei virtute in singulis. Caput XVI.

De reprehensione surditatis humani cordis. Et de inconprehensibili admirandáque dei etiam in paruis prouidentia. De primo quoque cultore vitium, & commendatione vini. Caput XVII.

Diui Ambrosij
EPISCOPI MEDIOLANENSIS
Hexaemeron liber tertius de die tertio.

De introductione tertij diei, cum increpatione hominum quòd imperio dei insensibilibus elementis parentibus, ipsi non obediunt: exortatione quoque vt populus in vnam ecclesiam domini congregetur. Caput I.

DIES tertius nobis hodie in sermone nascatur, qui ortus est in lectione: præclarus dies, qui terram à naufragio liberauit, dicēte deo: Cōgregetur aqua quæ est sub cœlo, in congregationem vnam. (Gene. 1.) De quo præfationē adoriri placet. Congregetur aqua, dictum est, & congregata est: & frequēter dicitur, cōgregetur populus, & non cōgregatur. Non mediocris pudor est, imperio dei in sensibilia elementa parere, & homines nō obedire, quibus sensus ab ipso tributus est author. Et fortasse hic pudor fecerit vt hodie plures cōueniretis, ne quo die cōgregata est aqua in congregationē vnā, eo die populus nequaquā congregatus in ecclesiā domini videretur. Nec hoc solum obediētis aquæ exemplum habemus. nam & alibi scriptum est: Viderunt te aquę deus, viderunt te aquę, & timuerunt. (Psalm. 76.) Ne que enim verisimile non videtur de aquis dictum, quando alibi quoque idem Propheta ait: Mare vidit & fugit, Iordanis cōuersus est retrorsum. (Psalm. 113.) Hoc enim verè factū quis ignorat, quod ad Hebræorum transitum mare fugerit, quādo se vnda diuisit, transiuit populus puluerulento vestigio, perisse mare credēs, fugisse fluctus? Denique credidit hoc Ægyptius, & ingressus est: sed illi rediit vnda quæ fugerat. Noui ergo aqua & congregari & timere, & fugere quando deus præcipit. Hanc imitemur aquā, & vnam congregationē domini, vnam ecclesiam nouerimus. Cōgregata est hic quondā aqua ex omni valle, ex omni palude, ex omni lacu. Vallis est hæresis, vallis est gentilitas, quia deus montium est, (3. Reg. 20.) non vallium. Denique in ecclesia exultatio est, in hæresi & gentilitate fletus & mœror. Vnde ait: Dispositi in conualle (Psalm. 83.) fletus. Ex omni igitur valle congregatus est populus catholicus. Iam non multæ congregationes sunt, sed vna est congregatio, vna ecclesia, Dictum est & hic: Congregetur aqua ex omni valle, & facta est cōgregatio spiritalis, & factus est vnus populus: ex hæreticis & gētilibus repleta ecclesia, est. Vallis est scena, vallis est circus, vbi currit mendax equus ad salutem, vbi humilis & abiecta contentio, vbi litium fœda deformitas. Ex his igitur qui circo inhærere consueuerant, fides creuit ecclesiæ, quotidianus cœtus augetur. Palus est luxuria, palus est intemperantia, palus est incontinentia: in qua volutabra libidinum sunt, bestiarum murmura, latibula passionum: vbi mersantur quicunque inciderint, & non emergunt: vbi labuntur pedum vestigia, fluitant singulorum incessus: vbi fulicæ se dum lauant, polluunt: vbi flebiles desuper gemitus columbarum: vbi pigra testudo cœnoso hæret in gurgite: denique aper in palude, ceruus ad fontes. Ex omni igitur palude, vbi quasi ranæ veterem querelam canebant, congregata est fides: congregata est puritas animi, mentísque simplicitas. Congregata est aqua ex omni lacu, & ex omni

Prouer. 26. omni fouea, vt nemo fodiat foueam fratri suo, in quam ipse incidat: sed omnes se inuicem diligant, omnes se inuicē foueant, & quasi vnum corpus diuersa se membra sustentent: quos non mortiferi cantus, & acroamata scenicorum, quæ mentem emolliant ad amores, sed concētus ecclesiæ, & cōsona circa dei laudes populi vox, & pia vota delectent: quibus non purpurea peripetasmata, non aulæa preciosa spectare voluptati sit, sed hanc pulcherrimam mundi fabricam, hanc distantem inter se elementorum copulam: cœlū sicut cameram extensum, vt inhabitātes in hoc mundo tegat, terram ad operandum datā, diffusum aerē, clausa maria, populum hunc diuinæ operationis organum, in quo diuini modulamen resultet oraculi, & dei spiritus intus operetur, templum istud sacrariū trinitatis, sanctitatis domicilium, ecclesiam sanctam, in qua refulgent aulæa cœlestia, de quibus dictum est: Dilata locum tabernaculorum tuorum: & aulæorum tuorum, fige, ne parcas: longiores fac funiculos tuos, & palos tuos confirma: adhuc in dexteram & sinistram extende, & semen tuum gentes hæreditate possidebit, & ciuitates desertas inhabitabis. Habet ergo aulæa, quibus attollit vitā bonam, pecccata tegit, culpam obumbrat. Hæc est ecclesia, quæ super maria fundata est, & super flumina præparata. Supra vos enim confirmata est & præparata, qui sicut flumina puro in eam mundi fonte decurritis, de quibus dictum est: Eleuauerunt flumina domine, eleuauerunt flumina vocem suam à voce aquarum multarum. Et addidit: Mirabiles elationes matis, mirabilis in excelsis dominus. Bona flumina. hausistis enim ex illo perenni & pleno fonte à quo fluitis quod fluitis, qui ait vobis: Qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu quem incipiebant accipere qui credituri erant in eum. Sed iam quasi boni Iordanes reuertimini mecum in originem.

Esaiæ 54.

Psalm. 92.

Ioan. 7.

De inuisibilitate & apparitione terræ per scripturæ probationē. Et quomodo aquæ congregatæ fuerint in vnam collectionem: cum destructione opinionum contradicentium. Caput II.

Gene. 1.

COngregetur, inquit, aqua quæ sub cœlo est, in cōgregationem vnam, vt appareat arida. Et factum est sic.) Fortasse parum crediderit aliquis superioribus sermonibus nostris, quibus tractauimꝰ inuisibilem ideo fuisse terrā, quod aquis operta tegeretur, vt corporeis oculis videri non posset. Ad se enim Propheta retulit, hoc est ad nostram conditionē, non ad diuinæ maiestatem naturæ, quæ vtique omnia videt. Sed vt aduertatis quia non quasi nostri ingenij probādi gratia, sed vestræ causa institutionis suscepimus hunc tractandi laborē: adstipulante nobis lectionis serie testificamur, quæ apertè probat, post congregationem aquæ quæ erat super terram, & post deriuationem eius in maria, apparuisse aridam. Desināt ergo qui nobis, dialecticis disputationibus mouere negocia* solent, dicentes: Quomodo terra inuisibilis, cum omni corpori naturaliter & species & color insit: omnis autem color sit subiectus aspectui? Clamat dei vox: Congregetur aqua, & appareat arida.) Et iterum scriptura dicit: Cōgregata est aqua in congregationem vnam, & apparuit arida.) Quid opus fuit iterare, nisi occurrendū quęstionibus iudicasset Propheta? Nónne videtur dicere: Non dixi inuisibilē secundū naturam, sed secundum superfusionem aquarum? Denique addidit sublato velamine apparuisse aridam, quæ antè non videbatur. Iterum quoque quæstiones alias afferunt, dicentes: Si in congregationibus diuersis aqua erat, quomodo si illæ cōgregationes in superioribus erant, nō defluebat aqua in eum locum ad quē postea domini imperio deriuata est? Natura enim aquarum sponte in inferiora prolabitur. Sin verò in inferioribus erant illæ congregationes, quomodo contra naturā suā aqua ad superiora conscendit? Itaque aut secundum naturales cursus imperio non egit: aut cōtra naturam imperio proficere non potuit. Cui quæstioni facile respondebo, si mihi ipsi ante respondeant, ante præceptum domini hāc aquarum fuisse naturam vt laberetur & flueret. Non enim ex vsu hoc habet cæterorum elementorum, sed speciale & proprium: nō ex quodam ordine, sed magis ex voluntate & operatione dei summi. Quid iusserit deus audiunt. Vox autem dei, efficiens natura est. Eam vocem effectus operationis impleuit. Cœpit labi aqua, & in vnam congregationem fluere, quæ ante erat diffusa per terras, & plurimis receptaculis inhærebat. Cursum eius antè non legi, motum eius antè nō didici: nec oculus meus vidit, nec auris audiuit. Stabat aqua diuersis locis, ad vocē dei mota est, Nónne videtur quia naturam ei huiuscemodi vox dei fecit, & secuta est creatura præceptū, & vsum fecit ex lege? Primet enim cōstitutionis lex formam in posteros dereliquit. Deniq; semel diem fecit & noctē. Ex illo manet vtriusque successio, & diuturna reparatio. Iussa est etiam aqua currere in congregationem. Ex illo currit, fontes labuntur in fluuios, in freta currunt flumina, lacus deriuantur in maria: ipsa se a qua præcedit, vrget, & sequitur. Vnus est ductus, vnum corpus. Et cùm sit altitudo diuersa, indiscreta tamen dorsi eius æqualitas. Vnde & æquor appellatum arbitror, quod superficies eius æqualis sit. Respondi secundum illorum proposi tum, illi nunc respondeant mihi, si vnquam viderint fontes ex inferioribus scaturire, de pauimento aquā surgere. Quis eam cogit? Vnde prorumpit? Quemadmodum non deficit? Quomodo fiat vt ima solidiora vndam vomant? Hæc secundum occultæ secreta naturæ. Cæterùm quis ignorat quòd rapido plerunque impetu in ima descendens, in superiora se subrigat, atque in supercilium montis attollat: plerunque etiam canalibus manu artificis deriuata, quantum descenderit, tantum rursum ascendat? Itaq; si vel impetu suo fertur, vel artificis deriuata ingenio, contra naturā suam ducitur & eleuatur, miramini si diuini operatione præcepti aliquid ad vsum naturæ eius accessit, quod in vsu ante nō fuerit? Dicāt nunc mihi quomodo tanquā in vtrem congregauerit aquas maris, vt scriptum est: quomodo eduxerit de petra aquam. Qui potuit de petra educere aquam quæ non erat, non potuit aquam educere quæ erat? Percussit petram, & fluxerunt aquæ, clamat Dauid: Et torrentes inundauerunt. Et alibi: Super montes stabunt aquæ. Habes in euangelio quod cū grauis esset procella, & magnus in mari motus, ita vt trepidarent apostoli naufragij periculum, excitauerunt dormiētem in puppi dominū Iesum, & surgens imperauit vēto & mari: sedata tempestas est, refusa trāquillitas, Qui potuit imperio mare totū sedare, non potuit aquas imperio mouere? Atqui in diluuio sic accepimus, quod eruperint abyssi fontes, & quod induxerit postea spiritū, & siccauerit aquā: si nolunt obedisse naturā, vsúmque elementi imperio dei esse cōuersum: vel hoc cōcedant, potuisse immisso vento aquas currere, quod quotidie videmus in mari, vt inde aquæ currant, vnde flauerit ventus. Si tempore Moysi excitato austro valido siccatum est mare, eodem modo siccari non potuit cōgregatio aquarū, & in mare profluere aqua, quæ postea diuisa est in profundo? Sed discant naturam posse conuerti, quando petra aquas fluxit, & ferrū aquæ supernatauit, quod vtique Helisæus orando facere meruit, non imperando. Si igitur Helisæus ferrum leuauit contra naturam, Christus aquas mouere non potuit? Sed mouit, qui potuit dicere, Lazare veni foras: & mortuum suscitauit. Deus enim quod iubet, facit. Itaque pari exemplo dictū accipe: Congregetur aqua, & congregata est. Dicendo autem congregetur, nō solum mouit eam de loco, sed etiam statuit in loco, vt nō prę terfflueret, sed maneret. Hoc vtique maioris miraculi est, quomodo omnes congregationes in vnam cōgregationem defluxerint: & vna congregatio non adimpleta sit. Nam & scriptura hoc inter mirabilia cōstituit dicendo: Omnes torrentes eunt in mare & mare nō adimpletur. Vtrunque igitur ex præcepto dei, vt & fluant aqua & nō superfluant. Circūscripta igitur imposito fine maria clauduntur, ne superfusa terris inūdēt omnia, & destituto aluorū cultu, munus terrenæ fœcunditatis impediant. Cognoscant igitur diuini eloquij præcepti, operationisque cœlestis. Ait enim dominus per nubem ad Iob inter alia etiam de maris clausiro: Posui ei fines, apponens clausira & portas. Dixi autem ei: Vsque huc venies, nec transgredieris, sed in te ipso conteretur fluctus tui. Nónne ipsi videmus mare frequenter vndosum, ita vt in altum

*iurgia.

Esaiæ 4.

Psalm. 92.

Psalm. 92.

Matt. 8.

Ioan. 4. 4. Reg. 6.

Exod. 14.

Ioan. 11.

Iob 38.

825

in altum fluctus eius tãquam mons aquæ præruptus insurgat, vbi impetum suum ad littus illiserit, in spumas resolui, repagulis quibusdam arenæ humilis repercussum, secundum quod scriptum est: Aut non timebitis me, dicit dominus, qui posui arenam fines mari? Infirmissimo itaque omnium vilis fabuli puluere vis maris in tempestate cohibetur, & velut habenis quibusdam cœlestis imperij à præscripto sibi fine reuocatur, violentique æquoris motus in sese frangitur, atque in reductos sinus suos scinditur. Cærerùm nisi vis statuti cœlestis inhiberet, quid obstaret quin per plana Ægypti, quæ maximè humilioribus iacês vallibus campestris asseritur mare rubrum Ægyptio pelago misceretur? Denique docent hoc qui voluerunt hęc duo sibi maria connectere, atque in se transfundere: Sesostris sane Ægyptius, qui âtiquior fuit, & Darius Medus, qui maioris cõtuitu potentiæ in effectũ voluit adducere quod ab indigena fuerat antè tentatum. Quæ res indicio est, quod superius est mare Indicum, in quo mare rubrum, quam æquor Ægyptium, quod inferius alluit. Et fortasse ne latius se mare effúderet, de superioribus ad inferiora præcipitans, ideo molimina sua rex vterque reuocauit.

Quomodo aquarum per omnem ferè terram diffusarum vna dicatur collectio, cùm & hodie diuersa sint maria. Quomodo etiam congregatio vna potuerit omnes illas aquas recipere, atque exinanire terras, quæ antè fuso per vniuersum flumine stagnabantur. Caput III.

VEro nunc, cùm dixerit, Colligatur aqua in collectionem vnam.) Quomodo diffusas per lacus, paludes, stagna, aquas, & superfusas vallibus & campis omnibûsque planioribus locis, currentes fontibus atque fluminibus vna potuerit recipere collectio: aut quomodo vna collectio, cùm hodiéque diuersa sint maria. Nam & Oceanum mare dicimus, & Tyrrhenum, & Adriaticum, & Indicum, & Ægyptium, & Pontum, & Propontidem, & Hellespontum, & Euxinum, Egæum, Ionium, Atlãticum. Plerique etiam Creticum, & Septẽtrionale Caspium appellant mare. Vnde consideremus scripturæ verba, quę librato sunt trutinata examine. Colligatur, inquit, aqua in collectionem vnam.) Vna aquarum iugísque & continua congregatio est, sed diuersi sinus maris, vt quidam de scriptoribus forensibus ait: Nanque portus maris nostri sinus amplissimus. Meritóq; in diuersis locis diuersa sunt nomina, quia vocabula aquis ex regionum vocabulis adhæserunt. Vna autem congregatio aquarum, eò quòd iugis vnda atque continua ab Indico mari vsque ad Gaditani oram littoris, & inde in mare rubrũ, extremo circũfusa orbẽ terrarum includit Oceano, interius quoque Tyrrheno Adrias, Adriæ cætera maria miscentur, nominibus, distincta nõ fluctibus. Vnde pulchrè habes, quia deus cõgregationes aquarum vocauit maria. Ita & vna est generalis collectio, quæ dicitur mare, & multæ collectiones, quæ maria pro regionibus nuncupantur. Sicut enim multæ terræ, vt Aphrica, Hispania, Thracia, Macedonia, Syria, Ægyptus, Gallia, atque Italia, pro regionum appellantur vocabulis & vna est terra: ita multa dicuntur pro locorum appellationibus maria, & vnum est mare, sicut ait Propheta dicens: Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terrarum & plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem & mare tu creasti. Et ad Iob ipse dominus ait: Concluſi autem mare portis. Nunc quia de vna collectione diximus, illud occurrit, vtrum cum per omnem ferè terram & super terram fuerint diffusæ aquæ per vallestria agrorum, cõcaua montium, planiciémque camporum, modò æquoris fusa congregatio vna potuerit omnes illas aquas recipere, atque exinanire terras quæ antè fuso per vniuersum flumine stagnabãtur. Nam si tunc operta erant omnia, non diceret, visa est terra, nisi retectam vellet locis omnibus demonstrare. Si diluuium Noë tempore abscondit, & montes quando aquarum iam & super cœlos, & infra firmamentũ fuerat facta discretio, quantò magis dubitari non potest etiam montium vertices illa superfusione latuisse? Quò igitur illa omnis aquarũ redundãtia deriuata est? Quæ receptacula eam tam cõtinua atque connexa absorbere potuerunt: De quo multus nobis potest sermo suppetere. Primùm, quia potuit creator omnium, & ipsarum terrarũ spatia diffundere: quod aliqui ante nos confirmantes, propria posuerunt sentẽtia. Ego, quid facere potuerit, nunc prætermitto: quid fecerit, quod apertè scripturarum authoritate non didici, quasi secretum prætereo, ne fortè etiã hinc alias sibi quæstiones requirant. Asséro tamen secundum scripturas, quia potuit locorum humilia, & camporũ aperta diffundere, sicut ipse ait: Ante te ambulabo, & mõtes planos faciã. Potuit etiã ipsa aquarũ vis profundiora ea facere quæ insederat, tãto fluctuum motu, tantóque æstu concitatioris elementi, qui quotidie ima pelagi torquere, & arenas * verrere soleat de profundo. Quis deinde sciat inquantũ se illud magnum & inausum nauigantibus atque intentatũ nautis fundat mare, quod Britannias frementi includit æquore, atq; in vlteriora & ipsis fabulis inacceſſa secreta se porrigit? Quis deinde colligat, quãtum Lucrino & Auerno in Italia, Tiberiadi quoq; in Palæstina, & ei lacui qui inter Palæstinam & Ægyptum Arabiæ deserta prætendit, portubúsque diuersis Augusti atque Traiani, cæterísque per vniuersum orbem infusum addiderit mare? Si sunt etiã non confusi lacus, & stagna quæ non miscentur fluctibus, vt Larius & Benacus, Albanus quoque, alíque plures, quo modo vna congregatio aquarum? Sed quemadmodum dicitur, quia fecit deus duo luminaria, id est, solem & lunam, cùm sint vtique & stellarum lumina: ita & vna congregatio dicitur, cùm sint plurimæ. Neque enim annumerantur quæ non conferuntur.

Esaiæ 49.

* aliàs, vertere, vel versare.

Quid sit quod ait dominus: Et appareat arida: & non dixerit, & appareat terra. Caput IIII.

SEd vt videtur, quoniam de mari loquebamur, aliquantulum exundauimus: ad propositum reuertamur, & cõsideremus quid sit quod ait dominus: Congregetur aqua in vnam congregationem, & appareat arida: & nõ dixerit, terra. Quod præclarè positum quis non aduertat? Terra enim potest & luto esse permixta, aquis madida, cuius species superfusis aquis nõ appareat. Arida autem non solum ad genus, sed etiam ad speciem terrarum refertur, vt sit vtilis, sulcabilis, & apta culturis. Simul prospectum est ne videatur sole magis quàm dei præcepto esse siccata, quia arida facta est antequam sol crearetur. Vnde & Dauid discernens mare & terram, ait de domino deo: Quoniã ipsius est mare, & ipse fecit illud: & aridam manus eius fundauerunt. Arida enim expressio naturæ est, terra appellatio quædam simplex negocij, quę in se habeat proprietatem. Sicut enim animal, generis significatio est, cui inest proprium aliquid & excellens, rationabile autem proprium est hominis: ita & terra potest communiter dici vel scatens aquis, vel deserta, & inuia, vel sine aqua. Ergo & illi quę scatet aquis, inest vt habeat ariditatẽ. Remota enim aqua incipit esse arida, sicut habes scriptum: Posuit flumina in desertũ, & exitus aquarum in sitim. hoc est, de terra aquosa aridã fecit. Habet ergo terra propriam qualitatem suam, sicut & singula elementa habẽt. Nam & aër humidam qualitatem, & aqua frigidam, & ignis calidam. Et hoc est principale proprium elementis singulis, quod ratione colligimus. Comprehendere autem sensibiliter & corporaliter si velimus, velut connexa & composita reperimus, vt sit terra arida & frigida, aqua frigida & humida, aër calidus & humidus, ignis calidus & siccus: & sic sibi per has iugales qualitates singula miscentur elementa. Nam terra cùm sit aridæ & frigidæ qualitatis, connectitur aquæ per cognationem qualitatis frigidæ, & aqua aeri, quia humidus est aër. Ergo aqua tanquam brachus quibusdam duobus frigoris & humoris, altero terram, altero aerem videtur amplecti, frigido terram, aërem humido. Aër quoque medius inter duo compugnantia per naturam, hoc est inter aquam & ignem vtrúmque illud elementum conciliat sibi, quia & aquis humore, & igni calore coniungitur. Ignis quoque cùm sit calidus & siccus natura, calore aeri annectitur, siccitate autem in communionem terræ ac societatem refunditur, atque ita sibi per hunc circuitum & chorum quendam concordiæ societatísque conueniunt. Vnde & Grecè στοιχεῖα dicuntur, quæ Latinè elementa dicimus, quòd sibi conueniant & concinant. Huc autem progressi sumus, quia scriptura ait quòd

Genes. 1.

Psal. 94.

Psalm. 106.

deus

deus vocauerit terram aridam, hoc est, quia quod principale est eius, nũcupauit proprietatem naturæ. Naturalis enim proprietas siccitas est terris: hæc ei prærogatiua seruata est. Principalis ergo siccitas subest etiam vt sit frigida, sed non præferuntur secũda primis. Vt autem humida sit, aquarum affinitati sociatur. Ergo illud suum, istud alienũ. Suũ quod arida, alienum quod humida. Author itaque naturæ quod primo donauit, hoc tenuit: quia istud ex natura, illud ex causa. De principalibus igitur, non ex accidentibus terræ debuit proprietas definiri, vt secundum prærogatiuam qualitatis eius informaretur nostra cognitio.

De eo quod à quibusdam additum perhibetur: Et congregata est aqua in collectiones suas, &c. De probatione quoque, & singulari ac mira laude maris. *Caput V.*

ET vidit deus quia bonũ.) Non prætermus quia aliqui nec in Hebræo putant esse, nec in cæteris interpretationibus, quia, Cõgregata est aqua in collectiones suas, & apparuit arida. Et vocauit deus aridam terram, & collectiones aquarũ vocauit maria.) Cùm enim dixerit deus quia factum est sic, satis esse putant vocem operatoris ad celebratæ operationis indicium. Sed quia in aliis quoque creaturis habet & definitionem præceptionis, & repetitum operationis vel indicium vel effectũ: ideo nos non putamus absurdum id quod perhibetur additum, etiam si cæteris interpretibus vel veritas doceatur supperere, vel authoritas. Multa enim non ociosè à septuaginta viris Hebraïcę lectioni addita & adiuncta comperimus. Vidit ergo deus quia bonum mare. Et si pulchra sit species eius elementi, vel cùm surgentibus albescit cumulis ac verticibus vndarum, & cautes niuea rotant aspergine, vel cùm æquore crispanti clementioribus auris & blando serenæ trãquillitatis purpurascentem præfert colorem, qui autem eminus spectantibus frequenter offunditur, quãdo non violentis fluctibus, vicina tundit littora, sed velut pacificis ambit & salutat amplexibus, quàm dulcis sonus, quàm iucũdus fragor, quàm grata & consona resultatio: Ego tamen non oculis æstimatum creaturæ decorem arbitror, sed secundum rationem operationis iudicio operatoris conuenire & congruere definitum. Bonũ igitur mare: Primũ, quia terras necessario suffulcit humore, quibus per venas quasdam occultè succum, quędam haud inutilem submministrat. Bonum mare tanquam hospitium fluuiorum, fons imbrium, deriuatio alluuionum, inuectio commeatuum, quo sibi distantes populi copulantur, quo præliorum remouentur pericula, quo barbaricus furor clauditur, subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, salubritas valetudinis, separatorum cõiunctio, itineris compendium, trãsfugium laborantium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum. Ex hoc pluuia in terras transfunditur. Siquidem de mari aqua radiis solis hauritur, & quod subtile eius est rapitur: deinde quantò altius eleuatur, tantò magis etiam nubium obumbratione frigescit, & imber fit: qui nõ solum terrenam temperat siccitatem, sed etiam ieiuna arua fœcundat. Quid enumerem insulas, quas velut monilia plerumque prætexit, in quibus ij qui se abdicant intemperantiæ seculari illecebris, fido continentiæ proposito eligunt mundum latere, & vitæ huius declinare dubios anfractus? Mare est ergo secretum temperantiæ, exercitium continentiæ, grauitatis secessus, portus securitatis, tranquillitas seculi, mundi huius sobrietas: tum fidelibus viris atque deuotis incentiuum deuotionis, vt cum vndarum leniter alluentium sono certent cantus psallentium, plaudant insulæ tranquillo fluctuum sanctorum choro, hymnis sanctorum personent. Vnde mihi vt omnem pelagi pulchritudinem comprehendam quam vidit operator? Et quid plura? Et quid aliud ille concentus vndarum, nisi quidam concentus plebis est? Vnde bene mari plerumque comparatur ecclesia, quæ primo ingredientis populi agmine totis vestibulis vndas vomit: deinde in oratione totius plebis tanquam vndis refluentibus stridet: tum responsoriis psalmorũ, cantu virorum, mulierum, virginum, paruulorum, consonus vndarum fragor resultat. Nam illud quid dicam, quod vnda peccatũ abluit, & sancti spiritus aura salutaris aspirat? Det nobis dominus illa successuum flumina prospero ligno currere, tuto portu consistere, nequitiæ spiritalis grauiora quàm ferre possumus tentamenta nescire, fidei ignorare naufragia, habere pacem profundam: & siquando aliquid sit, quod graues nobis seculi huius excitet fluctus, euigilantem pro nobis habere gubernatorem dominum Iesum, qui verbo imperet, & tempestatem mitiget, tranquillitatem maris refundat, cui est honor & gloria, laus, perpetuitas à seculis, & nũc & semper, in omnia secula seculorum. Amen.

Quomodo conuenerit vt terræ daretur species & gratia germinandi, & viriditas agri, ac de virtute & vtilitate huius vocis qua deus dixit: Germinet terra herbam virentem fœni, &c. cum redargutione eorum qui hanc prærogatiuam ipsi soli adscribunt. *Caput VI.*

DIscedente aqua, conueniebat vt species terræ daretur & gratia, vt inuisibilis & incomposita desineret esse. Nam plerique etiam hoc dicunt esse inuisibile, quod speciem non habet: & ideo accipiũt terram inuisibilem fuisse, non quia videri non posset à summo deo vel angelis eius, (nam adhuc homines creati non erãt, vel etiã pecudes) sed quia sine sua specie erat. Species autem terræ est germinatio, & viriditas agri. Vnde vt & visibilem & eam compositã faceret deus, ait: Germinet terra herbam fœni, seminans semen secundum genus suum, & lignum fructiferum faciens fructum secũdum genus suum, cuius semen suum sit in ipso.) Audiamus verba veritatis: quorum series salus est audiẽtium. Prima enim illa vox dei singulis creaturis impertita gignendis, lex naturæ est, quæ terris in omne æuũ remansit futuræ successionis datura prescriptum, quemadmodum vel generandi vel fructificandi in reliquum vsus adolesceret. Prima itaque germinatio est quando nascentia videntur erumpere: deinde cùm eruperit & profecerit germen, fit herba: herba quoq; vbi paululum processerit, fit fœnum. Quàm vtilis, quàm vehemens vox: Germinet terra herbam fœni.) Hoc est, ipsa per se germinet terra, nullum alterius quærat auxilium, non cuiusquã indigeat ministerio. Solent enim plerique dicere: Nisi clementior solis calor tepefecerit terras, & quodãmodo radiis suis fouerit, non potest germinare terra: & propterea gentes diuinum honorem deputant Soli, quod virtute caloris sui terrarum penetret sinus, sparsaque foueat semina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Audi ergo deum velut hãc vocem emittentem: Conticescat ineptus sermo hominum qui futurus est, faceſſat vana opinio. Antequam Solis fiat luminare, herba nascatur: antiquior eius sit prærogatiua quàm Solis. Ne error hominum conualescat, germinet prius terra quàm fotus Solis accipiat. Sciant omnes Solem authorem non esse nascentium. Dei clementia terram relaxat, dei indulgentia prorumpere facit fructus. Quomodo Sol viuendi vsum ministrat oriundis, quando illa prius diuinæ operationis viuificatione sunt edita, quàm Sol in hos viuendi vsus veniret? Iunior est herbis, iunior fœno.

Cur prius pecori pabulum quàm cibus homini sit creatus, simplexque victus & naturalis cibus reliquis cibis antelatus sit: de commendatione quoque ipsius, ac de mysterio herbæ virentis & floriſœni, cum exhortatione nostri ad imitationem illius herbæ, & confutatione Manichæi aliorumque hæreticorum.

Caput VII.

ESt fortè mirentur aliqui quòd prius pecori pabulum, quàm cibus homini sit creatus. In quo primum profundum dei consilium debemus aduertere, quod etiam minima quęque non negligat, sicut in euangelio sapientia dei dicit: Respicite volatilia cœli: Matt. quoniã non serunt, neque metunt, neque cõgregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa: nónne vos pluris estis illis? Cùm enim illa pascũtur dei gratia, nemo sibi debet de sua industria & virtute blãdiri. Deinde quia simplicem victum & naturalem cibum reliquis cibis debuit anteferre. Hic enim sobrietatis est cibus, reliqui deliciarum atque luxuriæ. Hic communis omnibus animãtibus cibus, ille paucorum. Exemplum itaq; frugalitatis, magisteriũ parsimonię

e ij

829

est, herbæ simplicis victu oleríque vilis aut pomi contentos esse omnes oportere, quem natura obtulit, quem liberalitas dei prima donauit. Ille salubris, ille vtilis cibus, qui morbos repellat, qui refecet cruditates, nullo hominum paratus labore, sed diuino effusus munere, sine satione fruges, fructus sine semine, tam dulcis, tam gratus, vt etiam repletis voluptati atque vsui sit. Denique ad primas datus mensas, ad secundas remansit. Quid autem creaturæ huius attexam miraculum, & sapientiæ operatricis argumentum exprimam? In hac enim germinum specie, & in illo virentis herbæ munere imago est vitæ humanæ, & naturæ conditionísque nostræ insigne quoddam spectatur, & speculum elucet. Illa herba & flos fœni, figura est carnis humanæ, sicut bonus diuinitatis interpres organo suæ vocis expressit, dicens: Clama. Esaiæ 40. Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis vt flos fœni. Aruit fœnum, & flos decidit: verbum autem domini manet in æternum. Dei sententia, vox humana est. Ibidem. Dicit deus, Clama: sed in ipso Esaia loquitur. Ille respondit: Quid clamabo? Et tanquam quid loqueretur audisset, adiunxit: Omnis caro fœnum. Et verè. Viret enim & gloria hominis in carne quasi fœnum: & quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est, præmatura vt flos, caduca quasi fœnum: germinat vitæ viriditatem in specie, non in fructu soliditatem: hilarioris vitæ quasi flos prætendens iucunditatem, breuiori spacio occasura, sicut herba fœni, quod priusquam euellatur aresçit. Psal. 128. Quæ enim firmitudo in carne, quæ salubritas potest esse diuturna? Hodie videas adolescentē validum, pubescentis ætatis virtute florentem, grata specie, suaui colore: crastina die tibi facie & ore mutatus occurrit: & qui pridie tibi lautissimus decoræ formæ visus est gratia, alio die miserandus apparet, ægritudinis alicuius infirmitate resolutus. Plerosque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut crudítas vexat, aut vina corrumpunt, aut senectus debilitat, aut Esaiæ 40. cuiratos deliciæ reddunt, luxuria decolorat. Nónne verum est quia aruit fœnum, & flos decidit? Alius abauis atauísque nobilis, & maiorum honestatus infulis, prosapiæ veteris clarus insignibus, amicis abūdans, stipatus clientibus, & vtrunque latus tectus, secum producens maximam ac reducens familiam repente aliqua accidentis periculi mole turbatus destituitur ab omnibus, à sodalibus derelinquitur, impugna- Psal. 118. tur à proximis. Ecce verum est quia sicut fœnum vita hominis, priusquam euellatur, aresçit. Est etiam qui dudum vbertate affluens copiarum, liberalitatis fama per ora volitās singulorum, clarus honoribus, præminens potestatibus, tribunalibus celsus, solio sublimis, beatus, populis æstimatus, dū præconum clamore deducitur, subita rerum conuersione in eum carcerem rapitur, quo alios ipse detruserat, & inter reos suos imminentis pœnæ deflet ærumnam. Quantos pridie caterua plaudentium, & inuidiosa fauentis populi frequens domum pompa deduxit, & nox vna gloriosæ illum splendorem deductionis aboleuit, ac repentinus lateris dolor effusis gaudiis luctuosam grauis successionem mœroris admiscuit. Huiusmodi igitur est gloria hominis, sicut flos fœni. Quæ etiam cum defertur, nihil operibus adiungit, in qua nullus fructus acquiritur, & cùm amittitur euanescit, omnem scenam hominis, & quam desuper obumbrabat repente destituens, & quam intus animabat. Atque vtinam imitaremur hanc herbam, de qua ait dominus: Germinet terra herbam fœni, seminans semen secundum genus suum, & secundum similitudinem.) Seminemus igitur semen secundū genus. Quod sit genus, audi dicentem oportere nos quærere illud diuinum, si quo modo illud tractare possimus aut in Actor. 17. uenire, quanuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, & sumus, & mouemur, sicut quidam vestrum, inquit, dixerunt, cuius & genus sumus. Secundum hoc genus seminemus semen, non in carne, sed in spiritu. Non enim carnalia, sed spiritualia seminare debemus, qui ad vitam peruenire volumus æternam. Quæ sit autem similitudo, non ignoras, qui ad imaginem & similitudinem dei factus es. Herba generi respondet suo, tu non respōdes tuo generi? Tritici granum sparsum terræ, generis sui gratiam reddit, & tu degeneras? Fruges non adulterant sui synceritatem seminis, tu adulteras puritatem animæ, vigorem mentis, corporis castitatem? Non agnoscis opus esse te Christi? Manibus suis, vt legimus, te ille formauit, & tu Manichæe alterum tibi assciscis authorem? Pater deus dicit ad filium: Fa- Genes. 1. ciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & tu Photiane dicis, quia in cōstitutione mundi adhuc non erat Christus? Et tu Eunomiane dicis, quia dissimilis est patri filius? Nam si imago: non dissimilis vtique, sed totum ex toto exprimens patrem, quem pater substantiæ suæ vnitate signauit. Pater dicit: Faciamus: & tu cooperatorem negas? Quod dixit pater, filius fecit: & tu æqualem negas, in quo complacuit pater?

De germine, ac seminaria virtute, & admirabili germinationis & fructificationis modo, terræq; vtilitate. De laude quoque agri pleni, & salubritate succi herbarum, virgultorumque ac foliorum remediis. *Cap. VIII.*

GErminet, inquit, terra herbam fœni secundum genus.) In omnibus quæ dicuntur nascentiā terræ, primum germen est: vbi se paululum sustulerit, fit herba, postea fœnum, inde fit fructus. Sunt nascentia quę radice germinant, vt arbores quæ non sunt satæ, ex aliarum arborum radice nascuntur. In arundine videmus quomodo in extremo eius velut quidam fit nodus è latere, & inde alia arundo germinat. Est ergo in radice vis quædam seminarij. Insitiua quoque in superioribus germinant. Aliis ergo à semine, alij à radice, aliis diuerso munere series successionis acquiritur. Inest enim nascentibus singulis aut semen, aut virtus aliqua seminaria, & ea secundum genus, vt quod nascitur ex ea, simile eorum quæ sata sunt, vel quorum de radice sit, germinet. De tritico triticū, de milio milium, de piro pirus albo flore prorumpit, castanea quoque surgit de radice castaneæ. Germinet, inquit, terra herbam fœni secundum genus.) Et continuò parturiens terra nouos se fudit in partus, & induit se amictum viriditatis, gratiam fœcunditatis assumpsit, diuersísque compta germinibus proprios suscepit ornatus. Miramur quòd tā citò germinauerit: quanto maiora miracula sunt, si spectes singula, quemadmodum vel iacta in terram semina resoluantur, ac nisi mortua fuerint, nullum fructum afferant: si verò fuerint quadam sui morte resoluta, in vberiores fructus resurgant. Suscipit igitur granum tritici putris gleba, & sparsum cohibet occatio, ac velut materno terra gremio fouet & cōprimit. Inde cum se granum illud resoluerit, herbam germinat, grata ipsa iam species herbescentis viriditatis, quæ statim genus satiui similitudine sui prodit, vt in ipso suæ stirpis exordio cuius generis herba sit recognoscas, atque in herbis fructus appareat, paulatímque adolescit vt fœnum, culmóque pubescens erigitur & assurgit. Ast vbi se geniculata iam spica sustulerit, vaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interius, ne tenera eius primordia aut frigus lædat, aut solis æstus exurat, aut ventorū inclementia, vel imbrium vis sæua decutiat. Succedunt quidam ordines spicæ mirabili, arte formati, vel ad speciē grati, vel ad tutamen nexu quodam inter se naturalis colligationis astricti, quam prouidentia diuina formauit. Et ne frugis numerosioris pondere velut quædam cedat fultura culmorum, vaginis quibusdam ipse culmus includitur, vt geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, ne impar onori curuetur in terram. Tum supra ipsam spicam vallum struitur aristarum, vt quasi quadam in arce prætēdat, ne auium minorum morsibus spicas suis exuatur fructibus, aut vestigiis proteratur. Quid dicam quemadmodum clementia dei humanæ prospexerit vtilitati? Fœneratum terra restituit quod acceperit, & vsurarum cumulo multiplicatum. Homines sæpe decipiunt, & ipsa fœneratorem suum sorte defraudant: terra fidelis manet. Et si quando non soluerit, si fortè aduersata fuerit frigoris in clementia, aut nimia siccitas, aut immensa vis imbrium, alio anno superioris anni damna compensat: ita & quando prouentus spem destituit agricolæ, nihil terra delinquit: & quando arridet vbertas, fœcūdæ matris se partus effundit, vt nunquam vllum dispēdium suo inferat creditori. Quæ verò species pleni agri? Qui odor? Quæ suauitas? Quæ voluptas agricolarum? Quid dignè explicare possumus, si nostro vtamur

Ibidem.

De specie agri pleni.

alloquio? Sed habemus scripturæ testimonia quibus agri sua uitatem benedictioni & gratiæ sanctorum aduertimus com
Genes. 27. paratam, dicente sancto Isaac: Odor filij mei sicut odor agri
De violis, liliis, & rosis. pleni. Quid tibi describam purpurascentes violas, candida lilia, rutilãtes rosas, depicta rura nunc aureis, nũc variis, nunc luteis floribus, in quibus nescias vtrum species amplius florum, an vis odora delecter? Pascuntur oculi grato spectaculo, lõgè latéque odor spargitur, cuius suauitate complemur.
Psal. 49. Vnde diuinè dominus ait: Et species agri mecum est. Cum ipso est enim, quam ipse formauit. Quis enim alius artifex possit tantam rerum singularum exprimere venustatẽ? Considerate lilia agri: quantus sit candor in foliis, quẽadmodum stipata ipsa folia ab imo ad summum videantur assurgere, vt scyphi exprimant formam, vt auri quædam species intus effulgeat, quæ tamen vallo in circuitu floris obsepta nulli pateat iniuriæ. Si quis hunc florem decerpat, & sua soluat in folia, quæ tanti est artificis manus quæ possit lilij speciem reformare? Quis tantus imitator naturæ, vt florem hunc redintegrare præsumat, cui dominus tantum testimonium dedit
Matth. 6. vt diceret: Nec Salomon in omni gloria sua sic vestiebatur, sicut vnum ex istis? Rex opulentissimus & sapientissimus inferior iudicatur quàm huius floris pulchritudo est. Quid
De remediis virgultorum. enumerem succos herbarum salubres? quid virgultorum ac foliorum remedia? Ceruus æger ramusculos oleæ mandit, & sanus fit. Locustas quoque folia oleæ arrosa liberant ab ægritudine. Rubi folia superiacta serpenti, interimunt eum. Culices non tangent te, si absinthij herbam cum oleo coquas, & eo te perunxeris.

De retusione causationis quòd cum vtilibus etiam letalia & perniciosa generentur. Cap. IX.

SED fortè dicant aliqui: Quid quod cum vtilibus etiam letalia & perniciosa generantur? Cum tritico conium, quod inter alimenta vitæ noxium reperitur, & nisi præuisum fuerit, consueuit saluti nocere. Inter alia quoque nutrimenta vitæ helleborum deprehenditur. Aconita quoque fallunt frequenter, & decipiunt colligentem. Sed hoc ita est, ac si reprehendas terram quia non omnes homines boni. Sed quod plus est accipe, quia non omnes boni angeli in cœlo. Sol ipse prę nimio calore spicas torret, adurit autem gignentium prima exordia. Luna quoque viantibus iter demonstrat, latronum prodit insidias. Num igitur dignum est vt in his quę vtilia sunt posthabẽtes conditoris gratiam confiteri, propter aliqua alimentorum noxia creatoris prospicientię derogemus? quasi verò omnia gulę causa debuerint procreari, aut exigua sint quę ventri nostro diuina indulgentia ministrauerit. Definitę nobis escę sunt, & notę omnibus, quę & voluptatem generent, & corporis salubritatem. Singula autem eorum quæ generantur è terris, specialem quãdam rationem habent, quę pro virili portione complent vniuersæ plenitudinem creaturæ. Alia ergo esui, alia potui, alia alij nascuntur vsui. Nihil vacat, nihil inane germinat terra. Quod tibi putas inutile, aliis vtile est, imò ipsi tibi frequenter alio est vsu vtile. Quod escam non adiuuat, medicinam suggerit: & sæpe eadem quæ tibi noxia sunt, auibus aut feris innoxium ministrant pabulum. Denique sturni vescuntur conio, nec fraudi est eis, quoniam qualitate sui corporis venenum succi letalis euadunt. Frigida enim vis eius est succi, quam subtilibus poris in cordis sui sedem ducentibus, pręcoci digestione præueniunt priusquam vitalia ipsa pertentet. Helleborum autem periti loquuntur escam esse & alimoniam coturnicũ, eo quòd naturali quodam temperamento sui corporis vim pabuli nocentis euitent. Etenim si ratione medicinæ plerunque ad salubritatem humani quoque corporis tẽperatur, cui videtur esse contrarium: quãto magis proprietati naturę ad cibum proficit, quod medica manu conuertitur ad salutem? Per mandragoram quoque somnus frequenter accersitur, vbi vigiliarum ægri afflictantur incommodo. Nam quid de apio loquar, quod etiam nobis quotidiano propè vsu innotuit, quoniam dolores eo grauissimi internorum sæpe viscerum sopiuntur? Nec illud præterit, quod conio plerũque furores libidinum marcuerũt, & helleboro vetustæ passiones ægri corporis sunt solutæ. Non solum igitur nulla in his reprehẽsio creatoris, sed etiam incrementum est gratiarum. Siquidem quod ad petitum putabas esse generatum, ad remedia tibi salutis operatur. Nam & id quod periculi est, per prouidentiam declinatur: & id quod salutis, per industriam non amittitur. An verò oues & capræ ea quæ sibi noxia sunt declinare didicerũt, & solo odore per quoddã naturæ *mimisteriũ, cum sunt rationis expertes, rationẽ tamen euadendi periculi vel tuendæ salutis agnoscunt, noxiáque pariter ac profutura distinguũt, ita vt plerũque cum armata venenis tela senserint, notas petere herbas, atque his remedium vulneri dicantur adhibere? Cibus illis ergo medicina est, vt resilire sagittas videas è vulnere, & fugere venena, non serpere. Denique ceruis cibus venenũ est. Coluber ceruum fugit, leonem interficit. Draco elephantem ligat, cuius ruina mors victoris est. Et ideo summè vtrinque certatur, ille vt pedem alliget, in quo casus victi sibi nocere non possit, iste ne posteriore ex tremus pede, aut calle capiatur angusto, vbi vel ipse se non queat retorquere, & draconẽ graui proterere vestigio, vel sequentis elephanti auxilium non habere. Ergo si irrationabilia animalia norunt quibus sibi aut medicẽtur herbis, aut subsidiis opem afferant: homo nescit, cui rationabilis sensus innascitur? Aut tã alienus à vero est, vt quæ cuique apta sint vsui minimè deprehendat: aut ita naturæ ingratus bonis, bonis vt quoniam taurini haustus sanguinis letalis est homini, propterea putet laboriosum animal aut nasci non debuisse, aut sine sanguine debuisse generari, cuius virtus ad cultũ agrorum vtilis, aut ad vsum plaustrorum habilis, ad alimoniam suauis, diuerso munere fulcit agricolas, quibis deus, si bona sua norint, vniuersa donauit dicens: Germinet terra herbam fœni, spirans semen secundum genus. Nõ solum enim spontaneam alimoniam comprehendit quæ est in herbis & radicibus, atque in arborũ reliquísque fructibus, sed etiam eam quæ industria comparatur, & cultu rusticani laboris acquiritur. Quàm decorum autem quod non statim fundere terras semẽ iussit & fructus, sed primum germinare, deinde herbescere campos statuit, postea secũdum proprietatem sui generis semen adolescere, vt nunquam aruorum vacaret gratia, quæ grato primum decore vernarent, postea fructuum suggererent vtilitatem.

Genes. 1.

Quomodo terra secundum genus suum dicatur proferre semina, cum plerunque semina tacta degenerent. Ac de diuersitate seminũ diaboli, & seminis Christi filij hominis, & quando homo verbum suum seminauerit super terram. Caput X.

SED fortè quis dicat: Quomodo secundũ genus terra profert semina, cum plerũque semina iacta degenerẽt, & cum bonũ triticũ fuerit seminatũ, decolor eius species, & inferior forma reddatur? Sed hoc si quando accidit, non ad translationem generis, sed ad ægritudinẽ quãdam & inæqualitatẽ seminis videtur esse referendũ. Non enim desinit esse triticum si aut frigore aduratur, aut imbre madidetur, sed specie magis quàm genere, colore quoq; & corruptione mutatur. Denique frequenter madidata frumẽta in sui generis speciem reuertuntur si aut sole aut ignibus torreantur, aut diligentibus cõmissa culturis, aeris tẽperie terrarúmq; feraciũ vbertate foueantur. Itaque reparatur in sobole, quod degenerauerat in parẽte. Vnde nõ periclitamur ne præceptũ illud dei cuius vsus naturæ inoleuit, in reliquũ successionis vitio destitutũ sit, cum hodiéque in seminibus generis sui synceritas reseruetur. Nam lolium, & reliqua adulterina semina quæ frugibus sæpe miscentur, zizania nuncupari euangelij lectione cognouimus: sed ea propriũ quoddam genus habent, non ex tritici semine in aliud genus seminis decolori mutatione translata degenerẽ traxere naturã. Denique hoc docet dominus dicens: Matth. 13.
Simile est regnũ cœlorum homini qui seminauit bonũ semen in agro suo: cũ autẽ dormirẽt homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania inter triticũ. Aduertimus vtiq; quòd zizania & triticũ, vt nominibus, ita & genere videãtur esse discreta. Deniq; & serui dixerũt ad patrẽfamilias: Domine, nónne bonũ semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Aliud enim est semen diaboli, aliud semen est Christi, quod seritur adiu-

833

ad iuſtitiam. Denique aliud filius hominis, aliud diabolus ſe
minauit. Adeo diuerſa natura vtriuſque ſeminis, vt contra-
rius ſeminator ſit. Quod ſeminat Chriſtus, regnum eſt dei:
quod ſeminat diabolus, peccatum eſt. Quomodo igitur po-
teſt vnius generis eſſe regnum atque peccatum? Sic eſt, in-
quit, regnum dei, quemadmodum ſi homo iactet ſemen ſu-
per terram. Eſt & homo qui ſeminat verbum, de quo ſcri-
ptum eſt: Qui ſeminat, verbum ſeminat. Hic homo verbum
ſeminauit ſuper terram, quando dixit: Germinet terra her-
bam: & ſubitò terrarum germina pullularunt, & diuerſæ re-
rum ſpecies refulſerunt. Hinc pratorum virens gratia abun-
dantiam pabuli miniſtrauit, inde camporum ſpica flaueſcēs,
imaginem pelagi fluctuantis, commotione ſegetis vberioris
expreſſit. Sponte omnes fructus terra ſuggeſſit: etſi arata ſi-
ne cultore eſſe non poterat (nondum enim erat formatus a-
gricola) inarata tamen opimis meſſibus redundabat, & haud
dubium quin maiore prouentu. Siquidem nec cultoris deſi-
dia terrarum deſtituere poterat vbertatem. Nunc enim fœ-
cunditas vnicuique pro merito laboris acquiritur, vbi cul-
tus ſpectatur agrorum: & negligētia vel offenſa aut diluuiis
pluuiarum, aut terrarum ariditatibus, aut grādinis iactu, aut
quacunque ex cauſa ſoli vberis ſterilitate multatur. Tunc au
tem prouentu ſpontaneo terra fructus locis omnibus inue-
hebat, quoniam is præceperat qui vniuerſorum eſt plenitu-
do. Verbum enim dei fructificabat in terris, nec vllo adhuc
erat terra damnata maledicto. Antiquiora enim mundi na-
ſcentis exordia, quam noſtra peccata ſunt, & recentior cul-
pa propter quam cōdemnati ſumus in ſudore vultus noſtri
panem manducare, ſine dolore alimenta neſcire. Denique
hodiéque fœcunditas terræ veterem affluentiam ſpontaneo
vſu fertilitatis operatur. Quàm multa ſunt enim quæ adhuc
ſponte generantur. Sed etiam in his ipſis quæ manu quærun
tur, magna ex parte manent nobis diuina beneficia, vt fru-
menta ipſa quieſcentibus inferantur. Quod propoſitę docet
lectionis exēplum, dicente domino quia ſic eſt regnum dei
quemadmodum ſi homo iactet ſemen ſuper terram, & ob-
dormiat, inquit, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet,
& increſcat dum neſcit ille. Vltro enim terra fructificat, pri-
mo herbam, deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpi-
ca. Et cùm produxerit fructum, ſtatim mittit falcem, quo-
niam adeſt meſſis. Dormienti igitur tibi ô homo & neſcien-
ti fructus ſuos vltro terra producit. Dormis & ſurgis, & fru-
menti per noctem incrementa miraris.

Mate 4. Genes. 1. Genes. 3. Mare. 4.

De ortu arborum atque roſarum, & quomodo roſa humanæ vitæ ſpeculum præferat. *Caput XI.*

DIximus de herba fœni, nūc dicamus de ligno fru-
ctuoſo faciente fructum ſecundum genus, cuius
ſemen eius in ipſo ſit. Dixit, & facta ſunt: & ſubi-
tò vt ſupra floribus herbarum quæ viriditatibus,
ita hic nemoribus terra veſtita eſt. Concurrerunt arbores,
conſurrexêre ſyluæ, vertices repente montium frōduerunt.
Hinc pinus, hinc cupreſſus in alta ſe extulerunt cacumina, ce
dri & piceæ conuenerunt. Abies quoque non contenta ter-
renis radicibus atque aerio vertice, etiam caſus marinos tu-
to ſubitura remigio, nec ſolū ventis, ſed etiam fluctibus cer-
tatura proceſſit. Necnon & laurus aſſurgens, odorem ſuum
dedit, nunquam ſuo exuenda velamine. Vmbroſæ quoque
ilices verticem protulerunt, inhorrentem comam hybernis
quoque temporibus ſeruaturæ. Hoc enim in ſingulis priui-
legium natura tenuit in reliquum, quod ſub ictu mundi ſur
gētis accepit, & inde manet ſua ilicibus prærogatiua, manet
cupreſſibus, vt nulli venti eas crinis ſui honore deſpolient.
Surrexerat antè floribus immixta teneris ſine ſpinis roſa, &
pulcherrimus flos ſine vlla fraude vernabat: poſtea ſpina ſe-
quta eſt gratiam floris, tāquam humanæ ſpeculum præferens vi-
tæ, quæ ſuauitatem perfunctionis ſuæ finitimis curarum ſti-
mulis ſæpe compungat. Vallata eſt enim elegantia vitæ no-
ſtræ, & quibuſdam ſolicitudinibus obſepta, vt triſtitia adiun
cta ſit gratiæ. Vnde cùm vnuſquiſque aut ſuauitate rationis,
aut proſperioris curſus ſucceſſibus gratulatur, meminiſſe
culpæ eum conuenit, per quem nobis in paradiſi amœnitate
florentibus, ſpinæ mentis, animíque ſentes iure condemna-
tionis adſcripti ſunt. Irrutiles igitur ô homo licet aut ſplen-

A

B

C

D

dore nobilitatis, aut faſtigio poteſtatis, aut fulgore virtutis,
ſemper tibi ſpina proxima eſt. Semper inferiora tua reſpice,
ſuper ſpinas germinas, nec prolixa gratia manet. Breui vnuſ-
quiſque decurſo ætatis flore marceſcit.

De ſingulari vitis commendatione, & quomodo exemplum eius ad noſtræ vitæ inſtitutionem arceſſendum ſit.

Caput XII.

SAnè vt caduca tibi noueris cōmunia eſſe cum
floribus, ita etiam læta cum vitibus, quibus ge
neratur vinū quo cor hominis lætificatur. At- Pſal. 103.
que vtinā ô homo huius generis imitaris ex-
emplum, vt ipſe tibi lætitiam iucunditatémq;
fructifices. In teipſo ſuauitatis tuę gratia eſt, ex te pullulat, in
te manet, intus tibi, id eſt in teipſo quærenda iucunditas tuæ
eſt conſcientiæ. Ideo ait: Bibe aquam de tuis vaſis, & de pu- Prou. 5.
teorum tuorum fontibus. Primum omniū nihil gratius flo-
rentis odore vitis. Siquidem de flore earum ſuccus expreſſus
poculi genus conficit, quod & voluptati & ſaluti ſit. Deinde
quis non miretur ex acini vinacio vitem vſq; in arboris ſum
mum cacumen prorumpere, quam velut quodam amplexu
fouet, & quibuſdam brachiis ligat, & circūdat lacertis, pam-
pinis veſtit, ſertis vuarum coronat? Quæ ad imitationem vi-
tæ noſtræ primum viuam defigit radicem: deinde quia natu
ra flexibilis & caduca eſt, quaſi brachiis quibuſdā, ita & cla-
uiculis quicquid comprehenderit ſtringit, híſque ſe erigit &
attollit. Huius eſt ſimilis plebs eccleſiæ, quæ velut quadam
fidei radice plantatur, & reprimitur humilitatis propagine,
de qua pulchrè ait Propheta: Vineam ex Ægypto trāſtuliſti, Pſal. 79.
& plantaſti radices eius, & arbuſta eius, & repleſti terram,
operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros dei. Ex-
tēdiſti palmites eius vſque ad mare, & vſque ad flumen pro-
pagines eius. Et per Eſaiam ipſe dominus locutus eſt dicens: Eſaiæ 5.
Vinea facta eſt dilecto, in cornu, in loco vberi: & maceria cir
cundedi, & circunfodi vineam Soreth, & ędificaui turrim in
medio eius. Circundedit enim eam velut vallo quodam cœ
leſtium præceptorū, & angelorum cuſtodia. Immittit enim
angelus domini in circuitu timentium eum. Poſuit in eccle- Pſal. 33.
ſia velut turrim apoſtolorum & prophetarum atque docto
rum, qui ſolent pro eccleſiæ pace prætendere. Circunfodit
eam, quando exonerauit terrenarum mole curarum. Nihil
enim magis mentem onerat, quàm iſtius mundi ſolicitudo,
& cupiditas vel pecuniæ vel potentiæ. Quod tibi demōſtra- Lucæ 13.
tur in euangelio, cum legis, quia illa mulier quæ habebat ſpi
ritū infirmitatis, inclinata erat, vt ſurſum reſpicere non poſ-
ſet. Curuata enim erat anima eius, quæ inclinabatur ad terre
na compendia, & cœleſtem gratiam non videbat. Reſpexit
eam Ieſus, & vocauit, & ſtatim mulier onera terrena depo-
ſuit. His cupiditatibus etiā illos oneratos fuiſſe demonſtrat,
quibus ait: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati e- Matth. 11.
ſtis, & ego vos reficiam. Ergo illa anima mulieris quaſi cir-
cunfoſſa reſpirauit, & erecta eſt. Sed eadem vitis vbi circun-
foſſa fuerit, religatur & erigitur, ne reflectatur in terram. Re
ciduntur alia ſarmenta, alia propagantur. Reciduntur quæ
inani effuſione luxuriant, propagantur ea quæ bonus agrico
la iudicauerit fructuoſa. Quid ego adminiculorū ordines,
iugationíſque deſcribam gratiam, quæ verè atque manifeſtè
æqualitatem docent in eccleſia eſſe ſeruādam, vt nemo ſe di
ues aut honoratus extollat, nemo pauper deiiciat, ignobiliſ-
que deſperet? Omnibus ſit in eccleſia par atq; vna libertas.
Omnibus impertiatur iuſtitia communis, & gratia. Ideo tur-
ris in medio eſt, quæ exemplum de illis ruſticanis, de illis cir
cunferat piſcatoribus, qui virtutum arcē tenere meruerunt.
Quorum exemplis noſter erigatur affectus, neque humilis
& deſpicabilis iaceat, ſed vniuſcuiuſque mens ad ſuperiora
ſe ſubrigat, vt audeat dicere: Noſtra autem conuerſatio in Philip. 3.
cœlis eſt. Vnde ne aliquibus procellis ſeculi poſſit reflecti,
& tempeſtate deduci, clauiculis illis & circulis quaſi ample-
xibus charitatis proximos quoſque complectitur, & in eo-
rum coniunctione requieſcit. Charitas eſt igitur quæ nos ſu
perioribus nectit, cœlóque inſerit. Qui enim manet in chari 1. Ioan. 4.
tate, deus in eo manet. Vnde & dominus ait: Manete in me, Ioan. 15.
& ego in vobis. Sicut palmes non poteſt fructū afferre à ſe,
niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego

sum vitis,vos palmites estis.Euidenter igitur exemplum vitis ad nostræ vitæ institutionem accersendum esse signauit: quæ primum veris tepefacta temperie gẽmare perhibetur: deinde ex ipsis sarmentorum articulis fructum emittere:de quibus oriens vua formatur,paulatímque augescens immaturi partus retinet acerbitatem, nec potest nisi matura iam & cocta dulcescere.Vestitur interea viridantibus pampinis vinea, quibus & aduersum frigus omnémque iniuriam non exiguo munitur subsidio,& à solis ardore defenditur. Quid autem eo vel spectaculo gratius, vel fructu eius dulcius,videre serta pendentia velut quædam speciosi ruris monilia, carpere vuas vel aureo colore,vel purpureo renitentes?Hya cinthos cæteráſque gẽmas fulgere existimes,coruscare indicos,albarum emicare gratiam gemmarum.Nec aduertis ex his admoneri te homo ne immaturos fructus tuos dies supremus inueniat, aut plenæ tempus ætatis opera imparata dedeceant? Acerbus enim fructus amarior esse consueuit: nec potest dulce esse,nisi quòd ad maturitatis perfectionem adoleuerit. Huic viro perfecto nec frigus horridæ mortis, nec sol iniquitatis nocere consueuit,quia obũbrat eum gratia spiritualis, & omnia mundanæ cupiditatis & corporeæ libidinis restinguit incendia,defendit ardores.Laudẽt te quicunque conspiciunt,& agmina ecclesiæ velut quædam palmitum serta mirentur, spectent singuli fidelium pulchra animarum monilia,delectentur maturitate prudentiæ,splendore fidei,confessionis decore,iustitiæ pulchritudine,vber-
Psal.127. tate misericordiæ, vt dicatur tibi:Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: eo quòd redundantiam vitis fructiferæ,copiosæ munere liberalitatis imiteris.

De arborum varietate,ac diuersis earum vtilitatibus & ornatibus, fructuúmque suorum atque succorum proprietatibus & medelis. *Caput XIII.*

SED quid ego in sola vite immoror,cùm omnia genera arborũ vtilia sint,alia ad fructum nata,alia ad vsum data? Nam & quibus non est fructus vberior,tamẽ vsus preciosior est.
De cedro. Cedrus suspẽdendis tectorum apta culminibus, eo quòd huiusmodi materies & procera sit spaciis,nec onerosa parietibus.Lacunaribus quoq; comendísque fastigiis habilis est cupressus.Vnde & ecclesia dicit in Cãticis:Trabes domorum nostratum cedrinæ,lacunaria nostra cupressina:in his esse declarãs decora sui ornamenta fastigij,qui quasi trabes verticem ecclesiæ sua virtute sustineant,& fastigiũ eius exornent.Laurus & palma ad insigne victoriæ. Lauro victorum capita coronantur, palma manus
Cantic.7. victricis ornatus est. Vnde & ecclesia ait: Dixi ascendam in palmam,tenebo altitudines eius. Quæ eminentiam videns verbi,& sperans quod ad eius altitudinem possit ascendere, & scientiæ summitatem,dicit:Ascendã in palmam,vt omnia inferiora relinquat, & ad superiora contendat, ad brauium Christi,vt suaues eius fructus carpat, & gustet. Suauis enim
De populo & salice. virtutis est fructus.Populus quoq; coronis arbor vmbrosa victricibus,& salix lenta vitibus habilis vinciendis, quid aliud mysticè declarant,nisi bona esse Christi vincula,quę nocere non soleant,vincula gratiæ,vincula charitatis,vt vnusquisq; suis vinculis glorietur, sicut gloriabatur & Paulus, dicens:
Ad Phil. Paul⁹ vinctus Iesu Christi.His ligatus vinculis dicebat:Quis
Rom.8. nos separabit à charitate Christi? Vinculis nimirũ abstinentiæ,vinculis charitatis. His ligatus vinculis etiam Dauid ait:
Psal.136. De buxo. In salicibus in medio eius suspẽdimus organa nostra,Buxus quoque elementorum apicibus vtilis exprimendis,leui materia vsum manus puerilis informat.Vnde ait scriptura:Scri
Esaiæ 30. be in buxo. Simul vt admoneat te ipsa materia quæ semper viret,nec vnquam foliis exuitur suis,ne vnquam spei tuæ dissimulatione nuderis, sed semper tibi per fidẽ germinet spes salutis.Quid ego enumerem quãta varietas arborum, quàm diuersus in singulis & pulcher ornatus, quàm patulæ fagi, quàm proceræ abietes,quàm comantes pinus,quàm vmbrosæ ilices, quàm populi bicolores, quàm nemorosa & rediuiua castanea, quæ simul vt excisa fuerit, tanquam syluam ex se pullulare consueuit: quemadmodum in arboribus ipsis ætas aut senilis aut nouella deprehenditur:iunioribus enim exiliores rami, antiquioribus validiora & nodosa sunt

A brachia. Illis folia leuigata atque diffusa, istis contractiora & aspera. Sunt etiam arbores quæ senili atque emortua radice successionem sui,si fortè cædantur,reparare non nouerint: aliæ quibus aut iuuentus viret, aut natura fœcundior est,quibus excisio lucro potius quàm detrimento sit, vt per plures sui rediuiua successione reuouentur hæredes. Est etiam quod mireris, ipsis sexus in pomis, est discretio sexus in arboribus. Nam videas palmam quæ dactylos generat, plerunque inclinantem ramos suos,& subiacentem, & cupiscentiæ atque amplexus speciem prætendentem ei arbori quam marem palmam appellant pueri rusticorum. Illa ergo palma fœminea est, & sexum suum subiectioni specie confitetur. Vnde locorum cultores præiaciunt ramis eius dactylorum vel palmarum semina masculorum, quibus illi fœmineæ arbori velut quidam sensus perfunctionis infunditur,& expetiti concubitus gratia repræsentatur. Quo munere donata rursus erigitur, & eleuat ramos suos, & in veterem statum comam suam rursus attollit. De ficu quo- De fic.
que eadem opinio est. Ideoque plerique secundum domeB sticam & fructiferam ficum, agrestem ficulneam feruntur inserere, eo quòd citò fructus fœcundæ illius & domesticæ ficus vel aura tentati aliqua, vel æstu, defluere ferantur in terram. Vnde gnari huius remedij,grossis arboris agrestis alligatis ad illam feracem arborem, medentur eius infirmitati,vt possit fructus proprios reseruare, iam iámque si deforent remedia lapsuros. Quò admonemur velut quodam ænigmate naturæ, non refugere eos qui à nostra fide & consortio separati sunt,eo quòd & gentilis qui fuerit acquisitus, quo grauior fuerit assertor erroris, eo vehementior possit fidei defensor existere. Et si quis de hæreticis conuertatur, velut confirmet eam partem in quam se commutata opinio ne contulerit,maximè si habeat aliquid directum naturæ,vt viuida possit esse eius sententia, si adminiculetur ei attentio sobrietatis,obseruantia castitatis. Profundè ergo circa eum studium tuum,vt similitudine fructiferæ illius ficus de præsentia & coniũctione agrestis illius arboris tuam possis corroborare virtutem. Ita enim tua nec dissoluetur intentio,&
C diligentiæ fructus & gratiæ reseruabitur.Quàm multa sunt autem quæ doceant naturalem duritiam posse diligẽtiæ studio temperari,quibus affert cultus ruralis exemplum.Nam plerunque citò florent mala granata,& fructum afferre non possunt, nisi congruis peritorum remediis excolantur: plerũque succus vanescit interior, & foris species eius pulchra prætenditur. Quæ non immeritò comparatur ecclesiæ,vt Cantic.
habes in Canticis ad ecclesiam dictum: Vt cortex mali puni ci genæ tuæ.Et infra: Si floret vitis, floruerunt mala granata.Ecclesia enim bonum fidei fulgorem confessionisq; prætẽdit,tot martyrum sanguine speciosa:& (quod est amplius) Christi cruore dotata,simul plurimos intra se fructus vsu iustius pomi sub vna munitione conseruans, & virtutum negocia multa complectens.Sapiens enim spiritu celat negocia. Amygdalis quoque hoc genere medicari feruntur agri- De amyg.
colæ,vt ex amaris dulces fiant fructus,vt & terebrent eius radicem arboris, & in medium inserant surculum eius arboris quam Græci πίτυαν, nos piceam dicimus. Quo facto suD ci amaritudo deponitur. Ergo si agricultura conuertit stirpium qualitates,nonne studia doctrinæ,& disciplinæ attẽtio mitigare possunt quaslibet ęgritudines passionum? Nemo ergo positus vel in adolescentię vel in intẽperantiæ lubrico,de sui cõuersione desperet.Ligna plerũque in meliores vertuntur vsus,& nõ possunt hominũ corda mutari? Docuimus nõ solũ inter diuersi generis arbores esse fructuũ diuersitates, sed plerunq; in eadem specie arborum compugnare sibi fructus. Alia enim species masculorum, alia fœmineorum fructuum, sicut de dactylis supra diximus. Quis autẽ possit comprehẽdere varietatem,speciem,gratiámq; pomorum,singularum quoque vtilitatem arborum,fructuum,succorúmque proprietatem quæ cuiq; rei apta videantur,quemadmodum ægris visceribus hominum amariora poma medicentur, & inflationem asperitatémque interiorem temperent, quemadmodum rursus humorum aspera, pomorũ dulcibus temperentur? Deniq; ea medicina antiquior, quæ herbis curare consueuit & succis,nec vlla firmior sanitas,quàm quæ salubribus

837

bribus reformatur alimentis. Vnde secundum naturam do-
cemur quia sola nobis esca medicina est. Herbis certè vlce-
ra aperta clauduntur, herbis curantur interna. Ideoque me-
dicorum est opus, herbarum potestates noscere. Hinc enim
medendi vsus inoleuit.

De simplicium pomorum differentia, foliorúmque diuersitate.
Caput XIIII.

SED vt ad simplicia poma reuocemus stylum,
alia sunt quæ coquuntur sole, alia quæ testis
aut corticibus clausa complentur. Mala & pi-
ra, vuarum quoque genera omnia nuda obie-
cta sunt soli: nucis autem & node nucleíque
fructus, & testa opertus & cortice alitur, tamen & ipse calo
re solis nascitur, atque nutritur: & quantum pinea densitate
nucleus absconditur, tanta deinde domini prouidentia, vt v-
bi mollior fructus, ibi folij densitudo validius tegumentum
tuendo deferat pomo, quod videmus in fructu ficulneæ. De
licatiora itaque validioribus munienda sunt, vt & ipse quo-
que dominus per Hieremiam docet, dicens: Sicut ficus istas
Hier.24. bonas recognoscam translatos Iuda, quos emisi de loco isto
in terram Chaldæorum in bona, & cõfirmabo oculos meos
super illos in bona. Tanquam delicatos enim velut quodam
misericordiæ suæ validiori sepsit tegmine, ne teneri fructus
maturius interirent. Denique de ipsis etiam in posterioribus
Baruc 4. dicit: Delicati mei ambulauerunt vias asperas. Quibus infra
Ibidem. ait: Cõstantes estote filij, & proclamate ad deum. Hoc enim
solum aduersus omnes procellas atque iniurias inuiolabile
tegmen, impenetrabile munimentũ est. Vbi ergo teneri fru-
ctus, ibi crassiora tegmina & munimenta foliorum. Contra
autem, vbi fructus validiores, ibi teneriora folia, vt malus ar-
bor docet. Fructus enim validus non multo indiget prote-
ctionis auxilio. Nã ipsa protectionis crassioris vmbra pomo
nocere plus posset. Deniq; doceat nos pampinus naturæ gra
De pam- pino. tiam, & diuinæ sapientiæ interna mysteria. Videmus enim i-
ta scissum atque diuisum, vt trium foliorum speciem videa-
tur ostẽdere: ita pars media distincta est, vt nisi inferioribus
hæreret, separata spectantibus videretur. Ea autem ratio vi-
detur seruata naturæ, vt & solẽ facilius admittat, & vmbram
obtexat. Denique procerius media pars eius extenditur, &
in ipsa summitate tenuatur, vt plus pulchritudinis quàm te-
gumenti præferat. Etenim brauij speciem videtur effingere,
significans quod vua inter pendẽtes cæteros fructus habeat
principatum, cui tacito quodam iudicio naturæ, sed euiden-
ti indicio innascitur species & prærogatiua victoriæ. Secum
igitur habet brauium suum, quo & munimen sibi præbetur
aduersum iniurias, atque aeris pariter imbriúmque violen-
tiam: & impedimentum non affertur ad recipiendum solis
De foliis, ficulneæ. calorem, quo tepefacta alitur, coloratur, augetur. Ficulneæ
quoq; folium æquè prope vt pampinus quadrifida interscin-
ditur diuisione: quod eò clarius videtur, quo maius est fo-
lium: sanè non ita vt pampinus vel ora omni, vel summitate
crispanti. Sicut enim in ficulneæ folio crassitudo validior, ita
in pampino species elegantior. Crassitudo igitur folij profi-
cit ad tempestatis iniuriam repellendã, intercisio ad fructus
gratiam vaporãdam. Denique hoc genus pomi grandinem
non citò, maturitatem citò sentit: quia & latere videtur ad-
uersum iniurias, & patere ad gratiam. Quid ego foliorũ de-
scribam diuersitates, quemadmodum alia rotunda, alia lon-
giora, alia flexibilia, alia rigidiora sint, alia nullis facilè ven-
tis labentia: alia quæ leui motu decutiantur aurarum?

Quod inexplicabile sit singularum rerum exquirere proprieta-
tes, & de varia mutatione ipsius aquæ, quæ omnium virgulto
rum nutrix est. De discrepãtia quoque lachrymarum arborum,
quæ eiusdem aquæ alluuione generantur: ac tandem de diffusio
ne perscrutationis excusatione. *Caput XV.*

INexplicabile est singularum rerum exquire-
re proprietates, & vel diuersitates earum ma-
nifesta testificatione distinguere, vel latentes
occultásque causas indeficiẽtibus aperire do-
cumentis. Vna nempe atque eadem est aqua,
& indiuersas plerunque sese mutat species, aut inter arenas
flaua, aut inter cautes spumea: aut inter nemora viridantior,
aut inter florulenta discolor, aut inter lilia fulgentior, aut in
ter roseta rutilantior, aut in gramine liquidior, aut in palude
turbidior, aut in fonte perspicacior, aut in mari obscurior, as
sumpto locorum quibus influit colore decurrit. Rigorem
quoque pari ratione commutat, vt inter vaporantia feruеat,
inter vmbrosa frigescat, sole repercussa exæstuet, niuibus ir-
rigata glaciali humore canescat: quemadmodum sapor eius
ipse conuertitur, vt nunc asperior, nunc amarior, nunc vehe-
mentior, nunc austerior, nunc dulcior pro specierum quali-
tate quibus infusa fuerit aqua, varietur. Asperatur in matu-
rioribus succis, tonso cortice nucis, foliisque contritis, amar-
ior fit absinthio, vino vehementior, austerior allio, grauesc-
cit veneno, melle dulcescit. Si verò ei lentiscum, terebinthi
quoq; fructus, vel nucis interior pars misceatur, in olei mol-
lem naturam facile transfunditur. Cùm sit autem nutrix o-
mnium virgultorum, diuersos singulis vsus ministrat. Si ra-
dices alat, vel nubibus fusa descendat, discretas dat omnibus
vires, radicem impinguat, caudicem prouehit, ramos diffun-
dit, folia viresсere facit, fructuum alit semina, pomum auge-
re consueuit. Ergo cùm eadem sit omnium nutrix, alia arbo-
rum genera tristiores ferunt succos, alia dulciores, alia tar-
dos, alia præmaturos. Ipse quoque inter se discrepant suaui-
tates. Alia suauitas in vinea, alia in olea, alia in cerasis, alia in
ficu: discreta in malo, dispar in dactylo. Tactus ipse aquæ ali-
bi suauis, alibi asperior, plerunq; pinguior est. Pondere quo-
que distat frequẽter, vt specie. Nam plerisque locis grauior,
plerisque leuior æstimatur. Non mirum igitur si cùm ipsa à
se discrepet, discrepant etiam inter se lachrymæ arborum
quæ eiusdem aquæ alluuione generantur. Et cùm vna sit o-
mnium causa diuersus singulorum vsus, diuersa natura est.
Aliam vim habet cerasi arboris lachryma, aliam lentisci. Di-
sparem quoque balsami guttam odorata Orientis ligna su-
dare produntur, diuersum quoque lachrymarum genus vir-
gulta ferularum in Ægypto ac Libya quadam vi naturæ se-
cretioris illachrymant. Quid autem tibi referam (clemẽtem
licet esse sermonem) quod electrum lachryma virgulti sit, &
in tãtæ materiæ soliditatem lachryma durescat: Nec leuibus
id asseritur testimoniis, quando folia, aut surculorum minu-
tissimæ portiones, aut exigua quædam animantium genera
in electro sæpe reperiantur, quæ videtur, cùm adhuc gutta es
set mollior, recepisse, & solidata tenuisse. Sed quid ego vili
sermone decerno cùm alta atque preciosa ratione naturæ,
cum isto sermone humanum alatur ingenium, naturam au-
tem omnium prouidẽtia diuina formauerit? Vnde velut ha-
benis quibusdam verborum cohibẽda diffusio est, ne quod
Salomoni specialiter sapientiæ munere diuinitus videtur es-
se collatum, vsurpatoriè videamur exponere differentias ar-
borum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconditа
& improuisa, sicut scriptum est: quæ nec ab ipso tamen ma- Sapien.7.
nifesto produntur, vt mihi videatur potuisse eum disputare
de virgultorum generibus, non potuisse tamen plenius omne
secretum creaturæ explicare ratione.

Quemadmodum ad verbum domini, quod omni aquarum cursu
est redundantius, subitò omnis virgultorum creatura efflorue-
rit, & victum atque medelam ministrauerit. Quomodo præter-
ea vniuersa gignentia aut semina habeant, aut aliqua quæ cum
virtute seminum videantur conuenire. Ac de magna dei vir-
tute in singulis. *Caput XVI.*

QVOD si irriguis aquarum plerunque & se-
getes lætiores sunt, & virides fabæ, & ortо-
rum multiplex susцitatur & resuscitatur gra-
tia, si viridãtibus thoris fluuiorum exundan-
tium ripa decoratur: quemadmodum ad ver
bum domini, quod omni aquarum cursu est
redundantius, subitò creatura virgultorum omnis efloruit?
Festinarunt campi non commissam sibi frugem edere, igno
rata orti olerum genera, florum miracula germinare, ripæ
fluminum se vestire myrtetis: properauerunt arbores citò
surgere, citò se flore induere, victum hominibus, pecori pa-
bulum ministrare. Fructus cõmunis est omnibus, vsus quo-
que est datus omnibus. Simul vtrunque arbores germina-
runt, aliud quo vesceremur, aliud quo refrigerante vmbra
defenderemur à sole. Cibus in fructibus, amœnitas in foliis:

tamen quia præscia erat prouidẽtia creatoris, quòd fructum sibi maximè humana auiditas vindicaret, reliquis prouidit animantibus, vt specialem his donaret alimoniam. Itaque esca his nõ mediocris in foliis est, corticibúsque syluestribus: ea quoque quæ ad vsum medendi proficerent, id est succi, lachrymæ, surculi, pariter ministrata sunt. Itaq; illa quæ post experimento, vsu, & exemplo vtilia cognouimus, ea à principio creaturæ vsui apta donauit præscientia diuinæ maie-
Genes.1. statis, & de sinu terrarum iussit exire. Et quia iussit dominus vt germinaret terra herbam fœni, & lignum fructiferum faciens fructum secundum genus suum, cuius semen eius in eo: ne fortè quis dicat in multis arboribus neque fructum, neq; semen videri, & putet diuinum in aliquo vacillare præceptum, vt à veritate sit dubium: illud aduertat, quia nequaquam fieri potest vt non aut seminibus vtantur vniuersa gignentia, aut habeant aliqua quæ videantur cum virtute seminum conuenire. Idque, si quis diligenter intendat, manifesta testificatione poterit comprehendere. Nihil videntur seminis habere salices, habent tamen in foliis granum quod dam quod habeat virtutem seminis, vt eo commisso terris, tanquam posito surgat arbor de surculo, & tanquam de semine se exuscitet grano. De grano itaque illo radix primum coalescit, de radice pullulat non solum salicis, sed etiam reliquarum ad similitudinem huiusmodi generis arborum sylua. Habent autem & radices virtutẽ seminis: vnde plerique ea satione incremẽtum sui nemoris propagauerunt. Magna dei virtus in singulis. Nec miretur aliquis si in virgultis magnam dei dixi esse virtutem. Si quidem magnam suam virtutem dixit in locustis esse & brucho, eo quòd diuinæ maiestatis offensa magno moderamine sterilitatis Iudaicæ atque inopiæ solueretur. Magna enim virtus sapientia, magna virtus prouidentia. Indigni etenim erant, qui vterentur fœcunditate terrena, qui terrarum læserant creatorem. Et verè magnus, qui miserabili fame nefas tantæ impietatis vlciscitur. Itaque si magna virtute dei sterilem bruchum terra generauit, quanto magis virtute magna quæ fœcunda sunt procreat? Quis pineam videns non stupeat tantam diuino præcepto artem inolitam impressamque naturæ: quemadmodum ab ipso centro distantibus licet mensuris pari assurgat glutino, quo proprios fouet fructus? Itaq; per circuitum eadem species, & ordo seruatur, & quidam in singulis plagis nucleorum partus exuberat, atque in orbem redit fructus gratia. Itaque in pinea ista imaginem sui natura videtur exprimere, quæ à primo illo diuino cœlestique mandato priuilegia accepta custodit, & partus suos quadam annorum vice & ordine reseruat, donec consummatio temporis impleatur. Sed vt in hoc fructu gratam speciem sui signat, ita etiam in myricis, id est humilibus virgultis figuram improbæ calliditatis expressit. Sicut enim duplici corde viri vbique præsto sunt, & gratiam simplicitatémque apud bonos prætendunt, & vitiosissimis glutinantur: ita etiam in aquosis & in desertis contrario quodam vsu hæc virgulta nascuntur. Vn-
Hier.27. de & Hieremias dubia morum atq; insyncera myricis comparauit.

De reprehensione surditatis humani cordis, & de incomprehensibili admirandáque dei etiam in paruis prouidentia. De primo quoque cultore vitium, & commendatione vini.

Caput XVII.

Genes.1. Germinet, inquit, terra herbam virentem.) Et statim omni surgẽte germine terra completa est. Et
Deut.6. homini dicitur: Dilige dominum deum tuum: & non est charitas dei omniũ infusa visceribus. Surdiora corda hominum sunt, quàm dura saxorum. Terra indebitos fructus nobis ministrat, dum obsecundat authori: nos debitum munus negamus, dum non veneramur authorem. Vide in paruis quæ prouidentia sit dei: & quia comprehendere non potes, mirare quomodo alia semper florentia reseruauerit, alia mutationes habere voluerit expoliationis & amictus. Inter cana niuium, pruinas frigorũ, viriditatem suam arua conseruant: & cum ipsa tecta sint gelu, partus sui tamen haud exiguam speciem viriditatis obtexunt. In ipsis quoque generibus arborũ quæ diuturnis frondibus vestiuntur, non mediocris distantia est. Seruat indumentum suum semper olea vel pinus, sed tamen folia sua sæpe commutant: nec ea quasi diuturna, sed quasi succedanea prætendunt suæ arboris pulchritudini, perpetui integritate vestitus vice meneris obumbrantes. Palma autem virens semper manet, conseruatione & diuturnitate, nõ immutatione foliorum. Nam quæ primo germinauerit folia, ea sine vlla substitutionis successione conseruat. Imitare ergo eam ô homo, vt dicatur & tibi: Statura tua similis facta est palmæ. Seruа viriditatem pueritiæ tuæ, & illius innocentiæ naturalis quam à primordio recepisti, vt plantatus secus decursus aquarum, fructum tuum in tempore tuo habeas præparatum, & folium tuum non defluat. Hanc viriditatẽ gratiæ semper florentis in Christo secuta ecclesia dicit: In vmbra eius confugi, & sedi. Hanc prærogatiuam doni virentis acceperunt & Apostoli, quorum nec folium vnquam potuit elabi, vt eorum etiam vmbra curaret ægrotos. Obumbrabat enim infirmitati corporis, fides mentis, & florentia merita virtutũ. Mane ergo plantatus in domo domini, vt in atriis eius sicut palma floreas, & ascendat in te gratia ecclesiæ, vt sit odor narium tuarum sicut mala, & fauces tuæ sicut vinum optimum, vt inebrietis in Christo. Bene admonuit iste versiculus reperere penè intermissum, quia diximus præcepto domini vitem etiam pullulasse, quam post diluuium à Noe plantatam esse cognouimus. Sic enim habes, quia Noe agricola erat terræ, & plantauit vitem, & bibit de vino eius, & obdormiuit. Non ergo Noe author est vitis, sed plantationis. Neque enim nisi eam reperisset ante generatam, plantare potuisset. Cultor ergo non author est vitium. Deus autem qui sciret quod vinum sobriè potatum sanitatem daret, augeret prudentiam, immo dicè sumptum ad vitia causas daret: creaturam dedit, abundantiam humano arbitrio reseruauit, vt parsimonia naturæ esset magisterium sobrietatis: abundantiæ noxium, lapsúmque temulentiæ sibi adscriberet humana conditio. Denique & ipse inebriatus est Noe, & obdormiuit consopitus à vino. Itaque per vinum patuit deformitati, qui per diluuium excreuit ad gloriam: sed dominus & in eo creaturæ suæ gratiam reseruauit, vt eius fructum nobis conuerteret ad salutem, ac per eum nobis remissio peccatorum proueniret. Vnde piè Isaac dixit. Odor Iacob, odor agri pleni, id est naturalis odor. Quid enim pleno rure suauius? Quid vitis odore iucundius? Quid fabæ flore gratius? Vnde quanuis ingeniosè quis ante nos dixerit, non vitem aut ficum patriarcha olebat, aut frugem, sed virtutum spirabat gratiam: ego tamen & odorem ipsum terræ simplicem atque syncerum pro gratia benedictionis accipiam, quam fraus nulla cõposuit, sed veritas indulgentiæ cœlestis infudit. Denique inter benedictiones sacratissimas computatur vt contribuat nobis dominus à rore cœli vim vini, olei, atq; frumenti. Cui est honor, laus, & gloria, perpetuitas à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

CAPITA QVARTI LIBRI HEXAEMERON.

De pulchrè introducta exhortatione, vt cùm in lectione eruendus sit Sol, oculi & aures emundentur, & Sol ipse cautè aspiciatur, ne deus esse credatur, sed ex eius admirabilitate & laude creator ipsius admiretur atque laudetur, qui terram fecit etiam sine Sole esse posse fœcũdam, vt & ipsa natura voce quadam suorum munerum testatur. Caput I.

Qua ratione etiam auris sit emundanda, ac cœlestibus oraculis admouenda. Et quam ob causam facta sint luminaria, quodque non sint fœcunditatis terrarum authores, sed deus pater per dominũ Iesum omnia liberalitate fertilitatis impertiat. Quomodo præterea intelligendum sit propheticum illud: Fecit Solem in potestatem diei, & Lunam in potestatem noctis. Caput II.

De dubitatione quæ occurrere posset circa discretionem inter diem & noctem, ac lucem & tenebras: & de solutione eiusdem. Caput III.

Quomodo luminaria facta sint in signa, & de acuta ac diffusa confutatione quorundam tentatium exprimere natu-

841 tiuitatum qualitates:qualis videlicet futurus sit vnusquisque qui natus sit. Caput IIII.
Quemadmodum prætacta luminaria sint & in tempora, & in dies,& in annos. Caput V.
Quomodo duo luminaria superius commemorata, magna dici possint,& de magnitudinis eorum probatione,mendacique aspectus nostri iudicio . De admirando quoque solis moderamine ac temperamento. Caput VI.
Quòd Luna quædam similia habeat cum Sole eius consorte ac fratre:pleraque etiam ab eo distincta. Caput VII.
De mysterio defectus & minutionis Lunæ.De eius quoque laude,ac derisione eorũ qui eam magicis carminibus deduci posse credunt. Caput VIII.
De clausione quarti diei, cum redargutione eorum qui numerum quartum cauere consueuerunt. Caput IX.

Diui Ambrosij

EPISCOPI MEDIOLANENSIS

Hexaemeron Liber quartus:de die quarto.

De pulchrè introducta exhortatione, vt cum in lectione exoriendus sit Sol,oculi & aures emundentur, & Sol ipse cautè aspiciatur,ne deus esse credatur:sed ex eius admirabilitate & laude creator ipsius admiretur atque laudetur, qui terram fecit etiam sine Sole esse posse fœcundam:vt & ipsa natura voce quadam suorum munerum testatur. Caput I.

VI vindemiam colligit,vasa prius quibus vinum infunditur , mundare consueuit,ne sordes aliqua vini gratiam decoloret.Quid enim prodest ponere vitem ordine, fodere quorannis, aut aratris sulcos ducere,putare,subrigere,adiungere vlmis,& quodam cõnubio copulare,si tanto labore vina quæsita,in vase coacescant? Matutinos quoque solis ortus si quis spectare desiderat,emundat oculos suos,ne quid pulueris, ne quid purgamentorum oculis eius insideat,quo intuentis hebetetur obtutus , néve aliqua caligo nebulosa corporeos visus spectantis obducat. Nobis in lectione exoriendus est sol , qui antè non fuerat. Primum iam diem sine sole transiuimus:secundum sine sole transegimus:tertium sine sole confecimus:quarto die iubet deus fieri luminaria,solem,& lunam,& stellas.Sol incipit:emunda oculos mentis ô homo animique interiores obtutus , ne qua festuca peccati aciem tui præstringat ingenij, & puri cordis turbet aspectum.Emunda aurem,vt vase syncero scripturæ diuinæ nitida fluenta suscipias,ne qua ingrediatur contagio. Præcedit sol, magno iubare diem , magno mundum complens lumine,vaporans calore.Caue ô homo solam eius perpendere magnitudinem,ne nimius fulgor eius visus tuæ mentis obcæcet : & qui è regione in radium eius intendit,repercusso lumine omnem subitò amittit aspectum:ac nisi in cæteras partes vultum suum oculósque conuertat,æstimat se nihil videre,& intuendi munere esse fraudatum:si verò deflectat obtutũ,integrum sibi officium perseuerat.Caue igitur ne & tuum radius eius exoriens confundat aspectum.Et ideo prius firmamentum cœli aspice,quod ante solem factum est:terram aspice,quæ ante quàm sol prodiret,cœpit esse visibilis atque composita:germina eius aspice, anteriora solis lumine . Anterior rubus quàm sol , antiquior herba quàm luna. Noli ergo deum credere, cui vides dei munera esse prælata . Tres dies transacti sunt, & solem nemo quæsiuit, & luminis claritas abundauit . Habet enim & dies suam lucem , quæ præcursor est solis. Non igitur te tanto splẽdori solis temerè cõmittas.Oculus est enim mundi,iucunditas diei,cœli pulchritudo,naturæ gratia,præstantia creaturæ.Sed quando hunc vides , authorem eius considera:quando hunc miraris,lauda prius ipsius creatorem. Si tam gratus est sol,qui cõsors & particeps est creaturæ:quàm bonus est sol ille iustitiæ?Si tam velox iste, vt rapidis cursibus die ac nocte lustret omnia:quantus ille,qui vbique semper est,& maiestate sua complet omnia ? Si admirabilis qui iubetur exire : quàm supra admirationem qui dicit soli, & non exoritur,vt legimus?Si magnus est qui per horarum vices locis aut accedit, aut decedit quotidie : qualis ille, qui etiam cùm se exinaniret,vt nos eum possemus videre,erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Si præstantissimus qui obiectu terræ patitur sæpe defectus:quantæ maiestatis qui ait: Adhuc semel ego mouebo terram ? Illum terra abscondit, istius motum non potest sustinere , nisi voluntatis eius substantia fulciatur.Si cæco dãnum est huius solis gratiam non videre,quanto magis peccatori damnum veri luminis munere defraudatum,perpetuæ noctis tenebras sustinere? Ergo cùm vides solem , attende terram, quæ antè fundata est : attende herbam fœni,quæ præstat ordinis priuilegio:attende ligna quæ plaudunt quod priora luminibus cœli esse cœperunt.Nunquid merita fœni maiora quàm solis?aut nunquid potior ligni prærogatiua ? Absit vt insensibilia tanti muneris præferamus ministro . Quid igitur præuidit altitudo sapientiæ & scientiæ dei,vt prius inciperẽt ligna esse,quàm illa duo mundi luminaria,& quidem cœlestis oculi firmamenti,nisi vt cognoscerent omnes diuinæ testimonio lectionis terram sine sole posse esse fœcundam ? Nam quæ potuit sine sole prima rerum semina germinare, potest vtique semina accepta nutrire, & proprio fotu sine calore solis partus edere . Hac igitur voce quadam suorum munerum clamat natura : Bonus quidem sol,sed ministerio,non imperio:Bonus meæ fœcunditatis adiutor , sed non creator : Bonus meorum altor fructuum,sed non author. Interdum partus meos & ipse adurit,frequenter mihi & ipse damno est,plerisque me locis indotatam relinquit.Non sum ingrata conseruo,mihi est in vsum datus,mecum labori est mancipatus, mecum subiectus est vanitati,mecum corruptionis subditus seruituti.Mecum congemiscit & comparturit, vt veniat adoptio filiorum , & humani generis redemptio,qua possimus & nos à seruitio liberari:Mecum assistens laudat authorem:mecum hymnum dicit domino deo nostro . Vbi maior est gratia , ibi mecum est ei commune consortium.Vbi sol benedicit,ibi terra benedicit.Benedicunt ligna fructifera,benedicunt pecora,benedicunt volucres . In mari positus illum nauta accusat,me desiderat:in montibus illum pastor declinat,ad mea germina, ad meas festinat arbores , quibus exæstuans obumbretur,ad meos fontes sitiens & lassus accurrit.

Qua ratione etiam auris sit emundanda,ac cœlestibus oraculis admouenda. Et quam ob causam facta sint luminaria. Quódque non sint fœcunditatis terrarum authores, sed deus pater per dominum Iesum omnia liberalitate fertilitatis impertiat. Quomodo præterea intelligendum sit propheticum illud:Fecit Solem in potestatem diei,& Lunam in potestatem noctis. Caput II.

SED ne oculorum tibi exiguum videatur esse testimonium, emunda aurem , admoue eam cœlestibus oraculis . Duobus enim & tribus testibus stat omne verbum . Audi dicentem: Fiant luminaria in firmamento cœli ad illuminationem terræ.) Quis hoc dicit? Deus dicit. Et cui dicit nisi filio?Deus ergo pater dicit: Fiat sol.& filius fecit solem . Dignum enim erat vt solem mundi faceret sol iustitiæ.Ipse ergo eum in lumen adduxit,ipse eum illuminauit,ipse ei donauit fundendi luminis potestatem.Factus est ergo sol:ideo & ipsi seruit,quoniam dictum est: Fundasti terram, & permanet. Dispositione tua permanet dies, quoniam vniuersa seruiunt tibi . Etenim cui dies seruit , quomodo non seruit sol, qui factus est in potestatem diei?Quomodo non seruit luna, & stellæ,quæ factæ sunt in potestatem noctis? Etenim quanto maiorem his gratiam creator donauit , vt aer solito amplius solis claritate resplendeat,dies serenus luceat,noctis illuminentur tenebræ, per lunæ stellarúmque fulgorem cœlum velut quibusdam floribus coronatum ita ignitis luminaribus micet,vt paradiso putes vernante depictum,spirantium rosarũ viuis monilibus renitere: quanto igitur amplius his decoris videtur esse collatum,tanto amplius debent.Cui enim plus committitur,plus debet.Et ideo bene à plerisque

Matth.18. Deut.17. Genes.1. Psal.118.

ornamentum cœli est nuncupatum, eo quòd sit stellarum monile precioſum. Atq; vt sciamus quia fertilitas terrarum non calori solis adscribitur, sed diuinæ indulgentiæ deputatur, ait Propheta: omnia à te expectant vt des illis escam in
Psal.103. tempore: dante te illis, colligent sibi: aperiente te manum tuam, vniuersa implebuntur vbertate. Et infra: Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Et in
Matth.6. euangelio: Cõsiderate volatilia cœli, quia neque serunt, nec metunt, & pater vester cœlestis pascit illa. Non ergo sol aut luna fœcunditatis authores sunt, sed deus pater per dominum Iesum omnibus liberalitatem fertilitatis impertit. Pul
Psal.103 chrè autem exposuit nobis Propheta quid sit quod ipse ait: Quia fecit deus solem in potestatem diei: & lunam in potestatem noctis. Nam & in isto psalmo centesimotertio, de quo supra diximus, scripsit: Fecit lunam in tempora, sol cognouit occasum suum. Cùm enim dies horas suas complere cœperit, sol debitũ sibi cognoscit occasum. Est ergo in diei potestate sol, & luna in potestate noctis, quæ temporum vicibus obedire compellitur, & nunc impletur lumine, atque vacuatur: licet plerique hunc locum mysticè de Christo & ecclesia videantur accipere, quod agnouit Christus proprij
Ioan.17. corporis passionem, qui ait: Pater, venit hora, clarifica filium tuum: vt ille occasu suo omnibus donaret vitam æternam, qui perpetuæ mortis vrgebantur occasu, & ecclesia tempora sua habeat, persecutionis videlicet & pacis. Nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest: quia aliquorum quidem in persecutionibus discessione minuitur, vt martyrum confessionibus impleatur: & effusi pro Christo sanguinis clarificata victoriis, maius deuotionis suæ & fidei toto orbe lumẽ effundat. Nan que luna luminis imminutionem habet, non corporis, quan do per vices menstruas deponere videtur lumen suum, vt mutuetur à sole: quod facile puro aere atq; perspicuo, quando nulla eam obducta nebula caligantem facit, colligi potest. Orbis enim lunæ integer manet, & si non similiter totus vt pars eius effulgeat. Et qualis videri solet cùm plenus est luminis, talis est magnitudine, sed per vmbram quãdam
*viduatus. lumine suo vt videatur * apparet. Inde cornua eius refulgent, quia corpus eius in orbem diffunditur, & velut deficiente portionis luce sinuatur.

De dubitatione quæ occurrere posset circa discretionem inter diem & noctem, ac lucem & tenebras: & de solutione eiusdem. Caput III.

Genes.1. MOuere autem potest quod ait: Vt fiant luminaria ad illuminationem super terram quæ discernant inter diem & noctem.) Quia & supra iã vbi lumen fecit, dixerat: Separauit deus inter lucem ac tenebras, & factum est vespere & manedies vnus. Sed cõsideremus quia aliud est lumen diei, aliud lumen solis & lunæ, & lumen stellarum, eo quòd sol ipse radiis suis fulgorem diurno lumini videatur adiũgere: quod vel ortus diei potest prodere, vel occasus. Nam ante solem lucet quidem, sed non refulget dies, qui amplius quoque meridiano sole resplendet. Quod ostendit Prophe-
Psal.36. ta dicens: Et educet sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum sicut meridiem. Non solùm enim lumini, sed etiam meridiano lumini sancti iustitiam comparauit. Deinde, non solum vnum signum, sed etiam duo voluit esse diurnę discretionis atque nocturnæ, vt & lux discretionem faciat, & solis exortus: & iterum lucis defectus, & stellarũ ortus, inter occasum diei distinguat, & noctis exordium. Nam vbi occiderit sol, manet tamen adhuc aliquid reliquiarum diei, donec tenebræ terram operiant: & tunc luna oritur & stellæ. Et de nocte quidem apertè liquet, quia luna & stellarum illuminatio noctis spacia testantur. Siquidem per diem fulgorem illum lunarem, stellarúmque omnium, sol exortus abscondit. De die autem vel ipsa solis flagrantia docere nos potest, diuersam diurni luminis & solis esse naturam, & ipsam esse speciẽ discolorem. Simplex est enim lucis species, vt lumen præbeat. At verò sol non solùm virtutem illuminandi habet, sed etiam vaporandi: igneus est enim. Ignis autem & illuminat, & exurit. Vnde dominus volens Moysi ostendere suę operationis miraculum, quo eum ad obediendi studium pro-

uocaret, atque ad fidem inflammaret eius affectum: in igne visus est in rubo, & rubus non exurebatur, sed tantùm splen Exod.3.
dere ignis species videbatur. Alterum igitur munus ignis vacabat, alterum operabatur. Vacabat exustionis vis, operabatur illuminationis. Ideo stupebat Moyses, quia contra naturam suam ignis non exurebat rubum, qui etiam vehementiorem materiem consueuit exurere. Sed domini ignis illuminare solet, ꝙxurere nõ solet. At fortè dicas, quomodo scriptum est: Ego sum ignis consumens? Bene admonuisti. Non Deut.4.
solet consumere, nisi sola peccata. In retributionibus quo- Hebræ.
que meritorum colligimus diuidi ignis naturam, vt alios illuminet, alios exurat: illuminet iustos, exurat impios. Non eosdem quos illuminat, exurit: & quos exurit, illuminat: sed illuminatio eius inextinguibilis est ad perfunctionem bonorum: exustio vehemens ad supplicia peccatorum. Sed reuertamur ad discretionem diei ac noctis. Oriente diei lumine nox fugatur, decedẽte die nox infunditur. Non est enim 2.Cor.6.
luci societas vlla cum tenebris, siquidem naturali lege hoc dominus in prima operatione sua constituit. Etenim quando lumen fecit deus, & discretionem fecit inter lucem ac tenebras. Denique in ipso die iam sole infuso terris, videmus vmbram vel hominis vel virgulti alicuius à lumine separari, vt mane ad occasum dirigatur, vesperi retorqueatur in Orientem, meridianis horis ad septentrionem inclinetur: lumini tamen non confunditur atque miscetur, sed cedit & refugit. Similiter & nox cedere videtur diei, & se ab eius lumine declinare. Est enim, vt peritiores probarunt qui nobis vel ætate vel munere præcucurrerunt, vmbra terræ. Naturaliter enim vmbra corpori adhæret atque adiungitur, adeo vt etiam pictores vmbras corporum, priusquam pinxerint, nitantur exprimere, idque artis esse asserant, non intermittere vim naturæ: & quasi naturalis iuris præuaricator habeatur, cuius pictura non etiam vmbram suam exprimat. Ergo sicut in die, cum è regione solis aliquod corpus occurrit, ex ea parte qua lumen repercutitur, vmbra subsistit, sic cùm decedente die è regione luminis eius aut solis terræ obiectus occurrit, obũbratur aer. Vnde liquet quod noctem faciat vmbra terrarum.

Quomodo luminaria facta sint in signa, & de acuta ac diffusa confutatione quorundam tentantium exprimere natiuitatum qualitates, qualis videlicet futurus sit vnusquisque qui natus sit. Caput IIII.

FEcit ergo solem, & lunam, & stellas, & præstituit illis mensuras temporum, soli diurnas, lunæ stellísque nocturnas, vt iste augeat diei gratiam, illæ vmbram tenebrásque illuminẽt. Et sint in signa, Genes.
& in tẽpora, & in dies, & in annos.) Diuisa tempora habent, paréſq; mensuras pro mensium vicibus sol & luna cum stellis, & sunt in signa. Non possumus negare quod ex sole & luna signa aliqua colligantur, nam & dominus dixit: Et erunt Luc.21.
signa in sole, & luna, & stellis. Et quærentibus apostolis signum aduẽtus eius, respondit: Sol obscurabitur, & luna non Matth.24.
dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo. Hæc dixit fore signa futuræ cõsummationis: sed conueniens debet curæ nostræ mensura seruari. Denique nonnulli natiuitatum tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus sit vnusquisque qui natus sit: cum hoc non solum vanum, sed etiam inutile sit quærentibus, impossibile pollicentibus. Quid enim tam inutile, quàm vt vnusquisque persuadeat sibi hoc esse quod natus est? Nemo ergo debet vitam suam, statum morésque mutare, sed eniti quo melior fiat. Sed in ea persuasione neq; probum potes laudare, nec cõdemnare improbũ, qui necessitati natiuitatis suæ respondere videatur. Et quomodo dominus aut præmia proposuit bonis, aut improbis pœnas, si facit necessitas disciplinã, & conuersationem stellarum cursus informat? Et quid est aliud quàm hominẽ de homine excuere, si nihil moribus, nihil institutioni, nihil studiis derelinqui tur? Quàm multos videmus ereptos criminibus atq; peccatis in meliorẽ statum esse conuersos? Redempti sunt apostoli, & congregati ex peccatoribus: non vtique natiuitatis suæ hora, sed Christi eos sanctificauit aduentus, & hora domini- Luc.23.
cæ passionis redemit à morte. Latro ille dãnatus capitis, ille cum domino crucifixus, nõ beneficio natiuitatis suæ, sed fi-

dei

Ionæ 1. dei confessione ad paradisi æterna transiuit. Ionam in mari non vis natiuitatis, sed dissimulatio diuinæ præceptionis præcipitauit & offensa, eundémque eius excipiens, ad indicium futuri mysterij post triduum reuomuit & prophetiæ merito gratiæ reseruauit. Petrum de carcere imminenti morte perimendum angelus Christi, non stellarum series liberauit. Paulum cæcitas cõuertit ad gratiam, & percussum à vipera, turbatúmque naufragio, non remedia natiuitatis, sed deuotionis merita seruauerũt. Quid de illis dicimus, qui eorum precibus, cum fuissent mortui, resurrexerũt? Vtrum illos sua natiuitas, an apostolica gratia resuscitauit? Quid opus fuit vt se ieiuniis periculisque committerent, si ad quod volebant, natiuitatis beneficio poterant peruenire? Quod si credidissent: dum expectant, fatorum necessitatem, nunquã ad tantam peruenissent gratiam. Inutilis igitur ista persuasio. Quid quod etiã impossibilis? Nam vt de eorum aliquid disputatione sumamus redarguendi gratia, non probandi: magnam vim dicunt esse natiuitatis, eamq; minutis quibusdam & certis colligi oportere momentis: ac nisi verius colligatur, summam esse distantiã: breui enim atomo, exiguóq; momento distare natiuitatem innopis & potentis, egentis & diuitis, innocentis & noxij, & plerunque eadem hora generati longæuitati debitum, & prima pueritiæ ætate moriturũ, si reliqua disparia sint, & puncto aliquo discreta. Hoc quemadmodum possint colligere, respondeant. Constitue

Debora scopo. partum fœminæ. Obstetrix vtique eum primo cognoscit, explorat vagitum, quo natiuitas colligitur: attendit vtrum masculus sit, an fœmina. Quot vis inter has moras præterire momenta? Pone mathematicum præparatum. Nunquid potest vir interesse puerperio? Dum mandat obstetrix, audit Chaldæus, ponit horoscopum in alterius sortem. Iam nati fata migrarunt: de altero quæritur, & alterius genitura proponitur. Pone veram esse eorum opinionem, de natiuitatũ necessitatibus non posse veram esse collectionem. Puncta transeunt, fugit tempus irreparabile. Non est dubium quod tempus in atomo, & in momento, in ictu oculi sit: adducor vt credam, quando omnes in atomo, in momento, in ictu o-

1. Cor. 15. culi resuscitamur, vt Apostolus protestatur dicẽs: Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, nõ omnes autem immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Inter effusionem & susceptionem depositionémque pignoris, inter fletum eius & nũcium, quot atomi transierũt? Et hoc vt simpliciter ista texuerim. Nam & ipsi vitalem illum signorum duodecim circuitum in duodecim partes diuidunt: & quia triginta diebus sol duodecimam partem Sphæræ eius quæ inenarrabilis habetur, regreditur, quo gyrus Solis anni circuitu compleatur, in triginta portiunculas quas μοίρας Græci vocant, vnanquamque duodecim illarum distribuunt portionem, ipsam quoque portiunculam sexaginta vices conferunt. Rursus vnumquodque de illis sexaginta sexagies secant. Quàm incomprehensibile est in quo sexagesimo tot sexagesimæ portiũcule natiuitatis momẽta constituant: & qui singulorum signorum sit aut motus aut species in natiuitate nascentis? Vnde cùm impossibile sit tam subtiles minutias temporis comprehendere, exigua autem minutia inuehat vniuersitatis errorem, totum negocium plenum est vanitatis. Disputatores eorũ, quæ sua sunt, nesciunt: quomodo aliena nouerunt? Quid sibi immineat, ignorant: quomodo possunt aliis, quæ sibi futura sunt, denũciare? Ridiculum est credere, quia si possent, sibi potius prouiderent. Iam illud quàm ineptũ, vt si quis signo arietis ortum esse se dicat, ex vsu pecudis æstimetur præstantissimus consilio, quod in grege huiusmodi emineat pecus: aut locupletior, eo quod vestitum habeat aries naturalẽ, & quotannis lucrum capiat indumenti, eóque viro illi familiaria videantur quæstuum esse compendia. Similiter & de tauri & de piscium signis argumentatur, vt ex natura vilium animantium cœli motus, & signorum interpretandas existiment potestates. Cibus ergo noster viuendi nobis decreta constituit, & alimẽta nostra nobis, id est, arics, taurus, & piscis morum imprimunt disciplinã? Quomodo igitur de cœlo nobis causas rerum, & substãtiam vitæ huius accersunt,

A cum ipsis cœlestibus signis causas motus sui ex qualitatibus escæ vilis impertiant? Liberalem aiunt signo ortum arietis, eò quod lanam suam aries non inuitus deponat: & huiusmodi virtutem vilis animantis malunt naturæ deputare, quàm cœlo vnde & serenitas nobis fulget, & pluuia sæpe descendit. Laboriosos & patientes seruitij, quos nascentes taurus aspexerit, quia animal laboriosum & assuetum iugo spontanea seruituti colla submittens. Percussorem quoque, cuius natiuitatem Scorpius in sua parte complexus sit, & malitiæ venena reuomentẽ, eò quod animal venenatum sit. Quid igitur authoritatem viuendi daturum te signorum cœlestiũ dignitate prætendis, & de nugis quibusdam argumentũ assertionis assumis? Nam si de animalibus assumptæ huiusmodi morum proprietates, cœli motibus imprimũtur: & ipsum videtur bestialis naturæ potestati esse subiectũ, ex quo causas vitalis substantiæ quas hominibus impertiret, accepit.
Quod si hoc abhorret à vero, multo magis illud ridiculum, veri eos subsidio destitutos, hinc fidẽ suæ disputationis ac-
B cersire. Deinde illud considerem us, quòd planetas illa signa appellant, quorũ motibus formari asserunt vitæ nostræ necessitates. Siue igitur, vt nomen sonat, semper vagentur: siue vt ipsi dicunt, quod concito motu ferantur, & decies milies in die, aut si hoc incredibile videtur, multiplicem speciẽ in numera sui conuersione commutent: fide caret quod tã vago sui errore, & tam celeri motu fixam nobis atque immobilem viuendi substantiam fortémque decernant. Ferũt tamen non esse æquales omnium motus, sed aliorum celeriores, aliorum tardiores esse circuitus, vt in eadem hora & videant se frequenter, & frequenter abscondãt, dum aliud ab alio præteritur. Aiunt autem plurimum referre vtrum ortũ generati benefica signa videant, an malefica & noxia: & in eo natiuitatis esse distantiam, quod benefici signi aspectus plurimum conferat, malefici & noxij plurimum noceat. Sic enim eadem signa quę venerantur, appellare consueuerũt. Necesse enim habeo eorum vti nominibus, quorum vtor
C assertionibus, ne ignorata magis quàm vacuefacta atque destructa sua argumenta commemorent. Itaque cùm illum vagum celerémq; motum non queant comprehẽdere, sepe fit vt per illam puncti & momenti incomprehensibilis subtilitatem ponant benefici signi aspectum, vbi grauis atque nocitura incurrat offensio. Et quid mirum si ibi luduntur homines, vbi signa innoxia blasphemantur? Quæ si natura noxia esse creduntur, deus ergo summus arguitur si fecit quod malum est, & fuit improbitatis operator. Si verò ex sua voluntate putantur assumpsisse quod noceat insontibus, & nullius adhuc facinoris pessimi sibi conscijs, quibus pœna adscribitur antequã culpa: quid tam irrationabile, quod etiam irrationabilium bestiarum excedat immanitatem, vt vsus fraudis aut gratiæ non meritis hominum deputetur, sed signorum motibus deferatur? Nihil, inquit, ille deliquit, sed noxia eum stella conspexit: Saturni ei sidus occurrit: aduertit se paululum, & ærumnam ab se abstulit, & crimen abolet. Sed hæc eorum sapiẽtia telæ araneæ comparatur, in quã
D liidiorum animantium vllum genus incurrisse visum est, pertransiuit, & casses rupit infirmos, atque inanes laqueos dissipauit. Talia sunt retia Chaldæorũ, vt in his infirmi hæreant, validiores sensu offensionem habere non possint. Itaque vos, qui validiores estis, cùm videritis mathematicos, dicite: Telam araneæ texunt, quæ nec vsum aliquem potest habere, nec vincula, si tu non quasi culex aut musca lapsu tuæ infirmitatis incurras, sed quasi passer aut columba casses inualidos præpetis volatus celeritate dissoluas. Etenim quis prudentium credat quòd signorũ motus, qui ad diem sæpe mutantur, & multipliciter in se recurrunt, insignia deferant potestatum? Nam si ita esset, quantæ ad diem regaliũ natiuitatum exprimerẽtur figuræ? Quotidie ergo reges nascerentur, nec regalis in filios transmitteretur successio, sed semper ex diuerso statu, qui ius imperialis acquirerent potestatis, orirẽtur. Quis igitur regum genituram filij sui colligit si ei debeatur imperium, & non proprio successionem regni in suos trãscribit arbitrio? Legimus certè quòd Abia genuit Asa, & Asa genuit Iosaphat, & Iosaphat genuit Iorã,

& Ioram

& Ioram genuit Oziam: & reliqua omnis vsque ad captiuitatem per reges generis pariter & honoris ducta successio est. Nunquid quia reges fuerunt, signis cœlestibus formandos motus suos imperare potuerunt? Quis enim hominum potest habere in his dominatum? Deinde si ad necessitatem genitalem, non ad instituta morum actus nostri factaque ferantur, cur leges propositæ sunt, iura etiam promulgata quibus aut pœna improbis decernitur, aut securitas defertur innoxiis? Cur nō venia datur eis, cùm vtiq;, vt ipsi aiunt, non sua voluntate, sed ex necessitate deliquerint? Cur laborat agricola, & nō magis expectat vt inelaboratos fructus priuilegio suæ natiuitatis inuehat receptaculis horreorum? Si ita natus est vt ei diuitiæ atque opes affluant, vt sibi sponte neos reditus sine vllo semine atque opere terra parturiat: non vomerem aruis imprimat, non curuæ manum falci admoueat, non legendæ vindemiæ subeat expensam, sed vltro ei in omnes serias vina fundantur fluentia, sponte ei oleum nullis incerta caudicibus syluestris oleæ bacca desudet: nec diffusi æquoris transfretaturus periculum, propriæ salutis solicitus mercator horrescat, cui ocioso potest, vt aiunt, quadam forte genitali diuitiarum thesaurus illabi. Sed non hæc est vniuersorum sententia. Denique impiger depresso aratro terrā scindit agricola, nudus arat, nudus serit, nudus Sole feruente tostas æstate colligit fruges: & negotiator impatiens flantibus Euris in tuto plerunque nauigio sulcat mare. Vnde importunitatem eorum temeritatémque condem-
Esaiæ 23. nans propheta ait: Erubesce Sydon, dixit mare. Hoc est, si pericula vos non mouent: vel pudor comprimat, verecundia cōfundat. Erubesce Sydon, in qua nullus virtuti locus, nulla salutis cura, nulla iuuentus pro excubiis patriæ bello dedita, armísque exercitata, sed omnis solicitudo de quęstu, omne studium mercaturæ. Semen, inquit, mercatorū sicut messis: quæ autem merces homini Christiano, si non ex voluntate, sed ex necessitate curas suas & opera componit? Vbi enim directa necessitas, ibi inhonorata industria.

Quemadmodum prætacta luminaria sint & in tempora, & in dies, & in annos. *Caput V.*

MVlta diximus, plura nolumus, ne quis ea quæ à nobis de illorum assertionibus vsurpātur ad refellēdū, ad recognoscēdum assumpta arbitretur. Nam quæ pueri risimus, ea senes commemorare qui possumus? Nunc ad ea quæ secundum lectionem super sunt, dirigamus stylum. Sint, inquit, luminaria in signa, & in
Genes.1. tempora, & in dies, & in annos.) De signis diximus, tempora autem quæ sunt, nisi mutationum vices, hyems, ver, æstas, atq; autumnus? In istis igitur temporibus aut velocior
De hyeme. est transitus Solis, aut tardior. Alia enim præstringit radiis suis, alia inflammat caloribus suis. Itaq; cùm Sol meridianis partibus immoratur, hyems nobis est. Nam cùm Sol lōgius abest, terra rigescit gelu, stringitur frigore, & plurima noctis vmbra terras operit, vt multō prolixiora sint noctis spatia quàm diei. Hinc oritur causa vt hybernis flatibus nimia
De vere. vis niuium pluuiarúmque fundatur. Cum verò ex meridianis decedens partibus super terram redit, noctis ac diei exæquat tempora: & quò magis moras suis adiungit cursibus, eò paulatim temperiem aeris huius reducit, & reuocat aurarum clementiam, quæ fouens omnia repetendos cogit in partus, vt terra germinet, ac resoluta sulcis semina reuiuiscant, virescant arbores, ad perpetuitatem quoque conseruandi generis eorum quæ vel in terris sunt, vel aquis gaudent, annuis fœtibus successio propagetur. Ast vbi ad æstiuas cōuersiones in septentrionem se subrigit, spatia diurna producit, noctis verò artat & adstringit. Itaque quò magis vsu assiduo aeri huic copulatur, atque miscetur, eò amplius & ipsum aerem vaporat, & terrarum exiccat humorē, adolescere facit semina, & tanquam in succos viriles matureſce re poma syluarum. Tum quia flagrantior est, minores vmbras facit in meridiano, quoniā ex alto hunc illuminat locū.
Cantic.1. Vnde & Synagoga dicit in Canticis canticorum: Annuncia mihi quē dilexit anima mea, vbi pascis, vbi manes in meridiano, ne fortè fiam circumamicta super greges sodalium tuorum. Hoc est: Annuncia mihi Christe, quem dilexit anima mea. Cur non potius quem diligit? Sed Synagoga dilexit,

A ecclesia diligit: nec vnquam circa Christum suum mutat affectum. Vbi, inquit, pascis, vbi manes in meridiano? Sequi te cupio quasi alumna, quæ quasi copulata ante retinebat & greges tuos quærere, quæ amisi meos. In meridiano pascis, hoc est in ecclesiæ loco, vbi iustitia resplēdet, vbi fulget iudicium sicut meridies, vbi vmbra non cernitur, vbi maiores sunt dies, quod eis Sol iustitiæ tanquam æstiuis mensibus diutius inmoretur. Denique dies domini non est breuis, sed magnus: quia scriptum est: Donec veniat dies domini magnus. Vnde & Iacob ait: Omnes dies vitæ meæ quos ago, breues & maligni. Etenim maligna lux dubia. Ergo dies breues dubiæ lucis sunt, & vmbrosi: dies magni sine vmbra sunt: vt plurimi in aliquibus locis feruētioribus vsu exemplóque cognouerunt. Sygnagoga itaque diebus breuibus & malignis, cuius typum plerunque Iacob in persona sua exprimit, vel populi eius, vmbram habebat plurimam, quæ Solem iustitiæ nō videbat, & videbat illum nō ex alto super caput suum, sed ex meridiano illuminantem, quādo hyems
B erat. Ecclesiæ autem dicitur: Hyems abiit, discessit sibi, flores visi sunt in terra, tempus messis aduenit. Ante aduentum Christi hyems erat, post aduentum Christi flores sunt veris, & messis æstatis. Ex meridiano ergo & ex gentium conuer-
Esaiæ 9. sione illū illuminantē videns obūbratur. Populus autē gentium qui erat confusionis ac gētilis, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: qui sedebant in regione vmbræ mortis, lux orta est illis. Magna lux diuinitatis, quam nulla vmbra mortis interpolat. Ideoq; ex alto illuminat, quia & hoc
Lucæ 1. scriptum est, dicente Zacharia: In quibus visitauit nos oriēs ex alto, illuminare iis qui in tenebis & vmbra mortis sedēt. Est sanè & aliqua salutis vmbra, non mortis, vt est illud: Sub
Psalm.16. vmbra alarum tuarum protege me. Vmbra quidē, quia corporis est: vmbra, quia crucis: sed vmbra salutis, quia in ea erat peccatorum remissio, & resuscitatio mortuorum. Exemplum ergo possumus accipere, quia hyemales dies breues, vmbras maiores habent: æstiui dies maiores, sed vmbras minores habent. Medio quoque die minor vmbra, quàm in
C principio est diei vel fine: & hoc apud nos in parte Occidētis. Cæterùm sunt qui dicant quod per duos totius anni dies sine vmbra fuerint in partibus meridianis, eò quod habētes super verticem suum Solem, vndique per circuitum illuminentur: vnde ἄσκιοι dicuntur Græcè. Plerique etiam ferunt sic è regione ex alto ferri Solem, vt per angusta puteorum aquam quæ in profundo est, viderint refulgere. Esse autem dicuntur in meridiano qui ἀμφίσκιοι vocantur, eò quod vmbram ex vtroque latere transmittant. Vmbra enim è regione Solis ambulantibus post tergum est, vt puta si contra Orientē pergas matutinis horis: si contra meridianam plagā contendas medio die: si contra Occidentem in occasu diei. Ex tribus igitur partibus sit tibi Sol obuius, ex Oriēte, ex meridiano, ex Occidente. Mane & sero post tergum est, meridie quoque à latere: at verò à Septentrione nunquam est Sol, & ideo vmbra. Si contra Septentrionem dirigas, siue mane, siue sero, siue meridie, nō potest esse post tergū Sol. Sunt enim in hoc, quem nos incolimus, orbe terrarū, circa meridiem positi qui in Australē plagam videantur vmbram
D transmittere. Hoc autem fieri dicitur summo æstu, cùm ad Deuterō. Aquilonem Sol dirigit. Postea nos Autumnus excipiēs, infringit quidem æstuum magnitudinem, sed paulisper relaxato ac depositō calore per temperiē medij moderaminis, sine fraude nos atque vlla noxa flatibus tradit hyemalibus.
Gene.1. Sint, inquit, etiam indies.) Non vt faciant dies, sed vt in eis habeant principatum, vt ortum diei vberiore Sol illuminet gratia, vt per totum diem designandi habeat eius potestatē cursus sui munere. Sic accipiunt nōnulli quod ait propheta:
Psalm.135. Solem in potestatem diei, Lunam & stellas in potestatē noctis. Circunferunt enim lumen. In annos quoque ordinati sunt Sol & Luna: Luna per trecētos dies duodenis vicibus cursum conficiens, consummat annum secūdum Hebræos, aliquibus diebus adiectis, secundum Romanos bissexto semel intra quinquennium vnius diei adiectione celebrato. Solstitialis quoque annus est, cùm Sol expleto per omnia signa circuitu, in id vnde principiū cursus sui sumpsit, recurrit. Annua enim fertur ei totius spatij esse perfunctio.

Quomodo

849 *Quomodo duo luminaria superius commemorata magna dici possint: & de magnitudinis eorum probatione mendacique aspectus nostri iudicio. De admirando quoque Solis moderamine ac temperamento.*

Caput VI.

FEcit ergo deus hæc duo luminaria, quæ magna possumus accipere, nō tam aliorum comparatione magna, quàm suo munere: vt & cœlū magnū, & mare magnum. Nam & magnus Sol, qui compleat orbem terrarū suo calore, vel Luna suo lumine: nec solum terras, sed etiam aerem hunc & mare, cœlique faciem Quæ in quacunque parte fuerint cœli, illuminat omnia, & æque spectantur à cunctis, vt ea tanquā suis tantum regionibus immorari, & sibi tantū adesse atq; lucere singuli populi credant, cùm similiter luceant vniuersis, vt nemo his propiorē alium quàm ipse est, arbitretur. Exemplum magnitudinis eorum euidēs, quod omnibus hominibus orbis Lunæ idem videtur. Nā etsi interdum augeatur lumen eius atque minuatur, tamē eadem nocte qualis mihi appareat, talis & omnibus. Nā si longè positis minor videretur, propius constitutis maior refulgeret, & proderet angustiariū & exiguitatis indicium. Etenim reliqua alia longè positi minora arbitramur, propius contuentes maiora credimus: quo magis finitimus fueris, eò tibi eius rei quam cernis, magnitudo cumulatur. Solis radius nulli propior, nulli longinquior est: similiter & Lunæ globus æqualis est omnibus. Similis Sol & Indis & Britannis eodem momēto videtur cùm oritur. Nec cùm vergit in occasum, minor apparet Orientalibus quàm Occidētalibus: nec Occidētalibus cùm oritur inferior quàm Orientalibus æstimatur. Quantum distat, inquit, Oriens ab Occidente? Hæc enim inuicem sibi distant. Sed Sol à nullo distat, nulli præsentior, nulli absentior est. Neque te moueat quòd tanquam cubitalis tibi orbis videatur Solis cū oritur, sed considera quantum inter sit spatij inter Solē & terras, quod aspectus nostri infirmitas sine magno sui non potest transire dispendio. Caligat aspectus noster, nunquid Sol caligat, aut Luna? Angustus noster obtutus, nūquid ideo angustiora efficit quæ videtur? Species minuitur, nō magnitudo detrahitur. Neq; enim infirmitatis nostræ passiones passioni luminarium debemus adscribere. Mētitur noster aspectus. Noli ergo fidele æstimare eius iudicium. Fit cœlestium minor spectaculis figura, nō sui forma. De summo vertice mōtium si subiectum oculis tuis campum spectare desideras, atque illic armenta pascentia, nónne formicarū similia corpora iudicabis? Si mare spectes è specula aliqua littorali, nónne tibi nauium maximæ inter ceruleos fluctus & vela candētia refulgentes, velut columbarum volitantium speciem eminus posito videntur obtexere? Quid ipse Insulæ, quæ mare diuidunt, terrarum arua diffundunt, quàm angusto æstimantur fine concludi: quemadmodum rotunda apparent de asperis, spissa de raris? Has ergo infirmitates vitij tui perpende: & eorum quæ astruimus fidem, ex te ipso arbiter iustus factus accersi. Si vis magnitudinem Solis non solum oculo mentis, sed etiam corporis æstimare, considera quanti stellarum globi axem cœli videantur obtexere, & innumeris insignire luminibus: nō queunt tamē tenebras noctis & cœli nubila detergere. Simul vt Sol ortus sui signa præmiserit, omnes stellarum ignes sub vnius luminaris fulgore vanescunt, aperitur aer, cœlique facies purpurascenti rubore perfunditur. Adhuc spirans exordium, & iam mōtanea celeritate pleni luminis micat splendor, & surgētis Solis præuia aura dulcis aspirat. Dic mihi quęso, nisi magnus orbis esset, quomodo magnum posset orbem illuminare terrarum? Quid autem loquar de tanto temperamento & moderamine conditoris, qui eam mensuram muneri Solis attribuit, vt neque vapor eius igneus, vt videtur, terrarum venas, succos, rerúmque species infusus exureret: neque iterum per tanta mundi spatia refrigeratus, nullum terris semen caloris inoleret, sed ieiunam atque inopem fructuū derelinquens, ad nullam fertilitatis gratiam vaporaret?

Quòd Luna quædam similia habeat cum Sole eius consorte ac fratre, pleraque etiam ab eo distincta.

Caput VII.

SImilia de Lunæ ratione conueniunt, quæ de consorte eius ac fratre memorauimus. Siquidem in id se induit misterium, in quod & frater, vt illuminet tenebras, foueat semina, augeat fructus. Habet etiam pleraque à fratre distincta, vt quem toto die calor humorē terræ exiccat, eundē exiguo noctis tempore roreponat: nam & ipsa Luna larga roris asseritur. Deniq; cùm serenior nox est, & Luna pernox, tūc largior ros fertur arua perfundere. Et plerique sub aere quiescentes, quo magis sub lumine fuissent Lunæ, eo plus humoris se capite collegisse senserunt. Vnde & in Canticis canticorū Christus dicit ad ecclesiam: Quoniam caput meum repletum est rore, & crines mei guttis noctis. Tum deinde minuitur & augetur, vt minor sit cùm resurgit noua: & cùm sit imminuta, cumuletur. In quo grande mysterium. Nam & defectui eius compatiuntur elemēta: & processu eius, quæ fuerint exinanita, cumulantur, vt animantium cerebra, maritimorum humida. Siquidem pleniores ostreæ reperiri feruntur, multáque alia, cum globus lunaris adolescit. De arborum quoque internis idē allegant, qui hoc vsu proprio compererunt. Videmus ergo ortum eius & defectum, rationis esse, non infirmitatis. Nunquam enim tantam rebus mutationem daret, nisi præstantem virtutē haberet, & gratiam à conditore collatam. Aerem quoque nonnulli etiam docti & Christiani viri allegauerunt Lunæ exortu solere mutari: sed si id mutationis lunaris quadam fieret violentia, ad omnes ortus eius intexeretur nubibus cœlum, pluuiæ funderentur. Denique cùm ante dies paucos esset sermo de pluuia, quæ fore vtilis diceretur, ait quidam: Ecce neomenia dabit eam. Et quanuis cupidi essemus imbrium, tamen eiusmodi assertiones veras esse nolebam. Denique delectatus sum quod nullus imber effusus est donec precibus ecclesiæ datus, manifestaret non de initiis Lunæ sperandum esse, sed de prouidētia & misericordia creatoris. Sanè eurupi cùm exundent vndique secundum reliquas species Lunæ, & acceptos fluctus refundant, vel etiam ipsi magno ferantur impetu: in ortu tamen eius stāt placidi, quoadusque Luna sine lumine est. At verò vbi eam dierum accessus auxerit, tunc in suos cursus restuos reuertuntur. Ampotis quoque, quę in Oceano esse perhibetur, quia cum reliquis diebus ordinem suum seruare dicatur, lunari exortu euidens mutationis suæ fertur indiciū dare: vt mare ipsum occidentale, in quo spectatur Ampotis, solito amplius accedat ac recedat, & maiore æstu feratur, tanquam Lunæ quibusdam aspirationibus retrorsum trahatur, & iterum iisdem impulsum ac retractum in mensuram propriam refundatur.

Cantic 5.

ἀμπωτὶς Græcè dicta quasi ἀναπωτὶς significet ris recipr cationem æstuarijs vicibus accedentis recedentis. Erasm.

De mysterio defectus & minutionis Lunæ. De eius quoque laude ac derisione eorum qui eam magicis carminibus deduci posse credunt.

Caput VIII.

VNde si miraris quomodo defectū Luna patiatur, cùm tantam vim mutationis habeat suæ: considera & in eo magnū esse mysterium, quod eius exēplo cognoscis ô homo nihil rerum humanarum esse posse, & mundanæ totius creaturæ, quod non aliquando resoluatur. Nam si etiam Luna, cui tantum dominus cōmisit ministerium, vt illuminet orbem terrarum, & crescit & deficit, quia omnia ex nihilo orta vsque ad perfectionem venerunt, & iterum perfecta minuuntur: cœlum enim & terra prætеribunt: cur non id moderationis assumimus, vt neque in aduersis abiiciamus animum (qui enim omnia fecit ex nihilo, facile te quoque potens est ad summa & perfecta prouehere,) & rursum nō extollamur in prosperis, neque in potestate aliqua nos diuitiisque iactemus, neque in viribus corporis aut pulchritudine gloriemur, in quo est facilis corruptio, crebra mutatio: sed manentem in futurum animi gratiam persequamur? Nam si te Lunæ contristat occasus, quæ se semper reparat ac reformat: multo magis contristare te debet si anima profectu virtutis impleta cùm fuerit, postea per inconstantiam mentis atque incuriam à suo deflexa proposito, studia sua sæpe commutet, quod est insipientiæ & inscientiæ. Vnde & scriptura ait: Stultus vt Luna mutatur. Et ideo sapiens nō cùm Luna mutatur, sed permanebit cum Sole. Vnde nō Luna est particeps stultitiæ, quia

Eccle. 1

non Luna

non Luna mutatur vt ſtultus, ſed ſtultus vt Luna. Denique ſemen iuſti ſicut Luna perfecta in æternum manet, & teſtis
Pſalm.88. in cœlo fidelis. Aliud enim eſt fungi miniſterio, aliud circũferri ingenio, & ſenſus infirmitate fixam non habere ſententiam. Luna pro te laborat, & propter voluntatem dei ſubdi-
Roma.8. ta eſt. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt: nõ ſpõte, ſed propter eum qui ſubiecit in ſpe. Illa ergo non ſponte mutatur, tu ſponte mutaris. Illa cõgemiſcit & comparturit in ſua mutatione: tu non intelligis, & gratularis frequẽter. Illa tuã redemptionem frequenter expectat, vt à cõmuni totius creaturæ ſeruitio liberetur: tu & tuæ redemptioni, & illius libertati affers impedimentum. Tuæ ergo, non ſuæ ſtultitiæ eſt, quod dum tu expectaris, & nec ſero conuerteris, adhuc & illa mutatur. Noli ergo lunam oculo tui corporis æſtimare, ſed mentis viuacitate. Minuitur Luna vt elementa repleat. Hoc eſt verè grande myniſteriũ. Donauit hoc ei qui omnibus donauit gratiam. Exinaniuit eam vt repleat, qui etiam ſe exinaniuit vt omnes repleret. Exinaniuit enim ſe vt deſcen-
Epheſ.4. deret nobis: deſcendit nobis, vt aſcenderet omnibus. Aſcen- B dit enim, inquit, ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia.
Ioan.1. Itaque qui exinanitus aduenerat, de plenitudine ſua Apoſtolos adimpleuit. Vnde vnus ex his dicit: Nam de plenitudine eius omnes nos accepimus. Ergo annunciauit Luna myſterium Chriſti: non mediocris, in qua ſignum poſuit ſuum: non mediocris, quæ typum dilectæ habet eccleſiæ: quod ſi-
Pſalm.71. gnificat Propheta dicens: Orietur in diebus eius iuſtitia, &
Cantic.6. abundantia pacis donec extollatur Luna. Et in Canticis dominus de ſua ſponſa ait: Quænam eſt hæc proſpiciens tanquam diliculum, ſpecioſa ſicut Luna, electa vt Sol? Et meritò ſpecioſa ſicut Luna eccleſia, quæ toto mundo refulſit,
Roma 13. & tenebras ſeculi huius illuminans dicit: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Pulchrè ait, proſpiciẽs, quaſi ſuos
Pſalm.13. de ſuperiore proſpectans, ſicut habes: Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum. Proſpiciens ergo eccleſia, ſicut Luna defectus habet & ortus frequens: ſed defectibus ſuis creuit, & his meruit ampliari, dum perſecutionibus minuitur, & confeſſorum martyriis coronatur. Hæc eſt vera Luna, quæ de fratris ſui luce perpetua lumen ſibi immortalitatis & gratiæ mutuatur. Fulget enim eccleſia non ſuo, ſed Chriſti lumine, & ſplendorem ſibi arceſſit de Sole iu-
Galat.2. ſtitiæ, vt dicat: Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. Beata planè, quæ tantum inſigne meruiſti. Vnde te non tuis neomeniis, ſed typo eccleſiæ beatam dixerim. In
Virgil. de pharmaceutria. Ouid. in Metamor. de Medea. illis enim ſeruis, in hoc diligeris. Quàm ridiculũ autẽ quod te plerique credunt homines magicis carminibus poſſe deduci. Aniles iſtæ fabulæ, ac vulgi opiniones. Quis enim opus dei tanto miniſterio deputatum arbitretur Chaldæis ſuperſtitionibus poſſe tentari? Lapſus ſit ille, qui ſe trãsfigurat in angelum lucis, & deductus voluntate propria, non carminũ poteſtate. Sanè & in hoc quaſi eccleſia putaris poſſe loco tuo & ſtatione deduci. Multi tentant eccleſiam, ſed magicæ artis ei carmina nocere nõ poſſunt. Nihil incãtatores valẽt vbi Chriſti canticum quotidie decantatur. Habet incantatorem ſuum dominum Ieſum, per quem magorum incantantium carmina, & ſerpentum venena euacuauit: & ipſa ſi D cut ſerpens exaltatus, deuorat colubros Ægyptiorum. Ferale licet carmen immurmuret, hebetatur in Chriſti nomine. Sic & Elymam magum Paulus non ſolum magicæ artis infirmitatæ, ſed etiam oculorum amiſſione cæcauit. Sic Petrus Simonem alta cœli magico volatu petentem, diſſoluta carminum poteſtate deiecit & ſtrauit.

Declauſione quarti diei, cum redargutione eorum qui numerum quartum cauere conſueuerunt. Caput IX.

PVlchrè igitur, vt arbitror, ceſſit dies quart⁹. Quomodo ergo quartum plerique conſueuerũt cauere, & inutile putant hoc numero aliquid ordiri, quo totus noua luce mundus emicuit? An ſiniſtris Sol cœpit auſpiciis? Et quomodo aliis poteſt bona ſigna dare, qui ſibi eligere diẽ ſui neſciuit exortus? Aut quomodo ſigna eius probant, cuius ortum nõ probant? Quid etiam de Luna dicimus, quæ & quarto die cœpit, & quartadecima diem ſignat ſalutis? An diſplicet numerus quo celebratur myſterium redemptionis? Ideo dæmones declinandum fo-

re perſuadent numerum eum, quo eorum deſtructa nequitia eſt. Ideo gentiles nihil adoriendum aſſerunt, quia ſciunt tunc primum artes ſuas vacare cœpiſſe, & populos gentiles ad eccleſiam demigraſſe. Lunam certè quartam, ſi pura fuerit, neque obtuſis cornibus, dare reliquis diebus vſque ad exactum menſen indicium ſerenitatis exiſtimant. Nolunt ergo eiſdem exordiis inchoare, quibus ſerenitas inchoatur. Sed iam cauendum ne nobis in ſermone dies quartus occidat, cadunt enim vmbræ maiores de montibus, lumen minuitur, vmbra cumulatur.

CAPITA QVINTI LIBRI HEXAEMERON.

De introductione quinti diei per repetitionem ſuperioribus diebus factorum. Ac de obedientia aquarum ad producendum diuerſa animantium genera: & increpatione hominis, qui ſibi datis non contentus, interdicta alimenta guſtauit. De inenarrabili quoque eorum multitudine quæ momento paruerunt mandato domini dicentis: Producant aquæ reptilia, &c. Et reptilia quæ dicantur. Caput I.

De virtute huius ſermonis: Producant aquæ reptilia, &c. Et quòd multo plura in mari quàm in terris ſint. De ſingulari quoque aquarum gratia, quæ ex viuentibus in ipſis declaratur. Caput II.

De multis ac diuerſis piſcium generibus & vſibus, de pietate, ſucceſſionis puritate, & pudicitia ipſorum, ac reprehenſione hominis commixtionẽ diuerſorum ſeminum in animalibus procurantis. Caput III.

De bonitate matris aquæ in piſces ſuos, atque exhortatione hominis vt ex hoc diſcat quæ ſit parentis & filiorum neceſſitudo. Quódq; propria natura, ſpecialis vſus, ac ſeparata quædam à cæteris viuendi ſubſtantia ſit piſcium. Caput IIII.

De dentibus ac violenta piſcium auaritia ſe inuicem deuorantium. Et quod in ſignum facti ſint, vt in iis noſtrorum C morum vitia videamus, exemplaque caueamus. Quòd præterea homo ſit piſcis, ex pulchræ comparationis inductione, & ad pericula cauendum diligenti admonitione. Caput V.

Quòd homo ſit piſcis ex euangelicæ veritatis atteſtatione. Quôd etiam boni & mali piſces ſint, cum exhortatione vt bonus piſcis hamum, retia, ac ſinum Petri non timeat: Qua ratione præterea euangelium pro mari poſitum ſit. Caput VI.

De inſtructiua admonitione hominis, quia piſcis eſt, vt ſuper vndas exiliat, & pericula caueat, aſtutiam ſerpentium imitando. Quódque aſtuti ſimus circa quærenda & obſeruanda coniugia, ex pulcherrimi exempli de vipera adaptatione. Caput VII.

De fraudulento ingenio polypi, & aſtutia caneri ad cibum prædendum: notatione quoque hominum qui ſimili ingenio ac fraude alios circunuenire & decipere nituntur: cum perſuaſiua adhortatione vt homo propriis ſit contẽtus, alieniſque damnis non paſcatur. Caput VIII. D

De præſentia echini maritimi, futuram tempeſtatem aut tranquillitatem nauigantibus prænunciãtis: & vnde tam exiguum animal hoc munus acceperit. Ac de indulgẽtiæ dei creatoris ingenti præconio. Caput IX.

Quòd vnunquodque genus piſcium præſcripta ſibi habeat domicilia, cum increpatione humanæ auiditatis. Qua ratione etiam quædam genera quandoque mutent loca, & vnde hoc habeant ingenium. De ſpecialibus quoque aliquorum piſcium virtutibus. Caput X.

De ſingulari Atlantici maris commendatione ex iis quæ in ipſo naſcuntur aut fiunt, cum concluſione ſermonis de piſcibus. Caput XI.

De pulchra introductione ſermonis de natura auium habendi. Caput XII.

De ordine dicendorum, ac natura auium quæ circa aquas maris fluminúmque verſantur. Caput XIII.

Cur poſt deſcriptionem piſcium de iis auibus quæ aſſuetæ ſunt aquis, ſermo ſucceſſerit, & de diuerſis exinde auium generibus

853 generibus ac differentiis. Caput XIIII.
A quibus auibus exordium sequentis sermonis sumendum sit. Ac de gruibus quomodo solicitam exerceant custodiam,& volantes seruent ordinem, exemplúmque exercendæ politiæ præbuerint hominibus. De cõmendatione præterea status antiquæ reipub. Et de causa atque actione humanæ in curiæ. Caput XV.
De ciconiis,quemadmodum proficiscãtur quo pergendum putant. Qualiter etiam à cornicibus,deducantur,atq; adiuuentur in bellis. Et de earundem cornicum commendabili hospitalitate, humanéq; negligentiæ increpatione. De illarum quoque erga patres suos pietate,& nostræ impietatis notatione. Caput XVI.
De hirundinis materna sedulitate,industria,ac pietate in filios. De commendatione præterea paupertatis ipsius,& molestia atq; improbitate nostra:cum paupertas,inopia, vel indigentia nobis occurrerit. Caput XVII.
Vt ex vsu & pietate cornicum discãt homines amare filios, & de fœminarum nostri generis patrúmque in filios impietate,& hinc de excusatione accipitrum & aquilarum, qui duram aduersus fœtus suos feruntur habere inclementiam, de pietate quoque fulicæ, quæ abdicatum aquilæ pullum cum sua prole connectit & nutrit.
Caput XVIII.
De turturis viduitate, exhortationéque mulierũ vt discant quanta sit viduitatis gratia, quæ etiam in auibus prædicatur. Caput XIX.
De integritate auium, quæ vt in vulturibus deprehenditur, absque concubitu,& sine vllo masculorum semine concipiunt & generant. Ac de confutatione eorum qui impossibile putant quòd virgo maria conseruata virginitate dei filium pepererit. Caput XX.
De natura & admiranda industria ac diligentia apum, quæ velut quandam rempublicã curare videntur. Cap. XXI.
De consideratione eius quod ait propheta: Producant aquæ reptilia &c. ac de diuersitate quam inter se habent aues. Caput XXII.
De imitatione vermis Indici,chamæleontis,leporum,atque phœnicis,vt illorum exemplis ad commutationis fidem, quæ in resurrectione futura est, prouocemur. Vnde etiã vultures habeant vt quibusdam signis mortem hominũ annũcient. Quòd denique vsque ad locustam diuina gratia penetrauerit. Caput XXIII.
De natura & proprietatibus auium nocturnarum,videlicet lusciniæ, noctuæ, vespertilionis, & galli, quarum vsu & exemplis admonemur & instruimur. Cap. XXIIII.
De deuota authoris ad dominum Iesum Christum depræcatione,cum clausione quinti diei. Caput XXV.

Diui Ambrosij
MEDIOLANENSIS EPISCOPI
Hexaemeron Liber quintus: de die quinto.

De introductione quinti diei per repetitionem superioribus diebus factorum. Ac de obedientia aquarum ad producendum diuersa animantium genera,& increpatione hominis, qui sibi datis non contentus, interdicta alimenta gustauit. De inenarrabili quoque eorum multitudine quæ momento paruerunt mandato domini dicentis: Producant aquæ reptilia &c. Et reptilia quæ dicantur. *Caput I.*

TERRA diuersis vestita germinibus virebat omnis, cœlum quoque Sole & Luna geminis vultus sui luminibus, stellarúmque insignitum decore fulgebat. Supererat elementum tertium, mare scilicet, vt & ipsi gratia viuificationis diuino proueniret munere. Aethereo enim spiritu omnes terratum fœtus alũtur. Terra quoque semina resoluẽs, A vniuersa viuificat: & maximè tunc primum verbo dei iussa virideſcere, viuificationis suæ munere pullulabat. Vacabat aqua,& à diuinæ orationis feriata beneficio videbatur. Habet adhuc creator quod illi conferat, quo munia terrarum possit æquare: reseruabat ei vt & ipsa proprium sibi,& speciale aliquid prærogatiuæ collati sibi muneris vindicarent. Viuificat prius terra,sed ea quæ spirantem animam non habebant. Aqua iubetur ea producere quæ viuentis animæ vigorem dignitatémque præferrent, & sensum tuendæ salutis,& fugiendæ mortis acciperent. Dixit itaque deus: Producant aquæ reptilia animarum viuentium secundum genus suum, & volatilia volantia secus firmamentum cœli.) Gene.1. Venit mandatum, & subitò aqua iussos fundebatur in partus: generare fluuij, viuificare lacus: mare ipsum cœpit diuersa reptilium genera parturire, & secundum genus effundere quodcunque formauerat. Non exigui gurgites,non cœnosæ paludes vacabant,quin omnia datam sibi creandi assumerent potestatem. Pisces exilibant de flumine, delphines B præludebant in fluctibus,conchæ saxis, ostreæ adhærebant profundis,adolescebant echini. Væ mihi,ante hominem cœpit illecebra, abundantia copiarum, nostræ mater luxuriæ, ante hominem delitiæ. Prior ergo hominum tentatio quam natura. Sed nihil creatura deliquit: alimenta dedit,non vitia præscripsit. Hæc tibi communia dedit, ne tibi aliqua velut propria vindicares. Tibi suos fructus terra producit, tibi scaros & accipenseres, & omnes fœtus suos generant, aquæ: & his non contentus, interdicta tibi alimenta gustasti. Ad inuidiam tuam omnia congeruntur, vt præuaricatio tuæ auiditatis oneretur. Sed neque quam multæ species & nomina sint,possumus enarrare,quæ omnia momẽto diuinæ præceptionis animata sunt. Simul coibat forma corporis,& operabatur anima, vitalis etiam vigor reliquæ virtutis. Repleta erat terra germinibus,mare impletum animantibus. Ibi insensibilia pullulant, hic sensibilia versantur. In terris quoq; aqua suas sibi vindicat portiones. Lambunt terram pisces aquarum,& ex ea sibi prædam requirunt. Culices quoque C & ranunculi circa genitales strepunt paludes,& ipsæ audierunt domini mandatum, dicentis: Producant aquæ reptilia Gene.1. animarum viuentium.) Scimus reptilia dici genera serpentum,eò quod super terram repant: sed multo magis omne quod natat, reptandi habet vel speciem vel naturam. Nam etsi in profundum qui se demerserint,aquam videantur findere: tamen cùm supra innatant,repunt toto corpore,quod trahunt super quedã dorsa aquarũ. Vnde & Dauid ait: Hoc Psalm.103. mare magnum & spaciosum, illic reptilia quorum non est numerus. Quinetiam cùm pleraque pedes habeant,& ambulandi vsum, eò quod sint amphibia,quæ vel in aquis vel in terris viuant, vt sunt focæ,crocodili, equi fluuiales,quos hippopotamos vocant,eò quod hi generentur Nilo in flumine, tamen cùm in alto aquarum sunt, non ambulant, sed natant: nec vestigio vruntur pedis ad incedendum,sed tanquam remo ad reptandum. Siquidem & nauis acta remis labitur,& aquas sulcat carina.

D *De virtute huius sermonis: Producant aquæ reptilia. Et quòd multo plura in mari quàm in terra sint. De singulari quoque aquarum gratia, quæ ex viuentibus in ipsis declaratur. Cap. II.*

PRoducant aquæ reptilia, dixit dominus. Breuis sermo,sed vehemens,& late patẽs, communem minimis & maximis naturam infudit. Eodẽ momento producitur balena,quo rana: eiusdem vi operationis nascitur. Non laborat in maximis,deus non fastidit in minimis. Nec doluit natura parturiẽs delphinas,sicut non doluit cum exiguos murices cochleásque produceret. Aduerte ô homo quanto plura in mari quàm in terris sint. Numera si potes omnia piscium genera,vel minutorum, vel etiam maximorum: sepias, polypos, lithostracos, De generibus piscium. carabos,cancros, & in his innumerabilia sui generis. Quid dicã genera serpentium,dracones,murænas,anguillas? Nec prætermittam scorpios,ranas,testudines,mustellas quoque, & canes maritimos,vitulos marinos,cete immania,delphinas,focas,leones. Quid attexam etiam merulas, turdos, pa-

uos quo-

uos quoque, quorum etiam colores in auibus videmus expressos: vt nigri merulæ, paui diuerso colore dorsa & colla depicti sint: turdi aluo varij, & cætera quorũ sibi terræ species & nomina vindicarunt? Nam prius in mari ista cœperunt, diuersíque fluminibus. Siquidem aqua prior animarũ viuentiũ reptilia diuino nutu imperata produxit. Adde hãc gratiam, quòd ea quæ timemus in terris, amamus in aquis. Etenim noxia in terris, in aqua innoxia sunt: vt ipsi angues venenosi in terris, sine veneno in aquis. Leo terribilis in terris, dulcis in fluctibus. Muræna, quam ferunt aliquid habere noxium, esca preciosior est. Rana horrens in paludibus, decora in aquis, omnibus ferè prestat alimentis. Plura si quis vult cognoscere, à diuersis locorum piscatoribus quærat: nemo enim potest omnia comprehendere. Canes sanè & in mari caue, quos & in ecclesia molestos esse & cauẽdos Apostolus docet, dicẽs: Cauete canes, cauete malos operarios. Mustelæ grauis in terris odor, in aquis suauis, Terrena se nouit vindicta fœtoris vlcisci: hæc non minorem habet gratiam capta, quàm libera. Neque te inhonoratum nostra prosecutione tymalle*dimittam, cui à flore nomen inoleuit: seu Ticini vnda te fluminis, seu amœni Athesis vnda nutrierit, flos es. Denique sermo testatior, quod de eo qui gratam redolet suauitatem, dictum facetè sit, Aut piscem olet, aut florem: ita idem pronunciatus est piscis odor esse qui floris. Quid specie tua gratius? Quid suauitate iucundius? Quid odore fragrantius? Quod mella fragrant, hoc tu corpore tuo spiras. Quid loquar coruorum, †quid etiam luporum teneritudines? Nescit hos lupos agnus timere, Tãta est aquarum gratia, quarum*vituli figurantur & leones, vt his prophetico illud dictum de ecclesiæ sanctitate iure conueniat: Tũc lupi & agni simul pascentur, leo & bos simul paleas manducabunt. Nec mirum, quandoquidem etiam in ecclesia aquæ illud operantur, vt prædonum abluta nequitia cum innocentibus cõparetur. Quid etiam purpuras memorem, quæ ornant regum conuiuia, amictus imbuunt? Aquarum est igitur quod in regibus odoratur: aquarum est species illa quæ fulget. Adde porcos maris etiam Iudæis gratos: quia nihil est commune quod non aqua abluat, & ideo communes eos sicut in terra editos æstimare non possunt.

De leone a quatili.
De Muræna.
De Rana.
De Cane.
Philip 3. De mustela
De Tymallo.
*forte Tythymalle.
†alias porcorum.
*alias quarũ vitulos fugiunt & leones.
Esaiæ 6.5.

De multis ac diuersis piscium generibus & vsibus: de pietate, successionis puritate, & pudicitia ipsorum, ac reprehensione hominis commixtionem diuersorum seminum in animalibus procurantis. Caput III.

INnumeri itaque vsus, innumera genera piscium. Alij oua generant, vt ij quos tructas vocant, & aquis foueda committunt. Aqua igitur animat & creat, & adhuc mandati illius primi tanquam legis perpetuæ munus exequitur, blanda quædam mater animãtium. Alij viuos fœtus edunt de suo corpore, vt mustelę, & caniculæ, & cete ingẽtia: delphines & focæ, aliáque cætera huiusmodi. Quæ cùm ediderint partus, si quid fortè insidiarum terroríque præsenserint circa catulos suos quemquam moliri, quo tueantur eos, vel teneræ ætatis pauorem materno affectu comprimant, aperire ora, & innoxio partus suos dente suspendere, interno quoque recipere corpore, & genitali feruntur aluo abscõdere. Qui humanus affectus hanc piscium pietatem possit imitari? Oscula nobis satietati sunt, illis nõ satis est aperire viscera, natósq; recipere, ac reuocare integros, atq; iterum fotu quodã eos sui caloris animare, & spiritu alere, duósq; in corpore vno viuere, donec aut securitatẽ deferãt, aut corpore suo obiecto natos suis defendant periculis. Quis hæc videns, & si possit obtinere, nõ tantæ piscium pietati cedat? Quis non miretur & stupeat? Seruat natura in piscibus quod nõ seruat in hominibus. Pleræque ex suspicione nouercalibus odiis apppetitos suos occiderunt filios: aliæ in fame, vt legimus, partus proprios comederunt. Humanis pignoribus mater sepulchrum facta est: piscium proli parentis est vterus sicut murus: vallo quodam internorum viscerum pignora inoffensa conseruat. Diuersa igitur piscium genera diuersos vsus habent: alij oua gerant, alij viuos pariunt atque formatos. Et qui oua generãt, non nidos texunt vt aues, non diuturni fotus laborem in-

A duunt, nõ cum molestia sui nutriunt. Cecidit ouum, quod aqua gremio quodam naturæ suæ quasi nutrix blanda fouet, & animal celeri fotu reddidit. Continuo enim tactu parentis animatum ouum cecidit, & piscis exiuit. Tum deinde quàm pura & inuiolata successio? Nullus alteri, sed generi suo miscetur: Tymallus*tymallo: Lupus lupo. Scorpena *tithymal. quoque castitatem immaculati connubij generi suo seruat. Itaque habet pudicitiam generis sui, sed venenum generis sui non habet: non enim percutit Scorpena, sed reficit. Nescíunt igitur alienigenarum genera piscium adulterina contagia, sicut sunt ea quæ coeunt asinorum equarúmque inter se genera, quæ magna cura hominum perpetrantur: vel rursus cum equus asinæ miscetur: quæ sunt vera adulteria naturæ. Nam vtique maius est quod in naturæ colluuionem cõmittitur, quàm quod in personæ iniuriam. Et homo ista procuras, interpes adulterij iumentalis: & illud animal preciosius putas quod adulterinum, quàm quod verum est? Ipse genera alia confundis, diuersáque misces semina, atque ad vetitos coitus plerunque cogis inuitos, & hoc industriam B vocas? Hoc quia de hominibus facere non potes, vt diuersi generis commixtio fœtum possit excudere, tollis homini quod natus est, & virum de viro exuis: abscísáque corporis parte, sexum negas, spadonem efficis: vt quod negauit natura in hominibus, impleret audacia. De Scorpena.

De bonitate matris aquæ in pisces suos, atque exhortatione hominis vt ex hoc discat quæ sit parentis & filiorum necessitudo. Quódque propria natura, specialis vsus, ac separata quædam à cæteris viuendi substantia sit piscium. Caput IIII.

QVam bona autem mater sit aqua, etiam hinc considera. Tu ô homo docuisti abdicationes patrum in filios, separationes, odia, offensas: disce quæ sit parẽtis & filiorum necessitudo. Viuere pisces sine aqua non queunt, nec à sui parentis consortio separari, neque à suæ altricis discerni munere: & fit hoc natura quadã, vt separati moriãtur illico. Neque enim vt omnia huius aeris viuunt spiramine, quia hauriendi spiritus & respirandi natura his nõ suppetit: alioquin sub aquis semper non possent viuere, non capientes spiritus infusionem. Quod est nobis spritus, illis est aqua. Sicut nobis spiritus, ita illis aqua viuendi ministrat substantiam. Nos intercluso commeatu spiritus, quia nec breui quidem spatio possumus exortes esse spiritus vitalis, statim extinguimur. Pisces quoque sublati de aqua, sine substantia sui viui esse non possunt. Et causa manifesta est, quoniam nobis pulmo per thoracis laxiora penetralia recipit spiritum: & cùm sit ipse plerísque penetrabilis, spiritus infusione interiorem calorem refrigerat. Thorax enim vt suscipit alimenta, ita superflua ciborũ & succos salubres, sanguinémque discernit. Fit pulmo peruius, vnde facilius ad eum potest aspiratio spiritus peruenire. Pisces verò branchias habent, quas nũc plicant & colligunt, nunc explicãt atque aperiunt. In hanc ergo collectionem & apertionem dum suscipitur aqua, & trãsmittitur ac penetrat, respirationis munus videtur implere. D Propria igitur natura est piscium, nec communis cum cæteris, specialis vsus, & à cæteris viuẽdi quedã separata & secreta substãtia. Propterea nõ nutriuntur, neque vt terrena animalia manus humanæ tactu & alimento & delinimẽto aliquo delectantur, sed etiã si seruantur, in viuariis suis viuunt.

De dentibus ac violeta piscium auaritia se inuicem deuorãtium. Et quòd in signum facti sint, vt in iis nostrorum morum vitia videamus, exepláque caueamus. Quòd preterea homo sit piscis, ex pulchræ comparationis inductione, & ad pericula cauenda diligenti admonitione. Caput V.

QVid autem de densitate dicam dentiũ? Non enim vt bos aut ouis ex vna parte dentes habent, sed vtraq; pars armata est dẽtibus, quia in aqua sunt: etsi diutius cibum versarent, & nõ citò transmitterent, aquarum alluuione de dentibus eorũ esca posset auferri ac dilui. Ideo densos & acutos habent, vt citò incidãt, cito

citò conficiant, cibum facilè & sine aliqua mora & dilatione transmittant. Denique non ruminant: solus tamẽ scarus in his ruminare perhibetur, vt ferunt, quibus aut euentus, aut vsus fuit, aut studium talia comprehendere. Sanè nec ipsi à suis potentiæ euasere violentiam, & auaritiæ potentiorũ subiecti vbique inferiores sunt. Quo quisque infirmior, eo prædæ patet. Et plerique quidem herbis pascuntur, ac minutis vermibus. Sunt tamen qui inuicem se deuorẽt, & sua carne pascantur. Minor apud illos esca maioris est: rursus ipse maior à validiore inuaditur, & fit esca alterius prædator alieni. Itaque vsu venit vt cùm ipse alium deuorauerit, ab alio deuoretur: & in vnum ventrem vterque veniat cùm voratore proprio deuoratus: sitque simul in vno viscere prædæ vindicta atque consortium. Et ipsis postea sponte hæc accreuit iniuria, sicut in nobis non ex natura cœpit, sed ex auaritia. Aut quia ad vsum hominũ dati sunt, in signũ quoque facti sunt, vt in his nostrorum morũ vitia videremus, & caueremus exempla, ne quis potior inferiorem inuaderet, daturus in se potentiori exemplum iniuriæ. Itaque qui alterum lædit, sibi laqueum parat, in quem ipse incidat. Et tu piscis es, qui viscera inuadis aliena, qui demergis infirmum, qui cedentem persequeris vsque in profundum. Cauene dum illum sequeris, incidas ipse in validiorem: & deducat te in alienas insidias, qui tuas vitat, priusque tuã spectet ærunnam, qui te persequente propriam reformidabat. Quid interest inter diuitem improbæ cupiditatis ingluuie absorbentem infirmorum patrimonia, & silurum de minorum piscium visceribus aluum replentem? Defectus est dirum suarum detestabiliorem fecit infamia. Captus est silurus, & inutilis præda detecta est. Quanti in eo reperiuntur qui alios deuorauerũt? Et tu dines habes in sinu tuo alterius prædatorem. Ille habebat facultates pauperis, quas inuaserat: tu eum opprimens, duo patrimonia tuis facultatibus addidisti: & adhuc tanto nõ satiaris augmento: & dicis quòd alios vindicaueris, cum eadem cõmittas quæ vlciscaris: iniusto iniustior, & iniquo iniquior, auaro auarior. Vide ne idem te qui piscẽ illum finis inueniat: hamum caue, caue retia. Sed præsumis de potentia, quòd nemo tibi possit resistere: præsumebat & silurus quòd hamum nemo sibi iaceret, nemo retia tẽderet: & si incidisset, vniuersa dirumperet: & tamen fuscinam nõ euasit, aut nexus vinculis validioris incurrit, quibus se non posset exuere. Sine dubio & hominum iniquitas quo grauiora commiserit, eo magis scelere suo tuta esse non poterit, quin aliquando dissoluat quod scelerum precio constat difficilè posse vitari.

De Scaro.

De Siluro.

Quòd homo sit piscis ex euangelicæ veritatis attestatione: Quòd etiam boni & mali pisces sint, cum exhortatione vt bonus piscis hamum, retia, ac sinum Petri non timeat: qua ratione præterea euangelium pro mari positum sit. Caput VI.

Matth.13. PIscis ergo es ô homo. Audi quia piscis es. Simile est regnum cœlorum reti missò in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Cùm autem esset impletum, duxerunt id ad littus, & sedentes elegerunt optimos in vasis suis, malos autem foras miserũt. Sic erit in consummatione seculi: Exibunt angeli, & separabũt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminũ ignis. Sunt ergo boni & mali pisces: boni seruantur ad precium, mali statim ardent. Bonum piscem nec retia inuoluũt, sed eleuant. Nec hamus internecat atque interficit, sed preciosi vulneris perfundit sanguine: in cuius oris cõfessione bonũ precium reperitur, quo tributum Apostolicum, & sensus Christi possit exolui. Sic enim scriptum est dicente dominus: Reges terræ à quibus accipiunt, tributum vel censum? A filiis suis, an ab alienis? Et respondente Petro, Ab ælienis, ait dominus: Vade ad mare, & mitte hamũ, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle & aperto ore eius, inuenies ibi staterẽ: illum sumens, da eis pro me & te. Noli igitur ô bone piscis Petri hamũ timere: nõ occidit, sed consecrat. Noli quasi vilem te cõtemnere, quia vides corpus infirmum: habes in ore tuo quod & pro Petro & pro Christo offeras. Noli timere Petri retia, cui dicit Iesus: Duc in altum, & laxate retia. Non enim in sinistram partem mittit, sed in dexteram, sicut iussus à Christo est. Noli timere sinũ eius, quia dictum est ei: Ex hoc eris homines viuificans. *Ideo misit retia, & complexus est Stephanũ, qui de euangelio primus ascendit, habens in ore suo staterem iustitiæ. Vnde confessione constanti clamauit dicens: Ecce video celos apertos, & filium hominis stentem ad dexteram dei. Pro hoc piscẽ stabat dominus Iesus: sciebat enim esse in ore eius precium sui sensus. Denique glorioso martyrio & Petri iudiciũ atq; doctrinam, & Christi gratiam locuples assertor impleuit.

* capiens.

Acto 7.

De instructiua admonitione hominis, quia piscis est, vt super vndas exiliat, & pericula caueat, astutiam serpentum imitando: Quódque astuti simus circa quærenda & obseruanda coniugia, ex pulcherrimi exempli de vipera adaptatione. Caput VII.

NEC te moueat quòd pro mari euangelium posui. Euãgelium est, in quo Christus ambulauit: Euãgeliũ est, in quo licet titubauerit Petrus, non tamen nẽgauit, quando per dexteram Christi fide munimentum stationis inuenit: Euãgelium est, de quo martyr ascendit: Euangelium est mare, in quo piscantur apostoli, in quo mittitur rete quod simile est regno cœlorũ: Euangelium est mare, in quo Christi figurantur mysteria: Euangelium est mare, in quo Hebræus euasit. Ægyptius interemptus est: Euangelium est mare, in quo est sponsa Christi ecclesia, & diuinæ gratiæ plenitudo, quæ supra maria fundata est, sicut dixit propheta: Ipse super maria fũdauit eam. Exili super vndas ô homo, quia piscis es: non te opprimant seculi istius fluctus. Si tẽpestas est, pete altũ & profundum: si serenitas, lude in fluctibus: si procella, caue à scopuloso littore, ne te in rupem furens æstus illidat. Scriptum est enim: Estote astuti sicut serpentes. Et quia de serpentibus astutis propositum exemplum est, simus astuti circa quærenda & seruenda coniugia, diligamus tributa nobis consortia. Et si ij qui longinquis fuerant ortus sui tempore religionibus separati, inter se conuenerint, & si vir ad peregrina contenderit: nulla longinquitas, nulla absentia complacitas minuat charitatem. Eadem lex præsentes absentésque connectit, idem naturæ vinculum inter distantes & consistẽtes coniugalis charitatis iura cõstringat. Eodem iugo benedictionis vtriusque colla sociantur, etiam si alter obeat separatarũ regionum longa diuortia: quia non corporis ceruice, sed mentis, iugum gratiæ receperunt. Vipera nequissimũ genus bestiæ, & super omne quod serpentini est generis astutior, vbi coeundi cupiditatẽ assumpserit, murænæ maritimæ notam sibi requirit copulam, vel nouam præparat: progressaq; ad littus, sibilo testificata presentiam sui, ad coniugalem amplexum illam euocat. Muræna autem inuitata non deest, & venenatæ serpenti expetitos vsus suæ impertit coniunctionis. Quid sibi vult sermo huiusmodi, nisi ferendos esse mores coniugum: etsi absens est, eius operiendam præsentiam: sit licet asper, fallax, incõditus, lubricus, temulentus? Quid peius veneno, quod in coniuge muræna non refugit? Vocata non deest, & serpentis lubricum sedula charitate complectitur: ille tua mala portat, & leuitatis fœmineæ facilitatẽ: tu virum tuum non potes ô mulier sustinere? Adam per Euam deceptus est, non Eua per Adam. Quem vocauit ad culpam mulier, iustum est vt eum gubernatorẽ assumat, ne iterum fœminea facilitate labatur. Sed horridus & incultus est. Semel placuit. Nunquid vir frequenter est eligendus? Comparem suum & bos requirit, & equus diligit: & si mutetur alius, trahere iugũ nescit cõpar alterius, & se non totum putat. Tu iugalem repudias tuum, & putas sæpe mutandũ: etsi vno defuerit *die, superducis †triualem: & statim *incognita causa, quasi cognita, pudoris exequeris iniuriã? Vipera absentem requirit, absentem vocat, & blando proclamat sibilo: atque vbi aduentare comparem senserit, venenum euomit, reuerentiam marito deferens, verecundata nuptialem gratiam. Tu mulier aduenientem de longinquo maritũ cõtumeliis repellis. Vipera mare prospectat, explorat iter coniugis: tu iniuriis viam viro obstruis: tu litium moues venenum, non reiicis: tu coniugalis amplexus tempore dirum virus exæstuas: nec erubescis nuptias, nec reuereris maritum

Psalm.23.

Matth.10.

De vipera.

*talis desserit.
†suspicaris
*incognitã pudoris exequeris iniuriam.

Sed

Sed etiam tu vir, (Possumus enim etiam sic accipere,) depone tumorem cordis, asperitatem morum, cùm tibi sedula vxor occurrit: propelle indignationem, cùm blenda coniux ad charitatem prouocat. Non es dominus, sed maritus: non ancillam sortitus es, sed vxorem Gubernatorem te deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentē. Redde studio vicem, redde amori gratiam. Vipera venenum suum fundit: tu non potes duritiam mentis deponere? Sed habes naturalem rigorem: debes temperare eum contemplatione coniugiis: reuerentia coniunctionis. *Potest & sic: Nolite quærere viri alienum thorum, nolite insidiaria alienæ copulæ. Graue est adulterium, & naturæ iniuria. Duos primum deus fecit, Adam & Euam: hoc est, virum & vxorem. Et vxorem de viro, hoc est de costa Adam: & iussit ambos esse in vno corpore, & in vno spiritu. Quod vnum separas corpus, vnum diuidis spiritum: naturæ adulterium est. Sed hoc docet murænæ & viperæ, non iure generis, sed ardore libidinis expetitus amplexus. Discedite ô viri: qui alienam permolere quę rit vxorem, cuius serpentis sibi assciscere cupiat conturbernium, cui etiam comparandus ipse serpenti sit. Festinat ad viperam, quæ se in gremium viri non directo tramite veritatis, sed lubrico deuij amoris infundit. Festinat ad eā, quæ venenum suum resumit: vt vipera, quæ fertur peracto coniūctionis munere, venenum quod euomuerat, rursus hauri-
Prouer. 23. re: adultera enim vipera est. Vnde & Salomon ait quod is qui fuerit temulentus, cùm per vinum libido feruere consueuerit, tanquam à colubri ictu extenditur, & tanquam à cornuta diffunditur illi venenum. Et vt scias quòd de adultera dixit, adiecit: Oculi tui cùm viderint alienam, os tuum loquitur peruersa. Nec quisquam velut contraria posuisse nos credat, vt & ad bonū, & ad malum viperæ huius exemplo vteremur, cùm ad institutionem vtrunque proficiat, si erubescamus aut fidem non exhibere dilecto, cui exhibet serpens: aut relinquentes facta coniugia, lubrica & nocitura salutaribus præferamus: quod facit qui cum serpente miscetur.

* alias reueren. coniunctionis deponat animi feritatem. Nolite, &c.

De fraudulento ingenio polypi, & astutia cancri ad cibum prædandam: notatione quoque hominum qui simili ingenio ac fraude alios circunuenire & decipere nituntur: cum persuasiua ad hortatione vt homo propriis sit contentus, alienisque damnis non pascatur. Caput VIII.

IT quia de astutia cœpimus sermonem subtexere, qua vnusquisq; fratrem suum circunuenire & decipere nititur, & in nouas se fraudes componere: vt quem vi obtinere non potest, circunscribat
De polypo dolo, & fuco quodam artis obducat: fraudulentum illud polypi ingenium non præteribo, qui vadoso in littore petram nactus, affigitur ei: atq; eius nebuloso ingenio colorē subit, & simili specie terga obductus plurimos pisciū sine vlla sus-
*notam. picione frudis allapsos, dum *natando nō præcauent, & saxum opinantur, cassibus furtiuæ artis includit, & sinu quodam suæ carnis intercipit. Sic spontanea venit præda, & talibus capibur argumentis: qualia sunt eorum qui ingenium suum sępe commutant, & diuersas nocendi artes mouent, vt singulorū mentes sensúsque pertentent, cum continentibus continentiam prædicantes, in coitu intēperantium tanquā deuij ab studio castitatis, & demersi intemperātiæ voluptabris: vt qui eos audiunt aut vident, in cauta facilitate secredant: cóque citius labuntur, dum distinguere nō norūt, nec cauere quod noceat, dum grauior sit & magis noxia improbitas, benignitatis obumbrata velamine. Et ideo cauendi sunt qui crines suæ fraudis, & brachia longè latéque dispergunt, vel speciem induunt multiformē. Et isti enim polypi sunt nexus plurimos habentes, & callidorum ingeniorum vestigia, quibus irretire possint quicquid in scopulos
De cācro. suæ faudis inciderit. Cancer quoque quas cibi gratia præstigias struit? namque & ipse ostreo delectatur, & carnes eius epulum sibi quærit. Sed quia vt appetens cibi, ita prospiciens est periculi: quoniam cū difficilis est venatio, tum periculosa: (difficilis, quia testis validioribus esca interior inclauditur: nam velut muris quibusdam mollitiē carnis præcepti imperialis interpres natura muniuit: quam medio testarum quodam sinu cōcauo nutrit ac fouet, & quasi in quadam valle diffundit: & ideo cassa omnia tentamēta sunt cancri, quia aperire clausum ostreum nulla vi potest: & periculosum est si chelas eius includat) ad argumenta confugit, & insidias noua fraude molitur. Itaque quia omnia genera delectatione mulcentur, explorat siquando ostreum remotis in locis ab omni vento contra Solis radios diptychum illud suum aperiat, & referet claustra testarum, vt libero aere vi-
sceris sui voluptatem quandam capiat: & tunc clanculo calculum immittens, impedit conclusionem ostreī, ac sic aperta claustra reperiens, tuto inserit chelas, viscerāque interna depascitur. Sunt ergo homines qui cācri vsu in alienæ vsum circunscriptionis irrepant, & infirmitatem propriæ virtutis astu quodam suffulciant, fratri dolum nectant, & alterius pascantur ærumna. Tu autem propriis esto contentus, & alienæ damna non pascant. Bonus cibus est simplicitas, innocentiæ suæ bona habens: insidiari nescit alienis, nec auaritiæ facibus inardescit: cui lucrum omne ad virtutem dispendium est, ad cupiditatem incendium. Et ideo beata est, si bona sua nouerit, cum veritate paupertas, & omnibus præferēda thesauris: quia melius est exiguum cum dei timore, quàm thesauri magni sine timore eius. Quantum est enim quod hominem alat? Aut si quæris quod etiam aliis abundet ad gratiam, id quoque non multum est. Melior enim est hospitalitas in oleribus cum gratia, quàm vitulorum pinguium præparatio cum discordia. Vtamur ergo ingenio ad quærendam gratiam, & salutem tuendam: non ad alienam circunscribendam innocentiam. Licet nobis vti exēplis maritimis ad profectum nostræ salutis, non ad alienum periculum.

De præscientia Echini maritimi, futuram tempestatem aut tranquillitatem nauigantibus prænūciātis: & vnde tam exiguum animal hoc munus acceperit. Ac de indulgentia dei creatoris ingenti præconio. Cap. IX.

ECHinus animal exiguum, vile ac despicabi- De Echino
le, maritimum loquor, plerunque index futuræ tempestatis aut tranquillitatis annuncius solet esse nauigantibus. Denique cùm procellam ventorum præsenserit, calculum validum arripit: eúmque velut saburram vehit, & tanquam anchoram trahit, ne excutiatur fluctibus. Ita que non suis se librat viribus, sed alieno stabilit & regit ponere. Quo indicio nautæ velut signum futuræ perturbationis capessunt, & sibi præcauent, ne eos imparatos turbo improuisus inueniat. Qui Mathematicus, qui Astrologus, quiue Chaldæus sic potest siderum cursus, cœli motus & signa comprehēdere? Quo ingenio ista collegit? quo doctore percepit? quis ei fuit tanti interpres augurij? Sæpe homines confusionem aeris vident, & sæpe falluntur, quod plerunque ea sine tempestate discutiatur. Echinus non fallitur, echinum sua nequaquam signa prætereunt. Vnde exiguo animali tanta scientia, vt futura prænunciet? Quo magis in eo nihil est quo tantam possit habere prudentiam, credo quòd per indulgentiam domini rerum, omnium id quoque præscientiæ huius munus acceperit. Etenim si fœnum deus sic vestit, vt miremur: si pascit volatilia: si parauit coruis escā: pulli enim eius ad dominum clamāt: si mulieribus dedit texturæ sapientiam: si araneam, quæ tam subtiliter ac doctè laxos casses suspendit in foribus, sapientiæ non reliquit immunem: si ipse virtutem equo dedit, & soluit de ceruice eius formidinem, vt exultet in campo, & occurrens regibus irrideat, odoretur bellum eminus, exciteturque sono tubæ: si hæc irrationabilia pleraque, & alia insensibilia, vt fœnum, vt lilia, repleuit suæ dispositione sapientiæ: quid dubitamus quod etiam echino contulerit huius gratiam præscientiæ? Nihil enim inexploratum, nihil dissimulatum reliquit. Omnia videt, qui pascit omnia: omnia replet sapientia, qui omnia in sapientia fecit, vt scriptum est. Et ideo si echinum visitationis suæ exortem non prætermisit, si eum considerat, & futurorum informat indiciis, tua non considerat? Imò verò considerat, sicut testatur eius diuina sapientia dicens: Si respicit volatilia, si pascit Matth. illa, nonne vos pluris estis illis? Si fœnum agri, quod hodie est, & cras in ignem mittitur, deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?

Quod

861

Quòd vnunquodque genus piſcium præſcripta ſibi habeat domicilia, cum increpatione humanæ auiditatis. Qua ratione etiam quædam genera quandoque mutent loca, & vnde hoc habeant ingenium. De ſpecialibus quoque aliquorũ piſcium virtutibus.

Cap. X.

AN verò ſine quadam dote naturæ manere piſcibus etiam illam putamus gratiam, quod vnunquodq; genus piſcium præſcripta ſibi domicilia habet, quæ ſui generis nullus excedat, non incurſet alienus? Quis gæometra his diui ſit habitacula, nullis rumpẽda temporibus? Sed gæometram audiuimus, thalaſſometram nunquam audiuimus, & tamen piſces menſuram ſuam norunt: non muris vrbium, portiſque præſcriptam, non ædificiis domorum, non agrorum finibus limitatam, ſed menſuram eius quod oporteat, vt tantum ſatis ſit vnicuique quantum ad vſum abũdet, non quantum auiditas quædam immoderata ſibi vindicet. Lex quædam naturæ eſt, tantum quærere quantum ſufficiat ad victum, & alimentorum modo ſortem cenſere patrimonij. Hoc genus piſcium in illo ſinu maris alitur & gignitur, illud in alio. Denique non reperies confuſa genera piſcium, ſed quod hic abundat, alibi deeſt. Et iterum ille ſinus maris cephalos alit, lupos ille: ille ſaxatiles, locuſtas alius. Non eſt libera vagandi poteſtas, nec tamen intercluſa montibus copia, aut fluuiis interlabentibus tranſitus impeditur, ſed vſus naturæ impreſſus tanquam patriæ finibus vnunquenque ſe retinere, & vltra incolas prodire ſuſpectum. At nobis longè alia ſententia eſt, mutare exilio domos, incolarum faſtidio teneri, aduenarum captare gratiam, trãsferre terminos perpetuos, quos poſuerunt patres noſtri, agrum ad agrum iungere, domum ad domum. Deficit terra hominibus, ſternuntur & maria. Rurſus pro ſingulorum libidine inciditur terra, mare infunditur, vt inſulas faciant, vt poſſideant freta, ſpatia maris ſibi vindicant iure mancipij, piſciúmq; iura ſicut vernaculorum conditione ſibi ſeruitij ſubiecta commemorant. Iſte, inquit, ſinus maris meus, ille alterius. Diuidunt elementa ſibi potentes. His oſtreæ in fluctibus nutriuntur, his in viuario piſcis includitur. Luxuriæ nec mare ſufficit, niſi apothecas habeant oſtrearum. Itaque ętates earum numerant, & piſcium receptacula inſtruunt, ne conuiuia diuitis mare non poſſit implere. Nam vicini nomen quibus audiunt auribus? quibus oculis intuentur poſſeſſiones eorum? Quemadmodum dies noctéſque excogitant vt aliquid proximi auferãt? Nunquid ſoli habitabitis ſuper terram? clamat Propheta. Cognoſcit hæc dominus, & vindictæ reſeruat. Quantum alienа à piſcibus auiditatis rapina? Illi naturalia captant ſecreta, & vltra terminos orbis terrarum mare norunt, quod nullæ interpolant inſulæ, nec terra aliqua interiacet, vel vlterius vlla ſit poſita. Illic igitur vbi diffuſum latè mare omnem ſpectandi vſum, vtilitatis gratia nauigandi intercludat audaciã, condere ſe feruntur cete illa immenſa genera piſcium, æqualia montibus corpora, vt tradiderũt nobis qui videre potuerunt: illic quietum æuum exigunt, diſcreta ab inſulis, & ab omnibus maritimarum vrbium contagiis ſeparata. Habent ſuas regiones, & habitacula diſtributa, manent in his inoffenſo vicinorum limite, nec vago tranſitu mutationes quærunt locorum, ſed tanquam patrium ſolum diligunt, & in his immorari dulce arbitrantur. Quæ ideo elegerunt, vt ſolitariam vitam remota poſſint arbitrorum interpolatione tranſigere. Sunt tamen aliqua genera piſcium qui non ingenij facilitate loca mutent, ſed fouẽdi partus neceſſitate, quæ opportuno atque legitimo procurantes tempore, ex plurimis locis à diuerſo ſinu maris innumeri velut cõmuni conſilio conuenientes, coniuncto agmine Aquilonis flatus petunt: & ad illud ſeptentrionalium mare partium quadam naturæ lege contendunt. Dicas, ſi aſcendentes videas, rheuma quoddam eſſe, ita proruunt, fluctúſpue interſecant, per Pontidem in Euxinum Pontum violento impetu profluentes. Quis piſcibus hæc annunciat loca, præcepta, tempora? Quis tribuit diſpoſitionem viandi, comitandi ordinem, metas, & tempora reuertendi? Homines ſuum imperatorem habẽt, cuius expectatur imperium: procedit teſſera, proponun-

Eſaiæ 5.

De Cetis.

A tur edicta prouincialibus, vt conueniant, tribunis militum literæ diriguntur, dies ſtatuitur, & plerique ad dies ſtatutos occurrere non queũt. Quis imperator piſcibus præceptum dedit? Quis doctor hanc tribuit diſciplinam? Qui metatores itinera diſponunt? Qui duces iter dirigunt, vt nullius deſit occurſus? Sed agnoſco quis ille ſit imperator, qui ordinatione diuina ſenſibus vniuerſorũ ſuum infundat imperium, qui tacitus mutis animantibus naturalis diſciplinæ ordinem tribuat: nec ſolum magna penetret, ſed etiam per minima quæque ſe fundat. Diuinæ legi piſcis obſequitur, & homines contradicunt. Piſcis ſolenniter obaudit mandata cœleſtia, & homines irrita faciunt dei præcepta. An contemptibilis tibi videtur, quia mutus eſt, rationiſque expers? Sed vide ne tu tibi magis incipias eſſe contemptui, ſi irrationabili irrationabilior deprehendaris. Quid autem rationabilius hoc piſcium tranſitu, cuius rationem quidem verbis non explicant, ſed factis loquuntur? Pergunt enim æſtatis tempore ad fretum Ponti, eò quòd reliquo maris ſinu hic ſinus dulcior ſit. Non enim tandiu ſol eo freto, quandiu cæteris im-

B moratur: eáque fit cauſa vt non omnem aquam exhauriat quæ dulcis atque potabilis eſt. Quis autem ignorat quòd etiam ea quæ maritima ſunt, aquis plerunque dulcibus delectentur? Denique dum flumina ſequuntur, & ad ſuperiora aſcendunt, frequenter alieni piſces generis capiuntur in fluuiis. Cum hæc igitur cauſa Pontum illis faciat gratiorem, vel quod æſtus temperet ſolennis illic flatus Aquilonis, tum opportuniorem cæteris iudicãt in quo generare, & partus poſſint proprios enutrire: quòd teneri fœtus laborem alienæ regionis ferre vix poſſint, quos illic fouet aeris blanda clementia. Itaque peracto munere, omnes ſimul eo quo venerant agmine reuertuntur. Quænam iſta ſit ratio, conſideremus. Obiectus eſt Ponti ſinus Boreæ, cæterorúmque ventorum violẽtiſſimis flatibus: vnde grauis illic procella fuerit, & tempeſtates mouentur, ita vt de profundo arena verratur, cuius rei fluctus arenoſus indicio eſt, qui ventorum motu inſurgens altius, tum pondere grauior, haud dubiè non ſolum na-

C uigantibus, ſed etiam maritimis ipſis animantibus intolerabilis habetur. Accedit illud, quod complurima & maxima Ponto flumina miſceantur, cum hyberno tempore ſinus ipſe frigidiore torrentium tigeſcat allapſu. Propterea piſces tanquam arbitri fluentorum, æſtate illic aſpirantis auræ clementiam captare conſueuerunt, cuius amœnitate, perfruiti, rurſus hyemis aſpera declinare contendunt, & Septentrionalis plagæ ſæua fugientes, in reliquos ſe ſinus conferunt, in quibus aut ventorum mollior ſit placiditas, aut ſolis ſoleat vernare temperies. Nouit igitur piſcis pariẽdi tempus, quod pro magno myſterio dixit Salomon in Sapientia. Nouit tempus eundi atque redeundi, nouit tempus perfunctionis & iactationis, & nouit vt non queat falli: quia non rationis æſtimatione, & diſputationis argumento vtitur, ſed inſpiratione naturæ, quæ vera eſt magiſtra pietatis. Denique omnes animantes præſcripta habent pariendi tempora, homo ſolus indiſcreta atque confuſa. Reliqua genera clementiam tempo-

D ris quærunt, mulieres ſolæ partus ſuos inclementer effundunt. Vaga enim & intemperans libido generandi, vagam pariendi ætatem exhibet. Piſces tanta maria tranſmittunt, vt vtilitatem aliquam generi ſuo quærant. Nos quoque diffuſa æquora transfretamus. Sed quanto honeſtius quod ſucceſſionis amore, quàm quod pecuniæ auiditate ſuſcipitur? Denique illis ad pietatem, nobis ad quæſtum tranſmiſſio deputatur. Illi ſobolem præferunt omnibus mercibus chariorem, nos mercem longè imparem ad periculi vicem miſera lucri cupidine reportamus. Itaque illi patriam repetunt, nos derelinquimus. Illis natando incrementum generis acquiritur, nobis minuitur nauigando. Quis igitur neget diuinitus illis infuſum ingenium eſſe huiuſmodi atque virtutem? cùm videat iſtos in Aquilonem tam ſolennem obeundæ fœcunditatis peregrinationem viuaci ingenio componere, alios in exiguo corpore tantum validitatis aſſumere, vt maximas nauium plenis currentes velis, in mediis fluctibus ſiſtant: ſicut breuis piſciculus Echeneis tanta facilitate memoratur nauem ingentem ſtatuere, vt quaſi radicatam mari hærere videas, nec moueri. Aliquandiu enim immobilem ſer-

uat. An & huic putas ſine creatoris munere tantum potuiſſe ſuppetere virtutis? Quid gladios loquar, aut ſerras, aut canes maritimos, aut balenas, aut zigenas? Quid etiam turturis centrum, & hoc mortuæ? Sicut enim viperæ os ſi quis calcauerit, recens duntaxat, grauius quàm venenum nocere perhibetur, & immedicabile vulnus ſerpere, ita etiam turtur aculeo ſuo mortua amplius quàm viua periculi afferre memoratur. Lepuſculus quoque timidum animal in terris, in mari formidabile, citam, & quę non facilè poſſit auferri, corrupte lam inuehit. Voluit enim te creator nec in mari ſatis ab inſidiantibus eſſe ſecurum, vt propter pauca quæ noceant, quaſi in excubiis poſitus, arma fidei ſemper & ſcutum deuotionis accinctus, à domino tuo debeas ſalutis ſperare præſidium.

De ſingulari Atlantici maris commendatione ex iis quæ in ipſo naſcuntur aut fiunt, cum concluſione ſermonis de piſcibus. *Cap. XI.*

VEniamus ad Atlanticum mare. Quàm ingentia illic & infinitæ magnitudinis cete, quæ ſi quando ſupernatant fluctibus, annatare inſulas putes, mõtes altiſſimos ſummis ad cœlũ verticibus eminere. Quæ non in acta, nec in littoribus, ſed in Atlantici maris profundo ferũtur videri, vt eorum conſpectu nautæ à nauigãdi in illis locis præſumptione reuocentur, nec ſecreta elementorum adire ſupremæ terrore mortis vſurpent. Sed iam aſſurgamus ipſi de profundo maris, & aliquantulum ſermo noſter emergat, atque ad ſuperiora ſe ſubrigat: ſpectemus ea quæ vſitata multis, & plena ſint gratiæ, quomodo aqua in ſalis vertatur ſoliditatem, vt ferro ſæpe cædatur, quod de Britãnicis ſalibus nihil mirum, qui in ſpeciem marmoris validi, eiuſdem metalli niueo candore reſplendent, ſalubres corporis cibo, & potui nimis grati. Quomodo etiam non indecus lapis corallium in mari herba ſit: ſi in aerem trãsferatur, lapidis firmitate ſolidetur. Vnde etiam oſtreis precioſiſſimam margaritam natura infixerit, quomodo eam maris aqua in tam molli carne ſolidauerit. Quæ difficile apud reges inueniuntur, ea in littoribus quaſi vilia iacent vulgo, & in ſaxis aſperis & cautibus colliguntur. Aureũ etiam vellus aqua nutrit, & lanam in memorati ſpeciem metalli gignunt littora, cuius colorem nullus adhuc eorum qui fucis diuerſis obducunt vellera, imitari potuit: adeo naturæ maritimæ gratiam humana implere neſcit induſtria. Scimus qua ſolicitudine vellera ouiũ etiã minus precioſa curentur: ſint licet optima, nequaquam tamen his fucus innaſcitur. Hic naturalis color eſt, quem nullus adhuc fucus æquauit, hoc quoque piſcis eſt vellus. Sed & ipſi murices qui inſigne dant regium, ſunt maritimi. Et quæ pratorum gratia, vel hortorum amœnitas poteſt cerulei maris æquiparare picturam? Aurum licet in pratis flores refulgeant, auri quoque fulgorem in mari luna reſplendet: & illi citò marceſcunt, iſta diu duratura ſeruatur. Lilia in hortis eminus nitent, vela in nauibus. Hic odor, hic ventus aſpirat. Quæ vtilitas in folio? In nauibus quanta commercia? Lilia ſuauitatem narium, vela hominum ſalutem inuehunt. Adde piſces ſalientes, & delphinas ludentes. Adde rauco ſonantes fluctus murmure. Adiice currentes naues ad littora, vel de littoribus exeuntes. Cùm è carceribus mittuntur quadrigæ, quanto ſtudio ſpectantium & amore certatur? Equus tamen inuanum currit, non inuanum nauigia. Ille inuanum, quia vacuus: iſta ad vtilitatem, quia plena frumenti. Quid iis gratius, quæ non verbere aguntur, ſed ventorum ſpiramine: vbi nemo refragatur, ſed omnes fautores ſunt: vbi nemo vincitur quicunque peruenerit, ſed omnes puppes quæ peruectæ fuerint, coronantur: vbi palma merces ſalutis, victoria precium regreſſionis eſt? Quantum enim diſtat inter directos curſus ac reflexos? Iſti perpetuantur, hi reſoluuntur. Adiunge remigiis contexta littora, quibus vexillum exeundi aura de cœlo eſt. Itaque aurige plauſum inanem referunt, hi ſoluunt vota ſeruati. Quid de Iona dignum loquar, quem cetus excepit ad vitam, reddidit ad prophetandi gratiam? Emendauit aqua, quem terrena deflexerant, pfallebat in vtero ceti, qui mœrebat in terris. Et vt vtriuſq; redemptio non

A prætereatur elementi, terrarum ſalus in mari ante præceſſit, quia ſignum filij hominis, ſignum Ionæ. Sicut iſte in vtero ceti, ſic Ieſus in corde terræ. In vtroque remedium, maius tamen in mari pietatis exemplum, quoniam exceperũt piſces quem homines refutarunt: & quem homines crucifixerunt, piſces ſeruauerũt. Petrus quoque in mari titubabat, ſed non labebatur: & confeſſus in fluctibus, negauit in terris. Itaque illic quaſi deuotus manu apprehenditur, hic quaſi oblitus aſpectu cenſorio conuenitur. Sed iam rogemus dominum, vt ſermo noſter quaſi Ionas eiiciatur in terram, ne diutius in ſalo fluctuet. Et bene iam exiuit cucurbita, quæ obumbret nos à malis noſtris, ſed & ipſa procedente ſole arefacta admonet requieſcẽdum, ne interæſtuare incipiamus ingenio, & nobis etiam verba deficiant. Certè plus nobis quam Niniuitis data eſt in aquis remiſſio peccatorum.

Matth. 12. Matth. 14. Ionæ 4.

De pulchra introductione ſermonis de natura auium habendi. *Caput XII.*

B ET cum paululum cõticuiſſem, inter ſermonem adorſus aio: Fugerat nos fratres dilectiſſimi neceſſaria de natura auium diſputatio, & ſermo huiuſmodi nobis cum ipſis auibus euolauerat. Fit enim natura quadam, vt hi qui aliquid intuentur, vel dicendo exprimere volunt, eorum qualitatem quæ vel intuentur vel loquuntur aſſumant, vt & cũ pigrioribus immoremur, & cum velocibus celeri rapiamur aſpectu, ſtylo quoque aut tardiore vtamur aut rapidiore. Itaque cùm caueo ne mari demerſa prætream, & aquis operta me lateant, effugit omne volatile, quia dum inclinatus imos aquarum gurgites ſcrutor, aerios non reſpexi volatus, nec vmbra ſaltem pennæ me præpetis reclinauit, quæ in aquis relucere potuit. Verum vbi omne negocium expeditum putaui, & abſolutum me credidi, & diem quintum conſummatũ arbitratus ſum, venit in mentem auium natura, quæ cum eunt cubitum, quaſi peracto læ tæ munere, æthera cantu mulcere conſuerunt: quod velut ſo lenniter ſurgente & occidente die inſtaurare conſuerunt, vt C decurſi vel adoriendi nocturni iuxta ac diurni temporis laudes ſuo referant creatori. Magnum igitur incentiuum excitandæ nobis deuotionis amiſeram. Quis enim ſenſum hominis gerens non erubeſcat ſine Pſalmorũ celebritate diem claudere, cùm etiam minutiſſimæ aues ſolenni deuotione & dulci carmine ortus dierum ac noctium proſequantur? Redeat igitur nobis volaticus ſermo, qui pene fuerat elapſus ex oculis, & aquilæ modo alta petens, volatus ſuos obduxerat nubibus, niſi quia oculos abluti aqua dum de gurgite leuamus ad cœlum, ſpeculati vacuum aeris volatibus ferri, ad neceſſitatem ſtyli putauimus eſſe reuocandum. Ecce vos iudices, qui eſtis aucupes verbi, vtrum conſultius euolaſſet, an vtiliter in noſtra retia ſit relapſus. Nec vereor ne faſtidium nobis obrepat in volatilibus requirẽdis, quod non obrepſit in gurgitibus perſcrutandis, aut aliquis nobis in diſputatione obdormiat, cùm poſſit auium cantibus excitari. Sed profecto qui inter mutos piſces vigilauerat, non dubito quod inter canoras aues ſomnum ſentire non poſſit, quin D tali ad vigilandum gratia prouocetur. Neque verò vile putetur quod potuit præterire, cùm ſit tertia pars in animantibus creaturæ. Tria enim genera animantiũ eſſe non dubium eſt, terrenum, volatile, aquatile. Denique ſic ſcriptum eſt: Producant aquæ reptilia animarum viuentium ſecũdum genus, & volatilia volantia ſuper terram ſecus firmamentum cœli ſecundum genus.) Reuocamur ad ſuperiora ſicut obliuioſi viatores, qui cùm inconſulto præterierint, in ſua reuertentes veſtigia, incuriæ ſuæ multam repetito itineris labore ſuſcipiunt. Eſt tamen etiam bonus viator qui diſpendium regreſſionis, reliqui itineris compendioſa celeritate compenſet, vt mihi faciendum arbitror: maximè cùm de auibus ſermo ſit, quæ ſolent oculos hominum volatu præperatiore perſtringere. Quid enim conuenit iis immorari, in quibus celeritas placere conſueuit? Auius igitur atque inuſitatos in tali genere ſcriptionis ſermo noſter canoris auibus reſonet ac reſultet. Sed vnde mihi cygnea carmina, quæ etiam ſub graui mortis imminentis terrore delectant? Vnde mihi illos

Genes.

natu-

naturalis modulos catilenæ, quibus etiam paludes sonoræ cantus edunt dulcissimi suauitatem? Vnde mihi vocem psittaci, dulcedinémque merularum? Vtinam saltem luscinia cantat, quæ dormientem de somno excitet. Ea enim auis significare solet diei surgétis exortum, & effusiorem diluculo deferre lætitiam. Tamen si illorum suauitas deest, sunt gementes turtures, & raucæ columbæ, tum etiam cornix plena voce pluuiam vocat. Vnde rurale auiarium sermone quo possumus, scientia quam nos rusticani docuerũt, persequamur.

De ordine dicendorum, ac natura auium quæ circa aqua maris fluminúmque versantur. Caput XIII.

De halcyone.

IT quoniam de aquatilibus reptilibus diximus, ar duum est vt subitò ad aues cœli sermo noster ascendat. Et ideo de iis auibus prius dicamus, quæ circa aquas maris fluminúmque versantur, cum quibus possumus emergere. Itaque ab halcyone sermonem adoriamur. Ea est auis maritima, quę in littoribus fœtus suos edere solet, ita vt in arenis oua deponat medio ferè hyemis. Nam id temporis fouẽdis habet deputatum partubus, quando maximè insurgit mare littoribus, vehementiórque fluctus alliditur, quo magis repentinæ placiditatis solennitate auis huius eluceret gratia. Nanque vbi vndosum fuerit mare, positis ouis subitò mitescit, & omnes cadunt ventorum procellæ, flatúsque aurarum quiescunt, ac placidum ventis stat mare, donec oua foueat halcyon sua. Septem autem dies fœtus sunt: quibus decursis educit pullos, fœtúsque absoluit: illico alios quoq; septem dies adiungit, quibus enutriat partus suos: donec incipiant adolescere. Nec mireris tam exiguum nutrimenti tempus, cùm absolutio fœtuum tam paucorum dierum sit. Tantam autem gratiam minuscula auis diuinitus indultam habet, vt hos quatuordecim dies nautici præsumptæ serenitatis obseruent, quos & halcyonidas vocant, quibus nullus motus procellosæ tempestatis horrescit.

Luce 12. Nónne vos passeribus pluris estis? dominus ait. Si igitur auis minusculæ contemplatione & insurgit mare, & repente comprimitur, atque aspera hyemis inter ingruentes procellas tempestatésque ventorum detergit cœli nubila, fluctúsque componit elementis omnibus subitò infusa tranquillitas: quantum præsumere debeas ô homo ad imaginem dei factus, agnoscis: si tamen auiculæ istius fidem studio deuotionis imiteris. Illa tempestates videns insurgere, sæuire ventos, inter hyberni sæua non reuocatur neque reflectitur, sed impellitur. Denique in littore sua oua constituit, vbi ea relabente fluctu madida adhuc arena suscipiat: nec insurgentes fluctus quos immurmurare atque allabi videt, reformidat. Et ne putes quòd ouorum videatur habere contẽptum, continuò vbi deposuerit oua, nidificat, & suo partus corpore fouet, nec saluti proprię alluuione littoris pertimescit, sed secuta de dei gratia, ventis se committit & fluctibus. Parum est hoc. Adiungit totidem alios ad nutriẽdum dies, nec interim turbari tot diebus infidi maris tranquillitatem veretur, tentátque meritum suum naturæ iam solennitate fundatum, & teneros fœtus non latibulis aliquibus abscondit aut tectis, nec includit cauernis, sed nudo & rigẽti committit solo, nec defendit à frigore, sed diuino fotu quo magis cætera despiciat, tutiores fore existimat. Quis nostrũ paruulos suos non vestimentis tegat, tectísque abscõdat? Quis non claudat eos septis cubiculorum? Quis non ita diligenter vndique fenestras obstruat, ne qua possit aura penetrare? Meritò quos tã solicitè induimus ac fouemus, exuimus eos clementiæ cœlestis inuolucro: halcyon verò quos nudos proiicit, eos diuino vestit indumento. Nec vos præteribo mergi, quibus ab assiduitate mergendi nomen hoc hæsit, quomodo sæpe mergentes aurarum signa colligitis, & præuidentes tempestatem futuram, prope medio reuolatis ex æquore, & ad littorum tuta cum clamore contenditis. Quomodo etiam fulicæ quæ maritimo delectamini profundo, refugientes posteaquam præsenseritis commotionem maris, in vado luditis. Ipsa ardea quæ paludibus inhærere consueuit, notas deserit sedes, imbrésque formidans, supra nubes volat, vt procellas nubium sentire non possit. Consideremus diuersas volucres maris,

De mergis.

De fulicis.

De ardea.

A quemadmodum imminente ventorum motu ad tutiora & tunc temporis dulciora sibi stagna se conferant, atque in abscondito terrarum sinu incognita sibi alimenta rimentur. Nocturnas autem anserum quis non miretur excubias, qui vigilias suas etiam cantus assiduitate testantur? Denique eò etiam Romana capitolia à Gallo hoste seruauerunt. Meritò illis debes Roma quod regnas. Dij tui dormiebant, & vigilabant anseres. Ideo illis diebus anseri sacrificas, non Ioui. Cedunt enim dij vestri anseribus, à quibus se sciunt esse defensos, ne & ipsi ab hoste caperentur.

De auibus.

Cur post descriptionem piscium, de iis auibus quæ assuetæ sunt aquis, sermo successerit, & de diuersis exinde auium generibus ac differentiis. Cap. XIIII.

DVlchrè autem post descriptionem piscium, de iis auibus quæ assuetæ sunt aquis, sermo successit, quia & ipsæ similiter vsu natandi & mu
B nere delectantur. Vnde & prima cognatio videtur auibus istis esse cum piscibus, quoniam natandi communia quædam videntur vtriusque generis esse consortia. Secunda quoque cognatio omnibus auibus & piscibus est, eò quòd volandi vsus species sit natandi. Sicut enim aquam natando piscis incidit, ita auis aerem volatu celeri secat. Atque vtrique generi similiter cauda suppetit, alarúmque remigium, vt pisces ad priora se alis subrigãt, atque ad vlteriora procedãt. Caudæ quoque gubernaculo vel quo velint se facilè conuertant, vel impetu quodam è regione iter suum dirigant. Aues quoque aeri volatibus suis velut aquis innatant, & quasi quædam extendunt brachia. Cauda quoque se vel ad superiora subrigũt, vel ad inferiora demergunt. Vnde quoniam in nonnullis idem vsus & species, ideo de aquis vtriusque generis natiuitas diuina præceptione processit. Dixit enim deus: Producant aquæ reptilia animarum viuentium secundum genus, & volatilia volantia secus firmamentum cœli secundum genus.) Non immeritò igitur
C quia de aquis genus vtrunque producitur, natandi proprietas vtrisque suppeditat. Sanè cùm & coluber lubricus, omnèsque serpentes: (ideo enim serpendi nomen est inditum, quia non possint ambulare, sed serpere) dracones quoque simili modo vt pisces pleriq; sine pedibus sint: nullum auium genus pedum officio caret, quia omnibus victus è terris: & ideo pedum munere fulciuntur, quia huiusmodi ad escam quærendam indigent ministerio. Itaque aliæ volucres vnguibus armantur ad raptum, vt accipitres & aquilæ, quæ rapinam venationis exercent: Aliæ vel ad incedendum, vel ad cibum sibi parandum vsu ministerióque potiuntur accommodo. Vnum autem nomẽ auium, sed genera diuersa. Quæ quis possit memoria aut cognitione comprehendere? Sunt itaque aues quæ carne vescuntur. Ideo his vngues asperi, cuÿ uatum atque acutum os, velox volatus, quoniam rapto viuunt, vt possint facilè corripere prædam quam sequuntur, properè vel ore vel vnguibus euiscerare. Sũt etiam aues quæ
D reperto pascuntur semine, aliæ diuerso & fortuito cibo. Est etiam diuersitas copularum, quarum gratia carent feræ quæ intendunt rapinis. Nam propter auiditatem prædandi, vel propter insidias explorandi, nec ipsis inter se conuenit, & ideo declinant sui copulam. Refugit enim auaritia consortium plurimorum, deinde coniunctio plurimorum facile ipsa se proderet. His ergo auibus nihil est copulatorium, præter iugale consortium. Ergo aquilis accipitribúsque hic vsus est vitæ. Contra verò palumbes, grues, sturni, corui atq; cornices, etiam turdi gaudent plurimorũ connexione, Alia quoque auium genera enchoria, quæ manent in locis semper. Alia aduentitia, quæ obeunt regiones alias, & peracta hyeme reuertuntur. Sunt aliæ quæ hyeme redeunt, æstate peregrinantur à nobis, siue quod alia hyemis tempore ad calidiora se conferant, siue quod pleraque rursus æstatem in iis locis exigant, quæ amœniora nouerunt. Turdi denique autumni fine, hyemis confinio, quasi exacta æstate se referunt. Quibus nos in hospitali immanitate molimur insidias, & diuerso genere nunc infida decipula decipere, nunc viſco eos fallere, nunc laqueis captare contendimus. Ciconię reditus ve-

xillum veris attollit. Grues qui alta petunt, amant frequenter peregrinari. Aliæ aues ad manum se subiiciunt, & mensæ herili assuescunt, tactúque mulcentur. Aliæ reformidant. Aliæ iisdem quibus homines domiciliis delectãtur. Aliæ secretam in desertis vitam diligunt, quæ requirendi sibi victus difficultatem libertatis amore cõpensant. Aliæ vocibus tantum strepunt. Aliæ canoro delectantur suauique modulamine. Quædam ex natura, aliæ ex institutione diuersarum vocum obloquuntur discrimine, vt hominem putes locutum cum locuta sit auis. Quàm dulcis merularum, quàm expressa vox psitaci est. Sunt etiam aliæ simplices, vt columbæ. Aliæ astutæ, vt perdices, gallus iactantior, pauo speciosior. Sunt etiam vitæ in auibus & operum diuersitates, vt aliæ ament in commune consulere, & collatis viribus velut quandam curare rempublicam, & tanquam sub rege viuere. Aliæ sibi quæque prospicere, imperium recusare: & si capiantur, indigno velint exire seruitio.

A quibus auibus exordium sequentis sermonis sumendum sit. Ac de gruibus quomodo solicitam exerceant custodiam, & volantes seruant ordinem: exemplúmque exercendæ politiæ præbuerint hominibus. De commendatione præterea status antiquæ reipublicæ. Et de causa atque accusatione humanæ incuriæ. Caput XV.

De gruibus.

AB iis igitur ordiamur, quæ nostro vsui imitationem dederunt. In illis enim politia quædam & militia naturalis in nobis coacta atq; seruilis. Quàm iniussi, & volũtario vsu grues in nocte solicitam exercent custodiam, dispositos vigiles cernas, & cæteris consortibus generis quiescentibus, aliæ circumeunt & explorant, ne qua ex parte insidiæ tententur, atque omnem deferunt impigro sui vigore tutelam. Post vbi vigiliarum fuerit tempus impletum, perfuncta munere in sumnum se præmisso clangore componit, vt excitet dormientem, cui vicem muneris traditura est. At illa volens suscipit sortem, nec vsu nostro inuita & pigrior somno renunciat, sed impigrè suis excutitur stratis, vicem exequitur, & quam accepit gratiam, pari cura atque officio repræsentat. Ideo nulla desertio, quia deuotio naturalis: ideo tuta custodia, quia voluntas libera. Hunc etiam volantes ordinem seruant: & hac moderatione omnem laborem alleuant, vt per vices fungantur ductus sui munere. Præcedit enim vna, & pręcurrit cęteris præstituto sibi tempore, & quasi ante signa præcurrit, deinde conuertitur, & sequenti sortem ducendi agminis cedit. Quid hoc pulchrius, & laborem omnibus & honorem esse communem, nec paucis arrogari potentiam: sed quadam in omnes voluntaria sorte transcribi? Antiquæ hoc reipublicæ munus, & instar liberæ ciuitatis est. Sic ab initio acceptam à natura exẽplo auium politiam homines exercere cœperunt, vt communis esset labor, communis dignitas, per vices singuli partiri curas discerent, obsequia imperiaque diuidere, nemo esset honoris exors, nullus immunis laboris. Hic erat pulcherrimus rerum status, nec insolescebat quisquam perpetua potestate, nec diuturno seruitio frangebatur, quia & sine inuidia erat ordine muneris & temporis moderatione delata promotio, & tolerabilior videbatur quæ communi cadebat sorte custodia. Nemo audebat alium seruitio premere, cuius sibi successũri in honorem mutua forent subeũda fastidia. Nemini labor grauis, quem dignitas secutura releuaret. Sed postquam dominãdi libido vindicare cœpit indebitas, & susceptas nolle deponere potestates, posteaquam militia non ius cõmune cœpit esse, sed seruitus, posteaquam non ordo factus est suscipiendæ potentiæ, sed studium vindicandæ, cœpit etiam ipsa laboris functio durius sustineri: & quæ non est voluntaria, citò locum relinquit incurię. Homines quàm inuiti subeunt vigiliarum munia, quam ægrè vnusquisque in castris periculum sortitus excubat, quod tuendum sibi regali prœceptione committitur. Proponitur pœna desidię: & tamen plerunque obrepit incuria, non seruãtur excubiæ. Necessitas enim quæ inuito imponit obsequium affert plerũque fastidium. Nihil est enim tam facile quin habeat difficultatem quod facias inuitus. Ergo & iugis labor auertit affectum, & continua & A diuturna potentia gignit insolentiam. Quem inuenias hominum qui sponte deponat imperium, & ducatus sui cedat insigne, fiátque volens numero postremus ex primo? Nos autem non solum de primo, sed etiam de medio sæpe contendimus, & primos discubitus in conuiuio vindicamus: ac si semel delatum fuerit, volumus esse perpetuũ. Ideo inter grues æquanimitas in laboribus est, humilitas in potestatibus. Admonentur vt exerceant custodiæ vices, non admonentur vt de potestatibus decedant, quia ibi naturalis quies somni interpellanda, hic voluntariæ sedulitatis gratia præstanda est.

De ciconiis quemadmodum proficiscantur quo pergẽdum putant. Qualiter etiam à cornicibus deducantur, atque adiuuentur in bellis. Et de earundem cornicum commendabili hospitalitate, humanæque negligentiæ increpatione. De illarum quoque erga patres suos pietate, & nostræ impietatis notatione. Caput XVI.

B Iconias ferunt collecto proficiscí agmine, si quò pergendum putant, & simul plerique circa Orientem locis inuehi, & quasi tessera militari pariter omnes moueri. Exercitũ credas cum signis suis pergere, sic omnes viandi comitandique & præeundi ordinem seruant. Cornices autem deducunt eas ac dirigunt, & velut quibusdam turmis stipatricibus prosequuntur, adeo vt adiumenta quædam bellantibus aduersus inimicas aues conferre credantur, & propriis periculis bella aliena suscipere. Cuius rei indicium est, quia nullæ per interuallum aliquod temporis residere in illis locis reperiũtur. Et quia cum vulneribus reuertentes manifesta quadam sanguinis sui voce cæterísque loquuntur indiciis, grauium se certaminum subiisse conflictum. Quis igitur illis pœnam desertionis indixit? Quis derelictæ militiæ supplicia præscripsit formidolosa, vt nulla prosequendis hospitalibus turmis sese subtrahere nitatur, sed certatim omnes deductionis munere officióque fungantur? Discant homines hospitalia seruare iura, C & ex auibus cognoscant quid religionis hospitibus sit deferendum, quod obsequium deputandum, quibus cornices etiam pericula sua negare non soleant. His igitur nos ianuas claudimus, quibus aues etiã animas suas conferunt? & quos illæ consortio prosequuntur discriminis, eos tecti prohibemus hospitio? & quorum illæ bella suscipiunt, his nos bella frequenter inferimus? Mentior si non Sodomitanis hęc fuit causa supplicij, aut Ægyptius furor, genti hospitæ dum bellum conatur inferre, inhospitalitatis pœnas infidæ naufragio plebis exoluit. Quàm verò rationabilium excedat pietatem ac prudentiam auis huius clementia, considerandum, quam nec post exẽplum quidem rationabilium quisquam nostrorũ imitari poterit. Nam depositi patris artus per longæuum senectutis plumarum tegmine, alarúmque remigio nudatos, circunstans soboles pennis propriis fouet. Et quid dicam collatitio cibo pascit, quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia, vt hinc atque inde subleuantes senem fulcro D alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam reuocent pij patris membra? Quis nostrum leuare ægrum non fastidiat patrẽ? Quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsa historia vix credibile habetur? Quis, vt pius sit, non hoc seruulis mandat obsequium? At verò auibus non est graue quod pietatis est plenum, non est onerosum quod soluitur naturæ debito. Non recusant aues pascere patrem, quod etiam præscripta necessitate sub terrore pœnarum plerique hominum recusarunt. Aues non præscripta, sed nata lex stringit. Aues ad hoc munus nullo præcepto conueniunt, sed gratiæ naturalis officio. Aues non erubescunt reuerendi senis membra portare. Est enim vera pietatis: quod eousque frequenti testificatione percrebuit, vt congruæ mercedem remunerationis inuenerit. Nam Romanorum vsu pia auis vocatur. Et quod vix vni imperatori consulto senatus delatum dicitur, hoc istæ aues in commune meruerunt. Habent ergo aues istæ decreta patrum ad propriæ insigne clementię. Pios enim filios, patrum prius oportuit iudicio prædicari. Habent etiam vniuersorum suffragia. Nam retributio beneficiorum antipelargosis nomi-

869

nominatur. Pelargos enim ciconia dicitur. Virtus itaque ab his nomen accepit, cùm relatio gratiarum ciconiæ vocabulo nuncupatur.

De hirundinis materna sedulitate, industria ac pietate in filios. De commendatione præterea paupertatis ipsius, & molestia atque improbitate nostra, cum paupertas, inopia vel indigentia nobis occurrerit. Cap. XVII.

De hirundine.

Habemus auiariæ sobolis erga cultus patrios pietatis exemplum. Accipiamus nunc maternæ sedulitatis in filios grande documentum. Hirundo minuscula corpore, sed egregiè pio sublimis affectu quæ indiga rerum omnium pretioliores auro nidos struit, quia sapienter nidificat. Nidus enim sapientiæ pretiosior est auro. Quid enim sapientius, quam vt & voládi vaga libertate potiatur, & hominum domiciliis paruulos suos & tecta commendet, vbi sobolem nullus incurset? Nam & illud est pulchrum, vt à primo ortu pullos suos humanę vsui conuersationis assuescat, & præstet ab inimicarum auium insidiis tutiores. Tum illud præclarum qua gratia domos sibi sine vllo adiutore tanquam artis perita componat. Legit enim festucas ore, eásque luto illinit, vt conglutinare possit. Sed quia lutum pedibus non potest deferre, summitatem pennarum aqua infundit, vt facile his puluis adhæreat, & fiat limus, quo paulatim festucas vel minutos surculos sibi colligat, atque adhærere faciat: eo genere nidi totius fabricam struit, vt quasi pauimenti solo pulli eius intra ædes suas sine offensione versentur, nec pedem aliquis interserat per rimulas texturarum, aut teneris frigus irrepat. Sed hoc industriæ iudicium * prope commune mul tis auibus: illud verò singulare, in quo est præclara cura pietatis, & prudentis intellectus & cognitionis insigne, tũ quædam medicæ artis peritia, quod si qua pulli eius fuerint cæcitate suffusi oculos siue compũcti, habet quoddam medendi genus quo possit corum lumina intercepto vsui reforma re. Nemo igitur de inopia queratur, quòd vacuas pecuniæ proprias ædes reliquerit. Pauperior est hirundo, quæ vacua æris abundat industria. Ædificat, nec impendit: tecta attollit: & nihil aufert proximi, nec indigentia & paupertate ad nocendum alij compellitur, nec in graui filiorum imbecillitate desperat. Nos verò & paupertas afficit, & inopiæ necessitas vexat, & plerosque indigentia cogit in flagitium, impellit in crimen. Lucri quoque studio in fraudes versamus ingenium, aptamus affectum, atque in grauissimis passionibus spem deponimus, fractíque animo resoluimur, improuidi & inertes iacemus, cùm de diuina miseratione tunc sperandum amplius sit, cùm præsidia humana defecerint.

*alioss. cum.

Vt ex vsu & pietate cornicum discant homines amare filios. Et de fœminarum nostri generis patrúmque in filios impietate. Et hinc de excusatione accipitrum & aquilarum, qui duram aduersus fœtus suos feruntur habere inclementiam. De pietate quoque fulicæ quæ abdicatum aquilæ pullum cum sua prole connectit & nutrit. Cap. XVIII.

DIscant homines amare filios ex vsu & pietate cornicum, quę etiam volantes filios comitatu sedulo prosequuntur, & solicitè ne teneri forte deficiant, cibum suggerũt, ac plurimo tempore nutriendi officia non relinquunt. At verò fœminæ nostri generis citò ablactant etiam illos quos diligunt: aut si ditiores sunt, lactare fastidiunt. Pauperiores verò abiiciunt paruulos, & exponunt, & deprehensos abnegant. Ipsæ quoque diuites, ne per plures suum patrimonium diuidatur, in vtero partus proprios necant, & parricidalibus succis in ipso genitali aluo pignora sui ventris extinguunt, priusq; aufertur vita, quàm traditur. Quis docuit nisi homo filios abdicari? Quis reperit tam immitia patrum iura? Quis inter naturæ fraterna consortia fratres impares fecit? Vnius diuitis filij diuersa sorte cæduntur. Alius totius paternæ sortis adscriptionibus inundatur, alius opulentæ hęreditatis patriæ deplorat exhaustam atque inopem portionem. Nũquid natura diuisit merita filiorũ? Ex pari omnibus tribuit quod ad nascendi atque viuendi possint habere substantiam. Ipsa vos doceat non discernere patrimonio, quos titulo germanitatis æquastis. Etenim quibus dedistis communiter esse quod nati sunt, non debetis his vt id communiter habeant in quod à natura substituti sunt, inuidere. Accipitres feruntur in eo duram aduersum proprios fœtus habere inclementiam, quod vbi eos aduerterint tentare volatus primordia, nidis eiiciunt suis, continuóque eliminant, ac si morentur, propulsant pennis atque præcipitant, verberant alis, cogúntque audere quod trepidant, nec vllum postea deferunt his munus alimoniæ. Quid mirum tamen si rapere assueti, nutrire fastidiunt? Cõsideremus ad hoc eos esse generatos, vt etiam aues ad cauendum formido exerceat, ne passim curas relaxent, sed pericula prædonibus declinanda prospiciant. Dein de cum his natura quoddam prædãdi munus inoleuerit, magis à tenero pullos suos instituere videtur ad prędam, quam pastus abdicare compendiis. Cauent ne in tenera ętate pigrescant, ne soluantur deliciis, ne marcescant ocio, ne discãt cibum magis expectare quàm quærere, ne naturæ suæ deponant vigorem. Intermittũt studia nutriendi, vt in vsus rapiendi audere compellant. Aquila quoq; plurimo sermone vsurpatur quòd suos abdicet fœtus: sed non vtrunque, verum vnum ex pullis duobus. Quod aliqui fieri putauerunt geminandorum alimentorum fastidio. Sed id non arbitror facilè credendum, præsertim cùm Moyses tantum testimonium pietatis in pullos suos huic dederit aui, vt diceret: Sicut aquila protegit nidum suum, & super pullos suos confidit, & expandit alas suas, & assumpsit eos, & susscepit super scapulas suas: dominus solus ducebat eos. Quomodo ergo expandit alas suas, si occiderit alterum? Vnde puto non auaritia nutriendi eum inclementem fieri, sed examine iudicandi. Semper enim fertur probare quos genuit, ne generis sui inter omnes aues quoddam regale fastigium degeneris partus deformitas decoloret. Itaque asseritur quòd pullos suos radiis solis obiiciat, atq; in aeris medio pio paruulos vngue suspendat: ac si quis repercussus solis lumine intrepidã oculorum aciem inoffenso intuendi vigore seruauerit, probatur quòd veritatem naturæ synceri obtutus constantia demonstrauerit. Sin verò lumina sua præstrictus radio solis inflexerit, quasi degener & tanto indignus parente reiicitur, nec æstimatur educatione dignus, qui fuit indignus susceptione. Non ergo eum acerbitate naturæ, sed iudicij integritate condemnat: nec quasi suum abdicat, sed quasi alienum recusat. Hanc tamen, vt quibusdam videtur, regalis auis inclementiam, plebeiæ auis excusat clementia. Auis enim cui fulica nomen est, quæ Græcè dicitur Phene, susceptum illum siue abdicatum siue non agnitum aquilæ pullum cum sua prole connectit, atque intermiscens suis, eodem quo proprios fœtus maternæ sedulitatis officio, & pari nutrimentorum subministratione pascit & nutrit. Ergo Phene alienos nutrit, nos verò nostros immitti crudelitate proiicimus. Aquila verò si proiicit, non quasi suum proiicit, sed quasi degenerem non recognoscit: nos, quod peius est, quos nostros recognoscimus, abdicamus.

De accipitribus.

De aquila.

Deut. 32.

De fulica.

De turturis viduitate, exhortationéque mulierum vt discant quanta sit viduitatis gratia, quæ etiam in auibus prædicatur. Caput XIX.

SED veniamus ad turturem, quam lex dei velut castæ hostiæ munus elegit. Denique cùm dominus circumcideretur, oblata est, quia scriptum est in lege domini vt darẽt hostiam par turturum, aut duos pullos columbarum. Hoc est enim verum Christi sacrificium, pudicitia corporalis, & gratia spiritalis. Pudicitia ad turturem refertur, ad colũbam gratia. Fertur etenim turtur vbi iugalis proprij fuerit amissione viduata, pertæsum thalamos & nomen habere coniugij, eò quòd primus amor fefellerit eam dilecti morte deceptam, quoniam & infidelis ad perpetuitatem fuit, & amarus ad gratiam, qui plus doloris ex morte quàm suauitatis ex charitate generauerit. Itaque iterare coniũctionem recusat, nec pudoris iura aut cõplaciti viri resoluit fœdera, illi soli suam charitatem reseruat, illi custodit nomen vxoris. Discite mulieres quanta sit viduitatis gratia, quæ etiam in auibus prędicatur. Quis igitur has leges turturi dedit? Si hominem quæro, non inuenio. Homo enim nullus est ausus, quando nec Paulus ausus est leges tenendæ viduitatis præscribere. De-

De turture. Leuit. 12.

1.Tim.5. nique ipse ait: Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare aduersario. Et 1.Cor.7. alibi: Bonum est illis si sic permaneant: quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere quam vri. Optat Paulus in mulieribus, quòd in turturibus perseuerat. Et alibi iuniores hortatur vt nubant, quia mulieres nostræ turturum pudicitiam implere vix possunt. Ergo turturibus deus hunc infudit affectum, hanc virtutem continentię dedit, qui solus potest præscribere quod omnes sequantur. Turtur non vritur flore iuuentutis, non tentatur occasionis illecebra. Turtur nescit primam fidem irritam facere, quia nouit castimoniam seruare prima connubij sorte prætermissa.

De integritate auium, quæ, vt in vulturibus deprehenditur, absque concubitu, & sine vllo masculorum semine concipiunt & generant. Ac de confutatione eorũ qui impossibile putant quod virgo Maria conseruata virginitate dei filium peperit.

Caput XX.

DIximus de viduitate auium, eámque ab illis primum exortam esse virtutem: nunc de integritate dicamus, quæ in pluribus quidem auibus ita esse asseueratur, vt possit etiam in vulturibus deprehendi. Negantur enim vultures indulgere cõcubitui, & coniugali quodam vsu, nuptialísque copulæ sorte misceri, atque ita sine vllo masculorum concipere semine, & sine coniunctione generare, natósque ex his in multam ætatem longæ vitæ procedere, vt vsque ad centum annos vitæ eorum series producatur, nec facilè eos angusti æui finis excipiat. Quid aiunt qui solent nostra ridere mysteria, cùm audiunt quòd virgo genearauit & impossibilẽ innuptæ, cuius pudorem nulla viri consuetudo temerasset, existimant partum? Impossibile putatur in dei matre, quod in vulturibus possibile non negatur? Auis sine masculo parit, & nullus refellit: & quia desponsata viro Maria peperit, pudoris eius faciunt quæstionem? Nonne aduertimus quod dominus ex ipsa natura plurima exempla antè præmisit, quibus susceptæ incarnationis decorem probaret, & astrueret veritatem.

De vulturibus.

De natura & admiranda industria ac diligentia apum quæ velut quandam rempublicam curare videntur.

Caput XXI.

NVnc age quæ aues velut quandam rempublicam curare videantur expediam, atque vitæ huius ætates agere sub legibus. Hic enim reipublicæ vsus est, leges omnibus esse communes, atque obseruari eas deuotione communi. Vno omnes teneri vinculo, nõ alterius esse quod alius intelligat sibi nõ licere: sed quod liceat, licere omnibus: & quod non licet, omnibus non licere. Esse etiam communem reuerentiam senatorum, quorum consilio respublica gubernetur, commune omnibus vrbis domicilium, cómmunis conuersationis officium, vnum præscriptum, omnibus vnum esse cõsilium. Magna hæc, sed quanto in apibus prestantiora, quæ solæ in omni genere animantium communem omnibus sobolem habent, vnam omnes incolunt mansionem, vnius patrię clauduntur limine, in commune omnibus labor, communis cibus, communis operatio, communis vsus & fructus est, communis volatus. Quid plura? Communis omnibus generatio, integritas quoque corporis virginalis omnibus communis, & partus, quoniam neque vllo concubitu miscentur, nec libidine resoluuntur, nec partus quatiuntur doloribus, & subitò maximum filiorum examen emittunt, è foliis & herbis ore suo prolem legentes. Ipsæ sibi regem ordinant, ipsæ sibi populos creant, & licet positæ sub rege, sunt tamen liberæ. Nam & prærogatiuam iudicij tenent, & fide deuotionis affectum: quia & tanquam à se subst itutum diligunt, & tanto honorant examine. Rex autem non sorte ducitur, quia in sorte euentus est, non iudicium, & sæpe irrationabili casu sorte melioribus vltimus quisque præfertur: neque imperitæ multitudinis vulgari clamore signatur, quæ non merita virtutis expendit, nec publicæ vtilitatis emolumenta rimatur, sed mobilitatis nutat incerto: neque priuilegio successionis & generis regalibus thronis insidet: siquidem ignarus publicæ conuersationis, cautus atque eruditus esse non poterit. Addedulationes atque delicias, quę teneris inolitæ ætatibus vel acre ingenium eneruare consueuerunt, tum institutiones spadonum, quorum plerique suo magis quæstui, quam vsui publico animum regis inclinant. Apibus autem rex naturæ clarus formatur insignibus, vt magnitudine corporis præstet & specie: tum (quod in rege præcipuum est) morum mansuetudine. Nam etsi habet aculeum, tamen eo non vtitur ad vindicãdum. Sunt enim leges naturæ non scriptæ literis, sed impressæ moribus, vt leniores sint ad puniendum qui maxima potestate potiuntur: sed & apes illæ quæ non obtemperauerint legibus regis, pœnitenti se multant condemnatione, vt immoriantur aculei sui vulneri. Quod Persarum populi hodiéque seruare dicuntur, vt pro commissi precio ipsi in se propriæ mortis exequantur sententiam. Itaque nulli sicut reges Persarum tam grauissimas in subditos habẽt leges. Non Indi, non populi Sarmatarum tantam, quãtam apes reuerentiam deuotionis obseruant, vt nullæ è domibus exire audeant, non in aliquos prodire pastus, nisi rex fuerit egressus, & volatus sibi vindicauerit principatum. Processus autem est per rura redolentia, vbi inhalãtes horti floribus, vbi fugiens riuus per gramina, vbi amœna riparum: illic ludus alacris iuuentutis, illic campestre exercitium, illic curarum remissio. Opus ipsum suaue, de floribus, de herbis dulcibus fundamina castrorum prima ponuntur. Quid enim aliud est fauus, nisi quædam castrorum species? Denique ab his præsepibus apum fucus arcetur. Quæ castra quadrata tantum possunt habere artis & gratiæ, quantum habent crates fauorum, in quibus minutæ ac rotundæ cellulæ connexione sui inuicem fulciuntur? Quis enim architectus eas docuit hexagonia illa cellarum indiscreta laterum æqualitate componere, ac tenues inter domorum septa seras suspendere, stipare mella, & intexta floribus horrea, nectare quodam distendere? Cernas omnes certare de munere, alias inuigilare quærendo victualia, alias solicitam castris adhibere custodiam, alias futuros explorare imbres & speculari cursus nubium, alias de floribus ceras fingere, alias rorem infusum floribus ore colligere: nullam tamen alienis insidiari laboribus, & rapto vitam quærere: atque vtinam raptorum insidias non timerent. Habent tamen spicula sua, & inter mella fundunt venenum, si fuerint lacessitæ, animásque ponunt in vulnere ardore vindictæ. Ergo mediis castrorum vallibus humor ille roris infunditur, paulatímque processu temporis in mella cogitur, cùm fuerit liquidus ab exordio, & coalitu ceræ florúmque odore fragrare mellis incipit suauitatẽ. Meritò quasi bonam operariam scriptura apem prædicat, dicens: Vade ad apem, & vide quomodo operaria est. Operationem quoque quàm venerabilem mercatur, cuius laborem reges & mediocres ad salutem sumunt. Appetibilis enim est omnibus & chara. Audis quid dicat Propheta? Mittit vtique te vt apiculæ illius sequaris exemplum, imiteris operationem. Vides quàm laborioſa, quàm grata sit. Fructus eius ab omnibus desideratur & quæritur, nec pro personarum diuersitate discernitur, sed indiscreta sui gratia regibus pariter ac mediocribus æquali suauitate dulcescit. Nec solum voluptati, sed etiam saluti est, fauces obdulcat, & curat vulnera, internis quoque medicamentum infundit vlceribus. Itaque cùm sit infirma robore apis, valida est vigore sapiẽtiæ, & amore virtutis. Denique regem suum summa protectione defendunt, & perire pro eo pulchrum putant. Incolumi rege nesciunt mutare iudicium, mentem inflectere: amisso fidem seruandi muneris derelinquunt, atque ipsæ sua mella diripiũt, quod is qui principatum habuit muneris, interemptus est. Itaque cum aues aliæ vix in anno edant singulos fœtus, apes geminos creant, & duplici cæteris fœcunditate præponderant.

De apibus.

De consideratione eius quod ait propheta: Producant aquæ reptilia, &c. ac de diuersitate quam inter se habent aues. *Cap. XXII.*

CONsideremus nunc quid sit quod ait: Producant aquę reptilia animarũ viuentium, & volatilia vo Genes. lantia super terram secundum genus, & secus firmamẽtum cœli. Cur super terrã dixerit, certum est,

873

est, quia victum de terra quærunt. Secus firmamentum au-
tem cœli quomodo, cùm aquilæ vltra cæteras aues volent,
& tamen ipsæ non secus firmamentum cœli? Sed quia Græ-
cè οὐρανὸς dicitur quod Latinè cœlum appellamus: οὐρανὸς au-
tem ἀπὸ τῆς ὁράσεως, id est à videndo, ideo quòd aer perspicuus
sit, & ad videndum purior, in aere volitantia genera dixit ani
mantium. Et ne moueat quod ait, Secus firmamentum cœ-
li: non propriè firmamẽtum hic posuit, sed abusiuè, eò quòd
comparatione ætherei illius corporis, etiam iste aer quem
pollumus oculis comprehendere, quasi crassior & densior
vicem habeat firmamenti. Nunc quia diximus, quæ volati-
lia, quam naturam habeant & gratiam, & ea pauca de mul-
tis: neque enim vacat vniuersa describere, cùm sint similia, at
que eiusdem generis: tamen aues ipsæ quam inter se diuer-
sitatem habeant, consideremus. Inueniemus enim cornicis
pedes velut quibusdam digitis distantibus separatos atque
diuisos. Coruorum quoque atque pullorum aliter etiam for
matos à naturâ pedes, Auium quæ carne vescuntur, quasi
incuruos atque sinuatos, velut ad prædam paratos. Eæ verò
quæ natandi habent vsum & consuetudinem, latos habent
pedes, & membrana quadam illos digitos pedum sibi co-
pulatos atque coniunctos. In quo admirabilis patet ratio na
turæ, vt & illa ad volãdum vel ad rapiendum cibum vsu ac-
commodo fulciantur, & ista ad natandum adiumenta ha-
beant competentia, quo melius aquis possint supernatare,
& quasi remis quibusdam, ita pedibus suis membranæ illius
Decygno. extensione latioribus aquarum fluenta propellent. Cygnus
quoque cur proceriore collo vtatur, in promptu est, vt quia
est paululum segnior corpore, nec facile potest aquarum in
feriora penetrare, ceruicem extendat ad prædam, quæ quasi
præuia reliqui corporis escam quam inuenerit, rapiat atque
eruat de profundo. Adde & illud, quia suauior & magis ca-
notus per procera modulus colla distinguitur, & longiore
exercitatione purior longè resultat: quàm dulcis etiam in
exiguo cicadis gutture cantilena, quarum cantibus medio
æstu arbusta rumpuntur, eò quòd magis canoræ meridianis
caloribus, quo puriorem aerem id temporis attrahunt spiri-
tu, eo cantus resonant clariores. Nec apes ipsæ insuaue quid-
dam canunt. Habent enim gratã in rauco illo vocis suæ mur
mure suauitatem, quam nos fracto tubarum sonitu lentius
primum videmur imitari, quo crepitu ad excitãdos animos
in vigorem nihil aptius æstimatur. Et hæc illis gratia manet:
cùm pulmonem respirandique munus atque vsum nequa-
quam habere prodantur, sed aerio vesci spiramine. Denique
si quis eas superfundat oleo, propere necantur, eò quòd ob-
structis poris aerium spiramẽ illud haurire non possint, con
tinuóque si quis acetum his superfundat, illico reuiuiscunt,
eò quòd vis aceti citò illos poros qui concretione olei ob-
struuntur, humore feratur aperire.

*De imitatione vermis indici, chamæleontis, leporum atque phœ-
nicis, vt illorum exemplis ad commutationis fidem quæ in re-
surrectione futura est, prouocemur. Vnde etiã vultures habeant
vt quibusdam signis mortem hominum annuncient. Quòd de-
nique vsque ad locustam diuina gratia penetrauerit.*

Caput XXIII.

EST quia de volatilibus dicimus, nõ putamus
alienum ea complecti quæ de verme Indi-
co tradit historia, vel eorum relatio qui vi-
dere potuerunt. Fertur hic corniger vermis
conuerti primum in speciem caulis, atque
in eam mutari naturam, inde processu quo-
dam fieri banbilius: nec eam tamen formam figuramque cu
stodit, sed laxis & latioribus foliis videtur pennas assumere.
Matth.11. Ex his foliis molia illa Seres depectunt vellera, quæ ad vsus
sibi proprios diuites vindicarũt. Vnde & dominus ait: Quid
existis in desertum videre? hominem mollibus vestimentis
indutum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum
sunt. Chamæleon quoque diuersas species fertur vario colo-
re mentiri. Lepores certè, quod de proximo facile cognoui-
mus hyeme albescere, æstate in suum colorẽ redire non du-
bium est. Hęc ideo libaui, vt ad commutationis fidem quę in

A resurrectione futura est, etiam ista exempla nos prouocent,
sed ita, vt commutationem illam dicamus quam Apostolus
euidẽter expressit dicens: Omnes quidem resurgemus, non 1. Cor. 15.
omnes autẽ immutabimur. Et infra ait: Et mortui resurgent
incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibi-
le hoc induere incorruptelam, & mortale hoc induere im-
mortalitatem. Plerique enim commutationis genus & for-
mas quas non acceperant interpretati, nequaquam præsum-
ptionis indebitæ incongrua vsurpatione caruerunt. Phœnix De Phœ-
quoque auis in locis Arabiæ perhibetur degere, atque ea vs nice.
que ad annos quingentos, longæua ætate procedere. Quæ
cùm sibi finem vitæ adesse aduerterit, facit sibi thecam de
thure & myrrha & cæteris odoribus, in quam impleto vitæ
suæ tempore intrat, & moritur. De cuius humore carnis ver
mis exurgit, paulatímque adolescit, ac processu statuti tem-
poris induit alarum remigia, atq; in superioris auis speciem
formámque reparatur. Doceat igitur nos hæc auis vel exem
plo sui resurrectionem credere, quæ & sine exemplo, & si-
ne rationis perceptione ipsa sibi insignia resurrectionis in-
B staurat. Et vtique aues propter hominem sunt, non homo
propter aues. Sit igitur exemplo nobis, quia author & crea-
tor auium sanctos suos in perpetuum perire nõ patitur, qui
auem vnicam perire non passus, resurgenti eam sui semine
voluit reparari. Quis igitur huic annunciat diem mortis, vt
faciat sibi thecam, & impleat eam bonis odoribus, atque in-
grediatur in eam, & moriatur illic vbi odoribus gratis fœtor
funeris possit aboleri? Fac & tu ô homo tibi thecã: expolians
veterem hominem cum actibus suis, nouum indue. Theca Coloss. 3.
tua, vagina tua Christus est, qui te protegat & abscondat in
die malo. Vis scire quia theca protectio est? Pharetra inquit,
mea protexi eum. Theca ergo tua est fides: imple eam bonis
virtutum tuarum odoribus, hoc est, castitatis, misericordiæ,
atque iustitiæ, & in ipsa penetralia fidei suaui factorum præ-
stantium odore redolentia totus ingredere: ea te amictum
fide exitus vitæ huius inueniat, vt possint ossa tua pingueſce-
re, & sint sicut hortus ebrius, cuius citò semina suscitantur.
C Cognosce ergo diem mortis tuæ, sicut cognouit & Paulus,
qui ait: Certamen bonum certaui, cursum consummaui, fi- 2. Tim. 4.
dem seruaui, reposita est mihi corona iustitiæ. Intrauit igi-
tur in thecam suam quasi bonus Phœnix, quam bono repleuit
odore martyrij. Interrogabo te: tu autem respondemihi,
vnde vultures mortem hominum signis quibusdam annun-
ciare consueuerint: quo indicio edocti atque instructi sint,
vt cùm bellum lachrymabile inter se aduersæ acies instruãt:
multo prædictæ volucres sequãtur agmine, & eo significent
quia multitudo hominum casura sit bello futura præda vul-
turibus? Quod vtique ex specie instructionis humanæ qua-
dam videntur ratione colligere. Vsque ad locustam quoque Locusta.
gratia diuina penetrauit, quæ cum agmine cõferto regionis
cuiusce occupauerit latitudinem, innoxio primum fertur ha
bitaculo, nec fructus inhospitali incursione depascitur, nisi
diuinæ signum præceptionis acceperit. Etenim sicut in Exo- Exod. 10.
do legimus, ea quoq; cœlestis vltionem offensionis exequi-
D tur, piæ ministra vindictæ. Hanc quoque auis deuorat Seleu
cis: sic enim Græco auis hæc nuncupatur nomine, data ad re
medium malorum quæ locusta consueuit inferre, cui crea-
tor inexplebilem dedit deuorandi naturam, vt insatiabili pa
stu plagam, quam supra diximus, possit extinguere.

*De natura & proprietatibus auium nocturnarum, videlicet luci
niæ, noctuæ, vespertilionis, & galli, quarum vsu & exemplis
admonemur & instruimur. Cap. XXIIII.*

SED quid hoc est? Dum sermonem producimus, ecce iam & nocturnæ aues circunuolãt,
& in eo ipso in quo finiendum sermonem ad
monent, sui quoque assumendam commemo
rationem producunt. Repetunt diuersæ aues
auiaria sua, quas vesper nocte cogit decedere, & se in latibu-
lis suis abdunt, canoro occasum diei carmine prosequentes,
ne immunes abeant gratiarum, quibus creatorem suum o-
mnis creatura collaudat. Habet etiam nox carmina sua qui-
bus vigilias hominum mulcere consueuit, habet & noctua

De luſcinia. ſuos cantus. Quid autem de luſcinia dicam, quæ peruigil cuſtos cùm oua quodam ſinu corporis & gremio fouet, inſomnem longæ noctis laborem cãtilenæ ſuauitate ſolatur, vt mihi videatur hæc ſumma eius eſſe intentio, quo poſſit non minus dulcibus modulis, quàm fotu corporis animare in fœtus oua quæ foueat. Hanc imitata tenuis illa mulier, ſed pudica, in vſum molę lapidem brachio trahens, vt poſſit alimentum panis ſuis paruulis non deeſſe, nocturno cãtu mœſtum paupertatis mulcet affectum. Et quanuis ſuauitatem luſciniæ non poſſit imitari, imitatur tamen eam ſedulitate pietatis. Noctua ipſa quemadmodum magnis & glaucis oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum caligantem non ſentit horrorem: & quo fuerit nox obſcurior, eo contra vſum auium cæterarum inoffenſos exercet volatus. Exorto autem die, & circunfuſo ſplendore ſolis, viſus eius hebetatur, quaſi quibuſdam erret in tenebris. Quo indicio ſui declarat eſſe aliquos qui cum oculos habeant ad videndum, videre non ſoleant, & viſus ſui officio ſolis fungãtur in tenebris. De cordis oculis loquor, quos habent ſapientes mundi & non vident, in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant, dum dæmoniorũ tenebroſa rimantur, & cœli alta ſe videre credunt, deſcribentes radio mundum, mẽſuram aeris ipſius colligentes. Porro autem à fide deuij, perpetuæ cæcitatis tenebris implicantur, habentes in proximo diem Chriſti, & lumen eccleſiæ, & nihil videntes: aperiunt os quaſi ſcienres omnia, acuti ad vana, hebetes ad æterna, & longæ diſputationis anfractu prudẽtes, inſcij propriæ inſcitiæ. Cæcitatem itaque dum cupiunt ſubtilibus euolare ſermonibus, quaſi noctuæ in lumine euanuerunt. Veſpertilio animal ignobile, à veſpere nomen accepit. Eſt autem volatilis, eadémque quadrupes, & dentibus vtitur, quos in aliis auibus reperire non ſoleas. Parit vt quadrupedia, non oua ſed pullos viuentes. Volitat autem in aere auium more, ſed crepuſculo veſpertino conſueuit offundi. Volitat autem non aliquo pennarum ſed membranæ ſuæ fulta remigio, quo ſuſpenſa velut pennarum volatu circunfertur atque vegetatur. Habet & illud hoc vile animal, quod ſibi inuicem adhærent, & quaſi in ſpeciem borri ex aliquo loco pendent: ac ſi ſe vltima quæque laxauerit, omnes reſoluuntur. Quod fit quodam munere charitatis, quæ difficilè in hominibus huiuſmodi reperitur. Eſt etiã galli cantus ſuauis in noctibus, nec ſolum ſuauis, ſed etiam vtilis, qui quaſi bonus cohabitator & dormientem excitat, & ſolicitum admonet, & viantem ſolatur, proceſſum noctis canora ſignificatione proteſtans. Hoc canente latro ſuas relinquit inſidias. Hoc ipſe lucifer excitatus oritur, cœlúmque illuminat. Hoc canente mœſtitiam trepidus nauta deponit, omníſque crebrò veſpertinis flatibus excitata tempeſtas & procella miteſcit. Hoc canẽte deuotus affectus exilit ad precandum, legendi quoque munus inſtaurat. Hoc poſtremo canente, ipſa eccleſiæ petra culpam ſuam diluit, quam priuſquam gallus cantaret, negãdo contraxerat. Iſtius cantu ſpes omnibus redit, ægris leuatur incommodum, minuitur dolor vulnerum, febrium flagrantia mitigatur, reuertitur fides lapſis, Ieſus titubantes reſpicit, errantes corrigit. Denique reſpexit Petrum, & ſtatim error abſceſſit: pulſa eſt negatio, ſecuta confeſſio. Quod non fortuito accidiſſe, ſed ex ſententia domini, lectio docet. Sic enim ſcriptum eſt, quia dixit Ieſus ad Simonem: Non cantabit gallus priuſquam me ter abneges. Bene fortis in die Petrus, nocte turbatur, & ante galli cantum labitur, & labitur etiam tertio, vt ſcias non inconſulta effuſione ſermonis eſſe prolapſum, ſed mentis quoque mutatione turbatum. Idem tamen poſt galli cantum fit fortior, & iam dignus quem Chriſtus aſpiciat. Oculi domini ſuper iuſtos. Agnouit veniſſe remedium, poſt quod iam errare non poſſet: & in virtutem ab errore mutatus, amariſſimè fleuit, vt lachrymis ſuis deleret errorem.

De noctua

De veſpertilione.

De gallo.

Matth. 27.

Pſal. 33.

Matth. 27.

Deuota authoris ad dominum Ieſum Chriſtum deprecatio cum clauſione quinti diei.

Caput XXV.

A REſpice nos quoq; domine Ieſu, vt & nos propria recognoſcamus errata, ſoluamus piis fletibus culpam, mereamur indulgentiam peccatorum. Ideo conſultò ſermonem protraximus, vt nobis quoque gallus cantaret, & loquentibus ſubueniret, quo ſi quod delictum obrepſiſſet in verbo, culpam Chriſte donares. Da quæſo lachrymas Petri, nolo lætitiam peccatoris. Fleuerunt Hebræi, & per mare ſunt dehiſcentibus vndis liberati. Lætatus eſt Pharao quòd Hebræos tenebat incluſos: & mari merſus cum populo ſuo occidit. Exultauit & Iudas in mercede proditionis ſuæ, ſed ipſius ſe mercedis laqueo ſtrangulauit. Fleuit errorem ſuum Petrus, & meruit vt aliorum aboleret errores. Sed iam tempus eſt quo finire ſermonem & claudere debeamus. Tempus eſt quo melius aut tacetur aut fletur. Tempus eſt quo celebratur indulgentia peccatorum. Nobis quoque gallus iſte myſticus in ſacris canter, quoniam iam Petri gallus in noſtro ſermone cantauit. Fleat pro nobis Petrus, qui pro ſe bene fleuit, & in nos pia Chriſti ora conuertat. Approperet Ieſu domini paſſio, quæ quotidie delicta noB ſtra condonat, & munus remiſſionis operatur. Bonus dominus dimittere ieiunos non vult, ne quis deficiat in via. Si ille dicit, Miſereor huius turbæ, quia triduum eſt quod perſeuerant mecum, & non habent eſcam, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via: cuius intenta ſermoni Maria apparatus recuſabat epularum: quanto magis nos conſiderare debemus quia non multi ſunt qui in verbo dei viuunt, & ideo refectio corporis deſideratur? Certè illius triduo noſtrum hoc poſtridie laborioſius eſt. Et ideo qui cũ auibus luſimus, cum gallo cantauimus, iam domini canamus myſteria, & ad corpus Ieſu conueniant, aquilæ peccatorum ablutione renouatæ. Iam enim cetus ille magnus verum nobis Ionam reddidit & gratulemur quòd factus eſt nobis veſpere dies quintus, fiat nobis mane dies ſextus.

Matth. 15.

CAPITA SEXTI LIBRI HEXAEMERON.

C De introductione ſexti diei, cum vrbana auditorum ad coronationem inuitatione. Cap. I.

De nunc dicendis, & ordine in eis ſeruando. Quomodo etiã ſecundum authoris ſententiam accipiendæ ſint naturæ vniuſcuiuſq; generis, vbi ſcriptura dicit: Producat terra animã viuentẽ, &c. cum arrogãtiæ ab ſe repulſione. Cap. II.

Quomodo per dei verbum in conſtitutione mundi animantium generibus præſcripta ſit lex generationis & ſucceſſionis. Quòd præterea volens ad vſum hominis deriuare quæ genita ſunt, non debet veritatem propriæ naturæ vnicuique generi denegare, cum increpatiua admonitione vt homo more pecudum viuere caueat. De quibuſdam quoq; animalibus quorum proprietates vitare debemus. Cap. III.

De quadrupedibus quibuſdam animalibus in quorum natura eſt aliquid quod imitari debemus. Cap. IIII.

Qua ratione dominus aliis beſtiis anguſtiora, aliis prolixiora colla formauerit. Et de elephantorũ deſcriptione quantum ad membra, & proprietates eorum. Cap. V.

D De prælibatione commendationis humanæ creaturæ, cum exhortatione vt homo ſeipſum noſcat, & ſibi attendat. Caput VI.

De noſtræ creationis ſerie. Et quid ſit imago dei, cum iterata adhortatione vt homo ſibi attendat, & ſeipſum ſciat. Caput VII.

De elimatiori tractatu quid ſit ad imaginẽ dei: & vtrum de ea dici potuerit, Faciamus hominem ad imaginem noſtram: vtrum præterea ſecundum corpus an ſecundum animam iuſtificatio conferri videatur: cum vehementiori incitatione vt homo ſeipſum cognoſcat, & ſibi attendat. Cap. VIII.

De præſtantia, decore & gratia humani corporis, ac membrorum ipſius. Cap. IX.

De fine ſermonis, & completione ſexti diei, cum humiliarum actione. Cap. X.

877

Diui Ambrosij

EPISCOPI MEDIOLANENSIS

Hexaemeron liber sextus de die sexto.

De introductione sexti diei, cum vrbana auditorum ad coronationem inuitatione. *Caput I.*

Extus iste est dies, quo mũdanę creaturæ origo cõcluditur. Et ideo etiam sermonis nostri quem de rerum exordiis assumpsimus, finis paratur. Qui etsi per quinque iam dies nõ mediocri labore nobis processerit, tamẽ hodierno die maiore curarum accrescit fœnore, quia in hoc & superiorum dierum periculum est, & totius summa certaminis. Etenim si in fidibus aut cãtibus & athletarũ contentionibus crebris licet & maximis ludicris, tamẽ superiores dies sine vllo coronæ trãsiguntur dispendio, postremus autẽ dies habet sortem coronæ, in quo & certãdi periculum est, & cedendi opprobrium, & vincendi præmium: quãto magis in hoc tanto agone sapiẽtiæ, tanto non paucorum, sed vniuersorum iudicio, cum hodie nobis velut quædam certaminis corona procedat, maior solicitudo angit, ne & superiorum effundamus laborem dierum, & præsentis subeamus pudorẽ? Neque enim eadem dicendi conditio, quæ canendi atque luctandi, cum in illis ludus offensionis, in isto lapsus sit mortis. Illic si pecces, spectantium fastidium est, hic damnum est audientium. Assistite igitur mihi tanquam coronæ iudices, & ingredimini mecum in hoc magnum & admirabile totius visibilis theatrum creaturæ. Etenim si is qui explorans nouorum aduẽtus hospitũ, toto eos circunducit vrbis ambitu, prę stantiora quæque opera demonstrãs, non mediocrem locat gratiã: quãto magis sine fastidio accipere debetis quòd velut quadã sermonis manu per hanc communẽ vos circũduco patriã, & singularũ rerum species & genera domonstro, ex omnibus colligere cupiens quãto vobis creator vniuersorum gratiam vberiorẽ quàm vniuersis donauerit? Vobis igitur hæc corona proponitur, vos hodie cupio vestro iudicio coronare. Non enim nos athletarũ modo marcentia serta deposcimus, sed viride vestræ sanctitatis examen, quo decernatis per omnes quidem creaturas prouidentiã penetrare diuinam, sed cum cæteris vobis cõmune corporeæ fragilitatis esse consortium, præ cæteris tamen vos animi virtute constare, quæ sola nihil habet commune cum cæteris.

De nunc dicendis, & ordine in eis seruando. Quomodo etiam secundum authoris sententiam accipiandæ sint naturæ vniuscuiusque generis vbi scriptura dicit: Producat terra animam viuentem, &c. cum arrogantiæ ab se repulsione. *Cap. II.*

Genes. 1. Vnc age naturas bestiarũ dicam⁹, & hominis generationẽ. Audio enim iamdudum aliquos insusurrare dicentes. Quandiu aliena discimus, & nostra nescimus? Quãdiu de reliquis animantibus docemur scientiã, & nosmetipsos ignoramus? Illud dicat quod mihi profit, vnde meipsum nouerim. Et iuxta est quæstio, sed ordo seruãdus est quem scriptura contexuit, simúlque quia non possumus plenius nos cognoscere, nisi prius quæ sit omnium natura animantium, cognouerimus. Producat, inquit, terra animã viuentẽ Genes. 1. secundum genus, quadrupedes & serpentes, & bestias terræ secundũ genus, & pecora secundũ genus, & omnia repẽtia terræ ad genus. Et fecit deus bestias terræ, & omnia pecora ad genus, & omnia repentia terrę ad genus. Et vidit deus quia bona, & dixit deus: Faciamus hominẽ) Hoc loco nõ ignoro quosdã bestiarum & pecorũ & serpẽtium terræ species alio retulisse, vt hæc ad immanitates criminum, stultitiam peccatorum, nequitiam cogitationum referrent. Ego autẽ simplices naturas vniuscuiusq; generis accipio. Nec vereor ne quis me pauperis cõuiuæ præsumptioni cõferendũ putet, qui studio humanitatis complures roget, nec his quicquam nisi viles & vsitatos apponat cibos, & tenui mẽsę pauperis apparatu plus reprehensionis incurrat ex fastidio conuiuarum, quàm gratiæ referat ex hoc hospitalitatis affectu. Nec enim Helisæum amici quasi malum conuiuam agrestia apponẽtem olera refutarunt. Simile vanis relationibus exquisitum illud & accuratũ opipare cõuiuium est, in quo phasiani aut turturis species apponitur, & in his pullus mãducatur: aut pullus infertur, & ostreis est fartus, aut spondylis: aut poculum bibitur, quod diuerso colore atque odore in alienos mutetur sapores: maritima terrenis, terrena maritimis farciuntur. Hoc est reprehendere prouidentiã creatoris, qui nobis ad victum omnia donauit, quod nõ illa miscuerit. Sed hæc dulcia primo videntur, & postea fiunt amara. Quo enim copiosior fuerit luxuries, eo perniciosior intẽperantia est. Helisæus autem amara apposuit, sed postea facta sunt dulcia. Denique qui ante in illo cibo mortem putabant, postea in eo suauitatis & vitæ gratiam sunt adepti. Neque rursus formidini est ne plures videar inuitasse, quàm possum pascere, & vobis panes deficiant verborum meorum: quia & Helisæus etsi merito inimitabilis, nobis imitãdus fide, non considerauit quantos panes haberet, sed quos haberet, diuidere omnibus voluit, & sufficere omnibus iudicauit. Itaque decẽ panes hordeaceos diuidere in plebem iussit ministro. Et dixit minister: Quid? dabo hoc in conspectu centum virorum? Et respondit: Da, & manducent, quoniam hæc dicit dominus: Manducabunt, & relinquent. Fides igitur vestra faciet abundare pauperis linguæ conuiuium. Nec vereor, ne ieiunia vos edaciores faciant, quominus repleti & esurientes ac vacui reuertamini, quia scriptũ est: Confirmat iustos dominus, & in diebus famis saturabuntur. Multo pulchrius est hordeaceos panes non erubescere & apponere quod habeas, quàm negare. Helisæus qui sibi nihil reliquit, populis abũdauit. Hælisæus ergo hordeaceos panes non erubuit apponere, nos erubescimus simplices intelligere creaturas, quæ simplicibus & suis declarantur vocabulis? Cœlum legimus, cœlum accipiamus: terram legimus, terram intelligamus frugiferam. Quid mihi quærere quæ sit eius mẽsura circuitus, quàm geometræ centumoctoginta milibus stadiorum æstimauerunt? Libenter fateor me nescire quod nescio, imò quod scire nihil prodest. Melius est genera terrarum scire quàm spatia, quæ circunfuso mari, interiectis Barbarorum regionibus, suffusa atque inuia paludibus humo, quemadmodum possumus comprehendere? Quod impossibile esse hominibus scriptura demonstrat, dicente deo. Quis mensus est manu aquam, & cœlum palmo, & vniuersam terram clausa manu? Quis statuit montes in libra, & rupes in statera, & nemora in iugo? Et infra: Qui tenet gyrum terræ & habitãtes in ea sicut locustas: qui statuit cœlum vt camerã. Quis igitur ęqualem sibi cum deo potestatem & scientiam audeat vindicare, vt quæ deus maiestatis suæ esse proprio signauit oraculo, hęc sibi homo ad cognitionem suppetere posse præsumat? Certè Moyses eruditus erat in omni sapientia Ægyptiorum: sed quia spiritum dei accepit, quasi minister dei inanem illam & vsurpatoriam philosophię doctrinam veritatis rationi posthabuit, & ea descripsit mihi quę nostrę spei accommoda iudicauit, quòd terram fecerit deus quòd produxerit terra iuxta dei omnipotentis imperium operationémque domini Iesu virgulta de terris, & omnem animam viuentem secundum genus. An ille putauit dicendum quantum de spatio aeris occupet vmbra terrę cùm sol recedit à nobis, diémque abducit, inferiora axis illuminans, & quẽadmodum in regionem mundi huius incedens lunę globus eclipsin faciat: quando quę nihil ad nos, quasi nihil profutura præteriit? Vidit enim in sancto spiritu, non illas marcescentis iam sapientię vanitates sequendas, quę rebus inexplicabilibus mentem nostram occupant, ludúntque operam: sed ea potius describenda, quę ad virtutis spectauere profectum.

B 4. Reg. 4.

Ibidem.

Psalm. 36.

Esaiæ 40.

Quomodo per dei verbum in constitutione mundi animantium generibus præscripta sit lex generationis & successionis. Quòd præterea volens ad vsum hominis deriuare quæ genita sunt, non debet veritatem propriæ naturæ vnicuique generi denegare, cum increpatiua admonitione vt homo more pecudum viuere caueat. De quibusdam quoque anima-

animalibus quorum proprietates vitare debemus.

Caput III.

INhæreamus igitur propheticis dictis, nec spiritus sancti quasi vilia despectui habeamus alloquia. Producat, inquit, terra animam viuentem pecorum & bestiarum & reptilium.) Quid argumenta moralia, vbi euidenter creaturam terrestrium natura formatur? Currit enim in constitutione mundi per omnem creaturam dei verbum, vt subitò de terris omnia quæ statuit deus animantium genera producantur, & in futurum lege præscripta, secundum genus sibi similitudinémque vniuersa succedant, vt leo leonem generet, tigris tigridem, bos bouem, cygnus cygnum, aquila aquilam. Semel præceptũ, in perpetuum inoleuit naturæ. Et ideo ministerij sui obsequium præbere terra non desinit, vt priscæ animãtium species reparabili generis successione in nouas reparentur ętates. Sed vis ad vsum hominis deriuare quæ genita sunt? Noli veritatem vnicuique generi naturæ propriæ denegare, & multo magis ea ad gratiam aptabis humanã. Primum quia omnia genera pecorum, bestiarum, ac piscium, in aluum natura prostrauit, vt alia ventre repant, alia quæ pedibus sustinentur dimersa magis quadrupedo corporis gressu, & velut affixa terris videas esse quàm libera. Siquidem erigendi se non habent facultatem, de terra victum requirunt, & ventris in quem deflectuntur, solas sequuntur voluptates. Caue ô homo pecudũ more curuari. Caue ne in aluum te nõ tam corpore quàm cupiditate deflectas. Respice corporis tui formam, & speciem congruentem celsi vigoris assume. Si sola animalia prona pascuntur, cur te in edendo sternis ipse, quem natura non strauit? Cur eo delectaris, in quo naturæ iniuria est? Cur noctes & dies cibo intentus pecorum more terrena depasceris? Cur illecebris corporalibus deditus, ipsum te inhonoras, dum ventri atque eius passionibus deseruis? Cur intellectũ tibi adimis, quẽ tibi creator attribuit? Cur te iumentis cõparas, à quibus te voluit deus segregari dicẽs: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus? Aut si te edacitas equi intemperantiáque delectat, & adhinnire ad fœminas voluptati est, delectet in fræno maxillas tuas chamóque constringi. Si crudelitate pasceris, ferarum hæc rabies est, quæ propter sæuitiam trucidantur. Vide ne in te quoque crudelitatis tuæ vertatur immanitas. Piger asinus, & expositus ad prædam, sensúque tardior, quid aliud docet, nisi nos viuaciores esse debere, nec desidia corporis animíque pigrescere, confugere ad fidem, quæ onera grauia alleuare cõsueuerit? Fraudulenta vulpes foueis se latibulísque demergẽs, nónne indicio est infructuosum esse animal, odióque dignum propter rapinã, despectu propter infirmitatem, & ideo suæ incautum salutis dum insidiatur alienis? Perdicem astutam, quæ aliena oua diripiat, hoc est perdicis alterius, & corpore foueat suo, sed fraudis suæ fructum habere non posse, quia cùm eduxerit pullos suos, amittit eos: quia vbi vocem eius audierint, quæ oua generauit, relicta ea ad illam se naturali quodá munere & amore conferunt, quam verã sibi matrem ouorum generatione cognouerint significantes hanc nutricis fungi officio, illam parentis. Sic itaq; incassum proprios fundit labores, ac fraudis suæ precio multatur. Vnde & Hieremias ait: Clamauit perdix, & congregauit quæ non peperit, id est oua congregauit & clamauit quasi ouans suæ fraudis effectu. Sed ludit operã, quia impenso labore alij educat, quos ipsa diuturno fotu se dulitatis animauerit. Huius imitator est diabolus, qui gene rationes creatoris æterni rapere contendit, & si quos insipientes & sensus proprij carentes vigore potuerit cõgregare, fouens eos illecebris corporibus, vbi primum vox Christi paruulis fuerit infusa, discedunt, atque ad eam se conferunt matrẽ, quę pullos suos sicut auis materno amore complecti tur. Cõgregauit enim diabolus gẽtiles, quos non creauerat: sed vbi in euãgelio suo vocẽ Christus emisit, ad eum se potissimũ contulerunt, quos sub vmbra alarum suarum ipse susc epit, & matri dedit ecclesiæ nutriẽdos. Leo naturæ suæ vi superbus, ferocitatem sui aliarum ferarũ generibus miscere nescit, sed quasi rex quidam plurimorum dedignatur consortium. Qui etiam cibum fastidit hesternũ, etiam ipsas suæ

Psal. 31.

De asioi pigritia.

De vulpis fraudulẽtia

De perdicis astutia.

Hier. 17.

De leonis superbia & ferocitate.

A escæ reliquias auersatur. Quæ autem se ei sociare fera audeat, cuius voci tantus naturaliter inest terror, vt multa animantium quæ per celeritatem possent impetum eius euadere, rugientis eius sonitu velut quadam vi attonita atque icta deficiant? Nam de pardi specie nec scriptura siluit, quòd varietate coloris motus varios animæ suæ prodat. Dicit enim Hieremias: Si mutabit Aethiops pellem suam: & pardus varietatem? Non solũ enim de figura, sed etiam de mobilitate furoris istud accipitur, eo quòd tenebrosis & inquietis ac mobilibus infidæ mentis atque animi mutationibus decoloratus populus Iudæorũ, boni propositi gratiam iam tenere non possit, nec ad emẽdationem vllã correctionémque remeare, qui semel ferinam induerit immanitatem.

De coloris pardi varietate. Hier. 13.

De quadrupedibus quibusdam animalibus, in quorum natura est aliquid quod imitari debemus. *Caput IIII.*

IST tamen etiam in natura quadrupedum quod imitari nos sermo adhortatur propheticus, quo exẽplo caueamus desidiã, exiguitate vel infirmitate corporis à virtutis studio nõ reflectamur, ne B que reuocemur ab vllius propositi magnitudine. Exigua est enim formica, quę maiora suis audet viribus: neque seruitio ad operandum cogitur, sed spontaneæ propositio prospicientiæ futura alimentorum subsidia sibi præstruit. Cuius vt imiteris industriam, scriptura commonet te, dicẽs: Confer te ad formicam ô piger, & æmulare vias eius, & esto illa sapiẽtior. Illa enim nullam culturã possidet, neque eam quæ se cogat habens, neque sub domino agens: quemadmodum præparat escam, quæ de tuis laboribus sibi messem recõdit: & cùm tu plerunque egeas, illa nõ indiget. Nulla sunt ei clausa horrea, nullæ impenetrabiles custodiæ, nulli inuiolabiles acerui. Spectat custos, furtáque prohibere non audet. Aspicit sua damna possessor nec vindicat. Nigro cõnectatur agmine præda per campos, ferũt semitę comitatu viantium, & quæ cõprehendi angusto ore non possunt, humeris grandia frumenta trudũtur. Spectat hæc dominus messis, & erubescit tam parca pię industrię negare compendia. Quid autem de canibus loquar, quibus insitum est natura quadã re C ferre gratiam, & solicitas excubias pro dominorum salute prętendere? Vnde ad immemores beneficij, & desides atque ignauos clamat scriptura: Canes muti, nescientes latrare. Sunt enim canes qui nouerint latrare pro dominis, nouerint sua tecta defendere. Vnde & tu disce vocem tuam exercere pro Christo, quando ouile ecclesię incursant lupi graues. Disce in ore tuo verbum tenere, ne quasi mutus canis commissam tibi fidei custodiam quodam præuaricationis silentio deseruisse videaris. Talis canis viator & comes angeli est, quem Raphael in libro prophetico nõ ociosę sibi & Tobię filio adiungendum putauit, quando perrexit vt Asmodęum fugaret, firmaret copulam coniugalem. Memoris enim affectus gratia pellitur dęmonium, stabilitur coniugium. Mutę itaque specie bestię sanctus Raphael angelus Tobię iuuenis quem tuendum receperat, ad relationem gratię crudiebat affectum. Quis enim non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cùm videat etiã bestias refugere crimẽ ingrati? Et illę impertitę alimonię seruant memoriam, tu nõ seruas salutis acceptę? Vrsa insidiãs licet D vt scriptura ait, est enim plena fraudis fera, tamen fertur in formes vtero partus edere, sed natos lingua fingere, atq; in speciem sui similitudinémque formare. Nõ mireris in fera tam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit? Vrsa igitur partus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instituere similes tui nõ potes? Quid quod etiam medendi industriã non prętermisit? Siquidem graui affecta cæde, & cõtusa vulneribus mederi sibi nouit, herbę cui nomen est phlomos, vt Greci appellant, vlcera subiiciens sua, vt solo curentur attactu. Serpens quoque pastu feniculi cęcitatem repellit exceptã. Itaque vbi oculos obduci sibi senserit, nocertóque auxilio sanitatis, potestates herbarum etiam ipsa scire se comprobat. Videas etiam vulpem lachrymula pinus me-

De Decanatu gratitudine. Esaiæ 56.

De vrsę pietate in partus suos.

De medicã industria eiusdem.

De serpentis contra cæcitatẽ remedio perbenevolum.

De vulpis astutia in medendo.

nus medentem sibi, & tali remedio imminentis mortis spa
Hier. 6. tia proferentem. Clamat ipse dominus in Hieremiæ libro:
Turtur & hirundo, agri passeres custodierunt tempora in-
troitus sui:populus autem meus nō cognouit iudicia domi
ni.Nouit hirundo quando veniat,quando etiam reuertatur.
De explo- rationc lo- calitatis à formica. Nouit etiam pia auis annunciare aduentus sui testimonio
veris indiciū.Nouit etiam formica explorare serenitatis tē-
pora.Nam cū aduerterit madidatos imbre fructus suos hu-
mescere,explorato diligentius aere quando iugē possit ser-
uare tēperiem,aceruos referat suos,& de cauernis foras suis
humeris exportat, vt iugi sole propria frumenta siccentur.
Denique haudquaquam illis diebus omnibus rumpi de nu
bibus imbres videris, nisi cùm fruges suas horreis propriis
Deprauata plurimis ac cæci mu tationis à bubus. formica reuocauerit.Boues pendente pluuia ad præsepia se
tenere nouerunt.Iidem ibi naturali sensu mutationem cœ-
li collegerint,foras spectant, & vltra præsepia ceruices ex-
tendunt suas vna omnes specie, & prodire se velle testen-
tur. Quis sub aduentu hyemis inexpugnabilis ad escam in-
satiabiliter herbam rapit,eo quòd præsentiat aspiritatē hye-
mis futurā, vt se prius herbæ pabulo farciat, quàm gelu adu
Declini tetrum ca tus. rante omnis herba deficiat.Echinus iste terrenus,quem vul
go hericum vocant, si quid insidiarum præsenserit, spinis
suis clauditur,atq; in sua se arma colligit,vt quicunque eum
contingendum putauerit,vulneretur. Idémque echinus fu-
turi prouidens,geminans sibi respirandi vias munit,vt quā-
do Boream flaturum collegerit, septentrionalem obstruat:
quando Noto cognouerit detergi aeris nubila, ad septen-
trionalem se conferat, vt flatus declinet obuios, & è regio-
ne nocituros. Vnde dignam domino laudem Propheta de-
tulit dicens: Quàm magnificata sunt opera tua domine,o-
Psalm. 103. mnia in sapientia fecisti. Omnia penetrat diuina sapientia,
implet omnia: idque locupletius ex irrationabilium sensi-
bus,quàm ex rationabilium disputatione colligitur. Vali-
dius est enim naturæ testimonium, quàm doctrinę argumē
tum.Cuiq; animanti incognitum est quemadmodum suam
tueatur salutem,si virtus suppetit,resistendo: si velocitas,fu
giendo:si astutia,præcauendo. Quis eas vsum medendi,her
barúmque docuit habere notitiam? Homines sumus,& sæ-
pe specie herbarum fallimur,& plerunque quas salubres pu
tamus,noxias reperimus.Quoties inter dulces epulas cibus
letalis irrepsit,& inter ipsas aulicorū excubias ministrorum
De natura- rum vitalia regum feralis esca penetrauit?Feræ solo norunt odo-
re noxia & profutura discernere: nullo præuio nullo prægu
statore carpitur herba,nec lædit. Melior enim magistra ve-
ritatis natura est. Hæc sine vllius magisterio suauitatem sa-
nitatis nostris infundit sensibus,eadem doloris acerbitatem
docet esse fugiendā. Hinc vita dulcior,mors amarior. Hæc
commendat leænæ catulos suos,& immitem feram mater-
De tigridis pietate in prolem,& eius astu- tiam. no mollit affectu.Hæc tigridis interpellat ferocitatem,& im
minentē eam prædæ reflectit. Nāque vbi vacuum raptę so-
bolis cubile reperit, illico vestigiis raptoris insistit. At ille
quanuis equo vectus fugaci, videns tamen velocitate feræ
se posse præuerti, nec euadandi vllum suppetere sibi posse
subsidium,technam huiusmodi fraude molitur: vbi se con-
tiguum viderit, sphæram de vitro proiicit. At illa imagine
sui luditur,& sobolem putat,reuocat impetum,colligere fœ
tum desiderans.Rursus inani specie retenta,totis se ad com
prehendendum equitem viribus fundit,& iracundiæ stimu
lo velocior fugienti imminet. Ille iterum sphæræ obiectu
sequentem retardat,nec tamen sedulitatem matris memo-
tia fraudis excludit,cassam versat imaginem,& quasi lacta-
tura fœtus residet.Sic pietatis suæ studio decepta, & vindi-
Ephes. 6. ctam amittit & prolem.Quid nobis scriptura affert quæ di-
cit? Filij diligite patres vestros, parentes nolite ad iracun-
diam prouocare filios vestros:Natura hoc bestiis infundit,
vt catulos proprios ament:fœtus suos diligant.Nesciunt il-
læsodia nouercalia,nec mutato concubitu parentes à sobole
deprauantur,neque nouerunt præferre filios posterioris co
pulæ, superioris autem negligere: norunt pignora sua,ne-
sciunt charitatis differentiam,odiorum incentiua,offensio-
num discrimina.Simplex ferarum natura est,nescit verita-
tis calūnias.Sic enim omnia temperauit deus, vt quibus mi
nus ratiōis daret,plusindulgeret affectus.Quæ fera pro ca

A tulis tuis non ipsa potissimum se offerat morti? Quæ fera fœ
tus suos innumeris licet obessa cuneis armatorum non suis
visceribus tegat? Ingruat licet telorum seges,illa tamē par-
uulos suos muro sui corporis septos immunes præstat perici-
culi.Quid dicit homo qui mādatum negligit, naturam ob-
literat?filius patrem despicit,pater abdicat filium, & hoc pu
tant ius esse,vbi damnatus fœcunditas.Se potius pater dam
nat,qui facit irritum esse quod genuit.Et hoc putatur autho
ritatis esse, vbi sterilitate natura multatur. Exortem ratio- De canis sa gacitate & vigore sen- sus.
nis canem esse nemo dubitauerit:tamen si sensus eius vigo
rem consideres, censes eum sentiendi sagacitate vim sibi
rationis ascisscere. Denique quòd pauci in gymnasiis consti
tuti, qui totam in discendo vitæ longæuitatem cōtriuerint,
vix potuerunt cognoscere, vt syllogismorum coniunctio-
nes contexerent,hoc naturali canes eruditione comprehen
dere facile poterit æstimari.Nam vbi vestigium leporis cer-
uíve repererit, atque ad diuerticulum semitæ venerit, &
quoddam viarum compitum quod partes iu plurimas scin-
B ditur,obiens singularum semitarum exordia tacitus secum
ipse pertractat velut syllogisticam vocem sagacitate colli-
gendi odoris emittens: aut in hanc partem,inquit,deflexit,
aut in illam,aut certè in hunc se anfractum contulit,sed nec
istam, nec illam ingressus est: supereſt igitur vt in istam se
partē sine dubitatione contulerit.Quod homines vix pro-
lixa compositæ artis meditatione componunt, hoc canibus
ex natura suppetit,vt ante mendaciū deprehendant,& post
ea falsitate repudiata inueniant veritatem.Nónne totos di-
es conterunt philosophi propositiones sibi in puluerem di-
uidentes,qui radio sibi describūt singulas,& ex tribus, cum
vnam earum veram esse necesse sit, duas primo interficiunt
tanquam mendacio congruētes, & sic in ea quæ relicta est,
vim veritatis inhærere definiunt? Quis tam tenax potest es- De memo- ria bene fi- ciorum, & fidelitate canum.
se beneficij,& memor gratiæ? quandoquidem pro domino
etiam in latrones insilire nouerūt, & extraneorum accessus
prohibere nocturnos,& mori pro dominis,& cōmori cum
dominis sint parati? Sæpe etiam necis illatæ euidentia ca-
C nes ad redarguendos reos indicia prodiderunt, vt muto co
rum testimonio plerūque sit creditum.Antiochiæ ferunt in
remotiori parte vrbis crepusculo necatum virum, qui canē
sibi adiunctum haberet.Miles quidam prædandi studio mi
nister cædis extiterat:tectus idem tenebroso adhuc diei ex-
ordio in alias partes concessera: iacebat inhumatum cada-
uer,frequens spectantium vulgus aftabat: canis questu la-
chrymabili domini deflebat crumnam. Fortè is qui necem
intulerat(vt se habet versutia humani ingenij)quo conuer-
sandi in medio authoritate præsumpta fidem assisceret inno
centiæ,ad illam circunspectantis populi accessit coronam,
& velut miserās appropinquauit ad funus. Tū canis seque-
strato paulisper questu doloris, arma vltionis assumpsit,at
que apprehensum tenuit,& velut epilogo quodā miserabi-
le carmen immurmurans, vniuersos conuertit in lachry-
mas,fidemq; probationi detulit,quòd solum tenuit ex pluri
mis,nec dimisit.Denique perturbatus ille,quòd tam mani-
festum rei indicem,neque odij, neque inimicitiarum, neq;
D inuidiæ,aut iniuriæ alicuius poterat obiectione euacuare,
crimen diutius nequiuit refellere.Itaque quod erat difficī-
lius,vltionem persecutus est,quia defensionem præstare nō
potuit. Quid nos dignum nostro referimus creatori, cuius
cibo vescimur, & dissimulamus iniurias, & sæpe inimicis
dei eas quas à deo accepimus,epulas exhibemus? Quid agni-
culis simplicius, quos minusculæ paruulorum cōparamus
infantiæ? Sæpe ex his in magno grege aniculus per ouium to
ta vagatus errat à matre,& eum eam reperire non possit,ba
latu frequenti absentem incitat,vt responsuræ vocem exci
tet, quo ab eius sono errabunda replicet vestigia:multis li
cet versetur in milibus ouium, recognoscit vocem parētis,
festinat ad matrem,lactis quoque materni notos sibi fontes
requirit:quanuis cibi desiderio detineatur, & potus,trans-
currit tamen aliena vbera grauida,licet humore lactis exun
dent:solam matrem requirit,solius sibi materni vberis pau-
peres succos significat abundare. Illa quoque inter multa
agniculorum milia solum filium nouit,vnus quanuis plu-
morum balatus,eadem species, sed illa tamen fœtum suum

discernit

discernit à cæteris,& solum filium tacito pietatis testimonio recognoscit.Pastor errat in discretione ouium,agniculus in agnitione matris nescit errare.Pastor fallitur specie,sed ouis pietate non fallitur.Vnus odor omnibus,sed tamē habet natura odorem suum domesticum, quem soboles chara speciali quadam videtur proprietate redolere. Habet suos vsus natura,& sensus domesticos. Vix infantulo cœperunt dentes prorumpere,& iam nouit sua arma tentare.Nondum catulo dentes,& tanquam habeat,ore proprio se quærit vlcisci.Nondum ceruo cornua,& tamen fronte præludit atque ex ea quæ nondū expertus sit tela minitatur. Lupus si prior hominem viderit,vocem eripit, & despicit eum tanquā victor vocis ablatæ. Idem si se præuisum senserit,deponit ferociam,non potest currere.Leo gallum, & maximè album veretur. Caprea vulnerata dictamū petit,& de vulnere excludit sagittas. Norunt & bestiæ remedia sua. Leo æger simiam quærit vt deuoret, quo possit sanari. Leopardus capreæ agrestis sanguinē bibit, & vim languoris euitat. Omnis fera ægra canis hausto curatur sanguine.Vrsus æger formicas deuorat. Ceruus oleæ ramusculos mandit. Ergo feræ norunt expetere ea quæ sibi prosunt,tu ignoras ô homo remedia tua? Tu nescis quomodo virtutē eripias aduersario, vt te tanquā præuentus lupus effugere non possit, vt oculo tuæ mentis eius perfidiā deprehendas,& prior cursum verborū eius impedias,impudentiā eius, & acumen disputationis obtundas. Quod si te ille præuenerit,vocē tibi aufert:& si obmutueris,solue amictū tuū vt sermonem resoluas.Et si inte insurrexerit lupus,petrā capis, & fugit. Petra tua Christus est si ad Christū cōfugias,fugit lupus,nec terrere te poterit.Hanc petrā quæsiuit Petrus cùm titubaret in fluctibus, & inuenit quod quæsiuit: quia dexterā amplexus est Christi.Quid dicam allio homines delectari, & illud ad escā sumere,quod & leopardus fugit? Denique si cubi allium aliquis confricandum putauerit,leopardus inde exilit,nec resistit.Cuius venenata fera odorem non potest sustinere,id tu procibo sumis,& visceribus infundis internis? Sed medicatur interdum doloribus. Sumatur pro medicamēto nō pro cibo:sumatur ab ægrotantibus,non ab epulantibus. Medicamentum quæris, & ieiunium fugis, quasi maius aliud remedium reperire possis. Ieiuni hominis sputum si serpens gustauerit,moritur. Vides quanta vis ieiunij sit, vt & sputo suo homo terrenum serpentem interficiat,& merito spiritalem.Quantam dominus etiam minusculis infudit prudentiam?Turtur nido suo,ne pullos suos incursēt lupus,squillæ folia superiacit. Nouit enim quod huiusmodi folia lupi fugere consuerint. Nouit vulpecula quomodo posteritatem foueat suam,& tu ignoras, tu negligis quomodo aduersum lupos nequitiæ spiritalis posteritatem vitæ huius habeas tutiorem?

De ereptione vocis hominis à lupo Quod leo gallum vereatur.

1. Cor. 10.

Quod allium fugiet leopardus.

Qua ratione dominus aliis bestiis angustiora, aliis prolixiora colla formauerit. Et elephantorum descriptio quantum ad membra, & proprietates eorum. Caput V.

SED reuertamur ad seriem creaturæ,& cōsideremus qua ratione dominus aliis bestiis angustiora colla formauerit, & leonibus atq; tigridibus, vrsis quoque:aliis prolixiora,vt elephātis,& camelis.Nonne euidens causa est,quia illis feris quæ carne vescuntur,non erat opus prolixitate ceruicis?Non enim in terras pascēdi gratia ceruicē atque ora deiiciunt, sed aut cerum inuadunt,aut bouem ouémque discerpunt. Camelus verò cum sit altior, quomodo herbis minutissimis pasceretur,nisi longiora vsque ad terram colla ad vsum pastionis extenderet? Itaque camelus pro ratione proceritatis suæ prolixiora colla sortitus est.Equus pro ratione, bos quoque simili modo: hæc enim pascuntur herbis. Elephantus autem etiam prominentem promuscidem habet : quia cùm sit eminentior cunctis,se inclinare ad pascendū non potest. Itaque promuscidis ad colligendum cibum vtitur ministerio. Ea immani bestiæ largi potus infundit humorem, ideoque concaua est,quo ad restringuendam tantæ beluæ sitim plenos lacus hauriat, aut collecto flumine possit vndare potantem.Ceruix sanè minor est quàm poscit tanti corporis moles,ne ea quoque oneri magis esset quàm vsui. Ideoque nec genua inflectit,quia rigidioribus opus fuit cruribus,quo velut columnis tanta posset membrorum machina sustineri. Calcaneum leuiter incuruat,rigent cætera pedum à summo vsq; ad imū.Nec sicut nos in anchylas nos sæpe deponimus, ita se etiam bestia potest tāta deflectere,meritoque non vol uendi se,neque recubādi vsum cum cæteris animantibus potest habere cōmunē. Fulcitur hincinde trabibus maximis, vt in somno aliquātulum sine periculo reflectatur,quia pes eius nulla artuum coniunctione distinguitur. Māsuetis igitur veluti quædam fulchra eorum quibus hic vsus est,parātur ingenio.Feris autem & ægrestibus quia nemo huiusmodi quibus sustētari queāt fulchra substernit, hinc venit vsus periculi.Nāque arbori innixi aut costas fricāt,aut in somno sese relaxant. Quæ nonnunquam victa atque inflexa tanto corpore frangitur,atque ille qui sese in eandē refuderat,corruit,nec erigere atque eleuare se potest,ibique iacens interit,aut gemitu suo proditus sternitur,dū ventre cæterisque iuxta mollioribus ad vulnus patet. Nā dorsum eius cæteraq;exteriora nō vlla facile solent tela penetrare.Sunt autem qui propter ebur has illis insidias parēt, vt arbores eas quibus se applicare consueuerint, ex alia parte qua infrequentior vsus eis sit,aliquantulū recidant,vt reflectēte se elephanto pondus membrorum eius sustinere nō possint,ruināque eius arcessant. Sed si quis ista reprehendit, reprehendat etiam altitudines ędificiorū, quę citius grauē minantur ruinam,& difficilius lapsa reparantur. Verū si illa aut propter pulchritudinē, aut propter speculam frequēter attollimus, hęc quoq; in elephantis probare debemus, quia magnū rebus bellicis vsum ministrant. Inde gēs Persarū ferox bellis, validā sagittis,omniūq; telorum iacta, quia de superioribus ad inferiora validiore nisu tela torquentur, acies eorum velut gradientibus turribus septa procedit. In mediis campis tanquam de muro dimicant,& velut in arce quadam & specula collocati spectant magis bella quàm subeunt.Ita alieni à periculo vidētur,tuti molibus bestiarum, Quis enim eos adire audeat,cùm desuper iaculis facile figatur,inferius elephantorum conteratur incursu? Denique cedunt illis acies & armatorum cunei,& castra illa quadrata soluuntur. Intolerabili nanque impetu in hostes ruūt,vt nullo agmine bellatorum,nulla constipatione militum,nullo clypeorum retardentur obiectu:velut quidam mobiles montes versantur in præliis,& vt colles alto eminent vertice, mugitus fragore omnium perturbant cōfidentiam.Quid his faciat pedes, quāuis lacertis validus, & manu promptus,cùm sibi septus armatorum populis gradiendi motu murus*occurat?Quid faciat eques,cum equus eius perterrefactus tantæ bestię immanitatē diffugiat?Quid faciat sagittarius,cùm desuper ferrata virorum corpora iaculi ictum sentire non possint: bestia quoque nec nuda facile penetrabilis ferro sit, & munita loricis obuia sine sui periculo acies secet, & conterat tur mas?Itaque vt imnensa ædificia, ita elephanti fnndamentis validioribus sustinentur, alioquin imparibus fulti pedibus inter breuem laberentur ætatem.Nunc autem & trecentis & amplius feruntur annis vitam producere,quia omnia sibi ad magnitudinē membra conueniunt.Ideoque nō distincti vt nobis sed cōpacti artus sunt,quo sint robustiores.Quàm citò hominibus,si diu steterint,aut velocius cucurrerint,vel iugiter ambulauerint,genua vexantur & plantę.Coniuncta enim & articulata facilius quàm concreta atque solidata, aut doloris sensum,aut casum offensionis admittūt. Et quid miraris si vestiti armis timentur, quandoquidem dentibus suis tanquam naturalibus spiculis semper armati sunt?Pro muscide sua quicquid inuoluerint,frangunt:pede quicquid conpresserint,velut quodā lapsu ruinæ ingentis exanimant. Inuoluunt promuscide nemora ad sui escā,& quasi quidam altissimi dracones serpentinis quos ceperint spiris flagellāt. Plerunque eas in orbem colligunt, maximè cum de terra cibus legitur,aut potus hauritur.Documento itaque nobis sunt quod nihil superfluum sit creatum,& tamen hæc tantæ molis bestia subiecta nobis imperiis seruit humanis.

Elephantū promuscis.

De eiusdē ceruice.

De prælibatione commendationis humanæ creaturæ, cum exhortatione vt homo seipsum noscat, & sibi attendat. Cap. VI.

Etenim

Cor trabibus fulcitur.

De insidiis quæ elephāti propter ebur ponuntur.

De vsu elephāti in bellis ministrant.

De longa dine vitæ lephātis.

De decoribus quibus animantes elephantum.

De proprietatibus & gestis viribus

885 HEtenim quoniam de hominis creatura dictu
ri sumus, commẽdationem ei præstruere &
prælibare debemus. Videbatur nihil elephã-
tis creatura habere robustius, nihil tam terri-
bile vel procerum, nihil tam ferum quàm leo
nes vel tigrides sunt: & hæc seruiunt homini, & naturam su
am humana institutione deponunt, obliuiscuntur quod na
ta sunt, induũt quod iubẽtur. Quid multa? Docẽtur vt par-
uuli, seruiũt vt infirmi, verberantur vt timidi, corriguntur vt
subditi, in mores trãseunt nostros, quòniã motus proprios
perdiderunt. Mirabilis igitur natura in maximis. Mirabilis
enim in excelsis dominus, mirabilis etiam in minimis. Sicut
enim nõ minus plana cãporum quàm montiũ alta miramur,
nec plus altitudinem cedri stupemus, quàm vitis aut oleæ
breuis fœcunditatẽ: ita nõ amplius miror elephantum quia
procerus est, quàm murẽ qui terribilis elephãto est. Naturę
igitur hæc potẽtia est, vt terribilia aliis, aliis meticulosa sint.
Est enim donata prærogatiua quædã singulis creaturis, vt
quibusdã priuilegiis propriis fulciantur, Formidabilis tauris
elephantus, murem timet. Leo quidẽ rex ferarũ, exiguo scor
pionis aculeo exagitatur, & veneno serpẽtis occiditur. Exi-
mia leonis pulchritudo comãtes ceruice thoros excutit, vel
sublato pectore attollit ora. Sed quis nõ miretur tam breui
scorpionis aculeo vt incorporeum putes, ingẽtium corpo-
rum excire mortẽ? Nec hoc quisquã reprehendat, quòd crea
tor serpentes creaturis suis aliáque vel animantium vel her
barum genera venenata miscuerit. Nata sunt enim hæc ad
correptionem nostram, non ad deformationem. Nam quæ
ignauis, aut infirmis, aut impiis plerunque offensioni atque
terrori sunt, aliis vsui. Ita sunt hæc vt pædagogi paruulis, a-
mari videntur, acerbi & molesti, formidabiles verbere, li-
bertatẽ lasciuiendi negant, necessitatem disciplinæ exigunt,
pueriles animos, ne luxu diffluant, terrore cõstringunt, id-
eoque horum austeritate frugi euadunt, sobrij, continẽtes,
laudi magis quàm ludo dedit. Vides quid terribilia illa fla-
gella proficiant? Sic & serpentes flagella sunt eorum quibus
infirma animi ætas, & quædam puerilis mentis est virtus: cæ
terùm fortioribus nocere non possunt. Denique confidenti
Psalm.90. in domino dictũ est: Super aspidẽ & basiliscum ambulabis,
Actor.28. & cõculcabis leonem & draconem. Paulum momordit vi-
pera, & putabant eum quasi peccatorem vix de naufragio
seruatum, veneno esse moriturum: sed posteaquã inuiolabi
lis permansit, excussa in ignem vipera, plus apud intuentes
Marc.16. veneratiõis inuenit. Sed & ipse dominus ad omnes ait. Qui
crediderit, & baptizatus fuerit, hic saluus erit: qui verò non
crediderit, condẽnabitur. Signa autem credentium hæc di-
xit fore, vt serpentes manu mulceant, venena his atq; omne
mortiferum, etiã si biberint, nocere non possint. Tua igitur
tibi magis incredulitas ô homo, quàm venena mutuẽda ser-
pentium sunt. Time igitur illa, vt saltem dum formidantur
illa, ad fidẽ prouocare te possint. Quòd si deum non times,
vel vltricia perfidiæ venena formides. Nunc quoniam & e-
lephãtos, vides tibi subditos, & leones esse subiectos, no-
sce teipsum ô homo, quod nõ (vt ferũt) Apollinis Pythij, sed
Salomonis sancti est, qui ait: Nisi scias te formosam in mu-
lieribus: quanquam multo antea Moyses in Deuteronomio
scripserit: Attende tibi ô homo: attende tibi, ait, lex. Et pro-
pheta ait: Nisi scias te. Cui hoc dicit? Formosa, inquit in mu-
lieribus. Quæ est pulchra in mulieribus, nisi anima, quæ in
vtroque sexu præstantiam possidet pulchritudinis? Et me-
ritò decora est quæ non terrena sed cœlestia, non corrupti-
bilia sed incorrupta desiderat, in quibus decus perire non so
leat. Corporalia enim omnia processu ætatis, aut ægritudi-
nis inæqualitate marcescunt. Huic attende, dicit Moyses, in
Matth.7. qua tu totus es, in qua melior tui portio est. Denique inter-
pretatus est dominus quis sis tu, dicens: Attẽdite vobis à fal
sis prophetis. Isti enim animam debilitant, mentem subru-
unt. Nõ igitur caro tu es. Quid enim est caro sine animæ gu
bernaculo, mentis vigore? Caro hodie sumitur, cras depo-
nitur. Caro temporalis, anima diuturna. Caro amictus est a-
nimæ, quæ se induit quodam corporis vestimento. Non igi-
Coloss.3. tur tu vestimentum es, sed qui vestimento vteris. Ideo ti-
bi dicitur, vt expoliãs veterem hominẽ cum actibus eius,
A nouum induas, qui non in corporis qualitate, sed in spiri-
tu mentis & agnitione renouatur. Non, inquam, caro es tu.
Neque enim carni dicitur: Templum enim dei sanctũ est, 1.Cor.3.
quod estis vos. Et alibi: Templum dei vos estis, & spiritus Ibidem.
sanctus habitat in vobis. Sed renouatis dicitur & fidelibus,
in quibus permanet spiritus dei. In carnalibus autem non
permanet, quia scriptum est: Non permanebit spiritus me- Genes.3.
us in istis, quoniam carnes sunt.

De nostræ creationis serie. Et quid sit imago dei, cum iterata adhortatione vt homo sibi attendat, & seipsum sciat.

Caput VII.

SED prius ipsius creationis nostræ seriẽ conside Gene.1.
remus. Faciamus, inquit, hominem ad imaginẽ
& similitudinem nostrã.) Quis hoc dicit? Nónne deus qui te fecit? Quid est deus? Caro, an spi
ritus? Nõ caro vtique, sed spiritus. Cuius similis caro esse nõ
potest, quia ipse incorporeus & inuisibilis est, caro autem
comprehenditur & videtur. Cui dicit? Non sibi vtique, quia
non dicit faciam, sed faciamus. Non angelis, quia ministri
B sunt: serui autem cum domino, & opera cum authore non
possunt operationis habere consortium: sed dicit filio, etiã
si Iudæi nolint, etiam si Arriani repugnẽt. Sed & Iudæi con-
ticescant, & Arriani cum suis paribus obmutescãt, qui dum
vnum à cõsortio diuinæ operationis excludunt, plures inse-
runt, & prærogatiuam quam filio negant, seruulis donant.
Sed esto vt adminiculo seruulorum ad operandum deus vo
bis indiguisse videatur. Si operatio communis est cum an-
gelis deo, nunquid deo & angelis imago communis est? Nũ
quid angelis diceret: Faciamus hominem ad nostram ima-
ginem & similitudinem? Sed qui sit imago dei, audi dicen-
tem: Qui eripuit nos, inquit, de potestate tenebrarũ, & tran Coloss.1.
stulit in regnũ filij charitatis suæ, in quo habemus redẽptio-
nem, remissionem peccatorum, qui est imago dei inuisibi-
lis, & primogenitus vniuersæ creaturę. Ipse est imago dei pa
tris, qui semper est, & erat in principio. Denique imago est
qui dicit: Philippe, qui videt me, videt & patrẽ. Et quomo- Ioann.14.
do tu cùm imaginẽ viuã patris viuentis videas, dicis: Osten
C de nobis patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in
me est? Imago dei virtus est, nõ infirmitas, imago dei sapien-
tia est, & imago dei iustitia est. Sed sapientia diuina est sem-
piterna iustitia. Imago dei est solus ille qui dixit: Ego & pa-
ter vnum sumus. Ita habẽs similitudinem patris, vt diuin ta Ibidem.10.
tis & plenitudinis habeat vnitatẽ. Vbi dicit, Faciamus: quo
modo inæqualitas? Cùm iterum dicat, Ad similitudinem no
stram: vbi est dissimilitudo? Sic & in euangelio vbi dicit: E-
go & pater, vtique non vna persona est. Vbi autẽ ait: Vnum
sumus: nulla est discrepantia diuinitatis aut operis. Non igi
tur in vtroque vna persona, sed vna substantia est. Et bene
addidit, Sumus: quia semper esse diuinum est, vt coæternũ
credas, quem putabas dissimilem esse. Aeternus est enim de
quo dicit Moyses: Qui est, misit me. Pulchrè etiã illud præ-
misit: Ego & pater. Nam si pater præmisisset, tu minorem fi- Exod 3.
lium iudicares. Sed præmisit filium, quẽ non conuenit cre-
di patre superiorem. Adiunxit patrem, vt aduertas deũ pa-
trem & filium eius ordinis præiudicio non teneri. Attende,
D inquit, tibi soli. Aliud enim sumus nos, alia sunt nostra, alia
quæ circa nos sunt. Nos sumus, hoc est, anima & mens. No
stra sunt corporis membra, & sensus eius. Circa nos pecu-
nia est, serui sunt, & vitæ istius apparatus. Tibi ergo atten-
de, & teipsum scito, hoc est non quales lacertos habeas, non
quantam corporis fortitudinem, non quantas possiones,
quantam potentiam, sed qualem animam ac mentem, vn-
de omnia consilia proficiscuntur, ad quam operum tuorum
fructus refertur. Illa est enim plena sapientiæ, plena pietatis
atque iustitiæ, quoniam omnis virtus à deo est. Cui dicit
deus: Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos. Illa anima à
deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem,
splendorémque pietatis. Illa anima bene picta est, in qua e-
lucet diuinæ operatiõis effigies. Illa anima bene picta est, in
qua est plendor gloriæ, & paternæ imago substantiæ. Se-
cundum hanc imaginem quæ refulget, pictura precio sa est.
Secundum hanc imaginem Adam ante peccatũ: sed vbi la-
psus est, depositit imaginem cœlestis, sumpsit terrestris effi-

giem

giem. Sed fugiamus hanc imaginem quæ intrare ciuitatem
Psalm. 72. dei non potest, quia scriptum est: Domine in ciuitate tua imaginē eorum ad nihilum rediges. Et non intrat indigna imago, & quæ intrauerit excluditur, quia non intrabit, inquit, in eam omne commune, & qui facit execrationem & mendacium, sed ille intrabit in eam cuius in frōte agni nomen scriptum est. Anima igitur nostra ad imaginem dei est. In hac totus es homo, quia sine hac nihil es, sed es terra, & in terram resolueris. Denique vt scias quia sine anima caro
Matth. 10. nihil est: Nolite, inquit, timere eos qui possunt corpus occidere, animam autem non possunt. Quid igitur in carne præsumis, qui nihil amittis si carnem amiseris? Sed illud time,
Matth 16. ne animæ, tuæ defraudaris auxilio. Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua, in qua non exigua sui portio, sed totius humanæ vniuersitatis substantia est? Hæc est per quam cæteris ferarum auiúmque dominaris animantibus. Hæc est ad imaginem dei, corpus autem ad speciem bestiarum. In hac pium diuinæ imitationis insigne, in illo cum feris ac beluis vile consortium.

De elimatiori tractatu quid sit ad imaginē dei. Et de anima quomodo sit ad imaginē dei. Et vtrum de ea dici potuerit: Faciamus hominem ad imaginē nostram: vtrum præterea secundū corpus, an secundum animam iustificatio conferri videatur, cum vehementiori incitatione vt homo seipsum cognoscat, & sibi attendat. *Caput. VIII.*

SED tractemus elimatius quid sit ad imaginem dei. Caro nunquid ad imaginē dei est? Ergo in deo terra est, quia caro terra est? Ergo corporeus deus? Ergo infirmus vt caro, passionibúsq; subiectus? Et frontè caput tibi videatur ad similitudinē dei, quia eminet: aut oculi, quia intuētur: vel aures, quia audiunt. Si altitudinē spectes, num proceri videmur, quia paululū vertice eminemus à terris? Sed id non pudet, eò nos similes dei dici, quia serpentibus cæteríſque reptantibus, aut quia damulis atq; ouibus aut lupis celsiores sumus? Et quāto in hac parte cameli nobis atque elephāti proceriores sunt? Obtutus est quidē prestās spectare elemēta mundi cognoscere quę nullus annūciet, sed tuus deprehēdat aspectus. Verū hoc ipsum quātum est quod videmus, vt eo ad similitudinē dei nos esse dicamus, qui omnia videt, spectat omnia, latētes deprehēdit affect°, scrutatur cordis occulta? Nō pudet hoc dicere, cùm ipse me totū videre nō possim? Quod ante pedes est, video, quod à tergo est videre nō possum. Ceruicem meam nescio, nō noui occipitium, renes meos videre non possum. Similiter quantum est quod audimus, cùm id quod paululum distet, videre & audire nō possim? Si interiecti parietes sint, impeditur aspectus, impeditur auditus. Deinde corpus nostrū vno in loco hæret, angusto includitur spacio. Omnes feræ latiores sunt homine, omnes etiā velociores. Non ergo caro potest esse ad imaginem dei, sed anima nostra, quæ libera est, & diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quę considerando spectat omnia. Ecce nunc sumus in Italia, & cogitamus quę ad orientales aut occidentales partes spectare videntur, & cum illis versari videmur, qui in Perside sunt constituti, & illos videmus qui degunt in Aphrica: si quos cognitos nobis ea terra susceperit, sequimur proficiscentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur absentibus, alloquimur separatos, defunctos quoque ad colloquium resuscitamus, eósque vt viuentes complectimur, & tenemus, & vitæ officia his vsúmque deferimus. Ea igitur est ad imaginem dei, quæ non corporeo æstimatur, sed mentis vigore, quæ absentes videt, transmarina visu nouit, percurrit aspectu, scrutatur abdita, huc atque illuc vno momento sensus suos per totius orbis fines & mundi secreta circunfert, quæ deo iungitur, Christo adhæret, descendit in infernum, atque ascen-
Philip. 3. dit, libera versatur in cœlo. Denique audi dicentem: Nostra autem cōuersatio in cœlis est. Non est ergo ad imaginē dei, in qua deus semper est? Sed audi quia ad imaginem dei. Di-
2. Cor. 3. cit enim Apostolus: Nos itaque omnes reuelata facie gloriam dei speculantes, ad eandem imaginem reformamur à gloria in gloriam sicut à domini spiritu. Quia igitur cogno

A uimus animam esse ad imaginem dei nunc consideremus vtrum de anima potuerit dici, Faciamus hominem ad imaginem. Sed audi & istud, quia anima nomine hominis nuncupatur. Scriptum est enim in Genesi: Filj autem Ioseph qui facti sunt illi in Ægypto: animæ nouem. Omnes ergo animæ quæ intrauerūt cum Iacob in Ægyptū, septuagintaquinque. Et multo aptius anima vel homo Latinè, vel Græcè ἄνθρωπος dicitur, alterum ab humanitate, alterum ab intuendi habens viuacitate, quæ magis animæ quàm corpori conuenire non dubium est. Cui rei etiam illud iure concurrit dictum in Threnis Hieremiæ: Bonus est dominus sustinentibus eum, animæ quæ quærit eum. De hominibus dixit, & animam adiiciendam putauit. Melius enim quærit ista si sola
B sit abducens se à corporis cœno, & à cupiditate carnali. Ipsa est ad imaginem dei, conformis domini Iesu. Qui autem cōformes filij dei, sancti sunt. Sic enim legimus, dicente Paulo: Scimus autem quoniā diligentibus deum omnia cōcurrunt in bonum, iis qui secundū propositum vocati sunt sancti, quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autē iustificauit, hos & clarificauit. Vtrum igitur secundum corpus, an secundum animam iustificatio igitur conferri videatur, quæso respondeas. Sed dubitare nō potes, cum iustitia, vnde iustificatio deriuata est mentis tuæ vtique non corporis sit. Pictus es ergo ô homo, & pictus à domino deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia. Deles picturam mulier si vultum tuum materiali candore oblinias, si acquisito rubore perfundas. Illa pictura vitij non decoris est. Illa pictura fraudis non simplicitatis est. Illa pictura temporalis est, aut pluuia aut sudore tergitur. Illa pictura fallit & decipit, vt neque illi placeas cui placere desideras, qui intelligit non tuum sed alienū esse quod placeas: & tuo displiceas authori, qui videt opus suum esse deletum. Dic mihi: si supra artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris
C nouis operibus obducat, nónne indignatur ille qui opus suum adulteratum esse cognouerit? Noli tollere picturam dei, & picturam meretricis assumere, quia scriptum est: Tollam ergo membra Christi, & faciā membra meretricis? Absit. Quod si quis adultera opus dei, graue crimen admittit. Graue est enim crimē, vt putes quod melius te homo quàm deus pingat. Graue est vt dicat de te deus, Non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meā, non agnosco vultum quem ipse formaui, reiicio ego quod meum non est. Illum quære qui te pinxit, cum illo habeto consortium ab illo sume gratiam cui mercedem dedisti. Quid respondebis? Quod si graue est adulterare opus dei, quid de illis dicemus qui interficiunt opus dei, qui humanum sanguinem fundūt, qui vitam quam deus donauit extorquent, qui dicunt: Tollamus iustum, quia inutilis est nobis. Vnde bene lectum est
Matth. hodie: Vulpes foueas habēt, & volucres cœli nidos, vbi requiescant: filius autem hominis non habet vbi caput suum
D reclinet. Vulpes ergo se abscondit in fouea, auis se tuetur in nido: homo non absconditur in fouea, sed decipitur. Fouea verò os hominis est, fouea alta pectus est hominis, vbi sunt noxia & fraudulenta consilia, malæ cogitationes. Tu ambulas, & alius tibi foueam parat. In medio laqueorū ambulas, quos abscōderunt tibi in via inimici tui. Omnia ergo circunspice, vt effugias sicut damula de retibus, & sicut auis de laqueo. Damula retia aspectus viuacitate declinat: auis delaqueo. Damula retia aspectus viuacitate declinat: auis deuitat laqueos, si ad superiora se conferat, & terrena superuolet. In superioribus enim nemo tendit retia, laqueum nullus abscondit. Ideo cuius conuersatio in supernis est, huius non solet in prædam venire captura. Sed quid miraris si homo decipitur ab homine, quando filius hominis vbi requiescere non habebat? Et ille quidem talem hominem fecit, in quo caput suum reclinaret. Sed posteaquam in pectore nostro non requies proximi cœpit esse sed fouea, posteaquam alter alteri nectere cœpit insidias quem iuuare deberet, caput suum Christus auertit à nobis. Sed postea tamē maluit illud morti offerre pro nobis. Noli igitur esse fraudulentus

889

dulentus, crudelis, immitis, vt in te Christus caput reclinet. Denique cum fecisset piscium beluas, cum fecisset ferarum genera & bestiarũ, non requieuit. Requieuit autem postea quam hominem ad imaginem suã fecit. In quo requiescat, audi dicentem: Supra quem requiescam, nisi super humilẽ & quietum, & trementem verba mea: Esto ergo humilis & quietus, vt in tuo deus raquiescat affectu. Qui non requieuit in bestiis, multomagis non requiescit in pectore bestiali. Sunt enim animi bestiales, sunt ferę formæ hominum indutæ, de quibus dicit dominus: Attẽdite vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intus autẽ sunt lupi rapaces. In his ergo nõ requieuit deus. Sed requieuit in moribus humanis, quos fecit deus ad imaginem suam & similitudinem, quando fecit virum, qui non debet velare caput suũ, quoniam imago & gloria est dei. Huius viri animæ dicit: Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos. Non dixit: pinxi ventrem tuum: non dixit: pinxi inferiora tua: sed dixit: Pinxi muros tuos, valida se asserens homini murorum defensa præsidia, vt si peruigil speculator in portis sit, obsidionis possit periculum propulsare. Dicit itaque: Non tibi voluptates dedi, non illecebras cupiditatum, non incentiua luxuriæ, non alieni decoris concupiscentiã: sed dedi tibi fundamenta muralia, dedi tibi turrium excelsa fastigia, in quibus cõstitutus expugnari ab hoste non metuas, nec ingruentium legionum terribilia, licet tentamenta formides. Denique habes in Esaia, quia iusti anima dicit vel ecclesia: Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa. Munita per Christũ, obsessa per diabolum. Sed non debet obsidionem vereri cui Christus adiutor est. Munitur enim gratia spiritali, & seculibus periculis obsidetur. Vnde & in canticis habes dictũ: Ego murus, & vbera mea turres. Murus est ecclesia, turres eius sunt sacerdotes, quibus abundat & de naturalibus verbum, & de moralibus disciplina. Cognosce ergo te decora anima, quia imago dei es. Cognosce te homo, quia gloria es dei. Audi quomodo gloria, Propheta dicit: Mirabilis facta est cognitio tua ex me: hoc est, in meo opere tua mirabilis est facta maiestas. In cõsilio hominis tua sapientia prædicatur. Dũ me intueor, quẽ tu in ipsis cogitationibus occultis & internis affectibus deprehendis, scientiæ tuæ agnosco mysteria. Cognosce ergo te ô homo quãtus sis, & attende tibi, ne quãdo laqueis implicatus diaboli fias præda venãtis, ne forte in fauces tetri illius leonis incurras, qui rugit & circuit quærẽs quẽ deuoret. Attende tibi vt consideres quid inte intret, quid ex te exeat. Nõ de cibo dico, qui absorbetur & egeritur, sed de cogitatione dico, de sermone assero. Non in te intret alieni thori concupiscentia, non irrepat in tuam mentẽ, non rapiat oculus tuus trãseuntis fœminæ pulchritudinẽ, animus non includat, non sermo tuus tentamẽtorũ machinas nectat, nõ in dolo prodat, nõ maledico proximum aspergat opprobrio. Venatorem te fecit deus, non expugnatorẽ, qui dixit: Ecce ego mitto venatores multos. venatores non criminis, sed absolutionis, venatores nõ culpæ vtique sed gratiæ. Piscator Christi es, cui dicit: Amodo eris homines viuificans *Sic mitte retia tua, sic mitte oculos tuos, sic mitte sermones tuos, vt nullum opprimas, sed alleues fluctuantem. Attẽde, inquit, tibi. Sic sta, ne cadas, sic curre vt ad brauium peruenias, sic certato vt sæpe decernas, quia legitimo debetur corona certamini. Miles es, hostẽ diligenter explora, ne tibi nocturnus irrepat. Athleta es, manibus aduersario propior esto quàm vultu, ne oculum feriat tuum. Liber obtutus sit, argutus incessus, vt irruentem effundas, cædentem occupes, vulnus vigilanti aspectu exeas, forti congressu repellas. Quòd si fueris vulneratus, attende tibi, curre ad medicum, quære remedium pœnitentiæ. Attende tibi, quia carnem habes quæ citò labitur: veniat tibi bonus animarum medicus sermo diuinus, aspergat tibi oracula domini tanquã mendicamenta salubria. Attende tibi, ne fiat verbum absconditum in corde tuo iniquum. Serpit enim sicut venenum, quòd & letalia infert contagia. Attende tibi, ne obliuiscaris deũ qui fecit te, ne nomẽ eius in vanum accipias. Attende tibi, lex dicit, ne cùm manducaueris, & satiatus fueris, & domos ædificaueris, & habitare cœperis, & pecoribus tuis repletus fueris, & auro & argento abundaueris, & omnibus quæcunque tibi fuerint, in multitudine exaltes te corde, & obliuiscaris dominum deum tuum Quid enim habes homo quod nõ accepisti: Nónne hæc omnia sicut vmbra prætereunt? Nònne domus tua hæc puluis est & ruina? Nónne hæc omnia fabula? Nónne seculi thesaurus vanitas est: Nónne tu ipse es cinis? Respice in sepulchra hominũ, & vide quid ex te nisi cinis & ossa remanebunt, hoc est ex corpore tuo: respice, inquã, & dic mihi quis ibi diues, quis pauper sit. Discerne inopes ac potẽtes. Nudi omnes nascimur, nudi morimur. Nulla discretio inter cadauera mortuorũ, nisi forte quòd grauius fœtẽt diuitum corpora distenta luxurie. Quem audisti pauperem cruditate defunctum? Prodest illi inopia sua, exercet corpus, non opprimit. Nec tamen audiuimus iustum derelictum, & semen eius quærens panem: quoniã qui bene operatur in terra sua, abundat alimẽtis. Attẽde ergo tibi diues, quia & tu carnem portas sicut pauper. Attẽde tibi pauper, quia anima tua preciosa est: & si caro mortalis, diuturna anima: & si tibi deest pecunia, non deest gratia: & si non est domus ampla, nõ diffusa possessio, cœlum patet, terra libera est. Omnibus in cõmune elementa donata sunt, patent æquè diuitibus atque pauperibus ornamenta mũdi. Nunquid pulchriora preciosissimarum domorũ aurata laquearia, quàm cœli facies stellis insignita fulgentibus? Nunquid latiora diuitũ rura, quàm spatia terrarum? Vnde ad eos qui domum ad domum, & villam ad villã iungunt, dictum est: Nunquid soli habitabitis super terrã? Maiorem domum tu habes pauper, in qua clamas, & exaudiris. O Israel, inquit propheta, quàm magna est domus dei, & ingens locus possessionis eius, magnus, & nõ habet finem, altus & immensus. Domus dei diuiti est communis & pauperi. Difficile est tamen diuitem intrare in regnum dei. Sed fortè doles quòd nullum tibi auratorum lychnorum lumen refulgeat. Sed multo illustrior tibi lumine circunfuso Luna resplendet. De hyeme forsitã quereris, quia nulla tibi hypocausta anhelantibus ignibus vaporentur: sed habes solis calorem, qui tibi orbem terrarum temperet, & hyberno te defendat à frigore. An illos beatos putas, qui seruorum sequentium stipantur cateruis? Sed qui alienos pedes requirunt, suis vti nesciunt. Denique à paucis præceduntur, à plurimis portantur. Nisi fortè illud miraris, quòd abundant auro argento, pecunia. Quantis abundant vides, quantis egeant nõ vides. Sed eburneis lectis accũbere preciosum putas, & non consideras preciosiorẽ esse terram, quæ pauperi thoros graminum sternit, in quibus dulcis requies, suauis est somnus, quem ille aurea compositus sponda tota peruigil nocte quærit, & non capit. O quanto te ille beatiorem iudicat vigilans quiescẽtem. Illud prætereo, quod multo est præstantius, quoniam iustus vir qui hic eguerit, illic abundabit: & qui hîc laborem toleraue rit, illic consolationem habebit. Qui autẽ hîc receperit bona, illic mercedem eorum sperare non poterit. Paupertas enim mercedem suam reseruat, census absumit. Attende ergo tibi pauper, attende diues, quia in paupertate & diuitiis tentamenta sunt. Ideo quidam sapiens dixit: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi. Et qua ratione petierit hoc, dicit: Satis est enim homini habere quod sibi sufficit. Quia diuitię vt epulis ventrem, ita animum curis solicitudinibúsque distendunt. Ideoque petit constitui sibi quæ opus sunt & sufficientia. Ne repletus, inquit, mẽdax fiam, & dicam: Quis me videt? aut factus pauper, furtum faciam, & iurem in nomine domini. Fugiẽda igitur & cauenda sunt tentamẽta mũdi, ne pauper desperet, ne opulẽs insolescat. Scriptum est enim: Cùm expueris gẽtes, & cœperis vti terris eorum, ne dicas: Virtus mea & manus mea hanc mihi possessionem parauit. Sic est qui opes suas merito adscribit suo. Et ideo quasi probatus proprium non agnoscit errorem, sed longo trahit fune peccatum. Nam si credat quod accessio pecuniæ, aut fortuiti euentus, aut turpis astutiæ sit, non habet locum insolentia, in quibus aut nulla laus, & inanis labor, aut cupiditas inuerecunda sit, modum nesciens ponere voluptati.

Psal. 36. Esaiæ 5. Baruc 3. Matth. 19. Prouer. 30.

De præstantia, decore, & gratia humani corporis, ac membrorum ipsius. *Caput IX.*

Sed

SED iam etiã de ipso aliqua dicenda sunt corpore hominis, quod præstantius cæteris decore & gratia esse quis abnuat? Nã & si vna atq; eadem omnium terrenorũ corporum videatur esse substantia, firmitudo & proceritas, quibusdam maior in bestiis: forma tamen humani corporis est venustior, status erectus & celsus, vt neque enormis proceritas sit, neq; vilis & abiecta pauxillitas, tum ipsa habitudo corporis suauis & grata, vt neque beluina vastitas horrori sit, nec gracilitas tenuis infirmitati. Ac primum omnium cognoscamus humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem vt cœlum eminet aeri, terris maria, quæ velut quædam membra sunt mundi: ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimúmque esse omnium tanquã inter elementa cœlũ, tanquã arcem inter reliqua vrbis mœnia. In arce autẽ hac regalem quandã habitare sapientiam secundum Propheticum dictum, Quia oculi sapientis in capite eius: hãc esse cæteris tutiorem, & ex illa omnibus membris vigorem prudentiamque deferri. Quid enim robur & validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi capitis velut principis sui imperialis quædam adminiculetur potestas? Ex hoc enim aut destituuntur vniuersa, aut omnia fulciuntur. Quid agat fortitudo, nisi oculo duce vtatur in prælium? Quid fuga, si desit obtutus? Carcer est totũ corpus tenebroso inhorrẽs situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod ergo sol & luna in cœlo, hoc sunt oculi in homine. Sol & Luna duo mũdi lumina: oculi autem quædã in carne sidera fulgent desuper, & inferiora claro illustrant lumine, nec patiuntur noctis quibusdam nos tenebris implicari: speculatores quidam nostri die ac nocte excubant. Nã & ex sopore membris cæteris citius excitantur, & vigilantes circumspectant omnia: viciniores enim sunt cerebro, vnde omnis manat vsus vigendi. Neque verò præproperè quisquam huc descendisse me credat, quòd relicto vertice oculos prædicem, cùm alienum nõ sit summam rem in parte laudare. Oculos enim certum est esse capitis portionem. Caput itaque oculis explorat omnia, auribus occulta rimatur, cognoscit abscondita, audit quid aliis agatur in terris. Ipse autem vertex capitis quàm suauis & gratus. Quàm speciosa cæsaries, quàm reuerenda in senibus, quàm venerenda in sacerdotibus, quàm terribilis in bellatoribus, quàm decora in adolescentibus, quàm compta in mulieribus, quàm dulcis in pueris. Alium sexum crinita non decet, alium tonsa non decet. Ex arboribus licet quæ humani sit gratia capitis æstimare. In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est pulchritudo, illius coma nos aut à pluuiis tegit, aut defendit à sole. Tolle arbori comam, tota arbor integrata est. Quã to igitur maior humani capitis ornatus est, qui cerebrũ nostrum, hoc est sedem originémque nostrorũ sensuum capillis capitis munit & vestit, ne aut frigore vexetur aut æstu? Illic enim fons vniuersorum est: & ideo vbi iniuria nocet, ibi gratia præminet. Quid sine capite est homo, cùm totus in capite sit? Cum caput videris, hominem agnoscis. Si caput desit, nulla agnitio esse potest, iacet truncus ignobilis sine honore, sine nomine. Sola ære fusa principum capita, & ducti vultus de ære vel de marmore, ab hominibus adorãtur. Non immeritò igitur huic quasi consultori suo cætera membra famulantur, & circunferunt illud seruili gestamine sicut numen, atque in sublime locatum vehunt. Vnde censoria potestate quo vult dirigit quorundam obsequia seruulorum, & præcepta singulis obeũda decernit. Videas imperatori suo singula gratuito stipendio militare. Alia portant, alia pascunt, alia defendunt, & ministerium suum exhibent, parent vt principi, ancillantur vt domino. Inde velut quædam procedit tessera, quam debeant pedes obire regionem, quæ militiæ munia manus consummãdis operibus exequãtur, quam venter abstinendi vel edendi formam impositæ teneat disciplinæ. Huic frons libera, nudis aperta temporibus, quæ mentis habitum specie sui prodat, nunc læta, nunc tristior, nunc directa ad seueritatem, nunc ad lenitatem remissior, quæ signis forensibus internam exprimat voluntatem. Imago quædam animi loquitur in vultu, fidei basis, in qua quotidie domini nomen inscribitur & tenetur. Eam

De præstantia capitis.

De laude oculorum. Eccle. 2.

De vertice & cæsarie.

De gratia capitis.

De fronte.

A

B

C

D

geminæ sepes* superciliorum sequuntur, quæ oculis munimenta prætendunt, prætexunt gratiam, vt & venustas decoris arrideat, & diligentia protectionis assistat. Si quid enim de capite sordium decidat, aut arenæ puluis, aut ros nebulæ, aut humescentis verticis sudor, excipitur supercilio, ne terrenas offensa acie visiones mollium perturbet oculorum. Adhærent velut quibusdam montium superciliis oculi, vt & protegente montis cacumine tutiores sint, & tanquam in summo locati, de quadam scena superiore vniuersa prospectent. Neque enim oportebat eos humiles esse, sicut aures, vel os, ipsósque narium interiores sinus. Specula enim semper in alto est, vt aduenientium caterua rum hostilium explorari possit aduentus, ne improuiso occupent ocientem vel vrbis populum, vel imperatoris exercitum. Sic latronum quoque cauentur incursus, si exploratores in muris aut turribus, aut montis excelsi supercilio sint locati, vt desuper spectent plana regionum, in quibus insidiæ latronum latere non possint. In mari quoque positus si quis terræ appropinquare se coniicit, in ipsa mali fastigia, & celsa antennarum cornua voti explorator ascẽdit, & adhuc inuisibilem reliquis nauigantibus eminus terram salutat. At fortè dicas: Si specula editior necessaria fuit, cur non supra summum verticem capitis oculi constituti sunt, sicut cæteris vel scarabæis in summo sunt, quibus licet nullum caput appareat, colla ac dorsa tamen cætero corpore celsiora sunt? Sed illis testa valida, nec tam tenuis membrana sicut nobis quæ facile possit offendi, rubóq; & ceteris interscindi sentibus. Aliis quoque animãtibus huiusmodi species, vt possint oculos aut ad ceruicem cõferre, vt equi ac boues, ac prope modum omnes feræ: aut ad alas suas, vt aues, quo tuta quite potiantur. Nobis autem & in summa propemodũ corporis parte constitui oculos oportuit tanquam in arce, & abomni vel minima offensione defendi: quæ duo sibi compugnantia videbãtur. Nam si in humili essent propter tutamẽ, munus impediretur: si in vertice, paterent ad iniuriam. Itaque ne vel vsui muneris aliquid detraheretur, vel aliquid ad propulsandam iniuriam non prospiceretur, eo loco oculos constituit, cui supercilia desuper non minimum protectionis impertiant, subter malæ aliquãtulum eleuatæ haud exiguum munitionis adiungant, interiorem partem sepiant nares, exteriorem quoque frontis malarúmque gibbi extuberent: & licet ossium compage connexa, & æquata confinia circumuallare videantur, inter hæc medij sunt oculorum orbes, & tuti ad cauendum, & ad intuendum liberi, & decori ad gratiã, vt pote in crystalli specie refulgentes. In quorũ medio pupillæ sunt, quæ videndi munus operantur. Hæ ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur, pilis hinc inde cõsertis velut quodam vallo per circuitum muniuntur. Vnde tutum auxilium postulans Propheta ait: Custodi me domine vt pupillam oculi: vt protectionis diuinæ fieret ei tam solicita & tuta custodia, quàm pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est. Simul quia innocentia & integritas leui sorde aspersa violatur, & gratiæ suæ munus amittit. Et ideo prospiciendum ne quis eam puluis erroris oblimet, aut vlla vexet festuca peccati, quia scriptum est: Eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui. Itaque propter oculos sedrunt medendi periti cerebrum hominis in capite locatum: alios autem nostri corporis sensus propter cerebrum finiti mo quodam esse domicilio constitutos. Initium enim neruorum & omnium sensuum voluntariæ commotionis cerebrum est, atque inde omnis eorum quæ diximus causa manat. Initium autem arteriarum insiti caloris, quo animantur & tepefiunt vitalia, cor esse plerique arbitrantur. Sensuum autem singulorũ velut organum nerui sunt, qui velut chordæ & fides quædam de cerebro oriũtur, & per partes corporis in singula quæque officia deriuantur. Ideoque molius est cæteris cerebrum, quia omnes suscipit sensus, vnde omnes nerui quærunt vniuersa quæ vel oculus viderit, vel auris audierit, vel odor inhalauerit, vel lingua increpuerit, vel os saporis acceperit. Quod enim molle, ad compassionem aptius: quod autem durum ex aliquo rigore neruorũ, ad agendum efficacius. Præstantissimum quoque audiendi munus

Matth.

Deut.

De anim. accessi.

De anim.

De sensu

minus eſt, & viſui ſuppar gratia. Ideo aures exteriores, vt & ornatus decorem præferant, & excipiant omne illud quic quid de vertice ſordium humoríſve defluxerit, ſimul vt in earum ſinibus vox repercuſſa ſine offenſione interiores ingrediatur anfractus. Nam niſi ita eſſet, quis non ad omnem fortioris ſonum vocis attonitus redderetur, cùm inter ipſa ſubſidia frequenter improuiſo ictus clamore nos obſurdeſcere ſentiamus? Tum velut quædam propugnacula videas prætendere aduerſus frigoris aſperitatem, caloríſque flagran tiam, vt neque frigus penetret ductus patētes, neque nimius adurat æſtus. Sinuatio autem interiorum aurium, modulandi quendam numerum præſtat & diſciplinam. Siquidem per anfractus aurium quidam rythmus efficitur, & modulis qui buſdam ingreſſæ ſonus vocis exprimitur. Tenaces præterea ſermonis accepti ipſos eſſe anfractus aurium, vſus ipſe nos docet. Siquidem velut in concauis montium, vel in receſſu rupium, vel in anfractu fluminum vox auditur dulcior, & reſponſa ſuauia referens Echo reſultat. Ipſæ quoque ſordes aurium non inutiles, quæ ligant vocem, vt tenacior eius in nobis & memoria ſit, & gratia. De naribus autem quid loquar, quæ biuio & procero foramine antrum quoddam recipien

De naribus & odoratu.

dis odoribus præſtant, vt non perfunctoriè odor tranſeat, ſed diutius inhæreat naribus, & earum ductu cerebrum ſenſuſque depaſcat? Ideo diutius odor fragrat acceptus, quàm ſermo reſonat, aut viſus apparet. Plerunque quod momento breui fueris odoratus, toto die tibi ſpirat in naribus: per eas quoque purgamenta capitis defluunt, & ſine fraude atque offenſione aliqua corporis deriuantur. Eſt etiá non mediocris ſenſus in tactu, atque in eo voluptas gratiſſima, ſyncerúmque iudicium. Plerunque enim tactu probamus quæ oculis probare non poſſumus. Poſtremum quoque officium eſt oris aut linguæ, quòd tamen omnibus vires miniſtrat. Nam neque oculi vigorem videndi haberent, niſi virtutem ſubſtantiæ corporalis acciperent, quæ cibo defertur & potu: neque aures audiendi, aut nares odorandi, aut manus tangendi, niſi corpus omne confortetur alimentis. Deficimus enim viribus niſi eas cibi competentis aſſiduitate reparemus. Denique confecti fame nullis oblectantur ſenſuum voluptatibus, ſed quaſi exortes eorum delinimenta non ſentiunt. Quid ego deſcribam dentium vallum, quo cibus conficitur, & plenæ fit vocis expreſſio? Quæ ſine dentibus alimonia delectaret? Denique æui maturos plerunque cernimus hoc ipſo citius ſeneſcere, quod amiſſis dentibus nullam poſſint cibi virtutem validioris aſſumere. Ideo muta infantia, quia non habet adhuc organum vocis. Linguæ quo que non ſolum in loquendo, ſed etiam in edendo munus precioſiſſimum eſt. Ea enim velut plectrum loquentis, & quædam edentis eſt manus, quæ defluentem cibum dentibus ſuggerit & miniſtrat. Vox quoque aeris quodam remigio vehitur, & per inane portatur, eadémque vis quæ aerem verberat, nunc commouet, nunc demulcet audientis affectum, iratum mitigat, fractum erigit, ſolatur dolentem. Sit igitur nobis canorum cōmune cum auibus. Sed apud quem, quo ſono vocis vtatur, quod eſt rationabile, non poteſt cum omnibus animantibus irrationabilibus ſcilicet eſſe commune. Nam & ipſi ſenſus communes nobis ſunt cum animantibus cæteris: ſed tamen non eadem his cæteris animantes induſtria vtuntur. Erigit bucula ad cœlum oculos, ſed quid ſpectet, ignorat. Erigunt feræ, erigunt aues: omnibus eſt liber aſpectus, ſed ſoli ineſt homini eorum quæ aſpicit affectus interpres. Spectat oculis ortus obitúſque ſignorum, videt ornamentū cœli, miratur ſtellarum orbes, fulgores quoque diuerſos intelligit ſignorum, quando Heſperus ſurgat, quando Lucifer: cur ille veſpertinus hic matutinus irradiet, quos motus Orion habeat, quos Luna defectus, quemadmodum ſol ſuos norit occaſus, circuitus quoque curſus ſui ſolennitate cuſtodiat. Audiunt quoque animantes cæteræ, ſed quis præter hominem audiendo cognoſcit? Secreta ſapientiæ ſolus homo ex omnibus generibus quæ in terris ſunt, auditu & meditatione & prudentia colligit, qui poteſt diceríoſiſſimum, quòd homo diuinæ vocis ſit organum, & corporalibus labiis exprimit cœleſte oracullum, ſicut illud eſt:

De tactu.

De officio oris, & cibo & potu.

De dentibus.

De nutrimento linguæ.

Pſal. 84.

A Clama. Quid clamabo? Omnis caro fœnum. Accepit quod diceret, & clamauit. Sibi habeant prudentiam ſuam qui radio cœli ſpatia terrarúmque deſcribunt. Sibi habeant intellectum ſuum, de quo dicit dominus: Et intellectum prudentium reprobabo. Neque numeros orationis ac modos, & modulos muſicæ ſapientiæ hoc conſtituam loco, ſed eam ſapientiam definio, de qua dicit Propheta: Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Quid autem loquar de oſculo oris, quod pietatis & charitatis eſt pignus? Oſculantur ſe & columbæ: ſed quid ad humani oſculi venuſtatem, quo amicitiæ inſigne humanitatíſque præfulget, in quo plenæ charitatis fidelis exprimitur affectus? Vnde & dominus velut prodigij genus in proditore condemnans ait: Iuda, oſculo filium hominis tradis? Hoc eſt, Charitatis inſigne conuertis ad ſignum proditionis, & infidelitatis indicium? pacis hoc pignore vteris ad officiū crudelitatis? Beſtiali igitur oris obſequio inferētem potius necem, quàm charitatis fœdera deferentem, diuinæ arguit vocis oraculo. Illud quoque præ-

B cipuum, quòd ſoli homines ore exprimimus, quæ corde ſentimus. Itaque cogitationes tacitæ mentis, oris ſermone ſignantur. Quid eſt igitur os hominis, niſi quoddam ſermonis adytum, fons diſputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis? Abſoluimus velut quandam humani corporis regiam, in qua ſit licet quædam quantitas portionis, forma tamen vniuerſitatis eſt. Sequitur guttur, per quod totius corporis vitale commercium, & ſpiritus huius commeatus infunditur. Succedunt brachia, & validi lacertorum thori, validæ ad operandum manus, & proceribus digiti habiles ad tenendum. Hinc aptior vſus operandi, hinc ſcribendi elegantia, & ille calamus ſcribæ velociter ſcribentis, quo diuinæ vocis exprimuntur oracula. Manus eſt quæ cibum ori miniſtrat. Manus eſt quæ præclaris enitet factis, quæ conciliatrix diuinæ gratiæ ſacris infertur altaribus, per quam offerimus & ſumimus ſacramēta cœleſtia. Manus eſt quæ operatur pariter atq; diſpenſat diuina myſteria, cuius vocabulo non de-

C dignatus eſt ſe dei filius declarari dicente Dauid: Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me. Manus eſt quæ fecit omnia, ſicut dixit deus omnipotēs: Nónne manus mea fecit hæc? Manus eſt totius corporis propugnaculum, capitis defenſatrix. Quæ cùm ſit loco inferior, totum verticem comit, & honeſto venuſtat ornatu. Quis dignè explicet pectoris cratem, ventríſque mollitiem? Aliter enim viſcera molliora non poſſent foueri, & inteſtinorum ſinus duris hauddubie oſſibus lęderētur. Quid tam ſalutare quàm vt pulmo cordi finitimo limite iungeretur, vt cùm exarſerit cor ira & indignatione, pulmonis ſanguine atque humore citius temperetur? Ideóque mollior pulmo eſt, quia mader ſemper, ſimul vt rigorem indignationis emolliat. Hæc ideo ſtrictim percurrimus, vt tanquam indocti obuia perſtringere, non tanquam medici plenius ſcrutari videamur, & perſequi quæ naturæ latibulis abſcondita ſunt. Lien quo-

D que cum iecore habet viciniam fructuoſam, qui dum aſſumit quo ipſe paſcatur, abſtergit quicquid ſordium deprehenderit, vt per fibras iecoris minutiores, ciborum poſſint tenues atque ſubtiles reliquiæ tranſire, quæ vertantur in ſanguinem, viribúſque proficiant, & non cum fimo & ſordibus egerantur. Inteſtinorum verò circunplexi orbes, & ſine aliquo licet nodo, ſibi tamen inuicem nexi, quid aliud niſi diuinam proſpicientiam creatoris oſtendunt, vt non citò eſca pertranſeat, & ſtatim à ſtomacho decurrat? Quòd ſi fieret, iugis fames, & continua vorādi libido hominibus gigneretur. Exinanitis enim viſceribus & exhauſtis dum mometaria effuſione vacuarentur, neceſſe erat inexplebilem atque inſatiabilem cibi & potus generari cupiditatem, quam ſine dubio matura mors ſequeretur. Ideóq; prouidè conficitur primū eſca in vtero ſuperiore: deinde in iecore coquitur, quouſque vapore digeſtus transfunditur ſuccus eius in reliquas corporis partes, eaq; ſubſtantia artus aluntur humani, quam iuuenes accipiunt ad incremētum, ſenes ad perſeuerandum: reliquum autem velut ſuperfluum, per inteſtina deducitur: & per illud ex tranſuerſo oſtium deriuatur. Denique etiam in Geneſi arca Noe ad fabricam humani corporis accipitur, de qua dixit deus: Fac tibi arcam ex lignis quadratis, nidos fa-

Eſaiæ 40.

1. Cor. 1.

Pſal. 50.

De oſculo oris.

Lucæ 22.

De ſermone oris.

De gutture.

De brachiis manibus, ac digitis.

Pſal. 44.

De ſingulari præconio manuum.

Pſal. 117.

De pectore & ventre.

De pulmone.

De liene & iecore.

De inteſtinis.

De ſtomacho.

De anno.

Geneſ. 6.

cies in arca, & bituminabis eam intus & foris bitumine, & sic facies arcam. Et infra: Ostium verò facies ex transuerso, inferiora autem arcæ bicamerata & tricamerata facies. Hoc ergo significat dominus, quod ostium ex posteriori sit parte, per quod egerantur ciborum superflua. Decore enim creator noster ductus reliquiarum à vultu hominis auertit, nedum aluum purgamus, inquinaremus aspectum. Simul illud considera, quòd ea quæ pudoris plena sunt, eo loco constituta sunt, vbi operta vestibus elucere non possint. Venarum pulsus, vel infirmitatis internuncius, vel salutis est. Eædem tamen cum toto diffusæ sint corporæ, neque nudæ atque intectæ sunt, & ita lenibus operiuntur viscеribus, vt explorandi copia sit, & celeritas sentiendi, quando nulla est viscerum crassitudo quæ pulsum possit obducere. Ossa quoque omnia tenui operta sunt viscere, & reuincta neruis, præcipuè tamen capitis leui tecta sunt corio. Vnde quo possint aliquod aduersum imbres & frigora habere munimen, capillis densioribus vestiuntur. Quid de genitalibus loquar, quæ venis è regione ceruicis per renes, lumbósque deductis, susципiunt genitale semen ad munus & ad gratiam procreandi? Quid de officio pedum, qui totum corpus sine vlla sustinent oneris iniuria? Flexibile genu, quo præ cæteris domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia prouocatur. Hoc enim patris summi erga filium donum est, vt in nomine Iesu omne genu curuetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quoniam dominus Iesus in gloria est dei patris. Duo enim sunt quę præ cæteris deum mulcent, humilitas, & fides. Spes itaque exprimit humilitatis affectum, & sedulæ seruitutis obsequium. Fides æquat filium patri, atque vtriusque eandem gloriam confitetur. Rectè autem non plures sed duo sunt homini pedes, quaterni enim pedes feris ac beluis sunt, bini auibus. Et ideo vnus quasi de volatilibus est homo qui alta visu petat, & quodam remigio volitet sublimium cogitationum. Et ideo de eo dictum est: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua: eo quod proprior sit cœlestibus, & sublimior aquilis, qui possit dicere: Nostra autem conuersatio in cœlis est.

De pudendis.
De venis.
De ossib⁹.
De capillis.
De genitalibus.
De officio pedum.
De genu.
Philipp. 2.
Cur duo tantum pedes homini.
Psal. 102.
Philip. 3.

De fine sermonis, & complexione sexti diei, cũ humili gratiarum actione. Caput X.

SED iam finis sermoni nostro sit, quoniam completus est dies sextus, & mundani operis summa concluſa est, perfecto videlicet homine, in quo principatus est animãtium vniuersorum, & summa quædam vniuersitatis, & omnis mundanæ gratia creaturæ. Certè deferamus silentium, quoniam requieuit deus ab omnibus mundi operibus, requieuit autem in recessu homi nis, requieuit in eius mente atque proposito. Fecerat enim hominem rationis capacem, imitatorem sui, virtutum æmulatorem, cupidum cœlestium gratiarum. In his requiescit deus, qui ait: Super quem requiescam, nisi supra humilem & quietum, & trementem verba mea? Gratias ergo domino deo nostro, qui huiusmodi opus fecit in quo requiesceret. Fecit cœlum, non lego quòd requieuerit: fecit terram, non lego quòd requieuerit: fecit solem, lunam, & stellas, nec ibi lego quod requieuerit. Sed lego quòd fecerit hominem, & tunc requieuit, habens cui peccata dimitteret. Aut forte tũc iam futuræ dominicæ passionis præcessit mysterium, quo reuelatum est quia requiesceret Christus in homine, qui requiem sibi prædestinabat in corpore pro hominis redemptione: secundum quod ipse dixit: Ego dormiui, & requieui, & exurrexi, quoniam dominus susцepit me. Ipse enim requieuit qui fecit, Cui est honor, gloria, perpetuitas à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

Esaiæ 66.
Psalm. 3.

FINIS.

ditionis, notata in eo quod scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, qui sancto Ambrosio authori à quibusdam adscribitur, fœliciter incipit.

Qua ratione homini tanta dignitas sit collata. Cap. I.

FAciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram. Tanta itaque dignitas humanæ cõditionis esse cognoscitur, vt non solo iubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio sanctæ trinitatis, & opere maiestatis diuinæ creatus sit homo, vt ex primæ conditionis honore intelligeret quantũ deberet suo conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis priuilegium præstitit ei conditor, vt tanto ardentius amaret conditorem, quanto mirabilius se ab eo esse conditum intelligeret. Nec ob hoc solum quòd consilio sanctæ trinitatis sicexcellenter à conditore conditus est, sed etiam quòd ad imaginem & similitudinem suam ipse creator omnium eum creauit, quod nulli alij ex creaturis donauit.

Genes.

De dignitate hominis sumpta ex ratione imaginis. Cap. II.

QVÆ imago diligentius ex interioris hominis nobilitate est consideranda. Primo quidem quòd sicuti deus vnus semper vbique totus est, omnia viuificans, mouens, & gubernans, sicut Apostolus confirmat, quòd in eo viuimus, mouemur, & sumus: sic anima in suo corpore vbique tota viget, viuificans illud, mouens, & gubernãs. Nec enim in maioribus corporis sui membris, maior, & in minoribus minor, sed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc est imago vnitatis omnipotentis dei quam anima habet in se. Quæ quoque quandam sanctæ trinitatis habet imaginem. Primo in eo, quia sicut deus est, viuit, & sapit: ita anima secũdum suum modum, est, viuit & sapit. Est quoque & alia trinitas in ea, qua ad imaginem sui cõditoris perfectæ quidem & summæ trinitatis, quæ ex patre & filio & spiritu sancto, condita est. Et licet vnius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, volũtatem, & memoriam. Quod idem, licet aliis verbis in euangelio designatur cũ dicitur: Diliges dominũ deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua. id est, ex toto intellectu, & ex tota voluntate, & ex tota memoria. Nam sicut ex patre generatur filius, & ex patre filióque procedit spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria, sicut facile à sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus, nec horum trium vnum aliquod quantum ad suam pertinet beatitudinem, sine alijs duobus integrum cõstat. Et sicut deus pater, deus filius, deus spiritus sanctus est, non tamen tres dij sunt, sed vnus deus tres habẽs personas: ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria: non tamen tres animæ in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates: atque in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur diligere conditorem, vt inquantum intelligitur diligatur: & quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore eius voluntas: imò nec hæc duo sufficiunt nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis & diligentis maneat deus, vt sicut non potest esse momentum quo homo non vtatur vel fruatur dei bonitate & misericordia, ita nullum debeat esse momẽtum quo præsentem eum non habeat memoria. Et ideo dilectissime fili, iustè mihi videtur dictum interiorem hominem imaginem esse dei. Anima enim nominatur totus interior homo, qua viuificatur, regitur, continetur lutea illa massa humectata succis ne arefacta dissoluatur. Deus dicitur vis illa, ineffabiliter magna, & innumerabiliter sapiens, vt scriptum est: Magnus dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus: & incomparabiliter suauis, vt alibi dicis: Suauis dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Ex qua, & per quam, & in qua sunt omnia quæ

Adam.

Matth.

Psal. 146.

Psal. 144.

897

quæ sunt, reguntur omnia quę sunt, continentur omnia quæ sunt. Omnia dico ipsam vniuersitatem, quæ est totum, quod aliud est quàm ipse qui fecit, & non est factus, sed ipse est ex quo, & qui ex eo, & quo. Quod ipse deus ex quo est, pater dicitur à nobis pauperibus sensu, pauperiorib⁹ verbis: quod qui ex eo, filius dicitur: quod quo, spiritus sanctus. Ideo autem dicitur deus pater, quia ipse est ex quo, & sapientia est qua ordinantur omnia, & dilectio qua se volunt omnia ita manere vt ordinata sunt. Ex quo ergo, & qui ex eo, & quo se diligunt, ipsa duo, tria sunt, & illa tria ideo vnū, quia sic sunt ex vno illa duo, vt tamen ab ipso non sint separata, sed ex ipso sunt, quia non à se: & in ipso, quia non separata, & ipsum ipsa quod ipse, & ipsum ipse quod ipsa, & non ipsum ipsa qui ipse, & non ipsa ipse quæ ipsa. Vis ista deus est, & ipse deus tria est, & vnunquodque horum trium deus est, & omnia tria illa non dij, sed deus est. Ad imaginem ergo suam conditor, vt dictum est, fecit animam hominis, quæ tota dicitur anima. Non autem aliud significo hominis quàm animam cùm mentem dico, sed propter aliud animam, & propter aliud mentem. Nam totum quod viuit, hominis anima est. Cùm autē anima in se agit se, & ex se, & per se sola mens dici solet, sensus verò ad sua ministeria implens consuetius anima dicitur. Mens ergo scire gignit, & amat scire quod scit. Non illud scire dico, quod repente scitur res aliqua, quæ ante nesciri putabatur, sed illud vnde & aliquid & omne quicquid scitur vel nescitur, sciri potest. Illud ergo scire mēs gignit, & cùm genitum est, sciētia potest dici. Sunt ergo iam duo, mens, & quod ipsa mens scit: restat tertium vtrisq; commune. Omnis mens quicquid scit, amat scire. Amor non minus quàm inter duos est, amantem & quod amatur. Vnus est ergo amborum amor, qui & tertius est. Non autem potest negari hoc totum vnam esse animam, & vnam animam hæc tria esse. Sicut enim hæc tria verè vna anima sunt, sic non minus verè vna anima est hoc vnum, & hoc alterum, & hoc tertium. Comparet igitur se hæc creatura tam eminens creatori suo supereminenti sibi, excepto hoc, & multum supra se amoto, quòd omnis bonitas, & omne bonum, & omnis bonitatis & boni dulcedo creatoris à seipso est. Creatura verò non solum quod est, sed etiam quod talis est, ab alio est, non à se: & ipsa quod est, semper est, licet & ipsa anima quodammodo suo incommutabilis est. Nam semper anima est postquam esse cœperit, & scit, & scire vult. Comparet ergo, vt dixi, se anima eo modo quo potest creatori suo, vt dicatur mens pater quia gignit scire: dicatur scire filius, quia ex alio est, & non est aliud quàm ipsum quod ipse est ex quo est: dicatur amor spiritus sanctus, quia amborum est eorum qui se amant. Vnde in nostris scripturis sæpius amor, id est charitas, quæ in deo est erga nos, & quæ à nobis in deum spiritus ipse appellatur. Et hæc de imagine ô dilectissime fili habeto.

De dignitate hominis sumpta ex ratione similitudinis. Caput III.

NVNC verò de similitudine aliqua intellige, quæ minoribus cernenda est, vt sicut deus creator qui hominem ad similitudinem suam creauit, est charitas, est bonus & iustus, patiēs atque mitis, mundus & misericors, & cætera virtutum sanctarum insignia, quæ de eo leguntur: ita homo creatus est, vt charitatem haberet, vt bonus esset & iustus, vt patiens atque mitis, mundus & misericors foret. Quas virtutes quanto plus quisque in seipso habet, tanto propius est deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem. Si verò (quod absit) aliquis per deuia vitiorum, & diuortia criminum ab hac nobilissima sui cōditoris similitudine degener oberrat, tunc fiet de eo quod Psal. 48. scriptum est: Et homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Qui maior honor potuit homini esse, quàm vt ad similitudinem sui factoris conderetur, & eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus & conditor? De quo legitur: Dominus regnauit, decorem indutus est, id est omnium virtutum splendore, & totius bonitatis decore ornatus. Vel quod Psal. 92. maius homini potest esse dedecus, aut infœlicior miseria, quàm vt hac similitudinis gloria sui conditoris amissa, ad informem & irrationabilem brutorum, iumentorū delabatur similitudinem? Quapropter ô dilectissimi, quisque diligentius attendat primæ conditionis suæ excellentiam, & venerandam in seipso sanctæ trinitatis imaginem agnoscat, honorémque similitudinis diuinæ ad quem creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorū habere contendat, vt quādo appareat qualis sit, tunc similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliúsque in secundo reformauit.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE PARADISO.

De difficultate inuestigandi & explanandi quid, vbi, ac qualis sit paradisus: quod tamen authorem paradisi, de quo in Genesi legitur, inuenire possimus, ac de plantatione eiusdem secundum mysticam interpretationē. Qua etiam ratione videatur paradisus esse anima, in qua virtus vnaquæque plantatur. Caput I.

Quòd lignum scientiæ boni & mali fuerit in paradiso. Et qua ratione in scripturis diuinis non facile debeamus reprehendere aliquid quod intelligere non possumus. Cur etiam lignum scientiæ boni & mali in paradiso sit exortum, & à deo permissum, similitérque serpens ac diabolus, quanuis plerique velint diabolum in paradiso non fuisse. Præterea quid per serpentem, mulierem, atque virum, quidam intelligi existiment. Caput II.

Quæ subsidia in tolerandis periculis habeat anima per paradisum figurata, ex fonte diuiso in quatuor initia siue flumina, in quibus quatuor virtutes principales exprimuntur, quæ etiam velut mundi istius incluserunt tempora. Caput III.

De apprehensione hominis, & positione eius in paradiso vt operaretur & custodiret. Et qua ratione extra paradisum vir factus sit, mulier vero intra paradisum. Quid præterea interfit inter operari & custodire, & cur primus homo in paradiso legitimi laboris speciem susceperit. Caput IIII.

De præceptis Adæ in paradiso datis, & de huius quæstionis: Cur deus vbi præcepit ex omni ligno edendum, singulariter dixerit Edes: vbi autem de ligno sciētiæ boni & mali, pluraliter Edetis dixerit, absolutione. Quódque ei interpretatio Symmachy non præiudicet. De responsione quoque ad tres quæstiones, quas plerique quorum author Apelles est, proponunt. Caput V.

De solutione aliarum quarundam quæstionum, quas circa obeditionem & cognitionem præcepti faciunt. Cap. VI.

De pertractatione quæstionis vnde mors acciderit Adæ, vtrum videlicet à natura ligni, an à deo. Caput VII.

De absolutione quæstionum quas quidam circa præscientiam dei de præuaricatióne Adæ, & impressionem opinionis boni & mali faciunt. Caput VIII.

Cur deus cùm mandatum daret homini, de manducando & non manducando putauerit esse mandādum. Qua etiam ratione dominus deus Adæ dixerit: Morte moriemini: & quid interfit vtrū aliquis dicat moriemini, an addat, morte moriemini. Cap. IX.

De absolutione quæstionum incidentium circa factionem mulieris Adæ. Caput X.

De solutione quæstionum occurrentium circa adductionem bestiarum & volatilium ad Adam, soporem quoque ipsius Adæ, atque existentiam bestiarum & pecorum in paradiso. Caput XI.

De sapientia serpentis, & causa inuidiæ, argumentísque quibus confidebat se posse hominem vincere. Quomodo etiam aggressus fuerit mulierem. Quòd præterea neq; detrahere aliquid debeamus diuinis mandatis, neq; addere. Vtrum deniq; præter adiectionem quæ mandato per mulierem fuit applicata, quod additū est, obfuisse videatur: & ex quo ligno deus dixerit esse gustandum. Cap. XII.

Quomodo tentamenta diaboli plena sint mendacij. Et de deceptione mulieris, & lapsu Adæ. Quemadmodū etiam cognouerint se esse nudos, & succinctoria sibi fecerint, & quid significent. Caput XIII.

De voce domini deambulantis ad vesperum, & interrogatione vel potius increpatione Adam: Vbi es? Cur præterea ante increpetur Adam, cùm mulier ante gustauerit, & quid mulier pro sua excusatione responderit: ac de mysteriis istorum. Caput XIIII.

Qua ratione veniabilis fuerit deceptio mulieris. Et quemadmodum serpens typus sit delectationis, & de sententia damnationis in serpentem, ac etiam condemnatione Adæ, & de discretione inter istas sententias. Cap. XV.

Diui Ambrosij,

MEDIOLANENSIS EPISCOPI,

de Paradiso, liber vnus.

De difficultate inuestigandi & explanandi quid, vbi, ac qualis sit paradisus. Quod tamen authorem paradisi de quo in Genesi legitur, inuenire possimus, ac de plantatione eiusdem secundum mysticam interpretationem. Qua etiam ratione videatur paradisus esse anima, in qua virtus vnaquæque plantatur.

Caput I.

DE paradiso adoriēdus sermo non mediocrem æstum nobis videtur incutere, quidnam sit paradisus, & vbi sit, qualisve sit, inuestigare, & explanare cupientibus, maximè cùm Apostolus siue in corpore, siue extra corpus nesciat, raptum se tamen dicat vsque ad tertium cœlum. Et rursus: Scio, in
2.Cor.12. quit, huiusmodi hominē, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, deus scit, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem non gloriabor nisi in infirmitatibus meis. Si enim voluero gloriari, non ero stultus: nam veritatem dico. Ergo si huiusmodi paradisus est, vt eum solus Paulus, aut vix aliquis Pauli similis, cum in hac vita degeret, videre potuerit: idem tamen siue in corpore, siue extra corpus viderit, meminisse non possit: audierit tamen verba quibus prohibitus sit vulgare quod audierat: quo tandem modo nos paradisi situm poterimus absoluere, quem nec videre potuimus, & si potuissemus videre, tamen prohiberemur aliis intimare? Simul cùm Paulus extollere se reuelationum
*timendū. sublimitate sit veritus, quanto magis nobis * studendum est
†indagare. id solicitius † indicare, cuius etiam reuelatio obnoxia sit periculo? Non hylen igitur hunc paradisum æstimare debe-
Genes.2. mus, & ideo relinquamus Pauli esse secretum. Tamen quoniam legimus in Genesi à deo paradisum esse plantatum secundum orientem, & ibi esse positum hominem quem plas-
mauit deus: istius paradisi authorem iam possumus inuenire. Quis est enim qui potuit fingere paradisum, nisi omni-
Psal.148. potens deus, qui dixit, & facta sunt? Nunquid indigens eorum quæ generari vellet? Ipse ergo plantauit paradisum, de
Matth.15. quo dicit sapientia: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus, eradicabitur. Bona angelorum plantatio, bona sanctorum. Sancti enim sub ficu & vite ducuntur in illo pacis futuræ tempore, in quibus typus est angelorum. Ergo paradisus est plurima ligna habens, sed ligna fructifera, ligna ple-
Psal.95. na succi, atque virtutis, de quibus dictum est: Exultabunt o-
Psalm.1. mnia ligna syluarum. Ligna semper florentia viriditate meritorum, sicut illud lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, cuius folium non defluet, quia totus in eo fructus exuberat. Hic ergo paradisus est. Locus autem eius in quo est plantatus, voluptas dicitur. Vnde & sanctus Dauid
Psal.35. ait: Ex torrēte voluptatis tuæ potabis eos. Legisti enim: Quia
Genes.2. fons procedit ex Edem qui rigat paradisum. Hæc igitur sanctorum ligna quæ plantata sunt in paradiso, quasi profluo quodam torrentis spiritus irrigantur. De quo alibi ait: Flumi-
Psalm.45. nis impetus lætificat ciuitatē dei. Est autem ciuitas illa quæ sursum est, Hierusalem libera, in qua diuersa sanctorum merita pullularūt. In hoc ergo paradiso hominem deus posuit
Genes.2. quem plasmauit. Intellige etiam quod non eum hominem qui secundum imaginem dei est posuit, sed eum qui secundum corpus. Incorporalis enim in loco non est. Posuit autem eum in paradiso sicut solem in cœlo, expectantem regnum cœlorum, quemadmodum creatura expectat reuelationem filiorum dei. Ergo si paradisus est in quo erant exorta virgulta, videtur paradisus anima esse, quæ multiplicat semen acceptum, in qua virtus vnaquæque plantatur. In qua erat etiam lignū vitæ, hoc est sapientia, sicut dixit Salomon:
Sapient.7. quia sapientia non de terra exorta est, sed de patre. Est enim splendor lucis æternæ, & manatio omnipotentis gloriæ.

Quod lignum scientiæ boni & mali fuerit in paradiso, & qua ratione in scripturis diuinis non facile debeamus reprehendere aliquid quod intelligere non possumus. Cur etiam lignum scientiæ boni & mali in paradiso sit exortum, & à deo permissum, similiterque serpens ac diabolus: quāuis plerique velint diabolum in paradiso non fuisse. Quid præterea quidam per serpentem, mulierem atque virum intelligi existiment.

Caput II.

ERat autem lignum scientiæ boni & mali in paradiso. Sic enim habes: Quia produxit deus
Genes.2. lignum speciosum ad aspectum, & bonum ad escam, & lignum vitæ in paradiso, & lignum scientiæ boni & mali.) Postea videbimus vtrū & hoc lignum speciosum ad aspectum, & bonum ad escam fuerit, sicut cætera. Eo enim loco hoc opportunius disputabitur, quo hominem ex hoc gustantem ligno inuenimus esse deceptum. Interim nihil habemus quod nunc reprehendere debeamus, etsi rationem scire non possimus. Neque enim in hac creatura mundi siqua nobis difficilia intellectu videntur, & incomprehensibilia ingenio nostro, temeratio quodam debemus cōdemnare iudicio, vt creaturam serpentium, venenatíque alicuius animantis: quippe homines qua ratione singula quæque sint facta, intelligere adhuc & scire non possumus. Sic ergo & in scripturis diuinis non facilere prehendamus aliquid quod intelligere non possumus. Sunt enim plurima quæ non nostro ingenio metienda sunt, sed ex altitudine diuinæ dispositionis & verbi sunt æstimanda. Pone enim, sine præiudicio tamen assertionis futuræ, ideo ubi hoc lignum de scientia boni aut mali displicere, quia post eaquam gustauerūt ex eo homines, intellexerunt se nudos. Attamen ad consummationem diuinæ operationis, dicam tibi & hoc lignum in paradiso exortum, & ideo à deo esse permissum, vt possimus supereminentiam boni scire. Quomodo enim si non esset scientia boni & mali, inter bonum & malum discretionem aliquam disceremus? Nam neque quod malum erat, malum iudicaremus esse, nisi esset scientia boni. (Scientia autem boni esse non posset, nisi esset & mali.) Neq; rursus quod bonum erat, sciremus bonum esse, nisi esset scientia mali. Cape exemplum de ipsa cōditione humani corporis. Nempe habet & amaritudinem quādam fellis: quæ si in commune prospicias, ad salutem hominis vtilis inuenitur. Ergo & quod malum putamus, plerunque non per omnia malum est, sed in cōmune vtile. Nam sicut fel in parte est corporis, & tamen ad totius vtilitatem corporis prodest, ita vtilitati omnium profuturā sciens deus scientiam boni & mali, in parte constituit, vt in cōmune prodesset. Denique serpentem in paradiso inuenis, vtiq; non sine dei voluntate generatum. In serpētis autem figura diabolus est. Fuisse enim diabolum in paradiso etiam Ezechiel propheta docet:
Ezech.28. qui dicit super principem Tyri: In voluptate, inquit, paradisi factus es. Principem Tyri autem in figura accipimus diaboli. Nunquid & hinc accusabimus deum, quia thesauros eius altitudinis & scientiæ absconditos in Christo & occultos cō prehendere non possumus, nisi quos ipse reuelare dignatus est? Reuelauit tamen vt sciremus etiam diaboli malitiam ad

ad salutem prodesse hominibus, non quòd diabolus prodes-
se velit, sed quòd malitiam eius etiam repugnantis conuertit
nobis dominus ad salutem. Denique huius malitia Iob san-
cti viri fecit esse virtutem & patientiam clariorẽ. Huius ma-
litia iustitiam eius exercuit, vt certaret & vinceret, & victo-
riam corona sequeretur: Nemo enim nisi qui legitimè certa
uerit, coronatur. Ioseph quoque castimonia nũquam ad no-
stri memoriam peruenisset, nisi mulier domini eius contu-
bernalis ignitis diaboli spiculis incitata tentasset eius affe-
ctum, nisi postremò affectasset eius interitum, quo clarior es-
set castimonia viri, qui mortem pro castitate contempserit.
Vis scire consilium dei? Nempe diabolo authore neces vi-
dentur iustis hominibus præparari, exerceri quoque parrici
dia filiorum. Attamen dominus etiam Abrahã hac arte ten-
tauit, vt immolari sibi filium ab eodem postularet. Qua ten
tatione Abraham fidelis est domino comprobatus, quod à
deuotionis obsequio nec dilecti filij miseratione reuocatus
sit. Ita ergo & lignum scientiæ boni & mali in paradiso, quod
erat speciosum ad visum, & bonum ad escam specie videba-
tur. Non enim vsu bonum ad escam erat, quoniam esca eius
videtur hominibus obfuisse. Ergo est quod singulis noceat,
in commune prosit, vt Iudæ nocuit diabolus, sed præter il-
lum omnes apostolos coronauit, qui malitiæ eius tentamen
ta vicerunt. Itaque neque dubitandum, neque reprehenden
dum quod in paradiso diabolus erat, quandoquidem occlu-
dere sanctis non potuit iter ne quis ascenderet. Neque enim
iustis habitationem incolatus tanquam possessor eripuit. E-
sto enim vt aliquos desides atque vitiosos ab incolatu super-
næ possessionis auerterit, illud multo angustius, multóque
pulchrius, quod sanctorũ orationibus excluditur, cum com-
plerum fuerit illud: Videbam satanam sicut fulgur de cœlo
cadentem. Ergo non metuamus eum, qui eousque infirmus
est, vt & ipse casurus sit in terram. Accepit quidem tentandi
licentiam, sed non accepit copiam subruendi, nisi sua spon-
te labatur infirmus affectus, qui sibi auxilium non norit ac-
cersire. Et ideo qua fraude tentauerit primum hominem,
quidve in homine putauerit esse tentandũ, quo ordine, qua
arte, cognoscere opus est, vt cauere possimus. Pleriq; tamen
qui volunt in paradiso diabolum non fuisse, licet in cœlo a-
stantem cum angelis legerimus, ne in isto sermone videan-
tur offendi, secundum suam accipiunt voluntatem interpre-
tationem istius lectionis. Nãque ante nos fuit qui per volun
tatem & sensum preuaricationem ab homine memorauerit
esse commissam, in specie serpentis figuram accipiens dele-
ctationis, in figuram mulieris sensum animi mentísque con-
stituens, quam ἔννοιαν vocant Græci. Deceptam autem per
sensum preuaricatricem secundum historiam mentem asser
uit, quam Græci νοῦν vocant. Rectè igitur in Græco νὸς viri fi-
guram accipit, ἔννοιας, mulieris. Vnde & quidam Adam, νὸν,
terrenum interpretati sunt. Dominus autem virgines illas in
euangelio accensis facibus vel extinctis expectantes spon-
si aduentum pro sensibus vel integris sapientium, vel corru
ptis insipientium posuit. Nam si Eua, hoc est sensus primæ
mulieris, accensas habuisset faces, nunquam præuaricatio-
nis suæ nos criniculis implicasset, neque ex illa virtutis im-
mortalitate cecidisset.

Quæ subsidia in tolerandis periculis habeat anima per paradisum figurata ex fonte diuiso in quatuor initia siue flumina, in quibus quatuor virtutes principales exprimuntur, quæ etiam velut mundi istius incluserunt tempora. *Caput III.*

EST ergo paradisus terra quædã fertilis, hoc est, anima fœcunda, in Eden plantata, hoc est in voluptate quadam, vel exercitata terra, in qua animæ sit delectatio. Est etiam νὸς, tanquam Adam: est & sensus, tãquam Eua. Ac ne baberes quod ad infirmum retorque res naturæ, vel ad obnoxiam in tolerandis periculis condi-
tionem, considera quæ habeat anima ista subsidia. Erat fons qui irrigaret paradisum. Qui fons, nisi dominus Iesus Chri-
stus, fons vitæ æternæ, sicut & pater? quia scriptum est: Quo-
niam apud te fons vitæ. Deniq; flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et fons legitur, & fluuius legitur, qui irrigat pa-
radisi lignum fructuosum, quod ferat fructum in vitam æter

2 Tim. 2.

Genes. 2.

Ioan. 10.

A nam. Hic ergo fons, sicut legisti: Fons enim procedit, inquit, ex Eden, id est in anima tua fons est. Vnde & Salomon ait: Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus. Prouer. 5.
Hic est fons qui procedit ex illa exercitata & plena voluptatis anima. Hic fons qui irrigat paradisum, hoc est virtutes animæ eminentissimo merito pullulãtis. Et diuiditur, inquit, hic fons in quatuor initia. Nomen est vni Phison, hic est qui Genes. 2.
circuit omnem terram Euilath, vbi est aurum. Terræ autem illius aurum bonum est, vbi est carbũculus, & lapis prasius. Et nomen secundi Geon, hic est qui circuit omnem Æthiopiam. Et flumen tertium Tigris, hic est qui vadit contra Assyrios. Et flumen quartum est Euphrates. Hæc igitur quatuor sunt flumina, hoc est Phison: secundum Hebræos Pheoison dicitur, Ganges autem secundum Græcos: qui fluit contra Indiam. Geon autem Nilus, qui circuit terram Ægypti vel Æthiopiam. Mesoporamia autem dicitur, quòd Tigris & Euphrates incluserint eam, eo quòd inter duo hæc flumina constituta sit, quod etiam longè positis nomen ipsum & opinio communis expressit. Sed quẽadmodum fons dicitur sapien
B tia dei? Fons enim est secundum euangelium dicens: Si quis Ioan. 7.
sitit, veniat ad me, & bibat. Fons est & secũdum prophetam
qui ait: Venite & edite de meis panibus, & bibite vinum Prou. 9.
quod miscui vobis. Sicut ergo fons vitæ est sapiẽtia, fons gratiæ spiritalis: ita fons virtutum est cæterarum quæ nos ad æternæ cursum dirigunt vitæ. Ex hac igitur anima quæ culta est, non ex ea quæ inculta, fons iste procedit vt irriget paradisum, hoc est quædam diuersarum fruteta virtutum, quarum sunt quatuor initia in quæ sapientia ista diuiditur. Quæ sunt quatuor initia virtutum, nisi vnum prudentiæ, aliud temperantiæ, tertium fortitudinis, quartum iustitiæ? quæ etiam sapientes istius mundi ex nostris assumpta, in suorum scripta librorum transtulerunt. Itaque sicut fons sapiẽtiæ, ita etiam flumina ista quatuor quædam ex illo fonte manantia sunt fluenta virtutum. Phison igitur prudentia est, & ideo habet bonum aurum, splendidum carbunculum, & prasium lapidem. Aurum enim pro inuentis prudentibus frequentet accipimus. Vnde & dominus per prophetam ait: Dedi illis au-
C rum & argentum. Et Dauid de prudentibus dicit: Si dormia Osee 2. Psal. 67.
tis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in specie auri: eo quòd veteri & nouo qui inhæserit testamento, in ipsa secreta sapientiæ dei disputatio nis possit vbertate procedere. Hoc ergo bonum aurum dicit, non monetale, quod corruptibile ac terrenum est. Habet etiam splendidum, inquit, carbunculum in quo quidem animæ nostræ viuit igniculus. Habet & prasium lapidem, qui viride quiddam atque virale coloris sui specie ostentare videatur. Virent enim arbusta quæ viuunt, arescunt contra quæcunque moriuntur. Viret terra dum floret, virent & semina
dum prorumpunt. Et bene primo loco hic fluuius positus Genes. 2.
est Phison, qui secundum Hebræos Pheoison dicitur, hoc est oris mutatio, qui non vnam gentem circunfluit, sed etiam per Lydian fluit. Non enim angusta quædam, sed diues vtilitatum prudentia est, quæ pluribus prosit. Ideo prima, vt si quis de paradiso fuerit egressus, velut quoddã eum prudentiæ flumen excipiat, ne citò possit arescere, sed per hanc ad
D paradisum facilè reuertatur. Hic fluuius à multis hominibus frequentatur, pulchritudinémque & fertilitatem maximam habere perhibetur. Et ideo prudentia in specie huius accipitur, quæ plurimos fructus attulit in domini saluatoris aduentu. Atque in extrema terrarum fluit, quia per sapientiam omnes homines sunt redempti. Vnde & dictum est: In om-
nem terram exiuit sonus eorum, & in fines terræ verba eo- Psal 18.
rum. Secundus est fluuius Geon, iuxta quem lex data est Israelitis, cum essent in Ægypto constituti, vt ex Ægypto recederent, & succincti lumbos ederent agnum, quod insigne est temperantiæ. Castos enim & sanctificatos oportet domini pascha celebrare. Et ideo iuxta istum fluuium legitima primo obseruantia constituta est, quia significat nomen hoc quendam terræ hiatum. Sicut igitur terra quæcunq; vel purgamenta vel frondes in eo sunt, hiatu absorbet, ita castitas omnes corporis passiones abolere consueuit. Meritóque ibi primum obseruantię constitutio, quia per legem absorbetur carnale peccatum. Bene ergo Geon, in quo figura est casti-

tatis, circumire terram Æthiopiam dicitur, vt abluat corpus abiectum, & carnis vilissimæ restinguat incēdium. Æthiopia enim abiecta & vilis latina interpretatione signatur. Quid autem abiectius nostro corpore? Quid tam Æthiopiæ simile, quod etiam nigrum est quibusdā tenebris peccatorum? Tertius est fluuius Tigris, qui vadit contra Assyrios, ad quem præuaricator Israel captiuus est ductus. Hic fluuius dicitur velocior esse omnibus, quem incolunt Assyrij, hoc est dirigentes: hoc enim significat interpretatio. Ergo quicunque fortitudine animi præuaricantia corporis vitia captiuauerit, dirigens ad superna, iste huius fluminis similis æstimatur. Et ideo etiam fortitudo de illo qui est in paradiso dei fonte emanat. Fortitudo autem quodam cursu rapido resistentia quæque trāsuerberat, nec aliquibus cursus eius impedimentorū hæret obstaculis. Quartus est fluuius Euphrates, qui Latinè fœcunditas atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam insigne iustitiæ, quæ omnem pascit animam. Nulla enim abundantiores videtur habere fructus virtus, quàm æquitas atque iustitia, quæ magis aliis quàm sibi prodest, vtilitates suas negligit, communia emolumenta præponens. Plerique Euphratem ἀπὸ τοῦ εὐφραίνεσθαι dictum putant, hoc est à lætando, eò quòd hominum genus nullo magis quàm iustitia & æquitate lætetur. Causam autem cur cæteri qua commeant fluuij, describuntur regiones locorum: qua Euphrates commeat, non describatur, illam accipimus, quia aqua eius vitalis asseritur, & quæ foueat atque augeat. Vnde Auxen eum Hebræorum & Assyriorum prudentes dixerunt: contra autem fertur esse aqua aliorum fluminum. Deinde quia vbi prudentia, ibi & malitia: vbi fortitudo, ibi iracundia: vbi temperantia, ibi intemperantia plerūque est, aut alia vitia sunt. Vbi autem iustitia, ibi concordia virtutum est cæterarum: ideo non ex locis qua fluit, hoc est, non ex parte cognoscitur. Non enim pars est iustitia, sed quasi mater est omnium. In his ergo fluminibus quatuor, virtutes principales quatuor exprimuntur, quæ veluti mundi istius incluserunt tempora. Primum igitur tempus ex mundi principio vsque ad diluuium prudentiæ fuit, quo in tempore iusti numerantur, Abel à deo iustus dictus: & Enos, hoc est homo ad imaginem dei factus, qui sperauit inuocare nomen domini dei: & Enoch, qui dicitur Latinè, dei gratia, raptus ad cœlum: & Noe, qui & ipse iustus, & quædam requietis directio. Secundum tempus est Abraham & Isaac & Iacob, reliquorúmque numerus patriarcharum, in quibus casta & pura quædam temperantia religionis effulsit. Immaculatus enim Isaac per repromissionem Abrahæ datus est filius, non tam corporalis partus, quàm diuinæ munus præferens indulgentiæ, in quo vera immaculati figura præcessit, vt Apostolus docet dicens: Quia Abrahæ dictæ sunt repromissiones, & semini eius. Non dicit seminibus, tanquam multis, sed sicut in vno, & semini tuo, qui est Christus. Tertium tempus est in Moysi lege, & cæteris prophetis. Deficiet enim me tempus enarrandi de Gedeon, Barac, Sampson, Salomone, Dauid & Samuel, & cæteris prophetis: Anania, Azaria, Misael, Daniel, Helia Helisæo, qui per fidem deuicerunt regna, operati sunt iustitiam, perceperunt repromissiones, obstruxerunt ora leonum, extinxerunt virtutem ignis, effugerunt acies gladij, eualuerunt de infirmitate, fortes fuerunt in bello, castra ceperunt exterorum. Non immeritò igitur in his species fortitudinis est. Secti enim sunt, sicut infra habes, tentati, in mactatione gladij mortui. Circumierunt in caprinis pellibus, egētes, angustiati, & doloribus afflicti, quorum meritis non erat dignus orbis. In solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in foueis terræ. Rectè igitur in his speciem fortitudinis collocamus. Secundum autem euangelium digna est figura iustitiæ, quia virtus est in salutem omni credenti. Denique ipse dominus ait: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Quæ quidem parens cæterarum est fœcunda virtutum quadam vi. In quo enim aliqua harum quas diximus principalis est virtus, in eo etiam cæteræ præsto sunt, quia ipsæ sibi sunt connexæ concretæque virtutes. Nam vtique Abel iustus & fortissimus, ac patientissimus Abraham, & prudentissimi prophetæ, & Moyses eruditus in omni sapientia Ægyptiorum, maiorem honestatem æstimauit Ægypti thesauris opprobrium Christi. Et quis sapientior quàm Daniel? Salomon quoque sapientiam popposcit, & meruit. Dictum est ergo de quatuor virtutum fluminibus, quorum potus est vtilis. Et quia Phison aurum bonum terræ, & carbunculum, & lapidem prasium habere dictus est, hoc quoque quale sit cōsideremus. Videtur enim nobis tanquam aurum bonum Enos, qui prudenter dei nomen scire desiderauit. Enoch autem qui trāslatus est, & mortem non vidit, carbunculus quidam est lapis boni odoris, quem operibus suis sanctus Enoch deo detulit, gratiā quandam factis & moribus spirans. Noe verò tanquam prasius lapis vitalem colorem prætulit. Siquidem diluuij tempore solus velut affuturæ constitutionis vitalis semen in illa arca est reseruatus. Ergo bene paradisus, qui pluribus fluminibus irrigatur, secundum orientem, non contra orientem, hoc est secundum illum orientem cui nomen est oriens, id est, secundum Christum, qui iubar quoddam æternæ lucis effudit, & est in Eden, hoc est in voluptate.

Galat. 3.

Hebr. 11.

Matth. 3.

Hebr. 11.

De apprehensione hominis, & positione eius in paradiso vt operaretur & custodiret. Et qua ratione extra paradisum vir factus sit, mulier verò intra paradisum. Quid præterea interfit inter operari & custodire, & cur primus homo in paradiso legitimi laboris speciem susceperit. Caput IIII.

TT apprehendit deus hominem quem fecit, & posuit eum in paradiso operari & custodire.) Videsquoniam, qui erat, apprehenditur? Erat autem in terra plasmationis suæ. Apprehēdit ergo eum virtus dei, inspirans processus & incrementa virtutis. Denique in paradiso eum collocauit, vt scias apprehensum quasi afflatum diuina esse virtute. Quo loci illud aduerte, quia extra paradisum vir factus est, & mulier intra paradisum: vt aduertas quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisque gratiam sibi comparat. Denique extra paradisum factus, hoc est in īferiore loco, vir melior inuenitur: & illa quæ in meliore loco, hoc est in paradiso facta est, inferior reperitur. Mulier enim prior decepta est, & virum ipsa decepit. Vnde apostolus Petrus subiectas fortiori vasi mulieres sanctas viris suis velut dominis obedire memorauit. Et Paulus ait: Quia Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Deinde contuendum quia nemo debet sibi facile præsumere. Nam ecce illa quæ in adiumentū facta est viro, præsidio virili indiget, quia vir caput est mulieris. Ille autem quia adiumentum vxoris habiturum se esse credebat, lapsus est propter vxorem. Vnde nemo debet facile alteri se credere, nisi cuius virtutem probarit. Nec arrogare sibi qui se pro auxilio putarit ascitum, sed magis si inuenerit fortiorem, cui se putabat esse præsidio, ab ipso gratiā mutuetur, sicut & viros mulieribus honorem impertire apostolus præcipit Petrus dicens: Viri similiter cohabitantes secūdum scientiam tāquam infirmiori vasi muliebri impartiētes honorem tanquam cohæredi gratiæ vitæ, vt ne impediantur orationes vestræ. Ergo positus est in paradiso vir, facta est in paradiso mulier. Sed etiam tunc priusquā à serpente mulier decipere-tur, habuit viri gratiam, quoniam de viro sumpta est: licet hoc sacramentum magnum sit, sicut Apostolus dixit. Et ideo causam vitæ ex eo traxit. Ideoque de viro tantum scriptura dixit: Quia posuit eum in paradiso operari & custodire. Non idem est operari & custodire. In opere enim quidam virtutis processus est, in custodia quædam consummatio operis deprehenditur, eo quòd quasi consummata custodiat. Hæc duo ab homine requiruntur, vt & operibus noua quærat, & parta custodiat, quod est generale. Philon autem quoniam spiritalia Iudaico nō capiebat affectu, intra moralia se tenuit vt diceret, hæc duo quæri, opera in agro, custodiā domus. Et quanuis paradisus operibus, inquit, ruralibus non egeret, tamē quia primus homo lex posteritatis futurus erat, ideo legitimi etiam in paradiso speciem susceperit laboris, vt nos ad operationem, & custodiam debiti officij, & hæreditariæ successionis munus adstringeret. Hæc duo ergo à te exiguntur, siue moraliter, siue spiritualiter. Quod etiam psalmus te propheticus docet, quia scriptum est: Nisi dominus ædifi-

1. Tim. 2.

Ephes. 5.

1. Petri 3.

Ephes. 5.

Genes. 2.

907

ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem, in vanum laborauerũt qui custodiunt eam. Vides illos laborare qui in operis sunt ædificationisque processu, istos verò vigilare qui iam cũ stodiam perfecti operis receperunt. Vnde & dominus apostolis quasi iam perfectioribus: Vigilate, inquit, & orate ne intretis in tentationem. Docens perfectæ naturæ munus & plenæ virtutis gratiam esse seruãdam, nec quenquam etiam perfectiorem, nisi vigilauerit, sui debere esse securum.

De præceptis Adæ in paradiso datis, & de huius quæstionis: Cur deus vbi præcepit ex omni ligno edendum, singulariter dixerit, Edes: vbi autem de ligno scientiæ boni & mali, plura liter edetis dixerit, absolutione. Quódque ei interpretatio Symmachi non præiudicet. De responsione quoque ad tres quæstiones quas plerique, quorum author Apelles est, proponunt.

Caput V.

ET præcepit dominus deus Adæ, dicens: Ex omni ligno quod est in paradiso ad escam, edes: de ligno autem quod est scientiæ boni & mali, non edetis. Qua die autem manducaueritis ex eo, morte moriemini.) Qua ratione vbi præcepit ex omni ligno edẽdum, singulariter dixerit, Edes: vbi autem de ligno scientiæ boni & mali, pluraliter, Edetis dixerit, nõ ociosa quæstio. Verum si diligenter intendas, scripturarum authoritate absolui potest. Quod enim bonum, hoc est faciẽdum. Quod autem bonum & faciendum, consonans & adhærens. Quod verò turpe, hoc dissonans, incompositum atque discretum est. Et ideo dominus vnitatem semper intendens, secundum vnitatem præcepit. Denique vnitatem operatur, qui fecit vtraque vnum. Nec solum vtraque, sed etiam omnes vnum fecit. Omnes enim vnum corpus & vnum spiritum esse nos iussit. Per omnia autem primogenitus, cùm sit in vnitate cum patre, coniũctissimus patri semper est, quia verbum erat apud deum. Denique ait: Ego & pater vnum sumus: vt vnitatem sibi maiestatis & diuinitatis cum patre esse monstraret. Sed & nos vnum esse præcepit, & suæ naturæ vnitatis similitudinem in nos gratiæ adoptione transfudit, dicens: Pater, sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint. Ergo vbi bonum præcipit, tanquã ad vnum præcipit, dicens: Non edes. Vnitas enim præuaricari non potest. Vbi verò de ligno scientiæ boni & mali dicit non esse gustandum, quasi ad plures dicit: Non edetis. Quod enim prohibitorium est, tanquam pluribus imperatur. Ego tamen aliud puto, & quid futurum sit, in ipso iam dei sermone reperio. De omni ligno gustandum Adę soli præcepit, quem seruaturum sciebat. De ligno autem scientiæ boni & mali non esse gustandum, iam non singulariter sed pluraliter dicit. Sciebat enim præuaricaturam mulierem, & ideo per pluralitatem ostendit non seruaturos, quia plurium discreta sententia est. Et quantum ad septuaginta virorum sententiam spectat, solutum est quod mouebat. Sed quia Symmachus vtrunque singulariter dixit, intelligimus id secutum, quia in lege quoque cùm populum alloquitur deus, singulariter loquitur, sicut habes: Audi Israel, dominus deus tuus dominus vnus est, & diliges dominum deum tuum. Nec mihi præiudicat Symmachi interpretatio, qui vnitatem patris & filij videre non potuit, etsi aliquoties in sermone & Aquila & ipse confessi sint. Nec quisquam de eo quod præuaricaturum populum diuina mandata singulariter alloquitur, putet superiori nostro obuium esse sermoni, quia populus Iudæorum etiam singulariter data præscripta violauit. Lex enim spiritualis est: & ideo alterum in sermone, alterum in prædestinatione diuino populum deus alloquebatur oraculo. Denique ait: Non coques ouem in lacte matris suæ. Facilis abhinc præceptorum cœlestium series videretur, nisi quæstionem plurimi commouerent. Quibus respõderi oportet à nobis, ne simplices mentes mendosa interpretatione traducant. Plerique enim quorum author Apelles, sicut habes in tricesimo & octauo tomo eius, has quæstiones proponunt: Quomodo lignum vitæ plus operati videtur ad vitam, quàm insufflatio dei? Deinde si hominem non perfectum fecit deus: vnusquisque autem perinduſtriam propriam perfectionẽ sibi virtutis asciscit: nonne videtur plus sibi homo acquirere, quàm ei deus contulit? Tertium obiiciunt. Et si homo non gustauerat mortem, vtique quam non gustauerat: scire non poterat. Ergo si non gustauerat, nesciebat: si nesciebat, timere non poterat. Frustra igitur deus mortem pro terrore obiecit, quam homines non timebant. Discamus igitur quod ibi lignum vitæ, vbi etiam lignum scientiæ boni & mali produxerit deus. Habes enim quia produxit lignum vitæ ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου, hoc est in medio paradisi. Apud nos enim intelligitur quod in medio produxerit. Ergo in medio paradiso & vita erat, & causa mortis. Intellige quia non homo fecit vitam, sed vel operando, vel custodiendo mandata dei potuit inuenire. Erat autem vita, sicut Apostolus dixit, abscondita cum Christo in deo. Homo ergo siue in vmbra vitæ erat propter figuram futuram, quia vmbra est hæc quæ nũc nostra vita in terra, siue in quodam pignore vitæ erat, quia habebat insufflationem dei: Habebat ergo pignus immortalitatis, sed in vmbra vitæ positus: absc̃oditam vitam cum Christo in deo vulgari quodam tactu & aspectu videre & capere non poterat. Etsi nondum peccator, non tamen incorruptæ inuiolabilisque naturæ, vtpote qui postea peccato lapsus est, nequaquam autem adhuc peccator. Denique in vmbra vitæ erat. Qui autem peccatores sunt, in vmbra mortis sunt. Peccatorum autem populus, sicut Esaias docet, sedebat in vmbra mortis, cui lux orta per dei gratiam, non per suę virtutis est meritum. Ergo inter insufflationem dei, & escam ligni, vitæ nulla discretio. Nec hominem quis potest dicere plus sibi posse acquirere, quàm diuina ei largitate collatum est. Vtinam acceptum tenere possemus. Labor etenim noster eò proficit, vt quæ tributa sunt resumamus. Tertium illud quod propositum est, quia qui mortem non gustauerat, mortem timere non poterat, facile ex communis naturæ vsu absolutionem habet. Est enim natura insitũ omnibus, vt etiam quæ nondum sibi nocere experta sunt, quasi noxia reformident. Vnde enim columbæ in ipso ortus sui visu terror accipitris? Vnde lupi ouibus formidabiles? pullis milui? Quod si in iis quæ irrationabilia sunt animantia, quidam de aduerso genere animãtium naturalis est terror, vt etiam irrationabilia sensum fugiendæ mortis accipiant, quanto magis in primo homine rationis vtique pleniſſimo, naturalis quædam opinio mortis debuit esse vitandæ?

Genes. 2. Matth. 26. Ephes. 5. Ioan. 1. Ioan. 10. Ioan. 17. Deut. 6. Rom. 7. Exod. 23.

De solutione aliarum quarundam quæstionum quas circa obeditionem & cognitionem præcepti faciunt.

Cap. VI.

RVrsus faciunt alias quæstiones hoc modo: Non semper malum est non obedire prȩcepto. Si enim bonum est præceptũ, honesta est obeditio. Quòd si improbum præceptum, non obedire vtile. Ergo non semper malum est non obedire præcepto, sed bono præcepto non obedire improbum est. Bonum autem est operatorium cognitionis boni & mali lignum, quãdoquidem & deus & bonum & malum nouit. Deniq; ait: Ecce Adam factus est tanquam vnus nostrum. Si igitur bonum est scientiam habere boni & mali, bona autem est quam etiam deus habet: videtur qui interdicit eam hominibus, non rectè interdicere, ídque proponere. Sed si intelligant quid sit cognoscere, quam vim habeat hoc verbum, si sic intelligant quemadmodum oportet: cognouit enim dominus qui sunt ipsius: cognouit vtique eos qui vnum ex pluribus facti sunt, in quibus inhabitat, & in quibus perambulat: Cognoscere vtique non in sola & perfunctoria scientia est, sed in eorum operatione quæ oporteat fieri. Oportuit autem hominem obedire mandato, non obediendo autem præuaricatus est. Igitur qui non obediuit, errauit, quia præuaricatio peccatum est. Verumetiam si extenuare velint vim cognitionis, vt perfunctoriam scientiam boni & mali interdictam putent, in eo quoque præuaricationis culpa est, non obeditum esse mandato, quia etiam tumultuariam scientiam boni & mali dominus deus putauit inhibendam. Alia quæstio: Qui non cognoscit bonum & malum, nihil à paruulo distat. Paruuli autem apud iustum iudicem nulla est culpa. Iustus autem operator

Genes. 3. 2. Tim. 2. Coloss. 3. Esaiæ 9.

rator mundi nunquã paruulum vocasset in culpam propter quod non cognouerat bonum & malũ, quia paruulus sine vllo est crimine præuaricationis & culpæ. Verum cùm in superioribus dixerimus duplicem esse intellectum scientiæ boni & mali: si perfunctoriam scientiam accipimus, vtique falsum est quòd nihil distat à paruulo qui nõ cognouit bonum & malum. Si autem falsum est quòd nihil distet à paruulo, ergo non paruulus Adam. Si non paruulus, adscribitur vtique ei quasi non paruulo peccatũ. Si peccatum adscribitur, sequitur pœna peccatum, quia dignus inuenitur pœna qui peccatum vitare non potuit. Potest etiam fieri vt etiam qui sciẽtiam non habet boni & mali, paruulus non sit: quoniam priusquam sciuit puer bonum & malum, non credidit mali

Esaiæ 8. tiæ. Et iterum habes: Quia priusquam sciet puer vocare patrem & matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ. Perfectus ergo qui operatur bonũ etiam si boni & mali sciẽtiam non adeptus sit: vt multi priusquam sciant legem, ipsi sibi lex sunt. Quod Apostolus priusquam disceret, Non concupisces: malum esse concupiscentiam nesciebat. Deni-

Rom. 7. que ipse ait: Peccatũ non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Ad quam partem etiam puer potest esse perfectus iure naturæ priusquam sciat concupiscentiam crimen esse, vel concupiscentiæ crimen admittat. Ergo secundũ perfunctoriam scientiam nouit deus hominẽ scire quod malum est, ne quasi imperfectus vitare non posset. Non obediẽdo autem mandato incurrimus in culpam: ergo culpam fatemur. Rursus autem si altam & profundam scientiam dicimus boni & mali, quæ quidem profunda scientia perfectum facit, non statim autem paruulus qui ad altam & profundam scientiam peruenire non potuit: rectè ergo sicut non paruulus condemnatur. Iterum quæstiones serunt. Qui nescit, inquiunt, bonum & malum, ne ipsum quidem nouit esse malum non seruare mandatum, nec ipsum bonum nouit quod est obedire mandato. Et ideo quia non nouerat, venia, inquiunt, dignus fuit, qui non obediuit, non condemnatione. Quæ quidem quæstio de his absolutionem habet, quæ ante memoramuimus. Considerare enim potuit homo ex iis quæ deus antè ei contulerat, quòd insufflationem dei accepit, quod erat in paradiso voluptatis locatus, summam authori obedientiam deferendam. Et ideo si vim nesciebat boni & mali, tamen quia tantorum author dixerat de ligno scientiæ boni & mali non esse gustandum, fidem præceptori seruare debuerat. Non enim ab eo peritia, sed fides exigebatur. Intelligebat vtique omnibus præminere, personam iubentis spectare debuerat: etsi non intelligebat vim qualitatémque iussorum, sciebat tamen præceptori deferendam esse reuerentiam: habebat in natura hanc opinionem, etsi non habebat iudicium boni & mali. Denique & mulier serpenti dicit: Ex omni ligno paradisi manducabimus, de fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit deus: Non manducabitis ex eo. Ita ergo sciebat obediendum esse mandato, vt diceret: Ex omni fructu manducabimus, quod dominus imperauerat: de ligno autem quod est in medio paradiso, imperatum à deo dicit non esse gustandum, ne morte morerentur. Ergo sciuit deferendum esse mandato, sciuit vtique malum esse præuaricari, & ideo iustè præuaricata damnatur. Accipe aliud, si assumptio de ligno scientiæ boni & mali ita operatoria erat, vt bonum & malũ agnosceretur, quod videtur scriptura ostendere dum dicit, quia vbi manducauerunt ambo, aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt quòd nudi essent, hoc est, aperti sunt oculi cordis, & cognouerunt turpe esse

Genes. 3. nudos se degere: sine dubio vbi gustauit mulier de ligno scientiæ boni & mali, peccauit, & se peccasse cognouit. Quæ igitur se peccasse cognouerat, vel virum ad peccati communionem inuitare non debuit. Illiciẽdo autem virum, & dando ei quod ipsa gustauerat, nõ vitauit, sed iterauit peccatum. Nam vtique si verè rationem spectes, eum quem diligebat, non trahere ad consortium pœnæ, sed magis ab eo quod cognouerat ipsa esse peccatum, vel inscientem reuocare debuerat: quanuis videatur hæc mulier sciens quòd post culpam in paradiso esse non posset, metuisse ne sola de paradiso eiiceretur. Denique abscõderunt se ambo post culpam. Ex-

A cludendum igitur se esse cognoscens, consortio viri quem diligebat, noluit defraudari. Iterũ accipe: Non cognitio mali malum est, sed cùm actus implet malitiam. Non enim statim qui nouit malum, quod malum est facit, sed qui quod malum esse nouit, operatur. Incentiuum autem ad operandum quod malum est, aut iracundia aut cupiditas esse consueuit. Nec statim necesse est vt habens scientiam mali, faciat quod improbum nouit, nisi aut iracundia aut cupiditate vincatur. Vnde quod diximus incentiuum peccandi, vel ira, vel cupiditas est, vel plerunque formido, licet ex formidine oriatur cupiditas, dum vnusquisq; vult vitare quod metuit. Et ideo rectè iracundiam & cupiditatem duorum reliquorum posuimus incentiua vitiorum. Consideremus igitur vtrum Eua his ad vitium stimulis incitata sit. Sed neque irascebatur marito, neque cupiditate victa est: in secundo duntaxat errat, vt edendum viro daret quod iam ipsa gustauerat. Primo fuerit cupiditas author erroris vt ipsa ederet, sequentísque fuit causa peccati. Quod enim iam gustauerat, desiderare non poterat, & gustando mali fuerat scientiam conse-

B cuta. Malum igitur quod aduerterat, in virum deriuare non debuit, neque coniugem proprium præuaricatorem diuini facere mandati. Sciens igitur prudénsque peccauit, sciens virum in suum traxit errorem. Alioquin inuenietur falsus esse de ligno scientiæ boni & mali sermo, si etiam posteaquam de ea arbore manducauit, sciẽtiam mali habere non potuit. Quod si verus est sermo, cupiditatis vtique causam habere non potuit: licet plerique sic excusandam putent, quod diligens virum ab eo timuerit separari, & hanc causam cupiditatis prætendant, quòd esse voluerit cum marito.

De pertractatione quæstionis vnde mors acciderit Adæ, vtrum videlicet à natura ligni, an à deo.

Caput VII.

ITerum alia quæstio subrepit, vnde mors acciderit Adæ, vtrum à natura ligni eiusmodi, an vero à deo. Si naturæ hoc ligni adscribimus, vi detur ligni huius fructus viuificanti insufflationi dei præstare: siquidem viuificauerat in-

C sufflatio, fructus huius ligni traxit ad mortem. Aut si deum operatorem mortis esse memoramus, dicunt quod gemina eum opinione accusemus, quòd aut ita immitis vt noluerit ignoscere, cùm posset ignoscere: aut si ignoscere non potuit, videatur infirmus. Videamus igitur quomodo diluendum sit. Nisi fallor, mortis causa inobedientia fuit: & ideo homo ipse sibi mortis est causa, non habens deum suæ mortis authorem. Neq; enim si medicus præscripserit ægrotanti à quibus videatur cauendum, atque ille ab interdictis non putauerit abstinendum: causa ei mortis est medicus: sed vtique ipse sibi reus mortis est propriæ. Itaq; deus quasi bonus medicus prohibuit ne Adam nocitura gustaret. Iterum accipe: Scire bonum melius est, quàm nescire: & ei qui bonũ sciat, pulchrum est scire quod malum est, vt sciat cauere quod malum est, vt prudens subeat custodiæ cautionem. Rursus autem non satis est hoc solum scire quod malũ est, ne malum sciens scientia boni incipias defraudari. Pulchrius est igitur vt vtrunque norimus, vt & quia scimus bonum, fugiamus

D quod malum est: & ex eo quod cognoscimus malum, boni gratiam præferamus. Sed ita debes vtrunque scire, vt profundè noueris, & quod noueris exequaris, actúsq; scientiæ congruat. Alioquin tolerabiliorem scriptura indicat eum qui vtrunque nesciat, quàm qui perfunctoriè vtrunque cognouit. Grauat enim scire quod vel exequi vel vitare non possis. Grauat scire sine vsu atque opere cognitionis profundæ. Denique obest ad existimationem medico scire quid prosit, & quid noceat ægro, nisi cognitione ea quemadmodum oportet vtatur: & ideo non est cognitio bona nisi ea vtaris vt oportet. Item accipe: Non frustra lignum scientiæ boni & mali productum est in medio paradiso: & si cuicunque homini productum esset, superflua interdictio. Sed neque frustra factum est, neque alij nisi homini factum est, qui mãdatum accepit, vt non solo eo, sed eo cum cæteris vteretur. Nam si multa discutias, complura reperies, & planè innumera, quæ ei qui vti nesciat, possint nocere. Nec ipsas diuitias inuenies fructuosas si habens diues subsidia largitatis, neget alimen-

ta

909

ta pauperibus, excludat inopem subsidio destitutum, aliena extorqueat, quia prævalet potestate. Pulchritudo ipsa, & gratior corporis forma frequenter in vitium quàm deformitas trahit. Nunquid igitur quisquam deformiores quàm pulchriores filios habere desiderat, & inopes potius liberos suos cupit esse quàm diuites? Plura sunt huiusmodi quę non ad impudentiã largientis referenda sunt, sed ad malè vtentis errorem. Et ideo vtentẽ accusandũ potius quam donantem.

De absolutione quæstionum quas quidã circa præscientiam dei de præuaricatione Adæ, & impressionem opinionis boni & mali faciunt. Cap. VIII.

ITerum quæstio. Sciebat præuaricaturũ deus Adã mandata sua, an nesciebat? Si nesciebat, nõ est ista diuinę potestatis assertio. Si autem sciebat, & nihilominus sciens negligenda mandauit, nõ est dei aliquid superfluum præcipere. Superfluo autem præcepit protoplasto illi Adæ quod eum nouerat minimè seruaturum. Nihil autem deus superfluò facit. Ergo non est scriptura ex deo. Hoc enim obiiciunt qui vetus non recipiunt testamentum, & has interserunt quæstiones. Verum hi sua sententia & opinione vincendi sunt. Cùm enim noui testamenti non refutant fidem, exemplo sunt arguendi vt vetus credant: quoniam cùm sibi diuina præcepta & facta conueniant, vnius authoris testamẽtum vtrumque liquet esse credendum. Discant igitur non superfluum, non iniustum etiã præuaricaturo præscriptum esse mandatum. Nam & ipse dominus Iesus elegit Iudam, quem proditorem sciebat. Quem si per imprudentiam electum putant, diuinæ derogant potestati. Sed hoc æstimare nõ possunt, cùm scriptura dicat quia sciebat Iesus quis eum prodituru esset. Conticescant igitur repugnatores isti veteris testamenti. Sed quoniam etiã gentilibus, si fortè istud obiecerint, respondendum videtur, qui exemplum non recipiunt, rationem exigunt: accipiant etiã ipsi qua ratione dei filius vel præuaricaturo mandauerit, vel elegerit prodituru: Venerat dominus Iesus omnes saluos facere peccatores: etiam circa impios ostẽdere suam debuit voluntatem. Et ideo nec prodituru debuit præterire, vt aduerterent omnes quòd in electione etiam proditoris sui, seruandorum omnium insigne prætendit, nec in eo læsus est vel Adam quia mandatũ accepit, vel Iudas quia electus est. Non enim necessitatẽ deus vel illi præuaricationis, vel huic proditionis imposuit, quia vterque si quod acceperat custodisset, à peccato potuit abstinere. Denique nec Iudæos omnes credituros sciebat, & tamen ait: Non veni nisi ad oues perditas domus Israel. Ergo non in mandante culpa est, sed in præuaricante peccatum est. Et quod in deo fuit, ostendit omnibus quòd omnes voluit liberare. Nec tamen dico quia præuaricationem nesciebat futuram, imò quia sciebat assero, sed non ideo pereuntis proditoris inuidiam in se debuit deriuare, vt adscriberetur deo quod vterque sit lapsus. Nũc autem vterque redarguitur, atque recõuincitur, quia & ille mandatum ne laberetur accepit, & hic etiam in apostolatus munus ascitus est, vt vel beneficio dei reuocaretur à prodi-
tionis affectu: simul vt dum alij reuincuntur, prodesset omnibus. Non enim consisteret peccatum si interdictio non fuisset. Non consistente autem peccato, non solùm malitia sed etiam virtus, fortasse non esset: quæ nisi aliqua malitiæ fuissent semina, vel subsistere vel eminere non posset. Quid est enim peccatum, nisi præuaricatio legis diuinæ, & cœlestium inobedientia præceptorum? Non enim auribus corporis de mandatis cœlestibus iudicamus, sed cùm esset dei verbum, opiniones quædam nobis boni & mali pullulauerunt, dum id quod malũ est, naturaliter intelligimus esse vitandum: & id quod bonũ est, naturaliter nobis intelligimus esse petendum. In eo igitur vocem domini videmur audire, quod alia interdicat, alia præcipiat. Et ideo si quis non obedierit illis quæ semel à deo præcepta credimus, pœnæ obnoxius æstimatur: dei autem præceptum non quasi in tabulis lapideis atramento legimus inscriptum, sed cordibus nostris tenemus impressum spiritu dei viui. Ergo opinio nostra sibi legem facit. Si enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: eiusmodi legem nõ habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Opinio igitur humana sibi tanquam dei lex est. Iterum hinc aliam faciunt quæstionem, vt ad vicem mãdati eius quòd diximus in hominis opinione consistere, hãc ipsam opinionem impressam à deo nobis tanquam præscriptum diuinæ legis accusent. Nouerat, inquit, hominem peccaturum qui creauit eum, & has opiniones boni & mali impressit, an non nouerat? Vt si dixeris quia non nouerat, alienum à maiestate dei sentias. Si autem dixeris quia sciẽs deus peccaturum hominem, communes tamẽ opiniones ei boni & mali impressit, vt propter admixtionem malorum vitæ perpetuitatem seruare non posset: sicut in illo non pręsagũ futuri, ita in hoc non bonum deum significare videaris. Atque hinc argumẽtantur quia nõ est creatura hominis à deo facta. Nam sicut supra ostendimus eos dicere quòd non est mandatum dei, sic & his dicunt. Nõ ergo creatura hominis à deo, quia deus malum nõ fecit. Homo autem opinionem accepit mali, dum à malis præcipitur abstinere. Hoc autem genere alium bonum deum, alium operatorem hominis conantur asserere. Quibus respõdendũ est illico secundũ opinionem suam. Si enim hominẽ nolunt: à deo factũ quia peccator est homo, & hoc refugiunt, ne bonus deus peccatorẽ feciſſe videatur, quia non putant bonum qui fecerit peccatorem: dicant vtrum operatorẽ hominis à deo factum putent. Si enim à deo factus ille (vt dicunt) operator est hominis, quomodo bonus deus operatorem mali fecit? Vtiq; non bonus. Nam qui peccatorem facit non bonus, cauẽdum ne grauius sit operatorem peccatoris feciſſe. Debuit enim bonus deus prohibere natiuitatem eius qui peccati substãtiam habebat inducere. Quòd si dicunt non esse genitum operatorem, requirendum vtrum bonus deus potuerit inhibere quoquo modo incipientem malitiam, an non potuerit. Si enim non potuit, infirmus: si potuit & non fecit, non bonus. Ergo si sibi ista non cõgruunt, nec suæ sibi hæreticorum conueniũt opiniones. Requiramus ne fortè rationis fuerit, qua causa deus siue geniti siue non geniti illius operatoris sic velit malitiam introire in hunc mundum, cùm possit inhibere. Itaque seruantes vnum & eundem deum bonum atque operatorem, id si possimus astruamus, quod gratiæ vtrique conueniat, nec accusationis eorum declinemus inuidiã, qui ita dicunt: Quomodo bonus deus qui non solùm passus est introire in hunc mũdum malitiam, sed etiam in tantam confusionem venire permisit? Verum hæc accusatio tũc locum haberet, si ita animæ vim & intimæ secreta mentis inficeret, vt nullo pacto posset aboleri, & immedicabilium vulnerum menti atque animæ nostræ virus insideret: esset enim aptior huius querelæ locus, quod cùm omnia possit deus, hominẽ tamen perire sit passus. Verum cum deus nostri misericors respuendi erroris remedia reseruauerit, abolendique omnis contagij non aboleuerit facultatem: quomodo irrationabile vel iniustum est si permisit nostrum materiale tẽtari quadam trepidatione fragilitatis humanæ, vt fœneratior postea gratia per pœnitentiam delictorum in hominis rediret affectum, & fragilitatis suæ conscius, quòd tam facilè à diuinorum mandatorum serie deuiando trepidauerit, tanquam cla uum animæ fluctuantis mandata cœlestia timeret amittere, diuinæ misericordiæ plus tribuens quod recepit amissum, & sibi aliquid vsurpans gratiæ quod reuertit.

Cur deus cum mandatum daret homini, de manducando & non manducando putauerit esse mandandum. Qua etiam ratione dominus deus Adæ dixerit, Morte moriemini: & quid intersit vtrum aliquis dicat moriemini, an addat, morte moriemini.

Caput IX.

NVnc quæ sit illa ratio consideremus, quid sit istud quòd cùm mandatum daret homini de illa admirabili beatáque vita, præscribens, ne contra faciẽs morte moreretur, de manducando & non manducando putauerit esse mandandum. Sunt enim qui putant nequaquam mandatum istud conuenire cœli & terræ atque omnium creatori: nequaquam dignum incolis paradisi, eò quòd illa vita similis angelorum sit. Et ideo non terrenum, & corruptibilem hũc cibum esui fuisse possumus æstimare, quia

Matt.22. quia qui non bibunt neque manducant, erunt sicut angeli
1.Cor.8. in cœlo. Cùm igitur in cibo neq; præmium sit, quia esca nos
Matt.15. non commendat deo: neq; magnum periculum sit, quia neque quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod exit de ore: videtur indignum à tanto authore præceptum, nisi hunc cibum ad illud propheticum referas, quod pro magno
Esaiæ 65. præmio dominus de sanctis pollicetur suis: Ecce qui seruiũt mihi, manducabunt, vos autem esurietis. Hic est enim cibus in quo vita definitur æterna, quo quisquis fuerit defraudatus, morte morietur. Quandoquidem panis viuus atque cœlestis ipse dominus est, qui vitam dat huic mundo. Vnde &
Ioan.6. ipse ait: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam æternam. Erat ergo panis aliquis de quo præscripserat edendum paradisi incolis. Quis ille? Accipe quem dicat: Panem, inquit, angelorũ man-
Psal.77. ducauit homo. Est enim bonus panis si facias voluntatem dei. Vis scire qui bonus panis? ipse filius manducat hunc pa-
Ioan.4. nem, de quo ait: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei qui in cœlis est. Iterum videamus qua ratione dominus
Genes.2. deus Adæ dixerit: Morte moriemini: quid interfit vtrum aliquis dicat, moriemini: an addat, morte moriemini. Ostendere enim debemus nihil superfluum in dei esse mandato. Itaque hoc arbitror, cùm duo sibi sint contraria, mors & vita: secundum simplicem sermonẽ à vita viuere dicimus, à morte mori. Si autem geminare velis vtrunq;, quia vita vitam facit, dicitur. Vita viuit: sicut habes in lege. Et quia mors mortem facit, dicitur: Morte morietur. Non est autem superflua ista geminatio: est enim vita ad mortem, & est mors ad vitam: quia quis & dum viuit moritur, & dum moritur viuit. Fiunt ergo quatuor distinctiones, vita viuere, morte mori, morti viuere, vitæ mori. Cum igitur hæc se ita habeant, vsus & cõsuetudinis præiudicium debemus excludere, quia vsus hoc habet, vt communiter dicatur viuere & qui vitę viuit, & qui morti viuit: & cõmuniter dicatur mori vel ille qui morti moritur, vel ille qui vitæ viuit. Itaque ex quatuor illis duo significat, vt dicat viuentem viuere, nec meliùs deteriúsque distinguat, & dicat morientem mori, nec inter malam & bonam mortem videatur esse discretio. Nam indiscreta quædam vita significatur, qualis irrationabilium aut etiam paruulorum, & indiscreta mors æquè sequestratio. Igitur vsu cõmuni quid sit vita viuere, & quid sit morte mori, & quid sit viuere morti, & mori vitæ, consideremus. Puto enim secundum scripturas, quia vita viuere admirabilem quandam illam vitam beatámque significet, & hunc viuendi vsum spirandique munus cum beatæ vitæ gratia veluti coniũctum, & quadam participatione permixtũ demonstrare videatur. Hoc est enim vita viuere, virtute viuere, beatæ vitæ actus habere in istius corporis vita. Contra autem morte mori quid est aliud nisi cum morte corporis deformitatem significare morientis, cuius & caro communi viuendi munere defraudetur, & anima vitæ æternæ vsum habere non possit? Est etiam qui vita moritur, vt qui viuit corpore, sed actu moritur
Psal.54. suo: quales illi sunt quibus ait propheta: Descẽdunt in infer
1.Tim.5. num viuentes. Et illa de qua Apostolus dicit: Quoniam viuens mortua est. Quartũ superest, quòd sunt qui etiam morte viuunt, vt martyres sancti, qui vtique moriuntur vt viuãt. Moritur caro, sed viuit gratia mortuorum. Ergo absit à nobis vt participes mortis viuamus, sed contra participes vitæ moriamur. Sanctus enim nec vitæ istius se vult esse partici-
Philip.1. pem, qui ait: Cupio dissolui, & cum Christo esse, multo enim
Psal.119. melius. Et alius: Heu me quòd incolatus meus prolongatus est. Dolens vtique cùm consortia vitæ speret æternæ, istius vitæ fragilitate se contineri. Et ideo possum econtrario dicere, quia etsi vita viuere bonum est, vitæ tamen viuere ambiguum sit. Potest enim dici quis viuere, hoc est, vitæ æternæ istius vita corporis militare. Potest etiam dici vitæ viuere, hoc est vel quemcunque vel sanctum istius vitæ habere desiderium corporalis. Vt verbi gratia, si quis ideo honestè putet esse viuẽdum, vt is longæuitatem vitæ bonis actibus consequatur, quales plerique infirmiores sunt quos hæc vita delectat. Sicut ergo vitæ viuere quid sit accepimus: quid sit morti mori accipiamus, vel morte mori. Possunt enim esse qui moriãtur morti, & qui viuant vitæ. Nam qui non ita vi-

A uit, vt secũdum mortem animæ suæ viuat, is morti moritur, 912
quia non est obnoxius morti. i. nexus cum ærumnosæ mortis amisit, non cõstringitur vinculis mortis æternæ. Mortuus est morti, hoc est, mortuus est peccato, mortuus est pœnæ. Cui contrarium est pœna viuere, hoc est quando quis viuit ad pœnam, viuit ad mortem. Qui autem moritur ad pœnam, moritur ad mortem. Est etiam qui in hac vita positus moriatur ad vitam, sicut ille qui ait: Viuo autẽ iam non ego, Galat.
viuit autem in me Christus. Peccato enim mortuus est, deo viuit, hoc est, mors in eo mortua est, sed vita viuit, qui est dominus Iesus. Ergo bona vita eorum qui deo viuunt, mala vita eorum qui peccato viuũt. Est etiam media vita, vt animantium cæterorum, sicut habes scriptum: Producat terra ani- Genes.
mam viuẽtem secundum genus. Est vita etiam mortuorum, vt deus Abrahã, & deus Isaac, & deus Iacob, quia deus mortuorum nõ est, sed viuorum. Sunt etiam quibus communitas est quædã mortis & vitæ, de quibus ait Apostolus dicẽs:
Si commortui estis, & conuiuetis. Si enim complantati, in- Rom.
B quit, sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: scientes quia vetus homo noster simul confixus est cruci, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Sicut autem figuras multas vitæ diximus, ita etiam mortis inuenimus. Dicitur enim mors mala, secundum illud: Anima Ezechiel.
quæ peccat, ipsa morietur. Dicitur & mors communiter, sicut habes verbi gratia, quia Adam vixit tot annos, & mortuus est, & appositus est ad patres suos: Dicitur etiam mors per baptismatis sacramẽtum, sicut habes: Consepulti sumus Rom.6.
cum illo per baptismum in morte. Et alibi: Si autem mortui Ibidem.
sumus cum Christo, credimus etiam quòd simul viuemus cum illo. Vides quia mors quidem appellatione dicatur, sed hæc vita, vita sit nostra.

De absolutione quæstionum incidentium circa factionem mulieris Adæ. *Caput X.*

C LItem alia quæstio, (quia dixit dominus: Non est Genes.
bonum solum esse hominem.) Primo omnium cognosce quia in superioribus vbi hominem finxit deus de limo terræ, non addidit: Vidit deus quia bonum est, quemadmodum in singulis operibus suis. Nam si dixisset illic bonum esse quia homo factus est, inueniretur hoc esse contrarium, vt hic bonum non esse diceret, cùm in superioribus bonum esse dixisset. Sed hoc ibi cognosce vbi solum Adam fecit. Cæterùm vbi communiter comprehendit virum & mulierem factos, licet ne ibi quidem dixerit, specialiter tamen quia postea habet, Vidit deus omnia quæ fecit, & ecce erant bona valde: euidẽter est declaratum bonum esse quòd & vir sit factus, & mulier. Sed ex hac quæstione alia quæstio rursus emersit. Quomodo enim quando solus factus est Adam, non dictum est bonum esse factum Adam: quando autem & mulier ex eo facta est, tunc esse bona omnia comprehensum est? Licet illic omnem laudauerit creaturam, & vniuersitatis creatio sit probata, quoniam in homine naturæ prædicata communitas est: tamen non vide-
D tur ociosum qua ratione vbi solus factus est Adam, non solum nequaquam prædicatio boni complacito operi adiecta sit, sed etiam dictum sit non bonum esse solum hominem, cùm sciamus quòd antequam fieret mulier, non errauerit Adam: postea verò quàm mulier est facta, prior diuinũ, præuaricata mandatum, etiam virum suum traxerit in errorem, & incentiuum eius extiterit. Si igitur viro culpæ author est mulier, quemadmodum pro bono videtur adiecta? Verum si consideres quia deo vniuersitatis est cura, inuenies plus placere domino debuisset id in quo esset causa vniuersitatis, quàm condẽnandum fuisse illud in quo esset causa peccati. Et ideo quia ex viro solo non poterat humani esse generis propagatio, pronunciauit dominus non esse bonum solum hominem. Maluit enim deus plures esse quos saluos facere posset, & quibus donaret paccatum, quàm vnum solum Adam qui liber esset à culpa. Denique quia idem vtriusque 1.Tim.
author est operis, venit in hunc mundum vt saluos faceret peccatores. Postremò nec Cain parricidij reum priusquam generaret filios, passus est interire. Ergo propter genera-

tio-

913

tionem succeſſionis humanæ debuit mulier adiici viro. Denique hoc ipſa verba declarant dicentis dei, non bonum ſolum eſſe hominem. Nam etſi mulier prior peccatrix erat, tamen redemptionem ſibi paritura, non debuit ab vſu diuinæ operationis excludi. Quanuis enim Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta & in præuaricatione fuerit: ſalua tamen, inquit, erit per filiorum generationem: inter quos generauit & Chriſtum. Nec illud ocioſum quòd non de eadem terra de qua plaſmatus eſt Adam, ſed de ipſius Adæ coſta facta ſit mulier, vt ſciremus vnam in viro & muliere corporis eſſe naturam, vnum fontem generis humani ideo non duo à principio facti vir & mulier, neque duo viri, neque duæ mulieres, ſed primùm vir, deinde ex eo mulier. Vnam enim naturam volens hominum conſtituere deus, ab vno principio creaturæ huius incipiens, multarum & diſparium naturarũ eripuit facultatem. Faciamus, inquit, ei adiutorium ſimile ſibi. Adiutorium ad generationem conſtitutionis humanæ intelligimus. Et verè bonum adiutorium. Nam ſi pro meliore accipis adiutorium, maior quædam in cauſa generationis operatio mulieris reperitur: ſicut iſtius terræ, quæ femina primo accepta cohibendo paulatim fotu ſuo adoleſcere facit, & producit in ſegetem. In eo igitur adiutorium bonum mulieris: quanquam etiam inferior dicatur adiutor, vt & in vſu reperimus humano, quia dignitate potiores plerunque adiutorem meriti inferioris aſciſcunt.

1. Tim. 2.

Geneſ.

De ſolutione quæſtionum occurrentium circa adductionem beſtiarum & volatilium ad Adam, ſoporem quoque ipſius Adæ, atque exiſtentiam beſtiarum & pecorum in paradiſo. *Caput XI.*

SPecta nunc cur deus adhuc finxerit de terra omnes beſtias agri, & omnia volatilia cœli, & adduxerit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Qua ratione hoc factũ eſt, cùm tãtummodo beſtias agri, & volatilia cœli ad Adam adduxerit deus? Erant enim pecora ſecundum genus ſuum. Denique habes infra: Quia impoſuit Adam nomina omnibus pecoribus, & omnibus beſtiis agri. Adæ autem non eſt inuentus adiutor ſimilis illi.) Quæ igitur abſolutio eſt, niſi quia indomitæ beſtiæ, & volatilia cœli diuina poteſtate ad hominem deducãtur? De pecoribus autem domitis congregandis & homo habuit poteſtatem. Itaque illud diuinæ operationis fuerit, hoc humanæ diligentiæ. Simul accipe qua cauſa omnia deducta ſint ad Adam: vt in omnibus videret ex vtroque ſexu ſubſtantiam conſtare naturæ, id eſt, ex maſculo & fœmina, & ipſe vſu exemplóque cognoſceret neceſſarium ſibi conſortiũ mulieris adiectum. Et immiſit, inquit, deus ſoporem in Adam, & obdormiuit.) Quis eſt iſte ſopor, niſi quia pauliſper ad coniugium copulandum cùm intendimus animum, veluti intentos oculos ad dei regnum, inclinare atque inflectere videmur ad quendam ſomnum iſtius mundi, & pauliſper obdormire diuinis, dum in ſecularibus mũdaniſque requieſcimus? Denique poſteaquam ſoporem immiſit in Adam & dormiuit, tunc ædificauit dominus deus coſtam quam ſumpſit de Adam, in mulierem. Bene ædificauit dixit, vbi de mulieris creatione loquebatur, quia in viro & muliere domus videtur quædã plena eſſe perfectio. Qui ſine vxore eſt, quaſi ſine domo ſit, ſic habetur. Sicut enim vir publicis officiis, ita mulier domeſticis miniſteriis habilior æſtimatur. Conſidera quia ex corpore coſtam ſumpſit, non ex anima portionem, hoc eſt, non anima ex anima, ſed os de oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur mulier. Ergo cauſam humanæ generationis agnouimus. Sed quia pleroſque mouet qui diligentius intuentur, quomodo ſi vel primo magnum munus dei fuit circa homines, vt in paradiſo homines collocarentur, vel poſtea magnorum remuneratio videretur eſſe meritorum, vt ad paradiſum iuſtus vnuſquiſque rapiatur, dicuntur etiam beſtiæ, & pecora agri, & volatilia cœli in paradiſo fuiſſe. Vnde plerique paradiſum animam hominis eſſe voluerunt, in qua virtutum quædam germina pullulauerint. Hominem autem & ad operandum, & ad cuſtodiendum paradiſum eſſe poſitum, hoc eſt, mentem hominis, cuius virtus animam videtur excolere, nec ſolum excolere, ſed etiam cùm excoluerit cuſtodire. Beſtiæ autẽ agri, & volatilia cœli quæ adducuntur ad Adam, noſtri irrationabiles motus ſunt, eò quòd beſtiæ vel pecora quædam diuerſę ſint corporis paſſiones, vel turbulentiores, vel etiam languidiores. Volatilia autem cœli quid aliud æſtimamus, niſi inanes cogitationes, quæ velut volatiliũ more noſtram circunuolant animam, & huc atq; illuc vario motu ſępe traducant? Propterea nullus inuentus eſt menti noſtræ ſimilis adiutor, niſi ſenſus, hoc eſt, αἴσθησις. Similem ſibi ſolam ἡ noſter potuit inuenire. Sed fortè arguas, quia hæc quoque deus in tali paradiſo locauit, hoc eſt paſſiones corporis, & vanitatem quandam fluctuantium vel inanium cogitationum, quod ipſe noſtri fuerit author erroris. Cõſidera quid dicat: Habete, inquit, poteſtatem piſcium maris, & volatilium cœli, & omnium repentium, quæ repunt ſuper terram. Vides quòd ille tibi tribuerit poteſtatem, vt de omnibus iudicare tu debeas, ſingulorum genera iudicij tui ſobria definitione diſcernere. Vocauit ad te omnia deus, vt ſupra omnia mentem tuam eſſe cognoſceres. Cur quæ tibi ſimilia minimè reperiſti, aſciſcere tibi & copulare voluiſti? Dedit tibi certè ſenſum quo vniuerſa cognoſceres, & de cognitis iudicares: meritóque de illo fœcundo paradiſi agro eiectus es, quia non potuiſti ſeruare mandatum. Sciebat enim deus eſſe te fragilem, ſciebat iudicare non poſſe, ideo dixit quaſi fragilioribus: Nolite iudicare vt non iudicemini. Ergo quia ſciuit infirmũ te eſſe ad iudicandum, voluit obedientem eſſe mandato, ideo præceptum poſuit. Quod ſi non præuaricatus eſſes, periculum incerti iudicij incidere nequiuiſſes. Itaque quoniam iudicare voluiſti, ideo addidit: Ecce Adam factus eſt tãquam vnus ex nobis, vt ſciat bonum & malum. Voluiſti tibi arrogare iudicium, ideo pœnam praui iudicij refutare nõ debes. Poſuit tamen te contra paradiſum, ne memoriam eius poſſis abolere. Denique iuſti in paradiſum ſæpe rapiũtur, ſicut & Paulus raptus eſt in paradiſum, & audiuit verba ineffabilia. Et tu ſi à primo cœlo ad ſecundum, à ſecũdo cœlo ad tertium mentis tuæ vigore rapiaris, hoc eſt, quod primũ vnuſquiſque homo eſt corporalis, ſecundo animalis, tertio ſpiritalis. Si ita rapiaris ad tertium cœlum, vt videas fulgorem gratiæ ſpiritalis: Animalis enim homo quæ ſunt ſpiritus dei neſcit: & ideo tertij cœli aſcẽſio tibi eſt neceſſaria, vt rapiaris in paradiſum: rapieris iam ſine periculo, vt poſſis diiudicare omnia, quia ſpiritalis diiudicat omnia, ipſe autem à nemine diiudicatur. Et fortaſſe quaſi adhuc fragilis audies verba ineffabilia quæ non licet homini loqui: & tunc quod acceperis reſeruato, & quod audieris cuſtodito. Paulus apoſtolus cuſtodiebat ne laberetur, vel alios certè faceret errare. Aut forraſſe ideo dixit Paulus quia non licet homini loqui, quia erat adhuc in corpore conſtitutus, hoc eſt, videbat iſtius corporis paſſiones, videbat legem carnis ſuæ repugnantem legi mentis ſuæ. Hoc enim malo intelligi, ne videamur quendam adhuc futuri periculi iactare errorem. Si enim vel propter hanc vitam ſecuritas, vt nullos præuaricationis poſt hanc futuræ laqueos formidemus: ergo quicũque fuerit in paradiſo aſcenſione virtutis, audiet myſteria dei arcana illa atque ſecreta, audiet dicentem dominum tanquam latroni illi à ſcelere ad cõfeſſionem, & ad fidei latrocinium reuertenti: Hodie mecum eris in paradiſo.

Ibidem. Ibidem. Matth. 7. Geneſ. 3. 2. Cor. 12. 1. Cor. 2. Ibidem. 2. Cor. 12. Rom. 7. Lucæ 23.

De ſapientia ſerpentis & cauſa inuidiæ, argumentiſque quibus confidebat ſe poſſe hominem vincere. Quomodo etiam aggreſſus fuerit mulierem. Quòd præterea neque detrahere aliquid debeamus diuinis mandatis, neque addere. Vtrum denique præter adiectionem quæ mandato per mulierem fuit applicata, quod additum eſt, obfuiſſe videatur: & ex quo ligno deus dixerit eſſe guſtandum. *Caput XII.*

SErpens autem erat ſapiẽtior omnium beſtiarum quæ erãt ſuper terram, quas fecit dominus deus. Et dixit ſerpens mulieri: Quid vtique dixit deus, ne edatis ab omni ligno quod eſt in paradiſo?) Cùm dicit ſapiẽtiorem ſerpentem, intelligis quem loquebatur, id eſt, illum aduerſariũ noſtrum, qui tamen habet huius ſapientiam mundi. Sed & voluptas atque delectatio bene ſapiens

Geneſ. 3.

piens dicitur, quod & carnis appellatur sapientia, sicut habes: Quia sapientia carnis inimica est deo. Et ad exquirēda delectationum genera astuti sunt, qui appetentes sunt voluptatum. Siue ergo delectationem intelligas, quædam est diuino aduersa mandato, & inimica sensibus nostris. Vnde Apostolus ait: Video aliam legem in membris meis repugnātem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Si autem ad diabolū referas, verus inimicus est generis humani. Quæ autem causa inimicitiarum nisi inuidia? Sicut Salomon ait: Quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Inuidiæ autem causa, beatitudo hominis in paradiso positi. Et ideo quoniā ipse diabolus acceptā gratiam tenere non potuit, inuidit homini, eò quod figuratus è limo, vt incola paradisi esset, electus est. Considerabat enim diabolus quòd ipse qui fuisset superioris naturæ, in hæc secularia & mundana ceciderat, homo autem inferioris creaturæ sperabat æterna. Hoc est ergo quod inuidet dicens: Iste inferior adipiscetur quod ego seruare non potui? Iste de terris migrabit ad cœlum, cùm ego de cœlo lapsus in terrā sim? Multas vias habeo quibus hominem decipere possim. De limo factus est, terra ei mater est, corruptibilibus inuolutus est. Etsi anima superioris naturę, tamen & ipsa lapsui potest esse obnoxia in corporis carcere constituta, quando ego lapsum vitare non potui. Est igitur via prima vt decipiatur dū conditione sua maiora desiderat. Hic enim quidam conatus est industriæ. Deinde carnis est quod non habeat desiderare. Postremò in quo videor ego omnibus esse sapientior, nisi circunscribam hominem, & versutia & fraude contendam? Itaque machinatus est vt nō primo Adā adoriretur, sed Adā per mulierem circunscribere conaretur. Non adorsus est eū qui coram acceperat cœleste mandatum, sed eā adorsus est quæ à viro didicerat, non à deo quid obseruaret, acceperat. Neq; enim habes quia mulieri dixit deus, sed quia Adæ dixit: & ideo per Adam cognouisse mulier æstimanda est. Cognoscens igitur hoc loco tentamenti genus, plurima etiā aliis locis tentamenti genera reperies. Alia sunt per principem istius mundi, qui quędam venena sapientię in hūc mundum euomuit, vt vera putarent homines esse quæ falsa sunt, & specie quadam hominum caperetur affectus. Non enim semper quasi apertus hostis ingreditur, sed sunt quędam potestates quæ amorem simulent, gratiamque prætendant, vt paulatim cogitationibus nostris venenum suæ iniquitatis infundant: à quibus oriuntur illa peccata quæ vel ex delectatione, vel ex quadam mentis facilitate nascūtur. Sunt etiam aliæ potestates quæ veluti colluctantur nobiscū. Vnde Apostolus ait: Quia non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, & rectores huius mundi tenebrarum harum: aduersus nequitiā spiritalium, quæ sunt in cœlestibus. Volunt enim hac quadam contētione nos frangere, & veluti quoddam animæ nostræ corpus elidere. Vnde & Paulus quasi bonus athleta non solum ictus aduersantium potestatum vitare cognouerat, verumetiam aduersantes ferire. Vnde & ait: Percutio pugnis, non vt aera cædēs. Et ideo quasi bonus athleta ad coronam meruit peruenire. Ergo multiplicia tentamenta sunt diaboli. Et ideo bilinguis serpens habetur, atque letalis, eò quòd diaboli minister aliud lingua loquatur, aliud corde meditetur. Sunt & alij ministri, qui & cordis & vocis suæ infectas veneno veluti verborum suorum iactant sagittas, quibus dominus ait: Generatio viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Et dixit serpens mulieri: Quid vtique dixit deus ne edatis ex omni ligno quod est in medio paradiso? Et dixit mulier serpenti: Ex omni ligno paradisi manducabimus, de fructu autē ligni quod est in medio paradisi, dixit deus: Non manducabitis ex eo, neque tangetis ex eo, ne moriamini.) Cùm audieris sapiētiorem bestiis omnibus esse serpentem, hic eius iam quære versutiā. Simulat se verba dei dicere, & proprios intexit dolos. Cùm enim dixisset deus: Ex omni ligno quod est in paradiso, edetis ad escam: de ligno autem quod est scientia boni & mali, nō edetis: qua die autem manducabitis ex eo, morte moriemini: serpens quasi interrogans mulierem, cùm dixisset deus, Ex omni ligno quod est in paradiso, edetis: de ligno autem vno non edetis: inseruit mendacium, vt diceret, Ab omni ligno non edetis: cùm de vno tantum ligno scientiæ boni & mali præceperit deus non esse gustandum. Qua ratione autē fefellerit, nihil mirum, quia iis qui aliquem circunscribere conantur, consuetudo est fallere. Non est igitur interrogatio ociosa serpentis. Sed vt scias in mandato nullum vitium esse potuisse, respondit mulier, & ait: Ex omni ligno paradisi manducabimus, de fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit deus: Non manducabitis ex eo, neque tangetis ex eo, ne morte moriamini. In mandato quidem nullum vitium est, sed in relatione mandati. Etenim quantum præsens lectio docet, discimus nihil vel cautionis gratia iungere nos debere mandato. Si quid enim vel addas vel detrahas, præuaricatio quædam videtur esse mādati. Pura enim & simplex mandati forma seruanda, vel testimonij series intimanda est. Plerunque testis dum aliquid ad seriem gestorum ex suo adiicit, totam testimonij fidem partis mendacio decolorat. Nihil igitur vel quod bonum videtur, addendum est. Nanque hic quid offensionis habet prima specie, quod addidit mulier: Neque tangetis ex eo quicquam. Tangetis enim deus non dixerat, sed, Non edetis. Sed tamen lapsus incipit esse principium. Nam quæ addidit, vel superfluum addidit: vel addendo de proprio, semiplenum intellexit dei esse mandatum. Docet igitur nos præsentis series lectionis neque detrahere aliquid diuinis debere mandatis, neque addere: nam si Ioannes hoc iudicauit de suis scriptis: Si quis apposuerit, inquit, ad hæc, adiiciet in illum deus plagas quæ scriptæ sunt in libro isto: & qui dēpserit de verbis his prophetiæ huius, delebit deus partem illius de libro vitæ: quanto nihil diuinis mandatis est detrahendum? Hinc ergo cœpit præuaricatio prima esse mandati. Et plerique putant hoc vitium non esse mulieris, sed Adæ fuisse: ita Adam dixisse mulieri, dum eam vellet facere cautiorem, vt adderet mandasse deum, Neque tangetis ex eo quicquam. Habemus enim quia Adam non Eua mandatum acceperit à deo. Nondum enim mulier formata fuerat. Ipsa quidem verba Adæ quibus mulieri dicit, formam seriémque mandati non prodit lectio: sed intelligimus per virum ad mulierem seriem transisse mandati. Viderint tamen alij quid sentiant, mihi tamen videtur à muliere cœpisse vitium, inchoasse mendacium. Nam etsi de duobus videatur incertum, tamen sexus prodit qui prius potuerit errare. Adde quia præiudicio illa constringitur, cuius & postea prior error inuentus est. Viro enim mulier, non mulieri vir author erroris est. Vnde & Paulus ait: Adam, inquit, non est deceptus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Nunc videamus vtrum præter adiectionem quæ mandato est applicata, quod additum est, obfuisse videatur. Nam reuera si bonum est, neque tangetis ex eo, & ad cautionem proficiebat: cur deus hoc minimè interdixerit, imò non interdicendo permisisse videatur? Itaque vtrunque quærendum, qua ratione nec permiserit, nec interdixerit. Sūt enim qui dicant, qua ratione quod fecit videri, non iussit & tangi? Verum cùm in eo ligno audieris naturam fuisse scientiæ boni & mali, potest æstimari quia noluit te malū tangere. Satis est enim nobis videre satanam sicut fulgur de cœlo cadentem, secundum vocem domini, & dantem escam non lumini sed noctis & tenebrarum filiis, quia scriptum est: Dedit eum in escam populis Æthiopum. Hoc igitur de eo dictum est, quod non mandauerit tangi. Quod autem non prohibuerit, quid intelligam, accipe. Sunt multa quæ noceant si ante voluerimus haurire, quàm quæ sint illa cognoscere. Nam & de cibis & potu plerunque vsu venit. Quippe si id quod amarum est, ante cognoscas, indues patiētiam. Et si intelligas illa quæ sunt amara, prodesse, & indues tolerantiam, ne offendat amaritudo te repentina, & incipias reiicere profutura. Prodest ergo antè cognoscere, vt ex eo quod cognoueris profuturum, nec amara fastidias. Sed hæc minus nocere possunt: illud quod magis, nisi prouideatur, nocere possit, aduerte. Gentilis quidam est, ad fidem tendit: Catechumenus est, maiorem vult accipere doctrinæ & fidei plenitudinem: caueat ne dum vult discere, malè discat, & discat à Fotino, discat ab Arrio, discat à Sabellio: tradat se huiusmodi magistris quorum quædam eum teneat authoritas: & in-

917

ductus quadam magistrorum præsumptione, teneris sensi- A
bus impressa diiudicare non nouerit. Prius igitur oculis mē-
tis perpiciat quid sequatur, videat vbi vita sit. Tangat de-
nique diuinarum vitalia lectionum, vt nullo prauo offenda-
tur interprete. Legit ille Sabellius: Ego in patre, & pater in
Ioan.14. me: & dicit vnam esse personam. Legit fotinus: Quia me-
1.Tim.2. diator dei & hominum homo Christus Iesus. Et alibi, Quid
me vultis occidere hominem? Legit etiam Arrius quia di-
Ioan.7. xit, Quoniam pater maior me est. Legitur quidem manife-
Ioan.14. stum, sed qua ratione dictum sit, debet antèpertractare se-
cum, vt rationem dictorum possit aduertere. Ducitur qua-
dam magistrorum authoritate, & profuisset ei non quæsisse,
quàm talem inuenisse doctorem. Sed etiam gentilis si quis
scripturas accipiat, legit: Oculum pro oculo, dentem pro
Leuit.24. dente. Legit etiam: Si scandalizauerit te dextera tua, absci-
Matth.5. de illam: non intelligit sensum, non aduertit diuini arcana
sermonis: peius labitur, quàm si non legisset. Et ideo docuit
quemadmodum dei verbum inuestigare deberent: non per
functoriè, non improuidè: sed diligēter atque solicitè. Quod
1.Ioan.1. erat, inquit, ab initio, quod audiuimus, & quod vidimus, o- B
culis nostris perspeximus, & manus nostræ perscrutatæ sunt
de verbo vitæ: & vidimus, & testamur, & annunciamus vo-
bis. Vides quod antè velut manibus quibusdam perscruta-
tus sit dei verbum, & postea annūciauerit: & ideo nihil Adę
& Euæ fortasse nocuisset verbum, si pertractātibus diligen-
ter mentis quibusdā manibus antè tetigissent. Infirmi enim
pertractando, & diligētius requirendo, vniuscuiusque quam
non intelligunt possunt inuestigare sententiam. Certè illi
infirmi id lignum in quo scientiam mali esse cognouerant,
antè, quemadmodum tangerent, debuerāt perscrutari. Nam
& mali sæpe nobis potest prodesse cognitio. Et ideo diabo-
li fraudes vel in hac legimus lectione, vel in prophetia, vt
discamus quēadmodū artes eius cauere possimus. Cognos-
cēda sunt enim tentamēta eius, non vt sequamur, sed vt do-
cti instructique caueamus. Sunt hoc loco qui dubitationem
habeant vtrum ex omni ligno ita dixerit deus esse gustan-
dum, aut cū de omni ligno, ita de sciētiæ boni & mali ligno C
gustaretur: an verò de omni ligno gustandum, de solo ligno
scientiæ boni & mali dixerit non esse gustandum. Qui ne id
quidem putant inutilis esse rationis, quod quanuis noxia
esca huius ligni fuerit, tamen si cum cæteris ederetur, noxia
esse non posset: quādoquidem etiam antidotum theriacum
de corpore serpentis confici solere dicatur, quod vtique vi-
rus corpúsque serpentis cùm solum sumitur, nocet: cùm ad-
miscetur aliis, sanitati est & saluti. Scientia quoque boni &
mali, si quis sapientiæ habeat, si quis vitæ semper intendat,
si quis cætera virtutum genera cōsequatur, nequaquam in-
utilis æstimatur. Hac igitur ratione pleriq; putauerunt pos-
se etiā illud intelligi, vt videatur deus id inhibuisse, ne abs-
que cæteris solum lignum scientię boni & mali gustaret, nō
prohibuisse cum cæteris. Et hoc ideo putant dictum, quia
Genes.3. ait deus ad Adam: Quis tibi indicauit quoniā nudus es, nisi
de ligno à quo præceperam tibi ab hoc solo ne manducares,
manducasti? Quod videretur dare aliquem interpretādi lo- D
cum, nisi mulier in superioribus dicente serpente, Quid v-
tique dixit deus, Ne edatis ab omni ligno quod est in para-
diso? respondisset, Quod est in medio paradisi, dixit deus,
Non manducabitis ex eo. In quo quanuis mulieris præua-
ricaturæ fides videatur infirmior, tamen non omnibus Adā
spoliabo virtutibus, vt videatur in paradiso nullam assecu-
tus fuisse virtutem, nihil de cæteris gustauisse lignis priusquam culpam incidisset, quàm fructus esse aliquos consecutum. Non spoliabo ergo Adam, ne genus humanum omne
Matth.28. dispoliem: quod innocēs est antequam sensum accipiat sciē-
tiæ boni & mali. Neque enim ociosè dictū est: Nisi conuersi
fueritis, & efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in re-
gnum cœlorum. Puer enim cùm maledicitur, non remale-
dicit: cùm percutitur, non repercutit: ambitionum & rapi-
narum tentamenta nō nouit. Ergo verius puto, quòd ne cū
aliis quidem fructibus lignum edendum esse præcepit. Nam
etsi bona scientia perfecto, imperfecto tamen inutilis est.
Philipp.3. Imperfectum ausim omnem hominem dicere, quādo ipse
Paulus quasi imperfectus dicat: Non quod iam acceperim,
aut iam perfectus sim, sequor autem si comprehendam. Et
ideo imperfectis dicit dominus: Nolite iudicare, vt non iu- Matth.7.
dicemini. Ergo imperfecto inutilis scientia. Denique pec-
catum nescieram, nisi lex diceret: Non concupisces. Et in- Rom.7.
fra: Sine lege enim peccatum mortuū est. Quid enim mihi
proderat scire, quod vitare non poteram? Quid mihi pro-
derat scire, quod lex carnis meæ impugnaret? Impugnatur
Paulus, & videt legem carnis suæ repugnantem legi mentis
suæ, & captiuari se in lege peccati. Nec de conscientia sua
præsumpsit, sed per Christi gratiam confidit se à mortis cor-
pore liberandum: & tu quenquam opinaris scientem non
posse peccare? Paulus dicit: Non enim quod volo facio bo-
num, sed quod nolo malum, hoc ago: & tu arbitraris homi-
ni prodesse scientiam, quæ delicti augeat inuidiam? Esto ta-
men vt perfectus peccare non possit. In Adam deus omnes
homines præuidebat, & ideo promiscuè generi non conue-
niebat humano habere sciētiam boni & mali, quam per car
nis vitia, vt oportebat, exercere non poterat.

Quomodo tentamenta diaboli plena sint mendacij. Et de decep-
tione mulieris, & lapsu Adæ. Quemadmodum etiam co-
gnouerint se esse nudos, & succinctoria sibi fecerint, & quid
significent. *Cap. XIII.*

DIscamus igitur tentamēta diaboli plena esse men
dacij. Vix enim vnum verum videtur ex iis quæ
pollicitus est, reliqua falsa cōposuit: Sic enim ha-
bes: Et dixit serpens mulieri: Non morte morie- Genes.3.
mini. Ecce vnum falsum: nam morte mortuus est homo, qui
secutus est promissa serpentis. Deinde addidit: Scit, inquit,
deus, quia quacunque die comederitis ex eo, adaperientur
oculi vestri. Hoc solum verum, quia infra habes, quia man-
ducauerunt ambo, & aperti sunt oculi eorū. Sed hoc verum
quod noceret. Denique non omnibus aperire oculos vtile,
quia scriptum est: Videbunt, & non videbūt. Sed statim ag-
glutinatum mendacium est, quia adiunxit: Et eritis sicut dij,
sciētes bonum & malum. In quo licet aduertere idololatriæ
authorem esse serpentem, eò quòd plures deos induxisse in
hominum videatur errorem, quadam serpentis astutia. Et
hoc fefellit, quia homo sicut dij: non solum enim sicut dij es-
se homines desierunt, sed etiam qui quasi dij erant, quibus
dictum est: Ego dixi, dij estis: sui gratiam perdiderunt. Et vi- Psal.81.
dit mulier quia bonum est lignum ad manducādum, & quia
gratum oculis ad vidēdum, & speciosum est ad intuendum.
Infirma author iudicij, quæ de eo quod non gustauerat, iu-
dicabat. Et ideo non facile, nisi si quod diligentius pertra-
ctauerimus, quod interiore probauerimus affectu, videtur
ad opus aliquod esse sumendum. Accipiens, inquit, de fruc-
tu eius manducauit, & dedit viro suo simul, & manducaue
runt ambo. Bene prætermissum est vbi decipitur Adā, quia
non sua culpa, sed vitio lapsus vxoris est. Et aperti sunt, in-
quit, oculi eorum, & cognouerunt quod nudi essent. Et an-
tè quidem nudi erant, sed non sine virtutum integumentis.
Nudi erant propter morum simplicitatē, & quod amictum
fraudis natura nesciret. Nunc autem multis simulationū in-
uolucris mens humana velatur. Ergo posteaquam spoliatos
se illa synceritate, & simplicitate viderunt integræ incorru-
ptæque naturæ, quærere mundana & manufacta cœperunt,
quibus nuda suæ mentis operirent: delectationes delecta-
tionibus, & mundi huius vmbratiles voluptates velut folia
foliis assuentes, quibus obumbrarent genitale secretū. Nam
quomodo clausos oculos corporis habuit Adam, qui omnia
animantia ita vidit, vt his & nomen imponeret? Quomodo
cognouerunt? Id est, interiore & altiore scientia, non tuni-
cam sibi, sed virtutum deesse velamina. Et assuerunt folia
ficus, & fecerunt sibi succinctoria. Ficum hoc loco pro qua
specie debeamus accipere, diuinarū nos docet series lectio-
num. Quandoquidē sanctos esse qui sub vite & ficu requie-
scunt, scriptura memorauerit, & Salomō dixerit: Quis plan-
tat ficum, & de fructu eius nō manducat? Et dominus ad fi-
cum venerit, sed ideo sit offensus, quod non inuenerit fru-
ctum, sed folia tantum. Docet ergo me Adam quid sint fo- Marc.11.
lia, qui posteaquam peccauit, de foliis ficus fecerit sibi suc-
cinctorium, qui de fructibus magis eius gustare debuerit.

Iustus

Iustus fructum eligit,folia peccator. Quis est fructus? Fructus,inquit,spiritus est charitas,gaudium, pax,patientia, be-
Galat.5. nignitas,modestia, continentia,dilectio. Non habebat fructum, qui gaudium non habebat: Non habebat fidem, qui præuaricatus erat mãdatum dei: Non habebat continentiã, qui de interdicto sibi gustauerat ligno.Ergo quicunque præuaricatur mandatum dei,spoliatur atque nudatur:& fit ipse sibi turpis:vult se operire quibusdam ficus foliis,fortasse qui busdam inanibus vel vmbratilibus sermonibus,quos compositis mendaciis assuens, & verbum de verbo struens, ad operiendam conscietiam suæ mentis,factique velamen pec cator intexit, vt pudenda sua contegat. Iacit enim supra se folia,qui culpam velare desiderans,aut diabolum delicti memorat authorem, aut carnis ptætendit illecebras,aut alium quempiam persuasorem prodit erroris.Et de scripturis diuinis frequenter promit exempla quibus iustos in culpam perhibet incidisse, dicens,si fortè in stupris fuerit deprehensus, Et Abraham cum ancilla concubuit,& Dauid alienam adamauit,& sibi asciuit vxorem.Assuit enim sibi quædam exempla de propheticarum serie scriprurarum, fructum earum non putat requirendum. Nonne tibi videntur etiam Iudæi folia assuere,dum legis spiritalis verba corporaliter interpretantur? Quorum interpretatio fructum omnem viriditatis amittit,damnata maledicto ariditatis æternę.Bona igitur interpretatio,hoc est,spiritalis ficus est fructuosa, sub qua iusti sanctique requiescunt. Quam qui plantauerit in animis
1.Cor.3. singulorum, sicut Paulus ait: Ego plantaui, Apollo rigauit, &c. manducabit ex ea fructum. Mala autem interpretatio fructum ferre, viriditatem seruare non poterit. Quod igitur grauius est, hac se Adam interpretatione succinxit eo loco, vbi fructum magis castitatis se succingere debuisset.In lumbis enim quibus præcingimur, quædam semina generationis esse dicuntur.Et ideo malè ibi succinctus est Adam foliis inutilibus, vbi futuræ generationis non fructum futurum, sed quædam peccata signaret,quæ mãserunt vsque in aduentum domini saluatoris. Cæterùm posteaquam dominus ad-
Lucæ 13. uenit,ficum inuenit incultam: rogatus ne eam iuberet excidi,vt coleretur permisit.Et ideo iam nõ foliis,sed diuino suc-
Lucæ 12. cingimur sermone, quia ipse dominus ait: Sint lumbi vestri
Matth.10. præcincti,& lucernæ ardẽtes, &c. Vnde etiam pecuniam in zonis nostris portare prohibet.Nõ enim seculatia,sed æterna debet zona nostra seruare.

De voce domini deambulantis ad vesperam, & interrogatione vel potius increpatione Adam: Vbi es? Cur præterea antè increpetur Adam, cum mulier ante gustauerit: & quid mulier pro sua excusatione responderit, ac de mysteriis istorum. *Cap. XIIII.*

Genes.3. ET audierunt,inquit, vocem domini deambulantis ad vesperam.)Quæ est ambulatio dei,qui vbique semper est? Sed puto deambulationem quãdam esse dei per diuinarum seriem scripturarum in quibus dei quædã versatur præsentia, cum audimus quia
Psalm.33. ipse aspicit omnia, & oculi domini super iustos:cùm legi-
Matth.9. mus, quia Iesus sciebat cogitationes eorum: cùm legimus: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Ergo dum hæc recensemus,quasi deambulantem cognoscimus deum.Fugerat ergo peccator,nõ quo dei posset latere conspectum, sed intra conscietiam suam latere cupiebat,opera sua lucere nolebat. Iusti est enim facie ad faciem videre, quia iusti mens non solum deo præsens est, sed etiam cum deo disputat, si-
Esaiæ 1. cut scriptum est: Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus,dicit dominus. Ergo cùm legit peccator has scripturas diuinas,audit vocem dei quasi ambulantis ad vesperam.Quid est ad vesperam,nisi quia culpam suam sero cognoscit,& sero venit quædam erroris præteriti verecundia,quæ errorem præuenire debuerat?Nam dum culpa feruet in corpore, & anima exagitatur corporis passionibus, non cogitat deum sensus errantis, hoc est, non audit deum ambulantem in scripturis diuinis, ambulantem in mẽtibus singulorum.Dicit enim deus: Quoniam inhabitabo in illis,
Leuit.26. & inter eos ambulabo,& ero illorum deus.Ergo cùm in animæ sensum redierit potestatis formido diuinæ,tunc erubescimus,tunc nos gestimus abscondere: tunc in peccatorum

A nostrorum positi cogitationibus,in medio ligni paradisi vbi peccauimus,deprehendimur, latere cupientes,& arbitrãtes quod deus nõ requirat occulta. Sed scrutator animorum & cogitationum vsque ad diuisionem animæ penetrans dicit, Adam vbi es? Quomodo loquitur deus?nunquid voce corporea?Non vtique, sed virtute quadam præstantiore, quàm vox corporis potest esse, fundit oracula. Hanc vocem eius prophetæ audierunt,hanc vocem fideles audiunt,impij non intelligunt. Denique in euangelio habes quod audiuit Euangelista dicentem patrem:Et clarificaui,& iterum clarifica Ioann.
bo:sed Iudęi non audierunt.Denique dicebant:Tonitruum factum est.Illis ergo sicut supra habes quia sentiebatur deambulans deus,qui nõ deambulabat: sic audiebatur loquẽs deus,qui non loquebatur.Sed quid loquatur, cõsideremus: Adam vbi es?Adhuc in his remedium sanitatis est, quia audiunt dei verbum.Denique Iudæi,qui sibi clauserunt aures ne audirent:hodiéque non merentur audire. Deinde habẽt remedium,qui se absconderunt.Nam qui absconditur,erubescit:qui erubescit,conuertitur:sicut scriptum est:Confun Psalm.
B dantur & conuertantur omnes valde velociter. Deinde hoc ipsum quod vocat,indicium sanaturi est,quia dominus quibus miseratur,& vocat.Dicendo autem:Vbi es?non locum quærit qui nouit arcanum:neque enim deus clausos oculos habebat,vt non videret latẽtem. Denique ideo dixit, Factus est Adam tanquam vnus ex nobis, quia aperuit oculos. Et hic quidem aperuit oculos,vt culpam suam videret,quam vitare non potuit. Magis enim postquam peccauimus,nescio quo modo,nostra delicta cognoscimus:& tunc peccatũ esse intelligimus,quod antequam peccaremus,non putabamus esse peccatum. Certè non quasi peccatum putabamus esse damnãdum:nam si damnaremus,non admitteremus.Deus autem omnium videt culpas,& omnium delicta cognoscit: super omnem animam, super omniũ occulta oculos habet. Quid est ergo:Adam vbi es?Id est,non in quo,sed in quibus es?Non ergo interrogatio est,sed increpatio.De quibus,inquit,bonis,de qua beatitudine,de qua gratia in quam miseriam recidisti? Dereliquisti vitã æternam, & attumulatus es
C morti, consepultus errori. Vbi est illa tua bene sibi conscia confidentia? Timor iste culpam fatetur, latebra præuaricationem. Vbi ergo es, hoc est, non in quo loco quæro, sed in quo statu. Quo te deduxerunt peccata tua, vt fugias deum tuum quem antè quærebas?Fortasse moueat cur antè increpatur Adam, cùm mulier antè gustauerit? Sed à præuaricatione sexus infirmior cœperit,à verecũdia & excusatione fortior,vt fœmina erroris causa fuerit,vir pudoris.Et dixit mulier: Serpens decepit me, & manducaui. Veniabilis culpa, Genes.
quam sequitur professio delictorum. Ideo non desperata mulier, quæ non reticuit deo, sed magis confessa peccatum est, quam medicabilis secuta sententia est. Bonum est condemnari in peccato,& flagellari in delicto,vt cum hominibus flagellemur. Denique Cain quia voluit crimen negare, Genes.
indignus iudicatus est qui puniretur in peccato, sed remissus est sine præscripto pœnæ,fortasse non tam maiori crimine parricidij,illud enim commisit in fratrem, quàm sacrilegij:quod deo credidit mentiẽdum,dicens: Nescio,nunquid
D ego custos fratris mei sum? Et ideo accusatori diabolo eius accusatio reseruata est, vt cum eius angelis flagelletur, qui cum hominibus noluit flagellari. Deniq; de talibus dictum est:Non est declinatio mortis eorũ, & cum hominibus non Psal.72.
flagellabũtur. Alia ergo ratio mulieris,quæ licet culpam præuaricationis inciderat, tamen de paradisi lignis habebat adhuc virtutis escam:& ideo dixit peccatum suum, & reputatum est ei ad veniam.Iustus enim accusator est sui in principio sermonis.Neque enim potest quisquam iustificari à pec Prouer.
cato,nisi fuerit peccatum antè confessus.Vnde dominus ait: Dic iniquitates tuas,vt iustificeris. Ergo quia Eua ipsa con- Esaiæ 43.
fessa delictum est,mitior sequitur & profutura sentẽtia,quæ condemnaret errorem,& veniam non negaret, vt ad virum suum conuersa seruiret. Primum, ne eam facile delectaret errare:deinde vt sub fortiore vase locata non traduceret virum,sed magis viri cõsilio & ipsa regeretur. In quo quidem mysteriũ Christi & ecclesiæ euidenter agnosco. Designatur enim ecclesię ad Christum futura conuersio,& religiosa ser

ui-

921

nius subdita dei verbo, quæ multo sit melior, quàm seculi huius libertas. Deniq; scriptum est: Dominum deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Hæc igitur seruitus dei donum est. Denique inter benedictiones numeratur huius seruitutis obsequium: nam & Isaac in loco benedictionis eam dedit Esau filio suo, vt seruiret fratri suo. Denique benedictionem illic poscebat, etsi vnā sibi cognouisset esse præreptam, tamen aliam postulabat, dicens: Nunquid vna benedictio tibi est pater? Per hanc igitur seruitutem ille, qui per gulam primitias suas antè vendiderat, & studio venationis agrestis gratiam benedictionis amiserat, credidit seipso futurum emeliorem si typum Christi veneraretur in fratre. Hac enim seruitute pollet populus Christianus, sicut & dominus ad discipulos suos ait: Qui vult inter vos primus esse, sit omnium seruus. Denique hanc seruitutem operatur charitas, quæ & spe maior & fide est. Vnde scriptum est: Per charitatem seruite inuicem vobis. Hoc est ergo mysterium quod Apostolus esse in Christo & in ecclesia. Hæc enim verè in prævaricatione antè fuit, sed salua erit per filiorum generationem in fide, & charitate, & sanctificatione, cum castitate. Prævaricata vtique in patribus generatio hominum, salvatur per filios: vt quod in Iudæis offenderat, in Christiana posteritate corrigeret.

Qua ratione veniabilis fuerit deceptio mulieris. Et quemadmodum serpens typus sit delectationis, & de sententia damnationis in serpentem, ac etiam condemnatione Adæ: & de discretione inter istas sententias. Cap. XV.

SErpēs, inquit, me suasit.) Et hoc veniabile deo visum est, eò quòd nosset multas ad decipiendum vias esse serpentis: quia transfiguratur in angelum lucis, & ministris eius sicut ministri iustitiæ sunt, falsa imponentes rebus singulis nomina, vt temeritatem dicant esse virtutem, & auaritiæ nomen imponant industriæ. Serpens enim mulierem decepit, virum mulier ad prævaricationem de veritate deduxit. Serpentis typum accepit delectatio corporalis: mulier symbolum sensus est nostri, vir mentis delectatio. Itaque sensum mouet, sensus menti trāsfundit quam acceperit passionem. Delectatio igitur prima est origo peccati. Ideoque non mireris cur antè serpens damnetur iudicio dei, secundo mulier, tertio vir. Secūdum erroris ordinem, damnationis quoque ordo seruatus est. Delectatio enim sensum, sensus autem mentem captiuam facere cōsueuit. Vt scias autem quia serpens typus est delectationis, damnationem eius aduerte. Supra pectus, inquit, tuum, & in vtero tuo ambulabis. Qui sunt qui in vtero suo ambulant, nisi qui ventri & gulæ viuunt, quorum deus venter est, & gloria in pudendis eorum qui terrena sapiunt, & cibo onerati ad terrena curuantur? Bene ergo delectationi ait, quæ cibis intenta terram videtur manducare: Supra pectus tuum & in vtero tuo ambulabis, & terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ. Tollenda est omnis excusatio diabuli, ne fortè malitiæ suę aliquid possit obtendere, vt dicat iniquitatem suam ex condemnatione veniſſe, & ideo ad nocēdum hominibus pertinaciter obniti, quia ideo damnatus est vt noceret. Quod videtur esse proximum opinioni, si tanquam damnationis accipimus istam sententiam. Non enim deus ad hoc serpentem damnauerat vt noceat, sed quid futurus esset, ostendit. Et quidem tentatio illa quod amplius hominibus prosit, superius demōstrauimus: sed tamen cùm legerimus quod scriptum est, dicente deo: Honorificantes me, honorificabo, & contemptor mei honore priuabitur: licet nobis ex his verbis aliquid æstimare. Deus enim operatur quod bonum est, non quod malum. Ergo doceant te verba diuina, quia operatur gloriam, pœnam relinquit. Honorificantes me, inquit, honorificabo: honorem bonorum operationis suæ esse declarans. Et contemptores, inquit, mei: non dixit, honore priuabo, sed honore priuabuntur. Non suæ operationi deputans eorum iniuriam, sed quid futurum esset ostendens. Ergo hic non dixit: Facio te supra pectus tuum, & vtero tuo ambulare, & terram manducare omnes dies vitæ tuæ: sed ambulabis, inquit, & manducabis: vt prædixisse magis de serpente quæ futura sunt, videretur, quàm præscripsisse quid faceret.

A Terra, inquit, tibi cibus erit, non anima: nam & hoc peccatoribus prodest. Vnde & Apostolus tradidit huiusmodi in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Pectore autem & ventre ait reptare serpentem, non tam propter corporis figuram, quàm quòd propter terrenas cogitationes de illa cœlesti beatitudine sit lapsus. Pectus enim frequenter recessus quidam accipitur sapientiæ. Et ideo Apostolus supra pectus Christi reclinat caput, non in terram deiecit. Ergo si sapientia diaboli feris immanissimis comparatur, quibus intra pedes pectus sit: sed etiam homines qui terrena sapiunt, nec interiore affectu eriguntur ad cœlum, vtero videtur reptare per terram: vtique ventrem animæ nostræ non corruptibilibus seculi huius implere, sed magis dei verbo satiare debemus. Bene igitur Dauid personam suscipiens Adæ dicit: Humiliata est in puluere anima mea, adhæsit in terra venter meus. Adhæsit enim, dum configuratur serpenti, qui pascitur iniquitate terrena. Ideoque nos Apostolus configurari dicit oportere Christo, vt virtus Christi prætendat in nobis. Quæ sententia non putatur in serpentem grauis, cùm etiam Adam, qui leuius peccauit, tali condemnatur sententia. Scriptum est enim: Maledicta terra in operibus tuis. In tristitia manducabis eam omnes dies vitæ tuæ. Videtur certè similitudo quædam esse sententiæ, sed tamē in ipsa similitudine magna discretio. Interest enim vtrum manducet aliquis terram, sicut serpenti dictum est quia terram manducabit: an verò sicut homini dictum est: In tristitia manducabis. Adiectio enim ista, in tristitia, discretionem facit. Discretio quam vim habeat, cōsidera. Bonum est mihi in tristitia magis terram manducare, quàm in delectatione, hoc est vt in actu quodam & sensu corporis contristari videar, quàm delectari in peccato. Multi enim propter nimias iniquitates non suscipiunt peccati conscientiam. At verò ille qui ait: Castigo corpus meum, & seruituti redigo: contristatur in nostrorum pœnitentia peccatorum, quia sua tanta delicta non habuit, vt in his contristari deberet. Denique & nobis suadet vtilem istam esse tristitiam, quæ secundum deum, non secundum seculum est. Oportet, inquit, vos contristari in pœnitentia secundum deum: nam secundum deum tristitia salutem operatur, seculi autem tristitia mortem operatur. Sed & de veteri testamento accipe illos ad gratiam peruenisse, qui contristabantur in operibus corporalibus: illos verò in supplicio remansisse, qui delectabantur huius mundi operibus. Denique Hebrei qui ingemiscebant in laboribus Ægypti, iustorum gratiam consecuti sunt. Et quia panem in tristitia manducarunt, esca donati sunt spirituali. Ægyptij verò, qui talia opera cum exultatione celebrabant, regi detestabili seruientes, nullam veniam sunt adepti. Sed & illa distinctio, quòd serpenti dicitur quia terram manducabit: Adæ autem, In tristitia, inquit, manducabis, & cum sudore manducabis. Manducabis fœnum agri: vt quendam intelligamus in his esse processum, & quando terram manducamus, in quadam malitia esse videamur: quando fœnum, in quodam processu: quando verò panem, cùm consummata fuerit fortitudo. Ergo & nos habeamus processum vitæ huius, sicut habuit & Paulus qui dicit: Viuo autem iam non ego, hoc est, non ego qui terram antè māducabam: non ego qui fœnum, quia omnis caro fœnum: sed viuit in me Christus, hoc est, viuit panis ille viuus, qui venit è cœlo, viuit sapientia, viuit gratia, viuit iustitia, viuit resurrectio. Deinde considera quia non est maledictus homo, sed maledictus est serpens. Nec terra in se maledicta est, sed maledicta, inquit, in operibus tuis. Ad animam dictum est, Tunc terra maledicta est, si habeas opera terrena, id est, opera secularia. Et maledicta non in vniuersum, sed vt spinas & tribulos generet, nisi fuerit humanæ studio operationis exercitata. Quod si eam exercuerimus: in labore quidem & sudore, sed tamen panem manducabimus. Repugnat enim lex carnis legi mentis. Et laborandum nobis est ac desudandum vt castigemus corpus, & seruituti redigamus, & quæ sunt spiritalia seminemus. Si enim carnalia seminauerimus, quæ carnalia sunt metemus: si verò spiritalia seminauerimus, metemus ea quæ sunt spiritalia.

1.Cor.5. Pſalm.43. Gene.3. 1.Cor.9. 2.Cor.7. Galat.2. Eſaiæ 40. Roman 7. 1.Cor.9. Galat.6.

FINIS.

CA-

CAPITA LIBRI PRIMI DE CAIN ET ABEL.

Quid author in hoc opere prosequi intendat ex continuatione huius libri ad superiorem. Et de generatione Cain & Abel. Quid etiam per istos duos fratres similitérque per Esau & Iacob, iuxta vnum intellectũ mysticè atque moraliter significetur. Caput I.

De mysterio in præmemoratis fratribus, secundum scripturam & authoris intelligentiam figurato. Et quid per hoc intelligi detur quod in libris Regum legitur: Et appositus est ad patres suos. De comparatione præterea Isaac & Moysi quantum ad typum & figuram quæ in eis præcessit: & qua ratione de Moyse non legatur sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est, ac de ignorantia sepulturæ ipsius. Caput II.

Quid iuxta moralem interpretationem author significari velit per hoc quod superius commemoratum est: Et adiecit parare Abel. Et de statibus ac officiis Abel, & Cain. Qua ratione etiam, cùm antè generatus sit Cain, in descriptione vitæ status & operis vsus Abel priùs commemoretur. Cap. III.

Quòd non solùm naturæ exemplis, sed & fidelibus diuinæ scripturæ testibus comprobetur malitiam tempore præcedere virtutem. Et quemadmodum secundum mysterium latens in literis, duæ mulieres vicuique nostrum cohabitent, inimicitiis & discordiis dissidentes, quarum vna, voluptas: altera verò, virtus nominatur. De voluptatis quoque descriptione, & de retibus ipsius, fallacibúsque suasionibus quibus mentem hominis capere nititur. Cap. IIII.

De occursu virtutis saucium, & citò casurum miserantis. Ac ne inter moras illecebris demulcentibus mens capiatur, pulcherrimis illam rationibus à fallaci voluptate auertentis, & ad se trahẽtis: cum detestatione cõmemoratæ meretricis, & falsitatis ipsius detectione. Quod etiam dominus Iesus docuerit quemadmodum aduersus huius mũdi tentationes resistatur: & de tribus laqueis quos illi diabolus tetenderat. De vituperatione quoque gulæ atq; auaritiæ, & contrariarum virtutum commendatione. Cap. V.

De rememoratiua superiorũ recapitulatione, & tribus non prætereundis quibus dominus Iesus officia humanæ deuotionis definiuit: & quemadmodum mens hæc audiẽs, se à voluptate auertat, & virtuti adiungat, studiáque illius eligat, quibus & sanctus Iacob, vir plenus exercitationis, mentem intendit. Quódque ideo pastor ouium inducatur, quia imperitare corpori & sensibus eius, ac voluptatibus, votíq; modum tenere, præstantiùs estimetur, quàm regere populos, vel vrbibus præesse. Cap. VI.

De oblatione Cain ex fructib⁹ terræ, & criminatione illius: ac de informatione & instructione per legem diuinam, quomodo vota soluí debeant. Cap. VII.

Quòd prima voti gratia sit celeritas solutionis, vt ex studio immolationis Abrahæ, & scriptura diuina, & vocatione Zacchæi comprobatur. De incitatione quoque ac admonitione vt citò vota nostra soluamus. Cap. VIII.

De reprehensione Pharaonis, qui vt pro eo rogaretur, in crastinum distulit: & exaltatus mente deum obliuiscebatur. Quantúmque humilitas orationem commẽdet. Et quòd melior votorum sit solutio laudare deum. Quòd prẽterea illa commendanda sit orationis & voti disciplina, vt non diuulgemus orationem, sed abscondita teneamus mysteria, sicut Abraham & patres tenuerunt, & quẽadmodum dominus in euangelio docuit: & quæ in oratione cauere debeamus. Cap. IX.

De transitu ad aliud vitium oblationis ipsius Cain, qui obtulit non de primis fructibus primitias deo, & quid per primitias intelligatur. Quódque Abel obtulerit hæc munera, & etiam talia qualia lex probauerit, cũ pulchra mysteriorum legis explanatione: & quemadmodum interiora mundare debeamus, & ibidem quærere quæ domino sanctificemus. De similitudine quoque conceptionis ac parturitionis fœminarum & animæ, partuúmq; eiusdem distinctione. Cap. X.

Diui Ambrosij, MEDIOLANENSIS EPISCOPI, de Cain & Abel Liber primus.

Quid Author in hoc opere prosequi intendat ex continuatione huius libri ad superiorem. Et de generatione Cain, & Abel. Quid etiam per istos duos fratres, similitérque per Esau & Iacob iuxta vnum intellectum mystice atque moraliter significetur.
Caput I.

DE paradiso in superioribus pro captu nostro, vt potuimus, quod dominus infudit, sensus inuenit, digessimus, in quibus Adæ atq; Euæ lapsus est comprehensus. Nunc quoniam illa penes authores non stetit culpa, sed quod peius est, deteriorem inuenit hæredem, sequentẽ adoriamur historiam: & ea quę secundum scripturas annexa sunt diuinas, nostro opere prosequamur. Adam autem cognouit Euam mulierem suam, quę concepit & peperit Cain, & dixit: Acquisiui hominem per deum. Quæ acquirimus, ex quo, & à quo, & per quid acquiramus, considerari solet. Ex quo, tanquam ex materia: à quo, quis author: per quid tanquam per aliquod instrumentum. Nunquid hic sic dicit: Acquisiui hominem per deum, vt deum intelligas instrumentum? Non vtique, sed vt intelligas authorem & operatorem deum. Vnde magis deo detulit, cùm dixit: Acquisiui hominem per deum, vt & nos cum aliquid acquirimus, vel omnes euentus secundos deo magis deferre, quàm nobis arrogare debeamus. Et adiecit parere Abel. Cum adiicitur aliquid, quod prius erat, tollitur. Idque colligitur ex Arithmeticæ proportionibus, aut animæ cogitationibus: addito enim numero, fit alius numerus, aboletur superior: & cogitatio accedens noua excludit superiorem. Ergo cùm adiicitur Abel, aufertur Cain. Quod nominum interpretatione plenius deprehenditur. Cain etenim dictus est acquisitio, quod omnia sibi acquireret: Abel, qui omnia referret ad deum, pia deuotus mentis attentione, nihil sibi arrogans, vt superior frater, sed totum tribuens conditori quod accepisset ab eo. Duæ itaque sectæ sunt sub duorum fratrum nomine compugnantes inuicem, & contrariæ sibi. Vna quæ totum menti suæ deputat tanquam principali, & quasi cuidam cogitationis & sensus & motus omnis authori, hoc est, quæ omnes inuentiones humano adscribit ingenio: Altera, quæ tanquam operatori & creatori omnium deo defert, & eius tanquam parentis atque rectoris subdit omnia gubernaculo. Illa prior Cain significatur, hæc posterior Abel dicitur. Has duas sectas anima vna parturit: & ideo germanæ habentur, quòd vno fundantur vtero. Sed contrariæ sunt, quia oportet eas, cùm quodam animæ partu editæ fuerint, diuidi ac separari. Compugnantibus enim hospitium esse vnum perpetuo non potest. Denique Rebecca cum duas naturas humani ingenij parturiret, vnam mali, alteram boni, eásque exilire intra vterum sentiret suum, (Esau enim typus erat malitiæ, Iacob figuram bonitatis gerebat) mirata quid illud esset quod discordiam quandam concepti cerneret fœtus, consuluit deum vt passionem proderet, medelam daret. Itaque precanti est responsum editum: Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo exibunt. Quod si ad animam referas, eandem genitricem boni & mali intelliges: quia ex eodem fonte animæ vtrunque demanat. Sed hoc sobrij solet esse verique iudicij, vt repudiato malo enutriat quod bonum est, atq; confirmet. Prius ergo quàm pariat, bonũ est exhíbare reuerentiam deo debitam, vt ipsi totum deferat, sua non præferat? Cùm verò genuerit cõfessionem qua defertur deo, deponit cordis sui tumorem. Adiiciens ergo deus bonum animę dogma Abel, abstulit improbum dogma Cain.

925 *De mysterio in præmemoratis fratribus secundum scripturam & authoris intelligetiam figurato. Et quid per hoc intelligi detur, quod in libris Regum legitur: Et appositus est ad patres suos. De comparatione præterea Isaac & Moysi quantum ad typum & figuram quæ in eis præcessit. Et qua ratione de Moyse non legatur sicut de ceteris quia deficiens mortuus est: ac de ignorantia sepulturæ ipsius.* Cap. II.

EGO tamen hoc loco secundũ scripturam mysterium magis duorum populorum intelligo, quod deus adiiciendo ecclesiæ suæ fidem piæ plebis, abstulit perfidiam populi præuaricantis, quandoquidem verba ipsa hoc significare videantur, dicente deo: Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo exibunt. Hæc figura synagogæ & ecclesiæ in his duobus fratribus antè præcessit, Cain, & Abel. Per Cain parricidalis populus intelligitur Iudæorum, qui domini authoris sui, & secundum Mariæ virginis partum fratris, vtrita dicam, sanguinem persecutus est. Per Abel autem intelligitur populus Christianus adhærens deo, sicut & Dauid Psal.72. ait: Mihi autem adhærere deo bonum est. Et vt cœlestibus se Psal.38. attexeret, & à terris separaret. Et alibi: Defecit, inquit, anima mea in verbum tuum: eò quòd ordinem viuẽdi atque vsum non in terrenis voluptatibus, sed in verbi agnitione posuisset. Ex quo cognoscitur, nec illud ociosè scriptum esse, sed perpensè atque examinatè, quod legimus in Regnorum libris: Et appositus est ad patres suos. Intelligi enim datur patrum similis fuerit fide. Vnde claret non ad sepulturam corporis, sed ad consortium vitæ relatum. Denique de Isaac non perfunctoriè scriptum putatur quod requirens corporis istius speciem quæ animæ suæ attexebatur, appositus sit ad genus suum, eò quòd patris sui moribus adhæserit. Pulchrè autem ad genus ait, non ad populum, sicut alibi. Nam legimus aliis locis appositos fuisse ad populum suum. Sed isti non tam præstantes: præstantior autem, qui paucorum similis fuerit, & non plurimorũ. Plures in populo suo quàm genere. Et præstantius dicitur paucorum similem esse, quàm plurimorum. Qui ergo dei erat generatus promissione, qui ad sacrificium probandæ pietatis electus, qui vnius vxoris, hoc est solius sapientiæ societate contentus, superni illius generis, quod est vnum, sibique semper conueniens, non plebeiæ vilitatis imitator astruendus fuit scripturæ diuinę testimonio. Etenim vbi labor, doctrinæ meditatio, illic cum pluribus commune collegium, & quoddam populare consortium est. Audiendo enim plerique proficiunt, quos nominauit populum. Vbi autem non humana traditione, sed ingeniosa collectione sine vsu laboris disciplina percipitur, illic sublimis generis incorrupta sinceritas est. Et ideo Isaac tanquam dei munus ad genus suum magis quàm ad populum appositus legitur, vt diuinorum potius quàm humanorum imitatorem esse sedulũ recognoscas. Beata & illa mens, quæ
Exod.34. species & ipsum genus supergrediens, meretur audire quod dictum est ad Moysen cum separaretur à populo: Tu autem sta mecum. Nam sicut in Isaac dominicæ incarnationis typus humanæ generationis supergressus consuetudinem, vicit priores, ita vt in eo non vulgaris populárisque gratia, sed
Galat.3. specialis prærogatiua præcelleret, sicut lectio docet: Abrahæ enim dictæ sunt repromissiones, & semini eius: non dicit & seminibus, tanquam in multis, sed sicut vni, hoc est semini tuo, quod est Christus: ita etiam in Moyse venturi doctoris figura, qui legem doceret, Euangelium prædicaret, impleret testamentum vetus, nouum conderet, cœleste populis alimentum daret, humanę dignitatem conditionis excessit eo-
Exod.7. usque, vt dei donaretur nomine: sicut habemus scriptum dicente domino: Posui te deum Pharaoni. Etenim victor passionum omnium, nec vllis captus seculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cœlestis puritate conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subiiciens, & regia quadam authoritate castigans, nomine dei vocatus est: ad cuius similitudinem se perfectæ virtutis vberta te formauerat. Et ideo non legimus de eo, sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est, sed per verbum dei mortuus est. Deus enim neque defectionem aut deminutionem patitur,

A neque adiectionem capit. Vnde & addidit scriptura: Quia nemo scit sepulturam eius vsque in hodiernum diem, quod ad translationem magis quàm ad interitum intelligas. Mors enim secessio quędam est animę & corporis. Mortuus igitur est per verbum dei, vt ait scriptura, non secundum verbum: vt aduertas non nuncium mortis, sed gratię munus expressum, qui translatus magis quàm derelictus est, cuius nemo nouit sepulturam. Quis enim in terrenis reliquias eius potuit deprehendere, quem secum esse dei filius in euangelio demonstrauit? Denique & Helias simul est à quibusdam vi- 4.Reg.2.
sus, qui translatus curru est, non sepultus nec mortuus legitur: viuit enim, qui cum dei filio est. Moyses autem mortuus quidem legitur, sed per verbum dei mortuus, per quod fa- Psal.32.
cta sunt omnia. Verbo autem dei cœli firmati sunt. Per verbum igitur dei non lapsus operis, sed firmamẽtum est. Non ergo tanquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, sed tanquam verbi cœlestis operatione donatus & munere, vt quietem magis caro eius, quàm bustum acceperit. Bene autem inter dominum & seruum seruatur distan-
B tia, vt prærogatiuam domini intelligas, serui gratiam. De Moyse legitur quia sepulturam eius nemo scit: de Christo autem, sepultura eius de terra sublata est: quia ille secũdum mysterium legis expectabat redemptionem, vt resurgeret: hic secundum euangelij donum redemptionem non expectabat, sed donabat. Et ideo sepultura eius ignorata non est, sed eleuata: quam diutius creatura tenere non potuit, quia per ipsum omnis creatura properauit à corruptionis seruitiis eleuari. Nemo ergo scit sepulturam Moysi, quia vitam eius omnes nouerunt. Christi autem sepulturam vidimus, sed nunc iam non nouimus, qui resurrectionem eius agnouimus. Debuit enim cognosci tumulus eius, vt resurrectio manifestaretur. Et ideo in euangelio tumulus summa expressione describitur. In lege non quæritur, quia licet resurrectionem eius lex annunciauerit, nobis tamen euangelij series plenissimè comprobauit.

Quid iuxta moralem interpretationem author significari velit per
C *hoc quod superius commemoratum est: Et adiecit parere Abel. Et de statibus ac officiis Abel, & Cain. Qua ratione etiam, cùm antè generatus sit Cain, in descriptione vitæ status & operis vsus Abel prius commemoretur.* Caput III.

ERGO vt quod proposuimus, compleamus, Adiecit, inquit, parere Abel, hoc est, meliorẽ Genes.4.
Eua, quæ grauiter antè peccauerat, ex se generauit sententiam, vt superioris sententiæ aboleret errorem. Mentior nisi hoc in vniuersis comprobatur. Ita enim nascimur, vt antè infirmus infantiæ sensus in nobis sit, postea pueritiæ corporis tantummodo curam sciens, nullum cultum, nullam habens obseruantiam diuinorum. Vnde & euidenti naturæ nouitate ortum Iesum Christum ex virgine vt probaret propheta, ait: Ecce virgo in Esaiæ 7.
vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: butyrum & mel manducabit priusquã sciat malum aut bonum: non credet malitiæ, vt eligat quod bonum est.
D Et infra: Priusquam sciat puer vocare patrem ac matrem, ac- Esaiæ 8.
cipiat virtutem Damasci, & spolia Samariæ contra regem Assyriorum. Solus enim fuit qui non est captus seculi huius vanitate, & carnali tumore: vtpote qui se humiliauit factus o- Philipp.2.
ediens vsque ad mortem. Longè vnicuique nostrum dissimilis, quia nos frustra extollimur mente carnis inflati. Vnde Iob 15.
& nemo sine peccato, nec vnius diei infans. Ille autem pec- 1.Pet.2.
catum nõ fecit. Et ideo in nobis antè nascitur Cain seipsum præferens: postea Abel generatur, in quo sit reuerentia diuinitatis. Prius ergo irrepit quod malum est, postea agnoscitur quod bonum est. Vbi autem bonum, ibi iustum: vbi iustitia, ibi sanctitas: hoc est, Abel qui adhæret deo. Et factus est, in- Genes.4.
quit, Abel pastor ouium, Cain autem operabatur terrã. Non est ociosum quòd cùm antè generatus sit Cain, vt lectio docet, prælatus sit hoc loco Abel: nec idem sit ordo nominum, qui est ordo naturę. Quid sibi vult mutatio ordinis, vt prius iunioris meminerit, vbi scribitur vitę status, operísque vsus? Officiorum interrogemus distantiam, vt colligamus causam

prælationis. Operari terram vsu prius est, gratia inferius quàm oues pascere. Hoc enim instar est cuiusdam doctoris & principis. Meritóque prior se à vetustioribus inchoauit, iunior recentiora prætulit, quæ nullas spinas, nullos tribulos
Genes.3. germinarent, nulli sententiæ essent obnoxia. Denique peccati reus Adam de paradiso dimissus est voluptatis, vt operaretur terram. Rectè ergo vbi nascuntur hi fratres, seruatur etiam in prædicando ordo naturæ: vbi verò exprimitur disciplina viuendi, seniori iunior antefertur: quia etsi tempore iunior, virtute præstantior est. Innocentia enim tempore posterior est quàm malitia, & quadam suppar ætate: sed meri-
Sapien.4. torum nobilitate antiquior. Senectus enim venerabilis est, non annis incana, sed moribus. Et ætas, inquit, senectutis vita immaculata. Vbi ergo generatio exprimitur, præueniat Cain: vbi disciplinarum fit prædicatio, præcurrat Abel. Adolescentiam igitur, & ipsam in exordiis iuuentutem variarum illecebris passionum feruere quis abnuat? Sed vbi maturior ætas successerit, tanquam pubescentis lasciuiæ tempestate discussa tranquillitatem refundi, & in quosdam portus quietos lassæ animæ nauigium subducere. Itaque graues motus nostræ adolescentiæ fida senectutis statione placidantur.

Quòd non solum naturæ exemplis, sed & fidelibus diuinæ scripturæ testibus comprobetur malitiam tempore præcedere virtutem. Et quemadmodum secundum mysterium latens in literis, duæ mulieres vnicuique nostrum cohabitent, inimicitiis & discordiis dissidentes, quarum vna voluptas, altera vero virtus nominatur. De voluptatis quoque descriptione, & retibus ipsius, fallacibúsque suasionibus quibus mentem hominis capere nititur. *Cap. IIII.*

NE ergo dubites talibus naturæ admonitus exemplis, quòd malitia præcedat tempore, sed iuuenescat infirmitate. Habet illa ætatis stipendium, virtus autem prærogatiuam gloriæ, qua plerũque iusto iniquus iudici cedit. Cuius rei testis est fidelis diuina scriptura, quæ docet Esau cognomine stultitiæ virũ cessisse patiẽter primatus suos fratri suo Iacob, ita vt diceret: Vt quid
Genes.25. mihi primatus? Sed quos iste posthabuit, hos vir cognomento exercitationis præditus quæsiuit mereri. Nónne tibi videtur Esau tanquam in agone victus, & propriæ mentis infirmitate imparem se existimans cessisse victori coronam, quem videbat nullis passionum illecebris inflecti, quarum ipse puluerem sustinere non poterat? Vt quid mihi, inquit, primatus? Apud ignauos enim nulla sunt insignia virtutis, apud sapientes prima habentur: studia enim virtutis quædam instrumenta sunt. Itaque sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus. Vnde & dominus in
Matth.11. Euangelio ait: A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum
Matth.6. cogitur, & cogẽtes diripiunt illud. Et alibi: Quærite regnum dei, & ecce omnia præsto sunt vobis. Non dormientibus, neque ociantibus, sed vigilantibus & laborantibus pollicentur præmia, & labori merces parata est. Qui licet non suauis ad gratiam, tamen fructuosus ad præmium est. Docet hoc ser-
Deut.21. mo legis, sicut scriptum inuenimus: Si fuerint, inquit, vni homini duæ vxores, vna earum dilecta, altera odibilis: & pepererint ei ambæ filios, dilecta & odibilis, & fuerit primitiuus filius mulieris odibilis: qua die hæredes reliquerit filios in substantia sua, non poterit primatum dare filio mulieris dilectæ, omittens filium odibilis: sed primitiuum filium odibilis cognoscens, det illi dotem ex omnibus quæ inueniuntur ei: quia ipse initium filiorum eius est, & ipsi debentur primitiæ. Quàm profunda latent mysteriorum secreta in literis? Recognosce anima partus tuos, & odibilis istius mulieris quære mysterium. Intra te ea inuenies, si requiras. Repete cogitationes, relege sensus tuos, & cui primitiæ debeantur, agnosces. Duæ enim mulieres vnicuique nostrum cohabitãt, inimicitiis ac discordiis dissidentes, velut quibusdam zelotypiæ contentionibus nostræ replentes animę domum. Vna earum nobis suauitati & amori est, blandæ conciliatrix gratiæ, quæ vocatur voluptas. Hanc nobis opinamur sociam ac domesticam: illam alteram immitem, asperam, feram credi-

mus, cui nomen virtus est. Illa igitur meretricio procax motu, infracto per delicias incessu, nutantibus oculis, & ludentibus iaculans palpebris retia, quibus pretiosas iuuenum animas capit, (oculus enim meretricis, laqueus est peccatoris) quencunque viderit sensu dubio prætereuntem in angulo trãsitus domus suæ, sermonibus adoritur gratiosis, faciens iuuenum volare corda, domi inquieta, in plateis vaga, osculis prodiga, pudore vilis, amictu diues, genas picta. Etenim quia verum decorem naturæ habere non potest, adulterinis fucis affectatæ pulchritudinis lenocinatur speciem, non veritatem. Vitiorum succincta comitatu, nequitiarum choro circunfusa, dux criminum talibus verborum machinis murum mentis aggreditur humanæ: Sacrificium pacis est mihi: Prou.7.
hodie reddo vota mea: hac ex causa progressa sum obuiam tibi, desiderans faciem tuam inuenire. Institis texui lectum meum, & tapetis ab Ægypto straui. Aspersi lectum meum croco, domum autem meam cinnamomo: veni, fruamur amicitia vsq; in diluculum: veni, colluctemur cupidine. Hanc
B enim per os Salomonis speciem fornicariæ videmus expressam. Nam quid tam meretricium, quàm secularis voluptas? quæ à fenestra domus suæ intrat, oculis prima tentamenta præludens: & penetrat citò, si tu in plateam prospiciens, id est, in publicas transeuntium vias, non in legis interna mysteria obtutum mentis intendas. Ea profectò est quæ validioribus vinculis velut cubile quoddam consociatæ nobis communitatis intexit, vt qui reclinauerit se, ligetur: & opprobrio sæ fraudis velamine operit corporis sui stratum ad solicitandos iuuenum animos, absentiam viri, hoc est, incuriam legis obtexens. Lex enim absens peccantibus est. Nam si adesset, non delinqueretur. Et ideo ait: Non enim adest vir meus in domo, abiit autem viam longissimam inuolucro pecuniæ accepto in manu. Quid hoc esse dicam, nisi fortè quia diuites putant nihil esse quod non cedat suæ pecuniæ, & in gratiam sui legem velint esse venalem? Spargit odores suos voluptas, quia Christi odorem non habet. Thesauros demonstrat, regna promittit, amores spondet continuos, inexploratos con-
C cubitus pollicetur, sine pædagogo disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine solicitudine, mollem somnum, inexplebilem cupiditatem. Seducens eum, inquit, multo blandimento sermonum, & laqueis labiorum suorum alligans, domum aduſque attraxit. At ille secutus eam circũuenitur. Nitebat aula regio luxu splendida, cælatis parietibus, & solo humido natabant pauimenta vino. Fragrabat vnguẽto humus, spinis cooperta piscium, & marcentibus iam floribus lubrica. Illic comessantium tumultus, concertantium clamor, litigantium cędes, concentus cœnantium, saltantium strepitus, ridentium cachinnus, lasciuiẽtium plausus, confusa omnia, nihil naturæ ordine. Saltarices tonsæ, & crispantes pueri coma, epulantium eruditas, edentium ructus, ebriorum sitis, hesterna crapula, hodierna temulẽtia, repleta vomitu bibentium pocula, maiore odore ebrietatis, quàm si recentia tantùm vina fragrarẽt. Ipsa in medio stans, Bibite, inquit, & inebriamini, vt cadat vnusquisque, & non resurgat, ille apud me primus, qui omniũ perditissimus. Ille meus est, qui suus Hier.in
non est. Ille mihi gratior, qui sibi nequior. Calix aureus Ba-
D bylonis in manu mea inebrians omnem terram, à vino meo biberunt omnes gentes. Qui est ergo insipientior, diuertat ad me, & indigentibus sapientia præcipio dicens: Panibus absconditis suauiter vtimini, & aquam furtim dulciorem bibite. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Tran- Esa.22.
siet vita nostra tanquam vestigia nubis, & tanquam nebula Sap.2.
dissipabitur. Venite ergo fruamur bonis quę sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino precioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant. Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, vbique relinquamus signa lætitiæ. Hæc omnia relinquuntur, nihil secum quis ferat, nisi quod corporis voluptate quis percepe-
rit. Denique ipsam ego institui philosophiam, nec est alia verior nisi ea quæ bonum asserit quod suaue atque iucundum sit. Ergo vel philosophiæ vel sapientiæ Salomonis credite.

De

929 *De accusa virtutis saucium & cito casurum miserantis. Ac ne inter moras illecebris demulcentibus mens capiatur, pulcher rimis illam rationibus à fallaci voluptate auertentis, & ad se trahentis, cum detestatione commemoratæ meretricis, & falsita tis ipsius detectione. Quòd etiam dominus Iesus docuerit quemadmodum aduersus huius mundi tentationes resistatur, & de tribus laqueis quos illi diabolus tetenderat. De vituperatione queque gulæ atque auaritiæ, & contrariarum virtutum commendatione.* *Cap. V.*

HIS auditis, velut ceruus sagittatus in iecore hæret saucius. Quem miserans virtus, & casum citò videns, improuisa occurrit veritate, ne inter moras illecebris demulcētibus mens capiatur humana. Palam, inquit, apparui tibi non quærenti me. Ne fallat imprudentem, & circunueniat te mulier effrænata & luxuriosa, quæ non nouit pudorem: sedet in foribus domus, in sella palam, in plateis aduocās præ- Prou.7. tereuntes. Nunc igitur fili audi me, & intende verbis oris mei: Non declinet in vias eius cor tuum. Multos enim vulnerando deiecit, & sunt innumerabiles quos trucidauit. Viæ Prou.7. inferorum domus eius, deducentes in secessum mortis. Auferte igitur prauum os, & iniusta labia longè à te propelle. Oculi tui recta videant: noli intendere fallaci mulieri. Mella enim distillabūt à labiis mulieris fornicariæ, quæ ad tēpus imp inguat fauces tuas: postea verò amariorem felle inuenies. Dies me ciciùs defecerit quàm vitia eius exponam, quæ tamen in Prouerbiis ore sapientiæ descripta atq; expressa sunt. Non te vincat formæ concupiscentia. Adulterina est, fucis illita, nequaquam vero ac syncero fulgens decore. Neque capiaris oculis: circunfusa enim retia sunt. Esto magis similis il Cantic.2. lius, & sequere eum qui salit super montes, & transilit super colles, prospiciens per fenestras, eminens super retia. Mala sunt voluptatis vincula. Oculos delectat, demulcet aures, sed mentem inquinat, multa mentitur, falsa adiungit, vera subducit, spondet pecuniam, aurum offert, sed aufert disciplinam. Tu autem accipe potius disciplinam quàm pecuniam, & scientiam super aurum probatum. Melior est enim lapidibus preciosis. Non te celabo quæ summa eius feruntur, ne videar operire quæ displicent in voluptate, & obumbrare quæ placeant. Eleuat enim & extollit mentem suasoriis verbis, ostendit omnia regna terræ dicens: Hæc omnia tibi da- Luc 4. bo si procidens adoraueris me. Ibi tu caue ne capiaris præterlabentibus & non manētibus, in quibus magna tentatio est. Docuit te certè dominus Iesus quemadmodum aduersus huiusmodi tentationes resistas. Tetenderat diabolus primum laqueum gulæ dicens: Si filius dei es, dic huic lapidi vt panis fiat. Respondit dominus: Non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo dei. Laqueum soluit hoc dicto. Posuit iterum diabolus secūdum iactantiæ laqueum, qui etiam bonam mentem prosperis currentem semitis solet strangulare. Et duxit illum, inquit, in Hierusalem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit illi: Si filius dei es, mitte te hinc. Scriptum est enim quod angelis suis mandauit de te, vt conseruent te, quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Itaq; cùm posset sine vllo periculo mittere se dominus Iesus, cui supperterent spiritales volatus: tamen ne iactantiæ genus esset, respondit diabolo: Non tentabis dominum deum tuum. Simul docuit nos cauere ne faciamus voluntatem diaboli. Si ergo verè iactantia declinanda est, quanto magis nemo debet falsa iactare pro veris? Tertius supereſt laqueus auaritiæ atque ambitionis. Ostendit in monte posito, omnia regna terræ in momento temporis. Bene in momento, quia diuturna esse nequeunt. Paululum expecta, & citò transeunt. Itaque qui sequuntur ea, in monte sibi esse videntur, sed non sunt perpetui, sicut Psal.36. habes scriptum: Vidi impium superexaltatum & eleuatum super cedros libani: & transiui, & ecce non erat. Sed qui maximè ea facit, adorare videtur diabolum, cui deus venter est, Philipp.3. & in pudendis gloria. Tu autem in deo gloriam quęre, qui tibi ait: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies, à Luc 4. quo æterna accipias non temporalia. Tamen si quem etiam ista delectent, ab eo moderatius petūtur, qui verus omnium

A fons est. Nam & ipsa peculiaria quæ possidere sibi videtur diabolus, aliena sunt, sicut ipse dixit: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam & gloriam eorum, quia mihi tradita sunt. Ab eo ergo spera, licet breuis vitæ non sit longum viaticum requirendum, tamen ab eo spera qui vniuersam creaturam cōdidit, qui diabolo ea ad tempus tradidit, non vt possideat sed vt tentet. Non enim poterat corona esse sine certamine. Probandi erant dubij, vt iusti coronarentur. Dedit itaque diabolo ea, quia in his ipsis pœna accipiētis est si vti nesciat. Quid est enim thesaurus luxurioso, nisi sumptus luxuriæ? Sed non luxuriosus, sed frugi probatur. Et ideo vtere quasi frugi iis quæ tibi apponuntur, vt non cum manducas multum, odibilis fias. Vigiliæ enim & tormenta viro edaci. Et in fra: Si coactus fueris in edendo, surge & vome, & refrigera- Eccles.31. bit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem. Plurimos itaque gula sua occidit, nullum frugalitas. Innumeris vina nocuerunt, nulli parsimonia. Plerique inter epulas fudere animas, & mensas proprio repleuere sanguine. Aliis cruditas

B vocem simul rapuit & sensum: & si aliquibus cruditas noxia non fuit, his ruinam fecit ebrietas: alios in crimen egit ebrietas: & si ipsa crimen non sit, alios ad egestatem redegit. Postremò audi quos Christus excludat. Cum intrauerit, in- Lucæ 13. quit, paterfamilias & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium dicentes: Aperi nobis! & respondens dicet: Nescio vos vnde estis, recedite à me operarij iniquitatis. Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vnde estis. Audistis quid de manducantibus dixerit. Audi nunc quid de ieiunantibus dicat: Beati qui nunc esuriunt & si- Lucæ 6. tiunt, quia saturabuntur. Et infra: Væ vobis qui saturati estis, quoniam esurietis. Sed vis manducare, vis bibere? Veni ad conuiuium sapiētiæ, quæ inuitat omnes cum magna prædicatione, dicens: Venite, & edite panes meos, & bibite vi- Prou.9. num quod miscui vobis. Delectant cantica quæ epulantem demulceant? Audi hortantem, audi cantantem ecclesiam, non solum in canticis, sed etiam in Canticis Canticorum:

C Manducate proximi mei, & bibite, & inebriamini patres Cantic.5. mei. Sed hæc ebrietas sobrios facit, hæc ebrietas gratiæ, non temulentiæ est. Lætitiam generat, non titubantiam. Nec verearis ne in conuiuio ecclesiæ aut grati odores tibi, aut dulces cibi, aut diuersi potus, aut conuiuæ nobiles desint, aut decentes ministri. Quid Christo nobilius, qui in conuiuio ecclesiæ & ministrat, & ministratur ei? Istius conuiuæ recumbentis annecte te lateri, ac te deo coniunge. Nec fastidias mensam quam Christus elegit, dicens: Introiui in or- Ibidem. tum meum soror mea sponsa, vindemiaui myrrham cum aromatibus meis, manducaui panem meum cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo. In horto, hoc est in paradiso est conuiuium ecclesiæ vbi erat prius Adam quàm peccatum committeret. Ibi recumbebat Eua priusquam culpam crearet & pareret. Ibi vindemiabis myrrham, hoc est Christi sepulturam, vt consepultus cum illo per baptismum in mortem, quemadmodum ille surrexit ex mortuis, & tu resurgas. Ibi manducabis panem qui confirmat cor hominis.

D Mel gustabis, quo tuarum dulcescat meatus faucium. Vi- Psal.103. num bibes cum lacte, hoc est cum decore & synceritate, siue quòd meri pura simplicitas sit, siue quòd immaculata gratia, quæ in remissionem sumitur peccatorum, siue quòd paruulos consolationis suæ lactet vberibus, vt ablactati in deliciis, in plenitudinem perfectæ ætatis adolescant. Succede ergo in hoc conuiuium. An metuis ne angustior domus & Baruch 3. breuis conuiuij locus te comprimat? O Israel quàm magna est domus dei, & ingens locus possessionis eius, magnus, & non habet finem, altus & immensus. Ibi fuerunt gigantes illi qui ab initio fuerunt statura magna, sciētes prælium. Non hos elegit deus. Et meritò non elegit, quia prælium non pacem sciebant. Et ideo tu pacem disce, vt eligaris à deo. Sed ne fortè incomptam domus magnitudinem putes, & diuersoria te columnata delectent: Sapientia ædificauit sibi domum, & sculpsit columnas septem. Ipse etiam dominus Ie- Sapien.9. sus multas mansiones apud patrem suum esse commemorat. In hac ergo domo epulaberis animæ cibo, potúque men Ioan.14. tis, vt postea non esurias neq; sitias vnquam. Qui enim man-

ducat,manducat vsque ad satietatem: & qui bibit, vsque ad ebrietatem bibit. Sed hæc ebrietas pudicitiæ custos est. Illa vini ebrietas fomes libidinis, quo per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit, anima exuritur. Sæuus criminum stimulus libido est, quæ nũquam manere quietum patitur affectum. Nocte feruet, die anhelat, de somno excitat, à negocio abducit, à ratione reuocat, aufert cõsilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiendo inflammat, vsũque accenditur. Nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis nisi morte amantis extingui non
1.Cor.6. potest. Et ideo ait Apostolus: Fugite fornicationem: vt veloci fuga tanquam furiosæ dominæ declinare sæuitiam & tetro seruitio exire possimus. Nam quid de auaritia dicam, insatiabili pecuniæ cupiditate, & quadam æris libidine, quæ quo plura abstulerit, eo magis inopem esse se credit? Omnibus inuida, sibi vilis, in summis diuitiis inops, affectu exenuat quod censu abundat. Nullus rapiendi modus, vbi nulla mensura cupiendi. Sic inflammat animum, sic igne suo pascit animum, vt hoc solo distet, quod illa formarum adultera sit, ista terrarum. Elementa concutit, mare sulcat, terram effodit, cœlũ votis satigat, nec sereno grata nec nubilo, condemnat prouentus annuos, fœtúsque terrarum arguit. Sed
Eccles.5. hæc ægritudo est animæ, non sanitas. Denique ecclesiastes, dicit: Est languor malus quem vidi sub sole, diuitias custodiri in malum possidentis eas. Et supra: Qui diligit argentum, non satiabitur argento, nec est finis acquisitionis eorum: Si quæris thesauros, accipe inuisibiles & occultos, quos in cœli altissimis, non quos in terrarum venis requiras. Esto pauper spiritu, & eris diues qualicunq; censu, quia non in abundantia diuitiarum vita est hominis, sed in virtute ac fide. Istæ te diuitiæ verum diuitem facient, si sis in deum diues.

De rememoratiua superiorum recapitulatione, & tribus non prætereundis, quibus dominus Iesus officia humanæ deuotionis definiuit, & quemadmodum mens hæc audiens se à voluptate auertat, & virtuti adiungat, studiaque illius eligat, quibus & sanctus Iacob vir plenus exercitationis mentem intendit. Quódque ideo pastor ouium inducatur, quia imperitare corpori & sensibus eius ac voluptatibus, votique modum tenere, præstantius æstimetur, quàm regere populos, vel vrbibus præesse.

Cap. VI.

AVdisti voluptatis mysteria, audisti etiam copiarum nostrarum munera, quas ego non supellectili operiendas, sed scripturæ nudis sermonibus demonstrandas putaui, vt sua luce refulgerent, vt ex se ipsæ vocẽ emitterent sibi inuicem. Neque enim sol & luna interprete indigent. Habent interpretem fulgorem sui luminis, quo totus repletus orbis est. Illis illuminatio est fides sine indice, quædam, vt ita dicam, intestata testis, quæ alieno non indiget testimonio, & subitò se vniuersorum oculis effundit. Non ergo nunciantur opera nostra sed clamant, & se ipsa nunciant. Sanè vt & hoc quod laboriosum in nostris ducitur, non præteream, fides exigitur, studium desideratur, facta quæruntur. His enim tribus dominus Iesus deuotionis humanæ officia diffinit dicens: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenie-
Matth.15. tis: pulsate, & aperietur vobis. Et infra: Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, similis est viro sapienti. Hæc qui studiosè fuerit prosecutus, primatus benedictionis accipiet, sicut patriarcha Iacob, qui continentia & fide humanarum supplãtauit vestigia passionum. Iste ait: Misericordiam mei habuit deus, & sunt mihi omnia. Hanc itaque misericordiam nos fide, studio operibúsque mereamur, quibus disciplinis inuenit Israel gratiam dei, & per ipsam omnia. Non enim mundi huius copias, sed virtutum disciplinas sibi suppetere gaudebat. Has nobis substituamus hæredes, quas sanGenes.25. ctus Abraham in Isaac filio suo substituit sibi, omnem operum suorum deputans hæreditatem sapienti & iusto viro, nec vllum ius hæreditarium ancillis vel ancillarum filiis derelinquens, sed tantummodo donationis munera. Perfectæ enim virtutes totum accipiunt gloriæ patrimonium, visitatis & mediocribus vile aliquid aspergitur. Et ideo Agar, quæ aduena Latinè dicitur atque accola, & Cethura quæ odorifera significatur, hæredes non sunt. Qui enim mediis vA titur disciplinis, accola non inhabitator est sapientiæ. Odore aspersus, non fructu expletur. Sanitatẽ autem cibus non odor inuehit, quia odor fructuum nuncius est. Principales itaque disciplinas sequentibus, & indigenas accolis agnoscimus præferendas. Hoc secundum ingenium. At verò secundum mysterium Abraham pater gentium, semini suo legitimo, quod est Christus, hæreditatem omnem fidei suæ detulit, quia in hac terra velut aduena fuit, vt vitæ huius odorem magis quàm fructum referret. Hæc cùm audit mens, auertit se à voluptate, virtutíque adiungit, veri decoris admirans gratiam, purum affectum, simplicem sententiam, mediocrem vestem, hoc est, non in persuasione sermonis, sed in ostentatione spiritus, qualis est Apostolicæ forma sententiæ, amictum sapientiæ atque pietatis omni precioſiorem auro refulgens: tamen chorum prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, iustitiæ suscipiens, quæ fragrabat odorem disciplinarum, incutientes reuerentiam, infundentes gratiam. Itaque talibus mota elegit studia virtutis, quibus Iacob vir plenus exercitationis mentem intendit suam. Et ideo ouium pastor inducitur, eò quòd imperitare corpori & sensibus eius ac voluptatibus, votique modum tenere, ne velut ouis vagetur incerta, præstantius æstimatur quàm regere populos, vel præesse vrbibus. Difficilius enim quispiam se quàm alterum regit. Animum vincere, iracundiam cohibere, compugnantésque leges carnis & mentis in vnum cogere, immortalis cuiusdam est viri, quem inferni porta non susceperit. Denique ipse sibi legislator vindicauit hoc munus, vt oues pasceret Iethro, qui dicitur superfluus, & ageret in desertum: eò quòd irrationabilem & superflui vulgarísque sermonis loquacitatem in secreta quædam sobriæ doctrinæ coegit mysteria. Ideoque Ægyptiis abominationi erant pastores ouium. Omnes enim qui corporis dediti passionibus huiusmodi, & voluptatibus indulgent suis, disceptatorem verbi doctorémque virtutis quadam execratione declinant. Et ideo per ænigmata hęc docuit Moyses apta deo esse sacrificia, quę
C refugit omnis insipiens, hoc est opera & præcepta virtutis. Ideoque pastor Abel, Cain autem operator terræ legitur, qui in fratre suo vir insipiens formam speciémque virtutis expressam ferre non potuit.

De oblatione Cain ex fructibus terræ, & criminatione illius, ac de informatione & instructione per legem diuinam quomodo vota solui debeant. *Cap. VII.*

ET factum est post dies, obtulit Cain ex fructibus terræ munus domino.) Duplex culpa, vna quod post dies obtulit, altera quod ex fructibus, non ex primis fructibus. Sacrificium autem & celeritate commẽdatur & gratia. Vnde preceptũ est: Si voueris votum, Eccles.
non facias moram reddere illud. Melius est enim non vouere votum, quàm vouere & non reddere. Cum enim moram facis, non reddis votum. Est autem postulatio bonorum à deo cum soluendi muneris promissione. Et ideo cum impetraueris quod petisti, ingrati est tardare promissum. Sed interdum aut negligentibus irrepit obliuio impetratorum, aut
D tumidis & elatis: arrogare euentus sibi, hebetis cordis est, & bonum quod agit, vel quod à deo consequitur, propriis virtutibus vindicare nec authoris deputare gratiæ, sed ipse se suorum bonorum authorem ducere. Tertium genus est peccati quidem minoris, sed supparis arrogantiæ, eorum scilicet qui datorem bonorum deum non negant, sed quæ accepérunt, ea sibi propter prudentiam suam cæterarúmque mederint, ea sibi propter prudentiam suam cæterarúmque mederint, ea sibi propter prudentiam suam cæterarúmque mederint

933 tuum, & obliuiſcaris dominũ deum tuum. Tunc ergo obli-
uiſcerit dominum cùm oblitus fueris tui. Si autem cogno-
ſcas infirmum te eſſe, cognoſces deum eſſe ſuper omnia: &
immemor eſſe non poteris, vt ei reuerentiam debitam ſol-
uas. Diſce nunc quemadmodum vnuſquiſque moueatur, ne
ſe ipſe authorem ſuorum putet bonorum. Ne dicas, inquit,
in corde tuo, virtus mea & potẽtia mea fecit mihi virtutem
hanc magnam: ſed in mente tua habebis dominum deum
tuum, quoniam ipſe dat vires vt facias virtutes. Vnde bene
2 Cor. 12. Apoſtolus quaſi legis interpres non gloriabatur in virtute
ſua, ſed minimum Apoſtolorum ſe eſſe dicebat, & quicquid
eſſet, gratiæ diuinæ eſſe, non meriti ſui, nihílque nos habere
quod non acceperimus. Quid enim, inquit, habes quod non
accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi nõ accepe-
ris? Didiciſti ergo humilitatem magis ſequi quàm arrogan-
tiam, ſedulitatem affectare quàm poteſtatem. Accepiſti ſalu-
taria præcepta, noli negligere vtilia inſtrumenta medicinæ,
quibus fibra omnis letalis vulneris exſecatur. Ille quoq; qui
ſe iuſtificat, ne infletur cordis ſui tumore, & ipſe accepit ſalu B
bre mandatum, in huiuſmodi ſentẽtiam reſultante oraculo:
Ne dicas in corde tuo cũ conſumere cœperit dominus deus
Deut. 9. tuus gentes illas à conſpectu tuo, dicens: Propter iuſtitiam
meam induxit me dominus poſſidere terram iſtam. Sed pro
pter iniquitates gentium iſtarum extirpauit illos dominus à
facie tua. Non propter iuſtitiã tuam, non propter bonitatem
tuam, nec propter æquitatẽ cordis tui intraſti poſſidere ter-
ram iſtam, ſed propter iniquitatem gentium diſperdidit eos
dominus à conſpectu tuo, & reſtituit teſtamẽtum quod iura
uit patribus veſtris. Teſtamentum perfecta dei gratia eſt. Ni
hil enim imperfectum dat deus, perfecta autem virtus eſt, &
opera virtutis. Teſtamentum autem dicitur quo defertur bo
norum hæreditas. Meritò & teſtamentum dicitur, & diui-
num, cum ea quæ vere bona ſunt, atteſtatione mandatorum
cœleſtium conferuntur. Et teſtamentũ dicitur, quoniam ſan
guine dedicatum eſt, vetus in typo, nouum in veritate. Quo
teſtamento diuinæ gratiæ pignus tenemus, quia ſic dilexit C
Ioan. 3. deus hunc mundum, vt vnigenitum filium ſuum pro nobis
Rom. 8. omnibus daret. Vnde perfectionẽ gratiæ prædicans Apoſto
lus ait: Quomodo non etiã cum illo omnia nobis donauit?

Quod prima voti gratia ſit celeritas ſolutionis, vt ex ſtudio immolationis Abrahæ, & ſcriptura diuina, & vocatione Zacchæi comprobatur. De incitatione quoque ac admonitione vt citò vota noſtra ſoluamus. *Cap. VIII.*

PRima igitur voti gratia, eſt celeritas ſolutionis. Denique Abraham filium ſuum ad holo-
cauſtum iuſſus offerre, non poſt dies vt Cain
obtulit, ſed exurgẽs mane ſtrauit aſinã ſuam,
Genes. 22. & adhibuit ſecũ duos pueros, & Iſaac filium
ſuum, & concidens ligna ad holocauſtum, ſurgens abiit, &
venit ad locum quem dixerat ei deus, die tertia. Primo ad-
uerte immolantis ſtudium maturum atque feſtinum, vt mo
ra expectationis non eſſet, niſi donec audiretur oraculum.
Deinde vt ſterneret aſinam ſuam, obſequium omne ipſe ſu-
ſciperet, & ſacrificio neceſſaria præpararet, duabus quoque
fide & ſpe virtutibus comitantibus hoſtiam ſuam duceret, D
de poteſtate dei certus, & de bonitate ſecurus. Quod autem
ait: Die tertia: vel quod continua eſſe debeat & perpetua de-
uotio. Tripertitum eſt enim tempus, præteritum, præſens, &
futurum. Quo admonemur quòd nec præteritorum benefi
ciorum dei vel præſentium vel futurorum irrepere debet vl
la obliuio, ſed tenax gratiæ memoria perſeuerare, & obediẽ-
tia non deeſſe. Vel quia is qui ſacrificat: in vnum ſplẽdorem,
in vnam lucem debeat credere trinitatis. Ei enim qui fideli-
ter ſacrificat, dies lucet, nox nulla eſt. Sic & in Exodo Moy-
ſes ait: Viam trium dierum ibimus, & immolabimus domi-
Exod. 5. no deo noſtro. Sed etiam alibi cùm viſus eſſet deus Abrahæ
ad ilicem Mambre: Reſpiciens, inquit, Abraham oculis ſuis
vidit, & ecce tres viri ſtabant ſuper eum. Et videns, occurrit
Genes. 18. obuiam illis ad oſtium tabernaculi ſui, & adorauit ſuper ter
ram, & dixit: Domine, ſi inueni gratiam ante te. Tres vidit, v-
num adorauit. Tres mẽſuras offert ſimilaginis. Nam etſi im-
Eſaiæ 40. menſus deus, tamen mẽſuram omnium tenet, ſicut ſcriptum
eſt: Quis menſus eſt manu aquam, & cœlum palmo, & vni-

uerſam terram clauſa manu? Perfectæ igitur in perſonis ſin-
gulis trinitati, interiore mentis arcano, hoc eſt, ſimilaginis
ſpiritalis ſanctus patriarcha ſacrificium deferebat. Hęc eſt ſi- Matth. 24.
milago quam in euangelio molit mulier illa quæ aſſumetur.
Vna enim, inquit, aſſumetur, altera relinquetur. Aſſumetur
eccleſia, relinquetur ſynagoga. Vel mẽs bona aſſumitur, im-
proba derelinquitur. Vt ſcias autem quia & Abrahã in Chri-
ſtum credidit: Abraham, inquit, diem meum vidit, & gaui-
ſus eſt. Et qui credit in Chriſtum, credit & in patrem. Et qui Ioan. 8.
perfectè credit in patrem, credit in filium & ſpiritum ſan-
ctum. Tres ergo menſuræ, vna ſimilago, hoc eſt, vnum erat
ſacrificium quod venerabili trinitati pari quadam menſura
deuotionis & congrua plenitudine pietatis oblatum eſt. Ad
huc cognoſce celeris ſtudia deuotionis. Cucurrit, inquit, &
accepit vitulum vnum tenerum & bonum, & dedit puero,
& feſtinauit facere eum. Vbique impigra deuotio, & ideo
deo fuit munus eius acceptum. Habes & alibi vt ſolis or-
tum oratione præuenias, Occurre, inquit, ad ſolis ortum, Ha
bes in euangelio dicentem dominum Ieſum: Zacchæe feſti- Lucæ 19.
nans deſcende. Et ille quia impetrauerat quod volebat, vt
Chriſtum videret, & amplius impetrauerat vt videretur &
vocaretur à Chriſto, feſtinans deſcẽdit, & accepit illum gau-
dens. Et ideo probauit dominus eius affectum, & eum ce-
leri remuneratione donauit, dicẽs: Quia hodie ſalus domui
huic facta eſt: feſtinauit enim & dominus ad beneficium, &
ideo non expectauit vt promitteret & impleret omnia, ſed
antè fecit, poſtea declarauit. Dixit enim: Facta eſt ſalº: quòd
vtique præuenienti ſeruit, non promittenti. Iuſtus ergo vo-
tum ſuum celeritate commendat. Et ideo patres noſtri feſti
nantes mãducabant paſcha ſuccincti lumbos, & pedes ſuos
calceamentorum exuentes vinculis, & tanquam onus cor-
poreum deponentes, vt eſſent parati ad tranſitum. Paſcha e-
nim domini tranſitus eſt à paſſionibus ad exercitia virtutis.
Et ideo paſcha domini dicitur, quoniam & tunc in typo illo
agni veritas dominicæ paſſionis annunciabatur, & nunc e-
ius celebratur gratia. Citò ergo hoc quære anima, vt citò e- Geneſ. 27.
tiam audias, ſicut audiuit & Iacob: Quid eſt hoc quod tam
citò inueniſti fili? Et ille ſecundum dogma reſpondit, Quod
tradidit dominus deus tuus in manus meas. Citò dat deus: Pſal. 148.
quia dixit, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt. Verbum e-
nim dei (non ſicut quidam ait) opus eſt, ſed operans: ſicut ha
bes ſcriptum: Pater meus vſque modo operatur, & ego ope Ioan. 5.
ror. Præuenit omnia. Eſt enim ante omnia ſicut pater, & in Hebr. 3.
omnibus ſicut idem pater, penetrans omnia. Validum enim
& acutum, & omni gladio acutius eſt penetrans vſque ad di
uiſionem animæ & ſpiritus, artuúmque & medullarum. Præ
ueniens omnium cogitationes: de quo ait pater deus: Iam vi
debis ſi comprehẽdit te verbum meum, aut non. Vbi enim Ioan. 14.
deus, & verbum eſt: ſicut dixit: Veniemus, & manſionem a-
pud eum faciemus. Et ſicut habes in aliis de deo lectum, E- Ioan. 1.
go ſteti hîc priuſquàm tu: ita & verbum dicit: Priuſquam ſta
res ſub arbore fici, vidi te. Et de ipſo dictum eſt verbo, hoc
eſt filio dei: Medius autem veſtrum ſtat, quem vos neſcitis. Ibidem.
Vbicunque enim ſancti, ibi in eorum medio dei verbum, in
ſingulorum præcordiis complẽs maria & terras. Et cùm hic
eſt, etiam alibi eſt, non mutato loco, ſed repleto vbique ſui
præſentia. Vbique enim eſt qui eſt per omnia, & in omni-
bus, nullum locum immunem ſui relinquens. Et vbi adeſt
erat, & vbi erat adeſt. Et ideo qui nouit velox eſſe verbum
dei, citò petit, & citò impetrat.

De reprehenſione Pharaonis, qui vt pro eo rogaretur in craſtinum diſtulit, & exaltatus mente deum obliuiſcebatur. Quantúmque humilitas orationem commendet. Et quòd melior votorum ſit ſolutio, laudare deum. Quòd præterea illa commendanda ſit orationis & voti diſciplina, vt non diuulgemus orationem, ſed abſcondita teneamus myſteria, ſicut Abraham & patres tenuerunt, & quemadmodum dominus in euangelio docuit: & quæ in oratione cauere debeamus. *Cap. IX.*

AT verò Pharao qui opinionibus vanis & ina-
nibus ſtudium impendebat ſuum: ranis repleta Ægypto, ſonum inanem rerum & ſtrepi-
tum varium reddẽtibus, dicenti Moyſi, Con-

Exod.8. ſtitue mihi quando pro te orem, & pro famulis tuis, & pro populo tuo, vt exterminet dominus ranas: cum debuerit in tanta poſitus neceſſitate rogare vt iam oraret, nec differret, reſpondit, Craſtina die: ocioſus & negligens moræ pœnam Ægypti ſoluturus excidio. Itaque iſte vbi impetrabat, immemor fiebat gratiæ, & exaltatus mente carnis ſuæ obliuiſce-
Lucæ 18. batur deum. Humilitas autem commendat orationem. Siquidem & Phariſæus ille reprehenſus eſt, qui ieiunia ſua velut beneficia enumerabat, & tanquam obiectabat deo, & ſe criminum memorabat exortem. Publicanus autem prædicatus eſt, qui à longè ſtans nolebat oculos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Domine deus, propitiare mihi peccatori. Et ideo diuina eum ſententia prætulit, dicens: Quia deſcēdit hic Publicanus iuſtificatus magis quàm Phariſæus. Ille enim iuſtificatur qui peccatū proprium con-
Eſa.43. fitetur, ſicut locutus eſt ipſe dominus: Dic iniquitates tuas,
Pſal.50. vt iuſtificeris. Et Dauid ait: Sacrificium deo ſpiritus contribulatus. Et iterum: Cor contritum & humiliatum deus non
Baruch 3. ſpernit. Hieremias quoque ait: Anima in anguſtiis, & ſpiritus anxius clamat ad te. Ergo & Pharao, & rex Aſſyrius qui dicebat: Quis deorum gentium iſtarum liberabit terram ſuam de manu mea? quomodo liberabit dominus deus tuus Hieruſalem de manu mea? exaltatione ſua deiecti ſunt. Iuſtus autem, ſicut Iacob, ad authorem deum refert quæcunque fuerit bona conſecutus, dicens de omnibus quæ ſibi proſperari cognouerit: Quoniam tradidit ea dominus deus in manus meas. Hæc igitur melior votorum ſolutio eſt, ſic-
Pſal.49. ut & Dauid ait: Immola deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Laudare deum, commendare eſt votum, & ſoluere. Vnde & Samaritanus ille aliis antefertur, qui cùm Leproſis aliis nouem ſecundum præceptum domini mundatus à lepra, ſolus regreſſus ad Chriſtū amplificabat deum,
Lucæ 17. & agebat gratias. De quo Ieſus ait: Non fuit ex illis qui rediret, & gratias ageret deo, niſi hic alienigena. Et ait illi: Surge, & vade: quia fides tua te ſaluum fecit. Eſt etiam illa commendandæ orationis & voti diſciplina, vt non diuulgemus orationem: ſed abſcōdita teneamus myſteria, ſicut tenuit Abraham, qui ſubcinericias fecit. Tenuerunt & patres qui coxere conſperſum quod extulerant de Ægypto, ſubcinericia facientes azima, quæ Græcè ἐγκρύφια dicunt, eo quòd abſcondantur in cinere, ſignificantes fermentum illud quod
Lucæ 13. abſcondit mulier illa euangelica menſuris tribus donec fermentaretur totum: myſteriorum quoque innuentes premendam eſſe doctrinam. Quod apertiùs dominus in euan-
Matth.6. gelio docuit, ſic dicens: Tu autem cùm orabis, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, patrem tuum ora in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui. Et infra: Scit enim pater veſter quid vobis opus ſit antequam petatis ab eo. Cubiculum tuum mentis arcanum, animíque ſecretum eſt. In hoc cubiculum tuum intra, hoc eſt, intra in alta præcordia, totus ingredere de corporis tui exteriori veſtibulo, & claude
Pſal.140. oſtium tuum. Quid ſit oſtium tuum, diſce: Pone, domine,
Coloſ.4. cuſtodiam ori meo, & oſtium circuitus labiis meis. Et paulus petit orari pro ſe, Vt aperiatur mihi, inquit, oſtium verbi, ad loquendum myſterium Chriſti. Sed ille, vtpote electus ad euangelij prædicationem, rectè ſibi oſtium verbi optabat aperiri, quia de ore eius exibat ſalus gentium: de ore eius prodibat vita populorum. Nos autem claudamus oſtium ne culpa intret, ne lapſus aliquis ſermonis exeat. In-
Prou.10. trat culpa ſi lapſus exierit. Audi quomodo intret culpa. Ex multiloquio, inquit, non effugies peccatum. Exiuit multiloquium, peccatum intrauit: quia in multiloquio nequaquam qui exeat ſermo trutinatur, imprudenter labitur: licet ipſum vltra menſuram aliquid loqui grande peccatum ſit. Et ideo caue ne imprudenter loquaris. Labia enim imprudentis inducunt eum ad mala. Caue ne in oratione te extollas. Ora-
Eccleſ.35. tio enim humiliantis ſe nubes penetrabit. Caue ne incautè ſymboli vel dominicæ orationis diuulges myſteria. An neſcis quàm graue ſit in oratione cōtrahere peccatum, vbi ſperas remedium? Certè dominus per prophetam docuit hoc
Pſal.108. graue eſſe maledictum, dicens: Et oratio eius fiat in peccatū. Niſi fortè mediocre id tibi putas eſſe. Diffidere eſt enim

de potentia dei, æſtimare quod non audiaris niſi clamaueris. Clament opera tua, clamet fides, clamet affectus, clamēt paſſiones tuæ, clamet ſanguis tuus, ſicut ſancti Abel, de quo dixit deus ad Cain: Vox ſanguinis fratris tui ad me clamat, Genes.4. Audit enim in occultis qui mundat in occultis. Nos niſi loquentem aliquem audire non poſſumus: apud deum loquuntur non verba, ſed cogitationes. Et vt hoc verum ſcias, dicebat dominus Ieſus ad Iudæos: Quid cogitatis mala in Matth.9. cordibus veſtris? Non interrogantis vox iſta eſt, ſed ſcientis. Quod tibi manifeſtat euangeliſta dicens: Ieſus autem ſciebat cogitationes eorum. Sicut ergo filius nouit, nouit & pater. Filium noſſe cognouiſti, patrem noſſe audi conſiliarium & teſtem patris dicentem: Scit enim pater veſter Matth.6. quid vobis opus ſit, antequam petatis ab eo. Coque ergo ſubcinericiam tuam vapore ſpiritus ſancti. Coque etiam animi paſſiones verbi calore. Et ſi crudiores ſunt paſſiones tuæ, nuper fortaſſe de Ægypto egredientes, operito eas, & lento calore excoque, ne fortiorem ignem dum ferre non poſſint, ſemiuſtulentur potiùs quàm coquantur. Sunt enim plurima quæ præmaturo ſermone infidis auribus vel infirmis quaſi incocta committas, ad quæ auertatur auditor, & cum horrore faſtidiat: ſi coctiora guſtaret, ſpiritalis cibi perciperet ſuauitatem. Diuinæ autem dominus Ieſus & bonitatem te docuit patris, qui bona nouerit dare, vt quæ bona ſunt, à bono poſcas: & impenſè & frequenter monuit orandum, non vt faſtidioſa continuetur oratio, ſed vt aſſidua frequenter effundatur. Plerunque inanis gloria longæ precationi, intermiſſæ autem prorſus obrepit incuria. Deinde monet vt cùm ipſe veniam tibi poſcis, tum maximè largiendam aliis noueris quo precem tuam operis tui voce commendes. Apoſtolus quoque docet orandum ſine ira & diſceptatione, vt non turbetur, non interpoletur oratio tua. Docet etiam orandum in omni loco, cum ſaluator dicat: Intra in cubiculum tuum. Sed intellige cubiculum non incluſum parietibus, quo tua membra claudantur, ſed cubiculum quod in te eſt, in quo includuntur cogitationes tuæ, in quo verſantur ſenſus tui. Hoc orationis tuæ cubiculum vbique tecum eſt, & vbique ſecretum eſt, cuius arbiter nullus eſt niſi ſolus deus. Orandum autem præcipuè & pro populo doceris, hoc eſt pro toto corpore, pro membris omnibus matris tuæ, in quo mutuæ charitatis eſt inſigne. Si enim pro te roges, tantummodo pro te rogabis. Et ſi pro ſe tantum ſinguli orent, minor peccatoris quàm intercedentis eſt gratia. Nunc autem quia ſinguli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro ſingulis. Ergo vt concludamus, ſi pro te roges: tantum, vt diximus, pro te rogabis. Si autem pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt. Si quidem & tu in omnibus es. Ita magna remuneratio eſt vt orationibus ſingulorum acquirantur ſingulis totius plebis ſuffragia. In quo arrogantia nulla, ſed humilitas maior eſt, & fructus vberior.

De tranſitu ad aliud vitium oblationis ipſius Cain qui obtulit non de primis fructibus primitias deo, & quid per primitias intelligatur. Quódque Abel obtulerit hæc munera, & etiam talia qualia lex probauerit, cum pulchra myſteriorum legis explanatione: & quemadmodum interiora mundare debeamus, & ibidem quærere quæ domino ſanctificemus. De ſimilitudine quoque conceptionis ac parturitionis fœminarum & animæ, partuúmque, eiuſdem diſſimilitudine. Cap. X.

SED iam tempus eſt alio tranſire, quoniam de eo quod poſt dies obtulit Cain, plenè diximus. Factus eſt indicium reſupini, cùm ipſa poſtulario voti matura eſſe debeat, ne videamur de humanis artibus, hoc eſt, medēdi peritia, herbarúmq; ſuccis, ſperaſſe magis remedium, quàm de deo ſubſidium poposciſſe. Ad ipſum enim prius eſt confugiendum, qui noſtræ curare poſſit animæ paſſiones. Verum homines quidam præpoſtero ordine antè ſibi ab hominibus opem arceſſunt. Vbi autem humana ſubſidia defecerint, tūc opinantur diuini poſtulandā fauoris gratiam. Concluſo ergo illo & cōuicto Cain crimine, aliud oblationis vitium diſcutiamus. Ob-

937

Obtulit, inquit, à fructibus terræ, nõ à primis fructibus, primitias deo. Hoc est primitias sibi prius vindicare, deo autẽ sequentia deferre. Itaque cùm verè anima corpori tanquam seruo domina sit præferenda: vtique primitias eius, hoc est animæ prius quàm corporis offerre debemus. Primitiæ animæ, primatus sunt bonarum disciplinarum. Quæ licet tẽpore posteriores sint, quã corporis primitiæ, quæ sũt esca, incrementum, visus, auditus, & tactus, odor, vox: mens autem & sensus pars animæ, pars corporis est: tamen priores sunt disciplinis. Quarum primitiua est puro corde & simplici seruare oblata deo gratiarũ actio. Hæc munera obtulit Abel, & ideo respexit deus in munera eius quoniam à primitiuis obtulit. Accedit ergo quia de primitiuis ouium, & de adipibus earum: considera quia non de insensibilibus, sed de animãtibus obtulit. Plus est enim animalis quã terrenus. siquidem animalis proximus spiritali est. Non enim prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Quod animale spirat, habet vitalem spiritum, non ita quod de terrarum fructibus. Deinde obtulit nõ secunda, sed prima: non exigua, sed pinguia. Talia enim lex probauit, & iussit offerri, sicut scriptum est: Et erit, inquit, cùm inducet te deus in terram Chananæorum, sicut iurauit patribus tuis, & dabit tibi, tolles omne quod aperit vuluam masculinum domino. Omne quod aperit vuluam de armentis & pecoribus tuis, quæcunque nata fuerint tibi masculina, sanctifica domino. Omne quod aperit vuluã asinæ, mutabis illud oue: si autem non mutabis, redimes illud. Quid tã profundi mysterij, tam altæ secretæque sapiẽtiæ, quàm in quibusdã inuenis verborũ simplicium? Deprehendas licet atque haurias vbertatem gratiæ spiritalis. Chananæi etenim mobiles & inquieti sunt. Cùm igitur in eorum terram fueris ingressus, quos aduertis propter leuitatem, inquietudinem, & instabilitatẽ morum, possessione deiectos, tu teneto constantiam. Non te vilis ratio, nõ leuis sermo perturbet. Hoc est enim Chananæus, mobilis sermo, affectus instabilis, & inquieta contẽtio. Sed magis tranquillitatem cordis, & animi serenitatẽ placidus seruato, vt tanquàm in salo maris tutam nauibus stationẽ portu quodam tuę mentis exhibeas. Hanc possessionem tibi dominus pollicetur, & quodam sacramenti promittit vinculo, vt constantiam tuam firmet. Neque enim ideo deus iurat, quòd fide credentis indigeat, aut testimoniorum astipulationibus destitutus, suffragium sacramẽti requirat, sicut homines qui fidem nobis ascisimus sacramento, & ideo iuramus vt credamur vera dixisse. Deus autem & cùm loquitur fidelis est, cuius sermo sacramentum est. Non enim propter sacramentũ fidelis omnipotens deus, sed propter deum etiam fidele sacramentum est. Qua ratione igitur Moyses iurantem deum inducit? Quia nos vsu quodam mortalium claudimur, & velut echini cortice quodam nos vulgaris opinionis inuoluimus, aut velut cochleæ quæ nisi intra testę operimentum sint, spirare non possunt, nec aërem liberum capere aut sustinere: sic nos non nisi intra quædam humanę consuetudinis latibula terrena versamur. Vnde quia illud verius solemus credere, quod iureiurando firmatur: ne nostra claudicet fides, iurare describitur deus. Qui ipse non iurat, sed iurantium iudex, & vltor est periurantium. Denique scriptum est: Iurauit dominus, & nõ pœnitebit eum, tues sacerdos in æternum. Seruauit vtique quod iurauit, dedit nobis æternum principem sacerdotum. Vt & tu quod iuraueris, ita noueris esse seruandum, vt quia per eum iuras qui non mentitur, scias eum futurum si mentiaris vltorem. Expulsis igitur inquietis & mobilibus cogitationibus, dabit tibi deus vacuam possessionem cordis & mentis, vt eam cultu quodam tranquillitatis exerceas, & fructum ex ea capias, nec sustineas in ea Chananæos, hoc est turbidos sensus recurrere, eradices gentilium vitiorum omnẽ conseptum, lucos eorum diruas quibus obumbratur veritas, & quidam liber cœlestis visus cogitationis horrore tenebrosæ disceptationis absconditur. Sed hoc nisi diuino donatus munere efficere non potes. ideo ait: Dabit tibi deus, hoc est, cogitationes optimas, placida consilia, tranquillas inuentiones. Cùm dederit hæc, tolles omne quod aperit vuluam masculinum, & sanctificabis domino. Non totum exigit à te deus, qui totum donauit. Multa enim ad vsum substantiæ largitur humanæ, & hoc non potest esse diuinum sacrificium vbi est vsus naturæ. Edere, bibere, dormire, aliáque etiam ministeria corporis dono sunt tibi collata, nõ à te relata deo munera. Quicquid autem sanctum cogitaueris, hoc dei munus est dei inspiratio, dei gratia: sicut econtrario illa quæ cum in vsu naturæ humanæ sint, non coinquinant hominẽ, sed quod exit de ore, furta, falsa testimonia, sacrilegia, hæc sunt quæ coinquinant hominem. Interiora ergo nostra mundemus, vt possit oblatio non displicere. Ibi quæramus omne quod aperit vuluam masculinum, hoc est iustum & principale quod sanctificare domino debeamus. Neque enim hi nos corporei fœtus atque conceptus partúsque sanctificant, quibus vulua fœminea deflorato pudore virginitatis aperitur. Nam etsi mulier sanctificat virum & vir mulierem, tamen plerumque contingit virginis vuluam etiam sine coniugij sanctitate reserari. Neque rursus sola virilis est gratia: mulier autem sanctificationis aliena est, aut vtriusque sexus confusa natura est, vt vterque corporeos fundatur in partus. Habent sua munia viri, habent mulieres sexus sui officia discreta. Generatio ista successionis humanæ mulierem decet, impossibilis eadem viro. Ergo si carnis vsui non quadrat hic sensus, officia animæ discutiamus. istam sanè inuenio quæ nullo discreta sit sexu: & cùm concipit, parit. Et sicut fœminis dedit vuluam natura, in qua vniuscuiusque animantis generatio per menstruas formatur ætates, ita est quædam virtus animæ, quæ velut quodam vuluæ genitalis secreto cogitationum nostrarum suscipere semina, conceptus fouere, partus solet edere. Neque enim aliter diceret Esaias, In vtero accepimus & parturiũimus spiritum salutis: nisi vuluam animæ nouisset. Harum generationum quædam fœmineæ sunt, malitia, petulantia, luxuries, intemperantia, impudicitia, aliáque huiusmodi vitia, quibus animi nostri quædam eneruatur virilitas. Masculinæ sunt castitas, patientia, prudentia, tẽperantia, fortitudo, iustitia, quibus mens nostra & caro ipsa firmatur, & ad obeũda impigrè munia virtutis erigitur. Hos partus aluus ille propheticus parturiuit. Et ideo ait: In vtero accepimus & parturiuimus spiritũ salutis. Masculum igitur & parturiuit & peperit qui spiritum salutis effudit.

Matth. 15.

Esaiæ. 26.

CAPITA LIB. SECVNDI DE Cain & Abel.

Qua ratione anima nostra partus in clausione superioris libri commemoratos parturire ac parere debeat, & de maturiori & latiori istorum partuum prosecutione, cum pulchra legis superius inductæ declaratione, latentiúmque mysteriorum apertione. Caput I.

Quæ sit vis primitiarum, & vtrum tempore æstimentur primitiæ in sanctitate. Et quòd ante omnia fides nos debeat commendare deo. Quódq; ipsa cum operibus perfectis plenum & perfectum sit sacrificium, sicut & ipse dominus docet, & verba legis significant. Cap. II.

De astructione legis præmemoratæ per exemplum de populo Hebræorum. Ac de mysteriis in lege recognoscendis ex verbis domini in euangelio laborantes ad se vocantis. Quomodo etiam inquinamenta delictorũ nostrorum lauare, & quo precio crimina nostra redimere debeamus. De redemptoris quoque nostri per Leuitem significati in nos misericordia, cum morali & ædificatiua affectus instructione. Cap. III.

Qua ratione Moysis primogenitos & redemptores cæterorum Leuitas appellauerit, ciuitatésque Leuitarum redemptrices significauerit. Cur etiam nõ sit absurdum quòd facinorosi cohabitent piis, & maculosi sacratis. Quódq; nõ abhorreat à vero, quòd Leuites in se manus iniiciat, vt interficiat voluptates sui corporis. De duobus præterea principalibus in deo generibus virtutum, vno quo remittit, alio quo vindicat: & quomodo cũ impius occidirur, Christus infundatur. Quódque semper egressus malitiæ virtutis operetur ingressum, sicut & ingressus malitiæ virtutem excludit, vt euangelicæ veritatis exempla comprobant. Cap. IIII.

De adipibus & pinguedine sacrificiorum & hostiarum. Caput V.
Quid sibi velit quod dominus ait: Si rectè offeras, nõ rectè autem diuidas, peccasti: quiesce. Et de quatuor generib⁹ quibus sacrificia commendabantur, quorũ si aliquid desit, sactificium non probatur, cum pulcherrima istorum morali interpretatione. Cap. VI.
Quod quia Cain ordinem diuisionis non seruauit, dictũ sit ei: Peccasti, quiesce. Et quemadmodum deus omnia docuerit, & quid moraliter illud significet. Cap. VII.
Quomodo Cain admonitus vt quiesceret, auxerit insolentiam, & flagitium acerbauerit. Et quid sibi velit quod ait: Eamus in campum. Cap. VIII.
Qua ratione interrogauerit deus Cain vbi esset frater suus, & de ipsius redargutione atque condemnatione, cum moralis intellectus explanatione. Cap. IX.
Qua de causa dixerit deus: Omnis qui occiderit Cain, septies vindictam exoluet. Et qua ratione signũ super eum positum fuerit nę occideretur, cum pulchra morali interpretatione atque institutione. Cap. X.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE CAIN & Abel liber secundus.

Qua ratione anima nostra partus in clausione superioris libri commemoratos parturire ac parere debeat, & de maturiori & latiori istorum partuum prosecutione, cum pulchra legis superius inductæ declaratione, latentiúmque mysteriorum apertione.

Caput I.

HOs partus anima nostra parturiat, nec solum parturiat, secundum quod legitur, sed etiam pariat, & diebus pariat impletis, ne immaturos partus dies iudicij deprehendat. De his enim partubus dixit dominus Iesus: Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Lucæ.21. Maturius igitur absoluatur hic partus, & cogitationes nostræ bonorum operum processibus explicentur, vt nihil imperfectum finis noster inueniat, nihil inexplicatum terminus vitæ nostræ offendat, nihil tanquàm in incude positum vsus nostri operis relinquat. Festina igitur anima formare partus tuos, properantius absoluere, celerius quos genueris enutrire. Gala.4. Quæ tanti forma sit partus, demonstrat Apostolus dicens: Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. In hanc formam tota mentis nostræ coalescant viscera, & in illo genitali aluo animæ nostræ Christus refulgeat: Partus noster fides sit, nutrimenta nostra præcepta doctrinæ sint. His quædam cordis nostri imbuatur infantia, instituatur pueritia, iuuenculescat adolescentia, senecta canescat. Aetas enim senectutis vita est immaculata. Itaque ea demum bona est animæ senectus, quam nulla perfidiæ inquinamenta maculauerunt. Sapien.4. Et ideo partus suos ab hac macula Paulus defendit: Ego vos, inquit, genui in euangelio. ne cuius sæua insusurratio rudis fidei tentaret infantiam. Masculina igitur generabat, qui in virum perfectum populos quos docebat, fidei gestie bat vnitate concurrere, & in agnitione filij dei perfectam plenitudinis Christi tenere mensuram. Hoc enim sacrificium acceptabile deo nouerat, de quo scriptum est: Omne quod aperit vuluam masculinum, domino. Et quia addidit: Exod.13. Omne quod aperit vuluam de armẽtis & de pecoribus quæ sunt tibi, masculinum sanctifica domino: ne quid obscuritatis habeat, consideremus. Dixerat de principalibus generationibus, hoc est plenis capacibúsque rationis: addidit & de gregalibus, hoc est reliquis velut plebeiis sensibus, qui irrationabilibus comparantur iumentis. Quæ tamen cum à rectore aliquo gubernantur, facile mansuescunt & imperata exequi, & iugum subire, & ad vocem magistri accelerare gradum aut sistere, aut deflectere, aut aliqua munia sui operis quæ iubentur, humano quodam famulatu obedire consueruntTantum valet institutio, vt vincat naturam. Itaque illa quæ consortium nostræ substantiæ non habent, agnoscunt tamen nostræ vocis imperium: & cum suæ naturæ nullam rationem habeãt, nostræ naturæ rationem capessunt, & quodam modo transfusam acquirunt. Equos videmus popularibus incitari studiis, gaudere plausibus, blanditiis delectari magistri. Toruos leones cernimus naturalem feritatem imperata mutare mansuetudine, suam rabiem deponere, nostros mores sumere. Et cũ sint ipsi terribiles, discunt timere. Cæditur canis vt paueſcat leo: & qui sua iniuria exasperatur, coërcetur aliena, alteriúsq; exemplo frangitur. Quotiens parata præda & cibo obuio famem perpeti maluit dum offensam magistri verentur? Quotiens repentino impulsi motu aperta ad morsus ora iussi resoluunt? Ita dum nostræ voluntati obsequuntur, suæ obliuiscuntur. Non ita illæ feræ vel illa armenta equorum, vel genus omne pecudum quæ sine rectore vagantur vllo, & omni domitoris gubernaculo destituta exasperãtur. Et ideo appositi sunt armẽtarij, opiliones, cæteriq; pastores, quidam magistri gregũ officia sua singulis animantium commissorum sibi cõditione formantes. Viderur ergo & sensuum nostrorũ quoddã genus aliud domitum & mansuetum, aliud indomitum, quod armentrario quodam motu mẽtis velut deside atq; resoluto proruat ad irrationabiles delectationes corporis. Mansuetũ autem quod velut duci cuidam moderationi mentis se subiiciat & subdat. Quæcunq; ergo eius naturæ regũtur, ea sunt masculina atque perfecta. Quęcunque autem sine duce vllo plebeia presumptione quadam dominantur, velut ciuitatis alicuius, quæ regis optimatúmq; consilio priuata sit, ita corporis sui omnem statum & virilem vigorem muliebri quadam dissolutione effœminant. Ex his illa lex carnis est, quæ legem apostolicæ mentis impugnans, captiuã trahebat eam Roma.7 quadam lege peccati. Et ideo vt de illo mortis corpore liberaretur, spem suam Paulus omnem non in sua virtute, sed in Christi gratia reponebat. Vnde liquet quod hæ commotiones quæ secundum legem mẽtis sunt, diuino fauore præcedunt, alij autem sensus ex voluntate corporea. Illa igitur quæ sancta sunt, primitiua sunt, nostrorum sensuum. Ista velut de quodam grege sunt, & vilitate plebeia: quod varie videtur Moyses nominibus significasse diuersis. Hoc enim declarat etiam illa area legis mystica de qua ait: Initia areæ tuæ & lacus tui nõ nouissima facies. Primitiua filiorum tuorum dabis mihi. Sanctæ commotiones sensuum nostrorum quæ secundum virtutes sunt, ipsæ sunt primitiæ areæ spiritalis. Propterea etiam rurali areæ comparãtur, in qua ventilantur frumenta. Sicut enim in hac rurali area excutitur triticum atque hordeum, & dum sępius ventilatur, separaturà paleis, quia paleæ cęteraque purgamẽta messis in diuersum leuis auræ spiramine dissipantur, illa verò quæ solidiora sunt, in locum eundem excusso puluere relabunturita cogitationum nostrarum fruges quę sunt solidę atque optimę, puram atque synceram exhibent virtutis alimoniam, sicut scriptum est: Quia non in solo pane viuit homo, sed in Deut.8 omni verbo dei. Quæ autem inutiles sunt & vacuę, dis- Prouerb.22 perguntur vt fumus ac nebulę: quia sicut fumus oculis, sic iniquitas vtentibus ea. Et rectè fumo iniquitas comparatur, quę velut quadam seculari caligine aciem mentis obducit. Et ideo dominus dicit: Cùm intraueritis in terram in quam induco vos, & cùm manducare cœperitis de panibus terrę illius, offeretis oblationem separatam domino, primitias conspersionis vestrę, panem sicut oblationem de area, & sic auferetis primitias confusionum vestrarum, & dabitis domino. Confusio nos sumus, diuersorum elementorum quadam commixtione compositi. Siquidem frigidum calido, & humidum sicco miscetur in nobis. Hęc conspersio multas habet carnis illecebras, & plurimas delectationes, sed non sunt hi primitiui huius corporis sensus, quia ex anima & corpore constamus & spiritu. Hęc est conspersio principalis, in qua sanctificari nos Apostolus cupit, sicut ait. Ipse autem deus pater sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester & anima & corpus sine querela in die domini nostri Iesu Christi seruetur. Cuius conspersionis primitiæ 1.Thess.5

941

primitiæ ſpiritales ſunt, hoc eſt inuentiones & generationes ſenſuum qui ex vigore animæ procedunt. Sed non omnes primitiui ſenſus, niſi qui malitiæ & improbitatis atque omnis erroris exortes ſunt. Sunt etiam neceſſariæ corporis delectationes, vt dormiendi, edendi, bibendi, deambulandi, & cæteri ſenſus huiuſmodi, ſed nō in his primitię. Et ideo non in his, ſed in illis domini ſacramentū, vbi caſtitas, pietas, vbi fides atque deuotio. Cuius rei manifeſtum & euidens exemplum eſt oblatio patriarchæ Iſaac, quem ſacrificij modo obtulit pater nullius motu paſſionis inflexus humanæ mundam offerens deo hoſtiam, vacuámque formidinis, & corporeæ cupiditatis immunem, cùm ipſa pietas patris deuotioni cederet immolantis.

Quæ ſit vis primitiarum, & vtrum tempore æſtimentur primitiæ, an ſanctitate. Et quòd ante omnia fides nos debeat cōmendare deo. Quódque ipſa cum operibus perfectis plenū & perfectum ſit ſacrificium, ſicut & ipſe dominus docet, & verba legis ſignificant. Caput II.

NVnc conſideremus quæ ſit vis primitiarū & vtrum tempore æſtimentur primitiæ, an ſanctitate, hoc eſt, vtrum omnia primogenita ſanctificationem habeant primitiarum. Primitię etenim fructuū ſanctæ ſecundum legē, quia in his optimū feſtinæ fidei ſacrificium eſt, ſed fiunt ſanctæ deuotione, nō tēpore, quas non prouentus ſanctificat, ſed deuotio. Denique vbi celer prouētus eſt, ſi deuotio moretur, offenſa contrahitur. Non ergo omnia primogenita ſancta, ſed omnia quæ ſancta ſunt, ſunt etiam primogenita. Denique Cain primogenitus, ſed non ſanctus. Sanctus quoque Iſrael dei populus, ſed nō primus ætate, & tamē primogenitus appellatur, ſicut ſcriptum eſt in prophetis: Primogenitus meus Iſrael. Leui ſanctus, ſed non primogenitus. Exod. Nā tertius Lyæ filius legitur, & tamen Leuitæ primogeniti Num. 3. nuncupati, quibus ab eo nomē eſt deriuatum. Scriptum eſt enim in Numeris: Ecce tuli Leuitas de medio filiorū Iſrael, pro omni primogenito qui aperit vuluam à filiis Iſrael, & & erunt mei Leuitæ. Mihi enim omne primogenitū, in qua die percuſſi omne primogenitum Ægypti, ſanctificaui omne primogenitum Iſrael. Ergo Leuitæ primogeniti nuncupati, qui ſanctificatione vtique cæteris filiis Iſrael antelati ſunt. Qua ratione primogeniti ſunt, audi Apoſtolum dicentem: Sed appropinquaſtis Sion monti, & ciuitati dei viui Hieruſalem quæ in cœlo eſt, & decem milibus lætantiū angelorum & eccleſiarum primitiuarum, quæ ſcripta ſunt in cœlo. Quatuor ordines fecit: montis Sion, ciuitatis Hieruſalem, celebritatis angelorū, & eccleſiarum primitiuarū. Tulit ergo dominus deus de medio populi Iſrael Leuitas, quia non humanarū eos conſortes voluit eſſe curarum, ſed diuinæ religionis miniſtros. Et primogenitos ſibi fecit qui vuluā aperiunt ſpiritalem: & ideo non errant ab vtero naturæ, ſicut diuerſorum criminum peccatores, ſed deſtructis cultoribus eligū Matth. 18. tur. Vnde non habent cum plebeia poſſeſſione conſortium, nec in medio populi computantur, quia verbum dei in medio ſui poſſident, ſicut ſcriptū eſt in euangelio: Vbi ſunt duo Ioan. 2. vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorū. Et alibi: Melius veſtrum ſtat, quem vos neſcitis. Hinc ergo cognoſcimus quòd ante omnia fides nos commendare deo debeat. Cùm fidem habuerimus, elaboremus vt opera noſtra perfecta ſint. Siquidem hoc plenum eſt & perfectū ſacrificium, ſicut ipſe dominus docet dicens de donis & datis tuis: Obſeruabitis offerre mihi in diebus feſtis meis, nihil detrahentes, neque deſpicientes, ſed plena & integra & perfecta offerētes. Feſtus autem dies domini eſt, vbi perfectarum virtutum gratia eſt. Quæ tunc perfectæ ſunt, ſi ſolicitudinum ſecularium & corporalis illecebræ victor animus delinimēta voluptatis excludat, liber à ſeculo, deo deditus, nihilque de tramite rectæ intentionis imminuēs, nec affectus ſui quoque tempora nunc luxuriæ diuidens, nunc labori. Solos itaque ſapiens hanc celebrat ſolēnitatem, nullus alius. Immunem enim mihi huiuſmodi paſſionum animam reperite difficile eſt. Diuide ergo ſecundum rationem animæ principalia & obedientia, & tunc quid maſculinum

A quídve fœmineum ſit, deprehendes. Nulla enim ſine labore virtus, quia labor proceſſus virtutis eſt. Quod etiam legis ipſius verba ſignificant, quæ dicit: Omne quod aperit Exod. 13. vuluam aſinæ, mutabis oue. Immunda enim animalia lex à ſacrificio ſeparauit, & pro his ad vicem munda iuſſit offerri. Aſinæ ergo partum, hoc eſt immundum, iubet mutari oue, quæ munda & apta ſacrificio eſt. Hoc eſt ſecundum literam. Cæterum ſi quis ſenſum ſpiritalis intelligentiæ altius perſequatur, conſiderabit quòd aſina laborioſum ſit animal, ouis fructuoſum. Fructu ergo dicit mutandum laborē, vt finis operis ſui fructus ſit. Vel certè hoc modo omnem laborem tuum, omnem induſtriam puro & ſimplici commendabis affectu. Si autem nō mutabis, inquit, redimes. Iubetur ergo ſecundum literam vt animal aliud pro in mundo animali offeratur, aut pretium. ne inter decimas fructuū, vel minus aliquid vel immundum videatur offerri. Intellectus autē profundior liberandā animam tuam docet, vt deſiſtat ab iis quæ fructū non habent. Qui enim re-
B dimit ſe, liberat & quodam exuit debito. Relinquenda ſunt opera quæ verum fructum bonóſque proceſſus habere nō poſſunt, qualia ſunt iſta mundana, quorum vſus non poteſt eſſe diuturnus. In quibus ipſe nudus & veri vacuus effectus eſt: & quamuis ſummo quæſitus fuerit labore, animā nihil iuuat. Ea enim quæ ſeruitutem animæ inferūt, inutilia ſunt omnia, etſi non deſit effectus. Magna videtur prælantiū victoria, triumphantium gloria, ſed frequenter ipſos videmus qui vicerint, rurſus bellorum ſubiacere incertis, & transferri ad hoſtem euentu prælii, & eo ipſo quo victores antè fuerint fieri miſeriores. Opus eſt ergo vt opera tua ad deum dirigas, & eius tibi aſpiret fauor. Athleta ipſe qui ſuis nō alienis decertat viribus, quoties congreditur, dubios caſus ſubire ſe credit. Et cum ad coronam peruenerit, intelliget citius hanc mundi gloriam tāquam coronæ ipſius folia marceſcere. Gubernator cum in portus nauim duxerit, vix finem impoſitum labori puta, & ſtatim quærit laboris exordium. Soluitur corpore anima, & poſt finem vitæ huius ad-
C huc tamen futuri iudicij ambiguo ſuſpēditur. Ita finis nullus vbi finis putatur. Vnde votis & pura conſcientia & ſpiritu charitatis adhæreamus deo noſtro, & diuinū nobis cōciliemus fauorem precantes, vt ſecularibus curis tanquam ab immitibus & agreſtib dominis poſſimus abſolui atque exui, mūdanóſque exire ſeruitio, in libertatem ſupernæ cognitionis, quæ vera & ſola eſt libertas, vocati.

De aſtructione legis præmemoratæ per exemplum de populo Hebræorum. Ac de myſteriis in lege recognoſcendis ex verbis domini in euangelio laborantes ad ſe vocantis. Quomodo etiam inquinamenta delictorum noſtrorum lauare, & quo pretio crimina noſtra redimere debeamus. De redemptoris quoque noſtri per Leuitem ſignificati in nos miſericordia, cum morali & ædificatiua affectus in ſtructione. Caput III.

D IT vt præceptum legis exemplo aſtruamus, cùm deprimerēt Aegyptij Iudæorum populum in oparibus variis, & luto ac lapide ingemuerunt filij Iſrael, & domini prouocauerunt in ſe miſericordiam, & dixit ad Moyſen: Ego exaudiui gemitum filiorum Exod. 3. Iſrael, quomodo Aegyptij in ſeruitutem deprimunt eos, & memor factus ſum teſtamenti mei. Vade, & dic filius Iſrael: Ego dominus, & educam vos de potentia Aegyptiorum, & eruam vos de ſeruitute eorum, & liberabo vos, in brachio excelſo, & iudicio magno: & ſumamvos mihi in plebem, & ero veſter deus, & ſcietis quoniam ego ſum dominus deus veſter, qui educam vos de potentia Aegyptiorum, & inducam vos in terram in quam extendi manum meam. Ecce quomodo populus Hebræorum fructu mutauit laborem, vt qui luto operabatur, ſpe regni operaretur æterni. Et ideo dominus in euangelio inanem populorū gentiliū miſeratus laborē, qui lateres cōſtruerent lutulentæ ſuperſtitioni, & voluptati corporis dediti, ſolidum fidei murum ædificare non poſſent, velut ad quoſdā aſinæ fœtus locutus ait: Venite ad Matth. 11. me omnes qui laboratis, & ego vos reficiā. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis

corde,

corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Qua vocatione plenius mihi videor verba legis & mysteria recognoscere, quia asinam aut commutandam oue docuit, aut redimendam pecunia, vt non solum asinæ partum oue, hoc est mundis immũda mutemus, sed etiam redimamus. Quod videtur exprimi si prius sacrificio purificationis, & mysterio baptismatis delictorum nostrorum inquinamenta lauemus, crimina quoque nostra bonis operibus, fideique precio, & miseratione redimamus. Precium nostrum sanguis est Christi. Vnde & apostolus Petrus ait: Non auro vel argento redempti estis, sed precioso sanguine. Et Paulus dicit: Precio empti estis, nolite effici serui hominum. Vnde non ociosè in sancto miramur euangelio, quod pullum asinæ sederit dominus Iesus, quia populus gentilis cœpit esse Christi hostia, qui secundum legem habebatur immundus. Vnde & de Leuitis scriptum est, quòd sint redemptiones eorum, eo quòd & sanctitate vitæ suæ & oratione peccata plebis leuarent. In quibus figuralis agni præcessit mysterium, verum venturum Leuiten, qui proprij corporis passione tolleret peccatum mundi. Leuites significatur susceptus pro me, vel ipse mihi leuis. Ipse enim perfectæ virtutis habet impertiendæ populo sanitatis indicium. Ipse ergo qui pro salute vniuersorum expectatus aduenit, pro me est vtero editus virginali, pro me oblatus, pro me gustauit mortem, pro me resurrexit. In quo omnium hominum susceptа est redemptio, assumpta est resurrectio. Ipse est verus Leuites, vt nos Leuitas faceret adhærere deo, ipsi continuas preces fundere, de ipso salutem sperare, fugere terrena negocia, in dei possessione numerari, sicut scriptum est: Domine posside nos. Ea est enim sola possessio, quæ nullis obnoxia tempestatibus, perpetuæ gratiæ ferat fructus. Redemptor Leuites est, quia vir sapiens redemptio insipientis est. Qui tanquam medicus ægrum insipientis animum fouet, & quædam aspergit solidiora menti prudentiæ medicamina, imitatus illũ medicum qui de cœlo venit vt demonstraret hominibus prudentiæ vias, & sapientiæ semitas paruulis reuelaret. Videbat enim laborantes non posse sine remedio saluari, & ideo medicinam tribuebat ægris. Ideo omnibus opem sanitatis detulit, vt quicunqeu perierit, mortis suæ causas sibi adscribat, qui curari noluit cùm remediũ haberet quod posset euadere. Christi autem manifesta in omnes prædicetur misericordia, eo quòd ij qui pereunt, sua pereant negligentia: qui autem saluantur, secundum Christi sententiam liberentur, qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, Deniq; & Sodoma si habuisset quinquaginta iustos, non esset euersa: & si decem habuisset, esset redempta, eo quòd sermo remissionis peccatorũ animam seruitute exuat, & disciplinæ plenitudo perfectæ mentem non sinat edaci libidinum vapore consumi. Plurimum tamẽ refert, & moralem ædificat affectum, si etiam numerum iustorum simpliciter accipiamus prodesse populorum saluti. Comprimit & resecat inuidiam, cõfundit improbitatem, virtutem incitat, auget gratiam. Nemo enim inuidere debet alteri laudẽ quæ sibi prosit: atque improbus quisque redemptorem suũ dum susciput, frequenter imitatur. Certè veneratur, plerunque etiam diligit. Ipse etiam si se aliis profuturum sciat, studiis augetur, eaque gratia connectit populos, accumulat charitatem ciuium, vrbium gloriam. Quàm beata ciuitas quæ plurimos iustos habet, quàm celebrabilis ore omnium, quomodo benedicitur tota de parte, & beatus atque perpetuus eius status existimatur. Quàm gaudeo cùm aliquos mites ac sapientes diu viuere video, cũ virgines castas, viduas graues, aspicio longæuas, velut quandam incanam ecclesiæ curiam prætendãt ipso quodam vultu & specie grauitatis, quod reuereantur, quod imitentur, quo ad omnem morum gratiam colorentur. Non enim ipsis gaudeo, cũ viuendo multa subeant tædia seculi huius, sed quia prosunt pluribus. Similiter cum aliquis huiusmodi decidit, quanuis lõga senectute depositus, afficior, quia destituitur grex iuuenum muro senili. Denique perituræ vrbis aut malorum imminentium vel futuræ labis hoc primum indicium est, si decidant viri consultores, vel etiam grauiores fœminæ. Hinc primũ ingruentium porta aperitur malorum. Sicut ergo vrbs tota solidatur atque augetur cœtu sapientium, vel obitu labefactatur: ita sermo grauis, & quidem senilis, plenus prudentiæ stabilire vniuscuiusque animam, & confirmare mẽtem solet. Iam si accedat multarũ lectionum vsus, plurimorum præceptorum & cõsiliorum quidam senatus, velut perpetuum vrbis eius, quæ in singulorum est præcordiis, statum efficit.

1. Petr. 1. 1. Cor. 7. Marc. 11.

944

Qua ratione Moyses primogenitos & redemptores cæterorum Leuitas appellauerit, ciuitatésque Leuitarum redemptrices significauerit. Cur etiam non sit absurdum quod facinorosi cohabitent piis, & maculosi sacratis, Quódque non abhorreat à vero quòd Leuites in se manus iniciat, vt interficiat voluptates sui corporis. De duobus præterea principalibus in deo generibus virtutum, vno quo remittit, alio quo vindicat: & quomodo cum impius occiditur, Christus infundatur. Quódque semper egressus malitiæ virtutis operetur ingressum, sicut & ingressus malitiæ virtutem excludit, vt euangelicæ veritatis exempla comprobant.

Caput 1111.

DEo ergo primogenitos & redemptores cæterorum Leuitas Moyses appellauit, quòd maturioris & vtilis sententiæ viri, altero senectutẽ quandam animæ præferãt, altero redemptionem cõferant. Vnde & ciuitates Leuitarum redẽptrices significauit Moyses: quia is qui confugit ad eam animam, in qua habitat dei verbum, quæ vrbis modo munita atque vallata sit, perpetuam libertatem acquirit sibi. Sicut enim in ciuitatibus Leuitarũ erat pœnarũ remissio, vt si quis ad eas cõfugeret qui nõ volũtariam necẽ hominis admiserat, nulli eum occidere liceret, intra vrbes dumtaxat positum Leuitarum: ita quem peccati proprij pœnitet, quod aut imprudenter aut inuitus admisit, si Leuitarum adhæreat incolatui, & ab his præceptoribus qui dei mandata dispensant, recedendum non putet, lex ipsa ab omni eum commissi flagitii pœna supplicióque liberat. Nec absurdum putes quòd facinorosi cohabitant piis, maculosi sacratis. Opus enim habent purificari quiquo polluti sunt delictorum cõtagio. Et quodammodo diuerso genere causa concurrit. Sicut enim, Leuites mũdanis voluptatib⁹ abdicatus, exul est culpę: ita sanguinis reus fugitiuus est patrię. Sed hoc interest, quòd iste necessitate suos deserit propter metum legis, minister autẽ dei humanarum consortiis renunciat passionum, & quadam carnalis illecebrę se abdicat necessitudine propter studia virtutis. Etiam illud non abhorret à vero, quòd etiam iste velut quasdam in se manus iniicit, vt interficiat voluptates sui corporis, & quẽdam suę carnis operetur interitũ. Interfecit nempe Moyses Aegyptium, & fugax factus est de terra Aegypti, vt declinaret eius terrę tyrannum. Sed non ante illum interfecisset Aegyptium hominẽ, nisi in se prius Aegyptiũ nequitię spiritalis interemisset, & abdicasset regalium luxum honorum, maius patrimonium æstimans thesauris Aegypti opprobrium Christi. Quod stultis quidem videtur opprobrium, nobis autem illud opprobrium dominicę crucis virtus dei est atque sapiẽtia. Accedit eo, quòd duo quędam in deo principalia sunt genera virtutum, vnum quo remittit, aliud quo vindicat. Remittuntur peccata per dei verbum, cuius Leuites interpres & quidam executor est. Remittuntur etiam per officium sacerdotis, sacrúmque ministerium. Puniuntur quoque per homines, sicut per iudices, qui potestate ad tempus vtuntur, sicut Apostolus docet, dicens: Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malũ feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in ira ei qui malum agit. Puniuntur peccata etiam per populos, sicut legimus, quia sępe alienigenis dei iussu excitatis propter diuinę maiestatis offensam subiectus est populus Iudęorum. Nec is quidem qui inuitus aliquod fecerit homicidium, extra ministerium est. Siquidem lex ait de eo: Quia deus dedit eum in manus eius. Manus ergo eius instrumenti modo dicuinę vltioni ministerium prębuerunt. Leuites igitur minister remissionis est. Percussor autem, qui tamen non ex dispositione, sed præter voluntatem fecerit homicidium, diuinę mi-

Numer. 35. Exod. 13. Hebræ. 11. 1. Cor. 1. Roman. 13.

945

næ minister est vltionis. Illud quoque specta, quia cùm in-
terficitur impius, Christus infunditur. Et vbi abominatio
Num.3. aboletur, sanctificatio congregatur, quia dominus dixit: In
ea die qua interfecero omne primogenitum Ægypti, sancti-
ficabo mihi omne primogenitum Israel. Quod nō ad vnum
diem afflictionis Ægypti referes, sed ad omne tempus. Cùm
enim renūciatur improbitati, statim ascisitur virtus. Egres-
sus enim malitię, virtutis operatur ingressum: eodémque stu
Ioan.13. dio quo crimen excluditur, innocētia copulatur. Habes hoc
in euangelio, quia vbi satanas immisit se in cor Iudæ, Chri-
stus recessit ab eo: momentóque eo quo illum recepit, hunc
amisit. Denique sic scriptum est: Et post buccellam, introi-
uit in eum satanas. Dixit ergo illi Iesus: Quod facis, fac ce-
lerius. Quid illud? Vt quia introierat in illum satanas, ipse
abiret à Christo. Eiicitur itaque & excluditur, eo quòd iam
cum domino Iesu esse non possit, quia cœperat esse cum dia
bolo. Nulla enim communicatio Christi ad belial. Vnde sta
tim imperio expulsus abscessit, sicut legimus dicente euan-
Ibidem. gelista: Qui cùm accepisset buccellam, exiuit continuò. Erat
enim nox. Non solùm exiuit, sed continuò: & nocte exiit. B
Nec mirum si noctis tenebras habebat, qui Christum dese-
rebat. Verum sicut ipse receptus à diabolo, excluſus à Chri-
sto est: ita Zacchæus renuncians auaritiæ, Christum recepit.
Meritóque videns studium eius quòd in arborem ascendis-
Luc.19. set, vt trāseuntem Iesum videret, dicit dominus: Zacchæe fe-
stinans descende, quia hodie in domo tua manere me opor
tet. Et descendit festinans, & excepit illū gaudens. Sed exci-
piendo Christum, excluſit auaritiam, relegauit perfidiam, re
nunciauit fraudibus. Aliter enim non ingreditur Christus,
Ioan.2. nisi vt vitia excludat, quia non cohabitat erroribus. Deinde
de templo eiiciebat nummularios, quia ipse volebat habi-
tare. Vnde Zacchæus hoc intelligens, quia Christum vetere
suo suscipere affectu non poterat, superiora vitia exire suo
iussit hospitio, vt Christus intraret. Meritò igitur Pharisæis
obmurmurantibus quòd dominus Iesus ad hominem pec-
catorem diuertisset manere, dixit ad dominum: Ecce dimi-
dium bonorum meorum omnium do pauperibus: & si cui
aliquid fraude abstuli, reddo quadruplum. In quo illis re- C
spōdit qui dicebant peccatorem Christo hospitium non de-
buisse præbere. Hoc est, iam non sum publicanus, non sum
ille Zacchæus, non prædo, non fraudator. Reddo quæ sustu-
li, reddo quæ auferre consueueram. Iam dono pauperibus
quos antè nudabam: iam mea confero qui aliena rapiebam.
Fugerunt crimina postquam Christus intrauit. Discussa est
omnis carnalium cæcitas passionum, vbi æternę vitæ lumen
infusum est.

De adipibus & pinguedine sacrificiorum & hostiarum.

Caput V.

Pſal.62. DIximus de primogenitis, dicamus etiam de adipi-
Pſal.19. bus, de quibus satis docet Dauid, dicēs: Sicut adi-
pe & pinguedine repleatur anima mea. Et supra
ait: Et holocaustum tuum pingue fiat: hoc docēs
acceptabile esse sacrificium, quod pingue, quod nitidum, &
quodam pabulo fidei ac deuotionis, verbíque cœlestis vbe-
riore alimonia saginatum est. Frequenter pingue opus dici-
mus quod spissum & operosum intelligi velimus: & opima D
hostia prædicatur, quæ non sit tenuis, non sit exilis. Vnde &
sacrificium pingue rectè nuncupamus quod opimum cu-
pimus declarare. Sed etiam illud documento est quod pin-
Genes.41. gues vaccæ prophetica interpretatione annis fertilibus com
paratæ sunt.

Quid sibi velit quod dominus ait: Si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti, quiesce. Et de quatuor generibus quibus sacrifi cia commendabantur, quorum si aliquid desit, sacrificium non probatur, cum pulcherrima istorum morali interpretatione.

Caput VI.

Genes.4. VNC consideremus quid sit quod ait domi
nus: Si rectè offeras, non autem rectè diuidas,
peccasti, quiesce.) Quod indicium est deum
non muneribus oblatis placari, sed offeren-
tis affectu. Denique condemnati oblator mu
neris Cain, quia pro conscientia insynceræ oblationis intel-
lexit deo sacrificium suum non probatum, tristis est factus.

946

A Quando enim mens sibi recti est conscia, gratulatur, vel in-
fusione quadam spiritali repletur animus gaudio, cùm ali-
cuius vel studia vel opera à deo probantur. Tristitia igitur
Cain conscięti̇æ testimonium, repulsæ indicium est. Et quan
uis obtulit munus, tamen quia non rectè & iure diuisit, cul-
pā incidit. Quatuor enim genera sunt quibus sacrificia com
mendabantur. Si aut noua nouorum essent, aut fixa, aut di-
uisa, aut cōtinua. Noua nouorum primo tempore anni, quæ
specie in primogenitis fructibus ęstimabantur: nunc autem
Luce 6. reuelatum est eos significari, qui per baptismatis sacramen-
ta renouantur. Hoc est enim verè sacrificium primitiuum
quando vnusquisque se offert hostiam, & à se incipit, vt post
ea munus suum possit offerre. Noua igitur fides renouato-
rum, valida, pubescens, incremētum virtutis acquirens, non
remissa, non fessa, non senio quodam marcida, & vigore i-
gnaua, apta sacrificio est, quæ pullulet quodam virenti ger-
mine sapientiæ, & iuuenili diuinæ cognitionis feruore pu-
bescat. Habeat tamen succum doctrinæ veteris. Sicut enim
noui, ita & veteris testamenti debet doctrina concurrere,
B quia scriptum est: Manducate vetera veterum, & vetera à fa- Leuit.25.
cie nouorū auferte. Cibus nobis sit cognitio patriarcharum,
epuletur animus in prophetarum oraculis: talis sagina mens
pascatur interior. Sed illa non species agni sit, sed veritas cor
poris Christi. Non vmbra legis præstringat oculos, sed aper
tè dominicæ gratia passionis & splendor resurrectionis acię
mentis illuminet. Si autem offeres sacrificium de primitiis
quibus, frixum in igne, frixum pingue, offeres sacrificiū pri-
mitiuorum, sicut scriptum est, quod significat fidem tuam
velut igni probatam esse debere, & sancto feruere spiritu.
Denique coxit lentem Iacob, & fratri primatus benedictio- Genes.25.
nis eripuit, quos vtique solida consequeretur fides. Hic ergo
robustus & viuidus augebatur, ille autem qui cibum suum
coquere nesciebat, fatigatus atque deficiens defluebat. Vta-
tur igitur verbo domini sicut igne virtus animæ tuæ. Vide v-
stum Ioseph, sicut scriptum est: Eloquium domini vsit eum. Pſal.104.
Torreatur fides tua sicut spicæ messium. Tunc enim maturi-
tatem fructuum præferunt, cum eas primo solis processu
C tempora æstiua torruerint. Sermo igitur plurimus scriptura
rum animam confirmat, & quodam spiritalis gratiæ colorat
vapore. Rationabilia quoque inuenta corroborat, dissoluit-
que omnem vim irrationabilium passionum. Ideoque Esau
laxatis virtutis suæ nexibus dissolutus est. Illi autem qui suc-
cincti lumbos non crudum neque coctum aqua, sed assum
igni caput agni edere iubebantur, sicut habes in Exodo, for- Exod.12.
ti ac fideli animo pedestri itinere maria transfretauerunt. In Lucæ 24.
euangelio quoque assos pisces dominus Iesus manducabat,
sicut scriptum est: in quo plenitudo sancti spiritus redunda-
bat. Et fortasse ideo deficiebat Esau, quia coctum in aqua de
siderabat cibum, quem Iacob quasi inhabilem sibi donauit
infirmo. Oblationem autem atque orationem oportet non
confusam esse, sed competenti diuisione distinctam. In omni enim confusione melior est distinctio, multo magis in o-
ratione atque oblatione, quæ nisi certas diuisiones habeat,
fit obscurior. Ideo hostiæ plerunque membra lex diuidi iu-
bet, & holocausta offerri, vt sine admixtione & operimento
D aquæ nudum sacrificium sit, eo quòd nuda atque omnibus
exuta inuolucris debet fides nostra feruere, ne vanis & falla
cibus opinionibus induatur, sed pura atque syncera simplici
tas mentis appareat: deinde in partes diuidatur cōgruas. Vir
tus enim genus est, quæ diuiditur in plurimas species. Sed
principales quatuor sunt. Prudentia, temperātia, fortitudo,
iustitia. Redoleat igitur oratio tua prudentiam erga cognitio
nem dei, & veritatem fidei. Redoleat temperantiam, quam
etiam à coniugibus exigendā putauit Apostolus, dicens: No 1.Cor.7.
lite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt va
cetis orationi. Et lex castigatos ante hesternum & nudiuster
tium diem ad sacrificium accedere iubet. Fortitudinē teneat
oratio, vt nullo interpoletur metu, nulla lassitudine deficiat.
Tunc enim debet esse intentio ad precādum robustior, cum
vrgemur aduersis. Iustitiam custodiat precatio, quam si te-
nuisset Iudas, non in peccatum facta esset eius oratio. Quan-
do enim magis ab iniustis operibus ac prauis studiis abstine
re debemus, quàm tunc quando dei iustitiam deprecamur?

Et

Matth.4. Et ideo dominus, vt cordi nobis esset iustitia, Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: ipsorum est enim regnum cœlorum. Hæc enim defuit Iudæ. Nam si adfuisset, non tradidisset dominũ, non prodidisset magistrum. Defuit sacrificio etiam Cain istius, qui si tenuisset iustitiam, domino debuit primitiua munera, non posteriora deferre. Defuit itaque ei diuisio, ideóque responsum ait: Si rectè offeras, non rectè autem diuidas: peccasti, quiesce. Vides quantum sit vitij. Vbi deest diuisio, ibi totum sacrificium refutatur. Lucæ 6. Supereſt vt de continua & iugi oratione dicamus, quod immorari nos & vacare orationi oportet. Pernoctat dominus in oratione, non vt sibimet prodesset, sed vt nos doceret. Frequens enim oratio quandam operatur disciplinam orandi, quia ipse vsus docibiles dei facit, indocibiles negligentia. Bona igitur exercitatio. Denique corporis virtus exercitatione augetur frequenti, at inexercitata minuitur & labitur. Plurimi enim exercitij dissuetudine etiam naturalem dissoluere virtutem. Similiter animæ fortitudo exercitationis assiduitate solidatur, vt labor ipse disciplina sit, non oneri futurus, sed vsui. Hunc cibum menti nostræ deferamus, qui multa attritus meditatione ac politus, cor hominis sicut illud cœleste manna confirmet. Quod non ociosè tritum ac politum accipimus, eò quòd cœlestium scripturarum alloquia diu terere ac polire debemus, toto animo & corde versantes, vt succus ille spiritalis cibi in omnes se venas animæ diffundat. Ergo si tanquam pubescens adolescat fides quæ defectum senescentis deuotionis ableget, & spiritu ferueat, & congrua distinctione teneatur mensura legitimæ diuisionis, & assiduitas commendet gratiam: tunc fit illud pingue, & tanquam adipale precationis genus, de quo dicit scriptura. Psal.22. Impinguasti in oleo caput meum. Sicut enim agni multo lacte pinguescunt, & sicut oues bene pastæ adipe nitent, ita apostolico succo pasta fidelium pinguescit oratio. Horum si desit aliquid quæ supra diximus, sacrificium non probatur. Genes.4. Ideoque dictum est ad Cain: Si rectè offeras, non rectè autem diuidas: peccasti. Nanque mundus ipse distinctè legitur factus, cum esset antè incomposita pars eius, quia terra erat inuisibilis & incomposita. Nempe lux primum facta est, & vocauit deus lucem, & separauit deus inter lucem & tenebras, & vocatæ sunt tenebræ nox. Et per ordinem singula quòd facta sint legimus, cœlum, terra, ligna fructifera, animalia diuersa. Distributa autem sunt leuiora superioribus, vt aer & ignis: & grauiora inferioribus, hoc est terra & aqua. Vtique simul omnia fieri iubere potuit deus, sed distinctionem seruare maluit, quam nos in omnibus imitaremur negociis, & maxime in vicissitudinibus gratiarum. In quibus non satis est reddere quod acceperis, sed commendare quod reddas. Nam si quis debitum soluat, & in referẽdo iniuriam faciat creditori, intolerabilius est vtique quàm non reddidisse quod debebat. Non ergo quantitas solutionis, sed animus reddentis, & qualitas consideratur, & affectus. Rectè igitur Cain obtulit, quia oblatio insigne deuotionis, & indicium gratiarum est: sed non rectè diuisit, quia ante omnia deo debuit deferre primitias, vt à gratia inchoaret authoris. Etenim diuisionis hic ordo est, vt prima secundis, non primis secunda præcurrant, & cœlestia terrenis, non terrena cœlestibus præferantur.

Quòd quia Cain ordinem diuisionis non seruauit, dictum sit ei: Peccasti, quiesce. Et quemadmodum deus omnia docuerit: & quid moraliter illud significet. Caput VII.

SED quia Cain confundit hunc ordinem, dicitur ei: Peccasti, quiesce. Omnia docet deus. Primũ ne pecces, vt in Adam monuit. Secundo si peccaueris, quiescas, vt in Cain doceris. Erubescere enim debemus, & condemnare peccatũ, non defendere, quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur. Et silendo corrigimur, contentione Prou.28. prolabimur. Sit saltem verecundia vbi non est absolutio. Inde illud: Iustus in exordio sermonis accusator est sui. Et ite- Esa.43. rum ab ipso domino alibi dictum legimus: Dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Quãta pudoris gratia, vt iustitiam teneat verecundia, quam culpa reatus abstulerit. Ideo autem ait: Quiesce, quoniam non habes quod excuses. Culpę ipsius ad

A te conuersio est. Non enim frater ei adiicitur, sed error adscribitur, cuius ipse sibi author est. In te, inquit, reuertetur crimen quod à te cœpit. Non habes in quo necessitatem magis quàm mentem tuam arguas. In te retorquetur improbitas tua, tu princeps es illius. Bene ait: Tu princeps es illius. Etenim impietas mater quædam est delictorum: & qui graniora peccauerit, in cætera facilè prolabitur. Quomodo enim potest ab humanis temperare qui diuina violauit, & hominibus bonus esse qui deum læsit? Atrociorem igitur scelerum reatum vitia reliqua sequuntur, quoniam quo flagitiosa propenderint, eò inclinant cætera. Tu ergo princeps operis tui, tu dux criminis. Non te inuitum, non imprudentem error attraxit, sed voluntarius reus iudicio non lapsu fecisti dolum, quo te diuinæ iniuriæ reum ipse conuincis.

Quomodo Cain admonitus vt quiesceret, auxerit insolentiam, & flagitiũ acerbauerit. Et quid sibi velit quod ait: Eamus in campum. Caput VIII.

ADmonitus igitur vt quiesceret, auget insolẽtiam, B acerbat flagitium. Quid igitur sibi vult quod ait, Eamus in campum: nisi quia locus nudus gignen Genes. tium eligitur parricidio? Vbi enim frater habebat occidi, nisi vbi fructus deesset? Tanquam præsagiens natura tanti sceleris loco germina denegauerat, quia non conueniebat, vt idem solum & contagia parricidalis sanguinis reciperet præter naturam, & fructus secũdum naturam germinaret. Meritò ipse dicit: Eamus in cãpum. Non dicit, eamus in paradisum, vbi poma florẽt, non in aliquem cultum & fructiferum locum. Ipsi parricidæ indicant fructum scẽleris habere non posse, nec penes eos fructum manere qui tantæ impietati præbuerint officium. Nam ipsam refugiunt elementorum benignitatem, vt iste Cain, qui videtur veritus, ne largior boni terra prouentus triste facinus impediret, & liberalitatis assuetudine genitalis qua facit sibi fœtus & fructus varios germinascere, in hoc quoque criminis apparatu vel muta specie sui fraternum reuocaret affectum. Latro diem refugit quasi criminis testem. Lucem adulter erubescit, quasi adulterij cõsciam: parricida terrarum fœcunC ditatem fugit. Quomodo enim poterat communis partus vidi dere consortia, qui consortem sui sanguinis trucidabat? Ioseph in lacum mittitur siccum. Ammon intra domum occi- 4.Reg. ditur. Iustum igitur natura est impertita iudicium, ea loca in quibus erat futurum parricidium, muneris sui dote priuando, vt ex innocentis soli quadam damnatione ostenderet futura supplicia noxiora. Propter scelus igitur hominum & ipsa elementa damnantur. Denique Dauid montibus, in quibus Ionatas cum patre interẽptus est, perpetuæ pœnam ste- Hiebu rilitatis optauit dicẽs: Montes qui estis in Gelboe, neque ros neque pluuia cadat super vos, montes mortis.

Qua ratione interrogauerit deus Cain, vbi esset frater suus: & de ipsius redargutione atque condemnatione, cum moralis intellectus explanatione. Cap. IX.

VNc consideremus qua ratione interrogauit deus Genes. Cain vbi esset frater suus, quasi nesciret occisum. Sed quod ad scientiam dei spectat, negantem arD guit, & inficianti quasi sciens respondit: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Quod autem ad rationem profundam attinet, peccantes admonet ad pœnitentiam. Confessio enim, pœnarum compẽdium est. Inde in iudiciis secularibus impositi equuleo torquentur negantes, & quædam tangit iudicem miseratio confitentis. Est quædam in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio crimen fateri, nec deriuare culpam, sed recognoscere. Mitigat iudicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium. Vult te prouocare ad pœnitentiam deus, vult de se sperari indulgentiam, vult demonstrare tua confessione quòd non sit author malitiæ. Nam qui peccatum suum ad quandam referunt, vt gentiles asserunt, decreti aut operis sui necessitatem, diuina arguere videntur, quasi ipsorum vis causa peccati sit. Quia enim necessitate aliqua coactus occiderit, quasi inuitus occidit. Ea vero quæ à nobis sunt, excusationem non habent: quæ autem præter nos sunt, excusabilia sunt. Sed quantò grauius peccato ipso, ad deum referre quod feceris: & reatus tui inuidiam transfundere in authorem non criminis, sed in

949

Genes.4. nocentiæ? Perpende autem parricidæ responsionem. Nescio inquit: Nunquid custos fratris mei ego sum? Etsi contumaciam prodat hic sermo, sonat tamen quia si bonum fratrem considerasset, custos debuit esse pietatis. Quem enim magis quàm fratrem seruare debuerat? Sed quomodo germanitatis seruaret officium, qui necessitudinis non agnouisset affectum? Aut quomodo fieri posset vt naturæ obediẽtiam deferret, qui deo reuerentiam non exhiberet? Negat primum quasi apud ignorantem. Recusat fraternæ munus custodiæ, quasi exors naturæ. Declinat iudicem quasi liber arbitrij. Quid miraris si pietatem non agnouit, qui non agnouit auctorem? Et ideo doceris hac serie scripturarum fidem esse radicem virtutũ omnium. Vnde & Apostolus ait: Quia fun-1.Cor.3. damẽtum nostrum Iesus Christus est: & quicquid supra hoc fundamẽtum ædificaueris, hoc solum ad operis tui fructum, & ad virtutis proficere mercedem. Congrue igitur respondit dominus tam impudenter neganti, dicens: Vox sanguinis fratris tui ad me clamat. Hoc est, cur nescis vbi est frater tuus? Soli eratis cum duobus parentibus, inter paucos frater te latere non debuit. An quia parentes tui accusatores esse non possunt? Nolo enim vt ea necessitudo quæ est author salutis, fiat author periculi. In te solo leges suas natura amisserit. Ideo ergo putas crimen latere, quia parentes accusare non debent? Sed eo maior est condemnatio tua. Nam si chara necessitudinis nomina accusare non debent, multo magis non debent occidere. Sed si me testem abnuis, & refugis arbitrum, vox sanguinis fratris tui testis est, quæ ad me clamat. Illa te maiore authoritate arguit quàm si frater viueret. Soli eratis: Quis eum potuit alter occidere? Si accusas parẽtes, parricidam probas. Potuit fratrem occidere, qui non parcit parentibus. Potuit parricida esse, qui de parricidis sortum probare desiderat. Et bene ait: Vox sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat. Hoc innocentia & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat. Non accusat frater, ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti. Tuum te ergo facinus, non frater accusat. Simul querela criminosa adimitur. Non potest de alieno testimonio queri, qui crimen proprio facinore confitetur. Minor est sermo quàm factum: est tamen etiam terra testis, quæ cœpit sanguinem. Et bene ait: Vox sanguinis fratris tui clamat de terra: non dixit, de fratris clamat corpore, sed de terra clamat. Et si frater parcit, terra non parcit. Si frater tacet, terra condemnat. Ipsa est in te & testis & iudex. Testis acrior, quæ adhuc parricidij tui sanguine madet. Iudex asperior, quæ tanto scelere coinquinata est, vt aperiret os suum, & reciperet sanguinem fratris tui de manu tua. Et illa quidem aperuit os suum, quasi exceptura de fratribus verba pietatis, nihil timens cum fratres videret, quæ sciret ius germanitatis amoris incentiuum esse, non odij. Nam quomodo poterat parricidium suspectare, quæ adhuc non viderat homicidium? Sed tu effudisti sanguinem, cuius dolens ipsa contagium. Non augebit, inquit, virtutem suam dare tibi. Quàm innocens vltio, vt quæ tam grauiter violata fuerit, satis habens non prodesse, non quęrat nocere. Non mediocre etiam dogma quod ait: Vox sanguinis fratris tui ad me clamat: quia deus iustos suos audit etiam mortuos, quoniam deo viuunt. Et meritò pro viuentibus habentur, quia etiam si corporis gustauerint mortem, vitam tamen incorporeã capiunt, & illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoque fruuntur æterna. Iustorum ergo audit & sanguinẽ, auertit se autem à precibus impiorum, quoniam etiam si videantur viuere, miseriores tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam sicut tumulum circunferentes, cui infœlicem infoderunt animam suam. Quid enim aliud est quàm sepulta quæ intra humum voluitur, & terrenæ auaritiæ cupiditatibus cæteríque vitiis includitur, vt gratiæ cœlestis auram spirare non possit? Huiusmodi peccator à terra maledictus est, quæ est infima & postrema pars mundi. Superius vtique cœlum, & quæ in cœlo sunt, sol, luna, & stellæ, throni, dominationes, principatus, & potestates, Cherubim & Seraphim. Non est ergo dubium quod eum & superiora damnauerint quem inferiora damnauerunt. Nam quomodo absoluitur puræ illi cœlestíque sententiæ, quem

A nec terræ potuerunt absoluere? Et ideo gemens & tremens iubetur esse super terram. Euidens generalísque ratio, quia omni improbo mala assunt, & affutura sunt. Quæ assunt, tristitiam operantur: quæ futura, formidinem. Sed improbum plus præsentia, quàm futura solicitãt. Vnde & Cain dixit ad deum: Maior causa mea est. Si derelinques me, hodie à facie Genes.4. tua abscondã me. Nihil enim grauius quam errantem à deo deseri, vt se reuocare non possit. Mors peccatoris finem peccandi affert, vita autem diuino gubernaculo destituta præcipitatur, & in grauiora prolabitur, vt si gregem pastor relinquat, incursent bestiæ: ita cum deus deserit hominẽ, ingruit diabolus. Graue est, præsertim insipientibus, non habere rectorem. Serpit malitia, vulnus augetur, vbi medicina defuerit. Abscõdit se autem qui velare vult culpam, & tegere pec-
catũ. Qui enim malè agit, odit lucem: & amat tenebras suo- Ioan.3.
rum, & latibula delictorum. Iustus autem non abscondere à domino deo suo, sed ipse magis se offerre consueuit, dicens: Ecce sum ego, qui non habet criminosam conscientiã quam
B timeat deprehendi. Meritò ergo se abscondit male cõscius, & ait: Omnis qui inuenerit me, occidet. Angustæ mentis ho Genes.4.
mo præsentem mortem veretur, perpetuam negligit, & diuinum iudicium non reformidat. Interitum solum corporis deprecatur. Sed à quo timebat occidi, qui solos parentes habebat in terris. Potuit quidem & incursus bestiarum timere, qui legis diuinæ iura violauerat, nec præsumere de subiectis animalibus cæteris qui hominem docuerat occidi. Potuit & parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi. Potuerunt enim & parentes de filio discere, quod didicerunt posteri de parente.

Qua de causa dixerit deus: Omnis qui occiderit Cain, septies vindictam exoluet. Et qua ratione signum super eum positum fuerit ne occideretur, cum pulchra morali interpretatione atque instructione. Caput X.

C NVNC cõsideremus qua causa dixerit deus: Omnis qui occiderit Cain, septies vindictã exoluet. Et qua ratione signum super eum ponitur ne occidatur parricida, cùm prospectum non fuerit ne Ibidem.
innocens occideretur. Octauus est homo, habet rationabile quo præstet cæteris, habet & quinque corporis sensus. Habet etiam vocem, habet & generandi gratiam. Hæc septem nisi illo rationabili regãtur, subiecta morti sunt, & ideo stultus in his habet omne periculum sui. Qui ergo rationabile illud amiserit, frustra de istorũ sibi vsu septem carnalium munerum blãdietur. Dissoluuntur hæc omnia, nisi habenis quibusdam rationis adstricta sint. Mors itaq; rationis, mortem operatur irrationabilium passionum. Sed illud melius quod septimus numerus quietis & remissionis est. Ergo qui alij nõ pepercerit peccatori, & munus ei remissionis peccatorũ inuiderit, ipse sibi spẽ remisionis eripiet, & erit in eo pari mensura vindicta de gratia. Quod autem signum posuit super Cain ne quis eum occideret, reflectere voluit errantem, & beneficio suo inuitare ad correctionem. Ipsis enim nos facilius committere solemus, quorum habemus gratiam. Nec tamen magnã concedit, sed in eo ipso imprudentiã insipientis
D vlcíscitur. Qui cùm esset perpetuis suppliciis obnoxius, non remitti sibi pœnam popoſcit, sed vitam corporis huius obseruandam putauit, in qua plus ærumnæ est quàm voluptatis. Mors enim vna est in secessione animæ & corporis, & in fine istius vitæ: quæ simul vt venit, omnes corporis dolores auferre non augere consueuit. Metus verò qui hanc vitã viuentibus frequẽter ingruunt, mœsticiæ, dolores, gemitus, diuersíque cruciatus grauitatum, & ægritudinum vulnera plurimas etiam mortes generi humano inferunt, vt ista mors remediũ esse videatur, non pœna. Non enim peremptoria est, per quam non adimitur vita, sed ad meliora trãsfertur. Nam si nocentes moriũtur, qui gradum à peccatis reuocare nolue rint, vel inuiti: tamẽ finem non naturæ, sed culpæ adipiscuntur, ne plura delinquant, quibus vita fœnus est delictorum. Si autem bonæ spei compotes sunt, migrare magis quàm deficere credendi sunt. Inseritur hoc loco dogma de incorruptione animæ, quod ipsa vera & beata vita sit, quam vnusquisque bene conscius viuit multo purius ac beatius cùm

huius

huius carnis anima noſtra depoſuerit inuoluerum, & quodam carcere iſto fuerit abſoluta corporeo in illum ſuperiorem reuolans locum, vnde noſtris infuſa viſceribus compaſſione corporis ingemuit, donec commiſſi gubernaculi munus impleret, vt carnis huius irrationabiles motus, rationabili ductu regeret & coerceret. Inde eſt quod poſtea prophetæ in captiuitatem cum populo Iudæorum tranſierunt, ne reliqua plebs ſuorum deſtituta præſidio, conſilióque viduata grauiorem ſubiret ærumnam, ſed magis frequentibus commonita oraculis prophetarum, ad dominũ deum ſuum pio rediret affectu, ne aduerſis captiuitatis attrita prorueret in perfidiæ peccatum, ſalutíſque perpetuæ remedium deſperaret. Redarguuntur itaque hoc in loco qui vnicam hanc vitam putant eſſe quæ ſit in hoc ſeculo. Omnia plena lapſus, plena mœroris ſunt, & redarguũtur ſimplici ſerie geſtorum. Ecce enim iuſtus, innocens, pius, propter gratiam deuotionis odia fratris incurrens, immaturus adhuc æui ſublatus eſt parricidio: & iniquus, ſceleratus, impius, etiam fraterna cæde pollutus longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, poſteritatem reliquit, vrbes condidit, & hoc meruit permiſſione diuina. Nónne in his apertè vox dei clamat: Erratis qui putatis hic eſſe omnem viuendi gratiam? Non intelligitis non aduertitis ſenectutem hanc miſeriarum eſſe veteranam, proceſſionémque ætatis, ærumnarum ſtipendia, & Scyllæo quodam vſu circunſonari nos quotidianis naufragiis, tundi fluctibus, in ſcopuloſis habitaculis degere, & in his delectari, ſicut illud non tam æternum animal quàm immortale malum. Ergo & iſti Cain longæuitas indulta vindicta eſt, eo quòd vixit in metu, & prolixum ſpatium multo cucurrit & infructuoſo labore, qua pœna nihil grauius quàm vt quis ipſe ſibi maiorum cauſa pœnarum ſit. Vide igitur quàm perpetua vita iuſtorum, & nulla ſit improborum. Iuſti ſanguis clamat, & mortui, vita autem peccatoris abſconditur. Tertium eſt, quoniam cùm parricidium eſſet admiſſum, hoc eſt ſcelerum principatus: vbi peccatum obrepſit, ſtatim & lex diuinæ manſuetudinis prorogari debuit: ne ſi continuò vindicatum eſſet in reum, homines quoque in iudicando nullam patiẽtiam moderationémque ſeruarent, ſed ſtatim reos ſupplicio darent. Diuinæ autem ſententiæ prouidentia huiuſmodi eſt, vt magnanimitatem & patientiam doceret iudices, ne quis præproperè raperetur ſtudio vindictæ, & ipſa deliberationis immaturitate puniret innoxium, aut pœnam acerbaret irati: nec tamen penitus inultum eſſe pateretur in eo qui nullam pœnitentiam ſceleris induiſſet. Repulit enim eum à facie ſua, & à parentibus abdicatum, ſeparatæ habitationis quodam relegauit exilio, eo quòd ab humana manſuetudine tranſiſſet ad ſæuitiam beſtiarum. Veruntamen homicidio noluit homicidam vindicari, qui mauult peccatoris correctionem quàm mortem. Vnde in Lamech ſeptuagieſſepties vindicatur, quia grauior culpa eius eſt, qui nec poſt damnationem ſe correxit alterius. Cain impetu quodam improuido antè peccauerat: Lamech vtique quod in altero reprehenſum aduerterat, cauere debuerat: ſuo quippe iudici ſententia debebatur, ne quis paſſim reum eſſe feriendum putaret. Et vt ad myſterium venias, non debuit interimere eum qui vſq; ad naturalem terminum mortis ſuæ, agendæ habebat ſpatium pœnitentiæ. Excuſare poſſet quòd ſe redemiſſet vel ſera actione pœnitentiæ, niſi eum præmatura pœna rapuiſſet.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE NOE ET ARCA.

Quòd dignum ſit vt iuſtus Noe, qui ad renouandum ſemen hominum reſeruatus fuit, ad imitationem omnium deſcribatur, vt & nos requieſcamus ab omni iſtius mundi ſolicitudine, operibúſque iniquitatis, ac terrenæ conuerſationis cura. Caput I.

De ſignificationibus nominum trium filiorum Noe, & de inſtructione aciei, ac munitionibus bonitatis naturæ, quę nos ad huius mundi prælia generauit. Caput II.

Quid ſignificet quòd ſecuturo diluuio non ſolum Noe, ſed & vniuerſa generatio quàm maximè abũdauerit filiorum procreatione. Et quomodo beneficij gratiam ſequi debet ſobriæ diſciplinæ cenſura. Qua etiam ratione ſpiritus ſanctus hominibus detur, non autem permaneat. Cap. III.

Quòd gigãtibus qui fuerunt in terra ætate Noe, ſimiles ſint homines cultui carnis ſuæ ſtudentes. Et qui dicantur filij dei. Et quo pacto deus dicatur iraſci, aut moueri. Quemadmodum etiam irrationabilibus propter hominis peccatum deletis, Noe tamen gratiam apud deum inuenerit. Cap. IIII.

Quomodo omnis terra dicatur fuiſſe corrupta, & tempus omnis hominis veniſſe ante deum. Cap. V.

De ædificatione arcæ, & quemadmodum in ea deſcripta fuerit humani corporis figura. Quódque nidi eiuſdem, quibus ſingula corporis noſtri membra ſignificantur, bitumine intus & foris linienda ſint, ne facile corrumpantur. Cap. VI.

De comparatione arcæ Noe ad arcam fœderis quo ad materiam ligni, glutini, & commotionis. Quomodo etiam longitudo & latitudo arcæ ſingulos humani corporis ſenſus denotent ad vſum aliquem eſſe cõpoſitos. Cap. VII.

Quid ſignificet oſtium ex aduerſo in arca factum. Et quemadmodum qui retro erant, priores facti ſint. Cap. VIII.

Quid ſit quòd inferiora arcæ bicamerata & tricamerata eſſe debeant. Et quòd deus per arcæ figuram voluerit nos edocere quemadmodum à diluuio intemperantiæ tuti eſſemus per remedium electionis iuſti. Cap. IX.

De tribus cauſis ob quas muta animantia, quæ peccandi ſenſum non habent, per diluuium ſubiecta ſint pœnæ, cum altiori myſtica quadam interpretatione. Cap. X.

Quòd ab ſumptis omnibus terrenis diluuio, ſolus iuſtus ſe & domum ſuam ſeruet. Et quàm pulchrè iuxta myſticam interpretationem dominus ad Noe dixerit: Quia vidite iuſtum in generatione iſta. Cap. XI.

Qua ratione de iumentis mundis ſeptem & ſeptem, maſculus & fœmina iubeantur in arcam induci, de immundis autem duo & duo, ſecundum naturalem atque moralem expoſitionem. Cap. XII.

Qua de cauſa poſtquam ingreſſus eſt Noe in arcam, poſt ſeptem dies diluuium factum fuerit. Quare etiam cùm ſatis fuiſſet quadraginta diebus dixiſſe diluuium fuiſſe, adiecerit & quadraginta noctibus. Et qua ratione quadraginta diebus durauerit. Quid præterea ſibi velit quod inquit dominus: Et delebo omnem reſurrectionem carnis à facie terræ. Quid poſtremo quòd dicitur, & fecit omnia Noe quæ mandauit ei dominus deus. Cap. XIII.

Qualiter ſit conſiderandum quòd ſexcenteſimo anno Noe, viceſima & ſeptima mẽſis factum ſit diluuium. Et quemadmodum omnes fontes rupti dicantur, ac cataractæ cœli apertæ, tam ſecundum literalem, quàm etiam altiorem intellectum. Cap. XIIII.

Cur dominus à foris arcam clauſiſſe dicatur: Et quomodo exundante aqua arca ferebatur ſuper flumina aquarum, quæ quindecim cubitis ſuper montes excelſos eminebat, iuxta literalem & allegoricam interpretationẽ. Cap. XV.

De euidenti explanatione & allegoria eius quod ſcribitur: Deleuit deus omne quod erat ſuper faciem terræ. Quare etiam ſcriptura dicat: Memor fuit dominus Noe, & beſtiarum, & iumentorum, & non fecerit mentionem de mitioribus quæ poſt hominem ſunt, ſed fortioribus. Quaſiſq; fuerit ſpiritus quem induxit dominus ſuper terram vt ceſſarent aquæ. Cap. XVI.

Quid ſit quod ait ſcriptura: Clauſi ſunt fontes aquarum, & cataractæ cœli. Et de comprehenſione loci illius vbi dicitur: Et ſedit arca ſeptimo menſe ſeptima & viceſima menſis. Et quid ſit oſtium arcæ quod iuſtus aperuit vt emitteret coruum non reuerſurum. Cap. XVII.

Quid ſibi portendat quòd poſt coruum non reuerſum, columba dimiſſa dicitur, quódque Noe extendens manum ſuſceperit eam, & ad ſe introduxerit. Quódque ſeptem aliis diebus tenuerit columbam, & iterum eam emiſerit.

Caput XVIII.
953 ris.
Cur columba dicatur ad vesperum esse regressa cum ramo oliuæ in ore: Et vnde cognouerit Noe aquas defeciſſe. Et de colúba tertio post dies septem emissa, quæ tamen non regrediebatur. Caput XIX.
Quid sibi velit illa adiectio, quod scriptura alia die aquam minutam, alia siccatam terram commemorat. Quomodo etiam Noe rectũ arcæ denudauerit. Et quòd ait primum mensem vel secundum. Caput XX.
Quare Noe non sua sponte exiuerit arcam, sed expectauerit oraculum diuinum, quo sibi dicebatur: Exi de arca, tu, & vxor tua, & filij tui. Et quare in ingressu, ordinis delectus fuerit habitus, vt primo ipse & filij, deinde vxores in grederentur, in egressu autem id commutatum, vt fœminæ cum viris exierint. Caput XXI.
Qua ratione Noe circa arcam nihil fecerit, nisi iussus à domino, & tamen post egressum ab arca non monitus arã deo ædificauerit. Et quare dicatur deo, & non domino. Cur etiam sumpserit à bestiis & volatilibus mundis vt offerret holocausta. Quídque sit quod ait dominus: Recogitans non adiiciam maledicere terræ. Caput XXII.
De explanatione literali & morali eius quod dominus dixit: Semen & messis, hyems & æstas die & nocte non requiescent. Caput XXIII.
De prærogatiua potestatis hominibus in cætera animàlia attributa per id quod dominus benedixit Noe & filiis eius, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius. Et quomodo intelligatur quod subditur: Omnia reptilia quæ sunt viua, sint vobis in escã: cum tamen quædam reptilia sint venenata. Cap. XXIIII.
An sub his verbis quibus ait dominus, Sicut olera pabuli dedi vobis omnia, oleribus magis quàm carnalibus epulis vti debeamus. Et quemadmodum abstinere debeamus à sanguine, in quo est anima: Ac de diuersis philosophorũ opinionibus circa naturam animæ. Caput XXV.
Quòd per hoc quod ait: Etenim vestrum sanguinem & animarum vestrarum exquirã de omnibus bestiis, & de manu hominis fratris, detur intelligi hominem grauius peccare qui fratri insidiatur. Et quis dicatur frater. Quare etiam dixerit: Ad imaginem dei fecit hominem, & non ad imaginem meam, cum reprobatione opinionis philosophorum qui negant deum habere curam super homines. Caput XXVI.
Quomodo intelligendum sit quod inquit dominus: Non erit diluuium vt corrumpat omnem hominem. Et quod subdit: Arcum meum ponam in nube. Et qualis fuerit arcus ille. Caput XXVII.
Qua ratione cùm tres filios Noe, Sem, Cham, Iaphet, supra computauerit, hoc loco medij filij, id est Cham generationem prius comprehenderit. Et quomodo ille Chananæorum author fuerit. Caput XXVIII.
Quomodo Noe egressus ab arca, factus sit agricola. Et de differentia inter operatorem terræ, & agricolam. Quid etiam sit quòd iustus primum vineam plantauerit, & non triticum aut hordeum. Et quid velit quod subdit: Bibit de vino, & inebriatus est. Et de duplici specie ebrietatis, & gemina nudatione sapientis. Ac de operimentis animæ. Caput XXIX.
Quare non simpliciter dixerit: Vidit Cham nudationem patris, sed vidit Cham pater Chanaã. Et cur Cham nudatum patrem riserit. Caput XXX.
De euidenti pietatis affectu in bonis filiis Sem & Iaphet, qui nudatum amictu patrem videre cauerunt. Et quomodo mens sapiens retrorsum ambulet. Quid etiam significet quòd somno recedente Noe sobrius factus sit à vino. Et quare scriptura Cham, quem primo medium inter filios posuit, postea minorem appellauerit, dicens: Cognouit Noe omnia quæ fecit ei filius iunior. Caput XXXI.
De benedictione Sem filij, & quare Noe dominũ & deum dixerit, & specialiter deum filij sui Sem. Et qua ratione cum Cham peccauerit, non ipsum, sed filium illius seruituti addixerit. Et de benedictione filij Iaphet, & multiplici dilatatione bonorum. Caput XXXII.
Quid significet quod post diluuium Noe dicitur vixisse trecentis & quinquaginta annis. Et quòd de generatione Iaphet Rhodus & aliæ insulæ sint nationũ. Ca. XXXIII.
Qua ratione Cham illius improbi filium seniorem scriptura fuisse memorauerit. Et quòd Chus Nemroth gigantem genuerit, qui erat venator ante deum. Et de interpretatione nominis Nemroth. Quódque idem principium fuerit regis Babylonis. Caput XXXIIII.

Diui Ambrosij,

MEDIOLANENSIS EPISCOPI,

Liber de Noe & arca.

Quòd dignum sit vt iustus Noe qui ad renouandum semen hominum reseruatus fuit, ad imitationem omnium describatur, vt & nos requiescamus ab omni istius mundi solicitudine, operibúsque iniquitatis, ac terrenæ conuersationis cura. Caput I.

NOE sancti adorimur vitã, mores, gesta, altitudinem quoque mentis explanare, si possumus. Nam cùm ipsa prophetia dixerit nihil difficilius quã hominis interiora comprehendere, quanto magis viri iusti mentem cognoscere? Etenim quẽ dominus deus ad renouandum semen hominum reseruauit, vt esset iustitiæ seminarium, dignum est vt nos quoque describamus eum ad imitationem omnium & requiescamus in eo ab omni istius mundi solicitudine, quam quotidie diuersis exagitationibus sustinemus. Pudet filiis superuiuere, tædet cùm tot aduersa audiamus charissimorum, lucem hanc carpere, ipsarum ecclesiarum diuersos fluctus tempestatésque vel præsentes subire vel animo recipere. Quis tam fortis vt patienter ferat? Et ideo nobis quoque affectanda hæc requies fuit, vt dum Noe sanctum maiore intentione consideramus, reficiamus & nos, sicut omne genus in illo requieuit ab operibus suis, atque tristitia. Vnde & Noe dicitur, quod Latinè dicitur iustus, vel requies. Denique & parentes eius dixerunt: Quia hic faciet nos requiescere ab operibus, & à tristitia, & à terra cui maledixit dominus deus. Quod vtique si ad ea quæ facta sunt, referendum putes: cùm diluuium sub eo factum sit, non requies hominibus, sed interitus videatur illatus, nec remissio malorum, sed cumulus miseriarum. Verum si iusti viri mentem consideres, aduertes iustitiam solam esse quæ aliis potius nata est, quàm sibi: non quod vtile sibi est quærat, sed quod omnibus. Hæc nos requiescere facit ab operibus iniquitatis: hæc reuocat à tristitia: quia dum ea quæ iusta sunt, gerimus: nihil timemus puræ consciẽtiæ securitate, non dolemus graui dolore. Nihil est enim quod maioris doloris sit, quàm culpæ reatus. Requiescamus etiam ab omni cura terrenæ cõuersationis, quæ corpus nostrum atque animam frequentibus vexat doloribus, vitámque atterit. Genes. 5.

De significationibus nominum trium filiorum Noe, & de instructione aciei ac munitionibus bonitatis naturæ, quæ nos ad huius mundi prælia generauit. Caput II.

HVic verò tres filij nati, Sem, Cham, Iaphet. Quæ nomina significant bonum, & malum & indifferens: vt & naturę gratia bonitatẽ habuisse, & malorum tentamenta ei nequaquam defuisse, & indifferentibus, hoc est velut supellectili virtutum abundasse videatur. Qua ratione autem malum in medio posuerit, ratio euidẽs est, quia naturæ bonum omnibus inest: nec quasi naufragos in lucẽ proiicit: sed & suffulcit viribus, vt non opprimantur tentamentis malitiæ, nec tanquã inualidi succumbant, sed munit & vestit velut quibusdam tegumentis indifferentibus, quę sunt salus, valetudo bona, pulchritudo, impi- Gen. 5. & 6.

gritia,

gritia, diuitiæ generis claritudo, vt ea dote muniti tueantur bonitatem naturæ, & malum illud includant ne possit nocere, & quasi clausum stragulent. Nónne cernimus velut aciem quandam virtutum ordinatam in prælium, vt inferiores in medio sint, dextra lævaque velut in cornibus validiores, per quos tota acies robur accipiat? Vnde & quidã poeta Græcus ait: κακοὺς δ' ἐς μέσσον ἴλασσεν, hoc est, malos autem in medium inseruit. Ita ergo & natura quasi bonus dux imperante deo, quæ nos ad huius mundi prælia generare noverit, quæ bona habet, primo ordine constituit, quæ officiant secũdo, quæ adiuuant tertio, vt tanquam in medio inclusus hostis, geminatis, quocunque se contulerit, opprimatur viribus, ne singulæ eorum velut æquatis fatigentur præliis, & euadendi de angustiis naturalibus, ac serpẽdi latius facultatem haberet. Sed quia vbi generantur, hic ordo est, vbi autem generãt, Iaphet primo loco scribitur, tertio Cham: ideo ne contraria nos posterioribus dixisse quis arbitretur, etiam illius loci explananda ratio est. Bonum quidem, quod velut in quadam naturæ nobilitate est, præcedit, malum autem sequitur. Sunt enim cogitationes mentis contrariæ, quæ vtique oriuntur postea. Hæc quandiu velut intus clausa sunt, nec tanquam in herbis germinant, quodam sinu bonæ mentis fouentur ne prodeant. Nam quandiu in voluntate est malum, non in entelechia, hoc est, in opere atque affectu bonitas mentis gubernatoris velut aurigæ modo cohibet vel refrenat malitiam tentãtem prorumpere. Cùm verò efferbuerit, atque in vlcus eruperit, ne possit latius serpere, & finitima contaminare: tunc iusta succedit prouidentia, ne illud indifferens, quod secundum bonum dicunt, velut loco cedat, cùm iam feruenti malo non possit resistere. Itaque ne latius fundat virus noxium, & plurimas inficiat generando corruptiones, illud primum bonum, quod natura bonum est, dum locum mutat, ordinem mutat, vt quasi laboranti cornui opem ferat, & eam partem aciei suscipiat quæ plus laborat. Virtus enim bellatoris difficilioribus locis est necessaria, sicut enim boni custodis præsentia ibi frequentior, vbi muri fragiliores. At ne qua pas sine defensore sit, dum illud bonum inclinatoria sustentat, tunc illud indifferens locum superiorem suscipit, velut deputante sibi eam partem perfectiori bono. Nihil enim virtute perfectius. Indifferentia autem non habent robur validæ virtutis, sed eius augent & diffundunt gratiam: vnde Iaphet dictus est, quod latitudo significatur Latinè.

Quid significet quòd secuturo diluuio non solùm Noe, sed & vniuersa generatio quàm maximè abundauerit filiorum procreatione: & quomodo beneficij gratiam sequi debet sobriæ disciplinæ censura. Qua etiam ratione spiritus sanctus hominibus detur: non autem permaneat. Cap. III.

NEC solum sanctus Noe abundauit filiorum generatione, sed etiã vniuersa se effudit quàm maximè eo tempore generatio. Quod non ocioſum videtur. Secuturo enim diluuio non debuit æstimari defuisse gratiam fœcunditatis illi generationi, quam diluuia absorbuerunt: vt quod fuit humani generis abundantia, diuinæ deputetur gratiæ: quod diluuium secutum est, nostris adscribatur iniquitatibus, qui peccatis nostris auertimus dei misericordiam. Sic & in posterioribus inuenies quod secuturam Ægypti sterilitatem præcesserit totidem annorum fœcunditas. Principale est enim virtutis inchoare à beneficiis, & præseminare gratiam. Vnde & Dauid ait: Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Præcedit beneficij gratia, sequitur censura sobriæ disciplinæ. Diuinum est igitur, quòd bona præmittuntur nostrum quòd mutantur. Ipse hoc declarat deus, dicens: Non permanebit spiritus meus in hominibus, quia caro sunt. Spiritus sanctus, spiritus sapientiæ est, spiritus cognitionis. Habet ergo sapientiam, habet & disciplinam: sicut & de Beseleel, qui sacrum tabernaculum diuino oraculo iussus est facere, ait scriptura: Quia repletus est spiritu prudentiæ & disciplinæ. Hic ergo spiritus datur hominibus, sed non permanet. Qua autem ratione non permanet, causa proditur, quia caro sunt. Carnis enim natura disciplinæ repugnat, quia voluptati obtemperat. Denique de solo domino Iesu scriptum est: Super quem videris spiritum descendentem de cœlo, & manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. In eo manebat, quem nulla corruptelæ carnalis impedimenta reuocabãt, quo minus incorruptæ & impermixtæ ordinem disciplinæ teneret, cuius caro non vidit corruptionem.

Genes. 41.
Psal. 100.
Genes. 6.
Exod. 31.
Act. 2.

Quòd gigantibus qui fuerunt in terra ætate Noe, similes sint homines cultui carnis suæ studentes. Et qui dicantur filij dei: & quo pacto deus dicatur irasci aut moueri. Quẽadmodum etiam irrationabilibus propter hominis peccatum deletis, Noe tamen gratiam apud deum inuenerit. Cap. IIII.

GIgantes autem erant in terra in diebus illis.) Non poetarum more gigantes illos terræ filios vult videri diuinæ scripturæ conditor: sed ex angelis & mulieribus generatos asserit, quos hoc appellat vocabulo, volens eorũ exprimere corporis magnitudinem. Et considerem⁹ ne fortè gigãtum sint similes homines cultui studentes carnis suæ, animæ autem nullam curam habentes: sicut illi qui de terra secundum poeticam fabulam orti, mole corporis sui freti feruntur habuisse contemptum superorum. An dispares æstimandi sunt, qui cùm ex anima constent & corpore, mentis vigori (quo nihil habet anima pretiosius) auersantur, & se carnis huius imitatores velut maternæ exhibent stoliditatis hæredes? Itaque inuanum laborant, cœlum votis vsurpantes superbis, & terrenis operibus incubantes, qui electione inferioris, & contemptu superioris consortij, tanquam voluntarij obnoxij peccatis grauiori condemnantur securitate. Plerunque angelos, filios dei vocat scriptura, quia ex nullo homine generantur animæ. Itaque viros fideles, filios suos dici non est aspernatus deus. Sicut ergo viri probabilis vitæ, filij dei vocantur: ita quorum carnalia sunt opera, hos filios dicimus carnis scripturarũ authoritate. Dicit enim Ioannes euangelista: Quia quotquot dominum Iesum receperunt, dedit eis potestatem filios dei fieri, qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. Ideo postea habes, quia iratus dominus est, quoniam quanuis cogitaret, hoc est, sciret, quia homo positus in terræ regione, carnem portans, sine peccato esse non possit (terra enim velut quidam tentationum locus est, caróque corruptelæ illecebra) tamen cùm haberent mentem rationis capacem, virtutémque animæ infusam corpori, sine consideratione aliqua in lapsum ruerunt, ex quo reuocare se nollẽt. Neque enim deus cogitat sicut homines, vt aliqua ei noua succedat sententia, neque irascitur quasi mutabilis: sed ideo hæc leguntur, vt exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ diuinam meruerit offensam: tanquam eousque increuerit culpa, vt etiam deus, qui naturaliter non mouetur, aut ira, aut odio, aut passione vlla prouocatus videatur ad iracundiam. Minitatus est præterea quod deleret hominem. Ab homine, inquit, vsque ad pecus, & à reptibilibus vsque ad volatilia delebo. Quid læserant irrationabilia? Sed quia propter hominem illa facta erant, eo vtique deleto propter quem facta sunt, consequens erat vt etiam illa delerentur: quia non erat qui his vteretur. Sensu autem altiore illud manifestatur, quia homo mens est, quæ est rationis capax. Homo enim definitur animal viuum, mortale, rationabile: principali igitur extincto, etiam sensus omnis extingui tur, eo quòd nihil reliqui ad salutem supersit cùm salutis fundamẽtum virtus defecerit. Ad condẽnationem autem carnalium, & ad expressionem pietatis diuinę, dicitur Noe apud deum gratiam inuenisse. Simul ostenditur quòd hominem iustum non obumbret aliorum offensio, quando ipse ad totius generis reseruatur seminarium, qui nó generationis nobilitate, sed iustitiæ & perfectionis merito laudatur. Probati enim viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominũ splendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis.

Genes. 1.
Ioan. 1.
Genes. 6.
Genes. 8.

Quomodo omnis terra dicatur fuisse corrupta, & tempus omnis hominis veniisse ante deum. Cap. V. Corrup.

957 Corrupta est autem terra coram deo, & impleta est,inquit,iniustitia.) Causa terrenæ corruptelæ manifestata est,eo quòd iniustitia hominum terram corruperit. Vnde & dominus de⁹ ait:Tempus omnis hominis venit ante me,quia impleta est terra iniquitatibus suis.Tempus quidem omnium hominum in cõspectu dei,& in eius volũtate est. Nõ enim (vt vulgo aiunt) fatale decretum alligatur. Sed tamen specialiter hic dictum puto, quia in euangelio dominus redempturus hominum genus passione sui corporis, & emundaturus sanguine suo, sacramentóque baptismatis, ait: Pater venit hora, clarifica filium tuum,vt & filius tuus clarificet te. Ergo quia in diluuio per arcam Noe seruatæ sunt reliquiæ generis humani ad seminarium reparationis & renouationis futuræ, ideo præmisit hic:Tempus omnis hominis venit,quia repleta est terra iniquitatibus suis.Hoc in figura.In veritate autem ait:Reliquiæ per dilectionem gratiæ saluæ factæ sunt. Ideoque exclamat Apostolus dicens:Superabundauit peccatum, vt superabundaret gratia.Corrupit,inquit, omnis caro viã suam. Carnem hic posuit pro homine terreno, in quo carnis illecebra viam eius corruperit. Qui si intellixisset quod munus accepisset à deo, nõ vtique passus esset vt caro obstaret animæ virtutibus. Itaque caro causa fuit corrumpendæ etiam animæ, quæ velut origo & locus est quidam voluptatis: ex qua velut à fonte prerumpunt concupiscentiarum malarúmque passionum flumina,latéque exundant. Quibus demergitur animæ quoddam excusso gubernatore remigium, cum ipsa mens velut quibusdam tempestatibus & procellis victa,loco suo cedit.Pulchrè autẽ ait: Quia homo viam naturæ suæ corrupit. Nam via sua in paradiso erat, in illo beatitudinum tramite,in illo virtutum flore, in illa incorruptibili gratia, quam viam terrenis inquinauit vestigiis. Alij habent: Viam ipsius,hoc est dei. Hoc solet verbo domini declarari.

De ædificatione arcæ.& quemadmodum in ea descripta fuerit humani corporis figura. Quódque nidi eiusdem,quibus singula corporis nostri membra significantur, bitumine intus & foris linienda sint,ne facile corrumpantur.

Caput VI.

Sed iam de ipsa Noe arca dicendum:quam si quis velit impensius cõsiderare, inueniet in eius ædificatione descriptam humani figuram corporis. Quid est enim quod ait deus: Fac tibi arcam de lignis quadratis?Quadratum certè hoc appellamus,quod omnibus bene consistat partibus,& conueniat sibi.Itaque & deus author nostri corporis, naturæque fabricator adstruitur, & opus ipsum perfectum esse iis sermonibus significatur. Quadrata autem hominis membra esse euidens ratio,si consideres pectus hominis, consideres ventrem pari mensura longitudinis & latitudinis,nisi cũ voluptatibus & epulis ventre distento, mensura naturalis exceditur. Iam pedes & manus,brachia,fœmora, & crura quadripertita quis non ipso vsu aduertat?Sunt autẽ pleraque eorũ etsi non eiusdem longitudinis aut latitudinis, tamen quæ analogiam ita seruent,vt in iis quoque congrua mensura ratióque concurrat: longitudo prolixior quàm latitudo sit,latitudo quàm altitudo. Et sicut ligni arcæ trina distantia est, siquidem trecentorum cubitorũ longitudinẽ,& quinquaginta latitudinẽ, & triginta cubitorum altitudinem seruãdam esse præscripsit: ita & in nostro corpore summa est,& media,& minima distantia.Summa secundum longitudinem,media secũdum latitudinem,minima secundum altitudinem:totum tamẽ corpus attextum ex singulis mẽbris, quadratum videtur. Nam & in vsu ita est, vt eos quadratos dicamus, quos nec enormes proceritate, & validos robusti qualitate corporis æstimamus.Quid etiam sibi vult quod ait: Nidos facies in arca, nequaquam silendum videtur. Naturaliter enim dictum arbitror, eo quòd omne corpus nostrum attextũ est sicut nidus, vt spiritus vitalis omnes partes viscerum penetret, atque de principali nostro fundat se per artus singulos. Nidi quidam sunt oculi nostri,quibus se visus inseruit. Nidi sunt nostrarũ sinus aurium,per quos auditus se infundit,& velut in foueam altam deiicit.Nidus est narium,qui ad se odorem attrahit. Nidus est quartus maior cæteris,hiatus oris,in quo nutritur donec adolescat sapor:& vnde vox euolat, in quo latet liugua, quæ velut organũ vocis sonos eius artifici suauitate modulatur.Et cùm sit ipsa irrationabilis,rationabilem vocem exprimit.Nidus est hemicraneum. Nidus est membrana illa quæ cerebrum fouet, & intra cohibet. Nidi sunt viscera pulmonis & cordis. Spiritus quidem nostri, hoc est eius quem carpimus,& quo alimur in hac vita,nidus est pulmo.Sanguinis autẽ & spiritus nidus est cor. Duo sunt enim eius vteri. Vnus quo sanguinem velut quodã sinu suscipit, & transfundit in venas: alter quo rigatus ex illo superiori deducit in arterias iugi meatu. Ossa quoque validiora nidos habent.Sunt enim intus cauata,in quibusdam foraminibus est medulla. In visceribus ipsis mollioribus nidi cupiditatis aut doloris sunt.Et alia si quis consideret,etiam plures nidos inueniet in hac fabrica humani corporis. Vnde puto & illum in psalmo non solum mystice, sed etiam naturaliter dixisse: Etenim passer inuenit sibi domum,& turtur nidum vbi reponat pullos suos. Est enim iam in hoc corpore nidus pudicitiæ, in quo erat nidus irrationabilis concupiscentię. Sed vbi ante partus deformes nutriebat libido,ibi nunc decoræ castitatis adolescit hæreditas. Illinies,inquit,eam bitumine. Ex multis ossibus,neruísque, & cæteris aliis constat humanum corpus. Et foris igitur & intus apta compage cõnexum sibi adhæret,& habitudine propria,quam ἁρμὸν Græci dicunt, tenetur, vt intus clausus spiritus qui infunditur, vel spiritalis substantia quę intus operatur, veluti geminis constricta vinculis non euagetur:sed ad vnitatem aptam & continentem connexionémque validam cohibetur.Ideo bitumine constringi arca iubetur:est enim bitumen vehementis ad constringendum naturę. Vnde Græcè dicitur ναφθα παρὰ τὸ συμάπτειν. quod disiuncta connectat, nexúque constringat indissolubili, ita vt naturali vnitate sibi credas conuenire. Ob hanc causam intus & foris bitumine arca constringitur,ne connexio illa facilè rumpatur.

Psalm.83.

Genes.6.

De comparatione arce Noé ad arcam fœdoris, quo ad materiam ligni, glutini, & commotionis. Quomodo etiam longitudo & altitudo arcæ singulos humani corporis sensus denotent ad vsum aliquem esse compositos.

Caput. VII.

Alibi autem, hoc est in Exodo, etiam deauratur foris & intus arca illa,quæ in sanctis est mũdi intelligibilis imitatrix imago. Sicut enim pretiosius aurum bitumine,ita illa quę in sanctis est arca, quàm ista prestantior. Denique hic simpliciter ligna posuit ibi autẽ ligna quidẽ, sed imputribilia cõprehendit, declarans merita sanctorũ. Addidit etiã illic supportatoria immobilia esse,quod sanctorum statio stabilis & firma sit:quia vitę probabilis tramitẽ virtutis ductu secuti sunt, corruptelę declinantes consortia. Hęc autem arca, vt pote in diluuio huc atq; illuc motu impellabatur incerto, eo quòd peccatorum status mobilis sit, & vitę eorũ quodam redundantium passionũ diluuio corruptioni obnoxię errore incõstanti vagẽtur. Nec illud prętereundũ quòd cum dixisset, Et facies arcã trecentorum cubitorũ lõgitudine, & quinquaginta cubitorum latitudine,& triginta cubitorum altitudine:addidit colligẽs: Facies arcã, & in cubito consummabis eam à summo: vt reliquo corpori mẽsurę sibi cõuenientis ad gratiam decore quadret caput hominis, tanquam regale arcę adiungeret: ex quo cùm sensus omnes ad cęteras partes corporis transfunderẽtur,tum maximè oculi,velut spectatores & custodes, naturę appositi prouidentia, prope totum orbis nostri statum desuper contuerentur. Ipsaque mens illic locata secundũ plurimorum sententiam, & maximè Salomonis, qui ait: Oculi sapientis in capite eius:quasi in aula imperiali virtutũ consiliũ sibi contrahat, quo stipata comitatu & ipsa munitior sit, & tanquã ex edito quodam tuendi totius corporis regnum impertiat, responsa proferre, per quem possimus nosipsos non solum retro respicere, nec solũ quod ante pedes est videre, sed etiã cœli ipsius secreta profundo obtutu sapientię spectare. Ibi igitur summa nostrę salutis, vbi gratia. Inde custodia, inde etiam pulchritudo corpori toto

Exod.25.

Genes.6.

Eccle.2.

acquiritur, quæ primum in vultu vernat. Decet enim præ- A
ſtantiorem eſſe aulæ regalis nitorẽ, in qua ſicut vſus maior,
ita ſplendor eſt. Nanque ſi ſpectes, ſingula quæ in hominis
forma ad vſum aliquem compoſita videntur, vt viſus ad vi-
dendum, aures ad audiendum, nares ad odorãdum, os ad lo-
quendum: ita vſus miniſtrant, vt præſtent decorem. Quàm
deformes ſunt vultus cæcorum? Et quid mirũ ſi vultus ho-
minis abſque oculis deformis eſt, quando ipſum cœlum ſi-
ne ſole non habet ſuum decorem? Triſtes ſine ſole dies du
cimus, noctes ſine luna non placent. ipſi enim ſunt quidam
mundi oculi. Detrahe ſtellarum lumina, & quædam eſt in
cœlo ipſo cæcitatis deformitas. Pili ipſi qui orbem oculo-
rum prætexeunt, & velut quandam aciem prętẽdunt, ne ſor-
de aliqua vel pulueris caligine pupilla lædatur: & ipſi exci-
piunt ſi quid fuerit illatum quod oculum poſſit lædere: ſi
lippitudine intercidant, dedecet: ſi palpebra contractior
fuerit: ſi radantur ſupercilia, quæ precioſorum monilium
ſpecie velut intexta gemmis refulgent. Aurium quoque vt
neceſſarius vſus, ita decora ſpecies: quas ſi quis truncaue-
rit, toto vultu infert deformitatem. In quibus ita laborauit B
opus ſuum natura, vt ipſi anfractus cauernarum mira pru-
dentia ſinuati, plurimum vtilitatis afferant, ne repente feriat
ſecreta capitis ſonus. Denique ſæpe multos improuiſo clan-
gore conſternari videmus, & attonitos, aut vocis alicuius,
aut tumultus ſono expaueſcere. Sordes ipſæ quæ inter eoſ-
dem gignuntur anfractus, velut quodam glutino auditum
ligant. Simul ſi vehementior pulſus fuerit alicuius ſonus, in-
fringitur ac retardatur, vt prænunciatus potius mulceat,
quàm improuiſus interna concutiat. Vermiculi quoque (ſi
aurem penetrare tentauerint) quodam ſordium viſco tenen
tur. Nares ſimæ contra naturam videntur, iam ſi inciſæ fue-
rint, quomodo poteſt vita ſubſiſtere ſublato ſpirandi meatu?
Quemadmodum pecudis magis facies, quàm vultus homi-
nis æſtimatur. Capilli capitis quàm grato amictu caput ve-
ſtiunt, velut quidam aulæ regiæ ſtipatores, ne cerebrum au-
ra lædat, aut imber feriat, aut ſol adurat. Quos ita tamen de-
dit natura, vt pro ſexu aut prolixiores placeant, aut reciſi, &
pro ætate, aut plerunque pro temporis & anni qualitate. In C
ſenibus grata canicies, in pueris prodigioſa æſtate delectat
preſſius, hyeme indulgentius: mulieribus ornamento eſt co
ma, dedecori eſt viris. Denique Apoſtolus euidentius expreſ-
1. Cor. 11. ſit hoc dicens: Nam ipſa natura docet vos quòd vir quidem
ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier verò ſi capillos
habeat, gloria eſt illi. Quid de ipſa regia loquar, per quam au
lici ſermones prodeunt, quidam mentis noſtræ indices, ani-
míque internuncij? Quid de ipſo dentium ordine, qui cum
ſuo opere toti quidem corpori vires miniſtrent, tum etiam
modulatores ſunt vocis ipſius? De quibus ſi quid ceciderit,
vox claudicat. Hæc de capite prolixius diximus, quia opor-
tuit ſenſus omnes in ſummo locari, vnde omnia per reliquas
partes officia diuiderentur. Capiti autem noſtro à tergo cer-
uix proxima, dextera læuáque brachia ſunt, quæ arcem impe
rialem tanquam fida tuentur cuſtodia: Denique hæc in no-
bis validiora, quæ propiora capiti, hæc præſtantiora. Pectus
quoque velut quoddam ſacrarium ſapientiæ, & ſtomachus
velut quidam teſtis (vt medici aiunt) & conſcius ſecretorum D
capitis, compaſſioníſque conſors, cui ſua omnia vel ſalubria
vel aduerſa trãsfundat. Latera, naticæ, fœmora, & crura, men
ſuræ latitudinem ipſa ſpecie ſignificant, pedúmque greſſus.
Qui etſi exiliores videntur, fiunt tamen latiores cùm ince-
dimus.

Quid ſignificet oſtium ex aduerſo in arca factum. Et quemadmo dum qui retro erant, priores facti ſint. *Caput VIII.*

Gene. 6. PVlchrè autem addidit: Oſtium ex aduerſo facies.) Eam partem declarans corporis, per quam cibos egerere conſueuimus, vt quæ putamus ignobiliora eſſe corporis, his honorem abundantiorem circundaret. Quod multo gratius ſcriptura expreſſit, quàm Socrates in libro Platonis dixiſſe legitur. Nam iſtud in Moyſi ſcriptis ſiue ipſe Socrates, ſiue Plato, qui in Ægypto fuit, potuerit vel legere, vel ab aliis percipere qui legerant: decoro motus inuento, oſtium ſibi apertum putauit, vt operatoris noſtri conſilium prædicaret, laudans, eo

A quòd id potiſſimum decori conuenerit, vt ductus quoſdam
vel exitus cuniculorum noſtrorum à tergo auerteret, ne in
purgationibus ventris conſpectus noſter offenderetur. At
verò Apoſtolus: Quæ videntur, inquit, membra corporis in-
firmiora, neceſſaria ſunt: vno ac ſimpliciverbo deſcriptio-
nes philoſophiæ ſupergreſſus: & quæ putamus ignobilio-
ra eſſe membra corporis, his honorem abundantiorem cir-
cundamus: & quæ inhoneſta ſunt noſtra, honeſtatẽ abun-
dantiorẽ habẽt. Sobrietatis enim noſtræ & tẽperantiæ indi-
cium pręcipuè ille cognoſcitur. Helluones enim aut diſten-
duntur cruditate vſque ad periculũ, aut plerunque ſoluun-
tur viſceribus exinanitis. Quod pulchrè etiam ad eccleſiæ
mẽbra Apoſtolus retulit. Quæ enim inhoneſta ſunt noſtra
ac ſuperflua, niſi luxuria, niſi laſciuia? Quibus ſi quis inuẽtæ
irretitus tempore, cùm ad maturiorem ætatem proceſſerit,
veniat ad baptiſmum, renũciet ſuperioribus, moréſq; priores
exuat, peccata deponat, conſepeliatur cũ domino Ieſu Chri
ſto, crufigatur ei mundus, & ipſe mundo: nónne is peccato-
rum remiſſione donatus, abundantiorem honeſtatẽ, quàm
B ille catechumenus, cuius vita innocẽtior, habere æſtimatur?
Et vt Apoſtoli ipſius exemplo vtamur, Iudæus erat, perſecu-
tor erat: vocatus ad gratiam Chriſti, cœpit eſſe apoſtolus. Et
quia plus ei dimiſſum eſt, plus cœpit diligere, abundantius
cæteris apoſtolis laborare, vas electionis factus, doctor Gen
tium miſſus. Nónne etiam apoſtolorum ipſorum plurimis
vberiorem & honeſtiorem conſecutus eſt gloriam, qui an-
te & inhoneſtus & inglorioſus fuit, cùm perſequeretur ec-
cleſiã dei? Pauper iſte debilis, in eccleſia te redemit ſuis vo-
tis. Et (vt maiora aperiamus myſteria) quid tã ignobile quã
gentilis populus? Pauper, vtpote qui nulla haberet eloquia
dei, debilis, & vtroque pede claudus, qui nec in legem, nec
in euangeliũ credidiſſet: vocatus tamẽ credidit ei, baptiza- Luc. 7.
tus accepit gratiam. Itaque quia plus ei dimiſſum eſt, plus di-
ligit. Remanſit Iudæorum populus, licet vno pede claudus,
quanquam & in ipſa lege claudicet. Itaque ille qui glorioſiſ
ſimus habebatur, amiſit omnia, mirabilem conſiliarium, &
prudentem architectum, & ſapientem auditorẽ. Iſte qui im
C mobilis erat, adeptus omnia, fidei titulo, trophęo martyrum,
angelorum gloriatur cõſortio. Ergo Plato quod potuit, ſer-
monis nitorem adhibuit: Apoſtolus autem, qui habebat dei
ſpiritum, reuelauit myſterium. Satis dictum eſt de oſtio,
quoniam qui retro erant, priores facti ſunt.

Quid ſit quod inferiora arcæ bicamerata, & tricamerata eſ-ſe debeant. Et quòd deus per arcæ figuram voluerit nos do cere quemadmodum à diluuio intemperantiæ tuti eſſemus per remedium electionis iuſti. *Caput IX.*

NVnc illud quæramus quid ſit quod ait dominus:
N Inferiora arcæ bicamerata & tricamerata facies.
Inferiora quidem dicendo, aduertimus quòd pul-
chrè nos ſentire voluerit inferiori loco æſtiman-
da ciborum receptacula, hoc eſt ea viſcera quę acceptum cõ
ficiunt cibum. Corruptibilis enim eſca eſt. Quod autem cor
ruptibile, non ſuperioribus ſed inferioribus cõparandum:
ſimul quia cibus deorſum fertur: cuius exigua portio viri-
bus corporis alimoniæque proficit. Reliqua uerò pars aluo
purganda deducitur, quia inteſtina ſunt per quæ deſcendũt
ciborum ſuperflua. Ita operator noſter inſtituit, vt non ex-
tenta à ſtomacho ad imum, ſed ſinuata ſint ac reflexa, quo
uitæ noſtræ vſus propagaretur. Nam ſi extenderentur in-
teſtina hominis quæ ſuſcipiunt & deducuut cibum, ſtatim
ſine vlla pertranſiret mora: & neceſſe eſſet ſemper eſurire
nos, iugiter epulari: aut deficiente alimentorum ſubſtantia
deficere ilico. Munc autem in illa inteſtinorum reflexione
ac ſinuatione bipartita ac tripartita adhæret cibus, & deſcẽ-
dendo paulatim vires miniſtrat, ſuccum infundit corpori,
tenet ſatietatem, differt edendi appetentiam: nec ſubita ef-
fuſio, nec repentina euacuatio eſt, nec inexplebilis appeten-
tia eſt, nec inſatiabilis epulandi libido. Primũ ergo indigen-
tia eſt, nec inſatiabilis epulandi libido. Primũ ergo indigen-
tia eſt, & fames. Deinde ex his ſequitur edendi ſine intermiſ
ſione continuatio. Quid autẽ deformius, quàm ſemper ven
tri ſtudere? Qui cùm repletur, vacuãdus eſt: cùm vacuatur,
replẽdus. Tertium quid ſuperat, niſi mors inter ipſos cibos
epulaſq; permixta? Quomodo enim poterant diutius vitam
producere

961

producere,simul edẽtes,& esurientes, bibẽtes sitientésque: & priusquam replerentur, exinanientes omne quod sumpserant,statímque esurientes? Nunc autem,dum paulatim defcẽdit esca,famem & cruditatem naturalis temperat prouidentia. Primum enim in stomacho,quẽ plerique ventrem appellant superiorem, cibus conficitur:deinde coquitur in iecore,atq; eo digeritur vapore. Succus eius diuiditur cer-tis viscerum portionibus,ex quo omne corpus valescit. Quod satis iuniorum incrementa, senum testificatur per-seuerantia. Reliquum cibi in ventrem defluit, quem omnes ventrem appellamns sine adiectione. Plerique dicunt ven-trem inferiorem, ex quo fimus necesse est (qui plenus iam corruptionis descenderat) egeratur per illud ex transuerso ostium. Hæc cùm ita naturali institutione ad dei præceptio nem composita videãtur,tamen si non edendi à nobis agen dique modus seruetur,tanquam exuberantibus passionibus generatur diluuium, & quædam totius labes corporis. In-temperantia enim accendit libidinem,cruditatem generat, corruptelam creat. Itaque aut duritia interna tenduntur & quatiuntur doloribus,aut incocto ciborum humore,& in-digestionis asperitate interior quidã intestinorum amictus raditur:quia velut chartæ specie geminus eorum amictus as seritur. Vnus exterior,quem cõtinuum aiunt periti, vel qui curiosius scrutati sunt,à summo ad imum directus: Alius in terior,tanquam lateribus attextus:vnde aiunt non totũ sol-ui cùm raditur. Nam si continuus esset interior, immedica-bilis eius scissura foret:illic per moram adiunctionum, ad-hærere ciborum reliquias. Quæ si adiunctiones soluantur, transire semesos cibos,& potus defluos,hoc est hominis di luuium. Vnde mihi videtur per arcæ huius figuram voluis-se deum nos edocere quẽadmodum ab hoc speciali tuti si-mus diluuio. Corruptela enim diluuij causa est:ea vbi ere-perit,aperiuntur aquæ,ebulliunt omnes fontes cupiditatũ, vt totum corpus tanto & tam profundo vitiorũ fluuio mer gatur. Nihil est enim quod tam miseræ seruituti subiiciat ho minem,quàm libido,atque eiusmodi cupiditates quæ iugo quodam criminum graui deprimunt miseram cõscientiam, vt se nequeat attollere, vtpote quæ libertatem innocentiæ amiserit. Maximum ergo in hoc diluuio est remedium, vt iustum præferas,cúmque mandati cœlestis executorem eli-gas. Quis est iustus in nobis,nisi mẽtis vigor,qui intra istam arcam includat omne animãtium genus quod est super ter-rã? Cohibe ergo & tu omnes irrationabiles passiones tuas, omnésque sensus tuos menti subiice,animíque imperiis as-sueíce. Euolare foras non sinas cupiditates tuas, exire in vul gus libidinem : & per rationabilem mentem poteris etiam irrationabilia tua : & immunda peccata ab omni periculo diluuij liberare.

De tribus causis ob quas muta animantia,quæ peccandi sensum non habent, per diluuium subiecta sint pœnæ, cum altiori mystica quadam interpretatione. *Caput X.*

Gene.41. OMnia,inquit,quæ sunt in terra,morientur. Quid itaque muta deliquerant animãtia,qua causa sub iecta sunt pœnæ,quæ peccandi sensum non ha-bent? Sed quemadmodum in bello cùm impera tor ab hoste occiditur, commoritur eius exercitus, atque omnis comminuitur virtus militaris : sic non discrepare à iustitia visum est, cùm interiret homo, cui regalem quan-dam dominus deus in omne animãtium genus potestatem dedit,vt omnibus volatilibus, feris, bestiis imperiali præes-set authoritate,quòd etiã pecudes, & quæcunque erant ir-rationabilia,commorerentur animalia. Denique si quando est pestilentia,corrupto cœli tractu, prius ea quæ sunt irra-tionabilia,lues dira contaminat,& maximè canes,equos,bo ues: atque ea inficit,quæ cum hominibus conuersari viden-tur. Sic morbi vis genus humanum implicat. Hæc igitur pri ma causa,vt arbitror,iustæ assertionis. Secunda illa, quia ne-mo accusat naturam cur reliqua corporis nostri mẽbra mo-riantur solo capite sublato,cùm multos videamus amputa-tis manibus & pedibus superuiuere. Sed non eadem cæte-rorum membrorum est prærogatiua, quæ capitis. Ideoque abscisso eo,vnde sensus nostri in reliquũ corpus prodeunt, A moriuntur etiam omnia membra: nec in eo, aut operatoris prouidentia deseritur,aut substantiæ humanæ redarguitur. Similiter ergo nemo nunc arguat,quia caput & principale quoddam cæterorum animalium homo est: quo moriente non debet mirum videri si cætera moriantur animalia. Ter-tium illud est,quia rationis expertia nõ propter se,sed pro-pter hominem generata sunt animalia,hominis enim causas esse præcepta sunt,vt eorum subiectione humana præstare conditio. Denique gratiæ hominis attribuit Propheta di-cẽs: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vni- Psal. 8. uersas, insuper & pecora campi,volucres cœli,& pisces ma-ris: quia propter ipsum illa omnia: alia propter vtilitatem, alia delectionis gratia, alia voluptatis. Consequens ergo erat,vt cùm deleretur homo à facie terræ, propter quẽ fa-cta sunt,etiam ipsa pari delerentur occasu. Hæc secundum simplicem lectionis expositionem. Altior autem & profun dior interpretatio illud attexit,quod vbi anima mole pas-sionum curuatur graui, & quasi diuersarum cupiditatum B mergitur æstu, terrenæ omnes cogitationes & cõcupiscen-tiæ in præceps ruunt : quia peccator vnusquisque quo gra-uiora flagitia commiserit,eo fit insolentior. Nanque vsu at-que exercitatiõe improbitas augetur,& impunitate nutri-tur audacia. Recedit itaque ab omni respectu honestatis, & in eo terrena omnia moriuntur letalis peccati acerbitate, quæ vera perpetua morte peccatorem deleat. Nemo enim grauius moritur,quàm qui peccato viuit. Moriuntur in eo passiones singulæ,moritur visus, qui peccatum annunciat: qui mulieri fallaci intendit: qui capitur alieni vultus deco-re: quem oculi meretricis ligauerint: quẽ aspectus illaque-auerit fornicariæ. An non videtur mori,qui sibi libidinis te-lum impresserit,qui spontaneus in foueam mortis irruerit? Moritur & auditus,cùm refert crimina: cùm solicitantis ad-ulteri sermonẽ annunciat: cùm inserit animis verba mere-tricis,quæ seducit iuuenem multo blãdimento sermonis,la-queis autem labiorum suorum illigat eum. Moritur ex silẽ-tio,si non confiteatur deo. Moritur multiloquio quia scri-C ptum est: Ex multiloquio non effugies peccatum. Moritur per iracundiam, cùm prætergreditur mensuram vltionis. Prouer.10 Omnis nanque postremò sensus moritur,si minister sit iniquitatis.

Quòd absumptis omnibus terrenis diluuio, solus iustus se & domum suam seruet. Et quàm pulchrè iuxta mysticam interpretationem dominus ad Noe dixerit: Quia vidi te iustum in generatione ista. *Caput XI.*

ET ideo quia terrena omnia moriũtur diluuio, so-lus autem iustus in æternum manet,ad ipsum di citur: Statuam testamentum meum ad te: quia Gene.6. ipse diuinæ est hæres gratiæ,ipse cœlestis posses-sor hęreditatis,beatissimorum consors bonorum. Et homi-nes quidem cum moriuntur,patrimonium suum testamen to transcribere solent: nec cedit hæreditas donec viuit te-stator. Hebr.8 Deus autem cùm sit sempiternus, trãsfundit iustis di uinæ hæreditatem substantiæ: & ipse non indigens, donat sua sine vllo donationis dispendio,quem non grauant suo-D rum consortes bonorum,magisque fruitur eo quo nos vti-mur. 1.Corin.8. Denique dominus Iesus pauper factus est, cùm diues esset,vt illius inopia ditaremur. Qui testamẽtum vtrunque suo consummauit sanguine, vt nos vitæ suæ cohæredes, & mortis faceret hæredes,quo & vitæ haberemus consortium & mortis beneficium. Multum autem tribuit iusto dicen-do: Statuam testamentum meum ad te,eo quòd rationabi-lis ipse vir sit testamentum dei. Ipse est enim hęreditas, ipse possessio,in quo virtus diuini testamẽti est,in quo fructꝰ iu-dicij,in quo hæreditas promissionis,de quo Dauid dicit: Ec-ce hæreditas domini filij merces fructus vẽtris. Sed iam sal-uâ expositiõe profundioris mysterij, ad reliqua pergamus. Psal.126. Intra,inquit,tu,& omnis domus tua in arcã, quia te vidi iu-stum in generatione ista. Manifestè fides propheticę senten Gene.7. tiæ etiam hoc adstruitur loco : quia stultus sibi soli stultus est,sapiens autẽ sibi & plurimis sapit. Itaq; Noe iusti merito etiam domus eius in diluuio seruatur. sic in mari nauigãtes, & in bello exercitus, si illis non desit gubernatoris peritia, istis imperatoris prudentia, à periculo tuti sunt aliena ope.

Sed quia boni imperatoris bonus exercitus, ideo etiam laudem iusti in eo intelligimus nō præteriri, qui talem instituit domum suam, vt virtutis fulgeret consortio. Meritóque inuenit salutem cognatio: nec repugnat, quia postea aut filius aut vxor offendit. Dormiebat iustus, cùm erraret filius. Fœmina quoque, vtpote sexus fragilioris, mole periculi turbata, quæ totum orbem diuino incendio perire crederet, quid miraris si virum non potuit sequi, cùm ipse iustus ab angelis monitus vix euaserit? Quid autē mirum si homini obrepit error, aut se relaxat intentio? Argue ergo quia & iustus inebriatus est. Sed hæc loco suo reseruanda arbitror: nunc quod supereſt, consideremus. Pulchrè enim dixit: Quia vidi te iustum in generatione ista. Multi hominibus iusti videntur, pauci deo: aliter hominibus, aliter deo. Hominibus
1. Reg. 16. secundum vitæ speciem, deo secundum puritatē animi, virtutis veritatem. Homines quæ foris sunt probant: deus quæ intus, examinat. Perpēsè autem addidit, In generatione ista, vt neque superiores condemnaret, neque posteriores excluderet, rectéque diluuium factum adstrueret interitu generationis eius, quæ non haberet consortium æquitatis. Hæc secundum literam. Altior autem sensus prouocat nos vt hoc putemus vigorem mētis in anima esse, & animam in corpore, quod paterfamilias in domo sua. Quod enim in anima mens, hoc anima in corpore. Si mēs tuta est, tuta est domus, tuta est anima: si anima incolumis, incolumis caro. Mens enim sobria passiones omnes cohibet, sensus gubernat, sermonem regit. Ideoque bene dicit dominus iusto: Intra tu, hoc est, intra teipsum, intra tuam mētem, in tuæ animæ principale, ibi salus est, ibi gubernaculum: foris diluuium, foris periculum. Si autem intus fueris, & foris tutus es: quia vbi mens sui arbitra est, bonæ sunt cogitationes, bonæ sunt executiones. Si enim nihil vitij mentem obumbret, synceræ cogitationes sunt. Si studio sit castitas, cordi si temperātia, nulla inardescit flamma libidinis, nulla vlcera proserpunt ægritudinis. Sobrietas enim mentis, medicina est corporis.

Qua ratione de iumentis mundis septem & septem, masculus & fœmina iubeantur in arcam induci: de immundis autem duo & duo, secundum naturalem atque moralem expositionem. Caput XII.

Gene. 7. NVnc consideremus qua ratione induci in arcam iubet à iumentis mundis septē & septē, masculum & fœminam: ab immūdis autem duo & duo, vt nutriatur semen in omnē terrā. Et, vt ego arbitror, inire mūdā asserit hebdomadā, quia mūdus & sacer septim⁹ numerus. Nulli enim miscetur, nec ab alio generatur. Ideoq; virgo dicitur, quia nihil ex se generat. Meritóq; tanquā materni exors, immunísque partus muliebris copulæ, etsi hebdomas
Exod. 34. fœmineo nuncupetur nomine, virilis habet sanctificationis gratiam. Omnis enim masculus adaperiens vuluam, sanctus
Esaiæ. 66. domino vocabitur. Et in propheta habes: Effudit, & peperit masculum, id est sanctum. Secundus autem numerus nō est plenus, quia diuisus. Quod autem non est plenum, vacuum habetur. Septimus autem numerus plenus, quia hebdomas vt decas: & similis illius primi, quia facta est ad similitudinē illius, qui est semper, à quo profluunt, & mouentur quę sunt in omni genere virtutes. Hæc naturalia. De moralibus autē vt dicamus, non est dubium quin rationabile animæ nostræ in quinque sensus diuidatur, & vocem & generatoriū, quæ natura videntur esse fœminea, quia sensus nostri in materialia & secularia citò repunt. Vnde claret eos mollioris naturæ habere substantiam. Sed erudito & industrio viro munda omnia, quia sapientia exercitati viri & virtus, firmamentum his virili transfundit iudicio. Ergo prudentis & propositum gubernātis est infirmioris sexus qualitatem in fortiorem substantiam transferre. Valida enim sapientis & fixa sententia est: non mutabilis, vt stulti & insipientis, qui consilio nutat incerto: vt improbi, qui non quod verum & iustum sit eligit, sed quod sibi commodum velit, scindit à veto, secernit à iusto. Iustitia enim singulare est bonum, per
*tantum seipsam suo tāti * spectatur precio. Iniquitas verò velut diuidua parit: nunc odio inflexa, nunc quæstu ea quæ sunt di-

A uidenda confundit. Stultus enim vt luna mutatur: & versi- Eccles.
964
color, aut humorum varietate difformis, animam suam in leprosi corporis speciem turpi contagione commaculat, salubres cogitationes noxiis sæpe permilcēs. Sed fortasse quia munda & immunda induci in arcam præcepit carnis animantia, iure mouere possit, quia dixi honestis disceptationi bus indecoras nō esse miscendas. Nec ego abnuo irrationabilium quidem, mundorum tamen motuum aliqua esse semina & quasi principia in anima nostra, & eorum qui mundi non sint. Natura enim hominis contrariorum capax est vt & malitiæ in ea sit vis, & virtutis ingressus: meritóque in principio libri huius, qui est Geneſis, per arboris speciem in paradisi medio, legisti boni & mali scientiam. De quo ligno scientiæ boni & mali præceptum est non esse gustandum, eo quòd mens nostra, in qua est cognitio & disciplina boni & mali recipit notionē. Itaque naturæ opifex, sicut ad propagandum vel etiam reparandum genus animantia referuauit, vt vniuersæ terræ animantium semine replerentur: ita
B etiam corporis nostri terrenam substantiam vacuam non putauit passionum huiusmodi tanquam immundorum animalium relinquendam, quæ cum deliciis & luxurie tanquam vice diluuij ingurgitatur, memoratis fluctuat passioni bus. Vbi autem sobrietate & continentia vnusquisque inundantium vacuauerit diluuium passionum, & quandam animæ retexerit siccitatem, viuificare incipit suum corpus, & animæ puritatem, cui regnum sapientia est.

Qua de causa postquam ingressus est Noe in arcam, post septem dies diluuium factum fuerit. Quare etiam cum satis fuisset dixisse diluuium fuisse quadraginta diebus, adiecerit, & quadraginta noctibus: & qua ratione quadraginta diebus duraverit. Quid præterea sibi velit quod inquit dominus: Et delebo omnem resurrectionem carnis à facie terræ. Quid postremo quod dicitur: Et fecit omnia Noe quæ mandauit ei dominus deus. Caput XIII.

C ILlud quoq; studio est quærere, quæ causa est cur postquam ingressus est Noe in arcā, & in- Genes.
duxit animātia, post septem dies diluuium factū sit. Nō enim ociosum videtur quod haud plures aut pauciores interpositi sint dies, sed tot quot in constitutione mundi fuerunt. Sex enim diebus factus est mundus, septimo die requieuit deus ab operibus suis. Quo declarauit indicio ipsum se esse authorem mundi, atque diluuij. Mundum propter bonitatē suam condidit, diluuium fecit nostrorum merito delictorum. Admoniti sunt igitur homines vel ex numero dierum quibus mundus est conditus, quod conditorem suum non lachrymis solum & precatione, sed correctione morum reconciliare debuerāt. Ergo spatium dedit ad pœnitentiam dominus, magis volens ignoscere, quàm punire, vt imminentis diluuij terrore suspensos, ad veniam cogeret postulandā: quo dum periculum futuræ mortis horrescūt, impietati atque iniustitiæ renunciarent. Secūdum est, vt hinc quoque domini supra modum clementiam misericordis colligamus: quia multorum
D annorum offensionem à constitutione mundi, in finem vsque contractam, paucis diebus, si pœnituisset eos, voluit relaxare. Est enim deus peccati immemor, virtutis remunera- Esa. 43.
tor, sicut ipse ait in propheta: Ego sū, ego sum qui deleo iniquitates, & memor non ero: tu autem memor esto, & iudicemur: dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Cū enim aduerterit verā animæ refusam esse virtutē, tantū ei honoris attribuit, vt non solum veniam superiorū indulgeat peccatorum, verum etiā gratiam & iustificationes impertiat. Expectauit ergo & septimo die ipso quo ab operatione requieuit, vt si venia posceretur, sequeretur correctio, & ab indignatione requiesceret. Illud quoq; curę fuit nō prętermittere, eo quòd diluuium factum dixerit quadraginta diebus, & addiderit, quadraginta noctibus. Scimus enim diē dici, quē sol terras illuminans signat: noctem, quam circunfusæ tenebræ à diei claritate disterminat: & plerunq; à nobis ita diem significari, vt noctem non comprehendamus, plerūque vt cōplectamur. Significantes enim mensem triginta dierum, significamus &

965

mus & noctes. Vnde cũ satis fuisset Moysi dixisse diluuium fuisse quadraginta diebus, cur addiderit quadraginta noctibus, quæritur. Et aliqui ita acceperunt qui ante nos fuerunt, vt & virorum & mulierum factus interitus demonstraretur: diem ad virum referẽtes, qui sit purior, similis lucis: noctem ad mulierem, quæ viro dormiente creata describitur: simúlq; quia vir prior quasi author, qui virtutẽ moueat mulieris, atque in partus excitet, actu ille clarior publico, ista obscurior, tãquã domesticis clausa parietibus, & nocti proxima, secundo orta loco, & creationis suæ formata iam cotem constitutioni totius mundi, hoc est lætioribus. Sed fortasse referatur, quid quod etiam lex quadraginta diebus lata est, tot dies obseruauit Moyses in mõte Sina, & demoratus est, cùm præscripta legis acciperet. Rectè ergo eodẽ numero declinandorum peccatorum præcepta tribuũtur, quo pœnæ culpa est persoluta, vt cognoscamus quòd de eodem vitæ tempore debeat ex correctione laus comparari, quo poſt punienda culpa committi. Vnde nunc iam non pœnæ præscripti sunt dies quadraginta, sed vitæ, vt hoc numero ieiuniis & orationibus crebrioribus nostrorum leuemus supplicia peccatorum, atque ad decreta legis intenti deuotione ac fide nostrum corrigamus errorem. Itaque per domini resurrectionem quadragesimus dies iam nõ habetur nouissimus, sed primus: atque inde vita numeratur, vbi antè mortis numerus ad consummationẽ mundi humani generis excidium computabatur. Et delebo, inquit dominus, omnem resurrectionem carnis à facie terræ. O cœlestium pulchritudo verborum, si quis ea decoro intellectu piæ mentis examinet. Indignatur deus peccatis nostris, sed non obliuiscitur pietatis. Minatur supplicium, sed non permittit excidium. Moderatur vindictam, reuocat seueritatem. Deleturum se dicit omnem carnem, non à terra, sed à facie terræ. Florem decutit, radicem seruat, finit vt in profundo substãtiæ virtus maneat humanæ, quæ in superficiæ laboret, intus passibilis perseueret, immunísque noxæ, ad eorum substitutionem qui non sunt reatu obnoxij, reseruetur. Pulchrè autem posuit: Delebo, tanquam literarum apices, qui delentur sine fraude librorũ, & sine imminutione tabularum. Atramentum deletur: sed lignum manet. Delentur elementa, vt scribantur plerunque meliora. Atramentum tollitur, substantia non exterminatur. Delebo, inquit, corruptelam carnis vt scribam incorruptionem. Delebo resurrectionẽ carnis à facie terræ, vt scribam in cœlestibus resurgentes. Delebo de libro terræ, vt scribam in libro vitæ. Deleantur domine meus, domine deleantur citò elemẽta ferri, vt scribantur elementa Christi. Aboleatur resurrectio terrena, vt cœlestis gratia redunder. Veni Moyses, præpara gremium, legẽ accipe, suscipe apices, quos iam misericordia diuina non deleat. Suscipe tabulas quas dominus statuat in æternum. Vtinam ipse nõ frangas. Et ipsas mihi mea culpa sustulerat, nisi dominus reddidisset. Iure quidẽ Moyses indignatus est, ne haberent diuina priuilegia, qui non deferrent obsequia, Sed puto quòd non mihi eas, sed Iudæis fregeris. Fregisti Iudæis, recepisti mihi. Fractæ sunt priores, vt posteriores manerent. Fregisti eas in pectoribus Iudæorum. Quid enim proderat vt tabulas tenerẽt, quarum scripta tenere non possent: Ecce secundas tabulas dicũt se tenere, sed non tenent. Dicunt se legere diuina elementa, sed non legunt. Digito dei scriptas esse tabulas Moyses dicit: illi digitum dei non legunt, ferrum legunt. Atramentum vident, spiritum dei non vident. Sed ecclesia nescit atramentum, spiritum nouit. Idcoque Paulus nouit scribere, non atramento, sed spiritu dei viui. O sacrilegum ineptum populum Iudæorum. Homo spiritu dei scribit, & homo sub lege nutritus, & illi volunt deum atramento scripsisse, non spiritu. Ergo vt ad superiora redeamus, delet deus resurrectionem carnis, tanquam apicum scriptionem: quo declaratur quòd superfluam hominum natiuitatem propter impietatem eius deleuit speciei literarum: substantiam autem & conuersationem generis seruare humani voluit perpetuitate tabularum, vt ex ea semen reliquum pullularet. Cui sententiæ conuenire etiam illud videtur quod ait: Delebo, inquit, omnem resurrectionem carnis. Resurrectioni autem communi vsu naturæ contraria videtur esse purgatio, quia purgatione rescinditur & reprimitur resurrectionis luxuria. Omne tamen quod purgatur, speciem amittit: substantiam suam seruat, atque meliorat. Repressit igitur dominus purgatione diluuij corporeum vsum, conuersationémque generationis eius quæ degenerauerat à decore naturæ, & accepti muneris venustate. Hæc secundum literam. Quod autem ad altiorem pertinet sensum, diluuij species typus est purgationis animæ nostræ. Itaque cùm mens nostra se à corporalibus mundi huius illecebris, quibus antè delectabatur, abluerit: bonis quoque cogitationibus veteris colluuiem cupiditatis absterget, tanquam purioribus absorbẽs aquis turbidorum prius amaritudinem fluentorum. Et fecit, inquit, omnia Noe quæ mandauit ei dominus deus. Iustus mandata accipit, seruus imperia. Hic amici censetur loco, qui fecerit quæcũque exequenda susceperit. Ille qui nutat obsequiis, oneri seruitutis addicitur. Denique & dominus Iesus dicit in euangelio: Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos. Mandatur ergo vt amico, mandatur vt ei qui valida charitate, sobrio consilio ea quæ mandata sunt exequatur. Nec fefellit dominum iudicium suum, impleuit iustus vniuersa, non partem, sed vniuersa quæ mandata sunt ei: & ideo scripturæ diuinæ accepit testimonium. Nec superfluum putes quia simul posuit dominum & deum. Nam & deus in domino, & dominus in deo, sed vt patris & filij intelligas commune præceptum. Aliqui tamen ante nos sic interpretati sunt, eo quòd dominum & deum dicendo hoc loco, & vindicaturi & ignoscituri geminam expresserit potestatem. Et quia hic vindicat prius in peccatores, ideo ante dominum dixerit: quoniam * verò postea, vt iusti seminarium propogaretur, indulget, ideo deum postea nominauerit. Denique facturus mundum, deus dicitur. In principio fecit deus cœlum & terram. Et dixit deus: Fiat lux. Genes. 1.

Genes. 7.

Deute. 5.

Qualiter sit considerandum quòd sexcentesimo anno Noe, vicesima & septima mensis factum sit diluuium. Et quemadmodum omnes fontes rupti dicantur, ac cataractæ cœli apertæ tam secundum literalem, quàm etiam altiorem intellectum. Caput XIIII.

ESt etiam illa non perfunctoria cõsideratio, quòd sexcentesimo anno Noe, vicesima & septima mensis sit diluuiũ. Secundũ mẽsem verni esse tẽporis nõ ambigitur, quãdo augentur nascentia, ager parturit, terrarũ pariter atque animantiũ fœtura se fundit. Tunc ergo fecit diluuiũ, quãdo dolor eorũ maior foret qui in sua abundantia puniebãtur, tunc vltio terribilior, tãquã dicentis dei: Ecce omnia secundũ liberalitatis diuinæ prouidẽtiæ gratiã diues natura generauit, omnia in vsum hominũ germinauit terra fœcundior, segetes spectantur, tritico & hordeo cãpi replentur, comæ arborũ venturi fructus floribꝰ vestiuntur: nõ deest terra obsequiis suis, nõ bestiæ desunt muneribus suis, quæ solennes soluuntur in partus, vt homini nihil desit: homo solus partubus suis deest, nescit authorẽ suum, à quo ei omnia ministrãtur, negligit cõditorẽ. Despicit homo remuneratorẽ suũ, cùm deus opus suũ nõ despexerit. Pereãt cum homine omnia, propter quẽ nata sunt omnia. In suis diuitiis consumatur homo, cum sua dote moriatur. Nihil ante hominẽ terra deliquerat, nullis errauit in fructibus: in homine solo se degenerasse cognoscit, spinas & tribulos pro fructibus ferens. Quod solum munus admirabile est, principale mentis interiit. Cur igitur omnia illa seruantur? Ideo nõ post collectos fructus infunditur aqua, ne beneficiũ magis, quàm diluuiũ terra sentiret. Deniq; verno apud Aegyptios tẽpore, sed mense diuerso, Nilus exundat, vt iaciẽdis

Ibidem. 7.

feminibus terra molleſcat,& blandiore ſinu,clemẽtiore gremio ſemina miſſa ſuſcipiantur.Quod aũt ſexcenteſimo Noe anno fit diluuium illud,videtur oſtendere quia ſexto die Adã creatus eſt.Idem numerus eſt par,& in authore & in reparatore ſeruatur,quia fons ſexageſimi & ſexcenteſimi, ſextus eſt numerus.Idem autem & primus & ſeptimus mẽſis dicitur.Sed magis primũ obſeruare debemus,quòd poſt diluuium verno tempore colendorũ cura reparetur agrorum, & placidi atque vberis ſoli incipiat fœtura procedere. Quo ſignificatur nunquam deum eo numero vel tempore interitum hominum fuiſſe facturum,quo fecit exordiũ, niſi immanibus delictis eſſet offenſus. Simul veniam temporis & numeri ratio promittit,quod etiam iratus admoneatur tam pręcedentibus cauſis beneficiorum ſuorum,vt non penitus
Genc.7. deleat eorum ſubſtantiam,quos ipſe donauit. Et rupti ſunt omnes fontes abyſſi,& cataractæ cœli apertæ ſunt.Vim diluuij conuenienter ſcriptura expreſſit,dicens cœlum & terram pariter eſſe commota:è quibus elementis conſtat iſtius mundi omne principium. Vndique ergo influentibus aquarum molibus cõcluſum genus hominum purgetur.Hæc ſecundum literam.Quod autem ad altiorem pertinet ſenſum, cœli ſymbolo mens humana ſignificatur:terræ autem appellatione corpus & ſenſus. Magna igitur naufragia, quando mentis pariter & corporis ſenſuúmq; omniũ turbo & procella miſcentur.Diligenter dicta penſemus. Plerũque fraus mentis & dolus ſuum exercent venenum:ſed tamen ſobrietas corporis & continentia obumbrant mentis improbitatem.Frequenter incerto fidei atque opinionis ſuæ mens lubrica eſt,ſed tamen caro deliciis & luxuriæ vacat,vt fragilitas errorem mentis excuſet : ſicut multi ſunt hæreticorum qui prætendere volunt corporis continentiam, vt aſſertionis ſuæ fidem teſtimonio ſobriæ carnis acquirant:etſi ſenſu lubrici, tamen quo minus turpes,aliquanto excuſabiliores habentur.Cùm autem venena mentis,& cõtagia corporeæ obſcœnitatis,ſenſum omnem virorémque confundunt,atque animus incerto lubricus motu,malitiæ fœdus atramento crudelitatis furore ſuccenſus,etiam corporalibus flagitiis incitatur,auarus quoque affectus impatiens mediocrium facultatum,luxuriæ cupiditate,effundendíque libidine præcipitatur in facinus appetẽdæ ſalutis alienæ:tunc magnum eſt diluuium omnibus pariter ingruentibus paſſionibus:tũc ſe inſipientia,iniuſtitia,temeritas,improbitas,perfidia,de ſuperiori parte tanquã cataractæ mentis videntur effundere.Inde erumpunt de corporis fonte terreni libido, temulentia, luxuria,poſtremò diuerſorum criminum prolapſiones,quæ pœnitus & corporis robur, & vigorem mentis effœminant.

Cur dominus à foris arcam clauſiſſe dicatur:Et quomodo exundante aqua arca ferebatur ſuper flumina aquarum, quæ quindecim cubitis ſuper montes excelſos eminebant, iuxta literalem & allegoricam interpretationem. Caput.XV.

EXT clauſit dominus à foris arcam.) Sermo manifeſtus eſt ſecundum literam. Claudenda fuit arca, & tuto ſepienda munimine, ne eam vaga diluuij fluenta penetrarent.Altioris quoque ſenſus non incongrua interpretatio, ſi corpus humanum (cui arca hæc quæ deſcribitur,figuratur) ſeptum corio indicemus à frigore æſtúque defendi,quod artifex deus ad omnium membrorum protectionem naturalibus veſtiuit exuuiis, & quodam circunfuſo induit operimento, vt neq; frigore congaleſcat, nec æſtiuo calore ſoluatur.Exundauit igitur aqua,& leuauit arcam,& ferebatur ſuper ſummum aquarum. Non immeritò exundauit aqua,quando cœli cataractæ apertæ ſunt,& de terra rupti ſunt fontes aquarũ & flumina. Quod magna emphaſi dictum eſt.Vbi enim eruptio, ibi irreuocabilis effuſio ſit neceſſe eſt.Nec retineri facilis ingentiũ prolapſio fluentorum.Manifeſtum eſt igitur quod ſcriptum eſt. Verum ſi altius ſpectandum putes,caro noſtra diuerſis agitatur fluctibus,& freti modo fluctuat paſſionibus, quibus huc atque illuc tanquam ſuper vndas moleſtiarum ſuarum nunc fame, nunc ſiti,nunc cupiditate, nunc gaudio,nunc dolore iactatur.Illud quoque non prætermittendum arbitror, quia ſcriptura non præteriit,quantis numero cubitis aqua ſuper terram fuerit.Quindecim enim cubitis ſuper excelſos montes aquam fuiſſe dixit.Simplex itaque intellectus patet. Allegoria autem quinque ſenſus complectitur, qui ſunt in corpore noſtro velut excelſi montes,qui hanc carnem paſſionum obumbrant,& plerunque incurſantur beſtiis, & exagitãtur cõdenſa & opaca eorum.Vnde dominus per nationum credentium fidem veniens ad eccleſiam ſuam,venit à Libano, Cantic.4.
ſicut habent Cantica canticorũ.Ita enim legimus:Ades huc à Libano ſponſa,ades huc à Libano. Tranſibis & pertranſibis à principio fidei,à cubilibus leonum,& mõtibus pardorum.quod gentiles populi, qui velut beſtialium paſſionum graues patiebantur incurſus,nunc altitudine fidei, & ſublimitate deuotionis meant.Per hos igitur mõtes Chriſtus aduenit,comprimens euãgelicis diſputationibus feroces corporis motus,atque illam altitudinem cordis, & ſe extollentem ſuperbiam obedientia & humilitate ſui deſtruens:meritóque fructus manſuetudinis ferre cœperũt, quos ante grauium diluuia paſſionum ſubruebant.De numero autẽ cubitorum ſic quidam ante nos æſtimauerũt,quòd quinque ſenſus triplicem collectionem habeant, eo quòd viſus viſibile videt,& auditus audibile audit,& odoratus odorabile odoratur,& guſtus guſtabile guſtat,& tactus quod tangẽdi ſubſtantiæ ſubiacet,tangit.Ideo quinque ſenſus tripliciter æſtimati ſunt:vel ſecundum illud:Scribe tibi tripliciter.Ego tamẽ cõmodius puto illud,vt ſenſus terreni hominis atq; animalis & ſpiritalis accipiam,quos illa diluuij fluenta tranſcenderint.Meritò mortua eſt omnis caro quæ mouebatur. Prouer.22. Genes.7.
Quod & ſecundum literam liquet,& propriè ac naturaliter carnis corruptelam indicio procelloſæ commotionis expreſſit.Commotio enim vitioſa non eſt niſi per affectus corruptionem.Mouet enim voluptates caro,& ipſa voluptatibus commouetur.Talis autem commotio corruptelã creat. Cauſa autem corruptelæ,cõmotio iſtius mũdi eſt,per quam anima vniuſcuiuſq; degenerat.Cùm enim vitioſæ paſſiones mentem mouent,corruptela generatur:cum excitãt ſtudia virtutum,diſciplinæ profectus eſt. Omnis igitur qui erat in arida,mortuus eſt. Nec enim poterant non mori quos tãti diluuij vnda dimerſerat. Hoc ſecũdum ſcriptum ſenémque verborum. Cæterùm ſi allegoriam quæras,non dubium eſt quia exemplum ligni aridioris,quod ſimul vt lambere cœperit ignis exurit : ita anima niſi diuerſarum humeſcat rore virtutum,poculo quodam irrigata ſapientiæ, & fonte iuſtitiæ atque irriguo caſtitatis, tanquam arefacta radice vitali, cupiditatum deflagrata incendio, vel profluuio carnis illiſa procumbit.Vnde ſemper epulari debet anima bonorum operũ cogitationes,vt prudentiæ ſucco inebriata pingueſcat, quo non facile diluuij corporalis cedat iniuriæ, atque arida incuriæ,ſiti euirata moriatur.Ideoq; nos admonet dominus à fontæ ſapientiæ non recedere, pocula virtutis haurire,ne quis ſole iniquitatis areſcat, & procellam perſecutionis ſuſtinere non poſſit. Scriptum eſt enim: Quod ſi in humido Luc.23.
hoc faciunt,in arido quid fiet?

De euidenti explanatione & allegoria eius quod ſcribitur:Deleuit deus omne quod erat ſuper faciem terræ.Quare etiam ſcriptura dicat:Memor fuit dominus Noe,& beſtiarum,& iumentorum:& non fecerit mentionem de mitioribus quæ poſt hominẽ ſunt,ſed fortioribus. Quæliſque fuerit ſpiritus quem induxit dominus ſuper terram vt ceſſarent aquæ. Caput XVI.* *ferocioribus Genes.7.

DEleuit, inquit, deus omne quod erat ſuper faciem terræ.) Scripti euidens explanatio. Allegoria autem expoſitam nobis declarat ſuperbiam, quæ ſe extollit in hac terrena fragilíque ſubſtantia, & immemor diuinorũ,humana deſpiciens, ipſum arrogantis viri habitũ inceſſũmque deformat:quales deſcribit Eſaias ludææ filias oculorum micantes nutibus,& alta ſe ceruice iactantes.Sunt enim huiuſmodi erigentes ſupercilia, inflato corde,elato pectore,ceruice reſupina, qui ſolum quidẽ veſtigiis pedum perſtringant:toto autem ſe librẽt corpore, & inani ſuſpendant examine,in priora greſſu procedãt,ad poſteriora verticem reclinantes,cœlum ſpectẽt, terram autem faſtidiant,tanquam ceruicis dolore ſuffixi, vt eam inclinare non Eſa.3.

969

non possint. Hos igitur deleuit de libro vitæ deus dicens. Omnis qui se exaltat, humiliabitur: nec inter merita sãctorũ cõmentis adhærere facit cœlestibus. Omnibus igitur qui extra arcam fuerũt interemptis, derelictus est Noe solus in arca cum iis qui cum ipso erãt. Non indiget interpretatione sermo simplicior. Concurrit intellectus cum litera. Altior autem & interior significatio demonstrat iustum virum amatorémque sapientiæ tãquam arborem fructuosam intercisis quæ escam eius solebãt arrodere, comã obumbrare, coartare processus ramorũ, velut exortem irrationabilium passionum solum remansisse cum suis. Sui autem sunt puræ animi disceptationes quæ virtuti adhæreant. Et bene addidit in arca remansisse, quasi vix credibile amputatis corporalibus passionibus videretur eum adhuc versari in corpore: quod licet iam terrenis careret contagiis, incorruptam licet, corporis tamen adhuc substantiam reseruabat, & velut incorporeus corpore superferebatur diluuio, non absorbebatur, corpus quidem gerens quasi in arcæ positus interno, sed qui corpus ipsum insuperabilis passionibus quasi incorporeus in medio tantorum motuum gubernaret. Memor fuit dominus Noe, & bestiarum, & iumentorum, vt inquit scriptura diuina. Mouentur plerique qua causa non dixerit scriptor quod etiam vxoris & filiorũ Noe memor fuit dominus, cũ bestiarum & iumentorũ fuerit memor. Sed cùm dixerit quòd Noe memor fuerit, in authore & præsule domini videtur quidam reliquarum consensus necessitudinum. Etenim cùm omnes inuicem sibi chari sunt, vna est domus: cùm autem discrepant, separantur & scinduntur in plures domos. Vbi ergo charitas, ibi senioris nomine, de quo pendẽt cæteri, domus omnis significatur: vt si quis arborẽ dicat, vtiq; cõprehendit & ramos, si quis ramos nominet etiã fructus qui in ea sunt, pariter vno atq; eodẽ sermone cõplectitur. Nec illud ociosũ quod primo dixit quia nemor fuit deus Noe, deinde bestiarũ, postea iumentorũ, hoc est, cur nõ animãtia quæ mitiora sunt, post hominẽ nominauit, sed fortiora*. In quo videtur illa esse ratio, vt ea quæ fortiora* erãt, vtriusq; partis vicinitate mãsuescerent. Quod videtur etiã in illo versu poetico declarari, Κρῆας δ' ἐς μέσσον λαὸν ἔταξεν. Hinc enim etiã poeta vsurpauit, vt dispositionẽ dimicaturi ita ordinaret exercitus, quo inferiores collocaret in medio, quo magis hinc inde à fortioribus iuuarẽtur, & dimicationẽ vtriusq; partis assumerent. In his scripti series manifestatur. Altiore autem sensu certum est quod iustus in medio habet, non in parte cogitationes cordis sui: & quoad carpit hanc vitã, habeat necesse est in corpore, tãquã in illa arca, bestias graues. Nulla enim mens est, nulla anima quæ non recipiat etiã malarum motus agrestes cogitationum. Itaque insipientis animã ferinos acuit motus, atque adolet venena serpentum, sapientis aũt vigor mitigat & coercet. Et induxit dominus spiritum super terram, & cessauit aqua.) Non puto hoc ita dictum, vt spiritus nomine vẽtũ accipiamus. Neq; enim ventus poterat siccare diluuium. Alioquin cùm mare vẽtis exagitetur quotidie, exinaniretur profecto. Nã quomodo non euacuaretur mare ventorũ vi, cui cessisset toto diffusum orbe diluuiũ, vsque ad Herculis, vt aiunt, colũnas, & mare magnum tectis montium excelsorũ verticibus exæstuans? Spiritus igitur virtute inuisibili diluuium illud repressum esse non dubiũ est, cœlesti operatione, non flatu. Vnde scriptum est. Omnia à te expectant, vt des illis cibum in tempore: aperiẽte te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suũ conuertentur. Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renoua bis faciem terræ. Est ergo spiritus cuius operationi cedere vniuersa videantur, in quo cœli ipsius virtus sit, sicut scriptũ est. Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. qui spiritus est creator vniuersorum, sicut etiam Iob dicit. Spiritus diuinus, qui fecit me.

Quid sit quod ait scriptura: Clausi sunt fontes aquarum, & cataractæ cœli. Et de comprehensione loci illius, vbi dicitur: Et sedit arca septimo mense septima & vicesima mensis. Et quid sit ostium arcæ quod iustus aperuit, vt emitteret coruum non reuersurum.

Caput XVII.

Vnc considerabimus, quid sit, quod ait scriptura diuina: Clausi sunt fontes aquarũ, & cataractę cœli.) Nec obscurũ arbitror. His enim causis minuitur diluuiũ, quibus creuit. Erupti erant fontes aquarũ, apertæ fuerãt cataractæ cœli, vt vndique influentibus aquis terra inũdaretur. Debuerãt claudi ea ex quibus diluuij origo manauit, vt eius inciperet esse defectus. Hoc litera sonat. Subtilior autẽ interpretatio exprimit, eo quòd diluuiũ animæ vitio mentis & luxuriæ corporalis influxerat, vt malitia passioni, passio malitiæ misceretur: ingrediente medico dei verbo ad visitationẽ animę quæ diutina ægritudine laborabat, disceptationum improbitate, & passionum acerbitate, prius debuerunt causæ ægritudinis amputari. Principium enim medicinæ est causas languoris incidere, ne diutius ea quæ nocent, ad incrementum ægritudinis ministrentur. Quod nos etiã lex docet. Cùm enim steterit lepra, vt iam non diffundatur, tunc ait mundam esse lepræstationem quandam & mansionẽ. Quicquid enim præter naturam mouetur, immundum est. Hæc igitur est animæ sanitas, hæc salubritas mentis, vt affluentia cesset erroris, sistatur culpa ne serpat. Cessante incentiuo culpæ atque delicti, salus tuta est, atque inoffensus vigor animæ se refundit. Et sedit, inquit, arca septimo mẽse, septima & vicesima mensis. Nisi diligenter intendas, etiam secundum literã difficilis loci istius cõprehensio. Et primum omnium cauendum ne quẽ septimi mensis repetitio crebra perturbet. Sic enim scriptum est, sexcentesimo anno, secundum Hebraicam veritatem, mense verò septimo, septima & vicesima mẽsis cœpisse diluuium, cẽtum quinquaginta diebus fuisse infusionem aquarum, sedisse arcam in monte septimo mense, septima & vicesima mensis: postea minui cœpisse aquas, misericordia dei centum quinquaginta diebus deminutionẽ aquarum factam, postea apparuisse capita montiũ: deinde post quadraginta dies aperuisse ostium arcæ sanctũ Noe, dimissum coruum non reuertisse, dimissam columbã reuertisse vacuam, iterum dimissam reuertisse, cum ramo oliuæ, tertio post septem dies dimissam nõ reuertisse, tunc aduertisse Noe quòd aqua omnis recessisset: ac sic annus conclusus ostenditur septimo mense, septima & vicesima mẽsis. Ac sic annus conclusus ostenditur sexcentesimo primo anno Noe, in secundo anno, septima & vicesima mensis. Quod igitur ad explanationem apertã pertinet, eodem mense atque eodẽ die restituitur æqualitas terræ post diluuiũ, quo corrupta est incipiente infusiõe diluuij. Veris enim tẽpore omnis ager viret, & terra parturit fructus. Tunc incipiunt gemmare arbores, germinare fructus. Diuitẽ ergo reformauit dominꝰ & restituit qualitatem. Mense igitur secundo, hoc est Aprili, (primus enim mensis Martius est, quo habet iustus natalẽ, quando noxium dierúmque æqualitas æstimatur) hoc est, octauo, vt Romani putãt, vel vt alij quinto Kal. April. mense inquam secundo, hoc est Aprili, septima & vicesima mensis cœpit diluuium. Ver igitur initium anni æstimatur non secundum vsum temporis, sed secundum naturæ prærogatiuã, vt quia tũc spes anni inchoat, & incipit se fructus ostendere, tunc videatur anni esse principium. Septimus autem mensis secundum numerum is, qui September dicitur, computatur: quia etsi à Septẽbri mense annus videatur incipere, sicut indictionum præsentium vsus ostendit, tunc enim seminum iactus: vere tamen, ex quo plenior gratia se incipit demonstrare, ex eo anni origo subducitur: & ideo qui alia ratione primus putatur, diuersa æstimatione septimus habetur. Tunc ergo sedit arca, hoc est in mẽse septimo, septima & vicesima mensis super montẽ quadrati. Ex illo minui diluuium cœpit. Similiter considera quia eisdem numeris, quibus aliqua incipiunt, resoluuntur; vt diluuiũ cœpit secundo mense anni, septima & vicesima mensis: centũ quinquaginta diebus influxit diluuium, centum quinquaginta diebus aliis cessit diluuiũ: quadraginta diebus nimia vis cœlesti imbre & fontiũ eruptione exæstuauit, quadraginta diebus aliis exactis visa sunt capita montium: vndecimo mense, primo die mensis dimisit coruum sanctus Noe', ita constat eodem numero quo cumulatum est, diluuium esse imminutum. Vnde docet nos scriptura ordinem esse seruandum. Quod autem ostium sit

sit arcæ quod aperuit iustus, secũdum corporis rationem supra dictum est. Secũdum altiorem autem interpretationem illud dicendum videtur, quòd corporis sensus velut ostiorum similes habentur. Per hos enim tanquam per ostia ingreditur in nostram mentem velut quædã sensibilium comprehensio. Ergo mens nostra per hos sensus respicere videtur, & maximè per visionem quæ omnibus sensibus præstabilior æstimatur, quia domestica est luminis: & per eã aspicientes cœlum, terram, maria, solem quoque, lunam, & stellas, quibus axis ornatur, intelligimus deum esse operatorem mundi atque rectorem, nec sine authore deo tantorúmque operum cõditore hæc potuisse fieri credimus, aut posse consistere. Per hãc igitur fenestrã coruum primum iustus emisit. Quærenda causa, nec tamen latet quantum ad literã pertinet: quia plerique quasi annuncium futurorũ coruũ æstimant, & voces eius obseruant, volatúsque rimantur. Sensus autem altior significat, quòd omnis iustus quando mũdare se incipit: quæ tenebrosa sunt & immunda & temeraria, primo à se repellit. Siquidẽ omnis imprudẽtia atque culpa tenebrosa est, & mortuis pascitur sicut coruus. Lumini autem vicina virtus, quę mentis puritate & simplicitate resplendet. Et ideo tanquam emittitur & fugatur culpa, & separantur ab innocentia, vt nihil remaneat in viri iusti mente tenebrosum. Denique egressus coruus non reuertitur ad iustũ, quia fugitans culpa omnis æquitatis, nec probitati videtur & iustitiæ conuenire. Denique euasisse se credit iniustus tanquã de vinculis, cùm iustus ab eius se consortio separauerit, diluuij cuiusdã & corruptelæ familiaris, vt coruus, qui cùm siccitatem terræ nusquã inuenerit, non reuersus est, sed remãsit. Considerandum etiam quare non regressum dixerit coruum donec siccaret aqua à terra, quasi verò postea sit regressus. Sed hæc locutio familiaris est scripturæ diuinæ. Siquidem & in euangelio habes scriptum de sancta Maria quòd non cognouerit eam Ioseph donec peperit filium, cùm vtique nec postea cognouerit. Deinde quæ est locutio ista vt diceret, donec siccaret aqua à terra, nõ terra ab aqua. Et quidem vsus loquẽdi etiam hoc habere consueuit. Tamen nõnulli ante nos æstimauerunt, eo quòd immoderata quædam videatur vis exprimi passionũ hac locutione verborũ, quia turbidis passionibus ac procellosis consumatur anima: deficientibus aũt & velut arescentibus virtutem resumat. Non redit igitur culpæ species in animam iusti, quasi siccã & mortuam dereliquens, & cui iam nocere non possit.

Genc. 8.

Matth. 1.

Quid sibi portendat quòd post coruum non reuersum columbæ dimissa dicitur, quódque Noe extendens manum susceperit eam, & ad se introduxerit. Quódque septem aliis diebus tenuerit columbam, & iterum eam emiserit.

Caput XVIII.

Genc. 8.

NEc illud vacuum, quòd postea colũba dimittitur. Malitiã etenim simplicitas, & culpam virtus resoluit. Malitia igitur amat diluuiũ, consortiũ iustæ mẽtis refugit, & quasi desolata, & sine aliqua statione remanet, nullam habens cũ virtute communionẽ. Virtus aũt redit, amãs iustorũ cõsortia, & largiendæ familiarior vtilitati, quę cõferat salutaria, & cauenda ea quæ sunt nocitura cõmoneat: sicut columba dimissa cùm videret cessasse aquã, reuersa est tanquã plęna iustitiæ, vt ei à quo missa fuerat, nunciaret quid adhuc cauere deberet, atque expectando fructu meliore postea potiretur. Quòd autem columba non inueniens requiẽ suã regreditur ad eum, manifestũ iudicium dedit per huiusmodi aues, quantũ interfit inter malitiã & virtutem exprimi. Siquidem coruus ante dimissus, cũ aliquãto videretur amplius exundare diluuiũ, visus est locũ inuenisse residẽdi. Et certè non est huiusmodi coruus vt aliæ aues quę in aquis conuersationem habere consuerũt. Cùm ergo coruus vbi remaneret inuenisse videatur: colũba aũt non inuenerit, euidẽs ratio est altiore interpretatiõe signari, quia malitia inquietis passionibus & cupiditatibus, quibus corrumpitur anima, se miscere cõsueuit, & quasi cognatis & domesticis delectatur, ibique commorationem suam locat: virtus autem prima statim specie visionis offensa, regredi festinauit ad mẽtem animámque iusti, quòd illic diuersorium sibi tutissimũ sit locatum: eo quòd alibi tanquam columba, ita huiusmodi virtus stationem tutissimã inuenire non possit. Tardè enim inter astutias istius mũdi & secularium fluctus cupiditatũ portũ solet inuenire simplicitas. Itaq; sicut iustitia velut visendi gratia progressa pauliſper, ad mentẽ optimã redire festinat, nec longius discedit à iusto: ita etiã iustus & studiosus virtutis, vbi virtutẽ appropinquare nouerit, gremium suæ mẽtis expãdit. Quid enim sibi vult quòd vir studiosus virtutis Noe extẽdens manũ suscepit eã, & introduxit ad se? Quod & secundũ literã planum videtur: nõ tamen facilè colligas, nisi viri sapientis tibi nota sit consuetudo, qui velut speculatrice virtute vtitur, & ei explanandorum nego ciorũ gerẽdorúmq; prærogatiuã quãdam videtur committere. Ea ergo virtus expendit naturas, vt si qua earum sibi videtur committere profectũ, ei possit adiũgere. Communis enim quædã est bonitas sapiẽtiæ, & liberalis & largæ vtilitatis: ita vt quas morigeras sibi cernit, associet: vbi aũt proposito suo viderit aliquorũ recalcitrare naturã, velut ad hospitiũ familiare sibi reuolat & recurrit: quã sapiens & industrius tanquã manu quadam mẽtis festinat excipere, omne cor aperiens suum, quo etiã eam absentẽ tenebat. Nunquã enim potest sapiens exors esse propriæ virtutis. Quid præterea sibi velit quòd tenuit septẽ diebus aliis columbã, & iterũ emisit eam, nisi vt aduertas quòd bonũ sapiẽtis optimúmque propositum semper sibi etiã alios adiungere studet, errãtes emẽdare, corrigere vagantes? Si quẽ in principio resilire conspexerit, tamen commutandi eius & corrigendi non desperet profectum. Sicut enim bonus medicus, etsi tẽpus medicinę non sit, tamen visitationis speculam antè præmittit, deinde non negligit iustæ expectationis excubias, & pauliſper passionibus cedens operitur facultatem medendi, quæ cũ fuerit oblata, suum non intermittit officium: ita ergo & sapiens verbis ac disputationibus, tãquam medicus medicamentis, contrarias curare desiderat passiones. Et quia in omnibus re medio diuini fauoris vtendum est, ideo septem expectauit dies, quibus mundus omnis describitur absolutus, & operatori requies ministrata, vt ex illo authore omniũ sumeretur disciplina operationis humanæ.

Ibidem.

Genes.

Cur columba dicatur ad vesperum esse regressa cum ramo oliuæ in ore. Et vnde cognouerit Noe aquas defecisse. Et de columba tertio post dies septem emissa, quæ tamen non regrediebatur.

Caput XIX.

REgressa est igitur columba ad vesperũ habens folium oleæ, & ramum in ore suo. Non ocio sè posuit & vesperã, & regressam, & habentẽ folium oleæ & ramũ in ore suo, vt nõ fugitantẽ virtutẽ arbitreris profectus futuri, si quos possit acquirere, neque rursus tanquã sine lumine eã fuisse cognoscas, & quibusdã tenebris occultã, sed diurno candore fulgẽtem expectasse vsque ad occasum diei, & sic ad eum regressam, apud quẽ etiam vesperi tenebras habere non posset. Foliũ quoque quod secũ detulit, etsi breue illud folium detulisse videatur, spem eorum quos sui pœniteret erroris, etsi non magnam, aliquam tamen significauit. Folium enim sine virgulto esse non poterat. Ergo quasi germinantis corruptionis, licet non magnum, aliquod tamen vexit insigne & folium oleæ, in qua arbore oliua generatur, ex qua oleum conficitur, quo materiale hoc lumẽ fouetur, & tenebrarum fugatur obscuritas. Quid autem magis quàm lumen familiare virtuti est? Folium ergo & ramulus insigne est correptionis, correptio autem quasi radicem sui pœnitentiam habet, quæ pœnitentia non potest in turbidis, sed in iis qui spiritalem iam sermonẽ acceperint, germinare. In ore quoque non frustra ramulus oleæ videtur esse delatus, eo quòd virtus & sapientia in sermone sui habeat claritatem, & ipsa statim specie lumen eius effulgeat, maximè cùm pacifica loquitur, quoniam hunc quoque ramulum petentes præferre consueuerunt. Tulit ramulum, eo qnòd simplicitas puritate ac synceritate semina quædam auribus nostris vtilitatis infundit, & bonæ doctrinam virtutis, & ad iustitiam prouocat, & inuitat ad præmium bonæ sibi commissum disciplinæ, aut gerendæ pœnitẽtiæ, & sequendæ conuersationis cupiditatẽ iniicit peccatori. Vnde & præterea cognouerit sanctus Noe

973
ctus Noe quia defecerit aquà à terra, ſicut ſcriptũ eſt, conſi-
derandũ videtur. Primo omnium ſecundũ literã, quia potuit
intelligere vtrũ ſiccum an humidum folium eſſet allatũ. De-
inde quia non eſt huiuſmodi columba, vt poſſit fructus la-
rentes ſub aqua eruere. Sed vtrum illud folium ante diluuiũ
fuerit exortum, an tempore diluuij, contuendum eſt tibi. Si
ante diluuium, vir iuſtus gauiſus eſt fructũ de veteri ſemine
aliquẽ reſeruatum, & inde collegit miſericordiæ inſigne, di-
uinæ, quod iam diluuium remouiſſet, quæ fructum demon-
ſtraret, cui non potuiſſent nocere diluuia. Si diluuij tempore
natum eſt folium, aduertit itaque iuſtus noua ſemina miſe-
ricordiæ fructificaſſe cœleſtis, vt radices arborum viuerent,
& quaſi reſumpta anima fœtus germinarent vetuſtos, atque
in aſſuetos partus redirent, quorum indicium præmiſſa fo-
lia demonſtrarent. Sed hoc alta potius interpretatione col-
ligit, quia dominus deus noſter quamuis acerbis iniquitatis
noſtræ offenſus ſit erroribus, tamẽ antiquæ nobis proſapiæ,
patriæque virtutis ſemẽ aliquod vel exiguum reſeruaret, ne
penitus operis & creaturæ ſuæ omne circa humanum genus
amputaretur inſigne. Vnde & Eſaias ait: Niſi dominus Sa-
baoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus,
& ſicut Gomorra ſimiles eſſemus. in alterius nomine ciuita-
tis exprimens cæcitatis indicium, in alterius ſterilitatem. Ita
enim lingua patria Chaldæi nuncuparunt Sodomam & Go
morram, cæcitatem & ſterilitatem ſignificantes. Meritóque
dominus in huiuſmodi ſpecie ciuitatum amputauit magis
humana vitia, quàm puniendos homines indicauit. Tertio
dimittitur columba poſt ſeptem dies, atque eadem non re-
greditur. Vnde conſideremus ne id quod ſupra diximus, in-
ueniatur eſſe contrarium. Si verbo quidem columba, opere
autem virtus non reuertitur ad iuſtũ, ergo deſtitutus eſt iu-
ſtus & defraudat munere ſuo? Nequaquam. Nunquã enim
vir huiuſmodi à virtute diſiungitur, nec cùm ex ore emittit
iuſtitiam, diſputationémque alterius virtutis inducit, virtute
ſe exuit, & imitanda aliis æquitate diſpoliat, ſed vice ſolis a-
lios illuminat, cum radios ſuæ lucis emittit. Ignis nẽpe caleſa
cit appropinquantes, ita vt colorẽ naturę ſuæ ipſe poſſideat.
Nunquid deficit lux diei cùm totũ mundum illuminat cla-
ritate? Habet inoffenſum curſum ſuum, illibatámque natu-
ram. Sic & iſta in columbæ ſpecie virtus, cùm adhuc ferue-
ret diluuium, ſecundum auem tamen in terris, ſecũdum vir-
tutem in hominum paſſionibus: reuertitur ad iuſtũ, quia in
iniquorum pectoribus virtus vt poſſet hærere, non potue-
rat inuenire. Et ideo in illo ſecundo diuerſorio ſui regredi-
ens, hæret atque requieſcit. At verò vbi deferbuerint dilu-
uia paſſionum, & auditi verbi, compertáque doctrinæ, plu-
rimi ſtuduerint eſſe conſortes, iam non vnius patrimonium,
ſed commune bonum eſſe incipit diſciplina virtutis & tan-
quam ſapientiæ poculum hauritur à plurimis, qui antè ſitiẽ-
tes bibere noluerunt: ſicut nunc feruent diluuia in pectori-
bus Iudæorum, & cùm aqua cœleſtis doctrinæ exundet, po-
túſque exuberet, non putent eſſe potandum. Euãgelium le-
gitur, virtus exit de ſermone cœleſti, tractat ſacerdos in ec-
cleſia. Sed ne fortè intra arcam ſolus poſitus non poſſit au-
diri, interdum & egreſſus eccleſiam, vbi Iudæus occurrerit,
monet, exemplum affert cœleſtium ſcripturarum. Claudunt
aures, ne vel inuitos fons abluat, & verbi dominici humor
aſpergat. Si qui verò crediderint, currunt ad fontem, doctri-
nam expetunt, inſinuari ſibi euangelium concupiſcunt, nec
ſatiantur aſſiduitate potandi. Ita fonte ſapientiæ certatim re-
pleri deſiderant, quem antè fugere geſtiebant. Quem fontẽ?
Audi dicentem: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui cre-
dit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent
aquæ viuæ.

Quid ſibi velit illa adiectis quòd ſcriptura alia die a quãminutã, alia ſiccatam terram commemorat. Quomodo etiam Noe tectũ arce denudauerit. Et quòd ait primum meſem vel ſecundum.

Caput XX.

IN primo & ſexcẽteſimo anno Noe primo die mẽ
ſis imminutam aquã dicit à facie terræ, in ſecun-
do autem menſe ſeptima & viceſima die menſis
ſiccatam terram eſſe cõmemorat. Quid ſibi vult
illa adiectio de aquæ imminutione, cùm ſupputata ratio ſu-

A perior annum concluſiſſe videatur, qui annus à ſecũdo men-
ſe incipit, & in ſecundum menſem anni alterius vſque pro-
greditur? Niſi fortè hîc iuſti formam declaratam velimus ac-
cipere, vt primus annus is fuerit quo cœpit diluuium, poſt
ſexcenteſimum ſcilicet annus primus, primus iterum annus
& primus menſis poſt ſexcenteſimum annum, quando im-
minuta eſt aqua à facie terræ: eò quòd iuſtus in peccatorum
generatione, quæ propter delicta deleta eſt, virtute primus
erat, & in ſecunda generatione, quæ cœpit poſt diluuium, eo
ordine, quia primus ſecũdæ generationis fuit, & merito pri-
mus euaſerat. Rectè enim ei honor defertur, qui & primæ
generationis primus fuit, & poſterioris principium, qui me-
ruerit & de illa euadere, & iſti ad ſeminariũ propagari. Cum
enim alij deperiſſent, ſolus vitæ egregiæ merito, & prærога-
tiua virtutis apud deum dies, non eſt expertus malitiæ cor-
ruptelam, per quem factũ eſt ne totum corpus generis hu-
mani vel abolitũ videretur in tertis, vel à dei abſciſſum gra-
tia relinqueretur. Et denudauit, inquit, Noe tectum arcæ: Gene. 8.
Cùm arcam, ſicut ſupra interpretati ſum ſumus, pro ſpecie
B corporis acceperimus, quid ſit denudari corpus intelliga-
mus, ſecundum altiorem ſcilicet ſenſum. Cæterùm liquet
quemadmodum arca potuerit aperiri ſecundũ literã. Quod
igitur tectum humani corporis ſit, quod clauſum in diluuio
fuit, niſi fortè delectationẽ accipiamus, quæ operiebat cor-
pus noſtrum, & quaſi tegebat per illum Adæ errorem? Et eò
maximè tectis ſimilis æſtimatur, quia ſenſus omnis in capi-
te, inde delectatio, quæ corpus omne ſubiectum habebat.
Sed vbi mens iuſti viri ſobria atque integra à corruptione
diluuij, diuinæ cognitionis inflammata deſiderio exilire at-
que euolare voluit in ſuperiora, detexit omnia quę erant im
pedimenta, & ſpeciem voluptatis, quæ quodam operimen-
to cætetas tegebat partes corporis, redoperuit ac retexit, vt
non ſolum corpus à ſeruitio dominatricis ignobilis libera-
ret, verumetiam ea quæ erant incorporalia comprehende-
ret. Quæ enim non videntur, æterna ſunt. Et ideo iuſtus quẽ 1. Corin. 4.
non videbat dominum requirebat, corruptelę exors, cupi-
dus æternitatis. Quod autem ait primum menſem vel ſe-
C cundum, eúmque eſſe verni temporis diem, habes & alibi
dictum: Hic menſis primus erit vobis in diebus anni. Qui Exod. 12.
enim in gratia primus poſt periculum, hic rectè prærogati-
uam primi menſis accepit. Ne te autem moueat quod dixi-
mus ſupra folium in ramo repertum poſt diluuium potuiſſe
generari: etſi ſub aqua plerumque herbæ ſoleant germina-
re, tamen vt ſcrupulus omnis tollatur, quid magnum ſi deo
iubẽte vno die, quo imminuta fuerit aqua, ſtatim germina-
nit & terra, cùm idem ſit fructuum reparator & conditor,
atque operis ſui vſum non fuerit oblitus? Denique habes &
in Geneſi, ſtatim quod iuſſerit, vt terra herbam pabuli ger- Gene. 1.
minaret, & lignum fructiferum cũ fructu ſuo, & ſtatim eie-
cit terra herbam pabuli, habentem ſemen ſecundum genus
ſuum, & lignum fructiferũ: & ille dies vnus fuerit, quo hęc
deus iuſsit aut fecit. Ergo beneficij ſui deus non immemor,
memor autem noſtrę iniquitatis, opus ſuum eiuſdem qua
cœpit temporis quantitate reparauit.

D *Quare Noe non ſua ſponte exiuerit arcam, ſed expectauerit oraculum diuinum, quo ſibi dicebatur: Exi de arca tu & vxor tua, & filij tui. Et quare in ingreſſu ordinis delectus fuerit habitus, vt primo ipſe & filij, deinde vxores ingrederentur: in egreſſu autem id commutatum ſit, vt fœminæ cum viris exirent.* *Caput XXI.*

ET dixit dominus deus ad Noe: Exi de arca tu &
vxor tua & filij tui.) Itaque recedente aqua & ſic- Gene. 8.
cata terra exire potuit Noe de arca. Sed iuſtus ni-
hil ſibi arrogat, ſed totum ſe diuino cõmittit im-
perio. Et maxime qui cœleſti fuerat ingreſſus oraculo, cœle-
ſte debuit, vt egrederetur, expectare reſponſum. Verecunda
enim iuſtitia eſt, quia inuerecunda iniquitas, quę vſurpat in-
debita, nec reueretur authorem. Nunc queramus qua ra-
tione quamdiu ingrediebantur in arcã, hic ordo fuit ingre-
dientium, vt primo ipſe ingrederetur & filij eius, inde eius
vxor, & vxores filiorum eius: quando autem exierunt, com-
mutatum ſit. Nam ſcriptum eſt: Exiuit ipſe & vxor eius, &

filij

filij & vxores filiorum eius. Et litera quidem significat in ingressu abstinentiam generationis, in egressu generationis vsum. Tunc enim pater cum filiis prius introiuit, & filij cum parente, & postea vxor eius, & filiorum eius vxores, id est, nō commiscetur sexus in introitu, commiscetur in egressu. Aperiè igitur velut ordine ipso ingressionis vocem quādam iustus emittit, tempus illud non esse concubitus, neque deliciarum, quo omnibus immineret interitus. Vnde in euangelio dominus ait reprehendēs quod tēporibus Noe māducarent & biberent, vxores ducerent, & filias nuptum traderēt: & ideo propter intemperantiam eorum superueniſſe diluuium. Mœroris igitur tempus illud, non lætitiæ erat. Et inde iustus consortio non delectabatur vxoris, vel filij iusti petebant copulam coniugalem. Quàm enim indecorum, vt quo tempore viuentes morerentur, tunc perituri generarentur? Postea autem rectè ad seminarium cæterorum vsus & cura coniugij, cùm diluuium recessit. Itaque non viri cū viris, sed fœminę cum viris exeūt, vt virilis in se interdicta permixtio, permissa autē virilis & fœminei legitima sorte coniugij copula videretur. Sensus autē altior hoc habet: vbi periculum est, viriles quædam & fortiores disceptationes menti adhæreant, & eo se mens quasi quandam tueatur sobolem filiorum, quo tempestatibus & grauioribus passionibus acies quędam virilis occurrit. Decurso autē periculo, nihil obest si molliores cogitationes validioribus copulentur, nō vt effœminentur à mollioribus fortiores, sed vt molliores sensus velut quibusdam viribus roborētur, cum omnia consilia nostra ad virtutem, iustitiam, integritatem, fortitudinē dirigātur, & quodam vsu seminarióque virtutū creari atque adolescere possint validiora consilia. Nō est igitur vtile cùm vitiorum aliqua confusio est, quæ mētem occupet, serere aliquas cogitationes atque generare & parturire mentē. Cùm autē compressæ fuerint cupiditates, & mēs requieuerit, tunc seminario quodam disceptationis accepto, virtutes possunt & bona opera germinari.

Lucæ 17.

Qua ratione Noe circa arcam nihil fecerit nisi iussus à domino, & tamen post egressum ab arca non monitus aram deo ædificauerit. Et quare dicatur deo, & non domino. Cur etiam sumpserit à bestiis & volatilibus mundis vt offerret holocausta. Quidque sit quod ait dominus: Recogitans non adiiciam maledicere terræ. Cap. XXII.

Gene. 8.

ET ædificauit, inquit, Noe aram deo.) Qua ratione supra dominus admonuit quę faceret, & fecit Noe omnia: hoc autē quod non admonitus est fecerit, fortasse requiratur. Sed vtiq; dominus nō debuit quasi auarus mercedem gratiæ postulare, & iustus eam intellexit veram actionem gratiarum esse, quæ non iuberetur, sed deferretur: itaque nec dilationem passus est. Etenim grata animi virtus passionem dubitationis excludit. qui autem debitum gratię, vt à se exigatur expectat, ingratus est. Quod autem ædificauit, inquit, deo, & nō dixit domino, sed deo: secundū nominis interpretationem, non coacta videtur hæc actio esse gratiarum quasi domino, sed virtus iusti morigera & grata quasi deo. Quod imperiale est, sequestrauit: quod beneficij, nominauit. Et sumpsit à bestiis & à volatilibus mundis, & obtulit, inquit, holocausta. Litera euidens est, quod ea quæ incontaminata sunt, debemus offerre, in quibus affectus reluceat offerentis. Altior autem interpretatio hoc habet, quod bestiæ mundæ videntur sensus esse sapientis, volatilia autem intellectus, qui sunt longè subtiliores atque leuiores. Nūc verò consideremus diligentius quid sit, quod ait: Et dixit dominus deus. Recogitans non adiiciam maledicere terram propter opera hominum, quia permanet cor hominis diligenter super mala à iuuentute. Non ergo adhuc percuteret omnem terram, sicut fecit omnibus diebus terræ. Et si vindicauerat in hominum genus, tamen cognouerat quia vindicta legis ad timorem proficit, & cognitionem doctrinæ, magis quàm ad naturæ commutationem, quæ corrigi in aliquibus potest, in omnibus mutari non potest. Vindicauit ergo dominus, quod timeremus: pepercit, vt reseruaremur. Et vindicauit semel ad exemplum timoris, pepercit in reliquum ne dominaretur semper amaritudo peccati: simúlque si quis peccata cupiat sæpius vindicare, asper magis quàm cēsorius habetur. Ideoque dicit dominus: Non adiiciam maledicere terræ propter opera hominum, id est, quia pietatem suam circa vniuersitatē hominum voluit declarare, & tamen securitatem & negligentiā quādam mentibus humanis afferre non debuit, in paucos vindicat, plures reseruat. Deinde cùm dicit, nō adiiciam, ostendit quod alleuet magis ærumnas hominum quàm ingratiet, sciens quod penitus peccata hominum auferri non queant. Tanquam in Prouerbio: Si quis reti subtili haurire cupiat aquam, sic qui malitiam ex pectoribus hominum conatur auferre. Non adiiciam, inquit, maledicere terræ propter peccata hominum, quia permanet sensus hominis diligēter super mala à iuuentute. Vide quomodo studiosè nos delinquere deus significet dicendo permanere super mala sensum hominis diligenter: quo dicto significare videtur diligēter cor hominis ad peccata propendere, & inesse principali nostro lubricum delinquendi, & quod peius est, studium non deesse. Ideo enim ait diligenter, quasi soliciti simus ne immunitas culpæ nobis possit obrepere. Deinde non in vnum malū dixit, sed in multa mala. Et à iuuentute addidit. Ex illa enim ætate crescit malitia, licet alibi legerimus, quod non sit sine peccato nec vnius diei infans. Sed & infantia sine peccato non sit, propter corporis infirmitatem. Diligentia enim & studium peccādi incipiat à iuuentute, vt puer quasi infirmus peccet, iuuenis tanquam improbus, qui studiosè cupiat peccata cōmittere, & in criminibus glorietur. Apud plerosque enim innocentia pro ignauia, & culpa pro laude habetur. Ita se luxuria & deliciis, & adulteriorum affectibus iuuenes iactare consuerunt. Crescit ergo cum ætatibus culpa. Omne igitur genus hominus iam non consumēdum declarat, cùm dicit, Non adiiciam percutere omnem carnem: sed in parte vindicta seruatur.

Iobus. Genes.

De explanatione literali & morali eius quod dominus dixit, Semen & messis, hyems & æstas die, & nocte nō requiescent. Cap. XXIII.

QVid sit etiā quod ait: Semē & messis, hyēs, & æstas, die & nocte nō requiescēt? Secundū literā significat permansura manētibus secūdū institutionē domini & statū suū incorrupta tēporib⁹ animalia, vel nemorosa futura omnia. Nā cū corrūpuntur tēpora, corrūpūtur etiā illa quæ tēporib⁹ suis quęq; gignuntur. Si autē cōfusio sit tēporum, quomodo possunt confusione facta etiam ea quæ sunt gignentia permanere? Ergo tempora sunt quæ aut corrumpunt, aut reseruant, prout ipsa sui habuerint qualitatem. Ideoque annus ex contrariis ducitur, vere, autumno, æstate, hyeme, sicut harmonia cantilenæ permixtis grauibus & acutis videtur consistere. Sic ergo & mundus iste ex contrariis continetur, aëre & terra, igni & aqua. Nostra quoque corpora frigore & calore, humore & siccitate, quendam naturæ ordinem seruant. Nam si naturalis ordo ac mēsura conditur, t c necesse est sequatur interitus. Ergo certum ordinem temporum dominus remota confusione diluuij ad perseuerentiam mūdi promittit futurum. Altior autem sensus hoc habet, vt per semen intelligamus principiū, per messem intelligamus finem. In vtroque salutis est caussa. Alterum sine altero imperfectum est, quia vbi principium est, finis quæritur, nec potest esse sublata fine principium, & finis in principium currit. Ergo semper in eadem recursurum, dū in hoc mundo est, genus memorat humanum, vt cùm incipit annus finiatur, cùm finitur incipiat, non medio mundus tempore resoluatur. Ita & mens quando aliquid videtur incipere, ad finem vsque contendat, & operis sui terminum quærat. Quando finit aliquod opus, non quasi consummato opere finiatur, sed in alia recurrat opera, & semper incremēta virtutis exerceat: quandoquidem videt qnòd in fructus suos semper terra renouetur, qui diuersi aut vere, aut æstate, vt in partibus orientis, aut æstate autumnóque nascantur, vt in partibus occidentis. Alio tempore terrarum seminaria partus suos educunt, alio autem tempore fructus arborum carpimus. Diuidui ergo fructus sunt necessarij, & voluptarij. Necessarij ex seminibus terrarum, at verò ex arborum fructi-

977

fructibus voluptarij. Itaque corpus noſtrũ tanquã vere, hoc eſt aëre, cibo paſcitur naturali. Aer autẽ Græco nomine, ver latino dicitur. Ideo ſcriptura de partibus orientis, & maximè Aegypti per quam tranſiuit Hebræus, vel ex partibus Phœniciæ ſumpſit exemplum. Animam autem voluptariis, hoc eſt ſapientiæ fructibus alitur: cui iterum, vt corpori noſtro contrarium frigus & æſtus, ita timor & iracundia videntur aduerſa. Sed quia in corpore eſt, & iracundiam habet & timorem, nec poteſt ſine hac eſſe in corpore neceſſitate naturæ. Et ideo mens ſapientis moderamina iuſta diſpenſat, ne iram & timorem permiſceat, & fiat confuſio quædam animo illius atque diluuium. Die quoque & nocte quod ait: per diẽ intelligis illuminantem virtutem, per noctem recognoſcis tenebroſam inſipientiam. Itaque & in timore tanquam in frigore poteſt eſſe illuminans virtus. Similiter & iracundiam poteſt reprimere temperantia, vt in timore aliqui non penitus reſoluantur, & magis timorem dirigant ad opera virtutis. Verbi gratia, ſi perſecutor inſiſtat: vt plus deum timeas, & perpetua magis ſupplicia quàm præſentia putes eſſe vitanda, quæ dum times, accendaris ad gloriam, perfidiæ iratus ſceleri. Rurſus iracundia ſuccenſus, diuino commotionẽ timore modereris.

De prærogatiua poteſtatis hominibus in cætera animalia attributa, per id quod dominus benedixit Noe & filiis eius dicẽs: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius. Et quomodo intelligatur quod ſubditur: Omnia reptilia quæ ſunt viua, ſint vobis in eſcam: cum tamen quædã reptilia ſint venenata.

Caput XXIIII.

Genes. 9. IT benedixit dominus Noe & filiis eius, dicẽs: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. & dominamini eius, & timor veſtri & tremor erit omnibus quę mouentur ſuper terram, & in omnibus piſcibus maris.) Hęc prærogatiua poteſtatis in cæteris animalibus videtur hominibus attributa & in ſuperioribus partibus. ſed eo loco vbi dixit quod deo hominẽ fecit, dicitur, Maſculũ & fœminã fecit eos, & benedixit eis dicẽs: Creſcite & multiplicamini, & replete terrã: & dominamini eius, & poteſtatẽ habete ſuper piſces maris, & volatilia & beſtias terræ & reptilia. Quod ego admonui, vt intelligas geminã hominis generationem expreſſam, vnã ſecundũ imaginẽ dei, alteram ſecundum figmentũ de luto terræ. Denique illa creatio hominis de luto terrę, videtur eſſe facta poſt mũdum, poſtquam requieuit deus ab operibus ſuis. Sero quodam modo terrenæ ſtatuæ figmentum gignitur. Non erat pluuia ſuper terrã, nec homo terram operabatur. Gene. 2. Tunc de limo terræ finxit deus hominem, & inſufflauit in faciem eius ſpiritum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Ille autem ſexto die, quaſi perfecto numero quo omnia cõcluſa ſunt opera dei, quaſi perfecta operatione cõſtitutus homo ſecundum imaginem dei eſt, & cui etiam iſte comparatur qui in diluuio iuſtus inuentus eſt. Et ideo ſupra terrena omnia eum conſtituit deus, ſicut & illum ad imaginem dei factum, quia vtrunque à vitiis terrenis temperabat. Ille qui ita generatus eſt, vt nihil terreno deberet contagio: ille qui in periclis fuerat approbatus, & examinat⁹ in paſſionibus, & repertus quod in confuſione non fuiſſet obnoxius paſſioni. Altior autem ſenſus habet quod iuſtus magnitudine & multitudine virtutis augetur atque doctrina, & replet terram, quaſi cor quoddam, in quo ſit receptaculum intelligibilium. Ita nihil vacuum ſapientia eſſe patitur, quod inſipientia poſſit inuadere. Domitis igitur non ſolum terrenis omnibus paſſionibus, ſed etiam ſenſibus corporalibus, beſtias quoque ſibi quodam terrore ſubiicit & timore, in quibus ſpecies videtur eſſe malitiæ atque feritatis. Immitis enim & agreſtis eſt omnis malitia, inflatur aerio quodam tumore. Necillud obſcurum quòd reptilia quædam letalium quandã habent ſpeciem paſſionum, à quibus venenũ quoddam menti videtur infundi. Omnibus ergo his imperat iuſtus, quibus non commiſcetur, ſed coercet ea, ſi mens eius non delectatione, non cupiditate ducatur, non triſtitia & timore frangatur, non etiam luxutia atque deliciis, tanquam A lubricum & caducum vitæ huius agat curſum, & continentia & temperantia abigat à ſe vir ſapiens huiuſmodi paſſiones. Sed quia ſubdidit ſtatim, Omnia reptilia quę ſunt viua, Genc. 9. erunt vobis in eſcam: ne forte te moueat quia antè de reptilibus diximus venenatis, cognoſce alia eſſe reptilia venenata, alia manſueta. De manſuetis igitur reptilibus accipe, quę etſi non omnia ventre & pectore repunt, ſicut colubri, exiguos tamen pedes habent, vt repere magis quàm ambulare videantur. Ergo venenatorum reptilium ſimiles immundas in corpore accipe paſſiones, manſuetorum autẽ decoras. Omnis enim affectus qui eſt præter deformis delectationis illecebram, paſſio quidem eſt, ſed bona paſſio. Cupiditas mollior eſt, & ira & timor hæ noxiæ animæ paſſiones ſunt. Affectus autem innoxij paſſiones ſunt. Et his viuendi quidã nobis vſus miniſtratur & cauſſã, harum cibo vtimur advitæ gratiam, harum epulis delectamur.

An ſub his verbis quibus ait dominus: Sicut olera pabuli dedi vobis omnia, oleribus magis quàm carnalibus epulis vti debeamus. Et quemadmodum abſtinere debeamus à ſanguine, in quo eſt anima. Ac de diuerſis philoſophorum opinionibus circa naturam animæ. *Cap. XXV.*

QVid eſt etiam quod ait: Sicut olera pabuli dedi vobis omnia? In quo & ij qui ſimpliciter intelligunt, vt non expendant ſermonis examen, non nobis videntur eſſe contrarij. Sunt enim qui putant, vt olera ad eſcam nobis dei nutu attributa videãtur, quo his magis quàm carnalibus epulis vti debeamus. Ego autem libenter his acquieſcerem, vt generi hominum ad parſimoniam & temperantiam olerum vſus inoleſceret, niſi viderem ab iis qui nõ libenter accipiunt, poſſe referri mihi, quia non omnia olera homini inueniatur accommoda. Deinde quia non omne eſſe hominum genus ſapientiæ & continentiæ amore ducitur, vt continentiam ſequi poſſit. Et ideo quod generale præceptum eſt, ad portiunculam paucorum hominum detiuare non poſſumus. Omnibus enim hominibus hoc præceptum datur. Ideoque cõſideremus quid dixerit: Sicut olera, inquit, pabuli dedi vobis omnia, non olera omnia dedi vobis ad eſcam. Vtantur igitur qui vtuntur carne tanquam oleribus, non ad diſtentionem, nec ad aruinam corporis, quam epulæ carnis facere conſuerunt. Sed quemadmodum & olera non omnia ad eſcæ vſum habilia ſunt: ita etiam nõ omne viuum reptile accommodum ad vſum epulandi. Siquidem ab omnibus venenatis debemus abſtinere: licet huc quoque proceſſerit luxuria, vt magis delectationi conſulat quàm periculo, & in pleriſq; reſecto quod dicitur venenatum naturaliter ineſſe, reliquam partem ad cibum vindicet, quæ etſi non plena periculi, tamen vicina periculo eſt, & corruptela aliqua neceſſe eſt in totius ſuccũ ſe carnis infuderit. Plerique etiam ſagittis venenatis transfigunt ceruos, & huiuſmodi velocia animalia, & poſtea reſecta quadam parti membrorum, reliquo corpore ad cibum vtũtur. Quod autem ad altiorem ſenſum pertinet, hoc eſt, vnde magis dictum eſt quòd irrationabiles paſſiones ita debeant mẽti ſapientis, vt olera ruſtico eſſe ſubiecta, atque his vtamur reptilibus cogitationibus, vt agricola oleribus, quæ licet obeſſe non poſſunt, cibi tamen non habent gratiam fortioris. Generale enim omnibus, & cõmnne præceptum, non altiora indicit genera virtutum, quæ vtique paucorum ſunt. Sed & ſi quis virtutum epulas fortiores ſibi exhibere non poſſit, huiuſmodi tamen habeat paſſiones, quæ nõ noceant, ſed delectent. Ideo in principio ſanctus Moyſes informauit nos atque inſtruxit de inſufflatione animæ, vt non laberemur opinionibus diuerſis philoſophorum, qui ſibi conſtare non poſſunt. Plerique enim varia ſenſernnt, vti Tricias, & eius diſcipuli, ſanguinem eſſe animam dicentes: iſtam vtique animam qua viuimus, quæ eſt ſenſibilis: non illam animam quæ rationabilis & intelligibilis interioris hominis æſtimatur. Hippocrates autem etſi non Triciæ improbauit ingenium, nec diſputationem eius redarguit, tamen ſententiæ non acquieuit. Ariſtoteles entelechian dixit. Ignem alij eſſe voluerunt. Nos igitur huiuſmodi diuiſionem teneamus, vt ſeparemus quod eſt rationabile animæ, cuius ſubſtãtia diuinus eſt

ſpiritus,

Gene.2. ſpiritus,ſicut ait ſcriptura quia inſufflauit in faciem eius ſpiritum vitæ.Eſſe autem in ea nutrimentum quoddam vitale, quo hoc corpus animatur,eſſe etiam delectabile. Illarũ igitur & vitalis & delectabilis animæ partium ſubſtantia, ſanguis appellatur à quibuſdam, licet etiam ſcriptura dixerit:
Leuiti.17. Anima totius carnis,ſanguis eſt. Propriè igitur animam carnis ſanguinem appellauit.In carne enim delectatio & paſſio eſt,non mẽs & ratiocinatio.Tamen ſi diligenter intẽdas, hic locus illum explanat.Cũ enim hoc loco animã ſanguinẽ dixerit, vtique ſignificauit aliud eſſe animam, aliud ſanguinẽ, vt ſit animæ ſubſtantia ſpiritus vitalis:ſed ipſum ſpiritum vitalem non per ſe tantum & ſine ſanguine vſum afferre viuendi,ſed commiſerit ſanguini: quia ſunt quæ vocantur arteriæ velut receptacula ſpiritus, quæ non ſolum aerem purum amplectuntur,ſed etiam ſanguinem,ſed minorem longè ſanguinis portionem.Gemina enim cum vaſa ſint, aliud eſt venæ, quæ φλὲψ Græcè appellatur, aliud arteriæ. Vena plus habet ſanguinis quàm ſpiritus,hoc eſt, φλὲψ:arteria minus habet ſanguinis,multo amplius ſpiritus.Iam temperatio pro diuerſitate naturæ eſt hominum ſingulorum. Altior autem ſenſus delectare te debet, qui ſignificat ſanguinem animam ideo dictũ, quia ſanguis calidus & ignitus eſt, ſicut eſt virtus.Quicunque igitur ſtudio virtutis fuerit accenſus, & vaporem laudis aſſumpſerit, omnes delicias ventris excludit.Ea igitur cogitationum quæ ſunt carnalia atque terrena, in virtutis,inquit,ardore poſiti reiicietis, quaſi inhabilia ſpiritali cibo.Non enim carnem manducabat, hoc eſt terrenũ aliquod cogitabat,qui dixit,Meus cibus eſt vt faciam voluntatem patris mei,qui in cœlis eſt:ſtudium hominibus virtutis inſpirans,& cupiditatem diuinæ cogitationis infundens. Ergo terrenæ cogitationes & infirmæ quaſi euiratæ & ſine vſu ſanguinis habentur.Et ille euiratus dicitur,qui ſanguinis plurimum amiſerit. etenim ſanguinis amiſſione frigeſcit.
Ioan.4. Quiſquis igitur diligens virtutum eſt, cibos ablegat & reiicit corporales, niſi quantum ſcit ſatis eſſe naturæ. Quiſquis autem negligentior tanquam lubricum & aquoſum vitæ iſtius fuerit curſum ſecutus,quaſi amiſſis veſtigiis in vterum decidit & ventrem. Itaque quæ ſunt terrena deſiderat, cibi
Philipp.3. cœleſtis alienus,& qui non poſſit dicere: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.Ideoque vt ad ſecretos prouocaret, ait idem:
Coloſ.2. Ne tetigeritis,ne attaminaueritis, ne guſtaueritis quæ ſunt ad corruptelam ipſo vſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum,quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientię,in obſeruatione religionis,& humilitate cordis, non in indulgentia corporis,non in honore aliquo ad ſaturitatem & diligentiam carnis.

Quòd per hoc quod ait,Etenim veſtrum ſanguinem & animarum veſtrarum exquiram,de omnibus beſtius, & de manu hominis fratris,detur intelligi hominem grauius peccare qui fratri inſidiatur. Et quis dicatur frater.Quare etiam dixerit: Ad imaginem dei fecit hominem, & non ad imaginem meam:cum reprobatione opinionis philoſophorum, qui negant deum habere curam ſuper homines. Caput XXVI.

DEnique hunc ſenſum eſſe, poſteriora approbant.
Gene.9. Sic enim ait:Etenim veſtrũ ſanguinem & animarum veſtrarum exquiram de omnibus beſtiis, & de manu hominis.) Beſtiali malitiæ comparauit, imò etiam acerbauit iniquitatem hominis vltra beſtiarum feritatem, dicendo,de manu hominis fratris.Etenim beſtiæ nihil nobiſcum habent commune naturæ, nullo velut fraterno iure deuinctæ ſunt.Si nocent hominibus,quaſi extraneis nocent.Naturæ iura non violant, germanitatis non obliuiſcuntur affectum.Ideo grauius homo peccat qui fratri inſidiatur,& dominus ſeuerius vindicaturum ſe eſſe promiſit,dicens:
Gene.9. Sanguinem hominis de manu fratris eius exquiram.An non frater eſt quem rationabilis naturæ quidam vterus effudit, & eiuſdem matris nobis generatio copulauit? Eadem enim natura omnium mater eſt hominum, & ideo fratres ſumus omnes, vna atque eadem matre generati,cognationiſque eodem iure deuincti.Ideoque & dominus fratrem appellauit & eum à quo ſanguis fratris exquiritur,ſignificans magis ab his periculum pertimeſcendum qui fraterno ſibi iure ſociantur.Hinc etenim inſidiæ,hinc pericula frequentiora hominibus comparantur.Et vt ſpecialia comprehendamus,fratribus ſpecialius in hæreditatis diuiſione frequenter odia ſuccreſcunt.Deinde ſi fratri amplius collatum fuerit à parentibus,fratres alij indignãtur magis,& gratiam à parentibus collatam parricidio auferre conantur.Iſta magis bella ſuſpecta,bella non cibi tantum,ſed ſingularum domorum,Illos ergo dominus ad vltionis iudicium comprehendit,quos magis inſidiaturos ſibi eſſe cognouit. Tertium eſt quod in eo fratrem dixit,non quo dignus pietatis nomine parricida ſit, ſed quo magis pietatis grauetur vocabulo, atque inde fiat ſceleris incremẽtum,quo iuſtior ſit vindicta ſceleſti. Ergo dominus deus noſter vltionem promittit, vt vel ſic frangatur metu,qui pietatis eſt oblitus, vt ſciat quòd etiam ſi homines effugiat homicida,dei tamen iudicium nõ poſſit euadere, ſed maiori & æterno ſupplicio reſeruetur. Altiore autem ſenſu hoc intelligimus, non ſolum ab extraneorum,verumetiam à noſtris hoc eſt domeſticis nobis cogitationibus cauendum.Deinde obſeruandum nobis nõ ſolum à malitia mentis,verumetiam ab ipſis ſermonibus noſtris.Ideoque ait:
Prouer. De multiloquio non effugies peccatum.Et ego hoc ſignificari videtur, non ſolum operis noſtri,ſed etiã ſermonis qui eſt magis domeſticus, rationem domino, eſſe reddendam. Et ideo diligentius conſiderandum ne vel ſermone vel opere contrahamus offenſam,quia ſicut ore confeſſio fit ad ſalutem,ſic ore fit lapſus ad mortem. Qui effuderit,inquit,ſanguinem hominis,pro ſanguine hominis eius
Roma. Græca. effundetur.Non errauit locutio,ſed emphaſis,id eſt, exaggeratio facta verborum eſt, quòd is qui effuderit ſanguinem hominis,ipſe quaſi ſanguis effundetur,quod ſpem ei hęreditatis eripiat: quia ſicut ſanguis effuſus in terram hac atque illac ſpargitur,ita impiorum anima à corpore fragilitatis more ſoluatur:quia & de anima dictũ eſt mortem eius eſſe corruptionem,eò quòd gratiæ cœleſtis munere defraudetur,& velut colliſa malitiæ ſcopulis ſalubritatis ſuæ corpus imminuat. Mouet etiam pleroſque quod dixerit,Ad imaginem
Gene. dei fecit hominem:& non dixit, ad imaginem meam,cum
Ioan. ipſe ſit deus.Sed intellige & patrem eſſe, & filium eſſe.Et licet per filium omnia facta ſunt,tamen legimus quia pater ſecerit omnia,& fecerit per filium, ſicut ſcriptum eſt: Omnia
Pſalm. in ſapientia feciſti.Siue ergo pater dicit,ad imaginem verbi fecit: ſiue filius dicit,ad imaginem dei patris fecit. Et ideo familiarem quandam & domeſticam deo demonſtrat hominis eſſe naturã,id eſt,rationabilis hominis ſecũdum quod ad imaginem dei creati ſumus:eáque cauſſa inultum non eſſe apud deum quod in domeſticum animal ſibi videat crudeliter & impiè eſſe commiſſum. Cauſſa ergo vindictæ additæ facit,vt primum excludamus philoſophorum quorundã opiniones, qui negant deum habere curam ſuper homines: Deinde ſcientes prærogatiuam noſtræ vltionis apud deum manere, neque in alios committamus quod diuino iudicio vindicandum ſit,neque mortem ipſi vehementius pertimeſcamus,cùm ſciamus necati hominis innocentis apud deum nullum eſſe contemptum.

Quomodo intelligendum ſit quod inquit dominus: Non erit diluuium vt corrumpat omnem hominem. Et quod ſubdit: Arcum meum ponam in nube. Et qualis fuerit arcus ille.

Cap. XXVII.

NOn erit,inquit,diluuium vt corrumpat omnem
Gene. hominem.) Dubium videtur: Vtrum enim diluuium non erit, intelligendum ſit, quòd diluuium corrumpat terram:(hoc enim diluuia facere conſueruntan verò non erit tale diluuiũ quo terra omnis corrumpatur,quod poſteriora aperiunt cum dicit omnem terram non corrumpendam: Oſtendit enim diluuia quidem eſſe futura,ſed non talia quibus poſſit omnis terra corrumpi.Senſus autem hoc altior habet,quod iam prouidentia ſuſtura ſit domini,ne tantum ſit diluuium corporalium paſſionum, vt anima omnis intereat. Et quidem non audeo dicere quia videtur dominus ſtatuere quod nullius anima poſſit penitus interire. Quid enim de parricida dicimus? Quid etiam de homicida? Quid de adultero? quid de prę-

uaricatore? Quas ei partes animæ ad veniam reseruamus? Vnde magis illud arbitror, quod prouocet dominus deus, ne si quis leuiores alias habeat passiones, penitus diuinā desperet gratiam, nec omnimodis victurū se esse diffidat. Sed etiam si est luxuriosus, nec potest studium vitare luxuriæ, ab adulterio studeat tamen temperare: sit epulandi delectatio, non stuprandi sit. Etiam si nescio quis auarus qui aliena diripuit, eiecit pupillos, eliminauit viduas, postea tamen in pœnitentiam regressus restituat quod abstulit. Deniq; Zacchæus ideo veniam meruit, quia non solum restituturū se, sed quadruplum promisit quibus aliqua sustulisset, pauperibus quoque medietatem sui patrimonij donaturum. Condideremus etiam diligentius quid sit quod ait: Arcum meum ponam in nube, & erit signum testaměti æterni inter me & inter terram, & erit cum in nubila venerit nubes super terram, parebit arcus meus in nube, & memor ero testamenti mei. Non enim (sicut plerique arbitrantur) arcum istum dicit quem aiunt homines esse quo pluuiarum signa aliqua declarentur, in quo colores diuersi tanquam radiorū solis nūc rutilantium, nunc lumine lucentium clariore figurantur, vnde & pluuia futura significatur, eò quòd inconstantia quædam serenitatis versicolora specie demonstretur. Arcū hunc Irim quidam appellant. Sed absit vt hunc arcū dei dicamus. Hic enim arcus qui Iris dicitur, per diem videri solet, per noctem nō apparet. Etiam per ipsum diem, si obductus aer tetris nubibus fuerit, ne sic quidem videtur, ni fortè cum graniores nubes se cœperint relaxare. Ergo videamus ne quia arcus quo sagittæ iaciuntur, nunc tenditur, nunc resoluitur: quandam extensionem & remissionem videatur scriptura significare, per quam neque penitus per nimiam extensionē vniuersa rumpantur, sed sit quędam mensura, & quoddam diuinæ virtutis examen. Est ergo virtus inuisibilis dei, quę & specie istius arcus extendendi & remittendi moderatur pro diuina voluntate, misericordia, potestate, quæ neque omnia confundi nimia solutione, neque dirumpi nimia irruptione patiatur. Quam ideo in nubibus dicit poni, quia tunc maximè opus est diuinæ auxilio prudentiæ, quando agmina nubium in procellas tempestatésque coguntur. Ideoque dicit: Arcum meum ponam in nube, non sagittam ponam. Arcus enim instrumentum iaculandæ sagittę est. Itaque non ipse arcus vulnerat, sed sagitta. Et ideo dominus in nubibus arcum magis quàm sagittam ponit, id est, non illud quod vulneret, sed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere non soleat.

Qua ratione cùm tres filios Noe, Sem, Cham, Iaphet, supra computauerit, hoc loco medij filij, id est, Cham generationē prius comprehenderit. Et quomodo ille Chananæorum author fuerit.

Cap. XXVIII.

Qua ratione autē cùm supra tres filios Noe computauerit, Sem, Cham, Iaphet, hoc loco comprehenderit medij filij generationem? Hoc est quod ait: Cham autem pater erat Chanaan. Isti tres erant filij Noe, & maximè cum illi duo iusti, iste iniustus medius. Iniusti ergo prius generatio quàm iustorum comprehenditur. Neque enim possumus negare quod scriptum est: sed ad coaceruandum delictum ipsius addita eius est generatio, qui cùm haberet filium, & pater esset, solus ipse patrē non cognouit, qui magis cognoscere debuisset. Et ideo improbum habere meruit filium, quia improbus fuerat patri. Simul significat ex illo Chanaan Chananęos fuisse, qui post multas generationes à populo iusto oppressi, cesserunt in eius possessionem. Authorem ergo Chananęorum Chanaan fuisse manifestum est, qui fuit filius huius Cham, qui impius in patrem extitit. Altior autem sensus nominum interpretatione signatur. Cham enim calor est, Chanaan turbatio eorum. Qui enim calet, continuò mouetur & perturbatur: ideoque euidentissimè declaratur non tam hominem patrem hominum fuisse, sed passionem malam improbę passionis generatricem, quę esset à patris moribus hoc est ab vsu virtutis aliena.

Quomodo Noe egressus ab arca, factus sit agricola. Et de differentia inter operatorem terræ, & agricolam. Quid etiam sit

A *quod iustus primum vineam plantauerit, & non triticum aut hordeum. Et quid sibi velit quod subdit, Bibit de vino, & inebriatus est. Et de duplici specie ebrietatis, & gemina nudatione sapientis. Ac de operimentis animæ*

Caput XXIX.

ET cœpit Noe homo agricola esse terræ.) Videtur quidē prima specie Adæ illi qui de terra factus est, comparari Noe vir iustus, quia & de illo scriptum est quod de paradiso eiectus cœperit operari terram: de isto quoque, quoniam egressus ex arca factus sit agricola. Genes. 3.

Et propemodum in vtroque processerat* quædam forma diluuij, quia & Noe post diluuium, & Adā post mundi constitutionem secundum figmentum corporis. Nam vt mundus fieret, congregata est aqua in vnam congregationem, vt videretur terra, quæ ante non poterat per aquarum confusionem videri. Ergo sicut ille primigenes magister terram B videtur operatus, ita etiam egressus ex arca Noe seminationis & culturæ author est factus. Hæc putantur similia. Sed si verba considereres, quæ iam vim sensus altioris exprimunt, aliud est operatorem terræ esse, aliud agricolam. Alius enim tanquàm mercenarij, alius tāquàm patrisfamilias loco fungitur. Denique Cain qui fratrem occidit, erat operarius terræ. Et vt scias quia operari terram magis seruile quàm liberum sit, maledictio parricidali eius operatio comprehenditut. Denique scriptum est: Quoniam operaberis terram, & non augebit virtutem suam dare tibi, gemens & tremens eris super terram. Terra autem caro nostra est, quam improbus operatur, bonus autem excolit. Ille quasi mercedem quærit è terra, iste quasi boni fructus capit gratiam disciplinæ, vt magis fructiferum faciat agrum suum, & qui domini possit respondere culturis, & indulgentiam cultoris ostendat. Operator autem quid aliud nisi escam tantummodo corporis sui quærit, ventris magis vsui studens, atque C id solum explicare cōtentus quod sibi prodesse possit ad victum? Ille verò alius fructuum vtilitate pascitur. Quos fructus habeat iustus, agnoscis. Fructus autem spiritus charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas. Bonus ergo agricola habet continentiam, castitatem, vt si quæ arbores citò curuantur in terram, & effusius germināt, eas velut quadā temperantiæ suæ falce succidat, vt abiiciāt quod infirmum est, germinent quod decorum. Quid est quod iustus primū vineam plantat, & non aut triticum aut hordeum? Vnde autē vinea post diluuium corruptionémq; terræ? Sed de hoc supra diximus, quia veris tempore etiā corruptarum radices vitium pullulare potuerunt. Vnde illud maiori solicitudine soluendum arbitror, quia iustus prius quæ voluptaria, quàm quæ necessaria sunt requirit. Necessarij enim fructus sunt tritici & hordei, sine quibus non possumus viuere, vinum autem voluptarium, & causſa delectationis datum. Quod, quia iustus est, ideo sibi magis hoc quod secundum erat, q̄ quod primum est vindicauit. Necessaria enim alimenta viuendi deo detulit quod erat. Superfluum autem vinū hominibus, & non necessarium. Sed fortè dicas ita sine potu non posse homines viuere, quemadmodum etiam sine cibo. Necessarius est ergo potus sicut cibus. Non abnuo. Siti vtique necessarius à domino constitutus. non repugno. Et ideo ad potum necessarium fontes & flumina conuenit deriuare, quæ non vtique manu hominis effecta, sed domini dei nostri iussu & operatione fluxerūt. At ne quia diximus operationem domini, ad illud retorqueas quod operatio Cain videtur maledictiones habuisse: considera non operationem maledicti nomen accipere, sed quia scriptum est, operari terram. Qui enim operatur terram, mercenarius est. Ille autem non mercenarius, sed dominus, qui ait: Pater meus vsque modo operatur. & ego operor. Quid operatur huiusmodi operator? Audi: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei qui in cœlis est. Et bibit, inquit, de vino, & inebriatus est. Non dixit, Vinum bibit. neque iustus vinum ebibit, sed de vino, hoc est de eius portione libauit. Ebrioſi est omne absorbere vinum, & intemperantis euacuare qnod sumpserit. Continentia autem vtendi mensura legitima est. Ebrietatis itaque species gemina est. Vna quæ titubationem corpori

Præcesserat. Gene. 4. Genes. 3. Gala. 5. Genes. 9. Genes. 4. Ioan. 5. Ioan. 4. Gene. 9.

affetat,

afferat,atque eius ſupplantet veſtigia, ſenſúmque perturbet.
1. Timo 5. Altera quæ mentem virtutis vaporet gratia,& omnem infirmitatem videatur auertere. Vnde Apoſtolus ait: Vino modico vtere propter frequentes tuas infirmitates. Sicut enim iſto bibendi moderamine vinum non infirmitati eſt, ſed ſaluti, atque omnem infirmitatem alleuat corporis, ita etiam ebrietas illa præclara omnem infirmitatem carnis excludit,
Pſal. 22. de qua ſcriptum eſt:Et poculum inebrians quàm præclarum
Ephe. 5. eſt.Quæ eſt iſta ebrietas?Inebriamini,inquit,nõ vino in quo eſt luxuria,ſed implemini ſpiritu ſancto, Apoſtolus dixit.Et ſecundum literam igitur cautio eſt, & ſecundum ſapientis altiorem ſententiam laudatio eſt. Cautus eſt qui etſi nudatur,in domo tamen nudatur ſua, vbi operimenta non deſint,& quædam tegmina ebrietatis,vt vitia ſua norit abſcondere.Corporalia igitur nudum corpus tegunt, vt parietes & tecta:animæ autem quæ ſint operimenta,videamus. Sed tũc operimenta reperimus,ſi enudationem eius diſcutimus.Gemina autem nudatio ſapientis. Gemino igitur amictu mens noſtra veſtitur,ſi aut peccatũ imprudens admiſerit,(hæc eſt enim enudatio velut ebrię mẽtis, vt neſciat quod delinquat, quaſi quæ tumulentia quadam ignorantiæ in vitium deducta labatur) aut rurſus negligentiæ & ignorantiæ ſomno ſepulta errorem ſuum neſciat.Quæ cùm inciderimus, imò cũ peccata plura inciderimus etiam per ſcientiam(eſt enim naturalis quædam etiam noſtræ infirmitatis ebrietas, vt impetu delectationis feramur in vitiũ, ſicut plerique iuuenili accenſi calore,aut luxuria & delectatione flammati, aut auaritiæ rapti cupiditate) certè omnibus his medicina quæratur, vt aliquis tegat huiuſmodi infirmitatem ſuam,primum pudore quodam & verecundia,vt etiã ſi in lubrico ſit adhuc poſitus delinquendi, det tamen emendationis inſigne. Etenim plurimum intereſt vtrum peccata ſua iactare deſideret.In altero enim turpis impudentia, in altero tolerabilis verecundia ſpem futuræ correctionis oſtendit. Alia eſt autem denu-
Pſalm. 5. datio animæ,quæ velut quandam ſarcinam corporis abiicit atque exuit,ſicut ſepulchrum quoddam carnis effugiens.Sepulchrum enim patens eſt guttur huiuſmodi hominum, in quo ſepulchro velut attumulatur anima delectationibus, & cupiditatum paſſionibus onerata diuerſis.Exuit igitur ſe à cõ geſtione terrena, & quaſi retia quædam circũfuſa euadit atque effugit,quæcunque ſe ab omni nudauerit paſſionum laqueo,& omnem illam deformem ſpeciem terrenæ labis auerterit,vt lucem videat decoris æterni.

Quare non ſimpliciter dixerit: Vidit Cham nudationem patris, ſed vidit Cham pater Chanaan. Et cur Cham nudatum patrem riſerit. *Cap. XXX.*

Gene. 9. Væro nunc cur non ſimpliciter dixerit,Vidit Chã nudationem patris: ſed vidit Chã pater Chanaã.vtique Chanaã natus non erat: cur ergo nomẽ addidit filij,niſi vt & vitio authoris deformaretur hæreditas,& author filij nequitia grauaretur?Et pater igitur in filio,& in patre filius redarguũtur,habentes ſtultitiæ,nequitiæ, impietatis quoq; cõmune conſortium.Nec poterat fieri vt bonum generaret filiũ qui bono patri nequã filius, & naturæ & eruditionis degener extitiſſet.Hęc ſecundum literam.Quod autẽ ad altiorem ſenſum pertinet,omnes mores peſſimi erroribus delectantur alienis.Nõ ſolum erroribus,ſed etiã iis quæ ipſis videantur mala eſſe,etiam ſi nõ ſint. Nudum enim Noe
Gene. 9. ſe non ſentiebat,qui amictu erat indutus ſapientiæ.Denique nec Adam in paradiſo poſitus nudum ſe putabat, niſi poſtea quàm cõmiſit præuaricationis errorem.Et reus,amictu ſapiẽtiæ ac iuſtitiæ,mandatorum cœleſtium præuaricatione nudatus,nudũ ſe vidit,& foliis operiendum putauit. Ridet igitur Cham nudatum patrem videns. Omnis nanque improbus quoniã ipſe deuius diſciplinæ eſt, aliorum lapſus non ſolum pro ſui erroris ſolatio accipit, quod conſortes inuenerit culpæ,verumetiam improbo lætatur affectu, tanquam ſua ipſe delicta correxerit.Mala mẽs ergo lætatur præter propoſitum quid alicui accidiſſe ſapienti: cum vtique corporis lapſus in vitio eſſe non debeat,etiã ſi lapſus putetur, niſi animus quoque inclinetur ad culpã. Poſtremò venialia iudicẽtur huiuſmodi errata,non odio proſequenda, non habenda ludibrio.

Sed mens,vt dixi,improba cùm putat erraſſe ſapientem, inſultandum arbitratur ei, cuius ſibi putat mores eſſe contrarios,quod peccatum ſuum velut tacito quodã ſapientis teſtimonio redarguatur: eóque lætandum ſibi, quòd iuſto viro nec eruditio ipſius profuerit,nec iuſtitia ſuffragata ſit,nec ea quæ ſecundum corpus ſunt,habuerint proſperos curſus.Hęc enim pro ſummis bonis apud improbos æſtimantur, in diuitiis aut honore poſita,quæ tamen nullum fructum ad laudem virtutis conferunt.Propterea inſipientiæ defenſores videntur,qui virtutis amatorem proſperorũ munere eſſe fraudatum,qui omne bonũ temporalibus magis quàm perpetuis æſtimandum putant.

De euidenti pietatis affectu in bonis filiis Sem & Iaphet, qui nudatum amictu patrem videre cauerũt.Et quomodo mens ſapiens retrorſum ambulet. Quid etiam ſignificet quod somno recedente Noe ſobrius factus ſit à vino.Et quare ſcriptura Cham,quem primo medium inter filios poſuit, poſtea minorem appellauerit dicens: Cognouit Noe omnia quæ fecit eius filius iunior. *Cap. XXXI.*

Gene. 9. QVid eſt quòd Sem & Iaphet impoſuerunt veſtimentũ ſuper humeros ſuos, & perrexerunt retrorſum,& operuerunt nudum patrem, & nõ viderunt nudationem eius?Litera euidentẽ pietatis expreſsit affectum, quod nudatum amictu patrem boni filij videre cauerunt,ne paterna reuerẽtia vel ipſo minueretur aſpectu.Siquidem etiam tacito vultu pietas frequenter offenditur.Vnde etiam Romę vetus fuiſſe vſus dicitur,ne filij cum parẽtibus & maximè puberes intrarent lauacrum.Senſus autem altior hoc habet,quia inſipiens præſentia tantummodo videt quæ in oculis ſunt,futura non reſpicit,præterita non cogitat:Sapiens autem & præterita recordatur,& futura conſiderat.Omnis ergo mens ſapiens retrorſum ambulat,hoc eſt præterita ſpectat, nec naturæ quodamvſu impeditur,nihil vacuum,nihil nudum ſuorum patiPhilipp. 3. tur eſſe geſtorum.Operit quę aliter geſta ſunt,amictu quodã & gratia vel preſentis operis,vel futuri, vt nihil indecorũ prę
C tereat,nihil inornatum relinquat. Vnde & Apoſtolus ſuperiora obliuiſcebatur,priora appetebat,ſed obliuiſcebatur, vt Pſal. 31. abſconderet perſecutionis errores,vt tegeret ſuperiora delicta,bonísque operibus abũdaret. Beati enim & illi quorum Gene. 9. tecta ſunt peccata,id eſt,ſi tegantur bonis operibus, & operiãtur virtutum ſequentibus diſciplinis.Et ſobrius,inquit,factus Noe à vino. Manifeſtum eſt ex ebrietate intercedente ſomno ſobrios fieri homines. Mens autem ſobria eſt quãdo & præterita & futura cognoſcit.Sobria ergo erat mẽs iuſti & quando ebria putabatur.Eſt enim præclarum poculum ine- Pſal. 22. brians iuſtos.Ille autem verè inebriatus erat qui ridebat patrem.Qui enim neque præteritam generationis gratiam,neque præſentem reuerentiam patris, neque futuram pœnam paternæ iniuriæ conſiderabat,verè ebrius erat, & quod putabat videre ſe, non videbat. Erat in illo profunda cæcitas, qui patrem videre non poterat. Nam ſi vidiſſet patrem, non vtique riſiſſet. Neque enim ridendus, ſed verendus eſt pater.Multo autem amplius mentem iuſti iuſipiens videre nõ
D poterat.Quomodo enim videbat, qui in eo putabat dubietatis errorem,vbi erat perfectus ſapientię cęterarúmque virSapien. 7. tutum vapor?ſicut ſcriptum eſt: Vapor eſt enim virtutis dei. Quando enim mens magis ſobria eſt, quàm tunc quando naturam omnium rerum, temporúmque preſentium & futurorum ita ſpectat negocia, vt nulla in eo temporalis titubatio ebrietatis appareat?Quæro etiam qua ratione cùm antę medium dixerit inter filios Cham,nunc iuniorem conſtituat?Sic enim ſcriptum eſt: Cognouit Noe omnia quę fecit eius filius iunior. Nunquid antè ſcriptura in ordine generationis errauit?Non vtique.Quid ergo? Contraria nunc ſcripta ſunt?Non arbitror.Quomodo igitur ſoluitur, niſi iuniorem non ætate,non tempore accipias,ſed rudem ſenſu,& in quadam intellectus infantia conſtitutum, qui prouectioris doctrinam ætatis non hauſerit, nec perceperit ſenile conSapien. 4. ſilium?Cani enim quidem ſunt ſenſus hominum.Et ideo,inquit:Cum veneris ad ſeniorum conſilium, claude os tuum, vt alibi habet ſententia: Diſcendum enim prius eſt quàm loquen-

985

loquendum. Aures ergo paratas habe, vt aliquid de sapientium consiliis consequaris. Lingua reprimenda est, auditio præparanda.

De benedictione Sem filij, & quare Noe dominum & deum dixerit, & specialiter deum filij sui Sem. Et qua ratione cum Cham peccauerit, non ipsum sed filium illius seruituti addixerit. Et de benedictione filij Iaphet, et multiplici dilatatione bonorum. Cap. XXXII.

Gen.9. BEnedicés filium Sem ait Noe: Benedictus dominus deus Sem, & erit Chanaã seruus eius.) Et dominum & deum dixit, & specialiter deũ filij sui cui nomẽ Sem est, eo quod deus iustorũ est, hoc est deus montium, non vallium, qui gratiam habeant virtutis excelsæ. Denique qua ratione cùm filius eius Cham peccauerit, non ipsum sed filium eius seruituti addixit? Et fortasse ideo, quòd plus afficitur iniuriis filij sui, maximè quarum reus & author existat, & vehementius contristatur sui peccati dãnationem à filio persolutam, qui non tã suo quam patris merito puniretur, denique qui doctrinæ paternæ discipulus esset filius, & pessimarũ æmulus cogitationũ, vno corpore vterque vteretur & mente, eadémque malitia. Indifferenter igitur vel paternæ vel suæ malitiæ filius precium luit, quoniam improbitatis commune consortiũ est. Quod igitur pro patris soluit improbitate, sine dubio & pro sua soluit culpæ eius reus: vel certè diutius pœna producitur cũ etiam ad filium vsque pertendit, & successoris afflictio in tempora multa profertur. Hoc secũdum literam. Cæterùm non tam hic homines quam mores comprehendũtur, quorum in vtroque vna natura. Nam Cham calor, Chanaã commotio & inquietudo. Qui enim calidus est, vtique inquietus atque commotior est. In duobus igitur erat vna passio, & vnus affectus. Itaque cùm alter addicitur, vterque damnatur. Cùm sanctus igitur Noe benedicens filium suum Gen.9. Iaphet, ait: Dilatet dominꝰ Iapher, habitet in domibus Sem, & fiat Chanaan seruus eius: diximus supra Iaphet quasi indifferẽs bonum significari. Indifferentia autem latitudinem habet, quæ est in salute, vigore, decore, fortitudine, diuitiis, gratia, nobilitate, amicis, potestatibus, & cæteris. Sed hæc licet indifferentia bona sint, tamen plerisque nocuerunt qui ea non cum sapientia & iustitia possederunt. Multos enim ebrios fecêre diuitiæ, nobilitas & potestas superbos, pulchritudo luxuriosos, cuius suffragatio alienæ mentis corrupit castitatem. Ergo pro vtentis affectu horum quæ diximus indifferentiæ sunt, quorum vsus aut virtutibus regitur, aut certè sine gubernatione virtutum fraudi esse incipiunt, quæ possunt esse vtilitati.

Quid significet quod post diluuium Noe dicitur vixisse trecentis & quinquaginta annis. Et quòd de generatione Iaphet Rhodus & aliæ insulæ sint nationum.

Caput XXXIII.

Gene 9. NVnc quoniam post diluuium Noe dicitur vixisse trecentis & quinquaginta annis, nequaquã prætereundum putamus. Nam in trecentis crucem Christi significari certum est, cuius typo iustus à diluuio liberatus est. In quinquaginta Iubileus est numerus remissionis, quo spiritus sanctus missus à cœlo est, gratiam humanis pectoribus infundens. Perfecto igitur numero remissionis, & gratiæ iustus curriculum vitæ huius impleuit. De generatione, inquit, Iaphet, Rhodus & aliæ insulæ sunt nationum. Non immerito latitudo dicitur, quando etiam in alteram partem naturæ, hoc est maritimam, generatio eius processit. Vere enim tanquam latitudo non fuit eo contenta quod in vsum hominibus natura præscripserat, hoc est terræ possessione, verumetiã introgressa est mare, ad insulas vsque processit. Hoc secundum literam. Secundũ altiorem autem sensum, ea quæ extra sunt, quæ dicuntur bona, diuitiæ, potestates, honores, quasi diffunduntur latius, nec tamẽ his contenti sunt diuites quæ in manibus & in conspectu sunt, sed longè latéque diffundunt suas cupiditates, dum aut pecuniarum compendium de vlterioribus queritur, aut honor à pluribus, aut potestas diffusior, aut cupiditas.

Qua ratione Cham illius improbi filium seniorem scriptura fuisse memorauerit. Et quòd Chus Nemroth gigantem genuerit, qui erat venator ante deum. Et de interpretatione nominis Nemroth. Quódque idem principium fuerit regni Babylonis.

Caput XXXIIII.

NVnc quæro, qua ratione Cham illius improbi filiũ seniorem scriptura fuisse memorauerit. Duo genera terræ. Vnum velut arenosum & puluerulentum, imò vt expressius dicã, puluis. Aliud genus terræ fructiferũ atque fœcũdum, hoc est terra solidior & profunda. Quid igitur improbus nisi puluerem generat, ex quo generatio esse non possit? Ideoque prophera puluerem impiis comparauit dicẽs: Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Eò quòd etiã secundũ altiorẽ sensum infœcunda sit impiorum anima, quæ fructus vtiles generare non possit. Quia ratione etiam Chus Nemroth gigantem genuerit, qui erat venator ante deum? Quid aliud qui puluis & arena generaret, nisi terrenum hominem, eò quòd impius cœlesti bus terrena præponat? Gigantes enim voluisse pugnare aduersum superna fabulæ inducunt, & terreno ascensu ascendendum ad cœlestia putauerunt. Altiore aũt sensu illud significatur, quod qui terrenas diligit voluptates, eas sequitur, & putat his se posse ad dei gratiam peruenire, & regnum cœleste huiusmodi erroribus deferendũ: is aduersum cœlestia contumaci præliatur affectu. Propterea & in prouerbio est de eo qui deliquerit, sicut Nemroth gigas venator ante deũ. Gene.10. Nemroth autem per interpretationem dicitur Aethiops. Color Aethiopis tenebras animæ squalorémque significat, qui aduersus lumen est, claritatis exors, tenebris inuolutus, nocti similior quàm diei. Venatoris quoque vsus in syluis, inter feras ac bestias cõuersatio eius. Irrationabilis ergo miscetur irrationabilibus passionibus, & ea quæ sunt malitiæ agrestis atque præduræ, venator huiusmodi explorare consueuit, atque his potiri atque delectari. Denique Nemroth Gene.10. huius principium regni Babylon, hoc est confusio, eò quòd malitia & potestas non in simplicitate & puritate, non in distinctione virtutis, sed in confusione vitiorum est.

FINIS.

CAPITA PRIMI LIBRI de Abraham.

De huius libri titulo, authoris intentione, tractandi ordine, rationísque propositi negocij expositione. Caput I.
De fidei Abrahæ singulari deuotione, quam obedientia admirabili comprobauit. Cap. II.
De cæteris Abrahæ virtutibus, videlicet prudentia, iustitia, charitate atque parsimonia. Et quemadmodum rixas inter seruulos suos ac nepotis eius exortas, fibram discordiæ amputando sedauerit. Cap. III.
De defensione immunitatis adulterij Abrahæ, qui ex ancilla filium suscepit. Et cur circuncisio mandata fuerit, & tamen hodie non obseruetur. Cap. IIII.
De hospitalitate Abrahæ hospitum explorantis aduentum, & angelos hospitio suscipientis, cum diligenti exhortatione ad hospitalitatis illius imitationem. Cap. V.
De exitio Sodomorum à domino Abrahæ reuelato, & de hospitalitate Loth aduenientibus angelis exhibita, criminísque Sodomorum ob hospitalitatis violationem aggrauatione. Cap. VI.
De pudicitia Saræ vxoris Abrahæ sæpius tentata, & tandem à deo pulchra donata prole. Cap. VII.
De tentatione Abrahæ, & multiplici eius probatione. Cap. VIII.
De morte vxoris Abrahæ, fletúque eius, & sepulturæ officio. De solicitudine quoque ipsius ad prouidendum filio suo Isaac de vxore. Cap. IX.

DIVI

Diui Ambrosij MEDIOLANENSIS EPI-scopi, de Abraham Liber primus.

De huius libri titulo, authoris intentione, tractandi ordine, rationisque propositi, negotii expositione. Caput I.

ABraham libri huius titulus est, quoniã per ordinem huius quoque patriarchæ gesta considerare animum subiit. De quo nobis moralis primo erit tractatus & simplex. Nam etsi altiori disputatione processus quidam & forma virtutis, & species quædam exprimatur, tamen forensia quoque actuum eius vestigia spectare virtutis profectus est. Etenim si ea quæ natura ad victum generauit hominum, non vnius, sed geminæ aut etiam vberioris gratiæ sunt: quanto magis ea quibus epulantur animi, non angusti sed abundantioris vsus & multiplicis cibi esse æstimari conuenit? Non mediocre autem aut ociosum negotium. Etenim eum dominus deus noster hũc locupleti benedictionis suæ dote donauerit, vt eius gratia prouocaret cæteros, institutione corrigeret: Moyses quoque imitandum nobis descripserit, vt corda hominum in vitium labentia, huius viri contuitu velut quodam terreno busto resuscitaret: nõ petfunctorium debet videri si nos quoque scrupulosius eiusdem viri versemus vestigia. Nam si sapientes huius mundi, & Plato ipse princeps philosophorum, non veram aliquam, sed fictam & adumbratam sibi eam quam legimus πόλιν proposuit ædificandam, vt doceret qualem rempublicam esse oporteret: atque ita quam nec audierat nec viderat in aliqua vrbe describendam putauit, vt ij quibus hoc munus est, qnemadmodum rempublicam regerent, institui possent, & si condiscipulus Platonis Xenophon ille Socraticus fictis & ipse rebus personam voluit informare sapientis in eo libro quem κύρου παιδείαν inscribit, vt ex intimo philosophiæ sinu regis iusti & sapientis disciplina procederet: quanto magis nos non compositam figuram sapientis viri, sed expressam virtutem & diuino institutam magisterio recensere intẽtius, & vias eius debemus prosequi, quẽ Moyses ita descripserit, vt retro quodammodo se ipse respiceret.

1. Petr. 1. 1. Cor. 7.

De fidei Abrahæ singulari deuotione, quam obedientia admirabili comprobauit. Caput II.

MAgnus planè vir, & multarum virtutum clarus insignibus, quẽ votis suis philosophia non potuerit æquare. Denique minus est quod illa finxit, quàm quod iste gessit, maiórque ambitioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides. Itaque cuiusmodi fuerit in eo viro deuotio, cõsideremus. Ea enim virtus ordine prima est, quæ est fundamentũ cæterarum: meritóque hanc ab eo primã exegit deus dicẽs: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Satis fuerat dixisse, de terra tua. Ibi enim erat exire de cognatione, exire de paterna domo. Sed ideo addidit singula, vt eius affectum probaret, ne fortè aut imprudenter cœpisse videretur, aut fraus aliqua mandatis cœlestibus pararetur. Sed sicut coaceruanda fuerũt præcepta, ne quid lateret: ita etiã proponenda merita, * ne forte desperaret. Tẽtatur vt fortis, incitatur vt fidelis, prouocatur, * vt iustus, meritóque exiuit, quemadmodum locutus est illi dominus. Et exiuit cum eo Loth. Hoc est quod pro magno inter septem sapientũ dicta celebratur, ἕπου θεῷ, id est, sequere deum. Facto præuenit Abraham dicta sapiẽtum, & secutus deũ, exiuit de terra sua. Sed quia antea terra ei fuerat alia, hoc est regio Chaldæorũ, de qua exiuit Thara pater Abrahæ, & in Charran demigrauit, & quia secum eduxit nepotem suum, cui dictũ fuerat, Exi de cognatione tua: consideremus ne fortè hoc sit exire de terra sua, de huius terræ, hoc est de corporis nostris quadam commoratione egredi, de qua exiuit Paulus, qui dixit: Nostra autem conuersatio in cœlis est, & de illecebris & delectationibus corporalibus quas velut cognatas animæ nostræ dixit, quam compati necesse est corpori, donec eius colligata vinculo adhæret. Ergo exire de conuersatione terrena, & à secularibus oblectamentis & superioris vitæ moribus atque actibus debemus, vt non solum loca sed etiam nosmetipsos mutemus. Si cupimus adhærere Christo, deseramus corruptibilia. Sunt autem corruptibilia in nobis, caro, delectatio, vox obnoxia passionibus corporalibus. Per vocem autem passiones intelligimus. Vnde quoniam anima διμερής est, hoc est bipertita, & rationabile habens & irrationabile, quod diuiditur per carnem, & delectationis corporalis illecebras, cæteràsque passiones corporis: qui iustus est vir, rationabile animæ suæ ab irrationabili seiungere debet ac segregare. Hoc est enim exire de Charra, tanquam de cauernis quibusdam & cuniculis latibulísque egredi. Latere enim criminosæ conscientiæ est. Et nos igitur sequẽtes Abrahã exeamus de latibulis. Si enim filij Abrahæ sumus, opera Abrahæ faciamus, vt luceant opera nostra bona coram deo, & coram hominibus. Iustus dicit opera sua regi, peccator seipsum occultat, sicut Adam se occultare cupiebat, sed latere non poterat. Paruit itaque mandato Abrahã, nec vlla legitur mora interuenisse: Egressus perambulauit vsque ad Sichem. Quod interpretatione Latina dicitur humerus vel ceruix: per quæ executionem præscripti operis intelligimus. Siquidem & infra habemus scriptum: Suppositum humerum suum ad laborandum. Vnde per figuram locorum id expressum aduertimus, quod ad deuotionem suam sanctus Abraham non solum studio, sed etiam efficacia probauerit fructuosa, qua ad querẽ vsque peruenerit. Quo loco apparuit illi dominus, & dixit: Semini tuo dabo terram hanc. Vide quomodo promisso frequenti tanquam inualidum adhuc informet atque instituat: & ipse memor sui, totum deo deputet, nihil sibi vindicet. Ideo & aram ædificauit deo, qui apparuit ei, & recessit inde in montem contra orientem Bethel, surgẽtem adhuc solem iustitiæ cupiens videre. Ideoque non in vallibus sed in monte taberna culum sibi locauit, quia deus mõtium est, & non vallium. Et inuocauit nomen domini. Vbi Bethel, id est, domus dei: ibi & ara. Vbi ara, ibi & inuocatio dei nostri. Meritóque processus tantos habuit, quia deum sperabat sibi auxilio fore. Exercetur athleta dei, & duratur aduersis, in desertum abiit, famem incidit, in Aegyptum descendit. Compererat in Aegypto lasciuiam esse, iuuenum luxuriam, petulantem cupiditatem, voluptatum intemperãtiam. Aduertebat inter huiusmodi viros intutam vxoris pudicitiam fore, sibique coniugis pulchritudinem periculo futuram: monuit vxorem vt sororem se diceret. Quo docetur non magnopere decorem quærendum coniugis, qui viro necem plerumque gignere soleat. Non enim tam pulchritudo mulieris quàm virtus eius & grauitas delectat virum. Qui suauitatem quẽrit coniugij, non tam superiorẽ censu ambiat, quã necessitates non terreant maritales, nõ monilibus ornatam, sed moribus. Offendit plerũq; virũ si se vxor nobiliorem nouerit. Hæc proxima superbiæ sunt. Sara non facultatibus ditior, non genere splendidior erat: ideo virum imparem non putabat, ideo quasi parem gratiam diligebat, ideo nõ censu est retenta, non parentibus, non propinquis, sed virum proprium quocunque pergeret sequebatur, externa adiit, sororem se eius asseruit, contenta si ita esset necesse, se periclitari pudore quàm virum salute. Vt tueretur maritum, mentita est germanitatem, ne insidiatores pudoris eius tanquam æmulum & vindicem vxoris necarent. Denique simul vt viderunt illam Aegyptij, admirati quòd speciosa esset valde, induxerunt illam ad regem suum, & cum Abraham bene egerunt, tanquam fratrem eius quæ placuisset regi honorantes. Afflixit autem dominus Pharaonem afflictionibus magnis & sæuissimis, & domum eius propter Sarã vxorem Abrahæ.) Magnum testimonium documentúmque castitatis. Intuendus locus ita hortatorius, vt vnusquisque se castum præbeat, alienum non affectet thorum, nec latẽdi spe, aut faciendi impunitate alienam vxorem incesset, non iniuria aut stultitia prouocetur mariti, aut longiore absentia. Adest præsul coniugij deus, quẽ nihil lateat, nullus euadat, nemo

Gene. 12.

al. præmia.

al. pbatur.

Genes. 12.

Philip. 3

Ioan. 8. Matth. 5. Psal. 44. Gene. 3.

Genes. 12.

Ibidem.

1. Reg. 22.

989

nemo irrideat, vicē absentis mariti tuetur, seruat excubias, imò sine excubiis deprehendit reum antequàm faciat quod parauerit: in animis singulorum, in mentibus vniuersorum crimen agnoscit. Et si maritum adulter fefelleris, non falles deum: & si maritum euaseris, & si iudicem fori luseris, non euades iudicem totius mundi. Ille grauius vlciscitur iniuriā inopis, contumeliam imprudētis mariti. Maior est enim iniuria in authorē custodem thalami spretum & non consideratum. Ipse quoq; Pharao, licet rex Aegyptiorum, quem & insolentia regalis potentiæ supinaret, & Aegypti lasciuia atque luxuries à studio castitatis abduceret, vocauit Abraham, & arguit eum dicēs. Quid hoc feciſti mihi? Quare non dixiſti mihi quia vxor tua est, sed dixiſti mihi quia soror tua est, & sumpseram eam mihi vxorem? & nunc ecce mulier tua ante te. Et si natura ferus ac barbarus, tamen significat etiam exteris ac barbaris moribus esse curam pudoris, & adulterij etiam sibi crimen cauendum. Qui prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum si barbarus ius nouit naturæ. muta animalia licet nullis constringantur legibus, sunt tamen aliqua quæ non solum paribus suis copulæ seruent fidem, verumetiam coitus vnius castitatem custodiant. Ita maior lex naturæ, quàm legum præscriptio est. Non mirum ergo si & iste Aegyptius rex deum timuit, qui hominem non timebat, & pœnam soluit adulterij qui nullis tenebatur reus legibus: statímque vbi alienam esse cognouit vxorem, non solum marito reddidit, verumetiam prosecutores dedit, qui deducerent eum, ne quis de populo barbaro irrogaret violentiam vel peculio viri, vel vxoris pudori. Pulcherrimus & hic locus ad incitandæ studium deuotionis, quòd is qui deum sequitur, tutus semper est. Et ideo deum præferre debemus omnibus, nec patriæ contuitu, nec parentum filiorúmque gratia, nec vxoris cōtemplatione reuocari debemus ab executione præceptorum cœlestium, quia deus nobis omnia illa largitur, & potens est seruare quæ donat. Itaque magnū exēplum deuotionis Abrahæ, quòd cum vxore speciosa descendit in Aegyptum. Erat quidem iusto viro cura coniugalis pudicitiæ, sed maius erat studium maturandæ deuotionis, ne prætulisse custodiam thori mandatis videretur cœlestibus. Itaque quoniam propter deū contempsit omnia, recepit à deo multiplicata omnia, sed primam deus pudicitiæ tribuit remunerationem, quam gratam sciebat coniugi. Nam quia studio obeundi cœlestis oraculi vxorem quoque in periculum deduxit pudoris, etiam castimoniam coniugij defendit.

Decæteris Abrahæ virtutibus, videlicet prudentia, iustitia, charitate, atque parsimonia. Et quemadmodum rixas inter seruulos suos ac nepotis eius exortas fibram discordiæ amputando sedauerit. Cap. III.

Rimas igitur partes sibi iusto ordine vindicauit deuotio. Videamus & cæterarum virtutum gratiam. Mulcebatur sanctus Abraham nepotis præsentia, cui patrium affectum exhibebat. Incidit rixa inter seruulos nepotis & patrui. Aduertit prudentior, seruulorum dissensionibus dominorum concordiā solui solere, amputauit fibram discordiæ, ne contagium serperet. Tolerabilius enim putauit vt copula sequestraretur, quàm gratia dirimeretur. Quod te facere oportet, si fortè huiusmodi aliquid incideris, vt seminarium dissensionis auferas. Neque enim tu fortior quàm Abraham. Ille declinanda censuit, non despicienda seruulorum iurgia. Et si tu fortior, caue ne alter infirmior qui aurem præbeat seruulorum susurris. Frequentur indiuisa seruitia inter parentes discordiam serūt. Diuide potius, vt maneat amicitia. Indiuisa domus duo non sustinet. Nonne melius est emigrare cum gratia, quàm cohabitare cum discordia? Ipsa quoque cuiusmodi esse debeat diuisio, patriarcha edocet. Firmior diuidat, īfirmior eligat, ne habeat quod conqueratur. Electionis enim suæ partem non poterit cassare. Non residet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi, nec diuisor grauatur. Nam quo prudentior, eo cautior, vt nec in diuisione circunscribatur, nec in electione fraudetur. Diuisit Abraham: quia non capiebat, inquit, illos terra habitare simul, quia nimium diuites erāt.) Seculare vitium, vt diuites terra non capiat. Nihil enim satis est diuitum cupiditati. Quanto ditior quis fuerit, tanto auidior ad possidendum est. Extendere agri terminos cupit, & vicinum excludere. Nunquid huiusmodi Abraham? Minimè, quamuis in principio & ipse imperfectior. Vnde enim perfectio ante aduentum Christi? Nondum venerat qui diceret? Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & dà pauperibus, & veni sequere me. Tamen vt minimè auarus electionem offert, vt iustus dissentionem amputat. Non sit, inquit, rixa inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos, quia omnes nos fratres sumus. Nōne ecce tota terra ante te est? Discede à me, si tu in dextram, ego in sinistram: vel si tu in sinistram, ego in dextram. Et leuauit oculos Loth, & elegit irrigua regionem, inquit, Iordanis, quia tota irrigabatur, & erat sicut paradisus dei.) Plerumque possessiones obueniunt hæreditariæ, aliæ vtiliores, aliæ amœniores. Nō vtique in portione secundæ sunt. Nam incipit minui singularum meritum. Sed si non queunt partes de vtilioribus conuenire, conferantur amœnæ vtilioribus. Diuersa hominum ingenia sunt. alios vtilia, alios amœna delectant. Infirmior amœniora eligit, vtiliora fastidit. Villicus nonnunquàm vtilis est, vel actor agri confertur vrbano. Si insipiens sit electior, aut cocum eligit, aut vocalem, quem venustiores gratiæ putat, refutat vtiliorem, Plerunque etiam vbi fructus impares sunt, prudentior amœniora declinat. Citò inuidiam mouent, citò in se excitant mentem auari. Hic tamen nihil dixit scriptura de eo quod alia pars vtilior, alia amœnior fuerit: ne studio Abraham cepisse oculos adolescentis videretur. Amœnam partem vnam descripsit, non addidit alteram vtiliorem. Necesse erat vt de tota regione duas partes faceret: deinde præsentia, non absentia diuidebat. Vna regio capere vtrumque non poterat. Quod potuit summæ esse iustitiæ, electionem obtulit. Loth amœnā elegit, quæ citò prædonum oculos incurrit. Hinc bellum inter reges, aduersariorum victoria, incolarum captiuitas. Itaque etiam Loth infirmioris consilij precium luit, non terrarum infœcunditate, sed amœnitatis inuidia deceptus, vt etiam ipse captiuus abduceretur, quoniam vitio seruilis nequitiæ à prudentiore deflexerat, & partem flagitiosorum elegerat. Sodoma enim luxuria atque lasciuia est. Ideóque declinatio, Latina interpretatione, dicitur Loth, quòd is vitia eligit, qui à virtute declinat, & ad iniquitatem deflectit. Quo comperto Abraham numerauit seruulos suos vernaculos, & cum trecentis decem & octo viris adeptus victoriam liberauit nepotem.) Probatur diuisionis affectus, quando sic amabat nepotem, vt pro eo nec belli declinaret periculum. Quid est numerauit? Hoc est elegit. Vnde illud non solum ad scientiam dei refertur, sed etiam ad gratiam iustorum, quod in euangelio dixit dominus Iesus, Et capilli vestri numerati sunt. Cognouit autem dominus qui sunt ipsius: eos autem qui non sunt ipsius, non dignatur cognoscere. Numerauit autem trecentos decem & octo, vt scias non quantitatem numeri, sed meritum electionis expressum. Eos enim ascisci quos dignos numero fidelium iudicauit, qui in domini nostri Iesu Christi passionem crederent. Trecentos enim τ Græca litera significat, decem & octo autem summam ιη, exprimit nomen fidei. Ergo * merito Abraham vicit, non populoso exercitu. Denique eos quibus quinque regum arma cesserunt, cum paucis egressus vernaculis triumphauit. Sed qui vincit, non debet arrogare sibi victoriam, sed deferre deo. Hoc Abraham docet, qui triumpho humilior factus est, non superbior. Sacrificium denique obtulit, decimas dedit: ideoque eum Melchisedech (qui interpretatione Latina dicitur rex iustitiæ, rex pacis) benedixit. Erat enim sacerdos summi dei. Quis est rex iustitiæ sacerdos dei, nisi cui dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, hoc est dei filius, sacerdos patris, qui sui corporis sacrificio patrem nostris repropitiauit delictis? Quantum autem illud quod de præda victoriæ nihil voluit cōtingere, nec oblatum sumere? Minuit enim fructum triumphi, mercedis susceptio, & beneficij arrodit gratiam. Plurimum enim refert vtrum pecuniæ an gloriæ dimicaueris. Alter mercenarij loco ducitur, alter dignus habetur conseruatoris gloria. Iu-

Genes. 12.

Genes. 13.

Genes. 14.

Matth. 19.

Lucæ. 12.

2. Timo. 2.

* al exprimit. Fidei ergo.

re sanctus de præda vsurpare aliquid vel oblatum recusat, ne dicat qui dedit, quia ego diuitem feci eum. hoc solum sibi satis esse testificatur, quòd pastui præliantium iuuenum profeciſſet. Dicet aliquis. Cũ ipse vicerit, quomodo dicit ad regem Sodomorum, Nihil sumam abs te: cum pręda vtique in potestate victoris fuerit? Docet militarem disciplinam, vt regi seruentur omnia. Sanè iis qui secum fuissent in adiumentum fortasse sociati, partem emolumenti tribuendam asserit, tanquam mercedem laboris. Ideoque quoniam sibi mercedem ab homine non quæsiuit, à deo accepit, sicut legimus scriptum. Quia post hæc factum est verbum domini ad Abraham in visu dicens? Noli timere Abraham, ego protegam te, merces tua multa erit valde.) Non est serus ad remunerandum dominus: & citò promittit, & multa largitur: ne infirmos animos per dilationem aliquã subeat pœnitẽtia contempsisse præsentia: & velut quadam vsuraria largitate compensat, vt vberiora restituat ei qui captus non fuerit oblatione præsentium. Ab ipso quoque domino mercedem quam postulet, consideremus. Non diuitias vt auarus exposcit, non longæuitatem vitæ istius vt meticulosus mortis, non potentiam, sed dignum quærit sui hæredem laboris.

Gene. 15.

Quid mihi, inquit, dabis? Ego autem dimittor sine filiis. Et infra. Quia mihi semen ait non dedisti, vernaculus meus mihi hæres erit. Discant ergo homines coniugia non spernere, nec sibi sociare impares, ne huiusmodi suscipiant liberos, quos hæredes habere non possint, vt vel transfundendæ hæreditatis contẽplatione, si nullo contuitu pudoris mouẽtur, digno studeant matrimonio. Sed si Abrahæ sentẽtia ad corrigendũ minus proficit, accipe oraculũ dei huiusmodi condemnantis hæreditatem. Non erit, inquit, hæres tuus hic, sed alter qui exierit de te, ille hæres tuus.) Quem dicit alterum? Peperit enim & Agar filium Ismahel: sed nõ ipsum dicit, sed dicit sanctum Isaac. Et ideo addidit:. Qui exierit de te. Ille enim verè exiuit ex Abraham, qui legitimo cõiugio procreatus est. Sed per Isaac legitimum filium, illum verum legitimum possumus intelligere dominum Iesum Christũ, quem in principio euangelij secundum Matthæum Abrahę filium legimus, qui verum se Abrahæ gessit hæredẽ, authoris illuminans successionem, per quem Abraham respexit in cœlũ, & splendorem posteritatis suæ agnouit non minus illustrẽ, quàm stellarum cœlestium fulget claritas. Sicut enim stella differt à stella in claritate, ita & resurrectio mortuorum, Apostolus dicit, eò quòd resurrectionis suę donans consortia, homines quos mors solebat terris abscondere, regni cœlestis fecit esse particeps. Quomodo autem Abrahæ propago diffusa est, nisi per hæreditatem fidei, per quam cœlo comparamur, conferimur angelis, æquamur stellis? Ideo ait. Sic erit semen tuum. Et credidit, inquit, Abraham deo. Quid credidit? Christum sibi per susceptionem corporis hæredem futurum. Vt scias quia hoc credidit, dominus ait. Abrahã diem meum vidit, & gauisus est. Ideo reputatum est illi ad iustitiam, quia rationem nõ quæsiuit, sed promptissima fide credidit. Bonum est vt rationem præueniat fides, ne tanquam ab homine, ita à domino deo rationem videamur exigere. Etenim quàm indignum vt humanis testimoniis de alio credamus, dei oraculis de se non credamus? Imitemur ergo Abraham, vt hæredes simus terræ per iustitiam fidei, per quam ille mundi hæres factus est.

Ibidem.

1. Corin. 15

Gene. 15.

Ioan 8.

De defensione immunitatis adulterij Abrahæ, qui ex ancilla filium susceperit. Et cur circuncisio mandata fuerit, & tamen hodie non obseruetur. Cap. IIII.

Sed fortasse dicat aliquis. Quomodo Abrahã nobis imitandũ proponis, cum de ancilla susceperit filiũ? Aut quid sibi vult hoc esse, vt tantus vir huic errori fuerit obnoxius, cuius tãta opera miramur? Et ideo ne quodam more nauigantium, locum hũc, quem plerique vadosum putant, declinasse videamur, rationem eius explanare cordi est. Non abnuo quòd Abrahã de ancilla susceperit filium, vt cognoscas quoniam non superioris cuiusdam naturæ ac substantiæ fuit Abrahã, sed vnus è numero & fragilitate vniuersorum hominum. Denique & de regione Chaldæorũ vocatus est, quos superstitioni vanę

Gene. 16.

A intentos esse magis quàm cæteros accepimus: & ideo maiorem inuenit gratiam apud deum, quia posterioribus renunciauit, ad priora se extendit, vt sequeretur deum. Propositus est enim ad imitandũ tibi, vt & tu aduertas quòd si peccatis renuncies, possis emereri domini misericordiam. Moueretamen aliquos potest quòd iam cum deo loquebatur, & ad ancillam introiuit, sicut scriptum est. Quia dixit Sara ad Abraham. Ecce conclusit me dominus vt nõ pariam: intra ergo ad ancillam meam, vt filium facias ex illa. Et ita factum est. Sed consideremus primum, quia Abraham ante legem Moysi, & ante Euangelium fuit, nondũ interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis est, quæ crimen inhibuit: nec ante legem vlla rei damnatio est, sed ex lege. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem præuenit. Deus in paradiso licet cõiugium laudauerit, non adulterium damnauerat. Non vult enim mortem peccatoris: & ideo quod præmij est, pollicetur: quod pœnæ, nõ exigit. Mauult enim mitibus prouocare, quàm seuerioribus

Ezech.

B terrere. Et tu peccasti cùm gentilis esses, habes excusationem: venisti ad ecclesiam, audisti legem, Non adulterabis: iam excusationem delicti non habes. Tamen quoniam cum his mihi sermo est, qui ad gratiam baptismatis nomen dederunt: si quis tantum crimen fecit, sciat sibi tribuendam veniã, sed quasi ei qui crimen commiserit: in reliquum tamen abstinendum nouerit. Denique illi adulteræ quam in euangelio obtulerunt Scribæ & Pharisæi, ignouit quidẽ dominus superiora, sed ait: Vade, & amodò vide ne pecces. Quod cũ illi dicit, tibi dicit. Fecisti gentilis adulterium, fecisti catechumenus: ignoscitur tibi, remittitur tibi per baptismum. Vade, & post hæc vide ne pecces. Habes vnam Abrahæ defensionem. Secunda illa est quod non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formę captus decore, ancillæ contubernio coniugalem posthabuit thorum, sed studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis. Adhuc post diluuium raritas erat generis humani: erat etiam religionis, ne quis non reddidisse debitũ videretur naturæ. Denique & Loth sancti filiæ hanc causſam quærendæ posteritatis habuerũt, ne genus deficeret humanum: & ideo publici muneris gratia priuatam culpam prætexuit. Nec otiosum est quod vxor author facti inducitur, vt excusetur maritus, ne vago raptus errore credatur. Simul vt discant mulieres diligere uiros, nec agitari vana suspicione pellicatus, aut inuidere priuignis, si ipsæ liberos non susceperint. Vxori bonæ cordi erat excusare apud virum sterilitatem suam: & ne causa esset viro quod liberos non haberet, suasit vt intraret ad ancillam. Hoc fecit Lya, hoc Rachel postea. Discat mulier zelum deponere, qui sæpe mulieres in furorem incitat. Sed & vos moneo viri, maximè qui ad gratiam domini tenditis, non commiscere adulterino corpori. Qui enim se iungit meretrici, vnum corpus est: nec dare hãc occasionem diuortij mulieribus. Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab vxore debetur castimonia. Quicquid in eã, quæ non sit legitima vxor, commissum fuerit, adulterij damnatur crimine. Ergo aduertistis quid debeatis cauere, ne quis sacramentis se indignum præbeat. Accipite etiam aliud, quia huiusmodi intemperãtia soluit charitatem coniugij, superbas ancillas facit, iracũdas matronas, discordes coniuges, concubinas procaces, inuerecundos maritos. Simul vt ex domino conceperit ancilla, spernit dominam suam, tanquam ditior partu. Domina se despici dolet, maritum authorem iniuriarum suarum arguit. Denique Sara ipsa marito ancillæ suæ potestatem dederat, & postea dicit ad eum. Iniuriam accipio ego ex te. Dedi ancillam meam in sinum tuum: vbi autem vidit conceptum esse, spreta sum, inquit, coram ab ea. Iudicet deus inter me & te. Quantus dolor, quàm grauis querela sit fœminarum, lectione exponitur. Da improuidum & leuem maritum qui morigerari nesciat, & diuortij causſas exhibet. Sed Abraham vir moderatus & prudens. Ecce, inquit, ancilla tua in manibus tuis, vtere ea quomodo tibi placuerit.) Maluit enim vxorem tenere, quàm famulam. Nec hoc tamen plenum remedium. Accepit potestatem irata vxor, & immò

C

D

1. Cor. 6

Gene. 16.

Ibidem.

993

& immoderatius vltione permissa vtitur. Quod si Sara moderationem non tenuit, quæ tenebit? Ideoque scriptum est: Et afflixit eam Sara, & fugit à facie eius. Duo sunt quæ cõprehendit scriptura, vt & dominæ grauem indignationem exprimeret, & ancillæ tumorem ac superbiam. Quod afflixit eam Sara, ad iracundiam affligentis refertur. Quòd Agar fugit, contumeliam seruili patientia non ferebat, quæ tibi herilis contubernij vindicabat fastigium: indignata est iniuriam, quæ inuerat insolentiam. Denique interrogãti angelo quo iret, respondit. A facie Saræ dominæ meæ ego fugio. Et hoc tumoris immodici, vt prius nomen diceret, postea dominam significaret. Illud ad iniuriam præmissum, hoc ad expressionem personæ additum. Non placuit angelo ancillæ insolentia. Et ideo dixit illi. Reuertere ad dominã tuam. Vtique non latuisset angelum, si vi suppliciorum victa fugisset, & magis reprehendisset verberantis sæuitiã, quàm fugientis discessionem. Sed vt ostenderet quia tanquàm superba fugiebat ne subiecta esset dominæ, addidit: Et humiliare sub manibus eius. Opto igitur vt hoc vitium nullus incidat: sed si quis inciderit, discat ancillam suam humiliare vxori suæ, ne dum vult ancillam vindicare, excludat vxorem. Ergo Abraham & vnus de populo erat gentili, & causa posteritatis introierat ad ancillam, quia vxor eius sterilitatem suam obumbrare cupiẽs, author eius facti fuerat viro: & tamen non oeiosum est, quod post hoc deus statim, quia alia eius opera probaret, pro huius facti pœnitentia dixit illi. Ego sum deus tuus, emerere in conspectu meo, & esto sine querela. Quasi adhuc plenè nõ emeruisset, qui desperaret sterilis partum vxoris, & de ancilla posteritatem quæreret. Esto, inquit, sine querela, hoc est irreprehensibilis, vt de te vxor non queratur, nec quisquam tua facta reprehendat. Mutat enim nomẽ litera addita, vt Abram vocaretur Abraham, hoc est de patre vano, sicut habet Latina interpretatio, vocaretur pater sublimis, pater electus: vel de patre fieret & pater filij. Vanus erat cùm deum nesciret: electus factus est postquam cognouit deum. Pater erat cùm de ancilla prolem haberet: sed pater filij non erat, quia non erat ei filius, qui non erat legitimo susceptus coniugio. Peperit Sara, & factus est pater filij: circuncidi iubetur, accepturus veri seminis hæreditatem. Nonne euidenter circuncisio carnis præceptum est castimoniæ, vt aliquis resecet libidinem carnis, & indomitas luxu ac lasciuia refrænet cupiditates? Etenim circuncisionis vocabulo id præscribitur, vt omnis impuritatis fœtor abstergatur, & incentiuum libidinis auferatur. Duabus vsi sumus defensionibus. Tertia quoque est, quam nobis apostoli Pauli tribuit authoritas, qui ait. Illa quæ gessit Abraham, vt de ancilla susciperet sobolem, in figuram facta sunt, & secundum allegoriã dicta. Allegoria est cùm aliud geritur, & aliud figuratur, sicut etiã ipse Apostolus docet dicens. Sub lege volentes esse, legem non legistis? Scriptum est enim. Quoniam Abraham duos filios habuerit, vnum de ancilla, & vnũ de libera: sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem. Quæ sunt per allegoriam dicta. Nam hæ sunt duo testamenta, vnum quidem à monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar. Duos populos ostendens de Abrahæ generatione manare, vnũ Iudæorum: qui legis syllabis seruiat, eò quòd de ancilla in seruitutem videatur esse generatus: alterum Christianum, qui ad remissionem peccatorum cœlestis gratiæ libertatem accepe-
rit. Quod ergo putas esse peccatum, aduertis esse mysterium, quo ea quæ in posterioribus erant futura temporibus, reuelabantur. Denique addidit. Vos autem fratres secundum Isaac promissionis filij estis. Ideo, inquit, nolite quærere opera legis, quoniam non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Et vt scias quia Christianis dixit. Et nos, inquit, in Christum Iesum credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi, & nõ ex operibus legis. Agnoscamus ergo quoniam hæc quæ in figuram contingebant, illis crimini non erant: nobis autem erunt si ad correptionem nostram scripta cauere nolimus, sed magis id agamus, vt cùm simus liberæ filij, quæ est Sara, legis laqueis seruiamus: cùm Abraham liberam tenuerit, ancillam

Gene.16. Ibidem. Galat. Gene.17. Gala.4. Gala.4. Gala.4. Roma.7.

A

B

C

D

eiecerit. Quo loci plerosque moueri scio. Si enim bona est circuncisio, hodiéque teneri debuit: si inutile, mandari non debuit, præsertim diuino oraculo. Sed cùm Apostolus dixerit Paulus: Quia Abraham signum accepit circuncisionis: vtique signum non ipsa res, sed alterius rei est: hoc est non veritas, sed indicium veritatis. Denique ipse expositit & expressit dicens: Signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ & fidei. Vnde non incongruè intelligimus, quia circuncisio corporalis, signum circuncisionis est spiritalis. Ergo signum mansit, donec veniret veritas. Aduenit dominus Iesus, qui ait: Ego sum via, veritas, & vita. Qui non partem exiguam corporis in signo, sed totum circuncidit hominem in veritate: signum destruxit: veritatem induxit. quia postea quàm venit quod perfectum est, quod ex parte erat, euacuatum est: & ideo cessauit circuncisio partis, vbi refulsit circuncisio vniuersitatis. Iam enim non ex parte, sed totus homo saluatur, in corpore scilicet & anima. Scriptum est enim: Qui vult post me venire, abneget se ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hæc est perfectio circuncisionis, quia per corporis oblationem redimitur anima, de qua ipse dominus ait: Quoniam qui perdiderit animam suã propter me, inueniet eam. Superest illã nunc quæstionis portio, vtrum debuerit pars præmitti, cùm esset vẽtura perfectio? Qui locus est facilis ad diluendum vel ad discernendum, si consideremus quibus pars mandata sit, quibus seruata perfectio. Pars enim mandata est secundum legem populo Iudæorum, illi dura ceruice, illi infirmo, illi qui deum suum non cognouit. Cùm ergo partem non potuerit sustinere, quomodo perfectionem seruare potuisset? Vt si puerulum literis imbuas, à singulis literarum elementis inchoandum est tibi, vt à singulis apicibus ad syllabas, à syllabis eũ per ordinem ad nomina orationémq; deducas. Nec potest mare quisquam nauigare intrepidus, nisi qui ante in fluminibus nauigauerit. Denique si quid aut conficiendi itineris, aut leuandi oneris puero velis prouectioriquè mãdare, nunquid æquanda onera sunt, aut conferendus labor? ita igitur noueris his perfectionem circuncisionis esse seruatam, qui à Christo instituti validioribus idonei viderentur, vt & fideles probarentur: quorum multitudo innumera crucem suam tolleret, quæ pro Christo animam deuoueret: & increduli non possent resistere, qui in totius corporis immolatione quæri salutẽ putarent, qui exiguum circuncisionis sue sanguinem salutarem arbitrarentur. Considerandum autem quòd in præputio positum vocauit deus, in præputio adhuc manenti legitimi filij promissa est hæreditas, vt non Iudæorum tantũmodo patrem, vt ipsi asserunt, sed omniũ credentium authorem per fidem credas. Sara quoque ante circuncisionẽ viri in vnius literæ adiectione nõ mediocri remuneratione benedicitur, vt principatum virtutis & gratię haberet, de qua nationes & reges Gentiũ spondet futuros, vt in ipsa typus non Synagogę, sed ecclesię constitueretur. Quod aũt promisso ex ea filio risit Abrahã, non incredulitatis, sed exultationis indicium fuit. Denique procidit in faciẽ: qui adorauit & credidit: & adiecit. Simihi centũ annorũ nascetur filius, & si Sara nonaginta annorũ pariet? Et dicit: Ismahel hic viuat in conspectu tuo.) Non est incredulus in promissis, nec auarus in votis. Hoc est. Non dubito quod facias vt & centũ annorũ seni dones filium, & naturę author naturæ metas relaxes. Beatus cui ista donantur, sed tamen etiam hic Ismahel, quẽ habeo de vernacula, viuat in cõspectu tuo, abundat mihi gratia. Deniq; dominus & probauit eius affectum, & petitionem non abnuit, & sua promissa firmauit.

Roma 4. Ioan.14. 1.Corin.13. Lucæ.9. Ibidem. Gene.27.

De hospitalitate Abrahæ, hospitum explorantis aduentum, & angelos hospitio suscipientis, cum diligenti exhortatione ad hospitalitatis illius imitationem.

Cap. V.

DIximus de Abrahę deuotione ac fide, prudẽtia, iustitiã, charitate, parsimonia: nunc etiã de hospitalitate dicam⁹. Est enim nõ mediocris ea virt⁹. Vnde & Apostolus principaliter eã in episcopo esse oportere geminę scriptionis docuit authoritate, vt prę sto sit aduenięntib⁹, & occurrat obuiã, & itinera exploret, & assit nõ

1.Timo.3, ad Titũ 1.

quærentibus,& rapiat prætergredientes. Ante oſtium ſedebat Abraham,ſedebat meridie. Quando alij requieſcebant, iſte hoſpitum explorabat aduentus. Meritò illi deus apparuit ad quercum Mambræ, quia fructum hoſpitalitatis ſtudioſiſſimè requirebat. Et reſpiciens,inquit,oculis vidit, & ecce tres viri ſtabant ſupra illum. Et cùm vidiſſet illos, cucurrit obuiam illis. Vide primo fidei myſterium. Deus illi apparuit,&tres aſpexit.Cui deus reſulget Trinitatẽ videt nõ ſine filiopatrem ſuſcipit,nec ſine ſpiritu ſancto filium confitetur.Hæc alibi plenius. Nunc moralis proſequendi propoſitum eſt loci.Non ocioſus ſedet,qui longè aſpicit:nec aſpexiſſe contentus,cucurrit obuiã.Feſtinauit occurrere,quia non ſatis eſt rectè facere,niſi etiam matures quod facias.Feſtinanter enim mãducare paſcha lex iubet. Vberiores enim fructus habet celerata deuotio. Diſce ergo quàm impiger eſſe debeas, vt poſſis præuenire hoſpitẽ,ne quis præueniat, & te boni muneris defraudet. Copia bona eſt hoſpitalitas, habet mercedem ſuam,primũ humanę gratiæ,deinde(quod maius eſt) remunerationis diuinæ. Omnes in hoc incolatu hoſpites ſumus.Ad tempus enim habitandi habemus hoſpitium.Emigremus properè,caueamus ne ſi nos duri aut negligentes fuerimus in recipiendis hoſpitibus,etiam nobis poſt vitæ iſtius curſum ſanctorum hoſpitia denegentur. Vnde in Euangelio Saluator dicit. Facite vobis amicos de iniqua mãmona,qui vos recipiant in æterna tabernacula ſua.Deinde etiam in hoc corpore ſitis plerumque oboritur peregrinãdi neceſſitas.Quod ergo aliis negaueris,id in te ipſe decernis:& quod aliis detuleris,eo te facis dignum videri.Si omnes eam ſententiam non ſuſcipiendi hoſpites ſequantur,vbi erit requies peregrinantibus?Relictis igitur humanis habitaculis,captabimus receſſus ferarum,cubilia beſtiarum.Sed pauperiem prætẽdis.Non opes à te hoſpes requirit,ſed gratiam:non ornatum conuiuium,ſed cibum obuium. Melior eſt, inquit, hoſpitalitas cum oleribus ad amicitiam & gratiam, quàm ſi vitulos occidas ad præſepia cum inimicitiis. Hæc eſt grata hominibus,& accepta Deo. Vnde dominus Ieſus in euangelio eum quicunque dederit hoſpiti potum aquæ frigidæ, cœleſtium aſſerit præmiorum non exortem futurum. Denique Iacob oues adaquauit Rachel, & gratiam reperit, vxorem acquiſiuit. Deinde qui ſcis an deum ſuſcipias,cùm hoſpitem putas. Abraham dum peregrinantibus defert hoſpitium, deum atque angelos eius hoſpitio ſuſcepit:quanuis & cùm hoſpitem ſuſcipis, ſuſcipias deum. Sic enim ſcriptum in Euangelio legis, dicente domino Ieſu:Hoſpes eram, & collegiſtis me, quod enim vni horum minimorum feciſſis,mihi feciſtis . Vnius horæ hoſpitio vidua illa quæ ſuſcepit Heliam , & exiguo cibo, perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum,& mercedem accepit mirabilem, vt nunquam de hydria farina deficeret. Heliſæus quoque defuncti pignoris reſuſcitatione donata reſoluit hoſpitij penſionem . Non ſola tamen facilitas ſuſceptionis,ſed etiam ſedulitas ſuſcipientis & affectus quæritur. Vtrunque te Abraham docet . Cucurrit obuiam , rogauit prior, dicens: Domine,ſi inueni gratiam ante te, ne præterieris ſeruum tuum. Sumatur aqua , & lauentur pedes veſtri, & reſtigerate ſub arbore , & ſumam panem , & manducate, & poſtea tranſietis . Propter quod declinaſtis ad ſeruum veſtrum. Tres videt, & vnum deum appellat, ipſius ſolius ſe ſeruum fatetur.Deinde cõuerſus ad duos,quos miniſtros arbitrabatur,etiam ipſis deferre geſtit obſequium iam non iure debito ſeruitutis aſtrictus, ſed blando ſedulitatis nomine vſuque famulatus. Et feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram , & dixit ei: Feſtina , & conſperge tres menſuras ſimilaginis ,& fac ſubcinericia . Bonus maritus exortem religioſi muneris eſſe non patitur vxorem, nec auare ſibi totum munus vſurpat. Rectè igitur& pietatis & verecundiæ cauſa ſeruatur. Quod pietatis eſt, vult eſſe commune:quod pudoris eſt, integrum manet Saræ.Ante tabernaculum vir hoſpitum explorat aduentus:intra tabernaculum Sara tuetur fœminæ verecundiam, & opera muliebria tuto exercet pudore. Foris maritus inuitat, intus Sara conuiuium adornat. Nec ſolum ipſe feſtinat Abraham, ſed etiam feſtinandũ dicit vxori , ſociã deuotionis oſtendens,nec fide diſparẽ. Conſperge,inquit,tres menſuras ſimilaginis,& fac ſubcinericia. Græcè ἐγκρυφίας dicitur, hoc eſt abſcondita, eò quòd latere debeat omne myſterium, & quaſi operiri fidei ſilentio,ne prophanis temere diuulgetur auribus. Hoc paſcitur diuina maieſtas , hunc epulatur affectum,qui parcus loquẽndi ſit, nec ſacra in medium ferat. Breuiter autem myſterium docet Sara vnius ſimilaginis tres menſuras faciens,quæ typum eccleſiæ habet,cui dicitur. Lætare ſterilis,quæ non paris: erumpe & clama, quæ parturis.Hæc enim quæ intimo fidem ſpiritu fouet eiuſdem diuinitatis aſſerens trinitatem, pari quadam menſura atque reuerentia patrem,filiúmque,& ſanctum adorans ſpiritum & maieſtatis vnitate concelebrans , perſonarúmque proprietate diſtinguens, hac deuotionem tuam fidei aſſertione conſpergit.Mulier ſimilaginem offert, hoc eſt interiora ſpiritalis frumenti vel grani illius de quo dictum eſt : quod niſi in terram ceciderit, nullum fructum affert . Vnde & prima vidit dominicæ reſurrectionis myſterium, & feſtinauit non paſſim omnibus, ſed ſoliș Petro & Ioanni intimare ſacræ ſalutis nuncium.Vir currat ad boues,ſumat vitulum,& ſacramentum dominicæ paſſionis feſtinato impiger ſtudio, non lento ocio remiſſus accipiat,tradat illud puero, qui innocentiam teneræ ſeruet ætatis,dolum neſciat,referre non nouerit,incorrupti corporis caſtimoniam cuſtodiat.De quo puero ait dominus Ieſus.Niſi conuerſi fueritis,& efficiami ni ſicut puer iſte,non intrabitis in regnum cœlorum. Huic puero & ſimilibus eius etiam ſanctus Dauid diuinæ laudationis diſpenſat officium, dicens:Laudate pueri dominum. Nec illud ocioſum,quod cucurrit ad boues, tenerum vitulum & bonum ſumpſit,& cum lacte appoſuit. Denique & in Exodo cum paſcha domini declararet,ait Moyſes. Agnus ſine macula mundus, conſummatus anniculus, maſculus erit vobis ab ouibus & hœdis. Sumetis & occidetis,inquit, illum tota multitudo Synagogæ ad veſperum. Vnde & hic meridies eſſe deſcribitur quando Abraham domino offert hoſpitium.Sed ad cœnam vitulus immolatur, & cum lacte manducatur,hoc eſt non in ſanguine, ſed cùm fidei puritate. Bonus vitulus , vtpote qui peccata dilueret. Tener, quia non dura ceruice,ſed molli iugum legis agnouit, crucis patibulum non recuſauit.Et meritò tener,de cuius capite & pedibus & inteſtinis nihil relictum eſt,& os non eſt contritum ab eo,ſed totus epulantium cibo ceſſit. Talem nobis legis figurauit vmbra, talẽ veritas euangelij demonſtrauit. Manducauerunt,inquit, illi:Abraham autem ſtabat ſub arbore.) Aduertimus humilitatis officium cõmendare humilitatem. Abraham ſtabat,& tu primam accubitionis partem occupas?Denique ea humilitas inuenit gratiam, vt promitteretur ei filius. Dixit autem ad illum. Vbi eſt Sara vxor tua?Qui reſpondit & dixit.Ecce in tabernaculo) Nunquid ignorabat dominus,qui in poſterioribus Sodomorum futura excidia denunciat,vbi Sara eſſet?Sed docere nos voluit quantus pudor eſſe debeat fœminarum, ne procaci occurſu hoſpitum in ſe oculos inflectant,ſalua verecundia miniſterium ſuum exerceant. Abraham quoque auribus tuis ingerit in tabernaculo Saram degere,vt diſcas quid ab vxore exigas.Prouectior ætate iam Sara iuuenilem cuſtodit verecundiam,ideo dominus ſpopondit ei filium. Defecerant, inquit,Saræ fieri muliebria. Non ocioſè additum,ne putares fœmineæ adhuc poſſibilitatis fuiſſe vt pareret.Riſit autem Sara.Quod indicium futuri magis,quam incredulitatis arbitror.Riſit enim,licet adhuc neſciens quid rideret,quod publicam eſſet in Iſaac paritura lætitiam.Ideo negauit ſeriſiſſe,quia ignorauit:ideo riſit,quia prophetauit.

Gene. 18. Exod. 12. Luc. 19. Prouer. 15. Matth. 10. Gene. 29. Matth. 25. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. Gene. 18. Ibidem.

De exitio Sodomorum à domino Abrahæ reuelato,& de hoſpitalitate Loth aduenientibus angelis exhibita, criminiſque Sodomorum ob hoſpitalitatis violationem aggrauatione. Caput VI.

EXurgentes autem viri, conſpexerunt in faciem Sodomæ & Gomorræ.) Sicut viſitatio domini timentibus exhibetur, ita etiam impijs pœna peccati reponitur. Abraham deducebat hoſpites

res, ad humanitatis gratiam addebat obsequia. Sobdomitæ A
pro pietatis officiis impuritatis augebāt flagitia. Nō celo, in
quit, Abrahæ puero meo quæ ego facio. Senilis vtiq; ætatis
Abraham superius scriptura significauit, quia nonaginta &
nouem processisset annos: quomodo nūc puerum dicit? Sed
cum immemorē senectutis, exploratorem indefessum, cur-
sū impigrū, standi patientissimū, deducendi studiosissimum
expresserit, nónne conuenire nomen pueri videtur? Offi-
ciis meritò puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium, pue-
ritiæ innocentiam & obsequium deferebat. Datur itaq; iu-
sto benedictionis gratia, & posteritatis hæreditas. Offensa
autem peccatorū exponitur. Clamor, inquit, Sodomorum
& Gomorræ impletus est. Magna domini patientia, vt non
statim peccatorem puniat, sed diu differat, expectans cor-
rectionem: nec commoueatur ad vlciscendum, nisi pec-
cator mensuram excedat. Vnde & dominus Iesus in Euan-
gelio ad Iudæos ait. Implete mensuram patrum vestro-
rum. Descendam itaque, vt videam secundum clamorem
illorum venientem ad me, si consummabuntur: sin autem, B
vt sciam. Non ignorabat deus peccata Sodomorum, sed
propter te instruendum verba huiusmodi loquebatur, vt
tu proprius scruteris eorum commissa, in quos vindican-
dum arbitraris. Descendam, inquit, vt videam: hoc est,
etiam tu descende cura, descende indaginis studio, ne quid
sit quod fallat aut lateat absentem, vt oculis facinus depre-
hendas. Eminus positi multa nescire possunt. Quem clamo-
rem autem ait, nisi fortè quia ei quem nihil latet, clamāt om
nia, clamare videntur singulorum crimina? Deniq; ad Cain
dicitur. Sanguis fratris tui ad me clamat, hoc est non latet,
sed clamat parricidium tuum. Itaque velut excitatur deus
flagitiorum nostrorum clamoribus, vt aliquando vindicet,
qui libenter ignoscit. Deniq; Abrahæ petenti ne simul per-
deret iustos tanquā iniquos, & interroganti. Si fuerint quin-
quaginta iusti in ciuitate, perdes illos? respōdit. Non perdā,
inquit ciuitatē, si fuerint in ea quinquaginta iusti, & totum
locum seruabo. Et sic per ordinem interrogationum, & re-
sponsionum vicem, etiam si decem iustos inuenerit in ciui-
tate, tamen propter paucorū iustitiam, impunitatē toto po-
pulo promittit. Vnde discimus quantus murus sit patriæ vir
iustus, quemadmodum non debeamus inuidere sanctis, nec
temerè derogare. Illorum etenim nos fides seruat, illorū iu-
stitia ab excidio defendit. Sodoma quoq; si habuisset viros
decem iustos, potuit non perire. Quid sibi autem vult quòd
ipsi qui ad Abraham simul cū domino venerant, Sodomam
petierunt viri, nisi vt aceruaretur crimen eorum, si quos iu-
stus honorauerat, his maiore sacrilegio impij vim conaren-
tur inferre? Nam quod viros dixit, euidēs est ratio, quia spe-
ciem præferebant virorum. Sodomā venerunt vesperi, me-
ridie ad Abraham, quia iusto refulget angelorum, præsentia,
impiis tenebras affert. Tamen potest referri etiam ad tem-
pus dominicæ passionis, quod vesperi venerunt ad eum qui
à Sodomitanis contagionibus & totius vrbis excidio erat li-
berandus. Vesper erat antequam Christus veniret: quia to-
tus erat mundus in tenebris. Vesper erat omnibus, quos im-
manium delictorum squalor tenebrosus vrgebat. Venit do-
minus Iesus, redemit sanguine suo mundum, lucem attulit. D
Venerunt autem angeli duo Sodomis ad vesperā. Vbi gra-
tia largienda est, Christus adest: vbi exercenda seueritas, so-
li assunt ministri, deest Iesus. Sedebat Loth ad portā. Emē-
dauerant Loth sanctum aduersa captiuitatis, & solicitiorem
fecerant. Itaque processu ætatis didicerat imitari parentem.
Ad portam itaque sedebat, vt exciperet aduenientes. Deni-
que exurrexit obuiam illis. Perfectior cucurrit obuiam, iste
exurrexit, & adorauit in faciem super terram, & dixit: Ecce
domini, declinate in domum pueri vestri. Et coegit illos di-
uertere. Qui dicebant: In platea manebimus. Commēdatur
hic iusti sanctitas, & angelorum gratia. Illi nolebant aduen-
tum suum hospiti grauiorem videri: ille quidem inter quos
habitaret, sciebat, tamen domum suam offerebat periculis,
quibus auferret hospites. Certè quo tardius acquiescebant,
diutius tentando plenius comprobabant. Viri autē ciuita-
tis Sodomorum circundederunt domum ab infante vsq; ad
senē, totus populus pariter.) Præstruitur iudicij diuini æqui-

tas, ne fortè quis diceret: Quid peccauerūt pueri, vt omnes
excidio inuoluerentur? Ita nullus illic iustus, nullus innocēs
fuit. Audi scripturam testificantem. Quia circundederunt
domum ab infante vsque ad senem, totus populus pariter.
Nulla ætas erat culpæ immunis, ideo nullus immunis exitij
fuit. Et qui possibiliratem perpetrandi criminis non habuit,
habuit affectum. Effœtæ vires senum, sed mens plena libidi-
nis. Offerebat sanctus Loth filiarum pudorem. Nam etsi illa Ibidem.
quoque flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat, secundū
naturam coire, quàm aduersum naturam delinquere. Præfe-
rebat domus suæ verecundiæ hospitalem gratiam, etiā apud
barbaras gētes inuiolabilem: Denique illic quoque inoffen-
sa hospitalitas est, vbi nec germanitas satis tuta est. Percussē-
runt autem illos angeli cæcitate, vt ostiū domus quod ape-
rire cupiebant, non reperirent. Hic quidem mirabilis ange-
lorum declaratur potestas, vt obfusa impuris cæcitate, non
reperirentur domus ostia. Sed etiam illud ostenditur, quia
cæca est omnis libido, & ante se non videt. Simul quod ho-
spitum manibus reuocatus est sanctus Loth in domum, de-
monstratur immemor periculi, memor fidei, non eripuisse
se periculo, sed obtulisse. Munitur pietatis locus, quod ma- Genes. 19.
nifestata sibi per angelos totius regionis euersione, & gene-
ros habere Loth sanctus inducitur, & monere eos vt fugē-
rent: simul ne deserendo eos, nec admonēdo, minus pius vi-
deretur circa filiarum maritos, vel erroris earum causa ipsi
āssignaretur, quæ destitutæ virili consortio, concubitum in-
ebriati expetissent patris. Non ergo indefensum sinit scri-
ptura virum sanctum relinqui, cùm in ea & tradidisse mari-
tis filias, & monuisse generos inducitur. Sed visum est illis
quod derideret eos, & tamē adhuc morabatur Loth, vt per-
suaderet generis suis: & penè non est profectus vt euade-
ret, nisi vrgentibus angelis, & tenētibus manus eius, egredi
coactus esset. Nō ergo profectus, sed eductus est, & manda-
tum accepit ne respiceret retro, nec resisteret in tota regio-
ne illa, sed in montem ascenderet. Hoc cùm illi dicitur, om-
nibus dicitur. Si vis ergo & tu euadere, ne respicias retro, sed
C antè. Aspice vbi Christus est, qui dicat tibi: Vade retro: sicut
Petro dicit, Vade retro me. vt Christum sequeretur, Chri- Matth. 16.
stū videret. Retro Sodoma est plena flagitij, retro Gomor-
ra vitiis scatēs, criminum regio. Ne tetigeritis, inquit Apo- Coloss. 2.
stolus, ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quæ sunt omnia
ad corruptelam. Fuge ergo Sodomam, relinque ocyus: defe-
re elemēta huius mundi, ne te imminētia inuoluant pericu-
la, non resistas fugiens, nec in tota vitiorum regione remo-
reris. Qui non respexit, euasit: quæ respexit, non potuit eua-
dere. Excusantur autem filiæ sancti Loth, quia putauerunt
non vicinæ regionis, sed totius orbis fuisse illud excidium,
se solas cum patre superstites omnibus populis remansisse.
Et ideo, nè genus deficeret humanum, paternum petisse cō-
cubitum, vt semen generationis humanę de patre suo resu-
scitarent. Non ergo libidinis vitium fuit, sed generationis
remedium, quod non puto criminis duci loco. Nam & Eua Gene. 2.
à viro sumpta, supra cuius costam ædificata est mulier, os
de ossibus eius, & caro de carne eius, tamen propter seriem
successionis humanæ viro mixta est. Subducitur tamen huic
admisso conscientia viri iusti. Inebriatus enim vino, quid
gereret, nesciebat. Vnde non mirum si puellas decepit opi-
nio, quæ putarent totius populos orbis periisse. Non eadem
esset Loth sancti excusatio, qui audierat ab angelis locum il-
lum, non totum mundum esse periturum. Sanè discimus vi-
tādam ebrietatem, per quam crimina cauere nō possumus.
Nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes com-
mittimus. Parum est quòd ea inflammat libidinem, accēdit
cupiditates corporis: ipsam quoque mentem subruit, & ani-
mum capit, sensum extorquet. Nesciunt quid loquātur, qui
nimio vino indulgent, iacent sepulti. Ideoque si qua per vi-
num deliquerint, apud sapiētes iudices venia quidem facta
donantur, sed leuitatis notātur authores. Quanta ipsa defor-
mitas, vt soluātur vires, incessus vacillet? Multi se fortes pu-
tant: nū fortiores quā Loth? num continentiores quā Noe?
Non vtique vitia patriarcharum scriptura exposuit, quos vi-
ctos vino legimus: sed vt tu disceres quid caueres. Ille nud?
iacuit, iste filiarū errori patuit. Et Noe iustus deceptus est,

quia vini vis adhuc ignorabatur: sed in illo instructus es, ne tu ignorares. Loth filiabus se credidit, & per senectutē madidam vino solutus, commisit incestum ignorans. tu sic bibe, ne capiaris. Instruant Patriarchæ non solum docentes, sed etiam errantes. Ideo iteratum est exemplum ebrietatis, vt confirmetur magisterium cautionis.

De pudicitia Saræ vxoris Abrahæ sæpius tentata, & tandem à deo pulchra donata prole. Caput VII.

Gene.20. DEniq; ideo tentatur Saræ pudicitia, vt exigatur omniū. Nam & Abimelech in vxorē sibi eā sumpserat, & dixit ei in nocte deus. Ecce tu morieris propter mulierē. Aduertimus adulteriū diuino iudicio morte puniri. Ideoq; addidit. Hæc aūt commoratur cū viro. Habent quidem omnes viri mulierísque concubitus nulla legitimi matrimonij sorte celebrati suā culpam. Discite etiā qui ad gratiā baptismatis tenditis, velut quidā fidei candidati, continētiæ disciplinam sobriā. Nulli licet scire mulierē præter vxorem. Ideo coniugij tibi datū est ius, ne in laqueū incidas, & cū aliena B
1.Corin.7. Marci.6. muliere delinquas. Iunctus es vxori, noli quærere solutionem, quia nō licet tibi vxore viuente vxorem ducere: nam & aliam quærere, cùm habeas tuam, crimē est adulterij: hoc grauius, quod putas peccato tuo authoritatem lege quærēdam. Tolerabilior est si lateat culpa, quàm si culpæ vsurpetur authoritas. Nec hoc solum est adulteriū: cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem cōiugij, tamen locus iste docet grauius crimen esse, vbi celebrati coniugij iura temerātur, & vxorius pudor soluitur. Ideoque cùm prætenderet Abimelech quòd vxorem alienam esse ignorauerit, quam sororem esse vir ipse suam dixerit, respondit ei dominus. Ecce ego cognoui quoniam puro
Gene.20. corde feci hoc, & peperci tibi, vt nō peccares in me: propter hoc non sum passus te tangere eam. Cognoscimus velut præsulem custodémque coniugij esse deum, qui non patiatur alienum thorum pollui. Et si qui fecerit peccare eum in deum, cuius legem violet, gratiam soluat. Et ideo quia in C
deū peccat, sacramenti cœlestis amittit consortium. Fortasse te moueat qua ratione Pharao quæstionibus ab omnipotente deo grauiter afflictus sit, vt supra legimus, cùm & ipse ignorauerit vxorem esse Abrahæ Saram, quam sororem audierat: Abimelech autem nullā pœnam exceperit. verum cùm Aegypti regem noueris ducem fuisse vitiorū, qui quò plus habuerit licentiæ, eò plus flagitij commiserit. Abimelech autem & fidelis æstimatus sit deo, vt meruerit audire. Et ego cognoui quia puro corde fecisti hoc: rex non afflictionis, vt Aegyptius, sed munitionis, quod Gerarum quibus præerat, docet interpretatio: non est dubium cæteris operibus eius indignationem domini esse reuocatam, qui verè interioris arbiter est conscientiæ, & animi ac mentis interpres. Denique non vt Pharao ille conuentus à Moyse recusauit & spreuit mandatum dei: nec obsequium distulit, sed statim vocauit Abraham, vxorem suam ei reddidit, precio se ipse multauit quòd vidisset alienam, dotem pudoris D
exoluit. Hinc quoque colligi potest Abimelech regem clementiora meruisse, quòd Abraham pro eo rogauit & impetrauit. Peperit enim & vxor eius, & ancilla eius, quas antè concluserat deus propter Saram vxorem Abrahæ. quod æquè ad œconomiam pertinet, vt Saræ partus dei donatus promissione, etiam hoc fulciretur testimonio, cum aduertas dei offensione & fœcundas sterilescere, & rursum domini voluntate steriles fœcundari, iuxta quod scriptum est. Non-
Esaiæ.66. ne sterilem & parientem ego feci? dicit dominus. Quamuis ad Synagogæ illud & ecclesiæ mysterium dictum accipiatur, quia & Synagoga partus habere desiuit, quæ successionis fraudata est posteritate: & congregatio nationum, quæ sterilis erat cùm deum ignoraret, partus cœpit habere æternos. Vnde lectum est. Lætare sterilis, quæ non paris:
Gala.4. erumpe & clama quæ non parturis, quoniam plures filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. Genitus est autem Abrahæ filius Isaac, cùm esset annorum centum.) Et tu si perfectus fueris, habebis posteritatem lætitiæ, exultationis
Gene.21. hæreditatem. Dixit & Sara. Risum mihi fecit dominus. Quicunque enim audierit, congratulabitur mihi.) Non vtique A hoc de generatione hac intelligitur, quæ casibus plerisque 999
obnoxia est, vt interdum melius fuerit non generasse, sed de generatione qua vnusquisque peccator agens pœnitentiam, cùm redimitur à morte, angelis solet exhibere lætitiam. Et dixit Sara. Quis annunciabit Abrahæ quoniam lactet infantem Sara?) Moralis locus. Prouocantur fœminæ Genes.21.
meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos. Hæc enim matrum gratia, hic honos, quo se propriis commendent viris. Denique eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactauerint vberibus suis. Fecit autem Abrahā cœnam magnam quando ablactatus est Isaac filius eius. Non mediocre istud nec vsitatum. Non enim quia à nutricis lacte subductus est puer, magnum conuiuium exhibuit Abraham, sed quia idoneus habitus est Isaac fortioris gratiæ cibo, & virtutis alimento, non adhuc, vt Corinthij, lacte potandus, 1. Cor.3.
sed epulis solidioribus mandatorum cœlestium mentis suæ lacertos firmans. Prosperitatem citò sequitur inuidia. Pepererat Sara, ablactauerat filium, vidit ancillæ filium ludentem cum filio suo Isaac, & dixit ad Abraham. Eiice ancillam, & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum Gene.21.
filio meo Isaac.) Durum erat hoc visum Abrahæ, vt eiiceret filium suum, licet eum quem susceperat ex vernacula. Et tu noli te miscere ancillæ, ne suscipias ex illa filium, & vxor tua non patiatur cohæredem illum filio suo fieri. Vides enim hinc solui gratiā matrimonij. Certè si incidisti, & habes filiū, eiice ancillam, & filium eius. Melius est enim vt ancilla quàm vxor recedat, & filius ancillæ quàm legitimus eiiciatur. Quod si dubitaueris, si contempseris vxoris tuæ sententiam, & durum tibi visum fuerit, dicit tibi deus quod dixit Abrahæ. Quod illi enim dixit, tibi dicit, & omnibus dicit: Non sit durum ante te de puero, & de ancilla. Omnia quæcunque dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quoniam in Isaac vocabitur tibi semen. Nusquam alibi dixit: Audi vocem vxoris tuæ, nisi hic: id est, fecisti iniuriam Gene.21.
vxori tuæ, & non mitigasti affectum eius. suscepisti ex ancilla filium, & non honorasti vxoris filium. Nunquid potest in ancillæ filio semen tuum vocari? Non vtique in legitimo enim filio vera successio est. Sed vereris, quia filius tuus est, ne fortè eiectus intereat atque occidat. Nō ei deerit mea gratia. Omnes alit deus noster, suffulcit vniuersos, & iustos Matth.5.
& iniustos. Denique & pluit super iustos & iniustos. Sicut fecit Abraham, facito & tu. Eiice ancillam, vt secura vxor & inoffensa maneat domi. Eiice & ancillæ filium, vt non habeat hæreditatis consortium, qui non habet originis priuilegium.

De tentatione Abrahæ, & multiplici eius probatione. Caput VIII.

TFactum est post hæc verba, deus tētauit Abrahā.) Aliter deus tētat, aliter diabolus. Diabolus tētat vt subruat, deus tētat vt coronet. Deniq; probatos sibi tentat. Vnde & Dauid dicit: Proba me deus, & tenta me. Et sanctū Psalm.25.
Abrahā probauit ante, & sic tētauit, ne sanctè tētaret, quam probasset, grauaret. Probauit eū cùm exire de Charra iussit, & obedientē reperit. Probauit cùm fidei titulo fretus liberauit nepotē, cum de præda nihil attigit, cū promisit seni filiū, & cum esset centū annorum. quāuis Saræ genitalia considerarent emortua, tamē credidit, nec fide hæsitauit, qui posset hęsitare ratione sterilitatis aut senectutis. probauit eū hospitij sedulitate. Probatū igitur quasi fortiorem tentandum putauit maioribus, & quibusdam imperiis durioribus. Et hic quidem exemplo docemur, quia veris probatur quis, tentatur autem compositis & fictis. Non enim volebat deus immolari à patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui ouem pro filio immolandam obtulit: sed tentabat affectum patris, si dei præcepta præferret filio, nec paternæ pietatis contemplatione vim deuotionis inflecteret. Et dixit ad eum: Abraham, Abraham. Repeti-
tione nominis mentem excitat, vt esset paratior. Denique Genes.22.
respondit illi. Ecce ego. Et dixit. Accipe filium tuū dilectissimum, quē dilexisti Isaac, & vade in terrā excelsam, & offeres mihi illum holocaustum in vno montium, quem tibi dixero.) Non finit ociosum esse affectum patris. A principio

1000

pio eum stimulat & pungit pietatis aculeis: & filij nomẽ addit ad nomen necessitudinis, & vim amoris. Non satis putauit dixisse filium, adiungit amantissimum, quem dilexisti Isaac. Quid est quod ait. Quem dilexisti, & non dixit, quem diligis? Possumus quidẽ vti ad defensionem scripturæ consuetudine diuinæ, quia præterita plerumque ponit pro futuris vel præsentibus, vt in euangelio habes. Hic est filius meus dilectissimus, in quo complacui. cùm vtique semper in filio placeat pater. Et in psalmo habes. Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. cùm semper sedeat. Possumus tamen & amantissimũ ad præsens accipere, & quem dilexisti ad id, vt non recenti quodam impulsu amoris, sed inolito diu & probato amore significaret dilectum. Quod enim ad tempus augetur, ad tempus resoluitur: quod autem diu aut semper placuit, citò aboleri non potest. Potest & illud non absurdũ videri, quia morituros plus diligimus. Hoc est, quem antè dilexisti: quasi iam non diligat immolandum. Nec ociosè addit nomen sancti Isaac, hoc est, eum quem suscepisti de vxore vnicum, suscepisti in senectute, suscepisti tanquam fidei tuæ præmium, remunerationem operum tuorum, suscepisti ex promissione dei, non coniugis fœcunditate, ex qua alium sperare non possis. Offeres mihi holocaustum: sed prius vade in terram excelsam. Interponitur spatium, ne præcipitari subitò videatur affectus, vt illa dilatione obrepat pietatis gratia, desiderium patris. Adiecit: In vno montium, quem tibi dixero. Et hîc similiter, vt dum ascenderet senex, infringeretur impetus, lassaretur dextera, deficeret intentio: dum quæreret montem discere, dediscere apparatum. Exurgens autem non solum sequenti die, sed etiam diluculo, vt attulisse nox moras studio festinantis patris videretur, strauit asinam suam, & sumpsit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & concidit ligna ad holocaustum. Docemur parata omnia ad sacrificium dei ferre: discimus etiam apparatum sacrificij, & ministerij munus ipsi nobis vindicare, non delegare aliis.

Senex Abraham, & diues pecoribus, atque abundans seruitiorum, non quæsiuit comitatus sui agmina: ipse quoque ligna concidit, & obsequia maiora viribus suis non intermisit. Venit autem ad locum quem dixit illi deus, die tertia, & cum duobus ipse tertius proficiscitur, hostiam suam secum ducens, & die tertio ad locum sacrificij venit. Salutaris hic numerus, & conueniens sacrificaturis. Denique & in posterioribus Moyses dicit ad Pharaonem regem Aegypti. Viam trium dierum ibimus, & immolabimus deo nostro, sicut dixit nobis. Et rectè tertio die celebratur trinitatis sacrificium. Et respiciens Abraham oculis, vidit locum à longè. Solicitè explorat, qui properat implere. Quamuis senilem studio celeraret gradum, tamen hoc serum putans, procedebat oculis: vigebant singulorum officia membrorum, licet senilia membra non possent vigere. Solet hebescere visus senum, vt etiam propinqua non facile conspiciant. Hic non solum vidit locum, sed etiam longè positus aspexit. Nec dubitauit vidisse, sed ait pueris suis. Sedete hic cum asina, ego autem & infans pertransibimus vsque illuc: & cùm adorauerimus, reuertemur ad vos. Meritò typus in asina, quia & veritas in pullo asinæ. In hoc enim animante figuratur populus gẽtilium, ante oneri subiectus, nunc Christo subditus. Isaac ergo Christi passuri est typus. Venit in asina, vt crediturum populum nationum significaret. Ideóque & dominus cùm ad subeundam pro nobis passionem veniret, pullum asinæ soluit, quem ipse conscientia mitem atque mansuetum iam Christo sua terga credentem ascenderat. Quod autem ait, Ego & puer pertransibimus. viam, demonstrat quod nõ deficeret in tanto apparatu pater, non cederet filius: aut quia pertransirent pietatis remedio tanti facinoris austeritatem. Addidit: Ad vos reuertemur. Prophetauit quod ignorabat, ipse solus disponebat redire immolato filio, sed dominꝰ per os eius locutus est quod parabat. Captiosè autem loquebatur cum seruulis, ne cognito negocio aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet, aut fletu. Accepit autem ligna holocausti, & imposuit Isaac filio suo: accepit & ignem ipse in manu, & machæram. Consecratur sacris hostia ministeriis, & commendatur futura. Quæ pietatis hostia, pij antè

A ministerij vectura est. Ligna Isaac sibi vexit, Christus sibi patibulum crucis portauit. Abrahã comitabatur filium, pater Christum. Nec Isaac solus, nec Iesus solus. Denique ait: Ioan.16. Solum me relinquetis, & non sum solus, quia pater mecum est. Dixit autem Isaac ad Abraham patrẽ suum: Pater. Qui dixit: Quid est fili? Pulsatur pietatis vocabulis patris affectus, & fluctibus quibusdam hinc atque inde tunditur. Filius vocat patrem, pater dicit fili, vt ipso verborum sono se recognoscat pater. quàm impossibile est vt ferire possit, cuius se vulneri subiicere optaret. Hęc nomina vitæ solẽt operari gratiam, non ministerium necis. hæc vocabula incitare ad pietatem, non ad mortem solent. Addidit Isaac dicens: Ecce ligna, vbi est ouis ad holocaustum? Et hic prophetat sermone, non scientia. Ouis enim à domino ad sacrificium parabatur. Respondit denique similiter & Abraham: Deus prouidebit sibi ouem ad holocaustum fili. Inflexibilis à studio deuotionis minister vocare filium frequẽter nõ timet: ita erat intentionis soliditate fundatus: & hoc se me-

B liorem patrem putabat, hoc sibi in perẽne mansurum iudicabat filium, si eum immolaret deo. Non solum autem hoc prophetauit quod statim accidit, quia deus prouidit sibi pro Isaac hostiam, & reddidit patri filiũ: verum illud magis, quod non hęc hostia diuinæ esset dispositionis, sed alia esset hostia quàm deus sibi pararet, vt mundaret orbem terrarum: illa esset omnibus acceptior, per quam multi patres offerrẽt filios suos, & separari ab hoc seculo à filiis non timerent. Quotidie offerunt patres filios suos, vt moriantur in Christo, & consepeliantur in domino. Quãti patres occisis martyrio filiis letiores ab eorum tumulo reuerterunt? Venit Abraham ad locum sacrificio prædestinatum, & ædificauit ibi aram, & imposuit ligna. Quanta molimina immolaturi, ne raptus subitò ad immolandum æstimaretur? Et colligatis manibus ac pedibus Isaac filij sui, imposuit eum in ará supra ligna. Nectit filio manibus suis vincula pater, ne refugiendo filius, & vi ignis exustus peccatum incurreret. Et dixit angelus: Abraham, Abraham. Tenuit quodammodo ma-

C nũ eius diuina vox, & ictum vibrantis occupauit dexteræ. Gene.22. Non semel vocauit, ne aut non plenè audiret, aut fortuitam vocem putaret. Sic reuocauit, quemadmodũ imperauit. Repetiuit vocem tanquã veritus ne præueniretur studio deuotionis, & vna vox impetũ ferientis reuocare nõ posset. Non iniicias, inquit, manum in puerũ, neque facias ei quicquam. Nunc enim cognoui quia timeas deum tuum, & nõ peperci fili filio tuo dilectissimo propter me. Hoc est dicere: affectũ tuum inquisiui, non factum exegi. Tentaui mẽtem tuam, si etiã filio dilectissimo non parceres propter me. Non aufero quod donaui ipse, nec hęredem inuideo quem largitus sum non habenti. Nec ociosè hic quoque ei dilectissimum filiũ dixit, vt illud quod supra dixit, quem dilexisti, ita dictum ostenderet, ne æstimares quod iam diligere desisset. Et respiciens Abraham, vidit, & ecce aries vnus hærẽs in virgulto.) Qua ratione arietem? Quasi præstantem vtique cætero gregi. Qua ratione suspensum? Vt aduerteres hostiam illam non esse terrenam. Qua causa cornibus suspensum, nisi quod

D carnem suam virtute superiore à terris leuaret? iuxta quòd Esaiæ 9. scriptum est: Cuius principatus super humeros eius. Quis Psalm. 148. vtique significatur, nisi ille de quo scriptum est: Exaltauit cornu populi sui? Cornu nostrum Christus est, qui præ- Psalm. 44. stitit omnibus, sicut legimus: Speciosus forma præ filiis hominum. Solus eleuatus & exaltatus à terris, quemadmodũ Ioan 8. ipse nos docet, cùm loquitur: Ego non sum de hoc mundo, Ibidem. ego de supernis sum. Hunc vidit Abraham in isto sacrificio, huius passionem aspexit. Et ideo ipse dominus ait de eo: Gene.22. Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Vnde ait scri- Ioan.8. ptura: Vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus videt: vt dicant hodie: Dominus in monte apparuit, hoc est quod apparuerit Abrahæ reuelans futuram sui passionem corporis, qua mundum redemit: demõstrans etiam genus passionis, cùm suspensum ostendit arietem, virgultum illud patibulum crucis. Et in hoc ligno præstantissimus ductor gregis exaltatus omnia traxit ad se, vt ab omnibus cognosceretur. Vnde & ipse ait: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Hinc quoq;

promeruit deum Abraham. Denique hæc est tertia benedictio. Tres enim plenarias accepit benedictiones. Vnam post victoriam, quia liberauit nepotem, quãdo occurrit illi Melchisedech, quando dixit ei dominus. Respice in cœlum, & enumera stellas si poteris. sic erit semen tuum. Et credidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Aliam quãdo iussus est nominari, & signaculum accepit circũcisionis. Tertiam, quando dilectissimum filium suum holocaustum deo non dubitauit offerre. Hæc iterum benedictio præstitit superioribus. In illis enim propagationem seminis Abrahæ promisit futuram. In hac autem ait. Et benedicentur in semine tuo omnes reges terræ, quoniam audisti vocẽ meam. Et nos ergo audiamus vocem dei nostri, & obediamus præceptis eius, si volumus apud eum inuenire gratiam.

Gene.14. Gene.15. Gala.3. Gene.17. Gene.22.

De morte vxoris Abrahæ fletúque eius, & sepulturæ officio. De solicitudine quoque ipsius ad prouidendum filio suo Isaac de vxore. Cap. IX.

LOcus qui sequitur, habet mortem vxoris, fletum mariti, sepulturæ officium, quibus maritalis affectus probatur. Et surrexit, inquit, Abrahã à mortuo tuo. Docemur vt nõ diutius inhęreamus mortuis sed quãtum satis est officij, deferamus. Festinauit autem pro loco sepulchri precium soluere, cum gratis daretur, vt non in alienis locis, sed nostris potius ædificemus tumulos parentum vel proximorum. Sæpe enim cum alienationibus possessionum venales fiunt, quæ in iisdem locis sepulturæ sunt. Hoc autem ideo Abraham fecit, quia nondum erant huiusmodi dei templa, in quibus fideliũ in domino reliquiæ conderentur. Senuerat itaque Abraham. quod boni est patris, debuit vxorem prouidere filio: sed propter oraculum dei non poterat redire eò, vnde iussus erat exire. Habitabat autẽ in terris Chananæorum, ex quorum genere legitimam successionem sibi quærere fugiebat. Et vocauit puerum seniorem domus suæ, & dixit ei vt iret in Charram, & de proximis suis vxorem peteret iuniori domino suo.) Disce hinc quòd etiam senioris ætatis seruuli pueri dicãtur à dominis, vel à quibusque potioribus. Vnde & quidam poëta hoc sequendum putauit, siue in eorum vsum qui sibi docti & sapiẽtes videntur, ipse hoc reperit, siue de nostris ipse transtulit, siue translatum inuenit. Pascite vt ante boues pueri, submittite tauros. Vnde & pueros dicimus quando seruulos significamus non ætatem exprimentes, sed cõditionem. Aducrte nunc virtutẽ boni patris familias, & considera primum quod munus, & cui mandet, vt & tu ita instituas seruulos, vt liberis tuis paternum affectum deferant, officia exequantur. Inuentus est de seruulis senior, tamen qui ad vxorem prouidendã domino iuniori eligeretur, & constrictus vt iuraret, & mitteret manum sub femur domini sui. Per femur generationẽ intelligimus: generatio autem Abrahæ, Christus est. Vnde Apostolus ait: Abrahæ, inquit, dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed sicut in vno, & semini tuo, quod est Christus: ostendens per ipsum nobis sanctum sacramentum, per ipsum tutum auxilium fore. Constrinxit autẽ eum vt non de semine Chananæorum vxorem accersiret domino suo, quorum generis author patrem non honorauerat, & ideo maledictionis hæreditatem transmisit in suos: vt cognoscamus fidem, & quandam hæreditatem de authoris prosapia in iis requirendam, quos nobis volumus adiungere. Cum sancto enim sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Si hoc in aliis, quanto magis in coniugio, vbi vna caro, & vnus spiritus est? Quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides? Et ideo caue Christiane gentili aut Iudæo filiam tuam tradere. Caue, inquam, gentilem aut Iudæam atque alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua vxorem accersias tibi. Prima coniugij fides, castitatis gratia est. Si idola colat, quorum prædicantur adulteria, si Christũ neget, qui præceptor & remunerator est pudicitiæ: quomodo potest diligere pudicitiam? Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis sacramento baptismatis. Simul ad orationem nocte vobis surgẽdum est, & coniunctis precibus obsecrandus deus. Accedit aliud insigne castimoniæ, si credas à tuo deo tibi quod sortitus

Gene.23.

Gene.24.

Virgil.ĩBucol.æglo.1.

Gala.3.

Psalm.17.

A es coniugium datum. Vnde & Salomon ait. A deo, inquit, præparabitur viro vxor. Non possunt hoc dispares fide credere, vt ab eo quem non colunt, putent sibi connubij impartitam gratiam. Ratio docet, sed amplius exempla commouent. Species illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem caue. Primum ergo in coniugio religio quæritur. Ideo Abraham proximam quæsiuit darc vxorem filio suo. Et tu proximam quære. Quis est proximus? Qui fecit, inquit, misericordiam. In euangelio hoc dixit dominus Iesus. Et tu proximam seminis Abrahæ require, & propinquam proximi tui. Semen Abrahæ Christus, ipse est proximus omnium, qui super omnes fecit misericordiam, tollens peccatum mundi. Disce deinde quid in vxore quæratur: non aurum, non argentum quæsiuit Abraham, B non possessiones, sed gratiam bonæ indolis. Deinde interrogatus, si nollet venire mulier, vtrúmnam eo filium domini sui duceret, ait. Attende tibi, ne reuoces filium meum illo. Dominus deus cœli, & deus terræ accepit me de domo patris mei, & de terra in qua natus sum, qui locutus est mihi, & iurauit dicens. Tibi dabo terram hanc, & semini tuo. ipse mittet angelum suum ante te, & accipies filio meo, vxorem inde. Quod si noluerit tecum venire mulier in terram hanc, purus eris à iuramento hoc. Quo proficiat hoc, considera diligentius. Non licet tibi accipere alienigenam. Sanè si Christianam se faciat, & laudem habebis ex ea. Ne te quoque, si recusauerit Christiana fieri, studium nuptiarum à fide deflectat, instruit lectio. Abraham enim sequentem deduci admonuit, residentem non expeti, nec eò filium pergere. Sanè domini sui, qui se ab incolatu terræ in qua habitabat, adduxerat, non defuturam misericordiam, vt præiret studio petitoris, & puellæ inclinaret animum. Quasi propheta hoc dixit in causla filij, & quasi moralis doctor docuit te sperare de domino, quod iuuare dignetur incrementum fidei quærentem. Et surgens puer profectus est in Mesopotamiam, & iuxta voti seriem quod proficiscens seruulus vouerat, occurrit ei Rebecca habens hydriam super humerum, virgo speciosa valde, quam vir non cognonerat. Descendit autem ad fontem, & impleuit hydriam, dedit puero bibere, adaquauit omnes camelos eius. Vnde puer Abrahæ accepit inaures aureas singularum drachmarum, & duas virias dedit in manus eius, decem aureorum põdus earum, & quæsiuit ab ea si locus esset hospitio, & cuius esset filia. Simplicitas quidem moralis exprimitur, quod nullus fuerit vel in coniugij petitione ambitioni locus, sed dominus præsul coniugij petitionem impleuerit. Tamen spectare licet ecclesiæ mysteria. Vbi inuenitur ecclesia, nisi in Mesopotamia? Inde quæritur, ibi accersitur, ibi duobus stipatur fluminibus, lauacro gratiæ, & fletu pœnitentiæ. Etenim nisi peccata propria defleueris, nisi gratiam baptismatis acceperis, non tibi acquiritur ecclesiæ fides, & quædam coniugalis copula. muniunt eam Tygris, hoc est prudentia: & Euphrates, hoc est iustitia, & illuminatio fructuosa, à barbaris separans gentibus. Virgo autem speciosa valde, cuius decorem nulla corrupit ætas. Speciosa valde, quia speciosus & ille præ filiis hominum qui eam acquisiuit sibi: quam vir non cognouerat, nulli enim viro erat copulæ ius, sed soli Christo debita. Hydriam habens super humerum, qua lauat actus hominum. Et quia ex congregatione gentilium constat, qua suos lauit: ideo legis quia descẽdit ad fontem, & impleuit hydriam, & ascendit. Samaritana illa venit ad fontem, sicut in euangelio scriptum est, sed non descendit: puteus ei videbatur, nec impleuit hydriam. Denique ait: Hydriam nõ habeo. Non habebat vnde actus suos lauaret. Hęc sola descendit, hæc sola cognouit fontẽ verum: hoc est, non aquæ fontem, sed vitæ æternæ, sicut dixit Dauid. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Ideoque habuit quod daret sitientibus, quia credidit. Nam quæ non credebat, ait fonti huic volenti sibi potum dare. Vnde mihi habes dare aquam viuam? Hæc autẽ habuit vnde non solum puerum, sed etiam camelos adaquaret, quæ non solum iustos rigare consueuit, sed etiam iniustos repleret. Ideo accepit inaures aureas, & virias quas misit Abraham,

Psalm.35.

Ioan.4.

Psalm.35.

ham,tanquam meritorum suorum præmia.Forta sse audientes hæc filiæ quæ ad gratiam domini tẽditis,& vos prouocemini vt habeatis inaures & virias,& dicatis,Quomodo prohibes hoc episcope vt habeamus quod Rebecca accepit pro munere,& horraris vt similes simus Rebeccæ? Sed non has inaures Rebecca habebat & virias, quæ lites in ecclesia serere solent,quæ labuntur frequenter:alias inaures habebat, quas vtinam vos habeatis,alias virias. Inaures Rebeccæ pij auditus insignia, & viriæ Rebeccæ ornamenta factorum sunt.Has inaures habebat quę non grauarent autem,sed demulcerent,has virias,quæ manum non materiali auro onerarent,sed spiritali actu leuarent.Ideo & fratri & parẽtibus in hoc placuit ornatu . Et tu sume inaures quas tibi Abraham reliquit:sume quas transmisit virias. Audi verba domini dei tui,sicut ipse audiebat: exequere iussa, sicut ipse prouauit implere. Pulcherrimus autem locus instruendos eos quibus aliquid iniungitur, quod non prius manducauit puer Abrahæ appositum sibi panem, quàm mandatum domini exequeretur.Quo impetrato, vasa aurea & argẽtea & vestem dedit Rebeccæ.Vbi sponsata est ecclesia, accepit vasa aurea & argentea,in quibus esset thesaurus fidei:sunt enim vasa in honorem, sunt & in contumeliã.Quæ sint ea vasa,audi:Habemus thesaurum in vasis fictilibus.Vasa fictilia,corpora nostra sunt:fides nostra,thesaurus est. Et fortasse iam etiam ipsa corpora nostra , quæ thesaurum habent, aurea sunt plena prudentiæ: & argentea vasa sunt, quæ videntur mandati cœlestis alloquiis refulgere . Honorantur autem & parẽtes muneribus,Consulitur puella non desponsalibus (illa enim iudicium spectat parentum. Non est enim virginalis pudoris eligere maritum) sed iam despõsata viro de profectionis consulitur die . Nec immerito dilationem non attulit: iure etenim prõperare debuit ad maritum. Vnde illud Euripideon,quod mirantur plerique,vnde translatum sit, manifestum est. Ait enim in persona mulieris, quęramen maritum volebat relinquere, & ad alias petebatur nuptias : Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μέριμνων ἴσχει, κ' οὐκ ἐμὸν κρίνει τάδε. Hoc est: Sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit: Hoc enim non est meum. Ergo quod ipsi philosophi mirati sunt , seruate virgines.Mulier etiam si qua amisso cito marito adolescentula laqueum infirmitatis suæ timet incidere, si vult, nubat tantum in domino,vt electionem mariti parentibus deferat,ne appetentiæ procacioris æstimetur author, si ipsa de nuptiis suis electionem sibi vindicet. Expetita enim magis debet videri à viro,quàm ipsa virum expetisse . Verecũdiam prę-
mittat antequam nubat, quo ipsum cõiugium plus commẽdet verecundia. Sed illi verba imitantur, opera imitari nequeunt.Inesse quoque in eo præclarum ecclesiæ mysterium liquet, eo quòd nemo ausus sit eam ante Christum vocare. Soli enim Christo hæc erat vocandarum nationum reposita prærogatiua. Vocata autem non fecit moram,& ideo acceptior domino,quia populus Iudæorum, qui erat ad cœnam vocatus, dignus non fuit venire , congregatio autem Gentium simul vt accersiri se vidit,occurrit.Denique vt scias nõ sine mysterio esse: cùm veheretur camelo , venit ad sponsum, eo quòd populus nationum beluina quadam horridus meritorum deformitate , qui formæ suæ nullum haberet decorem,fidem esset atque consensum ecclesiæ recepturus. Nec illuc occiosum , quòd cùm veniret Rebecca,vidit Isaac deambulantem:& cùm interrogasset quis esset,cognito quod ipse esset cui duceretur vxor , descendit , & caput suum obnubere cœpit,docens verecundiam nuptiis præire debere.inde enim & nuptię dictę,quod pudorisgratia puellæ se obnuberent. Discite ergo virgines quemadmodum seruetis verecundiam , ne intecto capite prodeatis ante extraneos, cum Rebecca iam despõsata designatum maritum aperto capite non putauerit videndum . Quis ille est seruus qui prouidit has nuptias? Vnus vtique de apostolis,& ille maximè qui ait : Viri fratres, vos scitis quia à diebus antiquis in nobis deus elegit ex ore meo audire nationes verbũ euangelij. Vel ille qui doctor appellatus est Gentium. Ipsi enim cùm leguntur,ait Ioannes euangelista,acquirũt Christo animam,vt credat quæ ante non credidit & cupientibus Christum videre,sermonibus demonstrant suis.Itaq; Abraham celebratis filij nuptiis,lõgeua ætate, & bona senectute compleuit diem.

Hermiore in Andromacha Euripidis sic loquitur.

1.Cor.4.

Matth.2.2

CAPITA LIBRI SECVNDI DE Abraham.

De continuatione huius libri ad prȩcedentem,cum pluchra profundioris intellectus apertione: & qua ratione menti dicatur,sicuti & Abrahæ dictum est , vt exeat de terra, cognatione,& domo sua. Quomodo etiam volens perfectam purgationem consequi , à tribus se debeat disiungere. Caput I.

De exitu Abrahæ,quemadmodum locutus est ei dominus. Et quòd processus illius viri propositus sit nobis ad imitandum,& scriptus ad experimentum: ac qualiter reformet se mens in Abraham, & per gradus & incrementa se colligat. Caput II.

De perambulatione Abrahæ vsque ad locumvbi dominum sibi apparentem vidit:quem,quandiu Chaldæus fuit, videre non poterat.Quòd etiam mens quandiu Chaldaicis erroribus inflectitur, deum non videt . De ædificatione quoque aræ per Abraham, & inuocatione nominis domini. Caput III.

De abitu Abrahæ & demoratione in deserto, descensũque in Ægyptum.Quod etiam mens tunc probetur ac tentetur quando est in deserto.Quid præterea significet quod Abraham descendens in Ægyptum dixit Saræ,ne se vxorem sed sororem eius appellaret . Quid etiam increpatio Abrahæ per regem Aegypti, vxorisque restitutio , & abeundi licentia. Caput IIII.

Discessus Abrahæ in Ægypto cum vxore sua Sara quid significet.Quid etiã quod eo inducitur rediisse vnde in Aegyptum descenderat.Cur præterea diuitias eius scriptura expresserit.Et vtrum Loth quoque nepos eius diues fuerit. Caput V.

Qua ratione scriptum sit: Et Loth qui ambulabat cum Abraham. Cur etiam dictum sit quòd non capiebat eos terra . Qui præterea sint pastores, & quorum animantium. Quæ rixa inter pastores . Abrahæ,&inter pastores Loth, & quomodo illam sedare curauerit Abraham . Quanta quoque præmiserit ne Loth discedere cogeretur . De insolentia denique ipsius Loth,& electionis nescientia . Et quid nos eligere debeamus. Caput VI.

Quomodo ex locutione domini ad Abraham,& offensę sibi terræ promissione doceamur, quãtum mens superfluis portionib⁹ & irrationabilibus exhaustis proficiat.Quemadmodum etiam instruamur ex triũpho quatuor regum contra quinque, quantum vitia vitiis adiuncta noceant. Caput VII.

Quemadmodum ex oblatione Melchisedech admoneatur mens plena prudentiæ ac iustitiæ, vt deuotior sit erga dei cultum.Quodque expeditione regis Sodomorum, vbi se vicisse putat, tentari se discat, & qualiter ex Abrahæ responsione contagium intẽperantiæ declinare possit. Cur prȩterea post euẽtum belli, mercedem dominus spoponderit. Quid denique significet quòd Abrahæ cura posteritatis fuit. Ac de mystica interpretatione totius sacrificij Abrahę. Caput VIII.

Quid sibi velit quòd post solis occasum excessus cecidit super Abraham.Et quomodo ei non tam quæ futura erant declarabantur, quàm prȩscribebantur quæ facienda forent.Quid prȩterea singulariter per superiora author significeri arbitretur. Caput IX.

Quid significetur oraculo domini ad Abraham dicentis:Semini tuo dbo terram hãc, &c. Ad quid etiam pertinent Sara vxor Abrahæ, quæ sterilis fuerat. Et quid ancilla eius Agar significet. Qua ratione prætera Sara conclusa fuerit,& Agar filios pepererit. Caput X.

Quid nos doceat oraculum quo dictum est Abrahę: Circuncidatis omne masculinum vestrum , &c. Quomodo etiam plerique moueantur ex hoc quod dominus dixit: Quoniam qui non fuerit circunciſus masculus, &c.Qua ratione prȩterea Sarę vna litera fuerit addita, ac de futuri filij

ri filij promissione, &c. Quid denique significet quod Abraham in faciem ceciderit. Et de promissi confirmatione, & responsione domini ad Abrahæ petitionem. Caput XI.

DIVI AMBROSII EPISCOPI *Mediolanensis de Abraham, Liber secundus.*

De continuatione huius libri ad præcedentem, cum pulchra profundioris intellectus apertione, & qua ratione menti dicatur, sicuti & Abrahæ dictum est, vt exeat de terra, cognatione, & domo sua. Quomodo etiam volens perfectam purgationem consequi, à tribus se debeat disiungere.

Caput I.

MOralē quidē locū prosecuti sumus, qua potuim⁹ intellectus simplicitate, vt qui legunt morū possint sibi haurire magisteria. Sed qa exvtraque parte acuta est acies gladij ex vtraque parte præliaris: similiter verbū dei, quod est acuti⁹ omni gladio acutissimo, penetrās vsque ad diuisionē animæ, quocunq; cōuerteris, paratū inuenies & opportunū, vt animā legentis pertrāseat ad reuelanda propheticarū scriptuarū ænigmata. Vnde non absurdū reor referre ad altiora sensum, & per historiā diuersarū personarū virtutis form quēdāprocessum explicare, maximè cùm iā in Adā intellect⁹ profundioris exordia degustaremus. Adā etenim mentē diximus, Euam esse sensum significauim⁹, serpētis specie delectationē expressimus: sed ibi de summa beatitudine, & quadam naturali virtutum amœnitate per circunscriptionē sensus & delectationis illecebram deflexus ad culpā est. Hic autē profectū mētis speculari datur. Hoc enim legislator prouidè egit, vt quēadmodū lapsum mentis demonstrauit, vt illas erroris caueremus semitas, ita etiā processum mentis & quendā superiorē reditū significaret, vt quēadmodū infracta mēs reformare se possit, cognosceremus. Purgauerat enim terrā domin⁹ in diluuij infusione, lauerat humanæ colluuionē fragilitatis. Sed nō satis erat ad virtutū profectum, nisi vt instrueretur homo quēadmodum se regeret & gubernaret. Abraham mentis loco inducitur. Denique Abraham transitus dicitur. Ergo vt mens quæ in Adam totā se delectationi & illecebris corporalibus dederat, in formā virtutis speciémque trāsiret, vir sapiēs nobis ad imitandum propositus est. Denique Abraham secundum Hebræos & secundū Latinos pater dictus est, eo quòd mēs paterna quadā authoritate censione & solicitudine totū gubernet hominē. Hæc ergo mēs erat in Charra, id est in cauernis obnoxia variis passionibus. Ideoq; dicitur ei: Exi de terra tua, hoc est de corpore tuo. Exiuit de hac terra ille cuius cōuersatio in cœlis Et de cognatione, inquit, tua. Cognati sunt animæ nostrę corporis sens⁹. Diuiditur in duo anima nostra, in id quod rationabile, & in id quod est irrationabile. In eo autē quod est irrationabile, sensus. Ergo cognati sunt partis rationalis, hoc est mētis. Et de domo tua, inquit, exi. Domus mentis prolatū est verbū. Sicut enim paterfamiliās habitat in domo sua, & in potestate habet quemadmodū regnat domum suā, ita etiā mens in sermonibus nostris habitat, & gubernat verba nostra, & vis eius ac disciplina in sermone elucet. Et bonus paterfamiliās à primo vestibulo dom⁹ æstimatur: ita etiā de sermonibus nostris mens nostra perpenditur. Denique etiā modulū vocis pulsat & reuocat. Ergo qui vult perfectā purgationem consequi, disiungat se ab his tribus, à corpore, à sensibus corporalibus, à voce. In quibus sunt omnes corporis passiones, & circunscriptiones sensuum quibus decipimur & illudimur. In nullo enim horum triū bonum. Nec in carne, quamuis Epicuri schola, plerique etiam voluptarij dirumpantur laudis corporis delectatione. Neque in sensibus, qui sæpe ludūtur. Neque in sono vocis, quæ falsis plerunque animam demulcet cantibus, est perfectum bonum hoc incorruptibile. Manifesta autem fides. Mortuo etenim homine caro corrumpitur, sensus pereūt, vox amittitur, remanet mens immortalis, incorpoream vitā recipiens. Vnde in alteram terram vocatur plenam beatitudine, vbi non falsa pro veris, sicut in hac vita, sed viuam rerum cernat substantiam, eo quòd excussa corporis & sensuum & vocis nebulosa quadam imagine, corruptibilem caliginem deponat, & reuelata facie beatæ vitæ gratiam lustret obtutu. Benedicam, inquit, te, & faciam te in gentem magnam. Immortalitatem spōdet cùm genus promittit. Genus enim immortale videtur esse. Personę mortales sunt singulorum, vt hominum, vt equorum, vt apum. De quibus ait quidam: At genus immortale manet. Tamē multo illud melius quod gentem magnam dixit, ecclesię perpetuam posteritatem, & generationem illam supernam, quæ verè magna est. Et peccato moriamur, ideo renascamur.

Hebr. 4.

Gene. 12.

Ibidem.

Ibidem.

De exitu Abrahæ quēadmodū locutus est ei dominus. Et quòd processus illius viri propositus sit nobis ad imitandum, & †experimētum, ac qualiter reformet se mēs in Abraham, & per gradus & incrementa se colligat.

†experiendum.

Caput II.

EXiit Abrahā quēadmodū locutus est ei dominus. Hinc ferunt Gentiles septē sapientū sententiā: Sequere deū, quasi inuentum suū: cū lōgè anterior nō dico Abrahā, sed Moyses fuerit, per quē lex data est dicēs: Post dominū deum tuū ambulabis. Exiuit ergo Abrahā, in quo non tā profectio eius, quàm animæ eius deuotio, & mētis libertas exiuit de corporis vinculis, de illecebris delectationis. Denique sic habes: Exiuit Abrahā quēadmodū locutus est illi deus. Supra habes ei dixisse deū, in quo apertum imperium iubētis expressum: hic habes quēadmodum locutus est illi deus, quasi quidam confabulationis affectus comprehenditur, omnia enim fecit quæ statuta sunt. Ante factum igitur deus dicit quasi obnoxio, post factum loquitur quasi amico. Amicus est enim deo, qui facit quæ imperata sunt. Vnde & in euāgelio suo dicit dominus Iesus. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos. Sed (vt dixi) processus viri sapientis propositus est nobis ad imitādum, scriptus ad experimētum †: nec perfectio. Adhuc enim reformat se mens in Abraham, quæ in homine primo lapsa est. Et ideo per gradus & incrementa se colligit. Vnde & addidit: Et abiit cum eo Loth, hoc est declinatio. Id enim nominis significat interpretatio, eo quòd vt viantes incognitam carpentes viam, semitis aliquibus sæpe falluntur, vt à directo deflectant tramite, & tamen si prudentes sunt, non deuiant, sed cunctabundi licet regionis ipsius contuitu viam colligunt: ita & Abraham nutabundus quidem, tamen tramitem veri sequebatur. Ducebatur plerunque falsa specie bonorum, sed non penitus inclinabatur. Perfecti est enim non deflectere, prudentis non penitus declinare. Solus autem ille nunquam deflexit, de quo scriptum est: Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filiū, & vocabis nomen eius Emmanuel: butyrum & mel manducabit: priusquam sciat aut proferat mala, eliget bonum: quoniam priusquam sciat puer bonum aut malū, non credet malitiæ, vt eligat quod bonum est. Hoc Abraham facere non poterat, vt prius bona eligeret, quàm mala sciret. Sed præceptis inhærebat cœlestibus, ne declinaret à vero. Ideo etiam & septuaginta & quinque annorum describitur exisse de Charra, quod septuagesimo perfecto remissionis numero sensus is sit, qui possit inflecti. Delectationes enim horum sensuum faciunt vt non semper erecta sit mens nostra, sed aliquando se inflectat, vt non infra cauernas corporis se intra latibula voluptatis abscondat. Tamen etiam in his cuniculis positus ita euasit vt sumeret vxorem suam, & nepotem, & omnem animam quascūque possederat in Charran. Prudentes enim & continentes virtutis atque animæ possessores sunt, decorem morum mansuetorum eligentes. Qui autem amatores corporis sunt, delectationibus eius irretiūtur: quia irrationabilium in corporis habitudine omnis virtus est, rationabilium autem in virtutibus animæ ac disciplinis.

Ibidem.

Ioan. 15.

†experiendum.

Luce. 1. Esaiæ. 7.

1008

plinis. Propterea scriptũ est, quia possidebat animam suã tã-
quam liberã regens, & nulli seruituti obnoxiã. Hoc ergo ha-
bet intentio doctoris, eo quòd etiam in illis diuerticulis &
anfractibus constitutus, vel adhuc æui recentioris vel non-
dum perfectioris disciplinæ, locũ patentem ad vitia, non est
ita inflexus ad culpã, vt demigrare nõ posset. Denique men-
tem suam ab illa lubrica possessione defendit & transtulit.

De perambulatione Abrahæ vsque ad locum vbi dominũ sibi apparentem vidit: quem, quandiu Chaldæus fuit, videre nõ poterat. Quòd etiam mens quandiu Chaldaicis erroribus inflectitur, deũ non videt. De ædificatione quoque aræ per Abraham, & inuocatione nominis domini.

Caput III.

Gene.12. IT perambulabat, inquit, Abraham vsque ad lo-
cum Sichem ad quercum altã.) Nónne videntur
superflua esse, nisi rationẽ requiras, cùm & alti-
tudinem quercus non prætermiserit? Sed vbi ra-
tio est, nihil superfluum. Sichem enim vel humerus vel cer-
uix significatur, quod est laboris vel exercitationis indiciũ.
Vnde & Iacob vir exercitatus filio suo Ioseph eam præci-
Ibidem. puam dedit. Ergo quia neque sine dote naturæ exercitatio
ipsa per se perfectionẽ conferre potest, & naturæ gratia de-
stituitur si desit exercitatio (est enim ingenioſi adminiculũ
diligentia) inducitur is vir ad cuius imitationem formatis ad
naturæ gratiam adiuncta exercitatione, ita fundatior & ex-
celsior factus, vt vsque ad quercum altam transiret. Quæ ar-
bor vt alta, ita etiam robusta, indicio est non facile animam
Abrahæ seculi huius procellis esse curuatã, sed mãsisse sub-
limem, vt se æternis inquisitionibus ad altitudinem diuinæ
cognitionis eleuaret. Denique continuò apparuit illi deus.
Ibidem. Nusquam superius habes quod visus esset illi deus. Vnde li-
quet eò referendum, quia quandiu Chaldæus fuit, hoc est,
non solum in regione, sed etiam in opinione Chaldæorum,
non poterat deum videre, quem intra mundum quærebat.
Chaldæi enim mundum superiorem deum dicunt, & etiam
sticarum domo, & stellarum cursu ferri asserunt ea quæ ter-
rena sunt, & quodam coerceri vinculo. Vnde & deos stellas
appellauerunt, eo quòd eas dominatum quendã habere su-
pernum credant, quia quædam stellis ad terrena compassio
est. Oportuit autẽ eos æstimare quia quod compatitur, non
imperatorum ius, nec dominatum quasi deus possit habere
in eis quorum ægressit compassione, cùm sit & ipse mor-
talis & corruptibilis. Mundus quoque cùm sit factus, vti-
que ipse deus non est, sed operator & conditor eius. Ergo
mens quandiu Chaldaicis erroribus inflectitur, non videt
deum, quem in his quæ videntur, non in his quę non vidẽ-
1. Corin. 4. tur, esse putant. Quæ autem videntur, temporalia sunt: nam
quæ non videntur, æterna. Sed non temporalis deus. Non i-
gitur videtur. Non ergo mens ea videt deum, quæ disciplí-
nam Chaldęorum sequitur. Vnde nec Abraham primum vi
Genes. 11. dit. Quomodo autem poterat videre eum supra quem alte-
rum esse arbitrabatur? V bi verò ad aliam demigrauit, non
regionem, sed veram religionem, paratam humilitati (hoc
enim significat Chanaan) tunc deum videre cœpit, & eum
cognoscere esse deũ, cuius inuisibili virtute aduertit ea regi
Ibidem. & gubernari. Hoc ergo scriptura docet, quia Abrahã à stel-
larum obseruatione migrans deum vidit. Confirmatio te-
stimonij adiungitur, quia in loco aram domino ædificauit,
ei qui sibi apparuit. Impressus est enim typus ist validus in
anima eius, & manifestata fides veritatis. Suppetit enim gra-
to viro memoria, ingrato irrepit obliuio. Illi hærent à qui-
bus adiuuatur, isti labuntur omnia quæ conferuntur. Statuit
autem aram, sed non sacrificauit. Posset mouere nisi remi-
nisset processus mentis huius scripturæ serie seruari. Et id-
eo spectabat à deo genus discere sacrificandi. Aduerte-
Ibidem 12. bat enim irrationabilis animantis & mutæ pecudis sacrifi-
Ibidem 14. cium dignam diuino cutu hostiam non videri. Nondum
Ibidem 18. in Isaac typum cognouerat passionis futuræ, nondum Mel-
chisedech dederat ei benedictionis gratiam, vt ista cogno-
sceret. Recessit inquit, inde in montem contra Orien-
tem Bethel. Incrementum deuotionis, montis significat e-

A minentia, cuius ascensio indicium est vberioris processus.
Contra Orientem ideo, quia prophetabat venturum iusti-
tiæ solem, quod illic sapientia pararet sibi domum, & inde
per virginem suum prædestinaret exortum. Volebat ergo
cognoscendorum iam mysteriorum lumen accipere. Sicut
enim sole mundus, ita splendore sapientię tota mens illumi-
nabitur. Meritóque posuit contra Orientem Bethel. Do-
mus enim dei dicitur Betheleem, in qua natus est Christus.
Vnde ait per prophetam deus: Et tu Bethleem non es mini- Mich. 5.
ma inter principes Iuda, ex te enim exiet princeps, qui re-
gat populum meum. Non dixit contra Bethleem, sed taber-
naculum ipsum Bethleem appellauit. Ecclesia enim iustorũ
est tabernaculum. Iam illa qui non miretur mysteria, quòd
Bethleem iuxta mare Galilææ est ab Oriente? Etenim ani-
ma quæ meretur templum dei appellari, vel ecclesia, tundi-
tur secularium curarum fluctibus, sed non subruitur: cædi-
tur, sed nõ labefactatur, commotiones fluctuum & insurre-
ctiones passionum corporalium facilis premere ac mitiga-
re. Spectat aliorum naufragia ipsa immunis & exors pericu-
B li, parata semper vt illuscecat sibi Christus, atque illumina-
natione iucunditatẽ acquirat sibi. Sicut enim oculi pascun-
tur primo diei lumine, ita etiam mens nostra alitur inuentis
sapientiæ, & quibusdam eius radiis videtur splendescere.
Visibilis enim solis radiis terræ vaporantur, inuisibiles au-
tem radij cordis nostri penetrant interiores recessus. Ite- Gene. 12.
rum ædificauit aram, & inuocauit in nomine domini. Pro-
cessus fidei in domini inuocatione significauit. Hoc adiecit
superioribus.

De abitu Abrahæ, & demoratione in deserto, descensúque in Aegyptum. quod etiam mens tunc probetur ac tentetur quando est in deserto. Quid præterea significet quod Abrahã descendens in Aegyptum, dixit Saræ ne se vxorem, sed sororem eius appellaret. Quid etiam increpatio Abrahæ per regem Aegypti, vxorísque restitutio, & abeundi licentia.

Caput. IIII.

C IT abiit Abraham, & demoratus est in deser- Ibidem
to.) Tunc probatur mens, quãdo in quodam
deserto est, vbi nulla cupiditatũ lasciuia, nulla
abundantia pecuniæ, nullus sumptus luxurię.
Vtinam in hoc deserto esse possim, destitutus
ab omni incentiuo cupiditatum, derelictus ab omni delin-
quendi studio, expoliatus iactantia & tumore. Sed quia vel
deus nos tentari pátitur, vel tentator incursat, cũ sibi videtur
in deserto mẽs esse quieta ab omni terrenarũ voluptatũ ap-
petentia: in Aegyptũ impellitur, vbi cõpungi possit. Stimu-
lus enim mentis caro nostra est, & passiones eius compun-
ctiones sunt nostræ. Ipsa est Aegyptus nostra, hoc est caro
nostra, ipsa est afflictio. In hanc descendit mens nostra quã-
do cogitat quæ carnalia sunt. Tunc autem ascendit quando
inuisibilia desiderat. Ideo & Abraham dicitur descendisse in
Aegyptum, vt affligeretur. Patitur hoc mens nostra, interdũ
separat se à corpore, secernit vt singulariter agat, incorpora-
libus intendere atq; adhere cupiens. Interdum propter col-
ligationem animæ & corporis inclinatur ad carnales volu-
D ptates, quibus infirma subiicitur, fortior non tenetur. Affli-
ctiones igitur forti viro coronæ sunt, inualido infirmitates
sunt. Vnde & ille non timebat afflictiones, quibus probare-
tur merito, qui dicit: Nam & cùm venissemus in Macedo-
niam, nullã requiem habuit caro nostra, sed in omnibus su-
mus afflicti, foris pugnæ, intus timores. Sed vt descenderet 2. Cor. 7.
in Aegyptum, fames coegit. Exoritur sæua mentis fames, Genes. 12.
quando appetẽtia carnis huius exundat, expectatæ aquæ sa-
luti aduersæ sunt. Redigunt nos in angustias corporis, cùm
habẽdi cupiditas irrepit luxuriæ suauitate, & cordis iactan-
tia tentantur omnes. Inflectitur etiã sobrius animus, descen
dit in Aegyptum, hoc est in afflictionẽ corporis. Sic tamen
descendit, vt quasi aduena ad tempus incolere, non quasi ci
uis possidere videatur. Iustus enim dixit: Aduena sum in ter Psal. 118.
ra hac. Et alibi: Heu me quod incolatus meus prolongatus Psal. 119.
est. Descendens autem Abrahã in Aegyptũ, hoc est ad feros
& barbaros mores, qui virtuti deferre nescirent: ne nocerẽt
per inuidiam, dixit Saræ ne se vxorem eius diceret, sed soro- Gene. 12.

rem

rorem eius appellaret.) Et hinc grande virtutis mysterium, cui cito inuidetur. Et ideo vt inuidiam reprimat, humiliorem se præstare debet. Non sibi principatum super omnes vindicet, non sibi soli sapientiam præcipuam arroget. Hęc est quam sibi Salomon vxorem acquisiuit. Vxor enim pręcipuè est viro debita. Itaque omnes cupiunt tali se copula dignos videri, vt doleant aliquem sibi præferri. Quis tanta solus potiatur pulchritudine? Soror autem quodam vel iure germanitatis, vel nomine pleríque sociatur. Et ideo verum amatorem suum integrum ab iniuria reseruat. Vnde videntes eam Aegyptij, qui non possent discernere, nec virtutis
Gene.12. formâ cognoscere, vulgari æstimantes iudicio, induxerunt ad tyrannum, hoc est ad mentem superbam quę pondus sapientiæ non sustinuit, & ideò afflicta est. Etenim cum animam improbã virtutis intrauerit sermo, redarguit eam culpæ, errorísque pudore afficit, & prolapsionis torquet dolore. Nãque dum in quadam sumus delinquendi libidine, nebulis quibusdam insipientiæ mens obducitur, & fumo quodam iniquitatis oculi eius caligantur, ne videat eorum quæ cõcupiscit deformitatem. Sed cùm omnis nebula transierit, & sapientiæ fulgor fulserit, grauia tormenta exercentur in quodam malè conscij secretario. Itaque grauior nostra mẽs iudex est conscientiæ reatu, & iudicio pœnitentiæ. Quod si vel ægra per culpam, vel inualida per infirmitatem non potuerit ferre ac perpeti virtutis præsentiam, dimittit eam, atque se relegat, ne patiatur eam volui in se, & adhærere cogitationibus suis. Et vt infirmiores oculi lucem refugiunt: ita mens inualida sapientię fulgorẽ non sustinet. Tales erant
Matth.8. Gerasẽi, qui rogabant vt transiret de finibus eorum dominus Iesus. Deniq; & iste rex Ægypti ait ad Abraham: Quid
Genc.12. hoc fecisti mihi? Quare non dixisti mihi quia vxor tua est, sed dixisti quia soror tua est, & sumpseram mihi vxorem? Et nũc ecce mulier tua ante te, accipe, & recurre hinc. Intueamur animo intemperantem aliquem, qui intuitus castitatis gratiam, quodam captus eius decore sequendã putet. Deinde pedissequas eius nesciens quibus colligata incedit, & stipata aduenit, sobrietatem scilicet, modestiam, ac verecundiam parsimoniam cibi, fugam lasciuię, procacitatis, petulãtię, cautionem fœmineam, solicitam custodiam, subito aut ebrietatis succensus calore, aut ipsius carnis æstu, ad occursum formę decentioris nequaquam se teneat, nec legi carnis repugnet: nónne dicit: Putauit rem faciliorem, castimoniam sequi: supra humeros meos, supra vires meas est. Rarus cui ista iungatur. Vale castitas, recede recede de finibus sensuum meorum. Recurre citò eo, vnde huc venisti, non sustineo præsentiam tuam, Affligor grauibus quæstionibus, dum tenendam te arbitror, quam tenere non possum. Conuersus deinde ad aliquem monitorem sui, qui studuerit in eius mentem inducere assuetudinem castimoniæ, allegans non arduam fore, nec impossibilem, sed pluribus sociam, finitimam studiosis conuenientem voluntariis. Quid hoc, in-
Ibidem. quit, fecisti mihi? Quare non dixisti mihi quia vxor tua est? Hoc est, quę non perfunctiorìè, sed legitimo teneatur cõiugio secum maximam vehat dotem, quę inuehat grauia onera matrimonij, & durę fœnus coniunctionis. Sed dixisti sororem, nullis adstrictam legibus, & naturę sociam, non iure aliquo dotalis census superbam ac potentem. Itaque imprudens onerum eius copulandam eam mihi & tenendam putaueram. Sed intellexi quòd pondus sit in ea & sarcina. Ecce mulierem tuam, id est ecce persuasio tua ante te, accipe, & recurre. Nolo ante me sit, nolo in meis cogitationibus. Tolle te hinc cum tuis consiliis, cum tua admonitione, citò tolle, citò recurre, moras tuas non fero, afflictiones sunt mihi. Satis est, quòd antè deceptus sum. Et misit alũnos suos quibus vagatur plerunque mens intempetantior, voluens animo cogitationes luxuriæ, ambitionis, auaritię, & diuersas illecebras offerẽs, vt eliminarent, ac longè propellerent castimoniam, ne rẽcursum faceret in eos fines quibus fuerat expulsa, quo secura iã & arbitrij serioris libera, in peccatis suis redargui non formidaret.

Discessus Abrahæ de Aegypto cum vxore sua Sara quid significet. Quid etiam quòd eo inducitur rediisse vnde in Aegytum descenderat. Cur præterea diuitias eius scriptura extre-

rit. Et vtrum Loth quoque nepos eius diues fuerit. 1011

Caput V.

DIscessit itaque Abraham inde habens secum vxorem suam Saram, hoc est principalem, non seruientẽ. Ideo & dicitur illi. Audi Saram vxorẽ tuã. Quæ enim seruitio delictorũ se exuit, principatum habet, non seruitium. Mens ergo validior principalem virtuten secum habet, hoc est, imperitantem corporis sensibus, non obedientem. Quæ de Ægypto secum omnia rerulit, nihil ibi disciplinarum suarum amisit. Non colorata est intemperantia, insolentia flagitiorum, immodestia, non expoliata est amictu sedulæ sobrietatis, non exuta vestimẽto pudoris. Erat diues valde, vtpote cui nihil bonorum deerat, qui non alieni erat apperens, qui nullius indigebat quòd suum dici vellet. Hoc est enim esse diuitem, quòd satis voluntati sit. Mensuram enim frugalitas habet, census non habet, cuius modus in arbitrio quærentis est. Erat enim diues pecoribus, argento, & auro. Quid sibi hoc vult? Non Ibidem. mihi videntur in homine iusto seculares diuitię laudari. Vnde in pecoribus corporales sensus intelligo, quia & ipsi irrationabiles sunt. In argento sermonem, in auro mẽtem. Meritò diues erat Abraham, quia regebat sensus irrationabiles. Denique & domuit, & mansuetos fecit, vt fierent rationabiles. Habebat sermonem fidei calore splendidum, purgatum spiritalis gratia disciplinæ, habebat mẽtem plenam prudentiæ. Et ideo auro comparatur mens bona, quia sicut cæteris præstat metallis: ita mens bona in homine cæteris potior est humanę substantiæ portionibus. In tribus igitur sensus sapientis, in sensu, in sermone, mente, gradus quidã per ordinem factus: sicut etiam in Apostolo legimus: Manet autem spes, fides, charitas, tria hæc, maior autem his est charitas. Et 1. Corin. 13. mens igitur maior est, quia ipsa est quæ molit spiritale frumẽtum, vt purgationem sensuum sermonúmque proferat. Seruatur vbique persona sapientis viri. Denique eò inducitur Genes. 13. rediisse Abraham, hoc est in Bethel, vnde in Ægyptùm descenderat, vt agnoscamus quòd etiam iusti in domo dei positi, & verbo dei intenti tentantur quidem secularibus afflictionibus, sed non alienantur à domo dei, & à custodia præceptorum cœlestium. Si vis contentus esse finibus, non extolli diuitiarum copiis, & rebus secundum gratiam voluptatum fluentibus, hoc scias esse mentis optimæ, meditari semper principium & finem, eò procedere, & inde egredi, hoc Matt. 7. est, bonum. Bonum autem sapientia est. Nemo enim bonus nisi vnus deus. Ab eo procedimus, creati per ipsum. Ad eum Apoc. 22. reuertimur, quia cum Christo esse multo melius. Et vt scias quia bonum est congruere principium & finem, ipse ait bonus Iesus: Ego sum α & ω, principiũ & finis, Mens igitur nostra cũ ipso semper sit: ab eius templo, ab eius verbo nunquã recedat. Sẽper in lectione scripturarum sit, meditationibus, orationibus, vt sermo eius qui est, semper operetur in nobis, & vt quotidie procedẽtes in ecclesiam, vel domesticis incubantes orationib⁹, ab ipso incipiamus, & in ipso finiamus. Ita totus hic vitæ nostrę dies, & cursus diei, ab se sumat principium, & in se desinat. Sicut enim à principio vitæ credere, & imitari salus est: ita perseuerantia vsque in finẽ necessaria est. Est autem mentis optimæ diligentia, vt verbo dei intenta nihil faciat irrationabile vnde tristitiam subeat, vt iugiter actuũ suorum bene conscia, lętitiam bonæ seruet conscientiæ. Quòd enim bonum, hoc sine timore & sine tristitia est, id est, securitatis & gratię plenum. Possessio enim iusti grata est deo, insipientium autem nullus gradus. Ideo Esaias appropinquante bono ait: Fugiet dolor & tristitia, & gemitus. Esaiæ. 35. Ioannes quoque in Apocalipsi: Et ille, inquit, deus, cum illis Apocal. 21. erit, & delebit omnem lachrymam de oculis eorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor vlterius. In resurrectione enim iustorum lętitia iugis erit & gratia, cùm illud bonum cœperit esse cum suis, quando requiescent in sinu Abrahæ, positi in eius tabernaculo, quod inter domum vel sermonem dei & gratiam fixum est: significans innocentiam fidelium agere gratias auctori suo, qui non habent vnde eos pœniteat in hoc mundo fuisse. Factis itaque simplicibus Abrahę magnarum institutionum documenta explicantur. Meritò diues, qui etiam disputationes philoso-

philosophorũ diuites facit, qui de eius actu præcepta formarent sua. Eius ergo diuitias scriptura expressérat, supererat cognoscere vtrumnã Loth quoque nepos eius, & ipse, vtpote eiusdem successionis, diues fuerit. Sed scriptura eũ pecoris tantum abundantẽ asserit. Denique sic habet: Et Loth qui ambulabat cum Abrahã, erant oues & boues, & tabernacula. Non habebat argentum, quia nondũ iustus. Etenim argentum ignitum lingua iusti. Nõ habebat aurũ, quod habebat ille qui vidit Christi posteriora, de quo scriptũ est: Et posteriora eius in ſpecie auri. ¶ Vidit illum Abraham, sicut testatus est dominus dicens: Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Et ideo auri speciem habere meruit & possidere.

Qua ratione scriptum sit: Et Loth qui ambulabat cum Abraham. Cur etiam dictum sit quòd non capiebat eos terra. Quipraterea sint pastores, & quorum animantium. Quæ rixa inter pastores Abrahæ, & inter pastores Loth, & quomodo illam sedare curauerit Abraham. Quanta quoque præmiserit ne Loth discedere cogeretur. De insolentia denique ipsius Loth, & electionis nescientia. Et quid nos eligere debeamus.

Caput VI.

NVnc illud quoque nequaquam prætereundũ arbitror, quod videtur etiã doctiores mouisse, qua ratione sit scriptum: Et Loth qui ambulabat cũ Abrahã, quasi alter Loth qui nõ ambulabat cum eo secundũ quod accepimus. Et putãt plerique non solui quæstionẽ. Ergo vt illis satisfaciamus, & à regula scripturę non recedamus, vnam personã dicimus, duo negocia, quòd in vno eodémque viro duæ res significãtur: numero vnus, nomine duplex. Declinatio enim dicitur Loth, sicut habet Latina interpretatio. Declinat autẽ quisque ad bonũ aut ad malum. Cùm ergo Loth declinaret malum, hoc est, errorẽ, flagitium, crimẽ, iungebatur patruo, Cùm declinaret bonũ, hoc est, iustũ, innocentẽ, sanctum, religiosum, sociabatur flagitio. Bene ergo dixit: Et Loth qui ambulabat cum Abraham, quia adhuc non elegerat Sodomam, non habitabat cum flagitiorum authoribus. Postea enim cœpit habitare cum Sodomis. Ideoque quasi à seipso mutatus velut alter accipitur, non solum à iusto viro, sed à seipso desciscẽs. Denique quia studio iam deflecti cœperat à patruo, nõ capiebat eos terra. Nulla enim spatia possunt satis esse discordibus. Quietis & pacificis etiã angusta abũdãt, dissonis moribus etiam spatiosa artantur. Et quia à principio dixi mentem hic formari hominis, quę à principio perfecta fuerat, sed per incrementa & gradus quosdam proficit, ideo ait: Non capit eos terra, hoc est, vna anima motus diuersos non recipiebat naturaliter sibi repugnantes. Potest tamen fieri vt interdum non omnia in vno eodémque perfecta sint: possit tamen aliqua vitia sua operire, vel motus suos temperare, aut si plura bona sint quibus pauciora vitia operiat, aut repentinam commotionem consilio maturiore flectat. Verum si ex vtraque plura concurrant dissona ac rẽpugnantia, habitatio discrepantium virtutum ac passionum in vna anima soluatur necesse est. Figuratè ergo animam secundum philosophos terram appellauit. Nam & Salomon ait: Tanquam agricultura homo imprudens. quę si fœcunda sit opimis segetum fructibus, abscondere potest spinas. Sin verò spinæ concurrant aristis', secandi nulla est copia. Qui igitur pastores sint, & quorum animantium, & quæ rixa inter pastores Abrahæ & inter pastores Loth, consideremus. Pastores sunt magistri gregum, vel diligentes & sobrij, non sinentes agrorum culta obteri pedis vestigio, atque aduri sentibus, vel negligentes & remissi, & qui nõ renocent pecus suum, quo herbosa & non fructuosa pascatur, sed liberè vagari per varios agri fructus sinant. Istorũ ergo pastorum solers custodia necessaria est, ne fortè adscribatur diligentibus quod euertit negligentiũ incuria. Sed quia non sermo de visibilibus, ideo cuius peccoris pastores sint, consideremus. Pastores hos definire possumus. Pastores, inquit, iumentorum. Iumenta autem sensus corporis irrationabiles significari accepimus. Qui sunt ergo pastores sensuum, nisi præceptores, & quasi quidam rectoros gregum, duces eorum, vel monitores alicuius sermonis, vel mentis nostræ cogitationes? Qui si pastoralis disciplinæ gnari & tenaces sunt, non permittunt longius sensuũ gregem vagari, & inutilibus ac noxiis inhærere pabulis, sed prouido doctore reuocant & frænos rationis admouent, atque obsistunt renitentibus. Mali autẽ præceptores, vel inutilis disceptationis permittunt eos impetu suo ferri, & in præruptum ac periculũ ruere, & culta obterere, fructuosa depasci, vt si qui sunt in eadam anima virtutum huiuscemodi fructus, eos quoque dissipẽt. Hinc ergo cogitationum nostrarum discordia: cùm caro repugnat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnẽ, Galat. 5. non mediocris pugna est: quando ipse Apostolus vas electionis dominicæ dicit: Video legem carnis meæ repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati, quæ Roman. 7. est in membris meis. Sedare hanc pugnam ipse nequiuerat, & ideo ad Christum refugit, dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hoc est, ne delectationi carnis adhæream. Quis igitur est, qui hisme soluat vinculis, & liberum faciat, sensúque ad sobrietatem animę magis detorqueat, quàm ad corporis temulãtiam? Sed quia interhomines tantum non potuit rectorem inuenire, conuersus ad deum, Gratia, inquit, dei per Iesum Christum dominum. Si fortior non commisit viribus quo corpus mortis euaderet, sed auxiliũ quæsiuit à Christo: quid nos facere oportet infirmiores. Hanc pugnam grauem esse cognouit Abraham, & ideo in principio cauendã putauit. Sapiẽti enim pacis est studium, imprudenti amica iurgia. Non sit, inquit, Genes. 13. rixa inter me & inter te, & inter pastores meos, & pastores tuos, quia homines nos fratres sumus. Patruum legimus Abraham, & Loth eius nepotem: quomodo eum fratrẽ appellabat? Sed aduerte quia causas cõcordiæ sapiens adhibet. Vnde prẽmisit, homines sumus. Omnes autem homines vnius naturæ partus sunt intra eius concepti viscera, & vno foti atque effusi vtero. Vnde nobis iure quodam germanitatis velut fratres connectimur, ab vno patre conditi, & vna matre tanquam fratres vterini editi. Et ideo cùm simus rationabilis naturæ soboles, tanquã vterini nos diligere debemus amore mutuo, non impugnare ac persequi. Multo autem veriusad vnam animam refertur, cuius rationabile cognatos habet, vt supra dixinus, sensus irrationabiles: quod autem rationabile, virtutum habet copulam. Vnde fraterna quadam sibi copulantur necessitudine vitia virtutésque hominis, quia illa carnalis, istæ rationabilis animæ sunt. Caro autem atque anima velut quadam lege sociantur coniugij, ex quibus homo constat. Homo igitur velut portiones suas fœderare debet, atque ad pacẽ cogere. Sed quia nemo erat Ephes. 2. tãtus qui carnem vinceret, ideo venit pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem macerię soluens, inimicitias in carne sua legem mandatorum edictis euacuans, vt duos conderet in semetipso, in vno nouo homine faciẽs pacem, vt reconciliaret vtrosque in vno corpore deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Rectè igitur se vt hominem infelicem dixit Apostolus, qui tantum bellum intra se pateretur, quòd non possit restinguere. Denique cùm de vna portiuncula passionum, hoc est iracundia diceret Sa Prouer. 16 lomon: Melior est, inquit, sapiens forti. Qui autem iracundiam continet, melior est quàm qui vrbem capit. Beatus igitur qui hoc bellum euaserit, & iam nõ aduena nec peregrinus, sed ciuis sanctorũ & domesticus dei, quem in terra po- Ephes. 2. situm terrena non quatiant. Hunc affectum seruare cupiebat Abraham. Itaque vt vir pacificus ait, primo: Non sit rixa inter me & te. Inde ait: Et inter pastores meos, & pastores tuos. Tertiũ posuit: Ecce, inquit, tota terra ante te, hoc Gene. 15. est, si non potest conuenire, cedo omnibus, totum cape si de loco aut possessione dissensio est. Quod si moribus non cõuenit, discede à me. Quanta autem prẽmisit ne cogeretur discedere? Sed etiam hoc virtutis ac disciplinæ est. Dixit enim ante nos vir ex philosophiæ perfectus disciplina, quatuor hæc bono viro inesse, vt elaboret primum vt omnes amicos faciat. Secundũ, vt si non potest amicos facere, certè nec inimicos. Tertium, vt si nec istud suppetit ex sententia discedat. Quartum, si quis cedentem persequitur, vindicet se vt potest. Sed illa tria superiora in Abrahæ nõ sermonibus nudis

dis,sed veris operibus agnoscimus. Quartū autem non ita est,quando etiam circa cedentem seruauit affectum parentis,vt eum non solùm non persequeretur,sed etiam captum erueret ac liberaret. Denique Apostolus cū tria illa doceat, Roma. 12 quartum præceptis suis soluit quod addiderat philosophia. Ait enim cùm pacificum populum dei informare vellet: Si fieri potest,quod ex vobis est,cū omnibus hominibus pacē habentes. Deinde si hoc non potest,certè ne discordias nec inimicitias moueat. Ideo addidit:Non vos vindicantes charissimi.In quo & tertium illud excluditur, vt vindicare nos nequaquam velimus.Sed date locum iræ.Habes & quartū, vt discedas magis,& vindictā deo cōmittas, quàm tibi exigas,tanquam & hoc secundum legē magis,& dictum voluit Matth.15. videri.Nam secundum Euangelium supra habes: Benedici- Roma. 12. te eos qui vos persequuntur.Habemus hæc præcepta ad Ti- 1. Tim.1. motheum in secunda epistola.Propter quā causam, inquit, admoneo te vt resuscites gratiā dei, quæ est in te per impositionem manuum mearū.Non enim dedit nobis deus spiritū 2 Tim 2. timoris,sed virtutis,& dilectionis,& sobrietatis. Et iterum: Tu autem fili charissime fortitudinem cape in gratia.Habes B ergo primæ præceptum sententiæ, vt erga omnes gratiam locet: deinde si non potest præceptis suis omnes acquirere, caueat ne verbis aliquos exasperet,hoc est, ne inimicos faciat.Vnde ait infra: Hoc commoneo testificans coram deo: Noli verbis contendere, nihil vtile nisi ad subuersionē audientium.Seruum autem domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Pulchrè post pauca subiecit, & causam præstitit,quàm Philosophia non vidit.Cum modestia,inquit,docentem qui resistunt,nequando deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem. Ad tertium quoque illud,vt discedamus ab eis cum quibus nobis conuenire non potest,habes additum, cū præcepit,vt loquatur,quæ decent sanam doctrinam,deinde pugnas legis declinet:hoc est,primum gratiam seminet, deinde nullum litigādo auertat: tertium est vt hæreticum hominem post vnam corread Titū.2 ptionē deuitet,quia subuersus est qui huiusmodi est, & delinquit,cùm sit à semetipso damnatus.Quàm argutè suo iudicio damnatum, nostræ vltioni subtrahit, quasi indignum C Psal.7. in quem vindicetur.Dauid autem euidenter studium vindictæ amouet dicens:Si reddidi retribuentibus mihi mala.Ergo mens viri sapientis, eiusdem animæ vel lapsus vel irrationabiles motus studet corrigere,sibique coniungere. Potest enim fieri vt quæ interdum disciplicent,emendentur cū gratia.Effusio patrimonij sui recidatur, habet liberalitatem sine dispendio.Verecundia interdum remissior est:si confirmetur,habet & pudoris gratiam, & propositi constantiam. Commotio si temperetur, indignationis horrorē deponit, 1.Cor.7. assumit laudem vigoris.Quod si emendare non potest,non exasperet. Intemperantia reprehendit ardorem libidinis, quam coniugio coerceat:ne dum quæritur continentia,obrepat impudicitia.Ideoque bonorū magister: Dico, inquit, non nuptis & viduis,bonum est illis si sic maneant, sicut & ego.Quod si se non continent,nubant.Melius est enim nu- 1.Tim.5. bere quā vri.Sunt aliquæ mulieres immaturo destitutæ maritorum obitu,& se cōtinere nequeunt.Volo, inquit, iuniores nubere,filios procreare,matres familias esse,nullam occasionem dare aduersario.Quòd si aliquas deliciæ delectēt, D & luxuriari in Christo volunt,viduitatis affectantes gloriā, germanitatem autem non custodientes,eas deuitandas iudicat:vt habes scriptum: Adolescentiores viduas diuita. Rectè igitur Abraham cum bona venia voluit nepotem dimittere,quem deflectentem à se tenere non poterat. Sic & mēs bona à præcipiti & diuerso rationabilium lapsu secernat se ac separet.Si tu,inquit,in sinistram, ego in dexteram: vel si Gene.13. tu in dexterā, ego in signistram.hoc est, quæ tibi in dextera sunt,mihi in sinistra sunt:& quæ tibi in sinistra,mihi in dextera sunt. Viro enim imprudenti in dextera sunt quæ sunt corporis,ea præfert,ea constituit in meliorem partem,diuitias quoque & honores præponit. At verò immortalitatis adispiscendæ gratiam in sinistrā habet,quæ sapienti ad dexteram est.Longitudo enim vitæ in dextera eius. Omnésque Prouer.3. animæ virtutes insipiens vir in sinistram eiicit.Prudens autem vir has sibi ad dexteram locat: quæ autem corporis, in

sinistram.Et leuauit,inquit,Loth oculos, & aspexit omnem Gene.13. regionem Iordanis. Deflectentibus à verò,amica iactantia est.Denique vt Abraham humilius, qui electionem obtulit: ita Loth insolentius,qui electionem vsurpauit.Virtus se humiliat, extollit autē se iniquitas: qui se debuit committere maturiori,vt esset tutior. Deinde eligere nesciuit.Nam primo leuauit oculos,& respexit regionem, hoc est illam rem, quę non esset prima ordine,sed tertia,hoc est nouissima.Prima sunt enim quę sunt animæ bona.Secunda quę corporis, id est salus,virtus,pulchritudo,formę gratia.Tertia sunt quę accidunt,hoc est,diuitiæ,potestates,patria,amici,gloria.Regio igitur tertio loco ponitur.Est enim res habitationis.Vidit igitur regionē quæ irrigabatur priusquam euerteret deus Sodomā & Gomorrā,sicut paradisus dei,& terra Ægypti,vsque dū venias Zothopa.In quo nisi diligenter intendis, nūquid in eo errasse eum dicere potes,quòd elegit fluenta Iordanis,& ea quæ irrigabantur sicut paradisus dei? Nō vtique secundū literam.Sed cùm Iordanis descensio dicitur,descendit qui deseruit virtutis consortiū,& speciem elegit,non veritatē.Paradisus enim perfectæ beatitudinis amœnitas, vel animæ fructuosa fundamenta,in qua sapientiæ sint,iustitiæ, cæterarúmque virtutū plantaria. Terra autē Ægypti corporalē substantiam significat,cuius plantaria sunt sensus & pas- Gene.19. siones corporis. Sicut enim vireta virtutū fontem habent Christū,& spiritalis vbertatem gratię,quo exuberent:ita intēperantia fons quidam est passionū corporalium,quo aluntur superflua.Pulchrè autē ait scriptura:Elegit sibi Loth,hoc est,declinatio,quia posuit deus ante nos bonum & malum, vt vnusquisque eligat quod velit.Non eligamus ergo quod specie videtur iucundius,sed quod veritate prestet, ne cùm sit nobis tributa optio vt sequamur potiora,leuemus oculos inflexi falso amœnitatis decore,veritatem autem naturę velut deflexis obtutibus obumbremus.Quòd autem homines in Sodomis sæui erāt,& peccatores in cōspectu domini valde,non mediocris est hic œconomia,vt aduertas mitē deum graui peccatorum moueri acerbitate ad vlciscendum, nec merito potuisse exorare Abraham Sodomitanis veniam, C quia supra modum flagitiosi erant. Plerique sunt quo nequiores, eo tectiores,qui hominū subterfugiūt indaginem, vbi res sine arbitrio generuntur, vt falso testimonio iustus circunueniatur. Manet autē ante deū iustus etiam si condēnetur ab omnibus,quia deus non iudiciorum exitus,nec cū intextis nequitiæ commentis negotia, sed nudam spectat negociorum naturam. In examine autem hominum falsæ opinionis error plerumque obducit vim veritatis. Ma- Daniel nebat autem apud deum Susanna pudica valde, etiam cùm damnaretur adulterij, quia deus non assertionibus falsorū, facti examinabit fidem,sed intimæ conscientiam mentis interrogabit.

Quomodo ex locutione domini ad Abraham, & ostensa sibi terræ promissione doceamur, quantum mēs superfluis portionibus & irrationabilibus exhaustis proficiat. Quemadmodum etiam instruamur ex triumpho quatuor regum contra quinque quantum vitia vitiis adiuncta noceant.

Caput VII.

Ibidem SEquitur locus quo euidenter docemur quantum mens superfluis portionibus & irrationabilibus exhaustis proficiat,& quantum vitia vitiis adiuncta mali afferant. Non enim ociosè scriptura posuit: Et dixit deus ad Abraham postquam recessit Loth ab illo, Respice oculis, & vide à loco in quo nunc tu es, ad aphricum,& Aquilonem,& Orientem,& mare:quia omnem terram quam tu vides,tibi dabo eam,& semini tuo in ęternum.) Hinc tanquam à fonte hauserunt Stoici philosophi dogmatis sententiam,omnia sapientis esse. Oriens enim & Occidens,Septentrio & Meridies,portiones sunt vniuersitatis.His enim totus mundus includitur. Hæc cùm promisit deus daturum se Abrahæ,quid aliud declarat,nisi sapienti & fideli præsto omnia, deesse nihil? Vnde Salomon in Prouerbiis ait:Eius qui fidelis sit, totus mundus diuitiarum. Quanto prior Salomon, quàm Zenō Stoicorum magister, atque

1016

arque author sectæ ipsius? Quãto prior quàm ipse pater philosophiæ Plato, vel eius inuẽtor nominis Pythagoras? Quis autem fidelis nisi sapiẽs? Stultus enim sicut luna immutatur: sapiens autẽ immobilis fide permanet. Sed fortè dicas: Quomodo sapientis totus mundus? Quoniam ipsa natura dat illi fortè omnium, etiã si ipse nihil possideat. Domina est & possessor sapientia, quæ sua putat naturæ munera, quoniam in vsum hominum data sunt, nec vllis indiget, etiam si desint ei ad victum necessaria. Nanque si musicus organa, aut medicus medicamenta, aut nauclerus quæ ad nauis instrumẽtum necessaria sunt, etiam si quando non habeat, habet tamen eo ipso quo possit his vti, etiam si ad tempus vsus eorũ non suppetat: quanto magis sapiens suum iudicat quicquid naturæ est, qui viuit secũdum naturam. Non enim amittit ius suum, qui meminit se ad imaginem dei factũ, & ad homines à deo dictum: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini in eam, & imperate piscibus maris, & volatilibus cœli, & omnibus pecoribus, & omni terræ, & omnibus quæ repunt super terram. Et nouit quia sapientia omnium mater est, & ipsa orbem terrarum possidet. Denique Salomon qui sapientiam poposcit & accepit à domino deo nostro: Ipse mihi, inquit, dedit horum quæ sunt scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutem elementorum, initium & consummationem & medietatem omnium rerum, & diuisiones temporum, & anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias herbarum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt abscondita & improuisa. Sed hæc nulli nisi perfecto suppetunt. Denique Abraham quandiu adhærebat ei Loth, hoc est deflexio morum, sortem horum non acceperat. Vbi verò deflexionis ambiguo atque anfractu absoluto rectas virtutum semitas continuis animę suæ gressibus cœpit carpere, in omnem terram possessor mittitur, atque dicitur ei: Surge & perambula terram in longitudine, quia tibi dabo eam, & semini tuo in æternum. Ergo qui sapientiam meruerit, & non fuerit ancillæ filius, non peccati seruus, non successioni carnis obnoxius, sed liberæ, id est, Saræ illius non seruientis, sed principantis, bonę stirpis, bonę indolis, perfectę titulo virtutis, hęreditatem acquiret vniuersitatis. Dicitur ergo Abrahæ: Surge. Non corporalem assertionem significat, sed spiritalem, hoc est, Surge qui dormis, surge à terrenis, surge à corporalibus, relinque terrena, cœlum aspice: & exurge à mortuis, hoc est ab operibus vanis, & disputationibus Chaldæorum. Intuere mundum, intuere etiam illum qui potest totum donare mundum. In possessionem, inquit, tibi dabo mundum, quem deum ante credebas. Perambula terram in longitudinem & latitudinem eius. Vtique intra momentum terram istam Persarum inclusam imperiis, ab Indiæ quoque litoribus, ad Herculis, vt aiunt, columnas, vel Britannię extrema confinia non potuit perambulare. Et potuit quasi indeuotus videri, qui cœlesti oraculo non obediisset, si obeundę huius terrę mandatum accepisset. Sed cùm sit eius deuotio probata quia ad quercum tantummodo Mambre transtulerat tabernaculum, vtique terram, hoc est, virtutem possumus perfectam intelligere, quę bonos fructus daret, & fœcundas inuentiones, cohitationúmque primitias, meritorũ vindemiam, frumento, vino & oleo repleret interiorem domum, terram resurrectionis quam promisit patribus nostris fluentẽ lac & mel, suauitatẽ vitę, iucunditatis gratiam, splendorem gloriæ, cuius hæres primus factus est primogenitus à mortuis dei filius Iesus Christus. Et ideo non seminibus dixit, sed semini, vt declararet illum qui hanc hæreditatem humano generi primus acquireret. Cognouimus bonę mẽtis profectum, qui à vitio lubricæ deflectionis exurgens, quę fuit statũ primum sapientiæ, hęreditatẽ iustitię. Quantum autem noceant leuitati vitia adiuncta, docet sequentiũ series lectionum. Nam illi quatuor reges de quinque regibus triumphauerant, & aduxerunt equitatũ Sodomorum totum: ceperunt etiam Loth filium fratris Abrahę, & discesserunt. Quinque reges, quinque sensus corporis nostri sunt, visus, odoratus, gestus, tactus, auditus. Quatuor reges, illecebrę corporales atque mundanę sunt, quoniam & caro

Exodus 7.

Genes.

Sapien. 7.

Genes.

Epist. 5.

Genes. 14.

A hominis vt mundus quatuor constat elementis. Meritò reges dicuntur, quia habet suum culpa dominatum, habet regnum grande. Vnde Apostolus ait: Non regnet peccatũ in vestro mortali corpore. Sensus igitur nostri facilè delectationibus secularibus se dedunt: & quadam eorum potestate capiuntur. Corporales enim delectationes & illecebras huius seculi non vincit nisi mens quæ fuerit spiritalis, adhærẽs deo, & se totam à terrenis separans. Deflexio omnis his capitur. Vnde Ioannes ait: Væ habitantibus in terra. Non vtique omnes homines comprehendit qui tũc vitæ huius cursum conficerent (sunt enim & in terris positi, quorum conuersatio in cœlis est) sed eos quos terrenæ conuersationis affectus ac huius seculi vicerit gratia. Ergo non habitatores, sed accolæ sumus terræ huius. Accola enim temporalis diuersorij spem gerit. Habitator autem spem omnem atque vsum suæ illic substantiæ locare videtur, vbi habitandum putauerit. Itaque qui est terræ accola, habitator cœli est: qui autem habitator terræ, possessor est mortis. Numerauit Abrahã trecentos decem & octo vernaculos suos vsq; Coba, quæ est ad dextram Damasci.) Et numerus vitalis est. In ipsa enim vita, si credamus, in passione, in nomine domini Iesu: nam hæc est nominis interpretatio huius quod diximus Coba, id est, vita. Ipsa & dextera Damasci pulchrè esse dicitur. Agni enim ad dexteram, hœdi ad sinistrã. Scit exercitata mens quos ad prælium consummandum sibi adhiberet, quibus armis instrueret, quibus ducat vexillis. Non aquilarum præfert imagines, nec dracones, sed in cruce Christi & in Iesu nomine progreditur ad præliũ, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis. Meritò ergo mens exercitata, quæ recepit veram sapientiam iusti viri. Iustitia autem solers correptionis est, ac arguẽdo reuocat peccatores, & stringit passionum impetus. Ideo dicit scriptura, quia reuocauit omnẽ equitatum Sodomorũ, hoc est, habenas tenuit, fræna rationis imposuit, reuocauit culpam, strauit errorẽ. Equus enim stare nescit, velox ad impetum, ceruicem exaltãs suam, hinniens ad libidinẽ. Quid tã simile peceati? Feruet enim primo culpa impetu, & omnem recti cogitationem præuenit, motúque immaturo exilit, vt eam difficile ratio reuocare possit. Fertur in præceps, & ascensorem eius proiicit in mare, istud huius seculi ceruice tumida recusans iugum correctionis. Et specialis quædam formà libidinis, quæ vocẽ mutet hominis, verba amãtis corrumpat, suísque se prodat sermonibus. Deniq; ad Iudam per Hieremiam dicit dominus deus: Nunc videbitur ignominia tua, & adulterium tuum, & hinnitus, & alienatio fornicationis tuæ supra colles. Hũc iustus reduxit equitatum, mores quoque declinantis cõuertit, & ad se vocauit, vt imitatores sui fierent qui deflexerãt, quia sensus nostri ad disciplinam mentis recurrunt. Substãtiam quoque recipit. Non patrimoniũ vtique significat, sed vitalem animæ substantiam, in qua sit preciosus sensus, non stipula, non fœnum, in quo fidelis sit alloquij splendor, in qua nostræ sensus subsistat spei. Hæc est enim vera nostra substantia, quæ est sapientiæ diues copiis, hic immortalis substantia, corporis autem vel accedentium diurnus magis quàm diuturnus vsus. Vnde quidam rectè non putant patrimonium dici substantiam. Non enim subsistimus in eo, cũ & illis quibus desit pecunia, vitę tamẽ nõ desit substãtia.

Roma. 6.

Apoc. 8.

Philip. 3.

Gene. 14.

Matth. 25.

Hier. 13.

Quemadmodum ex oblatione Melchisedech admoneatur mens plena prudentiæ ac iustitiæ, vt deuotior sit erga dei cultum. Quódque expeditione regis Sodomorum, vbi se vicisse putat, tentari se discat, & qualiter ex Abrahæ responsione contagium intẽperantiæ declinare possit. Cur præterea post euẽtum belli mercedem dominus spoponderit. Quid denique significet quod Abrahæ cura posteritatis fuit. Ac de mystica interpretatione totius sacrificii Abrahæ. Caput VIII.

DE Melchisedech in tractatu morali plenè diximꝰ, in quo & mysteriũ nequaquam præteritũ ac prætermissum est. Hoc loco autẽ satis est illud admonere solũ, quòd mens plena prudentiæ iustitięque deuotior sit erga dei cultũ, & decimas terræ gignentia in fructibus, iuxta altiorem prudentiam in eo soluat, vt perfe-

perfectionem omnium sensuũ atque operum suorum deo deferat, nihil sibi arroget, quæ se regere non potest, diuino nisi fauore fulta sit. Denique vbi se viciſſe putat, tentatur atque inceſſitur. Hoc exprimit & docet lectio, quia semp aduersum passiones corporis mens nostra tãquam in excubiis debet prætendere. Quid enim est quod ait? Rex, inquit, Sodomorum exiuit obuiam Abrahæ, & dixit: Da mihi homines, equos autem sume tibi: nisi quod post has mihi luxuriæ victorias, vis quædam libidinis potest rationabili menti subrepere, vt infundat ei irrationabiles passiones? Sed perfectæ mentis est, nihil de terrenis, nihil de corporalibus illecebris
Gene.14. assumere, abstinere à terrenis. Ideo Abraham dicit: Nihil sumam ab omnibus tuis. Quasi contagium declinat intemperantiæ, quasi labem refugit corporalium sensuum, delectationes mundi reiicit, quærens quæ supra mundum sunt, hoc est, extendere manus ad dominum. Manus operaria virtus est animæ. Hanc non ad terrenæ arboris pomum, sed ad dominum extendit. Qui fecit, inquit, cœlum & terram, hoc est, intelligibilem & visibilem substantiam. intelligibilis enim vsia cœlũ est: Visibilis vel sensibilis substantia terra est. Ergo significat quod virtutẽ animæ suæ ad superiora extendat, vt
Ibidem. 2. ex illa intelligibili substãtia theoricæ vitæ induat altitudinẽ, spectans nõ illa quę videntur, sed quę nõ vidẽtur, hoc est, nõ terrena, nõ corporalia, nõ præsẽtia, sed incorporalia, æterna, cœlestia. De ista autem visibili substantia operatoriæ atque ciuilis disciplinę capesset gratiam. Subtexuit his oraculum domini dicentis: Noli timere Abraham, ego protegam te, merces tua erit valde. Quęro cur post euentum belli, spõdendæ mercedis locus nũc erat. Minus enim mirabile faceret, si secutus promissum dei esset hostem adorsus. Victoriæ
Gene.15. securus processerat ad triũphum, magis inuitatus quã promptus ad gloriam, vel ad vlciscendum pietatis dolorem paratus. Proposirum piæ mentis mercedem non expetit, sed pro mercede habet boni facti conscientiam, & iusti operis effectum. Angustæ mẽtes inuitentur promissis, erigantur speratis mercedibus. Bona mens quæ sine responsi cœlestis syngrapha certamen arripuit, geminæ laudis fructum acquirit sibi, vt & confidentissimæ fortitudinis, & plenissimæ deuotionis gratiam locet. Quod de sancto Abraham æstimari conuenit, quia & diuinum fauorem non despici se iustis duxit erroribus, & hostem pertulit despectu periculi, quod gloriosẽ sibi pro vltione pietatis subeundum putauit. Dei quoque in eo prædicatur iustitia, qui remunerationem piis mentibus non ex necessitate promissi, sed ex æquitatis suæ con-
Psalm.50. templatione largitur, iudicans dignum fore quòd hi qui militant sine aliqua mercedis humanæ remuneratione, repositum habeant præmium in eius bonitate, cui deuouendas animas suas æstimauerint. Simúlque adoreis bellicis ex vsu ipsius victoriæ, aut hominum gratia paratum est præmium: pietatis autem & parsimoniæ, puritatis, cęterarúmque velut priuatarum virtutum à deo soluitur. Quæ manifesta sunt homimbus, ipsi remunerantur. Non omnia autem manifesta, sed alia manifesta, alia incerta, & maxime occulta cordis. Vnde & ille ait: Incerta & occulta cordis manifestasti mihi. quorum spectator & scrutator deus est. Non ergo magnam mercedem promisisset Abrahę, nisi puram animam ab omni contagione delictorum iudicasset. Sanctę tamen & prophetice menti cura maior posteritatis perpetuę est. Partus
Gene.15. enim sapientię, & fidei hęreditatem desiderat. Ideo ait: Quid mihi dabis? Ego autem dimittor sine filiis. Ecclesię sobolem desiderabat, eam successionem petebat quę non esset seruilis, sed libera: nõ secundum carnem, sed secundum gratiam. Ideoque huiusmodi responsum diuinum resultauit, quo electus audiuit: Respice in cœlum, & numera stellas,
Ibidem si potes numerare. Et dixit: Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham deo, & reputatum est ei ad iustitiam.) Quid credidit? Hoc est, non solum multitudinem populorum in Christum credentium, sed etiam cœlestis gratię splendorem, & resurrectionem vitę immortalis soboli ecclesię deferendam. Quid est autem quod ait: Eduxit eum foras? Tanquã foras educitur propheta, vt exeat fores corporis, & angustias carnis operientis, ac spiritus sancti infusionem, vt velut quandam descensionem videat. Oportet nos quoque exire

ex his diuersorij nostri angustiis, mundare animę nostrę locum ab omni inquinamento, proiicere sordes malęuolẽtiæ, si volumus spiritum recipere sapientię, quia in malęuolam animam non introibit sapientia. Credidit autem Abraham, non auri, non argẽti illectus testimonio, sed quia corde credidit ad iustitiam. In quo probatum est eius meritum, in eo persolutum est præmium. Denique statim fidei eius testimonium dominus dedit, dicens. Ego sum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Chaldæorum, vt darem tibi terram hanc, vt hęres esses eius. Et quia deposuerat studium Chaldæorum, quęrit Abraham. Quomodo, inquit, intelligam quia hæres eius sum? Hoc est, iam diuinationes magorum repudiaui, doce quomodo sciam me futurum terrę eius hæredem. Qui quęrit quomodo sciat, non dubitat manifestante deo cognoscere se posse, sed formam vult acquirendę cognitionis aduertere. Nam & in euangelio Maria cum audisset ab angelo, quòd virgo paritura esset filiũ: respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognoui? Et iure respondit. Hoc est, cũ id quod naturę est, non suppetat, quia non solet parere virgo quæ viro non fuerit copulata: quæro quomodo pręter instituta naturę possim generare? Dixit autem illi dominus deus: Sume mihi vitulum trimum, & capram trimam, & arietem trimum, & turturem, & columbã.) Præterirem huiusmodi interpretationem sacrificij, nisi quibusdam hinc scrupulum nasci aduertera, eo quòd aruspicinę quædam scribi videatur solẽnitas, quòd post immolationem diuisa sunt animalia, & contra faciem alterutrum posita, & concedit illis Abraham. Sed si vim interrogationis prę-
missę & futurę responsionis consideremus, aduertere poterimus spei nostrę & fidei conuenire huius sacrificij disciplinam. Vitulus enim aratorium animal est, deditum terrę & labori. Capra ad aquarum similitudinem per ænigmata figuratur, eo quod αἴξ Græce παρὰ τὸ ἀΐσσειν nomen acceperit, ab eo quod est impetu ferri. Sic enim currit sicut & aqua. Possumus vel fluuiorum sono, cursu, vel maris violentis æstimare fluctibus. Aeri comparatur aries, quia omnibus animãtibus vtilius hoc animal generi esse humano reperitur, quãdoquidem & vestis nobis vsum exhibet, sicut aer huius spiritus vitalem nobis ministrat substantiam. Vnde & hunc ordinem factum puto, vt prius diceret: Sume mihi vitulum & capram: & tertio loco diceret arietem: eo quòd prima illa, hoc est vitula & capra terris & mari materialibus comparentur elementis, & quia fœminea dicantur: at verò aries masculinum quoddam animal est, vehemens natura, & violentum cornibus. Similiter autem aeris huius spiritus vitalis est, vt masculus, author & causa gignẽtium, mouens terrarum genitalia, & velut, quadam se miscens copula. Aliud ad terram, aliud ad mare, aliud ad aerem vitalem, mysticè figuratur horum trium animantium genus. Hæc traditio naturalis est: sed etiam moralis concurrit & suppetit. In omnibus enim hominibus caro, sensus, & verbũ est. Caro nostra vitula est, laborat vt ferat, laborat vt colligat, laborat vt pariat, innumeris fatigatur laboribus. Vnde & Græci διάμαλιν ἀπὸ τοῦ δαμᾶσθαι λίαν, eo quòd dometur nimis. Masculorum boum aratro & iugo fungitur. Fœmineos partus repræsentat cùm multo vbere. Caro quoque nostra vitæ istius subiugatur necessitatibus, crebris quatitur doloribus, & multarum ærumnarum quodam curuata partu senescit. Iam illud quis ignorat, quòd vehementior sit virtus animæ, cui velut nupta adhæret in istius vitæ cursu corporalis substantia? Sensus autẽ nostri caprarum modo velut saltu quodam alis exiliunt, & pascũtur præruptionibus, impetu suo ipsi cómotiones excitantes animæ, & coexcutientes eam. Ad omnem occasionem præsto sunt, vel occursu fœmineę pulchritudinis, vel odore suauitatis alicuius. Auditu pariter & tactu mouentur velociter, quibus etiam animæ inflectunt constantiam, & velut à natura sui alienant eam. Vnde plerique ὁρμητικὴν dictam putant, quia ὁρμὴ impetus dicitur, eo quòd ex quodam impetu sensuum inflexionis atque alienationis nostræ causa nascatur: fœminei autem sexus speciem habet. Et etiam sensus nostri αἰσθήσεις Græcè dicũtur fœmineo vocabulo. Effœtarum modo animarum citò vacuantur, vbi partus suæ generationis delectationisque effuderint, & iterum excitatis cupiditatibus

1021

tatibus nouos referunt impetus. In ariete verò verbi ac ser-
monis nostri habetur similitudo, quod sit vehemēs, sicut &
sermo noster efficax operationis, & quadam ornatus nostri
& tegminis causa sit. Aries per vsum vestium ordine quo-
dam gregem ducens, sicut ordo quidam vitæ vsúsque no-
stri verbo explicatur. Arbitror autem quòd illud verbum
magis intelligere debeamus quod est verbum dei, cum quo
aries iste habere videatur non mediocrem cognationem.
Quod verbum nos verè tegmine velleris sui vestiuit, & in
domum introducit æternæ salutis. Qui se pro nobis immo-
landum obtulit, qui tanquam ouis ad victimam ductus est,
& sicut aries coram tondente se sine voce, sic nō aperuit os
suum. Ex quo ordinem quendam substantiæ habemus & sa-
cræ redemptionis, quod per ipsum conditi ac redempti su-
mus. Duplex igitur causa per verbum, naturalis, & moralis.
Naturalis qua condidit, moralis qua redemit. Philosophia
quoque geminam speciem sui constituit in verbo, natura-
lem, & moralem. Rationalis enim vtriusque portio est.
Naturalem secundum mundi creationem, quam verbo assi-
gnat: moralem secundum iustitiam, & æqualitatem viuēdi,
cuius vita & ratio de verbo. Qua causa cùm dies quadragin-
ta complerentur ex Mariæ virginis partu, tulerunt domi-
num nostrum Iesum in Hierusalem, vt offerrēt domino se-
cūdum legem, & vt darent hostiam par turturum, aut duos
pullos columbarum, eo quòd in columba spiritalis gratia sit,
in turture incorruptæ generationis natura, vel immaculati
corporis castimonia. Meritò ergo ad sacrificiū iubētur post
arietem turtur & colūba sumi, vt verbo adhærere intelligas
incorruptam castimoniam, & spiritalem gratiā. Et hoc ipso
quidem quòd aues posuit, intelligere possumus cœlestium
meritorum volatus. Sunt enim volucres cœli quæ veniunt
& habitant in ramis eius arboris, quæ de grano sinapis surre-
xit, cui cœlorum regnum comparatur. Et Ezechiel apertos
sibi cœlos dicit, & vidisse inter alia etiam rotam vnam super
terram coniunctā animalibus quatuor. Et infra: Audiebam,
inquit, vocem alarum eorum sicut vocem aquarum multa-
rum, & vocem sublimis dei: & cùm irent vt vox verbi, sicut
vocem castrorum. Vnde quidam ad libros philosophiæ de-
riuarunt, eo quòd ipsum cœlum simile sit. Denique Pla-
to currum volucrem dixit esse cœlum, ex eo quòd propheta
dixerat. Cùm irent animalia, ibant & rotæ coniunctæ il-
lis: & cum eleuarent se animalia à terra, eleuabantur rotæ.
Sed propheta non cœlum ipsum dixit, sed aues esse in cœ-
lo. Denique & Dauid ait. Cœli enarrant gloriam dei, hoc
est potestates cœlestes, velut cùm spectatur pulchrum ele-
mentum, prædicatur operator. Animam autem describit
propheta, cuius motus sunt quatuor, velut equi, λογιστικὸν,
θυμικὸν, ἐπιθυμητικὸν, διορατικὸν, Hæc animalia quatuor, id
est, homo λογιστικὸν, leo θυμικὸν, vitulus ἐπιθυμητικὸν, aquila
διορατικὸν. Ideo ratio præmissa est, vt reliqua rationem se-
quantur. Ideo cum homine à dextris est leo, id est cum ra-
tione commotio à dextris est. Ista animalia quando eleuan-
tur, eleuantur etiam rotæ. Rota autem vita est super ter-
ram, qua viuimus. Si animæ nostræ motus quatuor eleuan-
tur, eleuatur & vita nostra. Ideoque addidit. Quoniam spi-
ritus vitæ, inquit, erat in rotis. Anima ergo magis currus
est, quæ ait in Canticis canticorum. Posuisti me currus A-
minadab, id est domini nostri. Non ergo philosophiæ tradi-
tioni descriptio currit prophetica. Denique vocem alarum
audisse se dicit propheta. Istæ alæ virtutes sunt, quæ de te po
scūtur. Qui tales offert hostias, fidem & castimoniam men-
tis, simplicitatis gratiā, charitatis & pacis effectum, ipse bea-
tæ illius terræ agnoscit hæredem: sicut etiam dominus aper-
tius in euangelio declarauit dicens. Beati pacifici, quoniam
ipsi deum videbunt. Vel quoniam ipsi possidebunt terram.
Accipe aliam diuisionem. Caro quoque nostra ipsa dei ordi
natione diuisa habet membra. Duo oculi sunt, binæ aures,
duæ genæ, nares diuisæ, dentium geminatus ordo, vbera, sca-
pulę, manus, latera, fœmora, genua, crura, pedes, nónne bina
omnia, vt subnixa geminatis subsidiis omnia nostra videan-
tur officia? Anima etiam diuisionem suarum patitur portio-
num. Nam διορατικὸν, hoc est superiora, quasi oculi quidam
contrarij, rationabile est & irrationabile. Rationabile ip-

A sum diuiditur circa mentem & sermonem. Sensibili eius
in auditum & visum, quibus vitæ huius cumulatur gratia.
Nam odor & gustus vitalis vsus videntur necessarium præ-
bere ministeriū. Nares iugi flatu aspirationem recipiendo
vitalem continuato quodam substantiam hominis cibo pa
scunt. Gustus autem potu epulisque generatur. Quintus ve-
ro sensus, hoc est actus, velut admixtus est illis quatuor.
Odor & gustus quædam magis alimenta sunt corporis, qui-
bus huius carnis militia subsistit. Visus verò & auditus men
tem adiuuant. Hæ sunt diuisiones quæ secundū carnem no-
strā animámq; à summo operatore diuisæ sunt. Vnde opor-
tet nos colligere quia etiā iste mūdus velut per mēbra quæ-
dam gemina, & tāquā antiprosapia † sit distributus. Est enim † antipróso
terra in mōtes & in cāpos, vt sunt partes nostri corporis ela pa.
tiores aliæ, aliæ planiores. Eminēt scapulę, & pedū superio-
ra vel manuū. Latera verò & inferiora ceruicis velut valles
terræ & concaua. Quod & de vola manus intelligere licet.
Nam in ipso calcaneo pedis eminere alia, media autē sinuata
B quis nesciat? Aqua in mari salsa, in flumine dulcis vel in fon
tibus. Est aer hyberno frigidus tēpore, veris mensibus tem
peratus, calidus æstate. Ergo ista diuisit operator. Mentem
autem nostrā, quæ modo auium, virtutū diuersarū & vigo-
ris sui vecta remigiis supra cœlū euolat, non diuisit, quia tti
nitati adhæret diuidenti omnia, soli indiuisæ. Vnde philoso
phi superiorē mundi huius substantiā, quem æthera vocant,
nō ex cæterorū admixtione elementorū constare volūt: sed
splendidam, & multo refulgentē lumine, quæ non terræ sor-
didum, nec aquarū humidū, nec aeris nebulosum, nec ignis
ipsius rutilum quicquā recipiat, ex quinta quadam vsia esse
asserunt: & velut volucrem mundi huius mentem velociorē
puriorémq; esse cęteris partib⁹. Nam aliæ mixtæ sibi & cō-
cretæ sunt. Nos autem nihil materialis compositionis immu
ne atque alienum putamus, præter illam solam venerandæ
trinitatis substantiam, quæ vere pura & simplex synceræ im
permixtæque naturæ est: quanuis aliqui putent de illa quin-
ta vsia lucem esse clariorē, de qua dixerit Dauid, quod deus
C circundatus sit lucem sicut vestimentum. Et Apostolus scri Psalm. 103.
pserit de ipso omnipotēte, quòd solus habeat immortalita-
tem & lucem habitet inaccessibilem. Qua autem ratione di 1. Tim. 6.
xerit quòd aues descenderint supra diuisa corpora vitulæ,
caprę atque arietis, nō facile dicam, nisi quòd omnia terre-
na, maritima, atq; ipsa aerea plena sunt insidiarū ac perturba Gene. 15.
tionum. Vidētur enim aues istæ cibi causa descendisse supra
corpora. Naturaliter autē violētiores potioréq; viribus su-
per infirmiores irruūt, & quasi mortuis corporibus incum-
bunt, ex improuiso frequentius irruentes: vel (quod verius
puto) quia princeps mundi huius, & volucres cœli spiritaliū
nequitiæ, quę sunt in eos qui mūdana solicitudine curáque
diuisi sunt, graui motu incessunt, & velut cadauera mortuo-
rum dilacerāt dēte aspero. De his enim dictū est. Relinque
mortuos sepelire mortuos suos: quia sunt de regno diaboli,
qui in seipsum diuisus est. Qui autem sunt dei, quibus dicit
D Iesus: Regnum dei intra vos est: hi non sunt diuisi, quia ad-
hærent deo, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus
est. Erunt enim, inquit, duo in carne vna: qui autem adhęret
domino, vnus spiritus est. Isti ergo non sunt mortua corpo- Matth. 8.
ra, vt volucres cœli comedant eos, sed sunt spiritus. Facit e-
nim deus angelos suos spiritus. Denique supra columbā &
turturem non descenderunt, quia diuisę istę aues non erant.
Non sunt enim diuisi iusti, quib⁹ dicitur vt sint simplices si-
cut columbæ. Ideóque dicit Dauid quia & passer inuenit si-
bi domum, & turtur nidum sibi, vt reponat pullos suos. Hęc
spectabat Abraham, hæc profundo & spirituali considerabat
intuitu. Ideoque scriptum est, Consedit. Non quasi aruspi-
cinę, sed quasi cœlestis reuelationis interpres, signa diuinæ
operationis explorans. Mens enim directa ad Christi gra-
tiam videbat hunc mundum plenū esse iniquitatis, quæ ve-
lut à summo cœli volaret, & opprimeret infirmos terræ: pu-
dicitiam autem, fidem, synceritatē, nullis esse obnoxias pas-
sionibus: auaritiā verò & solicitudines seculi quib⁹ suffocā-
tur qui habēt voluptates diuitiarū, dilacarari ac diuidi. Vn-
de & diuitiæ dictę sunt curæ, quòd mentē diuidāt, atq; in di
uersum scindāt, & in partes trahant, nec sināt incorruptam

esse & integram. Vir ergo pacificę mentis considebat & considerabat, quatenus prohibere cominus posset ea mala quæ hominibus inferuntur. Mens enim sapientis viri ac iusti mederi studet humanis casibus, & prohibere ac resecare animarum nostrarum labores.

Quid sibi velit quod post solis occasum excessus cecidit super Abraham: & quomodo ei non tam quæ futura erant declarabantur, quàm præscribebantur quæ facienda forent. Quid præterea singulariter per superiora author significari arbitretur. Caput IX.

Gene.15. DEnique quàm hoc Abraham spiritali & prophetico affectu fecerit, sequentia docent. Nã solis occasu excessus cecidit super eũ: & ecce timor magnus & tenebrosus incubuit super eũ.) Excessus prophetis fieri solet, sicut habes Prophetam dixisse. Ego dixi in excessu meo, omnis hõmo mendax. Excedit enim mẽs Prophetæ velut fines quosdam humanę prudentiæ, quando repletur deo. Et ante euacuat se cogitationibus & disceptationibus seculi huius, vt adueniẽti gratiæ spiritali puram se & exinanitam prębeat. Superuenit in eam spiritus sanctus magna se vi infundens, ita vt mens hominis subitò turbetur. Denique angelus venit ad Mariam, & cum sedulitate & gratia venit, & tamẽ Maria mota est in introitu eius. Vnde angelus ait ad eam. Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud deum: & ecce concipies in vtero, & paries filium. Cognoscimus ergo quia quando venit gratia dei super propheticam mentem, subitò irruit: & inde incubuisse & cecidisse super prophetas spiritum sanctum legimus, quia excessum patitur, & turbatur, & timet, & quibusdam ignorantię & imprudentię tenebris offunditur: sicut & in Actibus apostolorum legimus, quia circũfulsit lux super Saulum de cœlo, & cecidit, & horrore animi turbatus est, & audiuit vocẽ de cœlo dicentem: Saule Saule, quid me persequeris? Desinit enim videre secularia, qui incipit audire diuina. Vnde & timorem Abrahæ & tenebras mirari non debes, quasi præter virtutẽ aut meritum eius acciderint, cùm prophetarum consuetudini congruere aduertas, quando cognoscũt futura. Continuò autẽ dictum habes ad eum. Sciẽdo scies quòd peregrinum erit semẽ tuum in terra non sua, & seruitio opprimentur, & nocebunt eis, & humiliabunt eos annis quadringentis. Meritò tenebrosus horror magnus factus est, quia magna oracula deferebãtur, cùm de populo seculorum dabatur præceptum. Quomodo tam facilè capere istud mẽs humana poterat, maximè quæ admonebatur vt in hac peregrinaretur terra? Non enim tam quę futura erãt declarabantur, quàm prescribebantur quæ facienda forent. Peregrinũ, inquit, erit semen tuum, siue quia omnes homines peregrini esse debeamus in hac vita: (omniũ etenim pater est Abrahã) siue quia verũ semẽ Abrahæ peregrinatur in hoc mundo. Illud enim verũ semẽ est, de quo dictũ est. In Isaac erit semen tuum. Deniq; qui se Abrahæ hæredem agnosceret, ait. Aduena ego sum in hac terra & peregrinus, sicut omnes patres mei. Qui enim peregrinus hic fuerit, ciuis in cœlo est. Qui autem in hac terra omnem animæ suæ substantiam constituendam putauerit, hæreditatémque huius terræ acquirendam sibi exultauerit, à dei regno excludetur. Vnde Apostolus ad fideles viros, & ciues Hierusalem illius quæ in cœlo est, & ecclesię filios dicit. Ergo iam non estis peregrini, sed estis ciues sanctorum, & domestici dei. Non ergo hæc terra nostra est, de qua potest princeps mundi huius dicere, ostẽdens omnia regna orbis. Tibi dabo potestatem hanc si procidens adoraueris me. erunt omnia tua quæ sibi alieni vindicant, & seruitio opprimunt populum dei, vt seruis eius nocere, & humiliare conentur sanctos dei. Denique ipse filius dei nihil sibi ex hoc mundo vindicandum putauit: vnde ait. Venit mundi huius princeps, & in me inueniet nihil. Diuersi ergo domini in seruitute nos volunt tenere, incessit diabolus, infestant angeli eius, passiones motúsque corporis velut domestici atque intestini hostes inquietant. Foris pugnę, intus timores: foris pugnę, intus cupiditates. Aliena est enim terreni corporis substãtia puritati cordis, & ideo impugnat vel repugnat. Bellum ergo quotidianum est, & inter eadem graue prelium, donec deus misericors diabolum atque ministros eius iudicet, passiones restinguat, ac subiiciat menti sedulæ. Exquirat animas nostras de omnibus offensis, & periculi nostri authoribus, qui ait. Sanguinẽ animarum vestrarum exquiram de manibus omnium bestiarum. Et vt Ioannes dixit. Quia mors & infernus missi sunt in stagnum ignis. Itaque exibunt iusti, vt nihil de suo dimittant in hac terra, ne spolia eorum resideant apud incolas & possessores istius terræ. Quæ etiam si abibunt de terra Aegypti ista vasa quæ sumpserunt ab Aegyptiis mutuo vel aurea, inquit, vel argentea, quibus ad tempus vtentur, secum auferant, & deprædẽtur Aegyptios. Hæc vasa acceperunt voluntate domini, & secum ea auferunt, quia resurrectionis filij sunt, quibus dicitur. Non peribit capillus de capite vestro. Vasa hæc aegyptij dederũt, quæ de terra afflictionis sunt assumpta. Et sunt alia aurea, alia atgẽtea, quia omnis creatura dei bona, & maximè hominis in terris prestantissima, quem honorauit deus vt inspiraret in faciem eius spiritum vitæ, & omnibus præstolus. Habemus thesaurum in vasis fictilibus. Hæc est vestis Aegyptiorum qua vestitur anima nostra, vt locupletior hinc recedat, & quo hic vehemẽter laborat, liberetur. Non solum enim omnis creatura ingemiscit & patitur, sed etiam nos donec veniat redemptio corporis nostri. Habet dominus curam operis sui, habet naturæ promptæ in plerisque adorationem ac beneuolentiam. Neque excidi & perire patimur arbores quarũ circa primos fructus nobis futura prorumpunt, si posteriore ætate aut ventus decutiat, aut solardurat, aut suffulciẽda & subministranda virtute, siccitatibus deficiat substantia, sed melioribus auris deferimus examinandas. Et ideo dominus deus noster bonæ volũtatis remunerator, etiam primæ futuræ indolis contemplationem habens, omne colligi patitur animæ nostræ patrimonium, & reseruari futuri aduentus illud probaturus tempori. Memor itaque sui muneris quod immortale voluit esse æquis, sed si culpa non obrepsisset & grauis, quæ fecit vt non expediret diu viuere, ait ad Abraham. Tu autem ibis ad parentes tuos cum pace, nutritus in senectute bona. Patitur nos discedere ex hoc seculo, vt secessione animæ hoc corpus resoluatur in terram suam, & finis sit peccati, deinde per resurrectionem reformetur diuinę liberalitatis gratia. Ideo dicit ad Abraham. Tu ibis ad patres tuos. Nonnulli putauerunt patres esse elementa ex quibus cõstat caro nostra dum viuimus, & in quam resoluimur. Sed nos qui meminimus matrem nobis esse Hierusalem quæ sursum est, quæ libera est, quæ mater omnium nostrum, sicut dicit Apostolus: illos asserimus patres, qui vitæ merito & ordine præcesserunt. Erat illic Abel pia victima, erat pius & sanctus Enoch, erat Noe, ad eos promittitur Abraham transitus. Transit enim qui de hac vita recedens, ad vitam demigrat alteram, quia viuit mens sapientis & iusti viri qui nutritus est in pace. Nam insipiens in bello nutritur, & in discordiis, iustus in senectute bona viuit. Non dixit longa sed bona, quia iustus bene senescit. Iniustorum autem nemo, quanuis cornicibus viuacibus diuturniore vita vixerit. Nam diu viuere commune sapientibus atque insipientibus est. Bene autem viuere speciale sapientis est, cuius senectus venerabilis, & ætas senectutis vita immaculata: non diuturna, inquit, neque numero annorũ cõputata, nec capillis canis in capite, sed sensibus. Ille ergo bene senescit, qui bene senserit. Quarta autem generatione reuertentur. Historia quidẽ Iudæis videtur conuenire, qui in Aegyptum transierunt, & de Aegypto transierunt. Quadrigenti enim anni & triginta exacti illic eorum anni sunt, sed non omnes centenos, & quot excurrunt, annos vixerunt, sicut Moyses, aut Iesus Naue, vt quartæ generationis tempus conueniat. Vnde mysticum aliquid magis requiramus, eo quòd tetras omnibus numeris apta sit, & radix quædam decimæ ac fundamentum, hebdomadis quoque media. Denique nonagesimusterius psalmus scribitur, quarta sabbati, eo quòd hic numerus medius sit priorum & sequentium. tres enim præcedunt eum, primus, secundus, tertius: & tres sequuntur, quintus, sextus, septimus. Qui hunc psalmũ canit, velut aptis numeris vitam istius mundi transigit, quasi tetragonus, & stabilis atque

Pſalm.115. Lucæ.1. Actо.9. Gene.15. Ibidem. 21 Roman.9. Hebr.11. Pſalm.38. Epheſ.2. Matth.4. Ioan.14. 1.Corin.7. Apoc.20. Exodi.12. Luc. 2.Tim. 2.Corin. Geneſ. Galat. Sapient. Gene.15.

1025

atque perfectus. In quatuor enim libris plenum euãgelium atque perfectum est. Quatuor animalia mystica sunt. Mundi quoque istius partes quatuor sunt, ex quibus congregati filij ecclesiæ regnum Christi sacratissimum propagarũt, venientes ab Oriente atq; Occidente, Septẽtrione & Meridie. Quadripartito igitur latere sancta surrexit ecclesia. Decas quoque ex isto numero assurgit. Si enim connectas ab vno vsque ad quatuor, hoc modo decimam facies. Computa vnum, adde illi duo, fiunt tres: adde tribus tres, fiunt sex: & ad sex adde quatuor, fiunt decem. Tetras igitur decem implet, decas numerum omnem complectitur. Quatuor quoque ętates sunt hominis, pueritia, adolescentia, iuuentus, maturitas. Paulatim assurgit & fundatur. Sapiẽtia itaq; summa prudentiæ quarto ætatum ordine venit. Meritóq; & si quis ante sub rege Aegypti fuit, maturioris tamen consilij exit de potestate eius: & legem igitur agnoscit sequendam. Tunc fit ei istius vitæ mare peruium. Similis ratio his quę gignuntur solo. Vbi semẽ sparsum fuerit, soluitur humo. Et primo prorumpit in radicem, deinde germinat, formatur fructus, & postea matureſcit. Arbores quoque ipsæ primũ fructum ferunt, deinde adolescit fructus, accessu temporis mutat colorem, quarto ordine consummatur, hoc est nouissimo. Ita ergo & nos in terra hac afflictionis fugiamus lateres formare, sed lachrymis & gemitu vocemus domini misericordiã, vt mittat nobis Moysen & Aaron, hoc est legem & sacerdotem, illum verum sacerdotem, & sacerdotum principem, qui licet inter homines versaretur, dicebatur: Ecce spiritꝰ ante faciem nostram Christus dominus: & liberet nos de terra Aegypti, vt pascha domini celebremus. Feramus etiam fructum fidei ab ipsa pueritia, augeamus in adolescentia, coloremus in iuuentute, compleamus in senectute. Iam enim se- Matth.3. curis ad radicem arboris posita est, vt qui facit fructum, ferat. Adultam etiam maturámque segetem nostram messor inueniat, vt maturos fructus in apothecis recõdat, ne immaturos hyems deprehendat, ventus decutiat, pluuia coruſimpat. Ego tamen arbitror significari magis, inter aduentum domini priorẽ, & secundum qui futurus est iudicij dies, tempus mediũ. Ideo enim & ad solis occasum viro huiusmodi factus est pauor magnus, quia occidente iam mundo futurũ sacrificium declarabatur quo mundus redimeretur, fides esset hostia, quæ nõ diuideretur à filiis Abrahæ. Nam qui eam diuidunt, nõ sunt Abrahæ filij. Fides comparatur regno cœ- Matth.13. lorum. Simile est enim regnum cœlorum grano sinapis. Et simile est regnum cœlorum negociatori qui emit agrum, & inuenit in eo margaritam precioſam. Regnum cœlorum indiuisum est, quia regnum trinitatis vnum est. Ideo perpe- Luc.1. tuũ atq; æternum, quia indiuisum. Omne enim regnum diuisum facile destruetur. Hostia etiam foret pudicitia trinitati dicata, post illud sacrificium vitulæ quoque pro laboribus quia sacerdotalis est victima. Captæ autem, quia pro peccatis hostia. Arietis, quia pro omni mundo, & pro ipsis arietibus vel cœlestibus. Non solum pro hominibus, nec solum pro agnis, sed etiam pro hœdis quos peccatricis generationis fœtore exuit. Testificatur oraculum futuros adhuc in terra afflictionis Abrahę filios, vt in agone multorum & gratium certaminum se probent, & ita cum multa supellectili aureorum & argenteorum vasorum spoliis opimis exeant & reuertantur animæ, atq; exeant precioſa possidentes corpora, diuersarum virtutum, & præcipuè castimoniæ possessionum thesauro repleta, sumpturæ etiam Christi iudicio de diabolo & eius ministris, cæteríſque qui voluerunt nocere, vindictam. Tunc erit pauor magnus etiam iustorum. Nemo Rom.3. enim sine peccato. Omnes habebunt quod timeãt, quia im- Genes.15. pleta peccata erunt. Et cùm superabundauerit peccatum, superabundauit gratia. Iterum cùm iam sol esset ad occasum, flamma facta est. Et ecce fornax fumigabunda, & lampades ignis, quæ pertransierunt per media diuisa illa. Etiam si dubitaretur de superioribus, confirmarent sequentia, quando flammam factam ad occasum legimus, quæ illuminaret vespertina mundi tempora, & fulgeret in tenebris, ac reuelaret latentia. Denique continuò visa est fornax fumigabũda. Cuius similitudine exprimi videtur vita humana, quæ impliceta iniquitatibus seculi istius atque inuoluta, nõ habens

A veri fulgoris claritudinem, & splendorem synceri luminis, intus quasi fornax æstuat diuersis cupiditatibus, & quibusdam desideriorum anhelat ignibus: foris velut quodam fumo obtexitur, ne videat veritatis faciem. Obumbratur itaque & obducitur quadam caligine oculus animæ, vt confundatur globo quodam fumigantis nebulæ, mẽtis aspectus, ne pura sit aspectari negocia, donec cœlestes lampades dirigat dominus Iesus, hoc est fulgorem gloriæ suæ. Quando, in- Apoca.22 quit non indigebũt luce lucernæ, & lumine solis, quoniam ipse dominus erit lux omnibus, & ipse illuminabit omnia mundi istius, quorum supra cognita est diuisio, nunc manifestata in lumine, nunc per speculum in ænigmate, tunc nec 1.Cor.13. in parte, sed facie ad faciẽ veritatis soliditas, atq; illud quod perfectum est, possit videri.

Quòd significetur oraculo domini ad Abraham dicentis: Semini tuo dabo terram hanc &c. Ad quid etiam pertineat Sara vxor Abrahæ, quæ sterilis fuerat: & quid ancilla eius Agar significet. Qua ratione præterea Sara concluſa fuerit, & Agar filios pepererit. *Caput X.*

B POst hæc secutum est oraculum dei dicentis: Semini tuo dabo terram hanc à flumine Ae- Gene.15. gypti vsque ad flumen magnum Euphraten.) Qui futuram gloriam demonstrauerat, debuit etiam conferenda virtutum merita polliceri. Ipse enim & adiutor laborantium, & remunerator innocentium est. Ægyptus hic nomen non regionis sed fluminis est. Sic enim veteres Nilum vocabant, siue quòd ipse regioni nomen dedisset, siue quòd regionis accepisset vocabulum. Denique & poeta Græcus testificatur ita esse dicẽs: φῆσα δ' ἐν αἰγύπτῳ ποταμῷ νέας ἀμφιελίσσας. Odyss.8. Augustum autem & vile est, vt putemus quod cœlestibus signis terrena spoponderit. Itaque cnsideremus ne fortè perfectam beatitudinem & consummationem bonorum operum promiserit. Perfecta enim beatitudo ex tribus istis videtur subsistere, corporis, atque animæ, & accidentibus bonis, quæ Græci εὐόντα dixeruut, vt sit corporis castimonia, patientia, vel temperantia, sit animæ prudentia atque iustitia. Aegypti igitur flumen corporalia videtur significare. Vnde & Geon dictus est ipse fluuius, quia de terra figuratus est homo. Euphrates autem quæ sunt animæ, eo quòd fons sit iustitia cæterarum virtutum, quæ virtutes alias illuminet. Prudẽtia enim sine iustitia nocet. Fortitudo quoque nisi eam iustitia temperet, intolerabilis insolentia est, furori quam rationi proprior, dominationi quàm libertati. Sobrietas & temperãtia, priuata bona sunt, nec vllius vis, nisi iusta erga deum reuerentia, & fideli mente pietatẽ colas. Iustitia Matt.22. sola est quæ virtutes omnes cõplectitur, & commẽdat omnes. Accidẽtia quoque sunt negociationes, mercaturæ, & agricultura, cõperentia quæstus laborũ operúmq; ruralium. Ibidem.16 Sunt etiã corporis accidentia, salubritas, & cõmoditas valetudinis, decus, fortitudo, quæ ex tẽpore accidunt, & cum ætate mutãtur. Non mediocrẽ hanc triplicem gratiam putes. Habes enim perfectionẽ perfectam in euãgelio. Nã cùm dicit dominus Iesus legisperito illi. Diliges dominum deum Marc.10. tuum, animę iustitiã mandat tenendã. Etenim si honorari parentes iustum est, quãto magisparẽti omnium fieri debet honorificẽtia? Rursus cùm dicit: non occides, non adulterium, nõ furtum facies, nõ falsum testimonium dices: virtutes corporis seruandas admonet. In posteribus verò dicens. Nemo est qui relinquat domum aut parẽtes, aut vxorem, aut filios propter regnum dei, & nõ recipiat septies tantum in hoc tẽpore: in seculo autem vẽturo vitam æternã possidebit: nónne incremẽta bonorum accidentium cum animę corporisq; remuneratione promittit? Hæc quæ simplicibus verbis sacra scriptura exprimit, magno quodam cothurno Aristoteles & Peripatetici personãt atque extollunt. Pythagoricum quoque dogma esse testificãtur sui. Sed quis illorum æquauit Abraham tempore? Quis authoritate & sapientia dominum†, cuius oraculo triplicis huius gratiæ munus agnoscit? † domini. Dantur autem ei tanquam in disciplinam alienigenæ nationes, vt mens æqui obseruantissima, recidat vitia, emẽdet errata. Magis tamen euidens ecclesiæ declaratur mysterium, quia per apostolos qui sunt Israelitæ, quorum patres, & ex

C

D

quibus patribus Christus secundum carnem sub lege factus
Roman.9. est, congregãda ecclesia foret, crediturus populus nationũ.
Quos non ocioſè decem numero significauit, sed vt ostenderet quia illi ante perfidi, vbi mensurã pietatis implessent, profecto essent fidei adepturi coronam. Denique sequitur:
Gene.16. quia Sara vxor Abrahæ sterilis fuerat, quod ad ecclesiã pertinere, in ea expositione quã de moralibus scripsimus, apostolicis docuimus exemplis. Ecclesia enim sterilis videtur in hoc seculo, quia non secularia parturit, nec præsentia, sed futura, hoc est non ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Huius ancilla est synagoga, vel omnes hæreses, quæ seruos non liberos creat. Ideoque Agar dicitur habitatio. Etenim temporalis spem souet, non perpetuæ possessionis gratiam tenet. Itaque vt non insolens partu corporeo fiat ancilla eius, & ius ecclesiæ sibi vindicet, dicitur ibi. Eiice ancillam
Ibidem.21 & filium eius. non enim hæres erit filius ancillæ cum filio
Gala.4. meo Isaac. sed etiam in singulis Sara est, & in singulis Agar. Sara virtus vera est, vera sapientia. Agar autem est versutia, tanquam ancilla perfectioris virtutis. alia enim sapiẽtia spiritalis, alia sapientia huius mundi. Ideo etiã Aegyptia scribitur, quia philosophica eruditio abundauit in Aegypto. Denique & Moyses eruditus erat in omni sapientia Aegyptiorũ, sed abiecit eam præferens Aegypti thesauris opprobrium
Hebr.11. pro Christi nomine. Nã si illam iudicasset alicuius momenti esse sapientiam, non vtique dixisset. Precor domine, non
Exod.4. sum dignus ante hesternam & nudiustertianam diem, neq; ex quo cœpisti loqui seruo tuo: gracili enim collocutione, & tardiore lingua ego sum. Denique quasi inerudito respõdetur ei quod erudiretur à domino. Ego aperiam os tuum, & instruam te quod debeas loqui. Præclarum autem mysterium, quod lex non satis plena erat vt persuaderet populis, & gentes vocaret, vel quia clausa foret vsque ad Christi aduentum. Qui exponens nobis prophetica oracula, & proferens lectionis veteris testimonia, veluti quoddam os legis aperuit, vt fidei clamor in totum peruenirent orbem. Vnde &
Gene.16. mystice ait Sara. Cõclusit me dominus vt non pariam. intra ergo ad ancillam meam, & filium facies ex illa. vt agnoscas in prædestinatione fuisse semper ecclesiam dei, & paratam fidei fœcunditatem, quando iuberet dominus prorumpere, sed voluntate domini certo reseruatam tempori. Denique
2.Corin.6. scriptum est: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Aduertimus itaque quod festinabat fides ecclesiæ. sed concluſa erat eius fœcũditas. Quo verbo demonstratur quoniam expectabat partus sui tempora, quia quod conclusum est, aperiri solet: qua ratione cõcluſa fuerit, docet te A-
Rom.11. postolus dicens: Conclusit enim deus omnia in incredulitate, vt omnibus misereatur, vt non volentis neque currentis, sed miseẽtis dei esset gratia, ne te ipsum iustificares, sed omnia tribueres deo qui te vocauit. Nemo enim pigrescat, & excusationẽ prætendat, quo serius credat quia scriptum est, non volentis neque currẽtis esse. Consideret enim quid additum sit: Sed miserentis, inquit, dei. Talẽ te ergo præbe bonis studiis & prompta fide, vt deus tui misereatur, & vocet
Esaiæ 65. te sicut ecclesiam vocauit, dicens: Palam factus sum quærentibus me, apparui iis qui me non interrogabãt. Et rectè præ-
Rom.10. missa sunt deteriora, vt meliora sequerentur. Peperit ancilla seruos, vt eos ecclesia liberos faceret, & de seruitute populos ad libertatem vocaret, de culpa ad innocentiam, de offensa ad gratiam. Singulorum quoque hominum si spectes ordinem, non omnes à perfectis inchoauerunt, nec apud omnes tẽpore prima est, sed mer to antiquior perfecta virtus. Prudentis igitur mentis est cõsiderare quandiu imperfecta est anima, quæ sunt secũ deliberet, vt vel in posterioribus se exerceat virtutum disciplinis, donec exercitii vsu valescat. Dum vero se erroris inuolucris exuerit, & ab omni enodauerit offensione, consummatam sui purgationẽ exhibere, tunc suo nitatur ordine magnos partus edere. Præ-
Gene.17. terea dicitur Abrahæ: Esto sine reprehensione, cui dabatur spiritus sapientię sanctus, bene mobilis, immaculatus. Oportet igitur viri sapientis animam die noctúq; in exercitio iugi specula prætendere, nunquam somno indulgentem, perpetuis vigiliis intentam deo, ad comprehensionem rerum earum quę sunt, & singularum causarum cognitionem. Sed

etiam futurorum interpres sapientia est, scit præterita, & de
A futuris æstimat. Scit versutias sermonum, & solutiones argumentorum. Signa & monstra scit antequam fiant, & euẽtus temporum & seculorum. Nõ potest igitur bonus atque perfectus non esse qui hanc acquisierit, quia & omnem habet virtutem, & imago bonitatis est. Vnde & seculi istius sophistæ traxerunt diffinitionem huiusmodi, quod sapiẽs vir bonus dicendi peritus sit. Redeamus nunc ad donum dei, quo nihil plenius. Quid enim melius sapientia? Quid peius vanitate? Quid deterius superstitione? Ideoque tanquam ei cui promiserat plenitudinem perfectionis, ait: Augebo te valde, & ponam te in gentes, & reges de te erunt: quia qui eius Ibidem.
est, totus mundus diuitiarum est, & augetur, non minuitur vt stultus. Ponitur in gentes Abraham, hoc est, fides eius adgentes trãsfertur, & reges seculi qui crediderunt: & se subiiciũt domino Iesu, cui dicitur. Tibi offerent reges munera, Psalm.67.
Nec illud absurdum, quia ex genere Abrahæ non solum reges erunt dignitate, verumetiam illi reges qui peccato non seruiant, nec vincant eos malitia, supra quos regnum mors
B non habeat. Mentis quoque bonæ cognouimus reges esse & principes inuentiones, quę sicut Abraham mediocris quidem generationis prouentus non habet, sed abundat regalibus. Cui data est terra in possessionem, vt dominetur corpori, nec sit captiua carnalium voluptatum, sed quasi famulatu debito obnoxia caro mẽti seruiat. Secundum personam autem Abrahæ euidens mysterium ecclesiæ, quę totum orbem fidei hæreditate possedit. Bene pater electionis dicitur, pater fidei, pater piæ confessionis.

Quid nos doceat oraculum quo dictum est Abrahæ. Circumcidatis omne masculinum vestrum &c. Quomodo etiam plerique moueantur ex hoc quod dominus dixit. Quoniam qui non fuerit circumcisus masculus &c. Qua ratione præterea Sara vna litera fuerit addita, ac de futuri filij promissione &c. Quid denique significet quòd Abraham in faciem ceciderit. Et de promissi confirmatione, & responsione domini ad Abrahæ petitionem. Caput XI.

C  T quia ad perfectum vocatur, oraculũ perfectionis accipit. Circuncidatis, inquit, omne masculinum vestrum, & circuncidatis carnem vestram. Gene.17.
perfecta autem circũcisio spiritalis est. Deniq; & lectio hoc docet, cùm dicit. Circuncidite duritiã cordis vestri. Et hic plerique ita accipiunt, vt sit. Circuncidite omne masculinum vestrum, hoc est mentem vestrã. nihil est enim mente validius. Deinde quia masculinum sanctum dicitur, Exod.13.
Omnis masculus adaperiens vuluã, sanctus domino vocabitur. Quid autem mente sanctius, quæ dat bonarum semina cogitationum, quibus aperit vuluam animæ cõclusam pariendi sterilitate, vt possit illas inuisibiles generationes edere vtero illo videlicet spiritali de quo dicit Esaias. In vtero Esaiæ 26.
accepimus & parturiuimus spiritũ salutis. Circunciſio ergo cordis intelligibilis, circunciſio etiam carnis mandatur sensibilis. Illa in veritate, ista in signaculo. Gemina itaque circunciſio, quia & animi & corporis quæritur abstinentia.
Denique Aegyptij quartodecimo anno circuncidunt mares, & fœminæ apud eos eodem anno circuncidi feruntur,
D quod ab eo videlicet anno incipiat flagrare passio virilis, & fœminarum menstrua fumant exordia. Legis autem lator æternæ signaculum circunciſionis carnalis in solis maribus exigit, eo quòd ad mixtionis vsum vir muliere vehementior sit, & ideo ipsius impetum infringere voluit circunciſionis signaculo. Vel quia viri licito se errare credunt, si solo se abstineant adulterio: meretricos autem vsus tanquam legi naturæ suppetere putant, cum præter coniugium nec viro liceat nec fœminæ misceri alteri. Altiore autem interpretatione illud pãditur, quod si mens purgata & circunciſa sit, exutà superfluis voluptatibus & cogitationibus restringit animam ad sui castimoniam, purísque sensibus infusam bonorum facit partuum genitricem. Octauo autem die circũcidi puerum lex iubet, mystico ídque præcepto, quia ipse est resurrectionis dies. dominica enim die resurrexit dominus Iesus. Ergo si dies resurrectionis circunciſos nos & exutos nos inueniat delictorum superfluis, ab omni ablutos sorde, mundos à vitiis corporalibus, si hinc mundus exieris,

mundus

1029

mundus resurges. Circuncide igitur te non carne, sed vitio carnali. Et circuncide tuum non solũ vernaculum, sed etiam precio emptum. Si ad singula referas, vernaculi sunt motus naturales: precio empti, ratione & doctrina acquisiti. Egent autem illi & hi tanquam virgulta purgatione & incisione luxuriæ, ne vagentur vt sterilia sarmenta, & obumbrent inutilia fructuosis, velut quædam omni vitio distenta: multis incassum laborat: mysterij autem ratio dilucida. Vernaculi enim Iudæi, precio empti sunt gentes qui crediderunt, quia precio sanguinis Christi redẽpta est ecclesia. Ergo & Iudęus & Græcus, & quicũque crediderit, debet scire se circũcidere à peccatis, vt possit saluus fieri. Et domesticus, & alienigena, & iustus, & peccator, circuncidatur remissione peccatorũ, vt peccatũ non operetur amplius, quia nemo ascendit in regnũ cœlorũ nisi per sacramẽtũ baptismatis. Nec prodest superioris iustitia temporis, si in fine vitæ iustitiam derelinquerit. Ideo Paulus ait: Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. Sunt enim contraria, quia seruitus peccato contrahitur, & precio peccatum remittitur. Hæc igitur simplici expositione abundare ad intellectum opinamur. Ideoque nec cubos geometriæ, nec tetragonum numerum philosophiæ, quaternionem (vt aiunt) Pythagoricum, nec semper virgines (vt appellant) hebdomadis numeros cura discutimus inani, nec solis radios formamus, nec cœlum in puluere quærimus, nec intra angustos abacos orbem concludimus, sed vera aperimus mysteria, vnam salutem esse Christi resurrectionem. Complantemur ergo similitudini mortis eius, vt mereamur resurrectionis consortium. Et vetus homo noster sit crucifixus cruci, vt corpus destruatur peccati. Egregiè autem infantiæ in primis vagitibus circuncidi mares lex iubet, etiam vernaculos: quia sicut ab infantia circuncisio, ita & morbus. Nullum tempus vacuum debet esse tutelæ, quia nullum est culpæ vacuum. Et infans reuocandus à peccato est, ne idololatriæ polluatur contagio, & ne adorare assuescat idolum, & exosculari simulacrum, parentis violare nidum, pietatem lædere. Simul ne quisquam infletur quod sibi iustus videatur, ætatis maturioris processu Abraham circuncidi iubetur. Nec senex ergo proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas sacramento idonea. Et erit, inquit, testamentum meum in carne vestra. Forsitan referatur hoc loco quomodo spiritalem dicis circuncisionem, cum oraculum dicat. Erit testamentum circuncisionis in carne vestra? Quasi verò animæ solius & non passionum corporis exigatur temperantia. Nam & visus, & auditus, & odoris, & gustus, & tactus, & vocis ipsius quæritur quædã castimonia: quia & visus procacior habet crimen: & ideo scriptum est. Noli intendere fallaci mulieri, neque capiaris oculis, neque abripiaris palpebris. Et in ipso auditu crimen est, si seducat meretrix, & multo blandimento sermonis & laqueis labiorum suorum te alliget. Et in ipso tactu crimen est, ideo tibi dicitur. Ne multus fueris ad alienam, neque continueris amplexibus non tuam. Et in voce culpa est. Laqueus enim fortissimus est homini sua labia, & abducitur à labiis sui oris. Et mel ipsum noli multum edere, ne euomas. Oportet ergo vt omnium sensuum acuta sit moderatio, ne aut impetus in vitium trahat, aut nimietas lædat, aut mora offensioni sit. Non ociosè autem nec superflue plerique hoc qui sequitur loco moueri videntur. Ecquid ita dixerit dominus, quoniam qui non fuerit circuncisus masculus, & non circunciderit carnem præputij octauo die, peribit anima illa de genere suo, & testamentum meum interrupit. Graue enim putatur quod infanti octo dierum negligentia parentum fraudi esset futura, ita vt interiret anima eius, cùm ipsa lex etiam homicidæ qui tamen non voluntarium facinus necandi hominis impleuerit, ciuitates præscripserit ad quas confugiendo mereatur sanguinis impunitatem. Quomodo ergo aut illic ratio habetur fortuitæ necis, aut hic ratio infantiæ non habetur, in qua crimen non potuit esse aut dissimulationis, aut voluntatis, nisi fortè putent aliqui quoniam morte filij grauius puniũtur parentes? Sed iniustum putatur vt culpa nocentum inferatur pœna innocenti, vel propter pœnam nocentis innocens puniatur, aut fiat consors supplicij qui dispar est merito. Vnde putant quod de parente dicat exterminãdo, quod eius intereat anima, non paruuli. Sed valde ambiguum est, licet suffragetur huic assertioni quod ait, quia testamentum meum interrupit. Itaque hoc ad intelligentem magis quàm ad infantem referendum videtur. Alij grauiora parentibus vel silentio minitantem putant dominum deum, quo plus timeant maiores, quando nec infanti parcitur. Mihi autem satis liquido patet dictum de vniuscuiusque mente. Diximus enim masculi nomine mentem significari, quòd sit validus mentis vigor, & animam in sui copulam trahat, sitque vehementior tanquam sexu potior, & virili validitate. Ergo hæc ratio est, quòd omnis mens quæ non fuerit circuncisa à superfluis corporalibus, & purgata solenni munere vt exuat se passionibus & vitiis, interibit. Non caro, inquit, interibit, non homo, sed anima illa interibit, quia potuit salua fieri si habuisset purgationem. Nuda autem præsidij, & incircuncisi cordis colluuione infirmior, salutem generis sui non potuit seruare: omne autẽ genus videtur immortale, vt homo genus est, vt vllus species est. Homo semper dicitur, vllus non semper, imò non deficit vllus. Deficit qui fidem non habet, persona deficit vnius, conditio vel nomen hominum non deficit. Ex diuturno igitur & innoxio in id quod tẽporale est & noxiũ peccator deducitur, qui mentis suæ adscribere debet infantiæ quòd incautus fuit & intemperans, vel remissionem peccatorum non acquisiuit. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum necessitate. Habeant tamen illam opertam pœnarum immunitatem, nescio an habeãt regni honorem. Saræ quoque vna additur litera, scilicet, vt vocaretur Sara. Quod vtique par est, vt in superioribus, non vnius adiectione pensari literæ. Non enim munus deo est vna litera, sed virtus literæ, quæ exprimit muneris diuini gratiam. Sara enim dicitur ἀρχὴ ἐμὴ, hoc est potestas mea, vel principatus mei initiũ, vel regis. Sara Græcè dicitur ἀρχουσα, Latinè quæ regat. Illa mortalis, ista immortalis: illa specialis, ista generalis. Est nanque in me prudentia, in me castimonia, in me virtus, in me iustitia, me solum regunt, & mihi dominantur, & sunt mortales. Moriẽte enim me soluuntur & moriuntur etiam illa: quę autem prudentia generaliter dicitur, quæ castimonia, quæ fortitudo, cæterę́que virtutes principales, generaliter principales, & reginæ quædam immortales, in his potestas est immortale illud principale, sicut est regina ecclesia, quæ non me vnum, sed vniuersos regit. Ergo speciem in genus, partem in vniuersitatem, corruptibilitatem in incorruptibilitatem conuersam videmus: quę omnia ecclesiæ conuenire certum est. Non enim specialis hæc, sed generalis ratio est, nec partis sed vniuersitatis salus. Ideóque his præcedentibus cum vnumquę́que prudentia sua ad hanc principalẽ & diffusam per omnes salutem deduxerit, in qua fons sapientię iustitiæque est, requiritur generatio, & ille perfectus partus iucunditatis, cuius nomen est Isaac. nulla enim melior est voluptas quàm emendatę gratia conscientię. Hinc Epicuri traxerunt summum bonum voluptatem esse, sed eam corporis magis inquinamento quàm sobrietate mentis æstimauerunt. Quid est autem quod ait: Cecidit in faciem Abraham, & risit? Et hic reuerentia significatur, quod timuit deum velut libero risu lędere, quanuis risus lætitiam declararet viri iusti, qui tantis gratulabatur promissis. Non enim dubitantis hic risus, sed credentis fuit. Simúlque cadunt ante deum omnia, & mutantur & transeunt, sola illa immutabilis stat semper substantia, aut fortasse & in hoc mysterio prophetauit Abraham dominum Iesum, quòd per susceptionem dominici corporis & resurrectionem tanti complẽda oraculi gratia foret. Adorat igitur non elemẽtum terrę, de quo dictũ est: Et adorate scabellum eius, quoniã sanctum est. Vbi enim corpus, ibi & aquilę, quę ado rauerunt versantẽ in corpore. Et dixit, inquit, in corde suo: Si centũ annorũ nascetur filius, & si Sara nonaginta annorũ pariet? Gręcus ἐν τῇ διανοίᾳ posuit, vt possimus ęstimare qu a cordi suo quasi dixerit alternãti secũ, si cẽtenario nascetur, & nonagenaria pariet? hoc est, ętas generandi pręteriit.

1 Cor. 7.
Rom. 6.
Gene. 17.
Prouer. 5.
Ibidem.
Ibidem. 25.
Gene. 17.
Ioan. 3.
Gene. 17.
Hic videtur aliquis assuisse suas nugas.
Gene. 17.
Psalm. 98.
Matth. 24.
Gene. 27. vel ἐν ᾧ ἐγ

Deo omnia sunt possibilia. Et ideo facile istud, vt senibus reuocet iuuentutis annos, vires refundat, sterilibus det fœcunditatem. Nec illud prætereundum quod promissa sibi generatione legitima respõdit Abraham deo: Hismael viuat hic
Gene.17. in cõspectu tuo. Iusti est etiam pro peccatoribus interuenire. Et ideo vel hoc credãt Iudæi, quia & pro ipsis interuenit. si tamen credãt. hoc est enim viuere in conspectu dei digna
Psalm.33. dei verbo negocia gerere. Oculi domini super iustos. Vnde
Gene.17. & dominus ait, Etiam: Ecce Sara vxor tua pariet tibi filium. De Hismael autem exaudiui te. Etiam cùm dicit, confirmat promissa. confirmatiuum etenim verbum est. Et ideo prius generationem ecclesiæ confirmat futuram, vt verum recognosceret propheta quod de Hismael se audisse dixisset deus, præuidens quia cæcitas ex parte Israel haberet contingere, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel sal-
Rom.11. uus fieret. Itaque sicut testamenta hominum prius hęredem ferunt, postea legatum exprimunt, melioribus hæreditatem, inferioribus legata: ita in deum in testamento vnum, & nos hunc morem accepimus. Hæres scribitur natura bonus, nobilis, legitimo creatus coniugio. Legato donatur inferior. Promittitur aũt generatio sequenti anno, vt aduertas quam generationem polliceatur dominus, hoc est, non illam veteri corporalis Saræ, sed iustum partum ecclesiæ, qui esset futurus. Denique & infra ait. Reuertar ad te in futurum, & erit Saræ filius. In quo vtrunque possumus accipere, & hunc cõ-
Gene.18. uẽtum ecclesiæ, & fidelium resurrectionem. Tertiodecimo
Ibidem.17 quoq; anno quòd circunciditur Hismael, ratio euidens: quia is qui incipere habet vti cognitione fœminæ, ante debet recidere in se ardorem libidinis, vt superfluis abstineat commixtionibus, coniunctioni tantum legitimæ reseruet. Mentem quoque sapientis hospitalem esse decet, vt etiam aliis impertiat sui gratiam, & prudentiæ suæ fructum aliis quoque diuidat, atque epulentur bonis doctrinæ cibis, epulúmque eius exhibeat desiderantibus. Tunc præterea nesciat nisi secũdum naturam viuere, in cuius instituto & ordine dei lex est. Nulli se transuersali cupiditati miscere nouerit, solius sapientiæ præoptet copulam. Mandatis dei, seculi istius gloriam, & quandam præsentis laudis hæreditatem præferre nesciat. Atque vt altaribus domini suas immolet vtilitates, ita iudicij ignem non excipiat, neque reformidet, sed magis etiam vt alios eripiat, elaboret.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE ISAAC ET ANIMA.

De commendatione sancti Isaac tam ex paterna origine, & gratia, quàm ex dominicæ generarionis & passionis præfiguratione, quæ & nomine suo significatur: ac de apertione mysterij inter Christum per Isaac designatum, & animam repræsentatam per Rebeccam. Caput I.

De admonitione hominis vt intueatur qui sit, quo salutem suam vitámque tueatur, & quid sit homo. Quídve ac qualis sit anima tam secundum sui naturam, quàm per irrationabilem sui partem, qua obnoxia fit corruptioni. Caput II.

De perfectæ animæ primíque processus eius descriptione, quomodo charitatis impatiens, & verbi moras non ferens rogabat vt oscula mereretur, & meruit desideratum videre. Caput III.

De secundo perfectę animæ processu, quo introducta in cubiculum regis, cum mutua miscereret alloquia, in vmbra eius requieuit, & subito eius verbo de medio sermone discessit: quęrẽti tamen non diu abfuit, sed saliens supra montes, & transiliens super colles aduenit. Nec multo post quasi capreolus aut ceruorum hinnulus dum affatur dilectam, exiliuit & reliquit. Caput IIII.

De tertio ipsius animæ processu, quo cum in cubili & noctibus, in ciuitate, in foro, & in plateis quæsitum non repe risset, aliquando rationibus suis gratia quærentem reuocauit, adeo vt ab eius sponso proprius vocaretur. Caput V.

De summaria dictorum perstrictione, cum inductione, & prosecutione quarti processus perfectæ animæ quo ipsa iam dormiens, quanuis corde vigilaret, à spõso excitatur, vt continuo vocem pulsantis audiret. Sed moram passa dum surgit: quia velocitatem verbi non potuit comprehendere, dum aperit ostium, transiuit verbum, & ipsa exiuit, & per vulnera charitatis requisitum vix tandem inuenit, & tenuit, vt postea non amitteret. Caput VI.

De laudatione animæ à sponso, quod tam bene & constanter requisierit eum, & quod tam fidelis, & verbo potens, & fructibus fœcunda diuersis, quódque vna sicut columba habens spiritus vnitatem, in qua sit pax, quæ fecit vtraque vnum. Caput VII.

Anima dum laudatur à sponso, verecundè refugiens coram laudari, & reuocata à sponso, quid dicat. De præconiis. quoque bonæ animæ, singularíque laude charitatis. Caput VIII.

Diui Ambrosij MEDIOLANEN. EPISCOPI, *de sancto Isaac & anima Liber vnus.*

De commendatione sancti Isaac tam ex paterna origine & gratia, quàm ex dominicæ generationis & passionis præfiguratione, quæ & nomine suo significatur. Ac de apertione mysterij inter Christum per Isaac designatum, & animam repræsentatam per Rebeccam. Caput I.

IN patre nobis sancti Isaac vel origo satis est expressa, vel gratia, cum ad omnem redundat gloriam quòd tanto & tam imitabili viro natus Abrahæ patri primùm fuit. Neque verò istud mira- Gene.21.
bile, cùm in eo dominicæ generationis Ibidem.21
& passionis figura præcesserit. Siquidem & sterilis anus ex promissione dei peperit eum, vt crederemus quòd potens est deus facere, vt posit & virgo generare. & oblatus vnicus ad immolandũ, qui & patri non periret, & impleret sacrificium. Itaque ipso nomine figuram & gratiam significat. Isaac etenim risus Latinè significatur. Risus autem insigne lætitiæ est. Quis autem ignotat quòd is vniuersorum lætitia sit, qui mortis formidolosæ vel pauore compresso, vel mœrore sublato, factus omnibus est remissio peccatorum? Itaque ille nominabatur, & iste designabatur, exprimebatur, & annunciabatur. Ipse est quem iam tunc persequebatur ancilla, ipse est propter quem iam tunc dicebatur. Expelle ancillã & filium
Ibidem.21 eius. nõ enim hæres erit filius ancillæ cũ filio meo Isaac. Ipse
Genes.16 est cui pater alienigenam acquisiuit sponsam. Ipse est mitis,
Ibidem. humilis, atque mansuetus. qui veniente Rebecca, hoc est patientia, exiuit in campum, abalienare. Sapientis enim est segregare se à voluptatibus carnis, eleuare animã, atque à corpore abducere. hoc est enim se hominem cognoscere. Qui Chaldæorum sermone Enos dicitur, Latinè homo. Enos autem, qui assumpsit & sperauit inuocare deum, & ideo creditur esse translatus. Non videtur itaque homo esse, nisi is qui in deum sperat. qui autem sperat in deum, non degere in terris, sed quasi translatus adhærere deo, manifesta viri interpretatione signatur. Bonus igitur Isaac, verus, vtpote
Ibidem. plenus gratiæ, & fons lætitiæ. Ad quem fontẽ veniebat Rebecca vt impleret hydriam. Dicit enim scriptura. Quia descendens ad fontem, impleuit hydriam, & ascendit. Descendit itaque ad sapientiæ fontem vel ecclesia, vel anima, vt rotum vas impleret suum, & hauriret puræ sapientiæ disciplinas, quas haurire Iudæi de fonte profluo noluerunt. Quis iste fons sit, audi dicentem. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Ad hunc fontem currebat sitiens anima prophetarum, sicut & Dauid dicit. Sitiuit anima mea ad deum viuum, Hieremi. Psalm.41.
vt sitim suam vbertate diuinæ cognitionis expleret, & insipientiæ sanguinem spiritalium rigatu diluceret fluentorum. Hic

1033

Hic est enim fluxus sanguinis, sicut significat lex, qui deo-
A ritur quando vir sed enti in diebus sanguinis sui mulieri mis-
cetur. Mulier est delectatio corporalis illecebræ. Itaque ca-
ue ne vigor mentis tuæ coitu quodam corporeæ voluptatis
inflexus emolliatur, atque in eius amplexus omnis resoluа-
tur, & fontem eius aperiat, qui debet esse clausus & septus
intētionis studio, & cōsideratione rationis. Ortus enim clau
Cant.4. sus, fons signatus. Nanque mentis resoluto sensu se corpo-
rales delectationes effundunt, pernicioſæ nimis, & in appe-
tentiam plenam grauis periculi proruentes: quòd * si mentis
4.pa viuidæ considerata mansisset custodia, refrænasset.

De admonitione hominis vt intueatur qui sit, quo salutem suam vitámque tueatur, & quid sit homo. Quidve ac qualis sit anima tam secundum sui naturam, quàm per irrationabilem sui partem, qua obnoxia sit corruptioni. Caput II.

INtuere igitur ô homo qui sis, quo salutē tuam
vitámque tuearis. Quid est itaque homo? V-
trum anima, an caro, an vtriusque copula? Aliud
B enim nos sumus, aliud nostrum: alius qui indui-
tur, & aliud vestimentū. Legimus in veteri testamento. Om-
nes animæ quæ descenderunt in Aegyptum, de hominibus
Gen.46. dictum. Et alibi dictum est: Non permanebit spiritus meus
Deut.6. in hominibus istis, quoniam carnes sunt. De alterutro igitur
legitur, quia homo dicitur & de anima, & de carne. Sed illa
discretio est, quòd vbi anima pro homine ponitur, Hebræus
significatur deo adhærens, non corpori, vt est illud. Anima
benedicta omnis simplex. Vbi autem caro pro homine nun-
cupatur, peccator exprimitur, vt est illud. Ego autem carna-
Rom.7. lis sum, venundatus sub peccato. quod enim operor, non co-
gnosco. Non enim quod volo ago, sed quod odi illud facio.
Hoc iam posterius de vtroque. Alius est enim qui vult, alius
qui odit, alius qui facit. Denique addidit: Si ergo quod odi,
hoc facio, consentio legi, quoniam bona est: nunc autem
iam non ego illud operor, sed quod habitat in me peccatum.
Illud quoque expressius. Video legem carnis meæ repugnan
C tem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Et
tamen cùm vtrunque in se concertantem hominem decla-
rasset, hoc est interiorem & exteriorem: in animæ magis
quàm in corporis parte simulauit se constituere quod ani-
ma sua traheretur captiua ad peccatum, in qua esse se mallet,
& esse confirmat, dicens. Infœlix ego homo, quis me libera-
bit de corpore mortis huius? Tāquam ab extraneo hoste ita
se desiderat liberari à corpore. Non ergo sanguis anima quia
carnis est sanguis: neque harmonia anima, quia & huiusmo-
di harmonia carnis est: neque aer anima, quia aliud est flati-
lis spiritus, aliud anima: neque ignis est anima, neque entele-
chia anima: sed anima est viuens, qua factus est Adam in a-
Gen.1. nimam viuentem, eo quòd insensibile atque exanimum eor-
pus anima viuificet & gubernet. Est & prestantior homo, de
1 Cor.2. quo dicitur: Spiritalis autem diiudicat omnia, ipse autem à
nemine iudicatur. Hic est præstantior cæteris. Vnde & Da-
Psal.143. uid dicit. Quid est homo quod memor es eius, aut filius ho-
minis, nisi quod visitas eum? Homo vanitati similis factus
est. Non ille secundum imaginem dei homo vanitatis est: sed
D qui illud amisit, & in peccatum decidit, & in materialia ista
dilapsus est, iste homo est vanitatis. Anima igitur secundum
sui naturam optima est, sed plerunque per irrationabilem
sui partem obnoxia fit corruptioni, vt inclinetur ad volu-
ptates corporis, & ad petulantiam, dum mensuram rerum
non tenet, aut fallitur opinione, atque inclinata ad materiam
agglutinatur corpori. Sic visibile eius impeditur, & malitia
repletur: quia dum intendit malitiæ, eius se vitiis replet, &
fit defectu bonitatis intemperantior.

De perfectæ animæ primique processus eius descriptione, quomodo charitatis impatiens, & verbi moras non ferens, rogabat vt oscula meteretur, & meruit desideratum videre. Caput III.

PErfecta autem anima auersatur materiam, omne
immoderatum, mobile, malignum refugit ac re-
spuit: nec videt, nec appropinquat ad illius ter-
renæ labis corruptionem, diuinis intendit, terre-
nam autem materiem fugit. Fuga autem est non terrena re-
linquere, sed esse in terris, iustitiam & sobrietatem tenere:
renunciare vitiis, non vsibus elementorum. Fugiebat Da-
uid sanctus à facie Saul, non vtique vt terras relinqueret, 1.Reg.21.
sed vt immitis & inobseruantis & perfidi declinaret contа-
gium. Fugiebat autem adhærens deo, sicut & ipse ait. Ad- Psal.62.
hæsit anima mea post te. Adducebat se, & ableuabat vitiis
seculi huius, eleuabat animam suam sicut Isaac in campo, vel
abalienabat, vel (vt alij habēt) deambulabat. Nā hoc quoque
ostendit cum virtutibus familiare habere cōsortium, vt de-
ambulet vnusquisq; in innocentia cordis sui, nullo vsu ter-
renis vitiis misceatur, atque irreprehensibilem viam inof-
fenso mentis carpat vestigio, nec vllum locum in se aperiat
corruptioni. Talis enim erat Isaac cùm Rebeccam adue- Gene.24.
nientem expectaret, præparans se copulæ spiritali. Venie-
bat enim iam cœlestibus dotata mysteriis, veniebat ma-
gna secum ornamenta aurium & manuū ferens, eo quòd au-
ditu & operibus emineat ecclesiæ pulchritudo, cui rectè di-
ctum aduertimus. Esto in milia milium, & semen tuum pos- Ibidem.
sideat aduersariorum ciuitates. Decora igitur ecclesia, quæ
ex inimicis gentibus filios acquisiuit. Sed potest hoc etiam
ad animam deputari, quæ passiones corporis subigit, & ad
virtutum officia conuertit, repugnantésque motus sibi obe-
dientes efficit. Ergo vel anima patriarchæ videns mysterium
Christi, videns Rebeccam venientem cum vasis aureis &
argenteis, tanquam ecclesiam cum populo nationum, mirata
pulchritudinem verbi, & sacramentorum eius, dicit. Oscule- Canti.1.
tur me ab osculis oris sui. Vel Rebecca audiens verum† I- † virum
saac, verum illud gaudium, veram lætitiam, desiderat oscula-
ri. Quid est igitur, Osculetur me ab osculis oris sui? Consi-
dera vel ecclesiam iam diu promisso sibi per prophetas do-
minico aduentu per tempora multa suspensam, vel animam
quæ eleuans se à corpore, abdicatis luxuriæ deliciis, volu-
ptatibúsque carnalibus, exuta quoque solicitudine secula-
rium vanitatum, iam dudum infusionem sibi diuinæ præsen-
tiæ, & gratiam verbi salutaris exoptet, commacerari quod
sero veniat, & affligi. Ideoque quasi vulneratam charitate,
cum moras eius ferre non possit, conuersam ad patrem ro-
gare, vt mittat sibi deum verbum: & causam qua sit ita im-
patiens, declarare, dicentem. Osculetur me ab osculis oris
sui. Non vnum osculum quærit, sed plura oscula, vt desi-
derium suum possit explere. Quæ enim diligit, non est vа-
nius osculi parcitate contenta, sed plura exigit, plura vindi-
cat, & ita se amplius dilecto commendare consueuit. Deni-
que illa in euāgelio sic probata est, quia non cessauit, inquit, Lucæ 7.
osculari pedes meos: & ideo remissa sunt ei peccata multa,
quia dilexit multum. Ergo & hæc anima oscula verbi mul-
ta desiderat, vt illuminetur diuinæ cognitionis lumine.
Hoc est enim osculum verbi, lumen scilicet cognitionis sa-
cræ. Osculatur enim nos deus verbum, quādo cor nostrum,
& ipsum principale hominis spiritu diuinæ cognitionis illu-
minat, quo anima donata charitatis pignore nuptiali, læta
atque ouans dicit: Os meum aperui, & duxi spiritum. Oscu- Psal.118.
lum est enim quo inuicem amantes sibi adhærent, & velut
gratiæ interioris suauitate potiuntur. Per hoc osculum ad-
hæret anima deo verbo, per quod sibi transfunditur spiri-
tus osculantis: sicut etiam ij qui se osculantur, non sunt la-
biorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi inui-
cem videntur infundere. Ostendens itaque non solam spe-
ciem verbi, & vultum quendam, sed omnia eius interiora di-
ligere, adiungit ad osculorum gratiam. Quia bona, inquit, Canti.4.
vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum su-
per omnia aromata. Illa osculum poposcit, deus verbum
se ei totus infudit, & nudauit ei vbera sua: hoc est, dogma-
ta sua, & interioris sapientiæ disciplinas, & vnguentorum
suorum dulci odore fragrauit. Quibus capta, iam dicit vbe-
riorem esse iucunditatem diuinæ cognitionis, quàm lętitiam
omnis corporæ voluptatis. Aspirat enim in verbo odor
gratiæ, & remissio peccatorum, quæ in totum diffusa mun-
dum, omnia tanquam exinanito repleuit vnguento: quia per
vniuersos grauis vitiorum colluuies detersa est. Propterea,
inquit, adolescentulæ dilexerunt te. Attrahe nos, post odo-
rem vnguentorum tuorum curramus. Bona quidem pru-

dentia,sed dulcis misericordia. Illam enim pauci assequuntur,hæc ad omnes peruenit.Propter hanc,inquit, indulgentiam tuam diligunt te animæ renouatæ spiritu. Vnde & ad animam dicitur:Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Ad animam enim loquebatur dicens:Benedic anima mea dominum.Et ideo festinat ad verbum , & rogat vt attrahatur,ne fortè derelinquatur : quia currit dei verbum , & non est alligatum.Denique exultat tanquam gigas ad currendam viã. Et quia egressus eius à summo cœlo, & occursus eius vsque ad summum eius : videns se imparem tantæ velocitati,dicit: Attrahe nos.Bona anima,quæ non pro se sola,sed pro omnibus rogat.Attrahe,inquit,nos. Habemus enim cupiditatem sequendi, quam vnguentorum tuorum inspirat gratia. Sed quia cursus tuos æquare non possumus:attrahe nos, vt auxilio tuo fultæ,vestigiis tuis possimus insistere. Si enim tu attraxeris, curremus & nos, & spiritalia velocitatis flabra capiemus. Deponitur enim sarcina quibus manus tua fulcro est:& oleum tuum infunditur, quo curatus est ille qui à latronibus vulneratus est.Ac ne impudens tibi videatur quod ait, Attrahe nos:audi dicentem:Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati estis, & ego vos reficiam. Vides quod libenter nos attrahit,ne remaneamus sequentes. Sed qui vult attrahi, currat vt comprehendat, & currat superiora obliuiscens,& ea quæ sunt priora appetens: sic enim poterit Christum comprehendere.Vnde & Apostolus dicit:Sic currite vt comprehendatis.Vult & ista ad brauium peruenire,quæ desiderat comprehendere.Prudenter ergo rogat vt attrahatur: quia non omnes sequi possunt.Denique Petro dicenti, Quo vadis? Respondit verbum dei : Non potes me sequi modo, sequêris autem postea. Claues ei cõmiserat regni cœlorum, & sequendo se imparem iudicauit. Hanc tamẽ animam non distulit:quia non præsumebat,sed rogabat. Denique ait:Introduxit me rex in cubiculum suum.Beata anima,quæ verbi ingreditur penetralia.Insurgens nanque de corpore, ab omnibus fit remotior,atque intra semetipsam diuinum illud, si quo modo assequi possit,scrutatur & quærit.Quod cùm potuerit comprehendere,ea quę sunt intelligibilia supergressa, in illo confirmatur,atque eo pascitur. Talis erat Paulus, qui sciebat se raptum in paradisum:sed siue extra corpus raptum siue in corpore,nesciebat.Assurrexerat enim anima eius de corpore,& se à visceribus & vinculis carnis abduxerat atque eleuauerat, factúsque à semetipso alienus, intra semetipsum tenuit verba ineffabilia quæ audiuit,& vulgare non potuit: quia aduertit ea loqui homini non licere. Anima ergo bona contemnit visibilia & sensibilia,nec cõsistit in eis,nec in despiciendis his immoratur & residet,sed ascendit ad illa æterna,& inuisibilia, & plena miraculi, puro sensu se piæ mentis attollens.Etenim perfectioni studens,solum illud bonum diuinitatis intendit, nec aliud quicquam requirendum putat: quia tenet quod summum est.Itaque vir huiusmodi, in quo est animæ pulchritudo, solus sibi abundat : quia ipse sibi est satis.Nec solus aliquando est,cui præsul dominus adest.

De secundo perfectæ animæ processu,quo introducta in cubiculum regis,cum mutua misceret alloquia,in vmbra eius requieuit,& subito eius verbo de medio sermone discessit:quærenti tamen non diu abfuit, sed saliens super montes, & transiliens super colles,aduenit. Nec multo post quasi capreolus,aut ceruorum hinnulus , dum affatur dilectam, exiluit,& reliquit. *Caput IIII.*

DEnique in illud diuini illius introducta secretum, Exultemus,inquit,& lætemur in te:diligamus vbera tua super vinum. Non enim in diuitiis auri, argentíque thesauris,non in possessionum fructibus,non in potestatibus,non in cõuiuiis, sed in solo deo exultat. eadem tamen anima cognoscens se corporis societate fuscatam,dicit ad alias animas,vel ad aliâs cœlestes & appositas sacro ministerio potestates. Nolite aspicere me quoniã obfuscata sum,quoniam non est intuitus me sol. Filij matris meæ pugnauerunt aduersum me:hoc est impugnauerunt me corporis passiones,carnis illecebræ decoloraverunt me : ideo mihi sol iustitiæ non refulsit. Quo viduata præsidio, deuotionem meam, & obseruantiam plenam seruare non potui.Hoc est enim, Vineam meam non custodiui,quia spinas & non vuam attuli:id est, faciens peccata pro fructibus. Et cum de verbo loquitur,irradiante sibi verbi splendore conuersa ad ipsum dicit. Vbi pascis ? vbi manes in meridiano? Rectè dicit, Vbi pascis?quia regulare est dei verbum . Vbi manes?quia morale.In meridiano,quia mysticum.Siquidem quia meridie Ioseph cum fratribus suis in conuiuio constitutus,futurorum temporum mysteria reuelabat. Sed etiam Dauid ait:Reuela ad dominum viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet:& educet sicut lumen iustitiam tuam , & iudicium tuum tanquam meridiem.Et ipse Paulus circumfulsisse sibi lumen meridie asseruit, quando à persecutione est conuersus ad gratiam. Queritur ergo quod derelicta sit, quod destituta sit pauper ex diuite.Abundabat enim munere gratiarum,sed egere cœpit vbi diuinæ præsentiæ sibi copia denegata est:& ideo vel quasi mercenaria haberi postulat, quæ ante sibi preciosioris copulæ gratiã vindicabat. Cui respondit verbum dei:Nisi cognoscas te decora inter mulieres,quæ quereris quòd relicta sis:nisi te cognoscas , nisi te pœniteat lapsus tui , nisi intentionem deuotionis approbes , nisi fides tua & synceritas augeatur : querela nihil proderit. Ac sic: Nisi cognoscas te quia decora es, nisi pulchritudinem naturæ tuæ serues , & corporis te illecebræ non demergant , nec impedimenta detineant:nihil tibi naturæ melioris nobilitas suffragabitur.Cognosce igitur te,& naturæ tuæ decorem,& exi quasi exuta vinculis pedem, & nudo exerta vestigio , vt carnalia integimenta non sentias,vestigium mentis tuæ corporalia vincula non implicent , vt pes tuus speciosus appareat. Tales enim sunt qui ad regnum cœlorum annunciandum eliguntur à domino,de quibus dictum est. Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem. Talis Moyses, cui dicitur : Solue calciamentum pedum tuorum : vt vocaturus populum ad dei regnum,prius carnis exuuias deponeret, & nudo spiritu vestigióque mentis incederet. Hoc est ergo quod ait:Exi tu in calcaneis gregum, & pasce hœdos tuos in tabernaculis pastorum : quia per greges regnum intelligimus,eo quòd potestatis sit gregibus præsidere. Præsidet autem vnusquisque sibi quadam potestate regali,si coerceat in se corporis luxus,& seruituti redigat carnem suam.Ideoque dictum est : Regnum dei intra vos est. Vnde pulchrè ait ad animam : Exi,id est exi à seruitio,exi à carnis imperio atque dominatu:& exi non in carne , sed in spiritu, exi ad regimen potestatis. Ideoque addidit:Pasce hœdos tuos, hoc est,rege ea quæ in sinistra tua sunt:nam si non regantur,facilè labuntur.Coerce petulantiam,lasciuiam tui corporis,& luxuriam irrationabilem,edoma leues motus, pasce eos non in corporeis tabernaculis : sed in tabernaculis pastorum, qui regere gregem norunt.Sunt enim amabilia tabernacula Israel,sicut nemora obumbrantia super flumen : in quibus anima tanquam in procinctu bellico sita bonam exercet militiam, incursus explorat hostiles. Virtutis labor quærit victoriam, vt possit equæ illi quæ Salomonis est cõparari,velox ad currendum,habilis ad partum:quoniam fœcunditas animæ desideratur & quæritur.Hæc ergo equa preciosa, & currus Pharao veloces, quod aliqui ad ecclesiam referunt & ad populum. Sed de hoc mysterio alibi sæpius diximus, & maximè in psalmo centesimo octauodecimo.Hoc autem loco de anima dicendum suscepimus. Huius equæ similis æstimatur hæc anima : hoc est , propheticæ vel apostolicæ virtutis:eo quòd in eorum annumeretur gregẽ, qui fœcunditate prædicationis suæ totius orbis terrarũ spatia resperserunt, & quáuis in corpore constituti,nulla tamen cursus spiritalis sensuis in corpore constituti,nulla tamen cursus spiritalis sensere dispendia.Ideoque laudatur,quòd cœlesti sibi illuminante præcepto,iam speciosa,iam pulchra sit, quæ vultu præfert castitatis decorem,& redimicula ceruicis attollat, in qua sunt patientiæ & humilitatis insignia.Talis animę diligebat Isaac verus decorem,humilitatem,patiẽtiam:& ideo partus eius auidè requirebat.Concepit autem Rebecca, & patiẽtia sua nodum sterilitatis absoluit.Quid autem pariat prophetica atq; apostolica anima,consideremus, & quomodo pariat. Abiit,inquit,interrogare dominum, quia exultabant infantes in vtero eius. Et responsum accepit : Duæ gentes in vtero tuo sunt:eo quòd nihil sponte præsumat:sed in omnibus summum deum præsulem poscat suorum cõsiliorum, simul

plena

1037

plena pacis atque pietatis, duos populos sua fide & prædica-
tione connectat, & tanquã vtero suo claudat. Quæ non im-
meritò soror magis quàm vxor appellatur, eò quòd mitis
atque pacifica anima cõmunis magis pietatis quam specialis
copulæ nomen accipiat: & quia vniuersis magis quam vni se
existimet obligatam. Fodit autem puteos Isaac, & plurimos
quidẽ quos foderat pater eius, & repleuerant illos post mor
tem Abrahæ patris illius alienigenæ. Præ cæteris tamen fo-
dit hos puteos: vnum in cõualle Gerarim, & inuenit ibi pu-
teum aquæ viuæ, & item fecerunt pastores Gerarim cum
pastoribus Isaac, eò quòd aquam sibi eius putei quasi pro-
priam vindicabant: & vocauit nomen eius iniustitiam. Et fo
dit alium, in quo orta est disceptatio, & imposuit illi nomen
Inimicitias. Et fodit tertium, in quo lis nulla inter pastores
commissa est, & vocauit eum Latitudinem. Fodit & puteum
iuramenti, & non inuenit in eo aquã, & vocauit eum puteũ
iuramenti. Quis hæc legens, terrena magis quam spiritalia
opera esse arbitretur, quòd vel Abraham fodit puteos, vel
Isaac, tanti videlicet patriarchæ, vel etiam Iacob, sicut, & in
euangelio reperimus, velut fontes quidem generis humani,
& specialiter deuotionis ac fidei? Quid est enim puteus a-
quæ viuæ, nisi profundæ altitudo doctrinæ? Vnde & Agar
ad puteum angelum vidit, & Iocob ad puteum Rachel sibi
inuenit vxorem. Moyses quoque secus puteum futuri lo-
cauit merita prima coniugij. Aputeo igitur visionis aperire
Isaac adorsus est puteos, & bono ordine, vt eius putei aqua
primum rationabile animæ, oculúmque eius dilueret & fo-
ueret, quo visum eius faceret clariorem. Fodit etiã alios pu-
teos plures. Vnde & scriptum est: Bibe aquam de tuis vasis,
& de puteorum tuorũ fontibus. Quantò plures fuerint, tan-
tò est vberior redundantia gratiarum. Fodit tamen puteum,
quem foderat pater Abraham, de quo litem fecerunt pasto-
res Gerarim, hoc est maceriæ. Vbi enim maceria, ibi diuisio
inter repugnantes, ibi iniustitia: & ideo vocauit Iniustitiam.
Alium quoque fodit, & orta dissensione vocauit eum Inimi
citias. In quibus videtur elucere doctrina moralis, eò quòd
sublato pariete maceriæ, solutæ sint in carne hominis inimi-
citiæ: & facta sint vtraque vnum in figura per Isaac, in ve-
ritate per Christum, meritóque postea pura aqua in eo pu-
teo sit reperta, tanquam doctrina moralis, vtilis ad haurien-
dum. Puteus quoque latitudinis quid aliud significat, nisi de
naturalibus disciplinam? Qua causa & latitudo dicitur, quia
sine contentione, sine lite iam quietus atque securus est qui
mundana hæc & sensibilia fuerit supergressus. Vnde super-
atis iam aduersantibus & alienigenis cogitationibus (quid e-
nim tam alienum quàm omnia secularia, quæ perpetua esse
non possunt?) potest sapiens dicere: Dilatauit dominus no-
bis, & auxit nos super terram, quia terrena transcendit. Vl-
timus est puteus iuramenti in quo ei visus est deus: & ait,
Noli timere: tecum enim sum. Et benedixit eum. Hæc do-
ctrina iam mystica est. Habes hæc in Solomone: quia pro-
uerbia eus moralia, Ecclesiastes naturalis, in quo quasi va-
nitates istius despicit mundi: mystica eius sunt Cantica can-
ticorum. Habes & in propheta: Seminate vobis ad iustitiam,
vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cogni-
tionis. Hoc est enim lumen cognitionis, habere charitatis
perfectionem. Ideoque dictum est: Noli timere. Charitas
enim timorem excludit foras. Vt cognoscamus autem quia
Salomon ita hos interpretatus est puteos, vt ad moralẽ do-
ctrinam & naturalem referret, & mysticam: in singulis libris
suis, quos de moralibus, vel naturalibus, vel mysticis scri-
psit, posuit hos puteos. Nam & in prouerbiis cùm declinan-
dam speciem diceret secularis illecebræ, ait: Bibe aquam de
tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus, & superfluant
tibi aquæ de tuo fonte. Et infra: Fons aquæ tuæ sit tibi pro-
prius, & iucundare cum vxore: eò quòd aduersus tantamen-
ta mundi remedium nobis vera sapiẽtia sit, moralis quoque
doctrina, quæ imaginem mundanæ voluptatis meretriciis
quibusdam illitam fucis irriguo suo diluat, & fluẽto sui fon-
tis abstergat. De naturalibus quoque habes in Ecclesiaste
dictum: Fecit mihi piscinas aquarum ad irrigandum ex his
saltum germinantem. Neque te moueat quod pro puteo pi-
scinas posuit: quia & Moyses puteum latitudinis dixit, eò
quòd à solicitudine omni & angustiis soluitur qui mundum
A hunc pia mente transcenderit. Non immeritò ergo piscinas
habet Ecclesiastes, qui vidit nullam abundantiam esse sub
Sole: sed si quis abundare velit, in Christo abundet. Et de
mysticis puteus superest nobis, quem etiam ipsum reperi-
mus in Canticis canticorum, dicente scriptura: Fõs hortorũ Cantic. 4.
puteus aquæ viuæ, & impetu descendens à Libano. Etenim
si mysteriorum altitudinem persequeris, puteus tibi vide-
tur, tanquam in profundo sita, mystica esse sapientia: si verò
haurire velis affluentiam charitatis, quæ maior & vberior
est quàm fides & spes, tunc tibi fons est. Exuberat enim cha-
ritas, vt & haurire eam comminus, & rigare eius affluentia
hortum tuum possis, spiritalibus fructibus redundantem. Et
quia ipse puteus latitudinis est, qui charitatem habet: ideo di
xit, quia vbi charitas est, ibi impetus magnus descendit à Li-
bano. Ne quid autem moueat quod & puteum & fontẽ eun-
dem dixit: etiam Euangelium te instruat, in quo scriptum
est: Quia venit Iesus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Si- Ioan. 4.
char, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat
B autem ibi fons Iacob. Et fatigatus, inquit, sedebat sic super
puteum. Vnde ad mysticam doctrinam hunc referri puteum
etiã ibi cognoscimus: quia ibi Samaritana illa, id est, custos,
custos autem cælestium præceptorum, hausit de puteo illo
diuina mysteria, cognoscens quia deus spiritus est, & non in
loco adoratur, sed in spiritu: & quia Messias venit, qui Chri-
stus est. Et ideo quia adhuc expectatur à Iudæis, iam venit.
Quibus auditis, mulier illa quæ speciem ecclesiæ gerit, legis
sacramenta cognouit, & credidit. In ipso quoque Canticorum
libro Salomon hanc triplicem sapiẽtiam euidenter expressit: licet in Prouerbiis dixerit: vt tripliciter sibi scripserit, qui sapientiam eius vellet audire. Ait ergo in Canticis
sponsa de sponso: Ecce sponsus est consobrinus meus. Et
ideo pulchra acclinatio nostra opaca, trabes domorum nostrarum Cedri, lacunaria nostra Cupressi. Possumus hoc de
moralibus accipere. Vbi enim requiescit Christus & eccle-
sia, nisi in operibus suæ plebis? Denique vbi impudicitia,
vbi superbia, vbi iniquitas erat, ibi ait dominus Iesus: Fi- Matth. 8.
C lius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. De Cantic. 2.
naturalibus autem quid accipiamus? In vmbra, inquit, eius
concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis.
Qui enim terrena supergreditur, & cui mundana moriũtur:
quoniam crucifigitur ei mundus, & ipse mundo: omnia quæ
sunt sub Sole, refugit & contemnit. De mysticis quoque ait: Cantic. 2.
Introduc me in domum vini, constituite in me charitatem.
Etenim sicut vineam suam, ita dominus Iesus populum suũ
quasi vitis æterna quibusdam brachiis charitatis amplectitur. Considera singula. In moralibus flos est inter spinas li-
lium, sicut ipse ait: Ego flos campi, & lilium conuallium. In
moralibus ergo flos est, in naturalibus Sol iustitiæ, qui oriẽs
& resurgens illuminat, occidens obumbrat. Caue ne tibi oc-
cidat, quia scriptum est: Sol non occidat super iracundiam Ephe. 4.
vestram. In mysticis charitas est, quia plenitudo legis est Roma. 13.
Christus. Et ideo ecclesia quæ diligit Christum, vulnerata
est charitate. Hanc ergo charitatem suscitat & resuscitat, do-
nec vocem eius accipiat, & præsentiam eius accersiat: quia
D quæsitus non solum venit, sed etiam saliens venit. Saliẽs su-
per montes, & transiliens super colles. Super maioris gratię
animas salit, inferioris transilit. Vel sic, saliens quomodo ve-
nit? Saltu quodam venit in hunc mundum. Apud patrem e-
rat, in virginem venit, & ex virgine in præsepe transiliuit.
In præsepi erat, & fulgebat è cœlo: descendit in Iordanem,
ascendit in crucem: descendit in tumulum, surrexit è tumu-
lo, & sedet ad patris dexterã. Inde quasi hinnulus ceruorum,
qui desiderat ad fontes aquarum, descendit ad Paulum, & Act. 9.
circunfulsit eum, & exiliuit super ecclesiam suam, quæ est
Bethel, quod dicitur domus dei. Pauli enim vocatio, eccle-
siæ firmitudo est. Venit ergo, & primo post parietem est, vt
inimicitias animæ & corporis soluat, sublato pariete qui im-
pedimentum concordiæ videbatur afferre. Deinde prospi-
cit per feneſtras. Quæ sint feneſtræ, audi prophetam dicen-
tem: Feneſtrę apertæ sunt è cęlo. Prophetas itaque signifi-
cat, per quos dominus ad genus humanum, priusquã in ter-
ras ipse descenderet, locutus est. Et hodie siqua eum anima

multum

multum requirat, multum merebitur misericordiæ: quoniã qui multum requirit, plurimum debetur ei. Si qua ergo anima eum studiosius quærat, longè audit vocem eius: & quãuis ab aliis requiratur, præ ipsis à quibus quæritur, audit vocem eius. Videt eum salientem ad se venire, id est, properantem atque currentem, & transilientem eos qui infirmo corde virtutem eius capere non possunt. Deinde prospicientẽ per ænigmata prophetarum legendo eos, & tenendo eorum sermones, videt eum prospicientem, scilicet quasi per fenestram, non adhuc quasi præsentem | videt eminentem super retia. Quid est hoc, nisi fortè quia illa retia nobis sunt, non illi? Retia, eò quòd adhuc illa anima intra sensibilia & mundana sit posita. Igitur adhuc in secularibus, sed tamen quærenti eum per retia ostendit. Denique dicit ad animam eius modi: Surge, veni proxima mea: id est, surge à delectationibus mundi, surge à terrenis, & veni ad me, quæ adhuc laboras, & onerata es: quia solicita es quæ sunt mũdi. Veni supra mundum, veni ad me: quia ego vici mundũ. Veni prope me, iam pulchra æternæ vitæ decore, iã colũba, id est, mitis atque mansueta, iam tota gratię spiritalis. Iure ergo iam retia timere non debet anima, cùm is vocet ad se animam, qui tẽtamentis & retibus mundi non potuit capi. Nam cùm nos homines ambulemus in medio loqueorum, per appetentiam escæ simul & laqueis nexi, ille in corpore positus retia non timebat, sed eminebat super retia, id est, super tentamenta mundi, & corporis passiones, imò & alios eminere faciebat. Ideoque & hanc animam fundare volens, dicebat: Surge, veni proxima mea, noli timere retia, iam præteriit hyems: id est, venit pascha, venit indulgentia, aduenit remissio peccatorũ, cessauit tentatio, imber abiit, procella abiit. Quassatio ante aduentum Christi hyems est: post aduẽtum eius flores sunt. Vnde ait: Flores visi sunt in terra. Vbi ante spinæ, ibi nunc flores. Tempus, inquit, secandi aduenit. Vbi ante desertum, ibi messis est. Vox turturis audita est in terra nostra. Bene addidit propheta, Nostra, quasi admirans quod vbi ante impudicitia, ibi castitas. Ficus protulit grossos suos. Quæ ante infructuosa iubebatur excidi, hæc fructus ferre iã cœpit. Sed quid dubitas quia grossos dixit? Priores discutit, vt posteriores meliores afferat: sicut Synagogæ fructus abiicitur: Ecclesiæ autem renouatur. Et quanuis plena tranquillitas sit, & adoleuerint mysteria, iterum tamen dicit: Surge secura in tegimẽto petræ, id est, tuta præsidio passionis meæ, & fidei munimento. Suxerunt enim mel de petra, & oleum de firmissima petra. Hoc integrimento animæ piorum indutæ, iam nudæ non sunt. Et hæc illa præmunitio, ideoque & huic animæ ait: Et veni tu columba mea in tegimento petræ iuxta præmunitionem, ostende mihi faciem tuam, & insinua vocem tuã. Hortatur ad confidentiam, vt non erubescat crucẽ Christi, nec eius signaculum. Hortatur ad confessionem, vult omnes insidias dimoueri, vt bonus odor fidei spiret, vt dies fulgeat, vt aduersæ noctis vmbra non noceat: quoniam qui iuxta Christũ est, dicit: Nox præcessit, dies appropinquabit. Est & vmbra secularium, quæ præteriit: & dies cœlestium Christus, qui sanctis suis lucet. Accipit hæc anima bona pignora charitatis.

1. Corint. 7. Ioan. 16.

Cant. 2.

Roma. 13.

De tertio ipsius animæ processu, quo cum in cubili & noctibus, in ciuitate, in foro, & in plateis quæsitum non reperisset, aliquando rationibus suis gratia quærentem reuocauit, adeo vt ab eius sponso propius vocaretur.

Cap. V.

SEd qa semper soliciti esse debem⁹, semper intẽti, & quia verbũ dei sicut capreolo exilit, aut sicut hinnul⁹ ceruorũ, semper vigilet anima, & prætẽdat quæ requirit eũ, & quæ tenere desiderat. Ideo quasi sublapsũ sibi, In cubili, inqt, meo in noctib⁹ quęsiui quẽ dilexit anima mea Qui bene quærit, in cubili quęrat, in noctib⁹ quærat: nec dies feriatus, neque noctes sit. Nullũ tempus vacet à pietatis officio: & si nõ inuenerit primo, perseueret in requirẽdo. Ideoque dicit: Exurgam itaque, & quærã in ciuitate, in foro, in plateis. Et fortasse ideo nõ inuenit adhuc, quia, in foro quæsiuit, vbi lites sunt: in plateis, vbi nundinæ rerum venalium. Non enim vlla Christus pecunia comparatur. Possumus & sic intelligere: In cubili quærit Christum, quæ requirit eum cum tranquillitate, cum pace. In noctibus quærit, quoniam per parabolas loquebatur. Posuit enim tenebras latibulum suum, & nox nocti indicat scientiam. Deinde quoniam quæ dicimus in corde nostro, ea nos compungere in cubilibus debent. Sed tamẽ nec sic inuenit, & ideo dicit: Exurgam, id est, erigam & attollam intentionem meã, vt quæram impigrè, quæram solicitè: introibo ciuitatem. Est & anima quæ dicit: Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa. Est ciuitas munita per Christum est ciuitas illa Hierusalem in cœlo, in qua abundant diuinæ legis interpretes, & disciplinarum periti, per quos verbum dei quæritur. Quærã, inquit, in foro illius ciuitatis, in illo foro vbi tractant iura consulti, vbi oleũ venditur, quod euangelicæ virgines emunt, vt semper faces suæ luceant, nec eas fumus iniquitatis extinguat. Quæram, inquit, in plateis, in quibus superfluunt aquæ, de illis fontibus prorumpentes de quibus Salomon dicit esse potandum. Dum quærit igitur Christum, inuenit custodes qui in ministerio sunt: ab his requirit. Sed anima quæ deum quærit, etiã custodes transit. Sunt enim mysteria quæ etiam angeli concupiscunt videre. vnde Petrus ait: Nunciata sunt, inquit, vobis per eos quibus euangelizauerũt spiritu sancto misso de cœlo, in quem concupiscunt angeli prospicere. Ergo cùm transierit custodes, verbum inuenit. Transiuit Ioannes, qui verbum apud patrem inuenit. Multi quoque sunt qui in ocio quærunt Christum, & non inueniunt: & quærũt eum in persecutionibus, & cito inueniũt. Et ideo quasi post tentationes, quia in periculis fidelium suorum adest. Quàm modicum, inquit, cùm transiui ab eis, inueni eum, tenui eũ, & non dimisi eum. Omnis enim qui quærit, inuenit: & qui inuenerit, adhærere debet, ne possit amittere. Et quoniã per euangelium in terris videmus cælestia mysteria figurata, veniamus ad illam Mariam, veniamus ad Magdalenam. Consideremus quemadmodum Christum in cubili corporis sui, in quo defunctus iacebat, in noctibus quæsiuerint, quando dixit illis angelus: Iesum qui crucifixus est quæritis: non est hic: surrexit enim. Quid igitur quæritis? viuentem cum mortuis? Quid quæritis in sepulchro eum qui iam in cœlo sit? Quid quæritis in vinculis sepulturæ, vniuersorum vincula soluentem? Non sepulchrum huic sedes, sed cælum est. Ideo dixit vna ex his: Quæsiui eum, & non inueni eum. Tamen dum vadunt apostolis nunciare, miseratus quærentes, occurrit eis Iesus, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tenetur ergo Iesus, sed delectatur sic teneri, quia fide tenetur. Denique delectauit eum & illa mulier quæ tetigit eum, & curata est sanguinis fluxu, de qua dixit: Tetigit me aliquis. nã sentio virtutem de me exisse. Tange ergo, & fide tene, & constringe fideliter pedes eius, vt virtus de eo exeat, vt sanet animam tuam. Et si dicat, Noli me tangere: tu tene. Semel dixit, Noli me tangere, quando surrexit: & fortè illi dixit quæ putabat furto esse sublatum, & non virtute propria resuscitatum. Denique in alio libro habes quia tenentibus & adorantibus dixit: Nolite timere. Tene ergo & tu anima, sicut tenebat & Maria, & dic: Tenui eum, & non dimittam, cum dicebãt ambæ: Teneamus te. Vade ad patrem, sed non relinquas Euam, ne iterum labatur. Tecum eam ducito, iam nõ errantem, sed arborem vitæ tenentem, tecum rape tuis pedibus inhærentem. Tecum ascendam, noli me dimittere, ne iterum serpens venena sua fundat, ne iterum quærat fœmineũ mordere vestigium, vt supplantet Adam. Dicat ergo anima tua: Teneo te, & inducam te in domum matris meæ, & in secretum eius quæ concepit me, vt cognoscam mysteria tua, vt hauriam sacramenta tua. Suscipe igitur Euam iam non ficulneæ foliis adopertam, sed sancto amictã spiritu, & noua gratia glorioſam: quia iam non tanquam nudata absconditur, sed tanquam circundata vestimenti splendore fulgentis occurrit, quia vestit eã gratia. Sed nec Adam primo nudus erat, quando eum innocentia vestiebat. Videntes itaque eam filiæ Hierusalem Christo inhærentem, & adhuc ascendentem cum eo (dignatur enim quærentibus frequenter occurrere, & descendere vt eos eleuet) dicunt. Quæ hæc est quæ ascendit à deserto? Desertus hic terræ locus & incultus videtur, sen-

Cant. 3.

Psalm. 17. Psal. 118.

Luc. 24. Matth. 28.

Luc. 8.

Cant. 8.

tibus

1041

tibus & ſpinis noſtrorum obſitus delictorum: mirantes vi-
delicet quomodo anima quæ antè in inferno delinquebatur, inhæreat dei verbo, & aſcendat ſicut vitis propago in ſuperiora ſe ſubrigens, velut fumus natus ex igne, atque alta petés, tum præterea bonis operibus fragret. Odor autem ille orationis piæ redolet ſuauitatem, quæ dirigitur ſicut incenſum in conſpectu dei. Et in Apocalypſi legimus quòd aſcendit fumus incenſorum ex orationibus ſanctorū: quæ incenſa referuntur per angelum, ſanctorum orationes ſcilicet, ſuper altare illud aureum quod eſt ante ſedem, & tanquam ſuaue piæ precationis fragrat vnguentum, quia de æterno rum & inuiſibilium, non de corporalium petitione compoſitum eſt: præcipuè tamen myrrhā redolet, & thus, eò quòd peccatis mortua ſit, & deo viuat. Hanc igitur aſcendentem & non reſiſtentem vidētes: & meritorum eius odoribus delectantes, agnoſcentes quoque Salomonis illius pacifici eſſe ſponſam, etiam comitatu ſedulo proſequuntur vſque ad lectum Salomonis, eò quòd ei vera requies in Chriſto debeatur. Lectus enim ſanctorum Chriſtus eſt, in quo vniuerſorum feſſa ſecularibus præliis corda requieſcunt. In hoc lecto requieuit Iſaac, & benedixit filium iuniorem, dicens: Maior ſeruiet minori. In hoc lecto recubans Iacob benedixit duodecim patriarchas. In hoc lecto recubans Archiſynagogi filia ſurrexit à morte. In hoc lecto iacens viduæ defunctus, mortis vincula Chriſti vocatus voce diſſoluit. Perducta igitur ſponſa vſque ad ſponſi requiem nuptialem, canunt dicentes charitatem filiabus Hieruſalem: Egredimini, & videte regem Salomonē in corona qua coronauit eum mater eius in die ſponſalium eius. Canunt epithalamium, & vocant cæteras poteſtates cælorum, vel animas, vt videant charitatem, quam circa filias Hieruſalē habet Chriſtus. Vnde & meruit coronari à matre filius charitatis, ſicut Paulus oſtendit dicēs: Quia deus eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij charitatis ſuæ. Charitatis itaque filius & ipſe charitas eſt, non ex accidentibus habens charitatem, ſed habens ſemper ſubſtantia ſua, ſicut regnum, de quo dicit: Ego in hoc natus ſum. Ideoque dicunt: Egredimini, id eſt exite de ſolicitudinibus & cogitationibus ſeculi, exite de anguſtiis corporalibus, exite de vanitatibus mundi, & videte quam rex pacificus in die ſpōſalium ſuorū habeat charitatē, quam glorioſus ſit, quia corporibus reſurrectionem dedit, & animas ſibi iunxit. Hæc magni eſt corona certaminis, hoc præclarum munus ſponſaliū Chriſti, ſanguis eius & paſſio. Quid enim plus potuit dare, qui ſibi etiā non pepercit, & pro nobis mortem ſuam obtulit? Ipſe quoque dominus Ieſus delectatus fide animæ huius, confeſſione gratiæ, & collaudatis eius meritis, propius eam aduocat dicens: Ades huc à Libano ſponſa, ades huc à Libano tranſibis & pertranſibis à principio fidei, à capite Sanyr & Hermoniim, à ſpeluncis leonum, a montibus pardorū: hoc eſt, Egredere de corpore, & totā te exue. Non poteſt enim mihi adeſſe, niſi antè peregrineris à corpore: quoniam qui in carne ſunt, peregrinantur à dei regno. Ades, inquit, ades. Bene repetiuit: quia ſiue præſens, ſiue abſens, adeſſe & placere domino deo tuo debes. Adeſto preſens, adeſto abſens, etſi adhuc in corpore es. Mihi enim omnes præſentes ſunt, quorū fides mecum eſt. Adeſt mihi, qui exit de ſeculo: adeſt mihi, qui me cogitat, me intuetur, de me ſperat, cui ego portio ſū. Adeſt mihi, qui abfuerit ſibi: adeſt mihi, qui ſe negauerit. Ille mecū eſt, qui intra ſe non eſt: quoniā qui in carne eſt, nō eſt in ſpiritu. Ille mecum eſt, qui ex ſeipſo egreditur: Ille iuxta me, qui extra ſe fuerit: ille mihi integer, qui propter me perdiderit animam ſuam. Et ideo ades deſponſata, tranſibis & pertranſibis à principio fidei. Tranſit & pertranſit cæteros, & pertranſit quæ ad Chriſtum peruenit. Tranſit fidei merito, & operum claritate, quæ lucent ſicut Sanyr Hermoniim: hoc eſt via lucernæ tranſit deuictis tentationibus ſeculi, & ſuperatis nequitiis ſpiritalibus, legitimi petens coronam certaminis, & ideo meruit Chriſto iudicāte laudari. Hortus clauſus ſoror mea ſpōſa, hortus clauſus, fons ſignat⁹, emiſſiones tuæ paradiſus malorum granatorum cum fructu pomorum. Laudatur ſpōſa, eò quòd hortus ſit, habens in ſe odorem agri illius pleni, de quo dicit Iſaac: Odor filij mei tanquam odor agri pleni. Bona ergo anima fragrat odores iuſtitiæ. Et fortaſſe ager eſt patriarcha, hortus eſt anima inferioris alicuius, quaſi agri portio, & hortus clauſus ne incurſetur à beſtiis: & fons ſignatus, quæ integritate ſignaculi perſeuerante, quæ fide propria peccata diluerit. Nam quæ de eccleſia accepit, habet quod ad virginitatis gratiam referat, eò q̄ in paradiſo delectationis poſita, ſine labore fructus capiat ſpiritales, vt ei patriarcharum animæ rurali quodam labore fructus ſuos cōferant, quo iſta capere poſſit perpetuam ſuauitatem. Quæ meritò fons ſignatus dicitur, eò quòd imago dei inuiſibilis in illa exprimatur. Laudant etiam munera animę quæ miſſa ſunt à ſponſo, quibus dotata veniebat. Dos autem piæ animæ boni odores ſunt, myrrha & aloe, quibus ſpirat hortorum gratia, & peccatorum fœtor adoletur. Itaque tanto ſecura præconio conquieſcere Aquilonem grauē ventum petit, ne flores diſcutiat: ſpirare auſtrum, id eſt, vult hyemem, præterire, & mollioris flatus vernare temperiem. Inuitat ſponſum in hortum ſuum. Deſcendit ſponſus, & fructuum eius diuerſitate delectatus, lætatur quod inuenerit fortiorem cibum, inuenerit etiam dulciorem. Eſt enim velut panis quidam verbi & mel, alius vehementior, alius ſuaſorius ſermo. Eſt & fides alia feruentior, vt vinum: alia lucidior, vt ſuccus eſt lactis. Hunc cibū Chriſtus epulatur in nobis, hoc poculū bibit, & eius potus ebrietate nos prouocat, vt ad meliora & optima ab inferioribus faciamus exceſſum.

De ſummaria dictorum perſtrictione, cum inductione & proſecutione quarti proceſſus perfectæ animæ, quo ipſa iam dormiens, quamuis corde vigilaret, à ſponſo excitatur, vt continuo vocem pulſantis audiret. Sed moram paſſa dum ſurgit, quia velocitatem verbi non potuit comprehendere, dū aperit oſtium, tranſiuit verbum, & ipſa exiuit, & per vulnera charitatis requiſitum vix tandem inuenit, & tenuit, vt poſtea non amitteret. Cap. VI.

AVdiens hoc anima, hauſit myſteriorum ebrietatem cœleſtium, & velut ſoporata à vino, & quaſi in exceſſu vel ſtupore poſita dicit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Cum verbi præſentis lumine percuſſa, oculis requieuiſſet inflexis, excitatur à verbo. Quartus autem hic proceſſus eſt animæ. Primū etenim charitatis impatiēs, & verbi moras nō ferēs, rogabat vt oſcula meretur, & meruit deſideratū videre. Introducta quoque in cubiculum regis ſecundo, cum mutua miſceret alloquia, in vmbra eius requieuit, & ſublato ei verbo de medio ſermone diſceſſit: quærenti tamen non diu abfuit, ſed ſaliēs ſupra montes, & tranſiliens ſuper colles, aduenit. Nec multo poſt quaſi capreolus aut ceruorum hinnulus, dum affatur dilectam, exiliuit & reliquit. Tertio cū in cubili, & noctibus in ciuitate, in foro, & in plateis quæſitum non reperiſſet, aliquādo rationibus ſuis gratia quærentē reuocauit, adeo vt etiā propius vocaretur à ſponſo. Quarto ipſa iam ab eo dormiēs excitatur, quamuis corde vigilaret, vt continuò vocē pulſantis audiret. Sed morā paſſa, dum ſurgit quia velocitatem verbi non potuit comprehēdere, dum aperit oſtiū, tranſiuit verbum, & ipſa exiuit in verbo eius, & per vulnera requiſitum, ſed vulnera charitatis, vix tandem inuenit, & tenuit vt poſtea non amitterer. Ad ſummam hæc compendioſo ſermone perſtrinxi. Nunc diſcutiamus ſingula. Et ſi dormias, ſi modo deuotionē animæ tuæ nouerit Chriſtus, venit & pulſat eius ianuā, & dicit: Aperi mihi ſoror mea. Bene ſoror, quia nuptiæ ſpiritales ſunt verbi atque animæ. Neque enim animæ norunt coniungiorū fœdera, & vſus copulæ corporalis, ſed ſunt ſicut angeli in cœlo. Aperi, inquit, mihi, ſed extraneis claude, ſeculo claude, neque ipſa foras ad illa materialia prodeas: neque tuum relinquens lumen, alienum requiras: quia materiale lumē tenebroſam infundit caliginem, vt non videatur lumen veræ gloriæ. Aperi ergo mihi, noli aperire aduerſario, neque locum des diabolo. Aperi ipſam te mihi, noli coartari, ſed dilatare, & adimplebo te. Et quia decurſo orbe terrarum plus moleſtiarū & offenſionis reperi, nec facile habui vbi requieſcerem: ideo tu aperi, vt in te filius hominis reclinet caput, cui nō eſt requies niſi ſu-

Cantic. 5.

Matth. 12.

Lucæ 9.

Esa.66. supra humilem & mãsuetum. Audiens anima, aperi mihi, & caput roris plenum, hoc est tentationibus secularibus, subitò turbata, & quasi surrectura, quæ surgere iubebatur, ait cũ aloën redolet & myrrham, insignia sepulturæ: Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Veretur enim ne iterum in tẽtationes resurgat, ne iterum in culpã redeat atque peccatum, & egressus suos virtutúmque processus terrenis incipiat vestigiis inquinare. Certè etiam hoc modo perfectionem virtutis suæ indicat, quæ tantam Christi meruerit charitatem, vt ad eam veniat, & pulset ianuam eius, & veniat cum patre, & cœnet cũ eadẽ anima, & ipsa cũ eo: sicut in Apocalypsi dixit Ioannes. Etenim cũ in superioribus audisset, Ades huc à Libano:

Apoc 3. & cùm aduerteret in carne se Christo adesse nõ posse, sed tũc adesse si adesset in spiritu, conformans se ad eius voluntatẽ, vt esset & ipsa conformis imaginis Christi: iã non sentit carnis exuuias, iam quasi spiritus exuens se corporis coniunctione, iam quasi oblita, & quæ si velit, copulæ illius meminisse non possit, ait: Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Exuit enim tunicam illam pelliceam, quam acceperũt Adam & Eua post culpam, tunicam corruptelæ, tunicã passionum. Quomodo induam eã? Non requirit vt induat, sed ita significat abiectam, vt iam indumento sibi esse non posset. Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Hoc est, Vestigia mea laui dum egrederer, ac me eleuarem de corporis contubernio, de illa cõnexione & familiaritate carnalis amplexus: quomodo inquinabo eos, vt in corporis claustrũ, & illum tenebrosum passionum eius carcerem reuertãtur? Dũ hæc illa dicit, misit operationem suam verbum tanquam per cauernam, non adhuc facie ad faciem misit, tãquam manũ. Et venter, inquit, meus conturbatus est super eum. Et surrexi ego aperire fratri meo. Manus meæ distillauerunt myrrham, digiti mei myrrha pleni sunt super manus clausuræ. Quid hoc significet, consideremus. Primum operibus suis videtur, vt dixit, deus verbum tanquam per cauernam, non plenè atque perfectè: deinde augetur amor, & conceptus adolescit, atque ex seminibus eius quæ quodam vtero intelligibilis susceperit anima, totam plenitudinem diuinitatis eius habitantem in eo: corporaliter, vt legimus, videre desiderat. Surrexit, vt proprius illud dei verbum videret. Et in hoc ipso processus eius significatur, quod surrexit per vigorem atque virtutem. Præsentia enim verbi hausit anima virtutem, sicut præsentia Mariæ, cùm vtero grauis esset, erudiuit Ioannem in vtero constitutum, adeo vt exiliret in vtero, & exultaret domini præsentiam recognoscens. Surrexit aperire, & opera eius & facta mortificata sunt mundo. Talis enim debet esse anima quæ verbum est receptura, vt moriatur mũdo, & consepeliatur in Christo. sic enim Christus inuenitur, & tale sibi quærit hospitium. Deinde ipsa ministeria operationum, id est, manus & digiti, quibus cõprehenditur Christus, mortificantur: quos digitos velut eminẽtia factorum nostrorum opera possumus æstimare. Itaque velut è complexu suo, cùm iam extẽderet intelligibiles manus suas & digitos, vt comprehenderet verbum, transisse sibi illud, non tamẽ adhuc pertransisse anima pia dicit. Et hoc processum habet, quando transeat & pertranseat animã verbum dei, quia scriptum est: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur multorum cordium cogitationes. Hic adhuc transitur, non pertransitur, vt Maria in posterioribus fortè pertransitur, vbi tanquam signaculum ponitur in medio eius dominus Iesus. Deniq; statim alius profectus verbi transeũtis, quia exiuit anima in verbo eius: hoc est, verbum eius secuta, exiuit de corpore, eleuans se de eius habitaculo, & peregrinam se faciens ei, vt adesset deo, & esset ciuis sanctorum. Simul enim & carnis domestici, & dei esse nõ possumus. Ergo in hoc loco exire significatur, vt dixi, anima, quando abducit se à corporis voluptatibus. Denique scriptum est: Exi de Babylone, fugiens à Chaldæis. Non vtique vt regionem Babylonis Hebræus fugiat, sed vt mores, prophetico admonetur alloquio, siquidẽ sint qui in Babylone sunt, Hebræi, & de Babylone exisse moribus doceant. Nam & illi, de quibus dicit propheta quod sedebant super flumina Babylonis, sed in eius non erant vitiis & confusione. Nam quomodo erant in illa confusione vitiorũ, qui flebant gerentes pœnitentiam quod de arca deuotionis ac fidei, & virtutis paternæ meritis excidissent? Quæ autem in verbo exit anima, verbum requirit. Vnde & ista cùm quærit, incidit in custodes, qui circumeunt ciuitatem. Percusserunt, inquit, me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum cũ stodes murorum. Bene quidem quasi sponsa veniebat cum pallio, quo obnuberet caput cùm sponsus occurreret: sicut Rebecca, quæ cognito quod Isaac sibi veniret obuius, descendit de camelo, & pallio se operuit: ita & hæc anima nuptialis vestis præmittebat insignia, ne fortè reiiceretur quasi vestem non habens nuptialem, vel vt caput velaret propter angelos. Sed illi percusserunt eam, vt amplius probaretur. Exercentur enim animæ tentationibus. Tulerũt ei pallium, quærentes si verum decorem nudæ virtutis afferret: vel quia sine integimento quis in illam cœlestem ciuitatẽ debeat introire, nulla deferens secum operimenta fucorum. Sunt etiam qui requirant ne qua anima exuuias secum vehat carnalis illecebræ, & concupiscentiam corporalẽ. Nudatur pallio, cùm eius conscientia manifestatur. Sed est & quæ bene nudatur, cui licet imitari dicentẽ: Venit enim princeps huius mundi, & in me inueniet nihil: quia certè in illo solo nihil inuenit, qui peccatũ non fecit. Beata & illa est, qua non grauia aut multa inuenit, sed inuenit in ea amictum fidei, & sapientiæ disciplinã. Itaque sine dispẽdio sui, quia & si volet quis, non potest veram auferre sapientiam: & si aduersarius obstrepat, ibi tamen vera innoxię conuersationis elucet integritas. Sine dispendio ergo transiuit custodes, & filiabus illius cœlestis ciuitatis admixta verbum requirit, & quærendo eius in se excitat charitatem, & vbi verbum quærat agnoscit. Quod inter orationes sanctorum moretur, & ipsis inhæreat, nouit: & quod ecclesiam suam vel animas iustorũ suorum inter lilia pascat, intelligit. Hoc mysterium tibi in euangelio dominus demonstrauit, cùm in sabbato dueceret per seminata discipulos. Moyses per desertum duxit populum Iudæorũ, Christus per seminata ducit, Christus per lilia ducit, quia per passionem eius desertum floret vt liliũ. Sequamur ergo, vt in diẽ sabbati, illius magni sabbati in quo requies magna est, fructus colligamus. Ne verearis ne Pharisæi accusent seminata colligentẽ. Et si illi accusãt, Sed Christus excusat, & similes facit quas vult animas se sequentes, Dauid illi⁹, qui supra legẽ panes propositionis manducabat, nouæ gratiæ sacramẽta prophetica iã tunc mẽte prospiciẽs.

Lucæ.1. Esaiæ.48. Psalm.136. Exod.25. 1.Reg.21. Matth.12.

De laudatione animæ à sponso, quòd tam bene & constanter requisierit eum: & quod tam fidelis, & verbo potens, & fructibus fœcunda diuersis quódq; vna sicut columba habẽs spiritus vnitatem, in qua sit pax, quæ fecit vtraque vnum.* *al.lis.

Cap. VII.

LAudatur itaque à spõso, quod tã bene & constãter requisierit eum: ideoque iam non solũ soror dicitur, sed enim beneplacita nominatur quasi ei complacita, qui cõplacuit patri: & speciosa sicut Hierusalem, sicut admiratio ordinata, quod ciuitatis æternę vniuersa habeat mysteria, & admirationi sit omnibus videntibus eam: quia plena vt æquitas atque perfecta est, & fulgorem de verbi lumine mutuata, dum id semper intendit, sit etiam terribilis ordine quodam ad summum profecta virtutum. Ideoque quasi perfectę dicit: Auerte oculos tuos à me, noli cõtra me intendere, deuotione nimia ac fide possibilitatem naturæ & conditionis propriæ supergressa, quia lucẽ inaccessibilem è regione intueri est graue. Auerte, inquit, oculos tuos à me, eò quód plenitudinẽ diuinitatis ei⁹, & splẽdorem viri luminis sustinere nõ possit. Possumus tamen & sic accipere: Auerte oculos tuos à me: Et si tu perfecta es, alię mihi adhuc redimendæ sunt animæ, aliæ fulciendę. Eleuas enim me videndo: ego autem ideo descẽdi, vt omnes eleuem. Etsi surrexi, & habeo patris sedem, tamen orphanos non relinquam vos, paterno præsidio destitutos, sed presentia mea vos confirmabo. Habes in Euangelio hoc scriptum: Ecce ego vobiscum sum vsque ac consummationem mundi, Auerte ergo oculos à me, quia me eleuas. Quantò enim quis

Matth.28. Ioan.14.

1045

quia ad dominum intendit, tantò amplius dominum eleuat, & ipse eleuatur. Vnde & ille ait: Exaltabo te domine, quoniam suscepisti me. Sãctus enim exaltat dominum, peccator humiliat. Vult enim auertere illam oculos, ne eam considerans, quod iam ad superiora sequi posit, eleuetur, & cęteras animas derelinquat. Ideo & in Euangelio nõ omnibus discipulis, sed perfectioribus suam gloriam demonstrauit. Constitue nunc aliquem doctorem, qui rem obscuram velit aperire audientibus: quemadmodum etsi ipse potẽs in sermone sit & scientia, condescendat tamen ad eorum insc itam qui non intelligant, & simplici, & planiore atq; vsitato sermone vtatur, vt posit intelligi. Si quis igitur inter audientes viuacior sensu sit, qui facile sequi posit, eleuat eũ atque excutit. Hunc videns doctor reuocat, vt patiatur magis doctorẽ humilioribus & planioribus immorari, quo & cæteri sequi possint. Quod ait Aquila, sonans vt reuelata: sonantem ad admirationem dignam retulit, quasi magna & sonora habentem opera, reuelata ad operum claritatem: vel quod eius animæ opera luceant coram patre qui in cœlis est. Vnde non ociose pallium eius sublatum intelligis, vt apertа meritis & nuda fulgeret. Laudatur præterea quòd fidelis, quòd verbo potens, quòd fructibus fœcunda diuersis, quòd vna sicut columba habens spiritus vnitatem, in qua sit pax, quæ fecit vtraque vnum: & quæ non sit composita ex diuersis elementis discretæ compugnantísq; naturæ. Quid enim tam diuersum quàm ignis & aqua, aer & terra, ex quibus corporis nostri creatura consistit? Anima autem benedicta omnis simplex, quæ imitatur dicentem: Vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te: & ipsi in nobis vnũ sint. Hæc est enim consummatio atq; perfectio. Vnde & addidit: Vt sint vnũ, sicut & nos vnum sumus, ego in his, & tu in me, vt sint consummati in vnum. Hæc est ergo anima columba atque perfecta, quæ simplex atque spiritalis neque huius turbatur corporis passionibus, in quo foris pugnę, intus timores sunt. Denique hoc verbo vnitatis concordiam & pacem significari scriptura nos docet dicens: Multitudo autem credentiũ habebat cor vnum, & animam vnam, & non erat separatio in eis vlla. Nec ociosè fœcunditatis laudatur anima, non solum quòd sit fœcunda virtutibus, sed etiam quòd nihil habeat in se mali. Illud enim decorum atque speciosum est, in quo nihil sit mali. Decorum enim quod bonum: quod autẽ indecorum, hoc malum. Speciosa fœcunditas est bonorum operum. Contraria enim speciositati sterilitas: quoniam qui priuatur specie vel decore, in eo est malum: quod autẽ malum, hoc sterile & infœcundum. Cuius rei quod euidentius indicium quàm natura est? Terra enim quæ bona est, fertilis atque fœcũda: quæ autem mala, ea ieiuna atque sterilis: quæ verò fertilis, hæc decora. Quid enim pleno agro pulchrius, cùm seges fluctuat, cùm poma irrutilant, vel cùm vuarũ serta dependent, aut baccis onusta olea curuescit, vel viridanti gramine montium vertices, vellium humilia vestiuntur? Et vt scripturæ vtamur testimonio, Iacob decorus erat, & ideo erat odor agri pleni. Esau hispidus erat & indecorus, & ideò agrestis erat, qui fructus illos habere non posset. De ipso quoque domo postea quàm ecclesiæ fœcunditatem fecit assurgere, pulchrè dictum est: Dominus regnauit, decorem induit. Et alibi: Confessionem & speciem induisti. Liquet igitur decorum id esse quod fœcundum, indecorum quod infœcundum. Similis est caussa animę soli, quia ea decora anima, quæ fœcunda sit meritis, fœcunda cõsiliis: ea indecora quæ sterilis infirmitate. Sed enim animæ sunt sterilitas & materia. Nanque eam sterilitas fructu defraudat suo, inopiã infert, timorem incutit, adolet cupiditates & vanas opiniones. Sic anima cadit. Quid ergo est malitia, nisi boni indigẽtia? Suo enim defraudatur, atque alieni indiget, exinanitur atque repletur sine mensura & modo. Materialia autem vitia animæ obumbrant gratiam. Ignorantia & concupiscentia animæ sunt ægritudines, sed ad speciem magis quam ad materiem referuntur. Materia est caro, species est ignorantia & concupiscentia. Cur igitur caro accusatur, cùm tantæ sint in specie labe:? Quia nihil species potest sine materia. Denique nihil species securis sine materia facit. Quid enim esset concupiscentia, nisi eam caro inflammaret? Friget in senibus, in pueris quoq; (quia his corpus infirmum est) ardet, in adolescentibus vis corporis feruet. Ex bonis igitur mala orta sunt. Non enim mala sunt, nisi quæ priuãtur bonis. Per mala tamen factum est vt bona eminerent. Ergo indigentia boni, radix malitiæ est. Definitione boni malitia deprehenditur, quoniam per disciplinam boni malum reperitur. Bonum autẽ nullius eget, sibi abũdat, mensurã & perfectionẽ, finẽ quoque tribuit omnibus, in quo vniuersa constant, & de quo omnia pendent. Hæc boni natura est, quæ mentem replet. Circa hoc versatur anima pura, hoc introspicit, & in hoc deum cernit, bonis omnibus abundat. Vnde & ait: Fauces eius dulcedines, & totus desiderium. Omnium enim bonorũ author est deus. & quæ sunt, eius profectò omnia sunt, & nusquam illic malũ: & si in illo mens nostra maneat, malum nescit. Anima igitur quę in deo non manet, ipsa sibi author malorum est, itaque peccat. Anima autem quæ peccat, ipsa morietur. Aureis enim vinculis soluta virtutum, prona fertur præcipitio, & labitur ad inferiora. Anima autem beata est, quam nulla aduersa corporis prælia expugnant. Hæc anima sicut passer laqueo contrito euolat. Escæ enim malorum sunt voluptates corporis. His quisquis intendit, laqueo innectit animam suam. Qui autem ab escis eius temperat, & de tenebris eius exit, eius anima fulget vt diluculum, de qua dicitur. Quænam hæc est prospiciens tanquam diluculum, speciosa sicut luna? Prospicit enim tanquam de domo libera. Nec dicit: Tenebræ cooperiunt me, & parietes circundãt me: & quis scit si videt altissimus? Sed ipsa magis lucem expetit tanquã in superioribus domus suæ, id est, corporis sui, & supra mundum posita diuina intuetur: & ad æterna se eleuat, vt deo adsit, iam lumen suorum operum sicut luna orbẽ suum toto orbe circunferens. Quod autem Aquila ait, Sonans sicut sol: videtur illa axis cœlestis conuersio, solísque & lunæ & stellarum cursus, concentus globorum exprimi. A quibusdam etiam nostris videtur, qui quoniã non venit ad fidem, saltem propter gratiam suauitatis nõ videtur alienus.

Ioan. 17.

1. Cor. 7

Act. 4.

Gene. 27.

Psalm. 92. Psal. 103.

A

B

C

D

Anima dum laudatur à sponso: verecunde refugiens coram laudari, & reuocata à sponso, quid dicat. De præconiis quoque bonæ animæ, singularique laude charitatis.

Caput VIII.

DVm laudatur à sponso: verecundè refugiens coram laudari, deinde spõsi amore vocata, ait: hortũ nucis descendi videre in natiuitate torrentis. Vbi enim est ecclesia, nisi vbi virga & gratia floret sacerdotalis? Ibi est frequenter, vt in amaritudinibus & tentationibus probetur. Per nucẽ amaritudines intelligimus, per torrentem tentationes, sed tamen tolerabiles, quia scriptum est? Torrentem pertransiuit anima nostra. Itaque descendit in locum amaritudinis, vbi floret vitis, & malorũ granatorũ specie diuersus & multiplex fructus, qui velut vno tegmine totius corporis fide & charitate munitur. In illa ergo amaritudine non cognouit se anima. Corruptibile enim corpus aggrauat animam, & terrenũ habitaculũ citò inclinatur. Cognoscere autem se debet semper. Sed tẽtatus est & Petrus, non se cognouit & Petrus. nã si cognouisset, nõ negauisset authorem. Sed cognouit eum Christus. Denique cognouit, quia etiã respexit. Cognoscit enim dominus qui sunt eius, & tanquàm suũ misericordiæ suæ frenis vt bonus rector reuocauit à lapsu. Rector ergo noster Christus est. Ideoq; ait anima: Posuit me currus Aminadab. Anima ergo currus, qui bonũ rectorẽ sustinet. Si currus est anima, habet equos vel bonos vel malos. Boni equi virtutes sunt animæ, mali equi passiones sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit & reuocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor: prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Mali equi, iracundia concupiscentia, timor, iniquitas. Interdũ ipsi equi inter se dissident, & aut iracundia protendit, aut timor, & se inuicem impeduint, & cursum retardant. At verò boni equi volant, & à terris ad superiora se subrigunt, animámq; eleuãt: maximè si iugum habeant suaue, & onus leue dicentis: Tollite iugum meũ super vos. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Ipse rector est qui nouit equos proprios gubernare, vt æqualis omniũ cursus sit. Si velocior est prudentia

Cant. 6.

Cant. 5.

Ezech. 18.

Cant. 6.

Eccl. 23.

Psalm. 113.

Sapien. 9.

2. Timo. 2.

Cant. 6.

Matth. 11.

dentia,tardior iustitia,admonet flagello proprio segniorem. Si temperantia mansuetior,fortitudo durior,nouit copulare discordes,ne fortè currum suum disipēt. Itaque licet intelligibili spectaculo videre vnāquamque animam cū summo certamine ad cœlum rapi, festinantes equos qui priores perueniant ad brauium Christi,quo prius imponatur palma ceruicibus.Isti sunt equi subiecti fidei iugo, astricti vinculo charitatis,iustitiæ frenis,retinaculis sobrietatis. Pulchrè ait: Posuit me currus Aminadab,hoc est,pater populi. Ipse autem qui pater populi,idem pater Naason,id est serpentum. Iam tu recole quis sicut serpens in cruce pependerit pro salute vniuersorum,& intelligis illam animam esse pacificam, cui pater deus præsul sit,Christus agitator: quia scriptū est, & hoc nomen in nostris:Pater pater agitator Israel. Hic ergo agitator dicit,Conuertere Salamitis,conuertere.Bene & quasi agitator ad currum dicit:Cōuertere Salamitis,hoc est, pacifica. Quæ enim pacifica est anima, citò se conuertit & corrigit,etiam si antè peccauit,& magis eam Christus ascendit,& regere dignatur,cui dicitur:Ascende in equos tuos,& equitatus tuus sanitas.Et alibi: Misi equos tuos Tharsis. Hi sunt equi Christi.Ascendit ergo equos suos Christus,ascendit verbum dei animas pias.Vnde cognosce quia & istam ascendit,& perduxit eam ad locum palmę, quādo & dicit ad eā: Quàm pulchra & suauis facta es charitas in deliciis tuis. Statura tua similis facta est palmæ.Et ipsa ait:Dixi, ascēdam in palmam.Sed etiam ipsa charitas palma est, ipsa est enim plenitudo victoriæ.Plenitudo enim legis,charitas est. Curramus ergo,vt comprehendamus: curramus, vt vincamus. Qui vincit,ascendit in palmam, & manducat fructus eius. Qui vicit,iam non currit,sed sedet: sicut scriptum est: Qui vicerit,dabo ei sedere mecum in sede mea, sicut & ego vici & sedeo cum patre meo in sede ipsius. Hinc philosophi curulia illa animarum in suis libris expressere certamina, nec tamen ad palmam peruenire potuerunt,quoniam summitatem verbi,& altitudinem illam animæ nescierunt,quam cognouit hæc anima,in qua erat verbi conuersio.Sic enim ait: Ego fratri meo, & super me conuersio eius. Hunc sensum tertio repetiuit diuersè in Cāticis canticorum. In principio ait:Frater meus mihi, & ego ei, qui pascitur in liliis vsque dum aspiret dies,& amoueātur vmbræ.Deinde ait:Ego fratri meo,& frater meus mihi qui pascitur inter lilia. In fine ait:Ego fratri meo,& super me conuersio eius: Primum ad institutionē animæ,ideo & præmisit:Frater meus mihi. illo enim demonstrante se,etiam adhęrēdi deo sumpsit affectū, quod sequitur secundum profectum, tertium secundū perfectionem.In primo quasi in institutione adhuc vmbras videt anima,necdum verbi appropinquantis reuelatione cōmotas,& ideo adhuc ei dies Euangelij nō refulgebat.In secūdo sine vmbrarum confusione odores pios carpit. In tertio iam perfecta requiē in se verbo ministrat, vt conuertatur super eam,& caput suum reclinet,atque requiescat,meritóque iam tenens,quem antea quæsitum inuenire nō poterat inuitat ad agrum suum,dicens:Veni frater meus, exeamus in agrum,requiescamus in castellis.Supra ad hortū inuitabat, hic ad agrum habētem non solum florum gratiam, sed etiā triticum & hordeum,hoc est solidiorum firmamenta virtutum, vt fructus eius aspiciat. Requiescamus,inquit, in castellis. Ad quæ Adam cū de paradiso eiectus esset, fuerat relegatus,in his requiescebat,sed terrā operabatur.Qua autem ratione exire eum in agrum vellet,intellectus manifestus est,vt quasi bonus pastor pascat gregem suū,lassos alleuet, reuocet errantes.Nam etsi ista anima noua & vetera seruauit, tamen sunt adhuc velut agni, qui lactis succo nutriendi sunt. Ergo quasi perfecta, non pro se, sed pro aliis interuenit, vt de sinu patris exeat,vt procedat foras tanquā sponsus de thalamo suo,egrediens currat viam, vt infirmos lucretur,nō in illo secreto patris solio,& in illa luce immoretur,quo inualidi equi conscendere non queunt,sed vt assumat & inducat in domum sponsam atque secretū: sit foris sibi,vt nobis intus sit medius noster,& si non videatur à nobis. Vnde ait: Quis dabit te frater fratrē lactentē vbera matris meæ?Inueniēs te foris osculabor te.Bona anima,quę foris est,vt verbum intus sit:illa extra corpus,vt verbum habitet in nobis. Assumam te,inquit,& inducam te. Rectè assumitur & inducitur verbum dei, quia pulsat animā vt aperiatur sibi ostium.Et nisi apertum sibi ostium inuenerit, nō intrat.Si quis autem aperuerit ianuam, intrat & cœnat.Sic sponsa verbum assumit, vt assumendo doceatur.Vnde non immeritò ascendit ad hanc ad superiores mansiones,& sem per processum accipit. Quod significant virtutes quę dicūt, vel animæ: Quæ est hæc quæ ascendit candida, innitens su- per fratrem suum?Superius dixerūt:Quæ nam est hæc, quæ prospiciens tanquàm diluculum, speciosa sicut luna, electa sicut Sol? Hic plus quod diceretur inuentum est, cò quòd verbo dei innixa ascenderat. Perfectiores enim supra Christum recumbunt,sicut & Ioannes in Christi pectore recumbebat.Ita ergo & hæc vel incumbebat in Christum, vel supra ipsum se reclinabat:aut certè quoniam de nuptiis loquimur, iam quasi tradita in Christi dextera, in thalamum ducebatur sponso.Et quia iam copula charitatis est, blanditur ei spōsus,& dicit:Sub arbore mali eleuaui te, illic parturiui, te mater tua, illic parturiuit te quæ peperit te. Bona anima, quę requiescit sub arbore fructuosa, & maximè boni odoris.Nā si Nathanael bonus,in quo dolus nullus erat, sub arbore fici visus est:vtique bona anima, quę sub arbore mali eleuata est sponso suo. Plus est enim eleuari quàm videri, plus etiam à spōso eleuari. Nā etsi Nathanael videbatur sub arbore,tamen anima eius sponsa nō erat,qui occultè veniebat ad Christū,quia verebatur Iudæos. Nō erat speciosa sicut Luna,electa vt Sol,quę erat in vmbra, quia spōsa per diē nubit,publicè confitetur.Ideo ista sub arbore mali, illa sub ficu,quia hęc confessionis suæ odorem diffundebat lōgius, illa habebat puritatis innocentiæ suauitatem, flagrantiā spiritus non habebat.Illic,inquit,parturiuit te mater tua, illic parturiuit te quę peperit te.Ibi enī nascimur,ibi renascimur Pariuntur autem in quibus Christi imago formatur. Vnde & Paul⁹ ait:Filioli,quos ego parturio donec formetur Christus in vobis.Parturit enim qui in vteto accipit spiritum salutis,& aliis infundit. Vnde quoniam iam formatus in hac erat Christus,ait.Pone me vt signaculum in cor tuum, vt sigillum in brachium tuum.Signaculū Christus in fronte est, signaculum in corde.In fronte, vt semper confiteamur, in corde vt semper diligamus,signaculum in brachio, vt semper operemur.Luceat ergo imago eius in cōfessione nostra, luceat in lectione,luceat in operibus & factis, vt si fieri potest,tota eius species exprimatur in nobis. Ipse sit caput nostrum,quia caput viri Christus. ipse oculus noster, vt per illum videamus patrem,ipse vox nostra,per quam loquamur ad patrem,ipse dextera, per quam deo patri sacrificium nostrum offeramus.ipse quoque est signaculum nostrū, quod est perfectionis & charitatis insigne, quia diligens pater signauit filium sicut legimus.Quem pater signauit deus. Charitas itaque nostra Christus.Bona charitas, quando obtulit morti se pro dilectis, bona charitas, quæ peccatum remisit. Et ideo anima nostra induat charitatē, & charitatem huiusmodi quæ sit valida vt mors, quia sicut mors finis peccatorum est,ita & charitas,quoniam qui diligit dominum, peccare desinit.Charitas enim non cogitat malum, neque gaudet super iniquitatem,sed omnia sustinet. Nam qui ea quæ sua sunt non quęrit,quomodo aliena quęrit? Est & mors illa valida per lauacrum, per quod peccatum omne sepelitur & culpa dimittitur. Talis erat charitas quam deferabat euangelica illa mulier,de qua dominus ait. Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Est & illa mors sanctorum martyrum valida,quę culpam abolet superiorē, & ideo valida.Cuius non impar est charitas, quę adęquatur martyrum passioni,vt auferat meritum delictorum. Zelus quoque vt inferi,quoniam qui zelum dei habet, pro Christo nec suis parcit.Itaque & mortem habet charitas, & zelū habet charitas,& alas ignis habet charitas.Denique Christ⁹ diligens Moysen, in igne ei apparuit. Et Hieremias habens in se donum diuinę charitatis,dicebat. Et erat ignis inflammans in ossibus meis:& dissolutus sum vndique,& ferre nō possum.Bona igitur charitas habens alas ignis ardentes,quę volitat per pectora & corda sanctorum, & exurit quicquid materiale atque terrenum est, quicquid verò syncerum est probat,

4.Reg.2. Canti.6. Abacuc.3. Canti.7. Roma.13. Apoca. . Canti.2. Canti.6. Cantic.7. Psalm.18. Cantic.8. Ioan.4. Cant.8. 1.Cor.13. Luc.7. Exod.3. Hiere.20. Galat.4. Cantic. Ephes.

probat,& quod contigerit ſuo igne,meliorat. Hunc ignem A
in terras miſit dominus Ieſus, & refulſit fides, accenſa de-
uotio,illuminata eſt charitas,iuſtitia reſplenduit. Hoc igne
inflammauit corda Apoſtolorum ſuorũ, ſicut teſtatur Cleo-
phas dicens: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis cùm
aperiret ſcripturas? Alæ igitur ignis in flãma, ſcripturæ ſunt
diuinæ. Denique aperiebat ſcripturas,& ignis exiebat,atque
audientium corda penetrabat. Et verè alæ ignis, quia elo-
quia domini,eloquia caſta,argentũ igne examinatum. Cum
Paulus quoque aſſumeretur à Chriſto, vidit circunfulſiſſe
ſuper ſe lumen, & ſuper eos qui ſimul erant, cecidit pauor,
& probatior reſurrexit: denique Apoſtolus factus eſt, qui
perſecutor aduenerat. Spiritus quoque ſanctus deſcendit,&
repleuit totam domum in qua erãt plurimi ſedentes, & viſæ
ſunt diſperſæ linguæ tanquam ignis. Bonæ alæ charitatis,ve-
tæ alæ quæ volitabãt per ora Apoſtolorum, & alæ ignis quæ
purgatum ſermonem loquebantur. His alis euolauit Enoch B
raptus ad cœlum. His alis euolauit Helias curru igneo, & e-
quis igneis ad ſuperna tranſlatus. His alis dominus deus per
columnam ignis deducebat patrum plebẽ. Has alas habuit
Seraphim quando ſumpſit carbones ignis de altari & tetigit
os prophetæ,& iniquitates eius abſtulit,& peccata purgauit
Harum alarum igne purgati ſunt filij Leui, & baptizaban-
tur populi nationum,ſicut teſtificatur Ioãnes, dicens de do-
mino Ieſu: Ipſe vos baptizabit in ſpiritu & igne. Meritò vri
renes ſuos volebat & cor ſuum Dauid,quia alas igneas cha-
ritatis ſciebat non eſſe metuendas. Meritò Hebræi pueri in
fornace ardenti non ſentiebant ignis incendia,quia charita-
tis eos flãma refrigerabat. Et vt plenius cognoſcamus quia
alas habeat perfecta charitas,audiſti dudum dicentem: Quo
tiens volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat
pullos ſuos ſub alas ſuas. Sumamus igitur has alas, quæ ſi-
cut flamma ad ſuperiora dirigunt. Exuat vnuſquiſque ani-
mam ſuam inuolucris ſordidioribus,& quaſi aurum igne ap
probet deterſam luto. Sic enim purgatur anima, velut aurũ C
optimum. Pulchritudo autem animæ ſyncera virtus & de-
cor,verior cognitio ſuperiorum, vt videat illud bonum ex
quo pendent omnia,ipſum autem ex nullo. Eo igitur viuit,
atque intellectum accipit. Vitę enim fons eſt ſummum illud
bonum,cuius in nobis accẽditur charitas & deſiderium, cui
appropinquare & miſceri voluptas eſt: quod ei qui non vi-
dit,deſiderio eſt,& ei qui videt,ineſt,ideoq; vniuerſa alia de-
ſpicit,hoc vno mulcetur & delectatur, hoc eſt quod ſubmi-
niſtrat vniuerſam ſubſtantiã, ipſum autem in ſemetipſo ma-
nens dat aliis: nihil autem in ſe ex aliis ſuſcipit. De quo pro-
pheta ait: Dixi domino,deus meus es tu,quoniam bonorum
meorum non eges. Hoc ſolum videre deſiderauit, ſicut ipſe
alibi ait: Vnam petij à domino,hanc requiram,vt inhabitem
in domo domini omnes dies vitæ meæ, & videam delecta-
tionem domini, & conſiderem tẽplum eius. Si quis igitur
purum illud & incorporeum ſummum illud videre meruе-
rit,quid habet aliud quod deſideret? Denique Petrus gloriã
reſurrectionis Chriſti vidit, & nolebat deſcendere, dicens: D
Domine bonum eſt nos hic eſſe. Et quãto incomparabilior
eſt illa diuinitatis gloria, & lux inacceſsibilis, quam ſi quis
viderit,quid aliud concupiſcat? Non regna, non facultates,
honores,gloriam,poteſtates. Illis enim vti nihil beatitudi-
nis eſt,hoc vti beatum eſt, vt illa deſpiciens ad hoc conuer-
ſus maneat. Hanc igitur videns pulchram imaginem ingre-
diatur intus,foris relinquat vultus corporis. Nam qui intue-
tur corpora,non debet introrſum intueri,ne more mergen-
tis in gurgite rapiatur atque abſorbeatur, & quaſi profundo
demerſus nuſquàm appareat. Fugiamus ergo in patriam ve-
riſſimam. Illic patria nobis,& illic pater à quo creati ſumus,
vbi eſt Hieruſalem ciuitas quæ eſt mater omnium. Sed quæ
eſt fuga? Non vtique pedũ,qui ſunt corporis. Iſti enim quo-
cunque currunt,in terra currunt,& de ſolo ad ſolũ trãſeunt.
Nec nauibus fugiamus & curribus,aut equis qui obligãtur
& cadũt,ſed fugiamus animo & oculis,aut pedibus interio-
ribus. Aſſueſcamus oculos noſtros videre quæ dilucida &
clara ſunt,ſpectare vultum continentiæ & temperantiæ,om
néſque virtutes,in quibus nihil ſcabrum,nihil obſcurum &
tortuoſum ſit: & ſeipſum expectet quis,& conſcientiam ſuã,
illum oculum mundet,ne quid ſordidũ habeat. Quod enim Roma. 8.
videtur,non debet diſſonare ab eo qui videt,quoniam con-
formes nos deus imaginis voluit eſſe filij ſui. Cognitum igi-
tur nobis eſt illud bonum,nec longè eſt ab vnoquoque no-
ſtrum. In ipſo enim viuimus,& ſumus, & mouemur. Ipſius
enim & genus ſumus, vt Apoſtolus gentiles poſuit ſignifi- Acto. 17.
cari. Ipſum eſt bonum quod quærimus, ſolum bonum. Ne-
mo enim bonus,niſi vnus deus. Hic eſt oculus qui magnum Marci. 10.
illum & verum decorem intuetur, Solem niſi ſanus & va-
lens oculus non aſpicit,nec bonum poteſt videre niſi anima
bona. Fiat ergo bonus qui vult videre dominum, & quod
eſt bonum. Huius boni ſimiles ſimus, & ſecundum id ope-
remur quæ bona ſunt. Hoc eſt bonum quod ſupra omnem
operationem eſt,ſupra omnem mentem atque intellectum,
ipſum eſt quod ſemper manet, ad ipſum conuertuntur om-
nia,in quo habitat plenitudo diuinitatis, & per ipſum recon
ciliantur omnia in ipſum. Et vt plenius definiamus quid ſit
bonum,vita eſt bonũ,quia ſemper manet,dans viuere,& eſt
omnibus,quia fons eſt omniũ vitę Chriſtus, de quo ait pro-
pheta: In vmbra eius viuemus. Nũc enim vita noſtra abſcõ- Thre. 4.
dita in Chriſto eſt: cùm autem apparuerit Chriſtus vita no- Coloſ. 3.
ſtra,tũc & nos apparebimus in gloria. Ergo non timeamus
mortem,quoniam requies eſt corporis: animæ autem vel li- Matth. 10.
bertas,vel abſolutio. Nec vereamur eum qui poteſt corpus
interficere, animam autem non poteſt, quia non timemus
eum qui poteſt veſtimentum auferre, nõ timemus eum qui
poteſt noſtra furari, nos autẽ non poteſt. Nos igitur animæ
ſumus ſi volumus eſſe Hebræi, de iis qui ſunt ſocij Iacob, id
eſt,imitatores eius. Nos animæ ſumus, noſtra autem mem-
bra ſunt ſeruanda ne ſcindantur, ne inueteraſcãt, ſed ille ma-
gis qui his vtitur,ſeruare ſe debet & cuſtodire.

FINIS.

CAPITA LIBRI PRIMI DE SANCTO Iacob.

Quod ad virtutum diſciplinam paſſionéſque coercendas neceſſarius ſit ſermo prudẽs ac bonus,& mens rationi intenta. Quódque docibilis ſit virtus. Et quod licet ratio concupiſcentiam eradicare, & corporales motus auferre non poſſit,mens tamen ſobria refrænare atque reprimere valeat quamuis grauem paſſionem. Cap. I.

De ordine ac differentia paſſionum. Et qua ratione temperantia quàm maximè iſtarum paſſionum reſtinguat ardorem, corporaliſque ferocitatis habenas. Ac de magnis eiuſdem temperantiæ laudibus, quam & primis hominib⁹ tenendam deus mandauit,& lex docet, vniuerſorúmque infundit affectibus. Cap. II.

Quod ſapientiam & diſciplinam doceri ſcriptura teſtetur. Ac de exhortatione ad ſtudium, & eius cõmẽdatione. Et quod nulli noſtram adſcribere debeamus culpam, niſi noſtræ voluntati qua vel peccato vel iuſtitiæ ſeruimus. Quod præterea carnem iniuſtè quaſi infirmã accuſemus, cum affectus,non caro,author ſit culpæ. Quod denique conſiderandum ſit in qua parte: an peccati vel iuſtitiæ tolerabilior ſit ſeruitus,& fructus vberior. Cap. III.

Quantum dominus homini contulerit per dationem legis, & gratiæ adiunctionem. Et quid lex operata ſit in homine iuxta ſententiam Apoſtolicam. Ac de abſolutione duarum quæſtionum circa verba Apoſtoli incidentium. Caput. IIII.

Qua ratione lex non ſuffecerit,ſed vltra eam neceſſaria fuerit gratia per mortem Chriſti donata. Quodque nos etiam cũ illo mori,reſurgere & verſari debeamus. Cap. V.

Quid profuerit legis promulgatio. Quantum etiam vtilitatis atque conſolationis homini attulerit gratia, & pignus charitatis Chriſti, cum incitatione ad repenſionem obſequij pro tantis beneficiis debiti, eorumdémque beneficiorum conſolatiua inductione. Cap. VI.

Qualis in nobis debeat eſſe Chriſti charitas, & quod nulla aduerſa corporis vitæ beatæ munus imminuunt. Quodque in ſe habeat remunerationem ſuam qui Chriſtum ſic ſequitur,ac beatus ſit. Quod etiam ſic beata vita ſit in hominibus

minibus,in quibus fuerit vita perfecta,& quæ sit vita perfecta . Quid denique vir perfectus quærat,ac illi conueniat. Cap. VII.
Quod quamuis sapiens delectetur sanitate corporis aut liberis, non tamen minus perfectus si illa amittat, & quòd nulla aduersa intolerabiliter ferat, cum expositione eorum quæ ad formam iusti viri tequiruntur. Cap. VIII.

Diui Ambrosij

MEDIOLANENSIS EPIscopi, de sancto Iacob & vita beata. Liber primus.

Quod ad virtutum disciplinam passionésque coercendas necessarius sit sermo prudens ac bonus, & mens rationi intenta. Quodque docibilis sit virtus. Et quod licet ratio concupiscentiam eradicare, & corporales motus auferre non possit, mens tamen sobria refrænare atque reprimere valeat quamuis grauem passionem. Caput I.

NEcessarius ad disciplinam bonis omnibus sermo plenus prudentiæ, & mens rationi intẽta præcurrit virtutibus,passiones coercet. Docibilis enim virtus. Denique studio & discendo quæritur, dissimulãdo amittitur. Alioquin nisi sermo bonus necessarius esset ad correctionẽ,nũquã lex diceret: Nõ adultera-
Exod.20. bis. Sed quia nudus sermo ad monẽdũ vtilis,ad persuadendũ infirmus est,ideo adhibẽda est rationis recta cõsideratio, vt quod sermo bonus præscripserit, ratio plenius tractata persuadeat. Non enim seruili ad obediẽdũ constringimur necessitate sed volũtate arbitra, siue ad virtutẽ propẽdimus,siue ad culpam inclinamur. Et ideo nos aut liber affectus ad errorẽ trahit, aut volũtas reuocat rationẽ secuta. Passio autẽ grauissima culpæ cõcupiscẽtia, quã ratio mollit & cõprimit. Emollire enim potest,eradicare non potest, quoniã animus qui est rationis capax, vt suarũ passionum dominus, sic repressor. Neq; enim fieri potest vt facilis ad iracundiam non irascatur,sed vt ratione se temperet, indignationẽ cohibeat, ac puniendo se reuocet,sicut & propheta nos docet dicens:
Psal.4. Irascimini, & nolite peccare. Concessit quod naturæ est, negauit quod culpæ est. Omnis itaque temperantia ex aliis non ex se originem sumit,ideoq; secũda est. Nã aut de naturalibus suscipitur,aut de vtilibus . Itaque aut naturalia tẽperat,aut vtilitatis assertor est. Denique non ibi excidit cõcupiscentiã,sed facit ne concupiscentiæ seruiamus. Quis enim tantus vt corporales motus possit auferre,nisi solus ille qui potuit de infructuosa ficulnea dicere,hoc est malitia Iudęo-
Lucæ 13. rum : Ecce anni tres sunt ex quo veni quærens fructum in ficulnea hac,& non inuenio : succide ergo illã? Cui respõdit seruus: Remitte illã & hoc anno,vsq; dum fodiã circa illã,& mittam cophinũ stercoris: & siquidem fructum fecerit : sin autẽ,in futurũ succides illã. Meritò ad dominũ retulit, quia excidendæ temporalis prolapsionis potestatẽ sibi ipse vindicare non poterat,sed domino reseruabat. Denique quẽ de hominibus meliorẽ & fortiorẽ assumemus quã sanctũ Dauid, qui cupiditatẽ qua cõcupierat aquã de lacu Bethleẽ hostili intercluſam exercitu,sibi auferre nõ potuit,potuit mitigare? Nã cũ aliis vtique defuisse non inueniamus, id est,tãto exercitus numero,cum vtique multo minus regi decsse potuerit ex cæteris fontibus aqua: irrationabilem quandã concupiscentiam passus desiderauit eam, quæ hostiũ erat circũfusione vallata,vnde sine maximo periculo nõ facile potuisset deferri. Itaque ait: Quis mihi dabit potum de lacu qui est in Bethleem ad portã? Et cùm essent reperti tres viri qui hostiũ castra præciderent, & deferrent aquam quã summo de-
2.Reg.23. siderio desideraſſet: cognoscens quod periculo alieno aqua sibi eadẽ cõstitisset,profudit illã domino, ne sanguinẽ illorum qui eam detulerant,bibere videretur. Quæ res indicio est,quòd concupiscentia quidem rationem præueniat,sed ratio cupiditati resistat. Humanũ itaq; quod passus est Dauid, vt irrationabiliter concupiscerẽt: sed illud laudabile, quod irrationabilem concupiscentiam rationabiliter parato frausui regis, & maluerunt finem eius verecundiæ vel periculo propriæ salutis afferre : plus laudo eũ qui erubuit in suo desiderio alienũ periculum,& aquam dubiæ sortis precio quęsitam sanguinis comparauit : simul quasi repressa victor cupiditate profudit aquam domino,vt ostenderet quod cõcupiscentiam suã verbi consolatione restingueret. Potest igitur mẽs sobria impetssione refrænare ac reprimere quamuis grauẽ passionem,& feruorẽ omnem cupiditatis flagrantissimæ refrigerare,deriuare alio motus,& rectę rationis tractatione depuere passiones. Etenim cùm deus hominem constituerẽt, & in eo mores sensúsque plãtaret,tunc motibus eius imposuit regale mentis imperium,vt omnes sensus motúsque hominis eius vigore ac potestate regerentur. Adiunxit ad gratiam creaturæ, vt mentem ipsam diuinis reformaret præceptis, & sapiẽtiæ instrueret disciplinis,quibus & cauẽda nosceret, & legenda cognosceret. Mens igitur recta ratione tenet disciplinam sapientiæ, vt diuinæ humana cognoscat eruditus in lege,per quam discit quas sibi subiiçere debeat passiones.

De ordine ac differentia passionum. Et qua ratione temperantia quàm maximè istarum passionum restinguat ardorem, corporalísque ferocitatis habenas. Ac de magnis eiusdem temperantiæ laudibus,quam & primis hominibus tenẽdã deus mãdauit, & lex docet vniuersorúmq; infundit affectibus. Caput II.

PAssionum autem velut duces sunt naturalis delectatio & dolor,quas sequuntur cæterę. Illæ enim complectuntur vniuersas, quarum vtraque non solum corporis,sed etiam secundum animã passiones sunt. Et quia diximus subesse his alias passiones: ante delectationem concupiscentia, post delectationem gratulatio est. Ante doloręm autem est timor,post doloręm tristitia. Commotio autem animi communis passio & delectationis & doloris est. Transcurram alias,id est,superbiam,auaritiã, ambitionem,cõtentionem,inuidiã,quæ sunt secundum animam passiones: transcurram etiam inexplebilem vorãdi libidinẽ, effusionémque luxuriæ atque lasciuiæ,quæ vitia nexa sunt corpori, & secundum illud operantur. Meritóque temperãtia quã maximè istarum passionum restinguit ardorem,quæ primum sobrietate atque moderamine animũ tẽperat,mentem informat. Deinde etiam delitiarum abstinẽtia restinguit habenas corporalis ferocitatis. Ideo lex recidit ciborum licentiam,epularum copias,non solum vt resecaret luxuriam,verum etiam vt inhibentis contemplatione præcepti viam tractationi rationis aperiret, quæ irritamẽta gulæ cæteráſque recideret cupiditates, corporeas passiones motúsque cohiberet. Temperantia est igitur correctionis
Genes.3. prędia disciplinę magistra. Ab hac profectus Iacob sanctus, primatus à fratre quos non habebat accepit: eiúsque prælatus assensu, docuit in reliquum intemperantes proprio sibi villes esse iudicio. Ab hac profectus Ioseph & caloré iuuẽtutis edomuit, & tentatũ adulterinis animum illecebris, rectæ rationis inductione firmauit, Deniq; quãuis fortis esset & validus, tamen tractatu rationis fulcire se maluit, dicens
Genes.39. vxori domini sui: Si dominus meus nescit prẽter me aliquid in domo sua , & omnia quæcunque habet, dedit in manus meas, neque subtractũ est à me quicquã prætere te, quę vxor illius es: quomodo faciam verbum hoc malum,& peccabo coram deo? Hæc est igitur rectæ rationis tractatio, quã Græci λογισμὸν nuncupant, qua mens sapientiæ intenta solidatur. Pulchra enĩ ratio , quòd nec beneficii domini esse deberet ingratus, nec occultum posset esse peccatum, quod deo teste committeret, quem latere non posset. Bona igitur ratio, quæ & hostilem plerumque affectum exuit, & dolorem iniuriæ sequestrat. Denique & in acie plerumque victorem victo mitigat, & ferituri mucronem retardat, & rogantem morti eripit : eóque subiectis parcere iusta ratio persuader. Nã de exclu-

excludendo vel mitigando iniuriæ dolore quis melior magister quàm patriarcha Iacob, qui proprios coarguens filios Simeō & Leui, ait: Odiosum me fecistis, ita vt fœtus videar. Et vtique vlti fuerant sororis iniuriam, quæ contra institutā patria violato fuerat pudore temerata: nec potuit Iocob præceptor disciplinæ, custos pudoris, stuprum probare cōmissum, sed maluit insolentes ratione cohiberi, sciens quòd indignationem ratio temperare posset. Temperantia est igitur quæ tescecat cupiditates. Hanc primis hominibus tendam mandauit deus, dicens: De fructu autē ligni quòd est in paradiso, non edetis, neque tangetis illud, ne moriami ni. Et quia non est retenta, ideo transgressores virtutis egregiæ, paradisi exules facti sunt, & immortalitatis exortes. Hanc lex docet & vniuersorum infundit affectibus.

Quòd sapientiam & disciplinam doceri scriptura testetur. Ac de exhortatione ad studium, & eius cōmendatione. Et quòd nulli nostram adscribere debeamus culpam, nisi nostræ voluntati, qua vel peccato vel iustitiæ seruimus. Quod præterea carnē iniustè quasi infirmam accusemus, cum affectus non caro author sit culpæ. Quòd denique considerādum sit in qua parte, an peccati vel iustitiæ tolerabilior sit seruitus, & fructus vberior.

Caput III.

DOceri autem & sapiētiam & disciplinā scriptura testatur, de tēperantia in lege, de cæteris in libro Iob, in quo scriptum est: Nōne dominus est qui docet intellectū & disciplinam? Et in Euangelio dominus ipse ait: Discite à me, quia mitis sū, & humilis corde. Et alibi ad discipulos ait: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Vnde autem discipuli dicti? Aut quid Aliud à Christo, nisi virtutū operari præcepta discebant? Denique Dauid ait: Venite filij, audite me, timorem domini docebo vos. Vtique timor dei de numero virtutum est, quia, Initium sapientiæ timor domini per quē asciscitur piæ forma doctrinæ, de qua Paulus ait, Gratias autem deo, quòd fuistis serui peccati, sed obedistis ex cordæ in eam formam doctrinæ in qua traditi estis: liberi autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Doctrina igitur facit vt possimus peruenire ad iustitiam. Potest igitur acquiri iustitia discendo. Intendamus igitur studio in formam Euangelicæ doctrinæ. Minimum studij plerumque pro maximo habetur. In studio enim sunt omnia per quod adhibetur obedientia: quæ vtramlibet partem propenderit aut culpam adiūgit, aut gratiam. Hæc nos in primo Adā traxit ad mortem, hæc nos in Adam secūdo ad vitam vocauit. Non est quod cuiquam nostram adscribamus culpā, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen quæ inferuntur reluctantibus, voluntaria tantum commissa sequitur delictorum inuidia, quod in alios deriuemus. Voluntariū sibi militem legit Christus, voluntarium seruum sibi diabolus auctionatur. Neminem iugo seruitutis astrictum possidet, nisi se prius peccatorum ære ei vendiderit. Quid carnem quasi infirmam accusamus? Membra nostra arma sunt iniquitatis, & arma iustitiæ. Audisti pauperem iniuriam accipientem, protexisti eum, membra tua arma pietatis sunt, quibus pauperem ab iniuria vindicasti. Vidisti egenū, donasti eum muneribus dexterę tuæ, mortem à tuo pectore repulisti. Vidisti eum qui damnatur ad mortem, eripuisti eum, quia scriptum est: Eripe eum qui ducitur ad mortem: mēbra tua arma sunt iustitiæ, si iniustè hominē perire non passus es. Vidisti mulierem, castigasti corpus tuū, mortificasti libidines, procaces meretricis oculos auersatus deseruisti, mēbra tua arma sunt, & arma castimoniæ. Cōtrà autem si oculus tuus vidit mulierem ad concupiscendum eam, aperuisti vulnus, impressisti telum corpori tuo, membra tua arma iniquitatis sunt. Vidisti possessionem pupillorum, & paternis eos expulisti sedibus, transtulisti terminos quos posuerūt patres tui, membra tua arma iniquitatis sunt. Affectus igitur non caro author est culpæ, caro autem voluntatis ministra. Non ergo vēdat nos volūtas nostra. Clamat Apostolus: Nescitis quoniam cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obedistis, siue peccati in mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Ergo si aut peccato seruimus aut iustitiæ, consideremus in qua parte seruitus tolerabilior, fructū vberior. Sed qui potest esse fructus in morte? Peccati enim stipendiū mors: & ideo nullus in eo fructus est, sed pudoris dispendiū, cùm ea quæ gessimus, erubescimus. Seruire autem iustitiæ, libertas est. Qui enim vocatus est in domino seruus, libertū est domini. Similiter qui liber vocatus est, serū est Christi. Vtraque cōditio optima esse sub Christo, sub quo & precio sa seruitus, & glorioſa libertas. Preciosa seruitus, quasi tanti sanguinis precio cōparata. Glorioſa autē libertas, quā nulla seruitus culpæ nulla peccatorū vincula cōstringunt, nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia degeneris nexui seruitutis addicunt. Disce humilitatem ô homo, Apostolici vim cognosce magisterij. Seruum te dicis? libertuses: si liberum te iactas, seruus es. Nam & ille qui quasi seruus redemptus est, libertatem habet: & iste qui quasi liber vocatus est, bonum est illi vt seruū Christi se esse cognoscat, sub quo seruitus tuta est, & libertas secura. Quis quasi idiotam Paulum vel in ipso iure asserit? Sciuit enim discernere inter libertum & liberum, & ideo nō perfunctoriè sed propriè dixit: Qui enim vocatus est in domino seruus, libertus est domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Reuera enim omnes Christi liberti sumus, nemo liber. Omnes enim in seruitute generati. Quid seruili conditioni arrogantiam libertatis assumis? Quid titulos nobilitatis vsurpas seruilis hæreditas? Nescis quòd te Adæ atque Euæ culpa mācipauerit seruituti? Nescis quòd redemerit te Christus, non emerit? Non auro, non argento redempti estis de vana vestra conditione, sed precioso sanguine agni, clamat Apostolus Petrus. Ergo redemptus à domino es: seruus es qui creatus es, seruus es qui redemptus es, & quasi domino seruitutem debes, & quasi redemptori. Nec inferiorem putes libertinitatem sub Christo, quàm libertatem esse. Ad dignitatem æqualis, ad tuitionem præstantior est, ad gratiam par, aduersus lapsum cautior, aduersus superbiā tectior. Ita libertatē recepisti, vt meminisse manumissoris tui debeas, vt patrono tuo noueris legitimum obsequium deferēdum, ne ab ingrato reuocetur libertas. Quid te beatius, qui sub domino regnas, & sub patrono militas?

1. Corint. 9.

1. Petri. 1.

Quantū dominus homini contulerit per dationē legis, & gratiæ adiunctione. Et quid lex operata sit in homine iuxta sententiā Apostolicam. Ac de absolutione duarū quæstionū circa verba Apostoli incidentium. *Caput IIII.*

QVid autem est quod tibi non contulit dominus? Legem dedit, adiunxit gratiam. Lex peccatū denunciauit, sed in conditione lubrica penitus cohibere non potuit. Cognoui enim peccatū quod nesciebam, cognoui concupiscentiam. Quod ante per ignorantiam in me mortuū videbatur, reuixit, ego autē mortuus sum peccati vulnere. Cognitio culpæ quæ mihi profutura videbatur, hæc nocuit, vt scirem quod vitare non poteram. Peccatum enim prodidit, & per bonum denuntiationis suæ peccati ipsius acerbauit inuidiam. Itaque supra modū factū est peccatum mihi, quia cumulatū est denunciatione mandati. Crescit enim culpa cū proditur, nec cauetur. Quomodo ergo bonum mandatum quod mihi mors est? Aut quomodo non est mihi mors quod per bonū significationis suæ demonstrando peccatum operatū est in me mortem? Nam certum est quòd mors mihi accessit, dū quod facio agnosco peccatū, sicut ipse dominꝰ ait: Si nō venissem, & locutꝰ fuissem his, peccatum non haberent. Quid miraris igitur si lex quibusdam morti sit, cùm morti sit & domini salutaris aduentus per quem redēpti sumus? Infidelis enim mortem sibi quærit ex gratia, manet autem mādati gratia. Etenim sicut cognitio venenatorum poculorū consummatur ad disciplinam medicinæ, sic diuinum mandatum ad vitam æternam. Sicut autē ei qui malè vtitur noxiis potionibus, cognitio earū in malū vertitur & periculū: & quò magis venena cognouerit, hoc se intelligit amplius periclitari: sic forma mādati iis qui legē interpretātur, vel demonstrata atque interdicta peccata vitare nō possunt, mortis author est. Sicut ergo bo-

Roma. 7.

Ioan. 15.

go bonum antidotum, etiam si imprudenti aut intemperāti non bonum: sic bonum mandatum etiā si intemperāti non bonum est. Ergo bonum mandatum, quod alicui mors est. Respōsum igitur habe primæ propositionis, quia potest esse bonum mandatum quod mihi mors est, bonum per naturam salutaris præcepti, mors per intemperantiam carnis. Et quia didicimus esse bonum mādatum, quod mihi mors est: nunc discutiamus quomodo non sit mihi mors, quod licet per bonum, mihi tamen operatum est mortē. Sic enim proposuit Apostolus: Quod ergo bonū est, mihi mors est? Absit. Sed peccatū, vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Itaque spectemus singula. Mandatum vtique legis est, lex autem spiritalis est, cuius gratiam video, pulchritudinem laudo, formam prædico, præceptum admiror: sed quia carnalis sum ego, venundatus sub peccato, trahor inuitus ad culpā. Etenim quasi seruo culpa dominatur. Itaque odi crimen, & facio. Mens odit, caro concupiscit, ego tamen in vtraque, qui legi mēte cōsentio, & carne quod nolo hoc ago. Bonum ergo mandatū, cui consentio: & mēs bona, quæ quod bonum est elegit. Bona ad iudicandum, sed infirma plerunque ad resistendum: quia repugnat ei corporis appetentia, & captiuam eam trahit ad erroris illecebras. In quo periculo vnum est remedium, vt quem lex non potuit, liberaret dei gratia. Sic enim scriptum est: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Itaque fit vt licet peccatū quod latebat, id est, concupiscentia mea quam non putabam esse peccatum, mortem mihi operata sit, dum proditur, & supra modum factum sit ipsum peccatum (erat enim peccatum etsi nesciebatur, sed cognitione coaceruatum est, & quasi incrementum erroris assumpsit, atque in naturam delicti cessit forma mandati) mihi tamē mors non sit, cui promptum est ad Christum confugere, per quē soluimur omni mortis periculo. Absoluta igitur etiam secunda est propositio, quia mandatum mihi legis non mors est, etsi mortem operetur. Quod enim conturbamur, fragilitatis est: quod euadimus, Christi.

Roma. 7.

Roma. 7.

Qua ratione lex non sufficerit, sed vltra eam necessaria fuerit gratia per mortem Christi donata. Quódque nos etiam cum illo mori, resurgere & versari debeamus. Cap. v.

ERgo vt ab exordia sermonis huius reuertamur, mens bona est quæ habet tractationē rationis, & intendit sapientiæ disciplinis, sed grauis lucta est ei cū mortis corpore, & plerūque rationem mentis vincit carnis illecebra. Et ideo dominus primo legē dedit, cui mens hominis sese ad obtemperādum dedit, & ei seruire cœpit vt esset subdita: sed caro subiecta nō erat, quia sapientia carnis non est legi subdita, & præceptis eius repugnabat. Nō enim poterat virtuti obedire cupiditatibus dedita, & lenociniis carnalibus implicata. Ideo laborandū est vt teneamus dei gratiam. Mens itaque bona, si rationi intēdat: sed parū perfecta, nisi habeat gubernacula Christi. Venit enim dominus Iesus, qui nostras passiones cruci suæ affigeret, peccata donaret: in cuius morte iustificati sumus, vt totus mundus eius mundaretur sanguine. Denique in morte ipsius baptizamur. Si igitur in ipsius morte dimittuntur nobis peccata, etiam peccatorum nobis passiones in illius morte moriantur, illius crucis clauis affixæ teneantur. Si in illius morte mortui sumus, quid igitur tanquam viuētes ad ea quæ sunt mundana reuocamur? Quid nobis cū elementis mundi? Quid cum cupiditatibus? Quid cum luxuria atque lasciuia, quibus in Christo mortui sumus? Quod si sumus in Christo mortui, in Christo resurreximus. Cum Christo igitur versemur, cum Christo superiora quæ sunt, nō quæ corruptibilia & terrena quæramus. Christus resurgens à mortuis, veterem hominem affixum reliquit, nouum resuscitauit. Christus mortuus est, vt & nos peccato moreremur, deo resurgeremus. Mortua est caro nostra, quid igitur peccato reuiuiscit? Quid igitur peccato obedit? Quid igitur peccatum regnat in mortuis, cùm mors finis peccati sit? Mortui sumus carne, renouati sumus spiritu. Spiritu ambulemus, quia spiritum Christi accepimus. Si autem spiritus in nobis ergo sit nobis caro mortua propter peccatum, spiritus verò

Roma. 6.

Gala. 6.

A

D

viuat propter iustificationem. Sic quod erat impossibile legi, solutum est si in spiritu ambulemus. Sic passiones sepelimus, si crucem huius corporis non resoluamus. Sic chirographum peccati quod deletum est in cruce Christi, non rescribemus, si veteris hominis amictum quem exuimus, non induamus. Scriptum est enim in Canticis: Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Mortificata igitur nobis sunt corporis membra, cur eius pullulant vitia? Ideo lex nō prævaluit, quia carnem non mortificauit. Ideo quasi vmbra præteriit, non collorauit: ideo etiam obumbrauit nos à sole iustitiæ, quia exceruauit crimina: ergo & obfuit.

Colos. 3.

Cant. 5.

Quid profuerit legis promulgatio. Quantum etiam vtilitatis atque consolationis homini attulerit gratia, & pignus charitatis Christi, cum incitatione ad repensionem obsequij pro tantis beneficiis debiti, eorumdémque beneficiorum consolatiua inductione. Cap. VI.

B

QVid igitur profuit vt lex promulgaretur si protura non erat? Habebamus iam legem naturæ, erat vnusquisque sibi lex, qui opus legis scriptū habebat in corde suo. Illam non tenuimus: cui addebatur ei altera, in cuius operibus caro non posset iustificari? Accessit vinculū, non solutio: addita est peccatorum agnitio, nō remissio. Peccauimus omnes qui poteramus excusationem prętendere per ignorantiam: os obstructum est omnibus. Profuit tamen mihi, cœpi cōfiteri quod negabā, cœpi delictum meum cognoscere, & iniustitiam non operire, cœpi pronunciare aduersus me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietates cordis mei. Sed & illud mihi prodest, quod non iustificamur ex operibus legis. Non habeo igitur vnde gloriari in operibus meis possim, non habeo vnde me iactē, & ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor quia iustus sum, sed gloriabor quia redemptus sum. Gloriabor non quia vacuus peccati sum, sed quia mihi remissa sunt peccata: Non gloriabor quia profui, neque quia profuit mihi quisquam, sed quia pro me aduocatus apud patrem Christus est, sed quia pro me Christi sanguis effusus est. Facta est mihi culpa mea merces redēptionis, per quam mihi Christus aduenit. Propter me Christus mortem gustauit. Fructuosior culpa quàm innocentia. Innocentia arrogantem me fecerat, culpa subiectum reddidit. Habes igitur quibus latio profuit tibi legis. Sed dicis quia per legem superabundauit peccatum. Sed vbi superabundauit peccatum, superabundauit & gratia. Mortuus es peccato homo, ergo lex iam non obest. Resurgis per gratiam, ergo lex profuit, quia acquisiuit gratiam. Accepisti etiam pignus Christi charitatis: quoniam qui pro te mortuus est, aduocatus est tibi, & sanguinis sui mercem reseruat. Et qui peccatorem reconciliauit patri, multo magis commēdat innocentem, & tuetur subditum, quia sit innoxium. Tanti igitur beneficij debitor non rependes obsequium? Hæredem te fecit, cohæredem te fecit. Hæredem dei, cohæredem Christi: spiritum tibi adoptionis infudit. Numera hæc, & adiūge non tam ad debiti nexum, quàm ad muneris accepti conferuationem. Cohæres Christi es, si compatiare, si commoriare, si consepeliare. Cum Christo suscipe passiones eius, vt supra passiones eius cum eodem esse merearis. Vide quomodo tibi peccata superiora donauit, vt nihil faceret obesse quod peccasti. Vide quomodo te hortatur ne amittas quod accepisti. Breuis huius laboris est meta, & corona fructus perpetui: tolerabilis passio, merces inæstimabilis. Quid enim te angit? An ignobilitatis abiectio? Sed erit tibi in futurum glorioſa nobilitas deuotionis ac fidei. Num census terrenuior, victus angustior? Sed erunt tibi diuitiæ remunerationis æternæ, in quibus rei vllius egere non possis. Num amissio filiorum? Recipies perpetuos quos suscepperas temporales, & dicetur de te, Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Hierusalem. Indigne, inquit, passiones sunt huius temporis ad futuram gloriam. scriptura tibi dicit. Adde quia vita beata his aduersis secularium molestiarum aut passionum corporalium non minuitur, sed magis probatur. Adde quod vel patrimonij damna non sentit, vel neces-

Roma. 7.

Psal. 31.

Roma. 4.

Roma. 6.

Roma. 8.

C

1057

vel neceſſitudinem forti mente abſcondit diſpendia, abſorbet dolorem. Adde quia neſcit naufragia qui ſemper in portu tranquillitatis eſt. Quid illud quod labor tibi communis eſt cum omni creatura, quia propter te mundus ipſe ſeruitutem tolerat corruptionis, quia cum ſanctis tibi laboris hui⁹ & expectationis commune conſortiū eſt? Sol occaſum ſuū recognoſcit, luna defectum, errorem ſtellarū lumina, dum totius corporis noſtri expectatur redēptio. Sed vereris dubios vitæ anfractus, & aduerſarij inſidias, cum habeas auxilium dei, habeas tantam eius dignationem, vt filio proprio pro te nō pepercerit? Pulchro verbo vſa eſt ſcriptura, vt dei patris erga te pium propoſitum declararet, qui morti pro te torum obtulit, quod in plenitudine diuinitatis nihil ipſe amiſit, & te redemit. Conſidera affectum patriū. Quod pietatis eſt, quaſi morituri filij ſuccepit periculū, quaſi orbitatis hauſit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantū fuit domino ſtudium tuæ ſalutis, vt propemodū de ſuo pericliteretur, dum te lucraretur. Ille propter te diſpendia ſuſcepit, vt te diuinis inſereret, cœleſtibus conſecraret. Mirè etiā addidit, Pro nobis omnibus tradidit illū: vt oſtēderet quòd ita omnes diligat, vt dilectiſſimum ſibi filium pro ſingulis traderet. Pro quibus igitur quod ſuper omnia eſt dedit, poteſt fieri vt non in illo vniuerſa donauerit? Nihil enim excepit, qui omnium ceſſit authorem. Nihil eſt igitur quod negari poſſe nobis vereamur, nihil eſt in quo munificētiæ diuinæ diffidere perſeuerantiæ debeamus, cuius fuit tam diuturna & iugis vbertas, vt primo prædeſtinaret, deinde vocaret, & quos vocaret, hos & iuſtificaret: & quos iuſtificaret, hos & clarificaret. Poterit deſerere quos tantis beneficiis ſuis vſque ad præmia proſecutus eſt? Inter tot beneficia dei num metuēdæ ſunt aliquæ accuſatoris inſidiæ? Sed quis audeat accuſare quos electos diuino cernit iudicio? Num deus pater ipſe qui contulit, poteſt ſua dona reſcindere: & quos adoptione ſuſcepit, eos à paterni affect⁹ gratia relegare? Sed metus eſt ne iudex ſeuerior ſit. Conſidera quem iudicē habeas. Nempe Chriſto dedit pater omne iudicium. Poterit te ergo ille damnare, quem redemit à morte, pro quo ſe obtulit, cuius vitam ſuæ mortis mercedem eſſe cognoſcit? Nōne dicet, Quæ vtilitas in ſanguine meo, ſi damno quem ipſe ſaluaui? Deinde conſideras iudicē, non conſideras aduocatum? Poteſt iſte ſequiorem ferre ſententiā, qui interpellare nō deſinit vt paternæ reconciliationis in nos cōferatur gratia?

Qualis in nobis debeat eſſe Chriſti charitas, & quòd nulla aduerſa corporis vitæ beatæ munus imminuunt. Quódque in ſe habeat remunerationē ſuam qui Chriſtū ſic ſequitur, ac beatus ſit. Quòd etiā ſic beata vita ſit in hominibus in quibus fuerit vita perfecta, & quæ ſit vita perfecta. Quid denique vir perfectus quærat, ac illi conueniat. Cap. VII.

SEd & ſiqua imminerent grauia, nequaquam nos à Chriſto ſeparare deberēt. Cur nos pro illo nō etiam dura & acerba toleremus, qui pro nobis tam indigna ſuſcepit? Ideoque debet in nobis eſſe charitas, vt nullis periculis reuocemur à Chriſto. Scriptū eſt enī: Aqua multa nō poterit excludere charitatem, & flumina nō concludent eā, quia torrentē tranſit anima diligentis. Nulla tēpeſtas, nullū profundū periculum, nullus terror mortis aut pœnę vim charitatis imminuit. In his enī probamur, in his beata vita eſt, etiam ſi multis periculis inūdetur. Non enim frangitur ſapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis ſed etiā in ærumnis beatus manet. Neque enim aduerſa corporis vitæ beatæ munus imminuūt, neque de eius ſuauitate aliquid delibant, quia non in delectatione corporis vitæ beatitudo eſt, ſed in conſcientia pura ab omni labe peccati, & in eius mente qui cognoſcit quia quod bonū eſt, hoc delectat, etiam ſi aſperum ſit: quod autē indecorū etiā ſi ſuaue, non mulcet. Ergo cauſa bene viuendi non delectatio corporalis, ſed mentis prudentia eſt: non caro quæ ſubiecta eſt paſſioni, ſed mens, quæ iudicat, quia nihil melius delectat quam conſiliorum honeſtas, & operum pulchritudo. Ea igitur beatæ interpres eſt vitæ. Melior eſt enim prudentia vel ratio arbitra paſſionis quā paſſio, preſtantiúſq; quod iudicio ſubiectum eſt. Neque enim fieri poteſt vt ratione

A ſit melius, quod eſt irrationabile. Habet ergo in ſe remunerationem ſuam qui ſequitur Ieſum, & in ſuo affectu præmium etiam ſi dura ſuſtineat: beatus tamen eſt ſuis moribus, beatus ipſis periculis, ſicut dominus definiuit dicens: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Eſt ergo beata vita in hominibus, ſed in his ſcilicet in quibus fuerit perfecta vita. Perfecta autem vita non ſenſibilis iſta, ſed illa rationabilis ſecundum tractationem rationis, & mentis viuacitatem, in quo nō eſt portio hominis, ſed perfectio, quæ non tam eſt in conditione hominis quàm in operatione. Ea enim beatum facit. Huic igitur viro quid eſt bonum, niſi ipſi ſibi † quod habet? Et adeſt ei hoc bonum, & cauſa ei erit futurorum bonorum. De hoc bono dixit Salomon: Bibe aquam de tuis vaſis, & de puteorum tuorum fontibus. Superfluāt tibi aquæ de tuo fonte, in tuas autem plateas diſcurrant. Sint tibi ſoli conſtitutæ, & nemo alienus particeps ſit tibi. Fons aquæ tuæ ſit tibi proprius. Vtere igitur interno bono tuo. Teſtimonium autem boni huius maximum, quoniā qui habet, alia non requirit. Quid B enim requirat qui inferiora deſpicit? Præſtantiſſimo autem inhæreat, ſicut ſcriptum eſt: Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum confabuletur tibi. Amicitia autem præcedat te, & vna ſit tecum in omni tempore. Bona enim virtutum amicitia, & ſummi bonni charitas. Nihil itaque aliud quærit perfectus ille, niſi ſolum & præclarū bonū. Vnde & dicit: Vnā petij à domino, hanc requirā, vt inhabitē in domo domini omnes dies vitæ meæ, & videam delectationē domini. Neque verò eum tanquam anguſtū inopémque faſtidias, quia vnius hominis velut ſolitaria ſocietate contentus ſit. Huius enim amicitia circundatus plurimus erit. Abūdat enim huiuſmodi viro ad beatitudinem & ad poſſeſſionem boni, & ideo nihil aliud deſiderat. Nihil enim quaſi nouū expectat qui omnia habet. Nihil eſt enim boni quod nō habeat, nec ſuperfluis delectatur, ſed neceſſariis, & eo ipſo neceſſario quod non ſibi, ſed carni adhęrenti ſibi neceſſarium ſit: ideoque indulget quod ab interioris hominis propoſito nō diſcrepet, quod faciat vtraque vnū, & reconciliet exteriorem C hominem iuxta atque interiorem deo, vt fiat in vtroque vnus ſpiritus. Huius igitur propoſiti vir nec diſpēdio minuitur, nec aduerſis frangitur, nec repagulis inhibetur, nec ſuorum amiſſionibus mœſtificatur. Ad cuius informationē dicit Apoſtolus: Nolumus autem ignorare vos fratres de dormientibus, vt non triſtes ſitis, ſicut & cæteri qui ſpē nō habent Solatur enim ſe reſurrectionis fide, & remunerationis gratia: nec recipit ea mente mœſtitiam qua adhæret deo, & diuinæ præſentiæ voluptate lætatur. Qui autem contriſtatur his, non ſecundum deum contriſtatur. Quod autem nō ſecundum deum, hoc plenū ſtultitiæ. A perfecto igitur abeſt huius mundi triſtitia, quæ non ſecundum deum, & omnis ſolicitudo corporalis ærūnæ. Huiuſmodi enim inductio ni mentis atque ſubſtātiæ non annumeratur habitudo corporis, & quidam exterioris vſus naturæ, cùm ſimul aduerſus delicias corporis, fragilitatēque ipſam naturæ, orbitatis diſpēdia, contumelias, inuictus animus vniformem debeat ſeruare conſtantiā, vt corpus ipſum ſcindat, ſenſūſque exuat D carnis, qui beatitudinis palmam habere deſiderat, cuius fructus non in vnius portione ſit, ſed in plurimarum, & ſi fieri poteſt, in omniū ſit virtutum cōſortio. Neſcit igitur perfectus incommoda huius corporis, aut aduerſa mundi, neque ſentit, qui alienū ab huiuſmodi metu, ne accidant, animū gerit. Non enim vita perfectior ſi his careat definitur, ſed ſi iſta contemnat. Nam ſi ita definiretur, vt ea eſſet beata vita, quæ ab huiuſmodi caſibus expers vacuáque reperiri poſſet: vtique his accedentibus non poſſet beatus aliquis definiri. Ea igitur ſequeſtrata ſunt, & hoc ſolum in æſtimatione beatæ vitæ eſt requiſitum, vt non aliis, ſed in poſſeſſionem veri boni eius definitio teneretur, quoniam quod habet deſpuit, cætera nec requirit.

Matth. 5.

† qui

Prouer. 5.

Pſal. 26.

1. Theſſ. 4.

Quòd quamuis ſapiens delectetur ſanitate corporis aut liberis, non tamen minus perfectus ſi illa amittat, & quod nulla aduerſa intolerabiliter ferat cum expoſitione eorum quæ ad formam iuſti viri requiruntur.

Caput VIII.

VEro nunc vtrum ſapiẽs delectetur ſanitate corporis. Negare non poſſumus quòd delectetur ſecundum naturam, & libenter accipiat nõ dolere aliquid quàm dolere, niſi fore pro Chriſto: pro quo, ſi cauſa poſcat, & debilitatem corporis promptè accipiat, & totum corpus ſuum morti offerat. Idem tamẽ etiam præter cauſam fidei atq; iuſtitiæ, ſi deſit ſanitas, non afficiatur animo, neque frangatur dolore corporis, qui ſe poteſt virtutum perfectione ſolari. Quæro etiam vtrum delectetur liberis. Quis iſtud abnuat? Neque enim durus & ferreus ſed perfectus quæritur. Tamen & ſi amittat liberos, non ideo minus beatus, qui nõ ideo minus perfectus. Quod enim perfectum beatum. Quin etiã ſi aduerſa tolerat, quàm ſi ſecundis affluat, magis ſolet huiuſmodi videri perfectus: quãuis neque ſi deſint, neq; ſi aſſint externa cõmoda, aut corporalis lætitia, decedere quicquàm virtuti ſoleat vel accedere. Sed pleriſque tam laudi fuit toleraſſe aduerſa fortiter, quam nõ incidiſſe. Verũ hæc ſpecie æſtimãtur, non pondere. Illud profundum, virum iuſtum nihil velle niſi illud ſolũ & præclarum bonum, huic ſoli intendere, hoc vnum in bonis ducere, non aliud cum illo, ſed ſolũ ipſum ſemper deſiderare, hoc delectari: cui ſi aliud adiungatur quod delectet eum, vt eſt filiorum ſuauitas: non illud amittitur, ſed iſtud adiungitur. Non enim minuunt* accedenti ad beatitudinẽ, quę augere nõ poſſunt: quia plenum illud & inuiolabile manet, in quod anima ſeſe inducit, & cui ſe inſeruit & infudit. Manet ſemper inter aduerſa & delectabilia perfecta virtus, neque aduerſa de perfectione eius quicquã minuunt, neq; delectabilia adiungunt perfectioni. Quid enim eſt quod is qui ad ſummum aſcendit, aut damni de caducis ſentiat, aut cõmoditatis? Neque verò (quod grauiſſimum apud pleroſque habetur) ſe miſerum putabit ſi in captiuitatem vel ipſe veniat, vel eius filij. Non enim intolerabiliter feret quod habet natura, vel quod videtur domino. Deniq; iuſtus dixit bonum verbũ quod locutus eſt dominus, & dixit: Fiat pax & fides in diebus meis. Non vtique iuſtus iſte Ezechias in filios deflexiſſe ærũnam captiuitatis gratulabatur, ſed voluntati domini obuiare nõ poterat, & ideo mãdata eius æquanimiter ſuſcipiebat vt ſeruulus. Accedit illud, quod æſtimare poterat poſſe & in captiuitate meritum eminere virtutis. Neque enim minus beatus Hieremias in captiuitate, minus etiã Daniel, minus Heſdras, min⁹ beati Ananias, Azarias, & Miſael, quã ſi in captiuitatẽ nõ incidiſſent: cùm ideo in captiuitatẽ ducti ſint, vt populo & preſentia in captiuitate ſolatia, & ſpẽ euadendæ captiuitatis afferrent. Perfecti eſt enim viri, communitatẽ naturę ſuſtentare animi virtute, & ad meliora adducere, nec ſuccumbere iis quæ pleriſque terribilia & formidoloſa videntur, ſed quaſi fortem militẽ grauiſſimorum caſuũ ſuſtinere incurſus, cõflictus ſubire, & quaſi prouidum gubernatorem nauem in tempeſtate regere, atque occurrẽdo inſurgentibus fluctibus magis vitare naufragium ſulcando vndas quã declinãdo. Non iſte in perſecutione pauidus, non in tormentis mollior, ne torquentẽ exaſperet: ſed quaſi athleta fortis, qui repercutiat verberantẽ, ſi non cædis, certe ſermonis flagello, qui metuenda multis tormenta deſpiciat, dicẽs: Sagittæ infantium factæ ſunt plagæ eorũ. qui cũ grauiſſimo licet dolore luctetur, nec ſe miſerabilẽ præbeat, ſed oſtendat tanquã in laterna lumen, etiã inter aſperas procellas & grauiſſimos flatus ſuam lucere nec extingui poſſe animi virtutem. Non iſte in ſuorum iniuriis mollis, nec de ſepulchro ſolicitus ſui corporis, cui ſciat cœlũ deberi, non in captiuitate ciuicæ plebis abiectior, ſed ſicut iudex ſeuerus, infidelium perfidiã erroréſque condemnans, vt Daniel, qui ſacerdotum furta prodebat, & ſuperſtitiones eorum redarguebat, oſtendens nulla veritate ſubnixas, ſed fraudibus adũbratas. Talis vir poſtremò eſt perfectus, qui omnes velit bene agere, nihilque cuiquam accidere mali: & ſi præter voluntatem eius acciderit, ipſe tamen de propria voluntate nil amittit. Sed fortè aliquis putet ęgritudinem atque imbecillitatem corporis impedimento eſſe ad perfectionis munus implendum, eò quòd non poſſint opera manuũ vlla factáque procedere. Verum ea ſibi iuſtus impedimento eſſe non ſentiet, imò etiã eum qui illa miſerabiliter defleat corripiet, & quaſi ignauũ arguet, quod plus in corporis vſu quã in animi virtute cõſtituat: quod ea quibus ſeruiat deſideret, cũ habeat quod aliis magis poſſit iubere: quod in paupertate ingemiſcat, qui poſſit ſupra mũdi opes eſſe. (Fideli enim totus mundus diuitiarũ eſt) quod ignobilitatem defleat, qui debeat deſpicere regias poteſtates, diuitibus & potentibus imperare. Hæc enim vita iuſti qui etiam quas habeat facultates, cõmunes æſtimare debeat, imò etiam in opibus diuitias, diſpenſare pauperibus, recidere voluntates proprias, tenuare ſumptum, adhibere parſimoniam temperantiæ, ſobrietatem tenere in proſperis, patientiam in aduerſis, in dolore tolerantiam, magnanimitatẽ in periculis, ſanitatis petuæ vota neſcire, mortis imminentis terrore non cõcuti, neque eum præſtantiorem putare cui ſecundum naturã liberi, propinqui, ſalubritas, lætitia, affluẽtia, redundauerint, quã cui illa defuerint: neq; externis ſeculi, ſed virtutis domeſticæ merito penſare. Illam quoque formam iuſti eſſe quis abnuat, vt nihil metuat, nihil reformidet niſi virtutis diſpẽdia, aliorúmque vanas formidines comprimat quas habeãt de periculorum ſolicitudine, mortis timore, corporis infirmitate, vt doceat diſſolui corpore, & eſſe cum Chriſto multo melius, vt oſtẽdat quia operationes nõ impediuntur debilitatibus corporis, ſed augentur, neque ſplẽdore generis, aut propinquorum ſubſidiis, aut opibus, ſed bono cõmendãtur affectu? Neq; enim minus beatus Helias quàm Moyſes, cùm alter cibi indigus, melotide vili, ſine filiis, ſine ſumptu, ſine comite: alter populi ductor, lætus ſobole, ſuccinct⁹ potentia, diuerſo genere meritum ęquale fundauerint, ſicut in euãgelio declaratum eſt, quando cum domino Ieſu in reſurrectionis gloria refulſerunt. Videtur enim parẽ his quaſi paribus gloriæ ſuæ teſtibus dediſſe mercedem. Nec minus beatus Heliſæus quã Dauid, cũ alter regibus ſubditus, alter regali poteſtate præditus, propheticæ ſanctificationis haud diſparem ſint adepti gratiam. Quid enim deeſt ei qui illud bonum poſſidet, & habet ſibi ſemper comitem ſociámque virtutem? In quo ſtatu non potentiſſimus? In qua paupertate non diues? In qua generis ignobilitate non clarus? In quo ocio non laborioſus? In qua debilitate non vegetus? In qua infirmitate non fortis? In qua ſomni quiete nõ feriatus, quẽ etiam quieſcentẽ virtus propria non relinquit? In qua ſolitudine non ſtipatus, quem vita beata circundat, quem veſtit gratia, quem gloriæ amictus illuſtrat? Non minus etiã ocioſus quã cum operatur beatus, nec minus dormiens quã vigilans glorioſus: quia non minus dormiens quàm cùm vigilat incolumis & ſanus eſt. Quando autẽ feriatus videri poteſt, cuius mens ſemper operatur? Quando autem ſolus, qui cum illo ſemper bonus eſt, de quo ait propheta: Replebimur in bonis domus tuæ? Quando abiectus, cuius cõuerſatio eſt in cœlo? Quãdo non decorus, qui ad illius decori & ſolius boni ſq cõformat ſimilitudinem: qui etiam ſi membris ſolutus ſit, tamen mente ſe erigat? Et tanquam ille qui cithara canere ſolitus, ſi eam diſſipatam reſolutis neruis & confractã viderit, & vſum eius interruptum, abiiciat eam, atque eius nuncupationem non requirat, ſed voce ipſe ſe mulceat: ita & iſte cimeros non requirat, ſed voce ipſe ſe mulceat: tharam corporis vitioſam iacere patietur, cor de ſe oblectabit, bonæ conſcientiæ recordatione mulcebit, diuinis oraculis & ſcriptis propheticis alleuiabit, ſuaue illud & iucũdum animo tenens, mente complectẽs, cui nihil triſte poſſit accidere, cùm ſemper ei diuinæ præſentiæ aſpiret gratia, & ipſe ſibi aſſit ſumma animi tranquillitate perfuſus.

*accedentia

Pſal. 63.

Danie. 14.

FINIS.

CAPITA SECVNDI LIBRI de S. Iacob.

Poſt continuationem huius libri ad ſuperiorem, quẽadmodum Iacob beatus fuerit etiam cùm patriam relinqueret, ac de definitione beati, & ex hoc quòd ſancto Iacob nihil horum quæ ad meritum beatitudinis ſpectant, defuerit.

Caput I.

De excuſatione parentum ſancti Iacob quòd iuniorẽ filium ſeniori prætulerint, ſimúlq; de cautela parentum circa filios obſeruãda. Et quali affectu Iſaac & Rebecca de filiis certa-

certauerint. Qua ratione etiam Iacob vicerit, ac de cõmendabili mysterio eorum quæ circa benedictionem ipsius facta sunt. Cap. II.

Quid significet quòd celebrata benedictione postea senior frater aduenerit, & vt ipse benediceretur, congendo elicuerit & impetrauerit. Cur præterea ea conditione, vt fratri suo seruiret. Cap. III.

De ortu inuidiæ & minitatione Esau quòd fratrem occideret, & quemadmodum prouidendum sit ne parricidium sequatur, ac de profectione Iacob ad Laban. Cap. IIII.

De ditatione Iacob apud Laban, & ob id in inuidiam vocati, ac de diuina iussione vt in terrã suam reuertatur. Quibus præterea vir iustus esse debeat si inuidia fuerit exorta.

Quid deniq; significet inquisitio Labã, & nihil sui apud Iacob inuentio. Et ex hoc de beati Iacob excellenti commendatione. Cap. V.

Quid significet quòd proficiscenti Iacob angeli dei occurrerunt. Quid sibi etiam velit quòd ipse fratri occurrens septies in terra adorauerit. Quid denique quòd petiturus à fratre concordiam in castris dormiuerit.

Caput VI.

De lucta Iacob cũ deo, & quid sit luctari cum deo. Qua ratione etiã claudicauerit. De vindicta quoq; filiorum eius in alienigenas propter sororis defloration em, & ipsius Iacob mansuetudine atque clementia. De responso prætereà diuino sibi dato vt exurgeret & ascenderet in locum Bethel. Cap. VII.

De commendabili sancti Iacob senectute, futurarúmque ac dubiarum rerum, finis quoque vitæ suæ præuidentia, atque agendorum dispositione. Cap. VIII.

Qua ratione sanctus Iacob cùm in ipsis mortis esset diebus, meritò prædicandus fuerit beatus, de multiplicique eius laude præsertim in patriarcharum benedictione. Quòd præterea neque Ioseph, neque Esaias, neque Hieremias, neque Daniel, neque mater Macchabæorum cum filiis, negandi sunt fuisse beati: licet grauia sustinuerint supplicia. Cap. IX.

Quantæ laudis fuerit sacerdotum sacerdos Eleazarus in supplicium constanti toleratione. Quódque ideo non minus sed magis fuerit beatus. Cap. X.

De admirabili patienria ac fortitudine septem fratrũ Macchabæorũ, quibus mater octaua addita fuit, qui suis suppliciis meritum beatę vitæ acquisierunt. Cap. XI.

De singulari beatæ illius matris septem filiorum commendatione. Cap. XII.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE S. IACOB & VITA BEATA LIBER SECUNDUS.

Post continuationem huius libri ad superiorem, quemadmodum Iacob beatus fuerit etiam cùm patriam relinqueret, ac de definitione beati, & ex hoc quod sancto Iacob nihil horum quæ ad meritum beatitudinis spectant, defuerit.

Caput I.

SVperiore libro de virtutum præceptis disputauimus: Sequenti clarorum virorum vtamur exemplis, qui in summis periculis positi, beatitudinẽ vitæ non amiserunt, sed potius acquisierunt. An non beatus Iacob etiam cùm patriam relinqueret? Imò plenè beatus, qui dura exilij susceptit, vt fratris mitigaret iracũdiam. Nam si beatus est qui peccatnm declinat, vtique negari beatus esse non potest qui alterius culpam leuat, crimẽ auertit. Paratum itaque parricidium declinauit exilio voluntario, eóque facto sibi salutem quæsiuit, fratri innocentiam donauit. Meritò itaque eum diuina vbique comitata est gratia, vt & cum dormiret beatæ vitæ munus acquireret. Videbat enim futurorum mysteria, & diuina audiebat oracula. Bonus in somno operarius, & in paupertate diues, qui mercenariæ vitæ munere & patrimonium & cõiugium eodem parauit officio. Idem fraterni affectus reconciliator egregius, certauit muneribus & obsequiis, vt indignationem omnem excluderet, dolorem offensionis auerteret, ostendens se minorem exilio non fuisse, qui posset largiri quæ non acceperat. Sed nimis ad inferiora propero, & vtiliora transeuro, cùm prius definiendum sit quid sit beatus. Scriptum est enim: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilẽtiæ non sedit. Hoc scriptura significante, eum beatum esse, qui se à perfidorum consortio temperauerit. (Ea est enim impietas, authorem vitæ & parentem quendam salutis non recognoscere) vel in peccato non manserit, vel in luxuria atque lasciuia non perseuerauerit. Ipsum quoque in lege domini die ac nocte meditãtem, fore tãquam lignum quod dabit fructum in tempore suo. Superiora merita sunt præmiorum, hoc meritorum præmium. Quid horum quæ ad meritum beatitudinis spectant, defuit sancto Iacob? qui tãtum abfuit à perfidorum consortiis, vt ex eo fidelis populus nomen acciperet, Israel dictus, eò quòd deum mẽtis internæ oculis intueretur, peccati abstinens, à luxuriæ omnis ebrietate sobrius, vt dura laborum absorbuerit, ocij secura neglexerit? Nónne pulchrè & verè de hoc dictum est, quòd & fructum dabit in tempore suo, de quo scriptum est: Ecce odor filij mei tanquã odor agri pleni? Erat enim perfect⁹ in omni flore virtutum, & sacræ benedictionis atquæ cœlestis beatitudinis redolebat gratiã. Ipse est enim ager quẽ benedixit dominus, non iste terrenus aut horridus syluis, aut fragosus torrentibus, aut palustris pigrioribus aquis, aut ieiunus frumentis, aut inutilis vitibus, aut infœcunda glarea saxosus, aut hiulcus & aridus siccitate, aut sanguine madidus, aut sentibus incultus, sed ille ager de quo dicit ecclesia in Cãticis: Adiuraui vos filiæ Hierusalem in virtutibus & fortitudinibus agri. Hic nanque est ager de quo & dominus ait? Et species agri mecum est. In hoc agro vua illa reperitur, quæ expressa sanguinem fudit, & mundum diluit. In hoc agro est ficus illa sub qua sancti requiescent spiritalis gratiæ suauitate recreati. In hoc agro est oliua illa fructifera, dominicæ fluens pacis vnguentum. In hoc agro florent malograna ta, quæ plurimos fructus vno fidei munimine tegũt, & quodam fouent charitatis amplexu. Hos igitur fructus redolebat Iacob, qui deum per pericula sequebatur, & tutũ se eius vbique deductione credebat. Nam licet dulcis & suauis odor sit agri, quia est odor naturæ, tamẽ in sancto patriarcha virtutum spirabat gratia. Quàm continens erat parsimonia, qui cibum sibi paratum non expetiuit, sed petenti fratri sine dilatione cõcessit, à quo primatus benedictionis accepit? Quàm pius erga parentes, vt præferri germano seniori materno affectu mereretur, & paternæ benedictionis munere sacraretur. Quàm religiosus, vt fratrem recusaret lædere. Quàm verecundus, vt patrem timeret fallere. Quàm honorificus, vt matri quod iubeat non posset negare.

Gene. 28. & sequentibus.

Psalm. 1.

Gene. 32.

Gene. 27.

Cantic. 2.

Psalm. 49.

Gene. 27.

De excusatione parentum sancti Iacob, quòd iuniorem filiũ seniori prætulerint, simúlque de cautela parẽtum circa filios obseruanda. Et quali affectu Isaac & Rebecca de filiis certauerint. Qua ratione etiam Iacob vicerit, ac de commendabili mysterio eorum quæ circa benedictionem ipsius facta sunt.

Caput II.

SEd nec parẽtes nobis inexcusati relinquẽdi sunt, quòd iuniorem filiũ seniori prætulerunt. Simul cauendũ ne quis dum eorum intendit exẽplo, inquũ inter filios habeat iudiciũ, vt alterũ diligẽdũ putet alterũ posthabendum. Hinc enim excitantur odia fraterna, & de pecuniæ vilis incremẽto facinus parricidale cõponitur. Eadẽ foueat prolẽ mensura pietatis. Esto tamen vt aliquid sibi amplius circa blandiorẽ aut similiorẽ rapiat affectus, par debet circa omnes esse forma iustitiæ. Plus cõfertur dilecto cui fratrũ amor quæritur, plus autẽ adimitur ei qui prælationis iniustæ oneratur inuidia. Minitabatur Esau

Gene. 27.

quòd fratrẽ ſuum occideret,nec fraterna eum germanitas, nec parentum reuerentia à parricidali furore reuocabat, & dolebat ſibi benedictionem eſſe præreptam. Cuius vtique dignum ſe manſuetudine debebat probare,non ſcelere. Sed & Rebecca non quaſi filium filio,ſed quaſi iuſtum præferebat iniuſto. Etenim apud matrem piam myſterium pignori præponderabat:illum non tam fratri præferebat quàm offerebat domino,quem ſciebat collatũ ſibi munus poſſe ſeruare:in quo & alteri conſulebat, quem diuinæ ſubducebat offenſæ, ne grauiore implicaretur reatu, ſi acceptæ gratiam benedictionis amitteret. Accipe tamen bonum certamen inter parentes. Mater deferat affectum,pater iudicium. Mater circa iuniorem tenera pietate propẽdeat,pater circa ſeniorem naturæ honorificentiam ſeruet. Hic magis honoret illa plus diligat,dum ſinguli ſingulos foueant,non in vnum vterque conſpirent, defraudent alterum. Fiat æquitas inter diuerſa certamina,& diſparibus ſtudiis par vtrique ac æqualis parẽtum amor & gratia conferatur,cõpenſet alter quod alter imminuit. Sic pio affectu Iſaac patriarcha & ſancta Rebecca certabant,vt neutrum inferiorem facerẽt,ſed vtrumque æqualem. Vicit tamen ille qui præferebatur oraculo,vicit impigritia tarditatem,manſuetudo duritiam. Dum alter venatu aſpero prædã quærit agreſtem,hic mitium cibos morum,hic domeſticam gratiam, hic teneræ mãſuetudinis atque pietatis pio patri dulces epulas miniſtrauit. Plus placet in animis quicquid occurrerit, quàm quicquid affectatum putaueris deferendum. Acceſſit ad oues Iacob,& attulit innocentiæ partus,vel ſacræ prophetiæ munera, quia patriarchę cibum nullum credidit dulciorem eſſe quàm Chriſtum, qui ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt,& ſicut agnus ad victimam. Hunc publico parenti,vel populo cuius typum gerebat,cibum vtilem iudicabat,quo futura erat remiſſio peccatorum. Ideo ſtolam accepit fratris ſui, quia ſenili preſtabat ſapientia. Ideo iunior frater ſeniorem fratrẽ exuit, quia fidei emicuit dignitate. Hanc ſtolã eccleſiæ typo Rebecca protulit, & dedit filio iuniori ſtolam veteris teſtamenti,ſtolã propheticam & ſacerdotalem,ſtolam illam regalem Dauidicam,ſtolam Salomonis,Ezechiæ & Ioſiæ regum,& dedit populo Chriſtiano,qui vti amictu ſciret accepto,quoniã populus Iudæorum eam ſine vſu habebat, & proprios neſciebat ornatus. Iacebat hæc ſtola in vmbra abiecta atq; neglecta. Obſcurabatur enim tenebroſa impietatis caligine, nec in anguſto corde populi Iudaici latius poterat explicari. Induit eã Chriſtianus populus, & refulſit, illuminauit eã ſuæ fidei claritate,& piorum luce factorum. Agnouit Iſaac notum odorẽ generis ſui,recognouit ſtolam ſcripturæ veteris,ſed vocem plebis veteris non recognouit,& ideo cognouit eſſe mutatam. Manet enim hodie ſtola eadẽ,ſed populi deuotioris canora cœpit eſſe confeſſio. Meritò dixit: Vox quidem vox Iacob,manus autem manus Eſau. Et odoratus eſt odorem veſtimentorum. Et fortaſſe illud eſt, quia nõ operibus iuſtificamur, ſed fide, quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento eſt,ſed fidei claritas factorũ obumbrat errorem,quæ meretur veniam delictorum.

Eſaiæ 53.

Gene.27.

Quid ſignificet quòd celebrata benedictione poſtea ſenior frater aduenerit, & vt ipſe benediceretur cogendo elicuerit & impetrauerit. Cur præterea ea conditione, vt fratri ſuo ſeruiret. Cap. III.

Gene.27.

Roma.5.

CElebrata benedictione,poſtea ſenior frater aduenit. Quo declaratur prius eccleſiæ regnũ quã ſynagogæ in prædeſtinatione delatũ,ſed ſubintraſſe ſynagogam vt ſuperabundaret peccatum & cùm ſuperabundaſſet peccatum,ſuperabundaret & gratia: ſimul clareret impigrum militem regni cœleſtis candidatum eſſe debere, vt prærripiat benedictionem, & prærogatiuam ſuæ commendationis vſurpet. Vnde non eſt notatus à patre iunior filius,ſed laudatus. Quod ait Iſaac: Frater tuus veniens cum dolo accepit benedictionem tuam. Bona enim vbi irreprehenſibilis eſt rapina. Irreprehenſibilis autem rapina pietatis,quia à diebus Ioãnis regnum cœlorum cogitur,& cogentes diripiunt illud. Feſtinantes autem fratres paſcha celebrant, qui feſtinantes mãducabant agnum, non demorantes: & fratrem Beniamin ſanctus Ioſeph piæ commento fraudis accerſiuit & tenuit. Et ipſe tamen vt benediceretur,cogẽdo elicuit & impetrauit, ſed eam benedictionem quæ cum ſuperiore congrueret & conueniret, vt ſeruiret fratri ſuo. Etenim qui imperare non poterat,& alterum regere,ſeruire debebat,vt à prudẽtiore regeretur. Necq; enim fuit ſancti patriarchæ vt filium ſuum degeneri conditione ſeruitutis addiceret,ſed vt bonus pater, cum duos haberet filios,vnum intemperantem,prudentem & ſobriũ alterum, vtrique conſuleret. Intemperanti præfecit ſobriũ,& inſipientem prudenti ſtatuit obedire,quia inſipiens non poteſt voluntarius virtutis eſſe diſcipulus, nec perſeuerare in ſtudio: quia ſtultus ſicut luna mutatur. meritóque ei libertatem proprij negauit arbitrij,ne velut nauis in fluctibus ſine gubernatore fluitaret,ſed ſubdidit eum fratri,ſecundũ quod ſcriptum eſt: Seruit enim imprudens prudenti. Rectè ergo eum ſubdidit,vt regentis imperio ſuum melioraret affectũ. Ideo ait: Super gladium tuũ viues,& ſeruies fratri tuo. Domina enim eſt pietas crudelitatis,& manſuetudo duris motibus præſtat. Seruit omnis qui authoritatem puræ non habet conſcientiæ,ſeruit quicunque vel metu frãgitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaſperatur, vel mœrore deiicitur. Seruilis enim eſt omnis paſſio,quoniam qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati: & quod peius eſt,multorum ſeruus eſt: qui ſubiectus eſt vitiis,multis ſe dominis addixit,vt ſeruitio ei exire vix liceat. At verò ille qui voluntatis ſuæ arbiter eſt,iudex conſilij, interpres arbitrij,qui coercet corporeæ appetentiã paſſionis, qui ea quæ agit bene agit,bene autẽ agens rectè agit,& qui rectè agit,inculpatè & irreprehenſibiliter agit,habens ſuorum actuum poteſtatem: is profecto liber eſt. Nam qui omnia prudenter agit,& ita viuit vt vult,is ſolus eſt liber. Non conditio fortuita ſeruum facit,ſed probroſa inſipientia. Denique famulus prudens regit dominos ſtultos,& probi ſerui dominis fœnerabunt. Quid fœnerabunt? Non vtique pecuniam,ſed ſapientiam, ſicut & lex dicit: Fœnerabis gentibus multis, tu autem mutuum non accipies. Fœnerabit Iudæus proſelyto diuinæ legis oracula. Sed quia ipſe legis myſteria videre non potuit, & quæ habebat neſciuit oracula: qui literam fœnerabat gentibus, nunc ab his ſpiritalis doctrinæ gratiam mutuatur: meritóque ſubiectus eſt ſeruituti, quoniam qui mutuatur,ſeruus eſt,quaſi addictus fœneratoris creditoris. qui autem piæ doctrinæ fœnus impartit,is eſt princeps,ſicut lex dicit: Princeps eris gentium multarũ, tibi aũt princeps ex ipſis non erit. Princeps enim eſt qui regit,qui & habet ſapientiæ principatum, quem habuit populus Iudæorum. Sed quoniam quod docebat,ſeruare nõ potuit: debet diſcere quod docere neſciuit. Hoc eſt igitur quod ait patriarcha Iſaac: Seruies fratri tuo. Erit autem cum depoſueris & ſolueris iugũm illius à collo tuo: ſignificans duos futuros populos,vnum ancillæ filium,alterum liberæ. Seruit autem litera, libera eſt gratia. eúmque populum qui literæ intẽdit, tandiu ſeruum fore,quãdiu ſpiritalis doctrinæ ſequatur interpretem. Tunc quoque illud futurum eſt quod Apoſtolus ait: Vt reliquiæ ſaluæ fiant ſecundum electionẽ gratiæ. Seruies ergo fratri tuo, ſed tũc ſenties ſeruitutis profectũ, cùm voluntarius potius quàm coactus obedire cœperis fratri.

Matth. 11.

Deut.15.

Prouer.22.

Ioan.8.

Gene.27.

Rom.9.

De ortu inuidiæ & minitatione Eſau quòd fratrem occideret, & quemadmodum prouidendum ſit ne parricidiũ ſequatur, ac de profectione Iacob ad Laban. Cap. IIII.

Gene.27.

HInc orta eſt inuidia, & minitabatur Eſau quod poſt obitũ patris fratrẽ occideret. Sed ne id acciderit, diſcamus à Rebecca quemadmodũ prouidendum ſit ne inuidia iracũdiam excitet, iracũdia in parricidiũ proruat. Veniat Rebecca, hoc eſt indu-atur patiẽtia, bona cuſtos innocẽtię ſuadeat vt irę locũ dem°. Cõcedamus aliquo lõgius, donec tẽpore indignatio mollia tur, offenſioni ſurrepat oblinio. Itaque patientia nec exiliũ reformidat, ſed impigrè ſuſcipit, non tam vt periculũ ſalutis, quàm vt incentiuũ ſceleris declinetur. Mater quoq; pia abeſſe

1065

abesse sibi dilectissimũ filium tolerat, plus ei collatura quẽ
læsit, vtrique tamen consulens, vt alterum immunem à pe-
riculo, alterum integrum præstaret à crimine. Audiuimus
quid corporeis ebria cupiditatibus intemperãtia locuta sit,
consideremus quid vera virtus agat. Nihil requirit nisi dei
gratiam, solum illud & summum bonum sequitur, solo eo
contenta est, à quo accepimus omnia, ipsi autem nihil con-
ferimus, quia nullo indiget, sicut ait Dauid: Dixi domino,
deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges.
Quo enim indiget qui abundat omnibus, & nobis largitur
vniuersa, omnia sine defectu ministrat? Et profectus est Ia-
cob, & dormiuit (quod est quieti animi indicium) & vidit
angelos dei ascendentes & descendentes, hoc est, Christum
præuidit in terris, ad quem angelorum caterua descendit at-
que ascẽdit, obsequium proprio domino pio præbitura ser-
uitio. Et venit ad puteum, vt biberet de suis vasis, & de pu-
teorum suorũ fontibus, & superfluerent ei aquæ de suo fon-
te. Fons enim vitæ est in manibus iusti. Et venit ad Labã, &
oues eius pauit. Iniquitas incomitata residet, sapientia re-
gendi officium non omittit, nescit vel alienis vacare, nescit
exul esse in peregrinis. Quomodo enim exul quæ vbiq; suũ
seruat, & in se habet quod possidet? Quasi mercenarius in-
greditur iustus, & rector est. Qui sibi gregem multarũ præ-
stantiúmque virtutum splendore fulgentẽ, euangelicæ præ-
dicationis ministerio colligebat, vt potaturis ouibus virgã
storaciná & nuciná & de platano proponeret inuentis, quo
concupiscentes beatissimæ trinitatis præfigurata mysteria,
haud quaquam decolores fœtus pię mentis cõceptione for-
marent. Bonæ oues, quæ bonorum partus operũ fidei sacræ
non degeneres ediderũt. Per storacem significatur incẽsum
& sacrificium vespertinum, quod deo patri defertur in psal-
mo. Per nucinam virgam sacerdotale Christo munus defer-
tur. Hæc enim virga Aarõ quæ reposita floruit, qua sacerdo-
talis gratia sanctificationis emicuit. Per platanum spiritalis
fructus significatur vbertas, quia arbori huic vitis annecti-
tur, vt in eius læta consortio partus sese vberes fundant. Si-
quidẽ dominicæ munera passionis, remissionémq; omniũ
peccatorum adiuncta spiritus gratia dare consueuit.

De ditatione Iacob apud Laban, & ob id in inuidiam vocati, ac de diuina iussione vt in terrã suam reuertatur. Qualis præterea vir iustus esse debeat si inuidia fuerit exorta. Quid denique significet inquisitio Laban, & nihil sui apud Iacob inuentio. Et ex hoc de beati Iacob excellenti commẽdatione.

Caput V.

Gene. 30. Is itaq;, vt scriptura dicit, diues fact⁹ est valde,
bonũ gregẽ nutriens Christo, quẽ fidei titulo,
& variarũ virtutũ nobilitabat insignibus. Itaq;
nec sibi videbatur angustus, censu fidei opim⁹,
& Labæ filius vt opulẽtissimus in inuidiã vo-
Gene. 31. cabatur, q suũ gregẽ alieni gregis accessione accumulasset,
& dixit ei deus: Reuertere in terram patris tui, & in gentem
tuam, & ego ero tecum: ostendens nihil ei deesse cui ades-
set omnium plenitudo: hoc solum abũdare perfectè, in hoc
constare omnia, & omnia ad ipsum referri, nihil ei nouum,
nihil superfluum necessarium, cui pax fida suppeteret, per
quam reconciliaret quæ primo fuerant discrepantia. Nec
mirum si pacem haberet, qui columnam statuerat & vnxe-
rat deo, quæ est ecclesia. Columna enim & firmamẽtum di-
cta est veritatis. Eam vngit qui in Christum fidei, in paupe-
res misericordiæ fundit vnguentum. Nunc consideremus
qualis vir iustus esse debeat si inuidia fuerit exorta. Primum
vt declinet eam: melius est enim sine lite abire, quã residere
cum iurgio. Deinde vt talia possideat, quæ secũ auferre pos-
sit, vt in nullo teneri ab aduersario possit obnoxius, sed di-
cat: Cognosce si quid tuum est apud me Et quæsiuit Laban,
& nihil suũ inuenit apud Iacob. Magnus vir & verè beatus,
qui nihil potuit suum amittere, nihil alienũ habere: hoc est,
nihil minus habere, nihil superfluum. Itaque ille perfectus
est, cui nihil deest, iustus cui nihil superest. Hoc enim est iu-
stitiæ tenere mensuram. Quanta virtus, cui societas lucrum

A dabat, non irrogabat dispendium? Hoc est perfectum esse,
adhærentibus sibi commodi plurimũ dare, nihil afferre in-
commodi. Denique is qui nocere cupiebat, inanem eum nõ
potuit dimittere. Sapiens enim nunquam inanis est, semper Iob 27.
in se habens amictum prudentiæ, qui potest dicere: Iustitiã Gene. 3.
induebam, & vestiebam iudicium, sicut dixit Iob. Nanque Gene. 39.
hæc mentis sunt interna velamina, quæ nemo alius possit au-
ferre, nisi cùm aliquem sua culpa despoliat. Denique sic de-
spoliatus Adam, nudus inuentus est. At verò Ioseph etiam
vestimento exteriore relicto, nudus non erat, qui salua ha-
bebat indumenta virtutis. Nunquam ergo inanis sapiens.
Nam quomodo inanis, qui de plenitudine Christi accipit,
& seruat acceptum? Quomodo inanis, cuius repleta est ani-
ma, quæ acceptæ gratiæ vestimenta custodit? Illud metuen-
dum est, ne quis innocentiæ velamẽ amittat, ne impij sacri-
legæ persecutionis intentione terminos iustitiæ prætergres-
si, vestimentum animæ ac mentis eripiant. Quòd non acci-
dit nisi prius aliquem vox suæ iniquitatis exuerit. Vnde &
B Dauid dicit: Si est iniquitas in manibus meis, decidam me- Psal. 7.
ritò ab inimicis meis inanis, persequatur inimicus animam
meam, & comprehendat. Nemo ergo ex inimicis potest tuã
animam comprehendere, nisi prius inanis fuerit effecta.
Noli igitur metuere eos qui possunt auri argentique com-
pilare thesauros. Isti tibi nihil auferunt. Hoc enim auferunt
quod non habebas, hoc auferunt quod possidere non pote-
ras, hoc auferunt quòd non ornabat animam tuam, sed one
rabat, hoc auferunt quod non locupletabat cor tuum, sed
potius deprimebat. Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit
cor tuum: sicut audisti, legisti hodie. Multis seris portarum
suarum includunt aurum suum, ad hoc vectibus & clau-
stris suis credunt. Multi vigiles adhibent, sed ipsi quoque Matth. 6.
plus ipsos solent timere custodes. Multi defossò auro incu-
bant, aurum eorum sub terra, & cor eorum sub terra. Cа-
ue ergo ne & tu cor tuum terræ viuus infodias. Non ergo
auri iltius metuendi fures. Ille tibi cauendus est fœnerator,
qui substantiam animæ tuæ scrutatur, si qua peccati grauio-
C ris æra contraxeris, qui cor tuum includit solo, qui animam
tuam eo cespite obruit quo aurum texeris, qui mentem tuã
centesimarum incuruat thesauris, & graui condit sepulchro
de quo nullus resurgit. Sequere sanctum Iacob, qui neque
de alienis vitiis quicquam habebat, neque suarum virtutũ
erat inanis & vacuus, qui erat iustitiæ fructu repletus. Sed
hæc moralia. Illud mysticum, quòd venit ad eum Laban,
hoc est, dealbatus, quia & satanas transfigurat se in ange-
lum lucis: & cœpit ab eo sua requirere. Respondit ei Iacob: 2. Corint. 11.
Cognosce si quid est tuorum apud me, hoc est, nihil tuo- Gene. 31.
rum habeo. Quære si quid agnoscis vitiorum tuorum & cri
minum. Nihil mecum abstuli, fraudum tuorum dereliqui
consortia, illa non habeo, omnia tua tanquam contagium
refugi. Et quæsiuit Laban, & nihil suum reperit. Quam bea-
tus vir, in quo inimicus nihil inuenit quod suum posset di-
cere, in quo diabolus nihil offendit quod suum agnosceret.
Impossibile videbatur istud in homine, sed typum gerebat
eius qui dixit in Euangelio: Venit huius mundi princeps, & Ioan. 14.
in me inueniet nihil. Nihil est enim quicquid est diaboli,
D quod nullam potest habere perpetuitatem atque substan-
tiam. Ipse autem est qui præfigurabatur in Iacob, dominus
Iesus sponsus duorum coniugiorum, hoc est, consors qui-
dem legis & gratiæ, qui virginẽ Rachel ante dilexit, & præ-
destinatam sibi in coniugiũ pio amore affectauit. Sed quo-
niam alia tanquam lex subintrauit, & oculis infirmior ob-
repsit tanquam synagoga, quæ mentis cæcitate Christũ vi-
dere non potuit, superabundauit gratia sanctæ Rachel, quæ
supra primum illud est expetita coniugium, quæ ecclesiæ
principatum futurum iam tũc nominis sui interpretatione
signabat. Beata Rachel, quæ abstulit opprobrium suo par-
tu. Beata Rachel, quæ abscondit cultus errorésque gentiliũ,
quæ simulacra corũ plena esse immundiciæ declarauit. Ne-
mo eredat paternæ pietatis læsam esse reuerentiam, quòd
stante patre sedit, quoniam scriptum est: Qui plus diligit Matth. 10.
patrem aut matrem quàm me, non est me dignus. Vbi cau-
sa agebatur religionis, fides debuit habere sedem iudicij, &
quasi rea stare perfidia.

Quid significet quòd proficiscenti Iacob angeli dei occurrerunt. Quid sibi etiam velit quòd ipse fratri occurrens septies in terra adorauerit. Quid denique quòd petiturus à fratre concordiam, in castris dormiuerit.

Caput VI.

Genes. 32. HÆc eousque probata sunt, vt proficiscẽti Iacob sancto angeli dei occurrerent. Denique vidit castra dei applicãtia, & ait: Castra dei hęc sunt. Perfectis enim & fidelibus diuina solẽt adesse præsidia. Perfectus autem qui cogitabat de reconciliatione fraterna, ita vt humilitate eã inuitaret, officiis acquireret, muneribus quoque emendam putaret. Occurrit itaque fratri cum vxoribus & pignoribus suis, vt etiam si ipse indignaretur, necessitudinis obsequiis inflecteretur. Et adorauit septies in terra. Quid sibi istud vult esse? Lex dicit: Dominum deum tuũ adorabis, & ipsi soli seruies. & hic adorat intemperantem, iracundum, minãtem parricidale flagitium. An terram adorauit, illam humano cruore concretam, serpentium infusam venenis, aut ieiuna infœlicem glarea, aut duris atq; asperis inhorrentem cantibus? Quid sibi etiam vult quòd septies adorauit? Hæreret solutio, nisi illud occurreret quòd Petro interroganti in euangelio, Si frater meus in me peccauerit, quotiens dimittam ei, vsque septies? respondit dominus Iesus: Non solum septies, sed vsque septuagies septies. Hoc igitur prophetico spiritu sanctus patriarcha significat, in aduenientem respiciens, qui nõ solum vsque septies, sed etiam septuagies septies veniam fratri laxari iuberet, vt eius contemplatione cõuentus Esau, iniuriam quam se accepisse putabat, remitteret fratri: & quanuis læsus, in gratiã rediret: quia propterea carnem suscepturus erat dominus Iesus, & venturus in terras, vt multiplicatã nobis donaret veniam delictorum. Denique petiturus à fratre concordiam, dormuit in castris. Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem & stabilitatem. Ideo dominus donum eius perfectioribus reseruauit dicens: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. Perfectorum est enim non facile mundanis moueri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in littore tutissimo aduersum insurgentes fluctus secularium procellarum mentem immobilem fida statione placidare. Hoc firmamentum Christianis mentibus Christus inuexit, pacem internam inuehens animis probatorum, vt non turbetur cor nostrum, neque exagitetur animus. Hanc pacem super omnem mentem esse apostolus doctor asseruit, dicẽs: Et pax dei quæ exuperat omnem mentem, custodiat corda vestra, & sensus in Christo Iesu. Fructus itaque pacis est, nõ perturbari in pectore. Denique vita iusti quieta est, iniustus autem inquietudinis & perturbationis plenus est. Itaq; amplius suis suspicionibus affligitur impius, quàm alienis plerique verberibus: maioréque vibices vulnerum in eius animo sunt, quàm in eorum corpore qui ab aliis verberantur. Grande est intra se aliquem tranquillum esse, & sibi conuenire. Foris pax aut imperatoris solicita prouidentia, aut manu militum quæritur, aut bellorum prospero cedit euentu, aut internecione aliqua barbarorum, si in se hostili motu arma conuertant. In ea pace nulla nostra virtus, sed euentus est. Certè gloria pacis illius ad imperatorem refertur, istius pacis fructus in nobis est, quæ est in mentibus singulorum, quæ tenetur affectibus. Istius pacis maior est fructus, quo spiritalis nequitiæ tentamenta, quàm quo arma hostilia repelluntur. Ista pax sublimior, quæ corporalium passionum excludit illecebras, perturbationésq; mitigat, quàm ea quæ barbaricos sedat incursus. Plus est enim clauso intra te hosti resistere, quàm remoto.

Genes. 33.

Deuter. 6.

Matth. 18.

Ioan. 14.

Philip. 4.

De lucta Iacob cum Deo, & quid sit luctari cum deo. Qua ratione etiam claudicauerit. De vindicta quoque filiorum eius in alienigenas propter sororis defloration em, & ipsius Iacob mansuetudine atque clementia. De responso præterea diuino sibi dato vt exurgeret, & ascenderet in locum Bethel.

Caput VII.

A TAq; Iacob qui cor suũ ob omni simultate munDauerat, vt pacificum affectũ gereret, postquam reiecit omnia sua, solus remansit, & luctatus est cum deo. Quicunque enim secularia negligit, ad imaginem similitudinémque dei propius accedit. Quid est enim luctari cum deo, nisi virtutis suscipere certamen, & cũ superiore congredi, potiorémque cæteris imitatorem fieri dei? Et quia insuperabilis erat fides eius atque deuotio, secreta ei mysteria dominus reuelabat tangens latitudinem femoris eius, eò quòd èx eius erat generatione dominus Iesus oriũdus ex virgine, qui deo nec impar nec inæqualis esset, cuius crucem obstupescentis femoris latitudo signabat, eò quòd diffusa per vniuersum mundũ remissione peccati salutaris foret omnibus, qui stupore sui corporis ac sudore resurrectionem tribueret defunctorũ. Vnde non immeritò exortus est sol sancto Iacob, cuius generi crux domini saluatoris illuxit: simul quia sol ei oritur iustitiæ, qui deũ cernit, quia ipse est lumen æternum. Claudicauit autem Iacob à femore suo. Propter hoc non manducant hodiéq; filij Israël B neruum. Vtinã manducassent, & credidissent. Sed quia non erant facturi voluntatẽ dei, ideo nõ mãducauerunt. Sunt & qui ita accipiãt, quòd ideo claudicauerit ab vno femore Iacob, quia duobus populis ex eius generatione manantibus, vnius stupor iam tunc circa fidei gratiam declarabatur futurus. ipse est ergo populus qui stupore perfidiæ claudicauit. Denique non multo post reuelationẽ istiusmodi, cũ esset ab alienigenæ filio Dina filia Iacob deflorato virginitatis pudore temerata, fratres eius qui non intellexerunt mysteriũ, alienigenas, qui societatẽ per coniunctionẽ generis offerebant, vindictæ studio peremerunt. Iacob autem qui morali mansuetudine clementiam diligebat, vel mystico spiritu sacramentũ regenerandæ ex gẽtibus præuidebat ecclesiæ, inuitus & dolenter scenam illã exactæ vltionis accepit. Vnde prophetãti aduentũ domini Iesu, responsum diuinũ est datum: Exurgens ascende in locũ Bethel, hoc est in domũ panis, vbi natus est Christus, sicut Michæas propheta testatus C est dicẽs: Et tu Bethleẽ domus Ephrata nõ es minima, vt sis inter principes Iuda: Ex te enim exiet princeps Israel, & egressus ei⁹ ab initio, à die seculi. Verè domus panis, quæ domus Christi est, qui nobis panis salutaris aduenit è cœlo, vt iam nullus esuriat, cibũ sibi immortalitatis acquirẽs. Vbi iubetur habitare patriarcha, vbi aram facere deo qui apparuit ei. Ibi deos accepit alienos, & abscondit eos sub lentisco: Ibi quoque sepulta est Rachel in via Ephrata, hoc est Bethleẽ: Ibi etiã columnam statuit Iacob supra monumentum eius. Quãta mysteria, quia ibi est ecclesia dei, in qua apparet de⁹, & loquitur cũ seruis suis Ibi eripiuntur & absconditur simulacra gentiũ. Fides enim ecclesiæ omnẽ obseruantiam gẽtilitatis aboleuit. Sed cur sub lẽtisco, quæro. Certè genus istud infructuosum est. Ibi ergo sunt dij gentiũ, vbi nullus est fructus, Ibi inaures gentiliũ infodiuntur quas dederunt Iacob, vt iam nouã linguam audire assuescant, veterem perfidiæ sonum nesciant, obsurdescãt aures eorũ sacrilegio, & mũdentur ad gratiã. Non immeritò ibi sanctus Daniel falsum adDuersus Susannã testimonium deprehendit. Ibi enim volebat D adhuc radices suas locare perfidia, sed latere nõ potuit, quia à prophetico spiritu deprehensa est. Congruus autem error præsbyteri veræ confessionis, vt ibi contaminatam diceret castitatẽ, vbi gentium defossa simulacra sunt. Sed veritas ecclesiæ non texit perfidiam, & aures gentilitatis obstruxit. Conuenienter quoque ibi sepulta est sancta Rachel, quia omnes qui baptizantur in Christo, consepeliuntur cũ eo. Sic enim docemur dicente Apostolo: Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quẽadmodum ille surrexit à mortuis propria virtute suscitatus, ita & nos per eius gratiã resurgamus. Tunc igitur verè absconditur omnis error gentilium, cũ quis fuerit ablutus à vitiis, quia confixus cruci vetus homo noster nescit iam veteri seruire pecato. Cõpetenter etiam colũna statuitur supra monumentum Rachel, quia ecclesia est columna & firmamẽtum veritatis.

Genes.

Genes.

Genes.

Mich.

Dan.

Rom. 6.

De commendabili sancti Iacob senectute, futurarúmque dubiarum rerum, finis quoque vitæ suæ præuidentia, atque agendorum dispositione. Cap. VIII. Senuit

1069

SEnuit autem Iacob.) Ætate iam senuerat & mori bus, sed certabant in eo impigra viuacitas iuuẽtu tis, & tranquillitas senectutis. Est enim & senect⁹ virens gratia, & iuuentus cana in consiliis, de qua dicit scriptura: Senectus enim venerabilis, & ætas senectutis vita immaculata. Ex hac vita fugit Iacob, qui bonis opeSapie. 4. ribus præuenit tempus longæuæ senectutis: vt & fructum eius ante tẽpus carperet, & postrema eius in tempore non timeret. Beatus quidẽ & iuuenis qui bene viuit, sed magis beatus est senex qui bene vixit. Quòd enim iuuenis sperat, adeptus est senex, quòd senex fuit, optat hoc esse qui iuuenẽte, iactatur fluctibus, senex verò sicut in portu, ita in statione est senectutis. Erat itaque huiusmodi Iacob, qui vix speranda iuuenibus bona, incolumi & tuta gratiæ clauæ iã clausa & obsignata tenebat. Quod autẽ possideas, eò quòd adhuc speres, præstabilius est. Erat ergo senex Iacob, ad quẽ iuuenes aduersa temporis alicuius tempestate perculsi, tanquam in portum sese recipiebant: ipse autẽ tanquã in specu la vitæ huius positus solicito prætendebat affectu, & longè ante rebus dubiis præuidebat remedia. Denique fames erat in tota terra, & senex depositus quæ alacres iuuenes ignorabant primus audierat, primus admonuit filios suos in Ægyto exuberare frumentũ, & proficiscendum vt emerent quæ sibi ad vsum necessaria forẽt. Libenter etiam ipse iuuenum consilio acquiescebat, vt etiam filium iuniorem simul mitteret. Et renunciantibus illis quòd Ioseph filius suus viueret, infracta licet corpore, sed viuida animi virtute, non expectauit vt filius ad se veniret, sed ipse magis perrexit ad filium. Pietati enim mensura ordinis non præponderat. Nulla itaque sensit impedimenta fessæ senectutis cum pergeret. Pietas enim leuabat laborem. Verum vbi recepti filij fructu potitus est, aliquanto exacto tempore decem & septem videlicet annorũ, (quod secundũ illam patriarchæ longæuitatem exiguæ portionis tempus est) finẽ vitæ sibi appropinquare
Gen. 49. cognouit. Vocauit itaque Ioseph filium, & per generationis suæ futurum heredem, constrinxit eum ne in Ægypto sepeliretur. Acceptaque fide, cum paulo post imfirmaretur, benedixit patriarchas duodecim, & prophetauit.

Qua ratione sanctus Iacob cũ in ipsis mortis esset diebus, meritò prædicandus fuerit beatus, de multiplicique eius laude, præsertim in patriarcharum benedictione. Quòd præterea neque Ioseph, neque Esaias, neque Hieremias, neque Daniel, neque mater Machabæorum cum filiis, negãdi sunt fuisse beati, licet grauia sustinuerint supplicia.

Caput IX.

DIcat nunc aliquis non beatũ Iacob cum in ipsis mortuis esset diebus, qui pene plura cũ deo quã cũ hominibus alloquia miscebat: nõ beatũ cùm oculi eius grauarentur in senectute, & non posset videre. Videtur enim cæcitas quibusdam esse grauis ęrũna calamitatis. Sed tunc quoque beatus Iacob, qui discernebat spiritu quod oculis discernere aspectúsque nõ poterat. Videbat futura qui æstimabatur non videre præsentia. De-
Ibidem 48. nique errauit & ipse Ioseph vt ad dexteram eius applicasset filium suum seniorem, & ad sinistram ipsius, hoc est Iacob, applicuisset filium iuniorem, vt ætatis ordo benedictionis ordinem seruaret, cùm extenderet dexteram suam super nepotem iuniorem, & sinistram super seniorem nepotem, & volenti filio patriam dexteram super Manassen seniorem conuertere, respondere: Scio fili scio, hic erit in populum, & hic exaltabitur, sed frater eius iunior maior illo erit. Et causam prælationis adiunxit dicens: Semen eius erit multitudo gentium. Adeo, licet impedito corporis aspectu, melius videbat, vt videntem doceret errasse. Quis enim melius videt quàm qui videt Christum? Aut quis potest dicere oculis impeditum eum qui videbat in Christo refulgentem ecclesiam? Nónne igitur clarum est quòd debilitas beatitudinem impedire non possit? Ille oculorum impeditus munere, ille defatigatis corporis viribus in lecto tãquam in sepulchro corpus relinquẽs: assurrexit in se, & longè ab aliis, atque intra semetipsum sese colligens, præsentibus se rebus subduxerat, & nouissimorum dierum futuræ
Gene. 49. misscebatur ætati. Sic enim scriptum est: Annũciabo inquit, vobis quæ occurrunt vobis nouissimis diebus. Quid igitur ei deerat cui deus aderat, qui ei profecturo dixerat:
Ibidem 46. Descẽdam tecum in Aegyptum, & ego deducam te in perpetuum? Nec defuit quando in eo spiritus sanctus loquebatur. Quis tam potens in suo domicilio, quàm iste in alieno? Quis tam abundãs in vbertate, quàm iste in fame? Quis tam fortis in iuuentute, quàm iste in senectute? Quis tã actuosus in negocio, quàm iste in ocio? Quis tam velox in curriculo, quàm iste in lectulo? Quis tam lætus in flore adolescentię, quàm iste in mortis cõfinio? Quis tam dives in regno, quàm iste in peregrino loco? Denique reges benedicebat. Nec immeritò pauper non erat, qui nullo indigebat. Pauper non erat, qui se pauperem non putabat. Et quis pauperem dicat, cuius conuersatione dignus orbis terrarum non fuit? Et ideo conuersatio eius erat in cœlo. Hic verò prædiues in diuitiis simplicitatis & synceritatis, decorus magis nitore animæ quã corporis pulchritudine, quæ marcescere nõ nouit: ætate impiger, cui liceret cũ vellet corporeo isto exire gurgustio, & superna paradisi mentis vigore penetrare, exultãs spiritu, cùm sepulchri extrema mandaret. Non enim terreno se tumulo claudẽdum, sed superno recipiendum domicilio præsumebat, & ideo tanquam alteri mandabat sepulchrum, sui autem securus mortem illam immortalitatẽ putabat, Videbatur corporis implicatus impedimento, & vigilanti in futura tempora præcurrebat affectu, dicẽs de persecutoribus domini, qui de tribu Symeon & Leui authores erant nequitiæ processuri: In consilio eorum non veniat ani-
Gene. 49. ma mea, & in occursum eorum non contẽdant viscera mea. Quis autem tam validus in virtute, quàm fortis iste in infir-
Ibidem. mitate? qui dicebat: Maledictus furor eorum, quia superbus & temerarius: & ira illorum, quia indurata est. Diuidam illos in Iacob, & dispergam illos in Israel. Quis verò tam canorus cãtibus, quàm iste vocibus, qui toto auditus est mundo qui per omnes populos, per omnes auditur ætates? Quis tam suauiter septẽ vocum differentias oblocutus, quàm iste septemplici spiritus sancti gratia resultauit? Qui licet membris resolutus, tamen attollens se animo, & erigens spiritu, corporis sui tanquam citharæ harmoniam dissoluta membrorum compage destructam alta mente despiciens nõ requirebat, sed ociosam iacere humi patiebatur. Ipse autẽ cantus emulcebat, interno & prophetico se modulamine dele-
Ibidem. ctabat dicẽs: Iuda, te laudabunt fratres tui, manu tuæ super dorsum inimicorum tuorum, adorabu[illegible] te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ex germine mihi ascendisti: recumbẽs dormisti vt leo, & tãquam catulus leonis. Quis suscitabit illum? Et infra: Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ anaboladium suum. Hilares oculi eius à vino, & dentes candidiores lacte. Qui cantus dulcior, qui sonus suauior, quàm remissio peccatorũ, & resuscitatio mortuorum? Hũc cantum sanctus Dauid ille diuinæ organum vocis, & dominici sermonis interpres, cithara cecinit spiritali. His modulis gratiæ, sublimen illum animum mentémque mulcebat. Hoc cantu mundi estius aspera mitigauit, hoc sonitu seculi dura molliuit, hoc psalterio terrorem mortis infregit, hac suauitate chordarum inferna calcauit. Sed audiamus etiam quæ sanctus Iacob patriarcha admirabili illo suæ organo mentis increpuit. Neptalim vitis remissa: porrigens in ger-
Ibidem. mine suo decorẽ. Filius meus ampliatus Ioseph, filius meus adampliatus, zelo apetitus filius meus, filius meus adolescentior ad me reuertere. Et infra: Præualuit super benedictiones montium, & desideria æternorum colliũ. Quid dulcius benedictione? Quid gratius æternitate? Et ipsa verba sunt cantus, & in verbis magna votorum sunt prẹmia, meritorum fastigia, Quid suauius sancte Ioseph, qui nos liberauit ab opprobrio crucis dominicæ sacramento? Sicut enim maledictũ factus est Christus, vt maledictũ solueret legis: & peccatum factus est, vt mundi peccatum tolleret: ita opprobrium factus est, vt gentilitatis opprobrium auferret.
2. Corint. 5. Sed illud opprobrium Christi, thesauris Ægyti precioſius æstimatum est. Et ideo Moyses Pharao regis aulã reliquit,
Hebr. 11. & fidei

& fidei elegit opprobrium, cui se opprobrio maria diuidebant. Ipse ergo Neptalim vitis totum remissa per mundum, vt omnibus populis vbertatem poculi spiritalis infunderet. Ipse est ampliatus, habens nomen super omne nomen: qui quoniam se pro omnibus obtulit morti, ideo audiuit à patre: Ad me reuertere. Loquebatur Iacob, & deus audiebatur. Ille benedicebat, & deus personabat dicens filio: Ad me reuertere, hoc est, post passionem reuertere. Reuertere ad sedem tuam, reuertere cum trophæo, reuertere ad me, vt te resurgentem defuncti sequātur, & tua potestate pariter atque exēplo resurgant, vt fias primogenitus ex mortuis, vt
Matth. 26. ad dexteram sedeas patris. Vnde & filius dixit: Amodo videbitis filium hominis sedētem ad dexteram virtutis dei. Neget quis beatum Iacob in ipso mortis supremo, qui diuina fundebat oracula. Neget beatum Ioseph in carcere, vbi sapientiæ spiritu interpretabatur somniorum quæ audierat veritatem, & futurorū seriem reuelabat. Neget beatum Esaiam, cùm medius secaretur: Hieremiam, cùm mergeretur: Daniel sanctum, cùm inter leones staret intrepidus, & prandium ei raptus ab angelo propheta deferret. Nō vtique ideo beatus, qui alienum prādebat prandium, sed quia meritis suis impasta leonum ora claudebat. Quis autem non beatam dixerit matrem Machabæorum, quæ septem filiorū funeribus octauam se addidit ad laudem cœlestis triumphi?

Quantæ laudis fuerit sacerdotum sacerdos Eleazarus in suppliciorum constanti toleratione, quódque ideo non minus, sed magis fuerit beatus. Cap. X.

NEc te Eleazare prætermittā, vtpote sacerdotum sacerdos, sed tuis iuuandus oratis, qui genere sacerdos, peritus in lege, maturus æui, cùm oblatus esses Anthiocho persecutori, nec tentamentis potuisti capi, nec præmiis inflecti, nec suppliciorum acerbitatibus frangi. Denique à blandimentis cœpit, quia iudicabat tormenta sua posse superari. Erubesco, inquit, caniciē tuam, reuereor senectutem, miror prudentiam, cur abstinendum bonis epulis putes, quas natura largitur? Relaxa istiusmodi peruicaciam, expergiscere aliquando, dum adhuc malo tibi persuadere quàm extorquere, ne victus suppliciis facias quod refutas ratione inuitatus. Ad hæc respōdit senex:
2. Macha. 6. Nos Antioche non intētione ducimur, sed reuerentia legis tenemur, quæ à suilla carne abstinendum precipit. Pulcherrimam creaturam iudicas, negare tamen nō potes quòd potior sit temperantia, quàm voluptas: potior legis obedientia, quàm præuaricatio. Quòd si hoc leue putas, vt carne vescamur suilla: qui in minimis legem contempserit, quomodo in magnis tenebit? Aut si preciosa est creatura huiusmodi, vindicaris: cum eo quod sit pulcherrimū, defraudamur. Abstinentia autem nostra disciplina est castimoniæ. Discimus enim resecare luxuriam, cupiditates vincere, excludere concupiscentias, delectationibus corporis obuiare. Fortitudinis quoque exercitium est pœnis pro lege non cedere. Iustitiæ quoque insigne atque prudentiæ, vt quod sequendum elegimus timore dei, morte proposita reseruem⁹. Quis escam imperet liberis? Quis autem se ridendum præbeat? In hoc seruiat, sed non ridebit. Non sum ita senex, vt mihi non iuuenescat animi fortitudo. Suspēsus itaque cum hinc atq; inde grauiter verberaretur, nec iam ferrent senilia mēbra verberum pœnas, lassatis carnificibus atque extensoribus, in terram deflexus, inflexibilem mentem gerebat. Et quidam seu lōgæuam miseratus ætatem, seu tentamētis circunuenire desiderans, Respondе, inquit, tantūmodo te māducaturum, nos te escæ eius immunem præstabimus. At ille clamans, Nequaquam cōtingat mihi vt fiam senex incentiuum iuuenilis erroris, qui hucusque eram forma salutaris instituti. His ego ludibriis, vt paululum viuam, luctabor, & totius vitæ labores addicā breuis viatico senectutis? Senectus portus debet esse, non naufragium vitæ superiori. Non te negabo lex patria, nō abiurabo vos sancta instituta maiorum, non decolorabo vos infulæ sacerdotales, non te perfidiæ puluere turbabo canicies. Quid multa? Immoriēdo tormentis factus est cæteris magisterium perseuerantiæ, qui electus erat ad infirmitatis exemplum. Beatus igitur, in quo non potuerunt tormenta rationem vincere. An non beatus,
Ibidem. qui potuit virtute animi victor esse pœnarum, pietatisque remigio seruare integram in tantis fluctibus passionem?

De admirabili patientia ac fortitudine septem fratrum Machabæorum, quibus mater octaua addita fuit, qui suis supplicijs meritum beatæ vitæ acquisierunt. Cap. XI.

POst ipsum statuti sunt pueri septem cum matre, Insultare licet tyramno, qui dum callidè à sene incipiendum putat, magistrum eligit quo discipulos faceret fortiores, quorum velut puerilem ætatē præmiis prouocabat ad culpam, arguebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres tanto duci respondent: Quid contemnis vel circunscribis vt pueros? Sed fides cana est, sed valida disciplina. Experire certè, subiice quib⁹ placet pœnis puerilia viscera, nō inuenies corda puerilia, nec potentiores erunt tormentorum machinæ, quàm legitimę obseruationis excubię. Quem vicit senectus, superabit æmula senectutis pueritia. Sequimur patrem filij, discipuli doctorem. Collige suppliciorum instrumenta proposita: meditationem patientiæ, non terrorem insciciæ afferūt dum videntur. Iussit maximum natu legi. At ille ridēs, Rectè, inquit, naturæ ordinem seruas. Sed cur dei legem temerādam putas? Et pro pietate quidem omnes maximi sumus, sed tamen à me inchoatum gaudeo. Quod quæris tyranne, confiteor, nos summo deo seruire, & doces quid agere debeamus? Si tu tāta pertinacia vis extorquere veritatem, cur non omni virtute nos eam tenēdam putemus? Quid plura? Adhibētur variarum genera pœnarum. Sed vicit pietas immanitatis furorem: excluſa est anima, non religio. Secundus accessit, nec degener fratris munia piæ confessionis impleuit. Et cùm detraheretur membrana capitis, respondit: Auferris quidem membranam, sed habeo galeam spiritalem, quam non potestis auferre. Et verè hanc galeam nemo auferre potest, sicut postea Apostolus docuit in ecclesia domini, quia caput viri Christus est, & eius sumus membra. Re-
Ibidem. ctè puer istam diuino spiritu doctrinam apostolicam præui debat. Exuebant immanes bestiæ corium capitis, & pardalicis feritatibus sęuiebāt. At ille deficiens, Quàm dulce est inquit, mori pro religione, quā suauis omnis acerbitas mortis pro pietate: quia manet horum remuneratio laborum. Tua sunt rex grauiora tormenta, tu tuis vehementius torqueris suppliciis, quia vides vindici in potestate. Et hoc defuncto, tertium statui sibi iussit. Et cùm eum partim tentaret insidiis, partim cuperet terrore percellere, respondit ad eum: Non faciam voluntatem tuam, non succumbam imperio tuo. Per beatā illam fratrum passionem, & nobilem vitam, nō negabo piam germanitatem. Quæ vis adhibeto supplicia, quibus magis vrgeas: hoc proficies asperitate pœnarum, vt maiora testimonia nostræ germanitatis accipias. Iussit itaque ei linguam amputari. Et ille exclamās, Victus es, inquit, Antioche, qui organum vocis abscindi iubes. Confessus es te respōdere nō posse rationi, maioráq; probas linguæ nostræ flagella, quā tua verbera. Nos enim tua verbera non timemus, tu nostræ vocis flagella non potes sustinere. Sed hæc pietatis flagella sunt, tua flagella perfidiæ. Sed etiam lingua sublata, grauius te suo cadens murmure flagellabit. Euadere te putas Antioche si vocem eripias? Et tacentes deus audit, & magis audit. Ecce aperui os meum, laxaui linguam meam, abscinde linguam: sed non abscindes constantiam, non virtutē auferes, nō rationem obliterabis, non eripies testimonium veritatis, nō eripies cordis clamorem. Si lingua amputatur, sanguis clamabit, & dicetur tibi: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Audi enim sanguinis vo-
Ecclesiast. cem, qui audit interuas cogitationes, Tenebrę licet operiāt, & parietum septa circundent, dicat impius quia nullus sibi testis assistat, exploret vniuersa: videt omnia deus: nec est aliquod facinus quod possit latere omnium iudicem deum, qui cognoscit vniuersa antequam fiant. Quid verba damus? Loquaciora sunt vulnera: & si vulnera tegantur, & si abscondatur cicatrix, non absconditur fides: nec tamē plaudas quòd auferendo linguam, confessionem laudis eripias. Satis iam deum sermone laudaui, nunc passione laudemus. Et hoc perempto, iussit quartum vinciri ac rotam, vt eius vertigine membris omnibus soluerētur. At ille cū torque-

retur

1073

retur immaniter, Dissoluis, inquit, corporis mẽbra, sed adiugis gratiam passioni, nec eripis solatium morti. Est enim vox tonitrui in rota, quia in bono & inoffenso vitæ istius cursu cœleste resultat oraculum, sicut in Ioanne & Iacobo filiis tonitrui resultabat. Itaque illud quod legi, nunc manifestius recognosco, quia rota intra rotam currit, nec impedit. Teres enim vita sine vlla offensione in quauis passione versatur, & intra hanc quoque rota currit. Currit lex intra gratiam, & obseruantia legis intra diuinæ curriculũ misericordiæ est. Nam quo magis voluitur, plus probatur. Potius est hic ab impiis aduersa tolerare, vt ibi à domino consolationem inuenire possimus. Et iste consummans cursum suum, abrupit spiritum, animamq; victor effudit. Quintus cum sisteretur, cæso prius, eidem iussit ignes admoueri, subici incendia. Manabat è vulneribus cruor, & effossis vlceribus sanguis effusus ipsos flammarum extinguebat globos. At ille inter ignium crepitus audiebatur dicẽs: Gratias tibi domine quod dedisti nobis dicere: Trãsibimus per ignem. Et sicut alibi idem tuus dicit Propheta igne nos examinasti, sicut igne examinatur argẽtum. Astabo tibi sicut aurum purgatus incendio: & si quid fuit culpæ, ignis, exussit. Itaque & iste transfiguratus à corruptela ad incorruptionem, vitam exhalauit. Sexto quoque admota tormenta sunt. At ille: Noli, inquit, frustra errare, & tuæ hoc adscribere potestati, quod ista aduersum nos exerceas. Nostrorum hoc delictorum est precium, vt peccãtes puniamur. Et gratias domino, quod hic à nobis duplicia peccata exigũtur, vt ibi nobis cõsolatio deferatur. Gratias autem & tibi, quòd tam durus & immitis es, vt talibus nostris suppliciis dominus in quem peccauimus, genti nostræ propitius fiat. Nos quoque ableuamus ærumnã, dum fidei passionibus delectamur. Et iste duris & asperis dilaceratus suppliciis, appositus est ad fratres suos. Supererat iunior ex fratribus, & iam pudebat Antiochum immaturę ætati se ita fuisse ludibrio. Itaque dolis eum desiderans circunscribere, pollicebatur honores, diuitias, amicitiam suam, consortium secretorum. At verò pia mater monebat filium suum, dicẽs & huic sicut cęteris: Nescio quemadmodum in vterum meum introistis, neque ego spiritum donaui nobis, neque membra formaui, sed hæc omnipotentis dei munera sunt. Putauit Antiochus vidẽs matrem solicitam, quòd saluti eius timeret, ipsi quoque suadere cœpit, vt filium ab intentione sua reuocaret. At illa voce patria dicebat filio: Tu solus superes fili, summa votorum meorum, tu postremus clausisti partus meos, tu postremus conclude gaudia mea. Miserere mei, quæ te in vtero tot mensium curriculo portaui, ne vno momento cõfundas senectutem meam, ne decolores tot fratrum tuorũ trophæa, nec sacrum eorum comitatum relinquas, ne consortium deseras. Te adhuc isti expectant triumphi. Aspice in cœlum, vnde hausisti spiritum, ad patrem omniũ: aspice in terram, quæ tibi ante alimoniam ministrauit: aspice ad fratres, qui collegam requirunt: aspice ad matrem, quę tibi lac dedit: redde mercedem pij sanguinis: noli à fratribus, noli à matre diuelli. Temporales opes sunt quas promittit Antiochus, temporales honores: perpetua corona quæ à deo omnipotente defertur. Vos mihi septem dierum lumina dedit dominus, sextũ iam diem clausi, & omnium opera bona vsque. Debes mihi fili, vt quæ in illis sex laboraui, in te requiescam septimo, tanquam à seculi operibus iam feriata. Itaque proripiens se iuuenis ait: Quid fustinetis? Et multa vociferans, quòd nequaquam diuelli posset à fratrum consortiis, quorũ multo beatiora essent funera quàm regis imperia, cum argueret conuitiis regem, & ipse acerbis excruciatus tormẽtorum generibus, vitę huius munus absoluit. Nobilissima mater oblata est neci. Quis hanc beatam neget, quæ quasi septem vallata muneribus* inter corpora filiorũ nullum sensit mortis incursum? Quis, inquam, dubitet de eius beatitudine, quæ septem turribus circundata, in paradisi sedem caput extulit: quæ septem filiis cincta, sacratissimum deo chorum, non solum canorum vocib⁹, sed etiam passionibus, ad concinendas domini laudes cœlestibus inuexit alatis, quàm bonus fidei partus, quàm tutus portus iste pic tatis, quàm splendida lucerna ecclesiæ, septeno fulgẽs lumine, & octauo vtero cunctis luminibus oleum sũbministrãs. A
De quibus pulchrè dicitur: Date partem illis septem, & illis quidem octo: eò quòd in vtroque numero consortium gratię consequantur, in lege nutriti, per gratiam coronati, septẽ tanquam in sabbato, octo tanquam in euangelio. Pia mater supplemento passionis adiuncta, quæ in tabulis filiis integram pietatis formam & parturiuit & peperit. Eccli. 11.

De singulari beatæ illius matris septem filiorum cõmendatione.

Caput XII.

RECurrunt in memoriã sermones sanctæ fœminæ, dicentis ad filios: Ego vos genui, ego vobis succũ lactis infundi: nolite nobilitatem vestram perdere. Sic aliæ matres reuocare à martyrio solent filios, non vocare. At ista maternum in hoc ponebat affectũ, si filiis vitam magis perpetuam quàm temporalem suaderet. Spectabat itaque pia mater filiorum certamina, & quãuis maternorum viscerum compassione quateretur, tamen pietatis studio premebat dolorem. Et offerente Antiocho, cùm posset salutem eligere filiorum, malebat periculũ: cõpressisque naturæ gemitibus, pœnas filiis optabat augeri, vt mors citius appropinquaret. Videmus cõuersa vota matris in filios, ne quem superstitem derelinqueret, sed omnes piæ cohæredes mortis acquireret. Sed nec filij minores tali parente, qui se in vicem cohortabantur, qui dicebant vno studio, & quadam animorum acie: Mortis aduersæ impetũ petamus. Tunc enim viuemus, cùm fuerimus mortui. Nemo pietatis ordinem derelinquat, nemo se subtrahat prælio triumphali. Non homini, sed deo nostras animas deuouimus: non homini, sed authori omnium militamus. Talis hæc pugna est, vt ille glorioſius vicerit, qui crudelius occisus fuerit. Itaque nemo timuit, nemo trẽpidauit, nullus ad mortẽ ex tot fratribus pigrior fuit, sed omnes tanquam ad immortalitatis viam, ita ad mortem per acerba supplicia cucurrerunt, vt mater consona cernens filiorum agmina, tanquam pia anima sui membra corporis in filiis offerebat, & per artus proprios videbatur sibi subire tormenta. Cadebant filij tormentis exulcerati, mortui super mortuos aduoluebãtur, corpora super corpora volutabantur, capita super capita exsecabantur. Refertus erat locus cadaueribus filiorum, non fleuit mater, non lamentata est, non oculos cuiusquam presit aut ora morientis: non lauit vulnera, sciens glorioſiores esse si cuiscerati & concreti pariter puluere & sanguine viderentur, quales solent de bello redire victores, qualia solẽt trophæa ex hostibus reportare. Non superiacienda velamina, non prosequendas exequias, nisi suæ quoque comitatu mortis arbitrata est. Quæ cithara dulciores ederet cantus, quàm morientes filij in tam grauibus suppliciis ediderant? Erumpebat enim naturæ gemitus, & inuitus spectares peremptorum cadauera, sicut fila chordarum audires heptachordum psalterium triumphalibus gemitibus resultare. Non sic illecebrosi cantus sirenum attraherent audientem. Illi enim ad naufragium trahunt, isti ad sacrificij victoriam. Nec sit cygnea carmina aures animúmque mulcerent. Cygni enim naturæ sorte moriuntur, isti moriebantur amore pietatis. Non sic rauca resonant secreto in nemore columbarum murmura, vt vltima verba morientium cum summa suauitate resonabant. Nec sic Luna inter stellas refulget, vt inter filios mater: & cùm eos ad martyrium illuminatura deduceret, refulgebat, & cùm amplexata victores in medio filiorum iaceret. O vera mater adamante fortior, melle dulcior, flore fragrantior: ô indissolubile pietatis vinculum, ô verè valida charitas sicut mors dura, sicut inferi zelus deuotionis ac fidei. Nulla tantarum diluuia passionum tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatum. Sicut arca in illo mundi diluuio totius orbis spatiis innocua ferebatur, ita & tu aduersus fluctus tam grauium passionum pietate immobilis restitisti: & cùm posses salutem filiorum eligere, noluisti. Quo affectu vos prosequar sanctæ matris pia pignora? Quo penicillo sermonis mei describam formæ vestræ & animarum similitudinem? Stetistis inter exercitus regios, quibus totus fuit orbis terrarum subactus, quos India quoque in extremi maris secreta refugiens declinauit, & soli de rege superbo sine bel-

lico

lico conflictu victoriam reportastis. Vicerunt in vobis sola arma pietatis, dedit pœnas tyrānus, & quia vos non potuit vincere, & quia atroci peremptus est morte.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE SANCTO IOSEPH.

Cur post tractatum de Abraham, Isaac, & Iacob, historiam de sancto Ioseph author prosequi curauerit. Et qua ratione idem sanctus nobis tanquam speculum castitatis propositus esse debeat: vnde etiã à parẽtibus plus quàm cæteri filij fuerit dilectus. Quódque ea res inuidiæ causa fuerit. Cur etiam inuidiam sanctorum discere debeamus. Caput I.

Qualis esse debeat affectus parentum, filiorúmque gratia. Et qua ratione Iacob reprehendendus non fuerit, quia cæteris hunc puerum præferebat, in quo & gratia diuina per visum somniorum refulsit. Quid præterea somnia ista, patrísque obiurgatio, in quo pietas paterna non errabat, significent. Caput II.

Quòd tanto somnio nõ incredulus fuerit Iacob patriarcha, qui futuræ incarnationis mysteria videns, filium mittebat ad fratres. Et de præuisione ipsius Ioseph à fratribus antequam ad illos appropinquaret, eorundémque ad occidendum ipsum cõsilio: eiusdem quoque liberatione ac venditione. Et de istorum aliorúmque circa hæc concurrentium mysterio. Caput III.

De venditi Ioseph ductione in Aegyptum, atque eius emptione à præposito cocorum, quídque hoc significet. De seruitutis præterea ipsius mystica atque morali interpretatione. Caput IIII.

De singulari commendatione speciositatis & decoris, castitatis ac pudoris sancti Ioseph, eiúsque impetitione à domina sua ad cõcubitum, & eiusdem adulteræ telis. Ipsius quoque Ioseph recusatione, fuga, vestis relictione, accusatione, incarceratione: atque visitatione diuina. Caput V.

De inuectione in mulierem. Et de spadonibus etiam illatæ iniuriæ authoribus, quàm fragilis & tenuis sit eorum status: ipsorúmque offensione, incarceratione, somniorum visione, & eorundem per sanctum Ioseph interpretatione. Et quemadmodum omnis potentia, magnificentia, & gloria huius seculi nihil aliud sit quàm somnium. De mysterio præterea Hebræi somnium interpretantis, ac reprehẽsione spadonis immemoris & obliti interpretis sui. De fastu denique & fragilitate ministrorum regalium. Caput VI.

De liberatione sancti Ioseph, & honoris delatione ob interpretationem somniorum regis: de eorũdémque somniorum mysterio. Qua ratione etiam sanctus Ioseph magis mystica meruerit præmia. Ac de mystica significatione ornamentorũ quibus honoratus fuit, nécnon & vxoris ac filiorum, famis quoq;, & apertionis horreorũ, atque venditionis alimentorum. Caput VII.

De exhortatione Iacob ad filios vt descendant in Aegyptũ, & emãt escas. Et de perrectione decẽ fratrũ, iuniore domini retẽto, ac de mysteriis prædictorum. Caput VIII.

De reuersione filiorum Iacob in Aegyptum postquam fames inualescebat, cum deductione Bẽiamin, & sumptione munerum Ioseph deferendorum: eorúmque ad ipsum peruentione. Et de mystica ratione gestorum, & incidẽtium circa hæc. Caput IX.

De munerum paratione, & eorum illatione, instaurationéque conuiuij, cum morali atque mystica singulorum expositione. Caput X.

De inebriatione fratrum cõuiuantium, & insertione scyphi argentei in saccum Beniamin, singulorúmque sacculorũ requisitione, ac inuentione scyphi in sacco Beniamin. Et de mysteriis istorum. Caput XI.

Quemadmodũ sanctus Ioseph se manifestauerit vt à fratribus cognosceretur, & de aduocatione eorum ad se, accessũque ipsorum ad illum. Quomodo etiam eos consolatus fuerit, cum mystica dictorum interpretatione. Caput XII.

De gaudio Pharaonis, quòd Ioseph agnouisset fratres suos, & de exhortatione eí vt Ioseph inuiteret fratres vt veniãt cum patre: illorúmque executione, & peruentione ad Iacob, narrationéque singulorũ: & quòd Ioseph adhuc viueret. Et de mysteriis circa hæc. Caput XIII.

De Israel patris eleuatione, ac profectione & hostiarũ circa puteum iuramẽti immolatione, eiúsque per dominum consolatione, ac descensu in Aegyptum cum animabus septuaginta: & de mysteriis prædictorum. De ipsius denique Iacob ad filios adhortatione vt congregentur ad audiendum ea quæ occursura sint eis in nouissimis diebus. Caput XIIII.

Diui Ambrosij MEDIOLANEN. EPISCOPI, *de sancto Ioseph, Liber vnus.*

Cur post tractatum de Abraham, Isaac, & Iacob, historiam de sancto Ioseph author prosequi curauerit. Et qua ratione idem sanctus nobis tanquam speculum castitatis propositus esse debeat: vnde etiam à parentibus plus quàm cæteri filij fuerit dilectus. Quódque ea res inuidiæ causa fuerit. Cur etiam inuidiam sanctorum discere debeamus.

Caput I.

SAnctorum vita, cæteris norma viuẽdi est. Ideoque digestam plenius accepimus seriem scripturarũ, vt dum Abraham, Isaac, & Iacob, cęterósque iustos legendo cognoscimus, velut quendam nobis innocentiæ tramitẽ virtute eorum reseratum imitãtibus vestigiis prosequamur. De quibus mihi cùm frequens tractatus fuerit, hodie sancti Ioseph historia occurrit. In quo cùm plurima fuerint genera virtutũ, tum prẽcipuè insigne effulsit castimoniæ. Iustum est igitur vt cùm in Abraham didiceritis impigram fidei deuotionẽ, in Isaac syncerę mẽtis puritatem, in Iacob singularem animi laborúmque patientiã: ex illa generalitate virtutum in ipsas species disciplinarum intendatis animũ. Nam licet illa sint diffusiora, tamẽ ista expressiora sunt: eóq; facilius mẽtem penetrãt, quò magis circunscripta ac determinata sunt. Si igitur nobis propositus sanctus Ioseph tanquam speculũ castitatis. In eius enim moribus, in eius actibus lucet pudicitia, & quidam splẽdet castimoniæ comes nitor gratiæ. Vnde etiam à parẽtibus plus quàm cæteri filij diligebatur. Sed ea res inuidiæ fuit: quod filẽtio prætereundũ non fuit. Hinc enim argumẽtum totius historiæ processit: simul vt cognoscamus perfectum virum non moueri vlciscẽdæ dolore iniuidiæ, nec malorum rependere vicem. Vnde & Dauid ait: Si reddidi retribuẽtibus mihi mala. Quid autem esset quod præferri Ioseph mereretur cæteris, si aut lædentes læsisset, aut diligentes dilexisset? Hoc enim plerique faciunt. Sed illud mirabile, si diligas inimicum tuum: quod saluator docet. Iure ergo mirandus qui hoc fecit ante euãgelium, vt læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret iniuriam, sed gratiam pro contumelia solueret: quod post euãgelium omnes didicimus, & seruare non possumus. Discamus ergo & sanctorum inuidiam, vt imitemur patientiam, & cognoscamus illos non naturæ præstantioris fuisse, sed obseruationis: nec vitia nescisse, sed emendasse. Quod si inuidia etiam sanctos adussit, quanto magis cauendum est ne inflammet peccatores?

Qualis esse debeat affectus parentum filiorúmque gratia. Et qua ratione Iacob reprehendendus non fuerit quia cæteris hunc puerum præferebat: in quo & gratia diuina per

1077 *per visum somniorum refulsit. Quid præterea somnia ista, patrisque obiurgatio, in quo pietas paterna non errabat, significent.*

Cap. II.

INstruimur igitur qualis esse debeat affectus parentum, filiorúmque gratia. Amare liberos dulce, & impensius amare prædulce, sed frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis: si aut nimia indulgẽtia dilectũ resoluat, aut prælatio vnius cæteros ab affectu germanitatis auertat. Plus acquiritur filio cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditatis filiorũ. Iungat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris si propter fundũ aut domum oriuntur inter fratres iurgia, quãdo propter tunicam inter Iacob sancti filios exarsit inuidia? Quid ergo? Reprehendendus Iacob quia præferebat vnum cæteris? Sed nec libertatem possumus auferre parẽtibus, ne eos plus diligant, quos plus credũt mereri, nec filiis resecare debemus studium plus placendi. Denique & Iacob illum plus amabat, in quo maiora virtutũ insignia præuidebat: vt non tam filium pater prætulisse videatur, quàm propheta mysterium: meritóque variam tunicam fecit ei, quo significaret eum diuersarum virtutum amictu fratribus præferendũ. Denique in puero adhuc refulsit diuina gratia. Siquidem somniauit quod cùm alligasset, vt sibi videbatur per visum, manipulos cum fratribus suis, surrexerit manipulus eius, & steterit erectus: conuersi autem fratrum manipuli, adorauerint manipulum suũ. In quo vtique domini Iesu futura resurrectio reuelata est, quem & Hierosolymis cùm vidissent vndecim adorauere discipuli, & omnes sancti cùm resurrexerint adorabunt, fructus bonorum operum proferentes, sicut scriptum est: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Vnde fratres, licet somnij fidem per inuidiam derogarent, interpretationem tamen eius propriis sermonibus exprimentes responderunt ei. Nunquid regnando regnaturus es nobis, aut dominando dominaturus es nobis? Regem enim venturum visio illa signabat, quem omnis caro generis humani inflexo adoraret genu. Vidit autem aliud somnium, & narrauit illud patri suo, & fratribus suis, eo quòd Sol & Luna & vndecim stellæ adorarent eum. Vnde obiurgauit illum pater eius, dicens: Quid ergo erit hoc visum quod somniasti? Nũquid veniẽtes ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terrã? Quis est ille quẽ parentes & fratres adorauerũt super terram, nisi Christus Iesus, quando eum Maria & Ioseph cum discipulis adorauerũt, deum verũ esse in illo corpore confidentes, de quo solo dictum est: Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumẽ? Obiurgatio autem patris quid significat, nisi duritiã populi Israel? Ex quibus Christus secundum carnem, quem hodiéque deum esse non credunt, nec volunt adorare quasi dominum, quia ex se natum esse cognoscunt. Audiunt itaque responsa eius, sed non intelligunt: legunt ipsi quod eum Sol & Luna laudent, sed nolunt credere de Christo Iesu dictum esse. Itaque Iacob typo fallitur alieno, sed suo amore non fallitur. Pietas in eo paterna non errat, sed erraturæ plebis affectus exprimitur.

Quòd tanto somnio non incredulus fuerit Iacob patriarcha, qui futuræ incarnationis mysteria vidẽs, filium mittebat ad fratres. Et de præuisione ipsius Ioseph à fratribus antequam ad illos appropinquaret, eorundémque ad occidendum ipsum consilio: eiusdem quoque liberatione, ac vẽditione. Et de istorum aliarúmque circa hæc concurrentium mysterio.

Cap. III.

NOn ergo tanto somnio patriarcha non credidit, qui vtrunque pariter gemino prophetabat oraculo, vt & personam iusti repræsentaret, & populi, quod deus venturus esset in terras, qui & diligeretur à iustis, & negaretur à perfidis. Videbat igitur futuræ incarnationis mysteria, qui filiũ mittebat ad fratres vt videret si rectæ sunt oues. Quas oues iã tunc in illo patriarchæ studio requirebat, nisi eas de quibus ipse dominus in euãgelio dixit: Non veni nisi ad oues perditas domus Israel? Matth. 15.

A Et misit, inquit, in Sychẽ, quod interpretatione dicitur humerus siue dorsum, hoc est ad eos qui nõ cõuerterentur ad dominum, sed fugientes, se à facie eius auerterent, quod est propriè peccatoris. Exiit enim Cain à facie dei. Et Propheta dicit: Pones eos dorsum. Iustus autem non se auertit à domino, sed occurrit dicens: Oculi mei semper ad dominum. Et Esaias dicente domino: Quem mittam? sponte se obtulit dicens: Ecce ego. Et Symeon expectauit vt videret Christum dominum, & posteaquam vidit, quoniam remissionẽ peccatorum, & totius mundi videbat redemptorum, quasi leuiatus à peccato, popposcit vsu carnis huius absolui, dicẽs: Nunc dimittis domine seruum tuum in pace, quoniã viderunt oculi mei salutare tuum. Et Zacheus hinc primum suę prærogatiuã commendationis inuenit, quod in arborem vt Christum videret, ascendit. Ergo Ioseph à patre missus est ad fratres, ab illo magis patre, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit: illum ab illo patre de quo scriptum est: Deus filium suum mittens in similitudinẽ

B carnis peccati. Et errabat, inquit, Ioseph, quia fratres suos inueneri nõ poterat. Nõ immeritò errabat, qui quærebat erratres. Eos enim agnoscit dominus, qui sunt ipsius. Denique & Iesus fatigatus ex itinere, sedebat supra puteum. Fatigabatur, quia non inueniabat dei populum, quem quærebat. exierat enim à facie domini. Qui enim culpam sequitur, exit à Christo. Peccator exit, iustus intrat. Denique Adã se peccator abscondit, iustus autem dicit: Intret oratio mea in cõspectu tuo. Inuenit autem Ioseph fratres suos in Dothaim, quod significat defectionem. Vbi est enim nisi in defectione qui deum deserit? Nimirum deficiebant, qui non audiebant dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Venit igitur Ioseph in Dothaim, & præuiderunt eum de longè venientem, antequam appropiaret ad illos, & insæuiebant vt occiderẽt eum. Meritò longè erant, qui erãt in defectione: & ideo insæuiebãt, quia non appropiauerat his Christus. Nam si appropiasset his typus Christi, fratrem vtique dilexissent. Sed prope es-

C se non poterãt, qui parricidium cogitabant. Ecce, inquit, somniator ille venit: nunc ergo venite, & occidam9 eum. Nón ne hęc verba dicebãt qui de parricidali sacrilegio cogitabãt? Sicut de ipsis Solomon ait: Tollamus iustum, quia inutilis est nobis. Et addiderunt in Genesi: Et videamus quid proderunt somnia illius. Hoc scriptum est de Ioseph, completum est de Christo, quando Iudæi in eius passione dicebãt: Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Cõfidit in deum, liberet nunc eum si vult. Nunquid & ipsi fratres tam impij, vt fratrem occiderent? Et vnde tantorum merita patriarcharum, vt lex † totius plebis eorum vocabulis designaretur? Quomodo conueniunt pietatis nomina, & sceleris insignia? Sed etiam iusti † typo populi non animi sui vitio laborabant. Ideo omnis inuidia, ideo parricidij meditatio per figuram, pietas per affectum. Denique Rubẽ & Iudas germanitatis pia iura seruãtes, de manibus cæterorum eum liberare cupiebãt: meritóque Iudas paterna benedictione præfertur, cùm ei dicitur: Adorabunt te filij patris

D tui. Catul9 leonis Iuda & ipse erit expectatio gẽtium. Quod vtiq; soli cõuenit Christo, cui repositum fuit vt adoraretur à fratribus, & expectaretur à gentibus, lauaret in vino stolã suã proprij corporis passione, quia carnem suam nulla peccati labe maculauit. Aser quoque non vtique sibi cõuenire credebat. Aser pinguis panis eius, & ipse Aser cum principibus. Quid verò ipse Ioseph, cui dictum est, Filius meus ampliãdus Ioseph, filius ampliandus meus: zelatus filius meus, filius meus adolescentior, ad me reuertere? In quem consilium conferentes maledicebant, in quo benedictio præualuit, super benedictiones montium manentium, & desideria collium æternorum. Quem significari intelligebat in se, nisi illum qui omnium merita supereminens, supra omnium desideria sanctorum immensæ teneret apicem potestatis, quem voto nullus æquaret? Compensatur ergo in patriarchis inuidia per gratiam, qui & excusantur à culpa, & reuelationis munere consecrantur. Non enim tam culpabile est dixisse quæ plebis sunt, quàm beatum vidisse quæ Christi sunt,

Psal. 20. Psal. 24. Esa. 6. Luc. 2. Ibidem. 19. Roma. 8. Ibidem. 1. Tim. 2. Ioan. 4. Psal. 87. Gene. 37. Matth. 11. Sapien. 21. Marc 27. † grex † Sed iniusti, vel, isti. Gene. 37. Gene. 49.

sti sunt. Subierunt personam peccatoris populi, vt acciperent gratiam domini redemptoris. Certè culpam aboleuit gratia, gratiam culpa non minuit. Et vt cognoscamus omne hoc de populo & domino Iesu mysteriū esse: Venite, inquit, vēdamus Ioseph Ismaelitis. Quid interpretationis habet nomen Ioseph, nisi quòd diuinā gratiam significet, & expressionem dei summi? Quis igitur venditur, nisi ille qui cùm in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens? Neque enim nos eum emissemus, nisi vendidissent sui. Malè vendiderūt, peius emerunt. Vendiderunt negociatoribus boni odoris, emerunt à proditoribus. Vendidit eum Iudas, emerunt Ismaelitæ, qui significantur Latina interpretatione odio habentes deum suum. Ideo alibi viginti, alibi viginti & quinque aureis, alibi triginta inuenimus emptū Ioseph: quia non omnibus vnius æstimatione prequalet Christus. Aliis minus, aliis amplius. Fides emētis incremētum est mercis. Religiosiori preciosior deus, peccatori preciosior est redemptor. Pluris & illi valet qui plus habet gratiæ. Sed etiā cui multa donata sunt, pluris valet: quia cui plus remissum est, plus diligit, sicut ipse dominus in euangelio pronunciauit de illa muliere quæ super eius pedes effudit vnguētum, & lachrimis lauit, & capillis suis tersit, & osculis siccauit, de qua ait ad Simonem: Propter quod dico tibi, Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Interdum diuersitates precij, non solum quantitatis habent, sed etiam numeri expressionē, sicut habes de vnguento quod ad sepeliendū se dominus effusum esse memorauit, dicēte Iuda: Potuit hoc venūdari denariis trecētis. Quo numero nō quātitas, sed significatio crucis videtur expressa. Ita hic quoq; diuersitas vel viginti vel triginta aureorum vel argenteorum habet vel geminatæ vel triplicatæ perfectionis indicium. Nam viginti quinque aurei, Iubilei, qui est remissionis numerus, significant precioſissimam portionem. Hic quoque (vt dominicæ passionis figuram aduertas) ait Iudas patriarcha: Tradamus Ioseph Ismaelitis, manus autem nostræ non sint iectæ super eum. Et bene superius dixerat: Manus autem nolite inferre illi. Quod Iudęi in domini passione dixerunt: Nobis nō licet interficere quenquam: vt sermo Iesu impleretur, significans qua morte moriturus esset. Iam tunc ergo futuræ crucis præfigurabatur insigne, simul & quod exutus est tunicam: id est, carnem quam assumpsit, exutus est, decoram diuersitate virtutum. Ergo tunica eius, id est caro, non diuinitas cruentata est, & indumentum ei carnis, non immortalitatem vitæ auferre potuerunt. Hanc tunicam Iudaicæ bestiæ cruentauerunt, illæ de quibus dicit: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Quod autem lacus siccus erat, quid mirum si Iudæorum lacus aquam non habet, qui dereliquerunt fontem aquæ viuæ, fecerunt sibi lacus cōtritos? Et vt scias verum hoc esse mysterium, ipse de se dominus ait: Posuerūt me in lacu inferiori, in tenebris, & in vmbra mortis. Illi igitur emūt Christū, qui boni odoris deferūt thymiama, quo adolēt altaria pię mētis. Vnde & Dauid Grę cè hoc modo ait: Καλευθλωθήτω ἡ προσευχή μȣ ὡς θυμίαμα ἐνώπιόν σȣ. Resinam quoque, qua marmora confracta sociantur. Est resina spiritalis, quæ fracturas animæ tuæ solidet, & diuulsa connectat, & soluta constringat. Hec enim spiritalis resina corroborat, & quædam comminuta animæ membra componit, vt sine offensione socientur. Denique Hieremias hanc quęrit resinam, vt Babyloniam curet sanare si possit, dicens: Accipite resinam corruptioni eius, si quo modo sanabitur. Curauimus Babyloniam, & sanata nō est. Non est sanata synagoga, quia resina ista migrauit ad ecclesiam. Ideo ex Galaad veniebant negociatores de possessione, hoc est de incolatu testimonij, merces suas ad ecclesiam transferentes, vt gētium peccata resina ista curaret. De quibus dicitur: Conualescite manus discussę, & genua dissoluta. Fides syncera est. Hanc habebat Petrus cùm diceret claudo: In nomine Iesu Nazareni surge & ambula. Meritóque surrexit, & ambulauit. Hanc habebat cùm diceret paralytico: Aenea, sanet te dominus Iesus, surge & sterne tibi. Et surrexit, & strauit sibi. Hanc habebat cùm diceret mortuæ:

Gene.37. Psalm.2. Luce 7. Marc.14. Gene.37. Ioan.18. Luce 10. Hiere.2. Psal.87. Psal.140. Hiere.51. Esa.35. Actor.3. Actor 9.

Surge in nomine domini Iesu. Et defuncta surrexit. Huius resinę temperamento lapides illi de quibus potens est dominus resuscitare filios Abrahę, compaginantur. Huius resinę medicamento claudus erigitur, paralyticus reformatur, mortua resuscitatur. Illud quoq; quod hœdi sanguine respersserunt tunicam eius, videtur significare quoniam falsis testimoniis appetentes, inuidiam deduxere peccati in omnium peccata donātem. Nobis agnus est, illis hœdus. Nobis agnus dei occisus est, quibus abstulit peccata mundi: illis hœdus, quorum acerbauit errores, delicta cumulauit. Idque Iacob posteritatis deplorans dispendia, quasi pater filium flebat amissum, quasi propheta flebat interitū Iudæorum. Denique scidit etiam vestimentum suum, quod in passione domini factum legimus à principe sacerdotū, in quo esset non priuata persona, sed publici munus officij. Et velum templi scissum est, & prophanata mysteria, vt esse nudatum populum salutaribus indumentis, diuisum regnum talibus manifestaretur insignibus destruendum: quia omne regnum diuisum, facilè destruetur. Et verè diuisum, quando hoc quod erat Christi, cœpit esse etiam diaboli. Neque enim poterāt indiuisi manere, qui à patre filium seperabāt.

Ibidem. Luce 11.

De venditi Ioseph ductione in Aegyptum, atque eius emptione à præposito cocorum, quidque hoc significet. De seruitutis præterea ipsius mystica atque morali interpretatione.

Cap. IIII.

VEnditus est ergo Ioseph, & ductus in Aegyptum, emptus à præposito cocorum. Non ociosa persona, quæ cruda ciborum coqueret, vt epularentur animi fidei suauitate: nullus enim cibus scientia & doctrina dulcior. Erat antè in Aegypto cruda perfidia, quā nullus diuinæ cognitionis ardor, & veræ scientiæ cupiditas vlla molliuerat, non eloquia domini ignita decoxerant. Vēditus est Ioseph in Aegypto, quia Christus venturus erat ad eos quibus dictum est: Peccatis vestris vēditi estis. Et ideo suo sanguine redemit, quos propria peccata vendiderant. Sed venditus Christus conditionis susceptione, non culpæ peccatíque precio tenetur, quia peccatum ipse non fecit. Precio igitur nostro debitum, non sua æra contraxerunt, chirographum sustulit, fœneratorem remouit, exuit debitorem: vnus exoluit quod ab omnibus debebatur. Nō licebat nobis exire seruitio. Suscepit hoc ille pro nobis, vt seruitutem mundi repelleret, libertatem paradisi restitueret, gratiam nouam, consortij sui honorem relinqueret. Hoc de mysterio. Cæterùm quod ad moralem pertinet locum, quia omnes vult saluos fieri dominus deus noster, dedit per Ioseph etiam iis qui sunt in seruitute, solatium, attribuit magisterium, vt discerent etiam in vltima conditione posse mores esse superiores: nec vllum statum immunem esse virtutis, si animus vniuscuiusque cognoscat carnē seruituti subditam esse, nō mentē: multóque seruulos esse dominis liberiores, si in seruitute positi à seruilibus putēt operibus abstinendum. Seruile est omne peccatum, libera est innocētia. Vnde & dominꝰ ait: Omnis qui facit peccatū, seruus est peccati. Quomodo enim non seruus omnis auarus, qui pro exiguo pecuniæ lucello seipsum auctionatur? Timet enim ne congesta amittat, qui non vtenda cōgessit, maiore periculo seruaturus, quo maiora quæsiuit. Quomodo non mēdicus, cui sunt parua quę possidet? Nā & si mihi diues videatur, sibi eget: nec testimoniis sua vota solatur, qui quod optat, nescit credere. Quomodo autē non & ille seruus, qui subditus est libidini? Primū suis ardet incēdiis, & peccati sui facibus exuritur. Quibus rectè dicit propheta: Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma quam accendistis. Suscipit omnes metus, insidiatur somnis singulorū: vt vnius cupiditate potiatur, fit seruus omnium. Seruit igitur, ac miseram quidem seruitutē, qui ipse sibi dominos facit, ipse vult habere quos timeat. Nihil enim tam speciale seruitutis est, quàm semper timere. Ille verò in quauis conditione seruitij semper liber, qui amore non capitur, auaritiæ vinculis non tenetur: metu criminis non alligatur: qui securus spectat præsentia, quē futura non terrent. Nónne videtur tibi iste in seruitute domina-

Esa.35.

1081

dominari, ille autē in libertate ſeruire? Seruiebat Ioſeph, regnabat Pharao: beatior huius ſeruitus, quàm regnum illius. Denique tota Ægyptus collapſa eſſet fame, niſi regnū ſuum conſilio ſeruuli ſubdidiſſet. Habent igitur vnde glorientur originales ſeruuli: Seruiuit & Ioſeph. Habent vnde ſe cōſolentur qui ex libertate in ſeruitutem aliqua neceſſitate venerint. Habent quod imitentur, vt diſcant conditionem ſe mutare poſſe, nō mores: eſſe & in vernulis libertatem, & in ſeruitute conſtantiam. Habent quod etiam domini per ſeruulos bonos ſperent. Abraham filio per vernaculum inuenit vxorem. Benedixit dominus domū Ægypti propter Ioſeph, & facta eſt benedictio domini in toto cenſu eius, & in domo, & in agris. Et conuertit, inquit, omnia, quæcunque illi erant in manus Ioſeph. Aduertimus quod ea quæ domini gubernare non poterant, ſeruuli gubernarunt.

De ſingulari cōmendatione ſpecioſitatis & decoris, caſtitatis ac pudoris ſancti Ioſeph, eiuſque impetitione à domina ſua ad concubitum, & eiuſdē adulteræ telis. Ipſius quoque Ioſeph recuſatione, fuga, veſtis relictione, accuſatione, incarnatione, atque viſitatione diuina.

Caput V.

SEd quid de priuata domo diſpoſitionis ei⁹ ſeruuli aſtruam, qui rexit imperium? Plus tamē eſt quod antè ſe rexit. Et cum eſſet decorus aſpectu, & ſpecioſa facie valde, venuſtatem ſui vultus non ad alienam deriuauit iniuriam, ſed ad ſuam ſeruauit gratiā: hoc ſe pulchriorem ratus, ſi non diſpendio caſtitatis, ſed cultu pudoris ſpecioſior probaretur. Illum eſſe verum decorē, qui non alienos oculos caperet, nec fragiles mentes vulneraret, ſed iudicia acquireret vniuerſorū, fraudi nulli futurus, laudi ſibi. Iam ſi qua petulantibus aſpexit oculis, illius crimen ſolius eſt quæ malè vidit, non huius qui malè ſe nollet videri: nec in eo quod viſus eſt, culpa eſt. Non erat in poteſtate ſeruuli vt nō videretur, marit⁹ debuit cauere oculos vxoris. Sed quòd ille nihil timebat de coniuge, arbitrabatur iſte teſtimonium eſſe caſtimoniæ, nō remiſſionem incuriæ. Diſcant tamen viri cauere etiam oculos fœminarum. Adamantur enim & qui nolūt amari. Deniq; adamatus eſt Ioſeph, qui amantē contemſerat. Et bene excuſauit eum ſcriptura, dicens: Immiſit oculos vxor domini eius in Ioſeph: hoc eſt, non iſte ſe oſtentauit, nec cepit in cautam, ſed illa retia ſua miſit, & indagine ſui capta eſt. Laqueos ſuos ſparſit, & ſuis hæſit vinculis. Dixit autem illi: Dormi mecum. Prima adulteræ oculorum tela ſunt, ſecunda verborū. Sed qui non capitur oculis, poteſt verbis reſiſtere. Suppetit defenſio vbi adhuc liber affectus eſt. Ideo ſcriptum eſt quia ille noluit. Primum igitur congreſſione mentis ſuperauit, tanquam ſcuto animi irruentem repellens: deinde ſermonē tanquam haſtam vibrauit, vt ſe illa reuocaret. Et dixit vxori domini ſui. Rectè vxor domini, non ipſa domina dicitur, quæ non potuit extorquere quod voluit imperare. Nam quomodo domina, quæ dominandi non habebat affectū, quæ diſciplinam dominæ non tenebat, quæ ſeruulis libidinis incentiua præſtabat? Ille dominus, qui amantis non excepit faces: qui lenocinantis vincula non ſenſit: quem nulla mortis formido perterruit: qui maluit liber criminis mori, quàm potētię criminoſæ eligere conſortium. Ille liber, qui turpe credidit vicem gratiæ non referre. Denique non vt meticuloſus excuſat, nec tanquam periculi timidus cauet, ſed tanquam benefícij herilis & innocentiæ ſuæ debitor fugit crimen ingrati, peccatique labem, & culpæ contagium quaſi iuſtus horreſcit. Tertium ſpiculum adultera interpellandi aſſiduitate vibrabat, ſed Ioſeph non audiebat eam. Habes poſt prima verba quid caueas. Nō ſolum lubrica, ſed etiam procax, importuna, petulans eſt libido, nec habet quod vereatur adultera. Quæ diſpendia pudoris prima non doluit, inſidiatur vt capiat. Denique officij ſui & commiſſi muneris ingreſſum gratia remotis arbitris ac domeſticis apprehendit eum, dicens: Dormi mecum. Excuſatur Ioſeph ſcripturæ teſtimonio, quia commiſſum à domino nequibat deſerere obſequium. Non enim ſatis eſt quod ſecurus ſui domus interiora, quaſi qui capi non poſſet, ingreſſus eſt, iuſtus debuit prævidere ne furenti copiam daret, & eius illa peccato periret. Sed qui aduerſari ſibi domini ſui videbat vxorem, neglecti officij etiā à domino cauere debebat offenſam: ſimul adhuc ſermonis, non comprehenſionis putabat audaciam. Excuſatur quòd ingreſſus eſt, prædicatur quòd elapſus eſt. Nec pluris fecit veſtimenta corporis, quàm animi caſtimoniam. Reliquit tanquam nō ſua, quæ adultera ſuis manibus detinebat: & aliena iudicauit, quæ tactu impudicę potuerāt comprehendi. Magnus quippe vir, qui venditus, ſeruile tamen neſciuit ingenium, adamatus non redamauit, rogatus non acquieuit, cōprehenſus aufugi. Qui cùm ab vxore domini conueniretur, teneri veſte potuit, animo capi non potuit: ac ne ipſa quidem verba diu paſſus eſt. Cōtagium enim iudicauit ſi diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua tranſirēt. Itaque veſtem exuit, crimē excuſſit, & relictis quibus tenebatur exuuiis, ſpoliatus quidem, ſed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris. Nō eſt enim nudus, niſi quem culpa nudauerit. Denique in ſuperioribus habemus quod Adam poſteaquam dei mādatum præuaricatione deſeruit, & peccati grauis æra contraxit, nudus erat. Vnde & ipſe ait: Vocem tuā audiui in paradiſo, & timui, quia nudus ſum, & abſcondi me. Intellexit enim ſe eſſe nudū, qui infulas diuinæ protectionis amiſerat. Et ideo latebat, quia veſtem fidei nō habebat, quam vtique præuaricando depoſuit. Magnam rem vides. Ille nudus erat, qui tunicam non amiſit: iſte nudus non erat, qui veſtimētis ſe exuit, quæ in manibus adulteræ dereliquit. Eadem ſcriptura illum nudum aſſeruit, hunc abnuit. Et ideo iſte expoliauit ſe potius quàm nudauit, qui incorrupta virtutum veſtimenta ſeruabat, expolians ſe veterem hominem cum actibus ſuis, vt indueret nouum, qui ſecūdum imaginē creatoris in agnitione renouatur. Ille autem nudus remāſit, qui ſe iterum veſtire non potuit, ſingulari ſpolio virtutis exutus. Vnde pelliceam accepit tunicam, quia peccator habere non poterat ſpiritalem. Reliquit igitur veſtimenta Ioſeph, & nudauit adulteræ inuerecundiam, quæ poſtea latere non potuit. Denique exiuit foras, & ipſa adulterij ſui tentamēta vulgauit, exaltans vocem ſuam, eo quòd relictis veſtibus Hebręus aufugerat. Ipſa igitur quod cælare debuerat, prodebat, vt compoſito crimine læderet innocētem. Iuſtus autem accuſare non nouit, ideo impunè hoc impudica faciebat. Illam igitur verè exutam dixerim, etiā aliena veſtimenta ſeruantem, quæ omnia amiſerat velamina caſtitatis: illum ſatis ornatum, ſatis defenſum, cuius vox non audiebatur, & innocētia loquebatur. Sic Suſanna poſteaquam tacet, in iudicio melius locuta eſt oraculo, & ideo prophetę meruit de fenſionem, quæ propriæ vocis auxiliū non quæſiuit. Illum ergo beatiorē dixerim cùm in carcerē mitteretur, quia ſubibat pro caſtitate martyrium. Bonū enim munus pudicitia, ſed minoris meriti cùm periculum abeſt: vbi verò etiam ſalutis periculo defenditur, ibi pleni⁹ coronatur. Inaudita cauſa, inexplorata fide veri, tanquam reus criminis in carcerem Ioſeph mittitur, ſed eum dominus nec in carcere deſerebat. Non turbentur innocentes cùm falſis criminibus appetuntur, cùm oppreſſa iuſtitia traduntur in carcerē. Viſitat deus & in carcere ſuos, & ideo ibi eſt plus auxilij, vbi eſt plus periculi. Sed quid mirum ſi viſitat deus in carcere poſitos, qui ſeipſum in ſuis in carcere incluſum eſſe memorauit, ſicut habes ſcriptum: In carcere eram, & non veniſtis ad me. Quò non penetrat diuina miſericordia? Inuenit Ioſeph huiuſmodi gratiam, vt qui fuerat clauſus in carcere, ipſe potius carceris clauſtra ſeruaret, cederet munere clauicularius, incluſos omnes in poteſtatem eius committeret. Itaque Ioſeph non ſolum carcerem non ſentiebat, ſed etiam alios quoque carceris leuabat ærumna.

Gen. 3.

Cal. ſ. 3.

Daniel. 13.

Matth. 25.

De inuectione in mulierem. Et de ſpadonibus etiam illatæ iniuriæ authoribus, quàm fragilis & tenuis ſit eorum ſtatus: ipſorúmque offenſione, incarceratione, ſomniorum viſione, & eorundem per ſanctum Ioſeph interpretatione. Et quemadmodum omnis potentia, magnificentia, & gloria huius ſeculi nihil aliud ſit quàm ſomnium. De myſterio præterea Hebræi ſomnium interpretantis, ac reprehenſione

prehensione spadonis immemoris & obliti interpretis sui.
De fastu denique & fragilitate ministrorum regalium.

Cap. VI.

PVlus igitur iniuriæ author mulier & spadones sunt. Sed mulier Aegyptiorum, quę procaces cum viris solita miscere sermones, lacessere verecundos, refugientes insequi, prudętes perurgere: cùm vitia sua non posset defendere, innoxios criminabatur, perfidiam miscens perfidię, aliena tenens, & alios ipsa cõdemnans, modum nullum ponens furori. Quæ enim causa crudelitatis, nisi quòd cupiditatibus suis obsisti videbat, & desideria sua vetita assensione fraudari? En propter quod aperiatur carcer vt suscipiat innocentes: soluantur catenæ reis, vt imponantur fidelibus: dimittantur veritatis adulteri, vt includatur qui fidei adulterium recusauit. De istis verò spadonibus quid dicam? qui exemplum debẽt esse spadonibus cæteris, quòd status eorum fragilis ac tenuis, & in volũtate regia spes omnis, quibus leuis offensa summum periculum sit, secundæ autem res vile ministerium. Gloriabatur alter quòd esset vini prępositus, alter quòd esset pistorum: vterq; offendit, missique in carcerem, & cõmendati sancto Ioseph ab ipso carceris clauiculario, cùm essent illic dies cõplures, viderunt somniũ: & cùm reuiseret eos Ioseph, tristes turbatósq; animi offendit: quia turbabãtur somnio, cuius interpretẽ non inuenirẽt. Nónne per deum, inquit, interpretatio somnij est? Narrate ergo mihi. Et narrauit præpositus vini somniũ suũ: Erat vitis in cõspectu meo, in vite autẽ tres radices, & ipsa flores ferẽs, garmina matura, & botriones vuarũ: & calix Pharaonis in manu mea. Et sumpsi eã, & expressi in calice, & dedi calicem in manu Pharaonis. Et dixit illi Ioseph: Tres radices, tres dies sunt. Adhuc triduũ, & memorabitur Pharao principatum tuum, & restituet te super officium tuum pristinũ, & dabis calicẽ in manu Pharaonis. Sed memor esto per semetipsum cum bene tibi fuerit, & facies in me misericordiam, & memor eris mei ad Pharaonem, & educes me de carcere isto, quia furtiuè captus sum de terra Hebræorum, & hic nihil mali feci, & miserunt me in lacum carceris huius. Alterius somnium non libet dicere. Meministis certè verborum meorum, quòd etiam tunc refugerim eius interpretationem: in eo cuius exitum refugio, mortem perhorresco. De isto prius dicamus, qui sibi beatus videbatur, cùm esset vini prępositus: & hunc summum credebat apicem omnis potentiæ, quod regi calicem dabat. Hæc gloria illius, hæc magnificentia in hoc seculo: hac defraudatus dolebat, huic redditus gratulabatur. Sed hoc somnium est, & omnis potẽtia seculi somnium, non veritas est. Denique per somnium videt reddi sibi principatum suum. Esaias ita esse huiusmodi homines, qui in hoc seculo delectantur secundis rebus: Sicut qui in somniis manducat & bibit, videtur sibi cibo & potu, dum dormit, repleri, sed cùm euigilauerit, incipit esurire amplius, & tunc intelligit quàm inanis ille cibus & potus fuerit somniãtis: sic qui dormit in hoc seculo, nec oculos aperit ad mysteria diuina: quandiu somno grauatur corporis, putat alicuius momenti esse hanc secularem potentiam, quasi in somnis eam videt: vbi euigilauerit, deprehendit quàm inanis huius seculi voluptas sit. Cõsidera nunc illum verum Hebræum, illũ non somnij, sed veritatis & præclaræ visionis interpretem, qui de diuinitatis illa plenitudine ac libertate cœlestis gratiæ in hunc corporeum carcerem venerat, quem non potuit seculi huius illecebra mutare, non vlla corruptela mũdanæ voluptatis euertere: qui tentatus non decidit, appetitus non appetiuit, postremo adulterina quadam synagogæ manu veste corporis apprehensus, carnem exuit, liber mortis ascendit. Calumniata est meretrix vbi eũ tenere non potuit, quẽ carcer non terruit, non inferna tenuerunt: quin etiam quo veluti punicndus descenderat, inde alios liberauit: vbi ipsi stringebantur mortis vinculis, ibi laxauit ipse vincula mortuorũ. Considera ergo istum Hebræum, dicentem illi prępositio spadonum, qui contraxerat offensam regiam, quem restituerat muneri suo: Memor esto per temetipsum cum tibi bene fuerit & facies in me misericordiam, & memor eris mei. Ideo secundo repetiuit, quia sciabat non recordaturum quod

Gene. 40.

Esa. 29.

Gene. 40.

1084

euasisset iniuriam, cùm potentiam recepisset. Ideo secundo admonuit, quia secũdo liberauit, vt si prioris beneficij eum memoria non teneret, vel posterioris subiret, non despiceret authorem salutis suæ, non perfida prævaricatione violaret. Sed quod peius est, citò beneficij irrepit obliuio secundis rebus. Reditus officio suo non est memor factus interpretis, sed oblitus est eum. Sed & si ille obliuiscebatur, Christus non obliuiscebatur, sed loquebatur ei, & per seruulum loquebatur, dicens ad eum: Memor esto per temetipsum, hoc est vel officij tui contemplatione, quid audieris recordare. Sed etsi nunc oblitus es, memor eris mei, vt euadas periculum. Qui oblitus est beneficium, iam eleuatus potẽtia, non recordabatur. Et hęc quanta potentia, vbi vini ministerium. En vnde omnis iactantia quia erat spadonum prępositus, qui vinum poculis regiis ministrabat. Et factũ est, inquit, post biennium. †Mentio de hoc nostro spadone tẽporis non alia de causa, nisi quia & dies conuenit: quia post biennium recepit officium, nec recordatus est, sed admonitus. Cognouit enim quòd etiam regnum ipsum in hoc seculo esset somnium, qui de suo somnio nõ credidit: didicit etiam regna esse somnia, nec ipsorum potestates esse perpetuas. Sed citò hunc locum prętereat dolor, ne ipsa commemoratione crudescat, ne ipsius quidem sermonis mei memisse delectet, quem tunc temporis vel effuderit dolor, vel extorserit ecclesię contumelia. Admonitus ergo super somnium regis, ait: Peccatum meum recordor. Sera quidem ista est, sed vtinam vera confessio. Post peccatum fateris, quòd ante peccatum cauere debueras. Quàm citò oblitus fueras: Memor esto mei. Scis nempe tunc temporis hũc fuisse sermonem, sed obtusas aures habebas fastu potentię, & vini ebrius non audiebas verba sobrietatis. Vel nunc memento mei, qui peccatum serò fateris. Qui rogas seruulum, cur dominum negas? Inebriare iam non vino, sed spiritu sancto. Recordare quid passus sit, cum quo dormisti somnum tuũ, & somniasti somnium. Et ipse prępositus erat, & prępositus epularum regis, quę ad opus pistorium pertinebant. Sublimem se esse credebat, quia in potestate habebat panẽ regium, nesciebat multos anfractus esse huius potentię. Minabatur aliis, ipse mox supplicio dedendus extremo, nec audiuit eum qui licet seruulus domini, tamẽ loquebatur oraculum, quod ipsius iussũ regis, de quo sibi plurimum blandiebatur, caput amissurus esset, esca auibus derelinquẽdus. Vel hoc te exemplum reuocare debebat vt perfidię nõ crederes. Sunt & alia exẽpla de fastu & fragilitate ministrorũ regalium, quæ posterioris tẽporis historia habet. Et Doech prępositus erat, & prępositus regis animalium, adde, si placet, mulorum, hoc est, spadonum animalium. Hic quoque sacerdotem domini detulit, & fraude regem commouit in sacerdotis periculum, & hic Syrus erat. Num mentior, quãdo & patrię facta conueniunt? Aman quoque à cubiculo regis, & ipse prępositus dũ inuadere ecclesias domini improba temeritate contendit, populúmque fidelem spoliare ac persequi, grauibus sacrilegia suppliciis expendit.

1. Reg. 21.

Deliberatione sancti Ioseph, & honoris delatione ob interpretationem somniorum regis: & de eorundem somniorum mysterio. Qua ratione etiã sanctus Ioseph magis mystica meruerit præmia. Ac de mystica significatione ornamentorum quibus honoratus fuit, necnon & uxoris ac filiorũ, famis quoque & apertionis horreorum, atque venditionis alimentorum.

Cap. VII.

SEd reuertamur ad istum vini prępositum, qui quasi multo ebrius mero beneficij authorẽ oblitus est diu: aliquando tamen, vt regi prouideret interpretem, non quasi gratus, sed quasi callidus intimauit seriem rei gestę. Quo cognito, rex quoque eum iussit accersiri de carcere, interrogauit si posset interpretari sibi somniũ. Cuius explanatione delectatus remouit iniuriam, honorem detulit. Itaque videte si non pręsentibus & ista conueniunt. Iniuria illata est prius quàm cognosceretur à rege, gratia relata vbi regi est cognitus. Itaque rex vacat culpa, quia & id quod excepit vir sanctus iniurię, alienum fuit: & id quod recepit, regis gratię est proprium. Somnium autem

1085

autē & eius interpretatio huiusmodi est. Quecūque, inquit, facit deus, ostēndit Pharaoni. Septem vaccæ bonæ, septem anni sunt: & septem spicæ bonæ, septem anni sunt. Somniū Pharaonis vnum est. Et septem vaccæ macræ quæ ascendebant post illas, septem anni sunt: & septem spicæ macræ, & à vento corruptæ, septem anni sunt. Erit septem annis fames. Verbum autem quod dixit: Quæcunque fecit deus ostendit Pharaoni: Ecce septem anni veniunt vbertatis magnæ in totam terram Ægypti. Veniunt autē septem anni famis post hęc, & obliuiscentur vbertatem in tota Ægypto, & consumet fames totam terram, & non cognoscetur vbertas terræ à fame futura post hæc. Valida enim nimiū. Quod autem iteravit somnium Pharao his, quia verum erit verbum à deo, & festinauit deus vt faceret illud. Vetus somnium, res recentes. Posterioribus priora consumpta sunt: & ibi erat antè vbertatis copia, ibi rerum omniū facta est indigentia. Quod si quis huiusmodi regi consilium dedisset, vt aliquid de superiori vbertate posteriori principatus sui seruaret ętati, reliquo quoque tempori larga donandi affluentia redundasset. Sed immodica æui superioris effusio etiam posteriora destituit, & homines diripientes vniuersa, aliquem Ioseph ei adhibere nolebant. Etsi non ego Ioseph, (quis enim istud?) clamabam tamen vaccas illas pingues, nō solum lasciuiam, sed etiam incuriam diuinæ significare reuerentiæ: de perfidis enim dictum est: Tauri pingues obsederunt me. Et de Iudæorum populo scriptū est: Impinguatus & incrassatus & dilatatus est, & dereliquit deū factorē suum. Et ideo somnium illud redundantiæ secularis perpetuū esse non posse, sed fore tempus, quo his fames dura succederet. Nec tamen hoc somniū vni aut duob⁹ demonstratū arbitror, sed omnibus propositū, eo quòd septē anni istius mundi qui pingues sunt, & seculari vbertate opimi, absorbeantur ab illis seculis quæ futura sunt, in quibus perpetua quies & legis obseruātia spiritalis, quam Effrem illa tribus patrum deo fructuosa custodit. Bona vacca non illa corporeo distenta vbere, sed abundans spiritalis lactis & gratiæ, super cuius decorē ceruicis deus sedere se dicit, vt scriptum est: Effrem vacca docta diligere victoriam. Ego enim transiui super decorem ceruicis eius. Non ergo impinguet caput nostrum oleū peccatoris, nec falsi fructus delectare nos debent, ne dicatur & de nobis: Seminastis impietatem, & iniquitatis eius vindemiastis. Māducasti fructum falsum, quia speraſti in curribus tuis. Nec me mouet quod habet spicas macras, & vento corruptas, quia & Dauid tunc melior erat, quando sicut aranea tabescebat: & spiritus contribulatus sacrificium deo est: & illi prestantiores euadunt, quos in hoc seculo grauibus iniuriis spiritus malignus exercuit. Vnde magis mystica meruisse præmia Ioseph arbitror, quia de mysticis est locutus. Quid enim sibi vult annulus digito eius insertus, nisi vt intelligamus pōtificatum ei fidei esse delatum, vt alios ipse signaret? Quid stola, quæ amictus est sapientiæ, nisi tributum ei ab illo rege cœlesti prudentiæ principatum? Torques aureus intellectum bonum videtur exprimere. Currus quoque significat fastigium sublime meritorum. Quis autem est qui ex gentibus accepit vxorem, nisi qui ecclesiam ex nationibus sibi congregauit, & suscepit ex ea filium Manassen, per quē oblit⁹ est omnes dolores suos, quos habuit de sacrilegiis Iudæorum? Suscepit alium quoque filium Effrem, per cuius profectum claruit quod suscepta in carne humilitas & diuinitatē non humiliauit, & gloriam cumulauit. Denique quicunque famem patiebantur, ad Ioseph mittebantur. Qui sunt isti, nisi de quibus dictum est: Conuertantur ad vesperam, & famem patientur vt canes: Erat autem fames non vnius loci, sed totius terræ, quia non erat qui faceret bonitatem. Ideo dominus Iesus ieiunia mundana miseratus aperuit horrea sua, & mysteriorum cœlestium thesauros scientiæ sapientiæque patefecit abscondi-
tos, vt nulli alimenta deessent. Dixit enim Sapientia: Venite
edite panes meos. Et ideo ab illo solo dicitur: Dominus pa-
scit me, & nihil mihi deerit, qui saturatur à Christo. Aperuit
ergo horrea sua Christus & vendebat, non æra pecuniæ, sed
fidei preciū, & deuotionis stipendiū quærēs. Vendebat autē
non paucis in Iudæa, sed vendebat omnibus, vt ab vniuersis

A

B

C

D

nationibus crederetur. Et omnes regiones venerunt in Ægyptū ad Ioseph emere. Obtinuerat enim eos fames. Omnes enim esurīēt, quos non pauerit Christus emamus ergo alimenta, quibus famem possimus repellere. Nemo pauperta tis suæ contemplatione reuocetur, nemo vereatur qui argētū non habet. Non quæritur Christus argento, sed fide, quę argento preciosior est. Denique emit eam Petrus, qui nō habebat argentum. Argentū, inquit, & aurum non habeo, sed quod habeo do tibi. In nomine Iesu Christi surge & ambula. Et propheta Esaias dicit: Qui sitis, ite ad aquam: & qui-
cunque non habetis argentum, ite, emite, & bibite, & manducate sine argento & precio vini. Neque enim prę cium quę siuit à nobis, qui pro nobis sanguinis sui precium soluit: quia non auro & argento, sed precioso nos redemit sanguine. Ergo id precium debes quo redemptus es: etsi ille non semper exigat, tu tamen debes. Eme igitur tibi Christū, non eo quod pauci habent, sed eo quod omnes habent. Omnes habent per naturam, pauci auferunt per timorem. Suum est quod à te Christus reposcit. Ipse vitam omnibus dedit, ipse pro omnibus mortem suam obtulit. Solue pro authore quod soluturus es pro lege. Non mediocris iste contract⁹ est. Non omnes eum facilè vident. Denique illæ virgines in euangelio quas veniens sponsus exclusit, ideo foris relictæ sunt, quia venale oleum non emerunt. Vnde dicitur eis: Ite potius ad vendentes, & emite vobis. Et negociator non immeritò prædicatur, quia vendidit omnia sua, & emit margaritam.

Act. 3.

Esa. 55.

1. Petri 1.

Matth. 25.

Ibidem 13.

De exhortatione Iacob ad filios vt descendant in Ægyptum, & emant escas. Et de perrectione decem fratrum iuniore domi retento. Ac de mysteriis prædictorum

Caput VIII.

DIXIT Iacob dixit filiis suis: Quare pigri estis? Ecce audiui quia frumentū est in Ægypto: descēdite illò, & emite vobis escas.) Nō semel hoc Iacob dixit, quotidie omnib⁹ filiis suis dicit, qui serius veniunt ad gratiā Christi, Quare pigri estis? Ecce audiui quia est frumentum in Ægypto. Ex hoc frumento granum est quod resurgit. Qui igitur famē sustinet, suæ segnitiei debet adscribere. Ecce audiui, inquit, quia frumentum est in Ægypto. Citius vtique iuniores aliqui quàm seniores consuerūt audire, dū foris positi multa circuneunt. Sed hanc negociationem prius senex audit, sed ille senex in quo est fidei longęua canicies. Prior senex intelligit, sed ille senex in quo est venerabilis senectus, & ætas senectutis vita immaculata. Nec omnes hanc negociationem suscipiunt, nisi filij Iacob, & ipsi prouectioris ætatis. Ideo decē pergunt, non pergit iunior. Non misit eum pater, ne contingat, inquit, eū infirmitas. Adhuc obnoxius erat infirmitati Beniamin iunior. Patriarcha quidem legitur Beniamin, sed ex tribu Beniamin ille Paulus præfigurabatur. Meritò Iacob de eius infirmitate dubitabat. Denique infirmatus est vt sanaretur, cæcitatē passus est, sed hæc infirmitas ad salutē. Denique illa cæcitas lucem attulit. Accepimus historiam, cognoscamus mysteria. Sine Beniamin patriarcha primo perrexerunt: sine Paulo Apostoli. Vterque non primus aduenit, sed accersitus à primi vberiorem mercem priorum suo fecit aduentu. Est, inquit, frumentū in Ægypto: hoc est, vbi maior fames, ibi maior vbertas est. Magnū frumentum in Ægypto. Denique & deus pater dicit: Ex Ægypto vocaui filium meum. Ex isto grano illa fœcūditas. Neque enim messis esse potuisset, nisi Ægyptij granū ante seuissent. Est ergo frumentū quod nemo antè credebat esse. In hoc frumento negociātur patriarchæ. Et illi quidē argentū detulerunt, sed bonus Ioseph frumentum dedit, argentum reddidit. Non enim pecunia emitur Christus sed gratia. Precium tuum fides est. Hac emuntur diuina mysteria. Portat autem frumētum hoc asinus ille immundus in lege, sed iam mundus per gratiam.

Gene. 42.

Ibidem.

Sapien. 4.

Osea 11.

De reuersione filiorum Iacob in Ægyptum postquam fames inualescebat, cum deductione Beniamin, & sumptione munerum Ioseph deferendorū eorúmque ad ipsum peruētione. Et de mystica ratione gestorum & incidentium circa hæc.

Caput IX.

Gene. 42. ATenebatur tamen Bẽiamin iunior, & patrio adhuc adherebat affectu. Tenebant eum legis vincula, mos paternus. Fames inualescebat, quia serò veniebat. Intercedũt pro eo duo, Rubẽ & Iudas, hoc est, humilitas atque confessio. His vadibus apud patrem vtitur, his committitur, quorum vnus primitiuus, alius resuscitatus. Lex primitiua, euãgelium resuscitatum. His deducitur Beniamin iunior, & bonis odoribus comitatus aduenit, portans secum resinam, qua lapides marmorum connectuntur: eo quòd prædicatione propria tanquam spirituali resina viuos lapides etiam ipse connecteret: portãs etiam mel, quo noxia vulneris interius exedũtur sine aliqua acerbitate sectionis. Talis enim Pauli prædicatio, vt putrem aboleret affectum, corruptúmque euacuaret humorem, disputationis suæ aculeo vrere magis ægra mentis viscera cupiens, quàm secare. Incensum orationis, & casiam & guttam sepulturæ: insignia esse Dauid propheta nos docuit, dicens: Myrrha & gutta & casia à vestimẽtis. Venit enim Paulus crucem domini prædicare ilicem semper virentem, & nuces quarum testa durior, & fructus tenerior: meritóque virga sacerdotalis Aaron nucina, & Hieremiæ baculus huiusmodi. Argẽtum quoque duplex, non ociosa munera esse quis dubitet: cùm & patriarchę vita, & Apostoli sermo semper virescat in pectoribus singulorum, & eloquium sanctorum sicut argẽtum igne examinatum, præcæpti salubris fulgore resplendeat? Nec immeritò duplex argentum refertur, in quibus Pauli præfigurabatur aduentus, qui laborantes præsbyteros in verbo atque doctrina duplici honore donabat. Vidit autem illos Ioseph, & Beniamin fratrem suum ex eadem matre. Iam videntur Hebræi, & videntur à Christo, qui verus Ioseph est, quando cum Pauli veniunt typo: & loquitur illis mitis atque mansueta, vt pariter cibum sumant. Supra autẽ quia sine Beniamin venerunt, agnoscebat quidem eos, sed ab his se auertebat, vt scriptũ est: & loquebatur his dura, quia ipsi non agnoscebant eum, à quo agnoscebantur. Pauli igitur meritò profecerunt, quem dominus Iesus tanquam iuniorem fratrem ex eadem matre generatum amplius cæteris fratribus diligebat. Aduertant Iudæi quem dominum negauerunt, qui etiam crucifixus, ex synagoga tamen tanquam ex eadem ortos parente plus diligit, si vel serò cognoscant suæ salutis authorem. Sed priorum conscij delictorum non credunt tantam Christi esse misericordiam, vt donet peccatum, remittat iniuriam. Ideoque præfigurabantur in patriarchis quales essent futuri. Inuitabantur ad gratiam, ad salutaris mensæ vocabantur conuiuium, & calumniam sibi parari, insidias fieri suspicabantur, & cœperunt ad hominem qui erat supra domum, in ianua domus causam suam agere velle. Adhuc dubitant introire, & ex operibus suis malunt iustificari, qui causam suam volunt adstruere, quàm gratiam accipere: & ideo in portis redarguuntur. Qui autem fructum vteri virginalis expectat, & hæreditatem domini filij mercem negociatur, non erubescit in porta, sed in exitu vitæ huius repellit inimicum, ne ad altiora properanti conscius culpæ grauioris obsistat. Vnde mysticè illis respondit maior domus. Et is qui sit, intellige, cùm legeris Moysen fidelem in tota domo eius. Maiores enim domus Moyses, Petrus & Paulus, & cæteri eius sancti sunt, Christus autẽ solus est dominus, sicut scriptum

Ibidẽ. & 43 Gene. 43.

Psal. 44.

Hebr. 3. est: Quia Moyses fidelis in tota domo eius tanquam famulus: in testimonium eorum quæ dicenda essent: Christus autem tanquam filius in domo sua, quæ domus nos sumus, si libertatem & gloriam spei tenuerimus. Hic ergo maior domus respondit illis: Propitius sit vobis deus: nolite timere.

Gene. 27. Deus enim vester & deus patrum vestrorum dedit vobis

Roma. 5. thesauros in sacculis vestris. Argentum vestrum probum acceptum habeo. Illi enim dixerunt: Argentum vniuscuiusque in sacculis nostris inuenimus, ad pondus argentum nostrum retulimus.) O magna mysteria, & euidenter expressa. Hoc est dicere: Cur inflamini argẽtum vos habere vestrum

1. Corin. 4. in sacculis sæpius vsurpatis? Quid enim habetis quod non accepistis? Si autem accepistis, quid gloriamini quasi non acceperitis? Iam saturati estis, diuites facti estis, quia argentum habere vos creditis, sed argẽtum vobis deus patrum vestrorum dedit. Ille deus vester, ille patrum vestrorum deus est, quem negastis. Sed ignoscit, sed indulget, sed recipit si reuertamini. Ipse est qui vestrum non quærit argentum, suum donat. Ipse vobis dedit argentum in sacculis vestris. Iam sacculi vestri argentum habent, qui lutum habebant: & ideo vester est qui dicit: Conscidisti saccum meum, & induisti me lætitia. Lætitiæ munus est Christus, ipse est argentum vestrum, ipse precium vestrum. Non exigit à vobis dominus Iesus frumenti sui precium, non quærit vestri pondus argenti. Argentum vestrum reprobum est, argentum seculi non est bonum. Argentum vestrum probum acceptum habeo, hoc est non illud materiale argentum, sed spiritale. Argentum vestrum habeo, hoc est probum, quod fida deuotione quasi Iacob filij detulistis, quando quidem datur, & sine vllo dispendio numeratur, quandoquidem tali precio detrimentum mortis excluditur, lucrum vitæ acquiritur.

Psal. 44.

De munerum paratione, & eorum illatione, instauratióque conuiuij, cum morali atque mystica singulorum expositione. Caput X.

PArauerunt autem munera, donec introiret Ioseph meridie.) Accelerauit meridiem filides Pauli. Antea cęcus erat, postea cœpit videre lumẽ iustitiæ: quoniam qui reuelat ad dominum viam suã & asperat in eum, dominus quoque educit tanquam lumen iustitiam eius, & iudicium eius sicut meridiẽ. Et Abrahæ quando deus apparuit ad ilicem Mambræ, meridies erat, cui de præsentia domini lux æterna fulgebat. Meridies est quando Ioseph verus in domum suam intrat vt prandeat. Tunc enim plus dies lucet, quando sacramenta celebramus. Et intulerunt, inquit, ei munera. Nos munera inferimus, ille instaurat conuiuium. Ille dicit: Apponite panes, quos soli Hebræi sumunt, Aegyptij mãducare nõ possunt.) Sed ante conuiuium quanta dignatio, qui vsus istius & sedulitatis & gratiæ? Morale mysterium. Adhuc de calumnia quam sibi à Ioseph fieri putabant, fratres suspecti erant, ille inuitabat ad prandium: horum nutabat affectus, illius perseuerat gratia. Primus appellat, primus interrogat, Quomodo habetis? Et iterũ ait. Rectè est pater vester senior? Superioris est inferiorem ad colloquium prouocare, dare sermonis fiduciã, quærere non solũ de ipsis, sed etiam de parentibus. Respondẽt illi: Rectè est pater noster, puer tuus.) Ille seniorem dixit vt honoraret, illi puerũ nominauerunt vt deferrẽt humilitatis obsequium: quod senectus honoratæ sit dignitatis: puritia autem subiecta videatur, & propior verecũdiæ quàm superbiæ. Respiciens aũt oculis vidit Beniamin fratrem suum ex eadem matre.) Morale est, vt quos diligimus, eos videamus præ cæteris: & quos animi intentio habet priores, eos obtutus offendat oculorũ. Siquidem plerunque circa alia mentis occupatione districti, quos habemus ante oculos, non videmus: ita duce animo dirigitur noster aspectus. Vidit igitur Bẽiamin fratrẽ suum sanctus Ioseph, quem tenebat animo, quem oculis requirebat: quo absente fratres pene nõ viderat, quia videre nihil proderat: nec solum vidisse contentus, quasi nesciret interrogauit: Hic frater vester est adolescentior?) Cõsuetudo & gratia charitatis est vt dilectos nobis nõ solũ oculis, sed eriã sermone teneamus. Agnouerat Ioseph dilectũ suum, sed ideo interrogabat vt quẽ tenebat animo, vox sonaret. Denique non expectauit vt responderetur, sed cõtinuò benedixit eum, & turbatus est desiderij sui fructu. Torquebantur autem viscera eius, quia complectendi eius quem desiderabat libertas differebatur. Denique ingressus in promptuarium plorauit, & lauit faciem suã, & continuit se.) Grandis amoris aculei citò corda cõpungunt, nisi desiderij fræna laxentur. Vincebatur affectu Ioseph, differebatur consilio, ratio cum amore certabat. Fleuit, vt amoris pij æstus lachrymis tẽperaret. Hæc moraliter. Mystice autem, Vidit dominus Iesus Paulum, oculi enim domini super iustos. & dixit: Hic frater vester est adolescẽtior? Adhuc adolescentior dicitur, qui nondum maturam in canice fidei gerebat ætatẽ, nondum in virum perfectũ excreuerat, in illam (sicut ipse ait) mensurã ætatis plenitudinis Christi. Denique adolescens

1089

adolescens legitur tantum ibi, vbi lapidantium Stephanum vestimenta seruabat. Et ideo Philemonem non adolescentiæ suæ, sed senectutis similem esse cupit, vt scripsit: Magis obsecro, cùm sis talis vt Paulus senex. Ideo adolescentiores viduas prædicat declinandas, non propter ætatem, sed propter quandam pubescentium delictorum lasciuiam, immaturitatémque virtutis. Cæterùm maior in iuuene quàm in sene laus castitatis est. Puto enim quod à vero non sit alienum illud si intelligamus, quia cùm hic Paulus hæreret, & horrore correptus, quòd cæcitas accidisset ei, inciperet tamé appropinquare dicendo: Domine quid me vis facere? Ideo adolescentior dicebatur à Christo, vt qui vocabatur ad gratiam, excusaretur à culpa, quòd ea lubricæ fuisset ætatis. Denique vidit eum Christus, vbi lux circunfulsit eum. Et quia adolescentes magis metu quàm ratione vocantur à vitio, adhibuit stimulum, & miseratus admonuit ne aduersus stimulum calcitraret. Turbatus est autem, sicut vides & in euangelio quia turbauit se spiritu cùm Lazarum resuscitaret, & ibi fleuit, vt prius lachrymis suis mortui delicta lauaret. Sed intra se fleuit, & lauit faciem suam. Cæcitas Pauli, fletus est Christi. Lauit faciem suam, vbi lumen ei reparatur amissum. Lauit faciem suam Christus, vbi baptizatus est Paulus, per quem à pluribus videretur. Ideo in conuiuio pars eius quintupliciter maior effecta est, quòd haberet superioribus anteferri non solum mentis prudẽtia, sed etiam militia corporis, & gratia castitatis.

De inebriatione fratrum conuiuãtium, & insertione scyphi argentei in saccum Beniamin, singularúmque sacculorum requisitione, ac inuentione scyphi in sacco Beniamin. Et de mysterijs istorum.

Caput XI.

Deliberunt autẽ & inebriati sunt pariter cum eo.) A principio fidei maior Paulo prærogatiua defertur, de quo dictum est ad Ananiã: Vade, quoniã vas electionis est mihi, ad sufferendũ nomẽ meũ coram gentibus. A principio inebriatur ebrietate, sed sobria, vt & ipse cum sanctis diceret: Et populum tuum inebrians quàm præclarus est. Et scyphus argenteus soli sacco eius inseritur. Nesciebat hoc Beniamin. Nõ fallebatur Paulus, sed vocabatur. Mittitur post eum mane. Nox enim præcesserat castitatis, dies fidei appropinquabat. Per ordinem singulorum prius inspiciuntur sacculi. Docet te moralitatẽ scriptura diuina. Per ordinem antè discubuerunt in conuiuio, contra eum primitiuus secundum ætatem. Vides quòd seniori locus ille sit deferendus. Per ordinẽ iterũ requiruntur sacculi singulorũ, vt scias electũ esse Paulũ cœlesti iudicio. Discussit cæteros, hunc prætulit. In nullius alterius sacco scyphus argenteus inuentus est nisi istius. Quid sibi vult quòd insertus est sacculo? Ioseph quidem inebriauit vt falleret: scyphum misit, vt fratrem quem diligebat, pia fraude reuocaret. Sed refulgẽt mysteria diuina. Hoc inuenit in nobis Christus argentum, quod ipse donauerat. Habemus naturæ argentum habemus & gratiæ. Natura opus est creatoris, gratia munus est redemptoris. Et si non possumus videre dona Christi, ille tamen donat & operatur ocultè, & donat omnibus: sed seruare paucorum est, & nõ amittere. Nõ omnibus tamen donat omnia. Triticum multis datur, scyphus vni, qui prophetico & sacerdotali donatur munere. Non enim omnes, sed Propheta dicit: Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. In corpore igitur Pauli iam doctrinæ cœlestis eloquiũ refulgebat, cùm esset eruditus in lege. Sed quia adhuc iustitię dei subiectus non erat, intra saccum erat scyphus, doctrina intra legem, lucerna intra modium. Missus tamen Ananias qui benedictionem daret, manum imponeret, saccum solueret. sacco soluto reluxit argentum, & decidentibus squamis velut quibusdã sacci vinculis statim vidit. Vinculum eius perfidia erat, absolutio eius fides facta est. Et ideo tanquam soluto sacco, hoc est depositio legis velamine, quod positum est supra cor Iudæorum, conuersus ad dominum, liber à nexu, adeptus gratiam libertatis, ait: Nos itaque reuelata facie gloriã dei speculãtes, ad eãdem imaginem reformamur. Soluto enim calceamento legis, nudo vestigio liberi sermonis euangelium prædicabat. Tenebant enim eum Iudæi, & impedire cupiebant: sed vbi in eius sacco argentum resplenduit, scinderunt vestimenta sua, & reuersi sunt retro. Libera ergo pro Christo † Pauli paupere prædicatio nudauit populũ Iudæorum & omnem eorũ rescidit gratiã. Ideoque retro regressi sunt, qui ante se videre non poterant. Retro redeunt, qui Christum amittunt. Denique & in Euangelio cùm corriperẽt ad mortem dominũ Iesum, redeuntes retro ceciderunt in terram. Meritò retro reuertebantur, qui in terrenam labem ab illa cœlesti gratia recidebant. Nolebant igitur moraliter redire sine fratre, mysticè sine Paulo reuerti: quo amisso asserebant in mœrorem deducendam parentis populi senectutem. Et ideo Iudas apud Ioseph remanere cupiebat, ne videret mala quæ inuenirent patrem suum, hoc est, iam præuidebat & cauere cupiebat mala quæ ventura erant populo Iudæorũ. Sed cùm adhuc hæc ipsa non esset in typo illo principum populi Iudæorum libera prædicatio, fleuit Ioseph, hoc est, in illo plorauit Iesus.

† Pauli

Ioan. 18.

Quemadmodum sanctus Ioseph se manifestauerit, vt à fratribus cognosceretur, & de aduocatione eorum ad se, accessúque ipsorũ ad illum. Quomodo etiam eos consolatus fuerit, cum mystica dictorum interpretatione.

Caput XII.

Et iussit omnes recedere, vt cognosceretur à fratribus.) Non venerat enim, sicut ipse ait, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Et mittens vocẽ cum fletu, Ego sum, inquit, Ioseph.) Adhuc pater meꝰ viuit? Hoc est, expandit manus suas ad populum non credendũ & contradicentẽ, non legatũ neque nunciũ quærens, sed ipse dominus saluũ facere volens populum suũ. Ego qui loquebar, ecce assum, inquit, & palam factus non quærẽtibus me, appareo iis qui me non interrogabant. Quid igitur aliud tũc clamauit, nisi, Ego sum Iesus, cùm principibus Iudæorum interrogantibus, Tu es filius dei? responderet. Vos dicitis quòd ego sum. Cùm pilato diceret: Tu dicis, quia rex sum ego, in hoc natus sum. Cùm principi sacerdotũ dicenti, Adiuro te per deum viuum vt dicas nobis si tu es Christus filiꝰ dei, referret: Tu dixisti. Amen dico vobis, amodo videbitis filiũ hominis sedentem ad dexteram virtutis, & venientẽ cũ nubibus cœli. Hoc est ergo ꝙ ait: Ego sum Ioseph, ego sum diuinæ potentię.) Adhuc pater meus viuit? Hoc est, ego patrem non nego, ego fratres agnosco, si aut vos fratem, aut pater filium recognoscat. Adhuc ergo populus meus viuit, de cuius populi familia fratrem meũ elegi? Accedite ad me, quia ego ad vos appropinquaui, & eousque appropinquaui vt per carnis susceptionem facerem me vestræ consortẽ naturæ. Nolite vel participem fugere vestræ societatis, si non agnoscitis authorem salutis. Et accesserunt, inquit, ad illum Et dixit: Ego sum Ioseph frater vester, quem vos tradidistis in Aegytum. Nunc ergo nolite mœsti esse, neque vobis durum videatur quoniam huc me vendidistis. Ad vitã enim vestram misit me deus ante vos.) Quàm pia fraternitas, quàm dulcis germanitas, vt etiam parricidale excusetur admissum, dicens diuinæ illud prouidentiæ fuisse, non impietatis humanæ: quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, sed à domino missus sit ad vitam. Quid aliud habet illa domini nostri Iesu Christi, qui fratres omnes pietate superauit, in cruce positi intercessio illa pro plebe, dicẽtis: Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt? Quid aliud illa appellatio sanctitatis in medio discipulorũ, dicentis: Pax vobis, ego sum, nolite timere? Et cùm conturbati & conterriti existimarent se spiritum videre, iterũ dixit ad illos: Quid turbati estis? & quare cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte, ecce manus meas, & pedes meos, quia ego sum ipse. Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Hæc ergo iam tunc futura posterioribus temporibus mysteria reuelata sunt. Deniq; ex ipsis exprimũtur sermonibus, vt ipsum esse intelligamus & qui ante in Ioseph, & postea in suo locutus est corpore, quandoquidem nec verba mutauit. Ait enim tũc: Nolite mœsti esse. Et infra: Ascendite ad patrem meum, & dicite illi: Hæc

Gene. 43. Matth. 15.

Esa. 65, & Roma. 10.

Esaiæ 52.

Ioan. 18. Matth. 26.

Luca 23.

Ibidem 4.

li:Hæc dicit filius tuus Ioseph:Fecit me deus dominum to-
Matth. 28. tius terræ Aegypti.Et in euãgelio ait:Nolite timere.Ite nun
ciate fratribus meis,vt eant in Galilæam,& ibi me videbũt.
Et infra ait:Data est mihi omnis potestas in cœlo & in ter-
ra.hoc est dicere:Diuinæ hoc fuit dispensationis vt acciperem potestatẽ,non acerbitatis humanæ,Non obiicit scelus,
Genes. 45. qui numerat præmium.Quod autem habetur in Genesi,Ad vitam enim vestrã misit me deus ante vos,reddit in euangelio,dicens:Docere omnes gentes,baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Hæc enim merces & vita sanctorum,quod etiam alios redemerunt.Illud quoque aduerte non ociosè scriptum in Genesi:Et eris prope me tu,& filij tui,& filij filiorum tuorum.Hoc est enim quod dixit in
Matth.28. euangelio:Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.Quàm euidens quoque illud mysterium,quòd veluti completo omni mandato fratrẽ suum
Genes. 33. complectitur Beniamin, & cecidit super collum eius, sicut completo euangelio Christus Paulum amplectitur quibusdam misericordiæ suę bracchiis,& interna opinione curuatum,velut à collo in cœlũ erigit.Vnde & ille erectus à Chri
Philip. 3. sto,ait:Nostra autem conuersatio in cœlis est.

De gaudio Pharaonis quòd Ioseph agnouisset fratres suos, & de exhortatione eius vt Ioseph inuitet fratres vt veniant cum patre illorúmque executione, & peruẽtione ad Iacob, narrationéque singulorum, & quod Ioseph adhuc viueret.Et de mysteriis circa hæc. Caput XIII.

Genes.45. EST gauisus est Pharao quòd Ioseph agnouisset fratres suos. Vnde & diuulgata est vox in domo Pharaonis.Et hortatus est sanctum Ioseph vt fratres suos inuitet,vt veniant cum patre, & mãdat impleri eorum sarcinas tritico,& vehicula dari.) Vnde hæc humanitas barbaro,nisi illud ostẽderetur magnum mysterium,quoniam non inuidet ecclesia cùm redimũtur Iudæi, & populus Christianus hac adiunctione lætatur, & quibus potest subsidiis iuuat, & mittit euangelizantes regnum dei, quo maturius euocentur? Quibus dantur binæ stolæ. Et alligat Paulum cùm eius dicta depromit,cui trecenti aurei & quinque stolæ diuersi coloris conferuntur à Christo. Trecentos aureos habet,qui crucem prædicat Christi. Ideoque
1.Corin.2. ait:Neq; enim iudicaui me scire aliquid inter vos,nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Et bene aureos accepit, quia non in suasoriis humanæ sapientiæ verbis,sed in ostẽsione spiritus prædicabat. Quinque autem stolas accepit,
2. Cor. 12. vel sapientiæ multiplices disciplinas, vel quod nullis sensuum corporalium captus illecebris, vbi alij periculum, ille teneret victoriam, qui omnes voluptates carnis singulari cõtinentia & virtute superaret, cuius ingenium studiúmque nulla corporis hebetaret infirmitas,qui cũ esset in corpore,corpus se habere nesciret. Denique raptus in paradisum,siue in corpore siue extra corpus nescíens,audiuit verba ineffabilia quæ loqui homini nõ liceret,qui postremum nihil terrenum oleret in terris,sicut ipse docet, dicẽs:Quia
2.Corin.2. Christi bonus odor sumus deo in iis qui salui fiunt. Præcellit igitur Paulus,& eius exuberat portio, sed tamen habent & alij prædicatores gratiã suam,binas stolas accipiũt.Quas vtique illas?Dubitare non debes,quia legisti de sapientia dictum:Binas vestes fecit viro suo. Vna est mystica, moralis
Prouer.31. altera.Sed non omnes apostoli,non omnes prophetæ,non omnes pastores,nõ omnes virtutes,non omnes habent gratiam curationum,non omnes linguis loquuntur.Vbi diuersa merita,diuersa & præmia.Mittuntur & patri munera.Filius honorat patrem.Christus populum suum inuitat promissis,inuitat muneribus.Portant hæc munera asini illi inutiles & laborioſi ante, nunc vtiles:portant in typo Christi munera,portaturi in euãgelio munerum largitorem.Dimisit autem fratres suos,& abierunt.Et dixit illis Ioseph:Nolite irasci in via. Quam bene docet ab iracundia præcauendum,quòd ea posset etiam amantes sui separare germanos: & maximè in via fugiendam esse discordiam,vbi ipse viandi comitatus debet esse inuiolabilis,& gratiæ habere cõsortium.Quid autẽ aliud ait dominus Iesus ex hoc corpore re-

cessurus,cùm discipulos dimitteret suos,nisi ne irascerentur
A in via,dicẽs:Pacem relinqno vobis,pacem meam do vobis? Ioan. 14.
Vbi enim pax est,iracundia locum non habet,ablegatur discordia,fugatur dissensio.Hoc est ergo quod ait:Pacẽ meam
do vobis:id est,nolite irasci in via.Et vide ne in hac via dicat, hoc est in hoc cursu totius vitæ indignationem cauendam,quod ira sæpe etiã innocentes in crimen abducat,quia
dum iusto amplius irascimur,& volumus alienum coercere peccatum,grauiora peccata committimus. Ideo Apostolus Rom.12.
ait:Non vosipsos vindicãtes charissimi,sed date locum iræ. hoc est,declinemus eam ne nos illa corripiat. Vnde dominus Iesus dimittens ad euangelizãdum discipulos,misit eos
sine auro,sine argẽto,sine pecunia,sine virga,id est,vt & incentiua litis,& instrumenta eriperet vltionis.Et ascenderũt, inquit,de Ægypto, & venerunt in terrã Chanaan ad Iacob
patrem suum,& nunciauerunt illi dicentes:Quia Ioseph filius tuus viuit, & ipse est princeps totius terræ Aegypti.
Quid est terra Chanaan quæ nutabat?Quid igitur tam euiB dens quàm apostolorũ tempora designari? Quibus ingressis Iudæorum synagogas nutantes, domini Iesu potentiam
prædicabant,sicut habemus in actis apostolorum, dicente Petro : Hunc ergo Iesum resuscitauit deus,cuius nos testes Actor.2.
sumus. Dextera igitur dei exaltatus,repromissione spiritus sancti accepta à patre,effudit hoc donum quod vos videtis.
Aduertimus certè quomodo & viuere eum, & terræ totius principẽ dicat,quia aperiens horrea sua spiritalis gratiæ donat omnibus vbertatem.Hæc dicebant Apostoli, sed Iudæi
non credebant,sed iniiciebant manus in eos, sed tradebant in custodiã prædicatores salutis.Vnde & de Iacob scriptum est:Expauit mente. non enim credebat eis.Expauit affectu
plebis incredulæ, sed posteaquam Christi gesta cognouit, tantis beneficiis & operibus delinitus resumpsit spiritum
dicens:Magnum mihi est si adhuc filius meus Ioseph viuit: Genes.45.
ibo & videbo eum priusquam moriar. Primum & maximum fidei fundamentum,in resurrectionem Christi credere.Quicunque enim crediderit resuscitatum,festinus requiC rit,deuotus accipit,& intima deum mente veneratur. Credit enim quòd ipse non moriatur,si credat in resurrectionis authorem.

De Israel patris eleuatione ac profectione, & hostiarum circa puteum iuramenti immolatione, eiúsque per dominum consolatione,ac descensu in Aegyptum cum animabus septuaginta: & de mysteriis prædictorum. De ipsius denique Iacob ad filios adhortatione vt congregentur ad audiendum ea quæ occursura sint eis in nouissimis diebus.

Caput XIIII.

ET eleuans se Israel, venit ad puteum iuramenti, immolauítque hostiam deo patris Ibidem.46.
sui Isaac.) Meritò eleuatur qui festinat ad Christum.Fides præcedit deuotionẽ.Prius se eleuauit,postea immolauit.Ille enim bene immolat, qui cognitionem diuinitatis
inuestigauerit.Dixit aũt de⁹ ad Israel in visu nocte dicẽs:Iacob,Iacob.Qui dixit:Quid est?Et dominus ait.Ego sum deus patrũ tuorũ.Noli timere,descende in Aegyptum:in gentem enim magnam faciã te ibi.Ego descenD dam tecũ in Aegyptum,& ego deducam te in perpetuum.)
Quemadmodum quæ ipsi legunt nõ intelligunt:& Moysen quẽ laudant, abnegant, cùm eius scripturis credere nolunt.
Quid euidentius quàm quod hoc loco inuitátur vt ad ecclesiam dei transeãt,& qui ante intra Iudææ terminos coarctabantur angustos,ad populum dei migrent,qui ex toto orbe
ex omnibus nationibus congregatus in magnam factus est gentem?Denique in omnẽ terram exiuit sonus eorum. Vo- Psalm.18.
catur ergo à filiis suis Iacob,id est à Petro,Paulo,Ioãne,populus Iudæorum,inuitatur ad gratiam.Ipse quoque deus noster proprio eum hortatur oraculo,spõdet ei profectum fidei,muneris sui fructum,dicens ei:Ioseph mittet manus suas per oculos tuos. Non vtique sanctus patriarcha solicitus erat à quo ei oculi clauderentur, licet etiam intellectu simplici moralis exprimatur affectus. Nam si eos quos diligimus cupimus frequenter amplecti, quanto magis recessu-
ri ex hoc corpore, ipso charorum pignorum tactu delectamur

1093

mur extremo, & hoc mulcemur viatico? Tamen mysticè li-
cet nobis intelligere quòd postea cogniturus deum sit po-
pulus Iudæorum. Hoc est enim mysterium, quòd verus Io-
seph immittet manus super oculos eius, vt qui non videbat
antè, iam videat. Veni ad euangelium, lege quemadmodum
cæcus ille sanatus sit, cui Iesus manum imposuit, & eius ab-
stulit cæcitatem. Non enim morituris Christus manum im-
ponit: sed victuris: aut si morituris, rectè, quia prius mori-
mur, vt reuiuiscamus. Non enim possumus deo viuere, nisi
peccato antè moriamur. Descendunt igitur in Ægyptũ se-
ptuaginta animæ, sicut scriptum est. Et hoc est mysticæ nu-
mero remissionis, quia post tantam duritiam, post tãta pec-
cata haberentur indigni, nisi donaretur his remissio pecca-
torum. Occurrit illi Iudas, hoc est confessor erroris. Hunc
sui venturus Iudæorum populus prænuncium mittit. Ideo
& Ioseph verus, id est arbiter & interpres diuinitatis occur
rit, quia præcedit iam confessio, quos antea perfidia possi-
bat. Interpres enim diuinitatis est Christus, quia deum ne-
mo vidit vnquam, nisi vnigenitus filius qui est in sinu pa-
tris, ipse enarrauit. Hic senilis iam ætatis, & fessum susci-
tis temporibus populum Iudæorum, non secundum il
lius merita, sed secundum electionem suæ gratiæ, & impo-
net manum super oculos eius, vt cæcitatem auferat. Cuius
ideo distulit sanitatem, vt postremus crederet, qui ante non
putauit esse credendum, & prærogatiuam superioris dile-
ctionis amitteret. Vnde & Apostolus ait: Quia cæcitas ex
parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret,
& sic omnis Israel saluus fieret. Gesta igitur patriarchũ,
futurorum mysteria sunt. Denique ipse Iacob ait ad filios
suos: Congregamini vt annunciẽ vobis quæ occursura sunt
vobis in nouissimis diebus. Congregamini, & audite Israel
patrem vestrum.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE BENEDICTIONIBVS PATRIARCHARVM.

Quòd filij discere debeant reuerentiam & honorem deferre patribus, vt benedictionibus eorum digni habeantur, & de commendatione paternæ benedictionis. Quòdque sanctus Ioseph benedictionem sumere festinauerit, & filios suos Manassen & Effren obtulerit, quos & Iacob benedixit. Et de mystica huius benedictionis ratione. Caput I.

De prophetica benedictione Ruben primo geniti, quæ magis prophetia quàm benedictio est. Et de errore Iudæorũ, atque mysteriis circa eam. Cap. II.

De prophetia eorum quę euentura erant filiis Symeon & Leui, quorum nominibus tribus designantur. Et de confutatione opinionis Iudęorum circa mysticam & pulcherrimam istius benedictionis interpretationem. Caput III.

De benedictione Iudę, & mystica eiusdem significatione. Caput IIII.

De benedictione Zabulon, & mysteriis illius. Cap. V.

De benedictione Isachar, & mystica eius expositione. Caput VI.

De prophetica benedictione Dan, ac mystico eiusdem intellectu. Caput VII.

De benedictione Gad, & mystica eius interpretatione. Caput VIII.

De benedictione Aser, & mysteriis eiusdem. Cap. IX.

De benedictione Neptalim, & mystica illius declaratione. Caput X.

De benedictione Ioseph, & qua ratione super omnes filios eum pater vberius prosecutus sit, ac de mystica illius benedictionis expositione. Cap. XI.

De benedictione Beniamin, & mystica repræsentatione eiusdem. Caput XII.

Diui Ambrosij
MEDIOLANEN. EPISCOPI,
Liber de benedictionibus Patriarcharum.

Caput I.

PRimum omnium quãtam discimus parẽtibus deferre reuerentiã, cùm legim⁹: quoniã qui benedicebatur à patre, benedict⁹ erat: & qui maledicebatur, maledict⁹ erat? Ideo hãc parẽtibus gratia donauit deus vt filiorum pietas prouocetur. Prærogatiua igitur parentum disciplina est filiorũ. Honora ergo patrẽ, vt benedicat te. Honoret pi⁹ patrem propter gratiã, ingratus propter timorẽ. Etsi pauper est, & non habet diuitiarũ copias quas relinquat filiis, habet tamen vltimæ benedictionis hæreditatẽ, qua sanctificationis opes successoribus largiatur. Et multo plus est beatum quàm diuitem fieri. Festinabat Ioseph sumere benedictionem. Denique & filios suos obtulit Manassen & Effrẽ, quos benedixit Iacob, vt quia duodecim habebat filios, & tertius decimus erat futurus apostolus Paulus, quasi posterior electus, tertiadecima vt tribus de Manasse & Effrẽ nepotib⁹ sanctificaretur in vtrunque diuisa, quo Paulus nõ extra paternarum numerum tribuum inueniretur, qui veteris testamẽti & noui egregius prędicator paternæ benedictionis hæreditatem sibi quoque facilè profecisse comprobaret. Quàm præclara & in hoc mysteria, quod sumus Ioseph filios suos quos susceperat in Ægypto, Effren ad dexteram suam, ad sinistram autẽ Israel patris sui, Manassen autem ad sinistram suam, ad dexteram autem Israel applicuit eos ante patrem. Extendens autem Israel manum dexteram, imposuit super caput Effren qui erat iunior, & stabat à sinistra aui: & sinistram suam posuit super caput Manassen qui erat ad dexterã, & ita immutatis manib⁹ benedixit eos. In quo & Ioseph naturæ ordinem seruauit, vt seniori filio plus deferret, sicut Isaac quoque in Esau priorem filiũ benedictionem præferre cupiebat. Sed minorem filiũ in typo iunioris populi credidit præferendum, sicut erat ipse à matre prælatus. Deniq; Manasses ex obliuione latina interpretatione signatur, eò quòd populus Iudæorum oblitus est deum suum qui fecit eum. Et quicunque ex ea plebe crediderit, tanquam ex obliuione reuocatur. Effren autem fecunditatem fidei interpretatione nominis pollicetur, qui auxit patrem, sicut ait ipse Ioseph dicẽs: Quia auxit me deus in terra humilitatis meæ. Quod proprium est populi iunioris, qui corpus est Christi, augens patrem, & deum proprium non relinquens. Deniq; spiritaliter de populis hoc esse mysteriũ senior declarauit. Nam cùm filius putaret eum errasse vitio hebetioris aspectus, conuertere voluit manus eius, dicens: non sic pater, hic enim primitiuus est. Impone dexterã' super caput eius. Sed noluit, & dixit: Scio fili, scio. Et hic erit in populum, & hic exaltabitur, sed frater eius iunior maior illo erit, & semẽ illius erit multitudo gentium. Denique præferendum Effrẽ seniori germano, etiam benedictionis serie prophetauit dicens: In vobis benedicetur Israel, dicentibus: Faciat vobis deus sicut Effren & Manasse. Et ideo cùm essent nepotes, in locum filiorum sunt odoptati, vt non essent auitæ benedictionis expertes.

Exod. 20.

Gene. 48.

Ibidem 41.

Ibidem 48.

De prophetica benedictione Ruben primogeniti, quæ magis prophetia quàm benedictio est. Et de errore Iudæorum, atque mysteriis circa eam.

Caput II.

HAc benedictiõe celebrata, vocauit etiam filios suos. Et qui ante iuniorẽ seniori ptętulerat, cœpit à primo, vt in illo mysterij prędicaret gratiã. In hoc ordinẽ seruaret ætatis, simul qa antè in duob⁹ benedixerat vniuersos cũ omni posteritate & progenie futurorũ, ne aut superflua videretur plebis

iterata benedictio, aut prior æstimaretur infirma. Meritóque repetitam magis annũciationem eorum quæ posterioribus essent ventura temporibus, quàm benedictionem cõferre se dicit. Denique sic cœpit. Rubẽ primogenitus meus, tu virtus mea, & initium filiorum meorũ, durus portari, durus & temerarius affecisti me contumelia: sicut aqua non efferueas. Ascendisti enim in cubile patris, tunc polluisti thorum quo ascendisti. Nónne redargui magis quàm benedici videtur? Et ideo prophetia magis quàm benedictio est. Prophetia enim annunciatio futurorum est, benedictio autem sanctificationis & gratiarum votiua collatio. Et iudæi putabant quia hæc senex ad Ruben filiũ dicat quia cùm Bala concubina patris concubuit, & thorum patrium polluit. sed facilè refelluntur. Hoc enim erat ante gestum. Iacob autem quæ ventura essent in nouissimis diebus, non ea quæ gesta erant, spondet se esse dicturum. Ergo patriarchæ sibi cõgruit & constat sententia, qui vident persequentibus Iudæis futuram domini passionem, execratur immanem primogenitæ plebis audaciam, quæ incredula, nec dei legi subdita, & iugum Christi dura nescíens portare ceruice, authorem vitæ non solum scelere necis, sed etiam sacrilegæ insultationis affecit iniuria. Non efferueas, inquit, sicut aqua: ne in maiorem prorumpat amentiam, & feruor furoris atque insaniæ non sinat resipiscere peccatores, sed agant pœnitentiam peccatorum, quoniam durus ascendit populus cubile patris, & thorum polluit sanctum, hoc est carnem domini Iesu cõditoris nostri patibulo affigens crucis, in qua velut in quodam cubili & patrio thoro sancti eius salutari refectione requiescunt. Quis igitur abnuat de populo dictũ, cùm populo hęc vniuersa conueniant? Ipse enim dictus est primogenitus Israel, ipse duræ esse ceruicis. De ipso dixit Moyses: Vos autem populus duræ ceruicis estis. Et reuera quis tam durus, & temerarius, & contumeliosus, quàm populus Iudæorum, qui dominum Iesum, per quem viderant mortuos suscitatos, cæcos illuminatos, flagellis verberauerunt, clauis confixerunt, cùm diuina eius opera negare non possent? Quod scribis & pontificibus authoribus, & principe sacerdotum Caipha pariter sæuiente commissum, euangelij series declarauit. Et ideo sanctus propheta refugit tanti sceleris participatum, ne per successionem generis auderent tanti patriarchæ sibi arrogare consortium.

Gene. 49.

Exod. 32. & 33.

De prophetia eorum quæ euentura erant filiis Symeon & Leui, quorum nominibus tribus designantur. Et de confutatione opinionis Iudæorum circa mysticam & pulcherrimam ipsius benedictionis interpretationem. Cap. III.

CONtestatur iustus & abdicat posteritatẽ quæ patrium non seruaret affectũ: & quia prævidit flagitium, perhorrescit consilij contagiũ. In consiliũ, inquit, eorũ non veniat anima mea, & in cõgregatione eorum non contendant viscera mea, quoniã in ira sua occiderunt homines, & in cupiditate sua subneruaue runt taurum. Quod dicit, de filiis quidẽ dicit Simeon & Leui, sed eorũ nomine tribus signatur, quæ appellatione simili vocabatur. Quam interpretationem pulcherrimam deriuãt Iudæi, vt arbitrãtur, quia propterea arguat filios Iacob, quia propter stuprum sororis Sichimitas isti duo præ cæteris fratribus vltum ire cupientes, simulauerunt cum ipsis inire velle se gratiam, & ideo oportere circuncidi eos suaserunt illis, vt religione concordi pax inter eos, & recipiendæ affinitatis societas firmaretur: sed circunciſos adorsi, recentibus adhuc vulneribus, & inualidis viribus quas dolor soluerat fractas, die superuenientes tertio necauerunt. Ideo & fortasse isti duo vltores præ cæteris, quia Scribarũ & sacerdotum authores sunt. Nulli enim magis quàm sapientes & sacerdotes debent castimoniã vindicare. Sed in hoc quoque errant Iudæi. Isti enim causas doloris sui præstiterant patri, asserentes se in illa licet ætate iuuenili vindices læsæ fuisse pietatis, & violatæ castitatis vltores. Quod vtique sanctus condemnare non poterat, quia non passi sunt inultam sororem suã loco esse meretricis, quæ & virginitatem amiserat, & vindictæ solatium non habebat: maximè cùm ipse sic factum probauerit, vt Sichimam possideret in mortem, donarétq; eam filio suo dilectissimo Ioseph, dicens ad eum: Do tibi Sichimã præcipuã super omnes fratres tuos, quam accepi de manibus Amorreorum in machæra mea & arcu. Quod factum negari non potest. Interpretari tamen possumus per Sichimã humeros significari, per humeros opera. Hæredem ergo bonorum benedictionibus operũ sanctum Ioseph præ cæteris elegit, cuius opera fratres æquare non poterant. Quis enim facta Christi poterat adæquare? Tum præterea immaculatus & castus de hoc terreno diuersorio, & impuritatis authoribus manubias reportauit, locum stupris & flagitiis vacantem ad incolatum sanctorum verbis cœlestibus & gladio capiens spiritali: vt ibi inhabitatores antè lasciuiæ & principes luxuriæ versabantur, vbi fuerant incentiua libidinis, & fomenta nequitiæ, ibi nunc sancti sacerdotes magisteria doceant castitatis, & plurima virginalis integritatis exempla quodam supernæ lucis fulgore resplendeant. Tribus igitur sunt quæ designantur nominibus patriarcharum, quia de tribu Symeon scribæ sunt, de tribu Leui principes sacerdotum, qui perfecerunt nequitiam suã in domini passione, mensuram omnem paternæ impietatis implentes. Ipsi consilium cogitauerunt aduersus dominum Iesum, vt occiderent eum, sicut Esaias dicit: Væ animæ ipsorum, quia cogitauerunt consiliũ malum aduersum se dicentes: Alligemus iustum, quia inutilis est nobis. Ipsi occiderũt prophetas & apostolos, annunciãtes domini saluatoris aduentum, passionis & resurrectionis gloriam prædicantes. Ipsi postea in sua cupiditate terrena flagitia desiderabãt, diuina consortia refugientes, corporis castimoniam, sobrietatem mentis, contemptum pecuniæ, lucrum gratiæ. Subneruauerunt autem taurum, illum videlicet cornua producentem & vngulas, quem vident pauperes & lætantur, quoniam verbum dei exaltauit cornũ populi sui, quo & inimicos repulit, & præmium coronæ cœlestis emeruit. Hic est taurus quo ecclesia figuratur in luna, tunc plenior cùm velut cornibus nixa taurini, spacium totius orbis includit. Tamen prophetiæ huic videtur etiam gratiam benedictionis adiungere. Nam & ad primogenitum Ruben dicẽdo, Non efferueas vt aqua, peccatũ statuit, quia aqua mundare magis delicta, mentésque nostras ab omni solet vitiorum feruore reuocare. Et iterum dicendo ad Symeon & Leui: Diuidam vos in Iacob, & dispergam in Israel, ostendit gentium congregatione redimendos. Percusso enim pastore grex ille dispersus est, qui fuerat antè collectus, vt qui non erat, introiret, & sic omnis Israel saluus fieret. Et maximè propter tribum Leui debemus hoc credere, quia ex ea tribu dominus Iesus videtur secundum corporis susceptionem genus ducere. Ex qua tribu sunt sacerdotes Leui & Nathan, quos sanctus Lucas in euangelij libro quem ipse scripsit, inter maiores domini computauit. Sacerdos enim patris, & princeps omnium sacerdotum, sicut scriptum est: Tu es sacerdos in æternum, sacerdotalis originis successionem debuit vindicare. Vnde & Moyses benedixit hanc tribum, dicens: Date Leui sortem suffragij eius, & veritatem eius viro sancto. Benedixit etiam Moyses tribum Ruben, sicut habes scriptum: viuat Ruben, & nõ moriatur, & sit multus in numero. Neque enim benedixisset, si secundum patriarchæ sententiam benedictione scisset indignos. Certè quod strictim ille præteriit, iste compleuit.

Esaiæ 3.

Psal. 109.

Deut. 33.

Ibidem.

De benedictione Iudæ, & mystica eiusdem significatione. Caput IIII.

ET quia per admixtionẽ generis Iuda & Leui tribus iũctæ sunt, ideo Matthæus ex tribu Iuda descripsit eius familiã. Et Apostolus ait: Quoniam de Iuda ortus est dominꝰ noster. Vt ex tribu Leui sacerdotalis & plena sanctitatis annumeraretur hæreditas: ex tribu aũt Iuda, ex qua Dauid & Salomõ & reliqui reges fuerũt, regalis successionis splendor refulgeat, vt idẽ rex & sacerdos scripturarũ testimonio demonstretur. Meritóq; se circa gratiam Iudæ Iacob sanctus effudit, dicens: Iuda, te laudabunt fratres tui. manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui: Catulus leonis Iuda, ex germine fili mi ascendisti. recumbens dormisti vt leo, & tanquam catulus leonis. quis suscitabit eum? Non deerit iudex ex

Hebr. 7.

Gene. 49.

Gene. 34.

1097

dex ex Iuda, & princeps de femoribus eius, donec veniat cui repositū est, & ipse erit expectatio gentiū, alligās ad vitē asi nā suā, & cilicio† pullū asinæ suæ. Lauabit in vino stollā suā & in sanguine vuæ anaboladiū suū. Hilares oculi eius vino, & dentes cādidiores quàm lac. Ad Iudā quidē patriarchā dirigi videtur alloquiū, sed Iuda ille posterior verus cōfessor exprimitur, qui ex ea tribu natus est, qui sol⁹ laudatur à fratribus, de quibus dicit: Narrabo nomē tuū fratrib⁹ meis. Dominus per naturā, frater per gratiā, cuius manus quas expādit ad populū non credentē, super dorsum inimicorū tuorū. Hisdē enim manibus atque eadē passione suos texit, & subiugauit aduersarias potestates, omnésque fidei & pietatis exortes subditos sibi fecit. De quibus ait pater ad filium: Et dominaberis inimicorum tuorū, quos inimicos sua mali tia fecit, non Christi volūtas. In quo magna gratia domini. Etenim spirituales nequitiæ, quæ ante ceruicem nostrā iugo solebāt captiuitatis inflectere, ita vt Dauid ipsē manus quodammodo super se triumphantiū sentire se scriberet, dicēs: Super dorsum meum fabricauerunt peccatores: ipsæ nunc subdite triumpho Christi, & quibusdam manibus eius, id est factis operibúsque subiectæ, perpetuæ subeūt captiuitatis ærūnam. Ipse vtique qui adoratur à filiis patris sui, quādo adoratur à nobis, quibus ipse permisit vt patrem vocemus, cuius seruum esse virtutis est Catulus leonis Iuda. Nónne euidenter & patrem expressit, & filiū declarauit? Quid tam euidens quo vnius naturæ filius dei cum patre esse doceatur Leo ille, hic catulus leonis. Vili comparatione, eiusdem naturæ ac potentiæ vnitas intelligitur. Rex ex rege processit, fortis ex forte: quia futuros prouidebat qui filium assererēt iunioris ætatis, occurrit hic subiiciens, Ex germine mihi ascendisti, recumbens dormisti vt leo, & tanquam catulus. Et alibi habes: Quia ipse est leo de tribu Iuda. Ergo quia catulum dixerat, bene statim leonem posuit, hoc est dicere: Non capiantur aures vestræ qui catulum audierunt, filiū expressi, non dixi minorem. Et ipse est leo sicut pater. Audiant quia & leonem & catulum appellauit, leonem quasi perfectæ plénæque virtutis, catulum quasi filiū, ne quis cùm audiret, æqualem patri non putaret filium. Non sic laudatur filius, vt separetur à patre. Ille probat æqualem qui filiū cōfitetur. Mirificè autem & incarnationem eius expressit dicens: Ex germine mihi ascendisti: eo quòd tanquam frutex terræ in aluo virginis germinauit, & vt flos boni odoris ad redemptionem mundi totius maternis visceribus in splendorē nouæ lucis emissus ascenderet, sicut Esaias dicit: Exiet virga de radice Iesse, & flos ex radice eius ascendet. Radix familia Iudæorū, virga Maria, flos Mariæ Christus. Rectè virga, quæ regalis est generis de domo & patria Dauid, cui⁹ flos Christus est, qui fœtorem mundanæ colluuionis aboleuit, odorem vitæ æternæ infudit. Habes ergo incarnationem, accipe passionem. Recumbens, inquit, dormisti vt leo, quādo iacuit in sepulchro, velut quodam corporis sui somno quietus, sicut ipse ait: Ego dormiui, & requieui, & surrexi, quoniam dominus suscepit me. Vnde & Iacob ait: Qui suscitabit eum, hoc est quem dominus suscipiet. Quis est alius qui resuscitet, nisi ipse se sua patrísque resuscitet potestate? Video natum authoritate propria, video mortuum propria voluntate, video dormiētem potestate propria. Qui omnia suo fecit arbitrio, cuius alterius vt resurgat egebit auxiliis? Ipse igitur resurrectionis suæ author est, qui mortis est arbiter, qui expectatur à gentibus. Et ideo donec ille veniat, nō deficiet dux ex Iuda, vt vsque ad eius ortum regalis successionis fides incorrupta seruetur. Postea enim, vt docuimus tractatu habito in euangelio, per Herodē adulterata successio prærogatiuam dignitatis amisit. Etenim quia verum regē negauerunt, falsos habere cœperunt. Ergo hoc dicit patriarcha: Seruabitur in iudicibus vel regibus Iudæorum inueniat cui repositum est vt ecclesiam dei congreget ex conuē tu nationum omnium, & gentilium deuotione populorū, hoc est, ipsum manet, ipsi debitum seruatur, ipsi tantæ gratia prorogatiua defertur. Et ipse est expectatio gentium. Plus dixit quàm si dixisset, ipsum expectāt gentes, eò quòd omnis spes ecclesiæ in ipso recumbat. Ideo dicitur Moysi:

temeratæ successionis hæreditas ducta per reges, donec ve-

A Solue calceamentum pedum tuorum: ne ipse sponsus ecclesiæ crederetur, qui dux plebis eligebatur. Ideo soluit calceamentum suum Iesus Naue, vt venturo tanti muneris gratiam, & ipse seruaret. Ideo dicit Ioannes: Post me venit vir, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius. Ideo dicit: Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audi eum, & gaudio gaudet: hoc est, ipse solus vir est ecclesiæ, hic est expectatio gentium, huic deferentes copulæ gratiam nuptialis, calceamentum suū solu erunt prophetæ. Hic sponsus est, ego amicus spōsi: gaudeo quia venit, quia vocem audio nuptialem, quia iam nō dura peccatorum supplicia, dura legis tormēta, sed remissionem criminum, vocem lætitiæ, sonum iucūditatis, exultationem festi nuptialis audimus. Hic est ille alligans ad vitam asinū suum, & cicilium† pullum asinæ suæ, vt feruorē spiritus sancti iam deuota per Christū, & viti illi perpetuæ, hoc est domino Iesu, qui ait: Ego sum vitis, pater meus agricola: velut fructuosi palmites quibusdam inexolubilib⁹ vinculis fidei alligemur. Hoc est illud mysterium, quod pulū asinæ solui B iussit in euāgelio, & ipse dominus Iesus sedit super eum, vt alligatus ad vitam perpetua sanctoeum suauitate requiesceret. Lauit, inquit, in vino stolam suam. Bona stola est caro Christi, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta suscepit, omnium errores texit. Bona stola, quæ vniuersos induit vestræ iucunditatis. Lauit hanc stolam in vino, quando cùm baptizaretur in Iordane, descendit spiritus sanctus sicut columba, & mansit super eum. Quo significatur quod plenitudo spiritus sancti indiuidua in eo fuerit, nec recesserit. Vnde & euangelista ait: Quia plenus spiritu sancto dominus Iesus, regressus est ab Iordane. Lauit ergo Iesus stolā suam, non vt suam, quæ non erat, sed vt nostram quæ erat, sordem ablueret. Denique ait: Et in sanguine vuæ anaboladium suum, hoc est in passione corporis sui diluit gētes suo sanguine. Etenim verbi anaboladium gentes sunt, sicut scriptum est: Viuo ego dicit dominus, nisi omnes eos induam sicut vestimentum. Et alibi: Sicut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Non ergo sanguine proprio sua peccata quæ C non erant, sed nostra quæ fecimus delicta mundauit. Et bene vuam dixit, quia sicut vua pepēdit in ligno. Ipse est vitis, ipse vua. Vitis, ligno adhærens. Vua, quia lācea militis apertum latus emisit aquam & sanguinem. Sic enim dixit Ioannes: Quia exiuit de eo aqua & sanguis. Aqua ad lauacrum, sanguis ad precium. Aqua nos abluit, sanguis redemit. Et ideo ait propheta: Hilares oculi eius vino, & dētes candidiores quàm lac: significans prophetas & apostolos. Alij enim sicut oculi Christi præuiderunt & annunciauerunt eius aduentum, de quibus ipse dicit: Abraham diem meum vidit, & gauis⁹ est. Et vnus de prophetis dicit: Vidi dominū sabaoth: quem videntes spirituali lætia complebantur. Alij verò, hoc est apostoli, quos dominus à peccatorum labe mundauit, super lac candidores facti sunt, quos macula nulla postea fuscauit. Etenim lac temporale est, gratia autem apostolorum perpetua manet, qui nobis spiritalia illa atque cœlestia confidentes alimenta, mentis internæ viscera saginarunt. Sunt etiam qui mandata domini lucida, quæ diuino ore deprompta sunt sicut lac nobis facta arbitrentur, quibus nutriti ad D panis cœlestis peruenimus alimoniam. Vnde & Paulus ait: Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. Corinthios in principio fidei potu lactis imbuit. Sancti illi quorum fides annunciatur in vniuersō mundo, tanquā ablactati esca solidiore firmantur.

Luca 3.

Ioann. 3.

Gene. 49.

† ἕλικα

Ioann. 15.

Matth. 21.

Gene. 49

Marc. 1.

Luca 4.

Gene. 49.

Psal. 101.

Ioan. 19.

Gene. 49.

Ioan. 8.

1. Cor. 3.

De benedicteone Zabulon, & mysteriis illius.

Cap. V.

ZAbulon iuxta mare habitabit, & ipse secus accessus nauiū, & pertendit vsque ad Sidonem.) Ipsa nominis interpretatio meliora promittit, eo q Latina expressio liberationē significet à nocturnis quod est vtique bonum, & eius qui sperat in pennis domini, quē circundat veritas eius, ne timeat à timore nocturno, & à negocio perābulante in tenebris. Hit ergo Zabulō iuxta mare, inquit, habitabit, vt videat aliorum naufragia, ipse immunis periculi, & spectet alios fluctuantes in freto istius mūdi, qui circunferātur omni vento doctrinæ, ipse fi-

Gene. 49.

Psal. 90.

dei radice immobilis perſeuerans, ſicut eſt ſacroſancta eccleſia radicata atque fundata in fide, ſpectans hæreticorum procellas, & naufragia Iudæorum, quoniam gubernatorem quem habuerant, abnegarunt. Circa fluctus itaque habitat, non fluctibus commouetur, magiſque ad ſubueniendum parat aquam periculo obnoxiam, vt ſi qui tempeſtatibus acti grauibus cõfugere ad portum velint, præſto ſit eccleſia tanquam portus ſalutis, quæ expanſis brachiis in gremiũ tranquillitatis ſuæ vocet periclitantes, locũ fidæ ſtationis oſtendens. Eccleſiæ igitur in hoc ſeculo tanquam portus maritimi per littora diffuſa occurrunt laborantibus, dicentes eſſe credentibus refugiũ præparatũ, quo ventis quaſſata nauigia poſſint ſubducere. In his eccleſiis ſunt principes Zabulon, & principes Nepthalim, ſicut docet quinquageſimus ſeptimuſdecimus pſalmus. quorum alij liberatores ſunt à tempeſtate nocturna, clamantes: Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Alij ſunt latitudinis apoſtolicæ, qui poſſunt dicere: Os noſtrũ patet ad vos ô Corinthij, cor noſtrũ dilatatum eſt. Ipſi ſunt iſti qui cùm eſſent in tenebris, lucem viderunt magnam, ſicut prophera teſtatur, dicens: Regio Zabulõ, & regio Nepthalim, via maris trans Iordanem, populus qui ſedebat in tenebris, viderunt lucem magnam: qui ſedebant in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Exploratores igitur ſecus acceſſus nauium poſuit dominus deus noſter patriarchæ huius hæredes, cuius cura peruigil & ſpiritalis ſucceſſio pertendit vſque ad Sidonem, hoc eſt vſque ad gentes peruenit, vt domini miſericordia peccata abluat nationum. Sidõ enim primitiuus eſt filius Cham, illius vtique qui propter irreuerentiam paternæ pietatis maledictione damnatus eſt. Patris ergo liberatio nocturna, tanquam in excubiis poſita propugnaculi ſpiritalis, ne quis ſcopuloſa vitæ huius itinera poſſit incedere, pertendit vſque ad grauiſſimorum criminum peccatores, & Sidones ipſos, qui antè ſuperſtitione vehementi venatores ſcelerum nuncupabantur, & (vt interpretatio docet) ſoluta hæreditate maledicti donatáque hæreditate benedictionis abſoluat, vt vbi maior reatus erat, ibi nunc vberior ſit gratia.

Roma. 13.

2. Cor. 6.

Eſaiæ 9.

De benedictione Iſachar, & myſtica eius expoſitione.
Caput VI.

Geneſ. 48.

ISachar bonũ concupiuit, requieſcens inter medias ſortes, & videns requiem quia bona eſt, & terrã quia pinguis, ſuppoſuit humerũ ſuum ad laborandum, & factus eſt vir agricola.) Iſachar merces dicitur, & ideo refertur ad Chriſtum: quia eſt merces noſtra, quod eum nobis ad ſpem ſalutis æternæ non auro, non argento, ſed fide & deuotione mercemur. Vnde & Dauid de ipſo dicit: Ecce hæreditas domini filij merces fructus ventris. Et ideo dicit Moyſes: Merces circa mare inhabitantium. Hic eſt qui bonum cõcupiuit ab initio, & quod malum eſt deſiderare neſciuit. De quo Eſaias ait: Priuſquam ſciat puer vocare patrem, aut matrem, non credidit malitiæ, eligens quod bonum eſt. Requieuit inter ſortes veteris vel noui teſtamenti, vel in medio prophetarum. Ideoque inter Moyſen & Heliã medius apparuit, vt oſtẽderet nobis quòd in eorum ſermonibus requiem habeat, per quos plerique pec catis renunciantes credunt in deum viuum: vel quod ipſi ſint teſtes reſurrectionis eius, & beatæ quietis. Itaque vt ad reſurrectionis ſuæ gratiã vocaret gentes (ipſa eſt enim pinguis & fertilis terra, quæ fructus generat æternos, fructus centeſimos & ſexageſimos) ſubiecit humerum ſuum ad laborandum, ſubiiciens ſe cruci, vt noſtra peccata portaret. Ideoque dicit propheta: Cuius principatus ſuper humerum eius, hoc eſt ſuper corporis paſſionem diuinitatis poteſtas, vel crux ſupereminens corpori. Suppoſuit ergo humerum incumbens aratro, omnibus ſubeundis contumeliis patiẽs, ita ſubiectus labori, vt vulneraretur propter iniquitates noſtras, vt infirmaretur propter peccata noſtra. Et factus eſt agricola, ſciens terram ſuam bono ſeminare frumento, & fructiferas arbores alta radice plantare.

Pſalm. 126.

Eſaiæ 8.

Ibidem. 9.

Ibidem. 53.

De prophetica benedictione Dan, ac myſtico eiuſdem intellectu.
Caput VII.

A DAn iudicabit populum ſuum tanquã vna tribus Iſrael. Et factus eſt Dan ipſe ſerpẽs in via ſedẽs, & in ſemita mordens calcaneum equi, & cadet eques retrorſum, ſalutem expectãs à domino.) Simplex quidem intellectus hoc habet, quòd etiam Dan tribus iudicem dederit in Iſrael. Etenim poſt Ieſum Naue iudices fuerũt plebis de diuerſis tribubus. Fuit autem & Samſon de tribu Dan, & iudicauit Iſrael viginti annis. Sed non hunc prophetia ſignificat, ſed Antichriſtum qui futurus eſt ex tribu Dan. Sæuus iudex, & tyrannus immanis, iudicabit populum ſuum. Tanquã ſerpens in via ſedens deiicere tentabit eos qui viam ambulant veritatis, ſupplantare cupiens veritatem. Hoc eſt enim mordere equi calcaneum, vt veneni ſuffuſione equus ſaucius, & vulneratus dente ſerpentis leuet calcaneum ſuum: ſicut Iudas proditor tentatus à diabolo ſuper dominum Ieſum leuauit calcaneum ſuum, vt deiiceret equitem, qui ſe deiecit vt omnes leuaret. Cecidit igitur nõ proſtratus in faciem, quaſi dormitãs, ſed retrorſum, vt à ſuperioribus ad priora ſe extendẽs, à domino expectaret ſalutem. Sciebat enim ſe reſuſcitandum, & ideo iacẽtem Adam expectabat erigere. Vnde nos cùm bene in via curramus, caueamus necubi ſerpens lateat in ſemita, & ſubruat veſtigiũ equi, hoc eſt corporis noſtri, & deiiciat ſubitò equitem dormientem. Nam ſi vigilamus, cauere debemus aliquatenus & morſus declinare ſerpentis. Non ergo nos opprimat ſomnus negligentiæ, ſomnus ſeculi, non opprimat diuitiarũ ſomnus, ne de nobis dicatur: Obdormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum. Sed ſunt & equites dormiẽtes, de quibus ſcriptum eſt: Dormierunt qui aſcenderunt equos. Si auaritia pectus tuum vulneret, ſi libido inflammet, dormis eques, & ideo corpus tuum, hoc eſt, equum tuum non potes refrænare. Vigila ergo, vt etiam ſi deiectus fueris, hoc eſt mortuus fueris, non obdormias. Qui enim obdormiunt ſomnum ſuũ, nihil inueniunt. Tu autem expecta ſalutem à domino venturam, reſpice vt gratiam reſurrectionis inuenias. Dormiebat Iudas, denique verba Chriſti non audiebat. Dormiebat Iudas, equidẽ ſomnum diuitiarum, qui mercedem de proditione quærebat. Vidit eum dormientẽ diabolus, & oppreſſum auaritiæ ſomno graui: miſit ſe in cor eius, vulnerauit equũ, deiecit equitem, quem ſeparauit à Chriſto. Hanc tribũ benedixit Moyſes, dicens: Dan catulus leonis, & effugiet ex Baſan, hoc eſt ex confuſione. Vnde ſecundum Græcum magis intelligere debemus, ex quo Latinus tranſtulit, quòd Dan ipſe factus ſit ſerpens in via ſedẽs. Dan iudicium interpretatur. Et ideo graue iudicij periculum tribus iſta ſubiit, cui ſerpens illapſus Antichriſtus eſt, qui currentem ſuis ſauciaret venenis. Sed tamen ipſa tribus liberabitur à confuſione, cùm fuerit confeſſa equitem reſurgentem, qui ait: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui eſt in cœlis: qui autem me confuſus fuerit coram hominibus, confundam & ego eum coram patre meo qui in cœlis eſt.

B

C

Deut. 33.

Pſal. 75.

Ibidem.

Luca.

De benedictione Gad, et myſtyca interpretatione.
Caput VIII.

D GAd tentatio. Tentauit eum & ipſe, tẽtauit eũ ſecus pedes.) Tentatio eſt congregatio & aſtutia Scribarum & ſacerdotum, qui dominũ de tribu to Cæſaris, & de Ioannis baptiſmate (vt docuit ſcriptura) tẽtabant, quibus dominus Ieſus in ſua iuſtitia tentamentum retrorſit. Secus pedes, hoc eſt continuò ſine vlla deliberatione referens, quo tentantes magis ipſe concluderet. Dicentibus enim, In qua poteſtate hæc facis? non ad quæſita reſpondit, ſed etiam ipſe propoſuit, dicens: Interrogabo & ego vos vnum verbum: quod ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua poteſtate hæc facio. Iterum dicentibus, Licet tributum dare Cæſari, an non? ait: Quid me tentatis hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus. Et offerentes iterum, interrogauit: Cuius eſt imago & ſuperſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris. Vbi igitur eos ligauit ipſorum ſermonibus ipſorum obligatione conſtrinxit, tunc ait illis: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt dei, deo: vt cõtra verba ſua venire non poſſent. Denique mirati abierũt ab eo. Sed non eſt

Geneſ. 49.

Matth. 22.

Ibidem. 22.

Ibidem. 22.

1101

est mirū si secus pedes respondebat, qui ante pedes videbat. Expositum Moyses euidenter hanc prophetiam Iacob sancti esse de Christo. Sic enim ait: Benedict⁹ qui ampliauit Gad. Sicut leo requieuit cōfringens brachia & principes, & vidit ab initio suo, quia ibi diuisa est terra principum collectorū simul cum principibus populorum: Iustitiam fecit dominꝰ & iudicium in Israel. Agnoscimus itaque quis requieuerit sicut leo, confregerit brachia potētium, quis ab initio diuisiones tentationum vidit. Ibi igitur hiatus est terræ qui absorbeat calumniantes, vbi tentatio perfidorum est.

De benedictione Aser, & de mysterio eiusdem. Cap. IX.

ASer, pinguis eius panis, & ipse dabit escam principibꝰ.) Aser interpretatione Latina significat diuitias. Quis igitur diues, nisi vbi altitudo diuitiarū est sapientiæ & scientiæ Dei? Quis diues nisi dominus Iesus, q̄ abundat semper, & nūquā deficit? Pauper venit in hunc mundū, & omnibus abundauit, vniuersos replenit. Quantus est in diuitiis, qui paupertate sua omnes diuites fecit? Sed pauper propter nos, diues cum patre. Pauper ille, vt nos ab inopia vindicaret, sicut Apostolus docet dicens: Quia propter vos pauper factꝰ est cum diues esset, vt illius inopia vos ditaremini. Cuiꝰ inopia ditat, sanabat fimbria, fames satiat, mors viuificat, sepultura resuscitat. Hic ergo diues est thesaurꝰ, huius pinguis panis. Et bene pinguis panis, quē qui māducauerit, esurire nō poterit. Hūc panē dedit Apostolis, vt diuideret populo credentiū, hodiéque dat nobis eū, quē ipse quotidie sacerdos cōsecrat suis verbis. Hic ergo panis factus est esca sanctorū. Possumus & ipsum dominū accipere, qui suam carnē nobis dedit, sicut ipse ait: Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt, hic est autē panis qui de cœlo descendit, vt si quis ex eo māducauerit, non moriatur. Et ne quis putaret quia de hac morte dicit quæ per animæ & corporis secessionem venit, & iure dubitet, cum sciat sanctos apostolos hac morte esse defunctos, addidit: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc, viuet inæternum, hoc est, non de temporali vita dixi supra, nec de mortis illius vitæ, qua etiam si quis mortuus fuerit, tamē si panē meum acceperit, viuet in ęternum. Ille enim accipit, qui seipsum probat: qui autē accipit, non moritur peccatoris morte, quia panis hic remissio peccatorum est. Moyses quoque pulcherrimé prophetauit in benedictionibus suis, dicēs: Benedictus à filiis Aser, & erit acceptus à fratribꝰ suis, & intinget in oleo pedem suum, ferrum & æs calceamentū eius. Et sicut dies tui sunt, sic erunt virtutes tuę. Non quisquam sicut est deus tuus in cœlo, adiutor tuus, & magnus dominus firmamenti, & protegens deus initij, & per vires brachiorū potentium eiecit à facie tua inimicū, dicens, pereat. Et inhabitabit Israël fidens solus super terram Iacob in frumento & vino, & cœlum tibi cum nebula roris erit.

De benedictione Neptalim, & mystica illius declaratione.

Caput X.

NEptalim vitis remissa porrigens in germine decorem.) Sarmētum vitis aliud amputatur, quod videtur inutile, ne cassa vitis sarmentorum exultatiōe luxuriet, & aliud paulisper reciditur ac remittitur, vt fructum afferat, cuius decus in generatione porrigitur, quia dum ad superna se subrigit, vitem amplectitur, & ad verticem accendens iugi quadā colla vitium precioſi palmitis vestit monili. Est & ille decorus in generatione, quia plenis palmitibus multus fructus exundat. Decorum hoc, sed multo illud pulchrius, quòd hærentem palmitem vitis significat spiritalis, cuius nos sarmentum sumus, & fructum afferre possumus si maneamus in vite: sin autē, præcidimur. Sanctus patriarcha Neptalim erat palmes abundans. Vnde & Moyses dicit: Neptalim sacietas accipientium, replebitur benedictione à domino, mare & Aphricum possidebit: exponens hoc quod Iacob dixerat, quid sit vitis remissa, hoc est, per fidei gratiam vinculis mortis exutus, in quo significatur populus dei ad libertatem fidei, & vbertatem vocatus gratiæ, toto orbe diffusus, qui iugum Christi bono fructu vestiat, & ligna veræ illius vitis, hoc est mysteria dominicæ crucis ambiat, nec timeat confessionis eius periculum, sed magis etiam in persecutionibus positus Christi nomine glorietur. Hic est verè remissus à vinculis, qui nullo nexu formidinis alligetur. Vnde propheta dicit: Exibunt, & tripudiabunt sicut vituli resoluti vinculis. Ideoque in germine suo decorem porrigit, quia in loco pascuæ collocatus, & super aquam refectionis educatus, per sacramenta regenerationis suæ germinat bonum verbi decorem, & assumitur in illam pulcherrimam Christi gratiam qui potest venustatem tui decoris augere. Denique super omnes decorus quod habet, donat: quia nemo potest donare quod non habet. Ideoque dictum est: Dominus regnauit, decorem induit. Induit enim decorem ecclesiæ gratiam, quæ in illo lauacro deponens fœditatem omnium delictorum, splendore gratiæ cœlestis enituit. Ideoque sponsus de ea dicit, Quæ nam est hæc prospiciens tanquam diluculum, electa sicut sol, speciosa sicut luna, mirabilis sicut ornatus?

De benedictione Ioseph, & qua ratione super omnes filios eum pater vberius prosecutus sit, ac de mystica illius benedictionis expositione.

Caput XI.

NVnc vt tanquàm epilogo quodam concludamus historiam, sicut & scriptura diuina concluſit, prophetiam sancti Iacob de sancti Ioseph nomine digeramus. Filius meus ampliādus Ioseph, filius ampliandus meus zelatus, filius meus adolescentior, ad me reuertere. In quem consilia conferentes maledicebant, & intendebant in eum domini arcum, & contriti sunt cum potētia arcus eorum, & dissoluti sunt nerui brachiorū manus eorum per manus potentis Iacob. Ille qui præualuit à deo Israël patri tuo, & adiuuit te deus meꝰ, & benedixit te benedictione cœli à summo, & benedictione terrę habētis omnia, propter benedictionem vberum & vuluæ, benedictiones patris tui & matris præualuit. Benedictiones mōtiū manentium, & desideria collium ęternorum erunt super caput Ioseph, & super caput eorum quibus præfuit fratrum.) Quæ causa est quòd super omnes filios Ioseph vberius prosecutus est pater, nisi quia præfigurata in eo iam Christi videbat mysteria? Vnde benedicens illum magis qui expectabatur, quàm illum qui videbatur, ait: Filius ampliādus meus Ioseph. Quis est ampliandus, nisi Christus, cuius gratia semper augetur, & finem processus sui nō habet gloria? De quo & Ioannes dicit: Illum oportet crescere, me autem minorari: quia per illius illud salutare perfectúmque nomen cumulata est in hoc mundo & abundauit gratia. Filius meus ampliandus. Et ideo quia videbant eum crescere fratres, & inuidere cœperunt. Intelligibilis autem Ioseph & zelum incidit ab iis quos magis foucbat. Denique dicebat: Non veni nisi ad oues perditas domus Israël. Et illi dicebant: Nescimus vnde sit. Ille curabat eos, & illi negabāt eum. Filius, inquit, meus adolescētior.) Reuera adolescentior, qui erat pene vltimus natorum. Denique & scriptura dicit: Amabat eū Iacob, quia filius erat senectutis illius. Quod etiā ad Christum refertur. Senescenti enim mundo & iam occidēti illi crescens dei filius per Mariæ virginis partum, serò aduenit, quasi filius senectutis secundum sacramentum susceptī corporis, qui erat ante secula semper apud patrē. Vnde dicit ad eum pater: Ad me reuertere. vocans eum ad cœlum de terris, quem propter nostram salutem miserat. Itaque resuscitans filium suum vnigenitum, euacuauit consiliū maledicentium. Vnde & Esaias dicit: Vanum consilium spiritus vestri. Et conuitia quæ quasi iaculantes sagittas dirigebant, soluit omnia, contriuit eorum potentiam qui in suis virtutibus, & non in deo confidentes erant, ille, inquit, qui præualuit à deo Israël patri tuo, & adiuuit te deus meus. Quis est qui confortauit Israël, & adiuuit filiū, nisi solus deus pater? qui dixit: Iacob puer meus, suscipiam eum: Israël electꝰ meus, suscipiat eum anima mea. Et benedixit eum benedictione cœli desuper, & benedictione terræ habētis omnia.) Omnia enim subiècit ei, cœlestia sicut benedictionem cœli, & terrena sicut benedictionem terræ, vt & hominibus & angelis dominaretur. Itaque in illo velut cōtemptibili corpore præualuisti, inquit, propter benedictionē vberum & vuluæ. Benedictiones patris tui, & matris vbera: vel duo testamenta

Mala. 4.

Psalm. 92.

Gene. 46.

Ioan. 3.

Matth. 15. Ioan. 9.

ſtamenta dixit, quorũ altero annunciatus eſt, altero demõſtratus: Et bene vbera, quoniam velut quodam nos ſpiritali lacte nutritos educauit, & obtulit deo filios. Vel Mariæ dicit vbera, quæ verè benedicta erant, quibus ſancta virgo poculo domini potum lactis immulſit. Vnde & illa mulier in euangelio ait, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Quod autem ait: Vuluæ benedictionem patris tui & matris. Si vuluam ſolam Mariæ velimus intelligere, cur vtrum que benedictione coniunxerit, latebit cauſa. Potuit enim dicere de ſola vulua matris. Sed pulchrius arbitror, vt ſecundum ſpiritale myſterium intelligamus vtramque generationem domini Ieſu, & ſecundũ diuinitatem, & ſecundum carnem, qui ante ſecula eſt generatus ex patre. Vnde & pater ait: Eructauit cor meum verbum: eò quòd ex illa intima, eò qnòd incõprehenſibili patris proceſſit ſubſtantia, & in ipſo eſt ſemper. Vnde & euangeliſta ait: Deum nemo vidit vnquam, niſi vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Sicut ergo ſinus patris ſpiritalis intelligitur intimum quoddam paternæ charitatis, naturæque ſecretum, in quo ſemper eſt filius, ita etiam patris ſpiritalis eſt vulua, interioris arcanum, de quo tanquam ex genitali aluo proceſſit filius. Denique diuerſè legimus, nunc vuluam patris, nũc cor eius quo verbum eructauit, nunc os eius ex quo iuſtitia proceſſit, ex quo prodiuit ſapientia, ſicut ipſe ait: Ex ore altiſſimi prodiui. Ita cùm vnum nõ definitur, & vnum omnia ſonãt, ſpiritale magis myſterium generationis paternæ quã membrum aliquod corporale ſignificat. Sed ſicut illã ex patre generationem intelligimus, ita etiam ad conſummationem fidei generationem Marię intelligamus, quando benedicitur vulua matris, illa vtique Mariæ virginalis, quæ nobis edidit dominum Ieſum. De quo partu dicit dominus per Hieremiam prophetam: Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & priuſquam exires de vulua matris, ſanctificaui te. Geminam igitur propheta in Chriſto ſubſtantiam declarauit, diuinitatis, & carnis: alteram ex patre, alteram ex virgine, ita tamen vt non exors ſuæ eſſet diuinitatis cùm ex virgine naſceretur, & eſſet in corpore. Vnde & cõualuit ſuper omnes montes, & deſideria collium æternorum. Super omnes enim illos ſublimis meriti viros, patriarchas, & prophetas, & apoſtolos, ſed etiam vltra ſolem, lunam, archangelos, tãquã cœli lumen emicuit, ſicut ipſe ait: Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum. Quis enim illorum fuit cui ſubiecta eſſent omnia, quibus ipſe douauit quod erant? In quo benedicuntur omnes ſancti eius, quia ipſe eſt ſuper capita omniũ caput. Caput enim mulieris, vir: caput viri, Chriſtus. Et ſuper vertices mõtium, quia ipſe eſt ſupereminẽs vertex vniuerſorum. Sed iuſtorum eſt vertex altiſſimus, quos fratres vocauit, acquiſitos per gratiam, & quoddam regenerationis cõſortium. Vnde ex fratribus Ioſeph illos magis fratres intelligimus, de quibus dicit in pſalmo: Narrabo nomẽ tuum fratribus meis, in medio eccleſiæ laudabo te. Deniq; & Moyſes completurus vitæ iſtius curſum cùm benediceret tribum Ioſeph, non illum vtique defunctum Ioſeph, ſed Chriſtum benedicebat, ſicut habes ſcriptum de Ioſeph: A benedictione domini terra eius, à finibus cœli, & à rore, & abyſſis fontium deorſum, & ſecundum horam factam ſolis curſus, & à conuenientibus menſibus, & à vertice montium ab initio, & à vertice collium æternorum, & ad horam terræ plenitudinis, & ab eo qui viſus eſt in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph benedictio, & ſuper verticem ipſius, honorificus ſit inter fratres. Primogenitus tauri decus eius, cornua vnicornui. In ipſis gentes ventilabit, ſimúlque ad extremum terræ, ipſæ myriades Effren & ipſæ chiliades Manaſſes. Benedictio eadem eſt, quæ omnem habet & cœleſtium & terreſtrium plenitudinem, & ſpacialem Chriſti gratiam. Qui viſus in rubo dixit ad ipſum Moyſen: Solue calceamentum pedum tuorum. Qui eſt ſuper omnes deos, quia ipſe eſt caput corporis eccleſiæ. Qui eſt principium primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quoniam in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Et ideo ſoli benedictionis huius prærogatiua defertur, à ſummitate cœli vſque ad extremũ terræ. Ipſe eſt enim ante omnes, in quo conſtant, omnia, qui

Luc. 11. Psalm. 44. Ioann. 1. Eccli. 24. Hiere. 1. Luc. 6. 1. Cor. 11. Psal. 21. Deute. 33. Exod. 3. Coloſ. 1.

etiam per ſanguinem crucis ſuæ pacificauit omnia, ſiue quæ in cœlo, ſiue quæ in terris ſunt. Cuius typum præferens pulchrè benedicitur ſanctus Ioſeph, vt honorificetur inter fratres. Primogenitus tauri decus eius, habens cornua vnicornui, in quibus gẽtes ventilabit. Es bene taurus, quaſi hoſtia pro dilectis, & totius mundi victima, vt pacificaret omnia. Cuius decus ſanctum. Omne enim ſanctũ primogenitum, ſicut alibi demonſtrauimus. Vnde & Leui non ætatis ordine, ſed ſacræ ſucceſſionis prærogatiua primogenitus meruit nuncupari. Et verè ſanctum decus eius, de quo ſcriptum eſt reſurgente: Speciosus forma præ filiis hominum: quia ipſe eſt primogenitus ex mortuis, habens cornua vnicornui. Sed cùm dixerit cornua, quomodo poſuit vnicornui, requirendum, cùm ipſe vnicornuus inter generationes feratum, vt periti aiunt, non inueniatur? Et ideo verbum vnicum magis æſtimare debemus, quia ſubſtantiuum verbũ dei vnum eſt, non multa verba. Vnde & Anna ait: Dominus iudicat fines terræ, & dabit virtutem regi, & exaltabit cornu Chriſti. Et Eſaias ait: Vinea facta eſt delicto in cornu in loco vberi, quoniam in dei filio vnigenito floret eccleſia, tenẽs vnicum dei verbum, in quo eſt virtutis atque ſapientiæ plenitudo, cuius vbertate ſeges fidei pullulauit. Quod verbũ ſequuntur ſancti. Decem milia, inquit, Effrem, & milia Manaſſe, id eſt, & Iudæorum & Gentium dominetur, & ex vtroque populo acquirat ſibi eccleſiæ plenitudinem. Ideoque dexterã ſuam ſuper Effren poſuit ſanctus Iacob, eò quòd legis dicente eccleſia in Canticis canticorum: Frater meus cádidus & rubeus, electus ex decem milibus. Denique etiam Dauid iuuenculæ Mariæ authorem, & cuius ſucceſſione Chriſtus eſt natus per virginis partum, in decem milibus prędicabãt, Saul autem in milibus, cùm reuerentiæ gratiam circa regem magis præponere debuiſſent. Qui ergo cornu Chriſti exaltauerit cõfeſſus eius gloriam, ipſe quoque accipiet cornua. Vnde etiam ſancti vnicornui dicti ſunt in pſalmi verſiculo: Et dilectus quemadmodum filius vnicornuorum. Etenim ſicut animal huiuſmodi cùm ei oriuntur cornua, proceſſum ſignificat plenioris ætatis: ita cùm è capite quædam noſtræ animæ cornua pullulare cœperint, proceſſum videntur perfectioris ſignificare virtutis, & tamdiu creſcunt quàm diu compleantur. Hoc cornu dominus Ieſus comminuit gẽtes, vt ſuperſtitionem obtereret, ſalutem redderet, ſicut ipſe ait: Percutiam, & ſanabo. Ideoque tanquam imitator tauri huius propheta dicit: In te inimicos noſtros vẽtilabimus, id eſt, altitudinem omnem eleuantem ſe aduerſus dei ſcientiã deſtruẽtes. Et ideo iuxta legem munda animalia cornua habẽt. Lex enim ſpiritalis eſt. Qui enim poſſunt ſeculi huius illecebras verbo dei & virtutis obſeruãtia propulſare, cornibus velut quibuſdam capitis ſui armis videntur eſſe muniti. Meritóque & tuba cornea dicitur virtus ſermonis mirabilis, quæ bonos Chriſti milites accendit ad prælium, vt de hoſte diabolo manubias reportemus. In acie igitur ſumus, & plurimos ex nobis videmus in aduerſarij caſtris eſſe captiuos: hi nobis iugo grauiſſimo exuendi ſunt.

Psal. 88. Psal. 45. Deut. 33. Psal. 91.

De benedictione Beniamin, & myſtica repræſentatione eiuſdem. *Cap. XII.*

PLurimos lupos habet diabolus, quos ad Chriſti oues dirigit, & ideo intelligibilis Ioſeph vt oues ſeruaret ſuas, ipſum inimicũ venienté ad diripiẽdas oues rapuit lupum Paulum, faciens ex perſecutore doctorem. De quo dicit Iacob, ſicut ſcriptum eſt: Beniamin lupus rapax manè edet adhuc, & ad veſperum diuidet eſcam principibus. Lupus erat cum diſpergeret & deuoraret oues eccleſiæ. Sed qui lupus venerat, paſtor eſt factus. Lupus erat cùm Saulus erat, quãdo intrabat in domos, & viros ac mulieres trahebat in carcerem. Lupus erat quando ſpirãs minas & homicidia in diſcipulos domini, petebat epiſtolas à principe ſacerdotum, vt inuaderet ſeruos Chriſti. Quem tanquam lupum nocturnis tenebris oberrantem offuſa Ieſus luce cæcauit. Ideo Rachel cùm pareret Beniamin, vocauit nomen eius, filius doloris mei: futurũ prophetans ex ea tribu Paulum, qui affligeret filios eccleſiæ perſecutionis ſuæ tempore, & graui matrem dolore vexaret. Sed tamen idem poſtea principibus eſcam poſteriore diuiſit tem-

Gene. 49. Actu. 9.

sit tempore, euãgelizans gentibus dei verbum, & plurimos ad fidem prouocans, qui eo disputante, sicut legatus Pauli proconsulis, & Publius princeps, domini gratiam recepe-runt. Pulchrè etiam Moyses cum benediceret Bẽiamin tri-bum, dixit: Dilectus à domino, habitabit fidens, & deus ob-umbrabit super eum omnibus diebus, & inter humeros re-quieſcet dilectus à domino. Qui etiam vas electionis est fa-ctus. Neque enim aliter nisi domini est miseratione & amo re conuersus. Vnde & ipse nihil merito tribuens suo, sed to tum deferens Christo ait: Ego enim sum minimus apostolo rum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam perse cutus sum ecclesiam dei. Gratia autẽ dei sum id quod sum, & gratia eius egena in me non fuit. Habitabit fidens in do-mo quâ antè vastabat, habitabit in tabernaculis Christi, qui antè sicut lupus errabat in syluis. Et deus obumbrauit super eum, quando visus est ei Christus. Qui licet apertis oculis videret nihil, tamen Christum videbat. Et meritò videbat præsentem, quem etiam audiebat loquentem. Non cæcita-tis est obumbratio ista, sed gratiæ. Denique Mariæ dicitur: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obum-brabit tibi. Et inter humeros requieſcet, hoc est inter bonos actus, & opera preciosa. Nam & suprà habes quòd Isachar suppositi humerum suum ad laborandum, & factus est vir agricola. Quem Paulus imitatus posuit fidei nouella plan-taria, ideoque quasi bonus agricola dixit: Ego plantaui, A-pollo rigauit.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE NABVTHE Iezraelita.

Quomodo exemplo Nabuthe & Achab regis Israel pauperes quotidie à diuitibus opprimantur, cùm tamen natura omnes æquales produxerit. Caput I.

Quòd homines quanto ditiores censu, tãto pauperiores affectu. Et quos insatiabilis auaritia gradus habeat. Et quid hęc vox, da mihi, præ se ferat. Caput II.

Quòd omnia animantia socialia sint, & cõmercium viuẽdi quærant: solus autem homo consortẽ exclaudat, solúsque omnia possidere contendat. Et quàm turpe sit agrum pa-ternum pro vili vsu alienare. Cap. III.

De reprehensione diuitum, qui magis alienum quàm suum panem manducant, & quòd ideo miseræ luant paupertatis ærumnas. Cap. IIII.

Quòd mensa diuitum, multorum pauperum instruitur san-guine. Et de patre qui cogebantur à diuite, cuius mensæ vinum defuit, vt filium venderet. Et quomodo sæpe mu-lieres incitamenta sint extorsionis à pauperibus. Cap. V.

Quòd nullæ diuitiæ aliquid conferre possint contra immi-nentem fati necessitatẽ, & vnde diuites appellẽtur. Quód que diues dormire non possit, nec ipse se quietum esse pa-tiatur. Cap. VI.

Quòd diuites qui humanitatis prędicatiõe imitari deberẽt sanctũ Ioseph, potius de bonis faciant mala, quàm de ma-lis bona acquirant, & in quæ horrea diuites frumenta cõ-dere debeant. Cap. VII.

De admonitione diuitis vt timeat, & spe vana non fallatur, ac reprehensione eorum qui dicunt nihil dandum paupe-ribus, quia deus eos maledixerit vt egerent. Cap. VIII.

Quomodo Iezabel quæ est auaritia, promittat diuitibus cõ-tra iustitiam possessionem quam desiderant. Cap. IX.

De consuetudine diuitum qui contristantur si aliena rapere non possunt. Et quid facere debeant vt deus vel eorũ pre-ces exaudiat, vel eorum ieiunium respiciat. Cap. X.

Quid est quod duo falsi testes attestati sunt Nabuthe deum benedixisse & regem. Et quomodo diuites cùm calumnia ti nocuerint, simulent se dolere. Et quid sibi velit quòd meretrices lauerunt se in sanguine Achab. Cap. XI.

Quòd omnis auarus pauperiorem se iudicet, eò quòd sibi deesse arbitretur quicquid ab aliis possidetur: & quomo-do Helias Achab inuenisse dicatur. Quomodo etiam di-ues puteum suum exundantem vsu aliquo exercere, non ocio corrumpi sinere debeat. Cap. XII.

Quòd stulta sit superbia diuitum gloriantium de nobilita-tis prosapia. Et quòd meritum hæredum non in auro, sed in virtute consistat. Cap. XIII.

Quomodo diuites custodes sint & serui diuitiarum: & ideo illas potius pauperibus erogare debeant pro melioribus rebus acquirendis. Et de pauperibus abundantibus, & diuitibus egentibus. Cap. XIIII.

Quòd omnes viri diuitiarum insipientes, dicantur, & cor-de turbati, & quomodo dormiant somnum suum. Quo-modo etiam dormitarint qui ascenderunt equos. Caput XV.

Quomodo diuites quieſcere & feriari debeant à flagitiis, & confiteri domino in fide, humilitate, & deuota oratione. Et quòd multi diuites propter perfidiam perierint. Caput XVI.

Quemadmodum Achab dicatur cõmotus ante faciem dei, vt in diebus eius non inducerentur super eum mala. Et quod dominus etiam circa indignos promissa sua seruet. Caput XVII.

Diui Ambrosij

MEDIOLANEN. EPISCOPI,

de Nabuthe Iezraelita Liber vnus.

Quomodo exemplo Nabuthe & Achab regis Israel, pauperes quotidie à diuitibus opprimantur, cùm tamen natura omnes æquales produxerit. Caput I.

NAbuthe historia tempore vetus est, vsu quotidiana. Quis enim diuitum non quotidie concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem auiti ruris eliminare finibus? Quis contentus est suo? Cuius non inflãmat diuitis animum vicina possessio? Non igitur vnus Achab natus est, sed quod peius est, quotidie Achab nascitur, & nunquam huic seculo moritur. Si vnus occidat, assurgunt plurimi: plures qui rapiant, quàm qui amittant. Non vnus Nabuthe pauper occisus est: quotidie Nabuthe sternitur, quoti die pauper occiditur. Hoc metu percitum humanum genus cedit iam suis terris, migrat cum paruulis pauper onustus pignore suo, sequitur vxor illachrymans tanquam ad bustum prosequatur maritum. Minus tamen deplorat illa, quæ deflet suorum funera: quia etsi amisit coniugis præsidium, sepulchrum patet: etsi filios non tenet, tamen exules non dolet, non ingemit grauiora funeribus teneræ prolis ieiunia. Quousque extenditis diuites insanas cupiditates? Nunquid soli habitabitis super terram? Cur eiicitis consortem naturæ, & vindicatis possessionem naturæ? In commune omnibus diuitibus atque pauperibus terra fundata est. Cur vobis ius proprium soli diuites arrogatis? Nescit natura diuites, quę omnes pauperes generat. Neque enim cum vestimentis nascimur, nec cum auro argentoq; generamur. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra quos edidit, nescit fines possessionum sepulchro includere. Cespes angustus æquè & pauperi abundat & diuiti: & terra quæ viuentis non cepit affectũ, totũ iã diuitem capit. Nescit ergo natura discernere quando nascimur, nescit quando defecimus. Omnes similes creat, omnes simili gremio claudit sepulchri. Quis discernat species mortuorũ? Redoperi terram, & si potes diuitem deprehende. Eruderato paulopost tumulum, & si cognoscis, egentem argue: ni si fortè hoc solum, quòd cum diuite plura pereunt. Sericæ vestes, & auro intexta velamina, quibus diuitis corpus ambitur, damna viuentium, non subsidia defunctorum sunt.

Vnguen-

Vnguentum accipis diues postquàm mortuus es,& fœtidus es:perdis alienam gratiam,nec acquiris tuã.Hæredes relinquis qui litigent cum hæredibus, relinquis depositum magis hæreditarium quàm cõmodum voluntarium, qui quod relictum est minuere ac violare formident. Si frugi hęredes sunt,custodiunt:si luxurioſi,exhauriunt. Itaque aut bonos hæredes perpetua condemnas solicitudine, aut malos dimittis,quo tua facta condemnent.

Quòd homines quanto ditiores censu, tanto pauperiores affectu. Et quos insatiabilis auaritia gradus habeat. Et quid hæc vox,da mihi,præ se ferat. Cap. II.

SEd quid arbitraris quòd dum viuis abũdas omnibus?O diues,nescis quã pauper sis,quàm inops tibi ipsi videaris,qui te diuitẽ dicis?Quãto plus habueris,plus requiris:& quicquid acquisieris,tamẽ tibi adhuc indiges.Inflammatur lucro auaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet:quo plures ascẽderit,eo ad altiora festinat, vnde sit grauis ruina lapsuro.Tolerabilius tamen iste cùm minus haberet,census contemplatione mediocria requirebat. Accessione patrimonij acceſſit cupiditatis augmentum.Non vult esse degener votis,pauper in desideriis.Ita duo intolerabilia simul iũgit, vt ambitiosam spem diuitis augeat,& non deponat mendicitatis affectum.Denique docet nos scriptura diuina quàm miserè egeat,mẽdicet abiectè.Rex Achab in Israel erat,& pauper Nabuthe.Ille regni opibus affluebat,& tamen cespitem pauperis flagitabat:pauper nihil de possessionibus concupiuit diuitis.Rex sibi egere visus est,quia vineã habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur?qui contentus est suo,an qui concupiscit alienum?Alter certè pauper censu videtur,alter pauper est affectu.Affectus diues egere non nouit,census abundans nequit auari pectus explere.Ideoq; diues cupidus in inuidia possessionis, & paupertatis querela est.Sed iam scripturæ verba cõsideremus. Et factum est, inquit,post hæc verba: Erat vinea Nabuthe Iezraelitę in Israel iuxta domũ Achab regis Samariæ.Et locut⁹ est Achab ad Nabuthe dicens: Da mihi vineam tuam, & erit mihi in hortum olerũ,quoniã propinquat domui meæ,& dabo tibi pro ea aliam vineam.Si verò placuerit tibi,dabo tibi pecuniam pro vinea ista,& erit mihi in hortum olerum.Et dixit Nabuthe ad Achab:Non fiat hoc à deo,vt dem tibi hæreditatem patrum meorum.Et turbatus est spiritus eius,& dormiuit in lecto suo,& velauit faciem suam,& nõ mãducauit panem. Expoſuerat suprà scriptura diuina quia Helisæus cũ esset pauper,reliquit boues suos, & cucurrit ad Heliam, & occidit eos,& erogauit populo,& adhæsit prophetæ.Ad cõdemnationem igitur præmissa sunt diuitis qui in isto rege describitur, eò quòd habens beneficia dei,sicut iste Achab, cui dominus & regnum donauit,& pluuiam Heliæ vatis oratione concessit, diuina mandata violauerit.Audiamus ergo quid dicat:Da mihi,inquit.Quę alia vox egẽtis est?Quæ vox alia stipem publicam postulantis,nisi,da mihi?Hoc est, da mihi,quia egeo. Da mihi, quia aliud viuendi subsidium habere non possum.Da mihi,quia non est mihi panis ad victum,nummus ad potum,sumptus ad alimentum,ad indumentum substantia.Da mibi,quia tibi dominus dedit vnde largiri debeas,mihi non dedit.Da mihi:nisi tu dederis, habere non potero.Da mihi,quia scriptum est: Date eleemosynam. Hæc quàm abiecta, quàm vilia? Non habent enim humilitatis affectum,sed cupiditatis incendium.In ipsa autem deiectione quanta impudentia? Da mihi,inquit,vineã tuam.Confitetur alienam,vt poscat indebitam.Et dabo,inquit, tibi pro ea aliam vineam. Diues quod suum est quasi vile fastidit,quod alienum est quasi pretiosissimum concupiscit. Si verò placuerit tibi,dabo tibi pecuniam. Citò reprehendit errorem suum, pecuniam offerendo pro vinea. Nihil enim vult alienum possidere,qui totum desiderat suis possessionibus occupare.

Quòd omnia animantia socialia sint, & commercium viuendi quærant: solus autem homo consortem excludat, solúsque omnia possidere contendat. Et quàm turpe sit agrum paternum pro vili vsu alienare. Cap. III.

1108

ET erit mihi,inquit in hortum olerum.Hæc erat igitur omnis insania, hic omnis furor, vt spatiũ vilibus oleribus quæreretur.Non tam ergo ipsi cupitis quasi vtile possidere, sed alios vultis excludere.Maior vobis cura de pauperum spoliis,quàm de vestris emolumentis est.Iniuriam vestram putatis si quid pauper habeat quod dignum possessione deuitis æstimetur.Nolite hoc facere,quia deus pauperem non spernit. Damnum vestrum creditis quicquid alienum est. Quid vos delectant naturæ dispendia?Vniuersis creatus est mũdus, quem pauci diuites vobis defendere conamini.Non enim terrena tantũ possessio,sed cœlum ipsum aër,mare,in vsum paucorum diuitum vindicatur.Hic ager quem tu diffusis includis possessionibus,quantos alere populos potest?Nunquid angeli diuisa cœli spatia habent,vt tu terram positis distinguas termis? Clamat propheta: Væ iis qui iungunt domum ad domũ, & villam ad villam.Arguit eos inefficacis auaritiæ.Fugiunt enim cohabitare hominibus,& ideo excludunt vicinos.Sed fugere non possunt:quia cùm hos excluserint,alios rursum inueniunt:& cum illos propulsauerint,ad aliorũ necesse est eos viciniam peruenire.Soli enim super terram habitare nõ possunt. Auis auibus se associat:denique ingentis plerunq; agminis volatu cœlum obtexitur:pecus pecori adiungitur, piscis piscibus,nec damnum ducunt, sed commercium viuẽdi cùm plurimum comitatum capessunt, & quoddã munimentum solatio frequentioris societatis affectant. Solus tu homo consortem excludis,includis feras, struis habitacula bestiarum,destruis hominum.Inducis mare intra prædia tua,ne desint beluæ:producis fines terræ, ne possis habere finitimum. Audiuimus vocem diuitis aliena quærẽtis. Audiamus vocem pauperis propria vindicantis. Non fiat, inquit,hoc à deo, vt dem tibi hæreditatem patrum meorũ, quasi quandam contagionem sui pecuniam esse diuitis arbitretur.quasi dicat:Pecunia tua tecum sit in perditionẽ.Ego autem hæreditatem patrum meorum non possum vendere. Habes quod sequaris diues si sapias, vt non vendas agrum tuum pro nocte meretricis,non transfundas ius tuum prosumptu comessationis,deliciarúmque impensis,non adiudices domum tuam ad ludum aleæ,ne ius hęreditariæ pietatis amittas.His auditis turbatus est spiritus auari regis:& dormiuit in lecto suo,& velauit faciem suam,& non manducauit panem suum.Lugent diuites si non potuerint aliena diripere,si suis pauper non cesserit facultatibus, vim mœroris tegere non possunt. Dormire desiderant, velant faciem suam, ne quicquam in orbe terrarum alienum videant, ne quicquam in hoc mundo non esse suum nouerint, ne audiant vicinum iuxta se aliquid possidere,ne audiant pauperem sibi contradicentem. Horum sunt animæ, quibus dicit propheta:Mulieres diuites exurgite.

De reprehensione diuitum, qui magis alienum quàm suum panem manducant, & quod ideo miseræ luant paupertatis ærumnas. Cap. IIII.

ET non manducauit, inquit,panem suum,quoniam quærebat alienum.Etenim diuites magis alienum panem quàm suum manducant,qui raptu viuunt, & rapinis sumptum exercent suum.Aut certè non manducauit panem suum, volens se morte mulctare, quòd ei aliquid negaretur. Compara nunc affectum pauperis. Nihil habet, & ieiunare voluntarius nisi deo nescit, ieiunare nisi ex necessitate non nouit. Diuites eripitis quidem pauperibus vniuersa,aufertis omnia, nihil relinquitis: pœnam tamen pauperum vos potius diuites sustinetis. Illi ieiunant, cùm non habent:vos,cum habetis.A vobis igitur prius pœnam exigitis,quàm pauperibus irrogetis.Vos igitur vestro affectu luitis miseræ paupertatis ærumnas,& pauperes quidem non habent quo vtantur: vos autem nec ipsi vtimini, nec alios vti sinitis.Eruitis aurum de metalli venis,sed rursum absconditis.Quantorũ vitas in illo infoditis auro? Cur illa seruantur,cùm legeritis de auaro diuite,Thesauros condit,& ignorat cui congregat eos? Hæres ociosus expectat, hæres fastidiosus increpat quòd serò moriamini.Odit increpat quòd serò moriamini.Quid igitur miserenta hæreditatis suæ,ad damna festinat. Quid igitur miserrius,quando nec apud illũ cui laboratis,gratias derelinquitis?

1109

tis:Propter illum totis mœstam diebus toleratis famẽ,coti
diana mensæ vestræ damna metuentes.Propter illum diur-
na † adamatis ieiunia.Noui ego diuitem in agrũ proficiscẽ-
tem,panes breuiores vrbe delatos numerare solere, vt pro
numero panis estimaretur quot dies in agro futurus esset.
Nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito
minueretur.Panis vnus singulis diebus deputabatur,qui te-
nacem vix satiare posset.Comperi etiam viri fidem,si quan
do ei ouum esset appositũ,queri quod pullus esset occisus.
Hoc ideo scribo,vt cognoscatis vindicem esse dei iustitiam,
quæ lachrymas pauperum vestro vlciscatur ieiunio.

Quòd mẽsa diuitum,multorum pauperum instruitur sanguine.
Et de patre qui cogebatur à diuite cuius mẽsæ vinum defuit,
vt filium venderet.Et quomodo sæpe mulieres incitamenta
sint extorsionis à pauperibus.

Caput V.

QVam religiosum esset ieiunium,si sumptum cõ-
uiuij tui deputares pauperibus. Tolerabilior iam
diues ille cuius de mensa ea quæ cadebant, pau-
per Lazarus colligebat, saturari cupiens:sed etiã
ipsius mensa multorũ pauperum constabat sanguine,& ip-
sius pocula multorũ quos ad laqueum coëgerat,† rubebant
cruore.Quanti necãtur vt vobis quòd delectat paretur? Fu-
nesta fames vestra, funesta luxuries. Ille de summis culmi-
nib⁹ ruit,vt frumẽtis ampla vestris receptacula præpararet.
Ille de sublimi arboris cacumine decidit, dum genera vua-
rum explorat quæ deferat,quibus digna conuiuio tuo vina
fundantur. Ille mari mersus, dum veretur ne piscis mensæ
tuæ desit aut ostrea.Ille brumali frigore dum lepores inue-
stigare,aut laqueis studet aues captare,diriguit. Ille ante o-
culos tuos,si quid forte displicuit, verberatur ad mortem,
atque ipsas epulas fuso respergit cruore. Deniq; diues erat
qui sibi ad mensam caput prophetę pauperis iussit afferri,&
aliud vnde saltatrici prẽmium solueret non inuenerat, nisi
vt pauperem iuberet occidi. Vidi ego pauperem duci dum
cogeretur soluere quod nõ habebat,trahi ad carcerem quia
vinum deesset ad mẽsam potentis, deducere in auctionem
filios suos,vt ad tempus pœnam differre posset,inuentũ for
te aliquem qui in illa necessitate subueniret. Redit ad hospi
tium cum suis pauper direpta spectãs omnia,nihil sibi ad ci
bum relictum,ingemiscens filiorum famẽ,dolens quod eos
non potius ei qui possit pascere vendidisset.Redit ad consi-
lium,vendendi sumit arbitrium.Compugnabant tamẽ inop-
tæ iniuria, & paternæ pietatis gratia:fames vrgebat ad pre
cium,natura ad officium:cõmori filiis paratus,quàm à filiis
separari,sæpe gradum protulit,sæpe reuocauit.Vicit tamen
in eo necessitas,nõ volũtas,& ipsa cõcessit pietas necessita-
ti.Consideremus nunc patriæ mentis procellas exæstuantis
quem de liberis prius traderet.Quem,inquit,vendam prio-
rem?Scio enim quod non satis est vnius precium ad pastum
reliquorum,Hoc solum diues fœcunditas ad ærũnam.Quẽ
offeram:Quem frumenti auctionator libenter aspiciat?Pri-
mogenitum offeram?Sed primus me patrẽ vocauit.Hic est
maior ex filiis,quem congruẽ honoro seniorem.Sed iunio-
rem dabo?At istum teneriore amore complector.Illum eru
besco,huius misereor.Illius gradum suspiro,huius ætatem.
Ille iam sentit ærumnã,iste ignorat.Flectit me illius dolor,
huius insciția.Ad alia me conferam.Ille mihi plus blãditur,
iste plus verecnndatur.Ille parenti similior,hic vtilior. In il
lo imaginem meam vendo,in isto spem meam prodo. Me
miserum,non inuenio quid faciam,non habeo quid eligã.
Circunuallant me facies calamitatum,ærumnarum chorus.
Fetina hæc rabies est,eligere quem tradas. Feræ ipsæ cũ pe-
ricula imminere proli ac sibi sentiunt,solẽt eligere quos li-
berent,nõ quos offerant.Quomodo igitur discernam affe-
ctum naturæ?Quomodo obliuiscar, quomodo exuã patris
mentem?Quomodo filij auctionem constituã?Quo sermo-
ne paciscar precium? Quibus tradã manibus in seruitutem
filium?Quibus oculis aspiciam seruientem? Quibus oculis
discedenti vale dicam? Quibus factũ excusem sermonibus?
Fili,ego te pro meo cibo vendidi? Funestior ergo iam pau-
peris mensa,quàm diuitis.Ille addicit alienos,ego meũ ven-
do.Ille necessitatem imponit,ego affero voluntatem.Vt sit
excusabilior causa,adiiciã: Fili pro fratribus tuis seruies, vt
illis quærantur alimenta.Et Ioseph à fratribus suis in serui-
tutẽ venuudatus est,postea & ipsos & patrẽ pauit.Respon-
debit & ille:Sed nõ eũ vẽdidit pater,sed fleuit amissum.Sed
postea etiã ipsi in potestatem diuitis venerunt,& vix potue
rũt postea liberari. Genus eius diuitiis Ægypti multa ætate
seruiuit.Vende me postremo pater ea cõditione, ne diuites
emãt.Hæc si fateor, verum quid faciã? Nullum vendã.Sed
cùm vnũ cõsidero,omnes videbo fame pereuntes. Si vnum
tradã, quibus oculis videbo cæteros de mea impietate su-
spectos,ne alios quoq; vẽdã? Quo pudore regrediar domũ?
Quomodo intrabo? Quo habitabo affectu, qui mihi able-
gaui filiũ quẽ nõ morbus absumpsit,nõ mors abstulit? Qua
cõscientia cõsiderabo mensam meã, quã sicut nouellæ oli-
uarũ in circuitu tot filij vestiebãt? Hæc pauper te præsente
deplorat,& tibi auaritia aurem obstruit,nec mens tua facti
miserabilis horrore mollitur.Totus populus ingemiscit,&
solus diues nõ flecteris,nec audis scripturã dicentem:Perde
pecuniã propter fratrem & amicum,& nõ abscõdas eã sub
lapide in mortẽ.Et quia non audis,ideo exclamat.Eccleſia-
stes dicens:Est lãguor malus quem vidi sub sole,diuitias cu
stodiri in malũ possidentis eas.Sed fortasse redeas domum,
cum vxore cõferas: illa te hortetur vt redimas venundatũ?
Imò magis hortabitur vt mundum muliebrem cõferas.Vn-
de potest vel pauper pauperem liberare? Illa tibi imponit
sumptuum necessitatem,vt gemma bibat,in ostro dormiat,
in argentea spõda recumbat,auro oneret manus, ceruicem
monilibus.Delectãtur & cõpedibus mulieres,dũmodo au-
ro ligẽtur.Nõ putãt onera esse si preciosa sint,nõ putãt vin-
cula esse,si in his thesauri coruscent.Delectãt & vulnera,vt
aurum auribus inseratur,& margaritæ dependeant.Habent
& gemmæ pondera sua,habent & vestimẽta frigora sua.Su
datur in gemmis, algetur in sericis:tamen precia iuuant: &
quæ natura auersatur,commendat auaritia. Smaragdos, &
hyacinthos,beryllum,achaten,topazion,amethystũ,iaspin,
sardium, summo quærunt furore:vel si dimidiũ patrimonij
petatur,non parcunt dispendio, dum indulgent cupiditati.
non abnuo gratiam quandam,lapidum istorum esse fulgo-
rem,sed tamen lapidum. Nec ipsi admonent contra naturã
expoliti vt saxorum deponerẽt asperitatem, rigorem magis
mentis esse expoliendum quàm lapidum.

Quòd nullæ diuitiæ aliquid conferre possint contra imminen-
tem fati necessitatem. & vnde diuites appellentur.Quod-
que diues dormire non possit, nec ipse se quietum esse patia-
tur. *Cap. VI.*

QVis artifex vnum diem vitæ hominis potuit a-
diungere?Quem diuitiæ eius ab inferis redeme-
rũt?Cuius ægritudinem pecunia mitigauit? Nõ
in abundãtia diuitiarum,inquit,vita eius.Et ali-
bi:Nihil prosunt thesauri iniusti,iustitia autẽ liberat à mor-
te.Meritò clamat propheta:Diuitiæ si affluãt,nolite cor ap-
ponere.Quid enim mihi prosunt, si me à morte liberare nõ
possunt?Quid mihi prosunt si mecum post mortem esse nõ
possunt?Hic acquiruntur, hic relinquũtur.Somnium igitur
loquimur,nõ patrimonium. Vnde bene ait idẽ propheta de
diuitibus : Dormierunt somnum suum,& nihil inuenerunt
omnes viri diuitiarũ in manibus suis.Hoc est dicere : Nihil
inuenerũt in operibus suis diuites,qui nihil pauperibus cõ-
tulerunt.Nullius iuuerũt inopiam,nihil ad vtilitatem suam
proficientes reperire potuerunt. Ipsum nomen considera.
Ditem dicunt gentiles inferni præsulem, arbitrum mortis
ditem appellãt & diuitem. Quid nisi mortem diues inferre
nouerit,cui regnum de mortuis,cui sedes inferna sint?Quid
est enim diues,nisi quidam inexplebilis gurges diuitiarum,
inexplebilis auri fames ac sitis? Quo plus hauserit, plus i-
nardescit.Sic propheta admonet:Qui diligit argentum,non
satiabitur argento. Et infra idem : Equidem hic pessimus
languor.Sicut enim fuit, ita & abiit,& abundantia eius la-
borat in ventum. Equidem omnes dies eius in tenebris &
luctu,& iracundia multa, & languore & ira. Tolerabilior
conditio seruulorum.illi enim hominibus seruiunt,iste pec
cato.Sic,inquit,Apostolus:Qui enim facit peccatũ, seruus
est peccati.Sẽper in laqueis,semper in vinculis est:nũ quàm
liber

Eccli.29.
Eccles.5.
Prouer.10.
Psal.61.
Psalm.75.
Eccles.5.
Rom.6.
Ioan.8.

liber à compedibus,quia ſemper in criminibus. Quàm miſera ſeruitus, ſeruire peccatis. Naturæ ipſius neſcit munia, nec ſomni ipſius nouit vices,aut cibi fungitur ſuauitate,cuius nullum eſt immune ſeruitiũ.Dulcis enim ſomnus ſerui, & ſi modicum vel multũ edat.At ſatiato diuitiis,nõ eſt qui eum ſinat dormire.Excitat eũ cupiditas, exagitat cura peruigil alicna rapiendi,torquet inuidia,mora vexat, ſterilitas prouentuum infœcunda perturbat,ſolicitat abundãtia.Vnde illi diuiti,cuius poſſeſſio vberes fructus attulit,qui cogitauit dicens:Quid faciam quòd non habeo quò congregem fructus meos?& dixit:Hoc faciam,deſtruam horrea mea,& maiora faciam,illò congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & dicã animæ meæ: Anima, habes multa bona in annos multos poſita:requieſce,mãduca,bibe,epulare. Reſpondit deus:Stulte,hac nocte animã tuã repetunt à te:quæ autẽ parasti,cuius erunt?Ne ipſe quidem deus eũ dormire permittit.Interpellat cogitantem,excitat dormientem.Nec ipſum quietum eſſe patitur,qui de abundantia diuitiarum ſuarum ſolicitatur, & in vbertate fructuum vocem egentis emittit.Quid faciam?inquit. Nonne hæc pauperis vox eſt, non habentis ſubſidia viuendi? Egens omnium huc atque illuc reſpicit,ſcrutatur hoſpitium,nihil inuenit ad vſum alimẽti, conſiderat nihil miſerius quàm fame confici,& cibi indigẽtia mori.Quærit mortis compendia,& tolerabiliora abeundi ſupplicia rimatur. Arripit gladium,ſuſpendit laqueum,ignẽ adolet,explorat venenum : & inter hæc quid eligat dubius dicit,Quid faciam?Deinde vitæ huius ſuauitate reuocatus,cupit reuocare ſententiam, ſi poſſit viuẽdi ſubſtantiã reperire.Aſpicit nuda omnia,vacua omnia,& ait : Quid faciam?Vnde mihi alimenta?vnde veſtitus?Volo viuere,ſi habeam quomodo poſſim vitam hanc ſuſtinere. Sed quibus cibis?quibus ſubſidiis?Quid faciam,inquit,quòd nõ habeo? Clamat ſe diues non habere. Paupertatis hic ſermo eſt,de inopia queritur abundans fructibus.Nõ habeo,inquit,quo congregem fructus.Putares illum dicere : Non habeo fructus,vnde viuendum eſt mihi?Beatus qui de abundãtia periclitatur:imò miſerior iſte fœcunditatibus ſuis,quam pauper,cui periculum de egeſtate eſt. Habet ille vnde excuſet ærumnam,habet certè iniuriam,non habet culpam, iſte nõ habet quem prærer ſe arguat.Et dixit:Hoc faciam, horrea mea deſtruam. Putes adhuc dicere illum : Aperiam horrea mea,ingrediantur qui tolerare famem non queunt,veniant inopes,intrent pauperes,repleant ſinus ſuos.Deſtruãt* parietes,qui excludunt eſuriẽtes.vt quid ego abſcondam, cui deus facit abundare quod largiar? Vt quid repagulis portarum claudam frumenta, quibus deus totum repleuit camporum ambitum, quæ ſine cuſtode naſcuntur & victu abundant?

Eccli. 5.

Luca 12

* Deſtruan tur.

Quod diuites qui humanitatis prædicatione imitari deberent ſanctum Ioſeph,potius de bonis faciant mala,quàm de malis bona acquirant, & in quæ horrea diuites frumenta condere debeant. Cap. VII.

VIcta eſt ſpes auari ſi reſpicit pauperem. Rumpuntur vetuſta horrea meſſibus nouis. Minus habui,& fruſtra ſeruaui:plus natum eſt,cui cõgregabo? Dum increméta preciorum aucupor, amiſi vſum beneficiorum. Quantas anni ſuperioris frumento animas pauperum reſeruare poſſem?Hæc me magis delectarent pretia,quæ nõ nũmo æſtimantur, ſed gratia.Imitabor ſanctum Ioſeph humanitatis prædicatione,clamabo voce magna:Venite pauperes, edite panes meos,expandite gremium,ſuſcipite frumẽtũ.Fœcũditas diuitis,totius orbis abundantia,omniũ debet eſſe fertilitas.Tu verò non hoc dicis,ſed ais:Deſtruam horrea mea.Rectè deſtrues ea,quibus nullus pauper onuſtus reuertitur . Horrea iniquitatis ſunt receptacula,non pietatis ſubſidia.Rectè deſtruet,qui ſapiẽter ædificare nõ nouit.Deſtruet ſua diues,qui neſcit æterna. Deſtruet horrea,qui nõ nouit ſua frumẽta diuidere,ſed claudere.Et maiora,inquit, faciã.Infelix, vel id diſpenſato pauperibus,quod pro ſumptu ædificationis impendis.Dũ liberalitatis gratiã refugis,dãna ædificationis reſoluis. Et addidit:Illò congregabo omnia quæ nata ſunt,mihi,& dicã animæ meæ:Anima, habes multa bona.Cõfitetur auarus sẽper vbertatẽ prouentuũ, dum vilitatẽ † alimoniæ calunniatur. Fœcunditas enim vniuerſorum eſt, ſterilitas ſoli auaro eſt quæſtuoſa.Delectatur magis enormitate preciorum,quàm abundantia copiarum:& mauult habere quod ſolus,quàm quod cum omnibus vendat.Vide timentẽ ne ſuperfluat cumulus frumentorum, ne ſuper horrea redundans transfundatur in pauperes,& boni alicuius occaſio indigentibus acquiratur.Soli ſibi partus terrarum vindicat diues, nõ quod vt ipſe velit,ſed aliis, denegare.Habes, inquit,multa bona. Neſcit auarus bona, niſi ea quæ quæſtuoſa ſunt nominare. Sed acquieſco ei,vt bona dicãtur quæ ſunt pecuniaria. Cur ergo de bonis facitis mala,cùm de malis bona facere debeatis?Scriptum eſt enim:Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis.Ei ergo qui vti ſciat,multa bona ſunt:ei qui vti neſciat,rectè mala.Diſperſit dedit pauperibus,iuſtitia eius manet in æternũ. Quid hoc melius bono, ſi pauperibus largiris,in quo tibi debitorem deum quadam pietatis fœneratione conſtituas?Bona ſunt ſi aperias horrea iuſtitiæ tuæ,vtſis panis pauperum,vita egentium, oculus cæcorum,orbatorum infantiũ pater.Habes vnde facias, quid vereris? Tua te voce conuenio.Habes multa bona in annos multos poſita,potes & tibi & aliis abundare.Habes fœcunditatem publicam,quid deſtrues horrea tua? Oſtendo tibi vbi melius tua frumenta cuſtodias,vbi bene ſepias,vbi fures ea tibi auferre non poſſint.Include ea in corde pauperum , vbi nulla tinea,nullus gurgulio conſumat,nulla corrompat vetuſtas. Habes apothecas inopum ſinus,habes apothecas viduarum domos,habes apothecas ora infantium orphanorum,vt dicatur tibi:Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudẽ. Iſtæ ſint tibi apothecæ,quæ maneãt in æternum:iſta ſint tua horrea,quæ fœcunditas futura non deſtruat.Nam quid iterum facias ſi tibi plus natum fuerit anno ſequenti?Iterũ ergo & illa deſtrues,quæ nunc facere paras,& maiora facies. Dat enim tibi fœcunditatem deus,vt aut vincat aut condẽnet auaritiam tuam,quo excuſationẽ habere non poſſis.Tu verò quod per te multis naſci voluit, tibi ſoli reſeruas, imò & tibi ipſi adimis.Magis enim ſeruares tibi,ſi diſpertires aliis.Bonorum enim fructus munerum in eoſipſos qui cõtulerunt,conuertuntur,& gratia liberalitãtis in authorem boni operis redit.Denique ſcriptum eſt:Seminate vobis adiuſtitiam.Eſto ſpiritalis agricola,ſere quod tibi proſit. Bona ſatio in corde viduarũ . Si terra tibi reddit fructus vberiores quam acceperit, quanto magis miſericordiæ remuneratio reddet multipliciora quæ dederis?

Luca 12.

A

B

C

D

† vilitatem alimoniæ Calcaria.

Luc. 1.

Pſal. 40.

Luca 12.

Oſea 10.

De admonitione diuitis vt timeat,& ſpe vana non fallatur, ac reprehenſione eorum qui dicunt nihil dandum pauperibus quia deus eos maledixerit vt egerent. Cap. VIII.

DEinde homo neſcis quia terræ partum præuenit dies miſericordia autem incurſum mortis,excludit?Aſſiſtunt iam qui repoſcũt animã tuã,& tu adhuc differs operum fructus tuorũ?Adhuc tu tibi tẽpora viuẽdi lõga meditaris? Stulte hac nocte anima tua auare repoſcitur,à tenebris incipit, & in tenebris perſeuerat. Auaro ſemper nox eſt, dies iuſto,cui dicitur:Amẽ amẽ dico tibi,hodie mecum eris in paradiſo.Stultus ſicut Luna mutatur: iuſti autẽ fulgebũt ſicut Sol in regno patris eorũ . Rectè arguitur ſtultitiæ,qui in mãducãdo & bibẽdo locarit ſpẽ ſuã.Et ideo ei tẽpus mortis vrgetur , ſecundũ quod delictũ eſt ab ipſis qui gulæ ſertiuiũt:Mãducemus & bibam⁹:cras enim moriemur.Stultus, quia animæ ſuæ corporalia ſubminiſtrat,quia recondit quę cui ſeruet ignorat.Et ideo ei dicitur:Quæ autẽ parasti,cuius erũt?Quid quotidie metiris,& numeras,& oblignas? Quid aurum trutinas,argentum põderas?Quanto melius eſt liberalem eſſe diſpenſatorem,quam ſolicitum cuſtodẽ?Quantũ tibi prodeſſet ad gratiã, multorum pupillorum patrem nominari,quã innumeras ſtateras in ſacculo obſignatas habere.Pecunia enim hic relinquitur:gratia autem operum bonorum nobiſcum ad iudicẽ meriti defertur.Sed fortaſſe dicas,quod vulgo ſoletis dicere:Non debemus ei donare,cui deus ita maledixit,vt eũ egere vellet.Sed nõ pauperes male dicti,cùm dictum ſit à deo:Beati pauperes ſpiritu,quoniam ipſorum

Luca 12.

Eccli. 51.

Eſaiæ 58.

Matth. 5.

1113

ipſorum eſt regnum cœlorum. Nō de paupere, ſed de diui-
teſcriptura dicit: Captans precia frumenti, maledictus erit. A
Deinde nō requiras quid vnuſquiſque mereatur. Miſericor
dia non de meritis iudicare cōſueuit, ſed neceſſitatibus ſub-
uenire, iuuare pauperem, non examinare iuſtitiam. Scriptū
eſt enim: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.
Quis eſt qui intelligit? Qui compatitur ei, qui aduertit cō-
ſortem eſſe naturæ, qui cognoſcit quod & diuitem & pau-
perem fecit dominus, qui ſcit quod ſanctificet fructus ſuos
ſi de his delibet aliquam pauperibus portionem. Ergo cùm
habeas vnde largiaris, vide ne differas, dicens: Cras dabo, ne
largiendi amittas copiā. Periculoſa eſt de alterius ſalute di-
latio. Poteſt fieri vt dum tu differs illum, ille moriatur. Ma-
gis ante mortem præcurrę, ne auaritia te & cras impediat,
& promiſſa fraudentur.

Quomodo Iezabel quæ eſt auaritia, promittat diuitibus contra iuſtitiam poſſeſſionem quam deſiderant. Cap. IX.

SEd quid dicam ne differas liberalitatem? Vtinam
nō approperes rapinam, vtinam quod cupieris, B
non extorqueas, vtinam alienū non petas, nega-
tum prætermittas, excuſatum patienter feras, nō
audias illam Iezabel, quæ eſt auaritia, quoddam profluuiū
vanitatis dicentem: Ego tibi dabo poſſeſſionem quam deſi-
deras. Tu triſtis es, quia vis menſuram conſiderare iuſtitiæ,
vt alienum non eripias, ego habeo mea iura, meas leges, ca-
lumniabor vt ſpoliē: & vt poſſeſſio paupetis eripiatur, vita
pulſabitur. Quid enim aliud in illa hiſtoria, niſi diuitū auari
tia deſcribitur, quæ eſt vanū profluuiū, quod omnia fluuij
more rapit, & nullo vſui profutura traducit? Hęc eſt Iezabel
illa, non vna, ſed multiplex: non vnius temporis, ſed tempo
rum plurimorū: hæc omnibus dicit, ſicut illa dixit viro ſuo
Achab: Surge, & manduca panem, & redi ad te, ego dabo ti-
bi vineam Nabuthe Iezraelitæ. Et ſcripſit librum nomine
Achab, & ſignauit anulo illius, & miſit illum ad Seniores,
& ad liberos eos qui morabantur cū Nabuthe. Et erat ſcri-
ptum in libro: Ieiunate ieiunium, & conſtituite Nabuthe in
principem populi, & conſtituite duos viros filios iniquita- C
tis ex aduerſo eius, vt falſum teſtimoniū perhibeant aduer-
ſus eum, dicentes: Benedixit deum & regem: & producite
illum, & lapidate.

De conſuetudine diuitum qui contriſtantur ſi aliena rapere non poſſunt. Et quid facere debeant vt deus vel eorum preces exaudiat, vel eorum ieiunium reſpiciat.

Caput X.

QVàm euidenter expreſſa eſt diuitum conſuetudo.
Contriſtantur ſi aliena non rapiant, renūciant ci-
bo, ieiunant, non vt peccatum minuant, ſed vt cri-
nen admittant. Videas illos tunc cōuenientes ad
eccleſiam, officioſos, humiles, aſſiduos, vt affectum ſceleris
impetrare mereantur. Sed dicit illis deus: Non ieiunium ele
gi, nec ſi flectas vt circulum collum tuum, cinerem etiam &
cilicium ſubſternas, nec vocabitis ieiunium acceptum. Non
tale ieiunium elegi, dicit dominus: ſed ſolue omnem colliga
tionem iniuſtitiæ, diſſolue obligationes violentarum cōmu
tationum, dimitte confractos in remiſſionem, conſcriptio- D
nem iniquam dirumpe, frange panem tuum eſurienti, ege-
nos non habentes tectum induc in domum tuam: ſi videris
nudos, cooperi, & domeſticos ſeminis tui non deſpicias,
tunc orietur tibi matutinum lumen tuum, & ſanitas tua ma
turina orietur, & præcedet ante te iuſtitia, & maieſtas dei
circūdabit te: tūc clamabis, & deus exaudiet te: adhuc te lo-
quēte dicet: Ecce aſſum. Audis diues quid dominus de⁹ di-
cat: & tu ad eccleſiam venis, non vt conuiuij aliquid paupe-
rib⁹ largiatis, ſed vt auferas. Ieiunas, nō vt cōuiuij tui ſum-
ptus proficiat egenis, ſed vt ſpolium de egentibus adipiſca-
ris. Quid tibi vis cum libro, & charta, & ſignaculo, & con-
ſcriptione, & vinculo iuris? Non audiſti: Solue omnem col-
ligationē iniuſtitiæ, diſſolue obligationem violentarum cō-
mutationum, dimitte cōfractos in remiſſionem, & omnem
conſcriptionem iniquam dirumpe? Tu mihi tabulas offers,
ego tibi recito dei legem. Tu atramento ſcribis, ego ſpiritu
dei inſcripta repeto oracula prophetarum. Tu teſtimonia
falſa componis, ego teſtimoniū conſcientiæ tuæ poſco, quia
iudicem tuum effugere & declinare non poteris, cuius teſti
monium non poteris recuſare in die qua reuelabit dominus
occulta hominum. Tu dicis: Deſtruam horrea mea. Et do-
minus dicit: Sine magis, quicquid intra horreum eſt, paupe-
ribus deputari, ſine cellas iſtas pauperibus prodeſſe. Tu di- Eſaiæ 58.
cis: Maiora faciam, & illò congregabo omnia quæ nata ſunt
mihi. Dominus dicit: Frange eſurienti panem tuum. Tu di-
cis: Tollam pauperi domum ſuam. Dominus autem dicit vt
egenos non habētes tectum inducas in domum tuam. Quo-
modo vis vt deus te exaudiat, cùm tu deū non putes audiē-
dum? Si non acquieſcatur arbitrio diuitis, ſcena cōponitur.
Dei æſtimatur iniuria ſi diuitis petitio refutetur.

Quid eſt quod duo falſi teſtes atteſtati ſunt Nabuthe deum benedixiſſe & regem. Et quomodo diuites cùm calumniati nocuerint, ſimulēt ſe dolere. Et quid ſibi velit quòd meretrices lauerunt ſe in ſanguine Achab.

Cap. XI.

DEum, inquit, benedixit & regē.) Aequalis videli-
cet perſona, vt ſit æqualis contumelia. Benedixit, B
inquit, deum & regem. Ne diuitem maledicti no 3.Reg.21.
mē offendat, & ſermonis ipſo lædatur ſono, bene
dictio pro maledicto vocatur. Quærūtur duo teſtes iniqui-
tatis.) Duob⁹ enim teſtibus & Suſana eſt appetita, duos te- Daniel.13.
ſtes & Synagoga inuenit qui aduerſum Chriſtū falſa iacta- Matth. 26.
rent, duobus teſtibus pauper occiditur. Produxerunt igitur 3.Reg.21.
Nabuthe foras, & lapidauerunt eum. Vtinam vel in ſuis ei
liceret mori. Pauperi ipſam diues inuidet ſepulturam. Et fa-
ctum eſt, inquit, cùm audiſſet Achab quia mortuus eſt Na-
buthe, conſcidit veſtimēta ſua, & cooperuit ſe cilicio. Et fa
ctum eſt poſt hæc, & ſurrexit & deſcendit Achab ad vineā
Nabuthe Iezraelitæ poſſidere eam.) Iraſcūtur diuites, & ca-
lumniantur vt noceant, ſi non obtineant quod deſideraue-
rint. Cùm autem calumniati nocuerint, dolere ſe ſimulant:
triſtes tamen, & tanquam mœſti, non corde ſed vultu, in
poſſeſſionis direptæ locum prodeunt, & impreſſionis ſuæ
iniquitate potiuntur. Hinc diuina mouetur iuſtitia, & aua-
rum digna ſeueritate condemnat, dicens: Occidiſti, & poſ- C 3.Reg.21.
ſediſti hæreditatem. Propter hoc, in loco in quo linxerunt
canes ſanguinem Nabuthe, in eo ligent canes ſanguinē tu-
um, & meretricis lauabūtur in ſanguine tuo.) Quàm iuſta,
quàm ſeuera ſententia, vt quam intulit alteri mortis acerbi-
tatem, eam ipſe mortis ſuæ horrore diſſoluere proderetur.
Inhumatum pauperem deus aſpicit, & ideo inſepultum diui-
tem iacere decernit, vt & mortuus luat ſuæ iniquitatis æ-
rumnam, qui nec mortuo putauit eſſe parcendum. Itaque
vulneris ſui cruore perfuſum cadauer, ſpecie funeris vitæ
ſuæ prodidit crudelitatem. Hæc cùm pertulit pauper, diues
arguebatur: cùm diues excepit pœnā, pauper vindicabatur.
Quid ſibi autem vult quòd meretrices lauerūt ſe in ſangui-
ne eius, niſi fortè vt meretricia quædam in illa feritate fuiſ-
ſe regis perfidia proderetur, vel cruenta luxuries, qui ſic
fuit luxurioſus, vt olus deſideraret: ſic cruentus, vt propter
olus hominem occideret? Digna auarum, digna auaritiam
pœna conſumit. Denique & Iezabel ipſam comederunt ca-
nes, & volucres cœli: vt oſtenderetur quòd ſpiritalis nequi
tiæ fiat præda diuitis ſepultura. Fuge ergo diues huiuſmodi
exitum. Sed fugies huiuſmodi exitum, ſi fugeris huiuſmodi
flagitium. Noli eſſe Achab, vt poſſeſſionem finitimam con-
cupiſcas. Non tibi cohabitet Iezabel illa feralis auaritia, quę
tibi cruenta perſuadeat, quæ cupiditates tuas non reuocet,
ſed impellat, quæ te faciat triſtiorem etiam cùm deſiderata
poſſederis: quæ te faciat nudum, cùm diues fueris.

Quòd omnis auarus pauperiorem ſe iudicet, eò quòd ſibi deeſſe arbitretur quicquid ab aliis poſſidetur. Et quomodo Helias Achab inueniſſe dicatur. Quomodo etiam diues puteum ſuum exundantem vſu aliquo exercere, non otio corrumpi ſinere debet.

Caput XII.

PAuperiorem enim ſe iudicat omnis abundās, quia
ſibi deeſſe arbitratur quicquid ab aliis poſſidetur.
Toto mundo eget, cuius non capit mundus cupi-
ditates. Eius autem qui fidelis eſt, totus mundus
diuitiarum eſt. Toto mundo fugit, qui conſiderans conſciē-
tiam

tiam suam, metuit deprehēdi. Et ideo Achab ad Heliam se-
3.Reg.21. cundum historiam ait, secundum ænigmata autem dies ad
pauperem: Inuenisti me inimicus meus. Quàm misera con-
scientia, quæ se proditam doluit. Et dixit Helias ad eum: inu-
3.Reg 17. eni, quoniam feciſti malum in cōspectu domini. Rex erat
ille, & rex Samariæ Achab: Helias pauper, & indigens pane,
cui victus defeciſſet substantia, nisi corui alimoniam mini-
strassent. Adeo deiecta erat conscientia peccatoris, vt nec
regalis potentiæ fastu attolleretur. Itaque quasi vilis & de-
gener: Inuenisti me, inquit, inimicus meus, deprehendisti in
me quæ latere putabam. Nulla mentis meæ occulta te fal-
lunt. Inuenisti me, patent tibi vulnera mea, captiuitas præ-
sto est. Inuenitur peccator, cùm iniquitas eius proditur. Iu-
Psalm.16. stus autem dicit: Igne me examinasti, & non est inuenta in
me iniquitas. Adam cùm lateret, inuentus est: Moysi autem
nequaquam inuenta est sepultura. Inuentus est Achab, non
Prouer.1. est inuentus Helias, Et sapientia dei dixit: Quærent me mali,
& non inuenient. Vnde & in Euangilio dominus noster
Iesus quærebatur, & non inueniebatur. Culpa igitur author-
3.Reg 21. em suum prodit. Vnde & Thesbites ait: Inueni, quoniam
feciſti malum in conspectu domini: quia culpæ reos tradit
dominus: innocentes autem non tradit in potestatem inimi
corum suorum. Denique Saul quærebat sanctum Dauid, &
inuenire non poterat: Dauid verò sanctus regem Saul, quē
non quærebat, inuenit, quoniam tradidit eum dominus in
potestatem ipsius. Captiua est igitur opulētia, paupertas li-
bera. Seruitis diuites, ac miseram quidem seruitutē, qui ser-
uitis errori, seruitis cupiditati, seruitis auaritiæ, quæ expleri
nō potest, gurges quidam insatiabilis: rapidior est cum illa-
ta demergit, & putei modo cùm exundat, cœno inquinatur,
terram rodit, nihil sibi profuturam. Vel hoc exemplo vos
admoneri cōuenit. Puteus enim, si nihil haurias, inerti ocio
& degeneri situ facilè corrumpitur: exercitatus autē nites-
cit ad speciem, dulcescit ad potum. Ita & aceruus diuitiarū,
cumulo arenosus, speciosus est vsu, ocio autem inutilis ha-
Eccl.3. betur. Deriuato igitur aliquid de hoc puteo, ignem arden-
tem restingue, quia eleemosyna resistit peccatis. Aqua autē
statiua citò vermes facit. Non stet thesaurus tuus, ne ignis
tuus stet. Stabit in te, nisi eum operibus tuæ miserationis a-
uerteris. In quantis verò sis diues incendiis, considera. Tua
Luca 16. vox est ista dicentis: Pater Abraham, dic Lazaro vt extre-
mum digiti sui intingat in aqua, & refrigeret linguam meā.
Tibi igitur proficit quicquid inopi contuleris: tibi crescit
quicquid in pauperes erogaueris. Scriptum est: Qui misere-
Prouer. 19. tur pauperi, fœnerat deo. Ipse cibo in paupere pascitur, &
fructus iam in his est misericordiæ. Seminatur in terra, ger-
minat in cœlo. Plantatur in pauperes, apud deum pullulat.
Ne dixeris, inquit, deus, cras dabo. Qui non patitur te dice-
re, Cras dabo: quomodo patitur dicere, Non dabo? Non de
tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim cōmune
est in omnium vsum datum, tu solus vsurpas? Omniū est ter
ra, non diuitū: sed pauciores qui nō vtuntur suo, quàm qui
vtuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitū. Ideo-
Eccli.4. que tibi dicit scriptura: Declina pauperi animā tuam, & red
de debitum tuum, & responde pacifica in mansuetudine.

*Quàm stulta sit superbia diuitum gloriantium de nobilita-
tis prosapia. Et quod meritum hæredum non in auro, sed in
virtute consistat. Cap. XIII.*

QVid enim superbis diues? Quid dicis pauperi: Noli me tangere? Nōne sic vtero cōceptus, & na
tus es ex vtero quēadmodum & pauper est na-
tus? Quid te iactas de nobilitatis prosapia? Soletis & canū vestrorum origines sicut diuitū recensere, soletis & equorum vestrorum nobilitatem sicut consulum prædicare. Ille ex illo patre generatus est, & illa matre editus: ille auo illo gaudet, illis se proauis attollit. Sed nihil istud currē tē iuuat. Nō datur nobilitati palma, sed cursui. Deformior est victus, in quo & nobilitas generis periclitatur. Caue igitur diues ne in te erubescant tuorū merita maiorum, ne for tē & illis dicatur: Cur talem instituistis? cur talem elegistis hæredem? Nō in auratis laquearibus, nec in Porphyreticis orbibus hæredis est meritum. Laus ista non hominum sed metallorum est, in quibus homines puniuntur. Per egentes

aurum quæritur, & egentibus denegatur. Laborant vt quæ-
A rant, laborant vt inueniant quod habere nō norunt. Miror
tamen cur eo vos diuites iactandos putetis, cùm aurum ma-
teria magis offensionis quàm commendationis gratia sit. Li
lud. Denique benedicitur diues qui inuentus est sine macu- Eccli.31.
la, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ the-
sauris. Sed quasi is cognitus esse non possit, eum sibi deside-
rat demonstrari: Quis est hic, inquit? Et laudabimus eū. Fe-
cit enim quod mirari magis quasi nouū, quàm quod quasi
vsitatum recognoscere debeamus. Itaque qui in diuitiis po
tuerit cōprobari, is verè perfectus & dignus est gloria. Qui
potuit, inquit, transgredi, & non est trangressus: & facere
mala, & non fecit. Aurum ergo vobis, in quo tanta illecebra
erroris est, non tam sua gratia, quàm hominum pœna com-
mendat. An vos ampla extollunt atria? Quæ magis debent
compungere, quia cùm populos capiant, vocem excludunt
pauperis: quanquam nihil prosit audiri eam, quæ etiam au-
dita nihil proficit. Deinde non ipsa vos pudoris aula admo-
B net, quia ædificando vestras vultis superare diuitias, nec ta-
mē vincitis. Parietes vestitis auro, homines nudatis. Clamat
ante domum tuam nudus, & negligis, & tu solicitus es qui-
bus marmoribus pauimenta vestias. Pecuniam pauper que-
rit, & non habet: panem postulat homo, & equus tuus aurū
sub dentibus mandit. Sed delectant te ornamenta preciosa,
cùm alij frumenta non habeant. Quantum ô diues sumis ti
bi iudicium. Populus esurit, & tu horrea tua claudis: popu-
lus deplorat, & tu gemmam tuam versas. Infœlix, cuius in
potestate est tātorum animas à morte defendere, & non est
volūtas. Totius vitam populi poterat annuli tui gemma ser
uare. Audi planè qualis diuitem deceat prædicatio: Libera- Iob 29.
ui, inquit, pauperem de manu potentis: & orphanum, cui
non erat adiutor, adiuui. Benedictio perituri super me ve-
nit, os autem viduæ me benedixit. Iustitiam induebar, ocu-
lus eram cæcorum, pes autem claudorum, ego eram pater
orphanorum. Et infra: Ante fores meas non habitauit ho-
spes, ostium autē meum omni veniēti patuit. Si autem pec-
C caui imprudēs, non celaui culpam meam, neque reueritus
sum multitudinem plebis, vt non annūciarem præsentibus
eis: si passus sum infirmum exire ostium meum vacuo sinu.
Cautionem quoq; si quam habui debitoris, scissam sine de-
biti recuperatione reddidi sine mora. Nā quid etiam illud
repetā, quod in omni infirmo fleuisse se dixit, & ingemuisse
se cùm videret virum in necessitate, se autē in bonis? Sed &
tunc sibi magis fuisse dies malorū, cùm se habere cerneret,
alios indigere. Si hoc ille dicit, qui nunquam viduæ oculū
fecit tabescere, qui nū quam panem suum solus māducauit,
& nō orphano tradidit, quem à iuuētute sua nutriuit, aluit,
instituit parentis affectu: qui nūquam nudum despexit, qui
morientem operuit, qui velleribus ouium suarum infirmo-
rum calefecit humeros, non oppressit pupillū, nunquam di-
uitiis delectatus est, nunquam gratulatus est lapsu inimico-
rum suorum: si qui fecit hæc, de summis cœpit egredi diui-
tiis: si nihil ex patrimonio tanto, nisi solum fructum mise-
ricordiæ reportauit: quid de te futurum est, qui tuo nescis
vti patrimonio, qui in summis diuitiis dies sustines mendi-
D citatis, quia nulli largiris, nulli subuenis?

*Quomodo diuites custodes sint & serui diuitiarum. Et ideo
illas potius pauperibus erogare debeant pro melioribus
rebus acquirendis, Et de pauperibus abundantibus, &
diuitibus egentibus.*

Cap. XIIII.

VStos ergo es tuarum, non dominus facultatū, qui aurum terræ infodis, minister vtique eius, nō Matth.25.
arbiter. Sed vbi thesaurus tuus, tibi & cor tuū. Er
go in illo auro cor tuū infodisti terræ. Vende po-
tius aurum, & eme salutem: vende lapidem, & eme regnum
dei: vende agrum, & eme tibi vitā æternā. Vera allego, quia Matth.19.
verba astruo veritatis. Si vis perfectus esse, inquit, omnia
quæcunq; habes, vēde, & da pauperibus, & habebis thesau-
rum in cælo. Et noli contristari cū hæc audis, ne dicatur & Ibidem.
tibi, sicut & illi adolescenti diuiti dictū est: Quàm difficile
qui possessiones habent, in regnū dei intrabunt. Magis cum
hæc

1117

hæc legis, considera quia ista tibi potest mors eripere, potestas superioris tollere. Deinde quia poteris parua pro magnis, caduca pro æternis, thesauros pecuniæ p thesauris gratiæ vendere. Isti corrumpuntur, illi permanent. Considera quia hos solus nō possides: possidet tecū tinea, possidet ærugo, quæ consumit pecuniam. Has tibi consortes auaritia dedit. Vide autem quos tibi det gratia debitores. Splendidum in panibus benedicent labia iustorum, & testimoniū bonitatis illius fiet. Facit tibi patrem debitorum deum, qui pro munere, quo pauper adiutus est, fœnus exoluet, quasi boni debitor creditoris. Facit tibi debitorem filium dei, qui ait: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes erā, & collegistis me: nud⁹, & operuistis me. Quod enim vnicuique minimorū collatum fuerit, sibi dicit esse collatū. Nescis ô homo struere diuitias. Si vis diues esse, esto pauper seculo, vt sis diues deo. Diues fidei, diues est deo. Qui diues est in misericordia, hic est diues in deo. Diues in simplicitate, diues deo est. Diues sapientiæ & sciētiæ, diues est deo. Sunt qui in paupertate abūdent, & qui in diuitiis egeant. Abundant pauperes quorum profunda paupertas abūdauit in diuitiis simplicitatis suæ, diuites aūt eguerūt & esurierūt. Neq; enim ociosè scriptū est: Diuitū pauperes præpositi erūt, & proprij serui dominis fœnerabūt, quia diuites & domini superuacua & vana seminant, ex quibus nō fructū colligāt, sed spinas metant. Idēo pauperibus diuites erūt subditi, & serui dominis spiritalia fœnerabunt, quēadmodū diues rogabat vt sibi stillā aquæ pauper Lazarus fœneraret. Potes & tu diues istā implere sententiā, si largiaris pauperi, & domino fœneraueris. Qui enim largitur pauperi domino fœnerat. Pulchrè autē sanct⁹ Dauid in psalmo septuagesimoquinto hymnum deo concinēs ad Assyriū scriptum, hoc est aduersus nequitias spiritales. Assyrium inanē ac vacuū principem istius mundi, ita cœpit: Notus in Iudęa deus, in Israel magnū nomē eius: hoc est, non in diuitibus, non in nobilibus, vel in potentibus, sed in anima confitente deo: non in principibus & cōsulibus, sed in eo qui deum videt. Ipse est enim Israel, in quo profunda fides ad cognitionem dei potuit peruenire. Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, Vbi quietus affectus nullis diuersarū cupiditatū exagitatur fluctib⁹, nullis auaritiæ turbatur procellis, nullis quærendarum diuitiarum ingnescit incendiis. Ipse est qui speculatur æterna, & habitat in Siō, cōfringens omnia spiritualium instrumenta bellorum, conterēs arcus quibus diabolus ignita dirigens iacula, graues pectorib⁹ hominum solet inurere passiones. Sed illa iacula iusto nocere nō possunt, cui deus lux est, tantúmq; abest à coligantiū horrore tenebrarum, vt aduersarius in eo locum habere non possit, qui etiam principibus se consueuit infundere, sicut infudit Iudæ proditori, concidēs tanquam in sylua lignorum fidei ianuas, vt in cor eius haberet ingressum, & ęterni nominis tabernaculū possideret. Ergo princeps huius mundi qua si improbus vsurpator concidit ianuas, vt violentus intro eat: dominus autem quasi pius illustrat seuulos, & eorū sul gentibus meritis, & claritate virtutū tenebras mundi huius illuminat. Hanc pacifici atque mansueti habent apud deum gratiam sobria mentis suæ tranquillitate fundati.

Matth. 25.

Luc. 16.

Prou. 19.

Psalm. 75.

Quòd omnes viri diuitiarum insipientes dicantur, & corde turbati, & quomodo dormiant somnum suum. Quomodo etiam dormitarint qui ascenderunt equos.

Caput XV.

INsipientes autem corde turbātur, & ipsi sibi sunt propriæ exagitationis authores: quia desideriorū suorum æstu voluūtur, & quodam salo fluctuant. Qui autem sint isti, Propheta significauit dicēdo: Omnes viri diuitiarum. Omnes dixit, nullū excepit. Et bene viros diuitiarum appellauit, non diuitias virorum, vt ostenderet eos non possessores diuitiarum esse, sed à suis diuitiis possideri. Possessio enim possessoris debet esse, non possessor possessionis. Quicunque igitur patrimonio suo tāquā possessione non vtitur, qui largiri pauperi & dispensare nō nouit, is suarum seruulus est, non dominus facultatum, quia aliena custodit vt famulus, non tanquam dominus suis vtitur. In huiusmodi ergo affectu dicimus quod vir diuitiarum sit, non diuitiæ viri. Intellectus enim bonus vtentibus eo, qui autem non intelligit, is vtique intellectus sibi gratiam non potest vindicare: & ideo somno temulentiæ cōsopitus obdormit. Huiusmodi igitur viri somnum suum dormiunt, non Christi dormiunt somnum. Et qui somnum Christi nō domiunt, non habent Christi quietem, non surgūt Christi resurrectione, quia ipse ait: Ego dormiui, & quieui, & surrexi, quoniam dominus suscepit me. In hoc quoq; seculo dormitant, digni habiti increpatione cœlesti, quia ascenderunt equos, quos refrænare nō poterant. Legimus alibi dicentē ecclesiam siue animā: Posuit me currus Aminadab. Si ergo anima currus est, vide ne equus caro sit. Agitator auten vigor mentis, qui regit carnem, & motus eius velut quosdam equos prudentiæ habenis coërcet. Dormitauerunt ergo qui ascenderunt equos corporis voluptates, nullo eas moderamine gubernantes. Vnde & ascēsores eos quàm equites vel agitatores maluit nuncupare. Agitator enim cum disciplina & arte pro arbitrio suo equos agitat, vel currentes incitat, vel reflectit indomitos, vel reuocat fatigatos, vel māsuetos pro sua voluntate conuertit. Vnde cùm reciperetur Helias, & curru quasi ad cœlum ferretur, clamauit ad eū Helisæus, Pater pater agitator Israel, & eques eius: hoc est, qui populū domini bono ductu regebas, constantię merito hos accepisti currus, hos equos ad diuina currentes: quia moderatorē te animarum humanarum dominus comprobauit: ideo tan quā boni auriga certaminis victor æterno præmio coronaris. In Abacuc quoq; propheta lectū est, ad ipsum dominum dictū: Ascēde super equos tuos, & equitatus tuus salus. Agitauit enim apostolos suos, quos per diuersa mūdi direxit, vt toti orbi euangeliū prædicarent. Ascende ait, quasi rectori, non quasi equorum ascensori. Ascendit enim etiam eques non tātummodo vt sedeat, sed vt regat, eò quòd desidiosus, piger & somnolentus proferre, non possit mentis incessum. De equite autem lectum est: Et eques ascendit retrorsum, expectans salutem domini. Etenim quia nemo sine lapsu est: etiam si quis ceciderit, & terrenis aliquibus vitiis fuerit implexus, si tamen non abiiciat spem resurgēndi, fretus miseratione diuina perueniet ad salutē. De ascensore verò manifestum est indicium quòd reprehensibilis habeatur, quādo Moyses ipse ait in Cantico Exodi: Equum & ascensorē proiecit in mare. Et in Zacharia locutus est dominus dicēs: Percutiam omnem equū in amētia, & ascensorē eius in insipientia. Non dixit solum equum, sed ascensorē, quomodo in Exodo habes, Equū & ascensorē. Vbi est enim ascensor, qui nō potest equū propriū gubernare, si indomito furore in prærupta & periculosa raptatur? Quid igitur vobis in equis cōfiditis diuites? Mendax est equus ad salutē. Quid in curribus vobis plauditis? Hi in curribus, & hi in equis nos autem in nomine dei magnificabimur. Ipsi obligati sunt, & cecidêre, nos autem surreximus & recti sumus. Nolite amare adhinnientes, nolite fremitu libidinis excitari. Terribilis est dominus, & cui nemo possit potens & diues resistere, iudicium cœleste iaculatur.

A

B

C

D

Psalm. 3.

Cant. 6.

4. Reg. 2.

Abacuc 3.

Exod. 15.

Zacha. 12.

Psalm. 32.

Psal. 19.

Quomodo diuites quiescere & feriari debeant à flagitiis, & confiteri domino in fide, humilitate, & deuota oratione. Et quòd multi diuites propter perfidiam perierint.

Caput XVI.

BOnum est vt iam quiescatis, & à flagitiis feriātes reuereamini domini potestatē. Ideo dictum est parricidę Cain: peccasti, quiesce: vt modū peccato suo poneret. Cogitationes vestræ cōfiteantur domino, nō dicatis, Nō peccauimus. Dixit sanctus Paulus: Et si nihil mihi conscius sum: addidit tamē: Sed nō in hoc iustificatus sum. Et vos etiā si nihil estis cōscij, cōfiteamini tamē domino, ne quid sit ꝙ vos prætereat. Qui enim cōfitetur domino, & si reliquias cogitationis adhibuerit ad cōfessionē, diē festū mentis celebrabit arcano, & epulabitur non in fermēto malitiæ & nequitię, sed in azymis synceritatis & veritatis. Itaque in cōclusione cōuersus ad vos propheta dicit: Orate, & reddite domino deo vestro, id est, Nolite dissimulare diuites, dies instant, orate pro peccatis vestris, reddite pro beneficiis quæ habetis munera. Ab ipso accepistis quod offeratis, ipsius est quod ei soluitis. Dona, inquit, mea

Gene. 4.

1. Cor. 4.

1. Cor 5.

Psal. 75.

& data mea:hoc est,quæ offertis mihi dona, data sunt mea.
Psalm. 15. Ego ea dedi vobis atq; donaui.Denique propheta ait:Quoniam bonorum meorum non eges.tua tibi offero,quoniam non habeo quod non dedisti.Fides est quæ dona conciliat, humilitas est quæ oblata commendat.Fide Abel plurimam
Hebr. 11. hostiã obtulit deo. Ideo super Cain fratris munera placuit munus Abel,quia fide vicit.Nam vnde pauperis hostia magis quàm diuitis placet?quia pauper fide ditior est,sobrietate locupletior : & cùm sit pauper,ex illis est quibus dicitur:
Psalm.67. Tibi offerent reges munera.Non enim purpuratis offerentibus,sed motus proprios regentibus dominus Iesus delectatur,qui corporali lasciuiæ mentis dominẽtur imperio.Orate ergo diuites,nõ habetis in operibus quod placeat. Orate pro peccatis vestris atque flagitiis , & reddite domino deo vestro munera.Reddite in pauperes,in egenos,soluite inopes,fœnerate quæ placare possint deum propter flagitia ve-
Psalm.49. stra:aliter enim nõ potestis.Ergo quẽ vltorem timetis,facite vobis eũ debitorem.Non accipiam,inquit, de domo tua vitulos,neque de gregibus tuis hircos,quoniã meę sunt omnes ferę syluarum. Quicquid obtuleritis,meum est,quia totus orbis meus est.Nõ exigo quod meũ est,sed est quod de
Ibidem. vestro mihi possitis offerre.Studio deuotionis & fidei,non sacrificiorũ ambitione delector.Tantum modo ô homo immola deo sacrificium laudis,& redde altissimo vota tua. Aut certè,si placet,sic accipiamus:Quoniã dixit obdormisse somnum suũ diuites,increpationes præmisit domini in eos, terrorẽ subtexuit,potentiã prædicauit, cui nec diuites resistẽt: & conuersus ad vniuersos,ait:Diuites dormitent,diuites in-
Psalm. 75. crepentur.Vos orate,& reddite domino deo vestro omnes qui in circuitu eius offerunt munera:id est,gratias agite pauperes,quia non est personarũ acceptor deus.Illi diuitias ser-
Actor. 10. uent,condant pecuniã auri,aggerent argenti thesauros: vos orate,qui aliud nõ habetis:vos orate, qui hoc solũ habetis, quod est auro preciosius,& argẽto.Vos reddite munera,qui à domino non receditis,qui estis in circuitu:quoniã qui eratis longè,facti estis propè. Qui aũt propè sibi videntur esse
Ephes.2. per diuitias ac potentiam,longè facti sunt propter auaritiã.
Psalm.75. Nemo enim foris est nisi quem culpa excluserit,sicut eiecit Adam de paradiso,& Euã exclusit.Nemo longè, nisi quem flagitia propria relegauerint.Ergo vos propè positi orate & reddite munera terribili deo,& ei qui aufert principum spiritum, terribili apud reges terræ, eò quòd nullo redimatur diuitis præmio,nullo inflectatur potentium supercilio, qui culpæ precia discriminat, qui quo plus alicui contulerit, eo plus exigit ab eo.Saul priuato contulit regnũ:sed quia mandatum non custodiuit,& regnum amisit & spiritum. Multos reges gentium propter perfidiam fecit populo patrum esse captiuos.Et vt iam de proposita loquamur historia, qui Achab regem cœlestibus ingratum beneficiis ita iussit occidi,vt canes eius vulnera lamberẽt.Etenim quia pauperis vineam concupierat nequaquam tantis opibus expletus imperij,infra omnem inopiam redactus est à domino. Non qui vulnera eius lauaret, inuentus est, non qui corpus operiret. Defecit circa eum hominum humanitas,canũ successit aspe ritas.Dignos planè sui ministros funeris auarus inuenit.

Quemadmodum Achab dicatur commotus ante faciem dei, vt in diebus eius non inducerentur super eum mala. Et quòd dominus etiam circa indignos promissa sua seruet.
Caput XVII.

1.Reg. 21. OC loco oritur illud quæstionis,quomodo legimus dixisse dominũ ad Heliã:Vidisti quẽadmodũ cõmotus est Achab à facie mea?Nõ inducã in diebus eius mala,sed in diebus filij eius inducã mala.Aut quomodo dicim⁹ quia valet apud dominum pœnitentia?Ecce rex motus est à facie dei,& ibat plorans,& conscidit vestimẽta sua,& operuit se cilicio,& erat indutus sacco ex illo die quo interfecit Nabuthe Iezraelitam,ita vt deum misericordia commoueret,& mutaret sententiam.Ergo aut pœnitẽtia non valuit,nec inflexit dominũ misericordem, aut oraculũ falsum est. Nam Achab victus est & occisus. Sed considera quia Iezabel habuit vxorem,cuius inflammabatur arbitrio, quæ conuertit
A cor eius,& nimiis sacrilegiis execrabilem fecit. Et hunc ergo pœnitentiæ eius reuocauit affectum.Dominus autẽ non potest mutabilis æstimari,si confessionis immemori nõ putabat esse seruandum,quod promiserat cõfitenti. Accipe aliud verius:Et indigno seruauit dominus tenorem sententiæ suæ,sed beneficia circa se diuina ipse non tenuit. Intulerat bellum rex Syriæ,victus est & seruatus ad veniam,captiuus quoque libertati donatus,& remissus ad regnum est.Quod fuit diuinæ sententię,non solũ euasit Achab,sed etiã triumphauit:quòd ipsius ignauiæ, hostem sibi, à quo vinceretur, armauit:& certè fuerat monitus à Propheta,dicẽte:Cognosce & vide quid facias.Monitus inquam erat, eò quòd contra Syriæ regis pueros deberetur gratiæ cœlestis auxilium, quoniam dixissent:Deus montium,deus Israel,& non deus 3.Reg. 20.
Baal:propter hoc,inquit, obtinuerunt pro nobis. Et ideo, inquit,si non plenè obtinuerimus eos,in locum Syriæ regis Satrapas constituite,vt virtutem illis & potentiam regis auferret. Denique primo congressu vicit, vt fugaret hostẽ:se-
B cundo vicit,quando captũ imperio suo reddidit. Qua causa vincendi eius euidenter resultauit oraculum,dicente vno ex filiis prophetarum ad proximum suũ:Occide me.Et noluit homo occidere eum.Et dixit:Eo quòd nõ obedisti verbo domini,ecce tu recedes à me,& interficiet te leo. Et recessit ab eo,& inuenit eum leo,& interfecit eũ.Et post hoc alius propheta astitit ante regem Israel,& dixit ad eũ : Hæc dicit dominus,quoniam dimisisti tu virum exterminationis de manu tua : ecce anima tua pro anima illius , & populus tuus pro populo illius. Liquet igitur his oraculis quòd dominus etiam circa indignos promissa sua seruet:sed impios aut stultitia sua opprimi, aut alia præuaricatione damnari, etiam si primæ præuaricationis laqueos euaserint.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE HELIA & ieiunio.

Qua ratione diuinum ad patres resultauerit oraculum vt egredientes ad bellum tuba canerent,& cur nos etiam tuba canere debeamus. Caput I.
Quàm magna virtus sit ieiunij,quamque speciosa ac valida eius militia,exemplo Christi,atque sancti Heliæ comprobata. Caput II.
Quid sit ieiunium.Et de ieiunio sancti Ioannis,& qualis esca à nobis quærenda sit. Cap. III.
De origine & antiquitate ieiunij,à quo primus vsus mundi cœpit,quòd in paradiso pro prima lege constitutum fuit, Quódque ieiunium operiat id quod gula denudauerit. Caput IIII.
Quòd ebrietas Noë obdormire fecerit,& per ignorantiam nudauarit.Quódque ebrietas seruitutem & incestum induxerit.Et quomodo Abraham non ministrauerit vinum in suo conuiuio , neque Ioannes eo vsus fuerit , neque Moyses amaritudines aquarum vino temperauerit.
D Caput V.
De lege ieiunij à Moyse data,& de ieiunio eiusdẽ. Et quòd sterilitatem matrum Sampson & Samuelis abstinentia vini fœcundauerit,quibúsque cibis Helisæus filios prophetarum aluerit. Cap. VI.
Quòd tres pueri Hebræorum ieiuni in caminum ignis intrantes,nõ solum non læsi, sed & illic refrigerati fuerint. Et quòd Danielis ieiunium etiã leones ieiunare docuerit. Caput VII.
De vtilitatibus ieiunij. Et de escarum laqueis,& inquietudine & periculis conuiuiorum. Cap. VIII.
Qua ratione potentes prohibeantur vina bibere,& de ieiunio Iudith. Quódque Hester pulchrior facta sit ieiunio, Aman autem suæ ebrietatis pœnã exsoluerit. Ac de multis excellentibúsque ieiunij præconiis. Cap. IX.
Quẽadmodũ mystica mẽsa ieiunio cõparetur.Et quę fames faciat acceptabile ieiuniũ.Quídque sit quod dicitur:Cum ieiunatis, vngite capita vestra. Et de duplici capite, ac de vnguento

1121
vnguento sobrietatis,& oleo lætitiæ. Cap. X.
Quòd amara optabiliora sint dulciorib⁹. Et quomodo esca ad horam dulcis,in posterum exemplo Esau amarior efficiatur.Et quòd nihil possit ieiuniū ad iactātiam factum. Cap. XI.
Quemadmodum ebrietas in omne facinus præcipitet. Et de conuiuiis lubricorum hominum. Cap. XII.
De conuiuiis prælatorum &fortissimorum adolescentum. Et de potu ad æquales calices.Et de furoris poculo. Cap. XIII.
De reprehensione eorum qui conuiuia illicita preparant:& quòd maior sit vis vini,quàm veneni. Cap. XIIII.
Quid de ebrietate Esaias loquatur. Et quòd non solum vinum,sed etiam sicera inebriet.Et quid significet,Calix aureus Babylon in manu domini.Et quomodo vas apostolorum fictile sit. Cap. XV.
De magna ebrietatis detestatione. Cap. XVI.
De obtestationibus &sacramentis potentium,quæ violare nephas arbitrantur.Et quomodo sæpevino secretiora hominis extorqueantur.Quódque frequens ingurgitatio interiora hominis absumat. Cap. XVII.
Quomodo etiam fœminæ vsque ad ebrietatem bibant, & inde in plateis inuerecundos viris sub conspectu adolescē tulorum intēperantium ducant choros. Et quid boni sit sobrietas,quid mali intemperantia. Cap. XVIII.
Quid sibi sperare debeant bene pasti & luxuriosi. Et de visione Tyri.Quódque mare nulla necessitate,sed solo humana intemperantia inquietatum fuerit. Et quomodo luxuriosi nauibus assimilentur. Cap. XIX.
Quis dicatur cātus meretricis,de quo in Esaia:Erítque post annos septuaginta Tyrus vt canticū meretricis.Et de misericordia medici,& saluatoris gratia,& quibus modis quærenda sit. Cap. XX.
Quomodo intelligendum sit illud prophetæ:Ecce venit dominus dispergere orbem terrarum. Et quomodo athletæ simus,quibus multis certaminibus in stadio currendū est pro brauio:& ideo sobrietate & abstinentiæ exercitio nobis opus sit. Cap. XXI.
Qua ratione corpus nostrum ieiuniis castigandum sit, comessationésque indecoræ fugiendæ, ne succumbentes in stadio,exortes veniæ,multis fautoribus mœrorem afferamus. Et de ablutione aquæ baptismatis,quódque festinā dum sit ad gratiam. Cap. XXII.

Diui Ambrosij
MEDIOLANEN. EPISCOPI,
de Helia & Ieiunio Liber vnus.

Qua ratione diuinum ad patres resultauerit oracullum, vt egredientes ad bellum tuba canerent: & cur nos etiam tuba canere debeamus.

Caput I.

DIuinū ad patres resultauit oracullum,vt cùm egrederentur ad bellū,tuba canerēt,cuius sonitu dominus reminiscerētur populi sui,quo petitū cōferret auxiliū:plúsq; misericordiæ suæ incētiua cognoscētes in dieb⁹ lætitiæ suæ,in neomeniis suis cōcinerent tubarū sono. Psalm. 80. Vnde & Dauid dicit:Canite initio mensis tuba,in die insignis solennitatis vestræ.Veniet igitur nobis dies solennitatis,& iam appropinquat:Canamus tuba tanquam in præliū progredientes.Canamus tuba, vt annunciemus solēnitatis diē:simul nobis & certamen imminet,& victoria repromittitur.Victoria nostra crux Christi est, trophæum nostrum pascha est domini Iesu.Sed ille ante est præliatus,vt vincēret,non quod ipse egeret certamine,sed vt nobis formā debellandi antè prescriberet,& postea daret gratiā triumphādi.Certamen nostrum ieiunium est.Denique ieiunauit saluator,& sic tentator ad eum accessit.Et primum gulæ direxit spiculum,dicens:Si filius dei es,dic lapidi huic vt panis fiat.Ille cibum velut escam laquei prætendit,vt sic illaquea ret appetentiam corporalem.Dominus ieiunium prætulit, vt laqueos tentatoris sui & vincula dissolueret.Denique sic habes scriptum:Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo dei.Illo laqueo Adam fuerat strāgulatus, hac absolutione diabolicæ quæstionis omnis homo est liberatus. Matth.4. Deut.8.

Quàm magna virtus sit ieiunij,quánque speciosa ac valida eius militia:exemplo Christi,atque sanctī Heliæ comprobata.

Caput II.

MAgna virtus est ieiunij. Denique tā speciosa militia est,ieiunare delectaret & Christum: tam valida,vt ad cœlum homines eleuaret. Et vt humanis magis quàm diuinis vtar exemplis, Heliæ ieiuno ore vox emissa cœlum clausit sacrilegio populo Iudæorū. Etenim cùm à rege Achab altare esset Idolo constitutum, ad verbum prophetæ tribus annis & sex mensibus ros pluuiæ nō cecidit super terram.Digna pœna,quæ intemperantiam dignè coërceret,vt cœlum impiis clauderetur, qui terrena polluerant.Dignum etiam,vt ad condemnationem regis sacrilegi propheta ad viduam in Sareptam Sidoniæ mitteretur:quæ quoniam deuotionem cibo prætulit,meruit vt ariditatis publicæ sola non sentiret ærumnam.Itaque nō defecit hydria farinæ,cùm torrentis fluenta deficerent. Quid eius reliqua contexam?Ieiunus filium viduæ ab inferis resuscitauit.Ieiunus pluuias ore deposuit,ieiunus ignes de cœlo:ieiunus curru raptus est ad cœlum,& quadraginta dierū ieiunio diuinam acquisiuit præsentiam. Tunc denique plus meruit,quando plus ieiunauit.Ieiuno ore statuit fluēta Iordanis,& redundantem fluminis alueum repente siccatū,pulueruleuto transmigrat vestigio.Merito illum dignum cœlo diuina iudicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quoniam cœlestem vitam viuebat in corpore, ac supernæ vsum conuersationis exhibebat in terris. Matth.4. 3.Reg.17.

Quid sit ieiunium. Et de ieiunio sancti Ioannis,& qualis esca à nobis quærenda sit. Cap. III.

QVid est enim ieiunium nisi substātia & imago cœlestis?Ieiunium refecto animæ, cibus mentis est. Ieiunium vita est angelorum,ieiuniū culpę mors, excidium delictorum,remediū salutis, radix gratiæ,fundamentum est castitatis.Hoc ad deum gradu citius peruenitur:hoc gradu Helias ascendit,antequàm curru hāc hæreditatem sobrietatis & abstinentiæ ad cœlum abiens discipulo dereliquit.In hac virtute & spiritu Heliæ venit Ioānes.Denique in deserto & ille vacauit ieiunis, Esca autem eius erat locusta,& mel syluestre.Et ideo quia vitæ humanę possibilitatē continentia supergressus fuerat:nō homo,sed angelus æstimatus est.De ipso legimus:Etiá plus quam propheta.Hic est de quo scriptū est:Ecce mitto angelū meum ante faciem tuam,qui præparabit viam ante te. Quis humana virtute equos igneos,currus igneos potuisset ascendere, regere currus aëreos,nisi qui naturam humani corporis incorruptibilis ieiunij virtute mutasset? Sed de Heliæ gestis plurima iam frequenti diuersorum librorū sermone digessimus:& cauendum arbitror ne in eadem recurramus, cum præsertim in opere suo ipse laudetur.Imitemur ergo illum, & eam escā quæramus,cuius virtute diebus ac noctibus ꝓgredientes,ad supernorum possimus cognitionem venire, Non enim omnis esca materialis,nec omnis cibus corporalis.Est cibus mētis,vt diximus,quo epulatur anima, de quo ait dominus:Meus cibus est vt faciam voluntatē patris mei qui in cœlis est.Hic cibus angelorū est,vt diuino famulētur imperio.Nulla illis cura mensuram,nullus conuiuiorum vsus,nullæ repositæ epulæ,nullus vini potus aut siceræ,nulla distentio corporis, nulla ventris offensio. Matth.3. Matth.11. Ioan.4.

De origine & antiquitate ieiunij,à quo primus vsus mundi cœpit,quòd in paradiso pro prima lege constitutum fuit.Quódque ieiunium operiat id quod gula denudauerit.

Caput IIII.

ITaque ne terrenum quis aut nouellum putet esse ieiuniũ, primus vsus mundi à ieiunio cœpit, quãdo lux clara resplenduit. Secũdus dies in ieiunio, quando cœli factum est firmamẽtum. Tertio die pabulum terra germinauit, natura obsequium præbuit, ieiunium tamen cœlestis disciplina seruauit. Quarto die luminaria facta sunt Solis & Lunæ, & adhuc ieiuniũ. Quinto die produxerunt aquæ reptilia animarum, & volatilia volantia
Genes. 1. super terram secundum firmamentũ cœli, & vidit deus quia bona sunt, & benedixit eis dicẽs: Crescite & multiplicamini, & repletè aquas quæ sunt in mari, & volatilia multiplicentur super terram. & adhuc ieiunium. Denique benedixit ea. Scriptum est, Et dixit: Crescite. & nõ dixit, Edite & manducate. Sexto die bestiæ sunt creatæ, & cum bestiis orta edendi potestas est, & vsus escarum. Vbi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi. Vbi cœpit sua incrementa nescire, ibi cœperunt diuina circa eum opera feriari. Quo indicio declaratum est quòd per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit augeri. Nemo delictum sciebat, nemo pœnam
Ibidem. 2. timebat, nemo nouerat timorem. Plantauit dominus paradisum ad gratiam beatorum, posuit ibi hominem operari, & custodire eum. Et vt sciamus non esse nouum ieiunium, primam illic legẽ constituit de ieiunio. Sciebat enim quòd per escam culpa haberet intrare. Intrauerat prima pœna de ieiunij præuaricatione, dicente mandato dei: De ligno quod est scientiæ boni & mali, non comedetis: qua die autem manducaueritis ex eo, morte moriemini. Eousque autem nemo præuaricari nouerat, vt adhuc orta non esset quæ prima est præuaricatio. Indictum ieiunium abstinentiæ lex à domino deo, præuaricatio legis à diabolo, culpa per cibum, latebra post cibum. Cognitio infirmitatis in cibo, virtus firmitatis in ieiunio. Denique quandiu interdictis abstinuere, nesciebãt esse se nudos. posteaquam manducauerũt de interdicta
Gene. 3. arbore, nudatos esse se cognouerũt. Meritò ergo mulier vbi culpæ agnouit authorem, interrogata respondit: Serpẽs persuasit mihi, & manducaui. Serpens gulę persuadet, dominus
Matth. 26. ieiunare decernit. Denique ipse ait: Ieiunate & orate, ne intretis in tentationem. Itaque gula de paradiso regnantẽ expulit, abstinentia ad paradisum reuocauit errantem. Et di-
Genes. 3. xit deus: Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Irridẽs vtique deus, non approbans dicit. hoc est, Putabas te similem fore nostri? quia voluisti esse quod non eras, desisti esse quod eras. Itaque dum supra te esse affectas, infra te esse cœpisti. Denique vestiuit eum tunica pellicea prius, & sic ait: Ecce Adam. quasi dicat: Ecce amictus tuus, ecce dignum indumentum tuum. hic te vestitus decet. Qui diuina affectãt, tali digni habentur ornatu. Ecce quo te tua culpa deduxit, ecce nũc in hac tunica pellicea tanquam vnus ex nobis aperuisti oculos. Circunspice diligenter, nudũ te aspicis, quem vestitum putabas. Gula ergo nudos facit, ieiunia operiũt &
Psalm. 68. exutos. Vnde dominus ait: Operui in ieiunio animã meam. Bonum operimentum, quod animã tegit, ne à tentatore deprehendatur, nec à tẽtatore nudetur. Bonum velamen, quod tegit culpam, tegit abstinentia, tegit gratia. Beati enim quo-
Psalm 31. rum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Tegit gratia, dum remittit, & omnem abolet errorẽ. Tegit abstinentia, dum abluit vitium, & mœsto abscondit affectu, atque extenuat pœnitendo. Etenim ieiunium & eleemosyna à peccato liberant. Opertus erat Adam virtutum velami ne priusquam præuaricaretur, sed tanquam exutus præuari-
Esaiæ 58. catione vidit se esse nudum, quia indumentum quod habebat amiserat. In diebus enim ieiuniorum vestrorũ orietur, inquit, tibi magnũ lumen tuum, & sanitas tua matura orietur, & præcedet ante te iustitia, & circundabit te maiestas
Psalm. 103. domini. Bonum vestimentum lux. Scriptum est enim: Circundatus luce sicut vestimẽto. Bonum vestimentum, quando circundat dominus & operit ieiunantes.

Quòd ebrietas Noe obdormire fecerit, & per ignorantiam nudauerit. Quódque ebrietas seruitutem & incestum induxerit. Et quomodo abraham non ministrauerit vinum in suo conuiuio. Neque Ioannes eo vsus fuerit, neque Moyses amaritudines aquarum vino temperauerit. Cap. V.

A NVdatus erat Noe quando inebriatus est, texit eũ pietas filiorũ. Sed nudatus erat per ignorãtiam, non per intemperantiam. Adhuc enim vinũ nesciebatur. In principio generis humani ignorabatur ebrietas. Primus ipse plantauit vineam: dedit naturã, sed ignorauit potentiã. Itaque vinũ nec suo pepercit authori. Quid mirum si cùm dominus ipse creaturas suas laudaue rit, & iste miratus est? Itaque cum eũ delectaret reperti muneris gratia, tentauit vehemẽtior creatura insuetos senis artus, turbauit noua potio. Dormitauerunt, inquit, qui ascenderunt equos. Ascẽdit corporis voluptates, & iustus obdormiuit. Sed illius ebrietas nobis suadet sobrietatem. Semel enim inebriatus est Noe. Vbi enim malũ ebrietatis agnouit, inuentum suum ad remedium temperauit, nõ effudit ad vitiũ. Vnde & Apostolus ait: Modico vino vtere propter frequentes tuas infirmitates. Manebat antequam vinum inueniretur omnibus inconcussa libertas, nemo sciebat à cõsorte naturæ suæ obsequia seruitutis exigere. Non esset hodie
B seruitus, si ebrietas non fuisset. Obrepserat quidem iam fraternæ prę latiõis inuidia, manebat tamẽ adhuc paternæ pietatis reuerentia. Læsa pietas est, dum ridetur ebrietas. Nõ illis itaque solis nocent vina quos tentãt, sed & illis amplius, quorum oculis temulenta ebriorum mẽbra nudantur. Hinc risus irreuerens nascitur, hinc libido flammatur, vt multo maiore temulentia eos vina perturbent, quorum oculos ac mẽtes inebriauerint, quàm quorum membra postrauerint. Legimus etiam quòd patrẽ Loth inebriauerint filię in monte, ad quem timentes incendium Sodomitarum confugerant, & habitabant in spelunca. Conuenit ebrietati atq; cõcurrit ætas, sexus, solitudinis locus, ferarum magis latibulis, quàm humanis aptior domiciliis. Fuit itaque ebrietas origo incesti, pessimæ regeneratricis partus deterior. At non Abraham vina in suo conuiuio ministrabat, sed immolabat vitulum, butyrũ & lac etiam angelis hospitibus exhibebat. Cœli dominum, mundi agnoscebat authorem: vinum ergo exhibere non poterat. Sed rectè illic deerat materia peccati, vbi
C erat remissio peccatorum. Denique annunciauit eum Ioannes neque manducans panem, neque bibens vinum. Qui enim Christum annunciat, ab omni vitiorum incentiuo præstare se debet alienum. Vicit igitur sanctum Noe, vel etiam Loth Abrahæ nepotem ebrietas, quorum alter cùm ieiunaret, diluuio superstes fuit, alter incendio. Moysen quoq; cognouimus sitienti populo amaritudines aquarum temperasse, non vina. Cui petra aquam vomuit, potuit & vini abundantia non deesse. Denique dixit deus: Percuties petram, & exiet aqua ex ea, & bibet populus. Non dixit, Exiet vinum populo. Periculosum enim erat vinum populo ministrare, quòd fortiores ferre vix possent.

De lege ieiunij à Moyse data, & de ieiunio eiusdẽ. Et quòd sterilitate matrũ Sãpson & Samuelu, abstinẽtia vini fœcundauerit, quibúsque cibis Hæli fœus filios prophetarũ aluerit. Cap. VI.

DEnique Moyses de ieiunio legem dedit, de vino non dedit. Ipsum quoque ieiunantem nõ voces magnæ, non fulgura & nubes nymbosa, non fumigans Syna petterruit. Neque verò introisset
D in nubem, & vocem dei loquentis de medio ignis sine periculo salutis audisset, nisi munitus armis ieiunij fuisset. Quadraginta enim diebus ieiunauit in monte cùm legem acciperet à domino deo nostro. Et in superioribus quidem montis lex dabatur Moysi ieiunanti, in inferioribus populo manducanti præuaricatio sacrilega luxu accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus fregit tabulas Moyses, indignum iudicans vt ebrio populo lex daretur. Itaque tabulas legis, quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas. Quid verò alia dicam? Nónne sterilitatem matris Sampson, vini abstinentia fœcundauit, & parientem fecit sterilem? Quoniam iuxta præceptum domini vinum non bibit. Nónne Annam non manducantem exaudiuit dominus, & infœcunditatem eius soluere ieiunia? Ex quibus duo generati, vnus fortissimus, alius obseruantissimus, dignos se præbuerunt qui ieiuno gremio diu foti, & quodam abstinenti effusi vtero viderentur. Idem itaque Sampson, qui matris sobrietate generatus est, Allophylorum insul-

1125

insultantium sibi ebrietatē vindicauit. Helisæus vates qui- A
4. Reg. 4. dem à magistro didicerat parsimoniam, cum filios aleret
prophetarum, vitis agrestis grumulis mēsas onerabat, & in-
cmptis syluestribus oleribus, hospitalitatis humanitate im-
plebat officium. Quorum offensi amaritudine, cùm mandu
care non possent, leuis farinæ aspersione omnē illam ama-
ritudinem temperauit, abstinentiæ propheticæ munere ve-
neni vires euacuans.

Quòd tres pueri Hebræorum ieiuni in caminum ignis intrantes, non solum non læsi, sed & illic refrigerati fuerint. Et quòd Danielis ieiunium etiam leones ieiunare docuerit.

Caput VII.

Dan. 3. ST quædam creaturę natura, quam Amiantū vo-
cant, nullo facilis igni consumi, quę imposita fo-
cis ignescit, illico sublata de flāma tanquam aqua
rum infusione munda resplēdet. Talia erant He-
bręorum puerorū corpora, quæ de ieiunio Amianti trans-
formata natura, vapore ignis non ad dispendium sui, sed ad
gratiam mutabantur. Denique cùm furerent fornacis incē- B
dia, vt vltra quadraginta cubitos flamma per circuitum fun
deretur consumens plurimos quos repererat Chaldæorum,
qui naphtha pice & stuppa atque sarmēto alimenta ignibus
ministrabant: vbi cum ieiunio ingressi sunt discusso ardore
flammarū in medio fornacis tepore, statim roris spiritu re-
frigerantis humescere, ita vt eorū nullus capillus capitis ex
Dan. 4. ureretur, quia illa quoque ieiunia comam pauerant. Daniel
Dan. 14. trium hebdomadarum ieiunio vir desideriorū, leones quo-
que docuit ieiunare, missus in lacum, in adamantis rigorem
abstinentię soliditate membra durata non patuit vulneri.
Sic eum constrinxerant ieiunia, vt in eius corpore ferarum
morsibus locus esse non posset. Clausa tenebant feri leones
ora, quæ abstinētia propheticę sanctitatis comprimebat, vt
ea aperire non possent, meriti quibusdam vinculis alligata.
Ieiunium itaque virtutem ignis extinxit, ieiunium ora ob-
struxit leonum, ieiunium maris fluenta solidauit, ieiunium
petram soluit in fontes aquarū. Virtute ieiunij contra suā
mutata naturam & fluctus obriguit, & petra inundauit.

De vtilitatibus ieiunij. Et de escarum laqueis, & inquietudine & periculis conuiuiorum.

Cap. VIII.

SEd quid vetustis vtar exemplis. cùm abundet ieiu
nium etiam presentium muneribus gratiarum?
Quis deteriorauit domū suam ieiunio? Quis im-
minuit facultates? Cui non suspecta luxuries? Cui
non venerabilis abstinentia? Cuius thorum appetiuit parsi-
monia? Cuius pudorem non læsit ebrietas? Ieiunium conti-
nentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mē-
tis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, puri-
ficatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, cha-
ritatis illecebra, senilis gratia, custodia iuuentutis. Ieiuniū
est infirmitatis alleuamentum, alimentū salutis. Nemo cru-
†ieiunando delitatem† incidit, nullus per continentiam ictū
sanguinis sensit, imò nullus non repressit & repulit. Bonū
itineris viaticum, bonum totius vitæ. Bonum in mari, sedat
naufragia, cibum seruat. Qui graue dicunt ieiuniū esse, res-
pondeant quis ieiunio defecerit? Multi in prandio, plerique D
dum vomunt epulum, fudere animam. Quod postremo ani
mal ieiunium sibi causam fuisse mortis ingemuit? Per escā
laqueus nō cauetur, in esca hamus latet, & cibus deducit in
foueam, cibus inducit in retia, cibus visco etiā aues illigat,
cibus volantes deponit ad mortem. Quæ non propter ven-
tris pericula muta animalia crimen nescIunt? & in hoc solo
tanquam pro crimine puniuntur. Ieiunium sobrietas men-
tis est, hoc vigent sensus, in hoc iudicia tractantur, in conui
uio pocula. Ieiunium custodit disciplinam, luxuriam sequi-
tur inopia. Mater est luxuria famis, secundum propheticū
dictum ieiunium quietem diligit, luxuria inquietudinem.
Obsonator est, qui antequam luceat, fores pulsat alienas,
& tanquam bellum aliquod immineat, excitat dormientes.
Turbatum vides, anhelantem aduertis, interrogas quæ cau-
sa perturbationis sit. Poscit, inquit, dominus meus, vbi vinū
melius veneat, quærit vbi durior vulua curetur, vbi iecur
mollius, vbi phasianus pinguior, vbi piscis recentior. Cursi-
tat per diuersa: & cùm inuenerit, summo cursu properat. In
quietat dominum somnolentum, auctionatur precia: si pre-
cium mouerit piscis, nusquam meliorem asserit inueniri, i-
mò deesse. Heri, inquit, tempestas, hodie procella, vix istum
potuit latentem deprehendere. Multi concursant in macel-
lo: si tu reddideris, alter plus dabit, & quid exhibebis in prā
dio? istius vini ille natalis est, hæc ex illo lacu lecta ostrea,
talis fit de singulis iactitatio. Hasta quædam agitatur inter
obsonatorem & pastorem. Turbatus addicit patrimonium,
rogat adhuc per quos suorum bonorum iura minuantur.
Curritur ad coquinam, fit ingens strepitus, fit tumultus. To
ta exagitatur familia, malè dicunt omnes, quòd nulla his re-
quies detur. Tandem aliquando da requiem coquo. Instar
statuæ pincernæ dextera summo gelu riget. Ille in frigida e-
xercet manus, illi marmora lauaturi, mūda pauimenta vino
madida, & spinis cooperta piscium: & quanti dum ambulāt
vulnerantur? In ipso conuiuio clamor epulantium, gemitus
vapulantiū. Siquis fortè displicuit amicis, illi rident, tu indi
gnaris. Sileat aliquando domus à multis perturbationibus
huc atque illuc discurrentium, à sono immoderatorum ani-
malium. Vacet fumo, & semiustulatorū nidore, non coqui-
na, sed carnificina: putes prælium geri, non prandium cura-
ri: ita sanguine omnia natant. Malè dominicæ seruitur gulę,
quæ semper expetit, nunquam expletur. Quid enim insatia-
bilius ventre? Hodie suscipit, & cras exigit. Cùm impletus
fuerit, disputatur de continentia: cùm digesserit, vale virtu-
tibus dicitur, quærit luxuriā. Inter pocula philosophia præ-
dicatur, inter philosophos vina laudantur. Vigilię, inquit, &
cholera, & tortura viro insatiabili manducat: & paulopost Eccli. 31.
pœnitet: non illum diutius sua intemperantia delectauit.
Attende diuitem qui induebatur purpura & bysso, & epu-
labatur quotidie splēdidè, cuius ad ianuas mendicus ille La- Luca 16.
zarus iacebat plenus vlceribus, cupiens saturari ex his quæ
de mensa cadebant diuitis. Paulopost cū esset mortuus, cœ-
pit rogare positus in inferno, vt extremum digiti sui pauper
ille in aquam intingeret, & refrigeraret linguam eius, quæ
ardebat incendio. Vbi illæ copiæ? vbi illæ ebrietates? Sitit C
qui inebriebatur, abundat qui mendicabat. In ipso cōuiuio
dum bibūt, sitiunt: & cùm inebriati fuerint, amplius bibūt.
Quasi aperto gurgite vinum iam non bibitur, sed infundi-
tur: poculum non libatur, sed exinanitur.

Qua ratione potentes prohibeantur vina bibere, & de ieiunio, Iudith. Quódque Hester pulchrior facta sit ieiunio, Amam autem suæ ebrietatis pœnam exsoluerit. Ac de multis excellentibúsque ieiunij præconiis. Cap. IX.

SPinæ, inquit, nascūtur in manib⁹ ebriosi, & ipse se Prouer. 26.
vulnerat, & vlcera sibi in pectus adigit. His spinis
scidit vestimentum fidei quod accepit, & thesau-
rum suū seruare non poterit. Omnis enim ebrio-
sus & fornicator egebit, & induet se scissa vestimēta insipiē
tiæ. Et ideo potentes vinum prohibentur bibere, ne cū bi-
berint, obliuiscantur sapientiam. Denique bibebant vinum
in ebrietate potētes q Holoferni principi militiæ regis As-
syriorū se tradere gestiebant: sed non bibebat fœmina Iu- Iudith 8.
dith, ieiunans omnibus diebus viduitatis suæ, præter festo-
rum dierum solennitates. His armis munita processit, & om
nem Assyriorum circumuenit exercitum. Sobrij vigore con
silij abstulit Holofernis caput, seruauit pudicitiam, victo-
riā reportauit. Hæc enim succincta ieiunio, in castris se præ-
tendebat alienis. Ille vino sepultus iacebat, vt ictum vulne-
ris sentire non posset. Itaque vnius mulieris ieiunium innu-
meros strauit exercitus ebriorum. Hester quoque pulcrior Hester 14.
facta est ieiunio. Dominus enim gratiam sobriæ mentis au-
gebat. Omnes genus suum, id est, totum populū Iudæorum
à persecutionis acerbitate liberauit, ita vt regem sibi faceret
esse subiectum, non libidinis ardore flammatum, sed cœlesti
miseratione conuersum, ita vt & pœna retorqueretur in im
pium, & honor sacris redderetur altaribus. Itaque illa quæ
triduo ieiunauit continuo, & corpus suum aqua lauit, plus
placuit, & vindictam retulit. Amā autē dum se regali iactat
conuiuio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietatis exsoluit. Est

ergo ieiunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementũ, quod fecit etiam fœminas fortiores augmento gratiæ. Ieiunium nescit fœneratorem, non sortem fœneris nouit, non redolet vsuras. Mensa ieiunantiũ non strangulat filium, continentes viri paternę centesimæ. Non vexat viduã oppignerata sobrij viri, viri defuncti non defœnerata excludit hæredem aula ieiunij. Etiam ipsis ieiunium cõuiuiis dat gratiam. Dulciores post famem epulæ fiunt, quæ assiduitate fastidio sunt, & diurna continuatione vilescunt. Condimẽtum cibi ieiunium est. Quanto auidior appetẽtia, tanto esca iucundior. Commendat sitis poculum, nescit vinum quærere. Ieiunus quicquid hauserit, transmittit ad satietatem, non ad iudicium nari suspendit. Vsu etiam preciosa degenerant: quorum autem difficilis possessio, eorum grata perfunctio. Ipse Sol post noctem grauior: ipsa lux post tenebras splendidior: & post vigilias sopor dulcior: ipsa salus post ægritudinis tentamenta iucundior. Ab ipso mundi conditore didicimus sæpe diuersitatibus cumulari gratiam. Patrocinatur ergo & conuiuio fames, vt gratior fiat mensa ieiunis.

Quemadmodum mystica mensa ieiunio comparetur. Et quæ fames faciat acceptabile ieiunium. Quidque sit quod dicitur: Cum ieiunatis, vngite capita vestra. Et de duplici capite, ac de vnguento sobrietatis, & oleo lætitiæ.

Caput X.

Psalm. 22. MYstica quoque mensa ieiunio comparatur. Illa mensa, de qua dicit Dauid: Parasti in conspectu meo mẽsam aduersus eos qui tribulant me. Mensa ista famis acquiritur precio: & poculum illud inebrians sobrietate, cœlestium sacramentorum siti quæritur. Dixit enim dominus: Qui sititis, ite ad aquam: & quicunque non habetis argentum, ite & emite, & bibite, & mãducate. Et alibi ait: Ecce qui seruiunt mihi, manducabũt: vos verò esurietis. Ecce qui seruiunt mihi, bibent, vos autẽ sitietis. Qui vos, nisi qui ante potastis? de quib⁹ supra dixit: Parasti dæmoniis mensam, & implestis fortunæ poculum. Ergo si ad mensam illam venerabilẽ, ieiunia sancta nos perducunt, si hac fame illa quæ sunt æterna mercamur, quid de iis dubitamus quæ in vsu humano sunt, quòd etiam suauiora hæc nobis faciat ieiunium? Non autem omnis fames acceptabile ieiunium facit, sed fames quæ dei timore suscipitur. Considera. Quadragesima totis præter sabbatum & dominicam ieiunatur diebus. Hoc ieiunium domini pascha concludit. Venit iam dies resurrectionis, baptizantur electi, veniunt ad altare, accipiunt sacramenta, sitientes totis hauriũt venis. Meritò dicunt singuli refecti spiritali cibo, & spiritali potu: Parasti in conspectu meo mensam, & poculum tuum inebrians quàm præclarum est. Nõ sola autem fames quæritur, sed planè disciplina ieiunij. Denique aliis dicitur: In diebus ieiuniorum vestrorum inuenitis voluntates vestras, & omnes subditos vestros stimulatis. Ad iudicia & rixas ieiunatis, & pulsatis pugnis. Vt quid mihi tale ieiuniũ, ita vt audiatur in clamore vox vestra? Non hoc ieiunium ego elegi, & diem ad humiliandum animam suam hominẽ: nec sic flectas vt circulum collum tuum, cinerem etiam & cilicium substernas, nec sic vocabitis ieiunium acceptum. Non tale ieiunium ego elegi, dicit dominus. Quòd ieiuniũ improbetur, audiuimus: nunc audiamus quod sit probabile. Sed solue omnem colligationem iniustitiæ tuæ, dissolue obligationem violẽtarum commutationum, dimitte confractos in remissionem, & omnem cõscriptionem iniquam dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos non habentes tectum induc in domum tuam: & si videris nudum, cooperi eum: & domesticos seminis tui non despicias. Vides quæ species sit & forma ieiuni, quis mentis habitus? vt orationi vaces, & in lege dei die ac nocte mediteris. Ipsa figura corporis plena iustitiæ grauitate, nullus rubor ebrietatis circunfusus genas intuentium offendat aspectus, sed vultus casto micet pallore reuerendus, sermo grauior, oculus verecundior, gressus stabilior atque moderatior. Plerunq; enim in turbatione incessu proditur motus animorũ. Vultus intentior, & quidam cogitationis suæ arbiter, & tacitus cordis interpres, vt neque tristitiam prætexat, neque soluatur risu incontinẽti. Nõ enim superfluum hoc putes nostræ cõmonitionis, cùm sapientia dicat in euangelio: Cùm autẽ ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Ideo dixit hypocritas, eò quòd simulatione alienam personam induant, sicut in scena qui tragœdias canunt, pro eorum dictis quorum personas gerunt, motus suos excitant, vt irascantur, aut mœreant, vel exultent. Affectant enim isti vt ieiunare videantur hominibus magis quàm deo, cupientes isti probari quod faciebant Iudæi. Ideo nobis dicitur: Vos autem cùm ieiunatis, vngite capita vestra, & faciem vestram lauate, ne pareatis hominibus quia ieiunatis, sed patri vestro qui est in abscondito: & pater vester qui videt in abscõdito, reddet vobis. Quid est, Vngite caput vestrũ? Sed & luxurioſi dicunt: Vino & vnguentis nos repleamus. Vnguẽto enim se vngunt, qui corpori odoris gratiam quærũt. Sed & illa vnguenta libidinis illecebras mouere consueuerunt. Aliud est sobrietatis vnguentum, de quo dicit ecclesia ad sponsum suum: vnguentum exinanitum nomẽ tuum. Aliud oleum quo artus animæ & quædam membra pinguescunt. Vnde & Dauid dicit: Impinguasti in oleo caput meum. Et hoc est oleum lætitiæ, quo vnctus est Christus à deo patre, vt præ omnibus suis emineret consortibus. Hoc iubet vngere caput nostrum, vt oleo lætitiæ obducatur omnis simulata tristitia, ne videaris ieiunium tuum vẽdere hominibus, ne videaris contristari in animæ tuæ salute. Nemo enim tristis coronatur, nemo mœstus triumphat. Vnge ergo caput tuum, vbi sensus sapientis sunt. Oculi enim sapientis in capite eius. Ad mysteria vocaris, & nescis: discis cùm veneris. Et reminiscere illud: Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron: tunc cognosces quid sit, Vngite caput vestrũ, quando placueris deo, vt tibi sua patefaciat sacramenta, & det gratiam spiritalem. Est & aliud caput mysticum. Quod est illud? Audi: Caput mulieris vir, caput autem viri Christus. Mitte in Christum, mitte etiam in caput eius vnguentum. Caput eius deus est. Ille mulier ecclesiæ typum gerens, quę in caput eius misit vnguentum, confessa est eius diuinitatem: & quę in pedes eius misit, confessa est eius passionem. Vtraque laudatur. Et tu fac quo laderis, quo remissionem accipias peccatorum. Laua faciem tuam, emunda, animam tuam peccatricem, laua illã, & omnem conscientiam tuam. Index enim facies plerunque est conscientiæ, & quidam tacitus sermo mentis, cùm aut peccato compungimur, aut integritate lætamur. Noli hanc exterminare faciem, laua illam, & omnem sordem conscientiæ tuæ dilue. Exterminat faciem suam, qui aliud corde gerit, aliud foris prætendit. Non nos velut quadam impietate operiamur: quod intus est, foris luceat: quod foris est, intus operetur. Nemo in ieiunio culpam includat, præferat innocentiam. Ieiunium etenim culpæ interfector est.

Quòd amara optabiliora sint dulcioribus. Et quomodo esca ad horam dulcis, in posterum exemplo Esau amarior efficiatur. Et quòd nihil prosit ieiunium ad iactantiam factum.

Caput XI.

NEmo amariorib⁹ præoptet dulciora. Dulcis voluptas videtur, amarũ ieiunium. Hoc amaro illud dulce tollatur. Solent amara etiã ipsis plus prodesse corporib⁹. Sicut enim cùm in intimis puerorũ visceribus vermes ex cibi indigestione nascũtur, ex tingui non queunt nisi cum amarior potus infunditur, aut medicamentorum vis inolescit asperior, quorum odore moriantur: ita profundũ animæ virtus ingressa ieiunij, culpam latentem interficit. Quid Esau seruum fratri suo fecit? Nónne esca ad horam dulcis, amara in posterũ? Quid Iacob dominum fratri dedit? Nónne contemptus cibi, ad tempus amarior, sed salubris in reliquium? Ipsa corpora dulcibus frequenter inflantur. & melle iecur tenditur, idem tamen escæ amaritudine temperatur. Ideo non mediocris, sed laudata quæstio: De manducante exiuit esca, & de forti dulcedo. Alij habent: Et de tristi dulce: Græci codices maximè. Sed & forte laboriosum est. Exit enim dulce de tristitia vel labore. Noli ergo te iactare cùm ieiunas, noli gloriari, nihil tibi prodest ieiunium. Quæ enim ad ostentationem, fiunt, nõ in futurum

1129

in futurum fructum extendunt suum, sed præsentium mercede cõsumuntur. Helias in deserto erat, ne quis eum ieiunantem videret, nisi soli corui, qui eum pascerent. Helisæus in deserto erat, vbi nõ inueniretur esca, nisi amara. Ioānes in deserto erat, vbi solas locustas & mel syuestre inueniret. Ieiunantibus epulæ pio angelorum ministerio deferebantur. Prandebat Daniel inter ieiunantes leones. Ille prandebat alienum prandium, feræ non tangebant suum. Ieiunantibus epulæ volant, prandentibus pedes vacillant. Ieiunantibus manna de cœlo descendit, epulantibus culpa præuaricationis ascendit.

Quemadmodum ebrietas in omne facinus præcipitet. Et de conuiuiis lubricorum hominum. *Cap. XII.*

SEd quid est hoc? dum de ieiunio disputo, strepitus audio conuiuiorũ. Nisi fallor, dũ in sermone disputo, meũ redoluit prandium. Sonus ergo literarum inuitat, impatiẽtiæ exempla non terrẽt. Etenim qui ieiunantem, & ea que legis sunt ferentem, expectare non passus est populus, vtique sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Videmus sacrilegium ebrietati fuisse coniunctũ. Nam sicut mater fidei continentia, ita per fidiæ mater æbrietas est. In quod facinus non ista præcipitat? Sedentes in foribus tabernarum homines, tunicam non habentes, nec sumptum sequentis diei, de imperatoribus & potestatibus iudicant, imò regnae sibi videntur, & exercitibus imperare. Fiunt ebrietate diuites, qui sunt in veritate inopes. Aurum donant, dispensant pecunias populis, ciuitates ædificant, qui non habent vnde cauponi potus sui præcium soluant. Feruet enim vinum in his, & nesciunt quid loquãtur. Diuites sunt dum inebriantur: mox vbi vinum digesserint, cernunt se esse mendicos. Vno die bibunt multorum dierum labores. De ebrietate ad arma consurgunt, calicibus tela succedunt. Pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt. Quàm fortes sibi homines videntur in vino, quàm sapientes, quàm deserti, quàm etiam pulchri ac decori, cùm stare non possint? Mens titubat, lingua balbutit, pallor & sanguis ora suffundit. Fœtor ebrietatis horrori sit, barbari in ferrum ruunt, vulgus in rixas. Si quis eorum pugno fuerit percussus, videas ora sauciorum vini lachrymas fundere, miserabiles epilogos decantare. Habet enim hoc temulentia, vt & molliat & resoluat corda temulẽtorum. Sicut enim ignis probat ferrum durum, ita & vini incendio etiam superborum hominum cor liquescit. Omnes sibi in vino æquales videntur, nullus inferior. Non pauper diuiti cedit, vt pote quia pauperẽ se esse nescit. Nõ infirmus valido, cui omnis in bibendo est fortitudo. Non mẽdicus locupletiori, non ignobilis honorato: sed cum bibunt, illum regem habent, qui bibendo superauerit viros. Meritóque scriptum est: Aequalis vita hominibus, vinum in ebrietate. Sed vtinam & quod sequitur audires: Bibas illud moderate, vt sis sobrius. Non habes quod accuses vinum in iucunditatem creatum est, non in ebrietatem ab initio. Exultatio animæ & cordis est, si moderate bibas. Immoderatio autem potus in iracundiam concitat, & ruinas multas efficit. Sed forte dicant has esse potationes vulgariũ & leuissimorum hominum. Veniamus ergo ad horum potẽtium & fortissimorum conuiuia. Non ego hic vnguentatos adolescentulos aut coronatos rosis proferam, qualem ferũt illum fuisse qui delibutus vnguẽtis, redimitus floribus, sub nixus meretricibus antelucano potu ebrius, & diurno ceteorum comitatus lumine, philosophorum auditorium disputantium ingressus sit. Quo audito, coronas, vt aiunt, sensim detraxerit, vnguenta deterserit, scortis vale dixerit: philosophus postea tãtus euaserit, vt esset sobrietatis exemplũ qui fuerat ante ebrietatis ludibrium. Non enim emendatũ illis inuideo, doceam genus eorum luxriæ à me non esse simulatum. Certe ille si resipuit à vino, fuit tamen semper temulentus sacrilegio.

De conuiuiis præliatorum & fortissimorum adolescentum, & de potu ad æquales calices. Et de furoris poculo.

Caput XIII.

IGitur hinc ad adolescentes lubricos, ad conuiuia præliatorum veniamus. Inter arma prandendum est Stipatores hi sunt bellici qui ministrãt succincti auro, & Babylonicis lumbos suffulti baltheis: aureis torquibus nitent colla, infantium aureis bullis zonã tegũt, aureis thecis cultros includunt suos, quibus dimicẽt. Cũ epulis diuidendis assistũt pueri coma nitentes: ex gente barbarica ad hos vsus electi, per singularũ distincti ætatum vices cernas poculorum diuersorum ordines, aciem ordina tam putes, vasa exposita aurea & argentea, pompam arbitreris, cornu in medio vini plenum, non epularis, sed præliaris instrumentum buccinæ, quod discumbentes in certamen accendat. Primo minoribus poculis velut velitari pugna præluditur. Verum hæc non sobrietatis est species, sed bibendi est disciplina. Etenim vt tragœdiarũ actores primo sensim vocem excitant, donec viuæ vocis apperiant iter, vt postea magis possint clamoribus personare: ita isti quoque in principio præluforiis se exercent póculis, vt irritent sitim, ne forte restinguant eam, & satiati postea bibere non possint. Ergo vbi res calere cœperit, poscũt maioribus poculis, feruor inardescit. Arctius † cibus siti exæstuat, & vbi imminui vasa cœperint, potu meraciore reparantur. Certant pocula cũ ferculis, & inter moras sæpe germinantur. Deinde procedẽte potu longius, contentiones diuersæ, & magna certamina, quis bibendo præcellat. Nota grauis si quis se excusset, si quis temperandum fortè vinum putet. Et hæc donec ad mensas perueniatur secundas. At vbi consummatæ fuerint epulæ, putes iam esse surgendum: tunc de integro potum instaurant suum: & cùm consummauerint, tunc inchoare se dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum, Ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur Agonothetes illic furor est, stipẽdium debilitas, victoriæ præmium culpa: pendet anceps diu & dubius belli euentus. Furor enim illic est præliaris. Cedunt pincernarum manus vina fundentium, & coquorum labores calida ministrãtium. Cedunt qui mensuras ipsas bonas superefluẽtes diligenti librant examine ne quid effundant: non cedunt bibẽtes. Sola illa sunt sine excusatione certamina. In bello si quis se inferiorem viderit, arma conuertit, & meretur veniam. Hîc si quis calicem conuertat, vrgetur ad potum. In scammate si quis te manu leuat, exors quidem palmæ, sed immunis iniuriæ est. In conuiuiis etsi manum reuocet à vino, ori eius infunditur. Omnes inebriantur, victores, victíque, omnes ebrij iacent, plerique sopiti. Nec portari eos ad sepulchrum licet, priusquam qui pascit, de omnibus vindictam viderit, vt vlciscatur dispendium. Qui autem damna non sentit, hanc mensæ suæ gloriam putat, si ex ea vulnerati omnes ac saucij tanquam de arena exeant. Spectaculum triste Christianorum oculis, & miserabilis species. Cernas iuuenes terribiles visu hostibus de conuiuio portari foras, & inde ad conuiuium reportari: repleri, vt exhauriant, & exhaurire, vt bibant. Si quis verecundior fuerit, vt erubescat surgere, cùm iam immoderatos potus tenere non possit, anhelare vehementius, sudare, gemere, signis prodere quod pudet confiteri. Ibi vnusquisque pugnas enarrat suas, ibi fortia facta prædicat, narrat trophæa. Vino madidi & somnolenti nesciunt mente quid lingua proferat. Vnusquisque stertit, & potat, dormit & dimicat: & si quando consurrectum fuerit, viri præliatores stare nõ possunt, gressu vacillant. Ridẽt seruuli dominorum opprobria, manibus suis portant militem bellatorem imponunt, equo. Itaque huc atque illuc tãquam nauigia sine gubernatore fluctuant, & tanquam vulnere icti in terram deffluunt nisi excipiantur à seruulis Alij referuntur in scutis, fit pompa ludibrij. Quos mane insignes armis spectaueras, vultu minaces, eosdem vesperi cenas etiam à puerulis rideri, sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senecture tremulos, in ipso inuentutis flore arentes.

De reprehensione eorum qui conuiuia illicita præparant: & quòd maior sit vis vini, quàm veneni.

Cap. XIIII.

† *aridus.*

QVis tale miſcuit furoris poculũ? Quis tantũ infudit mentibus venenum? Periclitatur homo vltum eſſe de corpore, & ipſe ſibi reus eſt inſaniæ voluntariæ, corruptelæ ſpontaneæ: & tamẽ nec vos excuſamini qui vocatis vt amicos, & emittitis vt inimicos. Quanto melius in terram tua vina fudiſſes? Sed & terra inebriatur, & aſperiores etiam ipſas feras reddit ſi vini contigerit odor. Denique vindemiæ tempore ſi vineam intrare voluerint, ſolent ebrietate ſuccendi. Quid te delectant damna ſine gratia? Rogas ad iucunditatem, cogis ad mortẽ. Inuitas ad prandium, efferre vis ad ſepulchrum. Cibos promittis, tormenta irrogas. Vina prætẽdis, venena ſuffundis. Omne enim quicquid nocet, venenum eſt. Tollit ſenſus, viſcera exurit, ſomnũ infert, caput vexat. Etiã maior vis vini quam veneni eſt. Denique venenum vino excluditur, nõ veneno vinum. Meritò deus per Moyſen non ſolum veneno, ſed etiam draconum veneno vinum comparauit, dicens: Furor draconum vinum eorum, & ira aſpidum inſanabilis. Et pulchrè addit, inſanabilis. Multi enim reliquorũ ſerpentium veneno curãtur, nemo ebrietate. Certè veneno caro vulneratur, vino mens. Noxia eſt ebrietas ad corporis ſanitatem, menti etiam crimen adiungit. Aduerte etiam & perfidiæ venenum, vini declaratum nomine. Ait enim ſupra de alienigenis, qui neſcirent deum: De vinea enim Sodomorum vinum eorum, & vitis eorum vitis Gomorræ. vua eorum vua fellis, botrus amaritudinis in ipſis.

Deuter. 32.

Ibidem.

Quid de ebrietate Eſaias loquatur. Et quòd non ſolum vinum, ſed etiam ſicera inebriet. Et quid ſignificet, Calix aureus Babylon in manu domini. Et quomodo vas apoſtolorum fictile ſit. Cap. XV.

PVtatis me tanquã vino crapulatũ, intemperantius ieiunij prædicatione hũc miſiſſe ſermonẽ? Et adhuc ſecundũ prophetas fortiſſimos viros quãta præterij, quanto minora dixi, quã dominus locut' eſt. Audiſtis quid per Moyſen dixerit, audite quid in libro ſermonũ Eſaiæ ſcriptũ ſit. Inuenitur enim dominus huiuſmodi verbis vſus, & ait: Væ iis qui conſurgũt mane, & ſectãtur ſiceram, qui ebrij ſunt veſpertina, vinũ eos comburet. Cũ cithara enim & pſalterio & tympanis vinũ bibunt: opera aũt domini nõ reſpiciunt, & opera manuũ eius non conſiderãt. Cui væ, inquit, cui iudicia, cui tumultus? Diuerſa ſingulis, temulentis omnia. Væ enim iis qui ebrij ſunt veſperi. Quid ergo illis qui & ante veſperam, & frequenter in luce madent? Ergo væ ſibi debitũ. Habẽt concertationes, conſerunt lites, in cædẽ proſiliunt, & veniunt ad iudicia, vel vocantur. Habẽt ergo & iudicia tanquã rei. Fit nonnunquã gra uior tumultus, quia vino mẽs peruertitur ebrioſi: & nõ meminit regis, nec magiſtratus, vt ſcriptum eſt: Et omnia aperta facit loqui, & non meminerunt cùm biberent, amicitiæ, nec fraternæ neceſſitudinis. Sed nõ poſt multũ ſumunt gladios: & cùm à vino merſi fuerint, & ſurrexerint, non meminerunt ipſi quæ geſſerint. Habent ergo etiam dignam mercedem tumultus. Præteream certè ego citharam, pſalteria, tympana, quæ cognouimus conuiuiis huiuſmodi frequẽter adhiberi, vt vino & cantu excitentur libidines. Pleriq; etiam Perſico more mulieres dignas temulentorum conſortio induci iubent, & ab his phialas accipiũt, atque illis ſe ſubſternunt ſedentibus. Et hunc ritum ſacratæ habent obſeruationes in ebrietatis miniſterium. Habent ergo vinũ & Barbari: libenter his Romanus indulget, vt & ipſi ſoluãtur in potus, & enetuati ebrietate vincantur. Nec ſolũ vinum ebrietatem facit, ſed ſicera. Denique Hebræi omnem potũ qui inebriat, ſiceræ nomine vocant. Non immeritò ergo væ illis, qui mane ebrietatis potum requirunt, quos cõueniebat deo laudes referre, prævenire lucem, & vacare orationi, occurrere Soli iuſtitiæ, qui nos viſitat, & exurgit nobis, ſi nos Chriſto non vino & ſiceræ ſurgamus. Hymni dicuntur, & tu citharam tenes? Pſalmi canuntur, & tu pſalterium ſonas aut tympanũ? Meritò væ, qui ſalutem relinquis, mortem eligis. Vix diluculum, & iam curſatur per tabernas, vinum quæritur, excutiuntur tapetes, accubitum feſtinant ſternere, lagenas argenteas, auratos calices exponunt. Væ, inquit, iſta quærẽtibus. Calix aureus Babylõ in manu domini inebriãs omnem terram. A vino eius biberunt omnes gentes, ideo cõmotæ ſunt. Et ſubitò cecidit Babylon, & contrita eſt. Calix ergo aureus contritus eſt: quia Babylon contrita eſt, quæ eſt calix aureus. Sed quanuis auro ſe iactat & precio, in domini & ipſa eſt poteſtate. Denique diuina indignatione conteritur. Qua ratione calix aureus? quoniam qui à veritate deficit, quærit illecebrã, vt ſpecie ſaltem precioſa ad bibendum aliquos poſſit illicere. Conſtitue ante oculos tuos pompam huius ſeculi, vide ſpecioſam illecebram, ſed inanem gratiã. Non ſeducant te aurea vaſa & argẽtea. Habemus & nos theſaurum in vaſis fictilibus. Vas apoſtolorum fictile eſt, ſed in eo theſaurus eſt Chriſti. Væ ſiceram mane ſectantibus. Aureum eſt hoc vas, poculum eſt, & in eo poculo venenũ mortis, venenum libidinis, venenũ ebrietatis. Hoc qui biberit, commouetur & cadit. Commouetur non ſolũ corpore, ſed etiam corde turbato. Commoueri enim peccati eſt.

A

1 Cor. 4.

De magna ebrietatis deteſtatione. Cap. XVI.

DEnique Cain exiens à cõſpectu dei, habitauit in terra Naim, quæ per interpretationẽ ſignificat commotionẽ. Ergo qui calice aureo inebriatur peccato mouetur. Quid te ſub maledicto cõſtituis Cain illius parricidæ, vt tremens atque profugus moueariſ? Sed & perſecutores domini tranſeuntes mouebãt capita ſua. Exagitabat enim eos ſpiritus nequam, qui repleta à ſe corpora mouere conſueuit. Et ille cùm defuerit, tremor deſinit: ebrietas autem perpetuum dat tremorem. Sudãt vino corpora temulentorũ: ſi leuius ea tetigeris, exprimis vinum. Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuum inſaniæ, ebrietas venenum inſipientiæ. Hæc ſenſus hominum mutat & formas, per hãc fiũt ex hominibus equi adhinnientes. Siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturã vini calore flammati, cohibere ſe non queunt, & in beſtiales libidines excitantur, vt nullum tempus præſcriptum habeant quod doceat indulgere concubitui. Vocem amittunt, colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelãt, fremũt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excedunt. Hinc phreneſis pariculoſa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens ſemeſas epulas cum internorum viſcerum cruore fundentium. Nã eadem dominus per Hieremiam locutus eſt dicẽs: Bibite & inebriamini, & vomite, & cadetis, & non cõſurgetis. Hinc etiam vanæ imagines, in certi viſus, inſtabilis greſſus, vmbras ſæpe tranſiliunt ſicut foueas. Nutat his cum facie terra, ſubitò erigi & inclinari videtur, & quaſi vertatur. Timentes in faciẽ ruunt, & ſolũ manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus ſibi videntur includi. Murmur in auribus tanquam maris fluctuantis fragor, & reſonantia fluctu littora. Canes ſi viderint, leones arbitrantur, & fugiunt. Alij riſu ſoluuntur incõdito, alij inconſolabili mœrore deplorant, alij cernunt irrationabiles pauores. Vigilantes ſomniant, dormientes litigant. Vita his ſomnium eſt, ſomnus his mors eſt: excitari nullis vocibus poſſunt quantolibet ſtimulando impulſu petas, niſi reſipuerint, euigilare non poſſunt. Vnde bene Hieremias huiuſmodi hominem tanquam ſuperfluam creaturam deflendũ putat. Quid eſt homo ebrius, niſi ſuperflua creatura? Itaque ſic ait: Sicut fletum Iazer defleo te vitis, quia deſerta eſt ciuitas Iazer. Et infra: Vinũ erat in torcularibus tuis, mane nõ calcauerunt, meridie autem non fecerunt. Iazer, Mohi, Ticine, Piccot factura ſuperflua eſt. Moderatio enim naturalis eſt: ſupra menſuram quicquid eſt, ſuperfluum habetur: ita eſt ebrietas, quæ fletu prophetico deploratur. Vnde ait Apoſtolus: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed inebriamini ſpiritu. Eſt ergo ebrietas culpæ, eſt & gratiæ. Et fortè hæc naturæ quæ gratiæ, qui ad imaginem & ſimilitudinẽ dei facti, ſpiritu ſancto repleti eſſe debemus.

Matth. 24.

Hier. 51.

Hieron.

Epheſ. 5.

De obteſtationibus & ſacramentis potantium, quæ violare nefas arbitrantur. Et quomodo ſæpe vino ſecretiora hominis extorqueantur. Quòdque frequens ingurgitatio interiora hominis abſumat. Cap. XVII.

QVid aũt obteſtationes potantium loquar? Quid memorẽ ſacramẽta, quæ violare nephas arbitrãtur? Bibamus, inquiũt, pro ſalute imperatorũ: & qui non

1133

qui non biberit, sit reus in deuotione. Videtur enim non amare imperatorẽ qui pro eius salute non biberit. O piæ deuotionis obsequium. Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad deũ peruenire iudicant, sicut illi qui calices ad sepulchra martyrum defferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placari, qui ieiunio passiones sustinere didicerunt. Quot de intemperantia cõuiuij nouimus ad tormenta venisse? Dum per ebrietatem de imperio suo certant, & sibi regna promittunt, aliis honores pollicentur, infœlices ad pœnam ducti sunt, qui quid dicerent, nesciebant. Vnde pleriq; boni iudices ea quæ per ebrietatem dicta sunt, esse tenẽda ad crimen non putauerũt. Plerique etiam vino vtuntur vt equuleo: & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tenant bibendo, vt patriæ statum, salutem ciuium, defensionis suæ prodant consilia. Virtus enim plerunque vincit dolorem, fidem autem potus excludit. Cognoui plerosque fidiculis exulceratos nomen suum negasse. Quis inter cyathos texit quod latere cupiebat? Quid retexam audita? Mihi non poculi, sed profluuij genus esse videtur, quòd in ora hominum tanquam per fistulas aut canales vina funduntur. Hos homines an vtres verius æstimauerim? Et tamen ipsi vtres, si immoderata transfusio fit, sæpe rumpuntur. Per cornu etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt, & si quis respirauerit, commissum flagitium, soluta acies, loco motus habetur. Aqua decurrens à Libano cautes rumpit & soluit, quomodo mollibus putant nequaquam nocere visceribus vinolentorum impetus fluentorum? Elephantos quoque ferunt promuscide haurire aquæ plurimum, eosdem tamen ad sedandam sitim moderato potu esse contentos. Sed si forte ab aliquo caupone fuerint mercede fraudati, indignãtes, replere concauum promuscidis, non vt bibant, sed effundant, atque ita momentariis inundationibus irrigare eius tabernam, de quo se putarint vindicandos. Siccantur ad potum subitò lacus, ac repente funduntur, natant omnia. Cui non mirum tam immania beluarum corpora superfluum nil tenere?

Quomodo etiam fœminæ vsque ad ebrietatem bibant, & inde in plateis inuerecundos viris sub conspectu adolescẽtulorum intemperantium ducant choros. Et quid boni sit sobrietas, quid mali intemperantia.

Caput XVIII.

SEd quid de viris loquamur, quando etiam fœminę, quas oportet solicitiorẽ castitatis, sobrietatisque adhibere custodiam, vsque ad ebrietatem bibunt? Deinde surgentes, quas etiam inter secreta domus vel audiri ab alienis nõ conuenit vel videri, prodire audent in publicum non velato capite, vulto procaci. 1.Cor.14. Apostolus mulieres tacere etiam in ecclesia iubet, domi viros suos prę cipit interrogare. Illæ in plateis inuerecundos viris sub conspectu adolescentulorum intemperãtium choros ducunt, iactantes comam, trahentes tunicas, scissæ amictus, nudæ lacertos, plaudentes manibus, saltantes pedibus, personantes vocibus, irritantes in se iuuenum libidines motu histrionico, petulanti oculo, dedecoroso ludibrio. Spectat corona adolescentum, & fit miserabile theatrum. Inter saltantiũ lapsus ocello impuro, & contaminato aspectu, terra turpi saltatione polluitur, quę obscœnis cantibus verberatur. Quomodo patienter loquar, piè præteream, conuenienter defleam? Vinum nobis tantarũ animarum damna intulit. Etenim si vinum & mulieres discedere à deo faciunt, quòd vel ebrietas, vel libido præuaricationis illecebræ sint, si singula ac separata hæc faciũt, quid faciũt vnita? Vnde nõ Ecclia. immeritò ait Sapiẽs ante nos quidã: Mulier ebriosa ira magna. Quid autem mirum si vino decipiuntur animæ fœminarum, cùm omnes illæ tribus patrum cum de petra biberent aquam, manna manducarent, gentes validissimas vincerent, & non erat in his vllus infirmus: vbi verò carnes desiderare cœperunt, & desideriis in Ægyptum *conuertebantur, nequaquam ex tot milibus hominum in terram promissionis præter duos peruenire potuerunt? Itaque quid boni sit sobrietas, quid mali intemperantia, hinc colligi datur, quando qui murmurabant, requirentes Ægypti delicias à serpentibus moriebantur: quando per maris rubri trãsibant semitam, aquam bibebant. Nos ergo vereamur exemplum, nos fugiamus delicias, ne nos futurorum bonorum adeptione defraudent.

Quid sibi sperare debeant bene pasti & luxuriosi, & de visione Tyri. Quódque mare nulla necessitate, sed sola humana intemperantia inquietatum fuerit. Et quomodo luxuriosi nauibus assimilentur. *Caput XIX.*

ET quid aliorũ vtar exemplis? Ipsi bene pasti ac luxuriosi quid sibi sperant, audiamus. Inducit enim eos Esaias propheta, dicentes: Mãducemus & bibamus, cras enim moriemur. Meritóq; exclamat: Vlulate naues Carthaginis, quia perierũt, & non amplius erunt. Quod est dictum de visione Tyri, quam luxuriosam vrbem cognouimus. Ideoque nona visio est, non septima aut octaua, quòd ea neq; legem custodiat, neque euangelij gratiam, cùm & sabatto legitimo ignes libidinis adolere sit vetitum, & euangelij serie octauus dies resurrectionis illuceat. Idem autem dies primus atq; octauus, quia dominica dies in se recurrit. Luxuria ergo nec finẽ habet, nec obseruantiam disciplinæ, luxuria seminarium & origo vitiorum est. Nec arbitremini me aduersus Apostolũ dixisse, quia ille ait auaritiam radicem esse vitiorum omnium: quoniam luxuria ipsius est mater auaritiæ. Etenim cùm exhausserit quis luxuriando proprias facultates, quærit postea auara compendia. Audistis hodiè quid lectum sit: Mercatores, inquit, Phœnicum transmeantes mare. In aqua multa semina mercatorum, sicut messis quæ defertur. Vicinæ sunt istæ ciuitates, Tyrus, Phœnice, Sidon, vicinæ vt locis, ita & vitiis. Mercaturis ac negociationibus periculosa transfretatio maris. Lucella quærens solicita vita hominum, inquieta cõuersatio, & quodã semper in turbine, ventis ipsis mobilior quibus voluitur, huc atque illuc sæpe iactatur. Et vtique accusatis crebra naufragia, quis vos nauigare compellit? Quasi nõ inuidia opum & terras facietis intutas, & ad latrocinium plurimos excitetis. Mare non ad nauigandum fecit deus, sed propter elementi pulchritudinẽ. Latius Pelagi fudit æquora, certè vt freto includeret terras, ne lõgius tu vag⁹ & exul errares. Sed tempestate iactatur mare. Temerè ergo non vsurpare debetis. Elementum innocens nihil deliquit, temeritas humana sibi est ipsa discrimini. Denique qui non nauigat, nescit timere naufragium. Dominus dixit: Dominamini piscium maris: non dixit, Nauigate in fluctibus. Denique & propheta Ionas, qui missus est in Niniuem vt pœnitentiam prædicaret, quia voluit nauigare vt fugeret à facie dei, tempestate turbatur, & sorte ductus & iactatus in mare, & exceptus à ceto est. Propheta quoque Dauid ait cũ dei circa hominem cõmemoraret gratiã: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Piscibus dedit non hominibus perambulare semitas maris. Ad escam tibi mare datum est, non ad periculum: cibo, non mercatu vtere. Cur tibi periculum generas de voluptate? Cur separatioris elementi profunda rimaris? Cur inquietas mundi altiora secreta? Cur postremò sæpius sulcare atque exarare fluctus impatiens nauta contendis? Cur tentas frequenter innoxia æquora, irritas procellas? O inexplebilis auaritia mercatorum, cede tu, vbi & Pelagus & mare inquietudinem tuam non potest sustinere. Denique totiens recurrentibus mercatoribus exaratum, erubescе Sidon, ait mare. Tanquam fatigati elementi vox ista dicentis est: Erubescе Sidõ: hoc est, meos fluctus negociator arguis, cùm sis ipse fluctib⁹ inquietior, & erubescе velut pudore, quoniam periculo non moueris. Verecundiores venti sunt, quàm vestræ cupiditates. Illi habent ocia sua, nunquam vestra quærendi studia feriãtur. Et cùm ociosa tempestas est, nunquam vestra ociosa sunt nauigia. Versatur vnda sub remige, quando quiescit à flamine. Non parturiui, inquit, nec peperi, nec nutriui, iuuenes quid me inquietant quos nescio, quos non agnosco? Ite in Carthaginẽ, vlulate qui inhabitatis insulas. Supra dixit: Vlulate naues Carthaginis. Carthaginem etenim

Gene. 1.

Ionæ.1.&.2

Psalm.8.

Esaiæ 23.

Esaiæ 22.

Ibidem.23.

1.Timo.6.

nim Tyrij condiderunt, & ideo Carthaginenſes ſequuntur luxuriam conditorum, transfuſa in ſe decolora ſucceſſione nequitiæ, peſſimorum vitiorum hæredes deteriores. Et bene luxurioſos naues dixit. Sicut enim illę vento, ita hic cibo iactatur & vino. Inſulæque repletæ potu inhabitant, corpora naufragiis circūſonant. Tunduntur fluctibus ebrietatis, nec per diem nec per noctem quieſcunt Horum igitur mercatorum ſemen in aqua, merces in fluctibus eſt. In aqua enim labores ſuos ſeminant, vt pericula metant. In aqua eis ſeges pullulat, in aqua iſtis exuberat fructus. Ipſe in aqua eſt, nunquam tutus eſt & ſolidus. Vnde rectè ait: Qui ſeminabat in terra, non introiuit in negociationem: imò qui ſeminabat in cœlo. Sed eſt & bona terra, in qua quicūque ſeminaueri t, fructus ei cœleſtis oriatur.

Quis dicatur cantus meretricis, de quo in Eſaia: Eritque poſt annos ſeptuaginta Tyrus vt canticum meretricis. Et de miſericordia medici, & ſaluatoris gratia, & quibus modis quærenda ſit. Caput XX.

Eſaiæ 23 VUlate, inquit, iterū naues Carthaginis, quoniā periit munitio veſtra, & erit in illa die, relinquetur Tyrus. Et infra: Eritq; poſt ſeptuaginta annos Tyrus vt cāticū meretricis. Videte quibus verbis vtatur propheta, nec refugiat verborum iſtiuſmodi vilitatem. Nos interdum refugimus, non quo nobis quàm illis lingua ſit caſtior, ſed authoritas inferior. Maior enim vis rerum in talium expreſſione ſermonum eſt, vt qui delicta non erubeſcunt, erubeſcant vel nomina delictorum. Eritque Tyrus, inquit, vt cāticum meretricis. Videte ne cùm aliquis illos choros viderit pia verba cātate, dicat: Ecce Tyrus facta eſt vt canticum meretricis. oraculū propheticę annunciationis impletum eſt. Et ſubiecit: Accipe citharam, & vagare ciuitas meretrix oblita bene citharizā, multa canta, vt fiat memoria tui. Et poſt ſeptuaginta annos erit Tyrus Ioſue 2. canticum meretricis, & viſitationem faciet deus Tyri. Vnde poſſumus & in bonum canticum Raab illius meretricis Luc. 7. accipere, quæ exploratores Ieſu fideli mente ſuſcepit. Nam Pſal. 95. & dominus ait: Cantiuimus vobis, & non ſaltaſtis. Et Dauid ait: Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra. Hoc eſt canticum meretricis, quod ante illa meretrix in Adam & Eua terra cātauit, meretrix in populo nationum. Hæc meretrix bonas plurimas fecit meretrices, de quibus dictum eſt à domino Ieſu ad illum electum & ſeniorem populum dei: Publicani & meretrices præcedēt vos Matth. 21. in regnum dei. Ergo quoniam tam miſericordem habemus dominum, qui etiam graui ignoſcat errori, cōuertamur nos à vitiis, non recedamus à lege, præceptum domini quaſi ſerui ſedulis ſtudiis exequamur. Quid nobis cum impuritatib⁹ & impudicitiis? Quid cum operibus diaboli? Audiſtis hodie in lectione decurſa quid legio dixerit: Quid mihi & tibi eſt Luc. 8. Ieſu fili Dauid? Et tu dicito ſi fortè vides pugnare aduerſum te diaboli tētamenta: Quid mihi & tibi eſt Belial? Ego Chriſti ſeruus ſum, illius redemptus ſanguine, illi me totum mancipaui. Quid mihi & tibi eſt? Non noui opera tua. Nihil tuū quæro, nihil tuum poſſideo, nihil tuum deſidero. Quanto magis nos oportet ſeparare à diabolo, ſi ſe ille diſcernit à Chriſto? Et ſi fuimus ei aliquando obnoxij, iam non ſimus, cōfugiamus ad medicum, qui vulnera ſuperiora curauit. Et ſi quid ſupereſt acerbitatis, medela nō deerit. Et ſi quid iniuriæ fecimus, memor non erit qui ſemel donauit. Et ſi gratia delinquimus, magnum medicum inuenimus, magnā medicinam gratiæ eius accepimus. Medecina enim tollit peccata magna. Habemus etiam plura ſubſidia, quibus peccata noſtra redimamus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis eſt dominus, ſed tu ipſe venalis es. Peccatis tuis venundatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Vilis pecunia, ſed precioſa eſt miſericordia. Eleemoſyna, inquit, à peccato liberat. Et alibi dicit: Redemptio viri, diuitiæ eius. Et in euangelio dominus dicit: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Et veneno frequenter antidotum temperatur, hoc eſt, venenum veneno excluditur. Veneno mors repellitur, vita ſeruatur. Fac & tu quaſi bonus diſpenſator de inſtrumento auaritiæ ſubſidium miſericordiæ, ſyncritatis gratiam de corruptionis illecebra.

Tob. 12. Prouer. 13. Luc. 16.

Quomodo intelligendum ſit illud prophetæ: Ecce venit dominus diſperdere orbem terrarum. Et quomodo athleta ſit pro brauio, & ideo ſobrietate, & abſtinentiæ exercitio nobis opus ſit. Caput XXI. 1136

AVdiſti quid lectum ſit hodie: Ecce venit dominus diſperdere orbē terrarum. Quaſi manu ſanctus propheta demōſtret, quaſi oculis aduenientē videat iudicij diem, ita dicit: Ecce venit dominus diſperdete terrarum orbē. Imo quia in ſpiritu prophetis etiam quæ futura ſunt, tanquam præſentia reuelantur, ideo quæ videbant, nobis quoque demonſtrare cupiebant, vt nos ad conuerſionem ab errore reuocarent. Nec tamen quiſquam frangi debet cùm audit, quia diſperdet dominus orbem terrarū. Ne fortè dicat, Eſto, nos grauia peccata commiſimus: quid orbis deliquit, quid cælum, quid mare, quid terra, vt & illam diſperdat? cur perit tam pulcher ornatus? Sed anguſtia eſt animi, iſtiuſmodi opinio. Cæterū ſi altius ſpectes, inuenies hoc eſſe pro nobis quod putas eſſe contra nos: iudicabis hoc eſſe pro mundo, quod aduerſum mundum arbitraris. Non ſemper ſtadium plenum repertum eſt ſpectatoribus, non ſemper certamínibus inquietum, non ſemper concretū puluere, ſed quā do certamina, tunc populus in ſpectaculo, luctatur in ſcammate, puluis in ſtadio. Vbi decurſa certamina: cōuentus ſoluitur, diſcedit vnuſquiſque, aut victor ad gratiā, aut victus ad opprobrium, euehit corona victorem, victum premit verecundia: angit iniuria. Si quis ergo poſtea ingrediatur ſtadium, videat vacuum celebritatis, dicat agonothetæ, cur vacat ſtadiū? cur ſilent certamina? cur ſolennia feriantur? Reſpondebit qui agoni præeſt, oportet feriari athletas, oportet ſpectatores requieſcere. Qui enim laboris eſt fructus, niſi requies poſt laborem? Similiter & orbis terrarum aliquādo ſoluēdus eſt, vt ſit requies fatigatis. Athletæ ſumus, in quodam ſtadio decertamus ſpiritali. Denique bonus athleta dicebat: Facti ſumus ſpectaculum huius mundi. Et alibi: Sic 1. Cor. 4. curro, non vt in incertum: ſic enitor, non vt aerem cædens, Lucret. lib. 2. Plinius. ſed caſtigo corpus meum. Et alibi: Superiora obliuiſcens, & quæ ſunt priora appetens, ad deſtinatum ſequor brauium. Athletæ ergo ſumus, legitimè certandū eſt. Multa certamina ſunt: & qui hodie victus eſt, cras ſe reparet. Ante brauiū contenditur ad coronā. Poſtea nunquid athleta ocio vacat cùm ſemel dederit certamini nomen ſuum? Exercetur quotidie, vngitur quotidie. Ipſe cibus ei agoniſticus datur, diſciplina exigitur, caſtimonia cuſtoditur. Et tu dediſti nomen tuum ad agonem Chriſti, ſubſcripſiſti ad cōpetitionem coronæ, meditare, exercere, vngere oleo lætitiæ, vnguento eximanito. Cibus tuus cibus ſobrietatis ſit, nihil habeat intemperantiæ, nihil luxuriæ. Potus tuus parcior, ne quid ebrietatis obrepat: cuſtodi corporis caſtimoniam, vt poſſis eſſe habilis ad coronā. Nec exiſtimatio tua offendat ſpectatoris affectum, nec te fautores tui negligentem videant, & deſerāt ſpectantes archangeli, & poteſtates, & dominationes, & illa angelorum decem milia decem milium. Sub tantis erubeſcere, conſidera quàm dedecoroſum ſit. Ingreſſus ſtadium puluere rigorem animæ tuæ excita, lacertos excute. Progreſſus in ſcamma neceſſe eſt vt excipias puluerem, ſubeas æſtiui ſolis flagrantiam. Grauis æſtus, ſed dulcis victoria. Moleſta caligo puluēris, ſed ſpecioſa tolerantia. Nemo ſtadium puluerulentus ingreditur, ſed puluerulentum reddunt certamina. Vbi colligitur puluis, ibi palma proponitur. Nemo iterum nitidus coronatur, puluerulentum decet victoria. Veni ergo domine Ieſu, exeat corona tua, admitte victores in requiem, victos ad compunctionem. Etſi diſperdideris orbem terrarum, plura ſunt inuiſibilia opera tua, quàm quæ videmus. Qui anguſtioris eſt animi, illa non cernit, dolet quod diſperdas orbem terrarum. Sed qui nouit ſpectare quæ inuiſibilia ſunt, gaudet vt venias, & omnes liberes. Gaudēt athletæ qui poſſunt dicere: Veniat regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Gaudebit creatura mundi, vt à vanitate mundi iſtius liberetur, quæ uunc congemiſcit & parturit, quia vanitati etiam illa creatura

Eſaiæ 24. Matth. 6. Rom. 8.

1137

tura subiecta est, donec multiplicetur adoptio filiorum, & totius corporis redẽptio compleatur. In bono ergo dispertior orbem terrarum. Erit etenim cœlũ nouum, & nox non erit amplius. Denique reuelabit, inquit, faciem eius, vt reuelata facie spectemus gloriam Christi.

1. Corinth. 3.

Qua ratione corpus nostrum ieiuniis castigandum sit, comessationesque indecoræ fugiendæ, ne succumbentes in stadio, extortes veniæ, multis fautoribus mœrorem afferamus. Et de ablutione aquæ baptismatis, quòdque festinandum sit ad gratiam.

Caput XXII.

ADuertimus ergo in stadio constituti quãtis aut delectationi aut dolori erimus, qui nũc fautores nobis sunt, ne pro nobis incipiãt erubescere. Sicut enim erit gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiã agẽte, ita erit mœstitia super vno pec catore si exors veniæ cursum huius vitæ cõfecerit. Castigemus ergo corpus nostrũ ieiuniis, fugiamus indecoras comessationes. Caueamus ne nobis dicatur: Vlulate à vino. Ne veniat Moyses, & Leuitas aduocet: & quicunq; paratus ad dominum armatã dexteram gerat, seperet se ab his qui mãducando & bibẽdo grauia cõtraxere peccata. Et hodie Moyses venit cùm lex recẽsetur. Moyses vocat cum lex præcipit. Apostolus docet vt seperemus nos ab omni fratre inquiete agente. Percutiamus eum gladio spiritali, qui est verbũ dei. Non fratris, nõ propinqui accipiamus personã, sed omnem immundũ à Christi secernamus altaribus, vt emũdet & corrigat lapsus suos, quo ad sacramẽta Christi redire mereatur. Si quis aũt non est baptizatus, securior cõuertatur, & remissionem accipiat peccatorum. siquidẽ baptismus velut ignis quidam peccata cõsumit, quia Christus in igne & spiritu baptizat. Denique hunc typum legis in Regnorum libris inuenies, vbi Helias super altare ligna imposuit, & dixit vt mitterent super de hydriis aquã, & dixit: Iterate tertio. & iterauerunt tertio: & cum manaret aqua, precatus est Helias, & ignis descendit de cœlo. Tu es homo super altare qui ablueris aqua, cuius exuritur culpa, vt vita renouetur. Lignum enim & stipulã cõsumit ignis. Noli timere ignem per quem illuminatis. Ideo tibi dicitur: Accedite ad deũ, & illuminamini. Suscipite iugũ Christi, nolite timere quia iugũ est: festinate, quia leue est. Non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis? quid procrastinatis? Non alligat ceruicẽ vinculis, sed mentẽ gratia copulat: nõ necessitate constringit, sed voluntatẽ boni operis dirigit. Quid negas adhuc esse tẽporis? Omne tẽpus opportunũ ad indulgentiam. Si aurum tibi offeram, non mihi dicis, cras venias: sed iam exigis. Nemo differt, nullus excusat. Redẽptio animæ promittitur, & nemo festinat. Ioannes in pœnitẽtiam baptizabat: & omnis Iudæa cõueniebat. Christus baptizat in spiritu, Christus gratiã dispensat, & cum fastidio conuenitur. Typum baptismatis demonstrauit Helias, & cœlum aperuit quod fuit clausum tribus annis, & sex mensibus. Quanto maiora munera veritati sunt? Aperuit itaq; cœlum nõ pluuia descendens, sed ascendens gratia. Nemo enim nisi per aquã & spiritum ascẽdit in regnũ cœlorum. Clauserat cœlum hominibus perfidia, sed aperuit fides. Patebat & antehac cœlũ hominibus. Denique Enoch raptus ad cœlum est. Iterum clausum est, sed aperuit Helias, qui raptus est curru igneo. Et vos potestis ascendere, si sacramenti gratiam consequamini. Quousque ad delectationes? Quousque ad comessationes? Instat iudicij dies. dum differs gratiam, mors appropinquat. Quis dicat, Nunc mihi nõ vacat, occupatus sum? Non mihi demõstres lumen, nolo tam citò me redimas. Non mihi adhuc opus est regnũ cœleste. Nõnne hoc dicit qui excusat se à baptismate? Ad quantã gratiã vocaris ô homo? purgaris, & non exureris: saneris, & non doles: reformaris, sed non dissolueris, ictũ mortis non excipis, & resurgis. Et adhuc dissimulas, adhuc expectas vt viuas seculo, postea te reseruas deo? An ignoras quod Cain propterea displicuerit sacrificium, quoniã non primiti ua obtulit, sed primitiuis ipse perfunctus est, de sequẽtibus munus deo tentauit offerre: Abel autem primitiarũ suarum oblatione prælatus meruit insigni pietatis laudari oraculo?

Luce 15.

2. Thes. 3. Apoc. 6.

3. Reg. 18.

Matth. 3. Iordanem.

3. Reg. 17.

Gene. 5. Eccli. 44. Hebr. 11. 4. Reg. 2.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE THOBIA.

A

Quòd humiliter ac patiẽter vir iste iustus, misericors & hospitalis tulerit captiuitatis ærumnam, quam ob virtutes quibus præditus fuerat subiit, communem magis iniuriam quàm priuatam dolens. Quódque nullum humanitatis officium illo sit præstantius quod defunctis corporibus confertur. Caput I.

De commendatione sancti viri, qui dum cæcitatem incidit, non ingemuerit, nec conquestus fuerit. Et quód diligenter cauebat ne quid furtiuum domum suã intraret. Quòd etiam pecuniam quam proximo suo commendauerat, in tanta indigentia non poposcerit. Quòd præterea in hoc quod pecuniam commendauit, & nõ fœnerauit, iusti seruauerit officium. Et de duplici fœnore cum detestatione execrabilis ac mali fœnoris, & commendatione boni. Caput II.

De detestatione duritiæ & auaritiæ fœneratorũ. Caput III.

B

Qua ratione fœneratores Iudæ & diabolo comparentur. Et quid significetur nominibus creditoris, debitoris, fœnoris & sortis. Caput IIII.

Quomodo pecunia fœneratorum nunquam quiescat. Quomodo etiam imprudenter recipientes sub vsuris mutuo, statim multos acquirant amicos, cum quibus opipare & splendidè conuiuentur, qui tamen exhausta pecunia soli fœneratori dilacerandi relinquuntur. Et de illorum sera pœnitentia. Caput V.

De nequitia fæneratorum, qui aliena damna arbitrãtur sua lucra, & quomodo sibi fingant tectoriolũ suæ iniustitiæ. Caput VI.

De increpatione adolescentum, qui sub vsuris pecuniã mutuo recipiũt, & de vulnere remedium quærunt. Et quàm tristis his sit facies creditoris occursantis. Et de induciis per eos postulatis, parum tamen profuturis. Caput VII.

C

Quòd pro paterno debito nonnũquam liberi in auctionem deducantur, & publicè sub hasta vendãtur. Et quomodo obligatus fœneratori venditus dicatur. Caput VIII.

Quòd fœnerator peccati nostri diabolus sit. Et de comparatione ipsius ad vsurariũ. Et quòd idem sit exactor qui se creditorem appellat. Caput IX.

Quòd à fœneratoribus defunctorum cadauera aliquando teneãtur pro pignore, & eis tumulus denegetur. Et quòd nihil interest inter funus & fœnus, inter mortem & sortem. Caput X.

De vsura ab aleatoribus extorta. Et de inuiolabili lege aleæ, cui subiiciuntur etiam ferocissimi homines. Caput XI.

De odibili fœneratorum exactione. Et de variis vocabulis ab eis sub honestatis specie excogitatis. Et quòd fœneratoris pecunia sit Echidna, & imitetur naturam serpentum. Caput XII.

Vnde dicatur vsura. Et quemadmodum simul nascatur & enutriatur, & iam nata parturiat, sempérque inexplebilis atque insatiabilis sit. Caput XIII.

D

De vsura diuina lege prohibita. Et quòd secundum Catonem fœnerare sit hominem occidere. Quódque omne quod præter sortem accipitur, sit vsura, quocunque vocabulo appelletur. Caput XIIII.

Quomodo intelligatur illud Deuteronomij, Ab alienigena vsuram exiges, non autem à fratre. Et de maledictione vsurarij secundum Ezechielem. Caput XV.

Quibus dominus in Euangelio doceat fœnerandũ. Et quod fœneratores à deo peccatores appellentur. Et quis possit esse bonus fœnerator, & quærere bonas vsuras. Caput XVI.

An liceat mutuum danti recipere pignora. Caput XVII.

Quid fœnerãdum, & quibus secundũ legis statuta, & quòd etiã iustus & pauper hoc facere valeant. Caput XVIII.

Quomodo patres nostri gentibus fœnerarint. Et quomodo hodie sacerdotes fœnerare debeant. Caput XIX.

Quod sit illud pignus quod lex reddi iubet ante solis occasum. Et de triplici pignore. Caput XX.

De reprehẽsione debitorum mutuum recipiẽtium, & postmodum

Modum commodantibus ingratorum in redditione facienda, & de obligatione molæ & lapidis supermolaris prohibita. Caput XXI.
Quem fœneratorem imitari debeamus. Caput XXII.
An fœneratores excuſet quod etiam ſuperiores noſtri id fecerint, & quod antiquum ſit vſurarum exercitum. Et quomodo Thobias neque pignus neque fideiuſſorem re ceperit. Quo pacto etiam quis pro alieno debito fideiubere debeat. Caput XXIII.
De aliis virtutibus Thobiæ. Et quomodo mercenario merces ſit ſoluenda. Caput XXIIII.

Diui Ambroſij

MEDIOLANEN. EPISCOPI,

de Thobia, Liber vnus.

Quàm humiliter ac patienter vir iſte iuſtus, miſericors, & hoſpitalis tulerit captiuitatis ærumnam, quam ob virtutes quibus præditus fuerat ſubiit, communem magis iniuriam quàm priuatam dolens. Quódque nullum humanitatis officium illo ſit præſtantius quod defunctis corporibus confertur. Caput I.

LEcto prophetico libro qui inſcribitur Thobias, quanuis plené vobis virtutes ſancti prophetæ ſcriptura inſinuauerit, tamen compendiario mihi ſermone de eius meritis recen ſendis & operibus apud vos vtendum arbitror, vt ea quæ ſcriptura hiſtorico more digeſſit latius, nos ſtrictius comprehendamus, virtutum eius generare velut quodam breuiario colligentes. Fuit vir iuſtus, miſericors, hoſpitalis, & ob virtutes quibus præditus fuerat, ſubiit ærumnam captiuitatis, quam ferebat humiliter atque patienter, communem magis iniuriam quàm priuatã dolens. Nec ſibi virtutum ſuffragia nihil profuiſſe deplorans, ſed magis eam ſibi contumeliam minorem peccatorum ſuorum precio illatam arbitratus, meruit edictum ne quem ex filiis captiuitatis mortuum ſepulturæ daret. At ille interdicto non reuocabatur magis quàm incitabatur, ne deſerere officium pietatis mortis metu videretur. Erat miſericordiæ precium, mortis pœna. Talis flagitij deprehenſus reus vix tandé per amicum potuit direpto patrimonio egenus & exul reſtitui ſuis. Iterum in his verſabatur officiis: ſi quid alimenti foret, peregrinum cum quo cibum ſumeret quærens. Itaque cùm à ſepulturæ feſſus reuerteretur munere, appoſitis ſibi edendi ſubſidiis, miſſo filio quærebat conſortem conuiuij. Dum conuiua accerſitur, nunciatis inſepulti corporis reliquis, deſerebat, nec putabat pium vt ipſe cibum ſumeret cùm in publico corpus iaceret exanime. Hoc illi quotidianum opus, & magnum quidem. Nam ſi viuentes operire nudos lex præcipit, quanto magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere ſolemus, quanto magis in illam æternam domum profectos, vnde iam non reuertuntur? Ego, inquit Iob, ſuper omnem infirmum fleui. Quis infirmior defuncto, de quo dicit ſcriptura alibi: Super mortuum plora? Eccleſiaſtes autem ait: Cor ſapientum in domo luctus, cor autem ſtultorum in domo epularum. Nihil hoc officio præſtantius, ei conferre qui tibi iam non poſſit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à beſtiis conſortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detuliſſe produntur, homines denegabunt?

Iob. 33.
Eccleſ. 22.
Eccles. 7.

De commendatione ſancti viri, qui dum cæcitatem incidit, non ingemuerit, nec conqueſtus fuerit. Et quòd diligenter cauebat ne quid furtiuum domum ſuam intraret. Quòd etiam pecuniam quam proximo ſuo commendauerat, in tanta indigentia non poposcerit. Quòd præterea in hoc quòd pecuniam commendauit & non fœnerauit, iuſti ſeruauerit officium. Et de duplici fœnore, cum deteſtatione execrabilis ac mali fœnoris, & commendatione boni. Caput II.

TAm ſancto feſſus officio propheta dum requieſcit in cubiculo ſuo, cadenti de paſſerum nido albugine cæcitatem incidit, nec conqueſtus ingemuit, nec dixit: Hæc merces laborum meorum? Fraudari magis ſe doluit obſequiorũ, quàm oculorum munere, nec cæcitatem pœnam, ſed impedimentum putabat. Et cùm victum mercede leuaret cõiugis: ne quid furtiuum domum ſuam intraret cauebat. Vxor hœdum pro mercede acceperat. At ille plus honeſtati quàm pietati conſulens, cui ſua deerant, alimoniam commodauerat proximo ſuo, quam toto vitæ ſuæ tempore in tanta indigentia non poſcit. Vix vbi ſe feſſum vidit, & depoſitum ſenectute, inſinuauit filio, non tã cupiens commodatum repoſcere, quàm ſolicitus ne fraudaret hæredem. Quod igitur commodauit pecuniam, & non fœnerauit, iuſti ſeruauit officium. Malum eſt enim fœnus quo quæruntur vſuræ: ſed non illud fœnus malum, de quo ſcriptũ eſt: Fœnera proximo tuo in tempore neceſſitatis illius. Nam Dauid ait: Iuſtus miſeretur & commodat. Aliud illud fœnus iure execrabile, dare in vſuram pecuniam, quod lex prohibet. Sed Thobias hoc refugiebat, qui monebat filium ne præceptum domini præteriret, vt ex ſubſtantia ſua eleemoſynam faceret, nõ pecuniam fœneraret, non auerteret faciem ſuam ab vllo paupere. Hęc qui monet, condemnat vſuras fœnoris, ex quo multi quæſtum fecerunt, & multis cõmodare pecunias negocio fuit. Et quidem eam prohibuerunt ſancti. Quo grauius malum fœnus eſt, eo laudabilior qui illud refugit. Da pecuniam ſi habes, proſit alij quæ tibi ocioſa eſt. Da quaſi non recepturus, vt lucro cedat ſi reddita fuerit. Qui non reddit pecuniam, reddet gratiam: ſi fraudaris pecunia, acquires iuſtitiã. Iuſtus eſt enim qui miſeretur & commodat. Si amittitur pecunia, comparatur miſericordia. Scriptum eſt enim: Qui facit miſericordiam, fœnerat proximo.

Eccli. 29.
Pſal. 36.
Eccli. 29.

De deteſtatione duritiæ & auaritiæ fœneratorum. Cap. III.

MVlti diſpendij metu non fœnerant, dum fraudẽ verẽtur. Et hoc eſt quod petentibus conſueuerunt referre. Horum vnicuiq; dicitur: Perde pecuniã propter fratrẽ & amicum, & nõ abſcõdas illam ſub lapide in perditionẽ. Pone theſaurũ tuum in præceptis altiſſimi, & proderit tibi magis quàm aurũ. Sed obſurduerũt aures hominum ad tã ſalutaria præcepta & maximè diuites ære ſuæ pecuniæ aures clauſas habent. Dum pecunia numerãt, reſpõſa non audiunt. Simul vt aliquis neceſſitate conſtrictus, aut pro ſuorum redẽptione ſolicitus quos captiuos vendidit, rogare cœperit, ſtatim dies vultum auertit, naturam non recognoſcit, humilitatem ſupplicis nõ miſeretur, neceſſitatem non ſubleuat, fragilitatem communem non conſiderat, ſtat inflexibilis, reſupinus, non precibus inclinatur, non lachrymis mouetur, non eiulatibus frãgitur, iurans quòd non habeat, imò & ipſe fœneratorem requirat vt neceſſitatib⁹ ſubueniat ſuis. Quid addis duritiæ & auaritiæ tuæ ſacramentum? Non abſolueris periurio, ſed ligaris. At vbi vſurarum mentio facta fuerit aut pignoris, tũc abiecto ſupercilio fœnerator arridet, & quem ante ſibi cognitum denegabat, eundem tanquam paternam amicitiã recordatus obſculo excipit, hæreditariæ pignus charitatis appellat, flere prohibet. Quærem⁹, inquit, domi ſi quid nobis pecuniæ eſt, frangam propter te argentum paternum quod fabrefactum eſt, plurimum damni erit. quæ vſurę compenſabunt precia emblematum? Sed pro amico diſpẽdium non reformidabo: cùm reddideris, reficiam. Itaque antequã det, recipere feſtinat: & quæ in ſumma ſubuenire ſe dicit, vſuras exigit. Kalendis, inquit, vſuras dabis. fœnus interim, ſi non habueris vnde reſtituas, non requiro. Ita vt ſemel det, frequẽter exigit, & ſemper ſibi debere efficit. Hac arte tractat virum. Itaque eum prius chirographis ligat, & aſtringit vocis ſuæ nexibus. Numeratur pecunia, addicitur libertas, abſoluitur miſer minore debito, maiore ligatur. Talia ſunt voſtra di-

Ibidem.

1141

stra diuites beneficia. Minus datis, & plus exigitis. Talis humanitas, vt spoletis etiam dum subuenitis. Fœcūdus vobis etiam pauper est ad quæstum. Vsurarius est egenus, cogentibus vobis habet quod reddat, quod impendat non habet. Misericordes planè viri, quē alij absoluitis, vobis addicitis. Vsuras soluit qui victu indiget. An quicquam grauius? Ille medicamentum quærit, vos offertis venenum. Panem implorat, gladium porrigitis. Libertatem obsectat, seruitutem irrogatis. Absolutionem precatur, informis laquei nodum stringitis.

Qua ratione fœneratores Iudæ & diabolo comparentur. Et quid significetur nominibus creditoris, debitoris, fœnoris & sortis.

Caput IIII.

Hanc præcipuè iniustitiam deplorat sanctus Daniel dicens: Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate, & non defecit de plateis eius vsura & dolus. Itaque cùm proditionē Iudæ subiecerit, hoc præmisit, siue quod vltra sacrilegij inuidiam coniuratis dominicæ necis, fœnoris crimē acciderit, siue quod tantum sacrilegium satis abundéque vsura fœnoris vltum iret. Malifœneratores, qui dederunt pecuniam vt interficerent author em salutis: mali & isti, qui dant vt interficiant innocentem. Et iste quoque qui pecuniam acceperit, vt proditor Iudas laqueo se & ipse suspendit. Ipsum Iudam hoc maledicto putauit esse damnandum, vt scrutaretur fœnerator eius substantiam, quia quod proscriptio tyrannorum, aut latronum manus operari solet, hoc sola fœneratoris nequitia cō suecuit inferre. Doctiores autem ipsi fœneratori putant diabolum comparandum, qui res animæ, & preciosæ mētis patrimonium fœnerat, quodam vsuriæ iniquitatis sic sumptu capit, sic aureo illicit, sic reatu inuoluit, sic caput pro thesauro reposcit. Quid vobis iniquius, qui nec sic capitis solutione estis contenti? Quid vobis iniquius, qui pecuniam datis, & vitam obligatis & patrimonium, accipitis aurū argentúmque pro pignore, & adhuc illum debitorem dicitis, qui vobis plus reddidit, quàm accepit? Vos creditores asseritis, qui amplius debetis. Vos inquàm dicitis creditores, qui nō homini, sed pignori credidistis. Bene fœn⁹ appellatur quod datis: ita vile ac fœnum est. Sortem dicitis quod debetur. Etenim velut vrna feralis misera sors voluitur, perituri debitoris luenda supplicio. Stant pallentes rei ad sortis euentum. Non sic trepidant de quorum damnatione sors ducitur: non sic deiecti ac suspensi pauitant, de quorum captiuitate expectatur sortis euentus. Illic enim vnius captiuitas, hic plurimorum addicitur. Et fortasse ideo sors, quia in euē tu sunt patrimonia quę sub hac arte voluuntur, Magnum & memorabile beneficium dei hoc specialiter ore prophetico prædicatur quod in patres contulit, quia ex vsuris & iniquitate liberauit eos. Et propriè ait, ex vsuris liberauit eos, quia vsuræ inferunt seruitutem. Quasi diceret: Ex seruitutis vinculo ereptos reddidit libertati. Graue vocabulum debitorum. Debita, peccata dicuntur. Debitores quoque criminosi appellantur. Sic enim isti sicut & illi de capite decernunt. Culpę tamen habent nomen suum, vt factorum diuersitatem. Debita quanuis diuersę quantitatis, vnum habent nomen vnum onus, vnum periculū. Nescit ergo quid posca infœlix qui pecuniam petit mutuam, quid accipiat ignorat.

Quomodo pecunia fœneratorum nunquam quiescat. Quomodo etiam imprudenter recipientes sub vsuris mutuo statim multos acquirant amicos, cum quibus opipare & splendidè conuiuentur, qui tamen exhausta pecunia soli fœneratori dilacerandi relinquuntur. Et de illorum sera pœnitentia.

Caput V.

Non nouit pecunia fœneratoris vno diutius loco stare, solita trāsire per plurimos, vno teneri sacculo: versari ac numerari expetit, vsū requirit, vt acquirat vsuram. Fluctus est quidam maris, non fluctus. Pecunia nunquam quiescit. Labitur: velut scopulo illisa, ita gremium debitoris percutit, & continuò relabitur eō vnde processit. Cum murmure venit, cum gemitu reuertitur. Frequenter tamen placidum stat ventis mare, semper fœnoris vnda iactatur. Mergit naufragos, expuit nudos, vestitos exuit, insepultos relinquit. Nummum ergo petis, & naufragium suscipis. Hinc Charybdis circunstrepit, hinc Sirenę quæ voluptatis specie, & canoræ dulcedinis suauitate in vada deductos cæca, repetēdæ domus (vt ferunt fabulæ) spe & cupiditate fraudabāt. Statim vēditores vnguenti & diuersarum specierum irruunt velut quidam canes, sagaci prædæ vagantis odore perstricti, venatores, piscatores, aucupes, caupones quoque miscentes mero aquam, qui nobilitatem vetusti generis & patriæ & natalem diem vini circunsonent: circunstantes repente parasiti, quem ante solebant spernere, salutant, deducunt, ad lætitiam prouocant, ad sumptum incitant, dicentes: Venite, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, vino precioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullū pratum sit quod nō pertranseat luxuria nostra, vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars & hæc est sors nostra. Et verè sors omnis illorum facta est, tu autem remanes exors bonorum. Non tales sortes tibi scriptura monstrauit. Non inter tales sortes Dauid memorat dormiendum, dicens: Si dormiatis inter medias sortes. Nam si in medio illarum dormisses sortium, id est veteris & noui testamenti, non te pecuniæ cupiditas in voraginē teterrimi fœnoris demersisset, gratia spiritalis fidei tibi dedisset argentum, & in speciem auri diuinæ sapientiæ institutione formasset. Etenim si nos vnum testimonium diuinæ scripturæ posuimus, & luxuriosum illud conuiuium declinauimus, vtique potuit & iste saluari si oraculis cœlestibus inhæsisset. Reuertamur tamen ad conuiuium, non vt eius degustemus epulas, sed cauendas aliis demonstremus. Oneratur mensa peregrinis & exquisitis cibis, adhibentur nitentes ministri, magno empti precio, sumptu pascendi maiori. bibitur in noctem, dies conuiuio clauditur, ebrietati deficit. Surgit ille vino plenus, vacuus opum, dormit in lucem vigilās somnium putat. Etenim vt in somnis sibi videtur subitò diues ex paupere, sic etiā egen⁹ èx diuite. Dū destruit interim pecunia, vsura superfluit, tempus minuitur, fœnus augetur, thesaurus exinanitur, sors accumulatur, paulatim conuiuæ se subtrahunt, spōsores cōueniūt, mane fœnerator pulsat ad ianuas, quæritur dies solutionis transisse præscriptos, iurgiis vigilātē adoritur, in somnis dormientē excitat. Non noctes quietæ, non dies suauis est, nō sol iucundus est. Distrahūtur paulatim deauratæ ac sericæ vestes & veneūt dimidio minoris. Ponit cū lachrymis ornamenta, coniunx tristior, empta carius vendenda vilius, pueri cōstituuntur in auctione mensæ ministri, & male assueti emptorē auertūt. Offertur pecunia creditori. vix, inquit, hæc soluit vsurā. caput debes. Reddit exhausto patrimonio capitis reus, & imminuto accipit fœnore, accepit inducias tristiores bellicis quasi post biduum prælaturus. In bello enim incerta victoria, hîc certa inopia. Illic se clypeo tegit, hîc nudus occurrit. Illic lorica pect⁹ includit, hîc totus carcere includitur. Illic manus telis onerat, armat sagittis: hîc ęre vacuas offert vinculis alligandas. Ducitur plerunque vterque captiuus. Ille habet quem accuset aduersum belli euentum, hic præter se quem accuset nō habet. Nihil est intolerabilius hac miseria, quæ excusari non potest. Acerbat conscientia pondus iniuriæ. Tunc secum reputat, nunc scripturas recordatur, nunc dicit: Nonne mihi scriptum est: Bibe aquam de tuis vasis, & de tuorum puteorū fontibus? Quid mihi cum puteo fœneratoris, vbi & aqua includitur? Suauiora erāt olera cum securitate, quàm alieno ære epulæ pastæ cum solicitudine. Non oportuit aliena quę rere, deinde incideram debita, de meis oportuit fontibus remedium quærere. Erāt domi vasa munitiora. Melius erat ministerium deesse, quàm cibum: melius vestē venalem proponere, quàm libertatē abiicere †. Quid profuit quod publicare paupertatem meā verecundatus sum? Ecce alius publicauit. Ego nolui nutritores vendere, ecce alius adiudicat. Sera hæc consideratio. Tunc decuit metuisse tuis, cùm acciperes aliena, tunc decuit succurrere, cùm vulnera prima serperent. Melius fuerat in principio tenuare sumptum, & necessitatem debiti rei familiaris angustiis alleuare, quàm vt ad horam ditatus alienis, postea exuereris & propriis.

Dens-

A B C D

Psalm. 54.

Psalm. 67.

Sapien. 2.

Prouer. 5.

† addicere.

De nequitia fœneratorum qui aliena damna arbitrãtur sua lucra, & quomodo si bi fingant tectoriolum suæ iniustitiæ. Caput VI.

ACcusamus debitorẽ, quòd imprudentius se gesserit. Sed tamen nihil nequius fœneratoribus, qui lucra sua aliena dãna arbitrãtur, & dispendio suo deputant quicquid ab aliis possidetur. Aucupãtur hæredes nouos, adolescentulos diuites explorant per suos, adiungunt se, simulantes paternam & auitã amicitiã, volunt domesticas eorũ cognoscere necessitates. Si quam causam inuenerint, accusant verecũdiam, pudorem arguunt, quòd non ante desperatum† atque præsumptum. Sin verò nullos laqueos alicuius necessitudinis offenderint, intexunt tabulas, aiunt nobile prędium esse venale, amplam domum, accumulant profectus fructuum, annuos reditus exaggerãt, hortantur vt coëmant. Similiter faciunt precioſas vestes & monilia prędicãtes. Negãti se habere pecuniam, ingerunt suam, dicẽtes: Vtere vt tua: de fructibus emptæ possessionis precium multiplicabis, debitum reddes. Prætendunt alienos fundos adolescenti, vt eum suis expolient, tendunt retia. Simul vt indagine cuncta spatia† fuerit ingressus, cogunt eum in retia cautionũ, laqueos vsurarum, paternum sepulchrum: præstituitur dies solutioni, dissimulatur conuentio, quãdo potest solutio sustineri. vbi satis securum reddiderint, repente ingruunt, & instant vehementius, causanti incumbunt dicentes: Tu possides tua prædia, nos nostram pecuniam non habemus. Aurum dedimus, lignum tenemus. Tibi fructum emolumenta procedunt, nobis nihil accrescit pecuniæ. Ociosa causatio est, saltem renouetur chirographum.

† de se sperarium.

† septa.

De increpatione adolescentum qui sub vsuris pecuniam mutuo recipiunt, & de vulnere remedium quærunt. Et quàm tristis his sit facies creditoris occurrentis. Et de inducis per eos postulatis, parum tamen profuturis. Caput VII.

IPtaque dum primum adolescens nihil putat de vestibus suis aut possessionibus esse vendendũ, ad hæc facienda possit dilationem. Vsuræ applicãtur ad sortem, accumulãtur cẽtesimæ. Iam suspirare incipit, iam malum suum agnoscere. Die ac nocte vsuram cogitat: quicquid occurrerit, fœneratorem putat: quicquid crepuerit, vocem sibi videtur fœneratoribus audire. Si habes, cur non soluis? si non habes, cur malũ malo adiungis, & de vulnere remedium quæris? Cur quotidie obsidionem pateris fœneratoris, expugnationem times? Vetus sententia est fœneratoris & debitoris sibi occurrentium: Prospectum amborum facit dominus. Alter quasi prædam requirit, alter quasi fera prædonem declinat. Ille quasi leo quærit quẽ deuoret, iste quasi bos iuuenculus prædonis impetũ reformidat. Ille quasi accipiter vnguibus olorem quærit inuadere, iste quasi anser aut fulica mauult se vel in prærupta deiicere, vel in profunda demergere, quàm istum humani corporis accipitrem sustinere. quid quotidie fugis? Etsi non occurrat fœnerator, occurrit tibi inopia tanquam bonus cursor. Ambos ergo videt dominus, fœneratorẽ & debitorem. Occurrentes sibi spectat ambos, testis alterius iniquitatis, alterius iniuriæ. Illius auaritiam cõdemnat, huius stultitiam. Ille gressus debitoris singulos numerat, aucupatur deflexus: iste continuò post columnas caput obumbrat. Nullã enim habet debitor authoritatem. Ambobus in digitis vsurarum repetitur sæpius calculatio. Par cura, sed dispar affectus. Alter lætatur incremento fœnoris, alter cumulo † deuotionis affligitur. Ille quæstus numerat, hic ærũnas. Quid fugis hominem quem poteras & non timere. Quid fugis? aut quousque fugies? Si quis pulsauerit nocte, fœneratorem putas sub lecto. Illico si quem subitò intrare senseris, tu foris exilis. Canis latrat, & cor tuum palpitat. Sudor effunditur, anhelitus quatitur. quæris quid mentiaris, vt fœneratorem differas: & cùm dilationem impetraueris, gaudes. Fœnore tuo simulat se fœnerator grauari, sed libenter impertit, quasi venator qui feram cinxerit. Securus est prædæ, tu oscularis caput, amplecteris genua, & quasi ceruus sagitta toxicata ict⁹ paululum procedens tandem victus veneno procumbis, aut quasi piscis qui fuscina fuerit infixus, quocunque fugerit, vulnus vehit. Et verè piscis ille in esca mortem deuorat, ille hamum glutit dum cibũ quærit. Sed tamen hamũ non videt quem tegit pręda: tu hamũ cernis, & glutis. Hamus tuus fœnus est creditoris. hamũ voras, sed vermis te semper obrodit. Ipse est esca quæ decipit. Itaque & tibi fœnoris nec cibus vsui est, & hamus vulneri. An ignoras quia semel illaqueatus nodo, se magis, si fugiat, ipse cõstringit, & intra retia positus fugiendo magis deiiciat super se retia. In plateis fugis, cùm intra parietes tutus esse non possis. Inueniet te cùm voluerit fœnerator. Denique vbi tempus impleueris, sicut lupus nocte irruit, dormire non sinit, ex lecto ad publicum trahit, aut tabulis venditionis cogit subscribere. Vt fureris, pudoris dispendium, subscribis illico, venditurus auditum sepulchrum. Paternæ sanè vt parcatur aliquid verecũdiæ, emitur ieiunum solum, iactatur quod infœcunda venderit, dispendiis onerauerit debitorem, & superioris temporis adscribuntur dispendiis damna præsentis. Mox & laudata venduntur, & inferuntur iam non instrumenta, sed vincula. Tamen adhuc quærendi fideiussores, tribuuntur inducię, non vt prædam libertatis inueniat, sed vt cõsortem seruitutis adiungat, qui se socier ærumnoso. At quid iuuare potest alienæ calamitatis accessio? Iam & amici fugiunt, conuiuæ non recognoscunt. Ipse quoque conspectus omnium refugit, & vt pugil ictus varios concertantium, ita iste honestorum vitat occursus, & solicitus vbi in aliquem offenderit, vigilanti exit obtutu, redit paratus ad vincula, redit mortem optans, cogitãs eam sibi vt moreretur inferre, redit miserè se condemnans quod alienam pecuniam non refugerit, & fœneratoris se æri diuinxerit. O quantos miseros aliena fecerunt bona. Quid, inquit, tibi vt bibas aquã Gyon? Quid inquam tibi vt biberes calicem fœneratoris? Multi, inquit, mutuati ad tempus, & necessitatibus consuluerunt suis, & pecuniam reddiderunt. Et quanti se propter fœnus strãgulauerunt? Illos consideras, hos non enumeras? Reminiscerisne aliquos, non reminiscaris oppetisse? Nummos reditos imputas, laqueos appetitos non computas? Quos deformitate tam dedecorosæ conuentionis plerique verecundiores ad contumeliam, fragiliores ad iniuriam, expetito interitu prætulerunt, opprobrium vitæ amplius quàm mortis supplicium pertimescentes.

Quòd pro paterno debito nonnunquam liberi in auctionem deducantur, & publice sub hasta vendantur. Et quomodo obligatus fœneratori, venditus dicatur. Caput VIII.

VIdi ego miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctionem deduci, & teneri calamitatis hæredes, qui non essent participes successionis: & hoc tã immane flagitiũ non erubescere creditorẽ. Instat, vrget, addicit. Mea, inquit, nutriti pecunia, pro alimonia seruitutẽ recognoscant, pro sumptu licitationem subeant. Agitetur hasta de preciis singulorum. Non immeritò hasta agitatur, vbi caput quæritur: non immeritò ad auctionem peruenitur, vbi sors poscitur. Hæc est fœneratoris humanitas, hæc debitoris stultitia, vt filiis quibus non relinquit pecuniã, libertatem auferat, pro testamẽto chirographum dimittat: pro emolumento hæreditatis syngraphum obligationis. Quid sibi vult paterni in liberos scriptura maledicti, vbi nulla est impij offensa peccati? An potest durius aliquod esse maledictũ, grauiúsq; seruitutum? Et illa sæpe post mortem habet defunctus compędia, quod non spectat miserias filiorum. Vendit plerunque & pater liberos authoritate generationis, sed non voce pietatis: ad auctionem pidibundo vultu trahit dicens: Soluite filij gulæ meæ sumptum, soluite paternæ mensæ precium. Vomite quod non deuoraſtis, reddite quod nõ accepistis. Hoc meliores, quod vestro precio redimitis patrem, vestra seruitute paternam emitis libertatem. Esto vt aliquis qui subuenire possit accedat, quis tantam expleat charybdim? quis ratines fœneratoris agnoscat? quis auaritiam satiet? Quæ non iste precia exaggeret cùm viderit redemptores? Non enim suo magis lucro quàm alieno detrimẽto pascitur. Vera profectò, vera est, vtpote dei diuina sententia, qui cùm iratus esset propter impietatem Iudæorum, quòd post deos alienos abirent: Cui, inquit, vendidi vos fœneratori? Vendi-

1145

tur enim qui obligatus fœneratori fuerit,& venditur nõ v-
no precio,sed quotidiano:venditur non cũ definitione, sed
cum accessione diuturna. Noua vsurarum auctio per mẽses
singulos,noua sub quotidiana licitatione venditio. Qui plꝰ
obtulerit,trahitur: semper venalis addicitur,nunquam qua
si venditus æstimatur. Magna igitur vis cœlestis sententiæ.
Non satis iudicauit dominus dicere: Cui vendidi vos? sed
addidit fœneratori. Offensus nihil potuit grauius inuenire
quo iudicaret in perfidos. Derelictos expostulat, cur ita fu-
gerint salutis authorem quasi fenieratori alicui dominus vẽ-
didisset digna pœna dominum relinquentes. Habent serui
quòd amplius quàm carceris pœnas & vincula reformidẽt,
habent liberi quod paueant pro libertatis incũria. Simul
illud aduerte, quod fœneratio præuaricationis materia iu-
dicata sit,quòd is facilè recedat à domino qui fœneratori se
potuerit obligare. Fœnus enim radix mendacij,causa perfi-
diæ est. Ego, inquit, vos nõ vendidi,& peccatis vestris ven-
ditis estis. Ergo qui se feneratori obligat,ipse se vendit, & q
peius est,vendit se non ære,sed culpa.

Quòd fœnerator peccati nostri diabolus sit. Et de comparatione ipsius ad vsurarium. Et quòd idem sit exactor, qui se creditorem appellat.

Cap. IX.

QVis iste peccati est fœnerator,nisi diabolꝰ? à quo
Eua mutuata peccatũ obnoxiæ successionis,vsu-
ris defœneratur omne genus humanum. Deniq;
quasi malus fœnerator chirographum tenuit, q
postea dominus suo cruore deleuit. Etenim quod mortis e-
rat scriptum apicibus,debuit morte dissolui. Fœnerator er-
go diabolus. Denique ostendebat saluatori diuitias suas di-
cens: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.
At verò dominus æris solutor alieni,nihil ipse debebat,qui
poterat dicere: Ecce venit huius mundi princeps, & in me
suum nihil inuenit. Nihil debebat, sed soluebat pro omni-
bus,sicut ipse testatur dicens: Quæ non rapui,tunc exolue-
bam. Quid distat malitia huius,& principis mundi? Fœnera
tor pecuniæ caput obligat,manum tenet,sorte ducit. O no-
men triste de dulci. Dominus ouem centesimam liberauit.
Illa centesima salutis, hæc mortis est, & terra bona centu-
plum fructum reddit. Væ iis qui dicunt quod amarũ est dul
ce,& quod dulce amarum. Quid amarius vsura? quid dul-
cius gratia? Nonne hoc ipso sermone quo centessimam ap-
pellent, reuocare deberent in memoriam redemptorẽ, qui
venit centesimam ouem saluare,non perdere? Quis grauior
exactor est? Et hoc triste nomen. Denique Dominus ait: Po
pulus meus,exactores vestri circunscribunt vos. Et in euan
gelio habes: Dum vadis cum aduersario tuo ad magistra-
tum,da operam liberari ab illo,ne fortè perducat te ad iudi-
cem,& iudex tradat te exactori,& exactor mittat te in car-
cerem. Quis iste sit exactor agnosce,qui etiam nouissimum
quadrantẽ exigit,& idem se creditorem vocat atque in hoc
etiam nomine fraudem facit,vt qui veneni pocula melle il-
limit,vt sub grato odore mors lateat,atque illita calicis ora
vim fraudis abscondat. Creditor prætexitur,quasi fidelis: &
quasi incredulus,ad quem fidelis oppignorat.

Quòd à fœneratoribus defunctorũ cadauera aliquando teneantur pro pignore,& eis tumulus denegetur. Et quòd nihil interest inter funus,& fœnus,inter mortem & sortem.

Cap. X.

VOtiens vidi à fœneratoribus teneri defunctos
pro pignore,& negari tumulum dum fœnus ex-
poscitur. Quibus ego acquieui libenter, vt suum
constringerent debitorem,vt electo eo fideiussor
euaderet. Hæ sunt fœneratoris leges. Dixit itaque, tenete
reum vestrum: & ne vobis possit elabi,domum ducite, clau
dite in cubili vestro carnificibus duriores, quoniam quem
vos tenetis, carcer non suscipit,exactor obsoluit. Peccato-
rum reos post mortem carcer emittit,vos clauditis. Legum
seueritate defunctus absoluitur,vobis tenetur: certè hic for
tem suam iam memoratur impleße. Non inuideo tamen
pignus vestrum reseruare. Nihil interest inter funus &
fœnus,nihil inter mortem distat & sortem. Personat fune-
brem vlulatũ fœnoris vsura, nunc verò capite minutus est
quem conuenitis, vehementioribus tamen nexibus alliga-
te,ne vincula vestra non sentiat, durus & rigidus est debi-
tor,& qui nõ iam nouerit erubescere. Vnum sanè est quod
non timere possitis,quia poscere non nouit alimenta. Iussi
igitur lauari corpus,& ad fœneratoris domum exequiarum
ordinem duci, sed etiã inde plausorum mugitu talia perso-
nabant. Ibi quoque funus esse crederes, ibi mortuos plangi
putares. Nec fallebat sententia, nisi quod plures constabat
illic esse morituros: Victus religionis consuetudine fœnera-
tor. Nam alibi suscipi pignora etiam ista dicuntur,rogat vt
ad tumuli locum etiam reliquiæ deferantur. tunc tantum
vidi humanos fœneratores, grauari me: tamen ego eorum
humanitatem memorabam proficere,ne postea se quererent
tur fraudatos esse, donec feretro colla subiecti ipsi defun-
ctum ad sepulchra deducerent, grauiori mœrore deflentes
pecuniæ suæ funus.

De vsura ab aleatoribus extorta. Et de inuiolabili lege aleæ, cui subiiciuntur etiam ferociſsimi homines. Caput XI.

ALiud non minoris acerbitatis accipite. Ob-
seruant isti aleatorum conuenticula, & per-
dentis ærumnam commoditatem suam iudi-
cant,spondẽt pro singulis, varios primo sors
ludit euentus, ad diuersos sæpe transfertur
victoria, stipendiaque eius vicissim atque ærumna mutan-
tur. Omnes vincuntur & vincunt,fœnerator solus acquirit.
Penes alios manet nomen quod vicerint, penes fœnerato-
rem solum fructus est,non annus,sed momentarius. Illi soli
faciunt lucrum in omnium detrimento, illis solis est vsuræ
victoria. Videas reliquos subitò egentes: repente diuites,
deinde nudos, singulis iactibus statum mutantes. Versatur
enim eorum vita vt tessera. Voluitur census in tabula,fit lu-
dus de periculo,& de ludo periculum. quot propositiones,
tot proscriptiones. Clamor plaudentium,fletus despoliato-
rum, gemitus deplorantium. Sed & hos creditor vt tyran-
nus damnans,vnunquenque sorte capitali,agitat hastas, fe-
ralem instituit de singulorum exuuiis auctionẽ. Alios pros-
criptioni addicit,alios seruituti. non tanti occisi sub tyran-
nis sunt. Vitæ igitur hanc aleam rectius dixerim quàm pe-
cuniæ. sub momento fertur,quòd valeat in æternum. Ebri-
etas iudicat,& nullus appellat. Habet & alea suas leges,quas
fori iura non soluant. Notatur (si credi potest) infamia qui
putauerit renitendum,& infamium sententia grauius quàm
censura iudicialis inurit opprobrium: quoniam qui apud
iudicem damnantur,apud illos glorioſi sunt: qui apud illos
damnantur,apud iudicem criminoſi sunt. Nobile constituit
Moyses seniorum iudicium,hi tamen de leuioribus iudica-
bant: verum graue, hoc est de potioribus negociis Moysi
iudiciũ reseruare cõsueuerãt. Hic dicitur, Aleonũ conciliũ
iudicauit. & plus eorũ timetur potentia, quàm dæmonum.
Inter has feras viuis fœnerator atque versaris. His bestiis
cibum eripis,his tetrior æstimaris, his crudelior plus time-
ris. Ferunt Hunnorum populos omnibus bellum inferre
nationibus, fœneratoribus tamen esse subiectos: & cum si-
ne legibus viuant,aleæ solius legibus obedire, in procinctu
ludere, tesseras simul & arma portare, & plures suis quàm
hostilibus ictibus interire. In victoria sua captiuos fieri, &
spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste non nouerint.
Ideo nunquam belli studia deponere,quod victi aleæ ludo,
cum totius prædæ munus amiserint, ludendi subsidia re-
quirunt bellandi periculo. Frequenter autem tanto ardore
rapi,vt cum ea (quæ sola magna æstimant) victus arma tra-
diderit, ad vnum aleæ iactum vitam suam potestati vel vi-
ctoris vel fœneratoris addicat. Denique constitit quòd qui-
dam eorum & imperatori Romano cognitus in fide pre-
cium seruitutis quam sibi tali sorte superatus intulerat,sup-
pliciis imperatæ mortis exoluerit. Premit ergo fœnerator
etiam colla Hunnorum,& eos vrget in ferrum,premit Bar-
baros suæ terrore sæuitiæ.

De odibili fœneratorum exactione. Et de variis vocabulis ab eis sub honestatis specie excogitatis. Et quòd fœneratoris pecunia sit. Echidna, & imitetur naturam serpentum. Caput XII.

Quid

QVid enim tetrius eo qui hodie fœnerat, & cras exigit? Est odibilis inquã homo huiusmodi. Oblatio quidem blãda, sed immanis exactio. Verum ipsa oblationis humanitas facit ad exactionis sæuitiam, protulit pecuniã, hypothecas exigit, & in suis apothecis recondit. Vna pecunia à fœneratoribus datur, & quàm multa à debitoribus exiguntur? Quanta sibi fecerunt vocabula? Nũmus datur, & fœnus appellatur. Sors dicitur, caput vocatur. Aes alienum scribitur, multorum hoc capitum immane prodigium, numerosam exactionẽ efficit. Syngrapham nũcupat, chirographum nominat, hypothecas flagitat, pignus vsurpat. Fiducias vocat, obligationem asserit. Vsuras prædicat, cẽtesimas laudat. Echidna quædam est fœneratoris pecunia, quæ tanta mala parturit. Echidna tamen fœcunda pœnis viscera trahens, partu suo rumpitur, & morte materna docet sobolem non esse degenerem in matrem. Illam morsibus suis scindunt, illic vbi nascitur venenũ, primum probatur. Pecunia autem fœneratoris omnia mala sua concipit, parit, nutrit, atque ipsa magis in sobole sua crescit, tristi prole numerosior. Non minus flexuosa quàm serpẽs, atque in orbem se totam colligens, vt caput seruet. Reliquo flagellat corpore, illud solum producit ad vulnera, spiris ingentibus quos comprehenderit ligat, solo capite interficit: saluo capite etiamsi reliqua pars eius dilapidata fuerit, reuiuiscit. Diuersa quoque serpentibus sunt cõueniendi & parturiendi tempora, pecunia fœnebris à die initæ cõuentionis crescentibus serpit vsuris, quæ parturire non nouit, quia dolores magis ipsa in alios transfudit. Ibi dolores vt parturientis. Vnde etiam τόκους Græci appellauerunt vsuras, eo quòd dolores partus animæ debitoris excitare videantur. Veniũt kalendæ, parit sors centesima. Veniunt menses singuli, generantur vsuræ. Malorum parentum mala proles, hæc est generatio viperarum. Creuit centesima, petitur nec soluitur, applicatur ad sortem. Fit maledictum propheticum, dolus in dolo, vsura improbi seminis fœtura deterior. Itaque non iam centesima incipit esse, sed summa, hoc est, non fœnoris centesima, sed fœnus centesimæ.

Psalm. 74.

Vnde dicatur vsura. Et quemadmodum simul nascatur & enutriatur, & iam nata parturiat, sempèrque inexplebilis atque insatiabilis sit, Caput XIII.

NVram quoque ab vsu arbitror dictam, quod vt vestes vsu, ita vsuris patrimonia scindantur. Lugubre† Cætera prima litera sonat, parturit vox doloris est. Quid ibi potest esse boni quod à dolore incipit, & ab obligatione? Lepores ferunt generare simul & educare, & continuò parturire. Istis quoque anaglypharijs vsurarum generatur & supergeneratur, vsura enutritur ac nascitur, & nata iã parturit. Radices quoq; arborum primo plãtantur vt prendant: cùm prenderint, tunc virescere incipiunt, postea pullulare. At verò pecunia fœnoris vix plantata iam pullulat. Semina tempore erumpunt, animalia tempore pariunt. Tempus enim pariendi, & tempus moriẽdi: tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est: tempus occidendi, & tempus sanandi. Et infra: Tempus acquirendi, & tẽpus reddendi: tẽpus custodiendi, & tempus expellẽdi, vt Ecclesiastes ait: pecunia fœnoris hodie semina tur, cras fructificat: semper parit, & nũquam interit: semper plantatur, vix euellitur. Vult semper fœnerator acquirere, nunquam perdere, nunquam custodire, pecuniã suam semper explere. Nunquam sanare, semper occidere. Et quia bonus ad omnia magister Ecclesiastes liber est, Salomoni ipsi pauliſper inhæreamus. Non satiabitur oculus, inquit, videndo, & non satiabitur auris auditu, nec fœnerator expletur accipiendo, nec affectus eius quotidiano numerandi æris satiabitur auditu. Et iterũ: Omne quod fuit, ipsum est quod erit. Crescit semper pecunia, ocioſum nescit auaritia vsuras† æras. Omnes, inquit, torrentes vadunt in mare, & mare non adimpletur. Mare istud fœnerator est. Omnium patrimonia tanquam fluctus absorbet, & ipse nescit expleri. Mari tamen plerique vtuntur ad quæstum, fœneratore nemo vtitur nisi ad dispendium. Illic multorum commodum est, hîc vniuersorum naufragium. Multa sunt animantia quæ citò generare incipiunt, sed citò etiam generare desistunt.

† Forte, Græca primum vel, cera.

Eccl. 3.

Eccli. 1.

† Vsura feras.

Sors citò generat, & nunquam desinit, imò cùm exordium
A crescendi acceperit, in infinitum extendit augmentum. Omne deinde quod crescit, cùm ad naturæ suæ formam atque mensuram magnitudinémque peruenerit, vacat incremento, sed fœneratorum pecunia tempore semper augetur, & vltra formam maternæ sortis se extendens, modum non continet: pleraque etiam animantium cùm cœperint ea quæ ex his orta sunt generare, tanquam effœtis viribus vsum generationis amittunt.. Sors autem fœnoris cùm fuerit crescentibus exæquata centesimis, & vetustatem sui renouat, & partus solitos adiunctione multiplicat. 141

De vsura diuina lege prohibita. Et quòd secundum Catonem fœnerare sit hominem occidere. Quòdque omne quod præter sortem accipitur, sit vsura, quocunque vocabulo appelletur. Caput XIIII.

NOn nouum nec perfunctoriũ hoc malum est, quod veteris atque diuinæ præscripto legis inhibetur. Populus qui despoliauerat Ægyptum, qui pede trãsierat mare, monetur à fœnoris pe-
B cunia cauere naufragia. Et cum de aliis peccatis semel aut multũ iterata admonitione præscripserit, de fœnore sæpius intimauit. Habes in Exodo: Quod si pecuniam fœneraueris pupillo, orphano, pauperi apud te non suffocabis eũ nõ impones illi vsurã. Ostendit quid sit suffocare, id est vsurã imponere. Strãgulat enim, & quod pei? est, animã laqueat creditoris. Quo sermone & prædonis violentiam, & deformis nodum mortis expressérit. Quod si pignus acceperis vestimentum proximi tui, ante solis occasum restitues. Illud est enim hoc opertorium eius tantum, hoc vestimentum turpitudinis eius in quo dormiet. Quod si itaque proclamauerit ad me, exaudiam eum. Audistis fœneratores quid lex dicat, de qua dixit dominus: Non veni legem soluere, sed adimplere? Quam dominus non soluit, vos soluitis? Vsuram, in-
C quit, petere, suffocare est. Hoc quoque foris sero est dictum à quibusdam eorum prudentibus. Quid est, inquit, fœnerare? Hominem, inquit, occidere. Sed vtique non Cato prior quàm Moyses qui legem accepit. Multo ille posterior. Si pignus acceperis vestimentum propinqui tui, ante solis occasum restitues illud, ne nudati appareat turpitudo. Vos autẽ exuitis atque nudatis, & non redditis. Videte ne sol occidat super auaritiam vestram, ne sol iustitiæ vobis occidat, quia iustitiam non tenetis, aut sol iniquitatis super flagitia vestra condatur. Dies quoque perit inuito, nox irruit sicut Iudæ: qui, cùm diabolus misisset in cor eius, surrexit ad proditionem, & facta est nox. sol enim iustitiæ occiderat ei, & recubuerat super eũ. Qui in cor eius intrauit, fecit illi tenebras: vt lucis non videret authorem. Ibi miser periit in illo cõiuio, quo alij saluantur. Reddite igitur vestimẽtum debitori, in quo dormiat, & quietus sit. Si nolueritis reddere, exaudiam, inquit, eum: quia misericors sum. Si vos nõ exauditis ego exaudiam, ego miserebor, ego non despiciã inopis precem. In Deuteronomio quoq; scriptũ est: Non exiges à fratre tuo vsuram pecuniæ, & vsurã escarum, & vsurã omniũ rerum quascunq; fœneraueris fratri tuo. Si alienigenæ crediderit, vsuram exiges ab eo, à fratre autem tuo non exiges.
D Vides quantum pondus in verbis sit. Noli, inquit, exigere vsuram à fratre tuo, hoc est, cum quo habere debes omnia communia, ab eo tu vsuram exigis? Frater tuus consors naturæ, & cohæres gratiæ. Noli ab eo exigere amplius à quo durũ est repetere quod dederis, nisi cùm habuerit vnde dissoluat. Et quia plerique refugiẽtes præcepta legis, cùm dederint pecuniam negociatoribus, nõ in pecunia vsuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam vsurarum emolumenta percipiunt, ideo audiant quid lex dicat: Neque vsuram, inquit, escarum accipies, neque omnium rerum quas fœneraueris fratri tuo. Fraus enim ista & circunscriptio legis est, non custodia. Et putas te piè facere quia à negociatore velut mutuum suscipis? Inde ipse fraudem facit in mercium precio, vnde tibi soluit vsuram. Fraudis illius tu author, tu particeps, tibi proficit quicquid ille frudauerit. Et esca vsura est, & vestis vsura est, & quodcunque sorti acceditum est, cur vocabulum refugis? cur velamen obtexis? Si illicitum

Matth.

Exod.

Deut.

1149

licitum est, cur incrementum requiris? Quod peius est hoc vitium plurimorum est, & maximè diuitum, quibus hoc no mine instruuntur cellaria. Si quis instaurandũ conuiuium putat, ad negociatorem mittit, vt absinthiaci cupellam sibi gratis deferat: ad cauponem dirigit, vt Picenum vinum aut Tyriacum requirat: ad lanium, vt hyllam sibi procuret: ad alium, vt poma sibi adornet. Itaq; humanitates indicãt quæ alieno periculo constant. Tu bibis, & alius diffluit lachrymis? Tu epularis, & alios cibo tuo strangulas? Tu symphonia delectaris, & ali⁹ miserabili deplorat vlulatu? Tu poma degustas, & alius spinam vorat? Nũquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis fic⁹? Spina vsura est, spina cẽtesima est, tribulus est fœnus, malè vrit: Quomodo potes fructum habere de spinis? Si iste fructus de spinis non nascitur, illic nascitur æternus. De ęrumnis ditaris, de lachrymis lucrũ quæris, de fame aliena pasceris, de exuuiis despoliatorum homi num cudis argentum, & iudicas te diuitem, qui stipẽ poscis à paupere? Sed audi quid dicat saluator: Væ vobis diuitibus: qui habetis consolationem vestram.

Quomodo intelligatur illud Deuteronomij, ab alienigena vsurã exiges, non autem à fratre. Et de maledictione vsurarij secundum Ezechielem. *Cap. XV.*

Ed fortè dices, quia scriptum est: Alienigenæ fœnerabis, & non considerabis quid euangelium dicat, quod est plenius. Sed hoc interim sequestremus, legis ipsius verba considera. Fratri tuo, inquit, non fœnerabis ad vsurã, sed ab alienigena exiges. Quis erat tunc alienigena? nisi Amalech, nisi Amorræus, nisi hostes? Ibi inquit, vsuram exige. Cui meritò nocere desideras, cui iure inferũtur arma, huic legitimę indicãtur vsuræ. Quẽ bello non potes facilè vincere, de hoc citò potes centesima vindicare te. Ab hoc vsuram exige quẽ non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat qui vsurã flagitat, sine gladio & de hoste vlciscitur qui fuerit vsurarius & exactor inimici. Ergo vbi ius belli, ibi etiã ius vsurę. Frater autem tuus omnis, fidei primũ, deinde Romani iuris est populus. Narrabo nomen tuũ fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Denique in Leuitico præscripsit etiã lex vsurã à fratre nõ esse poscendã. Sic enim habes: Et viuet frater tuus tecũ, pecuniam tuã nõ dabis illi in vsurã, & in amplius recipiendũ nõ dabis illi escas tuas. Generaliter hæc sentẽtia dei omne sortis excludit augmentũ. Vnde & Dauid & benedictũ æstimauit, & dignũ habitatione cœlesti, qui pecuniã non dedit in vsurã. Si ergo nõ dedit, benedictus: sine dubio maledictus qui ad vsurã dedit. Cur ego maledictionẽ potius eligis quàm bene dictionẽ? Potestis enim benedicti esse si velitis, potestis iusti esse. Homo enim iustus secundũ Ezechiel, qui pignus debitori reddiderit & pecuniã suã in vsurã nõ dederit, & superabundantiã nõ acceperit, & ab iniustitia auerterit manũ suã. Iustus est, inquit, iste: vita viuet: dicit dominus. Qui autẽ pignus nõ reddidit, & in simulachra apposuit oculos suos, iniquitatẽ fecit, cum vsura dedit, & super abundantiam accepit, hic vita non viuet. Omnes iniquitates istas fecit, morte morietur, sanguis eius super ipsum manet. Vide quomodo fœneratorem cum idololatra copulauit, quasi crimen æquaret. Elige ergo quod dulcius est. Cur semper tristes? cur semper amarissimi? cur semper soliciti? Procedat aliquando à vobis misericordia, procedat veritas. Obligetur mendacium, fraus odio sit. Docuisti periurium. Fœneratorium sacramentum dicitur, vbi paratur periurium. Periurastis frequẽter, cum reddita fuerit pecunia, quòd syngrapha non appareat. periurastis postea quòd non reperitis pecuniam. Nolite ergo semper miseri esse, semper auari, semper mœsti. Leones sunt, & feritatem suam mutant. De manducante, inquit, exiuit esca, & de forti & tristi exiuit dulce. Græcus & tristi habet. Sic inuenimus. Tamen de forti hoc intelligitur, quia leo fortis est feritate: & qui ferus, tristis. Et de vobis qui pecuniam deuorastis & auaritiã, exeat misericordia. Hæc est enim esca egenorum. Et de tristi exeat dulce, vt dimittatis ei qui nõ habet vnde dissoluat. Quid trahitis peccata vt fune longo, & iugi loro vitula? Quod fit vtique cum fœnus producitis. Tenetis pauperẽ debitorem, velut ibi sit aliqua gratia, vbi nulla spes commodi. Et hoc secũdum auaritiam vestram loquor.

Quibus dominus in euangelio doceat fœnerandũ. Et quòd fœneratores à deo peccatores appellentur. Et quis possit esse bonus fœnerator, & quærere bonas vsuras. *Cap. XVI.*

Æterũ dominus in euangelio talibus magis existimat fœnerandum à quibus retributio non speretur. Sic enim ait: Et si mutuum dederitis à quibus speratis recipere, quæ vobis est gratia? Nam peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant: vt veruntamen amate imicos vestros, & benefacite eis, & mutuum date nihil sperantes, & erit merces vestra multa in cœlo, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus super ingratos & malos. Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Aduertitis quod nomen fœnerator à domino acceperit, qđ nomen etiam qui fœnori vestro fuerit obligatus. Peccatores, inquit, peccatoribus fœnerantur vt recipiant. Vterque peccator, & fœnerator, & debitor: vos autem, inquit, amate inimicos vestros. Non discutiatis quid mereantur inimici, sed quid vos facere oporteat. Date mutuũ iis, à quibus non speratis vos quod datum fuerit recepturos. Nullũ hic damnum est, sed compendium. Minimum datis, multum recipietis. In terra datis, & id vobis soluetur in cœlo. Fœnus amittitis, mercedem magnã habebitis. Fœneratores esse desinitis, filij eritis altissimi. Eritis misericordes, quo vos patris æterni probetis hæredes. Sed fœneratorum vos delectat & vsurarum vocabulum. Id quoque nõ inuideo. Docebo quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis vsuras. Dicit Salomon: Fœnerat domino qui miseretur pauperi secundum datum autem eius retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est. Ecce irreprehensibilis fœnerator, ecce vsura laudabilis. Nolite ergo iam inuidentem me vestris cõmodis æstimare. Putatis quòd hominẽ subtraham vobis debitorem? Dominum prouideo, Christum surrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit. Fœnerate ergo domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille adstringitur & tenetur, ille scribit quicquid egenus acceperit. Euangelium eius cautio est. Ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem: quid dubitatis dare? Si quis vobis diues huius seculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam. Pauper est vobis dominus cœli, & conditor mundi huius: & adhuc delideratis quem ditiorem quæratis fideiussorem? Sed allegatis, quare pauper factus est, cùm diues esset? Vidistis ergo quia fides eius diues est, fides eius idonea est: pauper factus est, cùm pro nobis soluerit, & adhuc paupertas ipsi⁹ nõ decipit. Nos enim diuites fecit, quos pauperes putabatis. Dicit enim Apostol⁹: Pauper factus est cùm diues esset, vt illius inopia vos ditaremini. Bona inopia, quę largitur diuitias. Nolite ergo paupertatem timere, vt sitis diuites. Date ociosam pecuniam, & recipietis fructuosam gratiam, & peuperum subuenietis necessitatibus, & vobis custodiæ solicitudo minuetur. Non peribit quod pauper acceperit, & vobis quod dederitis inopi, sine custode seruabitur. Quòd si incrementum vsurarum quæritis, in lege benedictio, in euangelio cœlestis est merces. Quid suauius benedictione? quid maius est cœlo? Si escarum desiderantur vsuræ, à quoque præsto est, sicut legimus. Is enim qui miseretur pauperis, ipse pascitur.

An liceat mutuum danti recipere pignora. *Cap. XVII.*

Reddite ergo pignora quæ tenetis, quoniã fideiussorem idoneum reperistis. Sed obmurmurãt adhuc dicentes quia licet tenere pignora, & se lege defendunt. Aiunt enim. Scriptum est in Deuteronomio: Si fuerit tibi debitum à proximo tuo quodcunq;, non introibis in domũ ipsius pignerare pignus, sed foris stabis, & homo apud quem est debitum tuum proferet tibi pignus foras. Si autẽ homo ille pauper fuerit, non dormies in pignore ipsius, sed redditione reddes ei pignus ipsius ad occasum solis, & dormiet in vestimento suo, & benedicet tibi, & erit in te misericordia corã domino deo tuo. Et alibi, inquiunt, scriptum est: Non pignerabis molã neque lapidẽ superiorem molæ. quoniam hic pignerat. Et alibi: Non accipies pignus vestimenti viduæ. Vnde argumentantur quòd specialia pignora sunt interdicta, non omnia, id est pauperis & viduæ. Molam quoque & lapidem superiorẽ molæ prohi

bitum pignerari. Sed cùm per Ezechielem prophetam dicat
Ezech.18. dominus iustũ esse qui pignus reddidit, iniustũ qui tenuit: A
vtiq; nõ speciale aliquod, sed generaliter omne pignus suadet reddendum esse, cùm dicat Iob: Conscriptionem quam habui aduersus aliquem iuramento cõceptam, imponẽs coroham legebam: &, Si non scindens eam reddidi, nihil accipiẽs à debitore. Cũ dominus nihil ab iis quibus mutuũ dederimus, sperandum esse præcipiat quod recipere debeam⁹: quomodo pignus secundum legem putant retinẽdum esse?

Quid fœnerandum, & quibus, secundum legis statuta, & quòd etiã iustus & pauper hoc facere valeant. Cap. XVIII.

AT ne pari erubescant modo, & dicant etiã se ad fœnerandum incitari legis oraculo, quia scriptũ
Deut.15. est: Fœnerabis gentibus multis, tu autẽ non mutabis: tempus est plenius & expressius disputare & docere quid fœnerandum, & quibus legis statuta præscribunt. Præcedit enim fœnoris causa pignoris causam. Mu
Psal.36 tuabitur, inquit, peccator, & non soluet, iustus autẽ miseretur, & tribuet. Audis debitor qđ debeas declinare, audis debitor quid debeas imitari. Et infra: Iuuenis fui, & senui, & non vidi iustũ derelictum, nec semen eius quærens panem. Tota die miseretur & fœnerat. Vnde huic iusto quod tota die fœnerat? Ergo diues iustus est: & quanto ditior vnusquisque fuerit, tanto iustior. Qui plus habet vnde fœneret, ipse erit iustior. Sed difficile diues intrat in regnum cœ-
Matth.19. lorum. Quid ergo fœnerat? dic mihi sancte Dauid. Contra protuli testimonium, nisi mihi subuenis. Petrus dicebat: Argentum non habeo: nunquid non erat iustus? Tu mihi ergo expone qui fœneret. Dixisti enim: Beatus qui miseretur & cõmodat, disponet sermones suos in iudicio. Inuenis quid fœneret iustus. Petrus quoque doceat me & ipse quid fœneret, qui dixit inopi attendenti ad se, & ad Ioannem: Argentum & aurum non habeo. Nihil ergo dabis pauperi apostole: Das tamen, & plus das quàm alij. Das innopi quod alij dare non possunt. Das inopi quo egere non possit. Das inopi quod etiam diuites accipere concupiscunt. Das inopi quod ij qui istud argentum & aurum habent, conferre non nouerunt, quia auaritia eos impedit. Das inopi quod eũ diuitibus faciat ditiorem. Incitasti animum meum, concupisco hoc donum tuum. Dic citò rogo quid des. Noli me diu suspensum reddere, cupio petere si citò solues: sed soluisti citò, non distuliisti inopem, non despexisti precem pauperis, nõ diutius eũ desperare feciisti, non vacuus ad templũ ascẽdisti dicens: Argentum & aurũ non habeo. Non illi soli pleAct.3. ni manibus ascendũt qui argentum & aurũ habent: Ascẽdit & pauper non vacuus, ascendit & ille nõ vacuus qui aurum & argentũ non habet. Audiamus quid det iste pauper. Sed quod habeo, inquit, dabo tibi: In nomine Iesu Nazareni surge & ambula. O optanda paupertas, ô ditior inopia. Claudi cabat cui diuites dabãt. Vn⁹ pauper dabat, & statim qui claudus erat, sanus est factus. Habet ergo iustus quod fœneret:
Psal.111. habet & argentũ & fœnerat, sermones suos fœnerat. Hoc est iusti argentũ. Eloquia enim domini, eloquia casta, argentũ igne examinatũ, probatum terræ, purgatum septuplũ. Hoc fœnerat qui legẽ accepit, qui legẽ meditatur, qui legẽ exercet. Hoc fœnerauit Petrus, hoc fœnerauit Paulus, quibus
Act.10. dicitur vt ad viros nationum pergerent. Petrus ad Corneliũ Centurionẽ, cui dicitur: Surge vade nihil dubitans, quoniã ego misi illos: & surrexit & iuit. Et infra dixit: Nũquid aqua vetare possumus ne baptizentur ij qui spiritum sanctum acceperunt? Iussitque eos baptizari. Hoc est, fœnerabis gentiPsal.11. bus, vt peccata dimittas, debita auferas: tu autem non mutuaberis. Mutuatur enim peccator, & non soluet peccata sua, quia peccator est. Paulo dicitur, Fœnerabis gẽtibus: qui missus est ad gentes. Ioanni dicitur, Fœnerabis gentibus. Ia-
Psal.36. cobo & cæteris dicitur, Fœnerabitis gentibus: quibus dictum est: Ite baptizate gentes. Dicitur Paulo: Si patrum custodieris mandata, benedictus eris, & fœnerabis gentibus
Matth.28. verbum. Denique non de pecunia dici significant sequentia: Princeps eris gentibus multis, tibi autem nemo dominabitur. Constituet te dominus deus tuus in caput, &
Deut.28. non in caudam, & eris tunc supra, & non subter, si audieris vocẽ domini dei vestri. Et sequitur: Si autem non audieris,

maledictus tu in ciuitate, & maledict⁹ in agro. Et infra: Ma-
A ledicta progenies ventris tui. Non pecunia vtiq; benedictũ facit, sed cognitio dei, prædicatio verbi, si gratiam domini fœneremus, si indigentibus eo quia domini conferamus, si obseruemus mandata cœlestia. Et contra, maledictum non facit si desit pecunia quæ fœneretur: sed si desit studium, si desit obseruatio cœlestium statutorum, maledictus eris.

Quomodo patres nostri gentibus fœnerarint. Et quomodo hodie sacerdotes fœnerare debeant. Caput XIX.

DEnique mysterium ecclesiæ euidenter exprimitur. Primum enim quia in Deuteromio legis: Si
Deut.15. audieris legem, & custodieris, fœnerabis gentibus. quod factum est à patribus nostris. Fœnerauit Moyses gentibus, qui proselytos acquisiuit, fœnerauit Iesus Naue, fœnerauit Gedeon, fœnerauit Samuel, Dauid, Salomon, Helias, Helisæus, & si quis volebat verbum cognoscere, pergebat ad eos. Regina Austri veniebat audire
3.Reg. sapientiam Salomonis. Vbi cœpit populus Iudæorum non custodire legem, cœperunt aduenæ, hoc est, ex populo na-
B tionum qui in dominum Iesum crediderunt, interpretationum scripturarum fœnerare illi vetusto populo. Fœnerauit Timotheus patre Græco ortus verbum Iudæis, cùm sacerdotium recepisset. Fœneramus hodiéque sacerdotes in ecclesia verbum Iudæis, qui de synagoga ad ecclesiam transierunt. Fœneramus & nouam & vetustam pecuniam. Er-
enim quam habuerunt, iam non habent. Oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt. Pecuniam ha-
Psal. bent, & non habent, quia vsum eius ignorant, precium eius nesciunt, figuram eius & formam nõ cognouerunt. Nam si cognouissent, nunquam authorem pecunię denegassent, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Qui quidem re-
Luc. diens accepto regno iussit vocari seruos suos, quibus dedit pecuniam, & eos qui fœnerassent pecuniam, præditauit: ei autem qui pecuniam tenuit ociosam domini sui, respondit: Sciebas quòd ego homo austerus sum, tollo quod non posui meto quod nõ seminaui: & quare non dedisti pecuniam
C meam ad mensam, & ego veniens vtique cum vsuris exegissem illam? Audistis quæ pecunia boni fœneratoris sit, quæ pecunia bonas acquirat vsuras, quæ pecunia non infamet fœneratorem, non opprimat debitorem. Quam pecuniam non ærugo possit obducere, non tinea demoliri: quæ pecunia non de terreno sit, sed de æterno. Quæ pecunia diuitem faciat accipientem, nec aliquid imminuat fœneranti. Hæc pecunia vsuram habet: non vt centesimam eius quod dederis portionem, sed centuplum ferat fructum. Expande igitur sinũ mentis, vt huius pecuniæ numeratam tibi suscipias quantitatem. Intende cordis obtutu, vt agnoscas pecuniæ huius imaginem & inscriptionem. Certè hãc pecuniam excute, tabulam supra mensam animæ tuæ, quæ stabilis virMatth. tutibus sit, quadratam constitue, conde in thesauro pectoris tui, de quo doctus scriba depromit noua & vetera. Vides qualis hæc pecunia sit, quemadmodum creditorem debitorémque inuisa in se cõiungit nomina. Qui inuehebar in fœneratores, iam prouoco debitorẽ. Huius ergo fœneratores pecuniæ vos esse desidero, vt ad vos qui mutuum sumant, sponte festinent, per quam non nummum, sed regnum possi
D tis acquirere, per quam non maledicta quæratis, sed benedictionis gratiã. Hanc pecuniam fœnerat populus nationum, qui sciuit accipere fœneratum, qui sciuit cernere, qui sciuit excutere. Recusasti indicta fœnoris spiritalis, egere cœpisti.
Psal. De te ergo dei filio dictum est: Mutuabitur peccator, & nõ soluet. Tibi dicitur: Aduena qui es in te, ascendet super te, tu autem descendes in imum. Nescit summum qui Christum ignorat. In inferno semper est, qui nõ ascendit ad Christum. In summo autẽ populus qui verbũ recepit, hic habet
Deut. fidei patrimonium omne. De hoc dicit lex: Hic tibi fœnerabit, tu autem non fœnerabis ei. Hic tibi erit caput, tu autem
Ioan. 8 eris cauda: hoc est, ille erit primus, tu vltimus & abiectus. Auferã à Iudæa caput & cuidã, initiũ & finẽ. Initium Chri-
Rom.1 stum, qui interrogatus quis esset, respondit: Initium, quod & loquor vobis. Finem quoque Christũ dicit: Ipse est enim finis legis ad iustitiam omni credẽti. Ergo qui non credit ad iustitiam, nec initium nec finem habet, sed ipse finis sui est.

Quod

1153 *Quod sit illud pignus quod lex reddi iubet ante solis occasum. Et de triplici pignore.* Cap. XX.

Cognouimus fœnus legitimũ, cognoscamus & pignus quod lex reddi iubet ante solis occasum. Quod sit istud, audi dicentem Apostolum. Dedit deus pignus spiritum in cordibus nostris. Tripliciter & pignus & commendatum, & depositum dicitur. Pignus dicũt & depositum, quod custodiatur causa alicuius cõmissi. Vnde ait Apostolus: Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est commendatum meum seruare in illum diem. Depositum quoque idem docuit quod esset, dicens: Bonum depositum custodi per spiritũ sanctum qui habitat in nobis. Nũquid spiritus cõmendati auri argentique custos est, aut per spiritum sanctum pecunia custoditur? Spiritale igitur pignus custoditur à spiritu, ne aues cœli veniãt, & auferant illud de cordibus nostris. Petamus ergo, vt custodiat in nobis Christus hoc pignus quod ipse donauit, & depositũ suũ cõmendatum quãtumque conseruet. Nihil enim accepit à nobis, sed ipse nobis credidit quod nostrum non erat. Et ideo detrimento hostis afficitur, qui depositum violarit alienum. Si commendatum hominis nulla debemus fraude violare, quanto magis diuinum & spiritale depositum bona fide seruare nos congruit, ne existimationis grauia damna subeamus? Hoc igitur pignus est quod lex prohibet pignerari, & violenter auferre. Sic enim habet scriptura: Si debitum tibi fuerit à proximo quodcunque, non introhibis in domum ipsius pignerare pignus: & homo apud quẽ est debitum tuum, proferat tibi foras pignus. Si autem homo ille pauper fuerit, nõ dormies in pignore ipsius, sed redditione reddes ei pignus ipsius ad occasum solis, & dormiet in vestimento suo, & benedicet te, & erit in te misericordia. Dices itaque mihi: Ecce lex auferri pignus prohibuit, non suscipi: pauperi autem iussit reddi, non omnibus. Ac de corporalibus quidem pignoribus sanctus etiam Esdras docuit nos, quòd iam fœneratores aduersus patrum vestrorum non possitis venire professionem. Nam cùm iuberentur qui fœnerauerant & acceperant aliena pignora, vt restituerent ea, dixerunt: Reddemus, & ab ipsis nihil quæremus. Boni patres, qui statuerũt pignora debitorum esse reddenda: boni etiam fœneratores qui responderunt quod & pignora redderent, & pecuniam non requirerent quam dedissent. Et sententia nos paternæ censionis his adstringit, & professio creditorem. Est autem & aliud pignus quod lex spiritalis prohibet auferri: & si datum fuerit, reddi iubet ante solis occasum: quod homo debitum reddit, & ipse protulit. Debitor est autem omnis qui audit verbum regni & non intelligit, venit malus, & rapit quasi seminatum in corde ipsius. Noli ergo introire in domum eius vt illud pignus accipias. Væ enim qui scandalizauerit vnum de pusillis istis. Si tua stultitia amiserit pignus suum, tu non habebis delictum. Si autem pauper fuerit, redde pignus ante solis occasum. Pignus autem vestimentum est. Sibi dives videtur, ipse se decipit si pignꝰ tradiderit suũ. Si autem pauper, qui non habeat diuitias spiritus, redde illi vestimentum suum ante solis occasum. Si de corporali agerentur pignore, vtique magis per diem reddendum fuit, ne turpitudo nudi corporis diurno lumine proderetur, tenebræ enim nudum non produnt. At si hoc moueret quòd non haberet pauper quo dormiens tegi posset, vtique aut stragulum aut amictum diceret esse reddendum. Nunc autem dicendo vestimentum, tunicam magis significat qua induimur atque vestimur. Redde ergo pauperi tunicam suã, vt dormiat in ea noctu. Nónne tibi videtur illum paupertatem significare, qui cum tunica vna iubetur pergere, alteram non require, emissus à Christo ad euangelium prædicandum? est enim pauper spiritu, qui dormire possit. Nam satiato diuitiis, non est qui sinat eum dormire. Dormire enim pauper somnum resurrectionis, quem dives dormire non potest, quia à diuitiis & voluptatibus suffocatur. Dormit Christi quietem dicẽtis: Ego dormiui & quieui, & surrexi. Nec est tunica illa desuper texta, qua erat indutus Christus, quam scindere non potuerunt illi milites quos agnoscis. Nullus enim eorum vestimentum Christi scindit,

A sed diuidit, sicut scriptum est: Diuiserunt vestimenta mea sibi, & super vestrem meam miserunt sortem. Diuiserunt sibi euangelistę vestimenta eius, & super vestem eius, hoc est super prædicationem euangelij, qua vestitur hodie dominus, miserunt sortem. Illam vtique sortem, quæ cecidit super Mathiam, vt apostolorum duodecimus numero excluso nomine proditoris adiungeretur. Bene autem de euangelistis dictum est quia miserunt sortem. Sors enim veluti diuino pendet examine. Et ideo quia nõ in potestate propria sunt locuti, neque omnes eadem omnia, sed pleraque dixerunt diuersa, quæ alius non dixerat, sancti spiritus gratiam velut sortito illis ea tribuisse cognoscimus quæ loquerentur singuli de operibus domini Iesu, vt eius describẽda pro eius nutu gesta diuiderent. Est & alia tunica quã demõstrat Apostolus dicens: Induite dominum Iesum. Hæc est tunica quæ inhonesta operit nostra, & in iis abundantiorem honestatem circundat in Christo. Induimus viscera misericordiæ in Christo, induimus crucis gloriam, quę Iudæis scandalum, Græcis stultitia videbatur. Illi erubescant, qui eam B erubescendam putant, nobis autem absit gloriari nisi in cruce domini Iesu. Hæc ignobilia nostra, honorem abundantiorem habent, quia per passionem domini regnum nobis paratur æternnm. Quo enim quis plus peccauerit, eo plus diligit. Consepeliamur igitur domino Iesu, vt participes resurrectionis eius esse mereamur. Expoliemus veterem hominem cum actibus suis, induamus nouũ, in quo remissio peccatorum est. Bonus ergo amictus atque vestitus, verbũ dei. Hoc vestitu filij Noe pudenda patris operuerunt, accipientes super humeros vestimentum, & retrorsum pergentes, ne viderent virilia patris, hoc est, corporea quæ habẽt pudorem quendã generationis humanæ. Et ideo qui videre voluit, angustioris animi dignam mercedem recepit, vt seruus fieret. Omnis enim qui facit peccatũ, seruus est peccati. Vnde ille terrenus remansit. Hoc pauperi nemo tollat vestimẽtum, aut si tulerit, sol non occidat super despoliatum eum, antequam restituat, ne peccatum pauperis fœneratori possit adscribi, & non solum suo, sed etiam alieno incipiat labo C rare peccato. Hoc pignus in hac seculi nocte reddatur, hoc vestimento in his mundi tenebris induatur. Hoc pignus illius dominicæ sortis est, non illius cõtrariæ. Legimus enim duas sortes in Leuitico, de quibus dictum est: Vnam domino facies, alteram transmissori. Transmissor sortem suam ad fœneratores transmisit. Serui domini in sorte sunt Christi. In hac sorte constitutus Aaron, contrariæ sortis exclusit ærumnam, cùm inter duas partes populi cõstitutus, mortem à defunctis serpere in sortem viuorũ sui corporis non permisit. Obiectio huius sortis bonũ pignus est, verbi amictus. Hanc vobis tunicã nemo auferat debitores, hanc tunicã nulli oppigneretis si vultis nũquam turpitudinem sustinere, vt dormiatis inter cleros, sicut Aaron, dormiatis inter duo testamenta, vt dormiatis somnum resurrectionis, & vos reparare possitis. Hoc est vestimentum quod etiam si oppigneraueritis, recipiendum, in Prouerbiis sanctus Salomon præcipit dicens: Auser vestimentum tuum. præterit enim iniurioſus. Sapientiæ vestimentum est, ex illis vestimentis D quæ ex byſſo & purpurea ſapientia ſibi fecit: hoc eſt, indumentum fidei conſtat ex prædicatione cœleſtium, & dominicæ ſanguine paſſionis. Byſſo, ætherea figurantur. Purpuræ ſpecie, myſterium ſacri ſanguinis declaratur, quo regnum cœleſte confertur. Denique veſtimentum ſapientiæ ſignificari ſuperiora indicant. Præmiſit enim dicens: Sapiens eſto fili, vt lætetur cor tuum. Et intra duos verſus ait: Imprudentes autem ſuperuenientes dãnum parientur. Auſer veſtimẽtum tuum. Auſer igitur, ne damnum excipias imprudentię, & ne exutũ te proprio veſtimẽto nequiſſimus ille communis fœnerator agnoſcens, cõfuſionem tui detegere conetur opprobrij, & perſuadeat tibi vt te foliis tegas, & nudum te eſſe conſpiciens, in dei vereris venire conſpectum. Redde, inquit, proximo in tempore coangusta verbum, & fideliter age cum illo, & in tempore inuenies quod tibi necessarium sit. Non amat multis innocẽtia se defendere. Susanna vocis assertione non eguit. Verbũ coangustauit ad dominũ, & statim adipisci meruit castitatis propriæ testimoniũ. Plurima

presbyteri loquebantur, qui laborabant verborum fuco ob
ducere veritatem: sed nunc filia Iuda tacuit apud homines,
locuta est deo. Erubescenda erat in plebe ipsa defensio mu
liebris. Et dum pudor defenditur, impudentia prætendeba-
Daniel.13. tur. Coāgustauit verbum dicens ad dominum: Tu scis quia
falsa dixerunt de me. Et dominus spiritum Danielis pueri
castitatis excitauit vltorem. Coangusta verbum ergo, vt red
hibitio creditori, non lingua respondeat. Siue mysticè: Coā
Esaiæ 10. gusta verbum, hoc est, consumma. Verbum enim consum-
Roma.9. mans & breuians faciet dominus super terram. Hoc est, ex
multis ratiociniis abbreuiata tibi summa conueniat. Deduc-
cito quod expensis diuersis est errogatum, vt saluū habeas
quod superfit, quomodo dominus de multis dispensationi-
bus Iudæorum ex multo illo ratiocinio peccatorum cōsum
Ibidem. mauit tandem atque breuiauit, vt reliquiæ saluę fierent per
electionem gratiæ, & seruarentur ad semen, per quos inter-
mortuam spem synagogæ resuscitaret.

De reprehensione debitorum mutuum recipientium, & postmodum commodantibus ingratorum in redditione facienda. Et de obligatione molæ & lapidis supermolaris prohibita. Cap. XXI.

QVàm deforme est vt pro beneficio ei qui te adiu-
uit, rependas molestiam: cùm istū fraudaueris cui
debes, postea in tēpore necessitatis tuæ non inue-
nies creditorē. Quàm indignum vt cùm victū tuū
sustentare nō queas, cùm adhuc nihil debeas, putes quòd & c
victum tuum possis & debitum sustinere. Ante cogita vnde
dissoluas, & sic mutuū sume. Fructus, inquit, agrorū capio.
Sed qui non abundant vsui, quomodo abundabunt contra-
cti fœnoris incremento? Sed possessionē meam vēdo. Et vn-
de fructus quibus vtaris ad sumptum? Fœnus non pecunia
sua soluitur, sed augetur, numerando coaceruatur & crescit.
Deinde nō cogitas humilitatē & verecundiā postulātis? Do
nec accipias, oscularis manus fœneratoris: superbè superbi
humilias vocē tuam, nec clarior sonitus vocis tuæ aures ei⁹
offendat, ne plures te audiant deprecantē. Paupertas nō ha-
bet crimen, nulla indigētiæ infamia est: sed debere, verecun
dum est: non reddere, verecundius. Postulabis dilationem
cùm cœperis conueniri in tēpore præscriptæ solutionis: pro
pecunia, afferes tędia, causaberis de tempore, excusationes
strues. Et cùm totum promiseris: ne in vniuersum fraudare
videaris, vix dimidium restitues. De amico inimicū facies,
de honore referes contumeliam, pro benedictione maledi-
ctum. Quàm hæc opinionem lædant considera, quàm à viro
bono discrepent recognosce. Ergo dum liber es à vinculis,
ipse te reuoca à iugo & onere seruitutis. Diues es? nō sumas
mutuum. Pauper? non sumas mutuum. Diues es? nullam pa-
teris petendi necessitatē. Pauper es? considera soluendi dif-
ficultatem. Opulentia vsuris minuitur, paupertas vsuris nō
leuatur. Nūquam enim malum malo corrigitur, nec vulnus
curatur vulnere, sed exasperatur vlcere. Hoc vide, ne dum
pecuniam petis, molam tuam obliges, aut lapidē supermo-
larem. Mola est enim qua similago conficitur, qua molit si-
Matth.24. milaginem vna mulier quæ assumitur, & altera relinquitur.
Fortasse illa assumitur quæ semper molit verbum dei, vt ha-
beat similaginem, & spiritalem facit farinam. Expurgate ve
1.Corin.5. tus fermentum, vt sitis noua consperfio. Custodit molam
suam, interpretatur scripturas, seruat sibi lapidem supermo-
larem. Illa relinquitur quæ oppignerat molam suam. Cùm
autem aliquid emoluerit perfunctorię, oppignerat lapidem
Psalm. 117. qui est super molam. Quis iste sit lapis, quæro. Legisti: Lapi-
dem quem reprobauerunt ædificātes, hic factus est in caput
anguli. Quare super molam? Quia ipse est qui molentes iu-
Ioan. 5. uat. Ipse est qui dicit: Scrutamini scripturas in quibus puta-
tis vos vitam ęternā habere. Noli fœnerator hūc lapidē su-
Lucæ 20. permolarem oppignerare, ne cadas super illū. Omnis enim
qui ceciderit super hunc lapidem, quassabitur: super quem
autem ceciderit, comminuet illum. Nec viduæ pignus susci
pias: graue & secundum literam vtrunque, si instrumētum
viuendi egeno auferas, aut viduæ pignus detrahas: sed gra-
uius, si animæ quæ verbi vidua est, verbum teneas, vt ei ste-
rilitatem viduitatis inducas.

Quem fœneratorem imitari debeamus. 1156

A *Caput XXII.*

ATque vt sciatis quòd hæc amāti affectu sua-
deam, vt sciatis quòd liceat bene fœnerare,
ostēdam vobis quem fœneratorem debeatis
imitari. Duo, inquit, debitores erant vni fœ-
neratori, vnus debebat denarios quingentos, Luc.7.
alius quinquaginta. Non habētibus illis vnde redderent, do
nauit vtrisque. Quis eum ergo plus diligit? Respondens Si-
mon pharisæus dixit: Æstimo, quia is cui plus donauit. Et
laudata est sententia eius, dicente domino: Rectè iudicasti.
Rectè iudicauit Pharisæus, qui malè cogitauit, putans quòd
ignoraret magis dominus peccata mulieris, quàm donaret.
Sed laudatur eius sentētia, vt excusatio ei omnis adimatur.
Plus remissum est ecclesiæ, quæ congregata est ex populo
nationum, quoniam plus debebat: sed & ipsa plus soluit, nō
exigenti, sed donāti. Dedit aquam pedibus Christi, qua sua
peccata mundauit. Osculata est pedes, ferens pacis insignia.
Misit oleum in pedes eius, misericordiam & ipsa in paupe-
B res conferendo. Isti sunt pedes Christi, in his innocens am-
bulat Christus. Et capillis capitis sui tersit. Christo enim hu
miliatur quicunque habet humilitatis affectum. Et ideo in-
quit, dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit mul-
tum. Aduerte quòd dominus & misericordiam impertit vt
liberalis, & iudicium cum miseratione dispensat. Ante do-
nauit per gratiam, sed quibus donaret sciebat. Non habet
quod excusset Iudæus. Mihi quasi peccatori plus donauit, il-
li quasi ingrato minora concessit. Sciuit tamen quod & il-
le quasi ingratus non possit soluere quod accepisset, & ec-
clesia memor gratiæ eo plura soluerit, quo plura meruisset.

An fœneratores excusset, quòd etiam superiores nostri id fecerint, & quod antiquum sit vsurarum exercitium. Et quomodo Thobias neque pignus, neque fideiussorem receperit. Quo pacto etiam quis pro alieno debito fideiubere debeat.

Caput XXIII.

C HAbetis ergo quem sequamini fœneratorē, si vul
tis donari, si vultis non esse quod reprehendatur
à nobis. Nos enim nō personæ obtrectamus, sed
auaritiæ. Nec fallit dixisse aliquos, cùm ante bi-
duum tractatus noster eorum compūxisset affectum. Quid
sibi voluit episcop⁹ aduersus fœneratores tractare, quasi no
uum aliquid admissum sit, quasi id nō etiam superiores fece
rint, quasi non vetus sit fœnerare? Verū est, non ego abnuo,
sed culpa vetus est. Denique peccatum ab Adam: ex illo cul
pa ex quo & Eua: ex illo præuaricatio, ex quo & humana
cōditio. Sed ideo Christus venit, vt inueterata aboleret, no-
ua cōderet, & quę inueterauerat culpa, renouaret gratia. Id-
eo se passioni obtulit, vt renouaretur spiritu, & absolueret
vniuersos. Diabolus Euam decepit, vt supplantaret virum,
obligaret hæreditatem. Quid fœneratores faciunt? Decī-
piunt defœneratos, obligāt fideiussores. Sed non Thobias
pignus quæsiuit, aut fideiussorem popposcit. Currēdum est
igitur vt fideiussorem requiras, vt eum tuis nominibus ad-
stringuas. Ecce paratur alter inimicus. Nam cùm non ha-
bueris vnde debitum soluas, ille pro te tenebitur. Inueniris
in eo circunuentor & fallax, qui amicum deceperis, Ille nu-
D dabitur, ille pro te in vincula ducetur. Illum grauiorem ex-
actorem creditore patieris, qui allegat: Stimula ciuem tuum
quem spopondisti. Ita fiet vt ipse quoque esse incipias in- Eccl.
gratus, & prætereas illud quod scriptum est: Gratiam repro
missoris ne obliuiscaris. dedit enim pro te animam bonam.
Necesse est dicas: Quis enim te quęrebat fidem dicere? Nam
nisi tu fidem dixisses, ego non accepissem pecuniam. Adul-
terinam accepi pecuniam, æs auro admixto mihi dedit, vti-
nam te non obtulisses. Fortasse creditor te subornauit, vel
tu illum. Ergo caue ne alieno te obliges debito, ne hoc quo
que vendidisse dicaris: ne si quod tibi (vt habet vsus amici-
tiæ) debetur, aut debitor dederit gratiæ vt videatur emisse.
Aut si vis interuenire, noueris amici obsecrat⁹ oratis, erubes
ces negare: ita interueni, vt si debitū solutū nō fuerit, de tuo
noueris esse soluēdum. In hæc paratus accede. Legisti enim, Ibidem
Non spondeas super virtutem tuam: si enim spoponderis,
quasi restituens cogita. Et infra: Recipe proximum tuum
secundum

1157

secundum virtutem tuam, & attende tibi ne cadas: id est, ne maiore te obliges numismatis quãtitate, quàm ferre possũt & exoluere tuarum copiæ facultatum. Si enim quod habes tradas, amisisti opes, non amisisti fidem. Famæ tuæ damna non sentis, redemisti amicum sine tui fraude. Alibi quoque idem monẽt Prouerbia Salomonis dicentis: Spondens spondes amico tuo, quemadmodum qui obligat se sponsorem amicorum suorum. Si autem non habes, audi quid Salomon dicat: Noli te dare in sponsionem, erubescens personam: si enim non habueris vnde soluas, auferet stramentum de sub lateribus tuis. Bonus ergo fœnerator acquiret gratiam, improbus execrationem.

De aliis virtutibus Thobiæ. Et quomodo mercenario merces sit soluenda. Cap. XXIIII.

Sed non his tantum virtutum finibus contentus fuit sanctus Thobias: mercenario quoque sciuit soluendam esse mercedem, dimidium vsque obtulit, meritòq; pro mercenario angelum inuenit. Et tu vnde scis ne fortè iustum aliquẽ mercede defraudes, punisne infirmum? Væ enim illi qui scandalizauerit vnũ de pusillis istis. Qui scis an in eo angelus sit? Neque enim dubitare debes quod in mercenario possit esse angelus, cùm ipse Christus possit, qui in minimo quoque esse consueuit. Red de ergo mercenario mercedẽ suam, nec eum laboris sui mercede defraudes, quia & tu mecenarius Christi es, & te cõduxit ad vineam suam, & tibi merces reposita est cœlestis. Nõ ergo lædas seruum operantem in veritate, neque mercenarium dãtem animam suam. Nõ despicias inopem qui vitam suam suo exercet labore, & mercede sustẽtat. Hoc est enim interficere hominem, vitæ suæ ei debita negare subsidia. Et tu mercenarius es in hac terra. Da mercedẽ mercenario, vt & tu possis dicere domino cùm precaris. Da mercedem domine sustinentibus te. Thobias tibi dicit: Luxuria mater est famis. in quo continentiam docet. Dicit etiam: Mercedem omni homini qui penes te operatus fuerit, redde eadem die, & non maneat apud te merces hominis, & merces tua non minorabitur. Dicit tibi: Noli vinum bibere in ebrietate. Dicit tibi: De pane tuo communica esurientibus. Vide quid te fœnerare cupiat. Et de vestimentis tuis nudos tege. Ex omnibus quæ abundauerint tibi, fac eleemosynam. Omni tempore benedic dominum. In his itaque fœnus æternum est, & vsura perpetua.

FINIS.

CAPITA LIBRI PRIMI DE interpellatione.

De approbatione per scripturam & exempla sanctorum quod consolationes, præcipue quæ ex spe futurorum habentur, omnibus præsentibus incommodis & perturbationibus quæ in hac vita sunt, incomparabiliter præponderent. Caput I.

Quomodo beatus Iob amissis omnibus præter vxorem, tanquam bonus athleta perturbationibus non cesserit, nec certare recusauerit. Caput II.

Quòd misera conditio hominis & quasi mercenaria sit, & se nisi ex aliena misericordia sustentare nõ possit, quódque vana somni delectatio pœna potius quàm requies sit dicenda. Caput III.

Quomodo amici Iob ad consolandũ eum venerint, & quòd optimum solamen in aduersitatibus sit à culpa vacare. Caput IIII.

Quomodo intelligatur illud: Quid facit montes inueterasce re &c. Et de commotione colũnarum. Quomodo etiam sol iussus nõ oriebatur, Et quomodo dominus super mare tanquam pauimentum ambulet. Caput V.

De multiplici hominis tribulatione, & de veloci cursu vitæ nostræ, cum deploratione sancti viri pro communi infirmitate. Caput VI.

Quid significet illud: Quare obscripsisti aduersum me mala, & apposuisti mihi adolescentiæ peccata &c. Similiter & illud: Mortalis filius mulieris, breuis vitæ est &c. Pręterea etiam istud: cùm autem dormierit homo, non resurget vsque dum cœlum assuatur, &c. Cap. VII.

De intelligentia illius, Vtinã in inferno cõseruares, absconde res autem me donec desinat ira tua, &c. Cap. VIII.

De reprehensione eorum qui curiosius inquirunt secreta altitudinis sapientiæ dei. Quámque beatus sit ille qui sapiẽtia inuenerit. Et quæ sit vera sapientia. Cap. IX.

Diui Ambrosij

MEDIOLANEN. EPISCOPI, *de interpellatione, Liber primus.*

De approbatione per scripturam & exempla sanctorum quo consolationes, præcipue quæ ex spe futurorum habentur, omnibus præsentibus incõmodis & perturbationibus, quæ in hac vita sunt, incomparabiliter præponderent.

Caput I.

Multas nobis perturbationes in hac vita esse subeundas, scriptura diuina frequentibus demonstrat locis, multasque suppetere cõsolationes, quibus animus capax vigoris, & recti conscius absorbere debeat quæ præsentium incommodorum sunt, spectare quæ habeant perpetem iucunditatẽ. Præponderent enim cõsolationes perturbationibus, quia & præsentium sedationem afferũt, & spẽ futurorũ. Vnde & apostolus Paulus: Indignæ sunt, inquit, passiones huius temporis ad superuenturã gloriã. Indignæ vtique ad cõsolationis cõparationem, non ad fructum redẽptionis. Quæ est tã præclara, cuiúsve vita in terra, vt adæquare cœlestem gloriam possit? Quid sublimius Paulo, qui tantũ periculorũ sub iit, tantum dolorum atque infirmitatũ absorbuit? In iis quas Christi nomine subiit passionibus, quotidie vt ipse dicit, moriebatur, & nihil indignum perpeti se in hoc tempore pro tantæ gloriæ spe atque expectatione censebat. Helias famẽ, insidias, mortisque terrores, laborum acerba tolerabat, & tamen solus ille igneis curribus, equis igneis de cœlo deductis ad terras, & de terris reuectis ad cœlum, omne meritum huius militiæ abscõdit, atque vltra humana omnia gratiam pij ascensoris euexit. Nam de Petro quid loquar, qui crucẽ suam futura remuneratione indignã arbitratus, inuerso suspendi popposcit vestigio, vt aliquid passioni suæ adderet, cuius acerbare ipse sibi supplicia non timeret? Vnde non immeritò sanctus Dauid ad illam gloriam, cùm in cætero opere, tum maximè in quadragesimo primo Psalmo se festinare testatur dicens: Quando veniam & apparebo ante faciẽ dei? In quo psalmo & perturbationes humanæ fragilitatis, & cõsolationes à domino euidenter expressit. In quo etiam interpellat pro nobis deũ, quod oblitus operis sui, oblitus collatę in hominem liberalitatis & gratiæ, quem tuendũ atque ornandum acceperat, dereliquerit, & infirmum ac naufragum diuersis infirmitatibus reiecerit atterendum. Quod idem an te ipsum fecerat sanctus Iob, Sed iste moralius, ille vehementius. Vtriusque igitur interpellationes cõsiderare cordi est, quod in his vitę humanę forma exprimitur, causa agitur, prerogatiua formatur. Suo igitur ordine spectãdę nobis sũt.

Roma. 8.

3. Reg. 18. 4. Reg. 2.

Psal. 41.

Quomodo beatus Iob amissis omnibus præter vxorem, tanquam bonus athela perturbationibus non cesserit, nec certare recusauerit. *Cap. II.*

Amissis itaque liberis Iob atque omnibus suis præter vxorem, quæ ei sola ad tentationem fuerat reseruata, perfossus† etiam vlcere graui, cùm videret amicos suos non ad consolandum venisse, sed ad exaggerandum & ad aceruandum dolorem, aduertit à domino datam in se aduersario tentandi sui potestatem. Et quamuis sagittas domini in corpore suo sentiret esse, à quibus cõpungi se diceret, tamen quasi bonus athleta, qui dolori non cederet,

† perfusus.

Iob 6. cederet,nec duram certaminis recusaret,addidit incipiens:Do
minus vulneret,in fine autem non perimat.Quæ enim mea
virtus qui sustineo,aut quod meum tempus,vt sufferat ani-
ma mea?Nunquid fortitudo lapidum fortitudo mea,aut car
nes meæ sunt æreæ,aut non in ipso confidebã,adiutoriũ au-
tem à me recessit?Visitatio autem eius despexit me. Nónne
Ibidem 7. tentamentum est vita hominis super terram,& sicut mercenarij quotidiani vita eius,aut sicut famulus timens dominũ suum,qui se sub vmbra obtegat,aut sicut mercenarius expectans mercedem suam,sic & ego menses expectaui vacuos, noctes autem dolorum datæ sunt mihi? Si quiescam, dico, quando dies?Si surgam,iterum quando vesper? Plenus sum doloribus.A vespere vsque mane fermẽtatur mihi corpus in putredine vermium.Liquefacio autem glebas terræ saniem radens vlcerum.Vita autem mea leuior est fauilla,in spe vacua perit.Dicam consolabitur me lectulus meus, terres me insomniis,& in visionibus me percellis.

Quòd misera conditio hominis & quasi mercenaria sit, & se nisi ex aliena misericordia sustentare non possit. Quódque vana somni delectatio,pœna potius quàm requies sit dicenda.

Caput III.

QVàm misera hominis conditio,quæ quasi merce
naria aliis laborat,sibi indiget,& nisi aliena mise
ricordia sustentare se nequit. Quotidie sub for-
midine,sub timore grauem tolerans seruitutem,
& ne deprehendatur à domino erratica atque fugitiua, sub
vmbra quadam seculi huius putat se posse delitescere.Con-
Eccli.23. sidera illum de quo ait in Ecclesiastico Syrach: Omnis ho-
mo transgrediens in lecto suo,contemnens & dicens in ani-
ma sua:Quis me videt?Tenebræ circundant me,& parietes,
quem vereor? Nónne tibi videtur iste vir esse mercenarius
Lucæ 15. qui prodegerit,vt ille adolescens in euãgelio,qui legitur ac-
cepisse à patre substantiæ portionem,& egens atque inops,
quo famẽ leuaret,pascere greges cœpit alienos, vt mercede
sumptum exerceret suum?Sed ille tamen aliquando conuer
sus est,quia reuertitur ad patrem,& peccata sua non repres-
sit,sed prodidit.Hic autem qui se existimat ab eo qui omnia
videt non videri,& tenebris putat commissa sua posse cela-
ri,vmbram prętendit,sed frustra latere se credit,cùm oculus
domini lucidior sole occulta omnia deprehendat,tenebrosa
illuminet,& intimi cordis penetret conscientiam, atque in
alta & profunda descendat.Vanus ergo qui putat tenebris
esse se tutum, cùm lucem vitare non possit, quæ lucet in
Ioan.1. tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.Quasi fu
gitiuus itaque & malus mercenarius deprehenditur, & an-
tequam se occultet agnoscitur,quia domino omnia antequã
quærat, cognita sunt.Non solum quæ facta, sed etiam quæ
† aliàs Pe-rit igitur. futura sunt reperit.Igitur † in vacua spe qui putat quod suũ
crimen abscondat: fabula est istud, non veritas. Denique
Eccli.11. fabula peccantium ociosa, non habens fructum, sed gemi-
tum. Narratio enim fatui sarcina in via. Quid enim aliud
est peccatum, nisi sarcina? quæ huius seculi onerat viato-
Matth.11. rem graui depressum fasce delicti, qui si nollet oneri subi-
iacere, debuit audire dicentem: Venite ad me omnes qui
laboratis & onerati estis,& ego vos reficiam. Quid autem
ærumnosius cum ipse lectus ad communem quietẽ datus,
graue vulnus infligat?Tunc enim solemus quę fecimus re-
Psalm.4. cordari,& factum suo rum stimulis cõpungitur interior cõ
scientia.Vnde scriptura ait his:Quę dicitis in cordibus ve-
stris,& in cubilibus vestris compungimini.Remedium qui
dem debiti,& tamen conscientiam vulnerauit. Sed esto vt
ali quando fesso somnus obrepat,terremur insomniis,exagi
tamur visionibus,vt non iam requies sed pœna sit.Ita enim
habentur diuitiæ seculi,veluti somnium exurgentis. Surre-
xit aliquis ex istius corporis somno,& nihil possidet,idque
ipsum quod se credebat habere amisit.Constituite mihi nũc
diuitem illum,qui quotidiana lucra,& quæstus varios con-
gerebat,& exagitabatur cupiditatibus suis,subitò resipiscẽ-
Psal.48. tem,considerantémque secum,quia cùm morietur,non ac-
cipiet omnia, neque descendet cum eo gloria domus eius:

& cum ea quæ possidet in hac vita,habeant aliquid voluptA
tis: non etiam in futurum aperientẽ oculos ad cœlestia.Non
ne tibi videtur sicut qui in somnis bibebat,bibisse, & sicut
qui in somnis epulabatur,epulatus, aperuisse oculos, & co-
gnouisse quòd anima eius inane sperauit,& adhuc sitiat,ad
huc sitiat, quia modum non habet auaritia, nec rapiendo
expletur, sed incitatur,hoc egentior, quo plura quæsierit?
Et hic ergo surrexit,& vanum est somnium.

Quomodo amici Iob ad consolandum eum venerint, & quòd optimatum solamen in aduersitatibus sit à culpa vacare.

Caput IIII.

SEd iterum ipsum audiamus dicentem. Incum- Iob 2.
bebant illi amici qui ad consolandũ venerant &
quasi inimici amaris eum perurgebant sermoni-
bus.Vnum enim solatij genus est in ærũna & in
amaritudine constitutis, culpa vacare,vt ea quæ perpetiun-
tur aduersa,non pro dilecti precio sustinere videãtur. Hoc
quoq; sancto viro adimere gestiebant,vt videretur ipse suæ
author ærũnæ,qui peccatis grauibus domini cõtraxisset of-B
fensam,& pro impietatibus suis illa toleraret, describentes
impiorum supplicia, qui vitia fererent,& meterent sibi do-
lores,quod mandato perirẽt dei, & spiritu vitæ ipsius inte-
rirẽt.Qui insufflaret domos luteas inhabitãtibus,& arefce-
rent,cogitationes destitueret,versutorum os obstrueret in-
iustè. Quæ vera quidem de domini potestate, sed non con-
uenientia tanti viri meritis asserebant. Is ergo respondit:In
veritate noui quia ita est. Quomodo enim iustus mortalis Ibidem 9.
apud dominum? Si enim voluerit iudicio contendere cum
eo,non audiet illum,vt non ad vnum verbum eius mille ser
monibus contradicat. Sapiens est enim intellectu,& fortis
& magnus: quis tam durus, vt in conspectu eius possit sub-
sistere?Qui facit montes inueterascere,& nesciunt,& euer-
tit eos iracundia. Qui commouet orbem terrarum à funda-
mentis,& columnæ mouentur eius.Qui dicit soli,& non o
ritur,aduersus autem sydera consignat. Qui extẽdit cœlum
solus, & ambulat sicut in pauimento supra mare. Qui facit
vergilias,& vesperum,& septentrionẽ,& austri ministeriũ,C
qui facit magna & inuestigabilia,gloriosa,& immensa,quo-
rum non est numerus. Si prætererierit me,non videbo: & si
me prætergressus fuerit,nec sic sciam. Quanto vehementio
re tuba iste crepuit de domini potestate?Sed in ea iustorum
auxilium,non ruina est. Denique videtur exprimi poten-
tia,sed magis redemptionis nostræ mysteria declarantur.

Quomodo intelligatur illud, Qui facit montes inueterascere, &c. Et de commotione columnarum. Quomodo etiam sol iussus non oriebatur, & quomodo dominus supra mare tanquam pauimentum ambulet. Caput V.

QVi sunt enim montes quos inueterascere facit, Ibidem 9.
nisi Moyses,Aaron,& Helias,Iesus Naue, Ge-
deon,prophetæ, omnes libri veteris testamẽti?
Venit dominus Iesus,nouum detulit testamen-
tum,& illud quod erat vetus,factũ est nouũ. Innouatus est
Christianus,inueterauit Iudæus.Renouata est gratia,inue-
terauit litera.Euertit montes, & conuertit.Euertit enim &
subruit intellectum secundum literam,& statuit intelligen-
tiam spiritalem.Intellectus ergo ille legis euanuit carnalis, Rom.7.
& factus est spiritalis.Vnde Apostolus ait:Scimus autẽ quia D
lex spiritalis est,ego autem carnalis sum.Sed & ipse qui car 1. Corin.7.
nalis erat,factus est spiritalis,sicut ipse asserait dicens:Puto Ibidem 2.
enim & ego me spiritum dei habere.Hos ergo montes inue
terauit Iesus,& Iudæi nesciunt.Si enim cognouissent,nun-
quam dominum maiestatis crucifixissent,nunquam Iudaica
delyramẽta sequerentur adhuc.Ipse sunt ergo qui nesciunt. Luce 23.
Vnde & in euangelio dicit dominus Iesus:Dimitte illis pa-
ter,quia nesciunt quid faciunt. Sed non excusantur qui ne-
sciunt,cùm scire nolunt quod debuerint cognoscere. Cer-
tè non illis inuidemus, si domini sequantur sententiam.
Sententia enim superiora solet absoluere, non futura. Sed
nec ille immunis à scelere qui crucifixit suæ authorem sa-
lutis, & postea veniam non poposcit. Esto vt ante ignora-
uerit,quem persequebatur,in cruce tamen positum debuit
recognoscere vniuersorum esse dominum elementorum,
sub quo omnia elementa tremuerunt. Cœlum obscuratum
est,

1161

est,sol refugit,terra dissiluit,defunctorum sepulchra patuerunt,mortui viuentium receperunt cõsortia. Vnde & Centurio ait: Verè dei filius erat iste. Centurio agnoscit alienũ, Leuita non recognoscit suum, Gentilis veneratur, Hebræus abiurat. Non immeritò ergo colũnæ orbis terrarum motæ sunt veteres, vt nouæ confirmarentur, sicut ipse dignatus est dicere: Ego confirmaui columnas eius. Audi quas columnas confirmauerit. Petrus & Iacobus & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ communionis. Quomodo ergo excusant se nescisse, quo rum alij viderunt, alij cognouerunt solem non expleto diei curriculo recessisse, & rursus ante peractum spatium noctis egressum, noctem in die fecisse, in die noctem? Vtique intelligere debuerunt, quia sol iussus se recepit, & iussus exiuit. Prædixerat enim dominus, quia tribus diebus futurus erat in corde terræ, & tribus noctibus. Didicerat hoc sol, seruabat præceptum. Dubitabat ergo dicens: Quid facio? Orior, & dies est: occido, & nox est. Si cursum meum seruauero, demorabor mundi salutem. Festinemus etiam ad redemptionem nostram. Festinare etiam debeo ipse ad nouam vitam. Erit enim beneficio crucis, qua renouantur vniuersa, & sol nouus, & cœlum nouum. Festino ergo, vt illum possim videre solem iustitiæ, illuminantem animas vniuersorum. Sed quid faciam? Ipse vult post triduum fieri resurrectionem. Inueni quid faciam, vt & moras non faciã, & numerũ dierum meorũ custodiã. Non faciã integrum diem, & integram noctem. Abbreuiabo horas, vt tribus quidem diebus ac noctibus sit inter mortuos dominus Iesus: citius tamen quàm trium dierum & noctium interualla patiũtur resurgat à mortuis. Abbreuiabo igitur horas vbi ascenderit crucem. A sexta hora statim fiat nox, ne videam domini passionem, sed fugiam parricidalis persecutionis spectaculum. Occidam, & erit nox horarum trium: egrediar, & innouabo diem, vt sit horarum trium. Percursus est primus dies, sequetur nox secũdo spatio suo, sequetur similiter dies, inciet nox. Tertia resurget dominus in nocte, & erit dies in lumine resurgentis, vt compleatur illud: Et nox sicut dies illuminabitur. Hic est dies ille magnus quem vidit Abraham & gauisus est, de quo & Dauid ait: Hæc est dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Cui non ministerio laboris, sed fructu exultationis interero. Ipse ergo dominus diem ducit, & ante mundi consummationem videbitur lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ipse est dominus qui signat & numerat multitudinem stellarum. Ipse est dominus qui cœlum solus extendit, qui ambulat tanquam in pauimento super mare, quando Petrus vidit eum ambulantem, & dixit: Domine iube me venire ad te super aquas. Et iussit dominus: sed ille titubauit. & nisi porrexisset ei dominus dexteram, dimersus fluctibus occidisset. Titubauit caro, saluauit dextera. Et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Fides ergo ambulauit in apostolo, non caro. Denique fides titubauit, & caro sentire cœpit naufragium? Quod non impropriè dictum est, quia caro nauis est animæ, sicut scriptum est: Qui descendunt mare in nauibus. Et alibi: Ibi dolores vt parturientis, in spiritu vehementi conteres naues Tharsis. Animæ enim nostræ cùm verbum parturiunt, edunt dolores. Quæ autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est illi homo qui mundum redemit. Naues Tharsis, id est intelligibiles quę Salomoni aurum ferebant atque argentum, id est corpora nostra quæ habent thesaurum in vasis fictilibus, vt Apostolus dixit. Vel quod etiam hic partus dubio conterũtur, iuxta quod dictum est: Væ prægnantibus & nutrientibus. Nam cùm anima quatitur, caro fluctuat. Vel spiritu vehementi agitabuntur infuso, cùm expleto tempore fuerit resurgendum, secundum quod scriptum est: Veni spiritus, & insuffla in mortuos istos, & viuent. Vnde & ipse Iob in posterioribus dicit: Noui enim quia æternus & potens est qui soluturus est me in terra. Resuscitare pellem meam, quę portauit. Conteruntur autem, quia resuscitantur ad iudiciũ. Est autem bona contritio. Cor enim contritum & humiliatum deus non spernit. Et alibi: Sana contritiones eius.

Sed & ad Iosaphat dictum est: Contritæ sunt naues in Tharsis: eo quod se sacrilegio miscuisset. Vtrunque igitur contritio significat, quia vtrunque est in die iudicij, quãdo omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui malè egerunt in resurrectionem iudicij. Quod etiam Dauid propheta significat dicens: Ibi dolores parturientis: sicut audiui mus, ita & vidimus in ciuitate domini virtutum, in ciuitate dei nostri. Nanque & dolorem futurum & lætitiam cõprehendit. Dolorem de iudicio, de absolutione lætitiam. 2. Paral. 20. Ioann. 5. Psal. 47.

De multiplici hominis tribulatione, & de veloci cursu vitæ nostræ, cum deploratione sancti viri pro communi infirmitate.

Cap. VI.

Sed ad propositæ nobis interpellationis seriem reuertamur. Multas, inquit, contritiones fecit mihi, respirare me non sinit. Impleuit me amaritudine, & quia virtute est potens, nemo potest iudicio eius resistere. Si iustus sum corde, lingua mea errat.) Magnum & potentem disperdit ira. Improbi in morte graui, iusti autem irridentur. Dati sunt enim in manus impij. Vide singula. Potentibus ira sua grauis est, improbis nequitia, iustis conditionis infirmitas. Ita nihil periculo vacat. Fortitudo & magnitudo viri sua potestate decipitur, improbitas afflictatur, virtus ridetur. Ridetur ille, quia plus potest: labitur iste, quia nihil potest. Affligitur, cõditionis est vitium, quia vita nostra leuior est cursore. Trãsiuit, & nihil vidit. Tanquam nauis vestigium, aut aquilæ volantis & quærentis escã, ita & præterit vita hominis. Quod loquimur, obliuiscimur, nec vllum transitus nostri insigne deprehenditur, nisi quod si plenum mœroris & gemitus. Concutior, inquit, omnibus membris. Vtinam sit mediator noster arguens & diiudicans inter vtrunque nostrum. Dicam domino: Quare sic me iudicas? An bonum tibi est vt iniustus ego sim, quia repulisti opera manuum tuarũ, & consilio impiorum intendisti? Nunquid sicut mortalis videt, sic vides, aut vita tua sicut hominis, aut anni tui sicut viri, quia exquisisti iniquitates meas, & peccata mea inuestigasti? Nosti quia impiè non gessi: sed quis est qui de manib⁹ tuis eruat?) Magna fides, magna authoritas cõscientiæ, deum testem mentis suæ accersire. Quod conditionis est, non negat: quod impietatis est, repellit: quod infirmitatis est, fatetur. Peccasse conditionis est, quia nemo immunis lapsus est. Impiè agere non conditionis est, sed perfidiæ, & nequissimæ mentis venenum. Non agnoscit hoc iustus, sed absolutio hominis in dei miseratione, non in hominis potestate est. Manus, inquit, tuæ plasmauerunt me, postea conuertisti & percussisti me. Memento qũia lutum me fecisti, & in terram me resolues. Nunquid non vt lac mulsisti me, confeciſti me sicut caseum? Corio & carne me induisti, ossibus & neruis me inseruisti. Vitam autem & misericordiam in me posuisti, & visitatio tua protexit spiritum meum.) Quanta deploratio sancti viri pro communi infirmitate, quanta conuentionis authoritas, quòd deus hominem manibus suis fecerit. Excusatur culpa infirmitatis obtẽtu, commẽdatur gratia priuilegio operationis æternæ, & protectione dignationis cœlestis. De quo loco etiam Dauid pulcherrimè locutus est dicens: Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quia visitas eum? Hęc, inquit, habes in te, noui quia omnia potes, impossibile autẽ nihil. Si enim peccauero, custodies me, ab iniquitate autẽ immaculatum me non feciſti. Si impius fuero, væ mihi: si sim iustus, non possum me erigere. Plenus sum cõfusionis, inuestigor sicut leo ad necem. Vide tria. Si peccauero, inquit, custodies me. Et ideo ô homo fatere peccatum, vt veniam cõsequaris: dic iniquitates, vt iustificeris. Quid erubescis fateri eas in quib⁹ natus es? negantis non fatentis crimẽ est, negare quod natus sis. Quod accepisti, vtinã serues. Cur putas te habere ꝙ non acceperis? Ergo peccator fateatur, impius ingemiscat. Iustus nõ se erigat & extollat, ne per arrogantiã fructũ iustitiæ amittat. Et pulchrè ait: Si iust⁹ sum, nõ possum me erigere: plenus enim sum cõfusionis. Iustus enim aduertit magis fragilitatem suam, quàm iustus: & lapsus suos sapiens agnoscit,

Psal. 8. Iob 10. Esaiæ 43.

ſcit,non agnoſcit inſipiēs. Denique lapſibus ſuis ſapiens cōpungitur,incipiens delectatur. Iuſtus accuſator eſt ſui,iniuſtus aſſertor. Iuſtus præuenire vult accuſatorem cōfeſſione peccati, iniuſtus peccatum ſuum occultare deſiderat. Ille in principio ſermonis occurrit vt prodat errorem,iſte multiloquio ſermonis ſui ſomnum excuſationis inuoluit,ne prodat errorem.

Prouer. 18

Quid ſignificet illud: Quare obſcripſiſti aduerſum me mala, & apposuiſti mihi adoleſcentiæ peccata, &c. Similiter & illud: Mortalis filius mulieris, breuis vitæ eſt, &c. Præterea etiam iſtud: Cùm autem dormierit homo non reſurget, vſque dum cœlum aſſuatur.

Caput VII.

ITerum adiiciēs dicit: Quare obſcripſiſti aduerſum me mala, & appoſuiſti mihi adoleſcentiæ peccata?) Pulchrè id ætatis arripuit ad querelā, quæ magis ad vitiū lubrica eſſe cōſueuit. Habet enim pueritia innocentiā, ſenectus prudentiam, ipſa vicina adoleſcentiæ inuētus bonæ exiſtimationis intuitum, & verecūdiam delinquendi. Adoleſcentia ſola eſt inualida viribus, infirma conſiliis, vitio calēs, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa deliciis. In tanto igitur confragoſo & ſcopuloſo mundi huius turbine cur tam crebra naufragia improuidæ adſcribūtur ætati? Vnde præclarè Dauid totius tēporis eius veniam ſibi à domino poſtulauit dicens: Delicta iuuentutis meæ & ignorantiæ ne memineris domine: quia tunc maximè calor corporis feruet, & æſtu ſanguinis vaporantis igneſcit. Sed iterum ipſum audiamus. Mortalis, inquit, filius mulieris breuis vitæ eſt, & plenus iracundię, qui ſicut flos floruit, & cecidit. Diſcedit autē vt vmbra, & non reſiſtit. Nónne & ab hoc ratio quæritur? Et hunc feciſti intrare in iudicium ſub conſpectu tuo. Quis autē mundus eſt à ſorde? Sed nemo, etiam ſi vnius diei ſit vita eius ſuper terrā. Verè miſerabilis conditio, vt peccati ſui, q̄ vitare non poſſit, rationem præſtare cogatur, iudicium intrare, in conſpectū ſubite domini omnipotentis cōpellatur edere cauſas geſtorum ſuorū, quæ tot vitæ ſuę ætatibus percurrerit, cùm mūdus à peccato quiuis eſſe non poſſit, vt ab ipſis cunabulis prius obrepat infantię culpa, quàm ſit vllus ſenſus erroris. Quánque illud miſerabile, vt breuis ſit vita eius, dulcis illecebra, multiplex ærumna, iracundia quotidiana. Itaque in exigua delectatione amoritudo perpetua eſt. Eſt, inquit, arbori ſpes. Si enim fuerit exciſa, virideſcit: & ſi in terra mortuus ramus eius fuerit, ab odore aquæ florebit, faciet autē meſſem ſicut nouella. Vir autem defunctus abiit, cadēs autē mortalis homo nō vltra eſt: Tempore autē fluctuat mare. Spectauimus ꝓphetici ſermonis ſeriē ex duobus inferioribus elementis terra ac mari, quæ omni iniuriæ crebríſque tēpeſtatibus ſub iacent, quàm validum argumentum noſtræ expræſſit ærumnæ. Terrena, inquit, virgulta, nemoroſaque arborum etiam cùm fuerint mortua, in vſus vitales reſurgūt. Mare quoque ipſum temporum vicibus ſolet fluctuare. At verò caro noſtra ſemper exæſtuat, ſibíque ipſa tempeſtas eſt, nec vnquā à motibus procellarum miſerandíſque naufragiis feriatur. Cùm autem dormierit homo, non reſurget vſque dum cœlum aſſuatur. Quod videtur declarare, donec cœlum mouetur. Erit nouum cœlum, & terra noua, ſicut ſcriptum eſt: Quod enim aſſuitur, vetus eſt: quòd vetus, mutabitur. Denique audi Dauid dicentem: Initio terram tu fundaſti domine, & opera manuū tuarum ſunt cœli. Ipſi peribūt: tu autē permanes: ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut operторium mutabis eos & mutabuntur. Poſſumus etiā illud attexere, quoniam quod vetus eſt aſſuitur, quod nouum cogitur. A diebus autem Ioannis baptiſtæ regnum cœlorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Aſſuebat ergo illud ſynagoga in paucis, eccleſia cogit in multis. Vel quia nunc cœlum aſſui videtur nebulis & caligine, noctúrniſq; tenebris, & croceo diei ſurgentis rubore diuerſa & diſcolori ſpecie ſæpe contexitur. Tunc autem nox non erit amplius, & non indigebunt luce lucernæ, & lumine ſolis, quia dominus illuminabit ſuper eos: ſicut dicit Ioannes. Vel quia væ iis qui aſſuunt ceruicalia ad euertendas animas populi. Deploranti prophetæ miſeriam noſtræ fragilitatis, quę & in hac vita requiem non haberet, & vniuerſa ſubito incurſu mortis amitteret, ſpiritus ſanctus infudit tam diu non reſurrecturos hominēs, donec veniret qui non aſſueret vetera nouis, nec veſtimentum nouum committeret in veſtimentum vetus, ſed omnia faceret noua, ſicut ipſe dixit: Ecce faciam noua. Ipſe eſt enim reſurrectio, primogenitus ex mortuis, in quo omnes quidem prærogatiuā futuræ reſurrectionis accepimus, ſolus tamen adhuc reſurrectione perpetua reſurrexit.

Iob 18.

Apoc. 21.

De intelligentia illius: Vtinam in inferno conſeruares, abſconderes autem me, donec deſinat ira tua, & cætera.

Caput VIII.

AVdito igitur quid locutus eſſet in eo deus, & cognito per ſpiritum ſanctū quod filius dei non ſolum veniret in terras, ſed etiam deſcēſurus eſſet ad inferos vt mortuos reſuſcitaret, (quod tunc quidem factum eſt ad teſtimonium † præſentium, & exemplum futurorum) cōuerſus ad dominum ait: Vtinam in inferno conſeruares, abſcōderes autem me donec deſinat ira tua, & ſtatuas mihi tempus in quo memoriam mei facias. Si enim mortuus fuerit homo, viuet, conſummans dies vitæ ipſius. ſuſtinebo donec iterum fiam, donec vocabis me, ego autē te obaudiam, opera verò manuum tuarū ne deſpicias. Numeraſti autem meas adinuentiones, nec præteribit te quicquam ex peccatis meis. Signaſti autem iniquitates meas in ſacculo, & notaſti ſi quid inſcius præteriui.) Quàm ſuauis locus, qui nos de reſurrectione cōfirmat, & quàm videtur voci dominicæ conuenire, quæ in euangelio legitur, vbi ait: Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos: & collibus operite nos. Erit enim in conſummatione ſeculi ira domini. Rectè ergo ſanctus in iudicium mauult reſurgere, quàm in tempus diuinæ iracundiæ, quæ terribilis etiam innocentibus eſt. Simul etiam illud prophetare intelligitur dicēdo: Statuas mihi tempus in quo memoriam mei facias. quod in paſſione domini reſuſcitandus foret, ſicut in fine huius libri teſtatur: nec tamen deplorare deſinit: & quo magis intelligit ſibi reſurrectionem eſſe propſitam, vitam hanc fugere deſiderat, videns ſe in manus traditum aduerſariorum, proiectum ſe in poteſtate impiorum, cui etiam amici in inimicos conuerſi ſunt, qui cùm debuerint conſolari, ruinam ſuper ruinam inferant: memor tamen conſcientiæ ſuæ puræ, & mundæ orationis, ait: Terra non cooperias in ſanguine carnes meas. vt oratio eius ſicut incenſum dirigatur ad dominum, non in terra diuerſetur. ſancti enim oratio nubes penetrat: peccatoris orationem, ſicut à deo Cain dictum eſt parricidæ, aperiens os ſuum terra in ſanguine carnis abſcondit. Maledictus, inquit, à terra, quæ aperuit os ſuum accipere ſanguinem fratris tui de manu tua, quoniam operaberis terram.

Pſal. 24.

Iob 14.

Luca 23.

Iob 16.

Gen. 4.

De reprehenſione eorum qui curioſius inquirunt ſecreta altitudinis ſapientiæ dei. Quánque beatus ſit ille qui ſapientiam inuenerit. Et quæ ſit vera ſapientia. Caput IX.

ELebiliter igitur ſanctus deplorat vitæ iſtius tēpora. Pereo, inquit, & ſpiritu circūferor: oro autem ſepulturam, & nō impetro, precor laborās. Et quid faciam? Dies mei trāſierunt in honore, dirupti ſunt articuli mei.) Nec tamen derogat iudicio dei. Scit enim profundam eſſe altitudinem ſapientiæ & ſcientię dei, & inſcrutabilia iudicia eius, atque inueſtigabiles vias eius. Non calcauerunt, inquit, eas filij glorificantiū, nec trāſiuit per eas leo. Quis enim potuit vias eius comprehendere, quę abdicta occulta penetrant. Vnde, inquit, inuēta eſt ſapientia, aut quis locus diſciplinæ? Neſcit mortalis homo viam eius, nec inuenta eſt in hominibus. Abyſſus dixit, non eſt in me. & mare dixit, nō eſt mecū. Nō tibi licet ſcire ô homo alta ſapientiæ: ideo tibi ſcriptum eſt: Noli altum ſapere, ſed time. Quid curioſè quæris inueſtigare quod tibi non expedit ſcire, nec cognoſcere datur? Paulus audiuit arcana ſecreta ſapientiæ, quæ prohibitus eſt aliis intimare, & ideo raptus eſt in paradiſum, raptus vſque ad tertium cœlū, vt audiret ea quæ in terris audire non poterat. Si quæ audiuit homo, non licuit ei loqui, quēadmodum quod non audiuit inquirit? Imperatoris huius in terris nō licet tibi ſcire conſilia,

Iob 17.

Ibidem.

Roma. 11.

2 Cor. 12.

1165

consilia,& vis scire diuina?Nō licet tibi curiosius inuestiga-
re quæ in terris geruntur, & curiosius requiris quid supra
cœlum agatur? Cur tu disputas vnde nata sit sapientia? Ne-
scit homo viam eius,nec in hominibus inuenta est perfecta
sapiētia. Non in Moyse,nō in Aaron, nō in Iesu Naue fuit,
nō in ipso Dauid qui ait:Incerta & occulta sapiētiæ tuæ ma
nifestasti mihi.quia ipse dixit in posterioribus: Velut iumē
tū factus sum apud te. Supra te est scire ô homo altitudinem
sapientiæ,satis est tibi vt credas. Si enim nō credideritis,in-
quit,nec intelligetis. Abyssum scire nō potes, abyssum non
potes cōprehendere,quomodo altitudinem sapientiæ com
prehendes? Abyssus dixit,non est in me.& tu potes dicere
quia in te est sapientia? Abyssus ergo dixit, non est in me,
quia ipse dominus dixit:Non derelinques animam meā in
inferno. Et Apostolus dixit: Qui descendit in abyssum, hoc
est Christū ex mortuis deducere. Ergo si interrogatur abys
sus,vbi est sapientia?respondet:Non est mecum,quia surre-
xit. Si interrogatur mare,vbi est sapiētia?dicit, mecum non
est,quia calcauit me,nec fluctus mei eā turbare potuerunt.
Et tu ergo in hoc seculi istius positus freto noli perfectā il-
lā dei sapientiam in hoc mundo quærere:quia mundus eam
nō cognouit. Sed si vis eā inuenire,calca fluctus huius mun
di,sicut calcauit Petrus,& ambula super aquas huius seculi,
& porriget tibi dexteram sapientia,sicut porrexit & Petro:
quia nemo fuit quē non seculi huius vnda turbauerit. Tur-
bauit & Abraham,turbauit & Moysen,turbauit & Petrum.
Moyses per mare trāsiuit,& per mare peditum duxit exer-
citum, sed ante ipse turbatus est. Petrus super aquas calca-
uit,sed mersus fuerat corpore,quia infirmioris fidei vestigio
claudicauit. Ergo noli sapientiam in mari quærere,quia non
dixit cum mari se futurum dominus Iesus,sed cum discipu-
lis suis,vt aliqua ex parte eum cognoscerent,quibus ait:Ec-
ce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.
Beati cum quibus est,vtinam & nobiscū sit. Sed nobiscum
mare est,Petrus cū Christo,quia & ipse calcauit mare. No-
bis aurum cordi atque argentum est,sapientia autem supra
aurum,nō in auro est. Ideo qui sapiētiam habere cupiebat,
Argentum ait & aurum nō habeo,sed quod habeo,do tibi,
in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Quia au
rum non habebat,in nomine Christi habebat piæ operatio
nis gratiam. Ideo & tibi dicitur:Attrahe sapientiam in inte-
riora. Latuit,inquit,omnem hominem,& à volatilibus cœ-
li abscondita erat. Nec homines sciebant vbi erat,nec ange-
li,quia ipsi sunt aues cœli,de quibus dictum est. Et vidi an-
gelum volantem per cœlum. Nemo potuit noscere sapien-
tiā,quia nemo nouit filiū nisi pater, & nemo nouit patrem
nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Ipse ergo reuelauit
Ioanni cum quo esset sapientia:& ideo dixit ille,non quod
suum erat, sed quod sapientia infudit ei: In principio erat
verbum,& verbum erat apud deum. Nescit sapientiam in-
teritus,nescit malitia. Interitus enim tenere eū non potuit,
qui dixit: Vbi est mors victoria tua?vbi mors aculeus tuus?
Nescit etiam malitia,quia dixit,Quærēt me mali,& nō in-
uenient. Possunt dicere:Audiuimus gloriam eius. Solus est
deus qui nouit eam,quia deus,inquit,bene constituit viā e-
ius. Ipse enim nouit locū eius,quod sit receptaculū sapiētiæ.
Audi discipulum eius dicentem: Vnigenitus filius qui est in
sinu patris,ipse enarrauit. Agnouit enim patrem filius, quia
ipse ait:Sicut agnouit me pater,& ego agnosco patrem. Ae-
qua mensura est cognitionis,vbi vnitas potestatis est. Pater
ergo qui omnia nouit, vētorum libram,aquarū mensuram,
ipse vidit sapientiam,& enarrauit eam per prophetas suos,
quia pater enarrauit sapientiam,& inuestigauit eam,sicut &
filius patrem enarrauit,quem nihil præterit, & dixit:O ho-
mo,quid vis profunda scire sapientiæ quæ supra te sunt? Ti-
mere deum sapientia est,abstinere à malo disciplina est.

CAPITA LIBRI SECVNDI DE interpellatione.

Quòd plerique etiam prudentes moueantur cùm viderint iniustos affluere rebus secundis, iustos autem frequenter in hoc seculo affligi. Caput I.

Quomodo sanctus Iob in aduersis fortior factus sit:Et tacē do irridendóque suos conuitiatores redarguerit, ostendens quòd à domino deo sua tentatio venerit. Cap. II.

Quantum bonum sit taciturnitas,& quòd multi per sermonem decepti sint. Quàm pulchrum etiam sit ridere cū nobis maledicitur,ex eò quòd iniuriarū cumulus bonæ conscientiæ non præiudicet. Cap. III.

Qua ratione si propter peccata hominibus eueniant mala, impij tanta bonorum copia abundent. Cap. IIII.

Quòd orandum potius nobis hic sit subire laborem, quàm rerum temporalium abundantia affluere, propter diuersum & contrarium vtriusque finem, eo quòd sic vera sapientia inueniatur. Caput V.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, DE INterpellatione Liber secundus.

Quòd plerique etiam prudentes moueantur cum viderint iniustos affluere rebus secundis, iustos autem frequenter in hoc seculo affligi. Caput I.

SVperior nobis disputatio fuit de interpellatione sanctorū quod fragilis & imbecilla conditio sit humana, quæ nusquā sui habeat firmitatē, nisi in protectiōe cœlesti: Nobis hodie sumēda est, qua vulgus hominū, pleriq; etiam prudentiū valde mouētur cùm vidēt iniustos affluere rebus secūdis, iustos aūt frequēter affligi in hoc seculo. Et verè lubricus hic locus, in quo etiam sancti vix potuerunt veræ opinionis tenere vestigiū. Deniq; turbatus est & ipse Dauid, qui in superioribus dixerat. Occulta sapiētiæ tuæ manifestasti mihi. Veruntamen cōfirmauit se ipse postea,& perfectę rationis viā inuestigauit. Iob quoque sanctus cum tribus illis veteribus amicis qui ad consolandum venerant, de ea opinione in sermone luctatus est. Vtriusque igitur disputationes in medium proferamus. Digni enim sunt qui nobis magisterium viuendi afferant, quandoquidem in aduersis positi plus deo placere meruerūt. Audiamus igitur vtrunque suo ordine. Increpauerant vehementer sanctum Iob Eliphaz Themaneorum rex , & Baldach Suitheorum tyrannus,& Sophar Naamatenorum rex, eo quòd propter peccata sua tantum supplicij sustineret. Infirmo etenim ingenio non aduertebāt quod dominus eum tentandū dedisset, vt athleta Christi tētationibus eruditus, ad maioris gloriæ coronam perueniret. Non videntes itaque tantū sapientiæ sacramentum, angusti cordis timore, ne viderētur iniustitiæ deum arguere, qui pœnis affici innoxium perpeterentur, in sanctum Iob pœnarum merita retorquebant dicentes, quia omnis vita impij in solicitudine, & diuitiæ iniustè congregatæ euomētur: omnia quæ patitur homo grauia in terra, propter peccata sua eum perpeti. Qui etiā si in rebus prosperis sit, perpetuari ei secunda non posse, & tanquam somnium citò euanescere, vt non inueniatur locus eius: lætitiam autem impiorum esse grauiorem ruinam. Ideoque etiam sanctum Iob à prosperis in aduersa mutatum, & delectorum suorum precio ex summis in vltima corruisse: labi eum qui se assereret innocentem, cū portio impij huiusmodi sit, vt superueniens in eum à domino indignatio iungat ei dolores, & interitus domum eius inuoluat.

Quomodo sanctus Iob in aduersis fortior factus sit:& tacendo irridendóque suos conuitiatores redarguerit, ostēdens quòd à domino deo sua tentatio venerit. Cap. II.

AVdiebat hæc sanctus Iob, & quasi athleta fortis in stercore sedens, in tātis vibicibus & sæui doloribus vulneris, totum corpus diris perfusus vlceribus, mysteria loquebatur: nec acquirendis propriæ remediis ægritudinis, sed sacris vacabat sermonibus. Fortiores itaq; sermones ægri hominis quàm illorū qui non ęgrotabant. Illi enim loquebantur iustitias, sed non secundum scientiam: prædicabant diuina iudicia, pœnas reorum

rum præmia ſanctorum,ſed reum à iuſto diſcernere neſciebant. Quem enim dominus iuſtum pronunciauit,eum condemnabant iniuſtitiæ, accerſibant iniquitatis. Ignorabãt ergo quid vnicuique conueniret. At vir ſanctus Iob diſcernebat ſpiritu quomodo vnicuique oporteret loqui. Fortior quàm qui ſani & incolumes videbantur. Et quid dicam fortiorem inuentum ceteris? Fortior æger quàm cùm ſanus eſſet,ſeipſo inuentus eſt. Fortior enim æger Iob quàm cùm
2. Corin. 12. ſanus fuerat,ſecundum quod ſcriptum eſt: Virtus in infirmitate conſummatur. Ergo & Iob cùm infirmaretur, tunc validior erat. Non enim ægrotabat animo, etſi doleret corpore: quia non erat in carne eius anima, cuius paſſionibus non adhærebat: ſed in ſpiritu, cuius virtute ſe texerat. Ideo ergo non carnis gemitus & corporis infirmitates, ſed voces ſpiritus loquebatur, quibus vrgeret, nõ quibus cederet. Et primo quidem lenius, vt illis pudorẽ incuteret, quia vrgebant iuſtum iniuſtè, dicentes quòd minora peccatis ſuis ſupplicia ſuſtineret: & non erubeſcebant ipſi peccatores falſis accuſare innocẽtẽ. Eſto, inquit, ego errauerim, & apud me deuius
B ille inhabitet, qui mentibus hominum offundit errores, vt loquar ſermones quos non oportet, ſicut vos dicitis, & errent verba mea, nec opportunè ſermo meus promatur, cur vos in me inſilitis & conuitiamini, non conſiderantes quia à domino mihi venit iſta tentatio, qui me vallo quodã perturbationum arbitratus eſt ſepiendum? Excerceor aduerſis circumuallatus vndique laboribus & periculis, & inſultatis adhuc volentes opprimere quem deberetis iuuare? Ecce
Iob 19. rideo in opprobriis, & non loquar, ne reſpondebo conuitiis veſtris. Nõ enim vos eſtis qui iudicatis, ſed qui iudicat me, dominus eſt, & ipſius tamem iudicij tempus nondum aduenit. Quid opus clamare ante iudicium? Bonum eſt tacere dũ
1. Corin. 4. expectatur qui iudicat. Bonum eſt conuitium conuitio non referre, ne & nos inter detrahẽtes annumeremur. Imitemur ergo hunc virum, qui ſilentio ſuo redarguebat cõuitiantes. Oſtendebat enim virtutem animi ſui, quem contumeliæ nõ mouerent: & cõſcientiæ innocentiam manifeſtabat, qui obiecta non recognoſceret, ſed quaſi aliena rideret. At verò ſi
C nobis aliquid obiiciatur: dum nos purgare volumus, acerbamus: dum vlciſci cupimus, confitemur. cùm dicat ſcriptura vt auertas dedecoris ſermonem, & auferas veſtimentum tuum: Præterit enim iniurioſus. Taceamus ergo, vt præte-
Eccli. 8. reat, ne veſtimẽtum noſtrum prouocatus exurat. Scriptum eſt enim: Noli incendere carbones peccatoris, ne fortè exuraris in igne flammæ eius. Propterea ergo ſanctus tacet: & ſi ſeruus proteruit, & ſi pauper conuitiatur, tacet iuſtus: & ſi peccator opprobria iacit, iuſtus ridet: & ſi infirmus maledicit, iuſtus benedicit. Tacebat Dauid cum Gera filius Semei
2. Reg. 19. Iob 19. maleddiceret, Iob ridebat, Paulus benedicebat, ſicut ipſe ait:
1. Corin. 4. Maledicimur, & benedicimus. Magiſterio quippe diuino proceſſus humanæ virtutis excreuit, quia iã venerat qui ex
Matth. 5. infirmis faceret fortiores, & audierat dicentem: Benedicite maledicẽtes vobis, & orate pro columniantibus vos. Quod verbo dixit, exemplo probauit. Denique & in cruce poſitus
Lucæ 23. de perſecutoribus ſuis conuitiantibus ſibi ait: Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt. vt oraret pro calumniantibus, quibus poterat ipſe dimittere. Iob ergo ridebat, quia
D nondum venerat Chriſtus, cui ſoli ſeruabatur magnarum prærogatiua virtutum, quia ipſe eſt virtutum principium, ſicut dixit: Dominus creauit me principiũ viarum ſuarum.

Quantum bonum ſit taciturnitas, & quòd multi per ſermonem decepti ſint. Quàm pulchrum etiam ſit ridere cum nobis maledicitur, ex eo quod iniuriarum cumulus bonæ conſcientiæ non præiudicet. Caput III.

ET ridens tacebat. Qua ratione tacendum ſit, docet: Clamabo, & nõdum iudicium. Ipſe, inquit, voluit hæc me perpeti. Tanquã muralibus tentationis clauſus non poſſum fugere, donec placeat deo deſtruere altitudines tentationum mearum. Nunc enim ſic clamo, nondũ iudiciũ. Adhuc in agone ſum, adhuc luctor, adhuc certamẽ ſupereſt mihi. Nondum enim exiuit
2. Timo. 2. corona. Nemo autẽ niſi qui legitimè certauerit coronatur. Debebatur illi certamen tertium, amiſerat omnia ſua, id eſt, patrimonium cum filiis. Patiebatur vulnera caro eius, ma-

A nebat vt tẽtationes verborum vinceret. Non mediocre certamẽ. Sermone deceptus eſt Adam, verbo victus Sampſon. Nihil enim ſic penetrat animam ſicut ſermo fucatus: nihil iterum ſic mordet, vt durior ſermo. Multi cùm vicerint adhibita tormenta, ſermonum duritiam non ſuſtinuerunt. Laborabat Iob, ſed ſuſtinebat, & verborum ictus iuxta vulne-
& turbine manum laboranti dedit, & obluctantes graui lap ſu cecidiſſe pronunciauit, victorem aſſeruit, coronam detulit. Quid autẽ pulchrius, quàm ridere cùm maledicitur nobis? Gaudere enim debemus ſi aliena dicantur. Primum qui-
dem, quia volẽs inimicus aliquid dicere aduerſum nos quo crimen affligeret, non inuenit quod verum eſt, ſed falſa pro veris compoſuit. Deinde quia dixit ipſe dominus in euange lio de huiuſmodi criminatione quæ innocentibus falſo irro
Matth. garetur propter iuſtitiam: Gaudete & exultate, quoniã mercces veſtra multa eſt in cœlo. Tacere ergo debet qui recognoſcit obiectum, ne vulnus exaſperet, & ſcindatur cicatrix.
B Tacere & qui non recognoſcit: audit enim alterius, non ſuũ crimen. Quod ſi referat: ſuum facit: ſi tacet, retorquet, & conuitiantem vulnerat. Tacere debet etiam ille qui de memorata mercede præſumit. Non enim patitur præiudicium, cui non eſt iudicium. Et ſi fuerit præiudicium in ſeculo, nõ erit in iudicio dei. Deinde vt cognoſcas quia non præiudicat contumelia bonæ conſcientiæ, audi ſanctum Iob dicentem, locupletiorem vtique teſtẽ quàm ſi imperio vrbis Romanæ potitus eſſet. Nunc obmuteſcam & derelinquam: ſi
nunc mihi præiudicium eſt, tunc à facie tua non abſcondar. Hæc ergo parcius in exordio reſpondit, vt admoneret illos
C iudicij dei, atque ab inſolẽtia & furore reuocatos quaſi bonus medicus faceret reſipiſcere. Sed poſtea quàm eos aduertit perſeuerare in contumeliis, plura fortiora repetiuit, & tanquam pugno eos validiore percuſſit, qui verborum ſuorum ſaxis lapidabant innoxium. Audite, inquit, audite ver- Iob 12.
ba mea, non ſit mihi à vobis conſolationem quærere. portate me, quia fortiora loquar, graue erit pondus verborum meorum. Dicam & ego ſecundum opinionem veſtram, cò quòd multi abundant in hoc ſeculo rerum ſecundarum ſuc ceſſibus, & alij grauantur ære. In ærumna poſiti ſunt, & videtur hoc ſeculum peccatorum merito deſeri. Quod & ſi dicam, nolite ridere quaſi vobis acquieuero: & ſi peccator ſum, non ſum homini reus, quia ſub peccato & eſt ipſe qui iudicat, & ſibi in me poteſtatẽ vindicat. Aut ſi iudicor quaſi homo, commune eſt iſtud, increpari non debeo. Infirmitas conditionis eſt, non ſpecialis improbitas.

Qua ratione ſi propter peccata hominibus eueniant mala, impij tanta bonorum copia abundent. Cap. IIII.

SEd dicite mihi: Si propter peccatum meum hoc patior, ſicut obiicitis, quare impij viuũt? Nec ſolum viuũt, ſed etiam repleti ſunt diuitiis, & fructus multiplicant, ſed etiã filiis potiuntur, abundant domus eorum? Hæc euidenter ſpecie bona, ſed altiori myſterio inuenies quoniã quę putantur bona, non ſunt bona: & quæ putãtur mala, potiora illis æſtimãtur. Inueteraue runt in diuitiis, ἐπαλαιώθησαν dixit, vt non tã diuturna di-
D uitiarum poſſeſſio, quàm inueterata copiarum moleſtia ſignificata videatur, ſicut vidit Eccleſiaſtes diuitias cuſtoditi in malum poſſidẽti eas, quæ pereunt in ſumma diſtrictione ac ſolicitudine. Pereunt enim quæ hic relinquũtur & mortuo prodeſſe non poſſunt. Habuit igitur defunctus ex illis ſolicitudinẽ, requiem inuenire nõ potuit, qui reliquit quod erubeſceret, nec ſecum abſtulit quod teneret, longè diſpar- Pſal. 48.
ab eo de quo ſcriptum eſt: Beatus homo qui repleuit deſiderium ex his, non cõfundetur cũ loquetur inimicis ſuis in porta. Cui hæreditas dominus eſt, & merces ex Mariæ virginis partu: hic in exitu ſapientiæ laudibus prędicatur, quoniã non habuit quod erubeſceret, qui nihil eorum quæ ſunt ſeculi concupiuit, ſed aduerſarium depoſitis veteris homi-
nis exuuiis, telo continentiæ vulnerauit, vt obſtrepere ei in huius vitæ fine non poſſet vulnere claudus, & virtutum admiratione confuſus. Habes ergo non eſſe laudabilem qui inueteratus in pecuniæ cupiditatibus ſit, non renouatus in perceptione gratiæ. Videamus aliud. Semen eorum, inquit, ſecun-

1169

ſecundũ animam:id eſt,non inter iuſtos habetur.Iuſti enim in ſpiritu ſeminant,& de ſpiritu metent vitam eternam. Illi verò qui ſecundum animam ſeminãt,ſpiritalia metere non poſſunt,quia animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus dei,ſtultitia enim illi eſt:& nõ poteſt ſcire quæ ſunt ſpiritus: & ideo nõ repletur ſpiritalibus,ſed iudicatur.Filij eorum in oculis.id eſt,quæ faciunt, ideo faciunt vt videantur ab hominibus,non quia boni conſulant vt hoc eligãt quod futuro iudicio comprobetur.Filios ergo ſcriptura pro operibus frequenter declarat,eò quòd locupletior in bonis factis quàm in filiis ſit noſtra poſteritas.Vnde & Ezechias de graui ægritudine liberatus, ex hodierno, inquit, filios faciã qui nunciabunt iuſtitiam tuam domine deus ſalutis meę,& non ceſſabo te benedicens cum pſalterio omnes dies vitæ meæ.Bona enim poſteritas deuotionis & fidei,quę captiuitati neſciunt ſuccumbere,quam filij Ezechiæ pertulerũt.Et addidit dicens:Quia non eſt illis timor,non eſt flagellum à domino.Iuſtus aũt dicit, Quoniã flagellatus ſum tota die. & optat flagellari, vt recipiatur à domino:& vult timere dominum,quia timor domini initium ſapientiæ eſt. Nec beatitudinem putat ſi non abortit bucula ſua,ſicut putãt ſtulti. Per bouẽ enim quid ſignificatur niſi ruralis culturæ labor? qui ſemper redit in orbem, & nũquam deſinit:ſed cùm expleri videtur,reuocatur in exordiũ. Iſti ſunt qui colunt Sodomam & Gomorram. Ergo qui colũt Aegyptum, glebaſque terrarum aratro quodam mẽtis ſolidæ inuertunt,laborem ſibi pariunt,& dolorem metunt.Ideo bucula eorũ non abortit,ſed parit,vt augeatur labor eorum, & quæ cõceperunt,omnia generant ſine timore dei.Iuſti autem longè aliter gloriantur.Non enim in abundantia diuitiarum, nec in partu pecorum,ſed in domino gloriantur,dicẽtes:De timore tuo in vtero accepimus,& parturiuimus ſpiritum ſalutis. De iuſtis ergo dicitur , quia ſpiritum ſalutis generauerunt, quem acceperunt de timore dei, nõ de malitia huius ſeculi, de qua legimus:Ecce parturiuit iniuſtitiam, concepit dolorem,& peperit iniquitatem.Melior ergo abortus quàm partus ſeculariũ. Denique de homine qui in hoc ſeculo venit, & vanitatem mundi huius & tenebras pertulit longæuitate diuturna,Eccleſiaſtes pronunciauit quia melior illo abortiuus. Huic enim requies magis quàm illi,quia non expertus varietatem ſeculi,in qua etſi mille annos quis vixerit, quod bonũ eſt videre non potuit.Fugiſſe ergo hæc magis eſt gratiæ,quàm ſubiiſſe. Et fortaſſe mouerat illud quod adiunxit: Quia maneãt ſicut ques paternæ*,pueri autem eorũ ludunt accipientes pſalterium & citharam,& delectãtur voce pſalmi:Conſummarunt autem in bonis vitam ſuã,in requie autem inferni dormierunt.Diſtingue hæc,& quia ſpiritalis es, diiudica.Impij autem ſicut æterni ſunt,nõ æterni, quia non poſſunt æternitatem accipere ab eo qui nõ ſit æternus.Non ergo poteſt dare quod nõ habet,nec poteſt illuminare,quia non poſſidet lucem,ſed transfigurat ſe in angelum lucis,vt decipiat incredulos-Transfigurat autem ſe ſimulatione falſæ lucis,non ſplẽdore perpetuæ claritatis. Vnde & ſaluator ait:Videbam ſatanam ſicut fulgur cadentẽ de cœlo.Nec fulgur eſt,ſed ſicut fulgur. Conſidera hæreticum aliquẽ intentum abſtinentiæ corporis,& cognitioni cœleſtiũ ſacramentorum,ſicut æternus putatur,non habet æternæ vitæ ſtipendium,quia falſam habet imitationẽ,qui fidei non habet veritatem. Huius paruuli ludunt:ſicut illa quæ cùm luxuriata fuerit, nubere vult. Luxuriata eſt in pſalterio & cithara,id eſt,in ſono vocis non in ſacramẽtorum profundo, vt labiis reſultaret,non in corde conferret.

Quòd orandum potius nobis hic ſit ſubire laborem,quàm rerum temporalium abundantia affluere,propter diuerſum & contrarum vtriuſque finem,eò quòd ſic vera ſapientia inuenatur.

Cap. V.

HUiuſmodi itaque in bonis ſeculi conſummauerũt vitam ſuam,hanc vtique qua viuebant,non illam cuius mercedem ſperabant,& ideo in requie inferni dormierunt,non in requie cœleſti. Nos aũt oremus hic potius laborem ſubire,vt in regno cœlorũ conſolationem quietis æternæ mereamur adipiſci. Magna enim illecebra delinquendi eſt rerum affluentia ſecundarum. In ſuperbiam enim extollit , obliuionem authoris infundit. Conſidera illum diuitem in euangelio ſuper oſtrum & purpuram recumbentem,cuius de menſa micas iuſtus ille pauper Lazarus colligebat. Nónne tibi videtur dives ille ad deum dicere: Diſcede à me,vias tuas ſcire nolo? Et verè ſcire noluit huiuſmodi vias domini.Si enim veller,cognoſceret.Sed quia plenæ ſunt laboris fugiunt, & declinant à perditis.Quaſi ebrius itaque nõ recognoſcit ſalutis authorem, Deinde conuerſus ad compotores ſuos : Manducemus,inquit,& bibamus,quid prodeſt ſi ſeruiamus ei?aut quæ vtilitas ſi obſeruemus eum? Hæc itaque dicit ſecularium abundantia rerum temulentus,quia non continuo in ſeculo ſcelerũ merita rependuntur.Supinabatur enim, quia in manibus ei ad voluptatem omnia ſuppetebant,& conſcius impietatis ſuæ,cuius pœna ſequeſtrabatur,putabat quòd deus impiorũ ſcelera nõ videret.Huic ergo opinioni eius reſpondet ſanctus Iob:Noli eſſe ſecurus ac diſſolutus, æſtimans quòd ad te in hoc ſeculo domini flagella non veniãt.Etiam lucerna impiorũ extinguitur,ad tempus lucet, non habet lucem æternam.Et ipſis quãuis ſeculum faueat, quia eius qui principatum habet in hoc ſeculo,faciunt voluntatem, ſolet venire rerum conuerſio,& dolores ab ira & indignatione cœleſti, vt ventilentur ſicut paleæ à vento. Iniuſti ſicut paleæ ventilantur,iuſti ſicut triticum. Denique audi dicẽtem Petro dominum : Ecce ſatanas expetiuit vos vt ventilet ſicut triticum,ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Deficiunt illi qui ſicut paleæ ventilantur, non deficit qui ad ſimilitudinem illius grani eſt quod cecidit,& reſurrexit plurimorum fructuum acceſſione cumulatum. Ideo dicit propheta:Heu me,quia factus ſum ſicut qui colligit ſtipulam in meſſe. Stipulæ igitur quæ citò exuritur, impietas comparatur & puluери.Ideo poſtquã dixit,Erunt ſicut paleæ à vento, ſubtexuit verſiculus ſtatim dicens, Aut ſicut puluis quem abſtulit vẽtus.Denique vt cognoſcas quia impius ſicut puluis citò fatiſcit atq; euaneſcit,habes in primo pſalmo dictũ: Non ſic impij non ſic,ſed tanquam puluis quẽ proiicit ventus à facie terræ.Et facit diſcretiones inter iuſtũ & impium. Hic inquit,moritur in ſimplicitatis ſuę potẽtia,totus in abũdantia & gratia,interiora autem eius plena ſunt adipe.Medulla aurem eorum ſuperfluit,ille autem cõficit in amaritudine animæ ſuæ curſum vitæ iſtius, nihílque boni epulatus finem accepit.cui pro meritis ſuis quid poteſt dignũ repræſentari?In ſepulchra inducitur,& in tumulo vigilat ſuo. Ne hæc quidem pœna mediocris,mortis requiem non habere, deferri eum non ad terram viuentium,ſed ad tumulos mortuorum. Qui viuit enim, non inter mortuos quæritur,ſed in Abrahæ ſinu vitam carpit æternã.Ideo viri illi duo in veſte fulgenti dicebant ad mulieres:Quid quæritis viuentem cum mortuis?Non eſt hîc.Deinde enumerat ſcelera impiorum,quod confinia tranſcenderint & cum paſtore diripuerint gregem:ſubiũctorium pupilli abduxerunt, pigneraverunt bouem, viduæ agrum demeſſuerunt non ſuum,infirmi autem in vineis eorum ſine mercede & cibo operati ſunt. Detractis veſtimentis nudos fecerũt dormire. Pleriq; quorum animæ operimentum ademerint, ſtillicidiis humeſcebant montium,& quia tegumentum deerat,petra ſeſe operiebant. Rapiebantur pupilli ab vberibus matrum ſuarum, lapſi opprimebantur qui magis erigi debuiſſent.Eſurientes fraudabantur cibo,& anima infantulorum grauiter ingemiſcebat. Nunquid hæc ignorare potuit quem nihil præterit? Nuda inferna in conſpectu eius,& non eſt amictus nequiſſimis,quia latere non poſſunt. Extẽdit Boream pro nihilo, ſuſpẽdit terram in nihilo,alligans aquam in nubibus ſuis,& non eſt rupta nubes ſub pedibus eius. Columnæ cœli diſſiluerunt & timuerunt ab increpatione eius. Virtute compeſcuit mare,diſciplina autem ſtruit cetũ maris. Clauſtra cœli formidant eum,præcepto mortificauit draconem præuaricatorem.Virtutem tonitrui eius quis intelliget? In tantis ergo flagitiis quæ ſpes impio eſt?Nunquid ſi cõfidit in domino,ſaluabitur? Dicam,inquit, vobis quid ſit in manu domini,& deſinite inanibus inania addere.Et deſcribit quàm miſerabilis impiorum portio ſit.Quod & ſi plures habeant filios,ſine poſteritate ſunt. quibus deeſt bonorũ meritorum

ſucceſ-

Lucæ 16.

Prouer.13.

Lucæ 22.

Pſalm.1.

Lucæ 24. Iob 24.

Iob 26.

succeſſio. Illa enim vera poſteritas, quæ non in terris, ſed in cœlo eſt. Huiuſmodi ergo viris hæreditas inopia eſt, & mors ſucceſſio. Cùm diuitias coaceruauerint, mendicabũt: quia cùm mortui fuerint, indigebunt, qui requiem inuenire non poſſunt. Viduas eorum nemo miſerabitur, ſed manebunt deſertæ, atque omnis copulæ ſolatio deſtitutæ. Et ſi congregetur pecunia ſicut terra, atque vt lutum præparatum fuerit aurum, inanis erit ſicut arena † ſubſtãtia eorum, & omne patrimonium eorum tanquam tineis conſummabitur. Dormiens diues nihil adiicier. aperuit oculos ſuos, & iam non eſt, permanet in doloribus. Nihil enim ſunt omnia quæ in hoc mundo ſunt. Aurum in metallis, argentum in metallis. De metallo eruitur, & in metallũ reuertitur. Quid enim aliud niſi metallum eſt mens auari? quæ tanquam defoſſum tenet quicquid receperit, & in venis terræ ac latibulis abſcondit, eò quòd vti neſciat (metallis.) Quotidie aurũ de metallis promitur, de auaro proferre quis potuit? Cùm igitur nihil proſit: vana fames auri, quia qui congregauerit, labitur. Miſerandi profectò qui deſeruerunt viam iuſtam, & obliti ſunt eam, cui precioſi lapides haud quaquam ſunt comparandi: difficilis inueſtigatu, imperuia ſuperbis, intercluſa iactantibus, humilioribus plana, aperta ſapientibus. Et ideo ſapientiam debemus quærere, vt ambulemus in via iuſta, per quam aduerſarius ille ſicut leo rapiens & rugiens qui percurrit hunc mundum, tranſire non potuit. Sed qui ſapientiam vult inueſtigare, non in abyſſo eam quærat ſicut philoſophi, qui arbitrantur quòd ipſi ſua ſponte ſuo ingenio, profunda eius poſſint cognoſcere. Non in mari eam requirat. Etenim vbi tempeſtas, vbi procella venti eſt, non poteſt ibi eſſe ſapientia. Sed ibi quærat vbi eſt tranquillitas mentis, & pax quæ ſuper omnem intellectum eſt.

Iob 17.

† *aranea*

Philip. 4.

CAPITA LIBRI TERTII DE interpellatione.

De tranſitu authoris ad interpellationem ſancti Dauid: qui in pluribus locis pſalmorum de vanitate ſeculi nõ tacuit, & inania eſſe quæ bona in hoc mundo putantur, frequẽter aſſeruit, & maximè in Pſalmis xxxviij. & lxxxxiij.

Qui denique in ſeptuageſimo ſecundo proteſtatur ſe non mediocriter doluiſſe cùm videret peccatores in hoc mundo affluere diuitiis, & abundare rebus ſecundis? ſe autem, qui iuſtificauerit cor ſuum, eſſe in afflictionibus & ærumnis. Caput I.

De ſerie pſalmi, lxxij. & exordio interpellationis propheticæ ducta à primo verſiculo, ſcilicet: Quàm bonus Iſrael deus rectis corde. Et quod nemo poſſit deum bonum fateri niſi qui ex cœleſtium myſteriorum profundo, & diuinæ diſpoſitionis altitudine bonitatem eius cognoſcit. Quódque iuſto ſemper bonus ſit deus, & cùm torquetur doloris corporis, & cùm affligitur acerbitate pœnarum. Caput II.

Quòd quaſi prolapſus fuerit propheta cum videret peccatores in hoc mundo affluere diuitiis & rebus ſecundis, bonos autem eſſe in afflictionibus & ærumnis. Cap. III.

Quòd flagella & caſtigatio in hac vita firmamentum præſtent, non autem poſt mortem proſint. Cap. IIII.

De veſtimẽto iniquitatis, & de operimento ieiunij. Cap. V.

Quid ſit ponere in cœlum os: Et de ſcientia quæ eſt in deo. caput VI.

Quòd poſt flagella & caſtigationem ſequatur prauę opinionis correctio, & quòd bona trãſitoria non ſint præmium virtutis, nec inopia pœna peccati. Cap. VII.

Quid ſit intrare in ſanctuarium dei, & intelligere nouiſſima. Et quod ij qui proficiunt honoribus, & cadunt moribus, deiiciantur cùm alleuantur. Cap. VIII.

Quòd propter iniquitatem ſuam perierint qui terrena concupierunt. Et quod imago ipſorum ad nihilum redigatur, qui vel in ſuperbia euanuerunt, vel in voluptatibus ſuis radicati ſunt. Cap. IX.

Quòd iuſtus qui ab exordio fuit turbatus, delectetur cùm animo conſiderat quòd deus humana curet & reſpiciat: Et quòd homo cõparatione cœleſtium ſit quaſi mutum iumentum. Cap. X.

Quòd qui ad dexteram ſuam deum habet, non commouetur. Cap. XI.

Quòd nullas ſeculi illecebras deſideret aut concupiſcat quę manus domini dirigit. Et quòd deus neminem, repellat, niſi qui ſe ab eius conſpectu ſequeſtrare putat. Quemadmodum etiam qui ſeparatur à deo, pereat. Cap. XII.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, DE INterpellatione Liber tertius.

De tranſitu authoris ad interpellationem ſancti Dauid: qui in pluribus locis pſalmorum de vanitate ſeculi nõ tacuit, & inania eſſe quæ bona in hoc mundo putantur, frequenter aſſeruit, & maximè in pſalmis triceſimo octauo, & nonageſimotertio. Qui denique in ſeptuageſimo ſecundo proteſtatur ſe non mediocriter doluiſſe cùm videret peccatores in hoc mundo affluere diuitiis, & abundare rebus ſecundis: ſe autem, qui iuſtificauerit cor ſuum, eſſe in afflictionibus & ærumnis. Caput I.

DEcurſa eſt interpellatio ſancti Iob, nũc adoriamur eam interpellationẽ quam reperimus in pſalmis. Ipſe quidem Dauid pluribus locis de ſeculi vanitate nõ tacuit, & inania eſſe quæ putabãtur bona huius mundi, frequenter aſſeruit in pſalmo maximè triceſimo octauo, in quo dicit: Verũtamẽ ſi vniuerſa vanitas omnis homo viuẽs. quanquam in imagine dei ambulet homo, tamen vanè conturbatur, theſaurizat, & ignorat cui cõgregabit ea. Et alibi: Vſquequo peccatores domine, vſquequo peccatores gloriabuntur? Quod hic habeant vmbratilem gloriam: vbi de ſeculo exceſſerint, fructum conſolationis inuenire non poſſint. Idem tamen inſeruit pſalmum ſeptuageſimum ſecundum, in quo ipſe ſub Aſaph nomine proteſtatur quòd eius fuerit primo prolapſionis, vt non mediocri dolore perſtrictus ſit cùm videret peccatores in hoc mundo affluere diuitiis, abũdare rebus ſecundis: ſe autem, qui iuſtificauerit cor ſuum, eſſe in afflictionibus & ærumnis. Nec mediocrẽ traxiſſe offenſam in exordio, ſed poſtea per domini flagella cor rectum, & illuminatum diuinæ cognitionis gratia? verę dixiſſe ſeriem traditionis. Nuſquam autẽ inuenio ſanctum Aſaph aliquibus aduerſis fuiſſe vexatũ. At verò ſanctus Dauid plurima grauia & periculorum plena tolerauit. De ſuis enim laboribus dicit. Vnde & pſalmus non quaſi ſancti Aſaph, ſed quaſi ſancto Aſaph, vt docet titulus, ſuperſcribitur, quod ex Græco pſalterio apertius manifeſtatur, vt videatur Dauid etiam huic Aſaph, ſicut & aliis, canendum quem ſcripſerat ipſe pſalmum dediſſe. Sed quia ſcriptum eſt in ipſo titulo, defeciſſe pſalmos Dauid, quomodo autem defecerũt, cùm decurſis his decẽ pſalmis, poſtea pſalmus Dauid titulorum inſcriptionem comprehendit vſque in vltimum finem?

Pſalm. 11.

De ſerie pſalmi lxxy. & exordio interpellationis propheticæ ducta à primo verſiculo, ſcilicet: Quàm bonus Iſrael deus rectis corde. Et quod nemo poſſit deum bonum fateri niſi qui ex cœleſtium myſteriorum profundo, & diuinæ diſpoſitionis altitudine bonitatem eius cognoſcit. Quódque iuſto ſemper bonus ſit deus, & cùm torquetur doloribus corporis, & cùm affligitur acerbitate pœnarum. Caput II.

DEo ſequeſtrata huiuſmodi definitione quæ ſit pſalmi ſeries cõſideremus, & à primo verſiculo interpellationis propheticæ ducamus exordiũ. Quàm bonus Iſrael deus rectis corde. Elucet in principio emẽdationis profectus. Nemo enim poteſt deum bonũ fateri, niſi hic qui nõ ex ſucceſſionibus cõmodorum ſuorum, ſed ex cœleſtium myſteriorum profundo, & diuinæ diſpo-

Pſalm. 72.

1173

næ dispositionis altitudine, bonitatē eius cognoscit, quæ nō specie præsentium, sed futurorum vtilitate pensanda est. Iustoitaque semper bonus est deus, & cùm torquetur doloribus corporis, & cùm affligitur acerbitate pœnarū, semper dicit: Si bona accepim⁹ de manu domini, quæ mala sunt cur non sustineamus? Gratulatur hic se conteri, vt in futurū consolationem inuenire possit, sciens quoniam qui bona recepit in hac vita, habet mercedem suam. futura præmia sperare non poterit, qui non luctatus, non exercitatus sit diuersorum certamine præliorū. Qui verò siue iustè siue iniustè afficitur in hoc seculo, gratulatur vel quòd hic soluat precia delictorum suorum, vel quia nouit eā esse apud deum vberiorem gratiam, si iniustè pro eius nomine, aut pro bono ali quo opere acerba aliqua patiatur, secundum quod scriptum est? Quia nulla est gloria si peccantes punimini & suffertis, sed si benefacientes, & patientes: hæc est gratia apud deum. In hoc enim vocati estis, quia Christus pro nobis mortuus est, relinquens vobis exemplum vt sequamini vestigia eius, qui peccatum nō fecit, nec inuētus est dolus in ore eius: qui cùm malediceretur, non maledixit: cùm pateretur, nō comminabatur. Ergo iustus etiā si in equuleo sit, semper iustus est, quia iustificat deū, & minora se peccatis suis dicit sustinere. Semper sapiens est. non enim auferetur eculei tormētis, vera & perfecta sapientia. Non amittit quod est, quia timorem excludit foras studio & proposito charitatis: nouit vt sapiens dicere, quia indigna sunt equæ in hoc corpore sustinemus, remuneratione futuræ gloriæ. Et omnes huius tēporis passiones superuēturam mercedem æquare non possunt. Bonus igitur huic semper est deus, qui nouit quo tempore metat. Et ideo quasi bonus agricola hic arat agrū suum quodam rigidioris abstinentiæ vomere, hic extirpat quadam falce virtutum amputatrice vitiorum, hic stercorat humiliando se vsque ad terram, sciens quia deus de terra suscitat inopem, & de stercore erigit pauperē. Deniq; apostolus Paulus nisi ęstimatus esset vt stercora, nunquā Christum potuisset sibi acquirere. Hic custodit fructus suos, vt illic securius recondat. Sēper itaque ei bonus deus, quia semper quæ bona sunt, de deo sperat. Accipe aliud: Quā bonus, inquit, deus Israel rectis corde. Nō ergo omnibus bonus est deus. Ille quidē omnibus bonus est, quia saluator est omniū, maximè fidelium. Et ideo venit dominus Iesus, vt saluum faceret quod perierat. Venit enim vt peccatum mundi tolleret, vulnera nostra curaret. Sed quia non omnes medicinā expetunt, sed plerique refugiunt, ne medicamentis cōpungatur vis vlceris, ideo volētes curat, non adstringit inuitos. Accipiunt igitur sanitatē qui medicinam expetunt. illi aūt qui refutant medicum, nec requirunt bonitatem medici, quam non experiuntur, sentire non possunt. Qui autem curatur, etiam sanatur. Ideoque his bonus est medicus quos sanauit. His igitur bonus est deus quibus peccata donauit. Qui autē insanabile peccatum habet mēris suæ vlcere, quomodo potest medicum bonum habere, quem refugit? Pulchrè autem Apostolus vt præmisimus, explanauit quia & omnibus bonus est deus, qui vult omnes homines saluos fieri. & maximè fidelibus diuinæ pietatis prærogatiua seruantur, quibus & voluntas dei opitulatur & gratia. Sed & psalmista dicendo: Quàm bonus deus Israel rectis corde, ad ipsorum sententiam retulit, qui aliter de deo sentire non norunt, nisi quia bonus ad omnia & in omnibus est.

Quòd quasi prolapsus fuerit propheta cùm videret peccatores in hoc mundo affluere diuitiis & rebus secundis, bonos autem esse in afflictionibus & ærumnis. Cap. III.

DEnique & in sequētibus exponit ipse quid senserit, dicendo: Mei aūt penè moti sunt pedes, paulomin⁹ effusi sunt gressus mei, quia zelaui in peccatoribus, pacē peccatorū vidēs.) Non vtiq; pedes corporis appellat gressus, sed directionē mentis & gressum, de quo alibi dicit: Nō veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ideo semper petendū est vt dirigat dominus nostrorum animorum vestigia, ne labātur & lubrico quodam erroris effusa, stabilitatem sui tenere nō possint. Prolapsionis autem ea causa est, quòd pacem æmulatus est peccatorum. Aemulari autem debemus quæ bona sunt, non ea quæ plena dedecoris: sicut & Paulus apostolus expressit dicens: Bonum est autē æmulari in bono semper. Nec te moueat quòd pacē in malo posuit. Denique & in euāgelio habes esse pacem quam respuit Christus, vt ipse ait: Pacem relinquo vobis, pacem meā do vobis. Non quomodo mundus dat ego do vobis. Est enim pax quæ non habet offendiculum, est quæ habet. Quæ ex dilectione est, nō habet offendiculum: quæ ex simulatione, habet. Ideo & propheta ait: Pax pax, & non est pax. Refugiamus ergo pacem peccatorum. conspirant enim aduersum innocentes, coeūt vt iustos opprimant, viduam exterminent, vel expugnent eius pudorem. Et ideo non est reclinatio morti eorum. Non declinatio, vt plerique codices Latini scripti sunt, sed reclinatio. Quando enim laboramus, & incuruamur ad opus ali quod atque inclinamur, nos reclinare consueuimus. Peccatores autem grauium scilicet delictorum, & maximè impij se reclinare non possunt, de quibus dictum est: Et dorsum eorum semper incurua. Nō enim se erigunt ad cœlestia, qui Christo non adhæserunt. Et ideo non resurgunt cū eo, quorum mors pessima, sicut scriptum est: Mors peccatorū pessima. Qui autem Christo commoritur, & consepelitur cum illo, non solum reclinatur, sed etiā resuscitatur. De quo pulchrè illud conuenit dictum: Vniuersum stratum versasti in infirmitate eius. Maximè si martyr sit, cuius infirmitas passione soluitur, mors resurrectione.

Quòd flagella & castigatio in hac vita firmamentum præstēt, non autem post mortem prosint. Cap. IIII.

VIdimus illum diuitem qui indutus purpura & byso in hoc seculo recumbebat, & epulabatur quotidie splendidè, de cuius mensa quæ cadebant pauper Lazarus colligebat, quēadmodum in tormentis positus in inferno se reclinare non poteat, sed vix ad Abraham, non totum se sed oculos erigebat, rogans vt mitteret Lazarū, qui extremum digiti sui in aquā intingeret, & linguā eius refrigeraret. Ergo illius morti reclinatio non erat, nec firmamentū eius. Nihil enim prosunt flagella post mortem. Et ideo Dauid dum esset in istius corporis vita, in flagella se præparabat, vt eum dominus reciperet castigatum. Cōsidera iterum mihi sanctum Iob, qui perfusus erat vlceribus, & cōcutiebatur omnibus membris, & plenus erat totius corporis sui doloribus, glebas terræ vulnerum suorum sanie & humore resoluens, quemadmodum cùm se in hoc corpore positus reclinare non posset, requiem mortis inuenerit, ideoque conscius sui dixit: Mors viro requies. Is igitur in plaga non motus est, nec nutauit sermonis sui lubrico, qui in illis omnibus nihil peccauit labijs suis, sicut scriptura testatur, sed magis plagæ suæ reperit firmamentum, per quē confirmatus in Christo est. Ergo & Iob & Dauid, quia flagellati hic sunt, firmamentum habuerunt in plaga sua, quia flagellat pater filium quem recipit: qui autem hic nō flagellantur, ibi non suscipiuntur vt filij. Ideoque in laboribus hominum non sunt, & cum homīnibus non flagellabuntur, vt in perpetuò cum diabolo flagellentur.

De vestimento iniquitatis, & de operimento ieiunij. Cap. V.

IDeo obtinuit, inquit, eos superbia, cooperti sunt iniquitate sua. Malū vestimētū iniquitas, quod si quis voluerit ī nobis tenere, remittere nos oportet, ne incipiat ī iudiciū venire nobiscū: & si quis tunicā nostrā quā accepimus spirituālē auferre conetur, remitte palliū iniquitatis, sume operi mētū fidei atq; patiētiæ, quo se Dauid operiebat in ieiunio, ne amitteret tegumēta virtutis. Ipsum ieiuniū operimētum est. Deniq; nisi sanctum Ioseph texisset sobrietas ieiuna, adulteræ proteruitas exuisset. Quo ieiunio se tegere si voluisset Adā, nudus non fuisset effectus. Sed quia de ligno scientię boni & mali cōtra interdictū cœleste gustauit, & imperatū ieiunium præuaricatus est incontinentiæ cibo, nudū se esse cognouit. Quòd si ieiunasset, fidei seruasset exuuias, nec se aspexisset intectum. Non ergo nos induamus iniquitate & impietate, ne de aliquo nostrum dicatur: Et induit se maledictionem. Malè se induit & Adam, qui dum quærit integumenta foliorum, maledictionis excepit sententiam. Induerunt se maledictione Iudæi, de quibus scriptum est: Prodiit quasi

Iob 2.
Psalm. 72.
Psalm. 35.
1. Pet. 2.
Psalm. 111.
Philipp. 3.
Luc. 19.
1. Tim. 2.
Gala. 4.
Ioan. 14.
Exech. 13.
Psalm. 68.
Psalm. 33.
Psalm 40.
Heb. 12.
Psalm. 72.
Psalm. 72.
Psalm 72.

quasi ex adipe iniquitas eorum: trāsierunt in dispositionem cordis. Adeps dicitur pingue. Sicut enim anima bonis pasta, & referta virtutibus, tanquam adipe & pinguedine repletur, vt scriptum est: sic iniquitas quæ quasi ex adipe procedit, non tenuis & exilis significatur, sed plena vitiorum.

Quid sit ponere in cœlum os. Et de scientia quæ est in deo.

Caput VI.

DEnique non fortuito quodam lapsu in errorem incidere, sed consilio & dispositione in sacrilegiū transierunt. Posuerunt in cœlū os suum & lingua eorum trāsiuit in terra.) Ponere in cœlū os suum quid sit, docet nos ille ex fratribus adolescentior, qui regressus ad patrem dixit: Pater peccaui in cœlum, & corā te. Ponūt autem in cœlum os suum, qui sibi criminum authores, vanitates putāt quadam necessitate deferri. Hi nec cœlo nec terris parcere solent, vt cursu quodam stellarum arbitrentur vitam hominis gubernari. Nihil prouidentiæ, nihil bonis moribus derelinquunt. Atque vtinam & isti, sicut ille vnus de duobus adolescentibus, reuerterentur: bonus dominus remedium non negasset: & tamen etiam ipsi si nolūt sanari, reseruat dominus regressionis gratiā, vt qui in Israel expulsi sunt per cordis proprij cæcitatem, per plenitudinem ecclesiæ reuertantur, & non vacuos dies vitæ istius ducant, sed plenos habeant bonæ operationis & fidei, cū repleuerit eos gratia spiritali. Quomodo autē reuertātur accipe. Quia cæcitas, inquit, ex parte Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Sed quia mysterium oportebat impleri, vt concluderet deus omnia in incredulitate, id est, redargueret atque cōuinceret, (cum enim duo contendunt, si vnus superior sit, dicitur, conclusit illum alterum) ideo per suam misericordiam, vt subditus fieret deo mundus, regressus quidem est populus in hæreditatem bus, sed celeri errore traditus † est vt deum nō crederet ocultorum esse præsciū. Sed dominus illis, vt quandoque redimātur, salutis futuræ gratiam reseruauit, dicens: Ideoq; reuertetur huc populus meus. Quid est huc? Id est ad me, ad æquitatem & iustitiā meam, ad cultum meum. Et impleuit dies vitæ suæ. Quod vtrunque sic accipies, vt populus quidem redimatur qui crediderit in eo. Et si non redimātur qui non crediderunt, tamen redempti populi deo prærogatiua defertur. Isti ergō in errorem positi dixerunt: Quomodo sciuit deus, & si est scientia hominis in altissimo? Putant enim non esse in deo scientiam, quia peccatores abundant prosperis secularibus. & adhuc inducit loquentes: Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias. Habes hoc in euangelio planius expressum, vbi Simon ille Pharisæus videns quod mulier illa peccatrix venit in domū eius, & super pedes Christi effudit vnguentum, dicebat intra se: Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Sed patientia dei non præiudicat veritati, & præscientia eius & prouidentia hoc ipso amplius probatur, quòd in peccato positus successu affluit secularium prosperitatum. Quod fortior videns ridet, incautus traducitur & mouetur.

Psal. 72.

Roma. 11.

† *seu celer traductus.*

Psal. 72.

Lucæ 7.

Quòd post flagella & castigationem sequatur prauæ opinionis correctio, & quòd bona transitoria non sint præmium virtutis, nec inopia pœna peccati. *Cap. VII.*

DEnique psalmista dicit: Dixi ergo, sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocētes manus meas.) Hoc est, video illos abundare, video illis cōmoda omnia secundari, me autem conteri atque exagitari tentationibus plurimis. Frustra ergo dedi me innocentiæ, atque ad studia probæ conuersationis intendi. Et pulchrè ait: Laui inter innocentes manus meas, vt non arrogare sibi summam innocentiæ, sed illius deferre studiū videretur: Interea non impunè huiusmodi à se sermonem exisse testatur. Nam tota die flagellatum se memorat, quia frustra iustificare se domino cor suum dixerat: post flagella autē continuò secuta est prauæ opinionis correctio. Statim enim iudex meus, inquit, in matutinis: id est, in aperto & perspicuo. lux enim veritatis comprehendens eum, non finit hæc sentire quæ dixit. Reuincebat itaque & redarguebat me veritatis lumen offusum animo meo, eò quòd non

Psal. 72.

A

B

C

D

rectè dixerim, Sine causa iustificaui cor meū. Locutus sum enim illa tanquam in tenebris cōstitutus, & recordanti illa mihi cor compungebatur. Compuncto autem corde illumi nabatur affectus, vt fieret in corde meo ignis flammigerās, qui faciebat in me diei spiritale principiū. Illuminata itaq; oriente mihi die, & quasi in multis matutinis positus intelligebā quia extra constitutionem generationis filiorum dei factus sum. Qui cum primo credidissem, eò quod operator mundi prouidēs generationi humanæ, omnia ad vtilitatem nostri vel tristita, vel ea quæ parum delectent fecerit, tam bonam sententiam postea prauis opinionibus turbatus amiserim. Conferebam itaque cum corde meo, & dicebam mihi: Si narrabo sic, quia sine causa iustificaui cor meū, occurrebat mihi dei vox dicens: Ecce generatio filiorum tuorū, cui disposui, adest. Ecce his scripturis inuenis ô tu Adam quia disposui generationi filiorum tuorum, quia fortuitu diuitiæ ad impios, non aliquo merito deferātur, nec præmia virtutis sunt emolumenta thesauri, nec econtrario inopia pœna peccati est, sed indiscretè veniunt ista, quæ modo fluminis quodam seculi profluuio volutātur. Et existimabam & videbar mihi cognoscere hoc esse verum, hoc congruere diuinæ prouidentiæ & conuenire, me autem frustra in iis turbatum esse, in quibus adhærere non debui.

Quid sit intrare in sanctuarium dei, & intelligere nouissima. Et quòd ij qui proficiunt honoribus, & cadunt moribus, deiiciantur cum alleuantur. *Cap. VIII.*

ITaque quia videbar mihi veram scientiam comprehendisse, & cognitionem rei ipsius esse assecutus, dicebā mihi: Hoc labor est ante me, donec introeam in sanctuarium dei, & intelligam in nouissimo. Id est, solus mihi supereſt labor vt ingrediar in sanctuarium dei, vbi est Cherubin, id est, cognitionis profundum, & non labor est in incertis & vanis opinionibus. Narratio enim fatui, sicut sarcina in via. Ideo ingrediamur aditum cognitionum sacrarum, atque interiora penetralia veritatis, vt non sit in nobis labor. Sapiētia enim nos à sensu laboris abducit. Deniqne non est labor in Iacob. Causa autē laboris ignorātia est, quoniam qui nescit iustis reposita esse præmia, non reficitur à laboribus, sed magis imprudētię suę labore curuatur & frangitur. Ingrediamur igitur sanctuariū dei, vbi sunt Cherubin, in quibus est recordatio sacræ cognitionis, & viri illius atque æterni luminis. In illo candelabro imago resplendet, quo possumus intelligere in nouissimo. Sanctus etenim in vltimo cognoscit, & perfectam sapientiam processu ætatis adipiscitur, dicens: Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierū, vt sciam quid desit mihi. Quis est finis, nisi ille cùm traditur regnum deo patri, quando reuelantur occulta sapientiæ? Hinc finem nostri certaminis requirebat ꝓpheta, cupiēs cognoscere quid suæ deesset perfectioni. Finis enim disciplinæ nostræ & studiorum, perfectio est. Hæc ergo prima vera ratio cognitionis, quia fortuitu accidant quæ in seculo sunt, secunda illa quæ propter eorum tergiuersationes posuisti eis, successus profluos secularium commodorum, & abundantiam diuitiarum: ne causarentur propter inopiam, seu acerbitatem alicuius doloris & luctus, minus fuisse deuotos, atque in culpam latrocinij, & direptionis studium, necessitate egestatis impulsos. Non enim ad tranquillitatem vitę vsúramque letitiæ diuitiis opimati, aut honoribus eleuati sunt, sed vt querela excluderetur, coaceruaretur ærumna. Deiiciuntur itaq; dū alleuātur huiusmodi. Nō enim gratia, sed ruina est, vbi nec diuturni vsus muneris reseruantur, & adimitur excusatio delinquendi. Quod enim grauioris pōdus querelæ, quàm illud diuinū quod habes in Micheæ libro prophetæ: Populę meę quid feci tibi: aut in quo cōtristaui te? aut quid molestus fui tibi? Respōde mihi. Nonne eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis liberaui te? Ecce quomodo deiiciuntur impij dum alleuantur. querela eorum excluditur, pœna aceruatur, Cœlestibꝰ enim beneficiis inuitati, deserere non debuerunt vitæ securitatis & prosperitatis datorem: cui magis debuerant obtemperare. Sed sicut iustitia dei magna, ita etiam seuera vindicta. Quando enim impius perseuerare consueuit? de quo & alibi habes scriptum: Vidi impium

Psal. 72.

Psal. 38

Eccli. 43.

Micheæ 6.

Psal. 36.

1177

impium superexaltatum & eleuatum super cedros Libani, & transiui,& ecce non erat? & quæsiui eum,& nō est inuentus locus eius. Incredibilis celeritas extinctionis eius. Vides subitò impium in hoc seculo potentem. dum tu transis, ille iam non est. Quanta est enim vmbra in terra? quàm nō diuturna? Transpone vestigium, & vmbra præteriit. Aut si hic aliquid mouent, ad ea quæ futura sunt, attolle mentis vestigium, & inuenies illi impium non futurum, quem hic esse credebas. Non enim est qui nihil est.

Quòd propter iniquitatem suam perierint qui terrena cōcupierunt: Et quod imago ipsorū ad nihilū redigatur, qui vel in superbia euanuerūt, vel in voluptatibus suis radicati sunt.
Caput IX.

DEniq; dominus eos cognouit qui sunt eius. qui aūt non sunt, eos nō agnoscit, quia ipsi eū qui est non agnouerunt. De ipsis ergo & hic dicit: Defecerūt & perierunt propter iniquitatē suā, velut somniū exurgentis: id est, ita deficiūt & euanescunt impij sicut somnium exurgētis è somno primū, quia in tenebris sunt, & in tenebris ambulauerūt, nec resedit aliquod eorum boni operis vestigium, sed similes eorū qui somniū vident. Qui aūt somniat, in nocte somniat, nox aūt in tenebris. Filij tenebrarū sunt priuati scientiæ iustitiæ, & splēdore virtutis, dormiētes semper, & nō vigilates, de quibus benedicitur: Dormierūt somnū suum, & nihil inuenerunt. Etenim cùm animæ eorū à corpore separatæ, tanquam resoluti à corporis somno nihil inuenerunt, nil tenebunt: & quod se tenere arbitrātur, amittēt: quoniā stultus & insipiēs cum diuitiis exundauerit, relinquet alienis diuitias suas, neque simul ad inferna descendet cum eis gloria eorum. Sequentia quoque demonstrant quomodo ipsi non inueniantur, sed intereāt. Quoniā imago eius in ciuitate domini illa superiore Hierusalē non inuenitur. Dominus enim pinxit nos ad imaginem & similitudinem suā sicut ipse docet dicens: Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos. Si bene egerim⁹, manet in nobis ista imago cœlestis: & si malè quis agit, deletur in illo hæc imago, illius vtique qui descendit de cœlo, & est in eo imago terreni. Vnde & Apostolus dicit: Sicut portauimus imaginem illius terreni, portemus imaginem huius cœlestis. Bonorum ergo imagines perseuerant, & in illa dei imagine resplendent. Si quis autem ad grauiora peccata defluxerit, nec egerit pœnitentiā, imago eius abolet vel deiicitur, sicut Adam de paradiso eiectus est & exclusus. Quicunque autem piè honestéque se gesserit intrat in ciuitatem dei, & infert imaginem suam, vt in illa dei fulgeat ciuitate. Domine in ciuitate tua imagines ipsorū ad nihilū rediges: Quia isti in lumine fulgere non possunt, qui tenebrosis se operibus induerunt. Exemplum accersamus de seculo. Vide quēadmodum in ciuitatibus bonorum principum imagines perseuerent, deleātur imagines tyrannorum

Quòd iustus qui ab exordio fuit turbatus, deletetur cum animo considerat quòd deus humana curet & respiciat. Et quòd homo comparatione cœlestium sit quasi mutum iumentum.
Caput X.

HÆc ergo considerans, animóque intendēs sanctus propheta delectatus est, qui fuerat ante turbatus. Vnde ait ipse: Quia delectatum est cor meū, & renes mei resoluti sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nescíui, & velut iumētum factus sum apud te, & ego semper tecū. Cùm cognouissem, inquit, quia deus humana curat & respicit, requieuerunt renes mei, hoc est ex maxima fatigatione veteris imprudentiæ requieui per agnitionē boni cœlestis & gratiæ. Sunt enim quidam renes animæ, qui vexantur in nobis per ignorātiæ laborem, hi resoluuntur ad requiescendum cœlestis agnitione doctrinę, & quasi pulchro quodam fulcro cœlestium præceptorū subnixi fouentur. Tunc, inquit, intellexi quia vanè patiebar, * quoniam id quod verum, nesciebam: & velut iumētum fadeus sum. Pulchrè addidit: Apud te. Cōparatione enim cœlestium homo quid est, nisi iumētum irrationabile? Nā stellæ cùm sint lucidæ, vanescunt solis exortu. Et Moyses ait: Nō sum idoneus ab hesterno die ex quo cœpisti loqui cum seruo tuo, & tenui, inquit, vocem, & tardè locutus sum. Ita ergo & homo, non dicam Christi sed angelorum comparatione mutum videtur esse iumentum. Sed tamen nemo desperet, quia homines & iumenta saluos facit deus. Et ideo quia nō ex me, sed ex te didici, tibi adhærebo semper, vt desinam esse iumētum: tu autem dicas hic sta mecum. Circunfusus enim dei gratia, homo incipit esse, qui per imprudentiam prætendebat insensibilitatem & inscitiam bestialem. Homo enim probatur si capax sit rationis & gratiæ.

Exodi.4.

Quòd qui ad dexteram suam deum habet, non commoueatur.
Caput XI.

DTaque à mutis animalibus separatū se esse gaudet, & in hominū ascitū esse cōsortia, quæ deus visitat & tuetur. Quid enim est homo nisi quia memor est ei⁹ dñs, aut quia à domino visitatur? Vnde quasi visitatus ab eo dicit: Tenuisti manum dexteram meā, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me. Sic accepimus, & secundum Græcum sic cōuenit. Dixit aūt Græc⁹, κράτησας τῆς χειρὸς δεξιᾶς μου, id est tenuisti manum dexteram meam. Bene dirigitur, cuius dexterā manu sua tenet. Potest dicere: Dominus à dextris meis, ne commouear. Adam si à dextris suis dominum habuisset, non esset à serpēte deceptus. Sed quia oblitus est mādatum dei, & voluntatē serpentis impleuit, manū eius diabolus tenuit, & ad lignū scientiæ boni & mali extēdi fecit, vt interdicta decerperet. Præiudicatū est in illo omnibus, & cœpit vniuersis aduersarius à dextris stare. Vnde & illa in Iudā maledicti forma processit: Et diabolus stet à dextris eius. Si illud maledictū graue, maxima est ista benedictio qua maledictionis duræ vincula laxantur. Ideo dominus Iesus ad dexterā sibi diabolum statuit, sicut in Zachariæ libro legimus. Hominis enim causam locúmque susceperat. Ibi ergo stetit, vbi Adæ stetit hæreditas. Quasi bonus athleta permisit eum ad dexteram sibi stare, vt eum retrorsum repelleret, dicens: Vade retro satana. Itáque aduersarius loco deiectus recessit: Tibi autem ne diabolus à dextris staret, ait: Veni sequere me. Pręuidens igitur Dauid aduentum domini, qui nos à potestate aduersarij liberaturus descēdit è cœlo, ait: Dominus à dextris est mihi, ne commouear. Cui autem à dextris erat diabolus, mouebatur. Meritò ergo hîc ait: Tenuisti manum dexteram meam. id est, vt iam peccare non possim, vt ille lubrico ante fluctuabūdus vestigio, fidei iam possim statione consistere. Quàm bene hoc Apostolus dixit, quando eū turbatum dominus vidit, & extēdens dexteram manum suam turbari † non passus est, atque intrepido firmauit incessu. Liberatus itaque Petrus quid aliud est locutus nisi hos propheticos versus: Tenuisti manum dexteram meā, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me?

Psal.72.
Psal.15.
Psal.108.
Matth.16.
Matth. 9.
Psal.2.
Psal.72.
† *titubare*

Quòd nullas seculi illecebras desideret aut concupiscat quem manus domini dirigit. Et quòd deus neminem repellat nisi qui se ab eius conspectu sequestrare putat. Quemadmodum etiam qui separatur à deo, pereat. *Cap. XII.*

QVæ est dextera nisi actuosa animæ virtus? Quę si domini volūtate dirigatur, nihil aliud desiderat, nil quærit, nullas mundi huius opes, nulla adiumēta deposcit. Ideo dicit sanct⁹ Dauid: Quid enim mihi restat in cœlo, & à te quid volui super terrā? Id est, tu portio mea es, abūdas mihi ad omnia, nihil quęsiui aliud nisi vt te partē haberem, nulli me cœlesti, vt Gentiles, subdidi creaturæ, nullas seculi huius diuitias, & voluptatum illecebras cōcupiui. Nullius egeo, qui à te assumptus sum: nec supereſt in cœlestibus quod amplius quærā. Nihil habēs, omnia habeo, quia Christum habeo, cui pater altissimus non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. quomodo ergo non cum illo omnia nobis donauit? sicut Apostolus dixit: Omnia enim in Christo, per quem omnia, & in quo stāt omnia. Omnia ergo in illo habens, aliam nō quæro mercedē, quia ipse merces est vniuersorum. Ideoque perfecto dixit:

Psal.72.
Rom.8.

Marci. 8. xit: Tolle crucem tuam, & sequere me. Qui illum sequitur, non præmio ducitur ad perfectionem, sed perfectione consummatur ad præmium. Imitatores enim Christi non propter spem boni sunt, sed pro amore virtutis. Christus enim per naturam bonus, non propter præmij cupiditatem. Ideo passus est, quia bene facere eum delectauit, non quia incrementum gloriæ ex sua passione quærebat. Ideo qui illum imitari cupit, non quod sibi, sed quod aliis prosit operatur. Vnde non immeritò deficit sibi, aliis autem virtutis incremento valescit. Et conuenienter dicit: Defecit cor meum & Psalm. 72. caro mea deus cordis mei. Neque enim possunt perpetua succedere, nisi terrena defecerint. Deficit ergo caro, quando mortificantur quæ sunt carnalia. Deficiunt & illi qui mortificationem Iesu Christi in sua carne circunferunt. Mors enim Christi in illis operatur vt omnis errorum moriatur illecebra. Vnde colligitur quia & cor hominis deficit quando mortificantur cogitationes malæ quæ à corde procedũt, Matth. 5. vt terrena omnia abscondat obliuio, & fiat deus cordis eorum, qui beati mundo corde deum videre mereantur, vt appropinquent ei, & non segregent. Deus enim appropians, non repulsor appropiantium est, omnibus enim vult salutis causa esse, nõ mortis. Denique neminem repellit nisi qui Psalm. 72. se ab eius conspectu putauerit sequestrandum. Quoniam ecce, inquit, qui elongant se à te, peribunt. Vnusquisque enim operibus suis pietati tuæ sese aut iungit aut separat. Fugit enim deum qui operatur ea quorum cogitationes metuat deprehendi, sicut ille qui tectus parietibus & circunfusus tenebris à domino deo sese existimat non videri. Videtur autem cùm dicitur: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Ibidem. Sicut enim mulier quæ fornicatur, non adhæret viro, nec vna caro cum viro suo, nec vnus spiritus est, sed diuidit sese ac separat fornicando: ita quæcunque anima non adhæret deo, sed vanis idolorum cultibus inseruiens fornicatur, & diuidit se sacrilegij obscœnitate, & longè fit à domino, quæ prope esse deberet. Perit autẽ qui separatur à domino. Vnde sanctus qui dei iudicium reformidat, semper adhærere vult Christo, & in eo spem ponere, vt laudet deum: cui est honor gloria, perpetuitas à seculis & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

FINIS.

APOLOGIAE DAVID CAPITA.

Qua ratione author apologiam prophetæ Dauid arripuerit stylo scribere, cum recitatione historiæ de adulterio & homicidio per eum commissis, excusatione quoque ipsius ex eo quòd iudicari non debeat quem deus iustificauit. Caput I.

De altero errore ipsius Dauid, quòd videlicet numerari fecerit populum, & de excusatione eiusdem. Quemadmodum etiam lapsus in peccatum sæpius prosit. Et qua ratione diuina prouidentia curatum sit, vt sancti aliquando laberentur. Cap. II.

Qua ratione deus suos athletas in variis certaminum generibus exercitet & experiatur. Et quomodo talia nobis facta sint in figuram, cum multarum allegoriarum adductione. Caput III.

Quale fuerit peccatum Dauid, & qualis pœnitentia. Quemadmodum etiam multi fortissimi viri in errorem prolapsi sint. Caput IIII.

Quomodo Dauid lapsus proprium peccatũ deplorans, domini misericordiam non desperauerit. Et de requisitione ouis abductæ. Caput V.

Quibus operibus Dauid potuerit tegere peccatum. Et quomodo iustos peccata sequantur, malos autem præcedant. Caput VI,

De pugna Dauid contra progeniem gigantum, & quemadmodum aquam sitiuerit ex lacu Bethleem, quam tamen non biberit. Caput VII.

De titulo psalmi quinquagesimi, & de numero quinquagenario. Quemadmodum etiam pœnitentia sit agenda. Et quomodo quis mundetur ab iniquitate & iniustitia. Caput VIII.

Quis dicatur agnoscere suam iniquitatem. Et quòd contra sapientem semper sit delictum. Cap. IX.

Quòd Dauid quanuis rex esset, & solutus legibus humanis, voluerit tamen subditus esse deo, cui soli peccauerat. Et quomodo dicatur iustificari dominus. Cap. X.

An mortalis originis inquinamentum in quo concipimur, parentum sit, an prolis. Et quod prius incipiat in homine macula quàm vita. Caput XI.

Quòd confitenti peccata sua subito splendor veritatis effulgeat, & ipse veritatem agnoscat. Et quid sit mundari hyssopo atque lauari. Cap. XII.

Quomodo dicantur exultare ossa humiliata propter peccatorum remissionem. Et quomodo rogandus sit deus vt nos quidem respiciat, faciem autem suam à peccatis nostris auertat, ea delendo. Cap. XIII.

De postulatione prophetæ vt cor mundum sibi creet. Et quomodo in eo quo cor mundum est, innouetur in eius interioribus spiritus eius. Quomodo etiam peccator proiiciatur à facie dei. Cap. XIIII.

De lætitia salutaris quæ redditur naturæ rationabili: Et quis dicatur spiritus principalis. Caput XV.

Quòd ille magnus sit fidei zelator, qui correctus à peccatis docet etiam iniquos vt se conuertant. Et quid sit liberari à sanguinibus. Cap. XVI.

Quòd os peccatoris deus claudat ne loquatur iustitias eius: illius autem labia aperiat, qui accipit verbum in apertione oris sui. Et quale sacrificium deus eligat. Qui etiam dicantur muri Hierusalem, & quod sit sacrificium iustitiæ. Caput XVII.

Diui Ambrosij MEDIOLANEN. EPISCOPI, *Apologia sancti Dauid.*

Qua ratione author apologiam prophetæ Dauid arripuerit stylo scribere, cum racitatione historiæ de adulterio & homicidio per eum commissis, excusatione quoque ipsius ex eo quod iudicari non debeat quem deus iustificauit.

Caput I.

APologiam prophetæ Dauid præsenti arripuimus stylo scribere, nõ quo ille indigeat hoc munere, qui tantis meritis enituit, virtutibúsque efflоruit, sed quia plerique gestorũ eius lecta serie, non introspicientes vim scripturarum, vel occulta mysteriorum, mirantur quomodo tãtus propheta adulterij primo, deinde homicidij contagia non declinauerit. Ideo nobis studio fuit ipsam recensere historiam, quæ patuisse peccato videtur. Nanque in secundo Regnorum legimus libro, quoniã deambulans Dauid in domo sua regali, prospexerit lauantem mulierem, nomen illi Bethsabee, formæ gratæ, & vultus decore præstãti admodum, quibus illecebris delinitum potiendæ eius sumpsisse affectum. 2. Reg. Erat autem mulier viro nupta. Vriæ nomen, cui mandatis regiis composita est scena necis. Nam etsi nihil ad impedimentum cupiditatis, plurimum tamen ad verecundiã adulterij obstare vita eius æstimatur. Itaque vt à planioribus exordiamur, quem deus iustificauit, tu diiudicas? Pro mihi est, inquit, Paulus, vt à vobis diiudicer, aut ab humano die: sed neq; meipsum diiudico. Et adhuc erat in corpore situs, adhuc tentationi obnoxius. Sed ideo se non diiudicabat, quia spiritalis à nemine diiudicatur nisi à solo deo. Deniq; subdidit: Qui diiudicat me, dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare. Sed Dauid iam tempus impleuit, & gratiam meruit, & iustificatus à Christo est, quandoquidem Dauid se dici filium ipse dominus gratulabatur, & cum ita confitebantur, illuminebantur. Cur hominem dei à

præmio

1181

præmio in iudicium vocas? Iudicauit iam de eo dominus, de quo dixit ad Salomonem: Si ambulaueris in conspectu meo sicut ambulauit Dauid pater tuus in sanctitate cordis & iustitia, ad hoc vt faceret secundum omnia quæ mandaui ei. Hic ergo iudicio dei dignus an præmio est, qui fecit secundum omnia mãdata cœlestia, ambulans in iustitia & sanctitate cordis? Vbi aliorum vitia & peccata deliteſcunt, ibi Dauid virtutis & gloriæ suæ diuinum accepit testimonium. Et de eius peccato disputamus ocioſi, pro cuius merito & gratia aliorum peccata releuata sunt? Nam cùm offendisset Salomon quòd non custodisset mandata domini, & regnum eius dispoſuisset deus scindere in plurimas partes, ait ad eũ: Veruntamen in diebus tuis non faciam hoc propter Dauid patrem tuum. De manu filij tui accipiam illud. Veruntamẽ non totum regnum accipiam, sceptrum vnum dabo ei propter Dauid seruum meum. Iustificante igitur domino, quis est qui tantum diiudicet virum? Quod deus, inquit, mundauit, tu commune ne dixeris. Saluo tamẽ iudicio cœlesti, quo etiam ipse tantum honorificat prophetã, in eius actus morẽque ingredere. Non miraris hominem, & angelis adæquandum iudicas, plurimum vitæ suæ, imò à pueritia in diuitiis, honoribus, imperiis demorantem, in multis tentationibus positum, semel tantum locum errori dediſſe, & ei errori quo etiam angeli cœlorum, vt scriptura memorat, de sua virtute & gratia deiecti sunt?

De altero errore ipsius Dauid, quòd videlicet numerari fecerit populum, & de excusatione eiusdem. Quemadmodum etiam lapsus in peccatum sapius profit. Et qua ratione diuina prouidentia curatum sit, vt sancti aliquando laberentur.

Caput II.

SAnè & alter legitur error ipsius, quòd numerari fecerit populum. Vnusquisque nostrũ per singulas horas quàm multa delinquit, & tamen vnusquisque de plebe peccatum suum confitendũ non putat. Ille rex tantus ac potens ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam, sed præmatura confeſſione atque immenso dolore reddidit peccatum suum domino. Quem mihi nunc facilè reperias honoratũ ac diuitem qui si arguatur alicuius culpæ reus, nõ molestè ferat? At ille regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cum à priuato homine corriperetur quòd grauiter deliquisset, nõ indignatus imfremuit, sed cõfessus ingemuit culpæ dolore. Denique dominum dolor intimi mouit affectus, vt Nathan diceret: Quoniam pœnituit te, & dominus transtulit peccatum tuum. Maturitas itaque veniæ, profundam regis fuisse pœnitentiam declarauit, quæ tanti erroris offensam traduxerit. Alij homines cùm à sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum ingrauant dũ negare cupiunt aut defendere, ibique eorum lapsus est maior, vbi speratur correctio. Sancti autẽ domini qui consummare pium certamẽ gestiunt & currere cursum salutis, sicubi fortè vt homines corruerint naturæ magis fragilitate quã peccãdi libidine, acriores ad currendum resurgũt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina, vt nõ solùm nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incẽtiua cumulasse. Ergo si currentium non soluitur cursus cùm fortè aliqui ceciderint, non luctantium contentio, sed inoffensa manent certamina, quinetiam plerique post vnum aut alterum lapsum gratia maiore vicerunt: quanto magis agonẽ pietatis ingressi, non debent vnius prolapsionis offensione cessari, cũ beatus sit qui se potuerit reparare post lapsum: quoniam post mortem quoque resurgere, munus beatorum est. Aliàs quoque prodesse peccatũ possumus comprehendere, & prouidentia domini sanctis obrepsisse delicta. Proposita enim ad imitandum nobis sunt, & ideo curatum est vt & ipsi aliquãdo laberẽtur. Nam si inoffensum à vitiis inter tot lubrica huius seculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus æstimandi, cuiusdam superioris eos naturæ ac diuinæ fuisse vt delictum recipere, & culpæ consortium habere non possent. Quæ opinio vtique, vt exciret. Præteriit igitur illos paulisper dei gratia, vt nobis ad imitationem vita eorum fieret disciplina, & sicut innocẽtiæ, ita & pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco, dum credo consortes, imitandos esse præsumo. Admonet etiam apostolus Paulus prospexisse dominum deum nostrum, ne vel reuelationum sublimitate, vt secundo operum continuante processu, humanus etiam sanctis extolleretur affectus, nec sibi deputarent, virtutique attribuerent suę, quod diuina sibi operatione collatum foret. Ergo ne in tantum iudicium ruerent, atque in perfidiæ foueam deciderent, passus est dominus illis subintrare culpã, vt & ipsi aduerterent diuinis se auxiliis indigere, ducémque salutis suæ quærendum esse cognoscerent. Denique Paulus infirmitatem sibi profuisse testatur, dicente domino roganti sibi, vt à se stimulus carnis suæ discederet: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate consummatur. Meritóque gloriatur in infirmitatibus: sciebat enim virtutis abundantia plurimos etiam sanctos sine remedio corruisse. Quanto igitur commodius vni aut duabus reprehensionibus locum dedisse, quam traxisse in perpetuum diuinitatis offensam?

2. Cor. 12.

1. Corin. 12.

Qua ratione deus suos athletas in variis certaminum generibus exercitet & experiatur. Et quomodo talia nobis facta sint in figuram, cum multarum allegoriarum adductione.

Cap. III.

QVid etiam illa adiiciã quæ ex ipso vsu mũdi conijcere possumus, quia plerosque cùm probauerimus in aliquo officio, eosdẽ quasi industrios atque impigros in alio munere volumus experiri? Quàm multi athletæ cùm in isto certandi genere præualuerint, ad aliud genus vocantur certaminis. Quid si & te dominus deus tuus cùm aliquod specimẽ virtutis dederis tuæ, in alio virtutum genere vult probare? Iob sanctum currentẽ inoffensè, tentari tamẽ filiorum interitu, & corporis totius vlceribus passus est, vt in hoc quoque eius virtutem probaret, si nec iniuriis nec acerbitatibus coactus deuotionem sui minueret affectus. Num liquet quòd etiam sanctum Dauid fide nobilem, præstantissimum manſuetudine, manu fortem probare voluerit, quemadmodum vitium tegeret, lapsum emendaret, vt nos doceret quemadmodum admissum possimus operire peccatum? Nisi fortè vilis causa alicui videtur, vt propter nostram correctionem tantus erraret propheta, cùm propter omnium redemptionẽ infirmitates nostras Christus susceperit, qui peccatũ pro nobis factus est, cùm peccatum nõ cognouerit. Et indignum æstimatur, nec verisimile creditur quod Dauid propter posteritatis profectum vnius lapsus opprobriũ inciderit, cùm ipse dominus sit pro nobis factus opprobrium, sicut ipse ait: Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominũ, & abiectio plebis. Et alibi: Et opprobria exprobrantium tibi ceciderũt super me. Ergo futuræ dispensationis mysterium in suis ante præmisit. Et seruuli quidem conditionis suæ peccata portarunt, ideo non potuerunt etiam ipsi exortes esse peccati. Dominus autem onus suscepit alienum, ideo solus fuit sine consortio delictorum. Ad summam apostolo quoque docente, cognouimus in figura gesta esse complura quæ temporibus gesta superioribus sunt. Nam cùm dixisset in deserto patres à serpentibus vulneratos nõ aliter potuisse sanari, nisi Moyses serpentem suspendisset æneum, quo viso letales illi morsus infusionésque veneni noxiæ curabantur, subiecit: Hæc autem in figura facta sunt illis ad nostram correctionem. In figura æreus serpens tanquam confixus cruci, quia verus crucifigendus generi annunciabatur humano, qui serpentis diaboli venena vacuaret, in figura maledictus, in veritate autem qui totius mundi maledicta deleret. Alibi quoque idẽ ad Galatas ait: Quia duos filios habuit Abraham, vnum de ancilla, & vnum de libera. Et subdidit: Sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta. Quid sit per allegoriam, sequentibus exposuit euidenter, dicens duas illas generationes, vnam de ancilla, alteram de libera, duo esse testamenta. Vnum quidem à mõte Sina in seruitutem generans, in quo monte legem Moyses accepit à domino. Alterum autem ab Hierusalem, quæ

Psalm. 21.

Psalm. 68.

Num. 21.

1. Corin. 10.

Galat. 4.

est libera, quæ in Isaac filios, hoc est, in libertate gratiæ, non in literæ seruitute generauit. Seruis enim pœna decernitur, liberis confertur gratia. Nónne in typo geminæ plebis Iacob duas accepit vxores ex quibus diuersam sobolem procreauit? Cur patriarcha Iudas propriæ nurus post filij sui mortem legitur expetisse concubitum, quo geminorum partus est editus, nisi vt figura præcederet vtroque Iesu domini testamento, quorum alterum in typo futuræ mortis eius est conditum, alterum in euangelij veritate, duos populos esse generandos, quorum posterior in crucis signo sepem omnem ac munitionē populi superioris incideret? Hic est populus manu prior, ortu posterior. Vel quia ipse dominus Iesus natus ex tribu Iuda opera sua ante præmisit quàm nobis ex virgine nasceretur. Quid de Ioseph loquar, qui à fratribus appetitus, exutus patrio vestimēto, in lacum missus, in seruitutem venditus, euidens dominicę incarnationis expressit indicium, eò quòd ille dilectus patri cùm esset in
Philip. 2. dei forma, non rapinam arbitraretur esse se æqualem deo, sed ipse se exinaniret, & formam serui accipiens veniret, & se vsque ad mortem crucis humiliaret: cuius precio & emptus & venditus à suis fratribus, genus redemit humanum?
1. Reg. 18. In cuius typo Dauid minor electus ex fratrib⁹, vnctus in regnum, solus belli grauis periculo, singulari certamine vniuersum populū liberauit, triumphauit in decē milibus, ita vt puellæ cum tympanis psallerent: Saul triumphauit in milibus, Dauid in decem milibus. Quę figura in illis iuuenculis, nisi animarum quę triumphalem psalmum concinunt Christo? Genuit ex se duos filios, vnum incestum, aliū parricidam, eò quòd incestus & parricidalis populus affixam patibulo crucis carnem proprij iugulaturus esset authoris. Denique in tertio psalmo Abessalon titulus præmittitur, & passio domini prophetatur. Quid de Salomone sancto loquar, cuius posteriora cùm graui errore non careant, vulgus tamen Iudaicū ipsum æstimat venisse pro Christo? Et quàm multos grauis erroris offensa reuocauit? Maior itaque culpa plus profuit, ne supra hominem crederetur qui vitio nō caruisset humano. Fuit igitur in eo inuidiosa sapiētia, & culpæ suasoria, quæ hominem comprobaret. Quid igitur obstat quo minus Berhsabee sancto Dauid in figura sociata fuisse credatur, vt significaretur cōgregatio nationum, quæ non erat Christo legitimo quodam fidei copulata cōiugio, quòd transuersariis quibusdam foret vestibulis in eius gratiā præter legis ingressura præscriptum, in qua nuda mentis synceritas, & aperta simplicitas lauacri iustificāte mysterio, veri Dauid & regis æterni mentē traduceret, lacesseret charitatē? Meritò venit occultus, & qui falleret principem mūdi tāquam Vriam illum qui interpretatione dicitur lumen meum, transfigurantem se in angelum lucis. Venit, inquam, in hunc mūdum, & venit occultus, tanquam adulter intrauit, vt ius legitimum vindicaret.

Quale fuerit peccatum Dauid, & qualis pœnitentia. Quemadmodum etiam multi fortissimi viri in errorem prolapsi sint.

Caput IIII.

DIstinximus allegorias validas, vt arbitramur, & in figura fuisse textū huius historiæ cōprobauimus, nunc superiora repetamus, & tāquam exutum spiritalibus indumentis introspiciamus errorem. Peccauit Dauid, vt solent reges: sed pœnitentiam gessit, fleuit, ingemuit, quod non solent reges. Confessus est culpam, obsecrauit indulgentiam, humi stratus deplorauit ærumnam, ieiunauit, orauit, confessionis suæ testimonium in perpetua secula vulgato dolore transmisit. Quod erubescūt facere priuati, rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent sūum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis tenebatur legibus humanis. Quod peccauit, conditionis est: quod supplicauit, correctionis. Lapsus communis, sed specialis confessio. Culpam itaque incidisse, naturæ est: delesse, virtutis. Quis gloriatur, inquit, castum se habere cor? Nec vnius diei infans mundus esse scripturæ testimonio declaratur. Da mihi aliquem sine prolapsione delicti. Validissimus
Iob 15.

omnium Sampson legitur, qui leonem etiam suis manibus
A strangulauit, sed vtinam amorem suum suffocare potuisset. Iudic. 14.
Messes incendit Allophylorum, & ipse mulieris vnius arsit Iudic. 15.
igniculo. Iepte victor ab hoste remeauit, sed vexilla referēs Iudic. 11.
triumphalia, suo victus est sacramento, vt pietatem occurrentis filiæ parricidio remunerādam putaret. Primum omnium quid opus fuit tā facilè iurare, & incerta vouere pro certis, quorum nescire euētum? Deinde ad quid sacrāmēta tristia domino deo reddidit, vt cruentis soluat sua vota funeribus? Nec de sacerdotibus silendum arbitror, ne nostra dissimulare videar delicta. Aarō ipse summus sacerdos, quo duce pariter ac Moyse rubrum pede mare transiuit populus Hebræorum, rogatus à plebe vt deos sibi faceret quos adorarent, aurum popposcit, in ignem misit, & caput vituli figuratum est, cui sunt oblata sacrificia. Quo indicio clarùit auri cupiditatem materiam esse perfidiæ, & auaritiæ studio sacrilegia solere generari. Iterum tantus sacerdos locum incidit offensionis cum sorore sua Maria. Nam dum fratri vter-
B que obtrectat quod alienigenam accepisset vxorem, illico Maria contagio maculosæ carnis efloruit. Quò loci euidētis fuit figura mysterij, quòd sacerdotalis ille populus patrū fraterno populo posterioribus temporibus derogaret Æthiopissæ illius nescius sacramentum. Nam si cognouisset, non reprehendisset, quod cum veteri mysterio conueneret. Itaque cùm Iudæus eum qui ex gentibus credidit, dicit esse communem, & vult à lege secernere, lepram habet, quam non poterit euadere nisi spiritalis ei legis agnitio ad veniam fuerit suffragata.

Quomodo Dauid lapsus, proprium peccatum deplorans domini misericordiam non desperauerit. Et de requisitione ouis abductæ.

Caput V.

ERgo & Dauid qui sciret hominem se esse natum
1. Reg. 12. lapsui, veniam postulauit, domini autem nō desperauit misericordiam. Nec parabola à mysterio videtur discrepare. Quis enim diues nisi dominus noster Iesus, qui de se ait, vt hodie lectum est: quod
C homo quidam cùm diues esset, abiit in regionem longinquā accipere regnū, & reuerti. Et verè diues erat maiestatis suæ opibus, & diuinitatis propriæ plenitudine, cui angeli & archangeli, virtutes & potestates & principatus, throni & dominationes, Cherubim & Seraphim indefesso obsequio ser- Luc. 19.
uiebāt. Sed tamē cùm diues esset, reliquit nonaginta & nouem in montib⁹ oues, & vnam ouem quæ † lapsa remāserat, † lapsa.
requisiuit. Hanc princeps istius mundi, contemplatione illius diuitis egenus & pauper, quasi filiam alimētis propriis nutriebat. Meritò itaque defecerat, cui substantia erat cibus seculi. Errauerat hæc ouis in Adam, insidiis solicitata serpētis. Et non mala ouis, quæ erat verbi plena, vtpote rationabilis hebdomadis filia, & sanctimonię sanctioris, tamen non precioſis aliquibus, sed vilib⁹ pauperis diu opibus alebatur. Denique de pane eius, inquit, manducabat, & de calice eius bibebat, & in sinu eius dormiebat. Non bona esca Æthiopū, noxius calix aureus Babylonis, qui gentes inebriat. Non vtilis somnus est dormientibus, malo vigilare. Denique tur- Psalm. 75.
bati sunt omnes insipientes corde, obdormierunt somnum
D suum, & nihil inuenerunt. Hospitij igitur gratia, quia susceperat hospitem, vt ei epulas exhiberet, illam pauperis ouem abstulit. De suis enim vel gregibus vel armētis si quod animal immolaret, nobis prodesse non poterat, † quos, nisi im- † quod.
molasset, non redemisset. Infirmitates igitur nostræ fragilitatis in sua carne hospitali quodam suscepit affectu, cuius leuandæ causa vel potius reficiendæ carnem suam salutari illi obtulit passioni, vt & vinū nobis vitæ præberet æternæ. Et Ioan. 6.
bene agnam dixit scriptura, qui erat virginis partus. Bene dignus morte pronunciatur diues iste iudicio prophetico, quia & Caiphas prophetauit dicens: Expedit vnum hominem mori pro populo. Solus autem dominus Iesus tali dignus electus est morte, qui tolleret peccatū mundi. Pulchrè quoq; addidit: Agnam restituet, quia carnem propriā resumpsit, carnem illam virginalis integritatis reddidit. Nec illud ocioſum quod ait: In quadruplum restituet. Quadruplatur enim resurrectio mortuorū, sicut docet Apostolus, 1. Cor. 15.
dicens: Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione: semi-

1185

seminatur in ignobilitate, surgit in gloria: seminatur in infirmitate, surgit in virtute: seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale. Restituet planè in quadruplum agnã etiam illo modo quo potest homo dicere: Si cui aliquid abstuli, reddo quadruplum. Conuenienter etiam illud adiecit: Quia non pepercit. Non enim pepercit sibi Christus, vt omnibus subueniret. Ideóque dictum est à domino Iesu Christo ad seruum suum Dauid, vt mysterium declararet: Quoniam tu hoc fecisti in occulto, & ego faciam hoc verbum coram omni Israel in conspectu solis huius. Et primo quidem nebulam (magnum enim sacramentum) commotus est Dauid indignatione, sed sciens sacramentum, non errauit affectu. Postea verò vbi cognouit mysterium videns remissionem futuram omnium peccatorum, præuidens fulgorem gratiæ per lauacrum regenerationis, & infusionem spiritus sancti, ait securus veniæ: Peccaui domino: vt & ipse in eorum veniret consortium, quibus culpæ remissio proueniret.

Quibus operibus Dauid potuerit tegere peccatum. Et quomodo iustos peccata sequantur, malos autem præcedant.

Caput. VI.

ADuertis quẽadmodum peccatum proprium deplorauerit. Quis igitur miretur ei esse dimissũ? Nũc consideremus opera eius quibus potuit tegere peccatũ. Etenim quia non potest sine peccato esse humana fragilitas, cauendum ne plura peccata sint quã opera virtutũ. Quod magna vi sapiẽtiæ suæ sanct⁹ Paulus expressit dicens: Quorũdam hominũ peccata manifesta sunt præcedentia ad iudiciũ, quosdam autem & subsequuntur. Hoc est, nõ inuenitur quisquam illibatus à culpa, habet quis bona merita, habet & vitia atq; peccata. Omnia itaque nostra quasi in trutina põderãtur. Si bonis igitur factis peccata præponderant, præcedunt ad iudicium. Vergunt enim peccata quasi in profundum, vergũt quia & manifesta sunt vel pondere atque acerbitate, vel multitudine. Quosdã autem, inquit, & subsequuntur, hoc est, eos qui se egerint sobriè, sed fragilitate conditionis dederint aliquãdo etiam errori locum, bona facta præcedũt, mala sequuntur. Hi honestiores, sed tamẽ vt homines lapsi leuioribus vitiis & erratis. Ergo iustos sequũtur peccata, nõ præeunt: iniustos præcedunt, & præponderant peccata quæ vergunt, sequuntur autem si qua rectè facta sunt, quasi quodam præiudicio peccatorum præeuntiũ prægrauata. Similiter & facta bona manifesta sunt: lucent enim opere virtutum, & splendore meritorum: & quæ aliter se habent, abscõdi non possunt. Ergo talia non teguntur, non obumbrat ea charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, nõ operit bonorum operũ gratia, nõ abscondit virtutum multitudo, quia nuda & intecta produntur. Non enim est in iis qui dicat: Sub vmbra alarum tuarũ protege me. Crux enim domini omnes abolet atque abscondit errores. Quis igitur magis operuit & texit quàm sanctus Dauid, qui & alibi ait: Et in vmbra alarum tuarum sperauit, donec transeat iniquitas? Et sic dilexit dominum vt nimia charitate peccatum omne tegeret atque abscõderet. Etenim si apostolus Petrus lapsum suum confessione charitatis aboleuit, & ille interrogatus à domino dicẽte ei tertio, Simon Ioãnis amas me? vt quem tertio negauerat, tertio fateretur, atque ita trino quodã dilectionis velamine lapsum trinæ negationis abscõderet. Si quia semel Petrus fleuit, veniam reportauit, quãto magis Dauid, qui lauabat per singulas noctes lectum suum, & lachrymis stratũ suũ rigabat: cui erant lachrymæ suæ panes die ac nocte: qui cinerẽ tanquam panem manducabat, & poculum suum cum fletu miscebat? Etenim si eius qui conuersus ingemuerit, miseretur Iesus, si Petrum aspexit, & ille fleuit: quanto magis qui diu fleuit, à conspectu domini non recessit? Negauit Petrus, & non fleuit: quia non respexerat Iesus. Negauit secundo, & nõ fleuit: quia nõ respexerat dominus. Negauit tertio, respexit Iesus, & statim fleuit, & fleuit amarissimè. Ideo Dauid qui semper fleuit, dicebat: Oculi mei semper ad dominũ. Quia semper videbatur à Christo, dicebat: Per exitus aquarũ descẽderunt oculi mei. Sed iã etiã facta eius consideremus. Quis nõ tantarũ laude virtutũ vnius criminis obũbraret inuidiã? Diuino electus examine, statim probauit indignũ se tanto non esse iudicio. Processit in prælium, & trepidantibus cæteris solus Allophylum Goliam, verborũ iactãtia, & immanis corporis mole terribilẽ, concurrenti simul fide ac virtute prostrauit. Vnius fortitudo facta est vniuersorum victoria. Cõferatur, si placet, priuatum crimen, & triumphus omnium: mors vnius, & tãtorum quos liberauit à morte, vita populorum. Veniamus ad alia. Insidias patiebatur à rege, vitã eius quẽrebat extinguere, sed dispositione diuina in eius rex potestatem traditus, cùm totus pateret ad vulnus, ferituris sociis Dauid sanctus occurrit, & à corpore perituri vulnus letale retorsit, dicens: Nolite tangere Christum domini. Quinetiam inimici illius vltus est mortem, flebiliter satis deplorauit interitum, & debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat deo authore deberi. Quo solo docuit omnes homines ad non præripiendum regnum, etiam si debeatur, sed expectandum, vt suo tempore deferatur. Vtinam hunc virum imitati essent posteri, non tantas bellorum pertulissemus acerbitates. Arguis quod vnum occiderit, non consideras quot docuerit quemadmodum pax orbi Romano perpetua seruaretur. Quàm graui adhuc luimus vastitate, quàm publico quodam totius orbis funere appetiti, necem regis exoluimus. Heu dura supplicia. Inde adhuc nobis barbarus hostis insultat, dum parata aduersum se in nos arma vertũtur. Sic vires ceciderunt publicæ, sic Romana virtus suis †moribus fracta cõsenuit, dum publico rapitur parricidio, quod paternæ solicitudinis religione suscipitur. Ideóque eo vsque præcauit, vt cùm Adoniam filium regnum sibi vsurpare comperisset, & ferere conuentus: non eum qui præripere gestiebat, sed eum qui expectaret eligeret. Saltabat autem ante arcam potentissimus regum, & cùm à propria reprehenderetur vxore quòd denudatus esset ante faciem puellarum, respondit: Coram domino nudabor adhuc, & ero nudus ante oculos tuos, vt honorificetur, inquit, dominus qui me pro patre tuo adsciuit in regnũ. docens contuitum regalis potentiæ non habendum vbi religioni exhibetur obsequium. Honestum est enim pro religione facere, etsi id incongruum potestati sit. Specta aliud memorabile. Parricida filius regnum patrium violenter inuaserat, cedebat primo pater eius furori, & locũ prælij declinabat, vt vel sic impius à furore resipisceret. Bello quoque interesse noluit, rogauit ad prælium profecturos vt parcerent filio. Securus erat victoriæ qui rogabat vt parcerẽt. Nec pietatis alienus, qui perire debere etiam impiũ filium non putabat. Fleuit, & magno luctu deplorauit exitum parricidæ, dicens: Filius meus Abessalon, quis dabit mihi mortem pro te, filius meus Abessalon? Vindicandum putabat eum qui pro paternæ vindicta pietatis occiderat. Quàm verò iniuriæ patiens & doloris? cedebat, vt dixi, filij sui Abessalon furori, vallatus dextera læuáque validis bellatoribus. Maledicebat ei vir cui nomen Semei, cruentum appellans, & virum sanguinis, dignóque iudicio domini deiectum esse de regno. Sed ne talibus quidem mouebatur conuitiis, mouebãtur autem comites eius. Denique vnus ex sociis, Abysai nomen viro, minatus est quod iniuriæ preciũ caput eius auferret, sed rex conuersus ad Abysai, quid mihi, ait, & tibi est fili Saruiæ? Ideo maledicit mihi quoniam dominus dixit illi vt maledicat. Quàm moraliter docuit quod iniuriarum vel periculorum nostrorum tempora, tentationum certamina, & examina probationum sint, & ideo non sine diuino ea irrogari solere iudicio. Exercetur bonus athleta conuitiis, exercetur laboribus & periculis, vt dignus sit cui deferatur corona iustitiæ, & ideo ferẽda patienter sunt quæ putantur aduersa. Denique & alibi te docet scriptura diuina, dicente iusto: Si bona accepimus de manu domini, quæ mala sunt cur non sustineamus? Et addidit sanctus propheta dicens: Ecce filius meus qui exiuit de ventre meo, quærit animam meam. Si autem Gemineus maledicit mihi, dimitte illum vt maledicat, quoniam dixit illi dominus, vt videat humilitatem meam, & retribuat mihi dominus pro maledicto hoc. O altitudo prudentiæ: O insigne patiẽtiæ: O deuorandæ cõtumeliæ grande inuentũ. Moueris, inquit, Abysai, quòd mihi maledicat extraneus, quem parricidio petit filius?

2.Reg.16. lius? Dominus dixit ei vt maledicat mihi. Sed non est maledicus dominus, nec delectatur contumeliis. Vide quàm singula diligenter custodiat. Non accusat dominū quasi authorē iniuriæ, sed magis laudat, quòd patiatur nos minora perpeti, vt maiorum veniam peccatorū adipiscamur. Ecce verborum contumelia parricidij leuauit ærumnam, absoluit procacē, cuius maledicta plus prosint, quæ diuina remuneratione donātur. Quis secū talē non compenset iniuriam, vt quem homo læsit, eum deus meliorū retributione soletur?

De pugna Dauid contra progeniem gigantum, & quemadmodum aquam sitiuerit ex lacu Bethleem, quam tamen non biberit.

Caput VII.

1.Reg.17. ALia quoq; eius gesta consideremus. Pugnauit aduersus progeniē gigantū, quādo vn⁹ ex illis versantē in prelio regē penè percusserat, quos ausus tamē aduersari⁹ exceptæ precio mortis soluit. Hoc quoq; percepto gētis victæ ferocis triūpho, iterū in valle Titanū bellū immane suscepit, nō minus aduersus hostē quā aduersus naturā. Sitiēs enim cùm

2.Reg.23. versaretur in bello, quod biberet nō habebat. Quis mihi potum, inquit, dabit de lacu qui est in Bethleē ad portas? Erat autem inter lacum & sanctū Dauid interfusus hostis, & media hostilium septa castrorum. Præciderunt tres viri multitudinem aduersariorum, & impleuerunt aquam de lacu qui erat in Bethleem, & obtulerunt regi bibendam: sed rex noluit bibere, & profudit illam domino. Dignū etenim tanto munere fuit, vt quæ erat viuidę virtutis insigne, fieret pietatis sacrificium. Dixítque dignam prophetico spiritu sententiam: Non contingat mihi hoc facere, ne sanguinem virorū qui abierūt, ex animis illorum bibam. Vicit ergo naturam, vt sitiens non biberet, & exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus tolerare sitim disceret. Exercuit etiā subditos ad virtutis officium, vt etiam per pericula regali imperio voluntarij milites obtemperarent. Quod autem noluit bibere, declarauit, probandorum militum se imperasse gratia, nō sitis victum necessitate, prospexisse etiam ne cui regū bibendi vsus alienis periculis quæreretur. Postremò piæ vulnus conscientiæ deprecatum, eò quòd aqua tot virorum quæsita sanguine, suauitatem bibendi habere nō posset, quæ propositæ mortis horrore constaret. Quòd si altius velis spectare, & introspicere mysterium, sitiebat Dauid non aquam de lacu qui est in Bethleem, sed oriundum ex virgine Christum in spiritu præuidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis, sed potum gratiæ spiritalis, hoc est non aquarum sitiebat elementum, sed sanguinē Christi. Denique non bibit oblatā aquā, sed domino profudit, significās sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum, illud sacrificium in quo esset remissio peccatorum, illum sitire se fontem æternū, nō qui periculis quæreretur alienis, sed pericula aliena depelleret. Tot igitur operibus tam mirandis, vnius sanguinem tectū non vidimus †. Meritò vox sanguinis Abel iusti clamauit ad dominū, quia nullis Cain impius bonis operibus tegebatur, quia parricidalis erat, quia non confitebatur flagitium, sed negabat. Dauid verò occiderat quidem virum minimè reum, sed occiderat non studio crudelitatis impulsus, sed vt obumbraret pudorem, tegeret verecundiā † cōcupiscētiæ. Nō audeo dicere quòd vi criminis fuerit oppressus. Neq; enim oppressus est, qui sciuit quēadmodū à ruina illa peccati se posset leuare. Dico tamen quod vi tētationis inflexus sit. Dixerat enim supra: Proba me domine, & tēta me, vre renes meos, & cor meum. Et alibi: Ego autē dixi in mea abundantia, non mouebor in æternum. Et igne me examinasti, & nō est inuenta in me iniquitas. Voluit enim eū subiacere dominus tentationi, ne supra hominem sibi aliquid arrogaret: Nam virtus in infirmitate consummatur. Neque enim cruēto fecit affectu, nihil minus sancto prophetæ adscribi potest, qui etiam vita decedens, suprema voce conuenit Salomonem filium, vt innocētem sanguinem à se tolleret, quem fuderat dux eius exercitus Ioab, quando Abner, cùm de ineunda societate tractaret, dux licet aduersarij agminis, insidiis appetitus occubuit, quē fleuit, & post luctū eius ambulās, depositis insulis potestatis, exequiarum iusta curauit. Quo facto, docuit etiā aduersariis fidē promissam

† credimus? Genes.4.

† conscientiæ

Psalm.25. Psalm.29. Psalm.16.

2.Corin.12.

esse seruandam, honorandam quoque & in hoste virtutem.

A Nónne tam miti suæ hæreditate pietatis, etiā huius neuum detersit erroris? Quàm præclarum autem, quòd tribus obla- 2.Reg.24.
tis sibi conditionibus quam vellet eligeret, quādo numerato populo contraxit offensam, cùm propositum esset vtrum triennio famē super terram fieri vellet, aut tribus mensibus fugere à facie inimicorum suorum persequētium se, aut trium duo fieri mortem in terra, tertium elegit, quod domini se malle quàm hominum cōmittere potestati: dominus enim cito miseratus ignosceret. Itaque sic ait: Angustiæ sunt mihi valde in his tribus, sed magis incidā in manus domini (quoniam misericordia domini magna est valde) quàm in manu hominum incidam. Hac humilitate, prudentia, mansuetudine fecit (vt verbis scripturæ vtar) habere dominum propriæ commotionis pœnitentiam. Denique sic scriptum est: Quia Hom.18.
pœnitentiam habuit dominus super malitiam. Quàm verò illud etiam admirabile, quòd angelo ferienti plebem, se obtulit dicens: Grex iste quid fecit? Fiat manus tua in me, & in

B domum patris mei. Quo facto statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus. Nec mirū si tali sua oblatione pro populo, peccati sui adeptus est veniam, cùm Moyses offerendo se domino pro plebis errore, etiam plebis peccata deleuerit. Texit igitur peccata sua, an non? Sed quis hoc neget, cùm hic ipse docuerit propheta, quòd remittantur iniquitates, tegantur peccata, non imputentur à domino? Peccatum remissum sibi esse docuit, sicut scriptum est: Delictum meū agnosco, & iniustitiam meam Psalm.31.
non operui. Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitiā meā domino, & tu remisisti impietatē cordis mei. Si dixit, Pronunciabo, & veniam meruit antequam pronunciaret: quāto magis vbi de se pronunciauit dicens: Iniquitatem meam ego agnosco, remissum est ei omne peccatum? Licet specialiter de hoc & Nathan responderit: Et dominus traduxit peccatum tuum. Ergo remissionem meruit iniquitatis, & texit charitate, atque operuit peccata sua, texit operibus bonis. Nec imputatum est ei peccatum, quia non fuit in eo dolus malitiæ, sed lapsus erroris. Deinde quia non fuit improbitatis æstus, sed vmbra mysterij. Et tamen confessus est delictum suum, agnouit iniquitatem, vidit lauacrum, & vidit, & credidit. Dilexit multū, vt nimia charitate tegere quemuis posset errorem.

C

De titulo psalmi quinquagesimi, & de numero quinquagenario. Quemadmodum etiam pœnitentia sit agenda. Et quomodo quis mundetur ab iniquitate & iniustitia.

Cap. VIII.

SEd iam se ipse defendat: nam quinquagesimum psalmum ad eam scripsit historiam. Et cùm priorum gestorum suorum historiam subiecerit, vt de proditione Doech Syri, cuius est titulus in psalmo quinquagesimoprimo, & Zypheorū, quæ comprehendi titulo videtur psalmi quinquagesimiquarti, istā quæ posterior est præmisit historiā, cū Doech ante prodiderit vel Ziphei, q̄ regnum Dauid propheta susciperet. Quādoquidem regem Saul fugiens, adhuc per diuersa secreta exul errabat: Betsabeæ autē iam cùm regnaret, accepit. Cur ergo secundū

D gestorum ordinem psalmorum quoque ordo non quadrat? Quia non tam ordinem ordini, quàm mysteriū gestis voluit conuenire: ideóque numerū remissionis aptare huic voluit historiæ. Quinquagesimus enim numerus, remissionis est numerus, sicut in euāgelio dominus ipse nos docuit, dicens: Luc.7.
Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta. Non habētibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Et in lege habes, quia Iubilæus dicitur numerus quinquaginta annorum recursus, celebrabilis admodū, quo debita vacuantur, confirmantur Hebræorum libertates, possessionum refusiones. Hunc numerum lęti celebramus post domini passionē, remisso culpæ totius debito, chirographo quoque vacuato ab omni nexu liberi, & suscipimus aduenientem in nos gratiam spiritus sancti, die Pentecostes vacante ieiunio, laus dicitur deo, alleluia cantatur. Denique & puellæ pater illius, quæ per vim concubitus nulli desponsata pertulerit, quinquaginta didrachmata argentea accipiet, ipsa

1189

ipsa autem in coniugio permanebit. Hoc etiam numero vi-
tia vertuntur in gratiam. Magnus igitur psalmus, quo doce-
mur quemadmodū agenda pœnitentia sit. Miserere, inquit,
mei domine secūdum magnam misericordiam tuam. Et se-
cundum multitudinem miserationum tuarum dele iniqui-
tatem meam. In multum laua me ab iniustitia mea, & à de-
licto meo mūda me. Quoniā iniquitatem meam ego agno-
sco, & delictum meum contra me est semper. Tibi soli pec-
caui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus
tuis, & vincas cùm iudicaris. Ecce enim in iniquitatibus cō-
ceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.) Quis no-
strum, etiam si confiteatur delictum suum, non perstringē-
dum potius, quàm repetendum putet? quis secundo repetat
aut tertio? Vide quot versibus propheta peccatum suum re-
soner, quàm nullus versus sine confessione delicti sit. Con-
gessit omnia simul, iniquitates suas & iniustitiam personā-
do, jungens delicta peccatis: atque ea sæpe repetendo, meri-
to magnam misericordiam poscit. Nec solū magnam mise-
ricordiam, sed etiam multitudinem miserationū. Quod er-
go peccatum talis nō diluat deploratio? Quam culpam pre-
catio huiusmodi non emundet? Ille pro vno peccato misera-
tionum multitudinem deprecatur, nos pro pluribus pecca-
tis vix semel eius misericordiam credimus obsecrandam.

Deinde legimus, quia in virtute sua magna, & brachio suo
excelso populum suum de terra Ægypti liberauit, quando
traduxit eū per mare Rubrum, in quo fuit figura baptisma-
tis. Si ergo virtus magna in figura fuit sacramentorū, quan-
to magis in veritate eorum magna misericordia est? Rectè
quoque illic poscitur miserationū multitudo, vbi multitu-
do peccantium est. In multū laua me ab iniustitia mea, & à
delicto meo munda me.) Nō tā sæpius quàm plenius lauari
petit, vt conceptam sordem possit eluere. Nouerat secundū
legem plura quidem mundandi esse subsidia, sed nullū ple-
num atque perfectum. Ad illud ergo perfectum tota intē-
tione festinat, quo iustitia omnis impletur, quod est bapti-
smatis sacramētum, sicut ipse docet dominus Iesus. Nam cū
venisset ad Ioannem, ait Baptista: Ego à te debeo baptizari,
& tu venis ad me? Respondit dominus: Sine modo, sic enim
decet nos implere omnem iustitiā: sed postea quàm bapti-
zatus est Christus, & spiritus sanctus super eum tanquā co-
lumba descendit, & pater filium signauit è cœlo, iustitia o-
mnis impleta est. Ideo propheta dicit: In multum laua me
ab iniustitia mea. Grandis enim squalor & macula nō exi-
guo sed multo aufertur lauacro. Quod si quis aliter accipe-
re vult, potest ita suum formare intellectum: Mundat ser-
mo diuinus, mundat nostra confessio: ille dum auditur, ista
dum promitur. Mundat bona cogitatio, mundat honesta o-
peratio, bonæ quoque vsus conuersationis. His mundatus,
vnusquisque facilius haurit, & tanquam in se rapit splendo-
rem gratiæ spiritalis. Denique nō vna infusione velleris sta-
tim preciosus succus irradiat, sed primū succo ignobili vel-
lus inficitur, deinde aliis atque aliis succis naturalis eius spe-
cies frequenter eluitur, & diuerso sæpius colore mutatur, ac
sic postea velut plenioris lauacri adhibetur infectio, vt pur-
puræ verior atq; perfectior fulgor irrutilet. Sicut igitur mu-
ricum plurium in purpuræ infectione, ita in lauacro rege-
nerationis miserationum est multitudo cœlestiū, vt iniqui-
tas deleatur. Itaque qui in multū lauatur, ab iniustitia mun-
datur, & à delicto, & peccandi quandam inolitam studiis ac
moribus deponit habitudinem, & obliuiscitur qualitatē. Et
bene lauatur ab iniustitia vel iniquitate, quæ maior est: mū-
datur à delicto, quod minus est. Ideóque addidit:

Quū dicatur agnoscere suam iniquitatem. Et quòd contra sa-
pientem semper sit delictum.

Caput IX.

Voniam iniquitatem meam ego agnosco, & delic-
tum meum contra me est semper.) Nō mediocre
est, vt agnoscat vnusquisque peccatū suū. Ideóque
& supra ait: Lapsus quis intelliget? Id est, quis est
tārus vt intelligat? Quomodo illud: Quis habitabit in taber-
naculo tuo? aut quis ascendet in mōtem domini? Nō vtique
nullus, sed rarus. Qui enim potest agnoscere, potest declina-
re, potest quid sequatur eligere. Pleriq; in suis lapsibus glo-
riantur, & putant ea laudi esse quæ criminis sunt. Si alienū
coinquinauit thorum, & pudicæ fœminæ expugnauit affec-
tum, si viduæ propositum aliqua fraude mutauit: alius ne-
cē hominis, latrocinij insidias, & rapto viuere putat esse vir-
tutis. Nonnulli circumuenire ac fallere arbitrantur esse sa-
pientiæ. Ex his nullus potest dicere: Quoniam iniquitatem
meam ego agnosco. Sed ille qui potest dolere quod fecerit,
condemnare quod deliquerit, quem sua vitia compungunt.
Vnde & propheta ait: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in *Psalm. 4.*
cubilibus vestris compūgimini. Plerique equorum cùm ce-
ciderint, se iactare consuerūt: & quos casus non læserit, ia-
ctando se debilitant & frangunt. Alij (qualis Græcorum e-
quorū fertur natura) cùm vel in certamine curuli elisi fue-
rint, vel fortuito ceciderint, nequaquam se mouere consue-
runt, & quandam tenent quietis & patientiæ disciplinam.
His si casus non nocuit, quies prodest, certè non acerbatur
offensio. Nónne mutis animalibus deteriores æstimādi, qui
se in flagitiis suis iactant, & putant insigne esse virtutis vbi
lapsus est criminis? Ideo quasi muto dicitur iumento: Pec-
casti, quiesce. Vnde pulchrè addidit: Et delictū meum con- *Gene. 4.*
tra me est semper. Insipiens enim delectatur erroribus suis,
& nouis vetera obumbrando peccatis se existimat adiuuari,
ideóque exultat in crimine. At verò sapiens aduersum se iu-
dicat esse delictum suū, & tanquam hostiles acies, ita lapsus
culparum suarum aduersantium modo sibi arbitratur obsi-
stere. Quicquid personuerit, quicquid increpuerit, culpa ei
propria semper occurrit: quicquid fuerit dictum aut lectū,
in se dictum putat: quicquid intenderit, se nutu, se oculis si-
gnari putat. Si epuletur, si cogitet, si oret ac deprecetur,
ante oculos eius semper est error proprius, & momentis
omnibus culpa pulsat conscientiam, nec quiescere, nec obli-
uisci sinit, velut grauis sensor exagitat se terrore perpetuo.
Omnia igitur aduersa habet, qui ipse sibi displicet: ipse sui
accusator, ipse sui testis est, nec inuenit quo fugiat, quippe
se perurget & stimulat. Sed hoc bonæ mentis est, vulnus
sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiūt
vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis.
Qui autem aliquo dolore punguntur, sicut doloris sensu nō
carent, ita etiam nō carent sanitatis profectu. Vbi enim do-
loris sensus, ibi etiam sensus est vitæ: sentire enim, vitalis vi-
goris ac muneris est. Vnde & ille qui errorem suum non a-
gnoscit, insanit, furit, desipit: qui autem agnoscit, vtique re-
sipiscit: non respuit remedia sanitatis: se ipse restringit, pœ-
nitet eum culpæ, de ipsa semper cogitat, & cogitando se i-
pse condemnat. Iustus enim in primordio sermonis accusa- *Prou. 18.*
tor est sui. Qui se accusat, iustus est, sobrius est, sanus est. Iu-
stus fauere sibi nescit, rigorem iudicij etiam circa se nō no-
uit inflectere, recordationem lapsus proprij perhorrescit,
& commissum erubescit errorem, omnem eius memoriam
pauet, metuit, reformidat, grauem sibi se iudicat, seipsum
arbitrum refugit, nec sese sibi audēt committere, quòd nul-
lum putat sibi esse grauiorem, quàm eū quē latere non pos-
sit, fallere non queat, fugere ac vitare non reperiat, nisi vt se
sibi abneget, & domini crucem tollat. Magna vis obnoxiæ
conscientiæ. Magna supplicia timebant Adam & Eua: & cū *Gen. 3.*
domini vocem in paradiso ambulantis audirent, cupiebant
se abscondere, quos nemo quærebat. Cain quoque metue- *Gen. 4.*
bat ne omnis eum quicūque inueniret, occideret. Ita in se i-
pse ferebat sentētiam, quòd dignus esset cui nullus ignosce-
ret. Vnde bene ait: Et delictum meum cōtra me est semper.
hoc est, sine interuallo aliquo recordatio & species ipsa mei
me erroris impugnant. Considera quomodo nos cōfundat,
cū aliquid deliquim⁹, quomodo incurset oculos, quomodo
in memoriam semper recurrat. Quem commissi pudet, ne-
scit postea aliquid tale committere, vnde similiter erube-
scat. Præcedit autem iniquitas, peccatū sequitur. Radix est
iniquitas, fructus autem radicis est culpa. Vnde videtur ini-
quitas ad mentis improbitatem referri, peccatum ad prola-
psionem corporis. Grauior iniquitas tanquam materia pec-
catorum, leuius peccatum. Denique iniquitas per lauacrum
remittitur, peccatū tegitur bonis factis, & tāquā malis ope-
ribus obumbratur. Vnde bene supra hic ipse ait: Beati quo- *Psalm. 31.*
rum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Charitas enim abſcondit errorem, & operit multitudinem peccatorum. Multa quoq; charitas remittit etiam ipſa peccata, ſicut ſcriptum eſt de ipſa muliere quæ ſuper dominum fudit vnguentum: Remiſſa ſunt peccata eius multa, quoniã dilexit multum. Sunt etiam qui accipiunt priorem verſiculũ de lauacro eſſe, ſecundum de pœnitẽtia. Qua gratia etiam Petrus, qui ante fuerat baptizatus, interrogatus, poſtquam viſus eſt dominum negaſſe: Simon Ioannis, diligis me? dicit ei: Vtique tu ſcis domine quia diligo te. Et iterum interrogatus: Simon Ioannis, diligis me? Et iterum reſpondit: Tu ſcis quia amo te. Et tertio interrogatus: Simon Ioãnis, amas me? Et contriſtatus eſt, quia dixit ei tertio, Amas me? & dicit ei: Domine omnia tu ſcis, tu noſti quia amo te. Et dictũ eſt ei trina vice: Paſce oues meas, ſequere me, quaſi qui peccatum ſuum nimia charitate texiſſet. Nec ociosè poſt cõfeſſionem nimiæ charitatis iubetur plebem regere, qui etiam turbatus non amiſerat quemadmodum ipſe ſe regeret. Hæc propter gratiam diximus charitatis, eo quòd peccatum tegat. Denique nonnulli ideo trinã interrogationem dilectionis factam eſſe dixerunt, quia trina fuerat negatio, vt trinæ lapſum negationis profeſſio charitatis totiens repetita deleret.

Luc. 7.
Ioan. 21.

Quòd Dauid, quanuis rex eſſet, & ſolutus legibus humanis, voluerit tamen ſubditus eſſe deo, cui ſoli peccauerat. Et quomodo dicatur iuſtificari dominus. Caput X.

Tibi ſoli peccaui.) Rex vtique erat: nullis ipſe legibus tenebatur: quia liberi ſunt reges à vinculis delictorum. Neq; enim vllis ad pœnam vocãtur legibus, tuti imperij poteſtate. Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius. Sed quãuis tutus imperio, deuotione tamẽ ac fide erat deo ſubditus: & legi eius ſubiectum ſe eſſe cognoſcens, peccatum ſuum negare non poterat, ſed quaſi reus cũ amaritudine fatebatur, qui ſciret maioribus vinculis ſe teneri, quia maiora deberet: quoniam plus ab eo exigitur, cui plus commiſſum eſt. Poſſumus etiã & ita accipere: Quis me diiudicat, cùm omnes ſub peccato ſint? Denique dominus de illa adultera: Qui ſine peccato, inquit, eſt, prior lapidet eam. Et nemo lapidauit. Hoc igitur ait Propheta: Tibi ſoli peccaui, qui ſolus ſine peccato es. Qui autem peccato obnoxius eſt, quaſi peccatorem nõ poteſt iudicare. Inexcuſabilis eſt enim omnis homo, q in alio ea quæ agit ipſe condemnat. In quo enim alium iudicat, ſemetipſum adiudicat. Tibi, inquit, peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.) Tibi peccaui, qui me ad virtutis ſtudia vocaſti, qui me eruditi in lege tua. Tibi ſoli peccaui, quem ſolũ abſcondita cogitationum, & mentis occulta non fallunt. Et malum coram te feci, quem ſolum ſanctificatio decet. Hominis teſtimonium declinamus, ſed in conſpectu tuo ea quę ſunt indigna committimus. Iniuria eſt homini ſpectare flagitia. deum arbitrum omnium eſſe ſcimus, & eo ipſo teſte peccamus, & tamẽ in his iuſtificatur magis dominus deus noſter, quia iniuſtitia noſtra dei iuſtitiam commendat: & mẽdaciũ noſtrũ concelebrat veritatem dei. Sit enim deus verax, omnis autem homo mẽdax. Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis.) Sermones dei pleni veritatis ſunt atque iuſtitiæ, ideóq; vera ſunt quæcunque locutus eſt dominus de fragilitate humana, quia inclinatum eſt cor eorum ad nequitiam, propendit ad fraudem: & quia definiuit, eò quòd non ſit homo qui non peccet. Omnes enim declinauerunt, & inutiles facti ſunt. Ideo vincit dum iudicatur, quoniam prolapſione vniuerſorum probauit quæcunque de noſtra iudicauit fallacia. Ergo ſi dixerimus quia iniquitatem fecimus, iuſtificamus deum in ſermonibus ſuis. Si autem dixerimus quia non peccauimus, mendacem facimus deum: ſed impoſſibile eſt mẽtiri eum. Nos igitur omnes ſub peccato eſſe manifeſtum eſt. Quantum igitur crimen, vt homo peccatorẽ ſe neget? Quoniam quantum in ipſo eſt, ſummi dei videtur arguere ac refutare mendacium, qui tam moderatus & patiens eſt, vt vincat cùm iudicatur. Veniens enim ad iudicium deus dicit: Popul⁹ meus quid feci tibi, aut quid cõtriſtaui te, aut quid moleſtus fui tibi? Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo ſeruitutis liberaui te, & miſi ante faciem tuam Moyſem, Aaron, & Mariam. Plebs mea in mente habeto quid cogitauerit de te Balach. Singula in cõſpectu tuo locat beneficia ſua, vt tanquam de his iudices, quę ſeruare debueras, quo magis reus fias, qui diuinis non potueris ſtare beneficiis. Quid feci, inquit, tibi? Tanquam reum ſe conſtituit, & te iudicem. Aut quid contriſtaui te? Offenſi vultus non abnuit crimen, ſi tu deo es cõtriſtatus authore. Aut quid moleſtus tibi fui? Interpellationis iniuriam confitetur, ſi moleſtior æſtimata eſt: addit beneficia, quorum gratiam nõ erubuit, qui exiſtebat ingratus. In hac quoque cauſa conſidera quomodo dominus ſe ipſi Dauid iudicandum præbuit, vt vinceret. Dicit enim Nathan: Hæc dicit dominus deus Iſrael, Ego vnxi te in regem ſuper Iſrael, & ego liberaui te de manu Saul, & dedi tibi omnia quæ erãt domini tui: & vxores illius in ſinum tuum dedi, & dedi tibi domum ipſius Iſrael: & ſi pauca ſunt, adiiciam tibi. Et quare pro nihilo duxiſti dominum, vt faceres nequiter in conſpectu eius? Horum commemoratione conuentus cùm videret inferiorem ſe eſſe, cùm iudicat, ait: Peccaui domino. Ita iuſtificauit dominum, qui peccatũ ſuum negare auſus non eſt. Poſſumus & ita accipere: Iuſtificat dominum qui peccatum fatetur. Denique in euãgelio habes: Quia publicani iuſtificauerũt deum baptizati baptiſmo Ioannis. Baptiſta autem Ioannes Baptiſmum fecit pœnitentiæ. Qui autem agit pœnitentiam, delicta non abnuit. Ergo quia Dauid ſemper habebat delictum ſuum contra ſe, vtiq; non negabat quod & erubeſcebat, non negabat quod & agnoſcebat. Non negando autem vtique commiſſi pœnitentiam gerebat erroris, atque ita confitendo delictum, iuſtificabat dominum, & ipſe iuſtificabatur à domino. Iuſtificatur enim dominus, dum eius prædicatur iuſtitia, & ab eo venia poſtulatur. Simul & ipſe iuſtificat confitentem, & iuſtificatur in ſermonibus ſuis, ſicut ſcriptum eſt: Dic iniquitates tuas, vt iuſtificeris.

Luc. 7.
Ioan. 8.
Rom. 3.
3. Reg. 8.
Pſalm. 13.
1. Ioan. 1.
Michea 6.
2. Reg. 12.
Luc. 7.
Eſaiæ 43.

An mortalis originis inquinamentum in quo concipimur, parentum ſit, an prolis. Et quòd prius incipiat in homine macula quàm vita. Caput XI.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.) Quis tãto affectu agit pœnitentiam? Humi ſtratus iacuit fuſus in lachrymas, cibum nõ guſtauit, lauacro ſe abdicauit. Quid iam reliqua dicã, quod abſtinuerit ornatu & comitatu regio? Adiunxit cõfeſſionem iniquitatis ſuæ, & in perpetua ſecula toto canendam orbe trãſmiſit. Ecce, inquit, in iniquitatibus cõceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Ne proiicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctũ tuũ ne auferas à me. Libera me de ſanguinibus deus deus ſalutis meæ.) Antequã naſcamur, maculamur cõtagio: antequàm vſuram lucis, originis ipſius excipimus iniuriam, in iniquitate concipimur. Non expreſſit vtrum parentum, an noſtra. Et in delictis generat vnumquemque mater ſua. Nec hîc declarauit vtrũ in delictis ſuis mater pariat, an iam ſint aliqua delicta naſcentis. Sed vide ne vtrumque intelligendum ſit. Nec conceptus iniquitatis exors eſt, quoniam & parentes non carent lapſu. Et ſi nec vnius diei infans ſine peccato, multo magis illi materni cõceptus dies nõ ſine peccato ſunt. Cõcipimur ergo in peccato parentũ, & in delictis eorum naſcimur. Sed & ipſe partus habet contagia ſua. Nec vnum tantummodo habet ipſa natura contagium. Bonum quidem coniugium, ſancta copula, ſed tamen qui habent vxores, ita ſint ac ſi non habẽtes. Ipſe thorus incoinquinatus, & nemo alterum fraudare debet, niſi fortè ad tempus, vt vacent orationi: tamen ſecundum Apoſtolum non vacat orationi qui eo tempore vſum corporeæ illius conuẽtionis exercet: & mulieris menſtruatæ coinquinatus eſt pannus, nec poteſt illis diebus purgationis ſuę offerre ſacrificiũ. Et mulieris quæ generauerit, dies partus, & pleriq; alij à ſacrificio feriati ſunt, donec legitimo ritu fœta mũdetur. Ideo in quo voluit dominus nulla huiuſmodi originis eſſe contagia, dicit illi dominus: Priuſquàm te formarem in vtero matris tuæ, noui te: & priuſquàm exires de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus poſui te. Quis tantus, cui tam magna delata ſunt? Nunquid Hieremias? Sed non ille vtique in gen-

1. Cor. 7.
Eſa. 66.
Hieremi.

1193

in gentibus propheta propositus, sed in Iudæa tunc temporibus: nūc autem etiam in nationibus, quæ in Iesum dominum credidérunt. Vide tamen ne illi dicatur, qui antequam nascerétur ex virgine, iam dudum erat, & erat semper, & operabatur in vtero Marię cōstitutus, & ita sanctus erat, vt sanctificaret prophetas suos, in quo solo & cōceptus virginalis & partus sine vllo fuit mortalis originis inquinamēto. Dignum erenim fuit vt qui nō erat habiturus corporeę peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale cōtagium. Meritò ergo Dauid flebiliter in se deplorauit ipsa inquinamenta naturæ, quod prius inciperet in homine macula quàm vita.

Quòd confitenti peccata sua subitò splendor veritatis effulgeat, & ipse veritatē agnoscat. Et quid sit mundari hyssopo, atque lauari.

Caput XII.

QVm hæc dicit, & peccatorū specialium atq; communium colluuiem confitetur, subitò ei splēdor veritatis, & cādor spiritalis effulsit. Supergressus enim vmbram spiritu prophetico ipsa vidit mysteriorum sacramenta cœlestium, quorum typum Moyses præfigurauit in lege. Vulneratus igitur charitatis vulnere, & indagādæ captus veritatis cupiditate, in superiora suæ mentis extendit intuitum: & in futura prospiciens, thesauros sapientiæ & scientiæ vidit in Christo, præuidit Baptismatis sacramentum, & miratus gratiam, exclamauit subitò dicens: Ecce enim veritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.) Nō incerta mysteria, quia certa sunt: nec incerta secreta & arcana sapientiæ, sed non manifesta. Hoc enim significat, quia nullis esset manifesta. Quod enim oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, hoc præparauit deus diligentibus se. Videns igitur ea, dicit: Ecce iam non in vmbra, nec in figura, nec in typo, sed in veritate lux aperta resplendet. Ecce nunc veritatem aspicio, splendorem veritatis agnosco, nunc te maiori domine deus noster veneror affectu. Ecce enim veritatem dilexisti, nō per speculum, non in ænigmate, sed facie ad faciem te mihi Christe demonstrasti, in tuis te inuenio sacramentis. Hæc sunt tuæ vera sacramenta sapientiæ, quibus mentis occulta mundantur. Itaque iam lætus atque securus, quod vibrasset ei sapiētię plenitudo, dicit ad dominum: Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.) Bene & veteris testamenti sacramenta non euacuat, & Euangelica docet mysteria præferenda. hyssopo mundari secundum legem postulat, lauari secundum Euangelium concupiscit: & supra niuem se existimat, si lotus fuerit, dealbandum. Per hyssopi fasciculum aspergebatur agni sanguine, qui mundari volebat typico baptismate. Lauatur autem, qui diluitur æterni fontis irriguo: & supra niuē dealbatur, cui culpa dimittitur. Denique de ipsa anima dicitur: Quæ est hæc, quæ ascēdit dealbata? antequam baptizaretur ipsa est quæ dicebat: Nigra sum & decora filiæ Hierusalem. Erat enim nigra, tenebroso peccatorum horrore deformis: sed posteaquam abluta per baptismum remissionem meruit delictorum, dealbata ascendit ad Christum. Inde & per Esaiam dominus locutus est dicens: Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, vt niuem dealbabo: id est, si cruenta, si tetra, mundabo. Hæc est nix intelligibilis, de qua ait quod domini Iesu in Euangelio refulserint vestimenta sicut nix: eo quòd peccatū non cognouerit: caro enim qua se induit veniens in hunc mundū, ab omni fuerat munda delicto. Quid miraris si vidit baptismatis sacramēta? cùm suprà dixerit, vbi descripsit passionem domini: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit: super aquam refectionis educauit me. Et alibi: Vox domini super aquas, deus maiestatis intonuit. Et de ipso sacramento plenius dixit: Parasti in conspectu meo mensam, impinguasti in oleo caput meum, & poculum tuū inebriās, quàm præclarū est.

Quomodo dicantur exultare ossa humiliata propter peccatorum remissionem. Et quomodo rogandus sit deus vt non quidem respiciat, faciem autem suam à peccatis nostris auertat ea delendo.

Caput XIII.

A MEritò ergo iste quoq; exultās ait: Auditui meo dabis gaudium & lętitiam, & exultabūt ossa humiliata.) Probasti domine Iesu quia nūquā verba tua prætereunt. Probasti illud euangelicū q̄ dixisti: Multi prophetæ & iusti voluerunt videre quæ vos videtis, & audire quæ vos auditis. Ecce Dauid solo lætatur auditu, quia futura esse peccatorum remissio: & prophetat quia exultabunt ossa humiliata. Sicut enim omnia iusti ossa dicēt, Domine, quis similis tibi? sic exultabūt ossa humiliata. Humiliātes scilicet animā suā iusti dicūtur, ergo ossa virtutis dicuntur ossa, velut quidam animi motus, vel animę, qui motus humiliātur peccatis, sed exultāt gratiæ cœlestis munere. Dicuntur & ossa populi Ecclesiarum. Vnde habes dictum & in psalmo: Non est absconditū os meum, quæ fecisti in absconditō. Os suū ecclesiam dixit, & plebis deuotæ conuentus sacros, quoniam sumus membra corporis Christi de carne ipsius, & de ossibus eius. Hoc igitur dicit, quia ecclesia domini omnia opera diuina cognoscet, & fidem resurrectionis accipiet. Sequitur: Auerte faciē tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.) Vsitata est deprecatio, vt eos quos læsimus, obliuisci offēsionis propriæ postulemus. Moraliter ergo deū rogat Propheta, vt auertat faciē suam à peccatis eius, & tanquam obliuia peccatorum eius assumat. Sed quia omnia spectat, & nihil eum præterit, obliuisci non potest: sicut nos, quos breui interuallo temporis eorum quæ cognouerimus, memoria subterfugit. Ideo bene agit vt faciem suam auertat, non ab ipso, ne deficiat destitutus: sed à peccatis, vt vires non possint habere peccata ipsius. Quos enim aspicit dominꝰ, illuminat: & in vultu domini pietas atque indulgentia est. Ideóque hic ipse ait: De vultu tuo iudicium meum prodeat. De vultu enim domini venia, nō pœna procedit. Rogandus est ergo vt nos aspiciat, auertat autem faciem suam à peccatis nostris, vt deleat ea.

Quæ enim non aspicit, delet: & quæ deleuerit, ea à memoria sepelientur, sicut ipse dominus ait: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: tu autem memor esto, & iudicemur. Peccatum autem aut donatur, aut deletur, aut tegitur. Donatur per gratiam, deletur per sanguinē crucis, tegitur per charitatem. Similiter & iniquitas, quæ ęstimatur habitudo mentis iniustæ: licet Ioannes in Epistola eum qui fecerit peccatum, & iniquitatem fecisse dixerit, sicut habemus scriptum: Omnis qui facit peccatū, & iniquitatem facit. Peccatum est iniquitas, quia in peccato ipso iniquitas est. Tamen vt nobis videtur, omne peccatum est iniquitas: iniquitas autem operatrix culpæ aut delicti. Plus est ergo vt ipsa iniquitas deleatur, excidatur radix & seminariū peccatorum: mala tollatur radix, ne malos fructus ferat: aboleatur erroris omnis affectus, vniuersa iniquitatum genera tollātur. Itaque quemadmodum intrans in animam sapientis disciplina, imprudentiam tollit, & scientia ignorantiam: sic perfecta virtus iniquitatem, & remissio peccatorum delet omne peccatum. Vnde præclarè Apostolus ait: Quia donauit nobis peccata dominus Iesus, delens chirographū decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum inquit, de medio tulit, affigens illud cruci. Deleuit sanguine suo atramentum Euæ, deleuit obligationem hæreditatis obnoxiæ. Fides igitur peccatum minuit. Et ideo dominus dimittens peccata dicebat: Fiat tibi secundum fidem tuam.

De postulatione Prophetæ vt cor mundum sibi creet. Et quomodo in eo in quo cor mundum est, innouetur in eius interioribus spiritus eius. Quomodo etiam peccator proiiciatur à facie dei.

Caput XIIII.

COr mundum crea in me deus, & spiritū rectū innoua in viscerib⁹ meis.) Superi⁹ mūdari ab occultis se petit, hic postulat cor mundū creari sibi, qđ ei prouenit qui renouatur spiritu. In nouo enim homine cor mundum est, in quo veterum delictorum fuerit deleta colluuies, nec inscripta māserit aliqua iniquitatis effigies. Grande autem munus, cordis esse mūdi. Vnde pulchrè Salomon: Quis gloriabitur castum se habere cor? Et dominus in Euāgelio: Beati mundo corde, ipsi enim deū videbūt. Propterea etiā Dauid cor mūdū habere cupiebat, ne à facie

domini proiiceretur. In quo autem cor mundum est, innouatur in eius interioribus spiritus. Viscera enim velut interiora sunt corporis, ita sunt & intelligibilia viscera animæ, vt sunt viscera misericordiæ, vt sunt interiora quæ benedicunt dominum, de quibus ait: Benedic anima mea dominũ, & omnia interiora mea nomen sanctum eius. Viscera autẽ animę adinuẽtiones sensuum sunt, bonæ cogitatiõis studia, virtutum perseuerantia, postremo illæ quæ Græcè εὐνομίαν dicuntur. Rectus autem spiritus, qui bene dirigit, qui deducit in viam rectam, hic est spiritus veritatis, vel certè recta hominis conscientia nullis inflexa peccatis, vel spiritus qui in homine est. Non prætermisimus quid alij sentiant, tamẽ nobis videtur quoniam de mysteriis dicit lectio, & futuræ gratia renouatiõis exprimitur, spiritúsque sancti infusio postulatur. Denique sequitur: Ne proiicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Si quis nos offenderit seruulorũ, auertere ab eo vultũ solemus. Plerique autem diuitum amandare consuerunt mãcipia sua, & per agellulos relegare. & hæc pœna grauior æstimatur. Denique solent magis se offerre verberibus. Si apud homines hoc graue ducitur, quanto magis apud dominum deum nostrum? Quasi non hinc dolor parricidalis, reprimendus quidem si qua eum pietas tentare potuisset, eruperit, quod faciem suã deus à Cain muneribus auertit, respexit autem super munera Abel. Itaque tacito vultu alterum innocentem pronunciauit, alterum peccatorem. Ergo quasi vltimus seruus humiliat se: & quasi in peccato deprehẽsus, & offensæ reus, obsecrat vt flagelletur poti⁹, quàm proiiciatur à facie domini. Quomodo proiiciat deus à facie sua, audi dicentem: Tollite illum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dẽtiũ. Qui non emẽdatur à facie eius, in tenebris constituitur. Ideo iustus ne tenebras patiatur, ait: Vultum tuum domine requiram. Vbi enim domini vultus, ibi lumen est, sicut scriptũ est: Faciem tuam illumina super seruum tuum. Denique vbi primum intuitus Petrum vidit, & illuminauit. Grande igitur supplicium proiici à facie dei. Proiectus est Adam de paradiso, nec immeritò. ipse enim antè se absconderat à facie dei. Exiuit & Cain à facie dei, non solũ post parricidale cõmissum, sed etiam postquam deum putauit esse fallendum, vt crimen negaret. Peccator igitur excluditur à facie dei, iustus autem dicit: Ecce ego. Denique ipse Dauid cũ videret interire populum, semetipsum obtulit, dicens: Ego sum, ego peccaui, & ego pastor malè feci. & sic ira domini mitigata est, & venia donata. Simul ostendit quia sancti permanent, criminosi proiiciuntur. Ideóq; seruanda est nobis gratia spiritalis, ne propter peccata nostra auferatur à nobis. Non enĩ proiicitur in quo spiritus sanctus est, sed inoffenso muneris sui fructu studet se domino semper offerre, sicut ille qui dicenti domino, Nunquid & vos vultis discedere? respondit: Ad quẽ ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus. Simul illud considerandum, quia non aufertur spiritus nisi domini voluntate, sicut non datur nisi domini voluntate. Qui vtique cùm datur, non quasi coactus operatur, sed pro sua voluntate diuiditur, sicut scriptum est, dicẽte Apostolo: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Cùm igitur non auferatur nisi domini voluntate, apparet quia vna trinitatis voluntas est.

Psalm. 102.
Psalm. 50.
Genes. 4.
Matth. 25.
Psalm. 26.
Psalm. 108.
Genes. 3.
Genes. 4.
2. Reg. 24.
Ioan. 6.
1. Cor. 12.

De lætitia salutaris, quæ redditur naturæ rationabili. Et quis dicatur spiritus principalis. *Caput XV.*

REdde mihi lætitiã salutaris tui, & spiritu principali confirma me.) Cui debetur & redditur? Redditur rationabili naturæ lætitia salutaris. Lætitia autẽ & gaudium fructus est spiritus. Firmamentum quoque nostrũ spiritus principalis est. Denique is qui principali confirmatur spiritu, non est obnoxius seruituti, nescit seruire peccato, nescit fluitare, nescit errare, nec studio nutat incertus, sed firmatus in petra solido stabilitur vestigio. Quem putamus dici spiritum principalem? Plerique spiritum rectum ad dominum referunt Iesum,, qui peccatũ mundi abstulit, & omne hominum genus sui sanguinis effusione renouauit: & ideo dictum est, Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Spiritum autẽ sanctum, de quo dicit, Et spiritum sanctum tuum ne auferas à me, spiritum intelligunt veritatis: spiritũ verò principalem deum patrem arbitrantur. Quàm moraliter autem ait: Ne proiicias me à facie tua. Fideliter timet auferri sibi quam acceperat gratiam. Ideóque alibi ait: Oculi mei semper ad dominum. Et interioribus: Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominum deũ nostrum, donec misereatur nobis. Certè hic est spiritus, author & princeps, qui regat mentem, confirmet affectum, quo velit trahat, in superiorem vitam dirigat. Sunt & qui acceperint spiritũ hominis, qui in ipso est. Ideo ait Apostolus: Quis enim scit hominum quæ hominis sunt, nisi spiritus qui in ipso est? Qui potest scire omnia, quem hominis occulta non fallunt, potest in homine habere principatum.

Psalm. 50.
Psalm. 118.
1. Cor. 2.

Quod ille magnus sit fidei Zelator, qui correctus à peccatis docet etiam iniquos vt se conuertant. Et quid sit liberari à sanguinibus. *Caput XVI.*

DOcebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.) Ille præcipuus est gubernator, qui scopuloso in littore nauim gubernat. Ille doctor bonus, qui duriora acuit ingenia ad eruditionis profectum. Ille bellator egregius, dux mirabilis, qui timidiores accendit in prælium, & exploratis locorũ fulcit ingeniis, vt infirma virium commoda stationis opportunitate compẽset. Ille similiter magnus etiã fidei zelator, qui iniquos docet. Vnde pulchrè ait: Docebo iniquos. Non dixit: Docebo iustos: nouerunt enim iusti vias domini, sed iniquos inquit docebo. Denique author prudentiæ & magister omnium dicit: Non veni iustos vocare, sed peccatores. Et medicus ille cœlestis, Non opus est sanis, inquit, medicus, sed infirmis. Siue igitur ex persona illius qui gentes vocauit, siue ex sua, bene posuit: Docebo iniquos vias tuas, quia commutare vitiosos affectus potest, propositúmque conuertere doctrina cœlestis: & operatio diuina sacrilegis pectoribus studia pietatis infundere, vt hi qui sine lege viuebant, conuertãtur ad dominum. Verum qui antè auertebantur, regalis quoque exemplo pœnitentiæ, qui iniquitates & acerba exercent flagitia, corrigantur: & fide atque opere conuersi, doctrinæ remediũ salutaris accipiant, ingrediantur domini vias, in quibus nullos erroris anfractus, nulla diuerticula præcipitis prolapsionis offendant. Sicut enim bonæ vitæ specimen & virtutis exemplar in iis viris est, qui inoffensa vitæ suæ tempora percurrerint, ita qui anteactis renunciãtes flagitiis vel incredulitatis erroribus emendauerint cursum posterioris ætatis, his ad imitãdum propositi sunt qui vel opere vel cogitatione labũtur. Sequitur: Libera me de sanguinibus deus deus salutis meæ.) Et ad Vriæ mortem potest referri, quod mandatæ necis eius conscius, veniam tanti poscat admissi. Et quanuis rex legibus absolutus, suæ tamen reus sit conscientiæ. Quibus vinculis se enodari desiderans, diuinum sibi precatur auxiliũ, vt ab omni criminis perpetrati labe mũdetur. Et reuera cùm mitis & corde mansuetus egregia semper dederit sanctus Prophera suæ mansuetudinis & pietatis insignia, ita vt aduersariis suis frequẽter ignouerit, atque ab eorum nece putauerit abstinendum, non est mirum quod tam grauiter doleat fundendi sanguinis innoxij sibi obrepsisse peccatũ. Ideo liberari se à sanguinibus, hoc est à peccatis mortalibus postulauit. Laudauit dominum deum suũ, iustitiam domini prędicauit. Ideóque addidit: Exultauit lingua mea iustitiam tuam.

Psalm. 50.
Matth. 9.

Quod os peccatoris deus claudat, ne loquatur iustitias eius: illius autem labia aperiat, qui accipit verbum in apertione oris sui. Et quale sacrificium deus eligat. Qui etiam dicantur muri Hierusalem, & quid sit sacrificium iustitiæ. *Caput XVII.*

DOmine labia mea aperies & os meũ annũciabit laudẽ tuã.) Qui enim laudat dominũ, ab inimicis suis erit saluus, vt scriptum est. Et certè supra dixerat in quadragesimonono psalmo: Peccatori autẽ dixit de⁹, quare tu enarras iustitias meas? Cũ ergo peccatorem prohibuerit deus suas enarrare os suum dixerit quod peccatorem

1197

narrare iustitias, vtique ipse enarrando iustitiam dei, declarauit commissum hoc nequaquam sibi imputatum esse peccatum. Et addidit: Labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuã. Os peccatoris deus claudit, ne loquatur iustitias dei: iusti aperit vt loquatur. Cuius ergo labia aperit, hunc peccati absoluit reatu. Illius autem aperit labia dominus, qui accipit verbum in apertione oris sui. Vnde & Apostolus petit se adiuuari orationibus plebis, vt aperiatur sibi ostium verbi ad loquendum mysterium Christi. Linguam verò pro sermone accipimus eius qui exultat in dei laudibus. Vnde & illud sic æstimatur: Lingua mea calamus scribę velociter scribentis, sermo infusus Prophetæ. Quod si ex persona Christi dictum accipimus, vide ne scriba sit velocis ter scribens verbum dei, quod animæ viscera percurrat & penetret, & inscribat in ea vel naturæ dona vel gratiæ. Lingua autem sit sanctum illud ortum corpus ex virgine, quo vacuata sunt venena serpentis, & euangelij opera toto orbe celebranda decursa sunt. Accedit ad euacuãdum peccatum, quod humilitatem suscepit. Contriuit cor suum, quod magis sacrificium domini elegit quàm holocausta pro peccatis, quæ secundum legem offerri solebãt. Denique supra ait: Holocausta & pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio, id est, non rapinam arbitratus esse me æqualem deo venio formam serui accipiens: venio in specie susceptionis humanæ, in veritate crucis mortis humilitate obedientiam probaturus, vt inobedientia deleatur. Meritò ergo & hîc dicit: Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus nõ spernit.) Et sicut supra dixi, certum est mysterio conuenire quod ipse dominus Iesus videtur hic quoq; ex sua persona loqui, qui superius illud personæ suæ euidenti testificatione deprompsit. Ipse enim verus Dauid manu fortis, verus, humilis, atque mãsuetus, primus & nouissimus: æternitate primus, humilitate vltimus: per cuius obediẽtiam humani generis culpa delecta, refusa iustitia est. Ipse inquam Iesus vmbræ finis & legis, aduenit humilitatis magister, docere superbos sensu, & tumore cordis inflatos, ad mansuetudinẽ & simplicitatem esse migrandum. Quomodo igitur in typo eius mysterij peccatum imputari potest, cùm in ipso mysterio sit remissio peccatorum? nisi fortè ideo Dauid iniquitatem suam, peccatumque confessus est eius admissi, vt & ipse ad remissionem peccati, & gratiam mysterij pertineret. Nam quid sibi vult quod vir peccatum suum confitens, de Siõ & Hierusalem psallit, dicens: Bene fac domine in bona voluntate tua Sion, & ædificẽtur muri Hierusalem?) nisi quia accelerari ei placet ecclesiæ congregationẽ per vocationem gentium: quæ non ancillæ filij, sed liberæ Hierusalem illius quę in cœlo est, fidei suę prosapiam toto orbe diffunderet, & spiritalium sepra murorum doctrinæ apostolicæ fundaret assertione. Muri itaque Hierusalem fidei propugnacula, disputationum munimenta, virtutum culmina sunt. Muri Hierusalem ecclesiarum conuentus sunt toto orbe fundati. Ecclesia enim dicit: Ego murus, & vbera mea turris. Et bene muri Hierusalem ecclesiarum conuenticula, quoniam quisquis bona fide atque opere ingreditur ecclesiam, fit supernæ illius ciuis & incola ciuitatis quæ descendit de cœlo. Hos muros lapidum ædificat structura viuorũ. Vides igitur quòd Hierusalem veram & Sion dixit, cùm dixerit: In voluntate tua Hierusalem & Sion. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ.) hoc est sacrificium corporis Christi, qui ait cùm de propria passione loqueretur: Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor domino. Et in euangelio ait ad Ioannem: Sine modo, sic enim oportet nos implere omnẽ iustitiam. Et infra: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Iustitia Christus est. Sacrificium ergo Christi acceptabile futurum patri asserit. Hoc est ergo de quo & supra ait: Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in domino. hęc est iustitia spiritalis, oblatio & holocaustũ feruentis deuotionis, & infusionis spiritus sancti, quod dicit futurum, cùm ad illud spiritale domini altare cœperint admoueri animæ credentiũ, quę renunciantes voluptatibus atque deliciis, tanquam aratrum in visceribus suis ducant, vt fructus possint ferre piæ culturę. Vel certè ita, cùm benedixeris ecclesiã ex gentibus acquisitam, & spiritale sacrificium iustitiæ cœperit frequentari, tunc & martyres sancti, qui suũ pro Christo corpus obtulerint exarandum, tãquam vituli sacris altaribus offerentur, sicut in Apocalypsi Ioannis scriptũ inuenimus, quia sub altari erant animæ eorum qui pro domini Iesu nomine corpora sua obtulerunt martyrio, vt Christi sibi gratiã mercarentur: cui est honor & gloria, laus perpetua cum deo patre & spiritu sancto à seculis & nunc & semper & in omnia secula seculorum. Amen. Apoca. 6.

FINIS.

LECTORI ORTHODOXO.

NOn defuerunt qui negarẽt hos libellos, alterum de Apologia, alterũ de Interpellatione Dauid, esse Diui Ambrosij, quòd ipsa phrasi Ambrosium nõ referrent, sed æmulum quẽdam Ambrosianæ dictionis, & ita æmulum vt in citãdis & explicãdis scripturarũ testimoniis fœliciorẽ & omnibus orationis virtutibus non inferiorem esse putarent. Quã semper defensionẽ opposuerunt Censores qui nullis aliis authoritatibus aut rationibus, quã sua opinione subnixi cõsueuerũt illo prætextu & causa bonis Scriptoribus & Patribus antiquis scripta quantumuis pia & legitima adimere, aut notha & aliena asserere. Nec cõsiderarunt modestissimos Patres omnibus gratiarũ dotibus instructissimos, pro qualitate personarum & varietate argumentorũ aut temporum, stilum vel attollere vel demittere potuisse, dum rem aliquam dissimulanter tractare aut explicare dilucidius voluerũt. Quod in his libris fieri potuit ab Ambrosio, vt ex multis lector diligens facilè deprehẽdet. Adde quòd in exẽplaribus manu scriptis, quæ ex celeberrimis Bibliothecis congessimus, vt totum hoc opus Ambrosianum ad illorum fidem restitueremus, hũc ipsum de Apologia Dauid secundũ eiusdẽ operis, & vtrumque Theodosio Augusto nuncupatũ esse reperimus: nec putamus quẽquam ex turba Scriptorum, quos illa ferebat ętas religiosissimos, eò impudẽtię & impietatis deuenisse, & Christianæ veritatis cuius erant propugnatores acerrimi, sic oblitum esse, vt sua quæ vel germanis nõ essent inferiora supponeret, titulúmque mentiretur vt commendaret quod erat per se satis commendatum. Omnes præterea codices quotquot vetustos nacti sumus, vna voce præferunt titulum beati Ambrosij Mediolanensis Episcopi. Et quis alius inter Ecclesiasticos scriptores hoc nomen habuisse memoratur? Veruntamen titulos non immutauimus, ne aliquid innouasse videremur: nec per capita libros diuisimus, vt diuisi leguntur in Sorbonico exemplari & in Victoriano, sed illa duntaxat in marginibus cum allegationibus locorum scripturæ, qui antea non fuerant annotati, apposui mus, vt tibi lector, consuleremus.

Vale.

DIVI

DIVI AMBROSII LIBER de Apologia Dauid.

CAP. 1. EXortasse plerosque psalmi titulus offenderit, quem audistis legi: quòd venit ad Dauid Nathã propheta, cũ intrauit ad Bethsabee: simúlque etiam non mediocrem scrupulũ mouere potuit imperitis, euangelij lectio quæ decursa est, in quo aduertistis adulterã Christo oblatam, eandémque sine damnatione dimissam. Nam profecto si quis ea auribus accipiat ociosis, incẽtiuum erroris incurrit, cùm legerit sancti viri adulteriũ, & adulteræ absolutionem humano propemodũ diuinóque lapsus exemplo, quod & homo putauerit adulterium esse faciendum, & deus censuerit adulterium non esse damnãdum. Lubrica igitur ad lapsum, via vel veniæ, vel concupiscentiæ. Accedit illud, quod ipsas faces iuuenilis lasciuiæ videtur accẽdere: quia adulteriũ suum non erubuerit, non celauerit, sed quadã diuini carminis prædicatione vulgarit. Quid ergò tam impudens, tam improuidus sanctus Dauid fuit, vt ipse suum cãtaret opprobrium: maximè cùm ipse in alio quoq; qui hodie decursus est psalmus, dixerit: Vsquequo peccatores domine, vsquequo peccatores gloriabũtur? Alios de peccato gloriari prohibet, & ipse etiam sacrato carmine gloriatur? Quomodo ista distinguimus? Esto tamen, Dauid petulanter errauit. Nunquid & Christus errauit, vt putemus eum non rectum habuisse iudiciũ? Bene ergo quasi ad eos Dauid hodie prophetauit dicẽs: Intelligite insipientes, & stulti aliquando sapite. Quomodo enim Christus potuit errare? Fas non est, vt hoc veniat in sensus nostros. Qui plantauit aurem, non audit? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam? Christus ergo interrogare culpam, & accusationem iustam audire nescíuit? Christus petulantiam potuit approbare? Christus qui corripit gentes, arguendam adulteram non putauit? Christus qui nouit vniuscuiusque cordis interna, & sciẽtiam docet legis: aut falli potuit errato, aut contra legis seriem iudicare? Et quomodo ipse dixit: Non veni legem soluere, sed adimplere? Christus qui cõdemnat occulta, potuit dissimulare vulgata? Christus qui fecit tempora, potest nescire tempora? Qui nouit cogitationes hominum vanas, non nouit etiam criminosas? Et ideo satis illis responsum sit, qui cùm creatorem negare non possint, negant tamen potentiã creatoris: qui cùm sapientiam fateantur, insipientiam asserunt obiiciendo ei imprudentiam futurorum. De quo possemus latius dicere, sed alius propositus nobis videtur esse † reatus: & licet diuersarum series decursa sit lectionũ, in eãdem tamen assertionem proficiunt, & maximè psalmi titulus & euãgelica lectio. Sed quamuis cõueniat vna assertio, tamen iuxta ordinem lectionum sit ordo tractatus: & ideo de titulo psalmi prius tractãdũ videtur. ¶ Proposita est historia, quę adulterium habeat & homicidium. Nam ita reperimus in libro scriptum esse Regnorum: quia Dauid rex, cùm deambularet in domo sua, lauãtem se Vriæ vidit vxorem, amauítque illico, & iussit accersiri. Deinde virum eius innocentem (vt scriptura inducit) bellatoribꝰ obiici iussit acerrimis, vt vi opprimeretur hostili. Hæc facta sunt: nec negantur. Quomodo igitur defenduntur? Bene admonet euãgelica lectio, etiam cùm peccatum appareat † subreptum, tamen debere esse iudicis iudicium: ac memorem vnumquemque esse oportere suæ conditionis & meriti. Sæpe enim etiam & in iudicãdo maius peccatum iudicij est, quàm peccati ipsius de quo fuerit iudicatum. Nam si præscriptum est à quibusdam sapientibus mundi, vt iudicando caueatur, ne maior pœna quàm culpa sit, ídque seruatur: quanto magis id seruandum videtur, vt vnusquisque de alio iudicaturus, de seipso prius iudicet, nec minora in alio errata cõdemnet, cum ipse grauiora commiserit? Quis es igitur tu, qui Dauid sanctum virum iudicas? Gentili dico, Iudæo dico, Christiano dico: & ideo tripertito mihi distinguendus esse videtur tractatus, vnus aduersus Gentiles, alius aduersus Iudæos, tertius apud Christianos. ¶ Primus ergo aduersus Gẽtiles mihi sermo est, qui plerunque obiectare consuerunt: Ecce quomodo Christiani innocentiam sequuntur, fidem profitentur, religionem venerantur, castitatem docent, quorum principes homicidia & adulteria fecisse produntur. Ipse Dauid de cuius genere (vt dicitis) nasci Christus se elegit, ipse & homicidia sua & adulteria decantauit. Et quales possunt esse discipuli, quorũ tales magistri sunt? Quid igitur? Negamus factum, an repudiamus magistrum? Nihil horum. Sed qui speciem obiicit, communitatem consideret. Species facti est: communitas naturæ. Nihil ergo mirum, si intra generalitatẽ species est. Agnosco enim hominẽ fuisse Dauid, & nihil mirum: agnosco commune vt homo peccet. Nec enim noua infirmitas conditionis humanæ, magísque mirũ videtur si homo peccato careat, quàm si peccatum aliquod affectet. Igitur peccat sanctus Dauid. Nullo ambiguo vos tenebo: fecit adulterium, cõmentus est homicidium, & cõmentus est & peregit. Peccauit, quod solent reges: sed pœnitentiam gessit & fleuit, quod non solent reges. Rogauit veniam, non arrogans potestatis: sed infirmitatis suæ conscius, prostratus in terrã cilicio se operuit, oblitus imperij, & memor culpæ. Quem mihi tu huiuscemodi reperias virum, qui in potestate constitutus non magis peccata sua diligat, culpã prædicet, crimina defendat: qui putet sibi quod nõ decet non licere, qui se legibus obstringat suis: & quod per iustitiam nõ licet, nec per potestatem licere cognoscat? Nõ enim soluit potestas iustitiã, sed iustitia potestatẽ. Nec legibꝰ rex solutus est: sed si peccat, leges suo soluit exẽplo. An fieri potest, vt qui de aliis iudicat, suo ipse sit liber iudicio: & in se suscipiat, in quo alios adstringit? Bonus ergo Dauid: & multò admirabilior qui potestatẽ vicit, q̃ qui amorẽ. Castitas enim corpori nonnunquã defertur, frequẽter errori: potestas deo subditur, & facilius reperias qui se in amore cohibeat, quàm in potestate moderetur. Nõ ergo ignoscis quod minus est, in quo maiora miraris? Lubrica in omnibus hominibus, & prona natura peccãdi: lubrica etiã in bonis moribus licentia potestatis, & oblatio facultatis. Nõ enim distat ira regis ab ira leonis: sed qui stimulat illũ & admiscetur, peccat in animam suã. Caue ergo ne stimulet aliquis potestatẽ, ne cassibus anima irretita corporeis, vitium non possit exuere. Non ergo mirum, si etiam Dauid specie lapsus est potestatis, sed multò amplius admirãdum, quod fidei contemplatione reuocatur. Videtis igitur quòd potestas hæc secularis frequẽter nihil prosit, & plerunque obsit. Sæpe enim culpæ exitus, in authoritatem est potestatis. Noli igitur tu quicunque es rex, de potẽtia & facultate præsumere. Cor enim regis in manu domini. Noli tibi de populorũ subiectione blandiri, quia non saluabitur rex per multitudinem virtutis suæ: nec gigas saluus erit in multitudine virtutis suæ. Non enim in altis tabernaculorum fastigiis precioſóque tectorum culmine: sed super timentibus eum beneplacitum est domino, & in eis qui sperant super misericordia eius. Lubricã igitur videmus ad vitia potestatem, nec tamen semper inflexam dixerim: quoniã regali potestate sublimem & Dauid legimus cultus auxisse diuinos, & Salomonem templũ deo consecrasse. ¶ Nunc illud quod perstrinximus afferamus, facultatẽ imperandi incentiuum esse peccandi: & secundum historiæ seriem prosequamur. Non adulterasset Dauid alieni ius thori, & fœderati pacta coniugij, nisi nudam & lauantem mulierem de domus suæ interioribus vidisset. Et ideo bene scriptum est: Non intendas in mulieris speciem: & nõ cõcupiscas mulierem. Ait alibi: Ad omnes irreuerentes oculos caue: nihil de continentia tua & virtute præsumas. Etenim fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur: & ideo causam primo peccati fuge. Nemo enim diu fortis est. Neque fragili tantum, sed omni homini dicitur non te vincat concupiscentia formæ: si non vis vinci, non congrediare peccatis, ne de te vitia coronẽtur: neq; capiaris oculis, neq; abripiaris palpebris. Vilis tibi mulier videtur ad precium, sed ad vitium † appetibilis est: quia mulier virorũ precios as animas capit. Difficile est itaque, vt quisquam libidinis irretitus illecebris immunis euadat. Nec mea tantum hoc sententia

Ioan. 8.
Psal. 93.
Ibidem.
Ibidem.
Matth. 5.
† tractatus.
CAP. 2.
2. Reg. 11.
† subriam.
CAP. 3.
Prou. 21.
Psalm. 32.
Ibidem.
CAP. 4.
Eccle. 26.
Ibidem.
† fœtib.

ſenerétia difficile iudicatur: ſed etiam ſancti Salomonis pro-
uerbiis impoſſibile iudicatum eſt, qui ſuo ductus exemplo
ait: Ligauit quis ignem in ſinu, veſtimenta autem non com-
buret? vel ambulauit quis ſuper carbones ignis, pedes autem
non comburet? Caue ergo & tu, ne intra ſinum tuæ mentis
ignem libidinis & amorem accendas: ne corporeum veſti-
mentum illo animi conſumatur incendio, ac perpetuitatem
reſurrectionis amittas: vel certè veſtigium tuæ mentis vra-
tur, ſi per libidinum faces tibi putaueris eſſe gradiendum.
Nam qui vritur corde: comburitur corpore. Omnibus igi-
tur modis, laſciuæ mulieris vitandus occurſus eſt. Et ideo
prudentiá diſcipulam adquire tibi, inquit, vt te cuſtodiat ab
vxore aliena & fornicaria: ne te laqueis labiorum ſuorum
teneat obligatum, & criniculis erroris inuoluat. Itaque vn-
de debeas cauere meretricem, propheta te docuit: vt à fe-
neſtra caueas eius ingreſſus. A feneſtra enim domus ſuæ in-
trat. Feneſtra eius, eſt oculus: & ideo ad omnes irreuerentes
oculos caue, ne per feneſtram introeat amor, libido pene-
tret. Etenim mulier fornicaria illicit viſu amatorem: & ni-
ſi petulantem obtutum mentis animíque compeſcas, mors
ingreditur per feneſtram. Non eſt deſidioſa petulantia me-
retricis, nõ ocioſa laſciuia: quæ facit iuuenum volare corda,
vt propriæ mentis nequeant tenere conſtantiam: & huc at-
que illuc feruido amore rapiantur. Caue ergo huiuſcemodi
mulierem quæ pedibus non quieſcit, foris errat, inſidiatur
per angulos, oculis ligat, verbis illicit, inſtitis lectum inte-
xit ſuum, & tapetis ab Ægypto ſtratis. Neque enim de co-
gitatione diuina, ſed de ſeculari illecebra aſſumit ornatum:
quæ meritò virum ſuum dicit abſentem, quoniam non po-
teſt adultera omnis Chriſtum habere præſentem. Vides igi-
tur quantis retibus etiam ſanctorum corda capiãtur: & ideo
ne miteris ſi etiam ſanctus Dauid captus eſt, vir quidem
magnus, & qui allophylum immanem corpore, armis quo-
que bellicis inhorrentem, fide vicerit: ſed vtinam ſe ipſe vi-
ciſſet, vtinam ſicut illum aduerſarium ſtrauit, ſic potuiſſet
interioré aduerſarium ſuum ſternere ac ſuperare. Grauior
eſt pugna eius qui intus: quàm illius qui foris dimicat.

¶Sed quid de ſolo Dauid loquor? Accerſamus etiã alios ad
tractatum huiuſmodi, ne imbecillitatem Dauid magis, vnius
ſcilicet hominis, putemus, quàm corporeæ conditionis fuiſ-
ſe infirmitatem. Sampſon validus & fortis, leonem ſuffoca-
uit: ſed amorem ſuũ ſuffocare non potuit. Vincula ſoluit ho-
ſtium: ſed ſuarum non ſoluit nexus cupiditatum. Meſſes in-
cendit alienas: & vnius ipſe mulieris accenſus igniculo, meſ-
ſem ſuæ virtutis amiſit. Salomõ templum deo condidit: ſed
vtinam corporis ſui templũ ipſe ſeruaſſet. Verum ad ipſum
à quo diſceſſit reuertatur oratio. Triumphauit Dauid in de-
cẽ milibus, ſed errauit in viginti & amplius milibus: & quia
errauit, hominem ſe eſſe cognouit, confeſſus eſt culpam, ve-
niam deprecatus eſt, dicens ad dominum: Domine ne in ira
tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Miſerere
mei domine, quoniam infirmus ſum. Si Dauid infirmus, tu
fortis es? Si Salomon lapſus eſt, tu immobilis? Si Paulus pri-
mus peccatorum, tu potes primus eſſe ſanctorũ? Ergo ſi er-
rauerunt iuſti, errauerunt tanquam homines: ſed peccatum
ſuum tanquam iuſti agnouerunt. Si iuſti pœnæ atrocioris
exceperunt ſententiam, tu quemadmodum tibi ſpem impu-
nitatis proponis, cum ſcriptura dicat: Si iuſtus vix ſaluus fit,
peccator & impius vbi parebit? Aduertitis ergo filij, quàm
plerunque etiam bonum propoſitum ſubruat cauſa mœ-
chandi: & ideo cauſas ipſas primo fugere & vitare debetis.
Non vis amore capi, noli in ſpeciem mulieris intẽdere: quia
oculi tui cùm viderint alienam, os tuum loquitur peruerſa,
& iaces tanquam in corde maris, & ſicut gubernator in ma-
gno turbine. Magnam enim faciunt tempeſtatẽ multitudi-
nes cupiditatum: quæ velut in quodam freto corporis naui-
gantem hinc atque inde perturbant, vt gubernator ſui, ani-
mus eſſe nõ poſſit, die ac nocte caliginem amoris ignorans.
Oculis igitur excæcatur libido, ſed ebrietate ſuccenditur.
Omnis enim ebrioſus & fornicator, pauper fiet. Nec tibi de
potentia blãdiaris potandi. Noë inebriatus eſt, & qui nõ in-
ebriatus eſt diluuio, inebriatus eſt vino. Sed ille naturam vi-
ni ignorabat (nõ enim ante potauerat) tu in illo didiciſti ca-

A uere quid debeas. Loth per ſomnũ deceptus eſt: & tu ſi non vis decipi, ſomnum mentis tuæ diſcute, ne ebrio illudat filius, aut filia dormienti. Non pietas illic, ſed ebrietas ridetur: nec pater illic, ſed dormiens circunſcribitur. Vis non vri, noli ad ignem accedere. Vis non præcipitari? Nutantia fuge, prærupta euita, caue caduca, declina labantia. Vides igitur in illis qui iuſti eſſe meruerunt, non alteram fuiſſe naturam, ſed alteram diſciplinam. Poſt primi hominis lapſum, iuſtámque ſententiam, cùm in vno carnis damnatus ſit appetitus, vitium traxit conditio, infecit culpa naturam, ſed naturæ ipſius vitium, fides temperauit, & deuotionis intentio mitigauit offenſam. Conuertimini igitur ad dominum gẽtes, ſcitote quoniam dominus ipſe eſt deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Scitote quoniam caro ſumus & puluis. Relinquamus ergo quę fecimus: & ipſum noſtri veneremur authorẽ, qui vitam dedit, peccata donauit: qui ſolus poteſt dicere, ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates veſtras, & memor non ero. Magnus planè & miſericors deus: qui beneficiũ conſert, nec beneficij munus exprobrat. Miramini quòd
B Dauid regem fecit, victorémq; multarum gentium? Sic ſeruulos ſuos conſueuit euehere. Non auarus munerum, nec beneficij parcus, nec gratiæ anguſtus & frugi: ſed opulentæ largitatis, quos redemit à peccato, auget in prẽmio. Hæc aduerſum Gentiles. ¶Sed quoniam tripertitã diuiſionẽ tractatus huius polliciti ſumus, vnam aduerſus Gentiles, aliam aduerſus Iudæos, tertiam apud eccleſiam: nunc contra Iudæos videtur eſſe tractandum. Aduerſus Iudæos quid igitur nobis propoſitum ſit recẽſeamus. Titulus inquit pſalmi, Dauid intellectus, cùm venit ad eum Nathã propheta: cùm intrauit ad Bethſabee. Nempe hiſtoria hæc & adulterum Dauid inducit & homicidam, & hunc vos Iudæi dicitis eſſe dei filium: ſed deus virtutum eſt, non criminum. Et de hoc dicit deus pater: Thronus eius ſicut dies cœli. qui dolum fe-
C cerit, peccata non vicerit? & quomodo ſcriptum eſt: Nemo ſine peccato, niſi vnus deus? Si igitur nõ poteſt nõ eſſe deus qui dei filius eſt, vtique dei filius, arbiter iuſtitiæ eſt, non obnoxius culpæ. Qua autem opinione vel Dauid dei filium iudicatis, vel Salomonem putatis? An quia ſcriptum eſt: Deus iudicium tuum regi da, & iuſticiã tuam filio regis? & quia titulus pſalmi, in Salomonem pſalmum ſeptuageſimum dicit eſſe cõpoſitum? Sed quem Salomonem dicat aduertite. Salomon enim pacificus eſt: hoc habet interpretatio. Pſalmus in eum dicitur, quem verè ſcimus eſſe pacis authorem. Quomodo autem Salomon pacificus? Non hoc Ioab ſanguis oſtendit, quem inter altaria templi iuſſit occidi: non Adoniæ pœna, quem affectatæ affinitatis regiæ reũ pertulit, nec matris obſecratione ab indignatione reuocatus. Quomodo autem in Salomonem Dauid filium exiſtimatis cõuenire quod ſcriptum eſt: quia permanebit cum ſole & ante lunam in ſecula ſeculorum, cùm ille breuis vitæ adeptus vſuram, anguſtis terminis viuendi ſpacium tranſegerit? Quomodo autem de eo dicitur: Dominabitur à mari vſque ad mare, cum ille intra Syriam conſtitutus, hoc eſt intra vnius regionis prouinciam, circunſcriptos fines habuerit imperij: ſolus autem Chriſtus vſque in orbis terminos ſuum propagarit im-
D perium? Solus enim iſte eſt, de quo bene pſalmi ſeries prophetauit, quia reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſeruient ei. Hũc enim nouimus gẽtibus vniuerſis & nationibus imperãtem: in circunſcripto imperio, intermina poteſtate. Nõ ergo Salomon dei filius. Sed qua ratione eum dei filium putauiſtis? An quia ſapiens fuit? Sed hic ſapientiam poſtulauit: quam quia non habebat, orauit vt acciperet, & accepit. Chriſtus ipſe ſapientia eſt, naturaliter in vniuerſum habens quod in rebus humanis Salomõ accepit per gratiam. Denique quod accipitur ex tempore, in tempore poſſidetur. Salomon enim ſapientiam nec principio ſui habuit: nec in fine poſſedit. Neque enim habere ſe credidit quod popoſcit: & poſtea auerſus à dei cultu, non quaſi ſapiens, ſed quaſi inſipiens lapſus eſt, vt offenderet. Offendit intantum, vt etiam quod meruerat amitteret. ¶Cur igitur hunc dei filiũ credidiſtis? An quia templum deo cõdidit? Sed hinc dominum & deum non eſſe credere debuiſtis, quia ſcriptum eſt: Niſi dominus ædifica-

Geneſ. 19.

Pſalm. 99.

CAP. 6.

Pſalm. 50.

Pſalm. 88.
Matth. 19.
Luc. 18.

Pſalm. 70.

3. Reg. 3.
Ibidem.

Pſalm. 71.

Ibidem.

Ibidem.

CAP. 7.

Pſalm. 126.

ædificauerit ſibi domum,in vanũ laborauerũt qui ædificant eam. In vanum laborauit,qui ædificauit id templum,quod ſubiectus ignis exuſſit. An quia Dauid patri ipſius dictũ eſt: Non tu ędificabis mihi domum: ſed cùm tu dormieris,excitabo ſemen tuum poſt te? Verum ibi quoque templum, nõ corporale non materiale promittitur (neque enim deus in manufactis habitat) ſed templum eſt ſancta eccleſia,quæ vtique nõ humana ſed cœleſti virtute fundatur. Nam ſi præſtantioris licet,ſed humanę tamen virtutis opera miremur, multos huiuſcemodi reperiemus,quos cum Dauid & Salomone cõparare poſſimus. Et ideo vbi operis æqualitas eſt, non eſt excellentia poteſtatis. Nec plures poſſumus dicere dei filios,cùm vnũ dei filium legerimus: ſed non ex beneficiis ſuis quæ in parentes noſtros contulit, facienda eſt iniuria dei filio. Multi enim præclari viri, ſed per vnum Ieſum Naue ſtetit,inquit,ſol cõtra Gabaon. Videtis eum vltra Dauid regis proceſſiſſe virtutem. Terrenis enim Dauid,non ſyderibus imperauit. Videtis etiam ſolem miniſtrum eſſe non dominum,qui etiam voci ſeruierit humanæ. Stetit tamen: quia in Ieſu & typum futuri agnoſcebat,& nomen. Neque enim in ſua virtute,Ieſu Naue,ſed in Chriſti myſterio cœleſtibus luminibus imperabat. Deſignatur enim dei filium in hoc ſeculũ eſſe venturum: qui mundani luminis concidentis & iam vergẽtis in tenebras,virtute diuina differret occaſum,lucem redderet,inueheret charitatem. Enoch quoque raptus eſt ad cœlum,ſed tamen ille raptus eſt,hic regreſſus. Raptus eſt ille, ne malitia mutaret cor eius: ipſam malitiam ſeculi hic aboleuit. Helias curru atque equis aſcẽdit ad cœlum, Chriſtus autem deſcẽdit è cœlo: nec curru & equis,vt ille cõſcendit: quia ille aliter nequiuit,hic autẽ,propria virtute remeauit. Heliſæus in Iordanem leproſum lauare præcepit, vt ab omni contagione mundaretur: hic in Iordanem totum diluit mundum. Moſes ipſe cui crediti ſunt populi Iudæorum, aquas diuiſit: & ille quidem diuiſit elementa, quia non diuiſit potẽtiam trinitatis. Separauit moles aquarum: quia patrem non ſeparauit à filio. Videtis quanti viri: & qualium documẽta operum dereliquerint. Quemadmodum igitur quos pares Dauid regi vel Salomoni virtute cognoſcitis,conditione impares iudicatis,vt Salomonem Dauid filium putetis ad dei ſedere dexteram, præſertim cùm ipſe Dauid euidenter de quo dictum eſſet,expreſſerit? Neq; enim de filio ſuo diceret: Dixit dominus domino meo, ſede ad dexteram meam. Quomodo enim filium ſuum dominum nominaret? Lex prohibet, repugnat religio, abhorret fides: vt ad dexteram dei omnipotẽtis mortalem hominem loces. Alius eſt ille qui ſedet ad dexteram,qui corpus ſuſcepit,non qui cœpit à corpore: qui ante luciferum genitus eſt, id eſt, ante omnium luminum claritatem: quoniã ipſe creauit variorũ luminum dignitates. Nam Salomõ vtique poſt luciferum eſt, Salomon ſacerdos non fuit: & ideo dici ei à domino omnipotente non potuit: Ex vtero ante luciferum genui te. Dici ei non potuit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: maximè cùm illo in tempore quo Salomon fuit ſecundum ordinem Aaron, non ſecundum ordinem Melchiſedech,fuerint ſacerdotes. Adhuc enim ſacerdotes ſanguinem hircorum atque taurorum pro peccatis plebis & erroribus,offerebant. Poſtea verò quàm Chriſtus aduenit,qui ſemetipſum pro ſalute obtulit mundi (vt quos taurorum ſanguis lauare non poterat,Chriſti ſanguis ablueret) ſemetipſos cœperũt offerre pro hoſtiis ſacerdotes. ¶Itaque vna quæſtione dominus noſter Ieſus Chriſtus omnium hæreticorum ora ſepſit, ſacrilegia concluſit. Non ſolum enim Iudæos, ſed etiam Photinianos & Arrianos,& Sabellianos hac redarguit quæſtione: & ideo nobis (quoniam Iudæos defeciſſe iam cernimus, & illam execrabilem perfidiam imminutam) iam de Arrianis qui non multum à Iudæis differũt,Photinianiſque & Sabellianis,aliqua in iſtius quæſtionis tractatu perſtringenda ſunt. Taceat ergo Photinus, qui Chriſtum Dauid filium,non dei dicit: & taceat,damnatus voce cœleſti. Quomodo enim dicit Chriſtum filiũ Dauid eſſe, cùm ipſe Dauid dixerit in libro pſalmorum: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos,ſcabellum pedum tuorum? Si Dauid, inquit, dominum illum vocat, quomodo filius eſt? Non ergo Dauid filius,ſed dei filius Chriſtus. Taceat etiam Sabellianus,cùm leget dominum domino dixiſſe. Intelligat non eũdem & ipſum eſſe,cui dicit,& cui dicitur. Nec enim ſibi pater dixit: Sede à dextris meis,nec ſibi dixit, Ponã inimicos tuos: & aliquando intelligant omnes,filium eſſe qui à dextris ſedet: & hanc diſtinctionem inter patrem filiumque cuſtodiant, vt ſit diſtinctio patris & filij: quòd alius pater,alius filius: quia vna in ſede,vna maieſtate potiuntur,& ſedent,non pro diſcerniculo dignitatis, nec pro ordine poteſtatis: ſed pro copula charitatis: in quo vnam patris & filij intelligant poteſtatem: in quo & Arrius conticeſcat,qui contraria Sabellio erroris vrget veſtigia. Audiat dominum domino dicere, audiat ad dexteram patris filium ſedere: & deſinat de ſermone atque ordine hominum diuinitati facere quæſtionem. Nec argumentetur hic,quia pater dicit,ſede: legimus enim & alibi, etiam ſine patris dicto,ſedere filium, ſicut ſcriptum eſt: Et ſedet ad dexteram dei. Et alibi: Amodo videbitis filium hominis ſedẽtem ad dexteram dei. Ipſe eſt enim cui dicitur,ſede. Qui filius hominis nominatur,audit quaſi homo: ſedet quaſi dei filius. Quid hac poteſt dici præcellentius poteſtate, quæ etiam carnem hominis ad dexteram dei collocauit? & infirmum illud conditionis humanæ (poſtquam tamen verbum caro factum eſt) diuinitati copulauit æternæ? Sed quid hoc eſt? Poſteaquam Photinus obmutuit, Arrius conticuit, Sabellius vocem perdidit: adhuc hæreſes tamen diuerſa contra eccleſiam exercentes ora conſpicio: nam ecce Manichæus & Valentinianus, & omnis deriuatio Manichæorum † meo telo obnititur quo alij ſunt perempti: fidei præiudiciũ fidei teſtificatione molitur. Ait enim deteſtanda hæreſis: Ecce negauit Chriſtus filium ſe eſſe Dauid: & ideo,inquit,credẽdum eſt quòd non ſuſceperit carnem. Quibus apertiſſimè,in ipſo principio euangelij, ſcriptura reſpondet, cùm dicit: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid. Cur igitur aut alibi Dauid filius dicitur, aut alibi Dauid filius negatur: niſi vt intelligas aliud eſſe,ſecundum ſubſtantiam diuinam eſſe filium: aliud ſecundum carnis ſuſceptionem? Nam ſecundum ſubſtantiam diuinam, dei filius eſt: ſecundum carnem,filius Dauid. Itaque vbi generatio ſecundum carnem deſcribitur ſaluatoris: Dauid filius nominatur. Vbi verò plenitudo confeſſionis exigitur (cùm deſignatur generatio ſaluatoris) non vult ſe Dauid filium,ſed dei nominari. Deſignatio enim maieſtatis eius naturã interpretatur: tractatus apud Chriſtianos. ¶Sed iam redargutis ſcæuorum interpretationibus, ad eccleſiam ſermo vertendus eſt. Verum quòd ſæpe titulum quinquageſimi pſalmi repetimus, non præſumptionis, ſed infirmitatis exemplum eſt. Vno enim die,vel per anguſtias ingenij,vel per fragilitatem vocis omnem ſeriem non poſſum explere tractatus. Et ideo quoniã ſuperiore die,aduerſus Iudęos noſter ſermo directus eſt,quos quidem eo vſque documẽta fidei ſubegerũt, vt Chriſt⁹ in cœleſti ſolio collocaretur: quod vtique in hominẽ non poteſt cõuenire. Neque enim alium niſi dei filium,ad dexteram dei ſedere,credibile eſt. Non alius vtique nobis ſedere ad dexterã patris niſi dei filius,(remotis omnibus ambiguis) æſtimandus eſt. Rurſus quoniam ſcriptura habet: Ex fructu ventris tui ponam ſuper ſedem meam, idem vtique dei filius carnẽ ex Maria ſuſcepiſſe credendus eſt, in qua prophetici fructus eſt vẽtris: vt verè ſucceſſionem originis recognoſcas,illúmq; dei filium (factum poſtea filium hominis, per ſuſceptionem ſcilicet carnis) in patris throno cœleſtis ſedere nõ dubites. Neq; enim Chriſtus ſedem aliquam regalem hoc habuit in ſeculo: vt putes aliam Dauid ſimilẽ eſſe promiſſam, cùm ipſe maximè dixerit dominus: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Concluſi itaque vndique, eò perfidiæ ſuæ tentamenta deriuant, vt incredibile eſſe aſſerant, quòd deus ſuſceperit carnem. Qua ratione autem non potuerit ſuſcipere, explicare non poſſunt. Quæro enim, vtrũ impoſſibilitatis an iniuriæ cauſa exiſtiment, carnem à deo ſuſcipi nequiuiſſe. Si impoſſibilitatis, aliquid ergo impoſſibile deo. Nihil verò eſt quod facere voluerit & facere nequiuerit. Supereſt ergo vt aut voluiſſe aut noluiſſe doceatur. Quod autem maius indicium vo-

Iuntatis,

1205

luntatis, quàm quod ipse dixit: Palam apparui non quæren-
tibus me, expandi manus meas ad populum non credẽtem,
sed contradicentem mihi? Si ergo voluit & potuit, an puta-
mus eum causa iniuriæ noluisse? Et quam diuinitas sui sensit
iniuriã? Expers enim est contumeliæ, neque subiecta nostris
est passionibus. Neque enim caro vel detrimentum diuini-
tati afferre potuit vel augmentum. Qui tamen hoc obii-
ciunt, quòd dei filius carnẽ susciperе non potuerit? Si Genti-
les, cur deos suos (quoniam homines fuisse negare non pos-
sunt) humana specie visos esse testantur? An rex eorũ, quem
illis suis diis omnibus anteponũt, prodigiales formas potuit
pro amore susciperе: Christus carnem hominis, quẽ ad ima-
ginem suam fecit, atque illud præstantissimum opus suum
susciperе pro mundi salute non potuit? & pulchrius illis vi-
detur, propter adulteriũ alieni thori, quàm propter redem-
ptionem omnium speciem carnis assumptam? Quòd si Iu-
dæus hoc obiicit, quomodo legit: Ecce virgo accipiet in v-
tero & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel:
quod est interpretatum, nobiscum deus? Quomodo legit:
Ecce qui loquebar assum? Quomodo autem lectum asserit:
Ecce sicut panthera & sicut vrsus aporiatus occurram eis?
Dei ergo filius carnem susciperе nõ potuit pro redemptio-
ne omnium, cùm ipsi negare non possint, quòd pro nostro-
rum supplicio peccatorum, affectum quendam deus ferinæ
crudelitatis induerit: vt qui natura pius est & misericors, no-
strorum tamen scelerum atrocitate cõmotus, assumat etiam
quandam sæuitiam bestiarum? ¶Sed iam quia & superio-
re die & hodie Iudæis satis responsum arbitror: apud vos
mihi fratres dilectissimi prophetici facti ratio præstãda est.
Etenim cùm primum legeretur hic psalmi titulus, quòd ve-
nerit Nathã ad Dauid, cùm intrauit ad Bethsabee, diximus
plurimos serie historiæ huius confundi, & ideo tractatum
eius adsumpsimus tripertitum. Diuisionémque tractatus ita
putauimus esse faciendam, vt apud Gentiles lapsus cõditio-
nis non negaretur, correctio erroris astrueretur: apud Iu-
dæos autem ideo lapsum esse sanctum Dauid doceremus,
ne amplius perfidia claudicarent, eúmque vel dei filium de-
sinerent credere, quem viderent communi conditione ob-
noxium peccato: Christiani verò, † surgẽtis ecclesiæ myste-
ria possint aduertere. Tripertita ergo diuisio facta est: vna
secundum naturam, alia secundum fidem, tertia secundum
gratiã: nec infirmitas excludit à venia, & fides excusat à cul-
pa: gratiam quoque promissam iam dudum sacramenta cõ-
ciliant. Peccauit Dauid, ne totus mundus erraret: peccauit
sibi, vt nobis omnibus emẽdaret: postremò peccauit in cor-
pus suum (qui enim fornicatur in corpus suum peccat) pec-
cauit in corpus suũ, vt in Christi corpore redimeretur. Ec-
ce, quem vix defendendum putabamus, iam cernimus præ-
dicandũ. Quis enim est qui nolit diuina in se magis munera,
quàm humana opera prædicari? Arbitramur enim secũdum
Apostolum iustificari hominẽ per fidẽ sine operibus legis.
Iustificetur ergo ex fide Dauid, qui per legẽ peccatũ agno-
uit, sed peccati veniã ex fide credidit. Iustificetur Dauid, quia
in peccato eius surrepto, ecclesiæ mysteria refulserunt.

¶Dicit aliquis, qua ratione & adulteriũ & parricidiũ com-
miserit, dominici generis author electus à deo. Aliud dico.
Talis author dominici fuit corporis eligẽdus. Quid est enim
corporatio, nisi remissio peccatorum? Et ideo exors pecca-
ti esse non potuit, vt diuinam gratiam & exemplo præfer-
ret & nuncio. Denique ea dispositione Bethsabee & Tha-
mar† matres authores dominici generis computantur: qua-
rum altera adulterium fecit, altera cõmisit incestum. Ea dis-
positione & Achab & Iechonias (sicut Matthæus euange-
lista descripsit) adnumerantur maioribus Christi: vt om-
nes homines redempturus, beneficium à suis maioribus in-
choaret: simul ne quis subiectus corporis passioni nobilita-
tem captasse immaculatæ originis videretur. Hominum e-
nim ista iactãtia est, non alienam gloriam sed suam quære-
re: & tamen inter ipsos homines maior virtutis quàm nobi-
litatis est gratia. Simul edendum exemplum fuit, vt intelli-
gerent omnes, maiorum probra non posse posteris esse de-
cori: quódque vnusquisque successionis maculã propriæ
merito posset abolere virtutis. ¶Vides quantos & quàm

grauiter criminosos dominicæ generationis series compre-
hendat: de quorum origine propter te nasci Christus nõ e-
rubuit. Et hæc si credas, diuinæ misericordiæ munera sunt:
& hoc cœlestis insigne est potestatis. Superabundauit enim
peccatum, vt superabundaret gratia. Non fuit igitur Dauid
exceptus à culpa, vt esset electus ad gratiam. Sed iam my-
steria ipsius recensеamus historiæ, & ex ipsis scripturarum
fontibus hauriamus, atque vt omnem seriem mysteriorum
introspicere possimus, textum ipsius reperamus historię. Sic
nempe in libro Regnorũ meminimus expressum, eò quòd
Dauid lauantem vidisset Bethsabee Vriæ vxorem adamauе-
rit: deinde domum venire præceperit, cùm absens esset vir
mulieris. Nõ multo post maritum eius regressum esse, nun-
ciantem euentum belli, religiosum sanè & deuotum virum,
qui belli tempore nõ putauerit sibi ingrediendam domum,
cùm socios videret prælio intentos, nec domesticis in ta-
bernaculis, sed in præliatibus tentoriis excubantes. Postea
iussu Dauid in bella reuocatum, sub ea præceptione, vt obii-
ceretur aduersariis bellatoribus, quò morte viri liberam co-
piam potiendæ mulieris rex haberet. Et hîc nonnulla est
peccati verecundia, & pudor culpæ, quòd latebram quæsi-
uit erroris: & iniustæ necis, nec authoritatem sibi iure regiæ
potestatis assumpsit: sed inuidiam declinauit, culpam fate-
tur. Sed tolerabilior est quæ premitur verecundia, quàm
quæ insolentia prædicatur. Mortuus est igitur Vrias bella-
toribus obiectus, sed postea iidem qui eum peremerunt, ius-
su Dauid (expugnata vrbe) sunt interempti. Hæc est historię
series, in qua profunda licet spectare mysteria. ¶Et quo-
niam Dauid non defendendum (neque enim meo eget au-
xilio) sed excusandum recepimus vel potius prædicandum,
ne in tanto mysteriorum profundo vacillem, iustum est vt
eius ore vtar, cuius vtor historia. Vtar ergo responsorio pro-
phetico dicens: Cor mundum crea in me deus, spiritum re-
ctũ innoua in viscеribus meis. Nemo enim sine spiritus san-
cti infusione, tanta diuini recessus potest spectare mysteria.
Etenim si ille tantus propheta, spiritus sancti petit sibi mu-
nus infundi, quid facere infirmus debeat, cùm præsertim
Apostolus sanctus populi quoque se putet precibus adiu-
uari, vt aperiatur ei ostium ad loquendum mysterium ver-
bi? O si mihi ostium illud Christus dignetur aperire. Pul-
semus tamen. Solet enim exaudire pulsantes, quia ipse di-
xit: Pulsate, & aperietur vobis. O si mihi seipse referaret,
quia Christus est ianua. ipse intus, ipse extra: ipse via quæ
ducit, ipse vita ad quam contendimus peruenire. Veni er-
go domine Iesu, & aperi nobis fontes tuos, vt bibamus de
aqua, quam qui bibit non sitiet in æternum. Vel si de fonte
adhuc tuo haurire non possumus: dignare concedere vt de
puteo saltem haurire possimus, vnde potum Samaritanæ il-
li dubitanti adhuc mulieri polliceris. Et tu quidem de fon-
te omnibus polliceris: sed dubitantibus, vt illi Samaritanæ,
fons tuus adhuc altus est puteus. Bibamus & nos aquam cœ-
lestium secretorum. Et quoniam ad fontem tuum meruі-
mus peruenire, liceat nobis imaginem saltem mysteriorum
videre cœlestium. Itaq; nisi fallor, per prophetam spiritum
sanctum intelligimus: per adulteram autem, licet synagogæ
fornicationes varias æstimare. Et ideo multo antè cernimus
reuelatum ex spiritu sancto, ex familia Iudæorum (quorum
patres, & ex quibus Christus secundum carnem) dominum
Iesum esse generandum, qui quidem quasi Iudæus ex adul-
tera familia natus est, sed quasi immaculatus ex virgine. E-
rat sub lege, erat quasi sub viro familia Iudæorum. Abolen-
da fuit legis obseruantia, vt veritas substitueretur & gratia.
¶Habemus vnũ mysteriũ, accipite & aliud: ita tamẽ, vt me-
mineritis ex prima conceptione Bethsabee natum esse par-
uulum qui mortuus est, postea natũ esse Salomonem. Illum
paruulum, ex conceptione furtiua: istum verò Salomonem,
iam ex professione coniugij. Licet igitur per Dauid intelli-
gi prophetam, per prophetam populum propheticum: ex
quo & ex synagoga primus ille qui natus est, quoniã dege-
nerauerat à maioribus suis per flagitia formatus, & per vitia
concretus populus Iudæorum, ad resurrectionis æternita-
tem peruenire non potuit, nec in virum perfectum crescе-
re, sed in exigua sensuum paruitate, & quadam virtutis de-

fecit

Rom.10. Rom.5. 2.Reg.11. Psal.50. Col.4. Matth.7. Luc.11. Ioan.14. Ibidem 4.

fecit infantia. At verò ille qui postea ex legitima conceptus
est copula, populus Christianus, ille sapiens atque pacificus
(hoc etiã Salomonis interpretatione referatur) ad incanam
longæuæ resurrectionis ætatem, atque ad regnum illud cœ-
leste peruenit. Per illũ autem populũ lex soluta, per istũ gra-
CAP. 15. tia reformata est. ¶ Accipite etiã tertiũ mysterium. Quod
Philip. 2. Dauid Hebræi dicũt, Latini humiliatũ interpretantur. Quis
est autem verè humiliatus, nisi ille qui non rapinam arbitra-
tus est esse se æqualem deo: sed formam serui accipiens hu-
miliauit semetipsum, factus obediẽs vsque ad mortem? Hic
igitur est qui significatur Dauid, excelsus per naturam, sed
humiliatus per misericordiã: sublimis in diuinitate, sed mi-
tis in corpore. Itaque vbi humiliatus, ibi obediens. Ex eo
enim nascitur obedientia, ex quo humilitas, & in eo desinit.
Cùm enim obediens dicitur factus vsque ad mortem (mors
autem non diuinitatis, sed corporis fuit) non vtique obediẽ-
tia diuinitatis fuit illa, sed corporis, nec humilitas maiesta-
tis illa, sed carnis. Itaque quantum ad susceptionem corpo-
ris spectat, apostolica lectio, in quo Christi fuerit humilitas
declarauit: quòd verò ad naturam spectat diuinitatis, euan-
gelica lectio reserauit: quã pio prosequuti estis assensu, cùm
Ioan. 10. audiretis legi, dicente dei filio: Ego & pater vnum sumus.
Vnum enim diuinitate sunt filius & pater: sed non vnum
sunt, corporis sacramẽtum, & diuinitatis æternitas. Nec so-
lus tamen Apostolus humiliatum dixit esse dominum, sed
Matth. 11. ipse quoque se humilem esse memorauit, dicens: Tollite iu-
gum meũ, quia leue est, quoniam mitis sum & humilis cor-
de. Et tamen non sola interpretatione, sed etiam manifesta
Psal 88. appellatione signatum est, quia scriptum est: Inueni Dauid
Ibidem. seruum meum, in oleo sancto meo vnxi eum. Et infra dicit:
Psalm. 2. Pater meus es tu: &, Ego dicam illi, filius meus es tu. Ergo
Dauid quem qnærebamus inuenimus: seruum quidem spe-
cie, sed dominum in veritate. Hic ergo Dauid, intra domum
deambulauit suam. Quæ domus est, vtique Christi, nisi illa
Ioan. 14. de qua dicit: Quia apud patrem mãsiones multæ sunt? In il-
la ergo regia situs, humanam conditionem nudam vidit, &
miseratus adamauit. Erat enim adhuc nuda virtutum, quia
per insidias serpẽtis, genitalibus erat naturæ suæ exuuiis de-
stituta. Neque enim verisimile videtur, vt ante domum re-
gis mulier nudaretur, ante domum regis fœmina se lauaret:
quasi locus lauacro opportunior alius esse non posset. Non
quadrat, non congruit, non cum fide conuenit. Distat à ve-
ro, abhorret à sensu. Talem rex, tam petulantem, tam proca-
cem, horrere potuit, non amare. An illa si non viros verecũ-
dari, nec regios saltem vereri potuisset aspectus? An illam
priusquam rex videret, nec ministri arcere potuerunt?
CAP. 16. ¶ Ergo si hoc cum fide non potest cõuenire, quæramus quæ
ista sit. Nuda videlicet humana conditio, omnibus vestimẽ-
tis exuta, naturæ carẽs amictu, immortalitatis & innocẽtiæ
spoliata velamine. Nudus est enim, qui peccato nudatur &
Genes. 3. culpa. Denique ille primus nostri generis peccator (atque
vtinam solus) antequam peccaret, nudum se esse non sensit,
posteaquam peccauit, nudum se esse vidit: & ideo tegẽdum
foliis putauit, quia nudum se esse cognouit. Factus est igi-
tur ille sibi nudus, posteaquam factus est reus culpæ. In illo
nudata est omnis humana conditio, per successionem natu-
ræ, non solum culpæ, sed etiam ærumnæ obnoxia. Ergo ille
se nudum sensit & vidit. Vnde ita est omnis nostra cõditio,
vt qui se nudum putauerit, nudum & videat & sentiat. De-
nique qui diuitias concupiscit, nudus est: qui contemnit, o-
pulentus est. At verò suus cuique census ærumna est, & sua
cuique virtus expers iniuriæ est. Ergo humanam conditio-
nem primo per legem sibi Christus in coniugium vindica-
uit, quam repudiauit postea. Vnde & ait, Quis liber repudij
matris vestræ, quo dimisi eam? Hoc igitur genere Christus
familiam suam nudã vidit, & amauit. Amat enim sanctam
Christus animam. Denique amabat Iesus Lazarũ & Mariã.
Ioan. 11. Amabat Christus ecclesiã suam, quãuis nudã, quãuis nullo
adhuc virtutum decore vestitam. Deniq; vt sciamus propo-
sitæ disputationi scripturarum seriem conuenire, discamus
ecclesiam nudam, discamus quærentem, festinantem, & la-
uantem se ante domum Christi, quando baptizabat Ioãnes
Matth. 3. in Iordane, dicens: Ego quidem baptizo vos in aqua, in pœ-

nitentiam: Qui autẽ venit post me, fortior me est, cuius non
A sum dignus calciamenta portare: ipse vos baptizabit in spi-
ritu sancto. Ergo quãdo baptizabatur plebs in pœnitentiã,
Christum vtique domui eius iam vicina quærebat, vt per-
ueniret ad gratiam. Quærebat ergo in Ioãne Christũ eccle-
sia, dicens: Adnuncia mihi quem dilexit anima mea: ipsum Cantic. 1.
causam desiderij, ipsum causam lauacri sibi esse commemo-
rãs: sicut habes, Fusca sum & decora, filia Hierusalem, vt ta- Ibidem.
bernaculum Cedar, vt pellis Salomonis. Habes causam qua
ratione se lauare gestiat, quæ fuscam se esse commemorat.
Nam quasi interrogãti Ioãni, qua ratione plebs multa con-
currens gestiret lauari, respondit, Fusca sum & decora filia
Hierusalem. Quia fusca est, lauari desiderat: quia decora est,
videri nuda non metuit. Nolite, inquit, aspicere me, quia of- Ibidem.
fuscata sum, quia non est intuitus me sol. Ergo fuscamur
quando non videmur à Christo, sed quando videmur, albe-
scimus. Vidit ergo eam ille cui nuda sunt omnia, & interna Psalm. 7.
B pectoris occulta esse non possunt, quia scrutator est renũ &
cordis. Nihil huic tectum, nihil est inuolutum. Vidit eccle-
siam suam nudam, & vidit, & adamauit. Vidit nudam dile-
ctam, & quasi filius charitatis adamauit. ¶ Videte quemad- CAP. 17.
modum videat, quemadmodũ vocet. Non hic adulterij op-
probria, sed mysteria castitatis sunt. Tota es, inquit, formo- Cantic. 4.
sa amica mea, proxima mea, & reprehẽsio nõ est in te. Ades
huc à Libano sponsa, ades huc à Libano, transibis & pertrã-
sibis à principio fidei. Et bene à principio fidei. Ergo vbi fi-
dem habes, adulterium timere non debes. Fides enim con-
iugij est, fraus adulterij. Sed vt adesse possit à Libano, antè
præmisit dicens: Exurge, veni proxima mea, formosa mea, Cantic. 2.
columba mea, perfecta mea. Proxima, vtiq; fidei desiderio:
formosa, decore virtutis: columba, gratia spirituali. Pennæ Psal. 67.
enim columbæ deargentatæ, æternam illam significant po-
testatem: & columbæ volatus, sancti spiritus præsentiã de-
clarauit. Vocat igitur ad se eam Christus vt veniat, quoniã
spiritualibus iam preciis dotata veniebat. Quia ecce, inquit, Cantic. 2.
hyems præteriit, imber abiit, discessit sibi, flores visi sunt in
C terra. Videte quemadmodum sancta inuitetur ecclesia.
Hyems, inquit, discessit sibi, ne hyemem nuda formidet:
hyemem, non temporis sed infirmitatis, quæ ægrum animæ
fœcũdum omni flore dispoliat. Est enim hyems terreni so-
lis: est hyems mentis, quando animo frigus inlabitur, quan-
do vapor animi euanescit, quando soluitur vigor sensus,
quãdo nimius humor exundat & mentem grauat, quãdo in-
terior caligat aspectus. Et ideo ait dominus: Videte ne fiat Matth. 24.
fuga vestra hyeme vel sabbato. Bonum est enim vt tũc dies
iudicij vel mortis aduenìat, cùm viget animi blanda tempe-
ries, cùm cœleste mysterium serena luce resplendet, cùm
cor nostrum ardet in nobis. Tũc enim Christus est præsens,
sicut testantur in euangelio dicentes, Ammaon & Cleopas,
Nónne cor nostrum ardens erat in nobis in via, cùm aperi- Luc. 24.
ret nobis scripturas? Viget autem animus, quãdo etiam flos
videtur in terris. Quis est iste flos boni odoris, nisi ille qui Cant. 2.
dixit, Ego flos campi & lilium conuallium? De quo & in Esaiæ 11.
Esaia scriptum est, Et exiet virga de radice Iesse, & virga ex
radice eius ascendet, & flos ex virga exiet. Radix vtique fa-
milia Iudæorum est, virga Maria, flos Mariæ, Christus. Qui
D quãdo nostra resplendet in terra, & in agro animæ redolet,
vel in ecclesia sua vernat, nec frigus possumus timere nec
pluuiam vereri, sed expectare iudicij diem. Et ideo ecclesia
vt hunc florem videret, omni studio festinabat, sicut ipsa te-
statur dicens: In cubili in noctibus quæsiui quem dilexit a- Cant. 3.
nima mea. Quæsiui eum, & non inueni: vocaui eum, & non
exaudiuit me. Exurgam itaque & introibo in domum, in
foros & plateas, & quærã quem dilexit anima mea. Quæ-
siui, & non inueni eum. Inuenerunt me custodes qui cir-
cumeunt ciuitatem, & me percusserunt, tulerunt pallium CAP. 18.
meũ. ¶ Videtis quemadmodũ quærat quæ desiderat inue-
nire, vt non timeat vulnerari. Sed hæc vulnera non metuẽ-
da sunt, sed optanda: quia vulnera charitatis sunt, sicut ipse Prou. 27.
dicit, Vulneratæ charitatis ego sum. Bona charitatis vulne-
ra. Denique vtiliora vulnera amici, quàm voluptaria oscula
inimici. Meritò ergo nuda, quia pallium perdidit: aut fortas-
sis ideo nuda, quia nonnũquam virtutis est opertum nõ ha-

bere

bere pectus, cor non habere velatum. Denique velatam illam, hoc est synagogã, quæ habebat velamen in lectione veteris testamenti, quod modo reuelatur quoniam in Christo euacuatur: velatã inquam synagogam Christus despexit & despreuit: vnde hodiéque velamen supra cor Iudæorũ est positum. At verò eam quæ tota ad dominum mente cõuertitur, vt gloriam dei speculãtes videre possimus, Christus suscipit atque amplectitur. Denique etiã alibi, nudã esse, virtutis indicium est, quia scriptum est, Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quam igitur tunicam exuerit, & non inuenerit quẽadmodum induat eã: de scripturis si possumus reuelemus. Est enim quædam tunica corporalis, sunt cupiditatum quædam intexta velamina: & ideo interdum melius est nudum esse corpore, quàm corde velatum. Vnde etiam Paulus nos admonet expoliari multò esse melius quàm superuestiri, dicẽs etiam alibi, Expoliãtes vos veterem hominem cum actibus suis, induite nouum qui renouatur in agnitione, secundum imaginem eius qui creauit eum. Ergo quæ expoliata est, & pedes lotos habet, & ideo quæ lauit, nescit quemadmodum inquinari possint. Obliuiscitur enim per gratiam, quod hauserat per naturam. Magnus igitur hic & iustus amor mulieris, ante Dauid regiã se lauantis. Sed nõ solũ lauit, sed etiam vocauit, vt in eodem accepimus libro, dicente sancta ecclesia, Veni frater meus, exeamus in agro, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in vineas, videamus si floruit vitis. Non solum igitur lauat, sed etiã Christum ad se venire prouocat & inuitat dicens, Tibi dabo vbera mea. Nec sua tantum, sed etiam noua ac vetera pollicetur, sicut habes, Noua & vetera frater meus seruaui tibi. Et quasi amoris impatiẽs, quærit adminiculum alicuius, à quo Christus rogetur vt veniat. Videte æstuantem, videte desiderantem. Quis dabit, inquit, te frater mi lactentem vbera matris meæ? Et qua ratione querat, & qua gratia inuitet, & quemadmodum possit tenere demonstrat, quemadmodum foris morantem expectet ostendit, & vt domum suã ingrediatur implorat, dicens, Inueniens te foris osculabor te, assumam te, & adducam te in domum matris meæ, & in secretum eius quæ cõcepit me. ¶Vides quemadmodum nuda sit, quæ nõ potest tectum habere secretum intemeratæ vtique naturæ, secretum intimæ conscientię, non designatũ aliqua temeritate vitiorum. Hortus enim clausus, est ecclesia sancta & immaculata virginitas, quæ ideo hanc gratiam meretur à Christo, quia verbum dei quæ fuit, desiderauit, inuenit, aduigilãs ante ostia sapientię, sicut ipsa dicit, Beatus vir qui audit me, & homo qui vias meas custodierit, aduigilans meis ostiis quotidie, custodiens postes mei introitus. Exitus mei, exitus sunt vitæ. Sic ecclesiæ suæ Christus speciem concupiuit, & parauit sibi eã vxorem adsciscere. Sed quia erat sub lege (sub lege enim Petrus, Ioannes, cæteríque apostolici viri) prius nos obseruantiæ corporalis vinculis relaxandos putauit. Quamuis enim lex religiosa, lex iusta, sicut Vriæ persona inducitur (qui tam religiosus & castus fuit, vt regressus vxorem non recognosceret nec intraret ad eam) tamen quia Vrias in Dauid, hoc est viro humili, copulam cognouit ecclesiæ, à synagogæ coniunctione discedens, locum futuris nuptiis præparauit. Vnde & Ioannes typum accepit legis, qui quamuis esset ex patribus, parari vias domini nunciauit, & ecclesiæ copulã prophetabat: & ideo occisus inducitur, vt defectũ legitimæ obseruationis ostenderet. Lex enim & prophetæ vsque ad Ioãnem. Ergo etiam Vrias occisus est in typo legis, vt synagoga legis laqueis solueretur: quoniam quæ sub viro est mulier, viuente viro ligata est legi: si autem mortuus fuerit vir, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, si iuncta fuerit alteri viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri: ita vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Ergo non adultera humanæ conditioni, quæ licet sub lege fuerit, tamen abolita quodammodo obseruantia legis in gratiam vindicata est. Legis autem obseruantiam non Christus aboleuit: vnde & Vriam non David occidit, sed occidi à bellatoribus passus est: hoc est profanari ritum obseruantiæ ex lege venientis, per incursionem barbarorum & captiuitatem Iudæorum passus est

A Christus. Denique Vrias, lux mea dicitur. Quæ autem Christi lux, nisi lex & euangelium? Si enim crederetis Mosi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit: Quia lux Christi in lege præcessit, cui⁹ postea in euãgelij gratia quasi in †heptamyxo spiritu vniuersa mũdi huius impleuit. Hinc ergo legi carnẽ sustulit vel ecclesiã, & sibi cõiunxit, cuius legis lumen populus hostilis imminuit, quãdo legis sancta violauit. Imminuta ergo lux dei est in populo Iudæorũ, quia cæcitas ex parte in Israel cõtigit, donec plenitudo gentiũ intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. ¶Supereſt adhuc quartũ mysterium, quod quæso placidis accipiatis auribus, & mentẽ nostrã non verba pendatis: non enim in verbo est regnum dei, sed in virtute. Adulteriũ factum est, & homicidium factum est. Hoc est quod dictum est ad prophetã, Sume tibi baculum nucinũ. Et alibi virgã nucinam legimus, per quã intelligimus ius quoddã & summam prophetiæ, quæ more nucis foris amara in cortice, dura in medio testa, tenera intus & fructuosa. Et si igitur in historia amariora auditis, in typo dura cognoscitis, sperate tamen in mysterio fructuosam. Adulterium, inquã, in typo salutis est factum. nõ enim adulterium omne damnãdum est. Denique ad prophetã dictũ est, Vade, accipe tibi vxorem fornicariam. Dominus hoc iubet, cũ ea quæ fornicaria fuerit, esse cõiugium: cuius coniugij (vt supra diximus) partus est Christus. Nanq; filio qui ex fornicatione natus, à domino nomen impositũ est Iezrahel, quod est diuina generatio. Si ergo pia illa copula fornicaria, etiam ista vtiq; pia societas adulteræ copula est. Sed illa de Iudęis: de diuinis autem nõ audeo, licet pium, adulterium nominare, ne quẽ vel sonus sermonis offendat, licet sensus veneratiõnis in prõptu sit: quod potest tamẽ cautius dici, & si non expressius, ex disparibus copulis contubernium piũ factum est: verbum scilicet caro factum est. Nõ sunt enim legitima consortia diuinitatis & carnis: nec vt quodam fœdere cõueniente naturæ, caro animæ & anima carni, ita etiam diuinitas & caro iusti seruant quodãmodo thori legem. Suscepit carnem deus, assumpsit animam, per inusitatam nec legitimam incarnationem, consortium fecit esse legitimum, vt sit deus omnia in omnibus. ¶Denique vt scias esse mysteriũ, interpretare vocabula. Dauid enim accipis in typo Christi. Bethsabee, filia sabbati, aut filia plena, vel puteus dicitur iuramenti. Quid igitur expressius, quàm quod filia sabbati caro Christi est? quia misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Eadem plena, quia in passione eius legis est plenitudo, vel quia plena spiritus sancti. Iesus enim plenus spiritu sancto regressus est à Iordane. Eadem etiam puteus iuramenti, hoc est religionis & fidei. Et bene puteus, quia flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hanc ergo assumens sibi deus verbum copulam fecit esse legitimam, quod mysterium illæ nuptiæ designarunt quæ sunt in Canticis canticorum, quibus Christo ecclesia, & spiritui caro nubit. Et ideo circuncursabat & quærebat vbique dei verbum, quia vulnerata, quia nuda, quia adultera in omnibus (& si immaculata in Christo) quærebat caro misera redemptorem. Hanc sibi Christus iunxit, vt immaculatam redderet: hanc sociauit, vt auferret adulterium. Et quia sub lege erat, moriendum fuit vt liberaretur à lege, vt per illam mortem, velut quoddam legis & carnis matrimonium solueretur. Mortua est igitur in Christo caro, vt nos mortificati legi per corpus Christi (sicut Apostolus dixit) essemus alterius qui ex mortuis resurrexit, & passiones cupiditatésque carnis, & cogitationes peccatorum, quæ per legem erant in membris nostris, in illa morte morerentur: nos autem soluti à lege mortis, quasi noua Christi copula, in nouitate spiritus resurgeremus. Et tamen qui legem in Christi carne soluerunt, eamque putauerunt esse violandam, omnes iussu Dauid à bellatoribus interempti sunt. Quo indicio ostenditur, id quod posteriora docuerunt, esse signatum, quòd eorum qui Christum interfecerunt nullus euaserit. id quod euidẽtissimè reuelatur, eos quos ante mortem assumpserat Iesus, sicut Iudæos, periisse paruulos & informes: eos verò quos post mortem adsciuit in numero filiorum, regno esse seruatos. Vnde iuxta hoc mysteriũ conuenit quòd primus in Iudæis fuerit partus infirmus, vt postea in Christianis

Ioan. 3.

† id est, septiformis.

Rom. 11.

CAP. 20.

Hos. 1.

Ibidem.

CAP. 21.

Gala. 4.

Luc. 4.

Ioan. 7.

Rom. 7.

CAP. 22. nis fieret fructus æternus. ¶Sed iã ad nuncium transeamus. Nam superioribus diebus tractatus nobis de illo inuidioso adulterio & homicidio Dauid prophetę fuit: decursísq; mysteriis, non solum nihil quod cõdemnaretur, sed etiã quod laudaretur, inuenimus. Nunc tractatus incipit esse de nuncio: quem decursi psalmi titulus iam sæpe repetitus ostendit. Sic enim est, Psalmus Dauid intellectus, cùm venisset ad eum Nathan propheta: cùm intrasset ad Bethsabee. Itaque & hæc pars historiæ retexenda est, quæ huiusmodi est. Dines, inquit, & pauper intrã vnã erãt ciuitatem. Diuiti multa armenta, multæ oues, pauperi vna ouis, quæ de pane & vino pauperis alebatur, & in sinu eius requiescebat. Venit hospes ad diuitem, diues neq; de armẽto suo, nec de gregibus suis aliquid abstulit, sed vnã ouem pauperis occidit. Hoc vbi cognouit Dauid: Morietur, inquit, vir ille, & restituet quadruplum. Respondit Nathan: Tu es. Deinde aperuit ei cœleste mandatum, dicens mandasse dominum, quòd multa illi bona, id est, opes regias, sublato de pastorũ numero cõtulisset, quódque in eum suam misericordiam profudisset, & ideo quoniam peccato exasperasset dominum, abducẽda eius omnia, rapienda ab hostibus, depopulandam domum. Tunc ait ille: Peccaui. Et respondit Nathan: Quoniam peccasse te confiteris, remittet tibi dominus peccatum, sed filius tuus qui natus est ex Bethsabee, morietur. Hoc filio ægrotante, Dauid fleuit, humi iacuit, cilicio se operuit, ieiunauit: vbi mortuum cognouit, surrexit, lauit, cœnauit, alios consolatus est. Videte quàm multa. Primo omniũ, quòd deus pius & misericors est, & quæ nobis aduersa contingunt, pro precio nostri erroris excipimus. Didicimus igitur captiuitatem precium esse peccati: hæc enim decernitur pœna pro crimine. Deinde illud aduertimus, quòd regum lapsus, pœna populorum sit. Sicut enim eorum virtute seruamur, ita etiam errore periclitamur. Vnde optandum est nobis, vt regẽ glorioſum atque perfectum habere possimus. Nos ergo qui regem volumus habere perfectum, dominum nolumus habere perfectum? An verò illi possunt velle hominem esse perfectum, qui deum nolunt esse perfectum? Illud etiam breuiter textus operatur historiæ, vt aduertamus quàm citò veniæ spes sequuta sit. Non mediocre autem, quòd Nathan denunciauit ei: hoc est inferior propheta. Grauis enim verecundia pudórque delicti, ab inferiore reprehendi. Videtis quòd culpa gratiam minuat? Sciebat Nathan, quòd Dauid nesciebat: adeò caligat animus, obumbratus quadam nube vitiorum. Deinde hic est Nathan, qui in superioribus Dauid acceptum domino prophetauit, vt doleret eodem redargutum esse peccatum, quo prophetãte meritum fuerat prædicatum. ¶Sed iam mysterium requiramus. Duo, inquit, viri erãt in vna ciuitate, vnus diues & alter pauper. Quis est hic diues aut pauper, nisi fortè vnus populus Iudæorũ, & alter, populus Christianus? Ille diues in lege, diues eloquiis dei sibi creditis, diues prophetis, diues oraculis: hic verò pauper. Sed nolite hanc refugere paupertatem, quam sequitur regnum cœlorum. Scriptum est enim: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorũ. Bona paupertas, quę quod habuerit, non amittit. Bona paupertas, quæ si thesaurum non habet pecuniæ, habet tamen thesauros sciẽtiæ atque sapientiæ. Nolite filij quasi vilem despicere paupertatẽ. Iste pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum. Nolite quasi magnis inuidere diuitiis. Diuites egerũt, & esurierũt. Sed si vultis habere bona, dominum quærite. Inquirentes enim dominum, non deficient omni bono. Ergo nolite recusare omnem paupertatẽ. Pauper erat Petrus, & quem donaret numulum non habebat, sed preciosiorem omni pecunia donabat salutem. Pauper erat ille Lazarus in euangelio, sed ille qui antè in ostro diues iacebat & purpura, optabat post exitum vitæ stillante digito pauperis refrigerari. Quãuis ille ostro superbus regio, & purpuratis vestibus, vulnera pauperis diues fastidiosus horruerit, tamen in inferis locatus optabat eo loci fuisse quo Lazarus. Quo loco lectio nõ videtur pecuniarum diuitem pauperémque describere, sed eum pauperem, qui pro fide & deuotione vulnera corporis non horruerit, famem ieiuniúmq; tolerauerit. Dum igitur haberet populus Iudæorũ in suis gregibus plurimas copias

Psalm. 50.

2. Reg. 12.

Act. 3.

Luce 16.

A hostiarũ, tamen vnam ouiculam quam populus ille pauper habẽbat eripuit, glorioſæ illi subiiciens passioni. Vis scire quam ouem? Sicut ouis ad victimam ductus est. Qui pane pauperis alebatur, & potu pauperis vtebatur, & in sinu pauperis dormiebat. Nostris enim alebatur alimentis, in nostri pectoris gremio quiescebat. Nam in Iudæorum sinu quiescere se non posse memorauit, dicẽs: Filius hominis non habet vbi caput suũ reclinet. Et venit hospes, inquit, ad virũ illum diuitem. Quis est iste hospes, nisi miserabile peccatum? Et enim culpa in hunc mundum tanquam hospes intrauit, aliena nostræ & peregrina naturæ. Itaque non de suis gregibus hostiã obtulit, sed accepit ouiculam pauperis, & occidit. Cuius quidem passio licet ad sacrificium salutare profecerit, tamen videtur illis fuisse furatum alimẽtum, & cibus culpæ, incentiuúmque peccati. Denique Iudas panem accepit à Christo, & tunc magis repletus est diabolo: quia non accepit ex fide, qui tam hospitali domino proditionem parabat. ¶Et iratus est Dauid ad virum illũ. Diximus quod per

B prophetam Iudæorum populus declaratur, & ideo sub hac figura se ipse condemnat. Dignus est morte vir ille qui fecit hoc, & ouiculam restituet in quadruplũ: hoc est, perituram populum Iudæorum, sed cumulatioribus bonis futurũ populum Christianum: quia præstabilior est præsentibus, status qui ex resurrectione debetur. Propositum mihi fuit (vt meminisse dignamini) aduersus eos qui homicidiũ adulteriúmque sancti Dauid arguendum putant, qualicũque meo respõdere sermone: & ita fauore vestrę vnanimitatis tractatus nostri cursus euasit, vt prędicandus ore omnium videretur, quem putabamus non posse defendi. Sed quoniã noſtro vir sanctus auxilio non indiget, iam ipse vobis pro se loquatur, & factum suum ipsius oratio defendat. Miserere, inquit, mei domine, secundum magnam misericordiam tuam. Noua, nisi fallor, fratres chariſſimi coniunctio ista sermonis, vt magna misericordia diceretur. Non facilè alibi lectum memini, & ideo quæ sit magna misericordia non facilè dixerimus. Legimus tamen magnam dei virtutem. Et ideo consi-

C derantes quæ magna sit virtus, coniicere poterimus, quam misericordiam magnam voluerit designare. Legimus enim in sancto Hieremia. Quis es domine? Tu fecisti cœlum & terram, in magna virtute tua, & brachio excelso. Virtus ergo magna cœlum fecit. Quæ est virtus magna? Patris, an filij? Magna vtique patris virtus est: ipse enim per filium cœlum fecit & terram, sicut habes, In principio fecit deus cœlum & terram. Tamen & filius magna virtus est. Nam cùm virtutem patris filium legeris, sicut habes Christum dei sapientiam atque virtutem, vtique cùm virtus patris filius sit, magna virtus est filius. Quemadmodum igitur omnipotens denegatur, quem fatemur magnam dei esse virtutem? Hæc igitur magna virtus cœlum fecit, & filius, sicut habes, Omnia per ipsum facta sunt. Ergo si & pater fecit & filius, vtique facti vnitas, operationis indicat vnitatem. Non ergo operatio patris & filij discrepat. Si autem vna opera, vna vtique operationis potestas est, & maiestas vna factorum est. Hæc de patre & filio. Quid ergo silemus de spiritu, præsertim cùm scriptura nos diuina non patiatur silere? Dat enim

D locus opportunissimum testimonium, ad sancti spiritus vnitatem cum patre & filio comprobandam, vt eius quoque operationem ab opere patris & filij dissociare nequeamus. Legimus enim magnam virtutem patris esse, quòd cœlum fecit, magnam virtutem etiam filium esse, quoniam cœlum fecit, nec solum fecit, sed etiam firmauit. Verbo enim domini cœli firmati sunt. Ergo si & fecisse & firmasse cœlũ, magnę virtutis est, etiam spiritum sanctum à maiestate magnæ virtutis separare non possumus, quia scriptum est, Et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Nãque cùm cœlum fieret & terra, superferebatur spiritus. De quo alibi ait prophe-

Psalm. 32.

Ibidem.

Ibidem.

Psalm. 103.

Psalm. 4.

ta Dauid, Emitte spiritum tuum & creabuntur. De quo etiam alibi dixit, Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum. Non enim corporalibus digitis deus cœlum fecit & terram, sed spiritus gratia septiformis: illo videlicet digito, de quo habes in euangelio: Quòd si in digito dei eiicio dæmonia. Si igitur digitus dei spiritus est, quoniam brachium dei filius est, vtique spiritus cooperatus patri & filio, per

Luce 11.

1213

per vnitatẽ operationis cœlum fecit & terrã. Ideo enim di-
gitum filius nuncupauit, vt tanquã vnius corporis, ita diui-
nitatis exprimeret vnitatem. Itaque si magna virtus cœlum
condidit, vtique magna sapientia cœlum cõdidit, quia scri-
ptũ est, Omnia in sapientia fecisti. ¶ Didicimus igitur quæ
magna sit virtus, colligamus nunc quę magna sit misericor-
dia. Si magna virtus cœlos fecit, & magna misericordia de-
bet esse de cœlo. Iustitia enim de cœlo prospexit, & miseri-
cordia venit è cœlo. Magna ergo facta misericordia, quia
verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ergo magna
virtus cœlos fecit, magna virtꝰ cœlos inclinauit, sicut legi-
mus, Et inclinauit cœlos & descendit. Quo ostenditur nun-
quam diuinitatis suæ exors fuisse dei filius, nec cũ inter ho-
mines versaretur, quoniam & si susceperit quod non erat, non
deliuit tamen esse quod erat. Itaque cùm dicitur, Et inclina-
uit cœlos & descẽdit, non tã videtur cœlos inclinasse, quàm
ipse de cœlo descẽdisse. Nam cùm pater filium alloqueretur
in terris situm, angeli ministrarent, non tam mutasse videre-
tur sedẽ dei filius, quàm trãstulisse. Ergo didicimus magnã
esse misericordiam. Itaque si magna misericordia est descen-
disse de cœlo, quæcunq; sit multitudo miserationũ tuarum,
dele iniquitatem meam. Non enim idem significat vterque
versiculꝰ, sed illud ad incarnationẽ refertur, hoc verò quod
sequitur, ad eas referẽdum videtur quas deus in carne susce-
pit iniurias, quia ieiunauit, quia esuriuit, quia fleuit, quia va-
pulauit, quia crucifixus est, quia mortuus est, quia sepultus
est. Hæc enim carnis, nõ diuinitatis insignia sunt. Et necessa-
rium fuit, vt ærumnarũ multitudinem miserationum multi-
tudo depelleret, profutura nobis dominicæ certamine pas-
sionis. Nõ enim sua peccata delebat, quia peccatum nullum
fecerat: sed quia peccatum factus est, nostra erant delenda
peccata, sicut Dauid dixit, Dele iniquitatem meã. Quid est
dele? Videamus hoc verbum: non enim ociosum est. Deni-
que & alibi ait, Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & me-
mor non ero. Sunt profectò altè impressa quædã conscien-
tiæ nostræ vlcera delictorum, & quædam mentium nostra-
rum animorúmque vibices, quæ errorum nostrorum obdu-
cũtur vlceribus. ¶ Habet ergo culpa characteres suos & api
ces, quibus proditur, quod non ingenio nostro affingimus,
sed prophetica authoritate signamus. Scripta est ergo, &
vbi scripta sit vide. In † pectore, inquit, cordis tui. Hoc est,
ibi scripta est culpæ series, vbi etiam forma virtutis, nõ in ta-
bulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Sed quæ bo-
na sunt non atramento scribuntur, sed spiritu dei viui. Quæ
autem vitiosa, graphio ferreo & vngue adamantino. Talis
propemodum scriptura, qualis est pœna peccati. Scribitur il-
la graphio ferreo, hæc virga ferrea coercetur, sicut scriptum
est, Reges eos in virga ferrea. Alia est illa recta virga regni
tui, quæ supplicio coercet noxios, ac innoxios gubernat im-
perio. Ergo scripta est culpa, videamus vbi. Non foris, sed
in† in corde tuo, & in pectore tuo. Sicut enim prope est ver-
bum in ore tuo & in corde tuo, sic infidelibus in ipso corde
exprimitur figura peccati, & erroris effigies. Intus igitur est
culpa, intus est & virtus. Et ideo dominus, Sentio, inquit, de
me virtutem exisse, vt ostenderet quæ bona sunt de interio-
re procedere, & contrà, quæ mala sunt de interiore prodire.
Non enim quod intrat, inquit, in os coinquinat hominẽ, sed
quod exit de ore. De corde enim tuo cogitationes proce-
dunt, & ideo caue ne de corde tuo malæ cogitationes proce-
dant, quæ te posteriore tempore arguãt & accusent. Non e-
nim deus testimoniis ad reuincendum te argumentísque in-
get, tua te ipse culpa accusat & prodit. ¶ Deíde bene in hoc
psalmo Dauid dicit, Et delictum meum cõtra me est. Væ e-
rum mihi quod latere cupio, & latere non possũ. Quomodo
enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorũ indi-
cia delictorum? Nudabitur in illo iudicij die vniuscuiusque
pectus, testimoniũ reddente omnibus conscientia sua, & in-
dicem accusantibus cogitationibus aut etiam defendẽtibus,
in die qua iudicabit dominus occulta hominũ. Quis pudor
ille cùm prodi omnibus cœperit quod putabamus occultũ?
cùm aperire se cœperit vniuscuiusque imago delicti, vt v-
nusquisq; sui criminis serie reuincatur? Quis pudor cũ illũ
quem despicabilẽ in hoc seculo iudicabas, videris esse prela-

A tum? cum illum seruum tuum, illũ quem iuxta seculi huius
astutias ineptum & inhabilẽ arbitrabaris, in placitis sibi di-
uitiis cognoueris honoratũ? Ergo dum viuimus, confugia-
mus ad eum qui potest delere peccatum? Nec vereare, quod
graphio ferreo scriptum est, & vngue adamantino: hic enim
portas ferreas adamantinásque cõfregit, nec timeas culpam
fateri. Confessus est Dauid, agnouit iniquitatem suã, agno-
uit errorem, & ideo ait, Quoniam iniquitatem meam ego *Psalm.50.*
agnosco. Dauid agnoscit, & tu non agnoscis? Dauid fatetur,
& tu negas? Paulus se nocentem clamat, & tu te innocẽtem
asseris? Non est igitur maximus erubescendi locus, quando
cum plurimis peccati mixta consortia sunt. Sequamur ta-
men studiũ corrigendi. Neque rursus paueas, ne culpæ con-
fessio teneatur ad pœnã: bonus enim & misericors deus nõ
solum culpam ignoscere confitentibus, sed etiam præmia
corrigentibus impertire cõsueuit: si tamen vnusquisque si-
bi donari petat, quod intelligit non latere. Dic ergo iniqui-
tates tuas, vt iustificeris. Dei vox ista est, volentis ignoscere:
dei vox ista est, promittentis quod tuũ velit delere peccatũ.
B ¶ Tibi peccaui (Dauid dicit) & malum corã te feci. Hoc est, CAP. 28.
& si homines nõ vident, sed tu vide: & si homines me diiu-
dicare non possunt, qui participes delictorum sunt, tu tamẽ
iudex es singulorum, quia expers es delictorum. Quamlibet
in corde intimo cogitationes noxiæ lateant, coram te tamẽ
sunt, qui potes dicere, Quid cogitatis mala in cordibus ve- *Matth.9.*
stris? Nẽpe Christus hoc dicit. Qui ergo nouit quid in cor-
de sit scriptum, potest delere quicquid in corde cõscriptum
est. Cui se fatetur nosterDauid non solũ in seipso, sed etiam
in primo homine peccasse, dum præcepta diuina temerãtur.
Quo licet aduertere fratres dilectissimi, quemadmodũ om-
nes hæreses, dum se impugnant, in se recurrant. Itaque Ar-
riani, dum patris & filij separant potestatem, in eum furio-
sæ exitum disputationis incurrunt, vt cum Manichæis eorũ
cõcurrat assertio. Illi enim dicunt, alterũ deum esse veteris,
alterum noui testamenti. Quam prophanam assertionẽ ec-
clesia sancta condemnat, quæ vnum deum legit, quia vnus *1.Cor.8.*
C pater, ex quo omnia, & nos in ipsum: & vnus dominus Ie-
sus, per quem omnia, & nos per ipsum. Vtique omnipotens
potestas & vna, patris & filij declaratur, vt nec patrẽ à no-
ui testamenti gratia secernamus, nec rursus ab instauratio-
ne mundi filium separemus.
¶ Denique consideremus vtrumque, cùm idem deus v- CAP. 29.
triusque sit conditor testamenti. Nempe omnes in primo
homine peccauimus, & per naturæ successionẽ, culpæ quo-
que ab vno in omnes transfusa successio est. In quem ergo
peccaui? In patrẽ, an in filium? Vtique in eum qui mihi cre-
didit, quod non seruando peccaui. Mandatum est homini, *Gen.2.*
vt ab omnibus gustaret quæ erant in paradiso, sed lignum
scientiæ boni & mali non tangeret. Adam ergo in singulis
nobis est. In illo cõditio humana deliquit, quia per vnum in
omnes pertransiuit peccatum. Video summam mihi credi-
tam, video quæ præuaricationis æra contraxerim, dum veti-
ta & interdicta degusto. Hinc debeo commissæ sortis vsu-
ram, quia creditum mandatorum cœlestium fœnus, intemе-
rata fides seruare non potuit. Agnoscamus etiam creditо-
D rem, agnouimus debitorem. Nempe ius est vt exigat & re-
laxet, & ideo idem relaxat, qui ius habet exigendi. Cùm igi-
tur in euãgelio Christꝰ dixerit mihi, Remissa sunt tibi pec- *Luc.7.*
cata tua, nonne eundem intelligo dominum sortis, quem ar-
bitrum venire cognosco? Aut si pater credidit & filius rela-
xauit, non per vnitatem, vt nos dicimus, sed vt Arriani as-
serunt, per distantiam potestatis: alius ergo deus credidit, a-
lius relaxauit. Vnde incurrunt, vt Manichæorum perfidiã
non euadant. Deinde vnum dicendo bonum deum, ad-
uertant quos laqueos dementiæ suæ incidant. Si bonus est
qui credidit, quomodo non est bonus qui relaxauit? Ergo
cum illis partem habeant Arriani, in quorum assertionem
perueniunt. ¶ Nec mirũ si is qui semel deuiare cœpit à ve- CAP. 30.
ro, nexibus se alieni erroris inuoluat. Et ideo vna est sen-
tentia, quæ hæreticorum omnium machinas destruat, vt v-
nius potestatis, maiestatis atque virtutis trinitatem esse cre-
damus, & ideo quod filius fecit, non separemus patrem, nec
ab eo quod pater mãdauit, filium segregemus. Ita enim fiet,

vt non alterum deum veteris, alterũ noui teſtamenti inducamus, ſed per vnitatẽ poteſtatis & filius in patre, & pater intelligatur in filio, & filius fœneretur in patre, & pater relaxet in filio. Nam & pater dimittit peccatũ, filium dimiſiſſe iã diximus. Accipite quia dimittit & pater. Dimitte, inquit, nobis debita, id eſt peccata noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Vtique ex perſona noſtra hoc filius patri dicit. Nec ideo dicit, quaſi dimittere ipſe non poſſit: ſed ideo dicit, vt vnitatẽ poteſtatis intelligas. Denique ſi authoritatem quæris in filio: Iam vos, inquit, mundi eſtis, propter ſermonem quem locutus ſum vobis. Dimittit ſermone, dimittit imperio: ſed cũ ratione dimittit, dicens: Vade, & poſthac vide ne pecces. Habes authoritatem, quia vetera donauit: habes iudicium, quia futura præſcripſit.

Matth. 6.

Ioan. 15.

Ibidem 8.

Diui Ambroſij

MEDIOLANEN. EPISCOPI,

de interpellatione Dauid.

CAP. I.

MVlti quidẽ deplorauerunt infirmitatẽ fragilitatis humanæ, excellentius tamen cæteris ſanctus Iob, & ſanctus Dauid. Ille ſuperior, directꝰ, vehemẽs, & acer, & quaſi grauibus exaſperatus doloribus, maiore cothurno: hic blandus & placidus atque manſuetus, mitiore affectu, vt verè, quem imitandum ſibi propoſuit, cerui imitaretur affectum. Nec te moueat, ſi tantum prophetam feræ ſimilitudine videar prædicare, cùm legeris ad apoſtolos dictũ: Eſtote aſtuti ſicut ſerpentes, ſimplices ſicut columbæ. Sed tamẽ quanuis iſtiuſmodi ſimilitudines piis aſtruantur exemplis, ſitque innocens & mitis natura ceruorum, illum ceruum ad imitationem prophetæ propoſitum hoc loco arbitror, de quo Salomon paternæ mentis aſſertor in Prouerbiis dixit, Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarũ confabuletur tibi. Verus enim dei filius in ſemetipſo naturã quam animantibus ipſe donauit expreſſit, qui in hunc mundum tanquam ceruus aduenit, & cum his ſe mira ſimplicitate iungebat, à quibus ei parabãtur inſidiæ. Fertur enim huiuſmodi ceruorum eſſe ſimplicitas, vt cùm ſe exagitari viderint, his ſeſe equitibus annectãt, qui miniſterio fraudis appoſiti, fugæ ſpecie, ac ſimulatione ſocietatis inductos, ad retia vſque deducãt. Ita ergo dominus, tanquã ignarus periculi atque improuidus, Iudæis dolũ ſibi ſtruentibus admiſcebatur, & ſocietatem Iudæ proditoris ſibi aſſciuit, cuius ſimulatione funeſta, vſq; ad crucis laqueos, & paſſionis retia peruenit. Vnde conuerſus ad eum dixit: Iuda, oſculo filiũ hominis tradis? Et hoc quidem modo venit ad ſynagogę retia, volénſque ſe induit, ſed non implicitus eſt, nec inſtrictus, qui omnes reſoluit. Denique eminebat ſuper retia. Et quia eum ſui non ſuſceperant, vocabat eccleſiam, & ſuam ei gratiã cõferebat, ſicut ipſa ſancta eccleſia in canticis proteſtatur dicẽs: Adiuraui vos filiæ Hieruſalẽ in virtutibus & fortitudinibus agri, ne ſuſcitaueritis, & ne reſuſcitaueritis charitatẽ, vſquequo voluerit. Petit ergo in odore agri quem olebat ſanctꝰ Iacob, id eſt illa fide, illa deuotione excitari ſponſam ſuam à filiabus Hieruſalẽ vt feſtinet ad ſpõſum, & excitari eius in ſe charitatẽ, aut etiam ipſum excitari, quia charitas ſpõſus eſt. Deus enim charitas eſt, ſicut dixit Ioãnes. Sed ille nõ eſt paſſus ſe ab eis excitari: quia ſponte properabat, egreſſus de thalamo, exultauit vt gigas ad currendã viam. Vidit eum ſpõſa, & vocem venientis audiuit: ſubitóque conuerſa ait: Ecce, hic aduenit ſaliens ſuper mõtes, tranſiliẽs colles. Maiores enim ſalit, minores trãſilit, ne pię feſtinationis impedimẽta patiatur. Similis eſt, inquit, cõſobrinus meus capreolæ hinnulóque ceruorum ſuper mõtes Bethel. Bonus ceruus, cuius mons eſt domus dei, in quam tanta celeritate currebat, vt ſpõſę vota & deſideria præueniret. Denique quem de longinquo venientem videbat, repẽte ſibi adeſſe cognouit: vnde & ait: Ecce hic eſt poſt parietẽ noſtrum, proſpiciens per feneſtras, eminẽs per retia. Reſpondit conſobrinus meus, & dixit mihi: Exurge, veni proxima mea, formoſa mea, columba mea, quia ecce hyems præteriit, imber abiit, diſceſſit ſibi, flores viſi ſunt in terra. Hyems, ſynagoga eſt: imber, populus Iudæorum, qui ſolem videre nõ potuit: flores apoſtoli ſunt. Et addidit: Meſſis inciſionis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra. Meſſis illa, eccleſiæ fides eſt: vox turturis, pudicitia eſt. Nec his ſolis contẽtus, ſed etiam cerui ſimilitudinem ſuſcipit Chriſtus, quia veniẽs in terras ſerpentem illũ, diabolum ſine vlla ſui offenſione protriuit, cui calcaneum ſuum obtulit, ſed eius venena nõ ſenſit. Vnde dictum eſt ei: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis. Simus ergo & nos cerui, vt ſuper ſerpentes ambulare poſſimus. Erimus cerui, ſi vocẽ Chriſti ſequamur, quæ nos & præparat ceruos, & facit morſus ſerpẽtium non timere: ac ſi qui fortè fuerint vulnerati, aufert eorum dolorẽ, ſoluẽdo delictum. De his ceruis dicit dominus ad Iob: Cuſtodiſti partus ceruorũ, numeraſti autem menſes eorum, plenos partus. Partus autem eorũ ſoluiſti, vel enutriſti filios eorũ, vt non timeãt. Audi quomodo non timeãt filij ceruorũ talium. Doceat te Eſaias dicens: Et puer paruulus mittet manum in cauernã aſpidum, & nõ illis nocebũt. Et vt agnoſcas quòd eccleſiæ filios ſignificare videtur, addidit: Partus autem eorum emittes, dirumpent filij eorum, & multiplicabuntur, in generatione, exibunt, & non reuertẽtur retro. Nemo enim mittẽs manum ad aratrũ, & aſpiciens retro, habilis eſt regno dei. Meritò ergo ceruus factꝰ eſt dominꝰ, vt tales ſibi ceruos dominꝰ præpararet. De quibus ait: In nomine meo dęmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpẽtes tollent, & ſi mortiferũ quid biberint, non eis nocebit. Tollebant enim ſerpentes, cùm ſpiritu oris ſui ſancti apoſtoli de latebris corporum eruerẽt nequitias ſpirituales, nec venena mortifera ſentiebant. Denique cùm exiliens de ſarmentis Paulũ vipera momordiſſet, videntes Barbari pendentem viperam de manu eius, putabant repẽte moriturũ. At ille ſtabat intrepidus, nec vulnere mouebatur, nec veneno infundebatur. Vnde videntes eum, non tanquam hominis conditione genitum, ſed tanquam dei gratia editum, ſupra homines eſſe arbitrabãtur. Vide ceruum viperam de latebris eruentem, ſpiritu diuino, qui erat in naribus eius, ſicut dixit dominus ad Iob. Conuerſus, inquit, Paulus in ſpiritu, & reſpiciẽs cum dolore, ait ad Phytonem: Præcipio tibi in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, continuò exire ab ea. Et exiuit eadem hora. Vide ceruum venientem ad baptiſmum, qui ſacri fontis ablutus irriguo, omnia perſecutionis venena reiecit. Vide ceruum dominum Ieſum, quando venit ad Ioannem Baptiſtam, & dicente ſibi Ioanne, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me, reſpõdit: Sine modo. Et hoc dicto, in aquas (ſalutem ſitiens publicam) tota auiditate deſcendit. ¶ Sed iam ſatis nobis in exordio tractatus, ſicut in principio anni, more vulgi ceruus alluſit. Pergamus cætera. Interpellat (vt dixi) Dauid dicens ad dominum: Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarũ, ita deſiderat anima mea ad te deus. Sitiuit anima mea ad deum viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem dei. Æſtuat ſanctus, nec ſeſe capit. Maior animi magnificentia, quàm cuiuſlibet corporis magnitudo: & ſecurus meriti, de terrenis ad cœleſtia euolare deſiderat, ſicut & alibi dicit ipſe: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Hic enim ſunt laquei, quibus & ſi non implicatur iuſtus, tamen impeditur, hîc dolores & ſollicitudines, illic lætitia, ibi gratia, hîc poſtremò corporis vincula, quæ Paulus ſoluere geſtiebat, vt omnibus exutus impedimentis, domino liber aſſiſteret. Hoc ergo ſitiebat anima Dauid, vt iam non per fidem, ſed facie ad faciem deum videret, nec ſolum peregrinaretur à corpore, ſed corpore ſolueretur. Diſſolui enim & cum Chriſto eſſe multo melius, quia iuſto mori eſt lucrum. Et grande quidem lucrum carere peccato, delictorum illecebris non moueri. Quis enim mundus à ſorde, quando nec vnius diei vita hominis in terra caret delictorum contagione? Viuendo ergo damna contrahimus innocentiæ, morte finem erroris adipiſcimur. Lucrum ergo morte acquiritur,

Matth. 10.

Luc. 22.

Cãt. 2. & 8.

Gene. 27.

1. Ioan. 4.

Pſalm. 18.

Cant. 2.

Ibidem.

Pſalm.

Ibidem.

Ioan.

Matth.

Pſalm.

Ibidem.

1217

quiritur, vitæ autẽ vſu tanquã miſeris debitoribus vſurarij nominis ad reatũ fœnus augetur. Et bene ſitit anima, quæ feſtinat ad fontẽ, nõ aquæ iſtius, ſed vitæ æternæ, de quo ſupra dixit, Quoniã apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Meritò ergo Dauid properabat peruenire & apparere ante faciem dei, cuius vultus lumẽ eſt, quia omnes quos dominus ſpectat, illuminat. Fuerũt, inquit, lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt deus tuus. Ibi bene lachrymæ panes ſunt, vbi eſuritur iuſtitia. Beati enim qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Sunt igitur lachrymæ quæ panes ſunt, & confirmant cor hominis. Cui diſputationi etiam illud eccleſiaſticum conuenit dictum. Mitte panẽ tuum ante faciem aquæ, quia vbi panis cœleſtis, ibi aqua gratiæ: quoniam rectè accipiunt ſubſtantiam verbi & myſticę rationis alimentum, quibus flumina aquæ viuæ de vẽtre labũtur. Similiter quoque hic panis ibi viuus, vbi aqua lachrymarum, & fletus eſt pœnitentiæ. Sic enim ſcriptũ eſt, In fletu exierunt, & in conſolatione reuocabo eos. Beati ergo quorũ panis lachrymæ, qui ridere meruerunt, quia beati qui fletis. Horum memor, inquit, effudi ſuper me animam meam. Sanctus colligit ab his quæ foris ſunt, & ſupra ſe effundit animam ſuam, vt anima ſupra corpus effuſa infirmitatem carnis abſcondat, tegat corpus ad pœnitentiam, & virtus vbique animę mentíſque prætendat. Vnde & in poſterioribus dicit, Effundam in conſpectu eius orationem meam. Vbi effunditur oratio, ibi peccata tecta ſunt. Quorũ aũt memorẽ ſe dicit? Eorũ vtique quæ deſiderabat vt veniret, & appareret in conſpectu dei, vt eius aulam illam videret æternã, in qua ſpaciabatur animo, & præſumpto delectabatur ingreſſu: Quoniam ingrediar, inquit, in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum dei. In voce exultationis & cõfeſſionis, ſonus epulantis. Nõ immeritò flebat, quoniam verſaretur in terris, cui cœleſtia tabernacula debebantur, & quem aulæ potentis expectabat introitus. Denique illam ſolam omnibus regni ſui opibus præferebat, ſicut ipſe teſtificatus eſt alibi dicens: Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ, & vt videam delectationem domini. Delectatio domini in eccleſia eſt. Eccleſia eſt imago cœleſtium. Etenim poſtquam vmbra præteriit, imago ſucceſſit. Vmbra, ſynagoga eſt. In vmbra lex, in euangelio veritas. Ideo in euangelij lumine veritatis imago refulget. Flebat igitur propheta, quia differebantur plena gratię bona & refecta lætitiæ. ¶ Denique & in poſterioribus dicit: Heu me, quia incolatus meus prolõgatus eſt. Et ideo interpellabat dominum, quia ad meliora properabat. In ipſis tamẽ afflictionibus ſeculi magna erat cõſolatio præſentiũ, ſpes futurorum. Quis enim non erigeret animã, qui poſſet ſperare in tabernaculo cœleſti, beata illa ſibi cõſortia reſeruari? Sed quia infirmæ cõditioni plerũque futura tædio ſunt, præſentia vexationi, ideo & ſancti prophetæ inſurgẽtibus corporis fluctibus anima turbabatur. Nolo enim mireris ſi propheta animã ſuam dicit eſſe exagitatã, cum dixerit ipſe dominus Ieſus, nũc anima mea turbata eſt. Qui enim ſuſcipit infirmitates noſtras, noſtrum quoque ſuſcipit affectũ, in quo & triſtis erat vſque ad mortem, nõ propter mortem. Mors enim voluntaria mœſtitiam habere non poterat, in qua futura erat vniuerſorum lætitia, vniuerſorum refectio. De qua & alibi dixit: Et ſurrexi, & vidi, & ſomnus dulcis factus eſt mihi. Bonus ſomnus qui fecit non eſurire eſurientes, non ſitire ſitientes, quibus ſacramentorum dulcedinem præparauit. Quomodo ergo anima eius timore turbata eſt, qui fecit aliorum animas non timere? Triſtis ergo vſque ad mortem, donec cõſummaretur gratia, quod probatur ipſius teſtimonio, dicentis de morte ſua: Baptiſmate habeo baptizari, & quomodo angor, dũ perficiatur. Turbatus igitur Dauid lubricis anfractibus ſeculi dixit: Quare triſtis es anima mea, quare conturbas me? Spera in deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & deus meus. Ergo quando anxij ſumus & ſolliciti, ſpes nos futurorum expectatione confirmet. Vide ſingula. Spera, quoniam cõfitebor, inquit. Non confiteor, ſed confitebor, hoc eſt, tunc melius confitebor, quando reuelata facie gloriam domini ſpeculatus, in eadem imagine reformabor. Subitò cùm ſe cõſolaretur, in ſe reuerſus ait: Ad meipſũ anima mea cõturbata eſt. Id eſt, qui alios cõfirmare debeo, ipſe cõturbor. ¶ Et quia ex me nõ habeo firmamentum, de authore ſumamus. Propterea, inquit, memor ero tui de terra Iordanis & Hermonim. Memor eſt de terra Iordanis, in quo gratia memoriã deuotionis accumulat. In Iordanẽ Naamã Syrus ille deſcendit, & mundus à lepra factus eſt. In Iordane baptizatus eſt Chriſtꝰ, quãdo formam lauacri ſalutaris inſtituit. Iordanis nomen deſcẽſionis ſignificat, qua deſcendit dominus Ieſus, qui à contagio delictorũ vicinos Iordanis fluminis emũdauit. Hic fluuius exit de Ægypto, & diuidit terram repromiſſionis. Ergo qui turbatur, ſi boni conſulit, ex Ægypto exit, & ſequitur viam lucis. Hermonim etiam viã lucernæ interpretati ſunt. Exi ergo prius ex Ægypto, ſi vis lumẽ Chriſti videre. Exiuit Chananæa à finibus gentium, & Chriſtum inuenit, cui dicebat, Miſerere mei fili Dauid. Exiuit ergo Moyſes ex Ægypto, & propheta factus eſt, & remiſſus ad populum vt de terra afflictionis eorũ animas liberaret. Lucerna aũt in Chriſti corpore. Hæc tibi lucerna viam monſtrat. Vnde & ſanctus ait, Lucerna pedibus meis verbũ tuũ. Lucerna, ꝙ illuminauerit animas vniuerſorum, & in tenebris viam monſtrauerit. Euangelium, via lucernæ eſt. In vmbra lucet, id eſt in ſeculo. Vnde & alibi habes, Niue dealbabuntur in Selmõ, id eſt in vmbratione. Iordanis quoq; Chriſtus, qui diuidit terrã. Quomodo diuidat, audi. Et tuam ipſius animam pertrãſibit gladius, ad reuelandas multorum cogitationes cordium: eo quod ſit noſtrarũ diuiſor animarũ, qui in intima cordis ſecreta deſcendat, & cogitationes mentium deprehendat. Hic gladius verbum eſt dei viuum. Denique ad Hebræos ſic legis, Viuũ eſt dei verbum & validũ, & acutius omni gladio acutiſſimo, penetrãtque ad diuiſionẽ animæ & ſpiritus, artuúmq; & medullarũ. Hic eſt fons Siloa, qui dicitur miſſus, quoniã Chriſtus à patre dixit ſe eſſe miſſum. Eſt & illa diuiſio quæ colligitur ex eo quod vtrãque ripã Iordanis tribus incoluerint Iudæorum, quoniã filius hominis qui poſterioribus tẽporibus deſcendit è cœlo (verus ille Iordanis, verus ille terreſtrium atque cœleſtium diuiſor) poſſeſſionẽ diuiduam patribus dedit, vnã quæ poſſideretur in terris, alterã quæ futuræ vitæ meritis ſeruaretur. Quorũ vtrũque conuenit ſoli Chriſto, vel cœleſtia diuidere, vel occulta deprehẽdere. Interiora enim diuidit, qui occulta deprehendit, quod eſt vtiq; diuinitatis inſigne. ¶ Deniq; ſic habes ſcriptũ, quia dominus dixit, Lætabor & diuidã Sicimam. Hæc eſt illa magnifica portio, quã Iacob filio ſuo Ioſeph præſtantiorẽ omnibus deputauit. Vnde ait, Ego do tibi Sicimã, magnificum ſuper fratres tuos, quam accepi de manu Amorræorũ, in gladio meo & ſagitta. Quæ diuiſio ſoli domino debetur, quæ verbo hoc eſt ſpirituali illo veri Salomonis gladio comprehenditur. Quid eſt ſoli? Patri ſine Chriſto, aut Chriſto ſine patre? Minimè. Cùm ſolum dico patrẽ, & filium nõ ſeparo, quia in ſinu & ſecreto patris filius eſt. Cùm ſolũ filiũ dico, & patrẽ iungo, ſicut iunxit & filius dicens, Ecce venit hora, vt me ſolũ relinquatis, ſed nõn ſum ſolus, quoniã pater mecum eſt. Sic ergo & pater ſolus beatus & ſolꝰ potẽs dicitur, vt ab eo filius nõ ſequeſtretur, qui in patre ſemper eſt. Deniq; præclarè Ioannes, In principio erat verbum, ſed ſine patre non erat. Et deus pater erat, ſed ſine verbo nõ erat, quia verbum erat apud deũ. Hæc Sicima eccleſia eſt. Ipſam enim elegit Salomon, cuius latentem ſibi elegit affectum. Hæc Sicima Maria eſt, cuius animam gladius dei trãſit & diuidit. Hæc Sicima, eſt aſcendẽs, ſicut interpretatio habet. Quæ ſit aſcendens, audi dicentem de eccleſia. Quæ eſt quæ aſcendit dealbata innitens ſuper fratrem ſuum? Hæc eſt actinoſa, quę Græcè ἀκτινώδης dicitur, quòd fide operibúſque reſplendeat: cuius filius dicit, Opera veſtra luceant coram patre meo, qui in cœlis eſt. Memor ergo eſt dei Dauid de terra Iordanis, & Hermonim à mõte modico. Quis eſt mõs modicus, cõſideremus, ne fortè diuinitas Chriſti mons magnus. Denique cœlum & terram cõpleo dicit dominus. Si ergo diuinitas Chriſti mons magnus eſt, vtiq; incarnatio eius mons exiguus eſt. Vtrũque ergo Chriſtus, & mons magnus & minor. Magnus verè, quia magnus dominus & magna virtus eius:

CAP. 4. 4. Reg. 5. Matth. 15. Pſal. 118. Pſalm. 67. Luc. 2. Hebr. 4. CAP. 5. Pſal. 59. Gene. 48. Ioan. 16. Ioan. 1. Cantic. 8. Matth. 5. Pſalm. 41. Hier. 23. Pſalm. 143.

Psalm.8. ius:minor,quia ſcriptum eſt,Minoraſti eum paulominus ab
Esaiæ 53. angelis.Vnde & Eſaias dicit,Vidimus eum,& non habebat
ſpeciem neque decorem.Idem tamẽ & ex magno minor fa-
Philip.2. ctus,& ex minore magnus factus.Ex magno minor,quia cũ
in forma dei eſſet,ſemetipſum exinauiuit , & formam ſerui
Dani.2. accepit. Ex minore magnus, quia dicit Daniel, Et lapis qui
eliſit imaginem,factus eſt mons magnus,& implevit omnẽ
Psalm.117. terram.Lapis hic qui ſit requiris , agnoſce. Lapidem quem
reprobauerunt ædificantes,hic factus eſt in caput anguli. I-
Esa.9. dem tamen cum & exiguus videretur,magnus erat . Cui rei
aſtipulatur Eſaias dicens, Puer natus eſt nobis , filius datus
† ἀρχὴ eſt nobis,cui9† initiũ ſuper humeros eius,& vocabitur ma-
gni cõſilij angelus.Omnia propter te Chriſtus . Lapis pro-
pter te,vt tu ædificeris:mõs propter te,vt tu aſcendas.Aſcẽ-
de ergo ſuper montẽ,qui cœleſtia petis.Inde inclinauit cœ-
lum,vt tu eſſes vicinior:ideo ſurrexit in verticem montis, vt
eleuaret.Nõ immerito ergo abyſſus abyſſum inuocabat , vt
iſte mons fieret exiguus,de quo Propheta ait,Abyſſus abyſ-
Psalm. 41. ſum inuocat,in voce cataractarum tuarum.Non prævalebat
vetus teſtamentum ad iſtius mundi redemptionem:inuoca-
bat,& quaſi ad auxilium arceſſebat , nouum teſtamentum.
Clamabat lex,annuncians euangelium.Erat enim ſemiple-
na , & ideo erat neceſſarius , vt veniret qui legem impleret.
Rom. 10. Finis enim legis Chriſtus, ad iuſticiam omni credenti , qui
Matth.. venit legem implere non ſoluere. Quomodo abyſſus lex,
Psalm. 35. audi Dauid dicentem,Iudicia tua abyſſus multa.Simul hinc
intellige,vtrunque vnius eſſe ſapientiæ teſtamentum, quod
quaſi ſuum venit implere.Cataractas autẽ intelligimus pro-
funda verborũ,& vim cœleſtis eloquij:quę fluxere nobis ſi-
cut imber è cœlo.Ergo remedium tædiorum omnium Chri
ſtus,& ſcriptura diuina : atque in tẽtationibus vnũ refugiũ.

CAP.6. ¶ Denique vbi aduertit Dauid quod eleuationes fluctuum
ſecularium ſuper ſe venirent (quas neceſſe eſt plurimas ſub-
eamus in iſtius ſalo vitæ) memor domini miſerationũ quas
innumeris promiſit oraculis,ad precem conuerſus interpel-
lat deum : ſciens quòd miſericordia eius in luce mandatur,
id eſt in lege , quia lex præcepta tua. In tentationibus au-
tem , quaſi in noctis tenebris,manifeſtatur.Vnde tanquam
viator qui repatriare deſideret,& peruenire quò tendat,cõ-
fragoſo tamen vitæ huius itinere fatigatus , ducem arceſſit,
Psalm. 41. & alleuamentum obſecrat.Apud me,inquit,oratio deo vitę
meæ:dicam deo,ſuſceptor meus es.Bene nota iam ſibi quæ-
rit auxilia,& promiſſi authorem conuenit,atque vſitati mu-
neris præbitorem : vt in ſubueniendo ſi meritum hominis
offendit , diuinum non offendat exemplum. Dicit aliquis:
Quando ſuſcepit eum deus?Vt hoc aſtruamus, veni mecum
ad ſcripturæ ſacræ exordium: & vide quomodo dominus
manibus ſuis de luto hominem figurauerit. Vnde & hic in
Psalm.118. poſterioribus dicit:Manus tuæ fecerũt me & plaſmauerunt
Hier.18. me.Quaſi figulus quidam,fabricam carnis eſt operatus hu-
manæ.Et ad Hieremiam dicitur:Deſcende in domum figuli,
& audies illic verba mea . Figulo vtique ſæpe contingit , vt
Ibidem. dum vas fingitur,cadat,de manibus eius: & iterum colligat
lutum vt vas reformet.Denique & Hieremias dicit:Deſcen-
di,& vidi quomodo cecidit vas,quod ipſe faciebat manibus
ſuis.Et iterum,inquit,fecit vas aliud , quomodo placuit ei.
Rectè ergo ſuſceptor dicitur,qui manibus ſuis nos ipſe ſu-
Roma. 9. ſcepit,ipſe plaſmauit.Humani figuli vaſa ſunt illa,alia in ho-
2.Timo.2. norem,alia in contumeliam.Omnes ſumus vaſa fictilia:&ſi
2. Corin.4. rex ſit aliquis,tamen fictile vas eſt. Vnde & Paulus , Habe-
Hierem. 22. mus,inquit,theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Et prophe-
Ibidem. ta de rege dicit,Depretiatus eſt Iechonias ſicut vas,cuius o-
pera nõ ſunt neceſſaria. Et addidit : Terra audi verbum do-
mini.Scribe virum iſtum abdicatũ.Quaſi patrio iure, deus
Ioan.8. noſter filios ſolet abdicare degeneres : ideo & in terra eos
ſcribit,quia filij terræ ſunt. Vnde cùm Iudæi accuſarent ad-
Luc.18. ulteram,dominus Ieſus digito ſcribebat in terram.Iuſti au-
tem non in terra ſcribuntur,quibus dicitur : Gaudete quòd
nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo. Suſcepit ergo nos do-
minus,quando nos finxit:ſuſcepit & quando nos iubet na-
Psalm. 138. ſci.Vnde & iuſtus ait : Suſcepiſti me ex vtero matris meæ.
Hierem.1. Cuius matris?Priuſquã te formarem in vtero noui te.Quos
format & ſuſcipit,exeuntes quoque ſuſcipit. Et priuſquam

1220

A ſceperit manib9, vt generis humani operator dicitur:& qui
viſitatione ſuſceperit,vt protegat. Vnde alibi ipſe dicit pro-
pheta : Qui habitat in adiutorio altiſſimi,dicet domino ſu-
ſceptor meus es tu,& refugiũ meũ.Prima ſuſceptio eſt ope- Psalm.90.
rationis,ſecũda defenſionis.Denique audi Moyſen dicentẽ:
Extendens alas ſuas aſſumpſit eos, & ſuſcepit eos ſuper ſca- Deuter.32.
pulas ſuas : ſicut aquila ſuſcipit, quæ fœtus ſuos examinare
cõſueuit,vt teneat atq; enutriat,quibus verę indolis partus,
& incorruptæ gratiam naturæ aſtipulari aduerterit : aut re-
pellat, in quibus degeneris originis infirmitatem in tenera
adhuc ætate deprehenderit. Quare mei oblitus es,& quare Psal.41.
me repuliſti?Deus non obliuiſcitur.Impoſſibile eſt enim vt
obliuiſcatur , cui omnia quæ ſunt facta & futura præſentia
ſunt : ſed noſtra peccata meritum obliuionis ei infundũt,vt
obliuiſcatur eos quos indignos ſua viſitatione cognouerit.
Eos enim cognoſcit dominus,qui ſunt eius. Tamen vbi ali- 2.Tim.2.
qui iniquitatẽ operãtur,his dicit:Non noui vos. Quis ergo Matth.7.
B qui poſſit deo dicere,quare mei oblitus es? Sed tamen com-
mune hoc ſanctis,nobiſque inferioribus eſt . Sanctus dicit
quaſi meriti ſui cõſcius:& tamẽ quo ſanctior hoc humilior.
Quòd ſi vix ſanctus dicit, quid ego dicã peccator, niſi ad il-
lud referã,quare operis tui oblitus es?quare viſitationis tuę
oblitus es?poſtremò,quare infirmitatis meę oblit9 es?Quid Iob 10.
eſt enim homo,niſi quia viſitas eũ? Nõ ergo obliuiſcaris in-
firmum. Memento domine quia infirmum me feciſti : me-
mento quia puluerem me finxiſti. Quomodo ſtare potero,
niſi ſolidaturus hoc lutum ſemper intendas:vt de vultu tuo
ſoliditas mea prodeat?Cùm auerteris faciem, turbabuntur
omnia:ſi intendas, væ mihi : non habes quod in me aſpicias
niſi cõtagia delictorum, nec deſeri vtile,nec videri eſt:quia
dũ videmur offendimus. ¶ Poſſumus tamẽ æſtimare,quia CAP.7.
non repellet quos videt:quia emũdat quos aſpicit.Ignis an- Psalm.96.
te eum ardet,qui crimen exuret. Bonum eſt ergo nobis, vt
non repellamur.Ideo queritur Dauid,quia repulſum ſe cre-
didit,qui fuerat ante ſuſceptus. Deniq; in poſterioribus di-
C cit:In te cõfirmatus ſum ex vtero.Sed & ſupra ſcriptum ha- Psalm.70.
bemus : In te proiectus ſum ex vtero:de ventre matris meæ Ibidem.
deus meus es tu. Bonum eſt & proiici,ſed in deum. Deni-
que ex perſona Chriſti,hoc in vigeſimoprimo pſalmo dici-
tur:qui verè in patrem de vtero proiectus eſt virginis.Non
enim terrena eum excepere moriẽtem. Vnde in cruce poſi-
tus,cum emitteret ſpiritũ,ad patrem ait : In manus tuas do- Luc.23.
mine cõmendo ſpiritũ meũ.Non ergo aliqui addãt domine,
vt pſalmæ faciũt,quod neq; in Latino codice inueni meo,ne-
que in Greco,neq; in euãgelio,quod eſt euidẽtius.Denique
ſupra dixerat:Pater dimitte illis hoc peccatũ. Et ideo tãquã
patri in manus eius commẽdare ſe ſpiritũ ſuũ, in cuius ſinu
ſemper eſt filius:quãquam,etſi addat quòd dixerit domine,
cõſiderẽt quòd quaſi homo in morte poſitus hoc loquatur.
Ergo proiectus eſt de vtero in patrem, de vẽtre matris ſuæ:
hoc eſt, definiuit quod ille vterus qui proiecit eum, venter Psalm.70.
eſt matris.Pater autem dixit,Ex vtero ante luciferum genui
te.Non proiecit vtique pater filium,à quo nũquam digreſ- Ibidem.
ſus eſt filius, ſicut ipſe ait:Traditus ſum,& non egrediebar. Ibidem.
D Non proiecit eum , cui eiuſdem ſubſtantiæ vnitate conne- Ibidem.
ctitur. Poteſt ergo & ſic legi, In te proiectus ſum ex vtero
de ventre matris meæ : vt ſequatur, deus meus es tu, ne di-
ſcedas à me. Poteſt & ſic,De ventre matris meæ deus meus
es tu,quoniam in vtero poſitus à te nunquam receſſi:tecum
eram,qui tanquam Ionas in vtero ceti poſitus,te pro popu- Matth.12.
lo deprecabar.Et verè de matris ſuæ ventre cum deo erat,ſe- Esaiæ 8.
cũdum quod ſcriptum eſt:Quoniam priuſquam ſciret puer
bonum aut malum,elegit quod bonum eſt. Et antequã pa-
trem vocaret aut matrem , virtutem Damaſci & ſpolia Da-
maſci deprędatus eſt:vt gentibus euocatis regnum patri pię CAP.8.
deuotionis acquireret. ¶ Videamus cætera.Quare me,in- Psalm.40.
quit, repuliſti, & quare triſtis incedo ? Dum affligit me ini-
micus , confringit oſſa mea : exprobrauerunt mihi qui tri-
bulant me inimici mei , dum dicitur mihi quotidie , vbi eſt
deus tuus.Quare triſtis es anima mea?& reliqua.Prima in-
terpellatio querelam habuit : cùm perendinarentur bona
quorum iam fructus deſiderabatur. Secunda interpellatio,
quòd

1221

quòd expectatus prudentibus Christi differebatur aduẽtus, quem lex desiderauerat, quẽ prophetæ pollicebantur: & eo impatientius æstuabant corda iustorum, quoniam ad redẽptionem cognouerant esse venturum vniuersorum, quibus euangelico tramite viam virtutis aperiret, bonorúmque operum semitas demonstraret: sicut ipse dixit in Prouerbiis: Dominus creauit me principium viarum suarum. Ideo ergo dicebatur ei, vbi est deus tuus: quia adhuc nõ venerat Christ⁹, sed sperabatur. Sæuiebat ergo diabol⁹, vt obtereret quos sciebat in aduentu domini credituros: & diuersis afflictabat spiritibus. Interpellat ergo Dauid, vt morãtem excitet, & quæstu prophetico festinare vrgeat, admoneat subuenire. Habemus similitudinem huius interpellationis etiã in posteriorib⁹: vbi dicit idem propheta: Vt quid repulisti nos deus in finem? Et ibi apertè, quòd congregationis suæ oblitus sit, & virgam hæreditatis suæ abiecerit, flebiliter deplorauit: & quòd in plebem dei insurrexerint eius inimici de quib⁹ ait: & gloriati sunt qui oderunt te, in medio festi tui. Fortè hic verticulus videretur Assyrios declarare, qui triumphauerũt populum Iudæorum: nisi sequeretur, posuerunt signa sua signa, & nõ cognoui. Signa semper in bello sunt, quæ præliaturos præire cõsueuerunt, & agmen ducere militare. Vnusquisque numerus aut legio, signa sua sequitur. Et si dispersi fuerint bellorũ tumultu, eo vbi signa sua prospexerint esse, quálibet lõge positi reuertuntur. Vnusquisque ductor hæc signa cõstituit, & sequẽda præscribit. Sed sunt etiam alia signa, quæ victor hostis imponit, & tanquã captiuis obseruãda decernit: sed qui fidelis est miles, propria signa sequitur, non agnoscit aliena. Quæ sint aliena signa, intẽsius & impẽsius consideremus. Signum suũ posuit deus in frõtibus singulorum. Ibi quoque Antichristus sua signa ponet, vt proprios recognoscat: sed qui in occulto Iudæus est, ille verus cõfessor dicit: Posuerunt signa sua signa, & nõ cognoui. Posuerũt diabolus & ministri eius, sed ego nescíui illa: quia nõ consensi artibus eius, nõ acquieui imperiis eius. Posuit Assyrius Nabuchodonosor signa pueris Hebræorum, & mutauit illis nomina: & præcepit vt adorarent imaginem eius, & recederent à solennibus patrum suorum, ritúsque Chaldęos posthabita dei lege sequerentur. Constituit hoc rex: sed statuit Daniel in corde suo, vt regalis mensæ contagia declinaret. Rectè ergo ei conuenit dicere: Signa non cognoui aliena. Iussum erat vt Hebræi pueri adorarent imaginem regis. Respõderunt ei: Non adoramus imaginem tuam. Apertè dixit vnusquisq; eorũ, posuerũt signa sua signa, & nõ cognoui: id est, non sum expertus, non vllo consensu recepi, non aliqua societate in me transtuli. Vnde & de dei filio legimus, quòd peccatum non cognouit. Et alibi habes, quoniam qui custodit mandatum, nõ cognoscet verbum nequam: cùm liquidò clareat, quia non cognitio improbitatis, sed societas criminosa sit. Ipse etiam Dauid in posterioribus dicit: Declinantes autem malignos à me, nõ cognoscebã. Vbi aũt voluerint hæc signa aduersarij deponere: declarat. Sicut in via, inquit, super summũ, quasi in sylua lignorũ, securibus conciderunt ianuas eius in id ipsum, in bipenni & ascia deiecerunt illud. Quid hoc sibi vult, nisi vt ostendat quia fides nostra non quasi in via esse debeat, ne veniant volucres cœli, & auferãt eam: sicut verbũ illud, quod legis in euangelio non debere circa vias & semitas seminari? Ergo sancti volentes fidem huiusce aduersarij eradicare, qui non vident signa sua in corde eius, tẽtauerunt quasi in via, id est in peruio colloc are. Cor autẽ in summo est: quia oculus sapientis in capite eius. Et posuerũt signa quasi in sylua lignorũ: quæ citò exurũtur igni, aut securibus concidũtur. Exit enim ignis de syluis, & exurit etiam cedros Libani. Hoc autẽ faciendum putauerunt, vt polluerent diuini nominis tabernaculum, quod est in nobis. Sicut enim templũ dei sumus, ita sumus & tabernaculum dei, in quo festa domini celebrantur. Ergo tu ô homo summũ tuum custodi: vt conquasses capita inimicorũ verticẽ capilli perambulantiũ. In superfluis enim perambulant, non in sanctis. In vertice capilli, nõ in vertice deuotionis & fidei. Et si spiritus potestatem habens in te ascendat, vt habes in Ecclesiaste: Locum tuum ne derelinquas. Etenim superiorem te Christus constituit, quem ad imaginem dei fecit. Tene ergo superiorem fidei & pietatis locũ, quem accepisti: vt superior factus, ascendentẽ de inferioribus, hoc est, de terrenis & secularibus, spiritum nequam facile repellas, & signa eius non suscipias in pectore tuo, non occupet animæ tuæ vestibula, nec introitus mentis tuæ, & quasi in sylua lignorum ignibus suis caduca & fragilia populetur, aut securib⁹ suis ianuas tui cordis excidat. Sit igitur in nobis non sylua sed vinea, sit porta nostri oris & cordis clausa diligentius, ne hostis introeat. Citò deiicit ianuam, si patentem eam inuenerit. At verò Christus pulsat, non deiicit, qui confortauit ô Hierusalem seras portarum tuarum. Christus manu pulsat vt aperias, aduersarius securibus concidit: & ideo scriptum est, ne securis & malleus in domũ dei intret. Foris debet esse superbia & fallacia, non intus. Foris enim pugnæ, pax intus, quæ supra omnem intellectum est. Non scindatur ferro anima tua, sed vt anima Ioseph ita anima tua per ferrũ pertranseat, ne principale tuũ, velut quoddam tabernaculum verbi, in ipso fidei principio & doctrinę spiritualis diruatur ingressu. Fundatus enim vsu atque exercitatione, immobilis perseuerat, nec locũ dat ei qui in summum (quasi transfigurãs se in angelum lucis) conatur ascendere: qui si in nobis sua signa non viderit, authoritatem resistendi habere non poterit. Ergo ne affligat nos inimicus, ne ossa nostra confringat, non deficiamus perseuerare in Christo, vt dicat de nobis, Triduum habent quod perseuerent mecum, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Beatus cui ipse cordis dederit firmamentum, vt deficere non possit in istius vitæ tramite constitutus. Nõ deficit qui sperat in domino, atque ei intimo confitetur affectu, qúandoquidem eques ille cuius equi calcaneum serpẽs momordit, & si retro cecidit, deceptus tamen non est, quia salutem expectauit à domino. ¶ Tertia quoque interpellatio, q̃ in medio hominum nequitias exercentium cõstitutus, causam suam ab eorũ cõtagio cupiat separari. Quod multi ad dominum Iesum referendum putant, eò quòd ipsius solius est nõ timere iudiciũ, qui vincit cùm iudicatur. Habet enim à viro iniquo iudicium in quod volens Christus ingreditur, vt habes scriptum, Populo meus quid feci tibi, aut in quo contristaui te? Cæterum cùm omne iudicium illi dederit pater, nõ quasi infirmo vtique sed quasi filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificãt patrem. Pater honorat filium, & tu diiudicas? Hoc eo posuimus, ne quis non arbitraretur quasi metu quæstionis in locum domini subrogare personã prophetæ, cum sanctus Dauid præuidens spiritu, insurrecturos Iudæos aduersus domini passionem, iudicium domini non pertimescit. Discerni quoque causam suam à persecutorum gẽte deposcit, ne malis generis sui & posteritatis hæredib⁹, prosapia totius Iudaici generis implicetur. Nõ immeritò ergo turbatur, qui videt sibi aduersus carnem & sanguinẽ esse luctamen, atque in seipso sibi graue esse naufragium, & in suo corpore tempestatẽ quam sustinere non valeat, nisi cœleste auxilium suffragetur. Nemo enim grauior homini hostis, quàm domestici eius. Quid autẽ tam domesticum quàm sibi homo, & suæ carnis infirmitas? Et ideo festinat propheta, & toto precatur affectu, vt Christus aduenìat fortitudo vniuersorũ, qui suscipiat omnes infirmitates & faciat vtraque vnum, cùm compugnantes sibi mentis & carnis inimicitias, sublato soluat pariete, qui internum (quo minus in concordiam conueniret) diuidebat affectum. Ergo quia in seipso sibi erat pugna, erat & à proximis, q̃ legis & æquitatis immemores, laqueos fraudis & insidias præparabãt, speratúmque differebatur remediũ, repulsum se arbitrabatur, quasi recusaret venire qui promiserat remedio se futurum. Et tanquam ab spe lucescentis diei in tenebrarum profunda reuocatus, orabat vt squalorem huius seculi repulsura lux irradiaret, æterna adesset veritas, quæ fallacem imaginẽ mũdi huius aboleret. Affuit deus votis, qui solet & improuisus adsistere, & non rogantibus se manifestare, sicut ipse ait, Palam factus sum non quærentibus me. Et piis astipulatus oratis, votorum seriem celeri præuenit effectu: subitóque in ecclesia & in tabernacula sua sanctum prophetam deduxit in spiritu, atque ante oculos eus sacrum altare cõstituit, in quo futura totius mundi esset redemptio, & vniuerso-

Psalm. 147. 3. Reg. 16

2. Corin. 7.

Ibidem.

Marc. 8.

CAP. 9.

Michæa 6. Ioan. 5.

uersorum toto orbe remissio peccatorum. Videns ergo in spiritu illam dulcedinem sacramentorum cœlestium, illam
Psalm. 22. mensam quæ repellit atterentiũ insidias, sicut ipse in supe-
Ibidem 42. rioribus dixit, Parasti in conspectu meo mensam, aduersum eos qui conterunt me, ait, Et introibo ad altare dei mei, ad deum qui lætificat iuuentutẽ meã. Pulchrè dixit quasi Adã, & introibo. Eiecti eramus de paradiso domini, ex quo Adã peccati sui cõscius vultum domini declinauit. Decore quoque addidit, Et introibo ad altare dei, quasi in cõspectu dei rediret. Auersus enim erat muneribus nostris, quando Cain
Gene. 4. parricidæ illius munera nõ probauit. Latebat Cain alienus à domini cõspectu, furẽs effera vi animi, & in fratris sui dominus respexerat munera, in suã autẽ nõ respexerat, sub offensione pprios reliquit hæredes. Occiderat autẽ Abel, nõ sibi, cuius & sanguis clamabat ad dominũ, sed occiderat omnibus nobis. Nullius prope iã sacrificiũ probabatur, quia
Psalm. 13. non erat qui faceret bonitatẽ, non erat vsque ad vnũ, quando nec deo fides, nec fratri germanitatis pietas seruata est. Venit dominus Iesus, vt resuscitaret Adam. Resuscitatus est & Abel, cuius munera placuerũt deo. Obtulit semetipsum,
Hebr. 12. id est, primitias corporis sui, in sanguinis aspersione, melius loquẽte, quã sanguis Abel locut⁹ est in terra. Respexit deus in ei⁹ munera, ex quo ipse recõciliationis diuinæ gratiã, bonis reliquit hæredibus. Rectè igitur sanct⁹ Dauid, quasi ex persona reconciliati hominis ait, Et introibo ad altare dei
CAP. 10. mei, ad deum qui lætificat iuuentutem meã. ¶ Adstruamus hunc locum si possumus etiam alterius prophetæ exemplo, quemadmodum & hominis auersatus sit dominus primum sacrificia, & postea sit eidẽ reconciliatus. Habemus in Esaiæ
Esaiæ 1. libro scriptum, dicente domino, Quò mihi multitudinẽ sacrificiorum vestrorum, dicit dominus? Plenus sum, id est, abundo meis, vestra non quæro: holocaustomata arietum, & adipem agnorum & sanguinem taurorum nolo & hircorum, nec sic veniatis in conspectu meo. Et vtique à fœtu pecorum obtulerat Abel sacrificium in quo placuerat deo, sed typum non requirebat qui expectabat sacrificij veritatem. Expectabatur enim passio domini salutaris. Quis enim, inquit, ista requisiuit de manib⁹ vestris? Calcare regiam meam
Ibidem. nõ apponetis. Et infra, Quũ extẽderitis manus ad me, auertam faciem à vobis. Sed lauamini, mundi estote, auferte maliciam ab animis vestris. Iudicate pupillo, & iustificate viduã, & venite disputemus, dicit domin⁹. Claret igitur quod & antè auersatus sit domin⁹ sacrificiũ hominis, & postea recõciliatus, vt respicere in nostra sacrificia dignaretur. Ideo ergo securus intrat, qui ad domini ingreditur misericordiã.
Matth. 25. Denique bono seruo dicitur, intra in gaudium domini tui.
Ibidem. De seruo autem nequam dicitur, Tollite illum in tenebras exteriores. Ideo & Adam eiectus de patria cœlesti & illa sede paradisi, in insulam peccati est relegatus. Rectè ergo dicit scriptura, Renouamini insulę, quia peccatorum fluctib⁹, sicut insulæ in istius mundi freto circunuenimur. Istæ ergo insulæ per aduentum domini peccatorum remissione renouatæ sunt, id est, homines in lauacro medij inter aquas quasi insulæ constituti, tundebantur vndarum molibus, sicut insulæ consonoris peccatorũ relidẽtibus fluctibus, sicut insulæ in quibus antè velut fraudium scopulis erant simplicib⁹ crebra naufragia, quia dolus erat in corde, in ore blanditiæ. At verò posteaquã dominus Iesus in quo dolus non est, aduenies in hunc mundũ, cœlestis expositione dõctrinæ humanarum profunda mẽtium serenauit, & trãquillitatẽ refudit affectibus singulorum, auferens sepem discordiæ, quasi quædam portuum cœpere appropinquantibus esse suffragia, vt vnusquisque nauigiũ suæ quietis in proximi aut fratris constituat affectu, & in secessu quodam piæ mentis hæreat litorali. Non immeritò ergo tãquam renouatus clamat
Psalm 42. Dauid, Et introibo ad altare dei mei, ad deum qui lætificat
Ibidem 6. iuuẽtutem meam: vt qui supra se inueterasse inter inimicos suos dixerat (vti in sexto legimus psalmo) hic ait iuuẽtutem sibi ex inueterata prolapsionis humanæ senectute renouatam. Renouamur enim per lauacri regenerationẽ, renouamur per spiritus sancti infusionẽ. Renouabimur etiam per
Psalm. 102. resurrectionẽ, sicut in posterioribus dicit, Renouabitur sicut aquilæ iuuẽtus tua. Quomodo renouemur, audi: Asperges me hyssopo, & mundabor, lauabis me & super niuem
A dealbabor. Et in Esaia ait, Si fuerint peccata vestra vt phœ- Esaiæ 1.
niceum, vt niuem dealbabo. Rectè renouatur, qui de tenebris peccatorum in lucem virtutum mutatur, & gratiam: vt qui tetra prius colluuione sordebat, supra niuem albenti nimis fulgore resplendeat. Cõfitebor tibi in cithara deus deus Psal. 42.
meus. Habet citharam suam anima nostra. Neque enim diceret Paulus, Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente: nisi haberet citharam quę plectro san- 1. Cor. 14.
cti spiritus resultaret. Cithara est caro nostra, quando peccato moritur, vt deo viuat. Cithara est caro nostra, quãdo septiformem accipit spiritum in baptismatis sacramento. Te-
B stud o enim dum viuit luto mergitur, vbi mortua fuerit tegmen eius aptatur in vsum canendi, & piæ gratiam disciplinæ, vt septem vocum discrimina numeris modulãtibus obloquatur. Similiter caro nostra, si viuat illecebris corporalibus, in quodam cœno viuit, & voragine voluptatũ. Si luxuriæ moriatur atque incontinentiæ, tunc veram vitam resumit, tunc edere incipit bonorum operum dulce modulamen. Dulcis sonus est castimoniæ, dulcis sonus timentium deum. Denique in omnem terram exiuit sonus eorũ. Dul- Psal. 18.
cis sonus est fidei, quæ annunciatur (vt scriptum est) in vni- 1. Thess.
uerso mundo. Hic sonus à nobis exeat ad deum, sicut exiuit à Thessalonicẽsibus, vt etiam non canentes canamus, & bonorum concẽtu operum dominum prædicemus: cui est honor, gloria, perpetuitas à seculis & nunc & semper & in omnia secula seculorum, Amen.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE SALOMONE.

De inductione admirationis quòd sapiẽtissimus omniũ hominum Salomon propheta proposuerit tria impossibilia esse quæ scire non posset, & quartũ adhuc esse quod non valeret agnoscere, cùm tam locuples possessor sapientiæ
C fuerit, vt omnia cognouisse visus sit. Et de istius admirationis solutione. Caput I.
De repetitione superius propositorum, & apertione mysterij abscõditi in primo quòd Salomon testatus est se scire non posse, videlicet vestigia aquilæ volantis. Cap. II.
De expositione mysterij quòd in secundo impossibili ad sciendum occultatur, vias scilicet serpentis super petram. Caput III.
Quid mysticè significetur per tertiũ impossibile quòd Salomon se scire non posse dixit, id est semitas nauis nauigantis. Caput IIII.
De mysterio quarti, viarum scilicet viri in iuuentute, quòd Salomon se non valere cognoscere asseruit. Cap. V.

Diui Ambrosij
MEDIOLANEN. EPISCOPI,
de Salomone, Liber vnus.

De inductione admirationis quòd sapientissimus omnium hominum Salomon propheta proposuerit tria impossibilia esse quæ scire non posset, & quartum adhuc esse quod non valeret agnoscere, cum tam locuples possessor sapientiæ fuerit, vt omnia cognouisse visus sit. Et de istius admirationis solutione. Caput I.

NIrum satis est, dilectissimi fratres, quod in hoc capitulo sapientissimus omnium hominum Salomon propheta proposuit tria impossibilia esse quæ scire non posset, quartum adhuc esse quod non valeret agnoscere: Vestigia aquilæ volãtis, Vias serpentis super petram, Et semitas nauis nauigãtis, Et vias viri in iuuentute. Hæc se nescire testatur

1225

tur ille propheta Salomō: q vt primū trāſactis infantiæ rudimētis annos iuuētutis ingreſſus eſt, in quibus poſita adhuc infirma ætas, quē curſum vitæ deligat, nutat incerta: nihil aliud à deo quàm ſapientiā poſtulauit, inter ipſa, vt dixi, vitæ tentamenta iā ſapiens, qui in dilectione rerū, quod omnib⁹ præiret elegit. Sic enim ipſe in libro Sapientiæ ſuæ ſe domi- Sapi. 9.
nū omnipotentē deprecatum fuiſſe cōmemorat: Da mihi, inquit, ſedium tuarum aſtitricem ſapientiam, vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, virtutes elementorum, initium & conſummationem & medietatem omnium rerum, diuiſiones & mutationes temporum, anni curſus, & diſpoſitiones ſtellarum, naturas animaliū, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias arborum, & virtutes radicum. Omnium enim artifex, ait, docuit me ſapientia. Et alibi ipſe in eodem libro: Inuocauit, inquit, & venit in me ſpiritus ſapientiæ. Et quidem dilectiſſimi fratres, quòd tam locuples poſſeſſor ſapientiæ Salomō, cùm omnia cognouiſſet quæ in arcanis abditarum diſpoſitionum tenebantur abſconſa, hæc ſibi impoſſibilia eſſe prætendit, quippe qui à deo eſſet ſapientiam conſecutus, qui nouerat mundanæ diſpoſitionis introitum, qualiter eſſet hoc cœlum omne quod cernimus, ardua ſublimitate ſuſpenſum, quēadmodum fieret aëris iſtius circumiectus & fuſus æquo moderamine libratus in medio, quibus modis pigro ad imum dilapſa pōdere terra ſubſiſteret, qua ratione intra certas littorū metas liquidi elementi impatiens fluctus lapſus exæſtuet, quod principium rerum, quis finis, & quæ eſſent media colle. Quem iterum diuiſiones & mutationes temporum non latebant, qui comprehēderat qualiter ſibi annorum mutua vicißitudo redeunte orbe ſuccederet curſus præcedendo ſe nonnunquam, aut ſubito ſubſequēdo, vnde earum eſſet ortus aut obitus, & alia multa, quæ ſapientia docente cognouerat. Mirum quod iſta quæ ſibi impoſſibilia eſſe dicit, aut ſcire non potuit, aut videre. Sed quia omnia quæ in libris diuinis prophetarum annūciatione congeſta ſunt, ſuis ſunt temporibus reſeruata, meritò Salomon ante aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti, quid aquila volans, quid ſerpens in petra, quid nauis nauigans, quæ iuuenis via in iuuentute eſſet, ſcire non potuit. Adhuc non erat tempus quo vmbra corpus fieret, aut veritas de figura. Nobis verò, quibus dominus noſter Ieſus Chriſtus oſtendit, quòd omnia de ipſo eſſent in lege cōſcripta, quibus aut nihil eſt occultum quod nō reueletur, & poſteaquam ſignatum illum ſeptem ſigillis librū nemo alter potuit referare quàm Chriſtus, permiſſum & indultū eſt nobis vt omnia & videre poſſimus, & noſſe, Matth. 11. Luæ 8. ſicut ipſe dominus ait: Pater qui abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis. Et iterū: Vobis, inquit, permiſſum eſt ſcire myſterium hoc. Quæ ideo retuli, vt non tā Salomonem quod non potuiſſet ſcire, reprehenderim, quàm non fuiſſet temporis vt ſciret.

De repetitione ſuperius propoſitorum, & apertione myſterij abſcōditi in primo quòd Salomon teſtatus eſt ſe ſcire non poſſe, videlicet veſtigia aquilæ volantis.

Caput II.

SEd iā ne propoſita lectio diutius differatur, pauca vobis quæ ita in quæſtionem veniunt, propitio deo noſtro cogitaui exponere. Tria ſunt, inquit, impoſſibilia ſcire, & quartū quod nō agnoſco: Veſtigia aquilæ volantis, & vias ſerpentis ſuper petram, & ſemitas nauis nauigantis, & vias viri in iuuentute. Quis enim vnquā dilectiſſimi fratres potuit iſta cognoſcere, quaſi verò ſit facile vt ſuſpenſa aquila in altū celeri elatione pēnarum, plauſus ſui & lapſus veſtigia manifeſta conſtituat, aut viam ſignet in vacuo, & lineam ſui volatus ducat, figat in liquido? Quis curſum nauis deprehendat in fluctibus? Quis indicium eius, per quos aggeres & limites feratur, intelligat? Crebra ſemper & inquieta mutatio, dum vndis ſequacibus aut obruitur quod præceſſit, aut opprimitur quod ſequitur eſt. Quis in petra ſignum aliquod ſerpentis agnouit, cùm & materia ſit dura ſaxorum, & lubrica natura ſerpentum? Aut quomodo poſſunt viæ viri in iuuentute cognoſci, qui vnde veniat, & quo eat, non poteſt deprehēdi? Hæc ſunt quæ ſapientiſſimus Salomon propheta dixit ſe non poſſe cognoſcere. Nunc ergo de ſingulis rebus iſtis quid dicamus, audite. Aquilam in hoc loco Chriſtum dominum noſtrum debemus accipere, qui poſt venerandam reſurrectionem, qua docuit humanū genus in vitam redire poſt mortem, velut aquila reuolauit ad patrem, prædam ſecum referens, id eſt, hominem quem rapuerat de faucibus inimici.

Hæc eſt aquila, quam Ezechiel propheta in illam quadriformem ſedem, & Cherubim vidiſſe ſe retulit inter animalia, quæ myſticum vehiculum rotis iuncta portabant. Vnum enim animal ſimile vituli, aliud leonis, tertiū hominis, quartum aquilæ, ſicut in Apocalypſi Ioannes ſe vidiſſe conſcripſit. Primum, inquit, animal ſimile vituli, ſecundum leonis, tertium hominis, & quartum aquilæ. Sed de hac animaliū æqualitate alter locus ad tractandum neceſſarius eſt. Nunc interim quod cœpimus, explicemus. Hæc eſt aquila, de qua ſcriptū eſt: Sicut aquila tegit nidū ſuū, id eſt, Chriſtus eccleſiam. Et iterū, inquit: In vmbra alarum tuarum ſperabo. Et iterum: Renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua. Nam vt aquila colona, quaſi ita mater nidi ſemper vnius eſt, nec ad procreandam ſobolem aliud aliquando cubile perquirit, & cùm primum calidis ouis maturo ortu fœtus eruperit interior, pullos educit implumes: hos contra faciem feruidi Solis opponit, vt qui ægram & inualidam coruſco radiorum appulſu aciem ſubmiſerit oculorum, materno damnatus arbitrio, & à fratrum conſortio ſeparetur, & deiiciatur in terram. Et ſicut auis iſta inimica ſerpentū eſt, quos cùm in aëre alarum remigio ſubuectando ſupportat, hos obūco roſtro, & armatis quaſi quibuſdam telis pedibus ſuis lacerat ac diuellit: quos cùm deuorat, calore ſuo interno noxium illud virus extinguit: Ita ergo & Chriſtus dominus vnam diligit eccleſiam, vt aquila nidum ſuum, quam ab æſtu perſecutionis alarum ſuarum defendit vmbraculo. Sic quoque extra eccleſiam proiicit in quibus fidei lumen infirmum eſt, qui igneam euangeliorum lucem vitiis ſecularibus inquinati, ferre non poſſunt. Et vt aquila ſerpentes deuorat, & eorum venena calore coquit interno, ita & Chriſtus dominus noſter percuſſo dracone, id eſt, diabolo lacerato, dum humanum ſibi corpus aſſumit, peccatum illud quod hominem tenebat obnoxium, tanquam pernicioſum virus extinxit, ſicut Apoſtolus ait: Et de peccato damnauit peccatum in carne ſua. Et alibi: Qui cùm peccator non eſſet, pro nobis peccatum fecit. Ad hoc quoque Moyſes ſerpentem æreum in eremo ſuſpendit in ligno, qui proprius erat typus corporis Chriſti, vt quicunque in eum aſpiceret, non periret. Corpus enim hominis per tranſgreſſionem vas fuerat ſerpentis effectum. Sic & alibi ipſe Moyſes virgam proiicit in terrā, quæ in ſimilitudinem eſt corporata ſerpentis, quæ & ipſa imago erat corporis domini: ideo omnium Ægyptiorum poteſtatē is, quia tantæ virtutis in ſe typum gerebat, abſorbuit. Hoc eſt ergo quod ait, Veſtigia aquilæ volantis: quia etſi poſt paſſionem & reſurrectionem ſuam præſentibus apoſtolis dominus noſter aſcendit in cœlum, tamen cuius hominis tam altus ſenſus & tantus eſt, vt explicare poſſit quomodo illa tanta maieſtas de cœlo aut venire dignata fuerat, aut redire? cùm hoc ſolū nobis ſcire liceat, quòd aut venit aut rediit. Quis enim cognoſcere poteſt quemadmodum verbum in virginem venerit, vt repente conciperet, vt tam felicem fœtum partus virginalis effunderet, vt hominē deus indueret, quem totus mundus non poteſt nec ſufferre nec capere? Id eſt, quod ait, veſtigia aquilæ volantis, id eſt, Chriſti domini aduenientis ad terram, ac redeuntis ad cœlos, veſtigia comprehendi enarrariſque non poſſe.

Rom. 8. 2. Corin. 5. Numer. 21. Exod. 4. Prou. 13.

De expoſitione myſterij quòd in ſecundo impoßibili ad ſciendum occultatur, viæ ſcilicet ſerpentis ſuper petram.

Caput III.

ET vias, inquit, ſerpentis ſuper petram.) Dixit iam charitati veſtræ, quod in vos is labens membris nitidus & volubilis coluber tractibus ſuis veſtigiū aliquod in petra, quia res eſt dura, non faciat: indicium enim mōſtri huius non niſi molli ſcriptura ſignarur in puluere. Nunc ergo videamus quid ſit iſte ſerpēs, aut quæ petra, in qua ſerpentis veſtigium nō apparet. Hanc petram dominū noſtrum eſſe ambigere nō debemus. Sic enim Ibidem 30.

1. Corin. 10. Psalm. 60. Deute. 32. Apostolus ait: Bibebant autem de spiritali sequēti petra, petra autē erat Christus. Et Psalmographus: In petra, inquit, exaltasti me. Et Moyses in cantico Deuteronomij: Lactauit eos mel ex petra, & oleum de solida petra, id est, quod dulcē daturus is esset euangelij suauitatem, aut spiritum sanctum per chrismatis vnctionē. Et alibi ait: Beatus qui tenet & allidit infantes suos ad petram: quod vtique in religiosis parricidium erat, si petra ista figuram Christi corporis non haberet. Nemo enim beatus in funere est, qui infantes suos allidit ad petram: sed ideo beatus est, quod illos coniungit ad petram. Dixi ergo petram dominum & saluatorem nostrū in scripturis omnibus inueniri. Serpēs autem ex ipso nomine quòd sit diabolus apparet, sicut callidior omnium bestiarum quæ sunt super terram, id est, diabolus: qui ideo serpēs dicitur, quòd occultè serpat, & quòd sensus hominis tenuiter in labendo pertentat: quos si conuicerit, medullis se hominum atque ossibus implicat & immergit. Qui in corpore hominis quod omnipotens Christus deus induerat, nulla malitiæ suæ potuit imprimere vestigia, quamuis illud ausus fuerit sæpe tentare, sicut ipse dominus in euangelio ait: Ecce venit princeps mundi, & nihil in me inuenit. Et alibi: Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit eum. Hæc est ergo petra, id ed, caro Christi, nulla inimici iniquitate resperſa, in qua serpentis, id est, peccati alicuius vestigium non apparet, vt scriptum est: Qui peccatū non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.

Psalm. 136. Psalm. 88. 1. Pet. 2.

Quid mysticè significetur per tertium impossibile quòd Salomon se scire non posse dixit, id est, semitas nauis nauigantis.

Caput IIII.

Prou. 30. ADhuc quid subiungat, audite. Et semitas, inquit, nauigantis.) Nauem adæque ecclesiam debemus accipere in salo mundi istius constitutam, quæ crebris ventorum fluctibus, id est, tentationum plagis & verberibus fatigatur: quam turbidi fluctus, id est, huius seculi potestas conatur ad saxa perducere. Quæ etsi vndarum fluctibus aut procellis sæpe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore eius, id est, in cruce Christus erigitur, In puppi pater residet gubernator, Proram paracletus seruat spiritus. Hanc per angusta huius mūdi freta duodeni in portum remiges ducunt, id est, duodecim apostoli, & similis numerus prophetarum. Inde Montani antra latratu falsi carminis resonant, qui duabus fœminis prophetissis Priscillæ & Maximillæ tanquam alicuius scyllæ rabidis succinctus est canibus. In ista naue ecclesiæ ea feliciter præterimus. Inde in Fotinianam charybdim non incidimus. Inde nullo modo in illud baratrum, quasi Dathan & Abiron, id est, in profundum mortis Vrsacij & Valentis non incurrimus. Inde Arrium archipiratam, qui nos per mare seculi ad instar Pharaonis insequitur, non timemus, illā stellam seruantes in cœlo quæ magos perduxit ad Christum, per quam nos regnum dei, qui malorum omnium futurus est portus, expectat. Inde nunquam nos de hac naui ecclesiæ præcipitat° † Marciō cetus ille absorbuit. Inde Sabellius pirata non cepit. Inde nobis aquilo nocere non poterit, quamuis inde sint antichristi violēta flabra vēntura, sicut scriptum est: Ex aquilone exardescent mala. Inde syrtes gentilium, & periculosas hæreses, & scopulos euitamus, quos superiacens aquæ tenuis occultat allapsus, quia hæretici sub prætextu nominis Christiani absconsa perfidiæ saxa fallaci cōfessione oris obducunt, in quæ homines, dum illis quod Christiani sint fides adhibetur, impingunt. Hæc ergo nauis ecclesia est, quę etsi quotidie seculum istud tanquam aliquod pelagus sortitur infestum, nunquam elidi tur ad saxum, nec mergitur ad profundum. Nauem autē ecclesiam esse diuinis testimoniis approbamus, sicut ait: Illic transierūt naues Tharsis. Et alibi: Aduersus omnem nauem maris, quia sunt ecclesiæ seculi, quæ totam sibi spem quod fit in hoc tēpore, non tam de deo, quàm de potestatibus huius seculi repromittunt. Sed quod ait, Vias nauis nauigātis, propriè significat quòd in tempore miro modo persecutionis comprehendi omnino non posset. Quemadmodum viuida per interitum & diues per damna reddatur, sicut ait ex

Matth. 2. † præcipitatos. Hier. 1.

persona ipsius Psalmographus: In tribulatione dilatasti me. Quæ ob hoc multis in locis subitò aut soli cōparatur aut lunæ, quæ etsi tūditur, non mouetur: & si moueatur, resurgit.

Psalm. 4. A

De mysterio quarti, viarum scilicet viri in iuuentute, quòd Salomon se non valere cognoscere asseruit.

Caput V.

ET vias, ait, viri in iuuentute.) Vir iste, Christus dominus noster est, sicut in Actibus apostolorū scriptum est: Viri Israelitæ audite hæc verba: Iesum Nazarenum virum à deo electum, in vobis virtutibus & signis & portentis approbatum. Et Apostolus: Vt omnes in virum perfectum occurrere possimus in mensuram corporis Christi. Et alibi: Destinaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Hic est vir cuius viæ cognosci à iuuentute non possunt. Quis enim æstimare animo possit, aut capere quanta ille opere exercuerit cùm secūdum hominem moraretur in terris? Quæ itinera virtutum duxerit, in quas vias beneficiorum circa humanum genus fuerit ingressus, dum claudis pedum restituit firmitatem, dum cæcis lumina amissa reddit, aut imponit cognita, dum eloquiū præstat mutis, & surdis insinuat auditum, dum largum in sanguine fluxum siccat in Martha, dum dæmones pellit ex Maria, dum corpus rediuiui spiritus calore constringit, & quod mors sibi vindicauerat ad pœnam, lux denuo recepit ad vitam? Quid ille solidus gressus in fluctibus? quid reliquię de paucis panibus? plus superesse saturata multitudine, quàm fuisse? Quid inopem in vino Galilæi coniugis apparatum, sed domini operibus preciosum? Et alia multa, sicut in euangelio dictum est: quæ si omnia scripta essent, mundus ea capere non posset. Aut quid postremò descensus ad inferos, aut ascensus ad cœlū? Quid illud quòd in passione ipsius integram lucis consuetudinem sol habere non potuit, vt taceam ruptum velum, lapidem reuolutum? Hæ ergo vię sunt in iuuentute, quas non tam deprehendere propheta, quàm enarrare se non posse testatus est. Tales hic etiam dicit vias meretricis, quę postea quàm abluta est, dicit se nihil mali fecisse. Meretrix ista ecclesiæ typus est, aliquando in gentibus constituta, idolorum cultibus vitiata, quam vanæ superstitionis stupra polluerant, quam falsorum deorum adulteram fecerat multitudo: lasciuósque ac turpes incompositis motibus saltus nemorum & lucorum inculta lustrabat, dedita luxuriæ, pompæ gentiliū mancipata. Hanc posteaquam dominus noster Iesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem & criminis accipit & nominis per gratiam fidei. Post meretricem fit virgo, quia vni se destinauit sponso. Nam & Raab illa meretrix Hierichuntis, quæ speculatores Iesu Naue excepit hospitio, & quòd signo cocci signata est, qui color figuram Christi sanguinis indicabat, & quòd euersionem ciuitatis euasit, ecclesiæ typum habuit, quæ per sanguinem Christi ruinam mundi istius secura non metuit. Sic enim ait propheta: Accipe, inquit, tibi vxorem fornicariā, & fac filios fornicationis. Vbique enim dilectissimi fratres cultura idolorum, fornicatio nuncupata est: vt in Apocalypsi scriptum est: Et finis fornicari seruos meos, & manducare idolis immolata. Denique Hierusalem ciuitas illa quondam nobilis Hebræorum, quotiensćunque à veritate deflexerat, & idolis seruiebat, statim meretricis vocabulo nominabatur, sicut clamat Esaias: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion? Inde est ergo quod ait Salomon: Talis autem via mulieris meretricis, quæ posteaquam abluta est, dicit se nihil fecisse.

Prou. 30. B C D Ioan. 14. Psalm. 88. 1. Pet. 2. Ioan. 11. Osee 1. Apoc. 2. Esaiæ 1.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE IIS QVI INITIANTVR MYSTERIIS.

De continuatione huius libri ad superiores, cum exhortatione auditorum vt aures aperiāt, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum munere sacramentorum carpant, quemadmodum ipsis etiam prius author se id significasse commemorat. Caput I.

Qua ratione ingressus regenerationis sacramentum repetere debeat quid interrogatus fuerit cùm baptizaretur, & quid

Cap. II.
1229 quid viderit.
Quòd idcirco inuisibilis gratia diuini spiritus præsens operetur in aquis baptismatis, vt omne abluatur peccatum, per multa exempla & figuras comprobatio. Cap. III.
Quòd tres sint qui testificantur in baptismo, & de mysterio & forma baptismatis, ac de angelo qui commouit natatoriã piscinam. De baptismo præterea Christi, & columba quæ super eum descendit de cœlo. Quódq; sæpe species pro veritate accipiatur. Cap. IIII.
Quòd in iis quæ à sacerdotibus fiunt, nõ merita personarũ, sed officia consideranda sint. Et quomodo in baptismo æqualiter promittatur in patrem, & in filium, & in spiritum sanctum credere debere. Cap. V.
Quare fiat vnctio in capite, & de lotione pedum discipulorum. Et quare Petrus qui mundus erat, plantam lauare debebat. Caput VI.
De mysterio vestimentorum candidorum quibus induuntur infantes. Et quomodo ecclesia hæc habens vestimenta dicat in Canticis: Nigra sum & decora, & cætera quæ sequuntur. Caput VII.
De sacrosancti corporis dominici cõmunione, & conuiuio cœlesti. Quódque antiquiora sunt ecclesiæ sacramenta quàm synagogæ, & præstantiora quàm fuerit manna. Caput VIII.
De virtute sacramẽti corporis & sanguinis Christi, & comparatione per excessum ipsius ad manna, & ad aquas petræ. Et de per plurima exempla probatione quòd corpus Christi quod accipimus, non panis sit, sed caro, quæ ex virgine nata, quæ crucifixa, quæ sepulta fuerit. Caput IX.

Diui Ambrosij
MEDIOLANEN. EPISCOPI,
de iis qui mysteriis initiantur
Liber vnus.

De cõtinuatione huius libri ad superiores, cum exhortatione auditorum vt aures aperiant, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum munere sacramentorum carpãt, quemadmodum ipsis etiam prius author se id significasse commemorat.

Caput I.

DE moralibus quotidianum sermonem habuimus, cum vel patriarcharum gesta vel Prouerbiorum legerentur præcepta, vt his informati atque instituti assuesceretis maiorum ingredi vias, eorúmque iter carpere, ac diuinis obedire oraculis, quo renouati per baptismum, eius vitæ vsum teneretis quæ ablutos deceret. Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere, quam ante baptismum si putassemus insinuandã non esse initiatis, prodidisse potius quàm edidisse æstimaremur. Deinde quod inopinantibus melius se ipsa lux mysteriorum infuderit, quàm si eam sermo aliquis præcucurrisset. Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere sacramentorum carpite, quod vobis significauimus, cùm apertionis celebrantes mysterium diceremus: Effeta, quod est adaperire: vt vẽturus vnusquisque ad gratiam Matth. 7. quid interrogaretur cognosceret, quid respõderet meminisse deberet. Hoc mysterium celebrauit Christus in Euangelio, sicut legimus, cùm mutum curaret & surdum. Sed illi os tetigit: quia & mutum curabat & virum: In altero vt os eius insuflz sonum vocis aperiret: In altero quia tactus iste virum decebat, fœminam non decebat.

Qua ratione ingressus regenerationis sacramentum, repetere debeat quid interrogatus fuerit cum baptizaretur, & quid viderit.

Caput II.

A POst hæc reserata tibi sunt sancta sanctorum, Ingressus es regenerationis sacrarium. repete quid interrogatus sis, recognosce quid respõderis. Renunciasti diabolo & operibus eius, mundo & luxuriæ eius ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viuentium. Vidisti illic leuitam, vidisti sacerdotem, vidisti summum sacerdotem. Noli considerare corporum figuras, sed mysteriorum gratiã. Præsentibus angelis locutus es, sicut scriptum est: Quia labia sacerdotis custodiant scientiam, & legem exquirũt ex ore ipsius, quoniam angelus est domini omnipotentis. Non est fallere, non est negare. Angelus est qui regnum Christi & vitam æternam annunciat. Non specie tibi æstimãdus est, sed munere. Quid tradiderit considera, vsum eius expende, & statum eius agnosce. Ingressus igitur vt aduersarium tuum cerneres, cui renunciandum mox putares, ad orientem conuerteris. Qui enim renũciat diabolo, ad Christum conuertitur, illum directo cernit obtutu. *Mala. 2.*

B *Quòd idcirco inuisibilis gratia diuini spiritus præsens operetur in aquis baptismatis, vt omne abluatur peccatum, per multa exempla & figuras comprobatio. Cap. III.*

QVid vidisti? Aquas vtique, sed non solas. Leuitas illic ministrãtes, Summum sacerdotem interrogantem & consecrãtem. Primo omnium docuit te Apostolus non ea contẽplanda nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Nam & alibi habes: Quia inuisibilia dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, comprehenduntur, sempiterna quoque virtus eius ac diuinitas operibus æstimantur. Vnde & dominus ait: Si mihi non creditis, vel operibus credite. Crede ergo diuinitatis illic esse præsentiam. Operationem credis, non credis præsentiam? Vnde sequeretur operatio, nisi præcederet ante præsentia? Considera autem quàm vetus mysterium sit in C ipsius mundi præfiguratum origine. In principio ipso, quãdo fecit deus cœlum & terram, spiritus, inquit, ferebatur super aquas. Qui superferebatur super aquas, non operabatur super aquas? Sed quid dicam, operabatur? Quod ad præsentiam spectat, superferebatur. Non operabatur, qui superferebatur? Cognosce quia operabatur in illa mundi fabrica, quãdo tibi dicit propheta: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorũ. vtrumque prophetico subnixum est testimonio, & quia superferebatur, & quia operabatur. Quia superferebatur, Moyses dicit: quia operabatur, Dauid testificatur. Accipe aliud testimonium. Corrupta erat caro omnis ab iniquitatibus suis. Non permanebit, inquit, deus, spiritus meus in hominibus, quoniã carnes sunt. Quo ostendit deus, quia carnali immunditia grauioris labe peccati gratia spiritalis auertitur. Vnde volens deus reparare quod deerat, diluuium fecit, & iustum Noë in arcam iussit ascendere. Qui iam decedente diluuio coruum dimisit prius, qui non reuertitur: dimisit columbam, quæ cum ramo oleæ legitur reuertisse. Vides aquam? vides lignum? columbam aspicis, & dubitas de mysterio? Aqua est ergo qua caro D mergitur, vt omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium. Lignum est, in quo suffixus est dominus Iesus cùm pateretur pro nobis. Columba est, in cuius specie descendit spiritus sanctus, sicut didicisti in nouo testamento, qui tibi pacem animæ, tranquillitatémque mentis inspirat. Coruus est figura peccati, quòd exit, & non reuertitur, si in te quoq; iusti custodia & forma seruetur. Tertium quoque testimonium est, sicut te Apostolus docuit: Quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierũt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Denique & ipse Moyses dicit in Cantico: Misisti spiritum tuum, & operuit eos mare. Aduertis quòd in illo Hebræorũ transitu iam tunc sacri baptismatis figura præcesserit, in quo Aegyptius periit, & Hebræus euasit. Quid enim aliud in hoc quotidie sacramento docemur, nisi quia culpa mergitur, & error aboletur? Pietas autem & innocentia tota permãsit. Audis quia sub nube fuerũt patres nostri? Et bona nubes quę carnalium refrige-

2. Corin. 4.
Roma. 1.
Ioan. 10.
Gene. 1.
Psalm. 32.
Gene. 6.
Gene. 7.
Gene. 8.
1. Corin. 10.
Exodi 15.

refrigerauit incendia passionum. Bona nubes obũbrat quos
Luc. 1. reuisit spiritus sanctus. Denique superuenit in Mariam virginem, & virtus altissimi obumbrauit ei, quãdo redemptionem genti genuit humanæ. Et illud miraculum per Moysen in figura factũ est. Si ergo in figura affuit spiritus, non adest in veritate, cũ scriptura tibi dicat, quia lex per Moysen data
Ioan. 1. est, gratia autem & veritas per Iesum Christũ facta est? Ma-
Exod. 15. rath fons amarissimus erat: misit in eum Moyses lignum, & dulcis est factus. Aqua enim sine prædicatione dominicæ crucis ad nullos vsus futuræ salutis est. Cùm verò salutaris fuerit crucis mysterio cõsecrata, tũc ad vsum spiritalis lauacri, & salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illũ fontem Moyses misit lignum, hoc est propheta: ita & in hũc fontem sacerdos prædicationem dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam. Nõ ergo solis corporis tui credas oculis, magis videtur quod nõ videtur, quia istud temporale, illud æternum aspicitur: quod oculis non comprehẽditur, animo autem ac mente cernitur. Denique doceat te decursa regno-
4. Reg. 5. rum lectio. Naaman Syrus erat, & leprã habebat, nec ab vllo mundari poterat. Tunc ait puella ex captiuis, quoniam
B esset propheta in Israel, qui posset eum à lepræ contagione mũdare. Sumpto, inquit, auro & argento, perrexit ad regem Israel. Qui cognita aduentus eius causa, scidit vestimenta sua, dicens quòd tẽtaretur magis, cùm de se ea quæ non essent potestatis regiæ, poscerentur. Helisæus autem regi intimauit vt ad se dirigeret Syrum, quo cognosceret quòd esset deus in Israel. Et cùm venisset, mandauit ei vt septies mergeretur in Iordane fluuio. Tũc ille secum tractare cœpit quòd meliores aquas haberent patriæ suæ, in quibus sæpe mersisset, & nunquam à lepra esset mũdatus: eóque reuocatus nõ obediebat mandatis prophetæ, sed admonitu & persuasionibus seruulorum acquieuit, ac mersit. Mundatúsque illico intellexit non aquarum esse quòd vnusquisque mundatur, sed gratiæ. Recognosce nunc quæ sit illa puella ex captiuis, iunior scilicet ex gentibus congregatio, id est, ecclesia domini, depressa antè captiuitate peccati, quando libertatem adhuc gratiæ non habebat, cuius consilio vanus ille populus nationum verbum audiuit propheticum, de quo diu ante dubitauit: postea tamen vbi credidit exequendum, ablutus est ab omni cõtagio vitiorum. Et ille dubitauit antequã sanaretur: tu iam sanatus es, & ideo dubitare non debes.

Quòd tres sint qui testificantur in baptismo, & de mysterio & forma baptismatis, ac de angelo qui commouit natatoriam piscinam. De baptismo præterea Christi, & columba quæ super eum descendit de cœlo. Quódque sæpe species pro veritate accipiatur. Caput IIII.

IDeo tibi ante prædictum est, vt non hoc solum
1 Cor. 2. crederes quod videbas, ne fortè & tu diceres: Hoc est illud magnũ mysteriũ quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit? Aquas video, quas videbã quotidie: istæ me habent mũdare, in quas sæpe descẽdi, & nũquam mundatus sum? Hinc
1. Ioan. 5. cognosce quòd aqua non mũdat sine spiritu. Ideóque legisti quòd tres testes in baptismate vnum sint, aqua, sanguis, & spiritus: quia si vnum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Christi? Ele-
D Ioan. 3. mentum commune, sine vllo sacramẽti effectu. Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnũ dei. Credit autem etiã catechumenus in crucem domini Iesu, quia & ipse signatur. Sed nisi baptizatus fuerit in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, remissionẽ non potest accipere peccatorũ, nec spiritalis gratiæ munus haurire. Ergo ille Syrus septies mersit in lege, Tu autem baptizatus es in nomine trinitatis, confessus es patrem, recordare quid feceris: confessus es filium, confessus es spiritum sanctum. Tene ordinem rerum in hac fide, mũdo mortuus es, & deo resurrexisti, Et quasi in illo mundi es consepultus elemento, pec-
Ioan. 5. cato mortuus, ad vitam es resuscitatus æternã. Crede ergo quia nõ sunt vacuæ aquæ: ideo tibi dictum est: quia angelus domini descendebat secundum tempus in natatoriã, & mouebatur aqua, & qui prior descendisset in natatoriam post commotionem aquæ, sanus fiebat à languore quocũque te-

nebatur. Hæc piscina in Hierosolymis erat, in qua vnus an-
A nuus sanabatur. Sed nemo ante sanabatur, quàm descendisset angelus: vt esset indicium quia descenderat angelus, mouebatur aqua propter incredulos. Illis signum, tibi fides. Illis angelus descendebat, tibi spiritus sanctus. Illis creatura mouebatur, tibi Christus operatur ipse dominus creaturæ. Tunc curabatur vnus, nũc omnes sanatur, aut certè vnus solus populus Christianus. Est enim in aliquibus & aqua mẽdax, non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit. Iudæus vrceos baptizat & calices, quasi insensibilia vel culpam possint recipere vel gratiam. Tu baptiza hunc calicem tuum sensibilem in quo bona opera tua luceãt, in quo gratiæ tuæ splendor fulgeat. Ergo & illa piscina in figura, vt credas quia in hunc fontem vis diuina descendit. Denique paralyticus ille expectabat hominem. Quem? nisi illum dominum Iesum natum ex virgine, cuius aduẽtu iam non vmbra sanaret singulos, sed veritas vniuersos? Iste est ergo qui expectabatur vt descenderet, de quo dixit deus pater ad Ioan-
Ioan. 1. nem Baptistam: Super quem videris spiritum descendẽrem de cœlo, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. De quo testificatus est Ioannes dicens: Quia vidi spiritum descendentem de cœlo quasi columbam, & manentem super eum. Et hic quare spiritus sicut columba descendit, nisi vt tu videres, nisi vt tu agnosceres columbam etiam illam quam Noë iustus emisit ex arca, istius columbæ
Genes. 8. speciem fuisse, vt typum agnosceres sacramenti? Et fortasse dicas: Cùm illa vera columba fuerit quę emissa est, hic quasi columba descẽderit: quomodo illic speciem fuisse dicimus, hic veritatem, cùm secũdum Græcos in specie columbæ super aquam diuinitatis spiritum descendisse sit scriptum? Sed quid tam verum quam diuinitas, quę manet semper? creaturæ autem non potest veritas esse, sed species, quæ facilè soluitur atque mutatur. Simul quia eorũ qui baptizantur, non
Matth. 10. in specie esse debeat, sed vera simplicitas. Vnde & dominus ait: Estote astuti ficut serpẽtes, & simplices sicut columbæ. Meritò ergo sicut columba descẽdit, vt admoneret nos sim-
C plicitatem columbæ habere debere. Speciem autem pro veritate accipiendam legimus & de Christo: Et specie inuẽtus
Philip. 2. vt homo. Et de patre deo: Neque speciem eius vidistis.

Quòd in iis quæ à sacerdotibus fiunt, non merita personarum, sed officia consideranda sint. Et quomodo in baptismo æqualiter promittatur in patrem, & in filium, & in spiritum sanctum credere debere. Caput V.

ESt ne adhuc quod dubitare debeas, cùm euidenter tibi clamet in Euãgelio pater, qui ait:
Matth. 3. Hic est filius me⁹ in quo complacui? Clamet filius super quem sicut columba se demonstrauit spiritus sanctus. Clamet & spiritꝰ sanctus, qui sicut columba descẽdit. Clamet Dauid: Vox domi-
Psalm. 28. ni super aquas, deus maiestatis intonuit, dominus super aquas multas. Cùm tibi scriptura testetur quòd ad Hieroboal preces ignis descenderit de cœlo. Et rursus precãte Helia ignis est missus qui sacrificium consecrauit. Non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum. Et si merita
D spectas, sicut Heliam consideres, Petri quoque merita spectato vel Pauli, quia acceptũ à domino Iesu, hoc nobis mysterium tradiderunt. Ignis illis visibilis mittebatur vt crederent, nobis inuisibilis operatur qui credimus. Illis in figuram, nobis ad commonitionem. Crede ergo adesse dominũ Iesum inuocatum precibus sacerdotum, qui ait: Vbi fuerint
Matth. 18. duo vel tres, ibi & ego sum. Quanto magis vbi est ecclesia, vbi mysteria sua sunt, ibi dignatur suam impertire præsentiam. Descẽdisti igitur, recordare quid respõderis, quòd credas in patrem, credas in filium, credas in spiritum sanctum. Non habes illic, Credo in maiorem & minorem & vltimũ. Sed eadem vocis tuæ cautione cõstringeris, vt similiter credas in filium sicut in patrem credis. Similiter in spiritũ sanctum credas, sicut credis in filiũ, hoc solo excepto quòd in crucem solius domini Iesu fateris tibi esse credendum.

Quare fiat vnctio in capite, & ablutione pedum discipulorum. Et quare Petrus qui mundus erat, plantam lauare debebat.

Caput VI. Post

1233

POst hæc vtique ascendisti ad sacerdotē, considera quid secutum sit. Nōne illud quod ait Dauid: Sicut vnguentū in capite, quod descēdit in barbā barbam Aaron? Hoc est vnguentum de quo & Salomon ait: Vnguentū exinanitum est nomen tuū, propterea adolescentulæ dilexerunt te, & attraxerunt te. Quantæ hodie renouatæ animæ dilexerunt te domine Iesu dicētes: Attrahe nos post te, in odorem vestimentorum tuorum curremus, vt odorem resurrectionis haurirent. Quare hoc fiat intellige, quia oculi sapientis in capite eius. Ideo in barbam defluit, id est, in gratiam iuuentutis. Ideo in barbā Aaron, vt fias electum genus, sacerdotale, preciosum. Omnes enim in regnum dei & in sacerdotium vngimur gratia spirituali. Ascendisti de fonte, memento euangelicæ lectionis. Et enim dominus noster Iesus in euangelio lauit pedes discipulis suis, quando venit ad Simonem Petrum, & ait Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Non aduertit mysterium, & ideo ministerium recusauit, quod grauari humilitatem serui crederet, si sibi obsequium domini patienter admitteret. Cui respondit dominus: Si non lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. Quo audito Petrus, Domine non tantum pedes, inquit, sed manus & caput. Respōdit dominus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Mundus erat Petrus: sed plantam lauare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantauit serpēs, & persuasit errorem. Ideo planta eius abluitur, vt hæreditaria peccata tollantur. Nostra enim propria per baptismum relaxantur. Simul cognosce mysterium ipsum humilitatis consistere in ministerio. Ait enim: Si ego laui vobis pedes dominus & magister, quanto magis & vos debetis lauare pedes inuicem vobis? Cùm enim ipse author salutis per obediētiam nos redemerit, quanto magis nos seruuli eius humilitatis & obedientiæ exhibere debemus obsequium?

De mysterio vestimentorum candidorum quibus induuntur infantes, & quomodo ecclesia hæc habens vestimenta dicat in Canticis: Nigra sum & decora, & cætera quæ sequuntur.

Caput VII.

ACcepisti post hęc vestimēta candida, vt esset indiciū quòd exueris inuolucrum peccatorū, indueris innocētiæ casta velamina, de quibus dixit propheta: Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuē dealbabor. Qui enim baptizatur: & secundū legem, & secundum Euāgelium videtur esse mūdatus. Secundum legem, quia hyssopi fasciculo Moyses aspergebat sanguinem agni. Secundum Euangelium, quia Christi erant candida vestimēta sicut nix, cùm resurrectionis suæ gloriam in Euangelio demonstraret. Super niuem dealbatur, cui culpa dimittitur. Vnde & per Esaiā dominus ait: Si fuerint peccata vestra sicut Phœnicium, vt niuem dealbabo. Hæc vestimenta habens ecclesia per lauacrum regenerationis assumpta, dicit in Canticis: Nigra sum & decora filiæ Hierusalem. Nigra per fragilitatem conditionis humanæ: decora per gratiam. Nigra, quia ex peccatoribus: decora fidei sacramento. Hæc vestimenta cernentes filiæ Hierusalem, stupefactæ dicunt: Quæ est hæc quæ ascendit dealbata? Hæc erat nigra: vnde nunc subitò dealbata? Dubitauerunt enim etiā angeli cùm resurgeret Christus, dubitauerunt potestates cœlorum videntes quòd caro in cœlum ascenderet. Denique dicebant: Quis est iste rex gloriæ? Et cùm alij dicerent, Tollite portas principis vestri, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ: alij dubitabant dicentes: Quis est iste rex gloriæ? In Esaia quoque habes dubitantes virtutes cœlorum dixisse: Quis est iste qui ascēdit ex Edom, rubor vestimentorum eius ex Bosor, speciosus in stola candida? Christus autem videns ecclesiam suam in vestimentis candidis, pro qua ipse (vt habes in Zachariæ libro prophetę) sordida vestimenta susceperat, vel animam regenerationis lauacro mundam atque ablutam, dicit: Ecce formosa es proxima mea, ecce es formosa, oculi tui sicut columbæ. in cuius specie spiritus sanctus descendit de cœlo. Formosi oculi sicut diximus supra, quia sicut columba descendit. Et infra: Dentes tui sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lauacro, quę omnes geminos creant, & infœcunda nō est in eis. vt resticula coccinea labia tua. Nō mediocris ista laudatio. Primum dulci comparatione tonsarum. Capras enim & in altis pasci sine periculo nouimus, & in præruptis securas cibum sumere. Deinde cùm tōdentur, deonerari superfluis. Harum gregi comparatur ecclesia, multas in se habens animarum virtutes, quæ per lauacrum superflua peccata deponant, quæ mysticā fidem & moralem gratiam deferāt Christo, quæ crucem domini Iesu loquantur. In iis formosa est ecclesia. Vnde ad eam verbum deus dicit: Tota formosa es proxima mea, & reprehensio non est in te: quia culpa demersa est. Ades huc à libano sponsa, ades huc à libano, trāsibis & pertransibis à principio fidei, eò quòd renuncians mundo transierit seculum, pertrāsierit ad Christum. Et iterum dicit ad eam deus verbum: Quàm pulchra & suauis facta est charitas in deliciis tuis? Statura tua similis facta est palmæ, & vbera tua botris. Cui respondet ecclesia: Quis dabit te frater mihi, lactentem vbera matris meæ? Inueniens te foris, osculabor te. Et quidem non spernent me. Assumam te, & inducam te in domum matris meæ, & in secretum eius quæ concepit me, docebis me. Vides quemadmodum delectata munere gratiarum, ad interiora cupit mysteria peruenire, & omnes sensus suos consecrare Christo? Adhuc quærit suscitantem, & suscitari eam sibi poscit à filiabus Hierusalem, quarum gratia, hoc est animarum fidelium, sponsum in amorem sui vberiorem desiderat prouocari. Vnde dominus Iesus & ipse inuitatus tanto studio charitatis, pulchritudine decoris & gratiæ, quòd nulla iam in ablutis delicta sorderent, dicit ad ecclesiam: Pone me vt signaculum in corde tuo, vt sigillum in brachio tuo: hoc est, decora es proxima mea, tota formosa es, nihil tibi deest. Pone me vt signaculū in corde tuo, quo fides tua pleno fulgeat sacramento. Opera quoque tua luceant, & imaginē dei præferant, ad cuius imaginem facta es. Charitas tua nulla persecutione minuatur, quam multa aqua excludere, flumina inundare non possint. Vnde repete quia accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris: & serua quod accepisti. Signauit te deus pater, confirmauit te Christus dominus, & dedit pignus spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolica lectione didicisti.

Cantic. 4. *Cantic. 7.* *Cantic. 8.* *Cantic. 8.* *Esaiæ 11.* *2. Corin. 5.*

De sacrosancti corporis dominici communione, & conuiuio cœlesti. Quódque antiquiora sint ecclesiæ sacramenta quàm synagogæ, & præstantiora quàm fuerit manna. Cap. VIII.

HIs abluta plebs diues insignib⁹ ad Christi cōtendit altaria, dicēs: Et introibo ad altare dei, ad deū qui lętificat iuuentutem meam. Depositis autem inueterati erroris exuuiis, renouata in aquilæ iuuentutem, cœleste illud festinat adire conuiuium. Venit igitur, & videns sacrosanctum altare compositum, exclamans ait: Parasti in conspectu meo mensam. Hanc loquentem inducit Dauid dicens: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit: super aquam refectionis educauit me. Et infra: Nam & si ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & poculum meum inebrians quàm præclarum est. Nunc illud consideremus, ne quis fortè visibilia videns, quoniam quæ sunt inuisibilia, nō videntur, nec possunt humanis oculis comprehendi, dicat fortè: Iudæis deus manna pluit, pluit coturnices: Ecclesiæ aūt illi dilectæ hæc sunt quę præparauit, de quibus dictum est quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit quæ præparauit deus diligentibus eum? Ergo ne quis hoc dicat, summo studio volumus cōprobare quòd & antiquiora sunt sacramenta ecclesiæ quàm synagogæ, & præstantiora quàm māna est. Antiquiora docet lectio Genesis quæ decursa est. Synagoga enim ex lege Moysi principium sumpsit, Abraham verò longè anterior, qui victis hostibus, & nepote proprio recepto, cùm potiretur victoria, tunc illi occurrit Melchisedech, & protulit ea quæ Abrahā veneratus accepit. non Abraham protulit, sed Melchisedech, qui inducitur sine patre,

Psalm. 42. *Psalm. 22.* *1. Corin. 2.*

tre,ſine matre,neque initium dierum,neque finem habens, ſimilis autem filio dei:de quo ait Paulus ad Hebræos:Quia manet ſacerdos in perpetuũ, quia interpretatione latina dicitur rex iuſtitię,rex pacis.Non agnoſcis quis iſte ſit?Poteſt homo eſſe rex iuſtitiæ,cũ vix iuſtus ſit?Poteſt eſſe rex pacis, cùm vix poſſit eſſe pacificus? Sine matre ſecũdum diuinitatem, quia ex patre deo genitus eſt, vnius ſubſtãtiæ cum patre. Sine patre ſecundum incarnationem, qui natus ex virgine eſt. Initium & finem non habens,quia ipſe eſt initium & finis omnium,primus & nouiſſimus. Non igitur humani,ſed diuini eſt muneris ſacramẽtum quod accepiſti,ab eo prolatum qui benedixit fidei patrem Abraham,illum cuius gratiam,& geſta miraris. Probatum eſt antiquiora eſſe Eccleſiæ ſacramenta,nunc cognoſce potiora.Reuera mirabile eſt quod manna deus pluerit patribus, & quotidiano cœli paſcebantur alimẽto. Vnde dictum eſt: Panem angelorum manducauit homo.Sed tamen panem illum qui mãducauerũt,omnes in deſerto mortui ſunt.Iſta autem eſca quam accipis,iſte panis viuus qui deſcẽdit de cœlo,vitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat:& quicunque hunc panem mãducauerit,non morietur in æternum:& corpus eſt Chriſti.

Pſalm.77. *Ioan.6.*

De virtute ſacramenti corporis & ſanguinis Chriſti,& comparatione per exceſſum ipſius ad manna,& ad aquas petræ. Et de per plurima exempla probatione quod corpus Chriſti quod accipimus, non panis ſit, ſed caro, quæ ex virgine nata, quæ crucifixa,quæ ſepulta fuit. Caput IX.

COnſidera nunc vtrum præſtantior ſit panis angelorum,an caro Chriſti, quæ vtique corpus eſt vitæ.Manna illud è cœlo,hoc ſupra cœlũ.Illud cœli,hoc domini cœlorum.Illud corruptioni obnoxium,ſi in diem alterũ ſeruaretur: hoc alienũ ab omni corruptione,quod quicũque religiosè guſtauerit, corruptionẽ ſentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit,tibi ſanguis è Chriſto. Illos ad horam ſatiauit aqua,te ſanguis diluit in æternum. Iudæus bibit,& ſitit:tu cùm biberis,ſitire non poteris. Et illud in vmbra,hoc in veritate.Si illud quod miraris, vmbra eſt,quantum iſtud eſt cuius & vmbram miraris? Audi quia vmbra eſt quæ apud patres facta eſt. Bibebãt,inquit,de conſequenti petra,petra autem erat Chriſtus. Sed non in pluribus eorum complacitum eſt deo:nam proſtrati ſunt in deſerto.Hęc autem in figuram facta ſunt noſtri.Cognouiſti præſtantiora? Potior etenim lux quàm vmbra,veritas quàm figura, corpus authoris quàm manna de cœlo. Fortè dicas: Aliud video, quomodo tu mihi aſſeris quòd Chriſti corpus accipiã?Et hoc nobis adhuc ſupereſt,vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis?Probemus nõ hoc eſſe quod natura formauit,ſed quod benedictio cõſecrauit: Maiorémque vim eſſe benedictionis quàm naturæ,quia benedictione etiam natura ipſa mutatur.Virgã tenebat Moyſes,proiecit eã,& facta eſt ſerpens.Rurſus apprehendit caudam ſerpentis,& in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur Prophetica gratia bis mutatam eſſe naturam & ſerpentis & virgæ.Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu,ſubitò de fontiũ venis ſanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluuiis.Rurſus ad prophetæ preces cruor ceſſauit fluminum,aquarum natura remeauit. Circunclusus vndique erat populus Hebræorum,hinc Ægyptiis vallatus,inde mari clauſus. Virgã leuauit Moyſes,ſeparauit ſe aqua,& in murorum ſpeciem congelauit, atque inter vndas via pedeſtris apparuit. Iordanis retrorſum cõuerſus contra naturã in ſui fontis reuertitur exordiũ. Nónne claret naturã vel maritimorũ fluctuũ vel fluuialis curſus eſſe mutatã?Sitiebat populus patrũ,tetigit Moyſes petrã,& aqua de petra fluxit. Nũquid non præter naturã operata eſt gratia, vt aquã vomeret petra,quã non habebat natura?Marath fluuius amariſſimus erat,vt ſitiẽs populus bibere nõ poſſet. Miſit Moyſes lignũ in aquã,& amaritudinẽ ſuã aquarũ natura depoſuit,quã infuſa ſubitò gratia temperauit.Sub Heliſæo propheta vni ex filiis prophetarum excuſſum eſt ferrum de ſecuri, & ſtatim merſum eſt.Rogauit Heliſęum qui amiſerat ferrũ:miſit etiã Heliſęus lignum in aquam,& ferrum natauit:vtique & hoc præter naturam factum eſſe cognoſcimus.Grauior eſt enim ferri ſpecies,quàm aquarum liquor.Aduertimus igitur maioris eſſe virtutis gratiam quàm naturam, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam.Quòd ſi tãtum valuit humana benedictio, vt naturã conuerteret,quid dicimus de ipſa conſecratione diuina,vbi verba ipſa domini ſaluatoris operantur?Nam ſacramẽtum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Quod ſi tantum valuit ſermo Heliæ,vt ignem de cœlo deponeret,non valebit Chriſti ſermo,vt ſpecies mutet elementorum?De totius mundi operibus legiſti:Quia ipſe dixit,& facta ſunt: ipſe mandauit,& creata ſunt. Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, nõ poteſt ea quæ ſunt,in id mutare quod nõ erant?Non enim minus eſt nouas rebus dare,quàm mutare naturas. Sed quoad argumẽtis vtimur?ſuis vtamur exẽplis, incarnationiſque aſtruamus myſterij veritatem. Nunquid naturæ vſus præceſſit cùm Ieſus dominus ex Maria naſceretur?Si ordinem quærimus,viro mixta fœmina generare cõſueuit.Liquet igitur quòd prẽter naturæ ordinem virgo generauit:& hoc quod cõficimus,corpus ex virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe dominus Ieſus partus ex virgine? Vera vtique caro Chriſti, quæ crucifixa eſt,quæ ſepulta eſt:verè ergo carnis illius ſacramẽtum eſt. Ipſe clamat dominus Ieſus: Hoc eſt corpus meum.Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt cõſecrationem corpus Chriſti ſignificatur.Ipſe dicit ſanguinem ſuum.Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur.Et tu dicis,amen:hoc eſt,verum eſt:quod os loquitur,mẽs interna fateatur:quod ſermo ſonat,affectus ſentiat. His igitur ſacramentis paſcit eccleſiam ſuam Chriſtus, quibus animæ firmatur ſubſtantia.Meritóque videns profectũ eius gratiæ continentem, dicit ad eam: Quàm decora facta ſunt vbera tua ſoror mea ſpõſa,quàm decora facta ſunt à vino: & odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata. Fauus diſtillans labia tua ô ſpõſa, mel & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor libani. Hortus concluſus ſoror mea,ſponſa mea,hortus concluſus,fons ſignatus. Quo ſignificat ſignatũ debere apud te manere myſterium, ne violetur operibus malæ vitæ, atque adulterio caſtitatis,ne diuulgetur quibus non conuenit,ne garrula loquacitate diſpergatur in perfidos.Bona debet ergo fidei tuę eſſe cuſtodia, vt intemerata vitæ ac ſilentij integritas perſeueret.Vnde & eccleſia altitudinem ſeruans myſteriorũ cœleſtium,reiicit à ſe grauiores venti procellas, & inuitat vernãtis gratiæ ſuauitatem:& ſciens quòd hortus ſuus Chriſto diſplicere non poſſit,aduocat ipſum ſponſum dicens:Exurge aquilo,& veni auſter,perfla hortum meum,& fluant vnguenta mea.Deſcẽdat frater meus in hortum ſuum,& edat fructum pomiferarum ſuarum.Bonas enim arbores & fructiferas habet,quæ radices ſuas tinxerint in ſacri fontis irriguo,& in bonos fructus nouæ fœcunditatis germine pullulauerint, vt non iam Prophetica cædantur ſecuri,ſed Euangelica vbertate fœcundẽtur. Denique fertilitate earum dominus delectatus reſpõdet:Ingreſſus ſum in hortum meum ſoror mea ſponſa,vindemiaui myrrhã,cum vnguentis meis, manducaui cibum meum cum melle meo,bibi potum meũ cum lacte meo. Quare cibum & potum dixerim,fidelis intellige. Illud autem non dubium, quòd in nobis ipſe manducat & bibit,ſicut in nobis legiſti,quia in carcere eſſe ſe dicit. Vnde & Eccleſia videns tantam gratiam,hortatur filios ſuos, hortatur proximos, vt ad ſacramenta concurrens, dicens:Edite proximi mei & bibite,& inebriamini chariſſimi mei.Quid edamus?quid bibamus?Alibi tibi per Prophetam ſpiritus ſanctus expreſſit dicens:Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt dominus,beatus vir qui ſperat in eo.In illo ſacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti: non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritalis eſt. Vnde & Apoſtolus de typo eius ait: Quia patres noſtri eſcam ſpiritalem manducauerunt,& potũ ſpiritalem biberunt. Corpus enim dei,corpus eſt ſpiritale. Corpus Chriſti,corpus eſt diuini ſpiritus,quia ſpiritus Chriſti, vt legimus: Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus dominus. Et in Petri epiſtola habemus: Chriſtus pro nobis mortuus eſt.Denique cor noſtrum eſca iſta cõfirmat,& potus iſte lætificat cor hominis,vt Propheta memorauit.

Exod.15. *4.Reg.6.*

Pſalm.147. *Matth.26.* *Cant.4.* *Pſalm.33.* *1.Cor.10.* *Thren.4.* *1.Petr.2.*

1237

rauit. Vnde adepti omnia sciamus regeneratos nos esse. Nec dicamus, quomodo regenerati sumus? nunquid in ventrem matris nostræ introiuimus, & renati sumus? Non agnosco vsum naturæ. Sed nullus hic naturæ ordo, vbi excellētia gratiæ. Denique non semper vsus naturæ regenerationem facit. Generatum ex virgine Christum dominum confitemur, & naturæ ordinem denegamus. Non enim ex viro Maria concepit, sed de spiritu sancto in vtero accepit, vt dicit Matthæus: Quia inuenta est in vtero habens de spiritu sancto. Si ergo superueniens spiritus sanctus in virginem, concepti operatus est, & generationis munus impleuit, non vtique dubitandum est quod superueniēs in fontem, vel super eum qui baptismum consequitur, veritatem regenerationis cooperetur.

FINIS.

CAPITA LIBRI PRIMI DE SACRAMENTIS.

De fide Christiani, & quomodo baptizatus considerare debeat peracta mysteria adapertionis. Qua etiā ratione in exorcismo aures & nares tangantur, vt aperiātur, & quare nares, & non os. Caput I.

De vnctione in baptismo, & abrenunciatione tunc facta. Et qua ratione sacerdos dicatur angelus, & de seruanda fide Christo promissa. Cap. II.

Quòd licet in baptismo sacerdos & minister videantur, alia tamen maiora sint quæ operantur, & non videntur. Caput III.

Quòd sacramenta Christianorum diuiniora & priora sint quàm Iudæorum. Et quid pascha significet. Cap. IIII.

Quid significat lotio Naaman Syri leprosi, & quòd nō aqua sed consecratio munder. Quódque in baptismate omnis iustitia sit constituta. Et de columba super Christum descendēte, & quare Christus prior descenderit in aquam, & postea spiritus sanctus. Cap. V.

Quomodo typus baptismatis præfiguratus fuerit per transitum rubri maris, & de malo murmurationis. Quid etiam significet columna lucis præcedens, & nubis subsequens. Et quod in diluuio figura baptismi præcesserit. Cap. VI.

Diui Ambrosij
MEDIOLANEN. EPISCOPI, *de sacramentis Liber primus.*

Caput primum.

DE sacramētis quæ accepistis, sermonem adorior, cuius rationem nō putaui ante præmitti. In Christiano enim viro prima est fides. Ideo Romæ fideles dicuntur qui baptizati sunt, & pater noster Abraham ex fide iustificatus est, non ex operibus. Ergo accepistis baptismum, credidistis. Rom. 4. Nefas est enim me aliud æstimare. Neque enim vocatus esses ad gratiam, nisi dignum te Christus sua gratia iudicasset. Ergo quid egimus sabbato? Nempe apertionem. Quæ mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos & nares. Quod significat in Euāgelio dominus noster Iesus Christus cùm ei oblatus esset surdus & mutus, & tetigit aures eius, & os eius. Aures, quia surdus erat: os, quia mutus. Et ait: Effeta, quod Hebraicum verbum est, & Latinè dicitur adaperire. Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, vt aperirentur aures tuæ ad sermonem & ad eloquium sacerdotis. Sed dicis mihi, quare nares? Quia mutus erat, os tetigit: vt quia loqui non poterat sacramenta cœlestia, vocem acciperet à Christo. Et ibi quia viri, hîc quia mulieres baptizantur, & non eadem puritas serui, quanta & domini. Cùm ille peccata concedat, huic peccata donentur, quæ potest esse comparatio? Ideo propter gratiam operis & muneris non os tangit episcopus, sed nares. Quare nares? Vt bonum odorem accipias pietatis æternæ, vt dicas: Christi enim bonus odor sumus deo. quemadmodū dixit Apostolus sanctus. Et sit in te fidei deuotionisque plena fragrantia. 2. Corin. 2.

De vnctione in baptismo, & abrenūciatione tunc facta. Et qua ratione sacerdos dicatur angelus, & de seruanda fide Christo promissa. Caput II.

VEnimus ad fontē, ingressus es. Cōsidera quos videris, quid locutus sis cōsidera, repete diligēter. Occurrit tibi leuita, occurrit presbyter. vnct⁹ es quasi athleta Christi, quasi luctamē huius seculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina. Qui luctatur, habet quod speret. vbi certamen, ibi corona. Luctaris in seculo, sed coronaris à Christo, & pro certaminibus seculi coronaris. Nam & si in cœlo præmium, hîc tamen meritum præmij † collocatur. Quando te interrogauit, Abrenuncias diabolo & operibus eius? quid respōdisti? Abrenūcio. Abrenūcias seculo, & voluptatibus eius? quid respōdisti? Abrenūcio. Memor esto sermonis tui, & nunquā tibi excidat tuę series cautiōis. Si chirographū homini dederis, teneris obnoxius, vt pecuniā eius accipias: teneris astrictus, & reluctātem te fœnerator astringit si recusas, vadis ad iudicē, atq; illic tua cautione conuinceris. Vbi promiseris considera, vel quibus promiseris. Leuitam vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrare. Ergo chirographū tuum tenetur non in terra, sed in cœlo. Cōsidera vbi capias sacramēta cœlestia. Si hîc corp⁹ est Christi, hîc & angeli cōstituti sunt. Vbi corpus, ibi aquilæ. legisti in Euāgelio. Vbi corpus Christi, ibi & aquilæ volare cōsuerunt, vt terrena fugiāt, cœlestia petant. Quare hoc dico? quia & homines angeli quicunque annunciant Christum, & in angelorū asciti vidētur locum. Quomodo? Accipe Baptistæ rationem. Ioannes narus erat ex viro & muliere. Attamen audi quia angelus est ipse: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, & parabit viam tuam ante te. Accipe aliud, Malachias ait propheta, Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ipsius. Angelus est enim dei omnipotentis. Hæc ideo dicuntur, vt sacerdotis gloriam prædicemus, non vt aliquid personalibus meritis arrogetur. Ergo abrenunciasti mundo, abrenunciasti seculo, esto solicitus. Qui pecuniā debet, semper cautionem suā considerat. Et tu qui fidem debes Christo, fidem serua, quæ multo precioſior quam pecunia est. Fides enim æternum patrimonium est, pecunia temporale. Et tu ergo semper recordare quid promiseris. Cautior si teneas promissionem tuam, tenebis & cautionem. † *colligitur.* Matth. 24. Matth. 11. Mala. 2.

Quòd licet in baptismo sacerdos & minister videātur, alia tamen maiora sint quæ operantur, & non videntur. Cap. III.

DEinde accessisti propius, vidisti fontē, vidisti & sacerdotem supra fontē. Nec hoc possum dubitare quod in animum vestrū non potuerit cadere quod cecidit in illum Syrū Naaman: quia etsi mundatus est, tamen antè dubitauit. Quare dicā, accipe. Ingressus es, vidisti aquam, vidisti sacerdotem, vidisti leuitam. Ne fortè aliquis dixerit, hoc est totum: imò est totum. verè totum, vbi tota innocentia, tota pietas, tota gratia, tota sanctificatio. Vidisti quæ videre potuisti oculis tui corporis, & humanis conspectibus, non vidisti illa quæ operātur, & non videntur. Illa multo maiora sunt quæ non videntur, quàm quæ videntur: quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ non videntur, æterna. 2. Corin. 4.

Quòd sacramenta Christianorū diuiniora & priora sint quàm Iudæorum. Et quid pascha significet. Caput IIII.

ERgo dicamus primum, tene cautionē vocis meæ, & exige. Miramur mysteria Iudæorū quæ patribus nostris data sunt, primū vetustatē sacramentorū, deinde sanctitatē præstantiū. Illud præmitto, quòd diuiniora & priora sacramēta sunt Christianorum quā Iudæorum. Quid præcipuū quā quod per mare transiit Iudæorum populus? vt de baptismo interim loquamur. Attamen qui transierunt Iudæi, mortui sunt omnes in deserto. Cæterū qui per hunc fontem trāsit, transit à terrenis ad cœlestia. hoc est enim pascha, id est transitus eius, trāsitus à peccato

cato ad vitam,à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad ſanctificationem. Qui per hunc fontem tranſit, non moritur, ſed reſurgit.

Quid ſignificet lotio Naaman Syri leproſi, & quòd non aqua ſed conſecratio mundet: Quódque in baptiſmate omnis iuſtitia ſit conſtituta. Et de columba ſuper Chriſtum deſcendente, & quare Chriſtus prior deſcenderit in aquam, & poſtea ſpiritus ſanctus. Caput V.

4.Reg.5. NAaman ergo leproſus erat,puella quædã ait vxori illius:Dominus meus ſi vult mũdari, vadat in terrã Iſrael, & ibi inueniet eum qui poſſit ei leprã tollere. Dixit illa dominæ ſuæ,vxor marito, Naaman regi Syriæ, qui eũ quaſi acceptiſſimũ ſibi miſit ad regẽ Iſrael. Audiuit rex Iſrael quod miſiſſet ad eum cuius leprã mundaret,& ſcidit veſtem ſuam. Tũc Heliſæus propheta mãdat ei : Quid eſt quòd ſcidiſti veſtem,quaſi nõ ſit deus potens qui mũdet leproſum? Mitte illum ad me. Miſit illũ. Cui aduenienti ait propheta: Vade deſcende in Iordanem, merge,& ſanaberis. Ille cœpit cogitare ſecũ & dicere: Hoc eſt totum? Veni de Syria in terram Iudæam,& dicitur mihi, Vade,in Iordanẽ merge,& ſanaberis: quaſi flumina meliora non ſint in patria mea. Dixerunt ergo ſerui: Domine,quare non facis verbum prophetæ? Magis fac,& experire. Tũc ille iuit,in Iordane merſit,& ſurrexit ſanus. Quid enim ſignificat? Vidiſti aquam: ſed non aqua omnis ſanat,ſed aqua ſanat quæ habet gratiam Chriſti. Aliud eſt elementum,aliud cõſecratio: aliud opus,aliud operatio. Non ſanat aqua niſi ſpiritus ſanctus deſcẽderit,& aquam illam conſecrauerit: ſicut legiſti quòd cùm dominus noſter Ieſus Chriſtus formã baptiſmatis daret,venit ad Ioannem,& ait illi Ioannes: Ego à te debeo baptizari,& tu venis ad me? Reſpõdit illi Chriſtus: Matth. 3. Sine modo. Sic enim decet nos implere omnẽ iuſtitiã. Vide quia omnis iuſtitia in baptiſmate conſtituta eſt. Ergo quare Chriſtus deſcendit,niſi vt caro iſta mundaretur,caro quam † abolitio. ſuſcepit de noſtra conditione? Non enim † ablutio peccatorum ſuorũ Chriſto neceſſaria erat, qui peccatum non fecit: ſed nobis erat neceſſaria,qui peccato manem⁹ obnoxij. Ergo ſi propter nos baptiſmi nobis forma eſt conſtituta, fidei noſtræ forma propoſita eſt. Deſcendit Chriſtus,Ioannes aſtabat qui baptizabat, & ecce quaſi colũba ſpiritus ſanctus deſcẽdit. Non columba deſcẽdit,ſed quaſi columba. Memẽto quid dixerim, Chriſtus carnem ſuſcepit,non ſicut carnẽ, ſed carnis iſtius veritatem, verè carnem Chriſtus ſuſcepit. Spiritus enim ſanctus in ſpecie columbæ,nõ in veritate columbæ,ſed in ſpecie columbæ deſcendit de cœlo. Ergo vidit Ioannes,& credidit. Deſcendit Chriſtus,deſcẽdit & ſpiritus ſanctus. Quare prior Chriſtus deſcendit,poſtea ſpiritus, cùm forma baptiſmatis & vſus hoc habeat,vt ante fons conſecretur,& tunc deſcendat qui baptizãdus eſt? Nam vbi primum ingreditur ſacerdos,exorciſmum facit,ſecundo ſuper creaturã aquæ inuocationem, poſtea & precem defert, vt ſanctificetur fons, & aſſit præſentia trinitatis æternæ. Chriſtus autem antè deſcendit,ſecutus eſt ſpiritus. Qua ratione? Vt non quaſi ipſe egere dominus Ieſus ſanctificationis myſterio videretur,ſed ſanctificaret ipſe,ſanctificaret & ſpiritus. Ergo deſcendit in aquam Chriſtus,& ſpiritus ſanctus ſicut columba deſcendit. Pater quoque deus è cœlo locutus eſt. Habes præſentiam trinitatis.

Quomodo typus baptiſmatis præfiguratus fuerit per tranſitum rubri maris, & de malo murmurationis. Quid etiam ſignificet columna lucis præcedens, & nubis ſubſequens. Et quod in diluuio figura baptiſmi præceſſerit. Caput VI.

1.Cor.10. IN mari autẽ rubro figurã iſtius baptiſmatis extitiſſe ait Apoſtolus dicens: Quia patres noſtri omnes baptizati ſunt in nube & in mari. Et ſubdit: Hæc autẽ omnia in figura facta ſunt illis. Illis in figura,ſed nobis in veritate. Tũc Moyſes virgam tenebat,cõcluſus erat populus Iudęorũ,inſtabat Ægyptius cum armis ex vna parte,mari claudebantur Hebręi,neque maria tranſire poterant,neq; in hoſtem recurrere: murmurare cœperunt. Vide,non te prouocet quia exauditi ſunt. Etſi exauditi dominus,tamen culpa non carent qui murmurauerũt. Tuum eſt vbi conſtringeris, credere quòd euadas,nõ murmurare: inuocare,rogare,non querelam expromere. Tenebat virgam Moyſes, & ducebat populũ Hebræorũ in nocte in columna lucis,in die in columna nubis. Lux quid eſt niſi veritas,quæ apertum & plenum lumen effundit: Columna lucis quid eſt,niſi Chriſtus dominus,qui tenebras infidelitatis depulit, lucẽ veritatis & gratiæ ſpiritalis affectibus infudit humanis? At verò columna nubis eſt ſpiritus ſanctus. In mari erat populus,& præibat colũna lucis: deinde ſequebatur columna nubis, quaſi vmbratio ſpiritus ſancti. Vides quòd per ſpiritum ſanctum,& per aquam typum baptiſmatis demonſtrauerit? In diluuio quoque fuit iam tunc figura baptiſmatis, & adhuc vtique non erãt myſteria Iudæorum. Si ergo huius baptiſmatis forma præceſſit, vides ergo ſuperiora myſteria Chriſtianorum, quàm fuerint Iudæorũ. Sed interim ſecundum fragilitatem vocis noſtræ, & ſecundum temporis rationem ſatis ſit hodie tãta de ſacro fonte libaſſe myſteria. Craſtina die,ſi dominus dederit loquẽdi poteſtatem vel copiam,plenius intimabo. Opus eſt vt ſanctitas veſtra aures paratas habeat,promptiorem animum, vt ea quæ nos colligere poſſumus de ſerie ſcripturarum,& vobis intimauerimus,tenere poſſitis,vt habeatis gratiam patris,& filij,& ſpiritus ſancti. Cui trinitati perpetuũ eſt regnum à ſeculis,& nunc & ſemper,& in omnia ſecula ſeculorum.

CAPITA LIBRI SECVNDI DE SACRAMENTIS.

Quòd diluuium nihil aliud ſit niſi baptiſma,quo peccata diluuntur,ſola autem mens iuſti & gratia reſuſcitentur. Et de multis generibus baptiſmatum. Caput I.

Quid ſignificet angelus deſcendens in piſcinam. Et quid ſit quòd paralyticus reſpõderit Chriſto,Hominem non habeo. Caput II.

De variis generibus & figuris baptiſmi. Cap. III.

Quid ſignificet quòd ad preces Heliſæi ferrum ſecuris demerſum ſupernatauerit. Quid etiam quòd Moyſes lignũ miſerit in fontem,quo aqua antea amara dulceſcebat. Caput IIII.

De efficaci probatione quòd ad inuocationem ſacerdotis ſu per fontem veri baptiſmi potius aſſit præſentia trinitatis quàm ad ſupratactas figuras baptiſmi, & quid ſignificet columba. Quid etiam ſpiritus magno ſono in die Pentecoſtes deſcendens, & apparens in diſpertitis linguis. Caput V.

Quòd baptiſmum inuentum ſit ad reſurrectionem & viuificationem naturæ humanę,quę per peccatum morti obnoxia erat. Caput VI.

De triplici immerſione in baptiſmum,& triplici interrogatione,& quod in vno nomine baptizari oportet. Et quomodo in morte Ieſu baptizemur & vngamur in vitam æternam. Caput VII.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE SACRAMENTIS, *Liber ſecundus.*

Quòd diluuium nihil aliud ſit niſi baptiſma, quo peccata diluuntur, ſola autem mens iuſti & gratia reſuſcitentur. Et de multis generibus baptiſmatum. Caput I.

IN diluuio figuram baptiſmatis præceſſiſſe heſterno cœpim⁹ diſputare. Quid eſt diluuiũ, niſi in quo iuſtus ad ſeminariũ iuſtitię reſeruatur,peccatũ moritur? Ideo dominus cùm vidit hominũ pullulare delicta,iuſtũ ſolũ cũ ſua progenie reſeruauit. A quã autẽ ſupra mõtes quoq; exire præcepit. Et ideo in illo diluuio omnis corruptela carnis interiit,ſola iuſti proſapia & forma permãſit. Nónne hoc eſt diluuiũ quod eſt baptiſma,quo peccata omnia diluũtur,ſola iuſti mẽs & gratia reſuſcitatur? Multa ſunt genera baptiſmatum,ſed vnum baptiſma clamat Apoſtolus. Quare

1241

Quare? Sunt baptismata gentium, sed non sunt baptismata. Lauacra sunt, baptismata esse non possunt. Caro lauatur, non culpa diluitur, imò in illo lauacro contrahitur. Erant autem baptismata Iudæorum alia superflua, alia in figura. Et figura ipsa nobis proficit, quia veritatis est nuncia.

Quid significet angelus descendēs in piscinam, & quid sit quòd paralyticus responderit Christo, Hominem non habeo.

Caput II.

QVid lectum est heri? Angelus, inquit, secundum tempus descēdebat in piscinā, & quotienscunque descendisset angelus, mouebatur aqua: & qui prior descendisset, sanabatur ab omni languore quocunque tenebatur. Quod significabat figurā venturā domini nostri Iesu Christi. Angelus quare? Ipse est enim magni consilij angelus, Secundum tempus, quod ad horam nouissimam seruabatur, vt in occasu ipsum diem deprehenderet, & differret occasum. Quotienscunque ergo descēdisset angelus, mouebatur aqua. Dicis fortè: Quare modo non mouetur? Audi quare. Signa incredulis, fides credentibus. Qui prior descendisset, sanabatur ab omni infirmitate. Qui prior? tempore, an honore? Vtrumque intellige. Si tempore, prior qui descēdisset sanabatur, hoc est de populo Iudæorum magis quàm de populo nationum. Si honore, qui prior descendisset, hoc est qui haberet dei metum, studium iustitiæ, gratiā charitatis, castitatis affectum, ipse magis sanabatur. Tamen tunc temporis vnus sanabatur. Tunc inquā temporis in figura qui prior descendisset, solus curabatur. Quāto maior est gratia ecclesiæ, in qua omnes saluantur quicunque descendunt? Sed videte mysterium, Venit dominus noster Iesus Christus ad piscinam. multi ægri iacebant. Et facilè ibi multi ægri iacebant, vbi vnus tātummodo curabatur. Deinde ait ad illū Paralyticum: Descēde. Ait ille: Hominem nō habeo. Vide vbi baptizaris, vnde sit baptisma, nisi de cruce Christi, de morte Christi. Ibi est omne mysterium, quia pro te passus est. In ipso redimeris, in ipso saluaberis. Hominem, inquit, non habeo, hoc est quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Non poterat descēdere, non poterat saluari qui nō credebat quod dominus Iesus carnem suscepisset ex virgine. Hic autem qui operiebatur mediatorem dei & hominum, hominem Iesum expectans, eum de quo dictum est, Et mittet dominus hominē qui saluos faciat eos: dicebat, Hominem non habeo. & ideo ad sanitatem meruit peruenire, quia credebat in aduenientem. Melior tamen & perfectior fuisset si credidisset iam venisse, quem sperabat esse venturum.

De variis generibus & figuris baptismi. *Caput III.*

NVnc vide singula. Diximus figuram præcessisse in Iordane quando Naaman leprosus ille mundatus est. Puella illa ex captiuis quæ est, nisi quæ speciē habebat ecclesiæ, & figuram repræsentabat? Captiuus enim erat populus nationum. Captiuus erat, non dico captiuitatem sub hoste aliquo populo constitutam, sed eam captiuitatem dico quæ maior est, quādo diabolus cum suis sęuo dominatur imperio, & captiua sibi colla subiicit peccatorum. Ergo habes vnū baptisma. Aliud in diluuio. Habes tertiū genus quando in mari rubro baptizati sunt patres. Habes quartū genus in piscina quando mouebatur aqua. Nunc te consulo vtrum credere debeas, quia habes præsentiā trinitatis in hoc baptismate quo baptizatur in ecclesia.

Quid significet quòd ad preces Helisæi ferrū securis demersum supernatauerit. Quid etiam quòd Moyses lignum miserit in fontem, quo aqua antea amara dulcescebat. *Caput IIII.*

IDem itaque dominus noster Iesus Christus in euangelio suo dicit ad Apostolos: Ite, baptizate omnes gētes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Sermo hic saluatoris est. Dic mihi ô homo. Inuocauit Helias, & descendit ignis de cœlo. Inuocauit Helisæus domini nomē, & de aqua ferrum securis ascendit quod demersum fuerat. Ecce aliud genus baptismatis. Quare? Quia omnis homo ante baptismū quasi ferrū premitur atq; demergitur. Vbi baptizatus fuerit, nō tanquam ferrum, sed tāquam iam leuior fructuosi ligni species leuatur. Ergo & hic figura altera. Securis erat qua cædebātur ligna. Cecidit manubriū de securi, hoc est ferrum demersum est. Filius prophetæ nesciuit quid faceret, sed hoc solū sciuit, vt rogaret Helisæū propheram, & remediū postularet. Tūc ille lignum misit, & ferrū leuatum est. Vides ergo quòd in cruce Christi omniū hominū leuatur infirmitas? Aliud, etsi non ordinem tenem⁹. Quis enim posset omnia gesta cōprehendere Christi? sicut Apostoli dixerunt. Moyses cùm venisset in desertū, & sitisset populus, & venisset ad Marath fontē, & bibere vellet, aquā vbi primum hausit, & amaritudinē sensit, & cœpit bibere nō posse: ideo Moyses misit lignū in fontem, & cœpit aqua quæ antea erat amara, dulcescere. Quid significat, nisi quia omnis creatura corruptelę obnoxia, aqua amara est omnibus? Etsi ad tēpus suauis est, ad tempus iucunda, amara tamē est, quæ nō potest auferre peccatū. Vbi biberis, sities. vbi potus ceperis suauitatē, iterū amaritudinē senties. Amara ergo aqua, sed vbi crucē Christi, vbi acceperit cœleste sacramentum, incipit esse dulcis & suauis. Et meritò dulcis, in qua culpa reuocatur. Ergo si in figura tantum valuerunt baptismata, quanto amplius valet baptisma in veritate?

Exodi 15.

De efficaci probatione quòd ad inuocationē sacerdotis super fontem veri baptismi potius aßit præsentia trinitatis quàm ad supratactas figuras baptismi, & quid significet columba. Quid etiam spiritus magno sono in die Pentecostes descendens & apparens in dispertitis linguis. *Caput V.*

NVnc ergo cōsideremus. Venit sacerdos, precem dicit ad fontē, inuocat patris nomē, præsentiam filij & spiritus sancti, vtitur verbis cœlestibus. Cœlestia verba, quę Christi sunt, quòd baptizemus in nomine patris, & filij, & spirit⁹ sancti. Si ergo ad hominis sermonem, ad inuocationem sancti aderat præsentia trinitatis, quanto magis ibi adest vbi sermo operatur æternus? Vultis scire quia descēdit spiritus? Audite, quia quasi colūba descendit. Quare quasi columba? Vt increduli vocarentur ad fidē. In principio signum debuit esse, in posterioribus debet esse perfectio. Accipe aliud. Post mortem domini nostri Iesu Christi Apostoli erant in vno loco congregati, & orabant in die Pētecostes, & subitò factus est magnus sonus, quasi cum vi magna spiritus ferretur, & visæ sunt linguæ dispersæ sicut ignis. Quid hoc significat, nisi descensum spiritus sancti, qui se voluit incredulis etiā corporaliter demonstrare? Hoc est, corporaliter per signū, spiritaliter per sacramentum. Ergo manifestum testimonium eius aduentus: nobis autem iam fidei prærogatiua defertur, quia in principio signa incredulis fiebant, nobis iam in plenitudine ecclesiæ non signa, sed fide veritas colligenda est.

Actor. 2.

Quod baptismum inuentum sit ad resurrectionem & viuificationem naturæ humanæ, quæ per peccatum morti obnoxia erat. *Caput VI.*

NVnc disputemus quid sit quòd dicitur baptisma. Venisti ad fontem, descēdisti in eum, attēdisti summū sacerdotē, Leuitas & præsbyterū in fonte vidisti. Quid est baptismum? In principio deus noster hominē fecit, vt si peccatū non gustaret, morte nō moreretur. Peccatū contraxit, factus est obnoxius morti, eiect⁹ est de paradiso. Sed domin⁹ qui sua vellet beneficia permanere, & insidias omnes abolere serpentis, rescindere quoq; omne quod nocuit: primū quidē sententiam tulit in hominē, Terra es, & in terrā ibis. & morti hominem fecit obnoxiū. Erat diuina sentētia, solui humana cōditione non poterat. Remediū datum est, vt homo moreretur, & resurgeret. Quare? Vt illud quod antè dānationis loco cesserat, loco cederet beneficij. Quid illud est nisi mors? Quæris quomodo? quia mors interueniens finem facit peccati. Quādo enim morimur, vtique peccare desistimus. Satisfactum ergo sentētiæ videbatur, quādo homo qui factus fuerat vt viueret, si tamē nō peccaret, incipiebat mori. Sed vt dei perpetua gratia perseueraret, mortuus est homo, sed Christus inuenit resurrectionē, id est, vt redintegraret cœleste beneficiū, quod fraude fuerat serpētis amissum. Vtrūque ergo pro nobis: quia & mors finis est peccatorum, & resurrectio naturę est reformatio. Veruntamen ne in hoc seculo diaboli fraus vel insidiæ prævalerent, inuentū est baptisma. De quo baptismate audi quid dicat scriptura, imò

Gene. 3.

filius

Luc. 7. filius dei, Quia Phariſæi qui noluerunt haptizari baptiſmo Ioannis, conſilium dei ſpreuerunt. Ergo baptiſmum conſilium dei eſt. Quanta eſt gratia vbi eſt cõſilium dei? Audi ergo. Nam vt in hoc ſeculo nexus diaboli ſolueretur, inuentũ eſt quomodo homo viuus moreretur, & viuus reſurgeret. Quid eſt viuus? Hoc eſt, vita corporis viuens cùm veniret ad fontem, & mergeretur in fontem. Quid eſt aqua niſi de terra? Satisfit ergo ſententiæ cœleſti ſine mortis ſtupore. Quòd mergeris, ſoluitur ſentẽtia illa: Terra es, & in terram ibis. Impleta ſententia locus eſt beneficio remedióque cœleſti. Ergo aqua de terra, poſſibilitas autem vitæ noſtræ non admittebat vt terra operiremur, & de terra reſurgeremus. Deinde non terra lauat, ſed aqua lauat: ideo fons quaſi ſepultura eſt.

De triplici immerſione in baptiſmum, & triplici interrogatione, & quod in vno nomine baptizari oportet. Et quomodo in morte Ieſu baptizemur & vngamur in vitam æternam. Caput VII.

INterrogatus es, Credis in deum patrem omnipotẽtem? Dixiſti, credo: & merſiſti, hoc eſt, ſepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, & in crucem eius? Dixiſti, credo: & merſiſti: ideo & Chriſto es conſepultus. Qui enim Chriſto conſepelitur, cum Chriſto reſurgit. Tertio interrogatus es, Credis & in ſpiritũ ſanctum? Dixiſti, credo: tertio merſiſti, vt multiplicem lapſum ſuperioris ętatis abſolueret trina cõfeſſio. Denique vt vobis afferamus exemplum, ſanctus apoſtolus Petrus poſteaquã in paſſione domini lapſus videtur infirmitate conditionis humanæ: qui ante negauerat, poſtea vt illũ lapſum aboleret & ſolueret, tertio interIoan. 21. rogatus à Chriſto ſi Chriſtum amaret, tũc ille dicit: Tu noſti domine quia amo te. Tertio dixit, vt tertio abſolueretur. Sicut ergo peccatum dimittit pater, ſic dimittit filius, ſic & ſpiritus ſanctus. In vno autẽ nomine baptizari nos oportet: hoc eſt, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Noli mirari quia dixi vnum nomen, vbi eſt vna ſubſtantia, vna diuiAct. 4. nitas, vna maieſtas. Hoc eſt nomen de quo dictũ eſt, in quo oportet omnes ſaluos fieri. In hoc nomine omnes ſaluati Rom. 6. eſtis, redditi eſtis ad gratiam vitæ. Clamat ergo Apoſtolus, ſicut audiſtis in lectione preſenti: Quoniam quicunque baptizatur, in morte Ieſu baptizatur. Quid eſt in morte? Vt quomodo Chriſtus mortuus eſt, ſic & tu mortem deguſtes. Quomodo Chriſtus mortuꝰ eſt peccato, & deo viuit: ita & tu ſuperioribus illecebris peccatorũ mortuus ſis per baptiſmatis ſacramẽtum, & ſurrexeris per gratiã Chriſti. Mors ergo eſt, ſed non in mortis corporalis veritate, ſed in ſimilitudine. Cùm enim mergis, mortis ſuſcipis & ſepulturæ ſimilitudinem. Crucis illius accipis ſacramẽtum, quòd in cruce Chriſtus pependit, & clauis confixum eſt corpus. Tu ergo cùm crucifigeris, Chriſto adhæres, clauis domini noſtri Ieſu Chriſti adhæres, ne te diabolus poſſit abſtrahere. Teneat te clauus Chriſti, quem reuocat humanæ conditionis infirmitas. Ergo merſiſti, veniſti ad ſacerdotem, quid tibi dixit? Deus, inquit, pater omnipotens qui te regenerauit ex aqua & ſpiritu ſancto, conceſsitque tibi peccata tua, ipſe te vngat in vitam ęternam. Vide vbi vnctus es. In vitam, inquit, æternam. Noli hanc vitã illi vitæ anteferre. Verbi gratia ſi exurgat inimicꝰ aliquis, ſi velit tibi fidem tuam auferre, ſi minatur mortem vt preuaricetur quiſquam, vide quid eligas: noli eligere illud in quo nõ es vnctus, ſed elige in quo vnctus es, vt vitam æternam vitę præferas temporali per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

CAPITA LIBRI TERTII DE SACRAMENTIS.

Quare demerſi in baptiſmum recipiant vnguentum in capite, & quid ſit regeneratio. Qua ratione etiam hoc ſeculũ mare ſit, nos autem piſcis imitari naturã oporteat. Et de myſterio lotionis infantium. Caput I.

Quòd per inuocationẽ ſacerdotis ſeptiformis ſpiritꝰ infundatur. Quid etiã ſignificet lutũ ex ſputo ſuper oculos cęci poſitum. Et quòd qui baptizatur, ſine confeſſione etiã à peccato abluitur. Et quid ſit aqua Siloe. Cap. II.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE SACRAMENTIS, *Liber tertius.*

Quare demerſi in baptiſmum recipiant vnguentum in capite, & quid ſit regeneratio. Qua ratione etiam hoc ſeculum mare ſit, nos autem piſcis imitari naturam oporteat. Et de myſterio lotionis infantium. Caput I.

HEſterno die de fonte diſputauimus, cuius ſpecies veluti quædã ſepulchri forma eſt, in quem credentes in patrem, & filium & ſpiritum ſanctum, recipimur, & demergimur, & reſurgimus, hoc eſt reſuſcitamur. Accipis autem myſteriũ, hoc eſt vnguentum ſupra caput. Quare ſupra caput? quia ſenſus ſapiẽtis in capite eius, Salomon ait. Friget enim ſapientia ſine gratia: ſed vbi gratia acceperit ſapientiam, tũc opus eius incipit eſſe perfectum. Hæc regeneratio dicitur. Quid eſt regeneratio? Habes in Actibus apoſtolorum quòd ille verſiculus qui dicitur in pſalmo ſecũdo: Filius meus es tu, ego hodie genui te: ad reſurrectionẽ ſpectare videatur. Nãque ſanctus apoſtolus Petrus in Actibus apoſtolorũ ſic interpretatus eſt, quòd tunc quãdo reſurrexit filius à mortuis, patris vox reſultauerit: Filius meꝰ es tu, ego hodie genui te. Vnde & primogenitus à mortuis dicitur. Ergo reſurrectio quid eſt, niſi quando de morte ad vitã reſurgimus? Sic ergo & in baptiſmate quoniã ſimilitudo mortis eſt, ſine dubio dum mergis & reſurgis, ſimilitudo ſit reſurrectionis. Rectè itaque ſecundum interpretationem apoſtoli Petri, ſicut illa reſurrectio generatio fuit, ita & iſta reſurrectio regeneratio eſt. Sed quid dicis quia in aquam mergis? Ideo peregrinaris, ideo te dubitatio tenet. Legimus quidẽ: Producat terra ex ſe fructũ germinãtẽ. Similiter & de aquis legiſti: Producãt aquæ animantia: & natã ſunt animãtia. Illa quidem in principio creaturę. Sed tibi reſeruatũ eſt vt aqua te regeneret ad gratiam, ſicut illa generauit ad vitam. Imitare illum piſcem qui minorem quidem adeptus eſt gratiã, tamen debet tibi eſſe miraculũ. In mari eſt, & ſuper vndas eſt. In mari eſt, & ſuper fluctus natat. In mari tempeſtas furit, ſtridũt procellæ, ſed piſcis natat non demergitur, quia natare conſueuit. Ergo tibi ſeculum hoc mare eſt. Habet diuerſos fluctus, vndas graues, ſæuas tẽpeſtates. Et tu eſto piſcis, vt ſeculi te vnda non mergat. Pulchrè autem pater dicit ad filium: Ego hodie genui te: hoc eſt, quando redemiſti populum, quando ad cœli regnum vocaſti, quãdo impleſti volũtatem meam, probaſti meũ te eſſe filiũ. Aſcendiſti de fonte: quid ſecutũ eſt? Audiſti lectionem. Succinctus eſt ſummus ſacerdos. Licet enim & preſbyteri fecerint, tamẽ exordium miniſterij à ſummo eſt ſacerdote. Succinctus inquam ſummus ſacerdos pedes tibi lauit. Quid iſtud myſteriũ? Audiſti vtique quia dominus cũ lauiſſet diſcipulis aliis pedes, venit ad Petrũ, & ait illi Petrus: Tu mihi lauas pedes? Hoc eſt, tu dominus ſeruo lauas pedes? Tu immaculatus mihi lauas pedes, tu author cœlorum mihi lauas pedes? Habes hoc & alibi: Venit ad Ioannem, & ait illi Ioannes: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Ego ſum peccator, & tu venis ad me peccatorem, vt tua quaſi peccata deponas, qui peccatum non feceris? Vide omnem iuſtitiam, vide humilitatem, vide gratiam, vide ſanctificationem. Niſi lauero, inquit, tibi pedes, non habebis mecum partem. Non ignoramus quòd eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus ſequimur & formam. Hãc tamen conſuetudinem non habet vt pedes lauet. Vide ergo ne forte propter multitudinem declinauit. Sunt tamen qui dicãt & excuſare conẽtur, quia hoc in miniſterio † faciẽdum eſt, non in baptiſmate, non in regeneratione, ſed quaſi hoſpiti pedes lauandi ſint. Aliud eſt humilitatis, aliud ſanctificationis. Denique audi quia myſterium eſt & ſanctificatio. Niſi lauero tibi pedes, non habebis mecũ partem. Hoc ideo dico, non quòd alios reprehẽdam, ſed mea officia ipſe commendem. In omnibus cupio ſequi eccleſiam Romanam. Sed

Pſalm. 2.

Ioan. 13.

Ioan. 13.

Matth. 3.

† myſterium.

1245

Sed tamen & nos homines ſenſum habemus. Ideo quòd ali bi rectius ſeruatur, & nos rectè cuſtodim⁹. Ipſum ſequimur apoſtolũ Petrum, ipſius inæremus deuotioni. Ad hoc eccle ſia Romana quid reſpondet? Vtiq; ipſe author eſt nobis hu ius aſſertionis Petrus apoſtol⁹, qui ſacerdos fuit eccleſiæ Ro manæ. Ipſe Petr⁹ ait: Domine non ſolũ pedes, ſed etiã manus & caput. Vide fidẽ. Quòd antè excuſauit, humilitatis fuit: q̃ poſtea ſe obtulit, deuotionis & fidei. Reſpõdit illi domin⁹, quia dixerat manus & caput: Qui lauit, nõ neceſſe habet ite rũ lauare, niſi vt ſolos pedes lauet. Quare hoc? Quia in bapti ſmate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia A dã ſupplantatus à diabolo eſt, & venenũ ei effuſum eſt ſu pra pedes, ideo lauas pedes, vt in ea parte in qua inſidiatus eſt ſerpens, maius ſubſidiũ ſanctificationis accedat, quo po ſtea te ſupplantare nõ poſſit. Lauas ergo pedes, vt laues vene na ſerpentis. Ad humilitatem quoque proficit, vt in myſte rio non erubeſcamus quod non dedignamur in obſequio.

Quod per inuocationem ſacerdotis ſeptiformis ſpiritus infundatur. Quid etiam ſignificet lutum ex ſputo ſuper oculos cæci poſitum. Et quod qui baptizatur, ſine confeſſione etiam à peccato abluitur. Et quid ſit aquæ Siloe.

Caput II.

SEquitur ſpiritale ſignaculũ quod audiſtis hodie legi, quia poſt fontem ſupereſt, vt perfectio fiat, quando ad inuocationẽ ſacerdotis ſpiritus ſanctus infunditur, ſpiritus ſapientiæ & intellect⁹, ſpiritus conſilij atque virtutis, ſpiritus cognitionis atq; pietatis, ſpiritus ſancti timoris. Septem quaſi virtutes ſpiritus. Et omnes quidem virtutes ad ſpiritũ pertinẽt, ſed iſtæ quaſi cardinales ſunt, quaſi principales. Quid enim tã principale quàm pietas? Quid tam principale quàm cognitio dei? Quid tã principale quàm virtus? Quid tam principale quàm conſi lium dei? Quid tã principale quàm timor dei? Sicut timor ſe culi infirmitas, ita timor dei magna eſt fortitudo. Iſtæ ſunt ſeptem virtutes quando conſignaris. Nam vt ait apoſtolus ſanctus, Quia multiformis eſt, inquit, ſapientia domini noſtri, & multiformis ſapiẽtia dei, ita multiformis eſt ſpiritus ſanctus qui habeat diuerſas variaſque virtutes. Vnde & de⁹ virtutũ dicitur. Quod aptari poteſt patri & filio & ſpiritui ſancto. Sed hoc alterius diſputationis, alterius eſt temporis. Poſt hæc quid ſequitur? Venire habes ad altare. Quoniã veniſti, videre habes quæ ante non videbas, hoc eſt myſterium quod legiſti in euangelio, ſi tamen legiſti: certè audiſti: Cæcus obtulit ſe ſaluatori, vt curaretur. Et ille qui alios verbo tantũ & ſermone curabat, & refundebat imperio lumẽ ocu lorum, tamẽ in libro euãgelij qui ſcribitur ſecundũ Ioannẽ, qui verè præ cæteris vidit magna myſteria, & deſignauit & declarauit, myſterium hoc in illo voluit præfigurare. Omnes quidẽ ſancti euangeliſtæ, omnes apoſtoli præter prodi torem, omnes ſancti. Tamẽ ſanctus Ioãnes qui vltimus ſcri ſit euangeliũ, quaſi neceſſarius requiſitus & electus à Chriſto, maiore quadã tuba fudit æterna myſteria. Quicquid locut⁹ eſt, myſteriũ eſt. Alius dixit cæcũ curatũ, dixit Matthæ⁹, dixit Lucas, dixit Marcus: ſolus Ioannes quid ait? Tulit lutũ, & liniuit ſuper oculos eius, & dixit ei, Vade, laua in Syloã. Et exurgens iuit, & lauit, & venit videns. Conſidera & tu oculis cordis tui. Videbas quæ corporalia ſunt, corporalibus oculis. Sed quę ſacramentorum ſunt, cordis oculis adhuc videre non poteras. Ergo quando dediſti nomen tuum, tulit lutum, & liniuit ſuper oculos tuos. Quod ſignificat vt peccatum tuum fatereris, vt conſcientiam tuã recognoſceres, vt pœnitentiam ageres delictorum, hoc eſt, ſortem humanæ generationis agnoſceres. Nam etiam ſi non confiteatur peccatum qui venit ad baptiſmũ, tamen hoc ipſo implet confeſſionem omnium peccatorum, quòd baptizari petit vt iuſtificetur, hoc eſt, vt à culpa ad gratiam trãſeat. Nolite otioſum putare. Sunt quidem, ſcio certè aliquem fuiſſe qui diceret cùm illi diceremus: In hac ætate magis baptizari debes. Dicebat ille: Quare baptizer? Peccatum non habeo. Nunquid peccatum contraxi? Hic lutum non habuit quod ei Chriſtus non lauerat, hoc eſt, non ei aperuerat oculos. Nullus enim homo ſine peccato. Ergo agnoſcit ſe hominẽ, qui confugit ad baptiſmum Chriſti. Itaque & tibi impoſuit lutum, hoc eſt, verecundiam, prudentiam, conſiderationem fragilitatis tuæ, & dixit tibi, Vade in Syloã. Quid eſt Syloas? Quod interpretatur, inquit, miſſus. Hoc eſt, vade ad illũ fontem in quo crux domini prædicatur. Vade ad illum fontem in quo omnium Chriſtus redemit errores. Iſti, lauiſti, veniſti ad altare, videre cœpiſti quæ antè nõ videras. Hoc eſt, per fontẽ domini & prædicationẽ dominicæ paſſionis tũc aperti ſunt oculi tui, qui antè corde videbaris eſſe cæcat⁹, cœpiſti lumen ſacramentorum videre. Ergo fratres dilectiſſimi, venimus vſque ad altare, ad tractatũ vberiorẽ. Et ideo quia id temporis eſt, diſputationẽ integrã non poſſumus incipere, quia prolixior tractatus eſt: ſatis ſit quod dictũ eſt hodie, & craſtino die, ſi domino placet, de ſacramentis ipſis tractabimus.

Ioan. 13. 1 Cor. 12. Ioan. 9.

CAPITA LIBRI QVARTI DE ſacramentis.

Quomodo baptiſterium ſit ſecundum tabernaculum. Et de expoſitione eorum quæ in tabernaculo cuſtodiebantur. Cap. I.

De excellentia ablutionis ſacramenti, quã etiam angeli admirantur. Et quomodo ibi renouari debeamus vt bona aquila. Cap. II.

Quòd deus amplius præſtiterit fidelibus in ſacramento, quam Iudæis in manna. Et de ſignificatione oblationis Melchiſedech. Cap. III.

Quòd Chriſtus ſit author ſacramentorũ, & quemadmodũ ſuo ſermone ſacramentum conficiat. Quomodo etiã mãducans venerabile corpus ſuum noua efficiatur creatura. Cap. IIII.

Quibus verbis conſecretur corpus dominicum & ſanguis. Et quomodo manducans non moriatur in æternum. Cap. V.

De magnitudine & excellentia huius ſacramenti. Cap. VI.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, DE SACRAMENTIS *Liber quartus.*

Quomodo baptiſterium ſit ſecundum tabernaculum. Et de expoſitione eorum quæ in tabernaculo cuſtodiebantur.

Caput I.

IN veteri teſtamento ſacerdotes frequenter in primum tabernaculum intrare cõſueuerant. In ſecundum tabernaculum ſemel in anno ſummus intrabat ſacerdos. Quod eui denter ad Hebræos recolens, ſeriem veteris teſtamenti explanat apoſtolus Paulus. Erat autem in ſecundo tabernaculo manna, erat etiam virga Aaron quæ aruit, & poſtea refloruit, thymiamateriũ. Quò ſpectat hoc? Vt intelligatis quid ſit ſecundum tabernacnlum in quod vos introduxit ſacerdos, in quod ſemel in anno ſummus ſacerdos intrare conſueuit, hoc eſt ad baptiſterium, vbi virga Aaron floruit. Antè arida erat, poſtea refloruit. Et tu aridus eras, & cœpiſti in fonte irriguo reflòreſcere. Arueras peccatis, arueras erroribus atque delictis, ſed fructum iam afferre cœpiſti, plantatus ſecus decurſus aquarum. Sed fortè dicas: Quid hoc ad populum ſi virga ſacerdotis aruerat, & refloruit? Populus ipſe qui eſt niſi ſacerdotalis? Quibus dictũ eſt: Vos autem genus electum, regale ſacerdotiũ, gens ſancta, vt ait apoſtolus Petrus. Vnuſquiſq; vngitur in ſacerdotium, vngitur in regnum. Sed ſpiritale regnum eſt, & ſacerdotiũ ſpiritale. In ſecundo quoque tabernaculo eſt thymiamaterium. Thymiamaterium eſt quod bonum odorem fragrare conſueuit. Ita & vos iam bonus odor Chriſti eſtis, iã nullæ in vobis ſordes delictorum, nullus odor grauioris erroris.

Hebr. 9. 1. Pet. 2. 2. Cor. 2.

De excellentia ablutionis ſacramenti, quam etiam angeli admirantur. Et quomodo ibi renouari debeamus, vt bona aquila.

Cap. II.

SEquitur vt veniatis ad altare. Cœpistis venire, spectarunt angeli, viderunt vos aduenientes, & humanam conditionem illam quæ antè peccatorũ tenebroso squalore sordebat, aspexerunt subitò refulgere. Ideoque dixerunt: Quæ est hæc quæ ascendit à deserto dealbata? Mirantur ergo & angeli. Vis scire quia miratur? Audi ergo apostolum Paulum dicentem, ea nobis esse collata quæ concupiscunt & angeli videre. Et iterum: Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit quæ præparauit deus diligentibus se. Deinde quid acceperis recognosce. Sanctus Dauid propheta hanc gratiam in figura vidit & concupiuit. Vis scire quia concupierit? iterum audi dicentem: Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Quare? Quia nix quanuis sit candida, citò aliqua sorde nigrescit atque corrumpitur. Ita gratia quam accepisti, si teneas quod accepisti, erit diuturna atque perpetua. Veniebas ergo desiderans ad altare, vtpote qui tantam gratiam videras, veniebas desiderans ad altare, quo acciperes sacramẽtum. Dicet anima tua: Introibo ad altare dei mei, ad deum qui lętificat iuuentutem meam. Depositi peccatorũ senectutem, sumpsisti gratiæ iuuentutem, Hoc præstiterunt tibi sacramenta cœlestia. Denique iterum audi dicentem Dauid: Renouabitur sicut aquilæ iuuẽtus tua. Bona aquila esse cœpisti, quę cœlum petis, terrena fastidis. Bonæ aquilę circa altare. Vbi enim corpus, ibi & aquilæ. Forma corporis altare. est, & corpus Christi est in altari. Aquilæ vos estis, renouatę ablutione delicti.

Cantic. 3.
1. Cor. 2.
Psal. 50.
Psalm. 42.
Psal. 102.

Quòd deus amplius præstiterit fidelibus in sacramẽto, quàm Iudæis in manna. Et de significatione oblationis Melchisedech.

Caput III.

VEnistiad altare, vidisti sacramẽta posita super altare, & ipsam quidem miratus es creaturam. Tamen creatura solẽnis & nota. Fortè aliquis dixerit: Iudæis deus tantam gratiam præstitit, mãna illis pluit è cœlo. Quid plus dedit fidelibus suis? Quid plus tribuit iis quibus plus promisit? Accipe quæ dico, anteriora esse mysteria Christianorum quàm Iudæorum, & diuiniora esse sacramenta Christianorum quàm Iudæorum. Quomodo? Accipe. Iudæi quando esse cœperunt? Ex Iuda vtique pronepote Abrahæ. Aut si vis, & sic intellige, Ex lege quam Iudæi accipere meruerunt. Ergo ex pronepote Abrahæ Iudæi dicti sunt tempore sancti Moysi. Et si tunc deus Iudæis manna murmurantibus pluit é cœlo, Tibi autem sacramentorum horum figura præcessit quando Abraham erat, quando vernaculos trecentos decem & octo collegit, & ibi persecutus est aduersarios, de captiuitate eruens nepotẽ suum. Tunc victor venit, occurrit illi Melchisedech sacerdos, & obtulit ei panem & vinum. Quis habuit panem & vinum? Abraham non habuit. Sed quis habuit? Melchisedech. Ipse ergo author sacramentorum. Quis est Melchisedech? Qui significantur rex iustitiæ, rex pacis. Quis est iste rex iustitię? Nunquid homo quisquam potest rex esse iustitiæ? Quis ergo rex iustitiæ, nisi iustitia dei, qui est dei pax, dei sapientia? Qui potuit dicere: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Ergo primo intellige sacramẽta hæc quæ accipis, anteriora esse quàm sint Moysi sacramenta quæcunque Iudæi habere se dicunt, & prius cœpisse populũ Christianum, quàm cœpisse populum Iudæorũ. Sed nos in prædestinatione, illum in nomine. Obtulit ergo Melchisedech panem & vinum. Quis est Melchisedech? Sine patre, inquit, sine matre, sine generationis ordine, neque initium dierum, neque finem vitæ habens. Hoc habet apud Hebræos epistola. Sine patre, inquit, est, sine matre, similis autem filio dei. Sine matre natus est dei filius generatione cœlesti, quia ex solo deo patre natus est. Et iterum sine patre natus est, quando natus ex virgine est. Non enim ex virili semine generatus est, sed natus de spiritu sancto ex virgine Maria, vtero editus virginali. Similis per omnia filio dei. Sacerdos quoque erat Melchisedech, quia & Christus sacerdos, cui dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Exod. 16.
Genes. 14.
Ioan. 14.
Hebr. 7.
Psal. 109.

Quòd Christus sit author sacramentorum, & quemadmodum suo sermone sacramentum conficiat. Quomodo etiam manducans venerabile corpus suum noua efficiatur creatura.

Caput IIII.

ERgo author sacramentorũ quis est nisi dominus Iesus? De cœlo ista sacramẽta venerunt. Consiliũ enim omne de cœlo est. Verè autem magnum est & diuinum miraculum quod populo pluit deus mãna de cœlo, & non laborabat populus, & mãducabat. Tu forte dicis: Meus panis est vsitatus, sed panis iste panis est ante verba sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus, quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi cõsecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus deo defertur: oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. vbi venitur vt conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Iussit dominus, & factũ est cœlum. Iussit dominus, & facta est terra. Iussit dominus, & facta sunt maria. Iussit dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi? Si ergo tanta vis est in sermone domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant: quanto magis operatorius est vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Ergo tibi vt respõdeam, non erat corpus Christi ante consecrationem. Sed post consecrationem dico tibi, quòd iam corpus est Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse mãdauit, & creatum est. Tu ipse eras, sed eras vetus creatura: postea quàm cõsecratus es, noua creatura esse cœpisti. Vis scire quàm noua creatura? Omnis, inquit, in Christo noua creatura. Accipe ergo quemadmodũ sermo Christi creaturam omnem mutare consueuerit, & mutat quando vult instituta naturæ. Quomodo requiris? Accipe, & primo omnium de generatione eius sumamus exemplum. Consuetudo est vt non generetur homo nisi ex viro & muliere, & consuetudine coniugali. Sed via voluit dominus, qui hoc elegit sacramentum, & de spiritu sancto & virgine natus est Christus, hoc est, mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Vides ergo quia contra instituta & ordinem homo est natus ex virgine. Accipe aliud. Vrgebatur populus Iudæorum ab Ægyptiis, intercluso erat mari. diuino imperio virga Moyses tetigit aquas, & se vnda diuisit: non vtique secundum suæ naturæ consuetudinem, sed secundum gratiam cœlestis imperij. Accipe aliud. Sitiebat populus, veniebat ad fontem, amarus erat fons. misit lignum sanctus Moyses in fontẽ, & factus est dulcis fons qui amarus erat: hoc est, mutauit consuetudinem naturæ suæ, accepit dulcedinem gratiæ. Accipe & quartum exemplum. Ceciderat ferrum securis in aquas. quasi ferrum, sua consuetudine demersum est. misit lignum Helisæus, statim ferrum eleuatum est, & aquis supernatauit, vtique contra consuetudinẽ ferri. Est enim materies grauior, quàm aquarum est elementum. Ex his igitur omnibus non intelligis quantum operetur sermo cœlestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo cœlestis in aliis rebus, non operatur in cœlestibus sacramentis? Ergo didicisti quòd ex pane corpus fiat Christi, & quòd vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis. Sed fortè dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem precioſi sanguinis bibis, vt nullus horror cruoris sit, & precium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergo quia quod accipis, corpus est Christi.

A
B
C
D
Psal. 148.
Exod. 15.
4. Reg. 6.

Quibus verbis consecretur corpus dominicum & sanguis. Et quomodo manducans non moriatur in æternum. Cap. V.

VIs scire quia verbis cœlestibus cõsecratur? Accipe quæ sunt verba. Dicit sacerdos: Fac nobis, inquit, hãc oblationẽ ascriptam, rationabilẽ, acceptabilẽ: quod est figura corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi. Qui pridie quã pateretur, in sanctis manib' suis accepit

1249

accepit panẽ, respexit ad cœlum, ad te sanctæ pater omnipotẽs æterne deus, gratias agens: benedixit, fregit, fractúmque apostolis suis & discipulis suis tradidit dicẽs: Accipite, & edite ex hoc omnes. Hoc enim est corpus meũ, quod pro multis confringetur. Similiter etiam calicem postquã cœnatum est, pridie quàm pateretur accepit, respicit ad cœlum, ad te sancte pater omnipotens æterne deus, gratias agẽs: benedixit, apostolis & discipulis suis tradidit dicẽs: Accipite, & bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus. Vide, omnia il la verba Euangelistæ sunt vsque ad accipite, siue corpus, siue sanguiné. Inde verba sunt Christi: Accipite, bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis me⁹. Vide singula. Qui pridie, inquit, quàm pateretur, in sanctis manib⁹ suis accepit panẽ. Antequã consecretur, panis est, vbi autẽ verba Christi accesserint, corpus est Christi. Deniq; audi dicentẽ: Accipite & edite ex eo omnes, hoc est enim corpus meũ. Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus. Vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi vniuersa cõuertere. Deinde ipse domin⁹ Iesus testificatur nobis quòd corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare? Iã redi mecũ ad prodigiosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectiõis, & in cœlum ascensionis, offerimus tibi hãc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panẽ sanctum, & calicem vitæ æternæ: & petim⁹ & precamur vt hãc oblationem susci pias in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorum, sicut susci pere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium patriarchę nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech. Ergo quotiẽscunque accipis, quid tibi dicit Apostolus? Quotienscunque accipimus, mortem domini annunciamus: si mortem annũciamus, annunciamus remissionem peccatorum. Si quotiẽscunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorũ fundi tur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Interim & hodie quantum potuimus explanauimus. Sed crastina die sabbato & dominica de orationis ordine dicemus, quemadmodũ possumus. Dominus deus noster conferuet vobis gratiam quam dedit, & oculos quos vobis aperuit, plẽnius illuminare dignetur per vnigenitũ filium suũ regem ac saluatorem dominum deum nostrum, per quem & cum quo sibi est laus, honor, gloria, manificentia, potestas cum spiritu sancto à seculis, & nunc & semper, & omnia secula seculorum, Amen.

1 Cor. 11.

CAPITA LIBRI QVINTI DE sacramentis.

Qua ratiõe in calice aqua admisceatur vino, & de mysterio illius. Cap. I.

De gratiosa Christi inuitatione ad cœleste conuiuiũ per osculum oris sui. Cap. II.

Quòd accipienti sacramenta nihil desit. Et quomodo ecclesia gaudeat de associata multorum epulatione, & quæ dicatur arbor pomifera. Cap. III.

Quemadmodum orandum sit, & de breui expositione orationis dominicæ. Cap. IIII.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, DE SACRAMENTIS LIBER QVINTVS.

Qua ratione in calice aqua admisceatur vino, & de mysterio illius. Cap. I.

HEsternus sermo noster ac tractatus vsq; ad sancti altaris sacramenta deductus est. Et cognouimus sacramentorũ istorũ figuram Abrahæ tẽporibus præcessisse, quando obtulit sacrificiũ sanctus Melchisedech, neq; initium neque finẽ habẽs dierũ. Audi homo quiddicat Paulus apostolus ad Hebræos. Vbi sunt qui filiũ dei dicũt esse de tẽpore? De Melchisedech dictũ est, quia neq; initiũ, neque finẽ dierũ habet. Si Melchisedech nõ habet initiũ dierum, nũ Christus habere potuit? Sed nõ est pl⁹ figura quã veritas. Vides ergo quia ipse prim⁹ & nouissim⁹. Primus, quia autor est omniũ. Nouissimus, non quòd finem inueniat, sed quòd vniuersa concludat. Diximus ergo quòd in altari constituatur calix & panis. In calicem, inquit, mitti tur vinum. Et quid aliud? Aqua, Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? Quid sibi vult admixtio aquę? Rationem accipe. Primo omnium, figura quę antè præcessit tempore Moysi, quid habet? Quia cũ sitiret populus Iudæorum, & murmuraret quòd aquam inuenire non posset, iussit deus Moysi vt tangeret petram de virga. Tetigit petram, & petra vndam maximam fudit, sicut Apostolus ait: Bibebãt autẽ de consequẽti petra, petra autẽ erat Christus. Non immobilis petra, quæ populum sequeba tur. Et tu bibe, vt te Christus sequatur. Vide mysteriũ. Moyses, hoc est propheta. Virga, hoc est verbũ dei. Sacerdos verbo dei tangit petram & fluit aqua, & bibit populus dei. Tangit ergo sacerdos calicem, redundat aqua in calice, salit in vitam æternam, & bibit populus dei, qui dei gratiam consecutus est. Didicisti ergo hoc. Accipe & aliud. In tempore dominicæ passionis cùm sabbatum magnum instaret, quia viuebat dominus noster Iesus Christus, vel latrones missi sunt qui percurerent eum: venientes inuenerunt defunctum dominum Iesum Christum: tunc vnus de militibus lancea tetigit latus eius, & de latere eius aqua fluxit & sanguis. Quare aqua? quare sanguis? Aqua vt emundaret, sanguis vt redimeret. Quare de latere? Quia vnde culpa, inde gratia. Culpa per fœminam: gratia per dominum Iesum Christum.

Hebr. 7

Apoca. 1.

1. Cor. 10.

Ioan. 19.

De gratiosa Christi inuitatione ad cœleste conuiuium per osculũ oris sui. Caput II.

VEnisti ad altare, vocat te domininus Iesus vel animam tuã vel ecclesiam, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui. Vis ad Christũ aptare? nihil gratius. Vis ad animam tuam? nihil iucũdius. Osculetur me. Videt te mundum esse ab omni peccato, quia delicta † de terra sunt: ideo te sacramentis cœlestibus dignum iudicat, & ideo inuitat ad cœleste conuiuium. Osculetur me ab osculis oris sui. Tamẽ propter sequẽtia anima tua vel humana conditio vel ecclesia videt se ab omnibus mundatam esse peccatis, & dignã quæ ad altare Christi possit accedere. Quid est enĩ altare, nisi forma corporis Christi? Vidit sacramenta mirabilia, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui: hoc est, osculũ mihi Christus infigat. Quare? Quia meliora vbera tua super vinũ, hoc est meliores sensus, meliora sacramẽta tua super vinum. Super illud vinum quod etsi suauitatẽ habet, lætitiam habet, gratiam habet: tamẽ in illo lætitia secularis, in te autem iucunditas est spiritalis. Iam tunc ergo Salomon inducit nuptias vel Christi & ecclesie, vel spiritus & carnis & animæ, & addidit: Vnguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te. Quæ sunt istæ adolescentulæ, nisi animæ singulorum quæ deposuerunt istius corporis senectutem, renouatæ per spiritum sanctum? Attrahe nos, post odorem vnguentorum tuorum currimus. Vide quid dicat. Non potes sequi Christum nisi ipse attrahat. Denique vt scias: Cùm exaltatus, inquit, fuero, omnia traham ad meipsum. Induxit me rex in cubiculum suum. Græcus: In promptuarium suum, & in cellarium

Cant. 1.

† de terra

Ioan. 12.

Cant. 4.

rium suum, habet. Vbi bona libamina, vbi boni odores, vbi mella suauia, vbi fructꝰ diuersi, vbi epulæ variæ, vt plurimis epulis tuum prandium condiatur.

Quòd accipienti sacramẽta nihil desit. Et quomodo Ecclesia gaudeat de associata multorum epulatione, & quæ dicatur arbor pomifera. Caput III.

ERgo venisti ad altare, accepisti corpꝰ Christi. Audi iterum quę sacramenta es consecutus. Audi dicentẽ sanctũ Dauid, & ille in spiritu hæc mysteria pręuidebat, & lętabatur, & nihil sibi abesse dicebat. Quare? Quia qui acceperit corpus Christi, non esuriet in æternum. Quotiens audisti vigesimum secundũ Psalmũ, & non intellexisti? Vide quemadmodũ aptus sit cœlestibus
Psal. 22. sacramentis: Dominus pascit me, nihil & mihi deerit: in loco pascuæ ibi collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suum. Nam si ambulẽ in medio vmbræ mortis: non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Virga imperiũ, baculus passio est, hoc est ęterna diuinitas Christi, sed etiam passio corporalis. Illa creauit, hæc redemit. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & poculũ tuũ inebriãs quã præclarum est. Venisti ergo ad altare, accepisti gratiam Christi, sacramenta es cœlestia consecutus. Gaudet ecclesia redemptione multorum, & astare sibi familiam candidatã spiritali exultatione lætatur. Habes hoc in Canticis canticorũ. Lætata inuocat Christum, paratum habẽs conuiuium, quod di-
Cant 5. gnũ cœlesti epulatione videatur. Ideoque ait: Descẽdat frater meus in hortũ suum, & capiat fructum pomiferarũ suarum. Quæ sunt istæ pomiferæ? Lignũ aridum factus eras in Adam: sed nunc per gratiam Christi pomifera arbor pullulasti. Libenter accepit dominus Iesus, & dignatione cœlesti respõdit ecclesiæ suæ: Descendi, inquit, in hortum meũ: vindemiaui myrrhã cum vnguentis meis. Manducaui panẽ meum cum melle meo, & bibi vinum meũ cũ lacte meo. Edite, inquit, fratres mei, & inebriamini: vindemiaui myrrhã cũ
Psal. 9 vnguentis meis. Quæ est ista vindemia? Cognoscite vineã, & agnoscetis vindemiã. Vineam, inquit, ex Ægypto transtuliſti, hoc est, populũ dei. Vos estis vinea, vos estis vindemia, quasi vinea plantati, quasi vindemia fructum dedistis. Vindemiaui myrrham cum vnguentis meis, hoc est in odorem quem accepistis. Manducaui panem meum cum melle meo. Vides quòd in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suauitatis sit? Bibi vinum meũ cum lacte meo. Vides huiusmodi esse lætitiam quæ nullius peccati sordibus polluatur? Quotienscunque enim bibis, remissionẽ accepis peccatorũ, & inebriaris in spiritu. Vnde & Apostolꝰ ait: Nolite inebriari vino,
Ephe. 5. sed implemini spiritu sancto. Vino enim qui inebriatur, vacillat & titubat. Spiritu q̃ inebriatur, radicatꝰ in Christo est. Et ideo præclara ebrietas, quæ sobrietatẽ mentis operatur. Hæc sunt quę de sacramẽtis breuiter percurrimus.

Quemadmodum orandum sit, & de breui expositione orationis dominicæ. Caput IIII.

NVnc quid supereſt, nisi oratio? Et nolite putare mediocris esse virtutis, scire quẽadmodum oretis. Apostoli sancti dicebãt ad dominum Iesum: Domine: doce nos orare, quẽadmodum Ioannes
Luc. 11. docuit discipulos suos. Tunc ait dominus orationem: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomẽ tuũ, veniat regnũ tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribꝰ nostris. Et ne nos patiaris induci in tentationem, sed libera nos à malo. Vides quã breuis oratio, & omniũ plena virtutum? Primus sermo quantæ sit gratiæ? O homo, faciem tuã non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terram dirigebas & subitò accepisti gratiã Christi, omnia tibi peccata dimissa sũt. Ex malo seruo factus es bonus filius. Ideo præsume, non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim saluati estis, A-
Ephe. 2. postolus ait. Nõ ergo hic arrogantia est, sed fides: prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. Ergo attolle oculos ad patrẽ, qui te per lauacrum genuit, ad patrẽ qui te

per filiũ redemit, & dic: Pater noster. Bona præsumptio, sed
A moderata. Patrem dicis quasi filius, sed noli tibi specialiter aliquid vindicare. Solius Christi specialis est pater, nobis omnibus in commune est pater, quia illum solum genuit, nos creauit. Dic ergo & tu per gratiam, Pater noster, vt filius esse merearis. Ecclesiæ contuitu & consideratione teipsę commenda. Pater noster, qui es in cœlis. Quid est in cœlis? Audi scripturam dicentẽ: Excelsus super omnes gentes dominus. Psalm. 112.
Et vbique habes quòd super cœlos cœlorum dominus sit, quasi non in cœlis & angeli, quasi nõ in cœlis & dominationes. Sed in illis cœlis de quibus dictũ est: Cœli enarrant glo- Psalm. 18.
riam dei. Cælum est ibi, vbi cessauit culpa. Cœlum est ibi, vbi flagitia feriantur. Cœlum est ibi, vbi nullum mortis est vulnus. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomẽ tuũ. Quid est sanctificetur? Quasi optemus vt sanctificetur ille Lucas.
qui ait: Estote sancti, quia ego sanctus sum, quasi aliquid ei ex nostra prædicatione sanctificationis accedat? Non vtiq;. Sed sanctificetur in nobis, vt ad nos eius possit sanctificatio
B peruenire. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum. Quasi non æterno sit dei regnum. Ipse Iesus dicit: Ego in hoc natus sum. & tu dicis pa- Ioannes.
tri, Veniat regnum tuum, quasi non venerit? Sed tunc venit regnum dei, quando eius istis gratiam consecuti. Ipse enim ait: Regnum dei intra vos est. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Sanguine Christi pacificata sunt omnia, vel in cœlo, vel in terra. Sanctificatum est cœlum, dejectus est diabolus. Ibi versatur, vbi & homo quem ille decepit. Fiat voluntas tua &c. hoc est, sit pax in terra, quemadmodum in cœlo. Panem nostrũ quotidianũ da nobis hodie. Memini sermonis mei cùm de sacramẽtis tractarẽ. Dixi vobis quòd ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprõpta fuerint, iã nõ panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione dominica quæ
C postea sequitur, ait: Panem nostrum? Panem quidẽ dixit, sed ἐπιούσιον dixit, hoc est, supersubstãtialem. Nõ iste panis est qui vadit in corpus, sed ille panis vitę æternę, qui animę nostræ substantiã fulcit. Ideo Græcè ἐπιούσιον dicitur. Latinus autem hunc panẽ quotidianum dixit, quẽ Græci dicunt aduenientẽ. Quia Græci dicũt τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν aduenientem diẽ. Ergo quod Latinꝰ dixit & quod Græcus, vtrũq; vtilẽ videtur. Græcus vtrũq; vno sermone significauit, Latinꝰ quotidianum dixit. Si quotidianus est panis, cur post annũ illum sumis, quemadmodũ Græci in Oriente facere consuerũt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie ac-
Iob 1. cipere, non meretur post annũ accipere: quomodo Iob sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium, ne fortè aliquid vel in corde vel in sermone peccassẽt. Ergo tu audis quòd quotienscunq; offertur sacrificiũ, mors domini, resurrectio domini, eleuatio domini significetur, & remissio peccatorum: & panẽ istum vitæ nõ quotidianum assumis? Qui vulnus habet, medicinã requirit. Vulnus est quia sub peccato sumus. Medicina est cœleste & venerabile sacramẽtum. Panẽ nostrũ quotidianũ da nobis hodie. Quotidie si accipis,
D quotidie tibi hodie est. Si tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit. Quomodo? Filius meus es tu, ego hodie genui Psalm. 2.
te. Hodie ergo est quando Christus resurgit. Heri & hodie ipse est apostolꝰ Paulus ait. Sed alibi ait: Nox præcessit, dies Hebræ. 1.
autem appropinquauit. Nox hesterna præcessit, dies hodier Rom. 13.
nus appropinquauit. Siquitur: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Debitum quid est nisi peccatum? Ergo & si non acciperes alieni fœneris pecuniam, non egeres: & ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua dies nasceris. Dies eras ad imaginem & similitudinẽ dei factus. perdidisti quod habebas, hoc est humilitatem, dum arrogantiam desideras vindicare, perdidisti pecuniã. sicut Adam nudus es factus, accepisti à diabolo debitum, quod nõ erat necessarium. Et ideo qui eras liber in Christo, debitor factus es diaboli. Cautionẽ tuã tenebat inimicus, sed eam dominus crucifixit, & suo cruore deleuit. Abstulit debitum tuum, reddidit libertatem. Bene ergo ait: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus

1253

mittim⁹ debitoribus nostris. Vide qđ dicas. Quomodo ego dimitto, sic & tu dimitte mihi. Si dimiseris, bene cõuenit vt dimittatur tibi? Si non dimittis, quomodo eũ conuenis vt dimittatur tibi? Et ne patiaris induci nos ĩ tentationẽ, sed libera nos à malo. Vide qđ dicat: Et ne patiaris induci nos in tẽtationẽ, quã ferre non possumus. Nõ dicit: Nõ inducas in tẽtationẽ: sed quasi athleta talẽ vult tẽtationẽ quã ferre possit humana cõditio: vt vnusquisq; à malo, hoc est ab inimico à peccato liberetur. Potẽs est aũt domin⁹ qui abstulit peccatũ uestrũ, & delicta uestra donauit, tueri, & custodire uos aduersus diaboli aduersantis insidias, vt nõ vobis obrepat inimicus qui culpã generare cõsueuit. Sed qui deo se cõmittit, diabolũ non timet. Si enim deus pro nobis, quis cõtra nos? Ipsi ergo laus, & gloria à seculis, & nũc, & semper, & in omnia secula seculorum, Amen.

A

CAPITA LIBRI SEXTI DE sacramentis.

Quomodo panis Christi sit vera caro, & verus sanguis. Et quare sub aliena specie accipiatur. Cap. I.

B

Quòd in omnibus sacramentis sit mysterium trinitatis connexum. Cap. II.

Vbi orare debeamus, & quid sit orare ostio clauso. Cap. III.

Quare secretè potius orandum sit quàm cũ vociferatione. Et quare viri in omni loco orare debeant, & non mulieres. Et quid sit leuare puras manus. Cap. IIII.

De inordinata disceptatione orantium. Et quòd mulieres non in ornamẽtis orare debeãt. Et de inchoatione orationis, eiúsque medio ac fine, cum iterata dominicæ orationis expositione, Cap. V.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, DE SACRAMENTIS *Liber sextus.*

Quomodo panis Christi sit vera caro, & verus sanguis. Et quare sub aliena specie accipiatur. Cap. I.

SIcut verus est dei filius dominus noster Iesus Christus, non quẽadmodũ homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris: ita vera caro, sicut ipse dicit, quã accepimus, & verus eius sanguis est potus. Sed fortè dicas, & dixerunt tunc temporis etiã discipuli Christi audientes dicentẽ: Nisi quis manducauerit carnem meã, & biberit sanguinẽ meum, non manebit in me, nec habebit vitam æternã. Fortè dicas: Quomodo vera? Qui similitudinẽ video, non video sanguinis veritatem. Primo omniũ dixi tibi de sermone Christi, qui operatur vt possit mutare & cõuertere genera instituta naturæ. Deinde vbi non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, sed audientes quòd carnem suam daret mãducare, & sanguinem suũ daret bibẽdum, recedebãt: solus tamẽ Petus dixit: Verba vitæ æternæ habes, & ego à te quò recedam? Ne igitur plures hoc dicerẽt veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudinem quidem accipis sacramẽtum, sed veræ naturæ gratiam virtutẽmque cõsequeris. Ego sum, inquit, panis viuus qui de cœlo descendi. Sed caro nõ descẽdit è cœlo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex virgine. Quomodo ergo descẽdit panis è cœlo, & panis viuus? Quia idem dominus noster Iesus Christus consors est & diuinitatis & corporis. Et tu quia accepis panem, diuinæ eius substãtiæ in illo participaris alimento.

Ioan. 6.

Ibidem.

Ioan. 6.

C

Quod in omnibus sacramentis sit mysterium trinitatis connexum. Caput II.

ERgo acccepisti de sacramẽtis, plenissimè cognouisti omnia, quòd baptizatus es in nomine trinitatis. In omnib⁹ quæ egimus, saruatum est mysteriũ trinitatis. Vbiq; pater & filius & spiritus sanct⁹, vna operatio, vna sãctificatio, etsi quædã veluti specialia esse videãtur. Quomodo? Deus qui te vnxit, & signauit te dominus, & posuit spiritum sanctum in corde tuo. Accepisti ergo spiritum sanctum in corde tuo. Accipe aliud, quia quẽadmodum spiritus sanctus in corde, ita etiã Christus in corde. Quomodo? Habes hoc in Canticis cãticorum Christum dicentẽ ad ecclesiã: Pone me sicut signaculum in corde tuo, sicut signaculũ in brachiis tuis. Ergo vnxit te deus, signauit te Christus quomodo? Quia crucis ipsius signatus es forma, ad illius passionẽ, accepisti signaculũ ad illius similitudinẽ, vt ad ipsius formam resurgas. Ipsius viuas figura, qui peccato crucifixus est, & deo viuit. Et tuus homo vetus in fontẽ demersus, peccato crucifixus est, sed deo resurrexit. Deinde habes alibi speciale, quòd te vocauerit deus, in baptismate autẽ quasi specialiter crucifigeris Christo. Deinde quasi specialiter quando accipis spiritale signaculũ, vide distinctionẽ personarũ esse sed connexũ omne mysteriũ trinitatis. Deinde quid Apostolus tibi dixit, vt lectum est nudiustertius? Diuisiones autẽ gratiarum sunt, idem autẽ spiritus. Diuisiones mysteriorũ sunt, idẽ autẽ dominus. Diuisiones operationũ sunt, idem autẽ deus, qui operatur omnia in omnibus. Omnia, inquit, operatur deus. Sed & de spiritu dei lectum est: Vnus atq; idẽ spiritus, diuidens singulis prout vult. Audi scripturam dicentẽ quia diuidit spiritus pro voluntate sua, non pro obsequio. Ergo diuidit vobis spiritus gratiã prout vult, nõ prout iubetur. Et maximè quia spiritus dei, spiritus Christi est. Et illud tenete, ipsum esse spiritum sanctũ, ipsum spiritum dei, ipsum spiritũ Christi, ipsum spiritũ paracletũ. Arriani putant se derogare sancto spiritui si dicant illum spiritum paracletum. Quid est paracletus nisi consolator? Quasi non & de patre lectum sit quia ipse est deus consolationis. Vides ergo quia in eo derogandum putant spiritui sancto, in quo patris æterni potestas pio prædicatur affectu.

D

1. Corin. 12.

2. Corin. 1.

Vbi orare debeamus, & quid sit orare ostio clauso. Cap. III.

NVnc quomodo orare debeamus accipite. Multę virtutes orationis sunt. Vbi orare debeamus, non est mediocre, nec mediocris quęstio. Ait apostolus, Volo autem viros orare in omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Et dominus dicit in euãgelio: Tu autẽ cùm oras, intra in cubiculũ tuum, & clauso ostio ora patrem tuum. Non tibi videtur esse contrariũ, vt dicat apostolus, In omni loco ora: & domin⁹ dicat: Intra in cubiculum tuum, & ora? Sed non est contrariũ. Hoc ergo absoluamus. Deinde quomodo debeas incipere orationem, & quo ordine distinguere, quid subtexere, quid allegare, quẽadmodũ claudere orationẽ. Deinde pro quo orare debeas. Hæc omnia dicamus. Primo vbi orare debeas. Aliud Paulus videtur dicere, aliud dominus. Nunquid potuit Paulus contra Christi docere præcepta? Nõ vtique. Qua ratione? Quia non contrarius, sed interpres est Christi. Imitatores, inquit, mei estote, sicut & ego Christi. Quid ergo? Potes vbique orare & in cubiculo tuo semper orare. Habes vbique cubiculum tuum. Etsi inter gentes, inter Iudæos positus sis, habes tamen tuũ vbique secretum. Cubiculum tuũ, mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum tuũ secretúnque conseruas. Tu autẽ cum oras, intra in cubiculũ tuũ. Bene addit intra, ne sic ores quomodo Iudæ⁹, cui dicitur: Populus hic labiis me honorat, cor autẽ eorum longè est à me. Non ergo de labiis tantũmodo tua procedat oratio. Animo totus intende, intra in recessum pectoris tui, totus ingredere. Non te perfunctoriũ videat ille cui te placere desideras: videat quia ex corde oras, vt te ex corde orãtem dignetur audire. Tu autẽ cum oras, intra in cubiculum tuũ. Habes hoc & alibi: Ambula populе meus, & intra in tecessus tuos, abscondere pusillum donec transeat ira domini. Hoc locut⁹ est dominus per ꝓphetã. In euãgelio autẽ dixit: Tu autẽ cũ oras, intra in cubiculũ tuũ, & clauso ostio ora patrẽ tuũ. Quid est clauso ostio? Audi ꝙ ostium habeas, quod debeas claudere quando oras. Vtinã mulieres audirent. Audisti iam, sanctus Dauid docuit te dicens: Pone domine custodiam ori meo, & ostium circuitus labiis meis. Est aliud ostium quod ait apostolus Paulus, dicens: Vt aperiatur, inquit, mihi ostium verbi ad loquendum mysterium Christi. Hoc est, quando oras, noli sermone clamare, nec diffundere

Matth. 6.

1. Timo. 2.

Matth. 6.

1. Corin. 11.

Esaiæ 29.

Esaiæ 26.

Matth. 6.

Psalm. 140.

Coloss. 4.

orationem tuam,nec iactare per populos.In secreto tuo ora securus,vt te in secreto possit audire qui omnia videt, atque audit vniuersa. Et ora patrem tuum in absc̃odito,& audiet te deprecantem.

Quare secrete potius orandum sit,quàm cum vociferatione,Et quare viri in omni loco orare debeant,& non mulieres.Et quid sit leuare puras manus. Cap. IIII.

QVid prosit autẽ interrogemus qua ratione secreto magis orare debeamus, quàm cũ vociferatione? Audi,de cõsuetudine hominũ sumamus exẽplũ.Si aliquẽ rogas qui citò audit, nõ op⁹ putas esse clamore,sed rogas voce moderata.Si surdũ aliquẽ rogas nõne incipis vociferari,vt te ille possit audire?Qui ergo clamat,putat quòd aliter deus nõ possit nisi clamantẽ audire. Et cùm rogat eum,eius derogat potestati.Qui autẽ in silentio orat,fidem defert,& confitetur quòd deus scrutator cordis & renis sit,& orationem tuã ante ille audiat,quàm tuo ore fundatur.Ergo videamus:Volo autem viros,inquit, Apostolus orare in omni loco. Qua ratione viros dixit? Vtiq; cõmunis oratio est & mulierib⁹ & viris.Quod nõ inuenio, nisi fortè sanctus Apostolus ideo viros dixit, ne mulieres vsurparent & malè intelligerẽt in omni loco, & inciperent vbique clamare,quas in ecclesia sustinere nõ possumus.Volo autem viros,hoc est,qui possint seruare præceptũ, orare in omni loco,leuantes puras manus. Quid est leuantes puras manus? Nunquid debes in oratione tua crucem domini gentibus demonstrare?Illud quidem signum virtutis est,nõ pudoris. Est tamen quomodo possis orare, nec figuram demonstres,sed actus tuos leues. Si vis operari orationẽ tuã, leua puras manus per innocentiam.Leua eas non quotidie, semel leuasti, nõ opus est vt iterum leues.Volo autem in omni loco viros orare,leuantes puras manus sine ira & disceptatione.Nihil verius.Ira inquit,perdit etiam sapientes.Ideo cum omni tempore, quantũ fieri potest, Christianus vir iracundiam debet temperare, maximè quando ad orationẽ accedit, ne perturbet animum suum indignatio, ne iræ quidam furor impediat orationẽ suam. Magis placido accedẽ pectore. Quid enim irasceris? Seruus peccauit. Tu accedis ad orationem, vt tua tibi delicta donẽtur, & alij indignaris? Hõc est ergo sinẽ ira.

1. Timo. 2.

De ordinata disceptatione orantiũ,& quòd mulieres non in ornamẽtis orare debeant,& de inchoatione orationis,eiúsque medio ac fine,cum iterata dominicæ orationis expositione.

Cap. V.

NVnc de disceptatione videamus. Plerũque negociator venit ad orationẽ, aut auarus de pecunia cogitat,alter de lucro, alter de honore,alter de cupiditate, & putat quod eũ deus possit audire.Et ideo quando oras,diuina humanis præferre te conuenit.Similiter & mulieres,inquit,volo orare nõ iactãtes se in ornamentis,neq; in margaritis,ait apostol⁹ Paulus.Sed & apostolus Petrus,Mulieris,inquit,gratia plurimum valet vt viri eius conuertatur affectus per vxoris suæ bonam cõuersationẽ,& incredulus se conuertat ad gratiam Christi. Hoc valet mulieris grauitas,& pudicitia,& ei⁹ bona cõuersatio, vt virum suum vocet ad fidem & deuotionem,quòd prudẽtis viri sermo frequenter operatur.Ergo mulier,inquit, nõ in ornatu capillorum,non in tortis crinibus ornamentũ suũ habeat,sed oratione,& corde puro, vbi est absc̃oditus cordis homo,qui semper est apud deum locuples.Habes ergo in quo sis diues,in quo diuitiæ tuæ pudicitiæ sunt & castitatis infulę,fides,deuotio,& misericordia.Hi sunt thesauri iustitiæ,sicut Propheta memorauit.Deinde vnde debeas incipere.Dic mihi,si velis hominem rogare,& sic incipias: Da mihi,ecce illud quod à te peto:nõne arrogans videtur oratio?Et ideo inchoari oratio debet à dei laude, vt roges omnipotentem deum,cui possibilia sunt omnia, qui habet voluntatem præstandi. Sequitur obsecratio, sicut Apostolus docuit dicens: Obsecro ergo primum fieri obsecrationes, gratiarum actiones.Prima ergo oratio laudem debet habere dei.Secunda supplicationẽ.Tertia postulationem.Quarta gratiarum actionem.Non debes quasi famelicus ad cibũ de cibo incipere,sed ante à laudibus dei. Vnde & oratores

1. Timo. 2.

1. Petri 3.

2. Timo. 2.

isti sapientes hanc habent disciplinam:vt iudicem fautorem sibi præstent,incipiunt à laudibus eius, vt beneuolum sibi faciant cognitorem. Deinde paulatim incipit rogare iudicem,vt patienter dignetur audire. Audet & tertio postulationem suã depromere,quid petat exprimere.Quarto quomodo cœpit à laudibus dei, sic debet in dei laude desinere. Habes hoc in oratione dominica:Pater noster qui es in cœlis. Laus dei, quod pater prædicatur noua pietatis gloria. Laus dei, qũia in cœlis habitat & in terris. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. id est, vt sanctificet seruos suos.Nomen enim illius sanctificatur in nobis,quando prædicantur homines Christiani.Ergo optantis est.Sanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum, Postulatio vt in nobis sit regnum Christi. Si deus in nobis regnat,locum habere aduersarius non potest.Culpa non regnat,peccatum nõ regnat,sed regnat virtus,regnat pudicitia,regnat deuotio.Deinde, Fiat volũtas tua,sicut in cœlo, & in terra: panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hæc postulatio maxima est eorum quæ postulãtur.Et dimitte,inquit, nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ideo quotidie accipito, vt quotidie debito tuo indulgentiam petas.Et ne patiaris nos induci in tentationem, sed libera nos à malo. Quæ sequuntur audi,quid dicat facer dos.: Per dominum nostrum Iesum Christum, in quo tibi est,cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia,potestas cum spiritu sancto à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorũ. Aliud,Psalmorum Dauid licet vnus libellus sit,habẽs eas virtutes orationis quas supra diximus, tamen plerunque & in vno psalmo omnes istæ orationis partes inueniuntur, quomodo in octauo psalmo inuenimus.Denique sic cœpit:Domine dominus noster,quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.Oratio ergo prima.Deinde obsecratio:Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum,hoc est,cœlos videbo,lunam & stellas,quas tu fundasti.Vtique non solum dicit videbo,sed videbo cœlos, in quibus incipit albescere gratia & splendor cœlestis. Hos sibi cœlos tunc promittebat propheta dari, qui cœlestem gratiam à domino mererentur. Lunam & stellas quas tu fundasti, lunam ecclesiam, stellas cœlestis gratiæ resurgentes. Deinde vide postulationem eius. Quid est homo quòd meministi eius,aut filius hominis quoniã visitas eum? Minorasti eum paulominus ab angelis,gloria & honore coronasti eum,& constituisti eum super opera manuum tuarum.Et alia gratiarum actio: Omnia subiecisti sub pedibus eius oues & boues vniuersas insuper & pecora campi. &c. Docuimus pro captu nostro forsitan quod non didicimus, vt potuimus expressimus. Sanctitas vestra institutis sacerdotalibus informata,laboret tenere quod accepit à deo, & oblatio sicut hostia pura & in vobis semper suum signaculum recognoscat, vt & ipsi ad gratiam & ad præmia virtutum peruenire possitis.Per dominum nostrum Iesum Christum,cui est gloria,honor,laus, perpetuitas à seculis & nũc & semper,& omnia secula seculorum. Amen.

Psal. 8.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE DIGNITATE sacerdotali.

De causis authorem mouentibus vt consacerdotes atque conseruos suos de vita perfecta commonere,ac laborem propositi operis susc̃ipere curauerit. Caput I.

De aggressu desiderati laboris,& cohortatione auditorum, sacerdotalisque prærogatiuæ, & dignitatis præmonstratione. Caput II.

Quòd idcirco commendationem sacerdotalis dignitatis author præmiserit, vt ostẽderet nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus,nihil sublimius episcopis reperiri,sic tamen,si nomen congruat actioni,& actio respondeat nomini.Quódq; sicut nihil episcopo excellẽtius est, ita nihil miserabilius sit si episcopus de sancta vita pericletur,& si sacerdos in crimine teneatur. Quòd præterea quãto præ cæteris gradus episcopalis altior est,tãto si per negli-

1257
negligentiam delabatur, ruina grauior sit. Cap. III.
De speciali depictione formulæ ab episcopis & sacerdotib⁹ iuxta apostolicam regulam obseruãdæ, cũ pulchra ac succincta eiusdem regulæ expositione. Cap. IIII.
De detestatione episcoporũ sacerdotalẽ honorẽ diffamantium, qui Giezi & Simonis sectantes sententiam, gradum sacerdotalem & episcopalem dignitatem pecuniis cõparare non verentur, Cap. V.
De ostensiua repetitione malorũ, ad quæ deificus ordo voluitur, probrorúmque ad quæ prolapsi sunt sacerdotes, cũ acri eorundem reprehensione. Cap. VI.
De clausione huius libelli per breuẽ epilogũ eorũ quæ in ip so demõstrata sunt, & notationẽ sacerdotũ quos author nouit sibi infideliter detracturos, inuocationémq; sancti spiritus vt adiuuet cunctos sacerdotes ad faciendũ ea quæ ipso inspirãte in hoc opusculo elocutus est. Cap. VII.

Diui Ambrosij
MEDIOLANEN. EPISCOPI,
de dignitate sacerdotali Liber vnus.

De causis authorem mouentibus vt consacerdotes atque cõseruos suos de vita perfecta commonere, ac laborem propositi operis suscipere curauerit.

Cap. I.

Si quis fratres oraculi reminiscatur domini quo frugi famulũ de seruata sibi pecunia, quã ad prærogãdum suscepe-
Luc. 19. rat, increpauit dicens: Tu dedisses pecuniam meam, & ego veniens cum vsuris exegissem eam: non iam ociosus auditor collatam sibi diuini muneris gratiã suis tantum vsibus reseruabit, sed cunctis eam communicabilem faciens, copiosius prærogando, securius possidebit: vt sibi per hæc & plurimis ædificationis exhibeat fructum: & velut decora arbor pomis referta non infructuosè probatur occupare terram dum viuit, cum & per seipsam suis pomis ornatur, & omnis qui ex ea fructum perceperit, saginatur, beato nos etiam apostolo ad hæc eadẽ inuitante: Nolite quærere quę vestra sunt, sed quæ aliorum.
Philip. 2. 1. Cor. 10. Et alibi: Non quæro quod mihi vtile est sed quod multis, vt salui fiant. Idcirco nos quibus in verbis diuinis credita est dispẽsatio, & qui gregem Christi alendum nutriendúmque suscepimus, non sine ingẽtis periculi noxa nos credimus euasuros, si non secundum hunc modum viuamus, aut etiam si minimè prædicemus. Et licet ãd hæc prædicanda nos retardet vitæ huius improbitas, inuitat nos tamẽ præcepti necessitas. Et væ iam mihi est si minimè prædicauero, & si susceptum thesaurum in terra defossum, id est, in meo corde diu occuluero, & lucernã diuini verbi compressam sub modio retentauero, & non super candelabrum propositã, cunctorum oculis manifestauero, & claustra humanę imperitię
Matth. 16. per claues illas regni cœlorum quas in beato Petro apostolo cuncti suscepimus sacerdotes, minimè reseruauero, vt audire per hæc merear pro linguę meę modulo: Euge serue bone & fidelis quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te cõstituam: intra in gaudium domini tui. Vnde verens iis increpationibus & suppliciis subdi, timore pœnæ perculsus, amore fraterno inuitatus, non iam ad subditum loquor vulgus, quos iugiter monere consueui, sed ad ipsos iam prædicatores vulgi mea verba conuerto: & meis conseruis velut obediens seruus, id est, episcopus sacerdotibus, antistes pontificibus, audacter prædicare salutis communia non retardabo, Nec prærogatiuam mihimet scientiæ, si hæc meis consacerdotibus charitatis intuitu prærogem, vendicabo, aut vitæ perfectæ me esse fateor, cùm de vita perfecta alios moneo, sed potius cùm hæc ad illos loqui audeo simul cum illis quæ loquor audiam.

De aggressu desiderati laboris, & cohortatione auditorum, sacerdotalisque prærogatiuæ & dignitatis præmonstratione.

Cap. II.

A Grediar iã diuina ope suffultus, facultate qua valeo, & eorũ precibus adiutus, ad quos noster respicit sermo, desideratum carpam, iter, & in gremio quasi consacerdotum positus, ipsos alloquor sacerdotes. Audite me beatissimi patres, & si dignũ ducitis, sanctissimi fratres. Audite me stirps Leuitica, germen sacerdotale, propago sanctificata, duces & rectores gregis Christi. Audite me rogantẽ vos pariter & timentẽ, & cõmodis & cõmonitionib⁹ solito consulãtẽ, & honorẽ episcopatus demonstrare volentẽ, & cũ honoris vobis prærogatiua mõstremus, merita etiã cõgrua requiramus, nec falli possimus in opere, qui cognoscimus veritatẽ. Dignũ est enim vt dignitas sacerdotalis prius noscatur à nobis, sic deinde seruetur à nobis, vt Psalmographi sentẽtia queat repelli à nobis: Homo cùm in honore esset, nõ intellexit, cõparatus est iumentis insipiẽtibus, & similis fact⁹ est illis. Honor igitur fratres & sublimitas episcopalis nullis
B poterit cõparationibus adæquari. Si regũ fulgori cõpares, & principum diademati, longè erit inferius quã si plũbi metallum ad auri fulgorẽ compares: quippe cùm videas regum colla & principum summitti genibus sacerdotũ & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorũ credent se cõmuniri. Quid iam de plebeia dixerim multitudine cui non solũ prę ferri à domino meruit, sed vt eã quoque iure tueatur patrio, præceptis imperatũ est euãgelicis? Sic certè à domino ad beatum Petrum dicitur: Petre amas me? Et ille, Tu scis domine Ioan. 21.
quia amo te. Et cùm tertio fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsecutus, repetitum est à domino tertio, Pasce oues meas. Quas oues, & quem gregem non solũ tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes. Vnde regendæ sacerdotibus cùm tradũtur, meritò rectoribus suis subdi dicũtur, quia eu angelico coruscante mãdato videmus nihilominus esse prę- Luc. 6.
fixum. Non est discipulus super magistrum, nec seruus su-
C per dominum suũ, sed sufficit discipulo vt sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius.

Quòd idcirco commendationem sacerdotalis dignitatis author præmiserit, vt ostenderet nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri, sic tamen, si nomẽ congruat actioni, & actio respondeat nomini. Quódque sicut nihil episcope excellentius est, ita nihil miserabilius sit si episcopus de sancta vita periclitetur. & si sacerdos in crimine teneatur. Quòd præterea quanto præ cæteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiã delabatur, ruina grauior sit.

Caput III.

Hæc vero cuncta, fratres, ideo nos præmisisse debetis cognoscere, vt ostenderemus nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri, vt cùm dignitatem episcopatus episcoporũ oculis demonstramus, & dignè noscamus quid sumus, & quod sumus professione, actione potius quàm nomine demonstremus, vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane & crimen im-
D mane. Ne sit honor sublimis, & vita deformis. Ne sit deifica professio, & illicita actio. Ne sit religiosus amictus, & irreligiosus prouectus. Ne sit gradus excelsus, & deformis excessus. Ne habeatur iu ecclesia cathedra sublimior, & conscientia sacerdotis reperiatur humilior. Ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam, Ne professionem monstremus ouinam, & ferocitatem habeamus lupinam. Ne dignè nobis per Prophetam respõdeatur à domino: Populus hic labiis me honorat, cor autem Esaia 29.
eorum longè est à me. Ergo fratres sicut senatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam nauigationis peritia, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat authores, sic episcopum nõ aliud nisi episcopalis opera designat: vt ex bono opere magis quam professione noscatur, plus meritis esse episcopus quàm quòd nomine vocitetur: quia sicut nihil esse diximus episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius si de sancta vita episcopus periclitetur, si sacerdos in crimine te-

neatur. Et vt leuius est de plano corruere, sic grauius est qui de sublimi ceciderit dignitate: quia ruina quę de alto est, gra uiori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus præclarus est, sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nã quanto præ cæteris gradus episcopalis altior est, tãto si per negligentiam delabatur, ruina grauior est. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet solicitudine circunuallari. Cui plus creditur, ab eo plus exigitur, sicut scriptũ est: Quia optimis permixta sunt pessima. Et alibi: Potentes potentiora tormenta patiuntur. Et scienti legem & nõ facienti eam, peccatum est grande. Et seruus sciens voluntatem domini sui si non fecerit eã, vapulabit multùm. Aliud est enim quod ab episcopo requirit deus, & aliud quod à presbytero, & aliud quod à diacono, & aliud quod à clerico, & aliud quod à laico, vel à singulis quibusq; hominibus. Et licet omnium hominũ opera deus in suo examinet iudicio, plus tamen ab eo exigitur cui plus committitur. Ampliores enim pœnas luit cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa.

Sapien. 6.

Luca 12.

De speciali depictione formulæ ab episcopis & sacerdotibus iuxta Apostolicam regulam obseruandæ, cum pulchra ac succincta eiusdem regulæ expositione. Cap. IIII.

B

ET vt specialiter ipsius episcopatus modũ & formulã omnibus sacerdotibus depingamus, apostolica est nobis regula reuoluenda, quę de iis per singula episcopales actus depingit. Sic ad cũctos episcopos beatus ait Apostolus: Fidelis sermo. Ac si diceret: Dequo sum locuturus, veraciter loquor, ne quis existimet me fuisse mentitum. Subiunxit: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Hoc est, Si episcopus esse desideras, magnum est quod esse cupis, sed si & opus bonũ simul amplectaris. Nam si aliter esse cupis, episcopus esse non potes: quia sequitur: oportet enim episcopum irreprehensibilẽ esse. Irreprehensibilem ait. Nam si episcopus reprehenditur, deformiter subditur culpæ. Et profectò culpa ad reatum trahit, reatus ad pœnam, pœna perducit vsque ad mortem. Ecce ad quid voluitur dignitas episcopalis. Et post paululum ait: Vnius vxoris virum. Si ad superficiem tantum literæ respiciamus, prohibet digamum episcopum ordinari. Si verò ad altiorem sensum conscendimus, inhibet episcopum duas vsurpare ecclesias. Et si adhuc introrsus profundiora perscruteris, monet ne post catholicum dogma sensum inueniatur episcopus habere hæreticum, sed Christianã tantũ orthodoxam & catholicã sibi associet fidem, vt vnius tantũmodo vxoris & catholicæ ecclesiæ vir episcopus vocitetur. Sequitur deinde, & ait: Sobrium, hoc est, non vino tantum, sed & vitiis parcum, vt nec vino amplius indulgeat quam oporteat, & mente semper sobrius inueniatur. Et adiunxit sequentia dicens: Prudentem. Prudentiam quippe non mundialem, de qua dicitur quòd stultitia sit apud deum: sed prudentiã spiritalem, id est, quæ & opere circũspecta sit, & verbo perita, vt sit astutus sicut serpens, & simplex sicut columba. Et denuo infert: Ornatum. Quod si iuxta sensum literæ tantũ respiciamus, non aliud sacerdotes quàm amictũ quærimus clariorem. Verbi gratia: Castorinas quærimus & sericas vestes. Et ille se inter episcopos credit esse altiorem, qui vestem induerit clariorẽ. Sed sanctus apostolus taliter se intelligi non vult, quia non carne episcopum, sed mente docet esse ornatum, vt ille sacerdos placeat deo, qui animam habuerit compositam deo. Et post hæc addidit: Hospitalem. Vt humanitatis intuitu hospitio recipiat non habentes hospitium, & egenum sine tecto inducat in domum suam, nec solus deuoret dona Christi quæ largita est bonitas Christi. Et vt hilarem datorem diligat Christus, sine murmure contribuat pauperibus Christi. Sequitur deinde & ait: Docibilem, id est, sic polleat episcopus sapientia, vt non solum creditum sibi populum sufficiẽter doceat, verum etiam & cunctarum queat hæresium contradictiones à catholica repellere ecclesia, ne sua imperitia imperitos minimè doceat, & huiusmodi casu præuentus eueniat illi quod scriptum est: Cæco cæcus ducatum præbens ambo in foueam cadunt. Qui verò talem se vt diximus esse ignorat, sacerdotium minimè appetat, nec locum alterius vsurpare præsumat, præsertim illius qui fulgore suæ sapientiæ populorum potest corda lustrare. Subiunxit & ait: Non vinolentum, hoc est, non multo vino deditũ, vt sic credatur & videatur episcopus: vtrum biberit an non, ignoretur: ne post largam potionem vini, mulierum delectetur illecebra, nec per vinum, sicut ait Apostolus, omnis nutriatur luxuries. Demum subsequitur dicens: Non percussorem, sed modestum. Id est, manus improbas ad cædem non habeat, & suspicionibus prauis minimè percutiat conscientias aliorum, ne dum petulans inuenitur ad cædem, athleta magis quàm episcopus iudicetur. Sed magis è diuerso ab actis hominibus tranquillam demonstret, & firmam patientiam cunctis ostendat. Iterum addidit dicens: Non litigiosum, id est, non linguam ad conuitium relaxet episcopus, ne per eandem linguam per quam laudes refert deo, & diuina libat sacrificia, litium venena proferat, quia nõ decet de ore episcopi benedictionem simul & maledictionem egredi, ne per eandem linguam per quam deus laudatur, homo maledicatur: quia non potest de vno fonte dulcem & amaram producere aquam. Deinceps subsecutus est dicens: Non cupidum, id est, non turpis lucri cupidum, ne lucri cupiditate episcopus teneatur obnoxius, & nutriat auaritiam, quæ est radix omnium malorum. Qui stipendiis tantum contentus ecclesię suę, penitus nõ ambiat quæ intelligit esse superflua, sed de ipsa potius paupertate ecclesiæ suæ libẽter impertiat pauperibus Christi, sicut scriptum est: Hilarem datorem diligit deus. Et alio loco. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet ineternũ. Et cõnexuit subsequẽtia dicẽs: Domui suæ bene præesse, filios habentem subditos, cũ omni castitate. Domui suæ bene præesse potest, qui corporis sui seruauerit castitatẽ. Domui, inquit, hoc est corpori suo imperioso iure dominetur, ne subdatur ipse corpori suo, & in desiderio luxuriæ deditus, in præcipitiũ demergatur, sed potius filios suos castitatis exemplo ad pudicitiæ regulam doceat. Nã si quis domui suæ præesse nesciat, quomodo ecclesiæ dei diligentiam adhibebit? Hoc est enim de quo superius diximus: Qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhibebit diligentiã? Et qui peccati trabem de suo nõ potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam? Item sequitur, & ait: Non neophytum, hoc est, qui nuper ad fidem ex gentilitate aduenit, aut certè ex militia seculari ad clericatus est officium sociatus. Hi ergo non tam passim sacerdotalem arripiãt gradum, ne elati in superbiam, in iudicium incidant, & in laqueum diaboli: quia quod longo tempore minimè discunt, in paruo tempore seruare non possunt. Et concludens regulam & episcopalem formam, ad extremum intulit dicens: Oportet autem & illum testimonium bonum habere ab iis qui foris sunt: id est, hæreticis & schismaticis, qui extra sanctam ecclesiam catholicam conuenticula sibi profana præficiunt, quos tamen testes Apostolus & testimonium dicit debere bonum habere de immaculata vita, & sancta episcopi conuersatione, ne fortè accipiant inimici locum episcopo obtrectandi, & infamare incipiant catholicum dogma.

Ibidem 3.

Ibidem.

1. Timo. 3.

1. Corin. 3.

2. Corin. 9.

Matth. 15.

1. Timo. 1.

1. Timo. 3.

2. Corin. 9.

1. Timo. 3.

1. Timo. 3.

1. Timo. 3.

De detestatione episcoporum sacerdotalem honorem diffamantium, qui Giezi & Simonis sectantes sententiam, gradum sacerdotalem & episcopalem dignitatem pecuniis comparare non verentur. Caput V.

D

HIs ita prælibatis, vt reor, in hoc opere velut à grandi fœnore nos persensimus liberatos, cùm nõ nostra contra episcopos, sed sancti Apostoli opposuimus testimonia, ne velut vulgarib⁹ fabulis nostrum irriderẽt opus. Cũ vero authoritas nobis per singula sancti arriserit apostoli Pauli, ipsum potius apostolorũ si au sint quã nos reprehẽdãt. Et licet iã coarctet nos libelli huius prolixitas, & tẽpus nos vrgeat vt ad finem huius operis veniamus: solicitudo tamen fraterni nos retardat amoris, illorum præcipuè sacerdotum qui mentis tepore hebetati, sacerdotalem diffamant honorem, & qui nouam prodigaliter regulam † ac tẽpestatem peperisse deflentur, & Giezi sectantes & Simonis sententiam, sancti episcopatus gratiam pecuniis coëmerunt, nequaquam timentes, cum honorem sacerdotalem pecuniis emerent, à beato Petro apostolo se cum Simone

† hanc tempestatem

Act. 8.

1261

Simone fuisse damnatos, sicut ait: Pecunia tua tecum sit in perditionē, quia donum sancti spiritus te credidisti pecuniis comparare. Et lepram cum Giezi à sancto susceptisse se crederet, pecuniis sibi comparare. Quibus cùm ista dixerimus, sufficere debuit suam cōparando lepram possidere. Nam sicut validioribus morbis capite vitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi letaliter irrigari, ita & ij qui caput videntur esse ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus, vt nihil ex totius corporis compage insauciatum possit euadere quod negligētium sacerdotum vitiositatis mortale infecerit virus, ita vt videas in ecclesia passim quos non merita sed pecuniæ ad episcopatus ordinem prouexerunt: nugacē populum & indoctum, qui talem sibi asciuerunt sacerdotem: quos si percunctari fideliter velis, quis eos præfecerit sacerdotes, respondēt mox & dicunt: Ab archiepiscopo sum nuper episcopus ordinatus, centúmque ei solidos dedi vt episcopalē gratiam consequi meruissem: quos si minimè dedissem, hodie episcopus nō essem. Vnde melius est mihi aurū de saccello inuehere, quàm tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi, & episcopatum comparaui: quos tamen solidos, si viuo, recepturum me illico non diffido. Ordino presbyteros, consecro diaconos, & accipio aurū. Nam & de aliis nihilominus ordinibus pecuniæ quæstum profligare confido. Ecce & aurum quod dedi, in meo saccello recepi, & episcopatum gratis accepi. Nempe hoc est quod dolco, quia archiepiscopus carnaliter episcopum fecit. Nam propter pecunias spiritaliter leprosum ordinauit. Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem, quia donum sancti spiritus gratiæ precio comparasti, & commercium miserabile in animarum exitium peregisti. Et nescij homines & indocti in ordinationibus eorum clamant & dicunt: Dignus es, & iustus es, & conscientia misera. Indignus es, & iniustus es, dicit. Pronunciat enim episcopus huiusmodi ad populū dicens: Pax vobis. Oculis quidē carnalibus videtur quasi episcopus magnus, & diuinis obtutibus inspicitur leprosus magnus. Per pecuniam acquisiuit indebitum ordinem, & deum perdidit in interiore homine. Caro susceptit dignitatem, & anima perdidit honestatē. Caro ancilla, domina facta est animæ: & anima quæ deerat domina, facta est famula carni. Caro dominatur populis, & anima seruit dæmoni. Carni sacerdotium cōparauit, & animæ detrimentū parauit. Et quid prodest huiusmodi homini si totum mundū lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quod dedit cùm ordinaretur episcopus, aurum fuit: & quod perdidit, anima fuit. Cùm alium ordinaret: quod accepit, pecunia fuit: & quod dedit lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum, in perniciem eorum. Interrogo tamen fratrē & coepiscopum nostrū, quia & ego episcopus sum, & cū episcopo loquor. Dic ergo mihi paulisper. Frater episcope, cùm dares pecuniam, quid accepisti? Gratiā episcopalem accepi. Ergo interrogo te, Hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? Respondet: Cur inquis? Vt reor, pro eo quod gratis datur, ideo gratia vocatur. Ergo si gratia gratis datur, & auro nō æstimatur, à te cur gratia pecuniis cōparatur? Respondet: Non, inquit, mihi daretur, si pecuniis non emeretur, nec episcopus fuissem ordinatus, si pecunias non dedissem. Ergo vt apparet ex responsionibus tuis, gratiam cùm ordinareris non suscepisti, quia gratuito eā non meruisti. Et ideo frater si gratiam nō accepisti, quomodo episcopus effici potuisti? Nam & ad discipulos suos dominus dicit: Gratis accepistis, gratis date. Cur ergo gratuitam æstimasti te precio possidere gratiam? Nam vt video, aurum dans perdidisti, & gratiam sanctam non acquisisti. Adhuctamē semel adiiciens fratrē perquiro episcopum, ne quid de approbamentis veridicis nos prætermisisse videamur. Quis dat frater episcopalē gratiam? deus, an homo? Respondes sine dubio: deus. Sed tamen per hominē dat deus, homo imponit manus, deus largitur gratiā. Sacerdos imponit supplicē dexteram, & deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, & deus tribuit dignitatem. O iustitia, ô equitas. Si homini pecunia datur qui nihil in ordine amplius operatur, nisi solum seruitium quod ei creditur, cur deo totum negatur qui ipsum ordinem tibi largitur? Iustúmne tibi videtur vt seruus honoretur, & dominus iniuriam patiatur, & iniustè accipiat sacerdos pecuniam, & deus patiatur ab homine iniuriam? Sed quia pro concesso ordine deus à te nihil expectat, cur à te sacerdos impudenter pecuniam expectat? Deus homini concedere voluit gratis, & episcopus rapax pecuniam ab homine expetit gratis? Deus homini vt certè benignus gratis donauit, & sacerdos malignus cum sine causa prædauit? Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. Corint. 4.

De ostēsiua repetitione malorum ad quæ deificus ordo voluitur, probrorúmque ad quæ prolapsi sunt sacerdotes. cum acri eorundem reprehensione. Caput VI.

ECce ad quæ mala voluitur deificus ordo. Ecce ad quæ probra sunt prolapsi sacerdotes, qui audire meruerunt à iudice mūdi: Vos estis lux huius mundi. Ecce quibus subiiciuntur gētes, quibus à domino dictum est: Vos estis sal terræ. Ergo si lux est ecclesiæ episcopus à domino ordinatus, ita vt imperitiæ tenebras prędicationis suæ eloquio rutilante, conscientiarum latebras illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? Et non solum quia ipse dum malè agit, dignè perit: insuper & alios secum indignè perdit. Si enim meruisti salis possidere saporem, vt insipientium possis arua condire, cur infatuatus tali vitio, immundis te porcorum conculcādum pedibus præbuisti, ita vt nec alios nec teipsum possis condire? Oculorum etiam in corpore officiū, id est in ecclesia, voluntarius appetisti, vt reliquum per te corpus ducatum lucis haberet: & nūc quadam lippitudine & caligine vitiorū obtenebratus, nec teipsum luci idoneum præbes, & aliis adimis lumen. De quibus oculis in euangelio dicitur: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. id est, si episcopus qui lumen promeruit præesse in corpore, simplicitate est sancta & innocentia decoratus, omnis ecclesia splendore luminis radiatur. Si aūt oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum est: id est, si episcopus qui videbatur corpori subdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cætera facient mēbra, quibus lux adepta est oculorū? Id est, quid secularis factura est multitudo, cū voluptatibus illicitis & actionibus vetitis ad similē facinorum voraginem episcopus multitudinem populi prouocauerit, vt nulli iamiamque illicitum esse videatur quod ab episcopo quasi licitum perpetratur. Sed ipsum magis credunt homines esse laudabile quicquid episcopus habuerit delectabile. Nec quisquam quod agere pontifex non dubitat, se indubitanter agere dicat, Episcopus enim à cunctis indubitanter vocaris, præsertim cum ipso nomine censeris, si tamen actio concordet nomini, & nomen se societ actioni. Nā quid aliud interpretatur episcopus, nisi superinspector? maximè cum solio in ecclesia editiore resideat, & ita cunctos respiciat, vt & cunctorum oculi in ipsum respiciāt. Ergo quia ita est, cur te velut tetrum speculum vniuersorum oculis demōstras, ita vt non possint obscuritate tua se comptius exornare. Matth. 5. Ibidem 6.

De clausione huius libelli per breuem epilogum eorum quæ in ipso demonstrata sunt, & notatione sacerdotū quos author nouit sibi infideliter detracturos. Inuocationeque sancti spiritus, vt adiuuet cunctos sacerdotes ad faciendū ea quæ ipso inspirante in hoc opusculo elocutus est. Cap. VII.

SVfficiat hucusque nunc nostris cōsacerdotibus, paululum dilatasse sermonem, in quo eorum excellentiam simul & casum demōstrauimus, ne fidentes in sublimitate honorum, minimè requirerent perfectionem morum, & in solo se crederent sacerdotis nomine plus quàm opere gloriari. Et quamquā sciam pro hoc libello plurimos mihi sacerdotes qui hæc quæ loquimur agere nolunt, infideliter esse detracturos, credo tamen plurimos qui hæc agunt, vel agere obnitūtur, fideliter pro nobis oraturos. Sed sicut lacerationibus obtrectatorū minimè prægrauamur, sic demum probatorū & sanctorum virorum orationibus adiuuamur. Age iam nunc sanctificus spiritus, qui nos in hoc opere diuinis inspirationibus adiuuisti,

uisti,cunctos sacerdotes adiuua,& præsta vt faciant quæ in hoc opusculo ipse eloqui inspirasti, vt eis vna mecum tribuas seculorum regna,quæ sanctis in regna seculorum dare promisisti. Amen.

FINIS.

Diui Ambrosij

MEDIOLANEN. EPISCOPI,

precatio prima præparans ad missam.

SVmme sacerdos & vere pontifex Iesu Christe,qui te obtulisti deo patri in ara crucis hostiam puram & immaculatā pro nobis miseris peccatoribus, & qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum,& sanguinem tuum ad bibendum,& posuisti mysterium in virtute spiritus sancti,dicens:Hæc quotienscunque feceritis,in mei memoriam facietis : Rogo per tuum sanguinem preciosum , magnum salutis nostræ præcium : Rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem qua nos miseros & indignos sic amare dignatus es, vt lauares nos à peccatis nostris in sanguine tuo : Doce me seruum tuum indignum , quem inter cætera dona tua ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis , sed sola dignatione misericordiæ tuæ : Doce me quæso per spiritum tuum tantum mysterium tractare ea reuerentia & honore,eáque deuotione & timore quibus oportet & decet. Fac me domine Iesu Christe per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire & firmiter retinere,dicere & cogitare, quid tibi placet,& expedit animæ meæ. Iatret spiritꝰ tuus bonus in cor meum,qui sonet ibi sine sono,& sine strepitu verborum,loquatur omnem veritatem tantorum mysteriorum.Profunda sunt nimis,& sacro tecta velamine.Propter magnam clementiam tuam concede mihi hodie & semper missarum solennia pūro corde & pura mente celebrare.Libera cor meū ab immundis & nefandis , vanis & obnoxiis cogitationibus . Muni me beatorum angelorum pia & fida tutela,atque fortissima custodia,vt hostes omnium bonorum confusi discedant per virtutem tanti mysterij, & per manum sancti angeli tui. Repelle à me domine Iesu Christe & à cūctis seruis tuis durissimum spiritum superbiæ, cenodoxiæ,inuidiæ, iracundiæ, fornicationis & immunditiæ, dubietatis & blasphemiæ. Confundantur qui nos persequuntur,pereant illi qui cuncta perdere festinant.Rex virtutum,castitatis & integritatis amator deus cœlesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis, vt maneat in me tenor totius castitatis animæ & corporis. Mortifica in me carnis stimulos,& omnes libidinis commotiones,& da mihi veram & perpetuam castitatem cum cęteris donis tuis,quæ tibi placent in veritate,vt sacrificium laudis casto corpore & mundo corde valeā tibi offerre. Quanta enim domine Iesu Christe cordis contritione, & lachrymarum fonte,quanta reuerentia & tremore,quanta corporis castitate , & animi puritate istud diuinum & cœleste sacrificium est celebrandum,vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur,vbi summa imis iungun tur,vbi adest præsentia sanctorum angelorum, vbi tu es sacerdos & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter cōstitutus. Quis dignè hoc celebrare poterit,nisi tu deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio,& verè scio,& ipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad mysterium tantum propter nimia peccata mea,& infinitas negligentias meas. Sed scio veraciter & credo ex toto corde, & ore confiteor,quia potes me facere dignum,qui solus potes mundum facere de immundo conceptum semine,de peccatoribus facere iustos & sanctos . Per hanc omnipotentiam tuam te rogo,vt cōcedas mihi peccatori hoc cœleste sacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate,& lachrymarum fonte, cū lętitia spiritali,& cœlesti gaudio.Sentiat mens mea dulcedinē beatissimæ præsentiæ tuæ, & excubias sanctorū angelorum tuorū in circuitu meo.Ego enim domine memor venerandæ passionis tuæ accedo ad altare tuum , licet peccator, vt offeram tibi sacrificium quod tu instituisti,& offerri pręcepisti in cōmemorationē tui pro salute nostra.Suscipe ergo istud quęso summe deus,dulcissime Iesu Christe pro ecclesia tua sancta,& pro cuncto populo tuo quem acquisisti sanguine tuo precioso. Et quoniam me peccatorem inter te & eundē populum medium esse voluisti,licet in me boni operis testimonium non agnoscas,officium dispensationis creditæ non recuses,nec per me indignum famulum tuū eorum salutis pereat precium,pro quibus victima factus salutaris dignatus es esse redēptio.Profero ergo domine(si dignaris propitius intuerī) tribulationes plebium,pericula populorum,captiuorum gemitum,miseriam orphanorum, necessitates peregrinorum,inopiam debilium,desperationes languentium,defectus senum, suspiria iuuenum,vota virginum,lamenta viduarū.Tu enim miSapien. sereris omnium domine , & nihil odisti omniū quæ fecisti. Memorare quę sit nostra substantia,quia tu pater noster es, ne irascaris satis,neque multitudinem viscerum tuorum super nos cōtineas.Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam , sed in miserationibus tuis multis.Aufer à nobis domine iniquitates nostras , & ignem sancti spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideū de carne nostra,& da nobis cor carneum quod te timeat,diligat & honorificet,te delectetur,te sequatur,& te perfruatur.Oramus domine clementiam tuam,vt sereno vultu familiam tuam sacri tui nominis officia pręsto iantem aspicere digneris . Et vt nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio,tu nobis preces suggere, quas ipse audire propitius & exaudire delecteris.Rogamus etiam te sancte pater pro spiritibus fidelium defunctorum,vt sit illis salus æterna,ac perpetua sanitas,gaudium & refrigeriū sempiternum,hoc magnum pietatis sacramētum.Domine deus meus sit illis hodie magnum & plenum gaudiū de te pane viuo & vero, qui de cœlo decendisti, & das vitam mundo, de carne sancta & benedicta,agni videlicet immaculati,qui tollis peccatum mundi. Et potari de fonte pietatis tuæ,qui per lanceam militis de latere emanauit crucifixi domini nostri,vt consolati exultent in laude & gloria tua sancta. Peto domine clementiam tuam, vt descendat super hunc panem & calicem istum plenitudo diuinitatis tuę. Descēdat etiam domine illa sancti spiritus tui inuisibilis forma,& incōprehensibilis maiestas,sicut quondam in patrum hostias descendebat,qui & oblationes nostras corpus & sanguinem tuum efficiat,& me indignum sacerdotem tuum doceat tantū tractare mysterium , ita vt placidè ac benignè sacrificium suscipias de manibus meis ad salutem omnium tam viuorum quàm defunctorum . Rogo te domine per ipsum sacrosanctum mysterium corporis & sanguinis tui quo quotidie in ecclesia tua pascimur & potamur,abluimur & sāctificamur, atque vnius tuę sūmęque diuinitatis participes efficimur, quatenus des mihi virtutes tuas sanctas,quibus repletus bona conscientia ad altare tuum accedam , ita vt hæc cælestia sacramenta efficiātur mihi salus & vita.Tu enim dixisti ore Ioannis tuo sācto & benedicto: Panis quē ego dedero,caro mea est pro mundi vita.Et qui māducat me,vita viuet propter me, ipse manet in me,& ego in eo.Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi.Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.Panis dulcissime sana palatum cordis mei,vt sentiam suauitatem amoris tui.Sana ab omni languore,vt nullam pręter te amem pulchritudinem.Panis candidissime habens in te omne delectamētum,& omnis saporis suauitatē, qui nos semper reficis, comedat te cor meum,& dulcedine saporis tui repleātur viscera animę meæ.Manducat te angelus pleno ore , manducet te peregrinus homo pro modulo suo,ne deficere possit in via,tali recreatus viatico.Panis sancte,panis viue,panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cœlo,& das vitam mundo,veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamēto carnis & spiritus. Intra in animā meam,

Iob 6.

1265

meam, sana & sanctifica me intus & exterius. Esto tutamen & perpetua salus corporis & animæ meæ. Repelle à me insi- A diantes mihi. Hostes recedant procul à prætentia tua, vt fo- ris & intus per te munitus recto tramite perueniã ad tuum regnum, vbi non mysteriis sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum deo patri, & erit deus omnia in omnibus. Tunc me de te satiabis sitietate menstrua, vt nec esuriam nec sitiam in æternum. Qui cum eodem deo patre & spiritu sancto viuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

DIVI AMBROSII EPISCOPI *Mediolanensis, precatio secunda præparans ad missam.*

SVmma & incomprehensibilis natura virtus vitaq; beata, lux inaccessibilis, vera, singularis, & vna sapiẽtia, veritas incõmutabilis, sancta, incõparabilis, & B æterna dilectio, tẽporalium rerum sine tẽpore conditor, visibiliũ & inuisibiliũ inuisibilis æternúsq; patrator, pater & filius & spiritus sanctus, vnus & verus in trinitate deꝰ. Pater nõ habens à quo sis, habens tamen sapientiã, id est filiũ, cui maior vel anterior nõ sis. Filius habẽs patrem à quo sis, nõ tamẽ habẽs cui minor vel posterior sis. Spiritus sanctus habens patrẽ & filiũ, à quibus sis, non tamen habẽs quibus vel inæqualis vel impar sis, quia totum in hac tua diuinitate, cui tempus nunquam accidit, æternũ ac coæternum, æquale ac coæquale est, in qua alius pater, alius filius, alius spiritus sanctus sed pater in filio & spiritu sancto, filius in patre & spiritu sancto, spiritus sanctus in patre & filio: quia sicut tua deꝰ noster natura personas recipit, sic partes nequaquã admittit, cui nec supra nec subtus, ante vel retro cõuenit, quia corporũ lineamenta nõ recipit. Vnde & tota in locis sine loco habetur, nec tamen tota cõprehenditur. Tota nanq; vbique C habetur, quia perfectior pars in ea nulla reperitur. Tota autem non comprehenditur, quia videlicet cùm in creaturis vnicuique præsens efficitur, etiam vltra creaturas totus inuenitur. Quamobrem cùm cœlum & terrã implet, totus est. cùm hominem vnũ implet, totus est, nec variatur per singula quæ in singulis tota est: nec de loco ad locum transit cùm vnum deserens, alterum petit, quæ semetipsam sine loco & tempore mouet. Hinc meritò colendus, hinc adorandus es, hinc incommutabilis, hinc incircũscriptus agnosceris, hinc 1.Tim.2. mediator dei & hominum homo Christus Iesus secundũ diuinitatis essentiã, totus cum hominibus in terris, totus erat Ioan.3. cum patre in cœlis, cùm diceret: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis, qui in cœlo est. Philip.2. Qui videlicet cùm forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiẽs in similitudine hominum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Per hũc te beata trinitas humanitatis habitum, per huius susceptionis humilitatem deprecor, per huius sacratissimam obedientiam, per huius beatissimam mortem exoro in primis vt te deum meum D diligam, te sitiam, te toto corde perquiram, deinde vt proximam iuxta vires atque mensuram in hac ipsa tua dilectione charum semper atque dilectum attendam. Sed hanc dilectionem nulli domine præstabis, nisi cui vitia prius odisse donaueris. Obsecro ergo pia & vera misericordia, solida atque vnica spes mea, vt superbiæ regnum auferas ab anima mea. Horrendum domine pauendúmque tã maximum malũ, quod angelos de cœlo proiecit, quod homines de paradiso minauit quódque initiũ omnis peccati est, & ad ipsum pertinet quicquid vitij & iniquitatis est, cuius primæ soboles, septem nimirum principalia vitia, ex hac virulenta radice perferũtur, scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, atque luxuria: sed & numerosa propaginis turba ex singulis generatur. Inanis ergo gloria cùm plenè mentem ceperit, mox septiformem in illa nequitiam gignit, inobedientiam, iactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, ac nouitatis præsumptionẽ. Sed si huic vera humilitas opponatur, omnis eius nequitia vacuatur. Te ergo deprecor humilitatis magister, vt hanc cordi meo inseras, insertámque custodias, quæ dum cunctis inferiorem se attendit, subiectionem protinus gignit, iactantiam extinguit, hypocrisim excludit, contentionem refugit, pertinaciam emollit, discordiam præcauet, nouitatum præsumptionem abhorret. Hoc beatæ humilitatis medicamine morbum elationis sanãdum præuideras, cùm per hominem assumptũ author nostræ salutis, tuis ad te venientibus diceres. Discite à me quia mitis sum, & humilis cor- Matth. 11. de, & inuenietis requiem animabus vestris. Et rursum: Nisi Ibidem. 18. cõuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnũ cœlorum. De inuidia quoque odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis eius propagatur. O mala progenies, quæ si animo intromissa dominari cœperit, omnem sanctitatis sobolem extinguit. Qui itaque inuidet vel odit, non alium prius quam seipsum occidit. Qui susurrat, & detrahit, prius suas quàm aliorum radices euellit. Qui exultat in aduersis proximi, & affligitur in prosperis eius, alieno proximum se petit gladio. Hoc secundum superbiæ virgultum tunc primo fuit exortum, cum ille de quo scriptum est: Inuidia diaboli Sapien.2. mors introiuit in orbem terrarum. Cain persuasit vt liuoris Gene.4. odio fraternum funderet sanguinẽ. Sed nimirũ idem Cain inuidus prius suam animam quàm alterius carnem peremit. Scriptum quippe est: Qui odit fratrem suum, homicida 1.Ioan.3. est. Et scitis quia omnis homicida nõ habet vitam æternam in se manẽtem. Hinc domine apparet cuius primum homicida est qui alterum odit, in quo vita non est. Quod contrà Moyses omniũ mitissimus admonet, dicens: Ne oderis proximum tuum in corde tuo. Et quia ille qui inuidet & odit, consequẽter susurrat & detrahit, hoc malum scriptura sancta præcauendum denunciat. Non eris, inquit, susurro in po- Leuit.19. pulis, & nolite detrahere alterutrum fratres. Qui enim de- Iacob.4. hit fratri, detrahit legi. Qui enim susurrat & detrahit, consequens est vt in aduersis proximi exultet, in prosperis autem animi tristitiam contrahat. Sed occurrit beatus Apostolus, & dicit: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flen- Roma.12. tibus. Et ecce alius pro terrenis rebus, terrenisque honoribus, alius pro virtutum successibus cuilibet inuidet, quemlibet odit: contra quemlibet susurrat, de quolibet detrahit, de cuiuslibet aduersis exultat, de prosperis animum mœstificat. Sed vt in cunctis hoc multiplex malum superetur, occurrat domine quæso illud multiforme bonum quod potẽti virtute resistens non det inuidiæ locum, charitas scilicet, quæ fundamentum est omnium virtutum & bonorum: quę non inuidet, sed congaudet: non odit, sed diligit: non susurrat, sed obiurgat: non detrahit, sed arguit: non de aduersis proximis gaudet, sed mœret: non de prosperis afflictionem, sed consolationem recipit. Meritò autem tale nomen accepit, quòd illa carius inueniri non potest: quam qui habet, te vtique habet. Deus, inquit, charitas est: & qui manet in cha- 1.Ioan 4. ritate, in deo manet, & deus in eo. Cui vt præfatum inuidiæ superet malum, cordis simul & oris iungenda custodia est: cordis scilicet, ne inuideat, ne in aduersis proximi exultet, ne in prosperis mœstitiam contrahat. Oris verò, ne susurret, ne detrahat: scriptum quippe est: Omni custodia serua Prouer.18. os tuũ. Cor, quia ex ipso vita procedit. Et rursum scriptum est: Mors & vita in manibus linguæ. Citius malum quod intus latet, extinguitur, si à prauo eloquio foris lingua frænetur. Pone domine custodiam ori meo, & ostium circũstantiæ labiis meis, vt non declines cor meum in verba malitiæ. Psalm.140. Libera animã meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Ira autem inuidiam sequitur, qua inter cætera vitia nihil asperius, nihil inuenitur amarius: quæ dum vltra modum efferbuerit, atrociter mentẽ exulcerat, sensum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totúmque corpus perturbat. Hinc protinus rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, tumor mentis, & blasphemiæ suscitantur. De qua nimirum scriptu- Eccles.7. ra sancta testatur dicens: Ira in sinu stulti requiescit. &, Ira vi- Iacob.1. ri iustitiã dei non operatur. Sed obiice domine contra tam amarissimum iracundiæ malum suauissimum patientiæ bonum,

num, in quo ſpecialiter animarũ noſtrarũ ſalus collocatur,
Luca 21. cùm nobis per euangelium dicitur: In patientia veſtra poſ-
A ſidebitis animas veſtras. Quæ nimirum dum arcem & prin-
cipatũ in mente ſuſceperit, omnes mox perturbationes com
peſcit. Rixas & contumelias in exhortationẽ conuertit, con
fuſum clamorem ſub ordinato ſilentio premit, indignatio-
nem tumorémque mentis mãſuetudine vincit, blaſphemias
gratiarum actione repellit. Quod ſi fortè in immenſum ira
ſuccenſa ad horam patiẽtia ſuccubuerit, nullum ne domine
remedium erit? Erit certè. Nam cùm huius mali dãnationẽ
Matth. 5. denunciat dicens: Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio:
qui autẽ dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio: qui au-
tem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis: protinus recupe-
rationem ſubiungit, cùm dicit: Si offers munus tuum ad al-
tare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid
aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade
prius recõciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuũ.
Marc. 11. Et illud: Cum ſtatis ad orandum, remittite ſi quid habetis
aduerſus alterum in cordibus veſtris. Hanc mihi domine
B deus ſecundam tribue victoriam, ſi furore cæcatus amiſero
primã, cũ nõ tuo zelo, ſed meo vitio cuiuſlibet animũ offen
do. Triſtitia quoque iram perſequitur: quæ dum cordis ar-
cana penetrat, protinus in eius cubiculo malitiã, rancorem,
puſillanimitatem, deſperationem, torporem circa præcepta,
vagationem mentis erga illicita generat. Quæ inter cætera
2. Corin. 7. vitia quàm ſit deteſtanda, beatus Paulus indicat, Seculi, in
quiens, triſtitia mortẽ operatur. Sed domine deus meus op-
pone contra ſeculi triſtitiam futuræ beatitudinis lætitiam,
quæ ex mœrore contractam malitiam vincat beneuolentia,
tædio procuratum rancorem pellat ſynceritate, puſillani-
mitatem fortitudine roboret, deſperationem ſpei fiducia e-
rigat, torporem circa præcepta exercitio ſpiritali repellat,
vagationem mentis erga illicita, inconcuſſa ſtabilitate re-
frænet. Quòd ſi ad momẽtum ſubtracta lætitia, ſpiritali ma
lum triſtitiæ præualuerit, agam quæſo quod monet beatus
Iacob. 5. Iacobus: Triſtatur quis in vobis? oret æquo animo, & pſal-
lat. Auaritia ſequitur triſtitiam, quæ in vtroque teſtamento
C pari notatur execratione. In veteri nanque dicitur: Auaro
Eccli. 10. nihil eſt ſceleſtius. In nouo autem: Et auaritia quæ eſt ido-
Epheſ 5. lorum ſeruitus. Ex qua profectò ſeptem nequitiæ procrean
tur, ſcilicet proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo,
violentia, & contra miſericordiam obduratio. Et ecce do-
mine deus quilibet amator mundi, & non tui, propter me-
talla precioſa, ardentes fulgentéſq; lapides, ſeruos & ſeruas,
prædia & fundos ad mortem proximum tradit, fraudem in-
currit, fallaciã obducit, periurium cõmittit: & alius inquie-
tus & violentus eſt propter villam, alius propter gallinam,
alius obduratur contra miſericordiam, ne tribuat aurum, a-
lius ne porrigat potũ. Sed peto mihi deus amator caſtus &
verus, vt cui præter te nulla poſſeſſio debetur in terra, ni-
hil quod tu non es, concupiſcam in terra, ſemper illius ſen-
Iob 1. tentiæ meminerim, qua dicitur: Nudus egreſſus ſum de vte-
1. Tim. 6. ro matris meæ, nudus reuertar illuc. Atque illius: Nihil in-
tulimus in hunc mundum, ſed nec auferre quid poſſumus.
Quæ nimirum dum piè conſideratur, mundi contemptum
afferre videtur, qui auaritiæ contrarius eſt. Poſt hæc reſtat
D ventris ingluuies, quæ à neceſſitate quidem incipit, ſed mo-
dum neceſſitatis excedens, ad voluptatem pertranſit: dúm-
que à licitis ad illicita peruenerit, mox ineptam lætitiam,
ſcurrilitatem, immũditiam, multiloquium, ſenſúſque hebe-
tudinem circa intelligentiam parturit, cuius mortiferum vi
rus tunc vtcunque vacuatur, cùm non qualitas, ſed libido in
eſcis præcauetur. Prima enim mulier non exquiſitarum da-
Geneſ. 3. pum, ſed ſola pomi delectatione mortem mundo induxit: &
Matth. 4. antiquus hoſtis regem noſtrũ non de carne, ſed de pane ten-
Geneſ. 29. tauit: & Sodoma idcirco igne & ſulphure periit, quia inter
cætera mala panem in ſaturitate comedit. Quapropter cle-
mentiam tuam deus imploro, vt ſicut æger ad medicinam,
ſic ad ſumendas dapes accedam, nequaquam in eis voluptа-
tem appetẽs, ſed neceſſitati ſubueniens. Aufer à me propter
magnam miſericordiam tuam omne ciborum noxium deſi-
derium, congruámque ſeruo tuo eſcarum propitius tribue
abſtinẽtiam, vt intra neceſſarium modum proprium tempe-

rem appetitum, remotáque à me omni prorſus crapula &
A brietate, ſciam in virtute tua abundare, ſciam & penuriam
pati, nouerim quoque in quibus mihi ſufficiens eſſe poſſim.
Ita domine, ita pater bone noxiis gaſtrimargiæ ſuccis arefa-
ctis ineptã lætitia vel ſcurrilitas nõ pullulabit, quæ illos ma
ximè ad inſaniã perducit, in quibus crapula & ebrietate do-
minium ſumit. Sedit enim populus manducare & bibere, & Exod. 32.
ſurrexit ludere. Contra quos illa ſententia venit qua dici-
tur: Væ vobis diuitibus qui habetis cõſolationem veſtram. Luca 6.
Et væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis.
Quod contra ij qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis
& concupiſcentiis eius, audiunt, Mundus gaudebit, vos ve-
rò conſtriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, Ioann. 16.
& gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Et rurſum: Beati Matth. 5.
qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Immunditia quo-
que, quæ iuxta Apoſtolum quibuſdam regni cœleſtis adi-
tum claudit, vigilãtem nunquam, dormientem verò tardius
ſua colluuione fœdabit. Multiloquium inedia preſſum file-
bit. Hebetudo ſenſus circa intelligentiam ſpiritalis acumi-
nis ingenio cedet, quod ſancta parſimonia in mente propa-
gabit. Venter enim cõtractus humanos in altum eleuat ſen
ſus. Luxuria gaſtrimargiam ſequitur, quæ dum licentiæ me-
tas excedit, mox de ſe cæcitatem mentis, incõſiderationem,
inconſtantiam, præcipitationem, amorem ſui, odium dei, af-
fectum præſentis ſeculi, horrorẽ autem vel deſperationem
gignit futuri. Sed peto domine vt qui ab ipſo pubertatis tẽ-
pore à complexu carnalis copulæ alienum me eſſe voluiſti,
delectationis eius ſenſu non tangar. Quid enim prodeſt do-
mine deus virginem eſſe corpore, ſi contingat mente eſſe
corruptum? Qui enim viderit mulierẽ ad concupiſcendum Ibidem.
eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Hùic profectò
necdum caſtitatẽ profeſſo iuxta Apoſtolum: Melius eſt nu-
bere quàm vri. Sed obſecro domine vt cui non licet nube- 1. Corin. 7.
re, ne contingat aduri. Ecce dum pro me ſolicitus talia po-
ſtulo, meminiſſe charitatis debeo, vt & pro aliis exorem. Te
igitur amatorem eccleſiæ tuæ deprecor deus pro ſacerdoti-
bus eius, vt verbis ſimul & meritis vitæ populum ſibi credi-
C tum ad cœleſtem patriam inuitent. Pro regibus, ducibus, &
iis qui in ſublimitate poſiti ſunt, vt patres orphanorum &
iudices viduarum ſemetipſos exhibeant, miſeriis inopum,
& gemitibus pauperum doleant, nil niſi quod iuſtum eſt, in
iudicio quærant, ſicq; adminiſtrent præſentia, ne amittãt bo
na futura. Pro virginibus, continentibus, ac mundo renun-
ciantibus, vt præſentia deſpiciant, futura requirant, ne ſe ne-
gociis ſecularibus implicent, vt tibi militantes placeant, cui
ſe probauerunt. Pro coniugatis, vt ſic ſibi inuicem carnis
debitum ſoluant, ne à deſiderio patriæ cœleſtis exorbitent.
Sed quid ago domine? quaſi oblitus peccatorum meorũ pro
aliis orare præſumo? O quàm in multis offendi atque offen-
do, ſed non ſubrepit deſperatio, cùm publicanum in templo Luca 18.
iuſtificatum attendo, cùm latronem in cruce cõfitentem, & Ibidem 23.
de cruce ad paradiſum tranſeuntẽ aſpicio, cùm Mariam poſt Ibidem 7.
multas criminum culpas fonte pietatis ablutã, cùm Petrum Ibidem 22.
poſt negationem apoſtolatus gratiam recuperaſſe intueor.
Sed ergo ineffabilis pietas, vt cui de tantis exemplis præſu-
D mere donaſti: gemitus publicani, confeſſionem latronis, la-
chrymas meretricis, fletúſque negantis Apoſtoli concedas.
O domine ſi flagello temporali ſcelera mea vindicãda pro-
uideris, lachrymoſus imploro vt dum contra hæc iratus de- Heb. 12.
ſeuis, ſemper in ira miſericordiæ recorderis. Quem enim di-
ligis, corripis. flagellas autem omnem filium quem recipis.
quibus nimirum verbis etſi virga percuſſionis minatur, pa-
ternus tamen pietatis affectus monſtratur. Da ergo inter fla
gella tolerantiam, ne murmurationis notas vt malus ſeruus
incurrã, ſed magis quaſi bonus filius gratiarum actiones re-
pendam. Illud etiam magnopere peto, vt diem obitus, diem
extremi iudicij, damnationem æterni ſupplicij, beatitudi-
némque regni futuri ſemper meminerim: quod nemo inde-
ſinenter poteſt, niſi qui ad vitam præordinatus eſt æternã.
Indeſinenter domine recolenda eſt dies illa in qua lux cum
tenebris pugnat, miſericordia cum credulitate deſudat, in
qua aduerſarius noſter mala quæ fecimus, locuti ſumus vel
cogitauimus, violentiſſimus accuſator retexet, iuſtitiã tuam
ad

1269

ad hæc punienda depoſcet. Vbi quid ſum domine, niſi tu qui iuſtè iudicas, etiam miſericorditer defendas? Recorda- re quia aduocatus meus es ipſe qui iudicas. Quòd ſi etiam in illo adhuc ſeculo aliquid in me vindicandum reſeruas, pe- to ne me poteſtati dæmonum tradas, dum ſcelus meũ pur- gatoria pœna detergis. Nunquid domine obliuioni traden- da eſt dies illa, de qua dixit Propheta: Dies inquit, iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſe- riæ, dies tenebrarum & caliginis, dies tubarum & clãgoris, in qua cœlis & terris ardentibus exibunt angeli & ſepara- bunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis, in quem meſſores collecta zizania alligabunt in faſci- culos ad comburendum. In quo à ſiniſtris poſiti audient im pij: Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. In quo iam obſeratis vitę ianuis, extinctis lãpadibus, ſtultæ virgines à thalamo excluſæ plo- rabunt, damnationémque ingementes clamabũt, Domine domine aperi nobis. & tunc dices illis, Neſcio vos. In quo etiam qui miraculis coruſcauerunt, ſimiliter lamentabũtur repulſi, & dicent: Domine domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc cõfiteberis e- tiam iſtis quia nunquã nouiſti eos, ſubiiciẽs: Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ. Quis hîc domine deus ter ribilis in conſiliis, mirabilis in mateſtatibus, faciénſque pro digna: quis inquam hic nõ paueat, & à fundo cordis non tre miſcat, cùm etiam illos dãnari audiat quos in hac vita con- tigit miraculis coruſcare? Ad quæ nimirum valet illa ſen- tentia qua dicitur: Neſcit homo vtrum amore an odio di- gnus ſit, ſed omnia reſeruãtur in futurum incerta: in quo & ſit iuſtus vix ſaluabitur, peccator & impius vbi parebunt? Etiam domine deus indefinẽter meditandum æternæ dam- nationis ſupplicium, in quo quicquid pœnarum excogitari poteſt, quicquid etiam non poteſt, ſemper adeſt: cuius ver- mis immortalis, ignis inextinguibilis, fœtor intolerabilis eſt, cuius terra tenebroſa, & mortis caligine cooperta, terra miſeriæ & tenebrarum eſt, cuius torrentes in picem cõuer- tuntur, & humus in ſulphur, ardebítque in ſempiternum, cuius lacus ſanguine ignéque permixtus eſt: & quoſcunque ſuſcipit, demergit ſimul & exurit. O quã horrenda, ô quàm ſtupenda ſunt iſta, ſed maior eſt domine cruciatus, amiſſio tuæ claritatis. Sufficit enim ad plenam miſeriam, tua non perfrui beatitudine, in qua iuſti receptis corporibus, ſanc- torúmque angelorum celſitudini coæquati, in æternam lu- cem aſpicientes ſicut ſol refulgebunt. Nec immerito ſole & luna nõ indigebunt, quia te perenne lumen habebunt. Non eſurient, neque ſitient, nõ laborabunt neque deficient, non mœrebunt neque lugebunt, quia quicquid ſatietatis, quic- quid quietis, quicquid gaudij eſt, tua viſitatio præſtabit, quę in omnibus omnia erit. Nec tempus iam illis accedet, quia totos æternitas poſſidebit, nec timebũt vltra iam mori, qui meruerunt beata immortalitate veſtiri. Quid autem de hac beatitudine miſer ego amplius dicere valeo? quia de illa quicquid dixero, illa ſententia reprimor, quam per prophe- tam & Apoſtolum dictam intelligo: Quod oculus non vi- dit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præ- parauit deus diligentibus ſe. Erunt certè in illa beata vita hæc bona quæ præmiſi, ineffabili, & nobis adhuc incõpre- henſibili modo. Huius deſiderio domine deus formator & reformator meus, huius amore peragam quicquid in hac vi- ta præcipis vt agam: nec ſit vltra timor in charitate, ſed per- fecta charitas foras mittit timorem. Et vt efficax hęc mea ſit deprecatio, beatæ Mariæ virginis ſuffragia peto, quam tan- ti meriti eſſe feciſti, vt prima inter mulieres nouum munus offerret, & nulla præter ipſam tã nouum acciperet, nouum ſcilicet munus prima offerret, vt puerpera virgo perſeuera- ret. Nulla præter ipſam tam nouum acciperet, vt deum vir- go pareret, & poſt partum virgo maneret. Apoſtolorum in- terceſſionem imploro, qui beatiſſimam mediatoris pauper tatem eiúſque paſſiones veſtigio inſequentes, ad tantũ cel- ſitudinis culmen peruenerunt, vt quęcunque ligarent ſuper terram, eſſent ligata & in cœlis: & quæ ſoluerent ſuper ter- ram, eſſent ſoluta & in cœlis: atque in extremis ſederent ſu-

A per duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Martyrum preces depoſco, qui pro veritate non dubitarũt ſanguinem fundere, nec dilexerunt animas ſuas, vſque ad mortem, vt mortis ſuperarẽt authorem. Confeſſorum ora- tiones expoſtulo, qui bella tentantis inimici dum piè viue- rent in catholica pace, vel etiam hæreticorum conflictatio- nem diuturno certamine pertulerunt, atque (vt verum di- cam) longioris occultíque martyrij palmas acceperunt. Ta- lium domine deus preces, nũquam ſpernis, ſi vt pro me ex- orent. ipſe inſpiraueris, qui æternitate perenni viuis & re- gnas cuncta per ſecula, & in omnibus ſeculis. Amen.

FINIS.

Diui Ambroſij

B MEDIOLANEN. EPISCOPI,

in pſalmos aliquot Dauidicos com- mentarij.

In pſalmos Dauidicos præfatio.

SVmmum incentiuum virtutis pro- poſuit deus futuræ beatitudinis de- lectationem: vehemens quoque cal- car erroris, delectationem eſſe dia- bolus excogitauit. Vtriuſque ſen- tentiæ præſtat indicium primus hu- mani generis Adã à domino deo in paradiſo voluptatis poſitus, vt æter- na delectatione frueretur, ad virtutem futuræ ſobolis pro- uocandam. Neque enim erat incognitum deo, locum eum C errori daturum, & cæteris propoſitam ſpem ſalũtis eſſe de- bere, qua in præreptam humano ſedem generi contende- rent reformari. Et idem per ſpeciem ſerpentis præfigura- uit delectationis illecebram, vxoria perſuaſione deceptus. Occaſione igitur accepta aduerſarius per delectationem mihi operatus eſt mortem. Itaque quod diuina gratia tri- Roma. 7. butum erat ad vitam, factum eſt mihi in mortem: eóque fa- ciliorem inimicus aſſenſum hominis habuit ad lapſum, quo ſpeciem prætendit naturæ. Delectarunt enim opera ſua do- minum: delectarunt prima naturæ exordia. Quæ videns do- minus ait, Bona valde. Laudant angeli dominum, pſallunt Gene. 1. ei poteſtates cœlorum, & ante ipſum initium mundi Che- rubin & Seraphin cum ſuauitate canoræ vocis ſuæ dicunt: Sanctus, ſanctus, ſanctus. Innumera angelorum milia aſſi- Apoc. 4. & ſtunt, ſeniores & turba magna ſicut voces aquarum multa- 19. rum concinunt, Alleluya. Ipſum axem cœli fert expreſſior ſermo cum quadam perpetui cõcentus ſuauitate verſari: vt ſonus eius extremis terrarum partibus audiretur, vbi ſunt quædam ſecreta naturæ. Nec id ab vſu naturę alienum vide- D tur: quandoquidem vox miſſa gratiore plauſu in montibus reſultet, & ſuauiore ſono reddant quod acceperint. In ſco- pulis quoque ipſis & lapidibus reperit natura quod delecta- ret. Aliorum ſpecula, aliorum viſus delectat aut gratia. Feræ ipſæ atque aues loci amœnioris aut modulatioris vocis de- lectatione mulcentur. Lactentibus quoque paruulis aut ſe- ueritas terrori eſt, aut blanditiæ voluptati. Naturalis igitur delectatio eſt. Vnde & Dauid ſanctus, qui aduerterat vnde homo & qua eſſet fraude deiectus, (nam ſi tenuiſſet infu- ſam ſibi à domino æternæ illius cœleſtíſque delectationis gratiã, nec ſecularibus captus amiſiſſet illecebris, nunquam tam miſerabilis ærumnæ ſubiiſſet iniurias) reparare eam ſtu ſtens ac reformare, pſallendi munere cœleſtis nobis inſtar conuerſationis inſtituit. Etenim licet omnis ſcriptura diui- na dei gratiam ſpiret, præcipuè tamen dulcis Pſalmorum li- ber: quandoquidem ipſe Moyſes qui plano geſta maiorum ſermone deſcripſit, vbi tamen per mare Rubrum populum patrũ memorabili admiratione tranſduxit, demerſum aſpici-

ciēs regem Pharaonem cum ſuis copiis,in maiora ingenium attollēs ſuum,quia maiora viribus ſuis fuerat aſſecutus,canticum domino cecinit triumphale.Maria quoq; tympanum ſumens,cæteras hortabatur dicens:Cantemus domino:glorioſè enim honorificatus eſt:equum & aſcenſorem proiecit in mare.Ipſe etiam Moyſes cùm legem domini legiſſet:quo eius memoriam pectoribus affligeret audientium, percanit cum locutus eſt dicens:Audi cœlum,& loquar:Expectetur ſicut pluuia eloquium meum,& deſcendant ſicut ros verba mea,ſicut imber ſuper gramen,ſicut nix ſuper fœnum. Delectatur igitur cātico deus non ſolum laudari,ſed etiam reconciliari. Inde & Moyſes tunc maximè cantico vſus eſt, quādo cœlum teſtificabatur & terram,vt ſalutem ſuam cœleſtis ſono gratiæ concinentem auidius mundus audiret,& ſacræ ſuauitate dulcedinis in æternum legis obſeruantiam mētibus inoleret humanis. Denique legis tabulæ priuſquā cantico firmarentur,per indignationē Moyſi fractæ & comminutæ ſunt. Vbi verò tali ſignaculo conſecratæ ſunt, humana locum ira nō habuit,quia ſanctificatio eam ſacræ ſuauitatis excluſit. Canticum itaque domini ſicut ros mollior deſcendit è cœlo, & fidem hominum ſicut gramen imbre quodam gratię ſpiritalis infudit.Duo igitur cantica in libris Moyſi,tanquā duo mundi oculi,cœliq; lumina,totum corpus operis eius illuſtrant.At verò Dauid principaliter à domino ad hoc munus electus eſt:vt quod in aliis rarum præminere reliquo in opere videtur,in hoc iuge & continuum refulgeret.Vnum canticum legimus in libro Iudicum.reliqua hiſtoriæ more decurſa,quibus expreſſa ſunt geſta maiorum.Vnum Eſaias canticum ſcripſit, quo legentium corda mulceret: in reliquis terribili tuba correptionis infremuit. Cāticum ei ne ipſi quidem inimici obiicere potuerunt, qui eum propter alia dicta vſq; ad necem ſunt perſecuti. Vnum Daniel, Vnum Abacuch.Salomon ipſe Dauid filius licet innumera cantica ceciniſſe dicatur,vnum tamē quod eccleſia receperit, Canticorum canticum dereliquit. Scripſit idem Prouerbia. In aliis igitur ſingula aduertere licet. Hiſtoria inſtruit:lex docet,prophetia annunciat, correptio caſtigat, moralitas ſuadet. In libro Pſalmorū profectus eſt omnium & medicina quędā ſalutis humanę. Quicunque legerit,habet quo propriæ vulnera paſſionis ſpeciali poſſit curare remedio.Quicunque certare voluerit,tanquam in communi animarum gymnaſio, & quodā ſtadio virtutum diuerſa genera certaminū reperiens præparata, id ſibi eligat,cui ſe intelligit aptiorem,quo facilius perueniat ad coronā. Si quis geſta recēſere maiorum ſtudeat,atque imitari velit:intra vnum pſalmum totam paternæ hiſtoriæ ſeriem accipit comprehenſam,vt theſaurum memoriæ compēdio lectionis acquirat.Faciliora quoque videntur quæ breuius explicātur. Illud etiam quantę altitudinis,quòd breui interuallo offenſionum aduerſa diſtinxit,& reconciliationis ſecunda ſubtexuit: vt ſimul cognoſceres quid incredulitatis obeſſet offenſa,quid fides prompta conferret.Si quis vim legis explorat,que tota in vinculo charitatis eſt (qui enim diligit proximum,legem impleuit)in pſalmis legat quanto dilectionis affectu pro totius plebis opprobrio repellendo periculis ſe grauibus ſolus obiecerit:in quo nō imparem charitatis gloriam triumpho virtutis agnoſcet.Si quis correctionum ſæua formidat,audiat dicentem: Domine ne in ira tua arguas me,neque in furore tuo corripias me.& diſcat quemadmodum debeat irati iudicis temperare cenſuram.Si quis patientiæ cognoſcere geſtit exemplum,legat in pſalmis: Si reddidi retribuētibus mihi mala.& aduertat quia præceptum euangelicum ſpiritu præuidit,virtute præuenit. Habes itaque illud prouerbiale,quia māſuetus homo cordis eſt medicus. Si quis præterea aduerſus nequitiæ ſpiritalis incurſus vult eſſe munitus:quid magis quàm pſallēdum ſibi eſſe nouerit? Pſallebat Dauid adoleſcentior,& Saulis nequam ſpiritus fugabatur,qui eum antea ſtringebat.De virtute autē prophetiæ quid loquar?Quod alij annunciauerunt per ænigmata, huic ſoli palam atque apertè videtur eſſe promiſſum,vt dominus Ieſus ex eius ſemine naſceretur, ſicut dixit ad eū dominus: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. In pſalmis itaque nobis non ſolum naſcitur Ieſus,ſed etiam ſa-

Exod 15.
Deuter. 23.
Exod.32.
Deut. 23.
Iudic 5.
Eſaiæ 38.
Daniel.3.
Abac 3.
Roma.13.
Pſalm.6.
Pſalm 7.
1.Reg.16.
Pſalm. 131.

lutarem illam ſuſcipit paſſionem,quieſcit,reſurgit,aſcendit ad cœlum, ſedet ad dexterā patris. Id quod nemo præſumpſerat hominum dicere,hoc ſolus hic propheta annūciauit: poſtea ipſe dominus in euangelio prædicauit. Omnes præterea ſcriptores pſalmorum in ſuis ſcriptis exempla poſuerunt aut aliqua dicta ſuperiorum.Pſalmi nihil præter quod ſuum eſt habēt. Quid igitur pſalmo gratius:Vnde pulchrè ipſe Dauid,Laudate,inquit, quoniā bonus eſt pſalmus:deo noſtro ſit iucunda decoráque laudatio. Et verè. Pſalmus enim benedictio populi eſt,dei laus, plebis laudatio,plauſus omnium ſermo vniuerſorum,vox eccleſię,fidei canora confeſſio, authoritatis plena deuotio, libertatis lętitia, clamor iucūditatis,lętitiæ reſultatio.Iracundiam mitigat,ſolicitudinem abdit,mœrorem alleuat.Nocturna arma,diurna magiſteria.Scutū in timore,feſtum in ſanctitate.Imago tranquillitatis,pignus pacis atq; concordiæ, citharæ modo ex diuerſis & diſparibus vocibus vnam exprimēs cantilenā.Dici ortus pſalmū reſultat,pſalmū reſonat occaſus. Mulieres Apoſtolus in eccleſia tacere iubet:pſalmum etiam bene clamāt. Hic omni dulcis ætati:hic vtrique aptus eſt ſexui.Hunc ſenes rigore ſenectutis diſpoſito canunt:hunc veterani triſtes in cordis ſui iucunditate reſpondent. Hunc iuuenes ſine inuidia cantant laſciuię:hunc adoleſcentes ſine lubricæ ætatis periculo & tentamento concinunt voluptatis:iuuenculę ipſæ ſine diſpendio matronalis pſallunt pudoris:puellulę ſine prolapſione verecūdiæ, cum ſobrietate grauitatis hymnum deo inflexæ vocis ſuauitate modulantur. Hunc tenera geſtit pueritia,hunc meditari gaudet infantia; quæ alia declinat ediſcere.Ludus quidam eſt iſte doctrinæ,maioris profectus,quàm cum ſeria traditur diſciplina. Quantum laboratur in eccleſia vt fiat ſilentium cùm lectiones leguntur? Si vnus loquatur,obſtrepit vniuerſis.Cùm pſalm⁹ legitur,ipſe ſibi eſt effector ſilentij. Omnes loquuntur, & nullus obſtrepit. Pſalmum reges ſine poteſtatis ſupercilio reſultant. In hoc ſe miniſterio Dauid gaudebat videri.Pſalmus cantatur ab imperatoribus, iubilatur à populis. Certant clamare ſinguli,quòd omnibus proficit. Domi pſalmus canitur, foris recenſetur.Sine labore percipitur,cum voluptate ſeruatur. Pſalmus diſſidentes copulat, diſcordes ſociat,offenſos reconciliat. Quis enim non remittat ei cum quo vnam ad deum vocem emiſerit? Magnum plane vnitatis vinculum, in vnum chorum totius numerum plebis coire.Diſpares citharæ nerui ſunt,ſed vna ſymphonia.In pauciſſimis chordis ſæpe errant digiti artificis:ſed in populo ſpiritus artifex neſcit errare.Pſalmus nocturni operis commercium,diuturnę requiei ſtipendium,Inſtitutio incipientium,perfectorū confirmatio. Angelorum miniſterium, militiæ cœleſtis,hoſtia ſpiritalis.Pſalmum & ſaxa reſpondent. Pſalmus canitur,& ipſa etiam ſaxoſa pectora molliuntur.Videmus flere prędu-
ros,flecti immiſericordes.Certat in pſalmo doctrina cū gratia ſimul. Cantatur ad delectationem: diſcitur ad eruditionem.Nam violentiora præcepta non permanent: quod autem cum ſuauitate perceperis, id infuſum ſemel præcordiis non conſueuit elabi. Quid eſt quod non tibi occurrat pſalmos legenti?In his lego canticum pro dilecto,& ſacræ deſiderio charitatis inflammor.In his torcularia diuini myſterij recognoſco.In his reuelationum gratiam,reſurrectionis reconoſco.In his reuelationum gratiam,reſurrectionis recēſeo teſtimonia, repromiſſionis munera.In his diſco vitare peccatum, dediſco erubeſcere pœnitentiam delictorum.Tantus rex,tantus propheta ſuo me prouocauit exemplo,vt aut commiſſum ſtudeam extenuare peccatū,aut non commiſſum cauere. Quid igitur pſalmus niſi virtutum eſt organum? Quod ſancti ſpiritus plectro pangens propheta venerabilis, cœleſtis ſonitus fecit in terris dulcedinem reſultare.Smul cum ille in fidibus & chordis, hoc eſt in reliquis mortuis diuerſarum vocum modulatus diſcrimina,diuinæ laudationis ad cœleſtia dirigeret cātilenam edocuit vtique,prius nobis peccato eſſe moriendum,& tunc demum in hoc corpore diuerſa opera diſcriminanda virtutum, quibus ad dominum deuotionis noſtræ gratia perueniret,vt occupatis intentione cœleſtium nulla irreperet terrenorum libido vitiorum,ſimul animus cœleſtis gratiæ ſuauitate niteſceret.Meritò igitur tanti miniſtrum muneris dominus laudans

1273

dans ait: Inueni Dauid ſecundum cor meum. Aiunt etiam, eorum qui cithara canunt, peritiores intus canere: vt ferunt fabulæ de Aſpendio cithariſta: Cauſas quoque modulaminum, & quædá clauſtra rhythmorum in ſuperiore parte eſſe pſalterij. Docuit ergo Dauid intus nos canere oportere, intus pſallere: quemadmodum canebat & Paulus dicés: Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallã & mente. Et ad ſuperiorum intuitum vitam noſtram actúſque formare, ne delectatio dulcedinis excitet corporis paſſiones, quibus nõ redimitur noſtra anima, ſed grauatur: cùm ad redemptionem animæ ſuæ pſallere ſe ſanctus propheta meminerit dicens: Pſallam tibi in cithara ſanctus Iſrael. Gaudebunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea, quam redemiſti. Sed iam pſalmi iſtius qui propoſitus eſt nobis, ingrediamur exordia.

Primi pſalmi Dauidici enarratio.

BEatus, inquit, vir qui non abiit in cõſilio impiorũ.) Quàm aptum, quàm opportunũ principiũ. Nanq; vt ij qui agonis aliquam ſolẽnitatem receperint exhibendã, proponere præmiũ ſolent, iactare coronæ nobilitatẽ, quo certaturi ſtudio maiore cõueniant, niſúque propenſiore decertent: ita dominus noſter Ieſus regni cœleſtis gloriam, perpetuæ quietis gratiam, vitæ æternæ beatitudinem, ad virtutis humanæ incentiua propoſuit. Imperator quoque cùm progreditur ad bellum, donatiuum militi, & promotiones dignitatum numeris militaribus pollicetur, vt ſpes commodi furetur laborem, & metum abſcondat periculi. Velut præco igitur magni imperatoris ſanctus Dauid hortatur milites, athletas vocat, præmium exprimit dicens: Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum.) A præmio cœpit, vt pondus futuri certaminis eleuaret. Mercedem præmiſit, vt vnuſquiſque præſentium rerum ſolicitudines ac labores corde trãſiliens, ad emerendam beatitudinem futurorũ auida feſtinatione contẽderet. Beatus, inquit, vir. Quid plus potuit homini donari, quàm quo nihil amplius potuit deo apoſtolica authoritate deferri? Beatus enim, & ſolus potens, & rex regũ, & dominus dominantium deus dictus eſt. Ille ſolus potens, ille rex regum, ille dominus dominantium: beatitudinis tamẽ nõ ſupergreditur poteſtatem. Donauit nobis appellationis eius cõmune conſortium: quæ digna æſtimata eſt honore diuino. Cõſideremus nunc qua ratione, beatus vir, dixerit: & non magis, beati homines? cùm vterque ſexus vocetur ad gratiam. Nunquid à conſortio beatitudinis excluſit mulieres, quia virum ſolum beatum nuncupauit? Abſit. Quia nec à conſortio creaturæ excluſit deus fœminas quia prius virum condidit. Dixit enim deus: Faciamus hominem ſecundum imaginem noſtram, & ſecundum ſimilitudinem noſtram. Et fecit, inquit, deus hominem: ad imaginem dei fecit illum: maſculum & fœminam fecit eos. In homine vterque ſignatur, in viro ſexus exprimitur. Sed quẽadmodum cùm homo dicitur, vterque comprehenditur: ita cùm vir nominatur, & mulier cuius vir ille ſit intelligitur. Denique hæc vocabitur, inquit, mulier, quoniam de viro ſuo ſumpta eſt. Accedit illud, quoniam quorum natura eadem, eorũ operationes vtique non poſſunt eſſe diſcretæ: & quorum opus æquale, eorum vtique æqualis & merces. Virum igitur ſcriptura dicendo, conſortem copulæ non prætermiſit: quia & hominẽ dicendo, conſortem non tacuit naturæ † Itaque quemadmodum illic hominem factum legimus, & cùm ſit vna natura, tamen principalem ſexum prius creatum negare non poſſumus: ita & hic cùm legimus virũ, de principali portione ſexum quoque ſupparem recognoſcimus. Paria igitur ſtudia virtutis, quia par prærogatiua eſt creaturæ. Quid autem ſexum diſcutias, vbi non corporis à te, ſed animæ certamina poſtulantur, quæ ſexum non habet? Non ergo illic diſcernas honorem, mercedem diuidas, vbi non diſcernitur ſexus. Non incautè tamen, ſi prior vocetur ad exercitium, qui fuit poſterior ad lapſum. Quæ malè cœpit, ſequi debet, nõ præcedere: vt vel poſt experimentũ ſit verecundior. Malè Euam naturæ ordinem prætermiſit: expectare debuit præcedentem. Aſturè ſerpens à poſteriore cœpit. ideo Propheta ad ſuperiorem reuertitur: eum vtique qui lapſus non eſſet niſi eſſet poſteriorem ſecutus. Denique prius nos reuocauit à lapſu, quàm ad palmam victoriæ prouocauit. Beatus, inquit, vir qui non abiit in conſilio impiorum. Vide vbi beatus appelleris ô homo. Non in diuitiis, non in poteſtatibus & honoribus, non in nobilitate generis, aut decore & pulchritudine, non in corporis ſalubritate: in quibus nihil naturæ eſt bonum. Denique non ſolum facilem commutationem habent in contraria: verumetiam miniſterium ad culpam exhibent ei qui vti his neſciat. Quis enim iuſtus propter pecuniam? Quis humilis in poteſtatibus? Quis miſericors propter nobilitatem? Quis caſtus propter decorem? Illecebroſa hæc magis ſunt ad peccatũ, quàm fructuoſa ad virtutis profectũ. Quid ſibi deinde vult quod maluit dicere, Non abiit, & non ſtetit, quaſi de præterito: cùm potuerit dicere, Beatus vir qui non abit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtat, & in cathedra peſtilentiæ non ſedet? Vide dogma. Nõ enim ſtatim beatus, qui nõ eſt impius aut peccator, propter incerta exitus. Non enim ocioſè ſcriptũ eſt: Ante mortem ne laudaueris aliquem. Ergo dum in hac vita quiſquam eſt, non poteſt definita prędicatione laudari, qui patere adhuc poſſit errori. Ille autem qui vitam ſine offenſione concluſerit, iure beati appellatione cenſetur, quia vtitur cõſortio beatorum. Sed fortè dicas, Qua ratione ergo alibi dixit: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem? Nõ enim dixit beatum qui intellexerit, ſed eum qui intelligit: quoniam qui bonum operantur, in ipſo opere & quo probẽtur inueniunt, remunerationem ſui in ipſo opere cõſequentes. Siquidem beatæ fructus eſt conſcientiæ, bonum factum. Qui autem à malo temperant: nõ ſi ſemel aut bis declinauerint culpam, ſtatim beati: ſed ſi potuerint culpæ contagium per omne vitæ ſuæ tempus euadere. Nunc illud occurrit, cur beatum dicere maluerit, non eum qui pietatis aliquo ſit functus officio, ſed eum qui ab impiorum cõſilio temperauerit. Videtur enim magis laudandus qui virtutis munus impleuerit, quàm qui peccatũ euaſerit. Siquidem nec bos nec equus nec lapis in peccato eſſe cõſueuit, aut ſedere in cathedra peſtilentiæ. Sed illa beatitudinis non habent fructum, quæ virtutis non habent ſenſum. Nã quomodo perueniunt ad legis præmium, quæ non habent ſequendæ legis affectũ? De rationabilibus ergo propoſitũ eſt, hoc eſt de nobis. Nobis autem initium bonorum, abſtinentia peccatorum eſt: quoniam legimus: Declina à malo, & fac bonum. Hic enim ordo eſt diſciplinæ, vt ab inferioribus ad perfectiora contendas, ne terrearis mole maiorum, qui leuiorum exordio debeas prouocari. Scalarum enim ſimilẽ eſſe ſcriptura nos docet pietatis aſcenſum, per quas vidit angelos domini aſcendentes & deſcẽdentes ſanctus Iacob vir exercitationis, qui nobis propoſitus eſt, vt per illum cognoſceremus gradum virtutis paulatim nos proferre debere, & ita poſſe ab imis ad ſumma contendere, ſi per proceſſus gradiamur exiguos ad ea quæ videtur humanæ altiora naturæ. Has tibi ſcalas ſemper habeto propoſitas. Ne timeas ô homo gradus hos aſcẽdere diſciplinæ. Primus gradus vicinus eſt terræ: ſequẽs ſimilis eſt priori. Sic per æquales gradus ad ſumma cõſcenditur. Ne faſtidias ô homo primum illum velut viliſſimum gradum. Ille primus aſcẽſus te à terris ſeparat. Aerem calcas, vbi ab humo eleuaueris veſtigium. In virtute poſitus ſurgendo liquiſti terram. Terram relinquis, ſi culpam declinas. Exordium ergo proceſſionis ad virtutem, eſt abſtinere à peccato. Vt ſciamus autẽ hanc diſciplinam eſſe doctrinæ, audi legem dicẽtem: Non adulterabis: non homicidium facies. Imperfectis enim iſta præcepta conuenientia videbantur. Denique ipſe dominus Ieſus ſciens imperfectum à quo interrogabatur quibus ad vitam æternam operibus peruenire, reſpondit ei: Non adulterabis, nõ homicidium facies, non furtum facies, &c. Deinde dicenti quod feciſſet illa omnia, adiecit perfectiora, dicens: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Tantúmque abeſſe docuit inter malorum declinationẽ, & imitationem bonorũ, vt hæc abnueret, qui illa ſibi facilia iudicabat. Sed quia nec illa aſcẽderat, ideo ad hæc ſe aptare non potuit. Nã ſi dilexiſſet proximum, potuiſſet pauperibus ſubſidia ſui patrimonij

Eccli. 11.

Pſalm. 40.

Pſalm. 36.

Gene. 28.

Exod. 20.

Matth. 19.

Ibidem.

trimonij non negare. Ideoque gradum primum legis ascende, vt possis ad euangelij cœleste fastigium peruenire. Vnde arbitror quòd quasi sub lege positus, morem legis in primo psalmo secutus, ex sua persona sanctus propheta magis cauenda denunciet, quàm sequenda proponat. In quadragesimo autem psalmo, qui ex persona dicitur saluatoris, adhortatio magis virtutis fiat, quàm erroris depressio. De passione enim saluatoris loquitur, & ideo euangeli dispensator etiam, sicut possumus existimare cùm audiamus dicentē: Beati misericordes. Et in psalmo itaque propriæ passionis & in euāgelio misericordiam coronauit. Sed adoriamur iam psalmi explanationem, & virtutem inspiciamus propheticam. Beatus, inquit, vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum nō stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Possumus dicere tres esse species peccatorum: quas hic putamus expressas, cogitationis, operationis, permansionis: beatúmque eum significari, qui & nō cogitauerit quod malum est. Nam quomodo potest beatus esse qui suis cogitationibus accusantibus in die iudicij reuincendus est? Etiam si hominem fefellit, testem refugit, accusatorem euasit: se tamen sui accusatorem habebit, & confitentem reum. Beatus ergo est qui & non cogitauerit quod malum est, & nō operatus fuerit peccatum: quia interdum & sine cogitatione delinquimus. Ex multiloquio enim non effugimus peccatum. Et non perseuerauerit in peccato. Vel sic, Qui & non cogitauerit quod fuit erroris, vel in ea cogitatione non steterit: vel certè non perseuerauerit in iis cogitationibus quas plenas erroris aduerterit. Sed hæc vtrum rectè conueniant, qui legerit, æstimabit. Nam qui semel malè cogitauit: nec stare in eo debuit, nec perseuerare. Sed & si non perseuerauit, beatus esse non potuit: quia stetit in eo quòd improbè cogitauit. Et si non stetit, tamen eo ipso quòd cogitauit malè, vtrum habeat beatitudinis fructum, clemētem aliquem quęrere debet interpretem. Postremò quia nemo potest dicere mundum se habere cor: esto vt veniabilis cogitatio sit, nunquid veniabilis operatio peccatorum? Postremo si veniabilis statio, nunquid etiam plena beatitudinis, eo quòd non perseuerat in crimine? Deinde qui non cogitauit quæ improba sunt, quomodo in peccato stare potuit, aut perseuerare? vt beatus sit, qui tria hæc iure seruauerit. Certè ordo diuersus est, Primum est enim, vt non perseuerauerit in peccato: secundum, vt non steterit in eo: tertium, vt non cogitauerit quod esset erroris. Qui enim non perseuerauit, potuit tamen stare. Qui non stetit, potuit cogitare. Qui autem nec cogitauit, verè beatus est. Vnde alteram quoque traditionem non prætermittēdam putauit, quo tres gradus recto ordine factos asseramus: vt qui beatus vult esse, non abeat in consilio impiorum: hoc est, in eorum cogitationibus non ambulet. Deinde non stet in via peccatorum. Tertio non sedeat in cathedra pestilentiæ. Ad ecclesiam factus es Christianus, vel tu qui ad gratiam tendis: abstine ab impiorū consiliis, vt possis dicere: Ne perdas cum impiis deus animam meam, & cum viris sanguinum vitā meam. Nec cogites quę sunt impia. Quæ sunt illa, nisi quæ in dei excogitantur iniuriam? Pietas enim prima in deum, secunda in parentes. Et quidem inimicus inserit frequēter diuersa mētibus nostris: & ideo cautè propheta cogitationes magis quàm infusiones improuisas putauit ad crimen tenendas. Abstinuisti ergo ab impiorum consiliis? Rectè: non tamen statim beatus. Caue etiam ne in via peccatorum steteris. Quanto examine scripturæ diuinæ verba ponuntur. Etenim quia omnes sub peccato sumus: non à te exigit quod vltra naturam est, vt peccatum nō facias: quia nec vnius diei infans sine peccato: sed vt non maneas in peccato quadam statione diuturna. Non omnes impij: ideo reuocaris ab omnibus cogitationibus & coniurationibus impiorum. Sed omnes peccatores: ideo admoneris vt desinas peccare. Fuerit adolescētioris lapsus ætatis: debet eum maturitatis emēdare processus. Ergo in grauiora non abeas: in leuioribus non stes. Habes hoc & in Esaia dictum à domino: Exi à Babylone, fugiens à Chaldæis. Hoc est: Etsi intrasti in confusionem vitiorum, exi. Non oportuit intrare, sed ingressus es carnis lege cogente, & captiuante te in lege peccati. Exi, egredere vel seruus, exue te

Matth. 5.

Prouer. 10.

Psalm. 25.

Esaiæ 48.

seruitio graui. Non potuisti non introire in peccatum, per fragilitatem: datur tibi exire peccato per sobrietatem. Exi ergo de babylone, fugiens à Chaldæis. Babylon confusio est, quæ virtutum ordinem non tenet. Cōfusa enim illecebris mente delinquimus. Chaldæi sunt qui syderum cursus vanæ studio superstitionis explorant, & impiæ serunt genitilitatis errores. Ab his fuge, ne te capiāt: ne te graui laqueo captiuitatis innectant. Abraham Chaldæus fuit, sed fugit à Chaldęis, & ante legem. tu sub lege natus es: fuge ab impiis. Ille hęreditatem patrum respuit, vt fidei possideret. Tu successionem corporis derelinque, hęreditatem deuotionis acquire. Si autem in peccato non steteris, nec sic beatus: Adhuc habes quo carere debeas. Multæ sunt illecebræ: multiā virtute deflexus. Grauia irritamēta sunt voluptatum: grauis fomes auaritiæ: cupiditas potestatū: honoris ambitio: quæ velut veneno quodā mentes hominum, & quadam animas pestilenti vitiorum tabe contaminant. Hæc est cathedra pestilentiæ, super quam sederunt Scribæ & Pharisæi, qui impo nunt hominibus onera grauia, ipsi autem digito nolunt ea mouere. Has cathedras de tēplo Saluator eiecit eorum qui se de honore iactarent, primatus quęrerent dignitatum: eorum qui sacerdotio vel primatu honoris vterentur ad quæstum: eorum qui indulgentes gulę nequaquam debitam cōtinentiæ præstarent custodiam. Hæc vera est pestilentia. Denique Heli filij erant filij pestilentiæ. In hac quadam sede vitiorum prohibet nos scriptura ceruicem inflectere, vitésque totius corporis reclinare. Aduerte igitur proprietates. Beatus qui in via peccatorū nō stetit, & in cathedra quoque pestilētiæ nō sedit.) Viam dici vitæ huius cursum, in dubium non venit: cùm ipsa scriptura dicat: In via hac qua ambulabam, absconderunt, laqueum mihi. &, Esto consentiens aduersario tuo citò, dū es cum illo in via. Etenim quoniam cursum vitæ huius currimus, habemus semitam per quam ambulemus quotidie, donec perueniamus ad finem. Et si nō videmur corporaliter ire, progredimur. Nam sicut in nauibus dormientes ventis aguntur in portus, & si nullus quiescentibus sensus est nauigandi, tamen cursus eos vrget ad finem & impellit ignaros: sic vitæ nostræ spatio defluente, ad proprium vnusquisq; finem cursu latente deducitur. Vnde dicitur: Surge qui dormis. Tu enim dormis, & tēpus tuum ambulat. Et vide ne dum diu dormis, prętereat tempus. Ideo & si dormis, cor tuum vigilet: cor tuum non feriatur. Si cor ociosum nō sit, non sunt ociosa tempora tua. In via es ô homo, ambula vt peruenias: ne te nox in via occupet: ne cōsumatur dies vitæ antequam progressum virtutis acceleres. Viator es vitæ huius: omnia transeunt, omnia post te fiunt. Omnia in hac via cernis, & transis. Vidisti amœnitatem arborum, herbarum viriditatem, puritatem fontium, & quod cunque huiusmodi quo delectantur oculi. Iuuit spectare, delectauit parumper attendere. Dum attendis, pertransisti. Iterum dum ambulas, incidisti scopulosum & confragosum iter, concaua rupium, prærupta montium, densa syluarum. Tædiasti parum, iterum transisti. Talis hæc vita est, cuius nec prospera permanent, nec aduersa diuturna sunt. Ergo quasi in via locatum neque secunda extollant, neque aduersa te frangant, nec plausibilia remorentur, nec mœsta detineant. Festina semper ad finem, festina vt peruenias. Elige tamen viam antequam curras. Duæ viæ sunt, vna iustorum, altera peccatorum. Vna æquitatis, altera iniquitatis, de qua dixit propheta: Et vide si via iniquitatis in me est. Non solū ergo vita nostra via est, sed etiam in ipsa vita nostra aut virtutis via est, aut iniquitatis. Caue igitur ne in te gressus suos collocet auaritia, & sis via criminis: ne improbitas, ne libido, & sis via iniquitatis iterantibus detrita flagitiis. Licet tibi eligere quos sequaris, aut iustos, aut iniustos. Iustorū via angustior est, iniustorū latior. Illa sobrietatis angustior, hæc ebrietatis latior, vt possit capere fluctuātes. Hæc habet seculi huius illecebras: illa habet futurorū prędia. In istis fructę præsentior, in illis spes tardior. Quæ enim suauia sunt, non differunt diuturnam expectationem, sed præsentem habent perfunctionem. Quod autem serum est, labore quæritur, quod à beata cogitatione vix capitur, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit deus diligentibus se.

Psalm. 138.

1. Corinth.

Difficile

1277

Difficile ſolemus credere quæ non videmus: & ideo anima æſtuat, & huc atque illuc velut oculos quoſdam circunfert cogitationes ſuas. Tunc illi occurrunt diuerſæ rerũ ſpecies, ſeque offundunt. Si ad ſempiterna intendat, virtutem eligit: ſi ad preſentia, voluptatem præponit. Graue & iniquum certamen aduerſus delectationes præſentiũ. Hic libertas eſt cupiditatum, illic ſeruitutis iniuria, facere quæ nõ vis, & ab iis quę deſideraueris, abſtinere. Hic conuiuium, illic ieiunium. Hic intemperantia gaudiorum, illic perſeuerantia lachrymarum. Hic ſaltatio, illic oratio. Hic cãtus dulces, illic gemitus graues. Scriptũ eſt quidem: Cor ſapiẽtium in domo luctus, & cor ſtultorũ in domo epularum. Melius eſt audire increpationẽ ſapientis magis quã virum audientẽ canticũ ſtultorum. Sed pauci hæc audiunt, pauciores ſequũtur. Allicit homines magis dulce peccati, quòd ad preſens influit & impinguat audientis affectũ: quàm triſte virtutis, quæ fidei ſpẽ velut quodam cortice amari laboris inuoluit. Beatus ergo atq; mirabilis, qui talium viarum poſitus in electione, nõ fuerit illecebris voluptatis inflex⁹, vt gradum ſuum ſuper vadoſa & praua cõſtituat. Non dicitur ei, Qui dereliquiſti ſemitas directas, abeundo in vias tenebrarum. Cognouimus igitur quæ ſit via peccatorum, in qua ſtandum non eſſe Propheta nos admonet, ſed & Eccleſiaſtes docet, qui ait: Noli ſtare in ſermone malo. Hoc eſt non perſiſtere in ſermonibus malis, ſimiliter & operibus improbandis. Quomodo in bonis ſit ſtandum, ſanctus idem Propheta præcipit dicens: Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. In Hieruſalem ſtandum eſt, de Babylone fugiendum. Et Moyſi dicitur: Tu autem ſta mecũ. qui de Ægypto fugit, & cum domino ſtans perſeuerabat. Et in euangelio, qui ſteterũt vſque ad horam vndecimam, æqualem mercedem operantibus acceperunt. Et quæ ſteterunt virgines vſque ad aduentum ſponſi, ad nuptias ſimul introire meruerunt. Quæ autem diſceſſerunt, & poſtea reuerterunt, dominicæ excluduntur authoritate ſententiæ. Didicimus ergo non ſtare in via peccatorũ, ſtare autem in virtutis officio, quia ſcriptum eſt: Tu autem in fide ſta. Nunc conſideremus quid ſit, Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Et quidem premiſſimus quod non ſimplex confeſſus in huiuſmodi quod in vſu eſt ſolio reprehendatur. Quid enim inuidiæ haberet ad culpam? Sed eum oculi domini ſemper ſuper fideles terræ ſint: tanquam ſub conſpectu imperatoris locati, & velut in miniſterio quodã poſiti, ſtare debemus. Miles in procinctu ſtat, non ſedet. Miles in armis non ſe reflectit, ſed excitat atque erigit, Ideoque militibus Chriſti dicitur: Ecce nunc benedicite dominum omnes ſerui domini, qui ſtatis in domo domini. At cõtra iniquitas in talento plũbeo ſedet, eo quòd fixa in peccato, ſe ab eo ſeparare non poſſit. Etenim inueterati in errore, & ſtudioſè flagitiis inhærentes, ſedere dicuntur, qui nolunt aſſurgere, nec audire dicentem: Surgite poſtquam ſederitis. Denique hic ipſe Propheta alibi ait: Sederunt principes, & aduerſum me detrahebant. An ignoramus quòd tantam vim habeat inueterata conſuetudo peccãdi, vt excludat naturam? Quæ cùm ſit medicabilis ad ſalutem, tamen corroborata tempore, paſſionibus immedicabilis inuenitur. Non ergo permaneamus in vitiis, ſed vnuſquiſque etiam ſi fuit, exiliat à culpa: ſicut ſcriptum eſt de muliere meretrice: Ne intendas in eam oculum tuum, ſed exili. Ne moreris, exili antequam te anni iuuentutis inueniant. Sed (quod grauius eſt) plerique luxuriem corporis nec albenti erubuere canitie, & vſque ad ſenectutis ætatem viã produxere maculoſam. Intimis enim concepta viſceribus lues culpæ, proceſſu temporis coaceruatur. Caue igitur ab impiorum conſiliis, non penetrent huiuſmodi conſilia mentem tuam, ne dicatur de te: Alligabit qui ignem in ſinu, veſtimenta autẽ nõ comburet? Etenim qui ſemel in ſinu mentis flagitij flammam feruentis adoleuerit, citò corporis ſui veſtimenta comburet. Et vt in ſtipulam ignis exiliens, inhæret ac permanet, donec omne quod corripuit abſumat, ita vel exigua ſcintilla peccati ſi quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendiũ grande excitat. Noli ergo ſtare in peccato. Poſtremò poſuiſti veſtigium ſupra voraginem culpæ: citò aufer pedem: ne ſupra plantam tibi aſcendat pollutio, & lapſu faciliore deceptus ſupra lutum reſideas. Cauẽda ergo prima ſunt vitia, ne in plura deinde gra uiora proſerpant. Etenim ſicut ij qui ſe in luto verſant, quo magis volutantur, eo amplius inquinantur: ita qui ſemel ſe luto improbitatis aſperſerit, niſi ab eo velociter exiliat, grauius ſibi dedecoris ſui cœnum per ſingulos dies lutulentæ conuerſationis obducit. Itaq; graui odore tetræ illius ac flagitioſæ voraginis contrahitur quædam animarum peſtilentia, corruptóque ſalubrium cogitationum ſpiramine, lues æſtuantium paſſionũ miſeranda graſſatur. Hinc letale ſe mentibus virus infundit, hinc ſubrepit ægritudo corporibus, languores animis. Eſt enim malus languor, erroris languor, auaritiæ languor, inexplebilis cupiditatis languor. Iſtæ diuitiæ ſunt, vt dicit Eccleſiaſtes, Eſt languor malus quem vidi ſub ſole, diuitias cuſtodiri in malum poſſidentis eas. Dic mihi ô Eccleſiaſtes, qua cauſa malus hic languor ſit. Reſpondebit, quia multos auara ſpes deuorat. Inſatiabilis edacitas cupiditatis eſt. Neſcit ſatiari argento qui concupiſcit argentum. Diſtendiũt diuitię, non explẽt. Et ſi quis ſatiatus fuerit diuitiis, non eſt, inquit, qui ſinat eum dormire. Et quidẽ omnes dies eius in tenebris, & luctu, & iracũdia multa, & lãguore, & ira. Quomodo enim poteſt dormire, qui ſolicitam auri exercet cuſtodiam, qui damna formidat, qui lucra cogitat, qui vſuras computat, qui apothecas numerat? Malus ergo languor, qui bonam aufert mentis quietem. Eſt languor malus luxuria, libido, concupiſcentia, delectatio, ſecularis ambitio, quæ citò corrũpit ſalutẽ ſobrietatis. Omnis poſtremò mundi huius corruptela, peſtilentia eſt. Ne ergo terigeritis, ne attaminaueritis eam. Lues eſt, contaminat: morbus eſt, polluit. Ne guſtaueritis quæ ſunt omnia ad corruptelã ipſo vſu, vt Apoſtolus dixit: qui & alibi clamat, Radix omnium malorum eſt auaritia. Morbos excitat, dolores inſerit. Denique qui eam appetierunt, inſeruerunt ſe multis doloribus. Iſta eſt peſtilentia, quæ plerunq; neque calidos, neque frigidos, ſed (quod & calidis eſt deterius & frigidis) tepidos facit, vt euomantur ex ore domini Ieſu, quos propter grauia peccata reiecerit. Iſta eſt quæ non paucorum, ſed omnium excitat ægritudines. Omne caput in dolore, omne cor in mœſtitia. A pedibus vſq; ad caput peccatorũ vlcera. Omne caput in dolore, quando qui ſapientes exiſtimantur, dolore cruciantur auaritiæ. Senſus enim ſapientis in capite eius: quod referri poteſt etiam ad eccleſiæ præminentes. Omne cor in mœſtitia, quando ſapimus quæ ſunt carnalia, & corporeis voluptatibus aciẽ noſtri cordis infundimus. Vnde ait dominus ad huiuſmodi, quòd dederit illis cor carneũ. A pedibus vſque ad caput ſerpit lues dira morborũ, quando laborat contagio, quando cõpatiuntur alij ſi quis affectu libidinis defraudetur, viduæ pudorem expugnare non potuit, agrum inuadere: & egrè cuncti inuicẽ languores transferunt. Quotiẽs ingemiſcunt ſeniores quòd diu potare non poſſint. Quotiens dolent quòd ſcortari deſierint, cùm ſcortandi habeant voluntatẽ. Quotiens inter fabulas ebriorum virtutes probro ſunt, peccata laudi: honeſtas ludibrio, continentia riſui, miſericordia vanitati. Iſti ſunt morbi qui malo ſua in multos transferunt. A paucis corruptela ad omnes peruenit. Sedẽt in conciliis derogãtes ſobriis, ructantes crapulam. Sedent in tabernis de ebrietate certantes. Inter hos meretrix plena vino, huic arridens, illum adurens, & omnes ardore inflammans libidinis. Verecundus ſi tranſeat, erubeſcit: à ſingulis carpitur, Si flagitioſus, omnium ore laudatur: & tanquam morbus tranſit in animas ſingulorũ. Qui enim in flagitiis celebris, plurimos ad imitationẽ adducit erroris. Itaque dum peccatũ immitantur alienũ, ſuum faciunt malũ. Non ſedeas inter eos, quos ſanctus Propheta fugiebat. Illum imitare, fugientem vtique non ſedentem, qui ait: Non ſedi in concilio malignantium, & cum iniqua gerẽtibus nõ introibo. Qua ratione eos fugiebas Dauid, explica nobis. Demonſtra has partes, vt & nos eas fugere poſſimus, ne inficiamur earum contagio. Corrupti ſunt, inquit, & abominabiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonitatem, non eſt vſque ad vnum. Generaliter ergo ad omnes flagitioſos, deinde poteſt referri ſpecialiter ad irriſores bonorum, quos Aquila χλευαστὰς dixit, quòd iſti verè morbi ſunt qui irridendo bonos, plurimorum animis operantur errorẽ, men-

Eccles. 5.

Ibidem.
Ibidem.

Coloſ. 2.

1. Timo. 6.
Apoc. 3.

Eſaiæ 1.

Eccli. 2.

Ezech. 11.

Pſalm. 25.

Pſalm. 13.

téſque corrumpunt. Quanta dixit à quibus beatus vir debeat abſtinere: Et adhuc adiicit alia. Sed in lege domini fuit
A volũtas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.) Hoc eſt, beatus ille qui hęc faciat conſilio, ratione, prudentia. Poteſt enim & paruulus non per virtutem, ſed per impoſſibilitatem & inſciẽtiam delinquẽdi ab iis quæ dicta ſunt abſtinere. Poteſt & irrationabili pecudi conuenire, cui nulla vis conſilij, nullus ſenſus erroris eſt. Hoc eſt ergo quartum quod ſequitur, in quo definitio beati viri à pecude diſcernitur: quia vir ſapiens ſubditus legi eſt voluntate, non neceſſitate. Plurimum enim refert: quia in voluntate, mercedis eſt fructus: in neceſſitate, diſpenſationis obſequium. Ita
1. Corin. 9. enim docuit nos Apoſtolus dicens: Si volens hoc ago, mercedem habeo: Si inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Ordo autem conueniens, vt primo diligas legem, ſecundo vt mediteris. Qui diligit, ex voluntate facit mandata legis. Qui timet, inuitus obſeruat. Hanc diſciplinam docendi etiam dei iuſtitiam in lege accepimus. Sic enim ſcriptum
Deuter. 9. eſt: Audi Iſrael, Dominus deus tuus, deus vnus eſt. &, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota
B anima, & ex tota virtute tua. Et erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & in anima tua: & demonſtrabis ea filiis tuis, & loqueris in eis ſedens, & in itinere, & in quiete, & in vigilia. Alligabis ea in ſinu tuo, & in manu tua, & erunt monilia ante oculos tuos: & ſcribes ea ſuper limina in domiciliis tuis, & in ianuis tuis. Et infra: Et nunc Iſrael, quid abs te poſtulat dominus tuus, quàm vt diligas dominum deum tuum, & ambules in omnibus viis eius? Sapientia quoque dicit: Concupiſcite ergo ſermones
Sapien. 6. meos, diligite illos, & habebitis diſciplinam. Clara eſt, & quæ nũquam marceſcat ſapientia, & facilè videtur ab iis qui diligunt illam, & inuenitur ab iis qui quærunt illam. Legitimè ergo docemur à ſancto Propheta voluntatem in lege habere, meditationẽ ſecundum legem. Voluntas in lege nõ ſolum in ſtudio, ſed etiam in facto eſt. Prior voluntas, ſe-
Matth. 8. cunda operatio. Denique & dominus dicenti ſibi, Si vis po-
Pſal. 18. tes me mundare: reſpondit, Volo: mundare. quo oſtenderet operationibus noſtris voluntatem præuiam eſſe debere.
C Denique lex voluntarios quærit: quia lex domini irreprehenſibilis eſt, conuertens animam. Nemo autem conuertitur, niſi qui voluntate conuertitur. Voluntarius autem abſcõdit, & ſenſum furatur laboris. Ideoque die & nocte in le-
Roma. 2. ge meditatur, in quo non tam continua legendi poſtulatur intentio, quàm ſeruandæ legis affectus. Ille enim plenè meditatur, qui ipſe ſibi lex eſt, ſcriptum in corde ſuo opus legis intendens. Aquila tamen diem tantummodo poſuit, nõ etiam noctem. Quod non tam à cæteris diſcrepãs, quàm alio referens poſuit: quoniam qui legem meditatur, ſemper in luce eſt, noctem non habet. Etenim cuius lucent opera, non poteſt vtique in tenebris ambulare: quia iuſtitia eius ſicut lumen effulget. Meditetur ergo legem vita noſtra, medi
Hebr. 10. tetur cõuerſatio, meditetur actus, meditetur intellectus myſteriorum cœleſtium. Lex enim exẽplar eſt & vmbra cœleſtium: vmbra futurorum bonorum, quę is qui credit in lege, in euangelio recognoſcit. Meditatur in tenebris & die: id eſt, & in aduerſis poſitus, & in proſperis. Lex enim præci
D pit vt diligamus dominũ. Qui diligit, in omni ſtatu ſuo debet ſeruare diuturnæ charitatis affectũ. Pater diligit filium, diligit etiã cùm arguit, diligit etiam cùm verberat baculo. Qui enim parcit baculo ſuo, odit filium ſuum. Nos quoque dominus caſtigat, & diligit. Itaque etiam cùm digna coer-
Prouer. 3. citione committimus, ille tamen diligit, qui etiam recipit
Hebr. 12. offenſum. Caſtigat enim dominus omnem filiũ quem recipit. Et tu cùm caſtigaris, dilige: quia ideo caſtigaris, vt recipiaris. Nam quid grande eſt ſi tunc diligas dominum deum tuum, cùm tibi abundat omnia, cùm fueris optatis, cùm honoribus, facultatibus, liberis gaudes? Et homini à quo acceperimus beneficium, gratiam referre cõſueuimus. Denique cùm laudaretur Iob iudicio cœleſti, hoc retulit diabolus, minimè mirum ſi gratus eſſet deo, cui tanta ſuppeteret affluentia proſperorum. Sed tunc probandum, ſi illa amittat vniuerſa, & pij cultoris præſtet officium. Hæc igitur prima virtus, vt non frangaris aduerſis, non extollaris ſecun-

dis. Id te lex docet, vt in afflictione non relaxes intentionem, nec deſperationẽ induas. Victor non dicas, Virtus mea & fortitudo mea hæc tribuit mihi: ſed omnia noueris diuinæ miſericordiæ deputanda. Clamat Eſaias: Non cõfundetur qui in anguſtia eſt vſq; in tẽpus. Hoc primũ bibe. Quid eſt, hoc primum bibe? Sequeſtremus myſtica, perſequamur moralia, quæ docet litera. Propter errorum grauia, graues cõtritiones & vexationes p opuli dicit futuras. Et oportuit eas precedere, vt ſequeretur miſericordia. Bibe ergo primum tribulationẽ. Per multas enim tribulationes oportet Act. 14.
nos introire in regnum dei. Bibe, vt ſenſus tribulationis pectoris tui infundatur internis. Bibe cũ patientis affectu mœrentis dolorem. Cùm enim conuerſus ingemueris, tunc dominum tibi recõciliabis offenſum. Hoc ergo primum bibe, vt ſis in dolore & anguſtiis. Citò lætitia infundit errorem. Pinguis factus & incraſſatus populus ſurrexit ludere, & receſſit à domino. Prodeſt tibi cor habere contritum. Hoc primùm bibe, vt ſacrificium tuum accipiatur à domino. Doceat te Apoſtolus quid ſit, Hoc primum bibe: hoc eſt, tribulationis poculum. Tribulatio enim patientiã operatur. Non Roma. 5.
poteſt eſſe patientia, niſi antè fuerit tribulatio, Tribulatio, inquit, patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio verò ſpem: ſpes autẽ nõ confundit. Bibe primum tribulationem, vt poſtea tibi tot virtutum pocula miniſtrẽtur. Et vt ſcias quia bibitur tribulatio, audiſti dicentem hodie prophetam: Potaſti nos vino compunctionis. Et in po- Pſal. 59.
ſterioribus ait: Et potum dabis nobis in lachrymis in men- Pſal. 79.
ſura. In menſura petit potum, non ſupra menſuram: ne ferre non poſſit. Denique quàm bono hoc precaretur affectu, Pſal. 101.
ſuo probabat exemplo, qui potũ ſuum cum fletu miſcebat, vt domini in ſe inclinaret miſericordiã. Bibe ergo hoc primum, vt bibas & ſecundum. Hîc enim tempus eſt vt inſeramus myſtica. Bibe primum vetus teſtamentum, vt bibas nouum teſtamentum. Niſi primum biberis, ſecundum bibere non poteris. Bibe primum, vt ſitim mitiges. Bibe ſecundum, vt bibendi ſatietatem haurias. In veteri teſtamento cõ
punctio, in nouo lætitia eſt. Vide quemadmodum dominus artibus diaboli pro ſuis ſeruulis obuiauerit. Ille cibo fraudis decepit vnum, vt in vno omnes circunueniret. Ieſus autẽ cibo ſalutis omnes redemit, vt in omnibus & illũ qui deceptus fuerat reformaret. Ille calicem aureum Babylonis excogitauit, vt quicunque biberent, plus ſitirẽt: & quia potus placere nõ poterat, auri precio illiceret ad bibendum. Propinauit de vino, ſuo, cui metalli ſuffragia requiſiuit. At verò dominus Ieſus aquã de petra effudit, & omnes biberunt. Qui biberunt in typo, ſatiati ſunt: qui biberunt in veritate, inebriati ſunt. Bona ebrietas, quæ infunderet lætitiam, non afferret confuſionem. Bona ebrietas, quæ ſobriæ ſtabiliret mentis inceſſum. Bona ebrietas, quæ vitæ munus rigaret æternæ. Hoc ergo poculum bibe, de quo dixit Propheta: Et Pſal. 22.
poculum tuum inebrians, quàm præclarum eſt. Nec te moueat quòd Babylonis aureum poculum eſt: quia & tu bibis poculum ſapientiæ, quæ ſit auro argentóque precioſior. Vtrunque ergo poculũ bibe veteri, & noui teſtaméti: quia in vtroque Chriſtum bibis. Bibe Chriſtum, quia vitis eſt. Bibe Chriſtũ, quia petra eſt, quæ vomuit aquam. Bibe Chriſtum, Pſalm. 45.
quia fons vitæ eſt. Bibe Chriſtum, quia flumen eſt: cuius impetus lætificat ciuitatem dei. Bibe Chriſtũ, quia pax eſt. Bi- Ioann. 7.
be Chriſtum, quia flumina de ventre eius fluent aquæ viuę. Bibe Chriſtũ, vt bibas ſanguinem quo redemptus es. Bibe Chriſtum, vt bibas ſermones eius. Sermo eius teſtamẽtum eſt vetus. Sermo eius teſtamẽtum eſt nouũ. Bibitur ſcriptura diuina, & deuoratur ſcriptura diuina, cùm in venas mentis ac vires animæ ſuccus verbi deſcendit æterni. Denique Matt. 4.
nõ in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo dei. Hoc verbum bibe, ſed ordine ſuo bibe. Primum in veteri teſtamento: citò fac vt bibas & in nouo teſtamento. Et tanquam ipſe feſtinet, dicit: Galilæa gẽtium, & partes Iudææ, populus qui Eſaiæ 9.
ambulabat in tenebris, lucem videte magnam. qui habitatis in regione mortis, lux fulgebit ſuper vos. Bibe ergo citò, vt lux tibi effulgeat magna. Lux nõ quotidiana, nõ diei, nõ ſolis, non lunæ, ſed lux illa quæ vmbram mortis excludat. Nam qui in vmbra mortis ſunt, lucem vtique ſolis aut diei

videre

1281

videre non possunt. Et quasi requirenti tibi vnde tantus splendor, tanta gratia sit respondet: Quoniam puer natus est nobis: filius datus est nobis. Puer, quia ortus ex virgine est: Filius, quia ex deo natus tantæ authoritatis est: Puer nobis natus est: nobis, qui credimus: non Iudæis, qui non crediderunt. Nobis, non hæreticis: nobis, non Manichæis. Nobis natus est: quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Nobis natus est, quia carnem susceptt ex virgine, quia homo natus est ex Maria. Caro nascitur nobis, verbum datur. Quod nostrum est, inter nos natum est. Quod supra nos est, nobis donatum est. Satis excurrimus, vt putamus: sed non ociosè, vt doceremus quia & in tribulationibus diligere dominum debemus, nec recedere ab eo: quoniam & lætitiæ tribulatio sæpe succedit, & lætitia tribulationi. Denique qui tribulatione non frangitur, & legem sequitur, beatus est. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet: & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.) Quę ista beatitudo est, quę ligno arboris comparatur? nisi intelligamus in paradiso illo beatorum loco lignum vitę in medio lignorum aliorum de terra productum? Inter multa enim ligna quæ erant speciosa ad aspectum, & bona ad escam, etiam hoc lignum terra produxit: & in medio paradisi erat, vt cætera ligna eius viriditate florerent. Quod esse hoc lignum dicimus, nisi per quod nobis salus venit? Et rectè hoc terra produxit, quia eum virgo generauit, quæ erat terra secundum auctoris sententiam, quæ in eum dicta est: Terra es, & in terram ibis. Pulchrè quoque in medio legitur lignorum aliorum, quia erat in medio apostolorũ discentium. Vel quia in medio erat mentis & cordis, sicut ipse ait: Medius vestrum stat, quem vos nescitis. Et alibi ait: Ego autem in medio vestrum sum. Denique & de ipso Salomon dixit: Lignum vitæ est omnibus percipientibus eum. Qui ergo beatus est, imitator erit domini Iesu, qui est lignum vitæ, lignum sapientiæ, plantatum in vtero virginis voluntate patris: à quo in perpetuum mansurum plantatur, vt fructum daret in tẽpore suo. Non enim potuit arescere ista plãtatio, quæ habebat vbertatem in se manentem gratiæ spiritalis. Denique plenus spiritu sancto Iesus regressus est ab Iordane. Hi sunt decursus aquarum de quibus dicit euangelium: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu quem incipiebant accipere qui crediturí erant in eum. Est & alia traditio, quia sunt aquæ de quibus prohibet nos bibere Hieremias dicens: Quid tibi & viæ Ægypti, vt bibas aquam Geon? Est & Tygris fluuius Assyrios præterfluens. Est & Euphrates in Babyloniam pendens. Est & Phison, qui Latina interpretatione oris dicitur commutatio, circumiens terram Euilath, vbi est aurum, & aurum terræ illius bonum, & lapis carbunculus, & lapis prasius. Meritò os illic commutatur, vt non teneatur, promissorum fides, sed sit in ore dolus, vbi est aurum bonum. Auaritia enim fidem frangit, nec tenet verborum simplicitatem. Ornamenta quoque preciosa mentem animumque commutant, vt aliud in pectore, aliud in sermone fit. In illis ergo regionibus fluminum fuerunt Iudæi vt captiui abducti in Ægyptum, & ad Assyrios, & ad Babylonios, vbi super flumina Babylonis sedebant, & flebant suæ calamitatis ærumnam: & vt hic ipse Propheta testatur, Illic suspenderunt organa sua, & omnem deposuere lætitiam, vbi grauiora tolerarunt. Denique reliquæ decem tribus ad Assyrios ductæ sunt: duæ autem Iuda & Beniamin tanquam grauioris reæ flagitij in Babyloniam transierunt. Atrocius enim sacerdotis filia adultera quàm cæteræ puniuntur: quia sacerdotalis generis gratiam turpi opprobrio decolorauit. Sicut illi ergo in tentationibus grauissimis fuerunt, ita multis tentationibus se saluator noster obiecit, vt nulla tentationis nostræ certamina præteriret. Plantatus ergo rectè dicitur secus decursus horum fluminum, non ipsis decursibus: vt finitiuum, non demersum intelligas. Fuit illi congressio prima carnis & sanguinis. Denique ait: Pater, transfer à me calicem istum: sed non quod ego volo, sed quod tu vis. Fuit diuitiarum obiecta tentatio, cùm omnia regna terrę ei inimicus offerret, si procidens dominus odoraret eum. Habes duorum fluminum decursus Geon & Phison, Fuit illi colluctatio aduersus principes mundi: fuit in ipsa passione certamen aduersus tentatores: quos Persas Hebræa appellat interpretatio: qui falsa testimonia deferebãt aduersus eos qui dicebant: Descendat nunc de cruce, & credimus ei, quæ diabolus suggerebat. Habes Tigrim & Euphratem flumina. Quadripertitum autem nobis certamen esse etiam Apostolus comprehendit, dicens: Quia non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi huius rectores & tenebrarum, aduersus spiritalia nequitiæ quæ sunt in cœlestibus. Hi sunt fluuij qui de paradiso exeunt. Vnde puto quòd is qui in paradisum gestit redire, hos debeat transire decursus aquarum. Quod non ociosè expressit iste ipse sanctus Propheta, domonstrans quòd qui tentationes omnes subegerit, deberi sibi iam paradisi requiem speret. Itaque sic ait: Decursus aquarum descenderunt oculi mei. Sicut enim romphæa est in ingressu paradisi ignea, vt qui redit, per ignem reuertatur, vrat peccata sua, probet aurum suum: ita qui redit, per hos decursus redit. Meritóque dicunt sancti, Transiuimus per ignem & aquam. De istis decursibus & Esaias dicit: Si transeas per aquam: flumina non te concludent. Quæ flumina? Audi dicentem Dauid de iis qui festinabant ad paradisum: Forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. Quanuis nonnulli de istis quatuor tentationibus etiam illud accipiunt: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Vt ambulauerit in incarnatione: conculcauerit in passione: vel in traditione regni conculcet, quod patri tradet cùm omnem euacuauerit principatum. Pulchrè autem Aquila τὸ μεταπεφυτευμένον dixit, hoc est transplantatum, eo quòd primo sit plantatus in virgine, postea transplantatus in paradisum: sicut dixit ad latronem: Amen amẽ dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso. Hoc lignum igitur fructum dabit in tempore suo. Ligna terrena fructum non dare, sed ferre dicũtur. Sed lignum vitæ ac sapientiæ dat fructum, hoc est largitur & donat. Rursus illud occurrit, Si lignum est sapientiæ, cur in tempore dabit, & non semper? Ne fortè graue sit nobis hoc sentire de Christo: sed tu qui legisti quia dispensatorem fidelem & prudentem cõstituet dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram, in tempore vtique, non semper: turbari vtique non debes. Potest sapientia semper fructum dare: sed quia sapientia est, debet sapienter dare, dispensare prudenter. Tunc debet semper dare, quando nos plenam mensuram possumus accipere. Sicut hic extremum tempus fructum, ita & illic dabit fructum bonis indesinentibus, vt resurrectionis eius consortium capere, ac seruare possimus. Nunc non possumus, in hoc seculo non sustinemus. Hic enim corruptibiles sumus, & cauendum fuit ne corrumperemus † bonos fructus, quos lignũ vitæ daret: quia nunc corrupti, illic autem incorrupti: quando & mortui, inquit, resurgent incorrupti: & nos commutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelã, & mortale hoc induere immortalitatem. Quid ergo proderat morituro accipere, quod ei mors habebat auferre? Nouit ergo sapientia quibus quando dare debeat: quæ nec folium amittit ligni sui. Et ideo qui fructus sit sapientiæ, quod folium, cõsideremus. Fructus, interior est: folium, quo fructus vel à sole torrenti, vel à frigore defenditur. Fructus videtur esse fides, pax, doctrina, excellentia veræ cognitionis, intentio mysteriorum, ratio. Hos fructus bona vita custodit: mala etiamsi percepit, amittit. Peccatori autem dixit deus: Quare tu enarras iustitias meas? In mysticis fructus est, in moralibus folium. Nã virtutes sine fide, folia sunt: videntur virere, sed prodesse nõ possunt. Agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti gentiles habent misericordiam, habent sobrietatẽ, sed fructum non habent, quia fidem non habent? Labuntur citò folia, vbi ventus flauerit. Et aliqui Iudęi habẽt castimoniam, sedulitatem lectionis multam, & diligentiam, sed sine fructu sunt, & versantur vt folia. Hæc fortè sunt folia quæ saluator in illa ficu reperit, sed fructum non reperit. My-

Matth. 4.
Marc 15.
Ephes. 6.
Psal. 118.
Psalm. 65.
Esaiæ 43.
Psalm. 123.
Psalm. 90.
1. Cor. 15.
Luca 23.
Ibidem 12.
† reliquos
1. Cor. 15.
Psalm. 45.
Matth. 11.

stica saluant, & à morte liberant: Moralia autem ornamẽta decoris sunt, non subsidia redemptionis. Præstare autem mystica moralibus etiam ipse dominus docet in euangelio suo dicens de Maria, quæ sedẽs secus pedes domini audiebat verbum illius, cùm Martha circa ministeriũ festinaret, & quereretur quòd soror eam propria circa mensæ ministerium non iuuaret: Martha, Martha, Maria optimam partẽ sibi elegit, quæ nõ auferetur illi. Si quæ Christo ministrabat ad mẽsam, non conferebatur ei quæ verbũ cupiebat audire: quem operantem studioso cognitionis æternę conferre poterim⁹? Ita tamen, vt nec illius operationi fides, nec huius cognitioni, sicut Mariæ, desit operatio: ne vel folia sine fructu sint, vel fructus sine munimentis naturalibus sit intectus, & pateat iniuriæ. Possumus etiam illud intelligere, quia foliis se texerunt Adam atque Eua, corporea vestimenta quærentes, eo quòd resurrectio dominici corporis prophetaretur: quia nec caro, quæ antea vice foliorum interire consueuerat, peritura esset in Christo: iustorũque omnium, qui secundum euangelium ad imitationẽ ligni sapientiæ nati ex virgine, vitam suam actusque formarent. Nam Grecus ita dixit: ὁ τὸν καρπὸν αὐτοῦ δώσει. quod potest ad beatum referri, μακάριος καρπὸν δώσει Græcè: Latinè autem sic dicitur: vt sit, Qui beatus dabit fructum: in resurrectione scilicet sua, quando potest perpetuum dare. Potest & sic, ὁ τὸν καρπὸν αὐτοῦ, ἐπὶ ξύλον vt referatur ad lignum, cuius facta omnia prosperabuntur. In quo euidens testificatio est quia de saluatore dictum est. Cuius enim nisi ipsius facta possint vniuersa laudari, & prosperos habere exitus? Aquila autem, dirigentur ait: quod ad quemcunque hominem referẽdum videtur, quem dirigit dominus fauore cœlesti. A domino enim diriguntur gressus viri: & orationem suam in conspectum dei Dauid propheta dirigi postulauit. Sed & ipse dominus direxit opera sua, vt nullo erroris curuarẽtur anfractu. Sequitur: Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.) Hoc est, non sic vt beatus vir: qui ideo beatus, quia non abiit in consilio impiorum: quia in peccato non stetit: in consilio pestilentium nõ sedit volentium vel credentes piè vel viuentes peruertere. Qui voluntatem habuit in lege, & meditabitur in ea. Aut (sicut Aquila posuit) resonabit in lege: vt præcepta legis resonet vita eius, mores resultent: sicut illorum quorum in omnem terram exiuit sonus. Fortè hic sonus doctrinæ hominum exeat: illic autem vbi facie ad faciem dabitur videre, plenior quædam verbi fieri videatur expressio. Non ergo sicut beatus iste qui hæc fecerit, qui erit tanquam lignum plantatũ, cui⁹ gesta omnia prosperabũtur: ita erit & impius. Ideo repetiuit vel qui scripsit, vel qui postea addidit, vt qui dam putant: quo confirmatior fieret repetita sententia, ita dicendo: Non sic impij, non sic: qui erunt tanquam puluis. Sunt enim terreni: & sicut puluis proiicitur à facie venti, ita & isti proiicientur & discipabuntur à spiritu sancto, qui terræ fertili atque fecundæ animæ salutis sicut ventus Auster aspirare consueuit. Huic vento dicitur in Canticis: Veni Auster: vt clementia aëris mollioris cordis nostri arua laxentur, quæ brumali gelu stricta recipiendis gremium seminibus denegabant. Bonum est nobis vt hic ventus aspiret, qui naues Tharsis ferentes vero Salomoni quæ ad templum eius necessaria videntur, tutos deducat in portus. Sed tunc iste ventus aspirat, si Boreas ille grauis ventus flare desierit. Ideo vel ecclesia vel anima pia dicit: Exurge Borea, & veni Auster. Hoc est, Tu Borea recede, & veni Auster, aspira hortum meum, vt flores non discutias, sed reserues. Anima igitur plena pietatis hortũ habet, vel ipsa hortus est, qui fructus ferat. Anima quæ impietati patet, puluerem habet, qui est in fœcundus ad fructum. Fructiferam quidem illam fecit dominus, sed ipsa sibi collegit impietatis puluerem. Quid te iactas ô plene impietatis? An quia honoribus es potens, & abundas diuitiis? Non aduertis quia puluis es, & tu? dispergeris & dissipaberis? Vidi, inquit, impium superexaltatum & eleuatum super cedros Libanij & transiui, & ecce non erat. Quid gloriaris quia multa te seruitia ambiunt, multi amici tegunt latera tua, plurimi te equi sequuntur? Quorum nobis enarras prosapiam, & tanquam maiorum tuorum genus: Præfers diuitias, quia comitiis pascis sodales. Vtinam egenos pasceres: vtinam non iocorum † ministros, sed votorum adiutores. Iactas quia prodeunti illico ceditur: & homines te tãquam feram declinãt aut bestiam. Non hæc esse aliquid putas? Non audis quia ea omnia tanquam vmbra prætereant? Quid iuuant consulares prætextæ, aut nitentes auro triumphales palmatæ? Nudus exibis, nemo illic Cõsulem recognoscet. Quid prosunt innumeræ possessiones publicæ? Sũntne tuæ? Hodie tu tenes, cras alius. Cùm tu exieris, alius intrat. Vix mouisti pedem: alius gressum intulit. Quanti ante te illic fuerunt, quãti post te dominabuntur? & hoc putas esse priuatum? Quem vnquã à morte diuitiæ redemerunt? Imò quem non ad mortem diuitiæ coegerunt? Quem ab inferis suæ reuocarunt opes? Quem potentia excusauit à pœna? Puluis est impietas, sicut puluis est impiorum potentia. Caliginẽ infert, dare lutem non potest. Simul vt vehemens flare cœperit spiritus, spargit eam atque dissoluit. Aerem turbat, solum nudat: vt puluis proiicitur, deficit vt fumus, liquescit vt cera. Hinc plerique non mediocrem mouerunt quæstionem, vtrum perituram naturam videatur asserere scriptura diuina, maximè quia alibi dicit: Comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, & vt lutum platearum delebo eos. Et alibi: Ecce confundentur & reuerebuntur omnes aduersarij. erunt enim tanquam non sint. Primũ ergo interrogo vtrum impietatem secundum naturam putent esse, an præter naturam. Si secundum naturam asserant, errare eorum opinionem certum est. Denique dicant vtrum naturæ peccatum conueniat, an non. Sed certum est, peccare, diuiare esse ab eo, quod est secundum naturam. Quid igitur tam ineptum, quàm vt dicant minus videri impiũ esse, quàm peccare: cùm omnium acerbissimum sit quicquid in dei fieri videtur iniuriam? Quòd si impiè agere, non est præter naturam: viuere ergo impiè, secundum naturam est, nec peccati loco habendum, nec dignum reprehensione existimandum. Nemo enim reprehenditur qui operatur secundum naturam. Vnde concluditur quia impietas præter naturam est. Quomodo igitur cum perditione cõsuetudinis, ἀπωλησομένας φύσεις, hoc est, perituras naturas inducit scriptura, cùm impietas nõ vtique naturalis sit, sed præter naturam? Quod enim non habet, non amittit, nec potest ea substantia perire, quæ non fuit. Nam & puluis commotus aut in aquæ substantiam transfertur, aut in aerem, aut in ignem: hoc est, in aliam videtur sæpe transire naturam. Non ergo in nihilum deficit, sed in aliud transit. Quid obstat igitur quin & ille qui verbi virtute & ratione comminuitur vt puluis, nõ in nihilum dissipetur, sed commutetur in melius, vt ex terreno fiat spiritalis homo, & vt lutũ platearum sic deleatur, vt tollatur quicquid asperum ac sordidum videtur, remaneat quicquid purum ac mundum est? Et quod ait de aduersariis Hierusalem, Erunt sicut qui non sunt: vtique potuit dicere, non erunt. Sed cùm dixerit, confundentur, & reuerebuntur: vtique intelligis quia erunt per substantiam, & profectũ conuersionis, sed non erunt quasi aduersarij: quod fuerunt. Itaque per improbitatis defectum non erunt, erunt fide ac deuotione mutati. Denique & alibi ex peccatoris persona dicitur: Et iram dei sustinebo, quia peccaui, donec iustificet iudicium meum. Conuertere enim deus cupiens peccatorem, punit eum & vrit, vt purget. Vnde ait: Et educere me in lucem. Nam & cerã vrit ignis, & liquescit vt purgetur. Et nos per ignem probamur. Et fumus consumpto omni materiali expurgatur, neque naturam transit. Itaque & anima purgata ab omni labe, in id quod est deficit, non in id quod non est: vt ait Balaam: Moriatur anima mea in anima iustorum, vt lapsus eius & quidam improbitatis vsus trãsirent in consuetudinem vitamque iustorum. Omnia enim deus salua vult esse. Vnde & Salomon ait: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Fecit autem ad imaginem sui fecit. Sed homines à naturæ munere deuiantes, obnoxios fecere se morti, vt quasi terreni † eorum pantur. Sed deus per tribulationes ad pœnitentiam cogit, vt per pœnitentiam vratur & cõsumatur illud accidens malum

Luce 10.

Genes. 3.

Psal. 36.

Psalm. 140.

Psalm. 18.

Canti. 4.

Psalm. 36.

A

B

C

D

† vitia

Psal. 57.

Mich. 6.

Ibidem.

Num. 23.

Sapien. 1.

† mortis pœnis

1285

lum improbitatis,& pereat:& locus ille animæ qui erat ac-
cidentis impietatis possessio, pateat ad receptionem virtu-
tis & gratiæ.Certum est autem animę naturam esse precio-
sam, quæ ad similitudinem dei facta, receptionem omnis
virtutis admittit: vtpote quę cognitionis supernæ non sit
fraudata consortio. Nunc illud supereſſe arbitramur,quod
in multorum ore versatur,qua ratione deus, cuius sine vo-
luntate nec passer vilissimus cadit,& apud quem capilli ca-
pitis numerati sunt, dixerit per Esaiam: Sic omnes gentes,
vt stillicidium de vrceo, & sicut momentum stateræ æsti-
matæ sunt,& vt sputum æstimabuntur. Ita ergo peribunt
omnes gentes vt stillicidium de vrceo, & vt sputum perit,
& ad nullos vsus proficit. Sed tu qui nosti quia gentes non
eo vsque pro nihilo habuit deus noster, vt & Abrahæ dixe-
rit:Benedicentur in te omnes gentes: & per Dauid locutus
sit ad filium,dicens:Dabo tibi gentes hęreditatem tuam. Et
infra, Omnes gentes seruient ei : qui legisti, Quia obtulit
deus filium suum pro omni gente,vt saluos faceret peccato
res:debes hoc loco vim diuinę sententiæ considerare. Con-
templatione etenim creaturarum cœlestium , quæ multæ
sunt,sicut cœli(quod multipliciter maius quàm terra est,vt
à plerisque punctum comparatione cœli terra sit existima-
ta)angelorum archangelorum,principatuum , potestatum,
thronorum , dominationum, milium,& decem milium,&
innumerabilium milium,contemplatione ergo horum gen
tes vt stillicidium de vrceo æstimatæ sunt , cuius est omnis
plenitudo. Ex illa igitur plenitudine cœlesti tanquam gut-
ta cadens æstimatæ sunt gentes. Quomodo enim poterant
maximè videri, cùm ipsa terra in aqua sunt gentes , minis-
ma mundi portio sit,& omnium quæ operatus est deus, tan
quam stateræ exigua inclinatio gentes sint? Simul cognos-
ce per hanc stateram omnia deum cum iustitia condidisse,
& in ipsis gentibus inesse quiddam naturaliter in quo iu-
stitiæ videretur vel exiguum esse momentum,& sputum ip
sum tanquam ex vniuersitate totius corporis interiorē exi-
stere portionem.Magis ergo hic misericordia prædicatur:
quoniam qui venit quærere quod perierat: nec stillicidium
illud quasi vile contempsit,sed alleuauit momentum state-
ræ,& sputo illi substantiam boni corporis donans , digna-
tus est omnes gentes in vnum corpus ecclesiæ congregare.
Inter gentes autem & Israel annumerari potest nequa-
quam expers diuinæ iustitiæ : quia ipse Moyses dixit de Is-
rael : Ecce populus sapiens , & disciplinę tenax , gens ma-
gna.Et vt scias quia supra meritum nostrum dei bonitas re-
dundauit,Apostolus hunc propheticum locum interpreta-
tus ait: Conclusit deus omnia in incredulitate , vt omnium
misereatur : & subiunxit : O altitudo diuitiarum sapientiæ
& scientiæ dei:quàm inscrutabilia sunt iudicia eius,& inue-
stigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum domini?
Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, &
retribuetur ei? Hunc autem locum præmittēs propheta ait:
Sic omnes gentes vt stillicidium de vrceo æstimatę sunt, &
reliqua: vt agnoscas intellectum istum cum interpretatio-
ne apostolica conuenire.Sed quid euidentius eo , quod pe-
rituras naturas non videatur inducere,cùm ipse subiecerit
sanctus Propheta : Quoniam non resurgunt impij in iudi-
cio? Non enim dixit, Non resurgunt : sed ait,Resurgunt
quidem,sed non in iudicio.Qui autem resurgit , est vtique,
& manet:sed quia non credidit in Christum, iam iudicatus
est:& ideo non venit in iudicium,quem peracti iam manet
pœna iudicij. Et de resurrectione quidem plurima diuina-
rum scripturarum sunt testimonia, quę nō prætermisimus
in libris consolationis & resurrectionis.De eo autem quod
ait,Non resurgunt impij in iudicio:secundum euangelium
absoluta sententia est,quia nō omnes iudicabuntur.Apostо-
lus autem ait:Omnes enim oportet nos stare ante tribunal
Christi,vt recipiat vnusquisque propria corporis,prout ges
sit, siue bonum,siue malum . Et putant plerique esse con-
traria:nec aduertunt quia saluator de perfidis dixit atque
impiis,qui non crediderunt in dominum Iesum. Sic enim
ait:Qui credit in me,non iudicatur:qui autem non credit,
iã iudicatus est:quia nō credit in nomine vnigeniti filij dei.
Hoc autem est iudicium,quia venit lux in hunc mundū, &
dilexerunt magis hominis tenebras quàm lucem . Erant e-
nim mala ipsorum opera . Liquet igitur de quibus dictum
sit, hoc est de iis qui non crediderunt in dominum Iesum.
Apostolus quoque etsi dixit omnes : de iis vtique dixit,qui
crediderunt,sed actuum suorum rationem in die iudicij red
dituri sunt . Denique ipse alibi ait:Quia testimonium cōn- Roma 2.
scientiæ nostræ in die iudicij reuelabitur,cùm inuicē cogi-
tationes nostræ aut accusabunt se,vt scriptum est:aut defen
dent:& patebunt cordis occulta. Quid autem hoc euiden-
tius quod ait alibi:Omnes quidem resurgemus,sed non o- 1.Corin. 15.
mnes immutabimur? Immutabuntur enim iusti in incorru
ptionem,manente corporis veritate.Daniel quoque dicit: Danie. 7.
Iudicium sedit,& libri aperti sunt. Ostendit ergo iudicium Ibidem 12.
futurum,maximè cùm alibi idem dicat:Multi qui sedent in
tumulo terræ,exurgent isti in vitam æternam, & isti in op-
probrium & confusionem æternam:& intelligentes splen-
debunt sicut splendor cœli,& de iustis multi sicut stellæ lu-
cebunt.Quod istud est iudicium sedētium iudicum , & qui
libri aperti,nisi conscientię nostræ,velut libri peccatorum
nostrorum seriem continentes?Quanquam hoc ipsum vile
sit æstimare quasi humani simile iudicij.Aliud est Christi iu
dicium,vbi conscientia ipsa se prodit,quæ latere non potest
occultorum arbitrum : vbi cogitationes lucent apud eum
qui adhuc cogitantibus dicebat:Quid cogitatis mala in cor Matth.9.
dibus vestris?Cùm Iudęis diceret,dicebat omnibus:ne quis
putaret quòd occulta possent esse quæ faceret:ne quis puta-
ret quòd parietibus clausus testē occultis erroris effugeret.
Ideoque & euangelista testatur dicens : Iesus autem sciebat Luca 6.
cogitationes eorum.Quomodo ergo ait, Libri aperti sunt?
Non vtique atramento scripti, sed vestigiis delictorum, &
flagitiorum inquinamento. Aperietur liber cōscientiæ tuę,
aperietur liber cordis tui,culpa nostra recitabitur.Est ibi li-
ber,vbi est tabula.Imo sūt libri inscripti,vbi sunt inscriptæ
tabulæ,quas inscribit spiritu sancto apostolica doctrina, si-
cut legimus dicēte Paulo:Epistola nostra vos estis,inscripta 2.Cor.3.
non atramento,sed spiritu dei viui,non in tabulis lapideis,
sed in tabulis cordis carnalibus.Sunt ergo tabulæ cordis in-
scriptæ spiritu sancto:istæ recitabuntur.Si bene egeris, ma-
nebit tabula †. Vide ne tollas spiritus sancti gratiã : vide ne † scriptura
deleas,& scribas atramento flagitia tua:ne veniat dies iudi-
cij,& dicat iudex,Recitentur libri,recitentur tabulæ gesto-
rum eius,& dicat tibi:Ego scripsi tabulas tuas:cur delesti a-
pices meos?Ego scripsi dona mea:quomodo delesti mune-
ra mea,& scripsisti opprobria tua? Non legisti quia scribo?
Nō tibi dixi per os prophetæ mei:Lingua mea calamus scri Psalm. 44
bæ velociter scribentis? Iudicium autem verbi est . Multi
ergo dormientiū in tumulo terræ surgent : qui bene ege-
runt , in resurrectionem vitæ : qui malè egerunt , in resur-
rectionem iudicij.Quod Daniel ait,in vitam æternam: hoc
saluator in resurrectionem vitæ dixit. Item quod ait Da-
niel,In opprobrium & confusionem : saluator dixit, in re-
surrectionem iudicij.Non expedit nobis ad iudicium veni-
re,& non expedit non venire:ne aut prædamnati videamur,
aut in hac labe vitiorum subeamus tanti pondus iudicij.
Propheta rogat ne intret dominus in iudicium cum seruo
suo . Quanto magis nos iudicium domini timere debe- Psalm. 142.
mus?Pone quia misericors dominus ignoscet.Quanta pro-
dentur quæ latere credebam?Qui pudor,quæ confusio erit,
cùm is qui alios profitebat docere,ipse in eo deprehēdar in
quo alios arguebā?Et ideo quoniam & saluator duo genera
resurrectionis posuit,& Ioannes in Apocalypsi,dicens: Bea Apoca. 20.
tus qui habet partē in prima resurrectione : (isti enim sine
iudicio veniunt ad gratiam.Qui autem non veniunt ad pri-
mam resurrectionem,sed ad secundam reseruantur:isti vren
tur donec impleant tempora inter primam & secundā resur
rectionem:aut si non impleuerint, diutius in supplicio per-
manebūt)ideo ergo rogemus vt in prima resurrectione par-
tem habere mereamur. Sunt qui resurrexerunt in passione
Christi: & iste planè beati,quia acceperunt Christi gratiam
& audierunt vocem eius de qua scriptum est : Venit hora , Ioan.5.
quando audient mortui vocem filij dei:& qui audierint,vi-
uēt:& ingressi sunt in sanctam ciuitatem.Puto quòd magis
illam significet supernam,quàm istam Hierusalem, quā reli

quit,quam incusauit,quòd in istam pedibus,in illam autem supernam meritis intrauerint.Sed & illud caueamus, vt hîc positi surgamus de tumulo terræ.Sunt qui viuentes sepulchro sunt circundati, & repleti mortuis, quorum guttur sepulchrum est, non loquentium verba vitæ,sed mortis.Si hîc resurrexerimus à mortuis, & illic resurgemus. Si hîc non fuerimus ossa arida, sed acceperimus rorem verbi,humorem spiritus sancti:& illic viuemus.Si hic nos excitauerit Iesus voce sua magna,vt exicitauitLazarum, & per discipulos suos soluerit à vinculis mortis, & induxerit in Bethaniam,vbi erat Lazarus,hoc est in domum obeditionis,& adhibuerit hic conuiuio suo:& illic cum eodem recumbemus,& illic cum eo semper epulabimur,& illic nobis redolebit vnguentum quod solus proditor dolebat effusum: Ergo impij non resurgunt in iudicio:hoc est in portionem eorum qui iudicium subituri sunt: nec peccatores resurgunt in consilio iustorum.Vides quia surgunt impij, & non surgunt in iudicio iustorum: quia peccatores etsi nõ resurgunt in consilio iustorum,resurgunt tamen in iudicio.Vnde videtur qui bene crediderunt,& fidem suam etiam operibus executi sunt,ipsi non iudicari,sed surgere in consilio iustorum. Peccatores autem qui non possunt inter iustos surgere, surgent in iudicio.Habes duos ordines. Tertius supersest impiorum,qui quoniam non crediderunt,iam iudicati sunt:& ideo nõ resurgunt in iudiciũ, sed ad pœnam. Dilexerunt enim magis tenebras quàm lucem. Et ideo iudicium eorum pœna est,& fortè pœna tenebrarum.Et poterat quidem intelligi quòd ij qui mala opera habent, credentes tamen in Christum,volentes quidem rectè viuere,sed victi illecebris peccatorum,dilexerunt plus tenebras quàm lucem. Id est, vtrunque dilexerunt, sed magis tenebras. Sed quia de illis præmisit qui non crediderunt:sic accipiendum puto, quòd dilexerunt tenebras,& non lucem.Lux enim Christus.Qui ergo nõ crediderunt luci, absurdũ est vt lucem vel dilexisse credantur,quam nescierunt.Necierunt enim,neque intelle xerunt,in tenebris ambulant: sicut scriptum est. Sequitur: Quoniam nouit dominus viam iustorum,& iter impiorum peribit.)Aduerte sensum. Non resurgunt impij in iudicio: quoniam nouit dominus viam iustorum. Vias eorũ vtique nouit,quorum dirigit gressus. Sũt enim gressus hominum, qui à domino diriguntur.Diriguntur à domino & viæ viri. Has nouit dominus vias,quæ sunt rectę:quæ ad illam viam tendunt dicentis:Ego sum via,veritas,& vita.Hæc bona est via.Tortuosa autem est via seculi.Non dignatur illam viam nosse.Illos agnoscit,qui sunt ipsius,qui operantur opera eius.Qui autem operantur iniquitatem, his dicit dominus: Discedite à me omnes operarij iniquitatis:nõ noui vos.Nõ per ignorantiã,sed per id quod indigni sint scientia dei,nesciũtur.Pulchrè autẽ ait:Et iter impiorũ peribit.)Separauit. Latinus,vt iter diceret,& tanquã discreuit iter à via.Græcus autẽ in vtroque viã dixit.Non ociosè tamẽ Latinus:quia & dominus,Ego sum via,dixit.Nõ dixit,Ego sum iter. Perire autẽ iter impiorũ dixit,non impios.Seruat eorũ substantiã: qui si conuertantur,solũ iter impietatis amittent: quod nec ab initio fuerit,nec erit.Quod accidẽs igitur est,perit:quod substantiuum,manet.Pereunt autem ita impij, quomodo dicitur:Anima quæ peccat,ipsa morietur:vt peccati aculeo, non omni substantiæ suæ dissolutione moriantur.

Ioan. 11.

Ibidem 3.

Psal. 81.

Ioann.14.

2. Timo. 2.

Luce. 13.

Exech.18.

In Psalmi trigesimiquinti enarrationem præfatio.

DIcturus Propheta in psalmo sequẽti quæ esset forma iusti,ante formam expressit iniusti. Neque enim possumus cognoscere quæ sit forma iustitiæ, nisi cognoscamus quæ sit iniquitatis effigies. Sũt enim sibi aduersæ atque contrariæ.Nãque in altera simplex habitudo naturæ,in altera fallax versutia nequitiæ.Alia vir tutum imagines præfert,alia vitiorum commercia prætendit.Conuenire autem hunc ordinem & ipsa ratio docet: & si de contrariis sumenda sunt testimonia, ipsi doctores philosophiæ confessi sunt,dum sequuntur.Quis autem dubitet

longè anteriorem Dauid Platonis fuisse temporibus:quem nõ solum magister eius, sed nec aui quidem atauorum eius videre potuerunt:cùm ille in principio regni fuerit Iudæorum (quod per innumera annorum curricula propagatum est) iste post tempora captiuitatis quibus regnum gentis eius iam fuerat dissolutum:Ergo ipse qui tenet in omnes seculares sapientiæ principatum, cùm diceret non posse formam iustitiæ comprehendi, nisi ante discutiendam iniustitię seriem putauisset:exẽplum attulit quòd ij qui velint aurum quærere,prius se luto oblinant.Aurum itaque iustitia, iniquitas lutum est. Quod à nostris quoque prius dictum esse non dubium est,cùm scriptum sit:Vt lutum platearum delebo eos. Et verè lutum, quia eos inquinat qui sibi appropinquauerint.Fugiamus ergo iniustitiam, ne luteis sordibus inquinemur,atque in eius voraginem non pes noster exterior, sed (quod est grauius) mens nostra mergatur. Et philosophia quidem aurum se quęrere dicit,sed lutum versat, quæ diuinitatem quærit in statuis. sed vasa figuli virga confringet.Nos aurum quærimus quo corpora nostra mundemus,mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circunferentes:vt & vita Iesu Christi in corpore nostro manifestetur. Bonum aurum sanguis est Christi, dies ad precium,profluus ad lauandum omne peccatum.Ordinem diximus:titulum consideremus.In finem,inquit,seruo domini psalmus Dauid.) In toto psalterij corpore solus hic titulus est quo psalmũ seruo domini se scripsisse testatur.Quis iste est seruus domini,videamus: quid psalmi series significet: cui dictus hic psalmus sit:audiamus ad quem loquatur. Domine,inquit,in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes.Iustitia tua sicut montes dei,iudicia tua abyssus multa. Cui hoc,nisi filio dei dicitur? Hæc enim non humanę sed diuinę sunt protestatis.Sed quid sibi vult quòd seruo domini dici psalmũ hunc titulus declarauit,cum orationem Moysi hominis dei maluerit quàm serui domini in posteriore titulo nuncupare? Quod ergo consilium prophetæ fuerit,non intelligo,vel potius ipsius domini saluatoris,qui locutus est in propheta.Verè iudicia eius sicut abyssus multa,vt seruo honorificentiam reseruaret,sibi cõditionem seruitutis adscriberet. Videor mihi intelligere. Videor hausisse aliquid de gratia spirituali. Aduersus iniustitiam (vt diximus)psalmus hic scriptus est: & ideo plus grauatur iniustitia perfidorum,qui Christum Iesum dominum recipere noluerunt:cùm ille propter ipsos susceperit seruitutem. Quid enim tam iniquum quàm ingratos fuisse tãtis beneficiis: vt quibus ille salutem daret, hi sanguinem eius effunderent? Denique alibi cùm de sua passione loqueretur, ad aceruandam iudaicæ impietatis inuidiam sic ait: Ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Pauper & dolens ego sum. Veni Paule, interpretare nobis qua ratione dominus cœli atque terrarum se pauperem dixerit, quæ sit ista paupertas: tu certè illum diuitem dixisti. Quomodo idem diues & pauper est?Audiamus testimoniũ Pauli.Scitis,inquit, gratiã domini nostri Iesu Christi: quia propter vos pauper factus est, cùm diues esset, vt vos eius inopia ditaremini.Veni & tu Esaia,interpretare nobis quomodo se dolentẽ dixerit Christus,qui dolores vulnerum sanare cõsueuit.Medicus venit,vt curaret ægrotos. Quid ipse habuit quod doleret? Audiamus etiã Esaię testimonium. Pro nobis,inquit,dolet:& nos existimauimus eũ esse in doloribus.Expressit medici affectũ:qui etiam si ipse nullũ vulnus habuit quod doleret, tamen compassus est vulneratis. Hoc igitur in psalmo dominus exprobrat Iudęis. Ego propter vos pauper, ego pro vobis dolens, & vos mihi manus impias intulistis,dicẽtes:Tollamus iustum quia inutilis est nobis.Iniiciamus lignum in panem eius. Bene panem dixit pro carne eius.Ille alimentum detulit:isti pro beneficio retulere supplicium.Non mirum ergo si esuriunt,qui sibi vitæ æternæ alimoniã denegarunt.Pulchrè etiam duo ista iunxerũt,Iniiciamus lignum in panem eius.Nesciebãt quid loquerentur Iudæi,& mysterium loquebãtur. Paradisum nobis crux reddidit Christi,Hoc est, lignum quod Adæ dominus demõstrauit dicens de ligno vitæ quod esset in medio paradisi,edendum: de ligno autem scientię boni & mali nõ edendum,

Psalm. 35.

Psalm. 16.

2. Cor. 8.

Esaia 53.

Sapien. 2.

Hier. in

1289

edendum. Errauit Adam, mandata non tenuit, interdictū gu
stauit. Per lignum cœpimus esurire: quia suum caro accepit
alimentū. Ideo dominus in Christo carnem iunxit & lignū,
vt fames antiqua cessaret, vitę graria redderetur. Beatum li-
gnū domini, quod omniū peccata crucifixit. Beata caro do-
mini, quæ victum omnib⁹ ministrauit. De paupertate igitur
& dolore domini idonea (vt arbitror) sanctorum protulim⁹
testimonia, quorum alter vidit † & dixit, alter est electus vt
diceret. Ipsorum igitur qui probati sunt, de seruitute domi-
ni testimonia iterum proferamus, imò sua quę de se ipse lo-
cutus est in vtroque. Audiamus ergo quid dicat. Sic dicit do
minus: Qui finxit me seruū ex vtero sibi ad congregandum
Iacob & Israel ad eum. Aduertimus ergo quòd propter con
gregationem populi formam susceperit seruitutis. Audis Iu
dæe, & pro gratia contumeliam refers: & hoc ad perfidiam
deriuas, propter quod magis credere debuisti. Ad te vocan-
dum venit, & cōuitiaris. Ex vtero seruum se dixit. Audi Ar-
riane. Ex quo vtero? Paululum supra recurre. Ex vtero, in-
quit, matris meæ vocauit dominus nomen meum. Quod no
men eius sit audiamus, quo eum pater vocauit. Ecce virgo
in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius
Emmanuel: quod interpretatur nobiscum deus Quod enim
aliud nisi filius dei nomen est Christi? Accipe aliud. Dixerat
quidem & Gabriel ad Ioseph de Maria: Pariet filium. Acci-
pe dei vocem. Et tu Bethleem Iudææ non est minima inter
principes Iuda: ex te enim exiet princeps qui regat populū
meum. Aduerte mysterium. Ex vtero virginis idem & ser-
uus exiuit & dominus. Seruus ad operandū, dominus ad im
perandum, vt regnum deo in hominum mētibus radicaret.
Vtrinque vnus, non alter ex patre, alter ex virgine, sed idem
qui ante secula ex patre, ipse postea carnem susceperit ex virgi
ne. Ideo ergo & seruus vocatur, & dominus. Propter nos ser
uus, sed in vnitate diuinæ substantiæ deus ex deo, princeps
ex principe, æqualis ex æquali. Neque enim degenerem ge-
nuit, in quo se ipse complacere memorauit. Magnū, inquit,
tibi est vocari puerum meum, vt statuas † tribus Iacob. Ser-
uat vbique suæ vocabula dignitatis. Magnus deus, & ma-
gnus puer: nec in carne magnitudinis suæ nomen amittit,
cuius magnitudinis nullus est finis. Meritóque secur⁹, cùm
in forma dei esset (vt Apostolus dicit) non rapinam arbitra-
tus est esse se æqualē deo: sed semetipsum exinaniuit formā
serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habi-
tu inuētus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediēs
usque ad mortem, mortem autem crucis. Hic est ergo æqua
lis quasi dei filius. Hic serui formam in carne suscepit, hic
mortem gustauit: cuius magnitudo non habet finem: quia
finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti: vt in ip-
sum omnes credamus, hūc intimo adoremus affectu. Bona
seruitus, quæ omnes liberos fecit. Bona seruitus, quæ nomē
super omne nomen adquisiuit. Bona humilitas, quæ fecit vt
in nomine eius omne genu figāt cœlestiū, terrestriū, & infer
norum: & omnis lingua confiteatur quoniā dominus Iesus
in gloria est dei patris. In hunc ergo finē dirigitur hic psal-
mus, vt & nos serui simus ad iustitiā, nō superbi ad arrogan
tiā, Seruitutis enim stipendiū, libertas est. Stipendiū autem
mortis, arrogātia est. Sed iam ipsam psalmi seriē adoriamur.

Psalmi trigesimiquinti enarratio.

DIxit iniustus vt delinquat sibi.) Qui dixerit, non
expressit: & ideo sic intelligēdum arbitror, quia
quicquid dicit iniust⁹, peccatū est. Omnis enim
iniustitia, peccatū: quoniam vbi organum vitio-
sum, quomodo potest cantus non esse vitiosus? Degeneris
materiæ decolor partus est. Quicquid ergo loquitur iniust⁹,
iniquitas est, quæ in suum refertur authorem, sicut viperæ
partus, qui primo suam scindit parentem, vt frequens sermo
est. Sibi ergo delinquit. Nihil hac sententia sublimius dictū
arbitror. In illis qui sibi sapientiam seculi vindicarunt, nihil
tale legi, nihil tale cognoui. Nec mirum, quādoquidem illi
humano ingenio locuti sunt: hoc infudit spiritus dei, spirit⁹
veritatis, quia iniustus sibi delinquat: sibi generet vulnera, se
ipse confodiat. Nam sicut spinæ nascuntur in manu ebrioſi,
vt scriptura asserit: ita & in iniusti sermone nascūtur, qua cō
pugnant loquentem. Loquitur iniustus, & interior eius cō-
scientia vulneratur: quia in omni sermone quē loquitur, nō
est fraudis immunis. Cuius enim grauior est pœna, quàm p
pria, cùm pro omni sermone det, pœnas? Serpens aliis infun
dit venenū, iniustus sibi. In eum enim refunditur quicquid
effuderit. Iniustus igitur & aliis inutilis, & sibi noxius. Iusti
autem victa fructuosa aliis, sibi dulcis. Dicit enim Salomon: *Ibidem 9.*
Fili, si sapiens eris, tibi sapiens eris, & proximis. Si autē ma-
lus euaseris, solus hauries mala. Aduertimus ergo quia iusti
tia aliis est potius nata quàm sibi. Commune commodum,
non suum expectat, & alienum bonū pro suo ducit emolu-
mento. Beata & præclara iustitia, cui⁹ bonū omnibus profi-
cit. Ex vno plerūque proficiscitur, atq; ad omnes peruenit.
Iustus Dauid, qui parcebat inimico, & malebat innocentiā *1. Reg. 24.*
suam, quàm vitam tueri, ne malo publico vindicaretur, atq;
appetendi principis in malis quoque causis aliis exemplum
ederet, cùm ipse vindictam de insidiatore sumpsisset. Iustus
Abel, qui de ouibus suis quas ei dominus dederat, primitias *Gene. 4.*
domino putauerit offerendas: & ideo plus placuit deo, quia
moram non fecit, deuotionē probauit. Sed hoc impius ferre
non potuit, iustitiæ pręuaricator, radix iniquitatis: & ideo
fratrē occidit, quia hostia eius deo magis quàm oblatio sua
fuerat comprobata. Sed ille occisus deo loquebatur: & cùm
adhuc à domino pœna cessaret, torquebat eum suorum con
scientia peccatorum. Latebat miser tremēs & timēs: in voce
sanguinis sui, hic viuus à facie domini repellebatur: & cùm
adhuc percussor deesset, ipsa sese iniusti vita cruciabat. Acce
perat signum, ne eum aliquis occideret: non vt vitæ suauita-
te frueretur, sed ne mors auferet ærumnam, vt percussorem
suum quotidie timendo pateretur. Meruerat quidem vt per
cussor inhiberetur: sed sine vlla intermissione ipse sibi suus
carnifex, erat ipse percussor. Quę pœna m ior, quàm timere
quod vitare non possis, nec quod timueris euadere? Vnde
præclarè Dauid exprimens conuentionem † grauissimam *† commotio-*
conscientiæ peccatricis ait: Quoniam iniquitatem meam *nem.*
ego agnosco, & delictum meum coram me est semper. Of- *Psal. 50.*
funditur enim nobis vltrix nostri imago peccati: nec quie-
tum reum suum esse permittit, inferens miseram seruitutē:
atque in sua vincula trahit, vt enodare se nō queat, quoniam
volens ipse se videndi, cui liberum erat dilectorum æra nō
capere, & libertatem innocentiæ reseruare. Itaque dum ora
mus, peccatum offunditur: vbi somnus sensum corporis re-
laxauerit, peccatum recurrit. Sēper nobis error noster tan-
quam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fœne
rator tōueniens debitorē. Vnde dominus ait: Qui facit pec- *Ioann. 8.*
catū, seruus est peccati. Sed iustus noui quēadmodum pec-
catorum suorū vincula dissoluat, nec expectat accusatorem,
sed præuenit, vt confitēdo suum alleuet omne delictum: ne
habeat quod aduersarius criminetur. Ideoque scriptura tibi
dicit: Iustus in principio sermonis accusator est sui. Vocem
enim eripit aduersario, & quasi dentes quosdam paratos ad *Prouer. 18.*
prædam criminationis infestæ, peccatorū suorum confessio
ne constringit. Dixit Iudas Iscariotes vt delinqueret sibi.
Quid dixit? Quem osculatus fuero, ipse est: tenete eum. *Matt. 26.*
Hoc dixit, & se ipse proprio ore egit in mortem. Quantos
putamus in ipso fuisse terrores, vt sibi ipse tam grauis pœnę
exactor incūberet, & semetipse laqueo strangularet? Dixit
iniustus vt delinquat sibi. Locutus est iustus, Ecce ego pec- *1. Para. 21.*
cator: & grex iste quid fecit? Et remissum est omne pecca-
tum. Dixit ergo iustus, & sibi profuit. Dixit Cain: Nunquid *Genes. 4.*
ego custos sum fratris mei? Et sibi ipse mentitus est. Dixit
Annanias omne se vēditi sui ruris precium pertulisse, & mē *Actu. 5.*
titus est sibi, qui potuit minus offerre sine fraude. Ideo-
que præclarè ait, Et mentita est iniquitas sibi. Sibi enim an- *Psal. 26.*
te mentitur, qui in suum mentitur exitium. Sibi delinquit,
qui sibi innocentiæ eripit suauitatem. Quis enim puritate
& simplicitate pectoris dulcior fructus? Qui cibus suauior,
quàm is quem animus bene sibi conscij, & mens innocentis
epulatur? At verò iniquitas velut quodam plūbeo talento
(vt scriptura testificatur (conscientiā grauat. Meritoque Da- *Zacha. 5.*
uid ait: Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et Salomō: *Psalm. 37.*
Sicut vua acerba dētibus, & fumus oculi: ita iniquitas om- *Prou. 10.*

nibus vtentibus ea. Grauis pœna quæ cibum impedit, aſpectũ obducit, & (quod eſt amplius) oculis mentis internæ tenebroſam offundit caliginem, vt quod verũ eſt, videre non poſſit iniuſtus: ideoque delinquit ſibi, qui ſibi quæ prætioſa ſunt eripit. Dicit ergo iniuſtus, vt delinquat ſibi. Iuſtus autẽ loquitur vt & aliis & ſibi proſit. Ille loquitur ad pernicie, hic loquitur ad ſalutem. De iuſtis enim & fidelibus dictum eſt:
Roma. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem. Illius lingua vulnerat: lingua autẽ prudẽtum ſanat. Vnde cùm
1. Reg. 24. expoſtularet Dauid cum rege Saul quòd oblitus beneficij, ſaluris ingratus eum perſequeretur ad mortem, à quo totiẽs iam videret ſe eſſe ſeruatum, & vitam eius appeteret qui vitam ſuam pro regis ſalute periculis obtuliſſet: ait ſibi fructũ non perire iuſtitiæ, qui inſidiatorẽ ſuum in manus ſuas à domino ſibi traditũ non peremiſſet. Ab iniuſtis iniquitas prodiuit, venenum à ſerpentibus effuſum eſt, venenum & ini-
Iſaiæ 14. quitatis arma perierunt. Ideo ſcriptum eſt: Dixit iniuſtus vt delinquat ſibi.) Quid dixit? Ponã thronum meum ſuper nubes, & ero ſimilis altiſſimo. Effectum non habent verba, ſed peccatum habent. Inanis quidem põpa iactantiæ, ſed ſuperbiæ ſpiritu criminoſus non timet conuitio maieſtatem violare diuinam. Etenim ſi vllus dei timor eius ineſſet affectui, non in conſpectu dei plena doli gerẽda ſibi auſu temerario credidiſſet, quaſi deus non poſſit occulta cognoſcere, qui ſcrutator eſt internorum. Spectat omnia de°: nihil eſt quod eum prætereat: nemo qui fallat: cui omnia præſentia quæ futura ſunt, & manifeſta quæ latent. Etenim ſi ſol iſte mundanus clauſis plerũque domiciliorum habitaculis ſuum lumẽ interſerit: quanto magis deus ſummus, æternus, etiam ſecreta penetralia mentis humanę, atque omne angelorum conſilium ſciẽtia ſua ſcrutatur & præuenit? Quid ergo aliud agit iniuſtus, niſi vt iniquitatem ſibi quęrat & odium? Sic enim
Pſalm. 13. ſcriptum eſt: Non eſt timor dei ante oculos eius: quoniam dolosè egit in conſpectu eius, vt inueniret iniquitatem ſuã
Matth. 6. & odium.) Quid eſt inueniret? Omnis enim qui quęrit, inuenit. Ergo & malum quęritur, vt inueniatur. Sed quemadmodum laudabilis eſt ille qui bonum quòd quæſiuit inuenit, ita inueniabilis qui laborauit vt malum quod quæſierat inueniret. Bonis enim rebus, non flagitiis atque criminibus laborem noſtrum nos oportet impendere. Quid igitur niſi ſummę ſtultitiæ atquæ demẽtiæ eſt, odium quærere, iniquitatem malis artibus inuenire, quam bonus nemo quæſiuit? Quomodo igitur improbi iniquitatem ſuam & odium quærant, conſideremus. Nempe Herodias erat Tetrarchæ Philippi legitimo nexa coniugio, regiæ abundans opibus poteſtatis: quæ Herodem Romam aduſque tendentẽ quaſi germanum mariti, hoſpitij & affinitatis iure ſuſcepit: cum quo depecta ſuam copulam, non multo poſt relicto viro corſortij ſui iura mutauit. Nónne ea quæſiuit iniquitatem & odiũ, quæ coniugium deſeruit, vt inueniret adulterium? Et quia ſanctus Baptiſta nuptias illicitas conſtanter increpauit, di-
Marci 6. cens Herodi: Non licet tibi eam vxorem habere, quæ maritum contra legem reliquit, & fratri mariti quaſi ex lege cõuenit: commota eſt adultera, vt eum vellet occidere. Sed cognitio quòd Herodem ad necem iuſti non facilè poſſet inflectere, excogitauit qua via iſtud efficeret. Natalis erat Herodis, quem luxu nimio (vt pleriſque regibus mos eſt) celebrare conſueuerat. Adornauit filiam, vt in conuiuio regis pignus regale ſaltaret. Et cum placuiſſet Herodi, quod diſi licere debuit patruo: obtulit ei, vt quod vellet præmium pro ſaltationis opprobrio poſtularet. Matrẽ illa conſuluit: cuius impulſu caput Baptiſtæ popoſcit. Victus Herodes, quia ſacramento ſe conſtrinxerat daturum quicquid neptis propria petiſſet, iuſſit occidi Ioannem, & caput eius afferri. Quod allatum puellæ dedit, & illa matri ſuæ pertulit. Verum eſt ergo quòd iniquitas & odium requirantur: quando quidem ea mulier quod facili petitione impetrare non poterat, prauis artibus excogitatę fraudis elicuit. Quid de Iuda proditore loquar? qui queſiuit auaritiam, &
Matth. 26. inuenit ſacrilegium, dicens: Quid mihi dabitis, & ego eum vobis tradam? Nec expletus pauperum ſpoliis, ad plenitudinem criminum grauiſſimorum crimina ſerendo peruenit,
Ibidem. pia miſcens charitatis ſacramenta flagitiis cùm diceret: Quẽ oſculatus fuero, ipſe eſt: tenete eum: vere de eo dictum du-
A bitari non queat, Verba oris eius iniquitas & dolus.) Oſcula labiis ferebat, offundebat venena pectoribus. Meditabatur acerba ſupplicia, gratiæ pignus afferebat. Bene de eo propheta addi fecit: Noluit intelligere vt bene ageret.) Non ergo per naturam deliquit, ſed per voluntatem. Denique apoſtolus erat, audiebat quotidie diuina mandata, diſcebat cœleſte myſterium. Potuit intelligere vt bene ageret, ſi voluiſſet. Videbat ſanari paralyticos, cæcis refundi lumen, mortuos reſuſcitari: non debuit intelligere quòd deus eſſet qui talia poſſet operari? Sed intelligere noluit: quia auarus homo & pecuniæ intẽtus à cognitione diuinitatis vigorem ſuæ mẽtis auertit. Vnuſquiſque enim qui ſe flagitiis ingurgitauerit, non vult intelligere quæ cœleſtium mandatorum ſunt, ne reuocetur à vitiis: Vide illum fugientem intelligere, qui ait: Tenebræ operiunt me, & circundant parietes: quis ſcit an videat dominus? Non vult enim quærere & inuenire quòd deus omnia videat atque cognoſcat: ne me
B tu retrahatur à crimine. Vide regem Achab petentem à Nabutha vineam eius. cognoſce reſpondentem illum: Abſit vt cedam hæreditatem patrum meorum. Non debuit intelligere quòd iuſta referebat? Sed noluit intelligere vt bene ageret, & aliena non quæreret. Non debuit intelligere quòd Helias deo ſeruiebat, cum videret in verbo Heliæ clauſum cœlum tribus annis & tribus menſibus, & ad preces eius pluuias eſſe dimiſſas, vt arida omnia rigarentur? Sed noluit intelligere, ne perfidiam condemnaret, ſequeretur fidem. Quinetiam iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.) vbi verum quęrere debuiſſet. In cubilibus enim compungere nos debent noſtra peccata: non ipſis delinquenda committi, dicente Propheta: Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubi-
Pſalm. 4. libus veſtris cõpungimini. Adſtitit, inquit, omni viæ nõ bonę, malitiam autem odio nõ habuit.) Non immeritò iniuſta meditatur, qui & in via erroris aſſiſtit, & malitiam diligit, quam odiſſe deberet. Plus dixit, adſtitit, quaſi iamdudum in via nequitiæ diuturna ſtatione permaneat. Ille enim beatus,
C qui in via peccatorum non ſtetit: non is qui in ea ſtare non deſinat. Et ideo prima præcepta ſunt ſancti prophetæ Dauid, impietatẽ fugere, in peccato non ſtare, in lege meditari: vt intelligas quæ bona ſunt, & iuſta atque iniuſta ſecernas. In omnibus igitur radix eſt ſpectanda gignendis, ne eam inutilis ab exordio ſuccus inficiat: grauioraque multo ſunt animorum vitia quàm virgultorum. Cauendum ergo præceteris ne humano ingenio malitiæ vſus inoleſcat, atque om-
Matth. 7. nis ętas ſecutura degeneret. Arbor enim mala fructus malos facit. Nam ſi plerunq; quod nolumus hoc agimus, & vitare nõ poſſumus: & quod odio habemus, hoc facimus victi quadam aut delectatiõe flagitij, aut obreptione peccati: quomodo poſſumus vitare quod amamus? Adſtringitur & inuiti: quomodo poſſumus voluntarij non teneri? Vix ſe exſoluit Paulus erroribus quotidiana decertatione luctãdo, vt vinculis captiuitatis exutus, per Chriſti gratiã ſeruaretur: & tu putas quòd adſiſtendo delictis poſſis ad cœleſtiũ repromiſſionum merita peruenire? Luctando corona quæritur, non reluctando. Studio non refragio comparatur. Certantibus
D quoque diuinæ miſericordiæ ſuffragia poſtulanda ſunt, vt corona iuſtitię pro laborum meritis deferatur. Deniq; quid ſequatur conſideremus. Domine, inquit, in cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſq; ad nubes. Iuſtitia tua ſicut montes dei, iudicia tua ſicut abyſſus multa.) Nónne hunc locũ ſecutus eſt Paulus, vt diceret: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Ieſum Chriſtum
Roma. 7. dominũ noſtrum. Vbi enim mens humana turbatur, & certaminum dura atque aſpera nos fatigant, domini auxilium poſtulandum eſt. Ideóque conuerſus ad dominum, ipſum inuocat & implorat, vt laborantibus adiutor aſſiſtat. Miſericordia ergo petenda de cœlo eſt, & veritas dei ex prophe-
Pſalm. 17. tarum oraculis colligenda, qui quaſi nubes myſteria diuinæ cogitationis obtexũt. Poſuit enim tenebras deus latibulum ſuum: vt primo pluuiam myſticę fertilitatis accipias, & tunc infuſus rore cœleſti fulgorem reſeratæ lucis agnoſcas,
Ioan. 1. vt poſſis dicere: Ex plenitudine eius accepimus. Quis enim poteſt ſecreta dei facile comprehendere, cuius iuſtitia ſicut

1293

cur montes dei? Vel (sicut Aquila posuit) vt montes validi. eò quòd validæ virtutis plena præcepta sint. Vnde & Apostolus videns esse sublimia quæ audiuit, dicit: O altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ dei: quã inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? Altitudinem itaque diuitiarum sapientiæ retulit ad altitudinem montium. Audi quorum montium. Ipse enim dei filius mons magnus est: & ideo ascende in hunc montẽ qui euangelizas Sion, vt stes radicatus & plantatus in Christo. Est & mons quasi sapientia dei, est mons quasi iustitia, est mós quasi scientia dei, est mons quasi sanctificatio, est mons quasi redemptio, est mons quasi resurrectio. Demõstrauit nobis hos mõtes scriptura, quæ dixit: In ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est sapiẽtia nobis à deo, & iustitia, & sanctificatio, & redẽptio. Vel quia angelis angelus factus est dei filius, prophetis propheta: cuius iudicia sicut abyssus multa. Audi: Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum. Id est, scriptura veteris testamenti, noui aduocat seriem testamẽti, ad consummationẽ sanctificationis, & plenitudinem gratiæ, sonitu quodam atque profluuio redundantiæ spirita lis. Homines, inquit, & iumenta saluos facies domine: sicut multiplicasti misericordiã tuam deus. Filij autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrentem voluptatis tuæ potabis eos.) Quid est, homines & iumẽta? Rationabiles vtiq; & irrationabiles. Rationabilibus iudicia, irrationabilibus miseri cordia. Alij reguntur, alij nutriuntur. Ideoque addidit: Filij autem hominum in protectione alarum tuarum sperabũt. Id est, non generatio viperarum, sed filij hominum, qui ad imaginem & similitudinem dei viuunt, nõ in pascuis sed in conuiuiis collocantur. Alij enim in loco pascuorũ, alij in priuilegio sacramentorum. Imperfectis succus lactis, perfectis mẽsa refectionis, de qua dixit: Parasti in cõspectu meo mensam. In qua panis viuus, id est, verbũ dei: in qua oleũ sanctificationis, quo impinguatur caput iusti, & sensus firmatur interior, vt aboleatur oleum peccatoris: in qua etiã poculum illud inebrians quã præclarum, vel quã validum. κράπτος enim dixit Græcus, vel potens, vel forte, vel validum. Validum enim, quo abluuntur flagitia vel delentur. Bona ergo ebrietas poculi salutaris. Sed est alia ebrietas de redundãtia scripturarum. Est & alia ebrietas per infusionẽ spiritus sancti. Deniq; illi qui diuersis linguis in Apostolorum actibus loquebantur, musto pleni audientibus videbantur. Domus ergo ecclesia est, vbertas domus redundantia gratiarũ. Torrens voluptatis, spiritus sanctus. Nec te nomen aut mos torrentis offendat, quòd aliquando aridior aut exilior sit, vt cuius soleant fluenta cessare. Cessauit & hic noster, cessauit aliquando torrens profluuij spiritualis in populo Iudæorum. Quid dicã torrens cessauit? cùm mare cessauerit, sicut lectio hodierna nos docuit, dicente deo: Ecce ego increpatione mea desolabo mare, & arefient pisces eorum. vtique Iudæorum, suæ ariditate perfidiæ, vt enatare non possint. Cessauit ergo torrẽs propter synagogæ sacrilegia: quia erat illa plebs fide arida, sterilis operibus, captiua peccatis. Quid enim fluret, non bibentibus, vel cõtaminantibus sacros meatus, cum ipsum fontem necarint? Bonus torrens, qui illis cessauit, vt nobis abundaret, & sitim humanæ captiuitatis † auerteret, sicut torrẽs in Austro. Vnde & scriptura dicit: Surge Aquilo, & veni Auster, qui arbusculas Paradisi perflare cõsueuit. Diximus sensum: etiam elocutionem cõsideremus, cur torrentem voluptatis dixerit potabis eos, & nõ torrente, quasi de torrẽte: nisi quia auiditatem bibentiũ voluit exprimere, quasi torrentẽ ipsum vellent ebibere si possent? Hic est fortitan torrens voluptatis quem in Genesi legimus, fontẽ qui abluit Paradisum, & diuiditur in quatuor flumina, quæ circuneunt totã terram. Ex hoc enim fonte virtutes profluunt spirituales, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Bonus fons, gratiæ & splendoris eiusdem atque naturæ cuius & illud flumen de quo in posterioribus dicitur: Fluminis impenia apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumẽ. Prætende misericordiam tuã scientibus te, & iustitiã tuam iis qui recto sunt corde.) Etenim post commemorationem cœlestium beneficiorũ, iure gratiæ referũtur auctori domino nostro Iesu Christo, qui fons vitæ irriguus æternę descẽdit in terras, vt ariditatẽ nostri pectoris irrigaret, idẽ splendor gloriæ dei patris, & imago substãtiæ eius: & ideo in lumine eius vero, quod illuminat omnẽ hominem veniẽtem in hunc mundum, videbimus, inquit, patrem: quia deus lux est. Rectè etiam dicitur, In lumine tuo videbimus lumẽ: secundum illud: Qui me videt, videt & patrem. Apud te ergo fons vitæ, præsentẽ videbimus patrem. Sicut enim tu apud patrem eras in principio deus verbũ, ita apud te semper est pater, qui in te est. Est enim apud ipsum, in quo est. Prophetatur autem aduentus domini saluatoris, qui venturus in terram diceret: Ego & pater vnum sumus. Id est, vnum sumus lumen, sicut vnum nomẽ. Per luminis & nominis vnitatem ambo vnum sumus. imò trinitas vnum in vnitate substãtiæ, sed distinctione vniuscuiusque personæ. Trinitas distinctionem significat personarum, vnitas potestatem. Potest & ad patrem dici, Quoniam apud te est fons vitæ. id est, ex quo vita processit, quod erat verbum, & semper erat, ideo, quia apud te erat. Omnia per ipsum & in ipso facta sunt: & ipse est vita vniuersorum: & ipse te nobis manifestauit, vt corda hominum ad cognitionem tuæ maiestatis illuminẽtur. Prætende ergo misericordiam tuam scientibus te. Prærogatiua prætẽditur, vt mereantur misericordiam quibus cognitionis tuæ meritũ suffragatur. Denique in posterioribus etiam vilioribus personis studiũ scientiæ agnoscimus suffragatũ, dicente domino: Memor ero Rhaab & Babylonis sciẽtibus me. Id est meretricis illius Rhaab, & confusionis illius memor ero apud scientes me, vel inter ipsos: quia meretrix illa me agnouit, quem populus nõ agnouit. Inter illos ergo qui me scierunt, commemorabitur Rhaab, vt dignũ fidei præmium adipiscatur. Vnde & in euãgelio dictum aduertimus: Meretrices & publicani præcedent vos in regno cœlorum. Sed quia inualidi sumus ad exequẽdum, licet deuoti ad credendum: tu prætende misericordiam tuam in te credẽtibus, quo deuotioni & fidei facta quoque nostra conueniant: nec studium mentis nostræ destituat corporis huius infirmitas, sed in ipsis tẽtationibus & infirmitatibus gloriemur: in quibus gloriabatur apostolus dicens, Libentissimè itaq; magis gloriabor in infirmitatibus: vt prætendat in me virtus Christi. Pulcherrimè itaque addidit: Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatorum non moueat me. Ibi ceciderunt qui operãtur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerũt stare.) Superius quidam accipiunt, torrentẽ voluptatis tuæ, in temptationibus fortitudinem, sicut est martyrum, in quibus placuit deo exhibere sibi suauis & grati certaminis voluptatẽ. Etenim si hyemes pro tẽtationibus accipiuntur, vnde & orandũ dominus admonet ne fiat fuga nostra hyeme aut sabbato, hoc est, vel in tentatione, vel ocio: hyeme autem crescit torrens, & adimpletur atque intumescit: torrens vtique pro grauiore tẽtatione potest accipi, quæ est in persecutionibus. Et ideo bene torrens voluptatis dicitur: quia vbi superabundauit peccatũ persecutionis, superabundauit & gratia confessionis. Vide virtutẽ propheticæ distinctionis. Primo iniustũ exposuit, qui vel in corde suo vel in sermone dicit vt sibi delinquat, vel in se delinquat. Habet enim Græcus codex ἐν ἑαυτῷ: id est, in seipso: sed nõ omnes. Et fortè ideo, quia insipiẽs in corde suo dixit, Quia non est deus. Ne fortè & iniustus intra se dicat, & intra se delinquat: licet deũ palam negare, dementis sit: iniustitiam autem plerique pro laude profitentur. Rapere enim, nocere etiam iis qui nõ læserint, circunuenire, plerique sibi existimant gloriosum. Ergo primo iniusti vitam exposuit, postea sacramentum diuinæ cognitionis adiunxit, vt timentes deum, iniquitatem & iniustitiã declinemus. Precem addidit, vt ab iniustorum consortio iustos suos liberare dignetur: vt in iis quoq; qui mundo sunt corde, iustitia diuina prætẽdat quasi speculatrix pia, ne nobis peccatorum velut ostium incursus obrepat, & capiat dormientes. Ideo vigilandũ est, semper castra domini muniẽda sunt: quia nocte aduenit inimicus & aduersarius, quãdo somno sensus tenetur, cibo corpus distenditur. Orandũ vt iustitia dei prætendat in nobis, quæ in infirmitate positos

sitos faciat fortiores, vt possit vnusquisque nostrum dicere:
2. Cor. 12. Cum infirmor, tunc potens sum. Deinde etiam specialiter A
pro se orat: vt nos doceat quemadmodum orare debeamus
ad dominum. Non veniat, inquit, mihi pes superbiæ:) Id est,
non in superbiam incidam. Denique & alibi meminit sui di
Psalm. 130. cēs: Si nō ambulaui in magnis. Hic orauit, ibi impleuit. Nō
implesset, nisi orasset. Cauenda superbia: quæ etiam in pro-
speris supplantat. Denique grauius Adam in Paradiso cecidit, quàm si cecidisset in terra. De altissimis cadere, præcipitiū est: in planis, lapsus vocatur. Ideo pes errat superbi, quia
Eccles. 2. caput non tenet. Oculi enim sapientis in capite eius. Nō mirum ergo si errat vestigium, vbi oculus nō habetur. Præcedat oculus, vt pes sequatur. Quomodo enim in tenebris via-
† pergens. tor incedat? Citò pes † offendit in nocte, si quasi quidā mundi oculus viam Luna non monstret. Et tu in nocte es seculi: monstret tibi ecclesia viā: & ex alto te iustitiæ sol illuminet, vt lapsum timere non possis. Et quia pedem dixerat superbiæ, abdidit: Et manus peccatorum nō moueat me. Etenim sicut sancti membra sunt Christi, ita impij membra sunt dia
B boli. Manus peccatorum non moueat me. Id est, actus eorū qui peccant, non me de iustitiæ statione dimoueant. Plerūque enim dum videmus peccatores prosperis abundare successibus, nutamus affectu, & quasi quadam peccatorum manu de radice virtutis auellimur. Cauendum ergo ne quos in domo dei manus diuina plātauit, manus aduersa supplātet. Pulchrè tamen hoc dicit qui à persecutoribus verberatur. Qui autem mouentur de radice sua, qua iam Christo inhæserant, cadunt. Vnde addidit: Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatē. Quid est ibi? Vtrum vbi est superbia, vbi est manus peccatorum? An vbi stabant, vbi erant ante plantati, ibi ceciderunt? An in vicino, an in continenti, quasi in ipso tempore, in ipso loco? Et videtur ambiguū. Sed alibi docemur
Psalm. 47. quid sit ibi, vbi dicitur: Ibi dolores sicut parturientis. Bonus dolor ei cui partus est fidei, quo Christus in ecclesia formatur & nascitur. Et alibi dicit: Memor ero Rhaab & Babylonis scientibus me. Etenim alienigenæ & Tyrus & populus
Psal. 86. Æthiopum hi fuerunt ibi. Id est, vbi scientes me, vbi fundaméta in mōtibus sanctis, ibi & alienigenę: quia & ipsi in me
C putauerunt esse credendum. Ibi ergo ceciderunt, vbi magis
Luce 2. stare debuerunt: quia & in paradiso cecidit Adā, & Christus in ruinam venit & in resurrectionem: vt ruina sit perfidorū, iustorū autem & fidelium resurrectio. Deniq; expulsi sunt, quia iniusti viri in loco sancto stare non poterant. Vnde &
2. Corin. 10. apostolus dixit: Et tu qui stas, vide ne cadas. Et vtique ei dixit qui nō corpore, sed fide stabat. Possumus & in futurum
Matth. 13. intelligere ibi, vt est, Ibi erit fletus, & stridor dentiū. &, Nudus ibi pergam. Quā breuis in exitu & quanta cōclusio. Nō sim, inquit, superbus, vt peccē: nō peccē, ne mouear: nō mouear, ne cadam non cadam, ne expellar, sicut Adam de Paradiso expulsus est, quia in ipso pes superbiæ stare non potuit. Nescit stare superbia: & si ceciderit. non nouit resurgere. & ideo pulchrè iste & in superioribus locutus est de su-
Psalm. 19. perbis: Hi in curribus, & hi in equis: nos autē in nomine dei nostri magnificabimur, Hoc enim stabile, illud infidum. Et subiecit: Ipsi obligati sunt, & ceciderūt: nos verò surreximꝰ,
Michea 7. & erecti sumus. Et in libro Micheæ prophetæ scriptum est: D
Noli super me gaudere inimica mea, quia cecidi: sed resurgam. Cecidimus enim in hoc mundo: sed in Christo resurreximus. Cui est honor, gloria, virtus, perpetuitas & à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

In Psalmi xxxvj. enarrationem præfatio.

Omnis scriptura diuina, vel naturalis, vel mystica, vel moralis est. Naturalis in Genesi, in qua exprimitur, quomodo facta sunt cœlū, mare, terra, & quemadmodum mundus iste sit constitutus. Mystica in Leuitico, in quo comprehneditur sacerdotale mysterium Moralis in Deuteronomio, in quo secundū legis præceptū vita humana formatur. Vnde & Salomonis tres libri ex plurimis videntur electi: Ecclesiastes de naturalibus, Cātica canticorum de mysticis, Prouerbia de moralibus. Sed quia omnium psalmorum corpus vnum est, idcirco nihil in his diuisum est atque distinctum, sed prout se obtulit ratio, nulla intermissa doctrinæ istiusmodi disciplina est. Nan-

que & naturalem euidentissimè comprehendit dicendo de
angelis atq; virtutibus, sole & luna, & stellis, & lumine cœ-
li cœlorum, & aqua quæ super cœlos est: Quia ipse dixit, Psalm. 32.
& facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Statuit ea in secu-
lum seculi, præceptum posuit, & non præteribit. Et de my-
sticis locutus est cùm de occultis, & sacræ vnctionis vngue-
to, & de consummatione scripserit tabernaculi. Quorū mul
tiplex gratia: quā multifariam & multis modis locutus est Hebræ. 1.
dominus in prophetis. Nam & venturū profatus est dei fi-
lium principem sacerdotū, & passurū esse pro nobis, & san-
guine suo mundaturum nostra peccata, tituli pro torculari
bus declararūt: & resurrecturū psalmus resurrectionis ex-
pressit, & alius postea titulus indicauit, in quo terra ciūs est
restituta, commutationem quoq; vniuersorum futura fidei
sacramēta. Et de moralibus plura contexuit, diuersaque vir-
tutum genera demonstrauit: & dedit præcepta viuendi, qui-
bus vlcera nostrorū sanauit errorum: moréque renouauit
humanos, atq; intimos mutauit affectus: sicut docet psalmꝰ
tricesimus tertius, quem etiā Petrus sanctus in epistola sua
tāquā medicamentū nostris pectoribus affixit: atq; iste qui
nobis hodierna lectione propositus est. Nam isti præcete-
ris ethici reperiūtur: sed iste diffusior, qui tricesimus sextus
inscribitur. Nā etsi ille prædulcis & lucidus est, iste tamen
dulcior: † quoniā ille me docuit cohibere linguam à malo: † alias, ab
iste desinere ab ira, indignationem relinquere. Ille præcepit sancta mala
sine dolo loqui: iste instituit esse mansuetū, qui præmia man magis.
suetudinis demonstrauit. Quæ maiora fomenta sunt cordis
humani, quàm mansuetudo atque simplicitas: quibus & do
lor omnis acceptæ leuatur iniuriæ, & labes criminis omnis
excluditur? Ad hæc igitur manum medicamenta mittamus,
vt vulnera nostra curemꝰ: ne si velimꝰ dicere quòd alios cu-
rare possimus, dicatur nobis, Medice cura teipsum. Ergo
quod etiā nō medicis, sed vulgo quoq; solet esse commune, Luce 4.
vt medicinam pauci profiteantur, plurimi tamen remedia e-
ius aliqua scire se dicant, vel quod medicorum pueri faciūt,
nos quoque alieno medicamēto remediū indigētibus defe-
ramus. Diues magistrum adhibeat, pauper ministrum. Qui
perfecti altitudinem capit, sumat ex ipso: qui planiora desi-
derat, in valle pascatur, vt paruulus. Qui fluuium metuit, de-
riuulo bibat: & qui profundum pauet, ad littus enatet. Pul-
chrè autem sanctus Dauid in superiore psalmo iniusti vitā
describit, hic iusti. Ibi iniustus exponitur, hic iustus insti-
tuitur. Ille sibi delinquit, hic tollit etiam aliena peccata. Et
ideo quod primum medicamentū sit iustitiæ, cōsideremus.

Psalmi xxxvj. enarratio.

Noli, inquit, malignari inter malignantes: neque æmulatus fueris faciētes iniquitatē.) Primū discamus quid sit æmulari: licet minor vis sermonis huius sit in Latino quàm in Græco. Nā & in bono æmulationē legimus, & in malo. Denique apostolus dicit: Bonum est æmulari in bono semper. Et supra ipse dixit: Gala. 4.
Æmulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, vt il- Ibidem.
los æmulemini. Et iterum ipse ait: Æmulamini meliora cha- 1. Cor. 12.
rismata. Et ad Romanos habes: Dico ergo, nūquid sic offen- Rom. 11.
derunt vt caderent? Absit: Sed illorū delictum salus est gen-
tibus: vt illos æmulentur. Et infra: Vobis enim dico gētibus:
Quamdiu ego sum gentiū apostolus, ministerium meū illu
strabo, si quo modo æmuler carnem meā, & saluos faciam
aliquos ex ipsis. Hoc est, afficiam carnem meam. Denique
παραζηλώσω Græcus habet. Nam & hic μὴ παραζηλοῦ ἐν
πονηρευομένοις, habet: μὴ δὲ ζήλου τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνο-
μίαν. Hoc est, noli malignos in æmulationem excitare: quo-
niā illi non de bono, sed de malo certant. Quid est in æmula-
tionem excitare? Exēplo si possumus aperiamus. Intēperan-
tes mulieres quædā sunt, quæ aliorum coniugium corda so-
licitant: quos cùm consuetudini suæ probróq; subduxerint:
non contentæ erroris sui habere secretum, studentcorā iu-
galibus eorum suum iactare flagitium, vt eas in zelum sui
excitent & inflamment, triumphum quendā de dolore pro-
barum mentium & commotione captātes. Quæ æmulatio-
ne fœminea thori proprij contumeliam nō ferētes, soluunt † vide.
complaciti vincula coniugij, aut quotidiana rixa† decertāt.
Fitq; ex æmulatione discordia, ex dissensione dissidiū, quo
domus

1297

domus tota turbetur. Exemplo igitur proteruæ mulieris co
gnosce qui legis, partes esse nequissimæ detestabilisque ver-
sutiæ, improbæ ✝ æmulatione alterius animum commouere:
aliúdque esse zelum, aliud parazelum. Hæc est enim praua
æmulatio, quæ bonorum subintrat affectũ: qua etiã Iudæus
errauit: qui a vero bono euangelicæ disciplinæ, deuia legis
æmulatione deflexit: sicut de se apostolus ait: quòd secundũ
æmulationem legis persequebatur ecclesiam Christi. Ergo
quanuis deus noster ingratis Iudæorum offenderetur fre-
quenter affectibus & querelis, tamen assumptũ semel & ele
ctum sibi populũ minimè relinquebat: sed synagoga vt me-
rettrix procax irritare eum cœpit in æmulationis amaritudi-
nem, præuaricationis se miscendo sacrilegiis. Denique dixit
ad sacerdotem Aaron: Fac nobis deos quos adoremus. & vi
toli caput adorare cœperunt. Vnde per canticum magnum
Moysi dominus in ore ipsius resultauit dicens: Ipsi excita-
uerunt me in æmulationem in nõ deo: irritauerunt me in si
mulachris suis. Ego aũt excitabo eos in æmulationẽ in non
gẽte: in natione insipiẽte irritabo eos. Quomodo dominus
condemnauit synagogam propter meretricios mores, quo
ipsorum in eos versutiam retorqueret, vt suo afficerẽtur in-
genio, qui dominum deũ suum à quo assumpti fuerant, gra-
uibus sacrilegiis refutarunt, deos sibi quos colerent eligen-
tes: assumens econtrario sibi ecclesiam de prophanis: quos
prælatos sibi sine lege, sine gratia, Iudæorum populus inge
misceret: atque eo amplius in æmulationem illorum exci-
taretur affectus, quo viliorum facta esset electio. Nam antè
quo afficeretur ille populus non habebat, cùm solũ se à do-
mino cõsideraret electũ. V bi verò aduertit adscitam ex na-
tionibus conuenam plebẽ, quæ sibi legem domini, prophe-
tarum oracula, testamentum nouum, deum vindicaret: tũc
demũ excruciari nimio cœpit affectu, posteaquam se repu-
diatum esse cognouit. Denique si videat gentilium cæremo
nias, non mouetur: Si audiat profectum ecclesiæ, misera tor
quetur inuidia. Completur ergo in Iudæa, Ego in æmulatio
nem eos excitabo in non gente. Accedit ad cruciatus gra-
uioris ærumnam, quòd ex gentibus peccatores sibi videtur
esse prælati, qui ne gẽtis quidem alicuius venationis nomen
attollant. Nam omnis congregatio cuiusq; regionis nomen
sibi vindicare consueuit, vt Aegyptij, Aethiopes, Syri, Iu-
dæi, Arabes, prouinciæ suæ terrarúmque suarũ vocabulum
præferunt. Nos de diuersis populis congregati, vocabulum
nobis vnius gentis non possumus vsurpare: & ideo quia no-
men non habebamus in terris, de cœlo accepimus, vt Chri-
sti populus diceremur. Sed hoc gentilis stultitiam putat, Iu-
dæus opprobrium. Verum est ergo quod scriptum est, quia
vltus est deus propriam contumeliam, ecclesiam sibi nõ ex
gente quærendo, & eam ex gente insipiente vetusto illi atq;
regali populo præferendo. Quæ sit gens insipiens quæ præ-
lata sit, audi dicentem: Quoniam stulta mundi elegit deus,
vt confundat sapientes. Et iterum: Si quis videtur inter vos
sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiẽs. Reddidit
ergo nõ intulit dominus æmulationis cõmunionem: vt esset
non in forma imitationis, sed in pœna iniquitatis. Denique
Latinus interpres volens distinctionem facere inter æmula
tionem virtutis, & æmulationem offensionis, ait: Nunquid
æmulamur domino? Hoc est, Nũquid domino offensionem
æmulatiõis inferimus, vt de iis edamus quæ immolata simu
lachris sunt: sicut Iudæi eum sacrificando simulachris ex-
asperauerunt? Quòd si inter homines excitandæ æmulatio-
nis offendit intentio, & frequenter si persona exasperati su-
perior inuenitur, incentoria æmulationis fraudi esse cõsue-
uit: cuius stultitiæ est maiestatem irritare diuinam, & offen-
diculo æmulationis incessere, vbi nulla vltionis est difficul-
tas? Non debemus igitur malignis æmulandi aduersum nos
aculeos ministrare qui etiam non lacessiti inuidiæ stimulis
excitantur vt noceant: sicut Cain fratrẽ occidit, quia magis
illius sacrificium acceptum esset, quàm quod ipse putauerat
offerendum. In quo non æmulatus Abel, sed inuidus Cain
prælationis gratiam scelesto parricidio persecutus est. Non
enim ille fratris voluit obumbrare sacrificiũ, sed seruare sa-
crificij disciplinã, vt primitias nulla desidia moraretur, nec
aliqua in vsus proprios deriuata vsurpatione violaret. Saul

A quoque triumphatorem Palæstinorum Dauid prophetã, &
propriæ conseruatorem salutis, iuuencularum sibi sermone
prælatum tentauit insidiis, teli iaculo parauit occidere. Ac 1.Reg.18.
penè sanguinem generi fuderat innocentis, nisi vulnus ille
sinuati corporis inflexione lusisset. Quæ ibi malitia, si iuuen
culæ dixerunt, Saul in milibus, Dauid in decẽ milibus? Quã
atrox autem inuidia regis Saul, qui sermonis errorem in in-
nocentis exitiũ deriuauit? Neque æmularus, inquit, fueris fa
cientes iniquitatem.) Nõ repetiuit quod dixerat, sed muta-
uit. Aliud est enim subæmulari: aliud æmulari. Subæmulatio
astutiam habet, æmulatio simplicitatem. Sed tamen etiã ip-
sa cauta debet esse simplicitas & prouida, vt nouerit quid ca
uendum sit. Neque enim ociosè dictum est: Estote astuti si-
cut serpẽtes, & simplices sicut columbæ. Spiritalis ergo de- Matth.10.
bet esse astutia, quæ seruet salutem, dolum nesciat. Spiritalis
debet esse simplicitas. Videtur autem etiã alio loco distin-
ctionem subæmulationis scriptura fecisse, cùm dicit: Et au-
feretur zelus Ephrem, & inimici Iudæ peribũt. Non erit æ- Esaiæ 11.
mulus Ephrem Iudæ, & Iuda non vexabit Ephrẽ. Alibi au-
B tem habes: Sic & vos quoniam æmulatores estis spiritalium 1.Corin.14.
ad ædificationem ecclesiæ, quærite vt abundetis. Aemulato-
res pro bonis & bonæ rei imitatoribus posuit, æmulum pro
obliquo & inuido. Primum est ergo, ne malignos ad æmu-
lationis malignitatem laceſſas: secundũ, vt nõ æmuleris ini-
quitatem faciẽtes. Plerunque enim videntes pij fraude ali-
quos & astutia quæsisse diuitias, & peruenisse ad honores,
æmulatione deformi vias eorum sequi gestiũt, vt ad diuitias
& honores simili arte perueniant, & in contrahendo cõiu-
gio circunscribant adolescentulas. Quid enim prodest, cùm
ipsæ diuitiæ & omnis gloria secularis tanquam fœnum citò
arescat, & tanquam olera herbarũ in ipsa specie sui floris in
tercidant? Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis vt Esaiæ 40.
flos fœni. Noli ergo magnopere affectare quod perpetuum
esse non possit. Noli esse æmulus & obliquus. Noli esse cõ-
tentiosus & decertator in zelo. Vnde & Aquila dixit, Noli
concertare in malignãtibus. Symmachus, Noli contẽdere.
C Noli etiam esse imitator iniquitatis & fraudis, sed esto apo-
stolicæ doctrinæ, propheticæ gratiæ, sanctorúmq; virtutis
imitator, vt fructum feras, & messem bonitatis recondas, si-
cut Ioseph, qui multitudine frumenti famẽ diuturnæ ste- Gen. 41.
rilitatis exclusit. Vt Abacuch, qui prandium messoribus de-
ferendo, eleuatus ab angelo aerij tramitis iter carpsit, & red Danie.14.
ditus terris inter sæuos leonum strepitus pio propheta dul
ce conuiuium ministrauit. Rectè ergo dicit propheta: Spera
in domino, & fac bonitatem: & inhabita terrã, & pasceris
in diuitiis eius.) Quę est terra quam suadet inhabitandã, nisi
anima tua, quam bene debes excolere, frequenter spiritali-
bus inarare vomeribus, ne longo inhorrescat situ. Bonus e-
nim agricola quotidiana operatiõe & peruigili solicitudine
exercet agrum suũ, & propria rura custodit, ne deuastet ea
aper de sylua, & fructũ maturos raptor eripiat. Ara ergo ter
ram tuam, vt cùm venerit qui seminat verbũ, animam tuam
inueniat præparatam: ne supra inculta cordis tui decidat se-
men, & veniant aues cœli, & diripiãt quod fuerit seminatũ.
Quæ sit ergo terra, audi dicentẽ: Ecce exiit qui seminat se- Matth.13.
D minare agrum suũ: & dũ seminat, aliud cecidit secus viam,
aliud supra petram, aliud supra terram bonam. Quod autem
supra terram bonã, ij sunt qui in corde bono audientes ver-
bum retinent, & fructum afferunt per patientiam. Mũdum
sit ergo cor tuum, mũda sit anima tua, vt fructum bonitatis
possis afferre, hoc est, gratiæ spiritalis. Bonitas enim fructus
est spiritus sancti: sicut scriptum est, Fructus autem spiritus Gala.5.
est charitas, gaudium, pax patientia, benignitas, bonitas, fi-
des, modestia, continentia. Hi sunt fructus quorum diuitiis
pascimur, & vbertate satiamur. In hac terra vitem illam fru-
ctiferam iustus Noe plãtauit, de fructu eius bibit, atque in- Genes.9.
timo corde solutus est, quando eum laudabili pietatis ami-
ctu induit virtutum suarum geminata posteritas. Alio quo-
que loco nobis istas propheta sanctus diuitias demõstrauit,
quibus erat dives in Christo, & omnibus quæ ad vitã æter-
nã conducerent, abundabat. Et reuera quis ditior, quàm qui
dives in domino est, vt possit dicere, In via testimoniorum Psalm. 118.
tuorũ delectatus sum quasi in omnibus diuitiis? Quid enim

poterat

poterat deesse viro qui cœlestibus ditabatur oraculis? Et ideo suadet hoc psalmo vt thesaurum illum nobis quæramus æternum, & delectationem eius acquisitione capiamus, Ideoque ait: Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.) Quare nō dixit tuas, sed cordis tui? Petitiones exterioris hominis interioríque cōmunes sunt: nec omnes probantur à Christo: quia lex carnis legi mentis frequenter repugnat. *Psalm. 19.* Quæ autem interioris sunt hominis, qui renouatus est spiritu: illas petitiones dominus petito donat effectu. Vnde & alibi ait: Tribuat tibi dominus secundum cor tuū, & omnes petitiones tuas, confirmet. Secundum cor ait, non secundum appetentiam carnis: & illas petitiones, inquit, quæ prodeunt ex intimo corde, confirmet, non quę ex carnis huius illecebra & voluptatibus diriguntur. Reuela ad dominū viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet, & educet sicut lumen iustitiam tuā, & iudicium tuum sicut meridiem.) Hoc solo versiculo qualis esse debeas declarauit. Quis enim reuelat viam suam, nisi qui deo occultorū suorum arbitro interna sui pectoris confitetur? Bene ait, reuela: hoc est, aperi conscientiam tuam, ne eā seculi istius grauet vmbra vel carnis. Prorumpentia semina si fuerint obumbrata, tenuantur: soli obiecta pingue scunt. Quid de seminibus loquor? Ipsas arbusculas, quo minus se in altum subiiciant, vmbra sylue stris internecat, & prohibet brachia ramosa diffundere. Pulchrè autem dixit, Reuela ad dominum viam tuam: quia natura hominum prona peccato, velut quoddam mēti nostræ velamē obducit, ne nostra domino peccata fateamur, qui potest vulnera nostra sanare: vt erubescat quis ore proprio postulare medicinam, ne coram hominibus sua prodantur opprobria. Premit igitur se intra hominem conscientia, cū latere nō possit: & tamdiu differt, quo ad vulnus efferueat: vt iam nō fidei salubritate, sed immedicabili atrocitate vlceris detegatur. Reuela, inquit, ad hominum viam tuam: hoc est, aperi viam tuam: noli abscondere, sicut abscondebat Cain, *Genes. 4.* qui latere cupiebat. *Ioan. 3.* Omnis enim qui malè agit, odit lucem. *Psal. 44.* Reuelabat Dauid viam suam, qui ait: Dico ego opera mea regi. Aperi sensum tuum, vt nihil sit quod timeas reprehendi. *1. Corin. 4.* Reuelauit & Paulus, qui præsumpsit dicere: Nihil mihi conscius sum. Is actus, ea vita sit, vt via tua coram patre tuo luceat, qui in cœlis est. Sed quia obnoxia fragilitati omnis humana cōditio est, & non nostræ est potestatis iter nostrū ex voluntate dirigere: ideo tibi dicit, Spera in domino, & ipse faciet. Hoc est, vt aperiat viā tuam, nec talem te esse permittat, vt fugias lucem dū times prodi: & diligas tenebras *Eccli. 23.* vt possis tua occultare flagitia, dicēs: Tenebræ operiūt me: quis scit si videt altissimus? Quomodo enim potest qui adulterium molitur, nō noctem suis accommodam quærere tentamētis? Qui falsum cogitat testem suæ fraudi adhibere, qui corruptelam iudicis captat, vt opprimat innocētem: iniquitatis non explorare secretum? Latro in solitudine † subsidet, *† solitudines obsidet.* noctis tenebris † operitur, vt sceleri cedat effectus. Iniquitas *† tenebras.* ergo tenebræ sunt: Deus lux est. Et si tu velis tuam occultare iustitiam, deus eam educit in lucem: nec patitur latere iudicium quo ea quæ bona sunt elegisti. quæ improba, refutasti. Nec solum facit tuum lucere iudicium, sed lucere sicut meridiem, quando se sol iste in splendorem totus effundit. *Gene. 45.* Meridies erat quando Ioseph cum fratribus epulabatur, nō vltus iniuriam, sed oblitus. Subditus esto domino, & obsecra eum.) Nō solum vt subiectus sis deo moneris, sed etiam vt obsecres dominum, quo possis tuæ studium subiectionis implere: sicut & supra non solum reuelare viam tuam te cō uenit, sed etiam sperare in domino. Bona autē subiectio, nō abiecta, non vilis, sed glorioſa atque sublimis. Ille enim deo est subditus, qui facit domini voluntatem. Deniq; quis ignorat quod sapientia mentis præstantior quàm carnis sapientia sit. *Roma. 8.* Sapientia autem mentis subiecta est dei legi: sapientia carnis non est subdita. Et addidit apostolus: Nec enim potest. Esto ergo subditus, hoc est, proximus Christo: vt legem impleas. Denique Christus faciēdo volūtatem patris, legem implenit. Et ideo finis est legis, & plenitudo est charitatis: quia diligens patrem, effectum omnem eius adhibuit *2. Corin. 15.* voluntati. Vnde pro gloria apostolus dixit: Cùm autē subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse subiectus erit illi qui sibi subiecit omnia: vt sit deus omnia in omnibus. Et ipse de se ait: Nōne deo subdita est anima mea? Ab ipso enim salutare meum. Denique pro pietate erat nō pro infirmitate Ioseph & Mariæ parentibus subditus. Gloria autem Christi maxima, vt se vniuersorum hominū pectoribus infundat, & omnes reuocet ab impietate perfidiæ, & gētilitatis affectu, vt sibi faciat esse subiectos. Cùm autē sibi subiecerit omnia, cū intrauerit plenitudo gentium, cùm saluus factus fuerit omnis Israel, & toto orbe vnum fuerit corpus in Christo: tunc erit & ipse subiectus, munus suū deo patri offerēs, & quasi princeps omnium sacerdotum, & cœlestibus compos altaribus, vt sit sacrificium fides omnium. Pietatis ergo est ista subiectio, quòd erit subiectus in corpore dominus Iesus, cuius nos sumus corpus & mēbra. Esto ergo homo subiectus Christo, hoc est, subditus sapiētiæ dei, subditus verbo, subditus iustitiæ, subditus virtuti: quia hæc omnia Christus est. Omnis homo deo se subiiciat. Non enim vnum, sed omnes docet vt subiiciant cor suum, subiiciant animam suam, subiiciant carnem suā, quòd sit deus omnia, & in omnibus. Subiectus ergo est qui plenus est gratiæ, & suscipit iugum Christi, & mandata domini strenuè & incunctanter exequitur. Sine subiectione autē, qui se frustra extollit, sensu propriæ carnis inflatus, insolens deuotionis, & piæ declinans obseruantiam seruitutis, quam ipso iure naturæ auctori debemus æterno. postremò qui sine peccato est, subiectus est Christo: quoniam redemptus à domino est. Qui autē in peccato est, non post dici liber, sed seruus, quem grauia tenent vincula peccati. Sequitur: Ne æmulatus fueris eum qui prosperè dirigitur in via sua faciens iniquitatem.) Euidēter hic quid superius senserit intimauit, non exēitandos malignos æmulatione ad malignitatem, neque imitandos facientes iniquitatem. Non enim iniquitas, sed prosperæ res quæ proueniunt iniqua gerentibus, nos sæpe solicitāt vt eos putemus imitādos, quo ad eorum possimus peruenire successus, dicentes: Ecce ipsi peccatores, & abundantes in seculo, obtinuerunt *Psal. 72.* diuitias: & dixi, Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocētes manus meas, & fui flagellatus tota die. Si igitur flagellatus est Dauid, cauere debemus ne & nos flagellemur: & dicatur nobis quia diuitiæ, honores, potentiæ, generationi huic videatur esse disposita quasi vaga, & incerta pecunię opera, iniquitatísque compendia, non quasi præmia vlla virtutis, ideoque velut somnium veniāt, & cum somno te surgente deficiāt. Ipsos athletas, cùm viceriat, certum est coronari, non antequàm vincant. Nobis lucta cū seculo est. Vince ante seculum, & coronam petas. Nemo ante coronatur, nisi cerramen impleuerit. Qui stadium currūt, nunquid antè brauium accipiunt quàm stadium percurrerint? Quāti priores in exitu cadunt, & cursus sui ceritate fraudentur? Nūquid tu deo quàm Paulus acceptor? Ille vas electionis, ille Gentium doctor nunquam sibi in hoc seculo coronam ausus est postulare. *1. Tim. 4.* Denique audi dicentem: Certamen bonum certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod reliquum est, reposita est mihi corona iustitię, quā reddet mihi dominus in illo die. Paulus ille raptus in tertium cœlū, qui audiuit ea quæ non licet homini loqui: vtrum corpore esse raptus, an sine corpore, nescit: sicut ipse testatus est. Paulus ergo dicit in illa die coronam sibi esse reddendam. tu hīc tibi vt reddatur insistis? Imple ergo certaminis tui tempus. Non semel athleta luctatur, nec semel præliatur miles vt sti pēdia sua possit implere & tibi nō cū vna passione luctamē est. Superiores si euaseris passiones, ira succedit, & ideo tibi dicit scriptura: Desine ab ira, & relinque indignationē. *Psal. 36.* Sūt multa vitia quæ obrepūt insipientibus. Ira grauis passio est: plerumque accendit inuitum: & volentem mitius vindicare, in furorem rapit, vt perimat quem putauerit coërcendum. Commotus, gladio sæpe transuerberat innocentem. Amicos & fratres per indignationem plurimi peremerunt. Ideo sapiens dicit: Ira perdit etiam sapientes. Salomonis dictum est quia nō solum quoscūque de medio homines, sed etiam ipsos perdat ira sapientes. Et Dauid sapientem monet dicens, Desine ab ira, ne cùm accenderis etiam, illa non desinat priusquam te eius flamma cōsumat. Relinque, inquit, indignationem. Hoc est, natura te rapit, mouet affectus, cul-

pa te

1301

pa te alicuius excitat vel offensa vt indigneris: sed nō vsque-
quaq; vt modum nescias. Relinque eam, finem impone, ne
te in peccatum trahat. Hoc est quod supra dixit, Irascimini,
& nolite peccare. Non enim hortatur vt irascaris, sed ad tē-
pus credit affectui. Dat tamen medicamentum, ne diutius vis
vlceris serpat. Irascimini quod ait, tuæ est passionis. Medic⁹
enim nō statim adhibet medicamēta languori. Si dolor fer-
uet, fomenta adhibet, vt mitescat dolor. Si febris exæstuat,
remedij tempus expectat. ipsum potum sitientibus negare
consueuit. Nō dicit, Nolite febrire, cùm vapor feruet ægro
ti: sed dicit, Expecta, desinat febris, digeratur cōmotio. Sic
& propheta non potuit dicere homini, cuius caro vt variis
morborum, ita commotionum passionibus excitatur, Non
irascere: sed dicit, Desine ab ira, & indignationem relinque,
ne pecces. Ira enim grauis est magistra peccati. Alius quoq;
medicus dicit: Sol nō occidat super iracundiam vestram: ne
dum diu differs, veniat ille qui calefactum corporis somno
excitare cōsueuit, & stimulet te, inserat tibi cogitationes, &
in secreta tui pectoris immergat, dicens: Vindica iniuriam
tuam, virum te esse cognosce. Fœmineæ infirmitatis est non
capere vindictam. Ergo contemnere te debuit seruus? fra-
ter decipere? amicus illudere? & tu adhuc tuam non vlcisce-
ris contumeliam? Proscribas necesse est: gladio oportet in-
surgas, & dolorem tuū aduersarij morte soleris. Vir fuit ille
qui suum occidit inimicum: meritò prædicatur: quia ita se
vindicauit, vt alius irrogare ei non auderet iniuriam. His sti-
mulis plus accenditur, plus mouetur, vt cōpleatur quod scri
ptum est: Ira perdit etiam sapientes. Ergo tu ne audias eum.
ne æmuleris vt nequiter facias: quoniam qui nequiter agūt,
exterminabuntur. Exterminantur qui radices non habent,
sicut olera vel fœnū. Olera infirmus māducet. Tu autem vi-
tem insere in agro tuo, vineam institue. Et si venerit Achab
qui tibi dicat, Da mihi vineam tuam, vt olera mihi serā: noli
ei adquiescere, ne ex cōsensu tuo caduca serat, abscindat æ-
terna. Ideo Nabuthe inter sanctos habetur, quia maiorum
suorum hæreditatem ne regi quidem putauit esse cedēdam,
& lapidari maluit, vt vineam suam non daret in direptionē.
Hæreditas maiorum, fides vera est. Extiterunt Arriani re-
gali subnixi potentia, qui tēplum domini putarent sibi esse
tradendum, supplicia acerba minitantes. Sed absit vt apud
mentem domino seruientem præponderarit magis pœnæ
formido quàm forma pietatis. Non prēualuit perfidia, quia
fides restitit. Est etiā quædam vinea in pectoribus fidelium,
de qua dicit Esaias: Vinea facta est dilecto in cornu vberi.
Hanc vineā dominus plantauit in cordibus nostris: & ideo
legimus dicentem deum: Ego te plantaui vineam fructife-
ram, totam veram. Nemo ergo de agro animæ nostræ hanc
auferat vineā: quia benedicta est ea vinea. Ideoque dictum
est de sanctis: A fructu frumenti, vini, & olei, multiplicati
sunt. Bonum est ergo habere intra te torcularia vino redun
dantia, vt fluat tibi vinum in vas tuum de vinea Soreth, po-
culum illud inebrias quàm præclarum. Soreth enim vinea,
noui principij noua est æquitas. Vnde & dicitur nobis: Can
tate deo vestro canticum nouū, magnificate nomen eius ab
extremo terræ. Hæc ergo vinea vuas faciat, non iniquitatē.
Ideo relicta est vinea Iudæorum, quia iniquitatem fecit, vt
scriptum est, & nō iudicium. Nos ergo fructum feramus in
Christo, vt perpetui esse mereamur. Sustinētes enim domi-
num, possidebunt terram. Illam vtique viuentium terrā. Est
quædam terra cœlestis, quæ fructū cœlestibus ferat: de qua
ait: Credo videre bona domini in terra viuentium. Hæc ter-
ra multo hominū sudore ventri ministrat alimenta. Illa ter-
ra bona domini sine vllo labore fructificat, in qua iustorum
diuturna possessio, & piæ mentis hæreditas est. Et bene ait,
Sustinentes aūt dominum hereditate possidebunt terram.)
Hæc est enim terra quæ non præterit. Nā cœlū & terra præ-
teribunt, verba autem domini nō præteribunt. Et ideo nec
illa intelligibilis terra poterit præterire paradisi, in qua sunt
qui domini verba cōseruant. In hac terra collocat⁹ est Adā,
vt fructum æternæ caperet vitæ: sed quia verba domini ser-
uare non voluit, †ideo in possessione quam acceperat, ma-
nere nō meruit. Qui autē verba domini custodit, dicit: Ex-
pectans expectaui dominum, & respexit me. Adam autem

A quia nō expectauit dominum, (quomodo enim expectauit
qui refugit?) & offerre se timuit: ideo nec dominus eū vide-
re dignatus est. Oculi enim domini super iustos. Hunc autē *Psalm 33.*
cousque videre nolebat, vt quæreret dicens: Adam, vbi es? *Gene. 3.*
Qui quæritur, pro absente habetur. Fides est quæ nos repræ
sentat deo: perfidia quę facit impios exulare. Nullus itaque
absens est deo, nisi qui se absentē fecerit. Et ideo dicit, Fiat *Matth. 9.*
tibi secundum fidem tuam. Qui enim ignorat, ignorabitur.
Ergo Adam quasi peccator locum suum seruare nō potuit.
De paradiso eiectus, in † castellum est relegatus, vt ageret † *alias, in carcere est re ligatus.*
pœnitentiam. Accepit dilationem, ne cōtinuò penitus inte-
riret, vt salua fieret Eua per generationem filiorum, fidē san *Psalm. 36.*
cti Abel, prophetarum gratiam, ecclesiæ posteritatem. Sed
qui per hæc redimi noluerit, & in peccato perseuerandū du-
cit: de eo dicit propheta: Et adhuc pusillum, & non erit pec-
cator: & quæres locū eius, & nō inuenies.) Quomodo enim
esse poterit in futurū, cùm peccati locus diuturnus esse non
possit? Hæc est enim terra quæ aperuit os suū, vt sanguinem
susciperet innocentis. Et ideo in hac terra locus est pecca-
B torū. Præterit terra, quomodo peccatoris locus poterit in-
ueniri? Ego arbitror quòd ideo firmamentum inter aquam *Gene. 1.*
& aquā deus esse præceperit, vt à virtutibus peccata discer-
neret: & superior aqua quæ laudat dominum, vacua esset er-
roris: inferior peccato esset obnoxia. Denique illa deum vi- *Psalm. 76.*
det: hæc non videt. Quæ super cœlos, videt: quæ in abysso,
non videt. Vnde etiā dictum est: Viderunt te aquæ deus, vi-
derūt te aquæ, & timuerunt: turbatæ sunt abyssi, multitudo
sonitus aquarum. Meritò turbantur abyssi, super quas tene-
bræ sunt deformes, & ideo pacem habere nō possunt. Vnde
rogauit legio dæmoniorum vt in abyssum mitteretur: & se *Marci 8.*
cū magno tumultu præcipitauit in fluctus, vt porcorū gre-
gē quem repererat strangularet. Peccatores itaq; abyssum
petunt, vbi caligo tenebrarum. Mansueti autem possidebūt
terram, & delectabuntur in multitudine pacis.) Meritò ter-
rā possident, in quibus deus ipse requiescit: sicut diuino per
Esaiam resultauit oraculo dicens: Super quem requiescam, *Esaiæ 66.*
C nisi supra humilem & quietū, & trementē verba mea? Qui
sunt mansueti, nisi quos nullus stimulus dissensionis exagi-
tat, non ira perturbat, non sæuitia exasperat, non rabies cru-
delitatis inflammat? Et ideo quia non vina, nō epulas, nō di-
uitias, sed pacem domini dilexerunt in corpore constituti:
pro illa delectatione corporalium voluptatum qua se puta-
runt esse fraudandos, vt gratiā adipiscerentur æternam, de-
lectabuntur in multitudine pacis, quam dominus noster Ie-
sus in diebus sui generi donauit humano: sicut prophetia
quæ non mentita est, comprehendit asserēs: Orietur in die- *Psalm. 71.*
bus eius iustitia, & multitudo pacis, donec extollatur luna.
Quæ igitur est pax qua cūctæ ecclesiæ multiplicatus est po-
pulus, nisi illa de qua dominus dixit, Pacem relinquo vobis, *Ioan. 14.*
pacem meam do vobis? Dedit pacem, qui animorū bella se-
dauit. Sequitur. Obseruabit peccator iustū, & fremet super *Psalm. 36.*
eum dentibus suis. Dominus autem irridebit eum: quoniam
prospicit quòd veniet dies eius.) Indignantis quidē & effer
uescentis in iracundiā consuetudo est dētibus fremere. Sed
habent etiam maligni dentes suos: quibus non resonare, sed
lacerare consueuerunt. Insidiæ, commenta, nequitiæ, dentes
D sunt peccatoris. Insidiatur ergo peccator iusto, quia inuidet.
Iusti enim vita redarguit peccatorem, quem tacita maiore
authoritate condemnat, quàm si clara voce loqueretur. Sed
iustus timere non debet fremitum peccatoris: quia impro-
bitas non potest esse perpetua. Insidiæ temporales sunt: mu
nimenta aūtē virtutis æterna. Mors peccatoris omnem eius
potentiam fraudémque dissoluit. Plus adiicit: Ecce, inquit,
gladium euaginauerunt peccatores, extenderūt arcū suum,
vt deiiciant † pauperem & inopem.) Quis est gladius pec- † *decipiant*
catoris, nisi contrarius gladio spiritus sancti? Docuit hunc
scriptura me gladium, docuit Apostolus dicens: Quia habe *Ephe. 6.*
mus loricā iustitiæ, & scutum fidei, & galeam salutis, & gla
dium spiritus, quod est verbum dei. Ergo verbum dei, gla-
dius spiritus sancti est. Econtrario vtique gladius spiritus ne
quissimi, verbum est malum. Hoc Petrus apostolus Ana- *Actor. 5.*
niam & Saphiram sermonis sui quodā ense percussit. Hoc *Actor. 23.*
gladio Paulus Elymæ aduersanti disputationibus suis, ocu-
lorum

lorum lumen eripuit,& noctem cæcitatis infudit. Considera nunc mihi iurgantes peccatores,atque acerba iactãtes, & insolentia criminationum opprobria proferentes: nonne si eos audias,dices: Gladium euaginauerunt peccatores?quãdo sermo turpis tanquam de vagina petulãti ex ore profertur, quem cohiberi par fuit & recondi. Similiter vt gladius verbum dei dicitur:& idem,sermo est peccatoris. Ita & arcus quem extendunt peccatores, mens eorum est:& sagitta quã iaciũt,sermo est venenatus. Sicut enim sagitta est Christus, qui est verbum dei, cui dicitur: Posui te sicut sagittam electam: quæ profetur ex pharetra dei:ita sagittæ sunt perfidorum,quæ arcu quodam iniquitatis emissæ,incautũ vulnerant innocentẽ,nisi ignita eorum iacula scuto fidei repellantur. Et ideo solicitus esse debes miles in prælio,quia pugna tibi nõ solum aduersus carnẽ & sanguinem est, sed aduersus ipsas quoque nequitias spiritales quæ non videntur. Abundẽt tibi arma fortia deo,vt facilè possis quæ volueris tela depromere:ne pauperem te & inermẽ hostis possit opprimere. Esto deo fortis,deo diues,vt dicatur de te:Redemptio animæ viri,diuitiæ eius. Abundato thesauro sapientiæ, esto diues in verbo & operibus bonis,vt possis esse munit⁹. Fuge diuitias peccatoris,ne inueniat vnde vulnerare te possit. Esto misericors,vt inuulnerabilis maneas: vel curare te possis si fueris vulneratus. Est & pauper quem volunt aduersarij vulnerare,ex illo numero de quo saluator dixit: Beati pauperes spiritu:quoniam ipsorum est regnũ cœlorum. Et ideo framea peccatorum intret, inquit,in cor ipsorum, & arcus eorum cõfringatur.) Vt quemadmodum reuertitur pax in dei seruulos ab eis qui non receperint benedicẽtium pacem:ita etiam malitia peccatorum,qua iusto nocere conantur,in eorum perniciem reuertatur,quo suis telis & vulneribus trucidentur. Sæpe enim iaculo in ipsos qui ea iecerint refunduntur. Quod etiam proximo accidit bello,cùm infideles & sacrilegi lacessĕrẽt aliquem in domino confidentẽ, & regnum eius eripere cõtenderent,ecclesiis domini persecutionum sæua minitantes,vt subitò vẽtus oriretur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus,ac tela omnium atque missilia in peccatoris exercitum retorqueret. Adhuc hostis deerat,& iam illi ventorum prælia ferre non poterant⁹,suisque spiculis sternebantur. Et quod peius est,non erant corporum grauiora vulnera illa, quàm mentium. Deficiebant enim corde,cùm deum aduersum se pugnare cognoscerent. Exierant itaque prouocãtes,& de pharetra cordis sui aduersus populum Christianum venenata perfidiæ iacula proferebant:sed in caput eorum sua reuertebatur impietas. Denique ipsi inter se sua perfidia sunt soluti,paratásque fidelibus insidias dissipauit dominus:vt non solũ piis nocere nõ possent,sed propriis auxiliis nudarentur,atque ad hostem arma sua transirent. Quanto melius non protulissent gladiũ de vagina?hoc est,impia nequaquam verba prompsissent? Nam si pro ocioso sermone redditurus est vnusquisque rationem, quantomagis verba sacrilegij grauibus suppliciis expiabit? Igne nos examinasti,dicit Dauid. Ergo omnes igne examinabimur. Et Ezechiel dicit: Ecce venit dominus omnipotens?& quis sustinebit diem introitus eius,aut quis sustinebit cùm apperuerit nobis? Quoniã ipse introibit sicut ignis conflatorij,& sicut alueus lauantium: & sedebit conflans & purgãs sicut aurum & argentum:& purgabit filios Leui, & effundet eos sicut aurum,& sicut argentũ:& erunt domino offerentes sacrificium in æquitate. Igne ergo purgabuntur filij Leui, igne Ezechiel,igne Daniel. Sed hi etsi per ignem examinabuntur,dicent tamen: Transiuimus per ignem,& aquam. Alij in igne remanebunt. Illis rorabit ignis vt Hebræis pueris qui incẽdio fornacis ardentis obiecti sunt:ministros autem impietatis vltor ignis exuret. Vę mihi si opus meum arserit,& laboris huius patiar detrimẽtum. Et si saluos faciet dominus seruos suos,salui erimus per fidẽ,sic tamen salui quasi per ignem. Et si non exuremur, tamen vremur. Quomodo tamẽ alij remaneãt in igne,alij pertrãseãt, alio loco nos doceat scriptura diuina. Nẽpe in mare rubrũ demersus populus est Ægyptiorum, transiuit autem populus Hebræorum. Moyses pertransiuit,præcipitatus est Pharao,quoniam grauia eum peccata merserũt. Eo modo præcipitabuntur sacrilegi in lacum ignis ardẽtis,qui superba in deum iactauere conuitia. Sequamur ergo hic positi columnam ignis,quæ nos in hoc corpore positos illuminet, & viã mõstret,vt in futurũ nobis nebula refrigeret noctis,quo seua incendia releuare possimus. Vide autẽ scriptura quid dicat: Arcus,inquit,peccatorum dominus confringat. Arcum autem suum posuit in nube,quo diluuia cessarent,tranquillitas refunderetur. Vnde credẽdum quia aduersarius & malignus arcum extendit suum,vt quietis animis moueat tempestates,excitet flatus. Oremus ergo vt arcum malignitatis dissoluat domin⁹ deus noster:assit pauperi suo & inopi, qui propter dei timorem duxit non affectandas esse diuitias,nõ occupanda minorum prædia, non viduas relictis maiorum hæreditatibus exuendas. Melius est parum iusto super diuitias peccatorum multas. Nõ ergo diuitiæ accusantur,sed diuitiæ peccatorum:nisi fortè quia peccator dixit: Omnia hęc mihi tradita sunt: & cui volo,do illa. Deinde quoniam diuitiæ magis facem cupiditatis inflammant: & vnusquisque dũ maiora desiderat,non declinat diuerticula peccatorum. Vnde & saluator dixit: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Iniquitatis enim census est,qui in diaboli potestate est: vt cui ille voluerit conferatur. Potest & illud intelligi, quia melius est parum iusto super diuitias peccatorum multas: quia est quidẽ dives in verbis,vt sunt philosophi istius mundi de sacrilegiis disputantes,de motu syderum de stella Iouis,ac Saturni,de generationibus hominũ,de simulacrorum cultu, de gæometria, de dialectica. Philosophi ergo in sermone diuites sunt,fidei inopes,veritatis exortes. Et sunt plerique simplices domini sacerdotes,in sermone pauperes, abstinentia & virtute sublimes. Illi multis loquuntur perfidiam:isti paucis fidem asserũt. Illi suos amittũt quotidie sacerdotes:hic pauper populus adquirit ecclesiæ,numeróque credentium. Qui ergo hos audierit, & viderit operũ qualitatem,dicit: Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Hinc Salomon deriuauit illud, quod quasi suum ipse posuit: Ex multiloquio non effugies peccatũ. Dialectica ergo diuitiis verborum fluit, pietas timorem dei seruat. Ideo hic parcus in verbis,diues in spiritu, magis vult timere,quàm vana veri verba iactare. Timor enim disciplina sapientiæ est,loquacitas innocẽtiæ virtutísque naufragium, atque incentiuum proplapsionis & culpæ. Quoniã brachia inquit,peccatorum conterentur,vt actus eorum iusto impedimentum afferre nõ possunt,ne derelinquatur virga peccatorum super sortem iustorum. Et Paulus ait: Conterat deus Satanam sub pedibus vestris. Si enim brachium eius contritum fuerit, totus ipse conteretur, vt conculcentur eius cõmenta sicut venena serpentis. Confirmat autem iustos dominus brachio aduersarij dissoluto. Et ideo iustus dicit: Et confirmasti super me manum tuã. Et Iob ait: Manus domini tetigit me. Misit ergo dominus manũ suã in seruũ suũ: & manum peccatoris quam in eum accepta miserat potestate, brachiúmque contriuit. Ita diabolus suo sermone deceptus est, qui dixit: Mitte manum tuam in eum,& videamus si in faciem te non benedicat. Non enim ausus est dicere, maledicet,sed hoc intelligendum reliquit. Misit deus manũ suã, & confirmatus est Iob. Cœpit benedicere, qui maledicere credebatur. Sanat enim iustos cùm tangit manus diuina,nõ vulnerat. Misit manum suam, leprosi macula omnis abscessit. Tetigit cæcorum oculos, & cæcitate depulsa lumen refulsit oculorum. Pete ergo semper confirmeris,quoniam & tu qui stas,vide ne cadas. Nos stare debemus,vt cõfirmemur à domino. Lubricum est seculum,citò labimur. Ideo rogemus vt nos dominus stabilire & cõfirmare dignetur. Noli putare quia viam tuã nesciat dominus. Si iustus es,nouit. Crede dicenti prophetæ: Nouit dominus vias immaculatorum: & hæreditas eorum immaculata erit. Non confundentur in tẽpore malo.) Qui nouit dominum,scitur à domino. Nouit iustos,nescit iniustos. Ideo iniustis dicet: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: nescio vos, hoc est, quia estis indigni cognitione diuina. Nescio vos, quia me ipsi nescire voluistis. Opera vestra me nesciunt: facta vestra me nesciunt. Et si dicatis quia me scitis, redarguunt vos peccata vestra. Omne peccatum à malo est: qui autem non peccat,

Psal. 26.
Esaiæ 49.
Prouerb. 13.
Matt. 5.
Matth. 12.
Psalm. 65.
Malac. 3.
Psal. 65.
1. Corint. 3.
Gene. 3.
Psal. 36.
Luce. 16.
Luce. 16.
Psal. 36.
Prou. 13.
Prouer. 10.
Psal. 124.
Rom. 16.
Psalm. 37.
Iob. 19.
Iob. 2.
1. Corint. 3.
Matth. 7.
1. Ioan. 3.

1305

car in me manet. Hoc scripsit Ioannes. Quid de domino dicam quia dedignatur impium scire? Paulus dedignatur, qui dixit: Si quis in vobis propheta est aut spiritalis, cognoscet quæ scribo vobis. Qui autem ignorat, ignorabitur. Et alibi scriptum est: Cognouit dominus qui sunt eius. Simus ergo domini, vt cognoscat nos dominus, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomẽ domini. Græcus habet, Nouit dominus dies immaculatorum. Sunt enim dies Heliæ, sunt dies Nabuchodonosor. Ideo euangeliũ habet, In dieb⁹ Heliæ, quãdo clausum est cœlũ. Nox erat perfidis, sed Heliæ lumen erat. Clausum erat perfidis cœlum, sed Heliæ patebat. Fames erat perfidis, sed Heliæ vbertas. Neque enim esurire poterat, cui cibum cœlestia ministrabant. Nec esuriebat qui alios ipse pascebat. Ergo sibi dies est iustus in tenebris: quia & lux in tenebris lucet. Et Ioseph in Aegypto erat, & lucebat ei meridies, sicut supra dixit: Peccatori autẽ dixit deus, Quia tu enarras iustitias meas? Iustitia lumen est, quia supra habes: Et educet sicut lumen iustitiam tuam. Habes ergo quòd in te luceat, si iustitiam sequaris. Splendet tibi dies: lucet tibi nox, quia fideli & nox sicut dies illuminabitur. Dies igitur iusti nouit dominus, quia ipse illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ. hoc est, illum qui ad imaginem & similitudinem dei viuit. Illum qui se hominem esse cognoscit, vt refugiat equorum libidinẽ adhinnientem, ferarum rabiem, lepusculorum formidinem, vulpium fraudem, rapinam luporum. Illum hominẽ qui sic agit, quasi in hunc mundũ superuenerit. Qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, sed ex deo natus sit. Venisti ergo: noli remanere: noli hærere terrenis. Vt scias autem quia dies boni sunt, audi dicentem: Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Bonum habet diem, qui dei filium bonum deum nouit, & dominum confitetur. Et rursus ipse nos admonet cauere debere, quia dies mali sunt. Qui mali sunt dies? In quibus vtique malũ cognoscitur, quod est à malo. Aut fortè dies sæculi mali sunt, quia sæculum in maligno positum est. Sed legimus etiam post sæculum diem malum. In die mala liberabit eum dominus. Hoc est, in die iudicij, propter multorum supplicia. Necesse est enim torqueantur iniusti, compatiantur iusti: quia & angeli gaudent cùm peccator à morte seruatur vnus: cõpatiuntur igitur cùm punitur: etsi alibi legerimus, Lætabitur iustus cùm viderit vindictam impiorum: quod suo loco reseruo: etsi frequenter audieris cur lætetur. sed occupationes occupationibus nõ inseramus. Nouit dominus dies immaculatorum: quia immaculatæ innocentiæ gratia eius & plenitudo miseretur, non miseretur errãtibus. Isti non habent diẽ: quia lucẽ fugiunt: de quibus pulchrè dictum est: Dies eorũ sicut vmbra prætereunt. Cognitio ergo dei, dignationis est, non visionis. Oculi eius lux sunt. Quos aspicit, illuminat: & ideo oculi eius, dies iustorum sunt. Vnde & hæreditas eorum in æternũ erit: quia æterna bona, non temporalis hæreditatis compendia quæsierunt: & non habebunt de quo erubescant in tempore malo, id est, iudicij cœlestis. Et in diebus famis saturabuntur: quia nõ in solo pane viuit homo, sed in omni verbo dei. Sed quis homo? Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, nescio, siue extra corpus, nescio, deus scit, raptum eiusmodi vsque ad tertium cœlum. Ille ergo homo qui in Christo est, qui se in carne esse nõ nouit, qui non in carne ambulat, sed in spiritu: ille qui rapitur non solum ad cœlum, sed etiam ad tertium cœlum, rapitur ad paradisum, & audit verba quæ non licet homini loqui: qui nõ in virtutibus suis, sed in infirmitatibus gloriatur: ipse non in solo pane, sed in omni verbo dei viuit. Verbum enim dei, vita est: quia verbum caro factum est. Vnde præclarè dixit euangelista: Quod factum est in ipso, vita est. Alexandrini quidem & Aegyptij legunt: Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil quod factum est. & interposita distinctione subiiciũt, In ipso vita est. Salua sit fidelibus illa distinctio: ego non vereor legere: Quod factum est in ipso, vita est. & nihil habet quod teneat Arrianus, quia non illius venena consídero, sed lectionis sacræ consuetudinẽ recognosco. Non enim dixit: Factum est verbum ante omne principium. Non dixit, Factum est verbum. Sed si quod dixerit audire desideras, Verbum, inquit, erat apud deum. Erat apud deum, quod cũ ipso operabatur, cum ipso dominabatur. Non dixit, Factum est verbum: sed dixit, Deus erat verbum. Deus autem non factura, sed factor est & creator. Aperi aures, & audi: Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Discis esse filium, in quo diuinitatis est plenitudo. Aperi aures adhuc paululum, & audi dicentem: Quod factũ est in ipso, vita est In ipso, inquit, factum est: nõ dei verbum factum est. Aut si. hoc mouet te ad calumniam, quia dixit, In ipso factum est: nunquid & deo patri calumniaris, quia dei filius dixit: Qui autem facit veritatem, venit ad lucẽ, vt manifestentur opera eius, quia in deo sunt facta? Aut quia Dauid dixit: Cõfitebor tibi domine, quoniã exaudisti me, & factus es mihi in salutem. hoc est, conuersus es mihi in salutẽ, operatus es ad salutem. Possem aliis vti, sed nolo mihi credas, ne putes argumẽta esse ingenij, non testimonia veritatis. Ipse tonitrui filius, ipse qui in Christi pectore recumbebat, ipse cui secreta sua dominus nõ tacebat, cui Petrus innuit vt dominũ interrogaret, & ille interrogauit, & domin⁹ reuelauit: ipse exponat quid senserit de eo quod ait: Quod factum est in ipso vita est. Audi ergo interpretantem, quia tuas Arriane calumnias iam cauebat. Quod erat ab initio, & quod audiuimus, & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ scrutatæ sunt de verbo vitæ, & vita apparuit. Caro ergo est quæ in Christo apparuit, vel Christus in carne: ipse nostra in omnibus vita est. Ipsius diuinitas, vita est: ipsius æternitas vita est: ipsius caro, vita est: ipsius passio, vita est. Vnde & Hieremias ait: In vmbra eius viuemus. Vmbra alarum, vmbra crucis, vmbra est passionis. Ipsius mors, vita est: ipsius vulnus, vita est: ipsius sanguis, vita est: ipsius sepultura, vita est: ipsius resurrectio, vita est vniuersorum. Vis scire quoniam mors ipsius vita est? In morte ipsius baptizati sumus: vt cum ipso in nouitate vitæ ambulemus. Et ipse ait: Amen amen dico vobis, Nisi granum frumenti cadens in terram moriatur, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ipse granum pro nobis corpore solutus & mortuus est, vt fructum multum afferret in nobis. Mors itaque eius, fructus est vitæ. Quod factum est ergo in ipso, vita est. Caro facta est in ipso, vita est. Infantia facta est in ipso, vita est. Iudicium factũ est in ipso, vita est. Mors facta est in ipso, vita est. Remissio peccatorum facta est in ipso, vita est. Vulnus factum est in ipso, vita est. Illusio facta est in ipso, vita est. Diuisio facta est in ipso, vita est. Sepultura facta est in ipso, vita est. Resurrectio facta est in ipso, vita est. Vide quãta in ipso facta sunt, quibus vitæ nostræ facta conuersio est, vt quæ perierat, redderetur. Ad postremum venditio facta est in ipso, vita est. Redemptio facta est in ipso, vita est. Ad mortem vẽditus est à Iuda, emptus à Iudæis ad mortẽ, vt precioso eius sanguine nos redimeremur ad vitam. Hæc est vita quæ facta est, hæc est vita quæ apparuit, hæc est vita quã audiuimus, hæc est vita quæ erat apud patrem: quia ipse qui erat in principio, ipse postea est natus ex virgine, vt esset vita morituris. Ipsum hunc propositum nobis locum interrogemus. Quid est, hominem in Christo? hoc est, factum in Christo, in quo facta sunt omnia, siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: hoc est, in virtute eius. Homo ergo in Christo, qui factus est ad imaginem eius & similitudinem. Homo in Christo, qui totus in Christo sit. Sicut enim per vnitatẽ & plenitudinem diuinitatis pater deus totus in filio est, & filius in patre: ita per intentionẽ & pietatis affectum (vt exempli vice, non cõparationis vtamur) homo totus in Christo est. Qui enim adhæret domino, vnus spiritus est. Homo ergo in Christo, non ille terrenus, non ille peccati, sed homo Christi. Quid ergo mouet, Quod factũ est in ipso, vita est: si & homo, præcipuè interior, in ipso factus est in ipso crucifixus, in ipso renouatus, in ipso sepultus, & cum ipso consepultus, in ipso resuscitatus? Quid mouet (vt dixi) quia scriptum est, Quod factum est in ipso, vita est: cùm homo dixerit, In deo faciemus virtutem? Si quæris quæ vita sit quod factum sit in ipso, accipe. Nempe vita, ecclesia est. In ipso facta est, in eius costa, in ipso resuscitata Eua, Eua autem

Ioan. 3. Psalm. 117. Marci 3. Ioan. 13. 1. Ioan. 1. Thren. 4. Roma. 6. Ioan. 12. Coloss. 1. 2. Corin. 6. Psalm. 107.

tē vita, hoc est quod factū est: quia Eua quæ perierat, salua
1. Timo. 2. facta est per ecclesiam: hoc est, per filiorum suorum generationem, sicut scriptum est: quia delictum superioris sobria emendauit hæreditas. Vnde & ipse Paulus raptus est ad vitam, qui ante erat persecutor ad mortem. Prolixius euagati sumus, vt de eo homine qui nō in solo pane, sed in omni verbo dei viueret, diceremus. Reuertamur ad psalmum. Et ideo immaculati non cōfundentur in die iudicij, & in diebus fa-
Psalm. 36. mis saturabuntur. Deficientes sicut fumus deficiēt.) Græcus ἐκλιπόντων habet, hoc est, defecerunt. Vides subitò aliquem ad potestatem venisse, & honoris insignia: sublimē iudicas. Vides illi esse successum: nonne dicis de eo: Vbi honoratus & exaltatus est iste? defecit. Ideo plus dixit Græcus: quia vbi honorari & exaltari quis creditur, ibi defectu proprio præuenitur, vt meatus fluminū præteriisse citius quàm venisse cōprehendas: & dum ventura operiris fluenta, te adhuc expectāte fluxerunt. Contrà humiles atq; mansueti dum subiiciuntur à diuitibus & opprimuntur, exaltati sunt à sua humilitate, & subitò refulserūt. Ideo Paulus in infirmitatibus sibi placuit, nō in virtutibus. Sed consideremus ne quis putet eum in reuelationibus gloriatum, & repetamus ea, vt se
2. Cor. 12. ipse defendat humilitatis magistrum. Scio, inquit, hominē in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. Ante annos quatuordecim reuelatū sibi dicit, & tamen reuelationē tandiu tenuit & repressit: nec dixisset, nisi vtile nobis iudicasset vt diceret: ne nos reuelationibus extolleremur. Si enim in tāta gratia nō est gloriatus Paulus, nec nos gloriari oportet. Iuuenis ipse nō gloriatus est: senex gloriaretur? Deinde raptum se vsque ad tertium cœlum negare nō potuit: & tamen vtrum in corpore, an extra corpus raptus esset, se ignorare testatus est. Non ergo de scientia, sed de ignorantia gloriatur, & dei circa se gratiā prædicat. Quod
1. Cor. 8. scientiæ est, negat: quod charitatis est, confitetur. Scientia enim inflat, charitas verò ædificat. Et iterum, raptum eiusmodi hominem dixit: quamadmodū raptus esset, vtrum in corpore, an extra corpus, incertū sibi esse memorauit. Vide stateram sapientiæ. Cōstituit vnum in Christo, & se alterum, qui ait: Nescio. Quod alienum est, attollit: quod suum, humiliat. Et audiuit, inquit, verba ineffabilia. Non dixit, Audiui: sed quod alter audierit, non negauit. Verecundè itaque testem se maluit significare quàm vatem, & refugit videri cœlestium arbiter secretorum. Testimonium enim dicere, veritatis est: meritū elationis non refugere, gloriantis. Ideoque ait: Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem non gloriabor. Quid est autem quod ait, audisse hominem illum in Christo, quæ nō licet homini loqui? Quomodo hoc conuenit, vt nō licuerit homini loqui, quę licuerit homini audire? Si ipsi homini qui audiuit, non licet loqui: quomodo ei creditum est audire quod non permissum est loqui? Quæ ista distantia est? Si alteri homini qui esset exterior: quomodo potuit homo cognoscere quod homini non licebat audire? Vnde videtur non gratia loquendi illi homini defuisse qui esset in Christo, cui non defuit: sed eis qui audirent, locum, tempus, meritum defuisse. Ille enim in cœlo audiuit: & ideo non competere iudicatū est vt id loqueretur in terris quod audisset in cœlo, cùm in ipsa terra sit ista discretio, vt quod in altera regione canitur, in altera non canatur, secundum
Psalm. 136. quod scriptum est: Quomodo cātabimus canticum domini in terra aliena? Denique Hebræi non canebant in terra captiuitatis, quod in sua patria canere consueuerant. Hæc terra, captiuitatis est, alia terra libertatis est. Ista peccati, illa quietis æternæ. Vallestris ista, illa cœlestis. Ergo in cœlo illa nunc prædicat Paulus, quæ in terris antè prædicare non poterat. Inter perfectos enim secreta sapientiæ sunt loquenda. Attamen quid commemoratio istius reuelationis operatur, nisi vt doceat quod in reuelationib⁹ minimè gloriandū sit, sed in infirmitatibus? quia infirmitas, & remediū reuelationis, & virtutis exercitium est. Contra autē reuelatio, elationis lubricum est. Nanque ne reuelationis sublimitate extolleretur ipse Paulus qui raptus in tertium cœlum est, stimulū carnis accepit. Subuenit ergo infirmitas, ne gratia in periculum verteretur. Vtilior ergo infirmitas quàm gratia.

Eadem quoque infirmitas, officina virtutis est: sicut testifica
A tus est dominus, quia virtus in infirmitatibus cōsummatur. 1. Co
Denique iste ipse post reuelationē rogauit remedium sanitatis, & non impetrauit. In infirmitate autem remedium nō quæsiuit, sed cursum cōsummauit, & coronam inuenit. Mutuatur, inquit, peccator, & non soluit: Iustus autem miseretur, & tribuit.) Hoc quoque personæ cōuenit Pauli: quia iustus misereturPsal. & tribuit. Vide illū domini eloquia diuidentem, vide argentum domini fœnerātem. Vnam minam accepit, duas reddidit. Duas accepit, quatuor reddidit. Quinque accepit, decem reddidit. Non ligauit in sudario quod acceperat, sed numulariis erogauit. & quid erogauerat, cū vsuris recepit. Ita & accipientem à peccato maximo liberauit, ne apud eum pecunia domini depereret: & ipse vt decē ciuitatibus præficeretur emeruit. Quæ sunt decem ciuitates, in epistolis recognosce quas scripsit, etsi Apostoli præscripto numero non teneantur, quibus dictum est, Ite per orbē vniuersum, prædicate euangelium vniuersæ creaturæ. Hic ergo ab
B Hierusalem per Orientem & Illyricum & Italiā domini pecuniam dispensauit. Et ne quis putaret quòd suā fœneraret, domini esse pecuniam testabatur dicens: His autem qui matrimonio iuncti sunt, denuncio non ego, sed dominus, vxorem à viro non discedere. Et alibi: Quid experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Deniq; ipse rex ita dixit, in quo figura est domini: Oportuit te pecuniam meam committere nummulariis. Meam, inquit, non tuam. Iustus ergo misereturMatth. & tribuit. Quomodo tribuat, audi dicētem: Per omnes ecclesias doceo. Peccator autē mutuatur, & non 2 Cor. soluit. Vide diuitem mutuantē, & non reddentem: pauperē accipientem, & continuò remunerantem, ne diutius in ære alieno sit. Hæc moralia. Vide nunc pauperem mysticum, id est, simplicem, & timentem dei nomen, audientem verbum de castitate, & soluentem: audientem de misericordia, & soluentem: audientem de placiditate, & nō irascētem. Diuitem verò illum arrogātem & superbum, audientem quidem, sed post se reiicientem sermones dei: audientem de condemnatione luxuriæ, & magis luxuriantē. Denique ecclesia soluit
C quod accepit, synagoga non soluit. Cognosce ecclesiam soluere. Tui, inquit, erāt, & mihi eos dedisti, & verbum tuum seruauerūt. Et alibi: Ipse enim pater diligit vos: quia vos me diligitis. Reddidit ergo ecclesia quam accepit à domino pecuniam charitatis: sed synagoga non reddidit. Ideoq; de Iudæis dicitur: Si non venissem, & locutus fuissem his, peccatum nō haberent. Nunc autem excusationē non habent de peccato suo: quia audierunt vtique, & non crediderunt. Probatum est ergo quia mutuati sunt peccatores, & non soluerūt. Peccator igitur eget semper: iustus autem abūdat & tribuit, cuius diues est cōscientia. Ideoq; Iudæi in suis diuitiis egerunt. Diuites egerunt, & esurierunt. Christiani autemPsalm. in diuitiis simplicitatis suę non defecerunt. Bonus ergo iustus. Et ideo addidit scriptura: Quoniam benedicentes eum possidebunt terram: maledicentes autem eum disperibunt. Esaiæ Quomodo iustus possidet terram, aut quam terrā, cùm scriptura dicat: Nunquid soli habitabitis super terram? Et alibi: Apoca. Væ habitātibus super terram. quod increpationis est atque
D maledicti. Cuius ergo terræ benedicta possessio est? Non istius, quæ tenebris absconditur, & amaritudinibus impletur, sed illius quæ fluit mel & lac, id est habens gratiam suauitatis, & fulgorem lucis æternæ. Accipe mellis boni suauitatem, immo supra mel. Fugiet dolor, & gemitus, & tristitia. quia suauitas gratiæ amaritudinem humanæ fragilitatis excludit. Et alibi: Et delebit omnem lachrymam de oculis eorum: & mors non erit amplius, neque luctus. Accipe etiam lactis nitorem. Et non indigebunt lucerna, & lumine solis. Ipse enim dominus illuminabit super illos, & regnabunt in secula seculorum, amen. Est etiam mysticus iustus, qui miseretur & tribuit, qui omnia verba quæ accepit à patre, dedit nobis, & peccatorū nostrorū nobis æra dimisit, & sanguinem suū pro nostris debitis soluit: vt nō in fœnore et semus alieno, sed in suo ere bonus creditor nos haberet. Est & peccator ille qui cōgregauit quæ nō peperit, & mutuat⁹ est quod nō tenebat, nec vult restituere quod accepit. Audi Matth. quia mutuatus est diabol⁹: Tibi, inquit dabo potestatē hāc

vni

1309

vniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa, si procidens adoraueris me. Nequissime, accepisti ad tentationē, nō ad mortem. Hoc est, accepisti vt proderentur dei seruuli, non vt extinguerētur. Accepisti vt deadoraretur, non vt negaretur. Accepisti secularia: cur eripis quæ æterna sunt? Accepisti quæ mundi sunt, cur vis auferre quę Christi sunt? Da illa cui vis: nō inuidemus. Cur nobis à te quæ nos volumus inuidētur? Tu adorari vis, qui omnibus nequior, ipsa quoq; indignus es seruitute? A domino, inquit, gressus viri corrigentur.) Græcus διαβήματα dixit, hoc est transitus. Et ideo dicitur tibi: Si transeas per aquam, flumina te non concludent. Transi ergo, noli cessare: sicut bonus viator cum venerit ad aliquod vię signum, non stat, sed pertransit: & tu in via es quādiu in hoc cursu es cōstitutus. Paulus si stetisset, cursum suum nō consummasset. Videne ideo dicat, Et tu qui stas, vide ne cadas. Non enim qui trāsiuit, potest timere ne cadat. Vidi, inquit, impiū superexaltatū & eleuatū super cedros Libani: & trāsiui, & ecce non erat.) Vidēs ergo impium superexaltatū, qui nō stetit: nō offendit. Si stetisset, & miratus illū fuisset, & secutus esset: offenderat, & ecciderat sicut impius. Ideo Moyses videns rubum relucere & non ardere, ait: Transiens videbo hoc visū magnum. Qui transit de hoc seculo, magnum vīsum videt. Qui soluit vincula istius nexus, quo ligamur huic corpori, visum magnum videt. Moyses in Exodo legitur: multa videt miracula in Exodo. Non tanta alius videt qui non est in Exodo. Idem Moyses transiuit: transiuit & populus patrū: quia de terra captiuitatis exibat. Dirigebantur itaque à domino gressus eorum, quibus per noctem ignis columna lucebat, per diem nubis: vt nec diei ardor afficeret commeantes, nec impedimentum viantibus tenebræ noctis afferrēt. Et tu merere factis, votisque deposce vt gressus tui à domino dirigātur, ne moueātur pedes tui: quia scriptum est: Mei autē penè moti sunt pedes: paulominus effusi sunt gressus mei. Cauendū est quoque ne rectam semitā derelinquas & diuerticula te viarum tortuosarum decipiant. Ideo dicitur: Parate viam domino: rectas facite semitas eius. Paremus ergo viam domino deo nostro in mentibus nostris. Rectas faciamus animorū semitas, ne labamur. Non effundātur gressus nostri sicut vxoris Lot, quæ post se respexit, & gressus tenere non potuit, sed effusi sunt, cùm in salem esset repente conuersa. Non effundantur sicut Ægyptiorum, quorū gressum maris fluctus effudit. Ipsis Hebręeis qui cum Moyse erant, quia peccauerunt in deserto, ceciderunt vestigia pedū, ne in terram resurrectionis † intrarent. Nónne etiam de his pulchrè dicitur quia effusi sunt processus eorū, quorū spes lapsæ, in vanum effusus labor, vota sunt destituta? Cōsidera enim aliquē p aliquot annos habuisse studiū ꝓbitatis, castitatis custodiā, vitæ attētioris affectū, piæ propositū seruitutis, sedulæ obseruationis officiū: subitóque eū esse mutatū, discessisse de monasterio, valedixisse ieiuniis, continentiæ renunciasse, indulgere deliciis, studere luxuriæ. Dudum de monasteriis exierunt, & nunc luxuriæ sunt magistri, dissēminatores incōtinentiæ, incētores petulātiæ, obtrectatores pudoris. Nōne de his pulchrè dixeris, Effusi sunt gressus eorū? quos bene vixisse pœnituit. Egerūt itaque noui generis pœnitentiā pro virtutibns, & nō agūt pro delictis. Sed hi ex nobis exierūt, dicit Ioānes: sed nō erant ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, nobiscū perseuerassent. Hi ergo viā suā concrēdenauerunt, quibus cōuenit dici: O qui dereliquistis semitas rectas, abeūdo in vias tenebrarū, & qui lætamini in malis, & gaudetis in euersione mala, quorū semitæ prauæ, & flexuosi cursus eorum, sicut lubricus & flexuosus auctor ipsorū: cur odisse cœpistis viā rectā, & iustū consiliū deseruistis? Nō vos direxit dominus. Quē autē dirigit dominus, viā eius cupiet, sicut scriptū est: & ipsius semitis delectabitur. Vtrūque tamen intelligi potest. Ita est mediū, quod & ipse qui à domino dirigitur, viā domini cupiet: quia duce ipso omnis leuatur labor, omnia impedimenta remouentur, incentiua subministrātur, & ipse dominus nō aspernatur, sed libenter accipit viā viri quem ad virtutē ipse direxerit. Pulchrè autem viri gressus dirigi dicuntur à domino, quia nō volentis neque currentis, sed miserentis est dei, sine offensione seruare vestigium. Qui enim plantat & rigat, nihil sunt sed qui dat incrementum deus. Ipsi soli gloria virtutū iure defertur. Denique etiā iustus cadit interdū: sed si iustus est, cùm ceciderit, nō conturbabitur. Quod cōditionis est, cadit: quod iustitiæ, resurgit: quoniā iustū deus nō derelinquit, sed confirmat manū eius.) Qua ratione nō pedē, sed manū dixit? Nisi fortè ea, quoniā qui cadit, non magis pede labitur, sed infirmus lubrico sæpe decipitur, vel offendit in petra. Hic aūt iusti casum intellige, id est, fortioris. Denique de populo qui luctatur si genu fixerit, vel pede lapsus fuerit, pro victo habetur. Athleta qui luctādi peritiā habet, & ad coronā luctatur: etiam volēs genu figit, vt vincat. Et si lapsus fuerit, non excluditur: etsi ab eo qui superior sit, præmatur, manibus tamen se sustinens iure decertat: nec aufertur brauiū, nisi fuerit fusus in ventrē, aut distētus vinculo lacertorū. Inde oriūtur crebra certamina, quia multa & incognita plerisq; sunt genera ruinarū. Nā casus eos propriè appellāt Latini. † Græce enim πτώματα nuncupantur. Ergo cum stringitur & vrgetur, sæpe se voluit, & fit supra qui inferior habebatur, superiorēque dum surgit elidit: quod videtur scriptura significare cū dicit: Vniuersum stratū versasti in infirmitate eius. Itaque de eo dicitur: Cū ceciderit bonus athleta, non turbabitur. Pleriq; enim volūt teneri, quo maturi⁹ vincāt, qui de arte præsumunt. Sed etiā si assignatus, vt ipso verbo vtar, & primo & secūdo fuerit, nō excluditur: licet ei interdū repararе luctamē: & vincere sæpe cōtingit, & cedere eū q secunda contētione superauerit. Ita ergo etiā iustus etsi offendiculū incurrerit & ceciderit, nō relinquat tamē studiū deuotionis & fidei, sobrietatē teneat, pœnitentiā gerat, sæpe se reparet. Ideo interrogat Petrus: Si peccauerit in me frater meus, quotiens remittam ei? vsque septies? Et respondit dominus: Non solum septies, sed etiā septuagies septies. Vt scias autē quia athletæ sumus, & impellimur, & alij ruūt, & plerique elidū tur, audi dicētē: Suffulcit dominus omnes qui ruūt: & corrigit omnes elisos. Vnde & ipse de se dicit Dauid, vel ille qui locutus est in propheta: Impulsus subuersus sum vt caderē, & dominus suscepit me. Iesus enim non cecidit, sed impulsus est. Etenim cū ipse cōuertat elisos, quomodo ipse potuit elidi? Iustū autē, cum ceciderit, posse resurgere testatur scriptura, quę dicit: Nunquid qui cadit, nō adiiciet vt resurgat? aut qui auersus fuerit, non reuertetur? Væ iis qui auertūtur auersione impudenti, dicit dominus. Vtinā quidē ineluctabilis & insuperabilis sit Christi athleta, & in omni ætate, in omni virtutum genere glorioſus, sicut ille ait: Sed in omnibus superamus propter eum qui nos dilexit. Quid est in omnibus? Sunt athletæ qui vocētur pueri, ephebi, viri. Hoc est παῖδες, ἔφηβοι, πύκλαι. Et scriptura has in luctatoribꝰ nouit ætates, dicēte Dauid. Ne auertas faciem tuam à puero tuo. &, Iuuenis fui, & senui. Vnde & Ioannes ait: Scribo vobis pueri, quia cognouistis patrem. Scribo vobis iuuenes, quia vicistis malum. Scribo vobis patres, quia cognouistis eum qui est ab initio. Maturior itaque ad patres scribens, maturos designat fidei deuotionisque processu. Virtutum ergo istæ, nō infirmitatis ætates sunt. Neq; enim sine virtute puer est, qui cognouit patrem deum virtutum. Ex illo puero isti sunt pueri, qui prius quā sciret vocare patrem aut matrē, accepit virtutem Damasci, & spolia Samarię. Ipse est puer qui natus est nobis, filius datꝰ est nobis: cuius principatus super humeros eius. Ipse nos docuit pueritiam esse virtutem, dicens: Sinite eos, & nolite prohibere pueros ad me venire. Et alibi: Amen amen dico vobis: nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste: non intrabitis in regnum cœlorum. Ipsa quoque corporis fortitudine pueri plerūque viros vincunt. Et vtique si ætatem pueritię consideremus, non potest puer aut vsum omnem scire, aut vim subire luctandi. Nouimus tamen quòd frequenter pueri quos non poterant portare, vicerunt. Adeo vigor animi infirmitatem excludit ætatis. Quales autem pueri, tales & ephebi, hoc est spiritales. Nouit scriptura adolescentem Paulum, iam proximum conuersioni. Nouit & Eutychùm adolescentem, qui cùm sermonibus Pauli intentus hæreret, somno victus de tritecto cecidit, & resurrexit. Nouit & Ioannem adolescentem in Christi pectore recumbentē, qui tam fortis fuit, vt persecu-

1 Corin. 3.

† ruinam.

Psal. 40.

Matth. 18.

Psam. 117.

Psal. 40.

Roma. 8.

Psal. 68.

1. Ioan. 2.

Esaiæ 8.

Ibidem 9.

Luc. 18.

Matth. 18.

Act. 7.

Act. 20.

tionem nõ timeret, malum vinceret. Hic est puer qui patrẽ
Marci 14. genitalem reliquit, sequutus eũ patrẽ quem cognouit æternum. Adolescens amictus sindone dominũ sequebatur tempore passionis, qui sua omnia dereliquerat. Maturior deum verbum in principio ipso semper fuisse atque esse cognouit, & manere in se probauit. Viros quoque scriptura nos docuit
Actor. 21. spiritales, Agabo propheta dicente: Virũ hunc cuius est zona hęc, sic alligabunt Iudæi in Hierusalem. Et Festus ait: Vir quidam est relictus à Felice in custodia. Ante passionẽ suam Paulus adolescẽs dicitur: in passione vir significatur, qui cursũ consummato esset iam proximus ad coronam. Cognouimus ætates pro fide & deuotione certantiũ: cognoscamus etiam certamina singulorum. Hæc quoque scripturæ nos doceat tenor. In hoc itaque seculari agone alij sunt qui simplici quodã & legitimo genere luctantur, & ligaturis tantũ corporis certant, verberare non norunt: qui Palestæ vocantur. Alij qui cædem, & pulueris iactum membrorũ nexibus miscẽt, omni sibi verberãdi iure permisso: quos παμμάχους vocant: eò quòd omnis litis & pugnę aduersum se habeant protestatem. Alij qui cestibus aduersum se decernunt, & dilaceratis capitibus cruentantur. Hi πύκται feruntur. Hæc omnia certamina subiit Paulus apostolus: sicut ipse demõstrat.
Ephes. 6. Itaque alibi dicit: Quoniam non est nobis pale aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduersus principes & potestates, & (vt cõpendio vtar) aduersus nequitias spiritales. In Latinis pleriscq; colluctatio reperitur, in Græcis omnibus πάλη scribitur. πάλη enim Græcorũ, lucta est Latinorum. Et verè pale, quia caro & sanguis, & nequitiæ spiritales patientia, & continentia corporis, & animi moderatione superãtur. Ira, furor, cædes, arma sunt diaboli. Alibi quoq; plagis supra mo
2. Corin. 11. dum cæsum se esse significat, dicẽs: In plagis supra modum, in mortibus frequenter. Hierosolymis autem pugnis se esse percussum: vbi cũ interueniẽtibus militibus aliquãdo cessasset Iudæi percutere Paulũ, ipse põtifex Ananias circunstãtibus iussit percutere os eius: cui respondit apostolus: Percu
Actor. 23. tere te incipiet deꝰ, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secũdum legẽ, & extra legem iubes me percuti? Sciuit profectò referire, qui grauiore pugno põtificẽ repercussit. Ipse enim corporaliter cæsus est: illi retulit quòd in animã percuteretur à Christo. In prima quoque epistola ad Corinthios
1. Cor. 9. scribẽs, ait: Ego igitur sic curro, nõ vt in incertũ: sic enitor, non vt aëra cędens. Quod Latinè dixit, enitor: Græcè ait, πυκτέυω. Et verè quasi bonus pycta, nõ aërem, sed aërias protestates & Iudeorũ capita verberabat: quia caput omniũ Iesum dominum non habebant. In omni itaq; certamine apostolus est probatus, qui etiã coronã cursu consummato accepit. Vnde & ipse ait: Omnia possum in eo qui me confor-
Philip. 4. tat. Habet & Christus qui in pueritia sua æui maturos vicerint: vt Daniel puer spiritu valido seniores illos redarguit Iu-
Danie. 13. dæorũ, & de victoriæ iure deiecit in mortem. Habet & alios qui priusquam nascerentur, in matris vẽtre luctati sunt. De-
Genes. 25. nique Iacob fratrem supplantauit Esau, & malum vicit, atque ita de vtero matris exiuit, vt victoriæ insigne monstraret, & pedẽ senioris degeneris victor inuerteret. Hieremias
Hierem. 1. in vulua matris sanctificatus est & probatus. Ioannes Baptista principẽ agonis humani, præmiatorémque luctantiũ nec
Lucæ 1. dũ natus venisse cognouit, atque in vtero matris exiliẽs piæ brauium confessionis emeruit. Rectè iã tunc designatus est ad coronam, qui ante omnes ad Christi agonẽ fidei testis & præco virtutis suum nomen obtulerat. Bonus præco, qui ad certamen alios excitabat. Et verè bonus præco, qui tam magna voce clamauit, vt ad eius sonum secreta cœlestia resultarẽt. Quid multa? Terram mouit, cœlum impleuit. Ideoq; vocis nomen accepit, quia verbum dei vox sacrata præcessit: quemadmodũ ipsẽ nos docuit dicens: Ego vox clamãtis
Isaiæ 40. in deserto. Dixit hoc Esaias propheta: de se dictum iste firmauit. Audiuimus quid dixit præco: Parate viam domini: rectas facite semitas eius. Hæc est vox singularis, & sola, tam
Ibidem. sonora, vt ab omnibus audiretur. Tam dulcis, vt vniuersorũ corda mulceret. Istos ergo athletas suos dominus confirma
Psalm. 36. uit, vt vincerẽt. Nũquã enim suos deserit & relinquit. Et id eo addidit propheta: Iuuenis fui, & senui:) sic Latini. Aliqui autem iuxta Græcos habent: Iuuenis fui: etenim senui: & nõ vidi iustum derelictum, nec semẽ eius quærens panẽ.) Simpliciter qui vult intelligere, patet sensus, quòd vitæ suæ tẽpore Dauid non viderit iustum derelictum. Sed hoc & breuis temporis est, & incredibile. Siquidem multos videmus in seculo iustos ab hominibus derelinqui quãdo eos aliqui potentiũ persequũtur, & nullus ad eos audet accedere, cũ timore aut in iniuria viderit cõstitutos. Vnde Iob dicit: Fratres mei discesserunt, agnouerũt extraneos magis q̃ me. Amici mei immisericordes facti sunt: & qui me nouerãt, obliti sunt nomen meum. Dauid quoq; nõ solum destitutũ, sed etiã impugnatũ se ab amicis & proximis clamat. Amici, inquit, mei & proximi mei aduersum me appropinquauerũt. Ergo si in hoc seculo reperiuntur iusti derelicti, quomodo sibi contraria dixit Dauid? nisi intelligas quòd iustus etsi in seculo derelinquitur, à domino tamen non derelinquitur. Neque enim Iob cũ esset in stercore, à domino derelictꝰ est: quem in angelorũ cõcilio dominus ipse sua voce laudabat: quẽ tentari passus est, vt coronaret. Tentationem autem in corpus dedit, in animam denegauit. Nec derelictus Dauid, cui regnum dedit, vt populo imperaret electo, quem patricidalibus præliis appetitum, regni sui depulsum finibus, victoriæ iure restituit. Ipsi quoq; Iacob, Helias, & Hæliseus, & Ioannes Baptista, & cæteri qui in caprinis pellibus circũeuntes errabãt in solitudinibus & mõtibus & speluncis & foueis, terræ, licet ludibria multa & acerba supplicia tolerasse videantur, tamẽ non derelicti sunt, siquidẽ cũ fratrẽ fugeret Iacob, & per deserta incomitatus erraret, obdormuit, & surgẽs vidit ibi multitudinẽ cœlestis militiæ, & ait: Hic locus vocatur castra angelorũ. Nõ satis fuit castrũ vocare, sed castra, quæ tantæ multitudini cõuenirẽt. Vides ergo quia sola lũ se putabat, & castra eũ cœlestis exercitus sequebãtur? Sicut & patres nostros Moysi tẽpore, ne in deserto sitirent, petra (vt scriptũ est) sequebatur. Nã cùm in Exodo legerimus quòd sitiente populo percussit Moyses de virga petram, & aqua fluxit, & bibit populus dei: iterum in Leuitico legerimus vel in Numeris quòd rursus Moyses tetigerit petram virga, & scaturiuerit aqua patribus ad bibendum: præclarè apostolus hoc interpretatus est dicens, Bibebant autẽ de cõ sequẽti eos petra: petra autẽ erat Christus. Illos igitur querulos, illos murmurantes, illos præuaricantes, tamẽ nõ deserebat dominus, sed sequebatur. Quid de Helia & Helisæo dicã, quibus per deserta gradiẽtibus equi de cœlo, & igneus currus occurrit? Quomodo derelictus Helias qui est inuitatus à Christo? quomodo derelictus in terris, qui raptus ad cœlũ? quomodo egẽs & nudus & inanis, qui geminati spiritus hæreditatẽ discipulo dereliquit, vt vna melotide hæres donatus fluuios sisteret, Iordanẽ reuocaret in fontem, regũ exercitus pasceret in deserto, & potũ sitientibus ministraret? Ad eius arbitrium de cœlo profluebãt pocula, in terris mortui resurgebant. Quomodo derelictus Helisæus, qui cũ Syrorũ vallatus esset exercitu, vt captiuus raperetur ad regem: dicente Giezi seruo, Domine, quid faciemus? ait: Noli timere: quoniã plures nobiscum sunt q̃ cũ illis. Et dixit: Domine aperi oculos eius, vt videat. Et aperti sunt oculi illius, & vidit montẽ & omnia in circuitu equis innumeris & cœlestibus repleta legionibus. Paulus quoq; qui dixit periculis in mari, periculis in deserto se esse iactatũ, tamẽ ipse testificatus est dicens: Si deus pro nobis: quis cõtra nos? Ergo sic ille derelictus & destitutus ab hominibus, apud deũ abũdat & proffluit. Nam & Helias destitutus erat, ita vt diceret: Domine accipe animã meam, & tamen vigebat apud deum, vt ipsis esset regibus virtute terribilis. Quomodo iuuenis hoc Dauid potuit cõprehẽdere? Iuuenis enim magis temporalia quã eterna considerat: quia ætas ea propendet ad vitia. Sed sunt quidam in iuuẽtute senes, & alij iuuenes in senectute. Sunt inquam viri quorũ animi senili grauitate cẽsentur, in quibus vigeat quibus ætas senectutis sit vita immaculata: in cana prudentia: qualis erat Hieremias: qui cùm se iuuenẽ cõtuitu memoraret ætatis, & per iuuentutẽ excusaret quòd prædicãdi impar officio videretur, ait illi dominus: Noli dicere, quia iuuenis ego sum: quia ad omnes ad quoscunque mittam te, abibis. Ita iuuenem non putauit, quem aptũ prophęticæ gratiæ iudicabat. Talis ergo iuuenis fuit Dauid, qui

1313

qui renouatus esset, & refloruisset (vt ipse dixit) velut aquilę iuuentus sua. Sic ergo intelligi oportet, Iuuenis fui, sed sanctificatus, sed propheta in gentibus positus, qui iam possem regni cœlestis sacramenta cognoscere, & vera præmia considerare iustitiæ: sed non vidi iustum derelictū. Postea quoq; alibi & vsu roboratus & munere, Adquisiui incrementa sapientiæ. Eadem circa iustum visa est mihi gratia permanere. Explanauimus (vt potuimus) quomodo dixerit, Iuuenis fui. Sed quomodo addiderit, Etenim senui, consideremus. Bona iuuentus, sed melior senectus. Qui enim vsque in finem perseuerauerit, hic saluus erit. Vnde nō perfunctorie de patriarcha Abraham dictū est quòd nutritus esset in senectute bona. Et Ioannes senex cœpit scribere euangelium, vel epistolas: qui cùm refugeret apostolum se scribere, seniorem scripsit. Nec minor est æstimatus, cui cygnea quædam suppeteret gratia senectutis. Ipse vas electionis dominicæ sctibens ad Philemonem ait: Cùm sis talis, vt Paulus senex, nunc autē & vinctus Christi Iesu: obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis, Onesimo, Volens itaque illi plurimū deferre, seniori Paulo eum non iuueni comparauit: & ibi se senē est gloriatus, vbi iam in vinculis tenebatur. Et videte distātiam. Adolescens significatus est in alterius passione, senex in sua. Ibi vt adolescens, quia Iudæorum vestimenta seruabat: hic senex, vbi sui corporis exuuias exuebat. Denique & Petrus ibi senex dicitur vbi certamen est passionis. Cùm iunior, inquit, esses, cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Cū autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset deum. Ante certamen iunior dicitur, in certamine senex, qui omne certamen impleuerit. Hoc ergo dicit Dauid ille in iuuentute bellator, in senectute pacificus: Iuuenis, inquit, fui: sed nolo me adhuc iuuenē putes. Etenim senui, & non vidi iustum derelictū, nec semen eius quærens panem.) Quod est semen iusti? Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: nō dicit, & seminibus: tāquam in multis, sed sicut in vno. Et semini tuo, quod est Christus. Audi iusti semen: Filioli mei, quos ego parturio donec formetur Christus in vobis. Et nunc si quis ex gētibus veniēs, sermonem audiat nostrum, & dominus iuuare dignetur vt formetur Christus in animo eius, quo partus fidei ferat: semen ei Christus erit. Illic in vtroque. Abraham itaque, & generationis pater erit secundum carnem, & is qui verbū domini pectoribus iustorum primus infuderit. Et ideo hoc semen Abrahæ panes istos quibus præbeatur corporalis alimonia, nōn requirit: quia habet panem iustitiæ, qui descendit de cœlo. Sicut enim negantur filij Abrahæ, qui opera Abrahæ nō fecerint: ita semen Abrahæ sunt, & inter filios recipiuntur, qui opus eius effecerint. Verū Abrahæ semen Helias, cui angelus alimenta præbebat, & in virtute escæ illius quadraginta dierū curriculis ambulabat. Nō requirebat istā corporis huius alimoniam verum semen Abrahæ cui panes deferebantur de cœlo: denique corui ei quotidianum conuium ministrabant. Ita indigus erat omnium, vt nihil haberet suum: & mittebatur vt victum aliis largiretur. Verum semen Daniel, cui inter leones posito aëria fercula per Abacuc prophetam referta messorum epulis vehebantur. Est ergo panis angelorum, quem māducauit homo. Sic enim scriptum est: Panem angelorum manducauit homo. Hic est panis de quo dixit Dauid: Domin⁹ pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquā refectionis educauit me. Bonus Dauid docuit me panem angelorū, & ipse me docuit aquam refectionis. Hæc refectio spiritualis est, hęc refectio requies est mentis internæ. Bona aqua, quæ peccatum lauat, mundat interna. Quæ sit aqua hæc, audiamus. Si quis, inquit, sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu quem incipiebāt accipere qui crediturі erāt in eū. Ergo nec hoc pane nec aqua refectionis indiget iustus, cui spirit⁹ sanctus est requies & refectio. Quomodo aūt poterit indigere, qui tota die mutuum tribuit & fœnerat? Quid est ꝙ fœnerat iustus? Non æs, non ferrum, non plūbum, sed argentum igni examinatum. Hoc defert ad mensam domini, & diuidit requirentibus: cui vnā, cui duas, cui quinq; minas quotidie diuidit, & nunquam deficit. Sed fœnerationem audiuimus in lege reprehensam, dicente Moyse: Non fœnerabis. Duplex est fœneratio: vna pecuniæ, altera gratiæ. Diuide vtrāque: quia scriptum est: Si recte offeras, nō rectè diuidas: peccasti: quiesce. Et tu rectè diuide, ne pecces. Ipse Moyses doceat te diuidere, qui admonuit rectè diuidendum: vt sequaris quod Abel egit, qui rectè diuisit: fugias quod Cain parricida fecit, qui rectè diuidere nesciebat. Diuidit ergo spiritus sanctus diuisiones, qui operatur omnia diuidens singulis prout vult. Ille prout vult, tu prout potes, prout ingenio vales, diuide quando lex de pecunia dicat, quando de gratia. Dixit enim tibi: Fœnerabis gentibus, cuius dominus vsuras exigit: tu autem non mutua beris. Est & pecunia fœnoris, est & gratia, cui⁹ dominus vsuras exigit. Pecunia fœnoris, æs habet: gratia fidē confert. Fœnerato ergo fidem gentibus, vt tibi abūdet gratia. Tu autem noli mutuari quasi indigus: sed quasi diues & locuples fœnerato. Fœnerauit Petrus, fœnerauit Paul⁹, fenerauit Ioannes euangelista, vel vterque, & non indiguit: hoc est, fœnerarunt pecuniam Christi, non fœnerarunt pecunias ad vsuram. Fœnera ergo, & noli desistere fœnerare. Audis quid dicat scriptura: Tota die miseretur, & fœnerat. Iustus per diē fœnerat, auarus in nocte. Gratia enim lucis est: auaritia autem vsura tenebrarum est. Et ideo semen fœnerantis fidē, in benedictione erit, habens vtique præmium benedictionis. Declina à malo, & fac bonum: & inhabita in secula seculorum: Quoniam dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos: in æternum conseruabuntur. Iniusti autē punientur, & semen impiorum peribit. Iusti hæreditate possidebunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam.) His versiculis demonstrat propheta quòd pertineam⁹ ad dominum, & ipse arbiter cogitationum operationúnque nostrarum sit, spectans merita singulorum, qui nihil sine iudicio agit, sed malos & bonos actus iudicio discernit. Declinandum ergo est à malo, & faciendum bonum. Ne bona malaque confundas, prius est vt crimine careas: postea vt innocentiæ fructum deferas, quo possis esse perpetuus. Noli putare quod deum tua peccata prætereāt. Sic enim plerique laburtur. Ipse vniuersa cernit & damnat, & impiorum semen exterminat. Semen vtique non corporalis generationis, sed mentis internę & impietatis successionem. Nam vtique Iob de semine Esau genitus scripturæ testificatione signatur. Quomodo ergo semen Esau periit in Iob, cùm tant⁹ iste vir fuerit, vt venturum in terras dominum præuideret, qui cetū istius seculi diabolū subiugaret? Ergo hoc quęritur, ne malitia transfundatur in posteros. Hoc per baptismatis sacramē tum Christus operatur, vt exuat vnusquisque quod natus est, induat quod renatus fiat non famulæ hæres, sed gratiæ, vt perpetuum domicilium habitationis æternæ sibi possit adquirere. Qui autem habitare meruerit in seculum seculi, & ipse honorificabit deum in secula seculorum. Vbi moralibus iustū instituit disciplinis, vt qualis deberet esse, te doceret, quǽue esset perfectæ forma iustitiæ. Ad sapientiam & theoremata mentem vult eius assurgere: & excitat ei⁹ intentionem, vt spectet intento corde cœlestia, & diuina intra se voluat oracula, atque ad ea quæ complaceant deo, suum informet affectum: sit meditatus in lege, nec vlla eum domini mādata prætereant. Modos diuini sacramenti cognosce. Denique ab hinc vide in præceptis sanctum prophetam assurgere Os iusti meditabitur sapientiā, & lingua eius loquetur iudicium: lex dei eius in corde ipsius: nec damnabit, inquit, eum dominus, cùm iudicabitur illi. Expecta dominū, & custodi viam eius, & exaltabit te vt hæreditate possideas terram: cū perierint peccatores, videbis. Vidi impiū superexaltatum & eleuatum vltra cedros Libani: & transiui, & ecce non erat: & quæsiui eū, & non est inuentus locus ei⁹.) Superiora moralia, hæc intelligibilia. Quod est iusti os quod meditabitur sapientiā, nisi interior homo? Duo sunt enim homines in singulis: vnus interior, alter exterior. Interior cogitat quæ mētis suut, quæ mētis sunt loquitur. Exterior quæ sunt corporis. Tamen adueniēs domin⁹ vtrūq; coniūxit, & duos in vno homine cōdidit, ne diuersis sese impugnent motib⁹, sed inuicē sibi volūtatū suarū vnitate sociētur. Ideos os iusti

meditabitur ſapiẽtiã. Iam enim & ipſe exterior homo iuſti in interioris hominis transfuſus eſt diſciplinã: & in eius cõ formatus naturam, ipſius exercet officia, vt caro meditetur quod mentis internæ eſt. Sed ne hoc incredibile tibi videatur, audi dicentem quia dominus Ieſus trãsfigurauit corpus humilitatis noſtræ, vt conforme fieret corpori gloriæ ſuæ. Quis audeat dicere carnem ſine peccato, carnem aſſumptã ex virgine, carnem ſpiritu dei in Mariam ſuperueniente generatam, quæ in nullo diſcrepauit à ſapientiæ diſciplinis, interioris hominis exortẽ fuiſſe virtutũ, nec in vſus eius ttanſire potuiſſe, cùm ſupra hominem fuerit quòd tactu eius ſanabantur ægroti, cæcis refundebatur aſpectus, mortui reſurgebant? Competenter ergo ſcriptum eſt: Os iuſti meditabitur ſapientiam: eò quòd totus homo ſit ſpiritualis, nõ vtiq; terrenus. Qualis enim terren⁹, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Abiit ergo terren⁹, remãſit cœleſtis. Ideoque in tẽpora redemptoris referens propheta, meditabitur, dixit: licet vnus è pluribus meditatur, ſcripſerit. Nec abhorret à ſenſu, quia prophetarum ſpiritui futura pro præſentibus ſunt. Alij putant os pro mente dictum. Pulchrè autem iſtud expoſuit nobis Salomon dicẽs: Narratio iuſti ſem per ſapiẽtia: ſtultus autẽ ſicut Luna immutatur: id eſt, quòd ſæpe varietur, nec in ſua perſeueret ſentẽtia, & tanquã in tenebris lumen videatur offundere, nec tenere. Sit ergo nobis ſemper in corde & ore meditatio ſapientię, & lingua tua loquatur iudicium, lex dei tui in corde tuo ſit. Ideo tibi dicit ſcriptura: Loqueris in illis ſedens in domo, ambulãs in via, dormitans, reſurgens. Loquamur ergo dominũ Ieſum, quia ipſe eſt ſapientia, ipſe eſt verbũ, & verbum dei. Nam & hoc ſcriptum eſt: Aperi os tuũ verbo dei. Ipſum ſpirat, que ſermones eius reſonat, & verba meditatur. Ipſum ſemper loquamur. Cùm de ſapientia loquimur, ipſe eſt. Cùm de virtute loquimur, ipſe eſt. Cùm de iuſtitia loquimur, ipſe eſt. Cũ de pace loquimur, ipſe eſt. Cùm de veritate & vita & redemptione loquimur, ipſe eſt. Aperi os tuum dei verbo. Scriptum eſt: Tu aperi, ille loquetur. Ideo dixit Dauid: Audiam quid loquatur in me dominus. Et ipſe dei filius dicit: Aperi os tuum, & adimplebo illud. Sed non omnes vt Salomon poſſunt percipere ſapientiæ perfectionem: nõ omnes vt Daniel. Omnibus tamen pro poſſibilitate infunditur ſpiritus ſapiẽtiæ, ſed omnib⁹ qui fideles ſunt. Si credas, habes ſpiritũ ſapientiæ. Ideo Sapiẽs dicit: Credidi: propter quod locutus ſum. Cũ credideris, accipies loquendi gratiã. Et qui credit, redimitur: & qui orat, redimitur, ſi piè intẽdat orationibus, & in oratione aſſiduus ſit. Diẽ præueniat, noctẽ frequentet, ſoli matutinus occurrat, vt antè ipſe illuminetur à Chriſto, q̃ terra ſolis exortu. Et qui pſallit, redimitur: & qui cõpungitur, redimitur. Ideo ſemper meditare, ſemp loquere quæ dei ſunt, ſedens in domo. Domũ poſſumus accipere eccleſiam, poſſumus accipere domũ interiorẽ in nobis: vt intra nos loquamur. Sedent iudices in Hieruſalẽ: ſederunt ſedes in iudicio. Sedit etiã iudicũ conſiliũ, & libri aperti ſunt, propheta dicit, & tu cũ conſilio omnia fac. Cũ conſilio de factis tuis iudica: cũ conſilio vinũ bibe: cum conſilio loquere, vt effugias peccatũ, ne incidas per multiloquium. Sedens loquere tecũ, quaſi qui iudices. In via loquere, ne vnquã vaces. In via loqueris, ſi in Chriſto loquaris, quia via Chriſtus eſt. In via loquere tibi, loquere Chriſto. Audi quomodo illi loquaris. Volo, inquit, viros in omni loco orare, leuãtes puras man⁹, ſine ira & diſceptatione. Loquere ô homo dormitãs: ne tibi ſomn⁹ mortis obrepat. Audi quomodo dormitãs loquaris. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniã locũ domino, tabernaculum deo Iacob. Vince naturam diligentia, exclude corporis ſomnum. Naturam nobis formare non poſſumus, poſſumus diligentiam. Homo erat Dauid: Indulgebat aliquid ſommo per noctem, ſed excludebat ſomnum lauãs per ſingulas noctes lectum ſuum, & lachrymis irrigans ſtratũ ſuum. Ideo memorerat in ſtratu ſuo ſemper domini ſui, & in ipſo meditabatur vt diluculum præueniret, & in tenebris ei illuceſceret Chriſtus dicens: Surge qui dormis. Nam in omnibus hęc gratia eſt: ſed poteſt eſſe & in pluribus diligentia. Ne igitur expectes vt excitet te Chriſtus, ſed potius Chriſtum excita. Ex-

Philipp. 3. *1. Cori. 15.* *Eccli. 27.* *Prouer. 6.* *Pſalm. 84.* *Pſal. 115.* *1. Timo. 2.* *Pſal. 131.* *Pſalm. 6.* *Ephe. 5.*

citat eum qui de ipſo dormitans cogitat. Si tu illum excita- 1316
A ueris, & ipſe te excitabit à ſomno, reſuſcitabit à morte, dicẽs tibi: Exurge à mortuis. Cũ ſurges ergo vel reſurges, ipſum loquere, vt impleas quod iuberis. Audi quomodo te Chriſtus excitet. Anima tua dicit: Vox fratris mei pulſat ad ianuam. Et Chriſtus ait: Aperi mihi ſoror mea ſponſa. Audi quomodo tu exſuſcites Chriſtũ. Anima dicit, Adiurauí vos filiæ Hieruſalem, ſi ſuſcitaueritis & reſuſcitaueritis charitatem. Charitas Chriſtus eſt. Audi etiam quomodo dormiens loquaris. Ego dormio, & cor meum vigilat. Hæc communiter. Attolle nunc paulo altius mentem tuam. Loquere ſedẽs in domo, in hac terreſtri domo huius habitationis, quæ diſſoluitur, in qua peregrinamur à domino. In corpore enim iſto poſiti, dũ ſuperueſtiri magis quàm expoliari volumus, exulamus à Chriſto, & grauiter ingemiſcimus. In hac ſedẽs ergo cõfitere peccata tua: quia ſediſti, & non ſtetiſti, & non dixiſti. Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. Loquere magis, & noli occultare delicta. Loquere ſedens, vt audias dicentem: Surgite poſtquam ſederitis, qui manB ducatis panem doloris. Loquere in via ambulans, id eſt, carpens vitæ iſtius curſum. Hîc loquere, ne illic obmuteſcas: ſicut ille obmutuit qui angelo Chriſti ante nõ credidit: poſtea tamen cùm credidiſſet, vocem recepit. Loquere dormiẽs & quieſcens, conſepultus in Chriſto, vt cum ipſo in nouitate vitæ reſurgas. Loquere etiam ſepultus in tumulo: ſicut loquebantur animæ ſanctorum petentes de mortis authore vindictam: Vſquequo domine ſanctus & verus non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum? Loquere poſtremò cùm ſurgis, ſicut docuit ille qui dixit: Ego dormiui, & quieui & reſurrexi: quoniam dominus ſuſcipiet me. Et illic ergo os iuſti meditabitur ſapientiam, donec ad ſublimiora tabernaculi ſecreta cœleſtis, ac ſacræ plena iucunditatis atque lætitiæ ipſe perueniat: quemadmodum ſcriptura nos docuit, dicente Dauid: Hæc recordatus ſum, & effudi ſuper me animam meam: quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum dei. In voce exultationis & con
C feſſionis, ſonus epulantis. Ergo & ſedentes in hac corporea domo, & egreſſi hinc, atque ambulantes in via, cum rapiemur, ſi meretur, obuiam Chriſto: & dormientes loquemur. Accipe tertiam ἀναγωγὴν qua ſe anima eleuat iuſti. Eſt enim quidam ſpiritalis ſomnus intelligendus, de quo Salomon ait: Si enim ſedeas, ſine timore ſedebis, ſi dormias, ſuauiter requieſces, & non timebis pauorem qui ſuperueniet tibi, neque impetus impiorum ſuperuenientes tibi. Cum ſuauitate requieſces, & pauorem & ſuperueniẽtes impiorũ impetus non timebis, ſi lingua tua loquatur iudiciũ dei, & ſemper illud ante oculos habeas, vt peccato locum nullum relinquas: & noueris quod delicti precium ſupplicij retributione ſoluetur. Ipſe enim hoc in nonageſimo interpretatus eſt Pſalmo, dicens. Non timebis à timore nocturno, & à ſagitta volante per diem: à negocio perambulãte in tenebris: ab occurſu & dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem milia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis. Iuſtus enim cùm loquitur iu-
D dicium dei, vel cùm loquitur quæ iuſta ſunt, & veri plena iudicij: non cum iracundia loquitur, non ex animi mœrentis afflictione, non ex dolore, non ex aliqua paſſione, ſed loquitur ex veritate, loquitur ex æquitate vt non propendeat affectu, ſed quæ loquitur, verò pendat examine. Iudicat enim quæ dicenda ſint, vel non promenda. Cui ſimile eſt illud, labia ſapiẽtium alligata ſunt ſenſu. eò quòd omnia quæ loquuntur, vero ſenſui conuenire videantur, & ſenſus ſui prudentia intelligant quę loqui debeant vel taceri: vt quæ ſilenda ſunt, cohibeant clauſtro quodam nexúque labiorũ. In iis autem quæ oporteat dici, labiorum vincula reſoluantur. Meritò ergo præmiſit: Os iuſti meditabitur ſapientiam. Meditatio enim diuturna plenum poterit habere iudicium: quod loquetur iuſtus in tempore cùm ea quæ perfecta ſunt, facie ad faciem viderit. Nunc enim de iis quæ nõ comprehendimus, loqui vera non poſſumus. Denique nec Paulus præſumpſit dicere, qui raptus in paradiſum audiuit ſecreta cœleſtia: ſed volens non in iis errare quæ diceret, aiti

Prouer. 3. *Pſalm. 41.* *Cantic. 5.* *Cantic. 2.* *Ibidem.* *2. Cor. 5.* *Pſalm. 121.* *Pſalm. 126.* *Luce 1.* *Apoc. 6.* *Pſal. 3.* *Prouer. 3.*

1317

aic: Quàm inscrutabilia sunt iudicia dei, & inuestigalibiles viæ eius. Nunc autem absolutus corpore, forsitan inuestiga bilium viarum genera, & iudicia eius, quæ sicut abyssus multa sunt, comprehédit. Adhuc iustitię forma discribitur, & augetur, dicente scriptura: Lex dei eius in corde ipsius, & nõ supplãtabuntur gressus eius.) In corde iusti lex dei est. Quæ lex? Non scripta, sed naturalis. Iusto enim non est lex posita, sed iniusto. In corde eius lex est nõ perfunctoriè, sicut in labiis Iudæorum. Corde enim creditur ad iustitiã. Qui credit, & loquitur: qui autẽ loquitur, non continuò credit. Deniq; non credidit populus, de quo dictum est: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me. Si igitur gẽtes cùm ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex, cognoscẽtes quæ sequi debeant vel cauere: quãto magis fidelis & iustus, qui ad imaginem & similitudinem dei viuit, decora nouit & honesta decernere, & vti legitimo quodã naturalis sapiẽtiæ gubernaculo, ne eius supplantentur vestigia, sicut Esau, quẽ propter gulę auiditatem frater supplãtauit vt caderet, atque in mortẽ vestigia eius effudit. Quo magis iust⁹ est quisque, eo magis illi insidiatur inimicus: & ideo ait scriptura: Cõsiderat peccator iustum, & quærit perdere eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ei⁹, nec damnabit eũ cum iudicabitur illi. Vidẽs ergo peccator, quia iustus in ore suo loquitur, in corde meditatur sapientiam, quia in lingua sua iudicium loquitur, quia in corde suo legem domini custodit: mortem peccati ei conatur inferre: sed dominus tuetur eum. Et ideo non timeamus insidias peccatoris: quoniã deus pro nobis est. Si ergo deus pro nobis: quis contra nos? Propterea non derelinquet iustum suũ deus, nec damnabit eum cùm habuerit de ipso iudicium. Verus enim iudex est: & ideo iustitia nõ potest periclitari. Vnde & Aquila dixit: Nec damnabit eum in iudicando eo. Symmachus: Nec damnabit cùm iudicatur iustus. Sed quia septuaginta viri sic posuerunt, Cùm iudicabitur illi: putamus quòd ad illud respexerit, quia scriptum est: Quoniam ipse dominus veniet in iudicium. Sed in quod iudicium? Audi dicentem: Tibi soli peccaui, & malum corã te feci, vt iustificeris in sermonib⁹ tuis, & vincas cũ iudicaris. Ideo ergo præbet se dominus audiendũ, vt de se iudicetur: quo magis vincat. Quomodo se præbeat, audi: Populus meus, quid feci tibi? aut in quo cõtristaui te? aut quid molestus tibi fui? Respõde mihi. Quia ex Ægypto eduxi te? & de domo seruitutis liberaui te? Et alibi: Ego sum ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: tu autem memor esto, & iudicemur. Graue hoc iudiciũ cùm dominus de se postulat contra hominẽ iudicari. Quid enim respondeas ei qui vniuersa tibi cõtulit, omnib⁹ te præfecit? Subiecit tibi Ægyptios, ad quos hospes aduenerat: insectantes postea mari mersit. Ille tuos deleuit hostes, atque subuertit. Ille te creauit & condidit, ille suo sanguine te redemit: & tu tradis te vt seruias eius inimico? Ille tibi omnia peccata dimisit, & tu grauiora committis? Vocabit te, in iudicium venies: quid respõsurus es ei qui nisi iterũ tibi donet, periisti? Ideoque vidẽs sanctus Dauid hac quadã morali tate dei amplius se grauari, iudicium refugit, misericordiam poscit, dicens: Et ne intres in iudicium cum seruo tuo: quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Cõfitetur se in tenebris sicut mortuum seculi collocatum. Caute sicut mortuum seculi dixit, non mortuũ. Nõ enim mortui seculi, sunt qui moriuntur in Christo illi autẽ sunt mortui seculi, qui omnem vitam suam qua vixerũt in seculo, in interitu & morte constituunt. Et ideo quasi desperatus ad remedium confugit, dicens: Citò exaudi me domine, quia defecit spiritus meus. Talis enim iudicij proposita sibi oblatione defecit, in quo examinanda veritas foret potius quàm misericordia conferenda. Tamen tam pius est dominus vt etsi nemo iustificetur in conspectu eius viuens, (quis enim quamuis iustus non obnoxius est peccato? aut cuius talis est vita, vt digna iudicetur dei similitudine?) vtique ad imaginem & similitudinem dei factus, debet sicut deus sine peccato esse, ita & is qui ad imaginem eius est, sine peccato esse. Qua ergo dignus est pœna qui gratiam tantam dominicæ operationis, & similitudinem diuini decoris amisit? Sed quia misericors est: etiã si ipse se iudicio subiiciat, iustũ tamen non iudicat, sed iniustum. Iusto parcit, quasi conditionis fragilitate peccanti: iniustum punit, quasi qui detestetur ingratum. Deinde etiã si multa habeas opera iustitiæ, noli esse impatiens, atque arrogans, quo præmia tibi iustitię in hoc seculo existimes flagitanda, aut indignè tibi aduersa accidisse aliqua conqueraris. Quandiu enim viuis, certamen tibi debetur, non præmium. Expecta ergo vel auxiliatorem dominum vel remuneratorem: & custodi vias eius. Hoc est expectare, eius quem, expectandum putas, mandata conseruare. Etsi conteraris, etsi affigaris, etsi ægritudine deficias, tamen expecta dominum: non te confundet spes. Veniet dominus, & exaltabit te, vt hæreditate possideas terrã.) Liquet superiorem esse terram, non istam in valle terrenam: sed illã quæ est repromissionis æternæ: in qua quicunque constituitur, exaltatur à domino. Videbis autem cùm pereunt peccatores. Tunc enim iustorum remuneratio erit, cùm iudicium fuerit de meritis impiorum. Sed nõ vno genere pereunt peccatores. Antè tibi pereunt, si eorum potentiam diuitias non mireris. Si nõ te moueat cùm eos honoribus, liberis, amicis abundare cognoueris. Hæc enim seculi sunt, & seculum seculari subiacet malignitati: & princeps mũdi iis qui sibi seruiunt, fauet, secundum illud: Omnia tibi dabo si procidens adoraueris me. Quid quæris vt ea tibi dentur, cùm ipse impius qui dat, in eis diutius esse non possit? Transit etiam ipse: quomodo possunt non transire quæ contulit? Tu modo constantem animum gere, iustitiam tene, nemo te moueat, & videbis nihil esse impium. Denique audi dicentem: Vidi impium superexaltatum & eleuatum super cedros Libani: & transiui, & ecce non erat. Vidi eum in seculo hoc, vidi oculis corporis. Vidi etiam eleuantem se & superexaltantem sermonibus suis, estimantem se aliquid esse, qui nihil est. Quomodo se superexaltat? Ponam, inquit, thonum meum super nubes: & ero similis altissimo. Exaltat se, vt videas eum sicut cedros Libani superexaltatas: & ipsę altæ sunt, & in monte sunt altissimo. Meritò ergo superexaltatæ sunt: & superexaltatus videtur impius, qui se in illo monte constituit, de quo scriptum est: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic mõti, Tollere, & iactare in mare. Huic, Cui? Dæmonio, inquit, à quo iste inuasus fuerat & oppressus, quem miramini esse sanatum. Ideo charitatem magis habet in Christo, quàm potestatem in diabolo. Vides cedrum in monte altissimo superexaltatam: sed vento frangitur, sed igni exuritur, sed vetustate dissoluitur. Ita est diues in seculo. Fulget quidem splendore quodam gratię secularis vt Libanus. Nixus est mundi potentia, opibus & diuitiis exultat. Videtur tibi aliquid esse antequam dicas, Trãsiens videbo. Sicut enim Moyses animo & mente transiuit materialia, & deum vidit: ita & tu si transeas hinc, ad dei gratiã vestigium tuæ mentis attollens: videbis eum nihil esse qui in hac terra sibi potentissimus videbatur. Ideo animæ tuę dicit, menti tuæ dicit deus verbum: Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano: transibis & pertransibis. Si transeas secularia, pertransies ad paradisum. Audi transeuntem: Memento mei domine cùm veneris in regnum tuum. Audi iterum pertranseuntem. Amen amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso. Quid est, Ecce non erat? In principio vtique verbum erat. Et qui verbum videt, qui particeps verbi est, vtique & ipse est: quia verbum dei semper est. Et sermo qui de ipso est, non est, est & non, sed est: & manet in eo qui sequitur deum. Qui autem nescit verbum, non est: quia non adhæret ei qui dixit, Ego sum, qui sum. Qui autem adhæret ei, vnus spiritus est. Vbi autem spiritus, ibi & vita. Ideo tibi dicit scriptura de deo: Qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ nõ sunt, tanquam ea quæ sunt. Hoc est, vocat gentes quæ non erant, tanquam populum suum qui erat. Erant enim patres nostri, qui erant electi dei. Et alibi dicitur: Cognouit dominus qui sunt ipsius: non cognoscit eos qui non sunt. Et Hester ait: Non des virgam regni tui iis qui nõ sunt. Rectè ergo iustus dicit: Et transiui, & ecce non erat. Hoc est, vidi eũ superexaltatum in seculo antequam considerarẽ quia nihil est seculum, Vbi autem transiui mente supra mundum, vidi quia iam nõ erat qui ante erat superexaltatus in hoc mũdo. Et tu si iustus es, transi à presentibus ad ea quæ futura sunt:

Matth. 4. Gala. 6. Esaiæ 14. Matth. 17. Exod. 3. Luce 23. Exod. 3. 1. Corin. 6. Roma. 4. 2. Time. 2.

& trāſibunt tibi præſentia. Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt. Iuſto ergo omnia tranſeũt. Tranſit impius, ſimilis vanitati, & dies eius ſicut vmbra præ-
tereũt. Nec ſolum prætereunt iuſto præſentia, ſed etiam cũ ad ea quę ſunt futura intenderit, iam iſta prætereunt. Vide quomodo iuſto præſentia prætereunt. Vtique temporibus Dauid propheta ſynagoga erat, eccleſia ex gentib⁹ nõ erat: & idem futuris q uaſi præſentibus dicit: Benedicite gentes deum noſtrum. Deinde ſupra ait: Aſcendit deus in iubilatione. Tranſiuit perfidiæ ventura tempora, non ætate, ſed mẽte, & reſurrectionem domini multo pòſt ſeculo futurã pia fidei deuotione celebrauit, dicens, Pſallite deo noſtro, pſallite, pſallite regi noſtro, pſallite. Quaſi intereſſet ipſis Chriſti & eccleſiæ nuptialis copulæ ſacramentis, ita tripudiat & gaudet. Cauſam quoque celebritatis expreſſit dicens, Regnabit dominus ſuper omnem terram. Ergo ſi nos prætereamus: & illa prætериſſe quæ futura ſunt, nobis videntur, vt ſi in nauigando terram prætereas, illam quoque videas prætерire, & quaſi à te diſcedere. Sæpe nautæ maximè in tẽpeſtate fugiũt terram. Et tamen cùm eam fugiunt nauigantes, ipſa potius fugere videtur à nauigãtibus. Et tu ſi fugias mũdum hunc, & ipſe te effugiet. Si prętereas terram hanc, & ipſa te præterit. Et tu in mari hoc nauigas, & in hoc ſeculo fluctuas. Fuge terram, ſaxa habet, lapides habet, ſicut ſcriptum eſt, Lapides de via proiicite. Si feſtines per aërium hoc profundum ad portum diuinæ voluntatis, videbis tibi hæc omnia prætериſſe. Quid enim intereſt vtrum prætерierint, an tibi ea iudices prætериſſe? Eſt & alius impius qui videtur exaltatus & eleuatus ſuper cedros Libani: & ſi trāſeas, nõ erit, nec locum eius inuenies. Vide mihi ſcribam Iudaicum reddentem ſeriem veterum ſcripturarum, ſed non ſequentem. Audis quia labiis reddit, miraris vt doctũ. Interrogas quid ſentiat. Reſpondet ſecundum literam, percurrit hiſtoriam. Superexaltat⁹ videtur tibi & eleuatus ſi literã cogites. Trāſi ad intelligentiam ſpiritalem, quia lex ſpiritalis eſt. Vides illum nihil eſſe: tum dicis, Vidi impium ſuperexaltatum, & tranſiui, & ecce non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuẽtus locus eius. Quæſiui eum vbi eſſe debuerat: vbi vita eſt, non illum inueni. Non erat ibi vbi vita erat, quia mortuus erat: & ideo nec locus eius inuẽtus eſt. Qui enim mortui locus, q non erat, nec fuit vnquã? Non enim fuit, qui in litera erat. Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Quęſiui ergo eum, vt inuenirem, ille ſe non præbuit vt inueniretur. Hoc eſt, ego eum volui cõuertere: ille ſe mihi præbere noluit vt conuerteretur. Feci quæ erant quærentis: ille refugit ea quæ eſſe debuerant reuertẽtis. Denique anima quę cõuerti vult, verbum requirit: & cùm inuenerit, dicit: Tenui eum, & nõ dimittam eum: hoc eſt dei filium, dei verbum. Iniuſtum autem, qui ſanari noluit, quæſiui eum, & non inueni eum: & ideo non illum imiteris. Cuſtodi innocẽtiam, & vide æquitatem. Qui cuſtodit innocẽtiam, æquitatem videt: quoniam qui mundus eſt, deum videt, cuius virga recta eſt, directa iuſtitia, vt aduerſetur eos qui declinauerint ad ſtudia prauitatis. Bona innocentia, quæ deum videt. Denique alij poſuerunt, Cuſtodi perfectionem. Perfectus eſt enim qui malitiã neſcit, nec dolum nouit. Ideo, inquit, cuſtodi perfectionem, quia ſunt reliquiæ homini pacifico.) Reliquiæ dicuntur hominis de corpore mortui, de eius exuuiis. Ideo reliquiæ, quia poſt mortem hominis videntur ſupereſſe. Superſunt enim quæ ſeruantur ad reſurrectionem. Opertet enim hoc corruptibile induere incorruptionẽ, & hoc mortale induere immortalitatem. Ergo magis reliquiæ ſunt homini ſpes reſurrectionis, & fides conuerſionis, & gratia dilectionis: quoniam impij non reſurgunt in iudicium. Vita autem iuſtorũ nota eſt deo, & iudicio domini cõprobatur. Huic loco pulchrè illud conuenit: Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Iniuſti autem diſperibunt: reliquiæ impiorum interibunt.) Iuſtorum reliquiæ virtutes ſunt: impiorum reliquiæ, improbitas, atque perfidiæ peccatum. Ea deleburtur vt non ſint. Salus autem iuſtorum à domino:) non à ſeculo, non ab elemento. Cœlum & terra præteribunt. Nõ committo ſalutem meam cœlo, quia & ipſum prętерit, quia de pluribus cœlis dictum eſt. Ipſi peribunt, tu autem permanes. Deo ſoli cõmitto, qui permanet, qui poteſt peccata donare, vt protector meus ſit in tempore tribulationis, & adiuuet me, & liberet me, & eripiat me à peccatoribus in-dicij ſui tempore: & ſaluum me faciat, quoniã ſperaui in eũ. In ipſum ſolum ſperaui. Nõ vult enim nos & ſibi & alij ſeruire. Qui ipſi ſoli ſeruit, liberatur: quoniam ipſi eſt laus, gloria, perpetuitas à ſeculis, & nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Matth. 24.
Pſalm. 143.
Pſalm. 46.
Ibidem.
Pſal. 36.
2. Corin. 3.
Cantic. 3
1. Corin. 15.
Pſalm. 1.
Roma. 11.
Matth. 24.
Pſalm. 101.

In Pſalmi xxxvij. enarrationem præfatio.

DE pœnitentia duos iamdudum ſcripſi libellos: & iterum ſcribendum arbitror. Primum, quia vtile eſt vel quotidie veniam delictorum precari: deinde quoniam in illis duobus libellis adhortatio pœnitentiæ vel profectus eſt, ſi geratur. Nunc autem quem admodum agi pœnitentia debeat, exprimendum eſt. Nihil enim prodeſt agere, niſi ita agatur vt oportet. In quo ſanct⁹ Dauid ſequendum nobis propoſuit magiſterium, qui ideo mihi videtur guſtaſſe peccatum, vt doceret quemadmodum peccatum poſſet aboleri. Vnde enim medicina niſi de vulnere ſumpſit exordiũ? Dum prima ætas generis humani docet alios quod ſibi profuit, & quemadmodũ vulnus ſuum ſanauerit, aliis oſtendit. Vſus artem fecit, & ægritudo magiſterium. Ipſa eſt enim prima & valida facta medicinę quam experientia non coniectura formauit. Ideoque ab experientia, ἐμπειρικοὶ primo medici ſunt vocati, & ex ea ſecta cæteræ deriuatæ ſunt, atque ab ea vſum quendam ſuæ ſumpſere virtutis. Quid autẽ eſt ad cohortationẽ pœnitẽtiæ validius, q̃ quod ſanctus propheta Dauid peccatorũ noſtrorũ nos docuit pœnitere? Quis enĩ dedignetur humiliare ſe deo, cũ rex ſe humiliauerit? Aut quis dubitet affligere animã ſuã, cùm Propheta tantus afflixerit, ſoluẽs preciũ lachrymarũ pro redẽptione peccati? Et quanuis toto ſcriptorũ ſuorũ corpore gerendæ pœnitẽtiæ præcepta diffuderit (quis enim eius pſalmus non medicamentũ eſt conſciẽtiæ peccatricis, cùm alibi quẽadmodũ impulſus ſit, alibi quẽadmodũ conturbatus, oſtẽderit, vt non ſolum quẽadmodũ ſint ſanãda, ſed etiã quẽadmodum cauenda vulnera, demonſtraret, & ſuo nos doceret exemplo? quis autem ſtare ſe credat, vbi lapſus eſt etiam fortior?) tamen in triceſimo ſeptimo pſalmo maiorem vim dol oris interni, & lamentabilis deplorationis expreſſit. Denique in exordio ipſe nos titulus admonet huiuſmodi præcepta formari. Sic enim legimus: In commemorationẽ, inquit, dici ſabbati pſalmus Dauid.) Plena enim eſt definitio pœnitentiæ, commemoratio delictorum, vt vnuſquiſque peccata ſua velut quodam quotidiani ſermonis caſtiget flagello, & commiſſa ſibi flagitia condemnet. Sic enim docemur dicente domino: Dic iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Et Apoſtolus ait: Ore cõfeſſio fit ad ſalutem. Sed fortè moueat quia nõ dixit peccatorum commemorationem, ſed diei ſabbati, aut (ſicut alius habet) ſabbatorum. Quid eſt ergo ſabbatum, niſi requies futurorum, leuamẽ præſentiũ, quo lex iubet hominum opera feriari, onera deponi: Quæ ſunt grauiora onera, niſi noſtra peccata? Hæc deponantur in ſabbatorum diebus: hoc eſt, in hoc vitæ iſtius tempore. Septem enim diebus hebdomas omnis concluditur, ſed diebus mũdus iſte formatus eſt, ſeptimo die requieuit dominus ab opere ſuo: qui in noſtra manſuetudine requieſcit: ſicut ipſe dixit: Super quem requieſcam, niſi ſupra humilem & manſuetum? Abſolue ergo omni ſabbato & alleua põdus errorum, vt ſecut⁹ ad illius futuri ſabbati requiẽ peruenire merearis. Nam ſi hinc peccata grauia portaueris, illic requiem nõ habebis. Exonera igitur tuã mentem, reiice omnia quibus cõſciẽtia grauatur & premitur, ne fiat fuga tua hyeme vel ſabbato. Vita hæc in labore eſt, illa in requie. Leuiorẽ te ſeculi huius reperiat cõſummatio, ne oneratus peccatis fugere nõ poſſis. Ante fuge, vt prævenias. Fugit ſeculum, qui ſeculi illecebris non tenetur, qui ſe omni cura eius abſoluit. Fuge etiã futuram, hoc eſt iudicij diẽ. Fugit eã qui egerit pœnitentiã. Sic enim definiuit baptiſta Ioannes, dicẽs: Generatio viperarũ, quis vobis demonſtrauit fugere ab ira ventura? Facite ergo fructus dignos pœnitẽtię. Audiſtis hodie legi quia Ioannes baptizabat in Enon iuxta Salim. Enon dicitur ocu-

Eſaiæ 43.
Roma. 10.
Eſaiæ 66.
Matth. 11.
Luc. 3.

1321

lus suppliciorũ, Salim ipse accendens. Hoc habet interpreta
tio. Qui ergo baptizari eligit supplicia præuidet. Et ideo cõ A
fugit ad baptismatis sacramentũ, vt peccatũ omne deponat,
ne obnoxius incipiat esse supliciis. Et fortè supplicia præ-
uidet qui baptizatur baptismo pœnitẽtię. At verò ille gratiã
spectat, qui baptizatur in Christo. Baptismus ergo Ioannis,
oculis suppliciorũ est: baptismus Christi, oculus gratiarum.
Tamesti in Enon baptizabat Ioannes, iuxta ascendentẽ ba-
ptizabat. Hoc enim & ista habet interpretatio, vt Salim di-
catur ipse ascendens. Proximus ergo erat Christo, qui eius
nunciabat aduentũ. Etenim filius hominis qui descendit de
cœlo, ipse est & qui ascendit in cœlũ, vt impleret omnia. Sed
quia qualis cœlestis, tales & cœlestes: ille ascẽdit in cœlum,
qui terrena deponens cõsepelitur in Christo, vt cũ Christo
resurgat à morte peccati ad nouitatẽ vitæ, hæreditatisq; cõ-
sortium, vt fiat sicut scriptũ est, dei heres, Christi cohæres.
Vera ergo medicina est gerere pœnitentiã: quæ tunc legiti-
mè prædicata est, quando medicus venit è cœlo qui nõ exa-
sperat vulnera, sed sanaret. Bonus medic⁹, qui docuit quẽ- B
admodũ in hac terra corporis nostri remedia quæreremus,
cùm flos nobis herbæ salutaris oriretur, qui de peccato dã-
nauit peccatũ in carne. Antidotum ergo facta est caro, quæ
erat venenum antè peccati, quia erat, illecebra peccatorũ.
Audi quemadmodum antidotũ caro. Dei verbum factũ est
caro, misit manum in cauernã aspidum: venenũ euacuauit,
peccatum abstulit: id est, de peccato damnauit peccatum in
carne. Et vt hoc possit plenius cõsiderari, ipsum apostoli ca-
pitulũ recenseamus. Nanque ita scriptum est: Deus mittens
filium suum in similitudinẽ carnis peccati, de peccato dam-
nauit peccatũ in carne, vt iustificatio legis impleretur in no
bis, vt non secundum carnem ambulemus, sed secundũ spi-
ritũ. Venit ergo dei filius in similitudine carnis peccati. Nõ
vtique in similitudine carnis venit, qui verã carnẽ susceptt,
sed in similitudine carnis peccati, id est carnis peccatricis.
Facta enim erat fraude & veneno infusa serpẽtis caro nostra
caro peccati. Postquã est obnoxia facta peccato, facta erat ca
ro mortis: quia erat morti debita. Huius carnis iam reę, iam
præiudicatæ similitudinẽ Christ⁹ in sua carne susceptt: quia C
etsi naturalem substantiã carnis huius susceperat, non tamẽ
contagia vlla susceperat, nec in iniquitatibus cõceptus, & na
tus est in delictis, qui nõ ex sanguinibus, neq; ex voluntate
carnis, neque ex voluntate viri, sed de spiritu natus ex virgi-
ne est. Quid ergo est, De peccato damnauit peccatum in car
ne? Vtrũ de similitudine carnis peccati? an quia peccata no-
stra Christus non vsu sed qualitate susceptt: nõ crimine, sed
suæ misericordiæ sacramẽto, & peccatum pro nobis factus
est, qui peccatum ipse non fecit: An verò quia de ista carne
peccati, hoc est nostra hac obnoxia & prę iudicata damnauit
peccatum in carne, docẽdo quemadmodum in carne positi
non secundum carnem ambulemus, sed secũdum spiritum?
Peccatum quippe est secundum carnem ambulare, quia lu-
xui & voluptatibus & lasciuiis & carnis cupiditatibus viuit
qui secundum carnis sapientiã conuersatur. Sapientia enim
carnis inimica est deo. Vnde qui in carne sunt, deo placere
non possunt. Ideoque peccatum damnat de peccato, qui se à
carnis vitiis abluendo, secundum spiritum viuit, totus deo D
deditus, & cœlestibus intentus oraculis, propter quod Chri
stus aduenit, vt non suam, id est carnis, sed dei faceret volun
tatem. Si quis ergo illum sequatur, vt faciat quæ placẽt deo,
& carnis suæ comprimat appetentiam: imitator est Christi.
Quid sensérimus, expressimus. Qui legis, elige quid sequa-
ris. Nullus error, vbi simplex pietatis affectus, atque omnis
fidelis est sensus. Damnauit peccatum Christus susciendo
similitudinem carnis peccati, vt delicta nostræ carnis abole
ret. Damnauit peccatum, vt peccata nostra in sua carne cru-
cifigeret, factus pro nobis ipse peccatum, vt nos in ipso esse
mus iustitia dei, qui eramus captiuitas mortis, & præda ser-
pentis. Ergo pietatis est susceptio peccatorum ista, non cri-
minis. Per hoc peccatum nos deus æternus absoluit, qui fi-
lio suo proprio nõ perpercit, & peccatũ eũ fecit esse pro no
bis. Deinde damnauit peccatũ Christus in carne de ipsa car-
ne peccati, quæ iudicabili quodam vigore & auctoritate cẽ
soria odit vitia quæ amare consueuerat, & horret impudici
tiam, quam voluptatem putabat. Segregat se à lasciuis, abdi-
cat à cupiditatibus, renunciat criminibus atque flagitiis,
propulsat auaritiam, quæ virilitatem quandam carnis effœ-
minat. En tibi illum Christi imitatorem, & ipsum de pecca
to peccatum in carne damnantem. Sic curro, inquit, non vt 1. Cor. 9.
in incertum: sic luctor, non vt aëra cædens: sed castigo cor-
pus meum, & seruituti redigo: ne cùm aliis prædicauerim,
ipse reprobus efficiar. Non superfluò (vt arbitror) euagati
sumus: quia & hoc ad medicinam hominis pertinebat: cui
medicinæ prospiciens deus, sicut terram istam salubres her-
barum atque arborum succos ferre præcepit, quibus carnis
vulnera curarentur: ita etiam præceptis salutaribus reple-
uit diuinarum seriem scripturarum, quibus infirmitas ani-
mæ sanaretur. Itaque quàm graue est vt muta animalia me-
dicari sibi nouerint, & vulneribus suis herbas salubres re-
quirant, deligere non refutent: & hominum industria non
requirat, quibus etiam medicus est missus qui medicinæ sa-
lutaris in veteribus scripturis semina demonstraret, & noua
ipse deferret? Quàm multa itaque salubria sunt quæ noxia
perfunctoriè iudicantur? De ipsa terra sumamus exẽpla. Ser
pẽs alit venenũ, morsus noxios habet, vulnerat carnẽ: sed in
ipso quoque eius veneno antidotum reperies, si requiras.
Denique caro exuritur, cuius puluere theriaca conficitur:
qua veneni vis consueuit hebetari, vt nocere nõ possit. Non
terra ergo in vitio, quæ serpentem generat: sed ille qui ne-
scit cauere serpentem. Ipse serpens potest tibi prodesse, si in
telligas: imo si medici præcepta non spernas, imittandum
disce quem putas esse fugiendum. Estote, inquit, astuti sicut Matth. 10.
serpentes, & simplices sicut columbæ. Serua caput tuum si
cut serpens: & si laceratus toto corpore fueris, reuiuisces.
Ceput tuum Christus est, quia caput ipse est viri. Si seruaue
ris fidem, & si mortuus fueris sicut serpens, & tu resurges. 1. Corin. 11.
Imitare serpentem, qui exteriorem suum exuit, vt renouetur interior. Imitare serpẽtem, qui venenum suum euomit.
Beatus & tu si cogitationes tuas malas euomas, & malitiæ
tuæ venena deponas. Celebris sermo est, & scriptorum au-
ctoritate robustus, serpentem aquis appropinquantem sibi-
lo sibi fœminæ anguis sponsare concubitus: illam propriæ
consulentem saluti, ea spondere lege petitos coitus sui vsus,
si serpens venenum euomat: captúmque obedire iussis, ar-
ma deponere, ac proprij more conuentus caput ori eius in-
serere: atq; vbi calescere cœperit cõsuetudo: seu naturæ qua
dam violentia, seu libidinis ardore fœminam stringere ora,
morsúsque libidinis osculis premere, atq; ita caput serpẽtis
abscĩdi. Nõne in natura serpẽtis mysteriũ fidei recognoscis?
Serpẽs ille paradisi prior fœminã ad culpę adulteriũ prouo- Gen. 3.
cauit: sed vbi venenũ eius effusum est in hunc mundũ, sobo
les illius fœminæ circunuentionẽ parẽtis, & fraudẽ vlta ser-
pentis, armis eũ suis exuit, & caput illi⁹ amputauit. Quòd si
venena præualuerint, & peccatũ in quo est aculeus mortis,
irrepserit: vtere medicorũ exẽplo, vt tibi serpẽs vel serò mo
riatur. Cõteras eius venenũ, corpúsq; comminuas, & admi-
xtum salutaribus succis noueris temperandum, vt non so-
lum vim suam & virus amittat, sed etiam fiat remedium de
veneno. Moritur autem tibi serpens ille intelligibilis, si tu
moriaris peccato, & tibi tua peccata moriantur. Sic conte-
ritur eius venenũ, si te tua facta cõpungant. Sic omne virus
eius aboletur, si bonis operibus tegas, & fideli confessione
temperes crimen admissum. Audi quemadmodũ virtus dra-
conis ipsius conteratur. Conterat, inquit, deus Satanam sub Rom. 16.
pedibus vestris. Contere primo cor tuum in quo erat dra-
conis cubile, vt non inueniat vbi possit habitare. Contere
draconis carnes. Carnes eius peccato nostra sunt. Ideo tibi
dicit deus: Epulantur in eo gentes. Et infra: Præcurrit mori.
Carnes autẽ corporis eius sunt adhærẽtes ei. Sicut enim san
cti, corpus & membra sunt Christi: ita peccatores qui pec-
catum non deserunt, sed peccato inhærent, corpus draco-
nis & membra sunt. Ideo nos Christi corpus epulamur, illi
autem corpus epulantur draconis. Nos epulamur qui Chri
sto adhærere contendimus, remissionem quotidianam &
veniam peccatorum. Illi autem qui peccatis quotidie pec-
cata connectunt, continuationem flagitiorum epulantur &
criminum. Contere igitur has carnes, & super eas con-

tritionem tui cordis aſperge. Deinde mitte ſuper omnia ea Iordanis aquã. Iordanis enim deſcẽſio & aſcẽſio eſt: quoniã qui in fontem ſacrum deſcenderit, & aſcendit, vt quæ ſuperiora ſunt quærat. Deſcẽdit enim in mortem Chriſti, qui baptizatur in Chriſto, & in reſurrectionẽ eius aſcendit. Si autem iam baptizatus erraſti, mitte aquam lachrymarum, non mendacem, ſed veram, vt de profundo clames ad dominum
Matth. 2. deum tuum, vt dicatur de te, Vox audita eſt in Rama, fletus & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos: & noluit cõſolari, quia non ſunt. Rachel eccleſia eſt, in qua benedicitur plebs dei. Ipſa pro te fleat, ipſa tua peccata deploret & fleat plurimum, vt conſolationem facile non admittat, quemadmodum qui plurimũ dolẽt. Ideo cõſolari ſe noluit, quoniã qui eras, eſſe deſiſti. Sed hac perſeuerentia doloris & fletus
Lucæ 15. emereatur vt dicat: Filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Aut fortè conſolari ſe noluit Rachel in filiis Iudæorum, quia non ſunt: quos vtique ideo genuerat, vt eſſent: & ideo non admiſit conſolationem occiſis parvulis ab Herode, quia nec in aduentũ Ieſu crediderunt, mentẽ ſuã ſceleris adimplentes, & vt paruulos interficerẽt, vt inter eos filius virginis necaretur. Ergo eccleſia domini in Iudæis conſolari noluit, quia nõ ſunt. In Chriſtianis autẽ qui ex nationibus congregati ſunt, epulatur & gaudet, quoniam cœperunt eſſe, qui non erãt. Miſiſti ergo aquam Iordanis, aquã gratiæ: hoc primum bibe. Miſiſti aquam lachrymarum, aquã
Pſalm. 101. pœnitentiæ. Hoc ſecundum eſt poculum, vt primũ repares. Bibe aquam de tuis vaſis, bibe aquam de tuis fletibus, vt dicas, Et potũ meum fletu temperabã. Fletus ergo tuus potus
Pſal. 41. eſt tu⁹, & lachrymæ tuæ cibus eſt tuus. Fuerunt, inquit, mihi lachrimæ meæ panes. Si lachrymæ panes, habes ex peccato iniquitatis cibũ conuerſionis, ſecũdum illud quod legis
Lucæ 7. in Euangelio: Quoniã cui plus dimittitur, plus diligit. Vnde ſepæ videmus aliquos qui antè negligẽtes fuerunt Chriſtiani, peccato aliquo commiſſo fieri diligẽtiores, & ex illo per pœnitentiã euadere ſolere perfectos. Sicut igitur ex peccato conuerſio, ita remediũ de veneno. Audi hoc remediũ. Iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Venenũ peccatũ
Prouer. 18. eſt: remediũ accuſatio eſt ſui criminis. Venenũ iniquitas eſt: confeſſio remediũ prolapſionis. Et ideo verè remedium de
Eſaiæ 43. veneno eſt, ſi dicas iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Sed iam pſalmum adoriamur, vt ipſe nos doceat quemadmodũ agenda pœnitentia ſit. Itaque ſic incipit.

Pſalmi xxxvij. enarratio.

DOmine ne in ira tua arguas me, neq; in furore tuo corripias.) Qui pœnitentiã agit, paratus eſſe debet ad opprobria perferẽda, iniuriaſque ſubeũdas, nec commoueri ſi quis ei peccati ſui crimen obiiciat. Cùm enim ipſe accuſare ſe debeat, quemadmodum alium non ſuſtinet arguẽtem? Quod ſi ab homine argui timere nõ debet, quanto magis à domino deo ſuo, cui omnes etiam in iis quæ ſunt occulta peccamus? cùm præſertim condemnatio præſentium, abſolutio futurorum ſit. Qui autẽ non condẽ-
Pſal. 72. nantur in ſeculo, cum homnibus nõ flagellabuntur. Væ mi-
Matth. 6. hi ſi de me dicatur, Habet mercedem ſuã. Si bonum factum hac condemnatur ſententia: quanto magis crimẽ grauatur? Nã ſi miſericordia facili iactata ſermone, fructu fraudatur æterno: quanto magis iniquitatis pœna acerbi fœnoris acceſſione differtur? Ergo qui pœnitentiam agit, offerre ſe debet ad pœnam, vt hic puniatur à domino, non ad ſupplicia æterna ſeruetur: nec expectare tempus, ſed occurrere diuinæ indignationi. Vide facta Dauid eius precibus cõuenire. Offen-
1. Para. 21. derat dominum, quia numerari iuſſerat populũ. Confeſſione præuenit dei nuncium, peccaſſe ſe valde, & nimis ſtultè feciſſe commemorans: non quaſi admoneret oblitum, ſed quaſi vrgeret morantem, ne diutius cõmotionem differret offenſæ. Peccaui, inquit, valde, quoniam hoc verbum feci. Et nunc domine dele iniquitatem ſerui tui. Quomodo de-
Eſaiæ 40. leantur peccata, audi dicentem: Solutum eſt peccatum eius, quia recepit de manu domini duplicia peccata ſua. Nõ ergo penitus ſibi peccatum remitti poſtulat, ſed moderata ſolutione deleri, hoc eſt, vt in futurum eius memoria deleatur.

1324

Denique quaſi interpellantis voce conuentus dominus ne
A vindicta commiſſi protelaretur erroris, miſit ad eum Nathã† prophetam: & ille venit ad regem, & dixit ei: Quid † Gal. 1. Para.
fieri velis, elige: triennij famen ſuper terram, aut tribus mẽſibus fugere te à facie inimicorũ tuorũ, & illos perſequentes: aut triduo fieri mortẽ in terra. Et nũc ſcito & vide quid reſpondeam illi qui miſit me. Vide docẽtem deum qua moderatione eius indignatio leniatur, ſi nõ penitus verbera recuſemus, ſed qualitatem leuandi non euitandi ſupplicij poſtulemus. Tria propoſuit, vt quod moderatius putaret, eligeret. Vide etiam quemadmodum ad pœnitentiam prouocat, vt nos offeramus iniuriæ: eligere pœnam mandãs, vt in ipſa pœna electionis quædam prærogatiua ſeruetur, & reo ſuo blandiatur hoc verbo. Et dixit Dauid ad Nathan: † Angu-
† Gal. ſtiæ mihi ſunt in his tribus: ſed magis incidam in manus domini, quoniã magna eſt miſericordia illius: quàm in hominum manus. Nũquid donari ſibi pœnam popoſcit erroris? Quod ſi feciſſet, impudentiæ notaretur, qui moderatio-
B ni diuinæ fuiſſet ingratus. Sed plurimum ſuffragatur reo verecunda confeſſio: & pœnam quam defenſione euitare non poſſumus, pudore ſubleuamus. Elegit nõ quod à flagello eſſet immune, ſed quod moderatius iudicauit, vt dei lenitati magis, qui noſſet ignoſcere, quàm hominũ ſe committeret poteſtati, qui menſuram vltionis frequenter excederẽt. Miſeretur itaque qui neſcit errare, non miſeretur qui erroris eſt particeps. Nec fefellit ſanctum Dauid fides ſua, ſed in ipſa quoque offenſione gratiam diuinę miſerationis emeruit. Nam qui propoſuerat mortem triduo exercere in terra: ne vnum quidem diem paſſus eſt præterire, ſed ad horam prædij libenter indulſit, & (vt verbo ſcripturæ vtar) habuit pœnitentiam ſuper malitiam. Vide quomodo te ſcriptura hortatur vt & tu pœnitentiam non refugias, ſi ſequaris deũ, quẽ ſequi debes. Bene addidit, ſuper malitiam: quia videtur omnis dura eſſe vindicta. Ideo & dies iudicij dies dicitur mala, de qua beatus eſt qui per deum liberatur: vt ſcriptum eſt: In
Pſalm. 40. die mala liberabit eum dominus. Et dixit inquit, angelo do-
C minus vt parceret. Vide autem quia quando vult dominus
1. Para. 21. ignoſcere, dat gratiam & fiduciam deprecandi, Et vidit Dauid ferientem angelum, & dixit: Ecce ego ſum; ego peccaui, & ego paſtor malè feci, & iſti in hoc grege quid fecerunt? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Si mandauerat dominus angelo vt parceret, quomodo feriebat adhuc angelus? Niſi quia dominus etſi vult ignoſcere, vult rogari. & vt rogetur hortatur. † Nec vidiſſet homo angelũ ferien-
† ipſum. tem, niſi dominus eius oculis angelum reuelaſſet. Vnde &
4. Reg. 6. Heliſæus dicit: Domine aperi nunc oculos pueri huius, vt videat. & aperti ſunt oculi pueri eius, & vidit mõtem equis repletum & curribus in circuitu prophetæ. Nec te moueat q̃ perſona vilior ſeruuli quã prophetæ vel regis, quia vilior & equorũ & curruum ſpecies q̃ ſanctitas angelorũ. Et fortaſſe aliquibus perfunctoriè legẽtibus durũ videatur quòd Dauid ille humilis corde atq; manſuetus, qui parcebat inimicis, mortẽ magis populi elegit, quã ſuã fugã, aut famẽ ſuper terrã. Famẽ populi vitauit, quia grauior morte & omnibus ſuppliciis habetur, quã ſequitur etiã peſtilentia quæ cõ-
D lum contaminat, mortẽ aceruat. Suã fugã nõ popoſcit propter illud, quia propheta pro populo deprecari poterat, ſicut factum eſt, populus, pro propheta interuenire nõ poterat. Scriptum eſt enim, Si populus errauerit, ſacerdos orabit pro eo. ſi ſacerdos errauerit, quis rogabit pro eo? Et tamen vbi vidit occidit populum, ipſe ſe angelo feriendũ obtulit, vt ipſe potius pro populo feriretur. Plus eſt quod nec ipſa perterritus ſpecie mortuorum gladio ſe obtulit, quàm ſi ſermonem propoſitæ conditionis optaſſet. In electione itaque rationem ſecutus eſt, in dolore pietatem. Vide autem domini gratiã, quòd & ipſe à propoſita conditione deflexit. Nũquid aliquod miſerationis eſt crimen, quia plus minatur, & minus exigit, qui in remuneratione præmiorum ſua promiſſa cuſtodit, in exactione pœnarum præſcriptum remordet? Cùm iraſcitur in reum, differt: cùm miſeretur, properat vt abſoluat, terret vt corrigat, admonet vt emendet præuenit
Pſam. 74. vt ignoſcat. Vnde & alibi ait propheta de domino, Calix in manu domini vini meri plen⁹ eſt mixto, verũtamẽ fex eius non

1325

non est exinanita. Ad terrendum plenus est calix, ad ferien
dum non est exinanitus. Plenus erat calix cùm mors per tri
dum mandaretur: sed occurrit misericordia dei, tenuit ma
num angeli priusquam calicem istum exinaniret. Vt scias
aût quia calix pœna vel gladius est, audi dicentem, Accipe
calicẽ vini meri huius de manu mea, & potionabis omnes
gentes ad quas ego mittã te, & vomentes & insanient à facie
gladij. Et ad Hierusalem dicitur, Bibisti calicem iræ de ma-
nu domini: calicem enim ruinæ † bibisti, & exinanisti, nec
erat qui te consolaretur. Hierusalé mensuram bibit, quæ su-
pra mensurã peccauit. Ecclesia Christianorum calicem iræ
exinanire non nouit, sed exinanitum vnguentum: propter
quam se Christus exinaniuit, vt vbique fragraret. De manu
domini hoc munus accepit: poculum autẽ mortis ignorat.
Duos calices lego: vnum mortis: alterum vitæ. Mortis cali-
cẽ suo Christus exinaniuit in sanguine: & nouum calicem
ministrauit, vt dicamus: Calicem salutaris accipiã. Noui ca-
lix est testaméti, qui in remissionem effunditur peccatorũ.
Effunditur hic calix, & fæx eius nõ inuenitur, quia mundat
omne delictum. Diximus quemadmodum in vlciscẽdo in-
flectat dominus commotionem suam. Dicamus quẽadmo-
dum in remunerando præueniat nostram precationem, &
doceamus exemplo. Audi illum ex duobus latronem dicẽ-
tem domino: Memento mei domine cùm veneris in regnũ
tuũ. Respondit dominus: Amen amen dico tibi, hodie me-
cum eris in paradiso. Ille adhuc rogabat vt meminisset sui
cùm venisset in regnum: & dominus cũ nõdum venisset, ei
iam regnum cœleste tribuebat. Quàm velox misericordia.
Tardius votum precantis, quàm remunerantis est præmiũ.
Ideo ergo Dauid moderationẽ tenuit, nõ remissionem ora-
uit, dicés: Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore
tuo corripias me.) Furor Græcè θυμὸς dicitur, & iræ impe-
tus. Hoc ergo Latinus voluit exprimere, Neq; in ira, neque
in ipso impẽtu iræ arguas me, aut corripias. Correptio autẽ
eruditio est. Ipsa Græcè dicitur παίδευσις de qua dicitur:
Beatus homo quẽ tu erudieris domine. Nõ enim deus pas-
sioni patet, vt irascatur: cũ sit impassibilis: sed quia vindicat,
videtur irasci. Nobis hoc videtur, quia ipsi cum cõmotione
vindicare cõsueuimus. Plerunque tamen & homines inue-
niuntur cùm vindicant non moueri, sed summa patiẽtia ce-
lebrare vindictam, exercere tormenta. Cur ergo mireris in
deo si hoc interdum in homine recognoscas? Vindictam au
tem iram esse diximus. Denique vsus habet vt dicamus de
quoquam punito, quia iram incidit legum. Nõ quia legum
iram, sed quia legum seueritatem. Sic & alibi de decem pla-
gis Aegyptiorum ait: Misit in eos iram per angelos malos.
id est vindictam. Lex enim nescit irasci, sed scit legum mi-
nister. Nescit ergo irasci qui auctor est legum, cui terrendi
est voluntas, non puniendi. Imitamini ergo imperatores e-
xemplum diuinum, vt sitis in statuendis legibus seueriores,
in exigendis suppliciis misericordes. Seueritas legum inso-
lentem restringat audaciam, misericordia principum reos
subtrahat pœnæ. Recognoscit igitur Propheta culpam suã,
videt vulnera, curari postulat. Qui sanari vult, argui non re-
formidat, sed non vult argui in furore, sed in verbo dei. Ver
bum dei sanitas est. Sic enim legimus: Misit verbum suum,
& sanauit eos. Non vult eruditi in ira, sed in doctrina, vt si
medicum roges ne secet vulnus tuum, sed medicamentum
apponat, vrget medicamento, sed non secat. Denique est do
lor, sed non supra mensurã doloris. Mordet, sed non cruen-
tat. Et addidit: Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.) Ea-
dem videtur dicere, quæ sanctus Iob: sed diuersa sunt. Nam
& ille ait: Sagittæ enim domini in corpore meo sunt, quarũ
furor bibit sanguinem meum. cùm incipio loqui, compun-
gunt me. Ille de vulnere sui corporis queritur: hic deplorat
animæ suæ vulnera. Et fortè hic agit pœnitentiam de pec-
cato, ille causam agit infirmitatis humanæ, & quasi nostræ
imbecillitatis assertor, ad remedium operis auxilium creato
ris exposcit. Hic igitur precatur, ille patrocinatur. Ideoque
vehementior huius est dolor, quia animæ vulnera grauiora
quàm carnis sunt. Ille dicit sagittas domini in suo esse cor-
pore, iste deplorat infixas. Illius sanguis bibitur, huius effun
ditur. Ille compũgitur, hic vulneratur. Illum manus dei te-

A tigit, super hunc graui pondere confirmata est. Hic animam
suam deflet illusionibus esse cõpletam, ille suum corpus vl-
ceribus. Manum autem dei, virtutem intelligimus puniẽ- *Gene. 20.*
di. Hæc manus regem Aegyptiorum propter Abrahæ iniu-
riam ob tentatam Sarræ pudicitiam flagellauit. Hæc manus
Aegyptiorum currus, equos & populos rubri maris demer-
sit profundo. Hæc manus mẽtem grauauit regis Saul, vt gra *1. Reg. 31.*
tiam sui conseruatoris odisset: & pro præuaricatione cœle-
stis imperij desertus à sociis, interemptis quoque filiis desti
tutus, victꝰ ab hostibus, quo spectaculo nihil est deformius
regi, gladium in se suum ipse cõuerteret, ne captiuus senex
viueret filiis & regno superstes. Hanc manum Dauid in se-
ipso expertus & liberis, alterius incestum, alterius parrici-
dium deplorauit, & (quod pio patri grauius est salutis suæ
exitiis) simul sibi opprobria sobolis, & pietatis defleuit exci
dia: quorum alter ad incestũ accensus de germanitatis affe-
ctu, alter ad parricidiũ armatus est studio castitatis. Quem-
admodum illos in grauissimis criminibus cõfinia lusêre vir-
tutũ? Vtinam aut ille sororem non amasset, aut hic non vin-
B dicasset. Ad postremum & ipse patriæ finibus pulsus à filio,
fugiebat hostem, quem optabat hæredem: metuebat vince-
re, ne pietatis dispendio vinceretur. Sed fortè aliquis dicat:
Quomodo in parricidio vel in incestu manus fuerit dei, cũ
opus illud inimici sit? Cognoscamus igitur quoniam & vbi
diabolus vulnerat, sagittæ domini vulnerare dicãtur. Nem-
pe sic legimus, quòd cùm in cõcilio angelorũ sanctum Iob
seruulum suum dominus conuersus ad diabolum prædica-
ret, vt vreretur inuidus, & humani generis aduersarius (laus
enim inferioris substantiæ viri, condemnatio eius est qui de
statu superiore deiectus est) responderit diabolus quia non
gratis Iob dominum veneraretur, qui nutu dei omnibus a-
bundaret. Sed mitte, inquit, manũ tuam, & tãge omnia quæ *Iob 2.*
habet: videamus si non in faciem te benedicat. Et deus pote
statem dedit diabolo vt mitteret manũ suam in omnia quæ
haberet Iob. Quibus gestis cùm sanctus Iob immobilis in
sua fortitudine permaneret, quia nõ est motus Iob aut inte
ritu filiorum, aut dispendio facultatum: iterum dominus ad
C diabolum dixit, illudens ei, quòd dissipasset omnia quæ ha-
buerat Iob, filios eius interemisset, ipsum tamẽ nequaquam *Ibidem.*
mouere de virtutis statione potuisset. Et ille respõdit: Quæ-
cũque habet homo, pro anima sua dabit. Sed mitte, inquit,
manum tuam, & tãge carnem & ossa eius. Et accepit iterum
potestatem vt mitteret manum suam in corpus eius: tamen
vt animam ipsius custodiret. Et perfudit vlceribus sanctum
Iob, vbi est egressus à domino. Aduertimus ergo quòd ma-
nus domini dicatur, vbi est hominis diabolo infestante ten-
tatio. Siquidem & Iob manum domini dixit esse quæ se te-
tigit, & sagittas domini esse memorauit sagittas Piratarum:
& tradidit, inquit, me in manus iniusti. Ipse itaque absoluit:
quia cùm diabolus vulnerat, domini sunt sagittæ, qui vul-
nerandi permisit diabolo potestatem. Denique si mandes
vt tuus seruulus verberetur, nonne etiam si ab astante alio
cædatur, à te dicitur verberatus? Est & illa ratio, quia domi-
nus ideo dat tentatori potestatem, vt hominum in tenta-
tionibus probetur affectus. Ideo fit persecutio, vt fidelis lu-
D ceat, virtus excellat, mens interna omnibus manifestetur.
Ergo tentatio quasi sagitta penetrat interiora hominis, &
quasi gladius dei, qui scrutatur interna. Gladius autem ver- *Hebr. 2.*
bum est dei, validum, & acutius omni gladio acutissimo: de
quo gladio audi dicẽtem Mariæ: Et tuam ipsius animã per- *Lucæ 2.*
transibit gladius, vt reuelentur multorum cordiũ cogitatio-
nes. verbo enim dei omnia reuelantur, in cuius conspectu *Hebr. 4.*
nuda & aperta sunt omnia. Anima ipsa videtur, medullæ in-
teriores cogitationésque manifestę sunt: nec vlla postremò
est creatura (vt scriptura dicit) quæ se à cognitione eius abs
condat. Ergo vẽdamus omnia, vt verbum emamus: ipsúm-
que in nostris visceribus recondamus. Ipse postremò diabo
lus testificatur quia omnia dat homo quæ habet, pro anima
sua, nec dignum illud precium totius patrimonij pro redem
ptione vnius animæ cõfitetur. Quid parcimus patrimonio,
quod & ipse diabolus vile iudicat pro salute? Parũ dixi pro
salute: parũ esse & pro errore testatur. Denique hæc omnia *Matth. 4.*
inquit, tibi dabo, si procidens adoraueris me. Nec solum di-

uitias

uitias mũdi,sed etiam honores & regna monstrauit. Si tanto constat vt diabolus adoretur, quantum Christianus debet offerre vt cum Christo rẽsuscitetur? Sed diabolum dimittamus quasi hircum emissionis in desertum. Neq; enim
Leuit.16. *2.Corin.11.* fidelis assertor est veritatis,etsi aliquando transfiguret se in angelum lucis. Abundant nobis diuinarum testimonia scripturarũ, quibus instruimur nihil esse in homine preciosius
Hebre.11. fide, nullum tantum esse patrimonium quod salutis nostrę atque animæ precio conferatur. Fide Abraham patriã suam reliquit & terram,& proximos etiam quos videbat:& eum
Ibidem. quem non videbat, tanquam aspiciens sequebatur.Moyses quoque animæ suæ precium maius omnibus Ægypti diuitiis æstimauit.Quid de viris sublimibus loquar?Rhaab me-
Iosue 2. retrix alienigena illa de seculo,tamen animam suam non solum contemptu omnium quæ habebat,sed etiam vitæ periculo putauit esse redimendã: quæ exploratores Iesu Naue cibus suis quærentibus denegauit,& hostes patriæ, legatos tamen fidei,maluit occultare quàm prodere. Non eam minæ ciuium,non bellorum pericula, non incendia patriæ,nõ suorum discrimina terruerunt. Disce vir, disce Christiane quomodo verum Iesum sequi debeas, quando fœmina cõtẽpsit omnia sua,& Iesum in figura propter similitudinẽ no-
Prouer.13. minis est secuta. Vnde præclarè Salomon dixit:Diuitiæ viri redemptio animę eius.Redime ergo animam tuam.Vilis
Psalm.111. est pecunia, sed fit preciosa per fidem. Vilis est cùm conditur,preciosa cùm dispergitur.Sic enim scriptum est:Dispersit,dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculũ seculi. Si igitur talis fueris vt possis cõtemnere nõ solum omnia tua, sed etiam ipsam carnem tuam pro iustitia, qua nulla potest locupletior esse possessio: (possessio enim preciosa, homo mundus) etsi flumina te superiora concluserint, transibis. Nam etsi dederit tentandi tui dominus potestatem,mandat tamen diabolo vt animam tuam ipse custodiat: secundum
Psalm. 8. quod scriptum est:Vt destruas inimicũ & defensorem.Tentat enim vt aduersarius, defendit vt seruus.Scriptum est e-
Iob 39. nim:Et volet tibi vnicornuus seruire.Seruit enim, qui non ex voluntate sua quod optat exequitur, sed ex necessitate mãdatis imperialibus inuitus obtẽperat. Vide altitudinem Christi, quemadmodum retorsit in diabolum malitiæ suæ precium.Ille nos cogit quod odio habemus,hoc facere.Nõ
Roma.7. enim quod volo hoc ago, vt Apostolus dixit:sed quod odi, illud facio.Retorsit in illum dominus,vt & ipse plerunque non faciat quod vult: sed quod odit, hoc faciat.Denique animam quam vult expugnare, custodit. Nos corruptelam carnis condemnamus,& sequimur:vt illa vidua quę promissam marito fidem irritam facit,& postea nubere vult:quod ante fugiebat. Ille inimicus est sanctis, & defensor adhibetur: quo amplius puniatur:vt nocere non audeat,qui nocere desiderat. Et quanto tolerabilius est amare virtutes, etsi implere non possis: quàm odisse virtutes, quibus nocere non possis?Non est,inquit,sanitas in carne mea,à vultu iræ
Esaiæ 64. tuæ.Exposuit nobis hunc locum Esaias:Peccauimus, & tu iratus es nobis.Qui est tamẽ irę domini vultus?Ne fortè ille quia oculi domini super facientes mala.Si enim oculi domini super iustos:quomodo à vultu iræ dei infirmatur Propheta? Vnde & illud considera, quod ipse Dauid in poste-
Psalm. 53. rioribus dixit, Quoniam ex omnibus tribulationibus eripuisti me,& super inimicos meos respexit oculus meus. Sicut enim bona iustorum respicit,ita & peccatorum occulta deprehendit,Nisi fortè ad Chtistum hoc referas, qui ab omnibus à quibus conterebatur,ereptus est, quando se exuit à populo Iudęorum,qui eum frequẽtibus sacrilegis,& quotidianis impietatibus conterebant:& inimicos suos vocauit ad gratiam,quos oculus dei vidit & amauit. Ergo quia pius est deus,nequaquam est desperandum.Et si irascitur, ignoscit:& si percutit,sanat:& si tradit in interitum carnem,spiritum saluat.Noli ergo timere carnis infirmitatem:quia sanctus cùm infirmatur, potentior est.Quid autẽ est quod ait: Non est pax ossibus meis à facie peccatorũ meorum) Quæ sunt ista ossa? Vtrum animæ,an corporis?Sed non tanta esset doloris cura corporei, vbi & anima laborat:cũ sancti sit velle carnem propter animam flagellari: sicut se flagellabat & Paulus, ne eius reprobaretur assertio.Sũt quædam inte-

rioris ossa hominis, sicut & membra sunt cætera,oculi mẽtis,& nares:sicut Iob dixit: Spiritus diuinus qui est in naribus meis.Sunt ergo & ossa:quibus charitatis quædam compago formatur.Vnde & Adam dixit de consorte charitatis, *Iob 27.*
& cohærede gratiæ vitę:Hoc nunc os de ossibus meis,& carne de carne mea. Quod Apostolus interpretatus ait: Sacra- *Gene.2.*
mẽtum hoc magnũ est: Ego autem dico in Christo & in ecclesia. Christi autem & ecclesiæ sacramentum non carnale *Ephes.5.*
sed spiritale esse quis dubitet:cùm bonus quisque in ipso cõiugio non carnis,sed virtutis decore teneatur, & mores diligat in vxore,non vsus? Denique audi quia non secundum *Psalm.118.*
carnem loquitur,sed secundum virtutem interiorem: Non est absconditum os meum,quod fecisti in abscondito. Virtus itaque non caro est, quæ dei patri nouit abscondita.Ergo non est pax animæ virtutibus quando ante oculos nobis nostra peccata concurrunt,& offundunt se mẽtibus nostris. Et hoc bene interpretatus est gentium doctor electus in epistola secunda ad Corinthios dicens: Nam & cùm venisse- *2. Cor.7.*
mus in Macedoniã,nullam requiem habuit caro nostra: sed in omnibus sumus afflicti:Foris pugnæ,intus timores. Illũ Macedonum peccata vexabant: quanto magis propria vnumquenque nostrum peccata perturbãt,vt requies nobis esse non possit? Grauior aduersarius nobis culpa est nostra, quę solicitat ociosos,affligit sanos,contristat lætos,inquietat placidos,exagitat mites,excitat dormientes. Rei sumus sine acusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis adstringimur,sine venditore vẽdimur.Vnde & scriptura dicit:Pec- *Esaiæ 50.*
catis vestris venditi estis. Hæc igitur peccata sunt quæ contra nos semper sunt,vt dixit Propheta:Vendiderunt nos, & dominantur nobis. Seruus qui venditur, superiore seruitio erit, vt ad dominum alterum migret. Nos nec superiorum iugũ deponimus,& ad noua peccata curuamur.Vnde & ingemuit sanctus dicens:Quoniam iniquitates meæ superpossuerũt caput meũ: sicut onus graue grauatæ sunt super me.) Hoc est,iniquitates meæ super transierũt caput meum, & supereminent mihi,vt sensus meos deprimant.Oculi enim sapiẽtis in capite eius.Et ideo Nabal malus erat & dur⁹, quia *Eccles.2.* *1.Reg.25.*
sensus eius malitia & iniquitas obstruebãt.Vnde & abigęæ verbum ferre non potuit,sed obduruit cor eius, & quasi infirmus occubuit. Aut vide ne hoc sit caput de quo ait Apostolus:Quia non tenet illud mente carnis inflatus. Hoc au- *Coloss.2.*
tẽ caput Christus est,quia omnis viri caput Christus. Hoc est caput quod per compaginationes & colligationes totius plebis crescit incrementum dei:quia in omnibus nobis per singula membra sua Christus assurgit. Ergo quando nos ingrauant nostra peccata, & talento quodam iniquitatis plumbeo ad terrena deprimimur,dirumpamusvincula *Psalm.2.*
eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum: vt possimus oculos nostræ mentis attollere, & audire dicentem? *Matth.11.*
Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam.Denique Aegyptum auaritia onerabat,pecunia vexabat, mercatus Æetiopes, sicut scriptum est, La- *Esaiæ 45.*
bor Ægypti & mercatus Æthiopum, & Sabaim viri excelsi ad te transibunt. Laborauit Ægyptus antequam cognosceret veritatem:sed iam non laborat:postquam transiuit ad Christũ.Sequuntur volentes Sabæi viri,qui antè fugiebãt: quia tenent eos vincula charitatis, quæ Adamante fortiora *Ibidem.*
sunt.Pulchrè & illud Esaiæ huic loco aptatur:Omne caput in dolore, & omne cor in mœstitia: à pedibus vsque ad caput non est vulnus, neque cicatrix,neque plaga cum feruore. Feruet enim iniquitas cùm dominatur, super caput nostrum sese extollens, & locum occupans, ne eum Christus magister teneat pœnitentiæ. Non mediocrem vim habent istæ iniquitates, si cõsideres hominem illum iniquitatis qui venturus est secundum opera Satanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus,& omni seductione iniquitatis:quem cauendum nobis Apostolus demõstrauit, quia operationem erroris accipiet,vt probentur fideles, iudicentur infideles.Meritò ergo sub iniquitatib⁹ positus,&(quod peius est) suis, corruptas esse & computruisse dicit cicatrices suas à facie insipientiæ suæ:quia leuantem onera iniquitatum tardius remedium sequebatur. Tamen & Iob sancto *Iob 2.*
qui saniem radebat suorum vlcerum, perfusus vlceribus à pedibus

1329

pedibus vsque ad caput, sanitas est refusa: & Lazarus pauper qui iacebat ad ianuam diuitis, lambentibus vlcera eius canibus, de cicatricum suarum fœtore sublatus ab angelis in Abrahæ sinu est collocatus. Est ergo & sancto Dauid spes & remedium sanitatis, quia non vnguentum redolent, sed fœtorem suorum vulnera peccatorum: & quia affligitur his atque curuatur, & non delectatur. Specta nũc epheborum aliquem lasciuum, & egregiè libidinosum, qui in stupris vitam suam exigat, more illius diuitis in byssо & ostro iacentem, atq; epulantẽ quotidie splendidè, cui natent pauimenta vino, regatur humus floribus & spinis cooperta piscium, incensis diuersorum thymiamatum odoribus triclinia compleantur: quemadmodum se beatum putet, & bene se olere iudicet: cùmque grauia atque diuturna animæ suæ vulnera gerat, & corruptum sanguinem fluat, nullũ, tamẽ fœtorem suæ cicatricis accipiat? obstructas enim cœno nares habet, nec potest dicere, Spiritus diuinus, qui est in naribus meis. Ideo diues ille remedium salutis inuenire nõ potuit, pauper inuenit. Denique alter apud inferos in supplicio, alter in requie. Inuenit ergo perpetuæ salutis remedium etiã sanctus propheta Dauid, qui fœtere sibi animæ suæ vulnera fatebatur, & à facie insipientiæ suæ computruisse sibi cicatrices proprias loquebatur. Sed est & insipientia quæ per stultitiã prædicationis credentibus salutẽ afferat. Refugit ergo Propheta euangelico iam spiritu sapientiam istius mundi, qua non cognoscitur deus: quæ tegit sua vulnera, nõ reuelat ad dominum. Melior igitur insipientia quæ oculos habet vt videat vlcera sua, quàm sapientia quæ non habet. Et ideo insipientiæ suæ obtutu admonitus spiritali tãtus rex, afflictum se miseriis protestatur, vt remedium possit pœnitentiæ repe rire: quod Iudas qui agrum de iniquitatis mercede possedit, reperire non potuit. Miseriis, inquit, afflictus & curuat' sum vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar.) Vsque in quem finem? Pœnitentiæ. Vt amplius & mysticè intelligas, vsque ad Christum, qui finis est legis, qui se passus est lapidari, passus est corpus suum mortuũ vulnerari: Sed nullum fœtorem pœnitentiæ, sed odorem gratiæ vulnera illa redolebant. Denique non tabes mortis de vulnere eius, sicut hominum cæterorum, sed fons vitæ scaturiuit æternæ, vt scriptura nos edocet, dicens: Et saliet aqua cũ delectatione de fontibus saluatoris. Exiliuit ergo de vulnere aqua, vt nos biberemus salutem. Bibent omnes peccatores terræ, vt peccata deponant. Vide singula. miseriis afflictus est Christus, vt beatos faceret homines qui erant in miseriis constituti. Nemo miserum eum qui sit iustus appellet, quia ipse dixit: Vos nemo faciet miseros. Curuatus est ille, vt nos erigeremur. Contristatus est ille vt nos lætificaret, secundum quod scriptum est: Si enim ego contristo vos: & quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Qui contristatur ergo ex domino Iesu Christo, ipse lætificat Christum, & ipse lætificatur à Christo. Ideo ergo & nos non perfunctoriè satisfaciendum à nobis esse cognoscimus. Curuemur vsque in finem, id est non solum Christo fidem, sed etiam passionum nostrarum perseuerantiam deferentes. & gaudeamus in passionibus nostris, sicut & Christus gaudebat in passionibus suis: quas ille suscipiebat pro seruulis, nos subeamus pro domino. Hic ergo finis, vt adimpleam, inquit, quæ desunt tribulationum Christi in carne mea pro corpore eius, quæ est ecclesia, cuius sum factus minister. Videmus quid nobis suscipiendum sit, qui ministerium sacerdotale suscepimus, vt non solum pro nobis, sed etiam pro ecclesia domini sustinere fortiter passiones corporis debeamus. Dauid autem addidit & animæ passiones. Denique ipse ait: Quoniam anima mea completa est illusionibus: & non est sanitas in carne mea. Incuruatus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebã à gemitu cordis mei. Et ante te omne desiderium meum, & gemitus meus non est absconditus à te. Cor meum conturbatũ est, & deseruit me fortitudo mea, & lumen oculorum meorum nõ est mecũ.) Aduertimus igitur laborem animæ maiorem esse quàm carnis. Denique quibus anima illusionibus compleatur intellige, eò quòd in tẽtationibus diaboli ei videatur illudere & insultare quasi grauiter laboranti. Symmachus tamẽ ait lumbos, in quibus seminaria sunt generationis humanæ. Vnde præcinctos lũbos habere te præcipit sapientia dei, ne tua castimonia resoluatur. Denique vt scias quia in lũbis sint libidinis commotiones, quæ plerunque excitantur à diabolo quando contendit dissipare membra Christi, & facere membra meretricis: Ecce, inquit, fortitudo eius in lumbis, & virtus eius in vtero. In lumbis viri semina sunt: in vtero autem fœminæ. Illudit ergo diabolus in his vt faciat adulterium, incestũ, fornicationem. Et ideo qui fornicatur, in corpus suum peccat, non extra corpus. Primum, quia infirmatur caro quæ libidinibus diffluit, & non seruat moderamina castitatis. Deinde quoniam seminaria quæ debent soboli proficere procreandæ, inquinamentum corporis, non fructum posteritatis operantur. Inde itaque dicuntur illusiones fortasse, quòd in his corporis æstus sine coitus celebritate frequenter illudat. Vnde bene LXX. viri animæ illusiones dixerunt, eò quòd diabolus affectus alicuius illudens, in vanum studeat vires eius effundere, virtutem vacuare, resoluere fortitudinem. Ideoque alibi ait: Et renes mei resoluti sunt. In quo nos etiam beatus confirmat Apostolus, quòd non illusiones animæ, non carnis infirmitatem metuere debeamus: quia & animæ & corporis nostri Christus est virtus: qui curat ægrotos quasi medicus, confirmat validos, quasi omnium fortitudo. Denique etsi foris homo noster corrumpitur, sed renouatur interior de die in diem. His itaque animæ illusionibus fatigatus incuruauerat & humiliauerat se nimis sanctus Dauid, nõ quo iniquitatibus superponentibus se supra caput eius (vt diximus) locum daret, aut inimico cederet, qui in posterioribus docet ei non esse cedendum, dicens: Quanta malignè operatus est inimicus in sanctis tuis, & gloriati sunt qui oderãt te, in medio festi tui? Posuerunt signa sua signa, & non cognoui sicut in via supra summum. Quasi in sylua lignorum securibus conciderunt ianuas eius. Inimicis meis, inquit, signa iniquitatis suæ supra summum ponentibus. Quid est summum? nisi caput tuum, vbi sensus sunt, vbi Christus est sapientia? Ego non cognoui: id est, acquieui, nõ his consensi, & meæ sentẽtiam cogitationis adiunxi. Vnde & alibi habes: Nõ cognoui verbum nequam, & declinantes à me malignos nõ cognoscebam. Denique cũ omnia nouerit Christus, peccatum nõ cognouit. Cognoscit enim quæ sua sunt, id est, quæ virtutum sunt, non quæ flagitiorum. Ideoque scriptura dicit: Cognouit dominus qui sunt ipsius. Iniquis autem dicit: Discedite à me: quia nõ noui vos. Et per Hieremiam locutus est dicens: Sicut agnus ductus sum ad immolandum, & nesciui. Quomodo nesciebat quod futurum antè prædixerat? Sed nesciui, inquit, cogitationes eorum, malitiam eorum. Nolo scire quæ sanguinis sunt. Denique non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus. Deleo iniquitates, & memor non sum. Nolo scire quæ remissurus aduenio. Non cognoui ligna quæ ardeant, nec quæ in aceruo lignorum sunt posita vel stipulam vel fœnum, vt citius ea nutrimentis suis flamma consumat. Illa volo scire quæ maneant, vt fructum suæ mercedis accipiant. Illa volo scire quæ supra fundamentum ædificata sunt, vt meliorentur: non quæ in via vbi ea diripiant transeuntes. Illa volo scire quæ vitis sunt, illa certè ligna quæ ferant fructum: non ea quæ in fasces collecta ad incendium præparantur. Id est, non sum illis arbiter & socius, quæ caduca sunt. Non ergo societas alicuius rei, sed societas criminosa in † culpa est. Qua ratione autem non cognouit in fructuosis & fragilibus gloriantes? Quia malis operibus & iniquitatis suæ securibus euertunt animæ fidelis ingressus, & crudelibus factis scindunt piæ mentis vestibula, ne per ea possit Christus intrare. Debet autẽ vnusquisque portas suas & ianuas custodire, vt cùm venerit Christus & pulsauerit, dicant ministræ potestates quæ præeũt & præcurrunt, Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales. Verè principes, qui se bene rexerint, vt in animas eorum Christus ingressus sit. Simile quoque illud est Salomonis: Si spiritus habentis potestatem ascẽderit aduersum te, locũ tuum non relinquas: quia cura mitigabit delicta magna. Diligentia enim & fides superiorem locum tenẽt, inferiorem perfidia. Ideo ascendat ad te bona diligentia, quæ insidias excludit

Luc. 16.

Ioan.

Matth. 27.

Rom. 10.

Ioan. 12.

Gal. 2.

Luc. 12.

Iob 38.

1. Corin. 6.

Psalm. 72.

2. Cor. 4.

Psalm. 72.

Psalm. 100.

2. Tim. 2.

Luc. 13.

Hiere. 11.

Psalm. 15.

† mala est.

Psalm. 23.

Eccles. 10.

dit inimici,& aufer peccatum,ne malitia poteſtatem habẽtis nocere poſſit. In Canticis hanc videt Eccleſiaſtes malitiam ſub ſole,hoc eſt in hoc mundo:vnde & ſubſolanum locum hunc ſcriptura memorauit.Sub ſole ergo vidit,non ſupra ſolem,vbi pax angelorũ eſt,vel ſanctitas cœleſtium poteſtatum.Aut fortè ſub Sole iniquitatis dixit:Malitiæ enim diabolus præſidet, virtutibus Chriſtus. Itaque vt vinceret ſpiritum poteſtatem habentis quem ad tempus accepit,incuruabat ſe in oratione Dauid, ceruicem ſicut circulum flectens,& humiliabat in precibus. Oratio enim ſe humiliantis,nubes penetrat,& elemẽtorum alta tranſcendit,vt Chriſto appropinquet: Et rugiebat à gemitu cordis ſui. Rugit qui gemitum ſolum non verba exprimit. Hæc eſt ergo illa præclara oratio quando interpellat pro nobis ſpiritus gemitibus inenarrabilibus, vt vas electionis aſſeruit. Hic eſt gemitus quem non deſpicit deus: qui non deſpicit ſeruum iuniorem orbatum patre,nec viduam ſi effundat loquelam. Gemitum ergo ante omnia ſignum ſpiritus ſancti Apoſtolus ponit, vt legimus. Denique cuſtodiamus animæ noſtræ ianuas,ne multiloquiis quaſi ſecuribus ſcindatur noſtrę cõfeſſionis ingreſſus. Nihil inſolens & ſuperbum noſtro ex ore procedat,ne ſecurim leuemus aut malleum,quæ nõ intrant in Eccleſiam domini. Claude ianuam cùm oras: ne ſe ingerat ſpiritus nequam, vt ibi peccatum extorqueat, vbi lucrum volumus pietatis acquirere. Qui ſic orat: non eſt à domino gemitus eius abſconditus.Deniq; ſic Petri gemitus & cognitus & exauditus eſt,quando fleuit amariſſimè,Vtique non lachrymæ amaræ, ſed amarus qui eas fundebat affectus. In ipſo perfido Achab gemitus inueniſſet gratiam, niſi manens inuidia cumulaſſet offenſam.Non enim perfunctorius gemitus prædicatur, ſed qui habet conuerſionem. Scriptum eſt enim:Si cõuerſus ingemueris,ſaluus eris.Cõſtituamus etiam ante dominum omne deſideriũ noſtrum. Quid eſt deſiderium? Bonæ enim rei legi deſiderium:Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum. Et cervus deſiderat ad fontes aquarum. Puto autem quòd is qui pœnitentiam gerit, qui ſe affligit, non bona ſua debeat,ſed commiſſa ſibi enumerare peccata. Denique verſiculis illis (vt arbitror) hoc docemur, quibus ait: Deus vitam meam nunciabo tibi: poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo. Non enim quaſi innocentem vitam annunciat vbi lachrymæ funduntur, quæ ſolent legationem ſuſcipere pro delictis.Niſi fortè ſic intelligamus,quòd etſi innocens quiſque ſit,ſecurus eſſe non poſſit,cui ſint aduerſus grauiſsimos hoſtes quotidiana certamina. Et ideo hæc licet læta ſit conſcientia,tamen pugna lachrymabilis. Iuxta hos ergo verſiculos concupiſcentiam poſſumus accipere magis quàm deſideriũ. ἐπιθυμίαν enim Græcus poſuit. Cõcupiſcentia autem & deſideriũ ἐπιθυμία dicitur. Sed cõcupiſcentia & de bono & de malo dicitur. Concupiuit & defecit anima mea in attria domini, pro bono. In lege autem aliter: Nã concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. vtique pro malo. Denique ſubiecta nos doceant,Quia occaſione accepta peccatum per mandatum operatur omnem concupiſcentiam in hominis affectu.Poſſumus tamẽ ſic accipere,Ante te omne deſiderium pono:hoc eſt,tibi manifeſto quæ impetrare deſidero, vt ad ſeriem petitionum, non ad iactantiam referendum videatur eſſe virtutum.Iactantia enim inſolens etiam in integro, deprecatio etiam in peccatore laudabilis.Addidit etiam Propheta, quia cor ſuum cõturbatum ſit,deſeruerit ſe fortitudo ſua. Magnum periculũ ſi cor exagitetur, quo credimus ad iuſtitiam.Sed tamen vt in magnis periculis ægritudinum ſi dolor ſentitur,& ſenſus eius exprimitur,remedium ſalutis oſtenditur: (dolere enim tolerabilius eſt,quàm non dolere,aliud enim viuificationis adhuc manẽtis inſigne,ſi doleas:aliud ſupremæ mortis indiciũ, ſi nullus ſenſus doloris ſit) ita & cor ſalutis ſigna demõſtrat,quãdo cauſas ſuæ perturbationis agnoſcit.Deniq; turbatum eſt cor Dauid aduerſus Nabal hominẽ peſtilentem, & gratiã reperit dum occurrit Abigæa,quæ mitigaret commotionẽ indignationis, & ſanctificationem benedictionis acciperet, At verò Nabal duro & rigido corde verbum vxoris ferre non potuit,& obſtupefactus obriguit, & mortẽ

Eccli. 35.

Roma 8.

Matth.26.

Luca 22.
Pſal. 41.

Pſal.55.

Pſal.83.
Roma.7.

Ibidem.

Roma.10.

1.Reg 25.

incidit. Quæ autem prophetam deſeruit fortitudo? vtrum carnis?an mentis? Si carnis,non vtrique deſperanda ſanitas. Nam virtus in infirmitate perficitur.De quo nõ mediocriter diſputauit arbiter & breuiator:qui luctam mẽtis & corporis ſciens, temperabat vtriuſque certamen, vt reſtringeret carnem,ſi cerneret fortiorem,ne in legem peccati captiuam duceret mentem. Reuocabat itaque carnem virtutem autem mentis iungebat: ſic ad coronam meruit peruenire. Ergo hoc dicit Propheta:Si carnis fortitudo deſeruit,mentis fortitudo præualuit.Quòd ſi fortitudinem mentis accipimus deſeruiſſe,non mirum ſi in grauiſſimis tentationibus corde turbato putat ſe homo mentis ſuæ fortitudine deſeri. Ipſe te doceat dicens:Fortitudo mea & laus mea dominus. Dominum ergo quærebat: & ideo ne deſeri mereretur,ſæpius putabat eſſe quærendum: & ſicubi fluctuabat,putabat ſe eſſe deſertum. Sic Apoſtoli excitabant dormientem, ne obdormiret ſibi: non quia eum obdormiſſe credebant. Sic Heliſæus (vt ſuperiorum vtamur exemplis) Vbi eſt,inquit, deus Heliæ? Non quòd putaret abſentem,ſed quia præſentiã eius in beneficiis requirebat. Sic Hieremias ſequebatur vt medicum,dicens:Sana me domine,& ſanabor: ſalua me, & ſaluabor.Nõ laboraui ſequens poſt te. Si eccleſia requirebat eum in Canticis Canticorum,& rogabat filias Hieruſalem, vt ſuſcitarent dilectionem. Quærebat vt inueniret quem ſua dilectione retinebat: nec vnquã ſentiebat abſentem. Sic ergo & Dauid nõ querebatur à Chriſto ſe eſſe deſertum,ſed iudicabat illo præſente ſe non poſſe turbari.Denique vt ſcias de Chriſto magis intelligendum, addidit: Et lumen oculorum meorum nõ eſt mecum. Quod eſt verum lumen omniũ,niſi Chriſtus Ieſus?de quo Ioãnes dicit: Erat verum lumẽ, quod illuminat omnem hominem veniẽtem in hũc mũdum:quia ipſe eſt qui illuminat & corporis oculos,& mẽtis obtutum. Rogemus ergo vt ſemper nobis ſuũ lumẽ infundat,& ſemper nobiſcum ſit,ſicut erat cũ Dauid: & ideo audebat dicere: Quoniã apud te eſt fons vitæ:& in lumine tuo videbimus lumen.Ille certè quaſi propheta magnum viderat lumẽ:Nobis lucerna eius luceat,ne poſſimus errare. Et lucerna verbum eſt, ſicut verum lumen eſt verbum,quod totum illuminat mundum. Denique lucerna pedibus meis,verbum tuũ domine. Et lucernam illam etiam propheta quærebat, non laternam.Lucernam autem illam Ioannes inuenit,& demonſtrauit. Cum laterna perſecutor aduenit.Laterna enim clauſum habet, non liberum lumen. Lumẽ Iudæorum quaſi lucerna ſub modio, vel fax ſub velamine,poteſt videri,ſed non videt. Nos autem reuelata facie gloriam domini ſpeculamur æternam, vt ad eius imaginem à gloria in gloriam per ſpiritum ſanctum reformemur. Veni ergo perſecutorum turba cum laternis:& ideo incluſam in ei lucem videre eorum oculi nequiuerunt. Venit cũ facibus, quæ plus habent in fumo calignis,quàm ſplendoris in lumine. Deniq; facibus mortuorum cadauera arderе conſuerunt. Sibi ergo Iudæi iam ferebant incendia, qui perſequebantur ſalutis auctorem.Venere cum armis,ſignificantes armis ſe perituros eſſe Romanis vſq; ad excidium totius ciuitatis & templi, qui pacem domini recuſarunt. Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt eſt ſteterunt.Et proximi mei à longè ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebãt mala mihi,locuti ſunt vanitatẽ,& doloſum tota die meditabantur.Ego autem velut ſurdus non audiebam,& ſicut mutus qui non apperit os ſuũ.Et factus ſum ſicut homo nõaudiens, & non habens in ore ſuo increpationes.) Videro qui ſint qui argutè iſta diſcutiam. Mihi in primo præcipuè iſto verſiculo domini videtur tenenda ſententia: quia in tentationibus inimici fiunt hominis etiam domeſtici eius. Hoc ergo ſanctus Dauid purè atque ſyncerè & dolenter fatetur. Verus enim dolor eſt & interiore cordis confeſſio, quãdo enumerantur omnia quibus ſecreta mẽtis viſcera amariſſimo compunguntur affectu, & domeſtico felle exacerbantur. Deplorat igitur propheta ab amicis ſe & proximis impugnatum,à quibus vtique nõ impugnari debuit,ſed iuuari. Quod vtique cùm ſancti Iob querimonia cõcurrit:quia & ipſe arguebat tres illos reges conſolatores malorum, qui maiora

A

B

C

D

2.Corin.12.

Pſalm.37.

Marci.1.

4.Reg.2.

Hieremi.17.

Ioann.1.

Pſalm.35.

Pſalm.118.

2.Corin.4.

Mich.7.

1333
maiora ei inferebant certamina, cùm ad consolãdum eum amicitiæ gratia conuenissent. quod vtique cauẽdum est nobis. Consolatio enim mitis esse debet, nõ aspera, quæ magis dolorem leniat, feruorem mitiget, quàm cõmotionem excitet. Certè ipsius corporis medicina nos doceat, quæ feruentibus vulneribus molliora medicamenta consueuit adhibere, quibus dolorem alleuet. Ideoque fouentur primo vulnera, post secantur, ne offendat ipsa durities, & incisio vulnus exasperet. Quãto igitur magis cauere non conuenit, vt cùm venerimus ad cõsolandum, non facilè, non perfunctoriè loquamur? Septem diebus tacuit Iob: tacuerunt amici, nec locuti essent, nisi Iob dolore prorupisset in vocem. Quærendũ est enim vnde incipias: ne in ipso sermone offendat consolatio tua. Et iam taciturnitas ipsa medicina est: & velox in sermonibus magis vulnerat. Quid miraris si alterum vulnerat, cùm frequenter ipse sese vulneret? quia ex multiloquio peccatum non effugit. Etenim si medicus medendi tempus expectat, vt digestis ægritudinibus medicinæ subsidia defecerint, ne acerba adhuc & immatura (vt asserũt) ægritudo, curationis remediis reluctetur, & beneficiũ sentire non possit, quanto magis explorare nos cõuenit vt opportunè à nobis medicinalis sermo procedat, qui nõ accendere luctum, sed lenire videatur? Vis vrget doloris: premitur cor miseris afflictæ, quæ immaturo obitu maritum amisit, aut filios. Quid properas, cùm te illa non audiat nisi deferuescat dolor? Sæpe lites de consolationibus vidimus excitatas. Venisti vt doleas: non vt litiges. Ordo sermonis ipse quærendus est: ne peccatum apud deum incurras, dum desideras hominem consolari. Ne dicenti tibi, Audi hæc, & alia multa, quæ nihil prosint, respondeat: Audite consolatores malorum. Ne in luctu alterius certamen garrulæ disputationis induceas: ne non accedas cùm oporteat: ne accedas, & durior sit tuus sermo. Denique quid dicatur de talibus, docet te sanctus Iob. Simul mihi venerunt, tentationes grauissimæ circundederunt me. Considerantes fratres mei discesserunt à me, cognouerũt extraneos magis quàm me. Amici mei immisericordes facti sunt. Hic ergo naturalis est sensus etiam sancti prophetæ Dauid, vt queratur se ab amicis impugnatum, à proximis destitutum. Sed ne mysticus quidẽ abhorreat pietatis affectus, vt pro angelis dixerit, qui prætendunt timentibus dominum, vt eripiant eos de tẽtationibus quas ferre non possunt. Quomodo ergo longè stant, qui ad adiumentum sunt attributi? Sed non illi se separant, sed qui vrgetur tentationibus, putat eos longè abesse, quos propius sibi adesse desiderat: & arbitratur dissimulare, cũ illi iuuandi tempus nutu sui imperatoris expectent, qui athletam suum quo gloriosius vinceret, diutius certare præcepit. Et videtur hoc magis sequentibus conuenire, quia angelis protectionis excubias relaxantibus, insidiantur inimici quærentes in anima eius inuenire quod noceat. Tũc enim potestas illis grauioris tentationis permittitur, cùm culpa animæ grauior reperitur. Vnde habes illud in libro Regnorum regis Achab ad Heliam dictum, quãdo eum propheta vehementer increpauit, & mortem ei denunciauit: Inuenisti quid in me? Et respondit Helias, Inueni: quia fecisti malignũ in conspectu domini. Vides ergo quia regibus non temerè vel à prophetis dei, vel à sacerdotibus faciẽda iniuria sit, si nulla sint grauiora peccata, in quibus debeant argui. Vbi aũt peccata grauiora sunt, ibi non videtur à sacerdote parcendum, vt iustis increpationibus corrigantur. Tamen Dauid in hoc loco dicit quòd nihil inuenisse videantur: & ideo inimici eius vanitatem locuti sunt: quoniam nihil quod pro veritate loquerentur, inuenerint. Aut certè quia etsi peccaui, tamen peccata mea pœnitendi dolore purgabam. In quo illi cum dolo mecum loquebantur, vt me obiurgatione confunderẽt, & à conuersione reuocarent. Et vide ne hoc magis sentiri, quæsisse illos mala eius: sed cùm vellent accusare, præuentos, quoniam vulnera sua ipse patefecerat, sui accusator existens: & ideo vim accusationis eorum esse annullatã: lorum autem fuisse vana, quæ confesso culpam nocere iam non possent. Exclusi igitur à criminationis inuidia, dolum adhibebant, vt insurgerent, inquit, mihi & insultarent, quo me stimulatẽt ad aliquam cõmotionem. Quorum ego dolum videns, velut surdus non audiebam. Considera vim sermonis. Non dixit, quia simulabam non me audire quæ dicerent, sed non audiebam, dixit: quòd intentione mentis vocem loquentis excluderem, nec aperiret os suum, sicut mutus. Beatus qui potest tantam habere virtutem, vt lacessitus non irascatur, commotus se nolit vlcisci. Inimici hoc agunt vt prouocent ad iracundiam. Maledicunt vt maledicamus: criminantur, vt crimen retorqueamus. Cõuitiantur vt excitent nos ad vicissitudinem contumeliæ. Vnde præclarè Petrus de domino Iesu in epistola sua posuit: Qui cùm maledi- 1. Pet. 2.
ceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur. Ad eius ergo similitudinem atque imaginem iustus suæ vitæ cupiens instituta formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus, & non aperit os suum: vt illum imitetur qui sicut agnus ad victimam ductus, sic non aperuit os suum. Et cùm possit habere quod referat, magis vult silere. quàm dicere. Ipse enim dominus Iesus cùm accusaretur, tacebat: & dum percuteretur, non repercutiebat. Denique percussus respondit: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si bene, quid me cædis? Vide quemadmodum quasi vir infirmus, & quasi is qui se vindicare nõ posset, puerili quodam loquebatur affectu. Ita ergo & tu si habeas quo redarguas arguentẽ, melius tacebis: ne redarguendi vicissitudine cõmotionem tuam prodas. Melius est enim dissimulare iniuriam quàm cùm redarguis vindicare. Bonus motus, qui loqui malè nescit: cuius ex ore crimen exire non nouit. Hic est motus verè beatus, qui cùm tacet, intra se loquitur. Dominus dat mihi linguã eruditionis, vt sciã quando oporteat me dicere sermonem. Talia loquebatur intra se Zacha- Luc. 1.
rias cũ obmutuisset. Et verè, quia loqui ei non profuerat, ne loqueretur obmutuit & vt loqueretur, exauditus à Christo est. Denique scripsit quòd Christus exaudiret: & vocẽ recepit, quã Christus indulsit, & gratiã adiunxit, quã antè nõ habuit, vt prophetaret eum cuius mandatis antè non credidit. Quid de domino omniũ virtutum loquor? cũ mulier Susan- Dan. 13.
na nec sexus infirmitate turbata cùm se ad periculũ mortis cognouit addictã, vocem emiserit? Accusabatur, & tacebat. Ducebatur ad mortem, & silẽtio se tegebat, ne nudarẽt pudorem. Intra se tamen loquebatur deo: qui eã magis audiuit tacentem. Quæ si voluisset loqui, forsitan nõ esset audita. Et tu ergo qui proposuisti satisfacere pro delictis domino deo tuo, illi soli interiore corde te purga, illum contuere qui potest peccata diluere. Adiuua te, qui putauerit arguendum. Denique cùm malediceretur Dauid, & eius Dux Ab- 2. Reg. 16.
essa iniuriam regis vellet vlcisci, dixit ad eũ Dauid: Dimitte illum, vt maledicat: quoniam dixit illi dominus, vt videat humilitatem meam, & retribuat mihi dominus bona pro maledicto hoc. Vides igitur quòd à conuitiantibus adiueueris vt dominus audiat te, & peccatum tuum remittat? Nam cùm ipse accusator tuus esse debeas, & coaceruare flagitia, tẽque ipsum offerre supplicio: quomodo negare obiecta desideras? Pœnitentia patientiã quærit, patiẽtia mitigat delicta magna. Quomodo irascaris aliis, tuæ ipse reus cõscientiæ? Quomodo commoueris, cùm debeas esse miserabilis? † Qui arguitur, & (quod est amplius) à semetipso, curare debet sua vulnera, non alterum vulnerare. Nemo alium vulnerando se sanat. Medice cura te ipsum. Si medicus, quãto magis reus prius curare se debet? Confiteris peccatum tuum, & medicum te profiteris in alienum? Et si veritatis est quod retorques, temporis non est. Peccatori enim dixit deus: Quare tu enarras iustitias meas? Vsurpas cibi vt de lege arguas, qui contra legem ipse fecisti? Quid lachrymarum tempus amittis? Quid concertãdo vanos sermones aut audis, aut loqueris? cùm tibi scriptum sit: Non accipias auditũ vanum. cùm legeris in euangelio, pro omni sermone otioso iudiciũ Matth. 12.
esse subeundum. Et si alius loquitur, tace: & si alius conuitiatur, aurem tuam obstrue. Dauid tacẽdo vicit aduersarios suos: & quia sicut mutus factus est vocem recepit: quia conuersus ad dominum loquebatur dicens: Quoniam in te domine speraui, tu exaudies me domine deus meus. Quia dixi nequando exultent in me inimici mei.) Vide singula. Tacebat Dauid: loquebantur inimici: prouocabant, vt aliquid & ipse loqueretur. Dicebant, Andiamus vocem tuam. Intra se

† curabilis.

ille

ille tacitus loquebatur. Quid opus est vt ista audiãt quibus prodesse nõ possunt? In te domine speraui: tibi soli loquor: tu audi, qui exaudire potes. A te semper popoſci ne aliquando exultent in me inimici mei: quia etsi peccaui, tu peccatum dimittis. Etsi ego cecidi, tu resuscitas: ne habeant vnde exulrare possint qui peccatis lætantur alienis. Plus enim acquisiuimus qui plus peccauimus: quia beatiores facit tua gratia, quàm nostra innocentia. Habemus hunc sensum & in libro Micheæ prophetæ: Noli gaudere super me inimica mea quia cecidi, sed resurgam. Nõ est grauis infirmitatis ruina, si non sit etiam voluntatis studium ab ea non surgendi. Præsens est qui faciat vt resurgas. Dixit ergo Dauid in corde suo petens vt exaudiretur à domino, & vt non exultarent in eum eius inimici, petens etiam vt in conuersionis suæ proposito permaneret, ne dum propositi sui gressus quasi quidem pedes suæ animæ commouentur, in eum aduersarij superba & magniloquentiæ plena loquerentur, vt faciunt qui insultare desiderant. Tametsi moueatur vt homo, paratum ad flagella se dicit, vt vel supplicio soluat errorem. Etsi cessent flagella domini, se tamen dolore proprio memorat flagellari, vt non inueniat culpa quod damnet, quam pœna præuenerit. Hoc est ergo quod ait: Et dum cõmouentur pedes mei, in me magna locuti sunt.) Eò quòd tam prompti sunt ad insultationis ludibria, vt in commotione pedum meorum paratam habuerint magniloquentiã, vel certè sic: Dum commouẽtur pedes mei, putantes quòd caderem, superbiam & magniloqua sunt locuti. Sed quia ipse in posterioribus penè motos pedes suos dixit: ne quid oriatur hinc scrupuli, considera hic doceri nos affectum pœnitentiæ, ibi opinionem eius erroris excludi, quòd diuitiæ & successus prosperior flagitiosorum nos mouere non debeant. Consuetudo autem elocutionis in scripturis diuinis huiusmodi reperitur. Sic enim & alibi, Dum conuerteret dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Quanquam sanctus non in oslẽsione verborum, sed in virtute spiritus probari se velit. Sensus ergo nobis spectandus est semper: quem etiã ipsum frequens translatio ex Hebræo in Græcum, ex Græco in Latinum attenuare consueuit. Ad omnia itaque superiora pulchrum remedium, quòd in flagella paratus est, & offert se domino, vt quę placuerint deo, flagella sustineat. Elegisse quidem lego sanctũ Dauid flagelli genus, quod æquanimiter sustineret. Sed elegit, quia de tribus ei conditionibus eligendæ vnius necessitas mandabatur. Vbi autem nõ mandatur, ad omnia paratus est dei seruulus, seu corporalem ægritudinem subeat, seu fugam à facie inimici, siue obitum filiorum, quos nõ timet præmittere, quia recipere potest imperterritus. Nam & scies quòd si hic fuerit punitus supplicio temporali, leuare in futurum perpetuæ possit pœnam erumnæ: rogat ergo vt recipiatur petitio sua, & castigetur ipse, vt recipiatur. Castigat enim dominus omnẽ filium quem recipit. Si seruulum tuum videas peccata propria confitentem, vltro offerre se pœnæ: inflecteris, ignoscis, & de domini miseratione diffidis? Iudex ipse cui non licet in plurimis causis à gladio temperare, quia legibus seruit: potest tamen lucrum donare pœnarum. & tu adhuc trepidas qui à legum domino & misericordiæ auctore deposcas: cui lex voluntas est & donandi ius? Si tamen tu petas tibi tua peccata donari, nec consideres honores tuos, aut erubescas amicos tuos, ne dignitatem tuã deflex isse videaris. Amicus dei, propheta dei, rex ab ipso electus deo, & vnctus in regnum, flagellis se spontaneus offerabat, nec erubescebat: & tu erubescis? Nõ multum ista verecundia tibi opitulabitur cùm ad iudicium dei veneris, sed pudoris te istius pœnitebit cùm in conspectu non solũ hominum, sed etiam angelorum & omnium potestatum cœlestiũ constitutus cœperis peccata propria non negare. Quomodo excusabis, cùm tanta commiseris? Prætendes conditionis infirmitatem, quia nemo sine peccato. Respondebitur tibi: Debuisti ergo agere pœnitentiam. dederam remedium: cur refutasti? Subtexes pudorem, quòd honores tuos erubueris, Dicet. Si tu erubuisti me corã amicis tuis, & ego te erubescam coram patre meo qui est in cœlis. Disce verũ esse quod scriptum est, quia est verecundia adducens peccatum. Dauid in conspectu suo dolorem suum ponebat, ne vnquam obliuiscereturr: Dauid iniquitatem suam ipse pronunciabat: Dauid de peccato suo, non de opibus cogitabat. Dauid non erubescebat sua recensere peccata: ne de iis erubesceret in meo iudicio constitutus: & tu erubescebas? Non esset hodie in requie seruulus meus Iob, si erubuisset tres illos reges amicos suos: nec ipse Dauid, si etubuisset delicta propria confiteri. Ergo quia non erubuit mihi sua aperire peccata: nec ego erubescam ei mea secreta referare. Et quia vterque eorum non erubuit factorum suorum precium in mea ponere potestate, meo se iudicio volũtatique committere: nec ego de talibus seruulis erubescam vt appellẽ amicos, qui meam studuerint facere voluntatem. Ideoque, quoniam illi ante in mœrore, nunc in consoaltione: tu quia in deliciis, nunc in suppliciis. Chaos inter vos magnum est: vt neque illorum ad te gratia, nec tua ad illos possit pœna trãsire. Audis ergo quid dicat Dauid? Audi, dum tibi corrigere & emendare permittitur. Si hic emendaueris, illic requiescs. Nõ te dulcia mundi & seculi huius, sed amara delectẽt. Graue enim fel mouere consuerunt. Non ille iucũda quærebat positus in regno, qui eligebat mortem sanctorũ quàm vitam flagitiosorum. Inimici, inquit, mei viuunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebãt mihi, quoniam subsecutus sum iustitiã.) Sed quanto ille illustrior, qui quotidie moriebatur, vt populum suum viuificaret, & corpus suũ mortis vulneribus offerebat? sicut ipse ait: In mortibus frequenter. Mors enim honesta, redemptio vitæ est etiam decoloris, aut innoxiæ firmamentum. Exitus autem mortis in manu vitæ. Et ideo malebat Apostolus quotidie mori: vt vitæ suæ meritum cõprobaret. Scriptum est enim: Non laudes hominem in vita sua. Qui enim viuũt, morientur: qui moriuntur, resurgent. Propior ergo saluti est qui moritur, vt resurgat: quàm ille qui viuit, vt moriatur. Quis est autem qui quotidie moritur, nisi qui mortem domini Iesu in sua carne circũfert, vt omnia ei peccata moriantur? Cõfirmati autem & multiplicati sunt inimici Dauid in hoc seculo: sed non idoneum firmamentum, nisi eius qui confirmatur à Christo. Denique illi confirmantur in seculo, qui oderunt iustum iniquè. Non ergo iustum odium, sed iniustum, cùm odissent iniquè. Sed vide distãtiam. In posterioribus ait: Qui oderunt me gratis. hic habet: Qui oderũt me iniquè. Sed ibi ex persona Christi, hic ex persona sua. Vbi ex persona Christi loquitur, gratis odio habetur: vbi ex sua, iniquè. Homo enim potest vni alicui vulneri non patere, vt pote iniustitiæ, intemperantiæ, impudicitiæ: aliis autem vulneribus patet. In Christo autem nulla causa esse potuit qua peccati alicuius potuerit vulnus accipere, immunis à culpa, & integer à delicto, atque immaculatus à vitio. Sunt autem qui putãt vtrũque psalmum ex persona Christi esse decursum, qui pro nostris peccatis satisfaciebat patri. Hic ergo dicebat se appetitum contra iustitiam, illic contra gratiam. Et bene addidit, vt probaret se iniustè appetitũ, Quoniam subsecutus sum iustitiã. Quanta vis verbi in vnius syllabæ adiectione, vt subsecutum se diceret iustitiam, non secutũ? Proprior est enim qui subsequitur, quàm ille qui sequitur: & suppar, quàm impar: & successio hæredis magis quàm accessio nuncupatur. Et tamen quanuis subsequatur iustitiam, non suæ virtutis putat esse, sed gratiæ cœlestis, si non deseratur à Christo: eóque orat impensius, dicens: Ne derelinquas me domine deus me⁹: ne discesseris à me.) Hoc est, homines me dereliquerunt, amici mei impugnauerunt dilectum sibi proximum: non appropinquarunt. Fugiebant me quasi mortuũ, & abominati sunt, quia peccata mea tibi aperire desideraui, tibi cõfiteri, quia flagellis tuis me obtuli vulnerandum, quia elegi cicatrices vulnerum super epulas regum, & iactantiam potestatum. Tu solus me non derelinquast, u hæreas seruulo tuo, qui de terra suscitas inopem, & de stercore erigis pauperem. Tuo comitatu fretus, frequentiorem me ambientibus populis æstimabo. Computruerũt quidem cicatrices meæ: sed adhuc tuorum verberum desidero cicatrices, quæ sanitatis vulnerib⁹ obducũtur, vt post ea nullum vlcus appareat. Bonæ triumphalium vulnerũ cicatrices,

Micheæ 7.

Psal. 215.

1. Para 21.

Hebr. 12.

Lucæ 9.

Eccles. 4.

1336

A

B

C

D

1337

catrices, quibus victores huius terreni prælij gloriantur. Quanto illustriora vulnera quæ pro fide & nominis tui glo ria videntur excepta? Ista est cicatrix quæ cœlum aperit, re gnum acquirit, immortalitatem inuenit. Hæc ergo est cica trix beata, quoniam beati qui lauerunt stolas suas in sangui ne suo. Sic cœpit stola esse glorię, caro mortis: in qua & Pau las antè periclitabatur electus dei, nisi petisset se liberari de corpore mortis huius, vt legimus. Et ideo qui sumus in hoc corpore mortis, oremus ne bonus ille dilectus dei medi cus nos derelinquat, quem patriarcha Dauid ne à se discedere precabatur. Ipsi nos cõmittamus, parati quo velit cu rari medicamento. Nemo dicit medico corporis sui quem admodum sit curandus. Nouit medicus quæ singulis vulne ribus medicamenta cõueniant, cuius vlceris putredo ferro sit amputanda, ne in totius corporis serpat exitium. Si dixe rit medicus medicinæ genus quo curari æger debeat, & ille fastidiat: discedit medicus, & ægrum relinquit. Vide eũ qui curari velit, omni genere medico acquiescentem. Attende ordinẽ. Aperit primo vulnera sua medico, & dicit: Cura me sed rogo ne in ira tua: quia non sustinẽs veram medicinam infirmitates meæ. Medicina Christi, correptio est. Cõrripit enim deus quem vult conuertere. Ideo & Paulus ad medi cum dicit: Argue, obsecra, increpa. Non ergo recusat curari, qui petit argui, sed leuari vult pœnam, ne in ira arguatur, & impetu iræ corripiatur. Et vide processum. Primo petit ar gui: postea (quod maius est) corripi. Deinde nõ solum con fitetur peccata sua, sed etiam numerat & accusat. Non vult enim latere sua delicta. Nã vt febres in alto sitæ non queũt mitigari: cùm foras eruperint, spem afferunt desinendi: ita peccatorum morbus dum tegitur, inardescit: si confessioni bus proditur, euaporat. Et ideo iustus accusator est sui in principio sermonis, priusquam contagio vlceris serpat in trinsecus. Grauat enim conscientiam memoria delictorum, nisi medicina poscatur. Et si differt medicus, æger offerre se debet, vt citius secetur: sicut offerebat se Dauid in flagel la domini, dicens: Redde mihi duplicia peccata, dummodo hic vindices. Noli me deserere, noli auertere faciem tuam à me: noli dedignari atque horrescere fœtorem vulnerum meorum. Et Iob seruus tuus percussus erat vlcere à pedibus vsque ad caput, & remedium suæ sanitatis inuenit: licet il lud vulnus virtutis fuerit, istud erroris. Fœtebant vulnera, quæ medici curare non possent. Locutus es domine myste ria sacramentorum tuorum: manifestasti venena serpentis, & solius sermonis tui medicamento serui tui curata sunt vulnera: quia tu eum non deseruisti: & me non derelin quas domine: ne discesseris à me. Homines me dereliquerunt, quia sordent illis vulnera mea: quæ pietati tuæ putaui esse referanda. Illi dicunt, Exi à nobis, quia peccator es tu: discede, ne nos polluas. Tu autem domine curas, & nõ pol lueris. adiuuas, & non cõtaminaris: quia deus salutis es do mine, & manus tua non perdere, sed sanare cõsueuit. Com pleuimus psalmum etiam cum eius interpretatione versicu lum quem Græci nonnulli codices, sed non omnes habent La tini. Nam ante responsorium proximum versiculus est, Et protecerunt me sicut mortuũ abominatum. hoc est, illi qui reddebant mihi mala pro bonis. Sed tu ne derelinquas me domine, ne discesseris à me. Hoc enim sequitur: id est, tu ne derelinquas, qui mortuum fœtentem curare consuesti. De nique habemus hoc in euãgelio. Nam cùm venisset ad mo numentum Lazari, & dixisset, Tollite lapidem: ait Martha: Iam fœtet, quatriduanus est enim: respondit ei: Non dixi ti bi, quia si credideris, videbis gloriam dei? Et clamauit Laza rum, & sanus exiuit. Credamus ergo & nos, vt de vulneri bus nostris acquiramus medicinam salutis, & futuram glo riam. In orationibus igitur & obsecrationibus, cum dolore & lachrymis exigenda pœnitentia est, vt illam gloriam dei videre mereamur. Neque te moueat quòd luctus, dolor, cõ maceratio corporis, grauissimæ passiones sunt. Etsi grauissi mæ videntur, tamẽ indignæ sunt huiusmodi passiones ad su peruenturã gloriã: sicut testis tibi est apostolus Paulus. Non pigeat ergo nos hîc leuiora ferre, vt ibi plena laudis & glo riæ possimus adipisci, pro temporalibus laboribus perpe tua præmia reportantes, per dominum Iesum: cui laus, ho nor, gloria, perpetuitas à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

Psalmi trigesimo octaui enarratio.

Titulus, In finem pro Idithum canticũ ipsi Dauid.

IN superiore psalmo expressa forma pœnitentiæ est: in hoc sequẽti patientię forma signatur. Quẽ psalmum Dauid scripsit, & Idithum viro disciplinis leuiticis & sacerdotalibus erudito canendum dedit: qui ante arcam domini psalmorum seriem pangendi solertissimus præcinebat. Ergo quia non Idithum scripsit hunc psalmum, sed propheta Dauid, & Idithum viro canendi perito psallendũ dedit: ideo sic inscriptus est titulus. Denique etiam in secularibus scriptis alij erant qui scribebãt, alij qui in scena vel cãtica, vel comœdias vel tragœdias canere consueuerant. Et illi quidem coronam Olympicam postulabant: vnde & ἐπινίκιον hymnum eorũ scripta in fine testantur. Dauid autem qui non hæc serta coronarum marcentium requirebat, sed illam incorruptibilem & incontaminatam remunerationum cœlestium hæreditatem pio desiderabat affectu, hymnum nõ victoriæ ἐπινίκιον, sed ei scripsit, qui victoriam in se credentibus impertiebat, qui finis est omnium quæ pia mente deposcimus. Siue enim sapientiam quæras, siue virtuti studeas, siue veritati, siue viæ atque iustitiæ, siue resurrectioni: in omnibus tibi sequendus est Christus, qui est virtus dei atque sapientia, veritas, via, iustitia, resurrectio. Ad quem igitur contendas, nisi ad perfectionem omnium, summámque virtutum? Et ideo tibi dicit, Veni, sequere me. Hoc est, vt ad consummationem virtutum peruenire merearis. Ergo qui sequitur Christũ, ipsum pro possibilitate sua debet imitari, vt præcepta eius secum ipse meditetur, & diuinorum exempla factorũ. Et ideo Dauid secum ipse meditabatur, quòd Christum in se locutum esse retinebat: vt cùm aliqui ei essent molesti, & eum ad cõtentionem lacessere conarentur, patientiã indueret, certandi studia declinaret, ex quibus inanis strepitus & iurgia frequenter oriuntur. Ideoque cùm sancto Dauid plerique eius virtutibus inuidentes, qui eum de proposito mãsuetudinis, & humilitatis affectu crederent diducẽdum, frequenter ingruerent, ipsæ quoque præcipuè nequitiæ spiritales in cœlestibus, aduersus quas graue luctamen est iustis, ad cõmouendum eum ministros suæ improbitatis impellerẽt: ne inter obstrepentium crebra certamina, & disceptationum tumultus sermo aliquis sibi offensionis excideret, tacere sanctus Propheta proposuit. O validum scutum, circunspectæ munitionis silentiũ. O fidissimũ stabilitatis fundamentum: in quo si quis potuerit stare, lubricum verbi timere non pos sit. Multi enim etiam stabili corde firmati, incauti tamen, ser monis fluctuantis errore sæpe ceciderunt. Videns igitur hu iusmodi insidiis & vano concertantium strepitu se Prophe ta tentari, intra se ipse tacitus conferebat, legem sibi tacitur nitatis imponens: & cũ taceret, insultãtibus sibi, & vt loque retur aliquid prouocantibus, qualia solent insolentium esse certamina atque sermones, Responde nobis, si de æqualita te† præsumis. Vides & tu esse te victũ, & nihil habere quod referas? cùm se prope ad vocem conuitiis videret impelli, se ipse reuocabat, vt loqueretur in corde: Dixi custodiã vias meas, vt nõ delinquam in lingua mea. Posui ori meo custo diam, dum consistit peccator aduersum me.) Hoc est, pro posui, confirmaui, imperaui mihi, locutus sum cordi meo, Vias meas custodiã. Si aliis dixissem, sermo meus stare de beret: quanto magis stabile debet esse quod mihi ipse cõsti tui? Si quis alienum fallat, indecorũ est: si quis proximũ, gra ue. Quanto igitur grauius si quis se ipsum eo quòd sibi pro miserit, putet esse fraudãdum, vt ipse sibi infidelis suo iudi cio & despicabilis æstimetur? Cui igitur idoneus videri po test, qui sibi vilis est? Teneamus igitur animæ constantiam nostræ, ne in offensionem labia loquendi festina prorum pant. Et Iob plagam suam silentio vicit, & tolerantiã suam taciturnitate superauit. Nõ bene creditur carni. Vicissemus si Eua tacuisset. Ergo primum illud processit ex voce pec catum, & serpens ille nequissimus atque versutus per vo cem

Marc. 10.

Ephes. 6.

† æquitate.

Gene. 3.

cem nos ante tentauit. Atque vtinam aut Adam surdus fuisset, aut Eua obmutuisset. Ille, ne vocem suæ vxoris audiret: ista, ne loqueretur marito, & lubricæ vocis ministerio ser-
Gen. 4. pentis in virum venena transfunderet. Cain quoq; etsi parricidio naturam violauit humanã, & obliterauit impius iura pietatis, tamen per vocem sacrilegium sceleri suo addidit, vt negaret deo necati fratris interitum. Quid de singulis dicam? Populus ipse electus à domino, cui tacitus Moyses aperuit mare: ingratus cœlestibus beneficiis obmurmurabat: quo diuinam contraxit offensam. Deinde ipsum ducem inuij illius atque inusitati itineris Moysen respuit, & à fratre eius Aaron deos sibi fieri quos coleret, postulauit. Vnde etiam ipse considerans tanta vocis pericula, dixit: Custodiam vias meas.) Quæ sint igitur istæ viæ hominis, quæ & magnopere præcauendæ, ne quid grauioris offensionis incurrant: admonet nos tantus Propheta diligentius considerare. Admonet etiam Salomon eius filius paternæ mentis
Prouer. 30. interpres perspicacius examinare, qui scripsit: Tria mihi sunt impossibilia intelligere: & quartum quod nõ agnosco. Vestigium aquilæ volantis, & viam serpentis in petra, & semitas nauis in pelago nauigãtis, & vias viri in iuuentute, & mulieris adulteræ, quę postquam egit, abluta, nihil egisse se dicit iniquum. Tria ergo impossibilia sibi esse dixit ad intelligendum, & quartum, quod ille habens inter homines sapientiæ signaculum, non agnosceret: viarum videlicet viri in iuuentute processum. Quarum igitur est vel inexplicabilis vel difficilis agnitio, potest facilis earũ esse custodia? Vn-
Psalm. 24. de non immeritò ipse Dauid delictorum iuuentutis suę non defensionem obtulit, sed obliuionem rogauit. Delicta, inquit, iuuentutis meæ & ignorantiæ meæ ne menineris. Non immeritò igitur Salomon dixit se non agnoscere quòd pater eius (in quo maior dei gratia fuit) se ignorasse testat⁹ est. Et forasse delicta iuuentutis ad feruorem retulit carnis, ignorantiæ autem ad verborum prolapsionem: quæ non ex sententia nostra, sed impetu quodam & cursu loquendi plerunque funduntur: quod periculosum esse Propheta cogno-
Psal. 115. scens, ait: Credidi, propter quod locutus sum. Supra fundamentum ergo virtutis vox tuta est, sine fundamento lubrica. Ideo quasi quodam tubæ sono scripturæ diuinæ electus
Roma. 10. interpres increpuit: Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Fides credentium principalis est, cõfessio executionis. Quomodo igitur proposuerit sanctus Propheta Dauid, aut propter quid custodire vias suas, audiamus. Vt non, inquit, delinquã in lingua mea.) Si hoc cauet Propheta, tu nõ caues? Si hoc metuit, in quo dei gratia loquebatur: tu non metuis, qui erroris verba nõ refugis, & theatralibus sermonibus delectaris? Tu nõ reformidas, cui scriptum est
Matth. 21. in euãgelio, quia pro omni otioso verbo rationẽ es redditurus? Si pro otioso verbo periculũ est: quãto magis pro crimi-
Ibidem 3. noso? Non omne quod otiosum, & criminosum: sed omne quod nõ fructuosum, periculosum, atque eradicabile. Omnis enim arbor non faciens fructum, excidetur, & in ignem mittetur. Cùm mouetur animus & exagitatur stimulãtibus aduersariis, obstrepentibus, illudentibus, criminantibus: excidit verbum commotionis. Ideo silentium & tutum est, & decorum, quod seruat cum grauitate cautelam. Quid enim labia nostra, nisi quædam nostra vincula sunt? Denique vinculis labiorum suorum vnusquisque constringitur. Ideo sapiens in tempore tacet, & secum ipse considerat quo tempo-
Prouer. 5. re loqui debeat. De quo præclare ipse Salomõ: Labia sapientis alligata sunt intellectu. Quando ergo vides illudentibus proteruis sapientem tacere, dic: Ligauit iste intellectu labia sua. hoc est, prudenter tacet, ne labiorum suorum vinculis alligetur. Posuit ori suo custodiam: sepsit aures suas spinis: vectem adhibuit foribus oris sui: seruat thesaurum cordis sui, & argentum eloquij sui, vt examinatum & purgatum quanto oportet proferat: ne quisquam prius fur in cor eius aut perturbator irrũpat, & ad eos captiuum trahat, quibus flagitia sua vendat. Meditabatur Iudas Christum vendere: sed reuocabat eum tanta domini gratia, & quædam paternę delenimenta pietatis, quibus furor eius molliebatur: nec erupisset in scelus, nisi se in cor eius, quia Christum fallere se putabat, aduersarius demersisset. Non ergo dubites

quando aliqui tibi molesti sunt volẽti seruare iustitiam, mi-
A nistros esse illius nequissimi peccatoris, qui omniũ auctor est flagitiorum. Videbat Dauid propheticis oculis, agnoscebat eius figuram. ideo tacebat, ne illius faceret voluntatem, qui turbare gestit affectum. Premebat vocem, claudebat portas suas silentio, prætendebat in eo patientia, & taciturnitatis vigilabat custodia, ne inimicus obreperet, vt de
† castris. Prouer. 18. claustris †oris vagus aliquis sermo & incautus exiret. Ideo fortior est patiens, qui seipsum continet, quàm qui vrbes capit. Iustus ipse sibi castrũ est, ipse sibi peruigil custos. Cùm sibi ergo ipse prætenderet, loquebatur in suo corde: Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator aduersum me.) Adest semper inimicus, qui semper insidiatur. Etsi illũ non vides, adest: etsi illum non sentis, incursat. Si non vides, vi-
denti crede. Consistit, inquit, aduersum me. Qui videt peccatum suum, videt etiam peccatorem sibi in iis quæ gesserit illudentem. Qui autem peccatorem præuiderit, potest vita-
1. Reg. 26. re peccatũ. Videbat Dauid consistere aduersum se peccatorem, quando Semei maledicebat & lapidabat regem suum,
B & clamabat: Exi vir sanguinum. Neque enim tam præruptus foret, vt nec tanti regis reuerẽtia moueretur, nec armatum eius timeret exercitum, cùm vnus de exercitu eius conuitiantem potuisset occidere: sed amẽtem diabolus fecerat, qui eum impellebat ad mortẽ. Ideo Dauid aduersus auctorẽ magis præliabatur, quàm ministrũ persequebatur. Quid enim magnũ, de homine inualido vindicare, quẽ ad furorẽ alter vrgebat, in cuius nece peccator habuisset voluntatis effectum? Nõ gladio diabolus, sed verbo dei vincitur. Ideo taceat lingua hominis, dei verbum loquatur. Deniq; & Chri-
Matth. 27. stus tacebat ante Pilati iudicium cõstitutus, vt nobis daret formam tacẽdi: quia lingua corporis facilis est ad errorem, procliuis ad lapsum. Sunt autẽ & qui tacentes loquãtur, sicut Moyses, qui stabat attonitus, & tacebat: cui dixit tacenti
Exod. 14. Daniel. 13. de⁹: Quid clamas ad me? Vt Susanna, quæ tacuit in periculis suis, & dominus exaudiuit eam. Ergo etiam si in te verbum dei sit: & tacebis in dei verbo, & tacitus clamabis, vt audiaris à Christo. Meditare ergo quæ Christi sunt, quæ secũ me-
C ditabatur propheta Dauid, in quo ea quę secum in hoc psalmo meditatum esse se dicit, ante in eo locutus est Christus.
Psal. 34. Sic enim scriptum est: Ego autẽ cum in aliquo mihi molesti essent, induebam me cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meã, & oratio mea in sinu meo conuertetur. Quid est, in aliquo? Quia tũc maximè aut sermo importunus elabitur, aut affectus mouetur, quãdo vel in dolore aliquo & tristitia sumus, vel indignatione animi⁹ ægrescit, vel aliquibus solicitudinibus impeditur, aut disceptationibus occupatur. Qui igitur molesti? Primum de ipso auctore peccati & angelis suis intellige: deinde de iis qui malunt sequaces † eius
† seruos. Mich. 7. esse, quàm Christi. Impellitur vxor, vt sancti Iob: amicus, quod in illo ipso libro manifestatur: filius, vt Abessalon: seruus, libertus, domesticus, quia inimici hominis etiã domestici eius: vt exagitent eum singuli. Quod igitur remedium aduersus huiusmodi animorum ægritudines, nisi patientia, nisi silentium? Et quod est grauius, ille te magis lacessit qui beneficiis tuis vsus sit: & inter ipsos amplius ille exasperat,
D qui plus tibi debeat: quo magis ingrati hominis acerbitate, aut vilis alicuius personæ indignitate moueris. Ergo iustus, etsi amicus ei est insolens, dolet pro amico, quia idcirco amicus suus labitur, quia à tentatore impellitur. Si pro amico dolet multo magis pro vxore, pro filio, si eos quoq; sibi insolentes experiatur. Et si frater exagitat, vt Esau sanctum Iacob: dolet, & quærit sibi fratrẽ reconciliare, vel fugere à facie eius, vt Rebecca suadebat, ne iracũdia fratris occasionem nocẽdi aliquam reperiret. Et si proximus aut domesticus, dolet: & si minister aut libertus aut seruus, fert patienter, & in his omnibus tacet, ne eis respõdeat à quo eum cernit impelli. Conuitiatur ergo ex domesticis aliquis? dolet & tacet. Conuitiatur libertus? tacet. Conuitiatur seruus?
Psalm. 80. tacet. Sic vincitur qui laqueum eius animæ per escam vocis extendit. Tace ergo & tu cùm tibi indignus cõuitiatur. Tace cũ tibi seruus & maximè tuus cõtumeliam facit, & dic in corde tuo, Ego taceo, tu autẽ ne taceas domine, & adde. Ne discedas à me: vt Dauid propheta dicebat. Hoc est, Ne solum

1341

lum me impugnantibus derelinquas. Non est enim solus, cui deus præsens est. Accipe testimonium, Ecce, inquit, venit hora vt dispergamini vnusquisque in sua, & me solum relinquatis, sed non sum solus, quoniam pater mecum est. Iustus ego aduersus insolentes sibi tacet, iustus orat. Audi iustum orantem: Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. Iustus maledicentibus sibi benedicit: vt faciebant apostoli, sicut Paulus asserit dicens: Maledicimur, & benedicimus. Iustus diligit inimicos suos. Vide quemadmodum paulatim per gradus singulos ascendere docetur ad incrementa virtutum, dicente domino: Diligite inimicos vestros. Iustus orat pro calumniantibus: quia & hoc præcipit dominus, adiungens: Benefacite iis qui oderunt vos. Orate pro calumniantibus & persequentibus vos. Ipse est per omnia iustus, qui hæc custodit & seruat: Primũ, quia tacet, & non respondet inimicis. Deinde quia orat: hoc est: non est ociosus affectu. Et qui orat, bona orat, nõ ea quę cuique possint suo inimico nocere. Plus est ergo orare quã tacere. Iustus maledicentibus sibi benedicit. Plus est & hoc quàm orare pro se. Securus enim sui benedicit ei quem non timet, aut etiam ei quem ante metuebat. Iustus diligit inimicum. Plus est diligere quàm † benedicere: quia maior est mentis dilectio, quàm sermonis gratia. Iustus benefacit ei cuius odiis appetitus est. Iustus orat pro calumniantibus. Bona charitas, & pietas bona, vtrunque dei, & vtrunque est deus: quia charitas est deus: vt dixit Ioannes in epistola. Ideo vtrumque coniunctum est: Diligite inimicos vestros, & orate pro calumniantibus & persequentibus vos. Plenitudo legis est charitas: sed etiam hæc euangelij plenitudo, pro calumniantibus & persequentibus nos iubet orare, vt peccatis eorum veniam postulemus: sicut diuino iudicio Iob sanctus electus est cuius oratio regum illorum calumniantium iusto aboleret offensam. Ergo etsi infirmus es, ora: etsi fortis es, ora. Infirmus pro te oras, fortis pro inimico tuo oras. Bonum scutum infirmitatis, oratio. Tu oras, & dominus te protegit. Bonum scutum etiam triumphantis, vt inimicum tuum quem possis ferire defendas, ne ab aliquo trucidetur, & (quod est maius) à Christo, qui dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Hæc est oratio quæ in sinum conuertitur deprecantis, fructum referens eorum quæ voluit impetrare, vt dona eius ad animam ac mentem recurrant, quæ poposcit à domino: sicut in posterioribus hic idem Propheta te docuit dicens: Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas, Tanquam adipe & pinguedine repleatur anima mea. Ipse est sinus animæ, secretum orationis eius, penetralia voluntatis, & quædam recurrentium votorum intima receptacula. Vnde & iusti in Abrahæ sinu requiescere leguntur: quòd in eius gratia, in eius requie, in eius placiditate, requiescant, qui conformem ei induerint fidem, & eandem in bonis operibus fecerint voluntatem. Sed fortè miretur aliquis, cùm dominus dixerit per os Dauid quòd humiliabat in ieiunio animam suam: quomodo ipse Dauid ait in posteriori bus: Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Verum ex his considera aliud esse quod ad sapientiam mentis refertur, aliud quod ad humilitatem cordis. Sapientia mentis sublimis est: sapientia autem carnis non debet inflari. Humiliabat ergo dominus in ieiunio animam suam, vt castigandum nostræ carnis tumorem doceret. Exaltabat animam Propheta, per sublimem dei gratiam: quoniam & qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Nec solum superbus retunditur, & humilis attollitur digna remuneratione meritorum, sicut primum est intelligendũ: sed (quia verbum dei ex omni parte acutum est velut gladius qui ex duabus acutus est partibus) ego arbitror posse intelligi quia & qui se exaltat, nouit se humiliare: & qui se humiliare nouit, etiam exaltare se nouit. Denique Paulus ostendit, dicens: Ego autem didici in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare. Ergo & Dauid non humiliter sentiendo de Christo, exaltabat animam suam: sensusque vigore, fideique gratia virtutem humilitatis pio repræsentabat affectu. Ideo ergo dicebat: Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis:) quia nouerat quando se

A

B

C

D

humiliare deberet, & nouerat quando silere deberet. Obmutuit, ne ipsa litigiosa cũ obiurgantibus contentione perstreperet. Humiliatus est, vt tumorem deiiceret superborũ, vel vt ipsos quomodo humiliare se deberent suo doceret exemplo. Siluit à bonis, quia bona conscientia non eget defensione verborum, quæ suo nixa est testimonio, ipsa sui iudex. Ideoque iustus dicit: Quis contradicat, aut quis resistat mihi? Et Paulus dicit: Mihi enim pro minimo est vt à vobis diiudicer, aut ab humano die. Aduersum calumniantes & peccatores iustus suo iudicio contentus est: meritorũ autem suorum iudicium Christo reseruat. Ideoque addidit: Qui diiudicat me, dominus est. Pulcherrimè eum iudicem elegit, qui nulla fraude fallatur, vt eum nec occulta prętereant, nec infirmæ conditionis lapsus offendat: qui fragilitati norit ignoscere. Ad omnia igitur vtile silentium. Si peccatum agnoscis, tace: ne negando exaggeres: si non agnoscis, tace, securus de innocentia. Non possunt aliena verba crimen affigere, quod propria non recepit conscientia. Sequitur: Et dolor meus renouatus est.) Adhuc in inferiore virtutis gradu positus hæc verba depromit: quòd dolor sibi peccatorum veterum obiectione renouatus sit, quæ deleta iam obduxisse videbatur obliuio, vel bonorum operum texerat compensatio. Denique in posterioribus quasi fortior dicit: Viderunt me, & mouerunt capita sua: eo quòd minarentur, & nocere non possent. Et addidit: Maledicens illi, & tu benedices. Et hoc quasi validior loquitur, negligens iniuriæ vel pudoris: cui benedictio domini pro omnibus abundaret. Ergo in isto psalmo triceſimooctauo quasi in quadam meditatione, nondum tamen in omni locatus perfectione virtutis, dicit sibi dolorem esse renouatũ. Validissimus enim cicatricis offensionem sentire õn nouit, nec plagã potest timere qui fortior est. In ipso pugillum certamine solet plerunque qui fortior est expectare vt inferioris ictu aliquo lacessatur, quo acriar offensus insurgat: ita exercitatione nimia atque patientia roboratus, vt tanquam insensibilis ad dolorem, plagam sentire non possit: percussus ridet, lacessitus miñatur. At verò inferior si fortè ictum ferientis supra obductam cicatricem veteris vulneris exceperit, renouatum sentit dolorem. Sic est cui obiiciuntur peccata superiora quæ competentur doluit atque defleuit, vt satisfactione congrua vulneri peccatorum suorum obduceret cicatricem. Si perfectus est, tacet conuitiantibus, nullo sibi dolore renouato: quia etsi peccauit, securus est: quia sine pœnitentia sunt dei dona: & ideo quæ semel donauit, resoluere ac renouare non solet: cùm ipse dixerit: Ego sum ego sum, qui deleo iniquitates, & memor non ero. Si autẽ imperfectus, & immemor cœlestium prœceptorum: dolor ei tã quam rescissa cicatrice reparatur. Concaluit, inquit, cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis.) Grauiora vulnera, sicut nouimus, causticо medicamento vel admoto igne curantur. Ergo vir sapiens ipse medicus est sibi: tametsi medicus est, vulnus suum curat. Ideoque si non plenè consummatus est ad inoffensę † habitudinem sanitatis: vaporatur eius cor, habet febrem, ignescit ad obiecta conuitia. Etsi tacet, vel intra se teritur. Lapis si ad lapidẽ teratur, ignem excutit. Ita etiam bona conscientia pudore succenditur, si renouetur ei suorum recordatio delictorum. Et in ipsa meditatione ignis exardescit.) Non malus ignis, qui adurat, sed non exurat. Talis ignis, quem Moyses in rubo vidit, quãdo rubus vrebatur, sed non exurebatur. Est ergo ignis qui peccatum minuit, & suo culpã ardore depascit. Est & ignis qui cœlestium scripturarum meditationibus excitatur, velut ille de quo dicit Hieremias: Et erat ignis flammigerans in ossibus meis. Aut ille de quo Cleophas, & qui simul iter agebat, quando post resurrectionem eis se Christus adiunxit, sermone mutuo conferebant dicentes: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis cùm aperiret nobis scripturas? Ideo & dominus venit, vt ignem hunc in terrã mitteret, quo illuminaret animas vniuersorum, studiũ accenderet, crimen exureret. Locutus sum, inquit, in lingua mea: notũ fac mihi domine finem meũ, & numerũ dierũ meorũ qui est, vt sciã quid desit mihi.) Bonus ignis, qui fecit vt propheta loqueretur. Et vide ne ipse sit ignis qui visus est quãdo in die Pen

1. Corin. 4.

Psal. 108. Ibidem.

Esaia 43.

† offensa.

Exod. 3.

Hiere. 20.

Luca 24.

teco ſtes in vnum locum diſcipulis cõgregatis decidit cum vi magna ſuper eos ſpiritus ſanctus, & linguis variis loquebantur. Sic enim ſcriptum eſt: Quia viſæ ſunt linguæ eorum diſperſæ tanquam ignis. Hic eſt ergo qui dixit ad Hieremiã: Ecce do tibi in os verba mea in ignem. Hanc ergo & Dauid linguam ignis, vt diuinæ cognitionis ſuccenſus ardore loqueretur: Notum fac mihi domine finem meum. Non de morte ſua quærit, neque enim hic finis reſurrecturo, ſed de eo fine quærit, de quo Apoſtolus dixit: Quia ille finis, quando dominus Ieſus tradet regnum deo patri, & euacuabit omnes principatus & poteſtates, & quando mors nouiſſima omniũ deſtruetur, vt mala deficiãt, & bona æterna ſuccedãt. Et ideo dictum eſt, Fugit dolor, triſtitia, & gemitus. Hunc finem in omnibus operabatur & Paulus dicens: Aut quis eſt qui lætificat me, niſi qui contriſtatur ex me? Obiurgando enim, dolorem, triſtitiam, gemitus excitabat, vt agerent pœnitentiam, qua irreuocabilem veniam & ſalutem, cuius deum non pœniteret, mererentur. Ille igitur qui verus eſt finis, non vnius erit finis, ſed omnium. Quomodo ergo finem meũ dixit? Sed conſidera quis loquatur. Vtique homo, vel vnus ex hominibus vſus communitate ſubſtãtiæ, vel qui ad formam vniuerſorum deſcribitur, & ad perfectionem conſummati hominis eruditur. Vnde & addidit notum ſibi fieri numerũ dierũ qui eſt, vt ſciat quid deſit ſibi. Ad perfectionẽ vtique quid deſit, non ad iſtius corporis vitam, de qua propheta Dauid cupiebat abſolui, dicens: Heu me quia incolatus meus prolongatus eſt, & habitaui cum habitantibus Cedar. Denique dierum numerum cognoſcere volebat, non etiam noctium. Hic enim dies & noctes ſunt. Ibi ergo dies ſoli, ibi lumen perpetuum atque diuturnum. Et ideo addidit: Qui eſt. Qui eſt, inquit, non qui tranſeat. Cœlum enim & terra præteribunt, fides autẽ permanet, & dies Chriſti: quia heri & hodie ipſe eſt, & in ſecula. Quem autem numerum quærat, accipe. In domo, inquit, patris mei manſiones multæ ſunt. Dat ergo vnicuique locum dominus Ieſus, hoc eſt, aptam pro vnuſcuiuſque meritis manſionem. Vnuſquiſque enim in ſuo ordine. Præceſſit ergo, vt pararet in ſe credentibus locum. Vnde & ait: Si abiero & parauero vobis locum: iterum venio ad vos, & accerſiam vos ad me ipſum: vt vbi ego ſum, & vos ſitis, & quo vado, ſcitis: & viam ſcitis. Eſt ergo via per quam reſurgens Chriſtus aſcendit. Et ille quidem aſcendit ſuper omnes cœlos ad dei ſedem: homines autem à primo cœlo ad ſecundum, & deinceps à ſecundo ad tertium, ab illo per diſtinctiones ferè ad ſeptimum cœlum, atque in ipſam ſummitatem cœlorũ qui merentur aſcendunt. Si ergo numerus viarum eſt, & ad numerus manſionum: & vtique numerus dierum eſt per quos ad cœli altitudinem peruenitur. Ecce, inquit, veteres poſuiſti dies meos.) Alius habẽt, Palæſtas poſuiſti dies meos. Si ſecundum ſeptuaginta viros veteres accipimus dies, hoc eſt ſecundum veterem hominem: intelligimus exactos. Sed vetus homo noſter affixus eſt cruci. Ergo & vetus dies præteriit, nouus venit. Alius enim dies hominis, alius dies Chriſti, quem Abraham vidit, & gauiſus eſt: de quo & Dauid ait: Hęc eſt dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Sanctus ergo in die domini exultat, in die nouo, in quo deus dominus illuxit nobis, & dedit nouam lucem in innoxiam vitam & integram reformatis. Ideo vir iuſtus ſecurus nouæ lucis & gratię dei, Et erit, inquit, cœlum nouum, & terra noua, & nouũ lumen. Non enim lucerna & lumen ſolis illic lucebit, aut lunæ: ſed dominus illuminabit ſuper populum ſuum. Illa ergo deſideraui, illa exoptaui: & ideo diem hominis nõ requiſiui. Quòd ſi paleſtas accipimus dies, ex nomine intelligim⁹ plenos certaminis & laboris: quoniam paleſtę luctato res in agone dicuntur, qui luctantur ad coronam. Ergo quia & nobis lucta non ſolum aduerſus carnem & ſanguinem eſt, ſed etiam aduerſus ſpiritalia nequitię in cœleſtibus: dies noſtri, hoc eſt vitæ iſtius, in labore ſunt & dolore. Vnde & in poſterioribus ait: Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur: dies annorum noſtrorũ, in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potẽtibus, octoginta anni: & plurimum eorũ labor & dolor. Vnde & apoſtolus Paulus abundantius cæteris apoſtolis laborauit, vt legitimè certãdo ad coronã quam cuperet, perueniret. Sed tamen quia & architectorum mẽſuræ palæſtæ dici feruntur, quibus ad ſtructuræ numerũ vel modum ſpatij colligendum, ædificia metiuntur, locúmque eum in quo ædificia ſunt locanda, & per Eſaiam locutus eſt deus: Quis mẽſus eſt manu aquam, & cœlum palmo, & vniuerſam terram clauſa manu? quis ſtatuit mõtes in ſtatera? videamus ne fortè hic ſenſus hoc ſermone ſit colligendus, quòd cognitos dies omnium habeat deus: cui nihil immẽſum ſit, qui omnia menſura quadam ſuæ ſcientiæ comprehendat, nihilq; ei ſit inæſtimabile, nihil inexaminatum atque innumerabile, qui ait, Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Hoc ergo dicit Propheta: Ecce nouiſti dies meos: non te prætereunt quotidiani actus mei: peccata mea ante oculos tuos poſuiſti: & ideo ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te. Quid enim eſt homo, niſi quia mẽmor eius es? Homo vanitati ſimilis factus eſt. Homo, licet in peccato, ſi aliquid habeat probitatis atque virtutis, rectè cæteris terrenis animãtibus antefertur, & inconſpectu animalium quibus eſt præpoſitus, antecellit: in conſpectu autem dei tãquam nihil eſt eius ſubſtantia. Vnde & alibi ait: Quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis homo viuens. Quod Symmachus manifeſtius expreſſit dicens: Et vita mea tanquam nihilum ante te. Sunt autẽ qui breues putant dies dictos, quia Symmachus σπιθαμὰς poſuit Σπιθαμὴ autẽ palm⁹ eſt, & quia palmo menſus dicitur deus cœlum: palma autem vel palmus portio manus eſt metientis, & aliquid comprehendentis: ideo tãquam breues dies æſtimant nuncupatos, cùm cognitio dei per menſuram (vt ſupra diximus) poſſit intelligi. Cœleſtis autem iſta cognitio, vt ad menſuram facta ſint omnia. Non ergo breues, ſed magni dies prophetæ poſſunt intelligi, quos deus menſus eſt palmo, quo menſus eſt cœlum. Neque enim breues ſuæ vitæ dies diceret, qui poſtea ait: Heu me quia incolatus meus prolongatus eſt: niſi fortè quia propter peccata hominũ breuiores vitæ iſtius dies fecit deus: quæ antè & nongẽtis & ſeptingentis animi extẽdebatur: vt nunc intra cẽtum annorũ curricula claudatur. Sic ergo intelligendum eſt: Ecce peccato obnoxios dies meos noſti. Dies enim vitæ huius (quæ peccato eſt obnoxia) breues ſunt: dies autem vitæ æternæ, ſine fine. Aut certè ſic: (noſtrum eſt enim argumentis quærere veritatem, tuum eſt eligere quid ſequaris.) Ne peccatum, inquit creſceret, abbreuiaſti dies vitæ humanæ qua viuimus in his terris: & tamen cũ maturior in hoc breui curſu iuſtus vitæ finis ſit peccatorum, mortis celeritate ſubſtãtia mea tanquam nihil ante te: quia etſi ad imaginem & ſimilitudinẽ dei facti ſumus, grauat tamen nos in hoc corpore cõſtitutos quædam terrena contagio, quæ non grauaret ſi nos exuere magis veterem hominem cùm induimus gratiam, quàm ſuperueſtire mallemus. Minorem etiam laborem nobis expoliatus homo vetus quam ſuperueſtitus afferret. Nam quòd expoliamus, abiicimus: quod ſuperueſtimus, induimus. Et ideo ingemiſcimus & laboramus, donec mortale hoc veteris hominis indumẽtum, & errori affectum obnoxiũ, nouitate ſuæ vitæ ſpiritalis abſorbeat: vt ſi ſupra venenum plurima mella fundãtur, ęgrè ac nimis ſerò veneni virus aboletur. Aqua etiam multa diu cum veneni felle luctatur, ſi non illud expuat, ſed abſorbeat. Ideo laborioſa pœnitentia, ſuauis gratia, quia peccatum expoliatur vbi gratia eſt, abſorbetur, vbi pœnitentia, ibi remittitur, hîc abſconditur. Et ideo ſcriptum eſt, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Et requieuit pauliſper, ingemiſcens humanæ conditionis ærumnam, quia dixerat: Veruntamen vniuerſa vanitas, omnis homo viuens. Et poſt diapſalma reſumpto ſpiritu ait: Quãquam in imagine dei ambulet homo: tamẽ vanè conturbatur. Theſaurizat, & ignorat cui congregãt ea.) Vide quomodo ante aſperitatem ſuę ſententię temperauit, poſtea rationem ſuę vocis abſoluit. Temperauit dicendo, Quia in imagine dei ambulat homo. Beatus homo, qui ad ſimilitudinem dei per fidem ambulas. Beatus, qui in te fidem habes: beatior ſi auaritiam non haberes. Aliud bonum mentis eſt æternum: aliud vanum, carnalis cupiditatis incendiũ. Fides enim deo militat, auaritia tentatori. Iſta contra gerit quod ſibi profit: illa quod proficiat alienis. Quid igitur

Act. 2.
Hier. mi. 1.
1 Corin. 15.
2. Corin. 2.
Pſal. 119.
Matth. 24.
Hebr. 13.
Ioann. 14.
Ibidem.
Roma. 6.
Ioan. 8.
Pſalm. 117.
Apoca. 22.
Epheſ. 6.
Pſalm. 89.
1. Corin. 15.
Eſaiæ 40.
Lucæ 12.
Pſalm. 6.
Pſalm. 38.
Pſalm. 142.
Pſalm. 119.
Pſalm. 31.

1345

tur tam vanum, quàm nescire cui laboret hęredi? Quis enim scit si sibi filius aut nepos proprius superuiuat: Sæpe conditis tabulis testamentis scriptis, hæres funereo ambitu testatorem præcedit ad tumulum, aut hæreditatem superstes absorbet, aut luxuriosus dissipat, aut stultissimus non tuetur, aut proscriptus amittit. Si quem ergo videris studiosè diuitias congregantem, dic & tu: Vanè conturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui congregat ea. Neque enim secum potest auferre quæ possidet: & cùm morietur, relinquet alienis diuitias suas. Succedit frequenter inimicus & ingratus, & delitur: quos ille nutriuit, hic vendit. Græcus tamen non habet, in imagine dei, sed tantummodo in imagine. In qua ergo imagine ambulat homo? In ea vtique ambulat, ad cuius similitudinem factus est: id est, ad imaginē dei. Imago autem dei Christus: qui est splendor gloriæ, & imago substantiæ eius. Christus ergo imago sancti. Ad imaginem hæc imago venit ad terras, vt iam non in vmbra ambularemus, sed in imagine. In Christo enim ambulat, qui sequitur euāgelium. Ideo discipulo suo dicit: Vade retro me. vt me sequaris. Ideo errauit populus Iudæorū, quia in vmbra ambulauit. Ideo non errat populus Christianꝰ, quia in imagine ambulat, habens Solem sibi iustitiæ refulgentem. Bona imago, non cetris picturæ fucata radiantis, sed plenitudine diuinitatis expressa. In qua imagine & pater simul videtur & filius: quia per vtrumque eorum vnitas operationis effulget. Et si iam resurrexerit Christus, tamen in euangelio nobis adhuc eius imago monstratur. Lego quòd Lazarum suscitauerit, & patris opus & filij credo. Filius vocauit, pater audiuit, Lazarus ambulauit. Lego quia eum dæmones fatebantur: fatebantur & patrem, qui dei filium precabantur. Fatebantur & ipsum, quia per ipsum eiiciebantur. Scriptum est: Quod si in † spiritu dei eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Primum igitur vmbra præcessit: secuta est imago: erit veritas. Vmbra in lege, imago in euangelio, veritas in cœlestibus. Vmbra euangelij, & ecclesiæ congregationis, in lege: imago futuræ veritatis, in euangelio: veritas in iudicio dei. Ergo quæ nunc celebrantur in ecclesia, eorum vmbra erat in sermonibus prophetarum: vmbra, in diluuio, vmbra in rubro mari, quādo baptizati sunt patres nostri in nube & in mari. Vmbra in petra quæ aquam fluxit, & populum sequebatur. Nónne illud in vmbra erat sacrosancti huius mysterij sacramētum? Nónne vmbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo, quæ fugientes se populos sequebatur vt biberent, & non sitirent: redimerentur, & non perirent? Sed iam discessit vmbra noctis & caliginis Iudæorum: dies appropinquauit ecclesiæ. Videmus nunc per imaginem bona: & tenemus imaginis bona. Vidimus principē sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerētem pro nobis sanguinem suum: sequamur, vt possumus, sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium: etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia & si nūc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. Imò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur. Et ipse quidem nobis apud patrem aduocatus adsistit: sed nunc eum non videmus: tunc videbimus cùm imago trāsierit, veritas venerit: tunc iam non per speculum, sed facie ad faciem ea quæ sunt perfecta videbuntur. Ascende ergo homo in cœlum, & videbis illa quorum vmbra hic erat vel imago. Videbis non ex parte, non in ænigmate, sed in consummatione: non in velamine, sed in luce. Vibebis verum illum & æternum atque perpetuum sacerdotem, cuius hîc imagines videbas, Petrum, Paulum, Ioānem, Iocobum, Matthæum, Thomam. Videbis perfectum hominem iam non in imagine, sed in veritate. Quasi enim cœlestis, tales & cœlestes. Vtique & ipsi iam in gloria vel decore, iam in resurrectionis gratia, non in corpore mortis & corruptionis deformitate. Vide ne eo deferas imaginem terrestris, vbi lux cœlestium est. Hîc si quis tyranni imagines habeat qui iam victus interiit, iure damnetur. Quomodo tu hostis & aduersarij imaginem in ciuitatem veri imperatoris induc is, nisi vt ipse te damnes? Et si volueris imaginem terrestris inferre, contradicet tibi princeps istius mundi, & dicet: Mea est imago hæc: & quæ offers, mea sunt. Quid facies deprehensus, cùm tibi dixerit, Mea est auaritia, mea est ambitio, meæ diuitiæ, quarum imaginem in te recognosco? Ipse est enim aduersarius & defensor. Quòd si fueris qualis Iacob, dices Labe, qui se transfigurat in angelū lucis: Recognosce si quid tuorum in me inuenis. Tunc ille requiret, & non inueniens confutatus abscedet: quia abscondisti atque oblitera sti omnia simulachra vitiorū. Beatus qui potest dicere, Veniet huiusmundi princeps, & in me suum inueniet nihil. Quæ sua sunt enim, quærit ille: non illa quæ Christi. Si ergo quæ sunt Christi sequeris, noli quas non habebas affectare diuitias, augere quas habebas: & diuitem te sibi sentiat pauper. Induc in domum tuam inopem, frange panem esurienti, & nudum operi, vt tibi thesaurus condatur in cœlo qui tecum transeat. Pauper Christus est factus cùm diues esset, vt nos sua inopia diuites faceret. Noli ergo propter diuitias vanè conturbari, excitari de somno, cogitare quemadmodum pecuniam tuam serues, opes tuas augeas, de nocte procedere, excubare ad iudicis domum vt aliena diripias, litem † moueas pauperi, vereāris exactorem tributi. Vana est ista conturbatio: & ideo iustus dixit: Et nunc quæ est expectatio mea? Nónne dominus: & substantia mea ante te est.) Spes & patientia nostra Christus est. ipse factus est redemptio nostra, ipse est nostra expectatio: vt dicamus singuli: Expectans expectaui dominum, & respexit me. Respice ergo nos in iudicio tuo. Respiciat super nos misericordia tua: vt qui de merito diffidimus nostro, per tuam misericordiam liberemur, in cuius potestate est animæ nostræ vitæque substantia. Et ideo nō timeamus corporis mortem, sed eum qui potest animam nostram vel seruare vel perdere, cuius substantiæ virtus est, quam deus ad similitudinem sui pectoribus infudit humanis. Quisquis igitur habet istam substantiam animæ suæ, dicit: Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me.) Non vnius criminis lapsum fatetur, qui ab omnibus se iniquitatibus solui precatur. Scit enim quòd nisi dominus ignoscat, nemo saluus esse possit quicunque natus est sub peccato, quem ipsa noxiæ conditionis hæreditas adstrinxit ad culpam. Opprobrium, inquit, insipienti dedisti me.) Quis est insipiens, nisi qui peccatum facit, & eligit mala pro bonis? Ergo qui auctor est peccatorum, ipse insipiens magis quàm eius minister. Cùm peccamus igitur, in opprobrium traditur aduersario, vt ille nos quasi inimicus in die iudicij accuset & prodat. Suscipiamus ergo opprobrium crucis Christi, quod suscepit Moyses, & Ægypti thesauris regalibus prætulit: & ideo non est insipienti in opprobrium traditus. Alij habent codices, Opprobrium insipienti ne tradas me. Sed magis Dauid eam consuetudinem habet, vt sua magis opprobria & peccata fateatur, ne de peccatis suis erubescat & opprobriis, qui scit in confessione esse veniam, & in peccati sui condemnatione iustitiam. Denique ex iis quæ sequuntur, manifestatur hic sensus, quia subiecit: Obmutui, & non aperui os meum: quoniam tu fecisti me.) Hoc est, dedisti me in opprobrium insipienti: ideo obmutui, & non aperui os meum, ne peccata maiora contraherem. Agnoui voluntatem tuam, vt ad tempus erubescerem, & postea saluus fierem veniam postulando. Prodest ergo interdum & opprobrium. Siquidem etiam ipse prodest carnis interitus, vt testificatur Apostolus dicens: Tradidi eum in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Opprobrium quoque prodesse Dauid ipse testatus est dicens ad Abessam sine maledicat mihi Ieminæus, quoniam dixit illi dominus, vt videat humilitatem meam: & retribuet mihi dominus bona pro maledicto hoc. Et reuera vidit opprobriū eius dominus, quòd flens ibat & excalciatus, operto capite, & amouit eius opprobrium. Liquet igitur quia cùm datus in opprobrium Dauid fugerit, & humiliatus sit, & nudis pedibus domino satisfecerit, & lapides iacentem non repercusserit, & in maledicentem non permiserit vindicari, & post hęc regno suo integro restitutus sit: quia & opprobrium à domino sit, & profit magis sustinere opprobrium, quàm refellere. Deniq; victoria pòst secuta est. Ergo opprobrium

Gen. 31. Ioan. 14. Philipp. 2. Esaiæ 58. 2. Cor. 8. †terreas pauperem. Psal. 31. Hebr. 11. 1. Cor. 5. 2. Reg. 16.

briũ prodeſt. Sed quid eſt quod addidit, Quoniam tu feciſti me? Nónne ideo obmutuiſſe ſe dicit, & non aperuiſſe os ſuũ quia agnouit domini voluntatem, & propterea patienter ſe pertuliſſe, vt ſatisfieret domino per opprobriũ pro peccato, Vnde & adiunxit: Amoue à me plagas tuas.) Quomodo hoc ſibi congruit, quòd in ſuperiore pſalmo flegellis ſe obtulit, hic flagella à ſe poſtulat amoueri? niſi quia ſoluit iã de manu domini duplicia peccata ſua, erubeſcendo, opprobria ſuſtinendo. Cõpunctiones cordis ſunt, ſunt & cogitationũ: ſunt & increpationũ flagella. Videamus tamẽ ne ideo dixerit an te deum eſſe ſubſtantiã animæ ſuæ. quia nõ impugnatet aduerſarius eã, niſi poteſtatẽ accepiſſet à domino. Quod enim fecit dominus, & tuetur. Deniq; angelus in circuitu eſt hominis, qui prætẽdit ne quis noceat ei. Non diſcedit angelus, niſi iuſſus à domino, vt ſuus athleta decertet. Ergo quaſi ſub ſtãtia domini præſumit veniã ſibi iniquitatũ ſuarũ à conditore ſuo poſſe cõcedi. Et ideo rogat, quia nouit auctorẽ ſuũ miſericordem. Deinde quia datus ſit in opprobriũ, nõ reſiſtit, ſed patitur aduerſum ſe aſſiſtere peccatorẽ, & ſilet ſubſtantię ſuæ conſcientia, quæ bona eſt, & poteſt corporis ferociã refrenare, vt virtus ſuccedat, culpa ponatur. Poſtremò quia factus à domino eſt, citius ſibi poſſe donari peccatum confidenter exiſtimat, qui fortitudinem manus domini potuerit ſuſtinere. Et hoc vtique bonę ſubſtãtiæ eſt, etſi fortitudine manus domini defeciſſe ſe dicat. Fortis manus ſicut malè percutit, ſic citò ſanat. Quę fortis ad vulnus, fortis
Deute.32. & ad remedium eſt. Vnde & ipſe ait: Percutiam, & ſanabo. vt non meminerit vulneris, qui ſanatus euaſit. Denique hæc manus domini ſancto Iob omnia abſtulit, & omnia repræſentauit, imò omnia cumulo auxit, vt amiſſa geminaret. Ne te moueat quòd defeciſſe dicit. Eſt qui deficit, & fortior ſurgit. Suffulſit enim dominus omnes qui ruũt, & corrigit om
Iob 42. *Pſal.144.* nes eliſos. Cùm virtute enim ſurgit quicunque corrigitur.
Acto.9. Defecit Paulus à fortitudine manus huius. Cecidit perſecutor, & ſurrexit euangelij prædicator. Hoc eſt quod ait, A fortitudine manus tuæ ego defeci.) Et addidit, In increpationibus ſuper iniquitatem erudiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneã animam eius.) Græcus ὑπὲρ ἀνομίας dixit, hoc eſt, pro iniquitate: & integrũ vreſum, ἐν ἐλεγμοῖς ὑπὲρ ἀνομίας ἐπαίδευσας ἄνθρωπον poſuit: quod eſt, In increpationibus pro iniquitate † erudiſti hominẽ. Ideo Sapiens dixit: Quis mihi dabit cogitationũ mearum flagella, & labiorum meorum ſignaculum? Vt cor ſuum ipſe ſuis cogitationibus flegellaret, & ſignaret labia ſua: quo & vetera peccata minueret, nec alia loquendo renouaret, quo propriis increpationibus eruditus, exercitia virtutis indueret. Tabeſcit autem anima, quando peccatum minuitur: vel, cùm anima tabeſcit, culpa deponitur, increſſatur cùm peccata cumulantur. Vnde dominus de peccatoribus: Non permanebit in his ſpiritus meus in æternum, quoniam carnes ſunt. Et alibi ſcriptura dicit: Increſſatum eſt cor populi huius. Ideo & Hieremias primum baculum vidit nuceum, deinde ollam feruentem, vt tabeſceret anima praphetę incipientis, quo culpa diſcederet, vt accederet gratia. Sed cur prius baculũ, poſtea ollam? Quoniam qui baculo nõ corrigitur, in ollam mittitur, vt ardeat & tabeſcat. Et ideo ad prophetam Ezechiel dicitur: Accipe tibi ſartaginem, & accipies iniquitates domus Iſrael, & cõſummabis, & tabeſcẽt (inquit) in ſuis iniquitatibus. Et alibi in eodem libro dicit dominus: Sed ego magnum faciam titionem, & multiplicabo ligna, & ſuccendam ignem, vt liquefiat caro, minuatur ius. Quibus teſtimoniis ſignificatur quòd animæ perfidorum admoto igne tabeſcant, vt deponant craſſitudinis quendam carnalis humorem. Mittuntur ergo in ſartaginẽ & animæ peccatorum, vt defluat quædam peccati caro, quæ obduxerat animę acmentis vigorem, & velut iure quodam, ita quibuſdam infuderat animam illecebris cupiditatum. Expectant igitur nos quædam ſartagines: ideo hic conteramus cor noſtrum, vt ſubtile fiat, & deponat omnem duritiem & pinguedinem quẽdam carnalis aruinæ, quod patientur qui luxuriati ſunt in hac vita, & magis ludibria dedecorũ, quã opera vlla virtutum exercenda ſibi more Iudaico crediderunt. Increſſatus eſt enim Iacob, & pinguis factus eſt, & ſurrexit ludere.

† propter iniquitatem.

Eccli. 22. & 13.

Gene.6.

Matth.13.

Hierem.1.

Exech.4.

Quem à fidei veritate luſus ille in perfidiæ traduxit erro-
A rem. Meritò ergo Paulus caſtigabat corpus ſuum, ne nutriret corpus peccati †. Luxuriãdo enim facimus membra peccati, ſobrietate autem membra iuſtitiæ. Non natura ergo, ſed culpa delinquit. Nec iterũ vana & inania ſequamur, ne telã araneæ texere iudicemur, eo quòd peccata nulla perpetuitatis poſſunt habere ſubſtantiam. Vnde cum videris aliquos ſtudere facultatibus ampliandis, cumulandis poteſtatibus, affectando decori, dices illud Eſaiæ: Telam araneæ texunt. quæ diuturna eſſe non poteſt, ſed citò ſcinditur, atque opus eius omne diſſoluitur. Non enim ſupra ſolidum aliquod firmamẽtum locatur, ſed in vacuo ſuſpenditur. Nihil laxum, nihil molle verum Chriſti militem decet. Ecce eguti ſibi & induſtrij omnes auari videntur. Quid argutius, quid ſolicitius aranea? quæ operi ſuo diebus ac noctibus ſemper intendit, nec vllo ſumptu vllàque impenſa conficit veſtimentum, ſed vanum eſt omne quod fecerit. Sic homo
B omnis eſt qui opus ſuum ſupra Chriſti non conſtituit fundamentum. vanè noctibus & diebus & ipſe turbatur: cùm eum plerunque araneæ modo etiam in ipſo ſuæ improbitatis molimine operis ſui ruina conuoluat. Et ideo ſapiens qui cognoſcit huius ſeculi vanitatem, non diuturnam vitæ huius precatur vſuram, ſed ad illa æterna feſtinat, & labore huius corporis & dolore geſtit abſolui: ſicut Propheta deſideraſſe cognoſcitur dicens: Exaudi domine orationem & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas. Ne ſileas à me: quoniam ego aduena ſum apud te in terra, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.) Alius eſt incola, alius aduena, alius accola. Incola, qui de loco eſt, & genitalem locum incolit. Aduena, qui aliunde venit. Accola, qui ad tempus colit, & mutatur annorum vicibus. Hoc eſt ergo quod dicit Dauid, Apud te alienus ſum, dum in terra ſum, non ſum paradiſi tui incola. Vnde expoſuit hoc ipſe ſubiiciens, Et peregrinus, ſicut omnes patres mei. Quod aperuit & apoſtolus Paulus, aſſerens quoniam cùm ſumus *2.Cor.5.*
C in hoc corpore, peregrinamur à domino: quia etſi fides in nobis eſt, per fidem tamen ambulamus, non per ſpeciem. id eſt, non facie ad faciem quaſi præſentes. Ambulamus enim in ænigmate † adhuc, non in veritate. Denique addidit: *† imagine.*
Audemus ergo & confidimus magis peregrinari à corpore, *2.Cor.5.*
& adeſſe ad dominum. Audemus, præſumptionis & fidei, non temeritatis eſt verbum. Et conſentimus, id eſt, volentes adquieſcimus, & optantes, non plenioris ſcientiæ auctoritatem velut principaliter noſtro iudicio defendentes, volumus verum eſſe quod cupimus, vt appropinquemus ad dominum, à quo nos videtur futurorum & præſentium diſtantia ſeparare. Audemus ergo adeſſe: & ideo, inquit, connitimur. Cognoſcis verbum volentis adhuc peruenire. non eius qui peruenerit. Affectus igitur in hoc ſermone, non affectus oſtenditur. Denique ipſum teſtem ſui ſermonis interroga, imò vide dicentem, vel potius audi dubitantem, cùm dicit: Ideo connitimur ſiue abſentes ſiue præſentes placere illi. abſentes adhuc per fidem, præſentes per ſpeciem. Vnde & hoc poteſt intelligi, quòd & hic poſiti, & il-
D lic, placere noſtro iudici, redemptori quoque noſtrarum deſideramus animarum. Neceſſe eſt enim nos ei aſſiſtere per ſpeciem, vt vnuſquiſque operum ſuorum merita dignæ adipiſcatur ſortis examine, vel iuſtus in requie, vel impius in ærumna. Fundit igitur lachrymas, quoniam cùm aduena in terram venerit, demoretur & ſeparetur à patria longo detentus exilio. Conſidera nunc mihi illum Adam de paradiſo eiectum, in caſtellum relegatum, ſpectantem vnde deiectus ſit, flentem vbertim, quia reminiſcitur quid admiſerit, quóve deciderit. Et ideo gratias agamus deo, qui nos perpetuo exilio liberauit, aperiens ianuam qua reuertamur ad patriam. Vnde Apoſtolus præſumpſit dicere: Ergo iam non eſtis aduenæ atque peregrini, ſed eſtis ciues *Epheſ.2.*
ſanctorum, & domeſtici dei. Hoc volens recipere Dauid antequam Chriſtus veniret in terras, dixit: Remitte mihi vt refrigerer priuſquam eam, & amplius iam non ero.) Hoc eſt, hic mihi remitte, vbi peccaui. Niſi hic remiſeris mihi, ibi remiſſionis requiem inuenire non potero. Quod enim in ter-

1349

in terra ligatum manſerit, ligatum manebit in cœlo: quòd ſolutum in terra fuerit, ſolutũ erit in cœlo. Propheta enim & prædicator eccleſiæ congregandæ, euangelico ſpiritu indulgentias domini præuidebat: & præcipienda apoſtolis, ei dominus reuelabat. Imò hęc erat vetus ſentẽtia, vt qui ſe ligaſſet in terris, vinctus migraret à corpore. Ideo dominus, quod ante erat iudicij ſui, dedit apoſtolis, peccata remittẽdi æquitatem: ne citò ſoluenda, diu ligata manerent. Denique audi dicentem: Tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo. Tibi, inquit, dabo claues regni cœlorum: vt & ſoluas & liges. Hoc Nouatianus non audiuit, ſed eccleſia dei audiuit. Ideo ille in lapſu, nos in remiſſione. Ille in pœnitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, apoſtolis dicitur. Non poteſtatem vſurpamus, ſed ſeruimus imperio: ne poſtea cùm venerit dominus, & ligatos inuenerit quos oportuit ſolui, commoueatur aduerſus diſpenſatorem qui ligatos ſeruauerit ſeruos quos dominus iuſſerat ſolui, dicẽs, Quoniam qui cognouit voluntatem domini ſui, & non fecit ſecũdum voluntatem eius: vapulabit multum: Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit minus. Meritò ergo Dauid remittit ſibi poſtulat quod ſciebat non eſſe iis qui ſecũdum Aaron erant ſacerdotibus attributum, ſed euangelio ſeruatum, Cui ergo non remittitur: in exilio eſt, in peregrinationis iniuria perſeuerat. Hic ergo petenda eſt venia. Hic enim dictum eſt: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Hic locus eſt veniæ poſtulãdæ. Deploremus igitur in terris, vt mereamur indulgentiam. Niſi remiſſum peccatũ hîc fuerit, nõ habebimus requiem. Si requies non fuerit, nõ erit vita æterna: ſi vita æterna non fuerit, non erimus. Ideo petit remitti ſibi antè quàm eat, vt ſit. Si enim remiſſum non fuerit, non ero (inquit) cum iis qui ſunt, cum iis qui in paradiſum merẽtur aſcendere. Qui autem non eſt, conſumetur cum deſcendentibus in lacum, qui in catenis & carcere fuerit derelict⁹. Nõ ergo definitiuè dicit non ero, qui alibi dicit: Pſallam tibi in cithara deus ſanctus Iſrael. Gaudebunt labia mea cùm cantauero tibi, & anima mea quã redemiſti. De redemptione ergo præſumit. Et alibi audi dicentem: Placebo domino in regione viuorum. Erit ergo, qui placere præſumit. Poteſt & ſic intelligi quia dixit, Aduena ego ſum apud te in terra, & peregrinus, ſicut omnes patres mei: & ideo remitte mihi vt peregrinus eſſe deſinã: remitte mihi exilium quo religatus ſum. Si remiſeris antequã diſcedã hinc, non ero amplius exul atq; peregrinus. Cùm enim tu remiſeris, non ero peregrinus, ſed ciuis ero ſanctorũ tuorum. Ero cũ patribus meis: qui & ipſi fuerunt antè peregrini, nũc verò iam ciues ſunt. Ero domeſticus dei, vt pœnam nõ timeam, gratiam merear: per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ, cum quo tibi eſt laus, honor, gloria, perpetuitas, cũ ſpiritu ſancto à ſeculis, & nũc, & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmi trigeſiminoni enarratio.

IN ſuperioribus pſalmis pœnitentiam prædicauit: deinde de patientia ſua, & perturbatione hominis eſt locutus. In triceſimo autem nono pſalmo nouum annunciat teſtamentum. Qui enim malorũ pœnitentiam agit, expectat: ſed non eſt perfecti expectare, ſed expectaſſe. Nemo enim niſi qui perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit. Ideo addidit: Expectans expectaui dominum.) Vbi ergo rectè hoc dicitur, niſi in euangelio? in quo iam nobis, à quibus expectabatur, aduenit: in quo iam nobis non legis caligat vmbra, ſed veritas fulget: quia Chriſtus illuxit, qui exaudiuit voces deprecationum ſuarum, & eduxit nos de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, vbi iam demergebamur noſtrorum voragine peccatorum, & totus homo noſter inhærebat, nec poterat ſe animus noſter eruere, obrutus multiplicis labe flagitij. Gratias igitur domino Ieſu vnigenito dei filio redemptori noſtro, qui nobis peccata omnia remiſſurus deſcendit è cœlo, vt nos de lacu ac limo iſtius mundi, & cœnulenta quadam palude terrarum, de corpore quoque mortis huius eriperet, atque in carne ſua ſtatueret animi noſtri interiora veſtigia, vt confirmati in dei verbo, & per crucem domini corporis paſſionibus abſoluti ambulemus iam non in opprobrio dedecoris, ſed in remiſſione peccati. Confirmatus igitur & radicatus in Chriſto, ſupra petram ſibi memorat pedum ſuorum ſtatuta veſtigia. Vnde dicit Apoſtolus: Bibebant autem de conſequenti petra: petra autem erat Chriſtus. Petra, eo quòd ſitientes ſequatur, confirmet labentes, ne ſitientibus aqua deſit, labentibus firmamentum. Expectanti ergo mihi domine Ieſu aliquando veniſti, direxiſti greſſus meos in euangelio, immiſiſti in os meum canticum nouum, quod eſt nouum teſtamentum. Gaudentes iam canimus hymum deo noſtro: quia nouarum virtutum præcepta cognouimus, vt noſtra omnia relinquamus, Chriſtum ſequentes, & noſtros diligamus inimicos. Nouos etiam hauſimus mores, vt proſequentibus nos precem domino deferamus. Maledicentes ecce benedicimus. Neſcimus opera noſtra iactare, aut celare peccata. Angelorum etiam more nuptias refutamus. Quid multa? De illo ærumnoſo peccatore beatus homo factus eſt, iam non reſpiciens in iſtius mundi varias vanitates. Vanitas enim vanitatum, & omnia vanitas, totus hîc mundus eſt: ſicut dixit ſapiens Salomon. Quid enim niſi vanum eſt ea ſequi quę perſeuerare non poſſunt, & omnia tanquam vmbra prætereunt? Inſaniæ autem falſæ aut certamina iſta bellorum, † in quibus pro temporali poſſeſſione ſanguis tantus effunditur, aut contentionum theatralium diſſenſiones, aut Circenſium plena furoris ſtudia declarãtur, aut hæreticorum doctrina feralis, aut pſeudo prophetarum in modum oraculorũ cœleſtium ſimulati geſtus, verba compoſita. Sic enim dicit Propheta: Beatus vir cuius eſt nomen domini ſpes eius, & nõ reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.) Sunt ergo & veræ inſaniæ, & forſitan prophetarum, qui in exceſſu mentis poſiti prophetabant, repleti dei ſpiritu, vt quibuſdam inſani viderentur, cùm propriæ ſalutis immemores, nudi plerunque & excalceati, ſicut Eſaias ſanctus, per populus currerent: vociferantes non quæ ipſi vellent, ſed quæ à domino iuberentur. Ex his igitur intelligitur affulſiſſe remedium ſalutis: quoniam qui expectabatur, adeſt. Expectauit eum Adam de paradiſo eiectus, vt longo liberaretur exilio. Expectauit eum in Noe iuſto, qui ad ſemen futurorum eſt reſeruatus, vt ex eo iuſtitię ſemina in hominibus pullularent. Ipſum putabat publicæ ſalutis auctorem, qui diluuio ſuperſtes eſſe meruiſſet. Ipſum ſapientiæ principem, qui excoluiſſet vitem, & ex eius fructu inebriatus foret. Qui eſt enim vitis niſi ſapientia? ſicut aperuit nobis Dauid cœleſtis interpres oraculi, dicens: Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Eo quòd in ipſo eſſet ſapientiæ pleuitudo, quæ expectabatur in Chriſto, qui nouo repletus ſapientiæ ſacramento, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, inuſitatum nobis deferre myſterium properauit, vt nudus iaceret, & exhuberantis ſapientiæ pocula inaudita profluerent: vt obliti ſuperiorum, in nouos mores & nouam ſobrietatem vitæ reſurgeremus æternę, quo per ſtultitiam prędicationis deus agnoſceretur: quem per ſapientiã non cognouit hic mundus. Denique in figura illa dormientis & nudati patris, qui ſtultitiã riſit, maledict⁹ eſt: qui venerati ſunt, benedictionis gratiam ſunt adepti. Ideoque qui mortem vnigeniti filij dei patris & creatoris omniũ ad offendiculum aut approbrium noſtræ fidei obiiciendã eſſe crediderint, peccatorum ſuorum nexibus ad perpetuæ maledictionis ærumnam tenentur adſtricti. Qui verò eam pro totius humani generis abſolutione ſuſcipiunt, virtutis æternæ præſidio fulciuntur. Crux enim Chriſti Iudæis offendiculum, Græcis ſtultitia: vt Apoſtolus dixit: nobis autẽ qui credimus in dominum Ieſum, virtus dei atque ſapientia eſt. Expectatus eſt in Moyſe, cùm ſiſteret † vndas maris, & impoſſibile viribus humanis, pedeſtris viæ aperiret in fluctibus iter: ſequeretur petra, & vomeret aquas, vt ſitientium patrum in medio deſerti viſcera interna ſatiaret. Expectatus eſt & in Aaron principe ſacerdotum, qui inter viuos ac mortuos medius ſtetit, & per ſerpẽtem ſtatuit luem mortis, ne à cadaueribus defunctorum ad viuentium tranſiret interitum. Quid enim tam proprium Chriſti, quàm ad-

1. Corin. 10.

Ibidem 4.

Eccli. 1.

† bellatorũ.

Eſaiæ 20.

Pſalm. 127.

1. Corin. 2.

Gene. 9.

1. Cor. 1.

† ſcinderet.

Num. 21.

uocatum apud deum patrem adstare populorum, mortem
suam offerre pro cunctis, repellere necem, vitam reformare
perituris? Expectatus est & in Iesu naue, & certè venit: qui
& potestatem suam & nomen accepit, vt & populum in ter
ram repromissionis induceret, & verè Iesu nomine vocare-
tur. Siccauit fluenta: conuertit amnem in suum fontē: solem
statuit donec consummaret in virtute victoriam. Sed adhuc
figura erat illa, non veritas. Denique verus ei dux militiæ
cœlestis effulsit, & adorauit eum Iesus Naue, quanuis non-
dum in corpore verus astiterat, sed adhuc venerat in figura.
Quando igitur verus aduenit? Audi dicentem: Annunciaui,
& locutus sum: multiplicati sunt, super numerū. Sacrificiū
& oblationē noluisti: corpus autem perfeciſti mihi: tunc di-
xi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam
volūtatem tuam: deus meus volui.) Quid euidentius, quàm
quòd cùm euangelij sui munere nobis Iesus verus aduenit?
Ipse locutus est, & innumeri credentium populi congregati
sunt, qui vix singuli ante credebant. Ipse venit in carne, &
cessauit sacrificium Iudæorum. Cessauit oblatio pro pecca-
to: quia peccatorū remissor aduenerat. Non erat remedium
necessarium legis, vbi legis auctor adstabat. Tunc dixi, Ecce
venio. In capite libri scriptum est de me. Scriptum profe-
cto de Christo est in principio veteris testamenti, quòd vē-
turus esset, vt in redemptione hominum, dei patris faceret
voluntatem, quando scriptum est quia Euam in specie ecc-
lesiæ ad hominis adiumenta formauit. Quid enim nobis in
hac corporis infirmitate, & seculi istius perturbatione præ-
sidio potest esse nisi sola ecclesiæ gratia, qua redimimur: &
fides nostra, qua viuimus? In capite libri scriptum est, Os
Genes. 2. de ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relin-
quet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, &
erunt duo in carne vna. Quis iste sit qui locutus est, aut de
Ephe. 5. quo istud sit sacramentum, audi dicentem: Sacramentum
hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in ecclesia.
Vnde & admonet vt sic diligat homo vxorem suam, quem-
admodum ecclesiam Christus: quoniam membra sumus
corporis eius, de carne ipsius, & de ossibus eius. Quæ igitur
maior salus, quàm esse cum Christo, & ei vnitate quadam
corporis adhærere, in quo nec macula sit vlla, nec fortitu-
† forte defor mitas: aut, formido. do † peccati? Scriptum est in capite libri, quòd Abel iusti
placuit hostia deo, displicuit oblatio parricidę. Nónne a-
pertè significauit dominus Iesu offerendum se esse pro no-
bis, vt in sua passione noui sacrificij gratiam consecraret, ri-
tum populi parricidalis aboleret? Quid autem expressius,
Genes. 22. quàm quod à sancto patriarcha oblatus est filius, & aries
immolatus est? Nónne apertè ostendit hominis carnē, quæ
omnibus terrenis est communis animantibus, non diuini-
tatem vnigeniti filij dei obnoxiam futuram sacræ vulneri
passionis? Scriptum est in capite libri, venturum homi-
nem qui potestatibus cœlestibus imperaret. Impletum est
quando dominus Iesus venit in terras, & angeli minis-
trabant ei: sicut ipse dignatus est dicere: Ex hoc videbitis cœ-
Ioan. 1. los apertos, & angelos dei ascendentes & descendentes ad
Exod. 12. filium hominis. Scriptum est in capite libri: Agnus sine ma-
cula, mundus, maturus, masculus anniculus erit vobis, & oc
cidet eum omnis synagoga. Quis iste sit agnus, audistis di-
Ioan. 1. centem: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatum mundi.
Hic est qui occisus est ab omni populo Iudæorū: quem ad-
huc hostili odio persequuntur. Et illum quidem oportebat
pro omnibus mori, vt in eius cruce fieret remissio peccato-
rum, & sanguis ipsius mundi inquinamenta lauaret. Sed væ
Esaiæ 30. illis qui auctorē salutis proprię negauerunt. Feciſtis, inquit,
consiliū: sed non per me. Quomodo poterat probare parri-
cidiū, qui consiliū non probabat? Et tamen quanta pietas:
Abhorrebat quidem à consilio: sed si conuerterentur, reme-
dium non negabat. Scriptum est etiam, nō solum in capite,
sed in omni legis complexione, venturum hominem ad cō-
seruandū hominum genus, qui omnia vellet quę deus vel-
let. Vnde intelligis quoniam diuinitatis eiusdem est, qui e-
iusdem est voluntatis. Vnde etiam ad sacrificium passionis
Psal. 53. voluntarius accessit, meritóque prædixit: Voluntariè sa-
crificabo tibi. Sed fortè dicas, Quomodo in euangelio di-
Matt. 14. xit: Pater, si possibile est, transfer à me calicem hunc: sed

non sicut ego volo, sed sicut tu vis? Et videtur quidē esse di-
A stantia volūtatis: verum intelligimus aliud esse quod secun-
dum vnitatem diuinitatis exprimitur, vbi dicit: Ego & pa-
ter vnum sumus: aliud quod secūdum hominis est locutus Ioan. 10.
affectum, quem innuit cautum esse debere, nec præsumere
quòd facilè implere non possit: ne dum præmium quærit,
incidat sacrilegium. Vnde ait: Cùm persequentur vos in Matth. 10.
hac ciuitate, fugite in aliam. Meritò ergo & hic subiturus
corporis passionem, cœpit contristari, & mœstus esse: & as-
sumptis Petro & duobus filiis Zebedæi, Tristis est anima Matth. 26.
mea, antè præmisit: & subiecit postea, Vigilate & orate, ne
intretis in tentationem. Spiritus promptus est, caro autē in-
firma. Vides vbique eum secundum hominem loqui, secū-
dum hominem orare, secundum hominem tristem esse, se-
cūdum hominem dixisse, Pater meus, si possibile est. Quod
vtiq; non impossibile deo: sed hominis est dubitare, dei cō-
firmare. Ideo promptiores assumpsit, quasi electos vltimi
iudicij sui testes, qui verborum eius agnoscerent sacramen-
tum. Denique alij dormiebāt: isti soli fida mente vigilabāt.
B Vnde & per Hieremiam nondum suscepto corpore ipse ait: Hiere. 11.
Ego sicut agnus ductus sum, & nesciui. Quid est quod ne-
sciat sapientia dei? quæ in arcano patris semper est: & ideo
enarrauit omnia filius dei, quia dei patris ipse sapientia est.
Quomodo præsciuit se sicut agnum esse ducendum, & quo
duceretur nesciſſe se dicit? Aut quomodo in superioribus
per os ipsius Dauid ait: Deus deus me⁹, respice in me: quare Psalm. 21.
me dereliquisti? Quomodo derelinquitur à patre filius, qui
ait: Et non sum solus: quia pater mecum est. Et alibi: Tradi- Ioan. 8.
tus sum, & non egrediebar. Et alibi: Exsurrexi, & adhuc te- Psalm. 67.
cum sum? Nisi vt aduertas quòd hominum sensum expri- Psalm. 138.
mit, qui putant se à domino, quando sunt in periculis, de-
relictos. Denique audi quod sequitur: Longè, inquit, à salu- Psalm. 21.
te mea verba delictorū meorum. Hoc est, alia verba sunt
delictorum, alia sacramenta salutis æternæ. Non præiudi-
cant verba virtuti: suis viribus substantia diuina fulcitur.
Homo videtur, homo auditur, deus in operibus agnoscitur.
C Et tamen de hoc homine dictum est: Et homo est, & quis
cognoscet eum? Quid est quis? Non quo nemo, sed quo ra-
rus, quo sapiens, sicut illud: Quis ascendet in montem do- Psalm. 23.
mini? Quis sapiens, & intelliget ea? Denique alibi: Vir insi- Psal. 91.
piens non cognoscit ea, & stultus non intelligit hæc. Et tu
ergo cùm legis euangelium, quasi sapiens & non stultus co-
gnosce quæ legis: illuminet te sapientiæ fulgor æternæ. Ver-
ba quidem sunt, sed & ipsa mundant, & ipsa illuminant, & Ioan. 6.
ipsa cōfirmant, & ipsa viuificant. Vnde ait Petrus: Domine,
ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & non relinque-
mus te. Denique vt aduerteremus quòd secundū hominem
locutus esset, paulo post dixit: Ecce, appropinquat hora vt Matth. 26.
filius hominis tradatur in manus peccatorū, Et Iudæ oscu-
lāti ait: Iuda, osculo filium hominis tradis? Hoc est, venenū Luce 22.
infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur: osculo,
quod sacræ pacis insigne est: osculo quo amicitia fida firma-
tur: osculo quo fides sancta signatur? Hoc ergo osculo tra-
dis periculo quem propter osculi cōmercium venerari de-
beres? Et tradis filiū hominis homo, qui propter hominum
D salutem descēdit de cœlo? Sic enim scriptum est: Filius ho- Ioan. 3.
minis qui est in cœlo, ipse est qui descēdit è cœlo. Filiū ho-
minis tradis, qui te ex peccatore apostolū fecit? Filium ho-
minis tradis, qui venit vt in sanguine suo omniū peccata di-
lueret? Ego osculū non nego: ipse videris, qui violaueris o- Prouer. 27.
sculi sanctitatem. An non legisti quòd vtiliora sunt vulnera
amici, q̄ voluntaria oscula inimici? Nec immeritò grauiore
telo tantæ dignationis percussus est Iudas, quàm si eum ful-
mine perculisset. Deniq; patientiā domini ferre non potuit,
qui * maiestatē prodidit, adeò vt sibiipsi tāti sceleris reatus † qui in maiorem reatū pe- diit.
nō posset ablui. Itaq; abiit, pecuniā refudit, hoc est, cōdēna-
uit auaritiā suam tātæ impietatis auctorē, precium perfidiæ
synagogæ reddidit. Non excusatur proditor, qui pœnitētiæ
locū inuenire non potuit: sed aceruatur sacrilegiū Iudæorū,
qui etiā proditoris vocibus arguuntur. Ille suum crimen a-
gnouit, dicēs quòd tradiderit sanguinem iustum: isti & pre-
cium sceleris receperūt, & acrioribus studiis iustitię princi-
pem persecuti sunt. Ideo ad istorū omniū perpetuā cōdem-
nationem

1353

nationem latro crucifixus absoluitur, quia ille Christum in
supplicijs agnouit suis, quem isti in beneficiis non agnouerunt, & peccatum suum confessus est Christo, qui sciret ignoscere: quia in cruce sua regnum domini mente conspexit, quod in conuiuio Christi Iudas videre non potuit. Ideo precationem latronis vox secuta est cœlestis huiusmodi. Amen amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso. Tripudiabas draco, quod Apostolum subtraxeras Christo. Plus amisisti quàm sustulisti, qui latronum vides in paradisum esse transfatum. Nemo est qui possit excludit, quando recepit est latro. Minister tuus eò peruenit, vnde ipse deiectus es. Subrexuimus ista propter illum versiculum, quia dixit, Vt faciam voluntatem tuam, deus meus volui. Hoc est, diuinitatis mihi tecum pater vna voluntas est, vna substantia est: quia inseparabilis maiestas & potentia trinitatis. Sed alia vox carnis: tamen ad voluntatem dei & ipsa consentit, dicens: Non quod ego volo, sed quod tu vis. Et alibi: Si non potest hoc transire, nisi illud bibam, fiat voluntas tua. Communis affectus est mortem timere, quam suscepit Christus, vt crucifigeret, sicut crucifixit & carnem. Mihi enim est luctatus, vt mihi vinceret. Si caro Christi fortis, nec peccato obnoxia, tamen peccata suscepit: infirmitates suscepit, etsi nihil habuit quod doleret. Denique audi dicentem quia pro nobis dolet, donec eiiciat in veritate iudicium. Nõ enim alteram carnem, sed hanc suscepit, vt Apostolus docet, dicens: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem. Etsi de virgine natus est & spiritu sancto, tamen hominis est filius, quia homo virgo. Et ideo quod natum est ex carne, caro est: & qui natus est de homine, homo dicitur, mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Propterea incorruptibilis suscepit hanc carnem, vt faceret incorruptibilem: & immortalis, vt faceret immortalem. Si quis ergo eum sequitur, inducet immortalitatem. Si quis voluntatem eius facit, non morietur in æternum, sed dicit ei Christus: Hodie mecum eris in paradiso. Quid est hodie? Hoc est, de nocte transisti: mecum eris in lumine. Noli tenebras formidare, quem æterna lux suscepit. Pulchrè etiam subiunxit, Mecum eris in paradiso. Hoc est, noli dubitare de carne: & me in carne vidisti. Noli timere ne & tu cadas de paradiso, sicut cecidit Adam: sed audi quia mecum eris, quo præsente cadere non possis. Cecidit caro in paradiso antequam susciperetur à Christo. Ibi eris susceptus, vbi & ille qui suscepit, quia nõ mentitus est dicens: Volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum. Non recedet pastor à gregibus suis: licet iam lupum in paradiso timere non possis: cui dictum est: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ideo ante consummationem aduersarius deiicitur in incendium: catenis quoque perpetuis alligatur: vt tu iam nullas insidias pertimescas. Et Adam vt caderet, à serpente deceptus est, & flexus est ab vxore. Ideo iam nullæ in paradiso nuptiæ, sed omnes erunt sine celebritatibus nuptiarum, sicut angeli in cœlo. Non dixerat Adę, Mecum eris: quia sciebat illum casurum, vt redimeretur à Christo. Felix ruina, quæ reparatur in melius: ideo iam pius pastor, bonus negociator gregem suum & mercem propriam non reliquit. Erit quidem & adhuc in paradiso cum angelis pugna serpenti, donec deiiciatur. Sed qui cum Christo est, timere non poterit. Adam cùm Christo non fuit quando deceptus est. Nam si cum Christo fuisset, in eius præceptione mansisset, deceptus non esset. Non mansit in Christo, quia non in eius sermone permansit. Denique audi qui maneat in Christo. Si manseritis, inquit, in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Et infra: Si præcepta mea in vobis manserint, manebitis in mea dilectione. Vis scire quia cum Christo Adam non erat: Dixit ei dominus: Adam vbi es? Qui vtique quasi absentem requirit, non diceret, Vbi es? si eum in se manere cognosceret. Sed quis eum absentem fecerit, audiamus. Abscondi sum te, inquit, ambo à facie domini. Omnes videt Christus: sed qui se abscondit, absconditur: quoniam qui ignorat, ignoratur. Cognoscit enim eos dominus qui sunt ipsius. Ille omnes suos vult esse, quos condidit & creauit. Vtinam tu homo non fugias, & te ipse à Christo abscondas. Ille etiam fugientes requirit, & absconditos non vult perire, sed clamat dicens: Adam vbi es? hoc est: homo, vbi es? Ego te in lumine posui, tu tenebras requisisti. Denique in paradiso, vbi semper matutinus erat dies, vesper est factus: quoniam omnia peccata tenebrosa sunt. Ideoque audierunt vocem domini dei deambulantis ad vesperam in paradiso. Simul cognosce mysterium: Mane errasti? ad vesperam liberaberis. Quomodo enim vespera, vbi Christus est? Nam licet sedes eius supra cœlum cœlorũ: tamen in sanctis suis Christus est. Quomodo ergo vespera vbi deus est, cùm deus lux sit? Denique Saulo in itinere lux refulsit, quãdo ei Christus occurrit. Vnde etiam lumine dei refulgente cœcatus est prosequutor. Cur ergo cęcatus, nisi quia non agnouerat Christum? Nam si cognouisset lucis arbitrum, non amisisset lumen oculorum. Denique & vbi agnouit recepit. Indicio est quòd non agnouerit Christum, qui audita voce, Saule, Saule, quid me persequeris? Respondit, Quis es domine? Non quęsisset quis esset, si cognouisset. Vnde & dominus quasi ignoranti dicit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Dnrum tibi est aduersus stimulum calcitrare. Et ille dixit: Domine quid me oportet facere? Vide congruentia vtrinque magisteria. Medicus minatur vt corrigat: teret vt curet: æger primò medici personã requirit, si sit ideo neus à quo sanari se posse præsumat. Vbi mecicinæ audiuit auctorẽ, remedium poposcit, salutem inuenit. Denique accedentẽ non solum expulit cęcitatem, sed etiam lucẽ quam non habuerat accepit, vt Christum videret, quem antea non viderat. Sed videamus sequẽtia, repetitio tamẽ versiculo de quo videtur esse tractatus. Ecce venio vt faciam voluntatem tuam, deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Bene nũciaui iustitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea nõ prohibebo: domine tu cognouisti: Iustitiã tuam abscondi in corde meo.) De superione itaque versiculo intelligimus: Ecce venio, non solum vt voluntatem tuam faciam, sed etiam legem tuam in medio cordis mei. Alij habent, In medio ventris mei. Est enim venter & mentis, qui femina concipit sensuum, de quo Esais dixit: In vtero accepimus, & paturiuimus spiritum salutis. Hoc vtero parturiuit & Paulus, qui ait: Filioli mei, quos ego parturio donec formetur Christus in vobis. Christus ergo non ventre corporeo, sed in animæ quodam vẽtre formatur. Hoc ventre Apostolus genuit, sicut scriptum est: Ego vos per euangelium genui. Ideo alij bene habent, In medio cordis: alij, in medio ventris, vt interioris hominis ventrem intelligas, qui in medio esse cordis accipitur, in quo naturalis legis præscripta seruamus: quæ non solum custoditur, sed etiam sit in cordibus nostris. Vnde & scriptum est quia non solum auditores legis iusti sunt apud deum, sed etiam factores legis iustificabuntur. Sunt enim qui naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, sicut gentes quæ legem non audiunt, & sibi lex sunt, qui cognita sibi legis præcepta conseruant. Ergo quasi gentilis populi congregator, personam nostrã suscepit hoc loco Christus, vt diceret facere se legem in medio cordis sui. Si quidem populus nationum legem quam non audiuit impleuit, vt agnosceret Christum quem populus Iudæorum qui legem acceperat, non recepit, nec cognoscendum putauit, quia scriptum est: Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me nõ cognouit. Hic ergo credentium venter est, in quo spiritus sanctus operatus est, & eum semine spirituali implere cõsueuit: sicut testificatur in euãgelio dominus Iesus, qui ait: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ex illo flumine ista sunt flumina, de quo legimus: Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei. De quibus ergo fluunt huiusmodi flumina spiritalia, de his bene dicitur: Eleuauerunt flumina domine, eleuauerunt flumina vocem suam, à voce aquarum spiritualium, quæ supra cœlos deum laudant. Qui eleuauerit vocem suã, hic potest dicere: Bene nunciaui iustitiam tuam in ecclesia magna. Quid est quòd addidit magna, nisi quia fuit antè nõ magna? Quæ est magna, nisi de totius orbis terrarum partibus congregata? quando ab Oriente & Occidente, Septentrione & Meridie populi gentiũ sunt vocati: vbi tamẽ legimus alibi magnam

Actu. 9.

Esaiæ 26.

1. Corin. 4.

Ibidem.

Roma. 2.

Ibidem.

Esaiæ 1.

Ioan. 7.

Psalm. 45.

Psal. 92.

Psal. 34. eccleſiam: Confitebor tibi domine in eccleſia magna, in po-
pulo graui laudabo te. Ibi ergo eccleſia magna, vbi populus
Ioel. 2. graui: hoc eſt, non inquietus, & mobilis, qui ſedit manducare & bibere, & reſurrexit ludere. Grauis populus eſt qui fidem deo ſuo ſeruat, & qui non aliqua leuitate muretur, neq; nutet & fluctuet, ſed Charitate ſit fundatus in Chriſto, vt
Roma. 8. poſſit dicere: Cõfido enim quia neque mors, neq; gladius, neque tribulatio ſeparare me poſſit à charitate dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Qui autem prædicat in eccleſia magna, non abſcondit iuſtitiam dei in corde ſuo, ſed exaltat viribus vocem ſuam annuncians Chriſtum. Non timet eum coram populo prædicare, non erubeſcit crucem eius, ſed gloriatur in illa domini paſſione. Non ſequitur literam legis, ſed eruit profunda myſteria, quibus reuelet domini Ieſu gloriam, quem lex ſignificauit eſſe venturũ ad eccleſiã, quę magna eſt
Ibidem 4. congreganda. Iuſtitia igitur fides eſt. Deniq; credidit Abraham deo, & reputatũ eſt ei ad iuſtitiam. Ecce labia mea nõ
Pſalm. 138. prohibebo domine, tu cognouiſti.) Sic & alibi: Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Ad patrem dicit: Iuſtitiam meam non abſcondi in corde meo: veritatem tuã & ſalutare tuũ dilexi. Totus ex perſona Chriſti pſalmus iſte eſt: Ideo iuſtitiam meam dicit: licet non arroganter & homo poſſit dicere iuſtitiã ſuam, qui deo credit, & fidem ſuã ſibi reputari ad iuſtitiam confitetur. Veritatẽ & miſericordiam diligit, qui fidem prædicat veram, & peccata dimittit. Ideo enim Chriſtus aduenit, vt fidem ſtatueret, remiſſionem tribueret peccatorũ. Et quia ex perſona ſaluatoris totũ hunc eſſe diximus pſalmũ: ne fortè dicant Apollinariſtæ: Ecce corpus, dixit, præparaſti mihi, non etiam animam: audiãt in inferioribus pſalmi huius dicentem: Confundãtur, & reuereãtur ſimul qui quærunt animam meã, vt auferãt eam.) Hæc ſunt quæ in hoc pſalmo difficiliora arbitrati ſumus: reliqua plana & facilia, nec digna interpretationis exiſtimauimus: cùm ſi in tractatum incidant, in alio pſalmo in quo videntur eſſe repetita, rectius proſequemur, fauente domino Ieſu, cui eſt laus, honor, gloria, perpetuitas à ſeculis, & nũc, & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmi quadrageſimi enarratio.

PRono ordine qui in ſuperiore pſalmo dixit, Ecce venio: in hoc iã venit, & patitur: & ideo quadrageſimus pſalmus inſcribitur, quia quadraginta
Matth. 4. diebus ieiunauit dominꝰ Ieſus, vt eo numero cõſummaret hominis qui perierat perfectionẽ. Sicut enim per appetentiam interdicti fructus amiſerat gratiam, ita per ieiuniũ reparari eius virtutẽ oportuit: vt qui perierat in Adã, repararetur in Chriſto. Ideo ergo in finẽ, quia ipſe finis eſt ſpei noſtræ, ad ipſum ſtudia noſtra dirigimus, ad ipſum vota noſtra conferimus, quia ipſe eſt plenitudo, ipſe eſt conſummatio vniuerſorum, ipſe omnium ſumma virtutum. Ideo ipſi Dauid, quaſi ei qui ſolus ex omnibus in ſua carne noſtra peccata ſuſcepit, qui ſolus dei agnus peccatum totius mundi abſtulit, qui ſolus chirographum decreti ſanguinis ſui effuſione deleuit, & tulit de medio, atque ſuffixit cruci: quaſi ſapientia, ſciens quomodo vetus peccatũ mundi ſolueret: quaſi redemptio, quomodo hominem renouaret à culpa: quaſi ſanctificatio, quomodo eum ſanctificaret ad gratiã. Hic ergo titulus, hoc principium: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.) Aperi aures tuas, qui incipis ſacramẽta dominicæ cognoſcere paſſionis. Ideo tibi dicitur:
Lucæ 8. Marci 7. Qui habet aures audiendi, audiat. Ideo ſurdo illi & muto aures & labia tetigit dominus in euãgelio, vt ſciret quid audiret in myſterio, quid etiam loqueretur, & quando loqueretur.
Eſaiæ 50. Neque enim ocioſè ſcriptum eſt: Dominus mihi dedit linguam eruditionis, vt ſcirem quando oporteat ſermonem dicere. Scire ergo debes quid audias, ſcire quid loqui debeas, ſcire etiam quando loqui debeas. Audi ergo dicentem: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Beatus quidem qui compatitur pauperi, qui haurit eius neceſſitates: ſcit quid mali inopia afferat indigenti. Sed quid ſibi vult iſtud exordium in domini paſſione? Verũ eſt quidem quòd propter pauperes paſſus eſt ſed tamen ipſe cor-

ripuit Iudam dicẽtem de illo vnguẽto quod effuderat Maria ſuper pedes Chriſti, Potuit hoc venundari trecentis denariis, & dari pauperibus. Idem & cæteri apoſtoli ſenſerãt, ſed alio affectu. Ille per auaritiam, iſti per miſericordiã. Iudas enim furto proſpiciebat, diſcipuli pauperum alimoniæ conſulebant. Quibus in commune reſpõdit: Sinite illam, vt in die ſepulturæ meæ ſeruet illud. Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper. Ergo alius intelligendus eſt hic beatus qui intelligit ſuper pauperem. Hic de fide dicit, alibi de miſericordia. Prior ergo fides, ſecunda miſericordia. Cum fide, precioſa miſericordia: ſine fide, nuda: ſine fide, inſtabilis. Fides enim virtutum omnium ſtabile fundamẽtum eſt. Beatus ergo qui intelligit ſuper Chriſti inopiam & paupertatem: qui propter nos pauper factus eſt, cùm diues eſſet. Diues in regno, pauper in carne: quia ſuſcepit hanc pauperũ carnem. Pauperes enim facti ſumus nimis, qui virtutum exuuias precioſas fraude ſerpẽtis amiſimus, excluſi de paradiſo, eiecti de patria, in exilium relegati, ipſo quoque nudati corporis integimento: quod antea virtutum ſepta munibant, poſtea delicta nudarunt. Si ergo egenus & pauper in carne, vtique egenus & pauper in carnis iſtius paſſione. Nõ ergo in diuitiis ſuis, ſed in noſtra paſſus eſt paupertate. Ideoque non plenitudo diuinitatis, quę in illo corporaliter habitat, vt ſcriptura teſtatur, ſed caro paſſa eſt. Hoc intellige, hoc perſequere, id tene, ne dicatur tibi: Noluit intelligere ſuper mendicum & pauperem. Nam ſi hic dubitas, certè in illo pſalmo qui aduerſus proditionem Iudæ ex perſona dicitur ſaluatoris, de illo verſiculo dubitare non poteris in quo ait: Et perſecutus eſt hominem pauperem & mendicum. Intellige ergo paupertatem Chriſti, vt diues ſis. Intellige infirmitatem eius, vt accipias ſanitatem. Intellige crucem eius, vt nõ erubeſcas. Intellige vulnus eius, vt vulnera tua cures. Intellige mortem eius, vt adquiras vitam æternã. Intellige ſepulturam eius, vt inuenias reſurrectionẽ. Sed fortè dicas, Quomodo diues in paupertate Chriſtus? Etſi mihi ingenium deficiat, tamen non deficiũt diuinarum ſubſidia lectionum, cùm dixerit Apoſtolus: Quoniam dominus Ieſus pauper factus eſt, cùm diues eſſet, vt vos eius inopia ditaremini. Quæ ergo iſta paupertas quę diuites facit? Conſideremus eam, intendamus in ipſum venerabile ſacramẽtum. Quid purius poteſt eo eſſe atque ſimplicius? Non taurino quiſquam perfunditur ſanguine, vt ſacra dicuntur habere Gentilium: non hircorum atque arietum cruore peccator lauatur. Neque enim quiſquam ita purificatur. Caro enim lauatur, non culpa diluitur. Sed exiet, inquit, aqua cum delectatione de fontibus ſaluatoris: & paratur in conſpectu tuo menſa cœleſtis, & poculum inebriãs quàm præclarum. Hæ ſunt diuitiæ ſimplicitatis, in quibus eſt Chriſti precioſa paupertas. Eſt & in moribus paupertas bona: vnde & dominus dixit: Beati pauperes ſpiritu. Et in pſalmis inuenimus quia dominus humiles ſpiritu ſaluabit. Eſt & in collatione tenui paupertas abundans, ſi abundet fides. Vnde Apoſtolus ait: Et profunda paupertas eorũ abundauit in diuitiis ſimplicitatis eorum. Vt autem & ex aliis vocibus eius intelligamus quia ipſe ſe pauperem dixerit, habemus alibi ſcriptum: Pauper & dolens ego ſum: hoc eſt, quia pro nobis doleret, vt legimus. Neq; enim in ſe habuit quod doleret. Si ergo pro nobis dolet, vt Eſaias interpretatus eſt, qui eum vidit in ſpiritu: pro nobis vtique triſtis erat: iuxta quod animam ſuam triſtem appellauit vſque ad mortem, tamen nõ propter mortem: & carnem dixit infirmam, quæ mortis ſubiacuit infirmitati, vt aculeum mortis infringeret, quo nos in die iudicij liberaret: quã non perfunctoriè malam dixit: ſic enim ſubtexuit: In die mala liberabit eum dominus.) Quoniam amara videtur, quæ plures adiudicat pœnæ. Via enim virtutis anguſta eſt, lata delicti. Ideo rariores in virtute ambulant, plures in flagitio verſantur. Quo fit vt inferior eorũ ſit numerus, qui præmia remunerationis accipient, quàm qui ob precium grauium peccatorũ ſortem aduerſam iudicij reportabunt. Quaſi dolẽs igitur dixit malã iudicij diem. Nã ſi angeli in vnius peccatoris abſolutione lætantur, quanto magis homines in tantorum condemnatione hominum macerabũtur? Et bene dolet pro ea

1357

ea oue quam humeris suis ipse reportauit,& ad ouile suũ re
uocauit errantẽ. Affectu nostro loquitur dei filius:quia no-
bis dies iudicij acerba est,quã timemus. Omnibus mala vi-
detur,quia plena terroris est, qua deus non solum forensia
hominis,sed etiam occulta diiudicat,qua cogitur vnusquis-
que aperire quod fecit,aut quod sensit. Ideoque multi dam-
nantur,pauci coronantur,Sed etiã ipsi qui coronantur, do-
lebunt:Iusti enim coronabuntur. Iustus autem quasi suã pu
tat fraţis ærumnam. Et quis ego sum qui de illa iudicem,
qua homo angelorum conciliis inseretur? Ipsius domini au-
diamus sententiã. Veniet,inquit,hora in qua omnes qui in
monumentis sunt,audient vocem filij hominis:& procedẽt
qui bona fecerunt,in resurrectionẽ vitæ:qui mala fecerunt,
in resurrectionẽ iudicij. Iudicabuntur ergo qui mala egerũt
& ideo mala dies & aspera ab ipso iudice nũcupatur,vt scias
quia ipse nobis compatitur in euãgelio,qui compassus est in
prophetis. Sed & sic possumus accipere,in dei mala,hoc est
in tempore malo. Mũdus enim in malo positus est:& ideo
mali dies istius mundi:& abundat diei malitia sua. Nõ me-
diocre est vt hîc liberemur ab insidiis peccatoris. Qui fuerit
hîc liber à crimine,ibi erit liber à pœna,& scueritatẽ iudicij
subire non poterit. Et ideo votis opus est & precibus quo-
tidianis,& aduocatione principis sacerdotum,de quo dicit
Ioannes euangelista: Aduocatum habemus apud patrẽ do-
minũ Iesum,& ipse est deprecatio pro peccatis nostris. Hic
ergo aduocatus noster,& deprecatio pro populo totius se-
culi orat:pro eo qui intelligit & credit in Christũ, & dicit:
Dominus cõseruet eum,& viuificet eum,& beatum faciat
eũ.) Conseruet à periculis, viuificet tanquã in mortis tene-
bris constitutũ, beatum facere bonorũ operum accessione
dignetur. Et emundet,inquit,in terra vitã eius.) Bene addi-
dit,in terra:quia nisi hîc mũdatus fuerit,ibi mundus esse nõ
poterit. Vel certè hoc modo,Emundet in terra. Quomodo
enim quis mundus in luto,cũ terra eum oblinat? Ergo domi
ni manus est necessaria,quæ fecit de terra corpus,vt ipsa mũ
dare dignetur. Et nõ tradat eũ in manus inimici eius.) Quis
est inimicus nisi leo ille qui circuit rugiens,quærens quem
deuoret? Alij habent Græci:Et nõ tradat eum in animas ini-
micorum eius. Animas pro manibus posuit,eò quòd inimi-
corum animæ bonis insidientur, & cogitationibus suis iu-
stã conentur euertere. Dicuntur & animæ pro hominibus.
Omnes animæ septuaginta quæ descẽderunt in Aegyptum.
Ideo & Dauid maluit dei se committere potestati,quã in-
sidiis inimicorum qui parcere sua voluntate nescirent. Se-
quitur:Dominus opem ferat illi supra lectum doloris eius:
vniuersum stratũ eius versasti in infirmitate eius.) Quis est
lectus doloris,nisi caro infirmitatis? Et bene lectus doloris:
quia corpus est mortis,de quo se liberari deprecatur aposto
lus,vt tanquã de tumulo quodã possit assurgere,in quo ægra
iacet anima,& quasi quodam decumbit in lectulo. Symma
chus lectũ miseriæ dixit: Aquila grabatum miseriæ:expres-
sius septuaginta viri lectum doloris putauerunt esse dicen-
dum. His ergo versiculis vtendum est apud eos qui diutius
infirmitate corporis detinentur, vt habeant medicinam dei
quo sani esse mereãtur. Lectus ergo animæ,caro infirma est
cuius ægritudini anima nostra cõpatitur:quæ si habeat ad-
iutorem dominum,dicit ei:Surge,tolle lectum tuum, & va
dein domum tuam. Quo confortatus dei verbo qui æger e-
rat,surgit & tollit lectũ suum in quo iacebat,& redit in sta-
tum pristinum sanitatis. Hoc est in domum suã regredi, vt
habitet in domicilio robustissimæ valetudinis. Qui habitat,
regit:qui regit,virtutis habet sibi gratiam suffragãtem. Sed
etiã stratum† omniũ versat dominus in infirmitate lãguen
tis,cui adesse dignatur. Quod versatur,statum mutat aut ex
sanitate in ægritudinem,aut ex ægritudine ad sanitatẽ. Hic
ergo qui ægrotauerat,mutat se ad remediũ sanitatis. Sic er-
go dominus Iesus & si vulneratus est propter peccata no-
stra,tamen non in illa infirmitate permansit,sed se ipse ver-
sauit in melius ad vniuersorum salutem. Itaq; passione infir
mitas est soluta,mors resurrectione. Sicut ergo se ipse ver-
sauit ad populorum redemptionem,nec sensit aculeũ mor-
tis,aut vulneris infirmitatẽ: sic eum qui in se credit,& si gra-
uiter ægrotãtem,vt à morte liberet,versat ad vitã. Omnem

ergo stratum, hoc est vniuersorum hominũ infirmitatem,
A in sua infirmitate versauit. Suscepit enim infirmitates om-
niũ in sua carne, erexit se in crucẽ, & versauit omniũ infir-
mitates in sui corporis infirmitate. Vnde dicit Esaias: Liuore *Esaiæ 53.*
eius nos sanati sumus. Habent hoc luctatores,vt se subiiciãt
iis quibus congrediuntur atque luctantur,vt opprimi posse
videantur:& subitò cùm existimantur elidi,quadam arte se
versant,vt effundãt superiorem. Cadit qui portabatur:& is
qui portabat, superior inuenitur,vt sternat vrgentem. Spiri
tali itaque palæstra dominus Iesus onera nostra suscipiẽs,in
illa se passionis suæ congressione subiecit,& in infirmitatis
specie,vt eum aduersarius hominem parem cæteris iudica-
ret, quem facilè posset opprimere: diuinitatis arma depo-
suit,humanitatis tegmen assumpsit. Securus victoriæ pro-
pius tentator accessit. In costa eum telo militis voluit vul-
nerare,reputans & hunc sicut Adam per costam posse pro-
sterni. Sed vulneratus latere dominus Iesus vitam produxit
B è vulnere,euacuauit omne peccatum, deiecit aduersarium,
cui mortẽ latronis eripuit:& in illa morte,in illa sui corpo-
ris sepultura cùm existimaretur oppressus,elisus sua se virtu
te versauit,cecidit aduersarius, dominus resurrexit. Sequi-
tur: Ego dixi,domine miserere mei,sana animam meã,quia
peccaui tibi.) Potest ex persona regis Dauid hoc dici: qui
videns in spiritu tantam victoriam & gratiam Christi,petit
vt in illa remissione peccatorum omniũ, & sui misereatur:
quoniam & ipse etsi legibus,quasi rex,non teneretur huma
nis,deo tamẽ obnoxium se pro peccatis suis esse cognoscit.
Confitetur ergo peccatum suum, vt accipiat remissionem,
& generalis indulgentiæ munus inueniat. Potest & ex per-
sona Saluatoris hoc exprimi,qui nobis misericordiã dei po
stulat,& peccasse se dixit, quia pro nobis peccatum factus
est. Simul nos docet,cũ in aliquo sumus aduersus inimicos *2. Corin. 5.*
dei certamine constituti, vt dei imploremus auxilium: ipsi
peccata nostra fateamur:& tũc maximè cùm vrgemur & te
rimur:cũ dolore & amaritudine prosternimur, ne tacuisse
videamur:quo medicina citius nostris vulneribus deferatur
vt sanati aduersario resistamus. Quomodo enim potest cõ-
C gredi vulneratus? Vnde discimus quia peccatorum nostro-
rum aculeis vulneramur. Vulnus medicum quęrit,medicus
confessionem exigit. Hinc quoque magis ac magis aperire
Saluator sacramentum suæ incipit passionis:quod cum euã-
gelio concordare non dubium est. Nam maledicebãt ei Iu-
dæi,mortem eius expetebant:insidiabantur, vrgebant,cre-
scentem quotidie gloriam operis eius non ferentes. Hoc er
go prophetia annunciat, quòd in euãgelio completum est.
Inimici mei dixerunt mala mihi:quãdo morietur,& peribit
nomen eius?) Amentes,qui vitæ auctorẽ mori posse crede-
bant:sed vota eorũ ecclesia destruebat,credens quòd etiam
mortuus secundum corporis conditionem,suum nomẽ au-
geret:& ideo psallebat ei dicẽs: Memor ero nominis tui in
omni generatione & generationem. Repetebat, Vnguentũ *Psal. 44.*
exinanitum est nomen tuum. Moriẽtur illi qui te mori pos-
se præsumunt,non moriar ego quæ te noui vitæ arbitrum,
salutis auctorẽ. Nouimus enim quòd tempore passionis &
resurrectionis orabãt discipuli congregati quando eis Ma-
ria Magdalena resurrexisse dominum nunciauit, & quando
D eis clausa ianua dominus se in corpore resurrectionis osten
dit,quando Thomas vulnera eius vidit,& credidit. Insulta- *Ioan. 20.*
bant ergo Iudæi quasi mortuo:sed dominus viuentem se a-
postolis reuelabat. Cùm ergo dicerent Iudæi: Ecce mundus *Ioan. 12.*
totus post eum abiit:cùm dicerent quia mirabilibus operi-
bus seducit populum:quid aliud dicebãt,nisi, Quando mo-
rietur,& peribit nomen eius? Et ideo in eius passione clama
bant: Tolle,tolle à terra hunc:crucifigatur,crucifigatur. Fa- *Ioan. 19.*
ctũ est quod petebant,sublatus à terra est,resurrexit,ad cœ-
lum ascendit,& regnum suum de nobis paradisi sedibus re-
formauit. De Iuda quoque proditore euidẽs prophetia sub-
texitur in his versiculis qui sequuntur: Et egrediebatur vt
videret, vana locutus:cor eius cõgregauit iniquitatem sibi.
Egrediebatur foras,& loquebatur.) Sic distinctũ Græcis in
codicibus inuenimus. Ingrediebatur ergo Iudas, quærens
prodere saluatorem, vt videret quid ageret, quídve loque-
retur,vt eum caperet in sermone,& Iudęis annunciaret. Sed

nihil

nihil inueniebat, qui nihil intelligebat. Bene ait ſcriptura quia intus cum Ieſu nō erat, qui de doctrina eius receſſerat, & inſtitutiones eiꝰ reliquerat. Volebat intrare, ſed penetrare non poterat: quia eum ſua excludebat perfidia. Omnis enim impudicus, aut auarus, aut immūdus (quod eſt idolorū ſeruitus) nō habet hæreditatem in regno Chriſti & dei. Nō ſolum ergo ingredi moliebatur, & non ingrediebatur: ſed etiam volebat videre, & non videbat. Denique loquebatur Ieſus in parabolis: ſed non audiebat Iudas. Denique diuina non videbat myſteria. Non enim omnes audiūt verbū dei, qui ſibi videntur audire. Nam ſi omnes audirent, non diceret Ieſus: Qui habet aures audiēdi, audiat. Et ideo quia non audiebat, neque videre poterat, loquebatur vana pro veris, & putabat quòd Ieſum falleret, dicens: Potuit hoc venundari, & dari pauperibus: cùm furtis ſuis, nō pauperibus prouideret: appellās rabbi atque doctorem, à cuius magiſterio deuiabat: cuius cor (in quod ſe immerſerat diabolus (cōgregabat ſibi & augebat iniquitates. Sibi enim erat iniquus, ſibi iniuſtus: ſibi delinquebat, qui intra ſe dolū meditabatur, qui latere non poterat. Non enim circunueniebatur Ieſus, qui prodebatur volens, & teſtificabatur, Vnus ex vobis me tradet. Deniq; confeſſus eſt Iudas, dicēs: Nunquid ego ſum Rabbi? Et dominus ait: Tu dixiſti. Nec ſic intellexit Iudas quòd cognoſceretur. Nam ſi intellexiſſet, non prodidiſſet. Sed nihilominus egrediebatur foras, & loquebatur. Aptus verſiculus aduerſum eos qui ſecretū alicuius produnt. Pulchrè ait: Egrediebatur foras. Foris enim lupi, foris prædones intus Moyſes in nube cum Ieſu. Foris Iudæi, intus Zacharias ſacerdos in templo. Foris multitudo, intus ſpiritus ſanctus in cordibus noſtris clamat ad patrem. Foris aduerſarius noſter ſicut leo peruigilat ad rapinā. Foris infideles, intus fideles. Et ideo eos qui foris ſunt, iudicabit deus: eos autē qui intus ſunt, Chriſtus abſoluit. Egrediebatur igitur Iudas, & loquebatur. Egrediebatur de fide, egrediebatur de concilio & numero apoſtolorum. Egrediebatur de cōuiuio Chriſti ad latrocinium diaboli. Egrediebatur de gratia ſanctificationis ad laqueū mortis: qui vana ad perfidos loquebatur. Egrediebatur foras, qui vitæ internæ myſteria relinquebat. Egrediebatur, qui ſcripturæ interiora non nouerat. Si enim ſciſſet, intellexiſſet dicētem: Nunquid qui dormit, non adiiciet vt reſurgat? Intellexiſſet etiam illud: Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſemper mecū dulces capiebas cibos: in domo domini ambulauimus cū cōſenſu. Non intellexit ergo hūc pſalmum, non cētеſimum atque octauum, non alios, non alia teſtimonia ſcripturarū. De quo bene euangeliſta dicit Ioannes, & cæteris infidelibus: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuiſſent, nobiſcum manſiſſent. Non manebat ergo cū apoſtolis proditor, qui foras exibat, & cum perfidis ſuſurrabat. Quo verbo vſa eſt ſcriptura diuina demonſtrans ſine auctoritate eſſe perfidiam, quæ timet quod loquitur deprehendi. Fideli autem dicitur: Exalta viribus vocem tuam. En quo deciderat apoſtolus Iudas, qui miſſus erat fidem gentibus pleno auctoritatis præconio prædicare, vt in aurem inſuſurraret inſidiatoribus magiſtri ſui quod timeret audiri. Nónne iudicio ſuo ſe ipſe dānauit? Sed erubeſcebat audiri, quod facere non timebat. Erubeſcebat, quia aduerſus vitæ ſuæ ſanctificationis & honoris auctorē cogitabat mala, nec gratiam beneficiis rependebat, ſed mala pro bonis bono referebat magiſtro, quod etiam ſeculi homines damnare conſuerunt. Erubeſcebat ingratus deprehēdi: erubeſcebat auarus videri: cùm pro pecunia auctoris ſui ſalutem proderet. Erubeſcebat videri perfidus: ſimiliter & Iudæi, qui aduerſus fidei magiſtrum falſos teſtes perfidi ſubornabant, vt dicerent quòd prædicaſſet templum dei quod Salomon condidit, deſtruendum: cum ille de templo ſui corporis ſignificaſſet: Soluite hoc templū, & in triduo ſuſcitabo illud. Verè foris erant, qui à cognitione verbi cœleſtis erant excluſi. Verbum, inquit, iniquū propoſuerūt aduerſum me.) Id eſt, illicitum, & contra ius & nefas ſermonem propoſuerūt, mihi faciētes de humano ſanguine pactiones, † quem ſceleratiſſimè vendidit Iudas, Iudæi quoque emēdum non minore ſcelere crediderunt, vaniſſimi homines, quaſi qui dormit, inquit, non adiiciat vt reſurgat.) Quid ſit adiectio, conſideremus. Naturale eſt omnibus terrenis animātibus, & volatilibus cœli, & piſcibus maris, naſci & mori. Homini, quem precioſiorem cæteris terræ animantibus deus fecerat, hanc præcipuè contulit gratiam, vt mortuus reuiuiſcat. Hęc dicitur ad renouationē vitæ ſuperioris adiectio. Deniq; & Ezechiæ regi cùm præſcripſiſſet dominus quòd vitæ ſuæ tempus impleſſet, & per Eſaiam mādaſſet vt ordinaret domum ſuam, quia moriturus eſſet, atque ille oraſſet ad dominū, & fleuiſſet fletu magno, miſertus dominus mandauit ei: Ecce adiicio ad tempus tuum annos quindecim. Et alibi ſanctus Dauid ait: Dies ſuper dies regis adiicies annos eius. Inuentū ergo homini quod addatur: deo autē addi nihil poteſt: quia ſcriptum eſt: Non eſt adiicere, neque minuere, in quo perfecta & plena ſunt omnia. Et ſi Chriſtus reſurrexit, vtiq; in eo quod aſſumpſerat reſurrexit. in quo plenitudini diuinitatis eius nihil vel decedere potuit vel accedere. Deus enim incorporeus & immortalis eſt, cuius ſumma natura & plenitudo virtutū, ſine vlla carnis acceſſione ſignatur. Caro autem diſpēſationis in Chriſto eſt: quam miſerationis titulo, & pietatis iure ſuſcepit, vt captiuā redimeret, ablueret contaminatam, mortuam reſuſcitaret. Et pulchrè ait: Nunquid qui dormit, non adiiciet vt reſurgat? Non dixit, non adiicitur: ſed, nō adiiciet vt reſurgat? eò quòd ipſe ſe dei filius reſuſcitauit, ſicut ſupra diximus dixiſſe eū Iudæis: Soluite hoc templum, & in triduo ſuſcitabo illud. Adiectionem accepit caro quaſi ſumpta de homine, ſuſcepta de virgine. Sed quaſi deus adiectionē ipſam operatus eſt, qui virtute propria reſurrexit, vt eſſet ſuæ reſurrectionis operator. Cùm igitur legas quòd & pater filiū, & filius ipſe ſe reſuſcitauerit: agnoſce operationem illā diuinæ fuiſſe virtutis: quia patri & filio vna virtus, communis operatio: quādoquidem vna atq; eadem ſubſtantia trinitatis eſt. Sed quid ego cæteros arguo? dicit dominus Ieſus: Quid mirū ſi populus me non cognouit, & cruci adiudicauit, cum apoſtolus meus mercedē proditionis exegerit, cum conuiua meus mortem meam vēderit? Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos: ampliauit ſuper me ſupplantationem.) Aliqui Iudā excuſandū putant, quia refudit pecuniā quā pro mercede proditionis acceperat. Sed ecce quia vltra Iudæorum condemnatur infidelitatem. Cui enim plus datum eſt, plus exigitur ab eo. Quid, inquit, de aliis querar? Homo pacis meæ, cui pacem meam dederam, pacem meā relinquere volueram: perſecutoribus deductis me tradidit, & fefellit me in quem ſperaui. Nūquid ignorauit proditorem ſui futurū, de quo antè prædixit, Vnus ex vobis me tradet? Hoc autem dicebat de Iuda, ſicut ſcriptum eſt in euangelio. Non vtiq; ſed quo amplius condemnaret eum, de fide eius ſperaſſe ſe dixit. Aquila, confiſus eram, dixit: Symmachus poſuit, confidebam. Plus enim grauamus eum in quo plurimū ſpei vel fiduciæ habuiſſe nos dicimus, ſi poſtea ſpem noſtrā opinionémque deſtituit. Simul oſtendit quanta vis diuinæ ſanctificationis ſit, quæ excludat malitiam, & deprauatū emendet ingenium, ſi forma propoſiti melioris accedat. Quātos ſcimus eſſe conuerſos? Mutatus eſt Zacchæus ille publicanus, & ad quæſtum auaro intētus affectu, qui poſtea quadrupla redhibitione ſoluit errorē, condemnauit in ſe auaritiā, temporis ſuperioris abiurauit lucra, compenſauit in pauperes, ſi deeſſet exactor. Latro ipſe nequitiam ſuam propoſito meliore mutauit, agnouit in cruce Chriſtum, confeſſus eſt dei filium, regem voce propria nuncupauit. Quo tempore iuſti plerique nutabant: ipſi certè latebant apoſtoli: carnifex ipſe centurio non negauit. Quid de tempore euangelij loquor? Rhaab meretrix erat, quæ perfidiæ atque intemperantiæ ſe ſalebat ſtipendiis. Tamen vbi exploratores vidit quos miſerat Ieſus Naue, fidem induit, & periculo imminēte iuſtitiā reſeruauit: nec ſuſceptos ꝓdidit, ſed fideli humanitate protexit. Ideo ergo ſperaſſe ſe dicit, quaſi iure præſumpſerit vt apoſtolus ſuperiora deponeret, meliora ſequeretur: & qui ſanctificādi alios munus acceperat, ipſe in ſe ſanctitatis gratiam cuſtodiret, & ſynceritatis inhæreret officiis. Bene ait, Speraui: quia homini dedit eligendi arbitrium quid ſequatur. Poſui, inquit, ante te bonum & malum. Si malū elegeris, non

Ephes. 5.
Lucæ 8.
Matth. 26.
Lucæ 22.
Psalm. 40.
Psalm. 54.
1. Ioan. 2.
Psalm. 58.
Ioan. 2.
† disputationes.
Esa. 38.
Psalm 60.
Eccl. 18.
Ioan. 2.
Lucæ 19.
Iosue 2. & 6.

1361

ris, non natura delinquit, sed eligentis affectus. Si vnusquisque hominum condemnatur qui malũ elegerit: quid de Iudã dicimus, qui prodidit eum cui copulabatur suauitate conuiuij? Qui edebat, inquit, panes meos: ampliauit super me supplantationẽ.) Quid est quod addidit, panes meos? Potuit dicere, Qui edebat panes mecũ: nisi illã intelligas quæ specialis est Christi, hoc est, verbi cœlestis alimoniã. Nõ enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo dei. Deniq; alibi dicit: Qui semper mecum dulces capiebas cibos. Quibus versiculis bene vtimur aduersus eos qui necandos esse credidérunt cum quibus videntur epulati. Gentiles hoc custodire memorantur, hostes plerunque, latrones etiam, vt parcant iis cum quibus recordentur se iniisse cõuiuium. feræ ipsæ pabulorum societate miteſcunt. Vnde propter huiusmodi affectum gratiæ conuiualis, si verba cõsideremus, non ocioſè dulces cibos dixit. Quomodo enim dulces, qui citò corrumpuntur? Sed vide ne dulces cibos dixerit verba vitæ. Hos enim cibos nulla amaritudo corrumpit, nulla mortis corruptela cõtaminat. Vnde &, semper, dixit. Non enim semper edere quis poterat. Semper autẽ verbo dei possumus inhærere, & noctibus & diebus, si in lege dei die & nocte meditemur. Quid est etiam ampliauit? Græcus ἐμεγάλυνεν dixit, hoc est magnificauit. Vtrunque nobis expoſuit dominus quod mouere nos posset, dicens in euãgelio: Qui manducat mecum panẽ, leuauit super me calcaneum. Vnde assumptus hic sermo sit, cõsideremus. Fuimus, inquit, increduli errantes, seruiẽtes desideriis & voluptatibus. Fateamur errorem, vt diluamur. Et ego vidi aliquem puer athletam cùm elisiſſet aduersariũ, frontẽ ei percussiſſe calcaneo: quod signum fuit quòd insultauerit victo. Hoc est quod ait, Magnificauit super me supplantationẽ. Quo verbo insultantis iactantiam declarauit. Leuauit ergo & Iudas super Christũ calcaneum suum, cùm proderet eum: sed non leuauit impune. Adhuc Adam calcaneum leuat: quod à serpente est vulneratum. Et vtique ei pedes lauerat Christus. Audierat dicentẽ: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mũdus totus. Sed quod lauit gratia, inquinauerat perfidia. Iudas ergo calcaneum leuauit ad vulnus. Verè non tenuit caput, qui calcaneum super Christum leuauit. Adam super se leuauit: hic super Christũ: & ideo eum serpens grauius quàm cæteros vulnerauit. Leuauit calcaneũ suum, qui fraudulentum oſculum porrigebat, quo supplantaret auctorem. Ideoque scriptum est in propheta: Ampliauit super me supplantationem. Esau quoque ait de fratre suo: Bis me iam supplantauit. Qui supplantat, dolum facit quo aduersariũ elidit aut vulnerat. Ideo & Iudas supplãtasse dicitur, quia oſculo suo vulnus infixit, quo inuadendi saluatoris signum persecutoribus demõstrauit. Supplantauit ergo quasi serpens, quia serpens ore venenũ infundit, & vulnerat dente calcaneum. Et hic enim non diuinitatem Christi, sed corporis extremum calcaneum vulnerauit. Leuauit etiam Iudas calcaneum quasi luctator insolens & superbus, quo caput percuteret saluatoris: sed caput Christi ferire non potuit, quia caput Christi deus. Suum sanè caput informis laquei nodo ligauit, vt remedium sibi salutis auferret. Vide si piè potes illud aptare quod in Geneſi dixit sanctus patriarcha Iacob cũ de filiis prophetaret: Dan iudicabit populum suum tanquam vnam tribum in Israel. &, Fiat Dan sicut serpens sedens in via & in semita, mordẽs calcaneũ equi: & cadet eques retrorsum, salutem expectans à domino. Legimus quidem quòd Sampſon de tribu Dan iudex fuerit in Israel. Sed alius hic significatur futurus, qui ex ea tribu progressus populũ suppliciis sacrilegæ impietatis affliget, Antichristus ille, qui sedebit in templo tanquam sit deus, verè iudicium, quòd habet interpretatio. Dan enim iudicium significatur. Et pulchrè dixit quia populum suum iudicabit: qui perpetuæ pœnæ fiet obnoxius. Qui enim non credit, iam iudicatus est. Qui autem credit, non iudicabitur: quia credit in dei filium animæ suæ redemptorem: & ideo tanquam iudicij liber dicit: Qui diiudicat me, dominus est, Iudicaturus est ergo populum impietatis, non plebem. Illi enim iudicantur qui cadunt ruina perfidiæ, non qui resurgunt fidei libertate. Sedebit igitur in via, & insidiabitur in semita sicut serpens, vt vulneret transeuntes, & mordeat equi nostri calcaneum. Animam enim fidelium non poterat vulnerare. In qua autem via sedebit, & in qua semita, nisi ex quibus Christus dominus (vt legimus) nationum populum vocauit ad cœnã suam, dicens: Exi in vias, & circa sepes, & compelle vt intrent, vt impleatur domus mea. Et quia similiter Iudas amplificasse super Christũ legitur supplantationem, videtur hoc loco ipse signari quòd mordere haberet calcaneum equi quo Christus dominus vehebatur. Vnde dictum est: Equitatus tuus salus, quòd caro eius, mundi totius erat susceptura peccatum, vt salus pro exitio, & vita æterna pro morte succederet. Vulneratus est ergo equus non mendax solus ad salutem. Vulneratus est equus qui mũdi totius peccata susceþit, & onera nostra portauit: & non fuit fatigatus. Vulneratus est equus qui ad furorem concubitus adhinire neſciuit. Et ideo fortassis Ioanni euangelistæ cœlum apertum, & albus equus est demonstratus, super quem sedebat habens in capite diademata, & in femore suo nomẽ scriptum, Rex regum, & dominus dominantiũ. Albus erat, qui erat immaculatus, quia nulla peccati inquinamenta cognouerat. Nã si libido tenebrosa est, rectè sanctimonia relucet & splendet. Hic ergo equus est vulneratus, sed non retardatus. Denique cũ ipso vulnere de tumulo resurrexit, cucurrit ad cœlum supra omnes angelos & archangelos, velocior omni equitatu militiæ celestis inuentus: supra equos etiam illos igneos quibus Helias raptus est. Et meritò velocior, qui super omnes cœlos & supra cœlum cœlorum ad sedem dei omniporentis ascendit, & sedet, vt scriptura nos docuit dicens: Videbitis adhinc filium hominis sedentem ad dexteram virtutis. Hic itaque equus in figura & antè est demonstratus tempore Macchabæorũ: quem sedebat dux ille militiæ cœlestis aureis armis refulgens, qui Heliodorum depeculatorem illum depositi vidualis cæterorúmque quæ sacræ fuerant commendata custodiæ, & strauit & perculit, & prostratũ Oniæ sacerdotis precibus vitali vsui reformauit. Vnde verè in eo arma aurea refulserunt, quia solus equũ hunc sedit, & vicit, in quo nullus culpæ immunis euasit. Non Enoch, qui raptus est ne malitia mutaret cor eius. Non Abrahã, non Isaac, non Iacob, nõ Moyses. Omnes enim sub peccato, omnes sub morte. Denique regnauit mors ab Adã vsque ad Moysen. Solus iste est qui peccatũ non fecit: solus est Christus qui peccatum abstulit mundi: qui dixit morti: Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Quomodo ergo amplificauit super hunc supplantationem suam Iudas, & cecidit eques retrorsum? Quod in Iuda est, dolum fecit: quod in Christo, volens passus est. Sæpe videmus fortiorem velle percuti, vt acrior lacessitus insurgat, vehementius excitetur. Momordit ergo serpens calcaneum equi, virus suæ fraudis euomuit: volens eques se ipse deiecit. Volens cecidit, vt nos leuaret. Quid est tamen quod ait scriptura, Et cadet eques retrorsum? Cur retrorsum, nisi vt regeret se sequẽtes? Retrorsum erat Petrus, cui dixit: Vade retro post me. Retro erant apostoli & cæteri discipuli. Ideo retrorsum cecidit, quia super quos cadit, saluat. Omnis enim qui super hunc lapidem, inquit, ceciderit, conquassabitur: supra quem ceciderit aũt, emundabit eum. Alij habent, Ventilabit eum. Alij, Comminuet. Qui enim ventilat frugem, mundat à paleis: qui comminuit aliquid, in puluerem redigit, vt mollitia pulueris vel poculo salubri vel reliquo medicinæ vsui sine vlla perturbatione proficiat. Vnde colligimus cauendũ ne quis semel per baptismũ susceptus à Christo, ex eius decidat corpore, hoc est excutiatur ab eccleſia. Ipsa est enim mortis ruina perpetuæ. Illum autẽ qui venit crediturus in Christum: vt eum mors eius inueniat, crux eius assumat, clauus infigat, sanguis infundat, sepultura quoq; eius inuoluat, gratia resurrectionis attollat, de somno suscitet, à morte viuificet: illum inquam à seculo liberat, à peccato mũdat, sanat à vulnere, à duritia impietatis inflectit, ad mansuetudinẽ pietatis emollit, vt circunciſo corde suauem † illum & incomprehensibilem hauriat spiritum, bibat poculum salutis æternæ. Cecidit ergo eques retrorsum. Accipe & aliud cur retrorsum: quia post ipsum omnes, nemo ante ipsum. Cecidit ergo non sibi, sed omnibus, vt duritiam cordis nostri super nos cadendo molliret. Cecidit super Adam, quem quærebat,

Psal. 40. Gene. 4. Psal. 54. Ioan. 13. 1. Timo. 3. Ioan. 13. Psal. 40. Gene. 27. Gene. 49. Deut. 33. Iudic. 5. Iudic. 13. Iudic. 18. Iudic. 20. 2. Corin. 4. Abacuc 3. Apoca. 6. Apo. 19. 4. Reg. 2. Marc. 14. 2. Mach. 3. Sapien. 4. Roma. 5. 1. Cor. 13. Gene. 49. Marc. 8. Luc. 20. † subtilem.

bat,vt inueniret. Retro eũ quæsiuit,vt supra humeros suos bonus pastor imponeret,secúmq; Paradiso in illius redemptione latronis inueheret. Sed fortè dicas, Et persecutores
Ioann.18. ceciderũt retrorsum. Sic enim scriptum est,Quia principes sacerdotũ quos adduxerat proditor Iudas, & cæteri qui ad comprehendendum aduenerant dominum Iesum,abierunt retrorsum,& ceciderunt in terram.Hoc est quod & ego dico,quia super peccatores voluit cadere,nõ super iustos.Iustus enim medico non indiget,sed peccatores. Si apostolorum vmbra sanabat, quanto magis caro Christi quos tãgit,
Act. 5. Matth.8. à morte defendit? Deniq; leprosum tetigit,& sine dilatione mũdauit.Vt scias autem qui legis,quia & persecutores suos
Act 2. voluit liberare,testem Christi interroga.Nam cùm inueheretur Petrus in Iudæos quòd principem vitæ interfecissent, remedium demonstrauit, vt agerent pœnitẽtiam,& remitti sibi peccatum quod admiserant,mererentur.Quid autem dubitas quòd ideo cecidit vt resuscitaret, cùm ipse dixerit:
Deut 32. Percutiam,& sanabo?Verborum tamen vide distantiam.In
Gen.49. Genesi habetur:Cadet eques retrorsum,salutem expectans à domino.Hoc est vt oculos non auertat,actio mẽtem propriam non reflectat, resurrectionis suæ prærogatiuã vindicet,& diuina se resuscitet potestate.Hic autẽ habetur:Abierũt retrorsum,& ceciderũt in terrã.Qui terrenus est,in terram cadit:qui cœlestis,cœlo inhęret.Etsi corpore cadit,virtute non cadit:nec iis quę sua sunt,sed operi intendit.Semper enim ad patrem respicit,vt eius circa nos impleat volũ-
Ioan.18.
Matth.27. tatem.Vtinam & isti non abissent retrorsum,sed Christum excepissent,sicut excepit Ioseph, & sepeliuit eum in monumẽto nouo.Qui fidelis est,in terram non cadit.Qui infidelis,cadit, & descendit in inferiora terrarũ : sicut scriptũ est:
Psalm. 54. Descendant in infernum viuentes. Ergo persecutor super terram,& in infernum cadit: Christus super resurrecturos:
Marc.14. Christus super petram:Christus super ecclesiam.Audi quomodo super ecclesiam cadat.Retro erat Petrus,& sequebatur eum cùm à Iudæis ad Caiphæ domum synagogæ principis duceretur.Ipse est Petrus cui dixit:Tu es Petr⁹, & super
Matth.16. hanc petram ædificabo ecclesiam meam.Vbi Petrus,ibi ecclesia:vbi ecclesia,ibi nulla mors,sed vita ęterna.Et ideo addidit,Et portæ inferi non præualebunt ei : & tibi dabo claues regni cœlorum. Beatus Petrus,cui nõ inferorum porta præualuit,nõ cœli porta se clausit : sed econtrario destruxit inferni vestibula,patefecit cœlestia.In terris itaque positus cœlũ aperuit,Inferos clausit.Potest & illud conuenire huic
Luca 10. loco quod Samaritanus descendentem dẽ Hierico hominẽ vulneratum illum à latronibus non prærerint,sed suscepit eum,& vulnera eius curauit,infundens oleum & vinum,& imposuit supra iumẽtum suum,& duxit ad stabulum. Quid dubitas de equo bono,cùm bonum & iumẽtum legeris?Cõ legeris in Hierusalem illam & equites multos & plurimos cum quadrigis & curribus introire?Ne te moueat quod le-
Psalm.19. gisti? Hi in curribus, & hi in equis : Nos autem in nomine domini dei nostri magnificabimur. Ipsi obligati sunt,& ceciderunt.Sed Helias non cecidit,qui curru introiuit.Vbi enim dei nomen est,ibi nullus obligatur,sed absoluuntur vniuersi. In nomine autem dei nostri & pauper est tutus & diues,& nobilis & ignobilis,& infirmus & potẽs. Fidei nõ præiudicat opus,si tamẽ vti opibus nouerimus.Et ideo nomen dei in se habẽs dicit: Tu autem domine miserere mei,
Ioan.2. & resuscita me,& retribuam illis.)Quod vtique non quasi de resurrectione dubitans dicit,qui potestatem habebat dicere:Soluite tẽplũ hoc,& triduo resuscitabo illud : sed formam dat homini,vt misericordiam à deo,& resurrectionem de deo speret. Deinde non resuscitari se petit, sed resuscitari sibi postulat Mathiam in locum Iudæ, vt apostolicus numerus impleatur.Etenim quia necesse habebat perire filius
Act.1. perditionis,vt scriptura impleretur,oportebat in locum ipsius subrogari filium salutis.Tertium accipe:Resuscitari se, hoc est corpus suum,poscit.Corpus autem Christi,ecclesia est.Et quia Iudas figura erat infidelis populi Iudęorum,qui pecunia vel emit vel vendidit Christum (quod faciunt qui pluris ducunt pecuniam quàm religionem)pro interitu plebis infidelis signi ficat ecclesiæ† sibi gratiam resurrecturam.
† alias,ecclesiam sibi gratiam. Vnde & ipsa dicit in Cãticis:Si suscitaueritis & resuscitaueritis charitatem:cùm quæreret de iuuẽculis Christum,quia
A Christus charitas est. Quod autem ait,Retribuam illis:hoc intelligimus, quia florentis ecclesiæ processibus cruciabuntur, & tunc cognoscent quæ pœna perfidiæ sit, cùm aduerterint qui fidei sit splendor & gratię.Vel quia bonus dominus est, qui poterat dicere, Retribuebãt mihi mala pro bonis : & medium verbũ est retributionis,vel in bono,vel in malo;retributurum in bono esse se dicit:quia etsi cæcitas in
Psalm.34. Israel ex parte continget, tamen cùm plenitudo gẽtium introierit,tũc omnis Israel Christi miseratione saluabitur. Et
Rom.11. subiecit:In hoc cognoui quoniam voluisti me:quoniam nõ gaudebit inimic⁹ meus super me.) Superius de passione sua loquutus est quasi homo : hinc iam aperit maiestatem suã,
† al. quia forte cadit tamen. quòd solus sine peccato, solus cui † peccator insultare non potuit, solus quem pater vt vnicum filiũ dilexerit. Qua ratione ergo inimicus nõ est lætatus super eũ? Quia etsi mortẽ suscepit pro nobis, resurrexit tamẽ:& ipse insultauit inimico,cuius victoriã destruxit, & aculeum mortis infregit.
B Et nos licet in seculo mœsti simus,atque in mœrore nostro & contritione cordis animíque nostri lætetur inimicus, tamen resurgentes eius gaudiũ destruimus. Vnde & Micheas
Mich.7. dicit:Noli super me gaudere inimica mea,quia cecidi : quia resurgam. Resurrectio est ergo qua inimici omnia vincula soluũtur,triumphus omnis aboletur. Sequitur:Propter innocentiam autem meam suscepisti me,& confirmasti me in conspectu tuo in ęternum.Benedictus dominus deus Israel in æternum,à seculo,& in seculum:fiat,fiat.)Innocens nulli nocet,in neminẽ peccat.Ideo sine peccato,sine dolo Christus,scripturæ diuinæ auctoritate signatur.Hoc igitur & hic
Psalm.18. declaratur,vbi dicit:Propter innocentiam autem meam suscepisti me.Quæ autem suscepti significatur?Nam & alibi legimus : Suscepisti me ex vtero matris meæ.Ergo quia ab omni corruptione generationis humanæ mũdus est natus, qui de spiritu est natus & virgine : ideo eum pater suscepit,
C quia ortũ illius nulla corporeæ generationis cõcretio vitata fuscauit.Suscepit eũ resurgentem,quia nulla eũ offensio prolapsionis asperśit. Immaculatus ad patrem rediit,à quo immaculatus exiuit quando descendit in terras. Vnde dicit
Psalm.2. ei pater:Filius meus es tu:ego hodie genui te:hoc est, generationis meæ in te priuilegiũ recognosco, quem nulla macula potuit inquinare peccati.Inter peccatores versatus es, peccata omnium suscepisti : peccatum pro omnibus factus es:maledictũ pro omnibus factus es : sed nullus vsus potuit ad te transire peccati.Ita inter peccatores versatus es,quasi inter angelos versareris. Fecisti terram esse quod cœlũ est: vt & ibi peccatum tolleres.Hodie te genui,in quo complacui.Probasti te filium,qui implesti in omnibus patris volũtatem. Hodie te genui,in quo lucem immaculatæ prolis agnosco.Heri mihi & hodie ipse es,& in seculum.Nox in te
Hebr.1. nulla est,quia totus es dies. Bene confirmatus in conspectu patris dicitur in æternũ, qui apud patrem semper est:& verè in cõspectu eius, cuius splẽdor est gloriæ,& imago substantiæ.Sed quemadmodum complacet in filio pater:ita & filius benedicit patrem.Pater enim honorificat filium,& filius honorificat patrem. Benedictus,inquit,dominus deus
D Israel, hoc est populi deum videtis, qui & dominum suum & deum credit.A seculo,& in seculum:fiat,fiat.In Hebræo habet:Amen, amen:vt asseruerunt qui librũ legerũt in Hebraïcis literis scriptum. Græcus hoc loco, γένοιτο γένοιτο dixit:quod est,fiat,fiat.Quod verbum diuersas significationes habet, vt sit interdum imperantis, interdum precantis, interdum confirmantis aliquid. Imperantis est cùm superior inferiori statuit quid faciendum sit vel sequendũ.Pre-
Matth.6 cãtis est sicut illud, Fiat volũtas tua.Nõ enim deo quis imperat:sed precẽ fundit.Confirmãtis est cùm benedicit propheta,vel sacerdos,vel sanctus aliquis, † & populus respõdet,Fiat fiat. Hic ergo magis confirmatio mihi videtur benedictionis, quàm oratio vel deprecatio, maximè quia repetitio ipsius facta sermonis est.Et videtur Hebræus quidẽ sermo mutatus:sed idem sensus expressus.Sicut enim cũ sacerdos benedicit,populus respondet,Amen,cõfirmans benedictionem sibi, quam plebi sacerdos à domino deprecatur?ita in psalmo respõsum est,Fiat fiat:quasi,Amen amen.
† alias,Amen

1365

Amen autem confirmationis verbum euidenter oſtenditur in euangelio, vbi dominus confirmans ſermonem ſuum dicit: Amen dico vobis. Maior autem vis eſt vbi repetitus eſt ſermo: quod in libro euangelij ſecundum Ioannem frequẽtius inuenimus: quia ipſe maximè de cœleſtibus & profundis myſteriis eſt locutus: ſicut ſcriptum eſt: Amen amen dico tibi: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ poteſt introire in regnum dei. Et alibi: Amen amen dico vobis: Si quid petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis. Abundãt duo exempla, reliqua vero † ſi quis quæſierit inueniet. Indicium quoque eſt libri finiti, fiat fiat. Nã in quinq; libros diuiſum videtur eſſe pſalteriũ. Primus liber hoc pſalmo finitur, hoc eſt quadrageſimo. Et pulchrè vſque ad paſſionem ſaluatoris quadrageſimus pſalmus eſt comprehenſus, qui finem libro daret: quoniam paſſio domini finis eſt quadrageſimæ: vt ſecundus liber à myſteriis renouationis inciperet: qui liber, vtpote Quadrageſimæ, perfectiora ſacramenta complectitur. Nam & baptiſmatis prænunciat ſacramenta cùm dicit: Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum. & requiem ſanctorum, qui ad tabernaculum cœleſte peruenerint: & ſpiritus ſancti deſcenſionem, quando effuſa eſt gratia ſpiritalis in quadam voce cœleſtium cataractarũ: quia virtute magna ſpiritus ferebatur, vt legimus in actibus Apoſtolorum: & ingreſſum renouati hominis ad altare, & ſaluatoris aſcenſum, & ſanctificationem propoſiti virginalis. Qui liber finitur in pſalmo ſeptuageſimoprimo, quo regnum Chriſti pacificum toto orbe diffuſum prophetico ſermone annũciatur, remiſſióque peccatorum: vbi cùm benedictionem domini præmiſiſſet, ſubtexuit: Et replebitur maieſtate eius omnis terra: fiat, fiat. Tertius quoque liber finitur octogeſimooctauo pſalmo: & ibi habet: Benedictus dominus in æternum: fiat, fiat. Quartus liber finitur pſalmo centeſimoquinto: & ibi habet: Benedictus dominus deus Iſrael à ſeculo & vſque in ſeculum: & dicet omnis populus: fiat, fiat. Quintus liber vſque ad finem eſt, vbi pro hoc verbo propheta dicit: Omnis ſpiritus laudet dominum. Sed iterum forſitan te moueat quomodo quinque libros aſſeram, cùm vnum Pſalterium ſit. Sed etiam euangelium vnum eſt, & quatuor libros eſſe negare non poſſumus. Vnum autem euangelium eſſe, & alibi (ni fallor intimauimus: & ſi iterum exigitur, facilè poſſumus edocere, cùm ſalvator dixerit: Amen dico vobis: Vbicunque prædicatum fuerit hoc euangelium. Et Apoſtolus: Miror quòd ſic tam citò transferimini in aliud euangelium: quod non eſt aliud, niſi ſi qui ſunt qui vos peruertunt. Et alibi: Notum enim facio vobis fratres euangelium. Nec vſquam habes aliter de corpore iſto quatuor librorum niſi euangelium ſignificatum. Denique quia vnum corpus eſt etiam pſalmorum, ſcriptura dixit. Sed iterum quia quinque libri ſunt, dixit alibi: In vaſis pſalmorum. Pulchrè autem quinque libri, & vnum pſalterium: quoniam quinque ſenſibus homo exterior viuificatur, & rurſus quinque ſpiritalibus ſenſibus ille abſconditus cordis homo noſter conſummatur interior: qui ſolus ante deũ locuples Petri apoſtoli teſtimonio reperitur. Qui habet, inquit, aures audiendi: audiat. Habes vnum ſenſum. Et ſicut ſunt qui oculos habent, & nõ vident: ita ſunt qui oculis non videntibus plus videre credũtur. Vnde & prophetæ dicebantur Videntes, etiam qui oculis non viderent. Bonus etiã ille odor, de quo apoſtolus dixit: Bonus odor Chriſti ſumus deo. vnde & Iob dicebat: Et ſpiritus diuinus, qui eſt in naribus meis. Idem ergo odor Chriſti & ſpiritus ſancti eſt deo: † quia vnus odor eſt trinitatis. Eſt & interior cibus. Meus cibus eſt vt faciam voluntatem patris mei, qui in cœlo eſt. Eſt & interior tactus, quo Chriſtum tetigit illa in euangelio quę per duodecim annos ſanguinem profluebat, nec à medicis acceperat ſanitatem, ſed accepit à Chriſto. Fidei tactus eſt quo tãgitur Chriſtus. Denique eum homines nõ videbant, ſed vidit Ieſus, & ſe vidiſſe teſtatus eſt dicens: Tetigit me aliquis. Nam & ego cognoui virtutẽ de me exiſſe. Cognitio Chriſti, collatio ſanitatis eſt. Ergo quoniã decem ſenſus homini ineſſe manifeſtũ eſt: ideo Dauid, qui & foris & intus canebat, foris corpore, int⁹ corde: dicit in pſalmo: In decachordo pſalterio pſallã tibi. Pſalterium ergo eſt homo cõſummatus in Chriſto: in quo ſicut arte concinentium fila chordarũ, ita conuenientium reſonãt opera canora virtutum: vt poſſit dicere: Pſallam tibi deus in cithara ſanctus Iſrael: gaudebunt labia mea cùm cantauero tibi: & anima mea, quã redemiſti. Paulus ait de ſe: Foris pugnæ, intus timores. Hic & intus & foris gaudet: ſed ille adhuc in certamine, iſte in† remiſſione: quia redemptionem animæ ſuæ ſe meruiſſe cognouerat. Qui pſallit, in lætitia eſt: qui luctatur, in ſolicitudine. Verum & Paulus ſciebat pſallere: ſed adhuc ſe proceſſibus reſeruabat, cùm foret plenius comprobatus, vt pſalleret: & ideo dixit: Orabo ſpiritu, orabo & mente. Pſallã ſpiritu, pſallam & mente. Et quia geminum pſallendi officium demonſtrauit, geminã quoque vocem eſſe ſcriptura edocuit, propheta dicente: Voce mea ad dominũ clamaui, & vox mea ad deum, & intendit mihi. Quid eſt mea? Potuit enim dicere: Clamaui ad dominum. Sed quæ noſtra eſt vox, niſi iſta quæ melior eſt, quæ neſcit errare? Nam ex multiloquio peccatum incurrimus, & vitare non poſſumus. Illa vox prophetæ eſt quæ ad deum peruenit, quæ tacente Moyſe clamauit ad dominum: qua etiã in orationibus ſuis Anna clamabat cùm oris ſui labia non moueret: & impetrauit filium, quem antè diu non impetrauerat cùm corporis voce clamaſſet. De hac voce dixit dominus: Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum: & clauſo oſtio ora patrem tuũ, qui eſt in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Quid eſt reddet? Hoc eſt, quod deprecatus es, quod oraſti. Sicut enim peccatores de manu domini recipiunt peccata ſua duplicia, ita econtrario iuſti recipiũt cum effectu propria poſtulata. Audi quomodo recipiant: aſcendit oratio tua ad deum, & deſcẽdit ad te. Vnde & in pſalmo legimus: Et oratio mea in ſinum meum conuertetur. vt fructum ſcilicet referat poſtulanti. Benedictus dominus deus Iſrael qui tanta nobis aperuit myſteria, à ſeculo & in ſeculum: id eſt ex infinito in infinitum: fiat, fiat.

P. Pſalm. 70.

2. Corin. 7.

† redẽptione

1. Cor. 14.

P. Pſalm. 76.

Prouer. 10.

Exod. 14.

1. Reg. 1.

Matth. 6.

Actor. 10. & Tob. 12.

P. Pſal. 34.

Pſalmi quadrageſimi tertij enarratio.

PSalmi titulus eſt, In finem filiis Chore intellectus. Vbi paſſionis dominicæ, & baptiſmatis, & ingreſſionis ad altare ſacroſanctũ, decurſa myſteria ſunt: docet ſanctus propheta Dauid quẽadmodum athletã ſuum, cuius nomen teneatur in agmine ſanctorũ, Chriſtus exerceat. Sicut enim ſine labore noſtro, non ex operibus, ſed ex fide per gratiam ſuam nobis peccata donauit, & ad coronæ petitionem indulgentiſſimus nos & benignus admiſit, nec ſuperiora nobis fecit obeſſe flagitia, quibus tanto certamine iudicaremur indigni: (quæritur enim etiã in iis qui luſtrale certamen hoc ſubeunt, etiã diſciplina viuendi) ita rurſus ne tanta peccatorum donatione reſoluti, in ſuperiora flagitia vel deſidiam reuerramur: pſalmus iſte nos admonet multa nobis & grauia certamina eſſe propoſita, vt nemo niſi qui legitimè certauerit, coronetur. Luctandũ eſt igitur aduerſus carnis huius illecebras, & feruorem ſanguinis. Luctandũ eſt aduerſus nequitias ſpiritales. Nemo grauior domeſtico aduerſario, nemo nocentior hoſte eo qui cœleſtis ſubſtãtiæ potentia ſuffragatur. Cum dico nemo, diuini memento ſermonis, quem dixit dominus: Quia maior ex natis mulieris Ioãne baptiſta nemo. Nã qui natus eſt ex virgine, ipſe ſuper omnes eſt: & ideo neminem vereamur, qui Chriſtũ habemus: quoniã ſi Chriſtus pro nobis, quis contra nos? Certemus ergo vſque ad finem, vt euacuatis omnibus quæ aduerſum Ieſu domini voluntatem in noſtro antè corpore militabant, veræ exercitiis virtutis intenti, ſoli deo noſtro & domino ſeruiamus. Hic enim finis, vt ſcriptũ eſt: primitiæ Chriſtus: deinde finis, cũ tradiderit regnum deo & patri, cùm euacuerit omnem principatum & poteſtatem & virtutem, vt mors nouiſſima deſtruatur: & incipiamus deo eſſe ſubiecti, regnum in nobis cœleſte ſeruantes, vbi erat antè colluuio peccatorum. Meritò ergo in finem filiis Chore pſalmus intellectus inſcribitur, vt in eo cognoſcendo non vulgaris auditus, ſed intellectus ſpiritalis operetur. Denique Aquila pſalmum diſciplinæ poſuit. Et ideo tibi dicit ſcriptura, Da in diſciplinam cor tuum: aures autem tuas præpara ſermonibus intellectus. Et alibi: Dilige ſapien-

2. Timo. 2.

Matth. 11.

Roma. 8.

1. Cor. 15.

sapientiam & disciplinam. Sapientia est quę sensus scaturit. Disciplina in habitudinē quādam naturę coalita forma virtutū, & mentis confirmata sententia scientię disciplinis. Intelligere quoque obscurum sermonem, atq; dictionum prudentiam, & ænigmata Prouerbiorum, scriptura nos docuit, cuius auctoritate colligimus has prudentiæ principales esse virtutes: eò quòd sapientia semper quasi mater fœcunda parturiat, disciplina quasi seuerior magistra distringat: intellectus quasi diligens quæsitor inueniat, & veram iustitiam iudiciúmque rimetur. Doceamus hæc sacræ testimoniis lectionis. Sapientia dicit: Ego quasi fons à paradiso dixi, Rigabo meum hortum: & adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam. Nam generationes suas menti hominis, & bonos sensus quasi pia mater infundit. Accipe etiam testimonia disciplinæ: Fili, ne neglexeris disciplinam Dei, nec defeceris ab eo correptus. Quem enim diligit deus, corripit. Seuera quidem in corripiendo, sed dulcis in corrigendo est disciplina: ne fluitemus & vagemur errātes, sed recipiamur à Christo. Disciplina enim non examinata vagatur, vt scriptum est. Sed pro conseruatione hîc posuit disciplinam. Tamen sicut sapiētia, ita & disciplina & perfecta & imperfecta eodem nomine nūcupatur. Sed vbi sine adiectione vel disciplina vel sapientia nuncupantur, definitionem perfectionis accipiunt. Inexaminata ergo fluitat disciplina, sed examinata non fluitat. De intellectu quoq; eadem scriptura definit, quia intellectus bonus est omnibus qui eum faciunt. intellectus autem cùm in se & sapientiæ gratiam habeat, & ordinē disciplinæ: vtique docemur quòd & sapientia & disciplina bonæ sint eis qui earum **institutа suis ministeriis** exequūtur. Diximus de titulo: psalmum adoriamur. Deus auribus nostris audiuimus.) Sic Symmachus. Theodotion, In auribus nostris, dixit: sicut & septuaginta viri. Quid est quod ait, auribus nostris? Quod si non satis esset audiuimus, certè si hoc placuerat, Auribus audiuimus: plenum erat. Cur ergo additum est, nostris? Quid sibi hoc vult? Nisi vt intelligas illa esse nostra, quæ mentis sunt, & ea esse meliora, quàm quæ istius corporis. Et ideo quasi de alio dicit hic ipse propheta: Non timebo quid faciat mihi caro. Et alibi: Voce mea ad dominū clamaui, & vox mea ad Deum, & respexit me. Illa vox mea, quæ auditur à Christo, nō quæ resultat in publico. Non vult igitur suum esse, quod corruptibile atque terrenum est, qui ad imaginem Dei, & similitudinem meminit se creatum. Denique scriptura nos edocet prius ad imaginem dei hominem esse formatum, postea de luto factum. Quasi superior ergo (superior enim qui antiquior) & gubernator, & rector huius corporis animæ vigor dicit: Auribus nostris audiuimus. Quis iste est, nisi cui dicitur? Qui habet aures audiendi, audiat? Sunt enim qui aures habent, & audire mysteria non possunt: de quibus dicit Iesus in reuelatione Ioannis: Foris canes & veneficos & impudicos. quibus flagitiorum cupiditas, & ærugo pecuniæ aurem obstruit audiendi. Consideremus igitur quæ audisse se dicant, vel à quibus audisse commemorēt. Patres, inquit, nostri annunciauerunt nobis. Qui isti sunt patres? Titulus habet quia Psalmus filiis Chore scriptus sit, vt ab ipsis canatur, qui psallendi munus receperunt, & in huiusmodi officium fuerāt deputati. Chore autem & Dathan & Abiron cum aliis qui aduersum Moysen, & Aaron insurrexerāt studio contumaci, terræ hiatu in deserto vorati sunt & necati. Quibus mortuis, qui alij patres eorum filiis mirabilia opera domini annunciare potuerunt? In maleuolam enim animam non ingreditur **sapientia. Si sui ergo** patres non annūciauerunt filiis, alieni **multo minus, qui** declinarūt sobolem perfidorum. Qui sunt itaque isti patres? Vide ne illi de quibus dictum est, Interroga patrem tuum, ipse tibi dicet. Interroga quando legis Paulum: vel si non legis, & mouet te aliquid, in ipso require. Ipse est enim bonus pater, qui potest docere & formare in nobis dominum Iesum: sicut ipse testatus est dicēs: Filioli mei, **quos** ego parturio, donec formetur Christus in vobis. Ostendit tibi hos patres euangelista Ioannes, qui ait: Dico vobis patres, qui cognouistis quod est ab initio. Isti sunt patres quorum senectus vita immaculata est. Ideo in conuentu seniorum appone digitum ori tuo, vt audias quod tibi prosit, & vitę æternę sacramenta cognoscas: ne interstrepas insolens tyro doctoribus: & qui adhuc discere † debeas, dicere præsumas. Quid igitur isti patres annunciauerint Chore filiis, audiamus. Opus, inquit, quod operatus es in dieb⁹ antiquis.) Qui sunt isti dies in quibus deus magna & mirabilia operatus sit, requiram⁹. Et docet nos scriptura esse aliquos præclaros dies in quib⁹ refulserint facta diuina, cùm lectum sit, quia sol in tenebras conuertetur, & luna in sanguinem, priusquā veniat dies domini magnus & illustris. Et erit, quicunque inuocauerit nomē domini, saluus erit. In ipso enim die Christus hominib⁹ resurrexit, & ideo specialiter de ipso dictū est: Hic est dies quem fecit dominus: exultemus & lętemur in eo. Cùm igitur omnes **dies** deus fecerit, huic tamen diei præ cæteris diuini operis **prę**rogatiua delata est, quo peccatum omne sublatum est. Dies autem alij peccatorum sunt. Hic ergo est dies quem illuminauit sol ille iustitiæ. Nā & ipse ortus suos & occasus habere consueuit. Vnde & scriptum est: Orietur in diebus eius iustitia. Sūt ergo dies Christi quibus orta iustitia est, & pacis abundantia: sunt dies Christi quibus orta sapientia est. Audi quomodo ex oriatur sapiētia. Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Ideo dicit sapientia quæ stulta huius mundi elegit. Dominus creauit me principium viarum suarum in opera sua. Sicut enim in diebus Oziæ regis, in diebus Nabuchodonosor exorta perfidia est, dominata captiuitas: sic in diebus domini Iesu exorta est fides, quæ splendorem suæ claritatis & luminis toto orbe diffudit. Qui enim meliores dies, q̄ quib⁹ refulsit nobis visio Dei? sicut dixit Iacob. Sic enim scriptum est: Vidi Deum facie ad faciem: & salua facta est anima mea. Et continuò exortus est ei sol. Quis iste sol: nisi qui dies fecit fulgere iustitiæ, quib⁹ in terra natus est Christus ex virgine. In specie vidit Iacob, & Deum vidisse se dixit. In veritate viderunt Iudæi, & non crediderunt. Ideo illis breuiati sunt dies, nobis illuminati: quoniam illis deficiebat dies: nobis appropinquabat. Vnde Iudaïcam sanctus Dauid refugiens cęcitatem ait: Ne deducas me in dimidium dierum meorum. Sic enim dies domini magnus & illustris est, vtique non prolixitate temporis, sed iustitiæ vel gratiæ claritate. Ergo sunt dimidij dies, quibus breuiātur dies impietatis caligine, & squalore perfidię: quibus occidit Sol super prophetas: sicut scriptum est. Nanque vt iustis oritur Sol iustitiæ, sic occidit infidelibus. Sed occurrit illud quod dicit dominus: Propter electos breuiabuntur dies. Et videtur contrarium, nisi diligenter aduertas, & superiora repetas. Dicit enim dominus: Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hîc Christus: aut, ecce illic: nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna & prodigia, ita vt **in errorem** inducantur, si fieri potest, etiā electi. Et ideo ne decipiātur **electi**, admonet dominus quid sequendum sit, vt non falsorum prophetarum sermone capiamur: neque nos eorum aliqua prodigiosa facta decipiāt. Sed tunc credamus Christum esse venturum, cùm dies pleni iustitiæ cœperint refulgere. Christus enim pleno maiestatis suę lumine reuelabitur: & sicut fulgur exit ab Oriēte, & toto lumen suum vsque in occidētem orbe diffundit: sic & filius hominis cum suis angelis veniens illuminabit hūc mundum, vt credat omnis homo, & salua fiat omnis caro. Non ergo credamus Antichristo, de quo dicent falsi prophetæ: Hic est Christus. Dies enim perfidiæ erunt Antichristi dies. Non credamus iis qui dicent, Christus in deserto: Christus in penetralibus. Iam enim omnia plena sunt Christi, vbi appropin**quare** cœperit Christus. Sed cùm videri-mus facta quæ Christus **in** euangelio suo ante prædixit: tūc credamus eius aduentum: **ne dum** verum quærimus lumen, in infidelitatis tenebras incidamus. Cauēda ergo signa perfidiæ, quibus breuiantur dies atque minuuntur. Sol enim obscurabitur, stellæ cadent. Hoc est, iusti dei. Sūt enim qui fulgeāt sicut stellæ in cœlo. Cùm hæc videris, credere adhuc tardare Christum. Vbi enim Christus, ibi fides clarior. Vbi Antichristus, ibi dies dimidij: de quibus vtique non queretur Dauid propheta, si ad temporis breuitatem videretur esse referendum: cum ipse alibi dixerit: Heu me quòd incolatus

Eccl. 24.
Prouer. 3.
Hebr. 12.
Psal. 110.
Psalm. 55.
Psalm 76.
Luca 8.
Apoc. 22.
Psal. 43.
Num. 16.
Sapien. 1.
Deut. 32.
Gala. 4.
1. Ioan. 2.
† audire.
Act. 2.
Psalm. 117.
Psalm. 73.
1. Cor. 3.
1. Cor. 1.
Psalm. 101.
Michæ 7.
Matth. 24.
Matth. 24.
Psalm. 89.

1369

incolatus meus prolongatus est. Quomodo enim aut illum dilatum incolatum cœlestem, aut hunc terrenum cōperendinatū doleret, qui antè popoſcerat ne in dimidium dierum ſuorum deduceretur, cùm dierum breuitas celerandi curſus iſtius compendium videretur afferre? Vnde colligitur & illud quod ait, Honora patrem & matrem, vt longæuus ſis ſuper terrā: quomodo intelligere debeamus. Multi enim qui honorant, citò ſæpe rapiuntur, vt immatura ætate morian-
tur. Multi etiam qui minus deferunt parentibus ſuis, longæuæ fruuntur ſtipendiis ſenectutis. Et niſi longæuitatē illam vitæ accipiamus æternæ, inuenitur ſcriptura deſtitui ſubſidio veritatis. Vnde Græcus expreſſius dixit, Vt ſis multorū dierum: hoc eſt, πολυήμερος. Quicunque enim cultus pios ſedulo ſeruat officio, à tenebris noctis alienus, in dierum lu-
ce verſatur. Et ideo qui legit Deuteronomiū: leget, inquit, illud omnibus diebus vitæ ſuæ. Non vtique noctibus, ſed diebus: quia dies fulget legenti myſteria veritatis, & diuinæ pietatis oracula. Conſideremus ſequentia: Manus tua gētes diſperdidit, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & expuliſti eos.) Scimus quidem quòd multas gentes eradicauerit dominus & euerterit, vt poſſeſſionē ſibi Iudæorū populus inueniret: quarum gentium terras Abrahæ ſemini daturum ſe dominus declarauit. Sed cùm pſalmus iſte euangelium domini, & tempora aduentus eius annunciet, non mihi videtur quæ ſuperius à Iudæis geſta ſunt recenſere, ſed futura ſignare, quēadmodum crediturus eſſet populus nationū. Cōfirmat igitur fidem Eccleſię antequam nunciet, & victorias pietatis eius enumerat: quæ non in brachio neque in gladio ſuo feras expulit gentes, & nō certamine bellico turmas fugauit hoſtiles, ſed manſuetudine ac fide terras inimicorum ſine vllo cruore poſſedit. Fides enim ſola pugnauit: & ideo triumphos meruit, quos nō reuocaret perfidia, ſed augeret: quia perſecutionibus ſuis non vincitur eccleſia domini, ſed probatur. Quæ ſunt igitur iſtæ gentes quas vicerit Eccleſia, cognoſcamus. Vetera dico vocabula: ſed myſteria noua. Chananæi ſūt, Ethæi, † & Amorræi, Pherezæi, vel Cerethæi, quorum infra vocabula digeremus. Hæc autem populorum ſunt nomina: ſed paſſionum infirmitates, & humanorū in-
cōmmoda & opprobria peccatorum. Quod primum eſt igitur, homo in Chriſto ipſe ſe domuit, & ipſe ſe vicit, vt ſibi viueret. Sibi enim viuit, qui deo viuit, vt vitam Chriſti viuat æternam. Non ergo pugnauit militaribus armis & ferreis telis populus eccleſiæ, ſicut pugnauit populus Iudæorum. Ille in figura pugnauit, nos pugnamus in ſpiritu. Ille aduerſum alienigenas pugnauit: nos ipſi bellum habemus in nobis: & ideo prius nobis vincendæ ſunt proprij corporis paſſiones. Audi pugnātem apoſtolum Paulum aduerſus gentem Chananæorū. Video, inquit, legem carnis meæ repugnātem legi mētis meę, & captiuantē me in lege peccati. Nūc ſe erigit ca-
ro noſtra, nūc deiicit. Erigit mēti, deiicit poteſtati: & vbi ſe vrgeri viderit, conſtantiā deſerit, & ad ſubiectionem parata ducitur in legem peccati, vt fidem deſerat, perfidiæ ſuccumbat, & Ethææ infirmitatis indicio, deſtituta vero cedat mendacio, ſeruiat crimini, adquieſcat errori, & tanquā Amorręa loquatur amara pro dulcibus. Fides enim dulcis, amara perfidia eſt. Vnde præclarè Petrus quid fides eſſet expreſſit dicens: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus. Quomodo igitur iubes vt diſcedamus à te? Captus enim cœleſtium ſuauitate verborum, diſcedere nolebat à Chriſto. Qui autem negat Chriſtum, ipſe ſe ſeparat à Chriſto. Sed neque verſuta Amorræorum diſputatio, eiuſmodi, quæ per philoſophiam nonnullos à veritate tranſducit: neque Iebuſęorum turpis abiectio, quæ ſe ſubiicit atque ſubſternit curſum currentibus ſecularem, qui nō poteſt eſſe perpetuus, ſed in portis deficit mortis, de quibus exaltatum Dauid propheta ſe gaudet: neque Cinæus, qui per ſuam peneuam poſſidetur, ſicut inſatiabili auarus affectu: neque Cenezæus, qui putat in diuitiis poſſeſſionem eſſe perpetuā, & vanam ſpem conſtituit in caducis, atque inani opinione ſe iactat: neq; Raphaim, qui profitetur aliis ſe ferre medicinā, cùm vulnera ſua curare non poſſit: & ideo ſi quis ad huiuſmodi medicum confugerit, neceſſe eſt prius patrimonium ſuum omne conſumat, quàm profectum ſanitatis accipiat:

A

B

C

D

ſicut illa mulier in euāgelio quæ per duodecim annos ſluentem ſanguinem corporalium voluptatum ſiſtere nō potuit, niſi poſteaquā confugit ad Chriſtum. Intellexit enim quòd nemo perfectus medicus, niſi qui deſcēdiſſet è cœlo: de quo cognouerat dictum: Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & aduerſit, de ipſo dictum: Ecce dedi verba mea in os tuum, & conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, eradicare, & deſtruere & perdere, & ædificare, & plantare. Nam licet frequenter deus locutus ſit in prophetis, in quo tamen expreſſius quàm in ſuo locutus eſt filio? qui virtutem omnem exprimens patris ait: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui me miſit. Non ergo Hieremias, qui tempore captiuitatis ſuſcepit exilium, ſed dominus Ieſus ſuis verbis eradicauit ex intimis pectoribus vitia gentilium, perfidiam nationum, & verſutarum cogitationum praua commenta deſtruxit, atque omnia veſtigia iniquitatis aboleuit. Deinde infudit poſtea fidem, & continentiæ diſciplinam, ne tanquam in vaſe corrupto confuſione vitiorum coaceſcerent ſacramenta virtutum. Vnde pulchrè apoſtolus dicit: Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen. Quid eſt Moyſes niſi lex? Quoniam ipſe interpres eſt legis: Finis autem legis Chriſtus Ieſus. Regnauit ergo peccatum in hoc mundo: & in peccato mors, ſæua atque intolerabilis quædā pœna peccati. Docuit quidem nos Moyſes leuare ad dominum manus, pij cultus inſtituens diſciplinā. Docuit quemadmodum Amalech verſutia † vinceretur, vt ſi mores noſtros & opera leuaremus ad Chriſtum: ſic deſtrui poſſe perfidiam. Sin verò deiiceremus animā, inclinaremus affectum, & à continentiæ ſtudio auerteremus ingenium, vt perſuaſio nos vana ſuperaret: nullū remedium futurū, niſi Ieſus depreſſa iam brachia Moyſi tanquam in firmitatem legis attolleret, & ſua miſericordia ſuſtineret. Sed infirmum adhuc fuiſſet legis auxilium, niſi ipſe Ieſus veniſſet in terras, qui in ſe noſtras ſuſciperet infirmitates, quem ſolū noſtra peccata grauare non poſſent, nec inclinare manus eius, qui ſe inclinauit vſque ad mortē, mortem aūt crucis: in qua expandens manus ſuas, totum orbem qui erat periturus, erexit: leuauit iacentes, atque ad ſe omnium gentium fidem traxit, dicens homini: Hodie mecum eris in paradiſo. Hoc eſt ergo diſperdere atque plātare, vt vitioſa eradicentur, meliora plantentur in pectoribus ſingulorum. De quo præclarè Moyſes in Exodi cantico ait: Inducens plātato eos in mōtem hæreditatis tuæ, in præparatum habitaculum tuum. petens vt induceret dominus populum ſuum in illa præcelſæ virtutis ſapientiæqúe plantaria, ibique plantaret in opera ſua, & inſtitueret præceptorū cœleſtium diſciplinis, atq; in eo præpararet ſibi ſuæ ſanctificationis habitaculū: quod vtique non hæreditario iure, nec noſtrorum cōtemplatione meritorum, ſed pro ſua gratia dominus conferre dignatur. Quomodo enim, vbi manere non potuimus eò redire poſſemus, niſi priuilegio fulti redemptionis æternæ? Et ideo pulchrè dixit propheta: Quoniam nō in gladio ſuo poſſederūt terrā, & brachium ſuū non liberauit eos: ſed dextera tua, & brachiū tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuit tibi in illis.) Quæ eſt igitur terra quæ non brachio capiatur, nō gladio poſſideatur, niſi terra repromiſſionis, de qua hic ipſe dixit propheta: Credo videre bona domini in terra viuentium? Non immeritò igitur eius tam præclara poſſeſſio eſt, in qua non ſeculi aduerſa dominātur, ſed domini bona æterna fructificant. Ideoque non gladio acquiritur, ſed manſuetudine poſſidetur, ſicut dominus Ieſus teſtificatus eſt dicens: Beati mites. ipſi enim poſſidebunt terrā. Nemo ergo impacificus, nemo arrogās aut ſuperbus, ſed manſuetus & humilis corde, qui nihil ſibi arroget, ſed totum ad gratiam referat, non in ſua fortitudine glorietur, ſed dextera dei credat ſe eſſe protectum, dicens: Dextera domini fecit virtutem, dexteta domini exaltauit me. Gladio quoque dei memoret ſe eſſe ſeruatū, illuminatum quoque dei vultu omnipotētis: in quibus omnibus Chriſtus eſt protector †, dextera, defenſor, & gladius. Vnde & Symeō dixit ad Mariam: Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Gladius enim dei verbum eſt, quod acutius omni gladio vſque ad diuiſiones animæ cogitationéſq; pertranſit, vt nulla cognitionem eius occulta prætereant. Vultus quoque paterni

Matth. 9.

Pſal. 106. Hiere. 1.

Heb. 1.

Ioan. 7.

Roma 5.

Roma. 10.

† alias, verſuti locus.

Exodi 15.

Philip. 2.

Luc. 23.

Exodi 17.

Pſalm. 26.

Matth. 5.

Pſal m. 117

† alias, protector vt dextera defēſor, vt gladius.

Ioan.14. terni splẽdor est Christus:& ideo dicit: Qui me videt,videt
Hebr.1. & patrem. Quasi splendor gloriæ eius,& imago substãtiæ.
Ad ipsum ergo omnia iure referenda sunt. Ipsi Moyses, ipsi
Aaron,ipsi etiam patres sacrabant vniuersa quæ gesserãt, vt
de hostibus triumpharent. Neque enim in sua confidentia
Iosue 10. dixit Iesus Naue, Stet Sol contra Gabaon: sed quia præsumebat in Christo,quem ducem militiæ cœlestis agnouit,& suppliciter adorauit:& ideo gentes feras erradicare promeruit,& populum patrũ in terram repromissionis inducere, quia nihil suis operibus deputabat, credens indigna esse operã hominum tanta gloriæ remuneratione cœlestis, quam dominus ex sua magis misericordia, quàm pro nostrorum contemplatione factorũ statuit in se credentibus conferendam. Vnde & Abraham impigrè deo credidit,vt apud eum
Genes.15. iustificationis gratiam reperiret, quam mercedem sui operis collocaret. Vberiora enim dona sunt largientis,quã merces operãtis. Propterea & illi qui æqualitatem mercedis in-
Matth.20. uiderat, respõdit dominus. Si ego bonus:oculus tuus quare nequam? Patres ergo nostri, vtpote proximi & hæredes patriarcharum, plantati in terra repromissionis, non suis hoc meritis vindicabant. Ideo nec Moyses eos induxit, ne legis hoc existimetur esse, sed gratiæ. lex enim merita examinat,
1.Cor.3. gratia fidem spectat. Vnde præclarè apostolus fidem patrũ secutus ait:Sed neque qui plantat,est quicquam,neque qui rigat,sed qui incrementum dat deus. Non enim Iesus Naue qui induxit, neque qui plãtauit eos, sed deus qui incremẽtum populo dedit, habet gloriæ principatũ. Nec te moueat
Psalm.43. quia superius dixit:Manus tua gentes disperdidit, & plãtasti eos. Hinc enim colligis quia non omnis qui plantat, aut qui rigat,incrementum dat:sed qui incrementum potest dare, potest ipse plantare:sicut gentes plantasse dicitur dominus. Ipse enim qui plãtauit, plantationis donauit effectum. In iis tamen qui per fidem Christi domino placere meruerunt:cui soli à patre dicitur deo:Filius meus tu es:in te com
Marci 1. placui. Qui ergo participes Christi sunt,ab eo placendi gratiam consequuntur. Et pulchrè ait:Complacuit tibi in illis: vt distantia videatur iure seruata. Recte enim Deus in filio
† decolor. complacet,quia æqualis est patri:nec in vllo minor† inuenitur: quia complacet diuinæ iure naturæ,& vnitate substantiæ. Et rectè complacet in filio pater:quia pater honorificatur in filio,sicut in patre filius. In nobis aũt deo complacuit: quia nobis ipse donauit vt ei placere possimus. Piè autẽ & hoc homini specialiter donatum, non arrogantius vsurpatum scriptura nos docuit. Decet enim vt in iis complaceat deo,quos ad similitudinem suam fecit,& quos per imaginẽ suam voluit prærogatiuam gratiæ habere cœlestis. In imagine ergo sua deus complacet:in iis autem qui secundũ imaginem ipsius sunt, complacet deo:In his autẽ suum munus, & suum donum: quod tũc reuelabitur, cùm perfectũ illud
1.Ioan.3. aduenerit:quia cũ apparuerit quid simus,similes ei erimus: vt scriptum est. Ergo qui non in brachio suo, hoc est in sua operatione præsumit,sed in dei gratia,credens quòd non facta sua vnũquẽq; iustificant,sed fides prõpta,dicit domino: Tu es ipse rex meus,& deus meus:qui mãdas salutes Iacob. Nõ perfunctori⁹ sermo est vt dicas:Tu es ipse rex me⁹. Nõ quicunque hoc dicit:sed in quo dei regnum est. In quo aũt regnat deus,vtiq; in eo peccata nõ regnãt. Nõ enim deo regnũ est cõmune cũ crimine. Quis autẽ dicit deum suũ, nisi qui ipsi exhibet plenũ reuerentiæ & pietatis affectum? Iusto
Exod.22. enim dicitur:Ego sum deus tuus. Denique & Thomas vbi
Ioann.10. tetigit manu propria latus Christi,& euidẽtia indicia indubitatæ resurrectionis inuenit,respondit:Dominus meus, & deus meus. Dominus,quia redemit seruulos suos:deus,qui non solum resurrexit, sed etiam ipse se suscitauit. Mandauit autẽ salutes Iacob: quia in singulis oraculis salus est. In singulis quoque salus est mansionibus: salus in ministeriis angelorũ,qui ad protectionem hominũ deputantur. Ex mandato ergo dei salus homini,non ex sua operatione cõfertur. Deus enim maluit vt salus homini fide potius quàm operibus quæretur, ne quis gloriaretur in suis factis, & peccatũ incurreret. Qui autem gloriatur in domino,fructum pietatis acquirit,& iactãtiæ crimen euadit. Hic igitur est qui potest dicere: In te inimicos nostros ventilabimus.) Quid est

ventilare? Dedit dominus cornua pluribus animantibus,vt
A possint se à ferarum incursione defendere. Ideoque & bos leoni frequẽter resistit,vrsum proterit. Ceruus quoq; quãuis sit pauidus,tamẽ & ipse cornibus se tuetur. Aries quoq; arietat lupum. Ergo ea quæ cornua habent animalia,ventilare dicuntur. Sed homo cornua nõ habet. Quomodo ergo ventilat? Vnde? Vide scriptura quid dicat. In te,inquit,inimicos nostros ventilabimus. Cornu nostrum es tu domine Iesu. Et ideo sicut non in brachio nostro præsumimus, ita nec in cornibus nostris ventilandi habemus præsidium, sed in Christo. Habet enim fides cornua sua, quæ mutuatur à Christo. Siquidem non ociosè in benedictionibus Moysi legimus:Qui visus est in rubo, veniat super caput Ioseph, Deuter.33.
& super verticẽ eius, glorificatus inter fratres suos primogenitus:tauri decus species ipsius:cornua vnicornui cornua ipsius:in ipsis gentes ventilabit simul vsque ad extremum terræ. Hæc decem milia Effrem,& hæc milia Manasse. Quis est
in rubo visus Moysi,nisi primogenitus dei filius,qui ait:E- Exod.3.
go sum deus patrũ tuorum, deus Abraham,deus Isaac,deus
B Iacob? Ideo se demonstrauit humanis aspectibus, quia venturus erat vt ab omnibus videretur. Ideo rubus vrebatur,& nõ exurebatur, quia terram istam quæ nobis spinas germinabat & sentes, disponebat vrere per cõtinentię disciplinã, quàm consumere per mortis ærumnam. Vnde dicit prophe
ta: Vre renes meos, & cor meum. Reuelauit ergo futurum Psalm.25.
quoddam corporei splendoris indicium, quo per resurrectionem caro ista fulgeret. Quid enim significabat ignis innoxius, nisi lumina resurgentium? Vnde præsumpsit apostolus dicere:Quia sicut stella à stella differt in claritate,ita 1.Corin.15.
& resurrectio mortuorum. Hic ergo inquit, Veniat super caput tribus Ioseph,vt exaltet caput populi sui. Veniat etiã super verticem, vt verticem capilli perambuler, amputaturus superflua delictorum, sanctificaturus ornamenta virtutum. Hic est glorificatus inter fratres suos, sicut ipse dicit: Psalm.21.
Narrabo nomẽ tuum fratribus meis. Quæ maior est gloria, quàm peccatoribus nationũ cognitionem diuinitatis iusfun
dere? Quem in visione vidit Ioseph,quum manipulum eius Genes.37.
C adorarent fratrum manipuli:adorarent eum Sol & Luna cũ stellis. Manipul⁹ ille in figura carnis accipitur. Omnis enim Esaiæ 40.
caro fœnum. Fœnum hoc nostrum suscepit, vt suum triticũ germinaret, & fructũ resurrectionis afferret. Quæris testimonium? Audi de se dicentem:Nisi granum tritici cadẽs in Ioan.12.
terram moriatur,ipsum solũ manet:si autem mortuum fuerit,multum fructum affert. Denique vt scias quia de dei filio dicit Moyses,ait: Glorificatus inter fratres suos primogenitus. Vtique non Ioseph erat primogenitus inter filios Iacob,sed Ruben. Nam Ioseph post plurimos erat. Sed primogenitus dicitur, qui venturus erat vt nationum populos congregaret. Vnde pulchrè ait scriptura: Tauri decus eius. Sicut enim taurus ducit armentum,ita Christus plebẽ gentium duxit ad ecclesiam,induxit ad pascua,vt posset dicere: Psalm.22.
In loco pascuæ ibi me collocauit:super aquã refectionis cõ
stituit me. Huius tauri decore perpetuo capta nostrę fragilitatis armenta,secuta sunt præcedentem,vt vitam adipiscerẽtur æternam. Mugiuit hic taurus,& mors refugit. Leo ru- Amos 3.
git:& quis nõ timet? Verè maxima taurus victima, vt ab aduersariis assumamus testimonia. Quæ maior enim victima,
D quàm quæ mundi totius peccatũ suo cruore mũdauit? Audi quia ipsum taurum dicit etiam sanctus propheta Iacob cùm reuelaret domini passionem,quem Iudæi postea persecuti sunt. In furore,inquit, suo subneruauerunt taurum. Et Genes.49.
vt aperiret quia de Iudæis dicebat, addidit: Diuidam eos in Iacob, & dispergam in Israel. Hic est homo qui luctatus est Genes.32.
cum Iacob,& femur eius tetigit:quo tactu,patriarchæ nercuus obstupuit: significans ex eius successione secũdum carnem se esse venturum,qui subneruandus esset à populo Iudæorum in sui corporis passione. Quod nõ intelligẽtes mysterium statuerunt ne neruum manducarent filij Israel. Et ideo sacri sanguinis se redemptione fraudarunt, salutiferæ quoque passionis se beneficiis abdicauerunt, ne vitam meIoan.6.
reantur æternam:quia scriptum est:Nisi mãducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius sanguinem,nõ habebitis in vobisipsis vitam. Qui autem manducat meam carnem,& bibit

1373

bibit meum sanguinem, habebit vitã æternã. Accipe aliud. Quid est neruus, nisi quo corpus omne constringitur? Corpus Christi ecclesia est: quę vinculo stringitur charitatis. Quid aliud in Christo Iudęi nisi charitatis vinculũ omne sol uerũt? Meritò Petrus sacerdos eligitur, qui spiritu charitatis diuinæ triplici se ligauit. Accipe adhuc quia ipsũ significauit Moyses. Adiecit, Cornua vnicornui, cornua ipsi⁹: in ipsis gẽtes vẽtilabit. Sed noli timere quia vẽtilat. Dixit enim: Percutiam, & sanabo. Bona cornua, quibus incluſit orbem terrarum. Bona cornua, quibus leonem illum nostrum aduersarium ventilauit. Bona cornua, quibus fecit vt cornua aduersarij timere nequeamus: quia & Satanas habet cornua sua, sicut testificatur Daniel dicens: Videbã & cornu illud quod faciebat pugnam cum sanctis, & inualescebat eis, donec venit antiquus dierum. Hic est antiquus dierum. Quis autem vnicornuus, nisi vnigenitus dei filius, & vnicum dei verbũ, quod erat in principio apud patrem? Quod verbum suis cornibus gentiũ populos mortificauit, vt viuificauit, vt fierent in decem milia Effrem vsque ad terminos terræ, & vsque in milia Manasse: eo quòd crediturus esset in eum populus nationum, qui totum repleret orbem terrarum: crediturus esset postea etiam populus Iudeorum, ex obliuione conuersus ad gratiam. Oblitus est enim salutem suam, qui tam serò conuerteretur ad Christum. Ideo Saul in milibus. Dauid in decem milibus: quia durus in paucis, mãsuetus in pluribus. Neque tamen abnuo si quis quasi ad Ioseph dictum putat, Primogenitus tauri decus eius: & sic distinguendum putat, quia dedit & sanctis suis cornua. Exaltauit enim cornu populi sui. Et anna mater prophetæ Samuel dicit: Exultauit cor meum in domino: & exaltatum est cornu meum in deo meo. Habuit vtique & Ioseph in domino cornua spiritalia. Accipiatur itaque Ioseph, dummodo in ipso figura sit Christi, cui dicitur: Ioseph filius meus amplificatus, filius meus iunior, ad me reuertere. Neque enim Ioseph ad Iacob reuertit, sed Christus à mortuis resuscitatus ad patrem deum reuertit, vt scriptum est: A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. Est tamen vt de Ioseph accipiatur, reuertere ad me: quia populus reuertit in terram Chananæorum, in qua antè habitauerant patriarchæ. Vnde dicit Isaac ad Iacob: Non accipies vxorem à filiabus Chananæorum, & misit eum in Mesopotamiam, vt ibi sibi coniugem reperiret. Nunquid ei insidiati sunt domini sagittarũ? Nũquid ipse propter benedictionem vteri materni in toto orbe benedictus est, & non dominus Iesus, quem virgo genauit? Et ideo non solum supra homines, sed etiam supra angelos & archangelos & supra omnem sublimitatẽ cœlestium benedictus est potestatum, sicut scriptura testatur dicens: Benedictus qui venit in nomine domini: deus dominus, & illuxit nobis. Dominus enim deus ipse est rex regũ, & dominus dominantium, dominus eorũ quæ habentur in cœlis. Propter hæc cornua domini Iesu, & Dauid in voce tubæ corneæ canens auditus à Christo est: & Moyses docuit sacrificiorũ ritus tubę sonitu esse celebrandos, sicut scriptum est: Canite initio mensis tuba. Cui hoc nisi nobis scriptum est? Menses enim ab initio Lunæ veteres obseruare consueuerant. Luna autem ecclesia est: quæ spiritalibus & euangelicis prædicationibus in abundantia pacis (vt prophęta dixit) extollitur. In Christo ergo ventilabimus inimicos nostros, & in nomine eius spernemus insurgentes in nos.) Quid est nomen, nisi quo propriè vnusquisque significatur, quod ei non sit commune cum cæteris? Homo enim cõmune vocabulum est. Nisi addas qui vocetur, non potest declarari. Nomen ergo proprietas vniuscuiusque est, quo possit intelligi. Vnde arbitror quòd & Moyses volens propriũ dei & aliquid de deo speciale cognoscere, quod non esset commune cum cæleſtibus potestatibus, interrogauit, Quod est nomen tuum? Denique cognoscens mentem eius deus, non respondit nomen, sed negocium: hoc est, rem expressit, non appellationem, dicens: Ego sum, qui sum: quia nihil tam proprium dei, quàm semper esse. Qui ergo negant Christũ cœternum patri, videant quia deum negant, cuius est semper esse, nec aliquando non fuisse. Hac ergo cogitatione proprietatis diuinæ Moyses insurgentes in se volebat sper-

nere: vel, vt Aquila aut Symmachus dixerunt, calcare resistentes sibi tanquàm serpentes & scorpiones: quos etiam dominus dicit in euangelio esse spiritalibus vestigiis proterendos, vt viam nostram impedire non possint, quæ ducit ad secreta paradisi. Habemus ergo in nobis studium diuinę cognitionis. Habemus dei verbum, quod est nomen patris. Hæc verè proprietas dei: quia pater Christi est: & ideo in nomine patris venit, qui venit vt patris faceret voluntatem. Et ideo ait: In nomine patris veni, & non me suscepistis. Si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis: significans Iudæos in Antichristum credituros, qui in Christum credere noluerunt. Ergo qui in Christũ credit: non in arcu suo, nec in gladio suo sperat, sed in nomine eius spem victoriæ locat. Et ideo ait: Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.) Sed si in arcu sperandum est, in dei certè arcu sperandum est, quem posuit in nube, vt à diluuio genus humanum timere desineret. Isto enim arcu nos protegit: quo & iaculatur sagittas quibus percutiat inimicos & aduersarios nostros. Vnde & ait: Liberasti enim nos ex affligentibus nos: & eos qui oderunt nos, confudisti. In deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in secula.) Audi quomodo nos liberet: qui sagittis quæ iaculantur è cœlo, terræ nostræ interiora penetrantur, vt motus omnis terrenus intereat & quiescat: sicut in posterioribus ait: De cœlo iaculatus es iudicium: terra tremuit, & quieuit. Sic igitur liberamur, dũ confunduntur inimicæ & aduersariæ potestates, vel sapiẽtia carnis istius retusa cœlestibus imperatis, in suis criminibus erubescit, & flagitiorum suorum pudore confunditur: adulter in libidinis suæ flammis, & vesani amoris incendio: auarus in immodicæ cupiditatis ardore: (qui aliena rapiendo quo plura inuaserit, eo maiora desiderat) ebriosus in temulentia: facinorosus in scelere: qui & hic confunduntur grauissimè: sed multo amplius confundentur cùm viderint sanctos domini resurgentes, & euangelicum illud impleri quod ait dominus: Multi dormientium in terræ monumẽtis resurgent: isti in vitam æternam: & hi in opprobrium & perpetuam confusionem. Cùm cœperint ergo illi resuscitari in confusionem perpetuam, sanctus domini dicit: In deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in secula. Opulentus in diuitiis laudatur: luxuriosus in conuiuis: scortator in nocte: potens in hac vita quæ habet noctes. Sanctus autem non in hac vita, sed in deo laudabitur: qui domino per omnia placere gestiuit: qui potest dicere: Fortitudo & laudatio mea dominus. Laudabitur tota die: quia honestè egit, & opera sua non abscondit & crimina, sed regi patefecit æterno, in die ambulans, non in tenebris & occultis. Vnde apostolus: Sic vt in die honestè ambulemus. Hoc est, non in ganeis atque gurgustiis, non incubilibus & impudicitiis, in quibus stultus se putat parietibus esse tectum, vt possit dei scientiam præterire, cùm inuelata apud deum vniuersorum flagitia sint, & occulta diuinæ cognitioni peccata hominum esse non possint. Ergo sanctus laudabitur in futurum, quia non quæsiuit præsentium laudem, sed gratiam futurorum. Vide tamẽ distantiã. Hîc dum est, in domino gloriatur: illic in domino laudabitur, & pro breui tempore mercedẽ æternitatis accipiet. Aquila tamẽ posuit, In domino gloriabimur tota die. Symmachus ait, Deo hymnum dicemus per omnem diem. Concordat omnium sensus, vt non desinamus circa dei laudes, siue hymnum dicendo, siue diuinam per omnia momẽta gloriam concinendo. Qui enim hymnum dicit, puro corde & spiritaliter dicit, & omne genus passionis excludit humanæ, vt nullo mœrore, nullius doloris acerbitate impedia tur eius officium, exasperetur eius affectus, sed in hymno dei dicendo immobilis atque irreuocabilis perseueret: sicut ipse Dauid, qui ait: Benedicam dominus in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Sicut Iob, qui amissis filiis, interemptis omnibus suis, direptis facultatibus, ait: Dominus dedit, dominus abstulit, sit nomen domini benedictũ. Nũc autem repulisti & cõfudisti nos, & nõ progredieris deus in virtutibus nostris. Cùm ipse sanctus Dauid alio loco dixerit, Quia nõ repellet dominus plebẽ suã: quomodo hoc loco ait, Repulisti nos? præsertim cùm hæc de plebe dicat quę

Ioan. 5.
Genes. 9.
Psalm 75.
Ioann. 5. Danie. 12.
Psalm. 117.
Roma. 13.
Psalm. 35.
Iob 1.
Psalm 93.

non mediocria insignia propriæ virtutis enumeret? Neq; enim mediocre est dicere quòd tēpestates & variæ tentationes super se venerīt, & obliti nō sint dominum deū suum, & iniquè non egerint in testamēto eius. & cætera quæ sequuntur. Vnde etiā apostolus sanctꝰ interpretatur, & dicit quòd eo vsq; non repulerit plebē suā dominus, vt posuerit loquētem eū, Tota die expandi manus meas ad plebē nō credētē, & contradicentē. Cuius sermonis auctoritate subnixus ait:

Roma.11. Dico igitur: Nūquid repulit deus hæreditatē suā? Absit. Nā & ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Bēiamin. Non repulit deus plebem suā, quā præsciuit. Sed potest hoc loco dici quoniā ideo non repulit plebē, quia reliquiæ secūdum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Et videtur in paucis non repulisse quidē populū: tametsi non totum populū, sed ex eo plurimos repulisse. Vnde addidit ponēdo responsum dei, quòd non solū in paucis seruauerit plebē, sed etiam

3.Reg.19. septem milia virorū sibi reliquerit qui non curuauerunt genua ante Baal. Verū fuerit hoc dictū ab apostolo secundum euangelium: quoniā dominus transierat ad gētes, respōsi autem diuini tempus referatur ad zelū adhuc fidei feruentem,

3.Reg.19. & Rom.11. quando etiam prophetarum gratia redundabat populo Iudæorum. Vnde si Heliæ tempore negauit dominus à se plebē repulsam, multo magis tēpore Dauid, vel filiorū Chore, quo adhuc fides electi populi prænitebat. Tamen vt & ipsū sanctum Dauid interrogemus, quomodo dominus plebem

Hierem.23. suā non repulerit, colligamus. Nā cùm sit deus approprians, nō elonginquans, sicut habet scriptura veteris testamenti: vtiq; qui appropriat, nō repellit. Est enim misericordiæ diuinę, vt nulli causa sit mortis, & omnes putet esse redimēdos. Sed vide ne ille repellatur qui se elōgat à domino, sicut di-

Psal. 72. cit Dauid: Quoniā ecce qui se elongat à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicātur abs te. Quid est, abs te fornicātur? Quia turpitudinis suæ ludibriis te relinquunt, & à te recedunt, & à præceptis tuis deuij sunt. Deniq; alibi habes scri-

Hebr.13. ptū: Adulteros autē iudicat deus, disperdēs eos à se. Hoc est, alienādo abs te perdidisti eos. Ergo qui se à domino separat, ipse à domino separatur. Et qui nō cognoscit dominū, à do-

Matth.7. mino nō cognoscitur: & qui ignorat, ignoratur: sicut ipse dominus dixit: Discedite à me omnes operarij iniquitatis, nescio vos. Nō enim scire dignatur iniustitiæ ministros, & iniquitatis auctores. Peccator ergo non repellitur, quia ipse se repellit. Hoc igitur genere dicit: Nunc autē repulisti & confudisti nos.) Quomodo tamē repellat deus, qui sequitur versiculus exponit: Quia nō progredieris, inquit, deus in virtutibus nostris.) Deus quando non adiuuat, repellere videtur. Vnusquisque enim qui adiumēta non sentit diuinitatis sibi opitulatione cōferri, repulsum se putat atq; desertū. Quid est autē quod ait, Non progredieris deus? Et quid sibi vult quod deus interdū aut progredi dicitur, aut egredi, aut exurgere, aut descendere? Non enim corporaliter deus mouetur, aut de aliquo loco exit, aut ad alterum transit, qui supra omnia est: aut verè exurgit, quasi in aliquo iaceat cubili, vel in aliqua sede corporaliter sedeat: sed hæc dicuntur vt tu intelligas quando & ad quem egredi dicatur, & ad quem exurgere. Legimus enim in hoc ipso psalmo: Exurge, quare obdormis domine? Et considerandum nequando nostris

Matth.8. improbabilibus actibus obdormire videatur, vt in euangelio legimus, cum adhuc imperfecti essent apostoli, quod his Iesus Christus dormiebat. Verum vbi metu naufragij & timore perculsi sunt, Christum excitauerunt dormientem. Perfidis ergo dormit dominus Iesus, fidelibus vigilat. Denique & qui fidelis est, intrat ad deum, & à negligente deus videtur exire, atque discedere. Certè imperfectos & adhuc infirmos attrahit ad se dominus: sicut legisti dicentes iuuen

Cantic.1. culas: Attrahe nos: post odorem vnguentorum tuorum curramus. At verò Moyses qui iam fortior erat, & electus à domino, & ascēdere legitur & intrare ad dominum deum suū, sicut scriptum est quia ascendit Moyses in montem, & cir-

Exod.24. cundedit lux montem, & descendit maiestas domini in montem Sina, & cooperuit eum nubes sex diebus: & vocauit dominus Moysen die septimo de media nube. Aspectus autem maiestatis domini tanquam ignis ardens super verticem mōtis coram filiis Israel. Et intrauit Moyses in mediam nubē.

Sicut ergo hic Moyses intrabat in nubem vbi primū ad mō-
A tem vocatus à domino est: ita in posterioribus perfectior,
cū ipse intraret in tabernaculū suum, descēdebat ad eum co
lumna nubis, & stabat in ostio tabernaculi: & stans totus po
pulus adorauerunt vnusquisque ad ostium tabernaculi sui:
in nube autem dominus. Posuit enim tenebras latibulū suū
Vt scias autem quia de domino dicit, Et locutus est, inquit,
dominus ad Moysen. Quod autem extra castra tabernacu-
lum Moysi positum esse cōmemoratur, vt occurreret deo:
non videtur esse contrarium. Qui enim deum quærit, quasi
ad deum intrat, & tota mente ad cognitionem eius ingredi-
tur. Iustus ergo intrat ad dominū, sicut Moyses intrabat in
nubem: in nube autem deus. Denique ecce dominus ve-
nit in nube leui. Et in euangelio habes scriptum: Cùm autē
oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrē tuū
in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet
tibi. Ergo intus quasi in cubiculo tuo deus est. Audi etiam
alibi quia intus est deus. Ecce, inquit, dominus procedet de
loco suo, & descendet & ascendet super excelsa terræ, & mo
B uebuntur mōtes sub eo, & valles liquescent. Scriptura hoc
dicit: & iam tunc significabat quòd desereret populum Iu-
dæorum, & transiret ad gentes. Denique & in psalmo hoc
inuenimus expressum, cùm dicit Dauid: Et ipse tanquā spō
sus procedens de thalamo suo, Exultauit tanquam gigas ad
currendam viam. His igitur generibus reperimus egressum
dei, aut eius ingressum: sicut & dominus dicit Iesus quia ad
virum timentem veniat. Ecce, inquit, sto ad ianuam, & pul-
so: & si quis audierit vocem meam, & apperuerit ianuam, in
trabo ad eum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Hæc igi-
tur diximus propterea quòd ait propheta, Repulisti nos, &
non progredieris deus in virtutibus nostris. Simpliciter au
tem & illud accipimus, quia deus progressus est in virtutibꝰ
Iudæorum, quando Iesus Naue ducem militiæ cœlestis ado
rauit: & ideo sine ferro vicit, & sine vlla obsidione destru-
xit vrbem Hierico, quæ habebat validissimos muros. Quā-
do enim progressus est in virtutibus seruorum suorum deus, victoria consecuta est. Nam progressus est angelus ad E-
C zechiæ preces, & strauit innumeras copias Assyriorum. Sed
interdum & quos vult in certamine coronari dominus, ve-
luti derelinquit ad tempus vt fide vincant, nec rebus secun-
dis & prosperis deuotio remittatur. Denique sæpe qui
prosperorum cursu, & secundorum vsurpatione ceciderūt,
corriguntur aduersis. Ideo frequenter inuenimus Iudæos
post victoriam lapsos, post seruitium correctos: quia pre-
cibus & deplorationibus deum ad se redire fecerunt. Vnde
& illud quod secundum hominē dictum est, & hominis af-
fectu, huic sentētiæ non repugnat, quia dixit dominus: De-
us deus meus respice me, quare me dereliquisti? Non quod
derelictus sit dominꝰ, qui ait alibi: Quoniā solus nō sū: quia
pater mecum est: sed quia secundum carnem hominis & af-
fectum, qui in certamine graui est constitutus, derelictus vi
detur à domino. Denique non ociosè ait scriptura quia post
tentationem primam discessit ab eo diabolus vsq; ad tēpus,
hoc est vsq; ad certamen. Vbi enim magnū certamen sacræ
passionis aduenit, iterū aduersarius ad tentamenta successit.
Homo autē quando velut in ambiguo cōstitutus est putat
D se à deo suo esse desertum. Sed quemadmodū hoc secundū
carnis affectū accipimus, quia sibi homo visus est derelictꝰ,
cuius processum operatus est Christus in corpore suo: ita e
tiam diuinitate sciebat se nūquā dereliqui à patre, quia ipse
dixit: Ego in patre, & pater in me: & solū se non esse signifi-
cauit. Substituit etiam versiculum istū, Auertisti nos retror
sum præ inimicis nostris.) Non bene qui retrorsum auertit-
tur quia nemo mittēs manū in aratrū, respiciens retro, habi
lis est regno dei. Denique vxor Lot quia retrò respexit: ad
verticem montis, hoc est, ad superiora peruenire non po-
tuit: sed in salem conuersa est, quæ species citò soluitur, nec
potest vsum habere diuturnum. Sic sunt qui temporalia se-
quuntur, & non sequuntur æterna: & hic infatuantur à stul
titia sua, & futurorum gratiam habere non possunt. Sunt ra
men qui retrò posito obliuiscuntur superiorum, & ad prio-
ra se extendunt, vt ad brauium valeant peruenire. Et Petro
dicitur: Vade retro me Satana, vt in melius prouocetur. Et
in nu-

Exod.33. *Psal.17.* *Exod.33.* *Esaiæ.57.* *Matth.6.* *Mich.1.* *Psal.18.* *Act.3.* *Iosue 6.* *2.Par.32.* *Psal.21.* *Ioan.8.* *Luce 4.* *Ioann.14.* *Luce 9.* *Genes.19.* *Philip.3.* *Matth.8.*

1377

in numeris prior est, qui post Christum est. Ideo ergo præ-
inimicis, quia illi nos affligunt, & illi insectãtur, retrorsum
nos esse voluisti, vt extẽdamus nos ad superiora, vt semper
ante nos attendamus, persequentes inimicos nostros, & eo
rum locum transire cupientes. Deniq; sic Theodotiõ habet
quomodo septuaginta viri, hoc est quomodo iste versus ex-
positus est. Aquila habet, Auertisti nos retrò ab affligente.
Symmach⁹, Ordinasti nos nouissimos ab omni aduersario.
Contraria nobis quæ sunt, nisi voluptaria istius seculi, & ple
na deliciarũ atque lasciuæ, quæ sunt incẽtiua luxuriæ? Vxor
Lot decepta est, quia post se habebat luxuriã Sodomitano-
rũ, & regionis eius illecebras. Vnde decepta est? quia post se
respexit. Et tu ergo ne ad inimicos tuos respicias. Posuit te
deus nouissimum in seculo. Vel: Qui humilitate se vltimum
facit, nõ cõuertitur retrò, sed semper antè respicit. Vt scias
autem qui sint inimici tui, audi dicentem: Audi Israel, Quid
est quod in terra es inimicorũ, pollutus es in mortuis? Quis
tamẽ tam inimicus & hostis tuus, quàm princeps istius mũ-
di, & eius socij, qui persecuti sunt vsque ad crucem dominũ
Iesum, eius potentiam nescientes? Si enim cognouissent, nun
quam dominum maiestatis crucifixissent. Ergo tu si nouis-
simus es, noli inimicos tuos sequi, sed sequare dominum Ie
sum, & crucem eius cum lætitia, & insiste vestigiis eius.
Qui enim Christum sequitur, post se non respicit, id est, ad
luxurias atque illecebras peccatorum: & ideo potest dicere
cum sanctis: Non recessit retrò cor nostrum. Vnde intelli-
gitur quod & is qui ante animicos suos est, corde fit nouis-
simus atque postremus, si ad illos respiciat, & carnalibus po
tius quàm spiritalibus affectu mentis intẽdat. Potest etiam
qui nouissimus est, corde prior esse, si ea quæ in cœlo sunt
consideret, & non quæ in terris. Audi qui nouissimus in se
culo, inter primos sit apud Christũ: Puto quia deus nos apo
stolos nouissimos ostendit sicut morti destinatos, vt specta
culũ simus huic mũdo, & angelis & hominibus. Nouissimũ
se dixit, & idem tamen quod primus esset ostendit cùm di-
cit: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Sequitur, Et qui
oderant nos, diripiebant sibi. Dedisti nos tanquã oues esca-
rum, & in nationes dispersisti nos.) Miraris forsitan quod
cũ in posterioribus (vt diximus) summã habeant fidei con-
stantiam qui loquuntur: hîc dicant quod ab iis qui oderant
eos, diripiebantur. Sed non te ista pertereant. Multi enim
hîc diripiuntur, & tamen merita eorum à Christo nõ queũt
separari. Rapiebantur apostoli, cædebantur virgis, in carce-
rem trudebantur, separabantur à se, & tamen cum Christo
manebant: immo hoc ipso quòd rapiebantur à perfidis, eo-
rum merita crescebant, & gratia in cœlestibus augebatur.
Non enim statim qui ab hominibus diripitur, etiam vincit.
Vide apostolum Paulum gratulantem in periculis suis,
vide gloriantem quòd per fenestram in sporta demissus sit.
Vide quemadmodum sanctus Hieremias, sanctus Ezechiel,
sanctus Daniel in captiuitatem deducti, & ab Assyriis dire-
pti: nullam tamen captiuitatem propriæ fidei pertulerunt,
nec in testamentum domini deliquêre, qui seruauerunt in
captiuitate etiam legis præcepta diuinæ, nec de interdictis
cibis putauerunt contra institutionem maiorum aliquid v-
surpandum. Vnde bene Theodotion dixit: Et qui oderant
nos, exultabant super nos. Insultatio enim inimicorum nõ
affert præiudicium bonis mentibus, sed nec direptio inimi-
corum. Ideoque sanctus dicit, qui certus est quòd direptio
sibi obesse non possit: Quis nos separabit à charitate Chri-
sti? Tribulatio, an angustia? & cætera. Sed in his omnibus
superamus & superuincimus per eum qui dilexit nos: scien-
tes quòd neque mors, neque vita, neque angelus, neque po
testates, neque præsentia, neque futura separare nos possint
à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Er-
go qui talis est, non separatur à Christo. Vnde etiam si cor-
poraliter diripiatur, spiritaliter tamen liber est: & non so-
lum direptioni obnoxius non est, sed etiam rapinã sibi lau-
dabilem quærit: sicut illi de quibus scriptum est: A diebus
Ioannis Baptistæ regnum cœlorum cogitur, & cogentes di-
ripiunt illud. Victor est itaque qui in terrenis positus, capti
uus perfidiæ esse non nouit: nec solum ei nõ diripitur quod
præclarum est, sed magis ipse diripit quod æternum est.

A Sunt etiam qui fiant oues escarum. Bonus dominus noster
Iesus Christ⁹, quia factus est ouis epulationis nostrę. Quæ- 1. Corin. 5.
ris quomodo factus sit? Audi dicentem: Pascha nostrum im-
molatus est Christus. Et considera quemadmodum parẽtes
nostri in figura diripientes agnum manducabant, significan
tes domini Iesu passionẽ, cuius quotidie vescimur sacramen
to. Per ipsam igitur ouem facti sunt greges escarum, sicut A
quila dixit: vel greges in escas, sicut Theodotion locutus
est: vel pascua edentium, sicut Symmachus dixit. Sed bona
est epulatio, non solum non metuenda sanctis, sed etiam cõ
cupiscenda. Aliter enim ad regnum cœlorũ non potest per-
ueniri: cum ipse dominus dixerit: Nisi manducaueritis meã Ioan. 6.
carnem, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam
æternam. Probatũ est igitur quia dominus noster sit cibus
epulationis, vel alimentum edẽtium: sicut ipse ait: Ego sum Ibidem.
panis viuus, qui de cœlo descendi. Et vt scias quia hæc om-
nia propter nos facta sunt, ex quo ille descendit, ex illo san-
ctus ait: Nos omnes vnus panis sumus. Nõ ergo timeamus 1. Corin. 10.
B quia facti sumus oues escarum. Sicut enim domini caro, &
sanguis ipsius nos redemit, ita etiã Petrus pro ecclesia mul-
ta tolerauit. Multa etiam sanctus apostolus Paulus, & cæte-
ri apostoli pertulerunt, cùm cæderentur virgis, cùm lapida-
rentur, cùm in carceres truderentur. Illa enim tolerantia in-
iuriarum, & vsu periculorum, domini fundatus est popul⁹,
& ecclesia incrementum est consecuta, cùm cæteri ad marty
rium festinarent videntes per illas passiones nihil apostolo
rum decessisse virtutibus, sed etiam propter hanc breuem
vitã immortalitatẽ illis esse quæsitã. Quod ostendit etiã qui
sequitur versiculus, quia dixerunt: Inter gentes dispersisti
nos. Similiter Theodotion dixit. Aquila autem & Symma-
chus, In gentibus aut inter gentes ventilasti nos. Missi sunt
enim sancti apostoli ad gentes, & dispersi sunt inter gentes:
sicut & prophetæ sancti de quibus supra diximus, vt illa di-
spersione fructus plurimi nascerẽtur. Vt enim dominus no
ster Iesus Christus sicut granum cecidit in terram, & mor- Ioan. 12.
tuus est, vt multum fructum afferret: ita etiã dispersi sunt a-
C postoli sancti, vt bonum inter gentes semẽ afferrẽt, quo ad
eorum similitudinẽ fructus gentiũ pullularet. Deniq; scri-
ptura hoc dicit dixisse dominum, Quia propterea vos misi, Ioann. 15.
vt vos eatis, & fructum plurimũ afferatis, & fructus vester
maneat. Factus est ergo dominus sicut semẽ, secundũ quod
dictum est ad Abrahã, Et semini tuo, quod est Christus. Se Gala. 3.
men ergo omnium Christus. Et ideo se cadere passus est &
spargi, vt conforme corpori suo transfiguraret corpus hu- Philip. 3.
militatis nostrę. Hoc ergo semen salutare omnibus homini
bus pullulauit, & ex illo ad eius imaginem figurati, quasi se
mina apostoli sancti missi sunt per diuerso atque dispersi, vt
in agrum ecclesiæ gentes congregatæ diuersis fructibus re-
fulgerent toto orbe terrarũ. Istæ ergo dispersiones dicũtur,
sicut etiã in posterioribus idem Dauid dicit: Ædificãs Hie- Psalm. 146.
rusalem dominus, & dispersiones Israel cõgregãs. Dispersi
sunt enim vt nouos fructus facerent, & postea veluti trití-
cum nouum ecclesiæ horreis inueherẽtur. Hæc autẽ dispersio non in inferioribus fit, hoc est, non in terra, sed in cœlo.
Deniq; legis hoc pręcepta confirmãt, per quã dcit domin⁹:
D Si fuerit dispersio tua à summo cœlo vsque ad summũ cœli,
inde cõgregabo te: dicit dominus. Quæ est dispersio à sum
mo cœlo vsque ad summũ cœlũ? Quis iste tãt⁹ qui sic potue
rit disseminari? Si homo in terra natus est: ab imo, nõ à sum
mo cœpit. Si ista te mouẽt atq; perturbãt, redi ad superiora
isti⁹ sancti prophetæ, & audi quis ille sit tãtus qui huiusmo
di in terris segetes fœcũdauit, vt fructus earũ ad cœlestia re-
ceptacula perueniret. Est autem ille sponsus qui quasi gigas
percurrit hanc viã totã, inuiã aliis, sibi peruiã: & ex illo cœ-
pit peruia iam esse mortalibus: ita tamen, vt isti ascenderẽt:
solus tamen ille ipse antè descenderet vt postea sancti eius
mererẽtur ascendere. Audi ergo quomodo dissemination fue Psalm. 18.
rit de cœli summo ad cœli summũ. A sũmo, inquit, cœlo e-
gressio eius, & occursus eius vsque ad summũ ei⁹. Cui homi
ni hoc possit attribui? Moyses in verticẽ Sine mõtis vix a-
scẽdit, & hoc quia vocatus à domino est, & hortatus est vo
ce cœlesti. A summo cœlo quis descenderet nisi Christ⁹? q
& cùm descẽdit in terras, manebat in cœlo. Nemo enim a-

scendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlis. Vides ergo quià & cùm descenderet & ascē
Hiere. 23. deret, ipse erat & manebat in cœlo. Ipse enim dixit, Cœlum & terram ego cōpleo: dicit dominus. Ipse est, qui est in cœ-
Psalm. 43. lo. Hæc de dispersione satis dicta sunt. Cæterùm quòd ait, Ventilasti nos: etsi verbo distat, sensu congruit. Sicut enim illi qui dispersi sunt, probati: ita etiam qui vētillati sunt, ad probationem peruenire meruerunt. Sicut enim triticum si ventilatur, & à paleis separatur, mundum est: si autem ventilatum non fuerit mundum esse non poterit, sed est paleis cō cretum atque permixtum: ita etiam homo nisi tētationibus fuerit ventilatus, fragilia quæque veluti paleas à se non po-
Matth. 26. test separare. Vnde etiam ad Petrum dictum est, Simō, ecce
Luce 22. Satanas expostulauit vt ventillet vos sicut triticum: ego autem rogaui patrem meū, vt non deficiat fides tua. Vide quid dicit, & intellige. Ventilatur Petrus, vt Christum negare co gatur. Incidit tentationes, quædam locutus est quasi plena palearum: sed locutus est verbo, vt fundatior esset affectu. Deniq; fleuit, & paleas suas lauit, & illis tētationib⁹ meruit vt pro se Christus interueniret. Quanto maius est patrocinium, quàm perturbationis illius tentamētum? Et ideo plus quàm passus est acquisiuit. Acquisiuit enim Christū sibi patrocinantem. Cogitur autem & aduersarius sanctos domini ad sua damna tentare. Dum enim tentat, meliores reddit, vt qui tentatur, possit alios instituere, qui sibi ipse inualidus videbatur. Deniq; Petrus ecclesiæ præponitur postquam tentatus à diabolo est. Ideoque antè significat dominus quid sit
Ibidem. illud quod postea eum pastorē elegit dominici gregis. Nam huic dixit: Tu autem conuersus confirma fratres tuos. Conuersus est ergo sanctus apostolus Petrus ad bonam frugem, & ventilatus est sicut triticum, vt esset ipse cum sanctis domini vnus panis, qui nobis esset alimentum. Dum enim Petri actus legimus, Petri præcepta cognoscimus, fit nobis vitę æternæ & salutis alimentum. Vēdidisti, inquit, populum tuum sine precio.) Emendi & vēdendi videtur æqualis quidem esse contractus: Sed tamen si ementis & vendentis affectum consideres, vnusquisque sibi viliorem vendit, & cōplacitum emit. Vt enim prēter id genus hominū loquamur qui negociationem vendendis mancipiis exercēt: non facilè quisquam vēdit nisi eum qui sibi displiceat, & quē vsui suo inhabilem putet: & iterū, vnusquisque emere desiderat eum quem vtilitati vel ministerio accōmodū iudicauerit. Sed & ipsi qui vendendis mancipiis sumptum exercent suum, & se ctantur lucra: vtique ita viles habent eos quos vendunt, vt eis viliores sint quā pecunia & sepæ etiā ipsi quos negociationi suæ magis habiles existimauerint, malūt tenere quàm
Esaiæ 50. vendere. Ita ergo & deus viliorem vendidit, potiorē emit. Vendidit populum Iudæorum, non inclementia dei, sed sua culpa: quibus rectè dicitur: Ecce peccatis vestris venditi estis, & propter iniquitates vestras dimisi matrem vestram. Hoc itaque genere venditus populus Iudæorū, emptus est populus Christianus. Ille peccatis venditus, hic emptus san
1. Petri 1. guine. Vnde Petrus ait, Non corruptibilibus argēto vel auro empti estis, sed precioso sanguine. Quis est sanguis precio sus, nisi agni illius immaculati, hoc est domini nostri Iesu Christi? Ergo sine precio populus Iudæorum, precioſus autem populus Christianus. Ille preciū nō habet: quia peccatum habet. Iste in precio est, cui peccatum remissum est.
1. Corin. 7. Vnde rectè ecclesiæ filiis dicitur, Precio empti estis: nolite fieri serui hominū. Si tibi dicitur, Ne seruus fias hominū, & perdas propriam libertatem: multo magis dicitur tibi, Ne seruus fias peccati, & iterum, Ne seruus fias serpentis, inimici, & aduersarij: sed seruias soli domino, qui propria te redemit charitate, quia ipse est suorum redemptio seruulorum. Non vendit ergo dominus nisi seruum malum: non vendit vtique bonum. Nam etsi Ioseph venditus est, non dixit tamen propheta, A domino venditus est Ioseph: sed, In ser-
Psalm. 104. uum venditus est Ioseph: quem fratres proprij vendiderūt, quem dominus tamen in figura proprię passionis redemit à seruitute, renouauit ad gratiam. Vendiderunt itaque eum fratres, & acceperunt pecuniam: sed dominus eum non solum libertati reddidit, sed etiam dignitate cumulauit. Figuram autem in eo fuisse domini Iesu ostendit scriptura, quæ

1380 dicit: Filius meus zelo appetitus, ad me reuertere. Et alibi:
A Primogenitus tauri decus eius: eò quòd exaltauerit deus pa Deut. 33.
ter cornu Christi sui. Qui ergo venditur, vilis & sine pre-
cio est, quasi qui magis non sit, quàm qui sit. Vnde Aquila dixit: Tradidisti populum tuum, vt non esset. Et Symmachus, Tradidisti populum tuum sine substantia. Nō sunt enim, qui repudiantur à Christo. Sunt autem, qui eligun-
tur à domino: quoniam dominus vocat quæ non sunt, tan- Rom. 4.
quam quæ sint. Et electæ sunt gentium nationes, vt destrue retur perfidia Iudæorum. In nihilum ergo traditus est ille populus, quia peccato suo venditus erat. Nullam enim habet culpa substantiam. Vnde dictum puto: Et non fuit multitudo in cōmutationibus eorū.) Hoc est, gratis nos dispersisti per nationes. Neque enim tu quicquam per commutationem accipis, vt animam tradas hominis. Nihil enim tibi gratius est animæ conuersione. Sed si conuerti detractat, ipsa se tradit in nihilum, vt peccato & flagitio mancipetur. Ideo tu sine præcio & sine commutatione degenerem po-
pulum vēdidisti. Vnde in posterioribus ait, Non enim est il
B lis commutatio. Quare non est illis commutatio? quia non Psalm. 43.
timuerunt, inquit, deum. Duplex autem intellectus quare commutationem non habuerit populus erroris: quia nō po test homo argento vel auro vel possessionibus redimere ani
mam suam. Quam enim dabit commutationem animę sue: Matth. 16.
cùm illa temporalia vel caduca sint, anima autē permaneat vel ad præmium, vel ad pœnam? Non fit autem etiam illa commutatio in impiis, quæ est in resurrectione, de qua di-
cit apostolus: Omnes resurgemus, non omnes immutabi- 1. Corin. 15.
mur. Potest quoque & sic intelligi, quia etsi pauci redempti immutari meruerūt, vt Abraham, Isaac, Iacob, Moyses: non tamen ad omnes commutatio ipsa peruenit. Est etiam illud, vt nō sit multitudo in cōmutationibus grauium pec-
catorum, secundum quod scriptū est, quia quorumdam ho- 1. Tim. 5.
minum peccata manifesta sunt præcedentia in iudicium: quosdam autē & subsequuntur. Quæ grauia sunt atque manifesta, præcedunt, & sine vlla dubitatione merguntur. quæ autem leuiora sunt, bonis operibus sæpe releuantur. Beati Psalm. 31.
C enim quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta peccata sunt. Vbi autem iniquitas propendet, nulla bonorū operum commutatione reuocatur. Ergo & si quis redemptus est de populo Iudæorum, nō ideo redemptus, quia multam habuit æstimationē sui, nec quia multitudinem habuit in commutatione sua: sed redemptus est gratis: quod te docet apostolus dicens: Reliquiæ secundum electionem gra- Rom. 11.
tiæ saluæ factæ sunt. Vbi autem gratia, non vtique merito operum, nec iustificatione virtutum, sed liberalitate donantis, electione redimentis: quod æquè scriptura te docuit, dicente apostolo Paulo: Si autem gratia, iam non ex operib⁹: Ibidem.
alioquin gratia iam non est gratia. Quid ergo: Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus. Quare nō sit consecutus, agnosce: quia se iustificare cupiebat, quia operū suorum iactantiam requirebat, quia fidē non detulit, nec gratiā re cognouit: & ideo electio consecuta est, quæ vocantem audiuit, aduenientem suscepit. Meritò ergo in persona populi illius dicitur: Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, illu-
D sionem & dirisum iis qui sunt in circuitu nostro.) Qui sunt isti finitimi, & quemadmodum ad viciniam Israelitæ populi pertinuisse videantur, non est facilè discernere, si spiritalis vicina requiratur, habens quoddam lumen cognitionis ad inuestigandum mysterium Christi, præsertim cùm in ipso libro Salomonis qui inscribitur Ecclesiastes, didiceremus quia quo magis quæritur sapiētia, eò profundior iudicetur, Eccl. 7.
Sic enim scriptum est: Dixi, sapientiam requiram, & ipsa lō gè facta est à me, longè magis quàm erat. &, In profundo al titudinem quis inueniet eius? Vnde diffidētia oboritur mihi scrutari diuinitus spirantis scripturæ mysteria, & eius examinare sermones: quod ille dignè potuit, qui inter perfectos sapientiam loquebatur. Ego perfectos video. nec immeritò perfectos dixerim, cùm videam vos sensus exercitatos habere ad discretionem boni & mali. sed & ipse tamen qui sciebat solidiores capere cibos, adiumenta quærebat, vt in eo verbum domini curreret. Nec iste quoque sine præcatione hoc potuit vsurpare, vt laudatio eius iucunda fie-

1381

da fieret deo. Non enim vsurpantis, sed precantis assertio est. Tamen ne penitus refugisse videamur, cõsideremus qui vicini tribubus fuerint Iudæorum. Nam vt vetera recensemus, Philistiim tribui Iudę finitimi habebantur: ex alio latere iidem † tribui Ruben appropinquabant. Ammonitæ quoque in deserto erant: & qui erant in finibus Tyri & Sidonis, Galilæę copulabantur, hoc est tribui Zabulon, & tribui Neptalim, quæ erant in Galilæa: sicut Esaias dixit: Terra Zabulon, & terra Neptalim, via maris trans Iordanem. Vnde potest quis colligere quæ proprietas vniuscuiusque singularum fuerit tribuum, vt certis quibusque finitimis iungerentur, quo paulatim etiam gentibus infunderetur cognitio cœlestiũ sacramentorum: quod vtiq; potest intelligi de illa muliere Chananęa quæ exiuit de finibus suis vt domino Iesu occurreret transeunti, & posthabitis simulachris suis adoraret verum salutis auctorem, cui testimonium dedit dominus noster Iesus Christus quod magna esset fides eius. Resplendebat quidem iam gratia euangelij, & præsentiæ lumen augustæ: sed tamen quia sponte exiuit, & misericordiã postulauit, & dominum pia voce confessa est, & quasi fastidio habita in clamore petitionis propriæ perseuerauit: non mediocrem prærogatiuam accepit istiusmodi mulier, quæ prima exiuit de gentium nationibus, & perseueranti obsecratione tantum domini testimonium meruit reportare. In quo quidem loco velut dubitasse quosdam cognoui quid sit quod ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel: quasi nobilitatem generis electi ad saluandas animas dominus quæsisse videatur, qui venit vt omnes redimerentur. Sed ostẽdere dignatus est propositum, quod eos quos primo elegerat, nequaquã refutare cupiebat, & sæpe deuios & errantes paterno quodam reuocare quærebat affectu. Sed vbi ipsi auctorem proprium reliquerunt: sciens se deum montium esse, nõ vallium: & regnum cœlorum non à fastidientibus, sed à colentibus † diripi, paulatim conuersus ad gentes est, vt & nationum plus probaretur affectus, & illorum merito pertinacia condemnaretur. Quid deinde sibi vult quod ait: Non licet accipere panem filiorum, & mittere catulis? Vtique filios dixit Israelitas, hoc est populum Iudæorum: catulos autem populum nationum. Quid ergo? Diuitum aut nobiliorum est accipere sacramenta cœlestia: & non eorum qui magis ad cognitionem mysterij cœlestis pio mentis feruore contendant? Et si Israelita fuerit aliquis remissus & negligens vel contumax, qui reiiciat post se sermones dei: Chananæus autẽ qui impigerè velit adquirendis mentem intendere sacramentis: ille potius qui dissimulat, quàm iste qui defert studium, præferendus est? Non vtique. Et ideo diligenter oportet intendi quid expresserit, qui cùm dixisset, Non licet accipere panem filiorum, & mittere catulis: respõdente Chananæa quia & catuli canum edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum: studium eius humilitatémque laudauit, quæ non sibi profundum sapientiæ à primordio vindicauit, quanuis de finibus Tyri & Sidonis iam esset egressa: sed micas quasdam verbi salutaris, quæ de mensa dominorum suorum caderent, crederet colligendas. Qui enim diligenter & subtiliter scripturę verba rimatur, is ad altitudinem mysteriorum peruenire consueuit. Vnde & huic dicitur: Magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Hoc est, vt aperiatur tibi ostium verbi, & refulgeat vitæ æternæ salubre mysterium. Ego qui vicinus est, exeat, & Christum videre defideret, & in oratione clamet, sicut ista Chananæa exiuit de finibus suis, & Christum vidit, & iugi voce clamauit, vt eius misericordiam reportaret. Credentibus itaque Chananæis Iudeus in opprobrio sit: quia ipse non credidit: & illudi sibi doleat: & derideri se ab iis qui in circuitu sunt, ingemiscat. Et videtur prophetia hæc esse de nationibus crediturus: maximè cùm sequentia istud ostendant, quia ait, Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.) qui Iudæorũ delicto salus in gentibus: & quæ illis in figura gesta sunt, ad cognitionem nostram profecisse apostolo auctore cognouimus. Et verè in opprobrium positi sunt gentibus, quia gentes opprobrium crucis dominæ omnibus diuitiis secularibus prætulerunt. Qui autem crucẽ illam putauit opprobrium, & quasi opprobrium refugit, is verè in diuturno mansit opprobrio. Tamen quia non secundũ carnem Israelitæ videntur, qui potuerunt dicere: Quia iniquè non egimus in testamento domini: nec recessit retrò cor eorum à domino: vide ne iis se in circuitu positis illusioni & diriſui fuisse commemorent, de quibus dicit dominus: Circundederunt me vituli multi. Circundederunt enim eũ per persecutores, quãdo secundum consilium voluntatis suæ subiit passionem. Vnde & alibi ait, Circundantes circundederunt me, & in nomine domini vltus sum in eos. Ideo melius est viam rectam tenere, in qua facinorosi ambulare nõ possunt, Citò cadunt, qui non in directione ambulant. Vnde & illi quando voluerũt Iesum dominum comprehendere: vbi respexit eos, ceciderũt. Propter hos igitur qui in circuitu ambulare consuerunt, angelum dominus apposuit, qui à tergo insidiantes repellat inimicos. Prætendit igitur angelus domini in circuitu timentium eum, & eos tuetur atque custodit. In circuitu enim impij ambulant, sicut scriptum est. Vide itaque distantiã. Impij in circuitu ambulant: angelus autem prætendit in circuitu eorum qui nõ ambulãt in circuitu: & ideo prætendit vt eruat iustos ab insidiis persequentium. Iusti ergo spiritales Israelitæ videntur esse qui hæc loquuntur: eò quòd tentationibus seculi subiacuerint, & opprobrium fuerint vicinorum: hoc est, eorum, qui Hierusalem patriam non incolebant. Illusioni etiam fuerint spiritalibus nequitiis & potestatibus, contra quas iustis lucta esse cõsueuit. Denique historia te doceat quòd abducti Iudæi in Babyloniã, etsi propter peccata sua videbantur esse subiecti, tamen multo meliores gentibus habebantur. Peiores enim erant in circuitu eorum, qui insultabant eis, cùm ipsi peccatorum grauium essent mole curuati. Primus ergo intellectus de captiuis patribus vsurpandus est, quibus insultauerunt Assyrij, illudentes eis in Babylonia: quibus etiam rex ille nequissimus dominabatur Nabuchodonosor. Secundus intellectus ad altiora referendus, quòd sæuissimus rex diabolus est, ipse est Assyrius Nabuchodonosor, qui bonis insidiari solet, vt eos in peccatum trahat per carnis illecebram. Attende igitur hunc regem eo loco vbi dicit apostolus: Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati. Hoc est, in illa lege carnalis illecebræ. Aduersarius leo est, qui vrget obnoxios, iustos fatigat. Vnde pulchrè posuit Aquila? Spretionem & pompam posuisti nos iis qui in circuitu nostro sunt. Ita enim dispicabiles æstimabantur, qui theatrum facti sunt huic mundo, & angelis & hominibus: quia etsi in testamento non peccent dei, nec carnis illecebris reflectantur à domino: tamen quasi in pompa quadam circunferri videntur & despici, quandoquidem peccatores humilitati iustorum insultare consueuerint, vt opprobrium ducant crucem domini saluatoris, humilitatémque iustorum. Denique quasi in quandam pompa theatri constitutus apostolus dicit: Placeo mihi in iniuriis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis. In istis placet sibi, qui omnia quæ mundi sunt, detrimentum putat vt Christum lucrifaciat solum, per vitam & mortem requirens: cui viuere Christus est, & mori lucrum: vt inueniatur in Christo. Adiiciunt adhuc isti Israelitæ dicentes: Posuisti nos in parabolam gentibus, commotionem capitis in populis. Quibus gentibus positi, nisi crediturus? Ea enim quæ acciderunt Iudæis, in similitudinem figurę facta sunt, vt fieret nobis typus & figura excidium Iudæorum, atque ex illa similitudine per parabolam solutionem præsentibus requiramus, quo exempla eorum cauere possimus. Deinde quia Iudaicæ res omnes quasi parabolæ sunt, hoc est quasi figuræ, egentes solutione. Denique dominus Iudæis in parabola loquebatur, vt imperiti non intelligerent, intelligerent sapientes: vt intelligebant apostoli: in quo mouebantur, interrogabant dominum: Iudæi autem nec intelligebant, nec iterum discere non intellecta cupiebant. Quid sit parabola, accipe. Abraham igitur duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera. Non intelligebat hoc Iudæus nisi secundum literam. Nesciebat quis de filiis duobus acciperet hæreditatem patris, quia ad

A B C D

Psal. 22. Psalm. 117. Ioann. 18. Psalm. 11. Roma. 7. 1. Cori. 4. 2. Cor. 6. Philipp. 2. Galat. 4.

carnalia propendebant. Egebat parabola solutione. Venit gentium doctor, & fides nationum: & intellexit quòd duæ illę mulieres duo sint testamenta, vnum à monte Sina, quòd in seruitutem generauit populum Iudæorũ, ꝙ est Agar. Et ideo Sina, quod per interpretationem mensuram eius significat. Mensura autem, legis est: superabundãs autem gratia est. Sina quoque merces dicitur, & conuenit populo Iudæorum, qui iustificari se mercede operum quàm fidei gratia maluerunt. Ergo quæ sub lege erat Hierusalem, cum filiis suis seruiebat. Quæ autem sursum est Hierusalem, libera est. Et ideo Sarra, quæ principalis dicitur, libertatem habet, quòd princeps sui sit qui iustus atque integer est. Ex duob⁹ igitur testamentis duo populi, vnus Iudæorum, alius, nationum, qui in Christo credidit. Ille Iudęorum qui non credidit, seruit. Ipse est secundum carnem natus: quia secundum carnem interpretatus est scripturam diuinam, & secundum literam, non secundum spiritum. Qui autem de libera natus est per repromissionem, hoc est, cui repromissio ex fide, ipse est ecclesiæ filius, tenens gratiæ libertatem: propter quem ecclesia dicit: Expelle ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Et apostolus ait:

Gala. 4. Itaque fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ. Hæc est ergo solutio, quia quod ignorabat Iudæus, fides gentiũ soluit, infusa à Paulo doctore mentibus nationum. Ideo ergo illorum gesta nobis in parabola sunt. Sed & dominus dixit: Fa-

Psalm. 68. ctus sum illis in parabolam: aduersum me exercebantur qui sedebant in porta. In parabolam autem factus, quia dicitis

Luce. 4. inquit, Medice cura te ipsum. In parabolam factus est, quia

Matth. 24. sedentes in porta increpabat. In exitu enim non ociosi sed exerciti esse debemus. Idcoque scriptum est: Videte ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Hoc est non in ocio, sed in negocio. Ergo pigri sedebant Iudęi: quia stare non poterãt: qui veræ Hierusalem atria nesciebant. Si enim scirent illam Hierusalem, requisissent. Isti ergo fatigati in porta sedebãt. Nec solum dixit sedebant, sed etiam oderant dominum in portis redarguentem. In porta enim erat, qui subiturus erat sui corporis passionem, per quam migraret è terris, rediret

Ioan. 12. ad cœlum. In porta erat cùm diceret: Ambulate dum lucem habetis. Quid est ergo, Factus sum illis in parabolam: nisi

Roma. 10 quia finis legis est Christus, & mors eius soluit ænigmata Prophetarum: eaque quę antè Iudæis erant incognita cùm prophetarentur, postea manifestata sunt dominicæ passionis effectu. Factus est illis in parabolam, quia quasi vilem se præbuit, ingerens se illis, nec refugiens eorũ seditiones, & perducens eos ad tempus beneplaciti sibi, vt moreretur pro omnibus hominibus, quo illius sanguine genus hominũ mũdaretur. Similiter in parabola scriptum est: Nõ alligabis os

Deuter. 25. 1. Corin. 9. boui trituranti. Soluit hanc parabolã apostolus dicens: Nũquid de bubus cura est deo? An propter nos vtique dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quis est qui arat, nisi qui in spe arat, vt in iudicio domini metat? Et ideo quasi boni agricolæ, vbi propter spem inarata fuerit terra nostra continentia corporali, non carnalia sed spiritalia seminemus: quoniam de carnalibus corruptela colligitur, de spiritalibus vita æterna adquiritur. Typus igitur & figura nobis sint gesta maiorum. Typus lex scripta in cordibus nostris, vt nobis in ea quædam futurorum figura, non veritas sit. Lex ergo quasi figura sit nobis: euangelium quasi lumen & signaculum veritatis. In parabola ergo dominus ostendit se Iudæis, sed non intellexerunt parabolam, quia medicum non receperunt qui curaret animas laborantiũ, & omnia† ægritudine & inæqualitate incommoditatis absolueret. Factus est etiam in parabolam, quia carnem susceptt, quam crucifixerunt Iudæi, non intelligentes parabolam spiritalem. Eouſque enim non intellexerunt, vt cum authorẽ vitæ crucifigerent, & suspensam in cruce cernerent carnem domini salutarem, mouerent caput. Nam si intellexissent, vtique non insultassent, sed ingemuissent. Et tamen ipsa commotio capitis illis in similitudinẽ cessit, vt non hoc significaret quod ille sentiebant, sed quod mysteria declarabant. Illi enim secundum vulgi vsum insultantes domino mouebant caput suum, sicut qui iustis insultare desiderant, si fortè eos viderint in hoc seculo fatigari, mouent caput. Quæ commotio

† *al. omnem ægritudinem & inæqualitatem.*

captis geminum intellectum habet. Reprehensibiles enim videntur secundum scripturæ auctoritatem qui mouent caput, cùm dicat & Matthæus: Qui transibãt, blasphemabant Matth. 27. dominum Iesum, mouẽtes capita sua. Et Marcus, Qui præteribant. Transeuntes autem quòd reprehensibiles æstimen Marc. 15. tur, docet hic ipse propheta, qui dicit de vinea Saboth: Et vindemiant eam omnes transeuntes viam. Deniq; & qui se Psalm. 79. quitur versus, hoc signat: Deuastauit eam aper de syluа, & singularis ferus depastus est eam. Et in posterioribus ait: Et Psalm. 128. non dixerunt transeuntes viã, Benedictio domini super vos eo quòd qui transit, & non stat in atriis domini, non dat benedictionem. Ita ergo Iudæi mouebãt caput super dominũ Iesum, vt præterirẽt, qui firmum solidúmq; fidei vestigium habere non poterant. Mouebant autem caput suum, quorũ caput Christus esse debuerat, quem nõ debuit dimouere & deturbare perfidia Iudęorum. Sed quia non passi sunt membra se esse Christi, ideo caput eorum non fuit Christus. Nõ erat etiam lex caput eorum, quia expoliabantur & lege à populo nationum. Non fuit his caput verbum dei: quia amiserant prophetas, & apostolos nõ habebãt. Hoc de reprehensibili commotione capitis dictum sit. Est tamen & laudabilis capitis commotio, reprehensibilis Iudæis, laudabilis populo nationũ. Quid est enim caput, nisi in quo sensus sunt? Oculi enim sapientis in capite eius, quos moueri oportet o- Eccle. culos, id est, mentis tuæ sensus, ne aliquo torpore pigrescãt. Moue ergo prudentiam tuam, moue sapientiam, moue cogitationes tuas cœlestium collatione sermonum, & propheticorum disputatione verborum, ita vt non pecces in testamento dei, sed fides firma sit. Sunt enim hæritici qui mouẽt sensus suos, vt perfidiam tamen non fidem excitẽt. Sed iam expressius de ipsa capitis commotione quæ in similitudinẽ populi est posita, dicendum est. Quis est caput populorum 1. Corin. 11. nisi Christus? Caput enim mulieris vir, caput viri Christus. Sed & lex caput intelligibilis mulieris. Deniq; sub lege tanquam sub viro est populus Iudæorũ, quia lex νόμος dicitur Græcè: & ideo synagoga νόμῳ quasi masculo copulata est: sed legi corporali, nõ spiritali: hoc est, ritui legis Iudaico, cuius vinculis alligata est, legitimi nesciens sacramenta coniugi?. Si autem mortua fuerit lex, hoc est legis interpretatio corporalis: tunc plebs quasi mortuo coniuge priore legitimè nubet secũdo viro, qui ex mortuis resurrexit. Est etiã caput mulieris huius euangeliũ. Vnde quidam mysticè interpretati, mortificato ritu Iudaico, tãquam fratri defuncti euangelio mulierem eam nubere ex lege voluerunt, quia lex annunciauerit euangelium. Ideo prior lex vir, postea secundi viri nuptiæ, hoc est euangelij sacramenta sunt. Duo enim quasi coniugia, duo sunt testamenta. Vnum coniugiũ vetus est testamẽtum, quod morte viri prioris solutum est. Et ideo mulier illa cui lex mortua est, rectè in secundum coniugium conuenit, hoc est testamentum nouum. Sic duobus fratribus vna coniũgitur, cui superiora peccata moriuntur, meliora postea sacramenta renouantur. Hoc nobis apostolus euidẽter exposuit dicens: Quoniã quæ sub viro est mu- Roma. 7. lier, viuente viro ligata est legi. Hoc est viri sui legi, vt ei debeat castitatem. Si autẽ mortuus fuerit vir, soluta est à lege, viri, id est, vt cui velit nubat, dummodo nubat: quia viuo viro, inquit, adultera vocabitur, si iuncta fuerit alteri viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, ita vt non adultera si fuerit cũ alio viro. Hoc sacramentum etiam ad Christum & ecclesiam pertinere, etiam alibi demonstrauit, quia magnũ est sacramentũ. Hic quoque nõ prætermisit dicẽs, Itaq; fratres mei & vos mortificati estis legi per cor- Ephes. 5. pus Christi, vt sitis alteri⁹, qui ex mortuis resurrexit. Quo- Roma. 7. modo mortificatus es legi, nisi vt tibi legis vmbra moriatur cùm accedis ad sacramenta cœlestia? Nec enim alter debes accedere ad euangelium, nisi solutus interpretationis corporalis impedimentis. Alioquin adulteriũ est veris falsa miscere. Pudicitia autem spiritalis, si anima tua exuta omnibus impedimentis deuiæ cognitionis, sine ruga accedat ad dei verbum. Ergo sicut ecclesiæ caput Christus, ita & synagogæ caput lex: hoc est iis qui sub lege sunt: propter quos apostolus fecit se esse sub lege, cùm sub lege non esset, vt eos qui sub lege sunt lucri faceret. Et iterum doctor gentium 1. Corin. 9. factus

1385

factus est quasi esset ipse sine lege, vt eos qui erant sine lege, acquireret Christo. Pulchrè autem ait quòd sine lege dei non esset, & in lege Christi maneret. Lux autem synagogæ caput non à principio, quia Christus erat caput veteris synagogæ, quam Moyses fundauit & condidit. Denique audi dicētem quia verbo domini fundata est. Fide, inquit, Moyses grandis factus negauit se esse Pharaonis regis nepotem. Maluit enim afflictis cōparari, quàm tēporalibus delectari, maioréſq; diuitias æstimauit, & prætulit thesauris Ægypti, improperium Christi. Aspiciebat enim mercedē repromissionum dei, quæ est resurrectionis gratia. Sed vbi propter perfidiam Iudęorum mortuum est infidelibus dei verbum, & excidit pectoribus Iudæorum: legis spiritalis intellectus occubuit, & nupsit synagoga ritui corporali, obseruationiq; perfidiæ. Sed nō fuit illa sobrietas spiritalium nuptiarū, sed adulterium castitatis. Ideo synagoga libera esse non potuit, quæ malè nupserat, & non crediderat resurrectionem Christi futuram. Vnde bene ei nupsit ecclesia, cui secundum sacram dispensationem secundum carnem mortuus est Christus, vt illa Iudæa anima quæ antè fuerat ligata peccato, per mortem Christi absolueretur vinculo delictorum. Non nubit ergo mulier alteri viro, nisi mortuus fuerit vir suus: hoc est, nisi à vinculo legitimi amoris fuerit absoluta. Si autem mortuus vir eius fuerit, liberata est. Sanè tenebatur ex lege vt fratri proprij coniugis copularetur, si semen nullum maritus ei reliquisset. Quod vinculū magis nectebat interpretatio literæ, quàm gratia spiritalis. Denique habebat in voluntate frater defuncti, vt si nollet, nō acciperet fratris vxorem ad semen defuncti resuscitandum. Vnde calciamentum suum soluere iubebatur, vt esset à nexu copulæ eius exutus, quàm à sui gratia offendisset alienam. Sic enim scriptū est, quia soluebat vir calciamentū suum, & dabo proximo suo dicēs: Hoc erit in testimonium in Israel. Et dicebat propinquo, Accipe, & acquire tibi tu: & soluebat calciamentū suū. Dicebant etiam adstātes: Det tibi dominus vxorem quę intret in domum tuam sicut Rachel & sicut Lia, quæ ædificauerunt vtræque domū Israel, & fecerunt virtutem in Effrata. Sed hoc ex literæ interpretatione Iudæum ligabat.† Cæterum figura erat quòd Christus vēturus esset in terras qui semē defuncti populi resuscitaret merito fratris, quia dictū est: Narrabo nomē tuum fratribus meis: & quorū patres, & ex quibus Christus secundum carnem. Vel quia euangeliū defuncte legis reparationē operaretur in posteriis, vt semen quod lex non reliquerat, euangelij tenor resuscitaret. Non mirum ergo si caput suum praua interpretatione mouerūt, vt ipsi à se deturbarent sapientiam suę salutis auctorem, aut certè mouendo caput suum causa fieret commotionis capitis non paucis, sed populis. Commotio hæc capitis facta est quandoquidem in omnē terram exiuit sonus eorū, vt fieret omnis terra domini, & regnū domini esset in nationibus, Vnde & in posterioribus dicit: Dominus regnauit, iracātur populi: sedes super Cherubī, moueatur terra. Quod pulchrè Aquila interpretatus est, vt ἀλάλαγμα diceret, hoc est trāsmutationē, quæ de loco ad locū, de Iudæa ad populos nationū. Quod ex ea lectione quę in euāgelio est, liquido poterit manifestari, quemadmodum lex mota sit, dicente scriptura: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæ dicunt vobis, seruate & facite secundum opera eorum nolite facere. Quæ enim dicunt, non faciunt. Alligant autem onera grauia, & imponunt super humeros hominum: ipsi autem digito suo nolunt ea mouere. Omnia autem faciunt vt videantur ab hominibus. Quid est, Sederunt Scribæ, nisi quia litera scribitur? vnde & γραμματεῖς Græcè dicūtur Scribæ, literæ sequētes interpretationem nō spiritus intellectum: litera autē occidit. Literam ergo occidentem sequentes, & ipsa appellatione resonātes Scribæ & Pharisæi sunt, hoc est, qui à veritatis vnitate diuisi sunt. Phares enim diuisio dicitur. Diuidūt autem Pharisæi hoc genere, vt verba legis resonent, & in ipsa meditentur, spiritalis autem mysteria legis & sacramenta non videant. Nam si lex spiritalis est, vtique præcepta legis sunt spiritalia, & opera eius spiritalia sunt. Docētes ergo quæ Moyses scripsit, onera grauia ligant corporalibus legis. Grauia sunt enim quæ contraria iugo Christi sunt: & per doctrinam suam deuiam grauia onera imponunt auribus audientium, quæ ipsi ne tantū quidem volunt mouere vt à corporalibus legis ad spiritalia scripturæ verba commoueant. Sic enim intelligendum quia digito suo nolunt mouere illa, hoc est, nec exiguo puncto atque momento transferunt se ad intelligentiam spiritalem. Hinc est & illud quod scriptū est, Quòd si in digito dei ego eiicio dæmonia. Quid sit digitus, interpretatur ipsa scriptura quæ dicit in alio libro euangelij: Quod si in spiritu dei ego eiicio dæmonia. Digitus ergo dei, spiritus dei est. Deus enim spiritus est, & nihil habet in sua substantia corporale, sed totus est spiritus. In spiritu ergo dei eiicit dæmonium, qui in digito dei eiicit. Vnde & sanctus Dauid ait: Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum. Hoc est, spiritus tui opera sunt cœli: sicut & scriptum est: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Vt ergo concludamus disputationem, Scribæ & Pharisæi nihil ad interiorem hominem referunt, qui vt ipse ad imaginem dei & similitudinem factus est, ita in iis quæ cogitat, & quę meditatur, debet magis quæ spiritalia sunt quàm quæ carnalia cogitare. Totum ergo ad illum exteriorem, ad illum terrenum hominem referre contendunt: & ideo omnia eorum talia sunt, vt videantur ab hominibus, non vt placeant patri qui in abscondito videt. Timent enim sua opera reuelare. Hęc est ergo commotio capitis quę facta est in populis: vel, sicut Aquila & Symmachus dixerunt, in gentibus. Omnes enim gentes mouerunt caput suum vt legem spiritaliter interpretarentur. Nemo secundum literam legis se putet esse saluandum: quia litera legis maledictum habet: spiritus benedictionem affert. Nemo ex operibus legis iustificari potest: quia sub maledicto sunt omnes qui sub litera sunt. Fugiant ergo omnes maledictū legis, & confugiant ad benedictionis gratiam, vt benedictionem habeant in cœlestibus in Christo Iesu, qui mortuus est pro nobis, vt fides transiret ad gētes: qui etsi vir fuit antè synagogæ, nec ipsam deseruit, & nos redemit. Illam enim non deseruit, vt reliquiæ saluæ fierent: nos redemit, eligendo populos nationū. Hæc ergo electio gentium, salus Iudæis. Reliquiæ enim nō per opera sua, sed per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Gratia est ergo Christi, quæ & nos redemit, & reliquias viuificauit. Commotio autem capitis facta est in gētibus: sed ex hac commotione non mediocris mutationis gratiam Iudæi pertulerunt, quorū reliquiæ saluæ factę sunt. Sequitur: Tota die verecundia mea cōtra me est, & confusio vultus mei operuit me.) Quid est quod interdū ex persona vnius, interdum ex persona plurimorū psalmus hic dicitur? Nam à principio à pluribus cœpit, vt est: Deus auribus nostris audiuimus, & cætera quæ sequuntur. Deinde ait: Tu es ipse rex meus, & deus meus. Iterum, in te inimicos nostros ventilabimus: & postea, Non enim in arcu meo sperabo. &, In deo laudabimur tota die. &, Tota die verecundia mea contra me est. Quid sibi vult ista mutatio, quæ frequenter in psalmis reperitur: sicut & in centesimooctauo psalmo ait, Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Hoc de vno: sequitur de pluribus: Loquuti sunt aduersum me lingua dolosa, & odium pro dilectione mea. Deinde de vno: Constitue super eum peccatorem. Quod videtur in centesimooctauo psalmo aliud ad populum Iudæorum referri, aliud ad Iudam proditorem. Quando pluraliter dicta, ad populum: quando singulariter, ad Iudam. Hic quoque possumus dicere, quando pluraliter dicta, ad sanctos: quando singulariter, ad dominum nostrum Iesum Christum referri: quia æstimari potest & pro pluribus in propheta lacutus, & ipse pro se, & ideo dixerit, Verecundia mea contra me est: quæ dicitur ἐντροπή. Ἐντροπή autē est quando verecundiam vult quis incutere alicui vt inflectat propositum suum, sicut est: Descendat nunc de cruce: & credimus ei. Confidit in deo: liberet nunc eum. Pulchrè autem ait, Tota die: quia incarnatio domini nostri Iesu Christi lucem attulit mundo. Dies itaque incarnationis est. Ambulate dū lucem habetis. &, Abraham diem meum vidit. Ergo hæc verecundia habet in se confusionem. Vnde & Symmachus: Tota die, inquit, con-

Luc. 11. Matth. 12. Psalm. 8. Psalm. 32. Matth. 6. Roma. 11. Ioan. 12. Ibidem 8.

fusio mea cõtra me est. Quæ autẽ cõfusio Christi, nisi crux,
Matth. 15. quòd nudus pependit in ea? Et bene tota die: quia ex quo af
fixus est cruci, vsque in horam nonam tenebræ factæ sunt:
& post horam nonam lux refulsit vsque in vesperum. Hic
dies ex tribus primus. Potest tamen & chorus sanctorũ plu-
raliter de se & singulariter loqui. Chorus enim quasi singu-
larem personam habet, sed numerus plurimorum est: sicut
Isaiæ 29. illud est: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum
longè est à me. Quæ autem est confusio quæ operuit domi
num Iesum cùm confusionẽ peccata faciant? Ipsa sunt enim
quæ operiunt peccatorem. Hic autem peccatum non fecit.
Sed quemadmodum est confusio adducens peccatũ, ita est
confusio quæ peccatum abolet: vt cõfusio crucis domini no
stri Iesu Christi, per quam peccata mũdantur. Est etiam o-
mnis cõfusio bona quam pro Christi nomine subeas, & ad-
modum glorioſa, si verbi gratia in persecutione lex sit vt
verberetur Christianus, vt dignitatem amittat, vt careat pri
uilegio, vt in vincula ducatur. Hæc vtique confusio etsi pri-
Lucæ 9. uilegium non habet, habet gloriam piæ confessionis. Est au-
tem & Christi confusio, sicut ipse ait: Qui me confusus fue-
rit coram hominibus, confundam & ego eum coram patre
meo qui in cœlis est. Bona ergo cõfusio. Plerisque tamẽ hu-
iusmodi confusio Christi amara est, hoc est non credentib⁹:
iucunda credentibus. Siue ergo velis, confusionem Christi
intellige crucem eius, quæ Iudæis videbatur esse confusio,
qui insultabant ei quasi erubesceret in eo opere in quo pu-
blicam operabatur salutem: siue etiam hãc confusionẽ, quæ
ingeri videbatur à voce exprobrantis & obloquentis, à fa-
cie inimici & persequẽtis. Erubescebat enim sic lapsum es-
se electum populũ suum, & confundebat † eos apud patrẽ,
†al. confun-debatur in eos. quorum finis aduenerat. Præsens enim erat filio pater, à quo
nunquam potest filius seperari. Et ideo audiebat dicentẽ Iu
dæis pater: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.
Lucæ 13. Sunt autem qui etiam in confusione sua gloriantur, sicut illi
Roma. 1. de quibus dicit apostolus, quia gloria eorum in confusione
ipsorum: quibus contraria est gloria Christi, qui crucem su-
scepit, nec cõfusionem refugit. Quam nos quoque minimè
timere debem⁹, nec formidine aut fastidio declinare, ne pec
catũ supra nos adducat, quæ potest adducere gratiã vitæ. Est
enim & cõfusionis gloria: vt si in multos gẽtiles incidas vel
Philosophos, & illi tibi obiiciant crucẽ Christi, & verbo re-
spõdere nõ possis, nec salutaria quisquã audiat verba referẽ
Prouer. 26. tem, est confusio, sed à voce exprobrãtis, & obloquentis, à
facie inimici & persequentis. Et ideo noli respondere insi-
pienti ad insipientiam eius. Esto sicut homo mutus & tacẽs,
& quasi non audiens verba insultantium & obloquẽtium:
non quo respondere nequeas, sed quo respondere non de-
Eccl. 3. beas. Omni enim rei tempus. Tempus tacendi, & tempus lo
quendi. Tacendum est quando paratum non inuenis audi-
torem. Loquendum est quando dominus linguam eruditio-
nis indulget, vt sermo tu⁹ operetur in affectibus audientiũ.
Quomodo aũt te audiat, qui ideo tibi obloquitur, eo quòd
salubrem tuum nolit audire sermonem? Aut quomodo tibi
ac quiescat qui persecutor est, & velit te sibi vindicare? Aut,
vt Aquila dixit vel Symmachus, vt vlciscatur & puniat in
te quo Christi hæreditas ad Gentes videatur esse transfusa?
Longè itaque ista confusio à confusione & opprobrio pec-
catoris. Istius enim conscientia illuminatur, qui oblitus nõ
est dei sui: illorum confunditur quorum ingenium cali-
gat atque perturbat recordatio delictorum. Et ideo bene
sibi conscij dicunt: Hæc omnia venerunt super nos, & obli-
ti non sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo, &
non recessit retrò cor nostrum: & declinasti semitas nostras
de via tua.) Videtur versiculus vltimus non concordare
superioribus. Nam quomodo declinarunt ii quibus diui-
nitatis nulla obrepsit obliuio, nec alicuius iniquitatis con-
scientia, nec vlla desidia? Sed si consideres quia iustus vix
1. Petri 4. saluus sit, intelligis profecto & ipsius nonnunquam titubа-
re vestigia, & auctorem declinationis eorum deum videri:
quia ipse quoque patitur iustos sæpe tentari, quo magis pro
bentur tentationibus eruditi. Quis autem est tam fortis, vt
nequaquam in tentatione moueatur, nisi dominus adiutor
ei adsistat? Denique cõturbatus est & ipse propheta Dauid,

quia dixit in sua abundantia, Non mouebor in æternũ. Aut
A quis est ille quẽ locus afflictationis, & terræ corruptela non Psalm. 29.
moueat, cùm diuina sententia neminem exceperit qui sit
ab exercitio & à fatigatione terræ huius immunis, cui di-
ctum est: Maledicta terra in omnibus operibus tuis: spinas, Genes. 3.
inquit, & tribulos germinabit? Denique ipse Paulus domi-
nicæ vas electionis, à maledictione veteris sententiæ abso-
lutus domini Iesu passione, tamen captiuum se duci in legẽ Rom. 7.
peccati vehementissimè deplorauit, nec quenquam nisi
Christum à quo liberaretur inuenit, cùm eum lex sui cor-
poris & vmbra mortis vrgeret. Diximus sensum: sed expres-
sius qui locus sit afflictationis, considerare nos conuenit.
Vtrum hic mundus, qui in maligno positus est: an verò ca- 1. Ioan. 5.
ro nostra, in qua anima nostra humiliatur, dũ in istius car-
nis descendit societatem: an aduersa quibus exercemur in
hoc corpore constituti, in quo ingemiscimus grauati, quòd
nolumus spoliari, sed superuestiri. Grauis enim labor est dũ
expectamus vt absorbeatur mortale hoc à vita, quo nos ex-
poliare debemus. Minore enim labore expoliatur quam ab-
B sorbetur. Et vide ne ea diuersitas sit expoliantis se & expe-
ctantis vt absorbeatur à vita. Expoliat gratia, absorbet pœ-
nitentia. Expoliat sublimitas mentis, absorbet diligentia.
Quomodo autem dubites quòd afflictationis hic locus sit,
quando corpus est mortis, in quo operit nos etiam vmbra
mortis? Et ideo ad lucernam illam semper debemus inten-
dere, quæ est verbum dei, vt sciamus quemadmodum nostri
animi semitas dirigamus, & vestigia mentis internæ, vt lux
animorum soluat tenebras corporales. Pulchrè autẽ Aqui-
læ interpretatio quemadmodum intelligere debeamus locũ
afflictationis, expressit, dicendo: Quoniam humiliasti nos
in loco Sirenum, vt non caro in vitio sit sui natura, sed ea
quæ carnem corruptibilem esse fecerunt. Denique Sirenas,
quarum secundo & tertio mentionem fecit scriptura diui-
na, quasdam fuisse puellas Gentilis tradit historia, quæ vo-
cis suauitate, canendi illecebris, audiendiq; studio illectos
nauigãtes ad littus admouere nauigia prouocabant: eósque
C (cùm gratiã vocis sequerentur) scopulosо in loco naufragiũ
facere solitos vetustas posteris tradidit. Earũ autẽ interpre-
tatio hæc est, voluptas vocis, & quædã adulatio. Ita ergo se-
culi voluptas nos quadã carnali adulatione delectat, vt de-
cipiat. Vt ergo illic nõ littus in vitio erat, sed canora dulce-
do, quę faciebat asperitatẽ littoris non caueri: ita nõ caro in
vitio, sed ea quibus caro ista solicitatur & fluctuat. Denique
mare, si tempestas desit, quietũ est: si procella sæuit, pericu-
losum. Et septuaginta virorum videtur cũ his sententia cõ-
uenire, cùm dicũt quia scriptum est. Quoniam humiliasti
nos. Cuius interpretationis testimonia de scripturis nobis
arcessenda diuinis. Ait enim Deuteronomiũ: Si exieris, in- Deut. 21.
quit, in pugnã aduersus inimicos tuos, & tradiderit tibi eos
dominus deus tuus in man⁹ tuas, & deprædatus fueris spo-
lia eorũ, & videris in ea deprædatione mulierem bona spe-
cie, & cohabitaueris cum ea: & infra: Si nolueris eã postea,
dimittes eam liberã, quia humiliasti eam. Vides ergo quo-
niam non natura sui eam, sed is qui ei integritatem pudoris
eripuit, humiliasse perhibetur. Humilitas ergo operis est,
D per quod caro ista, peccati corpus effecta est, & locus afflic- Deut. 22.
tionis. Iterum alibi: Si desponsata fuerit virgo viro, &
inueniẽs eam homo in ciuitate, dormierit cum ea, educẽtur
ambo ad portam ciuitatis suæ, & lapidabuntur: & morietur
iuuencula, quia non exclamauit in ciuitate, nec inuocauit
hominẽ qui subueniret: & vir, inquit, qui humiliauit mu-
lierem proximi sui. Et hic eadem est huius causa sermonis,
vt à corruptore humiliata dicatur. Tertiũ quoque habes de
hac re testimonium, & plura, si quæras: tamen de eodem li- Ibidem.
bro audi. Si quis inuenerit virginem quæ non sit desponsa-
ta, & vim faciens ei, dormierit cum ea, & inuentus fuerit,
dabit qui dormierit cum ea, patri iuuenculæ quinquaginta
denarios, & erit vxor eius, quia humiliauit eam: nec po-
terit dimittere eam per omne tempus, propter quod humi-
liauit eam. Ipse sermo repetitus est, vt intelligas quia non
conditio carnis videatur nos humiliare, sed culpa. Nec ta-
men negare possumus quòd multis humilietur & caro, lo-
co ipso, illecebris ipsis, fragilitate quoque qua patuit erro-
ri. Li-

1389

ri. Licet enim non à mediocri aduersario serpente decepta fit, habebat tamen sui non mediocrem gratiã antequã peccatum irreperet: in cõspectu erat dei Adam, in paradiso vigebat, cœlesti gratia refulgebat, loquebatur cum deo. Nunquid eum humiliatum antè legisti, nisi postea quàm præuaricatio eum humiliauit sua? Cuius vitij hæreditatem ad nos vsque transmisit, vt in hoc corpore constituti nolimus peregrinari de corpore, & adesse deo. Et ideo humiliamus animam nostrã quæ se ad deũ gestit attollere, sed corruptibile hoc corpus grauat animam, terrenaque habitacula præponderant, vt mens deuota deo frequenter inclinetur ad secum, nec se subiicere deo possit, quoniam subiectionem sui sapientia carnis ignorat, quæ nostrum inuoluit affectũ. Discéres hæc de nobis, quid de carne domini nostri Iesu Christi dicemus? Qui vtique susceptit carnis istius veritatem: & ideo semetipsum humiliauit vsque ad mortem, mortẽ autem crucis. Diligenter attende, & considera singula. Vide quia volens susceptit hanc formam corporis nostri, & tuæ obsequia seruitutis, in similitudinem hominũ factus, non in similitudinem carnis, sed in similitudinem hominum peccatorũ. Omnis enim homo sub peccato. Ideo & specie inuentus vt homo, vt scriptum est de deo: Et homo est, & quis cognoscet eum? Homo secũdum carnem, sed vltra hominem secũdum operationem. Vt homo, inquit, humiliauit semetipsum: quia ad eos deus venit qui humiliati fuerant, liberandos. Ipse se ergo humiliauit propter nos. Non ergo corpus illius corpus mortis. siquidem corpus est vitæ. Nec caro illius, vmbra mortis. siquidem fulgor est gloriæ. Nec in eo locus afflictationis. si quidem in illo corpore omnibus gratia consolationis. Humiliauit se, vt discéres quid sit humilitas. Denique audi dicentem: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Ille se humiliauit, vt tu exaltareris. Qui enim se humiliat, exaltabitur. Sed non omnes qui humiliantur, exaltabuntur. Multos enim crimen humiliat ad ruinam. Humiliatus est autem dominus vsque ad mortẽ, vt de portis mortis exaltaretur. Ecce, vide gratiã Christi, vide beneficia eius. Posteaquam Christus aduenit, hæc caro quæ erat vmbra mortis, cœpit per gratiam domini refulgere, & habere lumen proprium, vnde & dictum est: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Sed vide de quo oculo dicat: non de exteriore, sed de interiore. Si oculus, inquit, tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidũ erit. Interior vtiq; est oculus, qui totum hominis corpus illuminat. Interior est etiam oculus, qui affert toti corpori cæcitatẽ: quia scriptũ est: Si aũt nequã fuerit oculus tuus, totũ corpus tuum tenebrosum erit. Vides in vno homine vnde tenebræ nascantur, vnde lumen oriatur? Ipse ergo tibi es caligo, vel lumẽ. Caligo, iniquitatis est: tenebræ, peccatorum: lumen, innocentiæ. Ipse tibi ergo es vel iniuriæ auctor, vel gratiæ. Operatio diuina nihil errat. Lumen in teipso est, quia innocens infantia tua est. Pura mens hominis ante adolescẽtiæ lubricum, & iuuentutis errorem. Tu tibi ergo tenebras fecisti esse quod lumen est. Denique idem oculus, hoc est, sensus hominis, tenebrosus est in peccatore, splẽdidus in innocẽte. Nec illud prætereamus quod Symmachus ait, Afflixisti nos in loco deserto. Ideo affligimur, quia interdum destituimur protectione cœlesti: & regio ista sub maledicto est, vel in lubrico seculari. Necdum quoque benedixerat terrã suam dominus noster Iesus Christos: & ideo laborabant, nec ad lumen pietatis eius oculorum spiritalium intendebatur obtutus. Deinde quia voluptas & delectatio mundi frequenter irrepit. Vnde non vinculis hominis illius ligare nos atque vincire debemus, nec cera aures claudere, sed aduertere aurem quotiensc̃unque aliena à fide, & contraria vel aduersa vtilitati nostræ aliquis existimat obloquẽda, ne in eo sermone operiat nos vmbra mortis. & si quid tale profertur, nos tamen dei verbum debemus inferere, quod mentis nostræ oculos fulgore disputationis illuminet. Sequitur: Si obliti sumus nomen dei nostri, & si expandimus manus nostras ad deos alienos: nónne deus requiret ista?) Aquila, inuestigabit ista, dixit: Symmachus, inueniet ista. Ipse enim nouit occulta cordis: quia propter te morte afficimur tota die: æstimati sumus vt oues occisionis.) Quid est quod ait, requiret deus? Quasi si non requirat, ignoret? Et sic requiret deus obliuionem tuam quę A irrepsit, vt auferat eius omne vestigium. Vnde & Aquila dixit, Inuestigabit. Nam vtique qui nouit cordis occulta, quomodo quærit: cui etiam ea quæ sunt interiora, manifesta sunt? Si quidem apud deum conscientia vniuscuiusque se prodit, & cogitatio hominis apud eum se aut condemnat, aut purgat. Denique Aquila visiones cordis dixit, eo quòd videat cor nostrũ, & omnis nostri cogitatio cordis in promptu sit apud deum, atque ei cogitationum nostrarum imago resplendeat. Bene illud ait Aquila, In te morte afficimur: quoniam in Christo mori, arduum & gloriosum. & in ipso moritur, qui pro eius nomine sacra passione est coronatus. Sed quid miraris quod requirentem deum occulta cordis versiculus iste declaret, cùm alibi deum scrutatorem legeris cordis? Quid etiam miraris si verbis nostris maiestas diuinæ substãtiæ explicari non possit, cùm ait Apostolus: Nolite ante tempus quid iudicare, donec veniat dominus, qui illuminabit occulta tenebrarũ, & manifestabit consilia cordiũ: & tunc laus erit vnicuique à deo. Tenebras cordis sæB pe loco criminis legimus, imò prope vbique. Vide ergo ne ista sint occulta tenebrarum, quæ sunt cordis occulta: ideoque tenebrarum nomẽ acceperint, quòd ea ab aliis non deprehendantur, sed lateant. Et ideo dominus in die iudicij illuminaturus asseritur occulta tenebrarũ: quia cor vniuscuiusq; manifestabitur, quod ante occultum erat, soli quidem Christo cognitum, qui sciens iudicij sui gratiã ait: Nihil est occultum quod nõ manifestabitur. Sunt autem multa quæ propter verecundiam premimus, & vt impleamus cœleste mãdatum, tacito apud nos tenemus affectu, ne videamur in iis quæ nostra sunt gloriari, & eorum fructum vulgando incipiamus amittere. Sunt autem occulta sapiẽtiæ, quæ raptus in paradiso apostolus Paulus audiuit: & quia non licebat ea homini loqui, apud se tegebat, non quia vsum eorũ aut gratiam aliis inuideret: sed quia nõ licebat homini loqui, fortè etiam homini audire nõ proderat: quæ tunc illuminabit dominus, cùm illuminãdorum secretorum tempus aduenerit. C Vide ne etiam in euangelio distantiam aliquam reperias, vbi dixit: Nihil occultum quod non manifestabitur, neque opertũ quod non reuelabitur. Illud tamen adstipulatur ad superiorem interpretationem, vt vtrũque de bonis esse credamus, quia scriptum est: Cognoscit dominus qui sunt ipsius. Suos ergo cognoscit, & eos cognoscit qui cognoscunt deum. Ignorat autem eos qui ignorant deũ. Qui enim ignorat, ignorabitur. Dominus ergo quæ bona sunt recognoscit: ea quę sunt plena cognitionis diuinæ, ea quæ sunt occulta sapientiæ, nouit dominus. Auersatur autem ea quę sunt plena iniquitatis atque peccati. Denique si istorum personã consideres, quos nulla diuini cultus obliuio separauit, vt alieno deo expanderent suas manus, atque aperire suas animas noluerunt, intelligis quòd in occultis suis non flagitia aliqua erant, sed ea quæ essent innocentiæ continebant: quandoquidem morte afficiebantur pro dei cultu: totáque die versabantur in morte: sicut versabatur & Paulus, qui ait: Quotidie morior per vestram gloriam. Et verè quotidie Paulus moriebatur secundum carnem, in ieiuniis, in naufragiis, in D diuersis periculis, in miseriis constitutus: sed non totus moriebatur. Moriebatur homo eius exterior, sed renouabatur interior: & ideo non deficiebat cùm tot periculis vrgeretur: quia etsi exterior homo eius corrumpebatur, interior renouabatur de die in diem: quia diem sibi vniuscuiusque fides & gratia operationis illuminat. Vnde nec Paulus apostolus noctem sciebat: quia qui renouatur, semper in luce est. An tibi non videtur in luce, qui Christi in se continet charitatem? Et ideo immolationis securus dura nõ refugit: nec eum persecutio vlsa aut fames aut gladius potest à Christo domino separare, quem vincula diuinæ charitatis adstringunt. Interim tamen etiam in bonis operibus mens humana turbatur, & tentationibus quatitur. Tamen & hoc iustorum est, vt cùm se tentari viderint, adiumentum deposcant, sicut apostoli in euangelio cùm Christus dormiret in naui, tempestatem fluctuum formidantes excitauerunt dominum Iesum, vt ab his formidinem propulsaret. Nónne tibi videntur tunc sancti apostoli istos dixisse versiculos:

Sapien. 1.

1. Cor. 4.

Matth. 10.

2. Corin. 12.

2. Timo. 2.

1. Cor. 15.

2. Corin. 4.

Roma. 8.

Matth. 8.

Exurge

Exurge,quare obdarmis domine? exurge, & ne repellas vsque in finem?) Certè & si litera distare videatur, concordat sententia. Neque verò vel in corpore cõstitutus ita dormiebat dominus noster Iesus Christus, vt ignoraret tempestatem maris, & exorta procella ventorum cognitionem eius per altitudinem soporis excederet. Dormiebat corpore, sed virtute vigilabat. Et dispositio illa fuit vt ascenderet in nauem dei filius,dei verbum:ascenderent etiam simul discipuli sui: quos remissos & negligentes esse non passus, quasi de domini præsentia & fauore securos,somno corporis sese cõposuit. Ergo illa specie somni,dormire se mundo huic,apostolis verbum dei demonstrabat. Vigilabat tamẽ eius potestas & prouidentia,quæ excitauit tempestatem in mari,vt nauis propemodum insurgẽtibus fluctibus operiretur: qua discipuli tempestate turbati, vtrum salubris consilij se prouisione fulcirent, an verò remedium excederent,cognosceretur. Sed illis quibus Iesus non dormiebat, vigilabat fides:
Matth.8. & ideo surgentes exitauerunt dominum Iesum, dicentes:
Ionæ 1. Domine,salua nos,perimus. Vide etiam si illud discrepat ab
B euangelio quod dę Iona legimus, qui dormiebat in ventre nauis, & stertebat: in quo sacræ passionis figura præcessit. Sicut enim Ionas dormiebat in naui, & stertebat securus, quasi non metuens deprehendi, ita dominus noster Iesus Christus,qui figuram illam sacramẽto suę mortis impleuit,
Matth.12. tempore euangelij in naui dormiuit. Et sicut ille tribus diebus & tribus noctibus fuit in ventre ceti, ita filius hominis tribus dieb⁹ & tribus noctib⁹ fuit in corde terræ, in sui corporis passione. Qui vbi se excitauit à morte,& somnum sui corporis relaxauit, vt pro salute resurgeret vniuersorum,
1.Tim.2. discipulos visitauit. Hic est ergo verus Ionas, qui obtulit animam suam redemptionẽ pro nobis. Propterea ergo sublatus est & missus in mare, vt exciperetur & deuoraretur à ceto,quo intra aluum ceti positus eius interiora vacuaret.
Iob 7. De quo ceto hoc dictum sit,audi Iob dicentem: Qui habet, inquit,magnum cetum captiuum reddere. Quis iste est? Vtique cognosces cum legis quòd dominus noster Iesus Chri
Psalm.67. stus captiuam duxerit captiuitatem. Deuicto enim aduersa
C rio & inimico, nos qui captiui eramus, cœperem⁹ libertatẽ possidere per Christum. Denique ipsa oratio sancti Ionæ
Iona 2. docet dominicæ passionis esse mysteria, cum dixit: Clamaui, inquit, ad dominum meum in tribulatione mea, & audiuit me ventre inferni. Vides quia inferni vẽtrem dixit, non ceti? Dominus autem non in cetum, sed in infernum descendit: vt & illi qui in infernis erant, à perpetuis vinculis soluerentur. Denique plerique etiam resurrexerũt. Quæ autem flumina circundederunt Ionam,aut de qua abysso dixit Ionas: Abyssus circundedit me nouissima: mersit caput meum in fissuras montium: descendi in terram, cuius seræ sunt continentes æternales? Vtique hoc ad personam Ionæ non quadrat & cõuenit. Filius autẽ dei descendit in fissuras montium,quando descendit in tumulũ. Ipsum enim Ioseph
Matth.27. (sicut euangeliũ docet) posuit in monumẽto suo nouo, quid excidit in petra,& aduoluit saxum magnum ad ostium mo-
Ioan.19. numẽti. Deniq; & in alio libro, Posuit, inquit, eũ in monumento excisо, in quo nondum quisquã positus fuerat. Quis
D autem est qui cum voce laudis & cõfessionis domino sacrificauit, nisi princeps omniũ sacerdotum, qui & vota pro omnibus vouit, & reddidit? Solus enim affectus sui habuit potestatem. Sicut enim Ionas missus est in mare,& quieuit mare à cõmotione sua: ita dominus noster Iesus Christ⁹ venit in hunc mundum, vt mundum lucrifaceret, & sanguine suo omnia pacificaret, siue terrena, siue cœlestia. Aduentu igitur suo redemit vniuersos homines,& prouocauit ad dei cultum operibus suis, cùm mortuos resuscitaret,sanaret infirmos,timorem dei humanis infundens affectibus. Ipse est qui sacrificauit domino sacrificiũ salutare pro nobis, & dignas conuersionis nostræ hostias deo obtulit. Ipse est qui dormiuit,& euigilauit. Cauendum est ergo,ne obdormiat peccatoribus. Obdormire enim videtur iis quibus non resurrexerit,& quos in finem repellit. Quis autẽ est qui repelitur,nisi qui peregrinatur à domino, quia nõ peregrinatur à corpore? Quomodo enim possunt deo placere qui in carne sunt? Et ideo non in carne simus, sed spiritu adhæreamus domino Iesu, qui se in octogesimo & octauo psalmo 1392
A repulsum dicit pro nobis. Tu verò repulisti pro nihilo,distulisti Christum tuum,euertisti testamentum serui tui. Ita que repulsus pro nobis factus est in opprobrium vicinis suis. Ille enim suscepit opprobrium crucis, vt nos gloriã suæ resurrectionis indueret. Repulsus videtur quasi mortuus,& perfusus confusione quasi crucifixus: sed benedictus est in æternum,qui maledictionem sustulit,& benedictionis gratiam comparauit. Sequitur: Quare faciem tuam auertis? Auertere à nobis deum faciem suam putamus, quando sumus in aliquibus afflictionibus constituti, vt tenebræ nostro offundantur affectui,quibus impediti fulgorem veritatis oculis nostris haurire nequeamus. Etenim si in nostrum deus intendat ingenium,& nostram mentem visitare digne tur,certissimus quòd nulla res nobis caliginem possit obducere. Etenim si vultus hominis cæteris membrorum partibus plus refulget:& quencũque intuemur, vel incognitum agnoscimus,vel cognitum recognoscimus,quẽ aspectus noster latere non patitur: quanto magis dei vultus quem spectat,illuminat? De quo vt cætera eius sunt,ita & hoc præclarum sancti apostoli, qui verè interpres est Christi vt aptiore eum sensu & sermone nostris infunderet mẽtibus. Vnde
2.Cor.4. ait: Quoniam deus qui dixit de tenebris lumen splendescere,illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis domini in facie Christi Iesu. Vbi igitur in nobis reluceat Christus,audiuimus. Est enim fulgor æternus animorum: quẽ ideo pater misit in terras, vt in eius illuminati vultu,æterna & cœlestia spectare possimus,qui antè terrena cãligine tenebamur. Quid de Christo loquar? cùm etiam Pe-
Act.3. trus apostolus dixerit ad illum claudũ ex vtero matris suæ: Respice in nos: qui respexit in Petrũ, & fidei illuminat⁹ est gratia. Neque enim accepisset remedium sanitatis, nisi fideliter credidisset. Vnde cùm tãta gloria esset in apostolis,au-
Luc.19. diens transire dominum Iesum Zacchæus,ascendit in arborem, quia exiguus & pusillus in turba eum videre nõ poterat. Vidit Christum,& lumẽ inuenit. Vidit eum:& qui antè
C aliena rapiebat,sua contulit. Meritò ergo dicunt isti: Quare faciem tuã auertis? Aut fortasse propterea dicitur, quia desiderantibus Christi moram faciebat aduentus. Ipse enim est vultus patris, qui est imago & gloria dei. Certè si nõ ad incarnationis eius hoc accipimus sacramẽtum, rectè etiam illud vsurpant sancti, dicentes: Quare faciẽ tuam auertis: hoc
Psalm.4. est? Etsi auertis domine faciem tuam à nobis, tamẽ signatũ est in nobis lumẽ vultus tui domine. Tenemus illud in cordibus nostris,& in intimo splẽdet affectu. Neq; enim quisquam potest subsistere, si tu auertas faciem tuam. Omnia e-
Psalm.103. nim à te expectant, vt tu des illis cibum in tempore. Dante te his, colligent: aperiente te manum tuam, vniuersa implebuntur bonitate: auertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes spiritum eorum,& deficient,& in puluerem suum conuertentur. Emites spiritum tuum,& creabuntur: & renouabis faciem terræ. Agnoscis quæ sit esca quam deus hominibus subministrat? Ipse est cibus quem secũdum voluntatem patris vnigenitus filius eius dominus noster epula-
Ioan.4. tur, sicut ipse ait: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Hic cibus nobis est salutaris, & omnia dei sunt salutaria. Audis quædam dei membra: cognosce virtutes. Manus quippe eius, plenitudo bonitatis est: facies eius, illuminatio mẽtis est. Et ideo semper ab eo speremus: in ipsum vota nostra & omnia studia dirigamus, nec desperemus, etsi corporaliter eũ videre non possumus. Ne-
Exod.33. que enim desperauit Moyses, cui dictum est: Non potes videre faciem meã: non enim videbit faciem meam homo,& viuet. Et addidit: Ecce loc⁹ apud me: stabis in petra: & cùm transierit gloria mea, ponam te in cauernam petræ, & operiam te manu mea donec transeam: & tollam manum meã, & videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. Non ergo videtur ab homine facies dei. Est tamen locus in quo fide se monstret homini deus. Est hic locus apud deũ: & ideo si steterimus in petra, id est in carnis istius conscientia & fidei firmitate: etsi plenitudinem eius videre non possumus, tamen quãtum possumus quasi reliquias eius luminis hauriemus. Neque enim Moyses totam diuinitatis

1395 taris eius plenitudinem vidit, quæ habitat in Christo corpo
raliter, sed vidit posteriora Christi: vidit splendorem eius
vt homo, vidit eius gloriam passionis, per quam regnū no-
bis cœleste reserauit. Aquila autem, Quare faciem tuā abs-
condis? posuit: sed etiam cæteri: quod videtur conuenire
cum Moysi dictis qui ait: Demonstra te mihi. quasi diceret:
Noli vultum tuum mihi abscondere: sed magis demon-
stra videre cupiēti. Et addidit: Obliuiscēris, inquit, inopiam
nostram, & tribulationem nostram.) De qua inopia dicit
sanctus Propheta quòd in obliuionem venerit dei. Aut quæ
est ista inopia quam excidisse domino conqueritur? Non
ociosa ista est inopia, nisi fortè ea quæ protectorem deum
& remuneratorem habere consueuerit. Si enim est inopia,
cui pater regnum cœlorum: rectè isti inopiam suam diuinis
excidisse sensibus arbitrantur, qui animam suam humilia-
tam in puluere deplorabant, & ventrem suum in terra hęre
re dicebant. Qui autem in terra hærent, videntur diuina pro
tectione priuari. Quæ sit ergo ista inopia, audi: Beati enim
paupes spiritu: ipsorum enim est regnum cœlorum. Si er-
go beata paupertas est, cui patet cœlum: terrenas istas diui-
tias negligamus, corporalem redundantiam declinemus. Se
quamur vestigia apostolorum, ante quorū pedes vnusquis-
que quod habebat pecuniæ ex suorum agrorum precio, cō-
ferebat, vt pauperibus dispensaretur. Istam igitur inopiam
euangelicam hi sancti viri multo antè exercere cœperant,
& ideo dicebant: Obliuiscēris inopiā nostram. Tale est hoc,
quale illud apostolicū: Ecce nos reliquimus omnia, & secu-
ti sumus te. Bona ergo paupertas, quæ à pietate procedit, &
virtutum exercitatione suscipitur. Nec solum inopiam, sed
etiam tribulationem suam in obliuionē deo venisse deplo-
rant. Bonæ sunt & tribulationes, quæ sunt propriæ iustorū:
qui non pro meritis suis, sed pro pietate eas sustinēt: in qui-
bus iustus non atteritur, sed dilatatur: sicut sanctus Prophe-
ta declarat dicens: In tribulatione dilatasti mihi. Et ipse do-
minus Iesus ait: In tribulatione inuocaui dominum, & exau
diuit me in latitudinem. Dilatauit sancto apostolo Paulo,
quando ei oculorum lumen eripuit. Ita enim confessus est
Christum, quem negabat antea. Ideo vas electionis esse pro
meruit. Deniq; vt scias quia dilatauit Paulo dominus Iesus,
audi ipsum Apostolum dicentem: Os nostrum patet ad vos
ó Corinthij: cor nostrum dilatatum est. Aperi ergo os, con-
fitere Christum: quia plenitudo est. vbi plenitudo, ibi etiam
latitudo. Et quasi bonus magister, qui discipulos habere op-
taret æquales, nos quoque hortatus est vt dilataremur, di-
cens: Dilatamini & vos. Cùm autem deus alicubi in tribula
tione dilatat, tunc fiet latitudo cordis sicut arena maris in-
numerabilis. Quæ sit ista latitudo, audi dicentem sanctum
Salomonem: Optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui,
& venit in me spiritus sapientiæ. Vt enim acciperet sapien-
tiam à deo, non diuitias, non nobilitatem, non potestatem,
sed sapientiam postulauit: & in illa omnia quæ etiam nō po
stulauit inuenit. Vnde scriptura dicit, quia talis erat latitu-
do cordis eius, sicut arena maris innumerabilis. Vnde hanc
percipias latitudinem, ait de se ipse cognoscens: In latitudi-
ne cordis tui describe eam. Et ideo qui habet sapientiā, non
in occulto teneat eam, non ad momentum, sed canat eā in
exitu: vbique quod sentit, cū auctoritate prædicet. Symma-
chus autem pro tribulatione afflictationem posuit. Siue ta-
mē afflictatio sit, siue tribulatio, opus est vt nos maneamus
in domino, nec ab eodem recedamus: quoniam præsule do-
mino & assistente nobis omne certamen fortiter possumus
sustinere. Si autem dominum negligamus, & longè nos fa-
ciamus à domino, facimus nobis aduersarium fortiorem.

In psalmi quadragesimiquinti enarrationem præfatio.

Titulus Psalmi huius ita inscribitur: In finē pro fi-
liis Chore pro occultis psalm⁹ ipsi Dauid. Quid
est pro occultis? Occultorum habuisse se cogni-
tionem per reuelationem domini Iesu, in quin-
quagesimo quoque psalmo sanctus propheta cōmemorat
dicens: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
Quæ autem illa sint occulta, in euangelio sancto docemur,
dicente dei filio, quòd mysteria sapientiæ abscondita sint sa- Matth. 11.
pientibus, & paruulis reuelata. Hæc sunt illa, ni fallor, quæ 1. Cor. 2.
oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascen-
derunt, quę præparauit dominus diligentibus eum. Ergo in
occultis cordis nostri occulta sapientiæ recondamus, non
temerè aliquibus diuulgemus, nisi sacramentorum consor-
tibus, quos dominus vocauit ad gratiam suam, qui se in abs-
cōdito vult rogari, quoniam solus est qui abscondita & oc-
culta cognoscat. Denique ipse dominus Iesus ad percipien-
dam legem solum Moysen, non absque Iesu tamen, in mon
tem voluit ascendere. In euangelio quoque Petro Ioanni,
& Iacobo solis ex omni numero discipulorum resurrectio-
nis suæ gloriam reuelauit. Ita occultū suum voluit esse my-
sterium: & admonebat frequenter, ne cui facilè quæ viderāt
annunciarēt, ne offendiculum quisquam subiret infirmior,
qui vim sacramentorum fluctuanti ingenio haurire nō pos-
set. Denique ipse Petrus nesciebat quid diceret, qui tria ta-
bernacula domino & sernulis crederet esse facienda. Dein- Matth. 17.
de fulgorem gloriæ domini transfigurantis se sustinere non
potuit: sed in terram cecidit, ceciderunt & filij tonitrui Ia-
cobus & Ioannes, & nubes operuit eos: nec potuerunt sur-
gere, nisi postquam Iesus venit, & tetigit eos, & iussit vt sur-
gerent, & formidinē sequestrarent. Introierunt ergo in nu-
bem, vt abdita & occulta cognoscerent: atque ibi audierunt
vocem dei dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo com Ibidem
placui: ipsum audite. Quid est, Hic est filius meus dilectus?
Hoc est, noli errare Simon, vt seruulis filium dei conferen-
dum putes. Hic est filius meus. Non Moyses filius, non He-
lias filius: quanuis alter aperuerit mare, alter clauserit cœ-
lum. In verbo enim domini vterque naturam vicit elemen-
ti: sed illi ministerium præbuerunt: hic est qui solidauit a-
quas, cœlum siccitate clausit, & quādo voluit, in imbres re-
soluit. Vbi testimonium resurrectionis adscisitur, adstipu-
lantur ministeria seruulorum. Vbi gloria domini regentis
ostenditur, seruulis splendor absconditur. Nanque ipsos
stellarum globos sol exortus obducit, & omnia earum lu-
mina mundano sub sole vanescunt. Quomodo ergo sub æ-
terno sole iustitiæ atque illo fulgore diuino videri poterāt
stellæ carnales? Vbi ergo sunt illa lumina quæ nostris ante
oculis quodam miraculo refulgebant? Tenebræ sunt vniuer
sa comparatione lucis æternæ. Alij ministeriis suis deo pla-
cere festinent. Hic solus est verum lumen & æternū, in quo
pater complacet, vel in quo beneplacitū est mihi, vt meum
sit quicquid hic fecit: & quicquid ego feci, filij opus esse iu-
re credatur. Ipsum audite, dicentem, Ego & pater vnum su-
mus. Non dixit, Ego & Moyses vnum sumus. Non dixit si- Ioan. 10.
bi & Heliæ vllum diuinæ gloriæ esse consortium. Quid tria
tabernacula præparatis? Non in terris habet iste tabernacu-
lum, sed in cœlo. Audierunt apostoli, & ceciderunt pauore
turbati. Venit dominus, & leuauit eos, & iussit ne cui dice-
rēt quod vidissent. Huic ergo tua occulta seruato, cui Dauid
sua occulta mandabat, dicens: Ab occultis meis munda me Psalm. 18.
domine. Munda enim debēt esse receptacula, in quibus sunt
pietatis occulta mysteria. Et ideo tibi dicitur: Bibe aquā de Prouer. 5.
vasis tuis, & de puteorū tuorum fontibus: & in plateis super
fluāt aquæ tuæ, vt irriguo fonte munderis. Ideo tibi dicitur:
Vino torcularia tua redundent. Ideo dicitur: In tribulatione Ibidem 3.
inuocasti me, & liberaui te, & exaudiui te in abscondito Psalm. 17.
tempestatis: probaui te in aqua contradictionis. Est enim
quædam in tribulationibus interna peccatorū sæua tempe-
stas, quando sunt foris pugne, intus timores. Est aqua con-
tradictionis, quando velut quodam maritimi salis æstu flu-
ctuant nostræ cogitationes, nec vlla in profundo mentium
definitionis stabilitate placidantur. Tunc tempestas in abs-
condito, tunc aqua cōtradictionis, quæ solo potest. Christi
sermone sedari, quo peccata nobis nostra dimittit, secundū
quod ipse dignatus est dicere: Iam vos mundi estis propter Ioan. 15.
sermonem quem locutus sum vobis. Loquere domine Ie-
su: verbum tuum medicina est, verbum tuum lumen est, ver
bum tuum nostræ colluuionis ablutio est, verbum tuum
fons est. Tu loqueris, & culpa lauatur. Et quia de abscon-
dito tempestatis & de aqua contradictionis ductus est ser-
mo, omnia nobis factum est dei verbum. Caro factum est,

vt

vt carnem seruaret. Aqua factū est, vt aquam contradictionis sua gratia temperaret, & amaritudinem impietatis auferret. Ideoque scriptum est: Aqua alta verbum in corde viri. Alibi verbum, alibi iterum consilium. Ibi enim bonū consilium, vbi bonum est dei verbum. Et ideo tibi lex dicit: Attende tibi ne fiat tibi verbum malum in corde tuo: & dicat Iesus: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Misit enim deus verbum suum vt sanaret hominem, non vt perderet. Hoc verbum medicina est, non pœna hoc verbum in corde tuo & in ore sit tuo. Hoc verbū sit in occultis, vbi diabolus insidiatur: intret verbū, exeat diabolus. Nam si irrepserit diabolus, Christ⁹ recedit: quomodo recessit à Iuda postquā se diabolus in cor eius immersit. Et tu ergo dic: Ab occultis meis munda me domine, ne diabolus insidietur in occultis, sicut leo in cubili suo. Quòd si Christi occulta piè fidelitérque seruaueris, insidiandi diabolo locus esse nō poterit. Ideoque in psalmo nono Dauid de occultis scribens domini sacramentis, quod est conuersio peccatorum, vocatio gentium, dei regnum, præparatio cordis, iudicium pauperum, refectio inopum: antè de occultis pectoris tui atque secretis exterminandum aduersarium dicit: ne sedeat in occultis interficere cupiens innocentem. Ideoque tibi dicitur: Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Illò tua descēdat oratio, vbi eā audiat qui scrutatur absconditā: ibi tuam patientiā deprehendat, vel tegendæ iniuriæ, vel iactantiæ declinandæ. Occultat enim sapiens iniuriam suam. Ibi est latibulum sapientiæ. Posuit enim tenebras latibulum suū. Quærent me mali, & non inuenient. Ideo Abraham puteum fodit, vt aquam qui quæreret, inueniret. Ideo puteum fodit Isaac. Ideo dominus Iesus sedebat ad puteum. erat autem ibi fons Iacob. Sedebat ad puteum, vt quæreres. Fons ibi est, vbi Christus est. Fons est, vt aquæ superfluant requirentibus: quo & vniuersa carnis vel flagitia diluantur, vel restinguantur incendia. Hæc ergo est altitudo sapientiæ & scientiæ dei, vt mali eam non inueniant, boni quærant, atque in eius adquirendæ studio & meditatione versentur. Vis scire quàm verum sit? Audi sapientiæ ipsius verba: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Pulsa ergo ianuā, quia Christus est ianua. Pulsa ostium verbi, vt aperiatur tibi ad eloquendum mysterium Christi, & absconditos in Christo sapientiæ possis inuenire thesauros. In ipso nobis sapientia, in ipso vita nostra absconditā est: sicut Paulus asseruit, qui vsque ad tertium raptus est cœlum, vt audiret ea quæ homini non licet loqui. Quanta occultorum est disciplina? Licet scire homini, & nō licet loqui. Scire vita est, loqui mors est. Cognoscentes ergo quia finis occultorum, qui Græce σκοπός dicitur, hic est, atque ea summa, vt & indigni non apprehendant sapientiæ disciplinam: & qui desiderium habent, vitę tamen & fidei meritis suffragantibus, cognitionem diuinorum capere sacramentorum laborant, & quotidianis exercitationibus desudant, vt intentionis suæ fructum mereantur adipisci: nonum psalmum & quadragesimumquintum diligentius legamus, vt absconditam in mysterio sapientiam fideli possimus mente comprehendere. Soli enim isti de occultis titulum prætulerunt. Sed iam psalmum adoriamur.

Prouer. 18.

Matth. 9.

Psalm. 9.

Matth. 6.

Psal. 17.

Ioann. 14.

Luca 11.

Colos. 3.

2. Corin. 12.

Psalmi quadragesimiquinti enarratio.

Psalm. 89.

DEus noster refugium & virtus.) Quid est noster? Hoc est, eorum qui in te credimus. Sic & alibi: Domine refugium factus es nobis. Nobis, inquit, credentibus, non incredulis: nobis quærentibus, non refugiētibus veritatem. Ille enim hoc potest dicere qui in solius dei præsidio suæ constituit spem salutis. Nobis ergo refugium factus es, & nostrum refugiū & virtus, qui sumus ex populis nationum. Iudæi te negauerunt, Iudæi non te receperunt: & ideo es conuersus ad gentes, vocasti nos, & refugium factus es nostrū, & virtus es nobis. Vis scire quia de nobis qui sumus ex gentibus, dictum sit? Crux domini Iudæis offendiculum, Græcis stultitia: nobis autē virtus dei atque sapiētia est. Et infra: Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est sapientia nobis à deo. Vtique Paulus non de Iudæis, nec de gentibus dixit, sed de iis qui conuersi

1. Corin. 1.

Ibidem.

ad dominum Iesum, prædicarent suæ salutis authorem. Confugisti ergo ad Christum? Non deseras fundamentum, confirmatorem tuum non derelinquas: vt te qui suscepit, ipse tueatur, & mercem suam pius animarum nostrarum negotiator agnoscat. Adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Bene nimis ad vtrumque respondit, & vt in tribulationibus quæ nos nimis inuenerunt, & adiutor nimis possit intelligi. Quāto enim maiores tribulationes fuerint, tanto maiora nobis vt vehementiora adiumenta sunt necessaria. Et ideo plerumq; fit vt in grauioribus & asperioribus certaminibus coronemur: quia lachrymis, & gemitibus, & orationibus frequētioribus æternæ opem nobis diuinitatis adsciscimus: quo fit vt non timeamus cùm terra nostra turbatur, & transferūtur montes:) quia si tu pro nobis, quis cōtra nos? Timere non possumus fragilitates istius carnis, quæ timore ac metu frangitur, inflammatur cupiditatibus, luxuria mollitur, deliciis eneruatur, vaporatur febribus, dolore vexatur, exanimatur angustiis. Vel cùm transferuntur illi montes in cor maris, de quibus dixit Saluator: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, non solum de siculnea facietis, sed etiā si monti huic dixeritis, Tollere, & iactare in mare: nihil impossibile erit vobis. Misit se hic mōs in cor Iudæ, & mentem eius graui tempestate turbauit, diuersarum exagitans fluctibus passionum. Sicut enim terrarū fertilitati fœcūda bonis operibus & deuotionis ac fidei fructibus anima comparatur, vt odor Iacob, sicut odor agri pleni: ita etiam procellosi maris inquietudini figuratur animus eius qui quietus esse non nouit, & amaris cogitationibus excitat graues fluctus. Deniq; nec osculo suo dominus Iesus Iudæ proditoris amaritudinem temperauit. Suscepit osculum proditor, infudit venenum, mortem irrogauit: cuius aculeū quidem Christus obtudit, sed solus proditor non euasit. Et vt euidenter mōtem huiusmodi nobis manifestaret, alibi quoque cùm dæmoniū ab homine iussisset exire, Apostolis interrogantibus qua causa illud ipsi eiicere nequiuissent, ait: Non eiicitur hoc genus nisi in oratione & ieiunio. Et addidit: Si habueritis fidem sicut granū sinapis, dicetis huic monti, Trāsi hinc illò. manu significās quis ille mons esset quem posset perfecta trāsferre fides. Perfecta enim fides grano sinapis comparata est, dicente Apostolo: Si habeam omnem fidem, ita vt montes transferā, charitatem non habeam, nihil mihi prodest. Sunt etiam qui ita distinguunt: Et transferentur montes. vt sequatur: in cordibus maris sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eius: conturbati sunt montes in fortitudine eius.) Non bonæ aquæ quæ sonant, atque turbantur & potū præbere non possunt. Meliores sunt quæ pertranseūt, sicut scriptum est: Inter medios montes pertrāsibunt aquæ, & potabunt omnes bestiæ agri: suscipient onagri in sitim suam. Denique vbi legio dæmoniorum petiit & accepit potestatem vt introiret in porcos, magno impetu se præcipitauit in mare, & aquæ illæ gregis sui præcipitatione turbatæ sunt. Alibi quoque idē Dauid propheta sic posuit: Viderunt te aquæ deus, viderunt te aquæ, & timuerunt. Hoc est, bonæ virtutes, quæ verbi cœlestis cognitionis sunt placidæ, non sonitu & fragore terribiles. De malis autē virtutibus quid dicit? Et cōturbatæ sunt abysi, multitudo sonitus aquarū. Abysi deum nō vident, & ideo turbationibus semper obnoxiæ sunt. Et expositum quid essent abysi. Multitudo, inquit, sonitus aquarum. Nam & bestia illa Antichristus exaquit, sonitus aquarum. Nam & bestia illa Antichristus ex abysso ascendit, vt aduersus Heliā atque Enoch, qui propter testimonium domini Iesu terris sunt redditi, prælïaretur, vt legimus in Ioannis Apocalypsi: cui datum est os loquendi magna, vt aduersus deum plena furoris cōuitia & sacrilegij personaret. Sonuerūt ergo aquę. i. immūdi spiritus cùm turbarentur videntes opera dei, in domini salutaris aduētu apropinquare sibi iudicium pertimescentes. Sonuerūt & turbatæ sunt aquæ in domini passione. Vnde & dictū est: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Et alibi scriptura dicit: Periit memoria eorum cum strepitu. Diabolus sonū quærit, Christus silentium. Denique sicut agnus coram tondente, sic non aperuit os suum. Et alibi: Non clamabit, neque contendet, nec quisquam audiet in platea vocem eius, donec eiiciat in victoria iudicium. Quæ est ista nisi

Psalm. 64.

Apoc. 13.

Psalm. 9.

Psal. 9.

Esaiæ 53.

1397

nisi de serpente victoria? In hac fortitudine filij dei conturbati sunt montes, cū diabolus & ministri eius viderēt mortuos resurgentes. Isti sunt montes qui turbātur. Illi montes qui transferuntur in paradisum, quibus dicitur: Hodie mecū eris in paradiso. Et alius cui dicitur: Sic eum volo manere donec veniam: quid ad te? Tu me sequere. Et Enoch qui raptus est ne malitia seculi mutaretur. Post passionem domini quid aliud sequi debuit, nisi quia de corpore domini flumen exiuit, quando de latere eius aqua fluxit & sanguis, quo lætificauit animas vniuersorum, quia illo flumine lauit peccatum totius mundi. Est & fluuius qui de Eden exit, & circuit vniuersam terram, verbum dei, quo paradisus intelligibilis irrigatur, & omnis anima vocatur ad gratiā Christi, dicente ipso dei verbo: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, Cui ego dedero aquam, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ex illo enim vnico dei verbo quatuor fluuiorum prudentiæ & fortitudinis, tēperantiæ quoque & iustitiæ fluenta manarunt. Alij enim per spiritum datur sermo sapientiæ, alij fides in eodem spiritu: alij gratia curationum in vno spiritu: alij operatiō virtutum. Hæc enim operatur omnia vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Hi sunt impetus fluminis, cùm se in gratiam ministeriorum operationis atque virtutis spontanea diuisione transfundit. His igitur fluminis superni meatibus ciuitas illa in qua deus inhabitat, irrigatur, & sanctificatur altissimi tabernaculum, omnis anima quæ inhabitatur à Christo, vel corpus illud quod virgo generauit, de quo Gabriel angelus dixit: Et quod nascetur ex te sanctū, vocabitur filius dei. Bonum tabernaculum, quod nulla potuerūt obūbrare peccata. Admirabile templū dei, & aula cœlestis, quod solutum corrumpi non potuit, sed intra triduum resurrexit, resuscitatum ab ipso qui mortuus videbatur. Nec mirum, quando deus in medio ciuitatis eius erat, nec cōmotus est: siue quia nullius peccati prolapsione commotus est dei filius, nec alicuius erroris offensione titubauit, aut corporalis illecebræ nutauit impulsu: siue quia non reliquit animam eius dei gratia: sed inseparabilis in ea mansit, quod ab omni colluuione delicti immaculata durauerit. Vnde & ad patrem dei filius dixit: Nec derelinques animam meam in inferno. Ergo quia suberat ei nec in carne peccare, diuinè ait: Ego in patre, & pater in me. Et alibi: Traditus sum, & non egrediebar. Ab eo vtique non egrediebatur, cui dixit postea: Exurrexi, & adhuc tecum sum. Vbi autem aliquis grauius peccat, cōmouetur in eo deus, vt ab eo transeat. Vnde & Adæ peccanti deambulare visus est, & Stephano stare: quia ille in præuaricatione lapsus est, hic in martyrio coronatus. Et in Zachariæ libro ita scriptum est: Ambulauit in commotione indignationis iræ suæ dominus. Simile & in euangelio dictū est Iudæis: Ecce, derelinquetur vobis dom⁹ vestra deserta. Dereliquit enim dominus Iudæos, & statim secuta est ruina synagogam. Quòd si eam Christus non deseruisset, nunquam eam supremum sequutum esset excidium. Aperuimus ergo quod dictum est, Deus in medio eius, non commouebitur. Sequitur: Adiuuabit eam deus diluculo.) Quo significatur quia resurrectio matutina adiumentorum nobis cœlestium subsidia confert, quæ noctem repulit, diem refudit, dicente scriptura, Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illucescet tibi Christus. Vide autem mysterium. Vespere passus est Christus: ideo & secundum legem ad vesperā agnus occiditur. Mane surrexit. Sic enim scriptum est: Vna autē sabbati venit Maria Magdalene prima luce ad monumentum, cum adhuc esset obscurum, & vidit lapidem amotum ab ostio. Ad vesperam mundi occiditur, deficiēte iam luce: quia in tenebris erat hic totus mundus: & maioribus fuisset tenebrarum squaloribus inuolutus, nisi Christus nobis è cœlo lux æterna venisset, innocentiæ tēpora generi refusurus humano. Passus est ergo dom⁹ Iesus, & sanguine suo nostra peccata donauit, lux refulsit cōscientiæ purioris, & dies resplenduit gratiæ spiritalis. Vnde & Apostolus ait: Nox præcessit, dies appropinquauit. Euigilauimus igitur, iā non dormiamus. Vestem lucis induimus, non in amictum tenebrosæ conuersationis atque exuuias reuertamur. Comessationibus atque deliciis, quæ nocturni sunt tēporis, valediximus:

A

B

C

D

sobrietatem elegimus, cuius gratia Iacob primatus quos nō habebat inuenit. In aliis quoque codicibus inuenitur: Adiuuabit eam deus vultu. Quid hoc quoque significet, ipse propheta nos doceat. Nāque ipse in posterioribus dixit: Ostende faciem tuam, & salui erimus. Aspectus ergo dei, salus nostra est: atque in eius vultu nostrum est adiumentum. In quo quanta vis sit, diuina scriptura declarat, quæ non ocioſè adtexuit quòd respexit deus super munera Abel: super Cain autem non respexit: & ideo cōtristatus est Cain, quòd sacrificium suum deo displicuisse cognouit, placuisse germani. Vnde & illud quod hodie in psalmi responso decantatum est, plurimum nostræ conducit assertioni: Expectans expectaui dominum, & respexit me. Quem dominus respicit, saluat. Deniq; in domini passione cùm titubaret Petrus sermone, non mēte, (licet ipse Petri sermo titubantis fidelior sit, quàm doctrina multorū) respexit eum Christus, & Petrus fleuit: quo proprium lauit errorem. Ita quem visus est voce denegare, lachrymis fatebatur. Conturbatæ sunt gētes, inclinata sunt regna: dedit vocem suam altissimus, & mota est terra.) Aduentu domini saluatoris aduersariæ potestates cum sua legione turbatæ sunt iussæ ab humanis exire corporibus, & precatæ vt mitterentur in porcos. Turbatis nequissimis potestatibus, necesse fuit turbari cultores simulacrorum, inclinari quoque regna peccati. Erat enim graue regnum, quod sibi in graue seruitium subiugauerat omnium animos peccatorum. Qui enim facit peccatū, seruus est peccati. Regnum autem peccati, mortis est regnū: quod diu toto orbe prævaluit. Vnde & Apostolus ait: Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt, in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. Venit veritas, figura cessauit. Venit vita, regnum mortis euanuit. Venit remissio peccatorum, & peccati vincula resoluta sunt. Antè etiam leuiora delicta mortis nexibus stringebantur, post aduentum autem domini salutaris etiā grauiora flagitia sunt remissa. Inclinata sunt ergo regna spiritualiū nequitiarum quæ sunt in cœlestibus, quia cultus simulacrorū & illecebra peccati cœpit imminui euāgelicæ prædicatione doctrinæ. Inclinata est perfidia posteaquā cœpit fides in nationum regnare pectoribus. Inclinantur regna peccati, cùm legitur: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Inclinauit omnia regna perfidię voce sua dominus, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Hanc vocem dedit altissimus, & omnes eum secuti sunt populi nationum, dura peccati regna fugientes, & perpetuæ mortis atrocitatem, atque intolerabilem flagitiorum omnium seruitutem, cùm pollicereturfessis requiem, captiuis remissionem, seruiētibus libertatem, & decusso iugo ferreo Babylonij regis, iugum suum suaue ceruicibus fidelium subrogaret, ne vacua colla gentilium rursus inimicus catenis suæ iniquitatis adstringeret. Christus enim quos alligat, liberat: & quos adstringit, absoluit. Denique qui seruus vocatus à domino est, libertus est domini: & qui liber vocatus, seruus Christi est. Ideoque in suis vinculis Paulus gloriatur dicens: Paulus vinctus Iesu. Quod sub aliis contumelia est, sub Christo gloria est. Dedit vocem suam in passione dominus, & vniuersa elementa tremuerunt, omnis terra commota est, vt ritus ille gentium solueretur, fieret terra domini, & plenitudo eius, vt scriptum est, cessarent auguria perfidorum: & sacrificium impietatis, cognitio fidei & studium deuotionis abolerēt. Dat vocem suam dominus quotidie, & † resultat in cordibus singulorum, vt terrenum omne decidat eius qui bene credit affectu, atque omnes interiorum sensus animorum ab errore, à corruptione luxuriæ & dissolutione ad cognitionem cœlestium sacramentorum, & studium castitatis, à nequitia ad virtutem pia confessione moueantur. Motos ergo eos dicit qui in terra sunt, vel quia terra erant omnes homines, in quibus erat terrena corruptio, quia oculos mētium ad sublime gratiæ cœlestis eleuare atque attollere nesciebant, nec poterant dicere: Deus virtutū nobiscū. cum quibus non erat nisi prolapsionis incentor, & auctor erroris. Sed posteaquā vox domini in euangelio resultauit, audet Propheta dicere: Deus virtutum nobiscum. Bene dicit, Deus virtutum nobiscum

Ps. 79.

Ps. 39.

Gen. 4.

Ioan 8.

Roma. 5.

Ibidem 6.

Matth. 11.

1. Cor. 7.

Ephes. 3.

Ps. 23.

† vt resurgat

biscum,qui credidit quòd virgo in vtero concepit,& peperit. Audemus & nos dicere,Deus virtutum nobiscum, post eaquam Emanuel,hoc est, deus cœpit esse nobiscum. Vbi ergo Emmanuel, ibi deus virtutum nobiscum. Susceptor
Ioan.8. noster deus Iacob.)Imitemur ergo patriarcham Iacob,odorem eius,virtutem eius, laborem eius. Sicut enim Abrahæ opera facere debemus,vt filij eius appellari iure mereamur: ita etiam exercitia atque certamina sancti Iacob subire debemus, vt deus Iacob deus noster esse credatur. Nã si opera Iacob,vel(quia illũ æquare non possumus) studia operis eius ac fidei non agnoscat in nobis:quomodo quasi deus Iacob nos iuuare dignabitur? Cùm hęc diceret, ecce per spiritum factum præsens imago ei infusa est futurorum:& videns ex graui perturbatione bellorum pacem toto orbe diffusam in ãduentu domini salutaris, clamat ad vniuersos dicens: Venite & videte opera domini, quæ posuit prodigia super terram.)Venite, ad congregationem spectat: videte, ad intentionẽ,& cognscendæ studium veritatis. Videte,inquit,opera domini plena miraculis, in quib⁹ magnarũ sunt
B signa virtutum. Denique τέρατα Græcè,admiranda dicuntur Latinè.Non ergo quasi prodigialis horroris accipias opera domini,sed quasi plena admirationis. Præclarè posuit super terram,id est in terram. Auferens bella vsque ad fines terræ,arcum conteret,& confringet arma,& scuta comburet igni.)Et verè antequam Romanum diffunderetur imperium,non solũ singularum vrbium reges aduersum se præliabantur,sed etiam ipsi Romani bellis frequenter ciuilibus atterebãtur. Pugnauit Marius aduersus Cinnam. In vtraque parte Romanus fusus est sanguis. Sylla surrexit,& Mario victori rursus ciuilia bella commouit. Lepidus Sertoriúsque rebelles se Romano imperio præbuerunt. Cæsar Pompeium est persecutus, & Galliarum furorem excitauit aduersus arma Romana. Deuicto seniore Pompeio, iuniorem in Hispaniarum partib⁹ debellauit. Quid Triumuiros loquar,ex hostibus amicos,ex amicis rursus in hostiles tumultus esse progressos? Maria quoque Actiaco bello infecta sanguine Romanorum? Vnde factum est, vt tædio bellorum ciuilium Iulio Augusto Romanum deferretur imperium:& ita prælia intestina sedata sunt. Hoc autem eò profecit,vt rectè per totum orbem apostoli mitterentur,dicen
Matth.28. te domino Iesu:Euntes,docete omnes gentes. Illis quidem etiam intercluſa barbaricis motibus regna patuerũt,vt Thomæ India,Matthęo Persia. Sed tamen quo plura obirẽt spatia terrarum,in ex ortu ecclesiæ potestatem Romani imperij toto orbe diffudit,& dissidentium mentes,terrarúmque diuortia donata pace composuit. Didicerunt omnes homines sub vno terrarum imperio viuentes,vnius dei omnipotentis imperium fideli eloquio confiteri. Abstulit ergo bella vsque ad fines terræ. quod factum est non dubium est. Sed vide ne bella infirmitatis abstulerit, quæ sunt in corde
2.Cor.7. titubantium. Qui enim terrena transierit, iam non dicit,Fo
Philip.3. ris pugnæ, intus timores:sed dicit:Nostra autem conuersatio in cœlis est. Transi ergo mundum,vt incipias esse supra mundũ. περάσαι enim trãsire est:vel, vt dicam expressius, transfretare. Abstulit ergo dominus bella quæ mouebat nobis nequitia spiritalis: & deuicto diabolo pacem suam nobis reliquit. Arcum confregit, de quo ignita aduersarij iacula spargebantur. Et scuta perfidiæ combussit igni, vt scutum fidei inuiolabile permaneret. Vacate, inquit, & videte quia ego sum dominus.) Vox domini post bella sedata. Vacate,vt nulla animarum sit occupatio,ne offusio secularium perturbationum,internæ oculum mentis obducat. Vacate,
1.Ioan.3. inquit,ab erroribus,vacate à perturbationibus,vacate à peccatis:quia omnis qui peccat,non vidit deum, nec cognouit eum:sicut in epistola sua dixit Ioannes euangelista. Vacate ergo studio cognoscendæ diuinitatis: nolite terrenis operibus occupari. Ideo rex Ægyptiorum augeri iubebat numerum laterum, & cætera onera Iudæorum, ne cognoscerent deum,& cultui sacro vacarent, offensus Moysi & Aaron vo
Exod.5. ce sanctorum,qui dicebãt: Dimitte populum dei, vt eamus & seruiamus domino deo nostro. Exaltabor inter gentes, & exaltabor in terra.)Erat sublimis dominus in excelsis,id est in angelis & archãgelis, in patriarchis & prophetis, qui

A de illo sublimia sentiebant,nec eum terrenis imaginibus & simulachris scrupeis conferebant. Sed non erat sublimis in populis nationum, qui deum suum in antris & spelæorum habitaculis requirere videbantur. Denique reprehenditur Magdalena, quæ Christum quasi mortuum flebat,& quasi sepultum quærebat tumolo. Vnde dicit ad eam Christus: Maria,quid ploras? Quem quæris? Nunquid eum qui posset
Ioan.20. auferri? Audiuit vocem,& recognouit eum,& volebat contingere,& ait dominus:Noli me tangere,quem putas mortuum. Ad patrem vado. Miraris quòd in tumulo non inuenisti,quem cœlestia præsto lantur? aut fortè reprehenditur, quia Christum nisi fides perfecta non tangit:sicut hæmorrousa plena eum tetigit fide. Vnde ait dominus: Tetigit me-
Matth.9. aliquis:sentio enim de me virtutẽ exisse. Quo dicto agnouit in se illa quòd exeũte fuerat virtute curata: & statim cõfessa est sibi consci a quòd dominum ipsa tetigisset. Vnde dominus ait:Fides tua te saluam fecit,vade in pace. Exaltatus autem in terra dominus est, secundum quod ipse ait:
B Cùm exaltatus fuero,omnia traham ad meipsum. Vel quòd
Ioan.12. facta est voluntas eius sicut in cælo & in terra. Et repetit,dicens: Domiuus virtutum nobiscum, susceptor noster deus Iacob.)Repetitio,confirmatio est. Vel quia non solum quã do natus ex virgine est,factus est nobiscum deus:sed etiam post resurrectionem ipse dixit:Ecce, ego vobiscum sum vs-
Matth.28. que ad consummationem mundi. Cui est honor & gloria, perpetuitas à seculis,& nunc, & semper,& in omnia secula seculorum. Amen.

Psalmi quadragesimi septimi enarratio.

THius titulus hic est:Psalmus cantici filij Chore secunda sabbati. Boni filij Chore,& psalmis iam superiorib⁹ approbati, eo quòd cõgruis†, sensibus,& cogitationibus ad virtutũ studia conue- † gratis sensibus
nientibus in semetipsis pangerent spiritale psalteriũ, & cognitioni diuitatis peruigili specula mentis intenti,cœlestiũ mysteriorum digni forent haurire secreta. Et ideo cùm psal
C morum ante arcam domini quotidie canẽdorum munus & officium recepissent, videtur electi vt psalmum cãtici insecunda sabbati specialiter reciperent concinendum. Etenim quibus rectè videbatur esse commissum vt ascensionem domini ab inferis resurgentis voce sua psallerent, his vrique deferendum fuit vt ipsum resurrectionis diem numero suo ministerióque celebrarent. Quid est enim secunda sabbati, nisi dominica dies,quæ sabbatum sequebatur? Dies autem sabbati erat dierum ordine posterior, sanctificatione legis anterior. Sed vbi finis legis aduenit, qui est Christus Iesus (finis enim legis Christus, ad iustitiã omni credenti) & re-
Roma.10. surrectione sua octauã sanctificauit, cœpit eadem prima esse,quæ octaua est, & octaua quæ prima, habens ex numeri ordine prærogatiuam,& ex resurrectione domini sanctitatem. Vnde & in euangelio legimus δευτερόπρωτον, sabbatũ
Luca 6. quòd Latinè dicitur secundo primum. Vbi enim dominica dies cœpit præcellere qua dominus resurrexit, sabbatum quod primum erat,secundum haberi cœpit à primo. Prima
Hebra.4. enim requies cessauit,secunda succesit. Vnde & ad Hebræ-
D os scribẽs Apostolus ait:Postera ergo die restat requies populo dei. Festinemus igitur intrare in illam requiem. Requies ergo vera iam non in operis cessatione,sed in resurrectionis est tempore. Ideoq; qui sabbati secundum legem solennitatem custodiebant,vnam sabbati nuncupabant,quasi vnum esse sabbatũ,& non aliud. Nos qui obseruantiam induimus spiritalem, & ad similitudinẽ & requiem dei cupimus nostram formare militiã, atque in illa ciuitate cœlesti nostrum exhibere ministerium,vbi est non exemplar,non
Matth.24. vmbra, sed veritas: primam dicimus sabbati, sicut est scriptum:Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primam sabbati. Nihil pulchrius,nihil expressius. Ante resurrectionem sabbatum dixit, post resurrectionem primam sabbati nun-
Luca 24. cupauit. Ioãnes quoque euangelista dicit, Prima sabbati ve nit mane Maria Magdalena cùm adhuc tenebrę essent. Tenebræ pro tempore,mane pro gratia. Sed isti expressius secundum euangelium, quasi recusso velamine: Dauid autem sub lege positus & moderationem renuit debitæ cantionis, & my-

1401

& mysterium non repressit, vt secunda sabbati diem dominicam declararet: quo Iudæis ordinem numeri putaret esse seruatum, & spiritale sacramentum agnosceret reuelatum. Audiamus igitur quid dicat qui in secunda sabbati deo psallit: Magnus, inquit, dominus & laudabilis nimis, in ciuitate dei nostri in loco sancto eius.) Non ergo vbique deus magnus & laudabilis est? Ille quidem vbique magnus & potes est: sed angusta mens non capit magnitudinem diuinæ eius potestatis & gratiæ. Quãto autem magis appropinquat deo nostra cognitio, tanto præcellentior eius nobis videtur esse maiestas. Denique Thomas qui antè dicebat, Nisi videro in manibus eius fixuras clauorum, & mittam manum meã in latus eius, non credam: vbi misit digitum suum, & euidentia resurrectionis cognouit indicia, admirans intra se dei grandia, Dominus, inquit, meus, & deus meus. Tunc ergo plenissimè diuinitatem eius dominationémq; confessus est, vbi eum resurrexisse non dubitauit ab inferis. Denique in Sion hymnus deus decet, & votum ei soluitur in Hierusalem. Quid igitur mirum si in ciuitate cœlesti, & in illo superno & æthereo loco potentia eius vehementius prædicatur? Addidit: Dilatans exultationem vniuersæ terræ.) Et verè magnus, qui istius terræ in qua antè intolerabiliũ peccatorum germina pullulabant, vbi erat mœror, tristitiæ & gemitus, exultationẽ toto orbe diffudit. Itaque hominum conscientia quæ antè flagitiorum suorum gurgitibus demersa lugebat: nunc per indulgentiam Christi, & remissionem peccatorum, meru absoluta lętatur. Conuenit igitur & si ita intelligamus vt diximus: sed quia in vetustis exẽplaribus aliquibus reperimus ἔυριζον ἀγαλλίασιν ἥτις ἐστὶν γῆς, id est, bonæ radicis † exultatione vniuersæ terræ: sensum quidem eundẽ aduertimus: quia diuina in nobis dei patris dona laudantur: qui dedit nobis exultationem bona radice fundatam, deum videlicet Iesum, veram & fœcundissimam vitem, de qua sacramenta fluxere cœlestia, in quibus est perpetua & diuturna lætitia, quòd his abluatur omne peccatum, & conscientia interna mundetur. Elocutionémque conuenire cognoscimus: quia bene radicata exultatione lętamur, qui exultamus in Christo. Seculi enim lætitia temporalis est, perpetua autem lætitia eius qui gaudet in domino. Mons Sion latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Deus in gradibus eius dinoscetur cùm suscipiet eam.) Quæ sit exultatio vniuersæ terræ, euidenter expressit, quoniam dominus Iesus ecclesiam sibi ex peccatoribus congregauit. Itaque qui erant ante latera Aquilonis, id est, socij & inhærentes diabolo, cui dicitur, Exurge Aquilo, vt veniat Auster: facti sunt Christo fideles. Ipsi sunt enim de quibus dicitur: Qui cõfidunt in domino, sicut mons Sion. Facti sunt itaque mõs Sion per gratiam Christi, & baptismatis sacramentum. Aquilonis intelligibilis grauis flatus, qui prius tẽpestates asperrimas & procellas humanis mouebat affectibus, cœpit suos amittere, qui vexebat alienos. Gentem omnem euerterat Iudæorum, nationes omnes suo reuinctas tenebat imperio. Ipsius erãt latera, hoc est, aspirabant cum eo. Sicut enim principis latera dicimus stipatores eius & comites, & sicut mulier latus est viri, eo quòd morigera ei societate iungatur: ita latera erant diaboli, qui faciebant ipsius voluntatem. Ij ergo nunc sunt mõs Sion, qui deum speculantur æternum, & ipsi noctibus & diebus intendunt. Vide Paulum cum persequeretur ecclesiam domini, latus Aquilonis fuisse. Vide nunc cùm legitur in ecclesia, montem esse speculatorium, per quẽ Christi gloriam cognoscimus, & videmus. Et quia Græcus montes dixit, hoc est ὄρη, vide quomodo seruuli Christi montes sint. Montes in circuitu eius: in quibus est ecclesia domini, quæ est ciuitas regis magni. Simul quia dominus secundum cœli tractum in Venerario † passus est, qui erat locus in latere Aquilonis. Ibi autem & mons Siõ, ibi Hierusalem quæ in terris. Vide ne id quoque videatur expressum, quia cõgregatio plebis dei, quæ erat Aquiloni cõiuncta per culpam, ecclesia Christi est facta per gratiam, vt iam non synagoga, sed Christi ecclesia nuncupetur. Et quia reliquiæ Iudæorum per electionẽ gratiæ saluæ factæ sunt, in ipsis deus cognoscitur, in Petro, Paulo, Ioanne, Iacobo, qui graues & excelsi viri velut fundamenta & culmina sunt ecclesiæ: quasi fundamẽta graues, quos nulla grauis Aquilonis flabra cõcusserint, sed immobile fidei seruauerint fundamentum, ne ecclesia tota nutaret. Præcelsi quasi culmina, qui verticem eius turribus suæ virtutis erexerint. Etenim sicut in operibus suis cõditor, & in ædificationibus suis ædificator agnoscitur, vt etiam si nomẽ non audias, tamen ex operum qualitate artificem deprehendas: (Et quid mirum de humanis, cùm ipsius creatoris æterni, qui non videtur à nobis, inuisibilia tamen per ea quæ facta sunt, intelligamus?) ita in excelsis & magnis domibus, (quæ domus nos sumus, si libertatis & gloriæ fundamentũ vsque ad finem firmum tenuerimus) Deus habitator agnoscitur, vt deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob. Ipse enim verus deus, qui tales viros præceptorum suorum institutione fundauit. Ergo sicut in illis se deum demõstrauit æternum, ita, inquit, cùm regis magni susciperit ciuitatem, gradibus eius receptionẽ suæ cognitionis infundet, vt fiãt docibiles dei, qui mandatum eius & audierint, & putauerint exequendum: ne ab illius domus ædificatæ in petra firmitate degenerent. Hoc, inquit, videntes reges terræ congregati sunt, & transierunt in vnum. Ipsi videntes tunc admirati sunt.) Boni reges, qui sui corporis possunt se præbere rectores, ab ipsa patriarchæ Abrahæ origine & institutione manantes, qui docuit peccatum posse superari. Ideo verus rex, qui flagitiis esse nescit obnoxius, in quo culpæ & erroris illecebra regnare non potuit. Vnde & dictum est ad huiusmodi virum à filiis Seth: Rex à deo tu es nobis. Tales ergo reges terræ, qui carni imperitarẽt, congregati sunt, vt in vno essent corde, & in vno spiritu: sicut legimus, quia multitudo credentium habebat vnam animam, & cor vnum: & non erat in his aliqua separatio. Ij sunt qui transierunt in vnum, non tam locum, quàm in eundem affectum atque propositum. Probato enim dicitur, Transi, recumbe. Neque enim mediocris virtutis est, ab improbis ad honesta, à terrenis ad æterna transire, & carnalis vitæ consuetudinem commutare, omnémque eius abolere vsum nouos mores assumere, totúmque statum cõuersationis veteris detorquere. Meritóque dicitur ei: Si trãseas per aquam, tecum sum. Cum transeunte est deus, non cum desistente. Ij ergo qui intra semetipsos erant antè discordes: vbi in vnum mente & studio conuenerunt recepta pace quæ fecit vtraque vnum, & inimicitias in carne sua medij parietis destructione dissoluit, admirati sunt vel eum qui in gradibus suis dinoscitur, vel homines ita esse cõuersos, vt qui antè diabolo seruiebant, nunc domino Iesu iusti pietate seruitij mancipati sint. Et quia reges sui corporis, in semetipsis vim non mediocris laboris experti (neque enim facilè atque mediocre est animum vincere, resecare cupiditates, edomare carnis lasciuiã, euacuare† luxuriam, quæ repugnabat & Paulo, vt captiuum sibi peccati lege cõstringeret) sicut gratiam in iis qui virtute processerant mirabãtur: ita etiam ne quis relaberetur in vitia de superiore virtutum deiectus fastigio, commouebantur. Pocliuis enim & mutabilis in vtrunque est humana conditio, vt quocunque intenderit, eò propendeat & vergat, vel ad studia virtutum, vel ad illecebram delictorum. Et ideo non mediocri quatiebantur affectu, ita vt ex formidine tremor apprehenderet eos, considerantes illud quod scriptum est, Quia in locis impiorum ingemiscẽt iusti. Denique vide mihi Petrum amarissimè flentem quòd ei error obrepserit, & virtutem suæ mẽtis prolapsione corporeæ fragilitatis inflexerit: meritóque à Christo suppressè reprehensum quòd ausus sit, vsurpare constantiam, nec obnoxiam consideraret naturam. Et hic quidem per gratiam emendauit errorem: sed Iudas mansit in crimine perseuerauit in gemitu. Iustus erat cùm apostolorum numero necteretur: sed quia supplantatus à diabolo est, in locis nunc deplorat & ingemit impiorum quòd de gratia sit relapsus ad pœnam. Ergo cadentibus huiusmodi viris qualis fuit proditor Iudas, vel Saul à domino deo suo accitus ad regnum, etiam fortes viri † trepidabant. Conferentes deinde quãto certamine peruenirentur ad finem, quãtæ contritiones iustorum, quantæ solicitudines, qualis aduersarius, quanta diuturno labore contentio, quãtæ amaritudines proposito terroris, quæ vincula continentiæ, quæ conscientia verbera

non

A

B

C

D

eloginta, in loco resurrectionis, simulacrũ Ionis: in crucis rupe, statua ex marmore Veneris à gentibus posita colebatur: existimantibus persecutionis authoribus quòd tollerẽt nobis fidem resurrectionis & crucis. si loca sãcta per idola polluissent. Hac ille. vt Venerarium intelligas locum vbi Venus sculta.

Gene. 23.

Actu. 4.

Esaia 43.

Epheſi 2.

† auerruncare.

† iure.

non mediocriter conturbabantur ne quis tantis vel laboribus vitæ austerioris cederet, vel doloribus. Sunt enim ibi dolores acerbi & graues, id est, in ecclesia, in illa ciuitate regis magni sunt dolores sicut parturientis, donec formetur Christus in nobis. Neq; enim sine dolore Paulus erat cùm videret in Galatis insipientibus doctrinæ suæ tardiorē profectum. Ideoque dicebat: Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Testificatur & dominus in euāgelio graues esse parturientis dolores, cùm dicit: Mulier cùm parturit, tristitiam habet, quia venit dies eius: cum autem peperit, iam nō meminit tristitiæ propter gaudium: quia natus est puer in hoc mundo. Magnus ergo labor vt aliquis sibi Christū adquirat, ne sine gubernatore quasi nauis in seculi istius salo fluctuet. Denique apostoli tristes erant cùm se Christus ad patrem rediturum esse memoraret, quòd absente rectore destitui se putarent. Gaudium Christus est. Ipse est & puer quē parturit qui in vtero suæ mētis accepit spiritū salutis. Qui pepererit, & enutrierit, exultat. Qui parturit, quatitur atque compūgitur. Bonum est vt & parias, & enutrias eum. Ne coquas agnū in lacte matris suæ, ne dicatur tibi: Væ in vtero habentibus & nutrientibus. Sic enim Christus natus est ex Maria, vt agnoscas eū, sicut bos agnouit possessorem suū: & scias quia ipse te creauit, & maiores tuos ipse possedit. Non eum quasi parunlum nutrias, sed quasi verum atque perfectum deū ex vero & perfecto deo noueris adorādum. Sic eum Magus adorauit, vt non in lacte matris agnū coqueret, sed quasi deum veneraretur æternum. Denique vt eum inueniret, cœlum aspiciebat. Nō ergo quærebat in terris, quem de cœlo fulgens stella monstrabat. Ideo eum Maria non parturiuit, sed peperit: quia & dominum, & salutare sciebat ex se esse generandum, sicut ipsa testatur dicens: Magnificat anima mea dominum: & lætatus est spiritus meus in deo salutari meo. Ibi ergo dolores sicut parturientis. Dolor est vt parturias: dolor est vt enutrias, quem in principio debes habere perfectum. Ideoque plerique grauiter cōteruntur, sicut versiculus significat qui secutus est. In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.) Nam dum ad perfectionem fidei desiderant dei famuli peruenire, cōmacerent corpus suum castigādo seuerius, & redigendo in ministerium seruitutis, ne reprobētur qui fuerant iam probati. Hoc autem faciunt in spiritu sancto valido atque vehementi. Est enim spiritus consilij atque virtutis, vt nimia abstinentia dissoluant corpus suum, quo omnes eius euacuent voluptates, vt dicatur illis: Cōualescite manus remissæ, & genua dissoluta. Cùm enim solutus quis fuerit ab ista compage terrena, tunc fortior ad vitam resurgit æternā. Mentior, nisi adstipulatur scriptura, quæ dicit, dissolui, & cum Christo esse, multo melius, Qui dissoluitur, incipit esse cum Christo. Et alibi: Tempus meæ resolutionis instat. Qui ergo meditatus fuerit seipsum dissoluere per abstinentiam, diem passionis suæ timere nō poterit. Et bene ait spiritum vehementem, naues dicturus. Naues autem de corporibus dixit, quæ vago diuersarum passionum fluctu mouentur, & citò mergūtur, nisi habeant gubernatorem. Vnde & alibi ait: Qui descendunt in mare in nauibus. Bene autē nauigant, qui in nauibus Christi crucem sicut arborē præferunt, atque inde explorant flabra ventorum, vt corpora sua dirigant ad sancti spiritus gratiam, in ligno domini tuti atque securi: nec permittūt naues suas vago fluctu errare per maria, sed ad portū salutis & ad cōsummationē gratiæ cursus sui directione cōtendunt, vt fida statione potiātur, quo dissolutæ cursus suos possint in resurrectione reparare, vbi naufragium timere non possint. Et nos igitur circunspectemus hāt gratiam, speculatores eius simus, exploremus eam, vt fianc corpora nostra naues Tharsis. Tunc enim caro ad seruitutem redigitur, cùm ad dei intendimus gratiam, vt id quod animarum ad tēpus sit, sicut est ieiunium: nō quod dulce & voluptarium, sequamur. Tharsis ergo est speculatorium gratiæ, intelligibilis ciuitas, vt Sion superior. Ad eam festinabat Ionas. De ea dicit scriptura quia sociatus est Iosaphat Oziæ regi, & sic placuit vt facerent & irent ad eū naues in Tharsis. Sed quia impio se coniunxit, ideo missus est ad eum propheta, qui diceret ei: Destruxit dominus opus

Gala. 4.

Ioann. 16.

Exod 15.

Deute. 14.

Matth. 24.

Ibidem 2.

Lucæ 1.

Hebre. 12.

Philipp. 1.

2. Timo. 4.

Psal. 106.

Ionæ 1.

2. Para. 20.

tuum, & contritæ sunt naues tuæ, & non potuerunt ire in A Tharsis. Quo significatur quòd præuaricantium mandatū dei corpora ad consummationem gratiæ peruenire non possint. Ad Salomonem autem, vt pote sapiētem & pacificū virum, naues de Tharsis cum auro & argento, & dentibus e- burneis sine vlla offensione veniebant, & cō ipse mittebat. Habebat enim cum rege Hiram sacræ negociationis spirita le commercium, & mutuæ gratiæ concertātis affectū. Has ergo naues ij qui regali in se authoritate potiuntur ad coercendam ferociam corporalem, videntes ex corruptibilibus incorruptas, ex maculosis summa gratiæ luce fulgentes, ex dissolutis atque detritis esse renouatas, viuere ex mortuis, ex sepultis resurgere, celebri sermone commemorant: Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate domini virtutum, in ciuitate dei nostri. Deus fundauit eam in æternum.) Audiuimus extra ciuitatem, vidimus in ciuitate, cui deus est lumē æternum. Fulget enim dies sine sole mūdano, luna nō quæritur: fundamentum eius non temporale, sed æternum est. Suscepimus, inquit, deus misericordiam tuam in medio tē- B pli tui.) Si ad filium dei dicitur, templum ita intelligimus secundum quod ipse de corpore suo dixit: Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud. Verè templum dei corpus est Christi, in quo est nostrorum purificatio peccatorū. Vere templum dei caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium, sed ipsa pro delicto mundi totius fuit sacrificium. Verè tēplum dei caro illa, in qua dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo diuinitatis habitabat: quoniā ipse Christus est plenitudo. Ergo ad ipsum dicitur: Suscepimus deus misericordiam tuam in medio templi tui. Quod quid est, nisi quod ait: Medius vestrum stat, quem vos nescitis? Hoc est, in medio vestri est, & non videtur. Si autem ad patrem refertur: quid est, in medio templi tui, nisi quia deus erat in Christo mundum reconcilians sibi? In illo ergo templo susceptimus, inquit, misericordiam tuam. hoc est, verbum quod caro factū est, & habitauit in nobis. Sicut enim redemptio Christus, ita & misericordia. Quæ autem maior C misericordia quàm quod pro nostris flagitiis se præbuit immolandum, vt sanguine suo mundum lauaret, cuius peccatum nullo alio modo potuisset aboleri. Etenim si de sanctis viris Apostolus dixit: Templū dei vos estis, & spiritus sanctus habitat in vobis: quanto magis carnē domini Iesu templum dei dixerim, qui semper plenus spiritu sancto legitur, & ipse testificatur, dicēs: Sentio de me virutum exisse. quæ virtus omnium vulnera acerba sanabat. Potest & illud intelligi quod dixit sussepisse se cum populo dei misericordiam in medio tēpli eius: quoniam ipse ecclesiam suam fundauit, & propagauit in æternum: quoniam ipse verè cum filio suo vnigenito hanc gratiam plebi suæ contulit, quem ædificatorē etiam demonstrauit dicens: Hic ædificabit mihi ciuitatem. quæ diffusa toto orbe terrarum, fecit vt tota terra plena laudis eius esset & nominis. Sicut enim scriptum est, Laudis eius plena est terra: ita scriptum est: Datum est ei nomen super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu curuet, cœlestium, terrestrium, & infernorū, omnis lingua confiteatur quòd dominus Iesus in gloria est dei patris D Vnde propriè dixit Propheta: Secundum nomen tuū deus, ita & laus tua in fines terræ. Iustitia plena est dextera tua. Non mirum est si plenus est iustitię dei, qui est dextera dei. Idem autem est virtus dei, & iustitia dei, vt & secundum id quod iustiriæ dei plenus est, eam iustitiæ plenitudinem in eo esse quem pater habet, noueris: & secundum id quod vir tus & iustitia dei patris & sapientia legitur, nihil in eo diuinæ maiestatis intelligas esse diuersum, sed omnia accepisse à patre filium, & omnis gloriæ paternæ filium splēdorem esse cognoscas, & eius characterem substantiæ, qui ita exersit patrem, vt in eo totus sit pater, sicut in patre totus est filius. Et quia vidit in spiritu Propheta laudes Christi terris in omnibus prædicandas: velut epilogo quodam faciēs susscepti sermonis excessum, ad lætitiam nos & cultum nominis eius hortatur, dicens: Lætetur mons Sió.) Id est, qui confidunt in domino: sicut ipse postea interpretatus est dicēs: Qui confidunt in domino sicut mons Sion, &c. Ipse dominus Iesus, qui est mons & altitudo ecclesiæ suæ, quæ Christum

Iohan. 2.

1. Cor. 3.

Ibidem

Ioan. 1.

Luc. 1.

Adam. 2. Philip.

Psal. 96.

1405

stum suum toto speculatur affectu, lætetur fide eius & deuotione, quæ cõplacuit deo: quoniã repudiata est infidelis. Potest igitur & hoc piè intelligi, quoniam etiam superior† montibus ipse est mons, in quẽ is ascẽdere iubetur qui fidẽ prædicat, dicente scriptura: In montem excelsum ascende, qui euangelizas Sion. Exultent, inquit, animæ, confitentes tibi. Ipsæ sunt filię Iudeæ illius in qua notus est deus. Nam ista Iudæa quæ in carne est vel litera, non agnouit dominũ. Nã si agnouisset, etiam recepisset. Sed non agnouit, quẽ non recepit, & iudicia eius refugit: quibus eos non ex patre Abraham, sed ex diaboli semine manare memorabat: quoniã omne peccatum, semen inimici est. Confessionis autẽ filiæ peccatum non faciunt, sed obumbrant'. Et ideo beati quorum tecta sunt peccata. Meritóque exultabunt filiæ confessionis propter iudicia domini, cũ cognouerint iudicia eius, & vias ei', quę in hoc seculo inscrutabilia & inuestigabilia sunt hominibus. Et cùm facie ad faciẽ spectare cœperint veritatẽ: tunc illa quæ nũc videntur inscrutabilia, comprehẽdent, & eorũ cognitione gaudebunt. Circundate, inquit, Sion, & cõplectimini eã, narrate in turribus eius.) Qui intelligũt Sion, circundant eam, & complectuntur suis sensibus, vt teneãt, & non dimittãt eam: ne sibi speculatoriæ disciplina virtutis possit auferri. Ideo illa in Canticis dicit: Tenui eum, & non dimittam eum quæ dei sapientiam requirebat, & cõplectebatur iustitiam dei brachiis charitatis, & quibusdã fidei & deuotionis lacertis. Ipse est enim piæ mẽtis amplexus. Cõprehendamus ergo & nos quantum possumus interna mysteria veritatis, & scribamus ea atque affigamus ea sensibus nostris virtutémque cœlestis oraculi, quam vt assequeretur Moyses ille peritus in omni sapientia Ægyptiorum, in mõtem ascendit, atque in nubẽ intrauit, vt operta & oculta cognosceret, adhærẽte sibi socio Iesu: quia nemo sine vero Iesu potest incerta sapientiæ & occulta cõprehendere. Et ideo in specie Iesu Naue, veri saluatoris significabatur affutura† præsentia, per quem fierent omnes docibiles dei, qui legem aperiret, euangelium reuelaret. Ergo qui Sion circundederint prudentia sua, & complexi fuerint intellectu, ascendentes super turres eius narrant desuper ei qui non potuerit ascendere in turres eius, quid agendum, vel quid cauendũ sit. Murata est enim ciuitas dei ideoque alibi dicit dominus: Ecce ego Hierusalem pinxi, muros tuos. Distinctat est turrib', de quib' insidiator possit, si appropinquare cœperit, deprehendi. Habet ille exercitus suos quibus animas dei obsidere consueuit, admouere machinas, vt possiit turres expugnare munitas. Sed vos, inquit, prædicate de turribus. Est enim in turribus Hierusalẽ abundãtia. Prædicate iustitiã, monete custodiam. Sapiẽtia enim in exitu canitur, & in murorũ altissimis prædicatur. Et alibi iterum dicit: In muris tuis constitui custodes, diebus ac noctibus in finem non tacebunt. Narrate ergo sine intermissione, sine fine. Aduersarius vigilat, circumit, & rabie ferina quęrit quos inuenerit deuorare. Ideo semper canendus est dominus, qui dentes leonum conterat, & ora confringat, vt nobis nocere non possint. Ponite, inquit, corda vestra in virtute eius.) Id est, vt virtutẽ eius intelligatis: & distribuite gradus eius, vt enarretis in progenie altera. Quoniam hic est deus noster in æternũ, & in seculum seculi: ipse reget nos in secula.) βάρεις dicit Græcus hodiéque excelsas & turritas domos. Vnde Propheta cùm de ciuitate dei & inhabitantibus eã loqueretur, distribuite, inquit, gradus eius: hoc est, mansiones eius altas atque sublimes in cœlestibus. Quo docet ordinem seruandum esse meritorũ. Vnusquisque enim in suo ordine. Vnde & dominus ire & præparare se dicit discipulus mansiones, vt pro suorum ratione meritorum digna vnusquisque habitacula consequatur, in quibus requiem illam carpat ęternam. Sunt etiã sublimia & alta præcepta, in quibus sunt occulta pietatis mysteria, & theoremata sermonum cœlestium. Hæc, inquit, distribuite, & pro caput vniuscuiusque diuidite, quantum possit vnusquisque ingenio proprio comprehẽdere. Neque enim omnibus Paulus eadem disputãbat. Aliis nihil prædicabat nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum, non in persuasione sapientiæ verbi, sed in ostensione spiritus atque virtutis. Inter perfectos autem sapientiam loquebatur: quia non capiebat vniuersus populus percipere sapientiam in mysterio quæ abscondita est. Ideo enim eã Christus abscondit, vt eã stulti non intelligant, prudentes studiosius quęrant, & enarrent in progenie altera, quæ spiritu foret virtute perfectior: quoniam generatio superior per infirmitatem fidei perfectę sapientiæ cognoscere sacramenta non potuit. Et ideo signũ quærebat, veritatem repudiabat: cùm vtique non veritas signi, sed signum veritatis sit. Vnde respondit ei dominus: Generatio nequam & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei nisi Ionæ prophetæ. Ad arguẽdam itaque perfidiã Iudæorũ, Ionæ exemplũ accersitur, eo quòd Niniuitæ signo crediderunt, & prædicationẽ Ionæ qui fuerat in vtero ceti, sequẽdam putarunt. Iudæi autem nec post resurrectionem domini Iesu crediderunt, qui de corde terræ post triduum resurrexit, & viuit ac regnat per omnia secula, Amen.

A 1. Corin. 2.

Matth. 12.

Psalmi quadragesimioctaui enarratio.

Huius titulus est, In finem filiis Chore psalmus Dauid.

B AVdite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbẽ terrę.) In principio ipso vocem domini salutaris agnoscimus gentes vocãtis ad ecclesiam, vt errori renuncient, veritatem sequantur, & pij cultus munus agnoscãt. Sed quia serpẽtis venenis infecta erãt corda successiõis humanæ, & peccatis obnoxia conscientia dum desperat veniã, se reuocare non poterat: remedium pollicetur, indulgentiam spõte pietatis suæ largitate promittit, vt reus non timeat, bene cõscius gratulatur, quòd bono domino exhibeat ministeriũ seruitutis, qui nouerit peccata donare, honorare virtutes. Denique eadem serie vocationis etiam in euãgelio nos dominus adhortatur dicẽs: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam: Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Deinde iugum suum suaue, & onus leue esse commemorat: quoniam qui desperauerit medicinã, sanus esse non poterit. Et ideo omnibus grata est mansuetudo, quæ vulnera interiorum curat animorũ.

Ibidem 11.

C Venturus igitur ad ægrotos, venturus vt medicus, qui grauia vlcera nostra curaret, medicamenta proponit, vt videant homines, & ad remedium salutis fida sedulitate concurrant. Sic illa in euangelio meruit sanitatem, quæ profluuio sanguinis per duodecim annos laborauerat. Audiuit medicum venisse, festinauit contingere, dicens: Si tetigero fimbriam eius, salua ero. Intra se hoc dixit, & Christus audiuit: & tetigit fimbriam, & virtus de saluatore processit, quæ curauit ægram, firmauit inualidam, profluuium statuit, pietatem probauit. Similiter ergo & hic omnes gentes vocat ad sapientiæ fontem atque prudentiæ, redemptionem omnibus pollicetur, vt nemo tripidet, nemo desperet, vbi nullus excipitur, sed omnis anima inuitatur ad gratiam, vt sine precio redimatur à crimine, & fructum vitæ adipiscatur æternæ. Hic sensus est psalmi: quem suo ordine digeremus, cum explicauerimus superiorum vim qualitatémque verborum. Præcipiuntur enim audire gentes, & auribus percipere qui inhabitant orbem terræ. Illum vtique orbem terrarum, de quo supra dixit: Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarũ, & qui habitant in eo. Ipse super maria fundauit eũ, & super flumina præparauit eum. Quã Græci οἰκουμένην dicũt, eo quòd inhabitetur à Christo, sicut ipse dicit: Quoniã inhabitabo in illis. Inhabitat enim, vt impleat quę vacua videbãtur, Quæ est ergo οἰκουμένη, nisi sancta ecclesia tẽplum dei, & habitaculum Christi? Nec incongruè Latini dissono quidem sermone, sed pari sensu orbem terrę nuncupauerũt, eo quòd vita sanctorum qui inhabitantur ab spiritu, sicut rota in orbem sine vlla cursus sui offensione voluatur. In tribulationibus igitur fundatur ecclesia, in tempestatibus & procellis, in solicitudinibus & mœrore, in rebus aduersis & in fluminibus prępparatur. In quibus fluminibus? Audi dicentem: Eleuauerunt flumina vocem suam. Audi in euangelio: Qui credit in me: sicut dicit scriptura, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu quem accipiebant credentes in eum. In his ergo fluminibus prępparatur ecclesia, in quibus profluit dei gratia. Hi sunt flu

Psalm. 23.

D Leui. 26. & 2. Cor. 6.

Psalm. 92. Ioann. 7.

uij qui aure percipiunt verbum dei, & loquuntur, vt verbum infundant pectoribus singulorum. Ideoque scriptura discretionem fecit dicendo: Audite hęc omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem terræ.) Possunt omnes audire, non omnes tamen auribus percipere, nisi electi dei. Ideoque saluator dicit: Qui habet aures audiendi, audiat. Illas aures dicit interioris hominis spiritales, cuius & nares legimus, dicente Iob: Spiritus diuinus qui est in naribus meis. Nō omnes homines has aures, & has nares habēt. Alia est enim forma corporis, alia gratia spiritualis. Qui spiritalis est, audit omnia, diiudicat omnia. Animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus dei. Hic enim terrigena est, ille cœlestis. Ideoque addidit: Quique terrigenæ, & filij hominum: simul in vnum diues & pauper:) vt vniuersos vocaret. Quis est terrigena nisi filius hominis? Quis est spiritualis nisi dei filius? Ille ex sanguine concretus & carne†, & viri voluptate generatus: iste ex deo natus. Alius diues in omni verbo & scientia, alius pauper, †gratia tamē diues: quia & pauper, clamauit, & dominus exaudiuit eum. E contrario est & diues in superbia, & pauper in humilitate. Omnes vocantur ad ecclesiam, vt omnes redimantur à Christo. Qui æger est, medicum inuenit: qui sanus, sapiētiam acquirit, captiuus redemptorum, liber remuneratorum. Omnes ædificat scriptura diuina. In ea inuenit vnusquisque quo aut vulnera sua curet, aut merita confirmet. Simul autem in vnum diuitis & pauperis facta vocatio, in quandam humilitatem æqualitatémque nos prouocat, vt neque diues fastidiat inopem, neque diuiti pauper inuideat, sed vtrunque sibi gratia vna cōnectat quia & dominus pauper factus est, cùm diues esset, vt idem & pauperum saluator esset & diuitum. Et sub texuit: Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudētiam.) Meritò omnes vocantur, quia omnibus sapientiæ fons abūdat, nec thesauro pecuniario comparatur, quæ preciosior thesauris omnibus declaratur. Ideoque nec diues auertitur, nec pauper excluditur: quia † sapientia non facultates discriminat, sed volūtates. Ille aptior, qui prior † affectu, & proximus disciplina. Quòd si meditatio cordis prudentiam loquitur, quanto magis perfecta doctrina? Deinde admonemur non tumultuariū proferre sermonem, sed exercitio quodā meditationis, & statera mentis internæ examinare dicenda: quia scriptū est alibi: Statera fallax non bonum. Inclinabo ad parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.) Sapiens auditor intēdit, atque inclinat aurem suam vt intelligat parabolarum figuras. Ipsum aurem suam dicit saluator, qui aurem habet audiendi. Aperit etiam dominus clausam propositionem suam, cùm aptum organū sibi & vas electionis inuenerit: quod psalterium vocat: cuius similis Paulus dulcis gratiæ cantilenā neruis omnibus sibi concinētibus resultauit, sancti spiritus plectro interiorē chordā exteriorémq; pulsando, vt & lingua oraret & mēte. Ideoque ait: Orabo spiritu, orabo & mente. Psallam spiritu, psallam & mēte. Huiusmodi ergo virū Christus multo ante promittit, per quem manifestaret abscondita, & inuoluta prophetici obscuritate sermonis aperiret. Bonum psalterium, cum fidei vita cōsentit, & caro animæ, virtuti aspirat voluntas. Hoc est dulce psalterium, vbi canora est disciplina viuēdi, vt impleatur illud quod scriptum est: clara erit lingua mutorū. Sequitur: Vt qđ timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circundabit me.) Hoc est, cùm os meum loquatur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam, in die iudicij timere quid possum? Nisi fortè calcanei mei iniquitas mihi sit abluēda. Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, vt omnes illo vulnere claudicemus. Vnde dominus discipulis pedes lauit, vt lauaret venena serpentis: & Petrus reprehenditur quòd excusabat ne sibi dominus pedes lauaret. Ideoque dictum est ei: Nisi lauero tibi pedes, non habebis mecum partem. Quo audito nō solum pedes, sed etiam manus obtulit abluēdas. Cui dominus respondit: Qui lotus est, non habet necesse vt iterum lauet, nisi vt pedes lauet: sed est mundus totus. Ergo Dauid dicit: Iniquitates meæ superposuerunt caput meū: qui se nouerat in iniquitate esse cōceptum, & in delictis à matre generatū. Dominus autem qui sua peccata nō habuit, nec cognouit proprias iniquitates, ait: Iniquitas calcanei mei circūdabit me. Hoc est, iniquitas Adæ, non mea: sed ea non potest mihi esse terrori. In die enim iudicij nostra in nobis, non alienæ iniquitatis flagitia puniuntur. Vnde reor iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quàm reatum aliquem nostri esse delicti. Meritóque dominus qui pro nobis vniuersa sumus auferre, quo fida statio possit esse virtutū, nec paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito. Nō metuat lubricum hæreditatis, qui cupit vestigiū tenere virtutis. Iniquitas ergo calcanei nostri præuaricatio est Adæ, per quem prolapsus est in cōtemptum & dissimulationem cœlestium mandatorum. Est etiam iniquitas calcanei, Iudæ hæsitanda proditio. Calcanei ideo, quia scriptum est: Qui manducat mecum panem, leuabit super me calcaneum suū. Bene & ibi suū, & hic meū dixit. Suum, quia Christus sine iniquitate: hæc autem solius iniquitas proditoris. Meū autem calcaneum, quasi vltimū sui corporis Iudam Christus appellat, cuius nos sumus corpus & membra. Apostoli prę stātiora & actuosa membra sunt Christi, Iudas calcaneum, quasi extrema pars corporis serpēti obnoxia, & patens vulneri. Primum ergo calcaneum Adam, secundum calcaneum Iudas. Ille lapsus totius hæreditatis, hic soli⁹ proditoris, qui hæreditatē implicare non potuit, quia iam non carnales sumus, sed redemptoris hæreditas, scriptura dicente: Est hæreditas credentibus in domino. Est & illa iniquitas calcanei sui, quæ circundedit Christum. Circundantes, inquit, circundederūt me, & in nomine domini vltus sum in eos. Calcaneum eius synagoga est, decor & gloria vultus eius ecclesia: sicut scriptū est: Dominus regnauit, decorem induit. Illi ergo sunt calcaneum, de quibus dicit: Qui confidunt in virtute sua: quíque in abundātia diuitiarum suarum gloriātur. Diuites enim eguerūt, & esurierūt.) Quod de Iudæis dictū est. Sed & omnes qui luxuriosè viuunt, & non tenēt caput, calcaneum Christi sunt. Sed hæc generalia, quæ latè patēt. Cæterùm specialiter de Iuda locutus est proditore, qui sibi validus & diues apostolatus gloria videbatur. Denique de passione domini sermo contexitur: Frater non redimit, redimet homo: nec dabit deo propiciationem suam, & precium redemptionis animæ suæ.) Hoc est, vt quid timebo in die mala? Quid enim potest mihi nocere, qui nō solum non indigeo redemptore, sed ipse omniū sum redemptor? Alios liberos faciam, & pro me ipse trepidabo? Ecce faciam noua omnia, quæ supra ipsum germanitatis affectū sint atque pietatem. Quem frater eodem matris vtero effusus in lucē redimere nō potest, quia parilis naturæ infirmitate retinetur: redimet homo: sed ille homo de quo scriptū est: quia mittet illis dominus hominem qui saluabit eos: qui de seipso dixit: Quæritis me occidere, hominem qui veritatē locutus sum vobis. Sed quāuis homo sit, quis cognoscit eum? Quare nemo cognoscit? Quia sicut vnus deus, ita & vnus mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Ipse est solus qui redimet hominem, vincēs pietate germanos: quia pro alienis sanguinem suū fudit, quem nemo potest offerre pro fratre. Itaque corpori proprio nō pepercit vt nos redimeret à peccato: & dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, sicut verus eius testis asseruit apostolus Paulus, qui ait: Veritatem dico, non mētior. Sed quare solus hic redimet? Quia nemo potest eum æquare pietati, vt pro seruulis suis animā suā ponat: nemo integritate. Omnes enim sub peccato. Omnes Adæ illius subiacēt prolapsioni. Solus redemptor elegitur, qui peccato veteri obnoxius esse non possit. Ergo per hominem dominū Iesum intelligamus, qui suscepit hominis conditionem, vt in carne sua peccatum omnium crucifigeret, & chirographum vniuersorū suo cruore deleret. Sed fortè dicas, Quomodo redēpturus frater negatur, cùm ipse dixerit: Narrabo nomen tuū fratribus meis? Sed non quasi frater nobis, sed quasi homo Christ⁹ Iesus, in quo deus erat, peccata dimisit. Sic enim scriptū est? Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. In illo Christo Iesu de quo solo dictum est quia verbū caro factū est, & habitauit in nobis.

Non

1409

Nō ergo quasi frater, sed quasi dominus habitauit in nobis, cùm habitaret in carne. Cum igitur recōciliauerit deo mundum, vtique ipse reconciliatione non eguit. Pro quo enim peccato suo propitiaret deum qui nulla peccata cognouit? Denique didrachma poscētibus Iudæis, quod pro peccato dabatur ex lege, dixit ad Petrū: Simon, reges terræ à quibus accipiunt tributū vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Respondit Petrus: Ab alienis. Cui dixit dominus: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non faciamus illis offendiculū, mitte hamum, & eum piscē qui primus ascēderit tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem. Illum tollēs dabis pro me & pro te. Ostendit ergo quòd nō pro se propitiationē debeat peccato rum, quia seruus peccati non erat, sed ab omni erat liber ore. Filius enim liber, seruus est in reatu. Ergo liber iste ab omnibus nec precium redēptionis animæ suæ dat, cuius sanguinis precium poterat abundare ad vniuersa mundi totius redimēda peccata. Rectè ergo alios liberat, qui pro se nihil debeat. Plus adiicio: Non solum pro se Christus preciū nō debet suæ redemptionis, aut propiciationē pro peccato, sed etiā si de fideli quocunque homine accipias, possit intelligi: quia non debeāt singuli propitiationē suā, quia propiciatio omnium Christus est, & ipse est vniuersorum redēptio. Cuius enim hominis sanguis iam idoneus est ad redēptionem? sui, cùm pro redemptione omniū suum sanguinem Christus effuderit? Est ergo cuiusquam sanguis qui Christi possit sanguini cōparari? Aut quis tam potens homo qui pro se propitiationem suam dare possit supra eam propitiationem quā in se obtulit Christus, qui solus deo mundū recōciliauit per suum sanguinē? Quæ maior hostia? Quòd præstātius sacrificiū? Qui melior aduocatus quā qui pro peccatis omniū factus est deprecatio, & animā suā dedit pro nobis redēptionem? Nō quæritur ergo propitiatio aut redēptio singulorū, quia omnium preciū sanguis est Christi, quo nos redemit dominus Iesus, qui solus patrē recōciliauit, & laborauit vsque in finem, quia nostrum laborē ipse suscepit, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiā vos. Vide laborantē: Laboraui clamās: raucæ factæ sunt fauces meæ. Et alibi: Isachar quod bonum est cōcupiuit, requiescēs inter sortes. Et infra: Suppositi humerū suū ad laborandū: & factus est vir agricola. Ergo homo nō dabit iam propitiationē suam nec redēptionem, quia semel ablutus est à peccato per sanguinē Christi. Laborabit tamē vt seruet præcepta viuēdi, & à mandatis cœlestibus nō recedat. Dum viuit, in labore sit, & perseueret in eo, vt viuat in finē, ne & ipse morte moriatur, cùm sit iam redemptus à morte. Qui autem seruauerit mandata vitæ, nō videbit interitum, cùm viderit mori eos qui sibi sapientissimi & prudētissimi in hoc seculo videbantur. Quod specialiter ad scribas & pharisæos spectat, qui sibi cathedras in synagogis vindicāt, quasi sapientiæ principatum. Hi verè frustra laborant, cùm putāt quia per didrachmum liberentur, cùm spiritale precium animæ suæ, atque illud singulare dominici corporis sacrificium, inani quadā legis interpretatione cōtempserint, refugientes baptismatis sacramentum. Neminē enim sanguis redimit hircorū atque taurorum, sed omnes vn⁹ sanguis liberat Christri, cuius in Leuitico figura non veritas est. Nō enim didrachmo, sed illius solius sanguinis precio liberamur. Simus ergo docibiles dei, vt nemo nostrū videat interitū in illo die quādo dānabūtur morte perpetua sapientes istius mundi, vel principes Iudęorū, quando timuit insipiens & stultus peribunt. Nō idem est vtrunque, Stul⁹ est qui nihil sapit, & stulta intelligit. Insipiēs qui magis sapit. Dixit insipiēs: quia nō est de⁹. Quomodo iniqu⁹, nō qui æquitatem nescīat, sed qui improbitate cordis sui iniqua committat, improbus quoque dicitur, eo quòd probitatem malitia sua destruere velit, nō quia probitatem ignoret. Ipsi ergo insipiens & stultus quādo pereūt, alienis relinquūt diuitias suas. Suū enim & legitimum stultitię & improbitatis hæredem reperire non possunt. Legitimi enim dicūt, Quia filij dei sumus. Si autē filij, & hæredes: hæredes quidem dei: cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & simul glorificemur. Insipientes ergo diuitias non habent, quia nec hæreditatem habent. Non habent diuitias infidi, non possessionem. Fideli enim totus mundus possessio est. Non habēt hæreditatem, quia sola est hæreditas credentibus in domino. Suas autem diuitias habēt. Ideoque auarus dicit: Nō habeo quo congregē fructus meos. Non enim verus fructus, sed auari fructus pecunia est. Et dominus auaro dicit: Vade vende bona tua, & veni sequere me. Non enim perfectū bonum est patrimoniū, sed hæc sunt auari bona, quæ in emolumēto aliquo cōstituta sunt. Vēde, inquit, quæ putas tua esse, cum tua non sint: quia ad alios fluminis modo transeunt, & sequere me, vt bonum immortale cognoscas. Sapientes ergo in interitum deducuntur, quibus deus absc̄ōdit quæ paruulis reuelauit. Peribunt simul, & in vno eodémque loco erunt insipiens & stultus, & alienis relinquent diuitias suas: quia non inuenit nequitia legitimum successorem. Et sepulchra eorum domus eorum in seculum, tabernacula eorum in progenie & generatione: inuocauerunt nomina eorum in terris ipsorum.) Vbique scriptura sepulchra pro vilibus ducit: quibus degeneres & vitę huius cupidi comparantur. Sepulchrum patens est guttur eorum. His ergo qui ad diem & de die viuunt, sepulchra pro domibus sunt. Domus enim iustorum non in terra est, sed in cœlo: sicut Apostolus docuit, dicens: Nostra autem cōuersatio in cœlis est. Ipsa est domus nostra, quæ domus est Christi. Vnde ait scriptura: Et Moyses quidē fidelis in tota domo eius, tanquam famulus in testimonium eorum quę dicēda essent: Christus verò tanquam filius in domo sua. Piis ergo domus est ecclesia, piis patria cœlū est. Ideoque iustus ait: Aduena ego sum apud te in terra & peregrinus, sicut omnes patres mei. Luxuriosis domus sepulchrum est. Denique tanquam in sepulchro viuunt, qui possunt dicere: Manducemus & bibamus: cras enim moriemur: resurrectionem antę oculos non habentes, ideoque tumulis suis afflixi atque attumulati adhærent, quia resuscitari se posse non crediderunt. Habitaculum ergo illis in suo busto est, & tabernaculum eorum in progenie & generatione terrena est, qui vermes sui corporis hæredes relinquunt: vt hîc tantum sit memoria eorum, & in ęternum transire non possit. Denique nomina eorum in terris ipsorum: quia opera eorum corruptibilia atque terrena. Et ideo ibi scribuntur eorū nomina, vbi viuere maluerunt. Quia autem eleuauerunt opera sua, iis dicitur: Nolite gaudere quia dæmonia vobis subiecta sūt, sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. Hinc ergo intelligimus quia non ociosē deminus eos arguit qui ædificabant sibi sepulchra vel tumulos prophetarum, & exornabant ea. Condemnantur enim Iudæi qui prophetis quos occiderant, terrena solatia, non æterna præmia deferebāt. Ideoque prohibet vt discipulus suus sepeliat patrem, quia æterno patri sine cessatione esse debet intentus. Et in Esaiæ libro scriptum est: Quid, inquit, quia ædificasti & excidisti tibi sepulchrum? Et reprehenditur Maria quæ Christum in tumulo requirebat. Relinque sepulchra, quæ reliquerunt qui audita voce domini in ipsius passione surrexere de tumulis. Noli inter mortuos habitare, qui viuis. Audi vocem resuscitantis Iesu: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, vt lumen tibi Christi infundatur æternū. Lumen eius spiritus sanctus est, qui apostolis sanctis in dispersione linguarum tanquā ignis illuxit. Sequitur: Homo cùm in honore esset, nō intellexit: cōparatus est iumentis quę sine sensu sunt, & similis factus est illis. Hęc via eorū in offendiculum ipsis, & postea in ore suo complacebūt.) Quia non intellexit homo cùm in honore esset. (Est autem honor quia ad imaginem dei factus est, factus est rationis capax.) Comparatus est iumētis quæ sensum non habent. Qui autem intellexit, angelis comparatur. Et ideo hic bonorum operum claritate magnificatus est, ille sicut equus adhinniens æstimatur colluuione viuēdi, quæ vię offendiculum affert in turpitudine & obscœnitate viuētibus. Insipientia enim viri contaminat vias eius. Huiusmodi autem viri viuunt secundum appetentiam suam, quæ offendiculum creat: & post offendiculum complacebunt in ore suo, sed non in corde. Non enim boni de quibus dicitur: Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Quo responsum est etiam iis qui habent in codicibus suis ita scriptum, Et postea in ore suo benedicent. Verbum enim tuum prope, & in ore tuo sit, & in corde. Sicut oues

Matth. 19.
Lucæ 18.
Matth. 11.
Psalm. 5.
Philipp 3.
Hebre. 3.
Psalm. 38.
Esaiæ 22.
Lucæ 9.
Matth. 8.
Esaiæ. 22.
Lucæ 24.
Ephes. 5.
Actor. 2.
Psalm. 61.
Roma. 10.

in infernum deducentur, mors depascet eos: & dominabuntur eorum iusti in matutinũ, & auxilium eorum veterascet in inferno à gloria eorum.) Qui noluerunt vt pasceret eos Christus, depascet eos mors. Quis ergo dimittat bonum pastorem, qui pro ouibus suis animam suam ponit, quia pertinet ad eum gregis sui cura? Aut quis eligat mercenariã mortem, quæ operum pessimorum digna mercede referatur? Simul cognosce ô homo quia Christus verus est pastor, qui suos pascit ad vitam. Mors subintrauit, quæ ad interitũ adducit alienos, & deuorat eos quibus potest propter eorũ flagitia pręualere. Quibus licet in hac vita studiũ potentie fuerit & diuitiarum, vt aliis dominarentur: sed in resurrectione erit seruitus, cũ iustis matutinus splendor illuxerit: quorum
Gen. 24. figura est quòd Iacob dominus præponitur fratri. Miserabilis itaque seruitus, vt eo tẽpore quo alij vocãtur in gloriam splendoris & luminis, horum gloria veterascat, & cõsumatur in tenebris inferorum. Meritóque de his dicitur: De honore suo & gloria sua expulsi sunt: quia temporalis hæc gloria. Verũtamen deus liberabit, inquit, animam meam de manu inferni, cũ acceperit eam.) Bene hoc dicit, qui sciebat animã suã in inferno nõ derelinquendã. Descendit enim vt captiuos absolueret de faucibus inferorum, nõ vt in his captiua remaneret. Ergo quoniã hæc quæ in isto seculo sunt, nobiscum transire non possunt, ideo tibi dicitur: Ne timueris cũ diues factus fuerit homo, & cũ multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniã non, cũ morietur accipiet omnia, neque simul descendet cũ eo gloria domus eius.) Noli, inquit, expauescere diuitias & potẽtiam diuitis, & gloriam seculare, quoniam caduca illa sunt, & citius abeunt quàm venerunt. Somnium est iste thesaur⁹: euigilas, & recessit: quoniam qui potuerit crapulam mundi istius odormire, & sobrietatẽ virtutis assumere, ista cõtemnit: & pro nihilo pecuniam ducit. Neque timueris cùm multiplicatã gloriam domus alicuius potentis audieris. Inspice diligenter, & vacua est, quæ nihil habet in se de fidei plenitudine. Et quid de domo dicã? Vacuus erat totus hic mundus antequã numero credentium eũ Christus impleret. Ideoque scriptũ est? Iudicabit inter gentes, replebit ruinas. Quid enim aliud erat antè in hoc mũdo,
Matth. 24. nisi ruina perfidiæ? Quid est ruina? Audi dicẽtem: Vbi ruina, ibi & aquilę. Id est, vbi ruina, ibi & resurrectio. Ruina vacua firmitatis est, resurrectio plenitudo viuendi est. Ideoque nos Adæ illius ruina vacuauit: sed Christi repleuit gratia. Ideo se ille exinaniuit, vt nos repleret, atq; in carne hominis plenitudo virtutis habitaret. Quid sit ruina, cognosce. Dum viuit homo, infusus est spiritu. Vbi mortuus fuerit, vacuus vtique huius vitalis est spiritus. Multo magis vacuum facit amissio gratiæ spiritalis, quem gratia replere consueuit: vt
Ioan 1. possimus dicere: Quoniam nos omne de plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia. De alio dicitur: In vacuum laborauit: iustus autẽ sicut odor agri pleni. Quid autem nõ vacuum quod seculare atque mundanum: cùm rectè dixerit qui mũdum istum sobria virtute contemsit, Nudus sum natus, nudus & moriar? Nũquid secum quis potest auferre quæ possidet? Hic omnia derelinquit, sol⁹ intrat in tumulũ, & vacuum illius diuitis est sepulchrum, quem nec ipsa terra
Esaiæ 5. capiebat. Vnde dictum est: Nunquid soli habitabitis super terram? Nunquid descendit in illud sepulchrum gloria domus eius, aut copiæ? Vide vim scripturæ. Gloria seculi non descendit cum peccatore, sed gloria virturis ascendit cum innocente. Et vt cõpendiosius dicamus, gloria hominis cum ascendente ascendet, cum descẽdente non descendet. Quod gratiæ est ac virtutis, ascendet. In paradisum asceditur, in infernum descenditur. Descendant, inquit, in infernum viuentes. Ideoque Lazarus pauper per angelos in Abrahæ sinum est eleuatus. Diues luxuriosus eleuans in inferno oculos suos rogat Abraham vt mittat pauperem: & digito suo
Psalm. 54. Luc. 16. contingat linguam eius, quo requiem aliquã in ardore maximo constitutus posset adipisci. Vide illum pauperem bonis omnibus abundantem, quem sancti patriarchæ requies beata circundabat. Vide hunc vacuum, qui sibi in hoc seculo abundare omnibus videbatur: cuius anima in vita ipsius benedicebatur: sed nunc iners morte cruciatur. Vnde pulchrè sequitur: Quoniam anima eius in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cùm benefeceris ipsi.) Benedicent, inquit, eum benedictione terrena. Stulti homines, qui presentia, non futura considerant. Benedicent eum assecłæ eius atque parasiti. Ipse quoque beatum se putat, si agrum aliquem quem desiderabat inuaserit. Confitetur tunc deo, cùm ei in hoc seculo secunda succedunt: quando autem aduersa contingunt, impio ore maledicit. Hoc ergo dicit, quia secularis non agit gratias in paupertate positus & aduersis. Iustus autem in angustiis magis dominũ grato benedicit affectu. Denique diabolus ad deum dicit: Quid mirum si te benedicit Iob? Abundant ei omnia. Sed mitte, inquit, manum tuam, & tãge ea quæ possidet: videamus si in faciem te benedicet. Et dedit ipsi dominus potestatẽ vt æque seculi essent huius, auferret: carnem ipsius vlceris atrocitate perfunderet. Iob tamen benedicebat dicens: Dominus dedit, dominus abstulit: sit nomen domini benedictum. Introibit vsq; in progeniem patrum eius, vsque in seculum non videbit lumen. Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumẽtis quę sensum nõ habẽt, & similis factus est illis.) Ideo, inquit, iste in progeniem patrum suorũ introibit. Qui est pater impiorum, dominus declarauit dicẽs: Vos ex patre diabolo estis. Sunt & illi patres de quibus dicitur: Relinque mortuos sepelire mortuos suos. Ideo & Moabitę vsque in tertiam & quartam generationem prohibiti sunt introire in ecclesiam domini, vt filij eorum propter peccata patrum suorũ introirent in eorum generationem quorum facta imitabantur & mores. Vnde & scriptum est: Filij adulterorum in consummatione erunt. Ergo qui non illum patrẽ qui in cœlo est sequitur, sed illum terrena colluuione viuẽtem, in progeniem terreni patris intrat. Qualis enim terren⁹, tales & terreni: vt sit eius vita terrena, requies nulla post mortem. In æternum non videbit lumen: quoniã temporale quæsiuit. Ille autem qui Christi secutus est gloriam, qui desiderauit illud lumen quod illuminat omnem hominẽ veniẽtem in hunc mundũ: inueniet & videbit lumen æternũ: quia eum Christus redemit à morte. Tũc ergo cogitabit secum, quia cùm in honore esset, non intellexit: & ideo erit similis iumentorum, qui similis debuit esse angelorum, per domini nostri Iesu Christi gratiã: cui est honor, gloria, perpetuitas à seculis, & nũc, & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

Ioan. 8. Matth. 8. Deut. 23. Sapien. 3. 1. Cor. 15. Ioan. 1.

In huius psalmi tractatu beatus Ambrosius infidelitatem & impietatem Maximi tyranni grauiter redarguit, qui ausus est dominum suum Gratianum imperatorem fraude & dolo perimere: quem imperatorem in domini tabernaculo habitare, & in monte eius requiescere dicit.

In enarrationem psalmi sexagesimiprimi præfatio.

Titulus. In finem pro Idithum psalmus Dauid.

OMnium nostrum indubia cõsuetudo est, vt festinemus ad finem, & eorum quæ legimus vel videmus & audiuimus, velimus summã cognoscere. Vnde titulus ipse ociosos nos esse nõ patitur, nec feriatis præterire auribus desiderij cõmunis indicium. Præ cæteris enim, licet etiã in cæteris clareat, diuinum tamen in hujusmodi psalmo refulget oraculũ. Vnde diligentius quid sit finis cõsideremus. Finis enim dicitur τέλος, & summa rei eius quã volumus explicare. Finis dicitur Christ⁹: quia ipse est finis legis, sicut scriptũ est: Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credẽti. Finis etiã dicitur, quia ipse est principium & finis. Ergo isti psalmi qui titulantur in finem, aut de Christo sunt, aut ipsius Christi. De Christo, cùm ipse annunciatur. Ipsius Christi, cùm ipse se nunciat, venturúmq; promittit in terras, & futuram nobis reuelare dignatur prorij corporis passionem. Ideoque ipsi Dauid inscribũtur in titulo: quasi verò Dauid ipsi domino prophetici oris ministerio deputentur, per quem humanæ vocis officio vis cœlestis increpuit, & diuina sententia resultauit. Meritóq; pro Idithum, qui fuit propheta, & psalmos cum sex filiis canebat suis, velut quædam præfatio est, cò quòd esset his venia prophetanda, qui in psallendi ministerio constituti, diuina oracula humana voce loquerentur. Et quia pro totius mũdi abolendo errore susciptenda dominici corporis passio fo-

ret,

1415

ret,huius licet nomine cuius ſedulitas probaretur,commen
datiorem eruditionem plebis expreſſit.Itaque ipſum audia
mus loquentem:

Nonne deo ſubdita erit anima mea?) Suſcepturus car
nem hominis dominus noſter Ieſus, vt in ſe eam ip
ſe mundaret, quid prius quàm peccati veteris pri
mum debuit abolere contagium? Nam quia per inobedien
tiam culpa irrepſerat,dum mandata diuina temerantur: obe
dientiâ vtique præ cæteris debuit reformare,vt ſeminarium
erroris excluderet.Fibra enim inde manauerat: & ideo ſicut
bonus medic⁹ radices prius vlceris debuit amputare: vt me
dicamentorũ ſalubre remedium vulneris ora ſentirent.Fru
ſtra enim cicatricem curaueris, ſi ſerpant interiora cõtagia:
imò acerbatur vulnus ſi foris clauditur cùm interius virus
exęſtuat.Nam quid proderat donaſſe peccatum, ſi peccan
di maneret affectus? Hoc erat nõ ſanare cicatricem,ſed clau
dere. Voluit itaque mundare vulnus,vt affectum ſanaret,ne
inobedientiæ ſordes vlla remaneret. Suſcepit ipſe obedien
tiã,vt nobis eam transfunderet. Sic enim oportebat,vt quo
niam per inobedientiam vnius hominis peccatores conſti
tuti erant plurimi,per vnius rurſus obedientiam iuſti con
ſtituerẽtur multi. Vnde valde errare eos res indicat,qui car
nem hominis à Chriſto aiunt eſſe ſuſceptam, affectum ne
gant: & contra ipſius domini Ieſu venire conſilium,qui ho
minem ex homine tollunt: cùm homo ſine affectu hominis
eſſe non poſſit. Nam caro ſine affectu,& prẽmij immunis &
culpa eſt. Illud ergo ſuſcipere debuit & ſanare, vnde culpa
manauerat,vt originem erroris & quaſdam prorũpentis de
licti fores clauderet. Vnde ego hodie hominem agnoſce
rem dominum Ieſum,cuius carnem non video,affectum le
go: vnde inquam hominem eum agnoſcerem, niſi eſuriſſet,
niſi ſitiſſet, niſi fleuiſſet, niſi dixiſſet, Triſtis eſt anima mea
vſque ad mortem: Denique ſcriptũ eſt,Et homo eſt, & quis
cognoſcit eum? Sed homo per iſta cognoſcitur,qui per ope
ra diuina ſuper homines æſtimatur. Itaque ipſe eoúſque ſe
hominem credi volebat,cùm deus eſſet,vt ſe appellaret ho
minem,dicens: Quid me quæritis occidere,hominẽ,qui ve
ritatem locutus ſum vobis? Nec ſolum hominem,ſed etiam
filium hominis diceret,ſicut ait: Quid me dicunt eſſe homi
nes filium hominis? Vnde ille ſummam tenere fidei pronun
ciatus eſt: qui & dei filium cognouit,& hominẽ nõ negauit.
Ipſe igitur vtrũque vnus,inſeparabilis numero, & agnoſcẽ
dus operis diſtinctione, non varietate perſonæ. Non enim
alter ex patre,& alter ex Maria: ſed qui erat ex patre, carnẽ
ſumpſit ex virgine. Affectum aſſumpſit ex matre,vt infirmi
tates noſtras ipſe ſuſciperet. Vnde ait Propheta: Et pro no
bis dolet. Quomodo dolebat meo dolore,ſi meum non ge
rebat affectum? Homo, inquit in plaga,& ſciens ferre infir
mitatem. Itaque quaſi homo infirmatus eſt,quaſi homo do
luit,& nos quaſi hominem æſtimauimus eum eſſe in dolori
bus: ſed quaſi victor infirmitatũ, non infirmitatibus victus,
pro nobis non pro ſe dolebat,& iuſtrmatus eſt non propter
ſua, ſed propter noſtra peccata, vt nos ſuo liuore ſanaret.
Quid vtique eſt homo in plaga,& ſciẽs ferre infirmitatem,
niſi quia plagæ habebat compaſſionem? Aut quomodo ſcie
bat ferre infirmitatem, ſi ſenſum infirmitatis excluſerat?
Quod enim portamus,hoc pro onere ſuſtinemus. Suſcepit
ergo peccata noſtra,vt portaret: ſuſcepit etiam vt purgaret.
Denique ſcriptum eſt,Et peccata eorum ipſe purgauit. Id
eo ipſe hæreditate poſſidebit multos,& fortiũ patietur ſpo
lia. Ibi enim maior triumphus,vbi mens interna mundatur.
Quod portat igitur,ad remiſſionem pertinet: quod purgat,
ad correctionem. Suſcepit itaque cõpaſſionem noſtram: ſuſ
cepit & ſubiectionẽ. Quod enim ſubiecit ſibi omnia: ſuum
eſt: quod ſubiectus eſt,noſtrũ eſt. Ideoque ait: Nónne deo
ſubdita erit anima mea? Anima, inquit, ſubdita, nõ diuinitas.
Anima ſubiecta,nõ dei virtus. Virtus enim dei non poteſta
ti ſubdita eſt,ſed vnitati,& conſortio eius vtitur poteſtatis.
Illa ſubiecta eſt,quæ humanæ cõditionis fragilitate plerun
que mutatur,non quæ mutari non poteſt. Anima carni com
patitur,& animę caro,qui ſibi quodã cõtubernio copulan
tur illa ſubiicitur,quæ triſtis eſt, quia ſcriptum eſt: Triſtis
eſt anima mea vſque ad mortem. Illa ſubiicitur, quæ ſuſce
pta,non ex deo patre mota: quanquã ipſa ſubiectio nõ in ſpe
cie quidem infirmitatis ſit,ſed in operatione virtutis,diſpen
ſationis magis temporariæ arbitra, quàm perpetuo ſeruitio
mancipata. Vnde & ait: Nónne deo ſubdita erit anima mea?
Cur dixit erit,ſi ſempiterna ſubiectio eſt? Sed quia filius dei
qui loquebatur,æternus eſt,animã autem ſuſcepit ex tẽpo
re: ideo futuram ſubiectionẽ animæ ſuæ dicit. Per ipſam er
go obedientia,per ipſam humilitas: quæ tamen nõ ad infir
mitatem potentia ſuſcepta ſunt,ſed ad magiſterium diſcipli
næ. Ipſe enim dominus Ieſus cùm eſſet in dei forma,non ra
pinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed ſemetipſum
exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudine homi
num factus,in ſpecie inuentus vt homo: humiliauit ſemetip
ſum,factus obediens vſque ad mortem: ſicut Apoſtolus di
cit,nõ iugem & perpetuam, ſed temporalem ſubiectionem
cupiens declarare: qualis ſit ſuſcepta cum carne,& depoſita
cum ipſius corpore ſeruitute. Sic etiam ad Hebræos ſcri
ptum eſt. Nam cùm propoſuiſſet exemplũ dicens: Tu es ſa
cerdos in æternum,ſecũdum ordinem Melchiſedech: ſubie
cit idem Paulus: Qui in diebus carnis preces & ſupplicatio
nes adhibuit ei qui poſſet liberare eũ de morte cum magna
voce & lachrymis: & exauditus ab illo metu,quanquam eſ
ſet filius, didicit ex his quę paſſus eſt, obedientiam: & con
ſummatus obtemperantibus ſibi cauſa factus eſt ſalutis eter
næ: vocatus à deo ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſe
dech. Nónne igitur euidenter clamauit Apoſtolus dicẽs o
bedientiam illam & humilitatem non diuinitatis fuiſſe,ſed
carnis? Quod enim dicitur,temporale eſt. Quaſi homo er
go ex his quæ paſſus eſt didicit obedientiam, vt cõſumma
retur in corde,& per obediẽtiæ transfuſam in nos ſucceſſio
nem cauſa fieret nobis ſalutis æternæ, quibus ante per ino
bedientiæ hæreditatẽ primus ille Adã cauſa factus eſt mor
tis. Subiectio ergo magiſterium virtutis humanæ, nõ diui
nę imminutio poteſtatis eſt. Nam ſi illum minorem filium
& inæqualem patri dicũt,quia erat ſubditus patri deo: nun
quid & matre ideo minor,quia erat ſubditus matri: Lectum
eſt enim de Ioſeph & Maria: Et erat ſubditus illis. Sed pie
tas omnibus nobis non diſpendio,ſed incremento eſt, per
quam omnibus nobis dominus Ieſus fidem infundit & gra
tiã,vt nos ſpiritu fideli ſubditos patri faciat deo: & ideo no
uo & profundo conſilio Apoſtolus ait quòd ipſe patri erit
ſubiectus in nobis,cùm fuerit in omnib⁹ plenitudo fidei,&
quædam deuotionis vnitas. Nunc enim quandiu ſententiis
diſcrepamus, quodammodo regnum Chriſti minoramus:
quia nondum ei ſubiecta ſunt omnia,cuius regnum vnitas
eſt. Cùm autem ſubiecta illi fuerint omnia,tunc & ipſe ſub
iectus erit illi qui ſibi ſubiecit omnia: vt ſit deus omnia in
omnibus ſicut ſcriptum eſt: Nunc enim poteſtate ſupra om
nes eſt: ſed opus eſt vt ſit in omnibus voluntate. Volet au
tẽ cùm omnia in nobis cognouerit ſui plena, & vacua deli
ctorũ. Nondũ igitur ſubiectus eſt patri,quia nondũ omnia
& in omnibus Chriſtus. Cũ autẽ fuerit omnia & in omnib⁹
Chriſt⁹,erit omnia & in omnib⁹ deus. Vnde colligitur vnũ
eſſe regnũ patris & filij & etiã ſpirit⁹ ſancti: quia q filiũ re
ceperit,recipit & patrẽ,& recipit & ſpiritũ ſanctũ: quia vna
poteſtas,vna gratia,vna operatio trinitatis eſt. Meritóq; ad
didit dominus: Ab ipſo enim ſalutare meum:) quaſi diceret:
Nolite turbari quia dixit animam meam fore deo ſubditã.
Anima erit ſubdita, quæ veſtri eſt portio: ſalutare autem
meum ab ipſo. Hoc eſt,quia à patre & in patre ſemper ſum.
A patre enim veni in hunc mũdum: etſi videtis hominẽ, dei
filium credite. Cùm venerit autẽ paracletus quẽ ego mittã
vobis à patre meo,ſpiritus veritatis,qui à patre meo proce
dit: ille teſtimoniũ perhibebit de me. Et filius à patre proce
dit,& ſpiritus ab ipſo procedit. De vnitate ergo diuinita
tis ambiguum nihil. Ideoque concupiuit Dauid hoc ſalutare
dei nobis dari: quia ipſe eſt vita ęterna, ſi & patrem ve
rum deum cognoſcamus,& filium,quem pro noſtra certum
eſt ſalute veniſſe. Sed non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æ
qualem deo. Aſſertionem ſuæ diuinitatis ſequeſtrat, & diſ
penſationis humanæ repræſentat officium. Ideoque adiun
xit ſtatim: Etenim ipſe eſt deus meus,adiutor meus, defen
ſor meus: non mouebor amplius. Hæc vtiq; quaſi homo lo

quitur, quia in deo ſpem noſtram debemus reponere, ne facilè labamur: quanquam in eo quod locutus eſt, Non mouebor amplius: oſtendat habere ſe diuinę inſignia poteſtatis. Habes enim alibi dicentem: Adhuc ego ſemel terrā mouebo. Mouit diluuio, quando præter arcam Noe caro omnis interiit. Mouit cùm Sodoma & Gomorra ſacro igne cōſumptæ ſunt. Hæc ſupernæ indignationis indicia ſunt. Sed quia elegit genus hominū domin⁹ magis ſeruare quàm perdere, non mouebitur amplius ad indignationem, qui venit ad miſericordiam, venit vt redimeret nos ſuo ſanguine, non vt noſtrū effunderet. Venit vt ſe offerret pro nobis, & quaſi bonus negociator mercem ſuam proprij corporis paſſione ſeruaret. Et cùm hoc diceret, leuauit oculos ſuos, & vidit hinc perſecutores, inde nequitias ſpirituales in vnum conuenire, & ait: Quouſque irruitis in hominem interficientes vniuerſos?) Hoc eſt: Quid delere genus feſtinatis humanum? Neſcitis me pro omnium redemptione veniſſe? Obtuli me pro cunctis, vt omnes mea oblatione protegerem. Hominē ergo aut pro humana omni accipimus multitudine: aut ſi de vno accipimus, de ipſo dictum intelligimus. Irruitis, ſed in hominem, quia ſupra deum irruere non pateſtis: ſicut habes alibi: Quid me quæritis occidere hominem? Neque enim diuinitas morti poterat eſſe ſubiecta, ſed humana ſuſceptio. Si ergo in me irruitis, & me vultis tenere: quid eos qui mecum ſunt, vultis occidere? Satis eſt vobis habere quem quæritis. Non quæro conſortem paſſionis, qui ad ſalutem omnium adiutore non egeo. Non requiro legatum, nuncium non præmitto: ſed ipſe me nuncius obtuli non quærentibus: me tradidi non comprehendentibus, vt liberarem eos qui mortis laqueis fuerāt comprehenſi. Irruitis igitur tanquam parieti inclinato, & maceriæ impulſæ, ignari quia veni non vt inclinarem parietem, & maceriam impellerem, ſed vt ſoluerem. Veni enim pax, vt faciam vtraque vnum, medium parietem maceriæ ſoluens, qui carnem & animam diuidebat, vt vnum ſentire non poſſent: & ideo caro animæ repugnabat, & ſubdita imperio eius eſſe non poterat, quia obiecti parietis obſtaculo gubernaculis eius parere non poterat. Lex igitur carnis legi mentis aduerſabatur. Hunc parietem veterum inimicitiarum velut murum ſuſtulit dominus Ieſus, & peruios fecit eſſe conuentus mentis & carnis, vt in vnum cœuntes, id quod erat vtrique ſalutare ſequerentur. Paries ergo quædam eminentia delictorum eſt. Vnde ad pontificem Iudæorum dicit Paulus: Percutere te incipiet deus, paries dealbate. Paries enim luto cæmentiſq; conſtruitur. Hinc ædificabant Ægyptij ciuitates, quando Iudæi lateres facere cogebantur. In Ægypto lutum cōficiebatur, & populus dei peccatum illic operabatur. Ideo gemebat: ideo exauditus & liberatus eſt à peccato. Ideo lex data, promiſſa gratia, vt lex peccatum ex parte reſecaret, gratia omne donaret. Et cùm hæc nobis conferret, hæc pro nobis ſubiret, nos precium eius repellebamus. Vnde ait: Veruntamen precium meum cogitauerūt repellere:) quādo precium referente Iuda proditore, Iudęi in loculum mittere noluerunt, dicentes: Non licet nobis mittere in loculum: quia precium ſanguinis eſt. Damnatur hic iudicio ſuo proditor, qui refudit precium quod accepit, infirmus ad ſacri muneris teſtimoniū, ſed validus ſceleris ſui teſtis. Vnuſquiſque enim grauior accuſator eſt ſui, & inexcuſabilem in ſe fert ipſe ſententiam. Principes ſynagogę ſuo condemnant ſe iudicio. Profitentur enim precium eſſe ſanguinis quod dederunt, dum arguunt refundentem. Nam ſi recipiendum non fuit, nec ſoluendum fuit. Atque vtinā aut non dediſſent, aut quia dederant, nec recepiſſent. Repudiarunt enim quod in loculum mittere noluerunt, & emerunt inde agrum in ſepulturam peregrinorum. Meritò ergo gentiles quib⁹ agri eius qui morte emptus eſt Chriſti, ſepultura profecit, iam non ſunt aduenę atquæ peregrini, ſed ciues ſanctorum facti ſunt, & domeſtici dei: quia conſepeliuntur dei filio. Iudæi autem qui paſſionis eius precium repudiarunt, peregrinantur à Chriſto. Tolerabilior illis vel in hoc proditor, quòd confitetur errorem: illi autem crimen ſuum excuſando acerbant. Verecundior eſt enim confeſſio poſt delictum. Impudenter igitur refellebant cōmune ſacrilegium

Hebr. 12.

Matth. 26.

Epheſ. 2.

Actor. 23.

Matth. 27.

Epheſ. 2.

confitentem, dicentes, Quid ad nos? Tu videris: Quid enim dicebat proditor niſi hoc, Peccaui quòd tradiderim ſanguinem iuſtū? Quod erat crimen tradētis, quomodo ſuſcipientis non poterat eſſe peccatum, cùm ſcelus ſceleri ſit adiunctum: vt quem ſceleratè emerūt, ſceleratius trucidarēt: Cucurri, inquit, in ſiti.) Verum eſt quidē quòd dominus noſter Ieſus ſitiuit. Beata domini ſitis: quia ſitiuit ꝓ nobis, & maximè in paſſione. Denique dixit: Sitio. Tūc itaque ſitiebat: quando de latere ſuo reſtinctura ſitim omnium viuæ aquæ fluenta fundebat. Deniq; ſcriptū eſt: Flumina de ventre eius fluēt aquæ viuæ. Sed in Græco mediè poſitū eſt, quia ἔδραμον & ſingularem & pluralē numerū ſignificat. Ergo quia cucurri, & cucurrerunt, iuxta Græcum poſſumus intelligere, diximus autem quid exprimat cucurri, hoc eſt, feſtinaui ſitim omniū ſuſcipere, vt vniuerſos perpetui fontis hubertate ſatiarem: cui enim dedero aquam nō ſitiet, nec hìc nec in futurum, ſicut dictum eſt ad Samaritanam: nūc dicamus quid ſignificet, cucurrerunt in ſiti: hoc eſt, feſtinauerunt vt perfidiæ ſuæ æſtu fontem viuū negantes æterna fauces ſuas ariditate ſiccarent: ſicut ipſe dominus ait: Me dereliquerūt fontem aquæ viuæ: & fecerunt ſibi cōtritos lacus. Nec mirum ſi ſitierunt qui aquā fontis æterni tenere non poterāt, lubrici perfidiæ ſuæ rimis. Sitierūt ergo, quia ſe potu priuauerunt ſpiritali, quē hauſerant de conſequēti petra. Vnde & Symmachus ait: τῷ δόλῳ αὐτῶν ἐψεύσαντο. Hoc eſt, placuit illis in mēdacio, cùm obiicerēt falſa pro veris. Omne mendacium ſitim habet, veritas hubertatem, quæ in perpetuum perſeuerat. Et quàm citò, probauit, quia cucurrerunt in mēdacio. Ore ſuo, inquit, benedicebant, & corde ſuo maledicebant.) Miſera perfidorum ſitis, qui aliud tenebant corde, & ore aliud loquebantur. Vbi autem fidei exundat hubertas, corde creditur ad iuſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem. Quomodo autem benedixerint ore, & corde maledixerint, ſeries paſſionis oſtendit, cùm dicerent: Deſcendat de cruce. Stulti, de morte ſurrexit, & non crediderunt. Quomodo ſi de cruce deſcenderet, credidiſſent? Sperauit in domino, eripiat eum: liberet nunc eum, quoniam vult eum: quia illudentes potius quàm optantes iſta dicebant, & interrogabant vtrum eſſet dei filius, verbis pacifica loquentes, corde accuſationem ſacrilegij cogitantes. Sed hæc myſtica: veniamus ad moralia. Etenim quoniam non ſemel appetitur Chriſtus: appetitus eſt ſemel in ſuo corpore quod ſuſcepit in virgine, appetitus eſt frequenter in eo corpore quod eſt eccleſia. Nos enim ſumus corpus Chriſti & membra. Appetitur & in ſingulis ſanctis ſuis & innocentibus, qui domino ſe dicarunt. Recordamur aliquem proximè ab omnibus appetitum, à ſuis deſtitutum ac proditum, qui dudum in ſuggeſtu locatus imperij, ſubitò egens omniū ab ipſis quorum hæreditarium fuerat ſortitus obſequium, cœpit vrgeri, ingruentibus in exitum, inferentibus mortem, nullo auxiliatore, nullo iam ſocio ſui, nullo comite. Quid aliud melius dixerit, quàm quod ex ipſo cui ſe deuouit acceperat: Nónne deo ſubdita erit anima mea? Hoc eſt, Quid perſequimini? Quid furitis? Quid inſultatis? Carnem poteſtis interficere, animam non poteſtis. Vitam iſtam corporis poteſtis eripere: meritum non poteſtis extinguere. Scriptum eſt enim: Nolite timere eos qui poſſunt occidere carnem, animā autem nō poſſunt: ſed potius eum timete qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Anima ergo quæ animam & corpus perdere in gehennam. Ab ipſo deo ſubdita eſt, non eſt humanæ ſubdita poteſtati. Ab ipſo enim vitæ fructum ſperat æternæ, & perpetuæ ſalutis auxilium. Ille ergo cui me tradidi, & necatum tuebitur, & mortuum reſuſcitabit, & vlciſcetur occiſum. Raptus eſt iuſtus, ne malitia mutaret cor eius. Mors ergo iſta magis peccati fuga, quàm morientis eſt detrimētum. Etenim ipſe eſt deus meus, adiutor meus, defenſor meus: nō mouebor amplius.) Qui labitur, commouetur, eo quòd de integritatis & innocentiæ ſuæ quadam ſtatione defluat. Semel enim in petra Chriſti locatus, lubricum non debet habere veſtigium, ſed tenere ſtatus proprij firmamētum. Vnde immobilis dicitur qui ſeruat immobilē volūtatem, & propoſitum aliquod intētione animi fidelis exequitur. Nam & dei immobilē voluntatem legimus, ſicut habes ad Hebræos: In quo amplius deus

Matth. 27.

Matth. 10.

Sapien. 4.

Hebr. 6.

1417

deus ostendere volēs heredibus repromissionis immobilita
tem voluntatis suæ, interposuit iusiurandum. Rectè ergo
immobilis voluntas dei, quæ nullius peccati mouetur illecebris. Homines mobiles, lubrici ad relinquendum, faciles
ad errandum. Deniq; de Iudæis dictum est: Transeuntes au-
tem blasphemabāt eum, mouentes capita sua. Et ipse domi-
nus in psalmo: ait: Omnes qui videbant me, aspernabantur
me: & locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Caput omnium
Christus est. Melius est igitur vt maneat Christus in nobis,
quàm aliqua nostri cōmotione moueatur. Vnde Iudæi mo-
uentes capita sua dicebant: Tolle à terra talem. Hunc Gera-
seni rogabant vt de finibus eorum recederet: ecclesia autem
tenuit eum: nec dimisit eum. Ideo illa quæ tenuit eum, possi-
det. Illi qui moueru nt, tenere non possunt. Pulchrè autē ait
euangelista, quia transeuntes mouebant capita sua. Transeū
tes, nō stātes. Stamus in atriis sanctis, prēterimus in plateis.
Sacerdos præteriit, leuita pertransiuit: stetit ille qui vulnera
tus curauit. Et ideo illi non dixerunt qui transibant vi-
am: Benedictio domini super vos: benedicimus vos de do-
mo domini. Stantes enim nō transeuntes sunt pedes benedi
centiū. Denique & vineam cuius soluta munitio est, transe-
untes vindemiant, non manentes. Transeuntes sibilāt, sicut
in Threnis Hieremiæ legimus: Tenuerunt super te manus
omnes transeuntes per viam: sibilauerunt, & mouerunt ca-
put suum super filiam Hierusalem. Ideo sacerdos nō potuit
coronari, leuita non potuit, quia transierunt & tanquā vm-
bra præterierunt. Stephanus autē martyrio coronatus est,
quia stantem videbat dominū Iesum, immobilem, non præ-
euntem. Immobilis ergo fide Stephanus immobilē Chri
stum videbat: nullo erat mortis timore commotus. Nō mo-
uit se Stephanus, non mouit & Christus. Cōmoti sunt filij
proditoris, de quibus dicitur: Commoti amoueantur filij e-
ius, & mendicent. Eget enim medico qui mouetur. Inops
peccator, diues est iustus: quia nullo bono deficit, qui do-
minum semper inquirit. Et quia inde tractus est sermo, quia
dixit, Non mouebor amplius: quòd moueri ad culpam sit,
ostendit ipse Dauid dicens: Qui posuit animam meam ad vi
tam, & non dedit commoueri pedes meos. Vnde & sancto
dicitur à domino deo nostro: Tu autē hic sta mecum: quo-
niam qui deo proximus est, lapsui non potest esse vicinus.
Omnis enim culpa velut aduersario nisu de loco deiicere, &
de proprio statu mētem mouere consueuit: quod vel ab ho
ste vel ab luctamine tractum videtur. Perturbat ira, incen-
dit libido, stimulat inuidia, excruciat auaritia, timor deiicit,
mœror affligit. Et Petro dictum est à domino Iesu: Veni re-
trò post me. Nō dixit, Veni retrò (hoc enim diabolo soli di-
xit) sed, Veni retrò post me. Nō est enim retrò qui post Chri
stum est. Sed quia errabat Petrus, sicut dominus ipse ait ad
ipsum, quia non sapis, inquit, quæ dei sunt, sed quę sunt ho
minum: ideo post me veni, vt incipias non humana, sed di-
uina sentire. Ideo & hic iustus rapiēdus è terris ait: Non mo
uebor amplius. Dissolui enim, & cum Christo esse, multo
melius. Non enim labi poterit qui cœperit esse cum Chri-
sto: quia mors iusto non naturæ finis, sed culpę est. Inter has
voces subitò videt agmina persequentium, & inter pericu-
la positus non de se solicitus, sed de his quos liberare cupie-
bat, ait: Quousque irruitis in hominem interficientes vni-
uersos? Si me quæritis, cur alios vultis occidere? Offero me
ipse pro multis, quia pro omnibus solus se ille potuit offer-
re, qui auctor est omnium. Ipsius ergo quem sequebatur i-
mitator, ait: Si me quæritis, sinite hos abire: vt impleretur
sermo quem dixit Iesus: quia non perdidi ex ipsis quēquam
præter vnum (hoc enim in alio libro sententia domini com-
prehendit) qui tamen sua magis periit voluntate, quàm mea
inquit, seueritate punitus est. Et cùm ego me sponte offe-
ram, irruitis & incumbitis tanquam parieti inclinato, & ma
ceriæ impulsæ. Hoc est: Apex dudum nobilis sedis augustæ,
& circunfusi toto orbe Romano validus quondā murus im
perij, sicut paries inclinatus, aut maceries impulsa collabor.
Sed esto: ad mortem me vsque appetierunt, quæsierunt ad
necem, dicentes, Tollamus iustum, tollamus misericordem,
quia grauis est nobis etiā ad videndum: sed etiam existima-
tionem meam, castimoniam meam sauciandam falsis calum
niis putauerunt. Hoc est enim. Precium meum cogitauerūt
repellere: quia precium nostrum pudicitia est, quæ nos sepa
rat à pecudibus, angelis iungit. Precium nostrum misericor
dia est, quæ nos, dum confertur inopibus, redimit à morte.
Precium nostrum fides est: quæ omnes homines gētili erro
re & seruitute depressos, Christo acquisiuit. Preciū nostrum
bona existimatio est, quia vniusquiusque nostrū meritorum
series æstimatur. Precium nostrum munditia atque simpli-
citas est, quia scriptū est: Possessio preciosa vir mundus. Ni-
hil enim præciosius viro simplici. Vnde Apostolus pulchrè,
Abundauit, inquit, in diuitiis simplicitatis suæ. Quid enim
simplicitate ditius? quæ sicut bonus paterfamiliàs satis sibi
abundat, & sua puritate contenta, non quærit alienum, nec
abrodit, sed de se cæteris fingi. Innocens enim credit omni
verbo, nec se in artes varias sæpe cōmutat: sicut astutia, quæ
vt sit cauta, timet omnia: nec se consiliis suis credit: versat
suas ipsa sententias. Simplicitas autē timere nil nouit. Hoc
igitur genere precium iusti repellere tentauerunt: etsi pos-
sit & illud intelligi, quia aurum eius manibus accipiebant,
corde intimo repellebant, prędam tenentes, fidem negātes.
Vnde & ait: Cucurri in siti: eo quòd fides quæreret, & in-
uenire non posset, destitutus à sociis, à propriis derelictus.
Sic dominum Iesum legimus in euāgelio & esurisse, & sitis-
se, cùm esuriret fidem nostram, sitiret opera nostra, quęrere
videretur aliena. Aut vt ad sitim corporis referamus, quan-
ta indignitate dicit, Cucurri in siti. Hoc est: Ego sitiebā, cùm
alij mea vina ructarent: & ex illo suggestu sublimis impe-
rij, opulentiáque regali, ad extrema sitis plebeia quadā vti-
litate deductus sum. Et quia Græcus habet ἔσραμον, quod
significat & cucurri singulariter, & cucurrerunt pluraliter:
potest & sic intelligi: Cucurrerunt in siti, quorum fauces æ-
stu nimiò fundendi mei sanguinis aruerunt. Sicut enim est
sitis fidei, ita & perfidiæ. Sitim illam iustus sitit, qui ait: Siti-
uit anima mea ad te deus. Istam perfidi, quorū lingua præsiti
aruit. Quam sitiuit ille qui inter conuiuij dapes & pocula
constitutus innocentis conuiuæ necem moliebatur Augu-
sti. Nónne tibi videbatur impiè, cùm manducares, cædem
parares, quòd humana sub dentibus tuis ossa crepitarent?
cùm vinum biberes, & parricidium cogitares, quòd illis po-
culis sanguinem tibi innocentis infunderes? Ita prorsus alie
nus non solum ab imitatione, sed etiam à lectione diuina, vt
non tibi veniret in mentem versiculus ille psalmorū, Tv ve-
rò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul me
cum dulces capiebas cibos: atque ille alius cuius meminit in
euangelio ipse dominus Iesus, Qui edit mecum panem, le-
uabit super me calcaneū suum. Quid tibi faciam Ephraim?
quid tibi faciam Iuda? Plures reliquisti nobis proditionis
tuæ & fraudis hæredes. Hæc enim etiam ad proditorem Iu-
dam potest per apostrophen deriuari: Prodidisti vitam, re-
gnum domino. Sed Iesus dominus semel in se, frequenter in
seruulis suis proditur. Quod enim vni horum minimorum
feciſtis, mihi, inquit, feciſtis, Tu commissos, tibi loculos &
pecunias pauperum susceptisti, iste prouincias sibi creditas.
Tu apostoli honorem, ille militiæ dignitatem, administra-
tionis infulas. Numero honores eius, vt crimē exaggerem.
Conuiuij violastis vterque consortium: tu tamen de conui-
uio ad proditionem surrexisti, iste ad necem. Hoc est, tu li-
cet in scelere verecundior, qui negasti quòd inferendā necē
credideris domino quem prodebas, qui preciū refudisti, ne
residere apud te merces parricidij videretur. Iste non solum
tenuit acceptā, verumetiam extorsit non oblatam mercedē
proditionis. Iste non solum deceptus non est alieno menda
cio, sed fefellit suo, & fefellit vt occideret. Et cùm ille con-
uiuium recusaret, qui se videret esse perimendū: iste sacra-
mentū obtulit, ne qua periret sibi cumulandi pars criminis.
Postremò superioris proditoris pecunia profecit ad sepultu
ram peregrinorū: iste sepulturā integrā suo principi denega
uit. Nec defuit qui manū lauaret dicēs: Innocēs sum à sangui
ne iusti huius: in quo se Pilatus nō diluit, sed inquinauit, &
implicauit, nō exuit. Nam etsi nullū pondus in perditorum
iudiciis, tamen vinculum maius in confessionibus. Iustos e-
nim non absoluit sententia, sed sua vita. Iniusti seipsos vehe
mentius suis vocibus alligāt, qui alios alligare nō possunt.

Psalm. 41. Maxim⁹ Tyrannus Gratiani imperatoris persecutor.

Psalm. 54.

Ioan. 13.

Matth. 25.

Matth. 27.

Tamen ne huic quoque deesse confessio propria videretur, iurauit, vt peieraret. Lauit manus cùm euangelium tãgeret, ne quid deesset exẽplo. Lauit aqua manus, vt sceleratius inquinaret innocentis sanguine. Nec Herodes defuit, cui alter Pilatus se placiturũm credidit, si captum principem destinasset. Quid illud quoque dicam, quòd is quoque vestem dealbatam indutus est ad illudendum: postea quoque regia veste donatus est ad moriẽdum: ne amisisse honorem debitum videretur? Nam etsi scelere interiit, ius tamen collatæ sibi potestatis etiam mortuus reseruabat, eorum ipsorum à quibus negabatur, vel ministerio, vel assensu. Addebatur huic tento sceleri pompa feralis: nisi is qui impatienter ista deflebat, cognitis quæ parabantur, iusto commotus dolore increpasset victorem superbum, tyrannis illa non regibus inferri solere. Sic horrere flagitiis, & sic citus deposuit teterrimi sceleris apparatum. Nec petitor igitur sepulture defuit: etsi Ioseph ille qui iustus dicebatur, defuit. Sed longè Maximus sæuior denegabat quod ipse Pilatus auferre non potuit. In quo parricidæ humanitas defuit, innocẽti tamen non defuit gratia: & ad tempus assumpta patientia, vindicta paululum comperẽdinata est. Ideoque ait: Veruntamen deo subiecta est anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea: quia ipse est deus meus, & salutaris meus, susceptor me°: nõ emigrabo.) Hoc est, Nunquid sepultura negata corporis, perpetuæ quietis mensionem mihi abstulit? Habeo habitaculum meum in domini tabernaculo, & in sancto monte eius requiescam: non emigrabo humano scelere, qui domini fauore susceptus sum: quia neque mors, neque gladius, neq; tribulatio à charitate Christi me separare poterunt. Non enim innocens de tabernaculis iustorum, sed peccator emigrat. Migrant Iudæ proditoris hæredes: de quibus & similibus eorum meritò dicitur: Cõmoti amoueantur filij eius, & mendicẽt eiiciantur de habitaculis suis. Quod bene & ad dominum Iesum Christum refertur, qui cùm descendisset in terras vt crucifigeretur, sepeliretur non emigrauit à patre, sed in patre mansit. Traditus sum, & non egrediebar.) Nec deposuit quod erat, sed reseruauit: nec desiuit esse in dei forma, sed perseuerauit nõ imminuta per susceptionem corporis dei gloria, sed manente, triumphum acquisiuit, potentiam non amisit. Vnde ipse ait: Amodo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis. Vnde conuocatos Gentium populos, & acquisitos patri suo sanguine, hortatur ad fidem dicens: Sperate in eum omnes conuentus plebis meæ. Hoc est, non solus Israel, sed omnes, inquit: nec solæ reliquiæ, sed etiam Gentium plenitudo: nec solæ Gentes, sed Israel. Cùm enim intrauerit plenitudo Gẽtium tunc omnis Israel saluus erit. Quis potest diuina mysteria comprehendere? quorum tanta multitudo est, vt iure Paulus miretur, meritóque dixerit: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei. Repulsæ Gentes sunt, vt eligeretur Israel. Cęcatus est postea Israel propter vocationem Gentium: & cæcati Israel reliquæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt, postquam intrauit Gentium plenitudo. Ita culpa Israel profuit Gentibus: fides Gẽtium Israelitem populum liberauit. Effundite, inquit, corã illo corda vestra.) Qui induit fidẽ, prius perfidiam debet exuere, euacuare cor suum omni labe malitiæ, vt capax fiat cor eius gratiæ spiritalis. Id eoque Apostolus ait: Renouamini spiritu mentis vestrę. Cũ enim effunditur vetus malitia, noua sumitur gratia, qua vnusquisque renouatur. Dicit ergo filius dei: Effundite coram illo corda vestra: quia sciebat patrem esse dicturum: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Est etiam illa traditio, vt cor nostrum videamur effundere, quando omnes cogitationes alicui & voluntates nostri cordis aperimus. Ergo iactemus in deum cogitationes nostras, nec aliquid eum latere credamus. Effundimus cor nostrum cõram ipso, cùm disceptationes exinanimus humanas. Verũtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiãt.) Si vani filij hominum, & mendaces filij hominũ: possunt non vani esse filij dei: qui non ex sanguine, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. Nam filij hominũ videntur sibi ponderare æquitatem, & grauitate seuerioris iudicij examinare iustitiã, duri aliis, remissi operibus iniquis, sermone censores. Vnde Salomon ait: Execrabile domino duplex pondus, & statera fallax non bona. In quo significat eos qui rapinam inexplebili corde meditãtur, sobrietatem fronte prętendunt. Tales scribæ ludæorũ sunt, qui onera grauia aliis obseruantiæ durioris imponunt, non habẽtes rectum iugum animæ suę, sed propensa iniquitate curuati: ipsi autem suorũ refugi præceptorum sunt. Inuenitur itaque in auaritia tanquam in radice vitiorũ omniũ, quæ sit caput iniquitatis & fomes: quam homo renuncians mũdo, & consepultus Christo per baptismatis sacramentum, qui sit mortuus sęculo, declinare debet atque defugere. Nolite, inquit, sperare in iniquitatem, & rapinam nolite concupiscere. diuitiæ si fluant: nolite cor apponere.) Vides quia fluunt: non vides quia præterfluunt? Nudus es natus, nudus moriturus es. Quid excipere quæris quod tecum auferre non possis? Fluenta sunt quæ miraris. quomodo veniunt, sic trãseunt & recedunt. Solus Iordanis retrorsum conuersus est, in quem conscendisti: qui te admonet vt in ipsum naturæ fontem & originem reuertaris, quæ te nudum, non veste amictum edidit, vt discas superflua non requirere. Hoc quod erubescis, esse te nudum, culpa docuit, non natura. Nulla enim esset verecundia genitalium, si culpa non esset. Neque enim cætera animalia vestiuntur vt tegantur, neque vestiuntur vt muniantur. Satis munita sunt omnia naturæ suæ tegmine: nos dum superflua quærimus, tegmen naturæ amisimus, ius commune perdidimus. Ideoque in hoc psalmo adscribitur doctrina medicabilis, quia vel Idithum vel seipsum illius nomine exercitio spirituali subeundis tentationibus erudiuit, vt in angustiis quis positus subiiciat se deo: etsi peccauit antè, peccare desistat, nec recidiuo errore moueatur. Semel locutus est deus, duo hæc audiui.) Semel locutus est deus, & plura audita sunt: quia non per literas & syllabas est locutus: locutus est per ænigmata: locutus est per visiones: locutus est per diuisiones gratiarum: locutus est per spiritum singulorũ. Nos autem plura loquimur, & vix audimur. Semel locutus in lege est: eadem iterum locutus est in Euangelio. Aut fortè (vt ego puto) quia multipharìam locutus est in prophetis: nouissimè autem locutus est in filio suo. Semel locutus est, quãdo locutus in filio est: & audita sunt etiam illa quæ antè audita non erant ab iis quibus locutus fuerat per prophetas. Semel ergo locutus est in nouo testamento, & vetus auditũ est testamẽtum, quod nõ audiebatur, quia ipse dominus dixit de populo Iudæorum: Videbunt, & non videbunt: audient, & non audient. Audient aure corporea, sed non audient mentis auditu. Nobis ergo, hoc est ecclesiæ, semel locutus est, & duo audita sunt: quia & illa audiuimus & intelleximus, quæ non intellexerant qui legerunt, non audierũt qui audierunt. Solus enim Christus aurem aperuit humanã ad cognoscenda mysteria, solus libri signaculum soluit, & resoluit ænigmata prophetarum. Ideoque ipse reddet vnicuique secundum opera sua: in quo & qualitatem operum comprehendit: vt aut complurium & meliorum restituat præmia meritis singulorum, aut contra & numero grauemur & acerbitate meritorum.

Roma 8. *Psalm. 108.* *Marc. 14.* *Roma. 11.* *Ibidem.* *Ephe. 3.* *Ioel. 2.* *Ioan. 1.* *Prou. 20.* *Hebr. 1.* *Marc. 4.*

FINIS.

1421

Diui Ambrosij

MEDIOLANEN. EPISCOPI, *commentarij in Psalmum centesimum decimumoctauum.*

Prologus.

LIcet† mystico quoq; veluti tubę in crepuerit sono Dauid propheta, tamen moralium magnus magister, quantum in eo excellat ethica, psalmi huius summa declarat gratia. Si quidē cùm suauis omnis doctrina moralis sit, tum maximè suauitate carminis,& psallēdi dulcedine delectat aures, animúmque demulcet. Meritóque plerisque locis moralium Psalmorum sententias tanquam stellarū diffundit lumina, quæ lucent atque eminent: Centesimum verò & octauumdecimum Psalmum, velut pleni luminis Solem, meridiano feruentem calore, in processa libri cōstituit ætate, vt neque matutini ortus semiplena exordia, neq; vespertini occasus quidā senilis defectus, claritati aliquid perfecti splendoris decerperent. Quem per singulas Hebræorum digessit literas, vt quemadmodum paruulorū ingenia primis literarum elementis assuescunt discendi vsum assumere: ita etiam nos huiusmodi elementis vsum discamus vidēdi. Literis autem singulis octonos versiculos adscripsit, vt simul & vnitatem doceret, non pluralitatem, (vnitas enim coërcet omnia & regit, cui subiecta omnia sunt) & purgationem legitimæ sanctificationis. Octaua enim die solēnis purgatio, vel ex lege: quia octaua die circūcisionis solennitas impleri statuta est, vel quia totus mundus coinquinatus erat peccatis nostris,& septem illis pollutus diebus. Vbi autem venit dies resurrectionis, conuiuificati domino Iesu resurreximus, & erecti sumus, in nouitate vitæ præferentes ablutionis gratiam. Meritóque primogenita offerimus animantia in figura primogeniti filij dei, castitatis & simplicitatis spiritale sacrificium deo acceptū, non quarto aut quinto die, ne immundum aut inconsummatum sacrificium sit: sed octaua die, qua omnes in Christi resurrectione non solum resuscitati, sed etiam cōfirmati sumus. Vnde licet in baptismate statim sit plena purgatio: tamen quia ablutionis ipsius sacrificiique rationem baptizatus debet cognoscere, nō offert sacrificium, nisi octauum ingrediatur diem, vt informatus agnitione sacramentorum cœlestium, nō quasi rudis hostia, sed quasi rationis capax, tunc demum suū munus altaribus sactis offerat, cùm cœperit esse instructior, ne offerentis insicitia contaminet oblationis mysterium. Titulus autem psalmi, Alleluia est, hoc est laus dei. In iis enim verè deus laudatur, in quibus est peccatorum remissio. Denique in superiore Psalmo passio domini præmissa est, quæ mundum hunc diluit, vt dignos faceret populos qui deum immaculato ore laudarent. Ipsa quoque literarū elementa, vt omnia Hebræa nomina, non sunt rationabilis interpretationis vacua atque immunia, quorū significationes locis suis apetemus. Centesimus & vndecimus psalmus per has literas in Hebræo in principiis versiculorum digestus est,& est totus ethicus, & cētesimus & decimus mihi ita scriptus videtur. Denique vicenos & binos versus habent,& singulis versibus singulæ explicantur sententiæ. Vnde & per metra esse cuntur esse descripti.

Sermo primus.

PRima litera Aleph dicitur, cui⁹ interpretatio, doctrina est. Sollicitus ergo auditor plenos doctrinæ esse versus qui sequuntur, debes præsumere.

Prof. 1. Beati, inquit, immaculati in via, qui ambulant in lege domini.

Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.

A Quā pulcher ordo, quàm plenus doctrinæ,& gratiæ: non prius, Qui scrutantur testimonia eius, dixit. Potuit enim cōuenire secundum literā: sed prius, Beati immaculati in via. Antè enim vita, quàm doctrina quærenda est. Vita enim bona & sine doctrina habet gratiā, doctrina sine vita integritatem nō habet. In maleuolam etenim animā non cadit sapientia. Ideoque ait: quærent me mali,& nō inuenient: quia improbitate cæcatur mentis oculus,& caligante sibi iniquitate mysteria profunda inuenire non potest. Primum ergo exercenda est vitæ militia, corrigendi mores. Cùm hæc instituerimus ad cursum debitum, vt sit offensionis correctio, puritatis gratia: tunc ad studia percipiendæ cognitionis veniamus suo ordine & via. Prima igitur sunt moralia: secūda mystica. In illis vita, in his cognitio: ita vt si perfectionem requiras, nec vita sine cognitione, nec cognitio sine vita sit. Vtrumque astipulatur alteri. Ideoque ait scriptura: Seminate vobis ad iustitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis. Non prius illuminate, sed semi

Sapien.1.

B nate: nec solū seminate prius ad iustitiā: sed etiā vindemiate, inquit, ad fructū vitæ, & sic illuminate lumē cognitionis: vt perfectio non solū cōsitis, sed etiā receptis fructibus approbetur. In primo quoq; psalmo hunc ordinē tenuit, vt in via ambulandū doceret prius,& tunc in lege meditādum. Qui enim non abiit in cōsilio impiorum, vtique de pietatis via, & iustitiæ semita nō recessit: meritóq; in via ambulans beatus pronunciatur;& die ac nocte meditationem legis exercens, habet gratiā beatitudinis. Quam institutionem secutus Salomon, librum de Prouerbiis scripsit, quo moralē locū vberius expressit, naturalē in ecclesia ste, mysticū in Canticis canticorū: quanquā si diligēter discutias, & in Prouerbiis mystica pleraque reperias,& in Canticis moralium suauitatem. Nam vtique mysticum est: Sapientia ædificauit sibi domum,& subdidit colūnas septem: interfecit suas hostias &c. Hoc quoque in Canticis, licet tam mysticum quàm morale, in quo blanditiarum suauitas & affectus amantis exprimitur: Osculetur me ab osculo oris sui, quoniam optima vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Constitue ergo virginem despōsatam multo tempore,& iusto feruentem amore, quæ multa præclara opera dilecti, probabilium testiū assertione cognouerit, desideriis suspensis dilatam frequenter, iam non ferentē moras, quæ omnia fecisset vt sponsum videret, aliquando votis potitam suis, ad improuisum spōsi aduentum gaudio turbatam, nō quærere primordia salutationis, non verborum vices: sed statim quod desiderasset exigere. Ita ergo & sancta ecclesia quæ in primordiis mundi despōsata in paradiso, prę figurata in diluuio, annunciata per legē, vocata per prophetas, diu redemptionem hominum, euangelij decorem, dilecti expectasset aduentum, impatiens moræ in oscula ruit, dicēs: Osculetur me ab osculo oris sui. Et delectata osculis adiecit: Quoniam optima vbera tua super vinum. Et, vt† moralius dicamus: intellige mihi carnem illam quæ madefacta fuerat in Adam serpentis veneno, quæ criminum marcebat fœtore, quæ procedebat in filiabus Sion alta ceruice,& nutibus oculorum,& itinere pedū trahens tunicas,& pedibus suis ludens, crinium cincinnis & compositis vultibus atque redimiculis & omni affectato decore plus dedecens: eādem tamen plurimis edoctam oraculis quòd venturus esset, qui serpentis illecebris exclusis, sancti spiritus infunderet gratiā, vt omnis caro videret salutare dei, omnis caro ad deum veniret, inarsisse desiderio: sed meruentem ne vt impatiens, vt lasciua, vt luxuriosa, vt querula, sicut antè fuerat, displiceret, quanuis longiore quàm ferre iam poterat, morātis aduētus dominici expectatione quatereretur: nō immurmurātem tamen: nec transgredientem: sed leuantem in omni loco puras manus sine ira & disceptatione, in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantem se, nō in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste preciosa: sed iis quę castitatis & bonæ conuersationis decerent gratiam, orare dicentem: Osculetur me ab osculo oris sui, quoniam optima vbera tua super vinum. Iam volebat adhærere Christo caro, iā festinabat innubere, vt esset vnus spiritus,& fieret caro Chri-

Principium libri cantico rum Salomonis huic operi inserto rum.

† moralia

Luc. 3.

1. Tim. 2.

Canti. 1.

ro Christi,quæ erat antè meretricis. Oſculetur,inquit, me. Oſculatur nos dei verbum,quando ſenſum noſtrum ſpiritꝰ cognitionis illuminat.Et tanquàm deſpiciens omnes iucun ditates & delectationes ſuas,cœleſtibus cupiens inhærere mandatis,ait:Quoniam optima præcepta teſtamentorũ tuo rum ſuper omnem oppeteniam carnis, & ſeculi voluptatẽ. Meminerat enim ſe in Eua antè ſic lapſam:at dum voluptatem corporis præfert mandatis cœleſtibus,ait:Vnguentum exinanitum nomen tuum. Hoc eſt,totus immundis impuri tatibus diuerſorum facinorum fœtebat hic mundus: nunc ſpirat vbique ſuauitas pudicitiæ,vnguentum fidei,flos integritatis.Et à moralibus venit ad myſtica, dicens:Introduxit me rex in cubiculum ſuum,exultemus & lætemur in te,dili gamus vbera tua ſuper vinum.Simplex eſt enim oſculũ?negocioſum autem cubiculi ſecretum. In ipſo quoque euange lio pulcherrimus de moralibus locus eſt, vt vnuſquiſq; vas ſuum mundet,dicente domino: Phariſeæ cæce,mũda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, vt fiat & id quod foris eſt,mundum.Nam niſi ſe vnuſquiſque intus mundauerit:etiam ſi foris ſpecioſus videatur & iuſtus, ſimilis erit dealbatis ſepulchris,vt foris quidem iuſtus videatur,intus verò ſit fœtidus . Sic eſt doctrina ſine vitæ innocentia . Sed nec ipſa doctrina poteſt mercedem habere,vbi gratia non habet innocentiam.Peccatori enim dixit deus.Quare tu enarras iuſtitias meas?Sed reuertamur ad propoſitum pſalmum.

Canti.1. *ibidem.* *Matth.23.* *Pſal.49.*

I. Beati, inquit, immaculati in via, qui ambulant in lege domini.

II. Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum.

Primus verſus moralis, ſecundus myſticus Quis hoc dicit? Propheta vtiq; qui fungebatur carnis alloquio, & dicit hoc poſt eũ pſalmum quo deſcripta eſt domini noſtri Ieſu Chriſti paſſio. Vbi ergo & diuina ſacramẽta reuelata ſunt, & induit dominicæ reſurrectionis lætitiam,& paſſionis deguſtauit gratiam,vidit iuſtorũ congregationes, populos redemptorum,perditorũ ſalutem,mortuorũ reſurrectionem, ſanctificationem ſacramentorum,exclamauit dicens: Beati immaculati in via. Hoc eſt , Ecce maledicta terra in Adam cœpit habere beatitudinem,ſi tamen legem domini non derelinquat. Ecce immaculatus eſt homo,qui erat antè pollutus. Quàm precioſum eſt cuſtodire præceptũ domini,quàm precioſum etiam præcepti ipſius ſcire myſterium. Sed quis eſt immaculatus? Nõ vtique qui in quacũque via ambulat, ſed qui in Chriſto ambulat . Ipſe enim dixit : Ego ſum via. In hac via qui ambulat , errare non nouit , ſi tamen ab hac via nunquam recedat. Eſt & via lex,& ideo dum immaculatus eſt,in lege domini ambulet,nec ambulare in hac via deſinat,ne immaculatus eſſe deſiſtat. Non declinet in dexterã aut læuam,non titubet,non reſiſtat,non expectet,ſed ambu let ſuperiora obliuiſcens,& ea quæ ſunt priora appetens,ad deſtinatum ſequatur brauium, feſtinet,contendat vſque in finem,Finis enim legis eſt Chriſtus. Multi volũt ambulare in via,ſed non vſque ad finem . Non ambulant Iudæi vſque ad finem,qui non vſque ad Chriſtum ambulant. Non ambu lat Manichæus in via qui legem refutat:ſed ambulat vera fides,quę & legem ſuſcipit,& plenitudinem legis agnoſcit. Si quis ergo in via ambulat,ſcrutetur teſtimõia domini. Quod licet myſticum ſit, tamen etiam moralia in ſe habet:quoniã melius poteſt ambulare in via qui ſcrutatur domini teſtimonia. Nam vt quis intemperantiſſimus captus adulterinæ cupiditatis æſtu, & victus libidine,vel indulgens flagitiis,qui repugnare nolit appetentiæ ſuę carnis,conuerſus huc atque illuc ſi neminẽ fortè videat flagitij ſui teſtẽ,in facinus ruat: idem tamen quanuis inueniat paratam occaſionem potiendi,explorat diligenter omnia,in diuerſum oculos ſuos,incurioſus iuſtitiæ,ſolicitus famæ,detorquet frequenter,erubeſcens teſtimonium erroris,qui non erubeſcit errorem: ac ſi quem fortè ſpectatorem cognouerit facinoris ſui,verecundia ſequeſtrat intemperantiam , & quanuis cum ancilla vel meretrice vulgari, vbi nullum ſit deprehendendi periculũ, tentamẽta moliatur libidinis , pudore tamen inceptum deſerit. Quando magis ſi quis alleuet mentis oculos,& cõſideret plena eſſe angelorum omnia,aërem,terras, mare, eccleſias,quibus angeli præſunt, (mittit enim dominus angelos ſuos ad defenſionem eorum qui hęredes futuri ſunt promiſ ſorum cœleſtium)concepto poteſt renunciare peccato : Vn de iſta turba innocentium,niſi ex illis peccatoribus:Eadem natura eſt omnium,ſed diuerſa diſciplina. Circũciſio nihil eſt,& gentilitas nihil eſt:ſed obſeruantia mandatorum dei, naturæ ipſius auget gratiam : merita commutat ille qui dicit:Tenebræ in circuitu, & parietes me operiunt, peccatorum meorum non erit memor altiſſimus.Non reueritus eſſes angelorum præſentiam,ſi præſentes eſſe crederes . Non metueres non dicã facere, ſed loqui, aut etiã cogitare quod prauum eſt,ſi tibi diuina ſcriptura ſuaſiſſet,quia deus cogitationum arbiter, ſecretorum teſtis eſt verax, ſicut ipſe ait: Eſtote mihi teſtes,& ego teſtis,dicit dominus deus,& puer meus quem elegi?Hominẽ vereris præſentem, dei patris & filij non vereris præſentiam ? Sed non vis credere, ne poſſis cauere:non vis audire cùm legitur quia deus nouit occulta hominũ,ne incipias ſcire quod timeas, & timere ne pecces. Audi ergo ſcripturam diuinam, vt cõuertaris à via praua & maligna. Noli ſicut cæcus oculis corporalibus, aut ſicut ſurdus,qui eò quòd non poteſt videre nec audire præſentes,ſolum eſſe ſe credit,& in plurimorum cœtu, dum putat nullũ eſſe preſentem,perpetrare adoritur quod arbitratur eſſe ſecretum.non poteſt enim videntes videre qui non videt. Similiter & tu mentis cæcatus oculis noli æſtimare quòd ſine teſte delinquas,quia hominis præſentiã declinare potuiſti. Plures ſunt qui redarguunt,quàm quos cauere potuiſti.Ipſum te fugere tui accuſatorem non potes, quẽ conuenit propria conſcientia.Et ſi negas aliis,tibi non negas.Et ſi homini inficiaris,deo fateris.Et ſi volueris negare, tuæ te cogitationes reuincunt.Heliſæo aſſiſtebant angeli, quos videbat: & ideo agmina hoſtium non timebas:ſed timebat puer eius qui angelos non videbat.Aperuit oculos eius ad vocẽ prophetæ gratia dei, vidi angelorum exercitus, & credidit eſſe præſentes,quos antea, quia non videbãt, putabat abſentes. Et tu lege prophetam vt videas,lege vt aperiat oculos tuos nec te hoſtilis legio perterreat, & obſeſſum eſſe te credas, qui liber es,qui munitus es ſpiritalibus turmis, ſi prophetã non derelinquas. Cùm tibi Propheta loquitur,quia deus dixit:Ego cœlum & terram compleo:cùm tibi propheta dicit quia plures nobiſcũ ſunt,quia in circuitu noſtro angeli ſũt: attolle oculos mẽtis,& videbis non ſolum angelos,ſed etiã deum, qui dicat tibi : Aperi mihi ſoror mea, proxima mea, Pulſat ad ianuam,& quando tu dormis:ſi tamen vel excitatus euigiles,vel vocatus ianuam tui pectoris aperias.introibit.Quòd ſi fugias lectionem propheticam,ſi domi non legas,in eccleſia audire nolis:nonne ſicut ille qui auerſo conniuet obtutu ne videat quod poſſit videre, claudit oculos ne aſpiciat,cui poteſtas videndi eſt:aut ſicut in furore pleri que iniecêre manus oculis ſuis:ita & tu primo auerteris cõniuenti magis diſſimulatione,quàm refragatione præruptꝰ? Nam cùm ad eccleſiam venis,& Chriſtianum te aſſeris,ſanꝰ videris,aperis oculos quibus poſſis videre : ſed dum audire diſſimulas quæ leguntur, claudis ne videas tibi,etſi aliis videre videris:iniicis etiam quaſdam perfidiæ & intemperantiæ manus oculis animæ tuæ,& cæcitatem infers cordi tuo, quod eſt grauius,volentariam,vt videns non videas, audiẽs non audias.Putas te ſolum eſſe cùm fornicaris,& non recordaris quia oculi domini vident orbem terrarum?Non audis dicentem : Ecce venit hora vt diſpergamini vnuſquiſque in ſua, & me ſolum relinquatis:ſed nõ ſum ſolus,quia pater mecum eſt? Adeſt ergo pater,adeſt & filius dei:aſſunt miniſtri,aſſunt Cherubin & Seraphin,qui dicunt,Sãctus,ſanctꝰ, ſanctus:plena eſt terra maieſtatis tuæ. Plenus eſt enim mundus ſanctarum virtutum,quia plenus eſt nequitiarũ.Plenus eſt orbis terrarum remediis, quia plenus eſt laqueis . Putas quòd in lupanari Chriſtus te non videat, quem videt lupanar ingredientẽ? Putas quòd in adulterio te nõ deprehẽdat, quẽ videt adulteriũ cogitantem? Num parietes refugit,qui ſpectat errores?& ſecretũ criminis auerſatur, qui ſcenã criminis intuetur?An putas tunc primum te intrare meritoriũ, cùm fornicẽ meretricis ingrederis?Intraſti iam,quando cogitatio-

Ecclc. 23. *Eſaiæ 43.* *4.Reg.6.* *Hieron.23* *Cantic.5.* *Ioann.6.* *Eſaiæ 6.*

1425

gitationes tuas meretrix introiuit. Intrasti iam quãdo ad prophendam prostibuli cupiditatem gressu mentis intrasti. Pulsasti lupanaris fores, quando ad mulieris concupiscẽdæ decorem oculos mentis aperuisti. Et si verũ audire vis: quomodo te in lupanari non vidit Christus, quando te vidit qui adulterãdo in corde tuo teipsum lupanar esse fecisti? Deniq; ipse dicit dominus Iesus: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eã, iam adulterauit eam in corde suo. Vnde tamen tam religiosus in opinione, qui tam probrosus in crimine? Sed acquiesco tibi quòd Iesus te nolit videre, nolit reuincere, qui nolit accusare: nolint videre & angeli: sed videt diabolus, qui tecum introiuit, imò qui te introduxit. Vident mimistri eius qui te circundederunt, ne videres angelos dei. Vidit Belial, vidit legio, qui te impulerunt, ne quis reuocaret, ne quis te teneret. Noli putare quòd colludium tibi præstet silentij, qui volet tecum supplicij habere consortium. Studet plures similes sui videre, & in eo habet gloriã quòd plures perditos fecerit. Ipse est incentor, ipse accusator, ipse in Iudã introiuit, ipse eum ad proditionem impulit, ipse misit ad laqueum. Quanti dicturi sunt in illo die aduersus eũ, Tu nos circunuenisti, tu impulisti. Exemplum quæris? Accipe dicentem Euam, prævaricationis suæ authorem fuisse serpentem. Sed illum implicauit, non se absoluit. Cui respondit dominus: Non præceperam ne gustaretis de ligno solo quod est in medio paradisi: Respondit ergo veritas & pluribus: Diabolum audistis suadentem noxia, me non potuistis audire vitalia mandantem? Et ideo operemur iustitias.

Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Tunc non confundar, cùm perspiciam in omnia mandata tua.

Non solum mandasti, inquit, custodire mandata tua, sed etiam custodire nimis. Quando hoc mandauit? In paradiso quidem mandauit Adæ vt custodiret mandata. Sed fortasse non mandauerat nimis custodire: & ideo lapsus est, ideo inflexus voce mulieris suæ, ideo deceptus erat à serpente, putans quòd si in parte aliqua recederet à mandato, non penitus erraret. sed quia semel à semita mandatorum recessit, totam deseruit viam. Inuenit eum serpens extra viam, & expoliauit, omnibúsque nudum reliquit. Ideo dominus, quia lapsus erat qui in paradiso erat: postea te per legem, per prophetas, per euangelium, per apostolos monuit vt nimiũ custodias mandata domini dei tui. Omne, inquit, verbũ quod locutus fueris, reddes pro eo rationem. Noli dissimulare, ab aliquo mandato iota vnum aut vnus apex non præterit. Noli recedere de via. Si in via ambulans vix tutus es à latrone: quid facies si te extra viam vagantem inuenerit? Dirigantur gressus tui: & ne infirmus sis ad dirigendum, precare vt dirigat dominus vias tuas. Hic optat, Vtinã dirigãtur viæ meæ. alibi dicit: Expectãs expectaui dominum, & exaudiuit me: & statuit pedes meos in petra, & direxit gressus meos. Roga ergo & tu vt dominus dirigat vestigia mẽtis tuæ, quo possis domini custodire iustificationes. Non confuderis cũ respexeris in omnia mandata eius. Antè enim confusus es in Adam & Eua. Denique nudus factus es: operuisti te foliis, quia confundebaris: abscondisti te à conspectu dei, quia erubescebas, ita vt tibi diceret deus: Adam, vbi es? Cùm illi dicit, tibi dicit. Adã enim interpretatione Latina homo dicitur. Hoc est, Homo, vbi es? Et Adam respondit: Timẽs, quia nudus eram, & tota mente confusus, ante cõspectum tuum venire non ausus sum. Ergo ne confundamur, custodiamus mandata domini, & custodiamus omnia. Nam si quis vnum mãdatum custodiat, & aliud prævaricetur, nihil ei prodest. Custodiuit se aliquis à sanguine, nõ custodiuit ab adulterio, vtique in vno conuictus, punitur etiam legibus secularibus: nec prodest ei alterius criminis abstinentia, si in altero fuerit deprehensus.

Confitebor tibi domine in directione cordis.

Aduertis quas vias dirigas:

In cò cùm didicero iudicia iustitiæ tuæ.

A Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas vsquequaque. VIII.

Hoc loco mystica plenius cognoscere se velle testatur, vt ingrediatur penetralia mysteriorum cœlestium, & aperiantur sibi thesauri sapientiæ & scientiæ in Christo abscõditi. Vnde & Salomõ ait: Attrahe nos post te, In odorẽ vnguentorum tuorum curramus. Introduxit me rex in cubiculum suũ. Et fortasse illud quod ait supra, Osculetur me ab osculis oris sui: significat spiritus sancti superuenientis gratiam, sicut angelus ad Mariam dixit: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quando autem introduxerit eam rex in cubiculum suum, passionis tẽpus, lateris compunctio declarat, sanguinis effusio, sepulturæ vnguentum, resurrectionis mysteriũ, vt osculum quasi sponsa acceperit: in cubiculum autem Christi sit introducta ecclesia: non iam quasi tantũmodo desponsata, sed etiã quasi nupta: nec solum thalamum sit ingressa, sed etiã legitimæ claues copulæ consecuta sit. Ideoque quasi in thalamo sita ait: Colligatio guttæ frater meꝰ mihi, inter media vbera requiescit: Quod sit cubiculum quærimus: ipse nos edocet qui ait: Tu aũt cùm orabis, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Cubiculum Ecclesiæ, corpus est Christi. Introduxit eam rex in omnia interiora mysteria, dedit ei claues vt aperiret sibi thesauros sciẽtiæ sacramentorum, clausas antea fores panderet, cognosceret quiescentis gratiam, defuncti somnum, virtutem resurrectionis. In illo cubiculo iustitias domini Iesu nupta reperit. Quæ sunt illæ iustitiæ? Vtique sacramenta baptismatis, sicut legimus: quia cùm venienti ad baptismum diceret Ioãnes, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondit Iesus: Sine modo. Sic enim decet nos adimplere omnẽ iustitiã. In illo cubiculo iustificationes didicit, cognouit consiliũ dei, sicut scriptum est: Quia omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt deum, baptizati baptismo Ioannis: pharisæi autem & legisperiti consilium dei spreuerunt in se, non baptizati ab eo. Quod illi spreuerũt, nos elegimus, & sequimur consilium dei, quo nihil potest esse sublimius. hoc enim diuinum, quo fit remissio peccatorũ. Cùm didicerit itaque iustitias domini, deum timens non confundetur. Denique & Paulus ait: In nullo confundar. Et quia nullus potest perfectus esse sine fauore dei, neq; tutus: ideo rogare debet ne penitus eum relinquat deus. Nã supra rogauit Dauid ne derelinqueretur, dicens: Ne derelinquas me domine deus meus. hic ait: Ne derelinquas me vsquequaque. hoc est, multum. Supra fortè quasi adhuc imperfectus, & in magnis perturbationibus positus se derelinqui timebat: hîc autẽ iam fortior non timet derelinqui vt tentetur, sed rogat ne penitus derelinquatur. Plerunque enim derelinquit deus quos vult probari: penitus autem derelinquit quos deserit. Dereliquit penitus Iudam: non dereliquit autem sanctum Iob, in cuius patrimonium ius tyrannidis aduersario tribuit, in cuius corpus potestatem diabolo dedit: in animam autem non dedit. Nam si dedisset in animam, penitus dereliquisset eum. Nunquid non ideo relictus est Iob, vt relictus probaretur, probatus coronaretur? Dereliquit igitur Iudam, cui ait: Quod facis, fac celerius. Dereliquit enim penitus quem sceleris sui permisit effectui. Alios aũt non dereliquit apostolos, quos cum vidisset esse turbatos, quia dixerat: Quo ego vado, vos non potestis venire: addidit: Non turbetur cor vestrum. Et infra: Iterum venio & accipio vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Denique turbatus Petrus qui derelinqui timebat, ait: Domine, quo vadis? Vidit dominus turbari eum, & respondit ei: Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea. Sic & in mari cùm titubaret, clamauit ad Christum, & porrexit ei dexteram Christus, ne penitus derelictus periret. Nemo autem debet inflari quòd nunquã derelinquatur, vel dolere quòd aliquando derelinquatur. Siquidem ipse filius se dicit derelictum, sicut habes: Deus deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Et ille quidem nunquam derelictus à patre est, cum quo pater semper est. Scriptum est enim: Ecce iam venit hora vt dispergamini

Cant. 1.

Luca 1.

Cant. 1.

Matth. 6.

Matt. 3.

Luca 7.

Philip 1.

Ioan. 13.

Ioan. 14.

Ioan. 13.

Matth. 14.

Psalm. 21.

Ioan. 16.

pergamini vnuſquiſque in ſua,& me ſolum relinquatis:ſed non ſum ſolus, quoniam pater mecum eſt. Sed ſecundum corpus in quo eſt traditus paſſioni, vox iſta proceſſit, quoniam derelinqui nobis videmur quando ſumus in periculis
Roma.8. cõſtituti. Vnde & Paulus ait de patre deo:Qui filio proprio
Pſalm.15. non pepercit,ſed pro nobis omnibus tradidit eum. Dereliquiſſe videtur,quia nõ pepercit qui tradidit morti: ſed non penitus dereliquit,cui dicitur:Quia non derelinques animã meã in inferno, nec dabis ſanctũ tuũ videre corruptionem.

ב
Beth. *Sermo ſecundus.*

IN quo corrigit iuuenior viam ſuam?Superiorum ſancto verſuum non abſurda nobis cecidit diſputatio:ideoque & ſequẽtia perſequi ſtudium fuit. Et primum literæ ſecundæ, hoc eſt, Beth interpretatio conſideranda eſt,quę in Latinum conuerſa,confuſio declaratur.Sed qui viam ſuam corrigit,non confundetur.Verùm quia is qui corrigit, antè in errore fuit: (quomodo enim corrigitur niſi quod ante deflexit à vero?) vtiq; in lapſu poſitus,& adoleſcentiæ luxu,ac laſciuæ ætatis captus illecebris, vbi ad iuuentutis prouectus confinia ſobria mente reſipiſcit:tanquam confuſus animo,quomodo erubeſcẽda deponat,& plena probitatis aſſumat,diu ſecũ voluit, & diuerſis fluctuans cogitationibus librat,atque examinat,ſuperiora obliuiſcens,& ea quæ ſunt priora appetẽs,quẽadmodum viam ſuam corrigat,offenſionémque adoleſcentioris ætatis ſeria iuuentutis frõte prætexat. Vnde ne diu dubitet huiuſmodi,& in incerto hæreat,dat Propheta cõſiliũ, quaſi cum eo ipſe deliberans. Tunc enim ſalubriora cõſilia credimus, ſi propẽſiore meditatione examinata videãtur. Sed ipſa deliberationis ſuſceptio docta definitione diſtinguitur, vt diuerſarum cogitationum anfractus conuerſus auferat,dicẽs:

I.
* al. iunior. In quo corrigit iuuenior * viam ſuam?

Hic enim deliberãtis eſt finis,quo viam ſuam corrigat. Et reſpondet:

* al. ſermones ſuos. In cuſtodiendo verba tua *.

Et bene ad deum conuerſus reſpondit deliberanti, quaſi prece atque oratione delata conſilium hoc domini inſpiratione reperiret,vt nõ preſumptionis humanæ,ſed dignationis diuinæ remedium crederetur.Mens enim noſtra verborum cœleſtium conſperſa ſeminibus,quæ antè degenerabat in ſtirpibus,meliores cultus edere, fructúſque afferre incipit.Dirigamus igitur ſemitas noſtras,nec tortuoſi ſerpentis ſequamur anfractus.Viæ enim domini rectæ:peruerſæ autẽ viæ errantium, de quibus dicitur:O qui dereliquerũt ſemitas rectas.In ordinem ſeges læta porrigitur,atque in verſum quendam vineta ponuntur,ceruorum curſus directior,vul-
Lucæ 13. peculæ flexuoſus. Ideo de Herode dicitur:Ite dicite vulpi illi:quia deflexerat à via recta,nec iter ſuũ in iuuentute correxerat:dignus Hieremiæ threno, quo deflẽtur peccatores, qui iugum verbi in iuuentute ſuſcipere recuſarunt,Ideo captiui ducti ſunt,ideo deplorãtur tanquam mortui, quia vitæ neſcierunt ſemitas,& digna opera cadauerum buſto non declinauerunt. Flens ergo mortem perpetuam Iudæorum
Thren.3. dicit Hieremias:Bonum eſt viro cùm tollit iugum in iuuẽtute:ſedebit ſingulariter,& ſilebit,quia tulit in ſe.Non ſolũ tollere iugũ verbi,ſed in iuuẽtute debemus tollere. Si enim ſerò tollamus,incipimus pœnitentiam ſuperiorũ magis habere,quàm tenere gratiã. Præueniamus ergo iuuẽtutis annos correctione cõgrua,vt magis dicamus ſinguli:Deus qui paſcit me à iuuẽtute mea, quam recordationem habẽtes la-
Pſalm.24. pſuum defleamus dicentes:Delicta iuuẽtutis meæ,& ignorantiæ meæ ne memineris.Hoc debilitatis eſt remedium,illud robur ſalutis. Salutis medicina vulneri quæritur:gratia ſanitati: ideoq; ait:Bonum eſt viro cùm tollit iugum in iuuentute. Ei autem qui poſt decurſæ iuuẽtutis annos iugum tulerit,non eſt ſtatim perfectum bonum. Stimulãt enim eũ peccata ſua, exagitat conſcientiam conſuetudo peccandi,& vſus erroris inſtabilem facit.Luctandum eſt diu huiuſmodi viro,vt abolere faciat inueterata atq; diuturna. Huic in periculo res eſt,illi id bono.Denique ſedebit ille ſingulariter, quaſi is qui facilè non inueniat æqualem, ſingularibus donatus præmiis: & ſilebit quietus & feriatus ab omni interpellatione mundanæ ſolicitudinis & voluptatis, & diuinis
A vacabit oraculis, quæ ſolent ſingulariter ſedentibus reuelari, ſicut ſancto Dauid, qui ait: Quoniam tu ſingulariter in Pſalm.4.
ſpe conſtituiſti me. Et hic quidem non in ſecreto ſolus ſedebat,ſed cùm præeſſet populis:ſingulari tamen gratia præminebat.Helias ſolus ſedebat cùm ab angelo,vel etiam coruis cibum deferentibus paſceretur.Solus,non ſolum ſecretus à turbis,verumetiam,ſegregatus à meritis plurimorum. Denique reuelationes illi diuinæ gratiæ refulgebant, cuius muneris fructum pro mercede adipiſcebatur:quia à iuuentute ſua iugum verbi ſuſcipiendum putauit, nec trahenda longo diutius fune peccata. Poteſt iuuenior iſte qui fecit bonum, tollendo in iuuentute iugum verbi, nondum perfectus,& adhuc iunior,ſegregans ſe à colloquiis æqualium, (quæ plerunque corrumpunt bonos mores) & contagia
B volens fugere peccantium, ita intelligi ſingulariter ſedere & ſilere,ne rudis ætatis facilitate labatur: ſed intendere ſeniorum præceptis,prophetarum oraculis,apoſtolorum magiſteriis:laudandus eò,quia prius vult loquenda cognoſcere,quàm proferre quæ ſentiat,antequam loqui diſcat,timẽs ne multiloquio peccatum contrahat. Vnde puto & Pythagoram illum philoſophum imitatorem iuuenis huius prophetici inſtituiſſe ſectam, vt diſcipuli ſui quinquennio non Pſalm.38.
loquentes tanto ſilentio loqui diſcerent: cùm præſertim & Dauid ſuperioris ætatis quàm Pythagorã fuiſſe non dubium ſit,qui ait:Dixi,cuſtodiam vias meas,vt non delinquã in lingua mea: Poſui ori meo cuſtodiam. Et quia fortè aliquãdo aliquid locutus eſſet incautius:ideo poſtea à deo poni ori ſuo cuſtodiam poſtulauit.Eſaiam quoque Pythagoricis anteriorem fuiſſe quis neſciat?qui cum audiſſet,Clama: non prius clamauerit quàm audiret quid clamare deberet, Eſaiæ 40.
Reſpõdit enim,Quid clamabo?Vnde dictum eſt ei:Omnis caro fœnum:verbum autem domini manet in æternum.Et prophetica voce clamauit. Vterque igitur iuuenis prædicãdus: ille tamen ſerius, hic cautus: ille ſeipſo contentus, & nũquam ſibi ſolus:iſte pulchram ætati lubricæ diſciplinam
C aſciſcens ſilentij:nec adhuc ſibi abundans, ſed aliis ſe timẽs credere: quærens tamen à iuuentute congregare quæ in ſenectute & ſibi & proximis ſuis proſint,ne dicatur ei: Quæ Eccl.25.
in iuuẽtute non collegiſti,quomodo inuenies in ſenectute? Ergo is ſi in conſilio ſeniorum ſederit,manum adhibebit ori ſuo:vt audiens ſententias colligat quod ſibi ad maturiorem ſeruet ętatem:quemadmodum Maria cùm verba Chriſti audiret,conferebat ea omnia in corde ſuo. Quemadmodum Ioannes cùm caput ſuum ſupra pectus Ieſu domini reclinaret,hauriebat profunda ſecreta ſapientiæ.En tibi iuuenem qui viam ſuam in iuuẽtute correxit. Piſcator erat cum fratre ſuo, vidit dominum Ieſum, cùm plicaret retia ſua,& Luca 2. Ioan.21.
audiuit dicentem:Venite,faciam vos piſcatores hominum, Matth.4.
& relictis retibus ſuis,& patre,ſecutus eſt eum.Viam ſeculi cœperat currere, ſed auditis Chriſti imperiis deſeruit viã mundi, ſecutus eſt Chriſtum: probauit quia in eo corrigit iuuenior viã ſuam,ſi Chriſti verba cuſtodiat,dicẽs ad eum: Cantic.
Diligamus vbera tua ſuper vinum. Sic tamen bibẽs,vt non abſorberetur vino: ſed gratia eius lætitiam cordis hauriret,
D non corporis ebrietate titubaret.Denique bibens hoc vinũ aperuit oculos ſuos,& vidit viam rectam,reliquit tortuoſas vias,dicens: Æquitas dilexit te.Hoc eſt,non flexuoſa itinera te ſequuntur,ſed ſolus ad te poteſt iuſtitiæ trames peruenire.Qui enim diligit iuſtitiã,nõ ſe auertit à Chriſto.Quomodo enim arbitrum iuſtitiæ, remuneratorémque meritorum innocens metuat conſcientia? In hoc ergo iuuene ſpectato, hoc eſt, in Ioanne, præuide magna myſteria, quæ in Canticis canticorum ſanctus Salomon repletus domini ſpiritu reſultauit. Conſtitue dominum Ieſum recumbẽtem in conuiuio, reclinantem ſe Ioannem ſupra pectus eius,miráCantic.
tes alios quòd ſeruus ſupra dominum reclinaret,quòd caro illa peccatrix ſupra templum verbi recũberet, quòd anima illa carnis vinculis innexa,aulam diuinæ plenitudinis ſcrutaretur.Hæc ergo mirantibus aliis,reſpondit anima Ioãnis: Fuſca ſum,& decora filia Hieruſalem.Fuſca per culpam:decora per gratiam.Dicit & caro: Fuſca ſum & decora. Fuſca † peccando.
populuere ſeculari, quem † certando collegi:decora oleo ſpiritali,

14:9

ritali, quo mundi huius pulucrem ſqualorémque deterſi. Fu
ſca per vitium: ſed decora iam per lauacrũ, quo ablui omne
delictum. Fuſca ſum, quia peccaui: decora, quia iam me dili-
git Chriſtus, quam relegauerat in Eua, recepit ex virgine, ſu
ſcepit ex Maria. Dicit etiam ſynagoga, cuius myſteria hoc
loco pleriſque videtur exprimi: quæ cùm ſe reiici iam vide-
ret propter totius plebis impietatẽ: ſolabatur ſe tamen, quia
ipſum Chriſtum de populo ſuo, non tantum, ſed & Petrum
Ioannem, Iacobum, Chriſto adhærentes videbat: quia habe
bat eloquia ſibi credita. & ideo dicebat: Fuſca ſum & deco-
ra filia Hieruſalem. Fuſca per incredulitatem: decora per le-
gẽ. fuſca per lapſum: decora, quia dilexit me ſol, & prior fa-
cta ſum cõgregatio dei. Nolite refugere me quia fuſca ſum.
ideo fuſca ſum, quia ſol me reliquit iuſtitiæ, qui ante illumi-
nare cõſueuerat. amiſi colorem vultus mei, obtuſa facta eſt
acies oculorum meorum quibus ante Solem videbam. in te
nebris ambulo, quæ diem Chriſti neſcio. Nolite tamen de-
ſpicere me, quoniã qui reliquit, poteſt rurſum aſpicere, mi-
ſereri iterum. Solet congregare diſperſos, deſertos require-
re, colligere deſtitutos. Omnes tribus Iſrael conuenite, aſpi
cite me decoram ante dilectã. Nolite aſpicere me quoniam
obfuſcata ſum. hoc eſt, non hoc ſolum aſpiciatis, quia obfu
ſcata ſum. Nõ eſt intuit' me Sol, & ideo obfuſcata ſum. Sed
lucet Sol ſuper iuſtos & iniuſtos. Super iuſtos, pro gratia: ſu
per iniuſtos, pro miſericordia: illis mercedẽ meritorum tri-
buẽs, iſtis peccata dimittens. Et gentibus non lucebat antè,
nunc lucet. Nunc illis oritur, qui oriebatur mihi: qui illis re-
miſit, remittet & mihi. Nolite arbitrari quoniam obfuſcata
ſum quòd penitus reliquerit me ſol, & iã nõ intueatur, non
requirat, & gratiam diſſimulauit à me, quia nõ ſeruari man-
data eius: reconciliabitur cùm viderit meorũ pœnitentiam
delictorũ. Non vidit me Sol, quia non recepi aduenientem,
nõ aperui feneſtras vt lumen vitæ intraret. Cùm aperuero,
illuminabit oculos meos, qui venit vt totum mundum illu-
minaret, & videant etiam non videntes. Filij matris meę pu
gnauerunt aduerſus me. Poſuerunt me cuſtodem in vineis:
Vineam meã non cuſtodiui. Putant alij hoc de illis dici, qui
ſynagogam ad legis præcepta cõſtringunt, vt legem cuſto-
diat, vineam ſuam tueatur, quam cuſtodire non potuit. De-
nique cuſtodiebat vt faceret vuas: fecit autem ſpinas. Quæ
ſit igitur vinea, venit Dauid teſtificari nobis dicẽs: Vineam
ex Aegypto tranſtuliſti, eieciſti gẽtes, & plantaſti eam. Poſ-
ſunt & apoſtoli eſſe filij matris eius, qui verè impugnauerũt
ſynagogam, dicentes: Ecce conuertimur ad gẽtes. & natio-
nibus verbum dei ſeminare cœperunt. Poſſunt & prophe-
tæ intelligi, qui monẽdo denunciandóque vt vineam ſuam
cuſtodiret ſynagoga, nihil profecerunt. Fecit enim ſpinas
improbitatis, quæ virtutis vberes fructus deferre debuerat.
Et ideo confitetur, quia populum ſuum cuſtodire non po-
tuit. Meritóque ſerò quærit tenere, quem cùm teneret ami-
ſit, multo diſſimilior eius quæ dicit: Inueni quem dilexit a-
nima mea, tenui eum, & non relinquam eum. Deniq; illa in
uitat in hortũ ſuum ſponſum, hæc vbi paſcat requirens, di-
cit ad ipſum: Annuncia mihi quem dilexit anima mea. Cur
quem dilexit anima mea dicis, & non quem diligit? Cur di-
miſiſti quem tenebas? Dilexiſti patrum fide, amiſiſti increꝺ
dulitate: tenebas chatitatis vinculis, amiſiſti lõgo fune per-
fidiæ. Ideo neſcis vbi paſcat, vbi maneat. nam ſi ſcires, non
quæreres. Dicis enim: Vbi paſcis? vbi manes in meridie? Me-
ridiem noſti eſſe Eccleſiam, quæ tenet Chriſtum, & tu eum
in noctibus quæris? Dic, inquit, mihi Chriſte, reſponde vel
propter id quia antè charus fuiſti atque dilectus mihi. etſi
ego tantæ prærogatiuã charitatis amiſi: tu tamen quaſi pius
reſponde mihi, Vbi paſcis? vbi manes? Reliquiſti me, abiiſti
ad gẽtes, receſſiſti lõgè à me: & illis propior factus es à qui-
bus longè eras. Sed factus es propè, quia crediderũt ſangui-
ni tuo. A me receſſiſti, quia ego crucem tuam non ſuſcepi vt
mundi redemptionem, ſed vt noxij damnationem. Qui aũt
receperunt ſicut ſalutis authorẽ, in meridie ſunt. Illis luces,
illis refulges, illis calet gratia tua ſicut meridies. Mihi matu-
tinus eras cùm adhuc crederem, ſed non credebam plenè:
quia non ſum inuenta in meridie, ſicut Ioſeph qui cum fra-
tribus ſuis cœnabat meridie. Illis meridies factus es, qui pa-

ſcuntur in diuitiis tuis, & in te ſperant. Ideo vt dixit Dauid,
A Deduces eorum iuſtitiam tanquam lumẽ, & iudiciũ eorum *Pſalm.36.*
tanquam meridiem. Quę res ergo tanquam aliena, quæ pro
xima eras: tanquam pauper, quæ diues fuiſti. Vis ſequi quæ
præcedebas. atque vtinam vel ſequaris quos præcedere de-
buiſti. Mercenaria eſſe deſideras, quæ ante mercenarios col
ligebas. Mercenariæ vtique vox iſta dicentis eſt: Ne fortè
fiã circumamicta ſuper greges ſodalium tuorum. Quæ pro- *Canti.1.*
ſelytos ex gentibus antè ſuſcipiebas: nũc ipſa in nationibus
vis proſelytis ſuſcipi, & tanquam aduena congregari. Re-
ſpondit Ieſus: Niſi noſcas te decoram inter mulieres. Quid *Ibidem.*
eſt ſe noſcere, niſi vt ſciat vnuſquiſque hominem ad imagi-
nem & ſimilitudinem dei factum, rationis capacem, qui ter
ram ſuam excolere tanquam bonus agricola debeat aratro
quodam, & falce ſapientiæ, vt vel dura findantur, vel luxu-
riantia recidantur, qui inferiorem ſui portionem animi im-
perio debeat gubernare. Vnde etiam in lege ſcriptũ eſt: At-
tende tibi ne fiat verbum abſconditum in corde tuo. Tibi,
inquit, attende, non vtique dicit pecuniæ tuæ, nõ poſſeſſio-
B nibus tuis, non viribus corporis, ſed animo tuo ac menti tuę
vnde omnia conſilia, facta cogitationéſque manãt. Tibi er-
go attende ibi, vbi potiorem eſſe te noſti. Noſce teipſum. *Noſce teip-*
quod Apollini Pythio aſſignant gentiles viri, quaſi ipſe au- *ſum.*
thor fuerit huius ſentẽtiæ, cùm de noſtro vſurpatum ad ſua
transferant, & longè anterior Moyſes fuerit, qui ſcripſit li-
brum Deuteronomij, quàm philoſophi qui iſta finxerunt,
Vnde & Salomon oraculum diuinũ ſecutus ſcripſit in Can *Canti.1.*
ticis canticorum. Niſi ſcias te decoram inter mulieres. hoc
eſt, niſi cognoſcas te mortalem, rationalem, & citò tua pec-
cata fatearis, citò dicas iniquitates tuas vt iuſtificeris, niſi cõ *Eſaiæ 43.*
uertaris & prior accuſes delicta tua: venit dies mortis, & iã
nullum conuerſionis remedium eſt, præueneris dum nõ co-
gitas. Accende facem tuam priuſquam ſpõſi tibi claudatur
ianua, qui expectare diu non ſolet negligentes. Niſi ſcias te,
inquit, decoram inter mulieres, & dicas: Fuſca ſum, ſed de-
cora. Fuſca ſum, quia peccaui: ſed decora, quia diligor, quia
C genus ſum Abrahæ, electũ genus, dilectũ deo: nihil tibi pro-
derit patrum gratia. potens eſt enim deus de lapidibus iſtis *Matth.3.*
ſuſcitare filios Abrahæ. Et alibi in Euangelio legiſti: quia A- *Lucæ 13.*
brahæ filiam ligauit diabolus nequitiæ ſuæ vinculis, quam
ſoluit dominus die ſabbati. Niſi ergo ſcias te, nihil tibi pro-
derit. Et ſi dicas: Abrahæ ſum filia, quæ non credis, quæ er-
rorem non corrigis: Abraham quidem ſaluatur: ſed te nobi
litas generis non iuuabit, niſi fides ſeruauerit. Non te decꝺ
piat data patribus repromiſſio. Non ſuſcipio perſonam ho-
minis, non ſuſcipio prærogatiuam generis, niſi videro con-
gruentem generi morum nobilitatẽ, vt fiat iuſti generis ele-
ctio. Quòd ſi ſcias te, & cognoſcas quia peccato obnoxia es: *Canti.1.*
Exeundum in calcaneis gregum eſt tibi. Exi ergo nuda pe-
de, & paſce hœdos tuos in tabernaculis paſtorum. Quæ ſine
peccato eſt, agnos paſcit, oues paſcit. Quæ aũt peccato ob-
noxia eſt, paſcit hœdos, qui à ſiniſtris ſunt. Nõ enim poteſt
eſſe in dextera paſtoris boni, ſequatur magis dicentem Pe-
tro: Vade retro me Satana. Sequẽdo Petrus in dextera me- *Marci 8.*
ruit collocari. Ideoq; ei dicitur: Paſce agniculos meos. Sed
D quò exeat, audi. Ad tabernacula, inquit, paſtorũ. hoc eſt ad *Ioan.21.*
gentes, ad diſperſionẽ. Ideoque dixit: Percutiam paſtorem,
& diſpergentur oues gregis. vt repleatur totus orbis terra- *Zacha.13.*
rum grege Chriſti. ſignificans tunc fore ſaluam ſynagogam
cùm ſe huic diſperſioni & ipſa ſociauerit, quæ repleuit om-
nem mundum. Tabernacula enim paſtorum, regna ſunt ter
ræ. ideoque propheta Dauid nationes annuncians credituꝛ
ras, ait: Regna terræ cantate deo. Ergo ſciat ſe iuuenior, vt
corrigat viam ſuã. Sed dicis, Quis poteſt cognoſcere viam
ſuam iunior, vt corrigat? cùm Propheta dicat: Tria ſunt im- *Prouer.30.*
poſſibilia mihi intelligere, & quartum quod non agnoſco,
veſtigia aquilæ volantis, viam ſerpentis in petra, & ſemitas
nauis nauigantis, & vias viri in iuuentute. Si Salomon fate
tur quòd non cognoſcat vias viri in iuuẽtute, quomodo po
teſt iunior cognoſcere? Cui reſpõdebitur quòd illæ viæ vi-
ri in iuuentute nõ cognoſcantur, quæ ſunt ſecus vias ſerpen
tis in petra, & ſecus ſemitas nauis fluctuantis, & veſtigia vo
lantis aquilæ, quæ vngues aſperos habet, & ſupra nubes vo-

lat.

lat,in aëre errat,in mari piſcem interficit:& tamen impoſſibile non eſt hoc quartũ ſicut illa tria. Cognoſcit enim dominus qui ſunt ipſius, & vult vt ſciat ſe vnuſquiſque, ſciat
2.Tim.1. ſe populus dei. Sed eſto non cognoſcantur errantium viæ,
Luc.13. ſicut dicit dominus: Non noui vos,diſcedite à me operarij iniquitatis. Hic autem iuuenior qui poteſt corrigere viam ſuã fortaſſe iunior ſit ætate, non moribus,& habeat in primo flore iuuẽtutis ſuæ ſenilem intellectum,de quo ait:Canicies autẽ eſt intellectus hominibus, quib⁹ maturitas cõſilij,grauitaſq; ſuppetit.Vnde & Hieremiæ dicitur: Noli di-
Hierem.1. cere quia iuuenis ſum.Et vtique erat ætate iuuenis,ſed prohibet eum iuuenem ſe dicere,qui eſſet maturioris prudẽtię. Daniel cùm puer eſſet,accepit ſpiritũ quo dignus ſenectutis
† primitus forte,præmiũ. primitiis † haberetur vt redargueret ſenes, ipſe non ſenior longæuitate,ſed gratia.Erat enim in illo ætas ſenectutis vita immaculata.Cui bene competit Dauidicum illud dicere:
Sapien 4. Pſalm.118. Super ſeniores intellexi: ideoque tanquam de veterani cõſilij, & ſenilis ſcientiæ viro diuinum pronunciauit oraculum. Quis prudentior quàm Daniel? Nunc illud aduerta-
Exech.28. mus, ſi poſſibile eſt vt corrigat iunior viam ſuam,an nõ? Si non eſt,ergo mẽtitur Propheta:ſed quia non mentitur,poſſibile eſt.Ita tamen poſſibile,vt quod impoſſibile videatur, fiat poſſibile,ſi cuſtodiat iunior verba dei:ſi autem non cu-
Matth.19. ſtodiat,impoſſibile. Vnde illud Euangelicũ:Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire,quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Quod quoque in libro Euãgelij impoſſibile eſſe dixit, ſic intelligimus impoſſibile eſſe, quia diuites non cuſtodiũt mãdata dei:ſi autem cuſtodiant,fit poſſibile quod impoſſibile videbatur.Hic eſt camelus qui intrat per anguſtam viã: quæ illum ante capere non poterat concupiſcentem,capit cuſtodientem mãdata diuina:cuſtodientẽ autẽ verba diuina,quia cuſtodit ea. Moyſen quaſi ſeniorem elegit:& nũc quibus hoc ſpiritu dei committitur officij,vt eligant ſeniores viros, eligunt ſine dubio inter ſeniores iuuenem corrigentem viam ſuam in cuſtodiendo verba dei.Et ſi ſenioris ætatis virũ elegerint,non quaſi longæuum vtique elegerunt,ſed quaſi cuſtodientem verba dei,quòd ſi reperitur in iuniore,vtique & ipſe eſt eligẽdus. Liquet igitur ex his quòd non ſenectutis longæuitas eligatur,ſed cuſtodia verborum dei.Denique ipſe Moyſes Ieſum Naue & Chaleb iuuenes præ cæteris approbabat, quorum cõſilium in terræ electione magis quàm multorũ ſeniorũ & ipſe ſecutus eſt,& deus prætulit. Vnde & illud de Iacob quod ſupra diximus, Deus qui paſcit me à iuuentute mea, manifeſtat nobis de eo dictum, qui tulerit iugum verbi in iuuẽtute ſua,& recedens ab Eſau & ſimilibus eius,ſedet ſingulariter in Sion tempus expectãs quo poſſit cum diſciplina proferre ſermonem, & propterea ſpiritali eſt donatus alimẽto, adhuc æui integer,ſed veteranus conſilio.Neq; enim dignũ eſt vt credamus quòd tãtus patriarcha de corporali cibo dixerit,Deus qui paſcit me à iuuentute mea:quia nec corpo-
Gen.28. ralem panẽ deſiderabat cùm diceret: Si dominus deus mecum eſt,det panem mihi mãducare,& veſtem indui:omniũ
1.Cor.9. quę das mihi,decimam decimabo tibi.Nam ſi patres noſtri ſpiritalem eſcam mãducauerunt,& ſpiritalem potum biberunt, quanto magis ſanctus Iacob cibo paſtus eſt ſpirituali? Ille qeoque intellectus hoc loco ſuppetit,nec alienus à vero eſt: quia iuuenior ex congregatione gentium populus: qui antequam in Chriſto crederet, tortuoſo errabat anfractu,in eo corrigit viam ſuam,quia dei verba cuſtodiuit,quę noluit cuſtodire populus Iudæorum:& ideo ille viam ſalutis inuenire non potuit.Cõſideremus & ſequentẽ verſum.

II. In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis.

Si deus repellit vnumquemque quem repellendũ putat, videamus ne excuſationem ei tribuat qui cùm ſequi deum velit, repulſus ſit. Et primum quemadmodum bonus deus repellit ſequentem, niſi ipſe mereatur repelli,ſicut ipſe do-
Matth.8. minus ait: Vulpes foueas habẽt,& ideo quaſi vulpem repel-
Matth.25. lit.Et alibi:Quia omni habẽti dabitur:ab eo autem qui non habet,& quod videtur habere,auferetur ab eo.Cui addidit, Niſi ei qui toto corde exquirit eum,vt quod deeſt naturæ,

id dei operatione acquirat & gratia:ſicut Salomõ qui ex to- 3.Reg.3.
to corde exquirens deum,ſapientiã poſtulauit:& quia non opes ſibi regias, ſed diuinæ munus gratiæ depoposcit, accipere meruit ſapiẽtiæ diſciplinam, repletus eſt dei ſpiritu,vt cognoſceret mãdata omnia. Qui autẽ non habet,vt in corde ſuo exquirat deũ,& facit quidem opus dei,ſed negligenter facit,maledicto ſubiectus eſt,ſicut legimus:Quia male- Hierem.48.
dictus omnis qui opus dei facit negligẽter.Meritò ergo repellitur,quia maledicto dign⁹ eſt:quia polluit magis & impedit opus quod negligenter putauerit exequendum.Conſideremus ergo vtrum bonitas ſit repelli ab opere negligẽtem,an verò retineri? Et imaginem rei huius ex aliis ſumamus artibus.Curat medicus ægrotum,ſed negligẽter,& deſidia medici virus alta vulneris ſerpit. Quãto igitur melius remoueri huiuſmodi medicum qui tempus terit, cùm profectum nullum ſentiat vulneratus, vt curãdi officiũ ad eum medicum transferatur qui maturius poſſit ægroto ſua diligẽtia ſubuenire? Nõne clemẽrior eſt qui repellit nihil proficientem,quàm qui retinet ad diſcrimen ægroti?Conſtitue aliquem præpoſitum ædificantibus vel etiam texẽtibus,qui debeat ſummam operis explicare,vtrum is tibi probabilior videtur ſi in id diligenter inſiſtat, ac ſi quem fortè incurioſum aduerterit de iis qui operãtur in domo aliqua cõſtruẽda,repellat eum,melius credens non ædificare,quàm hiantibus rimis ędificata diſſolui,atq; aliquem in eius ſubſtituat locum qui cum diligentia ædificet?Similiter etiam textrini præpoſitum repulſorem negligentium,vt ſubſtituat diligẽtes,ne longa textrinum corrumpat incuria, non magis probabis quàm illum qui deſides in ſua negligentia perſeuerare patiatur?Tranſi nunc ad eos qui mandata ædificant,& legem intexunt,& animam vniuſcuiuſque receperunt ſanandam.Nõne ſi quis eorum ædificat domum dei cum iuſtitia, texit indumentum cum diligẽtia,ſanat animam cum gratia, opus bonũ facit? Si verò incurioſus ac remiſſus aliquis fabri textoris medici ſpiritalis locũ occupet,vt ſacerdos ſummus,vt presbyter,vt miniſter altaris ſacri: nonne commodius eſt non ſubire vnumquemq; id muneris quod implere non queat,quàm ſubeuntem neque ipſum ſtrenuè ſuſcepto fungi munere,& eripere locũ alteri qui gnauiter eũ poſſit tueri? Qnid quod etiam ipſi conſulitur qui remiſſior cũ ſit repellitur,ne plus offenſionis contrahat?Quid ſit autem re-
pelli,conſideremus. Lectum eſt enim:Sicut vulnerati dor- Pſal.87.
miẽtes proiecti in monumentis, quorũ non meminiſti amplius,& quidem ipſi de manu tua repulſi ſunt.Aduertamus igitur quos vulneratos & proiectos in monumentis repellit,quorum non meminerit amplius.Iſti ſunt qui à mãdatis dei repelluntur.Peccatori autem dixit deus,Quare tu enar- Pſalm.49.
ras iuſtitias meas? Et quia à mãdatis dei.repelluntur,repelluntur vtiq; de manu dei.Et bene proſpexit ne quis de manu dei videatur eripi:quia nemo poteſt quemquã rapere de manu dei. Qui ergo priuatur muneris ſuſcepti officio vel gratia, non rapitur,ſed reiicitur, vt dixit dominus Ieſus ad Luc.13.
Hieruſalem: Quotiens volui congregare filios tuos,& noluiſti?ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Abſtulit illis ſanctificationẽ, altare thymiamatis, & orationis ſacrarium, propitiatorium, altare ſacrificiorum, ſacerdotum & leuitarum miniſteria:& tamen cùm hæc ſublata eſſent omnia quæ ſecundum legis mandara habebãt,ait Apoſtolus: Rom.11.
Nunquid repulit deus hæreditatem ſuam? Non,inquit,repulit,ſed cõcluſit omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. Sunt ergo qui ad tempus à mãdatis propter miſericordiam repelluntur, ſicut & illis conſulitur qui vomũtur. Nam quemadmodum manens in corpore quod vomẽdum eſt,pl⁹ aceſcit:ita qui debet excludi,ſi retineatur,nec ſe corrigat,totum corpus exulcerat.Meritóque angelo Laodiciæ Apoc.3.
dicitur:Hæc dicit teſtis fidelis & verus,Scio opera tua:quia neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus eſſes,vel calidus: ſed quia tepidus es,incipiã te euomere ex ore meo, Apertè negligẽtiam grauiori damnat iudicio quàm impru-
dentiam. Frigidus eſt enim qui fidem neſcit,calidus eſt qui ſpiritus ſancti feruore ſuccenſus eſt. Qui enim calorẽ fidei non habet,tolerabilius illi fuerat fidem non accepiſſe,q̃ neglexiſſe. Eſt enim tepidus peior frigido,vt Iudæus qui ſibi videtur

videtur fidem habere quam non habet. Quanto tolerabilio rem caulam gentilis habet, qui potest dicere: Non cognoui legem, non audiui prophetas: ideo nō credidi: quàm ille qui legit omnia ex quibus venturum Iesum crederet, & non credidit. Neuter quidem excusatur, nec ille qui legit, nec ille qui legere noluit: sed plus delinquit qui negauit quod legendo, quàm qui opera non fecit quæ facienda non nouit. Quantum autem fidei & iustitiæ gratia est, vt in ore dei sit qui fidem tenet, & opera exercet iustitiæ: & quantum amittit quē euomuerit ex ore suo dominus Iesus, & ex suis visceribus eiecerit quàm pius tamen qui & iustos in ore suo tenet, & iustos non antè euomit quàm denunciet euomēdos, vt vel huiusmodi admonitione conuersi, dignum aliquid efficiant quo non vomantur. Nunc tertium versiculum consideremus.

In corde, inquit, meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

Propterea ergo mysterium regis bonum est abscondere. Peccat enim deo, qui commissa sibi secreta mysteria putauerit indignis esse vulganda. Periculum itaque non est falsa dicere, sed etiam vera, si quis ea insinuet quibus non oportet. Quod vitium quadripertitum est, vel adulationis, vel auaritiæ, vel iactātiæ, vel loquacitatis incauræ: quia dum adulari vult aliquis ei cui loquitur, effundit mysteriū. Nonnulli etiam studio lucri mercedem proditionis sequuntur, vt regenda silentio, vendant loquendo. Alij, vt plura nosse videātur, & scientiam suam iactitent, aperiunt quod celare deberent. Plerique dum sine præiudicio loquūtur, verbum emittunt, quod reuocare non possunt. Ideo vir laudatur sapiens, & non otiosus. Erat homo abscondens sermones suos, vt apostol⁹ Paulus, qui nouit quid loquatur singulis, & quādo quid loqui debeat. Vnde & Corinthiis dicit: Lac vobis potum dedi, nō escam. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Ideo hos in trāsitu vidit: manet autem apud Ephesios, quòd ostium sibi magnum apertū esset, notum facere gentibus mysterium Christi. Ideo & Salomon tempus tacendi, & tempus esse loquendi docet. Præ cæteris autem dominus Iesus in Euāgelio declarat suo dicēs simile esse regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Vtique non aurum, nō argentum, nō pecunia comparari potest regno cœlorum: sed eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, quibus ipsum regnum acquiritur. Hunc ergo thesaurum sapientiæ & cognitionis absconditum in agro, in quo plantata sunt verba scripturarum cœlestiū, cum inuenerit homo, abscondit illum in corde suo, nec diuulgat eum, sciens quia si diuulgauerit Babylonis thesaurū dei, magnā offensam contrahet, vt dicatur ei sermone prophetico: De semine tuo accipient & faciēt spadones in domo regis. Per quæ significatur, quia is qui prodiderit diuina mysteria posteritatem animæ suæ, seminariúmque meritorum habere nō possit. Caue ergo ne diuitias tuas perfidis prodas: & si amicitiam simulent, non illis aperias interiora domus tuæ, non referes thesauros regios, quos Babylonij scire non debent, ne veniant, & capiant posteros tuos, & seminariū vitutis abscindant. Hoc est quod etiam in Euangelio dicit dominus: Nolite mittere margaritas vestras porcis. Ideo bene facit qui abscōdit eloquia domini in corde suo: sicut abscondebat propheta Dauid: sicut Maria quæ conseruabat omnia verba domini Iesu in corde suo. Etenim si bonum est viro sermones suos abscondere, quanto magis sermonē dei cordis nostri gremio debemus operire, debemus abscondere? Quarto versu dicit:

Benedictus es domine, doce me iustitias † tuas.

Non enim quicunq; dixerit, Domine, domine: ipse intrabit in regnum cœlorum, sed qui voluntatē dei fecerit. Ideo ille qui correxerit viam suā à iuuentute sua, custodierit verba dei in toto corde, quæsierit dominum deum suū, nec repulsus sit à mandatis dei, & dignus habitus cui cōmitterentur arcana sapientiæ, absconderit ea in corde suo, ne peccaret deo, quasi habens eloquia dei, gratias agit dicens: Benedictus es domine. & sic desiderat ipsum doctorem habere, cupiens cognoscere secreta legis: Et quemadmodum interpretationem habeat: Si emeris puerum Hebræum, & seruierit tibi annis sex, & reliqua: quibus præmissum est, has iustitias discere quas proponit in conspectu filiorum Israel: hęc à domino quærit discere: quæ homines docere nō poterant nisi deus antè docuisset, quæ postea quam à Christo didicerūt apostoli, Ecclesia dicit: Introduxit me rex in cubiculum suum: hoc est, in illud secretum suum, in quo sunt thesauri scientiæ & cognitionis suæ. Ideo tibi dicitur: Cum oras, intra in cubiculum tuum. quod significat mentis animique secretum. In hoc cubiculum iustitiarum spōsa se popōscit induci, cùm post odorem vnguenti excurrerit, quod semper fluit, & nunquam deficit. Ideo quasi edoctus Propheta iustitias quinto versu dicit:

Canti. 2.

Matth. 6.

In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. V.

Et quomodo alibi dicit: Iudicia tua sicut abyssus multa? Quomodo Apostolus ait: O altitudo sapientiæ & scientiæ dei: quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. quis enim cognouit sensum domini? Si inscrutabilia sunt iudicia, quomodo ergo iudicia? quomodo ait propheta: Pronunciaui omnia iudicia oris tui? Sed fortasse non eadem sunt iudicia dei, quæ iudicia oris eius. Si alia sunt, benedicitur: Cogitationibus tuis quis similis erit? Et ideo inscrutabilia sunt iudicia eius: quia ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Si autem eadem, nullus nisi Christus hoc dicit, qui potest dicere: Ego & pater vnum sumus. Distinguamus tamen, nec vereamur ne impugnet se velut contrariis scriptura venerabilis. Consideremus enim quia non dixit, Iudicia oris eius sicut abyssus multa: sed, iudicia tua, dixit: nec Apostolus posuit, inscrutabilia iudicia oris eius, sed inscrutabilia iudicia eius, Possumus enim iudicia dei æstimare, quæ occulta nobis non patefecerit: iudicia autem oris eius quæ annunciauerit, id est, quæ per os prophetarum locutus est. Os enim dei Prophera intelligitur, cui dicitur: Clama. Et ille ait: Quid clamabo? Et inspiratum est vt diceret: Omnis caro fœnum. Quod vtique locutus, oris dei functus officio est, quia locutus est iudicium dei. Ergo prophetica oracula iam non sicut abyssus, sed etiam ipsa abyssus: quia nemo potuit in cœlo & in terra aperire librum nisi Christus.

Psalm. 39.
Psalm. 35.
Roma. 11.
1. Corin. 13.
Ioan. 10.
Esaiæ 40.

Veniamus nunc ad sextum versum.

In via, inquit, testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis. VI.

Alij in auro, alij in argento, alij in vestibus, alij in possessionibus, vinetis, oleis, segetibus, alij in operibus picturæ, marmorum, in diuersis denique singuli delectationes habēt spiritalis in via testimoniorum cœlestium delectatur, tanquam omne possidens patrimoniū: in omnibus diues, sicut Apostolus dicit: Gratias ago deo meo semper pro vobis, in gratia dei, quæ data est vobis in Christo Iesu: quia in omnibus diuites facti estis in ipso, in omni verbo, & in omni scientia. Tantum doctrina apostoli Corinthij profecerunt, vt qui antè nō poterant, nisi sicut paruuli lac solum bibere: postea in omnibus diuitiis abundarent cognitionis & verbi. Delectabatur ergo Dauid in omnibus diuitiis cognitionis, scientiæ, sapientiæ, & in omni actu bonorum operum. Et si quis nunc intentus diuinis, triplicem illam sapiētiæ hauriat disciplinā, θεωρητικὴν, πρακτικὴν, λογικὴν, bonus studio percipiendæ cognitionis, pulchrior erit exequēdæ rationalis moralisque doctrinæ gratiam tenens. Qui prophetica ænigmata dei spiritu reuelāte cognouerit, Euangelij altitudinem in operibus comprehenderit & consiliis, apostolici sermonis moralitatem aduerterit: is tanquam in omnibus diues, vberē capiet voluptatem. Et quia suauis est corporalis voluptas ideo non quasi pro gratiæ qualitate cum spiritalibus cōparatur, sed quasi ad testimonium suauitatis accersitur. Siquidem & Apostolus docet inuisibilia & sempiterna dei à nobis per ea intellecta esse, quæ facta sunt. In Canticis quoque habemus scriptum: Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilaui te proxima mea. In quo dum velocium equorū cursui similitudo Ecclesiæ comparari videtur, æstimatur dies eius gratia. Nō igitur vnam equam diuitis regis accipias, sed absolutè pro equitatu, vt sæpe diximus, qualis ouis illius est pro grege ouium. Pharao igitur vt potentissimus rex, & prædiues, habebat equos potentes: vnde & scriptura dicit,

1. Corin. 1.
Roma. 1.
Canti. 1.

Currus

Currus Pharaonis, quasi potentissimum genus ad bellorum vsum, & subsidium præliādi. Denique his curribus Pharao fugientes Hebræos facilè comprehēdit. Sicut ergo equi iūcti concorditer trahunt currum, & patienter suscipiūt iugū, & portant congrua cū gratia, & iugi illius susceptione māsuescunt: sic & congregatio nationum gentilibus indomita moribus se antè iactabat. Vbi verò suscepit iugum dicentis: Tollite iugum meū, quia leue est: & onus meum, quia suaue est: & cœpit sponsa Christi concordia & mansuetudine populorum esse sublimis, & toto circunferri orbe: tāquam currus equis velocibus supra mundū rapta ascēdit ad sponsum. Denique & in posterioribus Canticorum partibus dicit: Posui te currus Aminadab. Multos currus habet in se ecclesia, quos omnes spiritalibus habenis dominus regit: & vna anima multas cogitationes habet, quas domini habena restringit & reuocat, ne quod in præruptum noster hic currus feratur. Aminadab autem interpretatione significāt, Pater beneplaciti, cuius filiꝰ legitur in Numeris Naason princeps populi. Quis sit, intelligis interpretatione, serpētinus: & agnoscis istud si repetas: quia sicut serpens pepēdit in ligno, qui te redemit. Ergo anima currus est dei, vt ira eius, & libido, & timor, & omnes seculares concupiscentiæ refrænentur. Ecclesia quoque currus est dei, quæ regenda est gubernaculis Christi, ne diuersorum populorum motus eā dissensionésque perturbent. Ille quoque Naason bene intelligitur Christus quia virga Aaron conuersa in serpentem, illos serpentes Ægyptios deuorauit. Has ergo diuitias habeamus, his delectemur, vt currant nobis equi rationabiles, & commoremur in præceptis eorum. Et ideo ait:

Matth. 11.

Cantic. 6.

Exod. 7.

VII. In mādatis tuis exercebor, & cōsiderabo vias tuas.

Qui enim exercetur in verbis Apostolorum, Iesu domini mandata cognoscit, & considerat vias eius, quibus finis est Christus, qui ait: Ego sum via.

Ioan. 14.

VIII. Et in tuis iustitiis * meditabor, non obliuiscar verborum tuorum. *

* al. iustificationibus tuis.

† al. sermones tuos.

Admonet hic locus memores scripturarum nos esse debere, & iustitias eius non solum sermone, sed etiam operis imitatione meditari. Nō enim qui disputāt legem, & nō faciunt quæ legis sunt: sed qui factores legis sunt, iustificātur.

Rom. 2.

Sermo tertius.

Gimel.

TErtia litera secundum Hebræos est Gimel, quæ Latinè retributio dicitur. Deniq; primo statim versu hoc dicitur:

Retribue, inquit, seruo tuo.

Psalm. 102.

Quomodo supra ipse Dauid ait: Non secundum peccata nostra reddas nobis, neque secundū iniquitates nostras retribuas nobis: & poscit retributionem? Illa videtur vox peccatoris esse, hæc bene sibi consci, qui præmia boni operis exposcat. Vnde possumus etiā hoc intelligere, quod de eius persona psalmus iste formetur, qui natꝰ ex virgine pro totiꝰ mūdi redemptione ad dexterā patris sedere præsumat, sicut ipse ait: Amodo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis. Non est tamen alienum, nec arrogans, si etiā Dauid remunerationem à domino deo suo pro egregiis laboribus postulet. Prærogatiua est fidei atq; iustitiæ, de domini fauore mercedem vsurpare. Denique reprehenditur Petrus, quia super fluctus ambulās, humano magis dubitauit affectu, q̄ apostolica authoritate prēsumpsit. In euāgelio quoque docemur habere fidem, & non hæsitare de iis quæ supra hominem sunt gerendis. Meritò ergo Dauid in superioribus quasi adhuc imperfectus secūdum peccata sibi reddi refugit atq; declinat: in hoc autem psalmo qui est posterior, quasi fundatus virtutis processu, retribui sibi secūdum fidei operisque certamina deprecatur. Siquidem etiam Paulus, qui antè dixerat, Nō sum dignꝰ vocari Apostolꝰ: postea ait: Reposita est mihi corona iustitię, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligūt aduentum eius. Et Apostolus pollicetur sibi, hic autem verecundius adhuc precatur: quod vtique nō insolentis arrogantiæ, sed innocētis est conscientiæ, ab ipso cui seruieris petere mercedem: quam desperare, segnitiei materia: sperare autem, incentiuum laboris est. Pete igitur confidenter, si merita suffragantur, vt talia petendo studiosè elabores quo ea petitione sis dignior. Quis athleta si desperet coronam, descendat in stadium? aut si eam postulet victor, offendat? Probatio spem facit, spes confidentiam. Iusti ergo talis oratio est, delectatur dominus tali precatione, vt pro puritate cōscientiæ vtaris authoritate. Tamen quo minus videatur petitio arrogans, bene addidit: Seruo tuo: in quo & humilitatis est gratia, & præmium seruitutis. Qui enim vocatus est in domino seruus, libertus est domini. Quare non præsumat fauorem domini, tam precioso emptus sanguine? Magnum tibi est vocari puerum meum, quasi ad seruū dicitur. Si quis ergo est seruus, & bene seruit domino, & nihil facit quasi seruus peccati, sed qui dicit: Seruus inutilis sum: quod debui facere, feci: bene is dicit: Retribue seruo tuo. Glorioſa seruitus, qua pro nobis seruiuit & Christus. Beata seruitus qua & tu seruis: sed ita, si nihil possit aduersarius de tuo sibi seruitio vindicare. Amat ergo Christus boni libertatem seruuli. Denique in Canticis dicit: Quàm speciosę factæ sunt genæ tuæ sicut turturis, ceruix tua sicut redimicula. Vultus liberior est vbi est castitatis conscientia: & portare Christi iugum suaue est, si ornamenta putes ceruicis tuæ esse, non onera. Attolle ergo oculos semper ad dominū deū tuum, & quære deum, & inuenies. Erige ceruicem, redimicula non vincula geris. Muta quoque animalia redimiculis gaudent, & phalerari sibi magis quàm nudari videntur. Genæ sicut turturis præferent insignia verecundiæ, redimicula ceruicis libertatis attollent fiduciam. Leue est enim iugum Christi, & ideo ceruix eo non premitur, sed leuatur. Similitudines, inquit, auri faciemus tibi ex distinctionibus argenti, quoadusque rex est in declinatione sua. Ex iis enim quæ ex lege sunt & pphetis, mediocriter antè crediderāt gloriā domini Iesu, sed hæreditas eius diffusa per populos, quo frequentius examinata, hoc amplius est probata. Crebræ enim persecutiones ecclesiæ, iustorum nobis titulos, martyrij victorias ediderūt. Itaque sicut aurum bonum, ita ecclesia cū vritur, detrimēta non sentit, magis fulgor eius augetur, donec Christus veniat in regnum suum, & reclinet caput suū in ecclesiæ fide. Qui cùm venisset ad oues perditas domus Israel, non habebat vbi caput suum reclinaret: nūc autē iam redolet fides, ideoque dicit ecclesia: Nardus mea dedit odorem suum. Et dicit cum præsumptione, expectans retributionem. Fragrat vnguētum gratiæ, ex quo virgo generauit, & dominus Iesus sacramētum incarnationis assumpsit. Colligatio, inquit, guttæ, cōsobrinus meꝰ: botryo Cypri, frater meus mihi inter media vbera mea requiescit. Corpus enim suscipiens dominus Iesus, charitatis se vinculis illigauit, & nō solū se membris nostris & passionibus naturalibus, sed etiam cruci vinxit ideoque sicut botryo in ecclesiæ fide, & morali requiescit gratia. Nardus Cypri, consobrinus meus in vineis Engaddi. Si locum quærimus, regionis cuiusdam quæ in Iudæa est, locus sic dicitur, in quo opobalsamum gignitur: si interpretationem, tentatio Latinè significatur. In illis ergo vineis lignum est, quod si quis compūgat, vnguētum emittit: hic fructus est ligni. Si non incidatur lignum, nō ita fragrat & redolet: cùm autem compūctum fuerit artificis manu, tūc lachrymā distillat: sicut & Christus in illo tentationis ligno crucifixus illachrymabat populū, vt peccata nostra dilueret, & de visceribus misericordiæ suæ fundebat vnguentum, dicens: Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Tunc ergo in ligno compunctus est lancea, & exiuit de eo sanguis & aqua, omni vnguento suauior, acceptа deo hostia, per totum mundum odorem sanctificationis effundens: & quasi balsamum ex arbore, sic virtus exibat è corpore. Vnde ait: Sentio virtutem exisse de me. Inde opobalsamum expressius dicitur, eò quòd compunctione ligni balsamum per cauernam punctionis erumpit. Compūctus igitur Iesus odorem remissionis peccatorum & redemptionis effudit. Nam & constrictus erat, verbum cùm esset, homo factus: & pauper factus, cùm diues esset, vt nos illius inopia ditaremur. Potens erat, & despiciendum se præbuit, ita vt Herodes sperneret eum, & illuderet ei. Terrā mouebat, & hærebat in ligno: cœlū obducebat tenebris, mūdum crucifigebat, & crucifixus erat: inclinabat caput, & exibat verbum

1436

A

B

C

D

1. Cor. 7.

Luc. 15.

Cant. 1.

Matth. 11.

Matth. 3.

Cantic. 2.

Ibidem.

Luc. 23.

2. Cor. 12.

1437

verbum:exinanitus erat,& replebat omnia. Descēdit Deus, ascendit homo:verbum caro factum est,vt caro sibi verbi so lium in dei dextera vindicaret. Vulnus inflictū erat,& fluebat vnguentum. Scarabæus audiebatur,& deus agnoscebatur. Respondit & Christus: Ecce es bona proxima mea, ecce es bona, Quoniam cognouerat ecclesia mysteriū,& pro totius mūdi redemptione crucifixum,dominum Iesum prædicabat,meretur audire: Ecce es bona,quæ me bonum dicis: & ipsa bona es quæ vidisti gloriæ meæ decorē, & ipsa speciosa es & decora. Quid est autē Christum dicere, Bona es, & decora es,nisi illud euangelicum: Constans esto filia, remissa sunt tibi peccata tua? Ergo cui Christus peccata donauit,rectè dicit:

Retribue seruo tuo vt viuam, † & custodiam † verba tua.

Non habet in retributione quod desperet,quia dominus Iesus venit mundum saluare,non perdere. Ideóque immemor est iniuriæ,memor gratiæ,sicut in prophetico libro testificatur ipse dicens: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas,& memor non ero. Tu autem memor esto,& iudicemur: dic iniquitates tuas,vt iustificeris. Quicunque ergo dicit iniquitates suas deo,iustificatur: & quicunque iustificatur,retributionem non timet,sed exposcit: qui retributionem non timet,viuet. Sed quare dixit, Viuā,& non dixit,viuo? quia hæc vita nō est loco præmij,quę in loco mortis est. Dolet Propheta in puluerem mortis se esse deductum, Apostolus cupit ex hoc mortis corpore liberari, & putamus q̄ de hac vita sibi blandiatur propheta? Omnia hîc plena mortis sunt. Intrat mors per fenestrā,intrat per ostiū, nisi dominus ostio tuo ponat custodiā. Denique ex multiloquio peccatum nascitur. Lege mandata legis,inuenies scriptum: Qui viuens mortuum contigerit,inquinatur. Quantos tāgimus mortuos? inter quantos mortuos versamur? Ideo tibi author vitę dicit: Relinque mortuos. Ideo tibi alibi dicitur: Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Quomodo tibi diceretur, Surge à mortuis,nisi inter mortuos viueres? Ponamus te mundum esse ab operibus mortuis, à peccati colluuione: quomodo mundus es, qui in corpore mortis es, qui inter sepulchra viuis mortuorum? Oportebat Petrum loqui mortuis, vt procederent de sepulchris suis. Indigemus ergo purgatione,quia tetigimus mortuos: lex nos mundari iubet. Quis tantus vt supra legem sit? Ipsum Nazarænum sanctum dei lege,si is tetigerit mortuum,lex immundum pronunciat. Ideóque radit caput suum,& deponit capillum quasi non sanctum, & iterum orat vt exaudiatur, qui antè propter mortui attactum exorare non potuit, irrationabiles duxit dies,quia irrationabili appropinquauerat. Deponit igitur mortua,& superflua capitis sui,vt Christo reconcilietur. Ergo si Nazareus purificatur,& nos purificari oportet: omnes contigimus mortuum. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? aut quis audebit dicere purum se à peccatis? Sit aliquis fortasse qui in sermone non deliquerit,licet rarus sit iste,de quo deus dicat,sicut de sancto Iob, Ille non peccauit labiis suis: tamen non semper habere potuit mundas cordis sui cogitationes: iniicit se diabolus in cor hominis. Pone,parata semper & peruigili custodia quisquām cor suum sepserit,tamen in medio peccatorum versatur,necesse habet etiam ipse purificari, vt Esaias cùm dixisset: Miser ego, quoniam immunda labia habeo,& in medio populi veror immunda labia habentis: statim descendit vnus de Seraphin,& contigit labia eius carbone, vt immunda eius labia mundaret. Non vnum est baptisma, vnum est quod hic tradit ecclesia, per aquam & spiritum sanctum, quo necesse est baptizari catechumenos. Est & aliud baptisma,de quo dicit dominus Iesus: Baptismo habeo baptizari, quod vos nescitis. Et vtique iam baptizatus in Iordane fuerat,sicut superiora declarant,sed sit hoc baptismum passionis,quo etiam sanguine suo vnusquisque mundatur. Est etiam baptismum in paradisi vestibulo,quod antea non erat, sed posteaquam peccator exclusus est, cœpit esse romphæa ignea,quā posuit deus,quæ antea non erat, quando peccatū nō erat: culpa cœpit,& baptismū cœpit,quo purificētur qui in paradisum redire cupiebant,vt regressi dicerent: Trāsiuimus per ignem & aquam. Hîc per aquā,illic per ignem: per aquam, vt abluantur peccata: per ignem,vt exurantur. Sed quid est grauius,si & hîc ignē,& illic sustinemus? Quis est qui in hoc igne baptizat? Non presbyter,non episcopus, nō Ioānes,qui ait: Ego vos baptizo in pœnitentia: non angel⁹, non archangelus,non dominationes,nō potestates, sed ille de quo Ioannes ait: Qui venit post me,fortior me est,cuius non sum dignus calceamenta portare,ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igne. Habet vētilabrū in manu sua,& permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreū suū,paleas autem comburet igni inextinguibili. Nō de hoc baptismate,quod fit per sacerdotes ecclesiæ,dictum ipse dominus testificatur. Siquidem post consummationem seculi missis angelis qui segregent bonos & malos,hoc futurū est baptisma,quando per caminum ignis iniquitas exuretur,vt in regno dei fulgeant iusti,sicut Sol in regno patris sui. Et si aliquis vt Petrus sit,vt Ioannes,baptizatur hoc igni. Veniet ergo baptista magnus (sic enim eum nomino,quomodo nominauit Gabriel dicens: Hic erit magnus) videbit multos ante paradisi stantes vestibulum,mouebit romphæam versatilem,dicet iis qui à dexteris sunt,non habentibus grauia peccata: Intrate qui præsumitis,qui ignem non timetis. Præ dixeram etiam vobis. Ecce venio sicut ignis. Et per Ezechiel dixeram: Ecce proficiscar in Hierusalem,& insufflabo vos in igne iræ meæ, vt tabescatis à plumbo & ferro. Veniat ergo ignis consumens,exurat in nobis plumbum iniquitatis ferrū peccati,faciátq; nos aurum syncerū: Vrat renes meos, & cor meum, vt bona cogitem: ea quæ castitatis sunt,concupiscam. Sed quia hîc purgatus,iterum necesse habet illic purificari: illic quoque nos purificet,quādo dicat dominus: Intrate in requiem meam: vt vnusquisque nostrū vstus rōphæa illa flammea,non exustus, introgressus in illam paradisi amœnitatem,gratias agat domino suo,dicens: Induxisti nos in refrigerium. Qui ergo per ignem transierit, intrat in requiem. Transit à materialibus atque mundanis ad illa incorruptibilia atque perpetua. Alius iste ignis,quo exurūtur peccata non voluntaria,sed fortuita, quem parauit seruulis suis dominus Iesus,vt eos ab ista commoratione, quæ permixta est mortuis,emundet. Alius ille ignis,quem deputauit diabolo & angelis eius,de quo dicit: Intrate in ignem æternum: quo ille diues ardebat,qui stillari sibi de Lazari digito poscebat humorem. At verò Lazarus in Abrahæ sinu recumbens, vitam carpebat æternam, quam sibi promittit propheta,dicēs: Viuam,& custodiam verba tua. Viuam, ait, quasi nondū viuens: hic enim in vmbra viuimus. Ergo ista vita in corpore,vmbra est vitæ atque imago,non veritas. Denique in imagine ambulat homo,& in regiōe vmbræ mortis consistimus. Sed si quis non ad terrena oculos mentis intendat, sed ad spiritalia erigat, vt possit dicere sanctus, Ante faciem nostram Christus dominus: dignus erit qui dicat: In vmbra eius viuemus. Christus enim vita est: & ideo qui in vmbra Christi viuit,in vmbra vitæ est. Meritóque alibi dicit sanctus domini, In vmbra alarum tuarum protege me. Omnes ergo,etiam sancti, in vmbra sunt,quandiu sunt in corpore: non perfectè vident, sed ex parte cognoscunt. Ipse Paulus ait: Ex parte enim cognoscimus. Ipse vas electionis,cui Christus oculos reddidit, & sua illuminauit gratia,non facie ad faciem,sed per speculū videbat. Et Dauid reuelari oculos suos petit,vt remoueretur vmbra, quæ integrum oculorum impediebat obtutum. Regionem autē hanc mortuorū esse quis dubitet,cū sanctus ipse dicat: Placebo domino in regione viuorum? Quia perfectè hîc placere nemo potest,vbi etiam si fieri possit vt sua peccata non habeat,in ipsa tamen mortuorum regione viuendo, purificatione indiget,quæ à contagione eum regionis huius absoluat. In vmbra igitur hîc viuimus,& ideo in vmbra custodimus verba dei. Et vt exemplo vtamur,vtique antè eramus sub vmbra legis,quando custodiebamus homines sabbata, quæ sunt vmbra futurorum: sicut hodieque Iudæi, qui verum sabbatum non vident,qui exēplari & vmbræ seruiunt. Nos quoque secūdum euāgelium nunc viuentes,vmbrā sequimur verborū dei. Nathanael sub arbore fici videtur, Da-

Psalm.65.
Ioan.1.
Matth.3.
Matth.13.
Luca 1.
Esaia 66. Ezech.22.
Psalm.65.
Matth. 25. Luca 16.
Thren.4.
Psalm.16.
1.Cor.13.
Psal.114.
Ioan.1.

Psalm. 16. Luc. 19. uid in vmbra alarum domini Iesu sperare se dicit, Zachæus in arborem sycomori accendit vt Christum videret. Nobis quoque expandit manus suas Iesus, vt totum mundū obumbraret. Quomodo non sumus in vmbra, qui crucis eius protegimur velamento? Quomodo non sumus in vmbra, quos crucifixus à malignitate seculi, & corporis ardore defendit? An nescimus quoniam verbum dei veniēs in hunc mundū, non sicut verbū aduenit, quali in principio erat, quale erat apud deum, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens? Venit in nube leui: & cùm esset virtus altissimi, obūbrauit Mariæ, vt transfiguraret corpus humilitatis nostræ conforme fieri corpori glorię suæ. Sicut ille ergo mutauit formā, cùm ex virgine nasceretur: ita & nobis sermones dei transfigurati videntur cùm leguntur in euangelio, cùm species eorum videtur in scriptis quasi per speculum quia tota veritas hìc non potest comprehendi. Cùm autem venerit quod perfectum est, non iam per descensionē, non per speciem vt transfigurati, sed integra atq; expressa veritate resplendent. Neque te moueat quod ait, Multa verba custodiam. Qui vnum verbum cognouerit, multa verba cognoscit. In vno multa sunt, & in multis vnum est. Probandū est igitur quomodo vnum verbum multa sint, & multa verba vnum verbum sit. Nec difficilè doceri cum dixerit Apostolus quia ipse est imago dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, in quo creata sunt omnia in cœlestib⁹ & in terra, siue visibilia siue inuisibilia, siue sedes siue dominationes, siue principat⁹ siue potestates, omnia per ipsū & in ipso creata sunt. Vnum est igitur verbum quod operatur in singulis: & cùm in singulis operatur, operatur omnia & in omnib⁹: Hoc verbū vnicum apud patrem se diffudit in plurima, quia de plenitudine eius omnes accepimus. Itaque si videas singula omnium quæ creata sunt in ipso, videbis in singulis vnum verbū esse omnium, cuius pro captu nostro participes sumus. In me verbum est humanum, in alio verbum cœleste, verbū angelorum: plerique sunt qui habent verbū dominationum & potestatum. Verbum est iustitię, verbum castitatis, verbum prudentiæ, verbum pietatis, verbum etiam virtutis. Sic vnum verbum multa sunt, & multa verba vnū sunt. Nec verò arduum istud æstimari, cùm legerimus quia omnia potest spiritus sapientiæ. Itaque sicut alij datur per spiritum sermo sapientiæ, & alij sermo scientiæ secundū eūdem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia curationum in vno spiritu, alij operatio virtutū, alij spiritus cognitionis, alij spiritus cōsilij plenioris, alij spiritus fortitudinis, alij pietatis spiritus, & in omnibus vnus atque idē spiritus est, diuidens singulis prout vult: ita est spiritus prophetarum, est spiritus apostolorum, est etiam artificum spiritus, sicut & Beseleel & Ooliab, quos implcuit dominus spiritu diuino sapientiæ & scientiæ, & omnis artis, vt facerent amictū & tabernaculū atque altare secundū sensum quem dedit his deus, sed etiam cæteris sapientibus intelligere & facere omnia opera secundū omnia quæ deus imperabat. Itaque fecerunt quę non didicerant, nec viderant, secundū ea quę his spiritus dei demonstrabat. Et plerisq; videtur alius apostolorum spiritus, alius prophetarum, & diuersus in singulis: sed non est diuersus, sed vnus est spiritus, diuidens genera diuersa virtutum. Vnde non dubium videri debet si aliis verbum apostolicum, aliis propheticum, aliis euangelicum, aliis verbum operatorium est datum: & vnum est verbum diuidēs se singulis pro nostra possibilitate, vel pro sua voluntaria largitate. Hoc verbum igitur, quod est caput omnium, hic per speculum video, & ideo verba dei hic custodire non possum: sed cùm videro gloriam eius reuelata facie, tunc viuam, & ita viuens etiam verba diuina custodiam. Ideo ergo secundo versu dicit.

Philipp. 2. Luc. 1. Philip. 3. 1. Corin. 13. Coloss. 1. Ioan 1. 1. Corin. 12. Exod. 36.

† Adaperi oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

† Aliàs, reuela.

Qui ad aperiri sibi oculos petit, vtique & grauari intelligit. Neque enim medicum rogat nisi qui remedium ægritudini suæ poscit. Dicit ergo iste ad medicum venientem de cœlo: Adaperi oculos meos. Si turbat⁹ est oculus, facilè dolor omnis sedatur collyrio: sin verò acies eius humoris suffusione prætexitur, maiora remedia quæruntur. Est ergo sicut in oculis corporis, ita etiam in oculis animæ huiusmodi quædam passio, quæ ingraueſcat necesse est, nisi bonus medicus velamen illud abstulerit, & nebulam quandam concreti humoris, quæ impedire, vel potius operire, ne videat quæ videbat, mentis æstimatur obtutum. Irrepsit ægritudo veteri fermēto, eò quòd non exuimus vel gentilem vel Iudaïcam suffusionem cùm primum veniremus ad ecclesiam, non audiuimus docentem boni medici disciplinam, Exoliātes veterem hominem cum actibus suis, induite nouum, qui renouatur in agnitione secūdū imaginem eius qui creauit eum. Superuestiuit ergo se aliquis, non expoliauit: serpit grauior ægritudo, grauat oculos diuturnū, velamen, nō potest quisquam illud auferre, non angelus, non virtutes, non dominationes, nō potestates. Manet velamen, lectionē impedit, visionem obducit, quod non reuelatur, inquit Apostolus, hoc est, à quocunque alio, nisi in Christo fuerit euacuatum. Cùm verò cōuersus huiusmodi fuerit ad dominū, auferetur velamen. Habes igitur quomodo auferas velamē quod manet supra oculos cordis tui. Cōuertere ad dominū, & velamen cadet. Conuersus est Paulus, ad benedictionem Ananiæ velut squamæ ceciderūt ab oculis eius: & vidit, qui per triduum antè nō viderat: simul oculus corporis animæque sanatus: quia medicamentum ei medicus demonstrauerat ille de cœlo, de quo scriptum est: Misit verbum suum & sanauit eos, & ex omnibus infirmitatibus suis liberauit eos. Nō est medicus iste de terris, qui omnes curat infirmitates, & populos integros sanat. Mitte ergo pater medicum istū, veniat verbum tuum, aperiat oculos meos. Et apostolorum oculi clausi erant, nisi eos Iesus aperuisset. Denique duobus ex his euntibus in castellum cui nomen Emaus, cùm interpretaretur scripturas, & benediceret eos, Aperti sunt, inquit, oculi eorū, & cognouerunt eū. Ergo nisi Iesus aperuisset nobis oculos, nemo vidisset: nisi Iesus sustulisset velamē, nulli Euangelij gratia refulsisset. Et Petrus clausos habebat oculos & Ioannes clausos habebat oculos, & Iacobus clausos habebat. Denique in monte grauati erant somno, sed excitati maiestatis fulgore diuinæ, oculos cordis sui aperuerunt. Et quia siti in corpore, plenè videre non poterant, obumbrauit eos nubes, ne corporis oculos gloriæ cœlestis fulgor hebetaret. Quis igitur tātus vt aperiat oculos, & legis videat sacramenta, nisi ei Christus demonstret? Non Moyses tantus. Denique iubente domino virgam proiecit, & facta est serpens, & fugit ab ea: apprehēdit caudam serpētis, & facta est virga: & adhuc non cognoscebat mysterium, quo declarabatur descensurum in terras dominum Iesum, qui cùm se exinanisset, poni in crucem, deponi pateretur in tumulum, quasi serpēs de virga factus: quia in tumulū proiectus, de quo secundum oracula legis resurgēs, in gloriam dei, diuinæque sedis regale consortium de serpente remearet. Apprehēdamus ergo & nos caudam serpētis illius crucifixi, vt potestatem eius regiam possimus agnoscere. Et illa quæ in pedes eius misit vnguentum, tenuit eum. Caudam ergo serpentis apprehendit Moyses, & apertum est os eius. Non ergo locutus esset de eo, nisi ipse dominus os eius aperuisset. Dauid adaperiri sibi oculos hic petit, & in superioribus dixit, Quis ostendit nobis bona? Erat sub lege nutritus, sciebat quia lex vmbram habet futurorum bonorum. Ipsa bona iam non per vmbram, sed apertis oculis videre cupiebat. Nouerat quia exemplari & vmbræ cœlestiū mysteriorum seruiebant, qui secundum legem Moysi deseruiebant. Volebat ipsam cultus diuini comprehendere veritatem, & ideo vt ab oculis suis velamen decuteret, conuersus ad dominum deprecabatur dicens: Adaperi oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Intelligebat verè militiam esse cœlestem, quam possit vnusquisque ex lege cognoscere, cui tamen dominus reuelasset. Quis enim de terrenis ad cœlestia, de vmbra ad claritatem, de exemplari ad penetralia veritatis humano gradu sine diuino ductu possit ascendere? Quis potest considerare altare illud cœleste, verúmque illud templum, sacerdotes & Leuitas, non istos secundum carnis officio, sed illos secundum spiritus gratiam? Denique hanc solam sibi gratiam pro maximis optauit

Exod. 4. Psalm. 4. Hebr. 10. Psalm. 118. Coloss. 3. 2. Corin. 3. Act. 9. Psal. 106. Luc. 24. Matth. 17.

1441

optauit David, dicens: Vnam petij à domino, hanc requirã, vt inhabitem in domo domini omnes dies vitę meæ: & vt videam delectationem domini, & considerem templum eius. Quis poterat cognoscere quòd offerret diues magnum munus, secundum quod potest manus eius, vt soluatur eius peccatum? Quis poterat intelligere, si non haberet quis offerre, verbi gratia, arietẽ, quia non soluebatur eius peccatum? Quis poterat aduertere quæ essent illæ immũditiæ, quas soluit non lex quam putant Iudæi, sed lex spiritalis, quã Paulus agnouit? Quis poterat videre remissiones peccatorũ veras, quarũ exemplar in lege, veritas in euangelio est, dicente domino Iesu: Dimissa sunt tibi peccata, nõ per hircorum sanguinem, sed per hostiam sui corporis? Ille vtique diues in lege, qui perfectę maiestatis in Christo plenitudinem cõfitendo, & quasi eam quibusdam ad illud altare cœleste fidei manibus offerendo, peccatum suum soluerit. Ille videt verũ sacerdotem qui videt principem sacerdotum: ille templum verum considerat, qui audit dicentem: Soluite templũ hoc, & in triduo resuscitabo illud. Magnum templũ, de quo virtus exibat, & curabat omnes. Mirabile illud altare, in quo vnius agni sacrificium tulit peccata mundi. Ille prestantissimus Leuita, qui venit non vt ministerium exigeret, sed vt omnibus exhiberet suæ ministerium passionis, cui portio deus, qui hic nihil possideret, & omnia possideret. Quid autem dicam de Hebræo, quem lex sex tantũmodo iubet seruire annis, & septimo anno exire à seruitio? Quis iste Hebræus seruus, quis Hebræus liber poterat intelligi? Quis tãtus, vt annos æternos in mente habens, videat verum Hebræum, qui non in perpetuum manet seruus: sed sex annis seruuli functus obsequio, septimo anno gratiam libertatis adipiscitur? Cui⁹ videtur Isaac patriarcha seruitutis & libertatis non ignorasse mysterium, qui ait: Seruies fratri tuo, & erit cùm deposueris & solueris iugum eius à collo tuo: significans fore tẽpus, quod & si quis seruierit hic positus fratri suo, postea tamen exactis annis, qui sex istis diebus, atque istis quos hic exigimus mensibus colligũtur, soluat iugum à ceruice sua, quod fit septimo anno remissionis. Cõiicere possumus veri Hebræi typum in Ioseph, qui portauit seruitutis iugum, sed eum culpa non cepit, non carcer inclusit, non Ægyptus colorauit. Coniicimus in Petro, Ioanne, Iacobo, qui creati & instituti sub iugo legis, soluerunt tamen fratris sui Iudaicum iugum, vbi legitimæ tempus quietis aduenit, quã dorefulsit his remissio peccatorum, & hoc tamen hic in vmbra adhuc gestum comparatione cœlestium. Quanta autem quies illa, quæ ex lege coniicitur, in euangelio reuelatur, dicente domino Iesu: Volo vt vbi ego sum, & isti sint mecum. Quàm beatus, qui istius habitationis fructum, quietis consortium illic potuerit promereri? Tunc intelligit quid sit aperuisse oculos vt videret mirabilia de lege dei. Bene admonuit lectio euangelij quæ decursa est, in qua sanatus est leprosus ille qui ait: Si vis, potes me mundare, in volũtate domini constituens potestatis effectum. Cui respondit similiter: Volo, mundare. Præmissa pietas voluntatis secuta potestatis authoritas est. Omnibus dicit Iesus: Volo, qui nõ vult esse peccatum. Vel Christi commune in omnes est: mundanti, fidei est credentis in Christum. Et tetigit eum. Tãgit eos, quorum fide tangitur. Denique dicit: Tetigit me aliquis: sentio enim virtutem exisse de me. Habes operationem immaculati corporis, habes remissionẽ diuinitatis. Sed vt plenius sanaretur, aperuit oculos eius, dicens: Vade, ostende te sacerdoti. Multos sacerdotes habebat Synagoga: sed qui oculos aperit, falsos non vidit sacerdotes, verum aspicit. Quis est verus sacerdos, nisi ille qui est sacerdos in æternum? Et ideo ter dixit ad eum: Tu es sacerdos in æternum. Aperuit ergo oculos eius, & vidit, & intellexit quale munus pro emundatione sua deberet offerre. Beatus qui audit hæc, quanto beatior qui videt, qui se vero potest ostendere sacerdoti, vt non habeat quod timeat in se videri, qui se prius aspicit facie reuelata. Nam nisi ipse se prius viderit, non audebit ostendere, sicut Adam, qui se occultare cupiebat, quia non agnoscebat. Sed iam etiam id quod sequitur, consideremus.

Aduena† ego sum in terra, ne abscondas à me mãdata tua,

A Non cuiuscunque vox ista est, sed eius qui terrenis renunciauerit voluptatibus, & omnis mundanæ cupiditatis exuerit affectũ. Ille est in hac terra aduena, qui potest dicere: Nostra autem cõuersatio in cœlis est: qui suã habet in domino portionẽ, qui potest dolere quod diutius viuat in terris, qui vitæ huius longęuitate lassatur, cui prolixitas habitationis huius fastidio sit, quam sanctus auersatur & dicit: Væ iis qui habitant in terra. Qui dissolui non timet: & si soluatur, præsumat se cum Christo futurum: hic verè peregrinus in terra est, quia sanctorum est ciuis, & domesticus dei, & thesaurũ sibi condit in cœlo. Nõ vtique is exiens de Ægypto, in hanc intelligibilem Ægyptum remeare desiderat, nec depositæ senectutis & mortis pauescit cõfinia, nec horrea struit messibus recondẽdis, iam alienis victurus ætatibus, sed sola diues virtutum fœcunditate ea congregat, quę sibi nec senectus perditum dare, nec mors possit auferre. Meritóque dicit:

Philipp. 3.

Apoc. 1.

Ephe. 2.

IIII. † *Alias, in iustificationes tuas.*

Concupiuit anima mea desiderare iudicia tua † in omni tempore.

B Quod vtique nõ facit nisi liber à vinculis, non solũ à vinculis solicitudinis secularis, sed etiã à vinculis charitatis humanæ. Vincula cõplura sunt in hoc seculo, vincula sunt desideria viuendi, vincula sunt oblectamenta voluptatum, vincula sunt honorum, vincula coniugij. Denique dicit tibi bonus magister: Solutus es ab vxore? ne quæsieris vxorẽ. Nec tamen peccat qui vxorẽ acceperit, sed innectit sibi vincula mentis, quia solicitus est quomodo placeat vxori. Beatior esset si deo soli placere desideraret. Cernis autẽ quia ligatus est, qui sui non habet corporis potestatẽ. Ergo quia mandatum dei est, quod legis oraculo, & apostolico sermone depromptã est, ne quis vxorem, diuitias, honorem necessitudines deo præferat: qui autem prætuleris, fit obnoxius iudiciis dei: ideo prius poposcit ne abscondat ab eo deus mandata sua. Qui enim mandata cognouerit, & custodierit, non refugit iudicia diuina, sed desiderat, meritóque tanquam reuelatis sibi mandatis ait: Concupiui desiderare iudicia tua in omni tempore. Non dixit, Concupiui iudicia, sed concupiui desiderare. Sicut enim vita viuere plus est quàm viuere (viuere nanque cõmune etiam huius est vitæ, vita autẽ viuere beatorum est) sic concupiscere vt desideremus iudicia dei, plus èst quàm desiderare iudicia. Concupiscimus enim desiderare, quasi non sit potestatis nostræ desideriũ, sed gratiæ dei. Cũ enim dominus oblectari nos viderit cupiditate desiderij iudiciorum suorum, sobriũ auget affectum. Cùm autem peccamus, non concupiscimus desiderare iudicia dei. Neque enim ægrotus vri desiderat, vel incidi, vt possit recipere sanitatem. Refugit qui grauius ægrotat, ne vratur, ne incidatur, ne alligetur, ne abstineat à cibo. Qui autem salutarem habet valetudinem, medio securus occurrit. Vnde etiam dominus non ociosè ait: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum: non solum desiderans, sed etiam geminato desiderio concupiscens remissionem tribuere peccatorum. Cõcupiscamus ergo & nos desiderare iudicia dei. Bona conscientia, cùm examinatur probatur. Et concupiscamus desiderare in omni tempore, vt nullum momẽtum bonę prętereat vacuum cupiditatis.

C

Lucæ 12.

D Increpati superbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.

V.

Cùm enim dominus Iesus per obedientiã genus humanũ redemerit iustitiam reformauerit, serpens autem per inobedientiam peccatũ introduxerit, quid vitij habeat superbia, hinc æstimare possumus, cuius author diabolus est, quẽ inducit propheta dicentẽ: Ponam thronum meum super nubes, & ero similis altissimo. Itaq; cùm sit nequissimus, vt honorẽ non dederit domino deo nostro, peiores tamẽ discipulos erudiuit. Ille enim se sic exaltauit, vt vellet æquari & similis esse altissimo: discipulus autẽ eius, vt significatur ab apostolo, indignaturus est æqualẽ se similémq; æstimari deo Scriptũ est enim: Cũ reuelatus fuerit homo iniquitatis, & filius interitus, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur deus. Magister igitur similẽ honorẽ præsumit, hic superiorẽ. Ideoq; & dominus ad discipulos suos dixit: Maiora his facietis: vt quibus serpẽs plus ademerat, quã ipse amise-

Esaiæ 14.

2. Thes. 2.

rat,maiora Christus facere donaret, quàm ipse in terris fecerat.Ipse enim voluit principem mundi fallere,in discipulis triũphare.Itaque à tanto volens crimine vindicare huma-
Lucæ 13. num genus,introduxit Pharisæũ & publicanum in templo orantes:& docuit,etiam si bona cætera habeat, ꝙ magis superbus offendat,quã humilis,ꝙ nulla virtutũ dote subnixus sit.Studet enim supplantare diabolus bonis operibus intentos.Quantum laborauit Pharisæus ille ne raperet aliena, ne iniustus esset,ne adulteraret?Quantũ laborauit ne peccaret sicut peccabat publicanus? Quantũ laborauit,vt bis in sabbato ieiunaret?Quantũ laborauit,vt decimã daret omnium quæ acquireret?Quis nostrũ hæc facit? Quanti habent possessiones,& soli incumbunt fructibus,& solis sibi messes recondũt?Aduertit hoc diabolus,& perfudit eum vlcere graui,vt non teneret caput mẽte carnis inflatus,& in eo in quo laudabilis fore crederetur,ibi reprehensibilior iudicaretur. Agebat enim gratias deo quòd nõ esset raptor,adulter,iniustus.Quàm noxiè ei luctatus est serpens,& grauibus eũ spiris ligauit?superiorẽ fecit,vt de altiore deiiceret,inferiorem se præbuit,vt sublimiorẽ casu grauiore prosterneret. Mala ruina est arrogantiæ,superiores obruit.Mala hæc lucta serpẽtis,qua se in plurimos torquet anfractus. Inflare volebat
Roma. 1. & Paulũ.Quẽ Paulũ?Illũ vtique apostolum, non ab hominibus,neque per hominẽ,sed per Iesum Christum. Et penè deceperat,ita,vt stimulũ carnis suæ,qui se humiliabat, rogaret auferri.Sed bonus dominus,qui Paulum infirmitatibus
2.Cor.12. vellet facere fortiorem,adhibuit ei angelum satanæ, vt suis diabolus artibus vinceretur. Non mentiebatur Pharisæus, imò etiã vera dicebat:sed omnis qui se exaltat,etiã si vera dicat,offendit.Deniq; ꝑbabilior pharisæus ingressus est templũ,quã publicanus:& tamẽ cõdẽnatus exiuit.O quantũ crimẽ superbię,vt ei etiã adulteria præferantur.Deniq; dominus,qui aliis donat,superbis resistit,& tanquã congreditur iis qui se exaltant, sibique hoc certamen vindicat,& qui aliis compatitur,arrogantes increpat: quia nihil grauius quã vt fratres nostros pauperes superbo oculo despiciamus,cõformes nobis intolerabili ꝛepellamus fastidio, nostra indignos gratia iudicantes,quia sunt inopes: cùm paupertas facilius sit deo quã thesaur⁹ acceptior.Maledicti,inquit,qui declinant à mandatis tuis. Supra dixerat: Ne abscondas à me mandata tua:& ideo quasi reuelata sibi mãdata cognoscens, cõdemnat eos qui declinauerint à mandatis cœlestibus. Et bene dixit,qui declinant:directum enim mandatũ est: ideo ab eo nemo deflectat. Mouet autẽ qua ratione hic dixerit, ne abscõdas à me mãdata tua.Quod enim absconditur, ob-
Psalm. 18. scurum fit & occultũ,cùm supra dixerit:Mandatũ domini lucidum,illuminans oculos.Si lucidũ mandatũ,quomodo ab
Lucæ 11. sconditur,cùm lucernã nemo ponat sub modio? Nisi fortè lucidum est vnũ mandatũ,multa autem mandata absc̃dita sunt.Nã iudicia tua,inquit,sicut abyssus multa:non iudiciũ sicut abyssus,sed iudicia dicũtur.Vide autem ordinem. Su-
Psalm. 35. pra ait:Ne repellas me à mandatis tuis:in sequenti ait: Ne abscondas à me mandata tua:hîc ait:Maledicti qui declinãt à mãdatis tuis.Verè maledicti qui declinant à mãdatis tuis, qui referre gratiam debuerunt:primo,quia non sunt repulsi:secundo, quia non abscondi à se diuina mandata meruerunt.Declinat ergo aliquis quod optauit.

VI. Aufer à me opprobriũ & contemptum, quoniam testimonia tua exquisiui.

Si contẽptus opprobrij loco ducitur,quomodo scriptum
1.Cor.1. est:Cõtẽptibilia mundi elegit deus?Sed cõsidera quia mũdi contẽptibilia dixit:nõ dei.Quod enim in hoc mundo contẽptui,hoc pretiosum est apud deum.Deniq; humilitas in hoc mũdo contẽnitur,sed dei iudicio cõprobatur.Et si publicanꝰ se humiliauerit,exaltatur.Audi quẽ ꝑ nihilo habeat deꝰ:
Lucæ 18. Quicũq; sanctꝰ est,qui sine macula viuit,veritatẽ custodit, nõ appetiuit proximũ suũ,ad nihilum deductus est in cõspe-
Psalm.14. ctu eius malignꝰ omnia quæ malitiæ sunt reprobauit:hic talis,etiã si sit gẽtilis,deuotiõe humilitatis à deo cõprobatur. Supbi autẽ velut Pharisæus,arrogãtia sua pro nihilo ab illo æstimãtur.Deniq; gentilitas nõ est, deuotio autẽ manet in æternum.Caue ergo ne Christo opprobrio sis. Nolo mihi quicunque maledicat,& quasi peccatorem despiciat.Quàm
A graue si Christus dignum opprobrio ducat?Væ tibi,inquit, Lucæ 10.
Corozaim & Bethsaida:quæ condemnantur quia non egerunt pœnitentiam delictorum suorum. Nos ergo agamus, vt à nobis auferatur opprobrium. Quis autem est qui non est opprobrio dignus? Qui exquisiuit domini testimonia. Multi quidem sunt qui volunt inferre opprobrium seruis tuis,sed ipsi sunt magis probrosi, quia pro nomine tuo pati opprobrium,glorioſum est. Et ideo ait:

Etenim sederunt principes, & aduersus me detrahabant. *

VII. * al. loquebantur.

Vox martyris est,qui perductus ad iudiciũ persecutorũ, cùm cogeretur idolis immolare,& cõstanter resisteret:iudices autẽ sedẽtes in tribunalibus stipati officiis,indignantes, quòd suis nõ obsecundaretur imperiis, cõferrẽt quo dignũ supplicio cẽserẽt,stabat intrepidus dicẽs:Sederũt principes, & aduersus me detractabãt.Est etiam domini vox ista,cùm
B cõuenissẽt presbyteriũ plebis,& principes sacerdotũ & Scribæ, & ad concilium Iudæorũ deductus esset dicentiũ:Quid Matth.26.
adhuc desideramus testes?audiuimus enim de ore ipsius.Et cùm staret ante præsidẽ, & duceretur ad crucem, quid pulchrius diceret,ꝙ Sederunt principes,& aduersum me detractabant? Hoc est,me stante sederunt principes. Et quia tribunalium fulcro sublimes erãt,dominum non videbãt.Sedebãt ergo elati fastigio principatus,nec principem principum cogitabant.Sed parum hoc:aduersus me,inquit,detractabant. Ego eorum redemptor adueneram, ego veneram vt omnium peccata mundarem,vt recuperarem amissos,restituerem paradiso sancti Iacob hæreditatem:& illi aduersus me detractabant. Et ideo imitatores mei, discipuli mei, nolite iniuriã erubescere si steteritis ante principes pro nomine meo,cùm ego steterim pro vestra salute.Denique traditus in custodiam Petrus cum cæteris apostolis,& postera die statutus ante conciliũ,constanter dicebat.Principes po-
Act.4. puli,& seniores Israel,si nos hodie, &c, vsque, In hoc iste
C astat coram vobis sanus: hoc est, vos estis qui statuistis & Christum.Gloriæ loco ducimus istam iniuriam,quia arguimur pro ęgroti hominis sanitate,hanc hæreditatem seruulis saluator omnium dereliquit. At illi conferebant inter se dicẽtes:Quid faciemus istis hominibus?Et dimiserũt eos.Gloriabatur ergo Petrus,& vnusquisque apostolorũ,quia digni
Aug. habiti sunt qui iniuriam pro Christi nomine sustinerẽt.Rectè ergo tunc dicerent singuli:Etenim sederũt principes,&
Esaiæ 1. aduersus me detractabãt.Sederũt principes aduersus Esaiã, & disputauerunt vt secaretur:sed non timebat eos qui dicebat:Audite principes Sodomorum. Sederũt aduersus Hie-
Hieron. 37. & 38. remiã,vt mitteretur in lacũ.Sederũt aduersus Zachariã,qui
2.Paral.24. occisus est inter templũ & altare. Resederunt aduersus Su-
Daniel.13. sannam,& contra castitatis fœminam iudicabant.Sed vt ostenderetur principum bonum non esse concilium, excitauit pueri spiritũ dominus, & quã principes reã mortis pronunciauerant,eandẽ propheta totius innoxiã criminationis absoluit. Sunt & alij principes qui aduersus nos detractãt,
Ephes.6. de quibus dicitur:Quoniã non est nobis colluctatio aduer-
D sus carnẽ & sanguinẽ, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi huius rectores tenebrarũ harũ, aduersus spiritalia nequitiæ,quæ sunt in cœlestibus.Isti sedent & explorant qui iustus sit in hoc seculo,qui Christianus intẽte deo seruiat,studiosus boni operis & facti. Detractant de eo,dicẽtes:Insidiemur illi,impediamus eũ,prohibeamus eũ efficere quæ desiderat. Conteramus eius mentem, frangamus eius animum aduersis frequentibus ac repentinis:& si deo probatus est propter iustitiã, rogemus dari nobis tentationes eius. Neque enim in tantum prophetam,tentatio-
† exclam. num eius quas plurimas subiit,compotes,potestatem habere potuissent,nisi dominus probãdi sui militis causam † dedisset,vt maiore eum gloria coronaret. Quis igitur regem
1.Reg.16. Saul excitauit in eum,nisi spiritus malus,sicut legimus,qui
1.Reg.20. se dolebat excludi quotiẽnscũque Dauid vel citharæ sono, vel bonorum cõsiliorũ operúmq; fidibus ac neruis mẽtem regis animúmque mulcebat?Quis excitauit Doech Syri nequitiam vt sanctum virũ proderet, & hospitalem humanitatem

1445

rem deduceret in periculum ſacerdotis? Quis inflãmauit aduersum Ammon, vt domum inceſtaret propheticam, & contristaret animũ patris alterius inceſti libidine, alterius iniuria, & quis aliis prophetabat, domus ſuę mala prouidere nõ poterit? Quis armauit furorem Abſalon vt patrem domo excluderet, & parricidali perſequeretur prælio? Sed cũ propulſu. Ergo principes populi, vt Achitofel, & cæteri bellantiũ duces ſederunt. Tractabant ergo principes populi cum Abſalon aduerſus prophetam. Et ideo dicit: Etenim ſederunt principes, & aduerſus me detractabant.

Seruus autem tuus meditabatur † in iuſtificationibus tuis.

Aduertimus arma iuſti, quibus omnes aduerſariorũ repellat impetus. Alibi ait: Circuierũt me, & expugnauerunt me, gratis: pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Hîc ait quòd ſtudium ei non exercendæ ad belli artes fuerit iuuentutis, non decipiendi aduerſantis aſtutia vlla cordis, vt illum vinceret quem videbat, ſed aduerſum eos præliabatur quos non videbat maiórque in eo pietas quàm virtus corporis militabat. Itaque in dei exercebatur iuſtificationibus, vt contrario ictu diabolum vulneraret. Ille eum ab intentione iuſtitiæ & ſtudio deuotionis, occupationibus bellicis conabatur abducere, hic magis ſe diuini operis & cultus meditatione occupabat. Itaq; dominus protexit eum in quem ſperauit, cum quo loquebatur, cui toto adhærebat affectu. Iuſtus enim aut cum deo loquitur orando, aut diuina loquitur opera laudando, & ſemper loquitur opera dei, ne loquatur os ſuum opera hominum. Nihil terrenum iuſtus loquitur, nihil mortale agit. Ideóque dicit:

Etenim teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilia mea iuſtificatio tua.

Aduertis qđ doceat, quòd hæc debeãt eſſe cõſilia iuſti, vt meditetur mãdata dei, & exerceatur in dei laudibus & oraculis, vt iuſtificet dominum ſemper. Qui facit quę deus mãdat, qui credit deo placere, deum iuſtificat. Quod ex lectione euãgelij poſſumus intelligere, dicẽte euãgeliſta quia Phariſæi ſpreuerunt cõſilium dei, nõ baptizati baptiſmo Ioãnis. Hoc in vno libro, in alio autem habes: Non iuſtificauerunt deum, quia baptizari noluerunt. Ideo dominus ad Ioannem dicentem, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? reſpõdit: Sine modo: ſic enim oportet nos implere omnem iuſtitiã. Qui ergo facit mãdata dei, iuſtificat deum, quia facit eius iuſtitiã: & bonum eſt vt conſilium dei ſequãtur hominum conſilia: quia dei conſilium certum ſemper, noſtra autem plerumque incerta conſilia ex rerum probantur euentu.

Sermo quartus.

VArta litera ſecundum Hebræos Daleth, ſignificat latinè timorẽ, vel (vt alibi inuenimus) natiuitatẽ. Sed vtrunque poteſt cõgruere & cõuenire ſenſui. Natiuitas enim eorum eſt, quæ generãtur in hoc ſeculo, per quam intelligimus corporalia & materialia, quę ſunt caduca, & ideo à timore non diſtat. Ex corporalibus enim & materialibus naſcitur timor. Quid enim eſt terrena natiuitas, niſi timor? Denique inde cœpit verſus:

Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbum tuum.

Per pauimentum terram intelligimus, per terram materialia. Peccatori autem dictum eſt, Terra es, & in terram ibis. eò q̃ diuinis mãdatis inhærẽdum nõ putauerit, ſed in materialia & corporalia deflexerit, cui impreſſa fuerit vitæ huius ſecularis delectatio. Denique eiectus de paradiſo, hoc eſt, ex illo ſublimi & cęleſti loco, ad quem raptus eſt Paulus, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſciens. Ex illo ergo eminenti loco deiectus in terram, deplorat Adam, dicens: Adhæſit pauimento anima mea. Sicut alibi ait: Humiliata eſt in puluere anima mea, & adhæſit in terra venter meus. Pœnitentiam gerentis hęc vox eſt qui meminiſſet adhærentem ſe deo neſciſſe nec potuiſſe diſcernere (quod non diſcreuit & Paulus) vtrum in corpore eſſet, an extra corpus: ita infirmitatem pigritiámque corporis minimè ſentiebat, cui domini adhærebat præſentia. Spiritus ergo propheticus, qui dolorẽ expreſſit, vel dominus, qui ſuſcepit eius infirmitatẽ, perſonã repræſentat Adæ, & aſſumit eius affectum. Loquatur ergo Adã: Adhęſit pauimento anima mea. Qui antè beatiſſimus auram carpebat ætheream, curas vitæ huius & tædia neſciebat: iis nunc ſolicitudine mundi huius, luxuriæ ſtudio, pecuniæque cupiditate curuatus, vulpium foueis ſe inſerit, latibuliſque terreſtribus. Meritò adhęrebat puluери, qui ſe leuare non poterat, niſi eum ſupra crucem ſuam Chriſtus leuaſſet. Merito adhærebat pauimẽto, qui ſe abſcondebat à Chriſto. Non adhæret pauimento, cui dicit Ieſus: Sequere me. Non adhæret pauimento qui audit, & ſequitur legem dicentem: Poſt dominum deum tuum ambulabis, & ipſi adhærebis. Quomodo ergo pauimento adhęreat vnuſquiſque, quo modo deo, audi dicentẽ: Qui adhæret meretrici, vnum corpus eſt: qui autem adhæret deo, vnus ſpiritus eſt. Terra iſta quam gerimus, meretriciis quibuſdam nos illecebris capit, & quaſi vultus quoſdam voluptatum corporaliúmque delectationum fucis illinit, vt lateat in his veritas, & forenſi quadam ſpecie decipiãt appropinquantes. Sed cùm interiorem oculum mentis ad tempus abduxerint, poſtea tamen decuſſo velut quodam puluere voluptatum huiuſmodi decore quàm ſit inanis gratia ſeculi huius aut corporis, facilè deprehenditur. Bonum eſt igitur adhærere deo, nec inflexam ceruicem habere ad iugum mundi. Ideóque eccleſiæ vel forti animæ dicit Sapientia: Sicut turris Dauid ceruix tua quæ ędificata eſt in Thalpio, mille oſtia pendent in ea, omnia iacula potentium. Erecta enim ad deum ceruix, & iugo Chriſti habilis, quæ nulla in terrarum illecebras inflexione curuetur, ſicut Chriſti regalis eſt turris, cui iugum ſuum Nabuchodonoſor nõ poſſit imponere. Condidit enim turrim illam Dauid, ille manu fortis, & ſupra murorum ædificauit excelſa tvt ſubſidio pariter & decori ſit. Subſidio, quia hoſtẽ præuidet, & repellit. Decori quia non ſolùm inter humilia, ſed etiam inter excelſa ſupereminet. Ita tamen ſubſidio vel decori, ſi habeat in ſe verbi dogmata velut quædam phalerarum monilia: habeat etiam iacula potentium prophetarum, quæ aduerſus omnẽ extollentem ſe altitudinẽ lacertis quibuſdam fidei diriguntur. Noli igitur in puluerẽ mortis deducere animam tuam, cui dominus etiam naturalem altitudinem tribui, & vigorem quo ſe excitet & aſſurgat. Vnde etiam de hac coniunctione animæ & corporis dictum oppor tunè accipitur, eò quòd in naturali vitæ noſtræ myſterio cõnexa anima corpori velut humi reptet, & pauimento adhæreat: partim propter hoc terrenũ habitaculum, partim quia corpus iſtud de terra eſt. Et regionis igitur diuerſorium, & materia ipſa corporis noſtri huic concurrit ſententiæ. Ideóque pulchrè Apoſtolus de mortis huius corpore liberari cupit: quia carcere quodam claudimur, & in quodam luxuriæ gurguſtio ſiti, tenebris inuoluimur delictorum. Ergo ſecundum voluntatem dei ambulemus, vt adhærere diſcamus deo. Nam qui ſecundum corporis appetentiã viuit, caro eſt: qui ſecũdũ præcepta dei, ſpiritus eſt. Nõ ergo fiat anima noſtra caro, hoc eſt, vt dicamur caro, ſicut & illi qui in diluuio perierunt, de quibus dictum eſt quia caro ſunt: ſed magis caro noſtra obediẽs animæ gubernaculũ fiat animę, & hoc appellari mereatur nomine, ſicut appellata eſt familia patriarchæ Iacob, & generationis eius ſancta poſteritas. Sic enĩ ſcriptum eſt: Hi filij Balæ quam dedit Labã Rachel filiæ ſuæ, & peperit hæc Iacob omnes animas ſeptem. Et alibi: Omnes autem animæ quæ intrauerunt in Ægyptum, quæ exierunt de femoribus illius, præter mulieres, ſexaginta, inquit, & ſex. Et in principio Exodi legimus: Erant autem omnes, animæ de Iacob quinque & ſeptuaginta, qui erant cum Iacob. Ergo illi qui habitabant cum Ioſeph, & de Ægypto exierunt, animæ ſunt. Qui autem cùm eſſent angeli dei, hoc eſt, vitæ probitate angelorum imitantes gratiam, (qui enim non ducunt vxores, & quæ non nubunt, erunt ſicut angeli in cœlo) Qui ergo cùm angeli viderentur, capti ſunt decore fœmineo, hi caro ſunt, ſicut dominus deus dixit: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis in æternum, propter quod caro ſunt. Et meritò expertes libidinis angelis comparantur,

Ioan. 1.
Deut. 10.
1. Cor. 6.
Cantic. 4.
Roma. 7.
Geneſ. 6.
Gene. 46.
Exod. 1.
Matth. 22.
Geneſ. 6.

caro nō ſunt, quia nō ſunt, in carne, ſed in ſpiritu quales erāt
Roma. 8. illi qui doctorē Apoſtolū ſequebantur, quibus ait: Vos autē A
non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Qui autem corporea fœminarum capiuntur libidine, caro ſunt atq; vtinā caro tantū, &
Hiere. 5. nō etiā equi adhinniētes, quia in vxorē, inquit, proximi ſui adhinniebāt. Rogat ergo qui deiectionē animę ſuę ſentit ad
pauimentū vſque curuatæ, vt viuificetur ſecundū verbū dei, quod animas ad ſe trahit quaſcūque, & miſeratione ſui liberare cupiēs abducit à terris. Viuificatur autē anima quæ vias
ambulat Chriſti, peccato mortua, deo viuēs, ita vt mors peccati dominatum in ea poſt hæc habere nō poſſit, poſteaquā
† viuificari. cōſepulta cū Chriſto, iuſtificata eſt à peccato. Sed qui † iuſtificari cupit vias ſuas, antè pnūcier. Ideóq; ſecūdo verſu ait.

II. † al. enuncia ui. Vias meas pronunciaui, † & exaudiſti me: doce me iuſtificationes tuas.

Pulchro ordine ad iuſtificationes dei peruenriendū putat,
Eſaiæ 5. vt primū ſua peccata fateatur. Sic enī docemur & alibi: Dic iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Itaq; ſcire debemus quid ſit vias ſuas ambulare hominē, & vias dei. Qui facit volūtates B
carnis, & viuit ſecundum concupiſcentiā mundi huius, vias
Ioan. 6. ſuas ambulat, quibus delectatur & gaudet. Qui autē venit voluntatem facere patris ſui qui in cœlis eſt, cui cibus eſt vt
mandatū dei cōpleat, qui nō quærit quod voluptatis ſit, ſed quod placeat deo: ille viam domini pergit, illā viā quæ ait:
Ioan. 14. Ego ſum via, veritas, & vita. Vides ergo quia ille viuit ſecundum verbum dei, qui viam ambulat Chriſti. Ipſe etiam do-
Deut. 10. minus deus in Deuteronomio docet quomodo in viis ſuis ambules, dicens: Et nūc Iſrael quid dominus deus petit à te,
niſi vt timeas dominū deum tuū, & ambules in viis eius, & diligas eum, & ſeruias domino deo tuo ex toto corde tuo, &
ex tota anima tua cuſtodias mandata eius & iuſtitias eius? Liquet igitur alias vias eſſe carnis, alias dei: & ſi quis velit ambulare vias dei, ei prius eſſe vias carnis & corporis & ſecularis ſapiētiæ deſerendas. Relinquens itaq; eas Dauid pro
Pſal. 31. nūciat, & apud deū non tacet. Cōfitetur errores, non negat lapſus. Simile illi hoc dixit, Annunciabo aduerſum me iniquitatē meā domino. Si enim ſe accuſauerit iuſtus, vocē pa- C
rati accuſatoris excludit, qui ſolet aceruare peccata, & vniuſcuiuſq; exaggerare flagitia. Obſtruit ergo os eius, qui ipſe de ſe fuerit antè confeſſus, & prēſtruit veniā confitentis. Ve-
Prou. 18. recundia excuſat reum, pudor ſuus accuſat authorē. Qui enim ſua delicta non tacuit, videtur in ſe doluiſſe quod fecit, in diabolo prodidiſſe quod ſuaſit. Ideoq; ait ſcriptura: Iuſt⁹
in exordio ſermonis accuſator eſt ſui. Qui ſe accuſat, etſi peccator eſt, iuſtus eſſe incipit, quia nec ſibi parcit, & dei iuſtitias cōfitetur, quē putat latere nihil poſſe. Vtinā Adā ſe pri⁹
accuſare quam celare voluiſſet. Sed non ſatis eſt vt confitea mur errorem: verum etiam ſi corrigi volum⁹, à domino poſtulemus vt doceat nos iuſtificationes ſuas ne poſtea errare
Matth. 23. poſſimus. A domino igitur doceri petit, quia vnus eſt magiſter noſter, vt ait Chriſtus. Nec ocioſē hoc petit: non enim
Pſalm. 92. ille beatus quē docet homo: ſed quem tu erudieris domine. Vbiq; meminit ſui, nec putat ſatis eſſe vt doceat eum iuſtifi cationes ſuas dominus deus noſter, ſed addidit:

III. † al. iuſtificationū tuarum inſtruc tio. Viam iuſtitiarum tuarum inſinua mihi, † & exercebor in mirabilibus tuis. D

Vide ordinem. Prius eſt vt diſcamus domini iuſtificationes, deinde vt gradus quoſdam iuſtificationum & ordinem noverimus, quid prius, quid conſequens eſſe debeat. Nam ſcire quid facias, & ordinem neſcire faciendi, non eſt perfectæ cognitionis: offendunt plerumq; præpoſtera. Deniq; iuſtus eſt qui ſe in exordio ſermonis accuſat, iniuſtus autē qui quod prius negauerat cōfitetur. Ille verecundiæ inuenit gratiam, hic notam incurrit impudentiæ. Ita ordinis ignorātia conturbat negociorum naturam, formāmq; meritorum. Ille autem qui didicerit primo myſteria dei, deinde ordinē myſteriorū, exercetur in mirabilibus dei. Græcus ἀδολεσχήσω poſuit, ꝙ dicit Latinus hallucinabor. In quo videtur eſſe aliqua ſermonis offenſio ſecundum vulgarem conſuetudinē, quia ἀδολεσχῆσαι vulgo æſtimatur, vel hallucinari, pl⁹ quā
† dicere. oportet aliquid loqui, & ſuperfluum videre † quod audienti faſtidio eſt, & videtur eſſe præter ordinem, cùm ordo rerum videatur afferre faſtidium, vt ſi cauſam velis enarrare aliquam, & ordinem non ſerues, auditor autem ad rerum feſtinet exitum, ſuperiora faſtidit. Sed non poteſt plenè inſtrui, niſi qui ordine ſui cūcta cognouerit: vnde non ſolum factum deprehenditur, ſed etiā facti pōdus, & facientis affectus. Ideoque Dauid quaſi bonus ſui iudex atque arbiter, propè vſque ad faſtidiū vult doceri, & vel ſuperfluo immorari tempore, quàm neceſſarium ordinem præterire. ἀδολεσχία enim vel hallucinatio videtur lōga quædā eſſe meditatio, & moroſa quædam mentis intentio: à quo non longè abeſt exercitium vel animi vel corporis. Nam vt ille qui exercet mēbra ſua paleſtra, diutius exercet vt roboret: ita qui exercet mentem ſuam in ſcripturis diuinis vel in conſiliis, diutius exercere debet. Exiuit in campum Iſaac. Græcus dixit ἀδολεσχῆσαι, Latinus deambulare, vel exerceri. Rebecca veniebat, typus in ea prēfigurabatur eccleſiæ, parabantur nuptiæ, in quibus ſacramentum foret magnum. Videns patriarcha iſta myſteria, exiuit in campum, diffundēs acrimoniam ſuæ mentis, & deambulans in innocentia cordis ſui. Diuerſis vtiq; cogitationibus exercebat animum, & in mirabilibus myſteriis delectabatur: cuius vt imitator euaderet ſanctus propheta, doceri iuſtificationes dei, & viam iuſticiarum cœleſtium cognoſcere geſtiebat, vt non dormiret anima eius ſeculi iſtius ſomnum, nec mundanæ captus vanitatis illecebris, à perſequenda veritatis intentione diflueret. Qua ratione ergo doceri velit, ſubtexuit dicens:

IIII. * al. dormitauit. Stillauit * anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.

Aliqui codices habēt dormitauit, quia ἐνύσταξεν & ἔστα- ξεν duabus literis diſſonāt. Potuit interpres vel antiquarius ſcriptor hic falli, νυστάζειν dormire eſt, στάζειν ſtillare. Perfectus non dormitat, qui diuinis animū intendit myſteriis. Pſalm. 37. Denique ipſe alibi dicit: Si dedero ſomnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem: ſed vigilat ſemper: & ſi caro dormit, cor vigilat. Nō ergo dormiebat, qui templū cōdere domino cogitabat verborum cœleſtiū ex ædificatione, non lapidum. Verbum enim dei repulſorium tædiorum eſt, quo ſomnus animę, ſopor mentis excluditur. Ex triſtitia enim & ſolicitudine ſecularium ſomnus irrepit. Qui autem adhęret deo, curas fugitans: voluptatem capit cognitionis æternæ, nullam illic mutationem rerū ſicut ſeculariū pertimeſcens. Qui facilioribus igitur laborum vtuntur compendiis, dormitauit, accipiunt: ſed Origenes, qui multorum interpretationes diligenti diſcuſſit indagine, ſtillauit, ſecutus eſt, eo quòd perfecti anima quaſi bene cōpoſita & cōfirmata non ſtillat, vt faſtigia culminū quæ bene tecta atq; munita ſunt: cæterùm incōpoſita citò ſtillāt. Inde vſurpatum eſt, Stillicidia eiiciūt hominem in die hyemali de domo ſua, in qua frigoris aſperitate & frequēti aëris mutatione tētamur. Deni- Matth. 24. que docemur puidere ne fuga noſtra fiat hyeme vel ſabbato. Probatos enim iam nos dies debet reperire vel iudicij vel mortis, ne viduatos viriditatibus proſperorū, & omni ſpoliatos ſecūdorum flore ſucceſſuum exitus mortis inueniat. Caueamus ergo ne vnuſquiſque noſtrum eiiciatur de ſtatu mentis ſuæ, & naturali quadā manſione, ſi habeat foramina manſionum è quibus fluentia ſtillicidia tanquam ex fundamētis ſubruant hominem nulla ſapientiæ ſoliditate fundatū. Ideoq; ait propheta: Fili ne defluas. Cōfirmāda eſt igitur anima noſtra ne ſtillet, & indiuidua virtutum compage ſolidanda, vt poſſit regis æterni ſeruare myſterium. Cæterùm is quicunque eſt facilis in verbis, velut plenus rimarum hac atq; illac effluens interiora euacuat ſua, & exterioribus paſſionibus inundatur, regere ſe neſciens, nec tenere verbum quod acceperit, ſicut ſancta Maria quæ conſeruabat omnia verba in corde ſuo, ne quod ex ei⁹ ore defluēret. Tali ſe munitam dote virtutū eccleſia loquitur, vt indigna videatur incuius inuitat⁹ ſpōſus ſuccedat hoſpitiū. Hinc primū ſe præſumit eſſe placiturā, ſi bene tectā, & fidam ſeruantem ſilentia Chriſtus aſpiciat. Ecce es, inquit, formoſus conſobrinus Cantic. meus, & quidem pulcher: acclinatio noſtra opaca, trabes domorum noſtrarum cedri, lacunaria noſtra cupreſſi. Laudat ſponſi decorem eccleſia, quē plus vnuſquiſq; tacito laudat affectu, & fidus myſteriorum interpres tacendo plus prędicat.

1449

cat. Nam qui arcana diuulgat, imminuit Christi docorem. Ideo nemo mittat margaritas suas porcis, ne cõculcari faciat ornamenta preciosa. Non ergo in tabernaculo loquacis & garruli, quia multiloquio peccatum admittitur: sed in viri ferij, qui sit parcus alloquij, nec sermonis intẽperans, & verborum sobrietate temulentiam loquacitatis euitans, caput suum Christus reclinat. Et meritò opacam significat acclinationem, quia in ecclesia constitutos virtus obumbrat altissimi. Hac vmbra Dauid protegi se postulabat, ne eum per diẽ sol vreret, vel luna per noctem. Hanc vmbram spiritalis ministrat gratia, torrida seculi huius, & mundi æstiua fugientibus. Opaca igitur reclinatio Christi & ecclesiæ sunt quibus dei patris æterna illa requies aspirat. In hac ergo requiescamus vmbra, peccatorum nostrorum æstibus fatigati. Si quos adussit libido, hos domini crux refrigeret, in qua se reclinauit vt nostra delicta susciperet. Si quos culpa lassauerit, hos Iesus gremio suscipiat suo, & molli foueat amplexu. Vn de audeo dicere quòd caro Christi acclinatio sit ecclesiæ. Trabes domorum nostrarum cedri. Cedri specie, maiorum qui iusti fuerunt gloria declaratur. Iustus enim vt palma florebit, & sicut cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur. Sicut enim cedrus non putrescit, ita nec maiorum gloria vlla vetustate corrumpitur. Lacunaria nostra cupressi. Genus hoc arboris nunquam amittit viriditatem suã, hyeme iuxta, vere atque æstate comam pascit, nec diuerso colore mutatur. Solam hanc arborem ventus suo nunquam honore despoliat, sola nunquam veteri exuitur amictu, aut nouo flore vestitur. Sic apostolica quoque gratia nescit defectum, sed vetustate sui floret. Anima ergo corrumpi nescit, quæ florẽtibus membris viget, semper iustitiæ cæterarúmque virtutũ culmina patienti magnanimitate sustentat: & ideo non defluit neq; deficit, quia nihil in ea rimosum est, ac remissum, nihil mobile, nihil lubricum, nihil quod vitio sermonis ex ea possit effundi. Ideoque confirmari se petit in verbis suis propheta ne moueantur pedes eius, ne effundantur gressus eius. Quę, si quis recto vigeat corde, non patitur, sed radicatus atque fundatus aduersus omnes passionum fluctus immobilis perseuerat. Confirmatus igitur in verbis ait:

Viam iniquitatis amoue à me, & † lege tua miserere mei.

Non dixit, Amoue me à via iniquitatis, sed, Viam iniquitatis amoue à me: quasi in nobis sit, & nobis inesse videatur. Quandiu enim exercemus aliquid improbum, via iniquitatis interius manet, & non recedit à nobis: ideoq; studiosè agamus vt eam à nobis separemus. Sed quia hæreditariũ iniquitatis glutinum mentibus inhæsit humanis, opus est liberantis auxilio. Precare & tu, dicito: Infelix ego homo, quis amouebit à me iniquitatis viam? Gratia dei, per Iesum Christum dominum nostrum. Et pulchrè viam dixit iniquitatis, non iniquitatem, eò quòd nõ quasi naturalis iniquitas sit in nobis, sed maiorem post peccata currẽtium sit attrita vestigiis. Meritóque quia vulnus grande ac vetus est & diu serpens, perfectioris medicinæ remedia deposcit, obsecrans vt domini legitima miseratione curetur. Citó enim refricatur vulnus quod sanatum medicinæ lege non fuerit, imò etiam seriorẽ curatio sentit profectũ. Ideóque si virus in interiora proserpit, medicamenta foris apposita non sentit. Exigit ergo medicinæ ratio vt aut sectione, aut adustione curetur. Nisi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, frustra medicinę manus adhibentur ad vulnera. Idcoque bonus medicus huiusmodi ægrum legitimè dicit esse curandum, vt possit medicina proficere. Lege ergo miseretur qui cum iustitia sapiẽtiáq; miseretur, vt ea dimittat quæ scit iure posse dimitti: ne cùm alterius miseretur, seipsum legi faciat obnoxium. Agag postquam miseratione donatus est, fecit peccare Saul. Peccauit enim in ipsa misericordia, & ideo peccauit post misericordiam. Consideremus etiã ne & ipsum deteriorem faciamus cuius miseremur iniustè. Plerũque enim non coërcere delinquentes, maioris authoritatis est, quã si vlciscaris. Tradũtur enim in passiones ignominię, qui cum aliquid inhonestum commiserint, nullũ culpæ pretium ferunt. Denique eos qui cognitorẽ deum suorum sceleru non putabãt, & quasi sine iudice & sine lege viuebant, tradidit illos, inquit, deus in reprobũ sensum, quia elegerũt

A viã iniquitatis, viam autem veritatis eligere noluerunt. Sed propheta qui syncero conuerti voluit affectu,

Viam, inquit, veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus. VI.

Non potest hoc dicere qui erat in vano dogmate. Non potest Arrianus dicere, nõ potest Sabellianus, nõ Manichæus, non potest dicere auarus qui secularia & materialia concupiscit, non potest dicere qui negociatur: non est enim via veritatis, cùm ille diues in seculo nequeat secum suas transferre diuitias, & incipiat mendico illo Lazaro egentior esse post mortẽ? Nõ est via veritatis honor seculi, solicitudo mũdi. Denique qui viã veritatis elegit, paulopost dicit: Auerte oculos meos ne videant vanitatẽ. Vanitas temporalium est, veritas æternorum. Si volumus igitur ambulare viam veritatis, peregrinemur seculo magis quàm deo, & ambulemus per fidem. Qui enim per fidẽ ambulat, deo præsens est: qui autem ambulat per speciem, adest seculo, peregrinatur à domino: sed hic citò confunditur. Vnde refugus ab huiusmodi viro dicit Dauid: *Lucæ 16.* *2. Cor. 5.*

Adhæsi testimoniis tuis domine, ne confundas me. † VII. † *al. noli me confundere.*

B Hdhæret testimoniis domini, qui eius mandata non respuit, iudicia non obliuiscitur, nec voluptatibus indulget suis. Qui adhæret domini testimoniis, renunciat modo, superiora obliuiscitur, ad priora cõtendit, vt perueniat ad brauium, quod est insigne victorię. Non ergo confunditur quẽ mundi huius illecebrosa non ceperint? non confunditur etiam si erubescenda commiserit, qui veniam delictorum poscit à Christo. Ideoque respondetur ei: Dimissa sunt tibi peccata tua, vade in pace. Sed ita non cõfunditur, si fuerit in eo operata peccatorum remissio, vt non solum peccata, sed etiã peccandi affectum auferat. Iustitia remittit iniquitates, fortitudo timorem, temperantia impuritatem, vt non solum tẽporalis, sed etiam perpetua fiat remissio peccatorũ. Intret in animam tuam Christus, inhabitet in tuis Iesus mentibus, vt in tabernaculo virtutis peccato locus esse non possit. *Lucæ 7.*

Viam, inquit, mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataris † cor meum. VIII. † *al. dilatasti.*

C Neque enim poterat viam currere, si cor eius coartaretur angustiis. Denique currentibus viam domini ait Apostolus, Dilatamini & vos, & nolite iugum ducere cum infidelibus. Et de se ait, Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Ideo & de Salomone dicitur, Latitudo cordis eius, sicut arena maris. Et vide distantiam, Via sit angustior cor latius, vt patris & filij & spiritus sancti susti neat mansionem, ne veniat verbum dei & pulset, & videns cordis eius angustias dedignetur habitare. Denique sapientia in exitu carni in plateis autem cum fiducia agit. Plateæ latæ sunt. Non igitur in viis, sed in cordis latitudine sapientia decantat. In hoc igitur campo interioris hominis, non in angustiis mentis currendum nobis est vt comprehendamus Scriptum est enim: Sic currite vt omnes comprehendatis. Denique comprehendit qui ita cucurrit vt diceret: Cursum consummaui. Cucurrit enim vt bonus equus. Siquidem habet equos suos Christus, de quibus dicit propheta: Immisisti in mare equos tuos, turbantes aquas multas, eò quòd gẽtium populos, qui mouentur vt aquæ multæ, & excitantur vt fluctus aquarum multarum, euangelizando commouerint apostoli, vt assurgẽtes à terrenis idolorum cæremoniis in Christum crederent. *2. Corin. 6.* *3. Reg. 4.* *1. Cor 9.* *1. Tim. 4.*

D Et supra ait: Ascendisti in equos tuos, equitatus tuus sanitas. O bonorum equorum duodecaiugum mirabile, quibus fræna pacis, habenę sunt charitatis, constricti inter se concordiæ vinculis, & iugo fidei subiecti, quatuor rotis euangelij mysterium totius orbis finibus inuehẽtes, bonum aurigam portantes dei verbum, cuius flagello fugatæ sunt illecebrę seculares, exterminatus mundi istius princeps, iustorum cursus impletus est. O rationabilium equorum grande certamen, ô mirandum mysteriũ, rõta intra rotã currebat, & non impediebatur. Nouum testamẽtum in veteri testamento erat, intra illud currebat per ꝙ annunciabatur. In quatuor partes ibant roræ, & nõ cõuertebantur retrorsum, quia spiritus vitæ erat in iis qui currebant in quatuor partes totius mũdi, & sine offensione currebãt, quia bona equorum vita quadrabat. Currebant igitur equi, quia non dormiebat qui alcẽderat equos. Animarum igitur

nostrarũ auriga Iesus qui nos quoque vult ascẽdere equos
nostros, hoc est, nostra corpora, sed vigilare semper, ne dica
Psalm 75. tur nobis: Dormitauerunt qui ascenderunt equos. Transeun
dum est hoc mare impigrè, vix transitur à vigilantibus. Si
quis autem dormierit, transire non poterit, sed demergitur
Exod 15. vt Ægyptius, cuius & anima & corpus interiit. Equũ enim
& ascẽsorem proiecit in mare, qui non sequebantur legem,
sed persequebantur.

Sermo quintus.

He. ה SEquitur quinta litera He, quæ Latinè significat est, vel vt alibi inuenim⁹, viuit. Cõuenit sibi vtraque interpretatio: qui enim est, viuit: & qui viuit, est. Denique gẽtiles nõ sunt, & ideo non viuunt, sed mortui sunt. Iesus autẽ heri & hodie ipse est, & in secula: & qui est, viuit. Viuo enim ego, dicit domin⁹. Quomodo
Hebr. 13. Num. 14. enim potest nõ esse qui viuit? Viuit aũt Iesus, qui etiã mor-
Rom. 14. tuos viuificat, & vocat quę nõ sunt, tãquã ea quę sũt. Nihil mirum si domino cedit natura, vt viuificentur & mortui, & incipiant esse qui non erant. Et ideo quia via etiam vita est,
Ioan. 14. secundũ illũ qui ait: Ego sum via veritas, & vita: viã quæra-
B mus, vt vitã habere mereamur. Audiamus ergo illum qui vi-
Psalm. 113. uit in Christo. Viuit autẽ qui ait: Sed nos qui viuimus, bene dicimus te domine. In Christo enim Iesu etiã quicũq; mortuus fuerit, viuit. Audiamus inquam quid dixit vt viueret.

I. † *al. pone.* † *al. iustificationum.* Legem mihi constitue † domine viam iustitiarum † tuarum, & quæram illam semper.

Miles qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluntaria captat cõpendia, ne recedat à signis, sed itinerariũ ab Imperatore accipit, & custodit illud, præscripto incedit ordine, cũ armis suis ambulat, rectáque via conficit iter, vt inueniat cõ meantium parata sibi subsidia. Si alio ambulauerit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam nõ inuenit, quia imperator iis iubet hæc præparari omnia qui sequũtur, nec dextra nec sinistra à præscripto itinere declinãt, meritóq; nõ deficit qui Imperatorẽ sequitur suũ. Moderatè enim ambulat, quia Imperator non quod sibi vtile, sed quod omnibus possibile, considerat: ideo: & statiuas ordinat: triduo ambulat exercitus, quarto requiescit die. Eliguntur ciuitates in quibus triduum, quatriduum & plures interponantur dies. si aquis abundat, commerciis frequentantur: & ita sine labore conficitur iter, donec ad eam vrbem perueniatur, quæ quasi regalis eligitur, in qua fessis exercitibus requies ministretur. Hanc legem viandi esse præscriptam Christo ducẽte sanctis commeantibus recognoscas velim. Profecti sunt enim & patres nostri de terra Ægypti per longa spatia terrarum, quorũ statiuę omnes, mansionésque descriptæ sunt, donec Cades, id est, ad sanctam terram perueniretur. Istæ sunt statiuæ filiorum Israel, quas descripsit Moyses ex præcepto domini. Aduertimus ergo quis has ordinauerit mansiones, quomodo ambulare oporteret filios Israel. Præibat
Exod. 13. enim illos deus per diem in columna nubis, vt refrigeraret viantibus: noctu autem in columna ignis, vt viam ostenderet ambulantibus, & tenebras dimoueret. Lex viarum columna erat & ignis & nubis. Denique in columna nubis loquebatur ad eos: vbi volebat exercitum requiescere à labo-
D re itineris, non mouebatur columna ignis, nec transibat nebula lucis. Quando autem volebat exercitum mouere, prouehebatur, & columna ignis in nocte, columna autẽ nubis in die. Illa autem columna nubis specie quidem præcedebat filios Israel, mysterio autem significabat dominum Iesum in nube venturum leui, sicut dixit Esaias, hoc est in vir-
Esaiæ 19. gine Maria, quæ nubes erat secundum hæreditatem Euæ, leuis erat secundum virginitatis integritatem. Leuis erat, quæ non homini quærebat placere, sed domino. Leuis erat, quæ non in iniquitate conceperat, sed spiritu superueniente generabat, nec in delicto, sed cum gratia parturiebat. Aliter quoque hanc interpretationem sumere licet. Venit in nube leui Christus in Ægyptũ, hoc est, venit in susceptione corporis in hoc seculum. In nube venit, quem nebula corporis obumbrabat. Sed leuis erat caro, quam nulla sua grauabant delicta. Quomodo enim peccatis grauaretur suis, qui aufe-

rebat omnium peccata populorum? Ecce, inquit, Ioannes, a-
A gnus dei: ecce qui tollit peccatum mundi. Ante hesternum Ioan. 1.
lectum est quia stabat Iesus, & habebat vestimenta sordida, Zacha. 3.
mea enim peccata portabat. Sumpsit vestimenta nostra, vt Ibidem.
nos splendore immortalitatis indueret. Venit in nube leui quasi iustitia: iniquitas enim in talẽto plumbeo sedet, Christus in corde iustorum, in quibus peccata non erãt. Et ideo bene lectum est hodie: Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Pro nobis verbũ susceptit carnis in- Psalm. 115.
firmitatẽ, pro nobis esuriuit, vapulauit, crucifixus est, mortuus est, vt nobis, in quibus antè vita ignobilis & degener habebatur, inciperet mors esse preciosa. Sed reuertamur ad confectionem itineris, & ordinem mansionum. Et tu sequere spiritaliter hanc legem viãdi, vt exeas ex Ægypto, & inde promoueas. Fige tabernaculum in Socoth: hæc prima tibi statio sit. Socoth prima mansio est, significans tabernaculũ. Fige ergo tabernaculum quod in te est, mentísq; tuæ stationem confirma, vt radicatus atque fundatus maneas in fide Christi. Sequitur mansio in Mara, hoc est in amaritudine.
B Non omnes mãsiones æquales sunt. Inde ventum est in He- Exod. 15.
lim, vbi fontes duodecim sunt, & septuaginta arbores palmarum. Post amaritudinem, ne populus deficeret, debuerũt amœna & fœcunda succedere. Inde Raphidin, quod est lautio iudicij, inde sequitur Sina habẽs in se & populi tentationem, & legis promulgationem. Variantur merita mãsionum, quia nulli iugis in hoc seculo viuendi potest esse successus. Bonus igitur Imperator alibi manna esurienti populo ministrauit, alibi potum de petra fluere, quo sitim populi restingueret, augusta prouisione præcepit, alibi legem dedit, alibi triumphos donauit, vt his beneficiis fotus exercitus nullum prolixi itineris sentiret laborem. Itaque in illo populo typus fuit, in nobis veritas. Nos igitur committamus iter nostrum ductui domini Iesu, qui legem primo introduxit, & antea per Iesum terrã repromissionis in possessionem populo suo dedit. Sed etiam quando Moyses videbatur ductor esse, aderat illi Iesus, aderat illi autem non palam, nec apertè ductorem aut principem populi sese gerẽs. Expecta-
C bat enim donec Moyses tempus expleret suum, quo completo successit Iesus. Itaque si consideres scripturam dicentem, Erunt dies eorum anni centum viginti: videbis mysterium plenitudinis temporum ex centum viginti annis, post Gen. 6.
quos & Moyses in monte requieuit, & Iesus manifestè mãsionis suæ cepit principatum, vt iam non sub legis timore sit populus, sed resuscitatus à mortuis fructu vitę fruatur æternæ. Ambulemus igitur secundũ legis doctrinam, via nobis lex dei sit. Hanc viam ambulans ecclesia dicit: Ego flos Cantic.
campi, & lilium conuallium, sicut lilium in medio spinarũ. In totam enim terram fides populi credẽtis exiuit, & in spatioso posuit pedes suos Christus. Et ideo pulchrè ait florem se esse campi. Flos erat etiam Paulus, qui dicebat: Bonus o- 2. Cor. 2.
dor Christi sumus deo. Et verè flos, qui poterat noua & vetera de sui cordis proferre thesauro. Pulchrè etiam liliũ dicitur ecclesia. Sicut enim lilium fulget, ita etiam splendent opera sanctorum. Pulcherrimè etiam dictum est lilium cõuallium, quia in humilibus magis elucet gratia. Sed hoc lilium in medio spinarum, hoc inter Iudęos & hæreticos, hoc
D inter solicitudines huius seculi, quæ mentem hominis animúmque compungũt. Possumus etiam aliter accipere, quia sicut lilium inter spinas eminet, ita super omnes conuentus ecclesia dei refulget. Refert etiam considerare quòd hoc lilium splendore circunfusum sit, intus autem quod habet, rubeum sit, boni & ipsum odoris, eò quòd caro Christi verubeum sit, boni & ipsum odoris, eò quòd caro Christi velut morali diuinitatis claritudine circunsepta, cœlestis habuerit protectionem gratiæ. Denique in posterioribus ait: Cantic.
Fraternus meus candidus & rubeus. Candidus claritate diuina, rubeus specie coloris humani, quem sacramento incarnationis assumpsit. Meritóque & ipsum quod est rubeum bene olet, quia caro Christi sine peccato est, quã pertidi contrectantes manus suas inquinauerunt, sancti venerantes pietatis odore fragrarunt. Accepit hunc odorem dominus Iesus fragrantis ecclesiæ suæ, & ait: Ecce proxima Cantic.
mea bona. Et ecclesia dicit ad Christum: Ecce bonus fraternus meus, ecce es bonus tanquam malum in lignis syluę.

Huiusl-

1453

Huiusmodi pomum odorem gratum habet, vt cæterorum pomorum fragrantiam vincat. Christus ergo affixus ad lignum sicut malum pendens in arbore, bonum odorē mundanæ fundebat redēptionis, quæ peccati grauis deterſit fœtorem, & vnguentū positus vitale effudit. Tāquam malum, inquit, in lignis syluæ, ita consobrinus meus in medio filiorū, eo quòd super prophetas & apostolos intima corda hominum verborum suauitate mulcebat. Sed nō solum odor, verumetiam cibus suauis in malo est. Ergo cibus suauis est Christus. In vmbra, inquit, eius concupiui & sedi. Legem enim acceperat, hanc sequebatur, hanc currebat viam. In lege itaque requiescens, in vmbra Christi requiescebat. Bona vmbra quæ nos ab iniquitatis sole defendit. Cui aūt dubium quod lex dei vmbra sit Christi? Quid est lex diei festi Neomeniæ, sabbatorum, nisi vmbra futurorum? Qui dies secundum legem Moysi, vt videam sex dies, & iterum septimum diem, & sic perpetua secula? Qui mensis secundum legem Moysi, vt sciens mensem, sciam primā mensis Neomeniam & vera sancta in Neomeniis offerenda? Qui secundum legem Moysi annus, sex illis diebus constat, de quibus ait: Sex annis seruiet Hebræus, & septimo anno liberabitur. vt inueniantur sex anni quibus aliquis operatur terrā, septimo aūt anno remittit illā proselytis, & pauperibus, & bestiis terræ? Qui septim⁹ annus, quo cōceduntur debita omnia Hebræis? In hac vmbra requiescebat patrum fides, prophetarum sancta deuotio. Dicit ergo congregatio religiosa, vel sancta anima: In vmbra eius cōcupiui & sedi. Vmbra eius est iubileus annus. Quis enim eius mystica videt, vt facie ad faciem cognoscat, quæ anno quinquagesimo complenda lege præscripta sunt? Vmbra sunt dies festi secūdum legem primo mense, decima mensis vsque ad quartamdecimam, & inde vsque ad vicesimamprimam mensis. Quæ vmbra est celebritas illa inter primum & septimū mentem, in tempore illo⁊ anno quinquagesimo qui iubileus dicitur? Vmbra est sanctificata libertas in sabbato. Vmbra est dies festus septimi mensis Neomeniæ, & memoriale tubarum septimi mensis, dies decimus, dies propitiatiōis. Vides quia monas & decas duo festi dies. Item quintusdecimus dies, dies tabernaculorū per octo dies. In vmbra hæc omnia. In vmbra prima dies vocata, & octaua dies vocata in vmbra, quæ in scenopegiis præscripta secundum legem. Constitue mihi aliquos ex circuncisione credentes, in lege doctos, obseruantiæ solicitæ viros & nunc euangelij agnitione illuminatos, spiritali saginatos gratia: Dicit in his ecclesia quæ videt Christum, quæ sponsum recipit, quæ cibo eius pascitur: In vmbra eius concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucib⁹ meis. Qui fructus eius dulcis nisi prædicatio dominicæ passionis, vt ipse ait: Ecce hæreditas domini, filij merces fructus ventris? Qui enim dulcior fructus potest esse in faucibus nostris, quàm remissio peccatorum? Et bene flos est Ecclesia, quæ fructum annunciat, hoc est, dominum Iesum Christum, de quo dictum est Mariæ: Benedicta tu inter mulieres, & benedict⁹ fructus ventris tui. Ergo vbi gustauit fructum suauitatis, impatiens ad perfectiora festinat dicēs: Introducite me in domum vini, constituite me in dilectionem, confirmate me in vnguentis, stipate me in malis, quia vulneratæ charitatis ego sū. Læua eius sub capite meo, & dextera eius cōplectetur me. Adiuraui vos filiæ Hierusalem in virtutibus & fortitudinibus agri, si suscitaueritis & resuscitaueritis dilectionem vsquequo voluerit. Meritò quærit eum, meritò desiderat, quia bene omnia in occursu atque itinere disposuit imperator noster. Primum omnium, fidei fundamēto tabernaculum hoc confirmandū putauit. Deinde, si qua est nobis aspera atque arida & prærupta mansio, imperator tamen iste turbata disicit, arida irrigat, deserta fœcundat. Si quid amaritudinis, si quid tentationis, si quid infirmitatis est, ductor noster & amara tēperat, & solicita mitigat, dura dissoluit, & inualida confirmat. Sicubi vult requiescere rex terræ exercitū suum, non ignobilem vicum, non commeatibus indigentem, non arenosa & nuda gignentium, sed vrbem ædificiis nobilem, refertam & vberem copiarum, aut agrum amœnum & virentem pascuis, aut nemorosa & campestria statiuis opportuna decernit. Ergo si reges terræ norunt commoda præuidere sequentibus se, quanto magis deus qui bonus est, nouit quemadmodum profutura disponat diligentibus se? Ac primum si incognitum carpendum est iter, duces eligūtur viarum, qui præcurrant agmini. Sed hoc imperatores isti iniuriosum sibi arbitrantur: Deus autem præibat cùm Hebræi facerēt iter. Denique in columna nubis loquebatur ad eos. Et vt scias quia præibat: Deus, inquit, præibat illorum iter, die quidem in columna nubis ostendens illis viā, noctu autem in columna ignis, & nō deficiebat columna nubis inter diem. Hanc præcedentem nubis columnam sequens ecclesia, non deficientem, ne ipsa deficeret, vmbra eius refrigerabatur, & ideo dicit: In vmbra eius concupiui & sedi, & dulcis eius fructus in faucibus meis: quia à domino pascebatur & deducta in locum pascuum, & aquam refectionis. Introducite me in domum vini. Ab his copiis præparatis quærit progredi ad aliam mansionē, in qua mysteriorum gratiam, & lætitiæ capiat suauitatem. Hinc quoque promouens verum iter, ait: Constituite in me dilectionē. Bona statiua, vbi plenitudo est charitatis. Confirmate me, inquit, in vnguentis, stipate me in malis. Habes alias māsiones, ad quas ecclesia cum delectatione succedit. Istæ mansiones sunt crucis Christi & sepulturæ, in quibus vulnerata est ecclesia, sed vulnere charitatis. Vulnus enim est quod Christus excepit, sed vnguentum est quod effudit: Pomum est quod pependit. Hoc pomum gustauit ecclesia, & ait: Et fructus eius dulcis in faucibus meis. Et vt scias quia pomum est dominus, legisti supra: Tanquam malum in lignis syluæ, ita consobrinus meus. Nos quoque vulnus fatemur cùm prædicamus Christū crucifixum, sed bonus odor sumus deo, quia crux Christi Iudæis scandalum, Græcis stultitia, nobis autē virtus dei atque sapientia est. Hoc vulnere ecclesia vulneratur, cùm saluatoris sui prædicat mortem, sed hoc vulnus est charitatis. Denique qui non credit, negat: qui diligit, confitetur. Manichæus negat, Christianus fatetur, & ideo scriptū est: Vtiliora vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Pulchrè ergo dicit ecclesia, quia vulnerata charitatis ego sum. Nudemus membra nostra bono vulneri, nudemus sagittæ electæ. Sagitta hæc, Christus est, qui dicit: Posuit me sicut sagittam electam. Bonum est ergo hac vulnerari sagitta, non mediocris mansionis iste processus, non omnes possunt dicere quia vulnerati sunt dilectione. Dicebant apostoli cùm pro Christo lapidarentur, & Christum prædicarent. Dicebat Paulus cùm ter virgis cæderetur, & die ac nocte Christum adorandum gentibus disputaret. Dicunt hoc martyres, qui vulnerantur pro Christo: & quia vulnerari pro eius meruerūt nomine, plus diligunt. Ad hāc ergo veniens mansionē ecclesia, ad hunc processum, vt pro Christo filios suos offerat, vt excipiat vulnera charitatis, quasi bona fidei alimenta reperiens, pietatisque fructus, gustauit ipsa, & hortari cœpit cæteros, dicens: Gustate, & videte, quoniam suauis est dominus sicut malum: Et in malo vulnus est, sed tamen suaue est. Venit iterum ad vallem Botryonis, vidit ingentis vuam magnitudinis, quam duo portare vix poterant, vnus qui præcederet, alius qui sequeretur. Gustauit mysterium in Iesu Naue, gustauit in Caleb, qui dicebant populo: Vidimus terram profluentem mel & lac. Gustate & videte quoniam suauis est dominus. Et addidit ecclesia dicere: Læua eius sub capite meo, & dextera eius complectetur me. Adiuraui vos filiæ Hierusalem in virtutibus & fortitudinibus agri, si suscitaueritis & resuscitaueritis charitatem vsquequo voluerit. Et istæ mansiones sunt via regali incedentis ecclesiæ. Multæ enim sunt mansiones apud patr⁹ meum: testificatur dominus Iesus: ecce venio & accersio vos. Bona mansio sapientiæ, & siue in læua eius, siue in dextera, bona mansio, quia via regalis est. Ideoque sapientes nuncij dicunt: Via regali ibimus, non diuertemus in dextera neque sinistra, quoadusq; trāseamus terminos tuos. Hoc dixerūt missi à Moyse nuncij ad regem Edom, hoc est, terrenum, quia terrena omnia, siue in dextera, siue in sinistra, mala sunt. Mala mansio insipientia, mala mansio intemperātia, & ideo pertrāsit has mansiones Hebræus, non diuertit ad eas, sed pertrāsit vt perueniat ad sinistram sapientiæ & dexteram, & in ipsis maneat, vbi diuitiæ simplicitatis, vbi gloria, vbi longitudo vi-

Psalm.68. *Exod.13.* *Cantic.2.* *1.Corin.1.* *Prouer. 27.* *Esaiæ 49.* *2.Cor.12.* *Psal.33.* *Name.13.* *Cantic.2.* *Ioan.14.* *Name.20.*

tæ

Prou.3. tæ est. Longitudo enim vitæ in dextera eius, vt ait Salomō: in sinistra autem eius diuitię & gloria. In dextera vita est, in sinistra requies. Vtinam super sinistram eius requiescam, ne quæram ceruicalia. Væ enim iis qui assuunt ceruicalia: Ezechiel dicit! Has mansiones præparat ecclesiæ suæ bonus ductor, & per vias sapientiæ dirigit iter eius. Denique laudat sapiens vias eius. Viæ eius viæ bonæ, & omnes semitæ eius in pace. Sed quia sapientia, honestas, claritas, ita perfecta sunt, si habeant charitatem, (Plenitudo enim legis, charitas est) suscitari & resuscitari vult charitatem. Suscitari in veteri testamēto, resuscitari in nouo. Charitas deus est, vt legimus, charitas Christus est. Suscitatur vt leo, & catulus leonis, vt vt Iudæ ascendat ex germine. Resuscitatur vt dormiens, vt recumbens: quia non humana, sed sua & patris maiestate est suscitatus à mortuis. Vnde ait scriptura: Quis suscitabit illum? Non enim poterat illum aut angelus, aut potestas suscitare aliena, cùm ipse alios resuscitaret. Ergo cùm hic dicit: Si suscitaueritis aut resuscitaueritis charitatem vsquequo voluerit: de iis dicit qui resurrectionem eius possunt congrue prædicare, vt audientibus ardorem fidei & deuotionis accendant. Vel suscitatur Christus in iis qui primum accedunt, resuscitatur in iis qui postquam accesserint, dormierunt. Dormit ergo Christus negligētibus, suscitatur in sanctis. Habet ergo ecclesia per quæ gradiatur habitacula mansionum in quibus requiescunt sancti, de quibus iste est qui dicit: Legem mihi constitue domine viam iustitiarum tuarum. Bene ait, Statue, vt in pectore eius immobilis & fixa permaneat, nec aliquo seculi turbine ab eius conuellatur affectu, vt ipse lex sit sibi, opus habens legis scriptum in corde suo. Et quæram, inquit, illam semper. Non est enim mediocre quod requiritur paradisi gratia, dei regnum, angelorum consortium, immortalitatisque domicilium. Non ergo vno die quęritur, nec duobus, aut paucis mensibus, sed quæritur semper, & quæritur per omnia, vt meritorū multa concurrant suffragia. Παντὸς enim & omne tempus significat, & per omnia. Cùm dicit igitur, quæram, sine fine dicit esse quærendum. Sed non satis est quærere, nisi intelligas quod requiris: Ideoque ait:

Exech.13. Prou.3. Roma.13. 1.Ioan 4. Gen.49. Roma.2.

II. Da mihi intellectum, & perscrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.

Quærendum primum, deinde intelligendum perscrutandúmque legis omne mysterium, & in corde custodiendum. Quis autem potest custodire legem dei, nisi intellectum acceperit? Qui autem intelligit & scrutatur, scrutādo in semitam mādatorum deducitur. In quo illud aduertendum, quia lex est iustitia, mādatum iudicium. Sicut & in hac litera legimus: est legis via, stare in viis legis. Est via iustitiarum, secundum primum versiculum. Est ergo & testimoniorū via. In via testimoniorum tuorum delectabar. Est & via mādatorum. Viam mandatorum tuorum cucurri. Interrogemus ergo has vias, vt dicatur nobis, State in viis legis, & interrogate semitas æternas, & videte quæ via melior, & ambulate in ea. Cùm omnes igitur ambulauerimus vias, veniemus in omnium finem viarum, qui ait: Ego sum via. Christus ergo finis viarum, ipse enim est finis legis ad iustitiam omni credenti. Hinc audeo dicere, quia finis iustitiarū Christus, qui est iustitia: finis testimoniorum Christus, de quo dictū est: Estote mihi testes, & ego testis, dicit dominꝰ, & puer meus quem elegi. Aduertimus igitur quantum nobis ambulandū sit vt veniamus ad Christum. Ambulandum in lege, quia finis legis Christus est. Sine lege ergo nō peruenitur ad Christum. Vnde manifestum est quòd hæretici qui legem veteris non accipiunt testamenti, etsi dicant quod Christum teneant, tamen non possunt tenere finem qui initium non tenuerūt: Ipse est Iesus, initium & finis. Oportet igitur vt ambulemus secundum legem spiritalem, vt veniamus ad legis finem dominum Iesum. Oportet vt sequamur testimonia, vt peruenire possimus ad magnum testimonium dominum Iesum. Oportet etiam vt in præceptis domini ambulemus, vt peruenamus ad magnum præceptum, de quo legisti: Dictum est antiquis, non occides: ego autem dico vobis hoc est, super omne præceptum dico. Itaque non vsurpatoriè dixerim, sed verè, quia sicut sunt sancta sanctorum, ita præceptum est præceptorum. Sed vt ista seruare possimus, intellectum petamus à domino. Intelligamus quid sit circuncisio. Circuncidit Iesus petrinis gladiis, & abstulit opprobrium Ægypti à filiis Israel. Petra Christus est. Circuncidat te verbum dei, & gladius oris eius, & sic Ægypti carebis opprobrio. Non igitur corporis, sed cordis intelligēda est circuncisio. Si intellexeris legem, seruabis eam in corde tuo. Iudæus in corde legem non seruat, sed in labiis legem recitat, & legem ignorat. Denique populus hic, inquit, labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me. Quomodo potest legem tenere, qui longè est à legis authore? Tertius versiculus quid habeat, consideremus.

Matth.5. 1.Cor.10. Matth.15.

III. Deduc me in semita mandatorum tuorum, quoniam volui eam. *

Quis hoc dicit, nisi qui sequitur Christum? Non potest alius hoc dicere, nisi qui illud exequitur quod scriptum est: Post dominum deum tuum ambulabis, & ipsi adhærebis, quia ipse te deducit. Quomodo deducat, audi. Nisi quis tulerit crucem suam, & post me secutus fuerit, non est me dignus. Præcedit ergo Christus, vt nos sequamur, præcedit verbum. Principium Christus est, ideo sapiētia dicit: Dominus creauit me principium viarum suarū. Aduertimus quòd & principium Christus, & finis viarū sit. Non vereor ne quis dicat, creatum ergo Christum asseris? Respondebo, ita creatum dico, quemadmodum factum legi, hoc est, factum ex muliere, factum sub lege, hoc est secundum susceptionem carnis creatum, secundum quod est natus ex virgine. Creatus est, vt redimeret creaturas: homo factus est, vt homines à morte perpetua liberaret. Creatus est, vt vias mihi demōstraret æternas, quibus homo redire possit ad dei regnum. Ergo quia principium est viarum dei, hoc principium sequamur. Prius viam noui ingressus est testamenti, vt viam deuotionis sterneret nobis. Si ieiunamus, ante nos ille ieiunauit: si pro nomine eius sustinemus iniurias, prius ille sustinuit pro nostra redemptione. Ceruices suas posuit in flagella, maxillas suas in palmas, ascendit crucem, vt doceret mortem non esse metuendam. Denique quasi præcedens ait Petro: Tu me sequere. Et ideo Petrus cursum cōsummauit, quia secutus est Christum. Sequitur versus quartus.

* quia ipsam vidit.

Ecclis.4. Galat.4. Ioan.21.

IIII. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.

Vtilitatem alij habent, & puto quòd ideo mutatū sit, quia vtilitas bonæ rei videtur esse expetenda potius, quàm declinãda. Sed quia plerique lucrū pecuniarum vtilitatem suam putant esse, ideo si legimus vtilitatem, nō animæ vtilitatem accipere debemus prophetam declinare, sed vtilitatem pecuniæ. Sanctus enim lucra ista non nouit, sed omnia hęc detrimētum arbitratur, vt Christum lucretur, & rectè. Quod enim putamus lucrum esse pecuniæ, damnū est animæ, quia virtutis est detrimentum. Ergo secundum eos qui ita acceperūt, vt optet Propheta inclinare cor suum in testimonia, & non in auaritiam, & nos congruimus assensu: atque vtinam precem sancti sequentes & oremus quod ille orauit: & quod oramus imitemur effectu. Quid enim mihi prodest si orem vt auertat cor meum deus ab auaritia, & ipse diebus ac noctibus pecuniæ quæram compendia? Si oramus sermone, compatiamur & mente. Audit sensum nostrum Iesus, & cognoscens duobus istis non conuenire, sermoni, & cupiditati non exaudit loquentem. Et ideo qui bene volebat orare, dicebat: Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Ita magis audit orantem, si aspernetur auaritiam. Sed quia inualidi sumus, & plerunque volentes auertere cor nostrum à pecunia, vel auro, vel argento, capimur aspectu, & agrum aut ædificium videtes alienum concupiscimus, bene addidit Propheta dicens:

Philipp.4. 1.Cor.14.

V. Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.

Etenim qui in via est dei, vanitates non aspicit. Via perfecta Christus est. Qui igitur in Christo est, quomodo potest vanitates aspicere, cùm Christus in carne sua omnes mundi huius

1457 huius crucifixerit vanitates? Auertam⁹ igitur oculos nostros
à vanitatibus, ne quod oculus viderit, animus concupiscat.
Mystica enim differamus interim. Vtinam hac interpreta-
tione possimus reuocare ad diuersa Circensium ludorū at-
que theatralium spectacula festinātes. Vanitas est illa quam
cernis, Pantomimum aspicis, vanitas est. Luctatores aspicis,
vanitas est, quia cernis eos de viridi luctantes corona. Illi e-
nim veri sunt luctatores, qui aduersum huius seculi luctan-
tur illecebras. Non capiat oculos tuos palæstra mēbrorum.
Equos currentes aspicis, vanitas est: quia vanè currunt, qui
ascendentem saluare non possunt. Denique recursus ipse te-
doceat quia vanè currunt, qui non directum cōficiunt iter,
obliuiscētes superiora, & ea quæ posteriora sunt appetētes.
Ante nos est Christus, ante nos brauiū eius, ad quod perue-
nit qui nō in incertū cucurrit, nec reuocauit cursum suum,
sed incitauit. Ad hūc dirige oculos tuos, auerte ab spectacu-
lis, auerte ab omni seculari pōpa. Si cubi populares cognoue
ris plausus, auerte oculos tuos ab his, inflecte, deprime, &
ferua eos, vt erigas melioribus. Erige ad cœlū, vel nocte stel
larum monilia, orbem lunæ decorum, vel die solem aspice.
Specta mare, terram circunspice, vt opere facta diuino om-
nis creatura te pascat. Quę formarum gratia in ipsis bestiis,
Quantus decor in hominibus? Quanta in auibus pulchri-
tudo? Hæc intuere, & non videbis iniquitatem & contra-
dictionem in ciuitate. Hæc vide, & non introibit mors per
fenestras oculorum tuorum. Si videris mulierem ad concu-
piscendum eam, intrauit mors per fenestram. Si videris pos
sessionem minoris aut viduæ, & cōcupieris eripere eam: in-
trauit mors per fenestram. Si videris aliena monilia, aurum,
argentum, & concupieris vt extorqueas: intrauit mors per
fenestram. claude ergo hanc fenestram, cùm videris alienæ
mulieris pulchritudinem, ne mors possit intrare. Oculi tui
ne videant aliena, nec lingua peruersum loquatur. Tuam er
go fenestram claude, ne morti pateat intranti. Sed etiam a-
lienam fenestrā caue. A fenestra enim domus suæ intrat for
nicaria. A fenestra sua intrat, cùm aliquem petulantis oculi
tētat lasciuia. Exclude igitur hanc fenestram verbi ostio, ne
capiatis oculis meretricis, & arripiaris palpebris. Sed non
est vna fenestra per quam mors consueuit intrare. Est & fe-
nestra verborum per quam sermones commeāt meretricis.
Et ideo te ab aliena vxore custodi, ne te sermonibus gratio
sis adoriatur: A fenestra enim domus suę intrat. Intrat mors
per oscula: & ideo caue, ne te laqueis labiorū suorū alliget.
Intrat mors si meretrix te osculetur. Intrat mors si citò ac-
quiescas loquēti. Intrat mors si loquaris. Intrat mors si mul
tum loquaris. Multiloquio enim peccatū incurritur. Intrat
mors etiā si non loquaris, & Christum timeas cōfiteri. Ore
enim cōfessio fit ad salutē. Intrat mors etiā per cauernas au-
riū, & ideo aures sunt spinis sepiendæ, vt illecebras meretri-
cij sermonis excludas. Hæc moralia. Sunt etiā mystici oculi,
quos auertere debeas à vanitate. Est enim & sensuum vani-
tas, quā oculi animæ tuæ videre non debeāt, quia illi eam vi-
dēt, quos Apostolus dānat. Cognosce quę sit vanitas sensuū
quā oculi tui mystici videre non debeant. Vnde ipso magis
authore discam⁹ quæ vanitas, & qui oculi sint. Manifestū est
enim esse plerosque qui vanitate sensus sui obscurati sunt
corde, & alienati à via dei propter ignorantiam quæ in ipsis
est, propter cæcitatē cordis eorū: illos tamen gentes Aposto
lus dicit. Ignoret igitur Gentilis ille quod non didicit, ignō-
ret quod nō credidit, tibi ignorare non licet quod confite-
ris. Christus non in vanitate venit, sed in virtute: non in an-
tiquitate, sed in nouitate: nō inflauit sensum hominis, sed vi-
uificauit: non cæcitatem cordis, sed illuminationem mentis
operatus est. Inflammauit cor tuum, vt comprehendas quæ
mandatorum cœlestium ratio, quæ animæ substantia, quæ
vitæ futuræ gratia, in quo statu post hæc erimus. Erige igi-
tur mētem, vtere naturali ingenio. Ad imaginem dei factus
es, vt superna aspicias, & terrena non quæras. Noli curuare
ceruicē tuam mundi premendā pondere, noli inhiare auro
atque argēto, ne te seculi vinculis alligandum præbeas. Ideo
dixit dominus: Nolite possidere aurum atque argentum. ne
go inferere collum tuum diaboli laqueis. Strangulat auā-
ritia pauperem in hoc seculo, sed in perpetuum diues suis la
queis suffocatur: cuius sensus in vanitate est, in tenebris am
bulat, qui in iis laborat, quæ sibi prodesse non possint. Vani
tas est solicitudo vitæ huius. Vnde nō in crapula & ebrieta-
te, non in deliciis corpotis, sed in cognitione præceptorum
cœlestium delectationem nostram debemus ponere. In va-
nitate currit, qui sibi successibus videtur affluere secularī-
bus, qui tanquam vmbra prætereunt. Auerte igitur oculos
tuos, ne vanitatem videant. Sed nō satis est vt tu auertas. ne
fortè velis & non possis, si effundat tibi diabolus vanitatum
spectacula, incentiua inserat voluptatum, pete vt dominus
auertat oculos tuos. Et hæc gratia dei, & hoc munus est do-
mini, vt oculos animæ nostræ à negociis mundi huius auer
tat. Beatitudo enim omnis à domino est. Beatus autem vir, *Psal. 39.*
cui nomen domini spes eius, & non respexit in vanitates &
insanias falsas. Qui non respicit hæc, beatus est: qui autem
respicit, insanus atque furiosus est: & ideo respiscat vnus-
quisque à furore secularium cupiditatum, quæ ita mentem
animúmque perturbant, vt compos sui esse non possit. Si in
nauigio fluctuāte sis constitutus, auertis à sentina oculos, ne
vomitum moueat tibi. Si in ciuitate ambulās aliquid fœtidi
odoris offendas, longè refugis atque declinas. Si quid occur
rat quod horreat oculus tuus, clauditur aut auertitur. In sa-
lo seculi huius fluctuas, influit sentina vitiorum. In hoc na-
uigio tui corporis mouetur æstus cupiditatum, & non auer
tis oculos animæ tuæ ne videant sentinā libidinum, ne aspi
ciant mundi huius stercora, ne fœtor immundus nares re-
pleat tuæ mentis, in quibus spiritus sanctus esse consueuit, *Iob 27.*
vt possis dicere: Spiritus diuinus qui est in naribus meis. Na
res igitur animæ tuæ à fœtore auertantur criminum diuer-
sorum. Est enim in his velut quoddam insigne iudicij. Vnde *Cantic. 7.*
dicitur sponsæ: Nares tuæ sicut turris Libani, prospiciens fa-
ciem Damasci. eo quòd vnguentum veri sacerdotis quod
descendit de capite in barbā, hoc est, odor ille diuinus, odor
gratiæ spiritalis, qui de patre in Christo erat, & sacramen-
to incarnationis, descendit in terras, vt omnia fuso repleretē-
tur vnguento, emineat præcelsi potestate iudicij, & nares re
pleat animæ, vt bene olentia discernat, & fœtida, suauia san
ctorū qui possunt dicere: Christi enim bonus odor sumus *2. Cor. 2.*
deo, à fœtidis peccatorum. Hæ sunt nares sicut turris Liba-
ni præcelsæ supra mundum, & ideo prospicit faciem Dama
sci, gentilem scilicet populū, odorans fidem eius, cuius gra-
tia delictorum suorum detegit fœtorem. Facies igitur Da-
masci, fides est Gētium nullo obumbrata amictu, nullo ad-
operta vestitu, nuda ac libera, cœlo magis intēta quàm ter-
ris. Hāc speculantur & prospiciunt nares ecclesiæ, quòd sua-
ue in ea & odorum est aspirationis & gratiæ colligentes.
Et bene nares eius sicut turris Libani, quia in sacrificiis odor
suauis ecclesiæ est, in quibus est boni odoris hostia, remissio
peccatorū. Sume igitur has nares ô homo, vt à graue olenti-
bus florulenta secernas, & tūc viuificabit te dominus. Cum
enim aduerterit quod de ipso petis, vt auertat oculos men-
tis tuæ à vanitate, cooperatur animæ tuæ, vt si specie aliqua
capitur, aut duritia & infirmitate non flectitur, flectat eam
iugo verbi, & habenis suis regat, vt voluntate dei abducatur
à vitiis, & vitæ odorem capiat æternæ. Non enim hæc vita
perfecta est, sed hæc vita in vmbra est. Ideo vt homo Chri-
stus Iesus ex virgine nasceretur, obumbrauit virtus altissimi
matrem profuturam, quia in vmbram descendit, ab vmbra *Lucæ 1.*
incipiens operari salutem hominis, & consummaturus cla-
ritate solis æterni. Vmbra est ergo vita hæc. festina ad solem
vt te defendat ab vmbræ huius frigore, & calorem tibi pro
fundat æstiuum. Et ideo suadet orandum ne fiat fuga nostra
hyeme vel sabbato, non tempus diémque significans, sed fri
gere nos meritis prohibens, & bonorum operum esse ieiu- *Matth. 24.*
nos. Disce nunc quemadmodum auertat oculos eius cui mi
sereatur dominus, à vanitate. Ex his enim quæ sequūtur, hoc
intelligere possumus. Subiecit enim:

Statue seruo tuo eloquium tuum, in timore tuo. VI.

Initium esse sapientiæ timorem domini dicit Propheta: *Psalm. 110.*
Quid est autem initium sapientiæ, nisi seculo renunciare? *1. Corin. 1.*
Quia sapere secularia, stultitia est. Denique sapientiam hu-
ius

ius mundi, ſtultitiam eſſe apud dominum, Apoſtolus dicit. Sed & ipſe timor domini niſi ſecundum ſcientiam ſit, nihil
Roma.10. prodeſt, imò obeſt plurimum. Siquidem Iudæi habent zelum dei, ſed quia non habent ſecũdum ſcientiam, in ipſo zelo & timore maiorẽ contrahunt diuinitatis offenſam. Quòd circuncidunt infantulos ſuos, quòd ſabbata cuſtodiunt, timorem dei habent: ſed quia neſciunt legem ſpiritalem eſſe, circuncidunt corpus, non cor ſuum. Ignem ſabbato adolere formidant, cùm lex ſanctificationis die libidinum ignẽ prohibeat accendi. Et quid de Iudæis dicam? Sunt etiam in nobis qui habẽt timorem dei, ſed non ſecũdum ſcientiam, ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poſſit humana conditio ſuſtinere. Timor in eo eſt, quia videtur ſibi conſulere diſciplinæ, opus virtutis exigere: ſed inſcitia in eo eſt, quia non compatiuntur naturę, non æſtimant poſſibilitatem. Non ſit ergo irrationabilis timor. Etenim vera ſapiẽtia à timore dei incipit, nec eſt ſapientia ſpiritalis ſine timore dei: ita timor ſine ſapientia eſſe non debet. Baſis quædam verbi eſt timor ſanctus. Sicut enim ſimulacrum aliquod in baſi ſtatuitur, & tunc maiorem habet gratiam cùm in baſi ſtatua fuerit collocata, ſtandíque accipit firmitatem: ita verbum dei vel rationabile dei in timore ſancto melius ſtatuitur, fortius radicatur, hoc eſt in pectore timẽtis dominũ, ne labatur verbum de corde viri, ne veniant volucres, & auferant illud de incurioſi & diſſimulãtis affectu. Sed etiam verbo dei timor ipſe aptari ad vtilitatem, & conſtabiliri videtur vt non ſit alienus ſcientiæ, ſicut baſis accepta ſtatua non eſt aliena gratiæ. Timor ergo verbi eſt locus, ſicut in pace locus eius. Timor quidem ſtatua verbi, verbũ timoris eſt diſciplina. Plenus enim diſciplinę timor non nutat ad lapſum. Et quia baſim verbi timorem diximus: ne quid alienũ à ſcripturis poſuiſſe nos quiſquã putet, accipiat lectũ de dei verbo in Can-
Cantic.5. ticis canticorum: Crura eius columnæ marmoreæ fundatæ ſuper baſes aureas. Significans columnas eſſe eccleſiæ apo-
Galat.2. ſtolos, qui fundati ſunt in timore ſancto. Nam ſicut Petrus, Iacobus, Ioannes & Barnabas columnæ eſſe videbantur eccleſię, ſic & quicunque vicerit hoc ſeculum, fit columna dei,
Pſalm.74. quam confirmat qui dicit: Ego confirmaui columnas eius:
Pſalm.110. ita & baſis aurea timor plenus diſciplinæ, quia initium ſapientiæ eſt. In timore ergo ſapientium apoſtolica prædicatio tanquã ſuper baſem auream columna cõfirmatur. Chriſti igitur eloquio & apoſtolico ſermoni tribunal eſt timor iuſti, & baſis aurea plena prudentię, ſimulacrum autem bonum tanquam effigies veritatis, ſermo ſanctorum. Et vide tanquam baſim auream eſſe ſanctorum timorem. Lege E-
Eſaiæ 11. ſaiam: vide quantis ſubiecerit timorem, vt faceret irreprehenſibilem & bonum timorem. Spiritus, inquit, ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij atque virtutis, ſpiritus cognitionis atque pietatis, ſpiritus ſancti timoris. Quantis timorem ſubiecit, vt haberet quod ſequi poſſit? Informatur per ſapientiam, inſtruitur per intellectum, conſilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur. Tol-
2.Corin.7. le timori domini iſta, & eſt irrationabilis & inſipiẽs timor, vnus ex illis: Foris pugnæ, intus timores. Quibus afflictus eſſet & Paulus, niſi habuiſſet dominum conſolantem. Nec
Prouer.2. ocioſum eſt in Prouerbiis: Tunc intelliges timorem domini. Quid eſt tunc? Cùm ſapientiam inuocaueris, & prudentiæ dederis vocem tuam: & ſi quæſieris illam vt pecuniam, & vt theſauros ſcrutatus fueris eam, tunc intelliges timorem domini. Et ideo tãquam ſuper baſim bonam dicit: Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Plena diſciplinæ oratio, per quam docemur, quemadmodum debeamus orare vnuſquiſque. Sermo doctrina eſt deprecandi. Et quia docuit nos orare, qui ſit iſtius orationis effectus, oſtendit ſeptimus verſus.

VII. Aufer * opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum.

* amputa

Suboſcurè dictũ videtur, ſed explanauit Apoſtolus quod
2.Corin.4. hic videbatur obſcurum, vbi ait: Nihil quidem mihi conſcius ſum, ſed nõ in hoc iuſtificatus ſum. Sciebat enim ſe eſſe hominem, & ſibi cauebat vt poterat, ne poſt ſuſcepta baptiſmi ſacramenta peccaret: ideoque delicti cõſcius ſibi non erat, ſed quia homo erat, peccatorem ſe fatebatur, ſciens vnum eſſe Ieſum lumen verum, qui peccatum non fecit, nec
1.Petr.2. A eſt inuentus in ore eius dolus, ipſum ſolum iuſtificari qui verè alienus eſſet à lapſu. Similiter ergo Propheta etſi peccatum declinare cupiebat, tamen quaſi deũ repulſorẽ peccati eſſe cupiebat. Sui volebat auferri opprobrium quod ſuſpicatus eſt, vel quia cogitauerat in corde, & non fecerat, & pœnitentia licet abolitum, ſuſpectus tamẽ erat ne fortè adhuc maneret eius opprobrium, & ideo deum precatur vt illud auferat, qui ſolus nouit quod neſcire poteſt etiam ipſe
Pſalm.68. qui fecit. Deniq; alibi ipſe dixit Propheta: Scis opprobrium meum. Quanquã iſtud opprobrium Chriſti ſit, quod nõ eſt verum opprobriũ, ſed gloria dei. Crux enim Chriſti, Iudæis
1.Cor.1. ſcandalũ, Græcis ſtultitia. Illis ergo opprobrium mihi virtus eſt, per quem aduerſarium repello, ſeculum vinco. Mihi ſapientia, per quam inſipientiæ laqueos euado. Hoc opprobrium theſauris Ægypti Moyſes prætulit, maius, inquit, æſtimãs Ægypti theſauris opprobrium Chriſti. Si opprobriũ
Hebr.11. tuum gloria eſt domine Ieſu, quãta eſt gloria tua? Tuæ igitur gloriæ participatione quid erimus, cuius ſumus oppro-
B brio glorioſi? Dorſum meũ poſui in flagella, maxillas meas in palmas, os autem meum non auerti à confuſione ſputorum. Ecce opprobrium tuum domine, in quo ſalus eſt vniuerſorũ, in quo mundi redemptio, per quod opprobriũ cœpimus non erubeſcere, qui erubeſcebamus: non confundi, qui cõfundebamur. Denique ſcriptum eſt: Accedite ad eum
Pſalm.33. & illuminamini, & vultus veſtri non erubeſcent. Hoc opprobrium auferri à nobis nolumus, opprobrium crucis domini Ieſu, quo noſtra auferũtur opprobria. Sicut enim maledictum factus eſt, vt noſtra maledicta deleret, homo factus eſt, vt leuaret hominis infirmitates: ita opprobrium factus eſt, vt omnium auferret opprobria. Non vno tempore, non ſemel abſtulit opprobria: aufert quotidie, peccatum incidimus, non vnum, ſed multa, cooperti ſumus opprobrio & confuſione. Venimus ad baptiſmum, dilutum eſt omne peccatum, & cum peccato opprobrium. Abſtulit opprobriũ meũ dominus Ieſus opprobrio ſuo. Quia crucifixus eſt mi-
Roma.6. hi: quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus. Non habeo quod auferri petam, ſed
C poſt baptiſmum incidi opprobrium, debeo augere pœnitẽtiam, vt dicam: Auferà me opprobrium meum, cùm hoc ipſum peccati opprobrium ſit, quia non ago pœnitentiam. Si autem pœnitentiam vt oportet ago, rectè dico: Auferà me opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum.

Iudicia enim tua dulcia.*

*al. quia iudicia tua ſuauia.

Quomodo oportet confiteri? Quid timeo confiteri, quid timeo dicere peccata mea? Quid vereor opprobrij mei mẽtionem facere apud eum cuius iudicia dulcia ſunt? Quod ſeuerũ in aliis, in Chriſto dulce eſt, in Chriſto ſuaue eſt, quia ipſe ſuauis eſt. Deniq; guſtate & videte quoniam ſuauis eſt
Pſalm.33. Eſaia 43. dominus. Dulcia iudicia cõfitenti, quia ipſe dicit: Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas, & memor nõ ero: tu autem memor eſto, & iudicemur: dic iniquitates tuas vt iuſtificeris. Dulcia iudicia agẽti pœnitentiã, quia ipſe dixit: Gau-
Luc.15. dium erit in cœlis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm in nonaginta & nouem iuſtis qui non indigẽt pœnitentia. Si dulcia ſunt igitur iudicia domini, ſuauitatis fructus percipere elaboremus. Vis ſcire quàm dulcia iudicia
Pſalm.1. domini? Non reſurgunt impij in iudicio. Qui autem in iudicio reſurgunt, habent ſpem veniæ, quoniam crediderũt. Impij non ſunt, peccatores eſſe poſſunt: fidem habent: & ſi culpam non declinarũt, per fidem credunt. Qui autem credit in
Ioan.3. Ibidem. ipſo, non iudicatur. Dulcia ergo iudicia credẽtibus. Qui autem non credunt, non Chriſti iudicio damnati ſunt: qui venit non vt iudicet mundum, ſed vt ſaluet & redimat, ſed imnit pietatis ſuæ ſubiere iudicium, qui in remiſſionem peccatorũ credere noluerunt. Non enim poſſunt ad eius pertinere beneficium, quem cognoſcere refutarunt. Ergo qui non crediderunt in eum, iudicio eius vidẽtur indigni. Iudicium enim
Ibidem. eius quid ſit, agnoſce dicente ipſo: Hoc autem iudicium eſt, quia lux venit in hunc mundum. Dulce ergo, quod lux eſt: dulce iudicium, quod præcedit miſericordia. Sic enim
Pſalm.100 ſcriptum eſt: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi domine,

1461

mine. Et quia cognouit dulcia iudicia, dicit:

Ecce concupiui mandata tua, in tua iustitia † vi-

uifica me.

Bona iudicia authoritate ait. Ecce amat libertatem fidei, qui libertatem dedit. Diligi se gaudet, qui ideo venit in hũc mundum, quia hunc mũdum dilexit. A mari exigit, qui omnes amat, quia charitas est. Concupiuit mandata dei vt bonus seruus, vt cultor sedulus. Cõcupiuit non vt amator meretriciam copulam, non vt auarus pecuniam, non vt luxuriosus lasciuiam. De illis enim lex dixit: Non concupisces. Dominum autem deum præcepit diligendum, & tenero, id est tenaci quodam atque interno amandum cupiditatis affectu. Et quia amicus est qui diligit, seruus est qui timet, quasi amicus qui omnia fecerit quæ præcepit ei dominus: Vos, inquit, amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. In tua iustitia viuifica me: audiet & dicit: eo quòd illa sit vera vita, quæ viuit secundum dei iustitiam, quam viuebant apostoli, imò qua viuunt. Sunt enim qui viuentes, mortui sunt: & qui mortui, viuunt. Denique alij descendunt in infernum viuentes, alij cùm sint corpore mortui, meritis suis viuunt. Sunt enim qui non gustabũt mortem, donec videant filium hominis die iudicij reuertentem, quando cum gloria sancti resurgent.

Sermo Sextus.

Exta litera vau, cuius interpretatio est, vt ille. Alius interpres, non est, ait.

Et veniat super me misericordia tua domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.

Quid significet interpretatio literæ, quoniam sub obscura est, ex psalmi serie colligendum putaui. Nam cùm Propheta postulet: Veniat super me misericordia tua domine, veniat salutare tuum: non est dubium quem videre deposcat, hoc est, in quo fructus & misericordiæ veniat & salutis. Denique in superioribus idem poposcit, in psalmo octogesimoquarto, in quo euidentius domini Iesu prophetauit aduentum. Nam terram quam benedici postulet, satis notum est, illam videlicet quæ peccatum in Adam contraxerat, cui dicitur: Terra es, & in terram ibis. Maledixerat autem deus non elementum naturæ carnis, sed carnem præuaricãtium. Benedicitur caro igitur in Christo, vt maledicto superato caro soluatur. Benedicitur caro, quam benedictus filius dei assumpta hominis conditione suscepit. Et ideo subdidit: Psal. 84. Deus tu conuertens viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Ostẽde nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Audiam quid loquatur in me dominus deus, quoniam loquetur pacem in plebẽ suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertunt ad ipsum cor suum. Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra. Totus hic locus Iesum dominum sonat, qui viuificauit mortuos, Lazarum ante passionẽ, plurimos tempore propriæ passionis. Ipse est misericordia, vtpote remissio peccatorum. Ideo dicit: Ostende quem videre possit in corpore. Nã deum in maiestate sua videre non poterat, quia deum nemo vidit vnquam. Auidus Propheta desiderat videre, quem sperat tenere: quem si viderit, desiderat propriis manibus comprehendere. Ideoque ait: Et salutare tuum da nobis. Salutare dei virtus est, salutare dei Christus est, & ideo prope timẽtes hoc salutare. Longè erat Christus à nobis, longè erat à nationibus: descendit in terras, factus est propè, cœpimus non timere. Nam qui Christum timet, nõ timori est subditus, sed deuotioni. Pietatis hic timor non infirmitatis est. Denique nihil deest timentibus eum. Quomodo autẽ factus sit propè, audi: Vt inhabitet, inquit, gloria in terra nostra. Quis est gloria, nisi dominꝰ Iesus? Vnde & apostolus Paulus ait: Deus domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ. Meritò cõplacet in eo pater, quia patris gloria est. Hunc qui à patre separat, maiorem patri iniuriam facit, quem vult esse sine gloria. Hunc quisquis æqualẽ patri non putat, inferiorem & patrem iudicat, cum alio verbo patrem plus laudare nõ possit, cùm summa laus gloriæ Christus est. Rogatur ergo vt veniat salutare dei. Ille est qui rogatur, hoc est, dominus Iesus, & nõ est alius, sicut habet literæ interpretatio, est. Vel si nõ solus pater rogatur, est & ille, hoc est, & filius qui rogatur, & rogatus aduenit, & salutare mundo dedit. Ideo σωτὴρ hoc est saluator, ideo Iesus, sicut angelus dixit, quia saluũ fecit populum suum. Cùm inuocaret igitur Propheta, adderat, vt probaret illud, quia adhuc loquentibus nobis dicit, Assum. Adest, quia suscitatus à filiabus Iudææ, quasi resuscitatus à filiabus Hierusalem, audit ecclesia sonum vocis eius, & dicit: Vox consobrini mei, ecce hic aduenit saliens super montes, transiliens super colles. Manipularis est liber multas habens personas nobiles, velut manipulos triumphales: multósque actus significans, quos intelligere magis, quàm expressos tenere possumus. Nam quasi aduenientem sponsum audierit, cum aliquibus pariter viantibus colloquentem dicit sponsa: Vox consobrini mei. Dum loquitur cum filiabus Hierusalem, & rogat vt excitẽt & resuscitent sponsum, subitò tanquam de longinquo missæ vocis sonum sentiens, dicit: Vox consobrini mei, annuncias quẽ nunciari sibi antè quærebat, quem cupiebat ab aliis suscitari, sua prece resuscitatum à patre venire iam credens, læta dicit: Vox consobrini mei. Bene addidit, consobrini mei, vt non aliæ, sed consobrina sola sibi eius vindicaret aduentum. Ecce, inquit, iste aduenit. adhuc ego eum quæro, & ille iam venit, adhuc ego suffragia capto vt veniat, & ille iam proximus est. Ego suscitari mihi charitatem cupio, ego me vulneratam charitate puto, & ad me plus charitas ipsa festinat. Ego dixi: Veni, ille salit & transilit. ego rogo eum venire cum gratia, iste gratiarum operatur augmenta: & dũ venit, incrementa gratiæ secum vehit, & veniendo acquirit, quia studet etiam ipse suæ placere dilectæ. Salit super excelsa, vt ascendat super sponsam. Sponsæ enim thalamus tribunal est Christi. Salit super ecclesiam, transilit super synagogam. Salit super Gentes, transilit super Iudæos. Videamus saliẽtem. Salit de cœlo in virginem, de vtero in præsepe, de præsepio in Iordanem, de Iordane in crucẽ, de cruce in tumulum, in cœlum de sepulchro. Proba mihi Dauid salientem, proba currentem. Tu enim dixisti: Exultauit tanquam Psalm. 18. Gigas ad currendã viam, à summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius. Ergo & nunc salit & nunc currit de corde patris super sanctos suos, de Oriente super Occidentẽ, de Septentrione super Meridiem. Ipse est qui ascendit super occasum, ipse super cœlos cœlorum ad Orientem. Ipse ascendit super mõtes, ipse super colles. Vtinam ego miser dicam, dicat anima mea, ecce iste aduenit, & aduenit non super terrena, non super valles, sed aduenit saliẽs super montes. Deus enim deus montium est non vallium. Vbi ergo salit? super montes salit. Si sis mons, salit super te. Salit super Esaiam, salit super Hieremiam, salit super Petrũ, Ioannem, Iacobum. Montes in circuitu eius. Si non potes mons esse, nec præualeas, esto vel collis, vt super te Christus ascẽdat, & si transilit, ita transiliat, vt te transitus eius vmbra custodiat. Diximus de Christo & ecclesia, dicam⁹ de anima & verbo: Anima iusti sponsa est verbi. hæc si desideret, si cupiat, si oret, & oret assiduò, & oret sine vlla disceptatione, & tota intendat, in verbum, subitò vocem sibi videtur eius audire quem non videt, & intimo sensu odorem diuinitatis eius agnoscit: quòd patiuntur plerunque qui bene credunt. Replẽtur subitò nares animę spiritali gratia, & sentit sibi præsentiæ eius flatum aspirare quem quærit, & dicit: Ecce iste est quem requiro, ipse quem desidero. Nónne cùm aliquid de scripturis cogitamus, & explanationem eius inuenire non possumus, dum dubitamus, dũ quærimus, subitò nobis quasi super montes altissima dogmata videntur ascendere: deinde quasi super colles apparens nobis, illuminat mentem, vt infundat sensib⁹ quod inuenire posse difficile videbatur? Ergo quasi ex absente fit præsens verbum in cordibus nostris. Et rursus cum aliquid nobis sub obscurum est, tanquã subducitur verbum, & tanquam absentis aduẽtum desideramus. Et cùm iterum apparet, ostẽdit se nobis tanquã præsens sit nobis in iis quæ requirimus cognoscendis. Salit ergo in vniuscuiusque corde frequenter: trãsilit & exit, & reuertitur, si sequaris, si requiras, si tibi fidelium gratia disceptatione doctorum verbum quod exierat, atque transierat, postules resuscitari, sicut il-

Matth. 1.

Cantic. 2.

Psalm. 67.

Psal. 124.

cut illa quæ quæsiuit & inuenit, quæ dixit: Frater meus transiuit, anima mea exiuit in verbo eius. Ergo & si super montes salit, sequere: & si super colles, sequere. Reperiũtur enim in montibus & in collibus venatores domini, qui inuestigant eos qui capiuntur ad vitã. Sic enim dixit per Hieremiam deus: Ecce mitto multos piscatores, & multos venatores, & venabũtur eos super omnem montem, & super omnem collem. Ibi ergo populus dei quæratur, & inueniatur in Petri & in Pauli doctrina gratia disciplinæ, vt non in conualle sint, vbi fletus, sed in montibus, à quibus vnumquemque Christus illuminat. Et cùm Petrũ legimus, Christus illuminat. Et cùm Paulum legimus, Christus illuminat. Curauit Paulus, Christus illuminauit, quoniã inuocato domini Iesu nomine resurrexit, cuius sanatus est munere. Suscitauit mortuam Petrus, Christus illuminauit. Et ideo ait: Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Nos igitur qui montes esse non possumus, stemus in montibus vel in collibus: vt cum miserit piscatores suos dominus, & venatores, vt venentur eos qui super omnem montem sunt, vel super omnem collem, id est in legis & prophetarũ præceptis, & noui & veteris testamẽti cognitione omnem habentes conuersationem, inueniant nos paratos, & velut bonas colligãt spicas opportuno missi messores tempore: quia si quis extra montem aut collem fuerit repertus, colligi velut bona spica nõ poterit ab iis qui (vt comparationis faciamus alterius mẽtionem) triticũ à paleis separare mittentur. Plurimarum igitur operationum solertes ministros dominus habet. Iidem piscatores, iidem etiam venatores sunt, atque messores. Si in tempore messis, quo diriguntur isti meriti, maturus expectes, salientem in montibus poteris intueri, & videbis dominum Iesum similem capreolo, aut hinnulo ceruorum super montes Bethel. Salit enim super ecclesiam, quæ est domus panis, eo quòd fidelium corda confirmet: Meritò sicut capreola, quia caprea in altis pascitur. Dorcas dicitur à videndo. Dorcadon etenim visus acutior est. Quid hoc aptius Christo, qui patrem vidit, quẽ vidit nemo? Aut si quis vidit in Christo, ipse filius reuelauit. Meritò sicut hinnulus ceruorum, hinnulus quasi filius, cui paternæ inoleuerit vis naturæ, vt eum occulta non lateant, serpentes fugiãt, venena non lædãt. Denique eductus de latibulis suis serpens qui producebatur ex homine, dicebat: Quid venisti ante tẽpus torquere nos? Spectemus ergo salientem hunc hinnulum, vt non possimus timere serpẽtem. Non timebat Dauid. Denique de his dicebat serpentibus:

Hier. 16.
Psalm. 75.
Matth. 21.
Ibidem 8.

II. * al sermonibus tuis.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speraui in * verbis tuis.

Quasi bonus ceruus qui bibisset de fontibus aquarum, nequaquam humanorum serpentium spiras, & maledicorũ venena metuebat. Coluber illi non erat noxa, sed prẽda. Cibus erat serpẽtini virus alloquij, & cibus laudis. De quo dicebat: Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & dolosi super me apertum est. Saginabatur venenatorũ sermonibus. Illi sibila obtrectationum ora tollebãt, & sermonibus odij circundabant innocentem. Bonus ceruus inter multos colubros positus non timebat, ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum. Simulabãt charitatem, fundebant obtrectationem: ego autem, inquit, orabam. Bonus ceruus in medio viperarũ innocuus pascebatur. Illi trisulcis ora linguis micabãt, hũc autem sancta pascebat oratio, imò cibum obtrectantibus offerebat. Respõdit obtrectantibus sibi verbũ. Verbũ enim cibus est. Deniq; non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo dei. Videbant me, inquit, & mouerũt capita sua. Maledicebant, ego autem benedicebam. Maledicebant qui obtrectabant: benedicebam, qui verbum domini prædicabam. Quàm bonum est ferre conuitium, & conuitium non referre? Deum præsulem acquirit, qui conuitianti nescit irasci. Denique quanta patientiæ gratia dicentis: Maledicent ipsi, & tu benedices? Beatus qui maledicta non sentit. Beatus quem maledicta non permouent. Non enim potest maledicto moueri qui maledicta hominum diuinę munere benedictionis excludit. Non potest sentire maledictũ, qui habet verbum & non potest referre maledictum, cui in

Psalm. 103.
Psalm. 108.
Matth. 4.
Psalm. 108.

ore semper est verbum. Sed est etiam bonus serpens, quem iste ceruus non lædat. Estote, inquit, astuti sicut serpentes. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. In serpẽte æreo figuratus est meus serpens. In ligno illo exaltatus est meus serpens bonus. Bonus serpẽs, qui de ore suo remedia, nõ venena fundebat. Potest non timere serpẽtes, qui hunc nouit adorare serpẽtem. De hoc serpente dicit illa quæ diligit: Ecce hic stat post parietem nostrum prospiciens per fenestras, eminẽs per retia. Respondit cõsobrinus meus, & dicit mihi: Surge, veni proxima mea, formosa mea, columba mea, quia ecce hyẽs præteriit, imber abiit, discessit sibi, flores visi sunt in terra. Serpẽs profectò est, qui decursa hyeme amictu corporis se volebat exuere, vt specioso decore vernaret. Idem ergo est ceruus & serpens. Ceruus habens cornua legis & gratiæ. Cornua eius duo sunt testamenta: velox gressu, impiger incessu, qui totum facilè orbem percurrat vno momẽto, vbique celebrabilis. Serpens quoque bonus, cuius priora dentes legis immordeant, posteriora non vulnerent euangelij lenitate. Caput defendit à vulnere, qui legem venit non soluere, sed tueri ab interpretationibus perfidorum. Caudam in flagella diffundit liberam, cupiens aduersarios magis flagellare quàm perdere. Bonus coluber in gremium dilectæ, atque in ipsum intimæ sinum mentis facilis illabitur, & attactu nullo implicãs ignem ossibus, præcordia ipsa depascitur. Pulchrè lectũ est hodie: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporũ. Celebramus enim diẽ quo reuelata sunt populis corpora sanctorum martyrum, qui velut boni serpentes depositis carnis exuuiis, tentationum hyemalium rigore superato, & spiritus sancti renouati gratia, æstiua mũdo luce fulsere, missi verò vt agni in medio luporum. Lupi sunt enim persecutores, lupi sunt hæretici omnes: docere nesciunt, vlulare consuerunt, sed nemo moueatur si in medium luporum mittitur. Beneficio Christi & lupus ipse mutatus est. Bẽjamin lupus rapax apostolus Paulus factus est, non iam insidiator ouilium Christi, sed defensor & custos. Cum hoc lupo versari libet, per hunc lupum factum est vt simus tuti in medio luporũ. Nemo iam veretur lupos, cum his pascimur, sicut scriptum est: Tunc lupi & agni simul pascentur. Sed iam consideremus quid sit quod ait Propheta:

Cant. 2.
Matth. 5.
Luc. 10.
Gen. 49.
Esaiæ 65.

III. * al. super. speraui.

Et ne auferas ex ore meo verbum veritatis vsquequaque, quia in iudiciis tuis * speraui.

Viderat ecclesia vel anima iusti saliẽtem sicut hinnulum super montes: repente proximum aspiciens post parietem domus suæ, prospicientem per fenestras, eminentem super retia, exultat & gaudet, quia etiam ipsa amatur à spõso, qui tãquam & ipse vulneratus charitatis decore, dilectæ primo cum abesset, ad oscula rogatus affuerit. Rogatur enim cum dicitur: Osculetur me ab osculo oris sui. Deinde preces spõsæ blanditiasque non spreuerit, dilecta sibi vbera prædicantis, atq; in interiora domus eã benignus induxerit. Deinde tãquam lasciuienti ludens amore, quia velit pertentare sensus amantis, sæpe egressus vt quæreretur à sponsa, sæpe regressus vt inuitaretur ad oscula, astiterit post parietẽ, prospexerit per fenestras, eminens super retia, vt non totus abesset, nec quasi totus intraret, & ipse ad se sponsam vocaret, vt veniendi ad se inuicem fierẽt gratiora commercia, amorisque vim mutuis adolerent sermonibus. Exurge, inquit, veni proxima mea, formosa mea, columba mea. Et tu si habeas fundatum parietem, non illum medium qui domus vnius separet membra, sed ædificatum supra fundamẽtum apostolorum & prophetarum, vt compaginata eius structura crescat in templum, nec disterminet eius interna, sed muniat. Si habeas ergo in te ædificationem dei, & ad Oriẽtem pateant semper fenestræ tuæ, venit verbum, stat post tuum parietem, (oculi enim domini super iustos) prospicit per fenestras tuas. Quæ sunt fenestræ istæ? Legimus fenestras, de quib⁹ dicit Hieremias: Intrauit mors per fenestras: per quas intrauit auaritia, intrauit libido. Oculus tuus fenestra est, intrauit mors per oculũ tuum. Si videris mulierem ad concupiscendum eam, intrauit mors per oculum tuum. Si videris possessionem viduæ vel minoris, & concupieris inuadere, &

Ibidem 2.
Ephes. 2.
Psalm. 33.
Hierem. 9.
Matth. 5.

1465
re, & indefensam putans ætatem esse vel sexum, (sed non
tunc indefensi, quos dominus vult esse defensos) intrauit
mors per fenestram. Si videris decorē mulieris, aut thesau-
ros minoris, & tuas excitaueris cupiditates: intrauit mors
per fenestram. Sicut ergo per hæc intrat mors, intrat & vi-
ta. Si decorem puellæ alpiciens sacræ, venereris dominū Ie-
sum, quòd in teneros annos venerit ætas senectutis, vita im-
maculata: & ipse filiam tuam offeras, vt pio consecretur ve-
lamine: si possessionem minoris nō tanquam solicitus inua-
seris, si possessionem minoris nō tanquam solicitus inua-
dat alpicias, sed quasi parens sedulus religioso tuearis affe-
ctu: per has fenestras prospicit Christus, vt vocet sponsam
eminens super retia. Bene eminens, quia solus est quem te-
tia non inuoluerint peccatorum. Omnes intra retia erant,
imò adhuc intra retia sumus: quia nemo sine peccato nisi so-
lus Iesus, quem nō cognoscentem peccatum, peccatum pro
nobis fecit pater. Etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum
retibus, mittens eū non in peccato, in quo erant omnes ho-
mines, sed in similitudine carnis peccati, vt de peccato dam-
naret peccatum in carne. Peccatum erat caro secundum il-
lud, quia hæreditario erat damnata maledicto. Peccatum e-
rat illecebra & ministra peccati. venit dominus Iesus, & in
carne peccato obnoxia militiā virtutis exercuit. Facta sunt
membra nostra iam non arma libidinis, sed arma virtutis.
Nanque vbi erant incentiua libidinis, ibi nunc sunt domici
lia castitatis. Hic ergo venit ad laqueos, sed voluntarius: ve-
nit ad retia, sed securus. Plena erant omnia laqueis, referta
retibus. Audi dicentem: In via hac qua ambulabam, absco-
derunt superbi laqueum mihi. Et in libro Sapientię Syrach
moneris vt cognoscas quia in medio laqueorū ambulabas.
Quot vitia, tot retia: quot peccata, tot laquei hęreditarij iam
te nexus tenebant. Venit ad laqueos Iesus, vt Adā solueret:
venit liberare quod perierat. Omnes retibus tenebamur,
nullus alium eruere poterat, cùm seipsum non possit erue-
re. Talis ergo necessarius fuit quē vincula generationis hu-
manæ delictis obnoxia non tenerent, non cepisset auaritia,
non ligasset dolus. Is solus erat Iesus, qui cùm huius carnis
se circundedisset vinculis, captus non erat, non erat alliga-
tus: sed dirumpens ea, atque dissoluens, ad se magis vocauit
ecclesiam, prospiciens per laqueos, eminens super retia, vt
& ipsa disceret vinculis non teneri. Denique eousque non
longè à vinculis fuit, vt pro nobis subiret & mortem: sed ta-
men non seruus mortis effectus, sed liber inter mortuos. Li-
ber enim erat, qui soluendæ mortis potestatē habebat. De-
niqueipse te doceat, qui ait: Soluite hoc templum, & in tri-
duo resuscitabo illud. Audiamus itaque quid dicat: Exurge,
veni proxima mea. hoc est, surge à mortuis, exurge à vincu
lis, quibus circundata tenebaris. Exurge, quia ego resurrexi
tibi: solue vincula iniquitatis, quia ego iam solui tibi: veni,
quia iam retia soluta sunt. Virgo peperit, puer natus ex vir-
gine est. Nihil debet muliebri hæreditati, quia quasi filius
mulieris non tenetur. Cerne mediū parietem maceriæ iam
solutum, qui interiorum affectuum concordiam diuidebat,
& in diuersum excitabat dissensiones corporalium passio-
num. Veni ergo secura, cupio videre faciem tuam, & audi-
re vocem tuam: veni vt iam me non per retia videas, sed fa-
cie ad faciem vultibus amatoriis dilecta potiaris. Ethice ista
decursa sint. Mystica autē illa, si possumus, vel linea intuea-
mur extrema. Sedebat intra domum sponsa deuota domi-
no, intra parietem legis & prophetarum spiritualium lapi-
dum ex ædificatione fundatum, qui claudebat atque valla-
bat domum regiam plenam iucunditatis atque lætitiæ. Mi-
rabatur thesauros regios, & intuebatur solicitè, cupiens sa-
pientiam, quæ has sibi diuitias demonstraret, ascisceret. In se
creto erat, sed secreti ipsius interpretem requirebat. Venit
dominus Iesus saliens super montes. Nobis serò videbatur
venire, sed ille properabat. Saliebat denique & transiliebat,
vt ludæorum corporalia & saxosa dogmata transiliret. Asti
tit post parietem domus, quæ erat in veteri testamento, pro
spiciens per legis fenestram, prophetarum cauernas. Non-
dum erant domus illius aperta vestibula, nondum claues
scientiæ portarum clausura patefecerant, quibus legis clau-
debantur interna. De superiore tamen, hoc est, spiritali par-
te prospectans, ecclesiam vocat, vt per legem & prophetas,

A
B
C
D

euangelij vertice sublimis assurgens, retia Iudaicæ interpre-
tationis & nodos intrepido calcet vestigio. Ideoque proxi-
ma vocatur, vt adhæreat Christo, mundana nō quærat: ideo
formosa, vt speciosos euangelizantium pedes proferat: ideo
columba, vt spiritalia petat, terrestria derelinquat. Ecce, in-
quit, hyēs præteriit, imber abiit, discessit sibi, flores visi sunt } *Ibidem 2.*
in terra. Ante aduentum Christi hyems erat. venit Chri-
stus, fecit æstatem. Tunc omnia erant florum indiga, nuda
virtutum: passus est Christus, & omnia cœperunt nouæ gra
tiæ fœcundari germinibus. Imber abiit luxuriæ profluentis,
& nubila tetris ora flagitiis, æstiua iam puræ conscientiæ se-
renitate laxantur. Ideo non euadunt, quorum fuga hyeme
fit, quia non sequuntur domini passionem: non tollunt cru- *Matth. 24.*
cem suam, & Christum sequuntur. Imber impedit flores, at
nunc flores videntur in terra. Boni flores apostoli, qui di-
uersorum scriptorum atque operum suorum fuderunt odo
rem. Tempus secandi aduenit, quo matura in horreis fru-
menta conduntur: & qui metit, mercedem accipit. Vox tur- *Ioan. 4.*
turis audita est, quia inuenit sibi nidum. Ecclesia enim do-
mus est castitatis. Ficus, quæ propter infœcunditatem iube- *Luc. 13.*
batur excidi, fructus iam ferre cœpit. Vinea trāslata ex Ae-
gypto, iam non maceriis destructa depositis, incusatur à be- *Psalm. 79.*
stiis, nec informis sentibus, sed odora iam floribus, quæ sole
bat facere spinas, fructu curuescit vuarū. Meritò igitur san-
ctus Dauid pascha domini celebrans, & feruentis spiritu tē-
pora ingressus æstiua, qui in verbo dei fructus varios collige
bat, hyemis aduersa declinans ait: Et ne auferas ex ore meo
verbum veritatis vsquequaque, quia in iudiciis tuis speraui.
Quantus labor est, vt verbum percipias? Quantum iterum
periculū si amittas? Et ideo tibi dicitur: Noli negligere gra- *1. Timo. 4.*
tiam quæ in te est. Excole diligenter quasi bonus agricola
cāpum tuum, vt pascantur agni tui, & tua sata floreant. Non
auferatur ex ore tuo verbum, ne fortè verbis facta non con
gruant, & deformēt iniquitatis opera magysterium discipli
næ. Tollitur ex ore verbum, cùm dicitur peccatori: Quare *Psalm. 49.*
tu enarras iustitias meas? Et ipsa obmutescit facundia, si æ-
gra sit conscientia. Veniunt aues cœli, etiā ipsæ tollunt ver-
bum ex ore tuo. Sunt & tempora tentationum, quæ tollunt *Luca 8.*
verbi semen è saxo, ne radicem habentes fructum afferant.
Nunc cōsideremus vtrum etiam ex corde possit auferri ver-
bum veritatis. Radicatū enim verbum atque depressum, &
infixum mentibus nostris, difficilè auferri potest. Deniq; di
ctum est à domino: Quare tu enarras iustitias meas? Non di
xit, Quare cogitas iustitias meas? Et assumis testamentum
meum per os tuum: non dixit, per cor tuum: Sermo cohibe
tur indigni animi, non obstruitur pœnitentia: insolentiam
prohibet, non excludit correctionem. Cauendum tamē est
ne & ipsa interius corda turbētur, & offundat tenebras ma-
litia, vt cor vanis cogitationibus obcæcatum lucem verita-
tis amittat, fulgorémque verbi capere non possit. Si igitur
Dauid orat ne auferatur ex ore suo verbum, & si auferatur,
non vsquequaque, id est, non penitus auferatur: quis tantus
est, qui in potestate sua gratiam disputationis esse cōmemo
ret, præsertim si vita redarguat quod doctrina præsumat, &
iudicio dei damnanda committat? Is enim qui in iudiciis dei
sperat, seruare potest verbum veritatis: quia dū veretur pœ-
nam, custodit gratiam. Ideoque ait:

Et custodibo † legem tuam semper, in æternum IIII.
† & in seculum seculi. † *custodiam*
† *in seculum*

Duo dixit, cùm vnum satis esse posset, si vnum significa
re voluisset. Sed quia non solum in præsenti vitæ huius tem
pore, sed etiam in futuro post huius vitæ curriculum custo-
dienda lex promittitur: ideo arbitror quia & secundum eos
qui exēplari & vmbræ seruiunt cœlestium, & secūdum eos *Hebr. 8.*
qui in cœlestibus siti secūdum veram legem cultus deo de-
ferunt, pollicetur sibi esse viuendum, vt & hîc & ibi legem
custodiat. Hîc in exemplari, in speculo, in ænigmate: illic in
ipsa facie veritatis. Possumus & illud intelligere, qui διὰ
παντὸς non solū id significat quod dicitur semper, sed etiam *1. Corin. 13.*
id quod per omnia: quia ille per omnia legem custodiat, qui
cùm sit eruditus in lege, sub lege natus, & supra legē deuo-
tionis suæ gradum promouens, liberatur à lege. Christus
enim

enim nos redemit à maledicto legis: & ideo nō ſine lege dei, ſed in lege factus eſt Chriſti. Aut certè ſic per omnia legem cuſtodiemus, ſi legitimā pueritiæ atque adoleſcentiæ diſciplinam, iuuentutis cōuerſationem, ſenectutis maturitatem, tramitémque ſingulis præſcriptū ætatibus nequaquam vitæ noſtræ vſus excedat. Similiter etiam animæ noſtræ quędam eſſe videtur ætates, per quas percurrit & trāſit, vt poſſit dicere: curſum cōſummaui. Denique animæ ætas eſt illa, de qua dicitur: Et ætas ſenectutis vita immaculata. Per omnia ergo legē cuſtodit, qui & in his corporis noſtri ætatib⁹, & in illis animæ noſtræ proceſſibus non deuiarit à lege.

2. Tim. 4.
Sapien. 4.

V. Et ingrediebar * in latitudine, quia teſtimonia * tua exquiſiui.

* ambulabā
* mandata

Qui ſecūdum mandata anguſtam & arctā graditur viam, ambulat in latitudine. Vnde legimus: In tribulatione dilataſti mihi. Et alibi: In tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine. Sapiens enim in cordis ſui ambulat innocentia, & de eius fonte ſuperfluunt aquæ ſuper eius plateas, qui mentem ſuam non intra corporalia & terrena concludit, ſed dirigit ad cœleſtia, vt conuerſatio eius in cœlo ſit. Audi illas anguſtias ſentientem: Preſſuram, inquit, patimur, ſed non anguſtiamur. Et quomodo coanguſtari poterat, cuius os ſemper patebat, ne credentes coartarētur? Ipſe exponat quid ſit ingredi in latitudine: dicit enim. Quia etſi corpus anguſtum eſt, cor noſtrum dilatatum eſt. Non anguſtiamini in nobis: coartamini autem in viſceribus veſtris. Coanguſtari in Paulo non poterant, in quo erat altitudo ſapientiæ, & fidei latitudo. Quomodo enim poterant coartari in eo, qui erat vas electionis æternæ? Sed coartabantur in ſemetipſis: quia improbus in ſeipſo coartatur, malitiæ ſuæ laqueis ſtrangulatus. Conſtitue mihi auarum villarum quotidie terminos proferentem, excludentem vicinos: vtrum is tibi dilatarian coanguſtari videtur, quem terra ipſa non capit? Quantacunque ſpatia domus ſuæ porrexerit, claudit anguſtis opinionis ſuæ finibus, cui quod habet, nō eſt ſatis. Sed non talis eſt qui poteſt dicere: Et ingrediebar in latitudine. Addidit etiam cauſam, Quia teſtimonia, inquit, tua exquiſiui.

Pſalm 4.
Pſalm. 117.
Philip 3.
2. Cor. 4.
Actu. 9.
Cantico. 2.
Ibidem.
Roma. 10.
1. Pet. 2.
2. Corin. 3.

VI. Et loquebar in teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar.

Gratè conuenit iſta vox martyri, qui vocatus ad ſacrilegium, exprobrantibus ſibi regib⁹ crucifixum Ieſum nō erubeſcebat: ſed magis gloriabatur in cruce Chriſti, & illā mūdi ſalutē eſſe teſtimoniis cœleſtibus aſtruebat. Hos vocat Chriſtus in ſponſa, dicens in Canticis canticorū: Et veni ô colūba mea in tegimento petræ iuxta præmunitionem. Hoc eſt, veni iuxta euangelium. Propugnacula fidei tuæ, geſta ſunt Chriſti: muri tui ſubſidia, verba ſunt domini: paſſio dominici corporis, tua virtus eſt. Oſtende mihi faciem tuā, & inſinua vocem tuam: quia vox tua ſuauis eſt, & facies tua pulchra. Suauis eſt vox, quia ore cōfeſſio fit ad ſalutem: & decora facies, quæ non erubeſcit authorem, non confunditur redemptore. Oſtendit ergo faciem ſuam, ſignaculum crucis præferens, & inſinuat vocem ſuam authoritatem prædicationis aſſumens. In tegimento enim corporis Chriſti, quo redempta eſt à peccato, munimentum gratiæ ſpiritalis inuenit, vt ſalutaria ſibi & ſentiat & loquatur. Suauis ergo vox, quæ in diuinis teſtimoniis loquebatur: decora facies, quæ in conſpectu regum non confundebatur. Poſſumus & illos reges intelligere, quibus dicitur à Petro: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gēs ſancta, populus in adoptionē. Sunt enim reges qui offerūt in Hieruſalem ſapiētiæ ſuæ munera, quibus data eſt gratia verbū loqui, & quadam poteſtate regali flectere populos, & animas mulcere ſanctorum, nō erubeſcentes in eo, quia nihil alienum ab honeſtate loquūtur: Quos nemo redarguat & repellat, quaſi nō ſint digni quos idoneos Chriſtus miniſtros noui fecerit teſtamēti, & iā in illo non erubeſcētes, eo quòd nō metuerēt ne confunderentur diſceptantium contra aſſertionem ſuperati. Rex igitur eſt qui non erubeſcit ne in actu reprehendatur, redarguatur in ſermonibus, eo quòd & vita debeat eſſe fundatus & verbo. Itaque quanuis perfectus ita eſſet Propheta, vt non erubeſceret in conſpectu regum: tamen ineditabatur in præceptis dei omni vitæ ſuæ tempore, & opera ſua eleuatus, nihil agens quod terrenis cupiditatibus adhæreret. Ideóque ait:

1468
A

Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. VII.
Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi nimis, & exercebar in iuſtificationibus tuis. VIII.

Pulcherrimus ordo iſte, vt primo meditemur, & eorum præceptorum quæ diligimus, ſit nobis aſſueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cœleſtium operis boni vſus inoleſcit. Nam ſicut meditationi verborum finis memoria eſt, vt quæ meditamur verba, teneamus: ſic meditationis præceptorum cœleſtium intentio vel finis operatio eſt, actúſque directus ad implēda præcepta diuina: quæ niſi quis diligat, implere non poterit, nec ſolùm diligat, ſed etiam nimis diligat. Ideo prius poſuit: Et meditabar in præceptis tuis, quæ dilexi nimis. Et ſubiecit: Et leuaui manus meas ad præcepta tua, quæ dilexi nimis. Poſt meditationem etenim
B bonum eſt leuare actus noſtros ad præcepta dei, atque id facere cum charitate & gaudio, vt non ex neceſſitate ſit bonum noſtrum: non cum mœrore atque mœſtitia, ſed voluntarium: quia ſeruus inuitus facit, amicus voluntarius. Nos autem ſtudeamus vt dicatur nobis: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: quia quaſi amici mandatum dei ex voluntate feciſtis. Qui autem meditatur & diligit, & actus ſuos leuat, vt faciat quæ placeant deo, is debet non negligere nec tranſcurrere mandata diuina, ſed exercere ſe in his, immorari plurimum, iuſtificationes dei crebro reuoluens ſolicitæ mentis affectu.

Pſalm. 118.

Sermo ſeptimus.



Itera ſecundum Hebræos Zain, ſignificat Latinè duc te, alibi ſignificat huc. Quid ſibi velit iſta interpretatio, nō ſatis liquet, niſi fortè vt vnuſquiſque ſe regat, & ipſe ſui ductor ſit. Vel huc, id eſt, quo literæ huius verſiculi vocant, dirigat iter. Meritóque in
C primo ſtatim verſu requiem ſuam poſtulat, quia ipſę literæ ſeptimus numerus eſt quietis. Quæ autem maior requies, quàm vt in verbo dei requieſcat, atque eius ſe gratia & cōſolatione demulceat.

I. Zain.

Memento *, inquit, domine verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.

I. * al. meæ eſto.

Verbum dei deiectos nos atque depreſſos ad cœleſtem gratiam prouocauit, vt deſideremus æternitatem, deſpiciamus præſentia temporalium incurſionum, ſi futura & inuiſibilia requiramus. Vocat igitur nos ad ſe dei verbum, ſicut habes ſcriptum: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Ideóque ſequamur vocantem dominum Ieſum, vt à ſecularibus ad perpetua tranſeamus, nóſque ipſos regere valeamus. Ergo Dauid vocatus erat verbo dei, & ſpem in eo habuit, quoniam ſæpe reſponſis erat inuitatus cœleſtibus, quibus remunerationem fidei meritorúmque ſperaret fore, ſicut habes ſcriptum dicente deo per Nathan prophetam: Accepi te de ouili ex vno grege, vt ſis in principem in populum meum Iſrael, & eram tecum in
D omnibus quibus ingrediebaris: & exterminaui omnes inimicos tuos à facie tua. Et infra: Et requiem tibi dabo ab omnibus inimicis tuis. Quo reſponſo accepto ait Dauid: Quis ſum ego domine deus meus, & quæ domus mea, quoniam dilexiſti me in his, & memorata ſunt minima in conſpectu tuo domine, & locutus es pro domo ſerui tui in longinquo? Et infra ait: Et nunc domine deus meus, domine tu es deus, & verba tua ſunt vera, & locut⁹ es pro ſeruo tuo bona hæc: & nūc incipe benedicere domum ſerui tui, vt ſim in æternum in conſpectu tuo, quoniam tu domine deus meus locutus es, & benedictione tua benedicetur dom⁹ ſerui tui in æternum. Hoc igitur reſponſo & aliis vocitatus Dauid ſperare non deſinit, & propheticæ fidei authoritate conuenit dominum vt meminerit promiſſorum ſuorum, quorum immemor eſſe non ſoleat. Sanctis enim quodcunque ſponderit, implere cōſueuit, noſtrarum immemor iniquitatum, ſuarum non immemor ſpōſionum. Denique ſcriptum eſt:

Matth. 11.
2. Reg. 7.
Ibidem.

1469

est:Ego sum,ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero:tu autem memor esto,& iudicemur. Vult obliuiſci quecunque minitatus fuerit peccatoribus,ſi vias aliquando conuertant:vult etiam conueniri, vt ſi quis propoſita ſecutus virtutibus præmia bene certauerit,fructum remunerationis expectet,quinetiam exigat,ſicut habes ſcriptum:Certamen bonū certaui, curſum conſummaui: repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.Non eſt enim arrogãs vſurpatio,ſed fidelis quia verum deum non poſſe fallere confitetur. Ideoque admonet & Dauid,dicens,vt meminerit dominus verbi ſui, quo nos ad ſperandum prouocat,vt terrenis renunciemus, inhæreamus cœleſtibus.Dicit ergo Dauid:Certamen certatus ſum,brauium peto verbi tui,quod promiſiſti mihi: memor eſto promiſſorum tuorum,que ſpopondiſti ſeruo tuo. Non vſurpatoriè ſperaui,quæ vt ſperarē ipſe feciſti.Seruus ſum,expecto alimentum à domino:miles ſum,exigo ab imperatore ſtipendium:vocatus ſum,poſtulo ab inuitante promiſſum.Verecũdè autem authoritatem ſuæ fidei tẽperauit, dicendo ſe ſeruum:quia oculi ſeruorũ in manibus dominorum ſuorum.Hæc ex perſona Dauid propria bene prompta ſunt.Cæterum ſi quis informationem cuiuſque hominis cõſideret,poteſt Leuitis communia promiſſa librare,ſicut habes:Date Leui viros eius,date Leui manifeſtos eius . Poteſt etiam populi credẽtis electis alloquium iſtud aptari, poteſt & ſurrecturæ eccleſię conuenienter aptari , cui per typum Ioſeph primo in typo eius nominis,deinde per tribuum in primæ electionis hæredes transfuſa eſt diuina promiſſio,dicente Moyſe Primogenitus tauri,decus eius cornua eius, in ipſis gentes ventilabit ſimul vſque ad ſummitatẽ terræ.Vni cum enim verbum dei hoc prophetatur oraculo toto per gentes orbe fundendum.Hoc ergo ſurrecturæ eccleſiæ promiſſum Dauid verecundus ſui , impatiens verò communis profectus morantis exigere videtur.Et addidit:

Hæc me conſolata eſt in humilitate mea, quoniã† verbum tuum viuificauit me.

Hęc ſpes,hæc quæ verbo tuo obuenit mihi,conſolata eſt me,vt tolerarem acerba præſentium.Dum facit Paulus cõtra nomen,non habet ſpei conſolationem: dum patitur pro nomine,haurit ſpem de conſolatione,& fidelis futuros quo modo nos cõſoletur accipe.Quis nos ſeparabit,inquit,à dilectione Chriſti?tribulatio,an anguſtia,an perſecutio,an fames,an periculum,an gladius?ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te morti tradimur tota die,æſtimati ſumus vt oues occiſionis.Et qua ratione illa patienter tolerari poſſint, addidit:Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui nos dilexit.Ergo ſi quis vult aduerſa ſuperare,ſi eſt perſecutio, ſi eſt periculum,ſi mors,ſi ægritudo grauis , ſi incurſus latronum,ſi facultatum proſcriptio, ſi quicquid eorum quæ putantur in iſto aduerſa ſeculo:facilè ſuperantur ſi ſit ſpes quę conſoletur.Nam etſi illa acciderint, tamen grauia eſſe non poſſunt dicenti:Exiſtimo enim quod indignæ ſint paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.Quiſquis enim meliora ſperat,nunquam leuioribus frangitur.In tempore igitur humilitatis noſtræ ſpes conſolatoria eſt,quæ non cõfundit: tempus autem tentationum,tempus humilitatis animæ noſtræ arbitror.Humiliatur enim anima noſtra dum traditur tentatori duris examinanda laboribus,vt luctetur & exerceat, congreſſum contrariæ experiens poteſtatis : ſed in his tentationibus viuificatur alloquio dei.Hæc eſt enim animæ noſtræ vitalis ſubſtantia,qua alitur & paſcitur,gubernatur. Nec quicquam eſt aliud quod viuere faciat rationabilem animam,quàm alloquium dei.Sicut enim augetur ſermo dei in anima noſtra,dum ſuſcipitur,dum intelligitur,dum comprehenditur:ita etiam vita eius augetur.Et quemadmodum econtrario alloquium dei deficit in anima noſtra , ita & incurrit eius vita defectum.Itaque vt connexio iſta animæ & corporis noſtri ſpiritu vitali animatur atque alitur,& tenetur:ita verbo dei& ſpiritali gratia anima noſtra viuificatur. Vnde omni genere ſtudere debem⁹, vt reliqua omnia poſthabentes,congregemus nobis alloquia dei , & congeramus in principale noſtrum,in ſenſus,in ſolicitudines,conſiderationes,actúſque noſtros:vt alloquiis ſcripturarum facta noſtra conueniant,nec à ſerie præceptorum cœleſtium actus noſter diſcordare videatur, quo poſſimus & nos dicere: Quoniam eloquium tuum viuificauit nos.

III.

Superbi iniquè agebant nimis,† à lege autem tua non declinaui.

† al. vſque-quaque.

Maximum peccatum in homine ſuperpia eſt,quandoquidem inde manauit noſtri origo delicti.Hoc telo nos primũ diabolus vulnerauit,& perculit.Nam niſi homo ſerpentis perſuaſione deceptus ſicut deus eſſe voluiſſet, & verum falſúmque cognoſcere,quod penitus diſcernere humana fragilitate non poterat:ideoque quid ſequeretur acceperat,ne te meraria vſurpatione de illa paradiſi fœlicitate decideret:niſi inquam homo ſuis non contentus finibus,interdicta temeraſſet, nunquam feralis culpæ ad nos tranſiſſet hæreditas. Quid de homine dicam? Ipſe diabolus per ſuperbiam naturæ ſuæ amiſit gratiam.Denique dum dicit : Ponam thronũ meum ſuper nubes, & ero ſimilis altiſſimo: conſortiis excidit angelorum,cuius criminis digna mercede damnatus,hominem ſibi participem requiſiuit,in quem conſortium ſuæ transfunderet offenſæ. Quid igitur hoc peccato poteſt eſſe deterius, quod à dei cœpit iniuria ? Ideoque ſcriptura dicit: Dominus ſuperbis reſiſtit. Tanquam ſuæ contumeliæ propulſator, veluti quoddam ſuſcepit aduerſus ſuperbiam ſpeciale certamen.Tanquam dicat, Meus iſte aduerſarius eſt, qui me laceſſit,mihi debetur iſta congreſſio.Vnde & Apoſtolus multiplicis culpæ materiem eſſe ſuperbiam declarauit,dicens de hæretico:Quia ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinę, ſuperbit,nihil ſciens, ſed langueſcens circa quæſtiones, & pugnas verborum , ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones,ſacrilegia ,ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum , & à veritate alienorum, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem. Quantorum itaque expreſſit cauſam eſſe delictorum ſuperbiam? Vnde Dauid commendare deuotionem ſuam nonnulla ſuperborum iniquitate attentatam,ait:Superbi inique agebant nimis.Non ſolum iniquitatem agentium , ſed etiam nimiam iniquitatem pariter declarauit, quæ conueniret ſuperbis . Quorum ne aliquo tentatur contagio,audi alibi dicentem: Superbo oculo,& inſatiabili corde,cum hoc non edebam.Itaque quoniam quanta vis mali in ſuperbis eſſet, expreſſerat: quemadmodum vinceretur,debuit nos docere. Meritóque quaſi bonus doctor demonſtrat remedium,qui exaggerauit venenum.Audi ergo quomodo excludas virus ſuperbiæ : A lege,inquit,tua non declinaui.Lex igitur dei ſola poteſt ſuperbiæ virus hebetare,quę informauit virum deuotioni deditum,quali ſe regere debeat cautione.Multi enim non ſolnm alieni à fide:ſed etiam qui videntur non mediocria ſcripturarum præcepta guſtaſſe,tentari ſolent proſperis ſuperborum proceſſibus,videntes eos qui præuaricantur legem, impietatis arbitros,arrogantes,contemptores fidelium,extollentes ſe aduerſus eos qui humiliant cor ſuum ſecundum timorem dei,& præcepta cœleſtia , abundare in hoc ſeculo diuitiis,præconiis,honoribus,poteſtatibus,eiſque,quo grauiora commiſerint,eò affluẽtioribus ſucceſſibus commodorum ſecularium ſecundare?contra autẽ iuſtos viros plerunque laborare inopia,amiſſionibus filiorũ, ſterilitatibus conIugum:quo exagitati atque turbati,ſenſum mentis inclinãt, vt putent dei in hoc quoddam errare iudicium,non tenentes caput veritatis,quo euidentiſſimè comprehenditur non in hoc ſeculo , ſed in futuro repoſitam noſtrorũ remunerationem eſſe meritorum. Sed paucorum eſt iſtud aduertere. Denique in principiis etiam Dauid ipſi tentatus eſt, ſicut habes ſcriptũ:Ecce ipſi peccatores , & abũdantes in ſeculo, obtinuerunt diuitias,& dixi:Nunquid ſine cauſa iuſtificaui cor meũ,& laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die?Ita igitur & noſtrum vnuſquiſque,qui perfecti non ſumus,hæc videns dicit:Vbi eſt prouidentia dei ? vbi iuſtitia? Superbus iſte abundat , arrogans iſte locupletatur,impius iſte beatus & potens eſt:Iuſtus autem ille vides quemadmodum iacet?Deiectus atque deſpectus: eſt quẽad modũ ipſo victu indiget,afficitur cõtumeliis ab iſto impio,

Exaia 14.

Iacob 4.

1. Tim. 6.

Pſalm. 100.

Pſalm. 27.

ab isto insolente conculcatur, excluditur. Nō mediocris vtique ista tentatio est, nisi ad ea quæ sunt vētura prospicias, nisi præceptis plenius cœlestibus instruaris. Denique & Da uid putabat se ante hæc cognoscere, sed nesciebat: & ideo an xius fluctuante animo laborabat. Vnde ait: Et æstimabā me scire, hoc labor est ante me, donec ingrediar in sanctuarium dei, & intelligam in nouissimis. In quib⁹ per id quod se extu lerunt superbię, vidit prophetico spiritu deiectiores fore, & ait: Quomodo facti in desolationē subitò defecerunt, & exterminati sunt propter iniquitatem suā, sicut somnium exur gentis? Cognouit igitur impiorum successus in hoc seculo somnij esse similes, nō veritatis, quorum emolumēta tādiu videntur esse, dum dormiunt. Vbi edormierint somnū suū qui videbantur sibi potare, iam sitiunt: qui epulabantur, esuriunt: nihil solidum ex isto somnio perfectúmque referētes. Et bene somnium dormiunt seculares viri, qui licet seculo vigilent, deo dormiunt. De quibus bene sanctus Iob, qui eorum ante affluentiam mirabatur, ait: Quia sicut paleę iactantur à vento, & sicut puluis turbine dissipantur: moriuntur autem cum amaritudine animæ suæ, nihil māducantes, nihilque boni habentes. Iustus autem habens bonę fiduciam conscientiæ, in suis magis nouissimis gratulatur, & se vitæ huius exitu à laboribus intelligit liberari, mercedémque boni operis & factorum requirit, dicens: Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Non solum autem mihi, sed etiam iis qui diligunt aduentū eius. Sed hoc ille ait, qui poterat dicere: A lege autem tua non declinaui. In quo non solum boni operis elucet gratia, sed etiā intimæ puritas conscientiæ. Lex enim non solum agendi munus informat, verumetiam secretæ emundat mentis affectum. Non enim solum in operibus, sed etiam in ipsis occultis secundum legem domino militam⁹, quia lex dicit: Non fiat verbum in iustitia occulta in corde tuo: vt non solū nihil in opere factúsque delinquas cùm superbos videris gloriari, nec sermone labaris: sed ne in cor de quidem intimo, dum de dei iudicio disceptas, contrahas iniquitatis offensam: quæ quo putatur occultior, eo frequētior esse consueuit: quia tuto putat vnusquisque ꝙ huius disceptatione velut septus visceribus suis, conscientię suæ credat, cùm ipse sui accusator die iudicij sit futurus: quia reuelantur cordis abscondita, testimonium perhibente conscientia accusationibus nostris. Cuiusmodi igitur sit propositum viri sancti, hoc euidentius loco exponitur. Primum enim memor esse debet promissorū cœlestium, secundum quæ viuentibus merces statuta debetur. Deinde aliud propositum viri sancti est, vt etiam si in periculis & aduersis positus sit: spe tamen quam hausit ex serie scripturarum, se debeat consolari. Tertiū propositū, vt etsi impios & sacrilegios videat, & superbos inique agētes, abūdare diuitiis in hoc seculo: nō quasi incredulus declinet à lege, sed in eius semitis perseueret, & fugiat superborum cōtagia. Contaminat enim omnis immūdus: immūdus autē superbus, de quo scriptū est: Immundus ante deum omnis tumidi cordis. Quartum propositum viri, vt memor sit iudiciorum cœlestium, sicut Dauid asserit, qui dicebat:

Iob 21.

2. Tim. 4.

Roma. 2.

IIII. Memor fui iudiciorum tuorū quæ à seculo sunt†, & me consolatus sum.†

† al. seculo domine.

† no habet.

Nisi enim vnusquisque legis instructus & formatus exēplis, credat semper vera esse dei iudicia, citò declinat à lege. Qui autē præterita repetit, & semper colligit seriē vetustatis, cognoscit quòd neque peccator pœnā suæ improbitatis euadat, neq; iust⁹ æquitatis suæ præmiis defraudetur. Retexit enim animo quod ab initio Adam propter māndati cœlestis prævaricationē de paradisi eiectus sit incolatu, & Cain parricidalis sceleris precium diuinæ sententiæ authoritate damnatus exoluerit: quòd Enoch propter deuotionē raptus ad cœlū, terrenæ malitiæ virus euaserit: quòd Noe propter iustitiam diluuij victor, generis factus superstes humani sit: quòd Abrahā propter fidem seminariū posteritatis suę toto orbe diffuderit: quòd Israel propter laborum tolerantiā, populum credentiū proprij nominis signaculo cōsecrauerit: quòd ipse Dauid propter māsuetudinem regali honore donatus, senioribus⁹ fratribus antelatus sit: quòd Helias propter zelum dei, curru eleuatus in aërem, cœlestis sedis hospitiū noui generis acquisierit incolatu. Hæc qui nouit retexere, habet vnde gratiā suæ cōsolationis acquirat: ecōtra, qui non nouit, non habet vnde cōsoletur. Quapropter custodiamus iudicia dei, Quia iudicia dei vera iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem preciosum, & dulciora super mel & fauum: etenim seruus tuus custodit ea. Custodiēti igitur dulcia sunt diuina iudicia, negligēti autem ea amara esse nō dubiū est: quia non aduertit in opprobrij turpitudine peccatorum propositum sibi diuinæ cuentum esse sententiæ. Qui autem bene sibi conscius est, non turbatur vtique, dicens: Hæredes sumus dei, cohæredes autem Christi: si tamē compatiamur, vt & simul glorificemur. Sed quis nostrum huiusmodi, vt se diuinorum iudiciorum serie consoletur? Terribilia sunt peccatoribus etiam humana iudicia, quanto magis diuina formidini sunt? Denique vt hoc illa, quæ æterna sunt, colligamus exemplo, videmus in hoc seculo innocentes lætos ad iudicium festinare, odisse moras, celeritatem affectare iudicij: reos autem refugere & paucre, differre, vitare, iurare, mœstificari denique cùm diem iudicij audierint constitutū. Beatus itaque ille qui illud cœleste iudicium lætus expectat. Scit enim sibi regnum cœlorū angelorum consortium, coronam quoque bonorum repositam esse meritorum. Consideremus nunc quod sit aliud propositum viri sancti, & ex sequentibus æstimemus.

Psalm. 18.

Roma. 8.

Pusillanimitas *, inquit, detinuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam. V. * defecit.

Non est hoc cōmune cum multis: nam plurimorū est cōtristari si quā ab aliquo patiātur iniuriā, si læsi, si appetiti, si decolorati sint. Nostra enim causa est, nos infirmiores fraudi nobis aliquos dolemus fuisse. At verò qui fortior est, nō propriā cōtumeliā dolet, sed aliena peccata: & in sua iniuria lapsum alteri⁹ ingemiscit: & causam se fuisse deplorat lædētis errore. Exemplū accipe apostolicū. Paulus enim in peccato flebat alieno, sicut ipse ait: Nā ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas. Et cùm ipse tristaretur, eos ipsos quos arguebat, contristari nolebat. Denique addidit: Nō vt cōtristemini, sed vt sciatis quā charitatē habeo in vobis abundantius. Cōtristari enim volebat vsque ad pœnitentiā lapsos, non vsque ad mœstitiā profundiorem, tantum vt eorū qui arguebātur, mœstitia gaudium fieret arguenti. Vnde ait: Si enim ego contristo vos, quis est qui me lætificet, nisi qui cōtristatur ex me? Arguit itaque vt alleuet diuturnitatem mœstitiæ, quo pœnitētia fieret in salutē: dānat vt absoluat: excludit vt recipiat: non ignoscit, vt liberet. Ideo talis Paulus qui bene peritus in lege, cognouerat præceptūm dicētis: Pusillanimitas detinuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Dolebat Dauid, non quia cōtemnebatur, non quia ipse appetebatur, sed quia lex dei relinquebatur: & eorum qui hoc faciebāt, damnum dolebat, quod perirent deo. Sicut bonus pater in phrenesi cōstituti filij, cùm ab eo maledicatur, verberetur, afficiatur iniuriis, non suam sed ægroti deflet ærumnā: & cōtumeliā doloret, nō quòd sibi sit irrogata, sed quia per furorē quid faciat æger ignorat: ita vir bonus cùm videt peccatorē nō reuereri, non honorare etiam canos senioris, quo præsente faciat aliquid indignum, non agnoscere quadam peccādi insania, quàm inhonora & inhonesta cōmittat, quasi moriturū dolet, quasi desperatum à medicis ingemiscit: & vt bonus medicus primo monet, deinde etiam si grauia patiatur, tamen tanquam ille ægrū, & si cædatur, sustinet: & si maledicatur, non relinquit: & quicquid potest medicinæ adhibere, non denegat: nec tāquam contumacem deserit, sed tanquam benc ne de se meritū omni studio sanare contendit: exercens non solum artis peritiam, sed etiam mentis benignitatem. Ita ergo etiam iustus & cùm contemnitur à peccatore, nō auertitur: & cùm læditur, furoris illud putat esse, non improbitatis: magísque vulneris eius medicinam afferre desiderat, & compatitur & dolet: non propter se, sed propter illū qui desperato laborat incommodo, & dicit hunc vnū ex fratribus sic laborare, sic affici, vt faciat mihi iniuriam: qui si agnosceret

1. Cor. 2.

Gen. 3.
Genes. 4.
Genes. 5.
Gene. 7
Gene. 14.
Genes 32.
1. Reg. 16.

1473

ret me, honoraret vtiq;, certè nō læderet. Quid enim? Læsus est in eo facto, vt habeat lędētis affectū? Ergo cùm nō supetit causa lædēdi, nō potest culpa esse propositi. Ego si iust⁹ sum, afficior propter charitatē, propter dilectionē, propter ecclesiæ damnum, propter corporis detrimētum. Possum etiam illud dolere, ꝙ etiam si ego lædentem non læserim, & non sim mihi conscius quod eum in me aliquibus iniuriis excitauerim: tamē causa illi fuerim lapsus eius, quòd innocētem me lædendo delinquat, quòd factus sim ei materia peccati. Hoc ergo dolet Dauid, & ideo dolet, quia cùm vnum membrum patitur, & cætera membra cōpatiuntur. Ideo forte & illud positū est: Iustus in exordio sermonis accusator est sui. Nā etsi possit iustus habere in se ꝙ accuset, & iustus esse (quia nemo sine peccato pręter vnū deū) & possit etiam peccator hoc ipso iustus esse, quia accusator est sui, secundū illud: Dic iniquitates tuas, vt iustificeris: attamen forsitan etiam aliquibus nō videatur absurdum, vt etiam de illo dictū sit, quòd iustus sit qui se accusat pro alio, etiam si in se nihil habeat quod accuset. Quàm igitur in his omnibus sancto Dauid viri iusti persona conueniat, consideremus. Accusauit se nullo accusante, peccatum confessus est propriū, quādo percussus est in corde, eo quòd numerauit plebem. Qui & dixit ad dominum: Peccaui domine, quòd fecerim hoc verbum: & nunc domine aufer iniquitatem serui tui ꝙ deliqui vehemēter. Itaque quāuis scriptura habeat quòd apposita est ira dei vt irasceretur in Israel, qđ regis prolapsum excusare videretur: tamen cùm vidisset angelū qui stragem plebis efficiebat, percutientis ictui seipsum obiecit, dicens: Ecce ego peccaui, & ego pastor mālignū feci: & hic grex quid fecit? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Quasi iustus ergo accusator sui in ipso sermonis exordio & peccatum suum agnouit, & iniquitatem propriam confitendo, iustificatus est in semetipso. Alibi quoque de Vrię morte coargutus à propheta ait: Peccaui domino, cui respōsum est, propter pœnitentiā ablatum à domino eius esse peccatum. Ité alio loco cùm Semei malediceret ei, & lapidaret eum sepū bellatoribus, per quos vindicare se posset, patienter ferebat, ne verbo quidem referēs cōtumeliam: quinetiā cùm Abisai dux eius caput maledicentis vellet auferre, ait rex: Quid mihi & tibi est fili Saruiæ? Quod maledicit mihi, dominus dixit ei maledicere Dauid: primum igitur culpam eius excusauit, & causam ad domini retulit voluntatē. Secundo in suum meritum retorsit, vt non illum errasse, sed se meruisse significaret. Tertio maledictionem illius sibi non solum non nocere, sed etiam prodesse memorauit, sicut scriptū est: Et dixit Dauid ad Abisai, & ad omnes pueros eius: Ecce filius meus qui exiuit de semine meo, quærit animam meam: quanto magis filius Gemini? Grandem impetum fregit vltoris. Quomodo enim maledictum extranei pro regis iniuria vindicaret, cùm filij adhuc parricidium inultum manerent? Nō vtique extranei maledictum, & filij parricidium æqua esset lance pensandum. Et addidit: Sine illum maledicere, quoniā dixit illi dominus, donec videat humilitatem meā, & retribuat mihi dominus bona pro maledicto. Est & aliud iusti propositum longè omnibus perfectius & potentius, interuenire pro persequētibus, & excusare peccantes, quod legimus in euāgelio dicente domino Iesu cùm crucifixus esset à perfidis: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Liquet igitur his magisteriis doctrinæ cœlestis ꝙ iustus se accusare malit, quàm alium deformare. Deniq; de Ioseph cui despōsata erat Maria mater domini, scriptū est ꝙ cùm eam grauem vtero vidisset, cùm esset iustus, noluit eā traducere: & vtique nullum adhuc audierat oraculū. Ita non solum ab vltionis atrocitate, sed etiam ab accusationis seuēritate iusti aliena persona est, potiúsque ducit suam remissionem accusari quòd nō iudicauerit, quàm alienum crimē arguere. Sed dices, Quomodo dixit ipse Dauid: Lętabitur iustus cùm viderit vindictam impiorum? Mihi videtur quia lętetur quòd ipse euaserit, non quia impij puniantur. Quæramus aliud propositum ex sequentibus: itaque dicit:

Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

A Meritò peregrinationibus nō frangebatur, superbos declinabat, corúmque prosperis successibus non mouebatur. Cō solabatur se in iudiciis cœlestibus, angebatur in alienis peccatis, quia cantabiles habebat iustificationes dei. Quæ enim bene tenemus, cantare consueuimus: & quæ melius cantantur, melius nostris adhærent sensibus. Non enim perfuncto riè transeamus quæ legimus, vt tunc tantùm cùm legimus ea, in memoriam eorum redire videamur: sed etiā cùm abest codex manibus, tanquam animantia quæ probantur & munda habentur in lege, etiam cùm non pascuntur, rumina re consuerunt, & semetipsis alimenta sibi recondita proferentes: ita & nos de nostræ memoriæ thesauro, de interioribus nostris ruminandum nobis pabulum spirituale promamus. Hymni nobis, canticum nobis, psalmi nobis iustificationes domini sint. Psallamus spiritu, psallamus & mente: ne cùm obliti fuerimus, in tempore necessitatis dicatur vnicuique nostrum: Abiecisti sermones meos post te. Ideoque vt expelleretur & eliminaretur obliuio à domo sancta sua, cantatores sibi fecit rex verus Salomon, qui toto spiritu B inquirendo cognitionem diuinitatis intenderēt, ne psallētes deessent ecclesiæ suæ, quorum cantu nequam spiritus fugaretur, sicut Dauid sancti docemur exemplo, quo psallente malus ille spiritus expellebatur, qui Saul regis corda vexabat. Prophetæ quoque vt prophetarent, psallendi peritum iubebant psallere, quo suaui inuitata dulcedine spiritualis infunderetur gratia. Et in euangelio legimus in domo patris illius filium recuperantis percrepuisse symphoniam, qua epulantes delectabantur fideles, perfidus autem impatienter audiebat. Dulcis igitur cantilena, quæ non corpus effœminat, sed mentem animúmque confirmat. Ideoque Canticum dicitur domini testamentum: quia remissionem omnium peccatorum, dominique iustitias in scripturis euangelij suaui mentis exultatione concinimus. Ipse quoque dominus non dedignatus est dicere: Cantauimus vobis, & non saltastis. Cantauit nobis in euangelio veniam delictorum: debuerūt Iudæi mentem attollere, non histrionico corporis motu, sed sancto spiritu. Non fecerunt, ideo C reprehenduntur: sed etiam corporis saltatio in honorē dei, laudabilis habetur. Denique saltauit Dauid ante arcam domini, & vidit Michol filia Saul eum saltantem, & percutientem in organis armazatis † in conspectu domini, & ait ad eum postea quàm se domum recepit, Quid vtique honorificatus est rex Israel, quia denudatus est hodie in oculis puellarum suarum ancillarum, sicut vnus ex saltatoribus? Et dixit Dauid ad Michol in conspectu domini: Benedictus dominus qui elegit me super patrem tuū, & super omnem domum illius voluit constituere in principem super plebem Israel & Iuda in conspectu domini: & denudabor adhuc sic, & ero nugax in conspectu tuo, & cum puellis cum quibus dixisti me nudatum, glorificabor. Et Michol, inquit, filiæ Saul nō erat filius vsque in diem mortis eius. Euidens itaq; exemplū quòd & Propheta qui & percutiebat in organis, & saltauit ante arcā domini, iustificat⁹ est: & illa quæ reprehendit eum, sterilitate damnata est. Sed non satis est vt aliquis cantabiles habeat iustificationes dei, nisi terrenarū exeat seruitio solicitudinum. Ideoque addidit: In loco peregrinationis meæ. Conuenit sibi. Si quidem & alibi ait: Aduena D sum ego in terra hac. Vnde & Apostolus non vult nos in domo dei fideíq; vocatione aduenas esse & peregrinos, sed ciues sanctorum & domesticos dei. Qui enim domesticus dei est, exul est mūdo: qui conuersatur in cœlestibus, peregrin⁹ est terris. Peregrinabantur in hoc mundo Hebræi tres pueri naturā incendij non sentientes. Cantabiles habebant iustificationes dei, cùm hymnum deo de creaturarum laudatione cantarent. Deinde qui cantat, vacuus est, & diuersarum cogitationū curas relegat, culpas religat, sequestrat auaritiam, & non solum corporis † vocem, sed etiam mentis suæ vanitates emulcet. Non enim tanquam mœstus inopiæ solicitudine, sed tanquam liber ab omnibus corporaliū affectibus passionum canebat idem Propheta: Psallam tibi in cithara sanctus Israel. Gaudebūt labia mea cùm cantauero tibi, & anima mea quā redemisti. Cantabat hæc lætus tanquam his melioribus epulis pasceretur. Epulabatur enim animus piæ

1. Cor. 14. Psalm. 49. 1. Reg. 16. Lucæ 15. Ibidem. 7. 2. Reg. 6. † in oculis multorum. Psalm. 38. Ephes. 2. Danie. 33. † voce, sed etiam mentis viuacitate semulcet.

deuotionis alimento. Non ſolum itaque hymni & pſalmi, ſed etiam legis præcepta cantabilia ſanctis ſunt. Deniq; cantauit Moyſes qui legem accepit, cùm prætergreſſus pedibus mare ſeruati populi ductor iuſtificationes domini prædicaret. Supereſt adhuc propoſitum egregium viri iuſti: quia omni tempore circa dei laudes eſſe debet intentus, non ſolũ die, ſed etiam nocte. Ideoque addidit:

VII. Memor fui nocte nominis tui domine, & cuſtodiui legem tuam.

Videamus ſi & ille memor eſt qui vocat dominũ verbo, nõ cuſtodit autem mandata diuina. De quo dictũ eſt ſatis, quia
Matth. 7. non quicũque dicit, Domine, domine, accept⁹ eſt: ſed qui operib⁹ bonis fidelẽ ſuũ probare potuerit affectũ. Fides ergo,
1. *Cor. 12.* probitas, innocentia memorem probant. Quod autẽ ait: Memor fui nominis tui, plena deuotio eſt: quia nemo dicit dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. Hoc nomen inuocetur diebus ac noctibus, nullũ tẽpus prædicandi vacuũ ſinat ſancta deuotio præterire. Si ſtudentes igitur doctrinis ſeculari-
A bus perparũ ſomno indulgẽt: quãto magis qui deũ cupiunt cognoſcere, non debẽt ſomno corporis impediri, niſi quan-
Pſalm. 6. tum naturæ ſatis eſt? Dauid per ſingulas noctes lectũ ſuum lachrymis diluebat, ſurgebat etiã noctis medio, vt domino cõfiteretur. Et ne totam noctem ſopori exiſtimes deputandam, tũc magis tibi orandus eſt dominus, tunc præſidia poſtulanda, culpa cauenda, quãdo videtur habere ſecretũ: tũc maximè quãdo tenebrę in circuitu meo, & parietes me operiũt, conſiderandum quia dominus omnia intuetur abſcon-
Eccli. 23. dita. Ne dixeris ergo circunfuſus tenebris, Quis me videt?
Pſalm. 33. Et quẽ vereor ſeptus parietib⁹ & incluſus? Quia vultus domini ſuper facientes mala. Deinde ſi arbitrũ nõ vides, teipſum nõ vides? Tuæ cõſcientiæ teſtimoniũ nõ vereris? Neſcis illam caliginẽ noctis non opertoriũ, ſed incentiuũ eſſe peccati? Cùm ſomno & cibo feruent corpora, tunc etiam vigor mentis ſopore laxatur, ſomno reſoluitur, tũc irrepit impuri libido concubitus, tũc perturbatur cor, ſqualorem immunditiæ nõ veretur, caſtitatis puritas non conſideratur, pudicitiæ gloria non recenſetur. Nox erat quãdo Iudas prodidit, quando Petrus negauit. Illo igitur præcipuè tẽpore iuſtificationes dei animo retexendæ ſunt, relegenda mãdata hortatoria. Illa de caſtitate præcepta nõ abſint, vt his occupata mens flagrantiã libidinis, carnis reſtinguat ardorem. Tene
Pſalm. 6. illud animo: Lauabo per ſingulas noctes lectũ meum. Quis enim ſtupris dedit⁹, flagitiis inuolut⁹, lauat per ſingulas noctes lectum ſuum? Neſcit flere qui flenda committit: & cùm ſit ipſe lachrymabilis, nõ habet pœnæ lachrymas ſuæ. At ille qui caſtigat corpus ſuum, & ſui ſolicitus gubernator eſt, atq; ingemiſcens & dolens lapſus ſuperioris offenſam, quærit quomodo abluat fluctibus pœnitẽtię: hic lauat per ſingulas noctes lectũ ſuum. Non dormiamus ergo totis noctibus, ſed maximam partem earũ lectioni & orationibus deputemus. Audi eccleſiæ vocem quærẽtis etiam in noctibus
Cantic. 3. Chriſtum, In cubili, inquit, meo, in noctibus quæſiui quem dilexit anima mea. Accipe ſecundũ literam. Quæſiuit in noctibus orando, deprecando, etiam lachrymis deplorando.
Pſal. 17. Quæſiuit in noctib⁹, quia poſuit tenebras latibulum ſuum, D vt quærere cũ ſolicitius diſceremus. Quæſiuit igitur in prophetis eccleſia ex gentib⁹ congregata, & ideo credidit. Denique aduentus dominici teſtimonia de prophetis euangeliſtæ pſalmiſque poſuerunt. Vnde ſcriptum eſt, Quia nox no-
Pſalm. 18. cti indicat ſcientiam. Quæſiuit in noctibus, in perſecutionibus & aduerſis, in tribulationibus & laboribus duris. Nox eſt omnibus quibus non eſt perfecta ſecuritas. Vnde ait dominus: Veniet nox, quando nemo poteſt operari. Cùm in hoc mundo ſum, lux huius mundi ſum. Nõ ergo operemur
Ioan. 9. in tenebris. Si enim lucent opera noſtra, non operamur in tenebris, ſed in lumine. Dies eſt quibus adeſt Chriſtus: nox eſt quibus ſe denegat. Non magnũ ergo ſi tunc domino gratias agas, quando in proſperis & ſecundis es: ſed ſi tũc adhæreas Chriſto, quando te perſecutor exagitat, quando aliqua procella perturbat. Amiſiſti filium? In illo dolore, in illa nocte, in illa deſtitutione memẽto domini dei tui, ne quaſi nõ exauditus, ingratus ſis, & in tua præuariceris ærumna. Pul-

ſus es in exilium? Memento domini dei tui, ne patriæ inter- 1476
dictæ charitatẽ deo præferas. Alicuius diuitis oppreſſus po-
tentia amiſiſti proprias facultates, indiges ſumptu? Memento domini dei tui, ne nox te egeſtatis abducat à deuotionis
affectu. Hoc eſt enim mandatũ legis, vt in nocte magis quę-
ras, quando magis exaudiaris à domino, & poſſis dicere: In *Pſalm. 117.*
tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine. Sed nec quærere perfunctoriè abundat ad gratiam, ſed
vt inſiſtas & intendas muneri. Denique iſta vel eccleſia vel
anima quæ requiſiuit in cubili, quæſiuit in noctibus: primo
nõ inuenit, quia fortaſſe in cubili quæſiuit: ſed poſteaquam
ſurrexit, & abiit in ciuitatem. Vide ne in illam ciuitatem in
qua dominus celebraturus paſcha diſcipulos deſtinauit, di-
cens: Ite in ciuitatem ad quendam. Poſteaquam in foro, vt *Matth.*
dixi, quæſiuit, inuenit quem dilexit, vbi oleum venditur,
quod expectantes ſponſum emere conſuerunt: vbi ius, vbi
leges? Si lex ſpiritualis, & forũ eſt vtique ſpirituale, vbi di-
ſputant periti legis æternæ: Quod forum nõ litibus tumul-
tuoſum eſt, ſed Chriſti tribunalibus glorioſum. Vbi quæſi-
B uit inquam? In foro, & poſt quæſiuit in plateis, de quibus hi
qui ad patrisfamiliàs euãgelici prandium conuenirent, col-
ligebãtur: qui vocati excuſandum ab huiuſmodi epulis non
reputarunt. Poſteaquam in foro, inquã, & plateis quæſiuit,
incidit in eos qui circumeunt ciuitatem, & tũc demum po-
tuit inuenire. Quærit fortaſſe quod in tribulatione & metu
poſita magis inueniat gratiam. Denique poſterius ait: Inue- *Cantic. 5.*
nerunt me qui circumeunt ciuitatẽ, tulerunt mihi pallium.
Habuit ergo certamen, ſed qua ratione ſupra non tulerint
pallium, hæreo reperire, niſi fortè quia ibi interrogaſſe ſe di-
xit: Nunquid quem dilexit anima mea, vidiſtis? Quæ Chri- *Ibidem.*
ſtum loquebatur: nec exuta eſt pallio, & quem quęrebat in-
uenit. Diſce quemadmodũ quæratur Chriſtus. Ab his vtiq;
qui non perfunctoriè quærunt, violenter retinent: ſicut iſta
quæ ait: Tenui eum, & non dimiſi eum. Fide inuenit, medi-
tatione cõſtrinxit. Si bonos cuſtodes accipimus, vtique an-
geli ſunt. Qui verò angelos trãſiuit: verbũ inuenit: ideo non
C multum interualli fuit cũ tranſiuit ab his, & inuenit Ieſum.
Quomodo ergo infra tulerunt pallium, niſi fortè quia proceſſu opere ſuæ fidei eccleſia dum nudatur, dominus plus a-
matur expolians ſe veterem hominẽ vt nouũ induat, quem
non operiunt indumenta, ſed mentis ſecreta clarificant, aut
quia amictum ſapientiæ ſecularis ad Chriſtum ventura de-
poſuit. Et Noe exutus eſt pallium poſteaquã cœpit eſſe per- *Geneſ. 9.*
fectior. Simus ergo memores iuſtificationum cœleſtium, vt
dum eas ſecreta mentis voce cantamus, memores ſimus in
nocte nominis domini, & dicamus vt ſcriptum eſt:

VIII. Hæc facta eſt mihi, quoniam * iuſtificationes tuas exquiſiui. *al. quia*

Hoc eſt, hæc memoria facta eſt mihi, vt memor eſſem & in nocte nominis tui, non ebrietate ſopitus, non epulis reſolutus in ſomnum, non curis ſecularibus occupatus obliuia mihi tuæ venerationis irreperent: ſed quotidiana meditatione membra caſtigans, & intentionem mẽtis exercens, vt aſſiduitate fiat nobis curſus iſte ſolennis, vt dominum Ieſum etiam in noctibus toto veneremur affectu, cui eſt gloria, laus, perpetuitas à ſeculis, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Sermo octauus.

OCtaua litera Heth, quę interpretatione Latina di
citur pauor. Sãctorũ pauor eſſe cõſueuit. Deniq; *Heth.*
pauor cecidit in Abrahã cũ ſacrificiũ offerret ple- *Geneſ. 15.*
num myſterij ſpiritualis: ipſe quoque Dauid ait: *Pſalm. 30.*
Ego dixi in pauore meo, omnis homo mendax. Religionis
enim reuerẽtiam ſignificat magis quàm infirmitatem timo-
ris: licet etiam ipſe timor ſecundum deum ſanctus ſit. Initiũ *Eccliſ.*
enim ſapiẽtię timor domini. Ergo qui timẽt deum, ſapiẽtes
ſunt: qui autẽ ſapiẽtes, beati. Beatus enim quẽ tu erudieris *Pſalm. 93.*
domine, & de lege tua docueris eum. Hi quoque qui timẽt
deum, beati ſunt, ſicut exempli extat authoritas, quia beati
omnes qui timent deum. Hoc ita colligitur, quia timentes
deum, & ſapiẽtes ſunt, & beati. Sanctus igitur timor domi-
ni, quia verè ſanctorum eſt pauor. Denique præmiſſa hac
litera,

1477

litera, statim sequitur persona iusti, dicens:

I. Portio mea domine, dixi custodire legem tuam.

Codices plerique hūc versiculū qui primus est literę octauæ, vltimo loco literæ habent septimæ. Sed secundum Hebræos emendatus, apud Græcos psalmorum liber hunc versum docuit nos octauæ literæ copulandū. Deinde ordo ipse & numerus versuū ita conuenit, vt ab eo incipiat octaua litera. Portio, inquit, mea dominus. Quàm rarus in terris qui potest dicere, Portio mea domin⁹, quā alien⁹ à vitiis, quàm segregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat commune cum seculo, nihil mūdi huius vindicet sibi, non sit corporalium possessio cupiditatū, quem non inflāmet libido, non stimulet auaritia, non lasciuia effœminet, non luxuria decoloret, nō sternat ambitio, non maceret inuidia, non aliqua negociorū secularium cura solicitet, verus minister altaris, deo non sibi natus. Leui enim (vt habet interpretatio) significat ipse mihi assumptus, significat & ipse meus, significat & tā assumptus, significat & assumptus mihi. Ipse idem & mihi Leui & deo est: quomodo idem & mihi sacerdos & deo est? & mihi aduocat⁹, & domini deprecator, pro me offerēs sacrificiū, & idē se offerēs domino. Denique & alibi Leui interpretatiōe dicatur, id est pro me. Etenim si à me nominetur Leui, pro me est. Sinautē vocetur à domino, ipse mihi dicitur: hoc est, non alij tributarius, nō decimarius, nō de possessione munificus: ipse mihi, hoc est tāquam abūdans. Pro his omnibus nō ab hoc decimas, nō fructus, non dona quęro, non munera, ipse mihi pro munere est, ipse est pro tributo, non in possessione sua munificus mihi: sed ipse mihi possessio: ipse meus fructus, ipse meus sensus, assumptus mihi, vel assumptus à me. Non potest hoc sine diuina esse gratia. Sicut enim possessio nō potest mea esse nisi emero eam, sic non potest esse Leui, nisi fuerit assumptus à domino. Cùm enim assumptus fuerit, rectè dicitur ipse meus. Deniq; cùm Moysi dictum esset vt populo Iudæorum per tribus singulas diuideret incolatus, & distribueret singulis tribub⁹ portiones, tribū Leuiticam excepit deus dicens: Filiis Leui non erit portio neq; sors in medio fratrum suorum, quia dominus deus pars eorum est. Et alibi: Ego dominus portio eorum. Negatur his terrena diuisio, vt ipsi dum secularem sibi non vindicant portionem, fiant cœlestis possessio. Vel hoc solum nouerint possidere, hoc est, fidei & deuotionis obsequium, multo ditiores, quàm qui possessionum suarum spatia ampla diffundunt. Quantum libet fines suos extendant, & terra deficit, & mare includit insanas cupiditates, & pendūt tributa maiora quàm fruct⁹ sunt. At verò iste nihil possidēs, nulli nisi deo militat, supra terram eius est portio, nō eum deficit, non mari clauditur. Cui portio deus est, totius possessor est naturę. Pro agris igitur ipse sibi satis est, habens bonum fructum, qui nunquam possit perire. Pro domibus satis est sibi, vt sit habitatio domini, & tēplum dei, quo nihil potest esse preciosius. Quid enim preciosius deo? Aut quid deest ei viro qui potest dicere: Non cōtingat mihi gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quē mihi mūdus crucifixus est, & ego mūdo? Nō potest in hoc princeps mundi huius sibi consortium vindicare, in quo nihil suum inuenit. Ideóque dominus qui venit docere vt fieret nobis deus portio, ait: Venit enim huius mundi princeps, & in me inuenit nihil. Meritóque imitatores sui esse volēs ait: Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam. Vnde Petrus ostendēs in deo portionem sibi esse, non in seculo, ait: Argentum & aurum non habeo, sed quod habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazaræi surge & ambula. hoc est, portio mea hæc est, portio mea Christus est. In nomine igitur Christi Iesu surge & ambula: hoc est, in portione mea dies sum, in portione mea potēs sum: meritò tales præsumo fruct⁹ istius portionis, vt salus & vita donetur: quia hoc est istius patrimoniū portionis quam elegi mihi. Dixit hoc claudo, & surrexit qui erat claudus ab vtero matris suæ. Quomodo ergo Petrus poterat portionis suę damna sentire, qui naturæ damna reparabat? Quare non habeas argentum atque aurum Petre, dic nobis? Dic etiam quid sit illud quod habere te dicis, quia omnia quæ habebas, te reliquisse dixisti: Sic enim locutus es domino: Ecce nos omnia dereliquimus, & secuti sumus te: hoc est, non quæsiuimus
A quæ seculi sunt, non quæsiuimus partem de possessionibus, sed te elegimus portionē. Reliquisti omnia ergo Petre quæ habebas, vnde habes quod habere te dicis? Surgit claudus, & sono tui sermonis erigitur. Sanitatē aliis donas, qui indigebas ipse tuæ salutis auxilio. Reliquisti ergo quæ habebas, & cepisti quæ nō habebas. Christus tibi portio, Christus tibi possessio est. Illius nomē tibi munificum, illius nomē tibi est fructuosum, illius nomē tibi tributa dependit, & bona tributa non pecuniæ, sed gratiæ. Portio tua non ariditate siccatur, non imbre diluitur, non frigore vritur, non tempestate quassatur. Per diem sol non vret te, neque luna per noctem. Serua portionem quam elegisti. Ea est enim portio, *Psalm. 120.*
quam terrenæ partes æquare non possunt. Quid enim est quod conferri possit his de quibus deus dicit: Et inhabitabo in his? Quid magnificentius hospite cœlesti? Quid beatius possessione diuina? Et deambulabo, inquit, in his. Alij queruntur de sui ruris angustiis, in te deo est ampla possessio, in quo deambulare se dicit, hoc est, laxæ spatia habitatio
B nis inueniens qui terram includit manu. Sic enim scriptum *Esaiæ. 40.*
est: Quis mensus est manu aquā, & cœlum palmo, & vniuersam terram clausa manu? Cui mūdus angustus est, tu ei ampla es domus. Portio, inquit, mea dominus. Dicit hoc martyr. Ipsi ergo viuamus, cui mori est gloriosum. Aliis verbis quàm bene dixit hoc Paulus, ostendens nullam habere se in hoc seculo portionem. Sic enim scriptum est: Vsque ad hāc *1. Cor. 4.*
horā & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis vapulamus, & instabiles sumus, & laboramus, operādo manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persecutionē patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Tanquam lustramenta huius mundi facti sumus, omniū lustramenta vsque adhuc. Fortasse moueat quod purgamentū se esse dixit. Nō enim est, sed hoc secularibus videtur, qui putant summam in diuitiis esse gloriam vel decorem. Nónne isti vniuersos purgamenta esse putant, quicūque illis obsequuntur propter diuitias, & mirantur eos propter opes, timent propter potentiam, laudant propter nobilitatem? Sed
C hęc omnia Paulus detrimenta magis putabat esse quàm cōmoda. Ideóque ait, Quæ mihi lucra fuerunt, hæc duxi pro- *Philip. 3.*
pter Christum detrimenta esse, propter eminentē scientiam Christi Iesu domini mei, propter quem omnium detrimentum passus sum, & æstimor stercora vt Christum lucrifaciā. Æstimor, inquit, non est hæc mea, sed aliena sententia. Frequenter enim æstimatur pauper ille irridendus, & execrandus propter illuuiem vestium, aut vulnerum cicatrices, eo quòd in terra nullam habeat portionem, & tamē portio eius in cœlo est. Anima eius ibi sibi patrocinium collocauit, quia audiuit Iesum dicentem: Nolite thesaurū vobis condere in terra: sed thesaurū, inquit, vobis condite in cœlo. Sed hoc diuites audire nō possunt. Clausas aures habēt, & sono *Matth. 6.*
æris obtusas, nūmus magis illis resonat quàm verba diuina. Denique accessit quidā diues ad dominū, qui portionē dominū non habebat. Habebat enim multas possessiones, sed domin⁹ nō inter multa numeratur: nō enim dignatur habere cū seculo consortiū. Quæ enim portio iustitiæ cū iniquitate? Dicit ergo hīc diues: Quid faciēs vitā æternā possidebo? Respōdit ei dominus: Mādata nosti? Non homicidiū fa- *Luca. 18.*
D cies, nō adulterabis, nō falsum testimoniū dices, ostēdēs vitam æternā in his esse mandatis. At ille iustificare se volēs, dicit: Hæc omnia feci, quid mihi restat? Ad quem dominus ait, volēs ei dominū fieri portionē, non pecuniā, nō possessiones, sed vtique verū deum: Si vis perfectus esse, vēde omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurū in cœlo, & veni, sequere me. Verū ille cui portio aurū atque argentū erat, sine quibus esse non poterat, cōtristatus est. Vnde dominus pronunciauit impossibile esse vt diues intret in regnum cœlorum: sed q̄ impossibile per humanas cupiditates, hoc per diuinā gratiam solam posse esse possibile. Alibi *Matth. 19.*
quoque ait: Quicunque reliquerit patrē aut matrē, domum aut fratres, aut sorores, centuplum accipiet in hoc seculo, & vitam æternā possidebit. Forsitan autē dicas, vtiq; qui relinquendo domum (per domum autem totum censum intelligē) qui relinquēdo propinquos, deum secutus fuerit, portio

domini est,& portio deus illi est:habet etiam vitã æternam: & quia accepto centuplo fit in hoc seculo dies : dies, inquies,intrat in regnum cœlorum. Deinde si centuplum dat dominus corũ quę etiam simpla impedimẽtum afferre consuerunt ad perceptionem hæreditatis æternæ:centum ergo possessiones reddit pro vna possessione,cẽtum pondera auri pro vno pondere. Multos quidẽ in hoc seculo qui sua pauperibus donauerunt,vberiore thesauro locupletatos fuisse cognouimus. Et pulcherrimè locutus , vt etiam ad misericordiam prouocentur. Sed non debent à domino secularem huiusmodi exigere mercedem , nec sperare quæ mũdi sunt: sed magis quia iis q̃ omnia reliquerint, deus portio est. Ipse est vtique merces perfecta virtutum,qui non centupli enumeratione,sed perfectæ plenitudinis æstimatione censetur. Ego,inquit,deus tuus sum. Non dixit ero,sed iam sum , iam inhabito,iam possideo. Aufert dilationem,vbi inuenit iusti
Lucæ. 23. cõfessionem. Sanè alibi ait : Hodie mecum eris in paradiso. Futurum promittit,sed id quod futurum est,vnius diei spatio non patitur protelari. Deniq; potuit dicere: Mecũ eris in paradiso:sed addidit:hodie:ne dilatione gratia minueretur. Sed non illi soli dicit dominus Iesus:Hodie mecum eris in paradiso:sed & tibi dicit,Mecum eris in paradiso:si cõfiteaberis dominũ Iesum,si eius patrociniũ tibi poscas,si & ipse dicas:Memento mei domine,dum veneris in regnũ tuum. Sed
Ibidem. tibi nõ dicit,Hodie mecũ eris: dicit martyri,Hodie mecum
† feruenti. eris in paradiso. Tibi nõ dicit,quia adhuc in hoc † febrienti corpore constitutus es,in hoc concupiscenti,in hoc terrena
Psalm 115. adhuc desideranti,sed cũ potueris dicere : Dirupisti vincula mea:hoc est,soluisti cursum istius vitæ , liberasti me ex hoc mortis corpore:tunc tibi dicit : Hodie mecum eris in paradiso. Habes igitur homo inter multa proposita etiam huius modi portionem. Proposuit tibi dominus in portione possessiones,in portione aurũ,in portione argẽtum, in portione honores,in portione nobilitatem. Proposuit etiã in portione seipsum. Habes igitur plurimas portiones,elige quam petas. Non te numerus perturbet,sed excitet gratia: non te labor auertat,sed fructus inuitet. In portione diuina gemitus & labores sunt . Vnde & sanctus Apostolus,cui portio
Roma.8. deus erat,ait:Hęredes sumus dei,cohęredes autem Christi: si tamẽ compatimur,vt simul glorificemur . Vides quia vbi hæreditas Christi est,ibi debeat esse compassio. Qui autem compatitur,non perfunctorię cõpatitur : sed vt tribulationes Christi in corpore suo impleat,sicut implebat & Paul⁹. Implebat & Hieremias,qui ait sub hac ipsa litera:Misericor
Thren.3. dia domini est quòd non defecimus,quia non sunt consummatæ miserationes eius : renouabit illas sicut lux matutina. Multi sunt gemitus mei,& cor meum defecit. Sors mea dominus,dixi : ideo sustinebo eum. Qui ergo sustinuit dominum,sors domini est. Vnde & Dauid,qui ait:Sustinui dominum,& respexit me:hoc loco portionẽ sibi deum esse profitetur. Quàm rarus qui istud vsurpet sibi:nõ nobilitate, non diuitiis vsurpatur. Denique rex ille dives ait : Sum quidem
Sapien. 7. & ego mortalis homo similis omnibus,&ex genere terreno illius qui prior fictus est , & in ventre matris figuratus sum caro. Decẽ mẽsium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis,& delectamẽto somni cõuenientis, & ego natus hausi cõmunem aërem,& in similiter factã decidi terram,& primã vocem similẽ omnibus emisi plorans,in inuolumẽtis nutritus sum,& curis magnis. Et addidit: Nemo enim ex regibus habuit aliud natiuitatis initium. Vnus ergo omnibus est introitus ad vitam,& similis exitus. Et quia vidit cõmune esse natiuitatis exordium , elaborauit esse portio dei,& inuocauit,& venit in eum spiritus sapiẽtiæ. Sed lu
Ibidem.2. xurioſi aliam partẽ eligũt,qui dicunt: Vino precioso & vnguentis nos impleamus,& nõ prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis,antequã marcescãt. Et infra: Quoniã hæc pars nostra , & hæc sors. Quàm magnum contemnere diuitias , sed quàm rarum hoc ipsum est. Vtique & Moyses potuit regis esse successor,nutritus à regis filia. Potuit ergo esse non solũ quasi Pharao,sed etiam & Pharao potuit esse. Vterque enim homo,sed omnis potẽtia,hominis in affectu.
Hebr. 11. Moyses noluit rex esse cùm posset, sed opprobrium Christi thesauris Ægypti arbitratus est præferendum:sed fugiendo

potentiam,potẽtior factus est. Factus est enim in deum regi Pharaoni. Rex erat Pharao,sed deus nõ erat Moyses:factus est illi deus,hoc est,regi ipsi terribilis, quẽ rex metueret & timeret. Sed hæc erat potentia sanctitatis. In talium cõgregatione deorum deus stat atque discernit. Et tu si vis tanquã deus peccatoribus esse terrori , regibus reuerentiæ , vt tanquam deo tibi videantur esse subiecti , quia operaris in dei nomine:contẽne quæ seculi sunt,& dominicæ passionis opprobrium contende omnibus præferre diuitiis. Opprobriũ dico,quod illis videatur opprobrium,hoc est Iudæis scandalum,gentibus stultitia:nobis autẽ virtus dei atque sapiẽtia. *1.Cor.1.* Sed hoc Pharao opprobriũ putans,hoc est,inopiã,ignobilitatem,contumelias, maluit diaboli esse quàm dei portio:& ideo qui deo subiectus esse nolebat, intercessioni hominis ipse se subiecit. Ergo quia portio dei erat sanctus propheta Dauid,rectè ait:Dixi custodire legem tuã. Spiritualem vtique legem dicit,sicut & Paulus ostendit. Nam qui corporaliter legem interpretati sunt, non custodiũt legem,sed præuaricantur. Veniamus ad secundum versum,qui ita est:

Deprecabor vultum tuum * domine in toto corde meo,miserere mei secundum eloquium tuum. II.

† al.dilexerunt sum faciem tuã.

Legimus in veteri testamento quòd deprecatus sit Moyses vt vultum dei videret , & responsum sit ei, Nemo videbit faciem meam & viuet. Mysticè hoc primum intelligamus. Moyses legis figuram accepit. Lex per occulta mysteria nunciauit Christum,non facie ad faciem demonstrauit, sicut euãgelium demonstrauit. In ipso enim facie ad faciem loquebatur,licet in euangelio homo natus ex virgine apparuerit : verbum autem se per opera demonstrauerit : & fortasse hoc declaratum sit Moysi , quòd populus Iudæorum moriturus esset, & quòd facie ad faciem Christum vidisset, & non credidisset. Quod si ad legem referas,etiam finis legis Christus est, secũdum illud apostolicum:Finis enim est Christus secundum legem omni credenti. Et mortua est le- *Rom.10.* gis interpretatio corporalis, vbi domin⁹ Christus Iesus spiritualem ei gloriam demõstrauit. Vel certè quia omnes qui Christum vidimus , & baptizati in Christo sumus , mortui sumus peccato,quia viuentes legis vinculis tenebamur. Vbi autem in Christo mortui sumus , mortificati vtique sumus legi per corpus Christi, vt simus alterius qui ex mortuis resurrexit. Sed hoc mysticum est. Morale autem historiæ veteris facit nos meminisse debere,quæ est de sancto Moyse, *Exod.33.* qui rogauit deum vt se demonstraret ei , & facie ad faciem eum videret. Norat vtique sanctus vates domini quòd inuisibilem deum facie ad faciem videre non possit,sed deuotio sancta mensuram supergreditur , & putauit deo etiam hoc esse possibile, vt corporeis oculis facerer id quod est incorporeum comprehẽdi. Non reprehensibilis hic error, sed etiam grata cupiditas atq; inexplebilis , quòd dominũ suum velut manu tenere,& obtutu oculorũ videre cupiebat. Scie- *Gen.1.* bat enim ad imaginem & similitudinem dei factum esse hominem. Quãdo enim electus à domino deo est ad populum liberãdum,impletus est spiritu sapientiæ. Viderat angelum illum & faciem eius in gloria. Denique fulgente eius lumine pauefactus est,& vidit rubum vri,& non exuri. Visu cœ- *Exod.3.* pit fulgorem,quẽ miratus accessit,cupiditate & gratia prouocatus, vt diligẽtius fulgorem illum in rubo consideraret. Itaque si tãtum accepit ardorem, tãtam subiit cupiditatem, cùm angelum vidisset in flãma ignis de rubo, vt licet pauore apprehensus considerare non auderet,considerare tamen velit:quanto magis vultum domini corporaliter videre de- *Exod.18.* siderabat,dicens intra se:Vultum illum plenũ lucis,plenum gloriæ,plenum virtutis,plenum diuinitatis,quem esse dicã? Non plus possũm dicere vel sentire de deo. Cùm enim consummauerit homo, tunc incipit:& cùm finierit,tũc aporiatur, vt scriptum est, quia incomprehensibilis est dei æterna maiestas. Irritus quidã erat postulationis effectus, sed affectus probabilis serui,qui vltra naturã suam deuotione progressus de domini angelis æstimabat,quantũ in domini vultu plus desideraret,quo cupiditatẽ suã gestiret explere. Notuerat in ipso homine aliam post mortem futurã gloriam, a- *1.Cor.15.* liam claritatẽ. Sicut enim stella in claritate est,ita & resurrectio

1481

rectio mortuorũ. Quæ & si seminatur in corruptione, surgit tamen in incorruptione, surgit in gloria, surgit in virtute, surgit corpus spiritale. Qui ergo hæc scire poterat, meritò præsumebat vt vultum dei videre cuperet, quem esset sopitus corporis morte visurus. Talem certè etiam formã reperat, talem dominus iam probabat, vt non distaret ab angelis cœlestis minister & executor oraculi. Et ideo cùm sciret quia angeli pusillorum quotidie viderent faciem patris qui in cœlis est, putauit quòd iam eam videre deberet, tanquã oblitus corporis, & carne depositã, sicut ille qui in corpore adhuc positus, cùm raperetur in paradisum, vtrum in corpore siue extra corpus raptus esset ad tertium cœlum, nescire se dixit. Sancti enim etiam cùm gerunt corpus, non sunt tamẽ in carne, sed in spiritu, quoniam qui in cupiditate, & conuersatione sunt carnali, deo placere non possunt. Sancti autem cõuersatione in carne non sunt, sed in cœlo, sicut Paulus ostẽdit. Et quid dicamus de probabili desiderio vultus diuini? Homines qui sunt, & si quem nobilem, si quẽ fortem, si quem sapientẽ esse audiunt, tãquam supra hominem arbitrantes, cõcupiscunt videre. Procedit imperator, cuius regiæ potestati cõmissa pars est orbis terrarum, concurrunt omnes, & in tanta multitudine illũ solum aspicere gestiũt, & de fulgore purpurę plus quiddam esse in vultu imperatoris existimant. Miraris si dei desiderabilis vultus est, cũ conformem sui hominẽ humanus omnis miratur affectus? Hinc datur intelligi etiam illud, quòd imperatori vnusquisq; nullius reus criminis gestit occurrere. Nam & si crimen habeat conscientia, tegunt illud tamen cordis occulta, dummodo publico non sit inuolutus reatu, nec sit aliquod eius crimen expressum. Denique vbi rei aliqui fuerint aduocati, & imperatori se & ipsis iudicibus offerre prohibentur, quemadmodum turpes lenonum meretricúmque personæ à conspectu vel iudicis, vel imperatoris arcentur, ne turpissimorum visus offendat vultus regij claritatem. Qui autẽ bene sibi conscius est, nullius criminis reus, quasi innocẽs procedit in medium. Ex his ergo sancti Moysi cõprehendamus affectum. Videre dei vultum quasi innocens volebat, velut quodam vultu conscientiæ desiderabat aperire ei faciem mentis internæ. Cognosci plenius gestiebat & Moyses, & ipse sanctus Dauid, qui alibi ait: Proba me domine, & tenta me. Non enim vellet probari si in se crimen agnosceret, nec tentari si passionibus grauibus se sciret obnoxium. Liber igitur à peccato, deo se cupidus offerebat. Sed fortasse quia adhuc frequentioribus dei visitationibus mundus à vitio non foret, nec fuerit in principio perfectus, vtpote cui ante paululum dictum erat: Solue calceamentum pedum tuorum: illud vtique calceamentum quod de Ægygpto detulerat, hoc est, corporeæ conuersationis inuolucrum: ideo dicit ei dominus: Nemo hominum videbit faciem meam, & viuet. Quando dictum sit, considera. Nondum ei dictum erat: Faciam te in deum regi Pharaoni. Adhuc homo erat: ideo istud ei dicitur. Processũ ei debebatur vt deus fieret, & ideo dictum est ei. De homine dixit. Desiste hominis habere peccata, & videbis faciem meam. Qui enim faciem meam vidit, debet esse sine peccato. Sed quia homo sine peccato esse non potest, ideo vt in dei appellatione possit excrescere, commonetur. Et quid de dei appellatione dicamus? Esto angelus, hoc est, diuini minister imperij, obsequere mandatis domini. Cùm fueris angelus, videbis faciem domini. Magnum est videre dei vultum. Lex tibi dixit vt tertio te offeras in Hierusalem. Ipse dominus Iesus ait: Beati mundo corde: ipsi enim deum videbunt. Aduertis quid à te exigatur vt videas deum, cui vitæ proposita sit prærogatiua videndi deum. Emunda igitur cor tuum, vt quasi nouum creetur renouato spiritu. Omnes pollutas cogitationes de corde tuo abice, nihil sit quo tuus inquinetur affectus: simplex mens, pura sinceritas sit. Talibus se dominus cùm volucrum corporis deposuerint, demonstrare dignatur. Nunc de reliqua ipsius versus parte dicamus.

Miserere, inquit, mei secundum verbum tuum.

Misericordia quidem iustitiæ portio est, vt si velis donare pauperibus, hæc misericordia iustitiæ est, secũdum illud: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. *Psalm. 111.*

A Deinde quia conformis tuus, iniustum est vt nõ adiuuetur à socio, cùm præsertim dominus deus noster terram hanc possessionem omnium hominum voluerit esse cõmunem, & fructus omnium ministrare: sed auaritia possessionũ iura distribuit. Iustũ est igitur, vt si aliquid tibi priuatim vindicas, quod generi humano, imò omnibus animantibus in commune collatum est, saltem aliquid inde pauperibus adspergas, vt quibus iuris tui consortium debes, his alimenta non deneges. Est etiam misericordiæ donare peccatum: & misericordiæ est, & iustitiæ est. Denique iustitiæ asscribit scriptura diuina veniam peccatorum, secundum illud quod hodie lectum est: Benedictum lignum quod fit per iustitiã, maledictum autem lignum quod fit per manum hominum. *Sapien. 14.* Superius ad crucem domini retulit, posterius ad errorem gentilium, qui ligna venerantur. Iustitia autem quæ est crucis, nisi quod ascendens illud patibulũ dominus Iesus Christus, peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum suo cruore mundauit? In quo ergo iu-

B stus de⁹, nisi in eo quia sciuit quòd de limo terrę hominem figurauit, quæ terra vtique corruptelæ obnoxia est, ac vitio lubricæ passionis? Propterea ergo dominus qui secundum animam te ad imaginem & similitudinem sui fecit, hoc est, rationalem, iustum, pudicum, (In eo enim ad imaginem dei es, si sis iustus, vt sis imago iustitiæ: si sis castus, vt immaculata in te figura præfulgeat.) Sciens ergo secundum corporis fragilitatem corruptelæ patere hominem, quasi iustus fragili lubricæque naturæ delicta cõcesserit. Ac ne fortè dicat aliquis, cur ergo Adam maledicto sentẽtiæque subiacuit? nunquid iniustus deus? Non vtiq;: sed quia quasi fragili atque infirmo quid caueret antè præscripsit, (infirmus enim non vsurpare debet, sed obedire mandatis) ideo præuaricationis reum tenuit, quem prolapsione addixit. In illum igitur iusta seueritatis processit sententia, quia scire voluit quod scire non profuit. Nobis autem qui hæreditario vinculo tenemur astricti, qui in hac carne sumus, quæ prio-

C rum præiudicio detrita iam atque assuefacta peccatis non poterat emergere, quasi iustus indulsit. Iustè enim ignouit hæredi qui præiudicio laborat authoris. Est ergo iusta misericordia, est etiam iniusta misericordia. Denique in lege scriptum est de quodam: Non misereberis illius. Et in libris *Deute. 19.* Regnorum legis, quia Saul postea contraxit offensam, quia *1. Reg. 15.* miseratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat sententia diuina seruari. At si quis latronis filiis deprecantibus motus, & lachrymis coniugis eius inflexus, absoluendum putet, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus: nónne innocentes tradit exitio, qui multorum liberat exitia cogitãtem? Certè si gladium reprimit, vincula dissoluit, cur laxat exilio? Cur latrocinandi qua potest clementiore via non eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit? Denique inter duos, hoc est, accusatorem & reum pari periculo de capite decernentes, alterum si non probasset, alterum si esset ab accusatore conuictus, non id quod iustitiæ est iudex sequatur, sed dum miseretur rei, damnet probantem: aut dum accusatori fauet qui probare nõ possit, addicat in-

D noxium. Non potest igitur hæc dici iusta misericordia. In ipsa ecclesia, vbi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma iustitiæ, ne quis à communionis consortio abstentus, breui lachrymula atque ad tempus parata, vel etiam vberioribus fletibus cõmunionem quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate sacerdotis extorqueat. Nónne cùm vni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium prouocari? Facilitas enim venię, incentiuũ tribuit delinquenti. Hoc ideo dictum est, vt sciamus secundum verbum dei, secundum rationem dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse si serpentis interius inueniat vulneris cicatricem, cùm debeat resecare vlceris vitium, ne latius serpat, tamen à secandi vrẽdíque proposito lachrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendũ fuit: nónne ista inutilis misericordia est, si propter breuẽ incisiõis vel exustionis dolorẽ corpus omne tabescat, vitæ vsus intereat? Rectè ergo & sacerdos vulnⁿ, ne latiᵒ serpat, à toto corpore ecclesiæ quasi bonⁿ medicⁿ debet

abscindere,& prodere virus criminis quod latet,nō fouere: ne dum vnum excludēdum non putat, plures faciat dignos quos excludat ab ecclesia. Iure ergo Apostolus diuino nos
Roma. 11. hortatur exemplo,dicens: Vide ergo bonitatem & seueritatem dei:in eos quidem qui ceciderunt,seueritatem:in te autem bonitatē,si permanseris in bonitate:ostendens Iudæorum populum iure esse à corpore ecclesiæ separarū,ne perfidiæ virus contaminaret ecclesiam : Populum autem gentium bonitate domini receptum,& obedientiæ munere gloriari. Iure igitur huic diuina pietas suffragatur, quandiu in diuina bonitate permaneat. Si verò & ipse decisçat,pro criminis sui qualitate damnabitur. Qua gratia dominus & lux & ignis esse describitur,vt in tenebris ambulāti luceat quasi lumen,ne diutius possit errare,qui querit luminis claritatē. Ei autē qui multa fuerit operatus quæ manere non debeāt, sed ardere,ignis est dominus,vt operis nostri fœnum stipulámque consumat,atque vtili nos faciat saluos detrimento, sicut aurum quod dum excoquitur, plus probatur. Fortasse dicat aliquis,qua ratione scripserit Propheta: Miserere mei secundum verbum tuum ? Verbum enim dei iustitia est. Si igitur iustitia fretus erat, cur misericordiam antè præmisit? Aut si misericordiam requirebat, cur eam ad mensuram iustitiæ putauit esse poscendam? Qui enim bene agit, & bene viuit,opus non habet misericordia,quia misericordia à peccato liberat. Denique non diuitibus,non fortibus & felicitate subnixis misericordia conferri consueuit à nobis,sed egētibus vel debilibus, vel iis qui ex diuitiis in paupertatem aut captiuitatem, aut necessitatem aliquam deciderunt. Ergo qui eget misericordia,peccator est : qui autem peccator non est,vtique iustus est,& non eget misericordia dei. Secundum quid igitur vnusquisque,hoc est,secundum quem statum egeat misericordia, aut iustitiam habeat,considerandum est. Aliter enim eget iustitia dei angelus, aliter homo. Aliter eget misericordia archangelus, aliter homo. Angelica enim natura non vtique ita corruptelæ obnoxia est, vt natura generis humani: & ideo illa eget misericordia dei,ne possit errare,& auersa à se dei gratia labatur in vitium. Homo autem & si iam firmiore proposito est, tamen propter contractorum seriem peccatorum, misericordiam dei quærit. Itaque & si vterque misericordia dei indiget,aliter tamē angelo misericordia, aliter homini debetur. Leue enim vitium in angelo iudicio grauiore cēsetur. Peccatum quoque adolescentiæ in homine,mitiore sententia quàm peccatum senectutis astringitur,& citius relaxatur. Propheta igitur in isto versiculo diuidit causas, vt & misericordiā quasi homo postulet, quia nemo sine sorde peccati : & iustitiam quasi propheta deposcat: vel certè quoniam licet peccauerit sicut homo,& quasi peccator misericordia egeat, tamen correxit errorem, pœnitentiam gessit, abstinuit à temulentia delinquendi, sobrietate virtutis. Petit ergo iustitiam secundum verbum dei,quia verbi dei sententia est, vt conuersis venia donetur,si legitimè est facta conuersio.

III. Cogitaui vias meas,& conuerti pedes meos in testimonia tua.

Diuiduus sensus, aut quia vias superiores meas cogitaui plenas lapsus atque peccati, & ideo vt remissionem peccatorum possim mereri,morum conuersione, studióque virtutum auerti pedes meos in testimonia tua, vt nō iam meis gressibus,quibus antè sum lapsus,sed testimoniorum tuorū itineribus ambularem, quo tuorum semitæ mandatorū me errare non sinerent, nec vestigium in deuia & tortuosa deflecterem. Frequenter enim ignorantes iter,si strata viarum sequantur, perueniunt quò desiderant peruenire, & carent erroris anfractu. Sinautem vsurpent scire quod nesciunt, & putēt aliqua sequenda cōpendia, à publici tractus itinere recedentes,erroris labyrinthos frequenter incurrunt,vt eos de itinere deflexisse pœniteat : & ideo post multa laborum dispendia ad iter quod reliquerant redire contendunt. Hic ergo sensus vnus est. Alius autem ita, Cogitaui vias meas, non superiores,sed futuras, vt ante meos actus cogitationibus prænenitē, ne inconsulta operatione progressus,aliquid in ipsis coactionibus offensionis incidere: vt si agere aliquid velim, antè cogitem vtrum agendum sit illud quod desidero,aut quo agendum modo: similiter si alloquēdum,vtrum alloqui debeam,deinde publicè an secretò loqui, præsentibus aliquibus, aut nullis: sicut illud est,vt si velis fratrē corripere, primo solus corripias, secundo præsentibus duobus aut tribus testibus, tertio,si nō audierit,coram ecclesia. Itaque si prætermisso ordine velis corā ecclesia fratrem increpare, quem antè monere debueras,erratum ipse cognoscis. Omnia igitur cum cogitatione facito, vt non te pœniteat a- Eccli. 32.
perti oris tui. An verò si viā ingressus,cùm veneris ad compitum aliquod (ita enim appellatur plurimarum velut quidam concursus viarum) si nescias quod iter ingredi debeas, stas tamen,& cogitas ipse tecum vtrum primam, an secundam,an tertiam,an quartam,vel certè quintam,si ita est,viā eligas quam sequaris,nec putas prius adoriēdum iter,quàm animo definieris, & pleniore mentis intentione decideris. Stas igitur cogitans quæ sit via quæ in ciuitatem ducat, ad quam tibi putas esse pergendum. Quāto igitur magis animo debes ac mente consistere, qui ad regnū cœleste contendis, & cogitare tecum,quia non omnis via illò ducit,nō omnis via illò dirigit ad Hierusalem illā quæ in cœlo est. Sunt viæ quę malos exitus habent,quas diaboli tentamenta triuerūt: & ideo exitus earum, exitus mortis sunt. Hæ nēpe sunt viæ de quibus legisti in Prouerbiis, quia sunt viæ quæ videntur Prouer. 14.
viro rectæ esse, vltima autem earum aspiciūt in profundum inferni. Est autem via angustior illa quæ ducit ad dei regnū. Matth. 7.
Volens ergo eam ingredi viam quę ad deum ducit,non circunspicies,non tecū ipse tractabis,non cōsiderabis ne facilè capiaris affectu,si vię latitudine prouocatus ingrediaris iter quod ad inferna deducat? Cogita ergo antè atque perpende quid facias. Qui viderit,inquit,mulierē ad concupiscēdum Ibidem. 5.
eam,iam adulterauit eam in corde suo. Hic vtique cogitauit vt videret mulierem,vt videret ad concupiscendū: sed mala hæc cogitatio relinquat vias suas. Alius non cogitauit quidem,sed subitò aspexit,& captus est,& vidit,& concupiuit, & ideo lapsus est. Quod si fragilem suum considerasset affectum,& antè timuisset ne cùm vidisset mulierem mente,caperetur animo,vtique non prospexisset ad mulierē,ne concupisceret eam. Vidēs ergo mulierem nō direxit pedem suū in testimonia domini: qui si ante lapsum suum cogitare potuisset, forsitan direxisset. Vnusquisque ergo prius cogitet quo modo videat mulierem,vt non videat ad concupiscendum eam,aut non attēdat eam. Si autem videns repēte,vel bona cogitatione fundatus dirigat pedem suum ad testimonia domini,ne in captiuitate permaneat: vtiq; ei profuit cogitatio. Postremò amans mulierem,si auerterit non tantùm pedem, sed & mentem, vt diligens concupiscens Christum cōsideret iudicium eius, testimonia eius de præmiis castitatis, & relinquat vias concupiscentiæ, sequatur vias Christi: & habebit laudem in eis, si contemplatus dominum Iesum contemnat carnis ardorē,flāmámq; libidinis,quasi quodam fonte extinguat, allidat teneras & infirmas cupiditates ad
petrā Christi. Cogitet ergo primū,vt eadem repetā,quem- Psal. 136.
admodū videat,quēadmodum loquatur. Bene cogitauit qui Psal. 140.
dixit: Pone domine custodiā ori meo: ne fortè dum mēs inflammat ardorem,lingua sermone labatur,aut multiloquio incauto etiam quod mens non cogitauit,incurrat loquendi facilitate: cogitet quemadmodum pedem suū dirigat, manū ad se ferat,ne impetu indignationis impulsus,cùm repellere debeat iniuriā,ipse alteri ictum notabilis cædis illidat. Cogitandum est igitur quid geramus. Vbi enim præcedit cogitatio,maturitas operationis adhibetur. Itaq; pes iste fidei vestigiū est, quē meditatione perpēsa à corporalibus motibus ad testimonia diuina deflexit. Quid igitur ,psit cogitare ante, quod postea facturus sis: docet versiculus qui sequitur.

Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. IIII.

Vbi cogitatione quis præuenit quod acturus est, semper paratus ad agendum est, semper fixus, & validus, vt non queat subita aliqua accidentium offensione turbari. Nulla enim flabra scopulosæ nimis ambitionis excutiunt, nulla procella atque tempestas iniustæ inuasionis exagitat,

1485

tat, non petulantis oculus meretricis illaqueat. Oculus enim meretricis, laqueus amatoris est. In aliena misericapitur possessione qui improuiso igne præuentus, possessionem suæ mentis amisit. Si persecutio ingruit, inuenit iam paratum, vt ibi possit esse perturbatio salutis incertæ, ibi sperata sacri corona certaminis, prouida futuri meditatione demulceat. Sed maledictis obtrectatorum frequenter obroditur: cogitet quia non est discipulus super magistrum, neque seruus supra dominum. Si supra dei filium opprobria exprobrantium nephanda ceciderunt, quemadmodum seruus exortem eorum sperare se poterit? Ideóque mentem suam præparare debet, vt cùm ista acciderint, turbare se non queant. Præparet animum, & meditatione componat, vt possit dicere, si tamen possit: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames? & cætera. Quare autē non separetur adiecit, Sed in his omnibus superamus, inquit, & vincimus propter eum qui dilexit nos. Meritóque confirmatus ait: Confido enim quia neque mors, neque vita, neq; angeli, neque potestates, neque præsentia, neque futura separare nos poterunt à charitate dei, quæ est in Christo Iesu. Multa Apostolus dixit contra quæ lucta nobis est, sed alia facilia sunt, vel certè non huius temporis aut loci, vt discutere omnia debeamus quæ sint quæ nos separare possint à charitate dei, nisi diligentius resistamus. Illud nūc quod videtur obscurius non prætermittimus, quia ait: Neque altitudo, neque profundum: quæ sunt grauia tentamenta. Deniq; habes in Elaia scriptum ad regem Achaz: Pete tibi signum à domino in profundum, aut in altum. Respondit ille, Nō petam, & neque tētabo dominum. Mysticum illi propositum est, sed non intellexit, & veritus est ne tentare dominum videretur si signum peteret in altum, aut in profundum. Dominus autem volens grauia tentamenta remedio supplātare diuino, ait: Ecce virgo concipiet in vtero. Hoc est magnum signum, quod altitudinis & profundi tentamenta destruxit. Dominus enim Iesus non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, neque quæ sua sunt requisiuit, sed formā serui accepit, humiliauit se vsque ad mortem. Itaque neque elatus est potestate, neque mortis quadā deiectione turbatus. Hoc igitur signum proponitur regi, vt petat sibi remedium, per quod nec regiæ potestatis extolleretur supercilio, nec certè ærumnæ alicuius exceptione perturbaretur, vt erat corde turbatus cùm bellum sibi videret à Syriis inferri. Diuini igitur exemplo oraculi volumus ostendere quæ essent hæc grauia tentamenta, quibus remedium solus potuit Christus afferre. Verūtamen & prophetico sermone facile est docere sarcinam quandam horum tentamentorū. Hęc enim tentamēta duo maxima sanctus Salomon oratione propria declarauit, & rogauit, vt posset excludere dicens: Diuitias aūt & paupertatem ne dederis mihi, sed ordina mihi quæ opus sunt, & quæ abundent: ne repletus mendax fiam, & dicam, Quis me videt? Aut pauper rapiam, & periurem nomen domini. Potes igitur tu ista tentamenta contemnere, quæ formidauit Salomon, qui sapientiam postulauit & meruit? Diues erat, timuit extolli: pauper fieri formidauit, ne paupertatis necessitate abstinentiæ gratiā non teneret. Quàm multi qui videbantur sancti esse, ceciderunt ab altitudine cordis sui: Quàm multi aliqua necessitate deiecti nō potuerūt contenti esse iniuria, qui fuerant virtutum exercitio roborati? Rarus Iob inuenitur in terris, qui & diuitias amisit & filios, & vibicibus corporis exarabatur, cùm vermes toto corpore fluerent: à Christi tamen charitate nō potuit separari. Paremus igitur affectum nostrum, ne imparatum vis repētina perturbet. Denique sciens dominus citò nos frangi solere, ait etiam apostolis: Nō turbetur cor vestrum, neque formidet. Si te cupiditas appetētiáque tentauerit, lege euangeliū, dicat tibi Iesus Christus: Non turbetur cor tuū. Si quis terror ingruerit, dicat tibi Christus: Non turbetur cor tuum, neque formidet. Si qua supplicia persecutor inflixerit, lege euangelium, dicat tibi Iesus: Non turbetur cor tuum, neque formidet. Lege Apostolum dicentem: Indignæ enim passiones sunt huius temporis ad superuēturam gloriam. Si in mari nauiganti grauis fluctus insurgat, tempestas atra desæuiat, tibi dicat Iesus: Ego sum, noli turbari. Veniens igitur in certamē aliquod magnū & graue, dic prius: Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Et quid de sæcularibus dicamus? Esto paratus non solùm aduersus ea quæ vides, sed etiam aduersus ea quæ nō vides. Foris, inquit, pugnæ, intus timores. In teipso tibi bellum est, bonum est vt in tranquillitate sit animus tuus, & in quadam serenitate. Sed gubernator ille melior est, qui in tempestate nauim gubernat. Rege igitur teipsum, quando turbatur animus, mēs fluctuat. Laudauerim virtutē gubernatoris qui nullas procellas senserit, & cursum nauigij direxerit nulla tempestate iactatus? Sed illū laudauerim, qui aduersus ventos renititur, insurgit aduersus fluctus, non timet vel cùm eleuatur vndis nauigiū, vel cùm ad profundi ima deponitur. Ita & ille laudādus est gubernator sui qui ea quæ aduersa sunt, vincit patientia, virtute superat, secundis nō extollitur, aduersis non frangitur. Bellum tibi est etiam aduersus nequitias spirituales. Aduertis cum quātis tibi est prælium? Et ideo meditare, & statue animo, vt procedens ad prælia dicas: Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.

A

B

C

D

Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus. V.

Hoc est, funibus me circundederunt peccatores, vt mea implicarent vestigia, ne possim incursus eorum præuidendi celeritate euitare. Non ergo illi funes sunt de quibus scriptū est: Funes ceciderunt mihi in præclaris. Sunt enim funes illi quibus vtuntur qui terminos metiuntur agrorum, limitésq; distinguunt, & possessionum spatia disterminant. Tenduntur ergo illi funes quoad possessio vniuscuiusque diffunditur. Sic factus est funiculus hæreditatis suæ Israel. Boni ergo illi funes. Isti autem funes quibus trahuntur peccata, vt fune longo, & vt loro iugi vitulę iniquitatis. Vitula enim indomita plus se iactat & excutit cùm tenetur, nec acquiescit imperio, nec adstringitur vinculo, sed magis cùm loro retrahitur, exasperatur. Itaque nec coacta se subiicit, nec tamen libera vinculorum est. Sicut ergo trahit vitula lorum iugi, quæ etsi non tenetur è proximo, tenetur tamen, nec se explicat, & absoluit: ita trahit vnusquisque peccator indomitis moribus iniquitates, qui putat se liberum, quia non est iugo subditus, subiectúsque iudicio: & nescit quòd non sit exutus, sed magis vt illa vitula & ipse se implicat suorum nexibus peccatorum. Hi sunt ergo funes delictorū nostrorum, quibus inuoluimur & ligamur: quemadmodum sunt & vincula delictorū. Et ideo saluator, qui habet in potestate peccatum dimittere, dicit iis qui sunt in vinculis: Exite. Vtinam & mihi dicat: Exi de vinculis tuis, exi de nexibus peccatorum tuorum: Solue funes erroris tui, quibus circundatus & ligatus es. Etsi enim nequissimus sim omnium, & detestabilis sim vsu peccatorum, illo tamen iubente liber ero, qui sub vno momēto latrocinij damnatum reum supplicio eripuit, constituítque in regno suo. Sunt ergo vincula quibus constringimur, etsi videamur nobis liberi. Beatus qui hæc soluit sibi vincula. Et ideo Dauid ait: Dirumpamus vincula eorum, & abiiciamus à nobis iugum ipsorum. Nō manu vtiq; visibili vincula dicit esse rumpēda, sed inuisibiles criminum nexus morum confessione & fidei professione soluendos. Aut manu, hoc est, opera manus tuæ eroga pauperibus, debiles eleuato, redime captiuos: & soluisti vincula tua. Eleemosyna enim à peccato liberat. Eripe eum qui ducitur ad mortem: hoc est, eripe eum intercessione, eripe gratia tu sacerdos, aut tu imperator eripe subscriptione indulgentiæ: & soluisti peccata tua, exuisti te è vinculis. Vinculis enim peccatorum suorū vnusquisque constringitur, sicut ipse legisti. Ligat nos vinculis carnis illecebra. Vinculum nostrum auaritia est, vinculum nostrum ebrietas est, vinculum nostrum concupiscentia est, vinculum nostrum superbia est. Sunt & diaboli vincula. Denique scriptum est: Hanc autem filiam Abrahæ, quam ligauit Satanas decem & octo annis. Ligat nos etiam diabolus criminum nexu, ligat nos vinculo fornicationis, vinculo adulterij, vinculo perfidiæ, qua Christus negatur: vinculo inuidiæ, qua frequenter etiam frater appetitur: vinculo crudelitatis, qua nonnunquam socius & conformis occiditur. Hæc sunt vincula quibus ligatus vnusquisque

2. Corin. 7.

Psal. 15.

Psalm. 2.

Tobiæ 4. Prouer. 24.

Prouer. 5.

Lucæ 13.

que inclinatur, vt animam ſuam leuare non poſſit: nec obtu-
Luca 13. tus ad cœlum mentis erigere, niſi ei dicat dominus: Dimiſ- A
ſus es ab infirmitate tua: & munere eum ſuæ benedictionis
erexerit. Hæc ſunt ſceleratorum vincula, quæ durè peccato-
res ligant: hoc eſt, diabolus, & miniſtri eius: vel certè Nen-
roth, hoc eſt amaritudo: vel certè Eſau, hoc eſt terrenus &
callidus. Iſti enim venatores erant, qui feras laqueis captare
conſueuerunt, & muta animantia vinculis illigare. Inutiles
venatores, qui capiant beſtias, quæ in pompam ſpectaculo
populari præbeant miniſterium crudelitati. Denique nullũ
inuenimus diuinarum in ſerie ſcripturarum de venatoribus
iuſtum. At verò alia vincula ſunt, vt dixi, domini Ieſu, quem
ſequuntur, inquit, alligati vinculis: hoc eſt, vinculis adſtricti
charitatis, & ſpei amatores, fidei vinculis alligati. Licet ſic
poſſit intelligi, Alligati vinculis Chriſtũ ſequuntur: hoc eſt
peccatorum, & criminum remiſſorem, fontem indulgentia-
rũ, redemptionis authorem. Sequamur ergo vincula Chri-
ſti, fugiamus vincula venatorum: ne dum incidimus, dum
ignoramus, laqueos eorum pes noſtræ mentis incurrat: nec
animæ noſtræ ceruicem nexibus inſeramus. Inſidiãtur enim B
quaſi peſſimi venatores: & quando proſperorum euentu a-
nimum relaxamus, ac ſecũdis rebus remittimus, nec excu-
bias cautionis habemus intentas, tunc plus iactant laqueos
ſuos, aut in via qua ambulamus abſcondunt, vt cùm fuerint
eorum laqueis innexa veſtigia, trahant quo ſecurũ ſupplan-
tent viantem, vel collo adſtricto ſtrangulant commeantes.
Noli ergo alta ambulare ceruice, ſicut filiæ Iudę. Altis enim
ceruicibus citò laqueus innodatur. Noli ad ſecularia men-
tem animúmque defigere, ſed circunſpice oculis animæ di-
ligenter: quia pluit dominus laqueos ſuper peccatores: ne
cadẽtes illigare te poſſint: quos poteris euitare, ſi legem do-
Pſalm. 10. mini nõ obliuiſcaris. Etenim etiam qui ligatus eſt, ſi ſibi ſit
conſcius libertatis, obliuiſci libertatem ſuam non deſinit, &
cauſam nonnunquam dicit è vinculis, eámque ſibi legum
præſcripto defendit, ac iudicio frequenter abſoluit. Ergo &
tu ſi peccaueris, memor eſto legis. Si peccaueris, memor e-
Eſa. 43. ſto Chriſti, qui te liberat, dicens: Ego ſum, ego ſum qui de- C
leo iniquitates tuas, & memor non ero. Ipſum diebus ac no
ctibus tene, ipſi tua confitere peccata. Docet te Propheta
† teneas quomodo † timeas dominum Ieſum.

VI.

Media nocte, inquit, ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.*

* al. iuſtificationis.

Luca 6. Non ſatis eſt dies ad deprecandum, ſurgendum eſt & no-
cte, & media nocte. Ipſe dominus pernoctauit in oratione,
vt te proprio ad deprecandum inuitaret exemplo: & vtique
peccatis tuis ille indulgentiam poſtulabat. Poſtulabat à pa-
tre, operabatur propria voluntate. Non tibi dicit Propheta,
vt tantummodo media nocte ſurgas, ſed vt ſurgas nocte, &
maximè nocte media. Nocte enim ſurgendum antè præmi-
ſit, dicens: Memor fui in nocte nominis tui domine. Poteſt
vnuſquiſque memor eſſe, & non ſurgere: poteſt vnuſquiſ-
que & ſurgere, & cùm ſurrexerit, ea quæ proprio arbitrio
ſederint, poſtulare. Addidit, Media nocte ſurgebam, docens
te ſurgendum eſſe media nocte. Nec ocioſum eſt quod ad-
iunxit: Ad confitendum tibi, hoc eſt, vt illo maximè tempo- D
re deprecari deum, & propria debeamus deflere peccata: nec
ſolum præteritis veniam poſtulare, ſed etiam præſentia de-
clinare, à futuris cauere. Multa enim illo in tempore tenta-
menta proſerpunt. Tunc feruet carnis illecebra, tunc tenta-
tor illudit. Coquitur cibus, potúſque digeritur. Stomachus
æger, mens ſomnolenta, animus occupatus eſt. Itaque aut
quieſcenti calor ſoporis augetur, aut vigilanti nondum ple-
nior refuſus eſt vigor, qui errorum cauere poſſit incurſus.
Tunc igitur tentator aſſiſtit, tunc retia iacit quibus turbare
poſſit mentem improuidam. Tunc ſpirituales nequitiæ te-
nebras offundunt: tunc omne nefas ſuadere contendunt,
quando nullus arbiter culpæ, nullus criminis conſcius, nul-
lus poteſt eſſe erroris teſtis. Tunc varias diſceptationes pe-
ctori dormitantis infundunt, vt primo de ſtatu mentis deii-
ciant reluctantem, & aliquorum qui ſancti habentur, pro-
ponatur exemplũ, quòd illi aliquando deliquerint, ſed poſt-
ea veniam ſint adepti, & texerint ſuperiora delicta. Nam &

ſi omnem emendationem noſtri inimicus exoſus ſit, tamen
ad tempus, vt ſobriæ mentis virum poſſit elidere, prætendit
futuram indulgentiam, vt præſentia peccata perſuadeat: &
cùm impulerit aliquem ad erroris aſſenſum, ſi viderit eum
iam non amore virtutis à culpa, ſed pœnæ contemplatione
reuocari, inſerit varias diſceptationes, vt dicat ſibi: Quis me Eccli. 23.
videt? Et tenebræ circundant me, & parietes: quem vereor?
Non videt altiſſimus, non ad eum peccata noſtra perueniũt,
non dignatur ſpectare quæ turpia ſunt. Hæc vtiq; vſu exem-
plóque cognoſcimus. Nemo enim poteſt eſſe expers tenta-
tionis. Itaque vt tempus habile hoc tentamentis, ita etiam
tempus eſt pœnæ: quod ex lectione diuina poſſumus edo-
ceri. Non enim ociosè dominus deus noſter cùm poſſet
quocunque momento primitiua Ægyptiorum extinguere,
hoc tamen tempus dolori & luctui peccatoris opportunius
iudicauit. Sic enim ſcriptum eſt: Quia media nocte primo- Exod. 12.
geniti Ægyptiorũ liberi ab exterminatore ſint interempti.
Ideóque ſanctus Moyſes propheta, vt hoc præueniret tem-
pus, ac ſine Hebræorum fraude tranſiret, agnum antè im-
molauit, hoc eſt, veſperi, vt manducantes eum, & paſcha do-
mini celebrantes, non occuparentur exterminatoris inſi-
diis, ne inermes & vacuos ſpiritualis alimenti nocturna ſpi-
cula tenebroſi hoſtis opprimerent. Hæc diligenter intende,
prudenter intellige, ſolicitè require. Non perfunctoriè iſta
dicuntur, ſed diuina tibi myſteria declarantur. Præueni &
tu inſidias tentatoris, inſtaura prius cœleſte conuiuium. In-
dictum eſt ieiunium, caue ne negligas. Et ſi te fames quoti-
dianum cogit ad prandium, vt intemperantia declinet ieiu-
nium, tamen cœleſti magis te ſeruato conuiuio. Non epulæ
paratæ extorqueant vt cœleſtibus ſis vacuus ſacramentis.
Differ aliquantulum, non longè finis eſt diei: imò plerique
ſunt eiuſmodi dies, vt ſtatim meridianis horis aduenięndum
ſit in Eccleſiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc
vtique paratus aſſiſte, vt accipias tibi munimentum, vt cor-
pus edas domini Ieſu, in quo remiſſio peccatorũ eſt, poſtu-
latio diuinę recõciliationis, & protectionis æternæ. Suſcipe
ante dominum Ieſum tuæ mẽtis hoſpitio. Vbi corpus eius, C
ibi Chriſtus eſt. Cùm hoſpitium tuũ aduerſarius viderit oc-
cupatum cœleſtis fulgore præſentiæ, intelligens locum ten-
tamentis ſuis intercluſum eſſe per Chriſtum, fugiet ac rece-
det, & tu mediam noctem ſine vlla offenſione tranſibis. Ad-
monet etiam ſacrificium veſpertinum, vt nunquam Chri-
ſtum obliuiſcaris. Non poteſt obliuiſci, cùm lectum aſcen-
des eius domini cui in occaſum precem fuderis diei, qui eſu-
rientem te ſui corporis epulis expleuerit. Etenim quod ve-
ſperi cogitaueris, citò cùm euigilaueris, recenſebis. Excita-
bit te ipſe dominus Ieſus, admonebit vt ſurgas, & eo tem-
pore arma orationis aſſumas, quo ſolet incurſare tentator.
Vnde non ociosè Paulus Apoſtolus & Silas truſi in carce- Act. 16.
rem, cùm in neruo pedes haberent, media tamen nocte ſur-
gebant mẽtis veſtigio, exorabãt dominũ, & laudis ſacrificiũ
deferebant. Ideóq; vbi nõ defuit deuotionis officium, affuit
etiã abſolutionis remediũ. Subitò enim media nocte terræ
motus factus eſt grãdis, ita vt mota ſint fundamẽta carceris,
valuæ apertæ, omniũ vincula ſoluta ſint. Audis quẽadmodũ
ſi ligatus fueris, quibus manibus, quibus operibus ipſe te D
ſoluas, quẽadmodũ cuſtodes timere nõ poſſis? Surge igitur
ad precandum. Ea hora eſt, qua tentator nocere conſueuit,
conſueuit irruere. Ea hora eſt, qua ſolet aduerſus tentatio-
nes graues remedium venire cœleſte. Excubandum tibi eſt,
ne qua fraude vincaris: prouidẽdum vt eo tempore quo po-
tes vincere, nequaquam vincendi tempus amittas. Et quia
orationem eſſe ſubeundã media nocte diximus, non minus
etiam de eiuſmodi hora diei dicendum videtur: contraria e- 2. Cor. 6.
nim diei nox eſt. Quid enim luci commune cum tenebris?
Et ideo aduerſa ſibi eadem nocturna eſt diurna. Sicut enim
media nocte primitiua Ægyptiorum tentator occidit, & ex
eo cognoſcitur quòd ea maximè hora operetur aduerſarius:
ita è contrario quòd meridiano tempore virtus diuinę lucis Genes. 18.
operetur. Vnde & Abraham circa meridiem ſobrias tende-
bat excubias, & boni aliquos expectabat euentus, leuans o-
culos ſuos, ac finitima perluſtrans, quòd eo tempore ad-
uenientem gratiam ſibi quæreret. Illo igitur tempore, cum
duobus

1489

duobus angelis suis diuinus ei hospes aduenit, illo tempore Christum suscepit hospitio: illo tempore illa quæ legis, & intelligis, celebrata mysteria sunt. Quando enim magis debuit fidei virum illuminare præsentia, quã quo lux diei plenior refulgeret? Meritóque etiã sanctus Ioseph receptis fratribus, & ac certito iumore germano, quem maximè diligebat, meridie instaurat cõuiuium. Erat enim meridies in sancto Ioseph pectore, quãdo lætas epulas fratribus splẽdentis gratiæ ministrabat, suauissimísque cibos alloquij diuidebat, vt cùm illi pœnam fratris metuerent appetiti & venditi in seruitutem, ille diuino iudicio ipsis diceret esse prouisum, vt in Aegyptum deduceretur, qui famem sustinentibus alimoniam non negaret. Habeamus ergo in nobis meridiem. Meridies est ei cui iustitiæ Sol refulget, & cuius opere bono, vel cogitationibus innoxiis, & pura mẽte atque syncera patet Christus. Disce igitur quemadmodum tibi ipsi fias meridies. Reuela, inquit, domino viã tuam, & spera in eum, & ipse faciet, & educet sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum sicut meridiem. Vbi enim vera est fides, ibi veri luminis gratia est. Vbi innocentiæ prolixior custodia, virtutúmq; longa meditatione processus, ibi splendor bonæ conscientiæ diu permanens, ibi intelligibilis est meridies, ibi & tu Christo mentis tuæ epulas exhibebis, & in diuitiis eius etiam ipse pasceris, ita vt non luminis præmaturus veri sequatur occasus, nec quidam studiis tuis tenebrosus citò vesper incumbat, & opera bona interiectus impediat. Quòd si tentationum nox aduenerit, non immeritò media nocte surgendum, & orandum diu, & protrahenda psalmis tempora, donec veniat dies, & illucescat tibi Christus. Vide igitur ne & per diem tibi media nox fiat, quo mundi princeps tenebrosus & squalidus plenitudinem tibi tentationis offundat. Surge igitur, & excita tuam mentem. non dormitat qui custodit te, si te non reperiat dormientem: sed surgit, si & ipse fuerit tuæ animæ vigiliis excitatus: & imperabit vẽto, & fiet tranquillitas in tuo pectore, quod diuersarum procellarum turbine fluctuabat. Surgendum igitur nobis est. Solet sponsus media nocte venire. Caue ne te dormientẽ inueniat, caue ne facem tuã non queas somnolentus accendere. Surgẽdum inquam, & domino confitendum est, vt gratias agas. Confitenda etiã eius iudicia æterna, vt quicquid nobis boni accidit, eius iustitiæ deputemus: ac siue diuites sumus, siue salubriter valemus, iustitiæ domini deferamus: quia iustus est, vt opus suum tueatur ac seruet, vt quos nudos indotata quadam naturę sorte in hanc proiecit corporis infirmitatem, vigore animi, & misericordię suę dote pauperes vestire dignetur. Quod vtique omni agendum tempore manifestum est, vt nec die nec nocte, nec vllo tempore à gratiarum actione debeamus vacare.

Matth.

II. Particeps ego sum omnium timẽtium te, & custodientium mandata tua.

Psal. 44. Habet & Christus participes atque consortes suos. Denique Dauid probat dicens: Vnxit te deus, deus tuus oleo Psal. 44. lætitiæ præ consortibus tuis. Habet participes carnis, quia carnem suscepit: habet prophetiæ, quia prophetam, inquit, vobis suscitabit dominus deus vester de fratribus vestris. tanquam me, ipsum audietis per omnia quæcunque loquetur vobis. Erit autem, omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Ipse est verus propheta, qui sine alterius munere futura cognoscit: qui ea quæ ventura erant, locutus est in prophetis. An non est propheta, qui facit alios prophetare? Ipse est qui auditur sicut lex, Psal. quia & lex est ipsius. Denique si Moysen, inquit, & prophetas nõ audiunt: nec si quis ex mortuis ad illos abierit, credẽt. Ideóque populus Iudæorum, quia non audiuit hunc prophetam, de plebe exterminatus est, vt populus dei esse desineret, qui antè populus dei dicebatur. Habet consortes baptistæ, quia baptizatus pro nobis est: habet consortes iustitiæ, quia ipse iustitia est, & nobis de suo dedit sui habere cõsortium: habet cõsortes veritatis, quia ipse veritas est, & nos tenere voluit veritatem: habet cõsortes resurrectionis, quia ipse est resurrectio: habet consortes immaculatæ vitæ, quia ipse immaculatus est. Et quicunque in nouitate vitæ ambulauerit, quicunque tramitẽ iustitiæ tenuerit, particeps Christi est. Habet etiã tribulationis suæ participes: ideóque qui A participes eius esse cupiebat, dixit: Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quę desunt tribulationũ Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia. Sepulturæ quoque eius participes sumus. Quisquis enim consepultus est cum ipso per baptismum in mortem, particeps eius est. Ideóque ipse Apostolus adstruens quam nobis gratiam dederit dominus Iesus, ait: Participes enim Iesu Christi facti sumus. Sed & ille particeps Christi est, qui lugẽtem mœsto consolatur affectu: qui in carcere constitutum proprio non defraudat officio: qui lecto ægrotantis assidet, non vt capiendæ hæreditatis tendat aucupium, sed vt morbi vim solicito mitiget ministerio, vt sedulo fessum sermone demulceat: qui nudos vestiat, esurientes reficiat. In his enim frequenter est Christus, sicut ipse ait: In carcere eram, & venistis ad me. Nudus erã, & operuistis me. Quod enim vni eorum feciſtis, mihi feciſtis. Si oderim mendacium, particeps Christi sum: quia veritas Christus est. Si fugiã iniquitatem, B particeps Christi sum: quia Christus iustitia est. Beatus qui hoc potest dicere. Sicut enim membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic coniunctum omnibus timentibus deum, qui non dicat alteri, Non es de corpore meo: hoc est, non dicat pauperi diues, non ignobili nobilis, non ægro sanus, non fortis debili, non imperito sapiens dicat: Nõ estis mihi necessarij. Particeps corporis Christi est, quod est Ecclesia. Sed qui sciat quod ij qui videntur in Ecclesia debiles, pauperes, imprudentes, & iam peccatores, abundantiori indigeant honestate, & maiore præsidio fulciẽdi sint? Qui hoc nouerit, ipse potest dicere: Particeps ego sum omniũ timentium te. Qui cõpatiatur magis huiusmodi hominibus, quàm fastidiat eos: compatiatur infirmis, vt sciat quòd vnum corpus omnes sumus, & membris membra cõnexa, vt alterum sine altero esse non possit: & cùm alterum dolet, compatiatur alteri. Iste ergo rectè potest vsurpare huius vocis authoritatem. Vide autem quàm verecũdè Propheta dixerit: Particeps ego sum timentium te. Non dixit imitantium, sed ti- C mẽtium. Initium enim sapientiæ est timor domini. Inter rudes se cõstituit humilitate, cùm veteranos deuotione superaret. Sed tamẽ & timere virtutis est, quia scriptum est: Timete dominũ sancti eius. Sed quibus timor iste non sanctus videatur? Quia sunt qui ignaua formidine pertimescunt, & hebeti trepidant metu, addidit: Et custodientium mandata tua. vt ostenderet se sancti timoris esse consortem. Aut sic: Potest quidem timere corde deuotus, sed opere piger, vt sit religiosus affectu, ociosus actu. Non tamen potest piger esse, qui mandata domini custodit. Qui ergo timet, custodit: ergo eius est custodire, qui timeat. Sanctus itaque hoc dicit: Ego autẽ hoc mihi vsurpare non possum. Quanti enim sunt qui timeant deum, & non illis compatior? Quærunt opem, & ferre nolo misericordiam: indigent sumptu, & non adiuuo. Quisquis autẽ hæc facit, ipse potest dicere se timentium Christum esse consortem.

Colos. 1.

Hebr. 3.

Matth. 25.

Eccli. 1.

Psalm. 33.

Misericordia tua domine plena est terra, iustificationes tuas doce me. VIII.

D Quomodo misericordia domini plena est terra, nisi per passionem domini nostri Iesu Christi, quam futurã præuidens quasi promissam Propheta concelebrat? Prophetis autem ea quæ ventura sunt præuidentibus, moris est vt quasi iam decursa memorẽt quæ posterioris ætatis sunt. Plena est ergo terra misericordia domini, quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes Sol oriri iubetur. Et hic quidem Sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem Sol ille iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, vt tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: vt si quis clausis fenestris radios Solis excludat, non ideo Sol nõ ortus est omnibus, quia calore eius se ipse fraudauit: sed quòd Solis est, prærogatiuam suam seruat: quòd imprudẽtis est, communis à se gratiã lucis excludit. Super omnes pluuia est, & hoc diuinæ misericordiæ deputatur, quia pluit super iustos & iniustos.

Mala. 4.

Matth. 5.

Psalm.123. stos. Aut certè sic interpretandum, quòd misericordiæ diuinæ plena sit terra, quia domini est terra, & plenitudo eius: ipse super maria fundauit eã, & super flumina pręparauit illam. Etenim per Ecclesiam in omnes gẽtes diffusa est misericordia domini, in omnes gentes diffusa est fides. Fortasse dicas, qua ratione non dictum est, Misericordia domini plenum est cœlum? Quia sunt etiam spiritales nequitiæ in cœlestibus, sed non illæ ad commune ius indulgentiæ dei, remissionémque pertinẽt peccatorum, quibus ignis seruatur æternus: & illa quæ cœlestium vel potestatum vel ministeriorum sunt, licet auxilio domini fulciãtur, tamen non tãta eius indigent misericordia, quanta ea quæ sunt inferiora atque terrena. Non enim illa carnis inuolucro vestiuntur, in qua est frequẽtis erroris illecebra. Ideoq; in superioribus ait

Ephes. 6.

Psal.113. idem Propheta: Quia deus dedit cœlum cœli domino, terrã autem filiis hominum. Vnde & cœlum purius & defecatius ab omni labe peccati est, longéque remotius ab illo de quo

Matth.6. scriptum est: Sicut volatilia cœli. Hoc enim cœlũ velut medius quidam inter cœlũ & terrã aërius locus dicitur, in quo sunt etiã spiritales nequitiæ in cœlestibus. Nam in illo non

Ephes.6. appellatiuo, sed vero cœlo, etiam si diabolum legerimus in

Iob 1. conspectu dei angelorum non defuisse cõcilio, puto tamen

Gene.6. nulla operari tentamẽta nequitiæ. Denique scriptũ est quia angeli amauerũt filias hominum, eò quòd terrenis capti videantur illecebris, princeps mundi istius ac ministri eius, in quibus nequitia spiritalis venenis quibusdam carnis huius imbuta, & humanis infecta criminibus. Ideoque dominus

Matth.6. in Euãgelio suo ait: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Nõ eadem est illic iniquitas vicinũ possessionis finitimo rure depellere, viduam hæreditatis fraudare compẽdiis: minores cõsortij iure detrudere, intra lignũ denique & quodcunque argenti atque auri vel æris metallum velut effigiem quandam cœlestem includere potestatẽ. Hæc cùm sint maximi plena sacrilegij, in cœlis vacant, in terris frequentãtur.

Psalm.32. Verbo enim domini cœli firmati sunt, nõ terra firmata est: & ideo iustificationes dei ab ipso domino vult doceri, quia difficile est in terra magistrũ huiusmodi reperire qui ea doceat quę ipse non viderit. Ad illum igitur doctorem intimo propheta contendit affectu, qui solus magister est verus. Quomodo enim potest homo, quasi verũ docere quod nesciat, cùm ipse sit mendax? Meritóque ait dominus vt nemo super terram vocet sibi quenquam magistrum, quia vnus est magister omnium. Et quomodo posset Dauid alium

Psalm.93. doctorem quærere, cùm ipse de deo dixerit: Qui docet hominem scientiã? Docet autem deus, & mẽtes illuminat singulorum, & claritatem cognitionis infundit, si tu aperias ostia cordis tui, & cœlestis gratiæ recipias claritatem. Quãdo

Matth.7. dubitas, diligenter inquiras. Qui enim quærit, inuenit: & ei qui pulsat, aperitur. Multa obscuritas in scripturis propheticis: sed si manu quadam mentis tuæ scripturarum ianuam pulses, & ea quæ sunt occulta, diligẽter examines, paulatim incipies rationem colligere dictorum, & aperietur tibi non

Apoc.5. ab alio, sed à dei verbo, de quo legisti in Apocalypsi quòd agnus librum signatum aperuit, quẽ nullus antè aperire posset: quia solus dominus Iesus in Euangelio suo prophetarum ænigmata, & legis mysteria reuelauit: solus scientiæ clauim detulit, & dedit aperire nobis. Dicunt se Iudæi habere clauim scientiæ, sed non habent: nam si haberent, ipsi ingrederentur, ipsi agnoscerent penetralia scripturarum. Nũc autem væ vobis Scribę & Phatisæi, qui abstulistis clauim scié-

Luc.11. tiæ, & ipsi non introistis, & introeuntes prohibuistis. Quomodo enim clauim potestis habere scientiæ, qui scientiæ negastis authorem? Et ideo ad ipsum conuersus Dauid ait: Tu me, inquit, doce iustificationes tuas, quia tu es vera iustitia. Tu doce quæ sapienter dicta sunt, quia tu es sapientia. Tu aperi cor meum, quia aperuisti librum. Tu aperi illud ostiũ quod in cœlo est, quia ipse es ianua. Per te si quis introierit, regnum illud possidebit æternum. Per te si quis intrauerit, non decipietur; quia falli non potest quicunque domiciliũ fuerit veritatis ingressus.

Sermo nonus.

1492

NOna litera Teth incipit, cuius interpretatio est excluſio. Quid est excluſio? Nũquid sicut domo aliquis hospitióque deiicitur, ita qui excluditur à dei regno, bonis illius fraudatur, sicut illæ excluſæ sunt virgines, quæ secũ oleũ non tulerunt: & dum venit sponsus, extinctæ sunt faces earum, atque emendo oleo inflammandísque facibus occupatæ fecerunt moram, & ingresso iam spõso introire cupientes leguntur excluſæ? Non arbitror. Nam quomodo diceret, si bonis sanctus esset propheta deiectus, atque excluſus à dei regno: Iucũditatem fecisti cùm seruo tuo? Nec Prophetæ meritum huiusmodi intellectum videtur admittere, nec series subditorum. Audis dicentem: Suauis es domine, & in iucunditate tua doce me iustificationes tuas. Audis dicentem: Bonum mihi lex oris tui super milia auri & argenti: & potest dicere quòd sit excluſus à regno, qui non est excluſus à lege? Quid ergo intelligimus? Hæret interpretatio. Obscuritatem sensus sui sermonis videtur offundere. Vocant merita Prophetæ, vocat eius gratia, vocat subiectorũ series, vt altioris intellectus aliquid debeam⁹ eruere, & occurrit in interpretatione quod interdum excludamur in bono. Scriptũ est enim: Perfecta charitas timorem excludit foras. Et generaliter quidem charitas excludit timorem. Vt miles qui imperatorem diligit, bella pro imperatore susceptа non metuit: vt seruus amans dominum, quamuis per dubia & prærupta mittatur, tamen omnia pericula domini amore cõtemnit, ac si quis dominũ petat, seipsum offerre non trepidat: vt qui trãs mare positos filios videre desiderat, non metuit naufragia liberorũ charitate, ingreditur maris fluct⁹, subit incerta nauigij, sed metum discriminis leuãt desideria filiorum. Quàm pulchrè etiam de martyribus dicitur, qui verè militant Christo, qui persecutiones, vngulas, gladios, incẽdia non timentes, infestis se regibus obtulerunt. Timorem etenim quem poterãt habere pœnarum, excluſerunt amore martyrij. Hunc sensum autem esse interpretationis huius: etiã de Threnis Hieremiæ possumus approbare. Nam & ibi sub hac litera scriptum est: Bonus est dominus sustinentibus eum, animę quę quærit eum. Bonum est sustinere & sperare in salutare dei. Bonũ est viro cùm portauerit iugum graue à iuuẽtute sua, sedebit singulariter, & silebit, quia tulit iugum graue. Hæc vtique quid aliud astruunt, nisi bonæ excluſionis hãc interpretationem videri? Quis enim sustinet dominum, nisi studio charitatis? Quis est qui sperat, nisi qui quod sperat optat & diligit? Quod enim speramus, per patientiam expectamus. Ergo qui sperat, sustinet: qui sustinet in patientia, vtique excludit affectum. Quis est qui portat iugum graue à iuuentute sua, nisi qui deliciis renunciat, luxuriam fugit? Quis est qui singulariter sedet, nisi qui secularibus voluptatibus abdicatis, molestiarũ omnium excludit tumultus? Iste ergo nil timere poterit, qui charitatis gratia vim timoris absorbuit. Est & alius qui excludatur in bono, vt ille qui apostolica authoritate sublatus è medio plebis est: & quia malũ opus fecit, est traditus in carnis interitũ, vt eius spiritus saluaretur. Ex quo intelligimus, quia in bono excluditur qui iubetur agere pœnitentiam, vt humilietur, & compungatur corde. Hæc enim reconciliationis solent esse suffragia. Denique etiam Hieremiæ scripta sub hac litera id videntur significare. Sic enim legimus de Hierusalem illa terrena: Immũditia eius ante pedes eius. Non fuit memor nouissimorũ suorum, & cecidit inualidè, non est qui consoletur eam. Vide domine humilitatem eius, quia magnificat⁹ est inimicus. Et quia humiliatur Hierusalẽ, meritò postea ei dicitur: Defecit iniquitas tua, filia Sion. Et omni qui pœnitẽtiam egerit, lachrymis propriis peccata defleuerit, bene dicitur: Defecit iniquitas tua. Alibi quoque sub hac litera dicit Hieremias: Boni erant vulnerati gladio, quàm vulnerati fame. Abierunt compuncti à natiuitate agrorum. Compungimur igitur, quando nostrorum agimus pœnitentiam delictorum, compungimur etiam recordatione delictorum. Vnde ait propheta Dauid: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Qui autem compũgitur, vtiq; delectationem excludit erroris: & qui agit pœnitentiam, excludit pudorem, sequestrat verecundiam flagitij

Teth.

Matth.25.

1.Ioan.4.

Thren.3.

1.Corin.5.

Threna.1.

Thren.4.

Psalm.

1493

gitij confitendi, vt recuperandæ ſpem ſalutis inueniat. Me-
ritòque & ipſe Dauid vbi agnouit errorem: Peccaui, inquit,
domino. Tantus rex, tãtus propheta non erubuit peccatum
proprium confiteri, & ideo dictum eſt ei: Et dominus abſtu
lit peccatum tuum. Sublato igitur peccato, ait:

Iucunditatem † feciſti cum ſeruo tuo domine ſe-
cundum verbum tuum.

Multa videntur in hoc ſeculo iucunda eſſe, quæ nõ ſunt: multa ſuauia, bona plurima. Luxuries videtur eſſe iucunda, ſed exhauſto ſit amara patrimonio. Dulcis libido cùm fertur, ſed eadem horrida & execranda cùm proditur. Suaues epulæ cùm ſumuntur, ſed fœtidæ cùm digerũtur. Bona mundana cùm in hoc ſeculo, dum viuimus æſtimantur, quia vſui nobis ſunt, vt pecunia, honor, aurũ, argentum, poſſeſſiones: eadem nihil poſſunt prodeſſe defunctis, hîc omnia relinquuntur. Quinetiam maiori dolore quis moritur cum his ſe fraudari copiis ingemiſcit. Non eſt ergo iucũditas vera, niſi illa quæ ſecundum verbũ eius eſt, vt quis bonorum meritorum atq; virtutum ſubſidiis gaudeat ſe eſſe munitum. Hac Dauid iucũditate vel bonitate dei lætatur, quia iugum graue à iuuentute portauit & ſuſtinuit, atque expectauit domini in ſe gratiam, non præripuit, qui ſæpe occidẽdi regis Saul tributa ſibi copia, maluit tamen expectare à domino deferendi tempus imperij, quàm occiſo rege præripere. Semper deus bonus eſt: ideoque & Paulus ait: Vide ergo bonitatem & ſeueritatem dei. Bonitas enim in omnes eſt, ſeueritas in paucos. Denique ſubdidit idem Apoſtolus: In eos qui ceciderunt, ſeueritatem quidem, in te autem bonitatem. Si enim non cecidiſſent, vtique vterentur & ipſi bonitate dei. Nam & tibi ideo bonus eſt, quia permanes: quod ſi non permanſeris in bonitate, & tu excideris. Non ergo deus propterea bonus eſt deſiſtet, quia tu lapſus es, & indiges ſeueritate. Siquidem & ſeueritas dei in bonitate, vt recurrat vnuſquiſque caſtigatus, pedem referat à peccatis, & ad virtutum tramitem, bonamque conuerſationẽ recurrat. Denique docet de illis qui ceciderunt, Apoſtolus: Quia ſi nõ permanſerint in incredulitate, inſerentur. Potens enim eſt deus iterum inſerere illos. Vt quemadmodũ deſerta virgulta, ita & homines velut caudicibus quibuſdam virtutis inſerti, bonorum fructus poſſint ferre meritorum. Accuſes neceſſe eſt medicum crudelitatis, quia putrefactas vulnerum fibras ferro putauerit execandas: quia noxia, & ſerpentia vlcera igni aduſſerit, ne virus in vlteriora proſerperet: vel quia magiſter diſcipulum verberauerit negligentem, vt metu verberum indueret diligentiã. Caſtigare enim amantis eſt, non execrantis: & ideo bonitatis eſt, non crudelitatis. Rectè ergo & dominus vbique eſt bonus, & cùm remittit flagitia, & cùm peccata caſtigat. Caſtigat enim dominus quem diligit. Caſtigatus eſt etiam Dauid. Denique ait: Et fui flagellatus tota die. Sed vir ſapiens, qui intellexit caſtigationem illam ſibi domini profuiſſe, ait: Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine ſecũdum verbum tuum. Hoc eſt, Etſi ad tempus amara viſa eſt mihi caſtigatio ſecundum carnem, ſecundum mœſtitiam corporis, tamẽ ſecundum verbum tuum caſtigatio illa fructus bonitatis attulit. Illam mihi caſtigationem intelligo profuiſſe, illa caſtigatione me à vitiis eſſe reuocatum, illa caſtigatione non diu aliquid in me licuiſſe flagitiis, per illam caſtigationem dominum nihil in me aduerſario licuiſſe, nil morti. Denique caſtigãs caſtigauit me dominus, & morti non tradidit me, ipſe Propheta memorauit. Caſtigatur enim qui recipitur: qui autem non recipiuntur, non flagellãtur. In laboribus enim hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabũtur. Ideoque ſupra ait: Quàm bonus Iſrael deus rectis corde: Ergo bonus omnibus, quia omnes recto vult eſſe corde. Qui autem cor declinauerit, ipſe à ſe gratiam diuinæ bonitatis auertit.

Iucunditatem † & diſciplinam & ſcientiam doce
me, quia in mandatis tuis credidi.

Iuxta Apoſtolũ χρηστὸν, bonum intelligimus, quia dixit: Vide ergo bonitatẽ domini. Iuxta Euangeliũ, χρηστὸν ſuaue accipimus. Dixit enim: Tollite iugum meum, quia leue eſt: & onus meũ, quia ſuaue eſt. Dixit enim: φερτίον ἐμὸν χρηστόν. Vnde meritò bonitatẽ dei ab ipſo quærit doceri, ne forte quis perfunctoriè accipiens bonum deum eſſe, in erroribus perſeueret, quòd per miſericordiam dei ſciat impunitatem ſuis dari peccatis, cũ & ſi indulgeat dominus, tamen fœda eſt conuerſatio in criminibus ſemper hærere. Non ergo bonitas iſta vulgaris eſt, ſed quæ ſemper diſciplinæ expectet profectum. Ideoque qui intelligit altam dei eſſe bonitatem, doceri deſiderat etiam diſciplinam. Nam plerunque auertuntur à ſtudio diſciplinæ, dum eam ſeueram & triſtẽ arbitrantur: ſed perſpicacior ſenſu intelligit quòd diſciplina ſi triſtis ad tempus ſit, poſterioribus fiat iucunda temporibus. Sed eſt diſciplina vel correptio ſeuerior, eſt etiam moderatior. Moderatior, de qua dicit dominus: Corripiã eos in auditu tribulationis eorũ. Eſt ſeuerior, quæ eſt in ira & furore correptio. Vnde refugiens eam correptionem dicit Dauid: Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Et Hieremias: Corripe nos domine in iudicio, & non in furore. Omnis ergo diſciplina, etſi ad tempus habeat amaritudinem, habeat perturbationem, poſtea tamẽ pacificos fructus generare conſueuit. Sed qui petit doceri bonitatem & diſciplinam, debet petere etiam ſcientiã doceri. Niſi enim habeat ſcientiam, moleſta eſt diſciplina, moleſta correptio. Quid ſit ſcientia, doceat te Salomon, qui ait de domino deo noſtro: Ipſe enim mihi dedit eorum quæ ſunt cognitionem veram. Et alibi hic idem propheta ait: Qui docet hominem ſcientiam. Qui autem petit ſciẽtiam, credit mandatis dei. Aliud eſt autẽ in mandatis dei credere, aliud mandatis credere. Qui enim mãdatis dei credit, citò efficit vt ſit in mandatis dei, & in ipſis conuerſetur. Per fidẽ igitur ſcientia aſſumitur, per ſcientiã diſciplina. Quod enim ſcimus placere deo poſſe, in eo nos cõuerſatio ipſa delectat. Denique ſcriptum eſt: Noſtra aũt conuerſatio in cœlis eſt. Præceſſit ſcientia, ſecuta eſt conuerſatio. De mandatis dei credere, diximus: in mandatis autem dei, hoc eſt in ipſis eſſe, & credere quia vera mandata ſunt. Niſi autem credideris mandatis dei, eorum vtique ſcientiam, quæ per mãdata dei docemur, habere non poteris.

Priuſquã humiliarer ego deliqui, propter hoc verbum tuum ego cuſtodiui. † III.

† *al. eloquiũ tuum cuſtodiui.*

Alia editio habet: Priuſquam humiliarer, ego neſciui. Vnde putant aliqui quòd anima hominis hoc dicat, Priuſquam humiliarer, vt in hoc lutum corporis introirẽ, tua, quæ non legeram, mandata neſciui. Sed quia ſeptuaginta virorũ ſententias magis ſequitur Eccleſia, & hic ſenſus eſt planior, nihil offenſionis admittens quod poſſit aliquibus ſcrupulum cõmouere: ideo accipiamus humiliarer ita dictum, eò quòd peccato videatur humiliatus. Propter peccatum enim tentationes ſæpe naſcuntur. Denique Adam & Eua poſt culpam vtique electi ſunt. Ergo humilitatis noſtræ cauſa peccatum eſt, vel humiliationis. Non enim hoc fugio. Poteſt enim de aduerſis plerumque intelligi humilitas, vt eſt: Bonum mihi quod humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. &, Niſi lex tua meditatio mea ſit, tunc forſitan periſſem in humilitate mea. &, Humiliatus ſum valde. Hic ergo oſtendit humilitatem ortã eſſe de culpa. Et quia culpa præceſſit, ideo humiliatum ſe oſtendit, hoc eſt, attritũ tentationibus & aduerſis, & traditum anxietatibus: quemadmodum & ille qui traditus eſt à Paulo in interitum carnis, humiliatus vtique eſt, vt poſtea poſſet reconciliationẽ mereri. Sed quamuis humilitas iſta, hoc eſt velut quędam deiectio perturbationis, non virtus ſit: virtutem tamen ſæpe generat, & fit non pœna, ſed remedium delinquentis. Nam ſi peccatis tuis tribuas quòd humiliatus es: quicquid acciderit, in te retorques, & ex reo incipies eſſe iuſtus, qui te ipſe cõdemnas. Iuſtus enim accuſator eſt ſui in exordio ſermonis. Neq; potes indignum te iudicare humilitate, qui propria errata cognoſcis, in quibus erubeſcendo non vtique extolleris, ſed humiliaris. Vides ergo quia ideo humiliatus es, quia deliquiſti, & non ſeruaſti eloquia dei. Vnde ſerua diligentius ne pecces, ne iterum quia deiectus ſis, triſtitia abſorbearis, & fiat tibi deiectio tua incrementum iniquitatis, quæ deberet correctionis eſſe occaſio. Etenim in tentationibus homo, ſicut aurum in conflatorio comprobatur. Vides prophetam qui dicit: Priuſquam humi-

Pſalm.6. Hiere.10.

Hebr.12.

Sapien.7. Pſalm.93.

Philipp.3.

Geue.3.

1.Corin.5.

Prouer.18.

humiliarer,inquit,deliqui.Iure ergo tentationibus traditus est,quoniam delinquebat.Delinquebat autem,quia dei eloquium non tenebat. Verum inde ordinem emẽdationis inuenit,vnde culpa processerat.Cœpit esse subiectus eloquio diuino,& culpa desiuit.

IIII. Bonus es * domine,& in bonitate tua doce me iustitias tuas.*

* alias,tu. * al. iustificationes.

Etiam vsus disciplinæ secularis accepit, vt vnusquisque iudicem suum laudet. Vnde Apostolus sequẽs diuinarũ ordinem scripturarum,cùm diceret causam,ità cœpit:De omnibus quibus accusor rex Agrippa à Iudæis, æstimo me felicem apud te,incipiens rationem reddere.Et infra : Credis rex Agrippa prophetis? Scio quia credis. Ergo si laudantur homines,in quibus plerumq; aliena laudantur:quanto magis vnusquisque dei sibi gratiam conciliare debet, vt dicat: Bonus es domine?Nam si hoc dicatur homini,vt esse admoneatur quod forsitan non sit,& bonitatis etiã ipse prædicatione miteſcat,terrorémque immitis deponat affectus:quãto magis deo laus sua est deferenda,qui nisi bonus esset,super terram stare quis posset?Proprium autem dei est vt bonus sit.Denique in Euãgelio habes quia arbor bona fructus bonos facit. Fructus eius angeli sunt,fructus eius homines sunt : hoc est,rationabiles sancti,si domini præcepta custodiunt.Fructus eius sunt ij qui nascuntur in terris:fructus eius sunt virtutes hominum.Meritò ergo arbor bona bonos fructus facit. Prius igitur radix laudetur, vt fructus possit probari.Sed & alibi ait idẽ dominus Iesus : Et pater vester, qui bonus est,dabit bona data petentibus se. Sed quamuis bonus deus sit,cuius etiã amara plus prosunt: (non enim inferuntur vt noceant, sed vt corrigant) rogatur tamen vt in bonitate sua doceat nos iustitias suas. Considera medicum vtilia apponentem medicamenta vulneribus,ea tamen quę mordeant vlceris virus : aut certè ferro putrefacta resecantem:cum in eo ipso bonus sit medicus,quia vtilitatem operatur ægroti, & facit quod prodesse nouerit:tamen quia æger dolorem aut non vult aut non potest sustinere propter infirmitatem affectus sui, rogat vt medicus eum quadã bonitate & suauitate sua curet, & non asperitatem adhibeat medicamẽtorum,non ferro incidat vulnerum fibras : aut si aliter non potest, vt cum moderatione faciat,& quadã subtilitate mitiget vim doloris. Et ideo in Euangelij bonitate melius docentur iustificationes dei, quàm in legis seueritate. Opus autem iustitiæ iustificatio est. Vnde scriptum est quia Pharisęi se iustificare voluerũt, nõ baptizati baptismo Ioannis.In eo enim iustificationem non fecerunt,quia noluerunt agere pœnitentiam delictorum:quam propheta in bonitate vult agere, vt ei fiat peccatorum remissio sine atrocitate damnationis:cum remissionis gratia.

Matth.7. Ibidem. Luca 7.

V. Multiplicata est super me iniquitas superborũ,ego autem in toto corde meo scrutabor mãdata tua.

Quanto magis quis deo seruire desiderat,tanto magis in se excitat aduersarios:& tanquam athleta fortis coronã iustitiæ reportare desiderans,irritat in se plurimos & lacessit, qui inuidẽt nostro profectui. Quod etiam in posterioribus euidenter ostendit. Cum odio habentibus pacem,eram,inquit,pacificus.Nihil tamen trãquillitas eius proficiebat, vt eos qui pacem oderãt,sua tranquillitate componeret,& eorum studia comprimeret. Cùm loquebar illis,impugnabãt me gratis:hoc est,cùm causas impugnãdi non haberent, tamen impugnandi studium non deponebant.Ita ergo multiplicantur siue nequitię spiritales,siue homines,& multiplicatur iniquitas eorum super iustum. Verbi gratia:Si filium iustus amittat,(quod seculi vsu sæpe cõtingit)si amittat patrimonium , vel diuersis afficiatur incommodis rerum , vel corporis infirmitatibus,tunc dicunt superbi : Vbi est iustitia eius? Vbi misericordia ? Ecce quia sic mulctatus est, ecce quia ei innocentia sua nihil prodest.Ideoque ad vitæ huius specimen extrahendum,tres illi sancto Iob specie amici,obtrectatione autem iniqui , probitatis atque iustitiæ eius inuidi, exprobrantes grauia opprobria congerebãt:& qui venerant ad consolandum,insultare cœperunt. Sed iustus his non mouetur,ideoque nec Iob frangebatur. Denique in amissionibus filiorum vel patrimonij dicebat:Dominus dedit,dominus abstulit:sit nomen domini benedictum. Ergo & in aduersis positi dicamus : Bonitatem fecisti cum seruo tuo.Potest enim dominus in melius mutare quæ facta sunt, vt Iob sancti habemus exemplum : & quæ amissa sunt,reddere. Potest quis & amissis filiis generare meliores. Nunquid deo est difficile meliora donare ? Potest etiam si nihil donet, hoc ipso tamen iusto esse prospectum,si fortè futuri improbi rapti sunt,ne mutaret malitia cor eorum:Similiter & de patrimonio,quasi non videamus plurimos propter opes patrimonij in periculum salutis esse deductos,plurimis ex diuitiarum abundantia ortam esse causam peccandi.Qui enim non habet quod donet , ascribi ei culpa non potest quod non donauerit : qui autem habet quod donet, & non dat,vtique obnoxius esse incipit peccato.

A Iob 1.

VI. Coagulatum est vt lac cor eorum , ego autem legem tuam meditatus sum.

B Subtile cor sanctorum,coagulatum est verò cor superborum.Vt enim lac natura sui purum,speciosum atque syncerum est,sed corruptione coacescit : sic mentis & cordis humani natura pura,syncera,perspicua est prius quàm vitiorũ admixtione coalescat. † Coagulato enim lacte fit quædam concretio nec suauitatem habens eandem, nec gratiam. Ita homines,qui antè sedulitate, gratia,suauitate verborum lactis speciem præferebant nulla inuidia corruptam,hi si cœperint inuidere,coagulatur in vitium cor eorũ,& fit de suauitate amicitiæ amaritudo maleuolentiæ, & insuauis quidã horror inuidiæ.Ergo coagulatum est cor per superbiam,per inuidiam,quæ lenitate naturæ fluẽtem beneuolentiam malitiæ concretione vitiarũt. Iniquorum ergo cor coagulatur, iustus autem humiliatur legis præcepta meditando,qui habet humilitatis magisterium.

† coacescit.

VII. Bonum mihi quòd humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.

C Hoc secutus Apostolus,Placeo mihi,ait,in infirmitatib⁹, in iniuriis,in necessitatibus, in persecutionib⁹,in angustiis. Cùm enim complacet in infirmitatibus,& non frangitur animo,nec cedit iniuriæ,discere iustificatiões dei & meruit, & impleuit.Ergo,hic,humiliasti me,hoc est diuersis tentationibus & incommodis exercuisti,dicit. Quod aperuit & Symmachus scribẽs:Profuit mihi quod afflictus sum, vt discerem iustitias tuas.Ergo qui humiliatur, non deiiciat animum,neque frangat,sed magis humiliando proficiat,vt superbum humilitate sua mitiget, insolẽtes morum seueritate confundat,cõtumelioſos patiẽtia sua frangat,auaros nõnunquam etiam æquanimitate dispendij à iurgij intentione deducat.Sic enim legisti:Quia iustificata est sapiẽtia à filiis suis:dum Christus se offert supplicio,dedit iniuriis,nõ subducit opprobriis , nec à cõfusione sputorum auertit faciem suã:& ideo omnes sapientia sua instruxit,& liuore sanauit.

2.Cor.12. Luca 7.

VIII. Bonum mihi lex oris tui super milia auri & argẽti.

D Non quicunque hoc dicit,imò rarus hoc dicit:id est,qui legem dei auro atque argento præfert , qui potest propter legem dei omnia relinquere. Sed nec Christus hũc reperit, nisi de iis quos ipse docere dignatus est.Petrus hoc dixit,& probauit effectu, quia pluris legem quàm aurum habuit.Ideoque ait,Aurum & argẽtum non habeo.Non auarus hoc dicit,qui defosso auro incubat. Non dicit pecuniosus,qui quotidiana emolumenta solicito rimatur affectu:qui quotidie opes aggerat,qui hæreditatis tendit aucupia, qui circa ægrotantis lectulum indefessas exercet excubias.Hic aliqui legem oris dei tanquam legem verbi accipiunt , vt si dicas: legem dexteræ dei. Bene ergo & hoc conuenit Petro dicẽti:Verba vitæ æternæ habes, & nos relinquimus te:hoc est, lex oris tui super milia auri & argenti est, & possumus tantum deserere bonum, & seculi huius emolumenta captare? Sed & Moyses lex oris dei potest dici, per quẽ dominus locutus est,& dedit legem.

Act.3. Ioan.6.

1497 DEcima litera incipit apud Hebræos Iod, quæ La
tina significatiõe cõfessio dicitur vel desolatio.
Nec dissors ac dissonans videtur interpretatio.
Siquidẽ qui desolati sunt, citius cõfitentur. Ma-
gis enim iucundis rebus animus extolli solet. Cùm autẽ vr-
getur aduersis, tunc diuinum implorat auxilium. Nam & in
iis quæ humana sunt, hũc vsum esse cognoscimus, vt cui suc-
cedunt prospera, animus elatior sit: cui mundi huius infesta
sunt ex potẽtia alicuius aduersa, tunc confugiat, tunc opem
quærat vt vel rogando superioris mitiget potestatem, vel se
viribus armet adiunctis, ne quasi inferior potẽtioris viribus
opprimatur. Denique Hieremias sub hac litera sic ait: Ma-
nus suas extendit qui tribulat, in omnia desideria eius. Vidit
enim gentes introeuntes in sanctificationem suam, quibus
mandasti ne introirent in Ecclesiam eius. De Hierusalem
vtique hoc dicit Propheta, cuius deplorat ærumnam, cuius
præcessit desolatio ac destitutio, vt postea sequeretur con-
fessio. Castigat enim dominus omnem filium quem recipit.
Recepturus igitur Hierusalem antè captiuitatis flagellauit
ærumnis. Nimium enim insoleuerat, & inflato sese corde ia
ctauerat, vt caput tenere nõ posset dominum Iesum, id est,
humilitatem, gratiam, iustitiam, sapientiam, hoc est, veræ fi-
dei magisterium nõ teneret. Et ideo dominus castigauit eã,
qui moderator omniũ nouit quemadmodum vnumquem-
que castiget. Vt enim medicus grauiora vulnera asperiori-
bus medicamẽtis curare consueuit, leuiora leuioribus: ita &
deus noster grauiora peccata maiore seueritate castigat. Sed
ipsa castigatio ad salutẽ proficit. Dixit enim dominus: Per-
cutiam, & ego sanabo. Denique de Hierusalem spem cœpit
Hieremias propheta promittere. Nam in posterioribus sub
hac litera ait: Dabit percutienti maxillam suam, & satiabitur
in opprobriis. Dabit in sepulturæ fossurã os suum, si tamen
est spes patientiæ. In Euangelio dominus Iesus docens vir-
tutem atque insigne patientiæ, ait: Qui te percusserit in ma-
xillã, præbe ei & alterã. Vult enim discipulos suos & iniuria-
rum esse patientes, nec referire facilè, ne dum ferire potens
iniuriam faceret, indicium humilitatis non exhiberent. Pa-
tientia enim humilitatis indicium est, Et ideo quoniam de-
solata erat ac destituta Hierusalem, Dabit, inquit, percutiẽti
maxillam suam, vt non se subducat iniuriæ, nec declinet cæ-
dis dolorem, sed percutienti maxillam offerat. Vtrumque
intelligi potest, siue ei qui percutere incipiat, siue ei qui iam
percusserit, vt illud Euangelicum compleatur: Qui te per-
cusserit in maxillam, præbe ei & alteram. Et propheticè hoc
positum est, vt doceret Hierusalem, hoc est, plebis Iudaicæ
Ecclesiam non aliter esse seruandam, nisi per Euangelij di-
sciplinam: vt cùm cœperit Euangelij præcepta seruare, & o-
peribus implere mandatum domini Iesu tunc iugum capti-
uitatis de suæ animæ ceruice deponat, cùm se subdiderit iu-
go Christi. Et satiabitur, inquit, in opprobriis. Non dixit, Su
bibit opprobrium. Facilè est enim vnam aut alteram contu-
meliam sustinere. Addidit, Satiabitur in opprobriis, quo fa-
cilius domini moueat misericordiam, opprobriorum com-
plurium deformitate miserabilis. Quod vtique ex libro Re-
gnorum potes intelligere. Quippe cũ cõuitiaretur Semei fi-
lius Gera sancto Dauid, virũ sanguinariũ appellans, & male
diceret ei quando fugiebat filium suum Absalon: patricida-
lia ad tempus bella declinans tacebat rex, & summũ patien-
tiæ insigne præstabat. Etenim cùm tentationis suæ tempus
intelligeret, vt ei patricidale prælium moueretur, magis hu-
milẽ se volebat videri, quo domini mitigaret offensam, quã
exasperandum eius arbitrabatur in sua tentatione iudicium
si fortè suas iniurias vltum iret. Vnde & populi duci Abisai
vindicare cupienti ait: Quid mihi & tibi est fili Saruiæ? Ideo
maledicit mihi, quoniam dominus dixit illi vt maledicat.
Ecce filius meus, qui exiuit de ventre meo, quærit animam
meam. Si autem modo extraneus maledicit mihi, dimitte il
lum vt maledicat, quoniam dominus dixit illi, vt videat hu-
militatem meam: & retribuet mihi dominus bona pro ma-
ledicto hoc: Quod & prophetico dixit spiritu, & probauit
euentu. Cùm enim repleta fuerit humilitas, peccatum soluí-
tur. Denique & in Esaiæ libro habes quia dixit dominus: Sa
cerdotes loquimini in cor Hierusalem, consolamini eã, quia
repleta est humiliatio eius, solutum est peccatum eius: quia
A accepit de manu domini duplicia peccata sua. Aduertis igi-
tur quia vbi desolatio, ibi humilitas. Desolationem enim se-
quitur humilitas iusto ordine, humilitatem patiẽtia, patien-
tiam probatio, probationem consolatio. Quod habes & in
Apostolo scriptum: Quia tribulatio patiẽtiam operatur, pa- Roma. 5.
tientia autem probationem, probatio autem spem: spes aũt
non confundit, quia charitas dei diffusa est in cordibus no-
stris per spiritum sanctum, qui vtique nostrorum consola-
tor est affectuum. Quod autem ait, Dabit in sepulturam os
suum, ostendit quandam supra modum patientiæ taciturni-
tatem, vt tanquam sepeliat os proprium ne loquatur, & ve-
lut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris e-
mittat, tantum pondus asserens patiẽtiæ quam spes foueat,
vt vocem ipsam velut busto quodam ac tumulo sepeliat ac
includat, quam nulla extorquere, nulla excitare possit iniu-
ria. Huius quoq; literæ interpretationem, vt potuimus, ex-
plicauimus. veniamus ad psalmum.

B Manus tuæ fecerunt me, & parauerunt †me, da mi- I.
hi intellectum vt discam mandata tua. † *alias, plasmauerunt.*

Magno cõmendationis exordio vsus est, vt opus dei esse
se diceret, quo facilius circa operis sui gratiã fauor inclina-
retur authoris. Grandis etiam prærogatiua est in rebus hu-
manis, vt aliquis operibus & beneficiis faueat suis: nec meri
tum spectet alienum, sed in suæ gratiæ munus intẽdat, ne vi-
deatur abrogare quod ipse donauit. Itaque etsi de luto cor-
poris nostri substãtia sit, carne induamur, & corpus ossibus
intexatur & neruis, tamen quod simus preciosissimum opus
dei, nemo dubitauerit. Nam & fabricam ipsam humani cor-
poris si quis considerare velit, nihil poterit in terra precio-
sius iudicare. Est enim homo statu celsus, vultu decorus, cæ-
sarie gratus: non in aluum cæterorum more curuatus anima
lium, sed ipso naturæ iure sublimis, qui in cœlum libero spe-
ctet obtutu, nulla captiuæ seruitute ceruicis oppressus in ter
rã, sed tanquam propriæ cõscius libertatis, & locuples sui re
stis authoris. Veruntamen in cæteris animantibus membro-
C rum forma laudetur, in quibus præter gratiam corporis ni-
hil est aliud quod requiratur. Homo in eo est pulchrior,
quòd non videtur: nõ in corpore, quod videtur: in se habens
æternitatis gratiã, & præsentium venustatem. Quæ enim vi- 2. Corin. 4.
dentur, temporalia sunt: nam quæ non vidẽtur, æterna sunt.
In hoc in terrestri hospitio indutus habitatione cœlesti, cui
simul competit & in terris videri, & deo cõiungi. Magnum
sanè munus, si se ipse cognoscat, & quædam forma iustitiæ,
mundo magis quàm sibi nasci. Vnde Salomon ait: Grande Prouer. 20.
homo & precio sum vir misericors. virum autem fidelem o-
pus est inuenire. Et verè magnus est qui diuini operis inter-
pres est, & imitator dei. homo est enim qui potuit dicere. 1. Corin. 11.
Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Terram excolit,
mari tanquã possessione vtitur, cœli ornamẽta grandis mi-
ratur assertor. Euanuerat rerum natura, nisi qui ea vteretur,
diuina prouidentia esset adiectus. Denique postquam fecit
deus cœlum & terram & maria, posteaquam omnia reptilia
volatilia, animantia, postea hominem fecit, quem animãti-
D bus viuentibus anteferret. De quo nõ immeritò cœlesti sen-
tentia resultauit: Faciamus hominem ad imaginem & simili Gene. 1.
tudinem nostram. Cætera dixit, & facta sunt: mandauit, &
creata sunt. Vt homo fiat, specialis quidam dei accedit hor- Psal. 148.
tatus, vt tanquam laborantis dei in huius munere creaturæ
significetur operatio. Deus quidẽ expers laboris est, sed ta-
mẽ scripturæ verba quid aliud, nisi studiosam tui ob gratiam
operationem eius ostendunt? Ergo si deus maiore quodam
studio te creauit, cur ipse tui studium relinquis? Si deus in te
laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugitans sis labo-
ris? Manus tuæ, inquit, fecerunt me, & parauerũt. Clamat ad
deum propheta: Opus tuũ domine ne deseras, non derelin-
quas. Te authorem conuenio, te teneo cõditorem, præsidia
aliena non quæro. In adiumentum accingere, qui accinctus
es vt creares. Dic ipse Dauid quid senseris, cur dixeris: Ma- Psal. 137.
nus tuæ fecerunt me? Sed dixisti inferius, Domine retribues
propter me, domine misericordia tua in seculum, opera ma
nuum tuarum non omittas. hoc est dicere, Bestias nõ fece-
runt

Gen. 1. runt manus tuæ, sed dixisti, Producant aquæ reptilia animarum viuentium: & produxit terra secundum genus quadrupedia, & reptilia, & bestias terræ. Me autem, inquit, fecisti, me tuis manibus figurasti: hoc est, non figurasti bestias manibus tuis, non reptilia, non volatilia: me autem fecerũt manus tuæ, & parauerũt me. Non mediocre opus est quod paratum est, cùm sapientia vnúmquodque disponitur & paratur. Denique sapientia dicit: Cùm pararet cœlos, cum illo eram. Quod de hominibus dicit idem propheta: Vox domini præparãtis ceruos. Quæ vox domini dei est, nisi faciamus hominem? Qui sunt isti cerui nisi inimici serpẽtibus, qui super aspides ambulant, & venena non sentiunt? Non vile igitur, non corporale arbitror quod parauit deus. Nosce teipsum homo, tuæ animæ dicitur in Canticis canticorum: Nisi cognoueris te formosam in mulierib⁹. Cognosce te anima, quia non de terra, non de luto es, quia insufflauit in te deus, & fecit in animam viuentem. Opus est magnificum, dei generatione inspiratum. Attende tibi, vt lex dicit: hoc est, tibi id est, animę tuę. Secularia te & mũdana ne teneãt, terrestria non morentur. Ad illum tota intẽtione festina, ex cuius inspiratione consistis. Grande, inquit, homo, & precio sum vir misericors: virum fidelem opus est inuenire. Disce homo vbi grãdis & precio sus sis. Vilem te terra demõstrat, sed glorio sum virtus facit, fides rarum, imago precio sum. An quicquàm tam precio sum quàm imago est dei? Quæ primum tibi fidem debet infundere, vt in corde tuo refulgeat quædam authoris effigies: ne qui mẽtem tuam interrogat, non agnoscat authorem. An quicquam tam precio sum quàm humilitas, vt naturam corporis animæque perspiciẽs, altero te perspiciens, altero subiicias, altero recognoscas? Prona in vitiũ carnis illecebra, misericordia suadet quia quod alteri contuleris, tibi soluis: quicquid à te procedit, in te recurrit: & quicquid fueris, tibi soluis: & quicquid fueris, tibi proficit. Viuacis animę vigor, sensus rationis & intellectus capax atque iudicij, vt digna domus tanto habitatore videatur, non amittet suæ prærogatiuam naturę, vt hominis nomen amittat. Scriptura enim eũ hominem dicit, qui est ad imaginem & similitudinem dei: peccantem autem non hominem, sed aut serpentem, aut equum hinnientem fœminis, aut vulpeculam, aut iumentum vocare consueuit. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus. In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non appropinquãt tibi: &, Dicite huic vulpi: de Herode ait. Sed dicitur generatio viperarum à Ioãne plebs hominũ. Magnum ergo opus dei es homo, magnũ est quod dedit tibi deus. Vide ne quod deus tribuit, amittas. Magne illud munus, quod es ad imaginem dei, & hoc in te punitur magis. Deus enim non punit similitudinem suam, sed eum punit qui ad similitudinem dei factus, hoc quod accepit, seruare non potuit. Punitur ergo illud quod ad similitudinem dei esse desistit, hoc est, peccatũ tuum. Nam suam deus non damnat imaginem, nec illam in incendium mittit æternum, sed magis vindicat imaginem suam de eo qui imagini illi fecit iniuriam, vt per malitiam quod eras esse desineres, & ne fieres mulus ex homine. Vindicatur ergo imago, non cõdemnatur. Vindicatur quasi expulsa, non cõdemnatur quasi rea. Postquàm enim peccasti, aliud esse cœpisti: & illud quod eras, esse desisti. Quomodo igitur punitur in te quod in te non inuenitur? Nam si inueniatur in te imago dei & similitudo, non supplicio incipis dignus esse, sed præmio. Ita imago illa qua ad imaginem & similitudinem dei factus es, non condemnatur: sed coronatur. Condemnaris autem in eo quod ipse mutatus es vt fieres ex homine serpens, mulus, equus, vulpecula. His nos enim nominibus iam scriptura condemnauit, quia exuti cœlestis imaginis ornamento, etiã nomen hominis amittimus, qui gratiam hominis non tenemus. In aliquibus tamẽ codicibus inuenimus: Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me. Nec istud alienũ, quia & Iob dixit: Manus tuæ plasmauerunt me & fecerunt. Vnde & hic edicitur vt meminerit deus quia puluis sumus, & vberioris gratiæ munus infundat, nec infirmum opus deserat. Gubernator fluctuãte nauigio plus laboris impẽdit, quàm cũ secundo remigio labitur † properãte fluctu, & ventorũ flatũ suo suparo † superãte procurrit. Manus tuæ, inquit, plasmauerũt me. Manus dicit pluraliter, nõ manu. At verò alibi ait: Ego manu mea solidaui cœlum, & manus mea fecit hæc. In hominis cõstitutione videtur non abundare, quod toto mundo vt fieret abundauit. Cœlum vna firmauit manus, vt scriptũ est: & vtraque dei manus hominem figurauit, vt legimus. Cœlum nõ ad similitudinem, homo ad similitudinem. Angeli enim ad ministeriũ, homo ad imaginem. Esto vt & angeli ad imaginem, scriptura tamẽ de homine locuta est quòd sit ad imaginẽ. Habemus enim aliquid quod fortasse angeli non habeant. Vbi enim abundauit peccatũ, superabundauit gratia. Nobis est natus Christus ex virgine. Legimus enim: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Nobis carnem susce pit, imò potius nos in illa carne susce pit, quãdo filium hominis in dei sede constituit. Non lego angelos in dei sede nisi stantes, nisi ministerium deferentes. Non lego angelos, sed homines consepultos Christo, & in Christo resuscitatos. Denique ait Apostolus: Quia cõuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluificati, & simul susci tauit, simúlque sedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Filius ergo hominis ad dexterã dei, non angelus, nõ archãgelus, nec Cherubim & Seraphim. Illi laudãt, filius hominis sedet. Filius hominis angelorũ ore laudatur, quòd angelos malos vicerit, de nequitiis spiritalib⁹ quę sunt in cœlestibus, triumphauerit: quòd fecerit similes angelorum homines in quibus antè erant contagia mortuorũ. Verbo, inquit, domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus corũ. Homo quoq; spiritu domini perfectionem vitæ consummationémq; virtutis accepit, Inspirauit in eum dominus spiritum vitæ, & factus est homo in animam viuẽtem. Vita ergo nostra cœpit ex inspiratione diuina, sed vita hæc secessione animæ corporísque dissoluitur, inspiratio autem diuina non soluitur. Et ideo intellige aliud esse quod figuratum est, aliud quod factum est vel paratũ. Meritóque dupliciter habes scriptũ de homine. Primum enim scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & dominabuntur, inquit, vel principatum habebunt: & fecit deus hominem ad imaginem dei. Secundo autem loco ita scriptum est: Quia accepit deus puluerem de terra, & plasmauit hominem. Vbi puluis, ibi plasmatio: vbi autem non puluis, ibi non terra, non materia, sed incorporeum, sed admirabile: ibi non materia, sed immateriale. Quod enim secundum imaginem est, non est in corpore, nec in materia, sed in anima rationabili. Ibi operatur, ibi ostenditur homo ad similitudinem & imaginem dei, vbi iustitiæ, vbi sapientiæ, vbi omnis forma virtutis assumitur. Si intelligas imaginem, videbis ad imaginem. Homo enim nõ est imago dei, sed ad similitudinem factus. Alius est imago dei inuisibilis, primogenitus vniuersæ creaturæ, per quẽ facta sunt omnia. Ille nõ ad imaginem, sed imago: tu nõ imago, sed ad imaginem. Habes ergo in tua substantia aliquid de imagine & similitudine dei, quod sit diuinæ simile imagini. Propterea imago ad eum qui est ad imaginem venit, & quærit imago eũ qui est ad similitudinem sui, vt iterum signet, vt iterum conformet, quia amisisti quod accepisti, Insufflauerat enim tibi deus, vt inspirationis suæ dono haberes gratiã, quã tibi tuo culpa sustulerat. Factus eras in animã viuentem. Audi quid dicat, non in carnem, sed in animã viuẽtem. Sed quia peccator signaculum tenere non potuit, & in crimine positus nõ habebat quæ dei sunt, sed quæ hominum, propterea venit dominus noster Iesus Christus, vt lenum, propterea venit dominus noster Iesus Christus, vt legisti in euangelio, & à mortuis resurgens cùm clausos discipulos reperisset, clausiris ingressus est manentibus, & dixit: Pax vobis. Sicut ergo misit me pater, & ego mitto vos. Cũque hoc dixisset insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritũ sanctum. Vides ne ergo quę manus fecerint hominem, aut quẽ hominem fecerint? Illum vtique quem secũdum Christum induimus expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induimus nouum qui renouatur ad agnitionem secundũ imaginem eius qui creauit eum, vbi non est seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. Christũ ergo induimus, sicut & alibi dictum est: Christũ induistis. Accepimus spiritum sanctum, qui non solum nostra peccata dimittit, sed etiam nos facit sacerdotes suos aliis peccata dimittere: Ideo ait

Prou. 8. Psalm. 28. Cantic. 1. Prou 20. Gen. 1. Psalm. 31. Luc. 13. Luce 3. Iob 10. Roma 5. Esaie 9. Ephes 2. Psalm. 32. Genes 2. Genes 1. Genes 1. Coloss 1. Genes 2. Coloss 3. Gala 3. Psalm 138. Ioan 20.

1501

ait propheta: Tu finxisti me, & posuisti super me manū tuā. Finxit per lutum, posuit per gratiam spiritalem: licet plerique hunc psalmum ex persona dictum saluatoris accipiant. Audi quia manus domini etiam spiritus dicitur. Clamat Iob: Spiritus diuinus, qui fecit me. Istæ sunt ergo manus quæ hominem parauerunt, Christus & spiritus. Ergo dominus Iesus & corporis author est nostri, qui primum fecit hominē ad imaginē, & postea de luto finxit, & voluit seruare quod fecerat, saluare quod plasmauerat, vt totum hominem saluū faceret, sicut ipse dixit in euāgelio: Mihi irascimini qa totū hominem saluum feci in sabbato. Quod specialiter ecclesia docet quia nō solùm anima, sed etiam caro nostra saluatur. Anima per cognitionem dei, caro per resurrectionem: quorum alterum docuit diuini authoritate sermonis, alterum propriæ resurrectionis exēplo. Hic est ergo homo geminæ substātiæ. Alia est enim facti substantia, alia figurati. Ista de dei spiritu, illa de limo. Propterea ait Iob, Resuscitabit coriū meum: quia quod de limo est, resuscitatur. Terra enim in terram redit: quod autem factum est, vt principatū haberet super cętera animantia, id præstantius esse intelligis. Luti etiā bestiis nobiscū cōmune consortium est, & ideo animæ spebus imperat: sed vt possit imperare, debet deo esse subiectus. Docetur igitur seruire, vt ad regnum peruenire meatur. Qui enim seruit Christo, placet deo. Qui seruit Christo, placet vtique veritati, & debet nescire mendacium. Qui seruit iustitię, debet repellere iniquitatem. Qui seruit immaculato, debet tenere castimoniæ disciplinam. Qui seruit lucī, debet odisse tenebras peccatorū. Ergo quia corpus infirmū est, visitationē domini postulemus. Vnde propheta ait, Quid est homo ꝙ memor es eius? aut filius hominis, quoniā visitas eum? Et nunc in reliqua versiculi portione ait:

Da mihi intellectum vt discam mandata tua.

Spiritalem igitur se esse cognoscit propheta per gratiā spiritus sancti: Et enim intellectum dari à domino, & inter munera gratiarū primo constitui loco, in apostolica lectione didicisti, quia vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Et in propheta primo loco sapientiæ & intellectus spiritalis gratia postulatur. Petitur ergo dei donū. Denique video ordinē. Da mihi intellectum vt discā mādata tua. Intellectus præmittitur, vt scientia sequatur. Nam nisi quis intellexerit, doctus esse nō poterit. Doctrinā igitur intellectus facit, nō memoria. Nihil enim prodest multa legisse, nisi intelligas ipse quæ legeris. Et in Apostolo post manifestationem spiritus sermonē sciētiæ legisti postea substitutū, vt scias intellectū memorię præferendū, & illū posse habere scientiā, cui antè intellectus affulserit. Simul intellectū cōsidera. Si propheta intellectū dari sibi postulat, quis tā arrogans, qui profiteatur in sua potestate esse intelligentiā? Intellectū petit vt ipse se nouerit, & naturę suæ possit scire rationē. At illi qui de rerum natura disputant, cœli scrutātur plagas, qui seipsos scire nō possunt: putant intelligentiā sine dei dono posse cōcedi. Vnde & nos humilitatē debemus assumere, ne exaltemur, si forte vnā aliquā de scripturis parabolā cognouerimus: aut quia interdum secundum literā planè legimus, si forte secundū literā aliquid intellexerimus, doctrinæ nobis assumamus scientiam. Propheta ille qui accepit spiritū sanctū, postquā vnctus est in regnum, vnctus est in prophetam, decimum octauūdecimum psalmū scribens, intellectū sibi dari poscit vt mādata dei intelligat: & scit, nisi à domino acceperit gratiā, intelligere eius se mandata nō posse. In euangelio quoq; lego quia proponebat parabolas dominꝰ Iesus, & apostoli non intelligebāt. Denique explanationē proposuit parabolę postulabant. Ipse dominus Iesus cùm diceret, vt legisti in libro euangelij secundum Matthęum scriptum: Beati pauperes spiritu: subiecit in posterioribus: Omnis qui audit verba hæc, & fecerit ea, similis erit viro sapienti. Non ergo qui audit tantummodo, similis erit, sed qui facit quæ audierit. Ergo neq; factū sine auditu, neque auditio sine factu potest esse sapienti similis, sed qui audit & facit. Audiamus igitur, intelligamus, faciamus: vt intellexisse nos quod audiamus, comprobemus.

A Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua speraui. †

II.

† al. super. speraui.

Fortasse aliquibus videatur hoc esse contrariū quia iustus dicit: Qui timent te, videbunt me, & lætabūtur. Multis enī iustus grauis est cū videtur. Deniq; in euāgelio plerique dominum Iesum videre non poterant, sicut Gerasēni rogabāt eum vt abiret de regionibus eorū: & alij ei transitum denegabant, quando tamen per eos transire nolebat. Vnde puto quòd sicut illic Iudaicę forma impietatis exprimitur, ita hic ecclesiæ gratia reueletur. Prophetat enim totum orbem replendum esse timore diuino, & ideo quasi timentes deū sanctorum dicit cognitione lætari. Qui enim videt iustū & gaudet, etiam ipse vult esse iustus. Pulchrum est enim vt eo in aliis delectetur, quod vult ipse in se seruare si possit. Est enim insitum bonis, vt castum pudicus, prudētem sapiens affectu pio diligat, misericors liberalē, & virtutes suas in aliis amet. Plerisque enim iusti aspectus, admonitio correctionis est, B perfectioribus verò lætitia est. Quàm pulchrum ergo si videaris & prosis: Bonū ergo vir iustus. Propterea deniq; Paulus apostolus ascendit Hierosolymā, vt iustos videret: & cū Petro mansit diebus quindecim, vt ex eius aliquid cohabitatione proficeret. Propterea ipse Paulus & Barnabas: cùm Hierosolymam ingrederentur, magnificè excipiebantur ab ecclesia, ab apostolis, & maioribus natu. Cùm autem abire vellent, ne discederent rogabantur: & vt postea de Paulo legimus, cum lachrymis deducebatur. Nam si est tanta vis in naturalibꝰ, vt animal visum prosit ictericis, ita vt mortui quoque cornu eius animantis prodesse dicatur si fuerit demonstratum iis qui huiusmodi inciderint passionem: dubitare possumus quòd iusti sanet aspectus? Ergo vile animal ir rationabile tantam virtutem habet, vt sanare possit hominem momento exiguo: quid videtur? homo iustus, si tamen cum fide ab eo conspiciatur qui vtilitatem ab eo percipere desiderat, nihil confert? Num vel ipsi oculorum radij virtutem quandam videntur infundere iis qui fideliter eum videre desiderant? Sed quemadmodum iustus lætificat cor innocentium cùm videtur: ita & improbi iustorum cognitione torquentur, quia vel tacitis sanctorū moribus arguūtur. Torquet castitas incontinentem, auaritiā liberalitas, impietatē fides. De hoc quoque parile vilis animātis sumamꝰ exemplū. Nam sicut prodesse diximus mutū animal cū videtur, ita obesse percipimus lupū si aliquē vidēdo præuenerit. Vocem enim feruntur amittere quos prior lupꝰ viderit. Basiliscus quòque, hoc est, noxius serpens, si quodcūque prior viderit animal, fertur occidere: & allegatur statī necari qui potuerit à serpente huiusmodi præuideri. Ipse quoque serpens mori dicitur si fuerit hominis pręuentus aspectu. Ergo si tanta virtus vel in oculis serpentis vel in oculis est hominis: vt si alter alterum prior viderit, possit occidere: non est C virtus in oculis iusti, qui replet virtutis est gratia, cū prę- Matth. 9.
timan tantùm operetur fides, vt & illa quæ fimbriam domini tetigit, sanaretur, & ille cui intendit dominus Iesus, statim ex eiꝰ oculis gratiā sanitatis hauriret? Sed qui videt iustum, debet scire quid videat: nō illū videt in corpore, non in vesti D mento, non in patrimonio, nō in vultu, sed intus videt. Non inquam illum videt, nisi eiꝰ viderit mentē, nisi eius sermonē intenderit, nisi sensus illius potuerit cōprehendere, sapientiam de tractatu eius potuerit assumere. Tunc igitur lætabitur, cùm ista perspexerit, cùm ista cognouerit. Ita ergo & nos sicubi audiuimus iustum, festinemus videre, sicut illa mulier quæ audiuit in domo Pharisæi discumbere dominū Ie- Luca 7.
sum, & ingressa est, & eius pedes perfudit vnguento. Illius imitatores simus: quia Ecclesiæ in illa muliere figuram esse quis dubitet? Sicubi ergo iustus sedeat, sicubi accūbat, festinemus videre eū. Preciosum est videre virū iustū, vt videas eum secūdum imaginem dei. Quod foris est, nihil prodest: quod intus est, sanat. Sanè & in eo qui foris est, illū qui intꝰ est frequenter aspicimus: vt si viderimus in paupere, illū ad cuius similitudinē factus est, honoremus in paupere, de quo ait: Dedistis mihi māducare: quia quod vni eorum dedistis, Matth. 25.
mihi dedistis. Qui enim coronat imaginē imperatoris, vti-

que illum honorat,cui⁹ imaginem coronauit: & qui ſtatuã cõtempſerit imperatoris,imperatori vtique, cuius ſtatuam conſputauerit,feciſſe videtur iniuriam. Gentiles lignum adorant,quia dei imaginem putant:ſed inuiſibilis dei imago non in eo eſt quod videtur:ſed in eo vtique ꝙ non videtur. Vides ergo quia inter multas Chriſti imagines ambulamus? Caueamus ne coronam imagini detrahere videamur,quam vnicuique Chriſtus impoſuit. Caueamus ne aliquid detrahamus iis quibus debemus adiungere. Sed,quod peius eſt,nõ ſolùm nõ honeſtamus pauperes,ſed etiã dehoneſtamus,deſtruimus,perſequimur: & ignoramus quas dei imagini congeramus iniurias,cùm factos ad imaginem dei putamus eſſe lędendos. Qui enim irridet pauperẽ, exacerbat eum qui fecit illũ. Sed aderit ille qui dicat,Eſuriui,& nõ dediſtis mihi manducare:ſitiui,& non dediſtis mihi bibere:ęger eram,& nõ viſitaſtis me. Et quãto iſta leuiora ſunt,quã ſi dicat:Iniurias mihi feciſtis,nudaſtis me,verberaſtis me? Quem ſi quis interrogauerit, Quãdo tibi iniurias fecimus? quãdo ſpoliauimus? quãdo etiam verberauimus? dicet: Quãdo vni horũ minimorũ feciſtis,mihi feciſtis. Propterea caueamus diligẽtius ne cui vel minimo cõtumeliã irrogem⁹,ne ipſi domino in illis minimis contumelioſi fuiſſe videamur. Qua ratione autẽ dixerit,Qui timent te,videbunt me,& lętabuntur:ipſe expoſuit dicens: Quia in verba tua ſuperſperaui: hoc eſt dicere:Intus me viderunt,intus me tetigerunt,intus me aſpexerunt,vbi ſpem aſſumpſi de tuis verbis, vbi tua verba percepi. Beati ergo qui vident iuſtum,& lętantur,quia ſperãt in dei verba. Quàm multi autem ſunt qui oderunt iuſtos:quia perſcrutãtur dei verbà qui iuſti ſunt,& cùm aliquos doctos audiunt,impiè eos propter doctrinam vitare cõſueuerunt.

Matth. 25.

III. Agnoui† domine quoniam iuſta iudicia† tua, & in veritate tua humiliaſti me.

† al. cognoui.

† al. quia æquitas.

Qui poteſt intelligere quæ ſunt diuinæ prouidentiæ,vtitur eo ſermone quo vſus eſt propheta ſanctus Dauid: quia omnia iudicio dei fiunt, vt ægrũ corpus aliquis habeat aut ſalubre,vt diues,vt pauper ſit, vt moriatur iuuenis, vel ſenex. Si quis intendat ſcripturis diuinis,intelligit hæc fieri iudicio dei. Nihil enim eſt præter dei ſcientiam. Exemplum quærimus? Non eſt abſconditum. Siquidem Iob nunquam amiſiſſet proprias facultates,niſi eſſet tradit⁹ aduerſariæ poteſtati. Dedit enim dominus diabolo poteſtatẽ in facultates eius, vt tẽtaretur qualẽ amiſſo patrimonio haberet affectũ. Dedit in filios,dedit in corpus eius,vt probaretur, num defunctorum dolore liberorum, aut cruciatu corporis à conſtantia mentis animęque †deficeret? Dominus quidem nouerat fortem, ſed in illo docere atque examinare nos voluit vtrum imitatores eius eſſe poſſemus. Denique & Abraham tentauit quando filiũ ſenis vnicũ ſibi petiit immolari.

†deſciſceret, vel, defatiſceret.

Ioan. 6.

Sciebat vtique mentẽ Abrahæ. Sed ſciẽs tẽtat domin⁹, ſicut legiſti in euangelio, quia cũ interrogaſſet dominus Ieſus diſcipulos quot panes haberẽt, & illi reſpõdiſſent quia quĩq; tantũ haberẽt panes,ipſe ait:Quid faciemus,inquit,inter tãtos homines? Hoc aũt dicebat tentãs eos:ſciebat enim quid facturus eſſet. Qui ergo iuſtus eſt,examine iuſtitiæ ſuę credit,quia dei iuſta iudicia ſunt: vel ſecundũ Græcũ, quia dei iudicia ſunt ipſa iuſtitia. Sed hoc vt agnoſceret,fecit præmiſſa precatio,quoniam intellectum ſibi dari popoſcit vt mandata dei diſceret. Accepta eſt ergo intellect⁹ & cognitionis gratia:agnouit iuſta eſſe dei iudicia. Agnoſcere autem perfecti eſt. Denique aliud eſt credere,aliud agnoſcere. Fides timentis,agnitio eſt ſapientis. Qui enim timet,rationem non quærit:ſapiens autem & agnitionem eorum inueſtigat quęcunque percipere deſiderat. Credidi, inquit, propter quod locutus ſum. Cognouit autem intelligens quod locutus eſt. In quo ergo iuſta iudicia dei ſunt? Quia per labores & tribulationes & afflictiones ad cœleſte præmium peruenitur. Sicut enim certantibus athletis corona defertur iuſto iudicio hominum, ita legitimè certantibus Chriſtianis diuino iudicio palma decernitur. Vincenti, inquit, dabo ſedere mecum in ſede mea. Vita ergo noſtra examinatur igne ſicut ſplendor argenti, vt virtus certaminibus approbetur. Tranſiuimus,inquit, per ignem & aquã, & induxiſti nos in refrigerium. Per hæc igitur vera iudicia tua eſſe cognoui. Humiliatus enim ſum vt hæc viderem: quia ij qui exaltati ſunt corde,oculos ad veritatem aperire non poſſunt. Cùm autẽ humiliamur,peccata noſtra cognoſcim⁹, & ipſa humilitate delicta noſtra purgamus. Humiliatus ſum,inquit,& ſaluũ me fecit. In veritate ergo humiliatus eſt qui humiliatus eſt ad ſalutem: nec vanè pertulit paſſionem,qui ſalutem veritatis ſecutus eſt. Diſtat igitur inter cognoſcere & timere,vt eò reuertamur. Denique euangelij lectio docere nos debet. Ait enim dominus ad eos qui credebant ei ex Iudæis: Si manſeritis in verbo meo,cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Si manſeritis,inquit,cognoſcetis. Vides quia non à principio potuit cognoſcere quicũque timens deum verbũ eius audiuit? Non ſolum autẽ non idẽ eſt timor & cognitio, verũ etiã non idẽ eſt fides & cognitio. Siquidẽ etiã Apoſtolus docuit diuerſa eſſe munera gratiarum. Alij enim,inquit, per ſpiritũ datur ſermo ſapiẽtiæ,alij ſermo ſcientiæ ſecundũ eũdem ſpiritũ,alij fides in eodẽ ſpiritu. Si ergo alij fides datur,alij cognitio: vides,vbi fides,nõ ſtatim cognitio. Vbi autem cognitio,& fides eſt & prudẽtia, nec ab eo poſſum⁹ diligẽtiã ſeparare. Habuit ergo cognitionẽ ſanctus Dauid,vtpote propheta perfectus, quandoquidẽ ita perfectè cognouit vt humiliaretur in ipſa veritate. Siue ergo in aduerſis poſitus,agnouit probationis gratiã: ea quæ laborioſa & aduerſa ſunt,ſuſtinenda: iuſtũ autem eſſe dei iudiciũ: & ideo bene certãtes nunquam deſeri vel relinqui,& coronã his poſt laborem poſſe deferri: ſiue in ſecũdis & proſperis poſitus,cognouit etiam diuitias rerum, diuerſõſque ſucceſſus tẽtationis,cauſa ſolere ſuppetere vt is qui his vtitur,rerum proſperitate tentetur. In eo igitur propheta Dauid laudãdus,quia cũ iſta agnoſceret, humiliabatur vt humilitate ſua vel proſperorum excluderet tentamenta,vel aduerſorũ ſubiret cõſtantiam æquanimitate tolerãtiæ. Nõ ergo magnopere laudabilis eſſet propheta, ſi laudaret iudicia dei vſus affluentia ſecundorum. Quid enim magnum facimus ſi quando in ſecundis ſumus,laudamus deũ,quando in diuitiis ſumus,quãdo nullis vexamur iniuriis? Illud eſt magnificum, ſi ſubiectus iniuriis,contumeliis,iudicium dei laudes: ſi vexatus ægritudine,iudicia dei prædices: ſi te inopia non reuocet quo minus laudes iuſtitiam dei. Ergo ſemper laudãda ſunt iudicia dei, ſicut ſcriptum eſt: Exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua. Quæ ſunt filiæ Iudæ, niſi animę religioſæ, animę eccleſiæ, quæ Ieſum Chriſtum dominum confitentur, quæ videntes rationem iudiciorum tuorum ſemper exultant? Qui enim non ex aliquo ſecundo prouentu, ſed ex cognitione rationis induit lętitiam, non niſi in exultatione perpetua conſtitutus eſt.

Pſalm. 47.

IIII. Fiat nunc * miſericordia tua vt exhortetur * me ſecundum verbum * tuum ſeruo tuo.

* al. non habet, nunc. * al. conſoletur. † al. eloquium. Exod. 33.

Aliqui habent in hoc loco: Cõſoletur me. Sed etiã in apoſtolo legimus exhortationẽ pro cõſolatione dictã, & cõſolationẽ pro exhortatione. Magna eſt ergo miſericordia dei, quæ non ſolũ remiſſionẽ tribuit peccatorũ, ſed etiã certantibus adhibet exhortationis calcaria, ne ſuſcepti certaminis paſſiones in belli formidine derelinquant. Non ergo miſericordiã quaſi is qui victus cedat, aut vt veniæ precator implorat, ſed vt dei miſeratione ſuccinctus, maiora viribus tãto munere fultus expediat. Egregiã & ſingularem prophetæ ſpectato virtutem. Alius enim humiliatus ærũnis poſceret vt circa eum tentaméta deſinerẽt, & ſedare dominus aduerſa dignaretur, ne tribulationum procella in eum ſęuiret: iſte autem tanq̃ athleta fortis & patiẽs, qui exerceri & cingi animã ſuã tribulationibus noſſet, non triſtitiã dimouere, non impugnantia declinare deſiderat, non omne illud deſinere quod fatigationem laboris afferret expoſcit, ſed magis in tempore laboris ſui aduerſus tẽtationũ procellas dari ſibi verbum conſolationis expoſcit, vt poſſit forti quæ ingerũtur mente tolerare, ne aliqua mœſtitiæ perturbatione laſſetur. In eo igitur obſecrat miſericordiã dei, ne auxilio deſtitutus expediẽdi, cœptam militiam derelinquat. Deniq; adhortationis diuinæ eſſe miſericordiam, euidens teſtimoniũ docet. Moyſi enim dicit deus: Miſerebor cui miſertus ero, & miſe-

Matth. 25.

Ioan. 8.

1. Corin. 12.

Apoc. 3.

Pſalm. 65.

1505

& misericordiam prestabo cui misericordiam præstitero. Igitur non est volentis neque currentis, sed miserãtis dei est. Fortè dicas: Ergo non debemus vel velle currere? Atqui negligẽtes deus deserere cõsueuit. Nõ ergo hoc dicit, sed quid dicat consideremus. Non volentis neque currẽtis hominis perseuerantia est. Nõ est enim in hominis potestate, sed miserantis dei est, vt possis cõplere quæ cœperis. Denique itetum Moysi dicit: Quia in hoc ipsum te suscitaui, vt ostendã in te virtutem meam. Colligitur igitur adhortationem diui næ misericordiæ deputandam. Vnde sequitur, Ergo cui vult miseretur, & quem vult obdurat. Hunc miseratus hortatur, illum nõ reuocat execratus. Et verè misericordia est dei nostrarum militia passionum, per quam nobis peccata minuũtur. Denique Lazarus pauper quia in hac vita tolerauit mala complurima, in gremio Abrahæ requiem consolationis inuenit: ille autẽ dives qui consolationem habuit in seculo, post curricula vitæ huius fructũ quietis amisit. Quẽ si miseratus esset deus, castigasset potius in hoc seculo, vt postea nõ flagellaretur. Denique Iob licet grauiter flagellatus, & quidem flagellis pluri mis inopiæ, amissionis filiorum, doloribus corporis, opprobriis amicorũ, consolatione tamen fruitur æterna. Ergo quanto maiores tribulationes fuerint, tãto vberior consolatio reseruatur. Et tamẽ ne cadas atq; succũbas, quãto maiores tentationes videris, tãto magis roga verbum dei vt adhortationẽ tibi afferat: sicut rogauit & Paul⁹, qui ait: Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarũ, & deus omnis consolationis, qui nos exhortatur in omni angustia, vt possim⁹ & ipsi cõsolari eos qui sunt in omni tribulatione, per exhortationẽ, qua & ipsi aduocamur à deo, quoniã sicut abundant passiones Christi in nobis: ita per Christum abundat etiam cõsolatio nostra. Tãta vis apostolicæ petitionis rogat vt cõsolationẽ accipiat à domino in omni tribulatiõe, quo nõ solũ ipse induat tolerantiã, verum etiã alios cõsoletur, vt & ipsi possint propriæ mẽtis angustias sustinere. Si igitur ipse in omni tribulatione fueris idoneus approbatus, tunc demum dignus eris qui consolationem accipias in omni tribulatione. Et tamen non omnis passio, diuina consolatio est, sed quæ passio pro Christo est, hæc consolationem Christi meretur. Pulchrè autem addidit: Secundũ verbum tuum seruo tuo. Ipse enim dominus pro suo nomine præliantibus auxiliũ pollicetur, dicẽs: Cùm ergo tradẽt vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Nõ enim vos estis qui loquimini, sed pater meus qui loquitur in vobis. Ergo ne impares simus certamini, diuinum sem per oremus auxiliũ, vt nobis tribuat adhortationẽ. Si enim habeamus eum qui nos exhortetur, non facilè cedimus. Plerique autem habent, Qui consoletur nos: nec abhorret à vero. Instigantis enim aliquem blanda quædam est exhortatio quæ certantem studio laudis accendat, & velut quadã consolatione demulceat, ne laborum asperitate reuocetur.

Matth. 10.

VI. Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam quia lex tua meditatio mea est.

Cui lex dei meditatio est, huic præsto sunt misericordiæ vt viuat in ęternũ. Quomodo enim beat⁹ quis potest esse sine miseratione diuina? Beatus autem qui in domini lege die ac nocte meditatur. Sed qui meditatur in lege, eruditur in lege: & quẽ lex erudierit, dominus erudit, qui locutus est legem. Ideóque scriptum est: Beatus quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Discamus ergo & nos in lege meditari, non auocemur secularibus illecebris, non occupemur impedimentis, sed semper ad legẽ simus attẽti. Scriptum est enim: Os iusti meditabitur sapiẽtiam, & lingua eius loquetur iudicium. Hoc in vteri testamento. Audi dicẽtem & in nouo: Prope est verbũ in ore tuo, & in corde tuo. Et maximè hãc meditationem sacerdotibus necessariam ostendit ad Titũ scribens: Quia debet episcopus amplecti cũ qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt argue re. Quod vtique solicitæ atque intentæ meditationis est, nõ perfunctoriæ lectionis. Et ad Timotheum scribens ait: Attẽde lectioni, exhortationi doctrinæ. Lectio enim frequens, nec intermissione aliqua destituta, doctrinæ munus operatur. Quod autem poscit vt viuat, frequenter ostendimus huius corporis vitam veræ vitæ gratiam non habere, sed illam veram vitam fore, cuius bona vnusquisque sanctorum credit se videre in terra viuentium. Quod credimus nos visuros, non præsens vtique, sed futurum est.

Psalm. 7.

Ioan. 1.

Psal. 93.

Psal. 36.

Rom. 10.

1. Tim. 1.

2. Tim. 4.

VII. Confundantur superb*i* quoniam † iniustè iniquitatem gesserunt † in me: ego autem exercebor in præceptis † tuis.

† al. quia.
† al. fecerũt.
† al. mandatis.

Superius ait idem propheta: Si reddidi retribuentibus mihi mala. Nunquid hic maledicit iis qui in se iniqua gesserũt? Non vtique. Videbat enim charitatem etiam inimicissimis deferendam cùm venisset euangelij prędicator. Vnde arbitror quia quasi medicus velit eos ipsos sanare qui læserint, vt iniquitatis suæ contemplatione conuenti de propriis flagitiis erubescant: in quo non solum propheticam incipiunt probare patientiam, verumetiam emẽdare suam insolentiã. Pudor enim plerunque corrector est nostri: & dum incipit nos pudere commissi, ne diutius pudeat, deserere quæ erubescenda sunt admonemur. Non ergo maledicit propheta, sed quasi bon⁹ medicus vult illos cognoscere quid fecerint, vt cùm in suam conscientiam receperint quanta suorum sit colluuies delictorum, incipiant erubescere, erubescentes autem possint prioribus peccatis renũciare. Cõsideremus nũc aliquos fornicantes, inequitãtes viduis ac pupillis: aliena rapientes, & in his non solum non erubescere, sed etiam gloriari solere, tanquam vel pulchritudinis vel potẽtiæ suæ titulos deferẽtes: de quibus bene dixit Apostolus, quòd eorum gloria in confusione ipsorum: eo detestabiliores ipsis crimi nibus suis, quòd cùm tãta cõmittant, non confundũtur, verũ eorum si quis postea veniat in ecclesiam, credat in dominũ Iesum, audiat euangelium, cõpungatur corde, tunc demum incipiet quàm atrocia & grauia deliquerit agnoscere, & in iis quæ agnouit erubescere. Quid sit autem exerceri in præceptis domini, quomodo existimẽ, nisi quia dixit: Ego autẽ exercebor in præceptis tuis. In lege didicisti, hoc est, si bos aduersarij ceciderit vel iumentum, vt non deserendum existimes, sed potius eleuandum. Quod autem ait: Iniustè iniquitatem gesserunt: in quem hoc dicatur considera, nisi in eum qui fortè iustè iniquitatem gerat, id est, si læsus per legem se cupiat vindicare iuxta præcepta Moysi, iustè videtur facere iniquitatem, sed non secundum euangelij præcepta. Et ideo ait: Non veni vocare iustos, sed peccatores: quia Iudęi ad vindicandum se authoritate legis vtuntur. Habes hoc & in apostolo: Sobrij estote & iustè. Non solũ sobrios nos, sed etiam iustè sobrios esse debere docuit euidenter. Potest aliquis & sobrius esse, & non iustè sobrius, vt sobrius sit à vino, & nõ sit sobrius æquitate atque iustitia. Est enim crapula iniquitatis. Potest & aliquis ebrietati & luxuriæ semper indulgens, dum aliena tamen diripere conatur, eo occupatus studio sobrius esse à vino, & non sobrius à rapina: nec iste iustè sobrius. Ideo Apostolus admonet, vt sit in nobis iusta sobrietas. Denique addidit: Et nolite peccare. Qui enim peccat, & si sobrius sit, non potest tamen tanquã iustè sobrius prædicari. Nolite, inquit, seduci, hoc est, ne alieni erroris ebrietas vos faciat temulentos. Corrumpunt bonos mores colloquia mala, eò quòd ore & labiis infidelium tanquam ebrietas quædam moribus audientis infunditur. Meritóque addidit: Sobrij estote iustè, & nolite peccare. Ignorantiam enim dei quidã habent, vt sobrius ille sit qui nõ habet ignorantiã dei, nec titubat ebrietate perfidiæ. Iustè autem sobrius, in quo operum gratia cum fidei sobrietate resplendet.

Matth. 9.
1. Corin. 15.
1. Cor. 15.

VII. Conuertantur ad me † qui timent † te, & qui sciunt † testimonia tua.

† al. mihi.
† al. timẽtes.
† al. nouerunt.

Alius habet, maximè iuxta Græcum: conuertantur mihi. Si ad me legimus: conuertantur qui timent deum, ne cõmissis propriis erubescant, vel certè luant supplicia delictorũ. Conuertantur autem ad dei seruulum prophetæque doctrinam, vt dediscant pudenda committere, & tanti emẽdatione doctoris exuãt mores suos, delictorũque labe detersa, virtutum induant disciplinam. Si autẽ ita legimus, Conuertã-

tur mihi: hoc est, quoniã exercebor in præceptis tuis, cõuertantur mihi iã non peccãti, iam non erranti. Conuertantur, inquit, qui timentes te propriis renũciauere peccatis, vt cõfortio iu storum prophetã ad vberius prouehatur, & ipse de ea gratia quæ in ipso est, plurimum vel primũ conferat audientibus. Conuertantur igitur iam non peccante me, iusti ad iustum. De testimoniis autem puto iam non opus esse repetere, cùm antè iam dictum sit.

VIII. Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar.

Quanto excelsior est propheta vel munere prophetiæ vel regni gratia, tãto magis sequitur humilitatem, & docet quid nos debeamus imitari, eò quòd propheta tantus immaculatum cor fieri sibi depõscit. Suprà postulauit. Cor mundum crea in me deus. Non dixit fac, sed crea, vt de integro cor eius instauret & mundet. Maior quidam in hoc sermone ambitus est. Grande enim cor est à domino creatum, quod recipiat verbũ de cœlestibus virtutibus ac potestatibus. Grãde cor quod recipiat ipsum dominum dicẽtem: Inhabitabo in illis, & deambulabo in ipsis. Vt hæc igitur recipiat, creatorẽ sibi cordis sui non angelum fieri, sed ipsum dominũ deprecatur qui cęlum creauit & terram. Et bene ait, Immaculatũ: quia cor hominis velut indecentiũ cogitationum colluuione maculatur. Si cogitatio ipsa polluit, quanto etiam facta ipsa cõtaminant? Noli extraordinariis cogitationibus aduersa naturę contaminare penetralia, ne id inquinamẽto graui polluas quod putas habere te mundum. Manus lauas quasi possis crimina eluere, cùm mentem tuam vel nudis cogitationibus inquinatam lauare non possis. Et Pilatus manus lauit, sed cor suum lauare non potuit. Mãsit scelere pollutus, quamuis manus suas aquæ infusione lauisset. Audi quia & cogitatio inquinat: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod exit de ore. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Si ergo intus coinquinaris, prius mũda quod intus est. Si quod intus est mundaueris, & exteriora mundasti: vt si aqua turbida influat, frustra putas lacum esse mundandum. Si fons profluat cœnolentus, receptacula tersisse nihil proderit, cùm in fonte sit vitium. Ipse tibi antè purgandus est, vt fluat omne quod purum est. Cor tuum cogitationũ tuarum est scaturigo. In illo fonte vel turbida aqua impuritatis euomitur, vel synceræ pietatis vnda prorumpit. Didicisti cor esse mundandum, discе quemadmodum mundes. Mundat hunc fontem iustificatio legitima, hoc est, confessio peccatorum. Denique Publicanus ille qui peccata propria fatebatur, iustificatus magis de tẽplo quàm Pharisæus exiuit, quia ieiunia sua & munera Pharisæus atque innocentiam præferebat. Munda ergo aquam tuam, illam aquam de qua dictum est: Aqua alta consilium in corde viri. Bonam tibi aquam natura dedit, nisi eam cœno tuo polluas, ipsa te diluit, si pura, si simplex, si etiã naturalis sit, si nihil habeat sordidum atque terrenum. Quid mali est si ea aqua quæ mundare debeat, polluat? Sed non est aqua tua quæ te polluit. Ista aqua aliena est. Denique dictum est tibi: Ab aliena aqua abstine te. Aliena aqua mẽtitur, & fallit, & contrariũ naturę profluit. Ideo ait: Filij alieni mentiti sunt mihi. Nam si alieni non fuissent, vtique non fefellissent. Nemo enim glorietur castum se habere cor, quemadmodũ Salomon dixit: sed qui gloriatur, in domino glorietur, qui sanctis suis cor mũdum creare dignatus est, & immaculatum facere iustificationibus suis. Quæ sint iustificationes, audisti dicentem: Dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Ergo qui iniquitates suas dicit, iustificatur: qui autẽ iustificatur, non cõfunditur, quia pudorem peccatorum matura confessione præuenit.

Psalm. 50.
2. Cor. 6.
Matth. 27.
Matth. 15.
Luce 18.
Prou. 20.
Psal. 17.
2. Cor. 1.
Esa. 43.

Sermo vndecimus.

Caph. VNdecima litera Caph incipit, quæ Latina interpretatione significat, curuati sunt. Sonus interpretationis ipse nos docet quid sit curuari. Qui enim inclinatur in terrã, curuari videtur. Vnde ait propheta sub hac litera: Paulominus consummauerũt me in terra. Curuatur autem qui agit pœnitẽtiam, eo quòd ceruicem suam curuat dum humiliatur ad dominũ, & interiorem magis ceruicem, id est, ceruicem mentis & cordis. Nam de hac ceruice dictum est: Nec sic flectas vt circulum collum tuũ. Qui enim cor suum non flectit, frustra ceruicem suam flexerit. Docet etiã Hieremias propheta humilitatem hac interpretatione signari. Ait enim sub hac litera in Threnis: Quia non repellet in ęternum dominus, quia cùm humiliauerit, miserebitur secundũ multitudinem misericordiæ suæ, quia non humiliauit toto corde suo, neque repulit filios hominum. Bonũ ergo curuari, vt humiliemur domino, & dominus misereatur. Denique & in superioribus sub hac litera idem Hieremias propheta ostendens gemitus & humilitatem plebis ait: Omnis populus eius ingemiscentes, quærentes panem, dederunt desideria sua in escam vt reficiant animam. Vide domine & aspice, quia facta est sine honore. Ergo qui animæ suæ quærit refectionem, humilitate curuetur, quo possit citius ad domini peruenire misericordiam. Ideóque tanquam curuatus multo amplius anima ac mente quàm corpore, exorsus est Dauid dicens:

Thren. 3.
Thren. 1.

Defecit in salutari tuo * anima mea, & in verbum tuum speraui. *

I. * al. salutare tuum. * al. super sperauí.

Non vsitatus sermo nos capiat, vt tanquam corporeas fatigationes defectionem huiusmodi iudicemus. Neque enim hoc solùm dixit, Defecit anima mea, sed defecit in salutare tuum. Itaque vt de vsu capiamus exemplum, si verbi gratia dicamus: Defecit ille in illam: videtur exprimi hoc verbo quod totus in mulieris desiderium cupiditate transierit. Et quicquid est quod vehemẽter expetimus, nisi eius maturiorem habeamus effectum, id nos viderur lõga quadam intẽtione lassare. Amor impatiens die noctúq; meretricias fores pulsans, si diutius potiendi desideria differantur, ipsa deficit expectatione dum sperat, in quo vtiq; non finis amoris, sed incrementũ est. Et quicquid est desiderabile, si non contingat desideranti, deficit in illud, & quasi ipsam deponit animam qui desiderat: si tamen spes propior assurgat, dat vires spes proxima. Si autem absentia sit dilecti, eo ipso quo absentem desiderat quæ concupiuit, animæ suæ patitur defectionem. Itaque quanto longius est illud quod desideratur, tanto magis deficit qui desiderat. Id ergo deficere est, in id vnumquenq; totis studiis migrare quod diligat, illud cogitat, illi adhæret, illud personat quod receperit diligẽdum, in id quadam animæ defectione transfunditur, vt si mater filij expectet præsentiam, quemadmodum expectabat Tobiæ vxor filium peregrinantem, deficiẽs à desiderio, & in angustiis cõstituta, & tãquam resoluta viribus. Quid enim aliud nisi defectum quendam eius verba significant? Sed quo magis lassatur affectus, eò amplius amor crescit: & quo diutius abest qui desideratur, eò expectantis desideria maiore quadam vi amoris igneścunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur & augetur. Hinc ergo colligere possumus quid sit: Defecit in salutare tuum anima mea. Etenim spiritui adhærens anima deficit ab eo quod est anima, & fit vnus spiritus: quoniã qui adhæret domino, vnus spiritus est. Itaque sanctus & timens deum, nescit aliud desiderare, nisi salutare dei, quod est Christus Iesus. Illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis intendit viribus, illum gremio mentis fouet, illi se aperit & effundit, & hoc solùm veretur ne illum possit amittere. Itaque quanto maiore desiderio exercitata fuerit anima cupiens adhærere saluatori suo, tanto magis deficit. Ergo ista defectio imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. Denique ipse alibi dicens, Sitiuit in te anima mea, subiecit infra, Adhæsit anima mea post te, me autem suscepit dextera tua. Qui enim sitit, cupit semper adhærere fonti, nec aliud sibi nisi aquam expetere & contingere videtur, vt ipso pascatur affectu. Suscipiens ergo me dei dextera, animæ meæ inhians, & de sua virture mihi impartiens, facit eam esse quod non erat, vt dicat: Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Christus. Discе autem etiam hoc exemplo defectionem istam nimię esse cupiditatis. Concupiscit enim & deficit anima mea in atria domini. Ante cõcupiscens, inquit, & quasi totã se effundens in concu-

1. Cor. 6.
Psalm. 62.
Galat. 2.
Psalm. 83.

1509

concupiſcentiã, longo fine ſuſpenſa defectione diſſoluitur. Deniq; quomodo deficiat anima in ſalutare dei, Hieremias docet. Et factũ eſt, inquit, in corde meo vt ignis ardens, flãmans in oſſibus meis, & diſſolutus ſum vndiq;, & ferre non poſſum. Hoc igitur inflãmatus deſiderio, ait Dauid: Defecit in ſalutare tuũ anima mea, & in verbum tuũ ſperaui. Rectè ſperaui dixit in verbum. Antè enim ſpes præcedit, & ideo ſequitur defectio. Sperauit autẽ in verbũ quod prædicatũ eſt eſſe venturum, ꝙ poteſt intelligi de dei verbo: aut certè in verbũ ſperauit, qui verbo cœleſti credidit, quo domini noſtri Ieſu Chriſti annunciatur aduentus, vel quo eius gloria declaratur. Ergo propheta conſiderãs quæ legerat, & cernẽs quòd cùm adeſſet corpori velut quibuſdam ligatus vinculis huius vitę, aberat à ſalutari dei, concupiſcebat, deſiderabat, deficiebat, & toto diſſoluebatur affectu, vt totus illius fieret quod deſiderabat: ſicut etiam in poſterioribus ipſe dicit: Effundo in cõſpectu eius orationem meam, tribulationem meam ante ipſum pronuncio, in deficiendo ex me ſpiritum meum. Defecit enim eius ſpiritus: imò ab eo deficit ſpiritus ſuus, qui ſeipſum negat vt adhæreat Chriſto. Vnde ſemitæ eius cognoſcuntur à domino, quia non ſunt carnis, ſed Chriſti ſemitæ. Etenim requirentium deum via Chriſtus eſt. Et nos igitur concupiſcamus illud æternum ſalutare dei, non concupiſcamus pecuniam quã auariſſimi concupiſcunt, nõ concupiſcamus alienæ vxoris decorem, non ambitionis exagitemur deſiderio, non ſeculari intendamus glorię, non fallacis circunſcriptionis ſtudiis occupemur, non proximum circunuenire iniquitate cupiamus, nõ poſtremò partes vulpium ſimus in terrenæ voluptatis interiora demerſi, tanquã exules ęternorũ, & de illa ſupernæ ſpei præſumptione deiecti. Attollat igitur ſe anima noſtra deficiens viribus ſuis, vt adhęreat ſalutari dei qui eſt Chriſtus dominus Ieſus, quod interpretatione dicitur domini ſalus. Ipſe eſt enim ſalus vera, veritas, virtus, atq; ſapientia. Qui igitur deficit ſibi vt virtuti adhæreat, amittit quod ſuum eſt, accipit ꝙ æternum eſt.

Defecerunt oculi mei in verbum † tuum dicentes, quando conſolaberis me?

Suprà πρακτικὴν, hic θεωρητικὴν Ibi in ſalutare defecit anima, eò quòd cõcupiſcit eũ cuius paſſione ſeruata eſt, hic in verbum domini prophetæ oculi defecerunt. Et videamus ne quemadmodũ illic adhærens Chriſto anima defecit in vnum ſpiritum, & fit vnus ſpiritus, ita & deficiãt oculi vt fiat vna mens. Oculi enim mentis iſti ſunt oculi ſcilicet interioris hominis, nõ hi oculi qui miniſterio funguntur obtutus. Eſt enim oculus & mẽs carnis. Sed ille cæcus eſt oculus qui non videt quæ diuina ſunt, qui fruſtra mente carnis inflatus eſt. Eſt & alius ſenſus Chriſti, quo eccleſia videt Chriſtum, ſicut ipſe dicit ad ſponſam: Corde nos cepiſti ab vno oculorum tuorum. Meritò vno oculo Chriſtus videtur, quia non videtur oculo carnali, aut quia duos oculos habẽs eccleſia, moralem & myſticum, fidei oculo plus videt Chriſtũ. Myſticus enim oculus acutior eſt, moralis dulcior. Et fortaſſe iſti oculi ſunt, quibus Paulus videbat æterna, vbi cœpit coporalia nõ videre. Denique qui Chriſtum nõ videbat priuſquàm oculos amitteret, vidit eum poſteaquam viſum amiſit oculorum. Vidit eum qui dixit: Quid eſt domine? Videbat vtique Chriſtum, quem etiam dominũ fatebatur. Et infrà: Domine, inquit, quid me vis facere? Non ergo videbat eum, cuius expectabat imperiũ? Quibus igitur oculis videre Paulus plus cœpit, niſi iis quos nobis ipſe monſtrauit dicẽs: Orabo ſpiritu, orabo & mente? Denique vt ſcias quia vidit orando: Factum eſt, inquit, reuertente me in Hieruſalem, cũ orarem in templo, pauorem habui, vidi illum dicentẽ mihi: Feſtina, & exi citius de Hieruſalem: nõ enim recipiunt teſtimonium tuum de me. Iſti ergo oculi in verbũ dei deficiũt, & dicunt, quãdo conſolaberis me? Iſtis oculis prophetæ diſcebantur videntes, quia per reuelationem ea quæ erant abſcondita, mente cernebant. Quid eſt oculos deficere? De corporalibus dicamus, vt intelligamus de ſpiritalibus. Nõ-ne quando aliquem deſideramus & ſperamus affore, eò dirigimus oculos, vnde ſperamus eſſe venturum? Itaque contenti diu quotidiana expectatione deficimus. Sic Anna circunſpiciens in viam, ſolicitis aduentum filij explorabat excubiis. Sic Dauid propheta currente de prælio altero poſt alterum qui nunciaret, poſitis in turre exploratoribus interrogare de ſalute filij pater ſedulus geſtiebat. Sic tenerę vxor ætatis de ſpecula littorali indefeſſa expectatiõe præſtolatur aduentum, vt quamcunque nauim viderit, illic putet coniugem nauigare, metuátque ne videndi gratia dilecti alius ante † aduertat, nec ipſa poſſit prima dicere: Video te marite. ſicut Anna dicebat ad filium, Video te fili, ammodo libenter moriar: mortis videlicet dolorem exoptati conſpectus ſuauitate non ſentiens. Ergo vt illa quæ aduenienti viro ſe optat offerre, ablegatis omnibus domeſticis occupationibus, ſemitas viantis aut pedũ veſtigia legit: ſic propheta curis exutus ſecularibus, interiorum oculorum in verbum dei peruigil cuſtos vſque ad defectionem ſui intendebat obtutus, corpus ſuum redigens ſeruituti, & animam ſuam ad humilitatis patientiam aranęæ modo tabeſcentis erudiens. Deſiderabat enim ſicut ceruus fontes aquarũ, & ſitiebat in dominum deum ſuum, cupiens eius videre præſentiam, & apparere ante faciem dei: nimióque deſiderio & vehemẽti cupiditate deficiens, tunc ſe habiliorem iis quæ à domino poſceret impetrandis prophetica gratia præſumebat. Et nos igitur intendamus cor noſtrũ vt poſſimus intelligere ſeries ſcripturarum, & verbum vitæ nobis venire à domino poſtulemus, atque intellectum dari. Siquis de lõginquo verbum dei obtutu mentis aſpexerit, nondum planum atque diſtinctum, is velut quibuſdam oculis interioribus verbi nauigiũ appropinquare animæ ſuæ cernit. Quo autem expreſſius videre cœperit, eò magis quaſi ad portum veritatis feſtinet accedere, & fit proximus inuehendæ. Defecerunt ergo oculi prophetæ in verbum dei, dicentis: Quando cõſolaberis me? Si oculi iſti ſignificati ſunt, quibus cernimus & videmus, dicere debuerunt: Quando conſolaberis nos? hoc eſt, non ſingulariter, ſed pluraliter. Sed quia oculus mentis & oculus carnis vnus oculus fiunt, & tunc homo conſolatione fulcitur, cùm caro & mens diuerſa non cupiunt, ſed vnum deſiderant, vnum requirunt: ideo intenti ad eum qui ait, Ego & pater vnum ſumus: iſti quoque oculi vnum eſſe ſe confitentur, quia vno atque eodem deſiderio officióque fungũtur. Deficiebat ergo in verbum propheta. Nos autem ocioſos nos putamus, ſi verbo tantummodo ſtudere videamur: & pluris æſtimamus eos qui operantur, quàm eos qui ſtudium cognoſcendæ veritatis exercent. Dicunt enim pleriq;, Ecce homo, & opera eius: quaſi qui verbo ſtudeat, non operetur: cùm magis opus iſtud quàm cætera ſint. Si enim opus iuſtitia eſt, ſi opus temperantia, ſi opus fortitudo: vtiq; opus eſt etiam ſapientia. Iſtę enim quatuor principales virtutes habẽtur. Nam ſi operatur Chriſtus ſecundũ quod iuſtitia eſt, vtique operatur ſecũdum quod verbũ eſt. Et operabatur cum eſſet in principio apud patrẽ. Denique per ipſum omnia facta ſunt, vt ſcias operatorum omnium eſſe, & opus noſtrum eſſe Chriſtum Ieſum. Etenim ſecundum quod verbum eſt, verbum inquirentibus, grande opus verbum eſt. Vnde cùm Martha feſtinaret circa miniſterium, Maria autem verbum domini audiret: ea quę audiebat, ei quæ miniſtrabat meruit anteferri. Dicenti enim Marthæ: Domine non eſt tibi curæ quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi vt me adiuuet: reſpondẽs dixit dominus: Martha Martha, Maria bonam partem elegit, quę non auferetur illi. Ita verbũ cognoſcere maius opus eſſe quàm miniſtrare, diuinæ authoritate ſententiæ definitur. Sed fortaſſe dicat aliquis dictũ eſſe ab Apoſtolo: Quia non in ſermone regnum eſt dei, ſed in virtute. Scriptum non nego, ſed in quo ſermone, cognoſce. Nempe quem efflatus effuderit, qui audientibus ſermo prodeſſe non poſſit, qui ſine oſtenſione fit ſpiritus atque virtutis, hunc ſermonẽ Paulus non dignatur cognoſcere. Vult enim magis virtutem ſermonis agnoſcere. Deniq; nolebat talem ſuum eſſe Apoſtolus ſermonẽ, qui in infirmitate veniebat vt alios ſaluos faceret, & fortiores in timore & tremore: vt timentes nihil metuerent niſi dominũ Ieſum, trementes pacem eius tranquillitatémque ſeruarent. Audi ergo qualem Apoſtolus ſermonem habebat. Et ſermo, inquit,

Tobiæ 10.

2. Reg. 8.

† Antevertat.

Ioan. 10.

Ioan. 1.

Luca 10.

1. Corin. 4.

1.Cor.2. meus & prędicatio mea non in persuasione sapiętiæ verborum, sed in ostensione spiritus & virtutis: quia fides non in A forēsi sermone sapiętię, sed in ostēsione spiritus, sed dei virtute firmatur. Ergo in sermone sanctorum virtus est, in sermone autē forensi isto ac philosophico vanitas mundi. Virtutem autem esse in sermone sanctorum, etiam iste prophe
Psal.67. ta te doceat, qui ait: Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa: hoc est, vt multa possint virtute euange lium prædicare. Probatū est ergo quod in Euangelij prædicatione sit virtus. Prædicatio autem Euangelij, sermo sanctorum est. Ita dubium non residet quin in sermone sancto sit virtus.

III. Quoniam factus sum tanquam vter in gelicidio:
†al. pruina. † iustificationes tuas non sum oblitus.

Vox ista, vox iusti est, qui mortificauerit suū corpus. Rectè enim vter dicitur iustus, qui expoliatus non nudus inueniatur. Vter nanque de exuuiis sit animantis mortui. Igitur & nos peccato moriamur, vt viuamus deo, atq; repleti spiritus iucunditate, & suauitate lætitiæ, erimus exuuię spiritales, carentes infirmitate corporea, & integro mētis sinu infusam nobis diuinorum mysteriorum gratiam reseruantes.
Matth.9. De his vtribus dicit, quia vinū nouum in vtres nouos mittunt, qui volunt vtrumq; seruare, & corpus, & gratiam. Nō effluat igitur tuus hic vter, non rimosus sit, non terreno inueterascat situ, nec vinum nouum veteres vtres rūpat, quo scindantur vtres, fundatur gratia. Non iterum sole iniquitatis & nimia vi caloris arescant, sed feruentium viscerum cupiditates diuersæ niuali quodam frigore temperentur. Frigescat æstus libidinis, & quodam continentiæ gelu, ieiuniorūmque restinctus matutina oratione perfletur: quando si-
Esaiæ 55. cut ros ita super terram nostram dei verba descendunt, sicut imber super gramen, & sicut nix super fœnum. Nescit vtrē bonum ista nix lędere, nix quæ diuini splendore fulget eloquij. Nix hęc refrigerat, non adurit: fœcundat sata, non internecat. Nix hæc præceptio cōtinentiæ est, quæ calorem facit corporeum frigere, & omnem naturæ interioris restin C guit ardorem. Et fortè ideo cū Iesus resurrectionis suæ demonstraret gloriam, vestimēta eius erant candida sicut nix: vt non solum ipse alienus æstimaretur à cōtagione peccati, verumetiam ne quicunque resuscitatur, congelatis coniugij cupiditatibus resurgere frigidus videretur. In resurrec-
Matth 22. tione enim neque nubunt, neque vxores ducunt, sed erunt sicut angeli dei in cœlo. Boni ergo vtres frigidi, hoc est, in gelicidio constricti pruinis, non libidinis calore resoluti. Vtrem autem corpus hoc dici, licet ex pluribus locis, tamē etiam inde intellige quod Adam & Eua vbi imaginē depo-
1.Corin.15. suere cœlestis, quam antè portabant, imaginem terreni hominis induētes, tunicas dicti sunt vestiti esse pelliceas. Corporales enim eos de spiritalibus fecerat culpa cōmissa. Nec illud absurdum ad intelligendū, quod ita se dicat factū Dauid sicut vtrem in gelicidio, eò quòd in asperitate licet positus glaciali, mortificauerit tamen corpus suum ne sentiret hyemis illius asperitatem, quam saluator dicit grauem futuram esse fugiētibus. Sicut enim glaciem nō sentit vter, quia pellis est mortui: ita mortuus peccato propheta frigus pec- D cati sentire nō poterat. vel certè quòd non frangatur necessitatibus, nec resistat caro menti, sed molliori ductu animæ se inflectat imperiis, & in hoc mundi gelicidio non arescat: vel quia corpus afflictionis sumus, & mortem domini Iesu semper in nostro corpore circunferre debemus. Hic est vter qui castigat corpus suum, non vt ille incrassatus & ob-
Exod.32. esus populus, qui sedit manducare & bibere, surrexerunt ludere. Hic est vter qui inebriat nō vino, sed spiritu, in quo non botryo amaritudinis, nō draconum furor, non furor aspidum, sed poculum inebrians quàm prędarū. In hoc er-
Psalm. 22. go gloriatur Dauid, quia factus est sicut vter in gelicidio, operationem peccati non sentiens. Et bene peccatum gelicidio comparatur. Sicut enim gelicidium ad nullum vsum vtile est, ad nullam operationē: sic culpa nulli prodest vsui, nulli operationi: & ideo sicut gelicidium declinanda est, ne noceat & adurat. Bonum ergo mihi est fieri sicut vtrem in gelicidio, vt possim nō obliuisci iustificationes domini, &

earum liquore perfusus refrigeret omnis feruor interne cupiditatis. Non ergo vacuum sed plenum hunc vtrem esse oportet, plenum spiritus, plenum iustificationum: vt peccata mea ipse confitear, vt luxuriam carnis meæ comprimam. Moriendum est enim mundo, vt viuamus deo. Si autem viuamus carni, mors vtique est carnis prudentia: viuere non possumus deo, quia inimica est deo carnalis ista sapientia, & vita secularis.

Quot sunt dies serui tui? quando facies mihi * de IIII.
persequentibus me iudicium? * al. non habet, melius.

Potest sic accipi: Quot sunt dies serui tui? quasi dicat: Quanti sunt dies humani? quātum tempus, quātum spatiū? Cur inuidetur tam breui vitæ, ne tranquillo cursu istius seculi perfruamur? Cur in breui spatio tam multi persequentium nos laquei tendūtur? Assit iam iudicium, in quo pœna est perfidorum, in quo persecutoribus digna impietatis suæ precia redduntur. Vel sic: Quousq; insultare poterunt, quousque inquietare, qui nos diuersis modis quærunt affligere? B Non serus erit terminus. Etenim propheta quasi celeritatē transcurrendæ istius vitæ, non annorū, sed dierum æstimatione subducit dicens: Quot sunt dies serui tui? Et bene dies dixit, vt non solum moras annuas prophetica visione transcurreret: verumetiam splendidum sibi vitæ huius curriculū virtutum lumine declararet. Meritóq; securus ait: Quando facies mihi de persequentibus me iudicium? Mihi, inquit, iudicium de persequentibus facies, non de me persequentibus iudicium dabis: quoniā non resurgunt impij in iudicio. Sed Psalm.1. mihi, inquit, da iudicium, vt cū remuneraueris innocentiā, fidem prouehas, misericordiā corones, impij persecutores meritorū præmiis propheticorū iudicentur. Nō absurdum etiam illud, vt quia breues dies & pauci sunt istius vitæ, nō diutius gratiam suam dominus circa prophetam suum differat, sed ipsi iudiciū de persequentibus faciat. Nam hic quoque iudicium est de persecutoribus. Siquidem qui non cre- Ioan.3. dunt in Christo, iam iudicati sunt. Iudicium autem hoc est, Luc.10. quod dedit seruulis suis dominus Iesus dicēs: Habebitis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutē inimici. Et verum iudiciū, in quo torquetur inimicus, sicut ipse confessus est dicens: Quid venisti ante Matth.8. tempus torquere nos? Hoc ergo deposcit virtutū stabilitate fundatus propheta, vt subiiciatur sibi non homo, sed ille qui locum sibi in homine vindicauit. Vnde & Apostolus ipsum magis in hominis peccato putauit esse damnandum, ipsum subiiciendum, de quo ait: Conterat deus Satanam sub pedi- Rom.16. bus vestris citò. Ex hoc ergo persecutore iudicium sibi fieri gestit, vt fidei propheticæ vestigiis aduersarius conteratur, & comminuat eum sub pedibus suis propheta sicut puluerem, & in hac corporis sui militia constitutus, quanuis dies vitæ breues sint, triumphū tamen de aduersario adipiscatur, quo reformati hominis in veterem gratiam, quem antè delictorum vinculis tenebat astrictum, & feruentis libidinis lassabat æstu, libertatē ingemiscat, potestatem sentiat. Subiectus est igitur aduersarius secundum domini sententiam. Etenim dominus Iesus veniens in hunc mundum per virgi- D nis partum, subiecit animæ nostræ omnes cōtrarias potestates, vt fide tua, verbo tuo, conuersatione tua & operibus cōterantur. Si ergo nō cōteris aduersariū, tua culpa est, qui per missa non vteris potestate. In nobis est igitur vt aut subiiciatur aduersarius, aut resultet. Si enim actus noster displiceat, incipit aduersarius superbire: si autem bonis inhæreamus operibus, vt exerceamus studia castitatis, iustitiæ, cōtinentiæ, calcamus serpentem & scorpionem. Calcamus enim illum pedibus castitatis, conterimus & scorpionem, ne possit excutere: calcamus continentiæ vestigiis, verecundiæ, iustitiæque gressibus. Possumus ergo & in hac breui vita triumphū de aduersariis habere perpetuum.

Narrauerunt mihi iniusti exercitationes, * sed non V.
sicut * lex tua domine. * al. iniqui fabulationes. * alias vt.

Bene optat iudicium sibi fieri de persequētibus, qui non solùm opera iusti impedire, verumetiam fidē superflua narratione conati sunt. Etenim quasi fabulæ cuiusdam nænias narra-

1513

narratas sibi dicit ἀδολεσχίας, hoc est superfluas loquacita-
tes. Narratores enim superflui, sicut hirundines, disputatio-
nis suauitate loquacitatis continuatione corrũpunt, vt Ari-
stotelis sententia est. Superflua igitur loquitur hæretic⁹, qui
non loquitur veritatẽ, non loquitur secundũ legẽ. Qui autẽ
fundatus in lege est, nouit à veris falsa discernere: spiritalis
eruditione doctrinæ, hæretica ab euãgelicis dogmata sepa-
rare. Ideo ne multi decipiãtur, iubetur à domino tacere pec-
cator. Peccatori enim dixit deus: Quare tu enarras iustitias
meas: Contiescat igitur perfidia, quæ tramitẽ veritatis tene
re nõ nouit, quæ dei præcepta non seruat. Cur enim per os
suum assũmunt peccatores euangeliũ veritatis, in quorũ ore
veritas nõ est? Omnia aũt præcepta dei veritas, Christus aũt
veritas. Non ergo est Christus in disputationibus perfido-
rũ, qui dicit perfido: Os tuũ abũdauit nequitia, & lingua tua
concinnauit dolum. Lingua enim quæ vult astruere menda
ciũ, dolũ vtique nectit asserti s. Sed huiusmodi fur est, & cũ
fure concurrens. Multi enim fures sunt, qui verbũ dei non
ad vtilitatem suã furãtur & rapiunt: sed ad fraudẽ, & †patri-
moniũ quoddã cœlestiũ scripturarũ in sua furta detorquẽt,
adulterina sibi cõpendia colligentes, dolo magis quã verita-
te quæsita. Sed hi sunt qui miscent aquã vino, tanquã caupo
nes pessimi, adulterantes sermonem dei, & in syncerum pro-
ferentes quicquid perfido & tanquam ebrio ore deprõpse-
rint: & ideo aliena loquuntur à lege. Vnde eos bene prophe
ta refutat atque reprehendit, sciens quid præscripto legis ac-
ceperit. Rectè ergo ait sequenti versiculo:

Omnia præcepta † tua veritas: iniusti †persecuti sunt me: adiuua me.

Quasi bonus miles bella non refugit, nec conflictus quã-
uis grauiũ præliorũ bellator pauescit assuetus: sed fidelis &
prouidus aspirare sibi diuinitus orat auxilia, & piæ deuotio
nis fidelia sibi adiumenta deposcit. Ideóque nõ petit vt per-
secutiones quiescant, sed in persecutionibus se postulat iu-
uari. Sciebat enim quòd omnes qui volunt piè viuere in
Christo Iesu, persecutiones patiuntur: mauult ergo persecu-
tiones pati, vt piè viuere in Christo possit. Et bene non vnã
persecutionẽ, sed multas persecutiones dixit: nec expressit
vocabula persequentium, quia multi persecutores, non solũ
quos videmus, sed etiam quos non videmus. Persequuntur
nequitię spiritales, persequitur hæreticus, Iudæus, gentilis.
Omnes ergo sub persecutoribus, qui volũt piè viuere: quia
vbi multi persecutores, nullũ à persecutoribus vacat tẽpus
piè viuere gestiẽti. Et fortasse cũ persecutiones nõ patimur,
tanquã cõdẽnati habemur, quia nequaquã piè viuere volu-
m⁹ in Christo. Nã vtiq; cũ sit definita sententia quòd omnes
qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutiones patiun-
tur: videtur is qui persecutiones nõ patitur, abdicat⁹, quòd
nõ sit piæ intentionis in Christo: deuotionem etenim fidei
prælia persequũtur. Si desint certamina, vereor ne deesse vi-
deatur, qui certare desideret. Omnia, inquit, præcepta tua ve
ritas. Quæ præcepta nisi illa: Si me persecuti sunt, & vos per
sequẽtur? Hæc præcepta Dauid anterior licet incarnationis
sacramento, iam tamen audiebat in spiritu, & quasi Christi
discipulus non subtrahebat se passionibus, sed certaminibus
offerebat: sciebat hoc solùm sibi ad gloriã fructuosum, hoc
ad custodiam salutis tutum, vt frequentibus exercitiis iusti
pietas cõfirmaretur. Citò enim fides inexercitata lãguescit,
& crebris ociosa tentatur incommodis. Remissas excubias
callidus insidiator irrumpit: assuetum autem bello virũ ex-
terna fraus instruit, & glorioſæ prouehit palma victoriæ.
Pax ergo fidei, corruptelæ materia est. Quàm pulchrè nobis
persecutionis processere tempora. Intentus sicut medicus e-
rat intimæ ad deum mentis affectus, illi adhærebat, nec vl-
las cogitationes obstrepẽtes sibi precãtis animus sentiebat,
totis visceribus fundebatur oratio, & quidã miscebatur ser-
mo cum domino: quotidiana meditatio habebat iam contẽ
ptũ periculi, & vsum calcãdæ mortis receperat. Quod ami-
simus exercitium: tentant ocia quos bella non fregerant. Pe
riculosa igitur & pacis ocia. In pace plures persecutiones es-
se cœperunt. Nullus erat tempore persecutionis adulator,
qui callida mentem adulatione tentaret. Non vacabat ani-
mo corporis delectatione dissolui, & huiusmodi quæ secũ-
dis rebus excitari solent, admittere passiones. Ideo apostoli
cùm cederentur, includerẽtur, exultabant quòd illis iniuriis
ęternæ gloriæ meritum lucrabantur, qui digni fuerant pro
Christi nomine iniurias sustinere. Non illis erat cura de pa-
trimonio, studium de potestatibus & honoribus: nõ de præ
latione, quę etiã iustos exagitare cõsueuit: sed ille se præfer-
ri putabat, qui esset pluribus verberibus flagellatus. Meritò
ergo Dauid occasiones expetit triumphandi, & certandi co-
piam pro deuotionis eruditione nõ metuit, qui nouerit per
secutiones iniquorum proficere ad incrementa virtutis. Nõ
enim dixit: Quia persecutiones patior, adiuua me: sed iniu-
stè, inquit, persecuti sunt me, adiuua me: potest enim quis &
persecutiones pati, sed non iniustè: quia est etiam iusta per-
secutio, si oderimus obscœnos, si infesti simus iniustis, si ini
quos velimus opprimere, ne pluribus noceant, si auarũ frau
dis suæ cõpendiis exuamus, si execremur insolẽtiam super-
borũ. Qui autẽ pro fide, pro iustitia, pro castitate persecutio
nẽ patitur, bene is dicit: Iniustè persecuti sũt me, adiuua me.

Paulo minus cõsummauerunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua. VII.

Non superfluo diuinum quæsiuit auxiliũ, qui sciebat sibi
aduersus fortes esse certamen, pluráq; sibi prælia præparata
dimicaturo nũc aduersus nequitias spiritales, quæ sũt in cœ
lestibus: núc aduersus calorem sanguinis, & innumeras cor-
poris huius illecebras, quarum nexu vario & diuturna col-
luctatione lassatus, pudẽdo corruisset certamine, nisi fidei se
radice tenuisset. Discamus cauere quẽ gerim⁹: hic nobis hos-
tis domesticus, hic inimic⁹ grauis est nostri ipsius corporis.
inflãmatur vino, ardet libidine, decore mulieris occursantis
accenditur, spe alitur, desperatione vritur, illecebris exuri-
tur, nõ euaporat affectu, timore turbatur, metu frãgitur, lu-
xuria mollitur, lasciuia dissoluitur, labore afficitur, solicitu-
dine fatigatur, passione conteritur. Miraris si inter tot ad-
uersarias passionum vices se etiam iustus tenere vix possit,
cùm impares simus etiam singularum certamini passionũ?
Quem vel sola libido non iudicet? quem non subiuget auа-
ritia? quem formido non quatiat? quem luxuria nõ eneruet?
quem lasciuia non emolliat? quem nõ supplantet ebrietas?
Quasi cõscius igitur carnalis infirmitatis, & explorator per
secutionis hostilis, dicit: Paulò minus consummauerunt me
in terra. In hac vtique terra, in qua Adam primus corruit, & Gen. 3.
pudenda prolapsione deiectus, totius gressum futuræ poste
ritatis inflixit. In hac terra, in qua Cain munera fraterna do Gene. 4.
lens sua⁹ esse prælata, ruina est stratus iuuidiæ. Denique vox Genes. 9.
fraterni sanguinis clamauit à terra. In hac terra Noe sanctus
quem totius orbis diluuia in tãtis procellis & fluctibus per
uigilem probauerunt: vbi tamen ocioso curas laxauit cor-
pore, ibi somnum ebrietatis offendit, quãdo mediastino fi-
lio delirante, contumeliam paternę pietatis incurrit, docens
periculosa ocia secura esse virtuti. In hac terra Loth reueren Genes. 19.
di parentis imitator, quem non luxuriantis Sodomitanæ
plebis decolorauit impuritas, non flamma Sodomæ arden-
tis inuoluit, veniabilis quidem ignorantiæ, pudendæ tamen
cõmixtionis non euasit incestum. Vritur ille flãmis mulie-
rum, quẽ sulphurea flãma non vsit. In hac terra etiã Dauid Psalm. 72.
propemodũ cõsummatũ esse se dixit. Siquidem pene motos
pedes suos, & gressus suos paulò min⁹ sensit effusos, quia di-
uitias seculares, & successus corporalium prosperorum lo-
co beatitudinis æstimauit peccatoribus abundare. Propter
quod etiam flagellatus est, sed flagella iusto remedia salutis
sunt. Castigat enim dominus quẽ recipit. Vnde etiã Dauid Hebr. 12
conuersus ad domini charitatem, atq; in eius eruditus præ-
ceptis, non ignorans eò quòd caducis caduca fortuito quo-
dam deferantur euentu, & quia non diuitiarũ abũdantia, sed
virtutũ gratia vitæ probabilis merita pensantur, dilexit ma-
gis quã reliquit mãdata dei, quib⁹ solis potuit ingruẽtes ne-
quitias spiritales, & insurgẽtes huius corporis appetitus in
hac tã fragilis naturæ infirmitate superare. Magna igitur vir
tus, quæ sub tantis persecutionibus constituta, & pene op-
pressa, tamen suum non est oblita præsidium, nec mandata

dei dereliquit. Ideo quia solum sibi deum profuisse cognouit, preces ad dominum dirigens, ait versu sequenti:

VIII. Secundum misericordiam tuam viuifica me, & custodiam testimonia oris tui.

Quam viuificationē sui postulet, supra diximus: quia non id precat⁹ est quod habebat, sed quod desiderabat: id est, vt viueret in æternū, intelligens vitæ beatitudinem in hoc fluctuanti & infido nobis corpore esse non posse, cuius imbecillitas propositum animæ derelinquat. Opus est ergo misericordia dei, vt continua & perpetua sit in hoc corpore viuificatio, quo quotidie iustus deo viuat, peccatóq; moriatur. Si enim culpa moriatur in nobis, erit vita deo viuens, & custodia præceptorū cœlestium perseuerās: quā vtique ille custodit, qui viuificatur à domino. Denique viuificari se antè poscit à domino, & postea custodiam mandatorū cœlestium pollicetur. Nō enim cōmunis hæc vita custodit cœleste mā datum, sed illa quæ munere fulcitur æterno per operationē gratię spiritalis. Possumus etiā sic intelligere, Quia iam propheta quæ erant legis agnouerat, optat aduentus dominici misericordiam, vt accipiat præcepta quib⁹ lex adimpleatur: vt non solum adulterium sciret esse vitandum, sed etiā concupiscentiam adulterij declinandam. Os enim patris Iesus dominus locutus est in Euangelio, eum qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, in corde suo adulteriū perpetrasse. Quantū Euangelio profecerunt studia castitatis, quo non solū turpioris facti, sed etiā studij degeneris ablegatur opprobrium? Qui sint autem de quibus dicit quòd paulò minus consummauerūt eum in terra, nisi persecutores? De quorum vno ait dominus Iesus: Ite, dicite vulpi illi: hoc est de Herode. Et alibi cùm se fraudulenter interrogari aduerteret, dixit: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos vbi requiescant: eò quòd fraudulenter in terrestriū passionum quibusdam latibulis demorentur. Inde etiam Sampson binas vulpes sibi nexuit, ad quarum caudas alligauit faces, & dimisit eas per messes Allophylorum, per hanc figurā significans quòd improbi ac fraudulenti homines, & maximè hæretici, liberam linguam habeant ad latrandū, sed exitus impeditos: aut religiosa principia, finem verò fraudis suæ incē dio deputatum. Ideóque & trecētas vulpes dimisit: eò quòd perfidi crucis quidem se prædicatione commendare desiderant, sed mysterium eius tenere non possunt, qui hac prædicatione cōposita & falsa atque simulata vrere magis fructus conantur alienos: cùm vtique vera crux domini non exurat aliena merita, sed fœcundet. Meritóque scriptum est in Canticis canticorum: Prendite nobis vulpes pusillas exterminā tes vineas, vt vineę nostræ floreant. Quo ostenditur quòd vel dominus Iesus, vel ecclesia fraudulentorum dolos à vineis suis exterminandos esse præcipiant, ne pauxillulis vineis noceant, quia adultis iam vitibus nocere non possunt. Hæreticus enim imperfectum tentare potest, non potest supplantare perfectum.

Matth. 5. *Luc. 13.* *Matth. 8.* *Iudic. 15.* *Cantic. 2.*

Sermo duodecimus.

ל *Lamed.*

LAmed litera duodecima incipit: cuius interpretatio, cor: vel vt alia interpretatio habet, seruo. Vnde videtur admonere vel prudenter hæc intelligēda, vel solicitè seruanda præcepta: nam hoc primus statim versiculus admonet. Cor etenim sibi mundum creari in superioribus hic propheta, vt legimus, postulauit. Cor sibi prudens dari orauit à domino filius huius Salomon. Qui ergo habet cor mundum, qui habet cor prudens, ipse intelligit seriem subditorum versuum, atque virtutem. Vnde & alibi inuenimus, Cor solum, id est, vel singulare, vel quòd nulla illecebra huius seculi impediat, & carnis possit interturbare sapientia. Qui autem habet cor, seruat mandata dei: quemadmodum legisti: Maria gestabat omnia domini salutoris in corde suo, vel dicta, vel gesta. Circuncidamus ergo cor nostrum, nihil corporeum, nihil vile quęramus: vile autem omne terrenum. Nihil ergo terrenum, nihil seculare, nihil corporeum, nihil leue atque mutabile in eloquiis cōstituamus cœlestibus. Eloquia enim domini, eloquia casta, vt in his mysteriorū cœlestium immaculata & pudica syncerita s spiritali interpretatione resplendeat. Nō adulterina quadam opinione misceamus terrena diuinis, & illud inuiolabile sacramentum propheticę visionis, aut perennis oraculi, naturæ nostræ æstimatione violemus. Ideo enim addidit: Argentum igne examinatum, probatū terræ, purgatū septuplum: vt tanquam boni nummularij spiritu examinemus prophetici sermonis argentum, secernentes domini pecuniam, atque ab omni labe terrena salutaris fontis infusione purgantes, vt Christo dignè sentire videamur, qui ait: Nolite thesaurizare vobis in terra, vbi ærugo & tinea exterminat: sed thesaurizate vobis in cœlo. Thesaurus tuus est fides, pietas, misericordia: thesaurus tuus Christus est. Noli eum æstimare de terris, hoc est de creaturis, quia dominus totius creaturæ est. Maledictus, inquit, homo qui spē habet in homine. Sed mihi salus per hominem venit. Vide tamen quid scriptura vetus dixerit: Et homo est, & quis cognoscet eum? Ille ergo homo non humana mihi, sed diuina potestate omnia peccata donauit, deus in corpore dominus Iesus mundū recōcilians sibi, quem redimebat à culpa. Thesaurus noster preciosus intellectus est. Si terrenus intellectus fuerit, si fragilis, hæretica eum tinea, & impietatis ærugo consumet. Leuemus ergo & erigamus sensus nostros, nec impossibile iudicemus vt hæc humani corporis infirmitas ad cognitionē mysteriorum cœlestium prouehatur, cùm iam ad nos dominus Iesus, in quo absconditi erant sciētiæ sapientiæque thesauri, diuina sua miseratione descenderit, vt clausa reseraret, aperiret latentia, reuelaret occulta. Veni ergo domine Iesu, aperi nobis & istius prophetici sermonis ianuam: multis enim clausa est, etsi prima specie aperta videatur.

Matth. 6. *Hiere. 17.* *Coloss. 2.*

I. In æternum, inquit, domine, permanet verbum tuum in cœlo.

Vides etiam in te permanere debere, quod etiam in cœlo permanet ac perseuerat? Serua ergo verbum dei, & serua in corde tuo, & ita serua, ne obliuiscaris. Serua legem domini, & meditare, ne iustificationes domini de tuo corde labātur. Docet te literæ interpretatio vt serues diligēter. Docet propheta in subditis, dicēs: Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc fortè perissem in humilitate mea. In æternū non obliuiscar iustificationum tuarum. Legis ergo meditatio facit vt tempora tribulationis, tempora quibus humiliamur aliquibus aduersis, sustinere & tolerare possimus, vt neque humiliato nimis, neque deiecto frangamur affectu. Denique dominus non frangi nos humilitate vsque ad desperationem vult, sed vsq; ad correctionem. Vnde & Hieremias sub hac litera in Threnis ait: Vt humiliaret sub pedibus omnes vinctos terræ, & declinaret iudicium viri contra faciem altissimi, & ad condemnandū hominem, cùm iudicatur, dominus non dixit. Et infra: De ore altissimi non exibunt mala. Humilitas ergo quę à deo est, plena iustitiæ, plena est ęquitatis, quia non exeūt mala de ore domini. Deniq; qui humiliabatur à domino, dicebat: Humiliatus sum, & saluum me fecit. Ergo sicut prudenter considerandum est quando humilitas à domino sit causa probationis, quando etiam ipsa ab homine inferēdæ humilitatis impressio, quæ tamen ipsa solet patientia & magnanimitate tolerari: ita etiā sapienter considerandū, quid sit in æternū in cœlo verbū domini permanere, vel sicut aliqui codices habent, in seculum: quia Græcus εἰς τὸν αἰῶνα posuit, quod diuersè interpretati sunt trāslatores. Alij in æternum, alij in seculū. In seculū ergo permanet domine verbum tuum in cœlo. Et quomodo ipse dixisti: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt? In seculū permanet verbū, non vltra seculū & secula? Secula enim temporis sunt. Cœlum ergo & terra, id est, istius mūdi opera præteribūt, & tempora permanebunt? Alius qui spiritalis est, & iudicat verba legis: In æternum, inquit, domine permanet verbū tuū in cœlo. Æternitas enim verbi manentis, opinionē verbi prætereuntis excludit. Quomodo autem permanet verbū in cœlo, si ipsum cœlū prēterit? Et quomodo possunt stare culmina, si cadāt fundamēta? aut quomodo permanet habitator in habitatione sua, nisi & habitatio perseueret? Sed fortè illud occurrat, quia scriptū est: Erit cœlū nouū. Verū nec sic absolubile, quia nec in hoc potest permanere quod præterit: nec illud potest dici māsisse, cùm cœperit.

Matth. 24. *Esaiæ 65.*

1517

rit. Tinea intellectum tuum scindet, si putes verbum sicut cœlum vel incipere, vel præterire. Vnde si virtutem prophetici sensus cognoscere volumus, primum in his quæ visibilia & sensibilia sunt, & hic eum locum consideremus, vt ex eo quæ sunt intelligibilia manifestemus. Si verbum dei in cœlo permanet, imitemur cœlum vbi permanet verbum: perpetuus ordo solennis cœlestium statutorum, & beneficiorum domini crebræ vices solennibus muneribus perseuerant. Superius nempe vel pluuiis, vel calore, vel fotu aëris huius infunditur terris, atque alitur larga fœcunditas. Cœlo annus labitur per dies ac menses, & tempora hyberni atque hyemis, veris quoque & puræ digestus æstatis. De cœlo vitæ tuæ imaginem cape: etiam quando non germinas fructum, sere tamen semẽ ad fructum. Sunt semina quæ de cœlo sunt, & seruntur in terris. Est etiam superna vindemia. vnde ait propheta: Serite vobis ad iustitiã, vindemiate ad fructum. Et quando non florent opera tua, foue tamen semina tua, ne lasciuiendo luxurient. Quod luxuriat in flore sermonis, tenuatur & hebetatur in fructu. Fructus ipsos vsque ad maturitatem decoque. Imitatores etiam ipsius cœlestis simus elementi: non semper sole feruet ardenti, frequenter nubibus tegitur, pluuiis vehementibus inhorrescit, iactis nubibus tegit terram. Non ergo sit in te diuturna lasciuia, succedant mœsta senilium curarum tempora, & tanquam cana maturitas agrũ hunc tui corporis reprimat. Vtilior sæpe tristitia est, quæ comitem solet habere grauitatẽ. Nunquid vlla in ipso est sole prævaricatio? Nónne quotidianos cursus suos seruat? Nunquid continuos non nouit luna defectus, & commissi munus deserit ministerij? Hisdem nempe vicibus annus redit, eodem statu reparantur tempora, hisdem obsequiis reformantur. Sol diem illuminat, tempora statuta custodiens. Fulget splendoribus luna nocturnis, & lux eius in tenebris micat. Stellarum nitentium rutilat globus, solennique statione & cõuersione ac demutatione funguntur. Lex vna diuersis, constitutorum semel vices cursuum custodire, nec fines transire præscriptos. Manet ipsa immutabilis demutatio, & conuersio vertere ordinem suũ nescit. Vna omnium obedientia, discretis muneribus in discretam præscriptæ constitutionis tenere concordiam. In cœlo ergo permanet verbum, quia Satanas de cœlo cecidit. Non habebat in cœlo locum, propterea cecidit. Quò cecidit nisi in terras? Ideo hîc adulteria, homicidia, ebrietates abundare cœperunt. Inde exclusus acrior ad nos venit, & tentationes solito asperiores tanquã iratus exercet. In cœlo igitur permanet verbum, quia inde deiectus est diabolus: in terris non permanet, quia huc totus aduenit. Et vide vtrum hic permanere verbum possit in nobis, vbi tantos laqueos diabolus asperserit: qui cùm esset in cœlo, nec ibi verbum poterat permanere. Denique quia & ipse verbum non tenuit, cecidit è cœlo. In cœlo ergo verbum permanet, & quod secundum verbi dispositionem regitur & gubernatur. Sed quia ipsum cœlum præterit, ideo non dixit in secula permanere, sed in seculum: quanquam propterea prætereat, vt fiat nouum cœlum & noua terra, nouum testamentum, vt facie ad faciem gloriam domini videre possimus. Veruntamen quia & in cœlo fuit vitiis locus. nam vtique non cecidisset inde aduersarius nisi in criminibus deprehensus, (nam & stultus vt luna mutatur, & cœlum ipsum tenebris obducitur) videtur vtique non de elemento dictum, sed de virtutibus potestatibúsque cœlestibus. Sunt enim sanctæ virtutes in cœlo, in quibus nihil lubricum atque terrenum sit. Sunt etiam in terris cœli qui enarrant gloriam dei. Qui sunt isti cœli? Audi dicentem: Sicut portauimus imaginem illius terreni, portemus & imaginem huius cœlestis. Isti igitur sunt cœli, qui etiam in terris positi audent dicere: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Isti sunt cœli in quibus fides, grauitas, continentia, doctrina, vita cœlestis est. Nam quẽadmodum terra dictus est, qui lapsus ex illa prævaricatione cœlestis gratiæ, & in hæc vitia terrena deiectus, prẽuaricatiõis suæ se vinculis religauit: ita econtrario cœlum dicitur, qui vitam angelorum custodia integritatis exercet, & corpus suum continenti sobrietate moderatur: mentem quoque suam mitti tranquillitate componit: pecuniam pauperibus misericordi

A liberalitate dispẽsat. Est ergo & in terris cœlum, in quo possunt virtutes esse cœlestes. Cœlum mihi thronus, ego magis iusti affectum quàm elementũ intelligo. Illum puto cœlum ad cuius animam venit Christus, & pulsat ianuam, & si aperueris, ingreditur. Nec solus ingreditur, sed etiam cum patre, sicut ipse ait: Ego & pater veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Vides igitur quòd verbum deus & ociosum prouocat, & dormiẽtem excitat? Qui enim venit, & ianuam pulsat, vult semper intrare. Sed in nobis est quòd non semper ingreditur, non semper manet. Pateat aduenienti ianua tua, aperi ianuam tuam, expande gremium mentis tuæ, vt videat diuitias simplicitatis, thesauros pacis, suauitatem gratiæ. Dilata cor tuum, occurre soli lucis æternæ, qui illuminat omnem hominem. Et illud quidem verũ lumen omnibus lucet: sed si quis fenestras suas clauserit, æterno lumine se ipse fraudabit. Excluditur ergo & Christus, si tu mentis tuæ ianuam claudas: & si possit intrare, non vult tamen importunus irruere, non vult inuitos cogere. Ortus ex virgine, processit ex aluo, vniuersa totius orbis irradians, vt luceret omnibus. Capiant qui desiderant fulgoris perpetui claritatem, quã nox nulla interpolat. Soli enim huic quem quotidie cernimus, nox tenebrosa succedit: sol autem iustitiæ nunquã occidit, quia sapientiæ nõ succedit malitia. Beatus ergo ille, cuius pulsat ianuam Christus. Ianua nostra fides est, quæ totam domum, si fuerit robusta, communit. Per istam ianuam Christus ingreditur. Vnde & Ecclesia dicit in Cãticis: Vox fratris mei pulsat ad ianuam. Audi pulsantem, audi introire cupientem: Aperi mihi soror mea sponsa, columba mea, perfecta mea: quia caput meum repletũ est rore, & crines mei guttis noctis. Considera quando maximè pulsat ianuam tuam deus verbum, cùm repletum est caput eius rore nocturno. In tribulatione etenim & tentationibus positos visitare dignatur, ne quis fortè succumbat victus ærumnis. Repletur ergo caput eius rore vel guttis, quãdo corpus eius laborat. Tunc ergo vigilandum, ne cùm spõsus venerit, recedat exclusus. Si enim dormias, & cor tuum non vigilet, discedit antequam pulset. Si cor tuum vigilet, pulsat, & aperiri sibi ianuam poscit. Habemus ergo animæ nostræ ianuam, habemus & portas, de quibus dictum est: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portę æternales, & introibit rex gloriæ. Est ergo & cœlum in iis in quibus portæ sunt æternales. Si has fidei tuæ portas velis attollere, intrabit ad te rex gloriæ, triumphum portans propriæ passionis. Habet etiam iustitia portas. Nam etiam de his legimus scriptum dicente domino per Prophetam suum: Aperite mihi portas iustitiæ. Et infra ait propheta Dauid: Lauda Hierusalem dominũ, lauda deũ tuum Sion. Quoniam cõfortauit seras portarũ tuarũ. Est ergo anima quæ habet ianuã, est quæ habet portas. Ad hanc ianuã venit Christus & pulsat, pulsat & portas. Aperi ergo illi, vult ergo introire, vult spõsam inuenire vigilãtem. Noli ergo bono amatori facere moras: citò recedit, & tu somno torporis tui videris excluisse pulsantem. Excludis enim cùm desidiosus es, cùm piger, cùm somnolentus. His repagulis Christus excluditur. & si castus, & si sobrius es, caue ne negligens sis. Maiorem Christo facit iniuriam, qui aduenientem repellit. Nõnunquam etiam si moraris, mittit manum suam per fenestram, sicut ait spõsa: Frater meus misit manum suam de prospectu, & venter meus conturbatus est super eũ. Exurrexi ergo aperire fratri meo. Manus meæ distillauerunt myrrham, digiti mei myrrha pleni. Primum ergo tanquam de prospectu mittit manum suam, quando deus esse operibus æstimatur. Vnde ait: Si mihi non creditis, vel operibus credite. Deinde augetur amor, & intimis visceribus conceptus inolescit. Inde intelligibili vtero, in quo est receptaculum verbi, seminibus eius infusis, plenitudinem eius corporaliter inhabitantem haurire anima nostra desiderat. Non enim turbatur vterus fœminarum, nisi quæ fuerint aluo graues. Surgit igitur anima, vt aperiat dei verbo: sed dum se expandit atque aperit, vt opera mundi istius verbi receptione mortificet: sicut ille qui ait: Mortificationem domini Iesu in corpore nostro circunferimus. ergo dum aperit, transit sponsus. Vult enim semper quæri, frequentius inueniri: & si clausam inuenerit ianuam,

Ioan. 14.

Cantic. 5.

Psalm. 23.

Psalm. 117.

Psalm. 147.

Cantic. 5.

Ioan. 10.

2. Cor. 4.

nuam,pulſat: & ſi per moram fuerit excluſus,recedit. Sed citò redit,& iterum pulſat, vt vel poſtea ſponſam inueniat præparatã. Poteſt quidẽ & ſic accipi:Frater meus tranſiuit, ſicut legimus quòd penetrauit dilectę intima medullarũ,& Luc. 2. quemadmodum ad Mariam dictum eſt:Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur multorũ cordium cogitationes. Denique addidit ſponſa animam ſuam exiſſe in verbo eius.quod fit quando anima peregrinatur à corpore, & deo præſens eſt. Explanauim⁹ igitur vt potuim⁹ quid eſſet,In æternum domine permanet verbum tuum in cœlo. Poſſumus tamen & ſic intelligere, quia in cœlo magis permanet in æternum, vbi angeli & archangeli, Cherubim & Seraphim:quoniã homines quãuis ſancti ſint, tamẽ affect⁹ eorum ſæpe mutatur.Nunc gaudemus,cõtinuò mœremus, iraſcimur,ingemiſcimus. In ipſa pœnitentia nõ vult nos ſatis contriſtari Apoſtolus, ne triſtitia abſorbeamur. Vbi ergo iracundia,vbi triſtitia grauis,non permanet ibi verbum. Marc. 1. Deniq; de ſolo domino Ieſu dictum eſt à Ioanne:quia vidit ſpiritum ſanctũ deſcendentem de cœlo ſicut columbam, & manẽtem ſuper eum.Nam & prophetæ nõ ſemper prophetabant, ſed cùm infunderet his gratiã ſpiritus prophetandi. Denique nec Dauid præſciuit quid annũciaret Nathã prophetа miſſus à domino:& vtique inferior Nathan propheta cognouit quòd Dauid præſtantior neſciebat. Et alius dixit 4. Reg. 4. Propheta: Celauit me dominus.Vnde & plerique accipiũt in cœlo permanere dei verbum,in poteſtatibus cœleſtibus, in quibus non ſunt affectuum varietates.Aliqui autem de ipſa accipiunt trinitate, quæ ſola immutabilis ſit: & ideo in cœlo permanet verbum, id eſt in patre, quia verbum dixit: Ioan. 14. Ego in patre & pater in me.

II. In generationem & generationem veritas tua.

Multi ſunt qui dicuntur dij,ſed non ſunt. Ergo in gentibus mendacium eſt,in eccleſia veritas. Hanc tamen veritatem habuit primò ſynagoga, quæ habebat eloquia dei. Eſt enim veritas & in veteri teſtamẽto,quæ fuit antè in populo Pſalm. 75. Iudæorũ.Notus enim in Iudęa deus:deus autem veritas eſt. Ergo in Iudæa veritas. Fuit igitur veritas in patribus,Moyſe,& Ieſu Naue,in Samuel,in Dauid,Helia,Heliſęo,& in illis ſeptem milibus virorum qui non curuauerunt genua ante Baal.Sed quia poſterior ſoboles Iudæorũ à patrum mori- 3. Reg 19. Roma. 11. bus deuiauit, receſſit ab illis veritas, & ad eccleſiam venit. Receſſit enim ab illis quãdo dixerunt de domino Ieſu:Tolle tolle crucifige eum. Tradiderunt enim veritatem,& elegerunt iniquitatem. Omnes ergo aliæ generationes veritatis exortes,omnium hæreticorum generationes non tenent veritatem: ſola eccleſia veritatem pio affectu poſſidet:quia generatio Iudæorum,quæ ante eam poſſidebat,amiſit. Populus ergo Iudæorum prior fidei generatio, & ideo infantior & infirmior,quia lubrico adoleſcẽtiæ ſtare non potuit: populus autem Chriſtianus fidei ſecũda generatio,ideo robuſtior & venerabilis,quia maturior ſenectute:illa generatio legis,hæc gratiæ. Vnde & alibi ait: In generationem & Pſalm. 88. generationem annunciabo veritatem tuam.

Fundaſti terram, & permanet: diſpoſitione tua permanet dies.

Quomodo fundauerit deus terram,ſcriptura nos docuit, Prouer. 3. dicente propheta, Deus ſapientia fundauit terram, parauit autem cœlos in intellectu.Terra autem tanquam fundamẽtum eſt,in qua cõſiſtimus:licet ipſam vel in hemicyclo cœli eſſe,& is qui foris eſt ſermo concelebret, & ſcriptura ſignificare videatur, dicente Iob 26. Iob: Suſpendens terram in nihilo. Includitur ergo orbe cœleſti:& ideo ſol noctibus non videtur, quia gyrando in inferiore inuenitur orbis parte cœleſtis. Sed non eſt cura ſanctis,axem cœli & elementorũ ſpatia philoſophico more numeróſque deſcribere. Quid enim hoc prodeſt ſaluti? Quia ſancti ſpiritualibus ſemper intendunt,& vitæ æternæ profutura vel cognoſcere geſtiunt,vel docere. Denique hunc locum pulchrè nobis aperuit Eccle- Eccles 1. ſiaſtes ſpiritalem eſſe non materialem, dicẽs:Quæ abundãtia homini in omni labore ſuo quo laborat ſub ſole? Generatio vadit,& generatio venit, & terra ſtat in ſeculum: hoc eſt, quæ abundantia ſpiritali homini laboranti ſub ſole iuſtitiæ?Et ſubiecit:Generatio vadit,& generatio venit.Vadit A generatio,quia diuites eguerunt & eſurierunt. Qui autem bundabãt gratia:poſtea tamen propter perfidiam ſuã egere Pſalm. 33. cœperũt. Qui autem pauperes erant populi nationum,iam per fidem Chriſti ſatiantur & abundant, ſicut ſcriptum eſt, Edent pauperes & ſaturabũtur. Audierunt enim dicentem: Pſalm. 21. Abũdãtes in omni verbo,non in pecuniis vtiq;,non in auro & argẽto,ſed in omni verbo,inquit,& cognitione. Et alibi ait: In diuitiis ſimplicitatis.Hæ diuitiæ ſunt ſalubres: nam copiæ ſeculares ſalutem afferre non poſſunt.Qui autem habuerit abundantiam ſpiritalem,huius terra fructifera ſtat in ſeculum, bene fundata radice virtutum:vel anima bonos vtique germinans fructus, vel caro nullis cupiditatibus mobilis ad prolapſionem.Hanc terram circuit ſol iuſtitiæ ſalutaris,de quo ſcriptum eſt:Et oritur ſol,& occidit,& in locũ ſuum vadit. Ipſe Oriens illuc vadit ad Auſtrum, & gyrat ad Aquilonem:gyrando gyrat ſpiritus, & in gyros eius cõuertitur ſpiritus.Oritur ſol iuſtis,occidit autem iniuſtis:oritur tranquillitati piæ mẽtis,occidit iracũdiæ. Vnde ait:Sol non B occidat ſuper iracundiã veſtram. Hinc poteſt intelligi quia Epheſ. 4. iiſdem oritur & occidit, quorum & vitia ſepeliat, & gratiã illuminet. Mortuus eſt enim peccato, vt deo viueret: hoc eſt, peccato ſumus in illo mortui, vt deo in perpetuum viueremus. Vide ipſum myſterium prænunciatum:Et oritur, inquit,ſol,& occidit,& in locum ſuũ trahit. Hoc eſt,quod ait dominus: Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad mei- Ioan. 12. ipſum. Traxit enim ad ſe omniũ ſtudia,vt vel peccata noſtra crucifigeret,vel bonum ingenium ad iuſtitiam prouocaret. Aduerte quemadmodũ trahat ad ſe: Pater, volo vt vbi ego ſum,& iſti ſint mecum. Et ad latronem ait: Hodie mecum eris in paradiſo.Aduerte quomodo omnia trahat.Exaltatus Ioan. 17. eſt in cruce,& totus credidit mundus. Ipſe Oriens, inquit, Luc. 23. vadit ad Auſtrum,& gyrat ad Aquilonem.Ille vtique Oriẽs, qui ait:Oriens nomen eſt mihi:qui ſemper oritur,piis nunquam occidit.Ipſe Oriens populo Hebręorum ad Auſtrum iuit,ad molliorem populum luxuria magis feruentis corporis lubricum, quàm immanitatis impietate prædurum, aut C certè ad nobiliorem plebem,quę erat genus electum,vindicãs ſibi patriarcharum proſapiam. Sed quia perſeuerabat in vitiis, nec emendabat errorem: ideo ſol iuſtitiæ gyrauit ad gentes,quæ ante eloquiis cœleſtibus defraudatæ, immanes & ignobiles habebantur.Aquilo enim grauis ventus,vt populi nationum. Sed qui erant graues antè in perfidia,nunc ſuper aquilas leuiores facti ſunt fide atque pietate, poſtquã venit qui diceret: Ab Aquilone adduc.Et in euangelio:Ve- Ibidem 13. nient ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Auſtro, & recumbent in regno dei.Et ecce ſunt nouiſſimi qui erãt primi,& ſunt primi qui erant nouiſſimi.Denique & ipſe Pſal- Pſalm. 47. miſta ait:Mons Sion, latera Aquilonis,ciuitas regis magni: hoc eſt, qui erant Aquilonis latus, populus factus eſt regis æterni,quia ſolus eſt magn⁹ dominus.Sed fortè dicas:Quo- Cantic. 4. modo in Cãticis eſt dictum:Exurge Aquilo,& veni Auſter? Plerique enim accipiunt quaſi proiiciatur Aquilo, & inuitetur Auſter. Quod ſi ita accipiunt, exturbatur ab eccleſia perfidiæ glacialis aſperitas, ne fiat fuga noſtra hyeme vel ſabbato,& inuitatur Auſtralis verna temperies. Aut certè, Epheſ. 5. D Exurge Aquilo,hoc eſt:Surge qui dormis,& exurge à mortuis. Populus nationum,qui diu antè dormiſti,euigila aliquando,& illuceſcet tibi Chriſtus. Poſtremò omnes inuitantur ad eccleſiam,& ſynagogæ populus,& gentilium:ſed prius ſynagogæ:quia priores ex Iudæis apoſtoli crediderũt: per ipſos poſtea nationum populi congregati ſunt.Vides ergo venientem ſolem noſtrum ad Auſtrum, poſtea gyrãtem ad Aquilonem: Hieruſalem,Hieruſalem. Venit vtique ad eam,quam etiam vocare dignatus eſt. Sed hæc Hieruſalem terrena eſt, quæ occidit prophetas, hoc eſt Synagoga Iu- Matth. 22. dæorum. Quotiens,inquit,volui congregare filios tuos,ſicut gallina pullos ſuos,& noluiſti. Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Gyrauit igitur ad gentes,gyrando autem gyrauit ſpiritus dei,& in gyro ſuo conuerſus eſt,vt fieret deus 1. Corin. 15. omnia,& in omnibus.Ideo ſanctus cœlum dicitur,quia vicinior eum claritas ſolis ſemper illuſtrat. Habet ſplendorem ſuum domeſticum, vt tenebras noctis non ſentiat.

Ideo

1521

Ideo ecclesia & cœlũ dicitur & mundus, quòd habeat sanctos angelos & archangelis comparandos, habeat etiam plerosque terrenos. Dicitur & orbis terrarum, qui est fundatus super maria & super flumina præparatus. Denique quasi orbis terrarum dicit Ecclesia: Nolite aspicere me quoniam fusca sum, quia nõ respexit me sol. eo quòd velut pruinis hyemalibus, gelúque constrictam gentilis erroris congregationem gentium sol iustitiæ diu indignam æstimauerit, quam serena vultus sui luce lustraret. Nónne tibi videbatur hyberni rigor temporis, quando notus erat in Iudæa tantummodo deus? Nunc autem plenitudo lucis effulget æstiuæ, quando omnia & in omnibus Christus, Nónne terra domini, & plenitudo eius? Et verè orbis terrarum in ecclesia, in qua non Iudæus tantummodo aut Græcus, non Barbarus aut Scytha, non seruus aut liber, sed omnes in Christo vnum sumus. Sol omnibus fulget, dies omnibus lucet. Ideóque ait,

Dispositione † tua permanet † dies.

Nam nisi ita accipias, quomodo permanet dies, cùm post breue momentum diei sequatur occasus, & fiat noctis succelsio? Sed sunt quibus semper dies est, illis vtique quibus Christus adest, qui dicit: Ambulate dum lucem habetis. Hic est dies quem vidit Abraham, dies remissionis peccatorum, de quo legis: Hic est dies quẽ fecit dominus, exultemus, & lætemur in eo. Sunt ergo sancti quibus sol nũquam occidit, quia dominus lux eorum est, sicut scriptum est: Et erit illis dominus lumen æternum. Expressit causam permanentis diei, atque subtexuit:

Dispositione, inquit, tua permanet dies, quoniam vniuersa † seruiunt tibi.

Videtur itaque significare futurũ illud, quando nox non erit amplius, & non indigebitur lucernæ vel solis lumine, quoniam dominus illuminabit eos. Qui sunt illi? Supra ait, dicens: Et serui eius seruient ei. hoc est, domini facient voluntatem. Nunc enim nõ omnes seruimus. Cùm autem tradiderit regnum deo & patri, tunc subiecta erunt omnia ei, qui sibi vniuersa subiecit, acquirens omnium fidem per vnigeniti passionem. Subiectio igitur mentium facit sedulam seruitutem. Ergo cùm omnes crediderint in dominum Iesum, tunc vniuersa deo seruient, vt sit deus omnia, & in omnibus. Nunc autem non omnes serui dei, quia plerique serui peccati. Qui enim peccatum facit, seruus est peccati. Dominus autem non vult cum aliis consortium habere dominatus. Permanet ergo dies immutabilis. Potuit ergo dicere, Permanebit: sed prophetis futura pro præsentibus præsto esse videntur in spiritu.

Nisi quia lex tua meditatio mea est, tũc forsitan † periissem in humilitate mea.

Lucebat Propheta vt dies, cui meditatio lex erat. Etenim oleum luminis accipiebat ex lege. Denique ne in corpore mortis lux diei posset extingui, ambulabat in lege, & ideo ambulabat in lumine. Alioquin, inquit, periissem in humilitate mea. Humilitas non semper virtutis est, sed etiam afflictionis: hoc est, non semper volũtaria, sed etiam quæ ex necessitate suscipitur, quando aliqua afflictione tentamur. Alioquin nemo perit in humilitate, quæ magis seruare cõsueuit. Ergo quãdo in afflictionis tempore sumus, & quatimur aduersis: meditatio nobis in lege sit, ne imparatos procella tẽtationis affligat. Athleta nisi exercitio palæstræ prius fuerit assuefactus, non audet subire certamen. Vngamus igitur oleo lectionis nostræ mentis lacertos. Sit nobis tota die ac nocte exercitij vsus in quadam cœlestium scripturarum palæstra, artúsque animorum nostrorũ salubris spiritalium ferculorum esca confirmet, vt cùm aduersarius assistere cœperit, & puluere nos suæ tentationis asperserit, stemus intrepidi: nitamur non vt in incertum, nec vt aëra cædentes. Melius percutimus verberati, si percutienti maxillam alteram præbeamus, si vindictam non requiramus, sed ei qui dixit, Mihi vindictam, ego retribuam: causam vindictæ integram reseruemus. Cædimus aërias potestates, si nos ipsos castigare nouerimus. Castigabat carnem suam Paulus, vt aduersarios verberaret: & seruituti redigebat corpus suum, vt dominaretur inimicis. Exerceamur igitur indefesso meditationis vsu, exerceamur ante certamen, vt simus certamini semper parati: & cùm frequentior aduersarij ictus ingruerit, nunc inopia, nunc rapina, nunc orbitate, nunc corporis ægritudine, nunc mœrore animi, nunc terrore mortis, & acerbitate pœnarum: dicat vnusquisque nostrum qui potuerit sustinere ac perpeti: Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan perissem in humilitate mea. Quãta simul coaceruata sunt vt in illa afflictione Iob sanctus periret? Sed quia patriarcharum moribus informatus, oraculorúmque cœlestium & naturalis legis erat institutione formatus, ideo in tentationibus tantis perire nõ potuit. Denique cùm amisisset tã amplas subitò facultates, charissimos filios: quasi is cui meditatio quotidiana esset in lege diuina, ait: Nudus exiui de ventre matris meæ, nudus ibo eò. Dominus dedit, dominus abstulit: sicut domino placuit, ita factũ est: sit nomen domini benedictum. Perfusus etiam corporis totius vlceribus, cùm tentaretur vxoris alloquiis, qui meminisset Adam sic esse deiectum dum propriæ credit vxori, respondit: Sicut vna ex insipientibus mulieribus locuta es. Quòd si illam quasi sapientem voluisset audire, ipse sapiens non fuisset. Tentatus etiam diuersis alloquiis amicorum, cùm fidei stabilis immobilisque patiẽtiæ præmia meruisset à domino, nónne dicebat: Nisi quia lex tua meditatio mea est, tũc forsitan perissem in humilitate mea? Quàm gratè hoc dicit hodie qui in martyrio plurima flagella sustinuit, equuleo & vngulis, plumbo, laminis ardẽtibus, gladióque comprobatus? Potuit enim perire nisi meditatus in lege, grauiora præsentibus futura supplicia credidisset. Quanta sanctus Ioseph pertulit, quàm acerba, quàm dura? Primum fratrum odia, degeneris seruitutis ærumnas, parentibus defraudatus, ablegatus exilio, negociatorum vernula, & Aegyptij ignobilis vile mancipiũ. Quæ potuit nobilis prosapiæ puero grauior esse tentatio, quàm vt tanto familię splendore deiectus, seruiret apud Aegyptios? Est cõsolabilis seruitus, seruire vel iustis. Aequitate domini leuatur iniuria seruitutis. Tanto igitur genere deiectus, satis gratum habebat si ministro regio suum obsequium probaretur. Nec hoc quidem satis fuit ad tentationis acerbitatem, rediit aduersarius ad suas artes, totásque vires suas omni fraude commouit, vt per mulierem laqueos innoxiæ necteret conscientiæ. Concitauit in eum libidinis stimulis vxorem domini sui, quæ adulterinos à seruulo concubitus flagitaret: vt si acquieisceret, crimen impleret: si recusaret, incideret offensam, nexum calumniæ non euaderet. Denique trusus in carcerem, & innocens inter noxios æstimatus, ab eo amplius cœpit vrgeri, cui fidem suam cum periculis præstitisset. Sed quia contumeliæ virum frangere nequiuerunt, mutata est tentatio, longè asperior specie prosperorum. Plurimos enim supplãtauerunt secundæ res, quos supplicia acerba non fregerant. Producitur è carcere nutu regio, interpretatur somnium, eligitur vt honore præstantior esset omnibus Aegyptiis, regi secundus, esurientibus populis alimenta diuideret. Obiiciuntur ei fratres, qui eum ad seruitutis iniuriam nõ fraterno amore vendiderant, vt vel contumeliæ & appetitæ salutis dolore tentatus excuteret germanitatis affectum. Sed vir iustus oblitus est contumeliam, cumulauit gratiam: eóque se magis fratrem voluit exhibere, quò fratres ipse nõ fuisset expertus. Denique hoc munere & fratres recepit, & patrẽ pia fraude quæsiuit. Quid igitur aliud melius diceret sanctus Ioseph, quàm istud ad dominum: Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan perissem in humilitate mea? Fertur prophetæ cuidam (& plerique ferũt de Esaia in carcere posito) cùm mole imminentis vrgeretur exitij, dixisse diabolum: Dic quia non à domino locutus es quæ dixisti, & omnium in te mentes affectúsque mutabo: vt qui indignantur iniuriam, absolutionem cõferant. Sed ille gratius iudicauit pro veritate supplicium, quàm pro adulatione beneficium. Quod vtique non feciisset nisi meditatione legis fuisset exercitatus. Sit ergo nobis quotidiana lectio pro exercitio, vt quæ legimus, meditemur imitari. In hac desudemus virtutum palæstra, vt cùm increpuerint tentamenta, non tanquam inexercitatos, non tanquam inexpertes spiritalium ciborum, & attenuatos ieiunio

Iob. 1.

Ibidem 2.

Gene. 39.

iunio lectionis tentationū tempus inueniat. Quod si athletitiis epulis paſtam animam noſtram potuerit inuenire, ſi ſit euangelicus ſuccus in nobis, ſi apoſtolicis eſcis maturitas noſtræ mentis thoros, animæque robuſta ſolidauerit: ſi frequenti meditatione memoria tenax præceptorum cœleſtiū parata ad tempus exempla deprompſerit, nulla tētationum poterit nos perturbare congreſſio.

V. In æternum non obliuiſcar iuſtificationum tuarum *, quoniam in ipſis viuificaſti me domine.

* Iuſtificationes tuas. Græc. 3.

Lex ſecundum Apoſtolum pædagogus eſt paruulorum, donec ad perfectæ fidei maturiorē quandam veniamus ætatem. In lege autem mandata ſunt iuſtificationes, teſtimonia iuſtitiæ præcepta. Viuificabimur ergo in lege. Vnde ait Apoſtolus: Lex autem non eſt ex fide: ſed qui facit illam, viuet in ea. Sed quia idem ſupra ait, Quoniam in lege nemo iuſtificatur: intelligis vtique quia iuſtificatio legis ſpecies eſt & imago, non veritas. Secundum veritatem ergo & perfectionem nemo iuſtificatur in lege, ſecundum ſpeciem iuſtificatur. Ergo ſanctus Propheta, qui adhuc in legis iuſtificatione viuebat, videbat autem fulgorem euangelij: quaſi memor veteris diſciplinæ legis, tāquam pædagogo vtili gratiam reſeruabat. Conſidera aliquem excedentem ex ephebis in diuitiis & honoribus conſtitutū, pædagogo ſuo honorificentiam reſeruatam habere, cuius officiis informatū ſe eſſe cognoſceret, vt maturiorem regere poſſit ætatē. Monet ſiquidem etiam ipſa lex, vt his quæ nobis aliquando profuerunt, nequaquā eſſe debeamus ingrati. Nam ſicut habemus in veteri teſtamēto, paſcha celebratū eſt in Ægypti finibus, cùm adhuc ſub rege Pharao poſiti patres noſtri deplorarent miſeræ ſeruitutis iniuriam: & poſtea liberati rurſus in terra repromiſſionis paſcha celebrarunt: ſuperius ad cōmonitionē, poſterius ad recordationem. Si quis ergo interroget Hebræum, qua ratione in Ægypto paſcha celebratum eſt, reſpondebit: Quia regi Pharao adhuc ſeruitutis vinculo obnoxij tenebamur. Ille agnus patrum populum liberauit, ille agnus vocauit ad libertatem, ille agnus maris profunda ſolidauit, vt Ægyptum tranſire poſſemus. Quotiens ergo paſcha celebramus, meminiſſe debemus veteris ſeruitutis, & nouæ libertatis: quid fuerimus, & quid acceperimus. Non enim poteſt plenè quis intelligere quid acceperit, niſi meminerit antè quid fuerit. Non ergo obliuiſcamur, quia dominus Ieſus agnus dei mundi hoſtia ſoluit nos grauium nexibus delictorum, quibus Pharao ille teterrimus, non vnius Ægypti, ſed ſeculi iſtius princeps vinculo ſeruitij grauis nos tenebat aſtrictos. Non obliuiſcamur in eternum, vt cùm venerimus in illam verè terram repromiſſionis, vbi eſt regio viuorum, meminerimus quanta hic nobis Pharao dirus intulerit, quid perpeſſi in hoc ſeculo ſimus, quibus tandem erepti malis: & agamus gratias eripienti nos domino Ieſu, qui perturbatorem omnium fecit eſſe captiuum.

VI. Tuus ſum *, ſalua me domine, quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui.

* al. ego, ſalvum me fac.

Facilis vox & communis videtur, ſed paucorum eſt. Satis rarus eſt enim qui poteſt dicere deo: Tuus ſum. Ille enim dicit, qui adhæret deo totis ſenſibus, qui aliud cogitare non nouit. Ille hac voce vtitur, qui poteſt dicere domino: Oſtēde nobis patrem, & ſufficit nobis. Nunquid hac voce vtitur auidus pecuniæ, honoris, poteſtatis? Multis non eſt ſatis deū ſcire, & quidem pluribus. Tanti populi, tantæ nationes, tanti diuites paupertatem putant domino ſeruire, & qui ſupra omnes eſt, illis exiguus & anguſtus eſt: illis non eſt ſatis dei filius, in quo ſunt omnia. Deniq; ille dies in euāgelio, cui dictum eſt: Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: deum ſibi non ſufficere iudicauit. Deniq; & contriſtatus eſt, quaſi pluris eſſet quod relinquere iuberetur, quàm quod eligere. Ille ergo dicit, Tuus ſum, qui poteſt dicere: Ecce omnia reliquimus, & ſecuti ſumus te. Apoſtolorum itaque vox iſta eſt, nec omnium tamen apoſtolorum. Nam & Iudas apoſtolus fuit, & in conuiuio Chriſti inter apoſtolos recumbebat. Dicebat & ipſe, Tuus ſum: ſed voce, non corde. Venit & introiuit in eum Satanas, & cœpit dicere: Non eſt tuus Ieſu, ſed meus eſt. Denique ea quæ mea ſunt, cogitat: quæ mea ſunt, in pectore ſuo voluit: tecum epulatur, & mecum paſcitur: à te panem accipit, à me pecuniam: tecum bibit, & mihi tuum ſanguinem vendit: tuus eſt apoſtolus, & meus mercenarius. Non poteſt dicere ſeculāris, Tuus ſum: plures enim dominos habet. Venit libido, & dicit, Meus es: quia ea quæ ſunt corporis, concupiſcis: in illius adoleſcentulę amore te mihi vendidiſti: in illius concubitu meretricis precium pro te annumerauit: venit auaritia, & dicit: Argentum & aurum quod habes, ſeruitutis tuę precium eſt: poſſeſſio quam tenes, iuris tui emptio, venditio libertatis tuæ eſt. Venit luxuria, & dicit: Meus es, vnius diei conuiuium preciū tuæ vitæ eſt: Ille ſumptus epularum, tui capitis licitatio, tui eſt ſumma cōtractus: & quod peius eſt, caro emptus es precio, vilior cibo es tuo: precioſior eſt vnius diei menſa tua, quàm totius temporis vita. Inter calices te redemi, inter epulas acquiſiui. Venit ambitio, & dicit tibi: Planè meus es, Neſcis quòd ideo imperare aliis te feci, vt mihi ipſe ſeruires? Neſcis quòd ideo poteſtatē in te contuli, vt meæ te ſubiicerem poteſtati? An ignoras ipſi domino ſalutari dictum eſſe ab huius mundi principe, cùm ei oſtēdiſſet omnia regna mundi: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me? Antè ergo ipſe ſubiicitur, qui alios vult habere ſubiectos. Veniunt omnia vitia, & ſingula dicūt: Meus es. Quem tanti competunt, quàm vile mancipium eſt? Quomodo ergo tu qui huiuſmodi es, potes Chriſto dicere: Tuus ſum? Reſpondebit tibi ille: Non quicunque dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum cœlorum: non quicūque dicit mihi, Tuus ſum, meus eſt. Meus planè es, ſi vocem nō redarguat conſcientia, ſi ſermonem tuum animus aut opera non refutent. Ego non nego meum eſſe eum qui ipſe ſe non neget, aut certè ſi pro me ſeipſum ſibi abneget. Nolo habere ſeruulum plurimis dominis ſeruientem. Nam quomodo meus eſt, ſi mihi dicat verbo, Tuus ſum: & operib⁹ neget, & factis ſe diabolo adiudicet, & obſtringat? Non eſt meus quē libido ſuccendit, quia mea eſt caſtitas. Non eſt meus quem cura ſpoliandi minores exagitat, quia mea largitio eſt. Non eſt meus quē aura mobilitatis inquietat, quia mea tranquillitas eſt. Non eſt meus vini crapula temulentus, illuuie ambitionis impurus, gloriæ ſecularis cupidus, ebrius in periculum, qui nō poteſt ſobriæ moderationis ſeruare veſtigium. Pax ſum ego, litigare non noui. Vt quid mihi eum de quo veniat diabolus, & dicat: Meus eſt? Nam mihi ſua colla curuauit, mea in illo plura reperio: nomen ſibi tuum vindicat, & meum munus. Non eſt ergo Chriſti, niſi qui eſt alienus à crimine: nō eſt Chriſti, niſi qui poteſt ſemper ſe Chriſti ſeruulum demonſtrare. Nam ſi quis mutabilis eſt, vt ego, qui aut mœrore mutor, aut indignatione, non eſt Chriſti. Venit ira, & dicit: Meus eſt: ante horam meus erat, ſpero quòd iterum meus fiat. Venit triſtitia, & dicit: Meus eſt: ante horam in mea poſſeſſione fuit, in meo iure: erigere animū præ mœrore non poterat, nec oculos leuare: & ſi triſte aliquid acciderit, ad me illico reuertetur. Quis ergo eſt dei, niſi qui poteſt dicere: Nihil mihi conſcius ſum? Ideo dicebat Paulus apoſtolus domini noſtri Ieſu Chriſti, quia nulli alij obnoxius tenebatur. Ego autem nunc dei mei ſum, nunc triſtitiæ, nunc iracundiæ, nunc verbi ocioſi: & ideo qui plures dominos habet, non poteſt vni dicere: Domine Ieſu, tuus ſum. Vnde arbitror etiam de huiuſmodi dominis dixiſſe Paulū: Nam etſi ſunt qui dicantur dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra: nobis tamen vnus deus pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus dominus Ieſus, per quē omnia, & nos per ipſum. Vbi igitur totus erat apoſtolus Paulus, ideo dicebat: Quoniā experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus. Ille ergo dicebat: Chriſti ſum, & reſpondebat ei dominus, Meus es. Qui verè dicit, Tuus ſum: audit à domino, Meus es. Denique de ipſo dominus ad Ananiam, cùm mitteret eū ad ſanandum Paulum, ait: Vade, quoniam vas electionis eſt mihi. Et quia perſeuerauit Chriſti eſſe, quaſi implero certamine coronam meruit inuenire iuſtitiæ. Rectè ergo prophēta Dauid dixit: Tuus ſum, qui ſemper in deo manſit. Et qua ratione dixerit, Tuus ſum, addidit: Iuſtificationes tuas exquiſiui: hoc eſt, nihil aliorum quæſiui, ſed id ſolùm quod tuum eſt deſideraui. Alij quærunt monilia precioſa,

ego

1525

ego solas iustificationes tuas quasi quædam serta iustitiæ. Alij domum ad domum, villam ad villam iungunt, quasi soli habitare possint in terra hac, & elementū volunt occupare commune: alij possessionem aëris ipsius vindicare: mihi in tuis iustificationibus omne patrimonium est. Nescio possidere nisi quod tui iuris est. In tuis eloquiis spiritalis mihi cura refulsit argenti. Mihi portio deus est. Tuus sum ego, quia pars mihi hæreditatis non in auro, non in argento est, sed in Christo Iesu.

Me expectauerunt peccatores vt perderent me, testimonia tua intellexi.

Potest vox ista conuenire martyrio, in quo positus sanctus iam de iudicio persecutoris egressus dicat: Me expectauerunt peccatores vt perderent me: hoc est, adhibuerunt omnia genera pœnarum, omnes artes persuasionum, sed de proposito abducere nequiuerunt. Vicit fides vitæ huius illecebram corporisque cruciatum, expectauerunt peccatores vt de me triumphum referrent: sed gratias Christo, qui mihi dedit de persecutoribus triumphare. Redite victi, qui spernabatis vos esse victores: redite deiecti, qui veneratis superbi. Vbi est victoria tua, vbi est mors aculeus tuus? Non tua iam, sed nostra cœpit esse victoria: quia in te vincimus, in qua antea vincebamur. Bene ergo dicit martyr: Me expectauerunt peccatores, vt perderent me. Post momentum, imò in corpore adhuc positus videt deducentium choros, angelorum gaudia. Qui enim super vnius peccatoris conuersione lætantur, quanto magis in passione iustorum? Videt gloriam, & ait: Me expectauerunt iusti, vt deducerent me. Videt dominum Iesum, & ait: Me expectauit Christus, vt coronaret me. Aliter qui vult intelligere: Multi, inquit, peccata mihi, alius adulterium, alius hominis necē, alius oppressionem viduæ vel pupilli, alius aliud, & putabant me suis retibus esse capiendum. Expectauerunt me, vt perderent contagione peccati: sed ego non illecebris peccatorum mentem à studio diuinæ cognitionis auerti, nec intentionem meā domine à mandatorum tuorū serie declinaui, sed intellexi testimonia tua. Si enim non intellexissem, peccatores me vtique illi perdidissent. Quæ intellexi vtique sensu, etiam operibus secutus sum. Neq; enim nudus intellectus est, sed quē etiam facta testantur. Denique beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Ille vtique intelligit super egenum & pauperem, qui largitur pauperi. Nam quid prodest misereri inopis, nisi alimoniam eidem largiaris?

Omnis cōsummationis vidi finem, amplificum † mandatum tuum valde †.

Non possumus in omnibus vim Græci sermonis exprimere: maior in Græco plerunq; vis & pompa sermonis est. πλος dicitur Græcè, quod nos Latinè & finem dicimus & consummationem. τέλος autē & consummationis ipsius finis est: sicut finis legis est Christus ad iustitiā omni credenti. Habes scriptum: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Consummatio ergo seculi, finis seculi est: finis autem omnium Christus. Cōsummationes autem multæ. Est cōsummatio, quando & resurrectio ad salutem. Consummatum quoque opus, dicitur perfectum opus. Consummata malitia dicitur, id est plena, cui nihil desit ad studium & artem nocendi. Est cōsummatio hominis, & multę cōsummationes, donec ad perfectum veniat. Legimus ergo & consummationem seculi, legimus & finem. De consummatione seculi supra posuimus exemplum, quam sequitur resurrectio. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Post resurrectionem commutatio, vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt: deinde finis, cùm tradiderit regnum deo & patri, cùm euacuauerit omnē principatum & potestatem. Ergo cōsummationem seculi sequitur finis iuxta Apostolum. Vnde colligitur quòd sequatur finis omnem consummationem. Mundus in maligno positus est, vt dixit Ioannes: ergo & seculum in maligno est: mundus plenus peccati. Consummauerat malitiam suam mundus, sicut consummauerat Saul, cuius videns cōsummatam malitiam Ionathas filius in Dauid prophetam, eidem nūciauit vt declinaret & fugeret. Est ergo consummatio malitiæ, cōsummatio peccatorum. Venit agnus dei, qui tulit peccata mundi, qui est Christus Iesus. Finis legis, principiū & finis, & remissio peccatorum. Hunc finem cōsummationis vidit Propheta in spiritu, qui cōsummatum seculi aboleret errorem, vidit sanguine eius diuersa omnium peccata mundari. Bene ergo dixit: Omnis consummationis vidi finem: hoc est, vidi consummati adulterij remissorem, vidi consummatæ luxuriæ atque lasciuiæ, consummatæ crudelitatis atque sæuitiæ, omnis postremò flagitij per crucem suam delicta donantē. Est & etiā consummata virtus, consummata sapientia, consummata iustitia, sed habet finem. Finis omnium virtutum Christus, qui finis est legis ad iustitiam omni credenti. Vides quia finis est fidei? Bene ergo ait: Omnis consummationis vidi finē. Nunc quia cōsummationis finem agnouimus, agnoscamus quid sit. Latum mandatum tuum valde. Legimus quòd angusta sit porta per quam ingrediātur qui æternæ vitæ fructum adipiscantur. Rara enim virtus, difficilis est passionum tolerantia. Plures sunt qui seculi huius spatiosa sectentur, qui dicant: Angusta & arta nobis est via quæ ad dominum ducit: conterimur in illa: relinquamus eam. Quomodo ergo dicit Propheta latum mādatum dei, & valde latum? Ideo quia angusta via, latum mandatum necessarium est. Denique hic ipse Propheta ait: In tribulatione dilatasti mihi. Et iterum: In tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine. Hæc latitudo mandatorum cœlestium cor Prophetæ dilatabat, dilatabat & apostoli. Deniq; & ipse dicebat: Os nostrū patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatū est. Dispensando enim cœlestia mandata cor suum dilatauerat: & quod ante persecutionis perfidia coartabat, hoc Christi amplificauit gratia. Et qua ratione latum mandatum? Ne nos coartaremur angustiis mandatorū. Vnde ait: Non coangustamini in nobis. Si hoc Paulus, quanto magis Christus, qui clausa reserauit? Ergo dicit: Nolo coartetur in me populus meus in angusto virtutum tramite, debet latitudo præcepti mei viantibus esse solatio, ne quis deficere possit aut conteri. Ambulemus ergo in dei mandato, quia satis latum est. Est enim latum mandatum sapiētia, quę in exitu canitur, in amplis autem fiducialiter agit. πλατεῖα enim Græci sermonis est, quæ Latinè dicitur latitudo. Dilatemus igitur cor nostrū, vt recipiamus apostolicæ vim sertentiæ, quæ ait: Capite nos. Recipiamus ergo eius sermones in cor nostrum, induamus viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam. O homo quàm latus es si ad amplitudinem præceptorum cœlestium sinum mentis tuæ expandas? Quàm latum mandatum est charitatis? Diligite, inquit, inimicos vestros. Omnes vtique affectu charitatis inclusit, qui non exclusit inimicos. Quis enim videtur exceptus, cùm recipiatur inimicus? Vnde Apostolus ait: Si fieri, inquit, potest, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non potest hoc Iudæis dici, nō Gentibus, vt cum omnibus pacem habeant. Illi vix suos diligunt, Christiano etiam inimicos non licet non amare. Christianum cùm dico, perfectum dico. In Christo enim plenitudo diuinitatis est, cuius nomen vsurpas. Qui vocabulum geris, interpretationē vocabuli perfectionémque cur refugis? Audi latum mādatum: Benedicite eos qui persequuntur vos, & nolite maledicere. Iste qui latum dicit esse mandatum, probauit suprà, dicens: Illi detrahebant, ego autem orabam. Quid orabas Dauid? dicito nobis ipse. Sed dixisti. Legi enim dicentem: Maledicent illi, & tu benedices.

A 1. Reg. 20.
Ioan. 1.
Rom. 10.
Matth. 7.
B
Psal. 4.
Psal. 117.
2. Cor. 6.
Ibidem 7.
Matth. 5.
Rom. 12.
C
Colos. 2.
D
Roma. 12.
Psal 108.
Ibidem.

Sermo tertiusdecimus.

MEm litera sonat in Latinū ex intimis, vel vt alij, ignis ex vltimis. Et vtrunque nō discordat à textu. Nam statim primus versus internorū viscerum charitatem exprimit, quæ vtiq; ex vltimis procedit medullis, & quodam nexu caloris implicatur ossibus. Denique in Threnis Hieremiæ textus literæ huius hoc continet: Ex alto suo misit ignem ossibus meis. Bonus ergo deus qui nobis immittit vnde diligentes eum, meritum sub conspectu

ם Mem.
Thren. 1.

conſpectu eius inuenire poſſimus. Quem mittat ignem, ipſe
Luc. 12. nos doceat. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi
vt accendatur? Bonus ignis quem deſiderat omnium ſaluator accendi, cùm præſertim ipſum deum legerimus ignem eſſe, qui noſtra peccata cõſumat, intimíſque pectoribus noſtris diuinæ cupiditatem agnitionis infundat, vt ardeat in nobis cor noſtrum cùm legimus diuinarũ ſeriem ſcripturarum, ſi fortè aliquid quo aperiãtur propheticæ lectionis occulta,
Luc. 24. intellectu aſſumamus ſpiritali. Hoc igne Cleophas cor ſuũ dicebat ardere, cùm ipſi & ſocio eius Chriſtus ſcri-
Ezech. 22. pturas aperiret. De hoc igne dixit dominus in libro Ezechiel: Ecce proficiſcar in Hieruſalẽ, & exufflabo in vos ignẽ iræ meæ, vt tabeſcatis à plũbo & ferro & reliquis materialibus. Profunda in verbis vſitatis videmus myſteria. Totum hoc ſpiritale. Quibus precibus emerear vt veniat dei verbũ, intret eccleſiam, fiat ignis conſumens, vt exurat fœnum & ſtipulam, & quicquid eſt ſeculare conſumat? Graue plumbũ iniquitatis, quod in pleriſque eſt, liquefiat igne diuino, & ferreus quidem peccati rigor ſuperno molleſcat incendio. Meliorentur vaſa aurea & argentea, vt omnis ſapientiũ ſenſus, omnis ſermo prudentium flagrantium paſſionum calore decoctus incipiat eſſe precioſior. Bonus ignis charitatis, quo corpus omne eccleſiæ in mutuam adoleſcit gratiã. Bonus ignis dilectionis, quo vnuſquiſque ſanctus ad reuerentiam ſui authoris accenditur. Sed qui deum diligit, non perfunctoriè diligit, ſed diligit legem eius, præcepta cuſtodit, iuſtificat cor ſuum, non dictorum ſonora prædicatione, ſed ſtudioſa factorum imitatione. Doceat igitur nos deus quemadmodum à ſanctis ſuis diligitur deus. Sic inquiens Propheta dicit:

I. Quomodo dilexi mandatum tuum † domine, tota die meditatio mea eſt.

† legem tuã

Diligentis circa ſtudium cognoſcendæ legis hæc vox eſt, quæ inſtruit perfectionem hominis, quam totus hic pſalm⁹
Matth. 22. informat. Et quoniam maximum mãdatum in lege eſſe cognouit vt diligamus dominum deum noſtrum ex toto corde noſtro, & ex tota anima noſtra: ſui imitatione nos quoq; quos erudire ſtudet, vult eſſe perfectos, dicens: Quomodo dilexi mandatum tuum domine. Hoc ipſo charitas creſcit affectu, quòd ipſum teſtem aduocat cuius munus dilectionis impenditur, nec ſpeciem, ſed plenitudinem charitatis ta-
Ioan. 21. li conuentione teſtatur. Hac vſus eſt Petrus: Tu ſcis, inquit, domine, quia diligo te. Sed qui diligit deum, legem eius diligit, ſicut Maria diligens filium, omnia verba eius in corde
Luca 2. ſuo materno conferebat affectu. Diligens te, feci volũtatem tuam, ſcriptum eſt. Ideo commiſit Chriſtus Petro vt paſceret gregem ſuum, & domini faceret voluntatem, quia charitatẽ eius agnouit. Qui enim diligit, ex voluntate facit quę ſibi ſunt imperata: qui timet, ex neceſſitate. Itaque dominus operationes ſeruulorum ſuorum ſpõtaneas probat, potius quàm coactas. Ideo ex ſeruis liberos facit, vt magis voluntatum noſtrarum munera, quàm neceſſitatum obſequia conferamus. Non poteſt dicere Marcionita, Quomodo dilexi legem tuam: qui legem non ſuſcipit. Non poteſt dicere Iudæus, qui legem ſpiritalem ignorat, & literam legis nudam, non ſenſum legis intellectúmque meditatur. Solus ergo dicit Chriſtianus, qui multum iam legis cognitione profecerit, qui non pœnam legis pauido corde formidet, ſed diuina myſteria veri Hebræi, veri ſabbati, veræ remiſſionis intrepido miretur affectu. Verè ergo diligit qui ſine triſtitia, ſine timore, voluntario potius ſtudio quàm coacto præcepta conſeruat.

II. Super inimicos meos intelligere me feciſti mandata tua, quia tu es.*

* al. prudẽtẽme feciſti mãdata tua, quia in eternũ mihi eſt.

Citò probauit diuturnæ meditationis effectum, quando intellexit ſuper inimicos ſuos domini mandatum. Sed quos habet inimicos Propheta, qui aut ſui populi viros legitima debet charitate complecti, aut alienigenas euangelica narratione vel prædicatione inuitare ad dei gratiam? Feræ conſortem naturæ ſuæ diligunt. Quomodo dilectionem cõformis ſui Propheta reſpuerat? Eſſe igitur iuſtam aliquam cauſam oportet, qua ij quos ſignificat, iure videantur inimici.

Ea quæ ſit, poſſumus inueſtigare ſi meminerimus quia alibi
A idem iſte dixit: Super inimicos tuos tabeſcebam, & iuſto o-
Pſalm. 138. dio oderam illos. Iſtos ergo euangelica authoritate ſuos inimicos dicit eſſe, qui inimici ſunt dei. Nam ſi is qui non relinquit parentes propter dei nomen, non eſt deo dignus: quãto magis qui diligit eius inimicos, acceptus deo eſſe non poterit? Quos ergo inimicos habet? Si gẽtiles, quomodo ſuper eos intellexit, quos prophetico credituros ſpiritu præuidebat? Deniq; vt benedicãt & ipſi dominum, in ſuperioribus adhortatus eſt. Et quæ magna laus ſuper eos intelligere qui metalla & ſaxa venerãdo ſimilẽ rigorem ſtuporis attraxerint? quos igitur habet inimicos, niſi hæreticos? Ipſi enim ſunt impugnatores fidei, veritatis inimici. Quos niſi Iudæos? Ipſi enim ſunt grauiores inimici, qui ex amicis facti ſunt inimici. Super eos intelligit, qui legem ſpiritalem eſſe intelligit. Quid ergo prodeſt lex, ſi finem legis ignores, ſi myſterium neſcias, ſi ſacramenta non noueris? Iudæis ex quibus agnus occiditur pro celebritate paſchali, nobis pro redemptione mundi vnigenitus dei partus virginis immolatur.
B Quid proficiunt Iudæi quòd ſanguine agni domos & poſtes ſuos illinunt? Nihil vtique, quoniam ligna his aut ſaxa prodeſſe non poſſunt. Nobis proficit omne myſterium qui abhorrere credimus à gratia ſpiritali, vt habitationes noſtras ſanguine pecudis cruentemus, ora noſtra cruore tingamus, ſed corpora noſtra ſacramento crucis dominicæ conſecremus, & confeſſione mortis domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctificemus oris alloquia. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Quid prodeſt quòd He-
Rom. 10. bræi aurem ſerui pertundit ſubula, & præputia ſui circuncidunt corporis? Non intelligunt penitus quid lex diuina diſcernat. Signa ſunt iſta, nõ veritas. Sed ille intelligit qui cor ſuum ſpiritali circũciſione caſtificat, vt colluuiem omnem corporeæ labis emũdet. Ille intelligit qui ſubulam & aurem mentis vigore tranſcendit, & illam animam quam pertranſiuit gladius ad reuelanda cordis occulta, perpetuæ præmio libertatis attollit: vel examinandis ſermonibus ſolicitè ſeruiẽs, quoſcunque virtutis ſuæ aure ſuſceperit, myſterio ſanC ctificat ſpiritali. Azyma ſibi Iudæus quotannis facere conſueuit, & neſcit ſe malitiæ eſſe fermẽtum. Sed qui intelligit quid ſit, vetus expurgat fermentum, ne totam maſſam corrumpat: veterem hominem cum actibus ſuis expurgat, vt fiat noua conſperſio veritatis. Iudæo iſta dicta ſunt, & Chriſtianus audiuit: quia dum aurem ſuam illa ſubula pertũdit, audire non potuit, vulneratam aurem gerens: non legis, ſed ſtultitiæ ſuæ ſubula cruentauit aurem ſuam, illa audiendo quæ ſpiritaliter reuelantur. Perforauit aurem ſuam ferro. Maluit enim in ferrũ quàm in verbum credere. Ideo ſeruit, ideo liber eſſe non meruit, ideo nec cõpleti temporis ei gratia ſuffragatur, quia plenitudinem temporis nõ recepit quo filius dei miſſus eſt ad ſalutem, & venit ad redemptionẽ factus ſub lege, natus ex virgine, victor mortis, largitor reſurrectionis. Manet ergo vulnus illi cui Chriſtus non reſurrexit. O vulnus quod ſarciri non poſſit, niſi fortè relinquat ſubulam, & ſumat ſibi gladium quo Chriſti nomen non refutet, vel quo corporalia à ſpiritualibus, vmbram à veritate diſtinguat: ſumat dei verbum, gladium bis acutum, & ex illo diuino ore doceatur mandatum domini præſcriptum le-
D gis agnoſcere, quòd non temporalis habeat obſeruantiam celebritatis, ſed ſalutaria & ſempiterna remedia ſucco gratiæ ſpiritalis infundat. Tota ergo die in lege meditare, non perfunctoria tibi debet eſſe tranſcurſio. Si agrum emere velis, ſi mercari domum, prudentiorem adhibes, & quid iuris ſit, diligenter conſideras: & ne in aliquo fortè fallaris, tibi ipſe non credis. At nunc tuipſe emẽdus es tibi, de tuo precio tractatur: cõſidera qui ſis, quod nomen habeas, quid acquiras tibi: non agrum, non pecuniam, non gemmarum monilia, ſed Chriſtum Ieſum, cui nulla poſſint precia, nulla ornamenta conferri. Adhibe tibi conſiliarios, Moyſen, Eſaiam, Hieremiam, Petrum, Paulum, Ioannem, ipſum magnũ conſiliarium Ieſum dei filium, vt acquiras patrem. Cum his tractandum, cum his conferendum eſt tibi, tota meditandum eſt die. Sic meditabatur Dauid, & hæc erat illi ſola meditatio. Non ſecularibus animus traducebatur illecebris, nõ pecuniaria

1529 cuniaria coacernandi patrimonij cupiditate flagrabat, non proferendi limitis, excludendíque finitimi anxius curarum æstus studium meditationis intētum reflectebat affectum. Quicquid poterat temporis dies habere, hoc totum sola sibim lege meditatio vindicabat. Sed etiam hoc parum est diligenti, qui velit ad beatitudinis gratiam peruenire. Beatus enim die ac nocte meditatur in lege. Angustior dies est meditatione doctrinæ. Non tantus dies in tēpore, quantus meditatus in lege. Vnde vide ne illud magis videatur significare, quòd ei qui in lege meditatur, semper dies est, & lumē sine defectu, quod nullæ tenebræ noctis interpolent. Alioquin quomodo negligentiorem in processu operis declaret, quem diligentiorem in ipsis operis sui propheta principijs esse voluisset? In die ergo meditatur legis & euangelij prædicator. Et fortasse illi qui nouum non recipiunt testamentum, in nocte legerunt, & ideo nescierunt neque intellexerūt. Vnde etiam saluator, ne nos legeremus in tenebris, admonet dicens ambulandum in die, quia non offendit qui in die ambulat. videt enim gratiam lucis. Qui enim ambulat in tenebris, scopulum offensionis incurrit.

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.

Doctrinam profitentur scribæ Iudæorum, quia legem & prophetas ipsi priores habere meruerunt. Sed illi profitentur docere, sed non docent. Ei autem populo qui est ex gentibus, competit dicere: Super omnes docentes me intellexi: quia illi non intellexerunt. Respondet Iudæus: Vnde habuisti intelligere? Scriptum est: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: seniores, & dicēt tibi: Ego sum pater tuus, me interroga. Sed etsi interrogauero, non respondebitis mihi, dixit Iesus: & ex illo noui respondere, & ex illo supra illos intelligo qui non intelligebant, quia testimonia didici, quæ ille non nouit. Didici: Qui sequitur me, tollat crucem suam. Didici: Diligite inimicos vestros. Et ideo optat anathema esse Paulus pro fratribus genere, inimicis fide. Videretur inconueniens esse verecundiæ prophetali huiusmodi vsurpatio, eo quòd præsumpserit dicere quòd super omnes docentes intellexerit, cùm vel legem Moyses acceperit à domino, & populo eius instituta tradiderit. Aarō sacrificiorum omnium decurso ritu sacerdotalem docuerit disciplinam, Iesus Naue significauerit quemadmodum circuncisio possit iterari. Samuel vnctionis propheticæ pariter ac regię sacramēta ministrauerit †. Videretur inquam incongrua præsumptio, nisi præmisisset superiora, quibus non immeritò super docentes intellexisse se comprobaret. Debuit hanc assumere confidentiam, qui docebatur à domino: & mādatum quo docebatur, domini erat: & ipse dominus, qui docebat. Meritò super omnes intellexit, quem docebat ipsa sapientia. Vnde & alibi ait: Beatus quēm tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Ostendit igitur, quòd diuinum est, homines docere nō posse: & ideo qui docere præsumunt, nescīūt, sed agnoscit discipulus qui docetur. In quo? Propter donum scientiæ quod de spiritu sancto fuerat consecutus. Moralis quoque suauis locus est, quòd multi docentes sunt qui id quod non intelligunt, docere se dicunt, & plurimi sunt discipuli qui studio suo assequuntur & industria, quod non dicerunt à magistris. Denique ante nos quidam interesse dixit inter docentes atque doctores, fortasse hoc arbitratus, quia doctores sunt alienorum iudicio ad hoc munus electi, docentes autem qui propria vsurpatione hoc sibi munus assumpserint. Sed cedāt necesse est ei doctores quoque, quem testimoniorum meditatione cœlestium doctrina dei docentis imbuerit.

Super seniores† intellexi, quia præcepta † tua exquisiui.

Nec hoc quidem difficile, vt is quem dominus docuerit, super seniores intelligat. Siquidem dei gratia erogata ad doctrinam, maturitatem ætatis supergreditur senilis. Cùm enim ætas senectutis vita immaculata sit, vtique doctrina vitæ immaculatæ senilem præstat ætatem. Denique excusanti Hieremiæ quòd iuuenis esset, responsum est: Noli dicere, iuuenis sum: eo quòd non æstimaretur iuuenis definitione diuina, qui canam haberet prudētiam, quæ sanctificationis cœlestis gratia reluceret. Veruntamen non mihi videtur seipsum laudare Propheta, & prę ferre senioribus, cùm legerit: Non te prætereat narratio seniorum, & ipsi enim didicerunt à patribus. Nam & alibi Sirach dixit sapientia: Vbi sunt senes, nō multum loquaris. Sed nouit quibus se præferat senioribus, inueteratis scilicet in peccato, & veterno impietatis, atque senio perfidiæ delyrantibus. Isti sunt seniores plebis qui dominum Iesum Pilato præsidi tradiderunt. Conuenerunt enim sacerdotes, & scribæ, & seniores, vt ait Marcus. Et iterum: Fecerunt sacerdotes consilium cum senioribus vt eum traderent. Et aduersum apostolos, in Actibus eorum, quòd seniores Israel cōuenerint, Petrus sanctus & Lucas euangelista testantur. Non ergo senili derogauit ætati, sed voce populi iunioris indocilem dei vetustū illum dierum Iudæorum fore populum prophetauit, qui quod in iuuentute sua non acquisierit, & in senectute inuenire non potuit. Nanque à principio frequentibus dominum exasperauit offensis. Cuius igitur gratiā cùm esset iuuenis non poterat emereri, huius aduentum senex nō meruit agnoscere, huius donum tenere non potuit. Speciosum autem in canæ iudicium senectutis sensu est: & veterani consilij scientia, intellectus maturitate, non vitæ longæuitate profertur. Exquiramus ergo mādata dei, vt super seniores, intelligamus. Fugiamus viam lubricā peccatorum, vt possimus præcepta custodire cœlestia. Hoc enim declarant sequentia. Super seniorem Esau intellexit Iacob iunior frater: quia cùm senior Esau prærogatiuam sibi benedictionis priuilegio ætatis exposcit, reliquit epulas mitiores, dum quærit agrestes. Profecto illo in venationem directo, iunior frater vestimēta eius accepit, & mihi tradidit populo nationū, materno vsus consilio. Illam ergo sapientiæ stolam quam habuit antea populus Iudæorum, induit me Rebecca. Stola eius bona lex & prophetæ. Hac stola ille populus est nudatus, nos induti sumus. Induit nos mater illa Hierusalem, quæ in cœlo sursum est. Accedimus ergo ad patrem, offerimus illi epulas mitiores, patientiæ cibos, misericordiæ lenitatem, intellectus suauitatem. Accipio benedictionem, prę ripio fratri seniori gratiam spiritalem. Venit ille, iracscitur: non inuenit quod accipiat. Mater occurrit, & pio nos hortatu informat. Residet penes me stola illa bonis intexta mandatis.

Ab omni, inquit, via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua. V.

Verè dignus qui super seniores intellexerit, quandoquidē diuino est honoratus spiritu vt seniores doceret non solùm intellectus veritatem, verumetiam peccati fugam, culpæque cautelam. Itaque cùm fragilitas humana prona sit vt labatur non ad vnum affectibus malum, & currentem cuncta in præceps suscipiant probra, atque toto è vestigio feratur in vitium: docet quemadmodum vitæ istius lubricam declinans semitam, itineris huius anfractus viantem implicare non possit. Prohibui, inquit, pedes meos à maligna via, hoc est, ab istius seculi vanitate, quia seculū in maligno positum est. Dubium quicquid est, & ancipitis effectus, hoc malignum est, vt lux dubia, maligna dicitur: ita malignum est quicquid admiscet malitiæ tenebras veritati. Reuoca ergo ab istius mūdi lubrico pedes animi tui, & mentis incessum. Prohibe, inquam, resiste cupiditatibus, obsiste motibus, qui videntur irruere sicut bestiæ atque iumenta, vt teneros fructus & noua ruris huius nostri culta depascāt. Prohibui, inquit, pedes meos. Non vtique corporis pedes prohibuit, qui mentis piæ plerunque obsequuntur arbitrio. Neque enim prohibendi sunt cùm prodeūt ad dei templum, viduę opem ferre festinant, impium præuenire, supplātare aliquem fraudulentum. Alius igitur est pes qui iure prohibetur. Qui ille sit, ipse propheta nos doceat. Non veniat, inquit, mihi pes superbiæ. Est etiā pes iniquitatis, qui citò labitur, stare non potest, sicut perfidorum est, de quibus scriptum est: Ibi ceciderunt operantes iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Prohibe ergo pedes tuos ne cadas. Sunt enim non solùm criminum, sed etiam infirmitatis pedes. Et videndum ne cadas. Et videris tibi forsitā bene stare, sed dicit tibi Paulus:

Eccli 8. Eccli. 32. Marc. 14. & 15. Act. 4. Eccli. 25. Gene. 25. & 27. 1. Ioan. 2. Psalm. 35. Ibidem.

1.Cor.10. lus: Et tu qui ſtas, vide ne cadas. Diligenter attende viam tuam, vt audias: Tu autem hic ſta mecum. Stans enim cum
Pſalm.34. domino lapſum timere non poteris. Stans cum domino, poteris dicere: Eruit pedes meos à lapſu, ſed ita eruit dominus pedes tuos ab omni lapſu, ſi cognouerit quòd tu prohibeas pedes tuos à lapſu. Ideo hoc meruit Dauid, vt deus à lapſu pedes eius erueret, quoniam pedes ſuos ipſe prohibebat, ne præcipiti atque incauto peccatorum laberētur veſtigio, vnde & potuit verba cuſtodire diuina. Non enim cuſtodire quis poterit, niſi potuerit prius ſtare. Cùm autem cuſtodierit, ipſe incipit dei verbo ferre cuſtodiam. Prohibitos pedes ſuos à via maligna bene dicit qui Chriſtum viam eſſe nouit.

VI. A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi.

Expoſuit quid eſſet à via maligna prohibere pedem, à iudiciis vtique non declinare diuinis, & firmum atque immobile perſeuerantis innocentiæ tenere veſtigium, non deflectere gradum, nec de curriculo auertere diſciplinę, ſed ſemitis non ſolum veteris in Syna, ſed etiam nouæ legis inſiſtere ſecundum euangelij claritatem. Eſt etiam euangelij lex, de
Pſalm.9. qua dixit in ſuperioribus hîc Propheta: Conſtitue domine legiſlatorem ſuper eos, ſciant gentes quoniā homines ſunt. Aduentum vtique domini intelligimus prophetari, vocationem gentium, quę antè in lutum quoddam corporis huius videbantur infixæ, voluptati corruptionis ſuæ tanquam fæci & libidini inhærentes, quia dominum neſcierunt. Et ideo iratus, Auertantur, inquit, peccatores in infernū: vt non viderent deſcendentem & aſcendentem animam domini Ieſu, & conuerterentur ad dominum, qui conuerti cùm viuerent noluerunt. Sed de illis dicit gentibus quæ obliui-
Ibidem. ſcuntur dominum. Scierunt ergo & obliti ſunt: tamen prophetica benignitate orat vt exurgat dominus, non præualeat homo, vt cogitationes terrenę & motus omnes feruentes huius corporis conquieſcant. Iudicentur gentes, quoniā tunc cognoſcitur dominus cùm timentium conuertit affectus grauis terrore iudicij, & diſcant gētes quoniam homines ſunt, luti corruptione ſolubiles, & limo dureſcente formati, quod antè qui legem non acceperant, neſciebant. Vnde Propheta quaſi & ipſe perturbatus terrenæ fragilitatis contemplatione ait: Vt quid domine receſſiſti longè? Bene timet qui hominē ſe eſſe cognoſcit, ſed quia plus timet nobis, qui ſumus ex gētibus peccatores, precatur ne longè fiat à ſuis gētibus: vt qui longè eramus, incipiamus eſſe propiores, & ſciamus quia homines ſumus, ad imaginem ſcilicet & ſimilitudinem dei facti, quibus per virginis vterum etiam Chriſtus noſtri cōformis eſt factus. Rectè ergo & ad infirmitatem accipitur & ad gratiam. Sciant gētes quoniam homines ſunt: altero per cōmune quoddam atque carnale conſortium beſtiarū, altero per imaginem. Per imaginem dei, & carnis dominicæ ſacramentum, dignitas eſſe cœpit quæ ignobilitas videbatur. Meritò ergo non declinauit à iudiciis dei populus nationum, qui poteſt dicere: Quoniam tu legem poſuiſti mihi. Non per Moyſen, non per prophetas, ſed ipſe per te Ieſu legem poſuiſti mihi, hoc eſt, euangelium. Ideo non declinaui, quia te aſpexi, & itinera tua cognoui, & te ſecutus veram cognoui viam. Ideo itaque prædicationem audiens euangelij quam propheticus ſpiritus præcinebat, ait:

VII. Quàm dulcia faucibus meis verba * tua ſuper mel & fauum * ori meo.

*al. eloquia *al. nō habet, & fauū.

Et bene dulcia, quibus prædicatur remiſſio peccatorum, vitæ perennitas, reſurrectio etiam defunctorum, quæ perpetuæ mortis & acerbæ amaritudinem temperarūt. Per hæc
1.Corin.15. mortem cœpimus non timere, qui cœpimus dicere: Vbi eſt mors victoria tua? Et bene faucibus dulcia, eo quòd intimis infuſa viſceribus gratia ſpiritalis ſit. Super mel & fauum, inquit, ori meo dulcia. Et ideo quia dulcia nobis verba tua
Cantic.4. eſſe cœperunt, dicit ad eccleſiam: Fauum diſtillant labia tua
Prou.16. ſponſa. Qui ſit fauus, doce nos Salomon. Tu enim dixiſti: Fauus mellis ſermōnes boni. Et verè bonus fauus quem mādūcat eccleſia, multorum prophetarum velut apum ſpiritali vbertate congeſta mella redolentem. Hoc eſt mel de quo ait: Māducaui panem meū cum melle meo, bibi vinum
Cantic.5. meum cum lacte meo. Myſticus ſermo cœleſtium ſcripturarum ſicut panis eſt, qui cōfirmat cor hominis velut fortior cibus verbi. Suaſorius autem ethicus dulcis & mollior, eo quòd ethica prædicatione mentis interna mulcentur. Amara febribus, id eſt pœnitentia delictorum, miti corda ſermone dulceſcunt. Stillant mel labia prædicantis, quando colliſa duris caſibus vel ruinis, lapſæ animæ membra refouētur.
Ibidem. Eſt etiam vis feruentior verbi, ſicut & vini. Eſt etiam in lactis ſpecie ſermo lucidior. Edite, inquit, proximi mei, & bibite, & inebriamini. Bona ebrietas, quæ ad meliora atq; iucunda facit quendam mentis exceſſum, vt immemor ſolicitudinum animus noſter vino iucūditatis hilaretur. Bona menſæ ſpiritalis ebrietas. Denique poculum inebriās quàm
Pſalm.22. præclarū. Sed & alibi habes: Riuos eius inebria, multiplica
Pſalm.64. generationes eius: eo quòd ebrietas terræ cùm infuſa fuerit imbre cœleſti, ſuſcitare ſemina, fructus multiplicare cōſueuerit. Itaque vbi verbum quòd ſicut pluuia deſcēdit de cœlo, venas terræ noſtræ vel animæ ac mentis noſtræ inebriauit prædicatione diuina, excitauit virtutum ſtudia diuerſarum, fructúſque fidei & caſtæ deuotionis adoleuit: meritó-
Ibidem. que ei dicitur: Viſitaſti terrā, & inebriaſti eam. Suſceptione etenim corporis viſitauit vt ſanaret infirmos, inebriauit gratia ſpiritali, vt anxios iucūditate mulceret. Rectè ergo ſpōſæ dicitur: Fauum diſtillant labia tua ſponſa, mel & lac ſub
Cantic.4. lingua tua. Os enim iuſti diſtillat ſapientiā, de ore iuſti ſuauitatis & miſericordiæ mella procedunt. In ore iuſti nullus dolus, nulla fallacia, nulla eſt amaritudo peccati. Audit eccleſia verba iuſti, audit plebs dei præcepta ſapiētis, delectatur alloquij ſuauitate, moralis diſputationis iucūditate mulcetur, dicens: Quàm dulcia faucibus meis verba tua, ſuper mel & fauum ori meo: quia mel apum ad horam delectat, ſed citò ſapor eius euaneſcit, & plerunque viſcera vitioſa lædunt: verborum autem moralium etſi pungunt mella, non lædunt. Cognoſce tamen cui illa credantur. Scriptum
Prou.25. eſt enim: In aurem inſipientis nihil dicas, nequando irrideat prudentes ſermones tuos. Euomet enim & reiiciet ſermonem tuum ſtultus, qui eius non poteſt ſentire ſuauitatem.

VIII. A mandatis tuis intellexi, propter * hoc odio habui omnem viam iniquitatis.

*al. propter ea odiui.

Conſequens huic verſiculo eſt: Concupiſcens ſapiētiam, ſerua mandata. Sed nemo poteſt ſeruare, niſi qui intelligit. Denique redduntur quotidie omnia verba legis à quibuſdam ſenioribus Iudæorum, & nemo eorum poteſt cuſtodire mandatum. Neque enim arborem dixerim cuſtodire fecūditatem naturæ, quæ luxuriat in foliis, vaneſcit in fructu. Nec terram illam dixerim cuſtodire fructus ſuos, quæ cùm filicem inuiſam paſcit, agricolis edere frumenta non ſoleat. Nec paſtor cuſtodire videtur pecus, qui eligere pabula profutura non nouerit, lupos cauere, canibus vallare ouilia ſua, neſciat potū cùm opus ſit miniſtrare. Nam producere tātūmodo ſine vlla cura mutum pecus, tantundem eſt quantum ſcripturas legere tātum populum Iudæorum, & neſcire vbi ſint ſpiritalis paſcua ſacramenti, vbi litera occidat, vbi intelligibiles incurrant lupi, vbi ſit requies refectionis, vbi ſpes reſurrectionis, qui ſint canes qui pro gregis poſſint latrare cuſtodia, populus & ipſo grege magis mutus ignorat. Itaq;
Pſalm.49. ſi dicat, mandata cuſtodio, reſpōdetur ei: Tu verò odiſti diſciplinā, & proieciſti ſermones meos poſt te. Si videbas fusciplinā, & proieciſti ſermones meos poſt te. Si videbas furem, ſimul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit nequitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduerſus fratrem tuum detrahebas. Non eſt hoc cuſtodire mandata, ſed præuaricari, ſtatuis facere contraria, non eſt intelligere, ſed ignorare. Quomodo poſſunt verba dei dulcia eſſe in faucibus tuis, in quibus eſt amaritudo nequitiæ? Quomodo mel & lac ſub lingua tua, cùm dolum lingua tua componat, vt aliud pectore cōcipias, aliud forēſi ſermone prætendas, vt decipias incautum? cùm tibi Petrus apoſtolus dicat vt deponas omnē maliciam, & fucum ſimulationis abiicias, dicens: Sicut dudum
1.Petr.2. geniti infantes rationabiles, & ſine dolo, lac concupiſcite.

Oſtendens

1533

Ostendēs enim nobis quid sit mel & lac habere sub lingua, docet vt non maledicere maledicētibus, sed benedictionem referre nouerimus, nesciamus odisse nisi viam iniquitatis, vt facere quod execramur reluctandi caueamus affectu. Ideo Paulus cauebat in carne sua malum, quia oderat. Ideo Ioannes monet in epistola sua ne diligamus seculum, quia omne quod in seculo est, concupiscentia est carnis, & concupiscētia oculorum, & iactantia vitæ. Est ergo in nobis vt & bene aliquid oderim⁹, & bene aliquid diligam⁹. Sicut bene enim amare possumus seruos dei, & bene diligere possum⁹ inimicos nostros secundum mandatū domini, ita bene odisse possumus inimicos dei, odisse iniquitatem, odisse perfidiam, odisse turpitudines, odisse mūdi istius vanitates. Odio igitur esse debent quæ seculi sunt, ne securis affectibus & ociosis blanda conciliatricula voluptatis irrepat illecebra. Facilè capit oculos petulantis forma meretricis, nisi eos odia premāt iusta, & impuritatem indignatus auertat affectus. Inflat plerunque homines, & tumido ore supinat fastigium nobilitatis, iactantia, & rerum affluentia secularium, nisi pudeat in re aliena magis quàm propria laudari. Christus cùm diues esset, pauper factus est: in paupere non in diuite te redemit. Confitentibus dei filium imperabat tacere, vt operibus magis quàm sermonibus deus agnosceretur: & tu nobilē te dicis, qui es factus è terra? Dauid rex dixit: Memento domine quia puluis sumus: & tu in hoc caduco atque limoso genere gloriaris, & diuitem te putas, qui cras potes esse mendicus? cùm vita tua non in abundantia tua, sed in dei sit misericordia: Cui honor, gloria, laus, perpetuitas à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum, Amen.

Sermo decimusquartus.

VN litera Hebrea quartadecima, Cuius interpretatio est, vnicus, vel sicut in alia interpretatione habetur, pascua eorum. Ecce ipsæ Hebræorū literæ testātur dominū Iesum esse vnicum patris filium, verbum dei. Denique primo statim versu Dauid de vnico filio dei dicit:

1. Lucerna pedibus meis verbum tuum domine, & * lux semitis meis.

Vnde intelligimus ideo per literas Hebræorum psalmum hunc esse digestū, vt homo noster tanquam paruulus, & ab infantia per literarum elementa formatus, quibus ætas puerilis assueuit, vsque ad maturitatem virtutis excrescat. Literæ autem singulæ velut tituli sunt eorum versuum qui sub eisdem literis adscribuntur, seriem & cōtinentiam declarantes, sicut hic vnicum significat litera, & de vnigenito dei filio, atque eius æterni luminis claritate, Psalmi eius portio prophetatur. Nec sanè ab ista abhorret etiam illa in alio reperta codice literæ huius interpretatio, quæ est, pascua eorum: hoc est, fidelium. Quæ sunt pascua nisi Christus? In cuius pascuis se locatum Propheta lętatus est dicens: In loco pascuæ ibi me collocauit. Ipse enī nos pascit, & reficit. Bona pascua, diuina sacramenta sunt. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis. Capis rosam: hoc est, dominici corporis sanguinem. Bona etiam pascua libri sunt scripturarum cœlestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur, cùm ea quæ scripta sunt degustamus, vel summo ore libata frequētius ruminamus. His pascuis grex domini saginatur. Bona etiam Christi pascua, qui pascit in liliis, hoc est, in splendore sanctorum. Bona pascua etiam montes conuallium, sicut luminaria istius mundi sedula humilitate fulgentes, qui virtutum diuersarum præstant cacumine, & supra mundū meritis suis eminent. Isti sunt de quibus dicitur: De hoc mundo nō sunt, sicut & ego non sum de hoc mundo, quia supra mūdum sunt qui Christum sequuntur. Conuallis autem mundus est. Idcoque disposuit in conualle fletus, eò quòd in hoc mūdo fletus sint lachrymæque. Et prouidens dominus disposuit in hoc mundo testatū ētum suum, vt magis hic fleamus peccata nostra, quàm flenda seruemus. Pascua nostra etiā isti versiculi sunt de quibus hodie tractaturi sumus, in quibus Dauid dicit: Pascebam oues patris mei: ostendens veram lucernam, docens humilitatē. In talibus pascuis verus Dauid, verus humilis, & manu fortis, qui non rapinā arbitratus est esse se æqualē deo, sed semetipsum exinaniuit, & homo natus per virginis partum, humiliauit se vsque ad mortē, oues patris sui diuina prędicatione pascebat, cùm secundū scripturas suum probaret aduentū, cùm quinque panibus & duob⁹ piscibus quinque hominum milia satiaret. Hæc ergo nostra sunt pascua, hęc eorū qui possunt dicere: Quàm dulcia fauci bus meis verba tua. Hæc eorum pascua sunt qui dicunt: Lucerna pedibus meis verbum tuū domine. Pascitur enim os nostrum verbo, cum loquimur mandata dei verbi. Pascitur & oculus noster interior lucernę spiritalis lumine, quæ nobis in hac mundi nocte prælucet, ne sicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus vestigiis, & viam veram inuenire nequeamus. Intelligibilis enim pedum gressus, intelligibilis & lucerna, quia verbum dei lucerna est. Nónne hoc in principio erat verbum apud deum? Quomodo ergo lucerna est? Nónne hoc erat verum lumen quod illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum? Quomodo ergo lucerna dicitur? Esaias clamat: Populus qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam. Quomodo hic dicitur lucerna? Sed videamus ne fortè idem verbum dei aliis magna lux sit, aliis lucerna. Mihi lucerna, angelis lux est. Petro lux erat, quando astitit ei angelus in carcere, & lumē refulsit ei. Paulo lux erat, quando euntem ad persequendum populum Christianum circūfulsit eum lux de cœlo, & audiuit dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Et magna quidē lux. Denique lucernæ Pauli lumē euanuit, vbi diuinæ splēdor lucis emicuit. Et verè lucerna est mihi Christus, quando is nostro ore recēsetur. Lucet in limo, fulget in vase fictili thesaurus ille quem habemus in vasis fictilibus. Lumē lucernæ est: mitte oleum, ne deficiat tibi lumen lucernę. Et oleum, non oleæ terrestris, sed illud oleum misericordiæ cœlestis gratiæ quo vngebantur prophetę. Oleum tuum humilitas est, quo ceruicis nostræ dura mollescunt. Oleum tuum misericordia tua est, quo etiam collisa scopulis peccatorum fouentur corpora. Hoc oleum vulnerato illi à latronibus descendenti ex Hierusalem, euāgelicus ille Samaritanus infudit, qui videns eū, misericordia mot⁹ est, & alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum. Hoc oleum curat ęgrotos. Misericordia enim à peccato liberat. Hoc oleum lucet in tenebris, si opera nostra luceant coram hominibus. Hoc oleum lucet in ecclesiæ solēnitatibus. Denique quibus oleum non defuit, nec lumen fidei defecit, sed cum lāpadibus in locum nuptiarū introire meruerūt. Quæ autem in vasis suis oleum non tulerūt, hoc est, non habuerūt fidem, non prudentiam, non misericordiā animæ in hoc constitutæ corpore, meritò infidelitatis exclusę sunt. Ideo & tu habeto semper lucernā ardentem vel lucentem facem. Si enim neq; lucerna, neque lampas tua luceat, stulta virgo diceris, nec introibis in thalamum spōsi tui superioris, sed remanebis in tenebris cæcitatis, quasi qui oderis lucem, ne opera tua flagitiosa prodantur. Omnis enim qui malè agit, odit lucem. Habeto fidē, habeto prudentiam, vt semper habeas in vasis tuis oleū misericordiæ, deuotionis gratiam, quia prudentes acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus suis. Vngite ô homines lampades vestras: cùm ieiunatis, vngite caput vestrū. Infundamus mētibus nostris oleum, vt corpus nostrum lucidum sit. Luceat tibi semper lucerna verbū dei, luceat & lucerna corporis tui oculus tuus. Cōscientia tua lucens bene in hoc corpore lucernæ lux est, ipsa est oculus tuus. Si purus oculus tuus, si conscientia tua munda sit, munda est caro tua. Si autem in te est tenebrosa conscientia tua, etiam corpus tuū conscięti æ tuæ nocte tenebrosum erit. Lucernæ ergo & nos sumus toto operti corpore, vix aliquid exiguum habentes vnde lucere possimus. Denique & Ioannes lucerna erat, sicut dixit dominus de eo: Ille erat lucerna ardens, & illuminans. Bona lucerna, quæ lumen accipiebat à Christo, vt lucere posset in hoc seculo. Meritò ardens, meritò illuminās, qui erat nuncius Christi, illuminans prædicatione fidei pectora singulorum. Sed & istis lucernis dedit vt lux mundi essent, dicens ad apostolos: Vos estis lux mundi. Ergo si

gloria ſanctorũ nunc ſicut lucerna, nunc ſicut lux mũdi fulget in hoc ſeculo, quid dicim' de verbo dei, quod & lucerna
A Tabernaculum enim teſtimonij corpus hoc noſtrum eſt, in
eſt pedibus meis? Et fortaſſe vbi non ſunt tenebræ, non eſt
Matth. 13. lucerna verbũ dei, ſed ſupra lucernã, quia lux eſt. Tenebræ
quo Chriſtus aduenit, peramplius & perfectius tabernaculum, ſicut ſcriptum eſt, vt per ſanguinem ſuũ intraret in ſanctã, & conſcientiam noſtram ab omni opere mortuorum &
Hebr. 9. iis nõ ſunt qui vident lucẽ. Denique tunc iuſti fulgebũt ſicut ſol in regno patris eorum. Et fortaſſe ſecundum legem
lucerna eſt verbum dei, ſecũdum euangeliũ lux magna eſt.
labe mũdaret, quo in corporibus noſtris quæ ſuorum teſtimonio & qualitate factorum, cogitationum noſtrarum abſcondita & occulta teſtantur, lucernarum modo luceat no-
Iudęis lucerna eſt, & lucerna ſub modio. Lucet lex, ſed non
Eſaiæ 9. videtur, quia operta eorũ doctrina eſt, & cõtagiõe vitiorũ,
& cæcitate perfidiæ: populo autẽ nationum lux eſt. Deniq;
populo qui ſedebat in regione vmbræ mortis, lux orta eſt
eis. Aperi igitur feneſtras tuas, vt ſplendor tibi magnæ lucis
introeat. Paratũ fac candelabrum tuum, vt lux tua non operiatur integumẽto corporis tui, & mẽſura terrenæ huius fragilitatis, ſed ſupra menſurã corporeę infirmitatis animę tuæ
virtute prefulgeas. Aut ſi ad menſurã teneris, vide ne ſuperefficiant ipſæ mẽſuræ, ne ſupereffluant: ſed bonis ſeminibus
ſint cõtentæ. Non ſit ocioſus ſermo tuus, nõ ferietur & vacet verbum tuum, ne fiat lucerna ſub modio. Potẽs eſt deus
B
qui ſupra candelabrum conſtituat lucernam tuam, vt luceat
omnibus qui in domo ſunt, & qui ingrediũtur vt lumen videant. Candelabrũ principale noſtrum eſt. Pone ſermonem
in principali tuo, & omnibus lucet qui ingrediũtur in eccleſiam. Accipe & aliud candelabrũ. Cõſidera os tuum, conſidera & ſermonem tuum. Nónne os tuũ candelabrum eſt, &
verbum tuũ lucerna eſt, cùm de ore tuo profertur? Hæc lucerna ſemper tibi luceat, hoc eſt, verbum tuũ luceat, & nũquam extinguatur. Quæris vt doceam quomodo non poſſit
Iob 18. extingui? Scriptum eſt: Lumen iuſti ſemper inextinguibile
eſt, lumen autem impiorũ extinguetur. Hoc lumen erat lucernæ, quæ lucebat in tabernaculo teſtimonij, & hodie quæ
lucet in eccleſia, vir ſapiens. Hic eſt oculus eccleſiæ, qui nõ
dicit manibus, hoc eſt, operantibus (cùm ſit quidẽ anguſtiis
opertus, ſed non anguſtus ad intelligẽdum) Non eſtis mihi
neceſſarij. Ergo ſuper candelabrũ lucebat, qui dicebat: No-
Philip. 3. ſtra autẽ conuerſatio in cœlis eſt. Nam & Dauid tota mẽte
iam conuerſabatur in cœlo, & adhuc tamen dicebat: Lucer-
C
na pedibus meis verbum tuũ. Aut fortaſſe quaſi bonus magiſter mihi præire cupiebat, vt lumen ſequi diſcerem, & illius pedibus ambularem. Oſtendit ergo mihi lucernã: hanc
ſequar in iſtius ignorantię operimẽto, in iſtius corporis tenebris cõſtitutus, vt Chriſtum ſequens, nullum lapidem offenſionis incurram. Errabat Petrus in tenebris ignorantiæ,
negabat Chriſtum eſſe moriturum, quia adhuc non videbat
moriturum & reſurrecturum eſſe pro nobis. Conuerſus ad
eum dominus ait, Vade retrò poſt me. Oſtendit illi lucer-
Matth. 16. nam quam deberet ſequi, poſt me, dicens: Sequutus verbum
dei confirmatus eſt: poſtea cœpit inhærere Chriſto, timens ne iterum aliquo laberetur errore. Nónne & ipſe qui
dicebat, Lucerna pedibus meis verbum tuum: ad hanc lu-
Matth. 14. cernam feſtinauit cùm diceret in mari, Domine iube me ve-
nire ad te ſuper aquam? Sed quia non ſequebatur lucernam,
motus eſt atque titubauit naturæ vehementioris mole turbatus. Sequamur ergo lucernam hanc ſicut lucernã, & ſicut
in nocte ambulemus ad lumen. Multæ foueæ, multi ſcopuli
D
in iſtius ſeculi caligine non videntur. Præfer tibi lucernam
quam Propheta monſtrauit, vide quò debeas transferre veſtigium, contuere vbi pedem ponere mẽtis internæ, per ſingulos cura ſit greſſus, nulli credas tuum niſi præeunte lucernę iſtius luce proceſſum: & vbi putas quod luceat, ibi gurges eſt: videtur lucere, ſed polluit: & vbi putas ſolidum eſſe
vel ſiccum, ibi lubricum eſt. Sed & ſi lucerna tibi lõgius ſit,
ſit ergo fides tibi itineris tui præuia, ſit tibi iter ſcriptura diuina. Bonus eſt cœleſtis ductus eloquij. Ex hac lucerna accende & tu lucernam, vt luceat interior oculus tuus, qui lucerna eſt tui corporis. Multas habes lucernas, accende om-
Luce 12. nes, quia dictum eſt tibi: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes. Quia multæ ſunt tenebræ, multæ ſunt lucernę neceſſariæ, vt meritorũ noſtrorũ in tãtis tenebris lumen
eluceat. Iſtas lucernas lex ſignificauit ſemper lucere debere
in tabernaculo teſtimonij, non illas quas Iudæi accendunt
Exod. 27. quotidie. Illæ ſub vmbra lucent, & extinguuntur quotidie:
quia quod faciũt non vident: quod legũt, neſciunt, accipientes ſecundum literam, quod præcipitur ſecundum ſpiritum.
lum, ſicut ſcriptum eſt, vt per ſanguinem ſuũ intraret in ſanctã, & conſcientiam noſtram ab omni opere mortuorum & labe mũdaret, quo in corporibus noſtris quæ ſuorum teſtimonio & qualitate factorum, cogitationum noſtrarum abſcondita & occulta teſtantur, lucernarum modo luceat noſtrarum lux clara virtutum. Iſtæ ſunt lucernæ ardentes, quæ die ac nocte in templo dei lucent. Si templum dei in corpore tuo ſeruas, ſi membra tua membra ſunt Chriſti, lucẽt virtutes tuæ, quas nullus extinguit, niſi eas tuum crimen extinxerit. Hoc lumine caſtæ mentes, & piæ deuotionis ſolennitatis noſtræ feſta reſplendeant. Luceat ergo ſemper lucerna tua. Arguit Chriſtus etiam eos qui vtũtur lucerna, ſi non ſemper vtantur, dicens: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes. Non ad horam exultemus in lumine. Ad horã exultat qui audit verbum in eccleſia, & gaudet, egreſſus autem obliuiſcitur quod audiuit, & negligit. Iſte eſt qui ſine lucerna in domo ſua ambulat: ideóque in tenebris ambulat, quia opera tenebrarum facit, in comeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis, in contentionibus & æmulationibus, indutus veſtimenta diaboli, non Chriſtum. Hæc fiunt quando verbi lucerna non lucet. Nunquam ergo negligamus verbum domini, ex quo nobis omnium origo virtutum eſt, vniuerſorúmque operum quidam proceſſus. Si mẽbra corporis noſtri ſine luce operari recte non queũt, nam pedes vacillant ſine lumine, & manus errãt: quãto magis ad verbi lumen dirigenda ſunt animæ noſtræ veſtigia, atque mentis inceſſus? Sunt & manus animæ quæ bene tangunt, vt tetigit Thomas dominicæ reſurrectionis indicia: ſi verbi præſentis nobis lumen luceat. Hęc lucerna accenſa ſit in omni verbo, in omni opere. Ad hãc lucernam greſſus noſter forenſis internúſque moueatur. Sed iam progrediamur ad cætera, & fiat pedibus meis lucerna verbum dei, & ſemitis meis lux. Pedibus lucerna ſatis ad ambulandum, ſemitis non eſt ſatis ad illuminandum: idem verbum tamen & pedibus lucerna eſt, & ſemitis lux eſt: quia idẽ vnigenitus dei filius & delinquentibus aduocatus, & remunerator eſt fortibus, peccatorum remiſſor, premiorum largitor. Itaque cui lucerna fuerit verbum dei, huic quocunque pergit, lucent ſemitæ, ſicut lucebant ſancto Dauid: & ideo quaſi in lumine ambulans dicit:

Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Humiliatus ſum vſquequaque. II.

Vox ambulantis in lumine eſt cum auctoritate dicere: Iuraui, & ſtatui. Qui enim ſtatuit, nõ mouetur, non metuit ne cadat, quia plus eſt ſtatuere quàm ſtare. Stat igitur Dauid mẽtis ſtatione fundatus, nec timet ne in his mundi tenebris poſſit errare. Si enim metueret, nõ iuraret, ſi trepidaret vtrũ diuina poſſet cuſtodire iudicia, non cum iuriſiurãdi ſtatueret ſacramento. Nemo bene iurat, niſi qui poteſt ſcire quod iurat. Iurare igitur, indicium ſciẽtiæ, teſtimonium cõſcientiæ eſt. Et bene iurat qui ad lucernam verbi pedes ſuos dirigit, qui lucem in ſemitis ſuis cernit. Lux tibi præeat, ſi iurare diſponis, id eſt, cognitio veritatis præcedat, vt vinculum ſacramẽti tibi non poſſit nocere. Vbi religio ſanctior, ibi fides veritatis eſt plenior. Denique ideo dominus qui venit docere paruulos, imbuere nouos, firmare perfectos, ait in euangelio: Non iurãdum omnino: quia infirmis loquebatur. Deinique nõ ad ſolos apoſtolos loquebatur, ſed ad turbas. Voluit enim te non iurare, ne periures. Et addidit: Non iurare neque per cœlũ, neque per terram, neque per Hieroſolymã, neque per caput tuum: per hæc videlicet quæ ſubiecta non ſunt tuæ poteſtati. Iurauit dominus, nec pœnitebit eũ. Iuret ergo ille quem ſacramẽti ſui pœnitere non poterit. Et quid iurauit dominus? Quia Chriſtus in æternum ſacerdos eſt. Nunquid incertũ, nunquid impoſſibile quod iurauit dominus? Nũquid poterat eſſe mutabile? Noli ergo vſurpare exẽplum ſacramẽti, qui implendi ſacramẽti non habes poteſtatem. Quid igitur iurauit Dauid? Cuſtodire iudicia iuſtitiæ domini. In nullo videlicet iam perfectum: iam inſtructum diuinæ
Matth. 5.
Pſalm. 109.

1537

diuinæ iustitiæ mouebant iudicia. Quanti mouentur cũ vident iustum aliquem orbatũ liberis, dispendiisque frequentibus ad vltimæ egestatis deductum necessitatem, vt ipsa alimentorum subsidia habere non possit, fractum ægritudine grauj, & perpetua debilitate vexatũ, vt obire nequeat cõmunis officia naturæ. Sed qui firmus est, nõ mouetur, & is magis intelligit iustitiam dei prædicandã, quia corripit dominus quem diligit. Nunquid non frequentius corripitur filius quàm seruulus? Iniusta ergo pietas patris, magis quã dominj si seueritas? Asperiorib⁹ exercet pater filiũ, quàm dominus vernaculũ. Sed dura patris non æstimãtur impartita flagella, quia vult filium meliorem esse quàm seruulum. Eruditio ergo plena iustitiæ est. Orbatus est sanctus Iob liberis suis, in quos dominus potestatem diabolo dedit. Nũquid iniqu⁹ deus? Absit, imò iustus, quia probaturus iustũ suum per hujsmodi exercitia in quibus eius est probata sapiẽtia, magis dignum qui probaretur effecit. Quò enim clarius meritũ coronati, hòc vberior iustitia coronantis. Nudatus est facultatibus cùm dies esset, & hæc deo subiit permittente dispendia. Non erãt pecuniæ iam damna, sed vitæ, cùm deesset alimonia ademptis omnibus. Quis accuset iustitiam dei: cùm si Iob omnem amisisset pecuniã, non tantam inuenisset gratiam? Athletam suũ nudum vngere voluit deus oleo pœnitentiæ, vt & subeundo faceret certamine fortiorem, & emerendo præmio digniorem. Perfusus totũ corpus vlcere grauj sedebat in stercore, radens saniem sæuis vlcerũ vibicibus defluentem: & hoc permissu domini diabolus intulerat iusto viro. Videretur vicisse sibi diabolus, nisi accepta quã poscerat potestate esset etiã ipse superatus. Quid igitur fuit illa tentatio, quid inopia facultatum, destitutio filiorum, tolerantia vulnerum, nisi exercitium fidei, insigne patientiæ, eruditio glorioſa virtutis, confessio plena victoriæ, vt qui antè contradicentem habebat diabolum, postea non haberet? Nemo ergo dura putet esse quæ iusta sunt. Non videbãtur dura ei qui poterat dicere: Nudus natus sum, nudus exibo. Dominus dedit, dominus abstulit, sit nomen domini benedictum. Benedicit enim dominũ iustus cùm laborat, peccator cùm luxuriatur. Non ergo ex infirmitate nostra vis æstimanda iustitiæ est, qui durum putamus esse quicquid per imbecillitatem animi ferre nõ possumus. Tolle persecutiones, & martyres desunt. Sed & persecutores deus atque potestates seculi est passus assurgere, ne deessent qui vincerent Christo. Quis tunc non dixit infirmus: Domine cur dedisti plebem tuam in potestatem persequẽtium? Sed quis hodie neget beatiores illos esse qui passi sunt, quàm illos quos nulla vexarunt supplicia persecutorum? Iustus ergo optat probari, tentari non timet. Qui enim statuit custodire iudicia dei, non timet tentationes. Vbi statuit nisi in corde? Illic enim radicati & fundati esse debemus, non fluitantes neque mobiles omni vento doctrinæ. Intus ergo statuamus in corde nostro, in pectore, in animo, vt nobis fiat illud ꝓpheticũ: Cogitationes iustorum semitæ. In his semitis bene ambulat iustus, ideóque dicit: Proba me domine, & tẽta me. Deniq; hoc loco authoritati respõdens suæ qui iurauerat & statuerat custodire iudicia iustitię dei, probari se voluisse dicit, qui humilitatẽ subeundã credidit esse pro Christo. Ideóque ait:

Humiliatus sum nimis, † viuifica me secundum verbum tuum.

Non solum humiliatum, sed etiam nimis humiliatum se esse gaudet. Beatus qui gloriatur humilitate magis quàm potestate. Potestas decipit, humilitas non destituit. Bona humilitas, quę etiam in Christo laudem virtutis inuenit. Hanc in illo plus veneror quàm creationem, quia creati ad laborem sumus, redempti ad quietem. Denique ipse aduocans populos ad misericordiam suam, de humilitate propria gloriatur dicens: Palam factus sum non quærentibus me, apparui iis qui me non interrogabãt. Et alibi: Scapulas meas dedi in flagella, maxillas meas in palmas, faciem autem meam non auerti à confusione sputorũ. Rectè ergo Dauid humiliare se voluit, vt tribulationum Christi in seipso quod deesset impleret. Potest & ipse hoc ex sua persona per os Dauid locutus dixisse, Humiliatus sum nimis: qui dixit in euangelio: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Discamus ergo ab eo qui docere nos voluit quod proficeret ad salutem, & nobis dicit: Discite à me. Non est mediocre ꝙ dicit, Discite: & addidit: A me discite. Non facilè potest quisquam humilitatem docere inflatus, quamuis sit humana ꝓditus sapientia, mens tamẽ inflatur quam superbia carnis extollit. Et qui paupertate contentus est, non est contentus iniuria: & qui potest ferre verberum pœnas, exagitatur verborum contumeliis: & qui potest administrationem contemnere, dolet sibi aliquẽ honorificentia esse prælatum. Grande est in omnibus humilitatis tenere mensuram. Superbia hominem prima deiecit. Quapropter dum plus volumus, etiam quod minus est solemus amittere. Bona humilitas, quæ nihil appetendo totũ ꝙ contemnit adipiscitur. Ipse enim dominus Iesus se humiliauit, vt nos eleuaret, & humiliauit vsque ad crucem: propter quod exaltauit illum, inquit, deus, vt in nomine eius omne genu flectatur. Quanta fecit dominus, audeo dicere, & non flexi ei genu? Sed flexi ei postquam se humiliauit. Sic enim, hoc est, per humilitatem, per crucem sibi ecclesiam congregauit. Dauid rex erat, incerta & occulta sapientiæ sibi patefacta te statur, sed ideo se magis humiliabat. At verò Ezechias cecidit ab altitudine cordis sui. Ille laudabilis rex, qui de obsidione, de ægritudine beneficiis domini mirabilibus est liberatus, cecidit per superbiam, & gratiam meriti superioris imminuit. Quid fuisset Ioseph, si humilis non fuisset? Sciuit sibi ipse obfuisse quòd prælatus erat fratribus, etiam †pius amor miseriam prælationis inuenerat. Prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos. Prælatio concitauit germanos, humilitas regem subditum fecit, vt verè quasi ex persona Ioseph dictum putemus, quod hic ipse suprà dixit: Humiliatus sum, & saluum me fecit: quanquam si consideremus quę iste tolerauit, ex persona sua eum dixisse reperiemus. Golia superato occurrerant iuuenculæ psallentes Saul in milibus, Dauid in decemmilibus. Commotum est fel regis, & quęrebat eum occidere: & humiliauit se Dauid ante Ionathan filium regis, & conuertit eius affectum, vt quem successorem patrij regni poterat habere suspectum, eũdem aduersum studia paterna seruaret, dicens patri: Quid peccas in sanguinem innocentis? Et id voce extorqueret inuito, quòd non mereretur occidi Dauid. Rectè ergo ait: Humiliatus sum, & saluum me fecit. Et iterũ cùm ad eum propheta veniſſet, & indignationem domini in causa Bethsabeę mulieris denunciasset, humiliauit se, & ait: Peccaui domino. Et dixit Nathan ad eũ: Quoniam pœnituit te, abstulit dominus peccatũ tuũ, nõ morte morieris. Bona igitur humilitas. Deniq; humiliatus est, & saluus factus est. Et alio loco cùm propter numeratum populum dominus esset offensus, & misisset prophetam Gad, qui regi Dauid diceret: Elige tibi quid velis fieri, triennio famem super terrã, aut tribus mensibus fugere te à facie inimicorum tuorum persequentium te, aut fieri triduo mortem in terra, respondit Dauid: Angustię sunt mihi hæc tria: Sed magis incidam in manum domini, quoniam magna est misericordia illius valde, quàm in manus hominum incidam. Et cùm dedisset dominus mortem in Israel à mane vsque ad horam prandij, septuaginta milibus hominum mortuis, respexit Dauid ad dominum: & cùm vidisset augelum ferientem populũ, ait: Ecce ego peccaui, & ego pastor malè feci: & isti in hoc grege quid fecerunt? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Et propitius factus est dominus, cùm sacrificium reconciliationis ei esset oblatum. Bona ergo humilitas, quæ regem plebémque seruauit. Itaque reconciliato domino, ait Dauid: Bonũ mihi est quòd humiliatus sum. Bona ergo humilitas præsertim si adiungatur ei deuotio voluntaria. Ideóque se viuificari secundum verbum petit, vt secundum verbũ viuat, & omnia cum ratione faciat, non secundũ carnis voluntatem. Vnde mysticum illud etiam moraliter accipi potest: In principio erat verbum, & verbum erat apud deũ, & deus erat verbum: hoc erat in principio apud deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil. Et tu imitator esto dei.

Matth. 11.

Philip. 2.

† & iam.

1. Reg. 18.

1. Reg. 19.

2. Reg. 12.

2. Reg 24.

Ioan. 1.

Quomodo imitator? Nũquid cœlũ potes facere aut terram, aut mare? Non vtique, sed vt omnia per verbum facias, nihil sine verbo: omnia cum ratione, nihil sine ratione: quia non es irrationabilis ô homo, sed rationabilis.

IIII. Voluntaria oris mei comproba † domine, & iudicia tua doce me.

† al benepla cita fac.

Qui se humiliat, viuificatur secundũ promissum domini: qui viuificatur spiritu dei, voluntarius est minister. Plurimũ enim refert vtrũ ex voluntate quid facias, an ex necessitate quod placeat deo. Denique voluntarius minister habet præmium, coactus dispẽsat obsequium, sicut Apostolo dicente

1. Cor. 9. cognouimus. Scripsit enim: Vę enim mihi est si non euãgelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedẽ habeo. Si autẽ in uitus, dispensatio mihi credita est. Vide voluntarium executorem cœlestis arbitrij. Liber erat ex omnibus, & omnium seruus est factus, volũtate vtique, non necessitate, vt plurimos lucraretur. Iis quoque qui legis vinculo tenerẽtur, quasi sub lege esset, se exhibuit, cùm sub lege nõ esset, vt eos seruaret qui sub lege viuebant. Infirmis infirmus factus est, vt infirmos assumptione infirmitatis propriæ sustineret. Omnibus omnia factus est, non legitima necessitate, sed voluntatis obsequio. Aperuit mihi huius altitudinem cõsilij in epistola ad Philemonem scripta, quia quod ipse esset, alium esse vellet, vt voluntate potius quàm necessitate detulisse

ad Philem. domino videretur. Itaque pro Onesimo interueniẽs sic ait: Tu autem illum vt mea viscera suscipe, quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis euãgelij: sed sine consilio tuo nil facere volui, ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed volũtarium. Quàm sedulus suasor, qui cùm esset vas electionis diuinæ, consortium consilij non dedignabatur alieni, ne alterum fructu voluntatis propriæ defraudaret. Rectè ergo Dauid ait: quasi propheta: Voluntaria oris mei cõproba domine: oris sui offerẽs domino sacrificium voluntarium, eo quòd vt apes illa prophetica bonos flores colligere ore cõsueuerit, fauos ore fingere, mella ore cõponere, & ex herbis suauibus ore flores legere, quę cùm sit, inquit, robore infirma, sapientiæ prædicatione substantiæ suæ producit ætatem. Quod sit istud voluntariũ

Psalm. 49. oris sacrificium, recognosce: Immola, inquit, deo sacrificiũ laudis. Expectat dominus volũtarios ministros. Denique in

Esaiæ 6. libro Esaiæ dicit dominus: Quem mittã? Vtique seruulo suo poterat imperare, quem dignũ qui mitteretur inuenerat: sed maluit eũ spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui vt ipse se offerret, præstolatus est. Et quãuis eius sciret affectum, expectauit tamen vocem, vt cumularet gratiam. Vnde se offerẽs Esaias ait: Ecce ego, mitte me, & sic postea missus est ad populum. Ideo de eo dictum est, Quia Esaias audit & dicit. Etenim quasi voluntarium organum vberiore spiritus sui gratia Christus impleuit. Nec ociosè hoc positũ puto, quia volũtaria oris sui placere desiderat domino. Multi prophetæ, sed non in omnibus oris voluntaria placent.

Hiere. 1. Excusabat Hieremias dicens: Quis es dominator domine? Ecce, nescio loqui, quia iuuenior sum ego. Et dixit ei dominus: Noli dicere, quia iuuenior sum ego: quia ad omnes ad quoscunque misero te, adibis: & secundum omnia quęcunque mandauero tibi, loqueris. Verecundè propheta ætatem corporis prætendebat, ne exequendis cœlestibus imperatis impar esse adolescẽtia deprehẽderetur. Sed deus, vt qui morum magis quàm annorum iudicaret ætatem considerandã, & iuuenili corpore maturitatẽ robustę sapientiæ in suo seruulo præuideret, ait: Noli dicere, iuuenior sum ego, hoc est, prohibuit eum iuuenilis ætatis contemplatione vires suas perpendere, cui fides caniciem sapientiæ ministraret. Et ite-

Hiere. 20. rum in posterioribus cùm dixisset idem propheta, Seduxisti me domine, & seductus sum. Et dixi: Non nominabo nomen eius, & non loquar in nomine eius vltra: addidit: Et factus est in corde meo vt ignis ardens, flammans in ossibus meis: & dissolutus sum vndique, & ferre nõ possum. Aduertimus igitur quòd iis etiam qui excusandum, aut officium suum certa aliqua causa negandum putauerint, dominus tamen noster aut ratione persuadeat, aut cupiditate propheticæ reuelationis inspiret vt ad subeundum officium volũtate cõcurrant, non necessitate concedant, quo merces ad eos integrę deuotionis possit plenior peruenire. Prophetauit & Caiphas, quia expedit vnũ hominem mori pro populo: sed hoc voluntarium oris ministerium non erat, quia loquebatur inuitus: denique quid diceret, nescie bat. Quæ ergo volũtaria oris sui domino Dauid placere desiderat: Elegi abiectus esse in domo domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ. Audiã quid loquatur in me dominus deus. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio seculi. Paraui lucernam Christo meo. Corpus suum, quod erat antè limosum, & cœnò hæreditariæ colluuionis obstructum, vt oleum spiritale recipere posset, Christo parauit, vt luceat. Christo lucet, cuius opera in Christi lucent lumine. Christo lucebat Petrus, cùm diceret: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Christo lucebat ille qui dicebat: Sanet te dominus Iesus. Christo lucet martyrũ lucernã, qui pro Christo subiere martyrium. Christo lucebat Dauid, qui poterat dicere: Cor meum & caro mea exultauerunt in deum viuum. Christo parauerat mentem, cùm de eo à quo frequẽter ad mortem fuerat appetitus, diceret: Non mihi cõtingat à domino, si fecero hoc verbum, domino meo Christo domini iniicere manum meam: cùm maiorem haberet causam salutis suæ vt occideret persequentem, qui etiam alios qui suadebant inimico non esse parcendum, quem dominus iuxta promissum suũ, in manus ipsius tradidisset, ab eius necãdi cupiditate reuocabat. Christo lucebat propheta, cùm de eo qui patris domũ turpi maculauerat incestu, qui patris salutem parricidalibus præliis appetebat, pius tamen pater diceret ad præliũ profecturis: Parcite filio meo Absalon. Tacebat improbitatis scelus, pietatis autem gradum, & nomen necessitudinis præferebat, vt pugnaturi non aduersarium regis, sed filium cogitantes, dolorem læsæ pietatis inhiberẽt. Et post mortem eius operuit faciem suã, & voce magna clamabat dicens: Filius meus Absalon, filius meus. Hãc vocem parricida nõ meruit, sed Christi prophetabat gratiã. Didicerat Propheta de Christo bonus esse pater, qui bono filio seruiebat. Denique ideo dicebat: Et iudicia tua doce me: quia iudicia dei sicut abyssus multa, & inscrutabilia, vt Apostolus dicit. Ideo nõ poterat ea nisi Christo docente cognoscere, quia vnus magister omnium Christus est. Hæc autem Christi iudicia sunt, vt iis qui nobis insidiati fuerint, nouerimus non vicem iniurię repẽdendã, sed pro iniuria magis deferẽdam gratiam. Denique maledicẽtibus non remaledixit, percutiẽtes non repercussit, sed magis etiam crucifixus pro persequentibus se piæ intercessionis apud patrẽ auxilium deferebat, dicẽs: Pater, dimitte illis, non enim sciũt quid faciunt. Hæc igitur quisquis spiritaliter intellexerit & fecerit legis iudicia, remuneratione donatur à Christo. Sed quis iudicia dei docere potest, nisi quia animã suam semper intenderit ad dominum? Qui potest dicere:

Psal. 85. Psalm. 84. Psalm. 77. Psalm. 131. Act. 9. Actu. 3. Psalm. 83. 1. Reg. 24. Psal. 35. Roma. 11. Matth. 23. 2. Reg. 8. Ibidem. Luca 23.

V. Anima mea in manibus tuis * semper, & legem tuam non sum oblitus.

* al. meis.

Aliqui habent: Anima mea in manibus meis semper, hoc est, in actibus meis: hoc est, in operibus meis. Quãuis in periculis positus dicit iustus ad dominũ: Propter te quotidie morior, quotidie periclitor. Periclitor ab insidiatore, periclitor ab obtrectatore, periclitor ab iis quos arguo, quos reuinco, periclitor pro veritate atque iustitia: propterea in manib⁹ meis anima mea, ego tamẽ nec periculis territus, tuę legis oblitus sum. Sed quia plerique habẽt: Anima mea in manibus tuis semper: hoc latius explanandũ arbitror. Scit propheta, scit vbi animæ suæ præsidium locet, vnde opem speret, in manibus dei constituere vult animam suam, quia cor regis in manu dei est. Quicunque proprium corpus subegerit, nec eius passionibus turbari animã suam rector sui concrua viuacitate permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens, rex dicitur, quòd regere se nouerit, arbiter sui iuris sit, non captiuus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitiũ. Huius anima nõ perit in æternum, nec quisquã rapit eã de manu patris omnipotentis aut filij. Manus enim dei quæ solidauit cœlum, quos tenuerit non amittit. Quæ sint igitur istæ manus, cõsideremus. In Canticis habes: Læ-

1. Cor. 15. Prouer. 21. Ioan. 10.

1541

ua eius sub caput meum, & dextera eius complectitur me.
Hæc loquitur sponsa de Christo, anima de verbo dei. Chri-
stus autem idem est verbum dei atque sapientia. Beata ergo
anima quam cõplectitur sapientia. Magna est sapientiæ ma-
nus, magna dextera, totam cõplectitur animam. Tota enim
munita est, quæ desponsata dei verbo est. Plenitudo enim sa
pientiæ, timere deum. Quæ ergo deũ timet anima, pleno se
munit ipsa præsidio, mittit sapientia læuam suam sub collũ
eius, dexteram autem in complexum eius. Vtrumque qui-
dem brachium eius ad vtilia extenditur. Habent tamen pro
pria sua singulæ manus. Sapientia in dextera & longitudo
vitæ est, in sinistra autem diuitiæ & gloria. Bonis vtique
manus vtraque dotata est dotibus. In eo tamen habent va-
rietatem sui muneris, quòd & præsentia & futura tempora
comprehendunt, vt læua præsentium remuneratrix, dexte-
ra futurorum sit. Possumus hoc etiam de prophetia sancti
patriarchæ Israel cognoscere. Nam cùm dexteram suam po-
suisset super Effrem, sinistram autem super Manassen, & cõ-
uertere eas Ioseph ætatum consideratione voluisset, vt de-
xterã patris super caput Manasse senioris filij collocaret, no-
luit, & dixit: Scio fili, Et hic erit in populum, & hic exalta-
bitur, sed frater iunior maior illo erit. In quo maior? In eo
vtique quia benedictione prælat⁹ est, dicẽtibus posteris, hoc
est Effrẽ, Faciat vos deus sicut fecit Effrem & Manassen: vel
quia semẽ eius multitudo gentiũ sit, quæ in hoc seculo labo-
rem elegit, credens in dominum Iesum, vt consolationẽ ha-
beat futurorũ. Manasses autẽ semẽ, est populus obliuionis,
qui propriũ oblitus authorem, exaltatus ad tempus in hoc
seculo, est daturus in reliquũ pœnas graues, quia deũ suum
& dominũ denegauit. Hoc ideo diximus, vt probaremus ea
esse potiora quæ futura sunt. Denique læua sapiẽtiæ sub ca-
pite ponsę est, dextera autẽ superior, quæ totã complecti-
tur sponsam. Itaque illa quasi fulcrum est quietis pręsentis,
quo anima innixa requiescit. Habet vbi reclinet caput suũ,
quia læua sapiẽtiæ sunt diuitiæ & gloria. Ad tẽp⁹ hæc demul
cent, & ex parte solatio sunt. Et ideo filius hominis nõ habe
bat vbi caput suum reclinaret, quia cùm dives esset, pauper
factus est: nec gloriã aliquam istius seculi requirebat, quia
venerat non vt in portione, sed vt vniuerso humano generi
subueniret, dicẽs: Mihi indignamini, quia totum hominem
sanũ feci in sabbato. Hoc est totũ, non vt facultatum colla-
tione ditaret, non vt honorũ insignibus, nõ vt gloriæ secula
ris cumularet augmento. Hæc enim non habent beatitudi-
nis & gratiæ plenitudinem, sed totũ, hoc est, quod lõgitudi-
nem vitæ cõplecteretur æternæ. Neque enim cõmunis vitæ
similis vita in dextera est sapiẽtiæ, sed longitudo vitæ est, vt
qui accipit vitã à sapiẽtia, non exiguitatem vitæ, sed perpe-
tuitatẽ, & æternitatis longitudinem adipiscatur. Bonus ami
ctus æternitatis vitæ. Hoc pallium cœlestis spõsæ custodes
murorum voluerunt auferre quo primus homo fuerat exu-
tus, sed anima deo deuota quæsitum diu tenendo, & non di-
mittendo dilectũ, precioso charitatis diuinæ se vestiuit inuo
lucro. Beati igitur qui tali pallio vestiuntur, & amictum hu
iusmodi legis obseruatione meruerunt, quia non sunt legis
obliti, sed quæ erant legis operati sunt. Nam qui præter le-
gem agit, legis oblitus est. Et ideo hæc anima candida ascen
dit è terris, quia fulget amicta veste sapientiæ, & dicunt de
ea virtutes illæ quæ portas cœli custodiũt: Quæ est hæc quæ
ascendit candida, innitẽs super fratrem suum? Quomodo ea
quę posuit caput suum super læuã sapientiæ, vt aperiret ma-
nus pauperi ad subueniendum inopi: partitis autẽ derelictis
sibi, non inuasis atque direptis diuitiis vteretur, quæ gloriæ
cupida bonis eam operibus acquisiuit, nõ inani secularis ia-
ctãtia ambiuit dignitatis. Hoc est enim caput suũ, & quod-
dam sensuum principale supra manum constituere sapien-
tiæ. Ea, inquam, anima meritis ascendit albẽtibus ex isto vi-
tæ huius, vt habent plerique, deserto ad illum florentẽ sem-
per locum iucunditatis æternæ. Istæ sunt virtutes quæ & in
Esaiæ libro loqui dicuntur: Quis est iste qui aduenit ex E-
dom, rubor vestimentorum ex Bosor, sic speciosus in stola?
Istæ, inquam, sunt quæ mirantur ex isto confragoso scopu-
loso que deserto aliquam ascendere animam posse sine ma-
gnorum labe vitiorum, & ideo gratulantur repertam quæ
vestimenta innocẽtię naturalis non polluerit atramẽto insi
A pientiæ secularis, sed magis sapientiæ naturalis & gratiæ cã-
dore mundaret. Dicit ergo ea anima iam secura, iam læta:

Posuerunt peccatores laqueum mihi, * sed à tuorũ mandatorum non declinaui semitis. VI.

* *al. & de mãdatis tuis non erraui.*

Digna vox relinquentis hoc seculum, eo quòd retia per-
sequentium, & insidiatorum laqueos euaserit. Vox digna
martyribus, quibus multa supplicia proponebantur, multa
etiam offerebantur præmia vt à martyrij studio vel terrore
pœnarum, & sæuæ mortis horrore, vel præmiorũ reuoca-
rentur illecebra. Grauis laqueus proscriptionis, qui sæ-
pe frangit sanctos inopiæ deformitate, quos mortis for-
mido non fregerit, laqueus alius incendij, laqueus carceris,
diuturníque supplicij. Grandis laqueus, cùm diuitiæ pro-
mittuntur, cùm honores, cùm amicitiæ tyrannorum. Qui
ergo hęc euaserit, & ad martyrium peruenire potuerit, rectè
dicit: Posuerunt peccatores laqueum mihi, sed à tuorum
mandatorum non declinaui semitis, cui despicienti præsen-
B tia, futura quærenti, regnum cœleste diuinitatis tuæ promis
sione reseratum est. Qui sunt isti peccatores, qui posuerunt
laqueos? Aperuit tibi Apostolus authorem omnium pecca- 1. *Tim. 6.*
torum, & demõstrauit, dicens: Qui volunt diuites fieri, inci-
dunt in tentationem & laqueum diaboli. Aduertis laqueum
diaboli esse diuitias, quem tetendit etiam saluatori. Sed ille,
qui nihil habuit quod posset princeps istius mundi veniens
suum dicere, laqueorum eius vincula dissoluit. Ac ne me-
diocrem hunc laqueum putes, hic laqueus Iudam apostolũ
strangulauit. Qui miser cùm esset illaqueatus vt proderet
dominum: vbi aduertit quantum sceleris esset admissum, la-
queo se ipse suspendit. Sed & ipse laqueus diaboli fuit vt nõ
ageret pœnitentiam, sed laqueo se suffocaret. Deus enim e-
tiam in ipsos pius est proditores, vt ad pœnitentiam prouo-
centur, atque à flagitioso proposito reflectantur, & resipi-
scant à diaboli laqueis à quo capti tenentur ad ipsius volun- 2. *Time. 2.*
tatem. Iam non ærumna est incidisse, sed crimen, qui non so
lum se dedere capiendos, sed etiam ad voluntatem diaboli
C tenentur astricti, cùm possint dicere: Dirumpamus vincula *Psalm. 2.*
ipsorum. Dedit enim tibi scriptura diuina vt non solum
caueas diaboli laqueum, sed etiam per pœnitentiam eius
vincula dirumpas. Quid tibi homo cum deliciis ac voluptа-
tibus? Non capit laqueus, nisi antè esca te ceperit. Dum prę-
dam petis, laqueo ipse te nectis. Esca laquei, auaritia est: esca
diaboli, luxuries est, quibus nos vult inescare, non pascere.
Et ideo clamabat Apostolus: Ne attaminaueritis, ne gu- *Coloss. 2.*
staueritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipso vsu. Noli
ergo attaminare luxuriam, & illa te contaminare non pore-
rit. Noli gustare auaritiæ corruptelam, & eris immunis à la-
queo. Quid tibi postremò cum terris, qui cum Christo re-
surrexisti? Quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est: quæ *Coloss 3.*
sursum sunt, sapite, non quæ super terram. Mortui sumus
terris, vitam nostram cum Christo abscondimus in deo no-
stro: nõ iam nos viuimus, sed Christus viuit in nobis. Quid
iterum ad terrena remeas? Ecce elongaui fugiens, dicit san-
ctus. Vidi laqueos iniquitatis & contradictionis in ciuitate.
D Laquei sunt enim, vbi est vsura & dolus. Elongauit ille fu- *Psalm. 54.*
giens terrena dedecora, ideo ad cœlestia peruenit præmia.
Quid, inquam, te reflectis in terram, si in Enoch raptus ad
cœlum es, in Helia leuatus es curru, in Paulo raptus ad para
disum, conuersatus in cœlis, in Dauid exauditus vt pennas
colũbæ assumeres & volares, in Christo exaltatus volucris
factus in spiritu? Quando sicut colũba descendit, illas tibi a-
las dedit, vt tu discceres euolare de terris. Neque verò cũctã-
dum putes quomodo tibi volandũ sit, quibus alarum remi-
giis. Dixit quidem Dauid: Quis dabit mihi pennas sicut co- *Ibidem.*
lũbæ, & volabo, & requiescam? Et quasi dubitasse visus est à
quo pennas posset accipere, licet sic soleat diuina gratia de-
clarari, quæ in terris non potest inueniri: idẽ tamen in poste
rioribus, quæ sint istæ pennæ, docuit euidenter, dicens: Si *Psalm. 67.*
dormiatis inter cleros medij pennæ colũbæ deargentatæ, &
posteriora eius in specie auri. Et si dormias, exurgũt tamen
pẽnæ tuæ. Sunt enim qui vigilãt dormiẽtes, vt vigilabat il-
la quę dixit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Et si nox est, *Cantic. 5.*

vigilat ſpiritus, de quo ſcriptum eſt: De nocte vigilat ad te ſpiritus meus. Tunc tibi pendentur alę ex eloquiis ſpiritalibus, precioſaęque auri prudentiæ volatus aſſurgit. Vbi ergo laqueos poteris pertimeſcere, cui remigium præſto ſpiritale eſt? Si ſynceritas animi, ſi puritas mentis affulgeat, columba
Matth. 10. es. Ideo tibi dictum eſt: Eſtote ſimplices ſicut columbæ. Si maiora deſunt remigia, vel minora ne ſpernas. Eſto vel paſſer vt laqueos ſagaci indagine præuideas, & pene captus illecebris peccatorũ, tamẽ aliquando reuocatus poſſis dicere: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantiũ:
Pſal. 123. laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. De quo quoniã alibi putauimus eſſe tractandum, nunc alio tranſeũdum videtur. Satis eſt tibi vt auem te eſſe noueris, aſſumptũ in na-
Pſalm. 90. turam volandi, dicente domino per prophetã: Liberate vos ex laqueo venatorum, & à verbo cõturbationis. Non enim iniuſtè tenduntur retia auibus. Auis es ô homo, qui ſicut auis in quandã aquilæ renouatus es iuuentutem. Quid enim te in tetram deiicis, qui iam cœlum petebas? Non iniuſtè renouato tenduntur retia, quia iam Chriſti eſſe cœpiſti, venantiũ eſſe deſiſti. Antè te laqueo venator, antè quaſi prędam ſuam diabolus ſuo iure capiebat, nunc dominicę crucis mercẽ cur alienus incurſat? Potes tamen etiam hos laqueos euitare, ne dicas: Venantes ceperunt me ſicut paſſerem: ſi laqueum cordis euades, quem miſit diabolus in cor Iudæ, & ita eũ in facinus proditionis armauit. Auertat à nobis de⁹ hos laqueos, quos ſuper peccatores pluit. Et ideo dicit Propheta: Dabis illis domine laqueum cordis eorum, quẽ paraſti eis. Nobis autem da domine auxilium vt poſt te ſequamur, tuis alligati vinculis. Nulla enim vehemẽtiora, nulla ſunt gratiora quã vincula charitatis. Qui tibi ligatus eſt, ſolutus eſt mundo.

VII. Hæreditate quæſiui † teſtimonia tua in æternum, quoniam exultatio cordis mei ſunt.

† al. acquiſiui.

Etiam iſta vox martyrum eſt dicentium quòd hæreditatem acceperint cœleſtium teſtimoniorum. Dicit ergo Propheta: Hęres ſum mandatorum tuorum, ſucceſſionem tuam fidei pietatiſque iure quæſiui. Non poteſt dicere iſtud, niſi qui mandata cuſtodit, cœlo & terra teſtibus acquiſita. Dixit enim dominus: Audit cœlum, & auribus percipe terra.
Eſaiæ 1. Teſtatur elementa dominus ad redarguendos eos qui nolũt præcepta diuina ſeruare, vt refugia omnia excuſationis obſe piat. Teſtatur & homines dicens, Eſtote mihi teſtes, & ego teſtis, dicit dominus. Mandata ergo domini plena ſunt teſtimoniis, & ipſa ſunt teſtimonia, quorum ſatis idoneus teſtis eſt qui non mentitur deus, apud quem & conſcientia tua te-
Rom. 2. ſtis eſt cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, ſatis fidelis etiam in infido pectore, quoniam arbitrum omnium quæcunque cõmiſſa ſunt latere non poſſunt. Nam ſi in iudicio terreſtri etiam is qui ad mentiendum venerit ſubornatus, tamen ſi teſtimonio fuerit cõuictus, alterius ſolet prodere veritatem: quãto magis in iudicio cœleſti apud dominũ Ieſum neceſſe habet quæ vera ſunt confiteri, quem nouit ſcire quod factum eſt? Et bene ait: Hæreditate quæſiui teſtimonia tua: quoniam ſicut antè hæredes fuimus peccatoris, ita nunc hæredes ſumus Chriſti. Illa fuit criminum, hæc eſt virtutis hæreditas. Illa nos obligauit, hæc ſoluit. Illa obæratos fœnore delictorum adiudicauit inimico, hæc redemptos titulo dominicę paſſionis Chriſto acquiſiuit. Mala Euę ſucceſſio totum hominem deuorauit, præclara Chriſti hæreditas totum hominem liberauit. Non ad vnum quidẽ, non ad paucos, ſed ad omnes teſtamentum ſuum ſcripſit Ieſus. Omnes ſcripti hæredes ſumus, nõ pro portione, ſed pro vniuerſitate. Teſtamentum commune eſt, & ius omnium, hæreditas vniuerſorum, & ſoliditas ſingulorum. Nouũ tamen teſtamentum ſinguli adeunt, & omnes poſſident. Nec minuitur hæredi quicquid à cohæredibus vindicatur, manet emolumẽtum integrũ, & eo magis ſingulis creſcit, quo pluribus fuerit acquiſitum. Alia conditio eſt hæreditatis humanę. Si diuiſa fuerint emolumenta, minuuntur, & hęredis eſt damnũ aſſcriptio cohæredis. Indiuiſum regnum Chriſti eſt, indiuiſa hæreditas. Quomodo fieri poterat vt diuiſa eſſet hæreditas, cũ hæreditatis fructus ſit indiuiſus, quod eſt

regnum cœlorum? Aurum, argentum, prædium, ab homine pluribus derelictum diſtribuitur ac ſecatur, ſolida ad ſingulos Chriſti dona perueniunt, omnes habent, & nemo fraudatur. Audiamus igitur cõmoda hæreditaria. Remiſſio peccatorum, hæreditas Chriſti eſt. Certè ſolida per ſingulos, & in commune eſt lucratiua. Quibuſcunque enim collata fuerit, ſolida eſt, nulli decedit, accedit omnib⁹. Corpori acquiritur, quicquid vnicuique relaxatur. Nam ſi angeli ſuper vno peccatore pœnitẽtiam agente lætantur, quia lucrũ ſuum
Luca 15. putant hominis redemptionem: quanto magis lucrũ eſt generis, quod eſt lucrum naturæ? Hæreditas Chriſti eſt reſurrectio. Hanc quiſquam damnum ſuum dixerit, quæ in vno cõmunis gratiæ nomen inuenit? Chriſtus enim reſurgẽs, omnibus ſurrexit, quoniã per hominem reſurrectio mortuorum. Quomodo igitur poteſt ſingulorum eſſe diſpendium,
1. Cor. 15. quæ eſt totius corporis & humani generis reformatio? Reciterur igitur teſtamentũ, & inſtitutiones eius cõſideremus.
B Teſtis autem nobis eſt ſpiritus ſanctus. Cùm enim dixerit, Teſtis ſum teſtamẽtorum meorum, quæ teſtificatus ſum in vobis: tũc teſtimonium perhibebit quòd teſtatus ſit dicens:
Hier. 31. Hoc autem teſtamẽtum quod teſtabor ad illos, dicit dominus: Dãdo leges meas in cordibus eorum, & in ſenſibus eorum ſcribam eas, & peccati, & iniuſtitiæ eorũ non ero memor. O vere teſtator æternus, qui noſtris cordibus leges affigit ſuas, & ſcribit in ſenſib⁹, vt nihil aliud cogitare niſi diuina præcepta poſſimus, nihil aliud ſentire niſi dei oracula debeamus. Dedit gratiam, reformauit naturam, ſibíq; cõmiſcens qui obliuiſci nihil ſolet, memoriam meorũ abſtulit peccatorũ, mihíque dedit præceptorum ſuorum. Noli ergo tollere de corde tuo legem dei, & affigere legẽ peccati. Noli ſcribere in ſenſibus tuis diaboli illecebras, & dei delere mandata. Ecce ego, inquit, pinxi muros tuos, dicit dominus ad Hieruſalem: hoc eſt, ad animam ſtudioſam trãquillitatis & pacis, quã fecit ad imaginem ſuam. Noli, inquam, auferre imaginem cœleſtẽ, & imaginem mortis imponere. Recuſaſti hæreditatem ſeculi, ſerua Chriſti teſtimonia, quoniam in
C his exultatio atque lætitia eſt, quandoquidem omnis fletus delebitur, & mors nõ erit amplius, neque luctus, neque fletus, neque clamor. Paſſio Chriſti imago fuit regni cœleſtis. Nemo audiuit in plateis vocem eius, quia illo ſilẽtio paſſio-
Apoc. 21. nis ſuæ clamorẽ omnem in poſterum impiæ vocis abolebat.
Luc. 23. Nolebat fleri, quia dicebat ad filias Hieruſalẽ: Filiæ Hieruſalem nolite me flere, ſed voſipſas flete. Ablaturus enim omnes lachrymas ſuę beneficio crucis, in paſſione propria futuræ inſtar beatitudinis exhibebat, vt nemo fleret, niſi qui Chriſti beneficia non teneret. Meritò igitur vir euãgelicus dicit: Hæreditate quæſiui teſtimonia tua in æternũ, quoniã exultatio cordis mei ſunt. Quis non exultet quia cœlum & terram hæreditate quæſiuit? quæ duo elementa conteſtatus eſt etiam deus cùm legem daret: quia queſiuit deum, de quo dicit ſanctus: Portio mea domin⁹. Quæſiuit dominũ Ieſum, quæſiuit ſpiritũ ſanctũ, & poſt illa quæſiuit angelos, & cum illis viuit, non hodie tantum & cras, ſed in æternum, nec vllis pro nomine domini contriſtatur iniuriis. Deniq; gaudebant apoſtoli cùm verberarẽtur, cùm in carcerem traderentur. Exultans autem in teſtimoniis domini iure dicebat:

VIII. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtitias * tuas in æternum, propter retributionem.

* al. iuſtificationes.

Qui retributionem bonorum operum ſperat à Chriſto, & ad eũ feſtinat, inclinat cor ſuũ vt faciat Chriſti iuſtitias. Quæ eſt Chriſti iuſtitia? Sine nos, inquit, implere omnem
Matth. 3. iuſtitiã, qua peccatum minuitur, culpa laxatur. Et bene ait, Inclinaui, vt non ſit tibi arduum atque difficile, cùm mẽtem tuam quaſi ad humilia & plana conuerteris: aut certè quoniam ſapientia carnis legi dei non eſt ſubiecta, videtur in-
Philip. 2. clinare cor ſuum, qui legi facit eſſe ſubiectum, extollente ſe corporis ſenſu, cõtuitúque religionis inflectit, atq; ille dudum extollens ſe fruſtra, & inflatus mẽte carnis ſuæ cùm ſe humiliat, inclinat. Humiliauit enim & ipſe ſe Chriſt⁹, vt nouum cõderet teſtamentũ. Cùm lego euangelium, audio filiũ dei carnẽ ſumpſiſſe de Maria, videor mihi cum Chriſto ipſe deſcẽdere. Lego enim eũ qui cùm in forma dei eſſet, ſemetipſum

1545

ipsum exinaniuit. Exinaniuit autem vt formam serui accipe
ret, & specie inuentus vt homo humiliauit se vsque ad mor-
rem. Lego eum dicentē: Venite ad me omnes qui laboratis,
& onerati estis, & ego reficiam vos: &, Discite à me quia mi
tis sum, & humilis corde. Non dixit: discite à me quia potēs
sum: non dixit: discite quia glorioſus sum, sed, discite quia
humilis sum, & potestis imitari. Nolite extollere vos, nolite
exaltare cornu vestrum. Docuit ergo me humiliari, & inclī-
nare cor meum ad faciendas iustitias, non ad iniquitatē, sed
ad æquitatem inclinare propter retributionem. Retributio,
regnum cœlorum, & paradisi est incolatus.

Sermo decimusquintus.

SAmech litera decimaquinta, quæ interpreta-
tionem habet, audi. Est & alia eius interpreta-
tio, quæ dicitur firmamentum. Quid est audi?
non ocioſè dicitur, quod commune est omni-
bus, & suppetit vniuersis ipso iure naturæ. Et
ideo non est ocioſum quod admoneris vt audias, cùm etiam
inuiti & aliud agentes, sonum tamen aut vocem audire sole
mus. Sed quia id non est solum audire hoc quod suppetit of
ficio naturæ, sed etiam illud quod maius est, vt audias non
vsu tantum corporis, quantum intellectu mentis: ideo dili-
gentius considera istius literę interpretationem, seriémque
versuum qui sequuntur. Vt noueris autem mysticum esse
audire, vt audias & intelligas mysteria de Iudæis scriptum
est quia mysteria legis audierunt, sed non intellexerūt. Vn-
de ait dominus: Audi populus meus, & loquar. Lex vtique
spiritalis est: audi ergo spiritaliter. Denique qui se sciuit au-
dire, ait: Audiam quid loquatur in me dominus deus: id est,
vt cognoscam quid locutus in me fuerit deus. Ideóque ali-
bi ait: Quanta audiuimus, & cognouimus ea: vt comprehen
deret non solum audisse se, sed etiam intellexisse. Nemo e-
nim cognoscit, nisi prius intellexerit. Audi ergo, ne si te vi-
deat negligētem, veniat Petrus, arripiat gladium, abscindat
auriculam tuam, quòd superfluè habens aurem corporis sis,
qui audire & examinare non noueris. Et fortasse virtutem
animæ quæ examinat quæcunque audiuntur, habent ampu-
tatam, qui ea altitudine qua scriptum est, audire nō possunt.
Meritóque hanc literā firmamentum alij interpretati sunt,
quod cum superiore interpretatione cōcurrit. Nisi enim vn-
usquisq; audierit quid sequi debeat, nemo firmatur. In offi-
cio igitur audiendi, omniū firmamentū est. Dicit igitur tibi
in Threnis Hieremias propheta per literā, Audi. Et vt scias
mysticum esse quod audire debeas, subiecit huiusmodi se-
riem huic literæ: Abstulit omnes fortes meos dominus de
medio mei. Vocauit in me tēpus, vt cōtereret in me electos
meos. Lacum calcauit dominus virgini filiæ Iudæ. Non tūc
abstulit omnes Iudææ fortes dominus, quando in Babylo-
niam regionem captiuus ductus est populus Iudæorum, sed
quando Christus aduenit, & libertatem animæ suæ captiua
non vidit, nesciens grauibus incuruata peccatis mentis suæ
erigere ceruicem, & quædam fidei colla ad lucē cognitionis
attollere. Ideo lacus factus est Iudæis passio saluatoris, quæ
gentibus portū salutis ostendit, quia crux domini non cre-
dentibus præcipitium est, sed vita credentibus. Hac ratione
præmisit Audi, vt futura cognosceret. Alio quoque loco lite
ræ huic ista subiecit: Tenuerūt super te manus omnes trans-
euntes per viā, sibilauerunt & mouerūt caput suū super fi-
liā Hierusalē. Hæc est ciuitas, dicēt, corona gloriæ, & iucun-
ditas vniuersæ terrę. Passionē domini saluatoris prophetari
liquet & defleri ab Hieremia, non excidiū Iudæorum: quod
cum ex aliis, tum ex illo intelligi potest, quia in posteriori-
bus habet: Spiritus ante faciem nostram Christus dominus
cōprehēsus est in interitu nostro, sub cuius vmbra, dixim⁹,
viuemus inter gētes. Qui hoc manifestius, quādo & nomē
expressum est, & comprehensio inter manus persequentiū
perfidorum est declarata, & vmbra viuificans, & gratia gen-
tibus conferenda descripta est? Sed etiam ipsa verba signifi-
cant quæ in euāgelio de passione domini legimus, quia hoc
loco mors eius annunciata est per Prophetā. Sic enim Mat-
thæus scripsit: Transeuntes autem blasphemabant eum, mo
uentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruebat templum
dei, & in triduo illud reædificabat: libera te, si filius dei es.

A Vulgus populi cùm insultat alicui, sibilare consueuit simul
quia vocem non habebant qui verbum negabant, sicut irra-
tionabilia animalia sibilabant. Et ideo transibant viam qui
in via stare debuerant. Non stabant ergo quasi constantes,
sed transibant quasi mobiles. Iusti autem pedes stabant in
atriis Hierusalem, in quibus perfidi stare non poterant, & i-
deo præteribant, sicut Marcus significauit. Præterit vmbra
non veritas. Dies eius sicut vmbra præteriet, qui obliuiſci-
tur quod delinquit. Sed & transire infideles legimus, sicut
est illud: Et vindemiant eam omnes transeuntes viam. Quis
enim nisi perfidus despoliat vineam Christi? Sed & alibi
scriptum est: Et non dixerunt transeuntes viam, benedictio
domini super vos. Stantibus enim dicitur: Ecce nunc bene-
dicite domino. Tamen & in bono legimus transire, vt est il-
lud Moysi: Transiens videbo hoc visum magnum. Et qui vi
dit impium exaltatum vt cedros Libani, Transiui, inquit, &
ecce non erat. Et nemo dicit seruo, transi, recumbe. Quæ er-
go distinctio sit consideremus: nisi fortè illa, quia vbi in
B bono accipitur transire, absolutè dictum est, non dixit,
hoc aut illud transiens, sed tantummodo transiens. Vbi
in malo: transeuntes, inquit, viam. Via enim bona est quæ à
commeantibus frequentatur, non facilè incursatur à latro-
nibus, qui auersa viarum obsidere consueruntIta regale i-
ter munitum est. Moyses autem non transiuit viam, sed in
via stetit, cui dictum est: Tu autem hîc sta mecum. Stetit cū
illo qui ait: Ego sum via, & veritas, & vita. Hanc qui viam
transit, labitur. Moyses autem non lapsus est, sed pertran-
siuit à secularibus ad spiritalia, à temporalibus ad æterna. Et
qui vidit impium, nec remansit, sed pertransiuit, euasit, quia
non hæsit impio, ne fieret vnum corpus, sed se ab eodem se-
parauit. Et cui dicitur: Transi, recumbe, euadit vtique labo-
riosam præsentem seruitutem, vt habeat glorioſam futuro-
rum quietem. Et sponsæ dicitur: Ades huc à Libano sponsa,
ades huc à Libano, transibis & pertransibis. A principio fi-
dei transit & pertransit, quæ festinat ad sponsum. Pertransit
seculum, & festinat ad Christum. Nunc discutiamus quid
C sit mouere caput. Quis est populi caput nisi Christus? Ca-
put enim mulieris vir, caput autem viri Christus. Sed etiam
lex intelligibilis caput mulieris. Denique mulier sub lege
tanquam sub viro fuit. Mortificato autem ritu Iudaico qui
erat secundū literam legis, innupsit ei mulier qui à mortuis
resurrexit. Vnde quidā mysticè interpretati, mortificato ri-
tu Iudaico tanquam fratris defuncti ritu veteri euangelico
mulierem illam intelligibilē nubere ex lege voluerūt, quia
lex euāgelium fraterna quadam prædicatione præcessit. Er-
go synagogæ caput mortuū est, hoc est, caput eius lex mor-
tua est, obseruatio videlicet legis, euacuata est legis litera,
spiritalis eius intellectus astruitur. Huius cōmotionis memi
nit Dauid in quadragesimotertio psalmo dicēs: Posuisti nos
in parabolā gētibus, cōmotionē capitis in populis: eo quòd
à lege in euangeliū sit facta cōmotio quasi trāsitus quidam.
In vicesimo autē & primo psalmo, in quo & totius prophe
tatur series passionis, sic habetur: Omnes qui conspiciebant
me, aspernabātur me, & locuti sūt labiis, & mouerūt caput.
Sperauit in domino, eripiat eum, saluū faciat eum, quoniam
D vult eum. Mouerūt ergo legē quæ immobilis videbatur, &
finis legis Christus intrauit. Qui mouerant capita, pharisæi
fuerunt, id est, à veritate diuisi. Vnde & in veritatē non cre-
diderunt. Sed & sic potest accipi: Mouerunt caput suū Chri
stum, qui in sua venerat. Sed mouerunt eum, quia sui eum
non receperunt. Mouerunt autem dicentes: Tolle, tolle, cru
cifige eum. Et mouerunt capita sua, qui onera sua mouere
nolebant, cùm ligarent onera grauia, & aliis imponerent,
ipsi autem digito, inquit, ea mouere nolunt. Quod est my-
sticum, quia corporalis ritus obseruationem nunquam mu-
tare voluerunt, & introducere intellectum spiritalem. Digi
tum enim pro spiritu legimus: vt lex digito dei scripta est,
& ideo lex spiritalis est. Noluerunt ergo onera sua mouere,
quæ sunt grauia, & leue Christi iugum atq; onus eius sua-
ue suscipere. Verum quia passio saluatoris omnes redemit,
non absurdum est intelligere ita hos mouisse capita sua, si-
cut prophetabat princeps ille synagogæ: Expedit vnum mo
ri ꝓ populo. Aliud dicere volebat, aliud significabat. Et isti

Psalm. 79.
Psalm. 128.
Psalm. 133.
Exod. 3.
Psal. 37.
Luce 17.
Exod. 33.
Ioan. 14.
Canti. 4.
1. Corin. 11.
Psalm. 45.
Ioan. 1.
Ioan. 19.
Matth. 27.
Deute. 9.
Ioan. 11.

aliter mouebãt caput quasi insultãtes, & aliud annũciabant, quia ipse erat qui venit vt pigrum illud atque terrenũ principale hominum cõmoueret, quo euacuata obseruatione literæ, mysteriũ quæreremus in verbis. Vnde ait: Posuisti nos in parabolã gẽtibus, cõmotionem capitis in populis. Quod in bono vtique accipitur, quia præmisit: Et in nationes dispersisti nos. Dispersi sunt enim Iudei, vt reliquię eorũ saluæ fierent secundum electionẽ gratiæ. In parabolã autẽ positi sunt, vt ea quæ per parabolam dicta sunt, reuelata esse illorũ exitu disceremus, vel eorum exemplo admoneremur cauere perfidiam. Tunc enim cognouit magis Hieremias Iudæam esse deflendam, & ideo Hierusalem captã esse tunc temporis prophetauit, quando redemptorem propriũ non recepit. Illi igitur insultatur, de qua dicent: Hæc est, inquit, ciuitas vniuersæ terræ: eò quòd vbi erat antè fidei iucũditas, ibi nunc sit amaritudo perfidiæ. Vel certè mouendo caput suũ, & de corporalibus ad spiritalia transeũdo mereatur audire, cùm crediderit in Christũ quòd corona sit gloriæ. Quæ est autem corona gloriæ, nisi ecclesia, quæ caput suum Christũ coronat? Quæ iucunditas vniuersæ terræ, nisi domus populi Christiani, aula sanctorum, de quibus scriptum est: In omnem terrã exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ? Ergo quia corona gloriæ est ecclesia, ideo dicitur in Cãticis: Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in corona qua coronauit eum mater eius in die sponsalium eius, & in die iucunditatis cordis eius. Ad animas dicitur vt è gurgustiis & claustris exeant corporalibus, extra corporis cogitationes exeãt, egrediantur à cupiditatibus & à curis & cæteris carnis istius & affectus lubrici passionib⁹ supra mũdum ascendant, de hoc mundo exeant, Christo occurrant, paratæ assint facib⁹ ardẽtibus relucentes. Quasi angeli Christi hoc loquuntur, Non potestis videre claritatem eius, gloriam eius, nisi egrediamini humanæ fragilitatis curas, filiæ Hierusalem. Quasi dicant: Quid viuentem inter mortuos quæritis? Non intra hunc mũdum quæritur Christus, qui supra mundũ suos voluit esse discipulos. Quæ est corona qua coronatur Christus nisi corona gloriæ? Ioseph coronam habuit castitatis, Paulus iustitiæ, Petrus fidei. Singularum virtutum coronæ sunt. Solus Christus habet coronam gloriæ, qua eum ecclesia coronauit. In hac corona omnes coronæ sunt, quia gloria non portio vnius coronæ, sed præmium omnium coronarum est. Tertia traditione mouerunt caput suum, hoc est Christum, qui est caput suę plebis. Caput eius aurum Cephas. Vnde & Aquila Petrum aurum dixit: Symmachus lapidem aũreum, quòd significat stabilem eminentémque sapientiam. Corpus Christi, ecclesia est. Huius caput aurum, id est, sapientia preciosa sanctorum est, hoc est, viri iusti atque prudẽtes. Crines eius abietes nigræ sicut corax, de quo alibi ait: Capillamentum tuum vt grex tonsarũ. Ideo capillamentum, quia virtus omnium sensuum in capite est. Oculi enim sapientis in capite eius. Profunda igitur doctorum prudentia, quæ potest ea quæ obscura sunt reuelare, & alta aperire sensuum. Et huiusmodi disputatores crines ecclesiæ sunt, sicut pulli coruorum, quibus dominus escã dat; sicut dedit sancto Iacob à iuuẽtute eius, & eum pauit. Hos altos ac profundos vbertate doctrinæ pascit dominus cœlestibus sacramentis. Oculi quoque eius sicut columbæ. Oculi sunt viri, videlicet spiritalibus ornati sensibus, qui ad videnda mysteria sunt acuti, & parati ad penetranda scripturæ secreta diuinæ, rationabili lacte fulgentes in quibus non sit aliqua doli maculosa confusio, sed simplicis affectus pura & immaculata syncerita⁹. Ideo in aquarum abundantia lotas has columbas in lacte memorauit. Iam cætera: Dentes & genas, & sicut coccineum resticulum labia sponsæ, intelligimus animæ esse virtutes, doctorúmque diuersitates: qui vel spiritalem menti alimoniam dispensatione sedula subministrent, vel prædicatione dominicæ crucis, sicut verbi quadam linea alligent audientem, vel modestia verecundi, & iuuentutis flore gratissimi. Et si à tractatu pudore reuocentur, redoleat tamen in his odor Christi, & sicut in Genesi, quasi de capite sacerdotali descendit vnguentũ, eluceat pulchritudo doctrinæ. Et hoc caput mouit synagoga, & ideo abstulit dominus mirabilem cõsiliarium, & prudentem architectum, & sapiẽtem auditorem. Caput, inquit, & caudam: quoniam qui caput non tenuerant, nouissima habere non possunt. Sed iam ea quæ annexa sunt, consideremus.

Psalm. 43.
Rom. 9.
Psalm. 18.
Cantic. 3.
Luce 24.
Cãt. 4. & 6. Eccles 2.
Cãt. 4. & 5.
Cant. 5.

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.

Quanto ergo dominus noster perpendat affectum, sanctus propheta Dauid hoc versiculo declarauit, quia cùm suos inimicos nequaquã sit persecutus, vt pote qui & regis Saul, à cuius insidiis periculũ salutis cauere vix poterat, nec vitam putauerit appetendam, & mortem æstimauerit vindicandam, & parricidæ filij ingemuerit interitum, & multorum persequentium se flagitiis appetitus ignouerit, vt ipse ait, quia vicem iniuriæ lædentibus non rependerit: præuaricatores tamen diuinæ legis exosus horrescat: in quo vtique & clementia morum eius, mãsuetudóque pietatis, & vehemens deuotionis aperitur intẽtio, euangelici præcepti conueniẽs disciplinæ, quam prophetico spiritu pręuidebat. Et enim dominus Iesus & nostrorum inimicorũ dilectionem nobis expetendam esse pręcepit, & dei hostes etiam si nobis aut parentum, aut filiorum, aut cõiugij germanitatísque necessitate copulentur, odio persequendos. Sic enim scriptum est: Si quis venerit ad me, & non oderit patrem & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc etiam & animam suam, non est me dignus. Quod si quis ociosis acciat auribus, fortasse dicat: Tu domine Iesu legẽ dedisti, dicẽs: Dilige dominum deum tuum, dilige proximum tuum. Et vt impleres hãc legem, venisti. Dixisti per legem: Honora patrem & matrem, & in euãgelio iubes vt parentes oderim? Quomodo sibi cõueniũt ista præcepta? Sic mitis & humilis corde venisti? Nõ possum saluo pietatis iure odisse patrem, cui debeo quòd creatus sum, nec matrem lõgo decem mensiũ fastidio pij fœtus onera portãtẽ, cui in absolutione plus periculi, in dilutione plus tędij est. Quid dulcissimi merentur filij vt paterno excludantur amore, cùm sit impium mori nolle pro liberis? Quid vxor charissima quædam vitæ cohæres, & consortium communis naturæ? Quid fratres iisdem concreti viscеribus, atque formati eodem naturæ hospitio in hunc vsum lucis emissi? Oderim ergo pignora charitatis? Ita euangelij lenitate rigorem prædurę legis Iudæis inflectis, vt quorum lex condemnat iniurias, eorum tu euãgelio tuo condemnes gratiam? Video istiusmodi assertioni me respondere non posse, sed tu domine respõde. Nec enim indiges vt excuseris, qui non eguisti vt vinceres. Respondebit igitur: Ego non condemno pietatem, qui odi iniquitatem. Ego parentes non præcipio non amandos, qui inimicos suadeo diligendos. Sed non legisti tempus amandi, & tempus odio habendi, & tempus belli, & tempus pacis? De quo hoc dicit Ecclesiastes? Nonne de eo quod ratione temporis fiat, vt aliquos piè & amare & odisse possimus, vt quos dilexeris, odisse: & quos oderis, amare conueniat? Non ego parentum infudi odia pectoribus filiorum, nec coniugum suasi fastidia mentibus maritorum. Naturam interroga quid exegerim, quæ vtique authoris arbitrium genitali singularum necessitudinum testatur affectu. Amare parentibus filios, lex naturæ est: maritis coniuges, lex diuina est, quæ coniugij charitatem in naturam vertit, vt fiat vna caro, & vnus spiritus. Diligere fratribus fratres naturæ prærogatiua est, quæ eodem domicilio diu fotos assuefecit ad gratiã charitatis. Non ergo necessitudinum intestina bella mãdaui, sed illecebram suspectam habui. An non iure suspectam, cùm serpens ille callidus & astutus ad construendas nequitiæ suæ artes, quo incorruptæ ac rudis naturæ dote fundatum primogeniti Adam labefactaret affectũ, fœmineis magis illecebris, quàm suis commisit venenis? Itaque fœmina virum quem serpens tentare non ausus est, cibos oris & viã moris inflexum molli quadam & conciliatricula vxoriæ sedulitatis affectione traduxit. Et adhuc Eua liberos non habebat: quorum gratia vti dulcis ad amorem, ita esset facilis ad lapsum. Quàm plurimos à martyrij consummatione sæpe reuocauit? Denique sæpe cognouimus quoniam quem formidolosa carnificũ pompa non terruit, nec diuisi lateris sulcus infregit, nec ardentes laminæ à triumphalis fortitudinis

Matth. 5.
Luce 14.
Deut. 6. Leuit. 19. Deut. 5.
Eccles 3.

1549

dinis rigore abducere potuerunt, eum inter sacra iam præmia constitutum, vxor teneræ sobolis oblatione miserabilis vnius lachrymæ miseratione decepit. Sāpson captus est per vxorem, nunquid tu fortior? Salomon captus est in vxore, nunquid tu sapiētior? Ille igitur cuius sapiētia totis celebratur seculis, factus est insipiēs, quia nimium amauit vxorem. Quid de fratribus dicam? Experta est in liberis & prophetæ domus detestabiliora inimici oscula, quàm odia esse fraterna. Itaque fratricidium pater quidem fleuit, sed magis est indignatus incestum. Denique licet parricidam, percussorem tamen reuocabat incesti. Tempus igitur amandi, tempus odio habēdi, hoc est, tempus martyrij, quando ea quæ diuina sunt, omni charitati necessitudinum præferenda sunt. Tempus belli, quo etiam bellum pro Christi nomine perfidis pignoribus inferamus. Tempus pacis, quia in pace locus eius. Deniq; ipse in euangelio euidēter exposuit qua ratione nostros debeamus odisse, dicens: Qui diligit patrē aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Non dixit indignos esse qui parentes suos diligunt, sed eos indignos ait, qui plus parentes quàm Christum diligunt. Si enim ideo deferimus parentibus, quia nostræ generationis authores sunt, quāto magis Christum oportet amare, qui ipsorum est author parentum? Isti dederūt quod non potestatis est, sed ministerij sui: Christus donat salutem, qui parentum beneficia conseruat. Pulchrè autem dixit: Iniquos odio habui, legem autē tuam dilexi: quia si legē amamus, odisse debemus aduersarios legis, qui operibus suis præcepta legis impugnāt. Græcus melius eos, & propriè nuncupauit dicēs, ὡς ἀνόμους. ἀθέσμους exlex vocatur, quia extra legem est. Hos ergo odit qui in lege Christi est, quia legis mandata non seruant. Non solum enim qui legem nescit, sed etiam ille qui nō agit secundum legem, exors legis est, quia nō auditores legis tantum, sed factores legis iustificabuntur. Redarguit me ipse Dauid si aliter intelligam. Quomodo iniquos homines oderat, qui parricidam filium commendabat prælatoribus, ne eum aliquis occideret? qui Saul regis mortem etiam vindicauit in eum qui à se nūciauit occisum? Ergo non iniquos homines, sed iniquos sermones oderat. Denique iniquos hos dixit odio habui, nō addidit viros. Deniq; cùm dicat Iesus in euangelio, Diligite inimicos vestros: dicat Apostolus, Benedicite eos qui persequuntur vos: & nolite maledicere: quomodo excusaretur iste vir euangelica viuens disciplina, si iniquos homines odisset: nisi intelligas quòd iniquitatem odio habuit, nō eos qui & si operentur iniquitatem, possent tamen euangelica prædicatione conuerti? Aut certè nisi ita accipiamus quia sicut ille qui non honorat patrē, iniquus est: idem tamen secundū illud exosus patrem, quod scriptum est: Qui non odit patrem, aut matrē, aut fratres, aut sorores, aut animam suam, nō potest meus esse discipulus: etiam laudabilis habetur: sic & iste iniquos odio habuit. Eodem modo & eos oderat quo patrem præuaricantem, aut animam suam præferens videlicet vitæ eius suauitati gratiam Christi.

II. Adiutor & susceptor meus es tu, & in verbum tuum spero†.

Adiutor per legem, susceptor per euangelium. Quos lege adiuuit, in carne susceptit, quia scriptum est: Hic peccata nostra portat, & ideo in verbum eius spero. Græcus tamen ὑπέμεινα habet, quod est supersperaui, quod de eo dicitur qui semper addit ad sperandum, & cùm sperauerit aliquid, iterum sperat, & spe proficit, extendēs se semper ad superiora, & ea quæ præteriit obliuiscens. Pulchrè autem ait: In verbum tuum speraui, hoc est, non in prophetas speraui, non in legem, sed in verbum tuum speraui, hoc est, in aduentum tuum, vt venias & suscipias peccatores, delicta condones, ouem lassam tuis in cruce humeris bonus pastor imponas. Si quis sperat in Christum, separare se debet à consortio perfidorum. Ideóque dicit:

III. Discedite à me maligni, & scrutabor mandata dei mei.

Cuius versiculi testimonio significatur quia vbi malignitas est, ibi custodia mandatorum cœlestium esse non possit. In maleuolam enim animam non intrat sapientia. Et alibi: Quærent me mali, & non inuenient. Simplicem mētem ac defæcatū animum diligit Christus, nec potest immaculatæ virtuti vllum cū maculosis contuberniū esse flagitiis. Odit, refugit, aspernatur cōtagia, qui dicit: Discite à me quia mitis sum. Malignos repellit, laborātes vocat. Dicit illis Iesus: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Istis ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Nō vtique malignitate mentis, sed infirmitate carnis onerati. Onerati, inquam, alieni hæreditate peccati. Laborantibus subuenio, fraudulentis prodesse non debeo, ne pluribus noceant. Hos pœna cōpescat, illos emendet gratia. Malitia enim fons peccati est, culpa infirmitatis est lapsus. Illi debeo subuenire qui laborat, illum etiā odisse qui decipit. Malas igitur operationes repellit. Nā nisi ita accipias, videtur dicere: Discedite à me, quia mūdus sum, quia purus sum. Hoc Pharisæus dicebat, & reprehensus à Christo est. Non ergo Propheta dicit, Mundus sum, sed cor mundum crea in me deus. Ideóque relegato consortio malignorum, quasi qui antè permixtus illis susci pi non possit à domino, dicit:

Matth. 11.

Psalm 6.

Matth. 11.

Psalm. 50.

B Suscipe me secūdum eloquium tuum & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. IIII.

Si viuit qui in sinu est patriarchæ Abrahę, vt ille Lazarus pauper, quanto magis viuit qui suscipitur à Christo? Quomodo enim potest non in æternum viuere, quem sempiterna vita suscepit, quem totum sibi Christus assumpsit, qui totus verbi est, cuius vita abscondita est in Christo Iesu? Sed qui in sinu Abrahæ sedet, susceptus à Christo est. Intolerandæ autem præsumptionis videretur dicere domino, Suscipe me: nisi promissum eius adiungeret: hoc est, Vt hoc auderemus, ipse fecisti, tuo te chirographo conuenimus, quoniam nostrum chirographum sustulisti. Nos fecimus chirographū mortis, tu scripsisti chirographum vitæ. Ergo non confundas ab expectatione sua seruulum tuum, quia in te spero. Spes enim non confundit. Et si tribulamur, patiētiam subministra, vt ferre possimus, vt qui à te expecto, non opprimar infirmitatibus, non succumbā tentationibus, non affligar procellis, in quibus est probanda patientia, vt probatio consequatur spē quæ confirmat & roborat, quæ non cōfundit. Hoc est, frangimur frequēter laboribus, fatigamur: sed si spes desit, cōfundimur, & tota mēte turbamur. Sed esto, sint aliqui duri ad labores, firmi ad iniurias perferendas: si spem auferas, nō potest perpetua esse patientia. Ipsa patientia non probatur si fides desit, cuius radix spes est. Quæ enim potest probatio esse, nisi pro Christi nomine vel incommoda vel pericula vniuersa sustineas? Ideo spes est sola quæ nostrum non confundit affectum. Vbi est spes: apostolicum illud, foris pugnæ, intus timores nocere non possunt. Alia interpretatio habet, Non erubescere facias: Nō erubescet qui sperat in Christum. Ideóque qui bene sperat, dicit: In te confido, non erubescā. Et bene ait, confido. Robur enim spei nostræ, & quędam sperandi authoritas, confidentia est. Spera igitur semper, & nemo te ab expectatione confundit. Expectatio nostra, vita æterna est. Expectatio nostra est regnum dei, angelorū consortiū, benedictiones sunt spiritales. Spera quotidie, finem ista res non habet, nescit inducias. Spera etiā positus in aduersis. Si quis dicat tibi aliqua fortè necessitudinum amissione percusso, Quid tibi prodest iustitia tua? tu tamen spera, non deficiat fides tua. Si quis dicat tibi, Quid tibi quotidiana profuere ieiunia? Quid castitas corporis, pudor mentis? ecce sicut iniustus & impius vulneratus es: non deficiat fides tua. nam etiam si infirmus es, fidelis tamen solicitus est pro te Christ⁹. Dicit ad discipulos, Date illis vos manducare, ne deficiant in via. Habes apostolicum cibum, manduca illum, & non deficies. Illū antè manduca, vt postea venias ad cibum Christi, ad cibum corporis dominici, ad epulas sacraměti, ad illud poculum quo fidelium inebriatur affectus, vt lætitiam induat de remissione peccati, curas seculi huius, metum mortis, solicitudinésque deponat. Hac ergo ebrietate corpus non titubat, sed resurgit, animus non confunditur, sed consecratur.

Luca 16.

Coloss. 3.

Roma. 6.

2. Cor. 7.

Psalm 24.

Matth. 14.

Adiuua me, inquit, & saluus ero, & meditabor iustificationes tuas semper †. V.

† al. in iustificationibus tuis.

Qui

Qui ſperat, præſumit iuuari: vbi autem adiumentum dei, ibi certum ſalutis auxiliũ. Supra dixit: Adiutor meus & ſuſceptor meus es tu: hic iterum iuuari petit, quaſi dicat: Sine ceſſatione me adiuua. Non mihi ſatis eſt quod poposci, iterum pero vt ſaluus fiam. Hic non magna, non vera eſt ſalus: tunc ſaluus ero, cùm fuero in paradiſo, cùm viuere cœpero inter electos tuos angelos, cùm laqueos terræ huius euaſero. Sed ne fortè adiuti in neceſſitatibus, poſtea in proſperis poſiti negligamus, docet nos immemores beneficiorũ cœleſtium nequaquam eſſe debere, ſed meditari iuſtificationes domini, vt & cùm boni operis aliquid fecerimus, ſemper tamẽ ei noſtra peccata fateamur. Hęc enim eſt iuſtificatio domini. Denique phariſæi non iuſtificauerunt deum, qui baptizari baptiſmo pœnitentiæ noluerunt. Ergo ille iuſtificatur, quem ſuorum pœnitet delictorum. Quem enim pœnitet, cõfitetur, vt eſt illud: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. Ideóque Publicanus magis iuſtificatus exiuit è templo, quia Phariſæus ſe iuſtificabat ſuas iuſtitias prædicando, publicanus autẽ iuſtificabat deum, iniquitates proprias confitendo. Ergo qui meditatur iuſtificationes, ſemper humiliatur. Nõ hodie humiliatur, & cras exaltatur, ſed ſemper humilis corde, & mitis affectu eſt. Plus eſt autem ſemper, quàm die ac nocte, vel tota die: hoc enim ſupra tempus eſt. Ergo vel inter angelos annumeratus dicas oportet iuſtificationes dei ſemper, & illam quam adeptus es gloriam non tuis meritis arroges, ſed diuinæ miſerationi ſemper adſcribas, ne tibi dicatur: Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Omnis enim creatura quæcũque bona habet: accepit à Chriſto, qui totius eſt author creaturæ.

Pſal. 50.

Lucæ 18.

1. Cor. 4.

VI. **al. diſcedẽtes à iudiciis tuis, quia iniuſta.*

Spreuiſti, inquit, omnes qui diſcedũt à iuſtificationibus tuis, quia iniqua * cogitatio eorum.

Omnis ſuperbus immũdus eſt in conſpectu dei, quia non poteſt per ſuperbiam ſuam mundare peccata, qui arroganti ſpiritu coaceruat errorem. Ideóque ſpernitur atque deſpicitur, quia deſpectui habet diuina mãdata. Bene autem cœleſtis ſeruatur prærogatiua clementiæ, quia nullum repellit, ſed quicunque noluerint peccata propria confiteri, ipſi diſcedũt à domino deo noſtro. Denique ille diſceſſit qui peregrè profectus, omne quod acceperat à patre, fidei & gratię patrimonium diſſipauit. Et quia cùm diſceſſiſſet pœnituit, poſtea eſt egreſſus ad patrem quem reliquerat tũc cùm peccatum proprium nollet confiteri. Non ergo interuallo locorum deus relinquitur, ſed prauitate morũ, & deformitate geſtorum. Diſcedit à domino qui ſe elongat à domino, quẽadmodum audita præſentia dei Adam latere cupiebat. Sed diſcedens à domino ſalutem habere non poterit, quoniam ſcriptũ eſt: Ecce qui elongant ſe abs te, peribunt. Vnuſquiſque igitur ſuis ſtudiis ſeſe aut iungit aut ſeparat. Denique quòd pleroſque nec locorum interualla ſecernãt, vel finitima vel vicina connectant, indicio eſt, quia ſunt plerique in corpore ſiti qui peregrinantur à corpore, & aſſunt deo, vt ille qui dicente deo, Quem mittam? reſpondit: Ecce ego. Audet & Paulus adeſſe deo, quia nihil in ſe præter carnis materiam videbat eſſe corporeum. Exiuit Cain à facie dei poſtquam commiſſo parricidio gerendam peccatorum ſuorum pœnitentiam non putauit. Rectè autem ait: Ad nihilum deduxiſti præuaricatores. Non peccatores dixit, ſed præuaricatores. Nam quæ nobis ſpes foret, quando omnes ſub peccato ſumus? Etiam illud pulchrè: Omnes ad nihilũ deduxiſti præuaricatores. Siue ille diues ſit, nihil illi diuitiæ ſuæ proſunt: ſiue honoratus, nihil dignitas: ſiue potens, nihil potentia. Sed aliud eſt præuaricatorem eſſe diſcedentem à iuſtificationibus dei, aliud præuaricatorẽ eſſe terræ. Illud grauius, hoc leuius. Ideóque ſubiecta ne turbent, vide quid ſubiecit his.

Lucæ 15.

Eſa. 6.

Gene. 4.

VII. *† al. præuaricantes repſaui. † al. ideo.*

Præuaricatores æſtimaui † omnes peccatores terræ, propterea † dilexi teſtimonia tua ſemper.

Rectè præuaricator dicitur, qui diſcedit à domino. Denique Græcè à diſcedendo apoſtata nominatur. Vnde & ille: Vinum & mulieres faciunt apoſtatare. Cauẽda ergo incentiua & lenocinia delictorum, ne in ſcelus vergant. Præuaricator autem Latinè & tranſgreſſor vocatur, eò quòd à lege domini tranſeat ad errorem, & tranſgrediatur mandata cœleſtia, cui dictum eſt vt adhæreat domino deo ſuo. Adhæreto igitur indiuiduo ſemper affectu, ne te ab eo vis vlla poſſit euellere. Si quid rarum, ſi quid intermiſſum aduerſarius viderit, ſtatim ſe immittit in pectus & cor tuũ, vt te laqueo teneat ſuæ fraudis, & hoſtilis vinculo poteſtatis innexus à deuotione retraharis. Sed nõ ſolus ille præuaricator eſt, qui poſthabita eccleſia ad cultus tranſgreditur idolorum, ſed etiam quicũque legis mãdata non ſeruat. Omnis enim peccator, præuaricator. Vnde illud: Omnis præuaricatio iuſtam accipit remunerationem. Nomen cõmune, ſed diuerſa merita delictorum, & precia ergo diuerſa culparum. Quid ſibi vult quod ait, peccatores terræ? Sunt ergo & cœli peccatores, ſicut ille qui ait: Peccaui in cœlum & coram te. Sũt qui dicant, quia is qui cœleſtia non ſeruat oracula, præuaricator eſt cœli. Sed ſiue hoc, ſiue illud ſit, è diuerſo vnum ſignificamus peccatorem, alterum præuaricatorem, quia minuit gratiam quam accepit è cœlo, quam ſpiritus ſanctus infudit, ſiue quia auis cœli factus, non debes in terram redire de cœlo. In cœlum ergo peccas, ſi cœli incola cœlũ relinquas. Diuerſitas igitur eſt eorũ. Alij peccatores cœli, alij peccatores terræ ſunt. In matutinis, inquit, interficiebã omnes peccatores terræ. Quomodo vnus omnes interficere poterat peccatores terrę? Sed ſi conſideres iuſtum, cui nox pręceſſit, dies appropinquauit: pores videre quomodo ex oriente tibi ſole iuſtitiæ de luce vigilans interficias fomenta omnia delictorum. Vtinam mihi aſpiret hæc gratia, vt gladio ſpiritali qui eſt verbum dei, ab eccleſia domini incentiua vniuerſa poſſim abolere vitiorum, & terrena auferre delicta, quibus in foueam quandam lubrici præcipitamur erroris, vt de ciuitate dei expellatur iniquitatis operator. Ciuitas dei, eccleſia eſt, eccleſia corpus eſt Chriſti. Peccat in cœlum, qui cœleſtis ciuitatis iura contaminat, & immaculati corporis violat ſanctitatem ſuorum colluuione vitiorũ. Et vide ne fortè ſint qui cœli & terræ peccatores ſint. Nam vtiq; Adam cùm in paradiſo eſſet, cœleſtis erat: poſt lapſum autem terrenus eſt factus, & de paradiſo expulſus eſt & eiectus. Vnde & Apoſtolus ait: Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Abiiciatur ergo à nobis imago terreni, ſuſcipiatur imago cœleſtis, non fuco expreſſa, non ceris, non coloribus adumbrata, ſed moribus, in qua Chriſtus ſe agnoſcat.

Pſalm. 72.

Pſalm. 100.

Ephes. 4.

1. Cor. 15.

VIII. ** al. non habet clauũ à, Rom. 6.*

Confige clauis à * timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.

Qui diligit domini teſtimonia, cõfigit clauis carnes ſuas, ſciens quia vetus homo ſuus cum Chriſto confixus cruci, luxuriam deſtruat carnis, ne cupiditates eius indomito feruore laſciuiant, ne radix auaritiæ ſerpentibus ſe fundat radicibus. Confige ergo clauis, & deſtrue fomenta peccati, moriatur in carne tua omnis illecebra delictorum, libertatem vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habeat. Eſt quidam clauus ſpiritalis, qui patibulo crucis dominicæ affigat has carnes. Et fortaſſe ſunt carnes quædam animæ, ſicut corpus eſt animæ. Carnes animæ ſunt carnales cogitationes. Configat has carnes timor domini & iudiciorum eius, & ſeruituti redigat. Quod ſi carnes iſtæ reiiciunt clauos diuini timoris, haud dubiè dicitur: Non permanebit ſpiritus meus in his hominibus, quoniam carnes ſunt. Niſi igitur affigantur cruci hæ carnes, & configantur clauis à timore domini, nõ permanebit in his ſpiritus dei. Sicut ſunt aculei timoris, quibus compungimur: ita ſunt claui timoris, quibus configimur. Qui compungitur, excitatur: qui configitur, mortificatur, vt peccato deficiat, deo viuat. Vt ſciamus autem clauos ſpiritales eſſe, etiam ſtimuli ſpiritales ſunt, de quibus ſcriptum eſt: Durum tibi eſt aduerſus ſtimulum calcitrare. Hoc ſtimulo Paulus ſtimulatus ſurrexit è terra, & ſe leuauit, vt cõuerſaretur in cœlo. Confixus eſt clauis apoſtolus Thomas, vt diceret: Niſi videro in manibus eius fixuras clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum. Claui erant bonæ cupiditates, claui erant, etſi non perfectæ fidei, tamen fidei incrementa quærentis. His configitur clauis

Genſ. 6.

Act. 9.

Ioan. 20.

1553

uis qui Christo commoritur, vt cum Christo resurgat. His cõfigitur clauis qui mortificationem domini Iesu in corpore suo portat. His clauis configitur qui meretur audire dicentem Iesum: Pone me vt signaculum in cor tuum, vt signaculum in brachiũ tuum, quia valida est vt mors charitas, durus sicut inferi zelus. Infige ergo pectori tuo & cordi tuo hoc signaculum crucifixi, infige & brachio tuo, vt opera tua peccato mortua sint. Nihil in his criminis reuiuiscat, nihil erroris resurgat. Fortasse hanc imaginem claui non solum timoris, sed etiam charitatis affigunt, quia valida est vt mors charitas, durus sicut inferi zelus. Non te ergo offendat duritia clauorum, quia est duritia charitatis: nec validus clauorum rigor, quia valida est etiam charitas sicut mors. Charitas enim culpã & omnia peccata mortificat. Charitas sicut mortis ictus interimit. Denique morimur flagitiis atq; peccato, dum domini mandata diligimus. Charitas est deus, charitas dei verbum est, quod est validũ, & acutius omni gladio acutissimo, vsque ad diuisionem quidem animæ ac spiritus, arrúsque & intima penetrans medullarum. Est durus ergo zelus charitatis, qui nõ cedat infernis, cùm pro dei zelo vnusquisque nec suis parcat. His clauis charitatis configatur anima nostra & caro nostra, vt & ipsa dicat: Quia vulnerata charitate ego sum. Habet ergo clauum suum charitas, habet gladium suum, quo anima vulneratur. Felix qui hoc gladio meruerit vulnerari. Hæc sunt vulnera quæ osculis præferũtur: vtiliora vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. His nos vulneribus offeramus, quibus quicunque mortuus fuerit, mortem gustare non poterit. Talis eorum erat mors, qui dominum sequebantur, de quibus dictum est: Sunt aliqui de istis astantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. Meritò Petrus non timebat hãc mortem. Non timebat enim qui dicebat, quia etsi oportuerit eum pro Christo mori, nõ eum relinqueret aut negaret. Tollamus ergo crucem domini, quæ configat carnes nostras, peccatũ destruat. Est timor qui configit carnes. Nisi, inquit, quis tulerit crucem suam, & secutus me fuerit, non est me dignus. Ille enim dignus est, qui habet Christi timorem, vt crucifigat carnale peccatũ. Hunc timorem sequitur charitas, quæ consepulta cum Christo, non diuellatur à Christo, moriatur in Christo, attumuletur Christo, resurgat cum Christo.

Sermo decimussextus.

2. Reg. 11. IN litera decimasexta, cuius interpretatio est oculus, siue fons. Oculo vtimur videndi munere: sed videmus ea quæ cõplacent, & sæpe quæ displicent: nec in eo oculi est vel culpa, vel probitas, pro eorũ qualitate quæ viderit. Oculi est enim officium nunciare quæ viderit. Est sanè offensa vel gratia, si aut delectetur suauibus, aut offendatur aduersis. Ideo frequenter oculus suppliciorum dicitur, oculus tentationis, oculi hœdi, oculus vitulæ, oculus generationis, aut fons generationis. Legimus in euangelio quia baptizabat Ioannes, in Ennon. Ennon oculum suppliciorum interpretati sunt. Itaque nemo venit ad baptismum, nisi qui desiderat sibi propria peccata dimitti, quorum supplicia corde prouido perhorrescat. Itaque licet oculus suppliciorum dicatur, præuidentis est tamen supplicia, non sustinentis: licet baptismum pœnitentiæ habeat aliquam de suppliciorum susceptione tolerantiam. Oculi est vt intuendi officio fungatur, tuum est cauere quod videris. Denique & oculus tentationis dicitur, quia per oculum sæpe tentamur. Oculus meretricis laqueus amatoris. Sed oculus nihil delinquit. Ideóq; saluatoris sententia plena iustitiæ est, dicentis: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterauit eam in corde suo. Non dixit, Qui viderit mulierem, sed ad concupiscendũ viderit. Oculum absoluit, mentem ligauit. Non dixit, adulterauit eam in oculo, sed in corde. In oculo visus est, in corde peccatũ. Oculus hœdi ad sinistram est: quòd ea quæ dextera sunt, peccator videre nõ possit. Sanctus autẽ dicit: Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dexteris est mihi, ne cõmouear. Et Petro sancto apostolo, cùm tota nocte nihil cepisset, vt legimus in euangelio, à saluatore dictum est: Mittite in dexteram partem retia nauigij. Itaque fretus imperatis cœlestibus, misit retia, & plurimũ piscium cõgregauit. In sinistra nox erat, in dextera diuini sermonis claritudo fulgebat diurna. Est & oculus vitulæ: quod æquè ad peccatores refertur: quia sicut iugi lora vitulæ, ita peccatores attrahunt iniquitates, non dirumpentes neque abscindentes propriũ, sed longo trahentes fune peccatum. Indomita enim vitula serò mansuescit, & trahit lora, nõ suscipit, quia impatiens est tenendi: & quò diutius traxerit, eò amplius impeditur. Oculus quoque generationis, aut fons generationis dicitur, quia ex oculi conspectu, aut bona aut aduersa generãtur. Vidisti mulieris pulchritudinem, laudasti artificis opus, venustatem naturæ: generatio fidei deuotionis est partus. Contentus fuisti formæ decore, non cẽsus ambitione sumpsisti in vxorẽ, genuit filios liberalioris gratiæ: oculus tibi fuit generatio prosperorum. Contemplatus es sacram puellam, pressit oculos tuos augustæ reuerentia castitatis: prædicasti dominum Iesum, qui senilem dedisset in adolescentula ætate grauitatem, immaculatámque vitam inter infirmas tam lubricæ carnis illecebras humanis infudisset affectibus: fons bonorum est. Vidisti possessiones pupillorum, non ad inuadendum, sed ad tuendum: & paternis ingemuisti visceribus si quid aduertisti de minoris commodis esse neglectum, repulisti eum, qui fines eius volebat inuadere, iudicasti pupillo: oculus tuus fons tibi fuit & origo iustitiæ. Iudicasti viduæ. Sicut enim mala drachma non est drachma, sic malum iudicium nõ vtique iudicium. Iudicasti ergo sicut iustus & bonus iudex. Vidisti vsurpatorem improbum, qui maritali auxilio destitutã suam prædam putaret: iniquitatem non passus es, attulisti indefensæ opem: quo adiuta præsidio, inoffensa opera castitatis exercuit, nec auxilium quærere maritale compulsa est. Dicit tibi dominus: Venite disputemus, quia iudicasti viduam, oculus tuus fons gratiæ tibi factus est. Vidisti nudum corpus inopis iacere defuncti, non præteristi, vt ille qui exponitur in euangelio sacerdos atque leuita: sed continuò miseratus sepulturæ te solatiis tradidisti: generauit tibi oculus materiam redemptionis. Contrà, si aspiciens agrum pupilli vineis consitum, lætũ segetibus, nemoribus vmbrosis, aut fluuiis decurrentibus, aut fontibus scaturientibus, aut riparum herbosis amœnum thoris, & auaritiæ facibus accensus transtulisti patrum limites, atque in possessionem indefensam improbus irruisti: oculus tuus tibi mortis perpetuæ acerba generauit. Vicinæ viduæ iura temerasti, coegisti eam, quæ aut dolorem suum aut pudorem secretis clausa parietibus fouere deberet, prosilire in publicum, inuerecundius quàm iniustius litigare: oculus tuus partus iniquitatis est factus. Vidisti inopem superbo oculo, & insatiabili corde, despexisti precem pauperis: & quem misereri debueras: cum fastidio præteristi: oculus tuus fons tibi fuit & origo peccati. Ideóque oculi tui non lupi oculi sint, & insidiantes ad prædam, sed sicut sponsæ dicitur: Oculi tui stagna in Esebon, in portis filiæ multorum: nares tuæ sicut turris Libani. Stagna in Esebon quid est, nisi in cogitationibus rationabilibus abundantia, quæ est in portis ecclesiæ, cui meritò defertur multitudo doctrinæ? Filia enim multorum, plurimarum doctrinarum posteritas effectus est, cuius naris odor est sacrificiorum floribus omnibus præstantius. Quid enim Christi odore sublimius, qui aboleuit thuris fragrantiam? Oculus ergo iste prouideat quę futura sunt: & si aduersa imminere præuiderit, fletu lachrymísque emollire ac mitigare nõ desinat. Ideo Hieremias in captiuitate gentis Iudææ positus, futuram præuidens perpetuæ captiuitatis ærumnam, quam perfidiæ precio Iudæorum populus habebat exoluere, dicebat in Threnis sub hac eadem litera: In hoc ego fleo, oculi mei caligauerunt à fletu, quia elongauit à me qui me consolabatur. Non igitur abductum se esse de terris suis dolebat, sed à Christo populum relinquendũ, consolationémque futuræ vitæ cernebat amissam. Hæc est verè dolenda captiuitas, qui æternæ spei libertate priuata videbatur. Alio quoque loco sub hac eadem litera repetiuit in Threnis, dicẽs: Dominus, quæ cogitauit, consummauit verbum suũ, quod mandauit à diebus antiquis. Destruxit, & non pepercit, & lætificauit super

Ioan. 21.

Esaiæ 1.

Luc. 10.

Psalm. 100.

Cant. 7.

Thren. 1.

Thren. 2.

per te inimicum, & exaltauit cornu tribulantis te. Nónne euidenter futurum iudicium Christi annunciatur, sicut in psalmo quoque præsenti declarari certum est? Oculus ergo præuideat quæ futura sunt, & ea aut profusione lachrymarum, aut erroris correctione detorqueat. Denique Hieremias flebat, quia malâ causam impiæ plebis susceperat, quæ perfidiæ pertinacia proprium negabat authorem. Dauid autem prophetico spiritu iudicium præuidens Christi, in quo nemo innocens periclitabitur, nemo sceleratus eludit, bona fretus conscientia dicit:

I. Feci iudicium & iustitiam, ne tradas me nocentibus * me

* *al. calumniantibus.*

Non quasi glorioſus insolens se ipse laudat, cùm vtique peritus legis, alterius magis quàm proprio ore vnumquemque laudandum esse non ignoraret. Non inquam prædicatoris iactantia est hic vlla virtutum, sed vitæ innocentis assertio iure præsumpta, ne dignus æstimaretur qui propter grauia peccata à domino relinqueretur, & nocentium potestati traderetur. Defensio est igitur, non arrogantia, quando non excellentia aliqua honoris assumitur, & formidabilis ærumna propulsatur. Denique Petrus hoc genere defensionis vtitur, dicens: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? In quo si dicti arrogantis decolor aliquis næuus fuisset, non tantum gratiæ de domini saluatoris sententia retulisset, vt non solùm minimè subdẽdus ipse iudicio, sed etiam iudicaturus de aliorum meritis ipse nunciaretur. Neque enim in iudicio, si quis innocentiæ suæ tuendæ gratia quid fecisset aperiret, ad iactantiam potius quàm ad defensionem causæ dictum æstimaretur. Aliud est dignum se præmio dicere, aliud indignum iniuria. Et tamen ille ipse philosophiæ summus, vt aiunt, magister, cùm accusaretur, interrogatus qua tandem pœna se dignum putaret, respondisse fertur, vt in prytaneo publico quotidie conuiuio susciperetur. Ille honorem vsurpauit, hic ærumnam deprecatus est: ille gloriam arrogauit, hic humilitatem seruauit. Nam quę maior esse humilitas potest, quàm vt conscius sibi iudicij & iustitiæ reseruatæ, tradi potestati diaboli vereatur? Hominem se esse cognouit, impar sibi bellum aduersum spiritalia nequitię in cœlestibus, raptum Enoch esse, ne malitia mutaret cor eius, Noe inebriatum, Loth incestatũ, sacerdotem primum ipsum Aaron cum Maria sorore tentatum, lepræ maculis aspersam Mariam primum, post absolutam: Moysen pene internecatum, nisi circuncisione filij, & eiusmodi sanguinis fusione Sephora mulier eius omne ab eo periculum depulisset. His igitur commonitus exemplis nequaquam se fortitudini suę credit: sed cauta humilitas diuinum sibi precando asciscit auxilium, petens ne tradatur nocentibus. Scit enim authorem esse principem mundi omnium delictorum. Ipse indiuiduos proximorum irarũ stimulis excitatis scindit affectus, ipse flammam accendit libidinis, ipse adolet auaritiæ cupiditates: vt quo plus rapuerimus, amplius requiramus: ipse suggerit & ministrat fomenta luxurię, ipse odia exasperat, & immodicæ studia ambitionis inflammat. Quod vitium blandum in exordio, sæuum in processu, nec fraternæ germanitatis potuit contemplatione reuocari. Cùm enim dolet sibi gratiæ cœlestis ambitor fratrem esse prælatum, de sacrificio processit ad parricidium. Authorem igitur incontinentiæ diabolum esse Apostolus docet, Ne tentet vos, inquiẽs, Satanas propter incontinentiam vestram. Incentorem quoque auaritiæ ipsum esse legimus, dicẽte Paulo: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli. Et alibi: Mortificate igitur membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idololatria. In his enim diaboli volũtatem facimus, & exequimur potestatem, qui per carnis istius desideria incentiuum suæ fraudis operatur. Quemcunque ergo in vitiorum suorum possessione repererit, tanquam obnoxium suo iuri vindicabit. Adulterium qui facit, luxuriam exercet, aliena diripit, portio diaboli est: pudicus autem & continens & misericors, Christi portio est. Christi ergo seruum sibi non potest vindicare, nisi fortè lapsum in vitia deprehendit: nec tum quidem vindicat, sed tanquam suum sibi tradi postulat. Ideo ergo dicit Dauid: Feci iudicium & iustiam: vt nõ arroget, sed excuset, ne quasi peccator deseratur à Christo. Exemplo sit nobis apostolica lectio, quamobrem vnusquisque tradatur. Illum enim qui vxorem patris habuit, quia sic operatus est, tradidit Satanæ Apostolus. Non ergo esset traditus, nisi opera fecisset diaboli. Vnde non immeritò recusat Propheta nocentibus tradi, qui allegat non diaboli opera se fecisse, sed Christi. Christus enim dicit: Iudicate pupillo, & iustificate viduam. Hoc est ergo, Feci iudicium & iustitiam, in iudicio non contempsi pauperem, non oppressi viduam, personam diuitis non recepi, in omnibus operibus iustitiam seruaui. Iudicij finis iustitia est. In altero veritatis custodia, in altero fructus est æquitatis: vtraque tamen non priuata virtus, sed publica. Nam immaculatũ corpus à virili permixtione seruare, & palmam castimoniæ limoso in corpore vsque ad angelorum conuersationem custodia integritatis euehere, vtilitas priuata, laus publica est. Frugi esse ac modestum, & sobriæ parcitatis tenere mensuram: probatur à pluribus, sed sibi soli proficit. Fortitudo in præliis eminet, in ocio friget: cuius opus in tempore necessarium, in voto aduersum. Malunt enim homines non pugnare, quàm vincere. Sola iustitia est quæ omnibus temporibus aliis potius nata quàm sibi, quotidiano vsu & fructu, publico suo damno alienas custodit vtilitates, quæ nihil habeat vtilitatis, & plurimum laudis. Hanc igitur propheta prætendit ad sui meriti commendationem, dicens: Feci iudicium & iustitiam, ne tradas me nocentibus me. Vbi iustitia, ibi misericordia. Misericordia à peccato liberat. Quomodo ergo peccatoribus trador? Simile illud in Canticis: Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Exui tunicam peccatoris, velaménque terreni: cur quasi peccator atque terrenus adiudicor? Laui pedes meos, ne qua delicti sors posset adhærere vestigio: cur das in me delinquentibus potestatem?

Matth 19.

Ephes. 6.

1. Corin. 7
1. Timo. 6.
Coloss. 3.

Cantic. 5.

II. Suscipe seruum tuum in bono, * non calumnientur me superbi.

* *al. bonum.*

Quasi iudicij & iustitię sibi conscius, authoritate prophetica progreditur, vt seruum domini se dicere non reformidet. Seruus enim domini nihil debet alienis. Preciosa hæc seruitus, quæ virtutum constat expensis. Cur autem timeat nocentibus tradi, aperit euidenter, quia calumniatores sunt qui oderint veritatem, impugnent innocẽtiam, quia superbi sunt. Qualis enim aduersum seruulos dei potest superbus esse, qui aduersus deum se exaltat, & dicit: In cœlum ascendam, super sydera cœli ponam sedem meam, sedebo in monte excelso, super montes altos qui sunt ab Aquilone: ascendam super nubes, & ero similis altissimo? Quid igitur mirũ si grauare homines potest, qui peruicaci spiritu nec deo cedit? Quomodo mensuram veritatis, & fidem in homine seruabit, qui sacrilego impudentíque mendacio omnipotenti se domino adæquandum esse promittit? Quomodo non calumniatur singulos, qui totam irritauit terram, cõcussit reges, posuit vniuersum orbem desertum, & ciuitates destruxit: eos qui in abductione erant, non soluit? Caueamus ergo ne muros animæ nostræ destruat, ne propugnacula nostræ mentis diruat, ne super sydera thronum suum ponat. Ponit super sydera, quando electum decipit, quando iustum circumuenit, cuius opera elucent sicut stellæ in cœlo. Nónne & Iudas proditor inter cæteros audiebat: Vos estis lux mũdi? Nónne diabolus lumen eius extinxit? Quinetiam quos non potuerit circumuenire, calumniatur, inuidẽs regni cœlestis gloriam: vt quos illecebris suis à Christo non potuit separare, eos calumniis suis debiti honoris fructu fraudare conetur. Fugiamus ergo malos calumniatores, qui peccatum operantur in nobis: & ipsi nobis calumnias infestissima accusatione componunt, id quod ipsi fecerint arguentes. Ecce manus domini parata est, quæ te fugientem ab aduersariis tueatur ac protegat. Pharao te tenebat superbus, in patribus immitis. Fugisti ab eo, susceptit te manus domini, & de periculis liberauit. Non dimisisset Pharao, nisi tu ad dominum confugisses. Dicebat Pharao: Dominum nescio,

Esa. 1.

Esa. 14.

Matth. 5.

Exod. 5.

1557
scio, & Israel nõ dimitto. Vides quàm superbus? Meritò ergo susceptus in bono est, qui malum fugit. Non patitur ergo deus in malo nos esse, suscipit in bono: nec patitur suos calumniis subiacere.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ.

VIII. Qui sunt isti oculi, considera, qui in Christum deficiunt, dum eius præstolantur aduentum. Animæ videlicet oculi, non corporis, rota fide intẽtione defixi. In eo enim quem diligimus, totis oculis occupamur, nec quicquam aliud videre delectat. Non potest hoc dicere nisi qui à mundanis solicitudinibus & secularibus voluptatibus intentionem omnem suæ mentis auertit. Nam quomodo hoc dicit qui theatralibus ludibriis occupatur? Sed ille hoc dicit qui supra dixit: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Qui autem sunt oculi qui deficiunt in eloquium dei, nisi oculi interioris hominis, obtutúsque animæ, qui tenduntur vt videant dei verbum, & nimia intentione & expectatione deficiunt in salutare dei, defectum sui patientes vt assumant quod verbi est? Et quia eloquium dei plerosque mouere potest, ideo addidit: Eloquium iustitiæ, vt mouere non debeat. Mouere autem poterat, quia scriptum est: Maior seruiet minori. Nam nisi ad mysterium accipias, naturæ iniuria est. Et dedi vobis præcepta non bona. Ergo deus mala dat præcepta? Et ego dominus creans mala. Sed & de præceptis sic soluitur, quia infirmis non debuit dare perfecta præcepta, quæ sustinere non possent. Quòd si non faceret, quando audiret Iudæus, Dimitte omnia tua, & sequere me? Quãdo audiret Iudæus, Qui non tulerit crucẽ suam, & secutus me fuerit, non est me dignus? Sed hæc perfectiora præcepta euangelio reseruata sunt. Et mala non creauit deus, sed hæc quæ videntur nobis austera, verbera, mors & huiusmodi alia, quæ propter emendationem præscripta sunt noxiorum. Iustis enim non est lex posita, sed iniustis. Nam si noxij nihil timerent, innocentes semper pertimescerent. Qui sunt igitur isti oculi qui deficiunt in salutare dei? Diximus oculum suppliciorum esse, qui præuidens futura supplicia peccatorum, gerendam annunciat pœnitentiam. Demonstrauit hunc oculum baptista Ioannes dicens: Generatio viperarum quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Ad baptismum Ioannis veniebat, qui habebat oculum suppliciorum: ad Christi autem baptismum venit, qui videt gratiam. Hic enim oculus est quem dominicæ passionis vmbra tuetur & protegit. Aliud ergo Ennon, aliud Ain. In Ennon baptizatur conscius grauium delictorum: qui autem purum oculum habet, gratiam suscepit spiritalẽ. Et imperfectæ fortasse animæ oculus suppliciorum est: perfectæ autem oculus gratiarum est purior atque syncerior, qui significatur hac litera, ad quam iusti forma dirigitur: quia imperfecta peccati tantũmodo iudicium declinare desiderat, perfecta verò meritum regni cœlestis acquirere. Præsumimus tamen quòd vtrumque oculum vna anima habeat, & oculũ suppliciorum, & oculum gratiæ: læuum oculum suppliciorum, dexterum gratiæ: quia nõ à primo homines possunt esse perfecti, sed per processum virtutis ascendunt. Ante igitur vnaquæque anima quasi ad baptismum Ioánis venit, vt præmittat pœnitentiã delictorum, & in processu paulatim, vbi peccata sua defleuerit, spiritali abluta baptismate, Christi accipit sacramentum. Vnde videtur & in Canticis canticorum ecclesia prædicari, cui dicitur: Cor meum cepisti soror mea sponsa, cor meum cepisti vno ab oculis tuis, vnde oculus gratiæ sit, qui Christi sibi pleniorem acquisierit charitatem. Plerique tamen hoc loco accipiunt duos oculos ecclesiæ: vnum qui mystica videt, alterum qui moralia: eò quòd sancta ecclesia non solum moralium teneat disciplinam, sed etiam cœlestis doceat secreta mysterij. Vnde dictum est de ea: Oculi tui sicut columbæ, extra taciturnitatem tuam: quòd & spiritaliter videat, & nouerit tempus tacendi esse, & tempus loquendi: vt in tempore sermonem suum proferat, ne importunitate loquendi peccatum possit incurrere. Habe ergo oculos columbæ ad similitudinem Christi, quia & de ipso lectum est: Oculi tui sicut columbæ,

A super abundantiã aquarum lotæ in lacte sedentis super plenitudinem. Baptizat in lacte dominus, id est, in synceritate. Et isti sunt qui verè baptizantur in lacte, qui sine dolo credunt, & puram fidem deferunt, immaculatam induunt gratiam. Ideo candida sponsa ascendit ad Christum, quia in lacte baptizata est. Ideo mirantur eam virtutes, dicẽtes: Quæ est hæc quæ ascendit dealbata? Antè paululum dicebat: Nigra sum. Nunc dealbata cernitur, & ascendit ad cœlum: & innixa dei verbo, alta iam penetrat. Nec immeritò illic aquarum abundãtia, vbi Christus, vnde mens humana repleri cupiat. Has sitit aquas ceruus, quas cùm biberit, sitire non possit. Has aquas sitit Propheta cũ dicit: Sitiuit in te anima mea. Sedet ergo Christus super abundantiã aquarum, & super plenitudinẽ: vnde & nos omnes de plenitudine eius accepimus. Vnde & oculus suppliciorum nõ alienus est ab ecclesia, quia etsi baptizabat Ioannes in Ennon, baptizabat iuxta Saalim, vbi erat aquarum abundantia, & duodecim fontes, & septuaginta palmarum arbores. Hos fontes habet ecclesia, hoc est, in veteri testamẽto duodecim patriarchas, in
B nouo duodecim apostolos. Ideóq; dictũ est in ecclesia: Benedicamus dominum de fontibus Israel. His fontibus antè perfunditur quicunque mysteria sacrosancta consequitur. Isti enim fontes ex æterno fonte manãtes, toto orbe fluxerunt. Vbi isti fontes, ibi ascẽsio animarum. Denique Saalim interpretati sunt, ipsum ascendentem. Ille enim verè ascendit, qui propria peccata deponit. Hoc igitur verbo purificatoriæ sanctificationis vsus exprimitur. Vnde etiam bene in Canticis Christus dicit ad Ecclesiam: Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt à lauacro, quæ omnes geminos creant, & infœcunda non est in eis. Quod specie de capris dicitur, mysticè autem de ecclesiæ grege. Nec vilia tibi videantur ista animalia. Denique audi quæ de his sanctus loquatur spiritus: Capillamentum tuum vt grex tonsarũ, quæ
C reuelatæ sunt à monte Galaad. Dentes tui vt grex tõsarum, quæ ascenderunt de lauacro. Vides quòd in altis grex iste pascitur. Audisti in montem. Itaque vbi aliis præcipitia, ibi capris nullum periculum: vbi aliis periculũ, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. Spectantur à pastoribus suis dumosa de rupe pendẽtes: vbi luporum incursus esse non possunt, vbi fœcũdæ arbores fructum integrum subministrant. Cernere licet vberi lacte distentas, super teneram sobolem materna pietate solicitas. Ideo elegit eas spiritus sanctus quibus cœtum venerabilis ecclesiæ compararet. Et vt mysticè audias: Capillamentum, verbi est altitudo & eminẽtia quædam iustarum animarum, quoniam sensus sapientis in capite eius. In altitudine enim cogitationis humanæ certum est esse sapientiam: & quemadmodum tondentur capræ vt superflua deponant: ita etiam tonsarum animarum gregem, hoc est, multarum animarum virtutes habet sancta ecclesia, in quo grege nihil possis insensibile reperire, nihil superfluum: quoniam fides sapiẽtes fecit, spiritalis autem gratia ab omni superfluorũ labe mundauit. Meritò igitur reuelatæ sunt animæ iustorum, & reuelatæ à monte Galaad, hoc est à transmigratione testimonij, eò quòd à synagoga ad ecclesiam testimonium cœleste migrauit. In hoc itaque monte nascitur thymiama, resina, &
D cæteri odores, quos negociatores illi Ismaelitæ, vt habes in primo libro testamenti veteris deferebant. Hos odores habet ecclesia, quos mercatores ex gentibus congregati, fide & deuotione vexerunt. Itaque sicut capræ bonis refectæ cibis, & solis calore vernantes, lauãtur in flumine, & exultantes mundæ surgunt de flumine, ita animæ iustorum ascendunt ab spiritali lauacro. Istæ sunt verè quæ geminos creãt, in quibus non est infœcũditas aliqua virtutum, sterilitas vlla meritorum. Bene geminos creant, qui congeminant sensus suos. Vnde habes in Prouerbiis scriptum: Et tu scribe hæc tibi tripliciter, in cõsilio, in cognitione. Triplicem præmisit scriptionem, & duo subdidit, consilium, & cognitionem. Sed cognitio gemina est, vna incorporaliũ, altera corporalium. Diximus de fœcunditate, dicamus de dentibus. Nam & nauigantes plerique, & properãtes itinere terreno, vbi viderint speciosum aliquem locum, delectationis gratia demorantur, pascunt oculos, animúmque alleuant, nec

mora

Cãt. 6. & 8. Canti. 1.

Psalm. 62.

Psalm. 67.

Canti. 4.

Ibidem.

mora vlla commeandi putatur, sed gratia. Ita & nobis pulcherrimos dentes iustarum animarum cõsiderare cordi est. Docuit enim scriptura pulcherrimos dentes esse iustorum, dicens secundum literam quidem de patriarcha Iuda, spiritaliter autem de Christo: Hilares oculi eius à vino, & dẽtes sicut lac. In quo non vtique carnis humanæ officia, sed diuinæ gratiæ munera prædicauit. Docet igitur exemplum, dentes non esse prætereũdos, vbi de oculis dixerimus. Qui sunt igitur iustarum dentes animarum, nisi qui informem ac durum accipientes cibum, vel frigidum plerumque, vel supra modum calentem: nunc cõminuunt, nunc fouent, nũc temperant, prout qualitas fuerit alimentorum? Dura comminunt, ne asperitas literæ in veteri testamento & secularis intellectus rigor, nisi fuerit spiritali dente solutus, vitalia ipsa intercluſis ciborum salutarium meatibus, & gulam quandam animæ incuriosa edacitate suffocet. Par est igitur vt diuidas primum, si solida tibi videtur esca quæ sumitur, & distinguas eam: atque emollitam sine noxa aliqua animæ in omnia eius membra naturali diuisione transfundas, vt vitalem succũ omne eius corpus epuletur. Nihil cadaueroſum, nihil mortuum ore tuo sumas, ne dicatur: Sepulchrũ patens est guttur eorum: sed viuum haurias verbum, vt in tuæ mẽtis viscera possit operari. Hi dentes super lac cãdidiores, quia dentes iustorum sunt. Denique cùm omnes in Moyse baptizati in nube & in mari patres nostri fuerint, non ociosè tamen scriptum est, Quia omnes eãdem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt: vt istis sanctorum dentibus maior quidam fulgor accederet, quos post transitum maris rubri myrrhei fontis amaritudine per ligni gratiam temperata, agnoscimus esse mundatos: deinde duodecim fontium potu, postremò petræ spiritalem vndam vomentis irriguo. Petra enim erat Christus. Vnde & manna manducauerunt, vt toties abluti manducarent panem, vt scriptum est, angelorum. Nunc quoque in euangelij mysteriis recognoscis baptizatos licet toto corpore, postea tamen esca spiritali potúque mundari. Meritò ergo Dauid & oculos interiores purificatos, & dentes tanquam illuminatos spiritalium dentium candore, sermone profert dicens: Feci iudicium & iustitiam. Ille est enim verè dentium fulgor, vbi bene sibi conscię mentis resonat canora confessio. Ille mundus oculus, quem peccatorũ grauium trabes nulla depresserit: quem purgamentorum leuium festuca nulla turbauerit. Iste oculus iustitiæ defecit in verbũ iustitiæ. Qui enim Christo adhæret, vnus est spiritus. Et Bălaam petebat vt anima sua deficeret in anima iustorum, id est, vt proprij obliuiscereturerroris: quod suum erat, deponeret: quod iustitiæ & æquitatis, assumeret. Sed progrediamur ad cætera.

Genes. 49.

Psal. 5.

1. Corin. 10.

1. Cor. 6.

Num. 23.

IIII. Fac cum seruo tuo secundum misericordiã tuam, & iustitias * tuas doce me.

** al. iustificationes.*

Præstruxit viam, & cõmendationis suæ incrementa præsumpsit. Supra popoſcit ne nocentibus traderetur, iterum petit vt susciperetur in bono, ne calumniarentur ei superbi: hoc est, non declino iudicium, sed calumniam perfidorum. Illi enim iudicare nesciunt, calumniari sciunt. Ad te confugio, qui nosti repræsentare iudicium. Et bene non vult calumniatoribus tradi. Multa enim Iob passus est iustus postquam traditus est nocenti. Sed difficile fuit illud & grande certamen: quod nisi Iob nimia patientia haud facilè quisquam superare potuisset: & tamen ille nõ totus est traditus, sed meliore exceptus est portione, qui dicit: Nõ tradas me: quæ maiora sunt, comprehẽdit. Plus autem in anima, quàm in carne sumus. Iustis enim dicitur: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Tradi ergo animam suam recusat, qui corpore sicut aranea tabescebat. Hoc igitur loco maiore quodam familiaritatis vsu potiora præsumens ait: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustitias tuas doce me. Misericordiam sibi deferri poscit, iustitias doceri. Alibi quoque, id est, in posterioribus habes hunc sensum: Et ne intres in iudicium cum seruo tuo. Etenim nostrorum conscij peccatorum, misericordiam magis petere dei nostri, quàm iustitiam implorare debemus. Aliis veniam largitur, aliis examen impertit. Quæ spes hominibus certandi apud eum, quem occulta non fallunt, quẽ latere peccata non possunt? Ideóque sciens eius potentiam, qui hominem non timeret, ait: Tibi soli peccaui. Non potest hoc iustus negare, quia nemo sine peccato: nõ potest rex, quia etsi leges in potestate habet, vt impunè delinquat, deo tamen subditus est, qui nulli debet: imò plus ipse debet, cui plus cõmissum est. Hoc ergo dicit: Fac cum seruo tuo secũdum misericordiam tuam: quia etsi quid boni feci, plura debeo quàm seruus. Nõ vno facto seruus absoluitur, quia nemo seruum habens arãtem, aut oues pascentem, dicit illi: Transi, recumbe: sed dicit illi: Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi. Nũquid gratiam habet seruo si fecit quod imperatũ est ei? Ergo & cùm fecerimus quod nobis imperatum est, non statim nos exaltare debemus, sed magis humiliare: quia non statim si aliquid fecimus, impleuimus omnia seruitutis obsequia. Quis tanta naturæ munera, vitæ salutísque seruatæ diuina beneficia digno possit æquare seruitio? Quis potest soluere quod accepit? Ideóque sciens omnia, misericordiam petit potius quàm audientiam: quoniam, inquit, non iustificabitur in conspectu tuo omnis homo viuens.

Psalm. 142.

Psalm. 142.

Luce 17.

V. Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.

Intellectus spiritale munus est: & ideo quod dei est, à domino postulatur. Nec quasi extraneus poscit, qui seruum se confitetur. Bene ait: Seruus tuus sum. Seruus enim voluntatem domini sui facit. Seruus quærit seruitutis stipendia, remunerationem non sperat. Seruus domini non potest idem esse seruus peccati: & ideo intellectum sibi dari poscit, vt possit cohibere peccatum. Habebat quidem intellectũ, sed vt redundare sibi crederet, vberiorem inquirit. Est autem & intellectus naturæ, est & intellectus non bonus. Ideo & Salomon ait: Intellectus autem bonus dat gratiam. Nam si omnis intellectus bonus esset, non opus fuisset additamẽto. Iure ergo gratiam domini sui quærit: aliter enim scire non potest secreta domini, nisi intellectus spiritalis munus acceperit. Habes hoc in Hieremia: Notum mihi fac domine. Et scio quia nisi deus notum fecerit hominibus, mysterium suum scire non possumus.

VI. Tempus faciendi domine, dissipauerunt legem tuam iniqui. *

** al. nonnulli habet, iniqui. Eccles 3.*

Bene ait tempus faciendi esse. Est enim tempus tacendi: & tempus loquendi. Sed loquendi tempus aduenit, ac per hoc dominici aduentus tempus esse iam commemorat: vt quia legis facta est præuaricatio, veniat finis legis, & consummatio eius, & plenitudo dominus Iesus, qui deleat vel donet hominibus vniuersa delicta: & abolito chirographo debitorũ, absoluat omnes & liberet peccatores. Tempus est faciendi, vt si ingraueſcente ægritudine alicuius incommodi, curras ad medicum, vt citius veniat, ne postea subuenire non possit. Medicus enim tunc amplius desideratur, cũ grauis incubuerit ægritudo languenti. Ergo cùm videat in spiritu Propheta † præuaricatores populi, luxuriã, delicias, dolos, fraudes, auaritiam, temulentiam, quasi pro nobis interueniat, currit ad Christum, quem solùm tantis sciebat subuenire posse peccatis: vrget vt veniat, nec patitur fieri moras. Tempus, inquit, faciendi domine, hoc est, vt pro nobis crucem ascendas, mortem subeas. Totus in periculum vltimum mũdus vrgetur, veni vt tollas peccata mundi. Veniat vita morientibus, veniat resurrectio iam sepultis. Factum tuum subueniat, quoniam nec tua præcepta prodesse potuerũt. In lege præceptum est, in euangelio mysterium. Cæcus omnis populus proprium non videbat authorem. Claudus erat mũdus, & titubante vestigio fidei fluctuabat. Non erat qui malagma imponeret, neque oleum, neque alligaturam. Omne patrimonium suum medicis erogauerat mulier illa euangelica, speciem habens congregationis humanæ, quæ colbat ex gentibus, cui nec fluentem sanguinem, & inueteratæ passionis letale profluuium poterant seculi huius medici restringere. Principis populi posteritas interierat, & omnis occiderat eius hæreditas. Videns hæc Propheta dicit ad Christum: Tempus faciendi domine. Non iubendi, in-

† præuaricationes.

Luc. 8.

1561
di,inquit,sed faciendi:quia non legatus, neque nuncius,sed dominus saluaturus erat populũ suum. Et ille quidem tempus sciebat,& nõ differebat:& nos nesciebamus quo melius tempore subueniret:& iam venit & abiit,& iterum vult venire,& tempus nescire. Aut fortasse vult à nobis admoneri, vult rogari:imò si rogatus fuerit,& ante tempus venit,& venit ad ficulneam, & ante horam venit, vt dicit ad matrem. Illa rogabat pro nobis,illa festinabat,dicẽs: Vinum non habent filii.Respondit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? Nõdum venit hora mea. Et mater quæ sciebat eius affectũ, dicit ministris:Quodcunque dixerit vobis,facite.Iesus quoque qui horam suam venisse negauerat, fecit quod antè differebat.Omnia deus tempore fecit.Quicquid facit,non est extra tempus:sed totum opportunũ est quod fecerit,& mitempore suo aduenit. Omne enim tempus opportunum saluris,nihil præproperum pro salute periclitantium,sed volebat expectare adhuc synagogæ correctionem: ideo ante tempus ad ficulneam venit:hoc est,citò Iudæis venit,opportune gentibus.Citò venit perituris,commodè credituris.

Propter† hoc dilexi mandata tua super aurum & topazion.

Lex annunciatrix Christi est. Præcepta ergo legis spem futurorum bonorum deferunt.Mandatum est enim domini: Attende tibi,ne derelinquas leuitem per omne tempus quod vixeris super terram. Quis est iste leuites? Intelligis si consideres qui sit. ille qui venit ministrare, qui sacerdos est in æternum.Aliud mandatum audi: Custodi mẽsem novorum,& facies pascha domino deo tuo. Et infra: In loco quem elegerit dominus deus tuus inuocari nomẽ suum, ibi occidas pascha vespere ad occasum solis in tempore, quo existi de Aegypto.Ergo mandata dei habent futuræ redemptionis indicia,resurrectionis insignia:ideo super aurum & topazion memorat sibi esse dilecta. Quid enim salute gratius,resurrectione preciosius?Vel quia quæ stulta sunt mundi,Christus elegit,vt quoniam per sapientiam mundus non cognouit deum,per stultitiam prædicationis salutem afferret credentibus. ideo ait:Super sapientiam operationis cœlestis,& mundanæ constitutionis, & super ornamenta solis & lunæ, stellarúmque preciosa monilia, dilexi audientiam dominicæ passionis. Plus enim redimendo mihi contulit, quàm creando.Tunc enim sine sensu natus sum, nunc cum voluntate seruatus. Sed non hoc quicunque dicit, Dilexi mãdata tua super aurum & topazion.Non dicit auarus, qui auro incubat,diuitiis inhiat,ornamenta desiderat:sed ille dicit,qui potest dicere:Aurum & argentum non habeo, quoniam non requiro,quoniam nihil mihi aurum prodest:præceptum autem & mandatum cœleste me redemit. Diximus continentiã sensus,nunc de topazio lapide exprimamus historiam. De quo inuenimus scriptum in historia Xenocratis, qui scripsit quasi lithosnomon, nasci eum vel inueniri circa Thebaidis ciuitatem, alabastrum, vel topazion, vt aliqui putant:vnde & nominatus est ab eo loco in quo gignitur. Sunt autem qui putauerunt insulam nũcupari topazion,ad quam appulsos Troglodytas, orta subita commotione maritima, quòd nauium vsum non haberent, reuerti nequiuisse,Deinde plurimo immorantes tempore,in insula inuenisse lapidem,& delectatos colore eius repetisse domũ, & Arabibus negociatoribus aduenientibus vendidisse,ab illis emisse Philonem,& ad matrem Ptolemæi secũdi,cui nomen erat Berenice,ab ipso esse perlatum:illam autem quanuis regalibus ornamentis abundaret,supra modũ tamen colore eius stupefactam,elaborasse vt diutius species tam preciosi lapidis non lateret:ideóque studio eius quæsitum lapidem,in vsus frequentiores venisse. Diximus quomodo innotuerit topazion lapis,nũc expressius de eius qualitate dicamus.Duorum colorum est in hoc lapide, κρᾶσις,hoc est, quædã temperata permixtio. παρασειδὴς & chrysopa,similis chrysopraso,secundum vtrumque velut quasdam extendens colorum figuras,& plenius quidem à peritis fertur extẽdere. Est autem parychrus, & satis purus, & chrysochrus, & pinguis resplendenti similis,maximè cùm solis splendore percutitur. Est etiã pulcherrimus & mirabilis super omnes chrysopraſos magnitudine,vt dixi,vsu pinguior. Natura huiusmodi, vt si polire & læuigare eum velis, asperetur magis,vsu minuitur. Est autem quodam genitali opere naturæ euglyphus,hoc est, bene insignitus:mirabilis, summo studio dignus habetur. Difficilè inuenitur,& repertus insignitur:raro tamen in vsu hominum est, quasi is quem diues regina mirata sit.Sed iam sicut Troglodytę illi quasi precio suæ mansionis lapide inuento repetierũt domum:ita & nos emolumento morę huius recepto redeamus eò vnde diuertimus. Nec par est nos ornamentis regiis diutius sermonis nostri quædam admouere brachia,cùm habeamus in manibus crucem Christi,quam admonet Propheta super aurum & topazion præferẽdam,quæ ab omni errore culpáque reuocat & corrigit. Quis enim iustorum non ambiat Christi in morte solatium, in resurrectione consortium? Quis non reflectat gradum,quando audit sibi superiora omnia peccata donari? Hoc enim plerique ad conuersionis studium reuocari solebant, quòd delictorum suorum conscij nullam spem veniæ præsumerent: & ecclesiæ quãto sanctiora præcepta, tanto sine venia putarent esse præcepta. Ideóque ait octauo versiculo:

Propterea ad omnia mãdata tua corrigebar†omnem viam iniustam† odio habui. VIII.

† *al.dirigebar.*
† *al. iniquã*

Meritò corrigebatur,quoniam diligebat.Charitas enim operit multitudinem peccatorũ. Vide quãta operiat, quanta corrigat.charitas patiẽs est,benigna est. Charitas non æmulatur,nõ agit perperam,non inflatur,non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt,non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate,congaudet autẽ veritati. Omnia suffert,omnia credit,omnia sperat,omnia sustinet, charitas nunquam excidit. In inferioribus tria perfecta posuit, spem, fidem,charitatem, maiorem autem dixit charitatem. Et rectè. Charitas enim omnia sperat, omnia credit. Cùm igitur spes & fides in charitate sit, nõ est dubium quòd maior charitas sit.Et bene sibi respõdit Propheta. Supra enim dixit:Lex domini irreprehẽsibilis,conuertens animã. Si lex animã cõuerterit,vtique qui diligit,legis dilector est. Deinde in hoc ipso centetimo decimooctauo psalmo primum posuit:Beati immaculati in via,qui ambulant in lege domini.Si immaculatus est qui in lege dei ambulat, vtique conuertitur qui diligit dei legem. Ergo si lex immaculatum facit,rectè charitas multitudinem operit peccatorũ, quia plenitudo legis charitas est.Omnem,inquit, viam iniustã odio habui. Si is qui præcepta iustitiæ diligit, facit illa quæ diligit:vtique is qui odit iniquitatem, non facit quod exosum est. Nec immeritò ad omnia præcepta domini corrigitur, qui omnem viam odit iniquitatis.nam nisi omnem viã iniquitatis oderis, nõ potes in omnibus præceptis dei corrigi. Potest enim fieri vt aliquis se temperet à crudelitatis horrore:lubrico tamen deceptus amore meretricis,& semitas incontinentiæ inuenilis ingressus, impressum semel nõ queat reuocare vestigium. Multos enim vitia blandiora decipiũt, econtra auertit à se plurimos tristis & nimium seuera crudelitas.Sed iuuentus ad amorem liberior, ad lapsum incautior,ad infirmitatem fragilior,ad correctionem durior est. Alius se restringit à luxu, sed auaritiæ cupiditate raptatur. Plerunque enim peccata huiusmodi sunt, vt si alterum declines, incurras alterum:& naturæ vsus adiuuat infirmitatem.Odis tu luxuriam quasi frugi,sed frugalitatis studio habendi cupiditas frequenter irrepit. Auaritiæ ipsi rapina est subdita.Et quãto tolerabilius est propria profundere, quàm aliena diripere?Sunt qui metuentes aliquid proprio minuere de censu,etiam inopibus sumptum negent, & misericordiam detrimentum putent. Sunt qui degenerem vitantes ignobilitatem, flabro secularis ambitionis agitentur, & sicut quassatæ harundines huc atque illuc ferantur incerti. Sunt etiam qui dum maiorum suorum statum sequuntur, veluti digna conuersatione contenti,ne errores quidem patrios existiment declinandos, vt fide mutandam perfidiam non arbitrentur,cùm in melius mutare propositum non leuitas,sed virtus, neque culpa, sed gratia sit. Alius Circensibus ludis, atque theatralibus solicitatus voluptatibus, aut

Roma. 13.

cæteris

cæteris vanitatibus occupatus, Ecclesiam non frequentat, alium ruris quieta delectant, eaque causa ad ecclesiam rarus accessus est. Itaque diuerso vsu in eundem deuotionis errorem vterque concurrit. Sed qui omnem viam iniquitatis odit, ad vniuersa corrigitur & emendatur. Et bene posuit, viã iniquitatis. Ille enim facilius iniquitatem declinat, qui vias eius non fuerit ingressus.

Sermo decimusseptimus.

D Pe. PE litera decimaseptima, Latinè significat erraui, siue os aperui. Meritò hæc lachrymabilis series psalmi subiecta est huic literæ. Respice in me, & miserere mei, & non dominetur mei omnis iniquitas. Faciem tuam illumina super seruum tuum: vt ei qui erat in vmbra mortis, populo cœlestis misericordiæ lumen oriretur, aduenire Christus, remissio peccatorum, captiuorum redemptio, subsidium laborãtium. Sed quia venire tardius desiderantibus videbatur: Exitus, inquit, aquarũ transierũt oculi mei. *Thren.1.* In Hieremiæ quoque Threnis lachrymabilior series sub hac litera est: Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam. Dignam remunerationem recipit, vt quę expandentem manus audire neglexit, & sub alas eius succedere: ipsa postea expanderet manus, & cõsolantem inuenire non posset. Nam & si ante aduentum domini Hieremias captiuitatem Iudæorum à Babyloniis illatam deflere videatur, tamẽ prophetico spiritu istam magis captiuitatem præuidens, qua eos intelligibilis Babylonius in perpetui erroris vnda subiecit: & domesticæ virtutis extorres * de statu paternæ deuotionis eliminans, longæque afficiens peregrinationis exilio, miserabili dolore deplorat. Nulla enim patria verior quàm fides, quæ eos qui longè erant, prope esse fecit: & aduenas atque peregrinos ciuitatis supernę iure cõnexuit, sicut scriptum est: *Ephes.2.* Ergo iam non estis aduenæ atque peregrini, *Thren.2.* sed estis ciues sanctorum, & domestici dei. Alibi quoque Hieremias dicit sub hac litera: Aperuerunt in te os omnes inimici tui, sibilauerunt & fremuerunt dentibus, dixerunt: Deglutiuimus eam, tamen hæc est dies quam sperabamus, inuenimus eam, vidimus eam. Et hic sicut Iudæorũ populus os aperuit in Christum, quemadmodum in vicesimoprimo psalmo de eius passione legisti, quòd aperuerunt os suum maledicentes: dignæ sortem remunerationis agnoscis, vt ipsi ab inimicis suis talia sustinerent, fremeret in eos dentibus intelligibilis ille peccator diabolus, sicut leo rugiens, *1.Petr.5.* & requirens quem deuoraret. Isti igitur non dixerũt: *Psalm.123.* Benedictus dominus qui non dedit nos in capturam dentibus eorum: quia sperandum de domino non putauerunt. Ergo excidium eorum diabolus quod præsumebat inuenit. Deglutiuit eos, quoniam deerat pastor offensus, qui extraheret de ore leonis crura ouis aut cartilaginẽ: sequi noluerunt, audire noluerunt: ideo decedente pastore, vestigia eorum atq; aures suis faucibus leo occupauit: quia faciem sanctorum non receperũt, & nobilibus misericordiam non dederunt, vt tertio Hieremias sub hac litera dicit in Threnis. Qui erant nobiles, nisi qui non obscuram hãc vitam, sed in lumine sanctitatis egerunt? Et omnibus quidem misericordia inopibus iure debetur, sed maior quædam cum ex diuitibus atq; nobilibus in vltimum statum atque egestatis necessitatem aliquos ærumna deiecit, miserationis pulsat affectus. Hieremias ergo flebiliter satis, vtpote qui perpetuæ aculeo mortis deploraret amissos: Dauid verò moderatè, quasi qui obreptionem doleret erroris, remedium non desperaret correctionis, vt contristaretur, non absorberetur. Denique confirmatus sobrietate, sub pietate pœnitentiæ & spe veniæ prouocatus, sic cœpit:

I. Mirabilia testimonia tua, propterea † scrutata est ea anima mea.

* *al. ideo*

Moralis oratio, vt quoniam eum puderet erroris, deum tamẽ propriæ miserationis testimoniis cõueniret. Hoc est dicere: Ego in exordio sermonis loquens mea peccata, non audeo leuare oculos meos ad te deum viuum, sed tu domine me ad sperãdam veniam, tantarum indulgẽtiarum titulis prouocasti. Mirabilia testimonia tua. Cùm in Abrahã non lapsu incurię iuuenilis offensus es: dum vt Chaldæorum errores, patrúmque cognationem relinqueret, euocatum virtutis exercitiis eruditi: cùm Hebræorum populum à paternæ studio nobilitatis auersum, & viles escas Ægypti super diuina munera præferentem, non solùm solidatis rubri maris fluctibus liberasti: verumetiam cum triumphis plurimis euexisti ad gloriam, & vberis terræ possessione donasti ad quietem: te fotus securitate deseruit: te bellorum acerbitate depressus inuocauit: & vt iniurias tuas obliuiscereris, emeruit. Te Iesus Naue ducẽ sibi cœlestis militię venisse cognouit. Te populus triumphator vt Madian sibi dominaretur, offenderat. Te vt Madian vinceretur, orauit. Tibi in Saul rege non obtemperauit, vt de eo alienigenæ triumpharẽt. Tibi Dauid præeunte seruiuit, vt de alienis victoriam reportaret. Ego quoque pastor malignum feci, & confessione peccati veniam reportaui. Pulcherrimus itaque versiculus ad martyrum cohortationem. Denique prophetica anima sic profecit in melius, dum mirabile credit dei testimonium: & quia credidit, diligenti indagine quæsiuit. Profectum quæris? agnosce ex his versiculis qui sequuntur.

Manifestatio † sermonum tuorum illuminat me †, & intellectum dat paruulis. II.

† *al. declaratio.* † *al. non habet, me.*

In euãgelio, cum mitteret discipulos suos Ioannes ad dominum Iesum, dicebat: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Respondit Iesus cæcos videre, claudos ambulare, audire surdos. Hoc enim aduentus sui testimonium fore, per Esaiam prophetam significauerat. Hæc ergo quæ annunciauit per prophetas, in euãgelio manifestauit: & quod ipse locutus est per prophetas, in euangelio ipse compleuit. Ipsius ergo sermo erat propheticus sermo, sicut habes scriptum: Audi cœlum, & percipe auribus terra, quoniam dominus locutus est. Intellectus ergo datus est etiam his qui perfectam sapientiam non habent, dum muti loquuntur, mortui resuscitantur. His enim signis intellectum est ab iis qui rudes erant, & adhuc quasi in cunabulis fidei constituti, vt erat populus nationum, ipsum venisse qui expectabatur. Illuminat igitur fidei claritate, resurrectionis suæ gloria, & diuinorum operum potestate, & intellectum dat paruulis. Quibus vtique, nisi de quibus in euangelio gratias agit patri, in eo quod ipse operabatur filius, quòd mysteria sua deus abscondisset à sapientibus, & paruulis reuelasset: ostendens citius plebem ex gẽtibus, vel status inferioris viros, quàm scribas & principes Iudæorum, & diuites huius seculi credituros. Ideo diuites eguerunt & esurierunt: pauper autem clamauit, & exauditus est.

Matth.11. *Esa.1.* *Psalm.33.* *Matth.11.*

Os meum aperui, & duxi † spiritum, quoniam præcepta tua concupiscebam †. III.

† *al. attraxi.* † *al. quia mãdata tua desiderabã.*

Habemus in euangelio quòd dominus Iesus aperuit os suum, cùm benedictiones daret. Sed ille os aperuit, vt daret aliis spiritum: Dauid aperuit, vt acciperet. Denique Iesus dicit: Accipite spiritũ sanctum. Iesus dicit: Dilata os tuũ, & adimplebo illud. Hoc est, homini dicit: Plenitudo enim Christus est. Qui implet omnia, implet os tuum. Scribe ergo quę dicit in latitudine cordis tui, hoc est, os tuum clamet ad dominum. Clamat os tuum & cùm tacet, sicut & Moyses cùm taceret voce, clamabat spiritu. Ab hominibus non audiebatur, apud deum personabat. Est enim interioris clamor affectus, qui auditur è cœlo. Anna quoque cũ oraret, tacita clamabat: labia non mouebat, & interiori voce piæ mentis excitabat Iesum. Denique cum effectu rediit, quæ cum silẽtio precabatur, quia clamabat in ea spiritus dei, qui etiam tacẽtibus nobis clamat, Abba pater. Intellige ergo quid os sit, vtrum cor, an interioris hominis habitus. Habet & os anima, quæ habet membra. Hoc os aperit non solùm Christo, sed etiam Christi discipulo qui os suum Christo implẽdum prębuit, & ideo dicit: Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatũ est. Ideo imitatores nos sui esse debere admonet, sicut ipse Christi est. Qui sanctior est, Christo aperuit os suum: qui inferior, Apostolo. Prius Propheta legitur & Apostolus, & sic euangelium, in quo verba lucida, sed validiora præcepta. Lex dicit: Diliges proximum tuum: & euãgelium dicit tibi: Diliges inimicum tuum. Dauid ergo quasi

1.Reg.1. *Galat.4.* *2.Cor.6.* *Leuit.19.* *Matth.5.*

1565

go quasi perfectus propheta os suũ Christo aperuit, & ideo in parabolis aperuit os suum. Aperuit os, duxit spiritũ. Meritò ait: Quàm dulcia faucib⁹ meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo. Spõsa Christi os suum sponso aperuit, percepit omni melle dulciora præcepta. Et ideo testata est dicens: Fauces eius dulcedinis, & totus desiderium. Delectata igitur tenuit eum, & non dimisit eum. Et introduxi, inquit, eum in domũ matris meæ, & in secretum eius quæ me concepit. Fortasse domus est, in qua præfulget moraliũ disciplina: secretum autem illud est, in quo sunt altiora mysteria. Meritò ergo concupiscebat præcepta domini, in quibus diuinæ gratiæ mella redolebant. An nõ omni melle dulcior peccatorum remissio? Nónne omni flore gratior resurrectio mortuorum?

TZ. Respice † in me, & miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum.

Pulchrè addidit: Respice in me, & miserere mei, quia respicit & iratus, vt respexit super castra Ægyptiorum, & ligatis axibus curruum, omnes eos deiecit in fluctus. Respexit super Sodomam & Gomorram, quarum vtraque peccatorum suorum luitura supplicium diuinæ precium soluit offensæ. Scriptum est etiam: Aspicies super terram, & facies eam tremere. Econtra respexit super munera Abel, super Cain autẽ munera non respexit. Quo exasperatus Cain parricidali crimine cruorem fratris effudit. Quid sit autem respicere deũ, euidẽtissimè illo testimonio delaratur, Quia respexit super filios pauperum, & non despexit preces eorũ. Oculus enim domini non aspernatur iustorum munera. Denique oculos nostros cùm in aliquem mouemur, auertimus, quasi indignum eum aspectu iudicemus, quem oderimus affectu.

Gressus meos dirige secundum verbũ tuum †, & non dominetur mihi omnis iniquitas ✶.

Gressus pro profectibus animæ accipiendos frequentibus scripturarum testimoniis admonemur. Nam quis tam stolido ingenio est, qui putet Dauid de pedum suorum corporalium gressu esse solicitum, & his diuinæ directionis auxiliũ postulare? Ille verò vt sanctus vitæ suę cursum dirigi gestiebat, sicut & alibi scriptura testatur dicens: A domino dirigũtur gressus viri. Denique ipsius vtamur testimonio, qui ait in superioribus: Paulo minus effusi sunt gressus mei, quia zelaui in peccatoribus pacem. Animi itaque sui ostendit claudicasse vestigium, dum pacem peccatorum putat esse mirandam. Videntur quidem habere tranquillitatem, videntur quiete frui: sed non est quies, vbi animus inquietus est: non est tranquillitas mẽtis, vbi animus exagitatur obnoxiæ stimulis conscientiæ. Quomodo securitas, vbi diuersarũ pugna est passionum? vbi conflictus grauium cogitationũ? Vnde dominus definiens quid sit pacẽ habere, ait: Pacem meã do vobis, pacem meam relinquo vobis: non sicut mundus dat, ego do vobis: ostẽdens pacem quam mundus dat, veræ pacis gratiam non habere. Ideóque non in homine esse pacem volens docere, addidit: Pacem meam relinquo vobis. Et iterum: Pacem meam do vobis. Denique Propheta dicebat: Pax pax, & vbi est pax? Manifestum est igitur eum de tutatione suæ dixisse sententię, in qua animi, non corporis tutabatur gressus. Et moyses ait: Transiens videbo hoc visum magnum. Etenim vt deum videret, progressione quadam virtutis ad altiora processit. Pastor erat ouiũ, & dux factus est ciuium. Et ad sponsam dicitur in Canticis: Speciosi facti sunt gressus tui in calciamentis filiorum Aminadab: Moduli femorum tuorum similes torquibus opere artificis. Non est dubium gressus hic quoque ecclesiæ, vel animę profect⁹ significari. Quàm speciosi pedes sunt euãgelizantiũ pacem, euangelizantium bona. Vtique speciosos dicit euangelicæ prædicationis & disputationis progressus, vt alibi dicitur: Transgredere flumina, hoc est fluentia & lubrica istius mũdi transcurre stabili mentis incessu. Quod de animæ gressibus dicit in posterioribus, hic ipse Dauid euidẽter ostendit, asserens quòd torrentem iniquitatum sua anima transiret. Sed reuertamur ad sponsæ gressus. Quid sibi vult quod ait in calciamentis speciosos gressus ecclesiæ? Legimus itaque dictum ad Moysem: Solue calciamentum pedum tuorum, quo videtur admonitus ne corporalibus vinculis teneretur astrictus. Ergo speciosam significat in Canticis animæ pulchritudinem, quæ carne tanquam calciamento vtitur, & in ipso impedimentum non patitur, sed incessus decore præcellit. Calciat se ergo carnis anima ecclesiastica gratia, vt cursum vitæ huius & transitum cum decore prætereat. Quod fit si calciamentum suum non inquinet luto corporali, nec in vitiorum mergat voragine, si castiget carnem suã ne moretur ad cursum, & aruinæ pinguis pondere prægrauetur. Bonum calciamentum animæ, pudicitia est. Bonus gressus vestigium est castitatis. Sapientia autem amictus est animę. Vnde scriptum est: Honora eam, & amplectetur te. Vtamur ergo corpore tanquam calciamento, ad inferioris opera virtutis: ad ministeriũ, non ad præcipitium: ad obsequium, non ad delectationem: ad obedientiã, non ad dissensionem: & in via sapientiæ vestigium collocemus, ne gressus nostros vis torrentis aliqua concludat. Ideo ad Moysem dictũ est: Solue calciamentũ. Dictum est & ad Iesum Naue. De Christo autem dictum non est, sed magis scriptum est, dicente Baptista: Post me venit vir, cuius non sum dignus calciamenta portare: quia illi bene admonẽtur vt soluant calciamentum suum, qui sine peccato esse non poterant. Hic autem non solum calciamentũ non soluit, sed etiam calciamenta aliorum absoluit, quia non solum corpus suũ à peccatis immune seruauit, sed etiam omnium dedit indulgentiam peccatorum. Ergo Ecclesia ad imitationem Christi speciosa est, & in calciamentis omni abluta delicto. Et fortasse quando sapientiam inter perfectos loquitur, speciosa est in superioribus membris: quando autem etiam inferioris status aut doctrinæ homines verbũ sequuntur, fidei seriem non obliuiscuntur, sacerdotis præcepta custodiunt, speciosa est in calciamentis. Plerumque clerus errauit, sacerdotes mutauerunt sententiam, diuites cum seculi istius terreno rege senserunt, populus fidem propriam reseruauit. Vnde etiam de domino Iesu bene possumus dicere, quia & in his quæ corporalia sunt, speciosos gressus verbum habeat, cùm de moralibus disputatur. Et apostoli ideo fortasse nudis mittũtur pedibus, ne obumbretur eorum disputatio, sed eluceat. Itaque ecclesia filia Aminadab, hoc est, voluntarij vel beneplaciti, quia voluntarius eam & beneplacitus congregauit, & in calciamentis speciosa est. Meritóque additum est in Canticis: Moduli femorum tuorum similes torquibus operi manuum artificis: vt posteritatis ecclesiæ ornamenta canerentur. Per femur enim insigne generationis agnoscimus, iuxta illud: Accingere gladium tuum circum femur potentissime: quo significatur quòd filius dei cùm semetipsum exinaniret, verbi sit accinctus diuinitate, & generatione calciatus humana prodiret ex virgine, omnibus daturus salutem. Moduli autem dicuntur ornamenta preciosa quæ suspendi matronarum ceruicibus solent. Tantus ergo processus ecclesiæ significatur, vt ornamentis preciosissimis cõparatus sit, & torquibus triumphantium. Hæc enim ornamẽta sunt bellatorum. Vnde & Symmachus ἐπιτραχήλια dixit, hoc est, quæ sunt circa collum. Siue ergo generatio Christi ex virgine, siue ecclesiæ propagatio, specie quidem tanquam manu artificis torquibus adornatis, verè autem virtutis insigniis spiritalibus ceruices fidelium coronauit. Denique tota ista descriptio membrorum ecclesiæ plena decoris & laudis est. Nam vmbilicus eius tanquam crater tornatilis prædicatur mixto nõ deficiens, eò quòd in omni doctrina tornatus plenitudine cognitionis, & potu non deficiat spirituali, & venter eius non solum aceruo tritici, id est, cibis fortioribus cœlestis mysterij saginetur, verumetiam tanquam liliis quibusdam moralium suauitate repleatur. Vnde & ipsa tanquam benemerita regina Christi sanguine coronatur, sicut scriptum est: Et ornatus capitis tui sicut purpura. Sanguis Christi purpura est, qui inficit sanctorum animas: non solum colore resplendens, sed etiam potestate, quia reges facit, & meliores reges, quibus regnum donet æternum. Meritóquè ad tantum ecclesiæ decorem, cui Christi sanguis irrutilat, spiritus sanctus exclamat. Quàm pulchra & suauis facta es charitas in deliciis tuis. Pulchra decore virtutis, suauis iucundi-

Exod. 3.

Prouer. 4.

Matth. 3.

Cant. 7.

Psalm. 44.

Cantic. 7.

Ibidem.

Ibidem.

tate gratię, remissione vitiorum, quam nulla vexat amaritudo peccati, & ipsa iam charitas quę diligendo deũ & nomen acceperit, quia deus charitas est. Rectè ergo Dauid petit gressus suos dirigi secundũ verbum dei, vt fiant & ipsi speciosi, & non dominetur ei iniquitas: quam iure precatus est. Scie bat enim & Abrahã gressus suos secundum præcepta domini dirigentem, & appetito speciosæ vxoris pudore tentatũ, sed non confusum, & in vnici immolatione filij postlata patriæ mentis pietate luctatum, sed coronatum: Se quoque in furore Saul, incestu Ammõ, Absalon parricidio, iniquitatis improbæ feralibus tẽtationibus appetitum, hoc solo euasisse, quod dirigens gressus suos secundum pietatem domini à paterno non recessit affectu, intra se gemens crimen incesti à se relegãs odia parricidæ: Filius meus Absalon, filius me⁹, inquit, Absalon, quis dabit mihi mortem pro te? memor naturæ pietas †, offensæ immemor de quo antè quæsiuit, Puér ne viuit? Et fortasse quærendum sit qua ratione antè puerũ dixit, postea filium nominauit: cur non in vtroque aut puerũ dixit, aut filiũ. Si viueret, puer erat, quia parricidio petebat patrem. Non ergo pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis. Ideóque vir iustus quod religionis fuit tacuit, quod infirmitatis aspersit. Vbi verò est mortuus, apud piũ patrem personæ crimen defecit, naturæ nomen remansit.

2 Reg 18. † al. & pieta tis.

VI. Libera † me à calumnia hominum, & custodiam mandata tua.

† al. Redime

Non vnum genus est nostræ afflictionis: Est & tentatio, est & calumnia: sed tentatio leuior, calumnia grauior. Siquidem tentatio potest esse calumnia, calumnia in se & tentationem habet. Est humana tentatio, quam ferre possumus, calumnia autem grauis est. Et ideo dominus quæ sunt grauiora suscepit, & calumniis appetitus silentium detulit triũphale. Calumnia autem eo grauior est, quia non solũ falsa componit, verumetiam quæ piè gesta sunt decolorat: vt Ioseph non solũ adulterij obiectione tentatus est, & inuitatus ad crimen herilis illecebræ, verumetiam tentatus calumniis composito elogio quod ipse adulterium dominæ suæ inferre voluisset, cõprehensúsque exuerit vestem, ne fraudis indiciũ, atque insigne criminis teneretur: cũ vtique amictum ideo fugiens dereliquerit, vt laqueos vim ferentis, & nexus illecebrosæ artis euaderet. Ipse Dauid sensérat quod timebat. Quib⁹ enim Saul regis calumniis laborauit? Perterritis omnibus, allophyli impetũ lusit, singulari certamine summam belli, & totius prælij pondus excepit, virtute sua solus commune crimen refellens, & totius retorquens in hostem plebis opprobrium: & tamen quia iuuenculæ dixerũt: Saul triumphauit in milibus, Dauid in decem milibus: gloria in inuidiam versa, odio cœpit vrgeri. Et (vt de posterioribus loquamur) Susanna bene sibi cõscia erat, & apud homines sibi adesse non poterat. Duo presbyteri senes falsum testimoniũ deferebant: numerus sacerdotum atque senectus vocem auferebant puellę, sola conscientia erat apud deum libera. Deniq; hominũ dãnata iudicio, nutu absoluta diuino est. Ideo ait propheta: Libera me à calumniis hominum, vt custodiã mãdata tua. Qui enim opprimitur calumnia, non facilè potest custodire mandata diuina. Tristitię necesse est plerũque aut timori cedat, & affligatur vel metu calũniæ, vel dolore.

Genes. 39.

1. Reg 18.

Danie. 13.

VII. Vultum tuum † illumina super seruum tuum, & doce me iustitias † tuas.

† al. faciem tuam. † al. iustificationes.

Illuminat dominus sanctos suos, & lucet in corde iustorum. Itaque cùm sapientem videris, cognosce quia descẽdit super eum dei gloria, illuminauit eius mentem scientiæ fulgore, cognitionísque diuinæ. Illuminauit autem etiam corporaliter faciem Moysi, & transfigurata est gloria vultus eius, quem videntes Iudęi trepidauerunt: & ideo factum est vt Moyses velamen poneret super faciem suam ne in eam filij Israel intenderent, & superturbarentur. Simul declarabatur mysterium, quod illud velamen quod in facie Moysi corporaliter ponebatur, in cordibus Iudæorũ mysticè poneretur, eò quòd veram legis claritatẽ videre non possent. Vultus enim Moysi fulgor est legis: fulgor autem legis nõ in litera, sed in intellectu est spiritali. Itaque quandiu vixit Moyses, & alloquebatur Iudæorum populum, velamen habebat in facie sua. Mortuo autẽ Moyse, Iesus Naue iam non per velamẽ, sed facie reuelata & presbyteros alloquebatur, & populum, & nemo trepidabat: cùm vtique & ipsi dixerit deus quod cum ipso ita esset futurus vt fuit cum Moyse, & eum similiter illuminaret, gestorum vtique non vultus gloria: hoc significante spiritu sancto, quod vẽturus esset Iesus verus, ad quem si quis conuerteretur, & eum vellet audire, de corde suo velamen auferret, & reuelata facie verum saluatorem videret. Ergo deus omnipotẽs pater qui in Moysi facie excæcauit populũ Iudæorum, nõ duritia, sed præscientia, nec malitia, sed æquitate atque iustitia: (ipsi enim sibi velamen posuerunt, qui legem intelligere noluerũt. Lex enim spiritalis est, sicut dixit Hebræus. Is vtique secundum illud quod dat vnicuique nostrum, in quo non tribuentis, sed diligentis est culpa) iste inquam dominus illuminauit cor populi nationum in facie Christi Iesu per eius aduẽtum: quod euidẽter apostolico declaratur exemplo, sicut scriptum habemus: Quoniam deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem sciẽtiæ claritatis dei in facie Christi Iesu. Ideo ergo dicit Dauid ad dominum Iesum: Vultum tuum illumina super seruum tuum. Faciem Christi videre cupiebat, vt mens eius illuminari posset. Et secũdum incarnationem potest accipi. Multi enim prophetæ & iusti videre voluerunt, vt ipse dominus declarauit. Quod autem negatum Moysi fuerat, non quęrebat, vt corporaliter dei vultũ in corpore videret, si tamen & Moyses tã sapiens & eruditus hoc potuerit simpliciter magis quàm in mysterio postulare, humanũ tamen est desideria supra nos extẽdere. Nec immeritò faciem eius aduentis ex virgine quærebat videre, vt illuminaretur in corde, sicut illuminabantur etiam illi qui dicebant: Nónne cor nostrum ardebat in nobis cũ aperiret nobis scripturas? Quod si quis ad deum patrem dictũ vult videri, potest accipi vultus patris, filius. Qui enim videt filium, videt & patrem. Illuminat tamen vultus dei, secundum quod oculi eius super iustos habentur. Quod cùm spiritaliter sit probandum, tamen quia incidit illuminationis vultus Moysi historia, ne quis non putet corporaliter id fieri potuisse, cognoscat etenim vsu solis quòd multis etiam pallore confectis totius corporis figura mutatur, & ignis vapore calefactis species vultus rutilans offunditur. Oriente die rubent terræ croceo colore perfusæ, imaginem de beneficio mutuatæ. Gemmarum quoque monilia coruscantia transfundunt finitimis quod ipsa radiauerint: & miraris si Moysi vultus diuinæ infectus sit claritate præsentiæ? Miraris si refulgente dei gratia iusti vaporetur ingenium? Non dubitauit Propheta, qui poposcit illuminari prius, vt iustitias domini posset addiscere.

2. Cor. 3. Exod. 34. Luc. 10. Luca 24. Ioan. 14.

VIII. Decursus * aquarum descenderunt * oculi mei, quia non custodiui * legem tuam.

* al. Exitus * al. deduxerunt. * al. custodierunt.

Granditer affectum pœnitẽtiam gerentis expressit dicens quòd aquarum decursus oculi sui descẽderint, siue quia per eos tanquam per meatus vndantium fluentorum ita exuberantium lachrymarum se quidam ductus effuderit, & fletus irrigui per cõtinuũ quoddam & iuge profluuiũ, siue quòd ipsi descenderint oculi. Habet enim hoc vis summi doloris, vt cum lachrymis oculi quodammodo ipsi videãtur descẽdere: eo quòd tanta vis lachrymarum sit, vt putentur oculi in fletus resolui, & in lachrymis effundi. Oculi ergo ipsi tãquam in decursus descendũt aquarum: quo verbo impetus deplorantium vehemens expressius declaratur, secundum illud quod in Canticis scriptum est: Fons hortorum, puteus aquæ viuæ, & impetus descẽdẽs à Libano. Hos impetus ecclesia deduxit à Libano, hoc impetu diluuntur peccata, hoc impetu puri fontis spiritus sancti affluit à Libano sponsa, & à principio fidei transiuit seculum, & pertransiuit ad regnum. Aliis fons est, aliis puteus pro captu nostro gratia spiritalis, aliis hortus clausus, fons signatus: aliis hortorum fons, qui in ecclesiæ dote nunceratur: aliis impetus descendens à Libano: & magnus impetus, qui nunquam deficit. Non enim deficiunt de petra vbera, neq; nix à Libano, neq; aqua quæ fertur valido vento virgini Hierusalem. Descendit,

Cant. 4.

1569

dit impetus à Libano, quando collectis in vnum apostolis, & pluribus credentibus factus est subitò de cœlo sonus tā- A quā vi magna spiritus ferretur, & repleti sunt omnes spiritu sancto diuersitates donante linguarum. Bonus impetus, qui ladere nesciat, norit implere. Si quis igitur hunc impetū superuenientis è cœlo gratiæ vult mereri, descendat etiam ipse oculis in decursus aquarum. Qui hūc primū impetum fudrit, illū merebitur. Descendit oculis suis in hos ductus aquarum, quæ lachrymis irrigauit in euangelio domini pedes: & ideo fidei suæ precio emit animæ suæ & corporis sanitatem, iam nō sanguinis profluа, sed gratiæ spiritalis. Descendit ergo Dauid propheta: ideo de peccato gratiam retulit. Descendit in aquarum ductus, hoc est, repleuit eos, & descurrentium aquarum lachrymis suis fluenta cumulauit, aut inanes & vacuos ductus solis repleuit fletibus: aut (quod elocutionis moralis quidam sensus ostendit) descendit in aquarum ductus, transiuit eos. Et possemus dicere: Transcendit eos, & supergressus est: sed minuitur vis eloquij, quo vis maior affluentiæ descendentis quàm ascendentis exprimitur. Vide rogo quid de vsu verba habeant, impetū suum sermo propheticus non amittat, licet vsus ipse scriptorum sensui seruire maiore decore consueuerit. Diuersè hoc & sæpe significauit, & propemodum incrementa semper assumpsit. Dixit enim primo: Lauabo per singulas noctes lectum meum, in lachrymis stratum meum rigabo. Dixit iterum: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes. Dixit etiam: Et potum meum cum fletu miscebam. Hic addidit dicens: Deduxus aquarum descenderunt oculi mei. Hoc secutus in Threnis Hieremias affectum doloris expressit, vim oculi descendentis imitatus. Sic enim habes: Defecerunt in lachrymis oculi mei, oculi mei caligauerunt. Tanquam deficerunt oculi, qui deficiunt in lachrymis. Et alibi: Oculus meus absorptus est. Sed plus est aquas lachrymis vincere, quàm oculos absorberi fletibus. Et alibi iidem Hieremias: Exclamauit cor eorum ad dominum: Muri filiæ Sion ducant torrentes, fluant lachrymas die ac nocte. Noli dare tibi requiem, non fileat pupilla oculi tui. Oculi igitur qui torrentes deducūt lachrymis suis, ipsi ductus aquarum descendunt, hoc est, cumulantur vt faciant eos suis augentes fletibus impetu exundare torrentium. Sunt tamen codices qui habēt διεξόδους ὑδάτων κατεβίβασαν οἱ ὀφθαλμοί μου hoc est, Ductus aquarū direxerūt oculi mei. Sed ego in Greco codice meo κατέβησαν legi, hoc est decenderunt: in quo potest fieri vt in vtramlibet partem duarum adiectione aut deminutione literarum scriptor errauerit. Et habuit quidem multa quæ fleret, vel incestum filiæ, vel interitum filiorum: sed hic non hoc fleuisse se dicit, sed quia non custodiuit legem domini. A sancto viro plus culpa quàm ærumna defletur. Fleuit itaque quando ei Nathan de Vriæ morte indignationem domini nunciauit: & peccatum suum de prævaricatione legis agnouit. Denique filio in ægritudine constituto, neque cibum sumpsit, neque regium thronum aut cubile cōscendit: sed stratus in terra ieiuna ora lachrymis diluebat, non tam filij mortem quàm peccati pœnam in illo leuare desiderans. Fleuit quando numerato populo repente corde percussus est. Denique, Peccaui, inquit, grauiter, peccaui stultè. Fleuit igitur primo, quia elatus regia potestate, quærendo numerum plebis, mensuram egressus est conditionis humanæ. Deinde quia sui erroris precio vindicabatur in plebem: sed à domini hæc proposita pœna fuerat, non à rege est postulata: domini tamen se committendo misericordiæ, electionis causam probauit: simul quia propter eum populus laborabat, ipséque se offerendo pro populo, elationis soluit iniuriam, pietatis probauit affectum.

Sermo decimusoctauus.

SEquitur Zadic litera octauadecima, quæ Latina interpretatione dicitur consolatio. Post more torrentium lachrymas defluentes, & graues fletus doloris, oportebat consolationem sequi. Nam qui in doloribus sunt, consolatione indigent: & qui grauibus ærumnis pœnas cōmissorum luerunt criminum, sperant indulgentiam: & qui fletibus & lachrymis propria delicta luerunt, requiem promerentur. Hæc omnia in scripturis diuinis qui quærit inuenit. Nam & primum illud, vt in dolore positos consolemur, docet illa quæ in libro Hieremiæ flebiliter clamat ad captiuos & exules Iudæorum: Ite proficiscimini filij: ego enim derelicta sum deserta. Exui me stola pacis, indui autem stolam precationis meæ, & clamabo ad excelsum in diebus meis. Animo æquo estote filij, clamate ad deum, & extrahet vos de manu principum inimicorum: Ego enim speraui in illo æterno salutem vestram. Credentibus igitur in dominum, est in domini misericordia consolatio. Est etiā aliud consolationis genus iis qui graues soluerint pœnas, vt habes scriptum in Esaiæ libro: Consolamini consolamini populum meum, dicit dominꝰ: Sacerdotes loquimini in cor Hierusalem, consolamini eā, quoniam repleta est humiliatio eius: solutum est peccatū eius: quoniam accepit de manu domini duplicia peccata sua. Etiam si fides deerat, pœna satis fecerat. Releuantur solutione pœnarum, qui absoluuntur commēdatione meritorum. Tertium est cū lachrymis crimen abluitur, vt est illud: Discedite à me omnes qui B operamini iniquitatem, quoniā exaudiuit dominus vocem fletus mei. Quod etiam hoc loco & plerisque locis in libro psalmorum facilè reperitur. Consolatio igitur prima ordine est, quoniam non obliuiscitur deus facere misericordiā, neque in æternum proiicit quos putauerit coercēdos. Secunda, quòd decursis suppliciis quæ propter peccata nostra tolerauimus, ad veniam pertinemus. Vnde nonnulli philosophi disputauerunt obesse improbis absolutionem, prodesse mortem: quòd in illa sit incentiuū delinquendi, † in morte autē finis. Hoc sumptū esse de nostris cui dubiū, cū in Prouerbiis Salomonis sit: Qui parcit baculo, odit filium suum, castigat autē dominus quem diligit? Et infra: Flagellum equo, & stimulus asino imperat: virga autē nationi imprudēti. Pœna enim corrigit & emendat errantem. Si talis est qui emēdari non queat, aufertur è medio, ne grauiora committat. Mortuus enim iam nescit errare. Ideóq; & Ecclesiastes C ait: Et laudaui ego mortuos magis quàm viuātes, & optimū iudicaui supra hos eum qui nondum natus est, qui non vidit hoc opus mali. Mortuus præfertur viuenti, quia peccare desiuit. Mortuo præfertur qui natus non est, quia peccare nesciuit. Nunc dicamus etiam de iis qui pœnas scelerū soluerunt suorum. Nónne isti tulerunt culpæ precium, & iam nō integra his pœna debetur? Clamat per Esaiam dominus: Consolamini populum meum, quia recepit de manu domini duplicia peccata sua. Discite vnde Plato hæc sumpserit. Eruditionis gratia in Ægyptum profectus, vt Moysi gesta, legis oracula, & prophetarū dicta cognosceret, audiuit consolationem populi, qui supra peccati modū videbatur fuisse punitus: & hunc locum quadam adopertum dote verborum, in dialogum transtulit quem scripsit de virtute. Quem locum tamen dominus in euāgelio plenius comprehendit, & apertius declarauit, dicens per Abrahæ personam ad illū diuitem seculi huius: Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolationem habet, tu verò cruciaris: & in his omnibus inter nos D & vos chaos magnū firmatum est, vt ij qui volūt hinc trāsire ad vos, non possint, neque inde huc trāsmeare. Sed iam audiamus quid iustus in consolando se loquatur.

† *In morte autem, assumptum esse, &c.*

Prouer. 13.

Prouer. 26.

Eccles 4.

Esaiæ 40.

Luca 16.

Iustus es domine, & rectum iudicium tuum.

Verè iustus vir, qui lachrymis profluēs, inuolutus ærumnis, graui supplicio delicta persoluens, non tædio vincitur, non metu frangitur, non labore lassatur, nō ingratus aut tristis est: plerumque enim vulgus hominum sua delicta non repetens, iniustè se putat tolerare quæ patitur. At verò vir iustus, qui seipsum statim in exordio sermonis accusat, iustitiam domini prædicat, quòd meritis suis digna patiatur. Dicendo autem iustum deum, de sua quidem iniustitia antè pronūciat, sed de iustitia domini sperat & veniam. Iustus enim nō semper irascitur: sicut enim vltor culpę, ita moderator est pœnæ: sicut vindex peccatorum, ita remunerator est virtutū, optimorúmq; meritorū. Qui vult dare præmiū, debet expectare certamen, quia nemo sine certamine coronabitur.

bitur. Sinit ergo nos sæpe tẽtari, volẽs iusta præmia dare, luctanti vtique non dormiẽti. Non decet redimitos floribus corona, sed puluerulẽtos: nec molles deliciis, sed labore exercitatos ornat victoria. Iustus ergo in aduersis suis iustitiã dei laudat. Sed non hoc sentit amissis teneris parens liberis, non immaturo nuptæ viduatus cõsortio, non æger in dolore, nõ naufragus in periculo, nõ reus in iudicio, nõ captiuus in laqueo. Clamat tamẽ Hieremias, cùm futuræ annunciãs populis captiuitatis ærumnã, in luti voragine turpi necãdus illuuie mergeretur: Iustus es domine. Clamabat iterũ cùm victæ plebis miserãdis seruitiis angeretur: Iustus est dominus, quia os eius ad iracundiam irritaui. Et sub alia litera: Ita foris sine filiis fecit, & ab int⁹mors: hoc est, sicut in paradiso fecit, ita & in huius seculi ærũnã desæuit. Inuidia enim diaboli mors introiuit in orbẽ terrarum. Iustus es domine. Clamabant Hebræi cùm propter virtutẽ deuotionis, & fidei gratiam, fornacis ardentis ambirẽtur incẽdiis: Iustus es domine in omnibus quæ fecisti: & ideo meruerunt vt illæsi ignibus, domini iustitias prædicarent. Daniel quoq; propheta secũdo in lacum missus leonũ, & immanium ferarũ sæuitia atq; horrore circũdatus, recta omnia in cõspectu esse domini imperterrito clamore iactabat. Ionas inclusus vtero bestiali, anhelandi spiritus vix habens cõmeatum, iustus iniustorũ sorte dãnatus, clamabat de vẽtre ceti in mari cum voce laudis & cõfessionis, Supplico tibi. Dauid cùm fugeret à facie Absalõ, parricidalib⁹ armis & terris pulsus, & regno egressus, cũ pro totius populi se offerret excidio, dicebat: Iust⁹ es domine, & rectũ iudicium tuum: Grex innocẽs iste quid fecit? Ego pastor feci malum apud iustũ deum, pœna de culpę authore sumatur. Ipse pater fidei Abraham, cùm ad immolandum vnicus à sene filius posceretur, paternæ pietatis affectum diuinæ confessione iustitiæ temperabat, dicens: Iustus es domine. Non enim poscis alienum, sed tuum reposcis: ipsum tibi restituo quẽ dedisti. Hunc imitatus Iob extinctis liberis, patrimonióque nudatus amisso, amictum sui corporis scindens, ait: Nudus natus sum, nudus, inquit, & moriar. Dominus dedit, dominus abstulit: sit nomẽ domini benedictum. Omnes ergo iustũ dominũ prædicemus: & qui moribunda sepulchro sua membra cõponit, & qui damno feritur, aut funere filiorũ, dicat: Iust⁹ es domine. Quid enim nostrum amittimus? Clamat Apostolus: Quid habes quod non accepisti? Quod habemus ergo, accepimus. Quod igitur amittimus, reddimus, nõ amittimus. Iustus dominus in periculis, iustus in damnis, iustus in vltionibus est, non solũ quia vnusquisque iustæ culpæ suæ pœnas luit, verumetiam quia dum vnus punitur, plurimi corrigũtur. Ananias & Sapphira in Actibus apostolorum fraudati precij quod de agri vẽditione perceperant, crimen admiserunt, qui poterant nihil offerre, & crimen euadere. Verũ ne quis impunè circunscribendos apostolos arbitraretur, aut misericordiæ suæ munus fraude cõtaminaret perfidiæ, morti addictos æternæ perfidos, vniuersos ad fidei studium iusto terrore cõposuit. Pharao cum populo suo fluctibus mersus, mundanæ conuersationis exemplum est, ne quis dei populum persequatur: denique potuit eum deus voluntati suæ facere obedientẽ, sed eius pœna omnes voluit emẽdari. Ideóque dicit ad eum domin⁹: Quia ad hoc ipsum te suscitaui, vt ostendã in te virtutem meã, & annuncietur nomen meũ in vniuersa terra. Nõ vtique dominus suæ laudis, sed nostræ correptionis incrementa quærebat. Omnes ergo sapiẽtes dicunt: Iustus es domine, & rectum iudicium tuum. Neque enim tradimur aduersariis sine iudicio ipsius, neq; sine ipsius iudicio in tribulationes venimus. Hæc iustorũ est cõsolatio, hoc est domini iudicium. Denique & supra habes: Memor fui iudiciorum tuorum, quæ à seculo sunt, & me consolatus sum. Aduertis ergo quia iudicia domini consolationes sunt.

Sapien. 2. Daniel 3. Daniel. 14. Iona 2. 2. Reg. 15. Iob 1. 1. Cor. 4. Act. 5. Exod. 9. Rom. 9.

II. Mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis.

Vtrum nimis mandasti, an nimiam veritatem? Sed & nimia veritas plena laudis, & nimium mandare prouidentiæ atque cautelæ est. Etenim infirmos nouerat, ideo sæpi⁹ admonebat, vt non obliuiscerentur.

Exquisiuit me * zelus domus tuæ, quoniam inimici mei obliti sunt verborum tuorum. 1572

III.

Est zelus ad vitam, & est zelus ad mortem. Ad vitam zelus est diuina præcepta seruare, & amore domini eius custodire mandata, vt fecit Phinees, de quo legimus in Numeris, dicẽte domino ad Moysen: Phinees filius Eleazar filij Aarõ sacerdotis sedauit furorem meum à filiis Israel, in eo quod æmulatus est zelum meum in illis, & non cõsummaui filios Israel in zelo meo sicut dixi. Ecce ego do ei testamẽtum pacis, & erit illi & semini eius post eum testamẽtum sacerdotij æternum, propter quod æmulatus est deum suum & non exorauit pro filiis Israel. Cæsa iacebant viginti quatuor milia populorum, tẽdebat pœna in omnes, nec vllus finis exibi consuetudine copulatos, redemit omnes, indignationem domini mitigauit, dedit victoriam quibus negabat salutem. Quàm salutaris est igitur dei zelus? Non vnius temporis illud vitium fuit: & nunc Madianitis miscetur Iudæo. Madianitis est quæ nullo est vxoris legitimæ copulata coniugio, nullo fidei iuncta consortio. Madianitis est hæreticorum perfidia, cùm populum dei tentat. Quàm multis populis meretrix ista feralis irrepsit, quæ publico funere totum populum communi morte tumulauit? Veni & nunc Phinees, arripe gladium verbi, interfice perfidiam, iugulato hęresim, ne propter eam populus vniuersus intereat. Vrget ira cœlestis, percute ipsam vuluam impietatis, generatoriúmque perfidiæ, ne partus formetur infelix, ne adulterina conceptio diffundat seminarium præuaricationis & sceleris, vt dominus tecum statuat testamentum pacis, & testamentum gratiæ, testamentum promissionum cœlestium. Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam seruare studet ecclesiæ castitatem. Et ideo princeps sacerdotum dicit: Zelus domus tuæ deuorauit me. Et Phinees sacerdos erat, & nepos sacerdotis, & filius sacerdotis. Bonus zelus & vtilis in sacerdote, præcipuè ne negligens, ne remissus sit. Melius est vt vnius aut duorum damnatione plurimi liberentur, quàm duorum absolutione plures periclitentur. Exquisiuit, inquit, me Zelus domus tuæ. Vides quia zelus dei gratia est, qui exquirit, qui superuenit, qui se iusti infundit pectori. Zelus dei vita est. Denique dominus ait: Zelus domus tuæ deuorauit me. Sicut enim antè in Adam deuorauerat hominem mors prævalens, ita Zelus deuorauit quem viuificauit in Christo. Zelum habuit Helias, & ideo raptus ad cœlum est. Zelans, inquit, zelaui dominum. Zelum habuit Mathathias Buthanus, qui aduersus sacrilegia Antiochi excitauit dei plebem. Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant qui sunt hostes dei, quamuis patrem, fratres, sorores. Omnibus dicit: In hostes facti sunt mihi, sicut Dauid ait: Quid multa? Apostolus quoque domini hoc declaratus est nomine, vt Iudas zelotes diceretur, sicut legimus in euangelio, Zelo fidei populus gentilium vitam sibi acquisiuit æternam, quam negligentia atque desidia Iudæorum populus amisit. Ideóque scriptum est: Zelus apprehendit populum ineruditum. Quoniam populus qui erat eruditus in lege, nullum fidei habebat ardorem. Contulit se zelus ad gentes: cuius tanta est gratia, vt electionis prærogatiuam vicerit, & eruditionis industriam. Denique apprehendens populum ineruditum, fecit esse meliorem. Itaque ea gratia operata est in populo nationum, vt hæreditatem domini mereretur quam operatus est dominus, vt ecclesiam sibi ex nationibus copularet. Zelus ergo charitas est. Denique validа est sicut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Durus zelus, quem vitæ huius nulla vincit illecebra. Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, vt viuamus deo. Angeli quoque sine zelo nihil sunt, & substantiæ suæ amittunt prærogatiuam, nisi eam zeli ardore sustentent. Denique in Apocalypsi Ioannis dominus ad angelum Laodiciæ dicit: Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis quòd diues sum & ditatus, & nullius egeo, & nescis quòd tu es miser & miserabilis & mendicus & nudus & cæcus. Consulo tibi vt emas à me aurum

Psalm. 11. Luc. 1. 3. Reg. 19. Apoc. 3.

1573

aurũ igne probatũ. Hic est dei zelus, hic est fidei vapor, devotionis feruor, qui nos velut suauẽ cibũ in Christo remolit & formar. Quanta domini gratia, vt nos in suo ore cõstituat, & quasdam meritorum nostrorũ epuletur dapes, ac si meremur, deuoret, si nostri cibi suauitatib⁹ delectetur? Beatus quẽ sapientia deuorauerit, quem virtus hauserit, quẽ iustitia receperit. Culpa in eo habere nõ potest portionẽ, quẽ absorbuerit remissio peccatorum. Vbi enim error inueniet, quem integritas immaculata susceperit? Et quid miremur si angeli eum habent? Ipse deus pater ait: Zelãs zelabo Hierusalem zelo magno. Quia deus magn⁹, ideo & zelus eius magnus est, & pro vniuscuiusque potentiæ qualitate, ita & zelus aut mediocris aut magnus est. Zelo vindicatur Hierusalẽ. Zelo ecclesia congregatur. Zelo fides acquiritur. Zelo pudicitia possidetur. Dominus quoque Iesus ait: Zelus domus tuæ comedit me: increpans Iudæos quòd domum orationis fecerint speluncã latronum, fecerint & domũ negotiationis. Sed nõ solum locum ecclesiæ zelare debemus, sed hanc quoque interiorem in nobis domum dei, ne sit domus negotiationis, aut spelunca latronũ. Si enim lucra, quæstus pecuniæ & emolumẽta aucupemur, domum negociationis fecimus. Si inuadamus alienas possessiones, fines viduæ vel minorum, fecimus speluncã latronum. Veniet ergo verbum dei, & de hac domo proiiciat fures, direptores, caupones, vt mũdum sit cor tuum, pectus tuum. Sed est zelus ad culpam, est zelus ad gratiã. Nam & ipse Dauid ait: Zelaui in peccatoribus pacem. Et in Ecclesiastico scriptum est: Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam: & mulier zelotypa in muliere fideli iure reprehenditur. Aduertimus ergo quòd mensura quædã & disciplina sit zeli, sicut disciplina virtutis. Et ideo beat⁹ qui zeli nouerit disciplinam, & oderit eos qui domini gratiam relinquẽtes salutem propriam deserunt, errorem sibi fraudis adscisunt. Ideóque ait: Quoniam obliti sunt verborum tuorum inimici mei. Qui sunt isti inimici? Si populus Iudæorũ, quomodo inimici erant sub eius imperio cõstituti? Dauid enim Iudæos omnes regno proprio gubernabat. Si gẽtiles, quomodo obliti verborum dei, qui legem domini nesciebant? Nemo enim nisi id quod acceperit, obliuisci potest. Illi ergo inimici mei, qui inimici tui, qui dominum in propria sua venienté non erant recepturi. Hos graues hostes, hos inimicos suos Propheta testatur, non qui sibi essent, sed qui Christo rebelles. Denique alibi ait: Et super inimicos tuos tabescebam. Iusto odio oderam illos: grauiora putans arma perfidiæ esse quàm pugnæ. Nemo enim grauior hostis omniũ, quàm qui omnium lædit authorem. Ideo ergo zelo magno acquisitus est populus nationum, quoniam à suo deus populo negabatur: nec enim poterant aut fidei deuotionem, aut disciplinam tenere virtutis, qui memoriam præceptorũ cœlestiũ non tenebant. Sic Adã de paradiso eiectus est, sic populus Iudæorum de prærogatiua electionis exclusus est.

Ignitum eloquium tuum nimis *, seruus tuus dilexit illud.

*Ignem quidem dominus misit in terram, non vt ea Sodomitano rursus, sicut scriptũ est, arderet incendio, nec vt eam donatæ munere fœcũditatis, aut vsu vel flore viriditatis excluderet. Opus enim suũ dominus probare magis atq; augere, quàm minuere aut dãnare consueuit. Neque verò dignum erat vt elementa innoxia nostri luerẽt sceleris vltionem. Quid natura deliquerat si adulta iam soboles errauit? Non erat partus in vitio, si deuio lapsa est errore progenies. Non est hic natura, sed vsus in culpa. Quem ergo dominus ignẽ in nouo sparsit testamento? Qui secretos mentiũ diuinæ ardore cognitionis inflãmaret affectus, qui vaporẽ fidei & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accẽderet. Hoc igne calefactus dicit Hieremias: Et erat ignis flãmigerans in ossibus meis. Hoc sermonum igne cœlestium vapotati Cleophas & ille alius qui simul cũ domino ab Hierusalem vsque ad castellum confecerãt iter, dicebãt: Nónne cor nostrum ardẽs erat in nobis, cum aperiret nobis scripturas? Ignis ergo hic, sermo Christi est. Et bonus ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata. Hoc igne super bonum fundamentum posito, apostolicum illud aurũ probatur. Hoc igne illud morum vel operũ examinatur argentum. Hoc igne precioſi illi lapides illuminantur, fœnum autem & stipula consumitur. Mundat ergo hic ignis animũ, consumit errorem. Vnde & dominus ait: Iam vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis. Hic est ignis qui ardet ante dominum. Nisi enim quis flagrãtiam deuotionis sumpserit, præsentiam domini habere non poterit. Accende hunc primùm ignem in mentibus tuis, vt Christi tibi lumen effulgeat. Hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur. Vrit enim sermo diuinus, vt corrigat conscientiam peccatoris, non exurit vt perdat. Hic ignis habitare Christũ per fidem facit. Hic ignis extinguere materialium sæua flãmarum consueuit incendia. Denique Hebræi hoc igne succensi, fornacis ardentis vaporem nec timere, nec sentire potuerunt. Meritò ergo bonus seruus diligit ignitum domini alloquium, quo induitur charitas, quæ excludit timorem. Pulchrè autem addidit nimis, quia omnis quidem doctor inflammat audientis affectum, sed supra omnes est sermo dei, diuisiones artuum & intima penetrans medullarum. Tripliciter ergo describe tibi ignitum alloquium dei, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat audiẽtes. Ideo ait dominus: Scrutatus sum Hierusalem ad lucernam. Sed neminem in ea vel qui mundaretur, vel qui accenderetur, aut illuminaretur, inuenit: ideo eã in tenebris dereliquit. Nec mireris si seruus diligit ignitũ domini alloquiũ, quod & spõsa dilexit: quæ ait: Sicut rẽsticula coccinea labia tua. In cocco enim species ignis, & crucis dominicæ sanguis irrutilat. Coccinea labia domini, quæ passionem propriam loquebãtur. Denique in Exodo coccum pro igne collatum est. Non enim ex cocco mundus, sed ex quatuor constat elemẽtis. Sed in cocco figura ignis expressa est, cui⁹ vapor nisi cœlum atque aërem, maria, terrásque penetraret, omnia tãquam effœtis viribus soluerentur. Per rẽsticulam igitur vinculum persuasionis agnoscimus: per coccum vel cupiditatis ardorem qui scintillat in animis audientium, vel indiciũ passionis. Vnde & alibi ait sponsa: Labia eius lilia stillãtia myrrham plenam. Per myrrham enim passionis vnguentum, & resurrectionis gratia declaratur, quæ rediuiuum vitæ odorem suscitatis mortuorum viscera infundit. Meritò igitur alloquij eius accipiens suauitatem exclamans sponsa testatur: Fauces eius dulcedinis, & totus desiderium.

Exod. 3.

Dan. 3.

Heb. 4.

Sophon. 1.

Cantic. 4

Cantic. 5.

Ibidem.

Iuuenis † sum ego & despectus †, iustificationes tuas non sum oblitus.

V.

† al. adolescentia sum ego † alii corpus

Multis sanctorum qui à prima adolescentia exercitati sunt duris laboribus, potest hic versiculus conuenire. Nam & Ioseph cùm à fratribus iunior in Ægyptum venderetur, iunior erat & despectus, qui ad seruitutis iniuriam vendebatur, & postea cùm productus è carcere, præpositus Ægypto, populis frumenta diuideret, fratribus vicem iniuriæ non referret, sed refuso precio alimenta donaret, senilẽ patris à fame atque ieiunio vindicaret ætatem, currúque summisso obuius, & famulantibus cæteris amplæ potestatis insignibus adoraret, iure dicebat: Iuuenis ego sum & despectus, iustificationes tuas non sum oblitus. Ipse Dauid quoq; iunior fratribus, cùm patris oues pasceret tanquam vili ablegatus obsequio, non oblatus est sacerdoti, quasi indignus qui vngeretur in regnum, sed à sacerdote quæsitus, & accersitus à pascuis, prærogatiuam regiæ vnctionis accepit. Postea quoque progressus ad bellum, cùm Golias totum populum Iudæorum corporis sui mole despiciens, singulari certamine prouocaret, timẽtibus cæteris popposcit à rege vt cõgrediendi sibi permitteret facultatem. Nec dũ quidem tanto certamini habilis æstimatus est, rege dicente: Non potes ire ad Allophylum, & pugnare cum eo, quoniam tu puer es, & ille vir bellator est à iuuentute sua. Neque esset admissus, nisi fecisset fidem quòd in sua adolescentia leonem suis manibus strangulatũ extractis raptæ ouis cruribus peremisset. Ipse etiã despectus ab Allophylo, quòd aduersus armatum prælatorem cum virga & lapidibus processisset, retulit non viribus se fretum esse, non armis, sed in nomine domini confidentẽ ad prælium esse progressum, vt lacessitæ ple-

1. Reg. 7.

bis auferret opprobrium. Hic ergo iuuenis atque deſpectus ſtrauit allophylum, potitúſque victoria, in decẽ milibus iuuenculárũ pſallentium teſtimonia triumphauit. Gerebat enim typum eius qui quaſi deſpectus vẽturus eſſet in terras, & ſine legato, ſine adiutore, ſine nuncio totũ populum mũdi huius, crucis ſuæ prælio liberaret: cui applauderẽt animæ ſanctorũ per baptiſmatis ſacramẽta renouatæ, quòd verum illũ Goliam reuelatum nobis ac proditum verbi ſui gladio trucidaſſet. Iacet igitur ver⁹ Golias humilitate filij dei ſtratus, amiſit caput, quòd in multas artes vertebat & fraudes. Pſallunt ſecuræ iam animæ, quæ ante peccatorũ ſuorũ tormenta deflebant. Dicunt tympanis, hoc eſt, corporibus ſuis
1. Reg. 18. peccato mortuis reſultãtes: Saul triũphauit in milib⁹, Dauid in decẽ milibus. Rex ille durus indignatur & iraſcitur diabolus, eo quòd canerẽt iuuẽculæ: quia duritiæ filius paucos decepit, Chriſtus totũ mundũ redemit. Dicit ergo Chriſtus natus ex virgine: Iuuenis ego ſum & deſpectus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Dicit etiam populus nationũ ille in prima lectione deſpectus rudis adhuc fide & ſtudio primæuæ deuotionis adoleſcẽs, vel certè renouatus aquilæ iuuentute per baptiſmatis ſacramẽta. Iuuenis ego ſum & deſpectus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Ille ego deſpectus ante iã præferor, iã anteponor electis. Ille antè deſpectus populus peccatorũ, habeo cœleſtiũ ſacramẽtorum venerãda cõſortia. Iã menſæ cœleſtis honore ſuſcipior, epulis meis nõ pluuia vndatur, non terræ partus laborat, nõ arborum fructus. Potui meo non flumina quærenda, nõ fontes. Chriſtus mihi cib⁹, Chriſtus mihi potus. Caro dei cibus mihi, & dei ſanguis eſt potus. Nõ iam ad ſatietatẽ mei annuos expecto prouẽtus, Chriſtus mihi quotidie miniſtratur. Nõ verebor ne qua mihi cœli intẽperies, aut ſterilitas ruris immineat, ſi pij cultus diligentia perſeueret. Nõ iã coturnicũ pluuias mihi opto deſcendere, quas antè mirabar. Nõ manna quod antè cibis omnibus præferebã, quia qui mãna mãducauerunt patres, eſurierunt. Meus cibus eſt, quem ſi quis mãducauerit, nõ eſuriet. Meus cib⁹ eſt, qui nõ corpus impinguat, ſed confirmat cor hominis. Fuerat mihi antè mirãdus panis de cœlo. Scriptũ eſt enim: Panẽ de cœlo dedit eis manducare: ſed non erat verus ille panis, ſed futuri vmbra. Panem de cœlo illum verum mihi ſeruauit pater. Mihi ille
Ioan. 6. panis dei deſcendit de cœlo, qui vitã dat huic mundo. Non Iudæis deſcendit, non ſynagogæ deſcendit, ſed eccleſiæ deſcendit, ſed populo dei iuueniori deſcẽdit. Nam quomodo Iudæis deſcendit panis qui vitam dedit, cùm omnes qui illum panem manducauerunt, hoc eſt, manna, quem putauerunt Iudæi verum panẽ, in deſerto mortui ſunt? Quomodo ſynagogæ deſcẽdit, cùm ſynagoga omnis interierit, & æterno ieiunio fidei macerata defecerit? Denique ſi accepiſſent panẽ verum, nõ dixiſſent: Domine, ſemper da nobis panem hunc. Quid petis Iudæe, vt tribuat tibi panem quẽ dat omnib⁹, dat quotidie, dat ſemper? In teipſo eſt vt accipias hunc panem. Accede ad hunc panem, & accipies eum. De hoc pa-
Pſal. 72. ne dictum eſt: Omnes qui elongãt ſe abs te, peribũt. Si elõgaueris ab eo, peribis: ſi appropinquaueris ad eũ, viues. Hic eſt panis vitæ. Qui ergo vitam manducat, mori non poteſt. Quomodo enim morietur, cui cibus vita eſt? Quomodo deficiet, qui habuerit vitalẽ ſubſtantiã? Accedite ad eum, & ſatiamini, quia panis eſt. Accedite ad eum & potate, quia fons eſt. Accedite ad eum & illuminamini, quia lux eſt. Accedite
2. Cor. 3. ad eũ & liberamini, quia vbi ſpirit⁹ domini, ibi libertas. Accedite ad eum & abſoluimini, quia remiſſio peccatorũ eſt. Qui ſit iſte, quæritis? Audite ipſum dicentẽ: Ego ſum panis
Ibi. 6. vitæ: qui venit ad me non eſuriet: & qui credit in me, nõ ſitiet vnquã. Audiſtis eum, & vidiſtis eum, & non credidiſtis ei, ideo mortui eſtis: vel nunc credite, vt poſſitis viuere. Sed miramini Moyſen, quia patres veſtros per mare ſiccis duxit veſtigiis. Moyſes non imperauit, ſed impetrauit. Non iuſſit mari, ſed ſeruiuit iubẽti fluctibus. Moyſen laudatis, quia regem Pharao cum exercitu ſuo merſit. Moyſes orabat, & alius imperabat. Moyſes precabatur, Chriſtus operabatur. Moyſes fugiebat, Chriſtus inſequebatur. Moyſes colũnam ſequebatur, vt nocturnas tenebras declinaret, Chriſtus illuminabat. Moyſen agnoſcis, quia aquæ amaritudinem tẽperauit. Moyſen agnoſcis, quia aquã produxit de petra. Chriſtum non agnoſcis, qui veri illius Ægyptij ſtrauit exercitũ, & abyſſi merſit profundo. Qui nos liberat quotidie de mũdi huius fluctibus, ne nos ſeculi procella demergat. Quid profuit patribus trãſire per mare rubrũ, quibus ad terrã repromiſſionis nõ licuit peruenire? Quicũq; enim exierũt de Ægypto, perierũt in deſerto. Mortuus eſt Aaron, mortua eſt Maria, mortu⁹ eſt & ipſe Moyſes: ſolum Ieſum Naue nominis ſacri ſimilitudo ſeruauit. Plaudat Iudęus, quia ſitienti illi vndam ſaxa vomuerũt. Mihi de corpore dei fons fluxit æternus: meã amaritudinẽ bibit Chriſtus, vt mihi ſuæ donaret gratiæ ſuauitatẽ. Dicit ergo populus Chriſtianus: Iuuenis ego ſum & deſpectus, iuſtificationes tuas nõ ſum oblitus. Bene hoc dicit, qui iuſtificauit deũ baptiſmatis ſacramẽtis. Qui enim baptizatur, iuſtificat deum, quia peccata propria confitetur, & à domino ſuorũ præſtolatur indulgẽtiam peccatorum. Iuſtificauit Dauid, qui ait, Tibi ſoli peccaui, & malũ corã te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. Nõ iuſti-
Pſalm. 50. ficauerũt phariſæi, qui baptizari Ioãnis baptiſmo noluerũt, vt in euãgelio legiſti. Non ſolùm iuſtificare ſatis eſt, ſed etiã nõ obliuiſci iuſtificationum dei, id eſt, vt intemerata gratiæ ſpiritalis dona cuſtodiat, & ſacrę remiſſionis munera illibata, atque indefeſſa conſeruet. Hæc generalia. Sed etiam ſpecialis ſingulis Chriſtianis ſuppetit prærogatiua dicendi: Iuuenis ego ſum & deſpectus, ſi humilis corde, ſi mitis atque mãſuetus. Dicat ergo: Iuuenis ego ſum & deſpect⁹. Præmittat ætatis generalẽ iactantiã, quò plus commẽdet humilitatis ſuæ gratiã. Non mirabilis humilitas in ſenectute, quæ effœta viribus, fracta debilitatibus, triſtis dolorib⁹, anhela ſuſpiriis, coacta curarũ æſtibus, & ipſo viuẽdi mœſta faſtidio, alacritatẽ eſt oblita iactãtiæ. Rara ſanè in iuuenibus eſt humilitas, ideóq; mirãda, dũ ætas viget, dum vires ſolidæ ſunt, dum ſanguis æſtuat, dũ ſolicitudo neſcitur, dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequentatur: tunc feruet iactãtia, tũc ſe iuuentutis ſuperbus extollit affectus, tũc humilitas quaſi vileſcit, abiecta cõtemnitur: tunc ſubiectio, degeneris conſcientiæ æſtimatur eſſe infirmitas. Grãdis igitur morum eſt aſſuefacienda maturitas, quæ vincat naturã. Denique ſi cõſideremus, in paradiſo defecit humilitas, & ideo venit è cœlo. In paradiſo orta eſt inobediẽtia, & ideo obediẽtia cũ ſaluatore deſcendit: inflabat caro, vnde ſubiectio manſuetudinis inueniri nõ poterat in terris. Intumuerat omnis præua-
Philip. 2. ricatoris hæreditas: veniẽs dominus Ieſus primum ſe exinaniuit, non rapinã arbitratus eſt eſſe ſe ęqualẽ deo, formã ſerui ſibi accipiẽs, & ſpecie inuẽt⁹ vt homo, humiliauit ſemetipſum factus obediẽs vſque ad mortẽ. Non te moueat, quia ſcriptũ eſt, vt homo. Non enim ſimilitudinẽ ſuſcepit hominis, ſed veritatẽ. Nam ipſe Apoſtolus ait alibi: Mediator dei
1. Tim. 2. & hominũ homo Chriſtus Ieſus. Et vt de euangelio afferamus exemplum: Vidimus, inquit Ioãnes, gloriã eius, gloriã
Ioan. 1. quaſi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate. Nunquid quia dixit, quaſi vnigeniti, ſimilitudinem magis vnigeniti, quàm veritatẽ voluit æſtimari? Nõ enim ſuperuacuo Chriſtus aduenit. Iã poteſt dicere homo: Iuuenis ego ſum & deſpectus, qui erat antè in populo priore ſenex ſuperbus. Di-
Cantic. 1. cit ergo, iunenis ſum & deſpectus: quomodo eccleſia: Nigra ſum & decora. Præmiſit nigrã, vt augeret decorã. Sic & hic præmiſit iuuenẽ, vt augeret humilitatẽ. Nõ dixit, nigra ſum decora: ne quod nigrũ eſt, decorum æſtimaretur. Nec dixit, iuuenis ſum deſpectus: ne iuuentus deſpicabilis putaretur: ſed ait, Iuuenis, & quod mireris, humilis, nõ ſuperbus, deiecto propior quàm tumenti. Sic & ibi: Nigra ſum ſuperiore peccato, ſed decora confeſſione peccati, & correctionis ſtudio, atque amore virtutis. Quãuis ergo, &, ſyllaba vt grammatici appellãt, cõiunctiua ſit, habet tamẽ diſtinctionẽ qua cõfuſio diſiũgitur ac ſeparatur: vt ſi dicas Ambroſiũ Baſſum intus eſſe, vnus putatur. Sin autẽ aſſeras Ambroſium & Baſſum intus eſſe, duo vtique intelligũtur. Dicat ergo: Iuuenis ſum intus eſſe, duo vtique intelligũtur. Dicat ergo: Iuuenis ſum & deſpectus, quia Chriſtus in paupere atque deſpecto mũdũ redemit, quia Chriſtus humilitate diabolũ vicit. Dicat, deſpectus ſum, quia cor humiliatũ deus nõ ſpernit, quia
Luc. 16. Exod. 3. deſpectus ille Lazarus in Abrahæ nũc requieſcit ſinu, & deſpectus ille Lazarus in Abrahæ nũc requieſcit ſinu, & diues ille iactãtior affligitur in inferno. Deſpectus erat Moyſes,

1577

ses, nec sibi idoneus videbatur, cũ ad liberandum Hebræorum populum mitteretur. Despectus erat Hieremias, qui dicebat: Dominator domine, ecce nescio loqui, quia iuuenis sum ego. Sed facilius iste despectus eligitur. Denique dicitur ei: Noli dicere quia iuuenis sum ego: quia ad omnes quoscunque misero te, abibis: & omnia quæcunque mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum dicit dominus, vt liberem te. Despectus erat ille publicanus, qui oculos ad cœlum non audebat leuare, & ideo facilius quàm ille pharisæus exaudiebatur. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

Iustitia tua, iustitia in æternum, & lex tua veritas.

Possunt quidẽ singuli facere opera iustitiæ, sed nõ in æternũ manẽtia. Diues ille cui abũdauerunt diuitiæ in hoc seculo fortasse fecerat aliqua opera iustitiæ, quorũ remunerationẽ in præsenti vita acceperit, quæ ad vitã æternã non pertinuerint, quòd nõ magna fuerint opera illa, nec remuneratiõe digna perpetua. Quid quod etiã si facimus opera aliqua iustitiæ, facimus tamẽ non cõtinua, sed rara? Plerique nõ rapiunt B alienа, sed nesciunt de proprio largiri. Alij inuadentes indebitas facultates, quo speciem iustitiæ sibi quærãt, solent conferre pauperibus. Nõ est ista in æternum iustitia. Multi iusti plerunq; grauiter deliquerunt, nõ habentes æternę fructum iustitiæ. Soli deo suppetit in perpetuũ per omnia possidere iustitiã, qui pascit iustos & iniustos. Nõ enim beneficis solis referenda iustitia est, sed illa vera iustitia est, quæ ipsis quoq; defertur inimicis. Meritóque ait iustitia dei: Diligite inimicos vestros. Ergo sicut in æternũ est iustitia solius dei, ita lex dei veritas. Sed quomodo istud accipimus? vtrum quia lex dei veritas est, hoc est vera: & quod statuit deus, omne verum est, sicut infra ait: Omnia præcepta tua veritas? An quia veritas lex dei est, quia non mentitur deus? Apud eum igitur veritas lex est, fallaci præuaricatio est. Sed & sic potest accipi: Lex dei veritas est. Apud Iudæos ergo nõ est lex dei, quia non recipiunt veritatem. Lex dei spiritalis est, sicut Apostolus dixit. Nõ habent ergo verã legem, qui eã non acceperint C spiritaliter. Quod aũt non verum, mendax est: quod mentitur, occidit. Litera ergo quę occidit, mentitur: spiritus qui vnificat, verus est. Accipiamus & sic: Lex dei, non typus, non vmbra, non exemplar cœlestium, sed ipsa cœlestia. Vnde & scriptum est, quia finis legis est Christus. Non defectus vtique, sed plenitudo legis in Christo est: quia venit legem non soluere, sed adimplere. Sicut enim testamentum vetus venit nõ soluere sed implere, ita nouum certificare. Sed sicut omnis veritas in nouo est testamẽto, ita & lex per Moysem data, figura legis est veræ. Ergo illa lex veritatis exemplar est. In exẽplari enim agni sanguis effunditur, in veritate Christus immolatur. Meritóque Apostolus cùm præmisisset vitulorum immolationem secundum legem, adiecit: Necessarium itaque est exemplaria cœlestium his mũdari. nam ipsa cœlestia meliorib⁹ hostiis. nõ enim in manufacta sancta intrauit Christus exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, & nunc apparet vultui dei pro nobis. Vt cognoscamus autem quia legem nouã dedit dominus Iesus, habes dicẽtem spiritum: Hoc aũt est testamentũ quod testabor ad eos, dicit do- D minus, dãdo leges meas in cordibus eorũ & in sensibus eorum scribã eas, & peccati & iniustitię eorũ non ero memor. Vbi ergo remissio, iã non oblatio pro peccatis. Quo euidenter ostenditur omnem veritatem euangelio contineri, quia lex dei in sensibus hominũ & in cordibus scribitur, nõ in tabulis lapideis. Qui ergo præcepta dei non habent in cordibus suis, non habent legem, siue quia inueteratur in Iudæis, renouatur in nobis, vmbra est non veritas, vt cùm fiat oblatio pro peccatis secũdum legem, nõ fiat remissio peccatorũ. Impossibile est enim sanguine taurorũ & hircorum peccata mundari. Mendax ergo erat illa remissio, donec remissionis veritas adueniret. Quid inde manifestius quã Ioannis euangelistę sententia, qui ait: Quia lex per Moysem data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est? † legis retulit veritatem. Nam cùm sit autem, disiunctio, intelligendum est disiunctionem ideo interpositam, quia si veritas fuisset in lege, non fuisset gratia facta per Christum.

Possumus & sic intelligere: veritas Christus est, ergo veritas A lex est. Et si mandatum domini lex est, multò magis viuum & operatorium verbum dei lex est.

Tribulatio & necessitas† inuenerunt me, mandata tua meditatio mea est. VII.

† al. angustia.

Quærunt tribulationes & necessitates iustũ, & interdum inueniunt, interdum nõ inueniunt eũ. Inuenitur cui corona debetur, non inuenitur qui idoneus certamini nõ probatur. Tribulatio igitur velut quædam gratia est. Denique sacrificium deo spiritus cõtribulatus. An nõ est gratia, quæ operatur, patientiã? Qui ergo nouerat tribulationis profectum esse: quæsitus à tribulatione, inuẽtus est, nec refugit. Dicit sapientia, Quærent me mali, & non inuenient. nõ quia dominus nolebat inueniri ab hominibus, qui se omnibus etiã nõ quærentibus offerebat, sed quia his operibus quærebatur, vt indigni essent qui quærerent inuenire. Cæterùm Simeõ qui eũ expectabat, inuenit. Inuenit Andreas: deniq; ait ad Simonem: Inuenimus Messiam, quod interpretatur Christus. Philippus quoque dixit ad Nathanael: Quẽ scripsit Moyses in lege, & prophetæ, Inuenimus Iesum filium Ioseph, qui est à Ioan. 1. Nazareth. Et vt ostẽderet quemadmodum Christus inueniretur, ait: Veni & vide. Qui ergo Christũ quærit, veniat non corporis gressu, sed mentis vestigio. videat eum nõ exterioribus oculis, sed internis. Aeternus enim corporalibus non videtur aspectibus, quoniam quę videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Christus igitur non temporalis, sed ex patre ante tẽpora quasi deus verus dei filius, & quasi virtus sempiterna supra tempora est, quẽ nullus tẽporum finis includat, quasi vita supra tempora, quem nun- Roma. 6. quã dies mortis inueniat. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel. quòd autẽ viuit, viuit deo. Audis quid dixerit hodie Apostolus? Peccato, inquit, mortuus est semel. Semel tibi peccatori mortuus est Christus. Noli iterũ peccare post baptismum. Omnibus in cõmune semel mortuus est, & singulis semel moritur, non frequẽter. Peccatum es ô homo. ideo peccatum fecit Christum suum omnipotens pater. Hominem fecit, qui peccata nostra portaret. Mihi ergo peccato mortuus est domin⁹ Iesus, vt nos in illo essemus iustitia dei. Mihi est mortuus, vt mihi resurgeret. Semel est mortuus, semel resurrexit. Et tu cum illo mortuus, cum illo sepultus, cum illo in baptismate resuscitatus, caue ne cùm mortuus fueris semel, morieris iterum. Iam nõ peccato mo- Ibidem. rieris, sed veniæ: nec cũ resurrexeris, moriaris secũdo. Christus enim resurgẽs ex mortuis, iã non moritur, mors in eum iam non dominabitur. Ergo mors dominata est in eũ. Vtiq; qui dixit non dominabitur, ostendit esse dominatam. Noli tantum amittere beneficium ô homo. Propter te Christus dominationi mortis se subdidit, vt te iugo dominationis exueret. Ille suscepit mortis seruitutem, vt tibi tribueret vitæ æternæ libertatem. Qui quærit ergo Christum, quærit & tribulationem eius, nec refugit passionem. Denique Dauid qui dignus erat vt à tribulatione quæreretur, tribulationem & ipse quæsiuit. Nam nisi quæsisset, non inuenisset. Quod inuenerit autem, ipse testatur dicens: Tribulationem & do- Psal. 114. lorẽ inueni, & nomen domini inuocaui. Et alibi: In tribula- Psal. 117. tione inuocaui dominũ, & exaudiuit me in latitudine. Bona ergo tribulatio, quæ dignos facit nos qui in latitudine exaudiamur à domino. Gratia est autem exaudiri à domino deo nostro. Qui quærit igitur tribulationem, nõ refugit: qui non refugit, inuenitur. Non enim refugit, qui mandata dei sensu operibúsque meditatur. Nam vtique illum athletam certamina inueniunt, qui in vsu exercitij fuerit cõstitutus. qui verò exercitium dereliquerit, sine dubio non poterit reperiri, quia indignus est vt quęratur. Dauid ergo quasi bonus athleta dicit: Tribulatio & necessitas inuenerunt me, quia paratum semper habuerunt, non refugientẽ necessitatum & tribulationum prælia, sed petentem.

Iusta† testimonia tua in æternum, intellectum da mihi eorum, & viuifica† me. VIII.

† al. æquitas † al. & viuam.

Quis tantus qui possit intelligere domini testimonia? Et ideo intellectus à domino postulandus est, cuius tãta est vis vt initium eius sit plenitudo virtutis. Denique scriptum est:

Pietas autẽ in deũ, initium intellectus: quę virtutum omniũ fundamentum eſt, iuxta humanarũ rerũ & cœleſtium diſciplinam. Pietas amica deo, parentibus grata, dominum cõciliat, neceſſitudines fouet, dei cultura eſt, merces parentum, filiorum ſtipendium. Pietas, inquã, iuſtorum tribunal, egenorum portus, miſerorũ ſuffugium, indulgentia peccatorũ. Qui enim habet intellectum, ipſe verè eſt pius. Intelligit enim humanæ lubricum fragilitatis, & citò ignoſcit erranti. Intelligit cõmune nobis datum naturæ, vſũſque cõſortium, & ideo pauperibus tanquã debitum ſoluit, nõ inficiatur tãquã indebitum. Intelligit vices eſſe calamitatum, & ideo tãquam naufragiis mũdi iſtius portu quodã ſuæ humanitatis occurrit. Hæc perfecta virtus in hominib⁹, hæc plena in deo laus eſt. Meritò intellectum ſibi etiam Salomon, magiſteriũ
3. Reg. 3. ſecutus paternũ, à domino poſtulauit dicens: Ego ſum puer humilis, & ignoro introitum meũ, & exitum meũ, & ſeruus tuus in medio populi tui quem elegiſti, populum multum ſicut arena maris, qui dinumerari non poteſt præ multitudine, & dabis ſeruo tuo cor prudens audire & iudicare cum iuſtitia populum tuum, & intelligere inter bonum & malũ. B Vnde complacuit domino, quia non ſibi lõgæuitatem vitæ, & regalium diuitiarum copias, ſed ſapientiam ad intelligenda domini iudicia & iuſtitias depopoſcit: & ideo tãtum populum regno pacifico gubernauit, quia non vſurpauit vt Adam boni & mali ſcire diſtantiam, ſed intelligẽdæ eius gratiam orauit à Chriſto. Quòd enim ſcire diuinum eſt, hoc à domino deo tuo vt poſſis cognoſcere promerendum eſt. Si petiſſet & Adam ſicut petiuit Salomõ, nequaquam illos inextricabiles erroris laqueos incidiſſet, quibus omnis eius hæreditas ſtrangulatur. Ideóque mortuus eſt, & quod grauius eſt morte peccati, quia antè vſurpauit ſcire, quàm intellectum quo viuificaretur acciperet. Viuificat ergo intellectus vt ſpirit⁹, quia ipſe intellectus gratia ſpiritalis eſt: ideóque intellectum munere ſuo ſpiritus ſanctus operatur. Intellectus autem bonus eſt omnibus qui eum faciũt: quo docemur quia non ſolùm ſenſu complecti, ſed etiam factis id quod intelligimus exequi debeamus.

Sermo decimuſnonus.

P Kuph. VPh, cuius interpretatio eſt concluſio, & ſicut alibi inuenimus, aſpice. Diſtat litera, congruit ſenſus. Nam qui concluditur, circunſpicere ſe debet, & cauſam periculi nõ diſſimulare, maximè cùm letale diſcrimen ſit. Concluditur vnuſquiſque tumeſcentibus viſceribus, interniſve faucibus, cùm intercluſo ſpiritus commeatu, ſpirandi ac reſpirandi commercia coartantur. Concluditur fœmina cùm fit periculum matricis, qua pectoris ipſius premitur principale, vnde graues oriũtur anguſtiæ, & niſi in locum ſuum illa recipiendorum ſeminum aula reuocetur, vitam conſueuit excludere. Ita etiam qui animo angitur, & quibuſdam aduerſis imminentibus perurgetur, concludi dicitur non minoribus anguſtiis mentis quàm corporis. Maiores enim animæ æſtus febréſque ſunt animorum quàm corporum. Concluſus igitur viſcerum tumore, medicum quærit vt poſſit propulſare periculum, & conſtricta laxare. Veniẽs medicus tẽtat omnia, explorat interna. Et tu ergo concluſus animi feruore, aſpice teipſum interiore oculo. Morbi vis vrget, feruet noxia conſcientia, moles peccatorum premit, intercipiunt ſenſum mẽtis anguſtiæ: cognoſce teipſum, & orationis quęre medicinam, poſce vt veniat medicus ille qui deſcendit è
Matth. 9. cœlo, qui maximè ęgrotos requirit, ſicut ipſe ait: Non opus eſt ſanis medicus, ſed iis qui malè habent. Habes vulnera? ne differas: non eſt apud eum vlla conferendæ dilatio ſanitatis. Habes vlcera? ne timeas: verbo non ferro curare conſueuit. Aſpice igitur illis oculis quibus Dauid auxilium quæſiuit & meruit. Leuaui, inquit, oculos meos ad montes: quæ-
Pſalm. 120. ſiui vnde mihi veniret auxilium. Non inueni niſi à domino. Qui enim mundum condidit, tuetur accolas mundi. Aſpice ergo, & ſemper aſpice, quia iuſti oculi ſemper ad dominum. Hæc monet te etiam Hieremias in Threnis ſub hac
Threm. 2. ipſa litera, dicens ad Hieruſalem: Surge, expergiſcere in nocte, in principio vigiliæ tuæ effunde ſicut aquam cor tuum coram facie domini, extolle ad dominum manus tuas pro animabus paruulorum tuorum qui deficiũt à me in plateis A omnium itinerum. Nónne & apertæ concluſionis oſtendit anguſtias, & monet vt intẽtione cordis, in quo eſt oculi meilioris obtutus, remedium tibi ſalutare prouideas? Denique etiã infra iterũ ſub hac litera ait: Appropinquauit enim tempus noſtrũ, repleti ſunt dies noſtri, aduenit finis noſter. Le- Threm. 4. ues facti ſunt qui perſecuti ſunt nos, ſuper aquilas cœli. In mõtibus accenſi ſunt, in deſerto inſidiati ſunt nobis. Demõſtrauit ſummam concluſionem, nec vllum remedium niſi in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſolus deſperatis poſſit afferre medicinam. Et quaſi oſtendens eum, dicit: Spiritus ante faciem noſtrã, Chriſtus dominus cõprehenſus eſt in interitu noſtro. In vmbra eius viuemus inter gentes. Et infra: Bibes, inquit, & inebriaberis. Adhuc viſitabit iniquitates tuas, reuelabit ſuper peccata. Quàm breuiter aduentũ & paſſionẽ eius expreſſit, remiſſionémque omnium peccatorum. Quàm apertè cõgregationẽ futurarũ gẽtium declarauit. Hinc illud apoſtolicũ, quia cæcitas ex parte Iſrael cõ- Rom. 11. tigit, donec plenitudo gẽtiũ intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Veni domine Ieſu, ſed iam nõ in vmbra, ſed in ſole iuſtitiæ. Si vmbra profuit, ſi paſſiõis tuæ vmbra protexit, ſi corporis vmbra ſaluauit, quantum conferre poterit claritas aperta virtutis? Per vmbrã lepra curata eſt. Per vmbram Matth. 9. quoq; illi⁹ fœminæ quę fimbriã veſtis dominicæ attigit, ſanguis ſtetit. Per vmbrã te vidimus, quando non habebas ſpeciem neque decorẽ. Vmbra tua caro fuit, quæ noſtrarum æſtus refrigerauit cupiditatum, quæ cõpeſcuit inſolẽtiam vitiorum, quæ reſtinxit ignes libidinũ, quæ auaritiæ diuerſarúmque paſſionũ incẽdia temperauit. Et quid dicam de vmbra domini, quãdo & apoſtolorum vmbra ſanabat? Veniẽte etenim Petro vnuſquiſque offerebat ægros ſuos, quos trãſeuntis apoſtoli vmbra reddidit ſanitati. Audi quia caro domini vmbra erat. Ecce dominus ſedet ſuper nubẽ leuem, & Eſaiæ 19. veniet in Ægyptum. Dauid dicit: Sub vmbra alarum tuarũ Pſalm. 16. protege me. Factus eſt igitur exinanitus vmbra nobis, quos ſol iniquitatis exuſſerat. Vidimus ergo eum in vmbra eius, cùm adhuc fides prima procederet. Sed nunc iam totum illC luminat mũdum, & tamen adhuc eum per ſui corporis, quæ eſt eccleſia, vmbrã videmus, nõdum facie ad faciem. Neque enim oculi corporis diuinitatis poſſunt recipere fulgorem. Hæc quoque vmbra totũ quotidie protegit orbem terrarũ. Profuit igitur cõcluſio: Cõcluſit enim deus omnia in incre- Rom. 11. dulitate, vt omnium miſereatur. Sed iam cõſideremus quid in concluſione dicendum ſit, & vnde incipiendum.

Exclamaui * in toto corde meo, exaudi me domine: iuſtitias * tuas requiram. I. * al. domaui. * al. inſtificationes.

Cùm impreſſiones patimur corporales exclamare cõſueuimus, vt alios ad præſidiũ nobis vocare poſſimus. Premebatur ſanctus Propheta appropinquãtibus ſibi perſecutoribus. Saul primo infeſtus armato eũ inſequebatur exercitu, poſtea parricida filius imminebat: nõ cõtentus fugiẽtis exilio, vitã patris quærebat eripere. Sed ab illis minus pati poterat quos in præſenti videbat, quàm ab aliis quos non videbat. Eſt enim colluctatio ſanctis nõ ſolùm aduerſus carnem Epheſ. 6. & ſanguinẽ, ſed etiã aduerſus principatus & poteſtates huD ius mũdi, rectoréſque tenebrarũ, qui latronũ modo in iſtius ſeculi nocte humanis inſidiantur affectibus. Horum igitur ſanctus Dauid cùm graues aduerſum ſe videret fieri incurſus, exclamauit in toto corde ſuo. Etenim aduerſus diabolũ non vocis magnitudine, ſed magnanimitate cordis vtẽdum eſt. Eſt tamen & vox cordis, quia eſt & vox ſanguinis, quæ Genes. 4. ad deum peruenit. Denique deus dicit: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me. Clamat ergo cor noſtrum, non ſono corporis, ſed cogitationum ſublimitate, cõcentúque virtutum. Rom. 8. Grãdis fidei clamor. Deniq; in ſpiritu adoptiõis clamamus abba pater, & ipſe ſpiritus dei clamat in nobis. Magna vox iuſtitiæ, magna eſt caſtitatis, per quam & mortui loquũtur, nec ſolùm loquũtur, ſed etiã ſicut Abel clamant. At verò inſti anima nec viuẽs clamat, quia deo mortua eſt. Nihil in illa ſublime, nihil magnificum eſt, quale eorum quorum ſonus in omnem terrã exiuit, & verba in fines orbis terrarum. Gracili voce loquebatur Moyſes, & plus omnibus audiebatur.

1581

tur. Quotidie auditur in ecclesia: ab illis solis, hoc est, à iudæis non auditur, qui aure audiunt, sed corde non audiunt. Propheræ dicitur alteri: Exalta viribus vocem tuam. Anna tamen nō clamabat in corde suo sicut Moyses, sed loquebatur, fortasse quia filios postulabat, hoc est, bona quidem, sed priuata nō publica clamabat. Sed quia à domino postulabat quæ domino eum si quem susciperet offerebat, loquebatur deo. Clamabat autem Moyses, quia nō pro se, sed pro omni populo precabatur. Vnde dictum est ei à domino: Quid clamas? Clamabat affectu pio, & sensu profundo, & personabat in cœlo, miraculis petēs digna cœlestibus, vt mūdi elementa mutaret. Denique vt ipsius loci seriē recensеamus: Instabat Pharao, & innumeris Aegyptiorū stipatus curribus vrgebat Hebræos, hinc circūfusus hostis, inde interfusum mare plebem dei clauserat. Nulla in armis fiducia, spes nulla in viribus. Strepebat tantūmodo querela miserabilis, quòd cōmodius sibi forer dura in Aegypto seruitutis onera subire, quàm acerba in deserto morte consumi: querela nihil præsidij ferens, plurimū offensę afferēs. Stabat ergo Moyses mœstus, solicitus, anxius populi & periculis & querelis, expectās fidem cœlestium promissorum: & tacitus secū ipse voluebat qua tādem dominus ope, iniuriæ immemor, memor gratiæ, subueniret. Dicit ad eum dominus: Quid clamas ad me? Sonum eius non audio, vocē eius agnosco, silentium eius lego, clamoré eius in operibus deprehendo. Clamabat populus, & nō audiebatur: tacebat Moyses, & audiebatur. Nō populo dictū est, Quid clamas ad me? Non enim ad deū clamabat populꝰ, qui iniusta & viris indigna clamabat. Sed Moysi dictum est, Quid clamas ad me? hoc est, tu solus ad me clamas, qui de me speras. tu solus ad me clamas, qui virtutē meā excitas. tu solus ad me clamas, qui per vniuersam terrā annunciari meum nomē expectas. Clamabat ergo Moyses in corde suo, & omnis sapiēs in corde suo clamat. Denique sapiētia cum altissima prædicatione cōuocat ad craterem, dicens: Relinquite insipientiam, & quærite sapiētiam. Magnæ sublimitatis, magnæ vocis hæc prædicatio est: quæ stultis sapiētiam pollicetur. Et Iesus dominus clamabat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et voce verè magna clamabat, qui vocabat homines ad regnū cœlorum, ad illum venerabilē potum quo vitæ æternæ fluctus infunditur. Et tu cùm oras, magna ora: id est, ea ora quæ æterna sunt, non caduca. Ora quæ diuina sunt atque cœlestia, vt sis sicut angeli in cœlo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo est: noli pro auro, quia metallum est: noli pro possessione, quia terra est. Ista oratio ad deum non peruenit. Non audit deus nisi quod dignum suis ducit esse beneficiis, sed audit piam vocem plenam deuotionis & gratiæ. Non solùm ergo clamandū in corde, sed etiam in toto corde clamandum est. Sicut enim corporaliter tunc bene clamatur, cùm toto ore clamatur, ita spiritaliter toto est clamandum corde, si volumus magna referre, & à domino quæ poscimus impetrare. Hanc dominus vocem exigebat à populo, quam populus nesciebat. Ideóque dixit dominus: Populus hic labiis me honorat, cor aūt eorum longè est à me. Qui ergo appropinquauerit corde, ipse auditur à domino. Cor ergo prius clamet, vt sermo possit audiri. Sed non satis est clamare ad dominum, sed etiā iustitias eius exquirere. Exquirit autem iustitias, qui id quod in omnibus creaturis, & maximè in animātibus rationabilibus vel etiam irrationabilibus iustum † est, prouidentiæ asscribit diuinæ. Vnde turturi studium pudicitiæ, quæ cōpare amisso, concubitu indulgere nō nouit, quod homines seruare nō possunt? Vnde plerisque animantibus tam sobria partus cura seruandi, vt vbi conceptionis munus agnouerint, coitum non putent esse repetendū, ne receptorum seminum fiat adulterina permixtio? Phœnix coitus corporeos ignorat, libidinis nescit illecebras, sed de suo surgit rogo sibi auis superstes, ipsa & sui hæres corporis, & cineris sui fœtus. Aquila ne degeneres partus nutriat, diligēti librat examine, & adhuc teneros fœtus pio vngue suspendit, solisque offert radiis, vt si fortè oculos suos vi fulgoris inflexerint, tāquam degeneres laxato in præceps vngue dimittat. sin verò naturę vigore cōstanti aduersum radios solis obtutū potuerint vindicare, dignæ indolem sobolis onere grato reportet. Volatilia cœli omnia

A non serunt neq; metunt, & deus pascit illa, quia iustitias domini custodiunt, nihil sibi proprium vindicando, sed ligno fructifero, quod domini indicio cōmunem ad escam datum est, famē releuare contenta. Ex his igitur nos cognoscimus quàm diuinæ subsidia prouidētiæ hominibus non deesse, si dei iustitiam seruare vellemus. Qui alit aues, nō aleret homines, quos ad imaginem & similitudinem sui fecit? Nónne pluris sumus illis? Naturæ prærogatiua pluris sumus, sed inferiores diminutione gratiæ, & præuaricationis iniustitia.

Clamaui ad te, salua me†, & custodiam testimonia † tua. II.

† al. saluum me fac. † al. mandata.

Repetit quod ad deū clamauerit, & custodē se promittit cœlestiū statutorum, quæ cœlo terraq; testibus dns deus sanxit, vt præuaricatores elemētorū testimoniis arguātur. Quomodo cœlū aspiciat præuaricationis suæ cōscium? Quomodo fructus de terra expectet, quę nouit ingratos? Vide igitur quàm non parua promittat Propheta. In clamando fidelis & promptus affectus exprimitur: in custodiendo testimo-
B nia tua, continentiæ virtus obsequij sedulitate declaratur.

Anticipaui † in maturitate, & clamaui: † in verba tua speraui †. III.

† al. præueni † al. quia in † al. superspersi.

Græcus ἐν ὠρίᾳ dixit, quod est, ante horā, ante tempus. Qui ergo dominum deprecatur, nō velut præscripta præcipuè tēpora præstoletur, nescіens in obsecrationibus domini tempus esse aliquod, sed semper in ipsis sit. Siue manducamus, siue bibimus, Christum annunciemus, Christum rogemus, Christum cogitemus, Christū loquamur, in corde nostro semper, semper in ore sit Christus. Sed fortasse dicas: Quomodo scriptū est: Tēpus omnibus, & tempus omni rei sub cœlo est? Sed dominus Iesus supra cœlum est, nullo circunscriptus est tēpore. Claudat os suū Arriana perfidia. Tēpus, inquit, omni rei sub cœlo. quanto magis sub deo tēpus, non supra deum? Generatio ex patre nō habet tempus. Neque enim opus ante authorē, sed author supra operis exordium. Fortasse obiiciāt quia dixit: Tempus nōdum aduenit. Et iterum dixit: Pater venit hora. Sed hęc hora est passionis.
C Est etiā tempus virginalis conceptionis. Ecce virgo in vtero accipiet. Quia virgo sub tēpore, & ideo præscripta ætate cōcepit. Qui rogat itaq; semper roget: & si non semper precatur, paratum semper habeat precātis affectum. Pernoctabat in oratione dominus Iesus, nō indigens precationis auxilio, sed statuens tibi imitationis exemplū. Ille pro te rogās pernoctabat, vt tu disceres quomodo pro te rogares. Redde igitur ei quod pro te detulit. Audi supra dicentem Prophetam: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Et tu surge vel media nocte, si nō potes tota semper nocte vigilare, vt dum oras nocte, veri solis pectori tuo splendor irradiet: quia omnis anima quæ Christum cogitat, in lumine semper est. Dies lucet tibi, Christus aspirat. Sed quia sequēs versiculus de tēpore precandi, euidenter expressit, in isto versiculo actuum magis operúmque arbitror quàm orationis tēpus intelligēdum. Præcurrit ætatis maturitatem quisquis in adolescentia positus senilē grauitatem induit, & iuueniles annos veterana quadā continentia regit, feruorémque virentis corporis
D incana morum maturitate cōponit. Nam quid potest habere laudis, si effœtum corpus voluptatibus, & iam senectutis gelu frigidū, ad sera deuotionis officia depositо iam segnior vigore cōuertat? Non est corona, nisi vbi fuerit difficilioris lucta certaminis. Ad quam rari attingere possunt, nec omnes qui ingressi fuerint stadium, peruenire. Ille laudabilis, cui est in semetipso ante certamen, qui carnem suā reluctantem sibi mētis coercet imperio, parca frugalitate castigat, & seruituti redigit, ne effrenata libertate luxuriet, atque indomita feruens cupiditate habenas animi regentis abrumpat. In hora est ergo senex, si munia sobriæ maturitatis exerceat: ante horam præcurrens iuuenis, si senili pondere incentiua comprimat voluptatum, ac feruentes illecebras cupiditatis extinguat. Bonus est enim dominus sustinentibus, Hieremias dicit. Et bonum est viro qui graue portauit iugū à iuuentute, sedebit singulariter, & silebit, quia tulit iugum verbi. Qui enim à iuuētute iugum portauerit, & habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit, sedebit

singula-

Ioan. 7. Ioan. 12. Esaiæ 7. & Matth. 1.

Luc. 6.

Thren. 3.

singulariter remotus à strepitu interpellãtium passionũ, & quietus silebit, cui necesse est iam non iurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus, quia tulit iugum verbi anima quæ quærit deum, quę captiuas sibi fecit omnes delicias iuuẽtutis. Vnde fortasse & illud dominicum, Non clamabit neque cõtẽdet, neque audiet quisquam in plateis vocem eius: nõ solùm ad defensionis silẽtium, absolutionísque contẽptum & tolerantiam passionis, sed etiam ad cõpressiones omnium accipere possumus corporaliũ voluptatũ. Vnde & alibi scriptum est: Quia peccatũ non fecit. Rectè igitur tacebat in mortis periculo cõstitutus, qui mortis aculeũ nõ timebat. In verba, inquit, tua speraui. Gręcus ἐπήλπισα dixit, quod est ad sperandum semper crescere, & spem spei adiũgere. Iustus semper sperat, & in aduersis positus, & frequẽtibus afflictus ærũnis desperare non nouit, sed quo grauiora tolerauit, magis sperat, & sperandi sumit profectum, secundum illud oraculum: Consolamini, cõsolamini populum meum, dicit dominus. Sacerdotes, loquimini iustitiã in cor Hierusalẽ, cõsolamini eam, quia repleta est deiectio, & solutum est peccatũ eius, quia recepit de manu domini duplicia peccata sua. Quàm citò dixit plenitudinem deiectionis solutionẽ esse peccati, & repetiuit causam consolationis eo maius esse recõciliationis insigne, quo numerosior fuerit pœna quàm culpa. Iob tot grauatus incõmodorum acerbitatibus, pio spem cumulabat affectu, discretã à piis causam asserens impiorum, quorum lumen extinguitur. Lux autem secũdũ Salomonem semper iustis. Vnde colligitur quia iustus semper in verba dei sperat, & spem adiicit spei. Quod euidẽtius expressit Esaias dicẽs: Tribulationem super tribulationẽ expectat, spem super spem: Ad perlactatos & abductos ab vberib⁹ loquebatur, hoc est, ad eos qui prima infantiæ alimenta transissent, cibo iã habiles fortiori. Exẽplo fit, quod ablactatus Isaac patriarcha tantus euaserit, vt adhuc inter rudimẽta primæuæ positus ætatis, nequaquam tamen gladium feriturí parentis horruerit. Plures filios habuit Abraham, nullũ ablactauit alium, sed in hoc solũ fecisse legitur epulũ magnum. Et bene magnum epulũ scriptura dixit, quia typus erat eius quẽ semper epulãtur corda sanctorum.

1. Petr. 2.

Esa. 40.

IIII. Præuenerũt oculi mei *manè, meditari verba mea.

* al. ad te diluculo, vt meditarer eloquia.

Supra ait: Præueni ἐν ἀωρίᾳ, hoc est, ante horas, ante tempus: hic ait, Manè, aliud significans tempus orandi atq; psallendi domino, vt sit illud prius, secundum quod ait: Media nocte surgebã, hoc autẽ iuxta illud: Præueni orientẽ solem. Graue est enim si te ociosum in stratis radius solis orientis inuerecundo pudore conueniat, & lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Arguit nos tãti temporis spatium, sine vllius deuotionis munere ac sacrificij spiritalis oblatiõe feriata trãsmissum. An nescis ô homo quòd primitias tui cordis ac vocis quotidie deo debeas? Quotidiana tibi messis, quotidianus est fructus. Occurre ergo ad solis ortus, vt te oriẽs inueniat iam paratũ, ne lumina tua madido adhuc sopore mergentia, primus diei fulgor exagitet.

Cantic. 3. In cubiculo meo in noctibus quæsiui quem dilexit anima mea, dicit ecclesia. Ideo meruit eum inuenire, ideo eius gratiam promereri, quia etiam in cubiculo quæsiuit. Quæsiuit in noctibus, propterea copia eius adepta in posteriorib⁹ loquitur ad spõsum: Veni frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in vineas. Aduertis quemadmodum sponsa verbum inuitet dei, vt veniat in terras, & tollat peccata mundi? Ager hic erat antè desertus, sentibus nostrorum squalidus delictorum, horridus spinis. Castellum erat in quo relegatus Adam perpetuo suæ posteritatis hæredes stringebat exilio. Illo ergo ducit ecclesia Christum, vt Adam liberet. Deinde exulibus absolutis cœpit mundi istius ager idoneos habere cultores: & qui erat antè ieiunus, factus est vitis æternæ plantatione fœcundus. Nec tamen sic spiritalibus læta palmitibus euagatur, sed ad has vineas vocat Christum, vbi psallentes sint & orantes, vbi noctibus ac diebus fructus innoxius perseueret. Ibi, inquit, dabo vbera mea, ibi dederunt mandragoræ odorem. Plerique discernunt quendam inter mãdragoras sexum, vt & mares putẽt esse & fœminas, sed fœminas grauis odoris.

Cantic. 7.

Ibidem.

Significat ergo gentes quæ antè fœtebant cùm essent infirmiores: euirata quadam imbecillitate perfidiæ, boni odoris fructus ferre cœpisse, postquam in aduentum domini crediderunt. Legimus etiam quòd mandragoras acceperit sancta Rachel à sorore sua Lia, vt concederet ei illa nocte dormire cũ sancto Iacob. Mandragoras Ruben primogenitus attulerat matri suæ Liæ, quæ lippientibus oculis synagogæ figuram accepit, quia Christi gratiam videre non potuit, hebetato debilis mẽtis obtutu. Quo declaratur quòd fructus quos antè synagoga à primogenito dei filio susceperat, ecclesiæ concessit. Sed quia illius noctis potita cõcubitu concepit & genuit Lia suæ posteritatis hæredem, impletur mysterium, quoniam credẽtibus apostolis reliquiæ Iudæorum per electionẽ gratiæ saluæ factæ sunt. Vnde ait ecclesia: Noua & vetera frater meus seruaui tibi. Quis dabit te fratrem lactentem vbera matris meæ? Inueniens te foris, osculabor te, & quidem non spernent me. Assumam te & inducam in domum matris meæ, & in secretum eius quæ concepit me: ibi docebis me, &c. Habens igitur informationem nouarum & veterum scripturarum, nec despicabilem esse sentiens, non solùm orationibus in secreto cordis verbũ tenet, verumetiam psallentis chori vocibus velut quibusdam eum osculis gratiæ osculatur. Itaque malorum granatorum, hoc est, diuersorum & innumerabilium fructuũ, & præcipuè fidei odoribus, gratiæ, sapientiæ, & gloriæ, vitæque æternæ subnixa diuitiis, quæ sunt circa sinistram & dexteram spõsi, per animas sanctas laudantium congregationum plausibus excitat Christum, dicens: Adiuraui vos filiæ Hierusalem, vt nõ suscitetis & resuscitetis dilectionem vsquequo voluerit. Vnde eam mirantur filiæ Hierusalem sanctæ animę patriarcharum & prophetarum veterúmque iustorum, vel cœlestes potentiæ, dicentes: Quæ est hæc quæ ascendit dealbata innitens super fratrem suum? Hoc est talibus solẽnitatibus fulget ecclesia: & quæ antè per diem fusca erat, iam splẽdet in noctibus & relucet. Ipse quoque dominus tanto munere psallentium delectatus ait: Pone me vt signaculum in cor tuum, vt sigillum in brachium tuum, quia valida est vt mors charitas, durus sicut inferi zelus tuus. Alæ eius, alæ ignis flãmæ: aqua multa excludere nõ poterit charitatem, & flumina, non vndabũt eam. Quia vidit tãtam deuotionem ecclesiæ, idoneos putat esse iam populos qui in corde nostro & in brachio signaculũ eius portare possimus. Ipse enim pater signauit deus, & qui testimoniũ eius accepit, signauit, quia deus verax est: & ideo operantes cibum permanẽtem in vitam æternã, signati sunt ad imaginem & similitudinẽ Christi, qui est imago inuisibilis dei. Sicut ergo deus verax est, & tua signa in tuo sensu & opere veritatem, vt os tuum nõ loquatur mendacium: manus tuæ non operentur opera hominum, quæ sunt fallacis istius mundi, sed illa quæ dei sunt, vt pauperibus largiantur, debiles subleuent, mortuos honorẽt tumulis sepulturę. His operibus charitas quæritur, vt nemo possit à Christo vel periculo mortis auelli. Vnde ille ait: Quis nos separabit à Christo? Tribulatio, an angustia, an persecutio? Et infra: Confido enim, quia neque mors, neq; vita, neque angeli. Ea specie etiam zelus durus est charitatis, & alæ eius alæ ignis. Habet alas sicut columba: sunt enim pennæ columbæ deargentatæ, quibus euolat qui diligit dicens: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Sed alę charitatis, alæ ignis, quibus dilectionis inflammat ardorem. Hoc vapore feruẽtes fecit dominus angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem, sed non exurentem. Legimus & alam templi supra quam diabolus tentans fecit ascendere saluatorem, quæ erat in templi culmine. Sunt ergo fastigia pietatis, sunt culmina charitatis, quæ vaporem gratię pectoribus humanis adolere cõsuerunt: vt multa aqua extinguere atque excludere nõ queat charitatem, & flumina eam secularíũ tempestatum nulla concludant. Cùm ergo tanta ecclesiæ gratia, tãta nos præmia deuotionis inuitẽt, præueniamus orientem solem, occurramus ad eius ortus, antequã dicat: Ecce assum. Vult se præueniri sol iustitiæ, & vt præueniatur expectat. Audi quemadmodum expectet & cupiat pręueniri: dicit angelo Pergami ecclesiæ: Age pœnitentiam: cæterùm venio tibi. Dicit angelo Laodiciæ: Æmulare ergo: & pa-

Rom. 9. Cant. 8.

Cant. 2. 3. & 8.

Cantic. 8.

Ibidem.

Rom. 8.

Psalm. 54.

Psalm. 103.

Matth. 4.

Apoc. 2. Apoc. 3.

& pœnitentiam age: Ecce ſto ad ianuam,& pulſo: & ſi quis audierit vocem meã,& aperuerit ianuam,intrabo ad illum. Poterit intrare denique, quia nec reſurgentẽ eum cum corpore vlla clauſarum valuarum repagula retinere potuerunt, ſubitò ſe apoſtolicis penetralibus improuiſus infudit. ſed ſtudia deuotiõis tuæ deſiderat experiri. apoſtolos enim protectos habebat. Aut fortè in perſecutione præuenit. Vbi trãquillitas eſt, præueniri cupit. Præueni certè hunc quem videres ſolem. Surge qui dormis,& exurge à mortuis, vt illucescat tibi Chriſtus. Si hunc ſolem præueneris antequam iſte ſurgat,aſpicies Chriſtum illuminantẽ. Ipſe prius in tui cordis illuceſcit arcano: ipſe tibi dicenti, De nocte vigilat ad te ſpiritus meus,matutinum lumen temporibus faciet ſplẽdere nocturnis,ſi mediteris verba dei. Dũ enim meditaris, lux erit: & videns lucem non temporis ſed gratiæ,dices,quia lux præcepta tua. Cùm autem te meditantem verba diuina dies inuenerit,& tam gratũ opus orandi & pſallendi delectauerit mentem,iterum dices ad dominum Ieſum: Exitus matutinos & veſpere delectabis. At verò Moyſe magiſtro B uſus eſt populus Iudæorũ quotidie in ſermonibus ſuis à mane vſque ad veſperã iudicium dei operiendo. Quod videns cognatus eius eſſe intolerabile,cõſilium dedit negocij commandi partito cum aliis onere,qui ad hoc munus electi ſunt. Noctibus ac diebus ſine vlla ceſſatione recenſeto ſcripturas diuinas, quia & ſi quid aliud ſeniorem interrogaueris, neſcit niſi ſcripturæ diuinæ ſeriem reſultare. Vacat illic ſermo de ſeculo, ſola illic ſcriptura contexitur, ſingulorum tibi per vices ora ſuccedunt, ne quando ſacer ille ſonus mãdatorum cœleſtiũ ferietur: & tu Chriſtiane dormis, cui magiſter eſt Chriſtus? & non vereris ne de te dicatur: Populus iſte nec labiis me honorat? Iudæus vel labiis, tu verò nec labiis. Si illius qui vel labiis honorat,cor longè eſt à deo: quomodo poteſt cor tuum propè eſſe,qui etiam labiis non honorat: Quandiu te ſomnus,quãdiu te ſecularia tenent,quandiu ſolicitudo iſtius vitæ,quãdiu terrena? Diuide ſaltem deo & ſeculo tẽpora tua: vel quando non potes agere in publico quæ ſunt iſtius mundi,& tenebræ prohibent noctis, deo C vacato,indulge oratiõibus: & ne obdormiſcas,pſallito: ſomnum tuum bona fraude fraudato: manè feſtina ad eccleſiam: defer primitias pij voti: & poſtea ſi vocat ſecularis neceſſitas,non excluderis dicere: Præuenerũt oculi mei manè meditari verba tua. & ſic ſecurus procedis ad tuos actus. Quàm iucundum inchoare ab hymnis & canticis,à beatitudinibus quas in euangelio legis? quàm proſperum vt te Chriſti ſermo benedicat,& dum recantas domini benedictiones, ſtudium alicuius virtutis aſſumas, vt etiam in te benedictionis diuinæ meritum recognoſcas.

V. Vocem meã exaudi†ſecundũ miſericordiã tuam domine,ſecundum iudicium tuum viuifica me.

Semper homo,etiam ſi ſanctus,ſi iuſtus ſit,debet orare, vt exaudiat eum dominus ſecundum miſericordiam ſuam, non ſecundum merita virtutis alicuius,quia rara virtus,multa peccata. Et ſecundum iudicium ſuum viuificet,vt infirmis opem ferat. Et maximè hoc debemus orare cùm aliquibus vrgemur aduerſis. Vnde non ocioſè à ſancto Dauid præmiſſa eſt diuinæ miſericordiæ poſtulatio.

VI. Appropinquauerunt perſequentes me iniquè†, à lege autem tua elongauerunt†.

Græcus ſic poſuit: Appropinquauerunt perſequẽtes me iniquitate,hoc eſt,cũ iniquitate me perſequebantur. Quanto magis mihi appropinquauerunt, tanto amplius ſe à lege tua ſeparauerunt: quoniam qui fratrem ſuum perſequitur,à lege ſecernitur. Lex enim dicit: Diliges dominũ deum tuũ, diliges proximum tuum. Non ergo oderim fratrem, ne dicatur mihi: Si fratrem tuum nõ diligis,quem vides: quomodo potes deum diligere,quem nõ vides? Neſcis fratrẽ tuum mercem eſſe ſanguinis Chriſti? Mercem ergo non diligis Chriſti,ſi fratrem non diligis. Ergo perſecutor mihi appropinquat, vt noceat, ſed is ſe à lege diſterminat. Quæ enim portio iuſtitiæ cum iniquitate? Qui autem à lege dei ſe ſeparat,ſeparat ſe ab æterna vita. Lex enim vita eſt. Denique ostendens Propheta legem dei ait: Ecce iſte eſt vita,quoniam A qui facit ea quæ legis ſunt, viuet in eis: quod legi conuenit vriq; ſpiritali. Et fortaſſe qui mihi appropinquat vt noceat mihi,dum ſeparatur à lege, ſeparatur à Chriſto, quia Chriſtus eſt vita. Ego autem ſi adhæream Chriſto, nec mihi appropinquat: quia etiam ſi corporis mei habeat poteſtatem, animæ tamen meæ nocere non poterit. Denique perſecutores martyrum quàm longè ab eorum meritis ſeparati ſunt. Sed fortè dicas. Quomodo ſancti adhærent deo? Et ideo ſequitur:

Propè es†domine,& omnia præcepta tua†veritas. VII.

† *al. tu.*
† *al. & omnes via tua.*

Propè eſt dominus omnibus, qui vbique adeſt: nec refugere eum poſſumus ſi offendimus, nec fallere ſi delinquimus, nec amittimus ſi colamus. Spectat omnia deus, omnia videt, aſſiſtit ſingulis, dicens: Deus appropinquãs ego ſum. Et quomodo poteſt deeſſe alicui deus, cùm de ſpiritu dei legeris: Spiritus domini repleuit orbem terrarum? Quia vbi *Sapien. 1.* domini ſpiritus, ibi dominus deus. Cœlum & terram ego *Hiere. 23.* cõpleo, dicit dominus. Vbi igitur deficit qui implet omnia? B aut quomodo de plenitudine eius omnes accepimus, niſi *Ioan. 1.* omnibus appropinquet? Denique Dauid ſciens illum vbiq; eſſe,& implere cœlum & terrã & maria, ait: Quò ibo à ſpiritu tuo,& quò à facie tua fugiam? Si aſcẽdero in cœlum, tu *Pſal. 138.* ibi es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas ante lucem, & habitẽ in nouiſſimo maris, etenim ibi manus tua deducet me,& tenebit me dextera tua. Quã citò ſignificauit vbiq; deum eſſe: & vbi eſt dei ſpiritus, ibi deum eſſe: & vbi eſt deus, ibi ſpiritũ dei eſſe præſentem. Quo loco indiuidua copula trinitatis expreſſa eſt. Siquidẽ hæc per os Prophetæ locutus eſt dei filius in perſona hominis locutus, qui per incarnationem deſcendit in terras, per reſurrectionem aſcendit in cœlum, per corporis mortem penetrauit infernum, vt ſolueret alligatos. Aut ſi ad Prophetam referas, aduertis expreſſum quod vbiq; manus & dextera dei Chriſtus aſſiſtat, vbi pater deus,& ſanctus dei ſpiritus. An cùm de ſole dubitare nequeamus quòd procedens toto orbe radios diffundat ſuos,& omnibus lumẽ infundat, quem etiam C illi qui videre non poſſunt, ſentiunt tamen aëris ipſius fotu eſſe præſentem? Vbi enim deeſt calor illius? Quò radij eius non perueniunt, cùm diſcuſſis noctis aut nubium tenebris illuminat terrã? In cœlo fulget, in mari rutilat, feruet in terris. De ſole ergo non dubitas quòd vbique reſplendeat: de deo dubitas, quòd non vbique fulgeat ſplendor gloriæ eius, & imago ſubſtantiæ? Quid non penetret verbum dei, ſplendor æternus, qui etiam occulta mentis illuminat, quæ non poteſt iſte ſol penetrare? Verbum enim dei gladius ſpiritalis eſt, vſque ad diuiſiones animæ atque artuum, medullarúmque perueniens. De quo dicit iuſtus ad Mariam: Et tuam *Hebr. 4.* ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur multorum cordium cogitationes. Penetrat ergo animam, & quaſi candor æternæ lucis illuſtrat. Sed quãuis diffuſè per omnes & in omnes & ſupra omnes poteſtate ſit, quia omnibus ortus ex virgine eſt, & bonis & malis, ſicut & ſolem ſuũ ori- *Luc. 2.* ri iubet ſuper bonos & malos: illum tamẽ fouet qui appropinquat ſibi. Sicut enim à ſe fulgorem ſolis excludit qui feneſtras domus ſuæ clauſerit, locúmque tenebroſum in quo *Matth. 5.* D diuerſetur elegerit: ita qui ſe auerterit à ſole iuſtitiæ, nõ poteſt ſplẽdorem eius aſpicere. In tenebris ambulat, & in omnium luce ipſe ſibi cauſa eſt cæcitatis. Aperi igitur feneſtras tuas vt tota domus tua veri fulgore ſolis illuceat. Aperi oculos tuos, vt videas orientem tibi ſolem iuſtitiæ. Sed caue ne eos vlla ſtipulæ feſtuca perturbet. Si quid ſordis in oculo fuerit mentis tuæ, non poteris eum intueri. Si quid ægritudinis, plus grauabit, cùm confuſam oculorum aciem lux ferit, maiorémque dolorem excitat. Sit ergo ſimplex oculus tuus, ne incipiat totum corpus tuum eſſe tenebroſum,& vacillet in lumine ſicut ſunt cæcorũ veſtigia. Nunquid ſi quis oſtia domus ſuæ claudat, ſolis eſt culpa quòd non illuminat domum eius? Ergo ſi quis peccatorũ ſuorum repagulis obſerandam mentem propriam iudicauerit,& verbi à ſe ſplendorem ſtultus auertat, ac ſibi inferat inſipientiæ cæcitatem, cauſari poterit quod ſol iuſtitiæ noluerit intrare? aut infirmitatem luminis cœleſtis arguere? Pulſat ianuam tuam dei

verbum

verbum: Si quis mihi aperuerit, inquit, intrabo. Si quis ergo non aperuerit, nunquid non ingrediêtis, & non magis non aperientis est culpa? Nihil quidem deo est obseratum, nihil clausum æterno lumini, sed portas malitiæ dedignatur aperire, conclauia non vult penetrare nequitiæ. An verò cùm animæ nostræ vigor putrẽ corporis refugiat portionẽ, quòd eius gratiam corrupti artus sentire non possint, deus corruptæ animæ membra quædam dignatur habitare? Animæ tamen vigor per corpus omne diffunditur, siue manus, siue pes, siue digitus particeps sensus est: dei potest alicubi deesse sapientia, alicubi eius deesse maiestas? Sanè fugientes non retinet, non cogit inuitos, sed neque fastidit appropinquantes: & illius quidem virtus, illius verbũ, deus omnibus propè est. In ipso enim cõstant omnia, & ipse est caput corporis ecclesię, in quo omnis inhabitat plenitudo diuinitatis. *Psalm. 72.* Sed plerosque ab eo peccata secernunt, de quibus dictũ est: Ecce qui elongant se à te, peribunt. Vnde sanctus ait: Mihi autem adhærere deo bonũ est. Et Apostolus ait nõ esse longè deum ab vnoquoque nostrum: In ipso quoq;, inquit, viuimus & mouemur & sumus. Vitalẽ etenim omnibus gratiam subministrans, omnibus præsto est munere bonitatis suæ, sed propior est illis qui contrito sunt corde. Quod vetus quoque per ænigmata historia docet. Moyses in montis Sina supercilio erat, & solus erat: populus in valle in imo montis, presbyteri in parte montis supra merita plebis, sed plurimo interuallo à Moysi meritis separati. Non omnes in vertice, neque in imo omnes, sed populus. Moyses solus in vertice Sina montis, qui Latina interpretatione dicitur tentatio. Et tu si supra tentationes ascẽderis, & contrito corde detuleris precem, deo proximus eris. Si mũdo corde fueris, & tu deum videbis. Beati mundo corde, quia ipsi deum videbunt. *Matth. 5.* Qui ergo deo proximus est, dicit: Propè es domine, & omnia præcepta tua veritas. Iudæus hoc non potest dicere, qui non recipit dominum Iesum. Separauit enim se, nec in veritate, sed in vmbra credit. Quomodo dicit, Præcepta tua veritas, cùm gratia & veritas per Iesum Christum facta sit, cùm eum non agnoscat, qui veritate & plenitudine circunciſionis suæ totum mundum redemit?

VIII. Initio cognoui de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.

De testimoniis, inquit, tuis ab initio cognitionẽ & fidem assumpsi, quòd in æternũ fundata sunt. Testimonium enim fidele est, & præstat paruulis sapientiã. Si cognouisset Adam & Eua quę quasi paruulis data essent eis cautiora præcepta, ne vsurparent sibi scientiam boni & mali, quam recto discrimine definire non possent, paradisi incolatũ in perpetuum vindicare potuissent. Si considerant homines quia sanguis hominis ad deum clamat, manus proprias à nece hominis abstinebunt. Si custodiant præcepta quę dedit dominus coram cœlo & terra testibus, dicens: Audi cœlum, & auribus percipe terra: scientes quia quicquid flagitij commiserint, aduersus legem domini fecisse, quòd angelorum & potestatum, sanctorum quoque hominum testimoniis arguantur: supra hæc testimonia fundamentum sibi constituent, quia æterna sunt atque perpetua. Et nos ergo opus nostrum ædificemus supra fundamentum testimoniorum cœlestium, vt non ardeat sicut lignum aut stipula, sed sicut aurum probetur, vt æterno maneat nixum fundamine.

Sermo vicesimus.

ר Res

INcipit litera Res, quæ Latina interpretatione caput dicitur vel primatus. Caput est, vt formã generis humani consideremus, quod fouet membra omnia, & dirigit atq; implet sensibus. Sẽsus enim sapientis in capite eius. Inde ductus venarum, meatúsq; spiritus sanguinis vires in totius partes corporis deriuãtur. Lustrat omnia, ornat omnia. Sublato capite, corpus sine nomine est. Non agnoscitur, nec vlla supereſt vsura viuẽdi. Propterea qui in aliquo dãnatur crimine, eò quòd ornamẽtum est totius corporis, capite abdicatur: & qui turpi vel scelesto reatu beluinæ obscœnitatis illuuiem vel bestialis immanitatis horrorem commisisse detecti sunt, tanquã ij qui proposito humanæ moderationis exciderint, formã quoq; humanæ conditionis iubentur exuere. Reciso enim capite, reliqui corporis trũcus bestiarum corpori comparatur, & sapientiæ arce fraudatur, qui sapiẽtiæ nõ potuit tenere rationẽ. Sepelitur igitur sine decore suo corp⁹. In capite etenim vigor vitæ, in capite est gratia venustatis. Fertur coluber, cũ vrgetur periculo, caput semper abscondere, & in orbem se colligens obiecta reliqua parte corporis hoc solùm tueri, quòd illæsa feratur membra cætera saluo capitis vigore reparare. Hoc & tu moraliter caput serua, hoc seruato & mystícè. Mysticum caput Christus est, quia omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis ecclesię. Hoc caput qui amiserit, viuendi vsum habere non poterit. Hoc solo distamus à bestiis, ad imaginem dei & similitudinem virtutum vigore formati. Fides nos ab irrationabilium pecudum comparatione secernit. Hoc caput humani seruate serpẽtes, etiam si omnia membra cædantur, totum vratur corpus incendiis, mergatur profundo, euisceretur à bestiis, hoc tamen capite custodito, vita integra, salus tuta est. Nemo enim potest perire, cui nõ sublat⁹ est Christ⁹. Est & caput, summa studij atque operis nostri, summa negocij, summa spei, summa virturũ. Omnis autẽ summa est studij nostri, vt simus humiliores, veritatẽ sequamur, quã nõ videt extollẽs se frustra inflatus mente carnis suę, & nõ tenẽs caput. Quod sit hoc caput, euidẽter expressit dicẽs: Ex quo omne corp⁹ per cõpagiationes & colligationes subministratũ & copulatũ crescit in incremẽtũ dei. Et in Esaiæ libro dicit domin⁹ per prophetã: Auferã à Iudæa caput & caudam, initium & finẽ. Hoc caput Iudæa quod tenebat amisit, quæ Iesum dominum non recepit. Vbi fides est, & initium & finem habemus. Vbi perfidia, nec initium, nec finis est. Ecclesiæ principium est primogenitus ex mortuis. Habet & finẽ, quia ipse est primus & nouissimus. Ipse est finis legis ad iustitiã omni credenti. Synagoga nec initium nec finem habet, quia nec in principio inuenit quod sequatur, nec in fine quod speret. Inflatus ergo caput non tenet, hoc est, illam humilitatem Christi qua descendit vsque ad crucem, descẽdit vsque ad inferos. Ideo Iudæus nõ credidit, quia cõtempsit dicentẽ: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Hæc humilitas virtutũ omniũ caput est, quæ totum velut quoddã nostrorũ actuum fouet corpus. Quãuis infirmus aliquis sit, pauper, ignobilis, tamẽ si non se extollat & præferat, ipsa se humilitate commẽdat. Sit aliquis prædiues & nobilis: idem si nobilitatẽ generis & diuitias suas iactet, insolentia sibi vilis est. Sit aliquis facundus & fortis, qui tumore facũdiæ ac virtutis elatus plurimũ sibi arroget: nonne ei propter verecundiam & insipiens plerumque & inualidus antefertur? Denique pharisæus in euãgelio cùm abstinens & parcus esset alieni, liberalis sui, non refugus ieiunij, vt ipse dicebat, tamen propter iactantiam etiã illa quæ habere poterat, amisit. Nihil ei tot genera virtutum vno vitio decolorata prodesse potuerunt. Publicanus qui nihil enumerare poterat quod posset probari, propter humilitatem tamen iustificatus magis, quàm ille Pharisæus, descendit è templo, secundum quod scriptum est in Propheta: Quia humiles spiritu saluabit. Hoc autem esse caput quod hæc litera exprimat, euidenter etiam in Hieremię Threnis docemur. Nam prælata hac litera ait propheta: Spiritus ante faciem nostram Christus dominus: sub vmbra eius in gentibus viuemus. Hoc ergo caput verè est, quod omniũ caput est. Diximus de capite: dicamus & de primatu, quod licet sermone distet ac litera, sensu tamen in eandem concurrit intelligentiam. Primatus enim legimus in veteri testamento, quos in primogenitis Esau fratri suo cessit, & ideo vocatum est nomen eius Edom, hoc est, terrenus & calidus. Isti sunt autem fratres, de quibus rogatus est dominus ab Isaac patre eorum vt daret ei suæ posteritatis hæredes de Rebecca vxore sua, quæ per viginti annos nullum dederat generationis suæ insigne. Exaudiuit eum, & cõcepit Rebeca, & rogauit dominum cùm luctari inter se paruuli viderẽtur in vtero eius, & responsum accepit: Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi ab vtero tuo separabuntur, & populus populum superabit, & maior seruiet minori. Nónne apertũ est mysterium, duos significari populos, hoc est, populum Iudæorum seniorem, & Christianum populum iuniorem

Psalm. 72. *Matth. 5.* *Esaiæ 9.* *Apoc. 22. Rom. 10.* *Luc. 18.* *Psalm. 33.* *Thren. 4.* *Genes. 25.*

1599

piorem qui propter cocturā lentis primatus fratris accepit
senioris? Quo indicio euidenter exprimitur quòd populus
senior ille terrenus propter intēperantiam gulæ primatum
quem habuit amisit. Populus autē ecclesiæ per sobrietatem
& continentiam primatus quos ordine non habebat ætatis
confessione fraterna & pio furto paternæ benedictionis eri
puit. Quid est igitur quod populus rapuit Christianus, nisi
dominum Iesum? A diebus enim Ioannis Baptistæ regnum
cælorum cogitur, & cogentes diripiunt illud, sicut ipse do-
minus declarauit. Bona fraus, quæ vitam furatur æternam.
Sed quoniam satis dictū de literæ huius interpretationibus
arbitramur, consideremus ea quæ huic literæ Propheta sub-
iecit. Primus itaque versus est.

Vide humilitatem meam, & erue † me: quoniam * legem tuam non sum oblitus.

Fortasse dicat aliquis, gloriatur de se Propheta, & si gloria-
tur, gloriatur in infirmitatibus suis, in quibus & Apostolus
gloriatur dicens: Gloriabor in infirmitatibus meis. Alius in
diuitiis, alius in titulis nobilitatis ac prosapiæ suę, ali⁹ in ad-
ministrationib⁹ & honoribus gloriatur, iustus in humilitate
gloriatur. Bona enim gloria, Christo esse subiectū. Vt scias
autem quia iactare non se cupiat, sed domini in se gratiam
prouocare, alibi idem Propheta ait: Vide humilitatē meam,
& laborē meum. Ergo quasi is qui humiliauerit cor suum,
quasi is qui plurimū laborauerit, ibi sibi dimitti peccata de-
siderat, hic erui se precatur. Constitue aliquem sacerdotem
pro ministri salute solicitum, quē probatum aduertat deo,
aliquem patrem pro filio in ægritudine constituto graui, a-
liquam fœminā vel pro filio, vel pro viro mœstā, oration-
bus incubantem, fundentem vberes lachrymas noctibus ac
diebus, humiliantem se ac sternentem solo, multiplicantem
ieunia, & quod his grauius est, mentis atque animi dolore
confectam, morbi ac periculi dilatione torpētem, dicere ad
dominum: Vide humilitatem meam & erue me. Considera
etiam quia spiritali quodam oleo cœlestium præceptorum
vngit nos, atque exercet quotidie scriptura diuina, & domi-
nus noster plurimos ad subeunda certamina gestiēs prouo-
care, diuersa posuit præmia coronarum. Considera inquam,
Christi athletā innumeris contentionibus fatigatū, ac pro-
peiam lassatis viribus resistentem, periculi mole turbatum,
cùm videat sibi non solum aduersus carnem & sanguinem,
sed etiam aduersus spiritales nequitias, quæ sunt in cœlesti-
bus, esse luctamen, dicere: Vide humilitatem meam, & erue
me, quoniam legē tuam non sum oblitus. Non enim potuit
oblitisci qui secundum eius præcepta certauit. Contuere
etiam aliquē in martyrio cōstitutum, frequētibus afflictum
suppliciis, retrusum in tenebras, graui fractum pōdere cate
narum, neruis crura distētum, euisceratum equuleo, exara-
tum vngulis, adustum candentibus laminis, perseuerātis fi-
dei virum, sed iam tædiantis animi quòd diutius differatur
sacræ mortis corona, dicētem: Vide humilitatem meam, &
erue me, quoniā legem tuā non sum oblitus. Non solū enim
in studiis atq; propositis, sed etiā in tētationibus humilitatē
dici posse, testimoniis scripturarum docemur. Siquidem le-
gum est: Homines acceptabiles in fornace humilitatis: ταπεινότητος enī Græcus dixit, quod est humilitatis. Hoc ideo
posui, quia plurimi habent Latini, in fornace afflictionis. La
tinus discernit, Græcus nō separat: ταπεινότης & humilitas
virtutis dicitur, & humilitas afflictiōis. Nihil impedit si La-
tinus separat. Non enim Græc⁹ ex Latinis trāstulit, sed Lati-
nus ex Græco. Denique & Hebræi quādiu in Ægypto erāt,
in fornace erant ferrea, hoc est in fornace tētationis, in for-
nace afflictionis, cùm duris affligerentur imperiis. Vnde &
scriptum est: Quia eduxit eos deus de fornace ferrea ex Æ-
gypto. Fornax erat ferrea, quia nullius adhuc in Ægypto o-
pera virtutum plena lucebāt, nullius aurum illic fuerat cō-
probatū, nulli⁹ plumbum iniquitatis exustum. Dura fornax,
fornax mortis perpetuę. Quā fornacem nullus poterat eua-
dere, quę omnes cōsumeret, in qua sol⁹ dolor inesset & luct⁹.
At verō fornax in qua Ananias, Azarias, Misahel hymnum
deo canebāt, fornax aurea illa, non ferrea, per quā toto or-
be sapiētia fide deuotionis illuxit. Erat quidē etiā hæc for-

nax in Babylonia, vbi aurū nō erat spiritale, nisi fortè captiuum. Captiuā enim dominus duxit captiuitatem. Hoc erat aurū in dei sanctis, qui captiui erāt apud Babylonios corpore, spiritu autem liberi apud deum, soluti vinculis captiuitatis humanæ, iugo gratiæ spiritalis innexi. Et fortasse eadem fornax ferrea fragilibus est aurea perseuerantibus. Omnes oportet per ignē probari, quicunq; ad paradisum redire desiderant. Non enim ociosè scriptum est quòd electis. Adam & Eua de paradisi sede, posuit deus in exitu paradisi gladiū igneum versatilem. Omnes oportet trāsire per flammas, siue ille Ioannes euangelista sit, quem ita dilexit dominus, vt de eo diceret ad Petrū: Sic eum volo manere, quid ad te? tu me sequere. De morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem, dubitare non possumus, quia in paradiso est, nec separatur à Christo. Siue ille sit Petrus qui claues accepit regni cœlorū, qui supra mare ambulauit, oportet dicat: Trāsiuimus per ignē & aquā, & induxisti nos in refrigeriū. Sed Ioanni citò versabitur igneus gladius, quia nō inuenitur in eo iniquitas, quē dilexit æquitas. Si quid in eo vitij humani fuit, charitas diuina decoxit. Alæ enim eius sicut alæ ignis. Qui habuerit hîc charitatis ignem, illic ignem gladij timere non poterit. Ipsi Petro qui toties mortē suam pro Christo obtulit, dicet: Transi, recūbe. Sed ille dicet: Igne nos examinauit, sicut examinatur argētum. Etenim in quo aqua multa excludere non potuit charitatē, quomodo eam ignis excludet? Sed ille examinabitur vt argētum, ego examinabor vt plumbum: donec plumbū tabescat, ardebo. Si nihil argēti in me inuētum fuerit, heu me, in vltima inferni detrudar, aut vt stipula totus exurar. Si quid inuētum in me fuerit auri vel argenti, non per meos actus, sed per misericordiam & gratiam Christi, per ministerium sacerdotij, dicam fortasse ego: Etenim qui sperant in te, non cōfundentur. Illo igitur igneo gladio iniquitas exuretur, quæ sedet super talentum plumbeum. Ideo vnus ignē illum sentire non potuit, qui est iustitia dei Christus, quia peccatū nō fecit. Nihil enim ignis in eo quod exurere posset inuenit. Denique illi soli eleuatæ sunt portæ æternales, vt intraret rex gloriæ, non reus causæ. Et hic quidem mortem caro illius gustauit. neque enim aliter posset resurgere. Quod legi, præsumo: quod nō legi, veneratus scientibus derelinquo: vnū cōfitens, quia quicquid caro illius subiit, ideo subiit, vt viam cæteris vel triumphādi per martyrij passionem, vel transeundi in paradisum suis vestigiis reformaret. Nemo ergo sibi arroget, nemo de meritis glorietur: nemo de potestate se iactet, sed omnes speremus per dominum Iesum misericordiam inuenire, quoniā omnes ante tribunal eius stabimus. De illo veniam, de illo indulgentiam postulabo. Quæ enim spes alia peccatoribus? Et qui se hîc aurum putat, habet plumbum: & qui putat se granum tritici, habet paleam quæ possit exuri. Sed hic sibi multi aurum vdentur. Non illis inuideo: sed etiam aurum examinabitur, vretur vt possit probari. Sic enim scriptū est: Sicut aurum in conflatorio probabo illos. Ergo aduertant, quia examinabuntur omnes. Multi ergo qui se aurū putāt, & ipsi humilitatē sequantur, vt vitia sua decoquāt. Sed hîc inanis iactantia est. Ideo multis qui se massas putāt auri, dicit sapientior auri massā: Omnes nos fornax probabit. Ergo quia examinandi sumus, sic nos agamus, vt iudicio probati mereamur diuino. Teneamus hic positi humilitatē, vt cùm vnusquisq; nostrum venerit ad iudicium dei, ad illos ignes quos transituri sumus, dicat: Vide humilitatem meam, & erue me. Nam si superbus fuerit, si arrogans, si contumax, non poterit hoc dicere. Nemo autem dicet, Vide superbiam meam: sed, Vide humilitatē meam, vt eius gratia erui ab illo igne mereatur. Est ergo humilitas laboris & fatigationis, est & humilitas virtutis atque propositi, quā & in secundis & prosperis & in ocio positus tenet iustus. Nullo licet fractus labore, nullius certaminis dubius euentu, humilem omnib⁹ affectum exhibet, nec sua extollere studet, sed magis minuere operis sui precium, & meriti sui gratiā. Audi iustum humiliantē se: Ego sum, inquit, minimus apostolorum. Ille vas electionis diuinæ, ille gentium doctor minimum esse se dicit, indignum eius officij nomine quod suis operibus præferebat, nihilq; sibi arrogat, sed totum gratiæ

Ephes. 4.

Ioan. 21.

Psalm. 65.

Luce 17.

Zacha. 13.

1. Cor. 15.

dei deputat. Hoc vtique decet iustum. Hac humilitate Abraham pater fidei nuncupatus est: qui cùm diuino Genes. 18. A paretur alloquio, terram se esse dicebat, & limum. Ipse quo Psalm. 21. que dominus ait: Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis: cùm de sui corporis passione loqueretur, qui non quæ sua sunt quæsiuit, sed quę aliorum. Cuius nos imitatores vult fieri Apostolus, atque Philip. 2. hortatur, dicēs: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualē deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Nec nos igitur nobilitatem generis, nec diuitias requiramus, si volumus Christū sequi. Exinaniuit se, cùm esset in dei forma: cùm diues esset, pauper factus est. Noli & tu cōtemnere plebeiū, quia nobilis est: noli despicere seruum, quia potēs es: noli pauperem fastidire, quia diues es. Nunquid nobilior, nunquid potentior Christo es? Ille pro te susceptit illa quæ tu despicis. Ille pro te humiliauit se vsque ad mortē, & mortem crucis, vt tuæ lapsum aboleret superbiæ, vt quod per vnius Adæ inobedientiam perdideramus, per Christi humilitatem reciperemus: propter quod deus, inquit, illum exaltauit, & dedit illi nomen, quod est super omne nomē, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, quoniam dominus Iesus in gloria est dei patris. Considera ô homo quid legas. Non laborauit Apostolus potentiam Christi probare, sed obedientiam prædicare, sed demonstrare quanta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus. Si simplicibus accipias auribus, & Christum exaltauit. Sed Christus non quæ sua, sed quæ tua erant, illa humilitate quærebat. Ego, inquit, si exaltatus fuero à terra, omnia trahaм ad meipsum. Accipe ergo argutis auribꝰ: Moraliter tibi profuit, mysticè tuam redemit salutē. Quomodo vis intellige: Salus est tua. Si putas quòd Christo profuit humilitas sua, cui ergo non proderit? Si illum exaltauit, quem non augebit? Factus est minister omnium dominus, & author omnium vapulauit, pedes lauit, crucifixꝰ est, mortuus est. Sed in his omnibus detrimētum nullum video diuinitatis eius, profectū operationis agnosco. Qui nihil habebat quod ad C potestatem suam adderet, habuit quod ad cultum suę maiestatis adiūgeret. Audeo dicere: operationis suæ munusꝰ amiserat, nisi id humilitas recepisset. Itaque nos quidē redemit, sed etiam sibi acquisiuit. Nihil ergo humilitas affert dispēdij. Ille qui se exinaniuit, plenus est. Ille qui non rapinā arbitratus est esse se æqualem deo, formam serui accipiens: in gloria est dei patris. Suscepi quem nesciebam, agnoui quem non cognoscebam, confiteor quē negabam. Ipsi genu corporis flecto, ipsi genu mētis inflecto, ipsum adoro, quē antè fugiebam. Gratias tibi agimus Iesu Christe quòd creasti nos: sed creatos, feris bestiis, mutis animantibus præfecisti. Psalm. 21. Maiora sunt visitationis tuæ munera. Visitatos maiestatis tuæ consortiis honorasti, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Suscepto enim corpore frater es factus, nec dominus esse desisti. Maiorem redemptionis gratiam præstitisti, quia periclitantes morte propria redemisti, sicut scriptum est: Expedit vnum hominem mori pro populo. Suscitasti mortuos, dicens: Soluite templum hoc, & in triduo re- Ioan. 2. D suscitabo illud. In illo enim templo dominici corporis omnibus resurrectio accreuit. Resurgentes adæquasti angelis, sicut dixisti: Quoniam quæ non nubunt, neque ij qui ducunt vxores, erunt sicut angeli dei in cœlo. Postremò ad dexteram dei in illo filij hominis solio collocasti, sicut ipse dignatus est dicere: Ex hoc autem erit filius hominis sedens ad dexteram virtutis dei. Vnde Apostolus admirans diuinæ dona pietatis, simul ostendēs vnam patris & filij liberalitatem ait: Deus autem qui diues est in misericordia propter multā charitatem qua dilexit nos. Audis in quo debeas homo diues esse, quas habere virtutes? Amorem dei te probato imitari, beneficia misericordiæ charitatísque cœlestis. Et addidit: Et cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & simul suscitauit, simul fecit sedere in cœlestibus in Christo Iesu. In Christo vtique honoratur & caro. Ille igitur qui ad dexteram dei sedet, propter nos humiliatus est. Ideóque dicit nobis: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Non dixit: Discite à me, quia potens sum, sed humilis corde: vt tu illum imiteris, vt tu ei dicas: Domine audi cui vocem tuā, imple- ui præceptum tuum. Dixisti vt à te disceremus humilitatē: didicimus nō solum sermone, sed etiam actu tuo: feci quod imperasti, vide humilitatem meam. Athleta bonus membra sua monstrat, vt conuersationis suæ approbet disciplinam. Monstrat etiam tunc membra sua, quando post aliqua certamina grauiora iterum certare compellitur, vt iudex videt 1. Tim. 4. num certaui, cursum cōsummaui: & videns spiritalis iudex certaminis agonem, coronam iustitiæ decernat, quoniam legem agonis implesti.

Iudica iudicium meum, & libera * me, propter verbum tuum * viuifica me. II. * al. redime. * al. eloquium

Festinant innoxij ad iudicium, & propriæ innocentiæ arbitris desiderant citius comprobari. Habet hoc vsus etiam B in seculo, quod est cōmune cum sanctis. Verum is qui apud deū iustus est, habet aliam causam iudicij non timendi, quia apud misericordē iudicem sibi causa est, apud redemptorem suū vult citò & sperat absolui. Absolutio enim matura sanctorum est. Vnde & dominus ait per Ezechielē ad angelos qui ministri sunt vltionum: A sanctis meis incipite. Nō vult Ezech. 9. dominus cōmune sanctis cum diaboli sociis cōsortium esse iudicij. Diabolus enim & ministri eius cum hominibus non flagellabuntur. Separata est pœna vbi distat & culpa. Ideó- 1. Petr. 4. que alio loco scriptura ait: Tempus incipere iudiciū à domo dei. Quos miseratur enim, citò castigat, vt non diutius afficiātur futuri expectatione iudicij, non prolixius misera reatus sorte macerentur, vt vnusquisque reddat etiam duplicia peccata, quo tādem possit absolui: pœna enim reorum, quędam absolutio delictorum est. Videmus in hoc seculo insertos nexibus catenarū reos in specie pompæ miserabilis duci: & nonnunquam hoc patiuntur insontes, vt tolerabilius sit mori, quàm talia subire supplicia. Optant vtique audiri, C bene sibi consci. Optant etiam hi qui grauibus flagitiis vrgentur, pœnam mortis celeritate trāsigere, vt aliquāta compendia pœnarum lucrentur. Spes est etiam de iudicis misericordia. Ipso exilio claustra carceris duriora sunt, nec reditus in perpetuum omnibus intercluditur relegatis. Si hoc operatur humanum examen, quanto magis Christi est omnibus expetendum? Differtur diaboli iudicium, vt sit semper in pœnis reus, semper improbitatis suæ innexus catenæ, consciētiæ suæ in perpetuum sustineat ipse iudicium. Ideo diues ille in euangelio, licet peccator pœnalibus vrgetur ærumnis, vt citius possit euadere. Diabolus autem nequaquā puniri ad iudicium demōstratur, nequaquā adhuc pœnis esse subiectus, nisi quas ipse tantorum cōscius scelerum soluit timore perpetuo, ne aliquādo securus sit: imò, vt verius dicam, sanctus ad iudicium venit, impius non venit, quoniam Psalm. 1. non resurgunt impij in iudicium. Hic petit vt absoluatur, vt coercitus dimittatur. Qui autē non iudicatur, non credidit, sed impietatis suæ iudicio ipse punitur. Apud imperatores D istos nō puniuntur sceleris rei Barbari quod in sua gēte cōmiserint, quia non sibi subditi, sed grauiore nomine hostes habentur, qui sine interrogatione priuati sceleris puniūtur. Hebr. 11. Ita & Christus suos castigat quos diligit, alienos tanquā generali damnatione impietatis astrictos pœna damnat æter- 1. Cor. 11. na. Nouissima enim destruetur mors, & tamē verecūdè donacet Propheta exemplo sui, vt etiam qui diffidit operibus suis, propter verbum tamen dei clementiorem speret sentē- Luca 1. tiā. Alius propter diuitias viuere cupit, alius propter filios, hic propter verbum dei viuificari petit: sicut Symeon domini expectauit aduentum: vnde & dominum accipiens in templo ait: Nunc dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum: afferens viuēdi sibi cupiditatem aliam non fuisse, nisi vt Christum videret. Denique vidit, & vinculis solui corporis postulauit. Possumus etiam intelligere: Iudica iudicium meum, quasi grauior nobis causa sit de iudicio nostro, quàm de errore dicenda. Erranti enim facilius datur venia quàm improbè in alium iudicanti. Ne-

Matth. 22. Luca 22. Ephes. 2. Matth. 11.

ri. Necesse est enim eam formam in te redire iudicij, quam in alium ipse decernendam putaueris.

Longè est * à peccatoribus salus, quoniam iustitias * tuas non exquisierunt.

Quorũ serum est iudicium, eorum salus longè est: sed ipsi sunt sui authores periculi, qui domino nõ appropinquarũt. Ideo facti sunt lõgè, quia volũtate sua à salutis se gratia separauerũt. Nõ refugit eos salus, sed ipsi salutẽ, qui se elõgauerũt. Venit ad Iudæos, sed illi salutẽ nõ receperũt. Quomodo nõ receperũt? Audi: Iesus salus est, Iesus filius hominis nũcupatus est. Venit filius hominis quærere & saluũ facere quod perierat: sed Iudęi dimitti sibi latronẽ postulauerunt, Iesum repudiauerunt. Quis autẽ est qui se longè facit à domino, nisi qui nõ exquirit iustitias eius? Qui verò iustitias exquirit, prope est, adhęret deo. Et ideo iustitias dei quærentibus dicit Apostolus: Vos qui eratis lõgè, facti estis prope, in sanguine Christi. Sanguis Christi iustitia est. Denique ipse ait ad Ioannem: Sine nos implere omnem iustitiam.

Miserationes * tuæ multæ nimis * domine, secundum iudicia tua * viuifica me.

Et si longè est à peccatoribus salus, tamẽ nemo desperet, quia multę sunt misericordiæ domini. Qui suo peccato percunt, misericordia domini liberãtur. Miserebor, inquit, cui misereor. Palã apparuit non quęrentibus, vocauit refugientes, congregauit ignaros, pro omnibus se obtulit passioni. Non ergo multum misericors? Misericordia enim hominis in proximũ suum, misericordia domini in omnem carnem, vt omnis caro ad dominum ascenderet, illa domini miseratione donata. Sed quomodo cùm dixerit multas esse domini miserationes, secũdum iudicia eius viuificari petit, maximè cùm alibi ipse dicat: Et non intres in iudicium cum seruo tuo? Sed aliud est illud iudicium beneficiorũ dei, (cui respondere non possumus. Quis enim potest debitum referre naturę, debitum salutis & gratię?) aliud iudicium quo fragilitatis nostræ æstimatione censemur. In hoc ipso tamẽ iudicium cum misericordia copulatũ est, vt veritas iudicij miseratione domini temperetur. Aut fortè quia dixerat, Iudica iudicium meũ, ideo subtexuit miserationes domini nimiũ multas esse. Graue est enim de alio iudicare. Vnde etiã scriptum est: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Cùm enim vnusquisque sit suorũ conscius peccatorũ, quomodo potest de alterius iudicare peccato? Iudicet de alterius errore, qui non habet quod in seipso condemnet. Iudicet ille qui non agat eadem quæ in alio putauerit punienda: ne cùm de alio iudicat, in se ferat ipse sententiã. Iudicet ille qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur. Audisti hodie quid iudex verus & iustus locutus sit: Nõ possum, inquit, ego à me facere quicquam. Nonnulli hæretici solebant hinc facere quæstiones, quasi infirmus esset filius qui à se nihil faceret, quasi secundum diuinitatem quoque subditus, & paterno subiectus imperio: nec aduertunt quòd hoc quoque magis potestatis diuinæ vnitas comprobetur, vbi putant inter patrem & filium esse distantiam potestatis. Nihil à se facit filius, quia per vnitatẽ operationis, nec filius sine patre facit, nec sine filio pater. Denique pater dicit ad filium: Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram, communem asserens operationem esse, vbi commune consilium est. Quid sine sapientia facit, qui omnia in sapientia fecit? vt lectum est: Omnia in sapientia fecisti. Denique sapientia dixit: Cùm faceret cœlos, cùm illo eram, & ego eram cui applaudebat. Et Euãgelista ait: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: vt doceret non solum operatorẽ omnium filium, sed etiam paternæ operationis consortem esse. Ego tamen arbitror quòd hic locus ad iudicij formã videatur esse referendus. Euangelium enim non solum fidei doctrina, sed etiam morum est magisterium & speculum iustæ cõuersationis. Inuenio in euãgelio quòd dominus Iesus multorum affectus & officia suscepit, vt doceret quomodo nos in his conuersari oporteret officiis. Suscepit personam pastoris, & ait: Pastor bonus animam suã ponit pro ouibus suis. Ideóq; pro rationabili grege seipsum passioni corporis non negauit, vt ouẽ lassam crucis suæ humeris superponẽs pij oneris functione recrearet.

A Suscepit aduocati personam. Ipsum enim aduocatum habemus apud patrem. Pernoctabat in oratiõe pro nobis, vt nos suo informaret exemplo quemadmodum veniam nostris debeamus exorare peccatis. Non enim ideo pernoctaret, quasi qui aliter patrem nobis reconciliare nõ posset, sed vt qualis aduocatus esse debeat, demonstraret, qualis sacerdos vt non solum diebus, sed etiam noctibus pro grege Christi debeat peccator assistere. An impetrãdi egebat auxilio, qui facere ipse poterat quod rogabat, quemadmodum ipse dicebat: Ego ad patrem vado: & quodcunque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam? Denique alibi ait, cùm Lazarum resuscitaret: Sciebã quòd semper me audis. Hic quasi infirmus pernoctabat, qui sciebat quòd semper auditur, & clamauit: Lazare veni foras. Locuta est resurrectio, mors recessit. Suscepit etiam affectum rei, & stetit ante iudicem quasi reus, nec dedignatus est dominus omnium præsidis vilitatem. Interrogatus tacebat, ostendens non in clamore vocis, nec in forensis assertione patrocinij, sed in conscięntiæ integritate esse innocentiæ defensionem: nec salutem corporis ambiendam, sed animi puritatem. Denique qui Susannã absoluit tacentem, se obtulit morti. In illa causam ostendit, vt nemo desperaret: in hac, vt redimendæ vniuersitatis sacrificium non negaret. Cæsus postremò non conuitiatus est, nõ repercussit: & dominus cœli atque terrarũ studium deposuit vltionis, vocem humilitatis emisit dicens: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Quasi infirmus cædis deplorat iniuriã, & cùm se posset vlcisci, queri maluit quã vindicare. Ergo & hic personam iudicis præpositíque suscepit, dicens: Non possum à me facere quicquam. Bonus enim iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito volũtatis, sed iuxta leges & iura pronunciat, scitis iuris obtemperat, nõ indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert: sed sicut audit, ita iudicat: & sicut se habet negocij natura, decernit. Obsequitur legibus, nõ aduersatur: examinat causæ merita, non mutat. Discite iudices seculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quã synceritatẽ. Dominus omnium dicit: Nõ possum ego à me facere quicquam. Alibi lego: Negare semetipsum non potest. Non potest vtiq;, non per infirmitatem, sed per integritatem: nõ per impossibilitatẽ faciendi, sed per obseruantiã iudicãdi. Quid non potest qui omnia potest, nisi quod posse nolit? Nõ vult posse quod damnat, non vult posse aduersus fidem, nõ vult posse aduersus veritatem. Audi postremò ipsum dicentem cur non possit à se facere quicquã. Sicut audio, inquit, iudico: hoc est, non ex mea potestate decerno quod libitum, sed ex iudicãdi religione quod est: & ideo iudicium meum verum, quia non voluntati meæ indulgeo, sed æquitati. Audite quid iudex dicat cœlestis: Non possum à me facere quicquã, sed sicut audio iudico. Et Pilat⁹ dicebat ad dominũ Iesum: Potestatẽ habeo crucifigẽdi te. Vsurpas ô homo potestatẽ quã non habes, cũ dominus neget se habere, qui habet super omnia potestatem. Audi quid iustitia dicat: Non possum à me facere quicquã. Audite quid iudex æquitatis asserat: Sicut audio, ita & iudico. Audite quid iudex iniquitatis loquatur: Potestatẽ habeo dimittẽdi te, & potestatẽ habeo crucifigendi te. Tua Pilate voce cõstringeris, tua damnaris sentẽtia. Pro potestate igitur nõ pro æquitate crucifigendũ dominum tradidisti: per potestatẽ absoluisti latronẽ, authorem verò vitæ interfecisti. Sed nec istam à te habuisti quam habere te asseris potestatẽ. Deniq; dicit tibi dominus Iesus: Non haberes potestatẽ aduersum me vllã, nisi data tibi esset desuper. Mala potestas liceret quod noceat. Potestas ista tenebrarũ est, verum non videre, sed spernere. Audite quid verus iudex loquatur: Non quæro volũtatem meã, sed voluntatẽ eius qui misit me. Quasi homo loquitur, quasi iudex docet: quoniã qui iudicat, nõ voluntati suæ obtẽperare debet, sed tenere quod legum est. Cõstitue iudicẽ de hoc seculo: nunquid potest aduersum imperialis formam venire rescripti? Nunquid potest normam augustæ definitionis excedere? Quanto magis diuini formam debemus seruare iudicij? Christus dicit: Nõ quæro voluntatẽ meam: hoc est, ho-

1. Ioan. 2. Luc. 6.

Ioan. 14. Ioan. 16.

Ioan. 11.

Ioan. 18.

Ioan. 5.

Ibidem.

Ioan. 19.

Ibidem.

Ioan. 5.

minis quæ vel odio dirigitur, vel ſtudio intẽditur, vel gratia inflectitur, vel aliorũ mẽdacio deprauatur. Omnis enim homo mendax. Sed voluntatẽ, inquit, eius qui me miſit, hoc eſt, diuinæ cognitionis formã veni docere, vt in iudicando magis cordi ſit veritatis cuſtodia, quã obediẽtia voluntatis. Non ergo hic quo que infirmitas potentię, ſed forma eſt expreſſa iuſtitiæ. Iuſtũ igitur eſt iudicium filij dei, quia eſt ſecundũ voluntatẽ dei, non ſecũdum hominis affectum. Deus enim miſericordiarũ plen⁹ eſt, & miſericordia eius cũ iudicio, & iudiciũ cũ miſericordia. Neq; enim ſine iudicio miſeretur, neque ſine miſericordia iudicat. Denique ſcriptũ eſt: Miſericordia eius in ſtateris. Filij autem hominũ mendaces in ſtateris vt decipiant. Examinat ergo & trutinat deus merita ſingulorum, & quemadmodum per menſurã dat gratiã, ne ſuper mẽſuram ſit, ita per menſurã dat miſericordiã. Vnde ait: Menſurã bonam, confertã, cõmotam, ſupereffluentẽ dabunt in ſinum veſtrũ. Eadẽ verò menſura qua menſi fueritis, reddetur vobis. Similiter in ſtatera ſingulorum opera penſantur, vt ſi bona malis præponderãt, remuneratio præmij deferatur: ſi peccata virtutibus, triſtior reum pœna cõſtringat: quod expreſſum habes ad Timotheũ, dicente apoſtolo Paulo: Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt præcedẽtia ad iudicium, quoſdam autẽ & ſubſequuntur. Similiter & facta bona manifeſta ſunt: & quæ aliter ſe habẽt, abſcõdi nõ poſſunt. Omnia ergo à domino deo noſtro mẽſura quadam & pondere fiunt. Quis poſuit, inquit, rupes in ſtatera? Et ſupra: Quis menſus eſt manu aquã, & cœlum palmo? Qui noſtra examinat, ſua vtique examinata largitur, & ſaluo omnia decernit examine. Ponderat miſericordiã, põderat vltionem: in vtroque certum pondus, habiliſque mẽſura eſt. Vnde & Dauid ait: Et potum dabis illis in lachrymis in menſura: ne ſine moderatione mẽſuræ pœnæ cumulo grauarentur, & ſuſtinere non poſſent. Et alibi idem ait Propheta: Calix in manu domini vini meri plen⁹ eſt mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc, veruntamẽ fex eius non eſt exinanita. Et Hieremias ait: Calix aureus Babylon in manu domini, à quo inebriatæ ſunt gẽtes: hoc eſt, pœna à nationibus perſoluta eſt, ne diutius inſultarẽt, quod dei populum acerbiſſima populatione vexauerint. Senſus igitur verſus Dauidici hic eſt: Parata & plena eſt pœna quæ debetur impiis, quam dominus declinat in perfidos: ſed tamen miſeratione ſua non vſque ad fecem dignatur effundere, ne plenitudinẽ ſupplicij ferre non poſſent. Inclinat ergo calicem, nõ euacuat. Quod inclinat, cenſuræ eſt: quod non euacuat, miſericordiæ. Ergo iudicium quoque miſericordia tẽperat dominus deus noſter. Quis enim noſtrũ ſine diuina poteſt miſeratione ſubſiſtere? Quid poſſumus digniũ prẽmiis facere cœleſtibus? Quis noſtrum ita aſſurgit in hoc corpore, vt animũ ſuum eleuet quo iugiter adhæreat Chriſto? Quo tandem hominum merito defertur, vt hæc corruptibilis caro induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem? Quibus laboribus, quibus iniuriis poſſumus noſtra leuare peccata? Indignæ ſunt paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam. Non ergo ſecundum merita noſtra, ſed ſecundum miſericordiam dei cœleſtium decretorum in homines forma procedit.

Pſal. 115.
Pſalm. 61.
Luc. 6.
1. Timo. 5.
Iſaiæ 40.
Pſalm 70.
Pſalm. 74.
Hiere. 51.
Rom. 8.

V. Multi perſequentes † me, & tribulantes † me, à teſtimoniis tuis non declinaui.

† al. qui perſequuntur. † al. tribulãt

Non eſt magnum ſi tunc à dei teſtimoniis non declines, cùm te nullus affligit, null⁹ perſequitur. Quis enim inoffenſè ſibi proſperorũ euentuum ſecundo ſucceſſu fieret ingratus? Quis diuitiis affluens, iugi ſalute robuſt⁹, nõ ad dei gratiã referat quod ſibi illa cõceſſa ſint? Deniq; cùm ſanctũ Iob prędicaret dominus, ait aduerſari⁹: Nũquid gratis colit Iob deũ? Nónne tu vallaſti eum? Mitte manũ tuã in omnia quæ habet, ſi non in faciẽ te benedicet. Tunc igitur plus probatus eſt, quãdo amiſſis opibus & filiis, à domini cultu & gratia non receſſit. Sed non vnus perſecutor eſt, multos miniſtros habet, ſed nõ te terreat. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnũ dei. Si multæ perſecutiones, multæ probationes. Vbi multę coronę, multa certamina. Tibi ergo proficit quod multi perſecutores ſunt, vt inter multas perſecutiones facilius inuenias quomodo coroneris. Vtamur exẽplo Sebaſtiani martyris, cui⁹ hodie natalis eſt. Hic Mediolanenſis oriũdus eſt. Fortaſſe aut iam diſceſſerat perfecutor, aut adhuc nõ venerat in hæc partium, aut mitior erat. Aduertit hic aut nullum eſſe, aut tepere certamẽ. Romã profectus eſt, vbi propter fidei ſtudiũ perſecutiones acerbæ feruebãt: ibi paſſus eſt, hoc eſt, ibi coronatus. Itaq; illic quò hoſpes aduenit, domiciliũ immortalitatis perpetuæ collocauit. Si vnus perſecutor fuiſſet, coronatus hic martyr vtiq; non fuiſſet. Sed, quod peius eſt, nõ hi ſolũ perſecutores ſunt qui videntur: ſed etiã qui non vidẽtur, & multo plures perſecutores. Sicut enim vn⁹ perſecutor rex multis perſecutionis præcepta mittebat, & per ſingulas vel ciuitates vel prouincias erãt diuerſi perſecutores: ita etiã diabol⁹ multos miniſtros ſuos dirigit, qui non foris tãtum, ſed etiam intus faciãt perſecutiones in animis ſingulorum. De his dictum eſt perſecutionibus: Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutiones patiũtur. Omnes dixit, nullum excepit. Quis enim exceptus poteſt eſſe, cum ipſe dominus perſecutionum tentamenta tolerauerit? Perſequitur auaritia, perſequitur ambitio, perſequitur luxuria, perſequitur ſuperbia, perſequitur fornicatio. Vnde & apoſtolus ait: Fugite fornicationem. Nam qua cauſa fugeres ſi nulla te perſequeretur? Eſt enim malus ſpirit⁹ fornicationis, eſt malus ſpiritus auaritiæ, malus ſpiritus ſuperbiæ. Iſti ſunt perſecutores graues, qui ſine gladij terrore mentem hominis frequenter elidũt, qui illecebris magis quàm terroribus animos expugnant fideliũ. Hi tibi hoſtes cauendi, hi grauiores tyranni, per quos Adã captus eſt. Multi in perſecutione publica coronati, occulta hac perſecutione ceciderũt. Foris, inquit, pugnæ, intus timores. Aduertis quàm graue certamẽ ſit quod eſt intra hominem, vt ſecum ipſe confligat, cum ſuis cupiditatibus prælietur. Ipſe Apoſtolus fluctuat, hæret, aſtringitur, captiũari ſe aſſerit in lege peccati, & mortis corpore debellari, nec potuiſſe euadere, niſi eſſet domini Ieſu liberat⁹ gratia. Verum vt multæ perſecutiones, ita multa martyria. Quotidie teſtis es Chriſti. Tentatus es ſpiritu fornicatiõis, ſed veritus Chriſti futurum iudicium, temerãdam mentis & corporis caſtimoniam non putaſti: martyr es Chriſti. Tentatus es ſpiritu auaritiæ, vt poſſeſſionẽ minoris inuaderes, indefenſæ viduę iura temerares: & tamen contemplatione cœleſtium præceptorum opem magis ferendã quàm inferẽdam iniuriam iudicaſti: teſtis es Chriſti. Denique tales vult teſtes Chriſtus aſſiſtere, ſecundum quod ſcriptum eſt: Iudicate pupillo, & iuſtificate viduã, & venite diſputemus, dicit dominus. Tentatus es ſpiritu ſuperbiæ: ſed videns inopem atque egenum, pia mente compaſſus es: humilitatem magis quàm arrogãtiam dilexiſti: teſtis es Chriſti. Et, quod eſt amplius, non ſermonis tantummodo, ſed etiam operis teſtimoniũ perhibuiſti: teſtis es Chriſti. Quis enim locupletior teſtis eſt, quàm qui confitetur dominũ Ieſum in carne veniſſe, cùm euangelij præcepta cuſtodit? Nam qui audit & nõ facit, negat Chriſtum: & ſi verbo fatetur, operib⁹ negat. Quàm multis dicẽtibus, Domine, domine, nónne in tuo nomine prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecim⁹? in illa die reſpondebit: Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis? Ille ergo teſtis eſt, qui aſtipulãtibus factis domini Ieſu præcepta teſtatur. Quanti ergo in occultis quotidie martyres Chriſti ſunt, & Ieſum dominũ cõfitẽtur? Nouit hoc martyrium Apoſtolus, & teſtimoniũ Chriſti fidele, qui dixit: Hæc eſt enim gloriatio noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Quãti foris confeſſi ſunt, & intus negauerũt? Namque vxoris ducendæ gratia, quæ gẽtili viro à Chriſtianis parentibus negabatur, ſimulata ad tempus fide pleriq; produntur quod foris cõfeſſi ſunt, intus negaſſe. An fornicationis cauſa tantummodo putamus dominũ deum noſtrum in populũ Iudæorum tam ſeuerè eſſe commotum, vt viginti tria milia de populo necarentur, propterea quòd Madianitæ gentis fœminis concubitu miſcerentur, ac non eo quòd perillos concubitus alienigenarum diſcedere à fide, negare dominũ cogerentur? Nolite, inquit, omni ſpiritui credere, ſed à fructibus eorum cognoſcite quibus credere debeatis. Venit quis in eccleſiã dum honorem affectat ſub imperatoribus Chriſtianis,

1. Timo. 3.
1. Cor. 6.
1. Cor. 7.
Eſa. 1.
Matth. 7.
2. Cor. 1.
Num. 25.
1. Ioan. 4.

1597

stianis, simulato metu orationē se fingit deferre, inclinatur, & solo sternitur, qui genu mētis non flexerit: videt illū homo, Christianum putat: videt homo orantem suppliciter, & credit: sed deus audit negātem. Discedit probatus ab homine, sed condēnatus à iudice. Quanto tolerabilius fuerat homini negasse, & deo esse cōfessum? Licet hoc quoque sit reprehensibile. Perfecta enim cōfessio & animi quærit deuotionem, & vocis professionē. Corde enim creditur ad iustitiam, oris autem cōfessio fit ad salutem. Ergo in persecutionibus interioribus esto fidelis & fortis, vt in istis forensibus persecutionibus approberis. Et in intimis persecutionibus sunt reges & præsides terribiles iudicii potestate. Habes exemplū in domini tētatione quā pertulit. Demōstrata enim sunt ei omnia regna, & dictum est ei: Tibi dabo hæc omnia, si procidens adoraueris me. Lectum est & alibi: Nō regnet peccatum in vestro mortali corpore. Vides ante quos reges statuaris ô homo, ante quos præsides peccatorū, si culpa regnat: Quot peccata, quot vitia, tot reges. Et ante hos adduci mur, & ante hos stam⁹. Habēt etiā isti reges tribunal in mē tibus plurimorū. Sed si quis Christum fateatur, statim regē illum facit esse captiuum, deiicit de solio suæ mentis. Quomodo enim poterit diaboli tribunal manere in eo cui Christi tribunal assurgit? Multi ergo persequentes & tribulantes me. Et fortasse Christus hoc dicit, & dicit in vocibus singulorum. Ipsum enim aduersarius persequitur in nobis. Si declines persequentē: Christum abiicis, qui se tentari patitur, vt vincat. Vbi illū viderit diabolus, ibi parat insidias, ibi tentationum machinas admouet, ibi dolos nectit, vt illū, si possit, excludat. Vbi autem diabolus præliatur, ibi Christus assistit. Vbi diabolus assidet, ibi Christus includitur, ibi muro rum spiritalium septa defendit. Ergo qui persecutorem refugit, reiicit etiam defensorem: sed cùm audis, Multi persequentes & tribulantes me, noli timere: qui potes dicere: Si deus pro nobis, quis contra nos? Verum hoc dicit qui à testimoniis domini nullo vitiorum declinat anfractu.

Vidi non seruantes pactum †, & tabescebam quoniam verba † tua non custodierunt.

Beatus qui in charitate dei tabescit, qui videt non seruantes pactum. Alius propter vitiosos amores tabescit, qui distillat dum est dilatus amore dilectæ, & dum protelatur flagrātis cupiditatis affectus, anim⁹ deficit, vires corporis quadam deformitate palloris, fessorúmque artuū tabe minuuntur. Alius qui pecuniam concupiscit: donec potiatur eam, auaro miser tabescit affectu: alius immodicè capessendi honoris impatiens, si desideria lōga suspiret, nō mediocri mentis tabe cōficitur. Nō talis est qui dicit: Quàm distabuit caro mea in terra deserta & in inuia & sine aqua. Hic enim castigabat carnem suam & tabescere faciebat, dum indefesso desiderio diuinæ cognitioni intētus, & lucē diei solicita expectatione præueniens, ante lucanū soluere domino canticis & hymnis gestiebat obsequium. Tabescit ergo vir pacificus, quādo alios videt pacta rescindere, consensuū abolere concordiam, iurgia de pace reparare, in tumultus redire de gratia. Quod vtique non facit qui domini præcepta custodit. Nō facit qui audit dicentem: Pacē meam do vobis, pacem relinquo vobis. Ergo qui pactū seruat, is Christi obediat imperiis. Qui autem nō seruat, ille Christi præcepta cōtemnit, & quod peius est, comperta fastidit & negligit.

Vide quia præcepta † tua dilexi domine, in misericordia tua viuifica me.

Hic quoque inuitat dominū vt plenum charitatis suæ expectet affectū. Nemo dicit, vide, nisi qui iudicat se si videatur esse placiturū. Et pulchrè dixit, vide, & secundum legem dixit, quia lex præcepit vt vnusquisq; ter in anno se offerat in cōspectu domini. Quotidie se sanct⁹ offert, quotidie apparet, & nō vacu⁹ apparet. Nō est enim vacuus, qui de plenitudine eius accepit. Nō erat vacuus Dauid qui ait: Repletum est gaudio os nostrum, quia gaudiū fructus est spiritus sancti. Et sicut de plenitudine verbi nos omnes accepimus, quemadmodum dixit Ioannes, ita etiam spiritus sanctus de plenitudine sua repleuit orbem terrarum. Non erat vacuus Zacharias, qui repletus est spiritu sancto, & prophetauit aduētum domini Iesu. Non erat Paulus vacuus qui euangelizabat in abūdantia, & repletus erat accipiens odorem bonæ suauitatis, & ab Ephesiis placētem deo hostiam. Non erant Corinthij vacui, in quibus abundabat dei gratia, iuxta eiusdem Apostoli testimoniū. Offerebat se ergo Dauid quotidie deo, & nō vacuus offerebat, qui poterat dicere: Os meū aperui, & adduxi spiritū. Ideo ergo dicebat: Vide quia præcepta tua dilexi. Audi in quo te offerre debeas Christo. Nō in his quæ videntur, sed in occultis, sed in abscōdito: vt pater tuus qui videt in abscondito, reddat tibi, & fidelem remuneret affectū. Præcepta, inquit, tua dilexi. Non dixit seruaui, non dixit custodiui. Nam imprudentes non custodierunt præcepta domini. Aliqui enim codices habent ἀσυνετων τας, hoc est insipientes, non intelligentes. Ergo qui nō intelligunt, non sapiunt, hi qui non custodiunt. Qui autem perfectus est intellectu, perfectus sapientia, diligit, quod est amplius quàm custodire. Custodire enim necessitatis plerūque est & timoris, diligere charitatis. Custodit qui euāgelizat, sed qui volens euangelizat, mercedem accipit: quanto magis qui diligit, mercede donatur? Possumus etiam non amare quod volumus, nō possumus nolle quod amamus. Sed quanuis mercedem perfectæ charitatis expectet, & miserationis diuinæ suffragium poscit, vt in ea viuificetur à domino. Non ergo arrogans debitę mercedis exactor, sed verecūdus misericordiæ diuinæ est deprecator.

Matth. 6.

Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ. VIII.

Cùm principium verborum dei veritas sit, veritas vtique fidei fundamentum est. Primum etenim oportet vt credamus vera esse dei summi quæ in diuinis scripturis legimus oracula: secundum est, virtutem eorum pleniore cognitione discamus. Sicut est initium sapientiæ timor domini, ita plenitudo sapientiæ dilectio. Lex enim sapientia, plenitudo autem legis dilectio: ita plenitudo verborum dei sapientia, cognitióque iustitiæ. Nam sicut à timore domini processus quidam est ad gratiam charitatis, ita à veritate ad iudicium iustitiæ diuinæ, quidam videtur fieri processus. Venisti ad ecclesiam, audisti vnum deum dici, vnde lex incipit, sicut habes scriptum: Audi Israel, dominus deus tuus, deus vnus est: crede vnum deum esse, non plures deos. Cùm autem cœperis legere dominum Iesum dei filium in carne venisse propter totius mundi redemptionem, distingue sapiēter vnum deum patrem esse, ex quo omnia, & nos in illum: & vnum dominum Iesum, per quē omnia, & nos per ipsum. Cognosce quia ideo venit, vt virtutis semitis nostros informet affectus, vt morum mansuetudinē conuersationis eius discēremus exemplo, vt aboleretur culpa per gratiam, & tunc à veritatis confessione ad cognitionē iustitiæ processisti. Fides principium Christiani est, plenitudo autem Christiani iustitia est. Fides in confessione populorum, iustitia in martyrum passione. Scientes igitur in æternum mansura iudicia omnia iustitiæ dei, caueamus ne opera nostra displiceant, & in æternum incipiamus subire iudicium, nec si aliquid boni fecimus, resupino soluamur affectu. Omnes oportet nos ante tribunal Christi assistere, vt recipiat vnusquisque quod gessit, siue bonum sit, siue malum. Vides quia & Paulus assistet, vt ipse commemorat. Caue ne ligna, caue ne stipulam ad iudicium dei tecum deferas, quæ ignis exurat. Caue ne cùm in vno aut duobus habeas quod probetur, in pluribus operibus deferas quod offendat. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, potest tamē & ipse per ignem saluari. Vnde colligitur quia idē homo & saluatur ex parte, & cōdemnatur ex parte. Cognoscētes itaque multa esse iudicia, opera nostra examinemus omnia. In viro iusto graue est detrimentum, graue operis alicuius incendiū, in impio pœna miserabilis: sint magis omnia iudicia plena gratiæ, plena florentium coronarum, ne fortè dum trutinantur facta nostra, culpa præponderet.

Ibidem.

Sermo vicesimus primus.

Incipit litera Schin, quę Latinè dicitur super vulnus. Super vuln⁹ quid est nisi medicamentū, quo vulneris acerbitas mitigatur? Super vuln⁹ oleū

Schin.

infūditur, vt omnis vulneris aſperitas molliatur. Super vulnus malagma, ſuper vulnus alligatura, à quib⁹ omne vulnus fouetur. Vbi ergo ſpes refundendæ eſt ſanitatis, ibi adhibētur medicamenta vulneribus. Vbi autem omne caput in dolore & omne cor in mœſtitia, nō eſt vulnus neque cicatrix, non plaga cum feruore: hoc eſt, vbi nō portio, ſed vniuerſitas periclitatur, & quædā corruptio totius corporis tabe cōſumitur, ibi non eſt malagma imponere, neque oleum, neq; alligaturā. Multo igitur cōmodius eſt vt ſit vulnus quod foueas atque conſtringas, quàm ſine vulnere mors ſerpat interior. Sed eſt non ſolum corporis vulnus, ſed etiam mentis, quod oleo quodam mollioris alloquij, & pacifici ſermonis ſuauitate miteſcit. Sunt fomenta verborū, ſunt medicamēta cœleſtium præceptorū, quibus omne nequitiæ virus aboletur. Sunt legis vincula quæ non adurant, ſed magis liberēt alligatos, & malagma ſpiritale quo colliſa animę quędā mē bra ſolidētur. Cōſideremus igitur quid ſit vulnus, quid ſupra vulnus. Principes perſecuti me gratis, vulnus eſt. Exulto ergo in verba tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Supra vulnus eſt, quia verbis dominicis vulnera dura curātur. In

Thren. 3. Threnis quoque Hieremię habes ſub hac litera ſcriptū: Audiſti opprobrium eorū domine, omnia conſilia eorū aduerſum me, labia inſurgētium aduerſum me tota die, ſeſſionem eorum, & reſurrectionem eorum: vulnus eſt. Sed ſubiecit:

Ibidem. Aſpice in oculis eorum, redde illis retributionē eorum domine ſecundum opera manuum ipſorum. Super vulnus eſt, quia vindicta plerumque ſolet dolorē vulneris mitigare. Et

Thren. 4. infra idē Hieremias ait: Gaude & lætare filia Idumææ, quæ habitas in Geth. Et quidem ad te pertrāſibit calix, bibes, & inebriaberis adhuc: ſuper vulnus eſt. Calix enim domini, remiſſio peccatorū eſt, quo ſanguis effunditur, qui totius mūdi peccata redemit. Hic calix inebriauit gentes ne proprij meminiſſent doloris, ſed veterem obliuiſcerentur errorem. Bona igitur ebrietas ſpiritalis, quæ turbare neſcit corporis inceſſum, leuare mentis nouit veſtigium. Bona ebrietas poculi ſalutaris, quæ mœſtitiā peccatricis abolet cōſciētiæ, iucunditatē vitæ infundit æternæ. Ideo ſcriptura dicit: Et poculum tuum inebrians quàm præclarum eſt. Medicamētum

Pſalm. 22. igitur ſuper vulnus eſt, quia dominus Ieſus ipſe eſt medic⁹, qui vulnera noſtra curauit, infundens vinum & oleū, & alligans vulnera Adæ illius, qui deſcendens ab Hieruſalē à latronib⁹ vulneratus eſt. Caueat igitur vnuſquiſq; ne deſcēdat ab Hieruſalem. Peccatis enim ſuis vnuſquiſque deſcendit, & meritis aſcēdit. Aut quia fragiles ſumus, qui deſcēdit, currat ad illum Samaritanū, cuſtodē corporis ſui, cuſtodē legis & gratiæ, vt vulneri ſuo poſſit inuenire medicinam, qui alligaturā verborū cœleſtium ſuper vulnus imponat, dicens: Pœnitētiā agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Bona

Matth. 3. alligatura, quæ fracta animæ tuæ oſſa cōnectat, & ſoliditate reparata in priſtinas vires reformet, ac diſciſſos art⁹ ſine vlla cicatricis offenſiōe reſtituat. De literæ interpretatione ſatis pro captu noſtro dictū putam⁹, adoriamur ſancti Prophetæ verſus cōſiderare, quos ſpiritu ſancto reuelante ſubiecit.

I.

† *al formidauit.*

Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis trepidauit † cor meum.

Si veterem repetamus hiſtoriā, & Saul & Abſalō, & multi alienigenæ principes ſanctū Dauid perſecuti ſunt, ſed nemo potuit de eo triumphare. Sunt & principes mūdi rectoréſque tenebrarum, qui te in tuo pectore conātur opprimere, & perſecutionum ſæua intus operātur: promittentes regna terrarum, honores atque diuitias, ſi fragili mente ſuccūbas, & obediendum eorū imperiis arbitreris. Iſti principes interdum gratis perſequuntur, interdum non gratis. Gratis perſequuntur apud quem nihil ſuum inueniūt, & eum ſubiugare cōtendunt. Non gratis perſequuntur eum qui ſe eorum dederit poteſtati, & in poſſeſſionem ſeculi totus intrauerit. In ſuos enim iure ſibi dominatum vindicāt, atque ab his mercedē iniquitatis efflagitant. Bene hoc martyr dicit, quod iniuſtè perſecutionum torměta ſuſtineat, qui nihil rapuerit: nullum violentus oppreſſerit, nullius ſanguinem fuderit, nullius thorum putauerit eſſe violandum, qui nihil legibus debeat, & grauiora latronū ſuſtinere cogatur ſuppli-

Eph. 6.

A cia, qui loquatur iuſtè & nō audiatur, qui loquatur plena ſalutis & impugnetur, vt poſſit dicere: Cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Gratis igitur perſecutionē patitur, qui impugnatur ſine crimine: impugnatur vt noxius, cū ſit in tali confeſſione laudabilis: impugnatur quaſi veneficus, qui in nomine domini gloriatur, cùm pietas virtutum omnium fundamentum ſit. Verè fruſtrà impugnatur, qui apud impios & infidos gratia impietatis accerſitur, cùm fidei ſit magiſter. Verum qui gratis impugnatur, fortis debet eſſe & conſtans. Quomodo ergo ſubtrexuit: Et à verbis tuis trepidauit cor meum? Trepidare infirmitatis eſt, timoris atq; formidinis. Sed eſt etiam infirmitas ad ſalutē, eſt etiam timor ſanctorum. Timete dominum omnes ſancti eius. &, Beatus vir qui timet dominum. Qua ratione beatus? Quia in mandatis eius cupiet nimis. Pone ergo martyrem inter pericula conſtitutum, cùm inde immanitas beſtiarū ad incutiendum terrorem infremat, aliunde ſtridor candētium laminarū, & flamma fornacis ardentis exæſtuet, ex parte alia perſonent tractus grauium catenarum, hinc carnifex cruentus aſſiſtat.

B Pone, inquam circunſpectantē omnia plena ſuppliciis, deinde cogitantem mandata diuina, illum ignem perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum, illam pœnæ recrudeſcentis ærumnam, trepidare corde, ne dum præſentibus cedat, perpetuis ſe dedat exitiis, perturbari animo, dum futuri iudicij romphæam illam terribilem quadam cōſpectus ſpecie contuetur. Nónne ad hanc trepidationem fiduciæ viri conſtantis, æqualis in eundem concurrit effectum cōfidentia cupientis æterna, & diuina trepidantis? Si tamen fortior ille qui ſperat, ſit fortior qui præſumit. Vtinam ego talis eſſe merear, vt ſi fortè perſecutor ingruerit, non conſiderem ſuppliciorum meorū acerbitates, non metiar tormenta, non pœnas, nō cogitem vllius atrocitatem doloris: ſed hæc omnia leuia ducam, trepidem ante Chriſtū, ne Chriſtus me neget, ne Chriſtus excludat, ne me repellat de concilio ſacerdotum, ſi indignum collegio me iudicauerit: videat magis licet permotum corporalium terrore pœnarum, plus tamē

C trepidantem futura iudicia. Et ſi dixerit mihi: Modicæ fidei quare dubitaſti? porriget tamen dexteram, & inſurgentis huius ſeculi fluctus mole turbatum, fida mentis ſtatione firmabit.

II.

* *al lætabor ego ſuper eloquia tua.*

Exulto in verbis tuis, * ſicut qui inuenit ſpolia multa.

Bona ergo trepidatio à verbis dei, ſi exultationem generat. Qui enim trepidat à verbis dei, poſtea exultat in verbis dei. Ergo qui habet in aula ſua, corde videlicet ſuo verba dei: excludit ſermones principū à corde ſuo, excludit timor timorē. Si enim ingreſſus quis balneas Solis deponit æſtus, & calor excludit calorem: quanto magis diuini iudicij terror hunc terrorem excludit humanum? feruorem gratiæ ſecularis, gratiæ feruor æternæ? Exultat ergo qui habet verbū dei. Habet enī ſpolia multa, quæ Iudæis abſtulit, habet proſtrati hoſtis exuuias. Sicut Dauid abſtulit Goliæ gladiū, & ipſius gladio caput eius execuit: ſic verus Dauid humilis atque māſuetus dominus Ieſus, intelligibilis Goliæ caput armis ipſius amputauit. Arma enim diaboli gentes erant, fide

D autem gentium vulneratus, caput quod habebat amiſit. Detracta ſunt ſpolia proſtrato, vaſa eius direpta, quia alligatus eſt fortis. Vas diaboli caro erat hominis peccatoris, ſed poſt ea quàm in Chriſtum credidim⁹, caro noſtra cœpit eſſe vas electionis, vt habes de apoſtolo Paulo, qui ad gentes miſſus eſt, dictum à domino Ieſu ad Ananiam: Vade, quoniam vas electionis mihi eſt. Meritò ergo vocatū nomen eſt Chriſti, Velociter ſpolia detrahe, diuide citò: quia priuſquam ſciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutē Damaſci, & ſpolia Samariæ contra regem Aſſyriorum. Ergo rex Aſſyriorum, eorum ſcilicet quos vanos ſua perfidia fecerat, amiſit ſpolia quæ tenebat. Et vt iterū cognoſcas quia ſpolia Chriſtus à diabolo, quæ in Adam ille inuaſerat, vindicauit, & Saba dona adduxit, viri excelſi ad dominum Ieſum alligati vinculis tranſierunt, atque illū cœperunt adorare, quia captiuam duxit captiuitatem: ideo caput eius abſtulit, vt ipſe caput eſſet corporis interempti. Meritò nūc gentes toto orbe caput regale circunferunt, quia membra ſunt Chriſti.

Pſalm. 119.

Pſalm. 33.

Pſalm. 111.

1. Reg. 17.

Actu. 9.

Eſaiæ 8.

Eph. 6.

Cognouiſti

1601

Cognouisti de nationibus, cognosce etiã de Iudæis, quibus dominus Iesus abstulit spolia: hoc est, regnum cœlorum abstulit, & dedit genti facienti fructum eius. Abstulit virtutem panis, & virtutem aquæ, prophetam, & admirabilem consiliarium, & prudentem architectum, & sapiẽtem auditorem. Illis abstulit, nobis dedit: Meritò exulto, sicut qui inuenit spolia multa. Sine labore meo inueni spolia quæ nõ habebam. Inueni heptateucũ†, inueni Regnorũ libros, inueni prophetarum scripta, inueni Esdrã, inueni Psalmos, inueni Prouerbia, inueni Ecclesiasten, inueni Cãtica canticorũ, inueni admirabilem cõsiliarium Christũ, inueni Paulum prudentẽ architectũ, inueni sapientẽ auditorem populum Christianum, qui nouit ea quæ leguntur audire. Ille enim audit, qui ea quę audit intelligit. Lex spiritalis est. Nõ illam audit Iudæus, qui audit corporaliter: sed ille audit, qui audit in spiritu. Habent illi libros, sed sensum librorũ non habent. Habent prophetas, sed nõ habent quem illi prophetauerunt. Quomodo enim habent, quem non receperunt? Ideóque cum Moyse & Helia mihi apparuit, quia ab illis recessit. Multa habet spolia, qui habet dei verbum. Habet resurrectionẽ, habet iustitiam, virtutem atque sapientiam, habet omnia, quia omnia in ipso constant. Hebræi spoliauerunt Ægyptios, & vasa eorum abstulerunt. Iudæorum spolia habet populus Christianus, & totũ habemus quod illi habere se nesciebant. Illi aurum & argentum materiale abstulerunt, nos aurum mentis accepimus, nos acquisiuimus cœlestis sermonis argentum.

Iniustitiam † odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.

Meritò odit iniustitiam, qui habet arma iustitiæ. Hebræus cùm haberet hæc arma, hoc est, legem & prophetas, murem vel hominem abominabatur mortuum, quia lex dicit: Omnis qui tetigerit mortuum, immũdus erit. & humanitatis suprema negabat officia defunctis. sed legi nõ est mortuus nisi qui iniustus est. Hæc enim immũditia iustis quę iniquitas? Quid enim immundius, quàm mentẽ, qua nihil homini preciosius est datum, turpibus cõmaculare criminibus, & atrocibus efferare cõmentis? Quid illis prodest quòd mortuum hominem visere formidant? Vtinam vitia eorũ non polluerent appropinquãtem, quorũ mors contaminare neminem potest. Mors nemini nocet, vtinam vita non noceat. Cõtagium enim colluuionis, cõsortium iniquitatis est. Quomodo ergo contaminare potest, qui iniquus esse iam nõ potest, cùm etiam si fuit, tamen esse desiuit? Fuge ergo iniquitatem, ne te comprehendat. Fuge iniustitiam, quæ viuentes adhuc mortuos facit. Sed nemo fugit iniquitatem, nisi qui diligit æquitatem. & ideo ait: Legem aũt tuam dilexi. In lege æquitas est, si spiritalẽ accipias legem: si consurgas cùm Christo, & ibi altare sacrosanctum illud cœleste cõsideres, nõ altare terrenum, quod hostili populatione destructum est. Si illam Hierusalẽ spectes quæ in cœlo est, non istam quæ à populo Iudæorum frequentabatur in terris, quæ propter incolarum perfidiam à Romano exercitu triumphata, iniecto flagrauit incendio. Si intuearis illum principem sacerdotum de quo scriptum est: Habentes itaque magnum sacerdotẽ egressum de cœlis, Iesum filiũ dei, teneamus cõfessionem fidelem, qui quotidie aduocatus pro nobis est apud patrem, vt pro quibus in diebus carnis suæ misericordi est compassus affectu, pro his operetur remissionem quotidie peccatorum. Quæ enim spes alia generi humano nisi omniũ viuentiũ delicta donentur? Ille ergo princeps solus est sacerdotum, cui astant pij sacerdotes intra cœlestium sacrarium illud altissimũ meritò proprij cruoris ingressi. Illa ergo lex diligẽda est, in qua verus Hebræus liber ab omni seruitute vitiorũ, in qua magnum sabbatum & inoffensa requies defunctorum, in qua mortui populi semen resuscitatur, non commixtione, sed fraterna redemptione. Secundum hãc ergo legem odio habet sanctus iniustitiam, non iniustum, qui potest sæpe congerni, nec mortuorum reliquias, sed mortuam iniquitatem detestatur & refugit.

Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.

Et numero quidem studium sanctę deuotionis exprimitur. Sed puto magis quòd purus & quietus ac vacuus ab omni onere delictorum declaretur affectus: vt sine vllis iracundiæ imprecationibus, aut flagitiosæ cupiditatis incendio deferatur oratio, & nihil quod alij noceat postulemus, nihil quod nos secularibus petitionibus decoloret. Laudemus in hymnis & cãticis, vera semper & iusta ea quæ de diuinis canimus laudibus confitentes. Nõ sit anceps & dubia sententia, non discolor mentis intentio, non materialibus negociis occupata à propositi spiritalis executione deflectat. Iustificetur semper iustitia dei tranquillo animo, nõ ocio feriato.

V. Pax multa diligentibus nomen tuum†, & non est illis scandalum.

† *al. legem tuam.*

Supra diximus, quia charitas excludit timorem, nunc dicimus quia excludit omnem perturbationem. Etenim qui deum diligit, profunda est ei cõfirmatæ mẽtis tranquillitas. Aquæ, inquit, multæ excludere non potuerunt charitatem, *Canti. 8.* & flumina non inundabũt eam. Multa aqua diuersarum est passionum, & flumina secularium cupiditatũ corporalibus motibus incitata. Ideóque charitate fundatus dicit: Torrentẽ pertransiuit anima nostra. Nunquid aqua maris excludere Moysi potuit charitatem? Et vt secundum literã tibi psalmorum series suffragetur, nẽpe diligẽs deum tutum sibi credidit iter esse per maria. Qui autẽ non dilexerunt deum, hi demersi fluctibus dignũ sacrilegiis suis exitum pertulerunt. Helias atque Helisæus Iordanem transierant pede, & hæc fuit nimiæ merces & gratia charitatis. Hi igitur vt transirent aquas fluuij Iordanis, passionũ fluenta nostrarũ mentis prius vestigio transierunt. De hac aqua dicit dominus: Si transeas per aquam, tecum sum, & flumina non inundabunt te. Adest iustis suis semper cùm aliquibus teruntur aduersis, si tamen transeant mente constanti non dubitanti, nõ fidei turbentur incerto. Transi ergo & tu fidelis animi directione, si diuinam vis tibi adesse præsentiam, si non solum pax, sed etiã multa sit in animo tuo dilectio, nulla te prælia diuersæ cupiditatis impugnent, non iracundia stimulet, non libido: etsi est pugna, tamen foris non intus sit. Præliare aduersus persequentes: licet & ipsis silentio sæpe cedendum sit, quia tibi vincunt. Illorum potentia, tua victoria est. Tunc denique triumphantur, cùm se vicisse crediderint. Non ergo te impugnet auaritia, non cupiditas exagitet, non tristitia deiiciat, non inflammet libido, non resupinet superbia, nõ curuet ambitio, non formido consternat. Pax multa abundet, quę exuperat omnem mentem, secundum Apostoli sententiam: quo nihil pulchrius dici potuit. Sũmus enim sapientiæ finis est, vt simus mente tranquilla. Non cõmentitiis poetarum fabulis lubricus turbetur affectus. Summus finis est iustitiæ, vt iniquitas mentem iusti mouere non possit. Virtutis totius hic finis est, vt corporea ipsius fortitudinis efficiat miles bella, & cõfecto bello pacem reformet. Paci ergo & ipsa plerunque militat fortitudo bellãdi: Nemo ergo pacificum turbet affectum. Multa generantur ad perturbationem hominis, & vxor plerunque decepta serpentis insidiis animum viri exagitare conatur: & pater fidem filij frequenter irridet, & vir coniugis suæ mentem tentat opprobriis. Sed in his omnibus superat iustus & dicit: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio? Quoties bene facta crimini dãtur, quoties virtus opprobrio ducitur, quoties ipsa ingrata est gratia. Vẽdidit iustus facultates suas, dispensauit pauperibus, nihil sibi reliquit: contemnitur plerũque in ipsa ecclesia, quia dies esse desiuit: sicut scriptũ est: Si dederit vir omnes facultates suas in charitate, contemptu contẽptus erit. Nõ ergo moueatur. Non enim mercedẽ huius seculi, nec gratiã, sed vitæ quæsiuit æternæ. Non indignetur, quia homines pecuniis magis quàm operibus bonis deferũt. Nam si ei propter bonum opus in hoc seculo deferatur, & huius studij fructum hic adipiscatur, dicetur de eo: Percepit mercedem suã. Habet quidem opus bonum, & hic gratiam, sed breuis portio emerendæ salutis est. Serua futuris mercedem tuã, & istius seculi opprobria incremẽta mercedis tuæ iudica. Cogita semper apostolicum illud, quòd indignæ sint passiones huius temporis ad superuenturã gloriam. Nullis ergo iustus frangatur iniuriis, nullis moueatur pericu-

Psalm. 113. *Esaiæ 43.* *Philip. 4.* *Roma. 8.* *Canti. 8.* *Roma. 8.*

periculis,nullis tẽtetur procellis,siue mors ingruat,siue vita, siue angeli cœlorum. Neque deiiciatur aduersis,nec extollatur secũdis. Nusquã sit eius infirmus affectus. Et mors tentat,& vita tentat. Caueat scandalũ. Qui pacẽ habet,quæ omnem mentem superat:magnus est,nõ est de pusillis istis. Ideo scãdalũ pati non debet,quia pusillorũ est exagitari scãdalo. Vnde & dominus ait: Quicũque scandalizauerit vnum de pusillis istis minimis. Non solum pusillos,sed etiã minimos dixit,quos perturbant scãdala: & ideo graui obnoxius pœnæ est, vt legisti,quicũque turbauerit infirmæ mẽtis infantiã. Sicut enim grauiori dignus supplicio est qui persuaserit crimen infantulo,& incautam præcipitarit ætatem:ita qui inualidum & insipientem & improuidum circũscripserit persuasione erroris,aut exagitatione cordis affectũ. Vis scire quàm infirmus sit,qui scandalizatur? Non mãducabo, inquit,carnem,ne fratrem meum scãdalizem. Quanta infirmitas, & quædam infantia animi, vt eum etiam esca fratris exagitet. Vnde non potest homini esse præcipitium,quando etiam hinc est periculum? Et quod peius est, infirmitas huiusmodi serpit in multos. Vides inopem iustum,tentaris:vides diuitem iniquum,tẽtaris:vides sine liberis sanctum,tẽtaris: vides liberis,honoribus,laudibus secularibus abũdãtem iniustũ,tentaris. Quantæ foueæ,quanti laquei,& quod est grauius,qui multos strangulẽt. In Sodomitana vrbe vix vnus Loth qui non tentaretur inuentus est,cuius tamẽ vxor non potuit tentationis laqueos euadere. Hebræorum populus maria transiuit,sed non potuit tentamenta transire. Tẽtati sunt omnes præter Iesum & Caleph, qui ideo de senioribus terram repromissionis introire meruerunt, quia fuerunt tentationis expertes. Nec Aaron introiuit,nec Maria, quia & ipsi tẽtati sunt. Nec Moyses introiuit,quia dux erat populi qui tentabatur. Typus legis qui excludere tentamẽta non poterat, nõ poterat in terrã resurrectionis inducere, quia ista in euangelio gratia debebatur. Lex pacem non potuit dare: ideo Moyses quoad vixit semper præliatus est. Semper legis populus versatus in ancipiti bellorum est, Iesus autem Naue plebis animos profunda pace composuit: quoniam qui sub lege est, agitatur incertis:qui sub euangelio,audit dicentem: Pacem relinquo vobis,pacem meam do vobis:ideóque diligentibus non est scãdalum. Accipe aliter, Crux Christi Iudæis scandalum, Græcis stultitia est. Scandalum est perfido, quia dicit Iudæus: Ergo hic deus est,qui homo visus est? Hic deus est qui ieiunauit? Hic deus est,qui vapulauit? Hic deus est qui crucifixus est? qui de cruce descendere, & se liberare non potuit? Denique hoc dicebant tempore dominicæ passionis: Descendat de cruce,& credimus ei. Cõfidit in deo,liberet nunc si vult eum. Non te ista tentent, non te ista perturbent, non in animum tuũ huiusmodi se inserant cogitationes. Vbi pax est,& multa pax:ibi crux Christi non opprobrio,sed saluti est. Non fuit opprobrio Petro crux Christi, quæ tantum ei gloriæ dedit, vt inuersis Christum honoraret vestigiis,metuens ne si ea specie crucifixus esset qua dominus, affectasse domini gloriam videretur. Crux ergo opprobriũ perfido,fideli autem gratia, fideli redemptio,fideli resurrectio est,quia pro nobis passus est dominus, quia illo nos redemit sanguine, illa ad paradisum resurrectione reuocauit. Qui hæc credit,quomodo potest turbari,cui spes regni cœlestis assurgit?

Matth.18.

1. Cor.8.

Ioan.14.

1. Corinth.1.

Matth.27.

VI. †al.mãdat.& †al.dilexi.

Expectabam salutare tuum domine, & præcepta † tua feci †.

Qui expectat, sperat charitatem. Ergo spes præcedit, sequitur salus. Spes igitur præcurrit effectum:ideo qui expectauit salutem à domino, præcepta domini fecit. Vnde & dominus appellat amicos in euangelio, non seruos, qui sua præcepta fecerunt. Qui diligit enim, facit: & qui fecerit, meritò dilectionis remuneratione datur.

VII. †al.vehemẽter.

Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea nimis †.

Plus est diligere quàm custodire, vt supra diximus, quia custodire interdum necessitatis est vel timoris,diligere charitatis. Ideo cùm hic dixisset,custodiui,adiecit,dilexi, vt custodia amantis fuerit,non timentis. Qui nimium diligit,nimium custodit.

1604

A Seruaui præcepta * tua & testimonia tua,quoniam omnes viæ meæ in conspectu tuo domine *. VIII. *al.mãdata & al.non habet, domine.

Beatus qui potest dicere: Omnes viæ meæ ante te:qui nolit abscondere omnes cogitationes suas, omnes actus suos. Abscondebat Adam viam suam, abscondebat Eua post culpam,abscondebat Cain necem fratris. In affectu habemus abscondere non in effectu. Plena abscondentis perfidia, & si apud deum nulla sit latebra. Ideo ecclesia in Cãticis sua ei secreta monstrabat,dicens: Assumam te,& ducam te in domum matris meæ,& in secretũ eius quæ concepit me. Nam & si deus omnia videat cordis occulta,bonum tamen est vt vnusquisque animam suam ei aperiat & expandat, & tanquã lumini vel calori eius occurrat. Nec immeritò gloriatur ecclesia,dicens: Ego eram in oculis eius tanquam inueniens pacem: quoniam vias suas prodere non timebat. Iusti ergo est ista vox. Oculi enim domini super iustos. Itaque domino Iesu Christo,qui est via & veritas,bene hoc dicitur ab iis qui illam veram viam fide, moribus, actúque desiderant conuenire: Omnes viæ meæ coram te domine. Nulla enim potest via bona esse, nisi quam tu illuminãdam tui visitatione luminis iudicaueris: cui est honor & gloria, laus, perpetuitas à seculis, & nunc & semper,& in omnia secula seculorum. Amen. Cantic.8. Ibidem. Philip.33. Ioan.14.

B

Sermo vicesimussecundus.

INcipit Tau litera, quæ Latina interpretatione significat,errauit. Alia interpretatio habet,cõsummauit. Quid est errauit? Vicesima secunda litera est,quæ apud Hebræos est vltima. Psalmo autem isto,hoc est,centesimo octauodecimo profectũ hominis diximus significari,qui doctrinæ moralis magisteriis eruditus deponeret omnem inexercitatæ mentis infantiam, assumeret autem veterani consilij scientiam,& prudẽtiæ senilis ætatem. Vbi aũt error est, culpa signatur. Hic ergo est profectus finis, vt culpa sit. Sed vide quid interpretetur. Errauit, inquit. non errat, sed errauit. Erasse præteriti est temporis, errare præsentis. Qui errauit,desiuit errare,& veterem condemnat errorem. De eo enim dicitur errauit,qui in eo errore iam non sit. Nam is qui adhuc in errore permanet,nõ erasse dicitur,sed errare. Errare enim permanẽtis in vitio est, erasse corrigentis est lapsus. Denique emendator morum ait: Eramus enim aliquando insipientes,increduli,errantes in desideriis & voluptatibus. Non dixisset vtique,eramus aliquando insipientes,nisi qui adeptus esset postea sapientię disciplinam. Neque dixisset,eramus errantes,nisi superiorem deposuisset errorem. Denique vt abolitum lapsum doceret,nec vllũ offensionis resedisse vestigium,ait: Cùm autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri, nõ ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti. Veteri ergo errore deposito & spiritu sancto atque omni morum emendatione renouatus dicit: Eramus enim aliquando errantes. Vides ergo quia errori renunciasse non vitij,sed profectus est. Postremò ipse te doceat dominus Iesus,si humanis cõsiliis vel sententiis non putas esse credendum. Nanque in euangelio suo ipse asseruit quòd pastor reliquit nonaginta & nouem oues,& vnam requirit quæ errauit. Cẽtesima ouis est,quam dicit erasse,perfectio & plenitudo numeri: ipsa te instruat & informet. Nõ immeritò cæteris antefertur,quia plus est à vitio se reuocasse,quàm prope vitia ipsa nescisse. Imbutos enim vitiis animos exuere frænis cupiditatum atque emẽdasse, non solùm perfectæ virtutis, sed etiam cœlestis est gratiæ. Emendare etenim futura,attentionis humanæ est: præterita donare,diuinæ est potestatis. Denique inuentam pastor ouem humeris imponit suis. Agnoscis vtique mysterium,quomodo ouis lassa reficiatur, quia non potest aliter humana conditio lapsa recreari, nisi sacramento dominicæ passionis,& sanguinis Iesu Christi, cuius principatus super humeros eius. In illa enim cruce infirmitates nostras portauit,vt ibi omnium peccata vacuaret. Meritò gaudent angeli, quia is qui errauit,iam non errat, iam suum est oblitus errorem. Tau. ad Tit.3. Ibidem. Luce 15. Esaiæ 9. Esaiæ 53.

C

D

ignoré. Non error igitur, sed consummatio est, vt altera do-
cet interpretatio. Cõsummatio autem, perfectio disciplinæ
A est. Vnde & Hieremias in suis Threnis sub hac litera ait: De-
fecit iniquitas tua filia Sion, nõ adiiciet te expellere adhuc.
Visitauit iniquitates tuas filia Edom, reuelauit super pecca-
ta tua. Aduertis quoniam iniquitas non potuit sine dei visi-
tatione deficere, nec plena esse correctio nisi per gratiã do-
mini saluatoris. Quomodo autem deficiat iniquitas, audi di
centem ecclesiam: Exui tunicam meam, quomodo induam
eã? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Veteris igi-
tur hominis vestimentum vitiis erroris intextum, in lauacri
regeneratione depositum, nescit quomodo possit induere.
Studio enim correctionis inoleuerat obliuio peccatorum.
Tanta vis consummatæ emendationis est, vt in quandã pue-
ritiæ redeat spiritalis ætatem, quæ vias erroris ignoret, cri-
men etiã si velit non possit admittere, quia desuecuerit† pec-
candi vsum nosse. Et iam de huius literæ interpretatione sa-
tis dictum arbitror, nunc cognoscamus ex subditis, quæ sit
viri consummati sententia. Itaque sic ait:

B Appropinquet oratio† mea in cõspectu tuo domi-
ne, secundũ verbũ tuum intellectũ tribue mihi†.

Volare facit orationẽ bona vita, & dat alas precibus spiri-
tales, quibus sanctorũ ad deum euehatur oratio. Sed & spiri-
tus quo oramus, subleuat precem iusti, maximè si corde cõ-
trito cõpatiens eam commendet affectus. Consummati aũt
viri ista est confidentia. Denique ipse Dauid in superioribus
versibus psalmi lucernã suis pedibus requirebat, ne in hoc iti-
nere terreno ambulans posset errare. Nunc aũt quasi iam in
fine positus & processu, cõsummato viãdi munere totus as-
surgit, & orationẽ suam dirigit in cœlestia, mittit eã in con-
spectũ domini saluatoris, dans illi flabra iustitiæ, sapiẽtię fla-
mina, remigia deuotionis & fidei, innocẽtiæ puritatísq; subsi-
dia. Peccato enim graue scit oratio, & longè fit à deo. Tãto
aũt plus grauatur, quanto improbior est vita deprecãtis. In-
crẽtium ascendit oratio, & gemitus compatiẽtis affectus,
si Aegyptium lutum oderint, & operari terrena declinent.
Denique sic legisti, quòd Hebræorum, qui dura Aegyptio-
rum imperia ferre non poterant, & vt grauia, ita & lutulẽta
opera indigna sui nobilitate generis recusabant, gemitus &
vox ascenderit ad dominum deum nostrum. Ascendit enim
oratio: quia etsi operabãtur, tamen operabantur inuiti. De-
scendebat itaque ad illos dei misericordia, quia illorum ad
deum ascendebat deuotio. Ascendebat itaque non corpora-
liter, neque enim propheta tantus precationem suam pere-
bat corporaliter appropinquare. Nam qui ita putat, vtique
deum certo aliquo loco ac sede concludit, vt diffusiorem
locũ in quo deus sit arbitretur, cùm vtique inuisibilis, ines-
fabilis, incõprehensibilis impleat omnia, & diuinitatis in eo
habiter plenitudo. Legi Moysem appropinquasse deo cùm
legẽ acciperet: sed solita Dauid verecundia nõ semetipsum,
sed orationem suam deo appropinquare postulat, vt videa-
tur ordo quidã esse distinctus, quod ij qui perfectiores sunt,
ipsi appropinquent deo: sequentis autem ordinis iusti viri
satis habeant si eorum appropinquet oratio. Ex vsu autem
nostri sermonis cõsideremus quid sit appropinquare. Con-
stitue magistrum atque discipulum, si discipulus studiosius
magistri vel hausit ingenium, vel præcepto intendit, ita vt
ad similitudinem operis eius atque doctrinæ proximè vi-
deatur accedere, nónne dicere solemus quòd appropinqua-
uit magistro: Ergo & tu si imitatorem te præbeas Christi, si-
cut & ille qui ait: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:
si dolum nescias, mendacium oderis, veritatem sequaris, iu-
stitiam non refugias, diligas castimoniam, appropinquasti
Christo, & per Christum deo. Ipse via est qua peruenitur ad
patrem, qui apud patrem semper est. Didicimus quid sit ap-
propinquare orationem, hoc est, eleuetur actibus nostris. Si
eleuas actus tuos, eleuasti orationem tuam. Qui nouit leua-
re manus suas, dirigit orationem suam in cõspectu dei, sicut
infra legisti: Dirigatur oratio mea sicut incensum in cõspe-
ctu tuo, eleuatio manuũ mearum sacrificium vespertinum.
Hæc vtique oratio ad vitam, alia oratio in peccatũ. Et ora-
tio, inquit, eius fiat in peccatũ. Et tu si seculatia petas, si fla-
gitiosa postules, oratio tua nõ ad deum dirigitur, sed in pec-
catum. Ideóque intellige quæ petas. Secundum, inquit, ver-
bum tuum mihi tribue intellectum. Aduerte quid postulet.
Non intellectum generaliter dixit: sed intellectum secũdum
verbum dei. Est enim intellectus ad mortem, sicut est pru-
dentia ad interitũ. Filij huius seculi prudentiores sunt quàm Luca 16.
filij lucis in hac generatione. Sed prudentia ista quæ seculi
est, ad vitam non suffragatur æternam. Circa honorem, cir-
ca lucella est, quæstibus coaceruandis intenta, non meritis
comparandis. Postremò circa elementa mundi est, phalera-
ta magis quàm vera sapientia, vt est philosophia omnis, quę
aliena quærit, cum sua nesciat: scrutatur cœli plagas, mundi
spatia rimatur, quæ sibi prodesse non possunt: deum igno-
rat, quem solum deberet inquirere. Ideò verus sapiens dicit:
Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc seculo, stultus
fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est 1. Corin. 3.
apud deum. Elaborandum est igitur vt in hoc seculo stulti
simus, nihil nobis cum philosophia, ne fidem nostram per
elementa mundi huius traducat à vero, ne quis assertionem
nostram per philosophiam deprædetur. Sic enim Arrianos
in perfidiam ruisse cognouimus, dum Christi generationem
putant vsu huius seculi colligendam. Reliquerunt Apostо-
lum, sequuntur Aristotelem. Reliquerunt sapientiam quæ
apud deum est, elegerunt disputationis tendiculas, & aucu-
pia verborum secũdum dialecticæ disciplinam: cùm clama-
ret Apostolus: Ne quis vos deprædetur per philosopiam, Coloss. 2.
& inanem seductionem, secundum traditiones hominum,
secundum elementa huius mundi, & non secundum Chri-
stum. Vtinam possim imitari illam stultitiã qua sim sapiens,
illum virum habentem amplas possessiones, sed nonnegli-
gentem fructum, intentum deo: illum virum qui honores
etiam delatos sibi respuat, doctrinã philosophiæ non requi-
rat: & si antè cognouit, tamen scire dissimulet, & non requi-
rendo dediscat. Non quærat quæ sua sunt, sed aliis sua con-
ferat, sibi acquirat æterna. Hic potest dicere, secundum ver-
bum tuum intellectum tribue mihi, id est, non secundum
philosophos, non secundum causidicos, nõ secundum mer-
C catores huius seculi, non secundum architectos domorum,
sed secundum verbum tuum, quod est veræ sapientiæ bo-
norúmque operum fundamentum, vt super illud constituat
Propheta aurum cordis sui, argentum sermonis sui, lapides
pretiosos operationum suarum, vt opus suum labi & perire
non possit.

Intret postulatio mea coram te†, secundum ver- II.
bum tuum libera me†.

†al. in cõspe-
ctu tuo do-
mine.
†al. eloquiũ
tuum eripe
me.

Vide ordinem. Primũ dixit, Appropinquet oratio mea:
postea intellectum poposcit. Secundum verbum tuum: ter-
tio ait: Intret postulatio mea coram te. Nónne quodam do-
minus inuitat vsu & susципere dignatur affectus? Nõne cum
aliquẽ de primariis viris desideras conuenire, primũ ad eius
domũ appropinquas, postea quæris informari atque instrui,
vt cognoscas mentem patrisfamilias, deinde vt eius domum
ingrediaris imploras, ne quis te abiiciat & excludat? Pulsa
ergo & tu regiam illam cœlestem, pulsa nõ manu corporis,
D sed quadam rationis tuæ dextera. Non sola manus corporis
pulsat, pulsat & vox. Scriptũ est enim: Vox fratris mei pul- Canti. 5.
sat ad ianuam. Pulsamus & digito. Denique & Thomas di-
gito meruit ianuam resurrectionis aperire. Et ibi dicit Iesus: Ioan. 20.
Infer digitũ tuum huc, & mitte manus tuas in latus meũ, &
noli esse incredulus, sed fidelis. Pulsa ergo digito, si non po-
tes tota manu. Pulsa ianuam. Christus est ianua, qui ait: Per Ioan. 10.
me si quis introierit, saluabitur. Cùm hãc igitur ianuam pul-
saueris, vide quomodo ingrediaris, ne fortè iã ingressus ex-
tra conspectũ regis sis. Multi ingrediũtur palatia, & non sta-
tim regem istum terræ vident, sed frequenter obseruant vt
aliquando videri mereantur. Nec præsumunt videndi co-
piam, sed iussi repræsentantur, & precem fundũt, vt cum be-
neuolẽtia susципiantur. Primus hic sui sermonis ingressus est,
ne quid titubet, ne quid offendat. Quãtò magis rogandus est
deus, vt ostium misericordiæ suæ nostra ingrediatur oratio?
Deniq; & Paulus rogat vt aperiatur sibi ostium verbi ad lo-
quendũ mysteriũ Christi. Sed quia Græcus habet εἰσελθέτω,
ἀξίωμα

ἀξίωμά μȣ, hoc est, Intret dignitas mea: licet potuerit scriptor errare, & fecerit ἀξίωσις, hoc est, deprecatio: tamē hoc quoq; explanemus vt possum⁹. Nempe cùm hominē rogas, regem te dicis, vt contemplationem habeat honoris tui, tangat eum tuæ cōtemplatio dignitatis, vt aut misereatur si venia est postulāda, aut deferat pro ordine dignitatis. Et quid dicam, Rogas? sic vnusquisque ingreditur, vt dignitatibus deferatur. Rectè ergo & deuotus deo dicit: Intret dignitas mea coram te. Habet & Christianus dignitatem suā, qui tāto imperatori militat. Sunt maximæ & veræ fidei dignitates: sunt honorum diuersi & apud Christum ordines. Posuit deus in ecclesia primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores. Sed istæ administrantium dignitates. Sunt etiam priuatorum, vt est pietas, iustitia, sobrietas, castimonia, disciplina. Sūt etiam orationis dignitates. Si pro vidua roges, si roges pro pupillo, si roges pro misericordi, si roges pro nimium deuoto ac fideli, si roges in tribulatione, roges cum dolore, si mœsto & ipse qui rogas cōpatiaris affectu, intrat oratio tua dei gratiam, intrat domum eius, si tecum ecclesia deprecetur, si populus vniuersus imploret, vt domini inclinet fauorem. Quid autem rogat? Vt eruatur, vt liberetur eo quòd iam diu aduersus nequitias spiritales, aduersus tentamenta huius seculi prælietur, eò quòd graue est satis longæuo cursu istius diuturnam sustinere militiā. Denique & infra dicit: Heu me quòd incolatus meus prolongatus est. Ingemiscit enim quòd indefessas iugi labore tendat excubias. Ideo petit à tot aduersantibus liberari, nec cum terrenis hominibus vult habere consortium.

Ephes. 4.

Psalm. 119.

III. Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me iustificationes tuas.

2. Cor. 2.

Eructuat hymnum, qui potest dicere: Bonus enim odor Christi sumus deo. Et bene eructuat, qui plurima & suauia præcepta domini gustauerit. Eructuat hymnū, qui eructuauerit verbum. Denique & Dauid antè eructuauit verbum bonum, hic eructuat hymnum. Bonum enim panem gustauit, qui de cœlo descendit. Bonum panem, quem si quis māducauerit, non morietur in æternum. Habet verbum dei epulas suas, alias fortiores, vt est lex & euangelium: alias suauiores, vt sunt psalmi, & cantica canticorū. Eructabat hymnum ecclesia, vel anima pia, cui dicebat dei verbum: Insinua mihi vocem tuam, quia vox tua suauis est. Eructuabat hymnum, cui dicebat: Fauum distillant labia tua ô sponsa, mel & lac sub lingua tua. Sed non potest quis antè eructuare hymnum, nisi didicerit iustitias dei, & didicerit ab ipso domino deo suo. Ideo specialiter hoc Dauid petit, vt eū doceat deus. Audierat enim & cognouerat in spiritu quia vnus magister est, & ideo vbique ipsum doctorem fieri postulabat, vt ab ipso disceret iustificationes eius. Quomodo enim cātare potest in metu positus, & timore pœnarum? Quomodo enim cantare potest grauium sibi conscius delictorum, nisi prius fiat veniæ securus? Denique in posterioribus habes: Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? in qua impugnetur, in qua captiuetur in lege peccati, in qua defleat atque deploret suæ captiuitatis ærumnas? Et tu ergo ede scripturarum cœlestium cibos, & ede vt permaneant tibi in vitam æternā, & ede quotidie, vt non esurias, ede vt repleāris, ede vt verborum cœlestium eructes saginam. Spirituales epulę non obesse solent, sed prodesse satiatis, ideóque repleri volebat Propheta, qui dicebat: Repleatur os meum laude tua, vt cantem gloriam tuam. Qui cantat dei gloriam, hymnum domino cor eius eructuat.

Canti. 2.

Canti. 4.

Matth. 23.

Psalm. 136.

Psalm. 70.

IIII. Loquetur † lingua mea verbum † tuum, quoniam omnia mandata tua iustitia est †.

† al. pronūciabit.
† al. loquiū
† al. æquitas

Qui didicerit iustitias dei, loquitur verbū dei: & qui verbum dei loquitur, ocioſum verbum non loquitur. Ocioſum verbum est, loqui opera hominū. Ideo sanctus dicit dari sibi à domino gratiam, vt non loquatur os suum opera hominum, quia ocioſum verbū est, nec solùm ocioſum, sed etiam periculoſum, pro quo rationē reddituri sumus. Omne enim verbū quodcūq; locuti fueritis, reddetis ꝓ eo rationē. Non enim mediocre periculū est, cùm habeas tāta eloquia dei, & dei opera quę fecit in Genesi, fecit in Exodo, fecit in Leuitico, Numeris, Deuteronomio, Iesu Naue, Iudicū libro, Regnorum atq; Esdræ libris, fecit in euāgelio, in Actibus apostolorum illis prætermissis loquaris quæ seculi sunt: audias quæ seculi sunt. Sepi aures tuas spinis: vtinam & linguā obsepias, ne loquaris quæ seculi sunt, audias quæ seculi sunt. Sed quod peius est, circūdata est lingua tua spinis, quæ cōpungunt & vulnerāt loquētem quæ mūdi sunt. Ideo aduersarius etiam orātibus frequenter seculares offundit cogitationes. Si ergo non debemus audire aliena vel superflua, quanto magis non debemus obloqui, cùm dicat vnicuique nostrum scriptura venerabilis: Argentum & aurum tuū alliga, & ori tuo fac iugum & pondus? Alliga sensum tuū fide, taciturnitate alliga sermones tuos, impone iugum ori tuo, ne indomita ceruice verborum se iacter. Impone pōdus, vt cauto omnia quæ loquimur trutinemus examine. Quibus tamen spinis sepias aures tuas, vt scriptura tibi dicit, nisi cōtrito corde, & timore iudicij? Salubriter ista compungunt, stimulāt ista, non vulnerāt, licet & vulnera vtilia sint amici. Omnia, inquit, mandata dei iustitia est, quia sunt mandata iustitiæ, & ideo sine iustitia esse non possunt. Mādatum dei est vt diligas deū tuū. Vnde ait Apostolus Paulus: Qui enim diligit proximum suum, legem impleuit: Scriptū est enim Non adulterabis, non occides, non furaberis, non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur. Si in hoc verbo instauratur omne mādatum, quod verbum iustitia est: (quid enim tam iustū, vt diligas deum tuū, & diligas fratrem tuum?) vtique omnia dei mandata iustitia est. Sicut enim qui occidere potest fratrem suum vtique non diligit: qui adulterat fratris vxorem, vtique non diligit fratrem: qui furatur, qui cōcupiscit alienum, vtique non diligit eum quem fraudare desiderat: ita qui superbè despicit fratrem qui eum deformare conatur, qui pascitur ei⁹ iniuriis, à consortio charitatis alienus est.

Ecclī. 28.

Rom. 13.

Exod. 20.

V. Fiat manus tua saluum facere * me, quoniam mandata tua elegi.

** al. vt sal. me.*

Auētum domini videtur orare, quia manus dei Christus est. Ipsum legimus dexteram dei, de qua supra ait: Dextera domini fecit virtutē, dextera domini exaltauit me. Cur ergo hic manum dixit, nisi fortè non solùm propter diuersitatem gratiæ quam scriptores non prætermittere solent, sed etiā propter quādam proprietatem manuum dictum est, vt ibi dextera dicatur, vbi scribitur quòd exaltauit cum virtute: hic manus, vbi intelligi oporteat, quòd cū humilitate seruauit? Potest & sic intelligi manus domini, sicut dicitur in vsu: Magna est manus illius regis: hoc est, magnus exercitus? &, illius inferior est man⁹: vt etiā hic intelligam⁹: Fiat adiumentū tuum atq; subsidiū, vt mittas angelos tuos, opē tuā, subsidia potētiæ tuæ ad liberādum populum tuum. Hæc est manus dei, de qua scriptum est: Nónne omnes ministri spiritus sunt, qui mittūtur in ministeriū propter eos qui futuri sunt hæredes salutis? Qui ergo elegit mandata dei, vtitur confidentia, vt cū authoritate deposcat sibi diuina subsidia.

Hebr. 1.

Psalm. 117.

VI. Concupiui salutare tuum domine, & lex tua meditatio mea est.

Alius lōgæuitate vitæ istius delectatur, & cōcupiscit vsque ad depositæ senectutis tempora corporis huius vitam producere. Alij franguntur ægritudinis infirmitate, de quibus nemo potest dicere: Cū infirmor, tūc potēs sum. Beatos se putāt, si inoffensa valetudinis cōmoditate potiantur, quibus non est infirmitas ad salutē. Horum quoque nemo potest dicere: Concupiui salutare tuum domine: suā enim magis salutem quàm salutare dei quærunt, medicis potius sunt quàm scripturis obedientes. Cōtraria autem studiosè sunt diuinæ cognitioni præcepta medicinæ. A ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui se medicis dederit, seipsum sibi abnegat. Qui autem quærit salutare dei, Christum sequitur, qui dicitur salus dei: non quæ corporis, sed quæ æterna sunt quærens, cum hoc corpore cōseruetur quòd salus quæritur: qui autem salutem dei quærit, die vtique & nocte meditetur in lege. Iugis illi meditatio est diuinorum decretorū, neque aliqua cura corporis huius auertitur à studio disciplinæ.

2. Cor. 11.

Viuet

1609

Viuet anima mea,& laudabit te,& iudicia tua adiuuabunt me.

Futurę vtique vitæ,nõ præsentis sibi remuneratione blãditur.Hæc enim vita quomodo dici potest,de qua scriptum est:Et in puluerẽ mortis deduxisti me? Quàm multi viuentes in inferno sunt? Ipse Paulus cupiebat de corpore mortis huius liberari,qui verè cõcupiuit salutare dei dicẽs:Dissolui enim cupio & cum Christo esse,multò enim melius:permanere aũt in carne magis necessariũ,quã voluntariũ.Quomodo ergo viuit anima operta mortis inuolucro? Aut quæ est vita quæ in vmbra est? In regione vmbræ mortis fumus:abscõdita est vita nostra non libera. Erit enim libera in regione viuorum,in qua fiduciã cõplacendi iustus assumit,vt placeat domino in regione viuorum.Ibi ergo viuit anima nostra,vbi nihil mortale,nihil infirmum amicta sit,nihil debitum pœnæ.Ibi laudabit dominum, vbi depositò infirmitatis corpore, cõformis esse cœperit gloriæ corporis Christi. Nam dum in peccato sumus,plenè laudare quid possumus? Peccatori enim dixit deus:Quare tu enarras iustitias meas? In vmbra sum⁹ hic positi,in vmbra viuimus,perfectè in vmbra laudare nõ possumus. Denique audisti in posterioribus dicentes:Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?Adiuuant autem iudicia dei sanctos,cùm bonis operibus remuneratio vitæ confertur æternæ.Beatus qui dicit: Et iudicia tua adiuuabunt me. Ego infirmus, ego peccator timeo iudicia dei propter conscientiã delictorum.mihi terrorem afferunt,me exagitant,sanctos adiuuant. Sed tamen iuuabunt etiam peccatorẽ,licet diuerso modo.Sanctus adiuuabitur,dum probatur:peccator adiuuabitur, dum humiliatur,dum castigatur vt peccata soluat duplicia, dum opus eius exuritur, vt ipse saluus fiat, sic tamen quasi per ignem. Fortassis etiam sic conuenit sensus:Si dignus fuero iudicio, dignus ero vt exuar consortio impiorum, quoniam non resurgunt impij in iudicium. Et adiuuabunt me iudicia, quoniam qui credit in domino,iudicatur. Proderit illi fides, & suffragabitur ad veniam,etiam si qua in operibus offensa sit.

VIII. Erraui sicut ouis quæ perierat†, viuifica†seruũ tuũ, quoniã mandatorum tuorum†non sum oblitus.

Græcus habet,Quære seruũ tuum,hoc est,ζήτησον: & potuit falli scriptor,vt scriberet ζῆσον quod est viuifica.Sensus quidẽ vterque constat,sed opportunior est huic loco, quære seruum tuum : quoniam ouis quæ errauit, quærenda est à pastore, ne pereat. ideo dicit,erraui. Dic & tu iniquitates tuas,vt iustificeris.Quod lapsum fateris,in eo tibi cum omnibus cõmune cõsortium est.quia nemo sine peccato,negare hoc,sacrilegiũ est.Solus enim deus sine peccato est.Confiteri hoc deo impunitatis remedium est.Erraui,inquit.Sed qui errauit in via, potest redire in viam, reuocari potest in viam.Et pulchrè addidit,sicut ouis quæ perierat. Non enim perit qui agnoscit errorẽ.Quære,inquit,seruum tuum,quoniam mandata tua nõ sum oblitus. Veni ergo domine Iesu, quære seruum tuum,quære lassam ouem tuam, veni pastor, quære sicut oues Ioseph.Errauit ouis tua dum tu moraris in nõubus.Dimitte nonagintanouem oues tuas,& veni vnam quærere quæ errauit.Veni sine canibus,veni sine malis operatiis,veni sine mercenario,qui per ianuã introire non nouerit. Veni sine adiutore, sine nũcio,iam dudum te expecto venturum.Scio enim venturum,quoniam mandata tua non sum oblitus. Veni non cum virga, sed cũ charitate, spiritúsque mansuetudine.Noli dubitare relinquere in mõtibus nonagintanouem oues tuas,quia in montibus constitutas,lupi rapaces incursare non possunt.In paradiso semel nocuit serpens,amisit ibi escam postquam Adam inde depulsus est.illiciam nocere non poterit.Ad me veni,quem luporum grauium vexat incursus.Ad me veni, quem eiectum de paradiso serpentini diu vlceris venena pertentãt,quia erraui à gregibus tuis illis superioribus. Nam & me ibidem collocaueras, sed ab ouibus tuis lupus nocturnus auertit. Quære me, quia ego te requiro.Quære me,inueni me,susçipe me, portaque me. Potes inuenire quem tu requiris : dignare susçipere quem inueneris:impone humeris quem susceperis.Non est tibi pium onus fastidio, non tibi oneri est vectura iustitiæ.

Veni ergo domine,quia etsi erraui,tamen mandata tua non
A sum oblitus.Spem medicinæ reseruo.Veni domine, quia & erraticã†solus es reuocare qui possis,& quos reliqueris,non mœstificabis. Et ipsi enim peccatoris reditu gratulabuntur. Veni vt facias salutem in terris,in cœlo gaudium. Veni ergo & quære ouem tuam iam non per seruulos, nõ per mercenarios, sed per temetipsum. Susçipe me in carne quæ in Adam lapsa est.Susçipe me non ex Sara,sed ex Maria, vt incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati.Porta me in cruce quæ salutaris errantibus est, in qua sola est requies fatigatis, in qua sola viuent quicunque moriuntur. Pulchrè autem etiam viuifica, potest dici, eò quòd mori non possit, quem humeris suis virtus portauerit.Dicit ergo & anima,dicit & ecclesia : Erraui sicut ouis quæ perierat. Sed dicit : Quæsiui quem dilexit anima mea. hoc est enim dicere: Viuifica seruum tuum,quoniam mãdata tua non sum oblitus.Ego te quæsiui,sed inuenire nõ possum te, nisi tu volueris inueniri. Et tu quidem vis inueniri,
B sed vis diu quæri,vis diligentius indagari. Nouit hoc ecclesia tua,quia non vis vt te dormiens quærat, non vis vt te iacens inuestiget. Denique pulsas ad ianuam, vt excites dormientem ; exploras si cor vigilat,& caro dormit.Vis iacentem leuare,dicens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Mittis manum per cauernam,vt surgat:& si tardius surrexerit,derelinquis.Vis vt quærat iterum, & quærat à multis, & non obliuiscatur quærere,non obliuiscatur sermones tuos: & si tenet eos,offeras te vidẽdum,non refugias teneri.Quæ cùm te meruerit amplecti,ostẽdit fructus suos,docebit non oblitam se mandatorum tuorum,dicétque tibi : Veni frater meus,exeamus in agrum,& in floribus nostris omnis fœtus arborũ.Noua & vetera frater meus seruaui tibi.Hoc est dicere: Teneo mandata omnia noui & veteris testamenti. Sola hoc dicere ecclesia potest.Non dicit alia cõgregatio, non dicit synagoga,nec secundũ literam noua tenens,nec secundum spiritum vetera.Non dicit hæresis Manichæa : Vetera seruaui tibi quæ prophetas nõ susçipit.Meritò dealbata cernitur, quæ vtriusque fulget gratia testamenti. Respondit ei
C sponsus:Pone me vt signaculum in cor tuum,vt sigillum in brachium tuum,quæ noua & vetera seruasti mihi. Signaculum meum es,ad imaginem meam es & similitudinem.Fulget in te imago iustitiæ,imago sapientiæ, imago virtutis. Et quia imago dei es,in corde tuo est,sit & in operibus tuis, sit effigies euãgelij in tuis factis,vt in tuis moribus mea præcepta custodias.Effigies euangelij erit in te,si percutienti maxillam alteram præbeas,si diligas inimicum tuum,si crucem tuã tollas,& me sequaris. Ideo crucẽ ego pro te portaui,ne tu propter me portare dubitares.Audierunt hoc filię Hierusalem,quòd iam dominus Iesus sibi ecclesiam copulabat:& quia considerãtes magnitudinem verbi,impares se tãtis nuptiis æstimabãt,ne fortè tãtæ copulæ pondus sustinere non possent,excusant dicentes:Soror nostra parua,& vbera non habet. Sic enim qui volunt differre nuptias, excusare consuerunt , vt prætendant immaturæ ætatis infirmitatem : & astruant quòd vbera non habeat,quæ nubilis significãt tempus ætatis.Hoc solet symbolum commune omnibus virgi-
D nibus esse nupturis, vt cùm vbera cœperint eminere , tunc coniunctioni habiles iudicentur. Turbatæ igitur quod studio dilectionis vrgeat nuptias sponsus, dicunt : Quid faciemus sorori nostræ in die qua loquetur in ea?Vel vt Symmachus,qua loquatur ei. hoc est, sponsalium celebritate solet fieri collocutio & confirmatio nuptiarum.Quid ergo faciemus?dicunt turbatæ,quia vrgetur cõiunctio spiritalis.à tantis nuptiis excusare non possunt. Nemo enim est qui copulam vel animæ & spiritus, vel Christi & ecclesiæ nõ beatam putet. Sed quia plenitudo verbi vel spiritus sancti vibrat & fulget,& nihil est quod illis possit æquari,ideo differre desiderãt, vt illa dilatione vel anima vel ecclesia possit esse perfectior. Dicũt ergo:Si murus est,ædificemus super eum receptacula:& si ianua est,sculpamus super eam tabulas cedrinas.Murus est anima sancti. Habet & ecclesia muros suos, quæ iam perfectior dicit:Ego ciuitas munita. Hic est murus qui habet duodecim portas apostolicas,per quas populo nationũ patet ingressus in ecclesiam. Sed murus quamuis ambitum

† errati culpam.

Canti.3.

Ephes.5.

Cantic.7.

Cantic.8.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

bitū totius vrbis includat, tunc tamen est munitior, cùm receptacula habuerit præparata in quib⁹ propugnatores vrbis tutum spectandi ac tuendi possint habere subsidiū. Sed quia rationalis hæc ciuitas est, & omnis spes eius in dei verbo est: non ferrea, sed argētea ei propugnacula requirūtur, eloquiis cœlestibus magis quàm corporis voluptatibus hostiles impetus repulsare cōsueta. Eo fulta præsidio, eo splendore fulgens habilior Christi copulæ iudicatur. Et quia ianua Christus est, qui ait: Per me si quis introierit, saluabitur: & ecclesia ianua nūcupatur, quia per ipsam patet populis aditus ad salutē. Sed ne hæreticorū corrūpatur tineis aut vermibus, dicūt filiæ Hierusalē, vel angeli, vel animæ iustorum: Ædificemus super eam tabulas cedrinas: hoc est, fidei sublimis bonum odorem. Est enim suauis huius materiæ odor, quā non vermis, nō tinea corrūpat. Ideo huius materiæ vsus eligitur tectorum fastigiis eleuandis formandísq; literarum elementis, quibus ætas puerilis ad studium liberalis eruditionis imbuitur. Est ergo materia ista sublimis ad gratiam, leuis ad onus, suauis ad odorem, vtilis ad instrumentū scientiæ, habilis ad ministerium cognitionis æternæ. Sed quemadmodum spōsam suam diligens Christus vrgebat ad copulæ spiritalis solennitatem, ita & ecclesia verbi decore iam capta festinabat ad nuptias. Ideóque morarū & dilationis impatiēs, quas filiæ Hierusalem innectere gestiebāt, dicit: Ego murus, & vbera mea turres, hoc est, nolite dubitare vtrum murus sim. Illæ enim dixerant: Si murus est. Ego, inquit, murus sum, & non parua vbera habeo, sed vt turres vbera mea sunt. Quomodo dicitis quia nō habeo vberes sensus, quæ turres habeo sapientiæ, in quibus est abundātia, sicut scriptum est: Et abundantia in turribus tuis? His veribus, id est, sensibus habilem se tantis nuptiis æstimabat: sed filiæ Hierusalē adhuc non poterant æstimare, quia sensuum eius abundantiam non videbant. Et addidit: Ego erā in oculis eius tanquam inueniens pacē: hoc est, deliberatis de meis sensibus, cùm pacem dei inuenerim, quæ exuperat omnem mentē, & custodit & corda & sensus in Christo Iesu. Talis, inquit, eram in oculis sponsi, qualis quę habet pacē. Scriptū est enim: Qui rectè quærūt pacem, habebunt eam testimonium. Festinantibus igitur dilecto atque dilecta, celebrata coniunctio spiritalis est, mutuo expetita consensu. Ideóque tanquam nuptiale canens carmen, exultauit spiritus in propheta dicens: Vinea facta est Salomoni in Belammon, dedit vineā suam iis qui seruant. Clamat ergo spiritus, plātata est congregatio populorum, sed vitis æternæ radice fundata, & spiritalia sub iugum verbi corde mansueto colla subiecit. Plantata autem in multitudine nationū. Hoc enim intelligendum Bellammon. Symmachus, Aquila, aliæque translationes Græco sermone docuerunt. Repudiata est vetus copula quæ fructum afferre non poterat, data est vinea nouis fidelibúsque cultoribus, qui nō tolum facere fructum possent, sed etiam custodire. Vna igitur ouis errauit, sed reuocata totius spatia orbis impleuit. Vnam oue error abduxerat, sed multitudinem populorum domini gratia congregauit. Errauit homo, sed ecclesia iam murus est, & murus validus. Errauit Adam, murus est Dauid, qui mādata dei oblitus non est. Custodita igitur & vallata hæc vinea munimine spiritali, mille fructus dat Christo, ducētos autem custodibus. Ideóque ait ecclesia: Vitis mea in cōspectu meo, mille Salomoni, & ducenti seruantibus fructum. Perfectio & plenitudo Christi est portio seruulorum. Habes hoc mysterium in Genesi, vbi quinque partes Benjamin fratri iuniori tribuit Ioseph, singulas reliquis fratribus. Domino igitur quinque sensuum portio & prærogatiua defertur, quam illi vtique tribuit ipse quem diligit, sicut dilexit & Paulum, cui dedit ad euocādas gentes sapientiæ principatum. His igitur fructibus delectata ecclesia dicit ad Christum: Qui sedes in hortis, amici intendentes sunt voci tuæ: vocem tuā insinua mihi. Delectabatur enim quòd in hortis Christus sedebat, & in hortis positi amici intēdebant voci eius. Sed quia amici illi de cœlestibus erant archangeli vel dominationes & throni, (homines enim expulsi de paradiso fuerant propter inobedientiam cœlestium mandatorum, atque ideo adhuc ecclesia vocem eius audire non poterat, quam cupiebat audire) ideo ait: Vocem tuam insinua mihi. Vnde & nos si volumus eum in nobis sedere, simus horti clausi atque muniti, feramus virtutum flores, gratiæ suauitatem, vt disputantem angelis dominū Iesum audire possimus. Sed quia futurum erat, vt cùm ad plenitudinem ecclesia peruenisset, persecutionibus variis tentaretur, ideo cùm verbi gratia delectaretur, subitò cernit insidias persecutorum: & quæ plus sponso quàm sibi timeret, aut quia à persecutoribus Christus magis appetitur in nobis, ideo ait: Fuge frater meus, & similis esto tu capreolæ, aut hinnulo ceruorum super mōtes aromatum. Propter infirmos fugit, qui tentamēta grauiora ferre non possunt. Ideo scriptum est vt de ciuitatibus ad ciuitates fugiamus: & si nos in hac ciuitate fuerint persecuti, fugiamus in aliam. Propter infirmos igitur, vt diximus, fugiat persequentes, aut fugiat ab infimis, & transeat ad montes aromatum, qui pro martyrio odorem possit beatę resurrectionis afferre. Montes aromatum sancti sunt. Ad eos cō fugit Christus, quia fundamenta eius in montibus sanctis. Ad eos igitur confugit, qui sunt eius stabilia fundamēta. In nobis fugit, in illis fida statione consistit. Mons igitur aromatū Paulus est, qui potest dicere: Bonus enim odor Christi sumus deo. Mōs aromatum Dauid, cuius orationis odor ascendebat ad dominum: & ideo dicebat: Dirigatur oratio mea sicut incensum in cōspectu tuo. Symmachus autem & Aquila interpretati sunt quòd Christus dicit ad ecclesiam: Quæ sedes in hortis, hoc est iam in hortis sedes, superno digna es paradiso: & ideo vocem tuam insinua mihi, cui amici intendunt. Ego quoq; eam audire desidero. Cœpit in hortis esse ecclesia, postquam in hortis passus est Christus.

Ioan. 10.
Cantic. 8.
Psal. 121.
Philip. 4.
Cantic. 8.
Cantic. 8.
Gene. 43.
Ibidem.
Matth. 10.
Psalm. 86.
1. Cor. 3.
Psalm. 140

OPERVM DIVI AMBROSII MEDIOlanensis episcopi Tomi quarti finis.

QVINTVS TOMVS

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS

OPERVM, COMPLECTENS SCHOLIORVM SEV COMMENTARIORVM IN Euangelium Lucæ libros X. tum commentarios in omnes Pauli epistolas.

***

Huic tomo adiecimus, quæ fuerant prius ab aliis seorsum impressa nomine Ambrosij: & ea quæ per nos primùm nunc exeunt in lucem: cum scholiis Nannij in quædam opuscula, maximè in epistolas omnes D. Ambrosij.



PARISIIS,

Apud Gulielmum Merlin, in ponte Numulariorum: & Sebastianum Niuellium, sub Ciconiis, via Iacobea: & Michaëlam Guillard, viduam Gulielmi Desbois, sub Sole aureo, eadem via.

AN. DO. M. D. LXIX.

Cum priuilegio Regis.

TITVLI RERVM QVAE IN HIS COMmentariorum in Lucam X. Libris explicantur.

LIBRO PRIMO.

Proœmij Euangelij ſecundum Lucam explanatio.

Lucæ primo Capitulo.

De conditione ac laude parentum ſancti Ioannis Baptiſtæ.
De ingreſſu Zachariæ in templum domini.
De angeli apparitione.
De turbati Zachariæ confirmatione.
De incredulitate Zachariæ,& eius punitione.
De conceptione Ioannis præcurſoris domini.

LIBRO SECVNDO.

De miſſione angeli Gabrielis ad virginem Mariam.
De ſalutatione Mariæ,& eius turbatione.
De Mariæ turbatæ conſolatione.
De Mariæ interrogatione,& angeli reſponſione.
De aſſenſu Mariæ,& ſaluatoris conceptione.
De abitu Mariæ in montana,& ſalutatione Elizabeth.
De Ioannis in vtero exultatione,& matris ſpiritu ſancto repletione.
De Mariæ ab Elizabeth benedictione.
De mora Mariæ cum Elizabeth.
De ortu præcurſoris domini.
De nomine præcurſoris,& reparatione vocis Zachariæ.
De prophetatione Zachariæ.

Lucæ II. Cap.

De tempore ortus ſaluatoris.
De natiuitate ſaluatoris.
Interpoſitio narrationis de aduentu magorum.
De nati ſaluatoris manifeſtatione.
De angelorum laudatione.
De paſtorum collocutione.
De conſeruatione dictorum in corde Mariæ.
De circunciſione ſaluatoris,& eius oblatione.
De Symeone & Anna.
De exordio diſputationis Ieſu.
De reſponſione Ieſu ad matrem.
De ſubiectione Ieſu.

Lucæ III. Cap.

De exordio prædicationis Ioannis.
Confirmatio per teſtimonium Eſaiæ.
Redargutio maliciæ Iudæorum.
De reſponſione Ioannis ad populum cogitantem eum eſſe Chriſtum.
Teſtimonium Ioannis de Chriſti aduentu.
De virtute & iudiciaria Chriſti poteſtate.
De Ieſu baptizato,& dei patris teſtimonio.

LIBRO TERTIO.

De genealogia domini ſaluatoris.

LIBRO QVARTO.

Præfatio.

Lucæ IIII. Cap.

De ductu Ieſu in deſertum.
De prima tentatione Chriſti à diabolo.
De ſecunda tentatione Chriſti.
De tertia tentatione Chriſti.
De receſſu diaboli à Chriſto.
De egreſſu Ieſu in Galilæam ad docendum.
Teſtimonium ſcripturæ de miſſione Ieſu ad prædicandum & ſaluandum.
De reſponſione Ieſu ad conciues ſuos.
Confirmatio reſponſionis exemplo Heliæ & viduæ.
Confirmatio eiuſdem,exemplo Heliſæi & Naaman.
De indignatione Iudæorum,& eiectione Ieſu.
Confirmatio doctrinæ Chriſti per miracula.

Lucæ V. Cap.

De aſcenſu Ieſu in nauem Simonis,vt doceret, & miraculo quoſdam ad ſe traheret.
De reſponſione Simonis.

LIBRO QVINTO.

Confirmatio doctrinæ Chriſti per miraculum de leproſo mundato.
Confirmatio eiuſdem per miraculum de paralytico per tectum ſubmiſſo.
De ſubmittentium fide, Chriſtum ad curationem mouente.
De ſcribarum & Phariſæorum reprehenſione.
De myſtica vocatione publicani.
De excuſatione diſcipulorum.
De prima ſimilitudine per Ieſum data.
De ſecunda ſimilitudine.

Lucæ VI. Cap.

De eo quòd in ſabbato ſecundoprimo diſcipuli Ieſu vellebant ſpicas.
De curatione hominis habentis manum aridam.
De oratione Ieſu in monte, & electione duodecim apoſtolorum.
De deſcenſu Ieſu ad docendum turbas.
De ſermone Ieſu de beatitudinibus proborum.
De væ improborum, & de inſtructione ad altiores gradus virtutis,& inimicorum dilectione.
De prohibitione iudicationis.
De arbore mala,ex cuius ſimilitudine improbi homines cognoſcuntur.

Lucæ VII. Cap.

De ſeruo Centurionis curato.
De filio viduæ reſuſcitato.
De miſſione diſcipulorum Ioannis ad Ieſum.
De ſcandalo in Chriſto cauendo.
De laudatione Ioannis à conſtantia mentis.
De laudatione Ioannis ab aſperitate veſtimentorum.
De laudatione Ioannis ab excellentia cognitionis.
De intelligentia præmiſſorum.

LIBRO SEXTO.

De iuſtificatione dei à populo, & contemptu à Phariſæis & legiſperitis.
De ſimilitudine qua Phariſæi & legiſperiti confutantur.
De muliere peccatrice ingrediente domum Simonis ad Ieſum.
De reſponſione Ieſu Simonem arguentis.

Lucæ VIII. Cap.

De reſpõſione Ieſu, Cùm ei nunciatum eſſet matrem & fratres foris ſtare.
De aſcenſu Ieſu in nauem,& ſedatione tempeſtatis.
De eo quòd ſecundum Matthæum duo homines dæmoniis afflati, Chriſto occurriſſe narrentur, Lucas verò vnum inducat.
De filia principis Synagogæ reſuſcitata, & muliere fluxum ſanguinis patiente,ſanata.
Qualiter diſcipuli à Chriſto miſſi,ſe habere debeant ad eos, qui ipſos non receperint.
De refectione turbarum ex quinque panibus,& duobus piſcibus.
De interrogatione Ieſu, Quem ſe eſſe dicant diſcipuli,ac reſponſione Simonis Petri.
De eo quòd Ieſus præcepit diſcipulis,ne eum manifeſtarẽt.

LIBRO SEPTIMO.

De eo quòd dominus Ieſus quibuſdam promiſit viſionem gloriæ ſuæ in vita præſenti.
De eo quòd dominus Ieſus aſſumpſit Petrum, Iacobum, ac Ioannem,& duxit eos in montem, oſtenditque illis maieſtatem ſuam.
De reſponſione Ieſu reſpuentis eum,qui ſe ſequi dixit quocunque ierit.

Lucæ X. Cap.

De miſſione diſcipulorum ad prædicandum.
De inſtructione diſcipulorum ad canendam concupiſcentiã temporalium.
De prohibitione ſalutationis in via.
De condemnatione contemptorum Euangelij,humiliúmq; commendatione,& legis ignarorum confutatione.
De homine deſcendente ex Hieruſalem in Hiericho,& incidente in latrones.

De exemplo

1617
De exemplo Marthæ & Mariæ, per quas duæ vitæ designãtur.

Lucæ XI. Cap.

De exemplo discipulos ad instantiam & frequentiam orationis inducente.
De argumentis quibus Iesus cogitationes Phariſæorum falsas esse conuincit.
De increpatione generationis nequam signum quærentis.
De similitudine qua ad ostensionem fidei adhortamur.
De redargutione interioris immundiciæ, multorúmque vitiorum Phariſæorum & legisperitorum.

Lucæ XII. Cap.

De exemplo quo & timor mortis excluditur, & fides roboratur.
De irremissibilitate blasphemiæ in spiritum sanctum.
De responsione domini ad postulationem cuiusdam, qua auaritia abolenda docetur.
De prohibitione solicitudinis de victu & vestitu.
De vigilantia & negligentia seruorum.
De spirituali intellectu eius quod dominus dixit se venisse nõ vt daret pacem, sed separationem.
De liberatione ab aduersario in via.

Lucæ XIII. Cap.

De parabola arboris fici quid significet.
De curatione mulieris quæ spiritum infirmitatis decem & octo annis habebat.
De comparatione regni cœlorum ad granum sinapis.
De comparatione regni dei ad fermentum quod mulier abscondit in tribus mensuris farinæ.

Lucæ XIIII. Cap.

De curatione hydropici, & suasione humilitatis atque pietatis.
De parata cœna magna, & multorum vocatione, simúlque omnium excusatione.

Lucæ XV. Cap.

De oue centesima, & drachma decima perditis & inuentis.
De duobus filiis, adolescẽtiore, & seniore, quibus pater substantiam diuisit.

Lucæ XVI. Cap.

De eo quòd nemo seruus possit duobus dominis seruire, & de villico iniquitatis, faciendísque amicis de iniquo mãmona.

LIBRO OCTAVO.

Quomodo lex & prophetæ vsque ad Ioannem.
De lege coniugij & vxore non dimittenda.
De diuite induto purpura & byſſo, & Lazaro mendico.

Lucæ XVII. Cap.

De venia largienda iis qui in nos peccauerint, & se ab errore conuerterint.
De virtute fidei per comparationem ad granum sinapis, & de obsequio quod iure domino debetur.
De eo quòd in hora aduẽtus domini ad iudicium qui in tecto est, non descendat, &c.
De duobus in vno lecto, & duabus molentibus in vnũ, duobúsque in agro, quorum vnus assumetur, & alter relinquetur.

Lucæ XVIII. Cap.

De permittendis pueris venire ad Christum, & simplicitate puerili sectanda.
De responsione Iesu ad interrogationem cuiusdam principis qua asserit neminem esse bonum nisi solum deum.
De eo quòd facilius est camelum transire per foramẽ acus, quàm diuitem in regnum dei.
De honorandis parentibus atque pascendis.

Lucæ XVIII, & XIX. Cap.

De illuminatione cæci & vocatione Zacchæi.
De seruo qui vna mina à domino accepta decem acquisiuit.

LIBRO NONO.

A De eo quòd dominus ascensurus Hierosolymam, venit ad montem Oliueti, & inde duos discipulos misit, &c.
De electione vendentium & ementium in templo, ac euersione mensarum & cathedrarum.

Lucæ XX. Cap.

De vinea plantata, & colonis locata.
De confutatione Phariſæorum per interrogationem Christi de imagine & inscriptione denarij.
De tentatione Christi à Sadducæis.

LIBRO DECIMO.

De eo quòd scriptum est, & à Christo Phariſæis obiectum est: Dixit dominus domino meo, Sede à dextris meis.

Lucæ XXI. Cap.

De futura templi destructione.
De signis futuræ destructionis templi.
De signo appropinquantis desolationis.
De væ prægnantium & nutrientium in illis diebus.
De orando ne fiat fuga hyeme vel sabbato.
B De signis aduentus domini.

Lucæ XXII. Cap.

De homine portante amphoram aquæ, discipulis pascha paraturis occursuro.
De sponsione præmij discipulorum Christi, qui secum in tentationibus permanserunt.
De sacculo & pera tollendis, tunicáque vendẽda, & gladio emendo.
De tristitia, dolore, tædio & oratione Christi.
De Iudæ osculo, & Christi traditione, comprehensione, ac ligatione, Petríque persecutione.
De Petri proditione per ancillam, & eius negatione.
De cassa proditoris pœnitentia.

Lucæ XXIII. Cap.

Cur dominus à Pilato interrogatus tacuerit.
Cur dominus coram Herode tacuerit, nec aliquid fecerit, & de reprehensione Pilati manus lauantis, & facta non diluentis.
C Cur dominus ab Herode veste alba indutus, ad Pilatũ fuerit remissus.
Quid designet quòd dominus à militibus chlamide coccinea & purpurea tunica indutus fuerit. Quid etiam corona, flagella, illusoria adoratio, arundo in manus tradita, capitis percussio, significent.
De crucis Christi portatione, & vestimentorum regalium positione.
Christus qualis crucem ascenderit, & de tituli scriptione ac positione super crucem.
De diuisione vestimentorum domini.
De duobus latronibus, vno rogante, ac veniam consequente, & altero conuitiante.
De oblatione aceti, & potatione Iesu.
De commendatione spiritus Iesu in manus patris, & traditione eiusdem: de tenebrarum quoque offusione, petrarum scissione, ac cæteris signis tunc factis.
De commendatione Mariæ matris discipulo Ioanni, & de percussione lateris Iesu post mortem eius.
D De sepultura corporis Iesu, & diligentia mulierum circa illam.

Lucæ XXIIII. Cap.

De deuotarum mulierum atque apostolorũ ad monumentum aduẽtu, angelorum quoque apparitione, ac dubitationibus circa hæc occurrentibus.
De hora dominicæ resurrectionis, & de Maria Magdalena, vtrum vna vel plures.
De manifestatione præterea domini Iesu post eius resurrectionem.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, IN *explanationem Euangelij secundum Lucam præfatio.*

SCripturi in librum euãgelij vnum, quem ſanctus Lucas pleniore quodammodo rerum dominicarũ diſtinctione digeſſit, ſtylum ipſum prius exponendum putamus: eſt enim hiſtoricus. Nam licet ſcriptura diuina mundanæ euacuet ſapientiæ diſciplinam, quòd maiore fucata verborum ambitu, quàm rerũ ratione ſubnixa ſit: tamen ſi quis in ſcripturis diuinis etiam illa quæ mirãda illi putãt, quęrit, inueniet. Tria ſunt enim quæ philoſophi mundi iſtius præcellentiſſima putauerunt, triplicẽ ſcilicet eſſe ſapientiam, quòd aut naturalis ſit, aut moralis, aut rationalis. Hæc tria iam & in veteri teſtamento potuimus aduertere. Quid enim aliud ſignificant tres illi putei, quorum vnus eſt viſionis, alius abundãtiæ, tertius iuramenti, niſi triplicem iſtam in patriarchis fuiſſe virtutem? Rationalis eſt puteus viſionis, eò quòd ratio viſum mentis acuat, & animi purget obtutum. Ethicus puteus abundantiæ, eò quòd cedentibus allophylis, quorum ſpecie vitia corporis figurantur, viuæ Iſaac liquorem mentis inuenit. Purè enim profluunt boni mores, & bonitas ipſa popularis abundat aliis ſibi reſtrictior. Tertius puteus iuramenti, hoc eſt, ſapientiæ naturalis, quæ ea quæ ſupra naturam, vel naturæ ſunt, comprehendat. Quod enim affirmatur, & quaſi deo teſte iuratur, etiam diuina complectitur, cùm dominus naturæ fidei teſtis adhibetur. Quid etiam tres libri Salomonis, vnus de Prouerbiis, alius Eccleſiaſtes, tertius de Canticis canticorum, niſi trinæ huius oſtendunt nobis ſapientiæ ſanctum Salomonem fuiſſe ſolertem? Qui de rationalibus & ethicis in Prouerbiis ſcripſit, de naturalibus in Eccleſiaſte, quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas, quæ in hoc mundo ſunt conſtituta. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt. De moralibus autem & rationabilibus in Cãticis canticorũ, eò quòd cùm animæ noſtræ amor verbi cœleſtis infunditur, & rationi mens ſancta quadam ſocietate connectitur, admiranda myſteria reuelantur. Euangeliſtis quoque quam putas defuiſſe ſapientiam, quorum alij cùm variis generibus ſint referti, ſinguli tamen diuerſo genere præſtant? Eſt enim verè ſapientia naturalis in libro euãgelij qui ſcribitur ſecundum Ioannem. Nemo enim, audeo dicere, tanta ſublimitate ſapientię maieſtatem dei vidit, & nobis proprio ſermone reſerauit. Tranſcendit nubes, tranſcendit virtutes cœlorum, tranſcendit angelos, & verbum in principio reperit, & verbum apud deum vidit. Quis autem moralius ſecũdum hominem ſingula proſecutus, quàm ſanctus Matthæus, qui edidit nobis præcepta viuendi? Quid rationabilius illo admirabili copulatu, quàm quod ſanctus Marcus in principio ſtatim locandum putauit: Ecce mitto angelum meum: &, Vox clamantis in deſerto: vt & admirationem moueret, & doceret hominem humilitate atque abſtinentia & fide placere debere, ſicut ille ſanctus Ioãnes Baptiſta his ad immortalitatem gradibus aſcendit, veſtimento, cibo, nuncio? At verò ſanctus Lucas velut quendam hiſtoricũ ordinem tenuit, & plura nobis geſtorum domini miracula reuelauit: ita tamen, vt omnes ſapientiæ virtutes euangelij iſtius complecteretur hiſtoria. Quid enim præcellentius ad ſapientiã naturalem, quàm quod ſpiritum ſanctũ creatorem etiam dominicæ incarnationis extitiſſe reſerauit? Docet ergo naturalia, ſi creat ſpiritus. Vnde & Dauid docens ſapientiam naturalem: Emitte, inquit, ſpiritum tuum, & creabuntur. Docet moralia in eodem libro, cùm me in illis beatitudinibus docet mores, quemadmodum amare inimicum debeam, quemadmodum non referire & non repercutere verberantem, quemadmodum benefacere, mutuum dare cum deſperatione recuperationis, & cum remuneratione mercedis. Merces enim facilius ſequitur non expectantem. Docet etiam rationabilia, cùm lego: Quoniam qui fidelis eſt in minimo, etiam in magnis fidelis eſt. Quid adhuc de naturalibus dicam, quòd docuit virtutes cœlorum

Roma. 8.

Pſalm. 103.
Luca 9.

Luca 16.

A moueri, dominum ſolum eſſe vnigenitum dei filium, in cuius paſſione tenebræ per diem factæ ſunt, terra obſcurata eſt, ſol refugit? Ergo omnem quem mundana ſibi prudentia falſo vindicat principatum, ſapientia verè poſſidet ſpiritalis, præſertim cùm audacius vt aliquid vſurpemus, ipſa fides noſtra, ipſum myſterium trinitatis ſine hac triplici ſapientia eſſe non poſſit, niſi credamus & illum naturaliter patrem qui nobis genuit redemptorem, & illum Ethicum, qui patri vſque ad mortem ſecundum hominem obediens, nos redemit: & illum rationabilem ſpiritum, qui rationem colendæ diuinitatis, & vitæ regendæ humanis pectoribus infudit. Nec quiſquam putet nos poteſtatis aut virtutis feciſſe diſtãtiam, cùm hæc calumnia etiam Paulum poſſet inceſſere. Neque enim diſtantiam fecit ille cùm dixit: Diuiſiones gratiarũ ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſteriorum ſunt, idem autem dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem autem deus, qui operatur omnia, & in omnibus. Operatur enim omnia, & in omnibus filius, ſicut B habes alibi: Quia omnia in omnibus Chriſtus. Operatur & ſpiritus ſanctus, quia omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Nulla ergo operationum diſtantia, nulla diſcretio eſt, vbi vel in patre, vel in filio, vel in ſpiritu ſancto, nulli ſecũda plenitudo virtutis eſt. Hæc igitur cùm legimus, diligenter conſideremus, vt in ipſis locis nobis poſſint melius elucere. Qui enim quęrit, inuenit: & qui pulſat, aperietur ei. Aperit ſibi diligentia ianuã veritatis, & ideo præceptis cœleſtibus pareamus. Neque enim ociosè dictum eſt homini, quòd nulli aliorum animãtium: In ſudore vultus tui manducabis panem tuum. His enim animalibus quæ natura irrationabilia ſunt, iuſſu dei terra pabulum miniſtrare præcepta eſt. Soli autem homini, vt rationabile quod accepit exerceat, vitæ curſus in labore præſcribitur. Qui enim non eſt contentus animalium pabulo cæterorum, cui non ſatis eſt lignum fructiferum, commune omnibus ad eſcam datum, ſed delicias ſibi variarum exquirit epularum, delicias ſibi tranſmarinis accerſit è terC ris, delicias verrit è fluctibus, recuſare non debet, qui labore victum requirit breuem, ſi laborem pro vita ſubeat æterna. Itaque ſiquis in hæc ſacratarum diſputationum certamina veniens exuat ſe vitæ huius expoſitæ ad errorem ſolicitudine, & nudus malitiæ, athleta pietatis, oleo ſpiritali velut quædam animę membra perfuſus, ſuſcipiat certamina veritatis, haud dubiè perpetua promerebitur ſacratarũ præmia coronarum. bonorum enim laborum nobilis fructus eſt. Et quanto plura certamina, tanto præcellentior corona virtutum. Sed ad propoſitum reuertamur. Hiſtorico ſtylo diximus hunc euangelij librum eſſe digeſtum. Denique deſcribendis magis rebus, quàm exprimendis præceptis, ſtudium vberius comparatione aliorum videmus impenſum. Et ipſe euangeliſta hiſtorico more à narratione ſumpſit exordium. Fuit, inquit, in diebus Herodis regis Iudææ ſacerdos quidam nomine Zacharias. eámque hiſtoriam plena digeſtione proſequitur. Vnde etiam ij qui quatuor animalium formas, quæ in Apocalypſi reuelantur, quatuor euangelij libros intelligendos arbitrati ſunt, hunc librum volũt D vituli ſpecie figurari. Vitulus enim ſacerdotalis eſt victima. Et bene congruit vitulo hic euangelij liber, quia à ſacerdotibus inchoauit, & conſummauit in vitulo, qui omnium peccata ſuſcipiens, pro totius mundi vita eſt immolatus. Sacerdotalis enim & ille vitulus: Idem quippe & vitulus eſt & ſacerdos. Sacerdos, quia propitiator eſt noſter. Advocatum enim ipſum habemus apud patrem. Vitulus, quia ſuo ſanguine nos diluit & redemit. Et bene accidit, vt quoniam euangelij librum ſecundum Matthæum diximus eſſe moralem, opinio huiuſcemodi non prætermitteretur. Mores enim propriè dicuntur humani. Plerique tamen hinc putant ipſum dominum noſtrum in quatuor euangelij libris, quatuor formis animalium figurari, quod idem homo, idem leo, idem vitulus, idem aquila. Homo, quia natus ex Maria eſt: leo, quia fortior eſt: vitulus, quia hoſtia eſt: aquila, quia reſurrectio eſt. Atque ita in libris ſinguli forma animalium figuratur, vt vniuſcuiuſque libri ſeries propoſitorum videatur animalium aut naturę, aut virtuti,

1. Cor. 12.

Coloſ. 3.

1. Cor. 12.

Matth. 7.

Gen. 3.

1. Ioan. 2.

uirtuti, aut gratiæ, aut miraculo cõuenire. Quæ licet omnia in omnibus sint, tamen plenitudo quædam in singulis virtutum est singularum. Ortum hominis alius describsit vberius, mores quoque hominis præceptis vberioribus eruditus: Alius à potentiæ cœpit expressione diuinæ, quod ex rege rex, fortis ex forti, verus ex vero, viuida mortẽ virtute contempserit. Tertius sacrificium sacerdotale præmisit, & ipsam vitulli immolationẽ stylo quodam pleniore diffudit. Quarum copiosius cęteris diuinæ miracula resurrectionis expressit. Vnus igitur omnia, & vnus in omnibus, sicut lectum est, non dissimilis in singulis, sed verus in cunctis. Sed iã ipsum sermonem adoriamur euangelij.

Diui Ambrosij

MEDIOLANEN. EPISCOPI, *commentariorum in euangelium secundum Lucam Liber primus.*

Proœmij Euangelij secundum Lucam, Explanatio.

Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum.) Pleraque nostrorum, quemadmodum veterum Iudæorum, paribus & generibus formantur & causis, atque exemplorum similium pari vsu, exitúque cõueniunt, principióque rerum & fine concordant. Nam sicut multi in illo populo diuino infusi spiritu prophetarũt, alij autẽ prophetare se pollicebantur, & professionẽ destituebant mendacio: (erãt enim pseudoprophetæ potius quàm prophetæ, sicut Ananias filius Azoti) erat autẽ populi gratia discernere spiritus, vt cognosceret quos referre deberet in numerũ prophetarum, quos autẽ quasi bonus nũmularius improbare, in quibus materia magis corrupta sorderet, quã veri splendor luminis resultaret: sic & nunc in nouo testamẽto multi euangelia scribere conati sunt, quæ boni nũmularij nõ probauerunt. Vnum autem tantummodo in quatuor libros digestum ex omnibus arbitrati sunt eligendum. Et aliud quidem fertur euangelium, quod duodecim scripsisse dicantur. Ausus est etiam Basilides euangelium scribere, quod dicitur secundum Basilidem. Fertur etiam aliud euangelium, quod scribitur secundum Thomam. Noui aliud scriptum secundum Mathiã. Legimus aliqua, ne legantur: legimus, ne ignoremus: legimus, non vt teneamus, sed vt repudiemus, & vt sciamus qualia sint in quibus magnifici isti cor exaltãt suũ. Sed ecclesia cùm quatuor Euangelij libros habeat, per vniuersum mundum euangelistis redundat: hæreses cùm multa habeant, vnum non habent. Multi enim conati, sed dei gratia destituti sunt. Plerique etiam ex quatuor euangelij libris in vnum ea quæ venenatis putauerunt assertionibus conuenientia, retulerunt. Ita ecclesia, quæ vnum euangelium habet, vnum deum docet. Illi autem qui alium deum veteris testamenti, alium noui asserunt, ex multis euangeliis non vnum deum, sed plures fecerunt. Quoniam multi, inquit, conati sunt. Conati vtique illi sunt, qui implere nequiuerunt. Ergo multos cœpisse nec implesse etiã sanctus Lucas testimonio locupletiore testatur, dicens plurimos esse conatos. Qui enim conatus est ordinare, suo labore conatus est, nec implenit. Sine conatu sunt enĩ donationes & gratia dei: quę vbi se infuderit, rigare consueuit, vt non egeat, sed redundet scriptoris ingenium. Non conatus est Matthæus, non conatus est Marcus, non conatus est Ioannes, nõ conatus est Lucas, sed diuino spiritu vbertatem dictorum rerúmque omnium ministrante, sine vllo molimine cœpta compleuerũt. Et ideo bene dicit: *Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem rerum quæ in nobis completæ sunt.*) Vel quę in nobis redundant. Quod enim redundat, nulli deficit: & de completo nemo dubitat, cùm fidem effectus astruat, exitus prodat. Itaque euangelium completum est, & redundat omnibus per vniuersum orbem fidelibus, & mentes omnium rigat, animúmque confirmat. Ergo fundatus in petra, & qui omnẽ fidei sumpserit plenitudinem, firmamentúmque constãtiæ, rectè dicit: Quæ in nobis completæ sunt: quoniam non signis & prodigiis, sed verbo vera & falsa discriminãt qui salutaria domini gesta describũt, vel qui animum mirabilibus eius intendunt. Quid enim tã rationabile, quã vt credas, cũ legis ea gesta quæ supra hominẽ sunt, potioris esse naturæ? At verò cùm legis ea quæ sunt mortalia, susceptí credas esse corporis passiones? Ita verbo atque ratione, non signis fides nostra fundatur. *Sicut tradiderunt*, inquit, *nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt verbi.*) Non congruit ista elocutio, vt magis ministerium verbi visum quàm auditum esse credamus. Sed quia non prolatiuum verbum, sed substantiale signatur verbum illud quod caro factum est, & habitauit in nobis: non vulgare verbum, sed illud cœleste intelligamus, cui apostoli ministrarunt. Et tamẽ in Exodo lectum est: Quia populus videbat vocẽ domini: & vtique vox non videtur, sed auditur. Vox enim quid est, nisi sonus, qui nõ oculis cernitur, sed aure percipitur? Verùm altissimo ingenio voluit declarare Moyses quia vox videtur dei: interioris enim mentis videtur obtutu. In Euangelio autem nõ vox, sed illud quod voce præstãtius est, verbũ videtur. Vnde & Ioannes sanctus Euãgelista: Quod erat, inquit, ab initio, quod audiuimus, & quod vidimus, & oculis nostris perspeximus, & manus nostræ scrutatæ sunt de verbo vitæ, & vita apparuit, & vidimus, & testamur & annunciamus vobis de vita, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Vides ergo quòd verbum dei & visum est apostolis, & auditũ. Non solum enim secundum corpus viderunt dominum, sed etiã secundum verbum. Viderunt enim verbum, qui cum Moyse & Helia viderunt gloriam verbi. Isti enim viderunt Iesum, qui in sua viderunt gloria: alij non viderunt, qui corpus tantũmodo videre potuerunt. Non enim corporalibus, sed spiritualibus oculis Iesus videtur. Denique Iudęi non viderũt eum, quia non videbant in spiritu. Vidit eum Abraham, quia scriptum est: Abrahã diem meum vidit, & gauisus est. Vidit ergo eum Abraham, qui dominum vtique in corpore non videbat: sed qui vidit in spiritu, vidit in corpore: qui autem vidit in corpore, & non vidit in spiritu, nec in ipso vidit corpore quod videbat. Vidit eum Esaias: & quia vidit in spiritu, vidit & in corpore. Denique nõ habebat, inquit, speciem neque decorem. Non viderunt eum Iudæi: obcæcatum enim erat insipiens cor eorum. Ipse quoque non se posse à Iudæis videri, testificatur dicens: Duces cæci liquantes culicem, camelum autem glutientes. Non vidit eum Pilatus, non viderunt illi qui clamabant: Crucifige crucifige eum. Si enim vidissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent. Qui ergo deũ vidit, vidit Emmanuel, hoc est, vidit nobiscum deum. Qui autem nobiscum deum non vidit, non potuit videre quem virgo peperit. Denique qui nõ crediderunt dei filium, nec filium virginis crediderunt. Quid est ergo deum videre? Nolo me interroges, Euangelium interroga, ipsum dominum interroga, imò dicentẽ audi: Philippe, qui videt me, videt & patrem qui me misit: Quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Vtique non corpus videtur in corpore, nec spiritus videtur in spiritu, sed solus ille pater videtur in filio, aut filius videtur in patre. Non enim dissimiles in dissimilibus videntur, sed vbi vnitas operationis est, atq; virtutis, & filius in patre, & pater videtur in filio. Quæ ego, inquit, opera facio, & ille facit. In operibus Patris Iesus videtur, in operibus filij & pater cernitur. Vidit Iesum qui Galilęum illud mysterium vidit, quod nemo posset, nisi mundi dominus elementa conuertere. Video Iesum, quando lego quia cæco liniuit oculos luto, & reddidit visum. Ipsum enim recognosco, qui de luto finxit hominem, & ei viuendi spiritum, videndi lumen infudit. Video Iesum, quando peccata condonat. Nemo enim potest peccata di-

Ioan. 11. mittere, nisi solus deus. Video Iesum, quando Lazarū suscitat, & non viderunt qui viderunt. Video Iesum, video etiam patrem, quando oculos ad cœlū erigo, ad maria cōuerto, ad terrā retorqueo. Inuisibilia enim eius, per ea quę facta sunt,
Rom. 1. intellecta conspiciuntur: sicut tradiderunt nobis qui ab initio viderunt, & ministri fuerunt verbi. Gemina virtus est in homine perfecto, vt & intentio sit, & actio. Vtráque igitur virtutē sanctus Euāgelista apostolis defert. Non solū enim viderunt, inquit, sed etiā ministri verbi fuerunt. Intentio visionis, actionis est ministerium: finis autem intentionis est actio: principium actionis intētio. Atque vt proprio apostolorum vtamur exēplo, intentio est quod petrus & Andreas audita domini voce dicentis, Faciam vos fieri piscatores ho-
Matth. 4. minum: sine vlla comperēdinatione reliquerunt scalmum, verbum secuti sunt. Sed non statim in intentione actio. Ibi quidem adhuc non actio, sed intentio, vbi dicit Petrus: Do-
Ioan. 13. mine, quare non possum te sequi modo? Animam pro te ponam. Erat enim intentio passionis, sed nondum etat actio: licet in iciuniis iam esset actio, esset in vigiliis, esset in contēptu corporalium voluptatum. Hæc enim est actio Christiani. Neque enim in omnibus rebus simul & intentio & actio est: sed cum sit rei alterius actio: alterius adhuc intētio
Ioan. 11. est. Nam & ipse Petrus cum multa apostolica virtute perpeti peregisset, postea tamen quando dixit ei dominus, Tu me sequere, tulit crucem suam, & secutus est verbum, atque actionē subiit passionis. Sed fuerat in Petro, Andrea, Ioāne, & cęteris apostolis, & intentionis & actionis æqualitas. Est autem nonnunquam plus in intētione quàm in actione, aut plus in actione quàm in intentione: vt in Euangelio cernimus inter sanctam Mariam & Martham fuisse distantiam.
Luca 10. Alia enim verbum audiebat, alia festinabat circa ministerium, quæ stetit & ait: Domine non est tibi curæ eò quòd dereliquit me soror mea solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet. Et dixit illi dominus: Martha Martha, Maria optimam patrem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ergo in altera intentionis studium, in altera actionis ministerium redundabat, vtrique tamen vtriusque virtutis studium suppetebat. Siquidem & Martha, nisi audisset verbum, ministeriū non subisset: cuius actio, intentionis indicium est. Et Maria tantum gratiæ de vtriusque retulit perfectione virtutis, vt vngeret pedes Iesu, & tergeret capillis, & totā domum suæ fidei odore compleret. Est etiam nonnunquam maxima intentio, cassa actio: vt si medicinæ animum aliquis intendat, & cùm omnia medendi præcepta cognouerit, non exequatur officia: atque ita fit, vt quia cassa actio, cassa etiā intentio sit. Est etiam in nonnullis vberior aliquando actio, exilior intentio, vt si aliquis baptismi salutaris sacramēta percipiat, & cognoscendis variarum virtutum præceptis animum nolit intendere, fit plerumque vt per intentionis incuriam fructum actionis amittat. Ideo ergo vtriusque virtutis plenitudo quærenda est, quam consequi potuerūt apostoli, de quibus dicit: Qui ab initio viderunt, & ministri fuerunt: vt per id quod viderunt, diuinæ cognitionis intelligatur intentio: per id quod ministri fuerūt, eorum actio declaretur. Visum est, inquit, mihi. Potest etiam non soli visum esse, quod visum sibi esse declarat. Non enim voluntate tantum humana visum est, sed sicut placuit ei, q in me, inquit, loquitur Christus: qui, vt id quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit, operatur: quem enim miseratur, & vocat. Et ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus: respondere: Visum est mihi. Quod cùm dicit, non negat deo visum. A deo enim præparatur voluntas hominum. Vt enim deus honorificetur à sancto, dei gratia est. Denique plurimi voluerunt scribere Euangelium, sed quatuor tantummodo, qui diuinam meruerūt gratiam, sunt recepti. *Visum est*, inquit, *& mihi assecuto à principio, omnia diligenter ex ordine tibi scribere.*) Prolixiorem hunc euangelij librum quàm cæteros esse nemo dubitauerit. Et ideo non ea quæ falsa sunt, sed quæ vera, sibi vindicat. Denique etiam à sancto Apostolo Paulo testimonium meruit diligētiæ. Sic enim laudat Lucam: Cuius laus, inquit, est in euāgelio, per omnes ecclesias. Et verè laudabilis est, qui meruit à
2. Corin. 8. tanto gentium doctore laudari. Assecutū itaque se nō pauca dicit, sed omnia: & assecuto omnia, visum est scribere nō omnia, sed ex omnibus. Non enim scripsit omnia, sed assecutus est omnia: quia quæ fecit, inquit, Iesus, si scribantur omnia, nec ipsum capere mundum arbitror. Aduertis enim quòd consultè etiam ea quæ ab aliis sunt scripta, præteriit, vt diuersa in Euāgelio gratia refulgeret: & propriis quibusdam singuli libri mysteriorum gestorúmque miraculis emi-
Ioan. 21. nerent. Diuiserunt enim sibi vestimenta domini milites Christi: quod suo loco plenius explanabitur. Scriptum est autem euangelium ad Theophilum, hoc est, ad eum quem deus diligit. Si deum diligis, ad te scriptum est: si ad te scriptum est, suscipe munus Euāgelistæ, pignus amici, in penetralibus animi diligenter asserua. Bonum depositum custodi, per spiritum sanctum, qui datus est nobis: frequenter inspice, sæpius discute. Fides pignori prima debetur, fidem seruo consumat. Quod enim tibi commissum est, cōsumi potest, Euangelium consumi non potest. Euangelium bonum pignus est, sed vide ne vel in animo tuo illud aut tinea aut ærugo consumat. Consumit tinea, si quod bene legeris, malè credas. Tinea hæreticus est, tinea Fotinus est, tinea tua Arrius est. Scindit vestimentum, qui separat à deo verbum. Scindit vestimentum Fotinus cùm legit: In principio erat
Ioan. 1. verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat. Integrum enim vestimētum est, si legas: Et deus erat verbum. Scindit vestimentum, qui separat à deo Christum. Scindit vestimentum, qui legit: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te
Ioan. 17. solum verum deum, nisi cognoscāt & Christum. Non enim solum patrem verè deū cognoscere vita æterna est, sed etiā Christum cognoscere verum deum, verum de vero, deum de deo, vita est sempiterna. Tinea est Christum cognoscere sine diuinitatis fide, aut corporis sacramento. Tinea est Arrius, tinea est Sabellius. Patitur has tineas spiritus fluctuantium. Patitur has tineas spiritus qui nō credit quia pater &
Ioan. 10. filius diuinitate vnum sunt. Scindit quod scriptum est, Ego & pater vnum sumus, qui vnum per discretas substātias diuidit. Patitur hanc tineam spiritus qui Iesum Christum in carne veniisse non credit, & ipse tinea est. Ipse est enim Antichristus. Qui autem de deo sunt, fidem tenent. Et ideo tineā pati non queunt, quę diuidit vestimentū. Omne enim quod inter se diuiditur, sicut Satanæ regnum, non potest esse perpetuum. Est etiam ærugo animi, cùm secularium sordibus cupiditatum religiosæ acies intentionis obducitur, aut fidei puritas decoloratur nube perfidiæ. Ærugo mētis est rei cupiditas familiaris: ærugo mentis, incuria est. Ærugo mentis est appetentia dignitatum, si in his summa spes vitæ præsentis locetur. Et ideo ad diuina conuersi, acuamus ingenium, exerceamus affectum, vt gladium illum quem vendita veste emi dominus iubet, paratum semper & lucidum tāquam in
2. Cor. 10. vagina mentis recōditum habere possimus. Arma enim spiritalia, & fortia deo ad destruendas munitiones militibus Christi debent semper esse præsentia, ne cùm venerit dux cœlestis militiæ, situ nostrorum offensus armorum, à legionum suarum nos societate discernat.

ENARRATIO EVANGELII SECVNDVM LVCAM.

De conditione ac laude parentum sancti Ioannis Baptistæ.

Cap. I. *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam, nomine Zachariæs, de vice Abia, & vxor eius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem iusti ambo ante deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine querela.*

EXPOSITIO LITERÆ.

Docet nos scriptura diuina, non solum mores in iis qui prædicabiles sunt, sed etiā parentes oportere laudari, vt veluti trāsmissa immaculatæ puritatis hæreditas, in iis quos volumus laudare, præcellat. Quę enim alia intētio, hoc loco sancti Euāgelistę, nisi vt sanct⁹ Ioānes Baptista nobiliter⁹ parētib⁹, miraculis, moribus

1625

moriby, munere, passione? Sic etiã sancti Samuel mater Anna laudatur, sic Isaac à parẽtibus nobilitatẽ pietatis accepit, quã posteris dereliquit. Sacerdos itaque Zacharias, nec solũ sacerdos, sed etiam de vice Abia, id est, nobilis inter superiores femine. † *Et vxor*, inquit, *eius de filiabus Aaron.*) Non solum igitur à parentibus, sed etiã à maioribus sancti Ioannis nobilitas propagatur, nõ seculari potestate sublimis, sed regionis successione venerabilis. Tales enim maiores habere debuit prænuncius Christi, vt non repente conceptã, sed à maioribus acceptam, & in ipso infusam iure naturæ prædicare fidem dominici videretur aduentus. *Erant*, inquit, *ambo iusti ante deum, incedentes in omnibus mãdatis & iustificationibus domini sine querela.*) Quid ad hoc referũt qui peccatis suis solatia præferentes, sine peccatis frequentibus hominem putant esse non posse, & vtũtur versiculo, quia scriptum est in Iob: Nemo mũdus à sorde, nec si vnius diei vitæ sit in terra, numerosi mẽses eius ab ipso? Quibus respondendũ est, primo, vt quid sit hominem sine peccato esse, definiant, vtrum nunquam omnino peccasse, an desisse peccare. Si enim hoc putant sine peccato esse, desisse peccare: & ipse consentio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria dei. Sin autẽ eum qui veterem errorem correxerit, & in eam se vitæ transformauerit qualitatem, vt temperet à peccato, negãt abstinere delictis: non possum in eorum conuenire sententiam, cùm legamus: Quia sic dominus dilexit Ecclesiam, vt exhibeat sibi ipse gloriosam, & non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Nam cùm Ecclesia ex gentibus, hoc est, ex peccatoribus cõgregata sit, quomodo ex maculatis immaculata potest esse, nisi primo per dei gratiam, quòd abluta à delicto sit, deinde quòd per qualitatem non peccandi abstineat à delictis? Ita nec ab initio immaculata (humanæ enim hoc impossibile est naturæ) sed per dei gratiam, & qualitatem sui, quia iam non peccat, fit vt immaculata videatur. Nec ociosè iustos ante deum dixit, incedentes in mandatis & iustificationibus domini. In quo patrem omnipotentem & filium comprehẽdit. Filium esse qui legem tulerit, mandata præscripserit, etiam sanctus Lucas Euangelista declarat. Et bene iustos ante deum. Non enim omnis qui iustus est ante homines, iustus est ante deũ. Aliter vident homines, aliter deus: homines in facie, deus in corde. Et ideo fieri potest vt aliquis affectata bonitate populari, iustus videatur mihi, iustus autem ante deum nõ sit: si iustitia non ex mentis simplicitate formetur, sed adulatione simuletur. Abscondita enim in ea homo non poterit deprehendere. Perfecta igitur laus est, ante deum iustum esse. Vnde & Apostolus: Cuius laus, inquit, non ex hominibus, sed ex deo est. Beatus planè ille, qui in conspectu dei iustus est. Beatus ille, de quo dominus dignatus est dicere: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Verus enim Israelita, qui deũ videt, & videri se nouit à deo, & ipsi exhibet cordis occulta. Solus enim perfectior, qui ab eo probatur qui nõ potest falli. Iudicia enim domini vera, iudicia autẽ hominum sæpe fallũtur: vt & iniustis iustitiæ gratiã frequenter adscribant, & iustum aut odio persequantur, aut mendacio decolorent. Nouit autẽ dominus immaculatorum vias, nec pro peccatore laudabilem, nec pro laudabili peccatorem, sed vnumquemque pro competentium iudicat ratione meritorũ. Idem est enim arbiter mentis & facti. Diuina nanque iudicia meritum iusti ex mentis abitu, non aliquo factorũ exitu metiuntur. Plerumque enim aut bona mens facti reprehẽsibilis exitu deformatur, aut improba cogitatio facti alicuius decore velatur. Sed etiam quod bene feceris, si malè cogitaueris, diuino iudicio non potest comprobari. Scriptũ est enim: Iustè quod iustum est persequeris. Nã nisi esset vt iustum iniustè faceres, nunquã dictum esset: Iustè quod iustũ est persequeris. Et certè posse iustũ iniustè fieri, docuit nos ipse saluator, dicens: Cùm feceris eleemosynam, noli tubanare ante te. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ. Bona est enim misericordia, bona est oratio: sed potest iniustè fieri, si iactantiæ causa aliquis pauperi largiatur, vt videatur ab hominibus. Vnde sanctus Euangelista non solum iustos ante deum, & incedentes in mandatis omnibus & iustificationibus domini, sed etiam sine querela incedẽtes ait: Quod mirè cum prophetico congruit dicto, quo sanctus Salomõ in Prouerbiis vsus est, dicens: Prouide bona semper coram deo, & corã hominibus. Nulla ergo querela est, vbi & mentis bonitas concordat & facti. Et plerumque iustitia durior hominum querelam excitat. Quàm verò congruat verborũ ipsa distinctio, & ordo conueniat, diligenter aduerte. *Incedẽtes*, inquit, *in omnibus mandatis & iustificationibus domini.* Prius enim mandatum, secunda est iustificatio. Itaque cùm mandatis cœlestibus obedimus, in mandatis incedimus domini. Cùm iudicamus, & congruè iudicamus, † facere domini iustificationes videmur. Plena igitur laudatio, quæ genus, mores, officium, factum, iudicium comprehendit. Genus in maioribus, mores in æquitate, officium in sacerdotio, factũ in mandato, in iustificatione iudicium.

A

Prou. 20. Roma. 2.

† tenere.

De ingressu Zachariæ in templum domini.

B

FActum est autẽ cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante deum, secundum cõsuetudinem sacerdotij, sorte exiit vt incensum poneret ingressus in templum domini, & omnis populus foris orabat hora incensi. Videtur hic sanctus Zacharias summus designari sacerdos, quia sicut lectum est de priore tabernaculo, in quod semper intrabant sacerdotes ministeria consummantes, vno tãtum anni tempore intrabant in templum: in secundo autem semel in anno singularis summus sacerdos, non sine sanguine, quẽ offerret pro se, & populi delictis. Hic est ille summus sacerdos, qui adhuc sorte quæritur, quia verus adhuc ignoratur. Qui enim sorte legitur, humano iudicio non comprehenditur. Ille igitur quærebatur, & alius figurabatur. Ille quærebatur verus in æternũ sacerdos, cui dicitur: Tu es sacerdos in æternum: qui non hostiarum cruore, sed proprio sanguine patrẽ deũ generi recõciliaret humano. Sed tũc sanguinis fundebatur in specie, in specie sacerdos ordinabatur: nunc quia veritas venit, relinquamus speciẽ, veritatẽ sequamur. Et tũc quidẽ vices erãt, nũc aũt est perpetuitas. Erat ergo, & certè erat, cuius vices etiã gerebãtur. Sorte ergo legebatur vt introiret templũ sacerdos. Si igitur in typo nullus poterat testis adhiberi, quid aliud significabatur, nisi eũ sacerdotem esse venturum, cuius sacrificium non esset commune cũ cæteris, qui deniq; nõ in manufactis tẽplis sacrificaret pro nobis, sed in sui coporis tẽplo nostra peccata vacuaret? Sorte ergo quærebatur sacerdos: Ideo fortasse & milites vestimenta domini sortiebantur, vt quoniam in tẽplo suo pro nobis dominus deferre sacrificium præparabat, circa ipsum quo que sortis agitatio præceptum legis impleret. Propter quod ait: Non veni legem soluere, sed adimplere. Certè vt ipse esset, qui & expectatus veteri testamento, & mandato dei videretur electus. Denique & super apostolũ Mathiam sors cecidit, ne apostoli electio à mandato discrepare legis veteris videretur.

C

Hebr. 9.

Psalm. 109.

Ioan. 19.

Matth. 5.

Act. 1.

De angeli apparitione.

D

APparuit autem illi angelus stans à dextris altaris incensi.) Non immeritò angelus videtur in tẽplo, quia veri sacerdotis iã nunciabatur aduẽtus, † & cœleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent. Et bene apparuisse dicitur ei, qui eum repente conspexit. Et hoc specialiter aut de angelis, aut de deo scriptura diuina tenere consueuit, vt quod non potest præuideri, apparere dicatur. Sic enim habes: Apparuit deus Abrahæ ad ilicem Mambre. Nam qui antè non præsentitur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur. Non enim similiter sensibilia videntur ei, cuius in voluntate situm est videri, & cuius naturæ est non videri, voluntatis videri. Nam si non vult, non videtur: si vult, videtur. Apparuit enim deus Abrahæ, quia voluit: alij, quia noluit, non apparuit. Visum est etiam Stephano, cùm lapidaretur à populo, aperiri cœlum: visus est etiam Iesus stans ad dexteram dei, & non est visus à populo. Vidit Esaias dominum Sabaoth, sed alius videre non potuit: quia cui placuit, apparuit. Et quid de hominibus loquimur, cùm etiã de ipsis cœlestibus virtutibus & potestatibus legerimus: quia deũ nemo vidit vnquã? Et addidit quod vltra militiæ cœlestis est

† vel, in quo cales.

Genes. 18.

Act. 7.

Esaiæ 6.

Ioan. 1.

potestates, Nisi vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Aut acquiescatur igitur necesse est, si deum patrē nemo vidit vnquam, filium visum esse in veteri testamento, & desinant hæretici ex virgine ei principium dare, qui antequam nasceretur ex virgine, videbatur. Aut certè refelli nō potest, vel patrem, vel filium, vel certè spiritum sanctum, si tamen est spiritus sancti visio, ea specie videri, quam voluntas elegerit, non natura formauerit: quoniam spiritum quoque visum accepimus in columba. Et ideo deum nemo vidit vnquam, quia eam quæ in deo habitat plenitudinem diuinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Vidit ergo, ad vtrumque referendum est. Denique cùm additur, Vnigenitus filius ipse enarrauit, mentium magis quàm oculorum visio declaratur. Species enim videtur, virtus verò narratur: illa oculis, hæc mente comprehēditur. Sed quid de trinitate dicam? Seraphim quādo voluit, apparuit, & vocem eius Esaias sol⁹ audiuit. Apparuit angelus, & nunc præsto est, sed non videtur. Neque enim in potestate nostra est videre, sed in potestate illius apparere. Tametsi potestas non est vidēdi, est gratia promerendi vt videre possimus. Et ideo qui habuit gratiam, meruit copiā: nos copiam non meremur, quia deum videndi gratiam non habemus. Et quid mirum si in præsenti seculo, nisi quando vult, dominus non videtur? In ipsa quoque resurrectione non facile est deum videre, nisi iis qui corde sunt mundo. Et ideo beati mundo corde, ipsi enim deum videbūt. Quantos beatos iam numerauerat, & tamen videndi his deum non promiserat facultatem. Si ergo ij qui mundo sunt corde, deum videbūt: vtique alij nō videbūt. Neque enim indigni deum videbunt, neque is qui deum videre noluerit, potest deum videre. Nec in loco deus videtur, sed mundo corde: nec corporalibus oculis deus quæritur, nec circūscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu. Et cū absens putatur, videtur: & cùm præsens est, non videtur. Denique nec apostoli omnes Christum videbant, & ideo ait: Tanto tempore vobiscum sum, & adhuc me non cognouistis? Qui enim cognouit quæ sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum, & supereminentem scientiæ charitatem Christi: vidit & Christum, vidit & patrem. Nos enim iam secundum carnem non nouimus Christum, sed secundum spiritum. Spiritus enim ante faciem nostram Christus dominus, qui nos in omnem plenitudinem dei misericordia sua implere dignetur, vt videri possit à nobis. Ideo ergo apparuit Zachariæ angelus à dextris altaris incensi, quia apparuit cùm voluit, non apparuit quandiu noluit. Apparuit autem à dextris altaris incensi, quia diuinæ insigne misericordiæ deferebat: Dominus enim à dextris est mihi, ne cōmouear. Et alibi: Dominus protectio tua super manum dexteræ tuæ. Atque vtinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus, imò præbeat se videndum. Non enim dubites assistere angelū, quando Christus assistit, Christus immolatur. Etenim pascha nostrū immolatus est Christus. Nec verearis, ne turbetur cor tuū angeli visione. Perturbamur enim, & à nostro alienamur affectu, quādo perstringimur alicuius superioris potestatis occursu. Idē enim angelus qui occurrerit nobis, cōfirmare nos poterit, sicut turbatum ante Zachariā firmauit animo dicēs:

Matth. 5.
Ioan. 14.
2. Corin. 5.
Psal. 15.
Psalm. 120.
1. Corin. 5.

De turbati Zachariæ confirmatione.

NE timeas Zacharia, quoniam ecce exaudita est, & vxor tua Elizabeth pariet filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Et erit gaudium tibi, & multi in natiuitate eius gaudebunt.) Plena semper & redundantia sunt diuina beneficia, non exiguo constricta numero, sed vberi bonorum coaceruata congestu: vt hic primo precationis fructus, deinde sterilis partus vxoris tum lætitia plurimorum & magnitudo virtutis, altissimi quoque propheta promittitur. Quinetiā ne qua esset dubitatio, futuri quoque vocabulū designatur. Tantis igitur supra votum fluentibus, non immeritò diffidentię pœna silētium est: quod in posterioribus explanabimus. Solēnis autem lætitia est in ortu & generatione sanctorum. Sanctus enim nō solum parentum gratia, sed etiam salus est plurimorum. Vnde admonemur hoc loco sanctorum generatione lætari. Admonentur etiam parētes gratias agere non minus pro ortu quàm pro meritis filiorum. Non enim mediocre munus est dei, dare liberos propagatores generis, successionis hæredes. Lege Iacob duodecim filiorū generatione gaudere. Abrahæ filius datur, Zacharias exauditur. Diuinum igitur munus fœcunditas est parientis. Agant itaque patres gratias, quia generauerunt: filij, quia generati sunt: matres, quia coniugij præmiis honorantur. Stipendia enim militiæ suæ, filij sunt. Vernet in dei laudem terra, quia colitur: mundus, quia cognoscitur: Ecclesia, quia deuotæ numero plebis augetur. Nec ociosè in principio statim geneseos dei iussu cōiugium copulatur, nisi vt hæresis destruatur. Sic enim deus cōiugium probauit, vt iungeret: sic remuneratus est, vt quibus sterilitas filios denegasset, pietas diuina concederet. *Et erit magnus coram domino.*) Non corporis hic, sed animæ magnitudinem declarauit. Est coram domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis. Est etiam paruitas animæ, & puritia virtutis. Iuxta enim animæ & corporis numeramus ætates, non pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis: vt vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritię, & lubrico adolescentiæ animi maturitate non sentiat. Pusillus autem, qui nullum adhuc virtutis videatur habuisse processum. Vnde illud in Hieremia, cùm miseretur dominus deflentis Effrem, & peccata propria deplorantis *: A iuuentute, inquit, mea dilectus mihi est filius Effrem, puer in deliciis. Si enim non fuisset puer in deliciis, nunquam peccauisset. Et bene vtrumque dixit, & in deliciis, & puerū. Est enim puer, qui non peccat. Ecce puer meus, quem elegi. Per delicias itaque peccauit, qui non ita erat informatus à domino, vt nescius esset erroris. Ergo & si puer in deliciis non fuisset, & si in virum perfectum virtutis processisset ætate, nunquam lapsus fuisset, vt illi necesse esset veniam suorum petere delictorum, cùm magis meritorum præmia sperare deberet. Quod etiam dominus noster in Euangelio videtur exprimere, cùm dicit: Nolite contemnere vnum de pusillis istis. Sed loco suo plura seruentur. Ergo pusillus contrarius est magno. Et si iuxta Apostolum, paruulus sub elementis est: (cùm enim essemus paruuli, sub elementis huius mundi eramus) ergo magnus supra elementa mundi est. Erat itaque Ioannes magnus non virtute corporis, sed animi magnitudine. Denique non fines alicuius propagauit imperij, non triumphos aliquos bellici certaminis adoreis præoptauit, sed quod est amplius, in deserto prædicans, delicias hominum, corporisq; lasciuiam magna animi virtute depressit. Paruulus ergo in seculo, magnus in spiritu. Deniq; quasi magnus, nec vitæ captus illecebris, sententiæ constantiam viuendi desiderio mutauit. *Et spiritu*, inquit, *sancto replebitur adhuc in vtero matris suæ.*) Non dubium, verum hoc angeli esse promissum. siquidem sanctus Ioannes antequam nasceretur, matris adhuc in vtero positus, spiritus accepti gratiam designauit. Nam cùm & pater eius & mater nulla ante mirabilia fecissent, in vtero parentis exiliens domini euangelizauit aduentum. Sic enim habes quod cùm aduenisset mater domini ad Elizabeth, ait illa: Ecce, vt facta est salutatio tua in auribus meis, exultauit infans in vtero meo. Nō dum enim erat illi spiritus vitæ, sed spiritus gratię. Denique & alibi viuendi substātiæ præcurrere sanctificandi gratiam potuimus aduertere, cùm dicit dominus: Priusquam te formarem in vtero, noui te: & prius quam exires de vulua matris, sanctificaui te, & prophetam in gētibus posui te. Alius enim est spiritus vitæ huius, alius gratiæ. Ille nascendo sumit exordium, moriendo defectum, iste non temporibus, non ætatibus coërcetur, non obitu extinguitur, non aluo matris excluditur. Deniq; & sancta Maria plena sancto spiritu prophetauit: & Helisæus mortuus defunctum cadauer hominis tactu sui corporis suscitauit, & Samuel post mortem secundum scripturæ testimonium futura non tacuit. Et spiritu, inquit, sancto replebitur. Cui enim adest spiritus gratiæ, nihil deest. Et cui spiritus sanctus infunditur, magnarum plenitudo virtutum est. *Denique multos*, inquit, *filiorum Israel conuertet ad dominum deum ipsorum.*) Non egemus testimonio quòd plurimorum sanctus Ioannes corda conuerterit, in quo nobis propheticæ scripturæ & euangelicæ

A
B
C
D
* deprecatio.
Hiere. 31.
Esaia 42.
Matth. 18.
Gala. 4.
Hier. 1.

1629

licæ ſuffragantur. Vox enim clamantis in deſerto, Parate viam domino, rectas facite ſemitas eius. & baptiſmata populis frequentata declarant conuerſæ plebis nō mediocres factos eſſe proceſſus, quia dū creditur Ioāni, creditur Chriſto. Non enim de ſe, ſed de domino prædicabat prænuncius Chriſti. Et ideo, *Præibit in conſpectu domini, in ſpiritu & virtute Heliæ.*) Bene iſta iunguntur. Nunquam enim ſine virtute ſpiritus, nec ſine ſpiritu virtus eſt. Et ideo fortaſſe in ſpiritu & virtute Heliæ, quia ſanctus Helias & virtutē magnam habuit & gratiam. Virtutem, vt ad fidem animos populorum à perfidia retorqueret. Virtutem abſtinētiæ atque patientiæ, & ſpiritum prophetandi. In deſerto Helias, in deſerto Ioannes. Ille coruis paſcebatur: hic dum † diues eſſet, calcata omni voluptatis illecebra, parſimoniam prætulit, luxúmque contempſit. Ille Achab regis gratiam non queſiuit, hic ſpreuit Herodis. Ille Iordanem diuiſit, hic ad lauacrum ſalutare conuertit. Hic cum domino verſatur in terris, ille cum domino apparet in gloria. Hic prioris, ille ſequentis dominici præcurſor aduentus. Ille poſt trienniū pluuiis terram rigauit, & hic poſt triennium areſcentem noſtri corporis humum fidei imbre perfudit. Quæris quod triennium ſit? Ecce, inquit, anni tres ſunt ex quo venio quærens fructū in ficulnea hac, & non inuenio. Myſticus enim numerus debebatur, vt ſalus populis redderetur. Vnus in patriarchis annus. Denique de hominibus tunc anni prouentus fuit, qualis ferme non fuit poſtea ſuper terram. Alius in Moyſe & prophetis cæteris. Tertius in domini ſaluatoris aduentu. Ecce, inquit, annum domini acceptum, & diem retributionis. Et ille paterfamiliàs qui plantauit vineam, non ſemel exactores fructuum, ſed ſæpius deſtinauit. nam primùm ſeruulos, ſecundò alios ſeruulos deſtinauit, tertiò autem filium ſuum miſit. Venit ergo Ioannes in ſpiritu & virtute Heliæ. Alterum enim ſine altero non poteſt eſſe, ſicut etiam in ſequentibus reperitur, cùm dicitur: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Sed fortaſſe hoc ſupra nos & ſupra apoſtolos videatur exemplum. Nam & ille ſub Helia diuiſo amne fluuiālium recurſus vndarum in originem fluminis, ſicut dicit ſcriptura, Iordanis conuerſus eſt retrorſum: ſignificauit ſalutaris lauacri futura myſteria, per quæ in primordia naturæ ſuæ qui baptizati fuerint paruuli malitia, reformātur. Quid quod etiam apoſtolis ſuis ipſe dominus virtutem ſpiritus eſſe tribuendam promiſit dicens: Accipietis virtutem aduenientē in vos ſpiritu ſancto? Deinde in ſequētibus: Factus eſt, inquit, ſubitò ſonus de cœlo tanquam vi magna ferretur ſpiritus. Bene vi magna, quia ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Et virtus eſt illa quam à ſancto ſpiritu apoſtoli conſecuti ſunt. Bene etiam præibit ante faciem domini ſanctus Ioannes, qui prænuncius natus eſt, & prænuncius mortuus eſt. Et fortaſſe hoc myſteriū in hac vita noſtra hodiéque celebratur. Præcurrit enim animæ noſtræ quædā virtus Ioannis, cùm credere paramus in Chriſtum, vt paret ad fidem animæ vias noſtræ, & de vitæ iſtius tramite tortuoſo, rectas ſemitas noſtri faciat commeatus, ne anfractu labamur erroris, quo omnis vallis animæ noſtrę virturis fructibus poſſit impleri, & omnis ſecularium altitudo meritorum domino ſe humili magis timore proſternat, ſciens nihil ſublime poſſe eſſe quod fragile eſt.

De incredulitate Zachariæ, & eius punitione.

ET *dixit Zacharias ad angelum: Vnde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis. Et reſpondit ei angelus dicens: Ego ſum Gabriel angelus, qui aſſiſto ante dominum: & miſſus ſum hæc annūciare tibi. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem quo hæc omnia fiant, propter quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.* Condemnatur ſilentio incredulitas ſacerdotis, & fides prophetarum probatur oraculo. Clama, inquit. Et dixit: Quid clamabo: Omnis caro fœnum. Vides iubentis imperium, obtemperantis obſequium: interrogātis affectum, obſequentis oraculum. Credidit enim: & quòd clamaret expoſcit: & quia credidit, prophetauit. At verò Zacharias quia non credidit, non potuit loqui. *Sed erat annuens illis, & remanſit mutus.*) Non vnius myſterium, nec vnius ſilentium eſt. Tacet ſacerdos, tacet propheta. Niſi fallor, in vno vox totius plebis obmutuit, quia in vno totus ad dominum per Moyſem populus loquebatur. Ceſſatio ſacrorum, & ſilentiū prophetarum, taciturnitas prophetæ, & taciturnitas ſacerdotis eſt. Auferam, inquit, validam virtutem, prophetam & conſiliarium. Et verè abſtulit prophetas, à quibus abſtulit verbum quod loqui in prophetis ſolebat. Et verè his abſtulit virtutem, à quibus dei virtus receſſit. Abſtulit his conſiliarium, quos magni conſilij angelus declinauit. Abſtulit vocem, quia vox verbi, non vocis eſt verbum. Nam ſi verbum illud nō operetur in nobis, nullus eſt ſonus vocis. Vox Ioannes eſt: vox enim clamantis eſt in deſerto. Chriſtus eſt verbum, hoc verbum operatur. Et ideo vbi deſiuit operari, muta repente carens ſpiritu veluti quædam animæ lingua cōticuit. Tranſiuit enim ad nos dei verbum, & in nobis non tacet. Denique iam non poteſt Iudæus dicere, quod poteſt dicere Chriſtianus, quia experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus. *Et ipſe erat annuens illis.*) Remāſit ergo mutus Zacharias, & erat annuens illis. Quid eſt mutus, niſi quidam ſine verbo corporalis actus, indicare moliēs nec exprimens voluntatem? Quid eſt ſuprema morte, voce ſuppreſſa, mutus ſermo morientium? Nónne tibi videtur huic ſimilis eſſe populus Iudæorum, ita irrationabilis, vt actuum ſuorum non poſſit præſtare rationem, qui in vltimo ſpei vitalis obitu conſtitutus vocem quam habebat, amiſerat, & titubātis actu corporis ſignum verbi cupiebat explicare, non verbum? Mutus ergo populus, ſine ratione, ſine verbo. Cur enim tibi magis videatur mutus eſſe qui ſonū quàm qui myſterium neſcit? Et eſt profectò vox operum, fideíq; clamor, ſicut lectum eſt: Sanguis fratris tui ad me clamat. Et ille clamat, qui in corde ſuo clamat per diem. Qui ergo cordis clamorem perdidit, perdidit & linguę. Nam qui diſtinctionem fidei non tenet, quomodo poteſt tenere verborum? Et antè quidem Moyſes dixerat quia loqui non poterat, ſed poſtea quàm dixit, verbum accepit, & bonorum operum edidit claritatem. Ergo ſicut Moyſes typus populi fuit, & typus legis, ita etiā Zacharias tacuit. Singula itaque vt concurrant, conſiderandum eſt. Verbum in vtero, lex in ſilentio. Ioānes appellatur, & Zacharias loquitur. Verbum editur, lex abſoluitur. Sed legis abſolutio, verbi eſt explicatio. Et ideo qui dixerit verbum, loquitur, etiam ſi antè non ſit locutus. Ab angelo iubetur tacere Zacharias, ab angelo vox premitur Iudæorum. Non enim humanæ, ſed diuinæ hoc poteſtatis imperium eſt, vt non loquatur deo, qui non credit Chriſto. Et ideo credamus, vt loquamur. Credat Iudæus, vt loqui poſſit. Loquamur ſpiritu myſteria, intelligamus rationem ſacrificiorum veterū, ænigmata prophetarum. Mutus eſt qui non intelligit legem, mutus eſt qui non intelligit diuinarum ſeriem ſcripturarum. Vox enim noſtra fides eſt: & ideo mallo in eccleſia quinque verba mente mea loqui, vt alios inſtruā, quàm decem milia verborum in lingua. Linguæ enim in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, ſed fidelibus.

De conceptione Ioannis præcurſoris domini.

POſt hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat ſe menſibus quinque, dicens: *Quid mihi ſic fecit dominus in diebus quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines?*) Magna ſanctis cura eſt verecundiæ, vt plerunque in ipſis pudor voti ſit, ſicut hoc loco aduertimus ſanctam Elizabeth, quæ vtique filios habere cupiebat, occultantem ſe menſibus quinque. Quæ cauſa occultationis eſt, niſi pudoris? Eſt enim vnicuique officio præſcripta ætas: & quod tempore decet, tempore non decet: æuíque mutatio, facti vniuſcuiuſque mutat ſæpe naturam. Sunt etiam ipſi quædam tempora prę ſcripta coniugio, quando dare operā liberis ſit decorum. Dum anni vigent, dum ſuſcipiendorum liberorum ſpes eſt, dum generandi vſus eſt in exemplo, copulæ quoque vſus in ſtudio eſt. At verò vbi matura æui ſenectus ſucceſſerit, & ætas regendis liberis habilior quàm creandis, pudor eſt legitimi

licet

licet coitus indicia gestare,& grauari alienæ ætatis onere & tumescere aluũ non sui temporis fructu. Senes enim ab ipsa A concluduntur ætate, & iusto intemperãtiæ pudore reuocãtur facere opera nuptiarum. Adolescẽtes ipsi plerumque filiorum vota prætendunt, & excusandum arbitrantur ætatis calorem generationis affectu. Quanto magis senibus agere turpe est, quod adolescentibus pudor est confiteri? Quinetiã ipsi iuuenes sobria timore diuino corda qui temperãt, susceptа plerumque sobole renunciant operibus iuuẽtutis. Et quid mirum de hominibus, si pecudes quoq; muto quodam opere loquuntur generandi sibi studium, non desiderium esse coeundi? Siquidem vbi semel grauem aluum sibi senserint, & genitali aluo semen receptum, iam nec concubitu indulgent, nec lasciuiam amantis,sed curam parẽtis assumunt. At verò homines nec conceptis,nec deo parcunt, Hieron.1. illos contaminant,hunc exasperant. Prius quàm te,inquit, formarẽ in vtero,noui te,& in vulua matris sanctificaui te. Ad cohibendam petulantiam tuam,manus quasdam tui authoris in vtero hominem formantis aduertis. Ille operatur, & tu sacri vteri secretum incestas libidine. Vel pecudes imitare,vel deum verere. Et quid de pecudibus loquor? Terra ipsa à generandi opere sæpe requiescit: & si impatienti hominum studio iactis frequẽter seminibus occupetur,impudentiam multat agricolæ,& fœcunditatem sterilitate commutat. Ita quidem in ipsis elemẽtis ac pecudibus ab vsu non cessare generandi,naturæ pudor est. Meritò ergo etiam sancta Elizabeth erubescebat gratiam,etsi nõ cognosceret culpam. Nam etsi concepit de viro,(Neque enim aliter de hominis ortu fas est credere) tamen partus sui erubescebat ætatem. Et tursus caruisse se gaudebat opprobrio. Pudor est enim fœminis nuptiarum præmia non habere, quibus hæc sola est causa nubendi. Hoc igitur opprobrium consolatur sui pudore sublatum,eo pudore,vt dixi, quòd pudebat eam propter ætatem. Vnde intelligi potest quia iam non conueniebant inter se cõcubitu coniugali. Neque enim ea quæ senilem non erubescebat coitum,erubesceret partum:& tamẽ erubescit onus parentis, quandiu nescit mysterium religionis. Illa quæ occultabat se quia conceperat filium, iactare se cœpit quia generabat prophetam. Et quæ erubescebat antè, benedicit: & quæ dubitabat antè,firmatur. *Ecce enim*, inquit, *vt vox salutationis tuæ facta est in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.*) Itaque magna voce clamauit vbi domini sensit aduẽtum,quia religiosum credidit partum. Nulla enim causa erat pudoris, vbi prophetæ ortus datæ non affectatæ fidem generationis adscisceret.

Seruatur itaque sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita in- 1632
uiolabilis opinione virginitas. Oportet enim sanctos & ab iis testimonium habere qui foris sunt. Nec decuit sinistra virginibus opinione viuẽtibus velamen excusationis relinqui,quod infamata mater quoque domini videretur. Quid autem Iudæis,quid Herodi posset ascribi,si infamem videretur ex adulterio persecuti? Quemadmodum autem ipse diceret: Non veni legem soluere, sed adimplere: si videretur cœpisse à legis iniuria, cùm partus innuptæ lege damnetur? Matth.5. Quinetiã locupletior testis pudoris maritus adhibetur,qui posset & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramẽtum. Quid quod etiam fides Mariæ verbis maior adsciscitur, & mẽdacij causa remouetur? Videretur enim culpam obũbrare voluisse mendacio innupta prægnans. Causam autem mentiendi indesponsata habuit, desponsata non habuit: cùm coniugij præmium & gratia nuptiarum partus sit fœminarum. Nõ mediocris quoque causa est,vt virginitas Mariæ falleret principem mũdi:qui cùm desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suB spectum. Fallendi autem (vt dixi) principem mundi fuisse consilium, ipsius domini verba declarant, cùm apostoli iubentur tacere de Christo, cùm sanati prohibentur gloriari de remedio, cùm dæmones præcipiuntur silere de dei filio. Fallendi (vt dixi) principem mundi fuisse consilium etiam Apostolus declarauit dicens: Sed loquimur dei sapientiam 1.Cor.2. in mysterio absconditam, quam nemo principum istius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent:hoc est, nũquam me redimi domini morte fecissent. Fefellit ergo pro nobis,fefellit vt vinceret: fefellit diabolum cùm tentaretur,cùm rogaretur,cùm dei filius diceretur,vt nusquam diuinitatis proprietatem fateretur. Sed tamẽ magis fefellit principem seculi. Diabolus Matth.4. enim etsi aliquando dubitauit, cùm diceret: Si filius dei es, mitte te deorsum:tamẽ vel serò cognouit,& discessit ab eo. Cognouerunt & dæmones qui dicebant:Nouimus te, quia Matth.8. es Iesus dei filius:quid venisti ante tempus torquere nos?Et ideo venisse cognouerunt, quia præcognitum habebant esC se venturũ. Principes autem seculi non cognouisse,quo maiore possumus quàm apostolicæ sentẽtiæ probare documẽto?Si enim cognouissent,nunquã dominum maiestatis crucifixissent. Dæmonum enim malitia facilè etiã occulta deprehendit. At verò qui secularibus vanitatibus occupãtur, scire diuina non possunt. Bene autem diuiserunt euangelistæ, vt sanctus Matthæus Ioseph ab angelo moneri induceMatth.1. ret Mariam accipere,Lucas euangelista testimonium ferret quòd non conueniissent,hic ipsa Maria fatetur cùm dicit angelo:Quomodo fiet istud,quoniam virum nõ cognoui?Sed & ipse sanctus Lucas virginem declarauit dicens:Et nomen virginis Maria. Et propheta edocuit,qui ait: Ecce virgo in Esaiæ 7. vtero concipiet. Et Ioseph designauit,qui quoniã prægnantem videbat quam non cognouerat,dimittere gestiebat: & dominus ipse in cruce positus manifestauit cùm dixit matri:Mulier,ecce filius tuus. Deinde discipulo dixit:Ecce ma- Ioan.19. ter tua. Etiam vterque testatus est,Discipulus & mater:quia ex illa hora susceptit eam discipulus in suam. Vtique si conueniissent,nũquam virum proprium reliquisset,nec vir eam D iustus passus esset à se discedere. Quomodo autem dominus diuortium præcepisset,cum ipsius sit sententia,quia nemo dimittere debet vxorem, excepta causa fornicationis? Pulchrè autem docuit sanctus Matthæus euangelista quid facere debeat iustus qui probrum coniugis deprehenderit, vt incruentum ab homicidio, castum ab adulterio præstare se debeat. Qui enim iungitur meretrici, vnum corpus est. 1.Cor.6. Ergo vbique in Ioseph iusti gratia & persona seruatur, vt testis ornetur. Os enim iusti mendacium nescit, & lingua eius loquitur iudicium. Iudicium eius loquitur veritatem. Nec te moueat quòd frequenter scriptura coniugem dicit. Non enim virginitatis ereptio,sed coniugij testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam non accepit, nemo dimittit. Et ideo qui volebat dimittere fatebatur acceptam. Simul etiam mouere non debet quòd ait euangelista:Non cognouit eam,donec peperit filium. Illud enim ve- Psalm.109. lut idioma scripturæ est:sicut habes alibi:Et donec senescatis,

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI COMmentariorum in Euangelium Lucæ, Lib. II.

De missione angeli Gabrielis ad virginem Mariam.

Eodem autem tempore missus est angelus Gabriel à domino in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph,de domo Dauid: & nomen virginis Maria.) Latent quidem diuina mysteria, nec facilè iuxta propheticum dictum quisquam hominum potest scire consilium dei. Sed tamen ex cæteris factis atque præceptis domini saluatoris possumus intelligere & hoc propensioris fuisse consilij, quòd ea potissimum electa est vt dominũ pareret,quæ erat desponsata viro. Cur autem non antequam desponsaretur, impleta est? Fortasse ne diceretur quòd conceperit ex adulterio. Et bene vtrũque posuit scriptura,vt & despõsata esset,& virgo. Virgo,vt expers virilis consortij videretur:Despõsata,ne temeratæ virginitatis adureretur infamia,cui grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem dominus aliquos de sui ortu quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis verecundiam,& lubricam famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniuriis astruendam.

1633

ris, ego ſum. Nũquid poſt illorum ſenectutem deus eſſe deſiuit? Et in Pſalmo: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorum. Nunquid poſtea nõ ſedebit? Vel quia qui cauſam agit, ſatis putat quod cauſæ eſt dicere, redundantia non requirit. Satis enim eſt ei vt cauſam ſuſceptam aſtruat, incidẽtem differat. Et ideo qui incarnationis in corruptũ ſuſceperat probare myſterium, non putauit vberius proſequendum virginitatis Mariæ teſtimoniũ, ne defenſor magis virginis, quàm aſſertor myſterij crederetur. Certè quando iuſtum docuit Ioſeph, ſatis declarauit quòd ſancti ſpiritus templum, templum domini, vterũ myſterij violare non potuit. Didicimus ſeriem veritatis, didicimus conſilium: diſcamus myſterium. Verè deſponſata, ſed virgo, quia eſt eccleſiæ typus, quæ eſt immaculata, ſed nupta. Concepit nos virgo de ſpiritu, parit nos virgo ſine gemitu. Et ideo fortaſſe ſancta Maria alij nupta, ab alio repleta, quia & ſingulæ eccleſiæ ſpiritu quidem replentur & gratia, iunguntur tamen ad temporalis ſpeciem ſacerdotis.

De ſalutatione Mariæ, & eius turbatione.

ET ingreſſus ad eam angelus dixit: Aue gratia plena, dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Ipſa autem vt vidit eum, mota eſt in introitu eius.) Diſce virginem moribus, diſce virginem verecundia, diſce virginem oraculo, diſce myſterio. Trepidare virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pauere, omnes viri affatus veteri. Diſcant mulieres propoſitum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus angelus reperiret, ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab angelo ſalutatur. Diſce virgo verborum vitare laſciuiam. Maria etiam ſalutationem angeli verebatur. *Erat enim*, inquit, *cogitans qualis eſſet hæc ſalutatio.*) Et ideo cum verecundia, quia pauebat. Cum prudentia, quia benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ nuſquam lecta eſt, nuſquam antè comperta. Soli Mariæ hæc ſalutatio ſeruabatur. Bene enim ſola gratia plena dicitur, quæ ſola gratiam quam nulla alia meruerat, conſecũta eſt, vt gratiæ repleretur authore. Erubeſcebat ergo Maria, erubeſcebat etiam Elizabeth. Et ideo cognoſcamus quid interſit inter mulieris & virginis verecundiam. Illa de cauſa erubeſcebat, hæc pro verecundia. In muliere modus pudoris adhibetur, in virgine pudoris augetur gratia.

De Mariæ turbatæ conſolatione.

DIXIT angelus ad eam: Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud deum. Et ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic enim erit magnus.) Dictum eſt quidem etiam de Ioãne ab angelo, quia erit magnus. Sed ille quaſi homo magnus, hic quaſi deus magnus. Magnus enim dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Et verè eſt & ille magnus, quia inter natos mulierum propheta maior Ioãne Baptiſta nemo eſt. Habet tamen maiorẽ, quia qui minor eſt in regno dei, maior eſt illo. Magnus autem Ioannes, ſed coram domino. Et magnus Ioannes vinum & ſiceram non bibit, hic cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit. Ille abſtinentia meritum colligat, cui potentia nulla naturæ. Chriſtus autem cui naturaliter ſuppetebat delicta donare, cur eos declinaret quos abſtinentibus poterat præſtare meliores? Simul myſticè non dedignatur eorum conuiuium, quibus daturus eſt ſacramentum. Hic ergo manducat, ille ieiunat. Vtriuſque populi typus, in illo ieiunat, in hoc paſcitur. Sed ieiunauit & Chriſtus, ne præceptum declinares. Manducauit cum peccatoribus, vt gratiã cerneres, agnoſceres poteſtatem. Magnus ergo & Ioannes, ſed huius magnitudo habet principium, habet finem. Dominus autẽ Ieſus idem eſt finis atque principium, idem primus & nouiſſimus. Nihil ante primum, nihil vltra nouiſſimum. Neque te generationis humanæ conſuetudo in vitium trahat, vt putes non primum eſſe, quia filius eſt. Sequere ſcripturas, vt errare non poſſis. Primus filius dicitur. Lectum eſt etiam quia & ſolus pater, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilẽ, ſicut legiſti: Et immortali ſoli deo. Sed neque primus ante patrem, neque ſolus ſine filio. Si alterum negas, alterum adſtruis, vtrumque ſequere, & vtrumque cõfirmas. Non dixit, ego prior, & ego poſterior: ſed, Ego primus, & ego nouiſſimus. Primus eſt filius, & ideo coæternus. Habet enim patrem, cum quo ſit æternus. audeo dicere, primus eſt filius, ſed ſolus non eſt: & benè dico, & religioſè dico. Quid erigitis ad impietatẽ hæretici aures? Laqueos quos tenditis, incidiſtis. Primus eſt filius, & ſolus nõ eſt. Primus, quia cum patre ſemper. Solus non eſt, quia ſine patre nunquam eſt. Non ego hoc dico, ſed ipſe dixit: Et non ſum ſolus, quia pater mecum eſt. Solus pater, quia vnus deus: ſolus pater, quia ſola diuinitas patris & filij & ſpiritus ſancti. Et quod vnum eſt, ſolum eſt. Solus pater, ſolus vnigenitus, ſolus & ſpiritus ſanctus. Neq; enim qui filius, & pater: aut qui pater, & filius: aut qui ſpiritus ſanctus, & filius. Alius pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus. Legimus enim: Rogabo patrem, & alium paracletum mittet vobis. Solus pater, quia vnus deus, ex quo omnia. Solus filius, quia vnus dominus, per quẽ omnia. Solum diuinitas facit, generario & patrem teſtificatur & filium: vt nuſquam filius ſine patre, aut pater eſſe videatur ſine filio. Ergo nec ſolus, quia nõ ſolus immortalis, nec ſolus lucem habitat inacceſſibilem, quia deum nemo vidit vnquam, niſi vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, qui ſedet ad dexteram patris. Et huic quidam audent dicere inacceſſibilem lucem eſſe quam habitat pater. Nunquid lux melior patre? Quæ autem lux inacceſſibilis ei, cui nõ eſt inacceſſibilis pater? Et ipſe lux vera, & genitor lucis æternæ, de qua dictum eſt: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vide ne illa ſit lux inacceſſibilis quam habitat pater, habitat & filius: quia pater in filio, & filius in patre. Bene ergo magnus. latè enim funditur dei virtus, latè cœleſtis ſubſtantiæ magnitudo porrigitur. Nihil præſcriptum, nihil circunſcriptum, nihil emenſum, nihil dimẽſum trinitas habet. Non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non æſtimatione concluditur, non ætate variatur. Dedit quidem dominus Ieſus hominibus magnitudinem. In omnem enim terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Non in fines tamen mundi, non in fines cœli, nõ vltra cœlos. At verò in domino Ieſu omnia condita ſunt in cœlo & in terra, viſibilia & inuiſibilia, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtãt. Cœlum aſpice. Ieſus illic eſt. Terram intuere, Ieſus adeſt. Aſcende verbo in cœlum, deſcende verbo in infernum: Ieſus adeſt. Etenim ſi aſcenderis in cœlum, Ieſus illic eſt, ſi deſcenderis in infernum, adeſt. Hodie cùm loquor, mecum eſt intra hoc punctum, intra hoc momentum. Et ſi in Armenia nũc loquatur Chriſtianus, Ieſus adeſt. Nemo enim dicit dominum Ieſum niſi in ſpiritu ſancto. Abyſſos opinione ſi penetres, illic quoque Ieſum videbis operari. Scriptum eſt enim: Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendit in cœlum? id eſt Chriſtum deducere. aut quis deſcendit in abyſſum? hoc eſt Chriſtum à mortuis reducere. Vbi ergo non eſt, qui cœleſtia, inferna, terrena compleuit? Bene ergo magnus, cuius virtus mundum repleuit, qui vbique eſt, & erit ſemper, quia regni eius non erit finis.

De Mariæ interrogatione, & angeli reſponſione.

DIXIT aũt Maria ad angelũ: Quomodo fiet iſtud, quoniã virum nõ cognoui? Videtur hic non credidiſſe Maria, niſi diligẽter aduertas. Neq; enim fas eſt vt electa ad generãdum vnigenitũ dei filiũ, fuiſſe videatur incredula. Quo aũt modo fieri poſſet, licet ſalua prærogatiua ſit matris, cui profectò fuit amplius deferendum. Sed vt prærogatiua maior, maior etiã fides ei debuit reſeruari: Quo ergo fieri modo poſſet vt Zacharias qui non crediderat, ſilentio condemnaretur: Maria autem ſi non credidiſſet, ſpiritus ſancti infuſione exaltaretur? Sed neque non credere Maria, neque tam temerè debuit vſurpare: non credere angelo, vſurpare diuina. Neque enim facile erat ſcire myſterium abſconditum à ſeculis in deo, quod nec ſuperiores poteſtates ſcire potuerunt. Et tamen non fidem renuit, non officium refutauit, ſed accommodauit affectũ, ſpopondit obſequium. Etenim cùm dixit,

Quomo-

1. Tim. 6. 1. Timo. 1.

Ioan. 8.

Ioan. 14.

Ioan. 1.

Ibidem.

Pſalm. 18.

2. Corin. 12.

Roma. 10.

Quomodo fiet istud? non de effectu dubitauit, sed qualitatem ipsius quæsiuit effectus. Quanto temperantior ista responsio, quàm verba sunt sacerdotis? Hæc ait: Quomodo fiet istud? Ille respondit: Vnde hoc sciam? Hæc iam de negocio tractat, ille adhuc de nuncio dubitat. Negat ille se credere, qui negat scire, & quasi fidei adhuc alium quærit authorem: ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciẽdum, quod quomodo fieri possit, inquirit. Sic enim habes: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognoui? Incredibilis & inaudita generatio antè audiri debuit, vt crederetur. Virginem parere, diuini est signum mysterij, non humani. Denique accipe, inquit, signum tibi: Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium. Legerat hoc Maria, ideo credidit futurum: sed quomodo fieret, antè nõ legerat. Non enim quemadmodum fieret, vel prophetæ tãto fuerat reuelatum. Tantum enim mandati mysterium non hominis fuit, sed angeli ore promendum. Hodie primum auditur: *Spiritus sanctus superueniet in te.*) Et auditur, & creditur.

Esa. 7.

De assensu Mariæ, & saluatoris conceptione.

(*Denique, Ecce,* inquit, *ancilla domini, contingat mihi secundum verbum tuum.*) Vide humilitatem, vide deuotionem. Ancillam se dicit domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogatiuam tantæ gratiæ vindicauit, quæ faceret quod iuberetur. Mitem enim humilémque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre. *Ecce ancilla domini, contingat mihi secũdum verbum tuum.*) Habes obsequium, vides votum. Ecce enim ancilla domini, apparatus officij est. Contingat mihi secundum verbum tuum, conceptus est voti. Quàm citò ergo etiam de impari conceptione * credidit Maria. Quid enim tam impar quàm spiritus sanctus & corpus? Quid tam inauditum quàm virgo prægnans contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius carior cura est virgini? Zacharias autem nõ de impari conditione, sed de senili ætate non credidit: nam conditio congruebat. Ex viro & fœmina solennis est partus, nec incredibile debet videri, vbi natura cõcordat. Cùm enim ætas naturæ sit, non natura ætatis, fit plerumque vt ætas impediat naturam: non est tamen irrationabile vt minor cedat causa maiori, & potior prærogatiua naturæ vsum inferioris excludat ætatis. Huc accedit quòd Abraham & Sara filium in senectute susceperant: & Ioseph filius senectutis est. Quod si quia risit Sara, reprehenditur, iustius condemnatur qui nec oraculo credidit, nec exemplo. Maria autem cùm dicit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognoui?*) non videtur dubitasse de facto, sed de facti qualitate quæsisse. Liquet enim quia faciendum esse crediderit, quæ quomodo fieret interrogauit. Vnde & meruit audire, Beata quę credidisti. Et verè beata, quæ sacerdote præstantior, cùm sacerdos negasset, virgo correxit errorem. Nec mirum si dominus redempturus mundum, diuinam operationem suam inchoauit à matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Et bene quæsiuit quomodo fieret. Legerat enim quia virgo conciperet, non legerat quemadmodum virgo generaret. Legerat (vt dixi) Ecce virgo in vtero accipiet: quomodo autem acciperet, in euangelio primum angelus est locutus.

* *al. conditione.*

Esa. 7.

De abitu Mariæ in montana, & salutatione Elizabeth.

(*Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iudæ, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth.*) Morale est omnibus vt qui fidem exigunt, fidem astruant. Et ideo angelus cùm abscõdita nunciaret, vt fides astrueretur, exemplo senioris fœminæ sterilisque conceptum virgini Mariæ nunciauit, vt possibile deo omne quod ei placuerit assereret. Vbi audiuit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubitans de exẽplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Quo enim iam deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti spiritus gratia. Discite & vos sanctæ mulieres sedulitatẽ quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. Mariam, quę antè sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico virginitatis pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit. In mõtana virgo cum festinatione, virgo officij memor, iniuriæ immemor, affectu vigẽte non sexu, relicta perrexit domo. Discite virgines non circũcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festinat in publico. Mansit apud cognatam suam tribus mẽsibus. Etenim quæ propter officium venerat, inhærebat officio. Mansit etiam mensibus tribus, non quòd domus eam delectaret aliena, sed quia frequentius videri in publico displicebat. Didicistis virgines pudorem Mariæ, discite humilitatem. Venit propinqua ad proximã, iunior ad seniorem, Nec solùm venit, sed etiam prior salutauit. Decet enim vt quanto castior virgo, tanto humilior sit. Nouerat deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Est & causa pietatis, est etiam norma doctrinæ. Contuendum est enim quia superior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur, Maria ad Elizabeth, Christus ad Ioannem. Denique etiam postea vt sanctificaret baptismum Ioannis, dominus venit ad baptismum. Citò quoque aduentus Mariæ, & præsentiæ dominicæ beneficia declarantur.

De Ioannis in vtero exultatione, & matris spiritu sancto repletione.

(*Simul enim vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est spiritu sancto.*) Vide distinctionem, singulorúmque verborum proprietatem. Vocem prior Elizabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audiuit, iste exultauit ratione mysterij. Illa Mariæ, iste domini sensit aduẽtum. Fœmina mulieris, & pignus pignoris. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicíque miraculo prophetant matres spiritu paruulorum. Exultauit infans, repleta mater est. Non prius mater repleta quàm filius, sed cùm filius esset repletus spiritu sancto, repleuit & matrem. Exultauit Ioannes, exultauit & Mariæ spiritus. Exultante Ioanne, repletur Elizabeth. Mariam tamen non repleri spiritu, sed spiritum eius exultare cognouimus. Incomprehensibilis enim, incomprehẽsibiliter operabatur in matre. Et illa post conceptum repletur, ista ante cõceptum.

De Mariæ ab Elizabeth benedictione.

(*Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me?*) Nouit sermonem suum spiritus sanctus, nec vnquam obliuiscitur. Et prophetia non solùm rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum. Quis est iste fructus ventris, nisi ille de quo dictum est: Ecce hæreditas domini filij merces fructus ventris? Hoc est, hęreditas domini filij sunt, qui merces sunt fructus illius qui de Mariæ ventre processit. Ipse fructus vẽtris est, flos radicis, de quo bene prophetauit Esaias dicens: Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Radix enim est familia Iudęorum, virga Maria, flos Marię Christus, qui veluti bonæ arboris fructus pro nostræ virtutis processu nũc floret, nunc fructificat in nobis, nunc rediuiua corporis resurrectione reparatur. *Et vnde hoc mihi vt veniat mater domini mei ad me?*) Non quasi ignorans dicit. Scit enim esse spiritus sancti gratiam & operationem, vt mater prophetæ à matre domini ad profectum sui pignoris salutetur. Sed quasi non humani hoc meriti, sed diuinæ gratiæ munus esse cognoscat, ita dicit: *Vnde hoc mihi?*) hoc est, quantum bonum mihi accidit, vt mater domini mei veniat ad me, non cognosco meum. Vnde hoc mihi? qua iustitia? quibus factis? pro quibus meritis? Non vsitata hæc officia fœminarum sunt, vt veniat mater domini mei ad me. Miraculum sentio, cognosco mysterium, mater domini verbo fœta, deo plena est.

Psalm. 126.

Esaiæ 11.

Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit

1637 *exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidisti.*) Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse, & ideo fructum fidei consecutam. Beata, inquit, quæ credidisti. Sed & vos beati qui auditis & creditis. Quæcunque enim crediderit anima, & concipit & generat dei verbum, & opera eius agnoscit. Sit in singulis Mariæ anima, vt magnificet dominum. sit in singulis spiritus Mariæ, vt exultet in deo. Si secundum carnem vna mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus. Omnis enim anima accipit dei verbū, si tamen immaculata & immunis à vitiis sit, & intemerato castimoniam pudore custodiat. Quæcunque igitur talis esse potuerit anima, magnificat dominum, sicut anima Mariæ magnificauit dominum, & exultauit spiritus eius in deo salutari. Magnificatur enim dominus, sicut & alibi legisti: Magnificate dominum mecū. Non quòd domino aliquid humana voce possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim dei Christus est: & ideo si quid iuxta illam religiosúmque fecerit anima, illa imaginem dei, ad cuius est similitudinem creata, magnificat. Et ideo dū magnificatam, magnitudinis eius quadam participatione sublimior fit, vt illam imaginem splendido bonorum colore factorum, & quadā æmulatione virtutis in se videatur exprimere. Magnificat autem anima Mariæ dominum, & exultat spiritus eius in deo, eò quòd & anima & spiritu patri filióq; deuota, vnum deum ex quo omnia, & vnum dominum per quem omnia, pio veneretur affectu, sed Mariæ quo persona melior, eò prophetia plenior. Nec ociosum videtur quòd & ante Ioannem Elizabeth prophetauit, & Maria ante dominicam generationem. Serpunt enim iam tentamenta salutis humanæ. Nam sicut peccatū à mulieribus cœpit: ita etiam bonum à mulieribus inchoatur, vt fœminæ quoque muliebria opera deponentes infirmitati renunciēt: & anima quæ non habet sexum, vt Maria quæ nescit errorem, religioso imitetur studio castitatem.

De mora Mariæ cum Elizabeth.

Mansit autem Maria cum illa mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.) Bene inducitur sancta Maria, & exhibuisse officium, & mysticū numerum custodisse. Non enim sola familiaritatis est causa quòd diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam spiritu ingressū tātus profectus extitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur spiritu sancto mater infantis, quātum putamus vtu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? Mansit autem Maria cum illa mensibus tribus. Vngebatur itaque, & quasi bonus athleta exercebatur in vtero matris propheta. Amplissimo enim virtus eius certamini parabatur. Denique tandiu māsit Maria, quandiu Elizabeth pariendi tempus impleret. Quod si diligenter aduertas, inuenies hoc nusquam positum, nisi in generatione iustorum. Denique impleti sunt dies vt pareret Maria, impletum est tempus vt pareret Elizabeth, impletum est vitæ tēpus, cùm sancti viri ex hoc vitæ curriculo demigrarent. Plenitudinem iusti vita habet, inanes autem dies sunt impiorum.

De ortu præcursoris domini.

Elizabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium, & audierunt vicini eius & cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.) Peperit ergo filiū Elizabeth, & congratulabantur vicini. Habet sanctorum editio lætitiam plurimorum quia commune est bonum. Iustitia enim communis est virtus. Et ideo in ortu iusti, futuræ vitæ insigne præmittitur, & gratia secuturæ virtutis exultatione vicinorum præfigurante signatur. Pulchrè autem tempus quo fuit in vtero propheta, describitur, ne Mariæ præsentia taceatur: sed tempus fletur infantiæ, eò quòd præsentia domini matris in vtero roboratur, qui infantiæ impedimenta nescivit. Et ideo in euangelio nihil super eo legimus, nisi ortum eius, & circumcisionem, exultationem in vtero, vocem in deserto. Neque enim vllam infantiæ sensit ætatem, qui supra naturam, supra ætatem in vtero situs matris à mensura perfectæ cœpit ætatis plenitudinis Christi.

De nomine præcursoris, & reparatione vocis Zachariæ.

Et factum est in die octauo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondit mater eius & dixit: Non, sed vocabitur Ioannes. Et responderunt ad illam: Nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Annuebant ergo patri eius, quem vellet vocari eum. Et accepit pugillarem, & scripsit dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt omnes. Continuò autem resoluta est lingua eius, & apertum est os eius, & loquebatur benedicens deum.) Mirè sanctus euangelista præmittendum putauit, quòd plurimi infantem patris nomine Zachariam appellandum putauerunt, vt aduertas matri non nomen alicuius displicuisse degeneris, sed id sancto infusum spiritu quod ab angelo antè Zachariæ fuerat prænunciatum. Et quidem ille mutus intimare vocabulum filij nequiuit vxori, sed per prophetiam. Elizabeth didicit quod non didicerat à marito. Ioannes est, inquit, nomen eius. Hoc est, non ei nos nomen imponimus, qui iam à deo nomen accepit. Habet vocabulum suum quod agnouimus, non quod elegimus. Habent hoc merita sanctorum, vt à deo nomen accipiant. Sic Iacob Israel dicitur, quia deum vidit. Sic dominus noster Iesus nominatus est antequam natus, cui non angelus, sed pater nomen imposuit. Reuelabitur enim, inquit, filius meus Iesus, cum iis qui cum eo iucundabuntur, qui relicti sunt in annis quadringētis. Et erit post annos hos, & morietur filius meus Christus, & conuertetur seculum. Vides angelos, quæ audierint, non quæ vsurpauerint nunciare. Nec mireris si nomen mulier quod' non audiuit asseruit, quando spiritus ei sanctus qui angelo mandauerat, reuelauit. Neque poterat domini ignorare prænuncium, quæ prophetauerat Christū. Et bene additur, quia nemo in cognatione eius vocabatur hoc nomine, vt intelligas nomen non generis esse, sed vatis. Zacharias quoque nutu interrogatur: sed quia incredulitas ei affatum eripuerat & auditum, quod voce non poterat, manu & literis est locutus. Scripsit enim dicens: Ioannes est nomen eius. Et hic nomen non imponitur, sed astruitur, meritóque cōtinuò resoluta est lingua eius, quia quam vinxerat incredulitas, fides soluit. Credamus & nos igitur vt loquamur, vt lingua nostra quæ incredulitatis vinculis est ligata, rationis voce soluatur. Scribamus spiritu mysteria, si volumus loqui: scribamus prænuncium Christi non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Etenim qui Ioannem loquitur, Christum prophetat. Loquamur Ioannem, loquamur & Christum, vt nostrum quoque os possit aperiri, quod in sacerdote tanto irrationabilis modo pecudis fræna nutantis fidei coercebant. 4. Esdr. 7.

De prophetatione Zachariæ.

Et Zacharias pater eius impletus est spiritu sancto, & prophetabat dicēs. Vide quā bonus deus, & facilis indulgere peccatis. Nō solū ablata restituit, sed etiā insperata concedit. Ille dudum mutus prophetat. Hæc enim gratia dei maxima, quòd eum qui negauerat confitetur. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorum præmia diuina desperet. Nouit dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum. *Et tu puer propheta altissimi vocaberis.* Pulchrè cùm de domino prophetaret, ad prophetam sua verba conuertit, vt hoc quoque beneficium esse domini designaret: ne cùm publicè enumeraret sua, quasi ingratus tacuisse quæ acceperat beneficia videretur quæ agnoscebat in filio. Sed fortasse aliqui quasi irrationabilem mentis excessum putent, quòd octo dierum alloquitur infantem. Verum si teneamus, intelligimus profecto quòd potuit vocem patris natus audire, qui Marię salutationem antequam nasceretur audiuit. Sciebat propheta alias esse aures prophetæ, quę spiritu dei, non corporis ætate referantur. Habebat intelligendi sensum qui exultandi habebat affectum. Simul illud aduerte, quàm paucis Elizabeth, quàm multis Zacharias prophetet, & vterq; sancto repletus spiritu loquebatur: sed disciplina seruatur, vt

mulier

mulier discere magis quæ diuina sunt studeat, quàm docere. Nec facilè vllam prophetasse vberius quàm matrem domini reperimus. Ipsa Maria soror Aaron quàm citò cantici verba concluſit? Eadémque vbi prolixius est locuta cũ fratre, nequaquam sui pœnam sermonis euasit.

De tempore ortus saluatoris.

Cap. II. *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, vt censum profiteretur vniuersus orbis terræ.*) De ortu saluatoris dicturi, nõ putamus alienum, vt quo natus sit tempore requiramus. Quid enim professio secularium ad generationem domini pertineret, nisi vt aduertamus hoc quoque diuinum esse mysterium, quia dum professio secularis obtenditur, spiritalis impletur, non terrarum regi dicanda, sed cœli. Professio ista fidei, census animorum est. Abolito enim synagogæ censu vetusto, nouus census ecclesiæ parabatur, qui tormenta non exigeret, sed auferret, & spiritaliter in typo plebs sua iam Christo nomina conferebat. Non hic spatia terrarum, sed mentium animorúmque censentur. Nec describũtur limites, sed proferuntur. Nec ætas vlla distinguitur, sed omnis adscribitur. Nullus enim ab hoc immunis est censu, quia omnis ætas munifica Christo est, quem vagientes pueri martyrio confitentur, quem intra vterum positi exultatione testantur. Nihil in hoc censu verearis terribile, nihil immite, nihil triste: sola vnumquẽque fides signat. Vis Christi audire censores? Iubentur censere, sed non virgis, nec terrore, sed gratia plebem quærere. Recondere gladium, non possidere aurũ. Talibus censoribus acquisitus est orbis. Denique vt scias censum non Augusti esse sed Christi, totus orbis iubetur profiteri. Quando nascitur Christus, omnes profitentur: quando mundus cõcluditur, omnes periclitantur. Quis ergo poterat professionẽ totius orbis exigere, nisi qui totius habebat orbis imperium? Nõ enim Augusti, sed domini est
Psalm. 23. terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitãt in ea. Gothis nõ imperabat Augustus, nõ imperabat Armeniis, imperabat Christus. Acceperunt vtique Christi cẽsorem, qui Christi martyres ediderunt. Et ideo fortasse nos vincunt, vt præsentia docẽt. Quoniam quem illi oblatione sanguinis fatebantur, huic Arriani quæstionem generis inferebant? *Hæc*, inquit, *professio prima facta est.*) Atqui pleraſq; iam partes terrarum sæpe fuisse descriptas loquuntur historiæ. Hæc est ergo professio prima, non terrarum, sed mentium, cui omnes profitemur, quia nullus excipitur, nõ præconis euocatione, sed vatis qui multo antè prædixit: Om-
Psal. 46. nes gentes plaudite manibus, iubilate deo in voce exultationis: Quoniam deus summus terribilis, & rex magnus super omnem terram. Denique vt scias censum esse iustitiæ, veniunt ad eum Ioseph & Maria, hoc est, iustus & virgo. Ille qui verbum seruaret, ista quæ pareret. Vbi autem profitentur iustus & virgo, nisi vbi nascitur Christus? Omnis enim spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, de deo est. Vbi autem secundum altiorẽ rationem nascitur Christus, nisi in corde tuo, & in pectore tuo? Prope est
Rom. 10. enim verbum in ore tuo, & in corde tuo. Pulchrè autem quòd & præsidis nomen addidit, vt seriem temporis designaret. *Præside*, inquit, *Cirino facta est hæc prima professio.*) vt quasi consulem quendam signi gratia huic libro euangelista adscripsisse videatur. Nam si cõsules adscribuntur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium debuit tempus adscribi? Habes ergo omnia quæ in cõtractibus esse consuerunt. Vocabulum summam illic potestatem gerẽtis, diem, locum, causam, testes quoque adhibere solent. Hos quoque natiuitati suæ & generationi secundum carnem
Act. 1. Christus adhibuit, qui signarent euangelium, dicens: Vos eritis mihi testes in Hierusalem.

De natiuitate saluatoris.

Factum est autẽ, cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium suũ primogenitum, & pannis eum inuoluit, & posuit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.) Breuiter sanctus Lucas & quomodo, & quo tempore, & quo loco secundum carnẽ Christus natus sit explicauit. At verò de cœlesti generatione si
A quæris, lege euangelium sancti Ioannis, qui à cœlestibus exorsus ad terrena descendit. Illic inuenies & quando erat, & quomodo erat, & quid erat, quid egerat, quid agebat, & vbi erat, & quò venerit, & quomodo venerit, quo tempore venerit, qua causa venerit. In principio, inquit, erat verbum. *Ioan. 1.* habes quando erat. Et verbum erat apud deum. habes quomodo erat. Habes etiam quid erat. Et deus, inquit, erat verbum. Quid egerat, Omnia per ipsum facta sunt. Quid agebat, Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et vbi erat, In hoc mũdo erat. Quò venerit, In sua propria venit. Quomodo venerit: Verbum caro factum est. Quando venerit, Ioannes testimoniũ perhibet de ipso dicens: Hic est de quo dixi, qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat. Qua causa venerit, Ioannes ipse testatur: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Si igitur generationem vtranque cognouimus, & vtriusque vnam esse causam qua venit aduertimus, vt pereuntis mundi peccata susciperis, peccati labem, &
B mortem in se qui vinci nõ posset aboleret: consequens est, vt nunc quoque sanctus Lucas euangelista nos doceat, & vias domini secundum carnem crescentis ostendat. Nec quemquam mouere debet quòd altiori consilio Ioannis infantiam diximus prætermissam: Christi verò infantiam asseruimus esse descriptam. Nõ enim omnium est dicere: Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifaciã: omnibus *1. Cor. 9.* omnia factus sum. Neque de quoquam ita alio dici potest, quia vulneratus est propter iniquitates nostras, & infirma- *Esa. 53.* tus est propter peccata nostra. Ille igitur paruul⁹, ille infantulus fuit, vt tu vir possis esse perfectus. Ille inuolut⁹ in pãnis, vt tu mortis laqueis absolutus sis. Ille in præsepib⁹, vt tu in altaribus. Ille in terris, vt tu in cœlis. Ille aliũ locum in eo diuersorio non habebat, vt tu plures haberes in cœlestibus mansiones. Qui cùm diues, inquit, esset, propter vos pauper *1. Cor. 8.* factus est, vt illius inopia vos ditaremini. Meum ergo paupertas illius patrimoniũ est, & infirmitas domini mea virtus est. Maluit sibi egere, vt omnibus abundaret. Me illius
C infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lachrymæ illæ delicta lauerunt. Plus igitur domine Iesu iniuriis tuis debeo qđ redemptus sum, quàm operib⁹ quòd creatus sum. Nõ prodesset nasci nisi redimi ꝓfuisset. Sed nemo intra vsum corporis formam omnem diuinitatis includat. Alia natura carnis est, alia diuinitatis gloria. Propter te infirmitas, in se potentia. Propter te inopia, in se opulentia. Noli hoc æstimare quod cernis, sed quod redimeris agnosce. Quia in pãnis est vides, quia in cœlis est non vides. Infantis audis vagitus, nõ audis bouis dominum agnoscentis mugitus. Agnouit enim *Esaiæ 1.* bos possessorẽ suum, & asina præsepe domini sui, imò præsepium dixerim, sicut scripsit qui transtulit. Nihil enim apud me distat in verbo quod non distat in sensu. Nam si orator illorum qui phaleras sermonum sequuntur, negat in hoc fortunas positas esse Græciæ, hoc an illo verbo vsus sit, sed rem spectandam putat: si ipsi philosophi eorum qui totos dies in disputatione consumunt, minus Latinis & receptis vsi sermonibus sunt, vt propriis vterentur: quanto magis nõ negligere verba debemus, spectare mysteria, quibus
D vincit sermonis vilitas, quòd operum miracula diuinorum nullis venustata sermonibus, veritatis suæ lumine refulserunt. Denique asinam illam rationabilem non succo deliciarum, sed succo naturalis alimoniæ præsepia sancta pauerunt. Hic est dominus, hoc præsepe, quo nobis diuinum mysterium reuelatum est, † irrationabiles gẽtes pecudũ intra præsepia more viuẽtes, alimoniæ sacræ vbertate pascendas. Agnouit ergo asina, species scilicet & forma gẽtilium, *Psalm. 22.* præsepe domini sui. Et ideo dicit: Dominus pascet me, & nihil mihi deerit. An mediocrib⁹ signis deus ꝓbatur, quòd angeli ministrant, quòd Magi adorant, quòd martyres confitentur? Ex vtero funditur, sed coruscat è cœlo. Terreno in diuersorio iacet, sed cœlesti lumine fulget. Nupta peperit, sed virgo concepit. Nupta concepit, sed virgo generauit. Docuit enim nos sanctus Matthæus non mediocre mysterium, quod sanctus Lucas, quia plenè iam erat expositum, silendum putauit, satis se diuitem fore credens, si præ-

† irrationabili.

sepe

1641 ipse sibi domini ex omnibus vindicasset.

Interpositio narrationis de aduentu Magorum.

Stum igitur paruulum quem tu quasi vilem qui infidelis es arbitraris, Magi ex Oriente venientes tam longo spatio sequebãtur, & procidentes adorãt, & regem appellant, & resurrecturum fatentur, offerentes de thesauris suis aurum, thus, & myrrham. Quæ sunt ista veræ fidei munera? Aurum regi, thus deo, myrrha defuncto. Aliud enim regis insigne, aliud diuinæ sacramentum est potestatis, aliud honor est sepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui, sed reseruet. Nos quoque qui hæc audimus & legimus, de thesauris nostris talia fratres munera proferamus. Habemus enim thesaurum in vasis fictilibus. Si igitur in te ipso non ex te debes æstimare quod es, sed ex Christo, quanto magis in Christo non tua debes æstimare, sed Christi? Ergo Magi de thesauris suis offerunt munera. Vultis scire quàm bonum meritum habeant? Stella ab his videtur: & vbi Herodes est, non videtur: vbi Christus est, rursus videtur: & viam monstrat. Ergo stella hæc via est, & via Christus, quia secundum incarnationis mysterium, Christus est stella. Orietur enim stella ex Iacob, & exurget homo ex Israël. Denique vbi Christus, & stella est. Ipse enim est stella splendida & matutina. Sua igitur ipse luce se signat. Accipe aliud documentum: Alia venerunt via Magi, alia redeunt. Qui enim Christum viderant, Christum intellexerant, meliores vtique quàm venerant reuertuntur. Duæ quippe sunt viæ, vna quæ ducit ad interitum, alia quæ ducit ad regnum. Illa peccatorum est, quæ ducit ad Herodem: hæc via Christus est, qua redditur ad patriam. Hic enim temporalis est incolatus, sicut scriptum est: Multum incola facta est anima mea. Caueamus igitur Herodem, mundanæ ad tempus præsulem potestatis, vt patriæ cœlestis æternum consequamur habitaculum. Non electis tantum præmia ista proposita sunt, sed etiam omnibus, quoniã omnia & in omnibus Christus. Vides enim quia non ociosè vel de Chaldæis, qui peritiores in numeris habentur, Abraham deo credidit, vel Magi, qui licet magicis artibus conciliandæ sibi studiũ diuinitatis impendunt, ortum in terris domini crediderunt. Non, inquam ociosè, sed vt ex aduersariis gentibus sanctæ religionis testimonium sumeretur, & diuini timoris exemplum. Sed tamen qui sunt isti Magi, nisi qui (vt historia quædam docet) à Balaam genus ducunt, à quo prophetatũ est: Orietur stella ex Iacob? Isti ergo sunt non minus fidei quàm successionis hæredes. Ille stellam vidit in spiritu, isti viderunt oculis, & crediderunt. Viderunt nouam stellam quæ non erat vsa à creatura mundi. Viderunt nouam creaturam, & non solum in terra, sed etiam in cœlo gratiam noui hominis requirebant, secundum quod Moyses propheticè posuit, quia orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel, Et cognouerũt hanc esse stellam, quæ hominem deúmque signabat, & adorauerunt paruulum. Vtique non adorassent, si paruulum tantummodo credidissent. Magus ergo intelligit suas cessare artes, tu non intelligis tua dona venisse? Ille fatetur alienum, tu non agnoscis promissum? Ille contra se credit, tu pro te nõ putas esse credendum? Natum ergo Magi nunciant regem. Pertubatur Herodes, congregat scribas & principes sacerdotũ, & interrogat vbi Christus oriatur. Magi tantummodo regem nũciant, Herodes Christum requirit. Ipsum igitur regem de quo interrogat, confitetur. Deinde cùm vbi nasci haberet inquiritur, vtique prænunciatus ostenditur. Neque enim quæri poterat, qui non erat nunciatus. O amentes Iudæi, venisse non creditis, quem videtis? Venisse non creditis, quem dicitis esse venturum? Nunciate, inquit, mihi, vt veniam & adorem puerum. Insidiatur quidem Herodes, sed deum non negat quem memorat adorandum. Deinde infantes occidi iubet. Cui alij nisi deo talis victima debebatur? Expers licet sensus infantia, dominum tamen pro quo interimitur confitetur. Hæc de Matthæo pauca libauimus, vt clareret infantiæ tẽpora à diuinitatis operibus minimè vacauisse. Quod si ætas carnis infirma operis fuit, profectò deus erat: diuinitatis operibus exercebat carnis ætatem. Qui etiam pastores faciebat in illa regione vigilare, custodientes vigilias noctis supra gregẽ
A suum. Videte ecclesiæ surgentis exordium. Christus nascitur, & pastores vigilare cœperant, qui gentium greges pecudum modo antè viuentes, in caulam domini congregarent, ne quos spiritualium bestiarum per effusas noctiũ tenebras paterentur incursus. Et bene pastores vigilant, quos bonus pastor informat. Grex igitur populus, nox seculum, pastores sunt sacerdotes, aut fortasse etiam ille sit pastor cui dicitur: Esto vigilans, & confirmare. quia non solum episcopos ad tuendum gregem dominus ordinauit, sed etiam angelos destinauit. *Apoc. 3.*

De nati saluatoris manifestatione.

Ecce angelus domini stetit ante illos.) Videte quemadmodũ diuina cura fidem astruat. Angelus Mariã, angelus Ioseph, angelus pastores edocet. Non satis est semel missum. duobus enim & tribus testibus stat omne verbum. *Mat. 18.*

B *De angelorum laudatione.*

Et facta est cum angelo multitudo exercitus cœlestium laudantium deũ, & dicẽtium: Gloria in altissimis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.) Bene angelorum nominantur exercitus, qui ducem cœlestis militiæ sequebãtur. Cui igitur laudem angeli, nisi domino suo dicerent? iuxta quod scriptum est: Laudate dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli eius. Impleta igitur prophetia est: Laudatur de cœlis domin⁹, & videtur in terris. De quo sanctus Marcus ait: Quia cum bestiis erat, & angeli ministrabãt ei. Vt in altero misericordiæ insigne, in altero diuinæ indicium potestatis agnoscas. Tuum est quod bestias patitur, suum quod angelis prædicatur. *Psal. 148.* *Marc. 1.*

De pastorum collocutione.

C *Et aiũt: Videamus hoc verbum quod factum est, sicut dominus ostẽdit nobis. Et venerunt festinantes.*) Vides festinare pastores. Nemo enim cũ desidia Christum requirit. Vides pastores angelo credidisse, & tu patri, filio, spiritui sancto, angelis, prophetis & apostolis credere non vis? Vide quàm signanter scriptura singulorum libret momenta verborũ. Festinant, inquit, verbũ videre. Etenim cùm caro domini videtur, verbum videtur, quod est filius. Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, nõ vilis persona pastorum. Certè quò vilior ad prudentiam, eò precios̃ior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientiũ, sed plebem dominus simplicem requisiuit, quæ phalerare audita & fucare nesciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur. Nec contemnẽda putes quasi verba vilia prophetarum. A pastoribus etiam Maria fidem colligit. A pastoribus populus ad dei reuerentiam congregatur. Mirati enim sunt de iis quæ dicebantur à pastoribus ad ipsos.

De conseruatione dictorum in corde Mariæ.

D *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*) Discamus sanctæ virginis in omnibus castitatem, quæ nõ minus ore pudica quàm corpore argumenta fidei conferebat in corde. Si Maria à pastoribus discit, cur tu declinas discere à sacerdotibus? Si Maria ante præcepta apostolica tacet, cur tu post apostolica præcepta magis cupis docere quàm discere? Disce personæ vitium esse non sextus. Sexus enim sanctus. Denique Maria præceptum non accepit, exemplum edidit.

De circunciſione ſaluatoris, & eius oblatione.

Circunciditur itaque puer.) Quis est iste puer nisi ille de quo dictum est: Puer natus est nobis, filius dat⁹ est nobis? Factus est enim sub lege, vt eos qui sub lege essent lucrifaceret. Sistitur autem in Hierusalem. Quid sit autem in Hierusalem sisti domino, dicerẽ, nisi in Esaiæ commentis antè dixissem. Circuncisus enim vitiis, dominico dignus iudicatur obtutu: quia oculi domini super iustos. *Esaiæ 9.* *Galat. 4.*

per iustos. Vides omnẽ legis veteris seriẽ fuisse typum futuri. Nam & circuncisio purgationem significat delictorum. Sed quoniam prona quadam cupiditate peccandi humanæ carnis & mẽtis fragilitas inextricabilibus vitiis implicatur, eò per octauum circuncisionis diem culpæ totius futura purgatio resurrectionis præfigurabatur ætate. Hoc est enim illud: *Quia omne masculum adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur.*) Verbis enim legis promittebatur virginis partus. Et verè sanctus, quia immaculatus. Denique ipsum esse qui lege signetur, in eundem modum ab angelo repetita verba declarãr: *Quia quod nascetur*, inquit, *sanctũ vocabitur filius dei.*) Non enim virilis coitus vuluæ virginalis secreta reserauit, sed immaculatum semen inuiolabili vtero spiritus sanctus infudit. Sol⁹ enim per omnia ex natis de fœmina sanct⁹ dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cœlesti maiestate depulerit. Nam si literam sequamur, quomodo sanctus omnis masculus, cùm multos sceleratissimos fuisse non lateat? Nunquid sanctus Achab? Nunquid sancti pseudoprophetæ, quos ad Heliæ preces vltor cœlestis iniuriæ ignis absumpsit? Sed ille sanctus quẽ in figura futuri mysterij pia legis diuinæ præscripta signabant, eò quod solus sanctæ ecclesiæ virginis ad generandos populos dei immaculatæ fœcunditatis aperiret genitale secretum. Hic ergo solus aperuit sibi vuluam. Nec mirum, qui enim dixerat ad prophetã: Priusquam te formarem in vtero, noui te, & in vulua matris sanctificaui te: qui ergo vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris suę vuluã, vt immaculatus exiret.

Hierem. 1.

De Symeone & Anna.

ET ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Symeon, & homo iste iustus & timoratus expectans consolationem Israel.) Non solum ab angelis & prophetis, & à pastoribus, sed etiam à senioribus & iustis generatio domini accepit testimonium. Omnis ætas & vterque sexus euentorúmque miracula fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetat, Magus adorat, vtero clausus exultat, vidua confitetur, iustus expectat. Et bene iustus, qui non suam, sed populi gratiam requirebat, cupiens ipse corporeæ vinculis fragilitatis exolui, sed expectans videre promissum, sciebat enim quia beati oculi qui eum viderent. *Nunc*, inquit, *dimitte seruum tuum domine.*) Vide iustum velut corporeæ carcere molis inclusum velle dissolui, vt incipiat esse cum Christo. Dissolui enim & cum Christo esse, multo melius est. Sed qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Hierusalem, expectet Christum dominum, accipiat in manibus verbum dei, complectatur velut quibusdam suæ fidei brachiis, operibus suis. Tunc dimittetur vt non videat mortem, quia viderit vitam. Vides vberem in omnes gratiã domini generatione diffusam, & prophetiam incredulis negatam esse, non iustis. Ecce & Symeon prophetat, in ruinam & resurrectionem plurimorum venisse dominum Iesum Christum, vt iustorum iniquorúmque merita discernat, & pro nostrorũ qualitate factorum, iudex verus & iustus aut supplicia decernat, aut præmia. *Et tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius.*) Nec litera nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse. Non enim anima, sed corpus materiali gladio transuerberatur. Et ideo prudentiam Mariæ haud ignaram mysterij cœlestis ostendit. Viuum enim verbum dei & validum, & acutius omni gladio acutissimo, penetrans vsque ad diuisionem animæ & spiritus, artuum quoque & medullarum, cogitationes cordis & secreta scrutatur animorũ, quia nuda mentium & aperta sunt omnia dei filio, quem conscientię secreta non fallunt. Prophetauit itaque Symeon, prophetauerat copulata coniugio, prophetauerat virgo. Debuit etiam vidua prophetare, ne qua aut professio deesset, aut sexus. Et ideo Anna & stipẽdiis † viduitatis, & moribus talibus inducitur, vt digna planè fuisse credatur quæ redemptorem veniſſe omnium nunciaret. Cuius merita cùm alibi descripserimus, cùm viduas hortaremur, hoc loco quoniam ad alia

Luca. 10.

Philip. 1.

Hebr. 4.

†al. diſpendiis.

A

B

C

D

properamus non putamus iteranda. Non ociosè tamen annos octogintaquatuor viduitatis eius expressit, quia & septem dodecades, & duæ quadragesimæ, sacrum videtur numerum designare.

De exordio disputationis Iesu.

ET cùm facti essent illi anni duodecim.) A duodecim anno, vt legimus, dominicæ sumitur disputationis exordium. Hic enim prædicandæ fidei euangelizantiũ numerus debebatur. Nec ociosè immemor suorum secundum carnem parentum, qui secundum carnem vtique sapientia dei implebatur & gratia, post triduum reperitur in templo: vt esset indicio quia post triduum triumphalis illius passionis, in sede cœlesti & honore diuino fidei nostræ se resurrecturus offerret, qui mortuus credebatur.

De responsione Iesu ad matrem.

QVid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in propria patris mei oportet me esse?) Duæ sunt in Christo generationes. vna est paterna, materna altera. Paterna illa diuinior, materna verò quæ in nostrum laborem vsúmque descendit. Et ideo quæ supra naturam, supra ætatem, supra consuetudinem fiunt, non humanis assignãda virtutibus, sed diuinis referenda sunt potestatibus. Alibi eum ad ministerium * mater impellit, hîc mater arguitur, quia adhuc quæ humana sunt exigat. Sed cùm hîc duodecim describatur annorum, illic discipulos habere doceatur: vides matrem didicisse à * filio, ne † exigeret à valdiore ministerium †, quæ stupebat in iuniore miraculum.

De subiectione Iesu.

ET venit Nazareth, & erat subditus illis.) Quid enim magister virtutis, nisi officium pietatis impleret? & miramur si patri defert qui subditur matri? Non vtiq; infirmitatis, sed pietatis ista subiectio est. Attollat licet sæuis emissus latebris coluber perfidiæ caput, & serpentinis euomat venena pectoribus, cùm dicit se filius missum: maiorem hæreticus appellet patrem, vt imperfectum filium dicat, qui potest habere maiorem, vt alienis auxiliis asserat eum qui mittitur indigere: nunquid & humano egebat auxilio, vt materno seruiret imperio? Deferebat homini, deferebat ancillæ. Ipsa enim dicit: Ecce ancilla domini. Deferebat simulato patri, & miraris si deo detulit? An homini deferre pietas est, deo deferre infirmitas est? Vel ex humanis diuina perpende, & quid patri amoris debeatur, agnosce. Pater honorificat filium, non vis vt filius honorificet patrem? Pater voce cœlesti in filio se complacere profitetur, non vis vt filius humanæ amictu carnis indutus, cùm humana voce humano loquatur affectu, patrem dicat esse maiorem? Nam si magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis: vtique magnitudo quæ finem non habet, nec augmentum habet. Sed cur non accipiam religiosis autibus filium patri in susceptione corporis obedientem, cùm religiosè accipiam patrem filio deferentem? Disce potius tuæ vtilitatis præcepta, & exempla pietatis agnosce. Disce quid parentibus tuis debeas, cùm legis à patre filium non voluntate, non opere, non tempore discrepare. Etsi personis duo, potestate vnum sunt. Et vtique nullum pater ille cœlestis laborem generationis expertus est. Tu matri debes pudoris iniuriam, virginitatis dispendium, partus periculum, matri longa fastidia, matri longa discrimina, cui miseræ in ipsis votorum fructibus maius periculum est: & cùm ediderit quod optauit, partu absoluitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, & multiplicatos alienis vsibus census, iactáque agricolæ semina posterorum ætatibus profutura? Nónne pro his obsequia saltem oportet rependi? Cur impio patris vita prolixior. & communitas patrimonij videtur angustior, cùm Christus non refugiat cohæredes?

De exordio prædicationis Ioannis.

Factum

Matth. 12.

Matth. 3.

Matth. 11.

Luca. 7.

*Matth. 11

1645 *Factum est verbum domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.*) Congregaturus ecclesiam dei filius antè operatur in seruulo. Et ideo bene potuit sanctus Lucas factum esse dei verbum super Ioannem Zachariæ filium in deserto, vt ecclesia non ab homine cœperit, sed à verbo. Ipsa enim est desertum, quia plures filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. Denique ipsi dicitur: Lętare sterilis, & exulta desertum, quia nullis adhuc conuenæ plebis operibus colebatur, neque vllum adhuc arbores illæ quæ fructum ferre non poterant, meritorum suorũ verticem proferebant. Nondum venerat qui diceret, Ego autem ficut oliua fructifera in domo domini. Nondum vitis illa cœlestes fructus palmitibus suis verborum quodam suorum traduce ministrabat. Factum est ergo verbum, vt quæ erat antè deserta, fructum nobis terra generaret. Factum est verbum, vox secuta est. Verbum enim prius intus operatur, sequitur vocis officium. Vnde & Dauid dicit, Credidi, propter quod locutus sum. Prius credidit, vt loqui posset. Factum est autẽ verbum, vt sanctus Baptista Ioannes pœnitentiã prædicaret. Et ideo plerique sancto Ioanni typum legis imponunt, eò quòd lex peccatum denunciare potuit, donare non potuit. Lex enim vnumquemque qui viam gentium sequebatur, reuocat ab errore, restringit à crimine, pœnitẽtiam suadet, vt gratiã cõsequatur. Lex autem & prophetæ vsque ad Ioannem, Ioannes autem prænuncius Christi. Ita lex ecclesiæ prænuncia, & gratiæ pœnitentia est. Bene itaque sanctus Lucas compendio vsus est, vt Ioannem declararet prophetam, dicens factum esse supra eum verbum dei, alia nõ adderet. Nullus enim eget indicio sui, qui verbo dei abundat. Vnum itaque dixit, & omnia declarauit. At verò sanctus Matthæus & Marcus & vestitu & cinctu & cibo prophetã declarare voluerunt, eò quòd vestitum de pilis camelorũ habuit, & zonam pelliceã super lumbos suos, locustas autẽ & mel syluestre edebat. Prænuncius enim Christi non patiebatur immũdarum perire exuuias bestiarum, ipso quoque vestitus indicio designans Christum esse venturum, qui beluinis induuiis, quæ cõtextæ sunt per nostrorum deformitatem meritorũ, gentilitatis immundæ peccata susciens, in illo trophæo crucis amictu quodam se nostræ carnis exueret. Quid autem sibi vult, cinctus zonæ pelliceæ, nisi quòd caro ista quæ mẽtem prius grauare consueuerat, ea post aduentum domini, non impedimento cœpit esse, sed cingulo? Eò quòd & iuxta Dauid, in salicibus organa nostra suspendimus. Et iuxta Apostolum, confidentiam non habemus in carne, & confidentiam habemus in corpore: nõ habemus in voluptatibus, habemus in passionibus, quo spiritu feruẽs vigeat affectus, & ad omne accingamur obsequium cœlestium præceptorum, deuotione mentis intenti, atque apparatu corporis expediti. Cibus quoque propheticus, index officij, nũciúsque mysterij est. Quid enim tam ociosum ad hominis officiũ, quàm locustas quærere, & quid tam plenum ad vatis mysterium? Nam quò magis ad fructum inutiles, ad vsum laboris inertes, ad tactum fugaces, vagæ saltu, ore stridulę sunt locustę, eò cõuenientius his populi figura gentilis aptatur, qui nullo vsu laboris, nullo operis sui fructu, sine grauitate, sine voce sonum querelæ ederet, verbum vitæ ignoraret. Hic igitur populus cibus est prophetarum. Nam quò numerosior populus congregatur, eò vberior prophetici oris vsus augetur. Ecclesiæ quoque gratia præfiguratur in melle syluestri, non intra aluearium legis plebis Iudaicæ fœtu reperta, sed in campis & foliis syluæ gentilium errore diffusa, iuxta quod scriptum est: Inuenimus eam in campis syluæ. Et hic quidem mel syluestre edebat, annuncians populos de petra melle saturandos: sicut scriptum est: Et de petra melle satiauit eos. Sic etiã Heliam corui cibo aduẽtitio & lucratiuo potu inter deserta pauerunt, vt indicio foret populos nationum retro squalentes colore meritorum, qui ante cibũ fœditatis in cadaueribus requirebant, nunc de se aduentitiam prophetis alimoniam præbituros. Cibus enim prophetarum, diuinæ voluntatis effectus est, sicut ipse dominus declarauit dicens: Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui me misit.

Confirmatio per testimonium Esaiæ.

A *Vox clamantis in deserto.*) Bene vox dicitur Ioannes, verbi prænuncius. Nam interrogatus ipse Ioannes, Quid dicis de teipso? ait: Ego vox clamantis in deserto. Et ideo ait: Qui post me venit, ante me factus est: quia vox præcedit inferior, verbum sequitur, quod præcellit. Ideo & à Ioãne baptizari voluit, quia in hominibus verbum consecratur voce doctoris. Ideo fortasse & Zacharias vocem recepit, quia vocem locutus est.

Redargutio malitiæ Iudæorum.

Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Pater noster Abrahã est. Dico autẽ vobis, quia potẽs est deus de lapidib' istis suscitare filios Abrahæ.) Argui quidẽ videtur malitia Iudęorũ, eò quòd varij noxiæ mentis veneno serpentinos lapsus, & terrena cubilia, nõ diuinæ aliquod mysterium cognitionis operẽtur: sed tamen B cùm dicitur: Quis ostendit vobis fugere à ventura ira? ostẽditur his dei miseratione infusa prudẽtia, vt gerant suorum pœnitentiam delictorũ, futuri terrorem iudicij prouida deuotione metuentes. Ad generationẽ ergo non ad successionẽ referẽda est cõparatio viperarũ. Aut fortasse iuxta quod scriptum est, Estote prudentes, sicut serpentes: ostenduntur habere prudentiam naturalem, qui profutura videant, & sponte deposcant, sed adhuc noxia non relinquant. Et ideo admonentur claritatem sibi magis operis quàm nobilitatem generis vindicare, quòd nulla in successione prærogatiua sit, nisi fidei astipuletur hæreditas, quam dei nutu ad populos gẽtilium trãsferendam, sermone prophetico reuelauit dicens: Potens est deus de lapidibus his suscitare filios Abrahæ. Nam licet deus possit diuersas conuertere & commutare naturas, tamẽ quia mihi plus mysterium quàm miraculum prodest, in prænuncio Christi nihil magis quàm ædificationem ecclesiæ debeo surgentis agnoscere, quæ nõ C rupeis saxis, sed viuis lapidibus extructa, in habitaculum dei & fastigium templi conuersione nostrorum surrexit animorum. Etenim parabat deus mentium nostrarum dura mollire, & de lapidibus offensionis excitare cultores religionis. Quid enim aliud quàm lapides habebantur, qui lapidibus seruiebant, similes vtique iis qui facerẽt eos? Prophetatur igitur saxosis gentilium fides infundenda pectoribus, & futuros per fidem Abrahæ filios oracula pollicẽtur, quibus per duritiam mentis saxeus quidam insensibilis irrationabilisque naturæ vsus inoleuerat. Nam si lapidibus viuis firmatos viros fidei robore sententia apostolica comparauit, iuxta quod scriptum est: Et vos tanquam lapides viui ædificamini domos spiritales in sacerdotium sanctum, offerentes hostias spiritales: multo altius † hîc videntur voce prophetica lapidibus homines comparari, qui ita humanæ sensum mentis amiserant, vt dum lapidibus putant diuinitatis alicuius inesse rationem, ipsi in naturam lapidũ, non vsu corporis, sed mentis habitu verterentur. Denique ex Abrahæ secundum carnẽ successione manantes, & principes Sodomorum appellantur, & parietes dealbati: ita sibi prærogatiuam generis morũ magis similitudo vindicat, quàm ordo maiorum. Quinetiam vt scias, quia lapidibus cõparati sunt homines, arboribus quoque homines comparauit subiiciens propheta, *Quia iam securis ad radices arborum posita est.*) Exempli autem ideo facta mutatio est, vt illo comparationis processu quidem intelligatur hominis clementior iam profectus. Nam illi antè deformes ad vsum, nudi ad ornatũ, steriles ad fructum, irrationabiles ad profectum iam in arborum speciem figurantur, quę rationabili quodam naturę munere decoræ ad vsum, ad aspectum venustæ, ad fructum opimæ, surgunt cacuminibus, funduntur brachiis, replẽtur fructibus, frondibus vestiuntur. Atque vtinam nos fœcundarum vsum arborum possimus imitari, meritísque crescentibus longæuæ humilitatis radice fundati, sublimes ab humo, decori ad speciem, adultos fructuosorum operum vertices erigamus, ne euãgelici securis agricolæ trũci radicem syluestris excidat. Væ enim mihi est si non euangelizauero.

Matth. 10.

D

1. Petr. 2. † alibi.

1. Cor. 9.

Sed vox ista apostolica est, Væ mihi est si nō peccata defleuero. Væ mihi est si non media nocte surrexero ad confitēdum tibi. Væ mihi si dolū proximo meo fecero. Væ si locutus non fuero veritatem. Ad radicem securis est posita, faciat fructum qui potest gratiæ, qui debet pœnitentiæ. Adest dominus qui fructum requirat, fœcundos viuificet, steriles reprehendat. Anni tres sunt ex quo venit, & fructum in Iudæis inuenire non potuit: vtinam inueniat in nobis. Iussurus est succidi infructuosos, ne terram occupēt. Sed qui adhuc non habet fructum, conetur vt afferat in futurum. Bonus ille cultor agri interueniet pro nobis infœcūdis, pro nobis infructuosis, vt detur spatium, patiētia deferatur, ne fortè & nos aliquē fructum ferre deo possimus. Singulis quoque generibus hominum cōueniens tribuit sanctus Baptista Ioannes respōsum, vnum omnibus, ita, Publicanis ne vltra præscriptum exigāt, militibus ne calumniam faciant, ne prædā requirant. Docens idcirco stipendia constituta militiæ, ne dum sumptus qnæritur, prædo grassetur. Sed hæc & alia officiorum præcepta propria singulorum, misericordia communis est vsus. Ideo commune præceptū omnibus officiis, omnibus ętatibus necessaria, & ab omnibus deferenda. Non publicanus, non miles excipitur, nō agricola vel vrbanus, diues & pauper, omnes in cōmune admonentur vt cōferant non habenti. Misericordia enim plenitudo virtutum est. Et ideo omnibus est proposita perfectæ forma virtutis, ne vestimentis alimentisque suis parcant. Misericordiæ tamen ipsius pro possibilitate conditionis humanæ mensura seruatur, vt non sibi vnusquisque totum eripiat, sed quod habet, cum paupere partiatur.

Luc. 13.

De responsione Ioannis ad populum cogitantem eum esse Christum.

Æstimante autem populo & cogitante in cordibus suis de Ioanne ne forte ipse esset Christus, respondit dicēs: Ego quidē vos baptizo in aqua in pœnitētia.) Videbat ergo Ioannes cordis occulta: sed cōsideremus cuius hęc gratia. Quēadmodū aūt prophetis palā fiant cordis occulta, Paulus ostendit dicens: Occulta quoque cordis eius manifesta fient, & procidens in faciem adorabit dominum, pronuncians quòd verè deus est in vobis. Dei ergo munus est, qui reuelat: non virtus hominis, qui diuino magis adiuuatur beneficio, quàm naturali cernat officio. Quo autem proficit ista cogitatio Iudæorū, nisi vt secundum scripturas venisse Christus probetur? Erat enim, qui expectabatur: & ipse vtique qui expectabatur, nō is qui non expectabatur aduenit. Quid autē ineptius quàm quòd is qui in alio æstimatur, in seipso esse non creditur? Quem per mulierem venturum putabant, per virginem venisse non credunt. Quæ deo secundum carnem dignior generatio, quàm vt immaculatus dei filius, immaculatæ generationis seruaret etiam in susciptēdo corpore puritatem? Et vtique diuini aduentus signū in virginis partu nō in mulieris constitutum est. *Ego*, inquit, *vos aqua baptizo.*) Citò probauit nō esse se Christū, qui visibili operetur officio. Nā cùm ex duabus naturis homo, id est, ex anima subsistat & corpore: visibile per visibile, inuisibile per inuisibile mysterium cōsecratur. Aqua enim corpus abluitur, spiritu animæ delicta mundantur. Aliud agimus, aliud inuocamus. Licet etiā in ipso fonte sanctificatio diuinitatis aspiret. Non enim aqua omnis ablutio est, sed hæc inter se diuisa esse non possunt. Et ideo aliud fuit baptismum pœnitentiæ, aliud gratiæ est. Istud ex vtroq;, illud ex vno. Nā cùm communia delicta sint mentis & corporis, purificatio quoq; debuit esse cōmunis. Et bene sanctus Ioannes se intellexisse significans quid in cordibus cogitarēt, & quasi non intellexerit, declinās maiestatis inuidiam, non verbo, sed opere declarauit non esse se Christum. Opus enim hominis est agere pœnitentiā delictorum, dei munus est gratiam implere mysterij.

1. Corin. 14.

Testimonium Ioannis de Christi aduentu.

Venit autem fortior me.) Non comparationem fecit, vt ipso se tantum fortiorem dixerit Christū: (neque enim inter dei filium & hominē vlla poterat esse collatio) sed quia multi fortes: nā & diabol' fortis. Nemo enim potest vasa fortis dirípere, nisi prius alligauerit fortē. Multi ergo fortes, fortior nemo nisi Christus. Denique eousque non fecit comparationem, vt addiderit: *Cuius non sum dignus calceamenta portare.*) Euangelicæ prædicationis ostēdens in apostolos gratiam esse collatam, qui sunt calceati in euāgelium. Videtur tamen ideo hoc dicere, quòd plerumque Ioānes personam accepit populi Iudæorum. Vnde ad hoc referunt quod ait: Illum oportet crescere, me autem minorari: quòd oporteret minorē fieri populum Iudæorū, crescere in Christo populum Christianū. Denique & Moyses accepit personā populi, sed ille calceamētum non dominicū portabat, sed pedum suorum. Et isti calceati sunt calceamento fortasse non suorum pedum. Ille autem soluere calceamentum pedum iubetur suorū, vt animi eius egressus & mentis corporei nexus vinculis absolutus iter spiritale gradiatur. Apostoli autem calceamentum deposuerunt corporale, quando missi sunt sine calceamēto, sine virga, sine pera, sine zona: sed non statim dei calceamēta portarūt. Fortasse post resurrectionem portare cœperūt. Antè enim ne cui gesta domini dicerēt, admonebantur. Denique postea his dicitur: Ite in orbem vniuersum, & prædicate euāgelium: vt euāgelicæ prædicationis vestigium proferentes, toto dominicorum seriem circunferrent orbe gestorum. Est igitur calceamentū nuptiale euāgelica prædicatio. Sed de hoc opportunius aliquid in aliis explicabimus.

Ioan. 3.

Exod. 3.

Luc. 10.

Marc. 16.

De virtute & iudiciaria Christi potestate.

Ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni, habens ventilabrum in manu sua, & purgabit aream suam, & cōgregabit triticum in horreum suum, paleas autem igni comburet inextinguibili.) Habens ventilabrum in manu. Ventilabri indicio discriminandorum dominus declaratur ius habere meritorum, eò quòd dum frumenta in area ventilantur, plena à vacuis, ab inanibus fructuosa veluti quodam auræ spirantis examine separantur. Per hanc igitur comparationem ostenditur, quòd dominus iudicij die solidæ merita fructúsq; virtutis ab inanis iactātiæ exiliúmque factorū infructuosa leuitate discernat, perfectioris meriti viros locaturus in māsione cœlesti. Ipse enim perfectior fructus est, qui meruerit eius esse conformis, qui sicut granum tritici cecidit, vt plurimos fructus afferret in nobis, inuisus paleis, inanibus meritis non amictus †. Et ideo ante eum ignis ardebit, non natura sui noxius, vtpote qui mala improbitatis exurat, splendorem probitatis accumulet.

† al. amictu.

De Iesu baptizato & dei patris testimonio.

Factum est autem cùm baptizatus esset omnis populus, & Iesu baptizato & orante, apertum est cœlum, & descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cœlo facta est: Filius meus es tu, in te complacui.) Baptizatus est ergo dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognouit, baptismatis ius haberent. Et ideo qui ad Christi lauacrum venerit, peccata deponit. Pulchrè aūt in iis quę à cæteris dicta sunt, sanctus Lucas euangelista compendium sumpsit, & intelligendum magis quòd à Ioāne dominus baptizatus est, quàm expressum reliquit. Quæ autem dominici causa baptismatis, dominus ipse declarat dicens: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Cùm igitur tanta ad ædificationem ecclesiæ suæ diuino deus fauore concesserit, vt post patriarchas, prophetas, angelos, vnigenitus descēderet dei filius, & ad lauacrum veniret, nónne verè atque diuinè de ecclesia cognouimus diuinum: Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam? Nec mirū si homo ædificare non potest, qui non potest custodire. Nisi dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilauerunt qui custodiunt eam. Hæc de quodam psalmo. Audeo tamen etiā ego dicere, quòd homo viam non possit adoriri, nisi dominum habeat prævium. Vnde scriptum est, Post dominum deum tuum ambulabis: &, A domino diriguntur viæ viri. Denique ille perfectior, qui intelligeret se sine domino ambulare non posse, Vias, inquit, tuas edoce me. Et vt ad historiā veniamus, (Nō enim simplicem tantū rei gestæ seriem debemus haurire, sed etiam

Matth. 3.

Psalm. 126.

Prou. 20.

Matth. 12.

649 etiam actus nostros ad æmulationem scriptorum referre.)
ex Ægypto populus exiuit, nesciebat viam quæ ad terram
docueret sanctam. Misit deus columnam ignis, vt per colum-
nam populus viam disceret. Misit etiam per diem colum-
nam nubis, vt neque ad sinistram, neque ad dexteram decli-
naret. Sed non es talis homo, vt merearis & tu ignis colum-
nam, nō habes Moysem, non accipis signū. Nunc enim post
aduentū domini fides exigitur, signa conduntur. Time do-
minum, & præsume de domino. Immittit enim angelos do-
minus in circuitu timētium eum, & eripiet eos. Vides quia
vbique domini virtus studiis cooperatur humanis, vt nemo
possit ædificare sine domino, nemo custodire sine domino,
nemo quicquam incipere sine domino. Et ideo, iuxta Apo-
stolum, Siue manducatis, siue bibitis, siue quid facitis, om-
nia in gloriā dei facite, in nomine domini nostri Iesu Chri-
sti. In duabus enim epistolis, alibi in nomine domini no-
stri Iesu Christi, alibi in gloria dei facere te præcepi, vt scias
eundem esse patris & filij gloriā, eandémque virtutem, nec
aliquo circa sui diuinitatem patrem & filium discrepa-
re. Sicut circa præsidia nostra non discrepant. Docuit igitur
per Dauid quòd nemo sine domino ędificet domum, custo-
dit ciuitatē. Docuit me etiā Moyses quòd nemo nisi deus
fecerit mundum. In principio enim fecit deus cœlum &
terram. Docuit etiam quòd hominem deus opere suo fece-
rit. Nec ociosè posuit: Finxit deus hominem de limo terræ,
& insufflauit in faciem eius flatum vitæ, vt actum quendam
haberet circa ædificationem hominis, vsu quodam corporalis o-
perationis aduertas. Docuit etiam quia & mulierem fecit
deus. Immisit enim deus soporem in Adam, & dormiuit, &
sumpsit vnam costam de latere eius, & repleuit locum eius
carne: & ædificauit dominus deus costam quam sumpsit ab
Adam, in mulierem. Non frustra, vt dixi, corporalibus qui-
busdam manibus circa Adam & Euam Moyses deum indu-
cit operantem. Mundum deus fieri iussit, & factus est, & v-
no verbo opus mundi scriptura indicat absolutum. Ad ho-
minem venitur, & manus ipsas quodammodo studuit tibi
propheta dei laborantis ostendere. Plus nescio quid in his
intelligere, quàm lego, opera dei elaborata me cogūt. Sub-
mouit Apostolus æstuanti, & quod ego non intelligebam
quid esset, Os de ossibus meis, & caro de carne mea: &, Hæc
vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est: diuino
mihi spiritu reuelauit dicens: Sacramentum hoc magnū est.
Quod sacramentum? Quia duo erunt in carne vna: & quia
relinquet homo patrē & matrem, & adhærebit vxori suæ:
& quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & de
ossibus eius. Quis est iste vir propter quē mulier paren-
tes relinquat? Relinquit parentes ecclesia, quæ de gētilibus
populis congregata est: cui propheticè dicitur: Obliuiscere
populum tuum, & domum patris tui. Propter quem vi-
rum, nisi fortè propter illum de quo dicit Ioannes: Post me
venit vir, qui ante me factus est? De cuius latere dormientis
costam deus sumpsit. Ipse enim est qui dormiuit, & quieuit,
& resurrexit, quoniam dominus suscepit eum. Quæ est hu-
ius costa, nisi virtus? Quia tunc quādo miles latus eius ape-
ruit, cōtinuò aqua & sanguis exiuit, qui effusus est pro secu-
li vita. Hæc sēculi vita costa, Christi est, hæc costa sēcūdi est
Adam. Primus enim Adam in animam viuentē, nouissimus
Adam in spiritum viuificātem. Nouissimus Adam Christus
est. Costa Christi vita ecclesiæ est. Nos ergo membra sumus
de corporis eius, de carne eius, & de ossib⁹ eius. Et fortasse hæc
est costa de qua dixit: Sentio de me virtutem exisse. Hæc est
aqua quæ de Christo exiuit, nec corpus eius imminuit. Nō
enim corporalis, sed spiritalis est costa. Spiritus autem non
diuiditur ipse, sed diuidit singulis prout vult. Hæc est Eua
super omnium viuētium. Si enim intelligas viuentem cum
mortuis quæri, intelligis eos mortuos esse qui sine Christo
sunt qui participes vitæ non sunt. Hoc est enim Christi nō
esse participes, quia Christus est vita. Mater ergo viuētium
ecclesia est, quā ædificauit deus in ipso summo angulari la-
pide Christo Iesu, in quo omnis structura cōpaginata cre-
scit in templum dei. Veniat ergo deus, ædificet mulierem il-
lam quidem adiutricem Adæ, hanc verò Christi. Non quia
Christus adiumentum requirit, sed quia nos quærimus &
desideramus ad Christi gratiam per ecclesiam peruenire.
A Et nunc ædificatur, & nunc formatur, & nunc mulier figu-
ratur, & nunc creatur. Et ideo nouo verbo vsa est scriptu-
ra, quia superædificamur super fundamentum apostolorum *Ephes. 2.*
& prophetarū. Et nunc domus spiritalis surgit in in sacerdo-
tium sanctum. Veni domine deus, ædifica mulierem istam,
ædifica ciuitatem, veniat & puer tuus. Tibi enim credo di-
centi: Ipse ædificabit ciuitatem mihi. Ecce mulier omnium
mater, ecce domus spiritalis, ecce ciuitas quæ viuet in æter-
num, quia mori nescit. Ipsa enim est ciuitas Hierusalem, quę
nunc videtur in terris, sed rapietur supra Heliam. Helias e-
nim vnus fuit. Trāsferetur super Enoch, cuius mors nō in-
uenitur. Ille enim raptus est, ne malitia mutaret cor eius. *Sapient. 4.*
Hæc autem diligitur à Christo quasi sponsa glorioſa, san-
cta, immaculata, sine ruga. Et quanto melius totum corpus
assumitur, quàm vnus assumptus est? Hæc enim est spes ec-
clesiæ. Rapietur profectò, assumetur, transferetur ad cœ-
lum. Ecce curru igneo raptus est Helias, rapietur ecclesia.
Non mihi credis? crede vel Paulo, in quo Christus locutus
B est. Rapiemur, inquit, in nubibus obuiam Christo in aëra, *1. Thes. 4.*
& ita semper cum domino erimus. Ad hanc igitur ædifican-
dam mittuntur quidem plures, mittuntur patriarchæ, mit-
tuntur prophetę, mittitur Gabriel archāgelus, innumeri an-
geli diriguntur, & multitudo cœlestis exercitus deum lau-
dat, quia ciuitatis huius ædificatio propinquat. Mittuntur
plures ad eam, sed Christus eam solus ædificat. Verum non
est solus, quia pater præsens est. Et si solus ædificat, gratiā ta-
men tantæ ædificationis non solus vsurpat. Scriptum est de
templo quod ædificauit Salomō, in quo typus ecclesiæ fuit,
quia tria milia sexcenti erant qui in humeris portarent, &
septuaginta milia lapidum cæsores, & octoginta milia tol-
lentes onera. Veniant angeli illi, veniant lapidum cæsores,
cædantur superflua lapidum nostrorum, aspera læuigentur.
Veniant & qui in humeris portant. Scriptum est enim: Su-
pra humeros tollentur. Venit ergo ad Ioannem, quoniam
cætera comperistis. Venit ad Ioannis baptisma, sed Ioannis
baptisma habebat pœnitentiam delictorum. Et ideo prohi-
C bet eum Ioannes dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu ve- *Matth. 3.*
nis ad me? Cur venis ad me, qui peccatum non habes? Ille e-
nim baptizandus est à me, qui peccatū habet. Qui autē pec-
catum non fecit, lauacrū pœnitentiæ cur requirat? Sine, in-
quit, modo: hoc est, dum ecclesia ædificetur: decet nos im-
plere omnem iustitiam. Quæ est iustitia, nisi misericordia?
Dispersit enim, dedit pauperib⁹, iustitia eius manet in æter- *Psalm. 111.*
num. Dedit mihi pauperi, dedit mihi inopi gratiam, quā an-
tè non habui. Iustitia ergo eius manet in æternum. Quæ est
iustitia, nisi vt quod alterum facere velis, prior ipse incipias,
& tuo alios horteris exemplo? Quæ est iustitia, nisi vt qui
carnem suscepit, nō quasi deus sensum aut ministerium car-
nis excluderet, sed quasi homo carnem vinceret, vt vincere
me doceret? Docuit enim qua ratione possim terrenis con-
cretam vitiis obnoxiæ carnis illuuiē† sepelire criminibus, *† ingluuiem*
renouare virtutibus. O verè diuinam in ipsa humilitate do-
mini prospicientiam. Quanto enim abiectior humilitas, tā-
to diuinior prouidentia. Iniuriarum suarum acerbitate deus
proditur, & remediorū suorū vsu, qui nullis remediis indi-
D geret, deus probatur. Quid enim tam diuinum ad populos
prouocandos, quàm vt nemo refugiat lauacrū gratiæ, quan-
do Christus lauacrū pœnitentiæ nō refugit? Nemo se dicat
exortem esse peccati, quando Christus venit ad remedium
peccatorū. Si pro nobis Christus lauit, imò nos in corpore
suo lauit, quanto magis nos nostra delicta lauare debemus?
Quo igitur magis opere, quo magis mysterio deus (quan-
quam deus in omnibus) quàm hoc probatur, quādo per to-
tum mūdum quà generis humani conditio diffunditur per
separatarum diuortia tractúsque regionum, vno momento
in vno corpore deus fraudem vetusti erroris aboleuit, gra-
tiam regni cœlestis effudit? Vnus enim mersit, sed lauit om-
nes. Vnus descendit, vt ascenderemus omnes. Vnus omniū
peccata suscepit, vt in illo omniū peccata morerentur. Pu-
rificate igitur vos, vt Apostolus dicit, quia purificauit se il-
le pro nobis, qui purificatione non eguit. Hæc de nobis.
Nunc considerem⁹ mysteriū trinitatis. Vnum deum dici-

mus,ſed patrem cõfitemur & filium confitemur. Nam cùm
Deute.10. ſcriptum ſit,Diliges dominum deum tuũ,& ipſi ſoli ſeruies:
Ioan.16. negauit filius eſſe ſe ſolum,dicens:Sed non ſum ſolus,pater enim mecum eſt. Nec nunc ſolus eſt. Pater enim ſe adeſſe teſtatur. Adeſt & ſpiritus ſanctus. Nunquam enim poteſt à ſe trinitas ſeparari. Denique apertũ eſt cœlum,deſcendit ſpiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba. Quomodo ergo hæretici dicunt quia ſolus in cœlo eſt, qui non eſt ſolus in terris? Aduertamus myſterium quare ſicut columba. Simplicitatem enim lauacri requirit gratia, vt ſimus ſimplices ſicut columbæ. Pacem lauacri requirit gratia, quam in typo veteri columba quondam ad illam arcam quę ſola fuit diluuij immunis,aduexit. Docuit me cuius typus columba illa fuerit,qui nunc deſcendere dignatus eſt in ſpecie columbæ. Docuit,in illo ramo,in illa arca typum fuiſſe pacis eccleſiæ, quòd inter ipſa mundi diluuia ſpiritus ſanctus ad eccleſiam ſuam pacẽ afferat fructuoſam. Docuit etiam Dauid,qui pro-
Pſalm.54. phetico ſpiritu cernens baptiſmatis ſacramentum ait: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? Venit ergo ſpiritus ſanctus,ſed attende myſterium. Venit ad Chriſtum. Omnia e-
† creata. nim per ipſum facta † ſunt, & in ipſo conſtant. Sed vide be-
Ioan. 14. neuolum dominum,qui ſolus ſe iniuriis ſubdidit,ſolus gratiam non quæſiuit. Et vbi ædificauit eccleſiam? Rogabo,inquit,patrem,& alium paracletum dabit vobis, vt vobiſcum ſit in æternum,ſpiritum veritatis,quem hic mundus nõ poteſt accipere,quia non videt eum,nec agnoſcit eum. Meritò ergo ſe in corpore demonſtrauit,quoniã in diuinitatis ſubſtantia non videtur. Vidimus ſpiritum,ſed in ſpecie corporali: videamus & patrem,ſed quia videre non poſſumus,audiamus. Adeſt enim beneuolus deus, non derelinquet templum ſuum. Vult omnem exædificare animam, vult eam ad ſalutem informare, vult lapides viuos à terra ad cœlũ transferre. Diligit templum ſuum,& nos diligamus eum. Si diligimus deum,præcepta eius ſeruemus. Si diligimus eum,no-
1.Ioan.2. uerimus eum. Qui enim dicit quia nouit eum, & præcepta eius non ſeruat,mendax eſt. Quomodo enim poteſt deũ diligere,qui nõ diligit veritatem,cùm deus veritas ſit? Audia-
Ioan. 1. mus ergo patrem. Inuiſibilis enim pater,ſed & filius inuiſibilis ſecundum diuinitatẽ. Deum enim nemo vidit vnquã. Cùm ergo filius dei in eo vtique quod deus eſt filius, non videtur,ſed demonſtrare ſe voluit in corpore: & quia pater corpus non gerebat,ideo probare voluit pater nobis in filio ſe eſſe præſentem,dicens: Filius meus es tu,in te complacui. Si vis diſcere filium cum patre ſemper eſſe præſentem, lege
Pſalm.138. filij vocem dicentis: Si aſcendero in cœlum, tu ibi es: ſi deſcendero ad infernum,ades. Si patris teſtimonium quæris, audiſti à Ioanne. Crede igitur ei, cui ſe baptizandum credidit Chriſtus,cui pater filium cœleſti voce commiſit, dicẽs: Hic eſt filius meus dilectus,in quo complacui. Vbi ſunt Arriani,quibus nõ placet filius,in quo complacuit pater? Hoc non ego dico, neque hominum quiſquam locutus eſt, neque per hominẽ deus,neque per angelos,neque per archangelos,ſed ab ipſo patre vox de cœlo miſſa ſignauit. Deinde
Matth. 17. alibi idem pater repetit,dicens: Hic eſt filius meus dilectus,
Ioan.10. in quo complacui: ipſum audite, dicentem vtique: Ego & pater vnum ſumus. Qui ergo filium non credit, non credit patri. Teſtis eſt ille de filio. Si dubitatur de filio,paterno nõ creditur teſtimonio. Deinde cùm dicit, In quo complacui: non aliena in filio, ſed ſua laudat. Quid eſt enim dicere, In
Ioan.16. quo complacui, niſi quia omnia quæ habet filius, & pater habet ſicut & quæ patris ſunt, filij ſunt? Filius dixit: Omnia quæ habet pater, mea ſunt. Indifferentis enim diuinitatis potentia non ſecernit inter patrem & filium,ſed vnam patri filióque participat poteſtatem. Credamus patri, cuius voce elementa ſonuerunt. Credamus patri, cuius voci elementa obſequium præſtiterunt. Credidit mundus in elementis, credat in hominibus. Credidit in exanimis,credat in viuentibus. Credidit in mutis,credat in loquentibus. Credidit in iis quæ non habent ſenſum,credat in iis qui ſenſum vt deum cognoſcerent conſecuti ſunt.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI COMMENTARIORUM IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM, LIB. III.

De genealogia domini ſaluatoris.

Ipſe Ieſus erat incipiens ferè annorum triginta qui putabatur filius eſſe Ioſeph.) De generationibus dicturi, quarum nonnullam videmus in euangelio ſecundum Matthæũ, vel in hoc cuius interpretationem habemus in manibus, eſſe diſtantiam, quoniam nõn eſt credibile aduerſantia ſibi ſanctos viros potuiſſe dicere, de generationibus præſertim domini ſaluatoris: quanto ſtudio poſſumus, non dixiſſe eos diſcrepãtia demonſtremus. Et primũ omnium neminem mouere debet quòd ita ſcriptũ eſt: *Qui putabatur eſſe filius Ioſeph.*) Bene enim putabatur, quia natura non erat. Sed ideo putabatur, quia eũ Maria quæ Ioſeph viro ſuo erat deſpõſata, generauerat. Sic enim habes: Nõne hic eſt filius Ioſeph fabri? Dixim⁹ ſupra qua ratione per virginem, diximus etiam qua ratione per deſpõſatam, & quare cenſus tempore naſci voluerit dominus ſalutaris. Non alienum etiã videtur vt qua ratione fabrũ patrem habuerit, declaremus. Hoc enim typo eum patrẽ ſibi eſſe demõſtrat, qui fabricator omnium cõdidit mundum, iuxta quod ſcriptum eſt: In principio fecit deus cœlum & terrã. Nam etſi humana non ſunt cõparãda diuinis, typus tamen integer eſt, quòd pater Chriſti igne operatur & ſpiritu, & tanquã bonus animæ faber vitia noſtra circundolat, citò ſecurim admouẽs arboribus infœcũdis, ſecare doctus exigua, culminibus ſeruare ſublimia, rigida mẽtium ſpiritus igne mollire, & in varios vſus omne humanum genus diuerſa miniſteriorũ qualitate formare. Cur autem Ioſeph magis quàm Mariæ generatio deſcribatur, cùm Maria de ſpiritu ſancto generauerit Chriſtum, & Ioſeph à generatione domini videatur alienus, dubitare poſſemus, niſi conſuetudo nos inſtrueret ſcripturarũ, quæ ſemper viri originẽ quærit. Sic enim habes: Phares fuit filius Iudæ principis tribus, hic generauit Eſrom, & Eſrom generauit Aram, & Aram generauit Aminadab, & Aminadab generauit Naaſon, & Naaſon generauit Salmon, & Salmon generauit Booz, & Booz generauit Obeth, & Obeth generauit Ieſſe, & Ieſſe generauit Dauid. Viri enim perſona quæritur, qui etiam in Senatu & reliquis curiis ciuitatum generis aſſerit dignitatem. Quàm deforme autem ſi relicta viri origine, origo fœminæ quæreretur, vt videretur patrem non habuiſſe ille totius mundi populis prædicandus? Sed etiam alibi diuerſo ordine generationem doceamus eſſe decurſam, ne hîc quoque euangeliſtæ diſcrepare videantur, qui veterem ordinem ſunt ſecuti. Sic enim habes: Fuit homo ex Arath, & nomen eius Helcana, filius Hieremihel, filius Heli, filius Ozi, Vides & à patribus ad filios, & à filiis ad patres originis deſcriptionem veteri more contextam. Vides vbique familiam per virorum generationes eſſe decurſam. Noli mirari ſi Matthæus ab Abraham vſque ad Ioſeph, Lucas à Ioſeph vſque ad Adam & ad deum generationum ordinem percurrit. Noli mirari quòd Ioſeph origo deſcripta eſt. Etenim ſecundum carnem natus, vſum debuit ſequi carnis, & qui in ſeculum venit, ſeculi debuit more deſcribi, maximè cùm in Ioſeph origine etiam origo ſit Mariæ. Nam cùm vir iuſtus fuerit Ioſeph, vtique ex tribu ſua & ex patria ſua accepit vxorem, nec potuit iuſtus facere contra id quod lege præſcriptum eſt. Sic enim habes: Quia vnuſquiſque in hæreditate tribus ſuæ patriæ adhærebunt filij Iſrael, nec de tribu ad tribum tranſibunt: & omnis filia quæ habet hæreditatem tribuum filiorum Iſrael, vni ex populo & ex tribu patris ſui erit vxor. Itaque & cenſus tempore aſcendit Ioſeph de domo & de patria Dauid, vt profiteretur cum Maria vxore ſua. Quæ ex eadem domo, & ex eadem patria profeſſionem defert, vtique eiuſdem

Gen.1.
1.Reg.1.
Matth.1.
Num.36.

1653

dem tribus & eiusdē patriæ se esse designat. Cognata quoq; Mariæ inducitur Elizabeth: primò quòd omnes Iudæi cognati, quēadmodum & Apostolus docuit dicens: Optabam enim anathema esse ipse pro fratribus meis, cognatis secundum carnē, qui sunt Israelitæ. Cognatæ ergo, quia ambæ Israelitæ erant: simul & cognatæ, quia ambæ erāt ex tribu Iuda. Didicisti ex tribu Iuda Mariam, disce & Elizabeth. Nam exurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cū festinatione, in ciuitatē, inquit, Iudæ, & intrauit in domum Zachariæ. Cùm enim iuxta tribus suas Moyses habitare vnumquemque præscripserit: vtique cùm in ciuitate Iudæ māserit, erat & in tribu Iuda, maximè cùm ex genere Elizabeth, fuerint sacerdotes, quorū deus portio est. Simul quàm pulchrum, vt cum illa prænuncium Christi, Christū illa genuerit, & altera de spiritu sancto cōceperit, altera sancto repleta spiritu prophetauerit, secundū carnē quoque videantur fuisse cognatæ, quæ secūdum deum spiritalis cognationis consortio non carebant. Quod si omnis fœminæ caput vir, secundum sanctum Apostolum: & sunt duo in carne vna secundū legem diuinam: vtique ij qui vna caro erant, & vnus spiritus, quomodo poterat fieri vt viderentur patriam & tribum habere diuisam? Accedit illud quod etiam angelus Gabriel de domino prænunciauerat quòd dabit illis deus sedem Dauid patris sui. Certum est igitur etiam Mariam de Dauid generatione manasse. Simul etiā dicimus nihil referre quo ordine generationis series exprimatur, cùm iter hinc atque inde sit peruium. Cur autē sanctus Matthæus ab Abraham generationem enumerare cœperit Christi, sanctus verò Lucas à Christo vsque ad deum perduxerit explanandum videtur. Sed prius cur sanctus Matthæus cùm ab Abraham cœperit generationis ordinem, non ita posuerit, Liber generationis Abrahæ: sed, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahā. Et cur hos duos potissimum nominauerit, nequaquā prætereundū puto. Nō enim ocioſè fidelissimi authores generis eliguntur, vt intelligamus quòd in ipsa generatiōe carnis spiritalis magis successio requiratur. Duo sunt enim isti viri in quos manauerūt promissa diuina. Prior Abraham, qui ante Moysi legem, & ante populū Iudæorum propria derelinquens, & cognoscens deum, meruit fidei testimonium, quia credidit deo, & reputatum est ei ad iustitiam: qui etiam à deo accepit oraculū dicente sibi: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram quam tibi monstrabo, & faciam te in gētem magnam, & benedicā te, & magnificabo nomen tuū, & eris benedictus, & benedicam benedicentes te, & maledicā maledicentes te, & benedicētur in te omnes tribus terræ. Vides igitur congregationes gentiū, & sacrosanctum ecclesiæ cœtum oraculo diuino huic esse primo promissum. Et ideo his author generis debuit designari, qui instaurandæ ecclesiæ sponsionem primus emeruit. Dauid quoque meritò & ipse author generis declaratur, quia cum iureiurādo responsum quòd ex ipso secundum carnē Christus futurus esset, accepit. Sic enim scriptum est: Iurauit dominus Dauid veritatē, & non pœnitebit eum, de fructu vētris tui ponam super sedem meā. Et alibi: Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mētiar, semē eius in æternum manebit, & sedes eius sicut sol in conspectu meo. Et in Paralipomenon: Et erit, cùm complēti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, qui erit de ventre tuo, & parabo regnū eius: ipse mihi ædificabit domum, & erigā sedem eius in seculū. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filiū, & misericordiam meam nō dispergā ab eo, sicut dispersi ab iis qui ante te fuerūt. Per Esaiā quoque idem dominus deus generationē domini reuelauit dicens: Exiet virga de radice Iesse, & flos ex radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus. Et infra: Et erit radix Iesse, & qui exurget imperare gentibus: in ipso gētes sperabunt. Et alibi: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cuius principiū super humeros eius, & vocabitur nomen eius, magni cōsilij angelus. Adducam enim pacē super principes & salutē: & magna potestas ei⁹, & pacis eius non erit finis, in sede Dauid, & in regno ei⁹. In quo iuxta Aquilæ quoque interpretationē, non quasi de homine, sed de eo, qui vltra hominē esset, vidimus extitisse promissum. Idem enim interpretatus est: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, & facta est mēsura in humero ei⁹, & vocabitur nomē eius admirabilis consiliarius, cōsiliarius meus fortis, potēs, pater seculi, princeps pacis. Ei⁹ impleta est disciplina, & pacis eius nō est finis, supra sedem Dauid, & supra regnū eius. Omnia conuenire de Christo, euidētibus signatur oraculis, nec posse diuinæ fructum potētiæ ad Salomonis gratiā deriuari, qui Dauid filius fuit, cui⁹ finis haud dubiè cognoscitur. Finis enim fuit regni Salomonis, & pacis, vt Regnorum lectionibus demonstratur. Vnus est Christus, cuius regnum non habet finem. Deinde nullis Salomon gentibus imperauit, Christus verò ecclesiam de nationibus cōgregauit. Postremò viuente Dauid & natus est Salomon, & regnum est cōsecutus. Hic autem qui promittitur, post mortem Dauid surrecturus esse monstratur, sicut habes: Quia cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo de semine tuo, qui erit ex ventre tuo, & parabo regnum eius: ipse mihi ædificabit domum, & erigam sedem eius in seculum. Nunquid in seculum regnauit Salomō, qui annis tātummodo quadraginta regnauit? Ego ero, inquit, ei in patrem, & ille mihi in filium. Quis est iste proprius dei filius, nisi cui, dictum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et misericordiam meam non dispergam ab eo, & fidelem eum seruabo in domo mea, & regnum eius in seculum. At verò Salomonem errasse ideo fortasse tam grauiter, ne errarent homines, & ad ipsum crederetur manasse promissum, diuinarum serie cognouimus lectionum. Ædificauit enim templum Astartæ idolo propter amorem mulieris, & indignatus est dominus in Salomonem. Si igitur viuente Dauid regnare cœpit (sic enim habes, quòd cū esset nūciatum Dauid regnare Salomonē, adorauit rex Dauid in cubiculo suo, & dixit: Benedictus domin⁹ deus Israel, q dedit mihi hodie de semine meo sedentem in throno meo, & oculi mei vident) si errauit, si offendit, vides quoniam promissi series Christū spopondit. Et ideo istos duos generis authores euangelista delegit. Vnum qui promissum accepit de congregatione populorum: alterū qui de generatione Christi oraculum consecutus est. Et ideo licet ordine sit successionis posterior, prior tamen quàm Abraham in domini generatione describitur: quia plus est promissum accepisse de Christo, quàm de ecclesia, quoniam ecclesia ipsa per Christum. Ergo vnus princeps generis secundum carnem, alter princeps generis secundum spiritum: alter secundū seminis gratiam, alter secundū populorum fidem. Potior enim qui saluat, eo qui saluatur. Et ideo Dauid filius dicitur. Liber gēnerationis Iesu Christi, filij Dauid. Eius enim primo loco debuit filius dici, cui clarè filius est promissus: licet Apostolus etiam Abrahæ Christum dicat esse promissum. Abrahæ enim dictæ sunt promissiones & semini eius. Nō dicit, Et seminibus tanquā in multis, sed sicut in vno: & semini tuo, quod est Christus: vt alteri proprietas generationis, principatus alteri deferatur. Illi delatum est vt Iesus eius filius diceretur: huic quasi principi familiæ gētiúmque prærogatiua seruatur, vt ab Abraham generationis dominicæ manaret exordium. Qui enim fidei author est, ipsum asserere scriptura quoque debuit diuinæ generationis authorē. Vnde & Lucas ad deum putauit originem eius esse referendam, quòd verus Christi generator deus sit, vel secundum veram generationem pater, vel secundum lauacri regenerationem mystici author muneris. Et ideo non à primo generationem eius cœpit describere, sed posteaquam baptismum eius explicuit, authorem omnium deum per baptismum cupiens demonstrare. Christū quoque à deo ordine manasse successionis asseruit, vniuersa cōtexens vt & secundum naturā, & secūdum gratiam, & secundum carnem dei filiū demonstraret. Quod autem euidētius diuinæ generationis indicium, quàm quod de generatione dicturus, ipsum patrem præmisit loquentē: Hic est filius meus dilectus, in quo complacui? Hic quoque aliqui solent ferere quæstiones, quòd Matthæus ab Abraham vsque ad Christum quadraginta duas generationes enumerauerit, Lucas verò quinquaginta: & quòd per alias personas Matthæus, per alias Lucas generationē manasse descri-

pſerit: in quo iam illud poteſt probari quod diximus, quia cùm alios Matthæus maiores dominici generis, alios verò Lucas in ordine generationis texuerit: ab Abraham tamen & Dauid reliquos authores generis vterque ſignauit. Quod verò per Salomonem Matthæus generationem deriuãdam putauit, Lucas verò per Nathan, alteram regalem, alteram ſacerdotalem Chriſti familiam videtur oſtendere. Quod non ita accipere debemus, quod alterum altero verius, ſed alter alteri pari fide & veritate concordet. Fuit enim verè & ſecundum carnem regalis & ſacerdotalis familiæ. Rex ex regibus, ſacerdos ex ſacerdotibus: licet oraculũ non de carnalibus, ſed de cœleſtib⁹ exprimatur: quoniam & rex in dei virtute lætatur, cui iudicium à patre rege defertur, & ſacerdos eſt in æternum, ſecundum quod ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Bene igitur vterque tenuit fidem, vt Matthæus per reges ductam originem comprobaret, & Lucas per ſacerdotes à deo tranſmiſſam in Chriſtum ſeriem generis deducendo, ſanctiorem ipſam originem declararet. Simul in hoc quoque vituli figura ſignatur, quòd vbique ſacerdotale myſterium putat eſſe ſeruandũm. Nec mireris ſi ab Abraham plures ſecundum Lucam ſucceſſiones vſque ad Chriſtum ſunt, pauciores ſecundum Matthæũ, cùm per alias perſonas generationem fatearis eſſe decurſam. Poteſt enim fieri vt alij longæuam tranſegerint vitam, alterius verò generationis viri immatura ætate deceſſerint: cùm videamus complures ſenes cum ſuis nepotibus viuere, alios verò viros ſtatim filiis obire ſuſceptis. Illud quoque aduertimus quòd ſanctus Matthæus, Iacob, qui fuit pater Ioſeph, filium Mathan eſſe memorauerit: Lucas verò Ioſeph, cui deſpõſata erat Maria, filium Heli, Heli autem filium Melchi eſſe deſcripſerit. Quomodo vnius duo patres, id eſt Heli & Iacob? Quomodo etiam duo paterni aui, Mathan & Melchi? Sed ſi requiris, inuenies quòd iuxta præſcriptum legis veteris duo fratres diuerſos filios vterinos ex vna vxore generauerint. Traditur enim Mathan, qui à Salomone genus duxit, Iacob generaſſe filium, & vxore ſuperſtite deceſſiſſe, quam poſtea Melchi accepit vxorem, ex qua generatus eſt Heli. Rurſus Heli fratre ſine liberis decedente, copulatus eſt fratris vxori, & generauit filium Ioſeph, qui iuxta legem Iacob filius dicitur: quoniam ſemen fratris defuncti frater iuxta legis veteris ſeriem ſuſcitabat. Ita duorum filius dictus eſt, non ab vtroque generatus, ſed quia alterius ſecundum generationem, alterius ſecundum legem factus eſt filius. In quo præſcripto legis futuram perpetuitatem defunctorum ſeminis nobis eſſe promiſſam nõ intellexit populus Iudæorum, ſed ſecundum literam accipiens, gratiam corrupit oraculi. Alius enim erat frater, qui defunctorum fratrum ſemen reſuſcitaret, non frater ſecũdum carnis germanitatem, ſed ſecundum gratiæ puritatem. Et ideo fortaſſe frater non redemit, redimet homo: quia non germanus frater ille, ſed dominus & mediator dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus reſurrectionis gratiam propagauit. Licet ſit verſiculi iſtius & alia interpretatio, quam ſuo dicemus loco.

Non abſurdum autem videtur, quòd geminato myſtico numero quaternaſdenas generationes diuidendas ſanctus Matthæus putauit, ab Abraham vſque ad Dauid, à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, à tranſmigratione Babylonis vſq; ad Chriſtum: in quo vices mutationum parirer deſignauit. Ab Abrahã enim vſque ad Dauid tempora ſine regibus fuit populus Iudęorum. Regnum enim iuſtum à Dauid cœpit, deinde per reges actum genus omne eſt Iudæorum, & intemerata vſque ad tranſmigrationem eorum regna manſerunt. Poſt tranſmigrationem verò in occaſum degenerãtis populi nobilitas circunciſa vergebat. De quinquaginta verò generationibus quas ab Abraham Lucas cõtexendas putauit, numeri myſtici ſeruata gratia ſatis claret. Nã & decimus & ſeptimus numerus myſticus eſt, & tertio vterque repetitus myſterium ſignat. Et Pentecoſte, cuius Lucas, & Teſſeracoſte, cuius Matthæus ſecutus eſt gratiam, ſatis ſupérque numerum myſticum prodiderunt. Plerique etiam mirantur cur Thamar mulieris famoſæ, vt illis videtur, Matthæus commemorationem in dominica generatione contexẽdam putauerit, cur etiam Ruth, cur eius quoque mulieris, quæ Vriæ vxor fuit, & occiſo marito in Dauid nuptias cõmigrauit: cùm præſertim Saræ & Rebeccæ & Rachel ſanctarum fœminarũ nuſquam fecerit mentionem. Sic enim habes: Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudam & fratres eius: Iudas autem genuit Phares & Zaram ex Thamar. Non ociosè vtique huius mulieris euãgeliſta nomen inſeruit, de qua diuiſè interim tractãdum videtur. Primùm enim, ſi veris intendas animum, non hæc mulier tam famoſa, quàm iuſta. Non enim temporalis vſum libidinis requiſiuit, ſed ſucceſſionis gratiam concupiuit. Erat enim deforme liberos non habere: quod etiam legum ciuilium fuit authoritate multatum. Promiſerat eã filio ſuo Iudas, ſed diu pactarum fœdera diſtulerat nuptiarũ, per moram promiſſi defunctus eſt ſponſus. Nondum virginitatis, nondum viduitatis ante Chriſti aduentum vernabat gratia. Dolens ſe ſine filiis remanſiſſe, dolum ſtudio generationis cõmenta eſt, & Iudam conſilio præuertit, vt ſe eidem offerret ornatam, poſteaquam defunctam eius cognouit vxorem. Vides vbique mulieris vitam probari, quòd non alienum præripuit thorum, non meretricio ſtudio quaſi meretrix adornata eſt. Nõ enim vagam captauit libidinem, ſed diu ſoceri fraudata promiſſis, ex ea familia quam delegerat, cõuerſo dolo fructum voluit ſucceſſionis adipiſci. Quis itaque caſtior illa quæ tãdiu expectauit promiſſum, an ille qui amorem ferre non potuit oblatum? Illa quæ ſponſi familiã non refugit, an iſte qui meretricem putauit? Illa quæ oram ſui corporis volẽtibus non permiſit ad copulam, an iſte qui quod ſtudio cœpit erroris, ad ſucceſſionis gratiam caſtitate mulieris conſummauit? Illa quæ filios non habebat, & tempus conceptionis mora coniugij timebat excludi, illa quæ grauitatem maturioris elegit: an iſte qui ætatem adoleſcentioris adamauit? Denique ipſe confeſſus eſt, dicens: Iuſtificata eſt Thamar magis quàm ego, propter quod non dedi eam Selon filio meo. Itaque illa experiri exactorem ipſum Gen.38. ſuæ voluit caſtitatis. Denique nũquam poſtea virum experta eſt, amictũ viduitatis ſumpſit à coitu. Ille vnius horæ impatiẽs, qui annos à puella exegerat caſtitatis, luctum expulit, veſtem mutauit, comam totondit, rogum deſeruit, thorum amator aſcendit. Sed non ita iſtam defendimus, vt illum accuſemus, imò vtrumque excuſemus. Nõ autem nos, ſed myſterium quod copulæ illius fructus expreſſit. Generauit enim mulier Phares & Zaram filios, generauit geminos. Vnde non ociosè Matthæus vtrumque ſignauit, cùm Phares tãtummodo commemorationem cauſa depoſceret. Phares enim genuit Eſron, Eſron genuit Aram, deinde per ordinem ſinguli. Cur autem cùm Iſaac duos generauerit, Iacob plures, ſingulorum tantummodo quos ſucceſſionis dominicæ cauſa poſcebat, fecit ſcripturæ ſeries mẽtionem, horum autem vtrumque memorauit: niſi quia hic in vtroque myſterium eſt? Tractauimus moralem locum, quia non opera meretricis exercuit, ſed munera fœcunditatis elegit. Tractemus hiſtoricum, & myſticum ventilemus. Neque enim ſine myſterio poteſt eſſe quod annulũ & monile accepit, & virgam. Non vilis perſona quæ meretur accipere ornamentum, ſignaculum, poteſtatem: factorum ſignaculum, pectoris ornamentũ, regiæ libertatis inſigne. Ergo vt ordiamur hiſtoriam, cùm generaret Thamar, legiſti quia vnus de vtero eius præmiſit manũ: quã apprehẽdens obſtetrix, coccum in eam ligauit, dicens: Hic exiet prior. Vt autẽ reuocauit manũ puer in matris vterũ, ſtatim exiuit frater eius. Dixit autem obſtetrix: Quid inciſa eſt per te ſepes? Et vocauit nomen eius Phares. Et poſt ipſum exiuit frater eius, in cuius manu erat coccũ, & vocauit nomen eius Zaram. Vides quãta ænigmata myſterium prodant? Manus præmiſſa, coccum ligatum, reducta manus, vox obſtetricis gemina quod prior alter exiret, ſepem alter incideret. Cur autem alter manum præmiſit ex vtero, alter genitali præceſſit exortu, niſi quia per geminorum myſteriũ gemina deſcribitur vita populorum: vna ſecundum legem, altera ſecũdum fidem: vna ſecũdum literam, altera ſecũdum gratiã? Prior gratia quàm lex, prior fides q̃ litera. Et ideo gratiæ typus manum antè præmiſit, quia gratiæ actus antè præceſſit, qui fuit in Iob, Melchiſedech,

Pſal.109.

Pſalm. 48. 1. Timo. 2.

De conceptu Thamar, & geminis eius

1657

chisedech, Abraham, Isaac, & Iacob, qui per fidem sine lege viuebãt. Credidit enim Abrahã deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Melchisedech quoque sancti gratiã præcedens sacrificij figura mõstrauit. Præuenientes enim legẽ patriarchę sancti, præscriptorum vinculis absoluti, libera & consimili nobis euãgelij gratia refulserunt. Iunior horũ frater, secundus ordo pietatis. Primus ergo in patriarchis, secũdus in regibus & sacerdotibus est. Vtraque enim vita secundũ deum, quia illi quoque qui secundũ legẽ Moysi religiosam & piam militiam militabant, non sunt gratiæ & honoris exortes, sed prior pietatis fructus in authoribus quàm hæredibus. Prior enim Zara, qui interpretatione significatur oriẽs. Lux enim pietatis, viri splendor Orientis est, illius vtique qui dixit: Oriens nomẽ est mihi: cuius in patriarchis primitus radius lucis illuxit. Hi enim primæ vitæ suæ actum in hoc seculo præmiserunt, in quorum manu nostri quoque actus tanquã plenioris corporis, qui adhuc naturæ quodã generãtis vterо tenebamur, figura præcessit. Sed media tanquã sepes obiecta legis est obseruatio, & quodãmodo vita maiorum vidętur incisa, de qua in typo illa obstetrix, fortasse iustitia, quæ nos emissos aluo naturæ matris excepit, dixisse proditur: Hic exiet prior. Et reuera mirabilis ille erat ordo pietatis, non à Moyse, nec ab aliquo homine, nec per hominem, sed munere quodam sapiẽtiæ sponte se infundentis impressus. Prima igitur disciplina pietatis secũdum euangeliũ, quia per crucem & sanguinem credimus Christi: cuius Abraham diem vidit, & gauisus est: cuius Noë gratiam in typo ecclesiæ figuratã, spiritali cognitiõe præsensit: cuius Isaac vicem in sacrificio non recusauit: quem Iacob cùm vinceret, adorauit: cuius Esaias ruborẽ vidit vestimentorum. nam secundum euangelium vita etiam prophetarum est: in cuius sanguine inter excidia mundi publicæ futurum salutis insigne Rhaab illa typo meretrix, mysterio ecclesia, figurauit: quæ multorum cõuenarum copulam non recusat: & quò cõiunctior plurib⁹, eò castior, immaculata virgo sine ruga, pudore integra, amore repleta, casta meretrix, vidua sterilis, virgo fœcunda. Meretrix, quia à pluribus amatoribus frequẽtatur, cũ dilectionis illecebra, & sine colluuione delicti. Qui enim adhæret meretrici, vnũ corpus est. Vidua sterilis, quæ viro parere non norit absente. Venit vir, & hunc populum plebẽmque generauit. Virgo fœcunda, quæ hãc genuit multitudinẽ cum fructu amoris, sine vsu libidinis. Sed vt ad historiam reuertamur, quid sibi volunt obstetricis eloquia dicentis: Hic exiet prior, nisi quia eius typum gerebat, qui ortu corporis posterior, virtute & veritate primus existens, principatum sibi omnium vindicauit? Inde & Ioannes: Post me venit vir, qui ante me fact⁹ est. Quid sibi vult quod coccum in manu eius ligauit, nisi quia typ⁹ eius erat qui crucis indicio suæ, & sanguinis fusione actum illustrauit humanũ? Itaque posteaquã manum reduxit, quasi incisione facta sepis, exiuit frater eius, quẽ quasi medium parietem sepis vel maceriæ Apostolus nominauit, atque ipse de incisione nomen accepit. Phares enim diuisio est. Vnde & Pharisęi nuncupati, eò quòd à multorum se cõiunctionibus separarent. Beatius autẽ & multò melius fuisset nõ incidisse sepem, sed vnam eandem & indiuiduam permanere. Quod fieri potuit si ei vitę quæ prior manũ misit, hoc est actum ostẽdit suum, consequens fuisset eius vitę militia quæ secuta est. Multo enim melius, si circũcisus populus vitam maiorum voluisset imitari. Sic enim fuisset vna sepes, vna maceria, vna ædificatio priorum ac sequentium. Sed quia primum illum vitæ actum posterioris infirmitas non potuit implere, incisione sine dubio facta sepis eius siue maceriæ quæ secundũ deum ædificata erat, tanquam medius paries interiectus est, vt illa sepes, hoc est, perpetua atque continua bonorum morum ædificatio rumperetur. Sepes enim est qua ager circũdatur fructuosus, furis remouetur incursus, quæ culta concludit, deserta secernit. Maceria quoque domum claudit. hęc si maneat, domus tuta est. Denique auferam, inquit, maceriam eius, & erit in direptionẽ. Optemus vt hæc integra sit maceria domus nostræ, domus spiritalis quæ in nobis est. Non enim ab homine exędificari potest, sed à deo viuo, qui ait: Et maceriam circundedi. Perdiderunt igitur salutẽ, qui maceriam perdiderunt. Maneat ergo maceria, maneat hæc sepes.

A Vis scire quàm sit vtilis sepes? Sepi aures tuas spinis & tribulis, & noli audire linguam nequã. Sepes enim ista te defendit à culpa. Ergo dominus Iesus, qui postea secundũ carnem venit in lucẽ, veteris illius munitionẽ sepis instaurans, in maiorum nos actuum, & antiquã simplicitatem fidei reformauit. Vnde de eo & propheta dixit: Vocaberis ædificator sepis. Tulit enim illum obicem qui vnitatem mentis & corporis, seriémque vitæ simplicis diuidebat, atque ipse factus est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & mediũ parietem sepis soluens. Quẽ parietem exponit Apostolus inimicitias esse in carne. Has ergo inimicitias tulit domin⁹, & pacem refudit, legémque mandatorũ in decretis euacuauit, vt duos conderet in vno nouo homine: in quo non solũ exteriorem & interiorem, sed etiã Iudæum significat & Græcũ, vt esset omnia & in omnibus Christus. Dominus enim sabbati superstitionẽ tulit sabbati corporalis, & quasi medium soluit legis parietem, qui nos ab ea pietate quæ secundum deum est, decretorũ difficultate prohibebat, eò quòd iuxta

B Moysi legẽ non erat facile atque possibile gẽtibus militare deo, cùm inanis superstitio Iudæorum purũ affectum gentium à subeunda obseruatione reuocaret. Quid ergo? Lex inutilis? Absit, sed vtilis incredulis, infirmis necessaria, quæ lubricos & errãtes præcepti salutaris austeritate cohiberet, & obseruationum attentione concluderet. Bona autem lex est, quia spiritalis. Ei autẽ non bona, qui nõ putat spiritalẽ, qui mente exiguus humilisque factus, eam quę super legem est, maiestatem scilicet Christi videre non potuit. Quẽ vtique tanquam supra illum parietẽ respiciens ille mente sublimis Esaias gloriam dei vidit, quæ videtur in mõtibus, non in collibus. Docuit itaque nos ecclesia in Canticis canticorum, quòd iste paries domino nostro Iesu Christo obstare non potuit, vel ei qui secutus est Christum, dicens: Vox fratris mei: ecce hic venit saliens super montes, & trãsiliens super colles: similis frater meus capreæ, vel hinnulo ceruorum in montibus Bethel. Ecce hic retro post parietem nostrum, prospiciens per fenestras, prospiciens per retia. Re-

C spõdit frater meus, & dixit mihi: Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba mea: quoniam ecce hyems transiuit, pluuia abiit, discessit, flores visi sunt in terra, tempus secãdi aduenit, vox turturis audita est. Flores apostoli, tẽpus messis, fructus est Christus, vox turturis, vox ecclesiæ. Iure igitur dei filius posteaquam terrenos homines, nec gradientes ad superna, & corporalib⁹ inspexit angustiis coartatos (Nõ enim erat qui faceret bonum, non erat vsque ad vnum.) descendere in terras ipse dignatus est, vt parietem illum legis, hoc est, molem quandam & superstitionem intellectus corporalis auferret, quæ quasi premeret & obumbraret corda populorum. Melior igitur maceria quàm paries. Denique non bonus paries dealbatus. Quod nõ ociosè dictũ est principi sacerdotum, eò quòd medij parietis impedimenta seruabat, quem dominus Iesus abstulit quasi duram malitiam, quo clariorem obseruantiam religionis infunderet, vt iam non vnum Iudæorum genus quasi corporalis quodam perscripto legis inclusum, sed omnes gentes ad dei cultum per

D euangelium vocarentur. Duo igitur gemini, duæ geminæ vitæ, duæ geminę sunt militiæ, ita vt prior melior sit sequẽte. Et ideo quod est melius, reformatum est. Quis autẽ neget euangelium præstare legi? Bona tamen lex, si supra literam mentem erigas. Litera enim occidit. Quid autem haberet hæc historia gratiæ, nisi lucem tanti mysterij videremus? Docuit enim nos Apostolus sanctus in simplicitate historiæ secretum quærere veritatis, & in quasdam non intelligibiles secundũ literam disputationes sensum referre, scribẽs: Dicite mihi sub lege volentes esse: legem non audistis? Scriptum enim est quia Abraham duos filios habuit, vnum ex ancilla, & vnum de libera: sed qui ex ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, secũdum promissionem. Quæ sunt, inquit, per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamẽta. Et infra: Quæ autẽ sursum est Hierusalẽ, libera est. Ad illam igitur, quam medius paries incidere & diuidere non potuit, mentis sublimitate tendamus. Solutus est enim secundum intellectum corporalem veteris ille paries

Eccli. 28.

Esaiæ 58.

Ephes. 2.

Canti. 2.

Psalm. 13.

Actor. 23.

2. Cor. 3.

Galat. 4.

teſtamẽti: expulſa eſt ancilla, tenetur libera. Ex libera ſumus liberi. Libera eſt enim eccleſia, expulſa ſynagoga eſt. Seruiebat enim populus Iudæorum, remotũ eſt ſeruitutis iugum, quod noſtræ animæ quædã colla reprimebat, ne vltra parietem vitæ prioris poſſimus aſpicere. Habemus iugũ bonum ac leue, quod habenis pacis, & gratiæ vinculis magis erigat quàm deprimat copulatos. Hic eſt dominus, cui in Zara typus antè præceſſit, eò quòd ex tribu & ex ſemine illius Zaræ dominus Ieſus ſecundum carnẽ non ſolum à fœmina, ſed
Cala. 4. etiam ſub lege generatus eſt, vt eos qui ſub lege erant, redimeret precio ſui ſanguinis. Cuius figura ideo in manu illius Zaræ præceſſit, vt promitteret nobis quia venturus erat qui veteris vitæ reuocaret vſum, & libertatem quam tribuerat primo illi Adam, in Adam nouiſſimo reformaret, vt iam genus hominum ſine lege eſſet ſeruitutis. Si igitur Thamar cognouimus propter myſterium inter dominicas generatiões eſſe deſcriptam, Ruth quoque ſine dubio pari ratione minimè prætermiſſam æſtimare debemus, de qua ſenſiſſe videtur Apoſtolus ſanctus cùm alienigenarum vocationem gẽtium ſpiritu præuideret per euangelium eſſe celebrandam,
1. Timo. 1. dicens quòd lex non ſit iuſtis poſita, ſed iniuſtis. Quomodo enim Ruth, cùm eſſet alienigena, Iudæo nupſit? Et qua ratione in Chriſti generatione eius putauit euangeliſta copulæ commemorationem eſſe faciendam, quę legis ſerie vetabatur? Non ergo quod non ex legitima ſaluator generatione manauit videtur eſſe deforme, niſi ad apoſtolicam ſentẽtiam reuertaris, quia lex nõ eſt iuſtis poſita, ſed iniuſtis. Hęc enim cũ ſit alienigena & Moabitis, preſertim cùm lex Moyſi prohiberet has nuptias, Moabitáſque excluderet ab eccle-
Deute. 23. ſia, (Sic enim ſcriptum eſt: Moabitæ non intrabunt in eccleſiam domini vſque ad tertiam & quartam generationem, & vſque in ſeculum) quomodo intrauit in eccleſiam, niſi quia ſancta & immaculata moribus ſupra legẽ facta eſt? Si enim lex impiis & peccatoribus poſita eſt, vtique Ruth quæ definitionem legis exceſſit, & intrauit in eccleſiam, & facta eſt Iſraelitis, & meruit inter maiores dominici generis cõputari propter cognationẽ mentis electa, non corporis: magnũ nobis exemplum eſt, quia in illa noſtrum omnium, qui collecti ex gentibus ſumus, ingrediẽdi in eccleſiam domini figura præceſſit. Hãc igitur æmulemur, vt quia hæc moribus hanc prærogatiuam meruit aſciſcẽdæ ſocietatis ſuæ, ſicut hiſtoria docet: nos quoque propter morum electionẽ in eccle ſiam domini meritis ſuffragãtibus adlegamur. Etenim cùm Iſraelitas in diebus Iudicũ ſuperioribus fames temporibus vrgeret, à Bethleem ciuitate Iudæ, in qua natus eſt Chriſt⁹,
Ex libro Ruth. abiit vir colere in agro Moab, cum vxore & duobus filiis, Elimelech viro nomen, mulieri Noëmi. Filij eius acceperũt ſibi vxores Moabitidas, nomẽ vni Orpha, & nomẽ ſecundæ Ruth: & habitauerunt illic quaſi decẽ annis, & mortui ſunt. Sed derelicta mulier à duobus filiis, & viro proprio deſtituta, cognito quòd deus viſitaret Iſrael, regredi domũ parans, cœpit ſuadere vt domum propriam repeterent vxores filiorum ſuorum. Vna conceſsit, Ruth verò cum ſocru manſit. Cui cùm diceret ſocrus: Ecce iam conſponſata tua ad populum ſuum regreſſa eſt, & ad deos ſuos, & tu reuertere pariter cum cõſponſata tua: reſpondit Ruth: Non contingat mihi dimittere te, & redire ad deos meos: quia quocumque tu ieris, ibo tecum: & vbi habitaueris, habitabo. Populus tuus, populus meus, & deus tuus, deus meus. Et vbi mortua fueris moriar: & vbi ſepulta fueris, ſepeliar. Atque ita duæ perueneruntin Bethleem. Hos igitur mores, atque hanc ſanctitatem erga ſocrum, pietatẽ erga defunctum, religionem erga deum, cùm cognouiſſet Booz proauus Dauid, iuxta legẽ Moyſi, vt ſemen defuncti proximi ſuſcitaret, eam ſibi elegit vxorem. Refert autem aduertere quòd & in agro pleno meſſis reperta, manipulos (ſicut ſcriptum eſt) colligẽs, & ſocrui fructus reſeruans, non poſt iuuenem abiit, ſed virum perfectũ ſecuta eſt, vnde & meruit audire: quia mulier virtutis es tu, & quia bene feciſti miſericordiam tuam nouiſſimam, plus quàm primam. Nouiſſima enim miſericordia eccleſiæ congregatæ præſtat priori. Quod breuius hic cõprehendi, quia plenius in libris digeſſimus quos de fide ſcripſi. Appropinquauit enim qui lõgè erat, quia elõgauit qui proximus erat, & calciamẽtum proximi muliere acquiſiuit accepta. Mos enim erat, vt qui proximus erat, ſi nollet accipere in coniugium propinquam ſuam, calciamẽtum ſuum ſolueret, & alij cederet. In quo non mediocre myſterium, eò quòd is qui alienigenam in typo ſumpſit, euangelizandi accepit facultatem. Denique in typo has fuiſſe nuptias teſtatur benedictio ſeniorum dicentiũ: Det deus mulierem quæ intret domum tuam ſicut Rachel, & ſicut Lia, quæ ædificauerunt vtræque domum Iſrael, & facere virtutem in Effrata, & ſit nomen in Bethleem, & fiat domus tua ſicut domus Phares, quem peperit Thamar Iudæ. De ſemine tuo det tibi dominus ex hac puella. Et accepit Booz Ruth, & facta eſt ei in matrimoniũ, & peperit Obeth patrẽ Ieſſe, auum Dauid. Rectè igitur ſanctus Matthæus per euãgelium gẽtes ad eccleſiam vocaturus, authorem ipſum dominũ gẽtilitiæ congregationis alienigenarum generationem ſecũdum carnem aſſumpſiſſe memorauit: vt iam tunc eſſet indicium quòd illa generatio ederet gentium vocatorem, quem ſequeremur omnes ex alienigenis congregati, relinquentes paternã domum, & dicẽtes ei qui nos ad dei cultum vocaret, verbi gratia Paulo, aut cuicunque epiſcoporum: Populus tuus, populus meus: & deus tuus, deus meus. Ergo Ruth ſicut Lia & Rachel oblita populum & domum patris ſui, ſoluẽs vinculum legis, ingreſſa eſt in eccleſiam. Soluit autem calciamentum, qui non accepit eccleſiam. Et Moyſi dicitur: Solue cal- Exod. 3.
ciamentum pedum tuorum: ne ipſe ſponſus eccleſiæ crederetur. Solus ille non ſoluit, qui verus eſt ſpõſus. Et ideo dicit Ioãnes: Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calcia- Marc. 1.
mẽti eius. Ergo & hic typus eſt eò quòd ædificaret domum Iſrael. Quòd verò commemoratio eius dominicæ proſapiæ fuerit inſerẽda, declarat myſterij altioris expreſſio, qua prophetatum eſt ex genere eius in Effrata Chriſtum eſſe generãdum, cùm dicitur: Det tibi dominus facere virtutẽ in Effrata, & ſit nomen in Bethleẽ. Quæ eſt enim virtus, niſi quę per Chriſtum gẽtium populos congregauit? Quod autẽ nomen, niſi illud quod Bethleem patria domini ſecũdum carnem naſcentis eſt facta? Vnde per prophetam dictum eſt: Et
tu Bethleem Iudæ nõ es minima inter principes Iuda. Ex te Mich. 5.
enim exiet princeps qui regat populum meum Iſrael. Videmus igitur mulierum commemorationi hiſtoriã, moribus myſterium conuenire. Neque tamen abnuo, cùm Thamar & Ruth defendo, peccatores quoque inter maiores dominici generis computatos: quorũ cõmemorationem ſanctus Lucas declinare deſiderans, alium quendã ſucceſſionum ordinem tenuit. Neque enim Achab, neque Iechoniã, neq; poſtremo Vriæ vxorem nominãdos putauit, vt immaculatã ſacerdotalis generis ſeriem declararet. Sed vt illi talis conſilij ſui ratio ſubſiſtit, ita etiam ſancti Matthęi conſilium à ratione iuſtitiæ non abhorret. Nam cùm euãgelizaret dominum ſecũdum carnem de Zara eſſe generatum, qui omnium peccata ſuſciperet: ſubiectum iniuriis, ſubditũ paſſioni: ne huius quidem putauit exortem aſſerẽdum eſſe pietatis, vt maculatæ quoq; originis non recuſaret iniuriam: ſimul ne puderet eccleſiam de peccatoribus congregari, cùm dominus de peccatoribus naſceretur. Poſtremò vt beneficiũ redemptionis etiam à ſuis maioribus inchoaret, ne quis putaret originis maculam impedimẽto poſſe eſſe virtuti: nec ſe inſolens de ſui generis nobilitate iactaret, néve parentum crimina verecũdior erubeſceret cui obumbrandæ originis facultas daretur, flore virtutis. An verò ſanctus Dauid, licet multa eius in myſteriũ figurentur, non eò præcelſior, quòd hominem ſe eſſe cognouit, & commiſſum ſuper abrepta Vriæ vxore peccatum pœnitentiæ putauit lachrymis abluẽdum, oſtendens nobis neminem virtuti propriæ debere confidere? Habemus enim aduerſarium magnum, qui vinci à nobis ſine dei fauore non poſſit. Et plerumque illuſtribus & beatis viris grauia peccata fuiſſe reperies, vt quaſi homines tentationi patuiſſe cognoſcas, ne virtutibus egregiis plus quàm homines crederẽtur. Si enim Dauid, qui præſumptione virtutis elatus dixerat: Si reddidi retribuentibus mala mihi: Et Pſalm. 7.
alibi: Ego autẽ dixi in mea abundãtia, non mouebor in ęternum: ſtatim inſolentiæ huius pœnam ſe ſubiiſſe memorauit, Pſalm. 29. Ibidem.
dicens: Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus:

1661

batus: si ipse dominici generis author insolentiæ excepit offensam, quãto magis nos cęteri peccatores, quibus nulla suffragatur prærogatiua meritorum, insolẽtiæ scopulum timere debemus, in quo naufragium sit bonorũ: præsertim cum tãtus vir nobis & magisterij author sit & exempli, qui quasi palinodiam quandam ad repropitiandum dominum in posteriorib. canendam putauit, dicens: Domine nõ est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. &, Dominus à dextris meis, ne commouear. Sciuit enim quãdo se ꝓ sibi credidit, esse lapsum. Denique nihil aliud esse in homine desipere, nisi quia deũ nouit. Sic enim habes: Quid est homo quòd innotuisti ei, aut filius hominis quia cõputas eum? Si ergo Dauid insolentiam damnat, humilitatem induit, rectè in historia vxoris Vriæ magisterium istud affectãdæ humilitatis adscisciturt. Et tamẽ si ex ea natus est ille pacificus Salomõ, videamus ne fortè mysterium sit quòd sublato eo de medio, qui antè coniugio suo plebem gentium vindicabat, alij Ecclesia viro nupserit vero Dauid. Dauid enim vocatus est Christus, in parẽtis nomen adscitus: iuxta quod scriptum est: Inueni Dauid seruum meum, cui nupsit Ecclesia, quæ verbi semine & spiritu dei plena, Christi corpus effudit, populum scilicet Christianum. Est ergo mulier, quæ viuẽte viro alligata est legi: & ideo mortuus est vir eius, vt non esset adultera si esset cum alio viro. Mysterium igitur in figura, peccatum in historia: culpa per hominem, sacramentum per verbum. De qua historia quoniã alibi plenius diximus, hic transcurrendum videtur. Meritóque sanctus Dauid de hac historia mysticum psalmum quinquagesimum scripsit propter Bethsabeæ nuptias, dicens: In plurimũ laua me ab iniustitia mea, & à delicto meo munda me. Si iniquitatem suam dei amicus cognoscit, & meritis suis obstare delictũ, si denique deo se peccasse confiteretur: cur tu de confessione criminis erubescas, cùm criminis commentum, non confessio sit pudori? Ergo cùm Dauid Bethsabeæ historiam non prætermiserit in suis psalmis, vt in ea vel mysteriũ, vel actũ perfectæ pœnitentiæ nos doceret, iure videmus etiam in generationibus dominicis non prętermissam, quia & ipse Dauid qui eam accepit in vxorem sibi, generationis dominicæ secundum carnem præcessor asseritur. Cuius speciale (vt diximus) meritũ fuit, vt Ecclesiæ in hoc mysterio videret exortũ, & acciperet oraculũ quòd ex suo Christus genere nasceretur. Alterum enim ad Ecclesiã pertinet, quod dixit: Ecce audiuimus eam in Effrata, inuenimus eã in cãpis syluæ. Alterum specialiter ad dominici corporis susceptionem: quod oraculo manifestissimo reuelatur, cũ dicitur: Ex fructu ventris tui ponam super sedem meam. Noli tamen tanto negligens esse promisso. nõ enim sine definitione datum est. Sed si custodieris testamẽtum, & testimonia seruaueris domini, quæ in Euangelio se pollicetur esse dicturum: tibi quoque copia sedis patebit æternæ. Hæc de vxore Vriæ. De Achab autem satis claret, cui vxor Iezabel. Et de Iechonia, de quo satis idoneus author est Hieremias maximi reum esse delicti: cui etiam quod habuit, nomen eripuit. Et ideo qui Ioachim in Regnorum libris dicitur, Iechonias ab Hieremia est nominatus, dicẽte eo: Abiectus est Iechonias vt vas, non est vsus in eo, propter quod proiectus est ipse, & semẽ eius. Terra terra audi verbum domini, scribe virum istum abdicatum, quia non exurget ex semine eius sedens in throno Dauid princeps adhuc in Iuda. Eo enim regnante Iudæam Babylonij vastauerunt. neque postea vnquã de semine eius regnum quisquam in Iudæa potuit obtinere. Postea enim populus de captiuitate dimissus, sub sacerdotibus & tetrarchis fuit. Vnde etiam vsque ad Christi generationem manserę tetrarchæ, ne ipsi quidem, quantum historia docet, regalis dignitatem generis reseruãtes. Fertur enim ab his, qui siue argumẽtati, siue simpliciter docentes, siue verè astruentes tradiderunt nobis: quia Idumæi latrones Ascalonem vrbem Palestinæ ingressi, de fano Apollinis quod vicinum muris erat, Antipatrum Herodis cuiusdã Hieroduli filium inter alios abduxere captiuum, quem pater redimere propter paupertatem nequiuit. Is igitur imbutus disciplinis & mysteriis Iudæorum, Hircano Iudææ regi amicitia copulatur, quem pro se ad Pompeium Hircanus legatum direxit:

& quia legationis fructu potitus est, per eã gratiam partem regni affectauit. Occiso autem Antipatro propter felicitatis inuidiã, filius eius Herodes postea sub Antonio senatusconsulto Iudæis regnare præceptus est. Cuius Herodes filius, & alij tetrarchæ. Quod ideo ex Græcorum historiis putauimus transferendum, vt clareat Herodem nullo affinem generi Iudæorum, regnum adulterina fraude quæsisse. Deniq; cõscius ignobilitatis suæ, ne qua posteris suis vel de præscripto veteri quæstio moueretur, scripturas eorum incendit: existimans quòd si indicia de publico sustulisset, nullis aliis testimoniis clarere posset quin de patriarcharũ vel proselytorum veterum genere emanaret. Sed, vt pleraque curæ humanæ sunt, cognitioni hoc & indagini veritatis præiudicare nõ potuit. Ne nobis tamen possit prẽiudicare, videamus, qui veri regalísque generis dicimus Christum, & per veros & nobiles reges actum domini genus. Sed vbi adulterina regnũ affectauit propago, successionẽ nobilitatis suæ, non potentiæ, sed generationis ordo seruauit. Tamen ipsum regem secundum honorẽ seculi nõ accipimus Christum. Quomodo ergo ex fructu vẽtris tui ponam super sedem meã? Quomodo & angelus de eo dicit quòd dabit illi dominus deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum? Quomodo ergo regnare promittitur, nec ostenditur? Aut quomodo ex semine Iechoniæ nullus regnaturus dicitur per Prophetã? Si enim Christus regnauit, ex semine aũt Iechoniæ Christus est, Propheta mentitus est, mentita sunt & oracula. Sed illic futuros ex semine Iechonię posteros nõ negatur, & ideo de semine eius est Christus: & quòd regnauit Christus, non contra prophetiam est. Non enim seculari honore regnauit, nec in Iechoniæ sedibus sedit, sed regnauit in sede Dauid. Verum cùm ipse Iechonias Dauid sederit sedẽ, quemadmodum soluitur quod dictum est quia Dauid sedem Iechoniæ posteri non sederunt, cùm eadẽ sedes fuisse videatur amborum? Itaque & nos sedem Dauid fuisse negare nõ possumus: non eandẽ tamen regis Dauid sedem Christus quam Iechonias sedit: imò nec quisquam alius ex genere Dauid sedem eius potuit sedere quàm Christus: quia nec in aliquo alio semen eius æternum est, sed in Christo, sicut deus ipse reseruauit dicens: Semel iuraui in Christo meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit, & sedes eius sicut Sol in conspectu meo. Quem igitur dicit hîc? Non Salomõnem vtique non Roboam, non Nathã, sed illum de quo solo potest dicere: Ponam in mari manũ eius, & in fluminibus dexterã eius. Ipse inuocabit me, Pater meus es tu, & ponam in seculum seculi semẽ eius, & thronum eius sicut dies cœli. Nõ vtique hunc thronum Salomon sedit, nõ Roboam, nec Iechonias. Vis scire qui sederit? Is est de quo dicit angelus ad Mariam: Ecce cõcipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit Magnus, & filius altissimi vocabitur: & dabit illi dominus deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Si angelo non credis, ipsi saltem domino crede dicenti: Tu dicis, quia ego rex sum. Nunquid ergo & ipse mentitus est, quia regnare se dixit, qui non regnauit in terris? Quomodo scriptura soluitur, quæ regnare eum dicit & regnare non astruit? In abruptum disputationis venimus, hæremus in vado, & quodam veritatis naufragio fluctuamus. Excitemus igitur Christum, ipsum interrogemus, ipse respondeat. Interrogemus scripturas. Inuenimus quia regnum domini non est de hoc mundo. Ipse enim dixit: Regnum meum non est de hoc mundo. Qui dicit non esse de hoc mundo regnum suum, ostendit esse supra mundum. Ita & erat regnum eius, & non erat: non erat in seculo, supra seculum erat. Erat enim regnum aliud veri Dauid, quod solus Christus accepit: & erat semẽ aliud Dauid, quod in ęternum manet, de quo solus generatus est Christus, qui solus verus filius Dauid, cuius etiam solus nomen accepit, iuxta quod scriptum est: Inueni Dauid seruum meũ, in oleo sancto meo vnxi eum. Quod vtique non de propheta Dauid, sed de domino dici præmissa declarant. Scriptũ est enim: Posui adiutorium super potẽtem, & exaltaui electum de populo meo. Solus enim potens, solus electus est Christus. Sanctorum enim maius in fide, quàm in generatione semen est. Et ideo

Psalm.88. *Ibidem.* *Ioan.18.* *Ibidem.* *Psalm.88.* *Ibidem.*

Aposto-

Apoſtolus: Si enim qui ex fide ſunt, hi filij ſunt Abrahæ. Illud quoque non prętermittendum putamus, quod à Dauid temporibus vſque ad Iechoniam, hoc eſt vſque ad captiuitatem, cùm decem & ſeptem fuerint reges Iudææ, quatuordecim generationes ſanctus Matthæus poſuerit: & rurſus à Iechonia vſque ad Ioſeph cùm viritim generationes duodecim computętur, poſtea quatuordecim generationes deſcriptas eſſe memorauerit. Sic enim habes: Omnes generationes ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid vſque ad trāſmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, & à tranſmigratione Babylonis vſq; ad Chriſtum generationes quatuordecim. Et primùm oportet cognoſcere, quòd antè iam diximus, poſſe plures eſſe ſucceſſiones, pauciores generationes. Poſſunt enim diutius viuere aliqui, & ſerius generare, aut certè penitus exortes generationis exiſtere. Itaque non quæ regum, eadem generationum tempora. Vnde & Matthæus eos quos ad generationem non putauit pertinere, prætériit. Nam ſi propoſitum eſſet ei ſucceſſiones deſcribere, rationabiliter moueremur cur cum in regnorum libris & Paralipomenon conueniat quod poſt Ioram Ochozias regnauerit, & Ioas & Amaſias, Amaſiæ autem ſucceſſerit Ozias: ſanctus Matthæus tres illos reges prætérierit, Ochoziam, Ioas, & Amaſiam & poſt Ioram Oziam ſubiecerit. Sed non eum in regum ſucceſſione, ſed in generatione ſubiecit: denique generationum relatorem fuiſſe memorauit, potuit autem fieri vt & Ioram tardius generauerit, & Ioſaphat ſerius perceperit regnum, atq; ita Ioram patri ſuo, cui in poteſtate non ſucceſſit, in generatione ſucceſſerit. Quod verò poſt Iechoniam duodecim generationes enumeraſſe videtur Euangeliſta, ſi diligēter aduertas, hic quoque quatuordecim generationum poteris inuenire rationem. Duodecim enim vſque ad Ioſeph numerātur, non vſque ad Chriſtum. Tertiuſdecimus eſt Chriſtus, ſed nihil refert vtrum in duabus generationibus, an vna mēdacium ſit. Tamen ne hic quidem cæcum aliquem ſcopulū aut naufragiū inueniasveritatis, duos Ioachim, hoc eſt, duos Iechonias fuiſſe hiſtoria indicat: vnum ante tranſmigrationem, alterum in ipſa tranſmigratione generatum, id eſt, patrem & filium. Ergo pater inter generationes ſuperiores eſt computatus, qui ſucceſſit Ioſiæ: filius inter poſteriores, qui ſucceſſit patri, id eſt, nepos Ioſiæ. Duos autē fuiſſe Regnorum libri indicant. Sic enim ſcriptum eſt: Et imperauit Pharao ſuper Iſrael, Ioachim filio Ioſiæ regnante in Iudæa pro Ioſia patre ſuo, & conuertit nomen Ioachim in regnādo, & vndecim annos regnauit in Hieruſalem. Quibus ſubiecit: Et reliqua verborum Ioachim, & omnia quæ fecit, nonne ſcripta ſunt in libro verborum Regum, & in diebus eorū quibus regnauerunt in Iudæa? Et dormiuit Ioachim cum patribus ſuis, & regnauit Ioachim filius eiꝰ pro eo. Filius decem & octo annorum erat Ioachim: & cùm regnaret, tribus mēſibus regnauit in Hieruſalem, nomen matris eius Meſola: & omnia quæ fecit ſub oculis domini pater eius, & ipſe fecit: & in diebus eius aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis in Hieruſalem. Vides igitur quòd alius fuit Ioſię filius, alius nepos: filius ille, cui Hieremias nomē impoſuit: nepos iſte, qui patris vocatus eſt nomine. Et bene ſanctus Matthæus à Propheta noluit diſcrepare: vt non Ioachim, ſed Iechoniam nominaret. Simul, vt ſupra diximus, Maiorem fructum dominicæ pietatis aſtruxit, ſi generis nobilitatem non in omnibus dominus requiſiuit: ſed de captiuis & peccatoribus congruè naſci voluit, qui remiſſionem veniebat prædicare captiuis. Non igitur ſuppreſſit alterum Euangeliſta, ſed vtrumque ſignauit, quòd vterque Iechonias dictus ſit. Ita addito iuniore Iechonia, generationes quatuordecim computantur. Ergo illa Matthæus. Pulchrè autem Lucas, quoniam filios Iacob plures non poterat comprehēdere, ne extra generationes euagari ſuperflua ſerie videretur: licet in aliis, id eſt, longè multo poſterioribus, patriarcharum tamē nequaquam nomina prætermittenda arbitratus ſit, ſed prę cæteris eligenda, Ioſeph, Iudę, Simeonis, & Leui. Quatuor enim genera in his, quorum iſti poſteri ſunt, cognoſcimus fuiſſe virtutum. In Iuda, id eſt, illo ſuperiore, dominicæ per figuram paſſionis myſterium prophetatum, in Ioſeph præceſſiſſe caſtitatis exemplum, in Simeon vindictam læſi pudoris, in Leui officium ſacerdotis. Per Nathan quoq; expreſſam aduertimus prophetiæ dignitatem, vt quia vnus omnia Chriſtus Ieſus, in ſingulis quoque maioribus genera virtutum diuerſa præcederent. Noë quoque iuſti inter dominicas generationes commemoratio non debuit prętermitti, vt quia ædificator Eccleſiæ naſcebatur, eum ſui generis authorem præmiſiſſe videatur, qui eam in typo ante fundauerat. Nam de Mathuſala quid dicam, cuius vltra diluuium numerātur anni: vt quoniam ſolus eſt Chriſtus, cuius vita nullam ſentit ætatem, in maioribus quoque ſuis non ſenſiſſe diluuia videretur? Enoch verò, nónne manifeſtum & pietatis dominicæ, & diuinitatis indicium eſt, eò quòd nec mortem ſenſerit dominus, & ad cœlum remeauerit, cuius generis author raptus ad cœlum eſt? Vnde manifeſtum eſt & Chriſtum potuiſſe non mori, ſed voluiſſe, vt nobis mors illa prodeſſet. Et ille quidem raptus eſt, ne malitia mutaret cor eius. Dominus autem, quem malitia ſeculi mutare nō poterat, eò vnde venerat, naturæ ſuæ maieſtate remeauit. Siletur planè parricida fratris. Neque enim rationabile erat vt is qui percuſſerat fratrem, inter domini numeraretur authores, cùm ſeruulos iſte ſeruauerit, vt fraterni nominis honore donaret. Sed nec illud ocioſum, quòd Seth præteritus non eſt, quem poſteriore Adā generatione ſuſcepit: vt cum duæ ſint populi generationes, ſignaretur in typo dominū noſtrum Ieſum Chriſtū in poſteriore potius quàm priore generatione numerandum. Iam de ipſo Adam, qui iuxta Apoſtolum figurā accepit Chriſti, quid pulchrius potuit conuenire, quàm vt ſacroſancta generatio à dei filio inciperet, & vſque ad dei filium deduceretur, creatúſque præcederet in figura, vt natus in veritate ſequeretur, ad imaginem factus præiret, propter quem dei imago deſcenderet? Et ſi myſterium primi diſcutiamus erroris, lignum ſcientiæ boni & mali fallente diabolo Eua ſuadente ille guſtauit, vt iſte nobis priuſquàm ſciret malum, eligeret bonum: dirique ſerpentis inſidias Eccleſia ſuadente euacuaret, iuxta quod ſcriptum eſt: Quoniā priuſquam ſciat puer bonum aut malum, non crederet malitiæ, vt eligat quod bonū eſt. Et priuſquam ſciat vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ. Hic enim eſt puer, cuius in cunabula Magi ſpoliis Orientalibus referſerunt, quia gens ante Chriſtum incredula, de exuuiis idolorum mutata iam fide manubias obtulit domino triūphales. Hæc tibi frater de generatione Chriſti non incognita putaui prolixius proſequenda, ne quis cùm iſta in Euangeliis minus attento animo recenſeret, aliquatenus fluctuaret: quæ ſancti euangeliſtæ ad maiora miracula, & diuiniora domini geſta properantes, perſtringenda breuius quàm diffundenda vberius putauerunt. Eorum igitur more, qui ſatis putant, ignaris viarum quaſi notas quaſdam itineris & ſemitas demonſtrare: ſpiritalis viæ ſemitas colligentes, videro vtrum ſecundo veritatis euētu, certè religioſo fidei ductu in myſteriorum ſecreta contendimus, verētes ne quis iſta cum legerit, quod prouerbialiter dicitur, quaſi puer machæram, tractare per infantiam fortiora arma neſciret, magiſq; vulnus ex imprudentia, quàm ſalutem ex lectione ſentiret. Infirmos enim tela ſua vulnerāt, nec poteſt bene vti armis, qui ea ferre non nouerit. Et ideo circa fidem vir perfectus exigitur, in quo non per humum ſcientiæ reptet infantia, non debilis quædam, nec carens ſenſibus myſticæ cognitionis titubet ætas, quæ virtute iuuentutis amiſſa, coronam glorioſi certaminis non requirat, & ſeneſcentis aquilæ modo, quæ prius aut leporem rapere pedibus cōſueuerat, aut anſerem, æuo feſſa minorum auium fœtus implumes requirat, qui ſolidiorem cibum afferre non poſſint.

Quòd ab Iechonia vſque ad Ioſeph duodecim generationes ſcriptæ ſint, & quatuordecim computentur.

4. Reg. 23.

4. Reg. 24.

Sapien. 4.

Eſaia 8.

DIVI

1665

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI COMmentariorum in Euangelium ſecundum Lucam Liber quartus.

Præfatio.

NOn abſurdũ,opinor,de generatione domini cõfecimus opus,certè infructuoſum nõ fuit dominicis diuti⁹ inhærere maiorib⁹.Nã ſi ij qui magnũ mare littorali parãt nauigatione trãſmittere,altioris cõpendiũ curſus itidẽ vt nos fiducię infirmitate vitãtes, agrũ & vrbes littore deductas capti locorũ decore frequẽter inuiſunt:quanto magis nos in tãto nõ elemẽtorum,ſed geſtorũ cœleſtiũ ſiti profundo,viciniores legere portus,& frequẽtes amare debemus excurſus, ne quis lõgæ nauigationis tædio fatigatus,faſtidij vomitum tenere nõ poſſit. Certè ſi quis intutæ ratis vitia infida perſpexerit,tanquã frequẽti librorũ portu obiecto:licet vt aurium vela deponat,lectionis anchorã figat. Nõ videtur deſeruiſſe nauigiũ,ſed cõfeciſſe curſum,qui deſcẽdit in portum.Et pleniſq; locis fortaſſe amœnitas locorũ ipſa inuitet prætermeãtem.Nã ſi Vlyſſem illũ,vt fabulæ ferunt, (licet & propheta dixerit:Habitabunt in ea filiæ Sirenarũ.etſi nõ dixiſſer Propheta,nemo tamẽ iure reprehẽderet,cùm & gigãtes,& vallem Titanũ ſcriptura cõprehenderit.) Si ergo Vlyſſem illum poſt decem annorũ exilia,quibus bellatũ in Ilio eſt,decémque erroris annos feſtinãtem ad patriã,Lotophagi ſuauitate baccarum tenere potuerunt, ſi horti Alcinoi retardarunt, ſi poſtremò Sirenes cantu vocis illectũ,ad illud famoſum voluptatis naufragiũ penè deduxerant,niſi aduerſus illecebroſæ ſonitus cantilenæ inſerta cera ſociorum clauſiſſet aures: quãto magis religioſos viros cœleſtium factorum decet admiratione mulceri? Atque hic iam nõ baccarũ ſuauitas hauriẽda,ſed panis ille qui deſcẽdit de cœlo:nõ olera Alcinoi ſpectanda,ſed ſacramenta ſunt Chriſti.Nã qui infirmus eſt, olera mãducet.Nõ claudendę igitur aures,ſed reſerãdę ſunt, vt Chriſti vox poſſit audiri:quã quiſquis perceperit,naufragiũ nõ timebit.Non corporalibus vt Vlyſſes ad arborẽ vinculis alligãdus,ſed animus ad crucis lignum ſpiritalibus nexibus vinciẽdus,ne laſciuiarũ moueatur illecebris,curſúmq; naturæ detorqueat in periculũ voluptatis. Figmentis enim poëticis fabula coloratur, vt quædam puellæ ſcopuloſo in littore maris habitaſſe prodãtur : quæ ſi quos deflectere naufragium propter aurium ſuauitatem dulci voce pepuliſſent, in vada cęca deductos & infida ſtatione deceptos,naufragij miſerabilis ſorte conſumerent.Compoſitum hoc ſpecie, & ambitioſa comparatione fucatum eſt,vt mare,vox fœminę, littora vadoſa fingãtur. Quod autem mare abruptius quàm ſeculum,tam infidum,tam mobile,tã profundum , tam immundorum ſpirituum flatibus procelloſum? Quid ſibi vult puellarum figura,niſi euiratæ voluptatis illecebra,quæ conſtantiam captæ mentis effœminat?Quæ autem illa vada,niſi noſtrę ſcopuli ſunt ſalutis?Nihil enim tam cæcum,quàm ſeculariſ ſuauitatis periculũ:quæ dum mulcet animum, vitam obtruit,& corporeis quibuſdam ſcopulis ſenſum mentis illidit.Meritò igitur dominus noſter Ieſus Chriſtus ieiunio ſuo nos atq; deſerto aduerſus voluptatum informat illecebras, & tentari ſe à diabolo dominus omnium patitur, vt in illo omnes vincere diſceremus. Aduertamus igitur quia tria non ociosè à domino principaliter ordinata Euangeliſta deſcripſit. Tria ſunt enim quæ ad vſum proficiũt ſalutis humanæ, ſacramẽtum,deſertum,ieiunium. Nemo enim niſi qui legitimè certauerit,coronatur. Nemo aũt ad certamen virtutis admittitur, niſi prius ab omnibus ablutus maculis delictorum, gratiæ cœleſtis munere conſecretur. Venit igitur dominus ad lauacrum,vt myſterij gratia nobis & viſu probaretur & ſenſu. Et quoniam lex cœlo & terris teſtibus promulgatur, vt myſterium diuinitatis abſcõditum à ſeculis in deo plus crederes eſſe quàm legem,nõ iam ad teſtimonium cœlũ vocatur,ſed vtitur teſtis officio, cùm vox dei defertur A cœlo. Simul ne fidei myſteriũ dubio mẽtis offendas, inuiſibilia tibi viſibiliter declarãtur operari. Venit dominus ad lauacrũ. Omnia enim pro tę fact⁹ eſt:iis qui ſub lege ſunt,quaſi ſub lege eſſet,cùm ipſe ſub lege nõ eſſet. Circũciſus eſt,vt eos qui ſub lege ſunt,lucrifaceret.His qui ſine lege erãt conuiuij cõmunitate ſociatus eſt,vt lucraretur eos qui ſine lege viuebant.Factus eſt infirmis infirmus per corporis paſſionẽ, vt infirmos lucrifaceret. Omnibus poſtremò omnia factus eſt,pauper pauperibus,diues diuitibus,flens flẽtibus,eſuriẽs eſurientibus,ſitiens ſitiẽtibus,profluus abundãtibus.In carcere cum paupere eſt,cum Maria flet,cũ apoſtolis epulatur, cum Samaritana ſitit.In deſerto eſurit,vt cibus primi hominis,quẽ per præuaricationẽ guſtauerat, ieiunio domini ſolueretur.Noſtro periculo Adam ille ſcientię boni & mali famem ſoluit,noſtro emolumento famem iſte ſuſcepit.

De ductu ipſius Ieſu in deſertum. Cap.IIII.

VNc dominus Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu,vt tentaretur à diabolo.) Conuenit recordari quemadmodum de paradiſo in deſertum Adã primus B eiectus ſit, vt aduertas quẽadmodum de deſerto ad paradiſum Adã ſecundus reuerterit. Videte enim quemadmodum ſuis nodis præiudicia reſoluantur, & ſuis diuina beneficia veſtigiis reformentur.Ex terra virgine Adã,Chriſtus ex virgine. Ille ad imaginem dei factus, hic imago dei. Ille omnibus irrationabilibus animalibus,hic omnibus animãtibus antelatus.Per mulierem ſtultitia, per virginem ſapientia.Mors per arborem,vita per crucem.Ille ſpiritalium nudus,arboris ſe texit exuuiis:hic ſecularium nudus,corporis non deſiderauit exuuias. In deſerto Adam, in deſerto Chriſtus.Sciebat enim vbi poſſet inuenire dãnatum, quem ad paradiſum reſoluto errore reuocaret.Sed quoniam ſeculariſ indutus exuuiis redire non poterat, nec paradiſi incola poteſt eſſe,niſi nudus à culpa,exuit veterem hominem, nouum induit:vt quia ſolui non queunt diuina decreta,perſona magis quàm ſententia mutaretur. Sed qui in paradiſo C ſine duce iter amiſit acceptum, quemadmodum de deſerto ſine duce iter repetere poſſet amiſſum,vbi tentationes plurimæ,niſus ad virtutem difficilis, lapſus facilis ad errorem? Cùm eadem ſit virtutis natura, quæ nemorum, vt ſi adhuc exigua de terrenis ad ſuperna ſe ſubrigunt,dum teneris ætas adoleſcit frondibus, ſæui veneno dentis obnoxia facile aut ſuccidi poſſit,aut vri.Si verò alta ſe radice fundauerit,& ramorum ſublimitate ſuſtulerit,fruſtrà iam vel ferarum morſibus,vel lacertis agreſtium vel diuerſorum flatuum procellis arbor robuſta tentetur. Quem igitur apponeret ducem contra tot illecebras ſeculi,cõtra tot verſutias diaboli,cum ſciret nobis primo cõtra carnem & ſanguinem,deinde contra poteſtates,contra rectores mundi tenebrarum harũ,aduerſus ſpiritalia nequitiæ quæ ſunt in cœleſtibus,eſſe luctamen?Angelum apponeret?& ipſe lapſus eſt, legiones angelorũ vix ſingulis profuerunt. Seraphim dirigeret? & ipſum deſcendit in terras in medium populi polluta labia habentis,& vnius tantum prophetæ appoſito labia carbone mundauit. Alius dux requirendus fuit, quem ſequeremur omD nes. Quis tantus eſſet dux qui prodeſſet omnibus, niſi ille qui ſupra omnes eſt? Quis me ſupra mundum conſtitueret, niſi qui maior eſt mundo? Quis tantus eſſet dux, qui poſſet maſculum & fœminam,Iudæum & Græcum, Barbarum & Scythã, ſeruum & liberum vno regere ductu, niſi ſolus qui eſt omnia & in omnibus Chriſtus?Multi enim laquei quacunque progredimur : Laquei in corpore, laquei in lege,laquei in pinnis templorũ,in crepidinibus parietum tendũtur à diabolo. Laquei in philoſophis, laquei in cupiditatibus. Oculus enim meretricis,laqueus eſt peccatoris. Laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in ſtudio caſtitatis. Exiguis enim momẽtis mens inclinatur humana? & huc atque illuc pro verſutia ſuadentis frequenter impellitur. Videt aliquem diabolus religioſum virum deo venerabiliter deferentem,& quod ſacroſanctum eſt æſtimantem, nullius capacem iniuriæ:in ipſa eum religione ſupplantat, vt faciat non credere quòd dei filius verè hanc noſtrã ſuſceperit carnem,hoc noſtrum corpus,hanc noſtrorum membrorũ fragilitatem

gilitatem:cùm vtique paſſio corporis fuerit,diuinitas exors iniuriæ manſerit. Ita de religione fit culpa. Omnis enim qui negat Ieſum Chriſtum in carne veniſſe,de deo non eſt. Videt integrum & illibatæ caſtimoniæ virũ, ſuadet vt nuptias damnet,quo eiiciatur ab eccleſia, & ſtudio caſtitatis à caſto corpore ſeparetur. Audiuit alius quia vnus deus,ex quo omnia: adorat,atque veneratur. Inſidiatur ei diabolus,claudit aures,ne audiat quia vn⁹ deus per quẽ omnia:ita nimia pietate impiũ eſſe compellit, vt dum patrem à filio ſeparat,patrem filiúmque confundat,& perſonam vnã putet eſſe,non poteſtatem. Itaque dum menſuram fidei neſcit,perfidiæ incurrit ærumnã. Quomodo igitur hos laqueos euitabimus,
Pſalm.123. vt poſſimus & nos dicere: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt,& nos liberati ſumus? Non dicit,Ego contriui laqueum:non auſus eſt hoc dicere Dauid,ſed:Adiutorium noſtrum in nomine domini,vt oſtenderet vnde laqueus ſolueretur,vt prophetaret quòd venturus eſſet in hãc vitã,qui cõtereret laqueũ fraude diaboli præparatum. Sed non potuit melius cõteri laqueus, niſi prædam aliquam diabolo demonſtraſſet:vt dũ ille feſtinaret ad prædam, ſuis laqueis ligaretur:vt ego poſſim dicere: Laqueos parauerunt pedibus meis, & ipſi inciderunt in eos. Quæ potuit eſſe præda,niſi corpus? Oportuit igitur hãc fraudẽ diabolo fieri, vt ſuſciperet corpus dominus Ieſus, & corpus hoc corruptibile, corpus infirmũ, vt crucifigeretur ex infirmitate. Si enim fuiſſet corpus ſpiritale non dixiſſet:
Matth.26. Spiritus prõptus eſt,caro autem infirma. Audi igitur vtrãque vocem,& carnis infirmæ,& ſpiritus prompti. Pater ſi poſſibile eſt,tranſeat à me calix iſte. Hæc carnis eſt vox. Sed non quod ego volo,ſed quod tu vis:habes deuotionem ſpiritus & vigorẽ. Quid repudias dignationem domini? Dignationis eſt quòd ſuſcepit corpus meum,dignationis eſt quòd ſuſcepit iniurias meas, ſuſcepit infirmitates meas quas vtiq; natura dei ſentire non potuit,cùm etiã natura hominis contemnere didicerit,vel ſuſtinere ac perpeti. Et ideo ſequamur
Deute.10. Chriſtum, iuxta quod ſcriptum eſt: Poſt dominũ deum tuũ ambulabis,& ipſi ſoli adhærebis. Cui adhærebo niſi Chri-
1.Cor.6. ſto? ſicut Paulus dixit: Qui adhæret domino,vnus ſpirit⁹ eſt. Illius igitur de deſerto,vt ad paradiſum redire poſſimus,veſtigia proſequamur. Videte quibus itineribus reducamur. Nunc in deſerto Chriſtus eſt,agit hominem,inſtruit,informat,exercet,vngit oleo ſpirituali. Vbi videt robuſtiorem,perfata & fructuoſa traducit:vt quãdo querebãtur Iudæi quòd diſcipuli eius ſabbato de ſegete ſpicas vellerent:iam enim apoſtolos ſuos in agro culto, & fructuoſo opere cõllocauerat,poſtea in paradiſo cõſtituit tempore paſſionis. Sic enim
Ioan.18. habes: Hæc cùm dixiſſet Ieſus, cum diſcipulis ſuis tranſiuit
† cedri. trans torrentem Cedron†, vbi erat hortus,in quem introiuit ipſe cum diſcipulis ſuis. Agro enim fœcũdo hortum eſſe potiorem docet Propheta in Cãticis canticorum, dicens:
Cantic.4. Hortus clauſus ſoror mea ſpõſa, hortus clauſus,fons ſignatus, emiſſiones tuæ paradiſus. Illa eſt enim animæ pura & immaculata virginitas,quæ nullo terrore pœnarum, nullis à fide ſecularis voluptatis illecebris, nullo vitæ amore traducitur. Denique virtute domini hominẽ eſſe reuocatũ,præ cæteris hic Euãgeliſta teſtatur,qui ſolus inducit dominũ dicẽtem latroni: Amen dico tibi,hodie mecum eris in paradiſo. ¶ Plenus igitur Ieſus ſpiritu ſancto agitur in deſertum.)
Luc.4. Conſilio,vt diabolum prouocaret. Nam niſi ille certaſſet, non mihi iſte viciſſet. Myſterio,vt illum Adam de exilio liberaret. Exemplo,vt oſtenderet nobis diabolum ad meliora tendẽtibus inuidere, & tunc magis eſſe cauẽdum,ne myſterij gratiam deſerat mẽtis infirmitas. Quadraginta autem dies,myſticum numerum recognoſcis. Tot enim diebus aquas abyſſi effuſas eſſe meminiſti,& tot ieiunio dierum ſanctificato Propheta refuſam cœli ſerenioris eſſe clemẽtiam. Tot ieiunio dierum ſanctus Moyſes perceptionem legis emeruit. Tot annos in eremo conſtituti patres panem angelorũ & cœleſtis alimoniæ gratiã conſecuti ſunt:nec antequã myſtici numeri tempus explerẽt, terram repromiſſionis intrare meruerunt. Tot ieiunio dierũ domini nobis in Euangelium pateſcit ingreſſus. Vnde ſi quis Euangelij gloriam, fructũque reſurrectionis optat adipiſci,myſtici ieiunij præ-

uaricator eſſe nõ debet. Quod & in lege Moyſes,& in Euãgelio ſuo Chriſtus, vtriuſque teſtamẽti authoritate præſcripſit fidele virtutis eſſe certamen. Quid verò ſibi vult quòd Euãgeliſta dominum eſuriſſe ſignificauit,cùm de Moyſi atque Helię ieiunio nihil tale videamus expreſſum? Nunquid hominum patiẽtia deo fortior? Sed qui quadraginta diebus eſurire non potuit, oſtendit ſe non cibum eſurire corporis, ſed ſalutem:ſimul vt aduerſarium laceſſeret iam timentem, qui quadraginta dierum fuerat ieiunio vulneratus. Et ideo fames domini pia fraus eſt, vt in quo diabolus maiora meditabatur iam cauebat, famis ſpecie lactatus tentaret vt hominem,ne impediretur triumphus. Simul illud diſce myſteriũ, ſancti ſpiritus opus, hoc eſt,diuinum fuiſſe indicium,vt tẽtandum ſe diabolo Chriſtus offerret.

De prima tentatione Chriſti à diabolo.

B [D]*ixit autem illi diabolus: Si filius dei es, dic lapidi huic vt panis fiat.*) Tria præcipuè docemur tela diaboli,quibus ad conuulnerandam mẽtem hominis conſueuit armari. Gulæ vnum,aliud iactantiæ,ambitionis tertium. Inde autem cœpit,vnde iam vicit. Et ideo inde incipio in Chriſto vincere, vnde in Adam victus ſum,ſi tamen mihi Chriſtus imago patris virtutis exẽplum ſit. Diſcamus igitur cauere gulam, cauere luxuriam, quia telum eſt diaboli. Laqueus tenditur cùm menſa regalis conuiuij pręparatur,quæ conſtantiam ſæpe mentis inclinat. Non ſolum enim cùm audimus verba diaboli, ſed etiam cũ videmus eius copias,laqueũ vitare debemus. Didiciſti igitur diaboli telum:ſume ſcutum fidei, loricam abſtinentiæ. Sed quid ſibi vult talis ſermonis exorſus,Si filius dei es:niſi quia cognouerat dei filium eſſe venturum, ſed veniſſe per hanc infirmitatem corporis non putabat? Aliud explorãtis, aliud tentantis eſt: & deo ſe profitetur credere, & homini conatur illudere. Sed vide arma Chriſti,quibus tibi non ſibi vicit. Nam qui maieſtate ſua lapides in panem poſſe conuerti, naturæ alterius transfuſione monſtrauit, docet nihil
C tibi pro diaboli arbitrio nec declarãdæ virtutis contemplatione faciendum. Simul in ipſa tentatione artificem diaboli diſce verſutiam. Sic tentat vt exploret,ſic explorat vt tẽtet. Econtra dominus ſic fallit vt vincat, ſic adhuc vincit vt fallat. Nam ſi conuertiſſet naturam,proderet creatorem. Medie ergo reſpondit dicens: Scriptum eſt, *Quia non in pane ſolo viuit homo,ſed in omni verbo dei.*) Vides quo genere vtatur armorum, quo hominem à ſpiritalis nequitiæ incurſione defendat aduerſus irritamenta gulæ ſeptum atque munitum? Nõ enim quaſi deus vtitur poteſtate. Quid enim mihi proderat? Sed quaſi homo commune ſibi arceſſit auxilium, vt diuinæ pabulo lectionis intẽtus, famem corporis negligat, alimentum verbi cœleſtis acquirat. Huic intentus Moyſes panem non deſiderauit. Huic intentus Helias famem prolixioris non ſenſit ieiunij. Non enim poteſt qui verbũ ſequitur,panem deſiderare terrenum,cùm panis ſubſtantiam cœleſtis accipiat. Humanis enim diuina præſtare non dubium
D eſt,& corporalibus ſpiritalia. Et ideo qui vitam veram deſiderat,illum panem expetat,qui per inſenſibilem ſubſtantiã humana corda confirmat. Simul cùm dicit, *Non in pane ſolo viuit homo*, oſtendit hominem eſſe tentatum, hoc eſt,ſuſceptionem noſtram,non ſuam diuinitatem. Sequitur iactantiæ telum, quo procliue delinquitur: quia dum homines gloriam virtutis ſuæ iactare deſiderant, de loco meritorum ſuorum & ſtatione decidunt.

De ſecunda tentatione Chriſti.

[E]*T duxit illum*, inquit, *in Hieruſalem, & ſtatuit eum ſupra pinnam templi.*) Ita enim eſt iactantia, vt dũ ſe putat vnuſquiſque ad altiora cõſcẽdere, ſublimium vſurpatione factorum ad inferiora trudatur†. Et dixit illi: *Si filius dei es,mitte te deorſum.*) Verè diabolica vox,quæ mentem hominis de gradu altiore meritorum præcipitare contendit. Quid enim tam proprium diabolo, quàm ſuadere vt vnuſquiſque ſe mittat deorſum? Diſce ergo & tu diabolum vincere. Agit te ſpiritus, ſequere ſpiritum.

† trahatur.

1669

ritum. Non te reuocet carnis illecebra, ſpiritu plenus diſce contemnere voluptates. Ieiuna ſi vis vincere. Conſequens eſt vt per hominem diabolus te putet eſſe tentãdum. Chriſtus quaſi fortior facie ad faciem tentatur, tu per hominem. Et illud diaboli verbũ eſt cùm dicit: Homo fortis eſto, manduca & bibe, & ſimilis mane. Noli te tibi credere. nõ erube ſcas egere præſidiis quibus non egebat Chriſtus, & tamen ea non negligebat, vt te doceret dicens: Cauete ne grauetur cor veſtrum in vino & crapula. Non erubuit Paulus, qui ait: Sic enitor non vt aërem cædens. Aëra quidem non cædebat Apoſtolus, ſed poteſtates aërias verberabat. Sed caſtigo, inquit, corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne fortè cũ aliis prædicauerim, ipſe reprobus inueniar. Simul infirmitatem ſuã diabolus malitiámque deſignat, quia nemini poteſt nocere diabolus, niſi ipſe ſe miſerit. Nam qui relictis cœleſtibus terrena eligit, voluntarium quoddam præcipitium vitæ labentis incurrit. Simul quoniam telum ſuum diabolus vidit obtuſum, quo omnes homines propriæ ſubiecerat poteſtati, plus cœpit quàm hominẽ iudicare. Sed dominus rurſus nec ea quidẽ quæ de ſe fuerant prophetata, ad arbitrium diaboli putauit eſſe facienda, ſed diuinitatis propriæ authoritate ſeruata, verſutiæ eius occurrit: vt quia ſcripturarum exemplum prætenderat, ſcripturarum vinceretur exemplis. Poteſtas enim eſt deo vincere, ſcriptura mihi vicit. Diſce hic quoque quia Satanas transfigurat ſe velut angelum lucis, & de ſcripturis ipſis ſæpe diuinis laqueum fidelibus parat. Sic hæreticos facit, ſic euiſcerat fidẽ, ſic iura pietatis impugnat. Ergo non te capiat hæreticus, quia poteſt de ſcripturis aliqua exempla proferre, nec ſibi arroget quod doctus videtur. Vtitur & diabolus teſtimoniis ſcripturarum, non vt doceat, ſed vt circunſcribat & fallat. Cognouit aliquem attentum religioni, virtutibus clarum, ſignis & operibus præpotentem: iactantię tendit laqueum, vt huiuſmodi virum inflet tumore, quo pietati ſe non credat, ſed credat iactantiæ: nec deo deputet, ſed ſibi arroget. Idcóque Apoſtoli non in ſuo, ſed in Chriſti nomine dęmoniis imperabant, ne arrogare ſibi aliquid viderentur. Sic Petrus paralyticum curat dicens: In nomine Ieſu Nazareni ſurge & ambula. Diſce etiam de Paulo fugere iactantiam. Scio, inquit, hominem ſiue in corpore ſiue extra corpus neſcio, deus ſcit, quoniam raptus eſt in paradiſum & audiuit verba ineffabilia quæ non licet homini loqui. Pro huiuſmodi gloriabor, pro me autẽ non gloriabor, niſi in infirmitatib⁹ meis. Ergo & hic diabolus quoniam fortem ſenſit, iactantiam prætendit, quæ etiam fortes decipit. Sed dominus reſpondit ei: *Non tentabis dominũ deum tuum.*) In quo & dominum & deum Chriſtum, & patrem & filiũ poteſtatis vnius eſſe cognoſcis, iuxta quod ſcriptum eſt: Ego & pater vnum ſumus. Et ideo ſi vnum obtendit diabolus, occurre ei quia ſcriptũ eſt, Sumus. Et diſtingue vnum, ne diſcernas poteſtatem: diſtingue vnum, ne patrem filiúmque ſecernas.

De tertia tentatione Chriſti.

ET *duxit illum diabolus iterum in montem altiſſimum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.*) Bene in momento temporis ſecularia & terrena demonſtrantur. Non enim tam conſpectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas poteſtatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & ſæpe honor ſeculi abiit antequam venerit. Quid enim ſeculi poteſt eſſe diuturnum, cum ipſa diuturna non ſint ſecula? Docemur hîc inanis ambitionis flabra deſpicere, quòd omnis dignitas ſecularis diabolicæ ſubiaceat poteſtati, ad vſum fragilis, & inanis ad fructum. Sed quomodo hîc dat diabolus poteſtatem, & alibi legis, Quia omnis poteſtas à deo eſt? Nunquid poteſt quis duobus dominis ſeruire, aut à duobus accipere poteſtatem? Num ergo cõtrarium eſt? Minimè. Sed vide quia omnia à deo. Neque enim ſine deo mundus, quia & mũdus per ipſum factus eſt. Sed licet à deo factus ſit, tamen opera eius mala, quia ſeculum in maligno poſitum eſt, & ordinatio mundi à deo, opera mundi à malo. Ita etiam à deo poteſtatum ordinatio, à malo ambitio poteſtatis. Denique non eſt, inquit, poteſtas niſi à deo. Quæ autem ſunt à deo, ordinatę ſunt: nõ datæ, ſed ordinatæ: & qui reſiſtit poteſtati, dei, inquit, ordinationi reſiſtit. Hic quoque licet dicat dare A ſe diabolus poteſtatẽ, omnia tamen illa ad tempus permiſſa ſibi eſſe nõ abnuit. Itaq; qui permiſit, ordinauit: nec poteſtas mala, ſed is qui malè vtitur poteſtate. Deniq; vis non timere poteſtatẽ? Fac bonum, & habebis laudem ex illa. Non ergo poteſtas mala, ſed ambitio. Denique eouſque à deo ordinatio poteſtatis, vt dei miniſter ſit qui bene poteſtate vtitur. Dei, inquit, miniſter eſt tibi in bonum. Non ergo muneris aliqua culpa eſt, ſed miniſtri: nec dei poteſt ordinatio diſplicere, ſed adminiſtrantis actio. Nam vt de cœleſtibus ad terrena deriuemus exemplum, dat honorem imperator, & habet laudẽ. Quòd ſi quis malè honore vſus fuerit, non imperatoris eſt culpa, ſed iudicis. Habent reum ſua crimina, non quia poteſtas vnumquemque, ſed malitia ſua implicat. Quid ergo? Bonum eſt vti poteſtate, ſtudere honori. Bonum ſi deferatur, non eripiatur. Diſtingue tamen hoc ipſum bonum. Alius enim bonus in ſeculo, alius perfectæ virtutis vſus. Bonum eſt enim cognoſcẽdæ diuinitatis ſtudium, nullis occupationibus impediri. Nam etſi multa bona, vna tamẽ eſt vi- B ta æterna. Hæc eſt aũt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et ideo vitæ æternæ maximus fructus, & ſolus deus vitæ remunerator æternæ eſt. Solum deum & dominum noſtrum adoremus, & ipſi ſoli ſeruiamus, vt ſolus ipſe nos fructu remuneret ampliſſimo. Fugiamus omnia quę diabolicę ſubiacẽt poteſtati, ne tanquam malus tyrãnus in eos quos intra ſuum regnum inuenerit, acceptæ ſæuitia poteſtatis vtatur. Non ergo à diabolo poteſtas eſt, ſed obnoxia tamen inſidiis diaboli. Nec tamen ideo mala ordinatio poteſtatum, quia malo obnoxię poteſtates. Bonum eſt enim deũ quærere, ſed quidam ipſius inquiſitionis anfractus & error obrepit. Nam ſi inquiſitor in ſacrilegiũ ſæua interpretatione vertatur, in deterius vertitur quærentis offenſa, quàm ſi non quæſiſſet: nec tamen inquiſitionis, ſed quæſitoris eſt culpa: nec inquiſitio obnoxia malo, ſed quærentis affectus. Quòd ſi is qui deum quærit, propter fragilitatem carnis & mentis anguſtiam ſæpe tẽtatur, quanto magis qui ſeculum quærit, obnoxius eſt? Atque C hoc ipſo pernicioſior ambitio, quòd blanda quædã eſt conſiliatricula dignitatum, & ſæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia, ſubruere facit ambitio criminoſos. Habet enim forenſem gratiã, domeſticum periculũ: & vt dominetur aliis, prius ſeruit. Curuatur obſequio, vt honore donetur: & dum vult eſſe ſublimior, fit remiſſior, cùm in ipſa poteſtate quod præcellit, alienum ſit. Legibus enim imperat, ſibi ſeruit. Dicet fortaſſe aliquis, quia ſolus qui malum fecerit, timet: tamen qui mare nauigat, plus timet. Econtra in immobili terrarum ſtatione conſiſtens, non ſolet timere naufragium. At ſi mobile conſcendat elementum, frequẽtioribus obnoxius fit periculis. Fuge ergo ſeculi mare, & naufragium non timebis. Etſi frequenter arborum vertices ſpirantium verberent flabra ventorum, ſolidatis tamẽ radicibus nullus occaſus eſt. At in mari furentibus ventis, etſi non omnium naufragium, omnium tamẽ periculum eſt. Ita etiam aduerſis flatibus nequitiæ ſpiritalis, nullus in arena vel in ſalo tut⁹ eſt, & naues Tarſis vehemẽti ſæpe ſpiritu conteruntur. Hæc moraliter. Cæterùm D quod ad myſticum ordinem ſpectat, cernis vetuſti erroris vincula ſuis reſoluta veſtigiis: vt primo gulæ, ſecundo facilitatis, tertio ambitionis laqueus ſolueretur. Pellectus eſt enim Adam cibo, & in † locum interdictæ arboris ſententiæ facilitate tranſgreſſus. Temerariæ quoque ambitionis crimẽ incurrit, dum ſimilitudinem diuinitatis affectat. Et ideo prius dominus veteris nexus ſoluit iniuriæ, vt nos iugo captiuitatis excuſſo, vincere crimina ſcripturarum præſidio diſceremus. Quòd ſi dominus Ieſus propria non deſiderauit, tu aliena cur quæris? Si creator omnium ſeculi gloriam ſubeundæ paupertatis virtute contempſit, cur tu faſtidias quòd natus es, appetas quòd indebitum eſt? Cur ea quæ ad vſum tibi diuturna eſſe nõ poſſunt, ad ſupplicium diuturna depoſcas? Caue inſidias, caue fraudes. Et hoc ipſo quod ad ſubruendum hominem totũ verſuta diabolus mundũ fraude concutiat, totius ſeculi pugnet illecebris, eius tibi blanditiæ plus cauendæ. Non Euam cibus flexerat, non manda-

† eſum.

torum

torum deſtituerat obliuio,ſed promiſſi honoris ambitio illecebroſa decepit. Quæ ſi ſolum dominum adorare voluiſſet,indebita non quæſiſſet.Et ideo remedium datur quo telum ambitionis obtũdas,vt ſoli domino ſeruias.Caret enim ambitione religioſa deuotio.

De receſſu diaboli à Chriſto.

ET *conſummata omni tentatione diabolus receſſit ab illo vſque ad tempus.*) Prope omnium criminum fontes, hæc tria genera demonſtrãtur eſſe vitiorum. Neque enim conſummatã omnem tentationem ſcriptura dixiſſet, niſi in his tribus eſſet omniũ materia delictorum,quorum ſemina in ipſa origine ſunt cauenda. Finis ergo tentationum,finis eſt cupiditatum:quia cauſæ tentationum,cauſæ cupiditatum ſunt.Cauſæ autem cupiditatũ ſunt, carnis oblectatio, ſpecies gloriæ, auiditas potentiæ. Quàm religioſum videtur vt commorationem Chriſtianæ fœminæ non recuſes: ſed crebra inde tentatio. Si attentos deo viderit diabolus,ſuggerit vt decipiat. Sed tu quãuis de propoſito præſumas,caue tẽtationem,ſciens naturam. Hæc tria,ſi recorderis,etiã Paulus cauenda præſcripſit,deſignans tres eſſe ſpecies peccatorum,à quibus liber expectat iuſtitię
1.Theſſ.2. coronam.Neque enim,inquit,in verbo adulationis fuimus, neque in occaſione auaritiæ, deus teſtis eſt, neque gloriam quærentes ab hominibus.Et ideo diabolum vicit,coronam petiuit.Vides ergo ipſum diabolum non eſſe in ſtudio pertinacem,cedere veræ ſolere virtuti. Etſi inuidere non deſinat,tamen inſtare formidat,quia frequẽtius refugit triumphari. Audito itaq; dei nomine,receſſit,inquit,vſq; ad tempus.Poſtea enim non tentaturus,ſed apertè pugnaturus aduenit. Docet igitur te ſcriptura diuina,non tibi contra carnem & ſanguinem,ſed cõtra inſidias ſpiritales eſſe certamẽ. Vides magnificẽtiam Chriſtiani viri, qui certat cum rectoribus mundi: & licet cõſtitutus in terris,aduerſus ſpiritalia nequitiæ quę ſunt in cœleſtibus,animi virtute decernit.Nõ enim de terrenis contẽdimus,vt dimicemus in terra,ſed ſpiritalibus propoſitis præmiis de regno dei, & Chriſti hæreditate neceſſe eſt ſpiritalia prius impedimenta ſuperentur. Corona propoſita eſt,ſubeunda certamina ſunt. Nemo poteſt niſi vicerit coronari. Nemo poteſt vincere,niſi antè certauerit. Ipſius quoque coronæ maior eſt fructus,vbi labor
Matth.7. maior eſt. Arta enim & anguſta eſt via quæ ducit ad vitam, lata verò & ſpatioſa quæ ducit ad mortem.Et ideo tentationem nunquam timere debemus. Eſt enim cauſa victoriæ, materia triumphorum.Diues ille qui tentationem non ſenſit in hoc ſeculo,in pœnis eſt apud inferos. Pauper ille La-
Luc.16. zarus qui ita paupertate morbóque afflictus eſt & attritus, vt vibices eius à canibus lamberentur,vitæ iſtius labore miſerabilis,coronam gloriæ quæſiuit æternæ.Multæ enim tribulationes non quorũcunque,ſed iuſtorum. Denique quos diligit dominus ſæpe caſtigat. Petrus tẽtatus eſt vt negaret, negauit vt fleret.Et quid de cæteris dicam?Nempe Iob erat probatus à deo:ſed licet probatus erat, victor tamen non erat. Probata erat deuotio virtutis,tamen præmium non habebat. Et ideo tentandus offertur,vt glorioſior redderetur. Illius quoque certaminis refert vt gradum ſpectes. Non vnum telum diabolus habet,frequẽtat ſpicula,vt aut præmio vincat,aut tædio. Primo cupiditate vulnerat,ſecundo pietate,tertio ſanitate.Mẽtis enim pariter & corporis pugnat vlceribus.Diuerſitas quoque ipſa tentationum,pro diuerſitate certantium eſt. Auaritiæ damno diues vrgetur,pater diſpendio filiorum,homo doloribus,corpus vlceribus.Quãta hæc tela? Vnde dominus noluit habere quod perderet, & ideo pauper huc venit, ne haberet diabolus quod auferret. Vis ſcire q̃ verum ſit? Ipſum dominum dicẽtem audi:Venit
Ioan.14. huius mundi princeps,& in me inuenit nihil. Noluit etiam paucorũ eſſe pater,vt eſſet omnium.Fruſtra autem corporis tentaretur vlceribus,qui contemneret omnes corporis paſſiones:ſimul vt oſtẽderet nobis quòd immaculata ſibi corporis hoſte depulſo victoria deberetur.Sed ille quaſi homo ſuis tẽtatur,hic publicis.Illi patrimonium aufertur,huic regnũ orbis offertur. Nec totus ſine fraude diabolus,qui exaſperare dei filium vereretur, illum iniuriis tentat, hũc præ-
Iob 1. miis.Ille quaſi ſeruulus dicit: Dominus dedit,dominus abſtulit,hic naturę ſuæ diſpoſitioníſque conſcius ſua ſibi rideat offerri.Et vt ad illud reuertamur,ingruit nuncius ſuper nũcium,congeminant vulnera, nec tamen fortis athleta mente turbatur.Adhibetur mulier primæ fraudis illecebra: hic per virginem natus,errori obnoxiam non habebat. Amici adhibentur,qui prauis conſiliis opprimant reluctantem,ſed in omnibus quæ acciderunt ei,nuſquam peccauit Iob labiis ſuis in conſpectu dei.Nam quòd maledicit diei dicens,Pereat dies illa in qua natus ſum,& infra:Et maledicat ei is qui Iob 3.
maledixit diem illam, qui habet magnum cetum opprimere:ad prophetiam pertinet:eò quòd diabolum tãquam procelloſi ſeculi iſtius cetũ dominus noſter Ieſus Chriſtus oppreſſit:& generationis ſuæ carnalis diem perire deſiderat,vt dies eius in regeneratione numeretur.Pereat,inquit,dies ſecularis,vt dies ſpiritalis oriatur. Ergo in tentatione ſanctus Iob myſteria loquitur.Qui enim vincebat ſeculũ,Chriſtum videbat.Nos igitur non timeamus tentationes,ſed magis in tentationibus gloriemur,dicentes:Quando infirmamur,tũc
2.Cor.12. potentes ſumus:tunc enim nectitur corona iuſtitię.Sed illa Paulo fortaſſis accommoda:nos autem,quia plures coronę ſunt,quamcunque ſperare debemus.In ſeculo laurus corona eſt,corona eſt & ſcutum.At verò tibi propoſita eſt corona deliciarum. Corona enim deliciarum obumbrabit te.Et alibi:Scuto voluntatis ſuæ circundabit te.Gloria quoque & honore quem dilexit dominus coronauit.Ergo qui vult coronã dare,tentatione ſuggerit.Et ſi quando tentaris,cognoſce quia paratur corona. Tolle martyrum certamina,tuliſti coronas.Tolle cruciatus,tuliſti beatitudines.Nónne tentatio Ioſeph virtutis eſt conſecratio? Nónne iniuria carceris corona eſt caſtitatis?Quemadmodum regni in Ægypto cõſortium potuiſſet adipiſci, niſi venditus fuiſſet à fratribus? Quod dei factum eſt arbitrio,vt iuſtus probaretur,ipſe,mõſtrauit dicens:Quemadmodum fieret in hodierno vt paſceretur populus multus?Non debemus igitur tentationes ſeculi pro malis timere,quibus bona præmia comparãtur:ſed magis rogare contemplatione conditionis humanæ, vt eas tentationes ſubeamus,quas ferre poſſimus.

De egreſſu ipſius Ieſu in Galilæam ad docendum.

ET *egreſſus Ieſus in virtute ſpiritus in Galilæam.*) Completur hoc loco prophetia Eſaiæ dicentis: Regio Zabulon,& terra Neptalim,& cæteri Paraliam inhabitantes,& qui ſecus maritima trãs Iordanem Galilææ gentium, populus qui ſedebat in vmbra mortis, lucẽ viderũt magnam.Quis eſt enim lux magna,niſi Chriſtus,qui Ioan.1.
illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Deinde librum accepit,vt oſtenderet ſeipſum eſſe qui locutus eſt in prophetis: & remoueret ſacrilegia perfidorũ, qui alium deum dicunt veteris teſtamenti, alium noui, vel qui initium Chriſti dicunt eſſe ex virgine.Quomodo enim cœpit ex virgine,qui ante virginem loquebatur? Eſaie 9.

Teſtimonium ſcripturæ de miſſione Ieſu ad prædicandum & ſaluandum.

SPiritus domini ſuper me.) Vides trinitatem coæternam atque perfectã. Ipſum loquitur ſcriptura Ieſum deum hominémque in vtroque perfectum, loquitur & patrem,& ſpiritum ſanctum.Spiritus enim ſanctus cooperator oſtenditur,quando corporali ſpecie ſicut columba deſcendit in Chriſtum cùm dei filius baptizaretur in fluuio,pater loqueretur è cœlo. Quod igitur maius quærimus teſtimonium, quàm quod ſe fuiſſe qui locutus eſt in prophetis,propria voce ſignauit? Vngitur oleo ſpiritali, & virtute cœleſti,vt paupertatem conditionis humanæ theſauro reſurrectionis rigaret æterno, captiuitatem mentis auerteret,cæcitatem illuminaret animorum,annum domini perpetuis diffuſum temporibus prædicaret, qui redire in orbem laboris neſciat, continuationem fructus hominibus & quietis indulgeat. Atq; ille ita ad omnia ſe curuauit obſequia, vt ne lectoris quidem aſpernaretur officiũ. Nos verò impij, qui diuinitatis fidem miraculis operũ colligendam contemplatione corporis negabamus.

De reſponſione Ieſu ad concines ſuos.

Amen

1673 *Amen dico vobis, quòd nemo Propheta acceptus est in patria sua.*) Non mediocriter inuidia proditur, quę ciuicæ charitatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit. Simul hoc exẽplo pariter & oraculo declaratur quòd frustra opem misericordiæ cœlestis expectes, si alienæ fructibus virtutis inuideas. Aspernator enim dominus inuidorum est, & ab iis qui diuina beneficia in aliis persequũtur, miracula suæ potestatis auertit. Domiciliæ quippe carnis actus, diuinitatis exemplum est, & inuisibilia nobis eius per ea quæ sunt visibilia demonstrantur. Non ociosè itaque saluator excusat quòd nulla in patria sua miracula virtutis operatus sit, ne fortassis aliquis viliorẽ patriæ nobis esse debere putaret affectum. Neque enim ciues poterat non amare, qui amaret omnes, sed ipsi se charitate patriæ qui inuident abdicarunt. Charitas enim non æmulatur, non inflatur, nec tamen exors beneficiorum patria diuinorum est. Quod enim maius miraculum, quàm quod in ea natus est Christus? Videte igitur quid mali inuidia afferat. Indigna propter inuidiam patria iudicatur, in qua ciuis operetur, quæ digna fuit in qua dei filius nasceretur.

Confirmatio responsionis exemplo Heliæ & viduæ.

In veritate dico vobis, multæ viduæ fuerunt in diebus Heliæ.) Non quia Heliæ dies fuerũt, sed in quibus Helias operatus est: aut quia dies faciebat illis, qui in eius operibus lucem videbant gratiæ spiritalis, & conuertebantur ad dominum. Et ideo aperiebatur cœlum videntibus æterna & diuina mysteria, claudebatur quando fames erat, quia nulla erat cognoscendæ diuinitatis vbertas. Sed de hoc plenius scripsimus cùm de viduis scriberemus.

Confirmatio eiusdem exemplo Helisæi & Naaman.

Et multi leprosi erant in Iudæa temporibus Helisæi prophetæ, & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.) Euidenter hic sermo nos domini salutaris informat, & ad studium venerandæ diuinitatis hortatur, quòd nemo sanatus ostenditur, & maculosi morbo corporis absolutus, nisi qui religioso officio studuit sanitati. Non enim dormientibus diuina beneficia, sed obseruantibus deferuntur. Et bene apto comparationis exemplo arrogantia ciuium retunditur inuidorum, dominicúmque factũ scripturis docetur veteribus conuenire, quod in libris quoque Regnorum legimus gentilem virum Naaman prophetico oraculo lepræ maculis absolutum, cùm plurimos Iudæorum lepra corporis pariter & mentis absumeret. Siquidem etiam quatuor illos qui cogente fame in castra primi regis Syriæ tetenderunt, tradit historia fuisse leprosos. Cur igitur non curabat fratres, non curabat ciues, non sanabat propheta consortes, cùm sanaret alienos, sanaret eos qui obseruantiam legis & religionis consortium non habebant, nisi quia voluntatis est medicina, non gentis, & diuinum munus votis eligitur, non naturæ iure defertur? Discè Christiane rogare quod cupias impetrare: fastidiosos viros cœlestium profectus munerum non sequuntur. Sed quamuis simplex expositio moralem informet affectũ, gratia tamẽ non est occulta mysterij. Etenim cùm posteriora à superioribus deriuentur, tum etiam superiora posterioribus astruuntur. Diximus enim in libro alio, in vidua illa ad quam Helias directus est, typum Ecclesiæ præmissum. Populus Ecclesiam congregaret, vt sequatur populus ille ex alienigenis congregatus. Populus ille antè leprosus, populus ille antè maculosus, prius quam mystico baptizaretur in flumine, idem post sacramẽ tabaptismatis maculis corporis & mentis ablutus, iam non lepra, sed immaculata virgo cœpit esse sine ruga. Meritò ergo magnus Naaman in cõspectu domini sui, & admirabilis facie describitur, quoniam in eius typo salus futura gẽtibus declaratur, qui sacratæ consilio puellæ, quæ fractis viribus ciuium in hostilem captiua venerat potestatem, à propheta salutem sperare commonitus, nõ terreni regis imperio, sed diuinæ misericordiæ liberalitate sanatur. Cur mystico nudus mergere iubetur? Cur Iordanis fluuius eligitur? Nónne boni, inquit, Abana & Farfar fluuij Damasci præ Iordane? Sed iratus hos prætulit, Iordanem meditatus elegit. Nescit enim ira mysterium, fides nouit. Discè baptismatis gratiam salutaris, qui leprosus merserat, fidelis emersit. Discè spiritalia sacramenta signari. Corporis remediũ petitur, mẽtis acquiritur. Abluitur caro, affectus abluitur. Nõ enim magis corporis quàm mentis lepram video fuisse mundatam, quando post baptismum veteris erroris colluuione detersa, negat se diis alienis hostias quas spoponderat domino litaturum. Discè etiam congruæ præcepta virtutis: probauit fidem, qui præmia recusauit. Discè vtroq; dictorũ factorúmque magisterio quid sequaris. Habes domini præceptũ, vatis exemplum, gratis accipere, gratis dare, nec vẽdere ministerium, sed offerre. Non enim precio taxatur dei gratia, nec in sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium sacerdotis. Non tamen satis est si lucrum ipse nõ quæras: familiæ quoque tuæ cohibendæ manus sunt: nec hoc solum exposcitur, vt te solum castum immaculatúmque custodias. Non enim dixit Apostolus, te solum, sed teipsum castũ custodi. Quæritur ergo non solum tua ab huiusmodi nundinis, sed etiam domus tuę castitas. Oportet enim irreprehensibilem esse sacerdotem, suæ domui bene præpositum, filios habentẽ subditos, cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ dei diligentiam habebit? Instrue ergo familiã tuam, hortare, custodi: & si te fefellerit seruulus (humanã enim non excipio facultatẽ) prophetico deprehensus repudietur exemplo. Citò turpẽ sequitur lepra mercedem, & pecunia corpus animúmque malè quæsita cõmaculat. Accepisti, inquit, pecuniam, & possidebis ex ea agrum, & vineas, & oliueta, & greges, & lepra Naamã adhęrebit tibi & semini tuo vsque in æternum. Vides quia facto authoris successio damnatur hæredis. Inexpiabilis est enim vẽditi culpa mysterij, & gratiæ vindicta cœlestis trãsit ad posteros. Denique Moabitæ & cæteri non intrabunt Ecclesiam vsque ad tertiam & quartam generationem, tamdiu videlicet, vt simplicius interpretemur, donec culpam authorum multiplicis successio generationis aboleret. Sed cùm illi qui in deum idololatriæ errore deliquerunt, in quartã generationem videãtur esse mulctati: profecto durior videtur esse sententia qua Giezi semen vsq; in æternũ pro cupiditate habẽdi prophetica authoritate damnatur: præsertim cùm dominus noster Iesus Christus per lauacri regenerationẽ omnibus remissionem dederit peccatorum: nisi vt vitiorũ magis quam generis semen intelligas. Sicut enim qui filij promissionis sunt, æstimantur in semen bonum: ita etiam qui filij erroris sunt, æstimantur in semen malum. Nam & Iudæi ex patre diabolo, non vtique carnis successione, sed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes auari, Giezi lepram cum diuitiis suis possident: & malè quæsita mercede, non tam patrimonium facultatum quam thesaurum criminum cõgregarunt, æterno supplicio, & breui fructu. Nam cùm diuitiæ sint caducæ, pœna perpetua est: quia neque auarus, neque ebriosus, neque idolis seruiens regnum dei possidebunt.

De indignatione Iudæorum, & electione Iesu.

Et repleti sunt ira omnes in Synagoga hæc audientes, & surrexerunt, & eiecerunt illũ extra ciuitatẽ.) Sacrilegia Iudæorũ quæ multo antè dominus prænũciauerat per Prophetas, & psalmi versiculo declarauerat quæ passurus esset in corpore constitutus, dicẽs: Retribuebãt mihi mala pro bonis: in Euangelio docet esse cõpleta. Nã cum ipse per populos beneficia diffunderet, illi iniurias irrogabãt. Nec mirum si perdiderunt salutẽ, qui eiecerunt de suis finibus saluatorẽ. Moralis enim dominus: & qui docuerat exẽplo sui apostolos suos omnibus omnia fieri, nec volentes repudiat, nec inuitos alligat, nec eiicientibus reluctatur, nec rogantibus deest. Sic Gerasenos alibi, cùm virtutes eius sustinere non possent, quasi infirmos & ingratos reliquit. Simul intellige non ex necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passionẽ: nec captum à Iudæis, sed à se ipso oblatum. Etenim quando vult capitur, quando vult elabitur, quãdo vult suspenditur, quando vult non tenetur. Et hic in superciliũ montis præcipitandus ascenderat: & ecce per medium illorum, mutata subitò vel obstupefacta furentium mente, descendit. Nondũ enim hora venerat passionis, quinetiã malebat adhuc Iudæos sanare quã perdere, vt inefficaci furoris exitu desinerẽt velle, quod

quod implere nō possent. Vides igitur & hic diuinitatis esse quòd non captus est, & illic voluntatis esse quòd captus est. Nam quemadmodū à paucis teneri potuit, qui à populo non tenetur? Sed noluit sacrilegium esse multorum, vt in authores culpæ crucis inuidiam retorqueret, atque à paucis quidem affigeretur, sed pro toto orbe moreretur.

Confirmatio doctrinæ Christi per miracula.

(*Et in Synagoga erat homo habens spiritum immundum.*) Et infra: Surgens autem de Synagoga intrauit in domum Simonis & Andreæ. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.) Vide clemētiam domini saluatoris, nec indignatione cōmotus, nec scelere offensus, nec iniuria violatus Iudæam deserit: quin etiam immemor iniuriæ, memor clemētiæ, nunc docendo, nunc liberādo, nunc sanādo, infidæ plebis corda demulcet. Et bene sanctus Lucas, virū ab spiritu nequitiæ liberatum antè præmisit, & subdit fœminæ sanitatē. Vtrumq; enim sexum dominus curaturus aduenerat, & prior sanari debuit qui prior creatus est, nec prætermitti illa quæ mobilitate magis animi quàm prauitate peccauerat. Sabbato medicinæ dominicæ opera cœpta significat, vt inde noua creatura cœperit, vbi vetus creatura antè desiuit: nec sub lege esse dei filium, sed supra legē in ipso principio designaret: nec solui legē, sed impleri. Neq; enim per legem, sed verbo factus est mūdus, sicut legimus: Verbo domini cœli firmati sunt. Non soluitur ergo lex, sed impletur, vt fiat renouatio hominis iam labētis. Vnde & Apostolus ait. Expoliantes vos veterē hominē, induite nouum qui secundum deum creatus est. Et bene Sabbato cœpit, vt ipsum se ostenderet creatorem, qui opera operibus intexeret, & prosequeretur opus quod ipse iam cœperat: vt si domū faber renouare disponat, nō à fundamentis, sed à culminibus incipit soluere vetustatē †. Itaque ibi prius manum admouet, vbi antè deserat. Deinde à minorib⁹ incipit, vt ad maiora perueniat. Liberare à dæmone & homines, sed in verbo dei possunt: resurrectionē mortuis imperare, diuinę solius est potestatis. Nec quenquā mouere debet quòd Iesu Nazareni nomen in hoc libro diabolus dixisse primus inducitur. Nec enim ab eo Christus nomen accepit, quod de cœlo angelus ad virginem detulit. Est enim huius impudētiæ, vt inter homines aliquid primus vsurpet, & ad homines quasi nouū deferat, quo terrorē suæ potestatis incutiat. Denique & in Genesi primus deum homini nuncupauit. Sic enim habes: Et dixit serpens mulieri: Quid vtique dixit deus, Ne edatis ab omni ligno? Vterque igitur deceptus à diabolo est, sanatus est à Christo. Sequere cætera, & Euāgelicæ lectionis discе mysteria, atq; in duorū sanitate publicæ sacramētum salutis agnosce. Sicut enim in Adam omnes moriūtur, ita & in Christo omnes viuificabūtur. Quis est ille qui in Synagoga spiritū dæmonij habebat immundum, nisi populus Iudæorum, qui quasi serpentinis spiris reuinctus, & innodatus diaboli laqueis, simulatā corporis munditiam interioris mentis sordibus inquinabat? Et bene in Synagoga homo erat qui spiritum immundū habebat, quia spiritū sanctum amiserat. Introierat enim diabolus, vnde Christus exierat. Simul ostenditur natura diaboli non improba, opera iniqua. Nam qui per superiorē naturā deum confitetur, opere negat: & in hoc apparet eius nequitia, & improbitas Iudæorū, quòd ita populo vesanæ cæcitatem mētis offudit, vt populus neget, quem dæmones cōfitentur. O peior magistro discipulorum hæreditas, ille verbo dominum tentat, hi facto. Ille dicit: Mitte te, isti adoriūtur vt mittant. Si altiore cōsilio ista pensamus, animi debemus intelligere & corporis sanitatē, vt prius anim⁹ qui serpentinis laborabat insidiis, absolutus sit. Anima enim nunquam à corpore vinceretur, nisi prius à diabolo tentaretur. Nam cùm anima corpus agat, viuificet & gubernet, quēadmodū in eius illecebras captiua raperetur, nisi & ipsa superioris alicuius potestatis vinculis stringeretur? Denique nō prius Eua esuriuit, quàm serpentis versutia tentauit, & ideo aduersus ipsum authorē peccati prius debuit medicina salutis operari. Fortassis etiā in typo mulieris illius socrus Simonis & Andreæ variis criminū febribus caro nostra languebat, & diuersarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris esse dixerim quā caloris. Itaque illa animum febris, hæc corpus inflāmat. Febris enim nostra auaritia est, febris nostra libido est, eò quòd ignitæ sint cupiditates. Vnde & Apostolus ait: Si non se cōtinent, nubāt: melius est nubere quàm vri. Febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. Quæ licet corporis vitia sint, ignem tamē ossibus implicant, mentem, animum, sensumq; pertentāt. Hæc prior diaboli solicitatur arte. Etenim ager bonus, vestis, monile, suadela serpētis est. Honorum gratia, sublimitas potestatum, epularum suauitas, forma meretricis laqueus est diaboli, & quasi quidā nequitiæ spiritalis illecebrosus affectus, qui per carnis illecebrā quæ citò fœminea quadā leuitate mollitur, animum quoque de gradu deiicit. Neque enim formā mulieris animus prius quàm corporis oculus cōcupiscit. Denique quod non videris non amabis: sed vbi caro cōcupierit, compatiētis quoq; animi constantia defatiscit, & mens consortio amoris inflectitur. Duo enim in carne vna sunt, atque ita mors irrepit sceleris effectu, tētāte diabolo, carne suadēte. Vehementior tamen est animi quàm corporis febris, & ideo pro animi volūtate corporis salus plerūque cōtēnitur, nec à periculis abstinetur. Vnde non alienū videtur repetere quemadmodum Theotimus cùm graui oculorum incōmodo laboraret, & amaret vxorem, interdicta sibi à medico facultate coēundi, cupiditatis impatiens, atq; impetu libidinis raptus se moderari nequiuerit. Sciens enim prudēnsque quod esset oculos amissurus, prius quàm cōueniret vxori, in ipso æstu feruētis cupiditatis, & cōsuetudinis apparatu: Vale, inquit, amicū lumen. Sic febre libido flagrantior est, graueiúsque præcipitat & inflāmat. Sed vbi quis resipuerit à furore, tunc conscientiæ interioris visus aperitur, factique succedit pœnitētia, & pudēda sui vnusquisque facinoris erubescit. Tunc deus timetur, & peccator cupit se celare, sed non potest: tunc caro arguitur, diabolus accusatur: hæc quasi lena vitiorum, ille quasi author erroris. Pateſcit deformitas. Nudum est enim deo omne secretum, nec illius ficus foliis, hoc est, tegimine corporali, & iactantia seculari flagitiorum secreta velantur. Et vnusquisque diuinum peccati conscia formidat mente iudicium, dicens: Qui super me montes cadant, in quibus me abscondam fissuris petrarum cùm venerit confringere terram? Tūc tribulos & spinas animo caro, hoc est, curarum morsus solicitudinúmque generat, æstúsq; quos sibi per concupiscentiam carnis animus ipse circūdedit. Etenim quasi clauis quibusdam suffigitur anima corporeis voluptatibus, & cùm semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest vnde descendit sine dei fauore reuolare. Actuum enim suorū vincta laqueis, & deliciarum secularium illecebris obnoxia iam tenetur. Hūc ergo Adam, hanc Euam dominus liberaturus aduenit, quorum alter ad imaginem dei factus, altera virtutē sui accipiés viri, quamdiu fuit subdita fortiori vnam gerebant in vno spiritu deo placitam volūtatem, & in paradiso positi dei vitæ cœlestis operabantur alimoniam. Postea verò quàm caro suadere diuersum, & legem cœpit primam non timere, paradisi exules facti in hunc inferiorem dimersúmque locū peccati meritò reciderunt. Nec quisquam putet incōgruum esse si Adam atque Eua in typo animæ & corporis æstimentur, cùm in typo Ecclesiæ æstimentur & Christi. Nam cùm duo esse in vna carne Apostolus diceret, adiecit: Sacramentum enim hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in ecclesia. In quo ergo superni dei, in eo multò magis animi nostri potest esse mysterium. Sed hæret, suffixus est, captus est, & corporis succēsus est febribus, compassione carnis ægrescit. Quærēdus est medicus. Sed quis iste tātus est, qui sauciæ mentis medeatur vlceribus? Quis tantus est homo qui possit aliis subuenire, cùm sibi ipse non possit? Quis aliis possit vitam reddere, cùm ipse mortem non possit euadere? Omnes enim in Adam moriuntur, quia per vnum hominem in hunc mundum peccatum introiuit, & per peccatū mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Illius igitur culpa mors omnium est. Denique missi sunt sancti, missi sunt & prophetæ, qui oracula diuina lo-

Pſalm. 32.
Epheſ. 4.
† vetuſtatem.
Gen. 3.
Gen. 2.
1. Cor. 15.
1. Cor. 5.
Epheſ. 5.
Rom. 5.

1677

na loquerentur, nec quicquam promouere potuerũt. Quæramus ergo aliquem de angelis aut archangelis medicũ. Sed quemadmodum mihi possunt præsidium ferre ne peccem, cùm ipse archangelus à peccato nõ potuerit abstinere? Quẽ admodum ad paradisum angelus reuocare me poterit, cùm ipse Satanas & angeli sui sedem quam acceperant, seruare non potuerint?

De ascensu Iesu in nauem Simonis vt doceret, & miraculo quosdam ad se traheret.

Ascendens autem in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum vt à terra duceret pusillum.) Vbi dominus multis impartiuit varia genera sanitatum, nec tẽpore nec loco cœpit ab studio sanandi turba cohiberi. Vesper incubuit, sequebantur: stagnum occurrit, vrgebant. Et ideo ascendit in Petri nauim. Hæc est illa nauis quæ adhuc secundum Matthæum fluctuat, secũdum Lucam repletur piscibus: vt & principia Ecclesiæ fluctuantis, & posteriora exuberantis cognoscas. Pisces enim sunt qui hanc enauigant vitam. Ibi adhuc discipulis Christus dormit, hîc præcipit. Dormit enim trepidis, perfectis vigilat. Sed quemadmodum dormiat Christus, audisti dicentem in Propheta: Ego dormio, & cor meum vigilat. Et sanctus Matthæus recte non prætermittendum putauit æternæ indicium potestatis, vbi imperat ventis. Nõ est enim humana doctrina, sicut audisti Iudæos dicere, Verbo imperat spiritibus: sed cœlestis maiestatis insigne. Quòd turbatũ sedatur mare, & diuinæ vocis imperio obsequuntur elementa, atque insensibilia sensum accipiunt obsequendi, diuinæ mysterium gratiæ reuelatur. Quòd fluctus miteſcunt seculi, verbo immundus spiritus conquiescit: non alterum altero refellitur, sed vtrũque celebratur. Habes miraculum in elementis, habes documentum in mysteriis. Ergo quia sanctus Matthæus illa præliabuerat, sanctus Lucas eam sibi nauim, in qua Petrus piscaretur elegit. Non turbatur ista quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Iudam habet. Etsi multa illic discipulorum merita nauigabãt, tamẽ eã adhuc perfidia proditoris agitabat. In vtraque Petrus: sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidum, caueamus proditorẽ, ne per vnum plurimi fluctuemus. Ergo non turbatur hæc nauis in qua prudentia nauigat, abest perfidia, fides aspirat. Quomodũ enim turbari poterat, cui præerat is, in quo Ecclesiæ firmamentum est? Illic ergo turbatio, vbi modica fides: hîc securitas, vbi perfecta dilectio. Denique etsi aliis imperatur vt laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur: *Duc in altum.*) Hoc est, in profundum disputationum. Quid enim tam altum quàm altitudinem diuitiarum videre, scire dei filium, & professionem diuinę generationis assumere? Quam licet mens non queat humana plenè rationis inuestigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur. Nam etsi non licet mihi scire quemadmodum natus sit, non licet tamen nescire quòd natus sit. Seriem generationis ignoro, sed authoritatem generationis agnosco. Non interfuimus cùm ex patre dei filius nascereturſed interfuimus cùm à patre dei filius diceretur. Si deo non credimus, cui credemus? Omnia enim quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu. Visus sæpe fallitur, auditus in fide est. An asserentis persona discutitur? Si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere. Deus asserit, probat filius, refugiens Sol fatetur, tremens terra testatur. In hoc altũ disputationis Ecclesia à Petro ducitur, vt videat hinc resurgentem dei filium, inde spiritum sanctum profluentem. Quæ sunt autem apostolorum quæ laxari iubentur retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos quos ceperint, non amittant? Et bene apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ non captos perimunt, sed referunt: & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes de infernis ad superna perducunt. Est & aliud apostolicum piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari dominus iubet dicens: Mitte hamum, & eum piscem qui primus ascẽderit tolle. Magnum quidem est & spiritale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis cõstitutionem regis terreni putet esse soluendam. Si enim censum dei filius soluit, quis tu tantus es qui non putes esse soluendum? Et ille censum soluit qui nihil possidebat: tu autẽ qui seculi sequeris lucrum, cur seculi obsequium non recognoscas? Cur te supra seculũ quadam animi arrogantia feras, cùm seculo sis misera cupiditate subiecta? Penditur igitur didrachma, quod erat preciũ nostræ redẽptionis & corporis, in lege promissũ, in Euãgelio persolutum, nõ ociosè in ore piscis inuentũ. Ex ore enim tuo iustificaberis. Etenim precium immortalitatis est nobis nostra confessio, quia sicut scriptum est, ore confessio fit ad salutem. Et fortasse primus hic piscis, primus est martyr, in ore habens didrachma, hoc est, precium census. Didrachma nostrum Christus est. Habebat igitur primus ille martyr, Stephanus scilicet, in ore thesaurum, cùm Christum in passione loqueretur. Sed reuertamur ad propositum locum, & discamus apostolicam humilitatem. *Matth.12.*

De responsione Simonis.

Præceptor, inquit, *per totam noctem laborantes nihil cepimus, sed in verbo tuo laxabo retia.*) Et ego domine scio quia nox mihi est quando nõ imperas. Nemo adhuc nomẽ suũ dedit, adhuc noctẽ habeo. Misi iaculum vocis per epiphaniã, & adhuc nihil cepi. Misi per diẽ, expecto vt iubeas, in verbo tuo laxabo retia. O vacua præsumptio, ô humilitas fructuosa. Qui nihil antè ceperant, magnã in verbo domini concludunt piscium multitudinem. Non hoc humanæ facundiæ opus, sed supernæ vocationis est munus. Cedunt disputationes hominum, fide sua plebs credit. Rumpuntur retia, nec labitur piscis: vocantur ad adiumentum socij qui erant in alia naui. Quæ est illa alia nauis, nisi fortè Iudæa, ex qua Ioãnes & Iacobus allegũtur? Facta est enim Iudæa sanctificatio eius. Hi igitur de Synagoga ad nauem Petri, hoc est, ad Ecclesiam conuenerunt, vt implerent ambas nauiculas. Omnes enim in nomine Iesu genu flectũt siue Iudæus, siue Græcus: omnia & in omnibus Christus. Sed mihi cumulus iste suspectus est, ne plenitudine sui naues penè mergantur. Oportet enim & hæreses esse vt probentur boni. possumus tamen & aliã Ecclesiam intelligere nauem alterius. Ab vna enim plures Ecclesiæ deriuãtur. Ecce alia solicitudo Petri, cui sua iã præda suspecta est. Sed nouit perfectus quemadmodum seruare possit reconditos, qui scit quemadmodum possit capere dispersos. Quos in verbo capit, verbo credit: negat suam prædam, negat suũ munus. *Exi*, inquit, *à me domine, quia homo peccator sum.*) Admirabatur enim dona diuina, & quo pl⁹ meruerat, hoc præsumebat minus. Dic & tu: Exi à me domine, quia homo peccator sum: vt respondeat tibi dominus, Noli timere indulgenti domino peccatum fateri. Noli timere etiam quæ tua sunt domino deferre, quia quæ sua sunt, nobis ille cõcessit. Nescit inuidere, nescit eripere, nescit auferre. Vides quàm bonus dominus, qui tantum tribuit hominibus, vt viuificãdi habeant potestatem. *Psalm.113.* *1.Cor.11.*

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI COMMENTARIORUM *in Euangelium secundum Lucam Liber quintus.*

Confirmatio doctrinæ Christi per miraculum de leproso mundato.

ET factum est cùm esset in vna ciuitatum, ecce vir plenus lepra, & ipse procidens in faciem rogauit eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit illum, dicens: Volo, mundare.) Bene vbi leprosus mũdatur, certus nõ exprimitur locus, vt ostendatur non vnum populũ specialis alicuⁱ⁹ ciuitatis, sed omniũ populos fuisse

ſanatos. Bene autem & ſecũdum Lucã quarto ſigno ex quo in Capharnaum dominus venit, iſte ſanatur. Nam ſi quartũ diem Sole illuminauit, & clariorem cæteris fecit diebus cũ illuceſcerent elementa mundi, & hoc clarius opus æſtimare debemus. Et ſecũdum Matthæum primus hic poſt benedictiones à domino ſanatus inducitur: vt quia dixerat dominus, Non veni legem ſoluere, ſed adimplere: ille qui excludebatur à lege, purgari ſe domini poteſtate pręſumens, non ex lege, ſed ſupra legem eſſe gratiam iudicaret, quæ leproſi maculã poſſet abluere. Verũ vt in domino poteſtatis authoritas, ita in illo fidei conſtantia declaratur. Ille in faciẽ procidit, quòd humilitatis eſt & pudoris, vt vnuſquiſq; de ſuæ vitæ maculis erubeſcat. Sed confeſſionem verecundia non repreſſit. Oſtendit vulnus, remedium poſtulauit: & ipſa religionis & fidei plena cõfeſſio eſt. Si vis, inquit, potes me mũdare. In voluntate domini tribuit poteſtatem. De voluntate autem domini nõ quaſi pietatis incredulus addubitauit, ſed quaſi colluuionis ſuæ conſcius nõ præſumpſit. Cui morali quadã dominus ſanctitate reſpondit: *Volo, mundare. Et continuò lepra eius diſceſſit ab eo.*) Nihil enim medium eſt inter opus dei atque præceptum, quia in præcepto eſt opus. Denique dixit, & facta ſunt. Videtis igitur, quòd dubitari nõ poteſt, quia voluntas dei poteſtas eſt. Si ergo voluntas eius poteſtas eſt: qui vnius voluntatis trinitatem aſſerũt, vnius vtique aſſerũt poteſtatis. Itaq; ſtatim lepra eius diſceſſit, vt intelligas medentis affectũ, qui veritatem operi addidit. Denique ſecundum Marcum miſeratus eſt eum dominus: quod eſt pulchrè poſitum. Et pleraque talia poſuerũt Euãgeliſtæ, qui nos in vtroque fundare voluerũt, deſcribẽtes ſigna virtutis ad fidem, exprimentes opera virtutis ad imitationem. Vnde & tangit nõ dedignatus, & imperat non diffiſus. Hoc enim eſt indicium poteſtatis, quia quaſi habens poteſtatem ſanandi, & iubendi authoritatem, operandi teſtimoniũ non refugit. Volo ergo dicit propter Fotinum, imperat propter Arrium, tangit propter Manichæum. Nec vnius tantum lepra curatur, ſed omnium quibus dicitur: Iam vos mundi eſtis propter ſermonẽ quem locutus ſum vobis. Si igitur lepræ medicina verbum eſt, contẽptus vtique verbi lepra mẽtis eſt. Sed ne lepra tranſire poſſit in medicũ, vnuſquiſq; dominicæ humilitatis exemplo iactantiã vitet. Cur enim præcipitur nemini dicere, niſi vt doceret non vulganda noſtra beneficia, ſed premenda, vt non ſolũ à mercede abſtineam⁹ pecuniæ, ſed etiam gratiæ? Aut fortaſſe etiam illa ſilẽtij cauſa eſt imperati, quòd meliores putabat qui fide magis ſpontanea, quã ſperatis beneficiis credidiſſent. Offerre autẽ iuxta legem ſe præcipitur ſacerdoti, non vt alium deferat, ſed vt ſeipſum deo offerat ſpiritale ſacrificium, vt actus præteriti colluuione deterſa, per cognitionẽ fidei, & ſapientiæ diſciplinã, placitura deo hoſtia conſecretur. Omnis enim victima ſale ſalietur. Vnde & Paul⁹ ait: Obſecro ergo vos ſtatres per miſericordiam dei vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam acceptabilem placentem deo. Simul illud mirabile, quòd eo ſanauit genere quo fuerat obſecratus: Si vis, potes me mundare. *Volo*, inquit, *mundare.*) Habes voluntatem, habes etiam pietatis effectum. *Et extendens manum tetigit eum.*) Lex tangi leproſos prohibet: ſed qui dominus legis eſt, nõ obſequitur legi, ſed legem facit. Nõ ergo tetigit quia ſine tactu mũdare non poterat, ſed vt probaret quia ſubiectus nõ erat legi. Nec contagium timebat vt homines, ſed quia contaminari non poterat qui alios liberabat: ſimul e contrario vt lepra tactu domini fugaretur, quæ ſolebat contaminare tangentem. Oſtendere autẽ ſe ſacerdoti iubetur, & offerre pro emundatione ſua, vt dum offerret ſe ſacerdoti, intelligeret ſacerdos, non legis ordine, ſed gratia dei ſupra legẽ eſſe curatum. Et dum mundatur per ſacrificium ſecundum præceptum Moyſi, oſtenderet dominus, quia legem non ſolueret, ſed impleret, qui ſecundum legem gradiens, ſupra legem ſanare eos quos remedia legis non ſanauerant, videretur. Et bene addidit, ſicut præcepit Moyſes. Lex enim ſpiritalis eſt, ideóque videtur ſacrificium ſpiritale mãdaſſe. Denique addidit, Vt ſit in teſtimoniũ hoc vobis: hoc eſt, ſi deo credatis, ſi impietatis lepra diſcedat, ſi occultorum cognitor ſit ſacerdos, ſi puri teſtis affect⁹: vnde poteſt ille magis ſacerdos videri, quem occulta non latent, cui dicitur: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Matth. 5.

Ioan. 15.

Roma. 12.

1680

Pſalm. 109.

Confirmatio eiuſdem per miraculum de paralytico per tectum ſubmiſſo.

Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, & quærentes eum inferre, & ponere ante illum. Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſuper tectum, & per tegulas ſubmiſerunt illum in lecto in medium ante Ieſum.) Non ocioſa huius paralytici nec anguſta medicina eſt, quãdo dominus & oraſſe prędicitur. Non vtique propter ſuffragium ſed propter exemplum. Imitandi enim ſpeciem dedit, non precãdi ambitum requiſiuit. Et conuenientibus ex omni Galilæa & Iudæa & Hieruſalem legis doctoribus inter cæterorum remedia debilium, paralytici iſtius medicina deſcribitur. Primum omnium, quòd antè diximus, vnuſquiſque æger petendę precatores ſalutis debet adhibere, per quos noſtrę vitæ compago reſoluta, actuúmque noſtrorum clauda veſtigia verbi cœleſtis remedio reformentur. Sint igitur aliqui monitores mẽtis, qui animum hominis, quamuis exterioris corporis debilitate torpentem ad ſuperiora erigãt. Quorum rurſus adminiculis & attollere, & humiliare ſe facilis ante Ieſum locetur, dominico videri dignus aſpectu. Humilitatem enim reſpicit dominus, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.

Luce 1.

De ſubmittentium fide Chriſtum ad curationem mouente.

Vorum fidem, inquit, *vt vidit.*) Magnus dominus, qui aliorũ merito ignoſcit aliis: & dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cùm apud deum ſeruus & interueniendi meritum, & ius habeat impetrãdi? Diſce qui iudicas, ignoſcere: diſce qui æger es, impetrare. Si grauium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Eccleſiam, quæ pro te precetur, cuius contemplatione quod tibi dominus negare poſſet, ignoſcit. Et quamuis hiſtoriæ fidem debeamus non omittere, vt verè paralytici iſtius corpus credamus eſſe ſanatum: cognoſce tamen interioris hominis ſanitatẽ, cui peccata donantur. Quæ cùm Iudæi aſſerunt à ſolo deo poſſe concedi, deum vtique confitentur, ſuóque indicio perfidiam ſuam prodũt, vt opus aſtruant, perſonam negent. Itaque ab ipſis & operis ſui dei filius accipit teſtimonium, & vocis ſuffragium non requirit. Perfidia enim cõfitèri poteſt, credere non poteſt. Itaque teſtimonium nõ deeſt diuinitati, fides deeſt ſaluti. Nam & validius eſt ad fidem quod cõfitentur inuiti: & pernicioſius ad culpam quod negant, qui ſuis aſſertionibus reuincuntur. Magna itaque infidæ plebis amentia, vt cùm confeſſa fuerit ſolius dei eſſe donare peccata, non credat deo peccata donãti. Dominus autem ſaluos volens facere peccatores, & occultorum cognitione deum ſe eſſe demõſtrat, & admiratione factorum adiiciens.

De Scribarum & Phariſæorum reprehenſione.

Vid eſt facilius, dicere, Dimiſſa ſunt tibi peccata tua: aut dicere, Surge & ambula?) Quo loco plenam ſpeciem reſurrectionis oſtendit, qui mẽtis vulnerib⁹ corporiſq; ſanatis, peccata donat animorum, debilitatem carnis excludit: hoc eſt enim totũ hominẽ eſſe curatũ. Quamuis igitur magnum ſit hominibus peccata dimittere, (Quis enim poteſt peccata dimittere niſi ſolus deus, qui per eos, quoq; dimittit, quibus dimittendi tribuit poteſtatẽ?) tamẽ multo diuinius eſt reſurrectionem donare corporibus, quandoquidẽ ipſe dominus reſurrectio eſt. Hic lectus, qui tolli iubetur, quid eſt aliud niſi quia humanũ iubetur corpus attolli? Ipſe eſt qui per ſingulas noctes lauatur à Dauid: lectus doloris, in quo anima noſtra graui cõſciẽtiæ ægra cruciatu iacebat. Sed ſi quis ſecũdũ Chriſti præcepta ſe geſſerit, iam non lectus doloris eſt, ſed quietis. Miſeratione etenim domini cœpit quies eſſe quod mors erat: qui nobis ſoporem mortis vertit in gratiã voluptatis. Nec ſolũ leuare lectum, ſed etiam domũ ſuã repetere, hoc eſt, ad paradiſum redire cenſetur. Ea eſt enim vera domus, quę hominẽ prima ſuſcepit: non iure amiſſa, ſed fraude. Meritò ergo reſtituitur domus, quoniã venerat qui nexum fraudis aboleret, ius reformaret. Nec mora vlla ſanitatis interuenit, vnum dictorum

Pſalm. 50.

rum remediorúmq; momentũ est. Spectãt surgẽtẽ incredu-
li, mirãtur abeũtẽ, & diuini operis miracula malũt timere q̃
credere. Nã si credidisẽt, nõ timuisẽt vtiq;, sed dilexissent.
Perfecta enĩ dilectio timorẽ excludit foras. Et ideo isti, quia
nõ diligebãt, calumniabãtur. Calumniãtibus aũt dicit: *Quid
cogitatis mala in cordibus vestris?* Quis hoc dicit? Sacerdos ma-
gnꝰ, qui leprã videbat in cordibꝰ Iudæorũ, ostendit eos peio-
resꝰ esse leprosos. Ille sacerdoti est se iussꝰ offerre purgatꝰ, hos
sacerdos repudiat, ne alios quoq; lepra eorum contaminet.

De mystica vocatione Publicani.

SEquitur de Publicano, & de eo quòd nõ venit iu-
stos vocare, sed peccatores. Mystica vocatio Pu-
blicani, quẽ sequi iubet non corporis gressu, sed
mẽtis affectu. Itaque ille prius auara de mercedi-
bus, dura de laboribus periculísq; nautarũ emolumẽta con-
uertẽs, verbo vocatꝰ, propria dereliquit qui rapiebat aliena,
ac vile illud sedile destituẽs, toto post dominũ vestigio mẽ-
tis incedit. Cõuiuij quoque magni exhibet apparatum. Qui
enim domicilio Christum recipit interno, maximis delecta-
tionibus exuberantium pascitur voluptatum. Itaque domi-
nus libenter ingreditur, & in eius qui crediderit, recũbit af-
fectu. Sed rursus accenditur inuidia perfidorum, & futuræ
pœnæ species præfiguratur. Epulantibus enim fidelibus, &
in illo cœlorum recumbentibus regno, perfidia ieiuna tor-
quebitur. Simul ostenditur quantũ interfit inter æmulos le-
gis & gratiæ, quòd illi qui legem sequuntur, ieiunæ mentis
famem patiantur æternã. Qui verò verbũ in interioribus a-
nimæ receperunt, alimẽti cœlestis & fontis vbertate recrea-
ti esurire & sitire nõ possunt. Et ideo quia animo ieiunabãt,
murmurabant, dicentes: Quare cum publicanis & peccato-
ribus mãducat & bibit? Serpentina vox ista est. Deniq; hãc
primam vocem serpens emisit, dicens Euæ: Quid vtique di-
xit deus, Nolite manducare ex omni ligno? Ergo patris sui
venena diffundunt, qui dicunt: Quid vtique cum publicanis
& peccatoribus manducat & bibit? Vnde dominus cũ pec-
catoribus manducando, etiam cum gẽtilibus non prohibet
nos inire conuiuium, dicens: Non egent qui sani sunt, medi-
co, sed qui malè habent. Nouum medicamentũ nouus ma-
gister aduexit. Hoc de terra non pullulauit. Imprudens e-
nim est omnis creatura huius confectionis. Venite om-
nes qui incurristis peccatorum varias passiones, vtimini
peregrino medicamento, quo venenum serpẽtis excluditur:
quod non solum passionum abstulit cicatricem, sed etiã cau-
sam diti vulneris amputauit. Hoc medicamentum non fa-
mem indicit, sed cibum animæ subministrat. Venit enim fi-
lius hominis manducans & bibens, & dicunt: Dæmonium
habet, & vorax est. Et ideo mens nostra non est ieiuna. Ieiu-
nant hi, quibus abest Christus, bonorũ meritorúmque co-
piis egent. At verò cui virtus sua voluntate sufficit, qui sua
domo recipit Christum, conuiuium magnum exhibet: hoc
est, bonorum operum spiritale conuiuium, quo diues popu-
lus eget, pauper epulatur.

De excusatione discipulorum.

ET ideo, inquit, *ieiunare non possunt filij sponsi, quãdiu
cum illis est sponsus. Venient autem dies, cùm auferetur
ab illis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus.*)
Qui sunt illi dies quibus à nobis Christus au-
fertur, maximè cùm ipse dixerit: Vobiscum ero vsque ad
consummationem mundi? Ipse dixit, Non relinquam vos
orphanos. Certum est enim quòd si nos relinquat, salui esse
nequeamus. Nemo tibi Christum potest auferre, nisi te illi
ipse auferas. Non te auferat iactantia tua, non te auferat ar-
rogãtia, nec tibi de lege præsumas. Non enim vocare iustos
venit, sed peccatores. Quomodo igitur dominus iustitias di-
lexit, neque Dauid vidit iustum derelictum? Aut quæ ista ę-
quitas, si iustus relinquitur, peccator adsciscitur: nisi intelli-
gas quòd eos iustos dicit, qui ex lege præsumant, & Euan-
gelij gratiam non requirant? Nemo autem iustificatur ex le-
ge, sed redimitur ex gratia. Est igitur in lege iustitia, sed non
per legẽ iustitia. Nam ipse Apostolus Hebræus ex Hebręis,
secundum legem Pharisæus, secundum iustitiam, quæ in le-
ge est, conuersatus sine querela, qui gloriatur ex lege, Quæ
mihi, inquit, lucra fuerunt, hæc duxi propter Christum de-
trimenta esse: hoc est, abiecit iustitiam & gloriam legis. Iu-
stitia enim legis sine Christo vacua est, quia plenitudo legis
Christus est. Et ideo & si est in lege iustitia, non est tamen
per legem iustitia. Si enim per legem iustitia, ergo Christus
gratis mortuus est. Mortuus est enim Christus, vt imple-
ret iustitiam. Denique Ioanni dicenti, Ego à te debeo bapti-
zari, & tu venis ad me? respondit: Sine modo. sic enim decet
nos implere omnem iustitiam. Ergo nõ gratis mortuus, sed
pro nobis mortuus est Christus, vt iusti fulgerent sicut Sol
in regno patris sui. Sed nõ Iudæi iusti, quibus dicitur: Cùm
videritis iustos intrare regnũ cœlorũ. Isti sunt iusti, qui per-
cutientem non repercutiunt, qui inimicum diligunt. Si sic
non accipimus, inuenitur contrarium: Non veni vocare iu- *Roma.10.*
stos. Sed illos non vocat, qui se iustos dicunt. Ignorantes
enim deum, & suam iustitiam quærentes statuere, iustitiæ
dei non sunt subiecti. Ergo vsurpatores iustitiæ non vocan-
tur ad gratiam: nam si gratia ex pœnitentia, vtique qui fasti-
dit pœnitentiam, abdicat gratiam. Isti erunt vulnerati, qui
se sanctificant. Istis sponsus auferetur. Nobis autem non
Caiphas, non Pilatus Christum abstulit, nec possumus ieiu-
nare, quia Christum habemus, & Christi carnem epulamur
& sanguinem. Quomodo enim videtur ieiunare, qui non e-
surit? Quomodo videtur ieiunare, qui non sitit? Quomodo
autem sitire potest, qui bibit Christum? cũ ipse dixerit: Qui *Ioan.4.*
biberit de aqua quam ego dabo, non sitiet in æternũ. Deni-
que de animi dictum ieiunio, etiam sequentia declararunt.

De prima similitudine per Iesum data.

(*Dixit enim similitudinem ad illos, quia nemo commissu-
ram de vestimẽto nouo immittit in vestimentũ vetus.*)
Dixerat filios sponsi, hoc est, filios verbi, qui
per lauacri regenerationem in ius diuinæ rege-
nerationis assumpti sunt, quandiu cum illis est sponsus, ie-
iunare non posse. Non vtique hoc ieiunium relegatur quo
conficitur caro, & corporalis luxuria castigatur. Hoc enim
ieiunium nos commendat deo. Nam quemadmodum disci-
pulos ieiunare prohiberet, cùm ipse dominus ieiunaret: &
cùm postremò diceret nequissimos spiritus non nisi ieiuniis
& orationibus superari posse? Denique etiam hoc loco ieiu-
nium vestimentum appellauit vetus, quod exuẽdum Apo-
stolus æstimauit, dicens: Expoliate vos veterem hominem *Colos.3.*
cum actibus eius, & induamus eum qui baptismatis sancti-
ficatione renouatur. In eandem igitur formam series con-
uenit præceptorũ, ne actus veteris & noui hominis misceа-
mus, cum ille corporalis exterior opera carnis operetur, &
hic interior qui renascitur, non versicolorem speciem vete-
rum nouorúmque debeat habere gestorum, sed concolor
Christo illum studio mentis imitari, cui renatus est in laua-
cro. Absint igitur decolora mentis velamina, quæ displicent
spõso. Displicet enim ei, qui vestẽ non habuerit nuptialem.
Spõso autẽ quid potest placere, nisi pax animi, puritas cor-
dis, charitas mentis? Bonus sponsus dominus Iesus, hic nouo
partu naturam nostram initiauit, huic desponsata corrupte-
lis carnis absoluitur. Non filios mortales requirit, non Euæ
delectatur doloribus: non virum obnoxium culpæ requirit,
non hæreditatem cõdemnati patris. Vidit enim carnis vlce-
ra quam antea concupiscebat: aduertit non esse pulchritu-
dinem veram, quæ vitiorum habeat deformitatem. Et ideo
quid tibi cum tali sponso fœmina? Require diligenter, & in
omni corpore inuenies cicatricem. Cognosce alium magis
sponsum, qui circundatur luce, cuius species non potest in-
terire. Hunc tolle in animum tuum, cõsecra in templo tuo:
tolle in corpore tuo, sicut scriptum est: Tollite dominum in
corpore vestro. Huius thalamos ingredere nouos, hui⁹ spe-
ctato peregrinum decorem, hunc indue, hunc vide ad de-
xteram patris: & gaude quia talem habes spõsum: hic te ve-
stiet benedictione, ne qua nocear scissura peccati. Seruemus
igitur vestem, qua nos sacro dominus emergentes fonte ve-
stiuit. Citò scinditur vestis, si facta non congruant: citò ti-
neis carnis atteritur, & veteris hominis errore maculatur.
Ergo hic noua veterib⁹ copulare, in Apostolo autem etiam
nouis vetera superuestire prohibemur: sed exuere vetus, no-
uum sumere, vt expoliati nõ nudi inueniamur. Expoliamur
enim meliora sumpturi, nudamur autem, cùm indumentum

nobis aliena fraude detrahitur, non noſtra voluntate deponitur.

De ſecunda ſimilitudine.

ET nemo mittit vinũ nouũ in vtres veteres.) Fragilitas humanæ cõditionis aperitur, cũ corpora noſtra exuuiis defunctorũ animaliũ cõparantur. Atq; vtinam bonorũ vtriũvſum poſſimus implere, vt ſacramentũ quod accepimus, reſeruemus. Leuat iniuriam induſtria, ſi renouatis vtribus noua vina creduntur. Et ideo vtres hos plenos ſeruare ſemper debemus, vacuos enim citò tinea & ærugo cõſumit, gratia ſeruat impletos. Pulchrè autem operi huic talia præcepta conueniunt. Sextum eſt enim opus, quo Matthæus Leui noua quadam figuratur forma. Sexto autem die factus eſt homo. Sexto igitur Chriſti opere reformatur iã non vetus, ſed noua creatura, & quædam forma peregrina. Et ideo tanquam noua creatura conuiuium Chriſto exhibet, eò quòd & in ipſo Chriſtus delectaretur, & ipſe partem delectationis mereretur habere cum Chriſto. Ad hunc igitur informandum præcepta dat dominus. Sequebatur enim iam lætus, alacer, & exultans, dicens: Iam non publicanum gero, iam nõ porto Leuin. Exui Leuin, poſtquam Chriſtum indui. Odi genus meum, fugio vitam meam priorem: ſolũ te ſequor domine Ieſu, qui ſanas vulnera mea. Quis enim me ſeparat à charitate dei, quæ in te eſt? Tribulatio, an anguſtia, an fames? Ligatus ſum fidei clauis quibuſdam, & bonis compedibus charitatis innexus ſum. Omne mandatum tuum ſicut cauterium impreſſum tenebo. Et ſi vrit cauterium mandati, tamen putrefacta carnis exurit, ne ad viuũ ſerpat contagio. Etſi mordet medicamentum, tamen vitium vlceris tollit. Aufer igitur domine Ieſu potenti machæra tua meorum putredines peccatorum: dum me habes ligatum charitatis vinculis, ſeca quodcunque vitioſum eſt. Veni citò incidẽs occulta, & latentes variaſque paſſiones: aperito vulnus, ne noxius ſerpat humor. Emunda omne quod fœtidũ eſt peregrino lauacro. Audite me terreni homines, qui in peccatis veſtris cogitationes ebrias geritis. Et ego Leui talibus paſſionibus eram ſauciatus. Inueni medicum qui in cœlo habitat, & in terris ſpargit medicamenta. Hic ſolus poteſt ſanare vulnera mea, qui ſua neſcit: hic auferre cordis dolorem, pallorem animæ, qui nouit occulta.

Rom. 8.

De eo quod in Sabbato ſecundoprimo diſcipuli Ieſu vellebant ſpicas.

Cap. VI. FACTUM eſt autem in Sabbato ſecundoprimo, cùm tranſiret Ieſus per ſata, vellebant diſcipuli eius ſpicas, & mãducabant, confricantes eas manibus ſuis.) Non ſolum comprehenſione verborum, ſed etiam vſu ipſo, ſpeciéque geſtorũ incipit hominem dominus Ieſus veteris obſeruatione legis exuere, nouóque indumento veſtire gratiæ. Itaque eũ iam in Sabbato per ſeminata traducit, hoc eſt, admouet fructuoſis itineribus. Quid ſibi ſabbatũ velit, quid ſeges, quid ſpicæ, non mediocre myſterium eſt. Ager enim eſt omnis hic mundus: agri ſeges, in ſatione humani generis fœcunditas numeroſa ſanctorum: ſpicæ agri, fructus Eccleſiæ, quos operibus diſcutiẽtes ſuis apoſtoli paſcebantur, noſtro ſe alentes profectu. Stabat igitur ſeges iam fœcũda virtutũ pullulantibus ſpicis, quibus noſtri fructus meritò cõparantur. Æque enim aut imbre marceſcunt, aut Sole torrẽtur, aut pluuiis humeſcunt, aut tempeſtatibus eliduntur, aut à meſſoribus intra horreorum felicia receptacula recondũtur. Receperat ergo terra iam dei verbum, & cœleſti ſemine ſatus diuites fœtus ager almus effuderat. Eſuriebãt diſcipuli ſalutem hominum, & tanquam folliculis corporũ mẽtium fructus ad fidei lucem præclaris operum ſuorum miraculis eruebant. Sed hoc putabant Iudæi Sabbato non licere. Chriſtus autem nouæ gratiæ munere deſignabat ocium legis, opus gratiæ. Nec ſine myſterio hoc ab euangeliſta ſecũdum Matthæum & Marcum Sabbatum ſecundum poſitum puto, quoniam ſabbatũ perpetuæ feriæ ſunt reſurrectionis æternæ. Vel in hoc igitur ſeculo feriatis ac vacãtibus ſuperſtitionibus Iudæorum, vel in futuro ferias ipſi perpetua ſolennitate celebrantes, quæ bona ſunt terræ manducabimus, iuxta quod ſcriptum eſt: Illi manducabunt, vos verò eſuriemo ſecundum Sabbatum dixit. δευτεροπρωτον enim ſcriptum eſt. Præferre enim debuit quod præcellit. Secundum ideo, quia primum antè ex lege præceſſit, in quo etiam pœna præſcripta eſt ſi quis operaretur. Primũ autem ideo, quia Sabbatum illud ex lege ſolutum eſt, quod erat primum: & hoc primum factum eſt, quod ſecundo eſt cõſtitutum. Nam & cùm operari Sabbato liceat, & operantis nulla ſit pœna: Sabbati vtique ex lege, cuius vis ſoluta eſt, nec nomen hærebat: ſed tamen fuerat illud primum ordine, hoc primum munere: nec ideo minus hoc, quia ſecundum: nam & Adam primus, nec comparandus ſecundo Adam. Primus enim Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. Et primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Prælatus vtique ſecundus primo: ille enim cauſa mortis, hic vitæ. Sic & ſecundoprimum Sabbatum dicitur ſecundum iuxta numerum, primum iuxta operationis gratiam. Melius eſt enim Sabbatum quo impunitas datur, quàm quo pœna præſcribitur. Prima lex, ſecundũ Euangelium: inferior tamen formido quàm gratia. Aut fortè & primum hic in prædeſtinatione conſilij, & ſecundum in ſanctione decreti. Bene autem dominus in lege typũ futuri hoc quoque demonſtrat loco, & defenſores legis arguit neſcire quę legis ſunt: exemplum afferens quod Dauid cùm eſuriret, ipſe cum ſociis intrauit in domũ dei, & panes propoſitionis ſumpſit & manducauit, & dedit iis qui cum ipſo erant. Magnum & verè exemplum propheticum, quo primum non inania legis, ſed ſolius vtilitatis nobis ſequenda produntur. Deinde quia Dauid cum ſociis fugiens à facie regis Saul, hic præfiguratus in lege Chriſtus eſt, qui cum apoſtolis principem mũdi lateret. Quomodo autem ille obſeruator legis atque defenſor panes & ipſe manducauit, & dedit iis qui ſecum erant, quos non licebat manducare niſi tãtummodo ſacerdotibus: niſi vt per illam demonſtraret figuram, ſacerdotalem cibum ad vſum tranſiturum eſſe populorum? Siue quòd omnes vitam ſacerdotalem debemus imitari, ſiue quia omnes filij Eccleſię ſacerdotes ſunt? Vngimur enim in ſacerdotium ſanctum, offerentes noſmetipſos deo hoſtias ſpiritales. Legi igitur iam ſuperfluit doctrina Chriſti, nec legem ſoluit, ſed implet, quia nec ſabbatum ſoluit. Si enim ſabbatum propter homines factum eſt, vtilitas autem hominis poſtulabat eſurientem hominem qui diu fuerat terræ fructibus abdicatus, veteris famis ieiunia vitare: non vtique lex ſoluitur, ſed impletur. Quomodo igitur domino ad crimen obiicitur, quòd in ſeruo pro crimine non tenetur? Quid autem euidentius hac figura, quæ per totam currit hiſtoriam? Intrauit Dauid in domum Abimelech ſacerdotis, ſed nec periculo mortis propoſito hoſpitem recuſat, declinat exulem ſanctus animus ſacerdotis. Tanta hoſpitalitatis eſt gratia, vt libenter in nos aliena pericula transferamus. Verum hoc in hiſtoria morale, in myſterio propheticũ eſt, quod nec præſumpto futuræ mortis exitio, verum illũ Dauid hoſpitio ſuæ mentis religioſi excluderẽt ſacerdotes. Nec ſolũ in huiuſcemodi domo vatis reperturus docetur Chriſtus hoſpitium, ſed etiam per figurã nequitiæ ſpiritalis manubias & arma ſumpturus. Nam qui Chriſtum recipit hoſpitio, intelligibilem illum Goliam ſpoliat ſuis telis. Quid verò euidentius, quàm quòd in Abimelech domo quinque panes petit Dauid, & vnũ accipit, demonſtrante typo quod iam non quinque libris ſed Chriſti corpore cibus fidelibus pararetur, vt Chriſtus corpus aſſumeret, ne quis de fidelib⁹ eſuriret? Nec Doech figura vacat, qui erat cuſtos mulorum, eò quòd nemo alius niſi infructuoſi gregis cuſtos Iudæ typum proditoris impleret. Iam illud quod pro Dauid receptione omnem Abimelech domum præter Abiathar principem tunc temporis ſacerdotem Saul perſecutus eſt, oſtendit prophetia nobis quod nemo poſſit nocere vero principi ſacerdotum, qui ſolus eſt Chriſtus. Hinc ad alia progreditur dominus Ieſus. Nam qui totum hominem ſaluũ facere diſpoſuerat, per ſingula membra curabat, vt verè diceret: Mihi iraſcimini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato.

Eſa. 65.

1. Cor. 15.

Ioan. 7.

De cura-

De curatione hominis habentis manum aridam.

ET erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida.) Itaq; hoc loco manū illā quā extēdit Adā, & interdictæ arboris poma decerpſit, ſuccis bonorū factorū ſalutarib⁹ irrigauit: vt quæ crimine aruerat, bonis operib⁹ ſanaretur. In quo Iudęos redarguit Chriſtus, qui malis interpretationibus legis præcepta violarent, æſtimantes Sabbato etiam à bonis operibus feriandum, cùm lex in præſentibus formam præfiguraverit futurorum: in quibus vtique malorum feriæ futurę ſunt, non bonorum. Nam licet ſecularia opera conquieſcant, non ocioſus tamen boni operis actus eſt in dei laude requieſcere. Audiſti igitur domini verba dicentis: Extende manum tuam. Cōmunis iſta generaliſque medicina eſt. Et tu qui putas manum habere te ſanam, caue ne auaritia, caue ne ſacrilegio contrahatur. Extende ſæpius eā, extende vt proximum iuues, vt viduæ præſidium feras: eripias iniuriæ, quem vides iniuſtæ contumeliæ ſubiacere: extende ad illum pauperem, qui te obſecrat: extende ad deum pro peccatis tuis. Sic manus extenditur, ſic ſanatur. Sic Hieroboam manum cùm idolis ſacrificaret, contraxit: & rurſus cùm deum rogaret, extendit.

De oratione Ieſu in monte & electione duodecim apoſtolorum.

FACTUM eſt autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione dei.) Non omnis qui orat, aſcendit in montem: (eſt enim oratio quæ peccatum facit:) ſed qui bene orat, à terrenis ad ſuperiora progrediens, verticem curæ ſublimis aſcendit. At ille nō aſcendit in montem, qui de ſeculi diuitiis, aut de honore ſolicitus eſt, non aſcendit in montem qui fundi ius optat alieni. Aſcendit ille qui deum quærit, aſcendit ille qui curſus ſui dominica adiumēta depoſcit. Omnes magni, omnes ſublimes montem aſcendunt. Non enim cuicūque Propheta dicit: Aſcende in montem excelſum, qui euangelizas Sion: exalta in virtute vocem tuam, qui euangelizas Hieruſalem. Non veſtigiis corporalibus, ſed factis ſublimioribus in hunc montem ſi aſcendas, ſequeris Chriſtum, vt ipſe eſſe mons poſſis. Montes enim in circuitu eius. Quare in Euangelio inuenies ſolos cum domino montem aſcendiſſe diſcipulos. Orat ergo dominus, nō vt pro ſe obſecret, ſed vt pro me impetret. Nam etſi omnia poſuerit pater in poteſtate filij, filius tamen vt formam hominis impleret, obſecrandum patrē putat eſſe pro nobis, quia aduocat⁹ eſt noſter. Noli inſidiatrices aperire aures, vt putes filium quaſi infirmum rogare, vt impetret quod implere non poſſit. Poteſtatis author obedientiæ magiſter ad præcepta virtutis ſuo nos informat exemplo. Aduocatum, inquit, habemus apud patrem. Si aduocatus eſt, debet pro meis interuenire peccatis. Non ergo quaſi infirmus, ſed quaſi pius obſecrat. Vis ſcire quia omnia quæ velit poſſit? Et aduocatus & iudex eſt. In altero pietatis officium, in altero inſigne eſt poteſtatis. Et erat, inquit, pernoctās in oratione dei. Species tibi datur, forma præſcribitur quam debeas æmulari. Quid enim te pro ſalute tua facere oportet, quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat? Quid te facere conuenit, cùm vis aliquod officium pietatis adoriri, quādo Chriſtus miſſurus apoſtolos, orauit prius, & ſolus orauit? Nec vſquam alibi, ſi non fallor, oraſſe cum apoſtolis reperitur, vbique ſolus obſecrat. Dei enim conſilium humana vota non capiunt, nec quiſquam interiorum poteſt eſſe particeps Chriſto. Vis ſcire quia mihi nō ſibi orauerit? *Vocauit*, inquit, *diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis.*) Quos ad propagādum auxilium ſalutis humanæ per terrarum orbem ſatores fidei deſtinaret. Simul aduerte cœleſte conſilium: non ſapientes aliquos, non diuites, non nobiles, ſed piſcatores & publicanos, quos dirigeret, elegit, ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe diuitiis, ne potentiæ nobilitatiſque authoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur, vt veritatis ratio, non diſputationis gratia præualeret. Eligitur & Iudas, non per imprudentiam, ſed per prouidentiam. Quanta eſt veritas, quam nec aduerſarius miniſter infirmat? Quanta moralitas domini, qui periclitari magis apud nos iudicium ſuum quàm affectum maluit? ſuſceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recuſauit infirmitatis humanæ. Voluit deſeri, voluit prodi, voluit ab apoſtolo ſuo tradi, vt tu, ſi à ſocio deſertus, ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras tuum erraſſe iudiciū, periſſe beneficium.

De deſcenſu Ieſu ad docendum turbas.

ET deſcendit, inquit, *cum illis, & ſteterit in loco campeſtri.*) Aduerte omnia diligenter, quomodo & cū apoſtolis aſcendat, & deſcendat ad turbas. Quomodo enim turba niſi in humili Chriſtū videret? Nō ſequitur ad excelſa, nō aſcēdit ad ſublimia. Denique vbi deſcendit, inuenit infirmos. In excelſis enim infirmi eſſe nō poſſunt. Sic enim Matthæus docet, in inferiorib⁹ debiles ſanatos eſſe. Prius enim vnuſquiſque ſanatus eſt, vt paulatim virtutibus procedentibus aſcendere poſſet ad mōtem. Et ideo vnumquemque in inferioribus ſanat, hoc eſt, à libidine reuocat, iniuriam cæcitatis auertit, ad vulnera noſtra deſcēdit: vt vſu quodam & copia ſuæ naturæ comparticipes nos faciat eſſe regni cœleſtis. Et ſanabat hos quidem, ſed in inferioribus relinquebat. Videns autem turbas, vt legiſti, aſcendit in montem. *Et cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius.*) Euangelizaturus enim, & benedictionum de theſauro diuinitatis prompturus oracula, incipit eſſe ſublimior. Hic autem etſi in humili ſtabat, tamen oculos eleuauit. Sic etiam cùm Lazarum ſuſcitaret, infremuit ſpiritu: ſic etiam caput leuauit, cùm mulieri adulterę peccata donaret. Quid eſt enim leuare oculos, niſi interius lumē aperire? Denique ſanctus Matthæus. Aperuit, inquit, os ſuum. Theſauros ſcilicet ſapientiæ & ſcientiæ dei, recluſis adytis templi ſui ora reſerauit. Ergo & tu aperi os tuū, ſed prius vt aperiatur implora. Si enim Paulus in adapertione oris ſui implorat auxiliū, multo magis implorare te conuenit. Oſtendit enim tibi clauem ſcientiæ, qua os aperire tuum debeas, dicens Propheta: Aperi os tuum verbo dei. Verbum dei clauis tui oris eſt, clauis ſcientiæ oris tui clauis eſt, qua laxatis ſilentij catenis, imperitiæ clauſtra reſerantur.

De ſermone Ieſu de beatitudinibus proborum.

BEati pauperes, *quia veſtrum eſt regnum dei. Beati qui nunc eſuriunt & ſitiunt, quia ſaturabuntur. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines.*) Quatuor tantum beatitudines ſanct⁹ Lucas dominicas poſuit, octo verò ſanct⁹ Matthæus: ſed in iſtis octo illæ quatuor ſunt, & in quatuor iſtis illæ octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus eſt cardinales, ille in illis octo myſticum numerum reſerauit. Pro octaua enim multi ſcribuntur pſalmi, & mādatum accipis, octo illis partem dare fortaſſe benedictionibus. Sicut enim ſpei noſtræ octaua perfectio eſt, ita octaua ſumma virtutum eſt. Sed prius quæ ſunt ampliora videamus. *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*) Primam benedictionē hanc vterque Euāgeliſta poſuit. Ordine enim prima eſt, & parens quędā generatióque virtutū: quia qui contēpſerit ſecularia, ipſe merebitur ſempiterna: nec poteſt quiſquam meritū regni cœleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate poſſeſſus, emergendi non habet facultatē. Secunda benedictio: Beati, inquit, mites. Tertia: Beati qui lugent. Quarta: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Quinta: Beati miſericordes. Sexta: Beati mūdo corde. Septima: Beati pacifici. Et bene ſeptima, quoniam eo die ab omnibus mundi operibus requieuit deus. Dies enim quietis & pacis eſt. Octaua: Beati qui perſecutionem patiūtur propter iuſtitiam. Veni domine Ieſu, doce nos ordinem beatitudinum tuarum. Neque enim ſine ordine dixiſti primo beatos pauperes ſpiritu, ſecūdo beatos mites, & tertio beatos qui lugēt. Etiam ſi cognoſco aliquid, tamē ex parte cognoſco. Si enim Paulus ex parte cognouit, quantum ego poſſum cognoſcere, qui Paulo quantum vita, tantum etiam verbo inferior ſum? Vita enim verbum exigit & acquirit. Sermo autē ſine vita non eſt ſermo dei. Quātò me ſapientior Paulus? Ille gloriatur in periculis, ego in ſucceſſibus. Ille gloriatur quia reuelationibus non extollitur: ego ſi quæ reuelationes mihi contingerent, gloriarer. Sed tamen poteſt deus de lapidibus homines ſuſcitare, & verbum proferre de clauſis, vocem elicere de

mutis. Quòd si asinæ oculos aperuit vt videret angelum, potens est & nobis quoque aperire oculos, vt possimus dei videre mysterium. *Beati*, inquit, *pauperes*,) nō omnes beati pauperes. Paupertas enim media est, possunt & boni esse & mali pauperes. Nisi fortè ille intelligēdus pauper beatus: quem Prophe. 19. Propheta describit dicēs: Quia melior pauper iustus, quàm diues mendax. Beatus pauper qui clamauit, & dominus exaudiuit eū. Pauper à crimine, pauper à vitiis, pauper in quo mūdi princeps nihil inuenit. Pauper illius æmulus pauperis, qui cùm diues esset, propter nos pauper factus est. Vnde plenè Matthæus aperuit, dicens: Beati pauperes spiritu. Pauper enim spiritu non inflatur, non extollitur mente carnis suæ. Prima ergo ista benedictio est, cùm deposuero omne peccatum, & exuero omnem malitiam, & simplicitate contentus fuero, inops malorum, supereſt vt mores meos temperē. Quid enim mihi prodest carere secularibus, nisi fuero mitis atque mansuetus? Nam qui sequitur viam rectam, sequitur Matth. 11. vtique illum qui ait: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Depone igitur quæ improba sunt, egeto vitiis secun- Psalm 4. dū bonam paupertatem, mitiga affectum tuum, vt non irascaris: aut certè iratus ne peccaueris, iuxta quod scriptū est: Irascimini, & nolite peccare. Præclarū est enim motū temperare consilio, nec minoris virtutis ducitur cohibere iracundiam, indignationémque compescere, quàm omnino nō irasci: cùm plerumque illud lentius, hoc fortius æstimetur. Cùm hoc feceris, memento quia peccator es: & lugeto peccata tua, lugeto delicta. Et bene tertia benedictio est peccata deflentis, quia trinitas est quæ peccata condonat. Ablue igitur te lachrymis tuis, laua fletibus. Si tu ipse te fleueris, alius te non flebit. Nam si Saul deflesset peccata sua, Samuel eum non fleuisset. Habet vnusquisque quos fleat mortuos suos. Mortui sumus quando peccamus, quando implemur ossibus mortuorū. Mortuus est sermo malus qui exit ex ore, exit enim de sepulchro malo. Sepulchrum autem patens Psalm. 5. est guttur eorum. Ideo dicit Apostolus: Imitatores mei e- 1. Cor. 4. stote. Vult nos delictorum meminisse nostrorū. Paulus nō habebat quod lugeret, ex quo in Christum credidit, & ta- 1. Corin. 15. men priora deflebat, dicens: Quia non sum dignus vocari Apostolus quia persecutus sum Ecclesiā dei. Ille igitur peccator ante fidem, nos verò adhuc peccamus post fidem. Qui Prou. 18. peccator est, defleat se, & arguat se, vt fiat iustus. Iust⁹ enim accusator est sui. Ordinem igitur persequamur, quia scri- Cant. 2. ptum est: Ordinate in me charitatē. Deposui peccatū, temperaui mores, delicta defleui, esurire incipio & sitire iustitiam. Æger enim cùm in graui morbo est, non esurit, quia ægritudinis dolor excludit famem. Sed quę est ista fames iustitiæ? Qui sunt isti panes quos esurit iustus? Ne fortè panes Psalm. 36. illi de quibus dictum est: Iuuenis fui, & senui: & nō vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Qui esurit, vtique virium quærit augmentum. Quod autem maius virtutis incrementum, quam norma iustitiæ? Post hæc, Beati, inquit, misericordes. Iustitiam enim sequitur misericor- Psalm. 111. dia. Vnde dictum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Sed etiam qui misericordiā defert, mercedem amittit, nisi mundo corde misereatur. Nam si iactantiam quærat, nullus est fructus. Emunda igitur interiora mentis tuæ: & si diligenter pectoris tui secreta mundaueris, compatere iis qui impugnantur: & intellige quanti hominum, quanti fratrū tuorum auxiliū tuum quærāt. Sed nisi tu prius interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones contentionésque ex affectu tuo prodeant, non potes aliis ferre medicinā. A te igitur pacem incipe, vt cùm fueris ipse pacificus, pacem aliis feras. Quomodo enim potes aliorū corda mundare, nisi tuum antè mundaueris? Profuisti igitur aliis, tulisti auxilium pluribus: festina, contende ad finē. Multi cùm essent exitus vitæ, vnus domino competebat. Nam quod natum erat secundum carnem, oportebat secundum carnem mori. Elegit passionē, vt moreretur pro nobis: & tu dic de omnibus quę retribuit tibi dominus, Calicem salutaris accipiā, & nomen domini inuocabo: hoc est, Psalm. 115. passionem. Vnde etiam illis qui ad dexteram vel ad sinistrā sedere cupiebant, ait: Potestis bibere calicem quem ego bi- Matth. 20. biturus sum? Vsque ad finē te ducit, vsque ad martyriū prosequitur, & constituit beatitudinum palmā. Vide igitur or- A dinem. Oportet te pauperem fieri spiritu. Humilitas enim spiritus, diuitiæ virtutum sunt. Nisi pauper fueris, mitis esse non poteris. Qui mitis est, potest lugere præsentia: qui inferiora luget, potest desiderare meliora: qui superiora quęrit, inferiora deuitat, vt & ipse à superiorib⁹ adiuuetur: qui miseretur, cor suum mundat. Quid enim est mūdare animum, Tobiæ 4. nisi sordem mentis abluere? Eleemosyna enim à morte liberat: patientia verò perfectio est charitatis. Qui autem patitur persecutionem, in vltimo certamine constitutus probatur aduersis, vt cùm legitimè certauerit, coronetur. Hos quidem gradus volunt esse virtutum, per quos ab vltimis ad superiora possimus ascendere. Denique sicut incrementa virtutum, ita etiam sunt incremēta præmiorum. Plus est enim dei esse filium, quam possidere terram, & cōsolationem mereri. Sed quia & primum prę̄mium regnum cœlorum est, & vltimum præmium regnum cœlorum est: nunquid æquale præmium incipientibus atque perfectis est? Ne fortè mysti- Philip. 1. cè docemur quia est primum regnum cœlorum, illud apo- B 1. Thess. 4. stolicū: Dissolui & esse cum Christo? Habes primum regnū, Dan. 12. quando sancti rapiuntur in nubibus obuiā Christo in aëra. Multi enim dormientium surgent, isti in vitam ęternam, illi in opprobrium. Primum ergo regnū cœlorū sanctis propositum est in absolutione corporis: secūdū regnū cœlorū est post resurrectionē esse cū Christo. Cū fueris in regno cœlorum tūc processus est māsionum: & si vnū regnū, diuersa tamen merita sunt in regno cœlorū. Post resurrectionem ter- Genes. 3. ram tuā incipies possidere absolutus à morte. Ille enim cui dicitur: Terra es, & in terrā ibis: nō possidet terram suā: non enim potest esse possessor, qui non capit fructū. Absolutus igitur per dominicā crucē, si tamē intra iugum domini fueris inuentus, consolationē in ipsa possessione reperies: cōsolationē sequitur delectatio, delectationē diuina miseratio. Quem autē miseratur dominus, & vocat: qui vocatur videt vocantē: qui deū viderit, in ius diuinæ generationis assumitur: tūc demū quasi dei filius cœlestis regni diuitiis delectatur. Ille igitur incipit, hic repletur. Nam & intra hoc seculū C multi in imperio Romano sunt: sed maiorē imperij gratiā, qui propiores imperatori sunt, consequuntur. Nūc dicamus quēadmodū in quatuor benedictionibus sanctus Lucas benedictiones octo sit cōplexus. Et quidē scimus virtutes esse quatuor cardinales, temperātiā, iustitiā, prudentiā, fortitudinē. Qui pauper est spiritu, auarus nō est. Qui flet, non superbit: sed mitis est, & pacatus. Qui luget, humiliatur. Qui iustus est, nō negat quod sit omnibus ad vsum communiter datū. Qui miseretur, largitur de suo. Qui suū donat, nō quērit alienū, nec dolum proximo suo struit. Connexę igitur sibi sunt concatenatæque virtutes, vt qui vnam habet, plures habere videatur: & sanctis vna competit virtus, sed eius quę fuerit vberior, vberius est prę̄mium. Quanta hospitalitas in Abraham, quanta humilitas, quanta sanctitas, vt fratris filiū ab hoste seruaret? & quāta abstinētia, vt nihil de præda quęreret? Sed quia fide præstitit, fidei præ cæteris meruit principatum. Ergo vnicuique plura præmia, quia plura incentiua virtutum. Sed quod in aliquo merito copiosius, hoc etiā in D præmio redundātius. *Beati igitur pauperes spiritu.*) Habes temperantiā quæ à peccato abstinet, seculum calcat, illecebrosa non quærit. *Beati qui esuriunt & sitiunt.*) Qui enim esurit, esurienti compatitur, compatiendo largitur, largiendo fit iustus: quia iustitia ei⁹ manet in æternū. Vnde & in Matthæo sitim & famem intelligimus spiritalem, qua cibus iustitiæ desideratur aut potus: quę virtus quasi materia quędam virtutum est, vt iustus æqualem se inferioribus præstet, dolum excludat, veritatē requirat. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.*) Habes prudentiam, cuius est flere occidua, & ea quæ æterna sunt quærere, lugere secularia, quæ seipsa compugnent: deū pacis inquirere, qui stulta mundi elegit, vt confundat sapientes: & qui ea quæ non sunt destruat, vt quę sunt possit adipisci. *Beati eritis cùm vos oderint homines.*) Habes fortitudinem, 1. Cor. 1. sed eam quæ non odium mereatur ex crimine, sed persecutionē patiatur ex fide. Sic enim ad passionis peruenitur coronam, si gratiam hominum negligas, diuinam sequaris. Denique vt scias consummationem esse fortitudinis, passionem:

nem:Secundũ hæc,inquit,faciebant prophetis patres eorũ: quia prophetas Iudęi vsq; ad mortẽ corporis persecuti sunt. Est etiam fortitudinis,iram vincere,indignationémq; cohibere: ac per hoc fortitudo animũ iuxta corpúsq; cõfirmat. Nec perturbari sinit timore aliquo vel dolore,quibus velut prauis interpretibus plerumque percellimur.Ergo tẽperantia cordis habet animique munditiam,iustitia misericordiã, pacem prudentia,mansuetudinem fortitudo.

De væ improborum,& de instructione ad altiores gradus virtutis,& inimicorum dilectione.

VÆ vobis diuitibus,qui habetis consolationẽ vestram.) Licet in pecuniariis copiis multa sint lenocinia delictorum,pleraque tamen sunt etiam incentiua virtutum. Quanquam virtus subsidia non requirat,& cõmendatior sit collatio † pauperis,quàm diuitis liberalitas:tamẽ non eos qui habeãt diuitias,sed eos qui vti his nesciant,sententiæ cœlestis authoritate condemnat. Nam vt ille pauper laudabilior, qui prompto largitur affectu,nec repagulis impendẽtis egestatis inhibetur, inopémque se nõ putat,qui habet quod naturæ satis est: ita hic criminosior diues, qui vel deo referre gratiam de eo debuit quod accepit: nec sensum ad communem vsum datum sine vsu abdere, defossísque terræ incubare thesauris. Non census igitur,sed affectus in crimine est. Et quãquam tota ætate custodiæ miserabilis solicitas auara mens tẽdat excubias, quo nulla pœna grauior est,successorum profutura compẽdijs anxio timore seruare : tamen quoniam auaritiæ studia, & desideria congerendi,inani quadam voluptate pascuntur: qui consolationem vitæ præsentis habuerunt,remunerationem perpetuæ perdiderunt.Possumus hic tamen diuitẽ intelligere populum Iudæorum,vel hæreticos, vel certè mũdi philosophos,qui vbertate verborum,& quodã ambitiosæ facundiæ patrimonio delectati, simplicitatem veræ fidei supergressi,thesauros inutiles condiderunt.Nónne tibi videtur hæreticus aliquis,cùm audis eum de generatione domini iuxta vsum seculi disputantem,diues in verbis,pauper in viribus? qui putat se in hoc tempore locupletes habere diuitias : sed in futuro egestatem suæ fidei recognoscet, cibúmque perfidiæ, quem præsenti ætate ructauerit, æterno fidei commaceratus iciunio , causam tanti sciet esse supplicij.Éritque tempus , vt risus suos lugeant , qui dicta nostra nunc rident.Quibus bene dicitur : *Væ cùm vobis benedixerint omnes homines.*) Nónne tibi videtur his dicere, qui dudum in Ariminensi concilio perfidæ præuaricationis authores cum imperatoris gratiam sequuntur , dei gratiam perdiderunt? Qui cùm placere potentibus aucupantur,maledicto se perpetuo subdidere.Ergo sanctus Matthæus præmiis ad virtutem & fidẽ populos prouocauit,hic etiã à criminibus atque peccatis futurorũ suppliciorũ denunciatione deterruit , qui non ociosè plurimorum factorũ cœlestium enumeratione progressus,ab benedictionũ locum serius venit, vt populos diuinorum miraculis roboratos, vltra legis tramitẽ virtutũ progredi vestigiis edoceret.Fuit canendum illic , vbi adhuc infirmæ plebis corda nutabant,hîc tubæ clangore excitanda virtus fuit . Docet hoc libri huius , quæ in procœmiis,& quæ in processu sermonis aperitur oratio. Illic qui infirmi sunt,adhuc quodam legis lacte potantur , & ideo per legis tramitem ducuntur ad gratiã,audiunt quæ legis sunt, vt vltra legem,legem sequendo procedãt:hîc ecclesia fundatior non lacte imbuitur,sed cibo vescitur. Cibus enim validior est charitas.Denique inter tria maxima,spem,fidem, charitatem,maior est charitas.Ordinatur igitur charitas,cum dicitur:*Diligite inimicos vestros.*) Vt compleatur illud ecclesiæ, quod antè iam dictum est : Ordinate in me charitatem. Ordinatur enim charitas, cùm charitatis præcepta formantur. Vide quã ab altioribus cœperit , & legem post benedictionis euangelicæ terga reiecerit. Lex vicissitudinem impetrat vltionis, Euangelium inimicitiis charitatem , benignitatem odiis,vota maledictis,subsidia persequentibus,patiẽtiam esurientibus , & gratiam remunerationis impartitur. Quanto athleta perfectior,qui nõ sentit iniuriam?Et ne videatur dominus legem dissoluere , in beneficiis vicem seruat,quam negligit in iniuriis . Sed tamen dicendo , *Prout vultis vt faciant vobis homines, facite & illis similiter.*) Vicissitudo ipsa cumulatior est,quando votis actus æquatur. Nescit enim virtus mensuram gratię,nec contenta referre quod acceperit,vult cumulare quod sumpserit,ne inferior sit beneficio, licet æquetur officio. Non enim cumulo tantum , sed ordine & tẽpore beneficia pensantur, cùm in beneficio pari prior sit qui prior cepit.Beneficus enim est, qui gratiam ceperit,debitor qui retulerit.Aliud itaque beneficium est beneficij principatus:nam si qui pecuniam reddidit,non soluit gratiam, manétque gratiæ debitor, etsi iam nõ sit pecuniæ: cur gratiam referendo putemus posse vacuari, cuius relatio acceptæ magis est testimonium,quàm solutæ? Bono itaque exemplo imbuitur Christianus,vt nõ contentus iure naturæ,gratiam eius requirat.Si enim cõmune est omnibus etiã peccatoribus redamare:cui genus professionis excelsius,studium quoque debet esse virtutis vberius,vt diligat etiã non amantes.Nam etsi nulla merita diligendi, vsum amoris excludant,nõ tamen virtutes excluserint.Sicut enim in eo qui te diligit,pudet gratiã non referre,& gratiæ amore referendæ amor tibi eius inolescit,quem antea nõ amabas†:ita etiã in eo qui non amat,debes amare virtutem : vt dum virtutẽ amas,incipias eum amare quẽ non amabas,cùm rara & caduca remuneratio sit amãtis,sempiterna virtutis.Quid autem tam mirum,quam percutiẽti maxillam præbere alterã? Nónne omnis indignantis frangitur impetus , ira sedatur? Nónne fit per patientiam,vt sua amplius pœnitentia reuerberes verberantem?Ita erit vt & iniuriam repellas, & gratiã quæras.Ac sæpe maximæ causæ amoris existunt,cùm patiẽtia insolentiæ,gratia refertur iniuriæ.Et quidem , vt audire me memini,vel hoc solo pressum philosophiæ supercilium putamus, quòd in tres partes illa sibi videtur diuisisse iustitiam:Vnam in deum,quæ pietas vocatur:alteram in parentes,vel reliquum humanum genus:tertiã in mortuos, vt his exequiarum iusta soluantur.At verò dominus Iesus legis oraculum ac philosophiæ fastigium supergressus,in eos quoque qui læserint,pietatis porrexit officium.Etenim si hostis qui tecũ bello armísque certauerit, depositis armis misericordiam suæ salutis adipiscitur, idque plerũque vel cõtemplatiõe naturæ,vel ipsius belli iure defertur,vt subiectis vita tribuatur:quanto amplius meliore religionis cõtuitu deferendum est?Nam cùm præliatorem appetitæ salutis causa non moueat,nunquid mouere debet militem pacis ? Itaque illud apostolicum , Quia charitas patiens est , benigna est, non æmulatur,non inflatur : in his præceptis cõsummatum videmus.Si patiens est,debet patientiam verberanti : si benigna est,non debet respõdere maledictis: si nõ quærit quæ sua sunt , non debet resistere diripienti: si non æmulatur,odisse non debet inimicum. Et tamen apostolicis diuinæ superfluũt præcepta pietatis.Plus est enim donare , quàm cedere:plus est amare inimicos,quàm non æmulari.Quæ omnia dominus & dixit,& fecit.Qui cùm malediceretur , non maledixit:qui cùm percuteretur,non repercussit : cùm spoliaretur,nõ restitit:cùm crucifigeretur, ipsis persecutoribus veniam postulauit,dicẽs:Pater,dimitte illis peccatum, quia nesciunt quid faciunt. Criminatores suos excusabat à crimine.Illi crucem parabant,hic salutem & gratiam rependebat. Et tamen quoniam studia ipsa virtutum sine remuneratione torpescunt, & exemplum nobis attulit, & mercedem spopondit è cœlo filios dei futuros pollicens, qui fuerint imitatores eius.Qui enim festinat ad præmium , fastidire non debet exemplum:quia quanto præcellentius præmium,tanto impensius officium.Quanta autem misericordiæ merces,quæ in ius diuinæ adoptionis adsciscitur?Sequere igitur misericordiam,vt merearis gratiam.Latè patet benignitas dei,super ingratos pluit, malis fœcunda non negat terra prouentus. Idem mundi Sol sacrilegos religiosósque pariter illuminat.Aut vt mysticè ista pendamus , propheticis populum Iudæorum dominus pluuiis irrigauit, & Solis æterni refulsit radiis, etiam non merentibus. Sed quoniam illi mundano rore maduerunt,Ecclesia dei ad cœleste lumẽ adsciscitur:ita tamen,vt illis quoque misericordiæ,si credãt, prærogatiua seruetur.

† *habebas.*

1. Corin.13.

1. Pet. 2.

De prohibitione iudicationis.

Nolite iudicare, & non iudicabimini.) Addidit non temerè iudicandũ, ne cùm sis tui conscius, ipse delicti in alterum cogitaueris ferre sententiam.

De arbore mala, ex cuius similitudine improbi homines cognoscantur.

Non est arbor bona, quæ facit fructus malos.) Magna etiã disciplina virtutis, vt de infructuosis fructuosa nõ quæras, nec de incultis prouentum fœcũditatis expectes. Vnicuiq; enim sua cultura dat fructũ. *Neq; enim de spinis colligũt ficus.*) In spinis istius mũdi ficus illa non potest reperiri: quæ quia fœcũdis fructibus melior est, bene species ei resurrectionis aptatur: vel quia, vt legisti, ficus dederũt grossos suos, quòd iam immaturus, & inutilis, & caducus in synagoga fructus antè præcessit: vel quia immatura vita nostra est in corpore, matura in resurrectione. Et ideo procul à nobis debemus seculares solicitudines abdicare, quæ mordent animũ, mentémque adurunt, vt maturos fructus culturæ diligentis possimus adispisci: quod in incultis istius mundi reperire non possumus: quia non legunt de spinis ficus, neque de tribulis vindemiant vuam. Alterum ad mũdum & resurrectionem, alterum ad animam & corpus refertur: vel quia nemo peccatis fructum acquirit animæ suæ, quæ sicut vua proxima terris corrumpitur, in superioribus maturatur: vel quia nemo potest damnationem carnis euadere, nisi quẽ Christus redemerit, qui sicut vua pependit in ligno. Procul igitur ab illa carne, quæ damnato homini tribulos generare præcepta est, leuemus oculos spiritales, tẽdamus manus, vt Christum vindemiare possimus. Omnium autem fundamentũ docet esse virtutũ obediẽtiam cœlestium præceptorum, per quam domus hæc nostra nõ profluuio voluptatum, non nequitiæ spiritalis incursu, non imbre mundano, non hæreticorũ possit nebulosis disputationibus commoueri. Pulchrè autem vbi præcepta compleuit, formam docet suorum præceptorum exequi.

De seruo Centurionis curato.

Cap. VII. *Et factum est, cùm cõsummasset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum. Centurionis autem cuiusdam seruus:* & reliqua.) Namque statim gentilis Centurionis seruus domino curãdus offertur, in quo populus nationum, qui mundanæ seruitutis vinculis tenebatur, æger letalibus passionibus, beneficio domini sanandus exprimitur. Quod autem moriturum dixit euangelista, non fefellit. Moriturus enim erat, nisi fuisset sanatus à Christo. Impleuit igitur præceptum charitate cœlesti, qui sic dilexit inimicos, vt morti eriperet, atq; ad perpetuæ spem salutis adsciscceret. Quantum autẽ diuinæ humilitatis insigne, vt cœli dominus nequaquam dedignaretur Centurionis seruulum visitare? Elucet fides in operibus, sed plus operatur humanitas in affectibus. Quod vtique nõ ideo faciebat, quia absens curare non poterat, sed vt formã tibi daret humilitatis imitãdæ, qua iuxta humilioribus doceret ac superioribus deferendum. Denique alibi Regulo dicit: Vade, filius tuus viuit: vt scias & potentiã diuinitatis, & humilitatis gratiam. Ibi noluit pergere, ne in Reguli filio videretur magis diuitiis detulisse: hìc ipse perrexit, ne videretur in Cẽturionis famulo conditionem despexisse seruilem. Omnes enim, seruus & liber, in Christo vnũ sumus. Sed vide fidem prærogatiuam esse medicinæ. Aduerte etiã in ipso populo gentili perspicaciã esse mysterij. Dominus pergit, excusat Centurio, militarique deposito tumore reuerentiam sumit, & ad fidem facilis, & ad honorificentiã promptus. Et bene Lucas etiam in occursum amicos dicit esse à Cẽturione transmissos, ne præsentia sua grauare domini verecũdiam videretur, & officium officio prouocasse. Hæc moraliter. Mysticè autem, quem Iudæorum populus crucifixit, inuiolatũ ab iniuria manere desiderat populus nationũ: & quod ad fidem pertinet, sermoni credidit: hoc est, non hominis, sed dei potestate coniiciens dari à Christo hominibus sanitatem. Quod verò ad mysteriũ spectat, vidit in pectore adhuc gentilium non esse penetrabilem Christum. Et ideo qui necdum cogitationis præteritæ maculas abluisset, grauari se magis domini putauit dignatione, quã iuuari. Sic illa vidua Sareptena indignam se prophetico iudicauit hospitio. Ideóque dominus in vno isto fidem gentium præfert. Et quidem si sic legas, In nullo tantam fidem inueni in Israel: simplex intellectus & facilis est. Sin verò iuxta Græcos, Nec in Israel tãtam fidem inueni: fides huius etiam electioribus & deum videntibus antefertur. Videte autem œconomiam domini, probatur fides domini, & serui sanitas roboratur. Potest ergo meritum domini etiam famulis suffragari: non solum fidei merito, sed etiam studio disciplinæ. Spectate etiam alteram œconomiam dominicæ humilitatis: quæ non spondet, operatur: nam etsi nondùm imperauerat sanitatem, tamen serui qui missi fuerant, sanum seruulum repererunt. 3. Reg. 17.

De filio viduæ resuscitato.

Erat dominus Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naym, & ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, & ecce efferebatur defunctus filius vnicus matris suæ. Et hæc erat vidua, & turba multa cum illa. Quam cum videret dominus, misericordia motus dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum.) Et hic locus ad vtramque redundat gratiam, vt & citò flecti diuinam misericordiam matris viduæ lamẽtatione credamus, eius præcipuè, quæ vnici filij vel labore vel morte frãgatur, cui tamen viduæ grauitatis meritum exequiarum turba cõciliet: & hanc viduam populorum turba septam, plus videri esse quàm fœminam, quæ resurrectionem vnici adolescentis filij suis lachrymis meruerit impetrare, eò quòd sancta ecclesia populum iuniorem à pompa funeris, atque à supremis sepulchri, suarum reuocet ad vitam contemplatione lachrymarum, quæ flere prohibetur eum, cui resurrectio debeatur. Qui quidem mortuus in loculo materialibus quatuor ad sepulchrum ferebatur elementis. Sed spem resurgẽdi habebat, quia ferebatur in ligno. Quod etsi nobis antè nõ proderat, tamen posteaquàm Iesus id tetigit, proficere cœpit ad vitam, vt esset indicio salutem populo per crucis patibulum refundendam. Audito igitur dei verbo, steterunt acerbi illi funeris portitores, qui corpus humanum letali fluxu naturæ materialis vrgebant. Quid enim aliud, nisi quasi in quodam feretro, hoc est, supremi funeris instrumento iacemus exanimes, cùm vel ignis immodicæ cupiditatis exæstuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam corporis habitudine vigor hebetatur animorum, vel concreta noster spiritus labe, puræ lucis vacuus alit mentem? Hi sunt nostri funeris portitores. Sed quamuis suprema mortis spẽ vitæ omnis aboleuerint, & tumulo proxima corpora iaceãt defunctorum, verbo tamen dei iam moritura resurgunt cadauera, vox redit, redditur filius matri, reuocatur à tumulo, eripitur à sepulchro. Quis iste est tumulus tuus, nisi mali mores? Tumulus tuus perfidia est, sepulchrum tuum guttur est. Sepulchrum enim patens est guttur eorum vnde verba mortua proferuntur. Ab hoc sepulchro te liberat Christus, ab hoc tumulo resurges, si audias verbũ dei. Et si graue peccatum est, quod pœnitentiæ lachrymis ipse lauare non possis, fleat pro te mater ecclesia, quę pro singulis tanquam pro vnicis filiis vidua mater interuenit. Compatitur enim quodam spiritali dolore naturæ, cùm suos liberos letalibus vitiis ad mortem cernit geri. Viscera sumus de visceribus eius. Sunt enim & spiritalia viscera, quæ habet Paulus dicens: Ita frater ego te fruar in domino, refice viscera mea in Christo. Nos ergo viscera sumus ecclesiæ, quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Doleat igitur pia mater, assistat & turba, non solum turba, sed etiam multa, compatiatur bonę parenti: iam resurges in funere, iam liberaberis à sepulchro. Stabunt illi ministri tui funeris, incipies vitalia loqui, timebunt omnes. Vnius enim exemplo plurimi corriguntur. Laudabunt etiam deum, qui tanta nobis remedia vitandæ mortis indulserit. Ad Philemonem. Ephes. 5.

De missione discipulorum Ioannis ad Iesum. Et

1693 ET conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad dominum dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?) Non simplex intellectus in simplicibus est verbis. Alioquin præsentibus superiora compugnant. Quomodo enim Ioannes quem in superioribus deo patre demonstrante cognouit, hic nescit? Quomodo & ibi quem antè nesciuit agnouit: & hîc iam quem sciebat, ignorat? Nesciebam, inquit, eum: sed qui misit me baptizare, ipse mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem de cœlo. Et dicto credidit: & demonstratum agnouit: & baptizatum adorauit: & venientem prophetauit. Denique ego, inquit, vidi, & testimonium perhibui, quoniam hic est electus dei. Vnde ergo fieri posset vt sic propheta tantus erraret, vt de quo dixerat, Ecce qui tollit peccatum mundi: adhuc eum dei filium esse non crederet? Aut enim insolentiæ est ei tribuere diuina quem nescias, aut de dei filio dubitasse perfidia est. Non cadit igitur in talem prophetam tanti erroris suspicio. Itaque si intellectus simplicis formæ compugnat, spiritalem quæramus figuram. Et quia supra iam diximus in Ioanne typum esse legis, quæ prænuncia fuit Christi: rectè lex quæ pectoribus perfidorum tanquam æterna carceribus luce vacuatis corporaliter tenebatur inclusa, quam viscera fœcunda pœnarum & fores amentiæ coercerent, plenum exitum testimonij dominicæ dispensationis sine euãgelij nequit astipulatione perferre. Prophetauit quidem lex in Exodo baptismatis gratiam per nubem & mare, spiritalem in agno prænunciauit escam, fontem perennem designauit in petra, remissionẽ peccatorum in Leuitico reuelauit, regnum cœlorum annũciauit in psalmis, terram repromissionis in Iesu Naue manifestissimè declarauit. Hæc omnia cum Ioannis quoque congruunt testimonio, sed tamen tyrannicis mundi istius potestatibus quo minus lucem dominicæ resurrectionis effunderet, inclusa cohibetur. Mittit ergo suos discipulos ad Christum Ioannes, vt supplementum scientiæ consequantur, quia plenitudo legis Christus est, vt quoniam nutant plerumque dicta sine factis, & fides plenior gestorum testificationibus quàm verborum sponsionibus exhibetur, quæ tunc in pectoribus Iudæorum velut obserata lege nutabat, ipso spectaculo dominicæ crucis, & pleno resurrectionis testimonio panderetur. Et fortasse isti discipuli sunt duo populi, quorum vnus ex Iudæis credidit, alter ex gentibus, qui ideo credidit, quia audiuit. Voluerunt ergo isti videre propter illud: Vestri autem beati oculi qui vident, & aures vestræ quæ audiunt. Sed etiam nos vidimus in Ioanne, oculis nostris perspeximus in apostolis, & manibus nostris perscrutati sumus in Thomæ digitis. Quod enim erat ab initio, quod audiuimus, & quod vidimus, oculis nostris perspeximus, & manus nostræ scrutatæ sunt de verbo vitæ, & vita apparuit nobis. Quando apparuit? Quando vidimus. Non sic apparebat antequam videretur. Gratias ergo domino, qui crucifixus est pro fide nostra, crucifixus pro cupiditatibus nostris. Mens mea in illo crucifixa est. Itaque & nunc qui vetus testamentum recensent antequam cognoscant Euangelium, & quasi quædam dominici corporis vestigia legunt, venturum putant, & requirũt vtrum ipse sit Christus dei filius, qui venturus est. Et cùm legunt quando cum Abraham locutus est, vel quando se ducem militiæ cœlestis ostendit, dicunt vtique: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Cùm autem venerint ad euangelium, & cognouerint illuminari cæcos, & ambulare claudos, audire surdos, mundatos esse leprosos, mortuos resurrexisse, tunc dicunt: Vidimus eum, & oculis nostris perspeximus, & in vestigia clauorum eius digitos nostros inseruimus. Videmur enim nobis vidisse quem legimus, spectasse pendentem, & vulnera eius spiritu ecclesiæ scrutante tentasse. Si enim digito dei eiiciuntur dæmonia, fides quoque digito ecclesiæ reperitur. Aut fortasse in parte quadam operatrice corporis nostri omnes videmur inuestigasse dominicæ sectam passionis. Fides enim per paucos ad plures peruenit. Lex ergo Christum venturum annunciat, euangelij scriptura venisse confirmat. Nonnulli etiam de ipso Ioanne sic intelligunt, magnum quidem prophetam, ita vt Christum agnosceret, annunciaret remissionem peccatorum futuram,

A sed tamen non tãquam dubium, sed tanquam pium vatem, quem venturum crediderat, nõ credidisse moriturum. Non igitur fide, sed pietate dubitauit. Dubitauit & Petrus, dicẽs: Propitius tibi esto domine, non fiat hoc. Ille fidei princeps, cui se Christus nondum dei filium dixerat, & tamen ille crediderat, de morte Christi nec Christo credidit. Pietatis affectus, non indeuotionis est lapsus. Denique alibi lauari sibi pedes recusat, vbi mysterium non agnoscit, dum dominico grauatur obsequio. Ergo moriturum Christum nec sancti crediderunt. Quod enim oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, hæc præparauit deus diligentibus eum. Religiosus itaque lapsus amoris fidem non impedit. Denique dominus sciens neminem sine euangelio plenè posse credere, quia sicut fides à veteri incipit testamẽto, ita impletur in nouo: interrogatus de se, non verbo aliquo, sed factis se esse signauit. *Ite*, inquit, *renunciate Ioanni quæ videtis & auditis: Cæci vident, claudi ambulãt, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.*)

B Plenum sanè testimonium, quo dominum propheta cognosceret. De ipso enim, non de alio fuerat prophetatum, quia Dominus dat escam esurientibus, dominus erigit elisos, dominus soluit compeditos, dominus illuminat cæcos, dominus diligit iustos, dominus custodiet aduenas, orphanum & viduam suscipiet, & viam peccatorum exterminabit. Quis ista, inquit, faciet, regnabit dominus in æternum. Ergo non humanæ ista, sed diuinæ virtutis insignia sunt, cæcis perpetuæ tenebras noctis aperire, defossorúmque oculorum vulnera infusa luce sanare, auditum insinuare auribus surdorum, laxatis soluta membra reformare compagibus, in lucem quoque refuso vigore viuẽdi reuocare defunctos. Hæc ante euãgelium vel rara vel nulla. Receperit licet Tobias oculos, vnus est in exẽplo, & tamen angeli fuit illa medicina, nõ hominis. Helias mortuum suscitauerit, ille tamen rogauit & fleuit, hic iussit. Helisæus leprosum mundari fecerit, non tamen illic valuit præcepti authoritas, sed figura mysterij. Non defecerit ad escam viduæ esurientis, propheticis

C se multiplicans farina præceptis, vnam tamen viduam farina illa, vel potius eadẽ quoque sacramenti species præfigurata seruauit. Sed tamẽ parua adhuc ista dominicæ testificationis exempla sunt: plenitudo fidei, crux domini, obitus, sepultura est. Et ideo cùm illa superiora dixisset, addidit:

Matth.16.

1.Cor.2.

Psalm.145.

Tob.11.

3.Reg.17. 4.Reg.5.

3.Reg.17.

De scandalo in Christo cauendo.

BEatus, inquit, *qui in me nõ fuerit scandalizatus.*) Crux enim etiam electis scandalũ posset afferre. Sed nullũ hoc maius diuinæ personę est testimoniũ, nihil est quod magis esse vltra humana videatur, quàm toto vnũ se obtulisse pro mundo, hoc vel solo plenè dominus declaratur. Denique sic designatus est à Ioãne: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Verum hoc nõ duobus illis viris Ioãnis discipulis, sed nobis respondetur omnibus, vt ita credamus in Christum, si facta conueniunt. Veniet enim qui hoc sibi nomen vsurpet, quem licet nominis non queas appellatione secernere, factorum tamen consideratione discernas.

Ioan.1.

D *De laudatione Ioannis à constantia mentis.*

QVid existis in desertum videre? Arundinem vento moueri?) Vbi præmonuit discipulos Ioannis in crucem dominicam esse credendũ, redeuntibus illis conuersus ad turbas cœpit ad virtutem pauperes prouocare, ne exaltati corde, mente instabiles, consilio infirmi, speciosa vtilibus, æternis caduca præferrent: sed humili spiritu crucem potius tollerent, quàm phaleras mundi huius extollerent, & quasi beati pauperes, qui nihil haberẽt seculi quod amitterẽt, libẽter corporis vitã cum immortali gloria commutarent. Non ociosè igitur sancti Ioannis hîc persona laudatur, qui vitæ amore posthabito, iustitiæ formam nec mortis terrore mutauit. *Quid*, inquit, *existis in desertum videre?*) Deserto mundus hic comparari videtur, adhuc incultus, adhuc sterilis, adhuc infœcundus, in quẽ negat nobis ita dominus prodeundũ, vt mẽte carnis inflatos vacuósque virtutis internæ viros, & fragili se gloriæ seculari

laris ſublimitate iactãtes, pro exemplari quodã & imagine nobis putemus imitandos, quos procellis mundi huius obnoxios vita mobilis inquietat, iure arundini comparandos, in quibus ſolidæ iuſtitiæ nullus eſt fructus, qui forenſibus criniti phaleris, nodis obſiti, vacuo oris ſtrepitu ſonori, nulla ſui vtilitate, frequẽti etiam offenſione, intus inania, foris ſpecioſa ſectãtur. Arundines ſumus, nulla validioris naturæ radice fundati. Et ſi leuis aſpirauerit proſperioris aura ſucceſſus, vago motu proximos verberamus, inopes ad ſuffragandum, faciles ad nocendum. Arundines fluuios amant, & nos labentia mundi caducáque delectant. Tamen hanc arũdinem ſi quis de terræ euellat plãtariis, & ſuperfluis exuat, expoliãs veterem hominem cum actibus eius, & ſcribæ velociter ſcribentis manu temperet, incipit non arundo eſſe, ſed calamus, qui præcepta cœleſtium ſcripturarum penetralibus mentis imprimat, tabulis cordis inſcribat. De quo calamo habes dictum: Lingua mea calamus ſcribæ velociter
Pſalm. 4. ſcribentis: quod ad Chriſtum alij referre volunt. Vno igitur loco & verbum & calamus legitur & ſcriba. Verbũ, quia de genitali patris proceſſit arcano. Eructauit cor meum verbum bonũ. Calamus, quia caro Chriſti paternæ ſeriem voluntatis expreſſit, & linguæ mandata diuinæ ſacri effuſione
† indiuidua cruoris impleuit. Scriba, quia calamo ſuo diuidua † quadã diſtinctione, noui & veteris teſtamẽti, vel diuinitatis & carnis paternæ nobis diſpoſitionis myſteria reuelauit. Hũc calamum imitare tuę carnis temperamento. Et calamum tuũ, hoc eſt, carnem tuam tinge, non atramento, ſed ſpiritu dei viui, vt quod ſcribis, æternum ſit. Tali calamo Paulus illam epiſtolam ſcripſit de qua dicit: Epiſtola noſtra vos eſtis, in-
2. Corin. 3. ſcripta non atramento, ſed ſpiritu dei viui. Tinge carnem tuam in Chriſti ſanguine, ſicut ſcriptum eſt: Vt tingatur pes tuus in ſanguine. Et tu ergo veſtigium animi tui, & mentis inceſſum, indubitata confeſſione dominicæ crucis tinge.
Pſalm. 67. Tingis carnem tuam in Chriſti ſanguine, ſi vitia diluas, peccata detergas, mortem Chriſti in tua carne circunferas, ſicut Apoſtolus docuit dicens: Mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circunferentes. Noli ad terrena inflecti, ne
2. Corin. 4. arundinem tuam frangas. Et ideo de Chriſto, quia non erat
Matth. 12. ad terrena curuandus, prophetatum eſt: Arundinem quaſſatam non confringet: quoniam carnem quam peccata quaſſauerant, reſurrectionis virtute ſolidauit. Bona arundo caro Chriſti, quæ ſerpentis diaboli caput, & mundanæ cupiditatis illecebras patibulo crucis affixit.

De laudatione Ioannis ab aſperitate veſtimentorum.

Sed quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento moueri? Quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis indutum?) Non hîc domini ſermo de veſtibus, quanquam pleroſque mollioris cura veſtis effœminet, qui quaſi lanæ onus ferre nõ poſſint, ſericas veſtes tectis per terram verrunt veſtigiis, vſúque faciunt vt amictus honori ſit. Sed tamen alia videtur hîc indumenta ſignare, & niſi fallor, humana corpora, quibus
Geneſ. 37. anima noſtra veſtitur. Denique & Ioſeph tunica ad ſpe-
Coloſ. 2. ciem dominici corporis cruentata eſt. Et apoſtolicum illud, Exuens ſe carne, principatus & poteſtates omnes traduxit: quid aliud oſtendit, niſi vice indumenti corpus fuiſſe, quo ſe ita expoliauit dominus in paſſione, vt diuinitas libera immuníſque maneret iniuriæ? Totus igitur hic locus exemplo nos prophetico ad virtutem ſubeundæ paſſionis hortatur. Denique addidit: *Ecce qui in veſte precioſa ſunt, in domibus regũ*
Coloſ. 3. *ſunt.*) Sunt etiam mollia indumenta delicioſi actus & mores, propter quod nos hortatur Apoſtolus vt expoliãtes veterem hominem cum actibus eius, induamus nouũ, in quo non dulcis illecebra ſit, ludúſque laſciuiæ, ſed vſus laboris & fructus, eò quòd tenera corporis cura, luxúque & laſciuiarum cupiditate mollitos, nequaquam cœleſtis aula ſuſcipiat, ad quam duris laborioſæ gradibus virtutis aſcenditur. Hi verò quibus fluida deliciis membra ſoluuntur, regni cœleſtis extorres, intra mundi huius habitacula conſeneſcunt, quos rectores huius mundi atque tenebrarum vocat
Epheſ. 6. Apoſtolus. Hi ſunt enim reges, qui ſeculari quadam poteſtate dominantur, ſuorum æmulos operum receperunt.

De laudatione Ioannis ab excellentia cognitionis. 1696

Sed quid exiſtis videre? Prophetã? Vtique dico vobis plus quam prophetam. Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.) Quomodo igitur in deſerto *Malach. 3.* Ioannem videre cupiebant, qui erat clauſus in carcere? Quẽ nobis dominus proponit imitãdum, qui viam domino non ſolum naſcendi ſecundum carnem ordine fideique nuncio, ſed etiam præcurſu quodam glorioſæ parauerit paſſionis. Maior ſanè propheta, in quo finis eſt prophetarum. Maior propheta, quia multi cupierunt videre quem iſte propheta-uit, quem iſte conſpexit, quẽ iſte baptizauit. Sed tamen nũ- *Deut. 18.* quid & illo maior, de quo Moyſes dixit, quia prophetã vobis ſuſcitabit dominꝰ deus veſter? De quo dixit: Erit autem, omnis anima quæ non audierit prophetam illum, extermi-nabitur de plebe. Si igitur Chriſtus propheta, quomodo maior hic omnibus? Nunquid Chriſtum prophetam negamus? Imò & dominum prophetarum confitemur: Ioannem autem prophetam aſſero, & hunc omnibus dico eſſe maiorem, ſed inter mulieris non virginis natos. Maior enim fuit iis quibus æqualis eſſe poterat ſorte naſcendi. Alia iſta natura eſt, nec cum humanis generationibus comparanda. Non poteſt homini cum deo vlla eſſe collatio: ſuis enim quiſque præfertur. Denique eouſque cum dei filio non poterat loãnis eſſe vlla collatio, vt & infra angelos æſtimetur.

De intelligentia præmiſſorum.

Nam qui minor, inquit, eſt in regno cœlorum, maior eſt eo.) Etenim quoniam angelum dixerat, hominibus iure prælatus eſt: & quia inter natos mulierum potiorem declarauerat, ideo addidit: Nam qui minor eſt in regno cœlorũ, maior eſt eo: vt angelis ſciret eſſe cedendum. Meritò autem Ioannes ſuis præfertur æqualibus, à cuius diebus regnũ cœlorum cogitur. Quæ ſubobſcura videtur eſſe locutio, & ideo eam de alio libro euangelij putauimus deriuãdam. Nam ſi literam ſequamur, vtique inferior à potiore cogitur. Regnum autem cœli præſtat humanis: ſed cùm ſint aliqua quæ cogendo denſari ferũtur, non eſt abſurdum quia cogitur regnum, quando pluribus frequentatur, cogentéſque diripiunt illud. Si repetamus do- *Matth. 11.* minicum illud quod ſcriptum eſt, dicẽte filio dei, Regnum *Luc. 17.* dei intra vos eſt: aduertimus in nobis regnum cœleſte ſolidari, cum Chriſtus exploſo mundani principis regno, fugatíſque deliciis ſecularibus, intra noſtrorum ſecreta regnat animorum. Vis igitur menti affertur humanæ, quæ diuerſis illecebris delinita laborem fugit, voluptatem expetit, cùm vel metu ſupplicij coërcita, vel præmio prouocata vincere ipſa ſentitur, & tanquam exantlatis laboribus palmam quæ ſibi plurimis aduerſantibus ſubtrahebatur, eripere contendit. Rapimus enim ex hoc mundo palmam ſalutis, & quaſi excubantibus obſeſſos ſerpentibus fructus peruigili labore decerpimus, ita tamen, vt non furtiua ſublatio, ſed direptio triumphalis ſit. Eſt & aliud direptionis genus, quando aliis oblata diripimus. Qui ſint igitur raptores iſti, non laboramus intelligere, cùm de Benjamin lupi rapacis genere nos *Matth. 15.* manare nouerimus. Præceſſerat Ioannes, vt iuſtificaret populum Iudæorum, ipſe dominus venerat ad oues perditas domus Iſrael, apoſtolos deſtinauerat, vt fidem populi Iudæorum vel diſputatione, vel ſignis miraculíſque fundarent: ſed cùm illi munera ſibi oblata defugerent, publicani & peccatores in deum credere, in fide coire cœperunt. In his igitur apoſtolica prædicatione regnum cœlorum cogitur, & fidelis populi aſpiratione ſolidatur. Diripuit regnum illa quæ fluxu ſanguinis laborabat. Nã cùm dominus ad fi- *Ibidem.* liam principis ſynagogæ tenderet furtiuo quodam tactu ſaluit, diripuit regnum illa Chananæa, quæ à finibus ſuis egreſſa clamabat dicens: Miſerere mei domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Verè hæc regnum coëgit, pertinax in precibus, ſapiens in reſponſis, fidelis in verbis. Prætereuntem reuocat, racẽtem rogat, excuſantem adorat, negãtem inclinat. Nónne tibi videtur eripere, cum elicit quod negatur? præripere quod aliis reſeruatur? Negauerat enim dominus panem filiorum dari canibus

canibus oportere. At illa consensit,& cõsentiendo diripuit dicens: Vtique domine. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Didicisti quemadmodum regnũ cœleste rapiatur. Cogamus igitur & nos diripiamus illud. Nemo enim nisi festinans pascha manducat. Sed quæ est ista quæ rapit regnum? Non improbitas, non lasciuia, non voluptas, sed illa de qua dicitur: Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Ecce rapuit, quæ quod voluit impetrauit, quod rogauit extorsit. Rapuit & illa vidua, quæ frequenter orando, si non propter innocentiam, saltem propter importunitatem vt exaudiatur extorsit. Rapuit igitur ecclesia à synagoga regnum. Regnum meum Christus est, rapio illum Iudæis missum sub lege, natum sub lege, nutritum iuxta legem, vt me qui eram sine lege, seruaret. Rapitur Christus, cùm aliis promittitur, aliis prædestinatur. Rapitur Christus, cùm aliis nascitur, aliis suffragatur. Rapitur Christus, cùm ab aliis occiditur, sepelitur à nobis. Rapitur insidiantibus, rapitur dormiẽtibus. Habes vbi ipsi confessi sunt nos rapuisse, se dormisse dicentes: Discite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Surge igitur qui dormis, ne & tu cùm dormis, Christum amittas. Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Vides mortuos esse qui dormiunt. Et ideo non inuidemus aliis, sed prouidemus nobis. Non enim mortui poterant seruare viuentem. Exurgant vel serò qui dormierunt, etiam qui Christum perdiderunt. Non sic amittitur Christus, vt non reperiatur, si tamẽ requiratur, sed vigilantibus regreditur, & exurgentibus præsto est, imò omnibus adest, qui vbique semper est, quia complet omnia. Nulli enim deficit, nos deficimus. Nulli inquam deficit, superabundat omnibus. Superabundauit enim peccatum, vt superabundaret gratia. Gratia Christus est, vita Christus est, & Christus est resurrectio. Qui surgit igitur, inuenit esse præsentem. Rapitur ergo regnum cœlorum, cùm Christus à domesticis denegatur, à gentilibus adoratur. Rapitur cùm ab illis repudiatur, colitur à nobis. Rapitur cùm per hæreditatem non agnoscitur, per adoptionem acquiritur.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI COMMENTARIORUM IN EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM, LIBER VI.

De iustificatione dei à populo, & contemptu à pharisæis & legisperitis.

ET omnis populus audiens & publicani iustificauerunt deum, baptizati baptismo Ioãnis: Pharisæi autem & legisperiti consilium dei spreuerunt in se, non baptizati ab eo.) Aperuit sanctus Lucas specialibus additis, quod quasi generalibus sanctus Matthæus subobscurum reliquerat. Ille enim ait: Et iustificata est sapientia à filiis suis. Primũ quę sit illa sapientia hic videmus expressum. Ait enim: Iustificauerunt deum. Deus ergo sapientia est, quia sapientia dei filius est. Sapientia per naturam, non per profectum. Alia est sapiẽtia dei patris virtus, alia sapientia virtus animæ. Illa nata est, hæc creata. Alia sapientia author operum, alia opus. Opus enim mentis sapere prudenter, sentire viuaciter. Hæc dona naturæ sunt. Operator autem nõ creatura est, sed creator, hoc est, non naturæ munus, sed munerator naturæ. Iustificatur igitur deus ipse per baptismum, dum se homines peccata propria confitendo iustificant, sicut scriptum est: Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris. Et iustificatur in eo, quia non per contumaciam refutatur, sed per iustitiam dei munus agnoscitur. Iustus enim dominus, & iustitias dilexit. In eo ergo iustificatio dei est, si nõ ad indignos & obnoxios, sed ad innocentes per ablutionem factos videatur & iustos sua munera transtulisse. Iustificemus igitur dominum, vt iustificemur à domino. Quid sit iustificari deum impensius requiramus. Apostolus dicit: Sit autem deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Ipse quoque Dauid dicit: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Ergo is qui peccat, & confitetur deo peccatum, iustificat deum cedens ei vincenti, & ab eo gratiam sperans. In baptismate igitur iustificatur deus, in quo est & confessio & venia peccatorum. Non contemnamus igitur, sicut Pharisæi consilium dei esse in baptismate Ioannis. Quis igitur dubitet dei esse cõsilium in Christi lauacro? Hoc est consilium quod magni consilij angelus reperit, quod nemo cognouit. Quis enim cognouit sensum domini? Hominis consilium nemo contemnit, dei cõsilium quis refutet? Ergo quasi filij matrem iustificemus, matrem sequamur. Scimus quia mater pro filiis se offert periculo. Matris sapientiæ cõsilio, matris obediamus imperio. *Psalm.50.* *Rom.11.*

De similitudine qua pharisæi & legisperiti confutantur.

CAntauimus vobis, & non saltastis: lamẽtauimus, & non plorastis.) Et si non incõgrua hæc puerorum videãtur esse personæ, qui leuẽ corporis motũ imprudẽtia adhuc maturioris grauitatis exercent, tamen ad altiorem sensum referri posse præsumo, eò quòd videantur Iudæi nec psalmis primo, nec Threnis postea propheticis credidisse, psalmis ad præmia prouocati, Threnis ab errore reuocati. Cãtauit Dauid, vt in salicibus nostra suspenderemus organa. Cãtauit & ipse, & ante arcam domini nõ pro lasciuia, sed pro religione saltauit. Ergo non histrionicis motibus sinuati corporis saltus, sed impigræ mentis & religiosa corporis agilitas designatur. Sed non in triumphis, non in excidiis Iudæorum secuta correctio est, qui diuinæ indulgentiæ muneribus prouocati, leuare mentẽ, corpus attollere, terrena deserere, cœlestia quęrere debuerunt, & iniuriis captiuitatis attriti deflere peccatum quod culpa esset author iniuriæ. *Iustificata est ergo sapientia ab omnibus filiis suis.*) Bene ab omnibus, quia circa omnes iustitia reseruatur, vt susceptio fiat fidelium, reiectio perfidorum. Vnde plerique Græci sic habent: Iustificata est sapientia ab omnibus operibus suis. quod opus iustitiæ sit, circa vniuscuiusque merita seruare mensuram. Bene ergo dicit: *Cantauimus vobis, & non saltastis.*) Cantauit enim Moyses, quando in mari rubro ad transitum Iudæorum fluctus obriguit, vnda circunstetit, eadémque equos Ægyptiorum ascensoréque refusa demersit. Cãtauit Esaias dilectæ vineę suæ canticum, significans asperam flagitiis fore plebem, quæ fœcundis prius erat virtutibus fructuosa. Cantauerunt Hebræi cùm vestigia eorum tactu flammæ rorantis humescerent, & intus extráque ardentibus omnibus, solos tamẽ ignis innoxius lamberet nec adureret. Abacuc quoque cantico publicam doctus mulcere mœstitiam prophetauit dulcem domini fore fidelibus passionem. Cantauerunt ergo prophetæ spiritalibus modulis publicæ salutis oracula resultantes. Fleuerunt prophetæ Threnis flebilibus dura Iudæorũ corda mulcentes. Docuit nos scriptura cantare grauiter, psallere spiritaliter. Docuit etiam saltare sapienter, dicente domino ad Ezechiel: Plaude manu, & percute pede. Neque enim histrionicos fluxu corporis motus deus morum censor exigeret, aut indecoros strepitus viris plausúsque fœmineos imperaret, vt tantum prophetam deduceret ad ludibria scenicorum & mollia fœminarum. Non congruunt resurrectionis reuelata mysteria, & opprobria saltationis exacta. Est sanè est quidam proprius bonorum actuum factorúmq; plausus, cuius sonus in orbẽ exeat, & bene gestorum resultet gloria. Est honesta saltatio, qua tripudiat animus, & bonis corpus operibus eleuatur, quando in salicibus organa nostra suspẽdimus. Iubetur ergo propheta plaudere manu, & percutere pede: iubetur psallere, quia sponsi nuptias iam videbat, in quibus desponsatur ecclesia, Christus adamatur. Et bonæ † nuptiæ, quando verbo anima, spiritui caro nubit. In his propheta Dauid nuptiis ludere nos voluit, ad has inuitauit, quia suos posteros copulabat, & ideo lætior quàm cæteri, quasi in ipso actu positus nuptiarum nos ad celebritatem festi muneris adhortatur, dicens: Exultate deo adiutori nostro, iubilate deo Iacob. Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium iucundum cum *Exod.15.* *Esaiæ 25.* *Daniel.3.* *Abacuc 3.* *Ezech.21.* *Psalm.136.* † *bene.* *Psalm.80.*

Psalm.70. dum cum cithara. Nónne actum quendã prophetæ saltantis aduertis? Denique alibi: Psallam tibi deus in cithara sanctus Israel. Gaudebunt labia mea cũ cãtauero tibi, & anima mea, quam redemisti. Audis citharizantiũ voces, audis saltãtium † crepitus †, nuptias crede. Sume & tu citharã, vt pulsata spiritus plectro interiorum chorda venarum boni operis sonũ reddat. Sume & psalterium, vt harmonia dictorum factorúmque tuorum cõcinat. Sume & tympanum, vt organum tui corporis spiritus moduletur interior, factísque operantibus dulcis morum tuorum suauitas exprimatur. Sic psallebat propheta cùm diceret: Veni huc à Libano sponsa, veni huc à Libano. Hoc canticũ cecinerunt pueri, nec auditi sunt. Esaiæ 8. Qui pueri? De quibus dicit: Ecce ego, & pueri quos dedisti mihi. Sed hoc canticum non in foro, non in plateis canebatur, sed in Hierusalem. Ipsa est enim dominicum forum, in quo præceptorum cœlestium iura conduntur.

Cantic. 4.

De muliere peccatrice ingrediente domum Simonis ad Iesum.

Matth. 26. ET ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.) Hoc loco plerique pati videntur scrupulum, & ferere quæstiones, vtrumnam videãtur euãgelistæ duo discordasse de fide, an verò aliquam in dictorum diuersitate, diuersitatem signare voluisse mysterij. Habes enim in euangelio secundum Matthæum quia Iesus cùm venisset in Bethaniam in domum Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti precioſi, & recumbẽte illo fudit super caput eius. Deinde isthic pharisæus intra se dicit, quòd si esset propheta, sciret peccatricem, & vnguentum eius vitare deberet. Illic vnguento effuso discipuli conqueruntur. Vtrumque igitur explicandum est, sed antè quod scriptorũ ordine prius est, priorem quoque ordinem interpretationis accipiat. Venit ergo dominus Iesus in domum Simonis leprosi. Apparet œconomia, quod leprosum non refugit, nõ vitat immundum, vt maculas humani corporis possit abolere. Domus autem leprosi erat in Bethania, quæ per interpretationem domus obedientiæ dicitur. Omnis igitur locus Bethania, portio autem totius loci domus Simonis. Nónne tibi videtur Bethania mũdus hic esse in quo seruitij obedientis debemus obsequium? domus autem Simonis leprosi terra esse, quæ mũdi portio est? Princeps autem seculi huius quidam leprosus est Simon. Ergo dominus Iesus Christus ex illis superioribus locis venit in hunc mundum, & descendit in terram. Non erat in hoc mũdo, sed obediente pietate missus est in hũc mũdum. Ipse dicit: Sicut misit me pater in hunc mũdum. Audiuit ergo mulier ista venisse Christum, intrauit in domum Simonis. Neque enim sanari potuisset hæc mulier, nisi Christus venisset in terram. Et fortasse ideo etiam ipsa ingreditur domum Simonis quòd speciem cuiusdã habeat superioris, animæ scilicet vel ecclesiæ quæ descendit in terram, vt bono odore sibi populum congregaret. Hanc ergo mulierem inducit sanctus Matthæus supra caput Christi effundentẽ vnguentũ. Et ideo fortè noluit dicere peccatricẽ. Nam peccatrix secundũ Lucam supra Christi pedes effudit vnguentum. Potest ergo non eadem esse, ne sibi contrarium euangelistæ dixisse videantur. Potest etiam quæstio meriti & temporis diuersitate dissolui, vt adhuc illa peccatrix sit, iam ista perfectior. Etsi enim non personam mutat ecclesia vel anima, tamen mutat profectum. Itaque si constituas animam fideliter appropinquãtem deo, non peccatis turpibus & obscœnis, sed piè seruientem dei verbo, habentem immaculatæ fiduciam castitatis, aduertis quod ad ipsum Christi ascendat caput (caput autem Christi deus est) & odorem meritorũ spargit suorũ. 2. Cor. 2. Christi enim bonus odor sumus deo. Deum quippe honorat bonum fragrãs odorem vita iustorum. Si hæc intelligas, videbis hãc fœminam, videbis planè beatã vbicunq; prædicatum fuerit hoc euãgelium, nominari, nec eius vnquã exolescere memoriam, eò quòd super caput Christi bonorum fragrantiam morum iustorúmque factorum effudit vnguẽtum. Qui accedit ad caput, nescit extolli, sicut ille frustra inflatus mente carnis suæ, & non tenens caput. Sed qui caput nõ tenet Christi, vel pedes teneat, quia corpus vnum copulatum & submiſtratũ crescit in augmentum dei. Altera est illa vel persona, altera vel profectu quæ propinqua nobis est. Nondum enim peccatis nostris renunciauimus, vbi sunt nostræ lachrymæ? vbi gemitus? vbi fletus? Venite adoremus & procidamus ante eum, & ploremus ante deum qui fecit nos: vt saltem ad pedes Iesu venire possimus. Nõdum enim possumus ad caput, quia peccator ad pedes, iustus ad caput. Habet tamen & quæ peccauit vnguẽtum. Defer mihi & tu post peccata pœnitentiam. Quocunque vel in domum indigni, vel in domum pharisæi audieris iustum venisse, contende præripere hospitis gratiam, præripere regnum cœlorum. A diebus enim Ioannis Baptistę regnum cœlorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Vbicunque audieris Christi nomen, accurre, in cuiuscunque interiorem domum Iesum intrasse cognoueris, & tu ipse festina. Cùm repereris sapiẽtiã, cùm repereris iustitiam in alicuius penetralibus recumbẽtem, accurre ad pedes, hoc est, vel extremam partem quære sapientiæ. Noli fastidire pedes: fimbriam illa tetigit: & sanata est. Lachrymis confitere delicta, dicat de te quoque iustitia illa cœlestis, Lachrymis suis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Et fortasse ideo non lauit pedes suos Christus, vt eos lachrymis nos lauemus. Et bonæ lachrymæ, quæ non solum nostrum possunt lauare delictum, sed etiã verbi cœlestis rigare vestigiũ, vt gressus in nobis eius exuberent. Bonæ lachrymę, in quibus non solum redemptio peccatorum, sed etiam refectio est iustorum. Iusti enim vox est: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Et si ad caput Christi accedere non potes, tangat pedibus suis caput tuũ Christus. Et fimbria eius curat, & pedes curant. Expãde capillos, sterne ante eum omnes tui corporis dignitates. Nõ mediocres capilli sunt qui possunt tergere pedes Christi. Testatur hoc ille qui quandiu capillos habuit, vinci nequiuit. Denique & mulierem decaluatam orare non decet. Habeat planè capillos quibus Christi circunuoluat vestigia, quibus suę criniculis pulchritudinis & decoris sapientiæ pedes tergat, vt extremo saltem diuinæ rore virtutis humescant, figat iustitiæ pedibus oscula sua. Non mediocris hæc meriti est, de qua potest dicere sapientia: *Ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos.*) Vt aliud nisi sapientiam loqui nesciat, vt aliud nisi iustitiam diligere nesciat, vt aliud nisi castitatem libare nesciat, vt aliud nisi pudicitiam osculari nesciat. Osculum enim mutui amoris indicium est, osculum * pignus est charitatis. Beat⁹ qui potest & oleo vngere pedes Christi. Denique adhuc Simon non vnxerat, sed beatior quæ vnxit vnguento. Multorum enim florum in vnum collecta gratia spargit odorum varias suauitates. Et fortasse istud vnguentum non possit alius nisi ecclesia sola deferre, quæ diuersi spiraminis innumerabiles habet flores: quæ meritò speciem accepit peccatricis, quia Christus quoque formam peccatoris accepit. Et ideo nemo tantum potest diligere, quantum illa quæ in pluribus diligit. Nec Petrus ipse qui dixit: Domine, tu nosti quia diligo te. Nec Petrus ipse qui doluit quia interrogatus est: Amas me? Quod enim manifestum erat, nolebat quasi incognitum quæri. Ergo nec Petrus ipse quia ecclesiam dilexit in Petro. Nec Paulus ipse, quia Paulus quoque est eius portio. Et tu plurimum dilige, vt & tibi remittatur plurimum. Multum peccauit Paulus, qui etiam persecutor fuit: sed multum dilexit, qui vsque ad martyrium perseuerauit. Remissa sunt ei peccata multa, quia & ipse multum dilexit, qui sanguini proprio pro dei nomine non pepercit. Vide œconomiã, in domo pharisæi peccatrix glorificatur, in domo legis & prophetæ non pharisæus, sed ecclesia iustificatur. Pharisæus enim non credidit, ista credebat. Denique ille dicebat: *Si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis esset mulier quæ tangit eum.*) Dominus autem legis Iudæa, quæ non in lapidibus scribitur, sed in tabulis cordis: in hac iustificatur ecclesia iam lege maior. Lex enim peccatorum nescit remissionem, lex mysterium non habet quo occulta mundantur. Et ideo quod in lege minus est, consummatur in euangelio.

Psalm. 94.

Matth. 11.

Matth. 9.

Psalm. 41.

Iudic. 16.

1. Corin. 11.

* signum.

Ioan. 21.

De responsione Iesu Simonem arguentis.

DIc, inquit, *debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta.*) Qui sunt isti debitores duo, nisi populi duo

1701

si duo, vnus ex Iudæis, alter ex gentibus, fœneratori illi thesauri cœlestis obnoxij? Vnus, inquit, debebat denarios quingentos, alius quinquaginta. Nõ mediocris est iste denarius, in quo regis imago formatur, qui trophæum habet imperatoris expressum. Nõ materialem fœneratori huic debemus pecuniam, sed meritorum examina, æra virtutum: quarum meritum grauitatis pondere, iustitiæ specie, sono confessionis expenditur. Væ mihi si non habuero quod † accepi, quia difficile quisquam est qui fœneratori huic integrũ debitum possit exoluere. Væ mihi si non petiero concedi mihi debitũ. Non enim nos ita dominus orare docuisset vt peteremus, Dimitte nobis nostra debita: nisi sciret difficile alios fore idoneos debitores. Sed quis est populus iste qui amplius debet, nisi nos, quibus amplius creditũ est? Illis creditа sunt eloquia dei, nobis creditur partus virginis. Habes talentum virginis partum, habes fidei centesimum fructum. Creditus est Emmanuel nobiscũ deus, credita domini crux, mors, resurrectio. Et si Christus pro omnibus mortuus est, pro nobis tamen specialiter passus est, quia pro ecclesia passus est. Itaque nõ est dubium quòd plus debeat qui plus accepit. Et secundum hominem plus fortasse offendit qui plus debuerit: sed per misericordiã domini causa mutatur, vt amplius diligat qui amplius debuit, si tamen gratiam cõsequatur. Gratia enim & qui reddit, habet: & qui habet, in eo ipso quod habet, soluit. Nam & reddendo habetur, & habendo redditur. Et ideo quoniam nihil est quod dignè deo referre possimus: (Quid enim referamus pro susceptæ carnis iniuria? quid pro verberibus? quid pro cruce, obitu, sepultura?) væ mihi si non dilexero. Audeo dicere: Non reddidit Petrus, & ideo plus dilexit. Non reddidit Paulus. reddidit quidem mortem pro morte, sed alia non reddidit, quia multa debebat. Audi ipsum dicentem quia non reddidit: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Reddamus licet crucem pro cruce, funus pro funere, nunquid reddimus quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso habemus omnia? Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis precio. Plus enim diligit, cui donatur amplius. Sed reuertamur ad illam superiorem cuius consilium adhuc nec apostoli intelligũt, quod erat absconditum à seculis in deo. Quis enim cognouit sensum domini? Conquerebantur ergo discipuli quia mulier super caput effudit vnguentum, & querebantur dicentes: *Quare hoc sic perit? Potuit enim venundari precio, & dari pauperibus.*) Quid vtique in eorum sermonibus displicuerit, non potest deprehendi, nisi mysterium intelligas. Luxuriosi enim hominis vel potius non hominis est olere vnguentum. Certè & ipsi qui olent †, vngere se, non perfundere solent. Quid displicet quia dictũ est: Potuit hoc venundari precio, & dari pauperibus? Certè & ipse supra dixerat: Quicquid vni minimorũ horum feciſtis, mihi feciſtis: ipse mortem suam pro pauperibus offerebat. Non est igitur simplex figura, & ideo respondit illis dei verbum: *Quid molesti estis huic mulieri? Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper.*) Semper ergo tecum pauperem habet, & ideo benefac. Num igitur differre pauperem debes, quia semper tecum est, cùm tibi propheta dicat: Ne dixeris pauperi, cras dabo? Sed ille de sola misericordia locutus est, hic autem misericordiæ fidem prætulit, quæ tunc habet meritum, si fide præcedente conferatur. *Mittens enim vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.*) Non ergo vnguentum dominus, sed charitatem dilexit, fidem suscepit, humilitatem probauit. Et tu si desideras gratiam, charitatem auge, mitte in corpus Iesu fidem resurrectionis, odorem ecclesiæ communis charitatis vnguentum, & ita progrediens pauperibus dabis. Plus tibi pecunia illa proderit, si non tanquam affluentem tribuas, sed tanquam propinquum Christi nomine largiaris, si ita eam conferas pauperi, vt deferas Christo. Non ergo iuxta literam tantum modo accipias superfusum capiti vnguentum, litera enim occidit, sed secundum spiritum quia spiritus vita est. Quod ergo illos mulieris vnguentum est? Quis hoc audire potest? Quis habes aures habet, vt dicente Iesu verbum quod accepit à patre mysterij? Et discipuli ex parte intelligunt, etsi non totum intelligunt. Vnde & quidam putant dixisse discipulos vnguenti precio emi fidem gentium debuisse, quæ sanguinis dominici tantum precio debebatur. quod videtur verisimile. Denique Ioannes euangelista inducit sermone Iudæ Scarioth æstimatum trecentis denariis illud vnguentum, sicut habes: Potuit enim venundari trecentis denariis, & dari pauperibus. Trecentorum autem æra, crucis insigne declarant: sed dominus nõ perfunctoriam mysterij præscientiam quærit, sed cõsepeliri † in se fidem credentium mauult †. Id tamẽ de cæterorum apostolorum vocibus intelligimus. Iudas autem condemnatur auaritiæ, qui pecuniam dominicæ prætulit sepulturæ, qui etiam si de passione sensit, errauit. Tam vili auctione vult æstimari Christus, vt ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur. Gratis, inquit, accepistis, gratis date. Pecuniam non quærit diuitiarum altitudo, sed gratiam. Ipse nos precioso sanguine emit, non vendidit. De quo plenius diceremus, nisi à nobis ipsis tractatum alibi recordaremur. Ergo secundum dicta domini, in quo sunt thesauri sapiẽtiæ & scientiæ absconditi, quos nemo potuit præuidere, operari me oportet in sepulturam eius, vt caro eius requieuisse, non corruptionẽ vidisse credatur, & mors corporis eius ita domum nostram odore sui cõpleat, vt credamus quia in manus patris commendauit spiritum suum, & à morte sequestrata diuinitas corporalium non subiit cõsortium passionum. Intellige quemadmodum corpus filij vnguentum oleat. Corpus illud est quod exutum est, nõ quod amissum est. Corpus eius, traditiones sunt scripturarum. Corpus eius ecclesia est. Corporis eius odor sumus: & ideo decet vt mortem corporis eius ornemus. Etsi nostros illa non requirat ornatus, sed requirunt pauperes. Ornabo corpus eius, si fiam sermonum eius prædicator, & possim gentibus crucis aperire mysterium. Ornauit ille qui dixit: Quia prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis verò vocatis Iudæis atque Græcis, Christum dei virtutem & dei sapientiam. Ornatur crux, cùm id quod per imperitiam stultum putatur, per euangelium sapientius æstimatur, vt possimus docere quemadmodum virtus aduersaria per crucem domini destruatur. Misi in domini corpus vnguentũ, spirare incipit quod mortuum putabatur. Ideo vnusquisque adoriatur emere labore suo nisúque virtutum alabastrum vnguẽti, non vile aliquod atque commune, sed precioſum vnguẽtum alabastri, & vnguentum pysticum. Si enim quis fidei congreget flores, & prædicet Iesum Christum crucifixum: in omnem ecclesiam, quæ Christi corpus est, mundo mortua, requiescens deo, fidei suæ transfudit vnguentũ. Olere incipit tota domus domini passionem, olere incipit mortem, olere incipit resurrectionem, vt possit vnusquisque ex hoc sacræ plebis numero dicere: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Spirat odor, redolet vnguentum in corpore, si quis possit, atque vtinam ego possim, cõfidenter loqui: Mihi autem mundus crucifixus est. Non amãti diuitias, non amanti honores seculi, non amãti quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, non amãti quæ videntur, sed quæ non videntur, non cupido vitæ, sed ei qui festinat dissolui, & cum Christo esse, crucifixus est mundus. Hoc est enim crucem tollere, & sequi Christum, vt & nos cõmoriamur & consepeliamur cum eo, vt vnguentum quod ista mulier in sepulturam eius misit, olere possimus. Non mediocre istud vnguentum est, quo Christi longè latéque diffunditur nomen. Vnde etiam prophetice dictum est: Vnguentum exinanitũ est nomen tuum. Ideo exinanitum, vt maiore fides odore fragraret. Ex hac ergo muliere intelligimus illud apostolicum quid sit: Superabundauit peccatum, vt superabundaret gratia. Nam si in ista muliere non superabundasset peccatum, non superabundasset gratia. Agnouit enim peccatum, & detulit gratiã. Et ideo lex necessaria. Per legem enim peccatum agnoui. Si lex non fuisset, peccatum lateret. Agnoscendo peccatum, veniam peto. Per legem enim genera peccatorum, præuaricationis quoque crimen agnosco. Curro ad pœnitentiam, gratiam consequor. Lex ergo author est boni, quæ mittit ad gratiam.

Dere-

Ioan. 12.

† *compleri.*
† *vult.*

1. Corin. 1.

Gala. 6.

Philip. 1.

Canti. 1.

Roma. 5.

De responsione Iesu cum ei nunciatum esset matrem & fratres foris stare.

Caput VIII.

MAter & fratres mei hi sunt, qui verbum dei audiunt & faciunt.) Moralis magister, qui de se cæteris præbet exemplum, atque ipse præceptor, ipse etiam suorum executor est præceptorum. Præscripturus enim cæteris: Quoniam qui non reliquerit patrē aut matrem suam, non est filio dei dignus, sententiæ huic primus ipse se subiecit: nō quo maternæ refutet pietatis obsequia, (ipsius enim præceptum est: Qui non honorauerit patrem & matrem, morte moriatur) sed quia paternis se mysteriis amplius quàm maternis affectib⁹ debere cognoscat. Neque tamen iniuriosè refutantur parentes, sed religiosiores copulæ mentium docentur esse, quàm corporum. Ergo non debuerunt foris stare, qui Christum videre quærebant. Prope est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo. Intus igitur verbum, intus & lumen. Vnde & ille ait: Accedite ad eum, & illuminamini. Si enim foris stātes nec ipsi agnoscūtur parentes, & propter nostrum fortasse non agnoscuntur exemplum: quemadmodū nos agnoscimur si foris stemus? Nec putet aliquis offendiculum esse pietatis, vbi mādatum legis impletur. Si enim relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, rectè sacramentum hoc in Christo seruatur & ecclesia. Et ideo parētes corpori proprio non oportuit anteferri. Ergo hîc non (vt quidam hæretici tendiculas aucupantur) mater negatur, quæ etiam de cruce agnoscitur, sed necessitudini corporali, præscriptorum cœlestium forma præfertur. Illud quoque intelligere non abhorret, quia per figuram parentum demōstrat Iudæis, ex quibus est Christus secūdum carnem, ecclesiam quæ credidit, præferendam.

Exod. 20.
Rom. 10.
Psalm. 33.
Ephes. 5.
Ioan. 19.

De ascensu Iesu in nauem, & sedatione tempestatis.

† intelligit.

ITaque qui se † intelligeret propter diuinum in terras venisse mysterium, ecclesiæque conuentum: *Relictis nauem ascendit parentibus.*) Neq; enim quisquam poterat hunc mūdum enauigare sine Christo, quando eos quoque quibus dominus adest, tentationum secularium sæpe procella perturbat. Et œconomia seruatur in apostolis, vt aduertas sine tentatione neminem posse ex hoc vitę curriculo demigrare, quia exercitium fidei tentatio est. Subiecti igitur sumus nequitiæ spiritualis procellis, sed quasi peruigiles nautæ gubernatorem excitemus. Verum & ipsi periclitari solēt. Quem igitur gubernatorem requiramus? Illum vtique qui non seruiat sed imperet ventis: de quo scriptum est: *At ille surgens increpauit ventum & tempestatem aquæ, & facta est tranquillitas.*) Quid est surgens? Quiescebat enim. Sed quiescebat corporis somno, cùm intenderet diuinitatis mysterio. Vbi enim sapientia, vbi verbum, nihil sine verbo fit, nihil sine prudentia. Supra habes, quia pernoctabat in oratione, quomodo hic in tempestate dormit? Sed exprimitur securitas potestatis, quòd omnibus timentibus solus intrepidus quiescebat. Non est ergo consors naturæ, qui non est consors periculi. Etsi corpus dormit, operatur diuinitas, operatur fides. Denique dicit: *Modicæ fidei, quare dubitastis?*) Et bene arguuntur qui præsente Christo timebant, cùm vtique qui ei adhæreat, perire non possit. Ergo confirmauit fidem, refudit tranquillitatem. Vētum cessare præcepit, non Aquilonem, non Africum, sed illum vtique ventum cui dictum est ab angelo Michaël in epistola Iudæ: Imperet tibi dominus. Vnde etiam sanctus Matthæus, imperauit, inquit, vento & mari. Atque vtinam in nobis flatus eius asperos cohibere dignetur, vt fluctuanti vitæ refusa tranquillitas naufragij metum demat. Et si iam non dormiat sui corporis somno, caueamus tamē ne nostri corporis somno nobis dormiat & quiescat.

Iudæ 1.
Matth. 8.

De eo quod secundum Matthæum duo homines dæmoniis afflati, Christo occurrisse narrentur, Lucas verò vnum inducat.

Matth. 8.

ET quoniam quæ loco superiori perstrinximus, delibasse satis est: Nunc quia in libro secūdum Matthæum duos homines in regione Gerasenorū dæmoniis afflatos Christo occurrisse cognouimus, hic autem sanctus Lucas, *Et cùm egressus esset ad terram, occurrit illi quidam qui habebat dæmonium iam multis temporibus.*) Vnum inducit, eundémque nudum: (Nudus enim est quicunque tegumentum naturæ suæ & virtutis amisit) qua ratione de numero euangelistæ dissonare videātur, non ociosè præteundum, sed requirendum arbitror. Et quidem licet discordet numerus, tamen cōcordat mysterium. Vir enim iste qui habebat dæmonium, populi figura gentilis est, opertus vitiis, nudus errori, patens crimini. Duo illi quoque similiter figuram populi gentilis accipiunt, quoniam cum tres filios Noë generauerit, Sem, Cham, & Iaphet, Sem tantummodo familia in possessionem adscita est dei. Ex duobus illis diuersarum nationum populi pullularunt, quorum alter maledictus, quòd nudatum patrem non texerat: benedictus alter, quòd aduersus licet, ne confusionem nudati parentis hauriret, duce tamen patrem pietate texisset, & fraterni maledictum seminis eluisset. *Qui multis*, inquit, *temporibus agebatur.*) Vtpote qui à diluuio vsque ad aduētum domini vexabatur furore dementi, rumpens vincula naturæ. Nec immeritò etiam sanctus Matthæus in monumentis illos habitasse significauit. Siquidem talium animæ in quibusdam habitare videntur tumulis sepulchrorum. Quid enim aliud sunt corpora perfidorum, nisi quædam defunctorum sepulchra, in quibus dei verba non habitēt? Agebatur ergo in loca deserta, spiritalium scilicet infœcunda virtutum. Profugus à lege, discretus à prophetis, remotus à gratia. Nō enim vno dæmonio, sed totius legionis laborabat incursu: quæ cùm dominum vidisset, cognouissētque præscia dominici aduentus tempore in abyssos se esse trudendam, cœpit orare vt introeūdi in porcos acciperet facultatem. Et primum clementiam domini debemus aduertere, quòd nullum prius ipse cōdemnat, sed vnusquisque sibi author est pœnæ. Non mittuntur in porcos dæmones, sed ipsi petunt, quia cœlestis luminis claritatem sustinere non poterāt, vt qui oculos dolent, radium solis ferre non possunt, sed tenebrosa eligunt, & splendentia derelinquunt. Fugiant ergo dæmones splendorē lucis æternæ, & ante tempus debita sibi tormenta formident, non prædiuinātes quæ futura sunt, sed quæ prophetata sunt recordantes. Dixit enim Zacharias: Et erit in illa die, disperdet dominus nomina idolorum de terra, & non erit vlterius memoria eorum, & spiritum immundum exurā de terra. Docemur ergo quòd non semper manebunt, nec malitia eorum possit esse perpetua. Nunc igitur illam metuentes pœnam, aiunt, *Venisti perdere nos.*) Sed quia adhuc esse desiderant, iam ab hominibus recedentes, propter quos pœnam sciunt sibi esse subeundam, petunt mitti in porcos. Qui sunt isti porci, nisi fortè illi de quibus dictum est: Nolite dare sanctum canibus, nec miseritis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis? Illi scilicet qui immundorum vsu animalium vocis & rationis expertes, lutulentis vitæ suæ actibus naturalium coinquinauerint ornamenta virtutum. Qui impetu feruntur in præceps, quoniam nullius meriti contemplatione reuocantur, sed tanquam de superioribus ad inferiora per improbitatis procliue detrusi, suffocantur in aquis inter fluctuantia mundi istius, strangulatorum in modum, intercluso pereūtes spiritus commeatu. Neque enim in iis qui fluido æstu voluptatum huc atque illuc feruntur incerti, vllius spiritus potest esse vitale commercium. Videmus igitur quia homo ipse sibi est author ærumnæ. Nam nisi quis porci more vixisset, nunquā accepisset in eum diabolus potestatem. Aut si accepisset, non vt perderet, sed probaret. Aut fortasse quia post domini aduentum bonos iam deprauare non poterat, non omnium hominum sed leuium iam quærit interitum, vt latro non armatis insidiatur sed inermibus, & iniuriis lacessit infirmum, qui se intelligit vel à forti contemni, vel à potente damnari. Sed dicit aliquis: Cur hoc à deo permittitur diabolo? At ego dico, vt boni probentur, improbi puniantur. Hæc enim pœna peccati est. Denique lege, quia immittit dominus febrem, & tremorem, & malos spiritus, & cæcitatem, & omnia flagella iuxta merita peccatorum. Sed redeamus ad lectionem. *Viderunt*, inquit, *hoc magistri gregum, & fugerunt.*) Neque enim aliquam philosophiæ professores, vel principes synagogæ pereuntibus populis possunt ferre medicinam. Solus est Christus qui aufert peccata populorum

Ibidem.
Zach. 13.
Matth. 8.
Matth. 7.

1705

populorum, si tamen medendi patientiam nō recusent. Cæterum curare non dignatur inuitos, & citò infirmos deserit, quibus oneri videt esse præsentiam suam, sicut Gerasenorum populis: *Qui exeuntes de ciuitate.*) In qua specie synagogæ videtur existere. *Rogabant vt discederet*) quia timore magno tenebantur. Infirma enim mens non capit dei verbum, nec potest pondus sustinere sapientiæ, fatiscit & solutur. Et ideo diutius molestus non fuit, sed ascendit, & regressus est. Ascendit vtique ab inferioribus ad superiora, à synagoga scilicet ad ecclesiam. *Et reuersus per stagnum est.*) vbi ait: aut sicut Matthæus, per fretum. Inter nos enim & illos fretum magnum est. Itaque nemo de ecclesia ad synagogam sine periculo transit salutis: sed & ille qui de synagoga ad ecclesiam transire desiderat, crucem suam tollat, vt sic à tumulis & sepulchris in illam spiritalem domum recte præcipitur, vt fiat dei templum, in quo erat mentis sepulchrum.

De filia principis synagogæ resuscitata, & muliere fluxum sanguinis patiente sanata.

ECce vir cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat. Et cecidit ante pedes Iesu rogās eū vt intraret domum suam, quia filia vnica erat illi, ferè annorū duodecim, & hæc moriebatur.) Reliquerat in Gerasenis synagogā Christus, vt diximus: & quē sui non receperāt, excepimus alieni: excepimus quem expectabamus. Nec nobis igitur, à quibus expectabatur, diu defuit: nec ad illos, si rogetur, redire fastidit. Vir enim ille princeps synagogę, cui filia erat vnica, pro synagogę periculis remedio precabatur, quæ vrgebatur in mortē, quia deferebatur à Christo. Quem putamus synagogæ principem esse, nisi legem? Cuius cōtemplatione dominus synagogam non penitus dereliquit, medicinam salutis credentibus reseruauit. Ad hanc ergo principis filiam dum properat dei verbū, vt saluos faceret filios Israel, sancta ecclesia ex gentibus congregata, quæ inferiorum lapsu criminum deperibat, paratam aliis fide præripuit sanitatem. Moraliter hunc locum satis putauimus exprimēdum. Et ideo non illa quæ dicta sunt † recēsemus, sed mystica breui volumus sermone perstringere. An non ita factum est, vt dei verbum cùm venisset ad Iudæos, adsciscēretur à gētibus, & prius ab illis qui in legem non crediderant, in gratiam crederetur? Non sicut illa quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, ita etiam congregatio gentium amiserat omnia dona naturæ, & patrimonium vitale prodegerat, sancta, verecunda, religiosa, fide promptior, pudore cunctatior. Hoc est enim pudoris & fidei, agnoscere infirmitatem, non desperare veniam. Verecunda ergo fimbriam tetigit, fidelis accessit, religiosa credidit, sapiens sanatam se esse cognouit. Sic sancta plebs gentium quæ deo credidit, peccatum erubuit vt deferret, fidem detulit vt crederet, deuotionem exhibuit vt rogaret, sapiētiam induit vt sanitatem suam & ipsa sentiret, fiduciam sumpsit vt fatereturr, quod præripuisset alienum. Cur autem retro tangitur Christus? An quia scriptum est: Post dominū deum tuum ambulabis? Quid etiam sibi vult quòd & principis filia annorum duodecim moriebatur, & mulier ista fluxu sanguinis ab annis duodecim laborabat, nisi vt intelligatur quia quandiu synagoga viguit, laborauit ecclesia? Defectus illius huius virtus est: quia illorum delicto salus gentibus: & consummatio illius, huius exordium est: non naturæ exordium, sed salutis: quia cæcitas ex parte Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret. Non igitur tempore, sed specie sanitatis antiquior synagoga quàm ecclesia, quia quandiu illa credebat, ista non credidit, & per varias corporis atque animæ passiones immedicabili remedio ægra laguebat. Audiuit ægrotare populum Iudæorum, sperare cœpit salutis suæ remedium, tempus venisse cognouit quo medicus adesset è cœlo, surrexit vt occurreret verbo, vidit quia comprimebatur à turbis. Non enim credunt qui comprimunt, credunt qui tangunt. Fide tangitur Christus, fide Christus videtur, non corpore tangitur, non oculis comprehenditur. Neque enim videt, qui videns non videt: neque audit, qui ea quæ audit non intelligit: neque tangit, qui non fideliter tangit. Denique vt fidem tangentis exprimeret, ait: *Tetigit me aliquis. nam ego cognoui virtutem de me exisse.*) Quod est euidentis indicij, quia non intra possibilitatem conditionis humanæ, atque intra corporis claustrum inclusa sapientia diuinitatis coarrata est. non capitur angustiis corporalibus, non tenetur, sed vltra fines nostræ mediocritatis virtus exundat æterna. Non enim humana ope plebs gentium liberatur, sed dei munus est congregatio nationum, quæ etiam breui fide misericordiam inclinat æternam. Nam si consideremus quanta sit fides nostra, & intelligamus quantus sit filius dei, videmus quia comparatione eius fimbriam tantummodo tangimus, superiorem verò vestimenti eius partem nequimus attingere. Si igitur & nos curari volumus, fide tangamus fimbriam Christi. Non latet eum quicunque fimbriam tetigerit, qui tetigerit auersum. Neque enim deus indiget oculis vt videat, neque corporaliter sentit, sed in se habet cognitionem omnium. Beatus ergo qui vel extremam partem verbi contigerit: Nam totum quis potest comprehendere? Verum vt ad illam quæ adhuc ægra est, reuertamur, ne per nostram moram dum diu Christi moramur ingressum, mortua esse credatur: *Venerunt*, inquit, *serui dicentes principi: Noli vexare illum, filia tua mortua est.*) Et primùm illud consideremus, quòd suscitaturus mortuam, ad faciendam fidem hæmorrhoüsam antè curauit. Et vt scias, exempli gratia, stetisse sanguinis fluxum: dum ad illā petitur, ista curatur. Sic & resurrectio tēporalis in domini passione celebratur, vt perpetua illa credatur. Sic & paritura sterilis indicatur, vt conceptura virgo credatur. Denique audiuit parituram Elizabeth Maria, nec de sua generatione dubitauit. *Venerunt*, inquit, *serui dicentes principi: Noli vexare illum.*) Adhuc & hi increduli ad resurrectionem, quam Iesus in lege prædixit, in euangelio compleuit. Itaque cùm venisset in domum, paucos futuræ resurrectionis arbitros adsciuit. Non enim à multis continuò est credita resurrectio. Denique dicente domino: *Non est mortua puella, sed dormit: deridebant*, inquit, *eum.*) Quicunque enim non credit, irridet. Fleant igitur mortuos suos qui putant mortuos: Vbi resurrectionis fides est, non mortis species, sed quietis est. Nec illud abhorret Matthęi quòd ait tibicines fuisse in domo principis, & turbam tumultuantem. Vel quia more veteri tibicines ad incendendos excitandósque luctus ferebantur adhiberi, vel quia per legis & literæ cantilenam, exultationem synagoga non poterat capere spiritalem. *Tenens ergo manum puellæ Iesus sanauit eam, & iussit dare ei manducare.*) Quod est testimonium vitæ, vt non phātasma sed veritas crederetur. Beatus ille cui manum sapientia tenet. Vtinam meos quoque teneat actus, teneat manum iustitia, teneat dei verbum, inducat in penetralia sua, spiritum auertat erroris, conuertat salutis, dari mihi iubeat manducare. Panis enim cœlestis dei verbum est. Inde & illa sapientia, quæ diuini corporis & sanguinis sacrosancta altaria repleuit alimētis, Venite, inquit, edite panes meos, & bibite vinum quod miscui vobis. Quæ tamen tantæ diuersitatis est causa? Supra publicè viduæ filius suscitatur, hic remouētur plures arbitri. Sed puto quòd in eo quoque pietas ibi domini declaretur, quia vidua mater vinci non patiebatur moras, & ideo ne amplius afficeretur, maturitas additur. Est etiam forma sapientiæ in viduæ filio, citò ecclesiam credituram in archisynagogi filia credituros quidem Iudæos, sed ex pluribus pauciores.

Matth. 9.

Prouer. 9.

Qualiter discipuli à Christo missi se habere debeant ad eos qui ipsos non receperint.

ET quicunque non receperit vos, exeuntes de ciuitate illa etiam puluerem de pedibus vestris excutite in testimonium supra illos.) Qualis debeat esse qui euangelizat regnum dei, præceptis euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pecunia, hoc est subsidij secularis adminicula, non requirens, fidéque tutus putet sibi quo minus ea requirat, magis posse suppetere. Quæ possunt qui volunt ad eum deriuare

tractatum,

tractatū,vt ſpiritalem tantūmodo locus iſte formare videatur affectum,qui velut indumētum quoddā videatur corporis exuiſſe,non ſolum poteſtate reiecta,cōtemptíſque diuitiis,ſed etiam carnis ipſius illecebris abdicatis. Quibus primo omnium datur pacis atque conſtantiæ generale mandatum,vt pacem ferant,conſtantiam ſeruent,hoſpitalis neceſſitudinis iura cuſtodiāt, alienū à prædicatore regni cœleſtis aſtruens curſitare per domos, & inuiolabilis hoſpitij iura mutare. Sed vt hoſpitij gratia deferenda cenſetur,ita etiā ſi non recipiantur,excutiendum puluerem,& egrediēdum de ciuitate mādatur.Quo mandato non mediocris boni remuneratio docetur hoſpitij, vt nō ſolum pacem tribuamus hoſpitibus,verumetiam ſi qua eos terrenæ obumbrant delicta leuitatis,receptis apoſtolicæ prædicationis veſtigiis auferātur. Nec ociosè ſecundum Matthæum domus quam ingrediantur apoſtoli, eligenda decernitur, vt mutandi hoſpitij neceſſitudiníſque violandæ cauſa non ſuppetat.Non tamen eadem cautio receptori mandatur hoſpitij, ne dum hoſpes eligitur, hoſpitalitas ipſa minuatur. Sed hæc vt ſecundum literā de hoſpitij religione venerabilis eſt forma præcepti, ita etiam de myſterio ſentētia cœleſtis arridet. Etenim cùm domus eligitur,dignus hoſpes inquiritur. Videamus ne fortè eccleſia præferēda deſignetur,& Chriſtus. Quæ enim dignior domus apoſtolicæ prædicationis ingreſſu quàm ſancta eccleſia? Aut quis præferendus magis omnibus videtur eſſe quàm Chriſtus,qui pedes ſuis lauare conſueuit hoſpitibus,& quoſcunque ſua receperit domo,pollutis non patiatur habitare veſtigiis,ſed maculoſos licet vitæ prioris,in reliquum tamen dignetur mutare proceſſus?Hic eſt igitur ſolus quem nemo deſerere debet,nemo mutare. Cui bene dicitur:Domine,ad quem ibimus?verba vitæ æternæ habes,& nos credimus. Vides executorem cœleſtiū præceptorū,qui quoniam non mutauit hoſpitium, cœleſtis conſortium cōſecrationis emeruit.Fides igitur in primis eccleſiæ quærenda mandatur:in qua ſi Chriſtus habitator ſit, haud dubiè ſit legēda.Sin verò populus perfidus,aut præceptor hæreticus deformet habitaculum,vitāda hæreticorum communio,fugiēda ſynagoga cenſetur. Excutiendus pedum puluis,ne fatiſcentibus perfidiæ ſterilis ſiccitatibus,tanquam humi aridō arenoſóque mentis tuæ veſtigium polluatur.Nam ſicut corporeas infirmitates populi fidelis ſuſcipere in ſe debet euangelij prædicator,& tanquam propriis inania geſta puluerī comparanda alleuare atq; abolere veſtigiis,iuxta quod
2.Corin.11. ſcriptum eſt:Quis infirmatur & ego non infirmor?ita ſi qua eſt eccleſia quæ fidem reſpuat,nec apoſtolicæ prędicationis fundamenta poſſideat:ne quam labem perfidiæ poſſit aſpergere,deſerenda eſt. Quod Apoſtolus quoque euidenter aſ-
ad Tit.2. ſeruit dicens: Hæreticum hominem poſt vnam & ſecūdam correptionem deuita.

De refectione turbarum ex quinque panibus, & duobus piſcibus.

Dixit autem ad eos: Date illis vos manducare. At illi dixerunt: Non ſunt nobis pluſquam quinque panes.) Quæ ratio eſt, quòd cum in poſterioribus Ioānis paſſio deſcribatur, hic iā mortuus verbis Herodis oſtenditur? Ne fortè illa,quia poſt legis defectum euāgelicus cibus incipit ieiuna paſcere corda populorum?Denique poſtcaquam illa quæ eccleſiæ typum accepit, à fluxu curata eſt ſanguinis, poſteaquam apoſtoli ad euangelizādum regnum dei ſunt deſtinati,gratiæ cœleſtis impartitur alimētum.Sed quibus impartitur,aduerte:Nō ocioſis,non in ciuitate quaſi in ſynagoga vel ſeculari dignitate reſidentibus,ſed inter deſerta quærentibus Chriſtum. Qui enim non faſtidiunt,ipſi excipiuntur à Chriſto,& cum ipſis loquitur dei verbū, non de ſecularibus,ſed de regno. Et ſi qui corporalis gerūt vlcera paſſionis,his medicinam ſuam libenter indulget: conſequens igitur erat,vt quos à vulnerum dolore ſanauerat,eos alimoniis ſpiritalibus à ieiunio liberaret.Itaque nemo cibū accipit Chriſti,niſi fuerit ante ſanatus. Et illi qui vocantur ad cœnam,prius vocando ſanantur.Si claudus fuit,gradiendi facultatem vt veniret accepit. Si lumine erat priuatus oculorum,domum vtique domini niſi refuſa luce intrare nō potuit. Vbique igitur myſterij ordo ſeruatur, vt prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia menſæ cœleſtis exuberet, quanquam nondum validioribus hęc turba reficiatur alimētis,neque Chriſti corpore & ſanguine ieiuna ſolidioris fidei corda paſcantur. Lacte,inquit,vos potaui,non eſca:nondum enim poteratis,ſed nec adhuc quidem poteſtis.In modum lactis quinque ſunt panes:eſca autem ſolidior corpus eſt Chriſti,potus verò vehementior ſanguis eſt domini noſtri. Non ſtatim à primo epulamur omnia,neq; potamus omnia. Hoc primū, inquit,bibe.Eſt ergo primum quod manduces,eſt etiā ſecūdum quod bibas. Eſt & primum quod māduces,eſt etiā ſecundum,eſt tertium.Primum quinque panes ſunt,ſecūdum ſeptem,tertium ipſum corpus eſt Chriſti.Nequaquam igitur talem dominum deſeramus,qui pro vniuſcuiuſque viribus impartire nobis alimenta dignatur,ne aut infirmum validior cibus opprimat, aut validum exilia alimenta non ſatient.Qui enim infirmus eſt,olera māducet. Et ille qui iam
Rom.14. videtur laqueos infirmitatis euadere,de quinque iſtis manducet panibus,& duob⁹ piſcibus.Certè ſi petere cibum veretur,ipſe relictis ſuis omnibus feſtinet ad dei verbū. Dum audire incipit,incipit eſurire. Incipiunt apoſtoli eſurientes videre.Et ſi illi adhuc non intelligunt quid eſuriant,intelligit Chriſtus. Scit quòd non ſecularem cibum eſuriant,ſed cibum Chriſti. Dicat,Dimittere eos ieiunos nolo,ne deficiant in via.) Bonus dominus ſtudia exigit,vires miniſtrat. Vtinam domine Ieſu velis mecum iſtos ieiunos non dimittere,ſed impartitis à te epulis reficias eos,vt poſſint tuis alimoniis fortiores infirmitatem ieiunij non timere. Dicas vtinam etiam de nobis,Nolo eos ieiunos dimittere. Cauſam mihi dicito, quare non vis eos ieiunos dimittere? Imò iam dixiſti, quia ſi quem dimiſeris ieiunum, deficit in via, hoc eſt,deficit vel in iſtius curſu vitæ,vel antequā ad caput perueniat viæ, antequam perueniat ad patrem, & intelligat quòd ex patre Chriſtus eſt, & intelligat quòd Chriſtus è cœlo,& intelligat quòd Chriſtus qui deſcendit,ipſe eſt qui aſcendit: ne fortè cùm acceperit quod natus ex virgine eſt, incipiat non dei virtutem,ſed hominis æſtimare. *Ergo ne deficiant in via*, inquit, *date illis vos manducare. At illi dixerunt: Non ſunt nobis pluſquam quinque panes, & duo piſces: niſi nos eamus & emamus in omnem hanc turbam eſcas.*) Nondum intellexerant apoſtoli cibum populi credentis non eſſe venalem, nouerat Chriſtus, nouerat ipſe nos potius eſſe redimendos: ſuas verò epulas gratuitas donat. Nondum ergo habebant diſcipuli cibum qui redimere nos poſſet. Habebant tamen iam cibum qui ſatiare nos poſſet, habebant cibum qui confirmare nos poſſet.Panis enim confirmat cor hominis. Miſeretur ergo dominus, ne quis deficiat in via. Si quis ergo defecerit, nō per dominum Ieſum,ſed per ſe deficit:nec habes quòd adſcribas domino,qui vincit cùm iudicatur.Quid enim dicas ei, qui in te contulit omnia firmamenta virtutū? Nónne te ipſe genuit?nónne te ipſe pauit?Cibus eius virtus eſt,cibus eius fortitudo eſt. Sed ſi tu negligentia tua virtutem quam acceperas perdidiſti,non alimentorum cœleſtiū, ſed tuæ mentis tibi præſidia defuerunt. Denique dominus ſicuti ſuper iuſtos & iniuſtos pluit,ita etiam iniuſtos paſcit & iuſtos. Nónne in eſcæ virtute cùm iam deficeret in via 3.Reg.17. ſanctus Helias, quadraginta ambulabat diebus, & illam eſcam angelus dedit? Si autem te pauerit Ieſus,& acceptam eſcam ſeruaueris, ambulabis non quadraginta diebus & quadraginta noctibus, ſed audeo dicere ſcripturæ fretus exemplis, quadraginta annis egrediens ab Ægypti finibus, donec peruenias in terram multam, in terram fluentem lac & mel,quam iurauit dominus daturum ſe patribus noſtris. Huius terræ tibi virtus requirenda eſt, quam poſſidet mitis. Non iſtam terram dico quæ arida eſt, ſed illam quæ Chriſti confirmatur alimentis, quæ ſub imperio conſtituta regis æterni,ſanctorum incolatibus frequentatur. Diuidit ergo eſcas dominus Ieſus: & ille quidem vult dare omnibus,negat nemini:diſpēſator enim eſt omnium. Sed cùm ille panes frangat, & det diſcipulis, ſi tu manus non extendas tuas vt accipias tibi eſcas, deficies in via, nec poteris in eum culpam tuam referre, qui miſeretur & diuidit, ſed his diuidit, qui cum eo etiam in deſerto permanent, qui primo &

1709

mo & secundo die & tertio non recedũt. Sic enim habes alibi: Misereor huius turbæ, quia triduum est iam quòd perseverant mecum. Quanta dignatio, quanta in eo hominibus inspiratur humanitas. Non vult ieiunos dimittere, nõ vult, ne deficiant in via. Noli ergo deficere à disciplina domini, neque fatigeris cùm ab eo increparis. Nõ fatigeris nunc, ne postea fatigeris. Quid enim respondebis ei? Aut quomodo te excusabis, si escam virtutis quam ministrat, amiseris? Nõ potes dicere quia escam non dedit, quia dat omnibus. Non potes dicere quia noluit te bonum facere, ante quem posuit bonum & malum, vt non ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Multum enim refert inter eum qui ex necessitate inuitus aliquid agit, & inter eum qui ex voluntate quod bonum est eligit. Si enim inuitus hoc ago, dispẽsatio mihi credita est: si volens, mercedem habeo. Consideremus ergo quia stabimus ante tribunal Christi, & si opus nostrũ arserit, non habebimus ꝙ excusare possimus. Dicet etenim quòd iam per prophetam locutus est: Populo meus quid feci tibi? aut in quo molestus fui tibi? Respõde mihi. Dicet & ei qui in via defecerit: Qua ratione defeciſti in via? Nónne panes fregi? Nónne benedixi? Nónne iussi dari? Sed cur tu accipere noluisti? Quanti etiam præsentium deficient in via, & post hos sermones, qui licet nostri sint, tamen quia nemo dicit dominum Iesum nisi in spiritu sancto, panes æstimandi sunt: Quanti, inquam, deficient, & in vias gentium transuersariis itineribus fornicantes abibunt? Atque vtinam vnus, & non plurimi. Sed non Iesus author defectus, etiam si quis defecerit: omnibus enim distribuit qui sequũtur, siue quinque milia, sine quatuor milia sint. Non ociosus numerus, non ociosus ordo, non ociosæ reliquiæ manducantium. Cur enim plures, id est, quinque milia, quinque panib⁹, hoc est numero minori satiantur: pauciores verò, qui sunt quatuor milia septem panibus, hoc est, numero redundantiore pascuntur? Si enim facti tantum sequamur miraculum, videtur esse diuinius quod de minori modo pluribus abundauit. Cur ergo quod minus est, ei quod est amplius, quasi præstaret adiectum est? Prius enim quinque milia quinque panibus, postea etiam quatuor milia septem panibus satiata legimus. Quæramus ergo mysteriũ, quod miraculo præstet. Itaque videntur illa quinque milia quasi quinque corporis sensus adhuc corporalibus proxima alimenta accepisse de Christo, quatuor verò milia etsi adhuc in corpore sint: & in hoc mundo, qui ex quatuor constat elementis, non ociose tamen feruntur mysticè accepisse escam quietis. Iam enim æquantur mundo supra mundũ futuri. Nam etsi in hoc mundo sunt, intra mundum tamen non sunt, quibus mysticę quietis impartitur alimentum. Sex enim diebus mundus est factus, septimo requietum est die, & dominus sanctificauit eum. Vltra mundum ergo quies, vltra mundũ etiam fructus quietis. Denique, Beati pacifici, ipsi enim filij dei vocabuntur. Nam cùm deus supra mundum sit, nemo vtique potest deum videre nisi mundum prius spiritali transcendat octuã. Septima itaque benedictio pacatorum, septem etiã illis quatuor milibus fragmentorum sportæ superfunt. Nõ mediocris hic panis est, sabbatorum panis sanctificatus, panis quietis. Et fortasse si primùm quinque panes sensibiliter manducaueris, audebo & dicam, post quinque panes & septem, tertio iam in terra non manducabis panem, sed supra terram manducabis octo panes, sicut qui sunt in cœlestibus. Sicut enim septem panes, panes quietis: ita octo panes, panes sunt resurrectionis. Ergo isti qui septem alumnr panibus, triduo persteterunt, & fortasse integram resurrectionis futuræ fidem & constantiam consecuti. Denique sanctorum vox est, Tribus diebus ambulabimus, vt epulemur domino deo nostro. Sed illa suo loco. De quinque verò panibus sanctus Ioannes docuit me quod nesciebã, quod non docuerat sanctus Matthæus, non docuerat sanctus Lucas. Singulis enim diuersa impartita est gratia. Docuit, inquã, me, quinque istos panes hordeaceos fuisse. Et ideo non ineptè diximus escam istam esse habilem † corporalibus. Cur enim primò hordeaceos? Quia primò lacte, deinde esca nutriendus est qui accedit ad fidem. Nondum enim potemus, & fortasse plerique nec adhuc possumus. Nam cùm

A sint inter nos contentiones & dissensiones, nónne carnales sumus, & secundum hominẽ ambulamus? suis quæque † apta sunt alimenta virtutibus: & ideo prius hordeum, deinde triticum nobis ad alimoniam datur. Fortiori verò, sicut Heliæ, de interioribus frumenti panis farinaceus ministratur. 3. Reg. 4. Quem vatem non queunt contaminare, sed pascere peccatores. Nec solum panis & numeri, sed etiam accubitionis est differentia. Illi enim supra fœnum discumbunt, isti supra terram recumbunt. Supra fœnum quinque milia, supra terram quatuor milia. Plus est terram premere, quàm supra fœnum iacere. Illi enim adhuc quibus sensus sunt corporales, mollioribus delectantur, & ideo supra fœnum recumbunt. Omnis enim caro fœnum. Isti verò supra terram, quæ triticum & vinum gignit & oliuam, cibum gratiæ consequuntur. Illi discumbunt, isti recumbunt. Maior enim est quædam requies recumbentis. Ibi duo pisces, hîc sine numero. Vnde pleriq; septiformis spiritus gratiam in panibus definitam, in piscibus quoque duplicis testamẽti figuram intelligendam putarunt. Non piget ergo æstimare quòd quatuor milia ex quatuor mundi collecta partibus in quibus ecclesia figuratur, maioris gratiæ cibum sumant, iuxta quod scriptum est: Quia venient ab Oriente & Occidente & Septentrione & Austro, & recumbẽt cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorũ. Vnde hîc gratiæ patri aguntur à Christo. Non enim frustra illic benedictio tãtum, hîc etiam gratiarum est actio. Pro ecclesia quippe sua dominus patri gratias agere cõsueuit: quia quæ abscondit sapientibus, ea paruulis reuelauit. Benedictio igitur super nos, qui inferiores sumus. Gratiarum actio super eos qui de infirmitatibus corporum suorum sacratis passionibus triũpharunt. Iam illud in superioribus prælibauimus, quia cùm quinquageni discumbere iubentur, licet sacrato numero definito, tamẽ videtur hic fundatioris ecclesiæ populus, qui sine definitione numeri recumbit. Mysticum quoque est, quòd & manducans populus satiatur, & apostoli ministrãt. Nam & in satietate repulsæ in perpetuum famis indicium designatur, quia non esuriet qui acceperit cibum Christi: & in apostolorum ministerio futura diuisio dominici corporis, sanguinisque prẽmittitur. Iam illud diuinum, quẽadmodum quinque panes quinque milibus populi redundauerint. Non enim exiguo sed multiplicato cibo populum liquet esse satiatum. Videres incomprehensibili quodam rigatu inter diuidentium manus quas non fregerant fructificare particulas, & intacta frangentium digitis sponte sua fragmenta subrepere. Qui hæc legit, quemadmodum iuges aquarum miretur meatus, & liquidis fontibus stupeat continuos fluere successus, quando etiam panis exundat, & naturæ solidioris rigatus exuberat? Hæc igitur facta sunt, vt illa quoque quæ non cernimus, cerneremus †. His euidenter illorũ quoque se designauit authorẽ, & totius naturæ creatorem materialis existere, quæ non (vt philosophi volunt) reperta, sed facta, gignẽdis omnib⁹ rebus successus defluos subministrat. Hoc quidem mirum, quicquid de fluminibus haurias, signo dispẽdij nõ notari: quicquid de fontibus auferas, vsurario quodã reparari meatu. Sed & fluminibus si nihil decederet, nihil tamen videtur accedere, & fontibus vt cumulata fluenta cernuntur, ita dum minuuntur fluẽta produntur. At verò hic panis quem frangit Iesus, mysticè quidem dei verbum est, & sermo de Christo: qui cũ diuiditur, augetur. De paucis enim sermonibus, omnibus populis redundãtem alimoniã ministrauit. Dedit sermones nobis velut panes, qui cùm in nostro libãtur ore, geminãtur. Visibiliter quoque panis iste, incredibili ratione dum frangitur, dum diuiditur, dum editur sine vlla dispẽdij cõprehensione cumulatur. Nec dubites vel quòd in manibus ministrantiũ, vel in ore edentiũ cibus crescat, quãdo vbique nostri operis testimonium ad firmamentũ credulitatis adsciscitur. Sic in nuptiis ex fontibus vina ministris operantibus colorantur, & ipsi qui impleuerant hydrias aqua, vinũ quod non deuulerant hauriebant. Cõprehende, si potes, tanta rerum miracula. Hîc edẽtibus populis crescũt suis fragmẽta dispendiis, & de quinque panibus maiores reliquiæ quam summa est colliguntur: illic in alienã speciẽ vertũtur elemẽta, nec suos

Esaiæ 40.

Matth. 8.

Matth. 11.

† credederemus

Ioan. 2.

patitur natura defectus, nec suos agnoscit ortus, vsus tamen proprios recognoscit. Quinetiam melior est mutati vini natura quàm nati, quia in arbitrio creatoris est, & quos vsus velit assignare naturis, & quas naturas impartire gignendis. Vide quantis operibus opus astruat, dum aquam minister infundit, odor transfusus inebriat, color mutatus informat, fidem quoque sapor haustus accumulat. Conferant gentiles, si placet, cum Christi beneficiis, deorum suorum non facta sed ficta. Ferunt certè eorum fabulæ fuisse regem quẽdam qui quicquid tangebat, aurum fiebat, sed etiam conuiuia ipsa feralia. Nam & ipsa mantilia digitis apprehensa riguerunt, & cibus in ore crepitabat, ferens non alimenta sed vulnera, & in gutture potus hærebat, nec penetrare facilis, nec redire. Digna beneficia votis, digna tãto munera precatore, digna liberalitas conferente. Talia sunt idolorũ beneficia, vt cùm videtur prodesse, plus noceant. At verò Christi munera parua videntur, & maxima sunt. Denique non vni collata, sed populis. Nam & cibus edentiũ in ore crescebat, & videbatur esse corporalis alimonię, sed sumebatur salutis æternæ. Cur autem quinque milibus hominum plus redundat, quatuor milibus minus? Quia quatuor milia ista triduo cum Christo fuerunt, & ideo ampliorem cœlestis pabuli alimoniam receperunt. Nec ociosè quæ turbæ supersunt, à discipulis colliguntur: quia ea quæ diuina sunt, apud electos facilius possis quàm apud populos reperire. Vtinam mihi contingat audire: Collige quæ supersunt. Si audiero & fecero, habebo multa quæ turbæ, habebo multa quæ pueri & mulieres edere nequiuerunt. Beatus ille qui potest colligere quæ etiã doctis supersunt. Videamus quomodo colligat.

Midas

Exod. 20. Dixit lex: Non mœchaberis. Fregit hunc panem Christus, diuisit hoc verbũ, non aliunde adiiciens, sed de suo partiens:

Matth. 5. Qui viderit, inquit, ad concupiscẽdum mulierem, iam mœchatus est eam. Habes fragmẽtum, de suo addidit: Si oculus

Matth. 18. tuus dexter scandalizat te, erue eum. Habes aliud: Et si dextera tua scãdalizat te, abscinde eam. &, Qui dimissam à viro ducit, mœchatur. Vides ex vno quàm multa fragmenta.

Matth. 5. *Genes. 21.* Moyses dicit quòd Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Paulus dixit: Hæc sunt duo testamenta. Diuisit hoc verbum, & inuenit mysterium. Beatus

Gala. 4. ergo qui colligit quæ diuidit Christus. Qua ratione autem cophinos duodecim Christus impleuit, nisi vt illud populi

Psalm. 80. Iudaici solueret, quia manus eius in cophino seruierũt? Hoc est, Populus qui ante lutum in cophinis colligebat, hic iam per crucem Christi vitæ cœlestis operatur alimoniam, & eo fidei cibum congerit, vbi erat ante cœnum perfidię gentilis. Nec paucorum hoc munus, sed omnium est. Nam per duodecim cophinos tanquam tribuum singularum fidei firmamentum redundat. Panis enim confirmat cor hominis.

Psalm. 103.

De interrogatione Iesu quem se esse dicant discipuli, ac responsione Simonis Petri.

Dixit autem illis: Vos quem me dicitis esse? Respondit Simon Petrus: Christum dei.) Nec turbæ quidem ociosa opinio est, quia alij Heliam, quem venturum putabant, alij Ioãnem quem decollatum sciebant, aut vnum de prophetis prioribus surrexisse credebant. Sed hoc quærere supra nos est, alterius scientiæ, alterius prudentiæ est. Nam si Paulo apostolo satis est nihil scire nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum, quid amplius

1. Cor. 2. mihi desiderandum est scire quàm Christum? In vno enim hoc nomine & diuinitatis & incarnatiõis expressio, & fides est passionis. Et ideo licet cæteri apostoli sciant, Petrus tamen respondet præ cæteris: Tu es Christus filius dei viui.

Matth. 16. Complexus est itaque omnia, qui & naturam & nomen expressit in quo summa virtutum est. Etiámne nos de generatione dei serimus quæstiones, cùm Paulus iudicauerit nihil se scire nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum: Petrus nihil amplius quàm dei filium putauerit confitendum? Nos & quando & quomodo natus sit, & quãtus sit, humanæ infirmitatis contẽplatione rimamur? Sciuit Paulus quòd in istis magis offendiculum quæstionis quàm ædificationis profectus esset, & ideo iudicauit nihil se scire nisi Christũ Iesum. Sciuit Petrus quòd in filio dei omnia sint. Omnia enim dedit pater filio. Si omnia dedit, æternitatem quam habet ma- 1712
A iestatémq; transfudit. Sed quo prolabor longius? Fidei meę finis Christus est, finis fidei meę dei filius est. Non licet mihi scire generationis seriem, non licet tamẽ nescire generationis fidem. Crede igitur sic quemadmodum Petrus credidit, vt & tu beatus sis, vt & tu audire merearis: *Quoniam non caro & sanguis tibi reuelauit, sed pater meus qui in cœlis est.*) Caro enim & sanguis non queunt nisi quæ terrena sunt reuelare. At verò qui spiritu loquitur mysteria, nõ carnis & sanguinis magisterio, sed diuina inspiratione fundatur. Noli ergo acquiescere carni & sanguini, ne carnis & sanguinis præcepta hãurias, atque ipse sanguis & caro fias. Qui enim carni adhæret, caro est: & qui adhæret deo, vnus spiritus est. Nõ permanebit, inquit, spiritus meus in hominibus istis in æternum, propter quod caro sunt. Sed vtinam caro & sanguis non sint qui audiunt, sed à carnis & sanguinis remoti cupiditatibus possint dicere singuli: Nõ timebo quid faciat mihi caro. Qui enim carnem vicerit, ecclesiæ fundamẽtum est: & si æquari Petro non potest, imitari potest. Magna sunt e-
B nim dei munera, qui non solum nobis quæ fuerãt nostra reparauit, verumetiam quæ sunt sua propria concessit. Refert tamen quid sibi velit quòd non alium turba opinabatur, nisi aut Heliam, aut Hieremiam, aut Ioannem Baptistam. Et Heliam fortè, quia raptus ad cœlũ est. Sed non Helias Christus. Ille rapitur, iste regreditur. Ille inquam, rapitur per turbinem, iste rapinã non arbitratus est esse se æqualem deo. Ille petitis ignibus vindicatur, hic persecutores suos maluit sanare, quàm perdere. Cur autem Hieremiam putabãt? Fortasse quia sanctificatus in vulua est. Sed non hic Hieremias. Ille sanctificatur, iste sanctificat. Illius sanctificatio cœpit ex corpore, hic sanctus ex sancto. Cur etiam Ioãnem putabãt,
C nisi fortè quia in matris vtero positus domini præsentiã sentiebat? Sed non hic Ioannes. Ille adorabat in vtero, hic adorabatur. Ille baptizabat in aqua, Christus in spiritu. Ille pœnitẽtiam suadebat, hic peccata donabat. Et ideo Petrus non expectauit populi sententiam, sed suam prompsit dicens: *Tu es Christus filius dei viui.*) Qui est, semper est, nec cœpit vt esset, & esse non deficit. Magna autem Christi gratia, qui omnia prope vocabula sua discipulis suis donauit. Ego sum, in- *Ioan. 8.*
quit, lux mundi: & id tamen quo ipse gloriatur, discipulis *Ioan. 6.*
nomen indulsit dicens: Vos estis lux mundi. Ego sum panis *Ioan. 15.*
viuus: &, Nos omnes vnus panis sumus. Ego sum vitis vera: & tibi dicit: Plantaui te vitem fructuosam omnem veram. Petra est Christus. Bibebant enim de spiritali sequenti pe- *Hierem. 2.*
tra, petra autem erat Christus. Etiã discipulo suo huius vo- *1. Corin. 9.*
cabuli gratiam non negauit, vt & ipse sit Petrus, quòd de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem. Enitere ergo & tu vt petra sis. Itaque non extra te, sed intra te petrã require. Petra tua actus est, petra tua mens est. Supra hanc petram ędificetur domus tua, vt nullis possit nequitiæ spiritalis euerberari procellis. Petra tua fides est, fundamentum ecclesiæ fides est. Si petra fueris, in ecclesia eris, quia ecclesia supra petrã est. Si in ecclesia fueris, portæ inferi non prę-
D ualebunt tibi. Portæ inferi, portæ mortis sunt. Portæ autem mortis, portæ ecclesiæ esse non possunt. Quæ autẽ sunt portæ mortis, hoc est, portæ inferi, nisi singula quæque peccata? Si fornicatus fueris, portas mortis ingressus es. Si fidem læseris, portas penetrasti inferi. Si peccatum mortale commiseris, portas mortis intrasti. Sed potens est deus qui exaltet te de portis mortis, vt annũncies omnes laudes eius in *Psalm. 9.*
portis filiæ Sion. Sunt enim portæ ecclesiæ, sunt portę castitatis. Sunt portæ iustitiæ, quas iustus intrare consueuit, di- *Psalm. 117.*
cens: Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor domino. Sed vt portæ mortis, portæ inferi: ita & porta iustitiæ dei porta est. Hæc enim porta domini, iusti intrabunt per eam. Et ideo fuge pertinaciam delictorum, ne portæ tibi possint inferi prævalere. Si enim dominatum fuerit peccatum in te, mortis porta prævaluit. Fuge ergo contentiones & dissensiones, strepitus tumultúsque discordiæ, ne per portas mortis ingressus incurras. Dominus enim Iesus Christus prædicari se primò noluit, ne vllus strepitus nascceretur.

De eo

1713

De eo quod Iesu præcepit discipulis ne eum manifestarent.

INcrepat enim discipulos suos ne cui hæc dicerent, quòd oportet filium hominis multa pati, & reprobari à principibus sacerdotum & senioribus & scribis, & occidi, & die tertio resurgere.) Et fortasse ideo hoc addidit, quia sciebat dominus difficile passioni & resurrectioni etiã discipulos credituros. Et ideo passionis & resurrectiõis suæ assertoré se esse maluit, vt ex facto fides, nõ ex auditu discordia nasceretur. Ergo Christus noluit gloriari, sed maluit ignobilis videri, vt passionem subiret. Et tu qui ignobilis natus es, gloriaris? Eadẽ tibi qua Christus ambulauit, gradiendum est via. Hęc eius agnitio, hæc eius imitatio, per ignobilitatem & bonam famam, vt glorieris in cruce domini, sicut ipse est gloriatus. Sic ambulauit Paulus, & ideo gloriatur dicens: Mihi autẽ absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Sed videamus cur secundum Matthæum repetiamus admonitos discipulos ne cui dicerent quòd ipse sit Christus, hîc autem scriptum sit increpatos esse ne cui dicerent quòd esset multa passurus, & resurrecturus. Videtis quòd in vno Christi nomine omnia sint. Ipse est enim Christus qui natus ex virgine, ipse est qui admirabilia fecit in populo, ipse qui mortu⁹ est pro peccatis nostris, & resurrexit à mortuis. Vnum horum si retraxeris, retraxisti salutem tuã. Nam etiam hæretici habere sibi Christum videntur. Nemo enim Christi nomen negat: sed negat Christum, qui non omnia quæ Christi sunt confitetur. Multis igitur ex causis iubet tacere discipulos, vt fallat principem mundi, vt declinet iactantiam, doceat humilitatem, simul ne rudes & imperfecti adhuc discipuli maximę prædicationis molib⁹ opprimãtur. Nunc qua causa etiam immundos spiritus iubeat tacere, consideremus. Sed & hoc nobis scriptura aperuit, quia peccatori dixit deus, Quare tu enarras iustitias meas? Et ne quis dum prædicantem audit, sequatur errantem. Improbus enim magister est diabolus, qui falsa veris sæpe permiscet, vt sub specie veritatis testimonium fraudis obtexat. Etiam illud consideremus, vtrum hîc primum mandauerit discipulis, ne cui dicerent, quia ipse esset Christus, an verò & antè mandauerit quando apostolos duodecim destinauit, denuncians illis: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis: ite autem ad oues quæ perierunt domus Israel: Ægrotos curate, leprosos mundate, dæmones, inquit, eiicite, & dicite quis in ea dignus sit, atque ibi manete. Itaque nec hîc mandatum videtur vt Christum dei filium prædicarent. Ordo igitur disputationis est ordo tractatus: & ideo etiam nos cùm aliqui ex gentibus vocantur ad ecclesiam, ita præceptorum seriem formare debemus, vt primo vnum deum authorem mundi omniúmque esse doceamus, in quo viuimus & sumus & mouemur, cuius & genus sumus: vt non solum propter munera lucis & vitæ, verumetiam propter cognationem quandam generis diligendus à nobis sit. Deinde opinionem illam quæ est de idolis, destruamus, & quòd non possit auri argentique vel ligni materia vim in se habere diuinam. Cùm vnum deũ esse persuaseris, tunc indicio eius astrues per Christum nobis salutem datam: incipiens ab illis quæ gessit in corpore, & ea diuina describens, vt plus quàm homo fuisse videatur, victam vnius virtute, mortem, mortuúmque ab inferis suscitatum: paulatim enim fides crescit, vt cùm supra homines fuisse videatur, deus esse credatur. Nã nisi probaueris quòd facere illa sine diuina virtute non potuit, quemadmodum potes probare in eo vim fuisse diuinam? Sed fortasse nobis parum authoritatis & fidei deferatur: lege sermonẽ Apostoli apud Athenienses habitum: qui si à primo destruere voluisset cæremonias idolorum, sermonem eius aures gẽtilium respuissent. Ab vno igitur deo operatore mũdi incipit, dicens: Deus qui fecit mundum, & cuncta quæ sunt in eo. Negare non poterant vnum operatorem esse mundi, vnum deum, vnum omnium creatorem. Adiunxit, eò quòd cœli & terræ dominus in manufactis non dignetur habitare. Deinde quòd intra auri argentique cassam materiem nequaquam verisimile sit artificio hominis vim diuinitatis includi: erroris remediũ docens esse studium pœnitendi. Tunc venit ad Christum,

A nec tamen deum maluit quàm hominem nuncupare, dicẽs: In viro quo definiuit omnibus fidem, suscitans eum ab inferis. Qui enim tractat, debet audientium considerare personas, ne prius irrideatur quàm audiatur. Quando enim Athenienses crederent quia verbum caro factum est, & de spiritu virgo concepit, qui irridebant quia resurrectionem audierant mortuorum? Tamen & Dionysius Ariopagites credidit, & alij crediderunt in virum, vt in deum crederent. Quid interest quo quisque credat ordine? Non in principiis perfecta quæruntur, sed de principiis ad ea quæ perfecta sunt peruenitur. Ergo tali Athenienses informauit præcepto, talis nobis apud gentiles ordo seruandus est. At verò cùm Iudæos alloquerentur apostoli, ipsum Christũ esse dicebãt qui propheticis nobis esset promissus oraculis: quem non prius authoritate sua dei filium nominabãt, sed virum probatũ, virũ iustum, virum à mortuis suscitatum, illum virũ de quo dictũ est in prophetis: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ita ergo & tu ad ea quæ difficile credũtur, authoritatem diuini sermonis adsciscе, & promissum eius aduẽtum
B prophetarum voce designa, resurrectionem quoque multò antè compertam scripturarum testimoniis edoceto, non visitatam cum cæteris atque communem, vt in ipsa suscitati corporis assertione, æternæ testimonium diuinitatis acquiras. Cùm enim cæterorum corpora corruptionem probaueris subiisse post mortem: hunc vtique de quo dicitur, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, comprobas humanæ fragilitatis expertem, probas humanæ conditionis merita supergressum, deo magis quàm hominibus conferẽdum. Quòd si ad sacramenta fidelium tendens catechumenus imbuendus sit, dicendum quia vnus est deus ex quo omnia, & vnus Iesus Christus per quem omnia, non duos deos esse dicendos: perfectum quidem patrem, perfectum esse & filium, sed vnius patrem & filium esse substantiæ, verbum æternum dei, non quod profertur, sed quod operatur, ex patre genitum, non voce editum. Prohibentur ergo apostoli euangelizare eum dei filium, vt euãgelizarẽt postea
C crucifixum. Hæc est fidei gloria, si verè intelligas crucem Christi. Aliæ cruces nihil mihi prosunt, sola crux Christi mihi vtilis est, & verè vtilis, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Si mihi crucifixus est mundus, scio quia mortuus est, non diligo eum: scio quia præteriit, non concupisco eum: scio quia corruptela consumet hunc mundum: quasi fœtidum vito, quasi luem caueo, quasi nociturũ relinquo. Sed non statim per crucem possunt aliqui credere salutem mundo refusam. Astrue ergo per historias Græcorũ hoc fuisse possibile. Sic interdum etiam Apostolus suadet incredulis, nec versus refugit poëticos, vt fabulas destruat poëtarum. Si enim reuocetur in memoriam quòd legiones sæpe & magnos populos oblatis aliquorum mortibus historiæ Græcorũ asserant liberatos: Si recordetur quòd imperatoris filia propter Græcorum exercitus transferendos ad sacrificium sit vocata: Si nostrum illud consideremus, quia sanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad carnem emundandam, sicut ad Hebræos scriptum est: Si pestilentia regionum aliquibus ho-
D minum contracta peccatis, vnius alicuius morte asseritur esse resoluta, quòd aut ratione præualuit, aut dispositione cõualuit, quò facilius in crucem domini crederetur, procliue erit, vt qui sua negare non possunt, nostra confirment. Sed quoniam nullus hominũ tantus esse potuit qui totius mundi peccata tolleret, neque Enoch, neque Abraham, neque Isaac, qui licet morti se obtulerit, seruatus tamen est, quia omnium non poterat abolere peccata (quis enim tantus homo, in quo omnium peccata morerentur?) idcirco non vnus è plebe, non vnus è numero, sed filius dei à deo patre electus est: qui cùm supra omnes esset, pro omnibus se posset offerre: quem mori oportuit, vt cùm esset fortior morte, alios liberaret: factus inter mortuos sine adiutorio liber, sine adiumento scilicet hominis aut alicuius creaturæ liber à morte. Et bene liber, qui seruitutem cupiditatum repulit, mortis vincula nesciuit.

Ioan. 1.

Psalm. 2.

Psal. 15.

Gala. 5.

Hebr. 9.

Psalm. 87.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI COMMENTARIORUM IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM, LIBER VII.

De eo quod dominus Iesus quibusdam promisit visionem gloriæ suæ in vita præsenti.

Dico autem vobis, verè sunt aliqui hîc stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum dei.) Sæpe dominus sicut ad præmia erigit futura virtutum, atque vtilem secularium rerum docet esse contemptum, ita etiam infirmitatem mentis humanæ præsentium remuneratione sustentat. Arduum quippe est crucem tollere, & animam periculis, morti corpus offerre, negare quod sis, cùm velis esse quod non sis, ratóque quamuis excelsa virtus, futuris commutat præsentia. Difficile quippe videtur hominibus vt spem periculis emant, damnóque præsentium futuræ lucrum mercentur ætatis. Ergo bonus & moralis magister, ne quis desperatione frãgatur aut tædio, quoniam vitæ dulcis illecebra constantẽ quoque mulcet affectum, continuos viuendi successus fidelibus pollicetur. Frigent enim solatia sub metu mortis, magnúsque amor vitæ ægrè blanditias spei cùm appetitæ salutis terrore compensat. Non habes igitur quod queraris, non habes quod excuses, arbiter omnium dedit & virtuti præmium, & infirmitati remedium, vt præsentibus sustineatur infirmitas, virtus futuris. Si fortis es, contemne mortem: si imbecillis, fuge. Sed nemo potest fugere mortem, nisi vitam sequatur. Vita tua Christus est, ipsa est vita quæ mori nescit. Itaque si volumus mortem nõ timere, stemus vbi Christus est, vt & de nobis dicatur: *Verè sunt aliqui hîc stantes, qui non gustabunt mortem.*) Non satis est stare, nisi vbi Christus est, stetur. Soli enim non queunt gustare mortem, qui possunt stare cum Christo: in quo licet ex verbis ipsius qualitate perpendere, nec tenuem quidem sensum mortis habituros qui Christi videantur meruisse consortia. Certè & si mors corporis libando gustetur, vita animæ possidendo teneatur. Sed quid est gustare mortem? Ne fortè quemadmodum panis vita est, ita etiã panis mors sit. Sunt enim qui manducant panem doloris, sunt etiam Æthiopum populi qui acceperunt in escam draconem. Absit à nobis venenum draconis vorare. Habemus enim panem verum, panem illum qui descendit de cœlo. Panem illum mãducat, qui ea quæ scripta sunt seruat. Sunt ergo qui mortem non gustent donec videant regnum dei. Sunt etiam qui mortem non videant, sicut scriptum est: Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? Sed quis est homo qui non moriatur, cùm resurrectio nisi mortui esse non possit? Quamuis de Enoch & Helia nullam mortem corporis acceperimus, & de euangelista Ioanne dominus dixerit: Sic eũ volo manere donec venio: tamen quoniã non de vno Ioanne hîc putamus expressum, sed generale de multis hoc esse præceptũ: non hîc mors corporis sed animæ denegatur. Sũt enim qui mortui viuant, quoniam sunt qui viuentes mortui sunt, sicut illa quæ viuens mortua est, sicut scriptum est: Veniat mors super eos, & descendant in infernum viuentes. Si ergo viuus quis in infernũ descendit, (peccato enim mortis in infernum descendit) sunt profecto quibus nec in morte corporis interruptus sit ordo viuendi, sicut Abrahã, Isaac, & Iacob, quos viuere diuinę sententię authoritate comperimus, quoniam cùm sit deus Abraham, Isaac, & Iacob, non vtique mortuorum est deus, sed viuentium. Itaque non de vno, sed de pluribus dicit. Neque enim Petrus mortuus est, cui secundum dominicam sententiã inferi porta præualere non potuit. Nec Iacobus & Ioannes mortui, filij tonitrui, quibus in vsum gloriæ cœlestis assumptis nõ præualent terrena, sed subiacent. Esto ergo & tu Petrus, deuotus, fidelis, pacificus, vt portas ecclesiæ aperias, portas mortis euadas. Esto filius tonitrui. Dices: Quomodo possum esse filius tonitrui? Potes esse, si nõ in terra, sed in pectore Christi recũbas. Potes esse fili? tonitrui, si te terrena nõ moueãt, sed ipse potius ea quæ terrena sunt, mẽtis tuæ virtute cõcutias. Tremat te terra, nõ capiat, vereatur caro potestatem animi tui, & cõcussa subdatur. Eris filius tonitrui, si fueris filius ecclesiæ. Dicat & tibi de patibulo crucis Christus: Ecce mater tua. Dicat & ecclesiæ: Ecce filius tuus. Tunc enim incipis esse filius ecclesiæ, cùm in cruce victorem videris Christum. Nam qui crucem scãdalum putat, Iudæus est, ecclesiæ filius non est. Qui crucem stultitiam putat, Græcus est ille. Est autem ecclesiæ filius qui crucem triumphũ putat, qui crucem Christi triumphantis agnoscit. Ergo vt scias quia Petrus, Iacobus, & Ioannes mortem non gustauerunt, gloriam resurrectionis videre meruerunt. Solos enim tres istos.

De eo quod dominus Iesus assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem, & duxit eos in montem, ostenditque illis maiestatem suam.

Post hæc ferè verba in diebus octo assumpsit, & duxit in montem.) Quid est quod iste dicit, in diebus octo post hęc verba? Ne fortè quia is qui verba Christi audit & credit, resurrectionis tempore gloriam Christi videbit? Octaua enim die facta est resurrectio: vnde & plerique psalmi in octaua scribuntur. Aut fortè vt ostenderet nobis quia dixerat quòd is qui propter dei verbũ perdiderit animam suam, saluam faciet eam, quoniam promissa sua in resurrectione restituat. Sed Matthæus & Marcus post dies sex assumptos hos esse memorarunt. De quo possemus dicere, post sex milia annorum. Mille enim anni in conspectu dei tanquam dies vna: sed plures quàm sex milia computantur anni. Et maluimus sex dies per symbolum intelligere, quod sex diebus mundi opera sunt creata, vt per tempus opera, per opera mundum intelligamus. Et ideo mundi tẽporibus impletis, resurrectio futura monstratur: aut quia is qui supra mundum ascenderit, & huius seculi momenta transcenderit, velut in sublimi locatus, futuræ resurrectionis fructum expectabit æternum. Transcendamus igitur opera mundi, vt possimus facie ad faciem deum videre. Ascẽde in montem qui euangelizas Sion. Si in mõtem ascendit, qui euangelizat Sion, quantò magis qui Christum euangelizat, & Christum in gloriam resurgentem? Fortasse enim in corpore eum multi viderunt. Multi enim secũdum carnem cognouimus Christum, nũc autem iam non nouimus. Multi cognouimus, quia multi vidimus. Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem. Tres autem soli & tres electi ducuntur ad mõtem. Putarem in tribus mysticè genus hominum comprehensum, quia ex tribus filiis Noë genus omne defluxit humanum, nisi electos cernerem. Aut fortasse quia soli ex omnibus ad resurrectionis peruenire gratiam qui Christum confessi fuerint merebuntur, quia impij in iudicium non resurgunt, sed tanquam habito iudicio puniũtur. Tres igitur eliguntur qui ascenderent montem, quia & duo eliguntur, qui cum domino viderentur. Vtrinque sacratus numerus. Et hoc fortasse propterea, quia nemo potest videre resurrectionis gloriam, nisi qui integrum mysterium trinitatis incorrupta fidei synceritate seruauerit. Petrus ascẽdit, qui claues regni cœlorum accepit: Ioannes, cui committitur mater: Iacobus, qui primus solium sacerdotale cõscendit. Inde apparent Moyses & Helias, hoc est, lex & prophetæ cum verbo. Neque enim lex potest esse sine verbo, neque propheta, nisi qui de dei filio prophetauerit. Et illi quidem filij tonitrui corporali gloria Moysem quoque & Heliam speculati sunt, sed etiã nos quotidie videmus Moysem cum dei filio. Videmus enim in euãgelio cùm legimus: Diliges dominum deum tuum. Videmus Heliam cum dei verbo cùm legimus: Ecce virgo in vtero concipiet. Vnde bene Lucas addidit: *Quia dicebant excessum eius quem completurus erat in Hierusalem.*) Docent enim te de excessu eius mysteria. Et hodie Moyses docet, & hodie Helias loquitur, & hodie in maiore gloria Moysem videre possumus. Quis enim non potest, quando & populus Iudæorum eum videre potuit, imò vidit? Vidit enim in gloria faciem Moysi, sed velamen accepit, sed in montem non ascendit. Et ideo errauit, quia solum Moysem vidit, dei verbum simul videre non potuit. Reuelemus igitur nos faciem nostram, vt reuelata facie gloriam dei speculantes, in eandem imaginem

Ioan. 19.
Psalm. 89.
Esa. 40.
2. Corin. 5.
Esaiæ 53.
Deut. 6.
Esaiæ 7.
2. Cor. 3.
Psalm. 126.
Ioan. 21.
Psalm. 88.
1. Tim. 5.
Psalm. 54.

1717

imaginem reformemur. Ascendamus in montem, deprecemur dei verbum, vt in specie & pulchritudine sua appareat nobis, & cōfortetur, & prosperè procedat & regnet. Et hæc enim mysteria sunt, & referūtur altius. Etenim pro tua possibilitate tibi verbum aut minuitur aut crescit: ac nisi altioris prudentiæ cacumen ascendas, non tibi apparet sapientia, non tibi apparet mysteriorum cognitio, non tibi apparet quanta sit gloria, quanta sit species in dei verbo: sed dei verbum quasi quodam apparet in corpore, non habens suam speciem neque decorē, & apparet quasi homo in plaga qui ferre possit infirmitates nostras: apparet tibi quasi quidam sermo natus ex homine, literarum opertus inuolucris, virtute spiritus nō refulgens. Sed si dum hominem cōsideras, de virgine credas esse generatum, & paulatim aspiret fides quòd de spiritu dei natus sit, incipis montem ascendere. Si in cruce positum triumphantem de morte videas, non peremptum, si videas quòd terra tremuit, sol refugit, tenebræ offusæ sunt oculis perfidorū, monumenta aperta sunt, mortui resurrexerunt, vt esset indicio quia gentilis populus qui mortuus erat deo, tanquam reseratis corporis sui tumulis, infuso crucis lumine resurrexit: si hoc videas mysterium, in excelsum ascendisti montem, alteram verbi gloriam cernis. Vestimenta eius alia deorsum sunt, alia sursum. Et fortasse vestimenta verbi sermones sunt scripturarum, & quædam intellectus indumenta diuini, quia sicut ipse Petro, Ioāni, & Iacobo in altera specie apparuit, & vestitus eius albus refulsit, ita & oculi tuæ mentis iam diuinarum lectionū sensus albescit. Fiunt igitur verba diuina sicut nix, *vestimenta verbi candida nimis, qualia fullo super terrā facere nō potest.*) Quæramus hunc fullonem, quæramus hanc niuem. Legimus ad villam fullonis ascendisse Esaiā. Quis est iste fullo, nisi fortè ille qui delicta nostra lauare consuevit? Denique ipse dixit: Si fuerint delicta vestra sicut phœnicium, vt niuem dealbabo. Quis est iste fullo, nisi qui indumenta nostri intellectus abluit, & induens nos indumenta virtutum, ablutis maculis corporalibus, soli solet offerre diuino? Audiui etiam, vt ad redarguendos eos de contrariis sumamus exemplum, duorū prudentium facundiam niui & apibus comparatam. Inueni quoque dixisse Dauid: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo. Et infra: Lucerna pedibus meis verbum tuum domine, & lux semitis meis. Verbū dei lux est, verbum dei nix est. Super mel quoque & fauum est dei verbum, quod ore diuino melle dulcior fluxit oratio, & perspicuæ niuis ritu mollioribus cadunt verba sententiis. Verè hic solus sermo niuibus comparādus, qui de cœlo missus in terras, ieiuna nostrorum arua pectorum fœcundauit. Quod non vsurpatoriè præsumptum, sed ex lectionis serie deriuatum deus ipse testatur dicens: Expectetur sicut pluuia eloquium meum, & descendant velut ros verba mea, sicut imber super gramen, & sicut nix super fœnum. Vtinam domine Iesu mens mea pluuiæ tuæ humore virideſcat, vtinam terram meam niuis istius candore respergas, ne præpropero calore vernantis corporis arua luxuriēt, sed potius fotu niuali semina verbi cœlestis pressa fœcundent. Nix cùm cadit, aues cœli vbi inhabitent non habent, & lætior solito tritici prouentus exuberat. Vidit hanc gratiam Petrus, viderunt & qui cum illo erant: & licet somno grauati fuissent, sicut scriptum est: *Petrus verò, & qui cum illo erāt, grauati erant somno: euigilantes autem viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo. Et factum est, cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor, bonū est nobis hìc esse, & faciamus tria tabernacula, unū tibi, & vnum Moysi, & vnum Heliæ: nesciens quid diceret.*) Premit enim incomprehensibilis splendor diuinitatis, nostri corporis sensus. Nam si solis radiū è regione oculorum cōtuentium corporea nequit acies sustinere, quomodo dei gloriam humanorum ferret corruptela membrorum? Eóq; purior & subtilior exhausta concretione vitiorum, corporis habitus in resurrectione formatur. Et fortasse ideo grauati somno erant, vt resurrectionis viderent speciem. Post quietem itaque euigilantes viderunt maiestatem eius. Nemo enim nisi vigilans gloriam videt Christi. Delectatus est Petrus, & quem seculi huius illecebrosa non caperent, gratia resurrectionis illexit. Bonū est, inquit, nos hìc esse. Hinc & ille, Dissolui enim, & cū Christo esse, multo melius. Nec laudasse contentus, non solum affectu, sed etiam factorum deuotione præstantior, ad exædificanda tabernacula tria impiger operarius communis obsequij ministeriū pollicetur. Et quamuis nesciret quid diceret, tamen pollicebatur officium: in quo non inconsulta petulantia, sed præmatura deuotio fructus pietatis accumulat. Nam quod ignorabat, cōditionis fuit: quod promittebat, deuotionis. Sed non capit humana conditio in hoc corruptibili, in hoc mortali corpore facere tabernaculum deo. Siue in animo, siue in corpore, siue alio aliquo loco fuge quærere quod non licet scire. Si Petrus nescivit, quemadmodum tu potes scire? Si nescivit ille qui promisit, & qui corporis terminos magnitudine animi nesciebat, quemadmodum scire nos possumus, desidia quadam mentis intra proseptū carnis inclusi? Denique placuit tāta deuotio deo: *Et inter hæc verba facta est nubes, & obūbrauit eos.*) Diuini spiritus est obumbratio ista, quæ non caligat affectibus hominum, sed reuelat occulta. Quæ etiam alio comperta est loco, dicente angelo: Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Cuius profectus ostenditur audita dei voce dicentis: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.*) Hoc est, non Helias filius, non Moyses filius, sed hic est filius, quem solum videtis. Recesserant enim illi vbi cœperat dominus designari. Vides hanc non solum incipientium, sed etiā perfectorum, imò etiam cœlestiū fidem esse perfectam, filium dei scire. Sed quoniam hęc iam supra diximus, cognosce nubem istam non fumigantium esse montium nebuloso humore cōcretam, & coacti aëris caligine piceam, quæ cœlum tenebrarum horrore subtexat: sed lucidam nubem, quæ nos non pluuialibus aquis & humentis alluuione imbris immadidet, sed de qua mentes hominum voce dei omnipotētis emissa, fidei ros rigauit. *Et dum fit vox, inuentus est Iesus solus.*) Itaque dum tres essent, vnus est factus. Tres in principio videntur, vnus in fine. Perfecta enim fide vnum sunt. Denique hoc etiam dominus patrem orat, vt omnes vnum simus. Nec solum Moyses & Helias in Christo vnum sunt, sed etiam nos vnum corpus sumus Christi. Ergo & illi tanquam in vno corpore recipiuntur in Christi corpus, quia & nos vnum erimus in Christo Iesu. Aut fortassis quia lex & prophetæ ex verbo: quæ autem ex verbo cœperunt, in verbo desinunt. Finis enim legis est Christus, ad iustitiam omni credenti. *Philip. 1.* *Rom. 10.*

De responsione Iesu respuentis eum qui se sequi dixit quocunque ierit.

Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos vbi requiescant. Nam filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.) Non videtur conuenire rationi, vt simplicem fidelémq; istum arbitremur, qui domini dignatione respuitur cùm indefessi famulatus obsequium spopondisset. Sed dominus non obsequiorum speciem, sed puritatem quærit affectus. Deniq; supra ait: Quicūque receperit puerum istum in nomine meo. Quo loco dominus simplicitatem sine arrogātia docet, charitatem sine inuidia, deuotionem sine iracundia esse debere. Nam & pueri mens prouectioris affectu recipienda suadetur, quia dum puer nihil sibi vindicat, formam virtutis exequitur: etsi rationem nescit, culpam ignorat. Tamen quia plerisque non virtus sed infirmitas videtur sine ratione simplicitas: vt tu veram suscipias admoneris, id est, vt exequaris industria munus naturæ. Et ideo ait: *Quicunque receperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.*) Qui enim imitatorem Christi recipit, Christum recipit: & qui imaginē dei receperit, recipit deū. Sed quia imaginē dei non poteramus videre, facta est ad nos per incarnationem verbi præsentia, vt reconciliaretur nobis quæ supra nos est diuinitas. Quod autem propenso studio charitatis Ioannes plurimum diligens, & ideo redamatus plurimum, excludendum putat à beneficio cum qui non vtatur obsequio, rectè non reprehenditur, sed docetur. Non reprehenditur, quia amore faciebat: sed docetur vt nouerit infirmorum esse firmorúmque distantiam. Et ideo dominus

etsi fortiores remunerat, tamen non excludit infirmos. *Sinite eos, & nolite prohibere. Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.*) Bene domine, nam & Ioseph & Nicodemus occulti discipuli propter metum, in tempore tamen suum tibi officium non negarunt. Sed tamen quia alibi dixisti: Qui non est mecum, aduersum me est, & qui mecum non colligit, dispergit: aperi nobis ne videatur esse contrarium. Et puto quia si quis mentium consideret scrutatorem, dubitare non debeat vniuscuiusque factum mente discerni. Denique alibi dicit: Sequere me. alij: Vulpes foueas habent. Ille cogitur, iste remouetur: vt scias quia deuotus admittitur, indeuotus excluditur. Quòd verò discipulos increpauit quia ignē supra eos descendere cupiebant, qui non receperant Christum, ostenditur nobis non semper in eos qui peccauerint vindicandum, quia nonnunquam amplius prodest clementia tibi ad patientiam, lapso ad correctionem. Denique Samaritani citius crediderunt, à quibus hoc loco ignis arcetur. Simul disce quia recipi noluit ab iis quos sciebat non simplici mente conuersos: nam si voluisset, ex indeuotis deuotos fecisset. Cur autem non receperint eum, euangelista ipse memorauit, dicens: Quia facies eius erat euntis in Hierusalem. Discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant, sed dominus quos dignatur, vocat: & quem vult religiosum facit. Nec discipuli peccant, qui legem sequuntur. Sciebant enim & Phinees reputatum ad iustitiam, quia sacrilegos interemerat: & ad preces Heliæ ignem descendisse de cœlo, vt prophetæ vindicaretur iniuria. Sed vindicetur qui timet, vindictam non quærit qui non timet. Simul ostenditur nobis in apostolis fuisse merita prophetarum, quando eandem sibi potestatem quam Propheta magnus emeruit, impetrādi iure præsumunt. Et bene præsumunt, quia ad sermonem suum ignis de cœlo descenderet, quoniam filij sunt tonitrui. Dominus autem mirè omnia, nec illum temerè se offerentem recipit, nec in hos indeuotè dominum refutantes proprium commouetur, vt ostenderet quia non habet vltionis studium perfecta virtus: nec vlla sit iracundia vbi plenitudo est charitatis: nec excludenda infirmitas, sed iuuanda. Procul à religiosis indignatio, procul à magnanimis cupiditas vltionis, procul etiam à prudentibus inconsiderata coniunctio, & incauta simplicitas. Vnde & isti dicitur: *Vulpes foueas habent.*) nec obsequium eius admittitur, cuius non probatur officium. Circunspectum etenim fidei esse debet **hospitium,** ne dum infidelibus nostræ domus interna reseramus, in alienæ perfidiæ casses improuida credulitate labamur. Sed ne illud improuidè præteriisse videamur, cur hic eos qui possunt per manus impositionem immundis imperare spiritibus in nomine Iesu, neget esse prohibendos: secundum Matthæum autem dicat his, Non noui vos, discedite à me omnes operarij iniquitatis: aduertere debemus non esse distantiam sensus, sententiarúmque discordiam, sed illud censeri eò quòd non solum officij in clerico, sed etiam virtutis opera requirātur: tantúmque esse Christi nomen, vt etiam parum sanctis opituletur ad præsidium, etsi non opituletur ad gratiam. Vnde se nemo iactare debet, nec purgati hominis sibi gratiam vindicare, in quo æterni nominis virtus, non aliqua possibilitas humanæ fragilitatis operata sit. Non enim merito tuo diabolus, sed odio sui vincitur. Quod potest homo, synceram exhibeat fidem, & obseruantiam mandatorum religiosa mēte custodiat, ne dicatur ei: Vulpes foueas habent. Fallax quippe animal, & insidiis semper intentum, rapinam fraudis exercet. Nihil tutum, nihil ociosum, nihil patitur esse securum, quod inter ipsa hospitia hominum prædam requirat. Hereticis autem vulpes comparat. Denique cùm gentes vocet, hæreticos excludit. Vulpes enim plenum fraudis est animal, foueam parans, & in fouea semper latere desiderans. Ita sunt hæretici, qui domum sibi parare non norunt, sed circunscriptionibus suis alios decipere conantur. Iacob enim domum habitat, hæreticus in fouea est, vt fraudulenta vulpes gallinæ illi euangelicæ dolum semper intendens, de qua scriptum est: Quotiens volui congregare filios tuos sicut gallina pullos suos, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Merit ò ergo foueas habēt, quia domum quam habuerant, perdiderunt. Hoc animal neque mansuescit vnquam. Vnde & Apostolus ait: Hæreticum post vnam correptionem deuita: neque vlli vsui est, aut cibo vtile. Non enim de hoc dixit Christus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Quinetiam eas à fructibus suis relegat, dicens: Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas: hoc est quæ minorem vineam, non maiorem exterminent. Et ideo Sampson ad caudas earum faces ligauit, & dimisit in messes alienigenarum, eò quòd hæretici fructus incendere conantur alienos, latratibus magis sonori, quàm vocibus expoliti*. Qui enim verbum negat, nec vocem habet. Ad præsens ore liberi, sed in futurum finem iam vincti caudæ facibus significantes sui finis incendium. Vos lucres quoque cœli, quæ frequenter ad nequitiæ spiritalis similitudinem deriuantur, veluti nidos quosdam struunt in pectoribus improborum: & ideo filius hominis, quia abundauit iniquitas, non habet vbi caput suum reclinet. Etenim dominante versutia, cùm simplicitati locus nullus sit, nulla potest in affectibus singulorū diuinitatis esse possessio. Caput enim Christi deus est: qui vbi mētem probarit innoxiā, supra ipsam quodāmodo vim suæ maiestatis reclinat. Quod esse videtur indicio, quia profusiore quadam gratia bonorū pectoribus inseratur. Itaque vt aduertas deum non cultus aspernantem esse, sed fraudis: qui repudiauerat fraudulentū, eligit innocentem, dicens: *Sequere me.*) Sed hoc dicit ei, cuius patrem iam sciebat mortuum. Illum vtique patrem de quo dictum est: Obliuiscere domum patris tui. Vide igitur quia dominus quos miseratur, etiam imprudentes aduocat. Et postulanti paternę veniam sepulturæ respondit: *Sine, mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade annuncia regnum dei.*) Itaque cùm religiosum humandi acceperimus officiū, quemadmodum hic paterni quoque funeris sepultura prohibetur, nisi vt intelligas humana posthabenda diuinis? Bonum studium, sed maius impedimentum. Nam qui partitur studium, deriuat affectum, qui diuidit curam, differt profectū. Ergo prius obeunda quæ maxima sunt. Nam & apostoli, ne occuparentur studio dispensandi, ministros pauperibus ordinarunt. Et ipsis, cùm à domino mitterentur, neminem in via salutare præscriptum est: non quo beneuolentiæ displiceret officium, sed quo persequendæ deuotionis intentio plus placeret. Quomodo autem mortui sepelire mortuos possunt, nisi geminam hic intelligas mortem: vnam naturæ, alteram culpæ? Est etiam mors tertia, in qua peccato morimur, deo viuimus sicut Christus, qui peccato mortuus est. Quod autem mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit deo. Vna est igitur mors, qua copula corporis & animæ separatur, non formidabilis, non timenda, cùm discessio quædam nostri videatur esse, non pœna: non metuenda fortibus, desideranda sapientibus, miseris expetēda: de qua dictum est: Quærēt homines mortem, & non inueniēt eam. Est & alia, quæ secularium affert interitum voluptatum, in qua non natura, sed delicta moriuntur. Hanc mortem subimus consepulti in baptismo & mortui cum Christo ab elemētis huius mūdi, cùm † actus patimur prioris obliuia. Hac morte mori voluit cùm prophetaret Balaā, vt deo viueret, & ideo dixit: Moriatur anima mea morte iustorum, & fiat semen meum vt semen eorum. Est & tertia mors quādo Christus, qui est vita nostra, nescitur. Scire autem Christum vita est sempiterna, quæ nunc iustis præsto est in vmbra, in futurum autem erit facie ad faciem. Spiritus enim ante faciem nostram Christus dominus, de quo dixit: In vmbra eius viuemus in gentibus. In vmbra alarum eius sperauit Dauid, in vmbra eius cōcupiuit & sedit ecclesia. Si tantum domine Iesu confert vmbra tua, quantum vtiq; veritas afferet? Quemadmodum viuemus, quando iam non erimus in vmbra, sed in ipsa vita? Nunc enim vita nostra abscondita est cum Christo in deo: cùm autem Christus apparuerit vita nostra, tūc & nos, inquit, cum eo apparebimus in gloria. Dulcis illa vita est, quæ non habet mortē. Hæc enim vita corporis habet mortem sorte naturæ, quæ plerunque etiam desideratur. Habet etiā ipsa anima plerūque mortem labe peccati. Anima enim quæ peccat, ipsa morietur. Cùm autem firmitate beatitudinis roborata cœperit obnoxia nō esse

Luce 11.

Nume. 25.
4. Reg. 1.

Matth. 7.

Matth. 23.

ad Tit. 3.
Ioan. 4.
Cant. 2.
Iudic. 15.
* excitati.
Psalm. 44.
Luc. 10.
Rom. 6.
Apoc. 9.
† actus prioris obliuiscimur.
Num. 23.
Thren. 4.
Coloss. 3.
Ezech. 18.

1721

esse peccato, iam non erit mortalis, sed vitam carpet æternam. Ad hanc vitã fratres festinemus, mœsti in seculo, quia peregrinamur à domino. Qui enim non peregrinatur à corpore, peregrinatur à domino. Multo autem melius dissolui à corpore, & adhærere deo, vt & nos vnum simus apud omnipotentem deum, & vnigenitum dei filium videamus per resurrectionis gloriam in naturę claritatem cœlestis assumpti, & inuiolabili concordia, animorúmque fœdere sempiterno vnitatẽ diuturnę pacis imitati, vt compleatur id quod de nobis dei filius patri orando promisit, Vt & ipsi vnum sint, sicut & nos vnum sumus. Non ergo paterni funeris sepultura prohibetur, sed necessitudini generis diuinę religionis pietas antefertur. Illud consortibus relinquitur, hoc mãdatur electis. Aut quia sepulchrum patens guttur est impiorum, memoria eorum abolenda præscribitur, quorum simul cum corpore meritum occidit: nec reuocatur ab officio patris filius, sed fidelis à perfidi communione secernitur. Est enim propria quædam sepultura iustorum, qualis illa de qua dictum est: Hæc enim mittens hoc vnguentum in corpus meum, ad sepeliẽdum me fecit. Et ideo qui bona fide in se sepelit Christum, vt cũ eo resurgat, diaboli perfidiam in se sepelire nõ debet. Est & illa prophetica, vt supra sepulturã† malorum quædã ponamus, quæ lector agnoscis, infidelis intelligere non debet: non quo cibus imperetur aut potus, sed sacræ oblationis veneranda cõmunio reueletur. Non ergo interdictũ est muneris, sed religionis mysterium, communionẽ nobis cum gentilibus mortuis non futuram. Nã cùm sacramenta viuorũ sint, nõ videtur mortui qui habent vitã.

De missione discipulorum ad prædicandum.

Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.) Ad septuaginta discipulos dicit hoc, quos designauit, *& misit binos ante faciem suam.*) Qua ratione binos misit? Quia bina missa sunt animalia in arcam, hoc est, cum mare fœmina, immunda per numerum, sed mundata ecclesiæ sacramento. Quod completum est oraculo, quod sanctus Petrus accepit dicẽte sibi spiritu sancto: Quod deus mundauit, tu ne commune dixeris. Et aduertit dictum esse de gentilibus, qui corporeæ magis generationis successionem quàm spiritalis gratiæ sequebantur. Hos mundauit dominus, & passionis suæ fecit hæredes. Mittens ergo discipulos in messem suam, quæ licet verbo dei insita, tamen culturæ laborem & solicitum munus operarij requirebat, ne aues cœli sparsa semina dissiparent, ait: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Contraria sunt ista sibi animalia, vt alia ab aliis deuorentur. Sed bonus pastor lupos gregi suo timere non nouit, ideóque isti discipuli non in prædam, sed ad gratiam diriguntur. Solicitudo enim pastoris boni efficit, vt lupi in agnos audere nihil possint. Mittit ergo agnos inter lupos, vt compleretur illud: Tunc lupi & agni simul pascẽtur. Et quoniam proximè de vulpe nobis non ingratus tractatus euasit, si iudicium vestrum fidele in figura minusculi animantis expertus sum, præsumo quòd profunda mysteria quæ luporum specie velantur, studiorum vestrorũ possim aperire suffragio. In specie vulpium hæreticos significari supra expressimus, qui promittunt nomine quoq; Christum sequantur, sed studio fraudis abiurant. Hos non suscipit dominus, sed à suo nido arcet & ꝓhibet. Lupi quid significare videãtur, debemus aduertere. Bestiæ nempe sunt quæ insidiantur ouilibus, circa pastorales versantur casas, habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam aut desidiam pastoris explorant, ouium guttur inuadũt vt citò strangulent, feri, rapaces, iidémque natura corporis rigidiores, vt se facilè non possint inflectere, impetu quodam suo feruntur, & ideo sæpe luduntur. Tum præterea si quem ptiores hominem viderint, vocem eius quadam naturę vi feruntur eripere: si autẽ homo prius eos viderit, exagitari memorantur. Et ideo cauendum mihi est, ne si in hodierno tractatu spiritalium mysteriorum gratia non potuerit refulgere, lupi me prius vidisse credantur, & solenne vocis extorsisse suffragium. Nónne lupis istis hæretici comparandi sunt, qui insidiantur ouilibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore quàm diurno? Sẽper enim perfidis nox est, qui lucem Christi scæuæ nebulis interpretationis obducere, & quantum in ipsis est fuscare conantur.

A Versantur ergo circa caulas, stabula tamen Christi intrare non audent. Et ideo non sanantur, quia in stabulum suum non vult eos Christus inducere, in quo curatus est ille qui de Hierusalem descendens incidit in latrones: quem vulneribus alligatis, infuso oleo & vino, imponens in iumentum suum Samaritanus ille duxit in stabulum, & sanandũ stabulario dereliquit. Nõ accipiunt ergo medicinã qui medicum non requirunt. Si enim requirerent, non derogarent. Explorant pastoris absentiam, & ideo pastores ecclesiarũ vel necare, vel in exilium agere contendunt: quia præsentibus pastoribus oues Christi incursare non possunt. Spoliare ergo gregem domini & diripere conantur, qui corporea quadam mentis intentione duri ac rigidi nequaquam solẽt à suo errore deflectere. Et ideo Apostolus ait: Hæreticũ hominem post vnam correptionẽ deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est. Hos scripturæ verus interpres Christi illudit, vt inanes suos in vanum effundant impetus, & nocere non possint. Qui si quem versuta disputationis suæ circunscriptione præuenerint, faciunt obmutescere. Mutus est enim qui verbum dei non eadem qua est gloria confitetur. Caue ergo ne tibi vocẽ tollat hæreticus, si prior eum non ipse deprehenderis: serpit enim dũ latet eius perfidia. Si autẽ commenta impietatis eius agnoueris, iacturam piæ vocis timere non poteris. Caue igitur versutæ disputationis venena, animam petunt, guttur inuadũt, vitalibus vulnus affigũt. Graues sunt morsus hæreticorũ, qui ipsis grauiores & rapaciores bestiis, nullum auaritiæ finem impietatísque nouerunt. Nec vos moueat quòd formam prætendere videntur humanã, etsi foris homo cernitur, intus bestia fremit. Et ideo eos lupos esse non dubiũ est, iuxta domini Iesu diuinam sententiam, qui ait: Attendite vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouiũ, intus aũt sunt lupi rapaces, ex fructibus eorũ cognoscetis eos. Si quis ergo specie mouetur, fructum interroget. Audis aliquem sacerdotem dici? Rapinas eius non agnoscis. Vestitum ouis habet, facta prædonis. Foris ouis, intus lupus est: qui modum non habet rapinarum, qui tanquam in nocte Scythico mẽbra duratus gelu, cruentus ora, circũuolat quærẽs quem deuoret. Nónne vobis videtur lupus, qui humanæ necis insaturabili crudelitate fidelium morte populorũ, rabiem suã desiderat explere? Vlulat iste, non tractat, qui negat vocis authorem, & sacrilego sermone bestiale murmur interstrepit, qui non confitetur dominũ Iesum æternæ præsulẽ vitæ. Audiuimus eius vlulatus, cùm in orbem gladius mitteretur. Dentes asperos, ora tumida præferebat, & putabat quòd vocem omnibus abstulisset, quã solus amiserat. Et ideo vt hos lupos effugere possimus, docet dominus quid sequamur, dicens:

De instructione discipulorum ad cauendam concupiscentiam temporalium.

Nolite portare sacculum, neque perã, neque calceamenta.) Quid sit sacculum non esse portandum, alibi euidenter expressit. Scripsit enim Matthæus quoniam dixit ad discipulos dominus: Nolite possidere aurum, neque argentum. Si prohibemur aurum possidere: quid eripere, quid auferre conamur? Si quod habes, donare præciperis quemadmodum congeris quod possidere prohiberis? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui execraris idola, sacrilegium facis? Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis deum inhonoras? Nomen enim dei per vos blasphematur. Non sic apostolus Petrus, qui primum dominicæ executor sententiæ fuit, vt ostenderet non in vacuum domini effusa mandata, cùm posceretur à paupere vt ei aliquid pecuniæ largiretur, ait: Argentum atque aurum non habeo. Ille gloriatur quòd non habeat argentum atque aurum, vobis pudori est minus adhuc habere quàm cupitis. Est ergo & pauperis gloriosa, quia est & beata paupertas, de qua scriptum est: Beati pauperes spiritu. Tamen non tam hoc gloriatur Petrus, quòd argentum & aurum nõ habeat, quàm quòd seruet domini mandatum, qui præcepit: Nolite aurum possidere. Hoc est dicere: Vides me Christi esse discipulum, & aurum à me requiris? Aliud nobis multo precio-

ad Titum 3.

Matth. 7.

Matth. 10.

Rom. 2.

Act. 3.

Matth. 5.

Matth. 10.

sius auro donauit, vt in nomine eius operemur. Itaque non
Luca 12. habeo quod nō dedit, sed quod dedit habeo. In nomine do-
A mini Iesu surge & ambula. Sicut ergo qui horrea vult cōge-
rendis ædificare frumentis, dominicæ sentētiæ authoritate
reprehenditur: ita qui sacculum vult auro parare condēdo,
neuum reprehensionis incurrit. Non perā, nō calceamenta.
Vtrūque de corio mortui animantis confici solet, nihil autē
Exod. 3. in nobis dominus Iesus mortale vult esse. Denique ad Moy-
sem dicit: Solue calceamentum pedum tuorum: locus enim
in quo stas, terra sancta est. Mortale igitur atq; terrenū cal-
ceamentum iubetur soluere, cùm mitteretur ad populū li-
berādum. Huius enim ministeri muneris timere nihil debet,
nec à susceptō officio mortis periculo retardari. Ipse enim
cùm defensionem fratrum, hoc est, Iudæorum voluntarius
recepisset, calumniæ terrore reuocatus est ab incepto, & fu-
git ex Ægypto. Et ideo cū dominus affectum eius probasset,
conditionem autem vidisset infirmam, animi eius mētisque
vestigium mortalibus vinculis censuit exuendum. Quòd si
quem mouet qua ratione in Ægypto calceati iubentur ede-
re agnū, apostoli autem sine calceamentis ad prædicandum
euangelium diriguntur, is cōsiderare debet quia in Ægypto
positus debet adhuc morsus cauere serpentis. Multa enim
venena in Ægypto: & qui in typo paschа celebrat, patere po-
test vulneri, qui autem minister est veritatis, euitat venena,
Acto. 28. non trepidat. Denique momordit Paulum vipera in Melita
insula, & videntes pendentē de manu eius viperā incolæ loci
illius putabant eum esse moriturū. Sed vbi inoffensum sta-
re viderunt, deum esse dicebant, cui venenum nocere non
poterat. Et vt scias hoc verum esse, ipse dominus ait: *Ecce de-
di vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & supra
omnes virtutes inimici, & nihil vobis nocebunt.*) Non virgas in
manu iubentur tollere apostoli. Sic enim Matthæus scribē-
dum putauit. Quid est virga, nisi præferendæ potestatis in-
signe, & vlciscendi instrumentum doloris? Ergo humilis do-
mini (in humilitate etenim iudicium eius sublatum est) hu-
milis inquam domini præceptum, discipuli eius humilitatis
officiis exequuntur. Eos enim misit ad seminandam fidem,
C qui non cogerent, sed docerent: nec vim potestatis exerce-
rent, sed doctrinam humilitatis attollerent. Quo loco hu-
militati putauit etiam patientiam copulandā, quia ipse quo-
1. Petr. 2. que iuxta testimonium Petri, cùm malediceretur, non re-
maledixit: cùm percuteretur, non repercussit. Hoc est ergo
dicere: Imitatores mei estote, vltionis studia deponite, inso-
lentiam verberantium non iniuriæ relatione, sed magnani-
mitate patientiæ supportate. Nemo in se debet quod in alio
reprehendit imitari: grauiora cōtumacibus māsuetudo vul-
nera refert. Hoc pugno repercussit dominus verberantem,
Matth. 5. dicendo: Qui te percutit in maxillam, præbe illi & alteram.
Fit enim vt iudicio suo ipse se damnet, & quodam stimulo
sui compungatur affectus, qui relatam sibi sedulitatem pro
iniuria quam fecit, aduerterit. Habet tamē quos & cum vir-
1. Corin. 4. ga apostolos miserit, sicut Paulus testificatur dicens: Quid
vultis? In virga veniā ad vos? an in charitate & spiritu man-
suetudinis? Hanc virgam etiam & Timotheo dedit Apostō-
2. Timot. 4. lus dicens: Argue, obsecra, increpa. Aut fortasse ante passio-
nem domini, quæ nutantium populorū corda firmauit, ne-
D cessaria sola fuerit mansuetudo, post passionem correptio?
Prou. 13. Certè mulceat dominus, increpet Paul⁹: suadeat, qui potest
Exod. 12. pectora etiam dura mollire: arguat qui non potest vniuersa
Psalm. 88. suadere. Virgam igitur Paulus ex doctrina legis assumpse-
rat. Legerat enim: Qui parcit baculo, odit filium suum. Le-
Ioan. 18. gerat etiam quia agnum manducantes, baculum in manibus
habere præcepto prophetico iubebantur. Et ideo dominus
in veteri testamēto ait: Visitabo in virga iniquitates eorum.
In nouo autem seipsum obtulit, vt ignosceret vniuersis, di-
cens: Si me quæritis, sinite hos abire. Et alibi habes quia cū
apostoli ignem de cœlo petere vellent, vt cōsumeret Sama-
ritanos, qui Iesum dominum intra ciuitatē suā recipere no-
luerūt, cōuersus increpauit illos, & ait: Nescitis cuius spiri-
tus estis. Filius enim hominis nō venit animas hominū per-
dere, sed saluas facere. Perfectiores ergò sine virga dirigun-
tur, infirmiores cum baculo manducāt. Sed & Paulus virgā
quidē minatur, sed in spiritu māsuetudinis visitat delinquē-

tes. Denique vt scias mitē esse doctorē, eorum ipsorū quos
arguit, cōsulit voluntatem. Quid vultis? inquit, in virga ve-
niam ad vos? an in charitate & spiritu mansuetudinis? Semel 1. Cor. 4.
virgam dixit, bis mitiora subiecit, adiiciens mansuetudinem
charitati. Prius tamen minatus est virgam, sed exhibuit mā-
suetudinem. Nam in secunda epistola ad eosdē Corinthios
scribens ait: Testem deum inuoco in animam meam, quòd 2. Corin. 1.
parcens vobis non veni Corinthum. Audi qua ratione pu-
tauerit esse parcendum. Ne iterum, inquit, in tristitia venirē 2. Cor. 2.
ad vos. Abiecit virgam & affectum charitatis assumpsit.

De prohibitione salutationis in via.

Et neminem salutaueritis in via.) Fortasse quibusdam
hoc durum & superbum, nec mansueti & humi-
lis domini præcepto conuenire videatur quòd il-
le qui etiam accubitionis loco præcepit esse cedē-
dum, hoc loco mandet discipulis: Neminem salutaueritis in
via: cùm iste communis sit vsus gratiæ. Sic inferiores supe-
riorum sibi fauorē conciliare cōsueuerunt. Gētiles quoque
B cum Christianis habent huiusmodi officiorum commercia,
quomodo dominus hūc vsum humanitatis auellit? Sed con-
sidera non hoc esse solum, Neminem salutaueritis, sed non
frustra additū: In via. Deniq; & Helisæus cùm mitteret ser- 4. Reg. 4.
uum suum vt baculū eius poneret supra corpus pueruli de-
functi, mandauit ei ne † per viam aliquē salutaret. Festinatò † in via.
enim iubebat ad eū contendere, vt celebrandæ resurrectio-
nis exequeretur officium, ne confabulatione alicuius obuij
mandato reflecteretur à munere. Ergo & hic non salutatio-
nis officium ac sedulitas aufertur, sed obstaculum impedie-
dæ deuotionis aboletur, vt quando diuina mandantur, pau-
lisper sequestrētur humana. Pulchra est salutatio, sed eò pul-
chrior, quò præceptorū maturior executio diuinorum, quæ
per moram sæpe trahit offensam. Ideo autē & honesta pro-
hibentur, ne solennis gratia obrepat officij, & impediat mi-
nisterium, cuius mora culpa sit. Iam illa * moralia, ne de do- * alia, illud
mo ad domum quis vaga facilitate demigret, vt seruemus virtus alia.
etiam hospitali in amore constantiam, ne coalitam amicitiæ
C necessitudinem facilè resoluamus, vt pacis præferamus nū-
cium, vt ipse primus ingressus pacis benedictione celebre-
tur, cibo potúque oblato oportere nos esse contentos: ve-
xilla fidei non premēda, & regni cœlestis euangelium præ-
dicandum, excutiendum de pedibus puluerem, si quis reci-
piendos ciuitatis hospitio non putauerit.

De condemnatione contemptorum euangelij, humiliúmque commendatione, & legis ignarorum confutatione.

Docet etiam grauiori pœnæ obnoxios fore qui
euangelium non sequendum, quàm qui legem
iudicauerint esse soluendam, eò quòd Tyrus &
Sidon si tāta operationum cœlestium vidissent
miracula, non despexissent remediū pœnitentię. Istam quo-
que vel affluentiam vel insolentiam secularem neque cœle-
sti munere comparandam, neque rursus sine remedio dere-
linqui, cùm vnicuique sit subsidium pœnitendi. Postremò
aperit cœleste mysterium, quòd placuerit deo vt paruulis
magis quàm prudentibus istius mundi suam gratiam reue-
laret. Quod apostolus Paulus stylo pleniore digessit dicēs:
D Nónne stultam fecit deus sapientiam huius mundi? Nam 1. Cor. 1.
quoniam in dei sapientia non cognouit hic mundus per sa-
pientiam deū, placuit deo per stultitiā prædicationis saluos
facere credētes. Paruulum ergo accipiamus, qui se exaltare
non nouerit, & phaleratis sermonibus artē suæ iactare pru-
dentiæ: quod philosophi plerique faciūt. Paruulus erat qui Psalm. 130.
dixit: Domine non exaltaui cor meū, neque elati sunt oculi
mei, neque ingressus sum in magnis, neq; in mirabilibus su-
per me. Et vt scires paruulū hunc non ætate, non sensu fuis-
se, sed humilitate sui, & quadā declinatione iactantiæ, addi-
dit: Sed exaltaui animam meam. Vides quàm excelsus fuerit
hic paruulus, quanto virtutum sublimis vertice? Tales nos 1. Cor. 3.
paruulos vult esse Apostolus cùm dicit: Si quis videtur sa-
piens esse inter vos in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens.
Sapientia enim huius mundi stultitia est apud deum. Pul-
cherrimus connectitur de fide locus, quādo omnia sibi tra-
dita dicit à patre suo. Cùm omnia legis, omnipotētē agno-
scis: non decolorem, non degenerem patris. Cùm tradita le-
gis,

1725

gis, filium confiteris, cui per naturam omnia vnius ſubſtantiæ iure ſunt propria, nõ dono collata per gratiam. Addidit: *Nemo ſcit quis eſt filius, niſi pater: & quis eſt pater, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.*) Quem locum in iis quos de fide ſcripſi libellis, memini non eſſe præteritum. Vt ſcias autem quia ſicut filius patrem quibus vult reuelat, etiam pater reuelat quibus vult filium, audi dicentem ipſum dominum Ieſum cùm laudaret Petrum quòd eum filium dei eſſe confeſſus ſit: Beatus es Simon bar Iona, quia non caro & ſanguis reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Adhęret his lectio, qua exponũtur hi qui ſibi legiſperiti videntur: qui verba legis tenent, vim legis ignorant, & ex ipſo primo legis capitulo docet eſſe legis ignaros, probans quòd in principio ſtatim lex & patrem & filiũ prædicauerit: incarnationis quoque dominicæ annunciauerit ſacramentum, dicens: *Diliges dominum deum tuum, & diliges proximum tuum ſicut teipſum.*) Vnde dominus ait ad legiſperitum: *Hoc fac & viues.*) At ille qui neſciret proximum ſuum, quia non credebat in Chriſtum, reſpondit: *Quis eſt meus proximus?* Ita qui Chriſtum neſcit, neſcit & legem. Quomodo enim poteſt ſcire legẽ, cùm veritatem ignoret, cùm lex annunciet veritatem?

De homine deſcendente ex Hieruſalem in Hiericho, & incidente in latrones.

Homo quidam ex Hieruſalem deſcendebat in Hiericho.) Vt eum locum qui propoſitus eſt nobis, planius poſſimus abſoluere, veterem ciuitatis Hiericho repetamus hiſtoriam. Meminimus itaque quòd Hiericho, ſicut legimus in libro qui inſcribitur Ieſu Naue, magna ciuitas fuerit, muralibus ſepta parietibus, quæ nõ ferro peruia, nõ arieti poſſet eſſe penetrabilis: in ea Rhaab habitaſſe meretricẽ, quæ exploratores quos direxit Ieſus, hoſpitio recepit, conſilio inſtruxit, poſtulãtibus ciuibus abiiſſe reſpondit. Abſcondit in tecto, & vt ſe ſuósque vrbis excidio poſſet eripere, coccum in feneſtra ligauit. Vrbis aũt ipſius inexpugnabiles muros ſeptem tubarum ſacerdotalium ſono, & populi iubilantis vlulatu cõſono corruiſſe. Videte quemadmodum vnuſquiſque proprium ſeruet officium: exploratores excubias, myſterium meretrix, fidem victor, religionem ſacerdos. Hi periculum pro laude non metuunt, illa ſuſceptos nec in periculis prodit. Iſte ſolicitus fidẽ magis ſeruare quàm vincere, meretricis prius mandat ſalutem, quàm excidium ciuitatis. Religionis autem inſignia arma ſunt ſacerdotis. Iam illud quis non plenũ putet eſſe miraculi, quod ex tota vrbe nemo ſeruatus eſt, niſi quem meretrix liberauit? Hęc ſimplicis hiſtoria veritatis eſt: quæ ſi altius cõſideretur, admirãda ſignat myſteria. Hiericho enim figura iſtius mundi eſt: in quam de paradiſo, hoc eſt de Hieruſalem illa cœleſti eiectus Adam, præuaricationis prolapſione deſcẽdit: hoc eſt, de vitalibus ad inferna demigrans, cui non loci, ſed morum mutatio naturæ ſuæ fecit exilium. Longè enim mutatus ab illo Adam, qui inoffenſa beatitudine fruebatur: vbi in ſecularia peccata deflexit, incidit in latrones. In quos nõ incidiſſet, niſi his mandati cœleſtis deuius ſe feciſſet obnoxiũ. Qui ſunt iſti latrones, niſi angeli noctis atque tenebrarum, qui ſe nonnunquam transfigurant in angelos lucis, ſed perſeuerare non poſſunt? Hi antè deſpoliant quæ accepimus indumenta gratiæ ſpiritalis, & ſic vulnera inferre conſueuerunt. Nam ſi intemerata quæ ſumpſimus indumenta ſeruemus, plagas latronum ſentire non poſſumus. Caue ergo ne antè nuderis, ſicut Adam antè nudatus eſt, mandati cœleſtis cuſtodia deſtitutus, & exutus fidei veſtimento, & ſic letale vulnus accepit. In quo omne genus occidiſſet humanũ, niſi Samaritanus ille deſcendens, vulnera eius acerba curaſſet. Non mediocris iſte Samaritanus, qui eũ quẽ ſacerdos, quem leuita deſpexerat, non etiã ipſe deſpexit. Nec vocabulo ſeſe deſpicias, quem verbi interpretatione miraris. Samaritani etenim vocabulo cuſtos ſignificatur. Hoc habet interpretatio. Quis eſt cuſtos, niſi ille de quo dictum eſt: Cuſtodiens paruulos dominus? Itaque ſicut Iudæus alius in litera, alius in ſpiritu: ita eſt Samaritanus alius foris, alius in occulto. Hic ergo Samaritanus deſcendens†. (Quis eſt qui deſcẽdit de cœlo, niſi qui aſcendit in cœlũ, filius hominis qui eſt in cœlo?) videns ſemiuiuum, quẽ nemo poterat antè curare, ſicut illam quæ fluxu ſanguinis profluẽs, in medicos erogauerat omne patrimonium ſuum: venit ſecus eum: hoc eſt, factus compaſſionis noſtræ ſuſceptione finitimus, & miſericordiæ collatione vicinus: *Et alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum.*) Multa medicamina medicus habet iſte, quibus ſanare cõſueuit. Sermo eius medicamentũ eſt. Alius eius ſermo cõſtringit vulnera, alius oleo fouet, alius vinum infundit. Conſtringit vulnera auſteriore præcepto, fouet remiſſione peccati, ſicut vino compungit denunciatione iudicij. *Et impoſuit*, inquit, *in iumentum ſuum.*) Audi quomodo te imponat. Hic peccata noſtra portat, & pro nobis dolet, & paſtor impoſuit ouem laſſam ſuper humeros ſuos. Homo enim iumentis ſimilis factus eſt: & ideo ſupra iumẽtum ſuum nos impoſuit, ne nos eſſemus ſicut equus & mulus, vt per noſtri corporis aſſũptionẽ infirmitates noſtræ carnis aboleret. Denique duxit nos in ſtabulum qui eramus iumẽta. Eſt autem ſtabulum, in quod feſſi longo itinere ſuccedere ſolent. Duxit itaque in ſtabulum dominus, qui ſuſcitat à terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem. *Et curam egit.*) ne æger ea quæ acceperat, nequaquam præcepta ſeruaret. In quo agnouit aſina præſepe domini ſui. Sed non vacabat Samaritano huic diu in terris degere, redeundum eò erat vnde deſcenderat. Itaque *Altero die.*) Quis eſt iſte alter dies, niſi fortè ille dominicæ reſurrectionis, de quo dictum eſt: Hic eſt dies quem fecit dominus? *Protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe.*) Qui ſunt iſti duo denarij, niſi fortè duo teſtamenta, quæ imaginem in ſe habent æterni regis expreſſam, quorum precio vulnera noſtra curantur? Redempti enim ſumus precioſo ſanguine, vt vltimæ mortis vlcera vitaremus. Hos ergo duos denarios, licet horum quoque librorum quatuor formas nõ abſurdum ſit intelligere, accipit ſtabularius. Quis? Ille forſitan qui ait: *Æſtimo vt ſtercora, vt Chriſtũ lucrifaciam*, quò curam haberet hominis vulnerati. Stabularius itaq; ille eſt qui dixit: Miſit me Chriſtus euãgelizare. Stabularij ſunt illi quibus dicitur: Ite in orbem vniuerſum: & prædicate Euangelium vniuerſæ creaturæ, & qui crediderit & baptizatus fuerit, hic ſaluus erit. Saluus vtiq; à morte, ſaluus à vulnere quod infixum eſt à latronibus. Beatus ille ſtabularius, qui alterius vulnera curare poteſt. Beatus ille cui dicit dominus: *Quodcunque ſupererogaueris, reuertens reddam tibi.*) Bonus diſpenſator, qui etiam ſupererogat. Bonus diſpenſator Paulus, cuius ſermones & Epiſtolæ veluti ei rationi quam acceperat, ſuperfluũt. Moderatum domini mandatum propè immoderato labore mentis & corporis executus, vt multos ab ægritudine graui ſpiritalis alloquij diſpenſatione releuaret. Bonus ergo ſtabularius ſtabuli eius in quo agnouit aſina præſepe domini ſui, & in quo greges clauduntur agnorum, ne frementibus ad caulas rapacibus lupis, facilis in ouilia ſit incurſus. Spondet ergo mercedem ſe redditurum. Quando reuerteris domine, niſi in die iudicij? Nam licet vbique ſis ſemper, & ſtãs in medio noſtrum non cernaris à nobis, erit tamen tempus quo vniuerſa caro te aſpiciat reuertentẽ. Reddes ergo quod debes. Beati quibus es debitor: vtinam nos ſimus idonei debitores: vtinã quod accepimus, poſſimus exoluere, nec nos aut ſacerdotij aut miniſterij munus extollat. Quomodo reddes domine Ieſu? Promiſiſti quidem in cœlo bonis copioſam eſſe mercedem. Reddes tamen & cùm dices: Euge bone ſerue & fidelis, quoniam ſuper pauca fidelis fuiſti, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudiũ domini tui. Ergo quoniam nemo magis proximus, quàm qui vulnera noſtra curauit, diligamus eum quaſi dominum, diligamus & quaſi proximum. Nihil enim tam proximum, quàm caput membris. Diligamus etiam eum qui imitator eſt Chriſti: diligamus & eum qui inopiæ alterius corporis vnitate compatitur. Non enim cognatio facit proximum, ſed miſericordia, quia miſericordia ſecundum naturam. Nihil enim tam ſecundum naturam, quàm iuuare conſortem naturæ. Dictũ eſt igitur de miſericordia, ſed non vna eſt forma virtutis.

A

B

C

D

Luc. 15.

Pſalm. 112.

Eſaiæ 1.

Pſalm. 117.

Philip. 3.

Marci 16.

Matth. 25.

De exemplo Marthæ & Mariæ, per quas duæ vitæ deſignantur.

Subiici-

SVbiicitur Marthæ exemplo & Mariæ, alterius operibus actuosa deuotio, alterius religiosa mētis intentio dei verbo: quæ si cum fide congruat, etiā ipsis operibus antefertur, iuxta quod scriptū est: *Maria optimam partem sibi elegit, quæ non auferetur illi.*) Studeamus igitur & nos habere quod nemo nobis possit auferre: non vt perfunctoria, sed diligens audientia deferatur. Solēt enim etiam ipsius semina verbi cœlestis auferri, si secus viā sint seminata. Agat te sicut Mariam desiderium sapientiæ. Hoc enim maius, hoc perfectius opus: nec ministerij cura à cognitione verbi cœlestis auertat, nec arguas eos & ociosos iudices quos videas studere sapientiæ. Hanc enim sibi cohabitātem Salomon ille pacificus adsciuit. Nec Martha tamen in bono ministerio reprehenditur: sed Maria, quòd meliorem partem sibi elegerit antefertur. Iesus enim multis abūdat, & multa largitur. Et ideo sapiētior iudicatur, quæ quod principale aduertit, elegit. Denique apostoli optimum non putauerunt relinquere dei verbum, & ministrare mēsis, sed

Actu. 6. vtrumque munus sapientiæ est. Nam & Stephanus plenus sapientia, minister electus: & ideo qui ministrat, doctori deferat, & ministrantem doctor inuitet & prouocet. Vnum enim corpus Ecclesiæ, & si diuersa membra, alterum altero

1. Corin. 12. eget, Non potest dicere oculus manui, Operam tuam non desidero: aut iterum caput pedibus: aut auricula se negare esse de corpore: nam & si alia principalia, tamen alia neces-

Eccles 2. saria. Sapientia in capite, actus in manibus. Oculi enim sapientis in capite eius. Quia ille verè sapit, cuius animus in Christo est, & cuius interior oculus erigitur ad superna. Et ideo sapiētis oculi in capite ipsius, stulti autem in calcaneo.

De exemplo discipulos ad instantiam & frequentiam orationis inducente.

Cap. XI. QVis vestrum habens amicum, ibit ad illum media nocte, & dicet illi: *Amice, commoda mihi tres panes?*) Alius præcepti locus est, vt omnibus momentis nō solùm diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur. Vides enim quòd iste qui media nocte perrexit, tres panes ab amico suo postulans, & in ipsa petendi intentione

† orans. persistēs, non defraudetur oratis †. Qui sunt isti tres panes, nisi mysterij cœlestis alimentum? Quod si diligas dominum deum tuum, non solum tibi, sed etiam aliis poteris emereri. Quis autem amicior nobis, quàm qui pro nobis corpus suū tradidit? Petiit ab hoc media nocte panes Dauid, petiit &

Psalm. 118. accepit. Petiit enim quādo dicebat: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ideo meruit hos panes, quos apposuit

Psalm. 6. nobis edendos. Petiit cùm dicit: Lauabo per singulas noctes lectum meum. Neque enim timuit ne excitaret dormien-

† vel, orare. tem, quem scit semper vibrare † vigilātem. Et ideo scriptorum memores, noctibus ac diebus orationi instantes, peccatis nostris veniam postulemus. Nam si ille tam sanctus, & qui regni erat necessitatibus occupatus, septies in die laudē domino dicebat matutinis & vespertinis sacrificiis semper intentus: quid nos facere oportet, qui eò amplius rogare debemus, quò frequentius carnis ac mentis fragilitate delinquimus, vt de via lassis, & istius æui cursu, ac vitæ huius anfractu grauiter fatigatis, panis refectionis deesse non possit, qui hominis cor confirmet? Nec solum media nocte dominus, sed omnibus propè docet vigilandum esse momentis.

Luc. 12. Venit enim & vespertina, & secūda, & tertia vigilia, & pulsare consueuit. Beati itaque serui illi quos cū venerit dominus, inuenerit vigilātes. Si ergo desideras vt virtus dei præcingat se, & ministret tibi, vigilandum est semper. Multæ enim insidiæ sunt bonis, & grauis corporis somnus: cū si dormire mens cœperit, vigorem suæ virtutis amittit. Excita igitur somnum tuum, vt pulses ostium Christi. Quod aperiri sibi etiam Paulus expoſcit, non solum suis, sed etiam populi orationibus obsecrans se iuuari, vt aperiatur ostiū sibi ad

Apoc. 4. loquendum mysterium Christi. Et fortasse illud est ostium quod apertum vidit Ioannes. Vidit enim, & dixit: Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cœlo: & vox prima quā audiui tanquam tubam loquentem mecū, & dicentem: Ascēde huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri. Apertum est igitur ostium Ioanni, apertū est ostium Paulo, vt nobis panes, quos ederemus, acciperet. Perseuerauit enim ostium pulsans opportunè, importunè, vt gētes mūdani tramitis labore vexatas, alimoniæ cœlestis vbertate recrearet. Ergo præceptiuus locus frequēter orādi, spes impetrādi, oratio * permittit aliquid, spem debet afferre promissi, vt monitis obdientia deferatur, promissis fides, quæ humanæ contemplatione pietatis in maius æternæ spē pietatis acquirit, si tamē æqua poscantur, ne in peccatū vertatur oratio. Nec erubuit aliquid sæpius postulare, ne vel diffidere de domini misericordia videretur, vel arrogāter dolere quòd non prima precе aliquid impetrauerit. Propter hoc, inquit, ter dominū rogaui: & ostendit quod frequenter deus ideo non cōcedat oratus, quòd inutilia iudicet quæ nos profutura credamus.

* ratio.

1. Corin. 14.

De argumentis quibus Iesus cogitationes Phariſæorum falsas esse conuincit.

OMne regnū in seipsum diuisum, desolabitur.) Causa dicti huius ea est, quòd in Beelzebub principe dæmoniorū eiicere dæmonia dicebatur, vt ostēderet regnum suum indiuiduum esse, atque perpetuū. Meritóque etiam Pilato respōdit: Regnū meū non est de hoc mūdo. Et

Ioan. 18. ideo qui non in Christo spem gerunt, sed in principe dæmoniorū eiici dæmones opinātur, eos regni negat esse perpetui. Quod spectat ad populū Iudæorū, qui huiusce modi passionibus ad dæmoniū eiiciēdū, dæmonis arcessat auxiliū. Nam quemadmodum potest, cùm fides scindatur, regnū manere indiuisum? Etenim cùm in lege sit populus Iudæorū, Christus quoque secūdum carnem ex lege generatus sit, quomodo regnum potest Iudæorum esse perpetuum, quod ex lege est, cùm populus ipse diuidat legem, quando à legis populo Iesus negatur, qui ex lege debetur? Ita ex parte se fides Iudaicæ plebis impugnat, & impugnādo diuiditur, diuidēdo dissoluitur. Et ideo regnum Ecclesiæ manebit in æternū, quia indiuidua fides corpus est vnum. Vnus enim dominus, vna

Ephes. 4. fides, vnum baptismum, vnus deus & pater omnium: qui super omnes, & per omnes, & in omnibus. Quanta hic sacrilegi furoris amentia, vt cùm dei filius ad immundos spiritus conterendos, & ad manubias mundani principis auferēdas susceperit carnem, & destruēdæ nequitiæ spiritalis hominibus quoque dederit potestatem, diuidens spolia eius, quod insigne est triumphantis, aliqui sibi adiumētum & præsidia diabolicæ potestatis adsciscant, cùm in digito dei, vel certè secundum Matthæum, in spiritu dei dæmones excludantur? Vnde intelligitur indiuiduum quoddam velut corpus esse diuinitatis & regnum, cùm Christus dei dextera sit, spiritus autem digiti specie velut vnius secundum diuinitatem corporis seriem videatur exprimere. Nónne videtur indiuiduū esse regnum, cùm velut corpus sit indiuisum? Habitat enim (vt legisti) corporaliter plenitudo diuinitatis in Christo.

Coloſ. 2. Quod vtique & de patre negare non poteris, & de spiritu negare non debes: nec tibi membrorum comparatione nostrorum portio quædam videatur facienda virtutis. Indiuiduæ enim rei non potest esse diuisio: & ideo ad formam vnitatis, non ad distinctionem potestatis referēda digiti nuncupatio est, cum dextera dei dicat: Ego & pater vnū sumus.

1. Ioan. 10. * diuinitatis.

Sed licet indiuidua diuinitas*, distincta persona est, digitus tamen cùm dicitur, spiritus operatoria virtus significatur, quòd diuinorum operum sicut pater & filius, ita & spiritus

Pſalm. 8. sanctus operator sit. Dauid enim dicit: Quoniā videbo cœlos opera digitorum tuorum. Et in xxxij. Psalmo: Et spiritu

1. Cor. 12. oris eius omnis virtus eorum. Et Paulus ait: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Et hic cū dicit, *Quòd si in spiritu dei ego eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum dei:*) Simul ostendit imperialem quandam esse sancti spiritus potestatem, in quo regnum est dei. Nos quoque in quibus habitat spiritus, regalē

Luca 17. domum habemus. Vnde & in posterioribus dixit: Regnum dei intra vos est. Et ideo diuinitatis, & dominationis, & imperatoriæ maiestatis cōsortem debemus æstimare spiritum

2. Corin. 3. sanctū, quia dominus est spiritus. Vbi autē spiritus domini, ibi libertas. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens.*) Hoc de Iudæorum plebe dictum ambigi non potest, quam dominus

à regno

1729

à regno suo in superioribus segregauit. Vnde omnes quoq; hæreticos & schismaticos à regno dei, & ab ecclesia intelligit separatos. Et ideo non dei, sed immundi spiritus omnes schismaticorũ hæreticorúmq; liquidò claret esse cõuentus. Itaque in vno homine totius Iudaici populi cõparatio est, à quo per legem spiritus immũdus exierat. Sed quia in nationibus & gentibus per fidẽ Christi requiẽ reperire nõ potuit (immundis enim spiritibus Christus incendium est, qui in pectoribus gentilium, quæ antè arida erant, postea per baptismum rore spiritus sancti humescebant, iacula aduersarij ignita restrinxerat) ideo regressus ad plebem est Iudæorum, quæ foràs & perfunctoria specie compta, animo manet interiore pollutior. Neq; enim sacri fontis irriguo aur abluebat aut restringuebat ardorem: meritóque ad eã spiritus redibat immundus, adducẽs secum septem spiritus nequiores se, quoniam in hebdomada legis & octauæ mysteriũ sacrilega mente cõmisit. Itaque vt nobis multiplicatur septiformis spiritus gratia, ita illis immundorum spirituũ omnis cumulatur iniuria. Vniuersitas enim hoc numero aliquotiens cõprehenditur, propter quod septimo die conclusus mundi operibus requieuit deus. Ideo & sterilis septẽ peperit, & pulosa in filiis infirmata est. Denique vt scias Synagogæ populum deformari, vbi Ecclesiæ beatitudo laudatur, subiecit:

De increpatione generationis nequam, signum quærentis.

GEneratio hæc generatio nequam est, signum quærit, & signum nõ dabitur ei, nisi signum Ionæ. Nam sicut Ionas fuit signum Niniuitis, ita erit & filius hominis.) In hoc quoque Iudæorum plebe damnata, Ecclesiæ mysterium euidenter exprimitur, quæ in Niniuitis per pœnitẽtiam, & in regina Austri per studium percipiendæ sapientiæ de totius orbis finibus congregatur, vt pacifici Salomonis verba cognoscat. Regina planè, cuius regnum est indiuisum, de diuersis & distantibus populis in vnũ corpus assurgens. Itaque sacramẽtum illud magnũ est de Christo & Ecclesia, sed tamen hoc maius est, quia illud in figura antè præcessit, nunc autem plenum in veritate mysteriũ est. Illic enim Salomonis typus, hic autem Christus in suo corpore est. Ex duobus igitur cõstat Ecclesia: vt aut peccare nescias, aut peccare desinas. Pœnitentia enim delictum abolet, sapientia cauet. Hoc in mysterio. Cæterum Ionæ signum vt typus dominicæ passionis sit, ita etiam grauium, quæ Iudęi commiserint, testificatio peccatorum est. Simul aduertere licet & maiestatis oraculum, & pietatis indicium. Namque Niniuitarum exemplo & denunciatur supplicium, & remedium demonstratur. Vnde etiam Iudæi debent non desperare indulgentiam, si velint agere pœnitentiam.

De similitudine qua ad ostensionem fidei adhortamur.

NEmo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.) Ergo quia in superioribus Ecclesiam Synagogæ prætulit, hortatur nos vt fidem potius nostram ad ecclesiam transferamus. Lucerna enim fides est, iuxta quod scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum domine. Verbum enim dei fides nostra est, verbum dei lux est, lucerna est fides. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Lucerna aũt lucere non potest, nisi aliunde lumen acceperit. Hæc est lucerna quæ accenditur, virtus scilicet nostræ mentis & sensus, vt drachma illa possit quæ perierat reperiri. Nemo ergo fidem sub lege constituat. Lex enim intra mensurã est, vltra mensuram gratia. Lex obumbrat, gratia clarificat. Et ideo nemo fidem suam intra mẽsuram legis includat, sed ad Ecclesiam cõferat, in qua septiformis spiritus relucet gratia, quam princeps ille sacerdotum fulgore supernæ diuinitatis illuminat, ne eam legis vmbra restinguat. Denique lucerna illa quam matutinis vespertinísque temporibus ritu veteri Iudæorum princeps sacerdotũ solebat accendere, velut sub modio sita legis euanuit: & ciuitas illa Hierusalẽ, quæ in terris est, quæ occidit prophetas quasi in conualle fletus posita deliteſcit: illa autem Hierusalem quæ in cœlo est, in qua militat fides nostra, in illo altissimo omnium locata mõte, hoc est in Christo, Ecclesia non potest tenebris & ruinis huius mundi abscondi, sed fulgens candore Solis æterni, luce nos gratiæ spiritalis illuminat.

A *De redargutione interioris immunditiæ, multorúmque vitiorum Phariſæorum & legisperitorum.*

NVnc vos Phariſæi prius quod deforis est calicis & catini, mundatis.) Vides corpora nostra terrenorũ & fragiliũ expressione signari, quę breui lapsu præcipitata frangantur: & facilè ea quæ mens voluit interna, per sensus & gesta corporis prodi: sicut illa quæ calix interius continet, foris lucent. Vnde & in posterioribus nõ dubium est vocabulò calicis passionem corporis declarari, cùm dicit dominus: Calicem quem mihi pater dedit, non vis vt bibam illum? Bibit enim corpus suum, qui corporalem fragilitatem spiritali absorbet affectu, & quasi in mentem animúmque transfundit, vt interioribus exteriorũ imbecillitas hauriatur. Cernis igitur quòd nos non exteriora huius calicis aut catini, sed interiora contaminant. Et ideo quasi bonus præceptor docuit quemadmodum nostri mundare corporis contagiũ debeamus, dicens: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*) Ioan. 18.

B Vides quanta remedia? Mundat nos misericordia, mundat nos dei sermo, iuxta quod scriptum est: Iam vos mundi estis propter sermonem meum, quẽ locutus sum vobis. Nec hoc loco solum, sed etiam in aliis quãta gratia sit, expressum tenes. Eleemosyna enim à morte liberat. &, Cõclude eleemosynã in corde pauperis, & hæc pro te exorabit in die malo. Tòtus itaque pulcherrimus ab hinc dirigitur locus, vt quoniam nos ad studium simplicitatis inuitat, superflua Iudæorum & terrena condemnet, qui secundum corpus intelligẽdo quæ legis sunt, vitro & catino propter fragilitatẽ sui non immeritò comparãtur, & ea de quibus nobis nullus est vsus, obseruant: ea autem in quibus nostræ spei fructus est, negligunt: & ideo peccatum grande committunt, dum meliora despiciũt: & tamen ipsis peccati abolitio promittitur, si misericordia cõsequatur. Breuiter autem vitia eorũ multa perstringit, qui vilium fructuum decimis cõferendis omne studium intendant suum, nec vllum futuri iudicij metũ nec aliquam dei habeant charitatem, cùm opera sine fide vana sint. Ioan. 15. Tobiæ 12. Eccli. 26.

C Prætereunt enim iudicium & charitatem dei. Iudiciũ ideo, quia non omnia quæ agunt, in iudiciũ referunt. Charitatem ideo, quia non ex affectu deum diligunt. Sed ne rursus fidei nos studiosos faciat operum negligentes, perfectionẽ fidelis viri breui sermone cõcludit, vt & fide & operibus approbetur, dicens: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*) Arrogantiam quoque iactantiámque redarguit Iudæorum, dum primatus accubitionis in conuiuiis appetunt. In ipsos quoque peritos legis damnationis sententia promulgatur: *Væ vobis, qui estis vt monumenta.*) Qui quasi sepulchra, quæ non apparent, specie fallunt, visúque decipiunt: vt cùm foris speciosa promittant, intus plena fœtoris includant. Quod faciunt plerique doctores, qui ab aliis exigunt quæ ipsi non queant æmulari. Et ideo ipsi monumenta sunt, sicut & alibi dictum est: Sepulchrum patens est guttur eorũ. Bonus etiam locus aduersus superstitionem vanissimam Iudæorum: *Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum,*) quia ædificando sepulchra prophetarum, patrum suorum facta damnabant, Psalm. 5.

D Æmulando autem paterna scelera, in seipsos sententiam retorquebant. Etenim propheticorum ædificatione tumulorum sceleris eos qui occiderant arguebant, & similiũ æmulatione factorum se quoque declarabãt paternæ iniquitatis hæredes. Non igitur ædificatio, sed æmulatio loco criminis æstimatur. Neque enim possunt hæreditariæ iniquitatis absolui, qui dei filium crucifigendo, quod grauius est, paternis cumulum sceleribus addiderunt. Et ideo bene alibi addidit: Implete mẽsuram patrum vestrorum. quia nihil est vltra dei iniuriam, grauius peccare quod possint. Propterea mittit ad illos Sapientia apostolos & prophetas. Quis est sapiẽtia, nisi Christus? Denique in Matthæo habes: Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes. Arguũtur adhuc sub nomine Iudæorum, & futuro supplicio statuuntur obnoxij, quia cùm doctrinam sibi diuinæ cognitionis vsurpent, & alios impediant, nec ipsi quod profitentur agnoscant.

De exemplo quo & timor mortis excluditur, & fides roboratur.

Nónne

Cap. XII. *Nonne quinque passeres veneunt dipondio? Et vnus ex illis non est in obliuione coram deo. Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite timere, multis passeribus pluris estis.*) Pulcherrimum locum tenendæ simplicitatis, & æmulandæ fidei saluator intexuit, ne Iudaïcæ perfidiæ more alia promamus affectu, alia voce simulemus, cùm vltimo tempore occulta cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, secretum nostræ mentis apertura videantur. Quæ enim maior est simplicitatis illecebra, quàm vt vnusquisque cognoscat latebram fraudis esse non posse? Sed quoniam gemina est causa perfidiæ, quia aut ex inolita malitia, aut ex accidēti metu nascitur: ne quis metu territus potestatis, deum quem corde cognoscit, negare cogatur, pulchrè addidit animæ tātum formidabile esse supplicium, pœnam corporis non esse metuendam. Mors enim naturæ finis, non pœnę est. Et ideo mortem supplicij corporalis esse defectum, pœnam verò animæ esse perpetuam: eóque deum solum esse metuēdum: cuius potestati non natura præscribat, sed eadem natura subiaceat. Mortem verò nō esse terribilem, quam locupletiore fœnore sit immortalitas redemptura. Inspirauerat dominus simplicitatis affectum, virtutem mentis erexerat, fides sola nutabat, bene eam de vilioribus roborauit. Nam si deus obliuionem passerū non habet, hominum habere qui potest? Quod si tāta est dei etiā æterna maiestas, vt vnus ex passeribus, aut nostrorum numerus capillorum præter scientiam dei non sit, quàm indignum est æstimare quòd fidelium corda dominus aut ignoret aut spernat, qui viliora cognoscat? Fortasse dicat aliquis, Quomodo Apostolus dixit: Nūquid de bubus cura est deo? cùm vtiq; bos passere preciosior sit? Sed aliud est cura, aliud scientia. Denique numerus capillorum non in actu computationis, sed in facilitate cognitionis accipitur. Nō enim solicitam deus curæ numerātis intendit excubiam, sed cui cognita sunt omnia, quasi numerata sunt omnia. Bene tamen numerati dicuntur, quia illa quæ volumus seruare, numeramus. Possumus tamen hîc discutere aliquid intelligētiæ spiritalis arcanum, præsertim cùm hoc videatur absurdum, vt homines non potius hominibus quàm passeribus comparētur. Videntur enim quinque isti passeres, quinque esse corporis sensus, tactus, odoratus, gustus, visus, auditus: qui modo passerum, si terrenarum sordium rimentur illuuiem, atque ex incultis locis & fœtidis cibum quærant, delictorum suorum laqueis occupati, ad superiorum operū fructus quibus epulātur animi, reuolare non possunt. Est enim lenocinantis quidam laqueus voluptatis, qui nostrorum vestigiis animorum quædam vincula subnectat, vt si igneum vigorē, puritatémque naturæ, terrenæ materiæ sensus hebetauerit, luxuriæ precio secularis addictum, sub quadam vitiorū auctione constituat. Sunt etiam quædam nostrorum nundinæ delictorum. Itaque variarum capti illecebris voluptatū, aut venūdamur sub peccato, aut redimimur à peccato. Christus nos redimit, aduersarius vēdit: ille auctionatur ad mortem, hic redimit ad salutem. Vnde bene Matthæus duos passeres posuit, corpus animámq; significans: quoniā caro quoque, si consentiens dei legi, & exuens se lege peccati, in naturam animę sensuum puritate transierit, alis ad cœlum spiritalibus eleuatur. Itaque docemur quia volandi nobis gratiam natura dedit, voluptas abstulit, quæ malorū escis grauat animā, atque in naturā corporeæ molis inclinat. Meritóque posuit quia nemo illorum cadit sine voluntate dei. Quod enim cadit, vergit in terram: & quod volat, fastigio immortalitatis euehitur. Ne cui autem dubium esse quod Matthæus dixit, Lucas euidēter absoluit: quia volūtas dei, cognitio dei. Non enim quisquam voluntate dei cadit, sed qui delictorum suorum mole ruerit, deū latere non poterit. Nam & Iob ex dei voluntate tentatur. Dedit tibi aduersariū, sed proposuit prę-mium. Nec excuses fragilitatem, qui habes imaginem, accepisti munitionē: vnde & hoc proficit ad salutem, vt sine permissione dei diabolum nocere non posse cognoscas, ne potentiā diaboli magis timeas, quàm diuinitatis offensam. Iam illud non dubium est, animæ passerem comparari, cùm legeris: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Et alibi: Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in

Rom. 2.

1. Cor. 9.

Psalm. 123.

Psalm. 10.

1732

mōtem sicut passer? Ipsum quoque hominem legimus comparari passeri, quia scriptum est: Ego autem quasi passer vnicus in ædificio, scilicet ex duobus passeribus in vnum passerem: hoc est, spiritalis substantiæ subtilitatem concordās, vtriusque alæ compage formatus. Ergo passer bonus est, cui volandi natura suppeditat. Est etiam malus passer, qui volādi vsum terrenæ vitio labis aboleuerit: quales sunt isti passeres, qui dipondio veneunt. Alibi asse veneunt, alibi dipōdio. Quanta vilitas delictorum? Mors enim vilis, sed preciosa virtus. Etenim aduersarius tanquam captiua mancipia vilioris precio æstimationis addicit. At verò dominus tanquā speciosa seruitia, quæ ad imaginem & similitudinem sui fecit, idoneus sui operis æstimator, magno precio nos redemit, sicut sanctus Apostolus dixit: Empti enim estis precio magno. Et bene magno, quòd non æstimatur ære, sed sanguine: quia pro nobis mortuus est Christus, qui precioso nos sanguine liberauit: sicut etiam sanctus Petrus in Epistola commemorat sua, scribens ad nos: Quia non corruptibilibus argento & auro, inquit, redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi Iesu. Et bene precioso, quia immaculati corporis sanguis est, quia sanguis est vnici filij dei, qui non solum de maledicto legis, sed etiam de impietatis morte perpetua nos redemit. In summa igitur hic sensus est: Si dominus vilibus auibus & infidelibus hominibus vel in oriundo sole, vel in terrena fœcunditate prospexit, si misericordiæ suæ omnibus munus impartit, haud esse dubitandum contemplationem apud illum fidelium valituram esse meritorum. Præclarè autem & fidem acuendo intexuit, & fidei ipsi virtutum fundamenta subiecit. Nam vt fortitudinis incentiuum est fides, ita fidei firmamentum est fortitudo.

1. Cor. 9.

1. Pet. 1.

De irremißibilitate blaſphemiæ in ſpiritum ſanctum.

Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur ei: in spiritum autem sanctum qui dixerit, non remittetur ei.) Vtique filium hominis Christum intelligimus, qui de spiritu sancto generatus & ex virgine est, quòd parens eius in terris sola sit virgo. Nūquid ergo maior est spiritus sanctus Christo, vt in Christū peccātes veniam consequantur, in spiritum sanctum delinquentes remissionem non mereantur adipisci? Sed vbi vnitas potestatis est, nulla comparationis est quæstio, neq; controuersia magnitudinis, cùm magn⁹ sit dominus, & magnitudinis eius finis esse non possit. Si igitur, quod credimus, vnitas trinitatis est, indiscreta vtique magnitudo, sicut indiscreta operatio. Quod in sequentibus demonstratur. Nam cùm alibi dictum sit: Pater vobis dat quid loquamini, hîc subiecit: *Spiritus enim sanctus docebit vos in illa hora quæ oporteat dicere.*) Ergo si operatio vna est, vna est & contumelia. Sed ad proposita reuerramur. Hîc videtur quibusdam vt eūdem & filium hominis & spiritum sanctum Christum intelligamus: salua distinctione personarum, & vnitate substantiæ, quia vnus & deus & homo Christus, idē spiritus, sicut scriptum est: Spiritus ante faciem nostram Christus dominus. Idem sanctus, quia sicut deus pater & filius dominus, dominus pater & filius deus, ita etiam & pater sanctus, & filius sanctus, & spiritus sanctus. Denique Cherubim & Seraphim indefessis vocibus clamant: Sanctus sanctus sanctus, vt trinitas repetita tertia appellatione signetur. Si ergo vtrumque Christus est, quę est diuersitas, nisi vt sciamus quia diuinitatem Christi nobis negare non liceat? Denique in persecutione quid quæritur, nisi vt dominum Christum negemus? Itaque quicunque non confitetur in Christo deum, & ex deo atque in deo Christum, veniam non merebitur. Sed etiam quicunque non confitetur Christum in carne venisse, ex deo non est. Qui enim hominem negauit, deum negauit: quia deus in homine, & homo in deo Christus. Plerique tamen illud tenent, vt eam blaſphemiam dicant non esse veniabilem, si quis Christum dicat in Beelzebub eiicere dæmonia, non potestate diuina.

Matth. 10.

Thren. 4.

Psal. 144.

De reſponſione domini ad poſtulationem cuiuſdam, quæ auaritiæ abolenda docetur. Et

1733

ET *ait quidam de turba: Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem supra vos?*) Totus hic locus ad subeundam pro cõfessione domini passionem, aut cõtemptu mortis, aut spe præmij, aut mãsuri denunciatione supplicij, cui nunquã venia laxetur, instruit. Et quoniam auaritia plerumq; solet tentare virtutem, etiam huius abolendæ & præceptum subiicitur, & exemplum, dicente domino: Quis me constituit iudicẽ aut diuisorem supra vos? Bene tertena declinat, qui propter diuina descenderat: nec iudex esse dignatur litium, & arbiter facultatum, viuorum habens mortuorúmque iudicium, arbitriúmque meritorum. Nõ ergo quid petas, sed à quo postules, intuendum est, nec maioribus intẽto animo putes minoribus obstrependum. Vnde non immeritò refutatur hic frater, qui dispensatorem cœlestiũ gestiebat corruptibilibus occupare, cũ inter fratres patrimoniũ non iudex medius, sed pietas debeat sequestra diuidere: quanquã immortalitatis patrimonium non pecuniæ sit hominibus expetendũ. Frustra enim cõgregat opes, qui se his nescit vsurum. *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus possessio attulit*, &c.) Sicut ille qui cùm repleta horrea nouis messibus rumperentur, exuberantium sibi fructuum receptacula præparabat, cui congregaret ignarus. Remanent enim in secolo cũcta quæ seculi sunt, & pereunt nobis quæcunq; congregãtur hæredibus. Neque enim nostra sunt, quæ non possumus auferre nobiscũ. Sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia, quæ cœlestium dux præuia mansionũ, pecuniæ vilis vsura tabernacula defunctis acquirit æterna, sicut domini præcepta testantur, dicentis ad nos: Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula sua. Bonum itaque ac salutare præceptum & idoneum, quod vel auaros possit animare, quo studeant corruptibilia perennibus, terrena mutare diuinis. Sed quoniam plerumque deuotio fidei infirmitate reuocatur, & ad conferendum patrimonium prompti, victus sui consideratione retrahuntur, ideo addidit dominus dicens:

De prohibitione solicitudinis de victu & vestitu.

NOlite soliciti esse animæ quid manducetis, neque corpori quid vestiamini. Anima plus est quã esca, & corpus quã vestimẽtum.) Nihil enim moralius ad faciendam fidem, omnia credẽtibus à deo posse cõferri, quã quod aërius ille spiritus vitale collegium animæ corporisque cõtubernio fœderatum sine nostro labore perpetuat, nec salutaris deficit vsus alimẽti, nisi cũ venerit dies suprema moriendi. Cùm igitur anima indumento corporis vestiatur, & vigore animæ corpus animetur, absurdum est vt victus nobis copiam defuturam putemus, qui viuendi iugem substantiam consequamur. *Considerate*, inquit, *volatilia cœli.*) Magnum sanè & aptum quod fide sequamur exemplum. Nã si volatilibus cœli, quibus nullum exercitium cultionis, nullus de messiũ fœcũditate prouentus est, indeficientem tamen prouidentia diuina largitur alimoniam: verum est causam inopiæ nostræ auaritiã iudicare. Etenim illis idcirco inelaborati pabuli vsus exuberat, quod fructus sibi cõmunes ad escam datos, speciali quodam nesciũt vindicare dominatu: nos communia amisimus, cum propria vindicamus. nam nec propriũ quicquã est vbi perpetuum nihil est: nec certa copia, vbi incertus euentus. Cur enim diuitias tuas æstimes, cùm tibi deus etiam victum cum cæteris animantibus voluerit esse cõmunem? Aues cœli speciale sibi nihil vindicant, & ideo pabulis indigere nesciunt, quia non norunt aliis inuidere. *Considerate lilia agri quomodo crescunt.* Et infra: *Si autem fœnum quod hodie in agro est, & cras in clibanum mittitur, deus sic vestit.*) Bonus quidem sermo atque moralis quòd ad fidem nos diuinæ misericordię confe-rendæ, vel iuxta literam, quia ad staturam corporis nostri, vel spiritaliter, quia supra mensuram staturæ nostræ sine dei fauore nihil valemus adiungere, comparatione nos floris & fœni sermo dominicus prouocauit. Quid enim tam moratione ad persuasionem, quàm cùm videas quòd etiam quæ sunt rationabilia, sic dei prospicientia vestiuntur, vt nullo vsu vel ad gratiam egeant, vel ad ornatum: multò magis credas rationabilẽ hominem, si omnem sui vsum in deo collocet, nec studio mutandi violet fidem, nunquam egere posse, eò quòd iure pręsumpserit de fauore diuino? Sed tamẽ vt etiam altius ista pendamus, quia non ociosum videtur quòd flos vel homini confertur, vel certè plus penè quàm hominibus in Salomone præfertur, qui tantum meruit vt vel in specie templum deo cõderet, vel in mysterio Christi ecclesiã figuraret: Non alienum videtur vt per claritatem coloris, angelorum cœlestium gloriã putemus expressam: qui verè mundi istius flores sunt, quòd eorum claritatibus mundus ornatur, & bonum odorem sanctificationis aspirant. Quorũ prę- 2. Corin. 2.
sidio fulti possumus dicere: Bonus odor Christi sumus deo in iis qui salui fiunt, qui nulla solicitudine præpediti, nullo vsu laboris exerciti, diuinæ in se liberalitatis gratiam, & cœlestis seruant dona naturæ. Vnde bene & hic vestitus gloria sua Salomon, & alibi coopertus ostenditur, quòd infirmitatem corporeæ naturæ veluti virtute quadã mentis adopertam operum gloria vestiebat. Angeli verò quorum natura diuinior expers manet iniuriæ corporalis, rectè licet maximo viro, consideratione tamen nostræ iniuriæ præferũtur. Ergo quoniam per resurrectionem erũt homines sicut angeli in cœlis, nos quoque exemplo angelorum gloriæ cœlestis augmentum dominus, qui & illis eã tribuit, sperare præcepit, quo absorbeatur hoc mortale à vita. Oportet enim 1. Corin. 15.
corruptibile hoc induere incorruptionẽ, & mortale hoc induere immortalitatem. Plerique etiam comparationẽ hanc secundum naturam floris & vsum putãt propositi germinis aptiorem, eò quòd lilia nullius annui vsus cultum requirãt, nec sicut erga prouentũ fructuum cæterorum, ita etiam erga generationem istius floris, solicitis in orbẽ redeat labor actus agricolis. Quibuslibet enim siccitatibus agri omne illud quod alitur in florem, quadã virtute genitali ex sese atque in se succi semper manentis animatur. ita cum foliorum puberum caulẽ videas arruisse, floris tamen natura viuescit. Absconditur enim viriditas, non amittitur. Ast vbi vernis fuerit prouocata blanditiis, indumentum germinis, comam floris lilij sui resumit ornatus. Quem locum nunc, quoniam alibi vberius tractatum esse reminiscimur, perstrinxisse satis est, ne in eadẽ sit recursus. Illud delectat aduertere, quia non in asperitatibus montium, incultísque syluarum lilia, sed in hortorum amœnitate generantur. Sunt enim horti quidam diuersarum pomiferi virtutum, iuxta quod scriptũ est: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus cõclusus, fons signatus: eò quòd vbi integritas, vbi castitas, vbi religio, vbi fida secretorum silentia, vbi claritas angelorum est, illic confessorum violæ, lilia virginum, rosæ martyrum sunt. Nec incõgruum quisquam putet quòd angelis lilia comparẽtur, cùm lilium se Christus ipse memorauerit, dicẽs: Ego flos campi, Cantic. 2.
& lilium conuallium. Et bene lilium Christus, quia vbi martyrum sanguis, ibi Christus, qui est flos sublimis, immaculatus: innoxius, in quo non spinarum offendat asperitas, sed gratia circunfusa clarescat. Sunt enim spinæ rosarum, quia tormenta sunt martyrum. Non habet spinas inoffensa diuinitas, quæ tormenta non sensit. Ergo si lilia vel angeli supra hominum gloriam vestiuntur: nec in nobis misericordiã dei desperare debemus, quibus per resurrectionis gratiam dominus similem angelis speciem pollicetur. Quo loco etiam illam videtur perstringere quæstionem, quam etiã Apostolus non omisit, quia gentes huius mundi quærunt quomodo resurgãt mortui, & quali corpore veniant. Nam cùm dicat, Quærite regnum dei, & hæc omnia adiicientur vobis: nec ad præsens, nec in reliquum fidelibus ostendit gratiam defuturam, si modo qui diuina desiderant, terrena non quęrant. Indecorum quippe est homines curare de cibo, qui militant de dei regno. Nouit rex quemadmodum familiam suam pascat, alat, vestiat: & ideo dixit: Iacta in dominum cogitatum Psalm. 54.
tuum, & ipse te enutriet. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Baptisma habeo baptizari, & quomodo angor vsque dum perficiatur?*

De vigilantia & negligentia seruorum.

Beati

Beati serui illi, quos cùm venerit dominus inuenerit vigilantes.) In superioribus vigilare nos voluit, per omnia expectantes momenta domini saluatoris aduentum, ne dum aliquis remittit & negligit, de die in diem opera sua differens: iudicij futuri die vel propria morte præuentus meritum suę commendationis amittat. Et illa quidem in omnes præcepti forma generalis: *Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit dominus meus venire,* &c.) Verum series sequentis exempli dispensatoribus, hoc est, sacerdotibus videtur esse proposita, quò sciant sibi grauem in futurum pœnam esse subeundam, si secularibus intenti deliciis, familiam domini plebémque commissam sibi gubernare neglexerint. *Ille autem seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit.*) Sed quia exiguus est profectus, & parua meritorum gratia, supplicij metu ab errore reuocari, maiórque prærogatiua charitatis & amoris: eò dominus ad promerendam sui gratiam studia nostra acuit, & acquirędæ cupiditatem diuinitatis inflammat dicens: *Ignem veni mittere in terram.*) Non vtique illum ignem consumptorem bonorum, sed bonæ volũtatis authorem: qui aurea dominicæ domus vasa meliorat, fœnum verò consumit & stipulam, ac secularia omnia mundi voluptate concreta, perituræque opus carnis exurit, ignis ille diuinus qui flammigerabat in ossibus prophetarum, sicut sanctus Hieremias dicit: Quia factus est sicut ignis ardens, flammigerans in ossibus meis. Est enim ignis domini, de quo dictũ est: Ignis ante eum ardebit. Est & idem dominus ignis, sicut & ipse dixit: Ego sum ignis ardẽs, & non consumens. Ignis enim domini, lumen æternum est. Quo igne illæ accenduntur lucernæ, de quibus supra dixit: *Sint autem lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes.*) Et ideo quia nox est dies huius vitæ, lucerna est necessaria. Hunc ignem in se etiam Amaus † & Cleophas à domino missum esse testantur dicentes: Nónne cor nostrum ardens erat in via cùm aperiret nobis scripturas? Euidenter itaque docuerunt qualis istius ignis sit operatio, qui secreta cordis illuminat. Et ideo fortasse domin⁹ in igne venturus est, vt resurrectionis tempore vitia vniuersa consumat, suíque cõspectu desideria compleat singulorum, meritorúmque & mysteriorum lumen accendat. Tanta itaque domini dignatio est, vt infundendę nobis deuotionis, & cõsummandæ perfectionis in nobis, & maturandæ pro nobis studium passionis sibi inesse testetur: qui cùm in se nihil habuerit quod doleret, nostris tamen angebatur ærumnis, & sub tempore mortis mœstitiam prætendebat, quam non ex metu mortis suæ, sed ex mora nostræ redemptionis assumpserat, iuxta quod scriptum est: *Et quomodo angor vsque dum perficiatur?*) Vtique qui vsque ad perfectionem angitur, de perfectione securus est. Sed etiam alibi, Tristis, inquit, est anima mea vsque ad mortem. Non propter mortem, sed vsq; ad mortem tristis est dominus, quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit. Nam qui corpus susceperit, omnia debuit subire quæ corporis sunt, vt esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur. Diuinitas autem commutari per hos nescit affectus. Simul ostendit quòd in certamine passionis mors corporis absolutio anxietudinis, non coacerbatio sit doloris.

Hierem. 20.
Psalm. 49.
† al. Amaõ.
Matth. 16.

De spiritali intellectu eius quòd dominus dixit se venisse, non vt daret pacem, sed separationem.

Putatis quòd pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem. Erũt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres diuidentur: Pater in filium, & filius in patrem suum: mater in filiam, & filia in matrem suam: socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.) Cùm in omnibus ferè euangelij locis spiritalis intellectus operetur, tamen in præsenti maximè, ne quẽ duritia nudæ expositionis offendat, spiritali altitudine sensus series temperanda est, præsertim cùm sacrosancta religio moralibus disciplinis & mitibus pietatis exemplis etiã fidei exules ad reuerentiam tamen sui clementer inuitet, vt præuia fidei disciplina, mãsuetudine sui superstitionum dura dissoluat, & obnoxias erroribus mentes cogat etiam fidem credere, quas potuit pietate mulcere. Etenim cùm fidei alta pectoribus non capiũtur infirmis, per ea quæ præcepta

sunt, ea quæ veneranda sunt æstimantur, vt iusta de iusto, A sancta de sancto, bonorum suorum bonum testẽtur author. rem. Ergo dominum illum qui simul diuinitatis reuerentiã, & pietatis gratiã sua lege complexus est dicens: Diliges dominum deum tuum, & diliges proximum tuũ: ita nunc mutatum esse opinabimur, vt abolere necessitudinum nomina, collidere pietatis affectus, charissimorum pignorũ dissidia mandasse credamus? Et quomodo ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum? Quomodo ipse dicit: Pacem meã do vobis, pacem meam relinquo vobis: si parentes à filiis, filios à parẽtibus dissidio necessitudinis separaturus aduenit? Quomodo maledictus qui non honorat patrem, religiosus qui deserit? Sed si aduertamus quia prima causa religionis, secũda pietatis est: in eodem etiam hanc æstimabimus quæstionem. Oportet enim vt diuinis humana posthabeas. Nam si officium parentibus exhibendum est, quanto magis authori parentum, cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes? Aut si illi omnino non recognoscũt parentem, quemadmodum tu recognoscas? Non igitur dicit renũciandum esse pignoribus, sed deum omnibus prẽferendum. Denique habes B in alio libro: Qui diligit patrem aut matrem plus quàm me, nõ est me dignus. Nõ diligere parẽtes, sed deo præferre prohiberis. Etenim naturę pignora, domini beneficia sunt. Nec quisquam debet plus amare beneficiũ quod accepit, quàm deum, à quo beneficium seruatur acceptum. Ergo etiam secundum literam piè intelligentibus expositio religiosa non deest, subest tamẽ quò altius referendum putemus hũc sensum, quia addidit: *Erunt ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres diuidentur.*) Qui sunt enim quinq;, cùm sex personarum facta videatur subiectio, patris & filij, matris & filiæ, socrus & nurus? quanquã eadem mater quæ socrus accipi possit. Quæ enim mater est filij, socrus eius vxoris est: vt iuxta literam quoque numeri non absurda sit ratio, liquidóque clareat fidem vinculis nexam non esse naturæ, quia licet officio pietatis obnoxij, fide tamẽ liberi sunt. Non incongruum quoque videtur si mystica interpretatione enodemus hunc sensum. Domus vna, homo vnus est. V- C nusquisque enim domus aut dei est, aut diaboli. Itaque domus spiritalis, homo est spiritalis, sicut habemus in epistola Petri: Et vos tanquam lapides viui ędificemini domus spiritalis, in sacerdotium sanctũ. In hac ergo domo duo in tres, tres in duos diuiduntur. Duos legimus frequenter animam & corpus. Quod si duobus in terra cõuenerit, efficiuntur vtraque vnum. Et alibi: Castigo corpus meũ, & seruituti redigo. Aliud est quod seruit, aliud cui subiicitur. Si duos agnouimus, etiã tres agnoscamus: quod procliue ex illis duobus est intelligere. Tres enim animæ in corpore affectiones sunt, vna rationabilis, alia concupiscibilis, tertia irritabilis, hoc est, λογιστικὸν, ὀρεκτικὸν, ὀργιστικόν. Non ergo duo in duos, sed duo in tres, & tres in duos diuidentur. Etenim per aduẽtum Christi homo qui erat irrationabilis, rationabilis factus est. Antè eramus similes bestiarũ, quæ rationem nescĩut. Eramus carnales, eramus terreni, iuxta domini sentẽtiam: Terra es, & in terrã ibis. Venit dei filius, misit spiritũ suũ in corda nostra, facti sum⁹ filij spiritales. Possumus etiã dicere quia in hac domo sunt alij quinq;, id est, odor, tactus, D gustus, visus, auditus. Ergo si secũdum ea quæ audimus aut legimus, separato sensu visus atque auditus, excludamus superfluas corporis voluptates, quæ gustu, tactúque & odore pariuntur, duos in tres diuidemus: eò quòd mentis habitus vitiorum non capiatur illecebris, sed æmulatione virtutis à lenociniis se voluptatis abducat, ne fiat omnium vna cõsensio, quæ præcipitet in errorem, sed diuidendo se separẽt desideria cordis, & officia virtutis. Aut si quinque sensus accipimus corporales, vitia iam corporis & peccata se separent. Et fortasse quinque sunt quos fratres suos ille in euangelio diues luxuriosus appellat, qui cruciari describitur apud inferos, quibus mandari rogat vt nouerint in hoc seculo deliciας † abdicandas, vt possint requiem habere post seculum studio virtutis. Possunt etiam videri caro atque anima ab odore, tactu, gustúq; luxuriæ separata, in vna domo se aduersus incursantia vitia diuidẽtes: caro & anima subiicientes se dei legi, remouẽtes se à lege peccati: quorum licet dissensio per præ-

Ephes. 2.
Ioan. 14.
Matth. 10.
Luc. 16.
† diuitiis

1737

per pręuaricationem primi hominis in naturam verterit, vt nequaquam sibi paribus ad virtutem studiis cõuenirent, tamen per crucem domini Saluatoris, tam inimicitiis quàm etiam mãdatorum lege euacuatis, in societatis concordiam congruerunt, posteaquam Christus è cœlo pax nostra descendens fecit vtraque vnum,& medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua,legem mandatorũ in decretis euacuans,vt duos conderet in vno homine,faciens pacẽ: & reconciliaret vtrosque in vno corpore deo. Quis est vterque,nisi vnus interior,alter exterior? Alterũ ad animæ speciat vigorẽ, alterũ refertur ad corporis sensum: Quanquam inseparabilis † affectus conspiratione concordet,cùm caro subiecta meliori salutaribus obedit imperiis:non quo in naturam animæ subtilitate maceriæ † transfusa demigret, sed quia deliciis abdicatis ab omni defecata labe vitiorum,cœlestis conuersationis tramitem obediẽtiæ affectione gradiatur,iam non vt antea legi mentis repugnans,sed per legem mentis & spiritum vitæ liberata à lege peccati,vt animæ cato fiat appendix,nõ iam lena vitiorum,sed æmula quædam & quasi pedissequa virtutis. Et rursus quãdo anima corporis non cõniuet illecebris,nec carnalium voluptatum delectatione vincitur,sed mens pura,mundique huius exuta famulatu,sensus corporis in suas illicit & attrahit voluptates, vt audiendi legendique vsu incremẽta virtutis epuletur, atque interioris succi spiritalibus nescitura famem satietur alimentis. Etenim ratio cibus mentis est,præclara quædam alimonia suauitatis,quæ membra nõ oneret,neque in naturæ pudenda,sed ornamenta conuertat, cùm libidinum voluptatum cõmutatur in dei templum,diuersorúmque vitiorum sacrarium incipit esse virtutum. Quod vtique tunc fit, cùm caro in naturam regressa vigoris sui agnoscit altricem,atque assu depositio contumaciæ,moderãtis animæ cõiugatur arbitrio,qualis fuit cùm inhabitanda paradisi secreta susceperit, antequam veneno pestiferi serpentis infecta sacrilegam famem sciret, diuinorúmque memoriam præceptorũ animæ sensibus inhærentem,edacitatis studio præteriret. Hinc peccatum manasse proditur tanquam corpore animáque genitoribus,dum corporis natura tentatur,anima malè sana cõpatitur. Quæ si appetentiam corporis refrænasset,in ipso ortu esset extincta origo peccati, quã velut virili infusam corporis motu malè fœta anima etiã sui vigore corrupto alienis grauis oneribus parturiuit. Etenim ille valentior & fortior sexus quodam valido impetu velut virilis fertur affectus,hæc molliorem quàm vehementiorẽ studet tenere rationem. Ex his itaq; diuersarum cupiditatum motus inoleuit. Sed vbi in se anima redit deformis partus pudore conuicta,degeneres abiurat hæredes,abdicans motus,exosa peccatũ. Caro quoq; grauium laborũ defœnerata sorte,& vsura iniuriæ miserabilis fatigata,vbi se cupiditatibus suis,quas sibi ipsa generauit,tãquam sentibus mundi doluit esse confixam,veterem hominem festinat exuere,vt se sibi auferat, ne improuidam parentem succession peritura destituat. Rursus cupiditatum irrationabilis motus, quasi cuiusdã formæ decore fucato,voluptatis lenociniis illectans,eam sibi tanquam in vsum societatis asciuit:ita velut quædam corporis atque animæ nurus voluptas,motui prauæ cupiditatis innubat. Ergo quamdiu mansit in vna domo conspirãtibus vitiis individua inseparabilísque consensio, nulla videbatur esse diuisio. Vbi verò Christus ignem quo delicta cordis exureret,vel gladium qui significat exertæ aciem potestatis, quo spiritus medullarúmque secreta penetrantur,misit in terras: tunc caro atque anima regenerationis innouata mysteriis, oblita quod erat,incipit esse quod nõ erat:ac se à veteris vitij,quamuis sibi antè dilecti societate secernit,& quasi prodigæ copulam posteritatis eliminat vt diuidantur parẽtes in filios,dum intemperans motus temperantia corporis abdicatur,& anima declinat consortium culpæ,nec extrariæ illi & foris sumptæ locus remanet voluptati. Filij quoque in parentes diuidũtur,dum renouati hominis censuram senilem vitia vetusta declinant, pietatísque normam voluptas adolescentior tanquam seriæ domus refugit disciplinã. Non incongruum quoque est, si putemus quòd & isti ideo se diuidãt,vt meliores fiant parentibus, maximè cùm in posterio-

A ribus dixerit: Si quis venit ad me,& non odit patrẽ aut matrem,& filios,& fratres,& sorores,etiam animam suã, non potest meus discipulus esse. Et ideo secũdum simplicem intelligendi formã, gentilibus parẽtibus qui Christum sequitur filius antefertur. Religio enim præstat pietatis officiis. Illud quoque secundum altiorem interpretationem,quia de carne peccatum nascitur, & velut in vtero carnis operatur, de quo ait Apostolus: Si autẽ quod nolo hoc ago, iam non ego illud operor,sed quod habitat in me peccatum. Cùm enim pro vita mũdi huius effusus domini sanguis aboleuerit vitia,in gratiam ex offensione conuertitur. Superabundauit enim peccatum,vt superabundaret gratia: fitque vt ex peccato orta pœnitentia ad conuersionẽ me propositi,& ad cupiditatem gratiæ spiritalis impellat. Itaq; quod erat mihi ad mortem,hoc erit in salutem. Ergo peccatum irriguo fontis ablutum,ab ea vnde generatum est carne secernitur:& dum vnusquisque cupit redimere delictum,fit ex serie culpæ studium disciplinæ:concupiscentia quoque rerum malarum,& B quidam motus feruidior cupiditatis,dei verbo in appetitum transfunditur diuinæ charitatis & amoris, atque in eadem natura fit varia disciplina, multóque meliorem quàm antea voluptatem sibi mysteriorũ cœlestium ille corporis atq; animę appetitus acquirit. Alitur enim animus cognitione rerum,& comperta futurorum repromissione sublimior,animę opera vetusta fastidit. Animalis enim homo non percipit quæ sunt spiritus dei. stultitia enim illi est. Spiritalis aũt diiudicat omnia,ipse autem à nemine diiudicatur.

Luce 14.

Roman.7.

Roman.5.

1.Corin.2.

De liberatione ab aduersario in via.

DVm vadis cum aduersario tuo ad magistratum in via, da operam liberari ab illo, ne fortè condemnet te apud iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum quadrantem reddas.) Hoc etiam Matthæus posuit, sed ille specialiter, iste generaliter. Ille enim de reconcilianda pace dissidentium frarrum dicendum putauit,hic de pœnitentia, & omnis emendatione delicti. Discutiamus igitur qui sit aduersarius, qui magistratus, qui iudex,quíve exactor,quídve putemus esse quadrantem,quem nisi quis exoluerit, mittatur in carcerẽ. Et iuxta Matthæum quidem aduersarius est,cũ quo minimè tibi in hac vita conuenisse videatur, qui apud iudicem futurum viuorum atque mortuorum,manentis simultatis te crimine persequatur. Iuxta Lucam autẽ est aduersarius noster ille præcipuè,qui serit illecebras delictorum, vt habeat in supplicio participes quos habuit in errore cõsortes:atque ideo socios quærit ad culpam,vt obnoxios prodat ad pœnam. Quem nobis cauẽdum Petrus apostolus monet dicẽs: Aduersarius vester diabolus tanquam leo rapiens & rugiẽs quærit quem deuoret. Est aduersarius noster iuxta Matthæum, omnis virtutis vsus,& apostolicus & propheticus sermo,qui nos ad asperiora præcepta,& durioris vitæ documẽta constringit. Cui nos consentire conuenit,vt eum operibus æmulemur,ne aliqua nostra contumacia ab eo desciuisse prodamur. Iuxta Lucam autẽ nemo nobis magis aduersarius quàm noster est lapsus, qui nos vitæ nostræ accusat indiciis:non quòd accusationis vllius iudex futurus quærat officiũ, sed quòd apud omnium D cognitorem noster nos actus accusat,dũ ab vsu virtutis apostolicísque præceptis inuenitur alienus. Itaque aduersarius nobis omnis vitiorum est vsus. Aduersaria nobis libido,aduersaria auaritia,aduersaria omnis improbitas,aduersaria omnis iniqua cogitatio,omnis denique mala conscientia,quę nos & hîc afficit,& in futuro accusabit & prodet,sicut testatur Apostolus dicẽs: Testimoniũ reddente illis conscientia illorum,& inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam excusantibus. Quòd si conscientia vnumquemque prodit, quantò magis gestorum nostrorum opus ante deum præsto est, quod expressum in nostro corpore vltimo tempore recensebitur,& secretum cogitationis scriptũ in cordibus nostris legetur? Demus igitur operam vt dum in hoc sumus vitæ curriculo constituti,tanquã à malo aduersario,ita ab improbo liberemur actu,ne dum imus cum aduersario ad magistratum in via, nostrum condemnet errorem. Ideo & secundum Matthæum,Esto consentiens aduersario tuo dũ es

Roman.2.

cum

cum illo in via. εὐνοῶν autem Græcus dixit, hoc est, beneuolus. Si enim dū ſumus in hac vita, exoluamus nos à vinculis diaboli, nec ille propter nos damnabitur, & nos à vinculis eius erimus alieni. Vnde & pro Aſſyrio pſalmus inſcribitur ſeptuageſimus nonus. Bene enim cōſulis aduerſario, & pro illo Aſſyrio, hoc eſt vano, bene facis ſi eius laqueis exutus preſtes hanc beneuolentiam, vt pœnam tui lapſus & mortis euadat. Quòd ſi vinculis eius hæreas, tradet te tanquam reū magiſtratui, id eſt, accuſator & proditor. Quis eſt magiſtratus, niſi penes quē omnis poteſtas eſt, & qui pleni & perfecti temporis ſublimē ſibi vindicat dignitatem? Ad quē bonorū operum fretus conſciētia, non timens aduerſarium,
Pſalm. 41. ſanctus propheta feſtinat dicēs: Sitiuit anima mea ad deum viuum: quando veniam & apparebo ante faciem dei? Hic enim magiſtratus tradet reum iudici, ei ſcilicet cui viuorū & mortuorū tribuit poteſtatem. Tribuit dico, per naturā, non per gratiam. Non enim quam non habebat accepit, ſed quā ex ſubſtantia patris cùm generaretur aſſumpſit. Hunc magiſtratū tibi & iudicem mōſtrat, qui mōſtrauit & accuſatorē,
Roma.2. & oſtendit quando ſit reuelandus. In die, inquit, qua iudicabit deus occulta hominum ſecundum euangelium meū per Ieſum Chriſtum dominū noſtrum. Hic igitur eſt iudex Ieſus Chriſtus, per quem omnia occulta redarguuntur, & improbi operis pœna mandatur. Vis ſcire Chriſtum eſſe iudicem, qui exactori tradit, & in carcerem mittit? Ipſum interroga, imò ipſum lege in euangelio dicentem: Tollite & mittite illum in tenebras exteriores. Exactores quoq; ſuos ipſe
Matth.22. monſtrauit alio loco vbi dicit: Sic erit in cōſummatione ſeculi: Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorū, & mittent eos in caminū ignis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Supereſt nunc vt intelligamus quid ſibi velit figura
** vilis.* quadrantis. Et videtur vſualis * rei expreſſum nomine, intellectus ſpiritalis arcanum. Nam ſicut qui pecuniā ſoluunt, debitum reddūt, nec prius euacuatur fœnoris nomē, quàm totius ſortis ad nummum vſque quocunque ſolutionis genere quantitas vniuerſa ſoluatur: ſic compēſatione charitatis actuúmque reliquorum vel ſatisfactione quacūque peccati pœna diſſoluitur. Non ocioſum etiam quia non æra (ſicut alibi) duo, non aſſem, non denarium, ſed quadrātem hoc poſuit loco. Quadrantaria enim permutatio velut quædam eſt compēſatio, cùm aliud redditur, & aliud ſignificatur ſolutum. Ita & hîc aut precio charitatis redimitur iniuria, aut iniurię æſtimātione pœna laxatur. Quadrantem autē in balneis dari ſolere reminiſcimur, cuius oblatione vt illic vnuſquiſque lauandi accipit facultatem, ita hîc accipit eluendi: quia vniuſcuiuſque peccatum ſupra ſcriptæ genere conditionis eluitur, cùm tamdiu exercetur noxius pœnis, vt com-
Actor.5. miſſi ſupplicia erroris expendat. De Galilæis autē illis quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum, figura quædam videtur eos tangens qui coactu diabolico non purè offerūt ſacrificium, quorum oratio in peccatum, ſicut de Iuda ſcriptum eſt proditore, qui proditionem ſanguinis dominici inter ſacrificia poſitus cogitabat.

De parabola arboris ſici quid ſignificet.

Caput XIII. *Arborem ſici habebat quidam plantatam in vinea ſua.*) Quid ſibi vult quòd in euangelio ſuo dominus ſici parabolam frequenter inducit? Habes enim alibi, quòd iuſſu domini viriditas omnis huius ligni frondentis aruerit. Vnde intelligimus omnium creatorem, qui poteſt imperare naturis, vt vel areſcāt ſubitò, vel vireſcant. Alibi ex teneritudine arboris huius & foliis commemorat coniici ſolere æſtatis aduētum, vtroque ſignificans, & Iudaicę plebis inanem quam prætēdebat gloriam velut florem in aduentu domini decidiſſe, quia ab operibus infructuoſa durabat: & iudicij diem velut æſtatis aduentum, quo adulti fructus terrarū omnium reconduntur, ex plenitudine eccleſię in quā Iudæi quoque crediturí ſunt, eſſe metiendum. Etiam hîc ergo altioris ſenſus aliquod quęramus arcanū. Ficus in vinea eſt. Erat autē vinea domini Sabaoth, quam dedit in rapinā gētium. Itaque qui vineā ſuam diripi fecit, hic etiā ficum iuſſit excidi. Apta autem ſynagogæ arboris iſtius comparatio eſt, quia ſicut iſta arbor foliis redundans fluentibus ſpem poſſeſſoris ſui caſſa ſperatorum prouētuum expectatione deſtituit: ita etiā in ſynagoga dum doctores eius operibus infœcundi, verbis tamē velut foliis redundātibus gloriantur, inanis vmbra legis exuberat, ſpes autem falſi expectata prouentus, populi vota credentis illudit. Eſt etiam in natura arboris quo magis credas ſynagogæ ſpeciem comparatione huius expreſſam. Etenim ſi diligenter inquiras, diſcretam ab vſu arborum cæterarum cōſuetudinem naturæ huius inuenies. Nanque aliæ florem ferūt antequam fructum, pomáque ventura prænuncio ſui flore deſignāt: hæc ſola ab initio germinat poma pro floribus. In aliis flos diſcutitur, & poma naſcuntur: in hac poma decidūt, vt poma ſuccedant. Ergo priora illa caſſa fructuū, vice floris emergunt. Ita præcoci quodam naſcendi vſu, quæ ordinem naturæ neſciūt, beneficium naturæ ſeruare non poſſunt. Etenim qua ſe medio trudere de cortice gemma conſueuit, ea minutiſſima quæque huius generis poma prorumpunt. De *Cant.2.* quibus legimus in Cāticis canticorum: Ficus producit groſſos ſuos. Itaque cæteris albentibus primo verè virgultis, ſo-
B la ficus proprio neſcit flore caneſcere, eò fortaſſe quod nullus iſtius maturior ſit vſus in pomis. Nāque ſuccedentibus aliis hæc quaſi degenerantia reſpuūtur, & arenti infirma radice, renouatis quibus ſit ſuccus vtilior exuruntur †. Manēt ** exuuntur.* tamen aliqua perrara, nec decidunt, quibus hic prouētus arriſerit: vt de medio duarum virgarum clauiculo breui erūpente promergant, quo geminis tecta præſidiis tāquam naturę parentis gremio, ſucci fotu plenioris inoleſcant. Ea clementioris auræ prouocata temperie, & prolixioribus adultiora temporibus, vbi ſylueſtrem animū ſucci prioris exuerint, ſpecie cæteris & maturitatis gratia pręferuntur. Spectanūc cultus & animos Iudæorū, qui quaſi primi fructus malè feracis ſynagogæ, groſſi labenti ſimilitudine corruerunt, vt manſura ſupra æuum noſtri generis poma ſuccederent. Etenim primus ſynagogæ populus quaſi radice operū infirmus arētium, vbertatem ſapientiæ naturalis haurire nō potuit. Et ideo velut inutilis decidit fructus, vt quaſi ex iiſdem clauiculis arboris fructuoſæ, de pinguedine religionis anti-
C quæ nouus eccleſiæ populus emergeret. Ergo ille qui erat, eſſe deſiuit, vt inciperet iſte qui nō erat. Primi tamen ex Iſrael, quos naturæ validioris ramus extulerat, ſub vmbra legis & crucis, in vtriuſque ſinu, ſucco gemino colorati, groſſi matureſcētis exemplo, pulcherrimorum gratia fructuū cæteris pręſtiterunt, quibus dicitur: Sedebitis ſuper duodecim *Matth.19.* thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Nec illud alienum quod Adam atque Eua primi illi noſtri vt generis ita erroris parentes, qui huius arboris texere ſe foliis, paradiſi exules eſſe meruerunt, cùm domini deambulantis præſentiam tranſgreſſionis ſuæ conſcij declinarent, vt ſignificarent futurum quod vltimis temporibus populus Iudæorum ſub domini ſaluatoris aduentu, qui eos vocaturus aduenit, exutum ſe virtutibus per diaboli tentamenta cognoſcens, & intecta conſcientiæ probra formidās, à religione deuius, præuaricatione confuſus eſſet à domino receſſurus, verborum fluentium velut foliorum velaminibus adopertus pudenda geſtorum. Ergo illi qui folia de ficulnea non poma carpſerunt, eliminati ſunt à dei regno. Erāt enim in animam viuē-
D tem. Venit ſecundus Adam, & iam non folia ſed poma quęrebat. Erat enim in ſpiritum viuificantem. In ſpiritu autem fructus virtutis acquiritur, dominus adoratur. Quærebat autē dominus, nō quia fructum ficulneæ deeſſe neſciret, ſed vt oſtenderet in figura quia fructū ſynagoga iam habere deberet. Denique ex ſequētibus docet non ſe ante tempus veniſſe, qui per triennium venit. Sic enim habet: *Ecce anni tres ſunt ex quo veni quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?*) Venit ad Abraham, venit ad Moyſem, venit ad Mariam, hoc eſt, venit in ſignaculo, venit in lege, venit in corpore. Aduentum eius ex beneficiis recognoſcimus. Alibi purificatio, alibi ſanctificatio, alibi iuſtificatio eſt. Circunciſio purificauit, ſanctificauit lex, iuſtificauit gratia. Vnus in omnibus, & vnum omnia. Nemo enim mundari poteſt, niſi qui metuit dominum. Nemo legem meretur accipere, niſi purificatus à culpa. Nemo accedit ad gratiā, niſi nouerit legem. Ergo populus Iudæorū neque purificari potuit, quia circunciſionem non animi

1741

nimi sed corporis habuit: neque sanctificari, quia virtutē legis ignorauit, qui carnalia magis quā spiritalia sequebatur. (Lex autem spiritalis est) neque iustificari, qui delictorum suorum pœnitentiam non gerebat, & ideo gratiam nescibat. Meritò ergo nullus in synagoga fructus inuentus est, & ideo iubetur excidi. Sed bonus cultor, & fortasse ille in quo ecclesiæ fundamentum est, præsagiens alterum ad gentes, se autem ad eos qui ex circuncisione sunt esse mittendum, religiosè ne excidatur interuenit, fretus vocatione sua, etiam populum Iudęorum per ecclesiam posse saluari: ideóque dicit: *Dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam cophinum stercoris.*) Quàm citò duritiam Iudæorū superbiamque causas esse sterilitatis agnouit. Itaque nouit excolere, qui nouit vitia deprehendere. Pollicetur dura cordis eorum apostolicis ligonibus esse fodienda, vt longo incultu situm mentis obductum sermo bis acutus inuertat, & corde proscisso excitet sensum aërio spiramine iam vigentem, ne radicem sapientiæ terrarum aceruus obruat, & abscondat. Cophinum quoque stercoris dicit esse mittendum. Magna profectò vis stercoris, quæ tanta est vt de infœcundis fœcūda, de arētibus virentia, de sterilibus faciat fructuosa. In quo sedit Iob cùm tentaretur, & vinci nequiuit. Et Paulus æstimat stercora, vt Christū lucrifaciat. Denique cùm antè Iob plurima perdidisset, posteaquā sedit in stercore, non habuit quod ei diabolus posset auferre. Bona ergo terra quæ fodiatur, bonum stercus quod mittitur. Denique dominus de terra suscitat inopem, & de stercore erigit pauperē. Itaque per intellectus exercitium spiritalis, & humilitatis affectū, etiā Iudæos in euangelium Christi cultor ille bonus fore existimat fructuosos. Meminerat enim quia per Aggæum dominus locutus est: Quoniam quarto & vicesimo noni mensis à die, quo fundatum est templum domini omnipotentis, vinea, inquit, & ficus, & malogranata, & ligna oliuæ, quę non afferunt fructum, ex hac die benedicam: quo reuelatur sub ipsum anni vergentis occasum, hoc est, seculi iam senescentis occiduo, sanctum dei templum (quod est ecclesia) esse condendum, cuius gratia per sanctificationem lauacri, Iudæorum nationúmque populi fructum suorum possint habere meritorum. Ergo per naturam arboris, synagogæ species indicatur secundis prouentibus fructuosa. Nos enim ex patrum semine. Meritóque Iudæi grossis labētibus compantur, quòd incrassato corde & prædura ceruice ad perennitatem sui peruenire non possunt. Qui si moriātur, & quasi decidant huic mundo, vt in interiorem hominem per lauacri gratiam renascantur, erunt vtique fructuosi. Perfidia autem hominum pertinacium synagogam inutilē fecit, & ideo quasi sterilis iubetur excidi. Quod de Iudæis dictum, omnibus cauendum arbitror, & nobis maximè, ne fœcundum ecclesiæ locum vacui meritis occupemus, qui quasi malogranata benedicti, fructus ferre debemus internos, fructus pudoris, fructus coniunctionis, fructus mutuæ charitatis & amoris, sub vno vtero ecclesiæ matris inclusi, ne aura noceat, ne grando decutiat, ne æstus cupiditatis exurat, ne humoris imber elidat. Nonnulli tamen ficum istam per allegoriam non synagogæ sed malitiæ & improbitatis figuram putant: hi tamen in nullo distant, nisi quod pro specie genus eligūt. Id autem cauere se dicunt, quia dominus dixit ad ficū: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: cùm vtique plurimos ex Iudæis credidisse, & creditūros esse nouerimus. Sed qui credit, non synagogæ iam fructus est, sed ecclesiæ, nec ex synagoga nascitur qui renascitur in ecclesia. Sicut enim sunt qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: (si enim ex nobis essent, nobiscum mansissent) sic de iis qui ex Iudæis credunt, dicimus, quia si ex synagoga essent, in synagoga manerent: sed propterea exierunt de synagoga, vt ex ea non fuisse credantur. Deinde pro malitia interueniret aliquis, & diceret excolendam vt fructum afferret, cùm ideo venerit dominus, vt semina improbitatis aboleret.

De curatione mulieris quæ spiritum infirmitatis decem & octo annis habebat.

A *Erat autē docens in synagoga eorum sabbatis, & ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decē & octo, & erat inclinata.*) Quàm citò quod de synagoga diceret indicauit. Ad ipsam vtique arborē venisse se monstrat, qui in eadē prædicabat. De nq;n muliere infirma quasi ecclesiæ figura succedit, quæ cū mensurā legis & resurrectionis impleuerit, in illa quiete perpetua in sublime erecta fastigium, inclinationē nostræ infirmitatis sentire nō poterit. Nec aliter curari potuisset hæc mulier, nisi quia legem impleuit & gratiam. Legem in præceptis, in lauacro gratiam, per quā mortui seculo resurgimus Christo. Nā in decem verbis, legis perfectio est: in octauo numero resurrectiōis est plenitudo. Opus ergo sabbati signum futuri est, quod vnusquisque lege perfunctus & gratia, per misericordiam Christi corporeæ fragilitatis molestiis exuetur. Et ideo in signo antè per Moysem præmissa est sanctificatio, vt esset exercitiū futuræ sanctificationis, & obseruantiæ spiritalis à secularibus operibus abstinendi. Denique & deus ab operibus mundi quieuit, nō
B ab operibus, cuius sempiterna & iugis operatio est, sicut filius ait: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor: vt *Ioan. 5.*
ad similitudinem dei secularia nostra opera nō religiosa cessarent. Hoc autem non intelligēs archisynagogus proh bebat quēquam curari sabbato, cùm sabbatū futurarum typus sit feriarum. Et ideo non operis boni sed mali feriæ sunt, eóque præscriptum sit vt nullam ferentes sarcinam delictorum, nec bonorum ieiuni operum sabbata post mortem futura celebremus. Vnde dominus spiritaliter videtur respōdere cùm dicit: *Hypocritæ, vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum, & ducit adaquare?*) Cur enim non aliud animal indicauit, nisi vt ostenderet aduersantibus, licet synagogæ principibus, futurū tamen vt Iudaicus & gentilis populus sitim corporis æstúmque mundi istius dominici fontis vbertate deponat? Agnouit enim bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Itaque ille populus *Esaiæ 1.*
qui antea fœni vilis, quod priusquàm euellatur arescit, alimonia pascebatur, panem illum qui è cœlo descendit, accepit. Et ideo per vocationem duorum populorum ecclesiam
C dicit saluam futuram, quæ tempore legis impleto, & dominicæ resurrectionis ætate, tēpus suæ absolutionis acceperat. Quàm clemēs ergo dominus, quàm pius in vtroque, cū aut miseretur, aut vindicat. In synagogæ typo arborem excidi iubet, in typo ecclesiæ fœminam saluat. Quàm dulcis parabola, facilis autem solutio. Vinculum vinculo comparat, vt insimulatio Iudæorum actu ipsorum redarguatur. Nam cū ipsi animalibus sabbato soluant vincula, reprehendunt dominum qui homines à peccatorum vinculis liberauit.

De comparatione regni cœlorum ad granum sinapis.

Cui simile est regnum dei? & cui simile illud æstimabo? Simile est grano sinapis, quod acceptū homo misit in hortum suum, & creuit, & facta est arbor, & volucres cœli requieuerunt in ramis eius.) Docet nos præsens lectio naturam comparationum spectandam esse, nō speciem. Itaque videamus cur sublime regnum cœlorum grano sinapis comparetur. Nam memini etiam alio loco granum sinapis lectum, vbi fidei confertur, dicente domino: Si habueritis fi-
D dem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, tollere, & iactare in mare. Nec exigua hæc, sed magna est fides, quæ mō- *Matth. 21.*
ti possit vt se transferat imperare. Neque enim mediocrem fidem dominus exigit ab apostolis, quibus aduersus altitudinem extollentem se nequitiæ spiritalis scit esse certādum. Vis scire magnam fidem requiri? Lege in apostolo: Et si ha- *1. Corin. 13.*
beam omnem fidem, ita vt montes transferam. Ergo si regnum cœlorum sicut granum est sinapis, & fides sicut granum sinapis: fides vtique regnum cœlorum, & regnū cœlorum est fides. Itaque qui fidem habet, habet & regnum cœlorum. Et regnum intra nos, & fides intra nos est. Legimus enim, Regnum dei intra vos est. Et alibi: Habete fidē in vobis ipsis. Denique Petrus qui omnē habuit fidem, regni cœlorum claues vt & aliis reseraret, accepit. Nunc ex † natura *† tritura*
sinapis, quæ virtus cōparationis sit æstimemus: Granū certè eius, res est vilis & simplex: si teri cœperit, vim suā fundit.

Etiam fides primo ſimplex videtur: ſed ſi teratur aduerſis, gratiã ſuæ virtutis effundit, vt alios quoque quiv el audiunt, vel legunt, odore ſui cõpleat. Granũ ſinapis martyres noſtri ſunt, Felix, Nabor, & Victor, Geruaſius, & Protaſius, & Nazarius, habebant odorem fidei, ſed latebant. Venit perſecutio, arma poſuerunt, colla flexerunt, cõtriti gladio per totius terminos mundi gratiã ſui ſparſere martyrij, vt iure dicatur:
Pſalm. 18. In omnem terrã exiuit ſonus eorum. Sed aliâs teritur fides, aliâs premitur, aliâs ſeminatur. Ipſe dominus granum eſt ſinapis. Erat integer ab iniuria, ſed cũ velut granũ ſinapis qui non attigerat populus neſciebat. Teri maluit, vt diceremus:
2. Corin. 2. Chriſti enim bonus odor ſumus deo. Cõprimi maluit. Vnde & Petrus dixit: Comprimũt te turbę. Seminari maluit velut granum, quod acceptum homo miſit in hortum ſuũ. In horto enim Chriſtus & captus, & ſepultus eſt. In horto creuit, vbi etiã reſurrexit, & factꝰ eſt arbor, ſicut ſcriptũ eſt: Si-
Cantic. 2. cut arbor mali inter ligna ſyluæ, ita frater meus in medio filiorum. Ergo & tu ſemina in horto tuo Chriſtum. Hortus vtique locus plenus eſt florum & fructuũ diuerſorum, in quo gratia tui operis effloreat, & multiplex odor variæ virtutis exhalet. Ibi ergo ſit Chriſtus, vbi fructus eſt. † Semina dominũ Ieſum: granum eſt cũ comprehenditur, arbor eſt cũ reſurgit, arbor mundum obumbrans. Granum eſt cùm ſepelitur in terra, arbor eſt cùm eleuatur ad cœlũ. Preme etiam
† al fructus eſt ſeminis. Dominus Ieſus granum, &c.
1. Cor. 2. cum Chriſto & ſemina fidem. Premitur fides, cùm crucifixũ credimus Chriſtum. Preſſit fidem Paulus cùm diceret: Et ego veniens ad vos fratres, veni non cum eminẽtia ſermonis aut ſapientiæ, prædicans vobis myſterium dei. Neque enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et quia docuit premere fidem, docuit & leuare dicens:
2. Cor. 5. Nũc enim crucifixũ iam non nouimus Chriſtum. Seminamus autem fidem, cùm ex euangelicis & apoſtolicis & prophetici lectionibus credimus in domini paſſionem. Seminamus ergo fidem, cùm eam velut mollito & ſubacto ſolo dominicæ carnis operimus, vt quaſi vapore & cõpreſſu ſacri corporis fides ſe ipſa diſſeminet. Qui enĩ crediderit factum hominem dei filium: credit mortuũ eſſe pro nobis, credit reſurrexiſſe pro nobis, credit aſcẽdiſſe pro nobis. Semino ergo fidem, cùm ſepulturam eius interſero. Vis
Ioan. 12. ſcire granum Chriſtum, & ſeminatũ Chriſtum? Niſi granũ tritici cadens in terram moriatur, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ergo nõ erramus, quia diximus quòd ipſe iam dixerat. Eſt autẽ & granum tritici, quia confirmat cor hominis: & granum ſinapis, quia cor hominis accendit. Et licet ad omnia vtrumque cõueniat, videtur tamen granum tritici cùm de eius reſurrectione tractatur. Panis enim dei eſt, qui de cœlo deſcendit, eò quòd verbũ dei & reſurrectionis exemplum mentem alat, ſpem acuat, firmet affectum. Granum autem ſinapis, eò quòd amarior & acrior ſermo ſit de domini paſſione. Amarior ad flendum, acrior ad commouendum. Itaque cùm audimus & legimus ieiunaſſe dominũ, ſitiſſe dominũ, lachrymaſſe dominum, vapulaſſe dominũ, dicẽtem dominum ſub
Matth. 26. tẽpore paſſionis: Vigilate & orate, ne intretis in tentationẽ:
† dulcioris hauſtu. velut ſucco amarioris ſermonis increpati, dulciores † iuſto voluptatum ſuauitates corporalium temperamus. Ergo qui ſeminat granum ſinapis, ſeminat regnum cœlorũ. Ne deſpicias hoc granum ſinapis, minimum quidem eſt omnibus ſeminibus, ſit autẽ cùm creuerit, maius omnibus oleribus. Si granũ ſinapis Chriſtus, quemadmodũ Chriſtus eſt aut minimus, aut creſcit? Verum non per naturam, ſed per ſpeciem noſtram rurſus excreſcit. Vis ſcire minimum? Vidimus eum,
Eſaiæ 53. & nõ habebat ſpeciẽ neque decorem. Diſce maximum: Speci-
Pſalm. 44. oſus forma præ filiis hominum. Etenim ille qui non habebat ſpeciem neque decorem, excellentior factus eſt angelis, vltra omnem gloriam prophetarũ, quos infirmus Iſrael velut olera manducauerat. Panem enim quo corda confirmãtur, alterum refutauerat, alterum non acceperat. Semẽ autẽ Chriſtus, quia ſemen Abrahæ. Abrahæ autem dictæ ſunt re-
Galat. 3. promiſſiones, & ſemini eius. Nõ dicit, & ſeminibꝰ tãquã in multis, ſed ſicut in vno, & ſemini tuo, quod eſt Chriſtꝰ. Nec ſolum ſemen eſt Chriſtus, ſed etiam minimum omnibus ſeminibus, quia nõ venit in regno, non in diuitiis, nõ in iſtius

1744

mundi ſapientia. Subitò autem velut arbor ſublimem ſuæ
A verticem poteſtatis effudit, vt dicamus: Sub vmbra eius cõ- Cant. 3.
cupiui & ſedi. Et frequenter ſimul (vt arbitror) videbatur & arbor & granum. Granum eſt cùm dicitur: Nõne hic eſt fi- Matth. 13.
lius Ioſeph fabri? Sed inter hæc verba creuit ſubitò teſtantibus Iudæis, qui quaſi latæ arboris ramos non poterant comprehendere, dicentes: Vnde huic iſta ſapientia? Granum igitur eſt figura, arbor eſt ſapiẽtia. In cuius frõdẽtibus ramis ille nycticorax in domicilio, ille paſſer ſingularis in ædificio, ille raptus in paradiſum, in aëra rapiendus, & nubis tuta iam ſede requieſcit. Requieſcunt etiam poteſtates, & angeli cœlorum, & quicunque ſpiritalibus factis euolare meruerunt. Requieuit ſanctus Ioannes cùm recumberet ſuper pectus Ieſu, imò & ipſe eius arboris ſucco velut ramus extenditur. Ramus eſt Petrus, ramus eſt Paulus, poſteriora obliuiſcens, Philip. 3.
& ea quæ ſunt priora appetens. In quorum ſinus, & quoſdã diſputationũ receſſus, qui eramus longè, nos ſcilicet ex nationibus congregati, quos diu per mare mundi procella &
B turbo nequitiæ ſpiritalis agitabat, aſſumptis virtutũ remigiis aduolamus, vt nos vmbra ſanctorum ab iſtius mũdi ardore defendat, certæ ſtationis iam ſecuritate vernantes, eò quòd anima noſtra grauibus antè ſicut illa mulier inclinata peccatis, vt paſſer erepta de laqueo venantium, in ramos domini montéſque migrauit. Itaque antè ſuperfluis obſeruationibus vani & inani leuitate volitantes, nunc iam per fidẽ Chriſti ſoluti manus, & liberi à vinculis ſabbatorum bonis operibus intẽdimus, & in ipſis epulis libertatem habemus, intemperantiam excludimus, ne liberi à lege cupiditatibus ſeruiamus. Lex enĩm ligauit ſibi, vt abſolueret cupiditatibꝰ. Gratia quæ minorem abſtulit ſeruitutem, multò grauiora præcepit. Omnia nobis licent, ſed non omnia expediũt. Graue eſt enim poteſtate vti, vt ſub poteſtatem recidas. Deſiſte eſſe ſub lege, vt virtute ſupra legem ſis.

De comparatione regni dei ad fermentum quod mulier abſcondit in tribus menſuris farinæ.

C *Cui ſimile æſtimabo regnum dei? Simile eſt fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farina, donec fermentatum eſt totum.*) Hæc de requirẽdis quæſtionibus comparatio, quæ tantum ambiguitatis offundit, vt diuerſas habeat ſententias plurimorum. Opportunè itaque granum tritici ſupra diximus Chriſtum, quia ſuberat nobis ſpiritale fermentum: eóque plerique fermentum Chriſtum putant, quòd virtutem attollat acceptam. Et quia fermentum ex farina, vi non ſpecie generi ſuo præſtat: Chriſtus quoque ex patribus æqualis corpore, ſed diuinitate incomparabilis præminebat. Igitur ſancta eccleſia, quæ typo mulieris iſtius euãgelicæ figuratur, cuius farina nos ſumus, dominum Ieſum in interioribus noſtræ mentis abſcondit, donec animi noſtri ſecreta penetralia color ſapientiæ cœleſtis obducat. Et quia in Matthæo legimus tribus mẽſuris abſcõditum eſſe fermentum, congruere viſum eſt vt dei filiũ crederemus abſconditum in lege, adopertum in prophetis, euãgelicis prædicationibus adimpletũ, vt perfectam fidem nobis acquirat ex omnibus, & ſcriptorũ collatione formatus,
D in nobis qui ſumus corpus ipſius, omnia & in omnibus impleatur. Ipſe enim erat verbum dei, atq; myſteriũ quod abſconditum eſt à ſeculis & à generationibus: quo nihil poteſt ad expreſſionem perẽnitatis eius atteſtatius dici. Erat enim profecto. Nam ita erat, vt abſconditus ſacrilegis, manifeſtatus in ſanctis, prędeſtinatus ante ſecula, ſeruaretur ad gloriã. Hæc eſt autem gloria, vt poſſimꝰ fratres inueſtigare myſterium abſconditum à ſeculis in deo. Quod in deo, vtiq; & ex deo. Neque enim deus alienæ capax poteſt eſſe naturæ. Nec ſum dubius animi quòd aliqui de hoc mundo dictum putent, donec fermentetur in lege, prophetis & euangelio, vt dominum omnis lingua fateatur. Itaque diſcutiamus omnia, diligentius requiramus. Nemo inuenit, niſi qui antè quæſierit. Ædificemus turrim, computemus ſumptus ſcripturarum, conferamus impenſas, ne quis etiam de noſtrum aliquo dicat, Hic voluit ædificare, & non potuit conſummare. Qui ædificat, bonum debet iacere fundamentum. Bonum fundamẽtum eſt fides, bonum fundamentum eſt apoſtolorum

1745

ſtolorum & prophetarũ. Duobus enim teſtamẽtis fides no-
ſtra cõſurgit: nec iniuriam facit qui parem dixerit in vtroq;
perfectæ fidei eſſe mensurã, cùm dicat ipſe dominus: Si cre-
deretis Moyſi, crederetis & mihi: quia & in Moyſe domin⁹
eſt locutus. Bene ergo in vtroq; perfecta mensura, quia per-
fectus in vtroque: & fides vtriuſque vna, quia vnius eſt vir-
tutis & ſenſus oraculum atque reſponſum. Me tamen ſequi
iuuat quod ipſe dominus docuit, fermentum eccleſiæ ſpiri-
talem eſſe doctrinam. Nam cùm ſcriptum ſit, Cauete à fer-
mento Phariſæorum: & cùm apoſtolus dixerit, Non in fer-
mento nequitiæ & malitiæ: oſtenditur quia doctrina fer-
mentum eſt. Sed aliud eſt fermentum zizaniæ, aliud tritici.
Vnde & bonis authoribus acquieſcimus, vt dicam⁹ quia ec-
cleſia renatũ hominẽ qui eſt in corpore & anima & ſpiritu,
fermento ſanctificat ſpiritali. Sanctificatur enim corpus at-
que anima per gratiã ſpiritalẽ, & accipit ſanctificationis au-
gmentũ, cùm per eccleſiæ velut quoddam fermentantis of-
ficium, ſcripturarúmque doctrinã, quæ velut cœleſtium col-
latione ſermonũ & vbertate cõcreſcit, iufuſus toto homini
atque permixtus vſus inoleuerit, vt fiant vnum etiam ipſa
fermentum. Quod vtique tunc fit, cũ ſibi tria hæc pari qua-
dam cupiditatũ lance conſentiunt, & æqualis aſpirat cõcor-
dia voluntatum. Hoc igitur eccleſiæ opus nõ tumultuariũ,
nec fortuitum, ſed diuturna meditatione collatũ, vt hæc tria
vnum ſint, integra à lege peccati. Cuius ſententiæ aſſertorẽ
habemus Apoſtolum dicentem: Ipſe autem dominus ſancti-
ficet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima, &
corpus, ſine querela in die domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruẽ-
tur. Quod per ſecularia quidẽ tentamenta nõ prouenit, niſi
fermentum illud cui comparatur regnum cœlorum, mulier
illa euangelica abſcondat in farinæ menſuris tribus, donec
fermentetur totum. Tres enim mẽſuræ ſunt, vt dixi, carnis,
animæ, & ſpiritus. Sed ſpirit⁹ quo viuim⁹ omnes in hoc cor-
pore ſiti, hoc verius quando carnis laſciuia non redundat, &
anima corporalibus nõ incuruatur erroribus, ac mẽſura vi-
uẽdi in toto homine inoffenſa ſeruatur. Sed quia menſuratũ
æqualitas ſine adiumento eccleſiæ atque doctrinæ difficile
perſeuerat, idcirco mulier illa quæ figuram eccleſiæ gerit,
tamdiu virtutẽ illis doctrinæ ſpiritalis admiſcet, donec fer-
mentetur totus ille interior homo cordis abſconditus, & in
gratiam panis cœleſtis aſſurgat. Bene enim fermẽtũ doctri-
na dicitur Chriſti, quia panis eſt Chriſtus: & apoſtolus ait:
Quia vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Fit ergo vnum
fermentum, quando caro non concupiſcit aduerſus ſpiritũ,
nec ſpiritus aduerſus carnẽ, ſed facta carnis mortificamus, &
anima ex afflatu dei flatum vitæ ſumpſiſſe ſe conſcia, ſecula-
ris neceſſitudinis contagia terrena declinat. Vnde & apoſto-
lus non in carne ſed in ſpiritu ambulare nos præcipit, vt ſan-
ctificati per lauacrum regenerationis, veterem hominẽ cum
ſuis deſideriis exuentes, induti nouum qui ſecundum Chri-
ſtum creatus eſt, non iam in vetuſtate literæ, ſed in nouitate
ſpiritus gradiamur, quo poſſit nobis etiam reſurrectionis
tempore incorrupta corporis & animæ & ſpiritus manere
cõmunio: & tunc omnia quæ petimus, impetremus. Quod
pleriſque videtur etiam dominus ſignificaſſe cùm dicit: Si
duobus ex vobis conuenerit ſuper terram, de omni re quã-
cumq; petieritis, fiet vobis à patre meo qui in cœlis eſt. Ita-
que alij duos, animam & corpus accipiũt, alij animã & ſpi-
ritum: vt ſi in terra, hoc eſt, in corpore ſibi anima ſpiritúſq;
conſentiant, nec ſe impugnent inuicem diuerſis cupiditati-
bus, omnia in effectum videantur orata poſſe deduci. Quod
ita fit cùm fuerint vtraque vnũ, ſi ſubtractis inimicitiis vel
ſolutis duo cõdantur in vnum nouum hominem, id eſt, ani-
ma & ſpiritus, vt oremus ſpiritu, oremus & mẽte. Licet ple-
riſque duos populos accipiant, ex Iſrael & gentibus, in vnũ
reſurrectionis tempore congregandos, vt fiat in æternum
manſura perfectio, & id quod ex parte eſt deſtruatur. Pleri-
que autem virum & vxorem conſentientes ſibi ſtudio cha-
ritatis accipiunt. Itaque ſi in hac vita tres menſuræ in eodem
fermento manſerint donec fermententur & fiant vnum, vt
æqualitatum nulla diſtantia ſit, nec compoſiti ex triũ diuer-
ſitate videamur, erit in futurũ diligentibus Chriſtum incor-
rupta cõmunio, nec cõpoſiti manebimus. Nã & qui cõpoſiti

A nunc ſumus, vnum erimus, & in vnam ſubſtantiam trãsfor-
mabimur. Neque enĩ in reſurrectiõe aliud erit alio inferius,
ſicut nunc fragilis in nobis eſt carnis infirmitas, & corpora-
lis habitudo naturæ vel vulneribus patet, vel iniuriis ſubia-
cet, vel ſui oneris mole depreſſa ſupra terras nequit extolle-
re altius, atque eleuare veſtigium: ſed in ſimplicis creaturæ
gratiam figurabimur, cùm completum fuerit quod dictum
eſt à Ioanne: Chariſſimi, nunc filij dei ſumus, & nõdum re- 1. Ioan. 3.
uelatũ eſt quid erimus. Sed ſcimus quia cùm reuelatus fue-
rit, ſimiles ei erimus. Itaq; cùm dei natura ſit ſimplex, (ſpi-
ritus enim deus eſt) nos quoque in eandem imaginem figu- Ioan. 4.
rabimur, vt qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Igitur ſicut 2. Cor. 3.
portauimus imaginem illius terreni, portemus & imaginẽ 1. Cor. 15.
huius cœleſtis, quam animus noſter debet induere.

De curatione hydropici, & ſuaſione humilitatis atque pietatis.

B EST factum eſt cùm intraret in domum cuiuſdam principis, & ecce homo hydropicus erat ante illũ.) Ideo primo ab Ca. XIIII
hinc loco curatur hydropicus, in quo fluxus carnis
exuberãs animæ grauabat officia, ſpiritus extinguebat ardo-
rem. *Et reſpõdens Ieſus dixit illis: Cùm inuitatus fueris ad nuptias,*
nõ diſcumbas in primo loco.) Deinde docetur humilitas, dum in
illo conuiuio nuptiali appetentia loci ſuperioris arcetur.
Clementer tamen, vt perſuaſionis humanitas aſperitatem
coërcitiõis excluderet, ratio proficeret ad perſuaſionis effe-
ctum, & correctio emendaret affectum, huic quaſi proximo
limine humanitas copulatur, quæ ita dominicæ ſententiæ
definitione diſtinguitur, ſi in pauperes & debiles conferatur. *Dicebat autem & ei qui ſe inuitauerat: Cùm facis prandiũ aut*
cœnam, &c.) Nam hoſpitalẽ remuneraturis eſſe, affectus auaritiæ eſt. Poſtremum quaſi emeritæ militiæ viro contemnẽdarum ſtipendium præſcribitur facultatum.

De parata cœna magna, & multorum vocatione, ſimúlque omnium excuſatione.

C HOmo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.) Quod neque ille qui ſtudiis intẽtus inferioribus poſſeſſiones ſibi terrenas coëmit, regnum cœli poſſit adipiſci, cùm dominus dicat: Vende omnia
tua, & ſequere me. Nec ille qui emat boues: cùm Heliſæus
occiderit, & populo diuiſerit quos habebat. Et ille qui du-
xit vxorem, cogitet quæ mundi ſunt, non quæ dei. Non quo
coniugium reprehendatur, ſed quia ad maiorem honorem
vocetur integritas: quoniam mulier innupta & vidua cogi-
tat quæ ſunt domini, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Nam 1. Corin. 7.
quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mũdi, quomodo placeat vi-
ro. Sed vt in gratiã, vt ſupra cum viduis, ita nunc etiam cum
coniugibus reuertamur: non refugimus opinionẽ quam ſe-
quuntur pleriq;, vt tria genera hominum à cõſortio magnæ
illius cœnæ æſtimemus excludi, gentilium, Iudæorum, hæ-
reticorum. Et ideo apoſtolus auaritiã dicit eſſe fugiendã, ne
impediti more gentili iniquitate, malitia, impudicitia, auari-
tia, ad regnũ Chriſti peruenire nequeam⁹. Omnis enim im- Ephe. 5.
mundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet
hæreditatem in regno Chriſti & dei. Iudæi autem corporali
D miniſterio iuga ſibi legis imponunt, & ideo ſecundum pro- Pſalm. 2.
phetam: Dirumpamus vincula eorũ, & proiiciamus à nobis
iugum ipſorum. Chriſtum enim recepimus, qui ceruicibus
noſtris pietatis ſuæ iugũ mite ſuſpendit. Quinq; autem iuga
ſunt, verborũ decem, vel quinq; libri veteris legis, de quib⁹
in euangelio videtur Samaritanæ dicere: Quinq; enim viros Ioan. 4.
habuiſti. At verò hæreſis velut Eua fœmineo rigore fidei tẽ-
tat affectũ, & lubrica facilitate prolabens lenocinia falſi de-
coris affectat, intemeratam negligens pulchritudinem veri-
tatis. Ideo igitur excuſant, quia nemini intercluditur regnũ,
niſi ei quem ſuæ profeſſio vocis excluſerit. Dominus autem
omnes clemẽter inuitat, ſed nos aut deſidia noſtra aut error
auertit. Ergo & ille qui villam emit, alienus à regno eſt. E-
mentes enim atque vendentes, Noë, vt legiſti, tempore, di-
luuia ſorbuerũt †. Et ille qui iugum potius legis quàm gra- †ſubruerũt.
tiæ munus elegit, & ille qui propter ducẽdã excuſat vxorẽ. Luca 14.
Scriptũ eſt enim: Si quis venit ad me, & nõ odit patrẽ ſuũ, &
matrem, & vxorẽ, non poteſt meus diſcipulus eſſe. Etenim

Matth.12. si propter te dominus suæ renunciat matri, dicens: Quæ est mater mea, aut qui fratres mei? cur tu domino tuos cupias anteferre? Sed neq; ignorare naturã, neq; seruire naturæ dominus iubet, sed ita indulgere naturæ, vt venereris authorẽ, nec ab eo parẽtum amore desciscas. Itaque post diuitũ resupina fastidia contulit se ad gentes, iubet bonos & malos introire, vt bonos augeat, malorum affectum in meliora commutet, vt compleretur illud quod hodie lectum est: Tũc lupi & agni simul pascentur. Inuitat pauperes, debiles, cæcos: quo ostenditur nobis vel ꝙ nullũ debilitas corporis excludat à regno, rariúsque delinquat cui desit illecebra peccãdi: vel quòd infirmitas peccatorũ per misericordiã domini remittatur, vt nõ ex operibus, sed ex fide redẽptus à crimine, si gloriatur, in domino glorietur. Mittit itaq; ad exitus viarum: prudentia enim in exitu canitur. Mittit ad plateas, quia misit ad peccatores, vt de latioribus viis ad angustam viam venirent, quæ ducit ad vitam. Mittit ad vias, & circa sepes, quòd hi videlicet apti sint regno cœlorũ, qui nullis præsentium cupiditatibus occupati ad futura festinent, in quodam bonæ voluntatis tramite constituti, & qui modo sepis, quæ ab incultis culta fecernat, & incursus arceat bestiarũ, nouerint bona malaque distinguere, & aduersus tentamenta nequitiæ spiritalis fidei munimẽ obtẽdere. Denique dominus vt vineam suã ostenderet fuisse munitam, Et sepem, inquit, circundedi, & circunfodi eam. Et Apostolus medium parietem sepis dicit esse sublatum, qui continuationem munitionis irruperat. Fides igitur & oratio † quæritur, & quæritur in plateis, hoc est, in meatibus interioris affectꝰ, quia scriptũ est: In plateis tuis diffundãtur aquæ tuæ. Nec hoc tamẽ plenum est, vt aliquis vocatus adueniat, nisi vestem habeat nuptialem, hoc est, fidẽ habeat & charitatem. Et ideo qui pacẽ & charitatem non detulerit ad Christi altaria, tolletur pedibus & manibus, & mittetur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & stridor dentiũ. Quæ sunt tenebræ exteriores? Nunquid illic quoque carcer aliquis latomiæque subeũdæ sunt? Minimè. Sed quicunque extra promissa sunt cœlestiũ mandatorum, in tenebris exterioribus sunt, quia mãdata dei lumen sunt. Et quicũque sine Christo est, in tenebris est, quia lumen in † tenebris est Christus. Ergo neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis. Sed hęc ideo, quia sicut ex multa cruditate & febres nascuntur & vermes: ita si quis non decoquat peccata sua velut quadam interposita sobrietate abstinẽtię, sed miscendo peccata peccatis, tanquam cruditatem quandam contrahat veterum & recentiũ delictorũ, igne aduretur proprio, & suis vermibus cõsumetur. Vnde & Esaias ait: Ambulate in lumine ignis vestri, & flamma quã accẽdistis. Ignis est quem generat mœstitia delictorum. Vermis est, eò quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei sensúmque compungunt, & quædam exedunt viscera conscientiæ: quæ tanquam vermes ex vnoquoque nascuntur, tanquã ex corpore peccatoris. Denique dominus id per Esaiam declarauit dicens: Et videbunt mẽbra hominum præuaricantium in me, & vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Stridor quoque dentium prodit indignantis affectum, eò quòd serò vnumquẽque pœniteat, serò ingemiscat, serò irascatur sibi, quòd tam peruicaci improbitate deliquerit.

Esaiæ 65.

1.Corin.1.

Matth.7.

Matth. 12.

† ratio.

Prou. 5.

† aliàs, lumẽ interius.

Esaiæ 50.

Esaiæ 66.

De oue centesima & drachma decima perditis & inuentis.

Cap.XV. *Vis ex vobis*, inquit, *homo qui habet centum oues, & si errauerit vna ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & ibit ad illam quæ errauit?*) Diceras in superioribus ablegare negligentiam, vitare arrogantiam, deuotionem sumere, secularibus occupationibus non teneri, caduca non præferre perpetuis. Sed quia fragilitas humana firmũ nequit in tanto seculi lubrico tenere vestigium, etiam aduersus errorem remedia tibi bonus medicus demõstrauit, spem veniæ iudex misericors non negauit. Itaque non ociosè sanctus Lucas ex ordine tres parabolas posuit, ouis quæ perierat & inuẽta est, drachmę quę perierat & inuẽta est, filij qui erat mortuus & reuixit, vt triplici remedio prouocati vulnera nostra curemus. Spartum enim triplex non rumpitur. Qui sunt isti, pater, pastor, & mulier? Nónne deus pater, Christus pastor, mulier ecclesia? Christus te suo corpore vehit, qui tua in se peccata susceperit. Quærit te ecclesia, recipit pater. Quasi pastor reuehit, quasi mater inquirit, quasi pater vestit. Prima misericordia, secũda suffragatio, tertia reconciliatio. Singula singulis quadrãt: Redemptor subuenit, ecclesia suffragatur, author reconciliatur. Eadẽ diuini operis misericordia, sed diuersa pro meritis nostris gratia. Ouis à pastore lassa reuocatur, drachma quæ perierat inuenitur, ad patrem filius suis vestigiis redit, & plena condemnati erroris regreditur pœnitentia. Vnde bene scriptum est: Homines & iumenta saluos facies domine. Quæ sunt ista iumenta? Dixit Propheta: Semen Israel in semen hominum, & Iuda in semen animalium. Itaque quasi Israel homo seruatur, quasi ouis Iuda colligitur. Malo ergo filius esse quàm ouis. Ouis enim à pastore reperitur, à patre filius honoratur. Gaudeamus igitur, quoniam ouis illa quæ perierat in Adã, leuatur in Christo. Humeri Christi crucis brachia sunt. Illic peccata mea deposui, in illa patibuli nobilis ceruice requieui. Ouis illa genere est vna, non specie. Vnum enim omnes corpus sumus, sed multa membra. Et ideo scriptum est: Vos autem corpus estis Christi, & membra ex membris eius. Venit itaque filius hominis saluum facere quod perierat. Omnes scilicet, quia sicut in Adã omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Diues igitur pastor, cuius omnes nos centesima portio sumus, habet angelorum, habet archangelorum, dominationum, potestatum, thronorum, aliorúmque innumerabiles greges, quos in mõtibus dereliquit. Qui quoniam sunt rationabiles, non immeritò hominum redemptione lætãtur. Quanquam hoc quoque proficiat ad incentiua probitatis, si vnusquisque cõuersionem suam gratam fore credat cœtibus angelorũ, quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offensam. Et tu igitur esto angelis lætitiæ, gaudeãt de reditu tuo. Non ociosum etiam quòd mulier illa drachma lætatur inuenta. Non mediocris hæc drachma est, in qua principis est figura. Et ideo imago regis, census ecclesiæ est. Oues sumus, oremus vt super aquam refectionis nos collocare dignetur. Oues inquam sumus, petamus pascua. Drachmæ sumus, habeamus preciũ. Filij sumus, festinemus ad patrem. Nec vereamur quia acceptum spiritalis patrimoniũ dignitatis terrenis prodegimus voluptatibus. Quòd pater in filium quem habebat thesaurum contulit: fidei census nunquam exinanitur, licet totum dederit, totum habet: qui quod donauerit, non amittit. Nec verearis ne te non recipiat: non enim delectatur deus perditione viuorum, iam occurrens venienti tibi cadit supra collum. Dominus enim erigit elisos. Osculũ dabit, quod est pignus charitatis * & amoris. Stolam, anulum, calciamenta proferri iubebit. Tu adhuc iniuriam metuis, ille restituit dignitatem. Tu supplicium vereris, ille osculum defert. Tu cõuitium times, adornat ille conuiuium. Sed iam ipsam parabolam discutiamus.

Psalm.146. * pietate.

De duobus filiis adolescentiore & seniore quibus pater substantiam diuisit.



Homo quidam habuit duos filios, & dixit illi adolescentior: Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit, &c.) Vides quod diuinum patrimonium petẽtibus datur. Nec putes culpã patris quòd adolescentiori dedit, nulla dei regno infirma ætas, nec fides grauatur annis. Ipse certè se iudicauit idoneum qui poposcit. Atque vtinam non recessisset à patre, impedimentum nescisset ętatis. Sed postea quàm peregrè profectus est, cœpit egere. Meritò ergo prodegit patrimoniũ, qui recessit ab ecclesia. *Postea quàm domum*, inquit, *patriam derelinquẽs, peregrè profectus est in regionem longinquam.*) Quid enim longinquius q̃ à se recedere, nec regionibus sed moribus separari? studiis discretũ esse, non terris: & quasi interfuso luxurię sęculari æstu, diuortia habere factorũ? Etenim qui se à Christo separat, exul est patrię, ciuis est mũdi. Sed nos nõ sumus aduenæ atque peregrini, sed ciues sumus sanctorũ & domestici dei. Qui enim eramus longè, facti sumus propè in sanguine Christi. Nõ inuideam⁹ de lõginqua regione remeãtibus, quia & nos fuim⁹ in regiõe lõginqua, sicut Esaias docet. Sic

Ecclẽs 42.

Ephes.2.

1749

Sic enim habes: Qui ſedebant in regione vmbræ mortis, lux orta eſt illis. Regio ergo longinqua, vmbra eſt mortis: nos autē quibus ſpiritus ante faciē Chriſtus eſt domin⁹, in vmbra viuimus Chriſti. Et ideo dicit eccleſia: In vmbra eius cōcupiui, & ſedi. Ille igitur viuendo luxurioſè cōſumpſit omnia naturæ ornamenta. Vnde tu qui accepiſti imaginem dei, qui habes ſimilitudinē eius, noli eam irrationabili fœditate cōſumere. Opus dei es, noli ligno dicere, Pater meus es tu, ne accipias ſimilitudinem ligni, quia ſcriptū eſt: Similes illis fiant qui faciūt ea. *Facta eſt autem fames per regionem illam.*) Fames non epularum, ſed bonorum operum atque virtutum, quæ ſunt miſerabiliora ieiunia. Etenim qui recedit à verbo dei, eſurit: quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo dei. Qui recedit à fonte, ſitit: qui recedit à theſauro, eger: qui recedit à ſapientia, hebetatur: qui recedit à virtute, diſſoluitur. Meritò ergo iſte egere cœpit, qui theſauros ſapientiæ & ſcientiæ dei, diuitiarúmque cœleſtium altitudinē dereliquit. Egere ergo ideo cœpit, & famem pati, quia nihil prodigæ ſātis eſt voluptati †. Semper famē patitur ſui, qui alimentis perpetuis neſcit impleri. *Abiit itaque, & hæſit vni ciuium.*) Qui enim hæret, in laqueo eſt. Et videtur ciuis iſte princeps eſſe iſtius mundi. Denique ad villam eius mittitur quam emit, qui excuſat à regnō. *Et pauit porcos.*) Illos vtique in quos petit diabolus introire, quos præcipitat in mare iſti⁹ mundi, in ſordibus ac fœtore viuentes. *Et cupiebat, inquit, ſiliquis implere ventrem ſuum.*) Neque enim alia cura eſt luxuriosis, niſi vt ventrem ſuum impleant, quorum deus venter eſt. Qui autem aptior huiuſcemodi hominibus cibus, quàm is qui ſiliquę modo intus inanis, foris mollis eſt, quo corpus non reficitur, ſed impletur, vt ſit magis oneri quàm vſui? Sūt qui porcos accipiāt pro gregibus dæmoniorum, ſiliquas pro exili virtute inanium hominum, ſermonúmque iactantia, qui nihil prodeſſe poſſunt: inani quadam philoſophiæ ſeductione, & quodam ſonoro facundię plauſu, pompam magis quàm vtilitatem aliquam demonſtrantes. Sed hæc diuturna oblectamenta eſſe non poſſunt. *Et ideo nemo illi dabat.*) Erat enim in regione illius qui neminē habet, quia eos qui ſunt, non habet. Omnes quippe gentes in nihilum ęſtimantur. Solus autem deus qui viuificat mortuos, & vocat quæ non ſunt, tanquam quæ ſint. *In ſe autem reuerſus dixit: Quantis panibus mercenarij patris mei abundant?*) Bene in ſe reuertitur, qui à ſe receſſit. Etenim qui ad dominum regreditur, ſe ſibi reddit: & qui recedit à Chriſto, ſe ſibi abdicat. Mercenarij autem qui ſunt, niſi qui ad mercedem ſeruiunt? qui ſunt ex Iſrael, non id quod bonum eſt probitatis ſtudio perſequētes, nec virtutis gratia, ſed vtilitatis ſtudio prouocati. At verò filius, qui habet ſancti ſpiritus pignus in corde, ſecularis mercedis lucella non quærit, qui ius ſeruat hæredis. Sunt etiam mercenarij qui conducuntur ad vineam. Bonus mercenarius Petrus, Ioannes, & Iacobus quibus dicitur: Venite, faciam vos piſcatores hominū. Iſti non ſiliquis, ſed panibus abundabant. Denique & collegerunt fragmentorum cophinos duodecim. O domine Ieſu, ſi nobis auferas ſiliquas, & panes tribuas. Tu enim diſpenſator in domo es patris. O ſi nos quoque mercenarios digneris conducere, licet ſerò venientes. Nam & vndecima conducis hora, & æqualem dignaris mercedem ſoluere, æqualem mercedē vitæ, non gloriæ. Neque enim omnibus repoſita eſt corona iuſtitiæ, ſed ei qui poteſt dicere: Certamen bonum certaui. Quod ideo non prætermittēdum arbitratus ſum, quia ſcio quoſdam dicere quòd ad mortem ſibi lauacri gratiam vel pœnitentiam reſeruēt. Primùm, quī ſcis an nocte proxima tua à te anima repoſcatur? Deinde cur putas ocioſo tibi omnia poſſe deferri. Pone vnam gratiam, vnam eſſe mercedē: diuerſum tamen brauium victoriæ eſt. Ad quod ſe non fruſtra Paulus extendit, qui poſt mercedem gratiæ, brauium tamen vt comprehenderet ſequebatur, quia ſciebat etſi par eſſet merces gratiæ, palmam tamē eſſe paucorum. Et quoniam in vineā domini venimus, non vacui recedamus. Iuuat enim fructus legere, mercenarios eius videre. Quid enim ſibi vult quod vna die diuerſis horis conducuntur operarij: niſi quia mille anni in oculis domini ſicut dies heſterna quæ præteriit, & hora in nocte? Quæ eſt nox, niſi quæ præceſſit, vt dies appropinquaret? Et bene hora in nocte, quia mille anni ſicut dies vna. Nouit vim diei huius ille qui dixit: Ieſus Chriſtus heri & hodie ipſe eſt, & in ſecula. Sciuit & ille diē eſſe multiplicem, qui ſcripſit: Hic dies generationis cœli & terræ cū facta ſunt, qua die fecit deus cœlū & terram, & omne viride agri. Cùm enim ſuprà ſeptem deſcripſiſſet dies, poſtea vno die omnia facta eſſe complexus eſt: totum mundi tempus oſtendens in conſpectu domini tanquam diem vnū, eò quòd ex incōpoſitis atque tenebroſis forma iſtius mūdi diuini operis claritate proceſſerit. Ergo ſi dies totum tēpus eſt mūdi, habet vtique etiā in ſeculis horas ſuas: aut ipſa ſecula horæ ſunt. Horæ autem diei duodecim ſunt. Vnde bene in myſterio dies Chriſtus, cui⁹ apoſtoli duodecim, qui cœleſti lumine diſtinctis in ſe gratiæ vicibus refulſerunt. Venit ergo paterfamilias, & prima hora cōduxit operarios: fortaſſis eos qui à principio mundi vſq; ad diluuium iuſti eſſe meruerūt, de quibus dicit: Et locutus ſum ad vos ante lucem, & miſi ad vos ſeruos meos prophetas ante lucem. Tertia poſt diluuium incipit, Noë cæterorúmque tempora comprehēdens, qui quaſi boni operarij in vineam deſtinantur. Ideo quaſi in prādio inebriatus eſt Noë. Sexta & reliquis Abrahę & Iſaac & Iacob patriarcharum merita diſtinguuntur. Nona inclinātē iā ſeculo, & tanquā palleſcēte luce virtutis, lex & prophetæ, decolores mores hominum notauerunt. Vndecimā, & quod ſupereſt diei, ſacer producit aduentus. Vnde & ipſe in Euangelio dicit: Ambulate dum lucē habetis. Sed iam redeamus ad patrem: licet non verear ne iſtius pœnitentiā gerentis exemplo diu abfuiſſe videamur. Nunquam enim abfuimus, qui verſabamur in vinea: in qua ſi & iſte manſiſſet, non receſſiſſet à patre. Cauendum tamen eſt ne nos ei recōciliationis faciamus moram, quam non fecit pater. Facilè reconciliatur, quando impēſè rogatur. Et ideo diſcamus quali pater obſecratione ſit ambiēdus. *Pater*, inquit.) Quàm miſericors, quàm pius, qui nec offenſus patriū dedignatur nomen audire. *Pater*, inquit, *peccaui in cœlum & coram te.*) Hæc eſt prima cōfeſſio apud authorem naturæ, præſulem miſericordiæ, arbitrum culpæ. Sed etſi deus nouit omnia, vocem tamen tuæ confeſſionis expectat. Ore enim confeſſio fit ad ſalutem: quia alleuat pondus erroris quiſquis ipſe ſe onerat: & accuſationis excludit inuidiam, qui accuſatorem præuenit confitendo. Iuſtus enim in primordio ſermonis accuſator eſt ſui. Fruſtra autem velis occultare quem nihil fallas, & ſine periculo prodas quod ſcias eſſe iam cognitum. Confitere magis, vt interueniat pro te Chriſtus, quem aduocatū habemus apud patrē. Roget pro te Eccleſia, & illachrymet populus. Nec vereare ne non impetres. Aduocatus ſpondet veniam, patronus promittit gratiam, reconciliationem tibi paternæ pietatis pollicetur aſſertor. Crede quia veritas eſt: acquieſce, quia virtus † eſt. Habet cauſam vt pro te interueniat, ne pro te gratis mortuus ſit. Habet & cauſam ignoſcēdi pater, quia quod vult filius, vult & pater. *Peccaui in cœlum, & coram te.*) Non † vtique elementum exprimitur, ſed peccato animæ cœleſtia ſignificantur dona ſpiritus imminuta: vel quia ab illius gremio matris Hieruſalē quæ in cœlo eſt, non debuit deuiare. *Iam non ſum dignus vocari filius tuus.*) Deiectus enim ſe exaltare non debet, vt merito ſuæ poſſit humilitatis attolli. *Fac me ſicut vnum mercenariorum tuorum.*) Nouit eſſe diſtantiam inter filios, amicos, mercenarios, & ſeruos. Filius per lauacrum, amicus per virtutem, mercenarius per laborem, ſeruus per timorem. Sed etiam ex ſeruis & mercenariis fiunt amici, iuxta quod ſcriptum eſt: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis, iam nō dicam vos ſeruos. Hæc apud ſe dixit. Sed nōn ſatis eſt dicere, niſi ad patrem venias. Vbi illum requiras? vbi inuenias? Exurge primò, qui ſedens antè dormiebas. Et ideo dicit Apoſtolus: Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Iniquitas in talento plumbeo ſedet. Moyſi dicitur: Tu autem hic ſta. Stantes elegit Chriſtus. Exurge ergo, curre ad Eccleſiam: hic eſt pater, hic eſt filius, hic eſt ſpiritus ſanctus. Occurrit tibi, qui audit te intra mentis ſecreta tractantem. Et cùm adhuc longè ſis, videt & accurrit. Videt in pectore tuo: accurrit ne quis impediat: complectitur quoque, in occurſu præſentia * eſt, in complexu clementia. Et quaſi quodam

A B C D

† *iuſtus.*

† *enim vtile.*

Hebr. 13.

Gene. 2.

Ioan. 11.

Matth. 20.

Ioan. 12.

Rom. 10

Prou. 18.

1. Ioan. 2.

Ioan. 15.

* *præſcientia.*

patrij amoris affectu supra collum cadit, vt iacentem erigat, & oneratum peccatis atq; in terrena deflexum reflectat ad cœlum, in quo suum quærat authorem. Cadit in collũ tuum Christus, vt ceruicem iugo exuat seruitutis, & collo tuo iugum suaue suspendat. Nonne tibi videtur cecidisse in collũ Ioannis, quando erat Ioannes in sinu Iesu ceruice recumbẽs reflexa? Et ideo verbum apud deum vidit, quia erectus est ad superna. Cadit in collum, cùm dicit: Venite ad me qui laboratis, & ego vos reficiã: tollite iugum meum super vos. *Matth. 11.* Cadit ergo in collum hoc modo, si conuertaris, & iubet proferri stolã, anulum, calciamẽta. Stola amictus est sapiẽtiæ, quo nuda corporis apostoli tegunt, eò quòd se vnusquisque conuoluat. Et ideo stolas accipiunt, vt corporis infirmitatem sapientiæ spiritalis virtute conuestiant. De sapientia enim dictum est: Lauabit in vino stolam suam. Ergo stola spiritale indumentum & vestimentum est nuptiale. Anulus quid est aliud nisi synceræ fidei signaculum, & expressio veritatis? Calcłamentum autem Euangelij prædicatio est, & ideo accepit sapientiam primam. Est enim & alia quæ mysteriũ nescit, quæ accepit dictorum suorum factorúmque signaculũ, & quoddam monumentum bonę intentionis & cursus, necubi offendat ad lapidem pedem suum, & supplantatus à diabolo, dominicæ prædicationis officiũ derelinquat. Hæc est †*præparatio* prædicatio † Euangelij, ad cœlestem cursum dirigẽs præparatos, vt non in carne ambulemus, sed in spiritu. Occiditur & vitulus saginatus, vt carnem domini spiritali opimã virtute, per gratiam sacramenti mysteriorũ consortio restitutus epuletur. Nemo enim nisi qui timuerit deum, (quod est initium sapientiæ) nisi signaculum spiritale vel custodierit vel receperit, nisi dominum prædicauerit, sacramentis debet interesse cœlestibus. Qui autem anulum habet, & patrem habet, & filium, & spiritũ sanctũ: quia signauit nos deus, cuius imago Christus: & dedit spiritũ pignus in cordibus nostris, vt sciamus hoc anuli isti⁹ qui in manu datur, esse signaculũ, quo cordis interiora factorúmq; nostrorũ ministeria signãtur. Ergo signati sum⁹, sicut & legimus: Credẽtes, inquit, signati estis spiritu sancto. *Ephe. 1.* Bene autem carnem vituli, quia sacerdotalis est victima, quæ pro peccatis fiebat, †epulantẽ patrem inducit filius, vt ostenderet quoniã paternus cibus est *† al. epulante patre inducitur filius.* salus nostra: & patris gaudium, nostrorũ redemptio peccatorum est. Et hic quidẽ si ad patrem referas, quia hostia pro peccatis filius est, delectatur pater reditu peccatoris, supra delectatur filius inuẽta oue: vt scias quia vna est patris & filij delectatio, vna operatio in ecclesiæ fundamento. Lętatur autem pater. *Quia filius perierat, & inuentus est: mortuus fuerat, & reuixit.*) Ille perit qui fuit, non enim potest perire qui nõ fuit. Itaque gentes non sunt, Christianus est, iuxta quod supra *1. Cor. 1.* dictum est: Quia elegit deus quæ non sunt, vt quæ sunt destrueret. Potest tamẽ & hic in vno accipi species generis humani. Fuit Adam, & in illo fuimus omnes. Periit Adã, & in illo omnes perierũt. Homo igitur in illo homine qui perierat reformatur, & ille ad similitudinem dei factus & imaginem, diuina patiẽtia & magnanimitate reparatur. Quid est ergo, Elegit deus quæ non sunt, vt quæ sunt destrueret? Id est, elegit populum gentium qui non erat, vt destrueret populum Iudęorum. Potest & de agente pœnitentiam dictum videri, quia non moritur nisi qui aliquãdo vixit. Et ideo gẽtes non moriuntur, sed mortuæ sunt. Etenim qui in Christũ non credit, semper est mortuus. Et gentes quidem cùm crediderint, per gratiã viuificantur. Qui verò lapsus fuerit, per pœnitentiã reuiuiscit. Sequitur loc⁹ vt remittẽdis post pœnitentiam debeamus fauere peccatis: ne dum veniæ alterius inuidemus, ipsi eam nõ mereamur à domino. Quis enim tu es qui domino contradicas ne cui velit culpam relaxet, cùm tu cui volueris ignoscas? Vult rogari, vult obsecrari. Si omnium iustitia, vbi dei gratia? Quis tu es qui inuideas deo? Et ideo notatur hic frater vsque adeo vt de villa venire dicatur: hoc est, terrenis operibus occupatus, ignorans quæ sunt spiritus dei, vt denique nunquam pro se vel hœdum queratur occisum. Non enim pro inuidia, sed pro venia mundi agnus est immolatus. Inuidus hœdum quærit, innocens agnum pro se desiderat immolari. Ideo & senior dicitur, eò quòd citò aliquis per inuidiã cõsenescat. Ideo & foris stat, eò quòd

maleuolentia eum animi liuentis excludat. Ideo chorum & A symphoniam audire non potest, hoc est, non illa theatralis incentiua lasciuiæ, nec aulicorum concentus sonorum: sed plebis cõcordia cõcinentis, quæ de peccatore † seruato dulcem resultet lætitię suauitatem. Constitue mihi aliquem ex his qui sibi iusti videntur, qui trabem in oculo suo non vident, & alieni festucam vitij ferre non possunt. Quomodo indignatur quando alicui peccatum fatenti, & diu indulgẽtiam deploranti venia relaxatur? Quomodo aures eius symphoniam populi spiritalem ferre non possunt? Hæc est enim symphonia, quando concinit in ecclesia diuersarum ætatum atque virtutum velut variarum chordarum indiscreta concordia. Psalmus respondetur: Amen dicitur. Hæc est enim *1. Cor. 14.* symphonia quam sciuit & Paulus: & ideo ait: Psallam spiritu, psallam & mente. Hæc de parabola præsenti putauimus esse tractanda. Nec inuidemus si quis duos fratres istos velit referre ad populos duos, vt sit adolescentior populus ex gentibus tãquam Israel, cui frater maior beneficium paternæ benedictionis inuidit. Quod faciebãt Iudæi cùm queB rentur quia Christus cum gentibus epularetur: & ideo hœdum mali odoris sacrificium requisierunt. Iudæus hœdum requirit, Christianus agnum: & ideo illis Barabbas soluitur, nobis agnus immolatur. Vnde apud illos fœtor est criminũ, apud nos remissio peccatorum: dulcis in spe, suauis in fructu. Qui hœdum querũt, expectant Antichristum. Christus enim boni odoris est victima. † Quæri etiam in hœdo videtur, quia Iudæi ritum veteris sacrificij perdiderunt: vel quia *† alibi, Quæres.* nullius sanguis his profuit, sicut Christi sanguis Ecclesiæ. Non enim redimere eos sanguis potuit Prophetarum. Impudens autem & similis illius publicani iustificantis se arroganti prece, qui putabat quòd nunquam præterierit mandatum dei, quia legem seruabat in litera. Impius, qui accusabat fratrem quòd cum meretricibus paternam substantiã prodegisset, cùm debuerit aduertere quia sibi dictũ est: Meretrices & publicani præcedent vos in regno cœlorum. Stat autem foris, nec excluditur, sed non ingreditur, ignorãs voC luntatem dei de vocatione gentium: seruus iam factus ex filio. Seruus enim nescit quid dominus agat. Vbi cognouit inuidet, & torquetur ecclesiæ bonis, & foris stat. Foris enim Israel audit chorum & symphoniam, & irascitur: quia hic concinit plebis gratia, & consonat populi iubilatio. Sed bonus pater etiam hunc saluare cupiebat, dicẽs: *Tu mecum semper fuisti.*) Vel quasi Iudæus in lege, vel quasi iustus in communione: & es, si desinas inuidere. *Et omnia mea tua sunt.*) Vel Iudæus sacramenta veteris testamenti, vel baptizatus etiam noui possidens.

De eo quòd nemo seruus possit duobus dominis seruire, & de villico iniquitatis, faciendisque amicis de iniquo mammona.

Nemo seruus potest duobus dominis seruire.) Non quia Caput duo, sed vnus est dominus. Nam etsi sunt qui XVI. mammonæ seruiũt, tamen non ille nouit aliqua iura dominatus, sed ipsi sibi iugũ seruitutis imponunt. Neque enim iusta potestas, sed iniusta est seruitus. Et ideo ait: *Facite vobis amicos de iniquo mammona.*) Vt largiD do pauperibus angelorum nobis cæterorúmque sanctorum gratiam comparemus. Nec reprehenditur villicus, in quo discimus nõ ipsi esse domini sed potius alienarum villici facultatum. Et ideo licet peccauerit, tamen quia sibi in posterum ex indulgẽtia domini quæsiuit auxilia, prædicatur. Pulchrè autem iniquum mammona dixit, quia variis diuitiarũ illecebris nostros auaritia tentabat affectus, vt vellemus seruire diuitiis. Vnde ait: Si in alieno fideles non fuistis quod vestrum est, quis dabit vobis? Alienę nobis diuitię sunt quia præter naturam sunt: neque nobiscum nascuntur, neq; no*Ioan. 1.* biscũ transeunt. Christus autem noster est, quia vita est. Debinique in sua propria venit, & sui eum non receperunt. Ergo nemo dabit quod vestrum est, quia vestrum non credidistis, vestrum non recepistis. Argui igitur videntur Iudęi & fraudis & auaritiæ. Et ideo qui in facultatibus fideles non fuerũt, quas cùm alienas scirẽt, (cõmunẽ enim ad vsum fructus terrarũ à domino deo datus est omnib⁹) debuerũt vtiq; participare pauperibus: nec Christũ accipere meruerunt, quem

Zacchæus

1753

Zacchæus vt acquireret, dimidiam partem bonorum ſuorũ obtulit. Ergo nõ ſeruiamus alienis, qui nullum dominũ debemus ſcire niſi Chriſtum. Vnus enim deus pater, ex quo omnia, & nos in ipſo: & vnus dominus Ieſus, per quẽ omnia. Quid ergo? Pater dominus, aut filius deus † non eſt? Sed & pater dominus, quia verbo domini cœli firmati ſunt: & filius deus, qui eſt ſuper omnes deus benedictus in ſecula. Quomodo ergo nemo poteſt duobus dominis ſeruire? Vn' enim dominus, quia vnus deus. Denique dominum deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Vnde claret vnum patris & filij eſſe dominatum. Vnus autem eſt ſi non diuidatur, ſed totus in patre, totus in filio ſit. Itaque quia vnius deitatis atq; dominatus aſſerimus trinitatem, vnum deum & vnum dominum confitemur. Qui autem aliam patris, aliam filij, aliam ſpiritus ſancti memorant poteſtatem: plures deos, & plures dominos in Eccleſiam gentilis vitio erroris inducunt.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI COMMENTARIORUM IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM, LIBER VIII.

Quomodo lex & prophetæ vſque ad Ioannem.

Ex & prophetæ vſque ad Ioannem, & ex eo regnũ dei euãgelizatur, & omnes in illud vim faciunt.) Non quia lex defecit, ſed quia incipit Euangelij prædicatio. Videntur enim minora comperi cùm potiora ſuccedunt. Et ideo vim faciamus regno cœlorum. Omnis enim qui vim facit, vehementi ſtudio properat, non torpenti lenteſcit affectu. Eſt ergo fidei religioſa violentia, ſegnitia criminoſa. Lex multa ſecundum naturam, vt naturalibus indulgentior deſideriis ad iuſtitiæ ſtudium nos reuocaret: Chriſtus naturam incidit, quia naturales quoque amputat voluptates: & ideo vim faciamus naturæ, vt non ad terrena demergat, ſed ad ſuperna ſe ſubrigat.

De lege coniugij, & vxore non dimittenda.

Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & ducit alteram mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.) Prius dicendum arbitror de lege coniugij, vt poſtea de prohibendo diuortio diſputemus. Quidam enim putant omne coniugium à deo eſſe maximè quia ſcriptum eſt: Quæ deus coniunxit, homo non ſeparet. Ergo ſi omne coniugium à deo eſt, omne coniugium non licet ſolui. Et quomodo Apoſtolus dixit: Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat? In quo mirabiliter & noluit apud Chriſtianos cauſam reſidere diuortij, & oſtendit non à deo omne coniugium. Neque enim Chriſtiani gentilibus dei iudicio copulantur, cùm lex prohibeat. Sed occurrit illud quod ait Salomon: Domum & ſubſtantiam patres partiuntur filiis, à deo autem præparabitur viro vxor. Quod qui in Græco legit, non putat eſſe contrariũ. Bene enim dixit Græcus ἁρμό ζεται. Harmonia enim, conueniẽs & apta rerum omnium dicitur cõmiſſa connexio. Harmonia eſt cùm fiſtulæ organi per ordinem copulatæ legitimæ tenent gratiam cantilenæ, chordarũmque aptus ſeruat ordo concordiam. Itaque non habent harmoniam ſuam nuptiæ, quando Chriſtiano viro gentilis mulier non legitimè copulatur. Ergo vbi nuptiæ, harmonia: vbi harmonia, deus iungit. Vbi harmonia non eſt, pugna atque diſſenſio eſt: quæ nõ eſt à deo, quia deus charitas eſt. No ſi ergo vxorem dimittere, ne deũ tuæ copulæ diffitearis author em. Etenim ſi alienos, multò magis vxorios debes tolerare, & emẽdare mores. Audi quid dixerit dominus: Qui dimittit mulierem, facit eam mœchari. Etenim cui non licet viuente viro mutare cõiugiũ, poteſt obrepere libido peccãdi. Itaque qui author erroris, etiam reus culpæ eſt. Quo cum paruulis fœta dimittitur? Quo titubanti veſtigio grandæua detruditur? Durum, ſi excludas parentem, pignora teneas: A vt ad cõtumeliam charitatis addas etiam pietatis iniuriam. Durius, ſi propter matrem etiã filios ſimul pellas, cùm magis redimere à patre liberi debeant culpam parentis. Quàm periculoſum ſi fragilem adoleſcentulæ ætatem errori offeras, quàm impium ſi eius deſtituas ſenectutem, cuius defloraueris iuuentutem? Ergo inhonoratum ſtipendiis & veteranum imperator dimittat ingloriũ, atque imperij ſui poſſeſſione detrudat, & ruſticũ laboris effœtum agro ſuo propulſet agricola? An quod in ſubditos nefas eſt, in comparẽ fas eſt? Dimittis ergo vxorem quaſi iure ſine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, ſed diuina prohibet. Qui hominibus obſequeris, deum verere. Audi legem domini, cui obſequuntur etiam qui leges ferũt: Quæ deus coniunxit, homo non ſeparet. Sed non ſolum hîc cœleſte præceptum, ſed quoddam etiam opus dei ſoluitur. Pateríſne oro liberos tuos viuẽte te eſſe ſub vitrico? aut incolumi matre degere ſub nouerca? Pone ſi repudiata nõ nubat: & hæc viuo viro tibi debuit diſplicere, cui adultero fidẽ ſeruat? Pone ſi nubat: neceſſitas illius tuum crimen eſt: & coniugium quod putas, adulterium eſt. Quid enim refert, vtrũ aperta criminis confeſſione, an mariti ſpecie adulterũ admittas †? niſi quod grauius eſt legem criminis feciſſe, quàm furtum? Sed fortaſſe dicit aliquis: Quomodo Moyſes mandauit dare librum repudij, & dimittere vxorem? Qui hoc dicit, Iudæus eſt: qui hoc dicit, Chriſtianus non eſt. Et ideo qui hoc obiicit quod obiectum eſt domino, reſpondeat ei dominus: Ad duritiam, inquit, cordis veſtri permiſit vobis Moyſes dare librum repudij, & dimittere vxores. ab initio autem non fuit ſic. Moyſes permiſit, inquit, non deus iuſſit. Ab initio autem dei lex eſt. Quæ eſt lex dei? Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt ambo in carne vna. Ergo qui dimittit vxorem, carnẽ ſuam ſcindit, diuidit corpus. Oſtendit autem hic locus, quæ propter fragilitatem humanam ſcripta ſunt, non à deo ſcripta. Vnde & Apoſtolus, Denuncio, inquit, nõ ego, ſed dominus, vxorem à viro non diſcedere. Et infra: Cæteris, inquit, ego C dico, non dominus: Si quis frater infidelem habet vxorem, Et reliqua. Itaque vbi eſt impar coniugium, lex dei non eſt. Et addidit: Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat. Simul hic idem Apoſtolus negauit * legis eſſe diuinæ coniugium qualecunque ſoluatur: nec ipſe præcepit, nec dedit deferendi authoritatẽ, ſed culpam abſtulit deſtituto. Hæc moraliter. Tamen quia ſupra propoſuit regnũ dei euangelizari, & cùm dixiſſet de lege vnum apicem non poſſe cadere, ſubiecit: Omnis qui dimittit vxorẽ ſuam, & ducit alteram, mœchatur. Rectè admonet Apoſtolus dicens: Sacramentum hoc magnũ eſt, ſed de Chriſto & eccleſia. Inueni igitur cõiugium quod nemo dubitet à deo iunctum, cùm ipſe dicat: Nemo venit ad me, niſi pater meus qui miſit me, attraxerit eum. Ille enim ſolus potuit has nuptias copulare. Et ideo myſticè Salomon dixit: A deo præparabitur viro vxor. Vir Chriſtus, vxor Eccleſia eſt. Charitate vxor, integritate virgo. Ergo quem deus traxit ad filium, nõ ſeparet perſecutio, non auertat luxuria, non philoſophia deprædetur, non Manichæus contaminet, non Arrianus auertat, nõ Sabellianus D inficiat. Deus iunxit, Iudæus non ſeparet. Adulteri ſunt omnes qui adulterare cupiunt fidei & ſapientiæ veritatem. Quis liber, inquit, iſte eſt repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam? Audiſti repudium, crede coniugium. Audiſti quid Iudæorũ plebi ipſe vir dicat: Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & peccatis veſtris dimiſi matrem veſtram. Mane ergo tu in domo patris, mane cum ſponſo, enitere vt placeas viro. Mens quæ credidiſti deo, eſto fortis mulier, qualis illa vel anima eccleſiaſtica, vel eccleſia, de qua dicit Salomon: Mulierem fortem quis inueniet? Precioſior autem eſt lapidibus precioſis, quæ talis eſt. Cõfidit in ea vir ſuus. Videamus quid hæc viro faciat ſuo, quod opus eius, quod ſit obſequium, cur confidat in ea Chriſtus. Bona vxor virum ſuum veſtit. Veſtiat Ieſum fides noſtra corpore ſuo: veſtiat carnem eius diuinitatis ſuæ gloria, ſicut & illa bina veſtimenta fecit viro ſuo, vt & in præſenti & in futuro ſeculo honorificet eum. Non mediocris hæc fœmina, cuius

Matth. 19.

† *adulteram dimittas, vel adulter admittas.*

Gene. 2.

1. Corin. 7.

* *in exemplari Victoriano, & Dionyſiano legitur, non negauit legi diuinæ.*

Ephe. 5.

Ioan. 6.

Prouer. 19.

Eſaiæ 50.

Ibidem.

Prou. 13.

tale textrinum est:quam non mollia lanæ fila carpẽtem, sed
precioſæ virtutis penſa tractantẽ vir eius inueniat, quæ ma-
nus extollat in noctibus,& ad librã dirigat opus, morúmq;
ſuorum pondus examinet,geſtorum quoq; nouerit ſeruare
menſuram,glorioſi ſubtegmẽ laboris intexens:ſolicita quã-
do vir redeat,anxia atque ſuſpirans,& iam cum viro ſuo eſ-
ſe deſiderans,dicens:Moras facit vir meus venire,feſtinabo
ipſa ad eum,occurram ei facie ad faciem,cùm venire cœpe-
rit in gloria ſua. Veni domine Ieſu,vt inuenias ſponſam tuã,
non contaminatam, non adulteratam : que non violauerit
domum tuam,non mandata neglexerit. Dicat tibi:Inueni
Cant.3. quem dilexit anima mea,introducat te in domum vini,(Vi-
num enim lætificat cor hominis)inebrietur ſpiritu, agno-
Pſalm. 103. ſcat myſterium,loquatur oraculum.

De diuite induto purpura & byſſo, & Lazaro mendico.

Homo autem quidã diues induebatur purpura,&c.) Nar-
ratio magis quàm parabola videtur,quãdo etiam
nomen exprimitur. Non ocioſè autem hîc diuitẽ
dominus perfunctum deliciis ſecularibus in per-
petuæ famis apud inferos conſtitutum ſignificauit ærum-
na. Cui non immeritò quinque fratres, id eſt, quinque ſen-
ſus corporis , naturali quadam germanitate videntur fuiſſe
ſociati,qui immodicis atque innumeris cupiditatibus eſtua-
bant. Lazarum verò in Abrahæ gremio quaſi in quodam ſi-
nu quietis & ſanctitatis receſſu locauit:ne illecti præſentiũ
voluptate maneamus in vitiis,vel tedio victi,laborum dura
fugiamus. Siue itaq; Lazar⁹ pauper in ſeculo, ſed deo diues,
ſiue apoſtolic⁹ aliquis pauper in verbo,locuples in fide,(ne-
que enim omnis ſancta paupertas,aut diuitię criminoſæ:ſed
vt luxuria infamat diuitias , ita paupertatem cõmendat ſan-
ctitas)ſiue ergo apoſtolicus qui verã teneat fidem , verborũ
infulas,fucum argumentorum, ambitioſa ſententiarum ve-
lamina non requirat:fœneratam mercedẽ accipit impugnãs
hæreticos. Manichæũ,Marcionẽ,Sabelliũ,Arriũ, Fotinúm-
que. Iſti enim non aliud quàm fratres ſunt Iudæorum, qui-
bus perfidiæ germanitate nectũtur. Reprimẽs quoque car-
nis cupiditates,quæ illis,vt dixi,quinq; ſenſibus vaporãtur:
fœneratam,inquam,mercedem accipit, cui cõpenſatio exu-
berantium copiarum,& perpetuitatis vſura eſt. Nec alienũ
putamus,vt de fide quoque opinemur hũc eſſe tractatũ,quã
Lazarus abiectã de mẽſa diuitis colligit:cuius vtique vlcera
ſecundum literam diues faſtidioſus horreret,nec inter pre-
cioſas epulas vnguentatóſque conuiuas fœtorem vlcerum
lambentibus canibus ſuſtineret, cui odor aëris, & ipſa eſſet
natura faſtidio:quanquã inſolentia & tumor diuitum indi-
ciis competentibus exprimatur,quòd ita cõditionis immemores humanæ ſint,vt tanquam ſupra naturam ſui,de miſe-
riis pauperum incentiua ſuarum capiant voluptatũ, rideant
inopem,inſultent egenti:& quorum miſereri deceat,his au-
ferant. Vtrũque ergo qui volet , tanquam Lazarus colligat.
Cui ſimilem illũ puto,qui ceſus ſepius à Iudęis,ad patientiã
credentium,& vocationẽ gentium,vlcera ſui corporis lam-
benda quibuſdam velut canibus offerebat , quia ſcriptũ eſt:
Pſalm. 58. Conuertentur ad veſperã,& famẽ patientur vt canes. Quod
agnouit Chananitis illa myſterium,cui dicitur: Nemo tollit
Matth. 15. panem filiorum,& mittit canibus. Agnouit hunc panẽ non
panem eſſe qui videtur,ſed illum qui intelligitur:&ideo re-
ſpondit: Vtique domine:nam & catelli edunt de micis quæ
cadunt de menſa dominorum ſuorum. Micæ iſtæ de illo pa-
ne ſunt. Et quia panis verbum eſt,& fides verbi eſt,micę ve-
lut quædam dogmata fidei ſunt . Vnde reſpondit dominus,
vt oſtenderet fideliter dictũ: O mulier,magna eſt fides tua.
O felicia vlcera,quæ perpetuum excludunt dolorem. O vbe-
res micæ,quæ repellitis ieiunium ſempiternum,quæ colli-
gentem pauperem æternis expletis alimentis. Abiiciebat
vos de menſa ſua archiſynagogus,cùm propheticarum ſcri-
pturarũ & legis interna myſteria refutaret. Micæ enim ſer-
† *myſteria.* mones † ſunt ſcripturarum,de quibus dicitur : Et proieciſti
Pſalm. 49. ſermones meos poſt te. Abiiciebat vos ſcriba,ſed Paulus di-
ligentiſſimè colligebat,iniuriis ſuis eligẽs plebem. Lambe-
bant vlcera eius , qui morſu ſerpentis intrepidum excuſſo
ſerpente viderunt, & crediderunt. Lambebat ille carceris
cuſtos,qui vulnera Pauli lauit , & credidit. Beati canes , in

quos vlcerũ talium diſtillat humor,vt adimpleat cor,& im-
piguet fauces eorũ : qui cuſtodire domum,ſeruare gregem,
cauere aſſueſcant lupos. Pone nunc ante conſpectum ſecu-
laribus Arrianos ſtudiis intentos , qui ſocietatem potentiæ
regalis affectant , vt armis militaribus impugnent eccleſiæ
veritatem. Nónne tibi videntur in quadam purpura & byſ-
ſo extructis iacentes thoris,qui pro veris fucata defendant,
ditibus abundare ſermonibus, cùm iactãt dominico terram
tremuiſſe ſub corpore,cœlum tenebris obductũ,excita ver-
bo maria vel ſedata,veruntamen dei filium denegantes:Cõ-
ſtitue & illum pauperem qui ſciens non in ſermone , ſed in
virtute regnũ dei eſſe , paucis quid ſentiret expreſſit dicens:
Tu es filius dei viui. Nónne illæ tibi videntur egere diuitiæ, Matth.16.
hæc redundare paupertas ? Diues hæreſis Euangelia multa
compoſuit,pauper fides hoc ſolum Euãgelium tenuit quod
accepit. Diues philoſophia plures ſibi deos fecit,pauper ec-
cleſia vnum deum nouit. Inter hunc igitur diuitem & pau-
perem chaos magnum eſt,quia poſt mortem nequeunt me-
rita mutari,eóque in inferno diues inducitur cupiẽs aliquid
de paupere ſpiritus * refrigerantis haurire. Aqua enim refe- * al.pauperis ſpiritus.
ctio eſt animæ in doloribus conſtitutæ , de qua dicit Eſaias: Eſaiæ 12.
Et ſalietaqua cum delectatione de fontibus ſaluatoris. Cur
autem cruciatur ante iudicium? Quia luxurioſo carere deli-
ciis,pœna eſt. Nam & domin⁹ dicit:Ibi erit fletus,& ſtridor
dẽtium, cùm videritis Abraham & Iſaac & Iacob & omnes
prophetas in regno cœlorum. Serus autem diues iſte magi-
ſter eſſe incipit,cùm iam nec diſcẽdi tempus habeat,nec do-
cendi. Quo loco euidentiſſimè declarat dominus,vetus te-
ſtamentum eſſe fidei firmamentum * retundens perfidiam * firmitatẽ.
Iudæorum , & excludens nequitias hæreticorum, à quibus
mens ſupplantatur infirmior. Ipſi enim puſilli ſunt,qui ad-
huc neſciunt incremẽta virtutis. Licet autẽ aduertere quòd
in villici illius ſuperiore, & iſtius diuitis præſenti compara-
tione incentiuũ miſericordiæ ſit. Et tibi fortaſſe ſanctis quos
amicos dicit , & quibus tabernacula tribuit , hic verò docet
pauperibus conferendum.

De venia largienda iis qui in nos peccauerint, & ſe ab errore conuerterint.

Caput XVII.

Si peccauerit in te frater tuus,increpa illum.) Quàm be-
ne poſt diuitem qui cruciatur in pœnis, ſubiecit
præceptũ veniæ largiendæ:his vtique qui ſe ab er-
rore conuertunt,ne quẽ deſperatio non reuocet à
culpa. Quàm verò moderat⁹ eſt,vt neq; difficilis venia, nec
remiſſa ſit indulgẽtia:ne quẽ vel auſtera percellat inuectio,
vel conniuẽtia inuitet ad culpam. Sic & alibi:Si peccauerit Matth.18.
in te frater tuus,vade & corripe eum inter te & ipſum. Plus
enim proficit amica correptio , q̃ accuſatio turbulenta. Illa
pudorem incutit,hæc indignationẽ mouet. Seruetur potius
quod prodi metuat qui monetur. Bonũ quippe eſt vt amicũ
magis te qui corripitur credat,quàm inimicũ. Facilius enim
conſiliis acquieſcitur,quàm iniuriæ ſuccũbitur. Vnde & A- 2.Theſſa.3.
poſtolus, Corripite,inquit,fratrẽ,vt erubeſcat,nõ vt inimi-
cũ eũ exiſtimetis. Infirmus enim cuſtos diuturnitatis eſt ti-
mor. Pudor autẽ bon⁹ magiſter officij. Qui enim metuit,re-
primitur,non emendatur:quem pudet facere,in naturã ver-
tit. Pulchrè autem poſuit:Si peccauerit in te:non enim equa ad Titũ 3.
conditio,in deum,hominémque peccare. Deniq; Apoſtolus
qui diuini eſt verus interpres oraculi,Hæreticũ,inquit,poſt
vnam correptionem deuita : quia non eſt æquè perfidia vt
culpa veniabilis. Et quoniã plerumque per imperitiã error
obrepit, corripiẽdum præcipit:vt aut pertinacia vitetur,aut
prolapſio corrigatur. Verum quid eſt,Si ſepties conuerſus
fuerit ad te,dimitte illi?Num venię numerus præfinitur?An
verò quia cum ſeptimo die requieuit deus ab omnibus ope-
ribus ſuis,poſt hebdomadam iſtius mundi quies nobis diu- † opera.
turna promittitur,vt quẽadmodũ mala iſtius mũdi feriata †
ceſſabunt,ita etiã vindictæ ſeueritas conquieſcat? Sabbatum
autẽ non ſolùm dierũ,ſed etiã menſium eſt. Et ideo ſeptimi
mẽſis decima die ſabbata ſabbatorũ, nec ſolùm menſiũ, ſed
annorũ quoque:nec annorum tãtummodo,ſed etiam gene-
rationum. Poſtremò ipſius mũdi,cuius typus eſt ſabbatum
magnũ : ſicut in lege eſt hebdomada ſeptima,poſtquàm ce-
lebratur annus Iubilæus. Quod myſterium nobis dominus
voluit

1757

uoluit reuelare cùm dixit: Non solùm septies, sed etiam septuagesies septies. Quia septima generatione, vt habes secùdum Lucam, Enoch raptus est, ne malitia mutaret cor eius: & in eo aculeus doloris quieuit. Septuagesima autem & septima generatione dominus natus ex Maria, humani generis in se peccata suscipiens remissionem tribuit omniù delictorum. Ergo quamuis secundum literam discas frequenter ignoscere, nec indignationē tenere, (nihil enim est quo possit offendi, cui ignoscendi est consuetudo) tamen agnosce mysterium. Neque enim ociosè sabbato dixit dominus mulieri: Dimissa es ab infirmitate tua: ostendens plebi suæ, quæ sicut mulier illa vocata sequeretur, aduentu suo se remisisse peccata. Septuagies itaque & septies Lamech condemnatur, quia grauius delinquit qui scelus dum punit, admittit. Omnem autem enormitatem sceleris baptismi sacramenta dimittunt. Disce ergo donare iniurias tuas, quia persecutoribus suis Christus ignouit. Nec illud ociosum quod sabbato passus est, magnum significans fore sabbatum quo mors destrueretur à Christo. Quòd si Iudæi sabbatū celebrant, vt & mensem & annum totum quasi sabbatū habeant, quanto magis nos resurrectionem domini celebrare debemus? Et ideo maiores tradiderunt nobis pentecostes omnes quinquaginta dies vt pascha celebrandos, quia octaua hebdomadis initium pentecosten facit. Vnde & Apostolus quasi Christi discipulus, qui sciret diuersitatem temporum, scribens ad Corinthios: Apud vos, inquit, forsitan manebo & hyemabo. Et infra: Manebo autē Ephesi vsque ad pentecosten. Ostium enim mihi apertū est magnum. Itaque apud Corinthios hyemem agit, quorum erroribus angebatur, quòd eorum circa dei cultum frigeret affectus. Cum Ephesiis pentecosten celebrat, atque his tradit mysteria, relaxat animum, quia fidei cernebat ardore feruentes. Ergo per hos quinquaginta dies ieiunium nescit ecclesia, sicut dominica qua dominus resurrexit, & sunt omnes dies tanquā dominica. Erit & alia dominica quā dominicum corpus resurgat. Nouit hanc Paulus qui ait: Vos autē estis corpus Christi, & membra ex membris. Hoc enim corpus domini, & ossa de ossibus eius capiti cohærebunt, caput autem ecclesiæ Christus. Tunc ergo cessabit ieiunium, quoniā in perpetua iocunditate fatigatio, cura, lassitudo cessabit. Tunc mors destruetur. Nouissima enim mors destruetur. Nā etsi cessauit in Enoch, & non est inuenta in eo, destructa tamen non est. Ille enim raptus est, vt euaderet: Christus vt destrueret immolatus est. Et ideo benedixit: Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Ergo in hac resurrectione iterum Christus tanquam suo resurget in corpore. Beatus itaq; qui habuerit partē in prima resurrectione. Sicut enim primitiæ dormientium Christus, sic tunc primitiæ resurgētium ecclesiæ sancti eius. Hoc mysterium Petrus scire non potuit. Fortasse scierit de Enoch: quis tamen potuit mysterium abscōditum in deo humana mente comprehendere? Veniat ergo dominus in animam meam, in mentem meam, atque eam subiiciat sibi, vt cùm subiecta mens fuerit mea, dicam: Non timebo mala, quoniam tu mecum es.

De virtute fidei per comparationem ad granum sinapis, & de obsequio quod iure domino debetur.

SI *habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: eradicare, & iactare in mare: & obaudiet vobis.*) De grano sinapis supra dictū est, nūc de arbore moro est disputandū. Arborem lego, non tamen arborē credo. Nam quæ ratio, qui profectus hic noster, vt arbor quæ laborantibus agricolis ferat fructus, eradicetur, & mittatur in mare? Licet hoc pro virtute fidei possibile iudicemus, vt sensibilibus imperiis natura insensibilis obsequatur: quid sibi vult tamen etiam ipsa arboris species? Legi quidē: Pastor erā caprarum vellicās mora. & puto prophetam significasse nobis quòd ex peccatorum grege peccator ipse conuersus sit: licet conueniat vt futurus propheta gētium fructum quæsisse videatur in sentibus, cibū ex sentibus eruisse, decolores & fœtidos greges gentiū populos nationum in suorū scriptorum pascuis locaturus, vt spiritali refectione pingueſcerent, ipse

A autē de peccatore conuerso lac spiritale mulgeret. Sed cùm in alio euangelij libro de monte sit dictum, cuius species nuda gignētium, vitium olearúmque ieiunia, infœcunda messibus, apta latibulis bestiarum, ferarúmque cursibus inquieta, extollentem se altitudinem nequitiæ spiritalis videatur exprimere, sicūt & scriptum est: Ecce ego ad te mons corrupte, qui corrumpis omnem terram: congruit vt hoc quoque loco opinemur, id dictum, quoniam fides spiritum excludit immundum, maximè cùm arboris natura huic concurrat opinioni. Nam fructus eius primò albet in flore, deinde iam formatus irrutilat, maturitate nigrescit. Diabolus quoq; ex albenti angelicæ flore naturæ & potestate rutilante præuaricatione deiectus, tetro inhorruit odore peccati. En tibi illud arbori moro dicentem, Eradicare, & iactare in mare. Cùm legionem eiicit ex homine in porcos transire permittit: qui exagitati diabolico spiritu se in maria demerserunt. Hic igitur locus hortatorius ad fidē, docens moraliter etiam ea quę solida sunt, fide posse dissolui. Ex fide autem charitas, ex charitate spes, & rursus in se sancto quodam circuitu refunduntur. Sequitur, vt nemo in operibus glorietur, quia iure domino debemus obsequium. Nam si tu non dicis seruo aranti, aut oues pascenti, Transi, recumbe (vbi intelligitur quia nullus recumbit, nisi antè transierit. Denique & Moyses antè transiuit, vt magnum visum videret.) Sicut ergo tu non solùm non dicis seruo tuo, Recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium, & gratias ei non agis: ita nec in te patitur dominus vnius vsum esse operis aut laboris, quia dum viuimus, debemus semper operari. Ergo agnosce te esse seruum plurimis obsequiis defœneratum. Non te præferas quia filius dei diceris, agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura. Neque te iactes si bene seruisti, quod facere debuisti. Obsequitur sol, obtemperat luna, seruiunt angeli. Vas gentium electus à domino, Non sum, inquit, dignus vocari apostolus, quia persecutus sum ecclesiam dei. Deinde alibi nullius se ostendens conscium culpæ, subiecit: Sed non in hoc iustificatus sum. Et nos ergo non à nobis laudem exigamus, nec præripiamus iudicium dei, & præueniamus sententiam iudicis, sed suo tempori, suo iudici reseruemus. Post hanc reprehenduntur ingrati, atque ita demum ad tractatum futuri iudicij venitur.

B

C

De eo quod in hora aduentus domini ad iudicium, qui in tecto est, non descendat, &c.

IN *illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa. Et qui in agro, similiter non redeat retrò. Memores estote vxoris Loth.*) Interrogatus à discipulis dominus quando veniret regnum dei, ait: *Regnum dei intra vos est.*) Vtique per veritatem gratiæ, non per seruitutem culpę. Itaq; qui vult esse liber, sit seruus in domino. Ea enim parte qua participamur seruituti, participamur & regno. Ait ergo: Regnum dei intra vos est.) Quādo autem veniret, noluit dicere, sed dixit iudicij diem esse venturum, vt terrorem † omnibus iudicij imminentis incuteret, nec securitatem dilationis afferret. Et ne videretur contristare discipulos si his aliquid negaret, ait in alio libro: De die autē & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque filius. Bene mediè posuit filium. Est enim idem filius hominis, filius dei: vt magis dictum secūdum filium hominis æstimemus, quia temporum finem nō per naturam hominis, sed per naturam dei nouit. Nec alienum tamen à fide est, si filium accipias dei. Quid enim est quod bonus pater filium celauerit, cui omnia dedit? Aut quomodo non dedit cognitionem temporis, cui dedit ipsius iudicij potestatem? Quomodo autē filius nescire potest quod pater nouit, cùm in patre filius sit: & spiritu scrutetur etiam alta dei, cùm ipse filius altitudo sit diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei? Sed cur nolit dicere, ostendit alio loco: Non est vestrum scire tempora & annos, quæ pater posuit in sua potestate. Videtis quò tendat qui trinitatem negat vnius potestatis, vt sit aliquid quod nesciat filius. Cur enim celaret filium proprium pater? Aut enim inuidiæ causa nolumus aliis intimare quod scimus, aut ne fortè prodamur. Sed nec inuidi in patrem, nec proditoris in filium suspicio

D

Hier. 51.

Luca 8.

2. Corin. 15.

1. Corin. 4.

† horrorem.

Matth. 24.

Rom. 11.

Actu. 1.

ſpicio cadit. Ergo vnius ſunt cognitiõis, quia vnius ſunt poteſtatis. Denique qui ſigna nouit futuri iudicij, vtiq; nouit & finem. Quid enim eſt quod neſciat ille ſicut fulgor coruſcans, eò quòd lux dei filij interna myſterij cœleſtis illuminet? In illa, inquit, hora.) Ergo & horã nouit: ſed nouit ſibi, mihi neſcit. Bene autem cauſam diluuij & incendij & iudicij de noſtris aſſerit prodiſſe peccatis, quia deus malum nõ creauit, ſed noſtra ſibi merita repererunt. Edebant enim & bibebant, vxores ducebant, & nubebant. Non quia cõiugia damnẽtur, neque alimenta damnentur: cùm in iſtis ſucceſſiones, in illis naturæ ſubſidia ſint: alioquin de hoc mundo eſt exeundum: Sed in omnibus modus quæritur: quicquid enim abundãtius, à malo eſt. Sit aliquis cõſenſus ad tẽpus, vt vacemus orationi, ſit aliqua inter ſolicitudines mũdi & intemperãtiæ crapulam ſobrietas religionis, & induciæ caſtitatis. Ergo quia propter improbos neceſſe eſt probi in hoc ſeculo contritionem cordis animíque patiantur, quo vberiorẽ mercedem accipiãt in futurum, remediis inſtruũtur: vt qui in Iudæa ſunt, fugiãt in montes. Quæ eſt iſta Iudæa? Noui enim & aliam Iudæam ſecundum ſpiritum, non ſecundum literam. Notus in Iudæa deus. Quales autem iſti mõtes qui poſſunt motum futuri cohibere iudicij, cùm ſcriptum ſit: Tremor ante te omnes occupabit, cœlum & terra tranſibunt? Quomodo terrarum portio manebit immunis, aut tueri me poterit, quæ nec ipſa ſe ſeruat? Vbi igitur me ab ira eius abſcondam, qui cõturbat profundum maris? Si aſcendero in cœlum, ibi eſt: ſi deſcendero in infernum, adeſt. Non ergo falli poteſt qui vbique eſt, ſed placari. Adeſt itaque iudicij dies. ſi vis non comprehendi, quotidie time, quotidie fuge. Quæris quomodo fugias? Aſcẽde in mõtem qui euãgelizas Sion. vt excelſorum vertice poſſis eminere meritorum. Deus enim montium, & nõ deus vallium eſt. Aſcende eò vbi Chriſtus ſedet ad dexteram dei, cuius fundamẽta in montibus ſanctis, & montes in circuitu eius. Mons tuus Paulus, mons tuus Petrus eſt. Supra illorum fidem mẽtis tuæ locato veſtigium. In lege dei atque hæreditate fidei conſtitutos iudicij dies nõ ad pœnam inuenit, ſed ad gloriam. Si quis etiam in tecto eſt poſitus, hoc eſt, ſuperiora iam domus ſuæ eminẽtiúmque virtutũ culmen aſcendit, ad terrena mundi huius opera non recidat. Noui enim tectum in quo Raab illa typo meretrix, myſterio eccleſia, ſacramentorum conſortio populis copulata gentilibus, exploratores quos Ieſus direxit, abſcondit: qui ſi ad inferiora deſcendiſſent domus, ab exploratoribus qui ad corripiẽdos eos miſſi fuerãt, occiſi eſſent. Tectum ergo ſublime eſt mẽtis officium, animæque faſtigium, quo nuda corporis operitur infirmitas. Vnde mihi videtur etiam paralyticus ille idcirco eſſe ſanatus, qui à quatuor iuuenibus dimiſſus è tecto eſt: quia quatuor adminiculo virtutum, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, atque iuſtitiæ ad pedes Chriſti alta quadam ſe ratione ſubiecit. Nihil enim excelſius humilitate, quæ tanquam ſuperior neſcit extolli, quia nemo id affectat quod intra ſe iudicat. Sed quoniã in iudicio verſamur, nõ digrediamur à tecto, ne dum vaſa quæ in domo ſunt cupimus auferre, capiamur. Non enim in omni domo ſunt vaſa aurea & argentea, ſed in pleriſque ſunt lignea: nec omnes domus plenæ: ſunt enim & vacuæ quas nouit propheta qui dixit: Quid factum eſt tibi nunc, quia aſcendiſti in domos vacuas, impleta eſt ciuitas clamantium? Et ſubiecit: Omnes principes tui fugerunt, quicunque in te vulnerati ſunt, & ad perfidiam de fide lapſi ſunt. Vulneratus eſt Sabellius, vulneratus eſt Valẽtinus, vulneratus eſt Arrius: in domo enim vacua ſunt reperti. Vis domum videre plenam? Sequere Petrũ, cùm eſuriret, ad domus ſuperiora gradientem: ibi agnouit myſterium eccleſiæ cõgregandæ, vt gentilem populum non iudicaret immundum, quem fides poſſet ab omni mundare contagione. Vaſa autem de luto ſunt. Ergo vas corpus eſt. Et ideo caue ne deſiderio corporis præclara mentis ſtudia derelinquas. Si petrus non accepit myſterium in inferioribus poſitus, tu quemadmodum accipies? Ille accepit, quia aſcendit vt euangelizaret dominum, paſſionem corporis non timeret. *Ergo qui in tecto eſt, non deſcendat: & qui in agro eſt, non reuertatur retrò.*) Vnde intelligam qui ſit ager, niſi ipſe me doceat Ieſus dicens: Nemo mittens manum in aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno cœlorum? Ocioſus in villa ſedet, laborioſus in agro ſeminat: debilis ad focum, fortis ad aratrum. Bonus odor agri. odor enim Iacob, odor agri pleni. Ager plenus eſt florũ, plenus eſt fructuum diuerſorum. Ara igitur agrum tuum, ſi vis dirigi ad dei regnum. Floreat tibi bonorum ſeges fœcunda meritorum. Sit vitis abundans in lateribus domus tuæ, & nouella oliuarũ in circuitu menſæ tuæ. Dicat anima tua Chriſto fertilitatis ſuæ conſcia, & ſeminata dei verbo, ſpiritalibus quoque inarata culturis: Veni frater meus, exeamus in agrum. Ille reſpondeat: Introiui in hortum meum ſoror mea ſponſa, vindemiaui myrrham meam. Quæ enim melior quàm fidei vindemia, qua reſurrectionis fructus recõditur, qua perpetuæ lætitiæ fons rigatur? Itaque cùm reſpicere prohibearis, multò magis redire prohiberis, & tollere tunicam. Compriſti enim quòd ei qui tunicam te petierit, remittere debeas & pallium. Ergo directus ad dei regnum, opes & patrimonium nõ requiras. Nouit & aliam ſcriptura tunicam, de qua nos hortatur Apoſtolus dicens: Vt expoliantes veterem hominem cum actibus eius, induti nouum, ſuperioris tunicam non requiramus erroris. Vnde & illa ait: Nocte exui me tunicam meam, quo modo induam eam? Quod non ſolum renunciare peccatis, ſed etiam memoriã omnem debeas actus ſuperioris abolere. Denique Paulus anteriora obliuiſcens, culpam exuit, pœnitentiam non omiſit. *Et ideo dominus, Memores, inquit, eſtote vxoris Loth.*) quæ ideo quia reſpexit retrò, perdidit naturæ ſuæ munus. Retrò enim Satanas, retrò Sodoma. Quapropter fuge intemperantiam, declinato luxuriam. Et vt cognoſcas quia non omnes poſſumus fugere in montem, recordare quia ille qui ſe à veteribus ſtudiis non reflexit (Sodomam enim antè delegerat) ideo euaſit, quia peruenit ad montem. Illa quæ infirmior fuit, quoniam ad poſteriora reſpexit, nec mariti adiuta ſuffragio ad montem peruenire potuit, ſed remanſit.

De duobus in vno lecto, & duabus molentibus in vnum, duobuſque in agro, quorum vnus aſſumetur, & alter relinquetur.

IN illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.) Bene noctem dixit, quia Antichriſtus hora tenebrarum eſt: eò quòd pectoribus hominum tenebras offundat, cùm dicat ſe eſſe Chriſtum, exurgentibus pſeudoprophetis qui aſſerant nunc in deſertis Ieſum degere, vt vagæ errore opinionis illudant: nunc in penetralibus, vt qui audierint, præcelſæ nomine poteſtatis arceantur. Chriſtus autem ſicut fulgur coruſcans per vniuerſum mundum luminis ſui globos ſpargit. Et ideo nec in deſertis vagatur, nec aliquibus locis clauditur, quia cœlum & terram ego impleo, dicit dominus. Sed luce fulgoris ſui fulget, vt in illa nocte reſurrectionis gloriam videre poſſimus. Quid igitur ſibi vult quod ait: *Duo in lecto vno, & duæ molentes, & duo in agro: vnus aſſumetur, & alter relinquetur?*) Nunquid iniquus deus, vt pares ſtudiis & ſocietate viuendi, atque indiſcreta actuum qualitate, meritorum remuneratione diſcernat? Non ita eſt, ſed pro actibus hominis, remunerationis eſt æqualitas†. Non ergo meritis hominum copulæ vſus exæquat. Nam & pater in filiũ, & filius in patrem ſtudio religionis inſurgunt: quia non omnes quod adoriuntur efficiunt: ſed qui perſeuerauerit in finem, hic ſaluus erit. Tum deinde non forenſe obſequium, ſed interiorem dominus rimatur affectum. Neque enim ſi iuſtè offeras, & non iuſtè diuidas, acceptum eſt ſacrificium deo. Ergo ex vno ſtrato (Eſt enim ſtratum infirmitatis humanæ, quia ſcriptum eſt: Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius) vnus relinquetur, alter aſſumetur. Qui aſſumitur, rapitur obuiam Chriſto in aëra: qui autem relinquitur, improbatur. *Duæ molentes in piſtrino.*) Senſus quidem eſt quòd hi ſignificari videantur, qui ex occultis alimenta quærant, & in apertum ex interioribus proferant. Sed tamen quid molant iſtæ mulieres, requirendum eſt. Niſi fortè quod legimus in Eſaia: Si offeratis ſimilaginem, vanum eſt: vt ſimilago & ſit quæ à molentibus offeratur. Diſcu-

Pſalm. 75. Luca 21. Pſalm. 131. Eſaia 40. 3 Reg. 20. Ioſue 2. Luca 9. Gen. 27. Pſalm. 127. Cantic. 7. Cantic. 5. Coloſ. 3. Cantic. 5. Hier. 23. † qualitas. Matth. 10. Pſalm. 49.

1761

Discutiamus ergo quæ molant, quídve molant, quódve pistrinum sit. Et fortasse mũdus iste pistrinũ est: in quo aptius reor quòd humani corporis forma referatur, in quo anima nostra velut quodam carcere includitur corporali, panem, si consulat boni, operatura † cœlestem. In hoc ergo pistrino vel synagoga, vel anima obnoxia delictis triticum molendo madefactum, & graui humore corruptum, nõ potest interiora ab exterioribus separare: & ideo relinquitur, quia eius similago displicuit. At verò sancta ecclesia, vel anima nullis maculata contagiis delictorum, quæ tale molit triticum quod solis æterni calore sit torridum, quod deus quemadmodum voluit sic vestiuit, & angeli ab omni purgamentorum labe mundarunt, bonam similaginẽ de penetralibus hominum deo offerens, sacrificij sui liba commendat. Nec solum molentes duæ, sed etiam operantes duo erunt in agro vno, è quibus assumetur vnus. Bonus seminator, qui non supra vias seminauerit, sed supra aratum & cultum solum, vt fructum humilitate pressum, non iactatione dispersum, terra multiplicet. Relinquitur autem seminator zizaniorum, ex quibus refutabilis similago conficitur. Qui sint autem isti agricolæ differentes, possumus reperire si aduertamus qua ratione duos νοῦς, hoc est duas mẽtes esse in nobis Apostolus dixerit. Fortasse enim ideo, quia altera exterioris est hominis, qui corrumpitur: altera interioris, qui per sacramẽta renouatur. Et eò ille fortasse deterior qui extollitur frustra inflatus mente carnis suæ, & non tenens caput, quà domini nostri Iesu Christi salutarium præceptorũ obseruatione declinat. Ipse enim caput omnium, qui author est omnium. Alter est ille præstabilior, qui humilitatem diligit, sapientiam quærit, misericordiam non omittit: bonus scilicet seminator. Dispersit enim, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Hic igitur spiritalis est, ille carnalis. Nam sicut verbis apostolicis comprehendimus illum extollentem se tumido animo seductorem mente carnis inflari, ita etiam sanctum virum renouari spiritu mentis ostendimus, dicente eodẽ: Renouamini autem spiritu mentis vestræ. Duas ergo mentes esse demonstrat, vnam quæ mens carnis efficitur victa peccato, alteram quæ spiritui copulata carnis abiurat illecebras. Nec solum duæ mentes, sed etiam duæ leges in nobis sunt: quarum vtranque nobis Apostolus explicuit dicens: Condelector enim legi dei secundum interiorẽ hominem. Video autem aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quę est in membris meis. Est ergo lex interioris hominis, est etiam exterioris. Illa quæ peccatum prohibet, ista quæ suadet. Illa quæ damnat errorem, ista quæ suggerit. Illa quæ mentẽ instruit, ista quæ tentat. Sunt etiam duæ aliæ vehemẽtiores in nobis leges, vna dei, altera peccati, secundum eundem magistrum qui ait: Igitur ego ipse mente seruio legi dei, carne autem legi peccati. Et ostenditur quòd si mentem tantummodo dicas, contrariam carni ostendas. Cùm enim dicit Paulus se legi dei mente seruire, vtique mentem per seipsam, nisi à carne vincatur, bonam esse demonstrat, & naturam ita creatã, vt resistat errori. Itaque cùm vincitur, mens carnis est: non ex natura habens sed ex carne quod habitur: & quasi in nomen proprietatémque victricis victa succedit. Natura autem aduersa carnis est. Denique mente deo seruimus, carne peccato. Melior autem mens erit, si cooperaria sancto spiritui religiosum nõ intermittat officium. Illæ sunt igitur operantes in agro nostro, quarum altera bonum fructum diligẽtia dat, altera amittit incuria: quam sanguinem legislator appellat, dicẽs: Anima omnis carnis, sanguis eius. Quò plerique referunt etiam illud quod scriptum est: Non manducabis carnem in sanguine. ne vulneribus animæ cruentatas corporis voluptates, refectionis potius loco quàm reatũ sanguinis æstimemus, quos oportet dei verbo reficí. Est ergo cibus refectionis, est cibus sanguinis. Sicut enim caro domini verè est cibus, ita sanguis verè noster est potus. Bonam ergo de nostris operibus escam domino suggeramus, ne rursus cùm venerit, & sicut in illa ficu pomum non inuenerit, nostrorum meritorum infœcunditate ieiunus propositum pietatis auertat, dicẽs ad illam animam quam nudam pomorum repererit, & sanguine cruentatam,

A Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Est ergo anima carnis omnis, sanguis eius. Est etiam prestabilior anima, de qua dixit deus: Omnes animæ meæ sunt. sicut anima patris ita etiam anima filij mea est. Nec illud prætereat, vt duos populos interpretemur, id est, quòd in hoc mũdo, qui agro frequentissimè comparatur, duo populi sint, vnus credentium, alter qui non credit, relaturi meritorum vicẽ suorum: & ideo alter qui fidelis est, assumatur: alter qui infidelis, relinquatur. Duæ autẽ illæ molẽtes, duæ animæ, vel certè ecclesia atque synagoga. Non enim vna tantũm figura, sed multiplex in diuinis scripturis esse consueuit, vt vnus sermo plures species comprehendat. Itaque mens carnis, & anima carnis, & synagoga, idem triticum colligunt, & eam similaginem molunt, quæ offertur in vanum. Mens autẽ quæ coniuncta est animæ, & anima quæ receptrix est salutaris verbi vel ecclesia dei, excolunt & molunt verè legis similaginem spiritalem, vnde etiam panes propositionis fiunt, quos soli sacerdotes edunt, quibus puriorem panem manducare præscriptum est, illum vtique qui descẽdit de cœlo. Omnes autem sumus, si merita nostra patiantur, iustitiæ sacerdotes, qui vnctione lætitiæ in regnum & sacerdotium consecramur. Ergo ita exerceamus & colamus agrum nostrum in istius culturæ munere constituti, vt in illa superiore Hierusalẽ vbi legis custodia vera celebratur, habeamus similaginem de manipulis nostris, quos beati qui potuerint congregare, vt venientes venient in exultatione tollentes manipulos suos. Isti igitur fructus sunt spiritales, & felices veri prouentus laboris qui nullo inutili imbre madefiant. Fructus autem carnis corruptelæ obnoxius: & ideo qui carnalia seminauerit, carnalia metet. De agro verò quid dicam, cùm manifestum sit in opere cultoris vel laudẽ esse vel culpam? *Et respondentes dixerunt: Vbi domine?* Hoc discipuli locuti sunt: dominus aũt vbi prẽmonuit & quo fugiendum, & vbi commorandum, & quid esset cauẽdum, complexus est summam definitione generali, dicens: *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ.*) Itaq; prius quæ sint aquilę coniiciamus, vt quod sit corpus definiamus. Iustorum enim animæ aquilis comparantur, quòd alta petant, humilia derelinquãt, longæuam ducere ferãtur ætatem. Vnde & Dauid animæ suæ dicit: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Si igitur intelleximus aquilas, de corpore iam dubitare non possumus, maximè si meminerimus quòd à Pilato Ioseph corpus acceperit: Nónne tibi videntur aquilæ circa corpus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene, & Maria mater domini, apostolorúmq; conuentus circa domini sepulturam? Nónne tibi videntur aquilæ circa corpus, quãdo veniet in illa die cum intelligibilibus nubibus filius hominis, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt? Est etiam corpus de quo dictũ est: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Circa hoc corpus veræ aquilæ sunt, quæ alis circumuolant spiritalibus. Sunt & circa corpus aquilæ quæ credunt Iesum in carne veniſſe, quia omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne veniſſe, de deo est. Vbi ergo fides, ibi sacramẽtum, ibi diuersorium sanctitatis est. Est etiam corpus ecclesia, in qua per baptismi gratiam renouamur spiritu, & occidua senectutis in rediuiuas reparantur ætates.

Exech. 18.

2. Corin. 9.

Psalm. 102.

Ioan. 19.

Apoc. 1.

Ioan. 6.

De permittendis pueris venire ad Christum, & simplicitate puerili sectanda.

Caput XVIII.

Sinite pueros venire ad me, & nolite eos prohibere, talium est enim regnum dei. Amen dico vobis, quicunque non receperit regnum dei sicut puer, non intrabit in illud.) At quia ætas hæc infirma est viribus, inualida ingenio, immatura consilio: non ergo ætas præfertur ætati, alioquin obesset adolescere. Quid votis opus est vt æui maturitas consequatur, si mihi meritum regni demptura cœlestis est? Ergo deus vitæ processum ad vitia dedit, non ad incrementa virtutis? Et cur ipse apostolos non puerilis, sed prouectioris ætatis elegit? Cur autem pueros aptos regno dicit esse cœlorum? Fortasse quia malitiam nesciant, fraudare non nouerint, referire non audeant, scrutari ignorent opes, honorem ambitionémque non appetãt.

Sed

Sed non ignorare ista virtus est, sed contemnere: nec continentiæ laus, vbi infirmitatis integritas. Non igitur pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur. Non enim virtus est non posse peccare, sed nolle: atque ita tenere perseuerantiam voluntatis, vt voluntas infantiam, vsus imitetur naturam. Denique ipse hoc saluator expressit, dicens: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnum cœlorum. Quis est ergo puer imitandus apostolis Christi? num vnus ex patuulis? Hæc igitur virtus apostolorũ. Quis ergo puer? Ne fortè ille de quo Esaias dicit: Puer natꝰ est nobis, filius datus est nobis? Ipse enim tibi puer dixit: Tolle crucem tuã, & sequere me. Et vt agnoscas puerum: Cùm malediceretur, non remaledixit: cùm percuteretur, non repercussit. Hæc est enim perfecta virtus. Itaq; & in pueritia est quædam venerabilis morum senectus, & in senectute innocens pueritia. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, nec numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis via immaculata. Vnde & scriptum est: Laudate pueri dominum, laudate nomen domini: quia nemo nisi perfectus laudat dominum. Nemo enim dicit dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Quod videtur de ecclesiæ populo propheratum, qui iunior seniorem populum Iudæorum virtutis studiis anteiuit. Et ideo illud: Ecce ego & pueri mei quos dedisti mihi. Isti sunt pueri qui dominæ pullo asinæ superuectum propheticis vocibus prosequentes, redemptionem gentium venisse dicebant. Isti sunt pueri vel infantes qui Christi illa vbera super virum hausto pleniore suxerũt. Ex ore enim infantium & lactentium perfecisti laudem. Durum itaque aliquibus & immite videri potest quòd discipuli ad dominum infantulos adire prohibebant, nisi vel mysterium intelligas, vel affectum. Neque enim inuidæ in pueros mentis asperitate faciebant, sed sedulæ seruitutis obsequia domino deferebant, ne comprimeretur à turbis. Denique alibi scriptum est: Magister comprimunt te turbæ. Respuenda quippe est vtilitas nostra, vbi diuinitatis iniuria est. Ergo fugiamus superbiã, sequamur puerilem simplicitatem, quia veritas aduersaria superbiæ, simplicitas autem concurrens veritati, in ipsa humilitate sublimis. Non enim in abiecto corde habitat deus, sed sicut tradiderunt nobis prophetæ, thronus virtutis exaltatus est, in eo scilicet cuius eleuatur sapientia ad altitudinẽ veritatis. Nec sicut Cain fraterna specie dolum percussoris abscondat, sed foris intraque sit frater. Hæc in affectu. In mysterio autem, quia prius saluari populum Iudæorum, ex quo & secundum carnem nati fuerant, gestiebant. Sed pro Chananæa muliere supplicarunt. Sciebãt ergo mysterium, quòd vtrisque populis vocatio deberetur, sed fortasse adhuc ordinem nesciebant. Nunc distantiam intende verborum. Vbi ad se infantes accedere iubet, vt eos vel prædicatione vel manuum impositione benediceret, pueros appellat, vbi præcipit non scandalizandos, pusillos appellat. Non enim scandalizantur qui tanguntur à Christo, non labuntur qui Christo propinquãt. Sed labũtur illi quos pusillos nõ ætatis exiguitas, sed virtutis pusillitas fecit. Simul etiam docet infirmos non esse tentandos, ne in nos eorum delicta vertãtur, quorum preces ad dominum, etsi ipsi virtutum meritis infirmi sint, angelorum tamen patrociniis euehũtur. Nemo ergo irrideat pauperem, quia exacerbat illum qui fecit eũ. Nemo tentet inualidum, ne angelos lædat. Nemo præcipitet infirmum, ne soluat beneficium redemptoris. Et ideo dixit: Vę huic mundo ab scandalis: quia crucem domini plerique scandalum iudicarunt, cùm dominicæ humilitas passionis nostræ sit sacramentum salutis: vt adoriamur virtutis officium, sumamus humilitatis exemplum. Væ igitur ei qui in crucem domini non crediderit, qua scãdalizãtur infirmi. Expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. In diuinis quidem scripturis non verborum seriem, sed rerum pondus examinare debemus. Plus enim proficit ad reprimenda peccata, inauditi generis atque deformis beluina quædam pompa supplicij. Tamen ne cui hinc quoque scandalum generetur infirmo, non ociosè simul positum putamus, molam asinariam, collum hominis, profundum maris. Etenim cùm asini typum

Esa. 9. *Matth. 16.* *1. Petr. 2.*

Sapien. 4.

Psalm. 112.

1. Corin. 12.

Esaiæ 8.

Psalm. 8.

Luc. 8.

Matth. 15.

Matth. 18. *Ibidem.*

populus gentilis acceperit, nónne tibi videtur tãquam molam asinariam voluere quandiu in imperitiæ suę errore versatur naturæ quidem vinculis alligatus, vt verbum emolat, deum quærat: sed opertæ mẽtis cæcitate suffusus, vt vultum animi erigere ad deum, & oculos cordis aperire non nouerit? Et ideo sine vlla cursus alacritate vestigiis in se sæpe redeuntibus inuitus vsui laborat alieno. Tamen qui molam voluit, consummandi aliquando finem operis habet, & exuendæ spem gerit cæcitatis. Cui verò mola ad collum suspenditur, portat lapidem, qui portare domini iugum recusauit. Asinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, gentilis ad saxum, qui adorat eum quem non videt nec agnoscit. Deus enim non in manufactis habitat, nec in saxo agnoscitur, sed in spiritu. Vterque igitur populus & gẽtilis & Iudæus pompa quadam sermonis huius exponitur, sed vehementior in Iudæos pœna decernitur. Gentilium enim memoria seculi istius fluctibus obruetur: & cœno mundi huius abolebitur, qui inter ea quæ non sunt, esse voluerunt, & alienati à scientia dei, tãquam in profundum maris mersi sunt. At verò Iudæi per patriarchas assumpti, circuncisione signati, per legẽ eruditi, non tanquam ignoti peribunt, sed tanquam sacrilegi punientur. Etenim Athenien sibus ignotus deus, in Iudea notus, sed non receptus. Et ideo qui ignorat, ignorabitur: qui præuaricatur, damnabitur. Nec ille exutus à culpa, qui suum nescisuit authorem: & ille exutus à venia, qui dominũ non recepit. Tolerabilius tamen est fidem non detulisse Christo, quàm manus intulisse.

Act. 17.

1. Cor. 14.

De responsione Iesu ad interrogationem cuiusdam principis, qua asserit neminem esse bonum nisi solum deum.

INterrogauit autem eum quidam princeps dicens: Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo? Dicit autem ei Iesus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus deus.) Versuta interrogatio, & ideo arguta responsio. Tentator enim princeps iste magistrum bonum dixit, qui deum bonum dicere debuisset. Nam licet & in diuinitate bonitas sit, & in bonitate diuinitas (nemo enim bonus nisi solus deus, omnis autem homo mendax: quicquid autem mendax, vtique non bonum) tamen addendo, magister bone, in portione bonum dixit, non in vniuersitate. Nam deus vniuersitate bonus, homo ex parte. Propterea dominus, Quid me dicis bonum, quem negas deum? Quid bonum dicis, cùm bonus nemo nisi vnus deus? Non ergo bonum se negat, sed deum signat. Bonus enim quid est nisi plenus bonitatis? At verò cùm scriptum sit: Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum: vtique de hominibus non de deo dixit. Deus enim vnus est, non vnus è numero: Ita & dei filius quasi vnicus exceptus est, non quasi vnus ex multis: & vnigenitus est, non vnus ex genitis. Et ideo nemo bonus nõ præiudicat Christo, quia nemo iudicat Christum. Nemo enim tanquam communiter de nobis dicitur, sed nihil Christo commune nobiscum. Quòd siquidem mouet, quia nemo bonus nisi vnus deus: moueat & illud, quia nemo bonus nisi deus. Quòd si à deo filius non excipitur, vtique nec à bono Christus excipitur. Sed cùm in deo filius persona alter, potestate vnus sit: Vnus enim deus, ex quo omnia: & vnus dominus, per quem omnia: deus autem & dominus non duo dij, sed vnus deus sit, quia dominus deus tuus deus vnus est: vtique cùm secundum maiestatem deus vnus in vtraque persona sit, & bonus vnus in vtroque est. Nam quomodo non bonus, ex bono natus? Arbor enim bona bonos fructus facit. Quomodo non bonus, cùm bonitatis substantia assumpta ex patre non degenerarit in filio, quæ non degenerauit in spiritu? Et ideo, Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam. Quòd si bonus spiritus qui accepit ex filio, bonus vtique & ille qui tradidit. Et cùm bonus pater, vtique & ille bonus qui omnia habet quæ pater habet. Aut si negatis filium habere bonitatem, negatis & patrem. Ratio euidens exemplis non eget, tamen vel auctoritatem sequimini scripturarũ. Scriptum est enim: Dominus iudex bonus domui Israel. De filio an de patre dicitur? Sed pater non iudicat quenquam, quia omne iudicium dedit filio. Ergo dominus bonus filius. Accipe aliud. Tri-

Psalm. 118.

1. Corin. 8. *Deut. 6.*

Matth. 7.

Psalm. 140.

Ioan. 5.

1765

nitatem vtique confitentur qui ad baptiſmum veniunt, quia baptizantur in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Ergo & patri & filio & ſpiritui ſancto confitentur. Cùm ergo dicitur, Cõfitemini domino quoniam bonus, bonus vtiq; pater, bonus & filius, bonus & ſpiritus ſanctus, ſed deus vnus eſt. Et quia bonus dominus expectantibus eum. An non bonus, qui bona tribuit animæ quærenti eum? An non bonus, qui lætat in bonis animam tuam? An nõ bonus, qui ait: Ego ſum paſtor bonus? Sed putatis ideo deum bonũ, quia iudicium non habet, in quo eſt neceſſitas vindicãdi. Quanquam iam præmiſſum ſit iudicem bonum eſſe domui Iſrael, tamen alibi habes: Quàm bonus deus Iſrael rectis corde. De quo igitur putatis dictum? de patre, an de filio? Si de patre, ergo non omnibus bonus. Cur igitur filio derogatis? Si de filio, ergo bonum deum & filium confitemini. Ipſe eſt enim benedictus deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Ipſe eſt rex & deus Iſrael, cui dicitur: Rabbi, tu es filius dei, tu es rex Iſrael. Sic igitur huic dicit: Quoniam tu bonum me non potes ſentire qui tentas, quid me dicis bonum? Bonus quidem ego, ſed rectis corde, cui bonum eſſe ex natura ſuppetat, non ex verſutia. Bonus ergo filius. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula dei maieſtatis, & imago bonitatis illius. Quomodo ergo non bonus, qui eſt imago bonitatis? Sicut enim imago dei deus, ſed vnus deus: ita & diuinæ imago bonitatis bona, ſed vna bonitas. Mihi certè vtile eſt bonum deum credere, quem meum habiturus ſum iudicem delictorũ. illi viderint qui credere bonum nolunt. Itaque quia legiſperitus eſt iſte qui tentat, ſicut in libro alio demonſtratur, bene dixit: Nemo bonus, niſi vnus deus. vt admoneret quia ſcriptum eſt: Non tentabis dominum deum tuum. ſed magis confiteretur domino, quoniam bonus. Denique eum ſæpe perſtringit. Nam glorianti in lege quòd à iuuentute ſua omnia cuſtodiſſet, vt inanem iactantiam eius exponeret, oſtendit ei adhuc deeſſe quod legis eſt. Et ideo ad miſericordiæ præceptum triſtis inducitur, vt in eum naturalis quædam detur forma ſententiæ.

Dei quòd facilius eſt camelum tranſire per foramen acus, quàm diuitem in regnum dei.

Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum dei.) Magna vis, magnum pondus in verbis. Quibus enim verbis aliis vehementius exprimeret, non debere iactare ſe diuitem in diuitiis ſuis, quàm talibus quibus definitur contra naturam eſſe diues miſericors? Aufer mihi lenocinia fucúmque verborum, quæ ſolent eneruare ſententias. iactari † iſte non debuit, ſed frangi, qui miſericordiam reſpuebat. Tamen ſi quos verborum magis ornamenta, quàm ſenſus virilis naturalis quidam habitus & forma delectant, quod boni faciunt petitores in vxore ducenda, vt mores diſcutiant, non decorem, nec aſpectus offenſione reuocentur, cùm virtute animi prouocantur: hi quoque in verbis myſterium quærant, quod eſt mens quædam & anima verborũ, nec in myſterio verba diſcutiant. Camelus ergo in typo populus gentilis accipitur, quem leo ille quærens quem deuoret, onustum theſauro propheticis agit affatibus in deſertum. In tribulatione enim & anguſtia leo & catulus leonis, aſpides & progenies aſpidum volantium ferebant, in aſinis & camelis diuitias ſuas. Et bene camelus pro gentili figuratus eſt populo, quia ſuperſtitionis deformitate degenerans prius quam crederet populus nationum, beluinæ ſpeciem fœditatis, abſurda veſtigia, ora turpia præferebat. Facilius igitur iſte peccator per viam intrauit anguſtam, quæ eſt via Chriſti, qui proprij corporis paſſione mortis penetrans viam, velut acu redintegrauit ſciſſa quædam noſtræ veſtimenta naturæ, quàm populus Iudæorum diues in lege, egenus in fide, præceps in furore, probroſus in crimine. Poteſt etiam moraliter de omni intelligi peccatore, & de arrogante diuite. Nonne tibi videtur publicanus ille oneratus ſuorum contagia delictorum, cùm oculos ad deum non auderet attollere, velut quidam camelus in foramen acus confeſſionis ſuæ remediis facilius introire, quàm Phariſæus ille in reprobum dei, arrogans in prece, iactans innocentiæ, præſumptor glorię, exprobrator miſericordię, prædicator ſui, criminator alieni, qui magis cõueniret dominum quàm rogaret? Si quis igitur horret camelum, horreſcat eum qui factis fœdior ſit camelo.

De honorandis parentibus atque paſcendis.

Honora patrem tuum, & matrem.) Pulchrè mihi hodie legitur legis exordium, quando mei natalis eſt ſacerdotij. Quotannis enim quaſi deintegro videtur incipere ſacerdotium, quando temporum renouatur ætate. Bonum etiam quod legitur. Honora patrem & matrem. Vos enim mihi eſtis parentes, qui ſacerdotium detuliſtis. Vos, inquam, filij vel parentes, filij ſinguli, vniuerſi parentes. Libenter enim meos dixerim vos vel liberos, vel parentes, qui verbum dei auditis & facitis. Filios, quia ſcriptum eſt: Venite filij audite me. Parentes, quia ipſe dominus dixit: Quæ mihi mater aut fratres? Mater & fratres mei hi ſunt, qui audiunt verbum dei & faciunt. Bene ergo lex quæ præmiſerat, Diliges dominum deum tuum, & diliges proximum tuum ſubiecit: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Primus enim gradus iſte pietatis eſt. Namque hos authores tibi eſſe voluit deus. Honora obſequiis, vt abſtineas à contumeliis, quia ne vultu quidem lædenda pietas eſt parentum. Sed parum eſt non lædere, quia lex proſpexit ne patiantur iniuriam. Qui enim maledixerit patri, vel matri, morte morietur. tu honora, vt bonus ſis. Aliud eſt legis beneficium: aliud pietatis officium. Honora tuos, quia ſuos dei filius honorauit. Legiſti enim, Et erat ſubditus illis. Si deus ſeruulis, quemadmodum tu parentibus? Honorabat igitur Ioſeph & Mariam Chriſtus, non naturæ debito, ſed pietatis officio. Honorabat & patrem deum, quemadmodum nemo potuit honorare, vt eſſet obediẽs vſque ad mortem. Honora ergo & tu parentes. Eſt autem honor non ſolum honorificẽtiæ, ſed etiam largitatis. Viduas honora, quæ veræ viduæ ſunt. Honor enim eſt deferre pro meritis. Paſce patrem tuum, paſce matrem tuam. Etſi paueris matrem, adhuc nõ reddidiſti dolores, non reddidiſti cruciatus quos pro te paſſa eſt, non reddidiſti obſequia quibus te illa geſtauit, non reddidiſti alimenta quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis vbera: non reddidiſti famem quã pro te illa toleranit: ne quid quod tibi noxiũ eſſet, ederet: ne quid quid lacti noceret, hauriret. Tibi illa ieiunauit, tibi manducauit: tibi illa quem voluit cibum non accepit: tibi quem noluit cibum ſumpſit: tibi vigilauit: tibi fleuit, & tu illam egere pateris? O fili quantum tibi ſumes iudicium, ſi non paſcas parentem. Illi debes quod habes, cui debes quod es. Quantum iudicium, ſi paſcat eccleſia quos tu nolis paſcere. Si quis fidelis, inquit, aut ſi qua fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis vt non grauetur eccleſia, vt his quę veræ viduæ ſunt, ſufficiat. Hoc de extraneis. Quid de parentibus? Non ocioſè diximus proximè, quia nos matris querela perſtrinxit, ſed maluimus eum qui talis eſt publicè monere, quàm domeſticè coercere. Et ſi noſtra voce non proditur, vel ſuo tamen erubeſcat affectu. Ne commiſeris fili vt parentes tuos aliorum fames paſcat: ne commiſeris fili vt ieiunia pauperum parentibus tuis cibum quærãt. Si non propter gratiam & ſalutem, propter verecundiam, paſce. Vel tu filia, non pudet ſi te ingrediente in eccleſiam, alienis manus ſuas anus mater extẽdat, & prætermiſſa filia de extraneis ſtipem poſcat, cùm tu tranſeas ſublimi collo, & nutibus oculorum, trahẽs veſtem, habẽs inaures & dextralia & annulos, & reliqua quæ Eſaias dicit? Quod ſi in te ſermonem ſuum vertat repoſcens naturæ debitum, nutrimentorum precium: manus tuæ quod generatrici debeant officium, quid reſpondebis? Dabíſne aliis? Quid ſi tibi obiiciant, Vade, prius matrem tuam paſce? Nam etſi pauperes ſunt, impiam tamen nõ quærunt collationem. Nónne audiſti ſupra, quia diues ille in byſſo & purpura recubans, cuius de mẽſa micas Lazarus colligebat, pœnis cruciatur æternis, quia pauperi non impartiuit alimenta? Si non donaſſe extraneis, graue eſt: quãto grauius excludere parentes? Sed dicis quod eras parentibus collaturus, eccleſiæ malle conferre. Non quærit donum deus de fame parentũ. Vnde reprehendentibus Iudæis quia diſcipuli domini manus non lauarent, reſpondit Ieſus: Quicunque dixerit, Munus quod-

Pſalm. 33. Matth. 12. Leuit. 20. Luc. 2. Philip. 2. 1. Tim. 5. Luc. 16. Matth. 15.

quodcunque est ex me, tibi proderit, non honorificabit patrem aut matrem. Quod propter obscuritatem sensus non imprudenter defleximus: nam Iudæi dum hominum traditionem sequuntur, dei negligunt. Discipuli traditionem dei præferentes, hominum negligebant, vt manus non lauarent cùm panem manducarent: quoniam qui lotus est totus, non habet necesse vt manus lauet. Lauerat eos Iesus, lauacrum aliud non quærebant. Vno enim Christus baptismate omnia soluit baptismata. Itaq; quem lauerit ecclesia, non habet necesse iterũ lauare. Ergo mysterio intendebant discipuli, non sui mundiciam corporis, sed animæ requirentes. Hoc reprehendebant Iudæi, sed argutè redarguuntur à domino, quòd inania obseruent, profutura despiciãt. Et ideo illis dicit: Vos quare dicitis patri aut matri, quos lex præcepit honorari, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, id est, cùm petat aliquid assumptum egens pater aut mater à filio, quia legem timens, excusationem non dandi requirit, dicere solet: Munus est quod ex me tibi proderit, vt dicatam deo pecuniam pater religiosus accipere formidet. Sed hæc traditio hominum, excusationes obtexẽtium auaritię suæ. Cæterùm dei traditio est vt prius pascas parentes. Nam si iuxta diuinum oraculum contumelia parentis morte luitur, quanto magis fames quæ morte grauior est? Quo loco insolentem dominus infrænat iactantiam. Multi enim, vt prædicẽtur ab hominibus, ecclesiæ conferunt quæ suis auferunt: cùm misericordia à domestico progredi debeat pietatis officio. Da ergo prius parenti, da etiam pauperi, da illi presbytero quod tibi abundat terrenum, vt ab illo accipias spiritale quod tibi deest. Etenim qui honorat, honorabitur. Vide ergo quia ille cùm accipit tradit: & accipit non quasi inops, sed quasi remuneraturus maiore mensura. Da pauperi in requiẽ eius, vt & tu cõmunicans de tuo inopi requiem consequaris. Sed vt pascẽdos scriptura dicit parentes, ita propter deum relinquendos parentes, si impediant deuotæ mentis affectum.

De illuminatione cæci, & vocatione Zacchæi.

Caput XVIII. & XIX.

Factum est autem cùm appropinquasset Hiericho, quidam cæcus sedebat secus viam.) In libro secundum Matthæum, duo cæci inducuntur, hîc vnus. Ibi egrediente Hiericho, hîc appropinquante. Sed nulla † distantia. Num cùm in hoc vno typus populi gentilis sit, qui sacramento dominico recepit amissi luminis claritatem, nihil interest vtrum in vno medicinam, an in duobus accipiat, quoniam ex Cham & Iaphet Noë filiis originem ducens in duobus cæcis duos generis sui prætendebat authores. Quod videtur etiam Lucas nõ omisisse, cùm Zacchæum subiicit, qui statura pusillus, hoc est, nulla nobilitatis ingenitæ dignitate sublimis, exiguus meritis, sicut populus nationum, audito domini saluatoris aduentu, quem sui non receperant, videre cupiebat. Sed nemo facilè Iesum videt, nemo potest Iesum videre constitutus in terra. Et quia non prophetas, non alibi regnum habebat, tanquam formæ gratiam naturalis ascendit in sycomorum, vanitatem scilicet Iudæorum vestigio suo proterens, errata quoque corrigens superioris ætatis: & ideo Iesum interioris domus recepit hospitio. Et bene ascendit in arborem, vt arbor bona bonos fructus faceret ac naturali excisus oleastro, & cõtra naturam insertus in bonam oliuam, fructũ posset legis afferre. Radix enim sancta, etsi rami inutiles, quorum infructuosam gloriam plebs gentium fide resurrectionis quasi quadã corporis eleuatione transcendit. *Et ecce vir nomine Zacchæus.*) Zacchæus in sycomoro, cæcus in via. Quorum alterum dominus miseraturus expectat, alterum mansionis suæ claritate nobilitat. Alterum sanaturus interrogat, apud alterum se non inuitatus inuitat. Sciebat enim vberem hospitij sui esse mercedem. Sed tamen etsi nõdum vocem inuitantis audierat, iam viderat affectum. Verum ne cæcum illum tanquam fastidiosi pauperum citò reliquisse videamur, & transisse ad diuitem: expectemus eum, quia expectauit & dominus: interrogemus eum, quia interrogauit & Christus. Nos interrogemus, quia nescimus: ille, quia nouerat. Nos interrogemus, vt sciamus vnde iste curatus sit: ille interrogauit, vt in vno plures disceremus vnde dominum videre mereamur.

† *discrepantia.*

Matth. 20.

Roman. 11.

Interrogauit vt crederemus, nisi confitentem non posse sanari. *Et confestim*, inquit, *vidit, & sequebatur eum magnificans dominum, & perambulabat Hiericho.*) Aliter enim non videret, nisi sequeretur Christum, nisi dominum prædicaret, & nisi seculum præteriret. Cum diuitibus quoque in gratiam reuertamur: nolum⁹ enim offendere diuites, qui volumus, si fieri potest, sanare omnes, ne in cameli cõparatione perstricti, in Zacchæo citius quàm oportuit derelicti, iustæ haberent commotionis offensam. Discant non in facultatibus crimen hærere, sed in iis qui vti nesciant facultatibus. Nam diuitiæ vt impedimenta improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis. Diues certè Zacchæus electus à Christo, sed dimidium bonorum suorum pauperibus largiendo, reddendo etiam in quadruplum quæ fraude sustulerat (Alterum enim non sat est: nec habet gratiam liberalitas, si iniuria persequerat: quia non spolia, sed dona quæruntur) vberiorem mercedem quàm conferebat, accepit. Et bene princeps inducitur publicanorum. Quis enim de se desperet, quãdo & iste peruenit, cui sensus ex fraude? *Et ipse*, inquit, *diues.*) Vt scias non omnes diuites auaros. Quid sibi vult quòd nullius alterius staturam scriptura, nisi huius expressit, *Quia statura pusillus erat?*) Vide ne fortè malitia pusillus, aut adhuc pusillus fide. Nondum enim promiserat cùm ascenderet, nondum viderat Christum, meritò adhuc pusillus. Denique Ioannes magnus, quia & Christum vidit, & spiritum sicut columbam super Christum manentem, sicut ipse ait: Vidi spiritum descendẽtem sicut columbam, & manentem super eum. Quæ autem turba, nisi imperitæ confusio multitudinis, quæ verticem nequit videre sapientiæ? Ergo Zacchæus quandiu in turba est, non videt Christum: supra turbam ascendit, & vidit, hoc est, plebem iam trãsgressus in scientiam meruit quã desiderabat aspicere. Pulchrè autem addidit: *Quia illa parte erat transiturus dominus.*) Vel vbi sycomorus, vel vbi creditur: vt & mysterium seruaret, & gratiã seminaret. Sic enim venerat, vt per Iudæos transiret ad gentes. *Vidit itaque Zacchæum sursum.*) Iam enim sublimitate fidei inter fructus nouorum operum velut fœcundæ altitudine arboris eminebat. Et quoniam de typo ad moralia defleximus, inter tot credentium voluntates dominica die relaxare animum, festiuitatem admiscere delectat. Zacchæus in sycomoro, nouũ videlicet noui temporis pomum, vt in hoc quoque compleretur illud: Arbor fici produxit grossos suos. Ad hoc enim Christus aduenit, vt ex lignis non poma, sed homines nascerentur. Legimus alibi, Cùm esses sub arbore fici, vidi te. Ergo Nathanael sub arbore, hoc est, supra radicem, quia iustus. Radix enim sancta. Sub arbore tamen Nathanael, quia sub lege: Zacchæus supra arborem, quia supra legẽ. Ille domini occultus defensor, hic publicus prædicator. Ille adhuc Christum ex lege quærebat, iste iam supra legem relinquebat sua, & dominum sequebatur.

Ioan. 1.

Cantic. 2.

Ioan. 1.

De seruo qui vna mna à domino accepta, decem acquisiuit.

Ecce mna tua decem mnas acquisiuit.) Bonus ordo, vt vocaturus gentes, & Iudęos iussurus interfici, qui noluerunt regnare supra se Christum, hanc præmitteret comparationem, ne diceretur, Nihil deberat populo Iudæorum vnde poterat melior fieri: vt quid ab eo qui nihil recepit, exigitur? Nõ mediocris ista est mna, quam supra mulier Euangelica quia non inuenit, lucernam accendit, lumine quærit admoto, gratulatur inuentam. Denique ex vna decem mnas alius fecit, alius quinque. Fortasse iste moralia habet, quia quinque sunt corporis sensus: ille decem duplicia, id est, mystica legis, & moralia probitatis. Vnde & Matthæus quinque talenta & duo talenta posuit. In quinque talentis vt sint moralia, in duobus vtrunque mysticum atque morale. Ita quod numero inferius, re vberius. Et hic possumus decem mnas, decem verba intelligere, id est, legis doctrinam, quinque mnas, magisteria disciplinæ. Sed legisperitum in omnibus volo esse perfectum. Non enim in sermone, sed in virtute est regnum dei. Bene autem quia de Iudæis dicit, Duo soli multiplicatam pecuniam deferunt: non vtique æris, sed disputationis vsuris. Alia est enim pecuniæ fœnebris, alia doctrinę cœlestis vsura. Denique

Luc. 15.

1. Corinth.

1769 Denique dominus dicit: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?* Non nostræ, sed suæ pecuniæ quærit vsuram. Vnus intra terram abscondisse se dicit, quòd rationem (quæ ad imaginem & similitudinem dei data est nobis) studio voluptatis obruit, & ranquam in fouea carnis abscondit. De aliis fletur, qui quasi prodigi debitores quæ acceperant, perdiderunt. In duobus illis pauci sunt, qui per duas vices ad culmores vineæ destinati sunt, in reliquis omnes Iudæi. Quam comparationem Matthæus etiam nobis voluit aptare, quod similiter vt diues qui pecuniam suam non impartit paupertibus, ita etiam qui doctrinæ suæ gratiam non diuidit impetis, docere cùm possit, haud mediocris reus est culpæ. De quo, quoniam in libris de fide scriptis diximus, transcurrere melius fuit. Ciuitates autem decẽ esse quę possunt, nisi fortè animæ, quibus iure præponitur qui pecuniam domini & illa eloquia casta probata sicut argentum, mentibus hominum fenerauerit? Nam sicut Hierusalem dicitur ædificata sicut ciuitas, ita sunt animæ pacificæ. Et sicut angeli præsunt, ita & hi qui vitam meruerint angelorum.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI COMMENTARIORUM IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM, LIBER IX.

De eo quod dominus ascensurus Hierosolymam venit ad montem Olueti, & inde duos discipulos misit, &c.

ET factum est cùm appropinquasset ad Bethfage & Bethaniam, venit ad montem qui vocatur Olueti, misitque duos discipulos dicens: Ite in castellum quod contra vos est. In quo introeuntes, inuenietis pullum asinæ alligatum, in quo nemo sedit. soluite illum, & adducite.) Pulchrè relictis Iudæis, habitaturus in affectibus gẽtium templum dominus ascendit. Hoc enim templum est verum, in quo non in litera, sed in spiritu dominus adoratur. Hoc dei templum est, quod fidelibus, non lapidum structura fundauit. Deseruntur ergo qui oderant, eliguntur qui amaturi erant. Et ideo ad montem venit Olueti, vt nouellas oleas in sublimi virtute plantaret. Quorum mater est illa quæ sursum est Hierusalem. In hoc monte est ille cœlestis agricola, vt plantati omnes in domo dei, possint viritim dicere: Ego autem sicut oliua fructifera in domo domini. Et fortasse ipse mons Christus est. Quis enim alius tales fructus ferret olearum, non curuescẽtium vbertate baccarum, sed spiritus plenitudine gentium fœcundarum? Ipse est per quem ascendimus, & ad quem ascendimus. Ipse est ianua, ipse est via, qui aperitur, & qui aperit, qui pulsatur ab ingredientibus, & à bene meritis adoratur. Ergo in castello erat, & ligatus erat pullus cum asina. non poterat solui, nisi iussu domini. Soluit eum manus apostolica. talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis & tu, vt possis ligatos soluere. Nunc cõsideremus qui fuerint illi qui errore detecto de paradiso eiecti, in castellum sint relegati. Et vides quemadmodum quos mors expulerat, vita reuocauerit. Et ideo secundum Matthæum & asinam & pullum legimus, vt quia in duobus hominibus vterque fuerat sexus expulsus, in duobus animalibus sexus vterque reuocetur. Ergo illic in asina matrem quasi Euam figurauit erroris: hîc autem in pullo generalitatem populi gentilis expressit: & ideo pullus † sedetur asinæ. Bene in quo nemo sedit, quia nullus antequam Christus nationum populos vocauit ad ecclesiam. Denique secundum Marcum sic habes: Quem nemo adhuc sedit hominum. Alligatus autem perfidiæ vinculis tenebatur iniquo addictus domino, errore famulatus, sed dominatum sibi vindicare non poterat, quem reum fecerat non natura, sed culpa. Et ideo cùm dominus dicitur, vnus agnoscitur. Nam & multi dij, & multi domini, sed generaliter vnus deus, & vnus dominus. Itaque si non exprimitur, dominus definitur, non iam per adiunctionem personæ, sed per vniuersitatem naturæ. Marcus autem induxit ligatum ante ianuam, quia extra Christum quicunque est, foris est à via. qui autem in Christo est, foris non est. In transitu addidit, vbi nullius certa possessio, non præsepe, non alimenta, nõ stabulum. Misera seruitus, cui vagum ius est. Plures enim dominos habet, qui vnum non habet. Alieni alligãt vt possideant, iste soluit vt teneat. Vehementiora enim † iura nouit esse, quam vincula. Nec illud ociosum quòd duo discipuli diriguntur, Petrus ad Cornelium, Paulus ad reliquos. Et ideo non personas designauit, sed numerum definiuit. Tamen si quis est qui personas exigat, potest æstimare de Philippo quem spiritus misit in Gazam, quando Candacis reginæ baptizauit Eunuchum, & ab Asoto in Cæsaream per omnes ciuitates verbum domini seminauit. Nec illud prætereundum quòd mox remittendos asserit qui dirigendi erant, qui dominum Iesum in finibus gentium prædicarent. Illi ergo directi cùm soluerent pullum, nunquid suis verbis vsi sunt? Minimè. Sed dixerunt sicut dixerat illis Iesus, vt agnoscas quòd non suo sermone sed dei verbo: nec proprio, sed Christi nomine fidem populis infudêre gentilibus: atque aduersariæ potestates quæ sibi nationum obsequia vindicabant, mandato cessere diuinõ. Vnde & apostoli propria Christo vestimenta substernunt, quo facti gloriam Euangelica prædicatione præferrent. In scripturis enim diuinis plerumque vestimenta virtutes sunt, quæ gentium duritiam in aliquantulum propria quoque virtute mollirent, vt inoffensa vecturę felicis obsequia sedulis affectibus exhiberẽt. Non enim mundi dominum forensi specie gestari dorso asinæ delectauit, sed vt latente mysterio penetralia nostræ mentis insterneret, & in secretis animorum interiore confessu mysticus vector insideret, quasi quodam corpore diuinitatis infusus regens mentis vestigia, lasciuiam carnis infrænans, vt ductu pietatis assuetum populi gentilis edomaret affectum. Felices illos, qui talem internis renibus recepere vectorem. Felices planè illos, quorum ora ne multiloquio soluerentur, verbi cœlestis habena restrinxit. Quæ est ista habena fratres? Quis me doceat quemadmodum ora hominum aut restringat aut soluat? Monstrauit mihi habenam ille qui dixit: Vt detur mihi sermo in apertione oris mei. Sermo ergo habena est, sermo stimulus est, & ideo durum est tibi aduersus stimulum calces mittere. Docuit igitur hic nos aperire cor, stimulum perpeti, iugum ducere. Doceat & alius linguæ retinacula pati. Rarior enim tacendi virtus est, quam loquendi. Doceat planè ille, qui velut mutus aduersus dolum non aperuit os suum, paratus in flagella, & verba non recusans, vt esset pia sessio deo. Discè à domestico dei gestare Christum, quoniam prius te ille gestabat, cùm pastor errãtem reduceret ouem. Discè sedula mentis tuæ dorsa substernere, discè esse sub Christo, vt possis esse supra mundũ. Non quicunque facilè vehit Christum, sed ille qui potest dicere: Incuruatus & humiliatus sum nimis, rugiebã à gemitu cordis mei. Quod si desideras non moueri, super illa vestimenta sanctorum elutum fige vestigium. Caue enim ne lutulentis pedibus incedas, caue ne transuersariis gressibus perstrata tibi propheticarum viarum itinera derelinquas. Namque vt tutior venturis gentibus esset incessus, propriis indumentis vsque ad dei templum, qui præibant Iesum, semitã munierunt. Vt tu sine offensione gradiaris, discipuli domini amictu se proprij corporis exuentes, inter aduersa turbarum viam tibi suo strauere martyrio. Si quis tamen ita vult accipere, non renitimur, quòd pullus iste iam supra Iudæorum vestimenta graderetur. Quid autem sibi velint ramorum fragmina, quæ vtique incedentium gressus implicare consuerunt: dubitarem profectò, nisi me in superioribus bonus mundi totius docuisset agricola, quia iam securis ad radices arborum posita est, quæ sub aduentu domini saluatoris infœcunda succidat, & infructuosarum inanem gloriam gentium solo sternat fidelium pedibus proterendam, vt renouatæ mentis spiritu nationes, velut nouellarum arborum stirpes de vetustis possint germinare caudicibus. Ne ergo despicias hunc asellum. nam sicut in vestitu ouium sunt lupi rapaces, ita contra ineſt homo cordis absconditus sub specie bestiali: quia sub exuuiis corporis, quod

† dona.

Actio. 8.

Ephes. 5.
Actio. 9.

Luca 15.

Psalm. 37.

quod nobis est commune cum beluis, mens deo plena vegetatur. Quod ad figuram hominum pertinere sanctus Ioānes euidentius declarauit, addēdo, quia acceperunt sibi medullas palmarum. Iustus enim vt palma floret. Et ideo aduentāte Christo erigebantur iam supra humeros hominum vexilla iustitiæ & insignia triumphorū. Quid miratur turba, quod operatur mysterium? Etsi nesciat quid miretur, miratur tamen quia in illo pullo sapientia sedet, virtus inhabitat, hæret iustitia. Ne despicias asinam quoque istam, quæ quōdam angelum dei vidit, quem homo videre non potuit. Et vidit, & detulit, & locuta est, vt agnosceres posterioribus temporibus sub aduentu magni angeli dei, gētiles illos ante asinos locuturos. Pulchrè autem secūdum Lucam turbas laudantes deum ad descensum mōtis occurrisse legimus, vt operatorem mysterij spiritalis significarent sibi venisse de cœlo. Turba igitur agnoscit deum, regem appellat, prophetiam repetit: *Osanna filio Dauid.*) hoc est redemptorem domus Dauid, expectatum quoque secundum carnem Dauid filium venisse declarat: & hoc turba illa post exiguum crucifixura momentum. Verè memorabile diuinæ operationis insigne, vt aduersum se testimonium extorqueatur inuitis, cùm deum negant affectibus quem vocibus confitentur. Vnde & dominicum illud: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.*) Neque enim mirum si laudes domini contra naturam suam saxa respondeant, quem scopulis duriores prædicant peremptores. Aut fortasse quia obmutescentibus Iudæis post domini passionem viui erant secundum Petrum lapides claturi. Ergo compugnantibus licet affectibus suis, turba tamen deum ad templum suum cum laude deducit. Sed deus templum suum non mercatoris vult esse diuersorium, sed domicilium sanctitatis: nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito vsum ministerij sacerdotalis informat. Considera igitur quid ubi ad exemplum viuendi dominica gesta præscribant.

Psalm. 91. Num. 22. Luc. 19. 1. Petr. 1.

De eiectione vendentium & ementium in templo, ac euersione mensarum & cathedrarum.

ET eiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum euertit, & cathedras vendentium columbas.) Generaliter itaque supra docuit seculares à dei templo abesse debere contractus, specialiter autem nummularios pepulit. Qui sunt nummularij, nisi qui de pecunia domini lucrum quærunt, nec bona malaque discernunt? Pecunia enim domini scriptura diuina est: nam & denarios seruis distribuit profecturus, & talenta diuisit, & pro sanitate hominis vulnerati duo æra stabulario dereliquit. Duobus enim testamentis vulnera nostra curātur. Sed tu quasi bonus nummularius eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum recondē, purgatum spiritu septiformi, nec adulteram imaginem regis (quia & Satanas transfigurat se in angelum lucis) impia commutatione suscipias: nec imminutā principis tui figurā Arrianæ fraude perfidiæ, thesauro tuo misceas: nec pecuniæ sono aures tentes fidelium, vt religiosarum audientiā scripturarum tinnitus æris excludat, vel religiosis affectibus habendi cupiditas inferatur. Non ergo omnes excludantur nummularij: sunt enim & boni. Denique pecuniam meam, inquit, dedisses nummulariis, & ego veniens, cum vsuris recepissem eam. Quòd si nummus est scripturarum, & vsura est scripturarum. Cathedras autem vendentium columbas cur euerterit, secundum literam non intelligo. Neque enim nundinatores auium vindicare sibi poterant honorati alicuius in nundinis solij dignitatem: nam quæ prærogatiua dignitatis est in columbis? Admonet tamen dominici forma baptismatis, quando descendit spiritus sanctus in columbæ typo, eiectorum de templo huiusmodi mercatorū, in ecclesia dei consortium eos habere non posse, qui sancti spiritus gratiam nundinentur. Gratis, inquit, accepistis, gratis date. Denique Simoni, qui sanctificandi munus precio in se putauit posse conferri, respondit Petrus: Pecunia, inquit, tua tecum sit in interitum, quoniam gratiam dei putas te pecunia consequi posse: non est tibi pars neque sors in hac fide: Venditores quoque ouium & boum eos puto, qui de labore alieno vel simplicitate, fœdi auctionatores quasdam nūdinas aucupantur: aut quia oues eiiciuntur & boues, & columbæ iubentur auferri, populus videtur Iudæus excludi. Effrem enim sicut columba, quòd eorum dominus & successiones oderit & labores. Æs effunditur, vt gratia colligatur: mensa nummulariorum euertitur, vt domini subrogetur: ara deiicitur, vt erigantur altaria. Atque hoc non aliqua succinctus manu diuitiisque faciebat, sed flagello de restibus cædebat turbas, & nullus resistere audebat. Et nūc virga vtitur, nunc flagello (virga enim recta est virga regni tui) Virga, vt corrigat: flagello, vt suadeat. Directa illi, hîc moralis, quasi inflexa præceptio, qua peccatoris conscientia velut lento verbere flagellatur. Alij sunt enim terrores prophetici, aliæ apostolicæ suasiones: in vtroque tamen vnius verbi est disciplina. Et ideo flagellum de restibus fecit, quia funes cecidērūt, inquit, mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. Funes enim dicuntur, quibus agrimensores metiendorū limites partiuntur agrorum. Et ideo tanquam bonus agrimensor Synagogæ terminos distinguebat, & Ecclesię sacrilegos de templo iubebat exire. Nouus enim venerat feracium metator animarum, qui agrorum genera, non spatia metiretur. Pulchrè tamen non extentis funibus modus aliquis possessionis includitur, nec quasi definita densitate rei limites fidei terminantur, sed flagello in immensum libero fines Ecclesiæ porriguntur: eliminantur Iudæi, non in præscripto aliquo exilio, sed in termino, vt nusquam Synagogæ locus in orbe remaneret.

Psalm. 44. Psalm. 35. Matth. 21. Esa. 5. Esaiæ 5. 3. Reg. 21.

De vinea plantata, & colonis locata.

Vineam plantauit homo.) Plerique varias significationes de vineæ appellatione deriuant. Sed euidenter Esaias vineam domini Sabaoth, domum Israel esse memorauit. Hanc vineam quis alius nisi deus condidit? Hic est ergo qui locauit, & peregrè profectus est: non quia ex loco ad locum profectus est dominus, qui vbique semper præsens est: sed qūia est præsentior diligentibus, negligētibus abest. Multis autem temporibus abfuit, ne præpropera videretur exactio. Nam quò indulgentior liberalitas, eò inexcusabilior peruicacia. Vnde bene secūdum Matthæum habes: quia & sæpe circundedit, hoc est, diuinæ custodiæ munitione vallauit ne facilè spiritualium pateret incursibus bestiarum. *Et fodit in ea torcular.*) Quomodo intelligim⁹ quid sit torcular, nisi fortè quia psalmi de torcularibus inscribūtur: eò quòd in his mysteria dominicæ passionis, modo musti sancto feruente spiritu prophetarum, redundantius æstuauerint? Denique ebrij putabantur, quibus spiritus sanctus inundabat. Ergo & hic fodit torcular, in quod vuæ rationabilis fructus interior spiritali infusione defluaret. Ædificauit turrem, verticē scilicet legis attollēs, atque ita hanc vineam munitam, instructam, ornatam locauit Iudæis. Et tempore fructuum seruulos suos misit. Bene tempus fructuum posuit, non prouentum: nullus enim fructus extitit Iudæorum, nullus vineæ huius prouētus, de qua Dominus ait: Expectaui vt faceret vuas, fecit autem spinas. Itaque non lætitiæ vino, non spiritali musto, sed cruento prophetarum sanguine torcularia redundarūt. Denique Hieremias in lacum missus est. Hæc enim erāt torcularia Iudæorum, non vino repleta, sed cruore. Et licet generaliter prophetæ videantur exprimi, dat tamen lectio vt illū qui lapidatus est, Naboth esse credamus: cuius & si nullum acceperimus propheticum verbum, accepimus tamen propheticum factum, quia multos pro hac vinea futuros martyres proprio sanguine prophetauit. Quis autem est ille qui in capite vulneratus est? Nimirū Esaias, cuius facilius compagem corporis serra diuisit, quam fidem inclinauit, constātiamve detriuit, aut vigorem mentis execuit. Eò igitur factum est, vt cùm plures alios destinasset, quos Iudæi inhonoros & inanes sibi, de quibus nihil potuerunt proficere, dimiserunt: nouissimè etiam filium suum vnigenitum mitteret, quem perfidi quasi hæredem remouere cupientes, occiderunt crucifigendo, eiecerunt negando. Breuiter itaque quam magna, quam multa: primum quia naturalis est bonitas, quæ plerunque credit indignis: deinde, quia postremum malorum remedium Christus aduenit: tum quoniam qui hæredem negat, de authore desperat. Hæres autem Christus,

1773

stus,idémq; restator.Hæres,quia morti propriæ superuiuit, & testamẽtorũ quæ ipse cõdidit, tanquã hæreditaria in nostris profectibus emolumenta consequitur. Pulchrè ergo interrogat,vt sua se ipsi dãnent sententia.Venturum autẽ dominum dicit vineæ, quod in filio asit etiam paterna maiestas,vel quòd vltimis temporibus pręsentior humanis aspectibus affectibus.Ipsi itaque in se sententiã dicunt,vt malũ perdant,& ad alios colonos vinea trãsferatur.Qui igitur sunt coloni,quæ vinea cõsideremus. Vinea typus noster est, quòd populus de viris æternæ radice fundatus, supereminet terris: ac solum vile † prætexens,nunc gẽmate flore pubescit, nunc circunfusa viriditate vestitur, nunc mite iugum suscipit,cùm maturioribus brachiis quasi sarmẽtis fœcundæ vitis adoleuerit.Agricola quippe omnipotens pater, vitis est Christus: at verò nos palmites:qui nisi fructum feramus in Christo, cultoris æterni falce succidimur. Rectè igitur vinea Christi populus nominatur, vel quod crucis in fronte prætexat indicium, vel quòd fructus eius postrema anni legatur ætate, vel quòd omnibus vt ordinibus vinearum, ita pauperibus atque diuitibus,humilibus atque potẽtibus,seruis ac dominis in ecclesia dei æqua dimensio,nulla discretio sit:vt vitis maritatur arboribꝰ,ita corpus animæ anima quoque corpori coniugatur. Vt vinea dum iugatur,erigitur: & recisa non minuitur, sed augetur:ita sancta plebs dum ligatur,exuitur: dum humiliatur,attollitur: dũ reciditur,coronatur. Quinetiã vt tener surculus veteri abscissus ex arbore, in alteriꝰ fœtu radicis inseritur: ita populus hic sanctus surculi veteris cicatricibus enodatis, in nouo illo crucis ligno tanquã gremio piæ parentis fotus inolescit.Spiritúsque sanctus sicut in altas dimissus terrarum scrobes, ita in hoc carcereum corpꝰ infusus aquę salutaris irriguo diluit quicquid est fœtidum, mẽbrorúmque nostrorum habitus in cœlestẽ erigit disciplinam. Hanc vineam diligẽs agricola fodere,rigare,tondere consueuit: eruderatísque terrenæ molis aggeribus, operta corporis nostri nunc sole torrere,nunc imbre perfundere,stirpare agrum solitus,ne à sentibus gẽma lædatur,ne luxuriet vmbra foliorum, verborúmque infructuosa inctantia virtutibus obumbrãdo,maturitatẽ indolis naturalis impediat. Sed absit vt huic vineæ quicquã timeamus aduersũ,quàm peruigil custodia domini saluatoris aduersus omnes nequitiæ secularis illecebras muro vitæ vallauit eternæ,extẽdens palmites eius vsque ad mare.Domini enim est terra.Vbique deus pater colitur,vbique Christus dominus adoratur. Hæc est nostra vindemia. Læti igitur atq; securi pars gremiũ suum,mitium funiculis oneret vuarũ, alij cœlestia munera ore libemus,plerique bonarũ gressibus volũtatum diuini fructũ muneris exprimentes,vestigia cothurnis nuda direptis,musto fluẽte tingamꝰ.Locus enim in quo stamus,terra sancta est:& ideo calciamenta soluẽda sunt,vt spiritale vestigium sacrosanctæ sedis tribunal ascẽdens,corporei nexus vinculi exuatur. Decet enim totius orbis hic esse vindemiam,vbi totius orbis est vinea. En tempus acceptabile,quo non hyemalibus perfidiæ caligantis pruinis annus riget, nec altis niuibus informis crusta blaphemię gelu durante concrescit, sed procellis sacrilegij liberata, nouos fructus terra iam parturit, veteres præterit. Dissensionum quippe omnium procella deferbuit,cuncti secularis cupiditatis ardores,æstúsque omnes quibus Italię populus per Iudaicæ olim, Arrianæ proximæ sæuitatis incendia coquebatur,sereno iam spiramine tẽperantur.Sedata tempestas est, concordia nauigat, fides spirat:certatim nautæ repetunt fidei quos reliquêre portus, & dulcia patriis oscula litoribus affingunt,liberatos se periculis, absolutos erroribus gratulãtes.Salue vinea tanto digna custode. Te non vnius Nabuthæ sanguis,sed innumerabilium prophetarum,& (quod est amplius) preciosus cruor domini consecrauit. Ille licet non regalibus minis territus, constantiam metu presserit: non præmiis vberrimis prouocatus religiosum vendiderit affectum,sed studio regis obsistens, ne in hortulis suis maluarũ olus succisa vite fereretur,quãdo aliud facere nequibat, patula vitibus incendia proprio cruore restinxerit, temporarium tamen vineam defendebat.Te verò in perpetuum mulorum nobis martyrum † plantauit interitus. Te crux apostolorum æmula dominicæ passionis vsque in orbis totius terminos propagauit.

A

De confutatione phariſæorum per interrogationem Chriſti de imagine & inſcriptione denarij.

CVius habet imaginem & inſcriptionem?) Docet hoc loco dominus circunspectos nos in respondendo aduersus hæreticos vel Iudæos esse debere. Alibi dixit: Estote astuti sicut serpẽtes. Quem locumplerique accipiunt, vt quia serpente suspẽso Christi crux annunciata est,quo serpentinũ nequitiæ spiritalis virus aboleret,videatur astutus ita esse debere sicut Christus, simplex sicut spiritus. Imitare & tu serpẽtem illum,qui caput semper custodiat,letale vulnus excludat. Interrogatus enim à Iudæis vtrum de cœlo accepisset potestatem,respondit: *Baptiſmum Ioannis vnde eſt ? de cœlo, an ex hominibus?*) Vt dum illud de cœlo esse negare non auderent, ipsi se amentiæ cõfutarent, qui eius authorem negarẽt esse de cœlo.Postulatꝰ didrachma,quærit de imagine. Alia enim imago dei, alia imago mũdi. Vnde & ille nos admonet:Sicut portauimus imaginẽ terreni illius, portemꝰ & imaginẽ huius cœlestis.Imaginẽ Cęsaris non habet Christus,quia imago est dei.Imaginem Cæsaris non habet Petrus, quia dixit: Reliquimus omnia, & secuti sumus te.Imago Cæsaris non reperitur in Iacobo vel Ioanne, quia filij tonitrui sunt. Sed reperitur in mari vbi dracones illi contritis capitibus super aquam,& ipse draco maior comminutus caput,datus est in escam populis Æthiopum.Si ergo non habuit imaginẽ Cęsaris,cur dedit sensum?Non de suo dedit,sed reddidit mundo quod erat mundi. Et tu si vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere quę mundi sunt.Sed si habes diuitias,obnoxius es Cæsari. Si vis nil regi debere terreno, relinque omnia & sequere Christũ.Et bene prius quæ Cęsaris sunt reddẽda decernit.Neque enim potest esse quis domini,nisi prius renunciauerit mundo.Sed omnes renunciamus verbo,non omnes renũciamus affectu.nam cùm sacramenta suscipimus, renũciamus.Quàm grauia vincula, promittere deo,& non soluere.Melius est, inquit,non vouere,quàm vouere & non reddere.Maior est contractus fidei, quàm pecuniæ.Redde promissum dum in hoc corpore es, prius quàm veniat exactor,& mittat te in carcerem. Amen dico tibi,non exies inde,donec reddas nouissimum quadrantem.

B

C

Matth.10.

1.Cor.15.

Matth.19.

Pſalm. 110.

Eccleſ 5.

Matth.5.

De tentatione Chriſti à Sadducæis.

SI frater alicuius mortuus fuerit.) Sadducæi, hoc est, detestabilior portio Iudæorum, hoc loco dominum tentant, quorum apertè stultitia reprehenditur. Mysticè autem sententia retorquetur, † quale de se dederunt castitatis exemplum,dum secundum literam nubere cogitur & inuita,vt defuncti semen excitet frater.Ergo litera occidit quasi lena vitiorũ, spiritus autem magister est castitatis.Itaque videamus ne hæc mulier synagoga sit, quæ septem viros habuit: sicut Samaritanæ dicitur:Quinque enim viros habuisti:quia Samaritana quinque tãtum libros Moysi, synagoga septẽ sequitur principaliter: & de nullo propter perfidiam suã hæreditariæ posteritatis semen accipit. Et ideo partem cũ viris suis in resurrectione habere non poterit,quia spiritale præceptum secũdum sensum carnis inuertit.Nõ enim frater carnalis aliquis denunciatus est qui semen fratris suscitaret defuncti:sed frater ille qui de mortuo populo Iudæorum sapientiam sibi diuini cultus asciscеret in vxorem, atque ex ea semen in apostolis suscitaret:qui quasi defunctorum reliquiæ Iudæorũ, informes adhuc in synagogæ vtero derelicti, secundum electionem gratiæ reseruari noui seminis admixtione meruerunt. Synagoga autem frequenter stolã accipit, quod est insigne coniugij,quasi author fidelium.Repudiata quoque frequẽter inducitur,quia mater est perfidorũ: cui lex occidit corporalis,vt spiritalis resurgeret. Ergo sancta plebs dei si septem libros legis quadã coniugij charitate dilexerit,& quasi maritalibus obsecundarit imperiis,habebit in resurrectione cœleste consortium:non corporeæ colluuionis pudore cõfusa,sed diuinæ gratiæ dotata muneribus.

D

† *quia.*

2.Cor.9.

Ioan. 4.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI COMMENTARIORUM IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM, LIBER X.

De eo quod scriptum est, & à Pharisæis obiectum: Dixit dominus domino meo, &c.

Dixit dominus domino meo.) consummaturus præcepta dominus, etiam præuiam passioni fidē ac misericordiā testamenti sui fine concludit. Fidē in eo, vt Christum & dominū & deū nostrū, & ad dexterā dei sedere credam⁹: nō quòd corporaliter sedeat, qui vbiq; est. Denique ipse in patre est, quia in substātia dei: quia vna virt⁹, vna maiestas. Ipse ergo in patre, & in ipso pater: quia verbū in deo, deus in verbo. Ipse in patre, quia verbum: ipse ad dexteram patris, quia patri cōsors, nulli secundus. Ipse missus à patre, quia descendit de cœlo paternum impleturus arbitrium. Tolle hinc perfidiæ quæstiones, & plena est religio. Nec præfertur filius quia ad dexteram sedet, nec iniuriam patitur, quia mittitur. Gradus non quæritur dignitatis, vbi plenitudo est diuinitatis. Illud quoque cōsiderandum, quia reprehēdit eos qui Christum filium Dauid dicunt. Et quomodo cæcus ille Dauid filiū cōfitēdo meruit sanitatē? Quomodo pueri dicentes, Osanna filio Dauid, præcelsæ prædicationis deo gloriam deferebant? Sed non reprehenduntur hoc loco quia Dauid filium confitentur, sed quia non credunt filium dei. Non enim alterum, sed alterutrum in fide vera est. 1. Corin. 4. Nā etsi in principio iudicauimus nihil nos scire nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum: nunc tamē, vtpote iudicio proximi, crucifixum iam non nouimus Christum, sed venientem in nubibus operimur. Incredulus vulnera aspicit, fidelis obuiam Christo in aëra raptus occurrit. Ergo & deum Christum & hominem esse credamus, vnum in vtroque, non alterum, cui à patre subiiciuntur inimici: non per infirmitatem potestatis suæ, sed per vnitatem naturæ, quia in altero alter operatur. Nam & filius subiicit inimicos patri, qui patrem clarificat super terrā, & dedit pater filio nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur. Philip. 2. Sed & filius patri dicit: Nomen tuum manifestaui hominibus quos dedisti mihi. Dando autem nomen quod est super omne nomen, non plus dedit quàm habuit: sed totum quod habuit, dedit. Dedit autem hoc nomen, vt omnis lingua confiteatur deo: quoniam dominus Iesus in gloria est dei patris. Vide ergo singula: Pater subiicit filio, filius subiicit patri. Pater suscitat filium, filius ipse se suscitat. Ioan. 17. Vnde ait: Soluite hoc templum, & in triduo illud resuscitabo. Et pater dominus, & filius dominus. Dixit dominus domino meo: sed non duo domini, sed vnus dominus: quia & pater deus, & filius deus. Sed vnus deus: quia pater in filio, & filius in patre. Vnus deus, quia vna deitas. Sedes tua deus in seculum seculi: virga recta est virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te deus deus tuus. Sed vnus deus, in quo & noui & veteris testamenti doctrina concordat. Nam & in veteri testamento scriptum est: Diliges dominum deum tuum. &, Dominū deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. In nouo: Vnus deus, & pater omnium. Sic & pater dominus, & filius domin⁹: sed vnus dominus. Denique scriptum est: Nolite duobus dominis seruire, Hoc in nouo. In veteri autem scriptum est: Audi Israel, Dominus de⁹ tuus, deus vnus est. Vnde admirabiliter Apostolus, ne duos deos diceret, aut duos dominos nominaret, aut derogaret vel filio, vel patri, Vnus, inquit, deus pater, ex quo omnia: & vnus dominus Iesus, per quē omnia. Nā qui deus, & dominus: & qui dominus, deus. Denique scriptum est: Scitote quia dominus ipse est deus noster. Omnia ergo quæ pater habet, & filius habet. Deus pater secūdum generationis rationem: deus filius secundum imaginis vnitatem. Dominus filius, quia omnia sibi, cùm potestate posset, ratione subiecit. dominus pater, quia radix est filij: Sic nobis pater in filio personarum definitione distinguitur, potestatis vnitate connectitur. Itaque alter in altero, & vnum in altero. Nam & patris gloria est, si non degenerauit in filio: & filij gratia, si pater videtur in Christo. Ergo non degener, in quo vnitatis summa maiestas: non alienus, in quo proprietas generationis expressio veritatis est. Philip. 2. Psalm. 44. Deut. 6. & 10. Ephes. 4. Matth. 6. Deut. 6. 1. Corin. 8. Psal 99.

De futura templi destructione.

Non relinquetur lapis super lapidem, qui nō destruatur.) Sequebatur de vidua locus: quam quoniam in libro quem de viduis præscripsimus, prædicauimus, nunc sequestramus. Verum autem dictum est iuxta propositā de templo quod Salomon condidit: idq; primum ab hoste iudicij esse tempore subuertendum. Nihil est enim opere & manu factum, quod non aut vetustas cōficiat, aut vis subruat, aut ignis exurat. Tamen est & aliud templum constructum ex preciosis lapidibus, & ornatum donis, cuius euersionem dominus significare videatur: synagogam scilicet Iudęorum, cuius structura vetus ecclesia surgente dissoluitur. Est etiam templum in vnoquoque, quod deficiente fide labitur: & maximè si quis falsò Christi nomen obtendat, quo interiorem expugnet affectum. Potest etiā ea esse expositio, quæ mihi plus prosit. Quid enim mihi prodest diem scire iudicij? Quid mihi prodest tantorum cōscio peccatorum, si dominus veniat, nisi veniat in meum animum, redeat in meam mentem, nisi viuat in me Christus, in me Christus loquatur? Ergo mihi Christus debet venire, mihi debet aduentus eius fieri. Fit autem domini secundus aduentus in defectione mundi, quādo possumus dicere: Mihi autem mūdus crucifixus est, & ego mundo. Gal. 6. Sed hunc virum talis mūdi defectus si in superioribus domus inueniat, vt conuersatio huius in cœlis sit, tunc destruetur templum corporale atque visibile: lex corporalis, pascha corporale, & pascha visibile, azyma corporalia, & azyma visibilia: audeo dicere, Christus temporalis, vt fuit Paulo antequam crederet: quia in eo cui mūdus deficit, Christus æternus est. Huic spiritale templum, lex spiritalis, pascha etiam spiritale: quoniam semel Christus occiditur. Hic epulatur azyma, non ex fruge terrena, sed ex fruge iustitiæ. Fit ergo huic præsentia sapientiæ, præsentia virtutis atque iustitiæ, præsentia redemptionis, Christus enim semel quidem pro peccatis populi mortuus est, sed quotidie peccata populi redempturus. Ca. XXI.

De signis futuræ destructionis templi.

Cum autem audieritis prælia, & opiniones præliorum, nolite terreri.) Interrogatus dominus quando templi futura destructio, & quod signum esset aduentus eius, de signis docet, de tempore non putat intimādum. Sed Matthæus interrogationem tertiā addidit, vt & templi tempora destruendi, & signum aduentus, & consummatio seculi à discipulis quæreretur. Lucas satis putauit de cōsummatione seculi cognitum, si de aduentu domini disceretur. Verborum autem cœlestiū nulli magis quàm nos testes sumus, quos mundi finis inuenit. Quanta enim prælia, & quas opiniones accipimus præliorum? Hūni in Alanos, Alani in Gothos, Gothi in Taifalos & Sarmatas insurrexerūt. Nos quoque in Illyrico exules patria Gothorum exilia fecerunt: & nondū est finis. Quę omniū fames, lues pariter boū atq; hominū, cæteriq; pecoris, vt etiā nos qui bellū nō pertulimus, debellatis tamen pares fecerit pestilentia. Ergo quia in occasu seculi sumus, præcedunt quædam ægritudines mundi. Ægritudo mundi est fames, ægritudo mundi est pestilētia, ægritudo mūdi est persecutio. Sunt autem & alia bella quæ vir sustinet Christianus: diuersarum quoque prælia cupiditatum, studiorúmque cōflictus: multóque grauiores domestici hostes, quàm extranei. Nunc auaritia stimulat, nunc accendit libido, nunc metus terret, nunc iracundia exagitat, nunc ambitio mouet, nūc terrere tentāt spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cœlestibus. Itaque quasi quibusdā vrgetur præliis, & quibusdā terræmotibus quatitur mobilis animi nutantis affectus. Sed fortior dicit: Si consistant aduersùm me castra, nō timebit cor meum: Si exurgat aduersùm me prælium, in hoc ego sperabo. Stat in acie ferens hosti obuium pectus: etiam si quis Golias exurgat immitis atque præcelsus, timentibus tamen cæteris exurgit humilis quasi Dauid, regis Psalm. 26. 1. Reg. 17.

1777

regis abiiciēs arma terreni, sumens fidei tela leuiora, & tri-
plici sparto iaculū puræ cōfessionis intorquēs, persecutoris
vulnerat impudentiā, contemptor minarum, negligens po-
testatū, etiā idoneus in quo Christus loquatur. Alibi Chri-
stus, alibi pater, alibi spiritus loquitur patris. Nō discordant
ista, sed cōgruunt. Quod vnus loquitur, tres loquūtur, quia
vox vna est trinitatis. Huic victori, qui suo Goliam gladio
peremerit, dū mortē ꝑ Christo excipit, fugatis Allophylis
occurrit iuuēculæ, illę scilicet sicut aquilæ, dicētes: Percus-
sit Saul in milibus, Dauid in decē milibus. Quod indicio est
victores seculi principibus anteferri. Denique mortuis regi-
bus in perpetuū martyres regnum cœlestis gratiæ honore
succedunt: & illi fiūt supplices, hi patroni. Est & alius Golię
gladius, aliud diaboli telū, sermo scilicet hæreticorum, quē
ut pallere sciens arripit, vt aduersarium vincat: audiens hic
bella, non patiens, nec alicuius vento doctrinæ mobilis in-
quietus: nesciens famem verbi, & scripturæ cœlestis vberta-
te satiatus, qui vanis hæreticum vocibus personātem laces-
sere nō reformidet. Tunc qui est infirmus, expectet, ne prę-
iudicium cæteris faciat congressus impari. Veniat Dauid, cui
Christus os aperiat ad eloquēda mysteria: veniat ille Naza-
æus, cuius capillus non cadat, vel nihil habens superfluum
quod cadere possit, vel nihil de superioribus virtutibus a-
missurus, integer sobrietate, fortis in pace, qui sensus omnes
vsque in finem & verba custodiat. Prædicatur euangelium,
vt seculum destruatur. Sicut enim præcessit in orbem terræ
euangelij prædicatio, cui iam & Gothi & Armenij credide-
runt, & ideo mundi finem videmus: ita & à viro spiritali
euāgelium prædicatur, quando omnes sapientiæ progressus,
& omnes formas virtutis exequitur, psallenti mente & spi-
ritu nouissimā destruens mortem. Tūc enim finis, cùm tra-
diderit in eo Christus regnū deo & patri: fuerítque iste sub-
iectus ei, qui sibi subiecit omnia, vt sit deus omnia in omni-
bus. Et prædicabitur euangelium per omnes ciuitates Iu-
dææ. Notus est enim in Iudæa deus. Tunc enim ciuitates æ-
dificantur Iudææ, quando virtutum fundamenta ponuntur.

De signo appropinquantis desolationis.

Vm videritis circundari ab exercitu Hierusalem.) Verè
Hierusalem ab exercitu obsessa est, & expugnata
à principe Romano. Vnde & Iudæi putauerunt
tunc factam abominationē desolationis, eò quòd
caput porci in templum iecerint illudentes Romani Iudai-
cæ ritum obseruantiæ. Quod ego nec furens dixerim. Ab-
ominatio enim desolationis execrabilis aduentus Antichri-
sti est, eò quòd sacrilegiis infaustis mentium interiora con-
taminet, sedens iuxta historiam in tēplo, vt sibi diuinæ vin-
dicet solium potestatis. Iuxta interpretationem autem spiri-
talem pulchrè inducitur stare, eò quòd in affectibus singu-
lorū vestigiū perfidiæ suæ cōfirmare desideret, ex scripturis
disputans se esse Christū. Tunc approquinquabit desolatio,
quoniam à vera religione plerique lapsi errore desciscent.
Tunc erit domini dies: quod etiam Apostolus euidēter ex-
posuit, dicens obseruandum esse nobis quasi instet dies do-
mini, ne quis nos seducat vllo modo: quia nisi venerit discē-
sio primū, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditio-
nis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur
deus, aut quod colitur, ita vt in templo dei sedeat ostendēs
se tanquam sit deus: & reliqua. Ergo sedebit in templo, & in
templo interiore Iudæorum, qui Christum negabūt: in tē-
plo non inuiolabili, sed corruptelę obnoxio, quod aut perfi-
diæ inuoluat ruina, aut iracundiæ vis subruat, aut cupidita-
tum ignis exurat. Et bene tunc veniet dies domini, & bre-
uiabuntur dies propter electos: quoniā sicut primus aduen-
tus domini propter rediměda peccata, ita & secundus pro-
pter reprimenda delicta, ne plures perfidiæ errore labātur.
Tunc pseudoprophetæ, tunc fames. Repete mihi Heliæ tē-
pora, & inuenies tunc prophetas confusionis, tunc Iezabel,
tunc famem, tunc ariditatem terræ. Qua ratione? Quia abū-
dauerat iniquitas, refrixerat charitas. Denique iustus in de-
serto, iniquus in regno est. Est & alius Antichristus au-
thor huius, diabolus scilicet, qui meam Hierusalem, meam
animam certè animam dei, animam pacificam obsidere ni-
titur suæ legionis exercitu. Non est enim colluctatio nobis
aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus &
potestates, aduersus mundi huius rectores tenebrarum ha-
rum. Tunc est discessio, cùm anima à seipsa desciscit. Et rur-
sus cùm dominum cogitat, tremit atque turbatur. Tūc eum
iste Antichristus tenet: donec de medio fiat, iustitia exulat,
iniquitas regnat. Tunc fides rara, vt ipse quasi addubitans
dominus dixit: Tunc veniens filius hominis, nunquid inue-
niet fidem super terrā? Vel in nostra vtique terra, vel in or-
be terrarum. Sic & alibi: Dominus respexit super filios ho-
minum, si est intelligens, aut requirens deum: non quia du-
bitet deus, sed quia ita rara erat in hominibus fides, vt secū-
dum opinionem hominum videretur esse dubitandum. Er-
go quando in medio templi est diabolus, desolatio abomi-
nationis est secundum Danielem prophetam. Cùm autem
vnicuique laborāti Christi præsentia spiritalis illuxerit, tol-
litur iniquus è medio, & incipit regnare iustitia, quæ om-
nium fideliū mentibus euacuat principatum. Est etiam ter-
tius Antichristus, aut Arrius, aut Sabellius: imò omnes
sunt Antichristi, qui praua nos interpretatione seducunt. Et
ideo qui legit, intelligat. Qui intelligit, nō seducitur vt cre-
dat falsa pro veris, more vtique Iudæorū, qui verum Chri-
stum negauerunt: vnde consequens erit vt credant verum
esse qui falsus est: sic & Arriani quod negant Christo, Anti-
christo non negabunt.

Luc. 18.

Psalm. 13.

De væ prægnantium & nutrientium in illis diebus.

*Væ illis quæ in vtero habent, & vbera dantibus in illis
diebus.*) Ergo conceptio criminosa est? At qui libe-
ri præmia nuptiarum sunt. Et quomodo Saram
dominus benedixit, & peperit? Quomodo Anna
orauit, & genuit? Quomodo Rachel filios benedicta susce-
pit? Nunquid errauerunt prophetæ? Quoniam dominus er-
rare non potuit, sed in prophetis quoque dominus est lo-
cutus, & ideo nec illi errare potuerūt. Qui igitur* quadra-
re poterit discordiam literarū? Sed quia ibi bellum est, con-
uertamur ad spiritum pacis. Pax enim dixit: Mulier cū par-
turit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepe
rerit, iam non meminit pressuræ, & subiecit: Et vos modo
quidem tristitiam habetis, iterum autē videbo vos, & gau-
debit cor vestrum. vt ostenderet perfectorū esse lætari, nu-
tare infirmorū, quasi adhuc incerta metuentium. Sed & hic
in superioribus dixit: Edebant, & bibebāt: nubebant, & v-
xores ducebant, ligantes scilicet se in hanc vitam, & solici-
tudinibus secularibus vincientes. Hæ sunt itaque prægnan-
tes quibus væ dicitur, quæ aruinam suæ carnis extendant, &
quibus intimorum gressus pigrescant animorū effœtæ vir-
tutum, fœtęque vitiorum. Sed nec illæ prægnantes cōdem-
nationis exortes sunt, quę in bonorū actuum molimine cō-
stitutæ, necdum aliquos susceperi operis dedere processus.
Sunt enim & quæ de dei timore concipiunt, quæ dicūt: De
timore tuo concepimus & parturiuimus. Sed nō omnes pa
riunt, non omnes perfecti, non omnes possunt dicere: Pepe-
rimus spiritum salutis in terra. Non omnes Mariæ, quæ de
spiritu sancto Christum concipiant, verbum pariant. Sunt
enim quæ abortiuum excludāt verbum antequam pariant.
Sunt quæ in vtero Christum habeāt, sed nondum formaue-
rūt: quibus dicitur: Filioli mei, quos iterum parturio, donec
formetur Christus in vobis. Ergo qui adhuc in vtero sunt,
parturiuntur quasi imperfecti: iam illi perfectiores, quibus
dicitur: Ego vos per euangeliū genui. Multi patres per euan-
gelium, & multæ matres quæ Christum pariunt. Quis mihi
igitur Christi monstret parentes? Ipse monstrauit dicens:
Quæ mihi est mater, aut qui fratres? Qui fecerit volūtatem
patris mei qui in cœlis est, ipse mihi & frater, & soror, & ma
ter est. Fac voluntatē patris, vt Christi mater sis. Multæ con-
ceperunt Christum, & nō genuerunt. Ergo quæ parit iusti-
tiam, Christum parit: quæ parit sapientiam, Christum parit:
quę parturit verbum, Christum parturit. Est etiā quæ par-
turiuit iniustitiam, & peperit iniquitatem. Istis væ prægnā-
tibus, quæ corpore graues, ad euadendū periculū pigriores
sunt. Istis væ, quibus futuri partus, quo corpus omne cōcu-
titur, dolor integer. His futuri signa iudicij initia sunt dolo-
rum. Docuit etiam Moyses esse prægnantē, quam si duo cō-
culcauerint litigantes, abortiuum citò inducāt. Et ideo bo-

al. Quid ergo? Errare poterit discordia, &c.

Ioan. 16.

Esaiæ 29.

Galat. 4.

1. Cor. 4.

Matth. 12.

Psalm. 7.

Exod. 21.

na fœmina litem fugiat,pacem ſequatur,vt partũ poſsit abſoluere,nec nouem menſium tempus expectet. Verbi partus non in tẽporis ſed diligẽtiæ plenitudine eſt. Cõſummatus autem in breui iuſtus impleuit tempora multa. At cõtra citò anima inperfecta calcatur, & verbum quod concepit, amittit. Sed væ illi qui ſcãdalizauerit vnum de puſillis iſtis, væ illi qui prægnãtem calcauerit. nam ſi informe adhuc pignus excluſerit,pecuniæ iactura eſt.ſi verò formatum,redder animam pro anima,oculum pro oculo, dẽtem pro dente,manum pro manu. Sed cur oculum aut manũ,cùm abortiuus & manum habeat,& oculũ habeat, qui iam formatus excuſſus eſt? Vnde apparet pro eo modo quo nocuit, vnũquenque damnãdum. Si enim catechumenum quis vel hæreticus vel ſchiſmaticus tãquam de vtero vel animæ vel eccleſiæ parturientis excuſſerit,leuius punitur:ſi fidelem,grauius. Et ideo cauendum ne cum talibus litigando,eccleſiam calces. Stultas enim pugnas,& ſine diſciplina quæſtiões deuita, ſciens quia generant lites,quibus eccleſia quaſi parturiens totius corporis conculcatione vexatur. Ergo citò reple vẽtrem tuum,vt citius poſsis partum edere. Audi quomodo repleas,& quibus repleas. Ex fructibus,inquit, oris ſui vir impleuit ventrem ſuum, fructibus autem labiorum ſuorum ſatiabitur. De nutriẽtibus quoque docuit me illud Salomonis ſublime iudicium,& illa duarum contentio fœminarum,quod etiam ſi iam partus dolore ſint abſolutę,adhuc tamen confirmandorum pignorum metu nutent: quia per temulentiam nutrienti ſomnus obrepat,paruulum mater opprimat:neget ſuum,quærat alienũ. Sed & illa quæ filium non peremit,periclitatur ſuo,quia iudicio hęret incerto. Ergo & nos, ne quaſi imperfectorum parẽtes operũ aut iudicij dies aut mortis inueniat, paruulos noſtros ablactare properemus. Ablactatus Iſaac nõ fuit ſomno matris obnoxius, & ideo epulum magnum exhibuit Abraham quando ablactauit filium. Ablactatus Dauid retributionem animæ ſuæ ſperat. Non enim vt Corinthius in primordio fidei, eſcæ adhuc inualidus fortiori lacte potatur, ſed iam pane ſolido firmatus, in plenitudinem perfectæ ætatis adoleuerat. Ergo non ſatis eſt cura generãdi, niſi ſuppetat efficacia nutriendi. Itaque & tibi tanquam Mariæ verbum dei creſcat, ſapiẽtia & ætate proficiat. Quod ita fit,ſi omnia dicta iuſtitiæ in corde cuſtodias, nec ſenectutis tempus expectes: ſed in prima ætate deſponſatam viro iuſto ſapientiam ſine corruptela corporis tui citò concipias,citò parias,citò nutrias. Vide mihi Paulum heſterno perſequentem, hodie credentem:die craſtina prædicantem.

Sapien. 4.
Matth. 18.
Exod. 21.
2. Timot. 2.
Prouer. 12.
3. Reg. 3.
Geneſ. 21.

De orando ne fiat fuga hyeme vel ſabbato.

Rate ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato.) Cùm iudicij die venturus ſit dominus ante quem ignis ardebit,ignis autem vis aut ſemper eadem,aut citius adurat æſtate:quomodo orãdum dicit ne fuga noſtra hyeme fiat?niſi fortè quia is qui in montes fugit, frigus & glaciem,procellas & grandinem delictorum timere non debet,ſed optare æſtiuæ lucis ſerenitatem, ne lubrico corporis veſtigia infirma labantur? Vnde & illa iam ſecura proceſſu, iam firmis radicibus nixa lætatur, dicens: Hyems abiit, tempus ſecandi aduenit. Hyeme enim arbores ventus ſuo honore deſpoliat, & aſperitas frigoris teneras frondes in ſpeciem mortis interficit. Verè autem reſurgunt ſemina,& tanquam noua æſtas naturæ viridantis adoleſcit. Verè paſcha eſt,quando ſeruatus ſum:æſtate eſt pentecoſte, quando reſurrectionis gloriam celebramus ad inſtar futuri. Orandum etiam ne ſabbato te,hoc eſt,ab operibus ociantem veniens dominus deprehendat. Et ideo iuxta legem operare diem † in die,& eſto ſpiritu feruẽti, & labore peruigili. Nec ocioſum illud,quia ſcriptum eſt: Sabbato humiliabis animam tuam. Et quia ſeptuaginta annis populus in captiuitate durauit,tunc violata religio,obtrita libertas,pudicitia vulnerata. Ergo tunc tibi emigrandum ex hac vita,quando virtutes vigent,vitia captiua ſunt:non quando captiua eſt anima, & vigor eius & virtus vacat †, corporis peccata dominantur.

Cantic. 2.
† de die in diem.
† vacua.

De ſignis aduentus domini.

A *Runt ſigna in Sole,& Luna,& ſtellis.*) Et prophetię vera ſeries,& integra cauſa myſterij quòd & captiui Iudæi ſecũdo in Babyloniam Aſſyriamque ducentur, captiui in toto erunt orbe, quia negauerũt Chriſtum:& Hieruſalem,quæ videtur, ab hoſtili exercitu calcabitur, cadentibus Iudæis in ore gladij. Et Iudæa omnis à nationibus credituris ſubiicietur in ore gladij ſpiritalis,qui eſt ſermo bis acutus,& fiẽt ſigna diuerſa in Sole,& Luna,& ſtellis. Quæ ſigna ſecundum Matthæum euidentius exprimuntur. Tũc,inquit,Sol obſcurabitur,& Luna non dabit lumen ſuum,& ſtellæ cadent. Plurimis enim à religione deficiẽtibus clara fides obſcurabitur nube perfidiæ: quia mihi Sol ille cœleſtis mea fide vel minuitur, vel augetur. Quemadmodum ſi plurimi radios mundani Solis aſpiciant, pro captu videntis aut pallidior Sol videtur, aut clarior: ita pro deuotione credentis vnicuique ſpiritale lumen infunditur. Et quemadmodum mẽſtruis curſibus Luna,vel terræ oppoſitu,cũ fuerit è regione Solis,vaneſcit:ſic & ſancta eccleſia,cùm lumini cœleſti vitia carnis obſiſtunt, B fulgorem diuini luminis de Chriſti radiis nõ poteſt mutuari. Nãque in perſecutionibus lucem dei ſolus plerunque amor vitæ huius excludit. Cadent ſtellæ, illi vtique reſurrectionis gloria iam micãtes, illi viri ſicut luminaria in ſeculo verbum vitæ cõtinentes, illi viri de quibus Abrahæ dictum eſt,quia ſicut cœlum fulget & ſtellæ,ſic & ſemen eius. Excident ergo hominibus patriarchæ,excident prophetæ,ſi perſecutionis acerbitas cõualeſcat. Quæ oportet fieri,donec eccleſiæ in omnibus virtutibus in ſingulis plenitudo cumuletur. Sic enim probantur boni,ſic produntur infirmi. Ergo varij animorum æſtus ita graues erunt,vt delictorum multitudine malè cõſciis, futuri iudicij metu, ſacri in nobis rosfontis areſcat. Aret enim perfidia,fides rorat. *Nã virtutes cœlorum commouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus.*) Fortaſſe quemadmodum domini expectatur aduentus, vt eius præſentia in toto fiat vel hominis orbe vel mũdi,quæ ſit vtique in ſingulis cùm omnibus affectibus receperint Chriſtum:ſic etiam virtutes cœlorũ aduẽtu domini ſaluatoris ac reditu (eſt enim virtutum dominus) augmẽtum gratiæ conſequantur neceſſe eſt,& plenitudine diuinitatis propius ſe infundente moueantur. Sunt etiam virtutes cœlorũ quæ enarrant gloriã dei,& quæ pleniore Chriſti infuſione moueãtur, virtutes ſpiritales, quæ vidẽt Chriſtum. Docuit nos Dauid quemadmodum hæ moueantur virtutes,dicens: Accedite ad eum,& illuminamini. Docuit etiam Paulus quemadmodum Chriſtum videas. Cùm enim conuerſus fueris ad dominum,aufertur velamen,& vides Chriſtum. Vides illum in nubibus. Non equidem puto quod in caligine tenebroſa & horrore pluuiali Chriſtus aduenia. Nubes enim quæ videntur,cœlum vtique caliganti horrore ſubtexunt. Et quomodo in ſole poſuit tabernaculum ſuum, ſi pluuialis erit eius aduẽtus? Sed ſunt nubes,quæ quia ſic oportet,cœleſtis obtexũt myſterij claritatẽ. Sunt nubes,quæ rore gratiæ ſpiritalis humeſcãt. Aſpice nubẽ in veteri teſtamẽto: In colũna,inquit, nubis loquebatur ad eos. Per Moyſem vtiq; loquebatur,per Ieſum Naue,qui Solem ſtatuit,vt D plenioris luminis acciperet claritatẽ. Ergo Moyſes & Ieſus nubes ſunt. Aſpice quia viri ſancti nubes ſunt,quia ſicut nubes volãt,& quaſi colũbæ cum pullis. Super me nubes ſunt Eſaias,Ezechiel,qui mihi per Cherubin & Seraphin ſanctitatem diuinæ trinitatis oſtendũt. Nubes ſunt omnes. In his nubibus venit Chriſtus. Venit in nube in Cãticis cãticorũ, ſerena nube,& ſponſi refulgens lætitia. Venit & in nube leui,incarnatus ex virgine. Vidit enim propheta ſicut nubem venire ab Oriente. Et bene leuem nubem dixit,quam terrena vitia non grauarent. Vide nubem in quam ſpiritus ſanctus ſuperuenit, & virtus altiſſimi obumbrauit. Cùm ergo apparuerit Chriſtus in nubibus,cõcident ſe tribus terræ. Eſt enim quidam ordo criminũ, & ſeries peccatorũ, quæ Chriſti dirimatur aduentu. *Videte ficulneam,& omnes arbores cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quia propè eſt æſtas.*) Diuerſo quidem modo,in vnum tamen concurrere videtur euangeliſtarum ſententia. Matthæus enim de ſola dixit ficulnea, cùm ramus eius tener fuerit: hic de arboribus omnibus.

1780

Pſalm. 33.
2. Cor. 3.
Pſalm. 18.
Pſalm. 98.
Ibidem.
Eſaiæ 19.
Eſa. 60.

1781

nibus. Verum siue cùm fructus in omnibus virescit arboribus, & ficulnea fœcunda iam floret, vt omnis lingua confiteatur iam deo, cõfitente etiam populo Iudæorum, sperare domini debemus aduẽtum, quo tanquã temporibus æstiuis resurrectionis fructus metẽtur: siue cùm leuem fragilémque iactantiam homo iniquitatis tanquã folia synagogæ ramos induerit, cõiicere debemus appropinquare iudicium. Nam remunerare fidẽ dominus, & delinquendi finẽ afferre festinat. Duplicé igitur habet figurã hæc ficulnea vel cùm dura mitescunt, vel cùm peccata luxuriant. Nam per fidẽ credentium quæ arebant antè, florebũt: & per gratiam delictorum peccatores gloriabũtur. Ibi fructus est fidei, hîc perfidiæ lasciuia. Fructum mihi ficulneæ agricolæ euangelici cultura promittit. Desperare non debemus, si foliis ficulneæ peccatores se tanquam fraudis veste texerunt, vt cõscientiam velarent. Ergo folia suspecta sine fructu. Tales vestes paradisi exules habent. Duplicem igitur habet figuram.

De homine portante amphoram aquæ, discipulis Paschа paraturis occursuro.

Cce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans.) Bonum est considerare vbi dominus pascha faciat. Secundum Matthæum habes, Ite in ciuitatẽ ad quendã. Primum maiestatem diuinitatis aduerte. Cum discipulis loquitur, & iam nouit quid alibi sit futurum. Deinde dignationem eius intuere, quia non persona diuitis aut potentis eligitur, sed pauper ambitur, & angustum hospitiũ pauperis amplis nobilium ædibus antefertur. Ite, inquit, ad quẽdam. Sciebas domine nomen eius, cuius sciebas ministerium, cuius sciebas occursum. Sed ideo sine nomine designatur, vt ignobilis æstimetur. Nihil hîc compositum, vbi non exprimitur persona, sed causa. Secundum Marcum autẽ, lagenam aquæ portans. Hic ergo apostolis mandatur sequendus. Et quomodo paterfamilias? Vt agnoscas sanctitatis definitionẽ esse, non census. Quomodo in superioribus habens stratum magnum? Vt meritũ eius aduertas, in quo dominus cũ discipulis sublimium virtutũ eius delectatione requiesceret. Vinam ergo mihi cõtingat amphoram aquæ portare, contingat lagenam aquæ portare, quam portat paterfamilias, habens in superioribus stratum magnum. Quid est enim amphora, nisi mẽsura perfectior? Non mediocres qui mensuram habent. Denique dominus, Mẽsuram inquit, bonam cumulatam, superefluentem dabunt vobis. Nam de aqua quid loquar? Super aquam ante ipsos mũdi natales sanctus, vt legis, spiritus ferebatur. O aqua, quæ humano aspersum sanguine, vt præsentium lauacrorum figura præcederet, orbem terrarum lauisti. O aqua, quæ sacramentum Christi esse meruisti, quæ lauas omnia, nec lauaris. Tu incipis prima, tu comples perfecta mysteria. A te principium, in te finis: vel potius tu facis vt finem nesciamus. Per te fœtor tabidæ carnis aboletur, & pereũtia situ viscera aspersо sale in multam seruãtur ætatem. Per te arentibus æstu corporibus, dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam, suauis ad voluptatem potus infunditur. Tu nomen prophetis & apostolis, tu nomen saluatori dedisti. Illi nubes cœli, illi sal mundi, † ille fons vitæ est. Quæ montibus pressa, non clauderis: quæ scopulis illisa, non frangeris: quæ terris infusa, non deficis, sed intimis scaturiens venis, aut spiritum inclusa vitalem inhalas, aut succum diffusa fertilem præstas, aut rigatũ superfusa ad commodum subministras, ne siccatis exanimata vitalibus solennes neget terra prouentus. Omniũ elementorum substantia, cœlum, aër, mare, & terra, te reddũt. Te prophetico percussa tactu, vt sitientium rigares corda populorum, vomuit petra: te, cùm de latere saluatoris erumperes, percussores viderũt, & crediderunt: & ideo regenerationis nostræ de tribus vna es testibus. Tres enim testes sunt, aqua, sanguis & spiritus: Aqua ad lauacrum, sanguis ad precium, spiritus ad resurrectionem.

De sponsione præmij discipulorum Christi, qui secum in tentationibus permanserunt.

T ego quidem dispono vobis, sicut disposuit mihi pater regnum.) Regnum dei non est de hoc mundo. Non ergo æqualitatis homini ad deum, sed similitudinis æmulatio est. Solus enim Christus est plena imago dei, propter expressam in se paternæ claritudinis vnitatem. Iustus autẽ homo ad imaginem dei est, si propter imitandam diuinæ conuersationis similitudinẽ mundum hunc dei cognitione contẽnat, voluptatésque terrenas verbi perceptione despiciat, quo alimur in vitã: vnde & corpus Christi edimus, vt vitæ æternæ possimus esse participes. Non enim victus & potus nobis, præmij loco spõdetur & honoris, sed cõmunicatio gratiæ cœlestis & vitæ. Neque duodecim throni tãquam aliqua corporalis sunt receptacula sessionis, sed quia secundũ diuinam similitudinem iudicat Christus cognitione cordium, non interrogatione factorum, virtutẽ remunerãs, impietatémque condẽnãs: ita & Apostoli in iudicium spiritale formãtur remuneratiõe fidei, & execratione perfidiæ, virtute errorem redarguentes, sacrilegos odio persequentes. Cõuertamur igitur, & caueamus ne in perditionẽ aliqua inter nos de prælatione possit esse cõtentio. Si enim cõtendebant apostoli, nõ excusationi obtenditur, sed cautioni proponitur. Si Petrus aliquando conuertitur, qui ad primam dei secutus est vocem, quis potest dicere citò se esse conuersum? Caue ergo iactantiam, caue seculum. Ille enim confirmare iubetur fratres suos, qui dixit: Omnia reliquimus, & secuti sumus te. Deinde contuendũ est quia non omnis honorificentiæ studium humilitatis definitur: potest enim deferre alicui propter seculi gratiã, potentiæ metũ, vtilitatísque contuitũ. Tua ædificatio quæritur, non alterius honor: & ideo vna datur omnibus forma sentẽtiæ, vt nõ de prælatione iactantia fit, sed de humilitate cõtentio, eò quòd se dominus proponit imitandũ. Egebamus omniũ, ipse nullo: & tamen præbuit se humilitatis authorẽ, cùm discipulis ministraret. Quod vtique faciebat non studio vtilitatis, sed exercitatione virtutis. Petrus autẽ etsi spiritu prõptus, corporis tamen adhuc infirmus affectu, denũciatur dominum negaturus. Neque enim poterat diuinæ cõstantiã intentionis æquare. Passio domini æmulos habet, pares non habet. Ita non reprehendo quod negauit, laudo quòd fleuit. Aliud commune cõditionis est, aliud speciale virtutis. Et ideo instruitur ad cauendum, non cogitur ad negandum. Matth. 19.

De sacculo & pera tollendis, tunicáque vendẽda, & gladio emẽdo.

Vt non habet, inquit, sacculum, tollat similiter & peram. Et qui non habet, vendat tunicam suam, & emat sibi gladium.) O domine, cur emere me iubes gladiũ qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? nisi fortè vt sit parata defensio, nõ vltio necessaria: & videar potuisse vindicari, sed noluisse? Lex tamen referire non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, Sat est, dicis, quasi licuerit vsque ad euangelium, vt sit in lege æquitatis eruditio, in euangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur, sed non iniquus dominus, qui cùm se posset vlcisci, maluit immolari. Est enim gladius spiritalis vt vẽdas patrimonium, emas verbum, quo nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, vt exuas corpus & immolatæ carnis exuuiis ematur tibi sacri corona martyrij. quod ex benedictionibus dominicis colligere potes, qui summam omnium coronarum, si quis persecutionem patiatur pro iustitia, prædicauit. Denique vt scias quia de passione locutus est, ne turbaret discipulorum animos, de se exemplum protulit dicens: *Quoniam hoc quod scriptum est, oportet impleri de me, Quòd & cum iniustis deputatus est.*) Mouet tamen adhuc quòd duos gladios discipuli protulerunt, ne fortè vnum noui, alterum veteris testamenti, quibus aduersus diaboli armamur insidias. Denique dicit dominus: Sat est.) quasi nihil desit ei quem vtriusque testamenti doctrina munierit. Esaiæ 52.

De tristitia, dolore, tædio, & oratione Christi.

Ater, si possibile est, transfer à me calicem hunc.) Hærent plerique hoc loco, qui tristitiam saluatoris ad argumẽtum inolitæ potius à principio, quã susceptę ad tẽpus infirmitatis inclinãt, & naturalis sensum cupiũt retorquere sententiæ. Ego autẽ nõ solum excusandum non puto, sed etiam nusquã magis pietatem eius maiestatémque demiror. Minus enim contulerat mihi, nisi meũ susceпisset affectũ. Ergo pro me doluit, qui

pro se nihil habuit quod doleret: & sequestrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meę infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meã, vt mihi suam lętitiam largiretur: & vestigiis nostris descendit vsque ad mortis ęrumnã, vt nos suis vestigiis reuocaret ad vitã. Confidenter ergo tristitiam nomino, quia crucem prædico. Neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo & dolorem suscipere, vt vinceret tristitiã, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudẽ, qui stuporẽ magis vulnerũ tulerint quàm dolorẽ. Homo enim in plaga, & sciẽs, inquit, ferre infirmitates, nos voluit erudire, vt quia in Ioseph didiceram⁹ carcerem non timere, mortem vincere discemus in Christo: &, quod est amplius, quẽadmodum futuræ mortis mœstitiã vinceremus. Quomodo enim te imitaremur domine Iesu, nisi sequeremur vt hominẽ, nisi mortuum crederemus, nisi vulnera vidissemus? Quemadmodum discipuli crederẽt fuisse moriturum, nisi morituri tristitiam comperissent? Sic adhuc dormiunt, & nesciunt dolere, pro quibus Christus dolebat. Ita enim legimus: Qui peccata nostra portat & pro nobis dolet. *Esaiæ 53.* Doles enim domine, non tua, sed mea vulnera, non tuam mortem, sed nostram infirmitatem, & nos æstimauimus te esse in doloribus, cùm tu non pro te, sed pro me doleres. Infirmatus enim es, sed propter peccata nostra, non quia illa tibi infirmitas erat ex patre assumpta, sed pro me susceptа: quia mihi proderat, vt eruditio pacis nostræ esset in te, & liuore tuo vulnera nostra sanares. Sed quid mirũ si pro omnibus doluit, qui pro vno fleuit? Et quid mirum si moriturus pro omnibus tædiat, qui Lazarum resuscitaturus illachrymat? Sed & ibi piæ sororis lachrymis commouetur, quia mentem humanam tangebant. Et hîc alto operatur affectu, vt quia in carne sua peccata nostra perimebat, mœrorẽ quoq; animę nostrę suæ animę mœrore aboleret. Et fortasse ideo tristis est, quia post Adæ lapsum tali trãsitu nobis erat ex hoc seculo recedendũ, vt mori esset necesse. *Sapien. 1.* Deus enim morte nõ fecit, nec lætatur in perditione viuorũ, & ideo fastidit quod ipse nõ fecit. Denique ait: *Transfer à me calicem istum.*) Quasi homo mortem recusans, quasi deus sententiam suam seruans. Oportet enim mori nos seculo, vt resurgamus deo: vt iuxta diuinam sententiam lex maledictionis resoluta, in terræ limum naturæ fine soluatur. Quòd autem ait, *Non mea voluntas, sed tua fiat.*) Suam ad hominem retulit, patris ad diuinitatem. Voluntas enim hominis temporalis, voluntas diuinitatis æterna. Non alia voluntas patris, alia filij. Vna enim voluntas, vbi vna diuinitas. Disce tamen deo esse subiectus, vt nõ quod ipse vis eligas, sed quod deo scias esse placiturum. Deinde verborum ipsorum proprietatem consideremus. *Tristis est*, inquit, *anima mea.*) Et alibi: Nũc *Ioan. 21.* anima mea turbata est valde. Non ergo suscipiens, sed susceptа turbatur. Anima enim obnoxia passionibus, diuinitas libera. Denique: Spiritus promptus, caro autem infirma. Tristis autem est non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non diuina substãtia, sed anima. Suscepit enim animã meã, suscepit corpus meũ. Non me fefellit vt aliud esset, & aliud videretur. *Matth. 25.* Tristis videbatur, & tristis erat nõ pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Denique ait: *Percutiam pastorẽ, & dispergentur oues gregis.*) Tristis erat, quia nos paruulos relinquebat. Cæterùm quàm constanter se morti obtulerit, consequentia declarant: quandoquidem quærẽtibus occurrit, turbatos confirmauit, trepidos prouocauit. Proditorem oculi dignatione suscepit. Nec illud distat à vero, si tristis erat pro persecutoribus suis quo sciebat immani sacrilegij pœnas daturos. Et ideo dixit: *Transfer hunc calicem à me.*) *Marc. 14.* Nõ quia deus dei filius mortẽ timebat, sed quia nec malos pro *Luc. 23.* se perire volebat. Denique ait: *Pater, ne statuas illis hoc peccatũ.*) ne exitialis esset populo passio sua, quæ esset omnibus salutaris.

De Iudæ osculo, & Christi traditione, comprehensione, ac ligatione, Petrique percussione.

IVda, osculo filium hominis tradis?) Magna diuinæ significatio potestatis, magna disciplina virtutis. Et consiliũ proditionis aperitur, & adhuc patiẽtia non negatur. Ostendisti domine quẽ proderet, dum occulta manifestas. Ostendisti etiã quẽ traderet, dũ dicis, filium hominis: quia caro nõ diuinitas cõprehẽditur. A Illud tamen plus cõfutat ingratũ, quòd eum tradiderit, qui cùm esset dei filius, propter nos tamẽ filius hominis esse voluisset. Quasi dicat, propter te suscepi ingratè quod tradis in hypocrisi. Ergo per interrogationem pronũciandum puto, quasi amãtis affectu corripiat proditorem: Iuda, osculo filiũ hominis tradis? hoc est, amoris pignore vuln⁹ infligis? & charitatis officio sanguinem fundis? & pacis instrumento mortem irrogas? Seruus dominum, discipulus prodis magistrũ, electus authorem? Hoc est illud: Vtilia vulnera amici, quàm volũtaria oscula inimici. Proditori hoc. Pacifico verò quid *Prou. 27.* dicitur? Osculetur me ab osculo oris sui. *Et osculatus est eũ.*) *Cantic. 1.* Non quò simulare nos doceat, sed vt ne proditionem refugere videretur, & plus afficeret proditorẽ, cui amoris officia non negaret, quia scriptum est: Cum odientibus pacem *Psalm. 119.* erã pacificus. Et signo dato, inquit, ab iis qui cũ fustibus venerant comprehenditur.) Sed dominũ omniũ mysteria non arma tenuerunt. Denique locutus est, & ceciderunt retrorsum. Quò mihi legiones angelorum? Quò cœlestem exercitum? vox domini sola plus terret. Hanc ille ad demonstrandum diuinæ maiestatis indicium, qui in pectore Christi recumbebat, elegit. Volenti ergo iniicit manus turba, nec tuntur vincula. O amentes, ô perfidi, non sic comprehẽditur sapientia, non sic tenetur iustitia. Nec discipulorum studia defuerũt. Denique Petrus eruditus in lege, promptus affectu, qui sciret Phineæ reputatum ad iustitiam quòd sacrilegos peremisset, percussit principis seruum. Sed dominus vulnera cruenta detorsit, mysteria diuina subiecit, vt seruus prin- *Num. 25.* cipis mundi, hoc est, non naturę conditione, sed culpæ secularium famulus potestatũ, auris suæ vulnus exciperet, quia non audisset verba sapientiæ. Omnis denique qui facit pec- *Ioan. 8.* catũ, seruus est peccati. Peccatis, inquit, vestris venditi estis. *Esaiæ 50.* Vẽditio propter peccata nostra, propter bonitatẽ autem dei redemptio peccatorum. Aut si Petrus volens percussit aurem, docuit quòd aurem habere in specie nõ deberẽt, quam in mysterio non haberẽt. Sed bonus dominus & ipsi refundit auditum, secundũ prophetica dicta demõstrans & ipsos, C si conuertantur, posse sanari, qui in passione domini vulnerati sunt, eò quòd omne peccatum fidei mysteriis abluatur. Tollit ergo Petrus aurem. Quare Petrus? Quia ipse est qui accepit claues regni cœlorum. Ille enim condemnat qui & absoluit, quoniam ligãdi idem & soluendi adeptus est potestatem. Tollit autẽ malè aurem audientis, tollit autẽ gladio spiritali, aurem interiorem malè intelligẽtis. Caueamus ne cui tollatur auricula. Legitur passio domini: si ad diuinitatẽ eius referimus infirmitatem corporeæ passionis, exciditur auricula, & exciditur à Petro, qui non passus est Christum prophetam æstimari, sed dei filium docuit fideli confessione signari. Ergo cùm legimus teneri Iesum, caueamus ne ab aliquo audiamus, & putemus eum secũdum diuinitatem teneri, teneri inuitum, teneri quasi infirmum. Tenetur quidẽ, & vt dixit Ioãnes, ligatur secundum corporis veritatem. Sed væ illis qui ligant verbum. Verbum enim ligant, qui tantũmodo Christum hominem putãt. Ligant qui præscium non putant, qui omnipotentem non confitentur. Mala vincula D Iudæorum, quibus non Christum ligant, sed seipsos alligãt. Ligatur autem in domo non pij alicuius & iusti, sed in domo Caiphæ, hoc est, in impia domo, vbi etiã moriturus pro omnibus prophetatur. Quàm amentes igitur qui beneficia diuina confitentur, & beneficiorum authorem persequuntur. Ideo aurem perdunt, quia perdiderunt auditus profectum. Auditum multi non habent, qui habere se credunt. In ecclesia omnes habent, extra ecclesiam non habẽt. Aut fortasse ideo aurẽ tulit, ne amplius delinquerent audientes, qui audita seruare non possent. Sic & aliquando confudit deus linguas extruentium turrem, ne se audirent, & opus suę impietatis augerent. Comprehende, si potes, quomodo ad dexteræ saluatoris attactũ fugiat dolor, & vulnera non medicamento aspersa, sed tactu obducta sanentur. Operatorem suum limus agnoscit, & operatricem suam domini manum sequitur caro. Quomodo vult enim opus suum creator instaurat. Sic & alibi cæco illi visus, luto supra oculos illito, quasi in naturã redierit, reformatur. Iubere potuit, sed operari

1785

rari maluit, vt cognoscamus ipsum esse qui è limo terræ corporis membra nostri variis apta formauit officiis, & infuso vigore mentis animauit. Venerunt ergo & cõprehenderunt eum, grauius perituri studij sui fructu: nec intellexerunt infelices mysterium, nec venerati sunt tam clemẽtem pietatis affectum, quòd etiam hostes suos non passus est vulnerari. Illi iusto mortem inferebant, persecutorum vulnera iste sanabat.

De Petri proditione per ancillam, & eius negatione.

Etrus verò sequebatur à longè.) Et bene à longè sequebatur iã proximus negaturo. Neque enim negare potuisset, si Christo proxim⁹ adhæsisset. Sed fortasse & in hoc nobis maxima sit admiratione reuerẽdus, quòd dominũ nõ reliquit etiã cùm timeret. Metus naturę est, cura pietatis. Alienũ quod timet, suũ ꝙ nõ fugit. Quod sequitur, deuotionis: quod negat, obreptionis. Cõmune quod labitur, fidei ꝙ pœniter. Iã in domo principis sacerdotũ ignis ardebat. Accesserat Petr⁹, vt calefaceret se. Quia clausõ domino calor mẽtis etiã in ipso refrixerat. Quid sibi vult quod prima eũ prõdit ancilla, cùm viri vtique magis eum potuerint recognoscere: nisi vt & iste sexus peccasse in necem domini videretur, vt & iste sexus redimeretur per domini passionẽ? Et ideo mulier resurrectionis accepit prima mysterium, & mandata custodit, vt & veterem præuaricationis aboleret errorem. Petr⁹ ergo proditus negat. Ponamus enim negasse Petrum, quia dixit dominus, Ter me negabis. Et malo negasse Petrum, quàm dominũ fefellisse. Quid negauit? Quod promisit incautè. Deuotionẽ considerauit, non respexit conditionẽ. Multatus quia dixit se animam ponere: quod nõ humanæ infirmitatis, sed diuinæ est potestatis. Cùm tam grauẽ imprudentis sermonis multã luerit, quanta est pœna perfidiæ? Vbi tamen negat Petrus? Non in mõte, non in templo, non in sua domo, sed in prætorio Iudæorũ, in domo principis sacerdotum. Ibi negat, vbi veritas non est. Ibi negat, vbi Christus captus, vbi Christus ligatus est. Quomodo enim non erraret, quẽ intromisit ostiaria, & interrogauit ostiaria, & ostiaria Iudæorũ? Malè Eua induxit Adam, malè Petrum introduxit fœmina. Sed ille in paradiso labitur, vbi non venialis culpa: hic in prætorio Iudęorum, vbi difficilis innocentia. Illi interdictus lapsus, huic prædictus error. Ille cõmissus huic pręiudicauit, hic illũ resoluit. Cõsideremus etiã quo in statu neget. *Frigus*, inquit, *erat*.) Si tẽpus cõsideremus, frigus esse non poterat. Sed frigus erat vbi Iesus non agnoscebatur, vbi nõ erat qui lucem videret, vbi negabatur ignis consumens. Frigus ergo erat mentis, non corporis. Denique ad carbones stabat Petrus, quia algebat affectu. Mala flãma Iudaica: vrit, non calefacit. Malus focus, qui quãdam etiam sanctorum mentibus fuliginem erroris aspergit, iuxta quem etiam Petri interiores oculi caligarunt. Illi oculi non carnis & sanguinis, sed oculi mẽtis, quibus Christum videbat. Dicet aliquis: Tu Iudæorum etiam elementa condemnas? Non condemno elementa, quia non sunt Iudæorum elemẽta, sed Christi. Sed alia est quam condemno flamma perfidiæ. Hãc flãmam condemno Iudęorum, diuina secutus oracula. Dicit enim dominus: Argentum vestrum reprobum est. Si argentum reprobum est Iudæorum, & focus reprobus Iudæorũ est. Denique foco & auro Iudæorum caput vituli figuratum est, hoc est, sacrilegij principatus. Sed videamus negandi tenorem, quẽ inter euangelistas video esse diuersum. Ita nouũ fuit Petrũ potuisse peccare, vt peccatũ eius nec ab euangelistis potuerit comprehendi. Itaque Petrum prõdẽti ancillæ quòd ex illis esset qui cum Iesu Galilæo erant, prima voce Matthæus posuit respondisse: Nescio quid dicas. Hoc etiam Marcus, qui secutus est Petrum, & ex ipso potuit verius cognoscere. Prima vox negantis est Petri: qua tamen non negare dominũ, sed à proditione se separasse mulieris videtur. Quid tamen negauerit, considera. Ex illis vtique se esse, qui cum Iesu Galilæo erãt. Vel, vt Marcus posuit, cùm Iesu Nazareno. Nunquid negauit cum dei fuisse se filio? Hoc est dicere: Nescio Galilæum: Nescio Nazarenũ, quẽ dei filiũ nosci. Habeant homines locorũ vocabula, dei filium patria nõ potest nuncupare, cuius maiestatẽ locus nullus includit. Et vt scias hoc verum esse, etiam exemplo probatur. Nam alibi cùm interrogaret dominus discipulos, Quem dicũt esse homines filium hominis? alij Heliam, alij Hieremiã dixerunt, aut vnum de Prophetis: Petrus autem ait: Tu es Christus filius dei viui. Nunquid & ibi negauit, quia Christum nõ hominis filiũ, sed dei maluit confiteri? Certè quid hîc putamus ambiguum, quod etiã Christ⁹ probauit? Et aliud accipe. Interrogatus Petrus, Et tu ex illis es qui cum Iesu Galilæo erant? verbũ æternitatis refugit: nõ enim erãt qui esse cœperunt: hoc est dicere, ille solus erat, qui in principio erat. Denique ait: Non sum ego. Illius est enim esse, qui semper est. Vnde & Moyses ait: Qui est misit me. Rursus cùm vrgeretur quòd ex illis esset secundũ Marcum negauit, vt scias euãgelistã veritati quàm gratiæ plus dedisse. Sed tamẽ negauit ex illis se esse, nõ Christum negauit. †Negauerat hominum cõsortia, non dei gratiam. Negauerat ex illis se esse qui cum Galilæo erant, non negauit cum dei filio. Denique secũdum Matthæum proditus quòd cum Iesu Nazareno fuisset, ait: Nescio hominem. Hoc idem & in tertia voce vterque de quibus proposuimus euangelistæ cum iuramento eum respondisse posuerunt, quia nesciret hominem. Et bene negauit hominem, quem sciebat deum. Denique vbi iusiurandum est, cauta responsio est. Nã & si negauit Petrus, nõ tamen peierauit, quia nec dominus peieraturũ esse memorauerat. Quòd si in Petro dubium est, q̃ periculosum est iusiurãdum? Ioãnes autẽ sic posuit, quoniã interrogatus ab ancilla Petrus, vtrum ex discipulis esset illius hominis, prima voce responderit: Non sum. Nõ enim erat hominis Apostolus, qui erat Christi. Denique & Paulus hominis apostolũ se esse negauit dicens: Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum, & deum patrẽ. Sed ne videretur ambiguum aliquod incarnationis afferre, subiecit: Qui suscitauit eum à mortuis: vt & hominẽ credas, cùm deum antè credideris. Quod alibi quoq; eodem tenore custodit, vbi dicit: Vnus enim deus, & vnus mediator dei & hominũ homo Christus Iesus. Prius vtiq; mediatorẽ dei q̃ hominum nuncupauit. Non enim sat est vtrumque credere, nisi fidei ordo seruetur. Cõcordat igitur vbique responsio. Nam qui dixit, Nescio hominẽ: æquum erat vt interrogatus vtrũ esset ex discipulis hominis, diceret: Nõ sum. Itaque nõ Christi discipulum se negauit, sed hominis negauit esse discipulum. Itaque & Petrus & Paulus hominem negauerũt, quẽ dei filium fatebãtur. Quod sensit Petrus, & Paulus expressit: hinc & ille profecit. Error Petri, doctrina iustorum est: & titubatio Petri, omnium petra est. Denique super vndas titubat, sed dexteram porrigit Christo. In monte cadit, sed leuatur à Christo. Titubauit quidẽ Petrus in mari, sed ambulauit firmior. Titubatio Petri super aquam, nostra est firmitudo. Ibi cadit, quo nullus ascẽdit: ibi nutat, vbi nemo ambulat. Et tamen inter vndas licet titubat, non labitur: nutat, non cadit: fluitat, non præcipitatur. Et si cecidit, in monte tamẽ cecidit. Sed felicius ille cecidit quàm alij steterunt. Felicius cecidit quẽ Christus leuauit. Iterum autẽ interrogatum num ex discipulis eius esset, Ioannes scripsit negasse. Et bene negauit, quia ex eius dicebatur esse discipulis, quẽ hominẽ in superioribus sunt locuti. Nam & tertio quòd cũ illo visus esset negauit: hoc & de superioribus deriuatur. Cũ illo quẽ hominẽ nuncupatis, nõ sui, sed à dei filio nõ recessi. Lucas quoque scripsit Petrũ interrogatũ vtrũ ex illis esset, respondisse prima voce: *Non noui illum.*) Et bene dixit. Temerarium quippe erat vt diceret quia nouerat eum, quem mens humana non potest cõprehendere. Nemo enim nouit filium, nisi pater. Rursus secunda voce secundum Lucã idem Petrus ait: *Non sum ego.*) Maluit videlicet se negare quàm Christum. Aut quia videbatur negare Christi societatẽ, vtique se negauit. Certè cùm de homine negat, in filium peccauit hominis, vt remitteretur ei: non in spiritum sanctum. Tertio quoque interrogatus ait: *Nescio quid dicas.*) Hoc est, sacrilegia vestra nescio. Sed nos excusamus, dominus ipse non excusauit. Nõ enim satis est inuoluta responsio cõfitentis Iesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba inuoluere, si videri vis denegasse? Et ideo Petrus non de industria sic respondisse inducitur, quia postea recordatus

Matth. 16.

Exod. 3.

†Negauit.

Galat. 1.

1. Timot. 2.

Matth. 11.

est, & tamen fleuit. Maluit enim ipse suum accusare peccatum, vt iustificaretur fatendo, quàm grauaretur negãdo. Iustus enim in principio accusator est sui: & ideo fleuit. Quare fleuit? Quia culpa obrepsit ei. Et ego soleo flere si culpa mihi desit, hoc est, si non me vindicem, si non obtineam quod improbè cupio. Petr⁹ doluit & fleuit quia errauit vt homo. Non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit. Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lachrymæ delictum quod voce pudor est confiteri. Et veniæ fletus consulunt, & verecundæ lachrymæ sine horrore culpam loquuntur. Lachrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur: Lachrymæ veniam non postulant, sed merentur. Inueni cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet. Antè flendum est, sic precandum. Bonæ lachrymæ, quæ lauant culpam. Denique quos Iesus respicit, plorant delictum. Negauit primo Petrus, & non fleuit: quia non respexerat dominus. Negauit secundo, non fleuit: quia adhuc non respexerat dominus. Negauit & tertio, & respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit. Respice domine Iesu, vt sciamus nostrũ deflere peccatum, lauare delictũ. Vnde etiam lapsus sanctorũ vtilis. Nihil mihi nocuit quod negauit Petrus, profuit quod emẽdauit. Didici cauere alloquia perfidorum. Petrus inter Iudæos negauit. Salomon contubernio gentili deceptus errauit. Fleuit ergo amarissimè Petrus, fleuit vt lachrymis suum posset lauare delictum. Et tu si veniam vis mereri, dilue culpam lachrymis tuam: eodem momẽto, eodem tempore respicit te Christus. Si in aliquo fortasse laberis: quia secretorum tuorum assistit testis: respicit vt recorderis, & fatearis errorem. Imitare Petrum dicentem alibi tertio: Domine, tu scis quia diligo te. Etenim quia tertio negauerat, tertio confitetur. Sed negauit in nocte, confitetur in die. Hæc autem ideo scripta sunt, vt sciamus neminem iactare se debere. Nã si Petrus lapsus est quia dixit: Et si alij scandalizati fuerint, ego non scandalizabor: quis alius iure de se præsumat? Denique & Dauid quia dixerat, Ego dixi in mea abundantia, non mouebor in æternum: eam sibi iactantiã obfuisse profitetur dicens: Auertisti autem faciem tuam à me, & factus sum cõturbatus. Vnde te euocem Petre, vt doceas me quid flens cogitaueris? Vnde, inquam, te euocem? De cœlo, vbi iã choro insertus es angelorum: an etiam de tumulo? quia non putas iniuriã & ibi esse vnde dominus resurrexit. Doce nos quid tibi profuerint lachrymę tuæ. Sed docuisti illico: Nam qui lapsus es antequam fleres, postquàm fleuisti erectus es, vt alios regeres, qui teipsum antè non rexeras. Habebat ergo lachrymas Petrus, pio quas fundebat affectu: non habebat proditor fletus quibus culpam ablueret, sed tormenta cõscientię quibus sacrilegium fateretur: vt dum suo reus iudicio damnatur, & spontaneo supplicio facinus expiatur: pietas domini, qui se ipse nollet vlcisci, & diuinitas probaretur, qui conscientiam mentis inuisibili potestate interrogaret.

Prouer. 18.

Ioan. 12.

Matth. 26.

Psalm. 29.

De cassa proditoris pœnitentia.

PEccaui, inquit, *quòd tradiderim sanguinẽ iustum.*) Etsi cassa est pœnitentia proditoris, quia peccauit in spiritum sanctum, est tamen vllus in scelere pudor culpam agnoscere. Et quamuis ille non absoluitur, Iudæorum tamen impudentia confutatur, quos cùm professio redarguat venditoris, scelerati tamen sibi vindicãt iura contractus, & exortes reatus esse se credunt, dum dicunt: Quid ad nos? tu videris. Amentes planè, qui putant soli se magis authoris scelere quàm teneri. In pecuniariis causis refuso precio ius soluitur. Hi precium recipiunt, & sacrilegium persequuntur, ac pertinacibus studiis funestam sibi vindicant sanguinis auctionem, cùm refunderet venditor sacrilegij mercedem. Euidenter itaque dum preciũ sanguinis à Iudæorum gazophylaciis separatur, & ager figuli ea qua venditur Christus, comparatur pecunia, dum is locus humãdis peregrinorum reliquiis dicatur, & prophetiæ impletur oraculum, & surgentis ecclesię mysterium reuelatur. Ager enim secundum diuina præcepta mundus hic omnis est: Figulus autem ille, qui nos formauit è limo: de quo habes in veteri testamento: Quia finxit deus hominem de limo terræ: formandi per naturam, reformandi per gratiam habens pro suo arbitrio potestatem. Nam etsi propriis viciis corruamus, per illius tamen misericordiam resumpto mentis spiritu secundum Hieremiæ oracula reformamur. Precium quoque sanguinis est preciũ dominicæ passionis. Ergo precio sanguinis emitur mũdus à Christo. Venit enim vt saluetur mundus per ipsum: in quo iuxta vt opus authoris & ius est. Venit ergo vt consepultos per baptismum & commortuos Christo, ad perpetuitatis gratiam reseruaret. Sed non passim omnibus ad sepeliẽdum est locus. Nam etsi omnes mundus includat, non omnes reseruat. Et si communis habitatio, tamen legitima sepultura est eorum scilicet, qui nunc sunt per fidem domestici dei, sed fuerunt in lege peregrini. Qui sunt isti nisi de quib⁹ dicitur: Memores estote quòd aliquando vos gentes qui eratis in carne, alienati à conuersatione Israel, & peregrini promissionis testamentorum? Sed hi nũc iam non sunt aduenæ atque peregrini, quoniam ciues sanctorum esse fidei iure meruerunt.

Matth. 27.

Gene. 2.

Ephes. 2.

Cur dominus à Pilato interrogatus tacuerit.

Caput XXIII.

SEquitur admirabilis locus, quo subeũdæ æquanimiter iniuriæ moralis infunditur patientia pectoribus humanis. Accusatur dominus, & tacet. Et bene tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo. Quid enim timeret, qui non ambiret salutem? Salus omnium suam prodidit, vt acquireret omnium. Sed quid de deo loquor? Susanna tacuit, & vicit. Melior enim causa, quæ nõ defenditur, & probatur. Et hic Pilatus absoluit, sed absoluit iudicio, crucifixit mysterio. Verum hoc speciale Christi, illud humanum, vt apud iniquos iudices magis videatur noluisse, quàm non potuisse defendi. Cur autem dominus tacuerit, ipse præmisit dicens: Si vobis dixero, non credetis mihi: si vos interrogauero, non respondebitis mihi. Illud tamen præstantissimum, quòd maluit regem se probare quàm dicere, vt condemnandi causam habere non possent, qui quod obiiciunt, hoc fatentur.

Daniel. 13.

Cur dominus coram Herode tacuerit, nec aliquid fecerit: & de reprehensione Pilati manus lauantis, & facta non diluentis.

HErode autem cupiente aliqua mirabilia eius videre, tacuit, & nihil fecit, quia nec illius crudelitas merebatur videre diuina, & dominus iactantiam declinabat. Et fortasse typicè in Herode omnes impij significantur, qui si legi non crediderint & prophetis, mirabilia Christi opera in euangelio quoque videre non possunt. Ad Herodem mittitur, ad Pilatum remittitur. Etsi vterque reum non pronunciant, alienæ tamen crudelitatis studiis obsequuntur. Lauit quidem manus Pilatus, sed facta non diluit. Iudex enim nec inuidiæ cedere debuit, nec timori, vt sanguinem innocentis addiceret. Monebat vxor. Lucebat in nocte gratia, diuinitas eminebat, nec sic à sacrilega sententia temperauit. Similiter in hoc typum omnium iudicum arbitror esse præmissum, qui damnaturi essent eos quos innoxios æstimarent. Tolerabiliores tamen gentiles esse quàm Iudæos coniuncta Pilati persona demonstrat, & magis eos posse diuinis ad fidem operibus admoneri. Quales autem illi qui dominum maiestatis crucifixerunt? Nec immeritò homicidæ absolutionem petunt, qui flagitabant innocẽtis exitium. Tales leges iniquitas habet, vt oderit innocentiam, scelus diligat. In quo tamen nominis interpretatio speciem dat figuræ. Barrabbas enim, patris filius Latinè dicitur. Illi ergo quibus dicitur, Vos ex patre diabolo estis: vero dei filio patris sui filium Antichristum prælaturi esse produntur.

Matth. 27.

Ioan. 8.

Cur dominus ab Herode veste alba indutus ad Pilatum fuerit remissus.

ET indutum illum veste alba, remisit.) Non ociosum quòd veste alba induitur ab Herode, immaculatæ tribuens indicia passionis, quòd agnus dei sine macula cum gloria, mundi peccata susciperet. In typo etiam Herodis atque Pilati qui amici ex inimicis per Iesum Christum facti sunt, plebis Israel & populi gentilis figura seruatur, quòd per domini passionem vtriusque

1789

que sit futura concordia, ita tamen vt prius populus natio-
num capiat dei verbum,& ad populum Iudæorum fidei suę
deuotionem transmittat,vt illi quoque gloria maiestatis suę
corpus vestiant Christi,quem antè despexerant.

Quid designet quòd dominus à militibus chlamyde coccinea & purpurea tunica indutus fuerit. Quid etiam corona, flagella, illusoria adoratio, arundo in manus tradita, capitis percussio significent.

CHlamydem autem coccineam induitur à militibus,& purpureã tunicã:in altera designãs martyrũ palmas,in altera regię potestatis insignia,quòd caro eius fusum toto orbe terrarũ sanguinẽ esset susceptura pro nobis,& passio regnũ paritura de nobis. Corona quoque de spinis capiti eius annexa,quid aliud quàm diuini operis munus ostendit, quod de peccatoribus mundi tanquam seculi pœnis triumphalis deo gloria quæreretur? Nec flagella vacant, quia flagellatus est ipse,ne nos flagellaremur. Homo enim in plaga cõstitutus,& sciens ferre infirmitates pro nobis dolet,à nobis qui deũ antè fugiebamus, flagella detorquens,tã patiens dominus,vt fugitiuorum vinculis proprias manus,fugitiuorum flagellis suum corpus offerret. Detestabili itaque mentis affectu:honoratum tamen Iudæi exitum produnt. Nã & compungentes coronant, & illudentes adorant. Etsi corde non credũt,quem perimunt cõfitentur. Illis licet defuit boni operis affectus,deo tamẽ suus nõ defuit honor,qui salutatur vt rex,coronatur vt victor,quasi deus & dominus adoratur. Arundo quoq; vel secundũ Matthæum comprehenditur manu eius, vt humana fragilitas iam non sicut arundo moueatur à vento,sed operibus Christi corroborata fundetur, & affixo cruci chirographo quod erat contrariũ nobis,sententiæ vetustas cessaret. Vel secundum Marcum caput eius percutitur,vt solidata diuinitatis attactu nostra conditio nutare non possit. Sed iam trophæum suum victor attollat.

De crucis Christi portatione, & vestimentorum regalium depositione.

CRux super humeros imponitur,vt trophæũ quod siue Simon siue ipse portauerit,& Christus in homine,& homo † portauit in Christo. Nec discordãt euangelistarum sententiæ,quando concordat mysterium. Et bonus ordo nostri profectus est,vt prius crucis suæ trophæum ipse erigeret,deinde martyribus traderet erigendum. Non Iudæus est qui crucem portat,sed alienigena atque peregrinus:nec præcedit, sed sequitur, iuxta quod scriptum est:Tolle crucem tuam,& sequere me. Non enim suam, sed nostrã crucem Christus ascendit:nec mors illa diuinitatis,sed quasi hominis fuit. Vnde & ipse ait:Deus deus meus,respice in me, quare me dereliquisti? Pulchrè autẽ ascensurus crucem regalia vestimenta deposuit,vt scias quasi hominem passum esse,nõ quasi deum regem:& si vtrunque Christus,quasi hominem tamen,non quasi deum cruci esse suffixum. Sed milites non Iudæi sciunt quo tempore qualia Christo vestimenta conueniant. Iudicio quasi victor assistit, ad passionẽ tamen quasi reus humilis venit. Nunc quoniam trophæum iam vidimus, currum suum triumphator ascendat, non arborum truncis aut quadriiugis plaustris manubias de mortali hoste quæsitas,sed patibulo triumphali captiua de seculo spolia suspendat. Non hic reuinctis post tergum brachiis gentes, nec excisarum vrbium imagines, oppidorúmque captorum simulachra cernimus,aut submissa captiuorum regum colla miramur, qualis humanorum solet esse species triumphorum, nec victoriæ terminos regionis fine distinctos,sed ouantes populos nationum, quæstros non ad supplicium,sed ad præmium: reges liberis affectibus adorantes, voluntariis vrbes studiis deditas, & in melius reformatas imagines oppidorum,quas nõ fucus expresserit,sed deuotio colorauerit, fidei arma, victoriarúmque iura toto orbe currentia, captiuum principem mundi, & spiritalia nequitiæ quæ sunt in cœlestibus,obedientia imperio vocis humanæ, subditas dominationes, variarúmque virtutum species non fericis sed moribus emicantes. Fulget castitas,fides splẽdet,& induta mortis exuuiis deuotio fortitudinis: iam resurgit vnius dei triũphus:fecit omnes prope iam homines triumphatores crux domini.

Christus qualis crucem ascenderit, & de tituli scriptione ac positione super crucem.

REfert igitur cõsiderare qualis ascendat. Nudum video. Talis ergo ascendat qui seculum vincere parat,vt seculi adiumenta nõ quærat. Victus est Adam qui vestimenta quæsiuit,vicit ille qui tegimenta deposuit:& talis ascendit, quales nos authore deo natura formauit. Talis in paradiso homo primus habitauerat,talis ad paradisum homo secundus intrauit. Et vt non sibi soli,sed omnibus vinceret,manus extẽdit,quo omnia traheret ad se,vt nodo mortis exuta,iugo fidei suspensa, cœlestibus ea quæ prius erant terrena sociaret. Scribitur & titulus. Solet precedere pompa victores. At verò currum domini triumphalem præibat bona pompa resurgentium defunctorum. Solet etiam titulus subiugatarum gentium numerum designare. Sit in illis triumphis ordine quodam digesta miserabili deuictarum præeuntium contumelios a captiuitas nationum,hîc redemptarum gentium vernat gratia. Digni tanto triumpho iugales,vt cœlũ,terra,maria,inferna, à corruptela mutentur ad gratiam. Scribitur autem titulus & super crucem ponitur,non infra crucem, quia principium super humeros eius. Principium autem quid est,nisi sempiterna virtus eius atque diuinitas? Vnde & ipse interrogatus: Tu quis es? respõdit, Principium,qui & loquor vobis. Legamus hunc titulum: *Iesus*, inquit, *Nazarenus, rex Iudæorum.*) Meritò supra crucem titulus,quia non humani corporis,sed diuinæ potestatis est regnum quod habet Christus. Meritò supra crucem titulus, quia licet in cruce erat dominus Iesus, supra crucẽ tamen regis maiestate radiabat. Vermis in cruce, scarabæus in cruce. Et bonus vermis, qui hæsit in ligno. Bonus & scarabæus, qui clamauit è ligno. Quid clamauit? *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.*) Clamauit latroni: *Hodie mecum eris in paradiso.*) Clamauit quasi scarabæus: *Deus deus meus respice me, quare me dereliquisti?*) Et bonus scarabæus, qui lutum corporis nostri antè informe ac pigrum, virtutũ versabat vestigiis. Bonus scarabæus, qui de stercore erigit pauperem. Erexit Paulum qui æstimatus est stercora. Erexit & Iob, qui sedebat in stercore. Nõ mediocris ergo titulus. Ipse autem crucis locus,vel in medio,vt cõspicuus omnibus, vel supra Adæ, vt Hebræi disputant, sepulturam. Congruebat quippe vt ibi vitæ nostræ primitiæ locarentur, vbi fuerant mortis exordia.

Esaiæ 9. *Ioan. 2.*

De diuisione vestimentorum domini.

DIuiduntur vestimenta.) Alij aliud sorte defertur. Dei enim spiritus non humana opinione cõprehenditur,sed quasi quodam euentu inopinãti illabitur. Et fortasse milites isti, quatuor euangelistarum habeant typum,qui scripserunt titulum,quem omnes legamus. Lego titulum regis Iudæorum,cùm lego: Regnum meũ non est de hoc mundo. Lego causam Christi supra caput eius scriptam,cùm lego: Et deus erat verbum. Caput enim Christi deus. Isti ergo seruabant Iesum, & hodie seruant, ne cui fortè labatur, ne cui de passione descendat, quod petebat populus Iudæorum. Mihi planè Christus in passione moriatur, vt post passionem resurgat. Noluit descendere,ne descenderet sibi,sed moreretur mihi. Nobis ergo iam Christus seruatur,propter nos diuiduntur vestimenta eius. Non possunt singuli habere omnia,& ideo super tunica sors agitatur, quia non pro hominis voluntate diuisio fit spiritus sancti. Diuisiones enim gratiarum sunt, sed operatus est spiritus diuidens singulis prout vult. Intuere nunc Christi vestimenta diuisa. Vbi illa quæram? Quære in Matthæo. inuenies penes ipsum solum chlamydem coccineam, penes Ioannem vestem purpuream, penes Marcum purpuram tantum,penes Lucam vestem albam. Hac enim sola pro sua fuit portione contentus. Quantos itaque Christus sua veste vestiuit? Puto autem quòd non quatuor tantum, sed omnes vestiuit milites,& omnibus abundauit. Sed reuertamur ad euangelistas. Iste itaque quatuor partes non partes vestium, sed qualitates mihi videntur esse virtutum. Alius enim de regno sublimius scripsit, alius de hominis institutione diffusius. Lucas nitorem sibi sacerdotalis vestis elegit.

1. Corin. 12.

Marcus

Marcus verborum textum non desiderauit. Denique Ioannes quasi quasdam intexit sententias, quibus vestiat fidem nostram. Nónne tibi videtur intextum illud: In principio erat verbum, & verbũ erat apud deum, & deus erat verbũ, hoc erat in principio apud deũ, omnia per ipsum facta sunt? At verò Marcus tanquam purpuræ fulgore contentus, sine vlla intextione verborum, Initium, inquit, euangelij Iesu Christi filij dei. Ergo cætera vestimenta diuisa sunt Christi, vel gesta vel gratia: tunica non potuit diuidi, fides scilicet: quoniam non pro portione singulorum, sed pro iure communis est omnium. Quod enim non diuiditur, singulis manet integrũ. Et bene desuper texta legitur. Sic enim texitur fides Christi, vt de diuinis ad humana descẽdat, eò quòd ante secula ex deo natus, posteriore tempore susceptionẽ carnis assumpserit. Significatur igitur nobis eo, quòd non debeat fides scindi, sed solida permanere.

Ioan. 1.

De duobus latronibus, vno rogante ac veniam consequente, & altero conuitiante.

AMen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.) Pulherrimum affectandæ conuersionis exemplum, quod tam citò latroni venia relaxatur: & vberior est gratia quàm precatio. Semper enim plus dominº tribuit quàm rogatur. Ille enim rogabat vt memor sui esset dominus cùm venisset in regnum suum: dominus autem ait: Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Vita est enim esse cum Christo: quia vbi Christus, ibi regnum. Citò igitur ignoscit dominus, quia citò ille conuertitur. Vnde & illud solui videtur, quia alij duos conuitiantes inducunt latrones, iste vnum conuitiãtem, vnum rogãtem. Fortasse & iste prius conuitiatus est, sed repente conuersus est. Nec mirum si conuerso culpam ignoscebat, qui insultãtibus veniam relaxabat. Potuit etiam de vno pluraliter dicere, sicut illud est: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum. Solus enim rex Herodes & princeps Pilatus, in apostolorum actibus conspirasse aduersus Christum Petri voce produntur. Sic & ad Hebræos habes: In caprinis pellibus ambulabant, secti sunt, & leonum molas obstruxerunt, cùm solus Helias meloten habuisse, Esaias sectus esse, Daniel à leonibus intactus mãsisse doceatur. Quàm execrabilis in facto iniquitas Iudæorum, vt quasi latronem crucifigerent omnium redemptorem. Bonus tamen in mysterio latro, qui insidiatus est diabolo, vt vasa eius auferret. Mysticè tamen latrones duos populos peccatores significant per baptismum crucifigendos esse cum Christo. Quorũ dissensio, diuersitatem pariter credentium signat. Denique vnus à sinistris, alter à dextris erat. Increpatio quoque futurũ crucis scandalum etiam circa credentes reuelat.

B

Psalm. 2.

Hebr. 11.

De oblatione aceti, & potatione Iesu.

ET acetum offerebant Iudæi.) Bene ad consummanda omnia & corruptio synceritatis hauritur, vt omnia cruci quę vitiata fuerant figerentur. Acetum itaque bibitur, vinum cum felle non bibitur: non quia fel, sed quia admixtæ vino amaritudines recusantur. Nam vtique amaritudines vitæ nostræ pro corporis conditione susceptit. Denique ipse ait: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Sed synceritati non debuit amaritudo misceri, vt ostẽderetur sine amaritudine futura immortalitas resurgentium. Quæ quoniam immortalitas in vase coacuerat humano, reparatur in Christo. Ergo acetum bibitur, hoc est, vitium corruptæ per Adã immortalitatis aboletur in calamo, vt de corpore absolueretur † humano. Nos quoque vitia nostra per incuriam mẽtis corporisque concreta transfundamus in Christum, trãsfundamus per baptismum, vt crucifigamur in Christo. Trãsfundamus per pœnitentiam, vt ab illo nobis vini sanguinisque cœlestis incorrupta synceritas refundatur. Denique vbi acetum bibit, *consummata sunt*, inquit, *omnia:*) eo quòd assumptę mortalitatis impletum esse omne mysterium, & exhaustis omnibus vitiis immortalitatis sola lætitia remansisset. Et ideo ait:

Psalm. 68.

† *absorberetur.*

De commendatione spiritus Iesu in manus patris, & traditione eiusdem, de tenebrarum quoque offusione, petrarum scissione, ac cæteris signis tunc factis.

PAter, in manus tuas commendo spiritum meum.) Et bene commẽdatur spiritus, qui seruatur. Quod enim cõmendatur, vtique non amittitur. Bonũ ergo pignus est spiritus, bonum depositũ. Vnde & ille ait: O Timothee, bonum depositum custodi. Commendatur ergo patri spiritus. Et ideo ait: Quoniam non derelinques in inferno animam meam. Vide autem magnum mysterium. Nunc commendat in manibus patris spiritum suum, nunc in patris gremio sedet, quia totũ alius non capit Christum. Denique ego, inquit, in patre, & pater in me. Cõmendatur ergo patri spiritus: sed cùm sit in superioribus, illuminat & inferna, vt vniuersa redimãtur. Etenim Christus omnia, & in Christo omnia, licet in singulis Christus operetur. Caro moritur vt resurgat, spiritus patri commendatur, vt cœlestia quoque ab iniquitatis vinculo soluerentur, & pax fieret in cœlo, quam terrena sequerentur. *Et hoc dicto tradidit spiritum.*) Et bene tradidit, qui nõ inuitus amisit. Denique Matthęus ait: Emisit spiritum. Quod enim emittitur, volũtarium est: quod amittitur, necessarium. Propterea addidit: Voce magna. In qua dei professio gloriosa, vsque ad mortem se pro nostris descendisse peccatis annunciat. (Ergo nec ego erubescam fateri quòd Christus non erubuit voce magna profiteri) vel euidens manifestatio contestantis dei secessionem diuinitatis & corporis. Sic enim habes: Clamauit Iesus voce magna dicens: Deus deus meus respice me, quare me dereliquisti? Clamauit homo diuinitatis separatione moriturus. Nam cùm diuinitas mortis libera sit, vtiq; mors esse non poterat, nisi vita discederet: quia vita diuinitas est. Iam quę sequuntur, ostendunt quia propter impietatem hominũ finis seculi sit futurus. Itaque significatur per domini passionem occasura præsentia, vt oriantur futura. Tenebræ igitur offusæ sunt oculis perfidorum, vt fidei lumen refulgeret. Sol occidit sacrilegis vel refugit, vt funesti spectaculum sceleris obumbraret. Petræ scissæ sunt, vt per prærupta saxorum ostẽderetur futurum quoniam verbi vis pectorum dura penetraret, quo facilius ex cauis petrarum illi venatores quos Hieremias prædixit, domino venarentur. Monumentorum autem reseratio quid aliud, nisi claustris mortis effractis resurrectionem significat mortuorum? quorum in aspectu fides, in processu typus, quod in sanctam prodeundo ciuitatem præsentium specie, declarabat in illa Hierusalem quæ in cœlo est, futurum perenne diuersorium resurgentium. Etiam velum scinditur, quo vel duorum populorum diuisio, vel mysteriorum synagogę profanatio declaratur. Scinditur ergo velum vetus, vt ecclesia noua fidei suæ vela suspendat. Synagogæ velamen aufertur, vt religionis interna mysteria reuelato mentis cernamus obtutu. Denique iam etiam Cẽturio dei filium quem crucifixerat, cõfitetur. O duriora saxis pectora Iudæorũ. Finduntur petræ, sed horum corda durãtur. Iudex arguit, credit minister, proditor scelus suum voluntaria morte condemnat, elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta referãtur: Iudæorum tamen immobilis duritia manet orbe concusso.

A

Matth. 27.

C

De commendatione Mariæ matris discipulo Ioanni, & de percussione lateris Iesu post mortem eius.

STabant autem mulieres hæc videntes.) Stabat & mater cum studio pietatis, quę sua pericula posthaberet. Sed & dominus suspensus in cruce, qui sua pericula contemneret, pio matrem commendabat affectu. Quod non ociosè Ioannes pluribus prosecutus est. Alij enim mundum descripsere concussum, cœlum tenebris obductum, refugisse solem. Addiderunt Matthæus & Marcus, qui humana atque mortalia vberius prosecuti sunt: Deus deus meus respice me, quare me dereliquisti? vt ad crucem Christi susceptionem peruenisse crederemus conditionis humanę. Lucas autem competenter asseruit latroni veniam sacerdotali intercessione donatam, & Iudæis persequentibus eodem munere indulgentiam postulatam. Ioannes ergo qui plenius diuina penetrauit mysteria, non immerito laborauit, vt quæ deum generauerat, mansisse eam virginem declararet. Solus ergo me docet, quod alij non doctrem, cuerunt, quemadmodum in cruce positus appellauerit ma-

Ioan. 19.

D

2. Tim. 8.

Psalm. 15.

Ioan. 14.

1793

trem, pluris putans quòd victor suppliciorum atque pœnarum, victor diaboli, pietatis officia diuidebat, quã quod regnum cœleste donabat. Nam si religiosum est quòd latroni venia donatur à domino, multo religiosius quod mater honoratur à filio. Nec præposterum iudicetur, quòd prius latronis absolutionem quam matris appellationẽ scripsi. Qui enim venerat saluos facere peccatores, non absurdũ si prius in meis scriptis susceptum munus in redimenda salute peccatoris impleuit. Deniq; ipse ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quia non venerat vocare iustos, sed peccatores. Sed ibi pro loco, hîc & in cruce nõ immemor matris, appellat eam dicens: Ecce filius tuus. Et Ioanni: Ecce mater tua. Testabatur de cruce Christus, & testamentũ eius signabat Ioannes. Dignus tanto testatore testis. bonum testamẽtum non pecuniæ, sed vitæ: quod non atramento scribitur, sed spiritu dei viui. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Sed nec Maria minor, quæ vt matrem Christi decebat, fugientibus apostolis ante crucẽ stabat, & piis spectabat oculis filij vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mũdi salutem. Aut fortasse quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat se & sua morte publico muneri aliquid addituram. Sed Iesus non egebat adiutore ad omnium redemptionem quia dixit: Factus sum, sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Suscepit quidem matris affectum, sed nõ quæsiuit hominis auxilium. Habemus igitur pietatis magistrum. Doceat lectio quid maternus debeat affectus imitari, quid sequi reuerentia filiorum, vt illæ se offerãt in filiorum periculis, illis amplius solicitudo materna, quã suæ mortis mœstitia sit dolori. Quo loco vberrimum testimonium Mariæ virginitatis perhibetur. Neque enim abrogaretur vxor marito, cùm scriptũ sit: Quod deus coniunxit, homo non separet. Sed quæ pro mysterio coniugium prætexuit, completis mysteriis iam coniugio non egebat. Aut si moralia sequimur, in mœrore castitas imperatur. Mysticum tamen est quòd cõmendatur Ioanni inter cæteros iuniori: quod non ociosis auribus debemus accipere. Periculosa est enim mulieribus copula adolescentis, & species iuuẽtutis, ne qua fortasse curiosa exempli, incuriosa mysterij, quæ luxuriari in Christo cupiens, Mariã specie prætendat, non imitetur affectu, sicut vulgus nunc malè audit mulierum, relicto seniore marito vt iuniorẽ sequatur. Discat ergo ecclesię hoc esse mysterium, quæ populo seniori specie antè copulata, non vsu, posteaquam peperit verbum, & in corporibus ac mentibus hominum per fidem crucis & sepulturam dominici corporis seminauit, ex prẽcepto dei societatem populi iunioris elegit. Quæro etiam cur ante mortem non inueniamus esse percussum, post mortem inueniamus: nisi fortè vt voluntarius magis quàm necessarius exitus eius fuisse doceatur, & ordinem mysticum nouerimus, quia non antè altaris sacramenta † quàm baptismum, sed baptismũ antè, sic poculum. Deinde vt aduertamus quia licet corporis eius fuerit natura mortalis, licet qualitas similis, dissimilis tamen gratia. Nam vtique post mortem sanguis in nostris corporibus congelascit. Ex illo autem incorrupto licet corpore, sed defuncto, omniũ vita manabat. Aqua enim & sanguis exiuit, illa quæ diluat, iste qui redimat. Bibamus ergo precium nostrum, vt bibendo redimamur.

De sepultura corporis Iesu, & diligentia mulierum circa illam.

Vid sibi etiã vult quòd nõ apostoli sed Ioseph & Nicodemus Christũ sepeliunt, vnus iustus & cõstãs, alter in quo dolus nõ erat? Talis enim Christi est sepultura, quæ fraudem iniquitatémq; non habeat. Obstruitur igitur tergiuersandi locus, & domestico Iudæi testimonio reuincuntur. Nã si apostoli sepelissent, dicerent vtique nõ sepultum, quem raptum esse dixerunt. Iustus autẽ Christi corpus operit sindone, innocens vngit vnguento. Namque hæc non ociosè distincta reperimus, quia iustitia vestit ecclesiam innocentia gratiã subministrat. Veste ergo & tu domini corpus gloria sua, vt & ipse sis iustus. Etsi mortuum credis, operi tamẽ diuinitatis propriæ plenitudine. Vnge illud myrrha & aloe, vt bonus odor Christi sis. Bonum linteum misit Ioseph ille vir iustus, & fortasse illud

A quod Perrus vidit è cœlo ad se esse demissum, in quo erãt genera quadrupedũ & ferarum & volucrum, ad similitudinem gentiliũ figurata. Mystico igitur vnguẽto illo pystico consepelitur ecclesia, quæ diuersitatẽ populorum fidei suæ communione sociauit. De hoc Ioseph in Ioanne solo inuenio, quòd occultus venerit ad Pilatum, propter metum Iudæorum. Quomodo iustus latebram periculi timore quæsiuit? Ego autem puto quòd ideo occultè petierit, vt corpus impetraret, nõ vt periculum caueret. Et tamen quid mirum si occultabatur iustus, quando occultabantur & apostoli iustorum magistri? Veni & tu vel serò, vel nocte, vel quacunque hora: quandocunque veneris, inuenies Iesum ad suscipiendum paratum, nec minorem serius venientibus mercedem pia largitate soluentem. Nam & qui sexta hora venit, nõ est mercede fraudatus: & qui vndecima, plenitudinẽ mercedis accepit. Sed etiã Nicodemus nocte venit. Nox erat quia adhuc nõ erat resurrectio. Denique resurrexit Christus, & iustus air: Nox præcessit, dies autem appropinquabit. Hũc Ioseph iustum Lucas dixit, Matthæus diuitem. Et meritò diues

B hoc loco dicitur, vbi corpus suscepit Christi. Suscipiendo enim diuitem, nescíuit fidei paupertatem. Diues est ergo qui iustus est. Iustus igitur sindone inuoluit. Israëlita verò & diuersos miscet virtutum odores, & aloes mittit quasi libras centum, hoc est, perfectę fidei quantitatẽ. Et ligauerunt corpus Iesu iuxta consuetudinem spiritalium Iudæorum, non vtique nodis perfidiæ, sed fidei ligaturis. Et posuerunt eum in horto. cui frequenter ecclesia comparatur, quæ diuersorum habet poma meritorum, florésque virtutum. Nec ociosè alius monumentum nouum dixit, alius monumẽtum Ioseph. Non habebat igitur Christus tumulum suum. Etenim tumulus his paratur qui sub lege sunt mortis. victor mortis tumulum suum nõ habet. Quæ enim communio tumulo & deo? Deniq; Ecclesiastes ait de eo: Qui meditatur in bonis, & sepultura non est illi. Specialis igitur præter communem omnium mortem mors Christi est, & ideo nõ cum aliis sepelitur, sed solus tumulo includitur. Omnia enim in similitudinem hominum habuit incarnatio domini, sed similitudo erat cum differẽtia. Natus est ex virgine similitudine generationis, dissimilitudine conceptionis. Curabat ęgros, sed

C imperabat. Aqua Ioannes baptizabat, hic spiritu. Et mors ergo Christi communis secundum naturã corporis, specialis secundum virtutem. Quis autẽ est Ioseph cuius in tumulo ponitur? Vtique ille iustus. Bene ergo Christus in monumẽto † ponitur iusti, vt habeat filius hominis vbi caput suum reclinet, & iustitiæ habitatione requiescat. Bene autẽ nouo, secundum literam quidem, ne alius suscitatus à perfidis diceretur. Mysticè verò quid possumus intelligere, nisi fortè quia legimus: Sepulchrum patẽs est guttur eorum? Ergo se-

D pulchrum patens est guttur hominis, in quo perfidia letalis & mortua verba conduntur, quod per vetustatem & incursionem aliquam bestiarũ fatiscit & soluitur. Est ergo econtrario monumentum in secretis hominum, quod sibi in pectoribus duritiæ gẽtilis, penetrabili verbo iustus excidit, fidei atque doctrinæ operibus expolitum, vt prætenderet in nationibus virtus Christi. Cui pulcherrimè lapis admotus est, ne pateret. Quicunque enim in se bene humauerit Christũ, diligenter custodiat, ne eum perdat, néve perfidiæ sit ingressus. Vides enim quia Petrus & Ioannes priores intrare meruerunt. Denique Ioannes ipse non antequam crederet introiuit. Et bene in petra excisum dicitur, hoc est, in fidei firmamento, de qua veri Israëlitę dulcedinẽ mellis & oleum spiritale suxerunt. Sepelierunt enim Christum iustus & qui deum vidit. Non enim sepelierunt Christum, nisi qui deum credunt. Non omnes possunt sepelire Christum. Denique quamuis religiosæ mulieres, longè stant: sed quia religiosæ, locum diligenter obseruant, vt vnguenta afferant, & superfundant. Solicitè tamen & à monumento posteriores recedunt, & ad monumentũ priores reuertuntur. Etsi deest constantia, non deest diligentia. Sexus nutat, deuotio calet.

De deuotarum mulierum atque discipulorum ad monumentum aduentu, angelorum quoque apparitione, ac dubitationibus circa hæc occurrentibus.

Denique

Acto. 10.

Ioan. 19.

Matth. 20.

Ioan. 19.

Roman. 13.

Luca 9. † conditur.

Psalm. 5.

Caput XXIIII.

DEnique resurrectionis tempore præsto sunt & cũ viri fugarentur, solæ tamen ab angelo ne timeant admonentur. Petrum euocant studio priores, sed posteriores fiducia. Denique ille sine metu aduenit, & constanter qui posterior venerat, primus ingreditur, quasi qui claues regni vt aliis aperiret acceperat. Terræ motus autẽ fidelibus resurrectio est, imperitis metus. His, quia pigrum corpus à mortis sopore se commouet: illis, quia tremore corporis & terrena mobilitate turbati, à resurrectionis fide & credulitate defciscunt. *Mane autem sabbati venerũt valde tempore ad monumentum.*) Magna oritur hoc loco plerisque dubitatio. Nam etsi non videntur euãgelistæ dixisse cõtraria, tamen diuersa dixerunt. Siquidẽ hic, Mane valde tempore: Marcus, Valde mane: Matthæus, Vespere sabbati: Ioãnes, Prima sabbati cùm adhuc tenebræ essent: mulieres ad monumentum venisse dixerũt. Deinde hic duos viros, Marcus vnum iuuenem in albis sedentem, Matthæus vnum angelum, Ioãnes duos angelos in albis sedentes visos esse memorarunt. Postremo, quod vix enodabile videatur, Ioannes scripsit dictum Mariæ Magdalenæ: Noli me tangere: nondũ enim ascendi ad patrem meum. Matthæus occurrisse dominum scripsit Mariæ Magdalenæ, & alteri Mariæ, & illas accessisse & tenuisse pedes eius, & adorasse, euidentissima descriptione digessit. Quomodo ergo soluẽdum, nisi quatuor euangelistas de diuersis quatuor putes dixisse temporibus, vt & personas alias mulierum, & alias coniicias visiones? Denique aliæ cum vnguento prima sabbati veniunt, aliæ sine vnguento vespere sabbati. Istarum nomen exprimitur, illæ de Galilæa secutæ dominum designantur. Quo loco ne quem spinosæ interpretationis in fine offendat asperitas, vbi suauia fortè præsumpta sunt: æstimate iam nos complendi sermonis vela submittere, quoniam ad portum venimus, & nauis quæ cursu concito maria transmeauerit, vbi littori cœperit appropinquare, latentia cautium cursu perstringit infracto. Ergo ne tanquam inerti gubernatori in arenis littoris sermo mihi hæreat, tanquam vada cæca legam, tentandum iter quàm præcipitandum arbitror, quo minus rimosa nobis fatiscat oratio.

Marc. 16. Matth. 28. Ioan. 20.

A B C

De hora dominicæ resurrectionis, & de Maria Magdalena, vtrum vna vel plures: De manifestatione præterea domini Iesu post eius resurrectionem.

PRimum igitur illud spectandũ est, quid est quòd scriptum est, vespere autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati, resurrexisse dominũ. Sic enim habes, quia vespere sabbati venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulchrũ. Et ecce terræ motus factus est magnus. Non enim die sabbati, (nam siluerũt die sabbato secundum mandatum) sed post sabbati diem, nocte vtique resurrexit. Denique quæ mane venerunt, licet valde tempore, tamen iam dominum resurrexisse cognouerũt. Sic igitur temperãdum est, vt neq; mane dominica quæ est prima post sabbatum, neq; sabbato resurrectio facta credatur. Nam quomodo triduum completur? Non ergo vesperascẽte die, sed noctis vespere resurrexit. Denique Græcus serò dixit, hoc est, ὀψέ. Serò autem & horã significat in occasum diei, & cuiusque rei significat tarditatẽ, quomodo si dicas, Serò mihi suggestum est: id est, tardè. Serò venit, id est, qui post præstitutum tempus aduenit, licet mane sequenti die venerit, serò est tamen vbi agendi tempus emensum est. Est & serò tempus noctis profundum, vt si dicas: Serò ad lucubrãdum surrexi, id est, non vespertino tempore, sed profunda nocte surrexi. Vnde & mulieres ad monumentum accedendi habent facultatem, iam vtique custodibus quiescentibus: & ipsi custodes terrentur amplius, quod vsu venit somno excitis. Postremò etiam principes sacerdotum congregati cum senioribus, nocte id factum esse confirmant, dicẽtes custodibus: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormiẽtibus. Ex tempore enim quod à custodibus compererunt, argumentum fraudis arripiunt. Nam & Ioannes mane, cùm adhuc tenebræ essent, Mariam Magdalenam ad se & ad Petrum veniisse significat, & tamen ignaram factæ resurrectionis inducit. Nam vtique si aduesperascente die facta esset, statim potuit innotescere. Manè

Matth. 28. Matth. 28.

D

1796

est, & adhuc Petrus nescit, nescit Ioãnes. Nunquid patiebatur domin⁹ diutius torqueri discipulos suę mortis incertos, ad quos statim angelus domini gestæ rei nuncias mulieres destinauit? Et vt scias nocte factũ, mulieres aliæ nesciũt, aliæ sciunt: sciunt quæ obseruarunt noctibus & diebus, nesciunt quæ recesserunt. Nescit vna Magdalene Maria secundũ Ioãnem, scit altera Maria Magdalene secundum Matthæum. Nam eadem & antè scire, & postea nescire non potuit. Ergo si plures Mariæ, plures fortasse etiam Magdalenę: cùm illud personæ nomen sit, hoc locorum. Denique alteram esse cognosce. Illa admittitur pedes domini tenere, tangere dominum ista prohibetur. Illa angelũ videre meruit, hæc primo cum venit, neminem vidit. Illa discipulis dominum resurrexisse nunciauit, ista raptum esse significat: illa gaudet, hæc plorat. Illi in gloria sua iã Christus occurrit, hęc adhuc mortuum quærit: illa dominũ vidit & credidit, hæc non potuit agnoscere cùm videret. Illa fideli adorabat spiritu, hæc dubio mœstificabatur affectu. Meritò nimirum prohibetur tãgere dominum. Non enim corporali tactu Christum sed fide tangimus. Nondum enim, inquit, ascẽdi ad patrem meũ: hoc est, nondum tibi ascendi, quæ viuentem cum mortuis quæris: & ideo ad fortiores mittitur, quorum credere discat exemplo, vt illi resurrectionẽ prędicent. Sicut enim in principio mulier auctor culpæ viro fuit, vir executor erroris: ita nunc quæ mortem prior gustauerat, resurrectionem prior vidit, culpæ ordine, remedio prior. Et ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret: quę culpam viro transfuderat, transfudit & gratiam: veterísque lapsus compensat ærumnam resurrectionis indicio. Per os mulieris mors antè processerat, per os mulieris vita reparatur. Sed quia constãtia ad prędicandum inferior sexus, ad exequendũ infirmior: viris euangelizandi mandatur officium. Nam sicut mulierũ per Iesum non solum culpa soluitur, sed etiã multiplicatur gratia, vt pluribus suadeat quæ vnum antè deceperat: ita & vir, qui temere antè crediderat, fœneratum munus recuperare debuit: vt qui sibi ipse fuerat ad credendum lubricus, fieret aliis ad prędicandũ idõneus. Sed aduertamus ipsa verba † mandati. Noli me tangere: nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascẽdo ad patrem meum, & patrem vestrum: deum meũ, & deum vestrum. Quomodo non ascenderas domine Iesu? Quemadmodum aberas, qui in manus patris commendaueras spiritum? Aut quando abesse potes, qui semper in patre es, cum patre semper? Denique ipse dixisti: Si descẽdero in infernũ, ades. Si sumpsero pẽnas meas ante lucem, & habitem in extremo maris: etenim illuc manus tua deducet me. Aut quomodo ascendis, qui vbique semper es? Descendisti quidem filius hominis, nec patri cùm descenderas, abfuisti: sed descendisti nobis, vt te oculis ac mentibus videremus, vt in te crederemus. Ergo & ascendisti nobis, vt te sequamur mentibus, quem oculis videre non possumus. Ascendisti apostolis, quibus dixisti: Qui me videt, videt & patrem. Denique Ioãnes vbi te quæreret, sciuit. Apud patrem quæsiuit, & reperit. Et ideo ait: Et verbum erat apud deum. Ascendisti & Paulo, qui non contentus solus te sequi, nos quoque docuit quemadmodum te sequamur, & vbi te reperire possimus, dicens: Si ergo consurrexistis cum Christo, quę sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexteram dei sedens. Et ne oculorum magis hoc quàm animorum putaremus officium, addidit: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ergo non supra terram, nec in terra, nec secũdum carnem te quærere debemus, si volumus inuenire. Nunc enim secundum carnem iam non nouimus Christum. Denique Stephanus non supra terram quæsiuit, qui stantem te ad dexteram dei vidit. Maria autem quæ quærebat in terra, tangere non potuit. Stephanus tetigit, quia quæsiuit in cœlo. Stephanus inter Iudæos vidit absentem, Maria inter angelos non vidit præsentem. Sed quare non potuerit illa tangere, Euangelista ipse nos docuit, dicens: Quia cùm te videret, nesciebat quia tu es. Sic enim habes: Conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & nesciebat quia Iesus est. Meritò tangere non potuit, quæ videre non poterat: nam qui videt, tangit. Itaque quid interfit inter illam & hanc Mariam, scriptura distin-

† mandata. Ioan. 20. Psalm. 138. Ioan. 14. Ioan. 1. Coloss. 3. 2. Cor. 5. Act. 7. Ioan. 20.

1797

distinguit. Illa occurrit vt Iesum videat, hæc retrorsum conuertitur: illa salutatur, hæc redarguitur. Denique sic habes: Dicit ei Iesus: mulier. Quæ non credit, mulier est, & adhuc corporei sexus appellatione signatur. Nam quæ credit, occurrit in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, carens iam nomine seculi, corporis sexu, lubrico iuuenturis, multiloquio senectutis. Dicit ergo Iesus: Mulier quid ploras? Quasi dicat: Non lachrymas nudas deus, sed fidem exigit. Bonæ lachrymæ, si Christum agnoscas. Quem quæris? inquit. Molimina enim fera dominus condēnat. Sed bene addidit, Quem quæris? non quo iste dubitet quem requirat, sed quia illa quem quærebat, ignoret. Nō enim Christum quærit, quem putat raptum. Adest Christus quemadmodum quæritur. Nescitur ergo qui quæritur, quando non agnoscitur cùm videtur. Denique Christum videbat, & hortulanum putabat. Sic enim habes: Illa existimās quia hortulanus esset, dixit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum. & ego eum tollā. Etsi fide incerta, tamē sermone nō lubrica: & si hortulanum putauit, tamen dei filium designauit: & si adhuc non credat, tamen affectat vt credat. Ipse enim corpus tulit, qui suscitauit. Ergo veniabilis error mulieris, quæ licet dubitare non debuit Christi corpus per gloriam resurrectionis assumptū, doceri tamē gestit à Christo, & fidem suam iam deuota promittit, vt & ipsa illud iam tollat è terris, & ad dexteram dei quærat. Denique post hæc verba nō mulier, sed iam Maria vocatur. Aliud est enim commune vulgi nomē, aliud speciale personæ Christum sequētis. Et ad discipulos, licet nondum arbitra, plenæ tamen fidei nuncia destinatur. Prohibetur autem tangere, quia nondum inhabitare in Christo corporaliter plenitudinem diuinitatis sicut Paulus acceperat: nondū euacuauerat lubricum seculi, carnis ambiguum: nondum vitam vixerat Christi. Denique ista nec adorat dominum, nec pedes tenet, sicut illa Maria: in qua vtique nō tam obsequium corporale, quàm plenæ fidei designatur affectus, quòd Christum & hominē & deū credat. Deus est enim qui adoratur, homo autem qui tenetur. Non igitur tangi dominus fastidit à fœmina, cuius & Maria pedes vnxit vnguēto: nec tactum dedignatur, sed profectū docet: quia non omnes Christum possunt tangere resurgentem, quem tetigerunt in hac vita & corpore commorātem. Qui vult Christum tangere, sua mēbra mortificet, & resurrecturo similis induat viscera misericordię, non ambigat renūciare terrenis. Quid est igitur, *Noli me tangere?* Noli manum adhibere maioribus, sed vade ad fratres meos, hoc est, ad perfectiores. Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meꝰ & frater, & soror, & mater est. Quia resurrectio nō facilè nisi à perfectioribus capi potest, fundatioribus huius fidei prærogatiua seruatur. Mulieribus autem docere in ecclesia non permitto, domi viros suos interrogent. Ad eos ergo mitto, qui domestici sunt. & accepit præscripta mandata. Nec fugit hoc loco sensisse quosdā ideo Christum noluisse tangi, quia nondum receperat typū † quem commendauerat patri, quasi adhuc eum tangere non deberet. Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, deū meum, & deum vestrum. Bene distinxit, quia mulieri loquebatur. Non enim communis nobis natura cum Christo, nisi conditionis humanæ: illi pater generatione propria, nobis adoptione volūtaria: illi per naturam, nobis per gratiam: illi deus vnitate mysterij, nobis potestate cœlesti. Dicit aliquis: Quomodo ergo Thomas cùm adhuc non crederet, tetigit tamē Christum? Sed ille nō de resurrectione domini, sed de resurrectionis videtur qualitate dubitasse: & tactu suo debuit me docere, sicut docuit & Paulus. Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionē, & hoc mortale induere immortalitatem, vt incredulus credat, & cunctator dubitare non possit. Facilius enim credimus quod videmus. Habuit autem admirandi causam Thomas, cùm videret clausis omnibus per inuia septa corporibus inoffensa compage corpus insertum. Et ideo mirum quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, inuisibili aditu, visibili conspectu: tangi facilis, difficilis æstimari. Denique, *Conturbati discipuli æstimabant se spiritum videre.*) Et ideo dominus, vt † speciem nobis resurrectionis ostenderet, *Palpate,* inquit, *& videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*) Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem imperuia vsu clausa penetrauit. Nam quod tangitur, corpus est: quod palpatur, corpus est: in corpore autē resurgemus. Seminatur enim corpus animale, surgit corpus spiritale. Sed illud subtilius, hoc crassius, vtpote adhuc terreuæ labis qualitate concretū. Nam quomodo non corpus, in quo manebāt insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ dominus palpanda obtulit? In quo non solum fidem firmat, sed etiam deuotionem acuit, quòd vulnera susceptā pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit, vt deo patri nostræ precia liberratis ostenderet. Talem sibi pater ad dexteram locat, trophæū nostræ salutis amplectens, tales illic martyres nobis cicatricis suæ corona monstrauit. Et quoniam sermo huc noster vsque euasit, consideremus qua gratia secundum Ioannem crediderint apostoli, qui gauisi sunt: secundum Lucam quasi increduli redarguantur: ibi spiritum sanctū acceperint, hîc sedere in ciuitate iubeantur, quoadusque induantur virtute ex alto. Et videtur mihi quasi Apostolus maiora & altiora tetigisse, hic sequentia, & humanis proxima: hic historico vsus circuitu, ille compendio: quia & de illo dubitari nō potest, qui testimonium perhibet de iis quibus ipse interfuit, & verum est testimonium eius. Et ab hoc quoque, qui Euangelista esse meruit, vel negligentiæ, vel mendacij suspicionem æquum est propulsari. Et ideo verum putamus vtrumque, non sententiarū varietate, nec personarum diuersitate distinctum. Nam etsi primo Lucas eos non credidisse dicat, postea tamen credidisse demonstrat: & si prima consideremus, cōtraria sunt: si sequentia, certum est conuenire. Ipsa igitur scripturæ verba consideremus. Sic ait Ioannes: Et gauisi sunt discipuli viso domino. Dicit ergo his iterū: Pax vobiscum. sicut misit me pater, & ego mitto vos. Et cùm hoc dixisset, insufflauit his, & dixit: Accipite spiritum sanctum. quorū remiseritis peccata, remittuntur his: & quorum retinueritis, retēta sunt. Lucas autem dicit: *Et quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Cùm hæc autem loquuntur, ipse stetit in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis. ego sum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti æstimabant se spiritum videre.*) Et potest videri hic plures fuisse: sed quia & hic sero resurrectionis die, nam aduesperascente iam die qui fuerant ingressi manere cum domino, vbi ille se repente subtraxit, eadem hora ad discipulos hi duo remeasse produntur, quando palpandum se obtulit: & secundum Ioannem sero die illa vna sabbatorum inducitur apparuisse discipulis, & vulnera obtulisse palpanda. ne quid ambiguitatis afferret, putauimus diligentius requirendum. Videtur enim separatim se istis vndecim demonstrasse, sicut se Ammaeni & Cleophæ seorsum iam vespere demonstrauerat: & quemadmodum isti duo, ita etiam videntur illi vndecim ad confirmandos reliquos conuenire potuisse. Denique conturbati sunt, vt habes secundum Lucam. Et ideo *Aperuit eis sensum, vt intelligerent ea quæ scripta sunt.*) Hunc autem loquacius †, illum succinctius scripsisse non dubium est. Quomodo enim soli Cephæ visum diceret, si ab omnibus erat visus? Sed sicut ex mulieribus Mariæ, & alij Mariæ Magdalenæ, ita ex viris Petro visus est primo mane. Et Paulus sic ait: Tradidi enim vobis in primis, quia Christus mortuus est secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas, & visus est Cephæ. Et ideo Marcus specialiter induxit iuuenem mandantē vt Petro & discipulis dicerēt mulieres, quia surrexit dominus. Petrus ergo vidit solus dominum. Deuotio enim parata semper & prompta credebat, & ideo studebat frequentiora fidei signa colligere. Alibi cum Ioāne, alibi solus, vbique tamen impiger currit, vbique aut solus, aut primus, non contentus vidisse quę viderat, repetit intuenda: & quærendi domini amore succensus, non satiatur videndo. Vidit eum solus, vidit cum vndecim, vidit cum septuaginta, vidit & quando Thomas credidit, vidit cum piscaretur: sed non vidisse contentus, impatiens desiderij, negligēs captionis, immemor periculi, non tamē immemor reuerentiæ, vbi dominum vidit in littore, veste se texit, serū æstimans si cū cæteris nauigio peruenisset. Sic cùm in mari dominus ambularet,

A B C D

Ioan. 20.

† latius.

1. Corin. 15.

Matth. 16.

laret,ſuper vndas maris naturæ ſuæ oblitus occurrit. Sic cũ à Iudæis dominus teneretur, aduerſum turbas gladiũ ſolus exeruit. Sic & nũc cùm dominus ſtetiſſet in littore,periculoſo compendio religioſum maturauit obſequium.Non eſt igitur dubium credidiſſe Petrum, & credidiſſe quia dilexit, dilexiſſe quia credidit. Vnde & contriſtatur quia tertio interrogatur: Amas me?Is enim interrogatur,de quo dubitatur:ſed dominus nõ dubitabat qui interrogabat,nõ vt diſceret,ſed vt doceret:quem eleuãdus in cœlum, amoris ſui nobis velut vicarium relinquebat.Sic enim habes:Simon Ioãnis diligis me?Vtiq; tu ſcis domine quia amo te. Dicit ei Ieſus: Paſce agnos meos.Bene conſcius ſui non ad tempus aſſumptum,ſed iam dudum deo cognitum Petrus teſtificatur affectum. Quis eſt enim alius qui de ſe hoc facilè profiteri poſſit? Et ideo quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.Maior enim omnibus charitas.Illud quoque diligentius intuendum,cur cùm dominus dixerit,Diligis me: ille reſpondit, Tu ſcis domine quia amo te. In quo videtur mihi dilectio habere animi charitatem,amor quẽdam æſtũ, conceptum corporis ac mentis ardorem:& Petrum opinor non ſolum animi,ſed etiam corporis ſui circa dei cultum ſiguare flagrãtiam. Denique tertio dominus non iam,Diligis me?ſed,Amas me?interrogauit:& iam non agnos,vt primo, quodam lacte veſcendos, nec ouiculas, vt ſecundo,ſed oues paſcere iubetur perfectiores, vt perfectior gubernaret. Et ideo quaſi perfecto in omnibus,quẽ caro iam reuocare non poſſet à gloria paſſionis, corona decernitur. Cùm eſſes,inquit,iunior,cingebas te,& ambulabas vbi volebas:cùm autem ſenueris,extendes manus tuas,& alius te præcinget, & ducet quò tu non vis.Bona ſenectus,non vitæ lõgæuitate * imbecilla ad vſum, ſed maturitate virtutis ad martyrium præparata,quæ laſciuiam corporalium reprimat voluptatũ, nec indulgeat cupiditatibus,dulcia quęque declinet,ſpecioſa non appetat.Caro enim cõcupiſcit aduerſum ſpiritum,& tranſuerſarios tramites gradiendi qua velit,diuerſarum ſibi inuenit voluptatum.Bona verò mentis ſenectus,quę non id quod ſuaue corpori, ſed quod menti vtile putat, eligit: nec voluptario corporis rapitur appetitu, ſed repugnãdi moderamine quaſi inuita reuocatur. Ergo & Petrus etſi paratus erat animo ſubire martyrium,tamẽ vbi periculum aduenit, conſtantiam mentis inflexit. Capit enim nos ſuauitate ſui cœleſtis vſus muneris.Nam quis martyrium non eligeret,ſi libenter mori poſſet?Ergo & Petrus videtur nolle,ſed patat vincere.Et quid mirum ſi Petrus nolit,cùm dominus dicat: Pater,ſi fieri poteſt, trãſfer à me calicem hunc:veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat? Denique poſt tentationem præſumptionis ſuæ Petrus iam non audet voluntatis perſeuerantiam polliceri, ſed quaſi ad ſolatium ſui conſortium quærit alterius. Tot igitur adducti virtutis exemplis,Petrũ credimus non potuiſſe dubitare.Ioannem quoque credidiſſe manifeſtum eſt,dum ſaluatorem videret:qui iam tũc credidit,poſteaquam vacuum corporis vidit ſepulchrum. Cur ergo Lucas inducit fuiſſe turbatos?Primo omniũ,quia paucorum opinione ſententiam maioris partis includit. Deinde quia & ſi Petrus de reſurrectione crediderat, turbari tamen potuit, cùm videret quòd ſe dominus cum corpore in ea quæ veſtibulis obſeratis & obſtructis erant ſepta parietibus, improuiſus infunderet. Lucas ergo hiſtoricè ſingula proſecutus eſt,& ille finem ſpectauit,hic ſeriem.Nam vtiq; dicendo, Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ea quæ ſcripta ſunt:etiam ipſe diſcipulos credidiſſe profitetur. Spiritum autem ſanctũ vel illis vndecim quaſi perfectioribus inſufflauit,& reliquis poſtea tribuendum eſſe promittit:vel iiſdem ibi inſufflauit,hic ſpondet. Nec videtur eſſe contrarium,cùm diuiſiones gratiarum ſint. Alij enim datur ſermo ſapientiæ,alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alteri gratia curationũ, alij genera linguarum. Ergo aliam inſufflauit ibi operationem,hîc aliam pollicetur.Ibi enim remittẽdorum gratia tributa eſt peccatorũ,quod eſſe videtur anguſtius: & ideo inſufflatur à Chriſto, vt credas ſpiritum Chriſti, & credas deo ſpiritum. Deus enim ſolus peccata dimittit.Lucas autẽ linguarum gratiam deſcripſit effuſam. Denique ibi habes:

Ioan. 21.

* al. longæuæ, al. loginquitate.

Galat.5.

1.Corin.12.

Ioan. 20.

A

B

C

Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata,remiſſa erunt. At verò in Actibus apoſtolorũ ſic habes:Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperũt loqui variis linguis,quomodo ſpiritus dabat loqui his. Diuerſitas autẽ viſionum,frequẽtiam famulantium ſignificat angelorum,iuxta quod dominus ipſe promiſerat,dicẽs:Et videbitis angelos deſcendentes & aſcendentes ad filium hominis. Atque vtinam cum Euãgelij fine noſter quoque ſermo claudatur. Cur ſecundum Matthæum & Marcum mandat diſcipulis: Præcedam vos in Galilæam,ibi me videbitis: ſecũdum Lucam verò & Ioãnem etiam intra conclaue obtulit ſe videndum?Et quidem quòd ſe videndum frequenter obtulerit,& pluſquam quingentis fratribus, & Petro, & Iacobo, etiam Apoſtolico probauimus teſtimonio.Et Lucas in Actibus apoſtolorum docuit quòd diſcipulis manifeſtauerit ſe viuere poſt paſſionem ſuam,in multis argumentis apparens his, & diſputãs de regno dei. Ergo quia ſæpius & diuerſis apparuit, cùm in Galilæa quando ſit viſus, nequaquam præſcriptum ac definitum tempus ſcriptura ſignauerit,in Hieruſalem quãdo ſe obtulerit, & diem & horam expreſſerit,timidiores intra conclaue viſitantur, fortiores ad montem conuenerunt.Denique intra conclaue oſtiis clauſis inducit Ioãnes diſcipulos congregatos propter metum Iudæorum, quos non vndecim Lucas,ſed plures ſcripſit fuiſſe.Iſtos autem Matthæus vndecim ſolos in Galilæa conueniſſe non ſiluit.Denique ſic habes: Vndecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam,in montem vbi conſtituerat illis Ieſus,& videntes eum,adorauerunt,quidam autem dubitauerũt. Quibus docendi & baptizãdi tribuit poteſtatem. Vndecim quoque diſcumbentibus diſcipulis & Marcus in fine apparuiſſe ſcribit,quando ſimiliter prædicandi his per totum orbem mandat officium. Vnde hoc conuenientius arbitror,quòd dominus quidem mandauerit diſcipulis vt in Galilæa ſe viderent, ſed illis metu intra conclaue reſidentibus, primum ſe obtuliſſe,poſtea verò confirmatis animis vndecim illos Galilæam petiſſe.Vel certè hoc quoque diligentibus ſcriptoribus placuiſſe reperio: nihil obſtat ſi dicamus pauciores intra conclaue,in monte complures fuiſſe.

Act. 2.

Ioan. 1.

1.Cor.15.

Act. 1.

Matth.28.

EXPLANATIONIS SANCTI AMBROſij in Euangelium ſecundum Lucam, Liber decimus explicit.

PIO LECTORI.

Præter non pauca deprauata in commentariis huius Epiſtolæ,quæ ſi commodam ſententiam habuerunt,reſtituimus ex collatione veterum codicum: nonnulla alia,quæ vel mutata, vel truncata, vel omiſſa reperimus, vbi hæc apponitur nota [·˙·], ex vetuſtiſſimo exemplari Dionyſiano collegimus ad finem operis:ne temerè feciſſe videremur,ſi illa pro lectione iampridem recepta,repoſuiſſemus,aut maleuolè, ſi neglecta omnino reliquiſſemus.

D

Diui Ambroſij

MEDIOLANEN. EPISCOPI, *Commentarij in Epiſtolam Pauli ad Romanos.*

Præfatio.

PRincipia rerum requirẽda ſunt, vt notitia earũ poſſit haberi. Tũc demũ enim facilius poterit cauſæ ratio declarari, ſi eius origo diſcatur.Si ergo Epiſtolę datæ modum oſtenderimus,poteſt verum videri quod dicimus. Conſtat temporibus apoſtolorum Iudæos, propterea quod ſub regno Romano agerent, Romæ habitaſſe,ex quibus hi

bus hi qui crediderant, tradiderant Romanis, vt Christum profitentes, legem seruarent. Romani autem audita fama virtutum Christi, faciles ad credendum fuerunt, † vtpote prudentes. Nec immerito prudentes, qui malè inducti, statim se correxerunt, & manserunt in eo. Igitur ex Iudæis credentes, & improbe sentientes de Christo, legem seruandam dicebant, quasi non esset in Christo salus plena. Ideo negat illos spiritualem gratiam consequutos. Hi sunt qui & Galatas subuerterant, vt à traditione Apostoli recedentes, Iudaizarent. Quibus ideo irascitur Apostolus, quia dotibene, facilè fuerant traducti. Romanis autem irasci non debuit, sed laudare fidem illorum: quia nulla virtutum videntes insignia, susceperunt fidem Christi, quamuis corruptro sensu. non enim audierant mysterium crucis Christi. Propterea quibusdam de Iudæa in vrbem Romam aduenientibus, sicut Priscilla & Aquila, de edenda carne & non edenda quæstiones fiebant. Igitur quatuor modis scribit Romanis. Hi enim caput sunt omnium gentium, vt in his discant cæteri, arguens ab initio genus hominum, partim physica ratione, partim per legem. Primus modus est, quo se ostédit quid sit, & cuius sit, & quid fuerit prius: quo & hæreses percutit. Secundus modus est, quo arguit quòd naturæ ratione non se subiecerint vni deo: & quæ inhonesta & turpia egerint, despecti ob hoc à deo, vt gratulentur credentes. Tertius modus est, quòd datam legem spreuerunt: vnde anteponit Græcis Iudæos. Quartus modus est, quo docet Iudæos exorbitasse à lege & prophetis, in causa Christi similes factos gentibus, vt vtrique indigeant misericordia dei, non per legem sperando salutē, sed per fidem Iesu Christi. Vnde omni industria id agit, vt à lege eos tollat, quia lex & prophetæ vsque ad Ioannem, & in sola fide illos Christi cōstituat, & quasi contra legem Euangelium vindicat: non destruens legem, sed præferens Christianismum. Ostendit enim sic promissum Christum, vt illo adueniente lex cessaret: non tota, quia abbreuiatio legis facta est, quæ compendio daret salutem. Multa enim veteribus tradita sunt propter duritiam cordis illorum, vt oneri essent, quæ misericordia dei abbreuiauit, per Christum data præteritorum remissione. Ingratus est enim misericordiæ dei, qui vult esse sub lege. Nam dixerat Moyses: Sic timentes facies filios Israel. vt quacunque se verterent, legem haberent, vt sine solicitudine omnino nō essent. Vt igitur in Christo sine lege spem vitæ salutísque ponendam tradat, & ipsum esse dominum omnium doceat, sic incipit:

CAPVT PRIMVM.

PAulus seruus Iesu Christi.) Apud veteres nostros ratione nomina componebantur, vt Isaac propter risum, & Iacob propter calcaneum: ita & iste propter inquietudinē Saulus est nuncupatus. Postquàm autem credidit, ex Saulo Paulum se dicit, hoc est, immutatum. Et quia Saulus secundum supradictum sensum, inquietudo seu tentatio interpretatur, hic cùm ad fidem Christi accessit, Paulū se dicit: id est quasi ex tentatore factum quietum, humilémque, vel paruulum, & quia pax est fides nostra. Cum prius enim tentationes ex † inquietudine Iudaismi dei seruis inferret, post ipse tentationes passus est propter spem, quam antè amore Iudaismi negarat. Seruum autem Iesu Christi se profitens, à lege se exutum ostendit. Et ideo vtrumque posuit, id est, Iesu Christi, vt dei & hominis personā signaret: quia in vtroq; est dominus, sicut & Petrus apostolus testatur, dicēs: Hic est omniū dominus. Quia ergo est dominus, est & deus: sicut Dauid dicit: Quia dominus ipse est. quod hæreses negant. Marcioni enim videtur odio legis Christum & corpus eius negare, Iesum profiteri: Iudæis autē & Fotino propter zelū legis Iesum negare quod deus sit. Nam quotiēscūque scriptura aut Iesum dicit aut Christū, aliquando deū, aliquādo hominem significat: sicut hoc loco inter cętera: Et vnus, inquit, dominus Iesus, per quem omnia. quod vtique ad dei filium pertinet iuxta quod deus est. Et alio loco: Iesus autē, inquit, proficiebat ætate & sapientia. quod vtique homini competit. *Vocatus Apostolus.*) Propter quod deum cognouit & fatetur, factus idoneus seruus, promotum se ostendit, dicens: Vocatus Apostolus, hoc est, à domino missus ad res eius agendas. Per quod ostendit hunc meritum habere apud deum, qui seruit non legi, sed Christo Dominus est enim filius hominis etiam sabbati. *Segregatus in Euangelium Dei.*) Euangelium dei est bonum nuncium, quo peccatores ad indulgentiam conuocantur. Apostolus autē quoniā in Iudaismo locū doctoris habebat, vtpote Pharisæus, ideo à Iudaismi prædicatione segregatum se dicit in Euangelium dei, vt à lege dissimulans, Christum prædicaret: qui quod lex non potuit, credētes in se iustificaret: [.·.] sed nō cōtra legem, sed pro lege est. Ipsa enim hoc dicit futurum, dicente Esaia propheta. Veniet ex Sion qui eripiat & auertat captiuitatem ab Iacob, & hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum. *Quod antè promiserat.*) Vt probet ratam & integram fidei spem esse in Christo, iam prius Euangelium eius dicit à deo promissum: vt ex eo idoneum illum sponsorem vitæ doceret, priusquam veniret, testimoniū ei datum ostendit, paria testāte Petro apostolo. Nec enim aliud datum est, inquit, nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. *Per prophetas suos.*) Vt manifestius salutarē esse aduentū Christi significaret, etiam personas per quas promissionē signauerit, demonstrauit, vt quàm vera & magnifica sit promissio, ex his videretur. Nemo enim rem vilem magnis præcursoribus nunciat. *In scripturis sanctis.*) Hoc ad cumulum veræ protestationis adiecit, vt maiorem fiduciam credentibus faceret, & legem commēdaret. Sanctæ enim sunt scripturæ, quæ vitia damnant, & sacramentum illic vnius dei & incarnationis continetur filij dei pro salute humana, testibus signorum prodigiis. *De filio suo.*) Dignum fuit vt quia deus filium suum proprium mūdo promittebat, per claros viros illum promitteret, vt ex iis quam potentissimus esset qui prædicabatur, posset sciri, vt scripturis sanctis aduentū eius futurum insereret, & vt falsum nō posset videri quod à sanctis prædicatum est scripturis. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.*) Eum qui erat dei filius secundum spiritum sanctum, id est, secundum deum: quia deus spiritus est. & sine dubio sanctus est: factum dicit iuxta carnem dei filium ex semine Dauid, iuxta illud: Et verbum caro factum est, vt iam vnus sit & dei & hominis filius Christus Iesus. [.·.] Qui enim ex æterno dei filius erat, ignorabatur autem à creatura: dum vult manifestari pro humana salute, visibilis debuit & corporeus fieri, quia & cognosci se voluit per virtutem, & hominē peccatis abluere in carne morte deuicta. Et ideo ex semine Dauid fit, vt sicut de deo deus ante secula natus est, ita & secundum carnem ex rege ortum regiū caperet, factus opere spiritus sancti de virgine, hoc est natus, vt reuerentia ei reseruata, ex hoc vltra hominem cognosceretur, qui ab humanæ legis natiuitate distaret, sicut prædictum fuerat ab Esaia propheta: Ecce virgo in vtero cōcipiet, &c. vt cùm nouum factum videretur, ac laude dignū, prouidentia quædam dei circa visitationem humani generis futura dinosceretur. *Qui prædestinatus est filius dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi domini nostri.*) Filiū dei dicēs, patrē significauit deum. Addito aūt spiritu sanctificationis, ostendit mysteriū trinitatis. Hic ergo qui incarnatus quid esset latebat, tūc prædestinatus est secundū spiritum sanctificationis, in virtute manifestari filius dei, cū resurgit à mortuis, sicut scriptum est in psalmo 84. Veritas de terra orta est. Omnis enim ambiguitas & diffidētia resurrectione eius calcata est, & cōpressa. Siquidē adhuc in cruce positum, Cēturio videns magnalia, dei filiū confitetur. Nam & discipuli in morte eius dubitauerūt, dicēte Cleopha in Emaus: Nos putabam⁹ quia ipse erat qui incipiebat liberare Israel. Et ipse domin⁹ ait: Cùm exaltaueritis filiū hominis, tūc cognoscetis quia ipse ego sum. Et iterum: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad me. id est, tūc cognoscar omniū esse dominus. Ideo autē nō dixit ex resurrectione Iesu Christi, sed ex mortuorū, quia resurrectio Christi generalē tribuit resurrectionem. Hęc enim maior videtur virt⁹ in Christo & victoria, vt ea potestate operaretur mortu⁹, qua operatus fuerat & viuus. Quo facto apparuit illusisse morte, vt redimeret nos. vnde dominū nostrū hunc vocat. *Per quem accepimus gratiam & apostolatū ad obediendum fidei*

Matth. 12.

Act. 4.

Ioan. 1.

Esaia 7.

Luca 24.

Ioan. 8. Ioan. 12.

fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.) Post resurrectionem manifestatus filius dei in virtute, gratiam dedit, iustificans peccatores, & apostolos nominauit: quorum se hic socium dicit, vt apostolatus cum gratia esset doni dei, non sicut Iudæorum sunt apostoli. A deo ergo patre per Christum dominum hanc acceperunt potestatem, vt vice domini signis doctrinam dominicam acceptabilem facerent, & virtutem quam in saluatore zelarentur perfidi Iudæi, hanc in seruis eius à turbis admirari videntes, vehementius torquerentur. Testis enim doctrinæ virtus est, vt quia quod prædicatur, incredibile mundo est, gestis fieret credibile. Missos igitur apostolos vocat vt prædicarent fidem omnibus gentibus, vt obedirent, & saluarentur: vt donum dei non iam solis Iudæis, verumetiam omnibus gentibus concessum videretur: & hanc esse dei voluntatem, vt in Christo, & per Christum omnibus misereatur, vicariis eius prædicãtibus, hoc est, pro nomine eius: sicut alibi dicit: Pro quo legatione fungimur. *In quibus estis & vos vocati Iesu Christi.*) Hoc est legatione nobis fungentibus in omnibus gentibus pro nomine Iesu Christi, inter quos estis & vos vocati: quia donum dei omnibus missum est, vt cùm audiunt se inter cæteros vocatos, scirẽt se sub lege agere non debere, quia sine lege Moysi susceperunt cæteræ gentes legem Christi. *Omnibus qui sunt Romæ dilectis dei vocatis sanctis.*) Quamuis Romanis scribat, illis tamẽ scribere se significat, qui in charitate dei sunt. Qui sunt hi, nisi qui de dei filio rectè sentiunt? Isti sancti sunt, & vocati dicuntur. Sub lege enim agentes, malè intelligũt Christum, & iniuriam deo patri faciunt, cùm an in Christo perfecta spes salutis sit, dubitant: ideo sancti non sunt, neque vocati dicuntur. *Gratia vobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.*) Gratiam & pacem cum iis dicit esse qui recte credunt. Gratia est, quia à peccatis absoluti sunt: pax verò, quia ex impiis recõciliati sunt creatori: sicut dicit dominus: In quamcunque domum introieritis, & receperint vos, dicite, Pax huic domui. Et vt sine Christo nullam esse pacem & spem doceret, adiecit, gratiam & pacem non solùm à deo patre esse, sed & à Christo Iesu. Deum patrem nostrum dicit propter originem, quia ab ipso sunt omnia: Christum autem dicit dominum, quia eius sanguine redempti, facti sumus filij dei.

Primum quidem gratias ago deo meo per Iesum Christũ pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.) Finita præfatione ante omnia gaudium suum esse testatur, vtpote gentium Apostolus, quòd cùm Romani regnarent in mundo, subiecerint se fidei Christianæ, quæ prudentibus seculi humilis & stulta videtur. Cùm ergo multa essent ex quibus gauderet in Romanis: erant enim * doctrinæ memorabiles, & boni operis cupidi, studiosíque magis agendi bene, quàm sermonis, quod non lõge est à religione diuina: in hoc tamen primum se gaudere dicit, quia fides illorũ in omni loco currebat: [.*.] quamuis non secũdum regulam ab authoribus traditæ veritatis, tamen quia quod ab vno deo erat, interposito nomine Christi cœperant venerari, gratulatur sciens illos posse proficere. Per quod etiam charitatem suam circa illos ostendit, quando congaudet bono cœpto illorum, & hortatur ad profectum. Gratias ergo agere se dicit deo suo duntaxat, quia adhuc illorum non erat plene, quia ex ipso est omnis paternitas: sed quia omnis dispositio salutis nostræ à deo quidem, sed per Christum est, non per legem, neque per aliquem prophetam, gratias quidem se agere dicit deo, sed per Christum: quia fama fidei illorum, erat profectus multorũ, vt hoc ipsum ad dei prouidẽtiam referat per Christum. Aut enim gaudebant roborati, qui crediderant: cęteri, quia videbant principes suos † factos Christianos: aut certè qui non crediderant, poterant credere horum exemplo. Facile enim facit inferior, quod fieri viderit à † priore. *Testis enim mihi est deus, cui seruio in spiritu meo, in Euangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.*) Vt suadeat charitatem, deum testem dat, cui seruit. Ad quẽ & precem pro his facit, non in lege seruiendo, sed in Euangelio filij eius: hoc est, non in eo quod Moyses seruus tradidit, sed in eo quod filius dilectissimus docuit: vt quantum distat seruus à domino, tantũ distet Euangelium à lege: non quòd mala sit lex, sed quia melius est Euãgelium. Deo itaque seruit in Euangelio filij eius, vt ostendat dei esse voluntatem vt credatur in Christum. *Cui & seruio.* Quomodo? In spiritu meo, inquit, non in circuncisione manufacta, neque in neomeniis, & sabbato, & discretione escarum, sed in spiritu, id est, in mente. Quia enim deus spiritus est, spiritu vel animo potius debet illi seruiri. Cui enim animo seruitur, ex fide illi seruitur. Hæc & dominus fatus est ad Samaritidem putãtem quòd in monte adorari se deus velit, dicens: Venit hora & nunc est, quòd veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Etenim pater tales quęrit, qui adorent eum. Spiritus est deus. Adorãtes ergo, in spiritu & veritate oportet adorare: vt non locus orationem commendat, sed deuotus animus: hoc est in veritate adorare in spiritu deum spiritum & Christum vnum ex quo omnia, & vnũ per quem omnia. Hos quærit adoratores pater. Memorem ergo se illorum in orationibus suis flagitat, vt feminet in illis charitatẽ. Facit enim illis desideriũ sui. Quis enim non amet eum quẽ audit memorem sui esse? Si enim ab iis qui missi non erant, libenter acceperant doctrinam sub nomine Christi adulteratis verbis, quantò magis ab eo quem scirent esse Apostolum, & cuius verba comitaretur virtus, desiderarent audire? *Obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate dei veniendi ad vos.*) Orationis suæ pro illis sensum ostendit. Deum enim se dicit petere, vt Romam veniret, ad profectum illorum cum dei voluntate, cuius prædicat donum. Tunc enim profectus adest, si quod agendum est, cum dei voluntate agatur. Orat ergo vt quacunque ex causa iam detur occasio qua veniret ad vrbem, quia occupatus erat aliis prædicando: Sic prosperum iter imputans, si deo volente veniret, quia prouida est dei voluntas. Prosperum ergo iter est, non incassum laborem itineris subire. Hoc rogat vt deus impleat vocando illos ad suam gratiam. Auiditate animi loquitur. Desiderat enim illos, sciens & illis & sibi prodesse: sicut alibi dicit: Quod est gaudium nostrum & corona? Nónne vos in aduentu domini? Fructus enim Apostoli est vberior, si lucretur multos. Præterea quia maius gaudiũ est si potentes mundi conuertantur ad deũ: quia quantò inimici graues sunt, tantò magis reconciliati necessarij. Volũtati iraq, eius sic occasio data est, vt coactus appellaret Cæsarem, & dirigeretur ex alia causa ad vrbem Romã, deo volente, vt impleret propositũ voluntatis suæ. Deniq; in naufragio posito astitit dominus, dicens: Noli timere Paule. Sicut enim testificatus es de me Hierosolymis, ita & Romæ. Desidero enim videre vos, vt gratiam spiritalem vobis administrem ad confirmãdos vos.) Confirmatio hæc tres personas requirit, annuentis, dei ministrantis Apostoli, accipiẽtis populi. Nunc ergo desiderij sui voluntatẽ ostendit, quonam esset voto circa illos. Cùm enim dicit: Vt gratiam spiritalem vobis ministrem, carnalem illos sensum assecutos significat: quia sub nomine Christi non illa quę Christus docuerat, fuerant assecuti, sed ea quæ fuerant à Iudæis tradita. Se autem cupere citius venire, vt ab hac illos traditione abstraheret, & spiritale illis traderet donum, vt acquirat illos deo: participes illos faciens gratiæ spiritalis, vt in professione & fide sua essent perfecti. Hinc datur intelligi superius non fidem illorum laudasse, sed facilitatem & votum circa Christum. Christianos enim se profitentes, sub lege agebãt simpliciter, sicut illis fuerat traditum. Nã misericordia dei ad hoc data est, vt lex cessaret: quod sæpe iã dixi: quia deus consulens infirmitati humanæ, sola fide, addita legi naturali, hominum genus saluari decreuit. Quid est, quòd cùm scriptis illos corrigat, & à carnali sensu abstrahat, præsentiã suam † necessariam dicit, vt gratiã illis spiritalem ministraret: cùm quæ scribit spiritalia sint: nisi quia aliter dicta ad aliud solent rapi, sicut ab hæreticis fit? Ideo desiderat vt præsens doctrinam Euangelicam sensu quo scribit, his tradat, ne sub authoritate literarum eius non auferretur error, sed firmaretur: quippe cùm præsens quæ verbis suadere non poterat, suaderet virtute, vt magis illis proficiat aditis. *Id est, simul consolari in vobis per eam quæ inuicem est fidem vestram atque meam.*) Consolari se dicit cum illis, si apprehendant

*disciplinæ.

† *fratres sibi in fide.*

† *priore.*

† *sui.*

1805

dant ſpiritalia: quia quamuis congaudeat fidei illorum, dolet tamen quia non rectè acceperint fidem. Hoc affectu fuit Apoſtolus, vt aliena vitia quaſi ſua doleret. Ac per hoc conſolemur, inquit, per vnam atque eandem fidem, vt tunc conſolatio vna ſit ſi vnius fidei efficerentur in Chriſto, vt adminiſtratio gratię ſpiritalis euangelizante Apoſtolo hunc prę-ſtaret effectum.

NOn autem arbitror ignorare vos fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc.) Propoſitum & votum ſuum oſtendit, quod quidem ſcire illos non ambigit per eos fratres qui ab Hieruſalem vel cōfinibus ciuitatibus cauſa ſuæ religionis ad vrbem veniebant, ſicut Aquila & Priſcilla, votum eius inſinuantes Romanis. Cùm enim ſæpe vellet venire, & prohiberetur, ſic factum eſt vt ſcriberet epiſtolam, ne diu in † mala exercitatione detenti, non facilè corrigerentur. Fratres autem eos vocat, non ſolum quia renati erāt, ſed & quia erant inter eos, licet pauci, qui rectè ſentirent. Vnde dicit: *Vocatis ſanctis.*) Quid tamen eſt, Vocatis ſanctis? Si enim iam ſancti ſunt, quomodo vocātur vt ſanctificentur? Sed hoc ad dei pertinet præſcientiam, quia quos ſcit deus futuros ſanctos, iam apud illum ſancti ſunt, & vocati permanent. Prohibitum tamen ſe dicit vſque ad tempus datæ epiſtolæ, à deo vtique, qui ſciens adhuc imparatos illos, ad alias vrbes direxit Apoſtolum, quæ iam ad recipiendam veritatem eſſent capaces, quamuis ſub nomine agerent ſaluatoris: ſed vitiis prohibebantur carnalibus, ne digni iam eſſent addiſcere ſpiritalia. Denique volentes aliquādo in Bithyniā ire, prohibiti ſunt à ſancto ſpiritu Paulus & Sylas. Cur, niſi ſciret adhuc effectū deeſſe? Apud Corinthios autem commonetur Apoſtolus, dicente domino: Loquere, ne tacueris, quia populus mihi multus eſt in hac ciuitate. Non ergo ocioſè prohibitum ſe dicit, ſed & cauſas morarum diſcreuit. Et hos vt ſe prępararent adhortatus eſt, vt audientes ſibi gratiam ſpiritalem miniſtrandam fore dignos ſe efficerent, à vitiis carnalibus abſtinētes, ad excipiendam eam. *Vt aliquem fructum habeam & in vobis, ſicut & in cæteris gentibus.*) Pro vtilitate communi cupidum ſe veniendi adhos declarat, vt & hi ſalutem ſpiritalis gratię conſequantur, tatam habentes fidei ſuæ profeſſionem, vt hic fructum habeat apud deum miniſterij ſui, per quod laceſſit illos ad fidem rectam exemplo cæterarū gentium. Promptior enim fit quis ad rem ſibi traditam, ſi illi multos videat aſſentiri.

Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.) Debitorem ſe dicit horum quos memorat, quia ad hoc miſſus eſt, vt omnibus prædicaret: per quod etiam omnes ſignificat debitores. Confiteri enim creatorem deum, ex quo omnia, & per quem omnia, debitus & honor eſt, & ſalus confitentis. Græcos autē gentiles poſuit, ſed eos qui Romani dicantur ſiue natione, ſiue adoptione. Barbaros verò eos qui Romani non ſunt, quorū genus aduerſum eſt, & ſunt gentiles. Sapientes autem illos dixit, qui mundanis rationibus eruditi, ſapientes vocantur in ſeculo, dum aut ſiderum ſpeculatores ſunt, aut menſuris, aut numeris, aut arti Grāmaticæ ſtudent, aut Rhetoricæ, aut muſicæ. His omnibus oſtendit nihil hæc prodeſſe, nec verè ſapientes eſſe, niſi credāt in Chriſtum. Stultos verò hos dixit qui ſimplicitatem ſequentes, harum rerum imperiti ſunt. His omnibus miſſum ſe prædicare teſtatur. De Iudæis autem tacuit, quia magiſter gentiū eſt. Ac per hoc debitorem ſe profitetur, quia ad hoc accepit doctrinam, vt tradat: & cùm tradit, acquirat. *Itaque quod in me eſt, promptus ſum & vobis qui Romæ eſtis, euangelizare.*) Quāmuis miſſum ſe prædicare omnibus dicat gētibus, promptum tamen ſe Romanis aſſerit tradere Euangelium gratiæ dei, apud quos regni Romani caput & ſedes eſt. Ad membrorum enim vtilitatem pertinet vel requiem, ſi caput inquietum non fuerit. Ideo Romanorū pacem optat, vt non multum ſe iactet Satanas, & vberiores fructus habeat operis ſui. *Non enim erubeſco euangelium. Virtus enim dei eſt in ſalutem omni credenti.*) Hoc dicto illos tangit à quibus acceperant non rectā fidem. Apoſtolorum tamen doctrinam virtus commendabat, vt quia incredibile videbatur quod prædicabatur, ſigna & prodigia ab apoſtolis facta, teſtimonio eſſent non diffidendum de iis quæ ab illis dicebantur, in quibus tanta virtus ineſſet. Nulli enim dubium verba virtuti cedere, ac per hoc, quoniam illorum nulla viſa erant portenta, prædicatio illorum ſine virtute dei erat. Ideóque non ſe dicit erubeſcere Euangelium dei, illos autem erubeſcere, quia quod illis tradiderat, in reprehenſionem veniebat, nec quoquam teſtimonio firmabatur, & diſcordabat à doctrina apoſtolica.

Virtus igitur dei eſt, quæ inuitat ad fidem, & dat ſalutē omni credenti, dū peccata donat, & iuſtificat, vt à ſecunda morte detineri non poſſit ſignatus myſterio crucis. Prædicatio enim crucis Chriſti indicium eſt mortis euictæ, dicēte apoſtolo Ioanne: Ad hoc enim venit filius dei, vt ſolueret opera diaboli, vt omnis credens non teneatur à morte, quia ſignum habet quòd victa mors eſt. *Iudæo primùm, & Græco.*) Id eſt, huic qui eſt ex genere Abrahæ, & huic qui ex gentibus. In Græco enim gentilem ſignificat, in Iudæo verò eum qui ex genere ſit Abrahæ. Nam Iudæi ex tempore Iudæ Maccabæi dici cœperunt, qui in cauſa cladis reſtitit ſacrilegiis gentium, & fiducia dei collegit populum, & defendit genus ſuum. Fuit autem ex filiis Aaron. Quamuis ergo præponat Iudæum cauſa patrum, tamen ſimiliter etiam ipſum indigere dicit dono Euangelij Chriſti. Si ergo & Iudæus non iuſtificatur niſi per fidem Chriſti Ieſu, quid opus eſt eſſe ſub lege? *Iuſtitia enim dei reuelatur in eo ex fide in fidem.*) Hoc dicit, quia in illo qui credit, ſiue Iudæus ſit, ſiue Græcus, iuſtitia dei reuelatur. Iuſtitia dei dicit, quia gratis iuſtificat impium per fidem ſine operibus legis, ſicut alibi dicit: Vt in illo inueniar non habens eam iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt. Quæ ex deo eſt iuſtitia in fide, ipſam iuſtitiā dicit reuelari in euangelio, dum donat homini fidem, per quam iuſtificetur. Oſtenditur enim in eo veritas & iuſtitia dei, dum credit & profitetur. Iuſtitia eſt dei quia quod promiſit, dedit. Ideo credens hoc eſſe ſe conſecutum quod promiſerat deus per prophetas ſuos, iuſtum deum probat, & teſtis eſt iuſtitię eius. *Ex fide in fidem.*) Quid aliud eſt ex fide in fidem, niſi quia fides dei eſt in eo quod de ſe repromiſit: & fides hominis, qui credit promittenti, vt ex fide dei promittentis in fide hominis credētis dei iuſtitia reueletur? In credente enim iuſtus deus apparet: in eo autem qui non credit, iniuſtus videtur. Negat enim veracem deum, qui non credit deum dediſſe quod promiſit. Hoc contra Iudæos loquitur, qui negant hunc eſſe Chriſtū, quem promiſit deus. *Sicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit.*) Propterea ad exemplū prophetæ Abacuch ſe conuertit, vt declaret olim oſtenſum iuſtum ex fide non ex lege viuere, hoc eſt, nō iuſtificari hominem apud deum per legem, ſed per fidem. Vita enim ex fide non hæc præſens eſt, ſed futura: quia iuſtus ex fide viuit, ſed apud deum.

Philip. 3.

Abacuc 2.

REuelatur enim ira dei de cœlo in omnem impietatem & iniuſtitiam hominū eorum qui veritatē dei in iniuſtitia detinent.) Sicut enim in illo qui credit iuſtitia dei reuelatur, ſicut ſupra memoraui: ita & in eo qui nō credit, impietas & iniuſtitia reuelatur. Ex ipſa enim cœli fabrica iratus illi deus videtur. Idcirco enim tam pulchra aſtra condidit, vt ex iis quantus & quàm admirabilis creator eorum eſt, poſſit agnoſci, & ſolus adorari. Vnde ſcriptū eſt in Pſalmo 18. Cœli enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Per naturalem ergo legem reum facit genus humanum. Potuerunt enim id per legem naturæ apprehendere, fabrica mundi teſtificāte authorem deum ſolum diligendum, quod Moyſes literis tradidit: ſed impij facti ſunt non colendo creatorem: & iniuſtitia in eis apparet, dum videntes diſſimulant à veritate, non fatentes vnum deum. *Quia quod notum eſt dei, manifeſtum eſt in illis.*) Notitia dei manifeſta eſt ex mundi fabrica. Vt enim deus, qui natura inuiſibilis eſt, etiam viſibilibus poſſit ſciri, opus factum eſt ab eo quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret, vt per certum incertum poſſit ſciri: vt per hoc quod cæteris impoſſibile eſt, ille eſſe deus omnium crederetur, qui hoc opus fecit. *Deus enim illis manifeſtauit.*) hoc eſt, opus fecit, per

cit,per quod possit agnosci fides. *Inuisibilia enim eius à creatura mundi,per ea quæ facta sunt,intellecta conspiciuntur.*) Idem sensus est,quem repetit,vt absolutius doceat: quia cùm per se potentia & maiestas dei creaturæ oculis aspici non possit, opere mundanæ fabricæ intellecta conspiciũtur. Hoc igitur genere reos facit eos qui sine lege vixerunt & naturæ, & Moysi. Consuetudine enim peccandi obtruerunt legem naturæ,obliterãdo memoriam eius. Legem autem quæ ad reformationem data fuerat,recipere noluerũt, vt duplici modo obnoxij fierent damnationi. *Sempiterna quoque eius virtus & diuinitas,ita vt sint inexcusabiles.*) Vt omnino excusari impietas non possit,adiecit etiam virtutes dei, & diuinitatem sempiternam cognitam esse ab hominibus,& stupore quodam hebetasse ad honorandum deum:quem & esse & operari ad vtilitatem suam non ignorarẽt. Ea enim quæ humanis vsibus euoluto anno gignuntur, ipsum decreuisse nulli in dubium venit. Æterna ergo virtus dei, Christus est,per quem instituit quæ non erant,& in eo manent. Cuius si dudum persona agnita non est,opera tamẽ manifesta sunt. Diuinitas verò,qua in opere sibi decreto perseuerant elementa rerum,vt sint inexcusabiles. Multis enim modis qui reus conuincitur, excusari non potest. *Quoniam cùm cognouissent deum,non sicut deum magnificauerũt, aut gratias egerunt.*) Vsque adeo non ignorauerunt,vt faterentur vnum esse principiũ, à quo omnia initiũ sortita sunt, cœlestia & terrestria, & inferna:& hunc vnũ esse qui omnibus decreuerit proprietates & officia naturaliter:& hæc scientes non egerunt gratias. De anterioribus loquitur, vt præsentes & futuros corrigat. *Sed euanuerunt in cogitationibus suis.*) Euanuerunt. Videntes enim mundum miro ornatu aptatum ab eo quem eius opificem cognouerant,dissimulauerunt. *Et obscuratum est insipiens cor eorum.*) Nebula erroris texit cor illorum,quia cum creatorẽ ex iis quæ fecit pulchra, amplius honorificare debuerint, obtusi sunt relicto illo, hæc solum sibi dicentes sufficere ad salutem. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.*) Sapientes enim se arbitrantur, quia rationes physicas inuestigasse putant, scrutantes cursus syderum,& qualitates elementorum, dominum autem horum spernentes, ideo stulti facti sunt: cùm si hæc laudanda sint, quantò magis creator illorum? Solent tamen pudore passi neglecti dei, misera vti excusatione,dicentes per istos posse ire ad deum,sicut per comites † peruenitur ad regem. Agè,nunquid tam demens est aliquis,aut salutis suæ immemor, vt honorificentiam regis vindicet comiti, cùm de hac re si qui etiam tractare fuerint inuenti,iure vt rei damnentur maiestatis? Et isti se non putant reos, qui honorem nominis dei deferunt creaturæ, & relicto domino conseruos adorant, quasi sit aliquid plus quod reseruetur deo. Nam & ideo ad regem per tribunos aut comites itur,quia homo vtique est rex,& nescit quibus debeat rempublicam credere. Ad deum autem (quem vtique nihil latet, omnium enim merita nouit) promerendum suffragatore non opus est, sed mente deuota. Vbicunque enim talis locutus fuerit ei, respondebit illi: *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.*) Sic obcæcatum est cor illorum,vt maiestatẽ inuisibilis dei,quem ex his factis agnouerant, non hominibus,sed quod peius est,† & inexcusabile crimẽ,in similitudinem hominum mutarent,vt forma corruptibilis hominis deus ab his vocetur,hoc est, simulachrum hominis:vt quos viuos numine donare non audent,mortuorum imagines in gloriam dei recipiant. Quanta ægritudo, quãta stultitia hos se sapientes appellare ad suam damnationem, apud quos plus mortui possunt quàm viui,& mortui potiores sunt viuis? A viuo enim deo recedentes,mortuis fauent in quorum numero sunt,sicut scriptum est: Mortalis fingit mortuum manibus iniquis. Hoc de huiusmodi sapientia Salomonis dictum est. *Et volucrum & quadrupedum & serpentium.*) His subiectis, cumulauit ad pœnam hebetudinis, vt vltra stultitiam & vanitatem sint huiusmodi. Sic enim dei maiestatẽ & gloriam minuerunt,vt horũ quæ minima & parua† sunt, similitudini,dei honorificentiam darent. Primi enim Babylonij deum vocauerunt figmentum Beli cuiusdam, quondam hominis mortui, qui principatum in eos dicitur e-

† itur.

† hæc abundãt in exẽp. vetustiß.

Sapien. 15.

† prauæ.

gisse. Coluerunt & serpentem draconem,quem occidit Daniel homo dei,cuius similitudinem habent. Ægyptij autem colebant quadrupedem quam dicebant Apin,in similitudinem vaccæ: quod malum imitatus est Hieroboam, vaccas instituens in Samaria, quibus sacrificarent Iudæi: & volucres,quia Coracina sacra habent pagani. Harum tamen omnium rerum quas memoraui,simulachra coluerũt Ægyptij, & alia quę nũc dicere non est necesse. Hæc ab his facta sunt, qui se sapientes æstimauerunt in mundo. Quia enim inuisibilem deum agnoscentes non honorauerunt ista faciendo, nec in iis quę visibilia sunt,sapere potuerunt. Difficile enim in maioribus prudens, in minoribus non sapit. *Propter quod tradidit illos deus in desideria cordis illorum,in immunditiã,vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.*) Quoniam,inquit,ad iniuriam creatoris dei figmenta & similitudines rerum deificauerunt, traditi sunt illudendi, & traditi non vt illa agerent quæ nolebant,sed vt illa perficerent quæ desiderabant. Et hic bonitas dei est,cùm dignum fuisset subiici illos,vt faceret quæ nolebant, & cruciarentur: quia licet bonum, si contra voluntatem fiat, amarum & malum est. Isti autem auertentes se à deo,traditi sunt diabolo. Tradere autem est permittere,non incitare aut immittere:vt ea quæ in desideriis conceperant, adiuti à diabolo explerent in opere. Nec enim possunt huiusmodi bonum cogitatum habere. Traditi ergo sunt in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Cùm præterita recolat, etiam præsentis temporis significat:quia traduntur nunc vsque vt cõtumeliis afficiant corpora sua. Originis enim illius nunc vsque sunt homines, qui dicũtur corpora sua dehonestare inuicem. Cùm cogitatio animæ sit in crimine,cur corpora dicuntur dehonestari? Quare nisi quia macula corporis indicium est peccati animæ? Cùm enim corpus cõtaminatur,nemo ambigit animę esse peccatũ. *Qui commutauerunt veritatem dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm creatori,qui est benedictus in secula,Amẽ.*) [.·.] Commutantes veritatem dei in mendacium: dum nomen dei, qui verus est deus, dederunt iis † qui non sunt dij. Lapidibus enim vel lignis, vel cæteris metallis auferentes quod sunt, dant illis quod non sunt. & hoc est immutare verum in falsum. Non enim vocantur iam lapis aut lignum, sed deus. hoc est seruire potius creaturæ quàm creatori. Non negant enim deum,sed seruiunt creaturæ:quo non excusantur, sed accusantur magis, quia cognoscentes non honorant deum, qui est benedictus in secula,Amen:hoc est,verum. Deus verò benedictus ait in secula,quia permanet deus, diis autem gentium ad tẽpus impietas dat honorem: ideo nõ est verũ. In deo autem manet veritas. Hanc benedictionem alio loco filio dei assignat, inter cætera dicens:Et ex quibus Christus secundum carnem,quia est deus benedictus super omnia in secula. Amen. Vtraque ergo ad Christum pertinent, aut eadem dixit de filio,quæ & de patre.

† qui falsi sunt dij

Propterea tradidit illos deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam.) Hæc irato deo propter Idololatriam humano generi proueniisse testatur,vt† mulier mulierẽ turpi desiderio ad vsum appeteret. Quod quidam aliter interpretantur, non perspiciẽtes vim dicti. Quid est enim immutare naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam, nisi sublato concesso vsu,aliter vti, vt vna atque eadem pars corporis vniuscuiusque inter se inuicem sexus aliter se ad vsum præbeat,quã concessum est? Nam si illa est pars corporis quam putant, quomodo immutauerunt vsum naturæ, cum habeat huiusmodi vsum datum à natura? Superius iam dixerat traditos in immunditiam,non tamen qualitatem operis immunditię dicens,exarserunt in desiderium sui: ostendit apertum peccatum mulierũ. [.·.] Et quid mirũ,cũ hodiéque tales mulieres

† fœminæ fœminam.

res reperiantur, vt ſicut illud à viris, ita & hoc à mulieribus ſit inuentum? Denique ſi mulieres inter ſe accuſant, & viri ſimiliter: manifeſtum eſt vt qui iam veritatem dei immutauerunt in mendacium, immutarent & naturalem vſum in eum vſum per quem dehoneſtarẽtur rei facti mortis ſecundæ. Quoniam enim aliam legem dare non poteſt Satanas, nihil enim habet, conceſſa & licita in alium ordinem verſat, vt dum aliter fiunt quàm conceſſa ſunt, ſint peccatum. *Et mercedem quam oportuit erroris ſui in ſemetipſos recipientes.* Hanc dicit compenſationem eſſe contempti dei, id eſt, turpitudinem & contaminationem. Hæc eſt enim prima cauſa peccati. Quid enim peius, quid deterius, hoc peccato? Quantum enim idololatria per impium & grauiſſimum delictum eſt, tantum & compenſatio eius horrenda, & perſordida paſſio eſt. *Et ſicut non probauerunt deum habere in notitia, tradidit illos deus in reprobũ ſenſum, vt faciant ea quæ nõ conueniunt.*) Propter errorem ſimulachrorum traditi ſunt ad turpia faciendа inuicem, ſicut iam dictũ eſt. Et quia impunitatem horũ eſtimauerunt, incurioſum deum iudicãtes, ac per hoc negligendũ, hinc additũ eſt, vt magis ac magis hebetati, ad omnia mala admittenda fierent promptiores, vt facta quæ hominibus non ambigerent diſplicere, deum non crederent vindicare. Nũc enumerat omnia mala quæ illis ſuperaddita ſunt, vt vel ſic conuerſi ad naturalem intellectum, intelligerent itato deo hęc ſibi proueniſſe. *Repletos*, ait, *omni iniquitate.*) Hoc ſummatim locutus eſt, & ſubiecit membra iniquitatis. *Malitia, fornicatione.*) Hæc fornicatio habet in ſe & adulterium. Si enim dixiſſet adulterium, videbatur excuſaſſe fornicationem, ſicut leges Romanę: Ideo quod minus eſt poſuit, vt quod maius eſt inultum non poſſit credi, &c. quæ manifeſta videtur, *Auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes.*) Quanta autem inſolentia arrepti ſunt, vt nec parentes ſuos quos authores in natiuitate habent, agnoſcerent: quíque ſe natos gauderent, illos per quos eſſe cœperant, contẽnebant: hoc eſt, eſſe ſine intellectu, ſine charitate dei. Nam erat inter illos charitas carnis. Hi dei iuſtitiam cognoſcẽtes per legem naturę, ſciuerunt enim hęc deo diſplicere, ſed hoc in animo ponere noluerunt. *Inſipientes, incõpoſitos, ſine affectione, ſine miſericordia. Quoniam qui hæc agunt, digni ſunt morte: & non ſolum qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*) Aſſenſus enim participatio eſt. *Qui cum iuſtitiã dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte.*) Vſq; adeo iuſtitiam dei cognouerunt, vt non negent hæc omnia quæ faciunt, pœna digna & morte. Hæc omnia mala corpus eſt peccatorum, cui mancipati facti ſunt poteſtatis eiuſdem vt faciant punienda. Hæc enim malorum cauſa à Sodomitis cœpta eſt offenſione dei, ſicut ſupra dictum eſt, & in omnẽ propè partem mundi ramos ſuos extendit, iram dei idololatriæ cauſa nuncians, quę prima pars eſt erroris & impietatis, quam primum cõdemnat, vt cùm hæc emendata fuerint, facilè corrigantur & morum vitia. Sublato enim malitiæ ſemine, nequitię fructus areſcẽt. Non enim dat arbor fructus, cuius exciſæ ſunt radices. Nam ideo & Moyſes Sodomæ & Gomorræ geſta memorauit, exitúmque non tacuit, vt timorem poneret huius rei vitandæ. Non ergo hoc vitiũ & contaminatio dehoneſtatæ vitæ ab hoc admittitur, qui in animo cogitat deum. Sunt quidã qui ſe reos non putant ſi non operentur quæ mala ſunt, aſſentiunt autem facientibus. Aſſentire eſt autem, ſi cùm poſſit reprehendere, taceat, aut autoritas fabulas aduletur. Sciẽs enim impurus & malignus non ignorari quæ agit, & minimè ſe vitari, ſed & honori eſſe gloriatur fore ſe talem: nec confundi poteſt in his, quando videt faueri ſibi, & obſecundari ab iis qui non ſunt tales, dicta eſt, vt qui fomitem præbeãt delictis illorum: ideóque regium eſt vt pari crimine rei habeantur. Sunt iterum alij qui non ſolum faciunt mala, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, vt non ſolum faciant, ſed & talibus conſentiant. Duplex ergo, horum eſt nequitia. Non enim tam mali ſunt qui faciunt, & facientibus contradicunt. Scientes enim nequitię, non illa vindicant. Illi enim tam nequiſſimi ſunt qui faciunt, & conſentiunt facientibus, vt nec deum timeãt, increſcere cupientes mala: ideo hæc minimè vindicant, vt ſuadeant non illa eſſe vitanda.

CAPVT SECVNDVM.

VAPROPTER inexcuſabilis es ô homo omnis qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas. Eadem enim agis quæ iudicas.) Quoniam facientem maligna, & conſentientem facientibus, morte dignos oſtendit: ne fortè hic qui facit, & non conſentit facientibus, [.·.] excuſare ſe poſſe putaret, docęt huiuſmodi inexcuſabilem fore. Non enim iuſtum eſt vt huic impunè † concedatur, quia per hypocriſin oſtendit ſe non talem, cùm peior eſſe deprehendatur. Fallit enim vt dum puniendus ſit, honore dignus appareat. *Scimus autem quoniam iudicium dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt.*) Hoc eſt, non ignoramus deum iudicaturum de his in veritate, quando noſipſi de his iudicamus. Si enim nobis diſplicent, quanto magis deo, qui † magis iuſtus eſt, & opus ſuum zelatur? In veritate ergo cùm dicit iudicaturum deum de his, terrorem incutit, vt quem perfidi incurioſum rerum humanarum dicunt, iſte malos ſecundum veritatem dicat iudicaturum, hoc eſt, veriſſimè reddere ſecundum menſuram vniuſcuiuſque, non parcere. *Exiſtimas autem hoc ô homo qui iudicas de iis qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium dei?*) Hoc eſt, nunquid quia tibi examen datum eſt poteſtatis iudicandi de malis & ſtupris, cùm eadem agas, & non eſt qui te ad præſens iudicet, effugies iudicium dei? Non vtique, quia ſi iudicium dei in mundo euaſiſti, quia omnis hæc poteſtas & iudicium à deo eſt, in futurum non euades. Per ſe enim iudicaturus eſt deus, apud quem ceſſat adulatio & perſonarum acceptio. Aut certè ſi iuſtum alicui videtur vt huiuſmodi immunis à pœna ſit, dicat. Quod ſi iuſtum eſt vt non euadat, credat deum iudicaturum, vt & quod iuſtum eſſe iudicat, verum ſit & impleatur, & deum conditorem mundi prouidenter & curioſè operis ſui merita requirere fateatur. Si enim fecit & negligit, malus opifex dicitur, quia per id quod negligit, non bona ſe feciſſe quæ fecit oſtendit. Sed quia bona feciſſe negari non poteſt: (indignum eſt enim & † improbabile, bonum male feciſſe) curam eorum neceſſe eſt vt dicatur agere, quia contumelia eius erit & accuſatio, ſi bonorum à ſe factorum negligens inducatur: quippe cùm eius nutu ac prouidentia vita ipſa ſuſtentetur miniſterio elementorum, ſicut ipſe dominus dicit: Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Qui ergo præſtat curam, non agit conſeruare quod fecit, vt amantes ſe remuneret, ſpernentéſque condemnet? *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam bonitas dei ad pœnitentiam te adducit?*) Hæc dicit vt non iam ſe putet euaſiſſe, ſi illum bonitas dei patitur diu peccantem, nec patientiam eius putet contemnendam, quaſi non curantem res humanas. Intelligat autem ideo à ſe diſſimulari, quia non in hac vita iudicium dei promiſſum eſt futurum, vt in ventura vita pœniteat illum iudicem deũ nõ credidiſſe. [.·.] In pœna enim poſitus ſine fructu pœnitentiã pœnitebit, quia non credidit iudicium dei quod videt verum. Neceſſe eſt enim vt acrius emendetur, imò pœnis perennibus torqueatur, quem patientiæ longanimitas non emendauit. Seueriſſimè loquitur, ſciens malignam mentem non poſſe niſi timore à vitiis facile reuocari. *Secundum duritiam autem tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.*) Impunitatem ſperans peccatorum, non ſolum durat inconuerſibilis & intractabilis manens, ſed adhuc acerbius peccat, ſecurus quod non ſit vltio futura, cor habens impœnitens, ignorans quia iram ſibi cõgregat in die irę. Neceſſe eſt enim ſeueriori pœna vt plectatur, imò flammis perennibus torqueatur, qui longa dei patientia non ſolum ſe emendare noluit, ſed adhuc addens ad contemptum exaggerauit peccata. Dies iræ eſt peccato-

† cedat.

† verè.

† impoſsibile

Matth. 5.

ribus quo punientur: ideo ipſis eſt ira, qui ſentiunt pœnam in die reuelationis iuſti iudicij dei. Reuelabitur enim, id eſt, agnoſcetur, quod modo futurum negatur: ideóque cùm oſtenditur quod non eſſe creditur, reuelatur. His enim oſtenditur qui negant, quia credentibus manifeſtum eſt, vt confiteantur etiam inuiti iuſtũ iudicium dei, cùm vnicuique reddet ſecundum opera ſua. Nunquid non hęc fatebuntur iuſtè fieri, cùm viderint mala inuicem facta vlciſci? *His qui ſecundũ patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam.*) Quoniam iudicium dei iuſtum prædicat, quale autem bonis futurum eſt, declarauit: Hos dicit qui patientiam dei ſciẽtes, partim ad correptionem, partim ad maiorem vltionem non ſe corrigentium protelari, priorum operum pœnitẽtes, bene verſantur freti fiducia fidei, ne diu hic poſiti damnum incurrant promiſſæ vitæ. Dabit ergo eis gloriam & honorem. Et ne non hoc valde magnum ad comparationem præſentis vitæ videretur, quia & hic glorioſi videntur & honorati, adiecit, & incorruptionẽ: vt ex eo alia gloria & alter honor intelligeretur, quando incorruptio ſimul comitabitur. In præſenti enim honor vel gloria frequẽter amittitur, quia corruptibilis eſt qui dat, & quod dat, & qui accipit. In die enim iudicij dei incorruptis iam dabitur honor & gloria, vt ſint tota vita æterna. Ipſa enim glorificabitur ſubſtantia quadam immutatione meritorum. Hi ergo quærunt vitam æternam, qui non ſolum bonæ profeſſionis ſunt, ſed & vitæ. *His vero qui ex contentione, & qui diffidunt veritati, obediunt aũt iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia.*) Hoc eſt, iterata anguſtia, diffidentes de futuro dei iudicio per Chriſtũ, ac per hoc & patientiam eius contemnentes, contendunt euacuare illud, cùm ſit verum & ſtabile. Credunt enim iniquitati. Iniquitas eſt enim negare quod deus futurum prædixit. Tria ergo alia poſuit incredulitati condigna, dicens: Ira & indignatio & anguſtia. Ira eſt non ei qui iudicat, ſed illi qui iudicatur, dum ſit reus. Iraſci enim dicitur deus, vt vindicaturus credatur. Nam dei natura ab his paſſionibus immunis eſt. Et vt non ſolum iraſci, ſed & vindicare credatur adiecit, & indignatio. Indignatio eſt quam addendo ſuper iram, iniuriam ſuam deum vindicaturum ſignificat. Anguſtię verò ſunt quibus ſententia conſtrictus tribulabitur in pœna. *Super omnem animam hominis operantis malum.*) In hoc opere non ſolum facta ſignificat, ſed & perfidiæ profeſſionem. De incredulo enim dicit: & ideo ſuper animam dixit, vt ſpiritalem pœnam intelligas, non corporalem, quia anima inuiſibilibus pœnis arrabitur. *Iudæi primum, & Græci.*) Semper Iudæum anteponit prærogatiua patrum, vt aut coronetur primus, aut damnetur, quia credens propter Abraham honorificentior eſt: diffidens autẽ peius tractandus eſt: quia donum promiſſum patribus refutauit. *Gloria autẽ & honor & pax omni operanti bonum Iudæo primum & Græco.*) Quomodo incredulis tria pœnalia poſuit, ſic & fidelibus tria magnifica, vt honorem habeant geminũ, quaſi filij dei. Gloria autem ſit in immutatione. Pax verò eo quòd bene viuentes quieti erunt in futuro, nulla perturbatione cõmoti: quippe quia omnis homo à cõtrariis ſe abſtinens, apud iudicem habet pacem. *Non enim perſonarum acceptio eſt apud deum.*) Quoniam oſtendit Iudæum ſiue Græcum non deſpici à deo, ſi tamen credat in Chriſtum, ſed accepto ferri ambobus iuſtitiam fidei, ſic iterũ non credentes pariter reos eſſe, quia magis oberit circunciſio ſine fide, & proderit præputium per fidem, ac per hoc docet perſonarum acceptorẽ deum non eſſe. Nec enim prerogatiuam generis ſequitur, vt ſuſcipiat cauſa patrum diffidentem, aut abiiciat à ſe propter indignitatem parentum credentem, ſed vnumquẽque proprio merito aut remunerat aut condemnat. *Quicũque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt.*) Quomodo poteſt ſine lege peccari, cùm omnes ſimul ſubditi ſimus legi naturali? Sed de Moyſi lege dicit cui Iudæi obnoxij ſunt dũ non credunt, necnon & gentiles, ſed iam dudum, quia adiungere ſe illis noluerunt. Non credentes ergo gentiles, duplici genere fiũt rei, quia neque legi datæ per Moyſem aſſenſerunt, neque Chriſti gratiam receperunt: ideo dignum eſt vt pereant. Igitur ſicut qui ſine lege peccat, peribit: ita & qui ſine lege legem ſeruauerit, iuſtificabitur. Iuſtitiam naturaliter ſeruans, cuſtos legis eſt. Si enim iuſto non eſt lex poſita, ſed iniuſtis: qui non peccat, amicus legis eſt: huic ſola fides deeſt, per quam fiat perfectus, quia nihil illi proderit apud deum abſtinere à contrariis, niſi fide in deum acceperit vt ſit iuſtus per vtraque, quia illa temporis iuſtitia eſt, hæc æternitatis. *Et quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.*) [·.] Quoniam Iudæi legem habent, in qua ſalus illis promiſſa eſt: non credentes, vel non recipiẽtes promiſſum, per legem iudicabuntur, ſub qua vixerunt. Ipſa enim accuſante pœnas exoluent. Nam prope grauior Iudæorum cauſa eſt apud eos ipſos quàm gẽtilium. Sicut enim credentes præferuntur, ita & cum diffidunt peiores inueniuntur. Plus enim diſplicet qui quod habuit amiſit, quàm qui quod non ſperauit, conſequi non potuit. Iſte enim non intrauit in regiam, ille foras miſſus eſt. *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.*) Hoc dicit, quia non hi iuſti ſunt qui audiunt legem*, ſed qui credunt in Chriſtum quem lex promiſit: & hoc eſt facere legem *. Omnis autem non facit legem qui non credit legi, dum non recipit, cui lex teſtimonium perhibet. Qui autem in lege non videtur eſſe, quia incircunciſus eſt carne, credit autem in Chriſtum, hic feciſſe legem dicitur. Et ille qui ſe dicit in lege eſſe, id eſt, Iudæus, [·.] auditor legis fit, non factor, quia non credit in Chriſtũ ſcriptum in lege, ſicut dixit Philippus ad Nathanael: Quem ſcripſit Moyſes in lege & prophetæ, inuenimus Ieſum. *Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt.*) Gentes Chriſtianos dicit alio loco: Vobis enim dico gentibus: qui incircunciſi neque neomenias neque ſabbatum neque eſcarum legem ſeruant, & duce natura credunt in deum & Chriſtum, id eſt, in patrem & filium. Hoc eſt enim legem ſeruare, deum legis agnoſcere. Prima enim ſapientiæ pars hæc eſt, timere deum patrem, ex quo ſunt omnia: & dominum Ieſum filium eius, per quem ſunt omnia. Ipſa ergo natura proprio iudicio creatorem ſuum agnoſcit, non per legem, ſed per rationem naturæ: opus enim opificem cernit in ſe. *Hi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.*) Idem ſenſus eſt, quia dum natura duce credunt, opus legis oſtendunt, non per literam, ſed per conſcientiam. Opus autem legis eſt fides, quam cum dictis exhibet deo, naturali iudicio oſtendit ſemetipſum legem ſibi eſſe: quia quod mandat lex, vltrò facit vt credat in Chriſtum. *Teſtimonium reddente ipſis conſcientia ipſorum.*) Teſte interiore conſcientia ſua credunt, quia conſcij ſibi ſunt conuenire ſibi quod credunt. Congruum eſt enim creaturæ credere & venerari ſuum conditorem. Nec abſurdum eſt vt dominum ſeruus agnoſcat. *Et inter ſe cogitationibus inuicem accuſantibus, aut etiam defendentibus in die qua iudicabit deus occulta hominum, ſecundum euangelium meum per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.*) Quoniam Iudæos diffidentes per legem dixit iudicandos fore. Lex enim illos accuſabit, quæ Chriſtum illis promiſit, quem venientem recipere noluerunt. Gentes autem quæ legem vtique non habent, per conſcientiam iudicabuntur, ſi credere noluerint. Primum quidem accuſatores erunt gentiles credentes non credentium gentilium, ſicut Iudæis non credentibus dicit dominus de diſcipulis ſuis: Ipſi iudices veſtri erunt: quia perfidia Iudæorum iudicabitur fide apoſtolorum, qui cùm ex ipſis eſſent, illis diffidentibus credidérunt. Deinde cogitationibus ſuis accuſabuntur gentiles, ſi compuncti creatoris fidem & virtutem noluerint credere, aut ſi ſtupore quodam non conſiderant vt credant verbis & geſtis dominicis, defendentes ſe conſcientia in die iudicij, quia non cogitauit ſe debere credere, & iudicetur non quaſi maleuolus, ſed quaſi ignorans: non tamen ſine pœna futuros, quia non licet ignorare. Gentes enim duplici genere ſignificat, tam credentes, quàm infidos. Superius enim de gentilibus credentibus dicit. Poſt autem ſubiecit etiam de his gentilibus qui non credunt: vt ſicut per conſcientiam ſuam laudantur credentes, ita & per conſcientiam ſuam accuſentur diffidentes. Quamuis enim ſibi videatur minimè reus qui non credidit, quia apud ſe tractare iſtud non potuit: ratione tamen conuincitur, quia non ſibi ſuaſit verum hoc eſſe quod & virtutum teſtimoniis viderat confirmari

* niſi credãt. * Nam quomodo facit, &c. Ioan. 1.

Matth. 12.

1813

firmari, & multos sequi. Puto etiam sic posse intelligi, si tota quæstio de gentibus non credentibus dixisse credatur quia quod ait: Quid mihi de iis qui foris sunt, iudicare? Et qui nō crediderit, inquit, iam iudicatus est: Et quia non resurgunt impij in iudicio. Sine lege enim peccantes, sine lege & peribunt. ac per hoc ante tribunal Christi stare non poterit, & reddere causas, quia resurgentes ducentur ad gehennam. Illi enim quos dicit inuicem cogitationibus suis accusari aut defendi in die iudicij dei, Christiani sunt ij qui discordant à catholica, diuersa sentientes de Christo, aut de sensu legis in traditione ecclesiæ, siue Cataphrygæ, siue Nouatiani, siue Donatiani, aut cæteri hæretici. Horum cogitationes inuicē se accusabunt in die iudicij. Si intellexit quis veram esse catholicam, & ne videretur emēdatus, sequi noluit, erubescēs ab eo quod diu tenuit recedere, in die iudicij cogitatione sua accusabitur. Duæ etenim cogitationes in homine inuicē se accusabunt, bona & mala. Bona accusabit malā, quia contradixit veritati. Mala iterum accusabit bonam, quia nō secuta est vt sensit: & per hoc constituitur reus qui cogitauit sentiens bonam & veram esse ecclesiam catholicam, & permansit in hæresi vel schismate. Eius autem cogitationes se inuicem defendent, qui semper hoc cogitauit, putans vtile quod secutus est. Dicturus est enim, Semper in cogitationibus meis hoc putauit vtile quod secutus sum, hæc fuit fides mea. Hic leuiorem habebit causam, quamuis emendandum sit, quia à cōscientia sua non accusabitur in die iudicij. Hoc modo iudicabuntur occulta hominum in die iudicij dei per Iesum Christum dominum nostrum. *Si autem tu Iudæus cognominaris.*) Cognomen Iudæi est, quia ex prærogatiua parentum est vt dicantur Israelitæ. Et tamen si totum velimus quod ad causam pertinet comprehendere, cognomen Iudæis tripartito genere significandum debemus aduertere. Primum quia filij sunt Abrahæ, qui ob fidei suæ meritum pater positus est cunctarum gentium. Deinde propter Iacob, qui augmentandæ fidei gratia Israel appellatus est. Cœpta enim patris dignitas nobilitatur in filiis. Tertio non magis propter Iudam, sed propter Christum, qui ex Iuda ortus est secundum carnem, Iudæi cognominantur, quia in Iuda hoc significatum est quod futurum erat in Christo. Dictum est enim: Iudas erit dux vester: &, Iuda te collaudant fratres tui. Quæ laus data Iudæ non probatur, sed Christo, quem omnes quotidie laudant ij quos fratres suos dignatus est appellare. Ipse enim dixit mulieribus: Ite & dicite fratribus meis, quia præcedo vos in Galilæam. Quis enim non laudet eum cuius beneficio viuit? Apostolus ergo sub hac significatione quæ posterior numero, sed perfectior merito est, totum voluit comprehendi, quod Iudæi non intelligentes, nomen sibi carnalis Iudæ defendunt. *Et requiescis in lege, & gloriaris in deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, instructus per legem.*) Non magnū valde videri vult si Iudæus credat: quippe cum sit instructus per legem. Periculosum autem valde si non credat: ducem enim habet legem. Sed vt præponatur credens, † merito facit parum, quia quamuis aliquis per se floreat, erubescit tamen in suis. *Confidensque teipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium habentem formam scientiæ & veritatis in lege.*) Vera sunt hæc, quia legis documentum, hoc est, erudire imperitos, & deo subiicere prophanos, [.·.] vel per idololatriæ culturam impios. Promissio nanque facta per legem est ad melioris spei fiduciam prouocare. Recte ergo gloriatur in his legisdoctor, quia formam tradit veritatis. Si autem non recipit eum quem lex promisit, frustra gloriatur de lege, cui iniuriam facit dum Christum spernit promissum in lege, & nec iam eruditor erit insipiētium, nec magister infantium, nec lumen eorum qui in tenebris sunt, sed dux omnium horum ad perditionem. *Qui ergo alium doces, te ipsum non doces.*) Hoc est, tu qui gentiles arguis quod sine lege & deo sint, teipsum non arguis: diffidens enim de Christo in lege promisso, in eisdem quæ arguis, inueniris. *Qui prædicas non furandum, furaris.*) Facis enim, quod prædicas fieri non debere. Dum enim fidem Christi per malam interpretationem subripis, negas Christum nostrū in lege promissum. *Qui dicis non mœchandum, mœcharis.*) Adulteras autem legem, quando veritatem Christi tollis, & mendacium ponis. Vnde alio loco dicit: Adulteratores verbi dei. *Qui execraris idola, sacrilegium facis.*) sacrilegus es quando Christum quem lex & propheticus sermo deum significant, negas. Dicit enim Esaias: Quia in te est deus, & non est deus præter te. Tu enim es deus, & nesciebamus, deus Israel saluator. Nūquid Iudęi de deo patre dicebāt, Tu es enim de⁹ & nesciebamus, cùm tota lex dei patris authoritatem prædicet, ex quo sunt omnia? Sed quia filius dei semper quidem apparuit, latebat autem quis esset, cùm post resurrectionem cognoscitur, dicitúrque ei in confessione: Tu enim es deus, & nesciebamus. Qui enim putabatur in lege tantum angelus, & dux exercitus domini: at cùm intelligitur filius esse dei, dicitur ei cum gratiarum actione: Tu enim es deus, & nesciebamus. Per hoc ergo significat quia ipse esset qui apparuerat quidem patriarchis in deum, & pòst incarnatus est, sed non fuerat intellectus ab hominibus. *Qui in lege gloriaris, per prævaricationē legis deum inhonoras.*) Prævaricator legis es, quādo sensum legis qui de incarnatione & diuinitate Christi est, præteris: Et deum inhonoras, dum testimonium eius quod dedit de filio suo, non recipis. Ipse enim dixit: Hic est filius meus dilectus. Nomen enim dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est. Hoc dixit Esaias propheta, quia dei nomen blasphematur inter gentes, quando Iudæos pro noxiis suis traditos sibi non aduertebant, sed idolis suis dabant glorias, quasi Iudæorum deū vicissent in Iudæis. Ita tēpore apostolorum dei nomē blasphemabatur in Christo, quia Iudæi Christum deum negando, blasphemabant & patrem, sicut dicit dominus: Qui me recipit, non me recipit, sed eum qui me misit. Et ideo inter gentes blasphemabatur, quia credentibus gentilibus Iudæi suadere nitebantur Christum deum non credendum, vt blasphemia gentium à Iudęis vel Fotini authoribus sit profecta. *Circumcisio quidem prodest si legem obserues.*) Potest dici è contra, si prodest circumcisio, cur prætermittitur? Sed tunc prodest si legem obserues. Tenenda ergo circumcisio est: & vt possit prodesse, seruanda est lex. Quid ergo prohibuit, quod prodesse, si lex seruetur, ostendit? Videtur ergo male prohibitum, quod non pen se displicet, sed per alterius negligentiam frustrari dicitur. *Si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est.*) Hoc est quod dicit, quia si lex seruata non fuerit, Iudæus gentilis efficitur. Sed circumcisionem pro genere posuit Abrahæ, quia ex Abraham circumcisio. Nec enim poterat ædificare quæ destruxerat. Hoc enim ait, vt doceat tunc prodesse ex genere Abrahæ esse, si lex seruetur: id est, si in Christum credatur, qui promissus est Abrahæ, quia & suum meritum habent iustificati per fidem, & honore patrum sublimantur. Omnis enim salus in lege, de Christo est. Hic ergo seruat legem qui credit in Christo. Si autem non credit, transgressor legis est, quia non recipit Christū quem lex ad iustificationē venturū cecinit, quam ipsa dare non potuit, & nihil illi proderit dici filium Abrahę, quia hic secundum meritum filius est Abrahæ, qui fidem sequitur, per quam dignus deo extitit Abraham. Vnde ait: Circumcisio tua præputium facta est: id est, gentili similis factus es non credens in eum qui in signo circumcisionis filius promissus est Abrahæ. *Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nónne præputium illius in circumcisionem reputabitur?*) Iustitia legis fides est Christiana, sicut alio loco dicit: Finis legis Christus ad iustitiam omni credēti. Ideo manifestum est quia si gentilis credat in Christum, fit filius Abrahę, qui pater est fidei. *Et iudicabit quòd ex natura est præputium legem perficiens, te qui per literam & circumcisionem prævaricator es legis.*) Credens gentilis duce natura in Christum, condemnat Iudæum cui lex promiserat Christum, & aduenienti ei credere noluit. Quantò ergo gentilis dignus est gloria, qui per solam naturam intellexit authorem, sicut dicit Petrus apostolus: Authorē verò vitæ interfecistis: tanto magis Iudæus puniendus est, qui neque per naturam, neque per legem Christum agnouit authorem. *Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque palam in carne circumsio, sed qui in occulto Iudæus est & circumcisio cordis in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus sed ex deo est.*) Non est obscurum quia circumcisionem carnis negat laudem habere apud deum. Nec

Esaia 45.

Matth. 3.

Luca 9.

Actor. 3.

enim Abraham ideo iustificatus est, quia circumcisus est, sed quia credidit, iustificatus est: postea autem circumcisus est. Cordis autem circumcisionem laudabilem apud deum esse. Circuncidere enim cor, amputato errore agnoscere est creatorem. Et quia circūcisio cordis futura erat, primus Moyses dixit: Circuncidetis duritiam cordis vestri. Et Hieremias similiter: Circuncidite præputium cordis vestri. hoc dixit Iudæis idola sequentibus. Velamen est enim circa cor quod conuersus ad deum circuncidit, quia fides aufert nebulam erroris, & tribuit perfectam dei cognitionem in mysterio trinitatis, quod incognitum erat à seculis. Huius ergo circumcisionis laus ex deo est, occulta hominibus. Cordis enim meritum est quod aspicit deus, non carnis. Nam Iudæorum laus ex hominibus est. Gloriantur enim in carnis circumcisione quòd ex patribus sit. Vnde inter cetera ait: Et gloria in pudendis eorum qui terrena sapiunt. hoc est, qui circumcisionem carnis gloriam putant. Terrena enim sapit, qui in carne gloriatur. Qui verò in spiritu gloriatur, huius laus ex deo est. spiritu enim carne creditur.

Deut. 10.

Philip. 3.

CAPVT TERTIVM.

Quid enim amplius est Iudæo, aut quæ vtilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia dei.) Quid cùm multa sint quæ ad honorificentiam & meritum pertineāt feminis Abrahæ, hoc solum apertè memorat: quia maximè laudis eorum est, vt legem per quam addiscerent rectum à peruerso distinguere, digni iudicarentur accipere, vt post hoc primū, cætera qualia sint, possint intelligi. Quoniam autem iudæis carnalibus, id est, incredulis nihil proficere testimoniū generis ostendit, ne omnes, id est, & credentes malè tractasse videretur, docet multum vtile esse Iudæis credentibus quia filij sunt Abrahæ. His enim eloquia dei sunt credita, dum legem quæ peccatis hominum obsoleuerat, quasi impunè peccaretur apud deum merito patrum reformatam accipiunt, & populus dei vocantur. Ægyptus quoque propter iniurias illorum diuersis plagis percutitur, cœlesti pane cibantur, omnibus gentibus terrori sunt testāte hoc Rhaab meretrice. Quibus etiam Christus saluator ad sanctificationem promissus est. Ideo ait multum vtile Iudæis per omnem modum quia filij sunt Abrahæ. Anteponūtur enim gentibus, sed qui credunt. *Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem dei euacuauit: Absit.*)[.*.] Non, inquit, quia aliqui Iudęorum credere noluerunt quæ deus promisit filiis Abrahæ, idcirco præiudicabitur cæteris Iudæis ne digni dicantur accipere quod deus promisit fidelibus: quippe cùm sic facta sit promissio, vt credentibus proficeret. Igitur non indignatus deus propter illorum perfidiam, id est, Iudæorum, non dabit reliquis credentibus vitam æternam, quam promisit futuram per fidem Christi: quia qui non crediderunt, ipsi se indignos fecerunt sine præiudicio cæterorum. His dictis commendat credentes Iudæos, quia nihil obest eis quia multi ex illis credere noluerunt. *Est enim deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est,* [.*.] *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas dum iudicaris.*) Vt firmaret quod supra dixit, quòd deus in promissione sua fidelis est, & omnis homo mendax, exemplum propheticum subdidit ex psalmo quinquagesimo, quo & deum verbis suis iustificari, & hominem mendacem incredulitatis causa signauit. Vtrūque enim legitur in libro psalmorum, quia deus iustus & verax est, & omnis homo mendax. Mendacem hominem dicit, dum non crēdit quod promisit deus. Negans enim daturum deum quod promisit, mendax est: & dum ipse mendax est, multis ex causis deum mendacem pronunciat, quando promissis eius non credit. Igitur omnem hominem mendacem dicit qui diffidens est de promissis dei. Maximè tamen hoc ad Iudæos pertinet, quorum causa tractat hoc loco Apostolus, qui videntes Christum negauerunt hunc esse quem promisit deus, ac per hoc mendaces pronunciantur. Deus autem verax est, quia misit Christum sicut promisit: & sic vincit cùm iudicatur, quia dabit quod daturus negatur. Dum enim non ei creditur, mendax iudicatur. Ille autem cum dat quod iudicatur non daturus, vincit, ostendens se veracem, illum autem mēdacem qui non credit verbis eius. Videbit enim dei filium in maiestate, quem negat: videbit & carnis resurrectionem, & sciet victam esse perfidiam pollicitatione & veritate dei. Nam & Christus cum iudicatus est, vicit. Inique enim occisus, reum fecit diabolum, quem non iam peccādo superauerat, vt secundo victus amitteret quos tenebat in inferis, hoc est, quia omnis homo mendax, deus autem solus verax.

Si autem iniustitia nostra dei iustitiam commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus deus, qui infert iram? secundum hominem dico. Absit.) Hoc iuxta sensum prophetæ Dauid dicit apostolus. Dauid autem quando peccauerat in causa Vriæ Ethei, sciens quia promissio peccatorib⁹ dari nō potest, exorat vt iustificatio verborum dei vincat iudicium, quo iudicantur ij qui peccant, & pœnitētem reformet sanctificans, vt det ei quod iustis se daturū promisit. Ac per hoc subiecit: *Si autem iniustitia nostra iustitiam dei commendat, & reliqua.*) id est, si quia nos peccatores sumus, deus iustificatur, iniquus erit si vindicet. Nam si iniustitia nostra ei proficeret, sine dubio iniquus erat si peccantes damnaret, quia iniustitia nostra deum facit iustum si peccantibus nobis det quod promisit sanctis: quia quamuis peccatores simus, reformati tamen per pœnitētiam, vt non iam peccatores sed abluti promissionē mereamur accipere. Nō ergo hic sensus est in verbis prophetæ Dauid cum dicit: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas dum iudicaris: qui malorum hominum praua interpretatione asseritur, vt peccata hominū & mali actus dei iustificatione proficiāt, & per mala nostra bonus appareat, & iniustitia nostra illum iustum ostendat. Quoniā itaque iniquus non est deus cùm irrogat, iram iam nō peccatis nostris iustificatur, quia si peccatis nostris iustificaretur, iniquus erit si vindicaret. Sed quia non est iniquus cùm vindicat, manifestum est quia iniustitia nostra dei iustitiam non commendat. Si autem commēdaret, non vindicaret, quia iustus est. Ac per hoc subiecit, secūdum hominē, inquit, dico: Absit: hoc est, absit ne deus iniquus dicatur, quia hoc homini cōpetit, quem constat & errare & falli & fallere. Nam deus immutabilis perseuerat, nec potest non amare quæ fecit. *Alioquin quomodo iudicabit deus hunc mundum?*) Verum est, quia non erat iustū vt iudicaret deus mūdum si peccata eius ipsi proficerent vt nutu eius peccantes dum veniam consequuntur, deus bonus videretur, & si non peccarent, non videretur iustus. si enim non peccent, non habendo cui remittat, non erit bonus. *Si enim veritas dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor?*) Manifestum est quia si ad gloriam dei proficit mendacium hominum, vt ille solus verus appareat, peccatores non sunt dicendi qui peccant: quia non voluptate, sed impulsu eius videbuntur peccare: quod absit. *Et non sicut blasphemamur, & sicut aiunt nos quidam dicere: Faciamus mala, vt veniant bona.*) Nunc aperit quorum caussa hæc sollicitè & cum reuerentia disputat. A peruersis enim hoc opponebatur, quasi hic esset sensus prædicantium remissionem peccatorum, vt facerent mala, & venirent bona, hoc est, peccarent, vt remittendo illis deus videretur bonus, secundum quæ supra dicta sunt: quòd blasphemiam appellat, & abiicit à sensu diuinæ doctrinæ. Nec enim peccare debere fides tradit, quippe cùm iudicaturum deum prædicet, sed delinquentibus consulit vt recuperata salute sub lege dei viuentes iam non peccent. Ideóque subiecit: *Quorum damnatio iusta est.*) Id est, horum hominum qui æmulatione inuidiæ istud de nobis interpretantur quod supra dictum est, damnatio iusta est. Hæc enim iactabant Iudæi, vt doctrinam apostolicam criminarentur, dicentes quòd cùm remissionem peccatorum prædicant, peccandi fomitem præbeāt, vt quasi securi homines de remissione, promptè peccarent: cùm constet post acceptam fidem periculosum

A B C D

1817

culosum esse peccare, & hoc prædici credentibus.

Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse.) Hoc est, quid adhuc immoramur latius loquentes? Ostendimus enim redditis causis, tam Iudęos quàm Græcos, id est, gentiles omnes reos esse, ideoque frustra legem seruari. Primũ enim Græcos ostendit reos iuxta legem naturæ, & quòd neque legem Moysi reciperint: quamobrem pessima eorum & pergrauissima causa. Deinde etiam Iudęos ostendit reos, qui sub lege dei viuere vidētur, ac sibi ex merito patrum defenderent dignitatem, ex eo præcipuè quòd promissionem patrum spreuerint, dei gratiam in irritum deducentes. Ad quam rem firmandam exemplum propheticum subdidit ex Psalmo tertiodecimo, dicens: *Sicut scriptum est, quia non est iustus quisquam.*) Ab iniustitia cœpit mala opera eorum enumerare, & partim peiora subiicere, vt manifestaret in his nullam spem videri, nisi implorent misericordiam Christi qui peccata dimittit. Deinde adiecit: *Non est intelligens.*) Verum est, quia si daret operam intelligere, iniustus non esset. *Non est requirens deum.*) Nec istud occultum est, quia si intelligeret quid prodesset, deum quæreret, & non sicut Asa rex Iuda, qui post multa dei beneficia sic deprauatus est, vt infirmitatem pedum passus propheta præsente non quæreret deum. *Omnes declinauerunt simul, inutiles facti sunt.*) Nemini dubium quia omnes non quærentes deum, inclinantur vt auxilium requirant à vanitate: vanitas autē est idolum: ideo inutiles fiunt. *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*) Quia neglecto deo inutiles facti sunt, bonum vtique facere non possunt. Iam enim deprauati proficiunt in peius. *Sepulcrum patens est guttur eorum.*) Iam malis mancipati, bonos, si posset fieri, deuorare volebant, vt sicut sepulchrum patet ad recipienda cadauera, ita & aduersus bonos guttur eorũ. *Linguis suis dolose agebant.*) Qui tam malis operibus assueuerant, quæ loquebantur, in fallacia erant. *Venenum aspidum sub labiis eorum.*) Hoc dicit quia verba huiusmodi hominum muscipula sunt. Ad hoc enim loquuntur, vt decipiant: vt sicut per labia serpentis venenum infunditur, ita & per labia horum dolus & circunuentiones. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est.*) Manifestum est quia contra bonos mali semper maledicta & amara proponunt, in conuitium illorum prorumpentes & detractionem. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*) Hoc de nece prophetarum dixit, quos occiderunt impigrè, ad bonũ segnes, ad parricidium veloces. *Contritio & infelicitas in viis eorum.*) Quoniam citati erant ad malefaciendum, iter ipsorum vel gressum tribulatum & infelicem pronunciat. *Et viam pacis non cognouerunt.*)[.*.]Via pacis lenis est & inturbata. Omnis enim bona vita tranquilla est, & actus modesti ipsi sunt pacifici, & per istos itur ad deum. Illi ergo nolentes hæc scire, elegerunt viam tribulationum, per quam itur in gehennam. *Non est timor dei ante oculos eorũ.*) Quoniã huiusmodi sine enim sensu sunt, dei timorẽ non habẽt. Initiũ enim sapiẽtię timor domini, dicit Salomon. Et non dixit timorem dei hos non habere, sed non est, inquit, timor dei ante oculos eorũ. Videntes enim tam maligna opera sua, & non horrentes, timorem dei dicuntur ante oculos nõ habere. Istos omnes & prophetas Hieremias significat, dicens inter cætera: Tunc omnes insurrexerunt in prophetam domini, volentes occidere eum. Et sequitur: Omnis autem populus non permisit. Illos ergo omnes dicit, sed malos: & hos omnes, sed bonos. Neque enim quia dicit, omnes declinauerunt, totam penitus plebem significat, sed hanc partem plebis, sicut & memoratus propheta dicit, in qua omnes mali se condiderant. Semper enim duo populi sunt in vna plebe. Hic est ergo populus quem increpat dominus sub nomine Hierusalem, dicens: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas. Et alio loco: Generatio, ait, mala & adultera: & natio viperarũ. De huiusmodi quæritur etiam propheta Esaias dicens: Væ genti peccatrici, semen pessimum. Per malam enim voluntatem, dum fructus malos faciunt, semen pessimum sunt. Et quia si voluerint, possunt conuerti, vox probat apostoli in alia epistola dicentis: Eramus & nos aliquãdo natura filij iræ, sicut & cæteri. *Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur.*) Manifestum est quia hos increpat lex qui & primum non crediderunt duci suo Moysi, neque prophetis parentibus suis, quos & persequentes occiderunt, neque apostolis cognatis suis secundum carnem, quorum sanguinem effuderũt, semper impij, & in deum rebelles, vt per legem damnentur, cuius authoritatem contemnandam putauerunt. Sicut enim omnium malorum vna est causa in malo, ita & cunctorum bonorum. In istis ergo omnium similium arguitur malum. Hæc ad Iudæorum confusionem pertinent, qui sibi & parentibus suis testimonium ex lege ferebant. *Vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus deo.*) Hoc dicit, quia Iudæis in peccatis constrictis, omnis mundus subditus fit deo. Nulli enim dubium est, quia pagani obruti sunt delictis & impietatibus, ac per hoc totus mundus deo prostratus est vt possit ad indulgentiam peruenire, quia omnis mundus Iudęi erant & gentiles, à quibus segregati sunt fideles. Quando ergo Iudæos qui legem acceperunt à deo, & quibus facta promissio est, peccatis probat obnoxios, dubium non est omnes Græcos reos esse mortis. quamobrem omne os obstruatur, ait, & subditus fiat omnis mundus deo, dum omnes rei approbati indigent misericordia dei, tam Iudei, quàm etiam Gæci. *Quoniam quidem non iustificabitur ex operibus legis omnis caro coram deo.*) Non ideo minimè iustificatos homines asserit apud deum, quia legem iustitiæ non seruauerunt in præceptis, sed quia sacramentũ mysterij dei quod in Christo est, credere noluerũt. Per hoc enim decreuit deus iustificare hominem, nõ per legem, quia lex ad tempus iustificat, non apud deum. Ideo legem seruãtes in tempore, iusti sunt non apud deum, quia fides per quã iustificantur homines apud deum, nõ est in eis. Maior enim fides est quàm lex: quia lex ad nos pertinet, fides ad deum. Idcirco lex temporalem habet iustitiam, fides æternã. Nam omnem carnem dicens, omnem hominem significauit, sicut & propheta Esaias ait: Et videbit omnis caro salutare dei. id est, videbit omnis homo Christũ domini, in quo salus omnium continetur. Et idcirco in carne significantur, quia peccatis obnoxij sunt. Sicut enim iustitia spiritales facit, ita & delicta carnales, vt ex actu nomen accipiat homo. *Per legem enim cognitio peccati.*) Per fidem autem abolitio. ideo sequenda fides est. Quæ est hæc lex per quam dicit cognitum esse peccatum, & cognitum quomodo? Videmus enim veteres non ignorasse peccatum, quia & Ioseph in carcerem missus est, licet per calumniã, & pincerna & pistor Pharaonis causa peccati. Quomodo ergo latebant peccata? Triplex quidem lex est, ita vt prima pars de sacramento diuinitatis sit dei, secunda autem quæ congruit legi naturali, quæ interdicit peccatum. Tertia verò legis factorum, id est, sabbata, neomeniæ, circuncisio, &c. Hæc est ergo lex naturalis quæ per Moysem partim reformata, partim authoritas eius firmata in vitiis cohibendis, cognitum fecit peccatum, non quòd lateret, sicut dixi, sed ostendit peccata quæ fiunt, non impunè futura apud deum, ne fortè quis ad tempus euadens, legem illusisse putaretur. hoc est ergo quod lex ostendit. *Nunc verò sine lege iustitia dei manifestata est, testimoniũ habens à lege & prophetis.*) Apertum est quia iustitia dei sine lege apparuit, sed sine lege sabbati & circuncisionis & neomeniæ & vindictæ, non tamen sine sacramento diuinitatis dei, quippe cùm iustitia dei de sacramento dei sit. Nam quando quos lex reos tenebat, iustitia dei ignouit illis, sine lege vtique hoc fecit: quia iniquos lex vindicatura erat, hæc donauit illis peccatum. Et ne hoc fortè contra legem factum putaretur, adiecit iustitiam dei testimonium habere ex lege & prophetis, hoc est, quia ipsa lex ex alia parte olim istud futurum dixerat, quia venturus erat qui homines saluaret: quod legi concessum nõ erat vt peccata donaret. Ideo autem iustitia dei dicta est, quæ videtur esse misericordia, quia de promissione originem habet: & cùm promissum dei redditur, iustitia dei dicitur. Iustitia enim dei est, quia redditum est quod promissum est. & cùm suscipit confugientes ad se, iustitia dicitur, quia non suscipere confugientem, iniquitas est. *Iustitia autem dei per fidem Iesu Christi.*) Quid est aliud per fidem Iesu

Esaiæ. 40.

Christi, nisi quia ipsa dei iustitia manifestatio Christi est? Per fidem enim prædicationis Iesu Christi agnoscitur donum dudum promissum à deo vel sumitur. *In omnes & super omnes qui credunt.*) Hoc est, super omnes Iudæos & Græcos, credentes videri dei iustitiam. *Non enim est distinctio, omnes peccauerunt, & egent gloria dei.*) Quia dixerat super omnes Iudæos & Græcos dei esse iustitiam, vt hoc probaret, adiecit, Omnes enim ait, peccauerunt. Hoc generaliter accipiendum. vnde ait: Non est distinctio. Omnes enim hic comprehendit, etiam & sanctos, vt ostenderet nihil profuisse legem sine fide. Sic enim lex data est, vt fides esset in lege quæ futuram speraret salutem. Quamobrem mors Christi omnibus proficit, quia & hic in seculo quid credendum & obseruandum est docuit, & de inferno eripuit omnes. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.*) Iustificati sunt gratis, quia nihi operantes neque vicem reddentes sola fide iustificati sunt dono dei. *Per redemptionem quæ est in Christo Iesu.*) Gratiam dei in Christo esse testatur, quia voluntate dei à Christo redempti sumus, vt manumissi iustificaremur, sicut ad Galatas dicit: Christus nos redemit, offerens se pro nobis. Permisit enim † sæuienti diabolo, sed imprescio. Putans autem se Christum posse retinere, veluti accepit eum: se quia virtutem eius ferre non potuit, omnes quos tenebat, simul cum illo amisit. *Quem proposuit deus propitiatorem fidei.*) Hoc dicit, quia in Christo proposuit deus, id est, dispositi propitium se futurum humano generi, si credat. *In sanguine ipsius.*) Ideo in sanguine ipsius, quia morte eius liberati sumus, vt & manifestaret illum, & mortem passione eius damnaret. *Ad ostensionem iustitiæ suæ.*) Hoc est, vt promissum suum palam faceret, quo nos à peccatis liberaret: sicut antè promiserat: quod cùm impleuit, iustum se ostendit. *Propter propositum præcedentium delictorum, in patientia dei.*) Sciens deus propositum benignitatis suæ, quo censuit peccatoribus subuenire, tam iis qui sunt apud superos, quàm qui in inferno tenebantur, vtrosque diutissimè expectauit euacuans sententiam qua iustum videtur omnes damnari, vt ostenderet nobis quòd olim decreuerat liberare genus humanum per Christum, sicut promisit per Hieremiam prophetam dicens: Propitius ero iniquitatibus eorum, & delictorum illorum non memorabor. Et ne fortè hoc donum solis Iudæis promississe videretur, per Esaiam dicit: Domus mea domus orationis vocabitur in omnibus gentibus. Quamuis enim Iudaismo facta promissio sit, sed præscius deus, eò quòd donum eius reprobaturi essent impij Iudæi, gentes se ad percipiendam gratiam suam promisit admittere, quorum æmulatione in iram missi cruciarentur impij Iudæi. *In hoc tempore.*) Id est, tempore nostro, quo dedit deus quod olim promiserat dandum tempore quo dedit. *Vt sit iustus iustificans eũ qui est ex fide Iesu Christi.*) Rectè ait, quia vt sit iustus, dedit quod promisit: hoc autẽ promisit, iustificare se credentes in Christum. Dicit autem in Abacuc: Iustus autem ex fide viuit: vt dum dei fidem habet & Christi, sit iustus.

Gala. 3. † *se volenti.*

Hiere. 31

Esaiæ 56.

Abacuc 2.

Vbi est ergo gloriatio tua? Excluſa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.) Reddita ratione, ad eos loquitur qui agunt sub lege, quòd sine causa glorientur blandiantes sibi de lege, & propter quod genus sint Abrahæ, videntes nõ iustificari hominem apud deum nisi per fidem. *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.*) Gentilem dicit hominem pro certo haberi quòd iustificetur credens, nulla faciens opera legis, id est, sine circunciſione, aut neomeniis, aut veneratione sabbati. *An Iudæorum tantum deus? nónne & gentium? imò & gentium.*) Sine dubio omnium deus vnus est. Nec enim soli Iudæi possunt sibi vindicare quòd deus illorum non etiam gentiũ sit, cùm relegant ab vno Adam omnium esse originem, & nullum aduenam volentem ad legem accedere prohiberi. Denique aliquanti exierunt cùm illis in eremũ de Ægyptiis, quos susçipere iubentur, tantum vt circunciderentur, & pariter cum illis ederent azyma vel pascha, necnon & Cornelium donum dei accepisse gẽtilem non Iudaizantem, & quòd iustificatus sit, diuino testimonio comprobatum. *Quoniam quidẽ vnus deus, qui iustificauit circunciſionem ex fide, & præputiũ per fidem.*) In circunciſione Iudæos significat, eò quòd ex fide promissionis iustificati sunt credentes hunc esse Christũ, quem in lege promiserat deus. In præputio verò gentes significat per fidem Christi iustificatos apud deũ. Tam enim gentiles quàm Iudæos non aliter quàm credentes iustificauit. Quia enim omnium vnus est deus, vna ratione omnes iustificauit. Quid ergo prodest carnis circunciſio, aut quid obest præputium, quando dignitatem & meritum non facit nisi fides? *Legem ergo euacuamus per fidem? Absit. Sed legem statuimus.*) Non vtique lex exinanitur per fidem, sed adimplebatur. Firmatur enim status eius, quando quod futurum dixit, fides istud aduenisse testatur. Hoc propter Iudæos, qui putant fidem Christi legi esse inimicam, ignorantes sensum legis. Non ergo euacuat legem, cùm illam cessare debere iam docet, quia tempore suo rectè illam datam asserit, sed iam agere non debere. In ipsa enim lege dictum est, tempore exolutę promissionis legem cessare debere. Angelus enim Gabriel Danieli prophetæ desiderium huius rei sciendę habenti, ostendit, inter cætera dicens, aduenientę Christo, chrisma, id est, vnctionem regalem cessare, quæ potestas intelligitur. Et iudicium, ait, non erit amplius, quod est lex, & tolletur sacrificium meum. Ideo, inquit, meum, vt sciretur oblationem veterem cessaturam. Quem sensum adaperiens saluator, Lex, ait, & prophetæ vsque ad Ioannem. Et quia lege Moysi cessante meliora præcepta daturus erat deus, Hieremias propheta cecinit dicens: Ecce dies venient, dicit dominus, & consummabo domui Israel & domui Iuda testamentum nouum, non secundum quod dedi patribus eorum. His vtique qui venientem Christum ex promissione receperunt. Ideo saluator, Non veni, ait, soluere legem aut prophetas, sed adimplere. Et quia domus dei non tantum in sola Hierosolyma, sed & in cæteris locis futura erat, ait Zacharias propheta: Ponam Hierusalem in omnibus gentibus, quæ est ecclesia.

Luc. 16.

Hierem. 31.

Zacha. 12.

CAPVT QVARTVM.

Quid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrũ secundum carnem?) Postquàm ostendit non posse per opera legis quenquam iustificari apud deum, adiecit nec Abrahã potuisse aliquid mereri secundum carnem. Carnem dicens, circunciſionem posuit, quia nihil quæsiuit Abraham per circunciſionem. Antè enim iustificatus est, quàm circũcideretur. *Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud deum.*) Hoc proponentis est. Nam Abraham ex fide iustificatus est, quod nulli dubium est: ideo habet gloriam apud deum. Sed quia qui legem seruant siue Moysi, siue naturæ iustificantur ad præsens, ne rei sint in præsenti iudicio: ideo ait, Ex operibus legis si Abraham iustificatus est, non habet apud deum gloriam: quia qui fecerit, inquit, legem, viuet in ea, id est, nõ morietur vt reus, nec tamen meritum ex hoc habebit apud deum, sed fidei causa. *Quid enim dicit scriptura: Credidit Abraham deo, & reputatum est ei ad iustitiam.*) Manifestauit nõ ideo Abraham gloriam apud deum habere, quia circunciſus est, aut quia abstinuit se à peccato, sed quia deo credidit: hinc & iustificatus est, laudis suæ præmium in futuro consecuturus. *Et autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secũdum debitum.*) Absolutum est ei qui legi factorum, id est, Moysi subiectus est, aut naturali, non imputari meritum ad mercedem vt gloriam habeat apud deum. Debitor est enim facere legem, quia necessitas imposita est per legem, vt velit nolit faciat legẽ, ne damnetur: sicut alio loco dicit: Qui autẽ est peccatis, quia non operatur quod mandat lex. *Credẽti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.*) Hoc dicit quia sine operibus legis credenti impio. i. gentili in

Rom. 13.

1821

in Christum, reputatur fides eius ad iustitiam sicut Abrahæ. Quomodo ergo Iudæi per opera legis iustificari se putant iustificatione Abrahæ, cùm videant Abraham non ex operibus legis, sed sola fide iustificatum? Non ergo opus est lex, quando impius per solam fidem iustificatur apud deum. *Secundum propositum gratiæ dei.*) Sic decretum dicit à deo, vt cessante lege solam fidem gratiæ dei posceret ad salutem. *Sicut & Dauid dicit.*) Hoc ipsum munit exemplo propheræ. *Beatitudinem hominis, cui deus accepto fert iustitiam sine operibus.*) Beatos dicit, de quibus hoc sanxit deus, vt sine labore & aliqua obseruatione, sola fide iustificentur apud deum. Temporis ergo beatitudinem prædicat quo natus est Christus, sicut ipse dominus ait: Multi iusti & prophetæ cupierunt videre quæ videtis, & audire quæ auditis, & non audierunt. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum.*) Manifestè beati sunt, quibus sine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi tantum vt credant. Beatus etiam hic vir est, cui non imputabit dominus peccatum. Remittere & tegere & non imputare, vna ratio, & vnus est sensus: Omnia enim vno modo obtinentur & donantur. Videtur aũt quibusdã tripartita ratio esse in his dictis, quia diuersis propheta vsus est verbis, & quia à plurali numero ad singularem descendit. Cùm enim verba dei in vbertatem gratiæ, quia peccati diuersa sunt nomina, per delictorum vocabula enumerare vult, latius locutus est, vnius tamen significationis sunt verba, quia & cùm tegit remittit, & cùm remittit non imputat. Ad laudem enim gratiæ dei prolixius loquitur, vt amplificet gratiam. Tres enim gradus fecit propter delictorum varietatem. Quorum primus gradus est iniquitas, vel impietas, dum non agnoscitur creator. Secundus, grauium peccatorum operibus. Terrius verò leuium. Hos tamen omnes in baptismate obliterari. Tribus his gradibus totius peccati corpus significauit. Quemadmodum autem ad pœnitentium personam potest pertinere, cùm dicit: Beati, quorum tecta sunt peccata: cùm constet pœnitentes labore & gemitu remissionem peccatorum acquirere? Quomodo autem martyrio cõgruit quod dicit: Beatus vir, cui non imputabit dominus peccatum: cum sciamus gloriam martyrij passionibus & pressuris acquiri? Propheta autem tempus fœlix præuidens in saluatoris aduentu, beatos nuncupat, quibus sine labore vel aliquo opere per lauacrum remittuntur & teguntur, & non imputantur peccata. Apostolus tamen propter plenitudinem temporum, & quia plus gratiæ in apostolis est, quàm fuit in prophetis, maiora protestatur quæ ex dono baptismatis consequuntur, quia non solum remissionem peccatorum accipere nos, sed & iustificari, & filios dei fieri profitetur, vt beatitudo hæc perfectam habeat & securitatem & gloriam. *Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an & in præputio?*) Id est, nunquid beatitudo ista Abrahæ tantum filiis concessa est, an & iis qui incircuncisi sunt? Si enim illo tempore non prohibitæ sunt gentes accedere ad legem & promissionem Abrahę, qui fieri poterat vt tempore Christi prohiberentur venientes ad gratiam, quando deus plenè incitauit? *Dicimus enim.*) Hoc est sensu legis loquimur, *Quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam.*) Ab origine incipit, vt omnem tergiuersationem cauillationis excludat, quia qui à capite excluditur, non habet vnde incipiat facere quæstionem. *Quomodo ergo reputata est? cum in circumcisione esset an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio, & signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio, vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam.*) Abraham cùm esset in præputio, credidit deo. Quid credidit? Semen se habiturum, id est filium, in quo omnes gentes iustificarẽtur per fidem in præputio, sicut & Abraham iustificatus est. Nam circumcisionem signum accepit iustitiæ fidei. Credens enim se filium habiturum, huius rei signum accepit quam credidit, vt quid credens iustificatus sit, cerneretur. Non ergo circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantum. Quod signum ideo accipiebant filij Abrahæ, vt scirentur eius filij esse, qui credens deo hoc signum acceperat, vt æmuli essent paternæ fidei, vt crederent in Iesum qui promissus est Abrahæ, cuius in figura natus est Isaac. Nec enim in Isaac omnes gẽtes benedicuntur, sed in Christo: quia non est aliud nomen datum sub cœlo, in quo oporteat saluos fieri, dicit Petrus apostolus. *Act. 4.* Vt sit pater circunçisionis eorum qui non solum ex circuncisione sunt, sed & eorum qui sequuntur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.) Hoc dicit, quia credens Abraham, primus factus est pater circuncisionis, sed cordis, non tantum eorum qui sunt ex eius origine, sed eorum qui similiter credunt ex gentibus. Secundum carnem enim Iudęorum pater est, secundum fidem verò omnium credentium. *Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei.*) Manifestum est quia neque adhuc lex data erat, neque iam erat circuncisio, quando promissio facta est Abrahæ credenti, & semini eius quod est Christus, qui hominum peccata ablueret. Vnde dicit Ioannes Baptista: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatum mundi. *Ioan. 1.* Non ergo merito seruatæ legis hæres factus est mundi, sed fidei. Hæres autem mundi, hæres est terræ, quam in filiis consecutus est. Christus autem hæres est gentium, vt Dauid canit: Et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. *Psalm. 2.* Ipsi enim moriemur & viuemus cum eo. *Si enim qui ex lege, hi sunt hæredes.*) Id est, si ij qui ex lege vel sub lege sunt, hæredes ex lege sunt: *Euacuata est fides, abolita est promissio.*) Manifestum est quoniam si ex lege hæreditas, promissio quæ ex fide facta est ad Abraham, in interitum venit. Sed non est per legem facta promissio, sed per iustitiam fidei hæreditas. Ostendit enim Apostolus quid mali sit hæreditatem spererare ex lege. *Lex enim iram operatur.*) Vt penitus ostendat non posse iustificari hominem per legem apud deum, neque promissionem per legem fieri potuisse, Lex, ait, iram operatur. Ad hoc enim data est, vt reos faceret delinquentes. Fides autem donum est misericordiæ dei, vt per legem rei facti, veniam consequantur. idcirco fides gaudium operatur. Non contra legem loquitur, sed anteponit illi fidem, quia qui per legem salui esse non poterant, gratia dei saluantur per fidem. Non ergo lex ira est, sed iram operatur peccanti, id est pœnam, dum non ignoscit, sed vindicat. Pœna enim per iram generatur: ira autem nascitur ex peccato: ac per hoc relinqui vult legem: vt ad fidem confugiatur, quæ delicta ignoscit vt saluet. *Vbi enim non est lex, nec præuaricatio.*) Hoc dicit, quia sublatis reis de potestate legis data venia, præuaricatio nulla est. Iustificati enim sunt, qui per præuaricatioñem legis fuerant peccatores. Cessat enim factorum lex, id est, obseruatio sabbatorum, neomeniarum, circuncisionis, escarum discretio, animalis mortui aut sanguinis mustelæ obseruatio. *Ideo ex fide secundum gratiam, vt firma sit promissio omni semini.* Firma esse non potest promissio omni semini, hoc est, omni homini ex omni gente, nisi fuerit ex fide, quia origo promissionis ex fide est non ex lege, quia qui sub lege sunt, rei sunt. Promissio autem reis dari non potest, ac per hoc purificandi sunt prius, sed per fidem, vt digni fiant dici filij dei, & sit firma promissio. Si enim filios dei se dicant, cùm sint rei, hoc est, sub lege non est firmum, quia filij dei liberi sunt à peccato. Siergo qui sub lege sunt, eruendi de sub lege sunt, vt promissionem mereantur accipere, quantò magis qui sub lege non sunt? Non ergo expedit vt se mittat sub lege, vt possit compendio medelam vulneris inuenire. *Non ei qui ex lege est tantum, sed & ei qui ex fide est Abrahæ.*) Hoc est quod supra dixit, Omni semini, tam Iudæorum, qui vtique ex lege veniebant: quàm gentilium, qui fidem sequuntur Abrahæ quam gentilis credidit vt esset iustus. Sine lege enim credidit Abraham, ideóque magis gẽtilibus iungitur Abraham vt firma sit eis promissio, credentibus ei cui credidit Abraham. *Qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est, Quia patrem multarum gentium posui te.*) *Genes. 17.* Confirmauit exemplo legis, Abraham omnium patrem esse, sed eorum qui credunt: & sic firmã esse promissionem, si fidei causa recedatur à lege, quia promissio regni cœlorũ iustis deputata est, non peccatoribus. Et qui sub lege sunt, sub peccato sunt, quia omnes

nes peccauerunt: nec posse aliquem & sub lege esse,& gra-
Galat. 5. tiam consequi, sicut & ad Galatas ait:Euacuati estis à Chri-
sto,qui in lege iustificamini,à gratia excidistis. *Ante eum cui credidisti deo.*) Vt vnum deum omniũ doceat,alloquitur gen-
tiles, Abraham ipsi deo credidisse, & iustificatum esse ante
eum, in quem & gentes credunt, vt iustificentur, vt non sit
distantia Iudæi & Græci in fide, quia sublata circunciſione
& præputio, vnum fiunt in Christo, quia & Abraham in
præputio credidit,& iustificatus est. *Qui viuificat mortuos,& vocat ea quæ non sunt,tanquam ea quæ sunt.*) Hoc dicens ad fi-
dem Abrahæ gentes inuitat:quia cùm esset in præputio cre-
† viuificatum. dens deo, cuius nunc fides prædicatur in Christo †, iustifi-
catus est cum sua coniuge. Cùm essent enim obsoleta ætate
seniores, reuiruerunt, ita vt non diffideret habiturum se ex
Sara filium,quam sterilem sciebat,& in qua iam fluxus mu-
liebris naturæ defecerat,vt per hæc non curent neq; de præ-
putio,neq; de circunciſione, & prompti sint circa fidem:se-
curi,quia credũt ei qui viuificat mortuos,nec alium esse qui
hãc habeat potestatem,& cùm voluerit esse quod non sunt,
statim eius voluntate subsistunt. Ideo Abraham cùm pater
adhuc non esset, vocatus est pater multarum gentium, &
credidit,securus de dei potentia. Vt autẽ pater Christi idem
esse deus crederetur cui credidit Abraham, tale signum da-
tum est in Zacharia & Elizabeth, cùm promissio redditur
in mundo, imminente Christo, quale datum fuit in Abra-
ham & Sara quando signata promissio est, vt simili genere
emortua corpora senectute generarent sanctum Ioannem,
sicut natus fuerat & Isaac. *Qui contra spem in spem credidit.*)
Manifestum est quia dum spem non haberet generandi A-
braham, credidit deo, fidem habens contra spem generare
se,sed sciens omnia posse deum. *Vt fieret pater multarum gen-*
Gene. 15. *tium,secundum quod dictum est,Sic erit semen tuum.*) Hoc in Ge-
nesi dictum est. Ostendens enim illi stellas cœli,dixit:Sic e-
rit semen tuum:quod credẽs,iustificatus est. Credidit enim
quod mundo impossibile videtur, dum in rerum naturam
non cadit vt possint senes generare,& tanta copia multipli-
cari semen eorum,vt numerari non possit. Ideoque precio-
sa est fides, quia contra id quod scit aut videt,credit futurũ,
hac spe consolãs se, quia deus est qui promittit,de quo sen-
tiri plus par est,quàm humana imbecillitas capit. *Et non in-*
firmatus fide, nec consideravit corpus suum emortuum,cùm iam ferè
centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromissio-
ne autem dei non hæsitavit diffidentia,sed confirmatus est fide,dan-
do gloriam deo, certum habens quia quod promisit, potens est & fa-
cere:ideoque æstimatum est illi ad iustitiam.) Hac laude dignum
prædicat Abraham, quia cùm se sciret non posse, infirmita-
tem suam fide firmauit,vt crederet se posse per deum, quod
sciret fieri per mundi decreta non posse. Magni ergo meriti
est apud deum,qui contra scientiam suam deo credidit,non
dubitans posse illum, vtpote deum, quod scit secundum
mũdi rationem fieri non posse. Pro certo enim habet deum
vltra rationem mundi esse. Nemo enim intra id esse dicen-
dus est quod creauit. Ideo huiusmodi remunerandus est à
deo, quia authori suo plus tribuit, quàm ipse sapit. Quod
quidem nullius precij esset, si omnes æqua sentirent, sed
multorum diffidentia commendatur fides credẽtium apud
deum. Hortatur ergo gentes ad hanc fidei firmitatem, vt
dei promissionem & gratiam sine aliqua ambiguitate susci-
piant,securi exemplo Abrahæ: quia inde credenti laus cre-
scit,si quod incredibile est, & mundo stultum videtur,cre-
datur:quia quantò * impossibile putatur quod creditur, tã-
* stultum. tò magis honorabilior erit credens: & verè tamen stultum
esset hoc credere,si sine deo fieri diceretur. Et ideo tãtò lau-
dabilior est Abrahæ fides cæterorum fide,quia aullis signo-
rum prodigiis attracta est. Quoniam autem mundus certa
lege & potestate gubernatur, & regitur modo definito à
deo: homines autem amore carnis circa rationem studiosi,
deum huius opificem neglexerunt, deus,vt errorem auferet,
& deum se omnium demonstraret,hoc se posse & fecisse prædicari voluit,quod mundo impossibile est,vt qui hoc
crederent, damnatis iis qui ratione mundi inflati deum ne-
glexerunt, discreti saluarentur dei domino mancipati. *Non*
autem scriptum est tantum propter ipsum solum,quia reputatum est

illi ad iustitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus 1824
A *in eum, qui suscitauit Iesum Christum dominum nostrum à mor-*
tuis,qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iu-
stificationem nostram.) In Abraham formam datam dicit Iu-
dæis & gentibus, vt exemplo eius credamus in deum & in
Christum,& in spiritum sanctum,& reputetur nobis ad iu-
stitiam. Quamuis differat quod non creditur,vnum tamen
donum habet fides. Hoc ergo consequimur, quod credi-
mus. Credentes enim Christum dei esse filium,à deo adop-
tamur in filios. Nihil enim vltra potuit donare credenti-
bus,quàm vt filij dei dicantur,perfidis abdicatis. Nos enim
filij dei vocamur,illi autem nec serui digni sunt nuncupari.
Pro infinita enim magnificentia sua deus hoc donauit dili-
gentibus se, quod sua dignum est maiestate, non quod ho-
mines mereantur:quia in dono plus magis dantis quàm ac-
cipientis cõsideratur sublimitas,& ex eo plus accipitur lau-
dis, cum paruulis magna dona largitur per Christum, qui
nostri causa occidi se passus est,vt nos data venia, à secunda
morte erueret,id est, à pœna inferni,& surrexit,vt pro læti-
B tia triumphi mortis euictę gratiam nobis iustificationis do-
naret, vt digni essemus dici filij dei. Ante passionem enim
qui baptizati sunt, solam remissionem acceperunt peccato-
rum,quorum zelo satanas occidit saluatorem. Post resurre-
ctionem verò, tam ij qui prius, quàm isti qui postea bapti-
zati sunt,omnes iustificati sunt per datam formam fidei tri-
nitatis,acceptóque spiritu sancto,qui signum est credentiũ,
quòd sint filij dei. Et vt ad cumulum nobis iustificationis
proficeret,resurgens præceptis suis authoritatem tribuit,vt
eorũ æmulos nos hac fiducia faceret,per quam iustificemur,
meritis nos augeremus, per quam gloriã adepti clari appa-
reamus in regno dei,quia iustificati à morte teneri non pos-
sumus. Passione enim saluatoris victa mors,quæ prius cau-
sa peccati dominabatur, iustificatos ab eo retinere non au-
det.

CAPVT QVINTVM.

C *Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad deum,per*
dominum nostrum Iesum Christum.) Pacem cum
deo habere fides facit, non lex. Hæc enim nos
deo reconciliat sublatis peccatis, quæ nos deo
fecerant inimicos. Et quia dominus Iesus huius gratiæ mi-
nister est,per ipsum pacificati sumus deo. Maior enim fides,
quàm lex est. Lex enim nostra causa est,fides dei. Et lex ad
præsentem disciplinam pertinet, fides verò ad salutem per-
tinet perpetuam. Sed qui de Christo non ita sentit vt de-
bet, ad fidei præmia non poterit peruenire, quia fidei non
tenet veritatem. *Per quem & accessum habemus in gratiam istam*
in qua stamus,& gloriamur in spe gloriæ filiorum dei.) Manife-
stum est per Christum nos aditum habere ad gratiam dei.
Ipse enim est arbiter dei & hominum, qui nos doctrina sua
erigens, sperare fecit donum gratiæ dei, stantes fide eius.
Ideo stantes, quia prius iacuimus: credentes autem erecti
sumus, gloriantes in spe claritatis quam promisit deus no-
bis. *Non solum autem,sed & gloriamur in tribulationibus nostris.*)
D Quoniam per tribulationes oportet nos intrare in regnum Actu. 14.
dei,ideoque & in his gloriandum docet. Spei autem addita
tribulatio, augmentum facit præmij. Index enim fixæ spei Matth. 5.
tribulatio est,quæ testimonium perhibet ad coronam. Vn-
de dominus ait: Beati eritis cùm vos persequẽtur,& dicent
omne malum aduersum vos propter iustitiam dei. Gaude-
te & exultate, ecce enim copiosa merces vestra in cœlo.
Contemnere enim præsentia,& quæ oblectamento sunt,&
in pressura non cedere spe futurorum, magni meriti est a-
pud deum. Ideoque in tribulationibus gloriandum est,
quia tantò plus accepturum se credit, quantò in tribulatio-
ne se viderit fortiorem. *Scientes quòd tribulatio patientiam ope-*
ratur.) Hoc est tribulationem patientiam operari,si tribu-
latio ipsa motum non patiatur infirmitatis aut dubitatio-
nis. *Patientia autem probationem.*) Manifestum est, quia pa-
tientia si talis fuerit qualem diximus, firma videbitur pro-
batio. *Probatio autem spem.*) Spes in eo qui probatus vide-
tur, non immeritò dicitur. Dignus enim scietur,acceptu-
rus re-

rus remunerationem in regno dei. *Spes autem non confundit, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.*) Spes non confundit, dum stulti & hebetes à perfidis iudicamur, credentes quæ mundana carent ratione. Pignus enim charitatis dei habemus in nobis per spiritum sanctũ datum nobis. Fidele enim esse promissum dei probat spiritus sanctus datus apostolis, & nobis, qui præstitit vt diuersis linguis imperiti loquerentur, cum interpretationibus, ad confirmandam spem, & vt charitatem dei commendaret in nobis, vt quia charos falli impossibile est, securos nos faceret de promissione, quia & deus est qui promisit, & iis quos charos habere vult, promisit. Quia enim fidei nostræ rationem humana verba asserere non valent, nisi virtutum testimonio, quæ cùm tacent clamãt, rationabilis approbatur, ad confusionem prudentium mundi: qui audacia verborum terrenis armis contra cœlestia dimicãt & carnalibus aduersus spiritalia, & prudentes se dicere non erubescunt. Nam sicut peregrini hominis improbabilis origo in terra aliena est, ita & fidei nostrę veritas peregrinatur in terris: & quia natura eius verbis explicari non potest, virtutis, quæ maior res est, testimonio commendatur.

T quid enim Christus cùm adhuc peccatores essemus secundum tempus, pro impiis mortuus est? vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori? Si pro incredulis ac dei inimicis Christus ad tempus morti se dedit: (Ad tempus enim mortuus est, quia tertia die resurrexit) quantò magis cũ in illum credimus, auxiliis suis muniet nos? Ad hoc enim pro nobis mortuus est, vt & vitã & gloriam nobis acquireret. Itaque si prò inimicis mortuus est, quãtum præstet amicis, debet intelligi. Apud homines ergo, id est secundum tempus mori visus est. Ille enim apud inferos pro salute animarum irreuerentes & nequam spiritus iudicabat. Tempora in mundo sunt, vbi oritur & occidit sol, & luna crementum & detrimentũ facit, & dies & nox in statu suo non perseuerant. Res enim quæ tẽpori & ætati subiecta est, mutabilis semper est. Huic ergo tẽpori Christus mortuus est, dum excesit è corpore. Vbi autem tempus non est & ætas, ibi non solum viuus, sed & victor repertus est. Hinc voluit affectum saluatoris erga nos cõmendare cùm dicit: Vix pro iusto quis moritur: Christus autem pro impiis mortuus est. Si enim pro iusto vix aliquis moritur, pro impiis quomodo potest fieri vt quis moriatur? Et si pro bono vno fortè audeat quis mori, aut fortè non audeat, quia vtrunque difficile esse significat: quemadmodum videri potest vt audeat aliquis pro multorum impietatibus mori? Si enim quis pro iusto aut bono audeat fortè mori, miseratione quadã illectus, aut affectu bonorum operum eius: pro impiis verò non solum quod suadeat mori deest, sed & quod in lachrymas prouocet. Christus autẽ mortuus est pro impietatibus populi & adhuc non fui, vt omnia quæ mundus diffidit, faceret credibilia. Duos ergo gradus fecit iusti, & boni. Quamuis enim & iustus bonus dicendus sit, tamen genera ipsa posuit, iustum exercitio significans, bonum verò natura, qui simplicitate innocens dicatur. Vnde quamuis melioris meriti sit, quantũ ad locum iustum pertinet, iustus quàm bonus: tamen pro bono, inquit, fortè aliquis audeat mori, vt quia miserabilior causa innocentiæ est, ad hoc cogi fortè aliquẽ posse significet. Deniq; optant parẽtes pro infantibus bonis mori, non dicam vxores pro bonis maritis. Nam si velimus de bono & iusto proponere, aliquando meliorẽ iustum deprehẽdimus, aliquando præponendum bonum. Si enim iuxta dei legem qui iustus est, melior bono est, sed illo qui necdum secum laborauit vt amplificaret se bonis. Exercitio enim bonum naturæ suæ iustus meliorabit. Si autem iuxta mundum fuerit iustus, præponitur illi bonus, propter innocentiam: quia huiusmodi non est sine impietate iustitia. Itaque omnis natura, bona est: iustitia autem legis dei, fructus est competens naturæ. Ideoque iustitia bonitas est, vnde iusti semper appellantur & boni. Non tamen semper boni iusti, quia nõ propter operã vocãtur boni, sed propter innocentiã. Iustitia enim perfecta est bonitas dum explet opere naturæ suæ bona. *Commendat autem suam charitatem deus in nobis.*) Sic cõmendat suã charitatem, dum adhuc inimicis suis benevolus est, & mittit qui saluet eos, cùm vtique non mereantur. *Quoniam si cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis iustificati nunc in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.*) Hoc dicit, quia si pro peccatoribus filium suum deus occidi permisit, quid faciet pro iustificatis, nisi seruet eos ab ira, id est, tutos illos præstet ab illusione diaboli, vt securi sint in die iudicij, cum cœperit perfidos vltio deuastare? Quoniam enim bonitas dei nullum perire vult, mortem dignissimam dedit, vt intelligentibus dei gratiam circa se, adderet dignitatem & gloriam, ingratis cumularet pœnam. Ingrati ij sunt qui deo vocante dissentiunt, dei gratiam abnuentes, vt in proposito erroris & malignitatis permaneãt. *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati salui erimus in vita ipsius.*) Manifestum est, quia si vt reconciliaret nos sibi deus, filiũ suum morti tradidit, quantò magis reconciliatos saluos faciet in vita ipsius? [.·.] Si enim mors saluatoris profuit nobis adhuc impiis, quantò magis vita ipsius cũ resurgit à mortuis? Quia sicut mors eius à diabolo nos eruit, ita & vita eius de die iudicij dei nos liberabit. *Non solùm autem hoc, sed & gloriamur in deo, per dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.*) Non tantùm pro accepta salute & securitate deo gratias agendas docet, sed & gloriandum per Christum Iesum in deo, qui dignatus est ex impiis & inimicis dici nos suos amicos, vt omnia beneficia per Christum consecutos nos gaudeamus: vt quia per ipsum cognouimus deum, gloriantes in eo reddamus ei honorificentiam parem deo patri, ipso sibi idoneo teste prædicante, Vt honorificent, inquit, filium sicut honorificant patrem. Post dei ergo patris prouidentiam, & donum quod dedit per Christum, vt personam filij nobis gratam faceret, quia per vnum Christum redempti sumus ab vno deo patre, adiecit: *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & sic in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Quoniam superius dei gratiam per Christum datam ostendit secundum ordinem veritatis, nunc ipsum ordinem vnius dei patris, per vnum Christum filium eius declarat, vt quia Adam vnus, id est Eua (& ipsa enim Adam est) peccauit in omnibus, ita vnus Christus filius dei peccatum vicit in omnibus. Et quia propositum gratiæ dei erga genus humanum ostendit, vt ipsa primordia peccati ostenderet, ab Adam incepit, qui primum peccauit, vt prouidentiam vnius dei per vnum reformasse doceret. quod per vnum fuerat lapsum & tractum in mortem. Hic ergo vnus est per quem saluati hanc illi reuerentiam, quam deo patri debemus, ipso volente. Dicit enim idem alio loco: Qui in his seruit Christo, placet deo: cum scriptum est: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Si ergo soli deo seruiendum dicit, & Christo seruire præcipit, in vnitate dei est Christus, nec dispar aut alter deus, quando cum soli deo seruiendum lex commonet, Christo seruiens deo placere dicatur. Igitur sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita & per vnum Christum damnatio & mors peccati, præstans vitam æternam. Quod inferius declarat. In quo, id est, in Adam omnes peccauerunt. Ideo dixit, in quo, cùm de muliere loquebatur, quia non ad speciem retulit, sed ad genus. Manifestum itaque est in Adam omnes peccasse quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes nati sunt sub peccato. Ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex ipso sumus omnes. Hic enim beneficium dei perdidit dum præuaricauit, indignus factus edere de arbore vitæ, vt moreretur. Mors autem dissolutio corporis est, cùm anima à corpore separatur. Est & alia mors, quæ secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, sed eius occasione propriis peccatis acquiritur, à qua boni immunes sunt, tantum quòd in inferno erant, sed superiori, quasi in libera, quia ad cœlos ascendere non poterant. Sententia enim tenebantur data in Adam: quod chirographum in decretis morte Christi deletum est. Sententia autem decreti fuit, vt vnius hominis corpus solueretur super terram, anima verò vinculis inferni detenta exitia pateretur. *Vsque ad legem enim peccatum*

Deuter. 6. Matth. 4.

peccatum erat in hoc mundo. Peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset.) In Adam omnes dicit peccasse, sicut supra memoraui, & vsque ad legem datam non imputatum esse peccatum. Putabant enim se homines apud deum impunè peccare, sed non apud homines. Nec enim lex naturalis penitus obtorpuerat, quia non ignorabant quia quod pati nolebant, aliis facere non debebãt. Nam vsque adeò non ignotum fuit peccatum inter homines, vt Iacob cùm idola sua apud illũ quæreret socer eius Laban, in quo inuentum fuisset furtum, morte dignum iudicaret: & Ioseph quamuis per calumniam, tamen quasi reus clausus in carcere est, & pistor & pincerna Pharaonis ob delictum similiter passi sunt, & Moyses occiso Ægyptio atterritus lege est. Quomodo ergo non imputabatur peccatum cùm lex non esset, aut quomodo vindicabatur, nisi lex sciretur? Lex naturalis, lex semper est, nec ignorabatur aliquãdo, sed putabatur ad tempus tantum authoritatem habere, non & apud deum reos facere. Ignorabatur enim quia iudicaturus est deus genus humanũ, ac per hoc non imputabatur peccatum, quasi peccatum non esset apud deum: incuriosum deum asserẽtes. Vbi autem lex data est per Moysem, manifestatum est curare deum res humanas, & non impunè iis futurum qui malefacientes, quacunque ex causa in præsenti euadunt. Nam vtique qui inter se, magistra natura, peccata non inulta censebant, quãtò magis deum hæc quem mundi sciebant opificem, requisiturum non debuerant ignorare? Quippe cùm Sodoma & Gomorra per ignem adiudicata sit deperire, quod obliuio quidem texerat, Moyses autem vt affirmaret deũ iudicem fore, scribendo manifestauit. Sed cùm prætermisso deo figmẽta cœperunt in honorem dei recipere deprauati mẽte, partem legis naturalis, quæ prima est, calcauerunt: Quia lex naturalis tres habet partes, Cuius prima hæc est, vt agnitus honoretur creator, nec eius claritas & maiestas alicui de creaturis deputetur. Secunda autem pars est mortalis, hoc est, vt bene viuatur, modestia gubernante. Congruit enim homini habenti notitiam creatoris, vitam suam lege frænare, ne frustretur agnitio. Tertia verò pars est docilis, vt notitia creatoris dei, & exemplum morum cæteris tradatur, vt discant quemadmodum apud creatorem meritum collocatur. Hæc est vera & Christiana prudentia.

Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem.) Quoniam non imputabatur peccatum antequam lex daretur per Moysem, sicut dixi, ipsa vsurpationis impunitate regnabat mors, sciens sibi illos deuotos. Regnabat ergo mors securitate dominationis suæ tam in hos qui ad tempus euadebãt, quàm in istos qui etiam hic pœnas dabant pro malis suis operibus. Omnes enim suos esse videbat: quia qui facit peccatum, seruus est peccati. Impunè enim cedere putantes, magis delinquebant: circa tamen peccata promptiores quæ mundus quasi licita nutriebat. Quo facto gaudebat Satanas, securus quòd causa Adæ relictum à deo hominem in possessionem habebat. *Regnabat ergo mors in eos qui non peccauerunt, in similitudine præuaricationis Adæ, qui est forma futuri.*) Quod in subiectis monstrabimus. Itaque non in omnes mortem regnasse manifestum est, quia non peccauerunt omnes in similitudinem præuaricationis Adæ, id est, non omnes contempto deo peccauerunt. Qui autem sunt qui contempto deo peccauerunt, nisi qui neglecto creatore seruierunt creaturæ, deos sibi constituentes quos colerent ad iniuriam dei? Nam & Thara pater Abrahæ, & Nachor & Laban proprios deos sibi vindicabant. Et peccatum Adæ non longè est ab idololatria. Pręuaricauit enim putans se hominem futurum deum. Æstimauit enim hoc magis profuturum, quod diabolus suasit, quàm quod deus iussit in loco dei diabolum statuens. Vnde & subiectus est diabolo. Similiter & hi transgresso deo, dum creaturæ seruiunt, peccant simili modo, non eodem, quia simili modo solet habere aliquid dissimile. Nec enim potest dici quia & hi qui præceptum acceperunt non edendi de arbore, sicut Adam, fuerũt qui peccauerunt, non præterito deo, sed in lege naturali. Qui enim intellexit & veneratus est deum, nulli honorificẽtiam nominis ac maiestatis eius impertiens, si peccauit (quia impossibile est non

Ioan. 8.

1828

peccare) sub deo peccauit, non in deum, quem iudicem sensit: ideóque in huiusmodi mors non regnauit. In hos autem, sicut dixi, regnauit, qui sub specie idolorum seruierunt diabolo. Propterea quòd lex in authoritate nõ erat promulgata, iudicem deũ præsentire nequiuerunt. Maxima enim pars mundi deũ fore iudicem ignorabat: perpauci autem in quos non regnauit mors. In quos autem regnauit post istã mortẽ quæ prima dicitur, à secunda excepti sunt ad pœnam & perditionem futuram. In quos autẽ nõ regnauit, quia non peccauerunt in similitudine præuaricationis Adæ, sub spe reseruati sunt, aduentu saluatoris in libera, sicut legitur de Abraham, quia quamuis apud inferos fuerit, discretus tamẽ longo interuallo est, ita vt chaos esset ingẽs inter iustos & peccatores: quãtò magis impios, vt iustis esset refrigeriũ, & peccatoribus æstus, impiis verò ardor, vt ante iudicium quod vnusquisq; dignus esset non lateret? Ac per hoc regnabat in eos mors, quia videbat opera subtilitatis suæ profeciſſe eis ad pœnam quasi inimicis. Non enim latuit illum ad hoc factum hominem in mundo, vt imperium vnius dei prædicaret, quod præuaricat⁹ est Satanas. Ac si in Græco nõ ita cautum dicatur. Sic enim dicitur scriptũ, Etiam in eos mortem regnasse qui non peccauerunt in similitudine præuaricationis Adæ. Totum enim hic complexus videtur, vt quia mors, id est, dissolutio per inuidiam facta est diaboli, & in eos qui non peccauerunt, regnasse mortem dicat. Moriuntur enim: quod voti est Satanæ. Quod si verum esset, non oportuit dici: Regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysem, si ab initio vsque ad finem regnat in omnes. Aut fortè gradus fecit, vt ab Adam vsque ad Moysem regnauerit, & à Moyse vsque ad Christum, à Christo verò vsque ad finem, vt ad quam vtilitatem hæc locutio proficeret, cùm nec sic locutus probetur. Dixit enim, Ab Adam regnauit mors vsq; ad Moysem, propter quod lex non erat manifestata, vt data lege sub authoritate eius viuerẽt, scientes quid cauerent, ne regnaret in eos mors. Igitur qui ante legem hoc seruauit, natura duce quod postea lex mandauit, nunquid potest dici quia mors regnauit in eum? Nam vide quid de eo scriptum sit: Peccatum, inquit, non imputabatur cum lex non esset, & adiecit: sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem, eo vtique tempore quo lex non erat: & conuenit vt quia antequam lex daretur, mors regnauit, in eos regnasse dicatur qui peccauerunt in similitudine præuaricationis Adæ, sicut supra memoraui-mus. Sicut enim post legem datum qui fornicationi aut idolis seruierũt, contemnentes legislatorem, regnauit in eos mors: ita & ante legẽ qui * se sub lege præsenserũt, honorificãtes authorẽ eius, non vtique regnauit in eos mors. Propterea enim regnasse dicitur, quia cognitio vnius dei euanuerat in terris. Denique sic cœpit data lex: Ego sum, inquit, dominus deus tuus, qui eduxi te de Ægypto, de domo seruitutis: non erunt tibi dij alij præter me, & non facies tibi idolum, neque vllam similitudinem. Data igitur lex est, ne mors regnaret, vt abolitis peccatis prioribus, vni deo obsecundaret genus humanum. Vnde alio loco dicit idem Apostolus: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore vt obediatis ei. Quo dicto ostendit etiam nunc regnare mortẽ, si lex cõtemnatur. Quod enim regnum mortis est, nisi cùm fit voluntas eius dum imperat ad perniciem obedientis? Cuius imperij voluntas caput est idololatriæ: & tamen sic præscribitur nobis de Græcis codicibus, quasi non ipsi ab inuicem discrepent, quod fecit studium contentionis. Quia enim propria quis authoritate vti non potest, ad victoriam verba legis adulterat, vt sensum suum quasi verba legis asserat, vt non ratio, sed authoritas præscribere videatur. Constat autem quosdam Latinos porrò olim de veteribus Græcis translatos codicibus, quos incorruptos simplicitas temporum seruauit & probat: postquam autem à cõcordia animis dissidentibus, & hæreticis perturbantibus torqueri quæstiones cœperunt, multa immutata sunt ad sensum humanum, vt hoc contineretur in literis, quod homini videretur. Vnde & ipsi Græci diuersos codices habent. Hoc autem verum arbitror, quando & ratio & historia & authoritas obseruatur. Nam hodie quæ in Latinis reprehenduntur codicibus, sic inueniuntur à veteribus posita, Tertulliano, Victorino,

Luce 16.

* qui sensum legis præsenserunt.

Exod. 20.

Rom. 6.

18:9 Victorino, & Cypriano. Primum igitur in Iudæa cœpit destrui regnum mortis, quia notus in Iudęa deus. Nunc autem in omnibus gentibus quotidie destruitur, dū magna ex parte ex filiis diaboli fiant filij dei. Itaque non in omnes regnauit mors, sed in eos qui peccauerunt in similitudine præuaricationis Adæ, sicut supra memoraui. Adam autem ideóque forma futuri est, quia iam tunc in mysterio decreuit deus per vnum Christum emendare, quod per vnum Adam præuaricatum erat, sicut dicitur in Apocalypsi Ioannis apostoli. Agnus, inquit, qui occisus est à constitutione mundi. Denique subiecit:

Sed non sicut delictum, ita & donum.) Propter quod enim formam esse dixit vnius Christi vnum Adam, ne & causa Adæ talem significasse putaretur, qualis & Christi est, ait: Sed non sicut delictum, ita & donum. quia in eo tantum forma Adam Christi est, quia quod vnus peccauit, vnus emendauit. *Si enim in vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.*) Hoc est, si vnius delicto multi mortui sunt imitantes præuaricationem eius, magis gratia dei & donum in plures abundauit confugientes ad se. Plures enim gratiā consequuntur quàm mortui sunt delicto Adæ. Vnde manifestum est non de hac morte quæ omnibus communis est significasse, quia omnes omnino moriuntur, & non tamen omnes gratiam consequuntur. Neque mortem in omnes regnasse, sed in eos qui delicto Adę mortui sunt, significatur, quos in similitudinem præuaricationis Adę dicit peccasse. Ij sunt quos dicit in vnius delicto multos mortuos, gratiam autem dei in plures abundare, quia & iis qui delicto Adæ mortui dicuntur, similiter peccantes, & in iis qui non peccauerunt in hac Adæ præuaricationis similitudine, dei gratia abundauit. Paterno autem peccato ex dei sententia erant apud inferos, gratia dei abundauit in descensu saluatoris, omnibus dans indulgentiam, cum triumpho sublatis eis in cœlum. *Et non sicut per vnum peccatum, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: donum autem ex multis delictis in iustificationem.*) Manifeste diuersum est, quia vno Adæ peccato condemnati sunt, qui in similitudine præuaricationis eius peccauerunt. Gratia vero dei per Christū non ex vno delicto, sed ex multis iustificauit homines, dando illis remissionem peccatorū. Hoc ad magnificentiā pietatis dei & Christi loquitur, vt cū delicto Adæ multi tenentur à morte secunda in inferno inferiori, donum tamen gratiæ dei, cùm iustum esset plecti illos, non solum ignoscit illis, sed & iustificat. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & iustitiæ, accipientes in vita, regnabunt per vnum Iesum Christum.*) Contuendum est vnū esse sensum, & in nullo differre. Mortem enim dicit regnasse, non regnare: quia qui intellexerunt per legem iudicium dei, sublati sunt de eius imperio. Regnauit autem, quia sine manifestatione legis timor dei in terris non erat. Superior ergo sensus est, vt quia mors regnauit ab Adam vsque ad Moysem in eos qui peccauerunt in similitudine præuaricationis Adæ, multo magis gratia regnet abundantia doni dei in vitam per vnum Iesum Christum. Si enim mors regnauit, quare non magis gratia regnet, quæ multò plures iustificat, quàm hi sunt in quos regnauit mors? quantò magis gratia regnare credenda est, quæ confert vitam per Christum? *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.*) Hoc est, sicut per vnius delictum omnes condemnationem meruerunt similiter peccantes, ita & in iustitia vnius omnes iustificabuntur credentes. Si qui autem condemnationem hanc generalem esse putant, simili modo & iustificationē generalem accipient. Sed non est verum, quia non omnes credunt. *Sicut enim per inobedientiā vnius hominis peccatores constituti sunt plurimi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi.*) Quos supra omnes dixit, hîc plures & multos significat. Plures enim delictū Adæ secuti sunt pręuaricando, non omnes: & multi iusti constituentur per fidem Christi, non omnes. Non ergo in eos regnauit mors, qui non peccauerunt in similitudine prævaricationis Adæ. *Lex autem subintrauit vt abundaret delictum.*) Potest dici econtra, Non ergo oportuit dari legem, ne peccata increscerent. Si enim ante legem minus peccatum est, non opus fuit lege. Planè necessaria fuit lex, vt ostenderet imputari apud deum peccata, quæ impunè fieri credebantur, vt de cætero scirent quod cuitare deberēt. Vnde Esaias propheta: Lex, inquit, adiutorio data est. Vt quia ipsi naturę quodammodo inserta sunt iustitiæ semina, addita lex est, cuius authoritate & magisterio, ingenium naturæ proficeret ad fructum iustitiæ faciēdum. Sicut enim natiuitas interit nisi nutrimenta habeat quibus fota adolescat, ita & naturale iustitiæ ingeniū nisi habeat quod respiciat & veneretur, non facilè proficit, sed ægrotat, & superuenientibus cedit peccatis. Consuetudine enim delinquendi premitur, ne crescat in fructu, & per hoc extinguitur. Prouidenter ergo data est lex, sicut testatur propheta: sed populus veterem consuetudinem sequens multiplicauit peccata. Ipso enim vsu plus cœpit peccare, quàm antea peccauerat, & sic factum est vt data lege non minuerentur, sed abundarent peccata. Apostolus enim ostendit quid prouenerit data lege, non quid lex fecerit. Quomodo autem legis vitio crescebāt peccata, quæ comminatur ne peccetur: sed subintrasse dicitur, vt abūdaret peccatum? Verum est, quia quasi profutura intrauit, & cum humilitate: postea autem cœpit dominari eis quibus præceperat ne peccarent, & peccabant. Ostendere enim cœpit lex abundantiam peccatorum: cúmque interdixerat, plus fiebant, quàm facta erant. Igitur hoc modo vt abundaret delictum, data est lex. Commendans enim Apostolus fidem, per quam vtique peccata delētur, legem dixit feciſſe vt abundarent peccata, sicut supra dixi, quia non data est vt abolerentur peccata, sed vt abundarent, dum & ante legem peccatores ostendit, & post legem reos omnes tenuit. *Vbi autem abundauit peccatum, superabundauit gratia.*) Manifestum est quia cùm abundaret peccatum, superabundauit gratia, dum donum dei venit ex promissione, & omnium peccata contexit, vt diaboli inuidia nihil se profecisse doleat. Quia enim cùm data esset lex ad vtilitatem humanam, id egit diabolus, vt suadendo illicita inuerteret, vt quod profuturum datum erat, in cōtrarium proficeret, dum mandata contempta sunt, vt non vtilitas ex lege commēdatio gratiæ dei, sed iudicium ad vindictam procederet: tūc iustus atque misericors deus, vt gloriam diaboli quā de triumphato homine quæsierat exinaniret, filium suum venturum decreuit, qui omnia peccata donaret, vt maior fieret lætitia ex dono gratiæ, quàm fuerat luctus ex peccato. Gaudium enim doni dei etiam his proficit, de quibus triumphare non potuit Satanas. Idcirco superabundauit gratia super peccatum quod suasit Satanas. *Vt quemadmodum regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum dominum nostrum.* Peccatum regnauit videndo opus suum peccātibus in mortem proficere, in qua gloriabatur: simili modo vt & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum dominum nostrum, vt sicut per Adam cœptum peccatum regnauit, sic & per Christum gratia. Sic autem regnat gratia per iustitiam, si accepta remissione peccatorum iustitiam sequimur, vt videns gratia fructū se habere in bonis quos redemit, regnet in vita æterna, sciens nos futuros æternos. Superabundat ergo gratia, quia peccatum ad tēpus regnauit: gratia autem in æternum. Dei enim regnum est gratia regnante, sicut diaboli regnum erat peccato regnante. Totum tamen ad Christum refert, vt omnis gratia dei à Christo discatur. Ad superiorem igitur sensum respondet dicens:

CAPVT SEXTVM.

Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit.) Hoc est, nunquid semper peccandum est vt donum dei abundet, tegens nostra peccata, vt semper remissionē peccatorum sperantes, quia deus pius est, Christi gratiam proferamus? Non vtique. Ideo enim nostri misertus est deus per Christum, vt de cætero non peccantes & meritum nobis & dei gratiam

gratiam in nos regnare faciamus. Aufert enim regnum gratiæ dei, & tradit peccato, qui rursus redit ad veterem hominem, id est, ad ritum præteritæ vitæ. Duabus enim ex causis misericordiam accepimus, vt & diaboli regnum excluderetur, & dei imperium ignorantibus prædicaretur, per hoc ipsum dignitate nobis quæsita. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?*) Hoc dicit quoniam viuentes peccato, mortui eramus apud deū. Qui peccat enim, viuit peccato: sicut qui non peccat, viuit deo. Superueniente enim gratia dei per Christum, & nos per fidem lauacro spiritali regenerante, cœpimus viuere deo, mortui autem esse peccato, qui est diabolus: hoc est tamen mori peccato, liberari à peccato, fieri autem serui dei. Itaque mortui iam peccato nō redeamus ad mala pristina, ne iterum viuamus peccato, & morientes deo amissa dignitate pœnam quam euasimus incurramus.

AN ignoratis quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte eius baptizati sumus?) Hoc dicit, vt sciamus baptizatos nos iam non debere peccare, quia cùm baptizamur, commorimur Christo: hoc est in morte eius baptizari. Illic enim omnia peccata nostra moriuntur, vt innouati deposita morte resurgere videamur ad vitam, vt quomodo Christus mortuus peccato resurrexit, ita & nos per baptismum spem resurrectionis habeamus. Baptismum itaque mors peccati est, vt alia sequatur natiuitas, quæ corporis manente compagine, hominem mente innouat, sepulta omnium malorum actuum vetustate. *Consepulti enim sumus cum illo per baptesmum in mortem, vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per virtutem patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*) Hæc dicens, etiam istud significat quod primum est, quia Christus corpus suum à mortuis excitauit. Ipse enim virtus est dei patris, sicut dicit: Soluite templum hoc, & ego tribus diebus excitabo illud. Hoc autem, inquit, dicebat de templo corporis sui, & quia resurrexit in nouam vitam, quæ iam mori nesciat. Noua autem dicitur, quia à Christo data est, quæ est disciplina Christiana. Nos autem baptizati consepulti sumus Christo, vt de cætero hanc vitam sequamur, in qua Christus resurrexit. Baptismum itaque resurrectionis pignus est & imago, vt iam in præceptis Christi manentes, ad præterita denuo non reuoluamur. Qui enim moritur, iam non peccat: mors enim finis peccati est. Nam ideo per aquam celebratur, vt sicut aqua sordes corporis abluit, ita & nos per baptismum ab omni peccato spiritaliter purgatos & innouatos credamus, vt quod incorporale est, inuisibiliter abluatur. *Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.*) Tunc nos fœliciter dicit posse resurgere, si similitudini mortis eius fuerimus complantati, id est, si in baptismo omnia vitia deponentes, in nouam vitam translati, de cætero non peccemus, per quod simul & resurrectionis illius similes erimus. Similitudo enim mortis, similem præstabit resurrectionem. Quod in epistola sua Ioannes apostolus memorat dicēs: Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus: hoc est, † immortalem & glorioſum resurgere. Nec enim hæc erit similitudo vt nihil distet, quia similis erit in corporis gloria, non in diuinitatis natura. *Scientes hoc, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.*) Multa innectit & iterat, vt baptizatos doceat iam non debere peccare, maximè ne ad idololatriam reuertantur: quod grauissimum crimen & caput totius erroris est, ne perdant gratiam acceptam à deo per Christum. Hominem ergo veterē, actus præteritos dicit, quia sicut nouus homo per fidem & puram vitam dicitur, ita & vetus homo per diffidentiam & malos actus. Hos actus crucifixos dicit, id est, mortuos, vt corpus destruatur peccati, quod est cuncta crimina. Omnia enim peccata simul corpus appellat, quod destrui dicit per bonam vitam, & fidem catholicam. *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus etiam quòd simul viuemus cum illo.*) Manifestum est hos qui carnem crucifixerunt, id est, mundum cum vitiis & concupiscentiis eius, mori mundo, & commori Christo, æternæ quoque vitæ ac salutari coimaginari, vt gloriæ Christi similes effici mereantur. Caro verò, id est, corpus sic crucifigitur, si desideria eius calcentur, quæ manente in ea peccato creantur ex præuaricatione primi hominis cœpta. In carne enim diabolus crucifigitur. Ipse enim est qui fallit per carnem. Caro ergo aliquando mundus, id est elementa, aliquando verò corpus hominis intelligitur, vel ipsa anima sequens corporea vitia. *Scientes quòd Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit deo.*) Securitatem æternitatis in resurrectione Saluatoris ostendit: ad quam venire contingit, si melioris vitæ fuerit æmulatio. Qui enim bene agendo viuit deo, hic verè viuit, quia æternam habet vitam. *Ita & vos existimate vos mortuos esse peccato: viuentes autem deo in Christo Iesu domino nostro.*) Sic loquitur vt doceat nō aliter mori posse peccato, & deo viuere, quàm vt in Christo sit omnis spes: quem dominum nostrum appellat, vt nihil legis ad salutem proficiat capessendam in futuro seculo, quando non aliter deo viuitur, quàm per Christum.

NON ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.) Mortale corpus est ex causa præuaricationis Adæ, ex fide autem Christi fore creditur immortale. Vt autem ad promissionem hanc veniatur, non obediēdum dicit peccato, ne regnet in vestro mortali corpore: regnat autem dum imperat: si autem non regnat, non videbitur corpus hoc esse mortale: quia in spe æternitatis est. Non propter dissolutionem dixit mortale corpus, sed propter pœnam gehennæ, vt ille mortalis dicatur, qui in gehennam mittendus est, quia qui peccato obediunt, mortem* inferni non euadunt, à qua saluator in se credentes liberauit. Mortale ergo dicens corpus, totum hominem significauit, quia qui obediunt peccato, mortales dicuntur. Anima enim, inquit, quæ peccat, ipsa morietur, id est, totus homo: nemo enim sine corpore iudicabitur. *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.*) Ostendit diabolum nostris nos iaculis impugnare. Occasio enim datur illi per nostra peccata, vt deferente nos deo accepta potestate illudat & mortificet nos. Ideo mēbra nostra ab omni opere iniquitatis continere debemus, vt inimicus noster inermis inuentus subiiciatur. Et non dixit, Exhibete corpora vestra, sed mēbra vestra: membris enim ministris erratur, non toto corpore. *Sed exhibete vos deo tanquam ex mortuis viuentes.*) Mortem, ignorantiam, & infidelitatem cum mala vita significat, quia vita est cognoscere deum per Christum. Quia enim nemo sine parente ortum sumit vitæ, omnia autem à deo orta sunt ad vitā per Christum: idcirco qui non cognoscit parentem omnium esse deum per Christum, vitam habere non dicitur, hoc est, sic habetur ac si non sit. Ipse enim semetipsum esse negat, dum sine parente deo esse se putat. Itaque ignorantia & turpis vita, mors est. Vitia enim ista mortem acquirunt, & non morte hanc quæ communis est omnibus, sed mortem gehennæ, sicut suprà memoraui, vt cognitio parentis dei & sancta conuersatio vita sit, non hæc quæ occasui subiacet, sed illa futuri seculi, quæ vocatur æterna. Quam ob rem exhibete vos deo, inquit, quem cognoscentes profeciſtis in salutem, vt inhonestæ vitæ renunciantes sitis ex mortuis viuentes. *Et membra vestra arma iustitiæ deo.*) Tanta nos modestia conuersationem nostram vult gubernare, vt actus nostri iustitiæ dei proficientes, non mundanæ iustitiæ, quia mundi iustitia sine fide est Christi, sine qua non vita, sed mors est, arma præbeant illi ad defendendos nos: cui cùm arma per opera bona præbemus, dignos nos facimus adiuuari ab ea, quia iustitia dei indignos despicit. Vbi enim iustitia dei fuerit, ibi habitat spiritus sanctus ad adiuuandam imbecillitatem nostram. Sicut enim peccato arma præbemus cùm malè agimus, ita & iustitiæ cùm rectè versamur, membra custodientes ab omni turpitudine. *Peccatum autem vestri iam non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.*) Si secūdum præcepta quæ dat ambulemus, peccatum nobis dicit non posse dominari. Iis enim dominatur qui peccant, non enim ita ambulantes vt præcipit, sub lege sumus: si verò non peccemus, non sumus sub

Ioan. 2.

1. Ioan. 3. † immortales & glorioſi reſurgemus.

Ezech. 18.

* secundum.

Ezech 18.

1833

ſub lege, ſed ſub gratia. Si autem peccemus, vertimur ſub lege, & incipiet noſtri dominari peccatum: quia qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, & neceſſe eſt quòd ſit ſub lege quandiu remiſſa non accipit. Peccatum enim authoritate legis reum facit peccatorem: ac per hoc cui data remiſſio eſt, & cuſtodit ſe ne de cætero peccet, neque peccatum ei dominabitur, neque ſub lege eſt. Ceſſat enim circa eum authoritas legis, qui liberatus eſt à peccato. Quos enim reos tenet lex, traditi ſunt illi à peccato. Qui ergo peccatis exutus eſt, non poteſt eſſe ſub lege. *Quid ergo? peccabimus, quia non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit.*) Quoniam lex à deo eſt, ac per hoc ne fortè opponeretur, ipſe ſibi proſuit: ſi ex deo eſt lex, inquit, cur non debemus eſſe ſub lege? Hoc † cognoſcit, ac docet cum dei voluntate, qui legis author eſt, à Chriſto nos liberatos de ſub lege. Quamuis enim rectè data ſit lex, data eſt enim vt reos oſtenderet apud deum qui peccauerunt ante legem, & timori eſſet, vt de cætero non peccaretur: ſed quia imbecillitate infirmitatis ſuæ genus humanum à peccatis ſe inhibere non potuit, factum obnoxium mortis infernæ, motus deus pietate clementiæ ſuę, qua ſemper humano generi ſubuenit, prouidit per Chriſtum qua ratione deſperatis iam daretur medela, vt remiſſione peccatorum accepta, eruti à lege quę illos habebat obnoxios, † releuati & reparati deo adiuuante per fidem, vitiis à quibus prius ſubacti fuerant, repugnarent: ideóque non peccauimus quaſi legem ſpernentes dei, ſed ipſius dei prouidentiam ſecuti ſumus per Chriſtum. *Neſcitis quia cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obediſtis, ſiue peccati in mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam?*) Nunc ne aliud profitentes, aliud faciamus, & cùm dei ſerui dicimur, geſtis ſerui diaboli inueniamur, præmonet & denunciat eius nos ſeruos eſſe, cuius & voluntatem explemus operibus, & non parum obeſſe deum confiteri dominum, & actibus diabolo famulari. Nam hoc olim deus denotat & accuſat, dicens: Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et dominus ait in euangelio: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Et in lege dictum eſt: Deus non deridetur. *Gratias autem deo, quod cùm fuiſſetis ſerui peccati, obediſtis ex corde, in eam formam doctrinæ in qua traditi eſtis, credentes autem Chriſto ſerui facti ſumus iuſtitiæ.*) Eius enim dicimur ſerui cui obedimus. Et quia iuſtum eſt obedire Chriſto, ipſe enim iuſtitia eſt, & quæ præcepit, iuſta ſunt: idcirco dicit ſeruos nos factos iuſtitiæ ex corde, non ex lege, vt profeſſio noſtra animi iudicio promatur. Per naturam enim inducti ſumus ad fidem, non per legem, in qua forma doctrinæ dei imperio facti ſumus qui finxit naturam. In natura enim habemus vt cognoſcamus à quo, & per quem, & in quo ſumus creati. Forma ergo doctrinæ eſt, in quam tradidit nos creator naturaliter, hoc eſt quod ſupra dixit, Ipſi ſibi ſunt lex, dum vident naturæ ſuæ eſſe quod credunt, vt quod Iudæis lex & prophetæ prædicatunt de Chriſto, hoc gentiles ex corde confiteantur. Hinc gratias refert domino, quia cùm eſſemus ſerui peccati, obediuimus ex corde credentes in Chriſtum, vt ſeruiremus deo, non per legem Moyſi, ſed per legem naturæ. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ.*) Dum infirmitatem carnis memorat, minus ſe ſignificat exigere ab homine quàm dignum eſt circa dei culturam. Denique ſubinfert: *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.*) Vt occaſionem nobis auferret timoris accedendi ad fidem, quæ quaſi importabilis nobis & aſpera videretur, ea menſura nos deo ſeruire præcepit, qua prius famulabamur diabolo: cum vtique propenſius deberemus ſeruire deo quàm diabolo: quippe cùm hîc ſalus, illic damnatio operetur, medicus tamen ſpiritalis non plus à nobis exigit, ne dum præcepta quaſi grauia fugeremus, perpendentes infirmitatem noſtram maneremus in morte. Vnde dominus, Tollite, inquit, iugum meum ſuper vos, quia ſuaue eſt, & onus meum leue. *Cùm enim ſerui eſſetis peccati, liberi eratis iuſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt.*) Manifeſtum eſt quia qui liber eſt à deo, eſt ſeruus peccati. Dum peccat enim, recedit à deo, & fit ſub peccato. Quales ergo ſunt fructus peccati in quibus addiſcentes bonam vitam cõfundimur, eo quòd dudum turpiter vixerimus: & non ſolum hoc, quia & ſententia paganorum turpis & fœda eſt, maximè quæ in Phrygia inuenta eſt, in qua niſi ſpurcitiis interſit, ſacramẽtum mutum eſt, & torpeſcit religio. Ecce maculis plena libertas, & ſqualoribus obligata, cuius opus turpem mercedem habet: cuius finis mors. Finem dixit exitum vitæ & actuum cui aut mors aut vita ſuccedit. Sed hoc loco mors duplex: à morte enim ad mortem tranſitur. *Nunc verò liberati à peccato, ſerui facti deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.*) Hoc eſt, ſi accepta remiſſione peccatorum, bonorum actuũ æmuli fuerimus, acquirimus ſanctitatem, finem verò habebimus, id eſt exitum, vitam perpetuam. A morte enim hac quam finem dixit, tranſimus ad vitam quæ ſine fine eſt. *Nam merces peccati mors eſt.*) Quę ſtum peccati mortem dicit, quia peccatum mors. Ac per hoc qui de cætero abſtinent ſe à peccatis, ſtipẽdium accipiunt vitam æternam: quia qui non peccant, alieni ſunt à morte ſecunda. *Gratia autem dei vita æterna, in Chriſto Ieſu domino noſtro.*) Sicut enim ſequẽtes peccatum, acquirunt mortem, ita & ſequentes gratiam dei, id eſt fidem Chriſti, quæ donat peccata, habebunt vitam æternam, vt gaudeant ſe ad tempus diſſolui, ſcientes ſe hanc vitam conſecuturos, quæ & omni tædio careat, & ſucceſſionem non habeat. Quam ſanctus Simeon exoptans petiit ſe hinc diſſolui, vt iret in pace, id eſt, vita quæ nullam patitur inquietudinem. Et hoc donum à deo per Chriſtũ nobis datum dominum noſtrũ teſtatur, vt deo patri gratias per nullum alterum niſi per ſuum filium agamus.

CAPVT SEPTIMVM.

AN *ignoratis fratres, ſcientibus enim legem loquor.*) Vt animos eorum firmet in doctrina diuina, exemplo humanę legis vtitur, vt iterum per terrena ſuadeat cœleſtia, ſicut à mundi creatura deus agnoſcitur. Quia enim vnius eſt totum, licet diuerſæ ſint res, ex aliqua tamen parte, ſibi inuicem ſimiles ſunt. Sciunt ergo legem Romani, quia non ſunt Barbari, ſed comprehenderũt naturalem iuſtitiam, partim ex ſe, partim ex Greęcis, ſicut & Græci ex Hebręis. Quamuis enim ante Moyſem non latuerit lex, ſed ordo non erat, neq; authoritas, non leges Romanis ex Athenis perlatæ ſunt. Nõ ignorantibus ergo legem dicit: *Quia lex dominatur homini quanto tempore viuit.*) Non eſt occultum omnem vitam hominis eſſe ſub lege naturæ quæ data eſt mundo. hæc lex generalis eſt. Nunc verò aliam proponit ſpecialem, quamuis & ipſa generalis eſt: ſed dum non recipitur ab omnibus, fit ſpecialis: per quam vult probare aſſertionem ſuam. Gradatim enim vult tradere veritatem. dicit ergo: *Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt lege viri. Quòd ſi mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera ſi fuerit iuncta alteri viro.*) Hæc lex de euangelio eſt, non ex Moyſe, neque ex iuſtitia terrena. Aliquid ergo duce natura, aliquid ex lege Moyſi addiſcentes, perfecti ſunt per euangelium Chriſti. Sequenti ergo exemplo apertius ſuadet Chriſtianiſmum exutum eſſe à lege factorum, non ab omni lege, nec vltrà iam expedire eſſe ſub lege, ne gratiam dei euacuet reuerſus ſub legem, quia dei gratia liberauit à lege hominem, vt ſpiritu, id eſt, mente ſeruiat deo. Sicut enim mulier mortuo viro liberata eſt à lege viri, non à lege naturæ: ita & ij qui gratia dei liberati à lege ſunt, à qua tenebantur rei, vt mortua illa ſit, vt Chriſtianiſmo iuncti non ſint adulteri. Si enim lex apud illos viuit, adulteri ſunt, & nihil illis proderit dici Chriſtianos, quia obnoxij erunt vltioni. Nec enim legis erit adulter, ſed euangelij, qui mortua lege iunctus euangelio, poſt redit ad legem. Mortua enim lex dicitur, quando quem tenebat reum, cognitum eſt ei authoritate legis ceſſante. *Quòd ſi mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, iuncta ſi fuerit alteri viro.*) Sublati à lege accepta remiſſione peccatorum, & iuncti euangelio, non ſunt adulteri legis, quia mortua apud illos eſt. Si autem ſeruãtes legem accedere ſe putant ad euangelium

gelium, rei erunt & adulteri, quia viua lege iunxerunt se fidei: erunt in vtroque adulteri. *Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi.*) Quoniã saluator noster corpus suum diabolo crucifigere permisit, sciens pro nobis esse contra illum, idcirco per corpus Christi saluos nos dicit factos. Mori enim legi, deo viuere est, quia lex dominabitur peccatoribus. Cui ergo dimittuntur peccata, moritur legi: hoc est liberari à lege. Itaque per corpus Christi hoc consequimur beneficium. Tradens enim corpus suum saluator, mortem vicit, & peccatum damnauit. In ipso enim peccauit diabolus, cùm illum innocentem occidit, qui peccatum omnino nesciret. Cùm enim hominem sibi peccati causa defenderet, inuentus est in eo reus, in quo accusabat. Hinc factum est, vt omnes credentes in Christum eruantur à lege sublato peccato, quia victum peccatum, quod est diabolus, per corpus Christi, non habet authoritatem in eos qui ad illum pertinẽt à quo victus est. Dum enim non peccat & occiditur, quasi reus vicit peccatum de peccato, hoc est, diabolum proprio peccato, quod in eo admisit, damnauit, & chirographum quod peccato Adæ decretum erat, deleuit, quãdo ab inferis resurrexit, data huiusmodi forma credentibus sibi, vt à morte secunda teneri non possent: ac per hoc mortui sumus legi per corpus Christi. Qui enim legi mortuus non fuerit, reus est: & qui reus est, secũdam mortem euadere non potest. *Vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus deo.*) Hoc dicit, quia ideo mortui sumus legi, vt de cætero Christi simus serui soli°: & hoc erit fructificare deo. Acquiritur enim deo, qui in gratia eius manet dignus resurrectione promissa. *Cùm enim essemus in carne.*) Cùm in carne sit, negat se esse in carne. Est enim in corpore, quia hic dicitur esse in carne, qui aliquid sequitur quod lege prohibetur. Igitur in carne esse multifarie intelligitur. Nam omnis incredulus in carne est, id est, carnalis, & Christianus sub lege viuẽs in carne est, & qui de hominibus aliquid sperat, in carne est: & qui malè intelligit Christum, in carne est: & si quis Christianus luxuriosam habet vitam, in carne est. Hoc loco tamẽ in carne esse sic intelligamus, quia ante fidem in carne eramus. Sub peccato enim viuebamus, hoc est, carnales sensus sequentes vitiis & peccatis subiacebamus. Sensus autem carnalis est, non credere spiritalia, id est, sine commixtione virginem peperisse, & ex aqua & spiritu sancto hominem denuo nasci, & solutam animam à copula carnis rursus in carne surgere. De his diffidens, in carne est. *Hinc vitia*, ait, *peccatorum, quæ per legem ostenduntur, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti.*) Manifestũ est quia qui non credit, sub peccato agit, & captiuus trahitur ad vitia admittenda, vt fructum faciat morti secundæ. Lucrum enim tunc facit mors cùm peccatur. In membris tamen dicit vitia operari, non in corpore, ne occasio esset malè tractantibus corpus, quia in maliloquio lingua arguitur, & in furto manus corripitur, & indissimulantes aures increpantur, & ita in cæteris, quamuis de corde exeant, membrorũ tamen ministerio explentur operibus. Disputatio hæc tangit Iudæos, & eos qui Christiani dicuntur, & sub lege volunt viuere, vt ediscentes carnales se esse recedant à lege. Vitia tamen peccatorum quæ dominari in carne à gentibus dicit per legem ostendi, non per legem fieri demonstrat: index enim peccati lex est, non genitrix, reos faciens peccatores. *Nunc autem soluti sumus à lege mortis in qua detinebamur.*) Soluti sumus à lege, dum remissionem peccatorum accepimus. Nõ enim habet in nos potestatem: infidis enim & peccatoribus dominatur. Lex autẽ mortis ideo dicta est, quia punit reos: mortificat enim peccatores: non ergo mala est, sed iusta. Quamuis enim malum sit patientibus quod infertur à lege, sed illa non est mala, quia iustè infert iram. Itaque nõ mala est peccatoribus, sed iusta, bonis verò spiritalis est. Quis enim dubitet spiritale esse prohibere peccare? Sed quia hoc non potuit vt saluaret hominem remittendo peccata, lex fidei data est, quę credentes liberaret à dominio legis, vt possint reparare se ad vitã, quos lex tenebat reos mortis. Ipsis enim lex mortis est, quibus iram operatur causa peccati. *Ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.*) His legem tangere putatur, quam quidem ad comparationem legis fidei inferiorem facit, nõ tamen inimicam iudicat. Nam ideo dicit nos erutos à lege mortis, vt seruiamus legi fidei, quæ nobis præsidium contulit salutare, quod vetus lex non potuit, ne gratiæ beneficium inanire videamur, legi veteri seruientes. Lex vetus non criminis vtique nomen est, sed temporis vel ætatis. Senuit enim, quia cessauit. Lex autem spiritus ipsa est lex fidei, quia fides in anima est, nec operibus adiscitur, sed corde creditur: & mens ipsa intelligit naturæ suæ esse quod credit, nec oculis cernitur, aut manibus palpatur: & quæ sperantur dona, non visibilia sunt nec terrena, sed spiritalia. Vetus ergo lex in tabulis lapideis formata est: lex autem spiritus in tabulis cordis spiritaliter scribitur, vt sit æterna. Litera autem legis veteris ætate consumitur. Est & alia interpretatio legis spiritus, vt quia prior lex ab opere malo inhibuit: hæc autem cùm nec in corde peccare debere dicit, lex spiritus vocatur, vt totum hominem faciat spiritalem. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit.*) Quoniam legem mortis hanc dixit, & erutos nos ab ea gratulatur, & in illa deo seruiri negat: ne iniquam hanc asserere putaretur, hoc purgat cùm dicit: Absit. *Sed peccatum non cognoui nisi per legem.*) Non ergo peccatum est lex, sed index peccati. Ostendit enim & quæ latebant peccata, & quæ impunè futura non essent apud deum. Quo comperto homo factus est reus, & ideo non videtur gratias agere legi. Quis enim libenter habeat eum qui sibi pœnam imminere annunciat? Legi autem fidei gratias agit, quia qui per legem Moysi reus factus est, per legem fidei reconciliatus est deo, quamuis & illa iusta & bona sit. Ostendere etenim imminens periculum, bonum est. Sed huic magis gratias agit, per quem ereptus de periculo viuit. *Nam concupiscentiam nescie-* Exod. 20.
bam, nisi lex diceret.) In Exodo: *Non concupisces.* Non discreuit concupiscentiam hanc à peccato, sed miscuit, hoc significans, quia cum nec suspicio quidem esset istud non licere apud deum, cognoui, inquit, esse peccatum. Sub sua persona quasi generalem agit causam. Lex itaque concupiscentiam prohibet, quæ propterea quod oblectamento est, non putabatur esse peccatum. Simplex enim videbatur causa, concupiscere aliquid proximi: hoc lex prodidit esse peccatum. Secularibus nanque hominibus nihil tam inultum videtur & placidum, quàm voluptas. *Occasione ergo accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.*) Omnem dicens concupiscentiam, cuncta peccata significat. Supra enim concupiscentiam iuxta legem memorat, cui nunc cætera addens vitia, omnem dixit concupiscẽtiam operatam in homine impulsu diaboli, quem in peccato significat, vt in contrarium fieret homini lex, quæ data erat vt prodesset. Videns enim diabolus auxilium per legem homini prouisum, quem in conditione se tam propter peccatum Adæ, quàm propter ipsius habere gratulabatur, intellexit factum aduersum se. Quem vidit enim factum sub lege, pro certo habuit de suo sublatum dominio. Agnouerat enim homo quomodo pœnam inferni euaderet. Hinc exarsit iracundia aduersus hominem, vt illi legem inuerteret, vt prohibita admittendo, deum rursus offenderet, & denuo in potestatem diaboli caderet. Cœpit non imperare, sed subtiliter fallere, quoniam in lege data amisit dominium diabolus, sciens hominem ad dei iudicium de cætero pertinere. *Sine lege enim peccatum mortuum erat.*) Hoc duplici genere intelligendum est, vt & diabolum in peccato sciat significatum, hoc ipsum peccatum quod vocatur peccatum. Mortuus enim dicitur fuisse diabolus, quia cessabat ab illusione hominis ante legem, sed erat quasi quietus: securus enim erat de possessione eius. Peccatum mortuum esse dixit, quia putabatur quòd non imputaretur apud deũ: ideo apud hominem mortuum erat, quasi impunè peccaretur. Nam non latebat peccatum, sicut supra dixit, sed ignorabatur hoc, quia deus iudicaturus est. Quod cùm data lege manifestum est reuixisse peccatum. Quare reuixit, nisi quia antè vixerat, & postea desidia hominum mortuum æstimatum est, cùm viueret? Putabatur enim non imputari peccatum cùm imputaretur. Viuens ergo pro mortuo habebatur. *Ego autem viuebam aliquando sine lege.*) Quid est sine lege vixisse, cùm lex semper fuerit, sicut supra memorauí,

1837

rauí, nisi quia sine timore Dei homo viuebat, securus quòd non esset Deus iudicaturus actus humanos? *Sed cum venisset mandatum peccatum reuixit.*) Ideo dixit reuixisse peccatum, vt significaret quia antè vixerat postea autem desidia hominũ mortuũ æstimatum est cùm viueret, sicut assolet falsa fama fieri peregrinis. Hoc ergo significat, quòd in initiis nõ latuerit peccatum putari apud deũ, hoc est vixisse: sed cùm cõsuetudo peccãdi hoc obliterasset, mortuum æstimatũ est: vt crimen cũ persona deficere putaretur. Cùm autẽ data esset lex vel reformata, reuixit apud eos, apud quos mortuũ æstimatum erat. cœperũt enim scire imputari peccatum. *Ego autem mortuus sum.*) Mortuus est homo, quia videt se reum esse apud deum, qui antè se putabat non futurũ obnoxium ex his quæ peccabat. *Et inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam datum hoc esse ad mortem.*) Verum est, quia lex ad vitam data est: sed cùm hominem non solum de præterito, sed & de futuro peccantem reum fecit, facta est lex data ad vitam, esse ad mortẽ: sed vt dixi, peccãti, quia obedientibus proficit ad vitã. *Nam peccatum accepta occasione per mandatum seduxit me, & per illud occidit.*) Peccatũ hoc loco diabolum intellige, qui author peccati est. Hic occasionem per legem inuenit, quomodo crudelitatẽ suam de nece hominis satiaret, vt quia lex dominata est peccatoribus, homo instinctu eius prohibita semper admittens offenso deo vltionẽ legis incurreret, vt ab ea quæ illi profutura data erat, dãnaretur. Quia enim inuito illo data est lex, exarsit inuidia aduersus hominẽ, vt eo amplius vitiosis voluptatibus macularet, ne manus eius euaderet. *Itaque lex quidẽ sancta, & mãdatũ sanctũ, & iustũ & bonũ.*) Vt nihil aduersæ suspicionis remaneret in lege, sic illam cõmendat vt non solũ iustam hanc, sed & sanctã & bonã pronũciet. Nã mãdatũ legẽ intelligi, euãgelicus sermo testatur. Ait enim: Si vis ad vitam venire, serua mãdata. *Quod ergo bonũ est mihi, mors est? absit.*) Verè absit. Vnde enim fieri potest, vt quod bonum esse probatur, mors intelligatur? *Sed peccatũ vt appareat peccatum per bonum mihi operatum est mortem.*) Diabolum per bonum occasionem dicit accepisse vt malum operaretur homini, dum illum seducit ad mortẽ: quia vt ea quæ ante legem malè gesta sunt per illecebram cupidinis probarentur esse peccata, & de cætero vitarẽtur, data est lex manifestata in literis. Tũc incensus est Satanas per bonum vtique. Vidit enim prouideri homini & illicita illi suasit vt pro vita ex lege ei mors proueniret. Quod quidẽ negligẽtiæ humanæ adscribendũ est, quę sic vigorẽ naturę suæ infirmauit cupiditate peccãdi, vt suggestiones aduersarij reprimere non posset. Inimicus tamẽ quem in peccato significat, vt appareat esse inimicus, per legem accepit occasionem operari homini mortem. Dum enim ad illicita illum suadet, apparet esse inimicus. Quanquam & ante legem mortẽ homini procurauerit, excepta prima causa Adæ: post legem tamen maiores ei pœnas apud inferos, vbi mors secunda est, adinuenit. Minus enim criminis est ante legem manifestatam peccasse, quàm post legem. *Vt fiat supra modum ipsum peccatum peccans per mandatum.*) Quid est supra modum quasi datus sit modus delinquentibus, cùm peccare non liceat? Sed dei verba sunt dicentis: Non sunt completa peccata Amorræorum. Per quod ostendit mensuram quandam esse delictorum, quam cùm impleuerint peccatores, vita digni minimè iudicẽtur: sicut & Pharao quia istum modũ impleuerat, dei virtutes & signa in illum ostensa sunt, per quæ cæteri territi ad emolumenta vitæ se exercerent, vt in mortuo vita discatur. Sed alius est modus quem tractat Apostolus. Vt ostendat enim plus peccatum esse sub lege, quàm fuerat ante legem: Supra hunc modum peccatorum ampliorem modum significat creuisse post legem, inuidia & astutia Satanæ, vt prouidentia Dei contraria fieret homini, cum timore legis minimè peccare debuerit. Ideo deus vt inuidiã diaboli vinceret, & prouidentiam homini ratam faceret, mutauit ordinem mittens saluatorem Christum, qui & diabolum vinceret, & statuta dei erga hominem firmaret.

Scimus enim quòd lex spiritalis est.) Quoniam scientibus legem loquitur, ideo ait: Scimus quia lex spiritalis est. Nec enim se darẽt sub lege, nisi agnoscerẽt istam esse spiritalẽ. *Ego autem carnalis sum venũdatus sub peccato.*) Legem Moysi spiritalem vocat, quę est data in tabulis: quę quia peccare prohibet, spiritalis est, quippe cùm visibilia & carnalia coli prohibeat. Hæc ad cõmẽdationem legis pertinẽt, ne culpa forte digna putaretur, quia seueritatem exercuit in peccatores. Hominẽ autẽ carnalem appellat, dum peccat. Vẽditus sub peccato, hoc est vẽditũ esse sub peccato, ex Adam qui prior peccauit, originem trahere, & proprio delicto subiectum fieri peccato, sicut dicit Esaias propheta: Venditi, inquit, estis peccatis vestris. Adam enim vendidit se prior, ac per hoc omne semen eius subiectum est peccato. Quam ob rem infirmum esse hominem ad præcepta legis seruãda, nisi diuinis auxiliis muniatur, hinc est vnde ait: Lex spiritalis est: ego autem carnalis sum venundatus sub peccato, hoc est, lex firma est & iusta, & caret culpa: homo autem fragilis est, & paterno proprio subiugatus delicto, vt potestate sui vti non possit circa obedientiam legis: ideo est ad dei misericordiam confugiendũ, vt seueritatẽ legis effugiat, & exoneratus delictis, de cętero deo fauẽte inimico resistat. Quid est enim subiectũ esse peccato, nisi corpus habere vitio animę corruptum, cui se inferat peccatũ, & impellat hominem quasi captiuum delictis vt faciat voluntatem eius? Hinc dominus inter cætera ait: Venit enim diabolus, & tollit quod seminatum est in cor illorum, ne salui fiant. Vnde idem Apostolus in alia epistola ait: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, cõtra spiritalia nequitiæ in cœlestibus: quos satellites constat esse Satanæ. Nã ante præuaricationem hominis, prius quam se manciparet morti, non erat, his potestas ad interiora hominis accedere, & cogitationes aduersas inferere. Vnde astutia eius factum est vt confabulatione per serpẽtem hominem circũueniret. Postquam autem circũuenit eum & subiugauit potestatem in eũ accepit vt interiorem hominem pullaret, copulãs se mẽti eius, ita vt nõ possit agnoscere quid suum sit in cogitatione, quid illius, nisi respiciat legem. *Quod enim operor, non intelligo.*) Non intelligit quod operatur, quia videt aliud se per legem scire, & aliud agere. *Non enim quod volo, hoc ago sed quod odi illud facio.* Subiectus peccato, facit vtique quod non vult. *Si autem quod odi, illud facio, consentio legi.*) Probat legem rectè prohibere, quando inuitum se hoc facere quod lex vetat profitetur, & naturæ suæ dicit esse quod mandat lex: quia quod extra facit, odiosum sibi dicit. *Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*) Quoniam audit legem prohibere quod agit, & consentit non debere fieri, ac per hoc aliud esse cuius impulsu hæc agi declarat, id est, peccatum. Peccatum autem ideo semper nominat, cùm sciatur diabolus esse cùm angelis suis: quia nisi peccasset primus homo, hæc non prouenirent, ac per hoc peccatum est quod ea omnia facit. *Scio enim quoniam in me non inhabitat, hoc est, in carne mea bonum.*) Non sicut quibusdam videtur, carnem malam dicit, sed quod habitat in carne, non esse bonum, sed esse peccatum. Quomodo inhabitat in carne peccatum, cùm non sit substantia, sed præuaricatio boni? Quoniam primi hominis corpus corruptum est per peccatum, vt possit dissolui: ipsa peccati corruptio per cõditionem offensionis manet in corpore, robur tenẽs diuinæ sententiæ datę in Adã: quod est signum legis diaboli, cuius instinctu peccauit Adã. Per id ergo quod facti causa manet, inhabitare dicitur peccatum in carne, ad quam diabolus accedit quasi ad suam legem, & manet quasi in peccato peccatum, quia caro iam peccati est, vt decipiat hominem suggestionibus malis, ne homo faciat quod præcipit lex. *Nam velle adiacet mihi.*) Tam bona asserit quæ iubet lex, vt naturaliter sibi placere dicat, & velit facere. *Perficere autem bonum non inuenio.*) Et placet ergo quod à lege iubetur, & voluntas est faciendi: sed vt impleatur, potestas & virtus deest: quia sic pressus est potestate peccati, vt non possit ire quò vult, neque valeat contradicere, quia potestatis eius alter est dominus. Homo enim iam consuetudine peccandi grauatur, & facilius succumbit peccato quàm legi, quam scit bona docere: ac si velit bona facere, premit illum consuetudo adiutore inimico. *Non enim quod volo, facio bonum: sed quod nolo malum, hoc ago.*) Sæpe repetit, vt dilucidet. Hoc ergo est

quod ſupra dictum eſt, quia vt captiuus per ſupradictas cauſas illud cogitur facere quod vult peccatum. *Si autē quod nolo, hoc facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*) Hoc eſt diabolus vt iam ſupra memorauit, quia preſſus & ſubiugatus peccato, nō ſuam, ſed illius perficit voluntatem. Nunquid quia inuitum hominē dicit peccare, immunis debet videri à crimine: quia hoc agit quod non vult, preſſus vi poteſtatis? Non vtiq;. Ipſius enim vitio & deſidia hæc cœpta ſunt. Quia enim mancipauit ſe per aſſenſum peccato, iure illius dominatur. primum enim ſuadet, vt victo iam dominetur. Apoſtolus autem vt gratiam dei præferat, hæc exponit de quātis malis hominē liberauerit, vt quę exitia ex Adā trahit, quæ verò beneficia per Chriſtū cōſecutus eſt, cui nec lex ſubuenire potuit, demonſtraret, *Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quia ineſt mihi malum.*) Legem Moyſi aſſerit voluntati ſuę dare conſenſum contra peccatum quod in carne habitat, quod aliud cogit facere, quā quod vult homo & lex. *Condelector enim legi dei ſecundum interiorem hominem.*) Animumhis oblectari dicit quæ à lege traduntur: hic eſt interior homo, quia non in animo habitat peccatum, ſed in carne, quia eſt ex origine carnis peccati, & per traducem fit omnis caro peccati[illegible]Si enim anima de traduce eſſet & ipſa, & in ipſa habitaret, quia anima Adæ magis peccauit quàm corpus, ſed peccatum animæ corrumpit corpus. In carne ergo habitat peccatū quaſi ad ianuas animæ, vt non illam permittat ire quò vult. In anima autem ſi habitaret, nunquam ſe cognoſceret homo: nunc autem cognoſcit ſe, & delectatur legi dei. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati quod eſt in membris meis.*) Duas leges memorat, ex quibus vnā in membris ſuis videre ſe flagitat, id eſt, in exteriore homine qui eſt caro vel corpus. Hęc eſt lex aduerſa, hæc repugnat animo trahens illum captiuum in conditionem peccati, ne vltra egrediens inueniat aſſertorem. Alia eſt lex mentis, quæ eſt lex Moyſi, vel naturalis, quæ eſt in animo. Hæc preſſa eſt violentia peccati, negligentia quidem ſua, quia dum diligit vitia, ſubiecit ſe peccato, vt ipſa conſuetudine teneretur captiua. Dominatur enim homini conſuetudo. Quatuor quidem leges nominat. Primam legem ſpiritalem, quæ eſt etiā naturalis, quæ reformata eſt per Moyſem, & poſita in authoritate. ipſa eſt dei lex. Deinde legem mentis conſentientem legi dei. Tertiam legem peccati, quam ex preuaricatione primi hominis in membris dicit habitare. Quartam verò quæ in mēbris videtur dum ſuggerit mala, & recedit. Sed hæ leges iteratæ quatuor videntur, cùm ſint duæ, id eſt, boni & mali. Lex enim mentis ipſa eſt lex ſpiritalis, ſiue Moyſi, quæ vocatur lex dei. Peccati verò lex eadem eſt quæ & illa quam in membris dicit videri, quæ contradicit legi mentis noſtrę. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.*) Infelicem hominem dicit, quia naſcitur ſub peccato. Nunquid non verè infœlix eſt homo, qui in hanc hæreditatē præuaricationis ſucceſſit, hoſpitem ſecum habens peccatum, per quod ad illum aditū habet Satanas? Gradus enim fabricauit Adā, per quos ad filios eius expoliator aſcendit, niſi clementiſſimus dominus motus miſericordia gratiam ſuam per Chriſtum dediſſet, vt reuelatum genus humanum, remiſſione peccatorum accepta, de cætero poſſit reſipiſcere repreſſo & damnato peccato. Poteſt enim exoneratus malis & purgatus reſiſtere aduerſario, poteſtate accepta contra illum, dū adiuuatur à deo. Hic quaſi legem fidei tertiam inducit potiorem, quā & gratiam vocat, quæ ex lege tamen ſpiritali originē habet, quia per hanc liberatus eſt homo: vt quia Moyſes dedit legem, deditque & dominus, duæ dicantur, vna tamen intelligatur quantū ad ſenſum & prouidētiā pertinet. Illa enī initiatrix eſt ſalutis, hæc verò conſummatrix. Sed non hanc partem legis dico, quæ in neomeniis eſt & in circunciſione & in eſcis, ſed quæ ad ſacramentum dei pertinet & diſciplinam. Gratia ergo dei per Chriſtū liberatus eſt homo de corpore mortis huius. Hanc dicit mortem, quam ſuprà oſtēdit in necem hominis per peccatū inuētam apud inferos, quæ appellatur ſecunda. Corpus autē mortis eſt, cūcta peccata. Multa enim vnū corpus ſunt, ſingula quaſi mēbra vno authore inuenta

1840

ex quibus homo ereptus gratia dei per baptiſmum, ſupradictam mortē euaſit. Nec enim in carneo corpore poſitus de eo ipſo ereptum ſe diceret, ſed hoc corpus dixit quod ſuperius per baptiſmum & obſeruātiam legis deſtrui ſignificat. Nam & cum dicit, de corpore mortis, oſtendit aliud corpus eſſe non mortis. *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi dei.*) Legi dei cùm dicit, & Moyſi ſignificat legem & Chriſti. *Carne autem legi peccati.*) Ego ipſe, id eſt, qui liberat⁹ ſum de corpore mortis. In corpore eſt, quomodo liberat⁹ eſt de corpore mortis, niſi quia liberatus eſt à cunctis malis? Remiſſio enim peccatorum omnia tollit peccata. Liberat⁹ ergo de cōrpore mortis, gratia dei per Chriſtum mente vel animo ſeruio legi dei: carne autem legi peccati, id eſt, diaboli, qui per ſubiectam ſibi carnem ſuggeſtiones malas ingerit animæ. Quia ergo duplex eſt homo, carne conuerſus & animo, legi dei mēte ſeruire ſe dixit, quia animus deuotus eſt deo, & recuperata ſui poteſtate repugnare poteſt peccato quod per carnē operatur. Quia enim caro corrupta eſt, & morti ſubiecta, quæ ſic facta erat vt ſocietate & coniunctione animæ non moreretur, recepit deſideria, quorum quaſi honorem quendā tranſfert ad animum, vt etiam ipſe generetur. Sed quid reſpuit illam mortem? Gratia dei. Mente ſeruio legi dei: carne autem legi peccati, ſicut dictū eſt. Iam enim liber animus, & in cōſuetudinem bonam reuocatus, ſpiritu ſancto adiuuante malas ſuggeſtiōes poteſt ſpernere. Reddita eſt enim illi authoritas qua audeat reſiſtere inimico. Qui enim iam nō eſt obnoxius, minimè poterit indagari in vitiis. Caro autem quia iudicium non habet, neque capax eſt diſcernendi (eſt enim bruta natura) non poteſt inimico aditū claudere, ne veniens introeat, atque animo cōtraria ſuadeat, ac per hoc carne, ait, ſeruio legi peccati. Cùm enim vnus homo carne conſtet & anima, ex illa parte qua ſapit, deo ſeruit: ex altera autem qua ſtolidus eſt, legi peccati. Si autē homo in eo quo factus eſt perduraſſet, non eſſet poteſtas inimico ad carnem eius accedere, & animæ contraria ſuſurrare. Vt autē totus homo minimè reparatus fuiſſet Chriſti gratia ad ſtatum priſtinū, ſentētia obſtitit data in Adam. Iniquum enim erat ſoluere ſententiam iure depromptam. Idcirco manente ſententia, prouidentia dei remedium inuētum eſt, vt redhiberetur homini ſalus, quam proprio vitio amiſerat, vt hic ſanatus crederet quia aduerſarius eius deuictus potentia Chriſti, non auderet tranſpuncta ſententia primę mortis hominem ſibi defendere, adunato genere Adæ, ne ad primæ originis redderetur facturam iam totus permanens immortalis.

CAPVT OCTAVVM.

Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant.) Verum eſt, quia nulla erit dānatio horum qui ſunt in Chriſto Ieſū, legi dei deuotione animi ſeruientes. *Lex enim ſpiritus vitæ, in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis.*) Securitatem flagitat homini per gratiam dei, vt de ſuggeſtionibus diaboli non ſit ſolicitus, dūmodo ſpernat illas. Nihil enim oberunt homini apud mortem ſecundam, quia lex fidei, id eſt, ſpiritus liberauit hominem à morte ſecunda damnato peccato. Nec obeſſe iam homini, quia carni ineſt peccatū: ſi modo repugnet illi memor auxilij dei, ſed & coronādus eſt qui peccati in carne manētis premit cōſilia. Magnæ enim ſolertiæ eſt domeſtici hoſtis inſidias euitare. Lex ergo ſpiritus vitæ, ipſa eſt lex fidei. Nam & Moyſi lex ſpiritalis eſt, quia prohibet peccare: nō tamē vitæ, quia reis mortis peccata remittere non poteſt, vt viuificet mortuos. Hæc verò quia & peccare non vult, & à morte reuocat, lex ſpiritus vitę appellatur, non per literam conſtans, ſed per ſpiritū, quia corde creditur, & ſpiritus eſt, quod creditur. Hæc itaque lex in Chriſto Ieſu, hoc eſt, per fidem Chriſti liberat credentem à lege peccati & mortis. Lex peccati eſt quam in membris dicit habitare, quę ſuadere nititur aduerſa. Lex verò mortis, Moyſi lex eſt, quia mortificat peccatores. Nam & in alia epiſtola inter cætera dicit de authoritate legis: Si miniſtratio mortis formata in lapidibus fuit in gloria. Non ergo mirum ſi lex ſpiritalis dicatur, & lex mortis, cùm & euan-

2. Cor. 3.

1841

& euangelium eodem modo sit. Dicit enim alio loco inter cætera, Aliis odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem. Quos enim opinio virtutum, aut rerum gestarum visus aut auditus attrahebat ad fidem, his odor vitæ erat euangelium. Illis autem quorum sensum inflammabat facta virtus ad contradicendum, mortis erat odor prædicatio fidei. Vna ergo cùm sit fides, diuersitatem præstat hominibus, sicut & sol cùm sit vnus, ceram soluit, lutum stringit. Qua ergo quis mente odoratus fuerit fidem, sic proficiet illi. Sed dicitur forte: Si eadē præstat fides quæ & lex, cur non etiam ipsa ex parte lex mortis dicatur: mortificat enim non credētes? Sed nō ita est. Fides enim data est quę iustificat cōfugientes ad se, vt remittat eis quos lex tenet reos, vt ägētes sub fide, liberi sint à peccato. Nam sub lege agentes obnoxij sunt. Qui ergo nō obediunt fidei, non occidētur à fide, sed à lege, quia non accedentes ad fidem, rei tenētur à lege: ideóque omnes qui malo animo odorātur verba fidei, remanēt in morte. Videamus nūc quid interfit cùm dicitur lex spiritalis, & lex spiritus. Hoc interest, quia idcirco dicitur lex spiritalis, quia præcepta dat per quę nō peccetur: quia qui non peccat, spiritalis vocatur, æmulus superiorū cœlestium. Lex autē spiritus propterea vocatur: quia deus cuius fides est, spirit⁹ est. Illic ergo verba sunt, hîc res. Illic quæ dei sunt, hîc deus ipse. *Quia quod impossibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem, deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatū in carne.*) Hęc dicit vt baptizatos securos reddat, quia liberati à peccato sunt: Quoniam quod impossibile erat, inquit, legis. Cui impossibile? Nobis scilicet impossibile erat mandatum legis implere, quia subiecti eramus peccato. Ob hoc deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Hæc est similitudo carnis, quia quāuis eadem caro sit quæ & nostra: non tamen ita facta in vtero est & nata, sicut & caro nostra. Est enim sanctificata in vtero, & nata sine peccato, & neque ipse in illa peccauit. Ideo enim virginalis vterus electus est ad partum dominicum, vt in sanctitate differret caro domini à carne nostra. In causa enim similis est, nō in qualitate peccati substantiæ. Propterea ergo similem dixit, quia de eadem substantia carnis, non eandem habuit natiuitatē quia peccato subiectū non fuit corpus domini. Expiata est enim à spiritu sancto caro domini, vt in tali corpore nasceretur, quale fuit Adæ ante peccatum, sola tamen sententia data in Adam. Misso ergo deus Christo, de peccato damnauit peccatum, hoc est, peccatum peccato proprio damnauit. Christus enim cùm à peccato crucifigitur, quod est Satanas, peccauit peccatum in carne corporis saluatoris. Quo facto damnauit deus peccatum in carne, ibi vtique vbi peccauit: sicut & in alia epistola ait: De triumphās illos in ipso, id est in Christo. Nam & solet dici de quocunque damnato: in qua causa dānatus est? respondetur: vt puta, in homicidio. Ita & peccatū in carne damnatum, hoc est, in peccato quod admisit in carne. Hoc itaque peccato reus factus Satanas, amisit dominiū recentarum animarum, vt iam signatos signo crucis in qua victus est, in secunda morte tenere non audeat. Quam ob rē ad securitatem nostram hæc tractat Apostolus. *Vt iustificatio legis adimpleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.*) Ideo damnatū dicit peccatum, vt impleretur in nobis iustificatio legis datæ à Moyse. Sublati enim de conditione legis, facti sumus amici eiusdem. Iustificati enim amici legis sunt. Quomodo autem impletur in nobis iustificatio, nisi cum datur remissio omnium peccatorū, vt sublatis peccatis iustificatus appareat mēte seruiens legi dei? Hoc est non secundum carnē ambulare, sed secūdum spiritum, vt deuotio animi, qui est spiritus, non consentiat desiderio peccati, quia per carnem seminat concupiscentias animæ quod ineſt peccatum. Si dānatum est peccatum, quomodo ineſt? Dānatum est, & à saluatore, & triplici genere damnatum. Primo enim in loco dānauit peccatum, dum nō peccauit dissentiens à peccato. Deinde in cruce peccatum, quia peccauit, dānatum dicitur. Vnde sublata est illa authoritas quasi peccati, qua detinebat homines in inferno propter debitum Adæ, vt de cætero in quibus signum crucis est, detinere non audeat. Tertio damnauit peccatum, dum irrita fecit delicta remissione peccatorum concessa. Cùm enim peccator causa admissi peccati damnandus esset: ignoscens autem ei, damnauit in eo peccatum. Itaque si & nos saluatoris exemplo nō peccemus, damnamus peccatum. *Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt.*) Hoc dicit, quia qui suggestioni quæ efficitur per carnem, optemperat: quæ carnis sunt, sapit. Hoc enim illi † suaue videtur quod sequitur, contra fas appetens vsum & sententiam erroris carnis: in carne enim mundanus error signatur quacunque ex parte. *Qui verò secundum spiritum, ea quæ sunt spiritus sentiunt.*) Manifestum est quia qui se à carnis desideriis continet, iuxta legem mentis viuit. Hoc enim illi vtile videtur sapere, quod conueniat legi.

† *sapere.*

Nam prudentia carnis, mors est.) [·.·] Prudentia carnis peccatum est, quod generat mortem. Prudentia enim ideo dicitur, cū res stulta sit, quia secularibus hominibus errores ex visibilibus concepti siue in sensu siue in actu contra legem dei, prudentia videntur: maximè quia omnis industria & astutia illorum in eo est, vt peccent. Sapere enim sibi videntur si istud diligentius curent, cùm nihil stultius sit quàm peccare. Est & alia prudētia carnis, quæ mundanis rationibus inflata, negat aliquid fieri quod mundi careat ratione. Vnde deridet Virginis partum, carnis resurrectionem. *Prudentia autem spiritus, vita & pax.*) Vere hæc est sapientia, quæ vitam acquirit & pacem. Sequens etiam spiritalia contemptis illecebris vitæ præsentis, æternam habebit vitam cum pace, id est, sine inquietudine. Vbi enim perturbatio est, & pœna est. *Quoniam sapientia carnis inimica est deo. Legi enim dei non est subiecta, nec enim potest.*) Non carnem dixit inimicam, sed sapientiam carnis: id est, nō substātiam, sed aut malos actus, aut cogitationem, siue assēuerationem quæ nascitur de errore. Sapientia ergo carnis est primo in loco, astrorum ab hominibus † inuenta disputatio, deinde visibilium oblectatio. Hæc inimica deo sunt, quia elementorum dominum, & opificem mundi his coæquant quę fecit, astruentes nihil posse fieri præterquam mundi continet ratio. Quamobrem negant deum fecisse vt virgo pareret, aut mortuorum corpora resurgerent: quia stultum est, inquiunt, vt deus fecerit vltrà quàm sapit homo. O prudentes mundi, qui putant deum non debere aliter facere quàm ab eo facit condita creatura, vt ipse similis creaturis putetur. Sic cæcati sunt, ne videant qualem contumeliam deo faciunt. Opus enim quod in laudem suam prædicandam facere dignatus est, isti vituperātes, incredulum & stultum asserunt. ac per hoc legi dei hoc studium subiectum [·.·] esse non potest in eo quod exercitatur vt dei gestis repugnet. *Qui enim in carne sunt, deo placere non possunt.*) Sapientes mundi in carne sunt, quia respicientes mundum, spiritali sapientiæ resistūt, quia totus mundus caro est. Omne enim visibile carni deputatur. cognata enim sunt carnis, imò elementa carnis. Ideoq; qui mundanis rebus & causis obtemperat, in carne est. *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.*) In carne positi dicuntur non esse in carne, si assentientes Ioanni apostolo mundana non diligant. Sententia enim homini suam quasi fingit naturam, vt hoc appelletur quod sentit. *Si tamen spiritus dei habitat in vobis.*) Hoc ideo ambiguè dicit, quia in legem inducti, non adhuc perfectę erant fidei, sed spem in eis videbat perfectionis. Vnde aliquando quasi perfectis loquitur, aliquādo quasi perfecturis: hoc est, aliquando laudat, aliquando commonet: vt si secundum supra memorata versentur iuxta legem naturæ, in spiritu esse dicantur: quia spiritus dei in eo habitare non potest, qui carnalia sequitur. *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.*) Spiritum dei nunc spiritum dicit Christi, quia omnia patris, filij sunt. Hoc ergo dicit quia qui supradictis erroribus subiectus est, ad Christum nō pertinet: spiritum enim eius non habet, quem vt filius dei esset, acceperat. Duabus enim ex causis deserit hominem spiritus sanctus, cùm aut sensum carnis habet, aut gesta. Itaque per hæc ad bonam conuersationem compellit. Quamuis enim bonitate dei erigantur homines, non erunt tamen filij dei vocati, nisi sic vixerint, ne satis indigni concessō nomine videantur. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò vita propter iustificationem.*) Peccati causa corpus mortuum asserit eorum quos deserit spiritus sanctus,

nec ad istum,id est,spiritū quis eorū passione potest peruenire. Spiritus enim dei nescit peccare. Ad iustificationē enim datur, vt adiutorio suo iustificet. Ergo quia peccare nescit, vita est. Mori enim nō potest,quia per peccatum mors: ac per hoc sibi peccator oberit,non spiritui quē accepit. Nec enim spiritus erit in causa,qui vult iustificare. Signum enim iustificationis hoc est in homine, vt per id quod inhabitat in eo, iustificatus appareat esse filius dei. Nō enim in ficto homine, neque in corpore subdito peccatis potest habitare spiritus sanctus, sicut dicit Salomon. Si quis autem denuo carnaliter viuat,desertus ab spiritu sancto,in iniustitia sua morietur. Corpus autem dicens totum hominē significat mortuum peccati causa: sicut & à propheta sub vocabulo animę totus homo significatur,quasi à parte totum. Ait enim: Anima quæ peccauerit,ipsa morietur. Nūquid sine corpore? Hic corpus pro toto homine posuit,ille autem animam. Et alius propheta carnem dicendo,totum hominem significauit. Ait enim: Videbit:omnis caro salutare dei. Et quoniam baptizato datur spiritus sanctus,etiā ipsius esse spiritus dicitur. Idcirco cætera hominis ad comparationem eius corpus appellauit. Præterea quod anima dum peccat,caro dicatur. hoc enim vocatur quod sequitur: sicut sępe iam dixi. Simili modo & dominus cùm in passione sua diuinitatem suam minimè formidare vellet intelligi, sed hominis esse mœstitiam, ait: Spiritus quidem promptus est,caro verò infirma. vt in spiritu deum,in carne verò hominem significaret. *Quòd si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum à mortuis: viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.*) Ipsum sensum eadem tractat ratione. Corpora enim dixit,per quæ homines significat. Et quia suprà dixit propter peccatum corpus mori morte secūda,hic iterum propter bonam vitam mortalia corpora viuificari promisit,id est,totum hominem. *Igitur fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus.*) Rectum & manifestum est non nos adinuētioni Adæ, quia carnaliter egit, obsecundare debere,qui prior peccans mortem nobis hęreditatis titulo dereliquit: sed legi Christi seruire nos debere, qui nos spiritali ratione à morte supradicta redemit. Huic enim debitores sumus, qui nos cārnalibus vitiis sordidatos per lauacrum spiritus ablutos iustificauit,& filios dei fecit. Primus enim in carne positi exemplo Adæ viuebamus subiecti peccatis,nunc verò liberati reddere debemus obsequiū redemptori. Quod quidem obsequium non illi vtique proficit,qui nullius eget,sed nobis vitam acquirit æternam. Sic enim diligit nos,vt sibi imputet quod nobis† promisit. *Si enim secundum carnem vixeritis,moriemini.*) Nihil verius: quia si secundum Adam vixerimus,moriemur. Adam enim præuaricans vēdidit se peccato,carni deputatus. Omne enim peccatum, caro est. Propter quod enim deforis vita & delicta nascūtur ex sensibus,de auditu,visu,odoratu, vel gustu,carni depurantur. Omnis enim cogitatio foras respiciens incurrit delictum. Nam & primi hominis deforis peccatum natū est. Secundum carnem ergo viuere,mors est. Omnis enim actus carnis,extra legem est. *Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis,viuetis.*) Corpus vult lege animæ gubernari. Vnde ostendit,si duce sancto spiritu actus & consilia carnis, quæ huius mundi instigantibus potestatibus concinātur,fuerint repressa,ne agendi accipiant potestatē, vitam præstari. Mortificari enim dicuntur si cessent. nō sunt enim si cessant,quia peccatum non est si non fiat.

Sapien. 1.

Exech. 18.

Esaiæ 42.

† proficit.

Vicūque enim spiritu dei agūtur,hi filij sunt dei.) Hos dicit spiritu dei agi, in quorum actibus consilia principum & potestatū huius mundi non vidētur. In quorū enim vidētur, non sunt filij dei,sed diaboli: quia qui de deo natus est, non peccat, dicit Ioannes apostolus. Hoc est enim quod probat dei filios & diaboli. Vnde dominus ad Iudæos quod malè agerent, & parricidiū cogitarent, ait: Vos de patre diabolo estis. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore.*) Hoc dicit, quia accepto spiritu sancto à timore malorū actuum exuti sumus, vt de cętero nihil tale agamus vnde iterum timeamus. Antè enim sub timore eramus,quia lege data omnes rei sunt cōstituti. Spiritum ergo timoris legem dixit,quia homines peccati causa in timore constituit. Lex autem fidei,quæ in spiritu adoptionis significatur, lex securitatis est: quia à timore nos eruit dum donat peccata, ac per hoc securos nos fecit: ac dicitur spiritus non timoris secundum hunc mundum. *Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater.*) Gratia dei à timore liberati,accepimus spiritum adoptionis filiorum, vt considerantes quid eramus,& quid dono dei sumus adepti, magna cum diligentia vitam nostram ordinemus,ne nomen dei patris in nobis iniuriam patiatur, & ea omnia quæ euasimus,veluti ingrati incurramus: talem enim gratiam consecuti sumus,vt audeamus dicere deo,abba,id est,pater. Ideoque commonet ne accepta fiducia in temeritatem vertatur. Si enim huic voci qua dicimus,abba pater, dissimilem vitam exhibeamus, iniuriā deo facimus vocantes eum patrem. Idcirco enim bonitate sua hoc nobis indulsit quòd super naturam nostram est, vt quod substantia indigni sumus, operibus mereamur. *Ipse spiritus reddet testimonium spiritui nostro,quòd sumus filij dei.*) Bene agentibus nobis,& per hoc ipso manente in nobis spiritu sancto,huic voci & animo nostro quo clamamus in oratione, abba, id est, pater,spiritus dei testimoniū dat,dum manet in nobis,quoniam non temerè dicimus,abba pater. Dignam enim vitam huic voci exhibeamus, & hoc est testimoniū filiorum, si in eos per spiritum videtur signum paternum. *Si autem filij & hæredes: hæredes quidem dei,cohæredes autem Christi.*) Cùm deus pater nullo modo mortuus possit dici, Christus autem eius filius mortuꝰ dicatur causa incarnationis,quid est vt hic qui mortuus est, semper viuentis hæres esse dicatur, cùm hæredes vtique non nisi mortuorum sint? Sed hæc causa humanitatis est. Nam apud deum quæ apud nos hæreditas dicitur, donum est patris in filios obedientes transfusum, vt viuus viuentis hæres sit merito proprio,non necessitate defuncti. Vnde & dominus in euāgelio non magis humana quàm diuina ratione viuum viuentibus substantiam suam partitum esse,licet in parabola,significauit. Nec enim parabola absurda ratione componitur. Vt ergo promptos nos ad obediendum deo patri faceret,hac spe exhortatur dicens dei nos futuros hęredes,cohęredes autem Christi: vt quia spes magna præmij est, tanto magis in dei rebus propensiores essemus, postponentes curam mundanorum. Quid sit autem cohęredem esse filij dei,ab apostolo Ioanne docemur. Inter cætera enim ait: Scimus quoniā cùm apparuerit, similes ei erimus. *Si tamen compatiamur, vt & simul glorificemur.*) Quomodo cohæredes Christi fieri possimus declarat, dicens: Si tamen cōpatiamur, vt & simul glorificemur. Videamus ergo quid sit compati. Compati est persecutiones tolerare propter spē futurorum, carnémque crucifigere cum vitiis & concupiscentiis,hoc est,voluptates & pompas seculi spernere. Cùm enim hæc omnia mortua fuerint apud hominem, crucifigit mundum, futuri seculi vitam credens,in qua se sperat cohęredem Christi futurum. *Existimo ergo quòd non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*) Exhortatio hæc ad superiora pertinet,per quam ostendit parua esse quæ hic possunt à perfidis irrogari ad comparationem decreti muneris in futuro seculo. Propterea ad omnia extitia paratos esse debere, quia magna pro his repromissa sunt præmia, vt in tribulatione consoletur se animus, & spes crescat. Nam & quosdam imò multos scimus pro præsentibus lucris ad modicū vtique profuturis quàm asperos & duros subire labores, & ad quæ aliquando, quia ipsa vita fragilis est & incerta,peruenire non possunt. Nautæ pro quibus commodis tantis se procellis & tempestatibus credunt, cùm sciant in his magis mortem ante oculos esse, quàm vitam? Et milites spe præsentis præmij, cùm incerta victoria sit,in gladios insurgere non dubitant. Quanto ergo magis pro Christo patiendum est, cuius etiam prota tela sunt nobis beneficia,qui pro paruis magnifica,& pro temporalibus perpetua præmia, cum gloria pollicetur? Pro Christo dicimur pati,cùm nobis,non illi proficiat quod patimur. Sed quia ille occasione quærit remunerandi nos,hoc præcipit. Vt bonus enim vel profusus largitor causas quærit quomodo donet aut indignis aut verecundis. Denique vt ipsa

1. Ioan. 3.

Ioan. 8.

1. Ioan. 3.

1845

vt ipſa exitia tolerari poſſint, ipſe ſuggerit vires. *Nã expectatio creaturæ, reuelationem filiorum dei expectat.*) Quoniã præſentis temporis paſſiones indignas dixit ad futuram gloriam, ſubiecit quòd creatura hoc expectat, vt compleatur numerus filiorum dei, deſtinatus ad vitam: vt tunc demum etiam ipſa creatura poſſit liberari à ſeruitute corruptiõis, & ceſſaret in vitio. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non voluntaria.*) In domini & creatoris poteſtate poſita creatura, non vtique ſpõte ſubiecta eſt vanitati. Non enim proderit ſibi quòd ſubiecta eſt, ſed nobis. Quid eſt ergo in quo vanitati ſubiecta eſt, niſi quia quæ generat, caduca ſunt? Operatur enim vt fructus faciat corruptibiles. Corruptio ergo ipſa vanitas eſt. Omnia enim quæ naſcuntur in mundo, infirma, caduca, & corruptibilia, ac per hoc vana ſunt. Vana ſunt enĩ, quia ſtatum ſuum tenere non poſſunt. Nam cuncta deformata per fluxum ſemper in ſe redeũt confuſa in naturam. Dicit de his & Salomon, quia omnia hæc vanitas. Nec diſcordat ab his Dauid dicens: Veruntamen vanitas omnis homo viuens. Manducare enim, & bibere, & res mundi curare, nõnne vanitas eſt? & prodeſt tamen ipſa vanitas. Proficit enim hominibus natis in mundo, vt per hæc in corporibus exercitati, diſcant myſterium creatoris: ad comparationem enim æternorum vana ſunt. Nam ſuo bona ſunt, quippe cùm ſint neceſſaria. *Sed propter eum qui ſubiecit illam in ſpe.*) Quæ ſpes? Statim ſubiecit dicens: *Quoniam & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptelæ in libertatem gloriæ filiorum dei.*) Quoniam cõtradicere nõ poteſt creatura cõditori ſuo, eĩ⁹ cauſa ſubiecta eſt, non ſine ſpe. Habet enim in labore poſita hoc ſolatium, quoniã habebit requiem, cùm crediderint omnes quos ſcit deus credituros: quorũ etiam cauſa ſubiecit: *Scimus enim quoniã omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc.*) Parturire dolere eſt. Ipſe ſenſus eſt, quia omnis creatura per quotidianum laborẽ ingemiſcit & dolet vſque modo. Vſque modo tandiu ſignificat, quandiu legitur. Ipſa enim elementa cum ſolicitudine operas ſuas exhibẽt, quia & ſol & luna nõ ſine labore ſtatuta ſibi implent ſpatia, & ſpiritus animalium magno gemitu arctatur ad exhibenda ſeruitia. Nã videmus illa gementia cogi inuita ad laborem. Hæc ergo omnia expectant requiẽ, vt à ſeruili opere liberẽtur. Si autem hæc eſſet ſeruitus quæ ad deũ proficeret promerendũ, gauderet, non doleret creatura: ſedqa noſtri cauſa ſubiecta eſt ſeruituti corruptionis, dolet. Videt enĩ quotidie opera ſua interire. quotidie enim oritur & occidit op⁹ eius. Rectè ergo dolet, cui⁹ operatio nõ ad æternitatẽ pertinet, ſed ad corruptionẽ. Quã rũ ergo datur intelligi, ſatis de noſtra ſalute ſolicita ſunt, ſciẽtia ad liberationem ſuã proficere maturius ſi modo nos citius agnoſcamus authorẽ. Hæc itaque ſcientes, omni cura diligentiáque dignos nos præbeamus, aliis quoque vt exemplo ſimus, non noſtra ſolum miſeratione commoti, ſed & eius cauſa quæ diebus ac noctibus iniurias patiens ingemiſcit. Solemus enim in alienis cauſis propenſius vigilare. *Non ſolum autẽ illa, ſed & nos qui receptaculum ſpiritus habemus, noſpſi intra noſmetipſos ingemiſcimus expectãtes redemptionem corporis noſtri.*) Poſt creaturam mũdanam adiecit etiam nos hoc expectare, & ingemiſcere ad deum, vt hinc liberemur cuncti deſtinati ad vitam, quia Chriſtianis mundus hic pelagus eſt. Sicut enim mare aduerſis excitatum procellis inſilit, & tempeſtatem nauigantibus facit: ita & ſeculum perfidorum conſpiratione commotum, perturbat fidelium mẽtes: & tanta diuerſitate agit inimicus, vt quid prius euitandũ ſit ignoretur: nõ enim deficit vnde naſcatur tribulatio Si enĩ poteſtas deſinit eſſe aduerſum nos, priuatorum mentes exagitat. ſi & hi cõpeſcantur, per domeſticos conflat incendiũ. Et ſi hoc ſopitum fuerit, arte ſua inter ipſos germanos facit diſcordiã: vt quatuor angulis pulſata domus, ex aliqua parte faciat ruinam. propter quod vno conſilio fugiendum eſt hinc Chriſtianis. Exemplum enim debent ſequi ſancti Simeonis, qui ſciens bellum hic geri contra perfidiam, in pace dimitti ſe poſtulauit. Hoc eſt, quod ſinguli orantes pro omnibus oramus, vt veniat regnum dei. Tunc enim erit liberatio corporis noſtri, id eſt, omnium Chriſtianorum. In corpore enim omnes ſignificauit, quia ſumus alter alterius mẽbra. Apoſtolus quidem quaſi vir diuinus bene ſentit de nobis, dicens: quia ingemiſcimus vt hinc liberemur, ſicut & ingemiſcebat Simeon. Sed video oblectatione mundi nos teneri. Igitur per hæc quę ſupra dicta ſunt, oſtendit quam vim creatura patiatur noſtri cauſa, quando nos quibus obſequiũ eius proficit, quíque dei ſpiritum adiutorem habemus, ingemiſcimus vt hinc liberemur, vt promiſſa conſequamur præmia. Quãtò magis ergo creatura ingemiſcit, quæ neque adiutorem habet ſpiritum ſanctum, nec in ſua cauſa laborat, addicto hoc, quòd ea quę labore ſuo generat vt alimẽtis ſeruorum dei proficiant, contra fas videt idolis immolari. Vnde plus dolet, & optat citius liberari, ſciens hoc ad iniuriam proficere creatoris.

Spe enim ſaluati ſumus.) Hoc dicit, quia ſperando quod promiſit deus in Chriſto, nobis meritũ fecimus vt liberemur. Ergo in ſpe liberati ſumus, quia non aliud futurum eſt quã credimus. *Spes enim quæ videtur non eſt ſpes.*) Manifeſtum eſt non eſſe ſpẽ quæ videtur, ſed quod non videtur: ac per hoc credentes præmiis afficiendi ſunt: quia quæ non vident, ſperant. *Nam quod videt quis, quid ſperat? Sed ſi quod nõ videmus, ſperamus, per patientiã expectamus.*) Dubium non eſt ea ſperari quæ non videtur: expectantur enim futura. Hæc expectatio patientia eſt, quæ multum meretur à domino: vt de die in diem expectans cupiat venire regnum dei, & non dubitet quia tardat. *Similiter autem & ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtræ orationis.*) Quoniã ſuperius ingemiſcere nos, & precari liberationem memorauit, & in dolore poſiti aut quæ longè futura dicta ſunt, mox fieri volumus, aut citò tolli, per quæ ad meritum peruenimus: & videmur imbecilla oratione precari, dum illi denegatur effectus. Infirma eſt enim, quia contra rationẽ poſtulat: ac per hoc infirmitatem hanc à ſancto ſpiritu dato nobis adiuuari oſtendit. Adiuuat autem, quia quæ aut antè petuntur quàm peti debeant, aut ſunt contraria, non ſinit fieri. *Nã quid oremus ſicut oportet, neſcimus.*) Infirmitatem orationis noſtræ ignorantiam ſignificare declarauit. Fallimur enim putantes prodeſſe quæ poſcimus, cum non proſint. Denique eidem Apoſtolo tertio deprecanti vt tentationes ab eo ceſſarent, quia crebræ erant, dictum à domino eſt: Sufficit tibi gratia mea: nam virt⁹ in infirmitate perficitur, id eſt, ſic meritum quis collocat, dum in tribulationibus patiens inuenitur. Didicit ergo contra ſe eſſe quod petebat. Eſt & aliquando ſuperba & ſtulta petitio, ſicut fuit duorum apoſtolorum Iacobi & Ioannis quibus incongrua & immenſa petentibus dictũ eſt: Neſcitis quid petatis. *Sed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*) Non humanis eloquiis poſtulare pro nobis dicit ſpiritum domini, ſed more naturæ ſuæ. Cum enim quod de deo eſt, deo loquitur: eo more loquatur neceſſe eſt, quo ille loquitur de quo eſt. Nemo enim cum ciue ſuo alia lingua loquitur. Superfundit enim ſe precibus noſtris ſpiritus datus nobis, vt imperitiam & improuidentiam noſtrã motu ſuo operiat, & illa nobis à deo petat quæ proſint nobis. *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundum deum poſtulat pro ſanctis.*) Manifeſtum eſt quia deo cui nihil tacitum eſt & occultum, nota eſt precatio omnium ſpirituum: quantò magis ſpiritus ſancti qui eiuſdẽ vtique ſubſtantię eſt, eloquitur non impulſu aëris, neque vt angeli, aut ſicut cætera ex creaturis, ſed ſicut cõpetit ei⁹ diuinitati. Deo ergo loquitur, cùm nobis tacere videtur, quia & videt cùm nõ videatur, & hæc petit quæ ſcit deo placere, & nobis prodeſſe. Tunc ſanè pro nobis interponit ſe idem ſpiritus, cùm ſcit nos per ignorantiam non per iactantiam contraria poſtulare. *Scimus autem quoniam diligentibus deum omnia procedunt in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.*) Hoc dicit, quia diligẽtes deum etſi imperitè precati fuerint, non illis oberit, quia propoſitum cordis illorum ſciens deus & ignauiam, non illis imputat quæ aduerſa poſtulant, ſed ea annuit quę danda ſunt deum amantibus. Vnde & dominus ait: Scit autem, inquit, pater veſter quid vobis opus ſit, antequam petatis ab eo. Hi ergo ſecundum propoſitum vocantur, quos credẽtes præſciuit deus futuros ſibi idoneos vt antequam crederent, ſcirentur. *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit.*) Iſtos quos præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos

1. Cor. 12.

Matth. 20.

Matth. 6.

elegit ad promissa præmia capessenda: vt hi qui credere vidē
tur, & nō permanēt in fide cœpta, à deo electi negētur: quia A
quos deus elegit, apud se permanent. Est enim qui ad tēpus
eligitur, sicut Saul & Iudas, nō de præscietia, sed de præsen-
ti iustitia. *Consortes fieri imaginis filij sui.*) Hoc dicit, quia ideo
prędestinātur in futurū seculū, vt similes fiāt filio dei, quod
iam supra memoraui. *Vt sit ipse primogenit⁹ in multis fratrib⁹.*)
Rectè primogenitus, qui ante omnem creaturā non factus,
sed natus est, ad cuius exemplum deus homines in filios sibi
adoptare dignatus est. Est & primogenitus in regeneratiōe
Christus. Est & primogenitus ex mortuis, cui⁹ natura ignō-
ratur. Est & primogenitus post victoriā ascendēs in cœlos.
Primogenitus igitur in omnibus frater noster dicitur, quia
homo dignatus est nasci. Dominus verò est, quia deus no-
ster est, sicut dicit propheta Hieremias: Hic est deus noster.

Quos autem prædestinauit, illos & vocauit.) Vocare
est cogitantem de fide adiuuare, aut compun-
gere eum quem sciat audire. *Et quos vocauit, i-
psos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos &
magnificauit.*) Hoc dicit quod suprà, quia quos præsciuit deus B
aptos sibi, hi credentes permanent, quia aliter fieri non po-
test: nisi quos præsciuit deus, ipsos & iustificauit: ac per hoc
& magnificauit illos, vt similes fiāt filio dei. De cęteris quos
non præsciit deus, non est illi cura in hac gratia, quia non
præsciit: ac si credant, aut eligātur ad tempus, quia videntur
boni, ne iustitia contempta videatur, non permanent vt ma-
gnificentur, sicut & Iudas Scarioth, aut illi septuaginta duo,
qui electi post scandalum passi recesserunt à saluatore. *Quid
ergo dicemus ad hæc? Si deus pro nobis, quis contra nos?*) Manife-
stum est quia deo nobis testimonium perhibente: quis est
qui audeat accusare nos, quando ipse qui iudex est, antè
præsciit nos, & idoneos iudicauit? *Qui proprio filio suo non
pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*) Sic securos nos
debere esse fidei causa hortatur, vt deum præscium, ante-
quam ex impiis fideles essemus, filium suum pro nobis mor-
ti tradidisse ostendat. *Quomodo non etiam cum illo omnia no-
bis donauit?*) Deum olim decreuisse dicit remunerandos cre- C
dentes in Christum. Si enim quod maius & præcipuum est
præstitit nobis, vt filium suum verū & charissimum trade-
ret propter nos adhuc impios, quare non quod minus est, fa-
cturus credatur pro nobis credentibus sibi, iam enim parata
sunt credentibus præmia? Minus est enim nobis omnia cum
illo donare, quam illum nostri causa morti tradere. *Quis accu-
sabit aduersus electos dei?*) Neminem audere nec posse iudi-
cium & præscientiam dei in nobis retractare, apertum est.
Quis est enim qui possit hæc quæ deus probat, improbare,
cùm nemo equalis sit deo? *Deus qui iustificat.*) Hoc in Esaia
propheta est, quod hic quasi suum ponit, quia nemo est a-
lius qui quod probat deus, arguat. Aut ne fortè ipse nos de-
us accusēt, sed non potest quos iustificat accusare. *Et quis
erit qui condemnet? Christus, qui mortuus est, imò qui & resurre-
xit, & est in dextera dei, qui etiam interpellat pro nobis?*) Deum,
quia nos iustificat, accusare nos negat: simul & Christum
damnare nos non posse, quia eo affectu diligit nos, vt mo-
reretur pro nobis: & resurgens, semper causas nostras agit D
apud patrem. Cuius postulatio contemni non potest, quia
in dextera dei est. hoc est, in honore quo deus est, vt de deo
patre securi, & Christo filio eius qui iudicaturus est, in fide
eorum lætemur. Hinc illud est quod dicit Petro apostolo:
Ecce expostulauit Satanas vt vos ventilet sicut triticum:
ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Hoc ergo
modo interpellat pro nobis saluator. Sciens enim impu- *Luce. 22.*
dentiam & altitudinem aduersarij nostri, cùm se cōmouet
aduersum nos, si nō ei assentiamus: saluator noster interpel-
lat pro nobis, ne aliquid violenter præsumat circa nos, vt ar-
ceatur insolentia eius. Hac causa tamē dicitur filius interpel-
lare, cùm ipse agat totum, & æqualis sit deo patri: vt quia v-
nus dicitur deus, ne pater & filius singularis vel vnio puta-
retur, ad personarum distinctionem sic loquitur scriptura,
vt & filium non disparem tradat: & patrem, quia pater est,
& quia ab ipso sunt omnia, præferat. *Quis nos separabit à
charitate Christi?*) Hoc est, quis nos auertere poterit à dile-

ctione Christi, qui nobis tam magna & innumera præstitit
beneficia? *Tribulatio.*) Sed non facit, quia dilectionem firmi A
Christiani nulla vincunt tormenta. Amantis enim plus in-
citatur charitas, si eum cuius sensit beneficia prohibeatur a-
mare. Dum enim putāt se immerita eius seminare, † memo- † sęuitia.
rat beneficia. *An angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an
periculum, an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te morte affi-
cimur tota die, æstimati sumus velut oues occisionis: sed in his omni-
bus superamus propter eum qui dilexit nos.*) Hoc scriptum est in
psalmo quadragesimotertio. Manifestum est ergo hæc om-
nia quæ enumerat, exitia, tribulationes, pressuras, & mortē
non posse cōferri vel comparari charitati Christi, quam se-
minauit in nobis. Multò enim maiora eius beneficia habe-
mus, quàm hæc sunt omnia quæ videntur aduersa. Si enim
morimur pro illo, quod grauius videtur in his: & ille mor-
tuus est pro nobis. Sed ille vt prodesset nobis, nostra autem
mors non illi proficit, sed nobis. Temporalem enim vitā † perdi- † rependi-
mus, vt nobis rependatur æterna. Et quid mirum si ser- mus.
ui moriantur pro bono domino, quando dominus mortuus
est pro seruis, & malis? Vincunt ergo beneficia, & exhortā- B
tur animum ad perseuerādum propter eum qui dilexit nos.
Confido enim quia neque mors.) Confidentia hæc de sponsione
Christi est, qua promisit in tribulatione adiuuare sibi dicatā
fidem. *Neque vita, neque angelus, neque virtus, neque altitudo, ne-
que profundum, neque præsentia, neque futura, neque alia creatura
poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino no-
stro.*) Hæc sunt omnia quæ ad abductionem nostrā à diabo-
lo inferuntur, quæ idcirco memorat, vt muniat nos: vt si ad-
uenerint, confidentes de spe & auxiliis Christi, armati fide
aduersus hæc repugnemus. Quid enim si mors illata fuerit?
nónne lucrum est maximū, occasionem inuenire qua citius
eatur in regnum promissum? Neque si præsens vita promis-
sa nobis fuerit dignitate munita, debet nos auertere à spe &
beneficiis Christi, quem scimus, quia non solum in futuro,
sed & in præsenti proderit nobis. Nec quidem si se angelus
nobis ostendat ad seducendos nos, subornatus fallaciis pa-
tris sui diaboli prævalere debebit aduersum nos, cum scia- C
mus Christo vt magni consilij angelo nihil præponendum.
Neq; si virtus ab aliquo facta fuerit, sicut dicitur facta à Si-
mone Mago, qui dicitur in aëre fursum, vt populo Christi
scandalo esset, volasse, fidem nostram debebit minuere, scie-
tium saluatorem nube famulante susceptum ascēdisse super
omnes cœlos. Neque si in altitudinem se nobis ostendat, de
qua dicit idem Apostolus: An ignoratis altitudinem Satanę?
à deuotione nos domini Iesu debebit auferre, quem scimus
descendisse de cœlo, vt terrena spiritalibus sociaret. Neque
si per phantasiam, qua seducere meditatur, profundum no-
bis ostendat* errorem mirandum, qua territi fortè succum- *horrore mi-
bamus illi: nec sic dignum est vt Christo fidem frangamus, randum.
quem scimus nostri causa in profundum terræ descendisse,
& morte victa genus humanum liberasse. Neque si futura
nobis spōdeat, quæ promisit Euæ, assensum dabimus illi, di-
screti à Christo, quem virtute & natura deum credimus &
scimus. Nec si arte & sublimitate astutiæ suæ aliam creaturā
fingat ad horam, sicut finxerunt Iamnes & Mambres palam
Pharaone, cōueniens est vt per hæc à deo creatore vero nos D
reuocet, quem non ignoramus per Christum filium suum
creaturam cōdidisse in æternum existentem. Quibusdam vi-
detur aliam creaturam dixisse de idolis, sed non est verum,
quia hanc debuit significare, quam sub admiratione sedu-
ctionis videretur fingere Satanas. Nam quis seducatur fide-
lium ad hæc, à quibus recessit manifestato errore? Sed hæc
meditatur ac fingit, per quæ etiam electos possit seducere.
Nulla ergo sunt quę nos possint à charitate dei separare, quę
est in Christo Iesu. Deus enim charitatem suam in Christo
nobis ostendit, dum tradidit illum pro nobis.

CAPVT NONVM.

*Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimo-
nium mihi reddente conscientia mea in spiritu san-
cto, quia tristitia est mihi magna, & cōtinuus dolor
cordi meo. Optabam enim ipse ego anathema esse à
Christo pro fratribus meis cognatis secundum car-
nem, qui sunt Israelita.*) Quoniā superius contra Iudæos loqui
videtur,

videtur, qui ex lege iustificari se putant: nūc vt votum suum & affectum circa eos ostendat, teste conscientia sua in Christo Iesu & in spiritu sancto dicit se loqui, vt non velut inimi co illorū fides haberi non possit. Ideo Christum & spiritum sanctum, quos nihil latet, testes dat: & quorū testimonium reprobari non potest, qui sic perhibēt testimonium Apostolo, dum cōmendant eum virtute signorum, quę faciebāt per illum. Quia enim tam magnum præsidium Christi, & præcipuam charitatem erga genus humanum ostēdit & dignatio eius gloriosa, & immortalia præmia repromissa: ac per hoc dolet genus suum quod est secundum carnē, quia incredulitate sua hoc perenni & salutari beneficio se priuarunt. Ergo optabā, ait, non opto: quia scit fieri nō posse vt tam honestū membrum nullo præcedente vitio abscinderetur à corpore Christiano, affectum tamen & dilectionē circa genus suum ostendit. *Quorum adoptio est filiorum.*) Iustè se dolere probat, quando prædicat laudem generis eorum: quia olim filij adoptati affectū & gratiā dei patris irritū habuerūt. Adiecit adhuc, vt & alios dolere pro his faciat, dicens: *Et gloria, & testamenta, & legis constitutio, & obsequium, & promissa, quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in secula. Amen.*) Tanta præconia nobilitatis & dignitatis generis Iudęorum & promissionum enumerat, vt omnibus pro his dolorem incutiat: quia nō recipiēdo saluatorem, prærogatiua patrum & promissionis meritum perdiderunt, peiores gentilibus facti, quos prius quia sine deo erant, abominabantur. Propensius enim malum est dignitatem perdidisse, quàm non habuisse. Interea de saluatore dicit: Qui est super omnia deus benedictꝰ in secula. Amen. Quando enim nulla paterni nominis fit mentio, & de Christo sermo est, non potest differri ne deus dicatur. Frequenter enim scriptura propter vnius dei professionem, si de deo patre loquitur, & deo adiungit filium, deum patrem vocat, & filium dominum. Si quis autem non putat de Christo dictum, qui est deus, det personā de qua dictum est. De patre enim deo hoc loco mentio facta non est. Sed quid mirum si in hoc loco Christum deum super omnia aperta voce loqueretur, de quo alia in epistola hunc sensum tali sermone firmauit, dicens: Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium, & infernorum? Hæc sunt omnia, super quæ deus Christus est. Neq; enim, exceptis his, sunt aliqua, vt non super omnia deus Christus sit: nec potest genu flecti ab omni creatura, nisi deo. Denique Ioānes apostolus insciꝰ cùm angelū vt deum vellet adorare, audit ab eo: Ne feceris: quoniam conseruus tuus sum. deum, inquit, adora. Nec dominus vtique adorari se pateretur, nisi quia deus est. Si quo minus, vsurpasse dicendus est, & peccasse: quod absit: cùm ipse diabolum increpans, dominum deum adorandum, & ipsi soli seruiendū ostendat. Nihil ergo prędicatur deo patri, cùm adoratur Christus vt deus: quia & cùm soli deo seruiendum dicatur, seruitur & Christo. Dicit enim alio loco: Qui in his seruit Christo, placet deo, Quid ergo supereſt, nisi vt pater deus, & filius deus, & nihilominus vnus deus credatur vterque? Siue enim patrē quis adoret, siue filium, vnum deum dicitur adorare: & seruire patri aut filio, vni deo seruitium exhibetur. Nulla igitur discretio est, quia qui adorat filium, adorat & patrē: & qui seruit patri, seruit filio. Et vt sine adulatione deitatis huius cōfessionem esse doceret, in conclusione posuit Amen, hoc est, verum est: vt Christum deum super omnia in veritate ostēderet benedictum in secula.

NOn autem excidit verbum dei.) Non excidit verbum dei dicentis: In Isaac vocabitur tibi semen: id est, hoc euenit, inquit, quod dixit deus futurum, vt non hi dicerentur semen esse Abrahæ, qui filij eius essent secundum carnem: sed isti qui fidem acceperunt, per quam natus est Isaac, reformatam tempore Christi: non iam specialem, sed generalem: vt quod Abrahā credidit de Isaac, isti crederent de deo & Christo, qui natus est dei filius ad salutem humani generis redhibēdam. *Neque omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque quia semē sunt Abrahæ, omnes filij dei: sed in Isaac vocabitur tibi semē.*) Vult intelligi, non iā ideo dignos esse omnes, quia filij sunt Abrahæ, A sed illos esse dignos, qui filij promissionis sunt: id est, quos præsciit deus promissionē suam suscepturos, siue ex Iudæis, siue ex gentibus. Hi enim digni sunt dici Israelitæ, id est, videntes deum, qui credunt. Nam de Isaac vtique omnes hi filij sunt Abrahæ, quia omnis propago generis Iudæorum ex Abraham per Isaac est. Sed quia sicut dixi, hi sunt verè filij Abrahæ, qui promissionem sequūtur, quæ in Isaac facta est, ac per hoc reliqui filij non sunt dicendi Abrahæ. Abraham enim credens Isaac accepit propter fidem, qua credidit deo. In quo mysterium futuræ fidei designatum est, vt illi essent fratres Isaac, qui eandem fidem haberent, in qua Isaac natus est: quia Isaac in typo saluatoris natus est ex promissione: vt qui crediderit Christum Iesum promissum esse Abrahæ, hic sit filius Abrahæ, frater verò Isaac. Dictū est ergo Abrahæ, Quia in semine tuo benedicentur omnes gentes. quod vtique in Isaac factum non est, sed in eo qui in Isaac promissus est Abrahæ, qui est Christus, in quo omnes gentes benedicuntur credētes. Cæteri ergo Iudæi filij sunt carnis, dū promissione priuantur: nec deputari possunt merito Abrahæ, B qui fidem non sequuntur per quam dignus extitit Abrahā. *Id est, non qui filij carnis, hi sunt filij dei: sed qui filij promissionis, æstimantur in semine.*) Dicit filios carnis, & filios dei. Hi enim ex concupiscentia carnis nati sunt, isti verò ex fide spiritaliter, secundum quod promissum est Abrahæ, vt hi æstimarētur semen esse, qui crederent. *Promissionis enim verbum hoc est, Ad hoc tempus veniam, & habebit Sara filium.*) Hoc in Genesi habetur, quod præfiguratum in Christo est, vt futurus Christus promitteretur filius Abrahæ, in quo promissionis verbum impleretur, vt in Christo benedicerentur omnes gentes. Quando enim promissio facta est Abrahæ, & audiuit: Quia in semine tuo benedicentur omnes gentes: Christus vtiq; ille promissus est ex traduce Isaac, in quo hoc impletū videmus. *Non solum autem hæc, id est, Sara, sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac † patrem nostrum.*) Non tantū ergo Sarā in typo dicit generasse Isaac, sed & Rebeccā vxorem Isaac. Sed alia causa est in Isaac, alia in Iacob & Esau: quia Isaac in C figura saluatoris natus est, Iacob verò & Esau duorum populorum habent typum: id est, credentium, & non credentium: vt cùm ex vno sint, diuersi sint tamen. In singulis enim & genus significatur, vt hi vnius generis dicātur, qui in causa fidei vnum sunt, vel perfidiæ. Vnus enim significatur in multis, non per traducem carnis, sed per communē causam: quia & ex Esau Iacob filij dicendi sunt, & ex Iacob Esau imputandi sunt filij. Nec enim quia Iacob laudatur, omnes ex eo nati filij eius merito dicēdi sunt: aut quia Esau displicet, omnes ex eius origine reprobi sunt: cùm videamus & de Iacob traduce natos factos perfidos, & de Esau fideles & deo charos. Nam quia & de Iacob multi sunt perfidi, dubiū non est. Omnes enim Iudæi non credentes aut credentes ex eo habent originem. Et quia de Esau sunt boni & fideles, probat Iob, qui est ex filiis Esau quintus ab Abraham, hoc est, nepos Esau. *Nam cùm nati nondum fuissent, aut aliquid egissent bonum vel malum: vt secundum electionem propositum dei maneret, non ex operibus, sed ex vocāte dictum est: Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*) Hoc in D Malachia habetur, Præscientiam dei flagitat in his causis, quia non aliud potest euenire, quàm nouit deus futurum. sciendo enim quid vnusquisque illorum futurus esset, dixit: Hic erit dignus, qui erit minor: & qui maior, erit indignus. Vnum elegit præscientia, & alterum spreuit. Et in illo quem elegit, propositum dei manet: quia aliud non potest euenire quàm scit & proposuit in illo, vt salute dignus sit. Et in illo quem sprenit, simili modo manet propositū quod proposuit de illo, quia indignus erit. Hoc quasi præscius, nō personarum acceptor. Nam neminem damnat, antequam peccet: & nullum coronat antequam vincat. Hoc pertinet ad causam Iudæorum, qui sibi prærogatiuam defendunt, quod filij sint Abrahæ. Apostolus autem consolatur se, vt quia dixerat dolorem habere se cordis continuum causa incredulitatis eorum, quorum adoptio erat filiorum, & legis constitutio, & ex quibus Christus saluator, sicut & ipse ait: quia salus ex Iudæis est: tractata lege inuenit quia nō omnes

Gen. 26.

Gen. 18.

† *vel, patri nostro, aut patris nostri.*

Malach. 1.

qui ex Israel sunt, credituri sunt: neque quia dicuntur filij Abrahæ, omnes Abrahæ filios dicendos, sicut suprà memoraui. Minuit ergo dolorem suum, inueniēs olim prædictum quòd non omnes essent credituri: vt his solis doleat, qui per inuidiam in incredulitate laborant. Possunt tamen credere quòd ex subiectis aperit. Incredulis tamē prædictis nō valde dolēdū est: quia nō sunt prædestinati ad vitam. Præscientia enim dei olim hos nō saluādos decreuit. Quis enim plangat eum qui olim mortuus habetur? Sed subintrantibus gētibus, quæ sine deo prius erant, & salutem quā illi perdiderūt, accipiētibus, exsuscitatur dolor: sed iterum quia ipsi sibi perditionis causa sunt, sopitur. Præscius itaque deus malę illos voluntatis futuros, nō illos habuit in numero bonorū, quāuis dicat saluator illis septuaginta duob⁹ discipulis quos elegerat secūda classe, qui ab illo postea recesserūt: Nomina
Luc. 10. vestra scripta sunt in cœlo. Sed hoc propter iustitiam, quia hoc est iustum, vt vnicuiq; pro merito respondeatur. Quia enim boni erant, electi sunt ad ministerium, & erant scripta nomina illorum in cœlo propter iustitiā, sicut dixi: secundū præscientiā verò in numero erāt malorum. De iustitia enim deus iudicat, non de præsciētia. Vnde & Moysi dicit: Si quis
Exod. 23. peccauerit ante me, delebo eum de libro meo vitæ. vt secūdum iustitiam iudicis tunc videatur deleri, cū peccat, iuxta præscientiam verò nunquam in libro vitæ fuisse. Hinc & apostolus Ioannes de huiusmodi ait: Ex nobis exierunt, sed
1. Ioan. 2. nō fuerūt ex nobis. si enim fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Non est personarum acceptio in præsciētia dei. Præscientia enim dei est, qua definitum habet qualis vniuscuiusq; futura volūtas erit, in qua mansurus est, per quam aut damnetur, aut coronetur. Deniq; quos scit in bono mansuros, frequenter antè sunt mali: & quos malos scit permansuros, aliquotiens prius sunt boni. Vnde cessat querela, quia deus acceptor personarum nō est. Nam & Saul, & Iuda Scarioth antè fuerunt boni, dicente scriptura de Saul:
1. Reg. 9. Erat vir bonus, & non erat illo melior in filiis Israel. Et de Scarioth dicit Petr⁹ apostolus: Qui sortitus est sortem mi-
Act. 1. nisterij huius, id est, Apostolatus. Quomodo igitur ministerium salutare sortiretur, nisi esset bonus? In sorte enim dei indicium fuit dignum illum fuisse tempore illo quo electus
Matth. 27. est: sicut & illi septuaginta duo, quos suprà memoraui. Hinc est vnde & Iudas post mali totius admissum scelus pœnitentia motus laqueo vitam finiuit. Non potest enim in aliquo omne bonum penitus obliterari, quippe cū natura non possit immutari, sed voluntas: nō in omnibus tamen causis, quia remanet in natura, quod testimonio sit creatori.



Vid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud deum? Absit.) Quia enim vnum diligit, & alterum odit: nūquid, ait, iniquus deus est? Nō planè, sed iust⁹. Scit
Malach. 1. enim quid faciat, & nec retractandum est eius iudiciū. Hoc in Malachia propheta habetur: Iacob dilexi, Esau verò odio habui. Hoc iam de iudicio dicit. Nam prius
Genes. 25. de præsciētia ait: Maior seruiat minori. Sicut & de præsciētia Pharaonē damnandum censuit, sciens non correpturum: Apostolū verò Paulum persequentē elegit, præscius vtique quòd futurus esset bonus. Hunc ergo præuenit ante tēpus, quia necessarius erat: & Pharaonem ante futurum iudicium
Exod. 33. damnauit, vt crederetur iudicaturus. *Moysi enim dicit: Miserebor cui misertus ero: & misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero.*) Ergo miserebor, inquit, eius cui misertus ero: hoc est, eius miserebor, cuius præscius eram quòd misericordiam daturus essem, sciens conuersurum illum, & permansurum apud me. Et misericordiam præstabo ei cui misericordiam præstitero: id est, ei misericordiā dabo, quem præsciui post errorē recto corde reuersurum ad me: hoc est dare illi cui dandum non est, neque nō dare illi cui dandū est: vt eum vocet quē sciat obaudire, illum autē non vocet quē sciat minimè obaudire. Vocare est autem cōpungere ad recipiendam fidem. *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est dei.*) Rectè dicit, quia non in voluntate petentis, sed in dantis arbitrio debet esse quod poscitur. An enim dandum sit, dantis debet iudicio pensari. Nam Saul peccās cùm petisset veniam, non accepit: at contra Dauid peccans, & ignosci sibi veniam postulans, consecutus est. Ex hoc vtique

dantis dei & non dantis iudicium sequendū est, quia non iustè iudicat, qui omnes saluos vult, manente iustitia. Inspector enim cordis scit petentem, an hac mente poscat, vt mereatur accipere. Et quāuis periculosum sit iudicium dei discernere, tamen propter diffidentes, vt mens eorum medelā consequi possit, ne putent iudicium dei iniustum, dicentes: Vnum vocat, & alterū negligit: sic arbitrantes excusari pos- se damnandos, rebus istud potius probemus quàm verbis. Vbi enim rerum gestarum exempla sunt, nemo audet queri, nec aliquā excusationem obtendere. Duo fuerunt, Dauid & Saul. Requiramus historias qualis vnusquisq; eorum repe- riatur post iudicium dei, vt si Saul bene egisse, postquā misericordiam non accepit, probetur: iniustum, quod absit, dei iudicium arbitremur: aut si Dauid accepta misericordia deū cōtempsisse inueniatur: an in eo manserit, in quo misericordiam consecutus est, & vtatur dispēdio. Vterque eorum necessitatem passus est regni. Et quāta fuit necessitas Dauid, vt filius eius vellet eum regno priuare. In qua necessitate flēs, nudo pede iter faciebat, vt fugeret rex & dux populi dei, in- tantum humiliatus, vt & in faciem sibi seruo suo maledicē- ti non responderet, vt per patientiam deum sibi propitium faceret, per quem regnū sibi credidit reseruari. Saul autē nec in tali necessitate inuētus, quia maius malum est intestinum bellum quàm externum, insuper ægrè ferens, quia semel & iterum non sit auditus, cum esset indignus: nec in prece perstitit, vt meritū sibi faceret quòd esset dignus: sed impatiēs, & de dei iudicio indignatus, ab idolis quæ prius velut nullius momēti damnauerat, auxilium requisiuit. Ecce iustum esse iudicium præscientiæ dei, etiam nolētibus manifestum est. *Dicit enim scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipso te seruaui, vt ostendam in te virtutem meā, & vt nuncietur nomen meum in vniuersa terra.*) Alij codices sic habent: Ad hoc te suscitaui, vt ostēdam in te virtutem meā. Siue seruaui, siue suscitaui, vnus est sensus. Hoc enim dicit: quia cùm Pharao (quod nomē regum erat apud Ægyptios, sicut & apud Romanos reges Augusti appellātur) hic ergo Pharao cùm tātis malis esset reus, vt viuere non deberet, nunquā futurus bonus: ne se aut merito viuere, aut deum quem sæpe fallēdum censebat, ad vindictam dandam impotentem putaret, audit à deo: Ad hoc te seruaui, vt ostendam in te virtutem meam, & vt nuncietur nomen meum in vniuersa terra: vt in hoc cæteræ gentes addiscerent non esse alium deum præter hunc qui Iudæorum erat, & factus est Christianorum: quamuis & illi Christiani fuerint, & nos nūc sumus Iudæi propter Iudā, ex quo Christus est secundum carnem: quia Iudæi veteres sperantes futurum Christū redemptorem, Christiani erāt. Nam Rhaab meretrix dicit exploratoribus missis à Iesu Naue, qui prius
Iosue 2. Auxes dicebatur: Auditæ sunt hîc virtutes & plagæ quæ factæ sunt in Ægypto à deo vestro, & conterriti sunt nimis: timent enim à facie vestra. Ad hoc enim seruatus est Pharao, vt multa signa & plagæ ostenderentur in illum, quasi iam mortuū. Suscitatus autem dictus est, quia cùm apud deum mortuus esset, modicū tempus accepit vt viuere videretur: vt esset in cuius pœnam & varia tormentorum genera vsq; ad mortem, omnes qui sine deo erant, metu territi, hunc solum deum esse cum admiratione maxima faterentur, à quo hæ vindictæ sunt. Hoc etiā genere antiqui medici in hominibus morte dignis, vel mortis sententiam cōsecutis, requirebant quo modo prodessent viuis, quæ in homine latebāt: vt apertis his cognoscerent causas ægritudinis, vt pœna morientis proficiat ad salutem viuentis.



Igitur cui vult miseretur: & quem vult indurat. Dicū itaque mihi.) Ex persona contradicentis loquitur, non quasi putet deum neglecta iustitia alicui gratiosum: vt vnum è duobus paribus accipiat, alterū respuat: hoc est, vnum compungat vt credat, alterum induret ne credat. Cui quidem ex authoritate respondit, seruata tamen iustitia ex suprà memorata præscientia dei, dicens: *Quid adhuc queritur? Volūtati enim eius quis resistit?*) Primū dicit quia resisti ei nō potest. Est enim potētissim⁹ vltra omnes. Deinde quia deus omniū est, & parens, & ideo nulli malè vult. Quæ fecit enim, incolumia vult manere. Nec enim cōpetit ei vt iniust⁹ sit,

1853

sit, cuius benevolentia tanta apparet, vt nō solū faceret esse quæ non erant: verum ea ipsa vita æterna donaret & gloria, vt opus eius aliquid maiestatis eius simile haberet. Qui ergo tam prouidus & bonus est, ambigi non debet quia iustus est. *O homo tu quis es qui respondeas deo?*) Magna est, inquit, indignitas & præsumptio, hominem respondere deo in aduersis, iniquum iusto, malū bono, imperitum perfecto, infirmum fortissimo, corruptibilem incorrupto, mortalem immortali, seruum domino, creaturā conditori. *Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic?*) Hoc de Esaia propheta est, quod hic quasi proprium ponit, quo ostendit contra authorem opus eius queri nō posse. In potestate enim authoris est qualem velit condere creaturam. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*) Manifestum est vasa aliqua fieri ad honorem, quæ ad vsus honestos sint necessaria: alia verò ad contumeliam, quæ strumento sint culinarum: vnius tamen esse substantiæ, sed differre voluntate opificis in honore. Ita & deus, cùm omnes ex vna atque eadem massa simus in substantia, & cuncti peccatores, alij misereretur, & alterum despicit non sine iustitia. In figulo enim sola voluntas est, in deo autem voluntas cum iustitia. scit enim cuius debeat misereri, sicut supra memoraui.

Quod si volens deus ostendere iram, & manifestare potentiam suam, in multa sustinuit patientia, in vasis iræ præparatis in interitum.) Ipse sensus est, quia voluntate & longanimitate dei, quæ est patientia, præparantur infideles ad pœnam. Diu enim expectati conuerti noluerunt. Ideo ergo expectati sunt, vt inexcusabiles perirent. Sciuit enim deus hos nō credituros. *Et vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.*) Patientia & longanimitas dei ipsa est quæ sicut malos præparat ad interitum, ita & bonos præparat ad coronam. Boni enim sunt, in quibus spes fidei est. Omnes enim sustinet, sciens exitum singulorum: ac per hoc patientia est quæ illos qui ex malis corriguntur, aut in bono perseuerantes sunt, præparat ad gloriam dei. Diuitię autem glorię sunt, dignitas multiplex præparata credentibus. Eos autem qui ex bonis fiunt mali, & in cœpto malo perdurant, præparat ad perditionem. Hoc est autem manifestare potētiam suam in multa patientia, quia computatur non vindicaturus, quia diu dissimulat: cùm cœperit vindicare, apparebit eius potentia: quia cùm possit statim vindicare, diu sustinuit, vt perfidi queri non possint damnati. Præparare est autem vnūquemque præscire quid futurum est. *Quos & vocauit nos, non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus.*) Hos ergo quos vocauit, præparauit ad gloriam siue eos qui prope erant, siue illos qui longè, sciens permansuros in fide.) *Sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam. Erit eum in loco vbi vocabuntur non plebs mea ibi vocabuntur filij dei viui.*) Apertum est istud de gentibus esse prædictū, quæ prius non erant plebs dei: postea autem ad opprobrium Iudæorum, misericordiam accipientes, vocatæ sunt plebs dei: & qui dilecti antè non erant, abdicatis Iudæis adoptati in filios, & dilecti sunt: vt in loco vbi non vocabantur plebs dei, ibi vocarentur filij dei viui. Prius enim nusquam vocabantur filij dei, nisi in Iudæa, hoc est, Hierosolymis, vbi domus dei erat, sicut dicit in psalmo sexagesimoquinto: Notus in Iudæa deus. Postea autem in propheta Zacharia, Ponam, inquit, Hierusalem in omnibus gentibus. quia vbique futuri erant filij dei, & domus dei in omnibus locis, quæ est ecclesia. Hinc dominus ait Iudæis, Quia tolletur à vobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructum eus.

Esaias autem clamat pro Israel.) Hoc dicit, quia Esaias clamat pro iis qui credunt in Christum. Hi enim verè sunt Israelitæ, sicut dicit dominus ad Nathanael: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. *Si fuerit numerus filiorū Israël tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient.*) Recedētibus Iudæis à merito & promissione patrum, dū illa nō recipiūt: hi reliquię sunt, qui credēdo in fide promissionis patribus factæ, sunt fideles effecti. A lege enim recedunt, qui in eum quē lex solū ad salutē sufficere promisit, non credūt. Igitur apostatæ habeantur necesse est, qui dum Christum non recipiunt, rei sunt violatæ legis. De maxima itaque multitudine solos credentes dicit saluari, quos præsciit deus. *Verbum enim consummās & breuians in æquitate, quia verbum breuiatum faciet dominus super terram.*) Saluari hos promittit, quos reliquos dicit per verbum, quod iustè definiens, breuiauit dominus super terram. Conuenit enim vt in solo nomine domini conditoris consequatur salutem creatura, hoc est per fidem quia sublatis omnibus neomeniis, & sabbato, & circuncisione, & lege escarum, & oblationibus pecorum, sola fides posita est ad salutem, quæ abbreuiata ex lege est: quia quod in fide est, in lege habetur quasi principale legis, dicēte saluatore: De me enim scripsit Moyses. Abbreuiata ergo lege reliqui Iudæorum saluantur. Cęteri verò saluari non possunt, quia per definitionem dei spernuntur, per quam genus humanum saluandum decreuit. *Et sicut prædixit Esaias: Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus, & sicut Gomorra similes fuissemus.*) Hoc semen, quod de omnibus solum relictum & reseruatum est ad reformationem generis humani, Christus est, & doctrina eius, sicut & ipse dicit: Semen est verbum dei. Hoc ergo nobis olim promissum, sublatis quæ oneri erat legis, reliquit ad redemptionē, vt data remissione peccatorū non periremus à lege, sicut periit Sodoma. Saluatorem ergo relictum nobis dicit ad suffragium vitæ, quam lex præuidere non potuit, quem ab initio deus nasci decreuit: qui propterea quod solus sine peccato inueniretur, deuicto humani generis hoste, omnium peccata deleret. Hoc & in Apocalypsi Ioannis habetur: Quia nemo, ait, dignus inuentus est, siue in cœlo, siue in terra, qui aperiret librum & signacula eius, nisi saluator qui vicit mortem. Hoc ergo est semen quod olim promissum reseruauit deus, vt tunc fructificaret, quando omnium tam Iudæorum quàm gentilium peccata repleta erant. Fructus autem eius est indulgentia peccatorum. Nisi enim Christus fuisset reseruatus, quem idcirco semen dicit, quia per ipsum reparatum est genus humanum, interisset progenies Abrahæ, eò quòd peccatis obruti erāt, & lex eis prodesse non potuit. Idcirco hunc sequendum docet, qui præsidium contulit vitæ.

Quid ergo dicemus? Quod gentes quæ non sectabantur iustitiam, comprehenderunt iustitiam: iustitiam autem quæ ex fide est.) Quoniam iustitia est ex lege, quæ credita mundo est, quæ prohibet peccare: idcirco gentes non hanc iustitiam dicit comprehendisse, quæ natura magistra dinoscitur, sed eam iustitiam quæ ex fide est Christi. Deo enim hæc vera iustitia est & permanens, si ipse agnoscatur. Quid enim est tam iustum, quàm cognoscere deum patrem, ex quo sunt omnia: & Christum filium eius, per quem sunt omnia? Prima ergo hæc iustitia est agnoscere creatorem, deinde custodire quæ præcepit. Gentes ergo quæ prius non requirebant iustitiam, id est, legem, quæ creatori testimonium perhibebat, venientes inuenerunt iustitiam superabundantem plus quàm scribarum & pharisæorum. Qui enim tunc quod minus est non sectabantur, comprehenderunt postea quod maius est: Iudæi autem in lege positi, qui proficere magis debuerant, deterioraverunt. *Nam Israël sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.*) Perfectio legis fides est, quam gentes apprehendentes, totā legem implere videntur. Iudæi autem dum per inuidiam saluatori non credunt, iustitiam quæ in lege mandata est vindicantes, id est sabbatum, circuncisionem, & cætera: in legem non peruenerunt, hoc est, legem non perfecerunt: & qui non perficiunt legem, rei sunt iuxta legem. Hic enim implet legem, qui à lege Moysi peruenit ad fidem Christi. *Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.*) Spernentes enim fidem, quæ, sicut dixi, perfectio legis est, ex operibus legis iustificari se dicebant, id est, per sabbatum, neomenias, circuncisionem, &c. immemores scripturæ dicentis quia iustus ex fide viuit. Iustitia autem legis idcirco dicitur, quia iusto iudicio dei hæc Iudæis data sunt propter duritiam cordis illorum: vt si mustelam fortè quis mortuam calcasset,

Ioan. 5.

Esaiæ. 1.

Luca. 8.

Apoc. 5.

set,aut tetigisset aliqua morticina,aut si sorex in vas ruisset, immũdum diceretur:quod magna cum solicitudine obseruantes,ex quacunque causa incurrebant vt immundi essent. Si autem sanguis mustelæ pauimentum maculasset, non leui cura expiandum erat, & vt à cibis melioribus abstineretur. Sabbatum verò & circuncisio propriam habuerunt iustitiam tempore suo,quia in figura data sunt. Hoc dominus
Exech.20. per Ezechiel prophetam ostendit,inter cætera dicens : Propterea dedi illis præcepta non bona:quia erant irreuerentes & infideles. In aduentu autem Christi, qui salutare donum
Hiere.31. erat daturus, per Hieremiam prædicat dicens:Dabo illis testamentum nouum,non quale dedi patribus illorum. Hoc testamentum legem vocat,in quam non peruenerunt, sicut supra memorauí.Nam cùm gentibus quæ crediderant,hanc
Act.15. sarcinam obseruationis Iudæi credentes vellent imponere, tunc apostolus Petrus ait:Quid imponitis iugum supra ceruicem fratrum, quod neque nos,neque patres nostri portare potuerunt? A tempore enim Christi indulgentia data est promissa in lege.Ait enim Esaias propheta : Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem ab Iacob,& hoc illis à me testamentum,cum abstulero peccata eorum:hoc est nouum testamentum promissum à deo in Christo. *Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis,& petram scandali: & qui crediderit in illum,non confundetur.*) Hoc in Esaia habetur.Multorum relatione compertum est, in petra vel lapide Christum esse significatum.
Esa.8.& 28. 1.Petr.2. Daniel.2. Daniel enim propheta lapidem hunc dicit, qui abscissus à monte sine manibus percussit & comminuit omnia regna, & repleuit omnem terram:quod euidẽter de Christo dictũ est. Et in lege petra de qua fluxerunt aquæ, Christus est appellatus. Petra autem,inquit,erat Christus. Et Petrus apo-
Actor.4. stolus inter cætera ad Iudæos ait:Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus. Offensio ergo posita in Sion, Christus est. Sion verò altitudo est,siue ciuitas ipsa Hierusalem, quæ propter notitiam dei nõ immeritò excelsa dicta est,in qua saluator à deo patre suo positus prædicator,offensio factus est Iudæis , dum se filium dei prædicat , natus de spiritu sancto ex muliere.Per corpus autem eius scandalum passi sunt,& dicebãt:Nónne mater & fratres eius apud nos
Ioan. 6. sunt?Quomodo ergo hic dicit,Quia de cœlo descendi? Nolebãt enim verba gestis comparare, vt perinde agnoscerent non absurdum esse quòd dicebat de cœlo se descẽdisse,quasi corpus operaretur,& non deus latens, operibus tamen se prodens in corpore.Petra ergo hæc scandalum est Iudæis & offensio , quæ petra sine dubio caro intelligitur saluatoris. Hæc excisa sine manibus propterea,quia sine viro de spiritu sancto facta de virgine est.

CAPVT DECIMVM.

FRatres voluntas quidem cordis mei,& obsecratio fit ad deum pro illis in salutem. Testimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem dei habent,sed non secundum agnitionem.) Quoniã à lege vult eos auferre credentes,quia velamen est Iudæis,ne hoc odio Iudaïsmi facere videretur : ostendit affectum suum circa illos,& legi dat multum , sed docet tempus iam seruandæ legis non esse : ac per hoc prouidere se illis velle testatur , si modo audiant illum , ac probent suum non esse inimicum, quando & testimonium perhibet illis nobilitatis & traditionis paternæ. *Ignorantes enim dei iustitiam, & suam quærentes constituere,iustitiæ dei non sunt subiecti.*) Per ignorantiam dicit non illos credidisse in Christum:æmulationem quidem dei habentes,sed voluntatem & consilium eius nescientes:contra deum agebant, quem se defendere testabantur. De iis dicit, qui non maleuolentia & inuidia, sed errore Christum non receperũt. Quibus & Petrus apostolus dicit:Scio fratres quia per
Actor.3. ignorantiam gessistis hoc malum , sicut & principes vestri. Ignorantes enim hunc esse Christũ, quem promiserat deus, alterum expectandum dicebant. Huic iustitias suas quas ex lege habebant anteponentes,qui est dei iustitia in fide. Iustitia enim ipse est , quia quod promiserat deus, in ipso impleuit. *Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.*) Hoc dicit quia perfectionem legis habet,qui credit in Christum. Cum enim nullus iustificaretur ex lege , quia nemo implebat legem nisi qui speraret in promisso Christo, fides posita est quæ crederet perfectionem legis,vt omnibus pretermissis fides satisfaceret pro tota lege & prophetis.

MOyses enim scripsit iustitiam quæ ex lege est : quia qui fecerit homo ea, viuet in eis.) Hoc dicit,quia iustitia legis Moysi reos illos non faciebat ad tempus,si seruaretur:id est,viuebant faciendo legẽ. debitores enim erant.Hoc dictum est in Numeris,& in Leuitico. *Que autem ex fide est iustitia , sic dicit , Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendit in cœlum?*) Hoc in Deuteronomio dictum est,quod hic interpretatur in Christo,dicens?Hoc est Christum deducere. Aut quis descendit in abyssum:id est,Christum ex mortuis reducere.) Hoc proprium apostoli est. Itaque iustitiam hãc dicit esse fidei,si non dubitetur de spe dei quæ in Christo est,ne diffidens dicat:Quis potuit ascendere in cœlũ?quia ideo passus est,vt expoliatis inferis virtute patris,deuicta morte resurgens, cum animabus ereptis in cœlum ascenderet.Omnis enim quicũque viso saluatore apud inferos sperauit de illo salutem, liberatus est,Petro apostolo hoc testante. Dicit enim,quia & mortuis prædicatus est. Qui de his ergo in corde suo non dubitat, iustificatus est ex fide.Ex lege autem iustificari timor facit.Timet enim legẽ, quia videt illam pœnam inferre peccantibus. Ideo non magna iustitia legis est, nec meritum collocat apud deũ, sed ad præsens : fides autem quia incredulis iustitia est,mercedem habet apud deum , de quo quod non videtur speratur. *Sed quid dicit scriptura ? Prope est verbum in ore tuo , & in corde tuo.* Hoc scriptum est in Deuteronomio , quia non est longè ab animo nostro vel ore, quod nobis dicitur vt credamus. Quamuis enim oculis non videatur,à natura tamen animorum & loquendi ratione non discordat,quod credimus. In ipsa enim natura inserta sunt velut semina , quæ auditu & voluntate exculta fructificant testimonium creatoris . *Hoc est verbum fidei , quod prædicamus.*) Nullum opus dicit legis, sed solam fidem dandam in causa Christi . *Quia si confitearis in ore tuo Christum dominum Iesum , & credideris in corde tuo quòd Deus illum excitauit à mortuis , saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam , ore autem confessio fit ad salutem .*) Quæque superius locutus est, hîc illam manifestauit, hanc esse regulam fidei,credere dominum esse Iesum,& non erubescere profiteri quia deus illum ex mortuis reducens , deduxit illum in cœlum cum corpore : vnde venerat incarnandus:ne incurrat sententiam euãgelicam dicentem:Multi,inquit,ex principibus crediderũt in Iesum,sed palam non profitebantur , propter Iudęos . Maluerunt enim gloriam hominum magis , quàm gloriam dei. *Dicit enim scriptura per Esaiam: Omnis qui credit in illum, non confundetur.*) Cùm enim examen cœperit fieri omnium rerum in die iudicij , & omnia falsa commenta vel dogmata in confusionem deduci, tunc in Christum credentes tripudiabunt videntes omnibus manifestari, quia quod crediderunt, verum est: & prudens , quod putabatur stultum . Aspicient enim inter cæteros se solos glorioſos & prudentes, qui estimati fuerant cõtemptibiles & stulti. Illic est enim vera probatio,vbi remuneratio & condemnatio. *Non est enim distinctio Iudæi & Græci.*) Generaliter omnes aut confundi propter diffidentiam dicit , aut sublimari causſa credulitatis : quia sine Christo apud deum nulla salus est , imò pœna est , aut mors . Nec enim Iudæos commendare poterit prærogatiua patrum , aut legislatio, qui meritum & promissionem patrum non receperunt.Gentes autem nullum habent testimonium quo vel secundum carnem commendentur nisi credant in Christum . *Nam idem dominus omnium , diues in omnibus qui inuocant illum.* Manifestum est ad omnes hoc pertinere, siue Iudæos,siue Græcos:quia sine inuocatione domini Christi nemo viuit apud deum. Cùm ergo omnium dominus sit consentiente Petro apostolo,& dicente: Hic est, inquit,omniũ dominus:diues tamen non est nisi in iis qui inuocant illum, quia ipsi accipient remunerationem . Perfidis verò non est diues,

Leuit ca. Deut.30. Ibidem. Deut.30. Ioan.12. Esa.28.

1857

diues, quia participes non sunt bonorum eius. Neque enim accipient quod daturum illum non crediderunt: & tamen non dixit deum diuitem credentibus, sed inuocantibus illum: vt postquam credidit, non desinat animus id postulare, quod à deo semper doctus est postulandum: quia in Euangelio Lucæ dicit propter aduersarium, quia subtilis & versutus est, semper orandum esse. Credentibus autem sola datur remissio peccatorum. Sequitur autem vt precibus deditus, liberetur à malo, & possit consequi quod promisit deus toto corde vigilantibus. *Omnis enim quicunque inuocauerit nomen domini, saluus erit.*) In Michæa dictum est. Ipse deus qui visus est Moysi, dicit: Nomen mihi deus est. Hic est filius dei, qui ideo & angelus & deus esse dictus est, vt non ipse esse à quo sunt omnia, putaretur, sed hic esse per quem sunt omnia, vt ad id pertineat, quia deus dictus est, quod vnum sint pater & filius. Angelus autem ad hoc, quia nuncius promissæ salutis est missus à patre: & missus ideo dicitur, vt non ipse pater esse credatur, sed ab eo genitus. ideoque quicunque inuocauerit nomen domini, saluus erit. Hoc sensa & Moyses locutus est: Quicunque, ait, non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Si ipse est omnium dominus, ipse inuocatur à seruis. Et quia verus est, adiecit:

Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?) Certè Christo non credunt Iudæi ipsi quem dixit dominum. Hoc sequitur quod suprà dixi, quia prius credendum est, vt sit fiducia postulādi. *Aut quomodo credent ei quem non audierunt?*) Apertum est non posse credi illi cui obedientia denegatur. *Quomodo autem audient sine prædicante?*) Nec hoc obscurum est, quia qui prædicanti restitit, authorem eius non recipit. *Aut quomodo prædicabunt, nisi mittantur?*) Neque istud recipit quæstionem, quia non erunt veri apostoli, nisi à Christo mittantur, nec poterunt prædicare sine authore. nulla enim his signa virtutum perhibent testimonium. *Sicut scriptum est: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.*) Hoc propheta dicit Naum. Pedes dicendo, aduentum significat apostolorum circumeuntium mundum, & regnum dei aduentare prædicantium. Aduentus enim ipsorum illuminabat homines, viam ostendens qua itur in pace ad deum, quam primum Ioannes Baptista venerat præparare. Hæc pax est, ad quam festinant credentes in Christum. Denique sanctus Simeon, quia in mundo discordia erat, lætus in ortu saluatoris: Nunc, ait, domine dimittis seruum tuum in pace. quia regnum dei pax est. Omni enim amputata discordia, omnes vni deo genu flectunt. Denique Hierusalem superior ciuitas pacis interpretatur, quæ est mater nostra. *Sed non omnes obediunt Euangelio.*) Verum est, quia quamuis illustretur mundus splendore disciplinæ dominicæ: sunt tamen qui repugnent, qui lumen tenebras vocant. Horum enim sic errore acies obtusa est mentis, vt nec veri luminis recipiant splendorem. Quos accusat Euangelium, dicens: Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *Esaias autem dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?*) Hoc est, quis credidit quæ audiuimus abs te, & loquimur? Firmauit Iudæos esse prophetico exemplo contradictores Euangelicæ veritatis. Lex enim Iudæos increpat, quia sicut fuit apud veteres, ita & nunc est. Hunc enim numerum non tangit, qui fidem non recipit. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*) Manifestum est quia nisi dicatur aliquid, nec audiri potest, nec credi. *Sed dico: Nunquid non audierunt?*) Hoc est, audierunt, & credere noluerunt. Quamuis enim fides ex auditu sit, sunt tamen qui audientes non credunt. Audiunt enim, & non intelligunt, quia maleuolentia obcæcatum est cor illorum. *In omnem terram exiit sonus eorum, & vsque ad fines orbis terræ verba illorum.*) Vsqueadeo prædicationem dei à Iudæis auditam esse testatur, vt etiam impletum orbem diuina annunciatione pronunciet. Ipsa enim fabrica mundi prædicat creatorem. Quod enim Psalmographus de creatura dixit, hoc Apostolus de Euangelistis. Quia vbique audita est, & peruenit in omnem locum prædicatio nominis Christi. Vbi enim præsentia hominis prædicantis defuit, sonus tamen & fama peruenit, sicut peruenerat opinio factarum virtutum in Ægypto ad omnes gentes, teste Rhaab meretrice. Si enim in omnem locum peruenit, non potuerunt non audire Iudæi apostolicā prædicationem, vt nemo ex his excusatus sit à crimine diffidentiæ. *Sed dico: Nunquid Israël non cognouit?*) Hoc est, cognouit: ne quia per supradicta testimonia genus Israel incredulitatis caussa arguit, cùm dolore de omnibus Israelitis quæri videretur, non negat Israel cognouisse & assecutum esse quod illi promissum fuerat in lege: sed eum qui spiritu magis Israel est quàm carne quem & deus præscierat crediturum. Omnes enim audierunt, & non omnes crediderunt. *Ideo primus Moyses dicit:*) In cantico Deuteronomij: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam.*) Indignantis verba sunt, propter quod semper diffidentes inuenti sunt Iudæi, & omnibus malis vnam assignat generationem & caussam. dum præsentes increpat ibidem, tangit magis futuros, ad quos hoc pertinet. Omnium enim horum vna damnatio est, si permanēt in diffidentia. Æmulatio ergo illis data est inuidentiæ, dum vident gentem, quæ prius, quia sine deo fuit, & sensu bruta erat, deum suum appellare, qui fuerat Iudæorum, & donum illis promissum assecutam, per quam zelum passi iracundia distenderentur, vt malitiæ & incredulitatis suæ mercedes exoluerent. Nulla enim res sic consumit hominem nisi zelus: quem ideo deus vltorem posuit incredulitatis, quia graue peccatū est. Nam semper in ira missi excruciantur, quando audiunt legem & prophetas ad nos pertinere, qui in Christū credimus. *Esaias audet, & dicit. Palam factus sum non quærentibus me, & inuentus sum inter eos qui me non interrogabant.*) Quoniam supra verbis Moysi vsus est de exclusione Iudæorum, ad hoc quoque Esaiæ prophetæ exemplum subdidit, vt de eius persecutione apertius doceret deum expulsis Iudæis, vltrò gentibus gratiam obtulisse ad opprobrium & necem Iudæorum. Hæc enim Esaias propheta ex persona Christi testatur. *Ad Israël autem quid dicit? Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.*) Hic Israel carnalis est, hoc est, Abrahæ filij, sed non secundum fidem. Nam Israel verus & spiritalis est, qui credendo videt deum. Tota die, semper significat. Semper enim correcti sunt. propterea increpantur non crediturī, vt sciant quia ipsi sibi caussa sunt perditionis. Potest hoc & de saluatore accipi, qui in cruce extensis manibus, interficientium se peccatum arguit. Caussa enim illa clamat sceleratum facinus Iudæorum: superius quòd ausus sit dicere Esaias de iis qui deo fuerant inimici, ostendit hos amicos futuros: & eos qui Israelitæ dicebātur, propter quod inobedientes erant, vt inimicos abiiciendos.

Deut. 32.

Esaiæ. 65.

CAPVT VNDECIMVM.

Dico igitur, Nunquid repulit deus hæreditatē suam? Absit.) Quia populum Israel incredulum ostendit, nunc ne omnem Israel dixisse diffidentem putaretur, ostendit non repulisse deum hæreditatem suam, quam præsciit: id est filios Abrahæ, quos fideles sibi futuros scit. Nec enim promitteret eis regnum, si sciret nullum ex his crediturum. Hæreditas ergo domini iuxta legem filij sunt Abrahæ, sed credentes. *Nam & ego Israëlita sum ex semine Abrahæ, de tribu Beniamin.*) Exemplo suo docet partem Israel saluatam, quam præsciit deus saluandam, aut adhuc posse saluari: & partem Israel propter iugem diffidentiam perditioni deputatam. *Non repulit deus plebem suam, quam præsciit.*) Hoc est quod dicit saluator: Pater, quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex his periit, nisi filius perditionis. Ita & hi quos præsciit deus credituros, nemo ex his à promissione repulsus est quia sic factum est, sicut præsciit deus futurum. *An nescitis in Helia quid dicit scriptura, quomodo postulat deum contra Israel: Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua effoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam? Sed quid dicit illi responsum diuinum? Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerūt genua ante Baal.*) Aperta sunt hæc. Ostendit enim non solum Heliam remansisse qui deuotus deo

Ioan. 17.

3. Reg. 19.

non

non adorauerit idola:sed & multos qui in fide dei permanserunt,sicut & ex Iudęis non pauci crediderunt.Huic rei historia cōgruit, quia multi per speluncas occultati sunt propter Achab regē Samariæ,& Iezabel vxorem eius,qui pseudoprophetis credentes,dei prophetas persequebātur,& populum ad idololatriam hortabantur. *Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ secundū electionem gratiæ saluæ factæ sunt.*) Hoc est, ita,inquit, & nunc hi remanserunt in legis promissione, recedentibus multis quos antè præsciit deus.Qui enim susceperunt Christū quasi in lege promissum,ij in lege steterunt: qui enim non illum receperunt,à lege recesserunt.Ideo credentes reliqui dicuntur,hoc est,remanentes in lege.*Si autem gratia,iam non ex operibus.*) Manifestum est quia gratia donū dei est,non debita merces operibus,sed gratuita ratione,misericordia interueniente,concessa.*Alioquin gratia iam non est gratia.*) Verum est,quia si merces est,non est gratia.Sed quia merces non est,sine dubio gratia est:quia veniam dare peccantibus non est aliud quàm gratia, iis qui non requirunt, sed offertur illis vt credant.Duplex ergo gratia est,quia hoc competit deo,qui abundat misericordia,vt & requirat quos gratis curet.

A

Quid ergo? Quod quærebat Israel,hoc non est assecutus: electio autem consecuta est.) Israëlitæ ij carnales sunt, qui ex operibus legis iustificari se putantes, non adepti sunt vt iusti essent per fidem apud deum.

Deut.27. Præterea cum omnes rei sint per legem, quia maledictus omnis qui non permāserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis,vt faciat ea.Qui autem per fidem iustificari se crediderunt, cōsecuti sunt electionem,vt iustificati filij dei fierent, memores scripturæ dicentis, Quia iustus ex fide viuit,

Abacuc 2. id est,non ex lege. *Cæteri verò excæcati sunt,sicut scriptum est.*)

Esaiæ 6. Hoc subiectum in Esaia legitur: *Dedit illis deus spiritum compunctionis,oculos vt non videant,& aures vt non audiant,vsque in*

Matth.13. Ioan.12. Act.28. *hodiernum diem.Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum in laqueum,&*

Psalm.68. *in captionem,& in scandalum,& in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum vt non videāt,& dorsum illorum semper incurua.*)

2.Reg 13. Ideo mēsam maledicit malorum, quia illic decipi solent innocentes. Dolo enim vocantur ad conuiuium,vt perimantur:sic enim Amon filius Dauid deceptus est à fratre suo Abessalon, & malignus Olofernes per epulū sanctam Iudith putauit se posse decipere, & in mensa scelerati Herodis sæuierunt maligni in caput Ioannis prophetæ.Vnus sensus est

Marc 6. duorum prophetarum de huiusmodi hominibus,qui ab initio infidi & repugnantes inuenti sunt hostes bonorum.Sed aliqui illorum emēdati sunt & correcti,licet tardè: quidam verò in pertinacia manentes,seueritatem sentētiæ non euaserunt,in perpetuum curuati, hoc est excæcati,ne de cætero possint veritatis viam aspicere,quam maleuolentia aspernati fuerant,declinantes ab ea,& ad salutis gratiam peruenire. Qui enim cùm intellexisset,credere noluit:id debet cōsequi quod vult,ne de cætero possit fidem recipere,& saluari,quā sciens prudēnsque abnuit.Exempla igitur prophetarum supradicta duplicē continent sensum:duobus enim modis decreta sunt,& scripta.Duo etenim genera hominum hic continentur:vnum est quod maleuolentiæ suæ causa excæcatur in sempiternum,ne saluetur.Sunt etenim pessimæ voluntatis,vsque adeò vt intelligentes dicāt se nescire quod audiūt.

Ioan.10. Denique dicebant de saluatore:Quid est quod dicit? Nescimus quid loquitur. Quid eum auditis?Dęmonium habet,& insanit. Alia autem pars quæ verè Israel est,cōtradicebat illis:Hæc verba non sunt dæmonium habentis.Nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?Dum inuident ergo saluatori, nolebant videri intelligere quæ audiebant: vt dum à legisperitis & Pharisæis non intelligi videtur,res absurdas, & quæ extra legem essent,loqui putaretur: quæ res

Luc.11. etiam alios à fide posset auertere.Vnde audiunt à saluatore: Vos habetis clauem scientiæ,& neque vos intratis,neque alios sinitis introire.Quis enim nō leuium,sed paulò grauiorum, legisperitorum & Pharisæorum consilium & sententiam non sequeretur,& qui videretur legis defensores? Denique iis qui verè Israëlitæ sunt, dixerunt:Nunquid aliquis

Ioan 7. ex principibus credidit in illū? vt inde iustè viderentur non

1860

credidisse,si multos conspirationis suæ socios fecissent:quia quod à paucis defenditur,solet non probatum videri. Ideo excæcati sunt,ne decætero possint credere,& saluari. Inuoluntate ergo sua adiuti sunt,vt quoniam scientes verum,dicebant esse falsum:decætero non intelligerent quod est verum,vt verum haberent,sed falsum,quod volebāt.Alterum genus est, quòd cùm iustitias legis sectatur, iustitiā Christi non recipit: ex quo iam non per inuidiam malæ voluntatis hoc agit,sed errore:æmulādo enim traditionem patrum cæcātur ad tempus:quia cùm deberent ex magnalibus Christi addiscere hūc non posse fallere, cuius tam magnifica virtus in rebus gestis appareret,& prædicationem eius testamento nouo promisso per prophetas comparare,& exinde profiteri hunc esse qui promissus est: negligentes contra deum,& hominibus assentientes inuenti sunt.Propterea ergo cæcantur,vt admiscentibus ad promissionem eorum, ipsa æmulatione,dum inuident gentibus,reuertantur ad fidem Christi.

B

Dico ergo: Nunquid sic offenderunt,vt caderent? Absit.) Hoc dicit quod suprà memorani, quia non sic offenderunt, vt nunquam iam crederent, id est, non ita propter † improbitatem suam cæcati sunt, vt curari non possent:sicut & diabolum legimus cecidisse,dicente Esaia propheta:Quomodo cecidit de cœlo lucifer?casum apostatam significauit.Non ergo hos sic offendisse dicit vt caderent,sed offensionis suæ causa ad tēpus obtusos. *Sed illorum delicto salus gentibus,vt illos æmulentur.*) Hoc est quod dixit, quia propter peccatum illorum gentibus salus data est.Quia enim donum dei recusauerunt Iudæi,trāslatum est hoc ad gentes, vt æmulatione zeli accensi Iudæi conuerterentur ad Christum,zelantes promissionem patrū. *Quòd si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium: quantò magis plenitudo illorum?*) Manifestum est quia si delictum illorum profuit mundo,dum horum dispendio plures habet bonos, quia multò plures sunt gentes quàm Iudæi: & diminutio eorum, quod est damnum promissionis, diuitiæ gentium, per id quod lucrati sunt vitam æternam,quantò magis plenitudo eorum?Apertum est quia magis diues erit mundus hominibus bonis, si & ij qui excæcati sunt,conuertantur. Ex magna enim parte saluabitur mundus.Mundo homines significantur,sicut dictum est de saluatore:Ecce totus mundus abiit post illum.

† incredulitatem.

Esa.14.

C

Ioan.12.

Vobis enim dico gētibus,quamdiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum glorificabo, si quo modo æmuler carnem meam, vt saluos faciam aliquos ex illis.) Ostēdit gentibus quo affectu diligat Iudæos. Nam ministerium suum,quo apostolus gentium est, honorificat, si propter affectum generis sui data opera etiā Iudæos acquirat ad fidem. Honorificentior enim fiet, si & illos,ad quos non missus est,lucretur ad vitam. Patribus enim in laude maxima erit,si fratres inuenerint qui perierāt.

D

Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ est assumptio,nisi vita ex mortuis?) Hoc dicit, quia si non credentibus Iudæis gentes reconciliatæ sunt deo, ad incrementum mundi circa fidem Christi,quæ erit in hac parte,& quanta plenitudo salutis si assumātur & Iudæi ad fidem Christi, nisi vt ex mortuis viuificetur mūdus in hominibus? Quia ergo profectus est,dandam dicit operam vt credant,quoniam cæcitatis obtusio tempore compensati delicti aufertur, vt volūtatis suæ recipiant liberum arbitrium. *Quòd si delibatio sancta est, & massa.*) Manifestum est quia quod vnius substantiæ est,vnū est:ac per hoc non potest delibatio sancta esse,& massa immunda. Delibatio enim de massa est.Ideoque ostendit non posse indignos dici ad fidem,hos quorum iam patres adepti sunt fidem: quia si pars Iudæorum credidit, cur non & alia pars posse credere dicatur? *Et si radix sancta,& rami.*) Immutatis verbis eadem repetit, vt sensum commendet duobus exemplis. *Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt.*) Id est,si aliqui nō crediderunt ex eis,excisi à promissione. *Tu autem cùm esses oleaster, insertus es in illos,& socius factus es radicis oleæ.*) Hoc significat, quia non credentibus multis Iudæis, gentes insitæ sunt

sunt per fidem in spem promissionis, vt dolori esset Iudæis. Sed non iuxta legem agriculturæ, quia bonum surculum inserunt in non bonam arborem. Hi enim cùm essent in radice mala, inserti sunt in bonam arborem. Ideo oleastrum dicit insertum, vt fructum surculus radicis afferat socius eius effectus. *Noli gloriari aduersus ramos.*) Hoc est, noli gaudere in incredulitate illorum. Displicet enim deo si quis exultet in malis alterius, sicut dicit Salomon. Nec enim causa gẽtium abiecti sunt, vt gaudeant: sed quia non crediderunt, occasionem dederunt vt prædicaretur gentibus. *Quòd si tu gloriaris: non tu radicem portas, sed radix te.*) Id est, si te extuleris super illos, in quorum insertus radicem es, insultes generi quod te vt ex malo bonus esses suscepit: nec stabis si illud per quod stas destruis. *Dicis itaque, fracti sunt rami, vt ego inserer.*) Ex persona gentilis credentis loquitur, qui exultandum putat in casu Iudæorum diffidentium, dicens: illorum reprobatio locum fecit gentilibus. Sed non sunt reprobati à deo vt gentes intrarent, sed seipsos reprobos fecerunt spernentes donum dei, vnde occasionem dederunt gentilibus ad salutẽ. Quam extollentiam reprimi vult, vt magis saluti congaudeatur, non ægritudini insultetur. Facilè enim decipitur qui gaudet alienis malis. *Bene.*) Id, est, rectè dicis, quia fractis ramis insertus es. *Sed incredulitate fracti sunt.*) hoc est, non propter te, sed suo vitio, quia illis diffidentibus, ad æmulationem illorum tu vocatus es ad salutẽ. Ideo gratias debes agere dono dei per Christum, non illis insultare, sed petere, si malum illorum tibi contulit salutem, vt & ipsi redeant ad originem. tunc placebis deo, qui tui misertus est. Ideo enim te aduocauit, vt per tuam æmulationem reduceret & illos ad gratiam. *Tu autem fide stas.*) Quia Iudæi per diffidentiam lapsi sunt, hos fide dicit stare: quia cùm prius perfidię causa iacerent, credendo stare cœperũt. *Noli altum sapere, sed time.*) Id est, noli superbus esse, sed caue ne & tu offendas. *Si enim deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.*) Verum est, quia si illos qui prærogatiua patrũ dignitosi erant, quibus etiam facta repromissio est, deo in filios adoptati, incredulitatis causa excæcauit: quid his, si dubitauerint, aut si se extulerint, faciet, qui nulla commendatione sublimati sunt, qui cum nullius dignitatis essent, honorati sunt? *Vide ergo bonitatem & seueritatem dei: in eos quidem qui ceciderunt: seueritatem: in te autem bonitatem si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.*) Bonum deum gentibus esse testatur, quia cum idola sequerẽtur: digni vtique mortis: patientia sua expectauit illos, & nec sic requitentes se, vltro vocauit illos, & peccata eis remisit: Iudæis autem seuerus est. excęcauit enim eos, quia donum dei despreuerunt. Hos tamen nunc significat Iudæos qui propter maleuolẽtiam suam in perpetuum cæcati sunt. vnde eos & cecidisse dixit. illos autem quos supra memorauit offendisse, nõ tamen cecidisse, quia ad tempus cæcatos illos ostendit: ac per hoc seuerum deum in eos fuisse, vt in perpetuum cæcati essent apostatæ. *Sed & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim deus iterum inserere illos.*) Ostendit iustitiam dei non in seueritate permanere circa illos quos excæcauit ad tempus: quia non sic illos excidit, vt non illos possit iterum inserere si conuertantur, qui per prophetam dixit: Reuertentes ad me replantabo. vt hoc scientes Christiani gentiles non insultent Iudæis, certi reseruari illis quasi lapsis misericordiam dei. *Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam: quantò magis hi secundum naturam inserentur suæ oliuæ?*) Oliuam, fidem per quam Abraham iustificatus est, accipimus: oleaster verò, quia agrestis & infructuosa natura est, perfidiam significat: ac per hoc si ij qui semper inimici dei fuerunt, conuersi in fidem Abrahæ inserti sunt, ex cuius origine non sunt: quantò magis Iudæi si post diffidentiam credant, paternæ reddendi sunt naturæ, inserti iterum in suam promissionem.

Nolo enim ignorare vos fratres mysterium hoc, vt non sitis ipsi vobis sapientes: quia obtusio quædam ex parte Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret.) Non est obscurum quia ad tempus cæcitatis obtusio facta est Iudæis, iis qui dum æmuli legis sunt, non viderunt donum venisse promissum à deo quod prædicabatur à Christo. Zelo enim excæcati sunt, putantes legem factorum nunquam debere cessare. Vnde sabbatum zelabantur. qua offensione ex parte obtusi sunt, vt pro incredulitate sua cruciarentur videntes gentes profiteri cum gaudio, consecutos repromissionem Abrahæ: copia tamen admissa gentium, abstergeretur caligo ab oculis eorum, vt possint credere: vt spiritum compunctionis prohibens à cordibus eorum qui eis præstat cęcitatem, reddat eis arbitrium liberum voluntatis: quia non de maleuolentia erat incredulitas, sed de errore emendarentur, vt postea saluarẽtur. *Sicut scriptum est.*) Vt probaret donum illis reseruatum à deo, exemplum Esaiæ prophetæ in subiectis ponit, vt hac gratia qua liberati sunt Iudæi credentes, & hos liberari posse doceret, quia non erat exinanita, sed semper abundat. Dicit ergo: Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem ab Iacob, & hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum.) Exempli huius ratio semper manet quamdiu sunt qui credant. Hic enim dominus Iesus qui de cœlis venturus promissus est ad liberationem humani generis, ipse quotidie remittit peccata conuersis ad se, nec statim non credentes condemnat, sed expectat, sciens posse proficere ad agnitionem dei. *Secundum Euangelium quidem inimici propter vos.*) Causa incredulitatis inimici sunt euangelij, vt error & delictum illorum gentibus aperiret viam ante tempus intrãdi ad fidem, sicut suprà memoraui. Prius enim vbique omnibus Iudæis prædicandum erat, tunc demum & gentibus oportebat credi verbum dei. Sed quia non crediderunt, ablatum ab eis regnum, datum est gentibus. Itaque non insultandum esse his præmonet, quorum delictum profuit gentibus. Illi enim insultandum est cuius peccatum obfuit aliquibus. Non ergo perfidiæ illorum gratulandum est, sed dolendum si tardant conuerti: vt quomodo peccato illorũ gauisæ sunt gentes, quia saluatæ sunt: sic conuersione eorum lætentur. ipsorum enim occasione dei gratiam citius perceperunt. *Secundum electionem autem dilecti propter patres.*) Quamuis grauiter peccauerint Iudæi reprobando donum dei, & digni sint morte, tamen quia filij sunt bonorum, quorum prærogatiua & merito plurima à deo beneficia perceperunt, regressi ad fidem susciptentur cum lætitia, quia dilectio in his dei exusçitatur memoria patrum. *Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio dei.* Verum est, quia gratia dei in baptismate non quærit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem. Ne enim quia grauiter deliquerant non recipiendo promissum dei, & quia quæ grauiter peccantur, nõ nisi fletu & gemitu ad veniam pertinent: ne ideo illos non posse iam accipere misericordiam putarent, quia dolere illos non videbant: ostendit hoc inter primordia fidei non requiri. Donum enim dei gratis donat peccata in baptismo. *Sicut enim & vos aliquando non credidistis deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum diffidentiam: ita & isti nunc non crediderunt in vestra miseratione, vt & ipsi misericordiam consequantur.* Incredulitatem gentium memorat, vt ipso rubore non se iactarent insultantes Iudęis qui non crediderant, sed oblectarent illos agnoscere promissum dei. Quia enim vos, inquit, gentes, cum his eloquia dei credita sint, repugnantes fuistis: nunc autem misericordiam accepistis, non vestro merito, sed ad horum opprobrium: quare non magis isti conuersi accipiant misericordiam, qui prius in lege dei conuersati sunt, & quibus facta promissio est? *Conclusit enim deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.*) Gentes porro ab antiquis temporibus in impietate & ignorantia versabantur, vtpote sine deo: propter quod manifestata lex in literis est, qua possent infrænari præcipites. Et quoniam versutia aduersarij cumulari peccata cœperunt, vt per interdictum magis reus homo constitueretur: deus clementia bonitatis suæ semper homini procurans, vt & quod sine lege peccatum erat, & in lege, posset deleri: hoc decreuit, vt solam fidem poneret, per quam omnium peccata abolerentur: vt quia nulla spes per legem omnibus hominibus erat, dei misericordia saluarentur. Hoc est omnia conclusisse in incredulitate, vt

tunc

tunc decretum donum à deo veniret, quando omnes diffidentia laborarent, vt gratia muneris esset gratissima. Itaque nemo se iactet: miserum est enim superbum esse eum, cui ignotum est.

Sapien. 9. Esa. 40. 1. Cor. 2. *Altitudo diuitiarum sapiētiæ & scientiæ dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ ipsius.*) Excelsum & immensum deum in diuitiis sapiētiæ & sciētiæ suæ cum omni laude & gratiarum actione testatur: est enim consilium & iudicium eius incomprehensibile. Nam sciens ab initio conuersationes & opera hominum, quia neque sola seueritate iustitiæ saluari possit hominum genus, neque sola misericordia ad profectum meritorum peruenire, vnoquoque tempore decreuit quid esset prædicandum: antè tamen permittens vnumquemque suo iudicio, quia natura ipsa duce cognoscitur iustitia. Et quia authoritas naturalis iustitiæ obtorpuerat consuetudine delinquendi: data est lex, vt humanum genus terrore manifestatæ legis frænaretur. Sed quia non se cohibentes, rei tenebantur à lege, prædicata misericordia est, quæ ad se confugientes saluaret: refutātes autem cæcaret ad tempus, ad promissionem eorum gentes inuitans, quæ prius iustitiam dei per Moysem datam sequi noluerunt, vt horum saluti dum inuidēt, ipso zelo ad radicis saluatoris originem se reformarent promissæ in lege. Hæc est altitudo diuitiarum sapientię & scientiæ dei, qui tam Iudæos quàm gētes multifaria prouidētia acquisiuit ad vitam. *Quis enim cognouit sensum domini, aut quis illi consiliarius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*) Esa. 40. Hoc in Esaia scriptum habetur. Manifestum est solum deum esse qui nouerit omnia cōsilia, & hunc vnum esse qui nullius egeat, quia ab ipso sunt omnia: ac per hoc consilium eius à nullo nec comprehenditur, nec metitur, quia inferiora superioris sensum scire non possunt. Denique Iudæis credentibus impossibile videbatur consilium esse & voluntatē dei ad redemptionem gentium: simili modo & gentibus arduum & incredulum videbatur, Iudęos qui non crediderāt, posse conuerti, aut credentes suscipi vt saluarentur. Inter cętera hoc est consilium dei quod latuit, nec potuit comprehendi. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria.*) Quia ratione sensus & consilium dei inuestigari non potest, declarauit. Ex ipso enim, inquit, & per ipsum & in ipso sunt omnia: ipsi gloria. Hoc dicto aperuit sensum qui occultus erat mundo. Quia enim omnium creator est deus (fecit enim ea quæ non erāt, vt essent) ideo ex ipso sunt omnia. Et quoniam ab ipso sunt, per filium eius, qui eiusdem vtiq; substātiæ est, esse cœperūt, cuius opus, patris est opus. Quia ergo ipse operatur per filium, per ipsum sunt omnia. Et quoniam quæ sunt ex deo, per deum sunt, post renata in spiritu sancto sunt, in ipso sunt omnia: quia & spiritus sanctus de deo est patre: vnde & scit quæ in deo sunt. Ergo & in spiritu sancto pater est, quia quod de patre est deo, non potest aliud esse quàm est deus pater. Ac per hoc ipsi gloria, quia ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Itaq; quæ ex ipso & per ipsum & in ipso vt essent, esse cœperūt: sensum & consilium eius scire nō possunt. Ipse autē scit omnia, quia in ipso sunt cuncta. Patefecit mysterium dei quod superius dixit non ab eis ignorari debere.

CAPVT DVODECIMVM.

Philip. 4. Ephes. 5. 1. Thess. 4. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiā dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, deo placentem, rationabile obsequium vestrum: & nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit volūtas dei, quod bonum & placitum & perfectum est.*) Per misericordiam dei illos orat, per quam saluatur humanum genus. Post tractatum enim legis & fidei, populi natura Iudaici & gentilis ad bonam vitam agendam hortatur: per hanc enim spes fidei obtinetur. Commonitio est ergo hæc, vt memores sint quia misericordiam acceperūt: & vigilent circa obsequium eius à quo illis data est, per quem ex impiis gratis iustificati sunt: scientes hanc esse hostiam viuam, sanctam, & deo acceptabilem, si corpora nostra incontaminata seruemus, dissimiles à secularibus, qui voluptatibus student. Hæc est voluntas dei, sanctificatio vestra. Nam corpora subiecta peccatis, non viua habentur, sed mortua: sub desperatione enim promissæ vitæ sunt. Ad hoc enim peccatis dono dei abluimur, vt decætero mundam vitā agentes, dei amorem in nos prouocemus, non irritum facientes opus gratiæ eius. Nam apud veteres ideo oblata occidebatur hostia, vt homines peccati causa morti subiectos significaret. Nunc autem quia per donum dei purificati sunt homines, & à morte secunda liberati, viuam hostiam debent offerre, vt signum sit vitę æternę. Non enim, sicut tunc, corpora pro corporibus immolantur: nunc verò non corpora, sed vitia corporis perimenda sunt. Vt autem obsequij nostri effectū habere possimus, seruata iustitia pudorem custodiamus. Nihil enim proficit pudor, nec rationabilis potest videri neglecta iustitia. Hoc erit conformem fieri spiritalium, renouatum in spiritu ac fide, hoc scire quod placet deo, nec aliud bonum & perfectū esse.

Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui inter vos sunt, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut diuisit deus mēsuram fidei.) Apertè ostendit hoc debere nos sapere, quod iustitiæ terminos non egrediatur, vt non nobis solis vtile sit, sed & nulli obsit. Hęc est enim prudētia, prodesse magis aliquibus quàm obesse, & cōtentum esse debere sorte qua mensus est deus merito & fidei vniuscuiusque, nec sibi defendere quod non sibi concessum videt: hoc est, non plus sapere, quia vni totum concedi non potest. Nec enim si quis bonæ vitæ est, ex eo sibi etiam doctrinæ prudētiam debebit defendere: aut quia peritiam habet legis, Leuitarū sibi obsequia vindicare debebit. Hortatur ergo & docet per gratiā sibi datam. Hęc gratia peritia intelligitur dominicę disciplinæ, per quam humilitati iustitiæ studendum tradit.

1. Cor. 12. Ephes. 4. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra nō eadem habent officia: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autē alter alterius membra.*) Exemplo corporis docet non posse nos singulos omnia, quia sumus inuicem membra, vt alter alterius non egeat: ac per hoc curam nostri inuicem nos agere debere, nec alterum alij obsistere, quia inuicem officiis nostris opus habemus. Hoc erit diligere Christū, si inuicem se membra exhortentur, vt impleant modum quo corpus in Christo perfectum sit. *Habentes autem donationes dei diuersas secundum gratiam quæ data est nobis.*) Nunc autem ipsa officia deputata mēbris merito fidei enumerat, vt cùm viderit membrum quod sibi deputatum officium est, non perstrepat alteri cui viderit aliud traditum, sed congerat, vt corpus ecclesiæ sit perfectum. *Siue prophetiam secundum rationem fidei.*) A prophetia incipit, quæ prima probatio est rationabilem esse fidem nostram. Denique credentes accepto spiritu prophetabant. Hæc ergo datur pro modo accipientis, hoc est, quātum causa exigit propter quam datur. *Siue ministerium in ministrando.*) Ad obsequium fraternitatis præbendum intantū minister firmatur, quantum credidit debere se obsequi, ne vltra fidem laborans in obsequio, fatigetur incassum, quia hoc sequitur vnumquemque quod conatur ex corde. *Siue qui docet in doctrina.*) Similiter dicit adiuuari doctorem in doctrina, vt inquantum fides eius est ad docendum, intantum inspiretur ad tradendam disciplinam cœlestem. *Siue qui exhortatur in exhortando.*) Et hunc eodem modo in eo ipso in quo tendit, auxilio spiritus præparari, vt habeat gratiam dum prouocat. Lacessit enim fratres ad bonum, aut increpulos ad fidem. *Qui largitur in simplicitate.*) Huic dicit qui bono animo tribuit, auxilia semper suppeditare procurante spiritu, vt non desit tribuenti simpliciter, dicente Salomone: Qui tribuit pauperibus, non indigebit. Hic ergo tribuit simpliciter, qui non in simulatione hoc agit, vt laus ei ab hominibus detur, sed vt à deo per hoc ipsum meritum consequatur. *Qui præest in solicitudine.*) Eum qui curam vt præsit fratribus suscepit, iuxta fidem

Pron. 28

1865

dem ſuam accipere vigilantiam & authoritatem, vt profi-
ciat in quo ſolicitus eſt, habens in illis fructum quibus præ-
eſt. *Qui miſeretur in hilaritate.* Hunc quoque ſecundum ſen-
ſum ſuum qui læto animo miſericordiam facit, non quaſi
nolenti extorqueatur, fundari & roborari à deo vt in hac
re nullam infirmitatem patiatur, ſciens dictum à Salomo-
ne: Dum habes occaſionem, benefac. Sed hoc multipliciè
intelligendum eſt. Multiplex eſt enim miſericordia ſub vno
vocabulo. Nam ſi ſuprà dixit, Qui largitur in ſimplicitate:
quid erat opus iterare, niſi quia ſub vno miſericordiæ no-
mine multa bona opera ſignificauit? Peccantibus etenim
ignoſcere, miſericordia eſt, & in neceſſitate aliqua poſito
vel oppreſſo opem ferre, miſericordia eſt, & nudum veſtire,
& eſurienti panem frangere, & paruulum expoſitum col-
ligere, & cadauer operire, & alia operari, miſericordia eſt.
Ideo ſi hæc impigrè & ſine tædio fuerit operatus, habebit
huius operis & in præſenti & in futuro mercedem. Omnis
ergo miſericordia, & ſimpliciter & cum gaudio fieri debet,
vt ſimplicitas excludat hypocriſim, gaudium verò fretum
futuræ ſpei teſtetur examẽ. *Dilectio ſine ſimulatione.* Huic me-
rito qui hoc meditatur, vt ideo diligat fratrem, quia ſcit hoc
placere authori deo, non vt in adulatione præſentis vitæ
hoc agat, ſubuenit ſpiritus: vt quia hoc deuota mente quæ-
rit, obſequiis poſſit implere. Audiuit enim dictum à domi-
no: Præceptum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. *Odien-
tes malum, adhærentes bono, fraternitatis amore inuicem benigni,
honore mutuo præuenientes.*) Non magnum dicit euitare ma-
lum, niſi adhæreatur bono. Illud enim de timore fit, hoc de
amore: nec benignum eſſe fraternitatis † honorem, ſi non
mutuis ſe obſequiis præuenerint. *Solicitudine non pigri.*) Hoc
eſt quod dicit propheta Hieremias, quia maledictus qui fa-
cit opera domini negligenter. Piger enim in conuerſatione
diuina, ſine ſpe eſt: ideo ſubiecit: *Spiritu feruentes.* Hoc eſt, in
exercitio diuini operis aut legis non ſit tepidus, ſicut dicitur
in Apocalypſi Ioannis: Quoniam tepidus es, inquit, euo-
mam te ex ore meo. Quotidiana enim meditatio tollit ſo-
porem, & facit vigilantem. Opera enim domini ſunt quæ
mandat fieri pro vtilitate eccleſiæ, id eſt, fratrum. *Tempori
ſeruientes.*) In Græco dicitur ſic habere: Deo ſeruientes. quod
nec loco competit. Quid enim opus erat ſummam hanc po-
nere totius deuotionis, quando ſingula membra quæ ad
obſequia & ſeruitia dei pertinent, memoret? In omnibus e-
nim iis quæ enumerat, plenum deo ſeruitium exhibetur.
Nam ſeruire tempori quid ſit, alibi ſoluit cum dicit: Redi-
mentes tempus, quoniam dies mali ſunt: vt ſciatis quemad-
modum vnicuique reſpondeatis. Quoniam autem dixerat,
Spiritu feruentes: ne hoc ſic acciperent, vt paſſim & impor-
tunè verba religionis ingererent tempore inimico, per quod
fortè ſcandalum excitarent, ſtatim ſubiecit: Tempori ſer-
uientes. vt modeſtè & cum honeſtate aptis & locis & per-
ſonis, & apto tempore religionis fidem loquerentur. Sunt
enim quidam etiam hoc tempore quo pax eſt, qui ſic per-
horrent verba dei, vt audientes cum magna ira blaſphe-
ment viam Chriſti. Nam & ipſe ſeruiuit tempori quando
quod noluit, fecit. Inuitus enim circuncidit Timotheum,
& raſo capite purificatus ſecundum legem aſcendit tem-
plum, vt Iudæorũ ſopiret inſaniam. *Spe gaudentes.*) Poſtquam
dixit, Tempori ſeruientes: adiecit, Spe gaudentes. vt ſi fortè
propter iniquitatem temporis non liceat de fide publicè
loqui, ſed eſſe in metu, ſpe gaudeat, quia hæc triſtitia parit
lætitiam. *In tribulatione patientes.*) Hoc eſt, ſpe gaudere, in tri-
bulatione patientem eſſe. De gaudio enim ſpei tolerat tri-
bulationem, ſciens multò maiora eſſe quæ pro his promiſſa
ſunt. *Orationi inſtantes.* Neceſſaria eſt valde oratio, quia vt tri-
bulatio poſſit tolerari, precibus inſiſtendum eſt. *Memoriis
ſanctorum communicantes.*) Manifeſtum eſt quia qui preces
ſuas exaudiri vult, æmulus debet eſſe vitæ ſanctorum. Cùm
imitatur enim, communicat, vt hoc ſit memorem eſſe &
communicatorem, imitari actus illorum: & ſi ſumptibus in-
digent communicandum eis, ſicut dicit alio loco: De colle-
ctis autem quæ fiunt in ſanctos. Et ad Galatas: Vt pauperum
memores eſſemus. *Hoſpitalitatem ſectantes.*) Imitator & a-
mator ſanctorum hoſpitalitatem ſectatur, exemplis ſancti

Abrahæ, & Loth viri iuſti. *Benedicite, & nolite maledicere.* Vt
A Chriſtianos per omnia nouos faciat, etiam ab hac illos con-
ſuetudine auferre vult, quæ omnibus communis eſt, ne ira-
to animo incitati prius facilè maledicere velint, ſed vt ma-
gis victa iracundia benedicãt, & laudi ſit diſciplina domini-
ca. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Hoc eſt quod 1.Cor.12.
alio loco dicit: Si quid patitur vnum membrum, compa-
tiuntur omnia membra: & ſi lætatur vnum membrum, con-
gaudent omnia membra. Cùm enim quis † fideli ſolatio eſt † fratri
in neceſſitate, erigit animum eius, & apud deum ſibi collo-
cat meritum, quia membrum diligit corporis Chriſti: & ſi
cum infideli condoleat, prouocat magis illum ad profe-
ctum diſciplinæ dominicæ. *Idipſum inuicem ſentientes.*) Hoc Gala.6.
eſt, quod dictum eſt, compati debere in tribulatione: ſicut
& in alia dicit epiſtola: Conſiderans teipſum, ne & tu tente-
ris. Alter alterius onera portate. *Non alta ſapientes.*) Alta ſape-
re, ſuperbia eſt. Nam & diabolus cum alta ſapuit, apoſtata-
uit. Ne elatio ſit in animo, & præſumens fortè de incolu-
mitate actus ſui, non condoleat fratri ſuo, ſed exprobret
B quaſi peccatori. hæc ſuperbia eſt, quæ cùm ſe præponit, of-
fendit. Quod & dominus denotat dicens: Eiice trabem Matth.7.
prius de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de ocu-
lo fratris tui. Ipſa enim elatio peccatum eſt: ac ſi non ſit pec-
cator, (quod impoſſibile eſt) fit peccator dum ſuperbit. De-
nique dicit Salomon: Superbis deus reſiſtit. *Sed humilibus
conſentientes.*) Hoc eſt, vt depoſita ſuperbia alienam cauſſam Prou.3.
ſuam faciant, & ſuam quaſi alienam, vt habeant gratiam a-
pud deum: quia qui ſe exaltauerit, humiliabitur. *Nolite eſſe
prudentes apud voſmetipſos.*) Hoc in Eſaia propheta ſcriptum
eſt, quod hic quaſi proprium ponit, vt iuſtitia communis
habeatur, non vt ſibi quis iuſtus ſit, cæteris autem iniuſtus.
Nemini malum pro malo reddentes.) Hoc eſt quod dominus di- Matth.5.
cit: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum &
Phariſæorum, non intrabitis in regnum dei. Mandatum e-
nim in lege erat: Diliges proximum tuum, & odio habebis
inimicum tuum. Hæc, quantum videtur, iuſtitia eſt: ſed vt
C abundet iuſtitia Chriſtianorum, docentur non reddere ma-
lum pro malo, vt perfecti ſint, & pro hoc merces illis red-
datur in iudicio dei. Supergredi enim videtur ipſam iuſti-
tiam, cùm quod licet, vt melior ſit, non facit cœleſtis iuſti-
tiæ imitator. Mundi ergo iuſtitia à deo illi conceſſa inno-
centem facit, cœleſtis autem perfectum vt meritum habeat
apud deum. *Prouidentes bona non tantum coram deo, ſed etiam
coram omnibus hominibus.*) Prouidere eſt bona futura ante
oculos habere, vt ea gerantur quæ poſſint poſtquam facta
fuerint in reprehenſionem non venire, ſed magis laudi eſſe,
ſiue apud deum, ſiue apud homines. Ne quis exiſtimet quia
deo licita non diſplicent, idcircóque non curandum ſi fratri
ſcandalum ſint, hoc præmonet, quia illud fieri debet quod
& deo non diſpliceat, & fratri ſcandalum non ſit. Etſi li-
ceat enim, & fratrem ſcandalizet, deo non placet, quia
deus ſaluti ſtudendum monet. Sic ergo prouidentur bona
coram deo & hominibus, ſi ea quæ licent, ſic agantur, ne
ſcandalum faciant. *Si fieri poteſt, quantum ex vobis eſt, cum omni-
bus hominibus pacem habentes.*) Omnibus pacificos vult eſſe,
D qui diuinam ſeruant iuſtitiam. Viderit ſi quis hanc pacem
ſpreuerit, vt tali viro inimicus, cùm aut reprehendi fortè ab
illo non vult, aut inuidet bonis eius: quod ad illum tamen
pertinet, non diſcordat, à bene agentibus. Hic eſt enim
impacificus, qui prætermiſſa voluntate legis, ſuum ius ſe-
quitur: quamquam dicat Dauid: Cum iis qui oderunt pa- Pſalm.119.
cem, eram pacificus. Sed hoc neceſſitatis erat propter po-
tentiam perſonarum, vt vel obſequiis humilitatis vincatur,
quem ſic extollit ſuperbia, vt mandata legis ſpernat. poteſt
fieri vt de timore dei pacificum ſe quis præbeat illi qui odit
pacem. Quando enim vicem malis reddere non vult, pa-
cificus eſt. hoc eſt de bono vincere malum, vt vel obſe-
quiis vincatur, quem mandata legis non vincunt. Ergo ſi
fieri poteſt, inquit, quod ex vobis eſt, vt bene agentes pa-
cem habere videamini. Iam ſi non fuerit amator pacis, tu
tamen vis eſſe pacificus, quantum ad te pertinet. Si au-
tem irreuerens & blaſphemus quis ſit, & pacem habere
cum illo non poſſis, non vtique tibi adſcribendum erit,

quia

quia Ioannes apostolus eos qui negant in carne Christũ venisse,nec salutari permisit.Nos ergo parati simus,si fieri potest, vt cum omnibus pacem habeamus:aliis verò repugnãtibus fiat impossibile,non ex nobis,si de nobis tantum querela non deponatur.Qui enim nullum lędit,apparet esse pacificus. *Non vosmetipsos defendentes charissimi,sed date locũ iræ.*) Vt & pacis fœdera seruari possint, ab ira dissimulãdum monet,maximè quoniam per iram solet peccari,quãdo quis furore commotus plus exigit quàm postulat causa delicti, aut sibi ipsi incommodum præstat, si grauiora peccata incompetẽti vindicta vult exequi.Debilem enim efficit,quem potuit emendatum habere & sanum.Vnde & Salomon,Noli, aiit,iustus esse multum. Est enim,inquit,qui perit in sua iustitia.Volens enim singulis peccatis respondere circa vindictam, mortem potest inuenire tam sibi quàm ei quem plagis affligit. Solent enim in pœnam delinquere. Non solum autem de subiectis vindictam prohibet competẽtem, sed & de paribus & magnis,hoc est,de fratre fortè in nos peccante non quæramus vindicare, sed remittamus dei iudicio reseruantes,ne dum ab ira detinemur, inueniat locum inimicus in quo suggerat & suadeat quod contra nos est. *Scriptum est enim.*) Vt fortius suadeat,exemplo legis hoc cõfirmat dicens:Scriptum est,in Prouerbiis:*Mihi vindictam,& ego retribuam, dicit dominus.*) Vt si minimè à nobis fiat quod docet, deum à nobis contemptum ostendat. Duplici ergo genere proficitur si deo remittatur vindicta,quia & cùm iracundiã vincit, perfectus fit, & dei iudicio vindicabitur. *Si esurierit inimicus tuus,ciba illum:si sitit,potum da illi:hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.*) Nõ nudam vindictam deo reseruari debere ostẽdit,sed & beneficia dari inimicis,vt verè ostẽdamus non meritis nostris habere nos inimicos,quos vt ab inimicitiis desinant,obsequiis vincere nitimur.Qui si in inimicitiis perdurauerint impietate mẽtis suæ,nostra obsequia proficient illis ad pœnam : aut certè obsequiorũ nostrorum sedulitate compuncti,veluti carbones mortui reuiuiscent.Vt ergo nos intãtum perfectos faciat,vt non solum nosipsos,sed & alios acquiramus ad vitam,inimicis non solum vicem reddere prohibet dominus per Salomonem, verumetiam humanitate ad amicitiam prouocare hortatur. *Noli vinci à malo,sed vince in bono malum.*) Hæc interpretatio Apostoli est cohortantis ne vicem reddamus inimicis, sicut dictum est. Multum enim proderit nobis, si malitiæ cedamus.Vincit enim malum,qui ad tempus vinci videtur ab illo.Et saluator enim sic vicit malum,dum non restitit.Contra se enim agit malitia,& dum vincitur,vincere se putat.Id enim agit inimic⁹, vt nos de proposito nostro abstrahat,occasionem quærẽs quomodo peccemus.Ideo si prouocati ab illo,vicem illi non reddamus,vincimus illum in bono.Ideo enim non resistimus,vt bonum seruemus neglecta iustitia, quia cogit iustitia ad retribuendum.

Ecclĕ.7.

Deut.32. Hebr.10.

Prou.25.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

OMnibus potestatibus sublimioribus subditi estote. Nõ est enim potestas nisi à deo.) Quoniam cœlestis iustitiæ legem sequendam mandauit, ne ab hac præsenti dissimulare videretur,hanc commendat: quippe cùm nisi hæc fuerit obseruata, illa custodiri non possit:hæc enim quasi pædagogus est,quæ paruulos imbuit, vt possint potioris iustitiæ viam sequi. Nemini enim potest imputari misericordia,nisi habuerit iustitiã. Vt ergo ius & timorem legis naturalis confirmet, deum authorem eius testatur, & ministrantes eam dei ordinationem habere. Ideo adiecit: *Quæ autem sunt,à deo ordinata sunt.*) Vt nemo putet quasi humana commenta contemnenda. Vident enim ius diuinum humanis authoritatibus deputatum. Hic ergo subiectus est potestati, qui se terrore † dei ab iis abstinet quæ prohibet. *Itaque qui resistit potestati,dei ordinationi resistit.*) Hæc contra illos qui per potentiam fortem, aut quia aliquid deprehendi se posse non credunt, & per hoc illudere se legem putant.

† vel, legis.

A

B

C

D

Ostendit his dei esse legem, & non euasuros iudicium dei, qui ad tempus aliquo pacto euadunt. *Qui autem resistunt,ipsi sibi damnationem acquirunt.*) Manifestum est quia vnusquisque operibus suis aut iustificabitur,aut cõdemnabitur.Qui enim audientes legem peccant,inexcusabiles sunt. *Nam qui principantur,non sunt timori bonis operibus,sed malis.*) Principes hos reges dicit qui propter corrigendam vitam, & prohibenda aduersa creantur,dei habentes imaginem,vt sub vno sint cæteri.*Vis autem non timere potestatem?Bonum facito,& habebis laudem ex illa.*) Laus ex potestate tunc surgit,cùm quis innocens inuenitur.*Dei enim minister est tibi in bono.*) Manifestum est ideo rectores datos,ne malum fiat. *Si enim malefeceris,time:non enim sine causa gladium portat.*) Hoc est,ideo comminatur,vt si fuerit contemptus,vindicet. *Dei enim minister est,vindex in iram in eum qui malè agit.*) Quoniam futurum iudicium deus statuit,& nullum perire vult,hoc in seculo rectores ordinauit, vt terrore interposito omnibus velut pædagogi sint erudientes illos quid seruent, ne in pœnam incidant futuri iudicij.*Ideoque subditi estote,non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*)Rectè dicit subiectos esse debere non solum propter iram,id est,vltionem præsentem,(parit enim ira vindictam) sed & propter futurum iudicium: quia si hîc euaserint, illic eos pœna expectat, vbi accusante conscientia ipsa punientur. *Nam & idcirco tributa penditis. Ministri enim dei sunt in hoc ipso seruientes.*) Ideo dicit tributa præstari,vel quæ dicuntur fiscalia,vt subiectionem præstent per quam sciant non se esse liberos, sed sub potestate degere,quæ ex deo est. Principi enim suo,qui vicem dei agit,sicut dicit Daniel propheta : Dei est enim,inquit,regnum,& cui vult dabit illud. Vnde & dominus,Reddite,ait,quę sunt Cæsaris Cæsari. Huic ergo subiiciendi sunt sicut deo,cuius subiectionis probatio hæc est,cum illi pendunt tributa.

Matth.22.

PEddite ergo omnibus debita.) Reddi vult ab omnibus debita, quia & potentes sunt debitores minoribus,vt respondeant meritis illorum. *Cui tributum,tributum:cui vectigal vectigal.*) Primum ea quæ sunt potestati regiæ debita exolui iubet, quia maior in his causa aut necessitas est. *Cui timorem,timorem.*) Timorem potestati exhibendum, quia timor prohibet peccatum : deinde aut parenti,aut domino terreno,vt gratias agat in filio aut seruo Christiano. *Cui honorem honorem.*) Potest hic honor etiam circa eos esse qui sublimes videntur in mundo,vt videntes humilitatem seruorũ Christi,laudent magis quàm vituperent euangelicam disciplinam.*Nemini quicquam debeatis,nisi vt inuicem diligatis.*)Pacem vult nos habere,si fieri potest,cum omnibus,dilectionem verò cum fratribus,& hanc tamen honore seruato. Idcirco autem debitores dicit,quia homini qui dignus honore est,siue præsente siue futuro,dignum esset debitũ inclinari. Illi enim quis inclinatur à quo honorem accepit:ideo debitor dicitur. Si enim non hoc feceris, principi tuo,superbus es:aut enim merito quis aut ætate honorãdus est. *Qui enim diligit proximum,legem impleuit.*) Legem datã à Moyse implet qui diligit proximum:nam nouæ legis mandatum est etiam inimicos diligere. *Nam non adulterabis,non occides,non furaberis,non concupisces.*) Hoc Moyses scriptum accepit à deo, ad reformationem legis naturalis.*Et si quod est aliud mandatum,in hoc verbo consummatur,Diliges proximum tuum sicut teipsum.*) Hoc scriptum est in Leuiticõ,manẽtibus supradictis mãdatis. Itaque in dilectione impleri legem significat, sicut dixit:ac si sint alia mandata quæ nunc tacuit, tamen pro omnibus mandatis dilectio satis facit.Nam si se humanum genus ab initio dilexisset,iniquitas in terris non esset. Exordium enim iniustitiæ discordia est: ideoque iniquitatis dilectio, iniquitas est : quia quod malo malum est,bono bonum est.*Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo enim legis est dilectio.*)Malum non operatur,quia bona est dilectio , nec peccari potest per illam quæ legis est perfectio:per legis verba ad sensum euangelicum peruenit. Ideo enim quod summũ est legis,memorat,vt huic euangelium societ,ostendens vnius esse sensum authoris. Sed quia tempore Christi addi aliquid oportuit : non solum proximos,sed inimicos diligere præcepit. Vnde subditur : Plenitudo

Deut.5.

Leuit.19.

1869

tudo legis est dilectio. vt iustitia sit diligere proximum, abundans verò & perfecta iustitia etiam inimicos diligere. Inimicum autem diligere quid aliud est, quàm optare desinere illum ab odio, & nihil asperum petere aduersus illum? Hoc est amare illum, ea illi optare per quæ deum habeat propitium. hæc est cœlestis iustitia, hæc deo patri similes facit, qui non colentibus se annua dona largitur. Nam & dominus in cruce positus postulat pro inimicis, vt plenitudinem iustitiæ quam docuerat, demonstraret.

ET hoc scientes tempus, quoniam hora est iam nos de somno surgere.) Tēpus esse dicit quo ad meritum proficere debeamus. Hoc est de somno surgere, operari bonū, quasi in die, hoc est, palā. Illicita enim in nocte, id est, in abscōdito fiūt. Iam enim in manifestatione positi, quod est in notitia dei, agnoscentes quid sequi debeamus, dare operā debemus vt purè viuētes ad promissum præmium veniamus excusso somno, id est, ignorātia siue negligentia. *Propior enim est nunc nostra salus quam cum credidimus.*) Manifestū est quia post lauacrū bene viuentes, & charitati studentes, non longè sunt à merito resurrectionis promissæ. Bona enim vita Christiani, signum est salutis futuræ. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.*) Noctem veterem hominē significauit, qui per baptismum innouatus est. Hunc præcessisse dicit quasi noctem, diem autē appropinquasse, cuius lumine veritas nobis apparuit, vt sciremus quid agere debeamus. Prius enim ignorātes Christū in tenebris eramus, at vbi didicim⁹, lux nobis orta est. trāsiuimus enim ex falso ad verum. *Abiciamus ergo opera tenebrarū, & induamur arma lucis.*) Tenebrarū sunt opera vita carnalis, quæ illecebris agitur secularibus, hæc digna est tenebris: sicut dicit dominus. Tollite illum, & ligatis manibus & pedibus mittite in tenebras exteriores. Induere verò arma lucis, gesta sunt bona: quia sicut mali actus tenebris deputantur, quia occultè fiunt ab his qui malè agunt: ita & qui bene agunt, palam agunt, quia nō vetātur, sed gaudent. Boni ergo actus arma lucis sunt impugnātes tenebras, quę sunt vitia carnis. *Sic vt in die honestè ambulemus.*) Verū est, vt quia publicè non peccatur, sic agamus quomodo agitur publicè. nihil enim tam publicū quàm vetitas. *Non in cōmessationibus aut ebrietatibus.*) Comessationes sunt luxuriosa conuiuia, quæ aut collatione omnium celebrātur, aut vicibus solent à contubernalibus exhiberi, vt neminē illic pudeat aliquid inhonestè dicere aut facere, quia vnusquisque præsumit quod suum conuiuiū fit. Solēt enim in aliena mensa pudore coērceri: sed hîc ad hoc conuenitur, vt fœda illic gerātur copia vini, & incitetur libidinis diuersa voluptas. Idcirco euitanda præcipit huiusce modi conuiuia. *Non in cubilibus & impudicitiis.*) Post luxuriosum conuiuium & ebrietatem hoc subiecit quòd sequitur, id est concubitus impudicus. Hic enim huius lasciuitatis est fructus. *Non in contentione & æmulatione.*) Rectè ab his coērcere monet, quia omnis contentio & zelus inimicitias parit, quas tenebras vocat, quia ad lucis præmium peruenire non possunt. Sed induite dominum Iesum Christum. *Et carnis curam ne feceritis in desideriis.*) Curam carnis prohibet, id est, voluptatem: vt omne quod prohibetur per legem, non desideretur, aut certè desideratum vincatur. Ipsa sunt enim opera carnis: vt his exuti induant dominum Iesum Christum, id est, innouati per Christum, ab his malis se retineant. Hic enim induit Christum, qui se ab omni errore & turpitudine separauerit, ne in conuiuio nuptiarum sine veste eius inuentus turpiter abiectus tenebris mancipetur: si quo minus, non sunt induti Iesum Christum dominum nostrum, super cuius nouam vestem veteres pannos insuunt. Exuti enim veterem hominem, in nouitate vitæ manendum est.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

INfirmum autem in fide assumite, non in disceptatione cogitationum.) Quoniam ex Iudæis erant qui Romanos ad nomen Christi assumpserant admixta lege, sicut in primordio epistolæ memorauit: ideo quibusdā videbatur prohibitam carnem edere non debere. Aliquibus autem qui sine lege Christum sequebantur, videbatur contra legem licere edere. Et per hoc ipsum disceptationes erant inter eos: quas Apostolus cōcordiæ & saluti studens, diuina disputatione aufert, ostendens neque edenti prodesse apud deum, neque non edenti obesse. Infirmum esse dicit qui propterea quod Iudęi prohibiti sunt, timet edere. Hunc ergo vult remitti iudicio suo, ne scandalum passus, à charitate, quæ quasi mater est animarum, recedat cū mētis perturbatione, cùm Christiani pacifici debeant esse & quieti. *Alius enim credidit edere omnia.*) Hic fiducia lectionis non dubitat omnia edenda quę data sunt humanis vsibus. Legit enim in Genesi omnia bona valde esse quæ creauit deus, ideo nihil reiiciendum, quia nec Enoch qui primus deo placuit, neque Noë qui in diluuio solus iustus inuentus est, neque Abraham ille amicus dei, aut Isaac aut Iacob iusti & dei amici, inter quos & Loth fuit, aut cæteri iusti ab his abstinuisse leguntur. *Is verò qui infirmus est, olera manducet.*) Igitur quia hoc putat vt ille olera edat, ideo suadendum non est vt carnem edat, ne cum scrupulo edat, & videatur peccare, quia propositum suum non custodit. *Itaque qui edit, non edentem non spernat: & qui non edit edentem non iudicet.*) Quia voluntatis est edere aut non edere, ac per hoc quæstio hinc fieri non debet. Ad hoc enim facta sunt omnia, vt voluntati subiaceant: quia dominio humano subiecta sunt. *Deus autem illum assumpsit.*) Assumptus à deo est, dum ad gratiam vocatus est. *Tu quis es qui iudicas alienum seruum? suo domino aut stat, aut cadit.*) Manifestum est seruum non debere conserui voluntatem iudicare, cui lex in hac parte tradita non est. Nam qua conscientia edat aut non edat deus iudex est, cuius seruus est. *Stabit autem potens est enim deus statuere illum.*) Stabit, inquit, domino suo, propterea quia neque si edat, reus est, neque si non edat, culpabilis: si tamen deuotione hoc agat, non euitans hanc velut contrariam. *Nam alius quidem iudicat diem inter diem.*) Hoc est, alicui placet interpositis diebus edere. Nam sunt quidam qui quarta feria carnem non edendam statuerunt, sunt qui sabbatis, sunt iterum qui à pascha vsque ad pentecostem edant. *Alius autem iudicat omnem diem.*) Hic omnem diem iudicat, qui nunquam edit. *Vnusquisque in suo sensu abundet.*) Hoc est, vnusquisque suo consilio remittatur. *Qui sapit diem, domino sapit.*] Verum est, quia qui semper abstinet se, deo placere se putat. *Et qui edit, domino edit.*] Domino edit, quia gratias agit creatori. *Et qui non edit, domino non edit, & gratias agit deo.*] Gratias agit, dum fatetur dei esse creaturam & bona creata, sed se dissimulat ab ea non condemnare.

Gene. 1.

NEmo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur.] Sibi viueret aliquis, si non ageret sub lege. At qui frēno legis gubernatur, non sibi vtique viuit, sed deo qui legē dedit, vt secundum voluntatē eius viuat. Et qui moritur, simili modo deo moritur, quo iudice aut coronabitur aut condemnabitur. *Siue enim viuimus, domino viuimus: siue morimur, domino morimur.*) Idem est sensus. *Siue ergo viuimus, siue morimur, domini sumus.*] Verum est omnes nos domini quasi seruos in conditione & redemptoris dominio, & vnumquenque pro merito suo tractati. *In hoc enim Christus & vixit, & mortuus est, & resurrexit: vt & mortuorum & viuorum dominetur.*] Per Christum dominum facta est creatura, quæ per peccatū alienata est ab authore, facta captiua: quā deus pater, ne opus eius periret, misso filio suo de cœlis ad terras, docuit quid faciendo manus piratarū effugeret. Propter quod & occidi se passus est ab inimicis: vt descendens ad inferos quia innocēs erat occisus, reum faceret peccatum, vt quos tenebat apud inferos, amitteret. Quoniam ergo viuis ostendit viā salutis, ac se obtulit pro eis, mortuos verò liberauit de inferno, tam viuorum quàm mortuorum dominatur: ex perditis enim iterum reformauit sibi illos in seruos. *Tu autem quid iudicas fratrem tuum in non edendo? aut tu quare spernis fratrem tuum in edendo? omnes enim stabimus ante tribunal Christi.*] Docet

non oportere iudicare, hac re, quia non continetur in lege propterea cùm deum iudicem expectemus. *Scriptum est enim, Viuo ego, dicit dominus, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua deo.*) Hoc in Esaia scriptum est, quia omnis lingua confitebitur deo in fide Christi. Nam quia occisus resurrexit futurus iudex, rectè ait: Viuo ego, dicit dominus: & non solum viuo, sed & iudicaturus sum, & inimici fatebuntur in me, & genu flectent cognoscentes me deum de deo. *Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet deo.*) Quoniam, inquit, nos pro nobis inuicem reddituri sumus rationem, non nos in hac parte quæ supra scripta est, alterutrum condemnemus. *Non ergo amplius inuicem iudicemus.*) Id est, scientes hoc, cessemus à discordia. *Sed in hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.*) In eo iudicandum monet quod prosit, quod potest & authoritate legis defendi. Nulli autem fratrum carnem edenti aut non edenti fiat scandalum.

Esaiæ 45.

Scio & confido in domino, quia nihil commune per ipsum.) Manifestum est quia Saluatoris beneficio omnia munda sunt, qui de sub iugo legis eruens homines & iustificans, reddidit statum pristinum libertatis, vt digni sint vti tota creatura, sicut & veteres sancti. Qui autem adhuc sub lege sunt, nõ licet illis vti aut edere quæ prohibet lex, quia indulgentiam datã spernunt. Non enim secundum naturam suam, sed cùm contra interdictum eduntur, immunda sunt. Denique in lege ait: Erunt immunda vobis. *Et planè qui existimat aliquid esse commune, illi commune est.*) Siue qui ex Iudæo Christianus est, siue gentilis fidelis putat esse aliquid tale vitandum, ipse est quem scriptura infirmum dicit. Dubitando enim est infirmus. apud istum immundum est quod putat non edendum: & quia non hoc superstitione facit, sed timore, suo iudicio remittendum.

Nam si propter escam frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas.) In alia epistola dicit: Esca ventri, & venter escis, & hunc & hanc deus destruet. Quia non de esca aut placet quis deo aut displicet, ideo charitatẽ sectandam monet, qua nos deus liberare dignatus est. Sic enim ait: Deus autem propter charitatẽ nimiã misertus est nostri. Qui ergo huius beneficij memor est, hanc excolit, nec illi aliquid anteponit, sed prætermittit maxima, quæ scit, pmissionẽ non parare apud deũ. Noli cibo tuo perdere illũ, pro quo Christus mortuus est.) Quantum valeat salus fratris ex morte Christi cognoscitur. Itaque qui scit quantum constet, confirmare illum debet, nõ scandalizare, vt ex re friuola faciat illi scrupulum, & incipiat hæsitare an manducanda caro sit nec ne, qui fortè simpliciter edebat, securus de cõscientia sua. At verò cùm adeunt controuersiæ, incipiet perturbatione in dei creaturam peccare, & erit in iniuriam creatoris, quæ proficiet ad perditionem dubitantis. Non ergo blasphemetur bonum nostrum.) Hoc est, doctrina dominica, cùm sit bona & salutaris, non debet per rem friuolam blasphemari. Blasphematur autem cùm dubitatur de dei creatura. Potest & sic intelligi bonum nostrum blasphemari, quia qui bona opera habet, si in alia reprehendatur re minima, bonum illud suum obfuscat, & incipiet bonum eius blasphemari per malum eius, sicut scriptum est in Ezechiel, Iustitia iusti non proficiet si errauerit. Tale est, si quis decorus nouum fortè habeat in frõte, aut nasum collisum, vnde deformetur species eius. Ideoque illa monet sectanda, quæ bonis reliquis non tollant fauorem. *Non est enim regnum dei esca & potus.*) Manifestum est quia nemo per escam placet deo aut displicet. *Sed iustitia & pax, & gaudium in spiritu sancto.*) Hos in regnum dei dicit intrare qui iustitiam sequuntur, sed Christianam habentes pacem quam dominus dedit dicens: Pacem autem meã do vobis, pacem relinquo vobis: ex qua oritur gaudium in spiritu sancto. Disceptatio autem non habet gaudium, sed iram: ideo non illic respicit spiritus sanctus, quia gaudet in solis pacificis. Sicut enim ex nobis contristatur, sic & gaudet de nobis. *Qui enim in hoc seruit Christo, placet deo, & probatus est hominibus.*) Quoniam Christus nos redemit, ideo ait: Qui in hoc seruit Christo, quasi redemptori placet deo. Quare? Quia ipse misit Christum, vt redimeret genus hominum, sicut ipse dominus ait: Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum. Qui ergo placet deo, probatus est hominibus. Quomodo? Accepit enim donum per quod appareat dignus deo. *Itaque quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus.*) Quoniam disceptatio discordiam parit, ideo vt pacifici esse possimus, ab intentione edendi aut non edendi dissimulare nos docet. Ædificationis autem viam sequi hortatur, vt cum pace ea conferamus, per quæ inuicem nos ædificemus, ab iis quæ infructuosa sunt & magis contraria declinantes. Collatio enim potest prodesse excitans mentem, si tamen vincendi studium contemnatur: hoc est enim quod parit litem. *Noli propter escam soluere opus dei.*) Homo opus dei est, & iterum opus dei est dum reformatur per regenerationem. Et esca opus dei est: sed non homo propter escam, sed esca propter hominem. Multum enim distat. Ideo noli, inquit, hoc opus dei quod clarũ est, dissoluere propter id quod humilimum est. Hoc est salutem fratris studere, non curam escæ agere vt fratrem contristes. Beneficium enim dei irritum facit qui fratrem liberatum à peccato, per disceptationem rursus prouocat ad peccandum, soluens in ipso opera Christi quæ gessit vt hominem à peccato liberaret. *Omnia quidem munda sunt.*) Verum & manifestum est omnia munda esse: quippe cùm in Genesi legatur omnia quę deus fecit, esse bona valde. *Sed malum est homini qui per offensionem edit.*) Cùm ergo per naturam omnia bona & munda sint, dubitantibus tamen fiunt immunda, & erit illi offendiculum qui cùm dubitat, edit tamen immunda conscientia, quia quod sibi inutile putat, facit: ideo nulli contradicendum est quid in hac re sequatur. *Bonum est non edere carnem, & non bibere vinum.*) Cum de sola carne ageret, adiecit & potum: vt confoueat eos qui ab his abstinent, per id quod licitum est & carnem edere, & vinum bibere. Ne contristarentur ab illis qui his vtuntur, dedit eis respirandi solatium, vt & in voluntate sua quiescerent, & disceptatio per quam discordia fit, cessaret. Cùm enim non latet bonum esse & carnem edere, & vinum bibere, & econtra carnem non edere, & non bibere vinum, bonum esse addiscunt, nemo litigat. Creatura enim data est ad vsum volentibus, non tamen necessitas est imposita aut volenti aut nolenti. *Neque enim in quo frater tuus offendit, aut scandalizatur, aut infirmatur.*) Eadem dicit, non debere fratri qui infirmum animum sibi cõstituit ad edendum, fieri quæstionem, ne perturbatus offendat, nesciens quid teneat. *Tu fidem habes penes temetipsum: habe coram deo.*) Hoc est, tu qui edis securus, quia creatura dei bona est, non opus est vt de altero iudices, quia plus est vt pacem habeas cum fratre. Hoc enim vtile est apud deum. In esca enim vtilitas carnis est, in pace verò, & carnis & animæ: ac per hoc ab huiusmodi disceptatione cessandũ est, vt vnusquisque in proposito cordis sui maneat. *Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat.*) Vnumquemque proprio iudicio censet condemnandum, qui quod dicit non debere se facere, facit: & hunc beatum, qui non aliud facit, quàm sibi vtile probat. *Qui autem discernit quid ederit, damnatus est.*) Verum est, quia qui iudicat non edendum, & edit, damnatus est. Ipse enim se damnat, quando id quod sibi inutile asserit facit. *Quia non ex fide.*) Non vtique ex fide edit, qui edẽdum negat, & edit. *Omne autem quod non est ex fide peccatum est.*) Rectè peccatum appellat, quod aliter fit quàm probatum est. Quoniam Romani in lege inducti erant sicut in primordio epistolæ memorauimus: aduenientibus autem qui rectius crederent quæstiones mouerentur de edenda carne & non edenda, & horum pars qui edẽdam & non probandam dicerent, melior videretur, quia omnia munda valde sunt: infirmos dicit qui edendam negarent siue ex Iudæis, siue ex gentibus, & remitti illos in proposito cordis sui. Nec enim obest nõ edere, aut prodest erga deum edere: ne quauis ratione astricti, per quod tamen cum scrupulo ederent, delinquerent.

1.Cor.6.

Ephes.2.

Exech.33.

Ioan.14.

Ioan.5.

Gen.1.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Debemus

Debemus autem nos firmiores infirmitates inualidorum portare.) Rectè ait debemus quia oportet doctores infirmos firmare, & imperitos erudire cum manſuetudine: ne prouocati contẽdere velint: & ne dũ humiles vidẽtur, in peius proficiant. *Et nõ nobiſmet ipſis placere.*) Hoc eſt, non quod nobis proſit & placeat vendicare, ſed & quod fratribus, quia inuicem curá noſtri agere debemus. *Vnuſquiſque proximo ſuo placeat in bono ad ædificationem.*) Nunc perſonã ſuam diſcreuit. Hos enim commonet vt charitati ſtudentes proximis placeant ad id quod eſt vtile. Hæc eſt ædificatio, ſicut alibi ait: Ego inquit, omnibus per omnia placeo. *Nam & Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: Detractiones exprobrantium te ceciderunt ſuper me.*) In pſalmo ſexageſimo octauo. Saluatorem non ſibimetipſi dicit placuiſſe, ſed deo patri, quia dicit: Non enim deſcendi de cœlo vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me, patris. Et quia cùm hæc diceret, contradicentibus Iudæis quaſi peccator occiditur, pſalmographus ex perſona eius verba facit ad deum patrẽ, dicens: Detractiones exprobrantium te ceciderunt ſuper me. Hoc eſt, ego cùm voluntatem tuam facerem dixerunt me peccare in te, qui non me recipiendo, quem miſiſti, exprobrauerunt te: quia Iudæi cùm peccarent in deum non recipientes quem miſit Chriſtum, inſuper & occiderunt eum quaſi peccantẽ in deũ. ſic peccata peccantiũ in deũ ceciderunt ſuper Chriſtũ. Innocens enim à peccatoribus occiditur quaſi blaſphemus, ſicut ſcriptum eſt in euangelio.

Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram confirmationem ſcripta ſunt, vt per patientiam & exhortationem ſcripturarum, ſpem habeamus.) Manifeſtum eſt, quia quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram diſciplinam ſcripta ſunt, vt ex ipſa exhortatione proficiamus ad ſpem, non diffidentes de promiſſis ſi adhuc tardent. *Deus autem patientiæ & cõſolationis det vobis vnum inuicem ſapere ſecundum Ieſum Chriſtum, vt vnanimes vno ore honorificetis deum & patrem domini noſtri Ieſu Chriſti.*) Quaſi ad ſalutem miſſus Apoſtolus bono voto plebem proſequitur, optans vt deus det eis vnum ſenſum ſapientiæ ſecundum Ieſum Chriſtum, vt iuxta doctrinam Chriſti ſapiant. Tunc enim poterunt dilectionem ſeruare exemplo domini, dicentis: Maiorem hac dilectione nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat pro amicis & fratribus ſuis. & ita vno ore, vna confeſſione laudare deum patrem in Chriſto, ſi inuicem ſe iuxta ſenſum Chriſti fuerint exhortati: vt ſine ceſſatione laudent deum: omnia quæ fecit per Chriſtum: & poſt errorem lapſa per eundem iterum erigere & reformare dignatus eſt, duplex dans beneficium, miſericordiam & cognitionem. *Propter quod aſſumite alterutrum, ſicut & Chriſtus aſſumpſit vos in honorem dei.*) Sic aſſumpſimus à Chriſto, dum infirmitates noſtras accepit, & ægritudines noſtras portauit, vt hoc exemplo nos inuicem noſtras infirmitates per patientiam confirmemus, vt nomen honoris dei aſſumptum in nos non euacuetur. Filij enim dicimur dei per gratiam Chriſti. *Dico enim Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem dei in hoc vt confirmaret promiſſiones patrum.*) Originem commendat Iudæorum. In circumciſione enim filios ſignificat Abrahæ. quibus miſſus Chriſtus miniſtrauit patribus gratiam repromiſſam. Vnde Saluator: Ego enim ſum, inquit, in medio veſtrum, non vt miniſtrer, ſed vt miniſtrem. vt veritas in promiſſione facta patribus probaretur. Circunciſio enim carnis data eſt Abrahæ in figuram circunciſionis cordis, quam poſtea propheta futuram ſignificauit, dicens: Circuncidite duritiam cordis veſtri. Huius verbis circunciſionis promiſſæ miniſter Chriſtus eſt, hoc eſt, prædicator. Dehinc apoſtolis, vt circunciſis carne miniſtraret cordis circumciſionem, ſic ait: Sicut me miſiſti in hunc mundum, ita & ego miſi eos in hunc mundum. Circũciſio autem cordis eſt, ſublata erroris nebula agnoſcere creatorẽ, deum patrẽ, & filiũ eius Chriſtũ, per quem creauit omnia, vt veritas dei impleretur. Promiſerat enim daturũ ſe miſericordiam & promiſerat patribus Iudæorum. Nam dixerat Abrahæ: In ſemine tuo benedicẽtur omnes gentes. Et ad Dauid dixit:

A De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem meam. &, Orietur ſtella ex Iacob. *Gentes autem ſuper miſericordiam honorare Deum.*) Quia enim his nulla promiſſio erat: quaſi indigni, per ſolam miſericordiam aſſumpti ſunt ad ſalutem, vt per confeſſionem honorent deum, quia increduli inhonorent. *Sicut ſcriptum eſt: Propter hoc confitebor tibi in gentibus & nomini tuo canam.*) Exemplo prophetico probat. Scriptum eſt enim in pſalmo decimo ſeptimo gentes admittendas ad gratiam dei ad percipiendam ſalutem. Vox enim Chriſti eſt, qua futurum dixit quòd in gentibus prædicatio eius fructum habitura eſſet confeſſionis ſacramenti dei. ideo gratias ex hoc agit filius obedientiæ gentium. Vnde in euangelio ait: Confitebor tibi pater, domine cœli & terræ, qui abſcondiſti ea à ſapientibus & prudẽtibus, & reuelaſti ea paruulis, quoniam bonũ placitum ante te. Cõfeſſio ergo iſta vnius dei eſt in trinitate, ex qua ſurgit lętitia, vt poſt veri cõfeſſionem lætus decantet miſericordiam & donum dei. *Et iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe eius.*) Hoc in cantico

B Deuteronomij. *Et iterum dicit: Laudate omnes gentes dominum, & magnificate eum omnes populi.*) Hoc in pſalmo centeſimo decimo ſexto. Olim decreuiſſe deum oſtendit interueniente miſericordia ſua concordes facere Iudæos & gentes, vt gratiam adepti gentiles ſocij fierent Iudæorum, qui & ipſi olim dono dei plebs eius erat nominata. Sed iam nobiles Iudæi, hi verò ignobiles, per miſericordiam nobilitati ſunt, vt ſimul omnes lęti ſint agnitione veritatis, & laudantibus gentibus deum magnificent omnes populi, duodecim tribus vnum deum qui auxit numerũ plebi ſuæ adiũctis gẽtibus. Denique cùm diſceptarent Iudæi contra apoſtolũ Petrũ cauſa Cornelij, reddita ſibi ratione quieuerunt magnificantes dominum, dicentes: Forſitan deus & gentibus pœnitentiam tribuit ad conſequendam vitam. *Eſaias dicit: Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere gentes: in eum gentes ſperabunt.*) Vt maiorem fiduciam gentibus faciat, ſpem non dubiam multis teſtimoniis firmat decretum dei hoc fuiſſe, vt omnes gentes benedicerentur in Chriſto, ne inſolentia infidentium * Iudæorum contriſtaret & dubios redderet credentium animos gentium, quaſi fruſtra ſibi ſpem promittant, quod à deo Abrahæ accepto feratur fides Iudæorum, vt ipſa lætitia & ſecuritate creſceret. Quare tamen Chriſtus ex radice Ieſſe, & non ex radice Booz viri iuſti, aut ex radice Obed? Sed quia Dauid filius dicatur propter regnum, vt ſicut ex deo natus in regem eſt, ita & ex Dauid rege ortum haberet iuxta carnem, ideo radix Ieſſe arbor Dauid, quæ fructum fecit per ramum qui eſt Maria virgo, quæ genuit Chriſtum. *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe & virtute ſpiritus ſancti. Certus ſum autem fratres & ego ipſe de vobis, quia & ipſi plenı eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere.*) Hæc exhortationis ſunt. Per laudem enim prouocat eos ad meliorem & intellectum & vitam. Qui enim videt ſe laudari, data opera elaborat vt vera ſint quę dicuntur. Ideo nõ dixit vt inuicẽ ſe doceant, ſed admoneant. Hoc enim ſolet moneri quod cũ ſciatur, aliquãdo ſubterfugit animo aut negligẽter habetur. Cætera non ſunt obſcura, vt indigeant explanatione. *Audacius autem ſcripſi vobis fratres ex parte tanquam in memoriam vos reducens propter gratiam quæ data eſt mihi à deo, vt ſim miniſter Chriſti Ieſu in gentibus, ſanctificans euangelium dei, vt fiat oblatio gentium accepta & ſanctificata in ſpiritu ſancto.*) Non enim temerè ſe ſcripſiſſe ſignificat, authoritatem ſibi datam per dei gratiam dicens, vt omnibus gentibus audeat ſcribere, admonens & confirmans propoſitum eorum in Chriſto, vt ſolicitudinem ſuam oſtendat in miniſterio euangelij quaſi magiſter gentium, & ſacrificium eorum poſſit acceptum fieri ſanctificationis cauſſa in ſpiritu ſancto. Quicquid enim fide integra & mẽte ſobria offertur, à ſpiritu ſancto purificatur. *Habeo igitur gloriam in Chriſto ad deum, non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam gentium verbo & factis, poteſtatem ſignorum & prodigiorum in virtute ſpiritus ſancti.*) Gloriam habere ſe dicit apud deum per Chriſtum Ieſum. Credens enim & ſeruiens Chriſto Ieſu in conſcientia pura, meritum ſibi fecit apud deum patrem, intantum vt nihil deeſſe dicat

Pſal 131. Num. 24.

Pſalm 17. 2. Reg 22.

Matth 11.

Deut. 32.

Pſal. 116.

Actor. 11.

Eſaiæ 11.

* al inuidẽtiam.

quod non per illum operatus sit Christus ad exhortationē gentium, dando signa & prodigia per manus eius, vt prędicationem eius virtus commendaret. Hinc est vnde gloriam se ostendit habere in Christo ad deum. Seruiens enim Christo gloriam habet ad deum, intantum vt indigere non habeat aliquid diuinæ virtutis, quod sibi præstitum non sit à deo: sed omnia se, quia idoneus inuentus est dispensator, cōsecutum, quę ad conuersionem gentium per signorum virtutē proficerēt, profitetur: quod eò proficit, vt se nō minus potuisse probet quàm cæteri apostoli qui fuerant cum domino, nec aliquid minus inter gentes virtutum operatū esse deum, vt per hoc ipsum crescant, videntes hanc se gratiam assecuros, quam assecuti erant Iudæi, qui sibi prærogatiuam vindicant patrum. *Ita vt ab Hierusalem in circuitu vsque Illyricum repleuerim euangelium dei, & filij eius Iesu Christi. Sic autem hoc prædicaui euangelium non vbi nominatus est Christus, ne supra alienum fundamentum ædificarem.*) Non sine caussa illic se prædicare niti dicit, vbi non nominatus est Christus, sciēs pseudoapostolos aliter quam oportebat Christum tradere. Ad hoc enim circumibant, vt sub nomine Christi aliis dogmatibus populum manciparēt: quod postea corrigere maximi erat laboris. Idcirco pręuenire voluit, vt inuiolatæ prædicationis verba traderet audientibus, & integra linea superficies ordinata, incolumis fundamenti robur haberet. Et quia magister datus est gentibus, oportebat eum solicitè hoc curare, vt illic doceret vbi Christus non fuerat nunciatus, & vt authoritatem suam firmaret, & laborum suorum plenum fructum haberet ex iis quos plantauerat. Hinc est vnde omnia loca ecclesię occupauit. Hæreses enim postea subtilitate malignantes, sub nomine Christi legis & fidei sensum corrumpere nitebantur. Quod testimonio legis monuit, dicens. *Sicut scriptum est: Quia quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent,*) In Esaia habetur. Vt ergo hic intellectus verus atque inuiolabilis esset de vero dei filio, se festinasse semper dicit imbuere gentes euangelica veritate. *Propter quod impediebar plurimum venire ad vos, nunc verò vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis, cùm in Hispaniam proficisci cœpero, videbo vos, & à vobis præmitti illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.*) Quod in capite epistolæ memorat, dicens: Quia sæpe, inquit, proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc: nunc absoluit, ostendens qua caussa impeditus sit, vt volens venire aliud ageret quod imminebat, vt excluderet pseudoapostolorum praua commenta: & denique postquam omnibus in circuitu prædicauit, iam vacare sibi dicit venire Romam, quod olim optauerat. Romanos igitur, quia in lege inducti fuerant, interim per epistolam corrigit. Illos autem qui non audierunt adhuc prædicationem, vtilius esse præsentia sui doceri, vt fundati recta fide difficile aliud aliquid reciperent. Venturum tamē se promisit tempore quo ad Hispaniam erat iturus, quia illic Christus non erat prædicatus, vt occuparet mentes illorum. Et quia pseudoapostolis difficile fuit iter ad illos, ideo tardius si iret, non erat molestum. *Nunc verò proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Hierosolyma.*) Prius tamen iturum se dicit ministrare sanctis Hierusalem: per quam rem Romanos scire vult, quia huiusmodi operibus studendum est. Qui enim per misericordiam viuunt, & iustificati sunt apud deum, huic inseruire debent. *Debitores enim sunt eorum: quoniam si spiritalium eorum participes factæ sunt gentes, debent & in carnalibus ministrare eis.*) Quippe cùm debitores eos dicat Iudæorum credentium, vt sicut in spiritalibus participes eorum facti sunt, ita & hi communicent corporalibus necessitatibus illorum, vt gaudentes ex Iudæis credentes collaudent prouidentiam dei in salutem ipsorum per ministerium eorum. Hi enim totos se diuinis dedentes obsequiis, & nihil mundanum curantes, exemplum bonæ conuersationis præbebant credentibus. Intantum denique nos humanos & misericordes vult esse apostolus, vt & debitores nos dicat circa eleemosynam largiendam, & bonis operibus exercendum cum

Esaiæ.52.

Rom.1.

alacritate cordis: quia qui misericordiam à deo sperat, debet esse misericors, vt probet se rectè hanc sperare: quia si homo miseretur, quantò magis deus? Retributio enim hæc est vel merces, vt qui accipiunt misericordiam, misericordiam faciant. Vnde dominus, Beati, inquit, misericordes: ipsorum enim miserebitur deus. *Hoc igitur cum consummauero, & assignauero eis fructum hūc, proficiscar per vos in Hispaniam. Scio enim quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam.*) Certus de dispositione & gratia dei, promisit se in abundantia benedictionis venturum quam prędicat Christi. Benedictio autem hæc signorum virtus est per quam confirmati sunt. *Obsecro ergo vos fratres per dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem spiritus sancti, vt solicitudinem impartiamini mihi in orationibus pro me ad dominum, vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa.*) Dehinc orat vt adiuuetur in orationibus vt euaderet manus Iudæorum infideliū: non quia ipse minus mereatur, sed ordinē sequitur, vt ab ecclesia fiat oratio pro rectore suo. Multi enim minimi dum congregātur, vnanimes fiunt magni, & multorum preces impossibile est vt non impetrent. Si ergo & ipsi cupidi sint videndi apostolum, impensius orent vt inde liberatum possint suscipere illum in gaudio charitatis. *Et munerum meorum oblatio accepta fiat in Hierosolyma sanctis vt veniam ad vos cum gaudio per voluntatem Iesu Christi, & refrigerer vobiscum.*) Etiam hoc orandum dicit vt ministratio munerum eius accepta fiat sanctis in Hierusalem, & omnia cum voluntate dei facere se ostendat, vt quia deuotus est animus eius ad ferenda munera, etiam illorum animo dei iudicio respondere sibi vult, vt intellecta charitate illius erga se cum illo vnanimes deo gratias agāt. Magnus enim profectus est ei cuius ministerio læti effecti, deum laudibus prosequuntur. *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, amen.*) Deus pacis, Christus est, qui ait: Pacem meā do vobis, pacem relinquo vobis: quem optat esse cum his, sciens dixisse Iesum: Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Tales ergo istos cupit esse, vt sit cum illis dominus Christus Iesus, qui amputata omni discordia erroris humani dedit, ac ostendit quid sit verum vt in ipsa veritate maneant pacifici.

Ioan.14.

Matth.28.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.



Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est ministra ecclesiæ apud Cenchris, vt eam suscipiatis in domino dignè sanctis, & assistatis illi in quibuscunque desideranerit vestri: etenim ipsa quoque astitit multis, & mihi.) Phœben venientem commēdat sororem communem, id est, de lege, quam vt meritò commendet, ait hanc ministram esse ecclesiæ Cenchris: & quia multis adiutorio fuit, dignè ipsam dicit adiuuandam peregrinationis causa. Vt autem sine intermissione excipiendam illam & assistendum illi in necessitate, si peruenisset, suaderet, etiam sibi illam affuisse testatur: vt quantò sublimior persona eius cæteris sit, tantò magis reddere huic debitum obsequium per charitatem ostenderet. *Salutate Aquilam & Priscillam adiutores meos in Christo Iesu, qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt: quibus non solum ego gratias ago, sed & cunctæ ecclesiæ gentium, & domestica eorum ecclesia.*) Hi ex Iudæis fuerunt, qui credentes facti sunt socij laboris apostoli, quia rectè crediderant, vt etiam ipsi exhortarentur cęteros ad fidem rectam. Denique Apollo quamuis fuerit exercitatus in scripturis, ab his tamen viam domini diligentius instructus est, ideo socios laboris sui dicit eos, sed in Christo Iesu. Cooperarij enim eius fuerunt in euangelio dei. Aquila vir Priscillæ est, quos non ociosè Romam venisse manifestum est. Propensiores enim erant in dei deuotione. Nam ad confirmationem Romanorum, ij omnes quos salutat, his fuisse intelliguntur. Vnde dicit non solum se, sed & omnes gentium ecclesias gratias his referre, tangens & Romanos, vt his obediant, quos ad profectum gentium audiunt laborare ad exhortandam fidem in Christo. Quos intantum laudat, vt pericula pati pro eo non

1877

eo non abnuerent. Inimicitias enim & Iudæorum & falsorum fratrum subire non aspernati sunt, dummodo apostolum obsequiis & charitate iuuarent. Falsi fratres ij erant, qui credentes in Christum, legem tamen seruandam docebant, non sufficere ad plenum salutis effectum Christum putantes: quod Apostolus destruebat: quare & persecutiones ab his patiebatur. Horum etiam domesticos & vernaculos salutat, quos ecclesiam appellat, quia sanctorum vicorum erant discipuli circa fidem. *Salutate Epæ netum dilectum mihi, qui est primitiuus Asiæ in Christo.*) Huius Epæneti etiam præsentem dignitatem non tacet, vt ostendat & dignitosos credere, & inuitet primos Romanorum ad fidem, aut certè humiles crescerent. *Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis.*) Commonet hos nomine Mariæ quam intelligimus ad exhortationem illorum impensius laborasse, vt gratias illi agant. *Salutate Andronicum & Iuliam cognatos & concaptiuos meos qui sunt insignes in apostolis, qui ante me fuerunt in Christo Iesu.*) Hos cognatos & iuxta carnem & secundum spiritum, quomodo & angelus dixit ad Mariam: Ecce Elizabeth cognata tua &c. quos etiam apostolis prioribus obsecutos cum testimonio sui declarat, & secum per captiuitatem passos fidei caussa, ideoque istos plenius honorandos. *Salutate Ampliandum dilectum mihi in Christo.*) Hunc quasi amicum salutat, sed in domino amicum, non tamen qui interfuerit labori eius aut captiuitati. *Salutate Vrbanum adiutorem meum in Christo.*) Non solum istum suum adiutorem dicit, sed & cæterorum fuisse socium in exhortatione credulitatis. *Stachin quoque dilectum meum.*) Hunc Stachin quamuis dilectum vocet, tamen subiicit illum Vrbano participi operis euangelici. *Salutate Apellem probum in Christo.*) Hunc Apellem non quasi amicum suum aut participem operis salutat, sed propter quod tentationibus probatus est, & in Christo fidelis inuentus. *Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo.*) Aristobolus iste congregator fuisse intelligitur fratrum in Christo: cuius factum sic probat, vt eos quos congregabat, dignos salutatione sua designet. *Salutate Herodionem cognatum nostrum.*] Hunc quem cognatum tantum vocat, ostendit deuotum in charitate renascibilitatis, non tamen vigilantiam illius designat. *Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in domino.*] Narcissus hic illo tempore presbyter dicitur fuisse, sicut legitur in aliis codicibus. Et quia præsens non erat, videris qua caussa eos in domino salutet vt sanctos qui ex eius erant domo. Hic autem Narcissus presbyter officio peregrini fungebatur exhortationibus firmans credentes, & quoniam non sciebat Apostolus merita illorum qui cum illo fuerant, sic dixit: Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo in domino, hoc est, quos scitis dignos esse ex his salutatione mea, qui in domino posuerunt spem suam, illos salutate nomine meo. *Salutate Triphænam & Triphosam, quæ laborant in domino.*) Has vno honore dignas declarat in Christo. *Salutate Persidem charissimam, quæ multum laborauit in domino.*) Ista anteposita videtur supradictis, quia multum laborauit in domino. Labor hic in exhortatione est, & in ministerio sanctorum, & in pressura, & in egestate propter Christum, quia domus suas relinquebant fugati, & opprobrio erant infidis. *Salutate Ruffum electum in domino, & matrem eius & meam.*) Ideo istum Ruffum præposuit matri propter electionem administrationis gratiæ dei, in qua mulier locum non habet. Electus enim erat. id est, * promotus à domino ad res eius agendas. Matrem tamen tam sanctam habuit, vt Apostolus suam quoque matrem hanc vocaret. *Salutate Asyncletum, Phlegontam, Herman, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt fratres.*) Hos simul salutat, quia sciebat eos esse concordes in Christo, hoc est, iunctos in amicitiam Christianam. Salutat simul & fratres qui erant cum eis, quorum nomina prætermisit. *Salutate Philologum, & Iuliam, & Nereum, & sororem eius & Olympiam, & omnes qui cum eis sunt sanctos.* Hi omnes vnanimes intelliguntur fuisse, quos hac caussa simul salutat quorum meritum ex iis qui simul cum eis erant dinoscitur. Sanctos enim nuncupat eos, vt meritò illos salutare videatur. *Salutate vos inuicem in osculo sancto.*) Omnes quibus scribit & quos nominat, iubet salutare se inuicem in osculo sancto, id est, pace Christi, non
A in desiderio carnis, sed in spiritu sancto, vt religiosa sint oscula non carnalia. *Salutant vos omnes ecclesiæ Christi.*) Per hoc intelligitur dici ecclesiam, quæ non sit Christi. Vnde & Dauid conspirationem iniquorum ecclesiam malignantium vocat. Omnium ergo locorum illorum ecclesias dicit eos salutare, vt crescant in fide Hoc ergo ad superiorem sensum retulit, vt ostendat Christum esse in quo salus est, & hunc esse cuius populus fidelis est, & cuius nutu viuit cuncta creatura. Author enim vitę hic est, sicut dicit Petrus apostolus, non lex in qua quidam illorum putabant sperari debere. *Oro autem vos fratres vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula præter disciplinam quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Hi enim tales Christo domino nostro non seruiunt, sed suo ventri, & per illecebras ac blandimenta sermonum deprauant corda innocentium. Vestra enim obedientia in omni loco diuulgata est.*) Hoc in loco de personis rupit pseudoapostolorum, quos in tota epistola cauendos monuit, sicut & nunc, sed sine manifestatione traditionem illorum compressit. Hi enim co-
B gebant credentes Iudaizare, vt dei beneficium circa se manirent, sicut supra memoraui. Compositis enim genealogiæ verbis tractatus sibi coaptabant ad commendationem traditionis suæ, per quos simplicium corda deciperent. Vestra enim obedientia, inquit, in omnem locum diuulgata est: hoc est quod in primordio epistolæ dicit, quia fides vestra prædicatur in vniuerso mundo: hoc significat, quod securus sit de obedientia eorum. Erat enim incredulum quod se subiicerent post cognitam veritatem rei stultæ quasi prudentes. *Gaudeo igitur de vobis.*) Et hic sensus de superiore parte epistolæ est. Gaudet enim, quia Romani qui regnum habere videntur, subiecerunt se fidei Christianæ. *Volo vos proficere vt eruditi sitis in bonum, rudes verò in malum.*) Eruditus in bono hic est, qui bona operatur. Rudes autem in malum ij sunt, qui ignorant opera mala, id est, vsum malitiæ nesciunt. *Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.*) Ideſt breui. Hoc de aduentu suo dicit, quia aduen-
C tus eius opprimeret diabolum ob hoc quod isti spiritalem gratiam accepturi erant: cui rei inuidet Satanas, quia vult homines permanere in errore, vt discrepent cùm sint vnius professionis. *Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum.*) Gratiam quam promisit illis in aduentu suo, iam optat esse cum illis. Si enim merentur accipere iam cum illis in spe. *Salutat vos Timotheus consors laborum meorum, & Lucius & Iason & Sosipater, cognati mei.*) Timotheus consors laborum eius est quasi coepiscopus, & cum magna solicitudine ecclesiam gubernabat positus in inuidiam Iudæorum, vsque adeo vt inter initia circumcideretur propter scandalum Iudęorum, vt quia matre Iudęa erat, doctor esse non posset incircunciſus. Illos verò cognatos dicit, partim generis, partim fidei caussa. *Saluto vos ego Tertius qui hanc epistolam scripsi in domino.*) Tertius nomine, non numero, hic est scriba epistolę, cui concessit suo nomine salutare plebem Romanam, ad quam scribit, vt cęteros salutent quos nominat. Adhuc enim rectores ecclesiis paucis erant in locis. *Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersæ ecclesiæ.*) Hic est Caius, vt
D arbitror ad quem scribit Ioannes apostolus, exultans in charitate eius quam exhibebat fraternitati, præbens sumptus illis necessarios. Et cùm superius dicat, Salutant vos omnes ecclesiæ Christi: nunc iterat dicens: Salutant vos vniuersæ ecclesię: quod puto non ociosè iteratum. Nihil enim tantus vir & tam tractabilis superfluum ponebat. Sed quia salutãt vos, inquit, omnes ecclesiæ Christi, id est, omnes sancti, sicut alio loco dicit: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt: nunc subiecit etiam hos salutare qui sequentes sunt, vt benedictum populum significet ecclesiæ, quia in omni ecclesia duo sunt populi. Potest & duarum prouinciarum nominasse ecclesias, vt primum vnius, deinde alterius loci dixisset omnes ecclesias, aut certè Iudæorum & gentilium. *Salutat vos Erastus, dispensator ciuitatis, & Quartus frater.*) Dispensator ciuitatis est quasi curator, qui dictante iustitia gubernabat ciuitatem, maximè in preciis moderandis. Hos omnes ideo nominatim enumerat in salutatione Romanorum, vt scirent quales & quanti congaudent

bono cœpto illorum. *Ei autem qui potest vos stabilire secundum euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij quod temporibus æternis in silentio fuit, manifestatum est autem nunc per scripturas propheticas secundum imperium æterni dei, ad obedientiam fidei in omnes gentes cognitum, soli sapienti deo per Iesum Christum, cui gloria in secula seculorum: Amen.*) Deo patri ex quo sunt omnia, dat gloriam, vt cœptum Romanorum, quia potens est, dignetur implere, confirmando in fide animas eorum ad profectum euãgelij, & reuelationem mysterij absconditi à seculis, manifestati autem per Christum, vel in Christo. Sacramentum enim quod latuit semper in deo, temporibus Christi declaratum est, quia nõ singularis est deus, quia est apud illum ex æternis & sermo & paracletus, in qua veritate omnem creaturam decreuit saluam fieri per agnitionem. Cuius quidem sacramenti veritas per prophetas fuerat designata figuris quibusdam, soli deo cognitum sapienti: cuius gratiæ participes voluit esse gentes, quod latuit genus hominum. Solus ergo est sapiens, quia ab ipso est omnis sapientia, sicut dicit Salomon: Omnis sapientia à domino deo est, & cum ipso fuit semper. Sapientia ista, Christus est: quia de ipso est: & cũ illo erat semper, per quem ipsi gloria in secula seculorum. Amen. Ideo nihil sine Christo plenum, quia per ipsum sunt omnia: qui cùm agnoscitur, datur deo patri laus per ipsum, quia intelligitur per Christum, quasi per sapientiam suam in qua saluos facit credentes. Gloria ergo patri per filium, hoc est, ambobus gloria in spiritu sancto, quia vterque in vna gloria est. *Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis: amen.*] In conclusione Christum ponit, per quem facti, & iterum reformati sumus gratia eius, vt mentibus nostris hæreat: quia si beneficiorum eius memores simus, semper nos tuebitur, sicut dixit: Ecce, inquit, ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.

Eccli.1.

Matth.28.

Diui Ambrosij
MEDIOLANEN. EPISCOPI,
Commentarij in Epistolam beati Pauli ad Corinthios primam
Præfatio.

PRæcepto domini admonitus apostolus resedit apud Corinthios annum vnum & menses sex, docens inter eos verbum dei. Hinc est vnde magna cum fiducia & charitatis affectu agit cum eis, aliquando commonens, aliquando arguens, aliquãdo blandiens vt filiis. Nam multæ causſæ sunt propter quas scribit ad eos. Quarum prima hæc est, quòd more hæreticorum dissentientes ab inuicem, hominibus deuoti, Pauliani, & Petriani, & Apolloniaci dici volebant, non Christiani: quod valde exprobrat apostolus. Erant tamen inter eos qui ab his dissentirent, Christo soli dicati. Secunda hæc est, quia eloquentia delectari cœperant & terrena philosophia, vt sub nomine Christi iis imbuerentur quæ contraria sunt fidei. Tertia, eò quòd inflati essent quòd non iret ad illos Apostolus. Quarta, propter fornicatorem quem inter se esse patiebantur. Quinta, vt commoneret de præterita epistola, quam ante hanc quæ prima dicitur scripserat. Sexta, quia inuicem sibi iniurias & fraudes faciebant, & infidelium potius examina requirebant. Septima causſa est, in qua designat licere sibi sumptus accipere, sed contẽnere, ne forma esset rapacibus pseudoapostolis. Octaua verò est, vt respõdeat epistolæ illorum. Perturbari enĩ cœperãt ab hęreticis de matrimoniis. Nona est, in qua declarat sic debere vnum quẽque manere vt credidit. Decima autẽ de virginibus, eò quòd nihil sit sibi præceptum. Et reliquæ sunt causſæ quæ in corpore videbuntur.

A

B

C

D

CAPVT PRIMVM.

PAulus vocatus apostolus Christi Iesu per voluntatem dei.) Ad Romanos aliter cœpit, quia altera causſa est: Hic verò apostolũ se esse Christi Iesu dei voluntate scribit, quia omnia quæ egit, filij dei egit voluntate, qui dixit ad Paulum: Vade, ego longè ad gentes mittam te. Hinc vocatus est apostolus, hoc est, dei voluntate missus ad gẽtes. Per quod etiam tangit illos quos neque Christus miserat, neque verum erat quod docebant. Deũ enim & Christum ideo frequenter nominat, vt Christum deum non ipsum patrem ostendat, sed esse Christum filium, esse & deum patrem, non vnionem cùm ostenditur filium dici. Multæ enim sectæ emerserant, quæ euangelium Christi pro sensus sui arbitrio asserebant, ex quibus rami aridi extant nunc vsque, quarum assertores ecclesias euertebãt. Hinc apostolus omnia quæ hæresibus contraria sunt ponit, ac se verum prędicatorem per id quod à Christo dei volũtate missus est, asseuerat. *Et Sosthenes frater.*) Etiam istum sua commendat sotietate. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu.*) Propterea ecclesiæ scribit, quia adhuc tunc singulis ecclesiis rectores non erant constituti. Et cùm in multis arguat eos, ait: Sanctificatis in Christo Iesu. Sed ideo quia regenerati in Christo, sanctificati sunt: post autem cœperant malè conuersari, vt ostenderet omnem ecclesiam sanctificatam fuisse in Christo, sed quosdam illorũ praua doctrina pseudoapostolorum euersos à traditione veritatis. *Vocatis sanctis.*) Hoc est, vocati estis vt sancti sitis: quòd est, vt non recedatis à regula sanctificationis. *Cum omnibus qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum & nostro.*) Id est, cùm Iudæis veris iungit & gentes, quia salus ex Iudæis est, vt in omni loco vbi gentes quæ inuocant nomen domini nostri Iesu Christi, & vbi Iudæi supra memorati sunt, similiter sint omnes vnum. Pseudoapostoli enim qui nomen Christi per prudentiam mundi prædicabant, id est, admixta philosophia, veterem legem & prophetas reprobant. Negabant enim Christum verè crucifixum, sed tantum visum crucifigi, sicut Marcion & Manichæus. Vnde Apostolus: Nos autem, inquit, prædicamus Christum crucifixum. Neque carnis resurrectionem fatebantur, quod propheta Esaias clamat, dicens: Qui in monumentis sunt, resurgent. *Gratia vobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.*) Ne quia dixerat: Qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi: patris aut nomen aut donum tacuisse videretur, & suspicionem fortè aut occasionem daret vnionis, docet quidem Christum rite inuocandum, sed omnem gratiam esse patris, vt & duos qui vnum sunt, per diuinitatem ostenderet & patris authoritatem præferret. *Gratias ago deo meo semper pro vobis.*) Quanquàm omnibus in ecclesia scribat, sed ita significat cùm aliquando corripit, aliquando laudat, vt vnusquisque cum epistola legitur, intelligat quid pro se, quid aduersum se dicatur. In vna enim plebe duobus populis scribit, vt cùm arguit, qui malè conuersantur, sciant sibi hæc scripta. Similiter & cùm laudat, sciat qui in regula manet, ad se hoc dici. Ideoque, inquit, Gratias ago deo meo semper pro vobis. Super gratia dei quę data est vobis in Christo Iesu. Datam dicit gratiam à deo in Christo Iesu, quæ gratia sic data est in Christo Iesu, quia hoc constitutum est à deo, vt qui credit in Christum, saluus sit sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum. *Quia in omnibus ditati estis in ipso, in omni verbo, & in omni scientia.*) Hoc significat, quia in accepta gratia & in verbo veritatis doctrinæ scientiam spiritalem assecuti permanserunt: ideoque gratias agit in his Deo. *Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.*) Testimonium Christi confirmatum est in his, quia roborati in fide nihil de hominibus sperabant, sed omnis spes illorum in Christo erat, nullis voluptatis illecebris capti. *Ita vt nobis innullo desit aliqua gratia expectantibus reuelationem domini nostri Iesu Christi.*) Manifestum est hunc expectare diem iudicij qui circunspectus sollicitus est. Futurum iudicium dei dicit, in quo dominus noster Iesus Christus reuelabitur tam fidis quam infidis vt cognoscant

A

1880

1.Cor.1.

Esa.26.

Ioan.4.

sciant increduli, ac sciant verum esse quod credere noluerunt, & pereant: fidi verò gaudeant plus boni inuenientes quàm putauerant. *Qui & confirmabit vos vsque ad finem sine crimine in aduentu domini nostri Iesu Christi.*) Alacri animo confisus de spe illorum, securus est quia inuiolati vsque ad futurum iudicium erunt. Qui enim inter tot discrimina sensuum & perturbationes diuersitatum immutari non potuerunt, proculdubio in eodem mansuros se ostendunt. Cum hos laudat, illos qui errore Pseudoapostolorum deprauati fuerant, inuitat. Dum enim horum fidem prædicat, illos ad pœnitentiam vocat. *Fidelis deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi, domini nostri.*) Quis ambigat de promissis & fide dei, quia non erit aliter quàm dixit, filios nos adoptatos sibi, credentes in Christū? Hoc enim nobis donat quod credimus, vt quia credimus Christum filium esse dei, hoc nos esse incipiamus mansuri in eadem dignitate, sicut manet Christus quem credimus filium dei. Societas enim fraternitatis est, vt quomodo fidem dei incolumem in hac causa nobis futuram ostendit, ita nos non diffidentes & perfidi inueniamur, sed perseuerantes in adoptione.

Obsecro autem vos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes.) Omnes nunc orat vt vnum sentiant, hoc vtique in quo renati dei filij appellati sunt. Ad omnem enim ecclesiā modo loquitur, vt ij qui dissentire cœperant, reuerterentur ad cœptam fidem, quam videbant in his laudari qui in illa perseuerabant. *Et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.*) Perfectos vult eos esse in eodem sensu quem illis tradiderat, vt non discrepарent. Ad illorum enim exemplum quos supra laudat, hos prouocat vt hoc sentiant ac defendant.

Perlatum est enim mihi de vobis fratres ab iis qui sunt Chloes.) Quāuis euersi fuerāt, tamē fratres illos appellat, sicut & in Esaia propheta dicit deus ad illos qui secum erant, vt eis qui pseudoprophetis credebant, dicerent: Fratres nostri estis vos: vt per id nō dissentirent ab his, quasi fratres. Quòd autem dicit, Ab iis qui sunt Chloes, aliquibus videntur homines esse manentes & fructificantes in fide Christi: aliquibus videtur locus esse, vt puta si dicatur, Ab iis qui sunt Antiochiæ. Aliquibus autem videtur fœminam fuisse deo deuotam, cum qua multi fuissent colentes deum, quibus fides non negaretur, vt quod deferrent de Corinthiis, verum esset. *Quod contentiones inter vos sint.*) Contentiones inter eos esse dixerunt, vt ostenderent diuersitatem mentis illorum de disciplina dominica. Et quæ esset, subiecit dicēs: *Hoc autē dico, quod vnusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi.*) Errorem ostendit, sed authorum nomina non prodidit. Nec enim in loco stabant, sed circumibant ad euersionem simplicium. Nam hos quos nominat, sine dubio boni erant doctores, sed sub eorum specie falsos apostolos tangit. Si enim in his gloriandum negat, quantò magis in malis doctoribus? quorum doctrinam praua in subiectis significat. Inter eos tamen hos perseueranres designat qui dicebant se Christi esse non hominis: quos superius laudat. *Diuisus est Christus?*) Diuisum dicit Christum, quia gloriam eius homines sibi partiti sunt. Sicut hæretici qui se aut Fotinianos aut Arrianos, aut Cataphrygios, aut Nouatianos aut Donatianos, aut Manichæos vocari non abhorrent, ita & Corinthij diuersorum hæreticorum nominibus subiici cœperant, vt viderentur loco Christi homines venerari, qui dum diuersa de Christo accipiunt, diuidunt Christum. Vnus enim hominem tantum accipit Christum, alter deum purum sine homine vel corpore fatetur, alius dicit per prophetas prædictum Christum, alter negat prophetas de Christo locutos. Cum ergo Christus vnus sit deus & homo, isti, sibi alius aliud eius vindicātes diuidunt Christum, & quia sub nomine suo ecclesias faciunt multas. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?*) Ideo à se cœpit, ne fortè putaretur aliorum ideo refutare personas, vt suam commendaret. Si enim Christus pro nobis, inquit, mortuus est, quomodo gratiam eius & beneficium hominibus imputamus ad eius iniuriam? *Aut in nomine Pauli baptizati estis?*) Si credentes autē, inquit, in Christū baptizamur, vt in nomine eius iustificemur, quid est vt fidei huius homines nobis authores faciamus immemores cœptæ credulitatis?

Gratias ago deo quòd neminem vestrum baptizaui nisi Crispum & Caium, ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati estis. Baptizaui autem & Stephanæ domum, cæterorum nescio si quem alium baptizauerim.) Gratias agit deo, quia non multos ex illis baptizauit, ne quia error sub hac re cœperat, ex nomine eius error esset in plurimis: per hoc arguens & baptizantes & baptizatos, qui ad iniuriam saluatoris baptismatis, eius gratiā hominibus deputabant, illis dissimulantibus gloriæ causa. Sic enim erant sicut nunc Nouatiani & Donatiani, qui baptismum sibi vindicant, à nostris baptizatos reprobantes: & baptiazati ab his gloriātur in personis eorum. Denique Christi nomine abdicato, Nouatianos & Donatianos vocari se gloriantur. Crispus ergo & Caius Corinthij sunt quos ad testimonium nominat, quia sic baptizati sunt ab apostolo, vt nullam illi gloriam ex hac causa dandam assererent. Stephanæ autem domus primitiæ sunt Achaiæ, sicut in postrema parte epistolæ significat: quibus testimonium dat, quia in ministeriis sanctis se constituerant. *Non enim misit me Christus baptizare sed euangelizare.*) Quoniam maius est euangelizare quàm baptizare, ideo non se missum baptizare dicit, sed euangelizare, quia in episcopo omnium ordinationum dignitas est: caput est enim cæterorū mēbrorum. Per quod etiam illos humiliat, quibus illi multum dabant, propterea quōd ab illis fuerant baptizati, vt ex eò scirent non magnū esse baptizare quia nō omnis qui baptizat, idoneus est & euangelizare. Verba enim solennia sunt quæ dicuntur in baptismate. Denique apostolus Petrus credentem Cornelium cum suis iussit baptizari, nec dignatus est ministris astantibus hoc opus facere. Si enim defuissent, ipse hoc egerat necessitate compulsus. Quantò ergo melior his sit quos illi venerabantur ostendit, & non tamen hoc nomini suo decerni permisit, sciēs periculosum esse gloriam dei nominis homini vindicare: est enim quasi idololatria. *Non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi.*) Quia prædicatio Christiana non indiget pompa & cultu sermonis, ideoque piscatores homines imperiti electi sunt qui euangelizarent vt doctrinæ veritas ipsa se commendaret teste virtute, ne hominum versutia & calliditate humanæ sapientiæ acceptabilis videderetur, non veritate, sicut disciplinæ ab hominibus inuentæ, in quibus non ratio, non virtus, sed verborum quæritur compositio: ac per hoc gloriam suam quærit qui fidem Christi verbis exornare vult. Obscurat enim illam splendore verborum, vt non illa sed ipse laudetur. Sicut & pseudoapostoli, ne stulti viderentur prudentibus mundi, in sapientia hominum Christum prædicabant duplici genere, vt & eloquentiæ studerent, & ea quæ mundus in nobis stulta iudicat, euitarent, vt neque incarnatum dei filium, & de virgine natum docerēt, neque carnis futuram resurrectionem, quia mundi istud sapientiæ ratio stultum iudicat: ac per hoc apostolus non se in sapientia hominum dicit Christum prædicare, ne euacuetur crux Christi, quia qui in sapientia hominis Christum annunciant, negant veritatem prædicationis: sicut supra memoraui.

Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est.) Manifestum est quia quibus crux Christi stultitia est, in perditione sunt: infernæ enim morti nō sunt erepti. *His autē qui salui fiūt, virtus dei est.*) Non est obscurum quia iis qui credunt, dei virtus est. Credunt enim non infirmitatē esse crucem Christi, sed virtutem, intelligentes mortem victam esse in cruce: cuius signū qui habent, salui sunt, quia ab illa teneri non possunt. *Esaiæ 29. Abdiæ. 1.*

Scriptum est enim in Esaia: Perdam sapientiam sapientium, & intellectū prudentiū reprobabo.) Perdit sapientiā sapientiū, dū quæ illi negāt posse fieri, facit. Et reprobat intellectū prudentiū, cum deū quē incuriosum dicunt, aggressum probat

ea quæ ſtulta putãt, vt dei filius incarnatus de virgine crucifigeretur pro humana ſalute: quod factũ verè teſtatur virtute, nõ verbis. *Vbi ſapiens, vbi ſcriba? vbi cõquiſitor huius ſeculi?*) His dictis tam in Iudæos quàm gentiles inuehitur, quia & Iudæorum Scribæ & legiſdoctores deum filium habere ſtultum putant credi. Simili modo & gentes iſtud riſui deputant. Sed Iudæi, quia hoc non tam apertè in lege ſignificatum eſt, diffidunt: Gentiles verò, quia mundi ratio non iſtud recipit, (nihil enim dicit poſſe fieri ſine commixtione) ſtultum iudicant. Conquiſitor tamen ſeculi hic eſt, qui à conſtellationibus agi mundum, & duodecim ſignis ortus & occaſus fieri decernit calculis, nihil omnino ſine horum motu putans poſſe fieri. *Nonne ſtultam fecit deus ſapientiam huius mundi?*) Stulta eſt facta ſapientia huius mundi: putans enim ſe ſapere, inuenta eſt imprudens. Quod enim impoſſibile iudicabat, poſſibile declaratum eſt, deum incurioſum ęſtimans. Eſt aliquid hac aſſeueratione ſtultius, vt feciſſe dicatur mundum, & curam eius non agere? Vt quid fecit, ſi non ad illum pertinet quod fecit? Sed quia vident quoſdam feliciter mundo frui, quoſdam deprimi, & bene agentes deſpici, maleuolos gloriari, idcirco incurioſum deum eſſe crediderunt. Qui incurioſum deum eſſe dicit, non negat maleuolum aut iniuſtum. Aut enim iudicaturus eſt mundum, aut iniuſtus eſt diſſimulans de bonis, & patiens fieri mala. Si igitur animaduertant ſepoſito odio diuinæ legis, poſſunt videre cauſſam iſtam à nobis terminari, qui dei iudicium expectamus, in quo depreſſi exaltabuntur, & violenti humiliabuntur: quia non eſt perſonarum
Rom.2. acceptio apud deum. *Nam quia in ſapientia dei non cognouit mundus per ſapientiam deum, placuit deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.*) Non cognouit mundus id eſt, homines deum in ſapientia eius, quia vnicam maieſtatem illius figmẽtis dederunt vel elementis, diſſimulantes de eo, per ſapientiam carnis putãtes hæc debere coli quæ videtur. Propterea placuit deo prædicationẽ ordinare quę illis ſtultitia videretur, vt credentes quæ illi diffidunt, ſalui fierent, illis damnatis. Viciſſitudo ergo hæc eſt, per quam dei conſi-
Num.17. lio falſum à vero damnatur. *Quoniam Iudæi ſigna petunt, &*
Ione.2. *Græci ſapientiam quærunt.*) Iudæi ſigna petunt, quia non diffidunt potuiſſe fieri, ſed an factum ſit quærunt, ſcientes virgam Aaron aridam germinaſſe, & fructum tuliſſe: Ionam à ceto glutitum, in ventre eius tribus diebus & tribus noctibus fuiſſe, & viuum eiectum eſſe. Illud tamen præcipuè quærunt, vt aliquid tale videant, quod vidit Moyſes, deum
Ioan. 9. in igne: vnde dicũt: Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt deus,
Ioan. 11. cũ maius mortuum Lazarum iam fœtidum quarto die viuũ de monumento exiſſe vidiſſent. Græci verò ſapiẽtiam quærunt, quia nolunt audire præterquam quæ mundi ratione poſſibilia ſunt. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidẽ, ſcandalũ gẽtibus autẽ ſtultitiam.*) Scandalũ eſt Iudæis dum audiunt Chriſtum filium dei ſe profitentem, & ſabbatum euacuantem. Gentibus autem ſtultitia, quia ea audiunt prædicari, quæ dum rationi humanæ non congruunt, inſenſata videntur vt partus virginis, & reſurrectio mortuorum. *Ipſis verò vocatis Iudæis atque Græcis, Chriſtum dei virtutem, & dei ſapientiam.*) Suadente virtute, quæ potior verbis eſt, credentes in Chriſtum intelligunt, Iudæi primum qui ſignum quærebant, Chriſtum dei eſſe virtutem, & Græci ſimiliter vident Chriſtum dei eſſe ſapientiam illam autem mundanam quam prius putabant prudentiam, maximam eſſe ſtultitiam. Virtus ergo dei eſt, quia per ipſum omnia fecit pater deus. Sapientia autem idcirco, quia per ipſum cognitus eſt deus. Nec enim poſſet cognoſci deus, niſi per
Lucæ.10. eum qui eſſet de eo, quia nemo nouit patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.

A

B

C

D



via quod ſtultum eſt dei, ſapientius eſt hominibus.) Stultum dei, inquit, non quia verè ſtultum eſt, ſed quia ab hominibus dum rationi mundanæ non conuenit, ſtultum putatur, cùm ſit ratio ſpiritalis: ac per hoc ſapientius dignoſcitur eſſe hominibus, quia ſpiritalia plus ſapiunt quam carnalia. Non enim ſpiritalia per carnalia ſunt, ſed carnalia conſtant per ſpiritalia, ideoque ſubiecta ſunt carnalia ſpiritalibus. *Et quod infirmum eſt dei, fortius eſt hominibus.*) Sine dubio cœleſtia vincunt terrena. Quamobrem infirmum dei non eſt infirmum quia infirmitas Chriſti magna victoria eſt. Vicit enim cùm victus videtur, ſicut ait. Et vincas cùm iudicaris. Victor enim exiPſalm.50. ſtit qui iniuſtè occiditur, reum conſtituens à quo occiditur. *Intuemini enim fratres vocationem veſtram, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.*) Manifeſtum eſt quia rari ſunt qui mundi rationibus inflati magis quàm eruditi ſunt, hoc eſt, qui ſtellarum motus inſpiciunt & diſcernunt. Ipſos autem dicit & fortes ſecundum carnem, quos & prudentes. Et ideo fortes, quia paſſionem crucis Chriſti infirmam aſſerunt. Iniquitas enim fortis & vincere ſibi videtur ad tempus. Ipſi etiam nobiles per quos ſuperſtitionis ſuæ originem antiquitatis aſſignant, nos nouellos dicentes. Non ergo hanc aſſeuerationem elegit deus quæ in paucis eſt. *Sed ſtulta mundi elegit deus, vt confundat ſapientes.*) Stulta mundi ſunt, virginem peperiſſe, & dei filium crucifixum. Credi enim ſtultum hoc putat: ideo deus vt hũc confundat, hos elegit qui hoc credunt, quod hic ſtultum iudicat. Confunduntur enim ſapientes, dum quæ pauci negant, multos vident fateri. Non eſt enim ambiguum multorum ſententias, paucorum anteponi ſententiis. *Et infirma mundi elegit deus, vt confundat fortia.*) Idẽ ſenſus eſt, quia quod pauci infirmum putant ij qui ſe prudentes exiſtimant in ſeculo, diffidentes de ſpe: à multis virtus aſſeritur, quia multi credunt quàm non credunt, ad illorum ruborem. Vident etenim infirma Chriſti nominata, dæmoniis imperare, & prodigia facere. Infirma autem ſunt mundo iniuriæ & paſſio ſaluatoris neſcienti hæc ad virtutem proficere, quia ideo iſta pati ſe permiſit, vt vinceret mortem. Iniuſtè enim pati, & poſſe reſiſtere & nolle, gloria eſt patientis, & damnatio occidentis. *Et ignobilia huius mundi & contemptibilia elegit deus quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret.*) Ignobilia ergo & contemptibilia elegit, non quia verè ignobilia & contemptibilia ſunt, ſed ſic iudicantur à mundo, quia ſpernunt rationes mundanas credendo in Chriſtum, vt ea quæ ſunt verè ignobilia & contemptibilia deſtrueret, quia ipſi magis iudicandi & condemnandi ſunt qui iudicant. Aſſeuerationem enim illorum error inuenit, nec fuit ab initio, noſtra autem diſciplina ab initio eſt. Deſtruitur ergo, dum ſine teſtimonio nudis verbis aſſeritur, noſtra verò non verbis ſolis, ſed & teſte virtute probatur. *Vt non glorietur omnis caro in conſpectu dei.*) Id eſt, vt ſapientia carnis erubeſcat in errore ſuo iudice deo. Senſus enim carnis eſt diffidere dei potentia virginem peperiſſe, quia hoc mundi ratio qui cognatus eſt carnis, non recipit. *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu.*) Ex ipſo, id eſt, ex deo, qui omnipotens eſt eſſe nos in fide Chriſti. Dei enim propoſitum eſt vt veritatem eius & miſericordiam per Chriſtum diſceremus. Veritas eſt myſterium trinitatis. Miſericordia verò, quia cùm eſſemus captiui, redemit nos. Qui factus eſt ſapientia nobis à deo & iuſtitia & ſanctificatio & redemptio.) Ad confirmationem credentium Chriſtum dei voluntate dicit egiſſe quæ geſſit, vt ſciamus verè nos ſapientiam didiciſſe & ſanctificatos eſſe & iuſtificatos & redemptos à deo per Chriſtum. Nemo enim redimit niſi quod ſuum fuerat. Siue ergo quòd redempti ſumus, ſiue quòd ſanctificati, id eſt, ab opere carnis & idolorum immunditia purgati, ſiue quòd iuſtificati. (Iuſtum eſt enim creatorem colere cæteris ſpretis,) ſiue quòd ſapientes per id quod mundanos didicimus imperitos, totum hoc dei beneficium eſt per Chriſtum. Redemptio tamen noſtra hæc eſt. Obtulit enim ſe Chriſtus diabolo cupienti vt peccati ipſe contradictionem auferret, & ſic captiuos eius erueret. *Vt quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in domino glorietur.*) Hoc ſcriptũ eſt in Hieremia propheta. Di- Hier.9. 2.Cor.10.
gnũ eſt quod dicit propheta, vt in domino gloriemur, quia non poterit confundi qui gloriatur in domino. Opera enim eius & magnificentia in rebus geſtis apparent. Ideoque cõfundantur, inquit, in idolis ſuis, qui non pluunt, nec fecerunt cœlum & terram. Simili modo & qui in hominibus gloriantur, quos ſciunt vtique nullius eſſe virtutis. Quare

& ait

& ait scriptura: vana spes est in homine.

CAPVT SECVNDVM.

ET ego cùm venissem ad vos fratres, veni non cum eminentia sermonis aut sapientiæ, prædicans vobis mysterium Dei. Neque enim iudicaui me scire aliquid inter vos nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum.) Quoniam superius gradatim formam disciplinæ nostræ ostēdit, nunc se non aliter illis tradidisse probat, quàm quæ ostēdit, quia & in humilitate sermonis, & stultitia prædicationis, sicut mundo videtur, locutus est illis de Christo mysterium. Quod ideo mysterium vocat, quia quod incarnatum est, occultum erat à seculis apud Deum Deus verbum. Hæreticos autem esse in quibus gloriabantur, quia & per eloquentiam prauam doctrinam commendabant, & prudentiam mundi sectantes, crucem Christi euacuabant, erubescentes stulti appellari à mundo, vt neque natum Christum ex virgine prædicarent, neque verè crucifixum docerent, quia stultum videtur Dei filium natum hominem fateri & crucifixum. Hos & apostolus Ioannes designat dicens: Qui negat Christum in carne venisse, antichristus est: & qui negat filium, nec patrem habet. quia ipsum patrem sibi filium appellatū dicebant. Ex quibus Marcion traxit errorem, qui arguit quæ clausa videntur, quia non illa manifestat, sed intelligi vult ex eo quod prudentia mundi inuenitur, quæ est religioni inimica. Quæ autem sunt quæ corripit, ex eius iudicio vult disci, vt quæque nostra deridet velut stulta, ea se omnia in Corinthiis reprehendere ostendat. Corpus enim ipsum memorat vt ex eo membrorum eius ratio dinoscatur. Corinthiis tamen manifesta erant, quia causas in quibus arguebantur, non ignorabant. *Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos.*) Christum enim in stultitia humanæ sapientiæ prædicans, odium sibi & persecutiones prouocabat, quasi rem vanam annuncians, & inimicam Iudæis atque gentibus. *Et sermo meus & prædicatio mea non in persuasione sapientiæ.*) Ostendit non se vt hominum fauorem acquireret, humanæ sapientiæ placuisse, neque verborum arti studuisse, sed fidem authori exhibuisse, qui doctrinam suam non ornatu traditionis humanæ acceptabilem voluit esse verborum strepitu, sed ipsis rebus, quia res ante verba sunt. *Sed in ostensione spiritus & virtutis Dei.*) Vt quia verbis, quæ infirma iuxta virtutem sunt, res fatuæ comptæ prudentes videntur, Deus prædicationem suam non testimonio verborum voluit commendari, sed virtutis, vt verbi stultitia iudicata factis se sapientium demonstraret spiritali ratione fundata. *Vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos.*) Hoc est inter eos qui crucem Christi virtutis testimonio sapientiam fatentur. Hi enim sapientes & perfecti sunt, qui fidem non magis verbis habent quàm rebus. *Sapientiam autem non huius seculi.*) Rectè ait, sapientiam non huius seculi, sed futuri, in quo veritas Dei negantibus apparebit. Hoc enim seculum rationem hanc non capit infirmitate cogitationis terrenæ. *Neque principum eius qui destruuntur.*) Manifestum est non esse sapientiam hanc principum huius mundi, quia destruuntur ab illa, Christianitas enim errores quos hi inseruerunt excidit, id est, idololatriam, auaritiam, & cætera vitia, sicut dicit Ioannes apostolus: propter hoc venit filius Dei, vt solueret opera diaboli. *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.*) Occultum sensum manifestare se missum testatur, quem neque principes neque potestates scirent, neque mundus audierit, ac per hoc stultum putari, quia incognitum est: Esse autem rationale & salutare teste virtute, cui omnis intentio cedit ratiocinationis humanæ. Abscondita est ergo Dei sapientia, dum non in verbis, sed in virtute est, non humana ratione possibilis, sed spiritus efficacia credibilis. *Quam prædestinauit deus ante secula in gloriam nostram.*) Vsqueadeo vera sapiētia & cū Deo semper fuisse declaratur, vt ante secula prędestinata in gloriā nostrā dicatur quā credimus. Præscius enim Deus errores futuros in mundo quem erat facturus, hoc decreuit ad confusionem illorum qui sibi stultitiam sapientiam facturi erant, ad nostram autem gloriam qui crediturí eramus & credimus. *Quam nemo principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum maiestatis crucifixent.*) Principes huius seculi non solum homines accipiendos Iudæorum ac Romanorum, sed & hos principes ac potestates quos supra dixit, ad quos verè pertinet dictum hoc, aduersus quos nobis colluctatio est, spiritalia nequitiæ in cœlestibus, quia consilio ac voluntate illorum cucifixus est Christus. Denique post tentationes diabolus recessit, ait, vsque ad tempus. Et ipse dominus: Princeps, inquit, huius mundi venit, & in me inuenit nihil. Principes ergo huius seculi per ignorantiam dominum maiestatis crucifixerunt. Nam Iudæorum principes quomodo principes huius seculi possunt intelligi, qui erant subiecti regno Romano? Et neque Romanorum principes crucifixerunt Christum, quippe cùm dixerit Pilatus: Nullam causam mortis inuenio in eo. Vnde & manus lauit dicens Iudæis: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Hi ergo principes crucifixerunt dominum, quos detriumphauit liberè in semetipso, quanuis dicat Marcus euangelista de dæmonibus, Sciebant enim Christum ipsum esse Iesum. Scierunt quidem ipsum esse, sed qui in lege promissus erat: mysterium tamen eius quo filius dei est, nesciebant. Hoc etiam & Petrus apostolus ad populum Iudaicum dixit: Scio fratres quia per ignorantiam * egistis hoc malum, sicut & principes vestri, non tamen huius seculi. Si ergo per ignorantiam serui occiderunt dominum, peccatum eis adscribi non debet. Sed nō licet ignorare. Et quamuis dominum esse nescirent, tamen quia rem impiam faciebant, non erant nescij. Dominus tamen maiestatis crucifixus dicitur, cùm mori nesciat. Sed quia verbum caro factum est, id est, Dei filius incarnatus homo factus est, ipsi adscripta est mors: quia Iudæi non vtique carnem persecuti sunt, sed eum qui operabatur per carnem: ac per hoc quanuis dominus maiestatis mortem ignoret, quantum tamen ad Iudæorum votum pertinet, & ad principem huius seculi, dominum occiderunt in carne. *Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus eum.*) Hoc scriptum est in Elaia propheta aliis verbis. Per hoc exemplum inopinatam rem factam, & quæ non solum in humanum sensum non caderet, sed & cœlestes potentias lateret, Dei scilicet filium incarnatum, vt quòd supra dixerat, firmaret: quia si principes huius seculi Deum hominem factum non intellexerunt, quanto magis homines? Sed si verba offendiculum vel scandalum faciebant, virtutibus tamen & signis fides non debuerat denegari. Infirmitati enim & ignorantiæ humanæ virtus debuerat præponi, & credi quod humanæ rationi impossibile videbatur: ideoque diligentibus Deum, id est, credentibus præparauit donum hoc.

NOBIS verò reuelauit Deus per spiritum suum.) Quia principes seculi hoc ignorabant, Deus hoc per spiritum suum reuelauit credentibus: quia res Dei non potest sine spiritu Dei adisci. Nam non solum hominibus sacramentum istud missum se dicit declarare, sed & principibus & potestatibus in cœlestibus, qui dominum crucifixerunt, vt hoc prædicante in terris, discant qui sunt in carnalibus cœlis, qui degunt sub elementis firmamenti. Hic ergo singularis apostolus est, qui hanc gratiā consecutus est: quia trinitatis mysterium à nullo sic potuit explanari, vnde & vas electionis diuino iudicio vocitatus est. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*) Quia enim de Deo est hic spiritus, omnia nouit Dei. Profunda autem ideo ait, quia omnem virtutem & præscientiam eius nouit: quod omnino creaturæ impossibile est. *Quis enim scit hominum ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?*) Manifestum est cogitationes nostras à nullo sciri, nisi ab animo nostro, quem spiritum dixit. Denique in euangelio inter cætera sic ait: Et spiritus eius reuersus est ad illam. *Sic & quæ in deo sunt, nemo nouit nisi spiritus Dei.*) Hic spiritus dei docuit nos quod scit naturaliter non doctus, & docuit nos de mysterio Christi, quia nō solū spirit' dei est, sed & Christi.

Nos

Ephes. 6.

Luca 4.

Ioan. 14.

Luca 23. Matth. 27.

* gessistis *Actor. 3.*

Ioan. 1.

Esa. 64.

Act. 9.

Luca 8.

NOS autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex deo eſt.) Hinc ſcimus quia ſpiritū qui de deo eſt, accepimus, quia mūdi ſpiritus non poteſt ſcire quæ ab hoc nobis inſinuata ſunt. Spiritus tamen mundi hic eſt, per quem arripiuntur phanatici, qui ſine deo ſunt. Eſt enim inter mundanos ſpiritus potior vnde ſolet coniecturis quę mūdi ſunt diuinare, quem pythonem appellant. Hic eſt qui per veriſimilia fallitur & fallit, hic eſt qui per Sibyllam locutus eſt, ſenſum noſtrorum ſecutus, locum volens inter cœleſtes habere. *Vt ſciamus quæ à deo donata ſunt nobis.*) Quia enim dei ſpirit⁹ datus eſt nobis, ſcimus quæ à deo donata ſunt nobis. Non enim poſſemus ſcire ſi mundi ſpiritū haberemus, quia non poteſt ſcire mundi ſpiritus. Senſum enim dei nemo nouit, niſi qui de deo eſt ſpiritus dei. Inferiora enim non poſſunt ſuperiorum ſcire conſilium, neque creatura conditoris ſui dinoſcere voluntatem. *Quæ & loquimur.*) Vt hinc manifeſtum ſit ſcire nos quæ à deo nobis donata ſunt: quia hæc & loquimur, vt & alij diſcāt per doctrinam ſpiritalem. Prædicatoribus enim, id eſt, apoſtolis, inſinuata diuinitus ſunt quæ traderent populis, & addiſcerent principes huius ſeculi quid admiſiſſent mali. *Non in doctrina verborum humanæ ſapientiæ, ſed in doctrina ſpiritus.*) Verba enim humanæ ſapientiæ hunc ſenſum non vident, neque literatura ſtudiis apprehenditur, ſed per fidem ſpiritali ratione cōcipitur, dicente Eſaia propheta: Niſi crediderit is, neq; intelligetis. Naturali enim magis lege, quam curſu ſyderum, & calculis ſignorum quæ in firmamento denotātur, addiſcitur. Denique credētes non humanis verbis, ſed naturæ ſuæ vident congruere quod credunt. Opus enim agnoſcit opificem: ideoque euangelium animis noſtris loquitur ſpiritalia, excitans illos ad cognitionem ſui creatoris. *Spiritalibus ſpiritalia comparantes.*) Hoc eſt iis qui mundanam prudentiam refutant, ſpiritalem efficaciā tradere, quę myſterio fidei continetur ad illuminandos ſenſus beneuolorum hominum. Credentes enim quæ mundi ſapientia ſtulta iudicat, ſpiritales ſunt. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus dei, ſtultitia eſt enim illi.*) Pecoribus enim ſimilis ſenſum ſuum in terram deprimit: ideoque non aſſequitur niſi quæ videt, nec putat aliquid poſſe fieri quàm quomodo ſcit. Ideo quicquid aliter audit quàm nouit, ſtultitiam iudicat: nihil enim æſtimat poſſe fieri ſine cōmixtione. Vnde ridet audiens deum filium genuiſſe, quem ſcit ſimplicem & incorporeum, & virginem peperiſſe, & reſoluta corpora rurſum reuocari ad vitam: cùm hæc magis ad laudem dei proficiant, vt credatur feciſſe cuius operis ratio inueſtigari non poſſit. Deus eſt enim qui fecit: imbecillitas enim humana ſtultum putat quod ſcientia ſua non concludit, cùm hoc magis ſtultum deberet habere, & illud prudēs, quod quia dei factum dicitur, non poteſt comprehendi. *Et non poteſt ſcire, quoniam ſpiritaliter iudicatur.*) Humanam traditionem ſequentes, dum vnius dei fidem abnegant, ſpiritaliter factum eſt, quod ratione carnis inflati putant fieri non poſſe, & ſic reprobi annotati, ſpiritaliter condemnati ſunt. *Spiritalis autem diiudicat omnia, ipſe autem à nemine iudicatur.*) Quoniam vera ratio ſpiritalium eſt, id eſt, credentium, (hoc enim quis nuncupatur quod credit) omnia iudicāt. Ipſorum enim exemplo infidelitas diiudicabitur: ipſi autem à nemine iudicabuntur. Quis enim condemnet vera dicentem? Cùm enim conſtet omnes inimicos fidei falſa tenere pro veris, accuſatio illorum in irritum iam deducta eſt, veri iudicio cōdemnata: quia qui non crediderit, inquit, dominus, iam iudicatus eſt. *Quis enim cognouit ſenſum domini? quis inſtruxit eum?*) Senſus dei eſt, quo hæc ſpiritaliter iuſſit fieri per quem mundi ſapientia ſtulta probaretur, negans poſſe fieri quod factum eſt. Quem ſenſum nullus eſt qui cognouerit, & diſpliceat illi vt emendet conſilium dei: quia qui cognouit, laudat potentiam dei: quem qui omnia negat poſſe, nec mūdum credit feciſſe. Quid enim magnum eſt vt de ſe credatur genera ſſe, qui non ambigitur cuncta ex nihilo feciſſe? Quippe cùm dicat ſaluator: Apud deum autem omnia poſſibilia ſunt. *Nos autem ſenſum domini habemus.*) Hoc dicit quia credentes participes ſumus eiuſdem, id eſt, diuinæ ſcientiæ.

Eſaiæ 7.

Ioan. 3.

Matth. 19.

CAPVT TERTIVM. 1888

ET ego fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus.) Nunc his loquitur, qui propterea quòd ſeculi adhuc voluptatibus ſeruiebant, carnales erant. Quamuis iam baptizati eſſent, & ſpiritum ſanctum acceſſent: tamen quia poſt baptiſmum ſtatim ad veterem hominem fuerant reuerſi, cui abrenunciauerant, dicuntur carnales. Spiritus enim ſanctus tunc permanet in eo cui ſe infuderit, ſi permaneat in propoſito regenerationis: ſi quo minus, abſcedit, ita tamen, vt ſi ſe reformauerit homo, redeat ad illum. Semper enim paratus ad bonum eſt, diligens pœnitentiam. *Quaſi paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam.*) Quamuis renati eſſent in Chriſto, tamen non fuit dignum tradi his ſpiritalia. Accepta enim fide, quæ eſt velut ſemen ſpiritale, nullum fructum deo dignum fecerunt, vt perfectionis verba mererentur addiſcere, ſed quaſi paruuli imperfectionis ſenſibus ſtudebant. Apoſtolus autem vir diuinus, & medicus ſpiritalis, vnicuique ſecundum vires eius tradebat, ne per imperfectionem & imperitiam quis de rebus ſpiritalibus ſcandalum pateretur. *Nondum enim poterātis.*) Oſtendit apertè non illos debuiſſe audire quæ confirmatis dicenda ſunt. *Sed neque nunc poteſtis: adhuc enim carnales eſtis.*) Hic valde arguit temeritatem illorum qui querebantur dudum ſe non audiſſe ſpiritalia, cùm adhuc digni non eſſent audire. Pſeudoapoſtoli enim promiſcuè omnibus vno atque eodem genere tradebant, nullius perſonam diſcernentes, vt acceptabiles fierent per hypocriſim commendati: cùm conſtet dominum & authorem noſtrum Chriſtum aliter populis, aliter diſcipulis interfatū, & inter ipſos apoſtolos fuiſſe diſtantiam. Tribus etenim diſcipulis gloriam ſuam in monte oſtendit, dicens illis vt tacerent viſum quādiu à mortuis reſurgeret. *Cùm enim in vobis æmulatio & contentiones ſint, nónne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?*) Indignitatis cauſas oſtendit, quia de homine qui ſperat auxilium, carnalis eſt. Qui autem ſpreta humanitate, de deo ſperat, ſpiritalis eſt, quia deus ſpiritus eſt. *Cùm enim quis dicat, Ego ſum Pauli, alius autem, ego Apollo: nónne homines eſtis?*) Sicut enim gloriātes in deo, & de ipſo omnem gratiam ſperantes, dij dicuntur à deo adoptati: ita & in homine gloriātes, & homines & carnales dicuntur ſententia dei concluſi, qui ait: Ego dixi, dij eſtis, vos autē ſicut homines moriemini. A ſua ergo perſona incipit, ne fortè putaretur per inuidiam magis perſonas illorum deſtruere, oſtēdens magnum errorem, & ad dei contumeliam pertinere, quādō deo prædicato gloria datur hominibus. Quid ergo minus eſt à gentilitate, dum adhuc aliquid de hominibus ſperatur. *Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus? Miniſtri eius cui credidiſtis.*) Vt quia miniſtri ſunt, ſpes in his non ſit, ſed in domino cuius miniſtri ſunt. Illi enim gratiarum actio deferenda eſt, cuius donum eſt: hi verò ſerui, quos etiam inuitos oportet diſpēſare. Nunquid non Moyſes coactus eſt ire ad Pharaonem, & Ionas inuitus miſſus eſt prædicare Niniuitis, & Ananias contradicens miſſus eſt Saulo manum imponere? *Et vnicuique ſicut dominus dedit.*) Id eſt, ſicut voluit & ſciuit, diuiſit ſingulis officia miniſterij. *Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed deus incrementum dedit.*) Plantare eſt euangelizare, & ad fidem attrahere: rigare verò, baptizare ſolennibus verbis. Peccata autem dimittere, & ſpiritum dare, dei ſolius. Si ergo effectum ſalutis deus dat, nulla gloria in hac re hominis eſt. Sciamus enim & ſpiritum ſanctum ſine manus impoſitione datum à deo, & non baptizatum conſecutum remiſſionem peccatorum. Nunquid non hic inuiſibiliter baptizatus eſt, quando donum baptiſmatis conſecutus eſt? *Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat deus.*) Et plantata enim ſolent emori, & rigata ad effectum fœcunditatis minimè peruenire, niſi det deus vegetam vitam. Quantum ergo ad honorificentiam dei pertinet, nihil eſt homo: quantum autem ad miniſterium pertinet, neceſſarius eſt vt honorificetur quaſi ſeruus, non vt alicui quid de illo ſperetur ad iniuriam dei. *Qui autem plantat, & qui rigat, vnum ſunt.*) Vnum ſunt, quia ambo mercenarij ſunt,

Matth. 17.

Ioan. 4.

Pſalm. 81.

Actor. 9.

sunt, quanuis diuersa sint illorum officia. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*) Quanuis enim vnum sint, sed quia maior est qui euangelizat, quàm qui baptizat, ideo discreuit mercedes illorum: & non solum ad hoc, sed ad doctrinæ synceritatem pertiner, vt mercede sit dignus qui inuiolatam tradit doctrinam.

Dei enim sumus operis participes, Dei cultura, Dei ædificatio estis.) Hoc ad Apostolorum personam pertinet, quos constat Dei esse adiutores, dum vicarij sunt Christi. *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui.*) Gratiam sibi datam dicit vt dignus esset prædicare euangelium, vt & hoc Dei esse ostenderet, non hominis, secundum hanc itaque gratiam, vt sapientem architectum fundamentum se dicit posuisse. Sapiens architectus est, qui iuxta disciplinam authoris collocat fundamentum: id est, qui secundū traditionem saluatoris euangelizat. *Alius autem superædificat.*) Superædificia sunt, quæ post prædicationem Apostolorum à superuenientibus traduntur aut malis aut bonis doctoribus. *Vnusquisque autem videat quemadmodum superædificet.* Id est, vt superædificia congruant fundamento, ne si obliqua fuerint & friuola, ruinam faciant, manente incolumi fundamento: quia si malè docuerit, Christi nomen permanet, quod est fundamentum: doctrina autem mala peribit, sicut dicit dominus: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.*) Ideo nemo potest ponere aliud fundamentum, quia quanuis hæretici sint aliqui, non tamen docent nisi sub Christi nomine. Aliter enim commenta erroris commendare non possunt, nisi interposito saluatoris nomine prædicent, vt res contrarias & absurdas nominis dignitas faciat acceptabiles. *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides preciosos.*) Lapides precioſi sunt, quos non corrumpit ignis. Tria genera posuit præclara in mundo in quibus bonam doctrinam significauit. *Ligna, fœnum, stipulam.*) Tria alia genera posuit, sed friuola, vt in his corrupta & vana doctrina designata dinoscatur. *Qui facit hoc opus, manifestus erit, dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur.*) Hoc est, mala doctrina in igne omnibus apparebit: nunc enim quosdam fallit. *Et vnuscuiusque opus quale sit ignis probabit.*) Quia enim per ignem examinatio fiet, si in aliquo non inuenerit quod exurat, manifestat illum bonum fuisse doctorem. Mala enim & adultera doctrina idcirco in ligno, fœno, & stipula significata est, vt ostenderetur ignis esse esca. Si cuius opus manserit quod superædificauerit, mercedem accipiet. Cùm enim nihil in illo sordis inuentum fuerit prauæ doctrinæ, vt in bono auro: ita erit vt tres fratres in camino ignis, mercedem vitam æternam cum gloria acceptur: quia sicut aurum, & argentum, & lapides quos ignis non corrumpit, ita & bonus magister incorruptibilis permanebit. *Si cuius opus arserit, damnum patietur.*) Opus quod ardere dicitur, mala doctrina est, quæ interibit. Cuncta enim mala peribunt, sicut iter impiorum: quia non sunt substantiæ, sed asseuerationes peruersæ. Damnum autem pati, est pœnas perpeti. Quis enim in pœna positus iacturam non facit? *Ipse tamen saluus erit, sic tamen quasi per ignem.*) Saluum illum futurum dixit, quia non interibit substantia qua constat: sicut & doctrina mala peribit, quia accidens causa est. Ideo autem dixit, Sic tamen quasi per ignem, vt salus hæc non sine pœna sit: quia non dixit, Saluus erit per ignem, vt merito suo ab igni non combustus, saluus fiat examinatus per ignem: sed cùm dicit, Sic tamen quasi per ignem, ostendit saluum illum quidem futurum, sed pœnas ignis passurum, vt per ignem purgatus fiat saluus, & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur, vt ex aliqua parte operę precium sit credidisse in Christum. Semper enim erubescat necesse est, qui se videt falsum defendisse pro vero. Et simili modo semper fouciam habebit Dei, qui abiecto falso secutus est verum, & spreta impietate succubuit pietati. Extra catholicam enim quicquid est, contrarium est.

A *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?*) Templum Dei nos esse dicit, vt deum in nobis habitare sciamus. In templo enim suo habitet necesse est. Et quia spiritum Dei dicit habitare in nobis, Deum significat intelligendum spiritum sanctum. *Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.*) Hæc idcirco præmisit, vt illos compungat qui turpiter viuentes, corpora sua violando corruperant, maximè ille qui vxorem patris habebat, vt ante esset reus, quàm causa illius in medium prorumperet. Denique simili, imò eodem modo, cùm causam illius iudicat, loquitur, dicens: *An nescitis quia corpora vestra templum est spiritus sancti quem habetis à Deo?* Superius templum Dei dixit, hoc autem loco templum spiritus sancti. Quis hinc dubitet quia spiritum sanctum Deum significauit? *1. Corint. 1.* *2. Corin. 6.*

B *Nemo se seducat.*) Id est nemo proprio vel humano consilio putet se sibi prodesse. Ad superioré sensum redit. *Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens.*) Hoc dicit, quia si quis intelligit salutem promissam, & mysterium incarnationis domini nostri Iesu Christi, stultus fiat: Id est sapientiam huius mundi fugiat, vt stultus ab ea iudicetur, & tunc erit prudens: quia stultus seculo prudens est Deo, dum credit Deum fecisse quę ratio mundi non capit, sicut supra memorauit. Pseudoapostoli autem prudentes volentes videri in mundo, neque Deum filium habere, neque incarnationē veram esse, neque carnem posse resurgere prædicabant. *Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum.*) Sic stultitia est sapientia huius mundi apud Deum, dum facit Deus quod mundus fieri posse negat, sapientiam illius stultitiam probat: & cùm multos deos dicant, fides autem vnum probet teste virtute, in prudentia sua confundentur. *Scriptum est enim: Reprehendens sapientes in astutia eorum. Et iterum: Dominus nouit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.*) Istud in Psalmo habetur nonagesimotertio. Denique idem sensus est. *Iob. 5.* *Psalm. 93.*

C Sciens enim vanas cogitationes illorum, vt stultos esse probaret, sapientiam illorum reprehendit, ostendens verum esse quod falsum dicebant, & falsum quod verum putabant.

Itaque nemo glorietur in homine.) Quoniam enim humanæ cogitationes & consilia improuida & infirma sunt, non est gloriandum in homine, sed in deo, cuius consilium retractari non potest. quicquid enim homines sine Deo sapiunt, stultum est. *Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra, vos autem Christi, Christus autem Dei.*) Alio loco dicit de eodem sensu: Nos autem seruos vestros propter Iesum. Seruos pro ministris posuit, vt non singulos sibi defenderent, cum omnibus vterentur, sicut & dominus dicit: Ego sum in medio vestrum, non vt ministrer, sed vt ministrem. Nam mundus vtique noster est, sed vt de illo secundum Dei voluntatem sentiamus, & decretos cursus eius in Dei voluntate ponamus. Et vita præsens concessa nobis est, sed vt modestè illam & cū Dei gloria transigamus. Siue mors, vt pro Christo mori bēter habeamus spe promissionis futuræ, siue præsentia, vt sic præsētibus vtamur, ne offēdamus: siue futura vt futura credentes, ipsis nos magis quia meliora sunt, commendemus. Vos autem Christi, vt quomodo hæc iudicio nostro concessa sunt & subiecta, ita nos Christo subiiciamur, quippe cùm per ipsum esse cœperimus & in prima origine, & in regeneratione. Christus autem Dei. Christus Dei est patris sui proprius filius faciens voluntatem eius, vt & nos ipsius faciamus. Si ergo Christi sumus famuli, quid est vt ad eius iniuriam de hominibus aliquid speremus? *2. Corint. 4.* *Luca. 12.*

D

CAPVT IIII.

Ita nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.) Hoc significat, quia minus de illo sentiebant aliqui Corinthiorum, sed vt hoc homo de illo sentiret quod & Deus qui illum elegerat, ideo ministros Christi ait, & dispensatores mysterio-

mysteriorum dei. Quando enim non verborum strepitu, neque humana sapientia nitebatur, intelligi debuit sacramentum Christi dispensare, in quo non verba sed virtus fulgebat, non per quod homo, sed deus gloriosus videretur. Collega enim piscatorum, non aliter quàm illi Christum prędicabat. Cùm ergo ministrum se Christi & sacramẽtorum dei probat, pseudoapostolos notat, & abnegat Christi esse quod tradunt, per id quod discordarent à traditione apostolica. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.*) Hoc quod dicit, nõ solum ad pseudoapostolorum personam pertinet, sed ad reliquorum qui accepta dispensatione, aut verecundia, aut timore, aut certè commendationis suæ causa constanter arguere trepidabant aut malos sensus, aut mores. Hic enim tam constans erat, vt nec vitæ suæ parceret, dummodo fideliter omnia celebraret. *Mihi enim pro minimo est vt à vobis diiudicer, aut ab humano die.*) Quos in tantis vitiis reprehendit, miserum dicit ab his se iudicari: quippe cùm nec à iustis iudicandum se sciret. Aut ab humana autem die, hoc est, quia nec à legibus mundo creditis iudicandus erat. Supergressus enim humanam iustitiam, cœlesti iustitiæ studebat, sicut dicit dominus. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum dei. Humanum ergo diem cùm dicit, significat & diuinum, in quo iudicaturus est Christus: quia sicut iurisconsulti seu pontifices, quos vocant sacerdotes, certos dies quibus iudicatur decreuerunt, ita & dies domini definitus est, quo iudicaturus est mũdum. *Sed neque meipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum.*) Apertum est, quia conscięntiam puram habens solicitus de se non erat. *Sed non in hoc iustificatus sum.*) Nunc humiliat se, & loquitur vt homo qui possit culpam incurrere nescius. *Qui autem iudicat me, domin⁹ est.*) Rectè ait, quanuis humiliauerit se, tamen domino Christo plurimum dedit, quia potest quod hominem latet, dum occulta iudicat, manifestare, non vt reum faciat, sed prudentem.* Quãuis enim homo est, quem non potest, nisi aliquid lateat. Interdum enim aliquid vtile putamus quod inutile est. Nec enim omnia membra aut latera conuersationis humanæ descripta habemus, ab iis autem quæ grauia sunt, apertè prohibiti sumus. Nam quædam causæ nos fallere solent ex causis aliquibus ortæ, vt quod non est vtile, putemus vtile. Quod leue quidem est, quia propositum liberum est. *Itaque nolite ante tempus iudicare, donec veniat dominus.*) Monet illos ne iudicent, cùm iudicandi sint, & habeant duplex peccatum, sicut ait dominus: Nolite iudicare, vt non iudicemini, sed expectate diẽ iudicij dei: ac si fideles & boni sint. Iniuria enim iudicis est, si ante cognitionem eius à seruo procedat iudiciũ aut sententia. *Qui illuminabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à deo.*) Hoc dicit, quia in die iudicij nihil occultum erit eorum quæ gesta aut cogitata sunt, & simplicitas & hypocrisis illic apparebit, vt & qui despectus habebatur, fortè dignus appareat: & qui aliquid esse putabatur, inueniatur reprob⁹. Omnia enim nuda erunt in die iudicij, & tunc laus erit bene agenti vel cogitanti. Hic enim qui laudatur, improbabile est an dignus sit, sicut & in alio loco dicit: Non enim qui seipsum commendat, probatus est, sed quem deus commendat: quem vtique nihil latet.

Matth. 5.

* Quis enim homo est, quẽ non aliquid latet?

Matth 7.

2. Cor. 10.

Hæc autem fratres transfiguraui in me, & Apollo propter vos, vt in nobis discatis ne supra quàm scriptum est vnus pro vno infletur aduersus alterum.) Transfigurauit hæc in se & Apollo, dum pseudoapostolorum glorias & traditiones peruersas sub sua persona & Apollo euacuat, summatim illos designans non singulatim, ne fortè maior discordia in populo nasceretur. Nemo enim audiens nomen suum taxari aut eius cui fauet, cõtentus est tacere. Tacito autem nomine si quis audiens de se intelligat dictũ, dissimulat. Sub hac ergo propositione euacuauit personas illorum, cùm dicit: Ego plantaui, Apollo rigauit, &c. vt in his discerent nihil dandum hominibus. *Quis enim te discernit?*) Id est, sunt aliqui qui amplius accipientes in baptismate aut in doctrina, cæteros dicant minus consecutos. Hoc his loquitur, qui baptizatos ab aliis, plus aliquid esse putabant: quorum eloquentia seducebãtur, vt fuco quodam perueršа recta putarent. Tanta enim discordia erat in populo, vt multa essent studia diuersarum partium: & sic omnia dicta sua aptauit Apostolus sine manifestatione nominum omnibus partib⁹, vt cùm legeretur epistola, vnaquæque pars ad se dicta susciperet, audiens quod causæ suæ intẽdi cognosceret. *Quid autem habes quod non accepisti?*) Nihil illum boni vltra dicit consecutum ab aliis quàm ab eo acceperat: ideo frustra queri. Quod enim habebant, ab Apostolo acceperãt. Ad vnum autem videtur loqui, quia ad partem plebis loquitur. *Si autẽ accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*) Hoc quasi insultatores Apostoli agebant per imperitiam, vt eadem audientes quæ ab Apostolo iam didicerant, illum euacuantes, de eorum magisterio glorientur. Eloquẽtia enim commendati, prædicationis gloriam in se conuertebant. Apostolus verò contemptibilem se volebat videri, dummodo dei gloriam faceret acceptabilem. *Iam saturati estis, iam diuites facti estis, sine nobis regnatis.*) Ironia est, sicut dicunt. Irascentis enim verba sunt, non confirmantis. In quibus enim tanta vitia arguit, regnare illos dicit: sic enim putabant, gloriantes de iis quæ à pseudoapostolis tradebantur. *Et vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus.*) Vt pius pater etiam ingratis filiis bene optat. Qui enim poterat fieri vt sine apostolis regnarent? Quicquid enim non ab apostolis traditũ est, sceleribus plenum est. Sic tamen ordo fuerat dicere: Vt nobiscum regnetis: sed quia præmiserat, Et vtinam regnetis, aliter dicere nõ potuit, nisi, Vt & nos vobiscum regnemus. Regnare autem est de spe & promissis Christi securum esse, & gaudere in iis quæ aduersa propter nomen Christi accidũt. Lucrum enim afferunt, non detrimentum. Vnde alio loco dicit: Cùm infirmor, tunc potens sum.

2. Cor. 11.

Puto enim, deus nos apostolos nouissimos ostendit, quasi morti destinatos.) Hoc ideo personæ suæ deputat, quia semper in necessitate fuit, persecutiones & pressuras vltra cæteros passus, sicut passuri sunt Enoch & Helias, qui vltimo tempore futuri sunt apostoli. Mitti enim habent ante Christum ad præparandum populum dei, & muniendas omnes ecclesias ad resistendum antichristo, quos & persecutiones pati & occidi lectio Apocalypsis testatur. Horum ergo tempus suo tempori comparauit Apostolus dicens, quasi morti destinatos. Ad hoc enim venturi sunt, vt occidantur. *Quia spectaculum facti sumus huic mundo, & angelis, & hominibus.*) Quia erunt spectaculum & Enoch & Helias vsqueadeo, vt corpora eorũ in platea proiiciantur in conspectu totius populi infidelis: ita & apostoli spectaculum facti sunt, quia publicè ridebãtur, positi ad iniurias & mortem quam passi sunt. Mundum autem angelos & homines dixit, quia & angeli mali sunt, dicente Dauid in psalmo 77. Vexabat illos per angelos malos. Et homines mali & increduli, his apostolorũ iniuriæ oblectamẽto sunt. Mundus autem idcirco infidelitas dicitur, quia visibilia sequitur. *Nos stulti propter Christum.*) Verum est quia amantes Christum, stulti sunt mundo. *Vos autem prudentes in Christo.*) Qui prudens in Christo iudicatur à perfidis, non rectè asserit Christum. Denique Marcion, qui negat filium dei, & incarnari deum potuisse, prudens est mundo: & Fotinus, qui non fatetur Christum per id quod natus est, deum, sapiens videtur mundanis. *Nos infirmi, vos autem fortes.*) Infirmi ideo, quia sine adulatione & cum stultitia, sicut videtur mundanis, prædicantes Christum iniuriis subiiciebantur. *Vos autem fortes.*) Ideo fortes, quia sic profitebantur Christum, ne offenderent homines, vt essent securi. *Vos nobiles.*) Qui enim Christum non fatetur, quia Abrahæ promissus est, & ab initio prædicatus, hic nobilis cõtra Christum est, quia antiquitatẽ promissi Christi aliis deputat. *Nos verò ignobiles.*) Ignobilis mundo est, qui Christum, quod mundus denegat, ab initio profitetur. Hæc igitur omnia supradicta, quæ negare videtur, confirmat: & quæ quasi confirmare videtur, negat. Irascẽtis enim verba sunt, qui negãdo confitetur, & cõfitendo negat. *Vsque in hanc horã & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & laboramus, nostris manib⁹ operãtes.*) Liberè enim & iuxta fidẽ verã sine aliqua adulatione Christũ prędicãtes, & gesta pra-

Psalm. 77.

ſta prauæ vitæ arguentes, gratiam apud homines non habebant, & colaphizabantur, id eſt, iniuriis agebantur, & infabiles erant, quia fugabantur, ne in loco diu manentes, plures docerent. Ideo & manibus operabantur quia non ſolum gratiam apud homines non habebant, verum etiam ab his accipere indignum erat qui errori ſtudebant: ſicut dicit in pſalmo 140. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. quia & libertatem arguendi amittit, & peccat qui ab eo accipit, qui ideo dat ne corripiatur. *Maledicimur, & benedicimus.*) Malè tractantes enim ſe hortabantur ad bonum. *Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus.*) Quia perſequentibus ſe non reſiſtebant. *Blaſphemamur, & obſecramus.*) Blaſphemantes enim rogabant vt permitterent ſibi reddi rationem. *Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc.*) Non reſiſtendo vlli, neque vicem in malis reddendo, ſed ſemper ſe ſubiiciendo, vt per patientiam prouocaret ad bonum contemptibilis & deſpectus fiebat. Vſque modo, id eſt, vſque nunc etiam apud Corinthios, pro quibus hæc quæ ſupra memorat mala paſſus eſt. Et quoniam humilitatem ſuam nihil in his proficere videbat, queritur dolore commotus tantam ſubiectionem & iniurias nullum fructum habere potuiſſe, ſed &, quod deterius eſt, in peius profeciſſe. *Non vt confundam vos, hæc ſcribo.*) Hoc eſt, non vt ruborem vobis faciam, hæc ſcribo, ſed vt corrigatis. *Sed quaſi filios chariſſimos moneo.*) Adhuc ſe ſupplicem facit ne correpti, & ad iram prouocati, admonitionem eius ſpernerent: id agit vt medicus ſalutaris, qui putramina abſcindens dolorem illatum ſpe & blanditiis mitigat, vt æger ſe curari permittat.

Si enim decem milia pædagogorum habueritis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto Ieſu per euangelium ego vos genui. His dictis oſtendit nullum poſſe eo affectu diligere illos, quo ipſe eos diligebat. Quis enim alienos filios ſuis præponat in amore? Ac per hoc monita eius, qui & pro his tãta mala paſſus eſt, non debere eos ſpernere. *obſecro ergo vos imitatores mei eſtote.*) O beneuolentiam ſancti Apoſtoli, qui obſecrat filios vt imitentur patrem, hoc eſt, ſponte rogat ægros vt recipiant medicinam. In his tamen ſui illos imitatores vult eſſe, vt ſicut hic multa exitia pro ſalute eorum ab incredulis paſſus eſt, & non ceſſit, dummodo per dies & noctes euangelizaret illis donum gratiæ dei: ita & illi manentes in fide eius & doctrina, non reciperent falſorum apoſtolorum praua commẽta, ſed perſiſterent contemnentes opprobria aut detractiones, vt patri ſuo ſpiritali inuiolatum ſeruarent affectum. *Ideo miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis in domino.*) Hortatur eos in hoc eodem Timotheo, quem ideo chariſſimum & fidelem filium obteſtatur in domino, vt in hoc diſcerent quid peccarent. Cùm enim huic teſtimonium perhibet, illos arguit. *Qui vos commoneſaciat vias meas quæ ſunt in Chriſto Ieſu, ſicut vbique in omni eccleſia doceo.*) Per iſtum quem fidelem filium in domino confirmat, reuerti illos vult ad regulam à ſe traditæ veritatis, vt commoniti verbis & exemplis operum eius reſipiſcerent, cognoſcentes non perperam ſe fuiſſe ab Apoſtolo doctos, quando eadem tenere omnes eccleſias diſcerent. *Tanquam non venturus eſſem ad vos, ſic inflati ſunt quidam.*) Indignabantur quidam Corinthiorum quia non ibat ad illos, non deſiderio, ſed ſuperbia, quod quaſi indignos illos haberet: cum magis Apoſtolo hoc ſtudium fuerit, vt de indignis faceret dignos. Habebat ergo votum eundi, ſed maiora erant quæ agebat. *Veniam autem citò ad vos, ſi dominus permiſerit.*) Poſt commonitionem promittit ſe ire ad illos, ſed ſi dominus permitteret, vt quia plus ſcit deus quàm homo, ſi ſciret operæprecium eſſe, permitteret: & ſi non iret, dominum non ſiuiſſe oſtenderet, cauſa vtique indignitatis illorum. *Et cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem.*) Confundit illos, quia cùm obliquè conuerſarentur, indignabantur, quaſi digni eſſent ab Apoſtolo viſitari.) *Nec enim in ſermone eſt regnum dei, ſed in virtute.*) Sicut regnum Dei non ſplendore verborum commendatur, ſed virtute ſignorum, ita & hi non verbis nudis, ſed virtute operum ſpiritaliũ dignos ſe oſtenderent ab Apoſtolo viſitari. *Quid vultis? In virga veniam ad vos? an in charitate ſpiritus & manſuetudinis?*) Terroris verba A infert, vt pudorem paſſi qui inflati erant, humiliarentur: vt ſi verè Apoſtoli præſentiam deſiderarent, præparent ſe ad excipiendum eum, id eſt abluerẽt ſe ab omni macula criminis, vt veniens ad illos, lætitiã haberet quaſi cũ filiis chariſſimis.

CAPVT QVINTVM.

Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.) vt quàm grauè ſit iſtud peccatum oſtenderet, nec ab iis hoc dixit admitti, qui Deum neſciunt: vt proinde qua pœna hic multandus eſſet oſtenderet, qui ſub æterna & diuina iuſtitia conſtitutus, tanti ſceleris crimen admiſerat. *Ita vt quis vxorem patris habeat.*) Præmiſſi criminis prodidit genus, vt non ſolum illum apertè reum mortis faceret, ſed & adhærentes illi non immunes à crimine demonſtraret. In quo enim difficile peccatur, plus facit reum. *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis.*) Superbiam illorum in tantum humiliat, vt non B querulos iam, ſed magis ſupplices faciat. Erant enim & ipſi participes, dum paterentur reum tam ingentis facinoris ſecum incorreptum conuenire: vt omnes vno conſilio abiicerent eum, ſi negaret emendare ſe. Si autem quis poteſtatem non habet quem ſcit reum abiicere, aut probare non valet, immunis eſt: & iudicis non eſt ſine accuſatore damnare: quia & dominus Iudam cùm fur eſſet ſciebat, ſed quia non eſt accuſatus, minimè abiecit. *Vt tolleretur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit.*) Cognito opere iſto pellẽdum illum fuiſſe de cœtu fraternitatis. Omnes enim crimen eius ſciebant, & non arguebant. publicè enim nouercam ſuam loco vxoris habebat. In qua re neque teſtibus opus erat, neque tergiuerſatione aliqua poterat tegi crimen.

Ego quidem ſicut abſens corpore, præſens autem ſpiritu.) Id eſt abſens facie, præſens autem authoritate ſpiritus, qui nuſquam abeſt. *Iam iudicaui vt præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine domini noſtri* C *Ieſu Chriſti congregatus vobis & meo ſpiritu cum virtute domini Ieſu tradere hunc Satanæ in interitum carnis.*) Quoniam omnis carnalis voluptas à diabolo eſt, ac per hoc cùm huic voluptati remittitur, traditur Satanæ. Caro enim hoc habet in natura, vt intereat. Anima ergo cùm ſe iungit deſiderio eius infirmans ſpiritalem ſuum vigorem, ſimul interitum patitur. Itaque ſi hic correptus ſtupri admiſſi erubeſceret eiectũ ſe, non interiret, pœnitentia ſubſequente. Non omniũ conſenſu & præſentia, ſed & virtute domini Ieſu, id eſt ſententia, cuius legatione fungebatur Apoſtolus abiiciẽdum illum de eccleſia. Cùm eiicitur, traditur Satanæ in interitum carnis. Et anima enim & corpus intereunt, quando quæ contra legem, ſunt, fiunt. Sed in hac aliter cauſa interitus carnis homini deputatur. Quanquam enim omnia peccata carnalem hominem præſtent, hoc tamẽ ſpecialiter deſiderium carnis eſt, quod ſordibus maculatam animam cum corpore tradit gehennæ: quia victa anima libidine carnis, fit caro: ſicut & corpus rectè gubernatum, ſpiritale appellatur. Animus tamen eſt qui aut victus illecebris totum hominem carneum facit: aut in vigore naturæ ſuæ manens, carni præſtat vt ſpiritalis dicatur. *Vt ſpiritus ſaluus ſit in die domini Ieſu Chriſti.*) Tradi contaminatũ ſupradictũ Satanæ, vt ſpiritus ſanctus ſaluus ſit in hominibus eccleſiæ in die iudicij. Niſi enim ejectus eſſet, nõ fieret ſaluus ſpiritus eccleſiæ in die iudicij. Deſerebat enim omnes cõtaminationis cauſa, vt in die domini nudi ab ſpiritu ſancto inuenti, audirent à iudice domino: Recedite à me, nõ noui vos. Sicut dicit ad Romanos: Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Et in alia epiſtola. Nolite contriſtare ſpiritũ ſanctũ Dei. Si enim contriſtatur, deſerit, & non erit ſaluus: non vtiq; ſibi qui impaſſibilis eſt: ſed nobis quibus datus eſt, vt per illũ dei filij eſſe probemur. Res enim quæ amittitur, ſalua nõ eſt, nõ vtique ſibi, quę vbicũq; ſit, neceſſe eſt ſit: ſed ei à quo amittitur.

Matth. 7. Roma. 8. Epheſ. 4.

Non bona gloriatio veſtra.) Hoc eſt mala. Læti enim erant, cùm magis contriſtari debuerant in fratre tam acerbè peccante, ſicut triſtis fuit Samuel in Saule

Saule peccante. A quo crimine mali doctores aut dissimulabant, aut negligentius arguebant, sicut & Heli sacerdos filios suos peccantes in deum, ne amari essent hominibus. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?*) Ita & peccatum vnius quod cognitum non arguitur, multos contaminat: imò omnes qui norunt, & non deuitant, aut cùm possint arguere, dissimulant. Non enim sibi videtur peccare, quando à nullo corripitur aut vitatur. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio.*) Hoc duplici genere accipiendum est, quia est & fermẽtum humana doctrina dicente saluatore: Cauete à fermento Pharisæorum, id est, à doctrina.

Matth. 16. Et ad malam ergo doctrinam cauendam, & ad hanc causam dictum est, quia & eiecto fornicatore, vetus fermentum eiicitur. Ideo autem vetus, quia antiqui erroris peccatũ est. Noua autem conspersio Christi doctrina est. *Sicut estis azymi*) Azyma ex causa non fermẽtatæ farinæ dictum est, cùm filij Israel eiecti sunt de Ægypto: vt fermentum vetustas haberetur, azyma autem nouitas. Abiectis enim veteribus erroribus Ægyptiorum in nouam legem inducti sunt: ita & Corinthij post Paganorum errores in euangelium Christi inducti sunt. Hortatur ergo vt secũdum professionem suam quam ab Apostolo sub nomine Christi acceperant, & viuerent iam vitę nouę cultores: hoc est, azymos esse. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.*) Secundum legem docet nouitatem paschæ ratione consistere, & ideo Christum esse occisum, vt ex eo noua prædicatio nouam faceret conuersationem: vt quia paschæ rationem colimus, veterem vitam non sequamur. Pascha itaque immolatio est, non transitus, sicut quibusdam videtur. Prius enim pascha, & sic transitus: quia ante exemplum est saluatoris, & sic signũ salutis. Nec enim ante signum quàm crux: nam occiso vespere agno in Ægypto filij Israel pascha egerunt, ex cuius sanguine postes signauerunt, vt noctu angelus transiens, ea loca non contingeret quæ sanguine agni fuerant oblita. *Itaque festa celebremus non in fermento veteri.*) Hoc est, lætitiam habentes renouationis, facta vetera fugiamus, immunditiam omnem abiicientes à nobis, quæ est corruptio: quia sicut fermẽtum totam massam corrumpit, ita & mala vita totũ hominem. Ergo vt non solùm à turpitudine vitæ nos abseruemus, sed & ab iniquitatis studio, adiecit: *Non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis.*) Hoc est, vt synceritas mũdam vitam faciat, veritas autem omnem fraudem excludat.

Scripsi vobis in epistola, Ne cõmisceamini fornicariis.) Scripsisse se significat prius, vbi commonet illos ne coniungerent se malè vitæ hominibus. Et quia non intellexisse fortè ea quę scripserat, videbãtur: nunc in hac epistola quid scripserit, interpretatur dicẽs: Non vtique fornicariis huius mũdi, sed à fratribus talibus scripsi recedẽdum. *Aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruiẽtibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse.*) Igitur intellectum eorum arguit, qui putabãt fortè quia ab incredulis, fornicariis, aut auaris, aut rapacib⁹, aut idolis seruientibus prohibuisset, non à fratribus: & ideo illum qui vxorem patris habebat, inter se esse non ægrè ferebãt. Si igitur his commiscemini, inquit, melius erat mori vos. Compendium est enim malè agentibus si citius moriãtur, quàm si diutius in peccatis versentur. *Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut rapax, aut ebriosus, cum huiusmodi nec cibum quidem sumere.*) Cum infideli non prohibuit cibum sumere, quippe cùm dicat: Siquis vos vocat ex infidelibus ad cœnam, & vultis ire: omne quod appositum fuerit, manducate. Ideo ait: *Quid enim mihi de iis qui foris sunt, iudicare?*) Verum est quia perfidos episcopus non potest iudicare: cum fratre autem in quo vitia hæc reperiũtur non solum sacramenta non edẽda, sed nec communem escam docet, vt erubescat cùm vitatur, & se corrigat. *Nónne de iis qui intus sunt, vos iudicatis?*) Iudicat quis dũ discernit cui fratri adhæreat, quem arguat, quem deuitet. *Nam eos qui foris sunt, deus diiudicabit.*) Superius, Nolite, ait, ante tẽpus iudicare, hîc non prohibet. Sed superius incognita per suspicionem maximè

1. Cor. 10.

1. Cor. 4.

de rectore prohibuit iudicare, quia dei solius est occulta iu- A
dicare. Hoc autem loco vt frater fratrem examinet etiã iubet, sicut alio loco dicit: Vosipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. Qui autem foris sunt, in die iudicij damnabũtur, quia dixit dominus: Qui non crediderit, iam iudicatus est. In quo enim spes non est, pro mortuo habẽdus est. *Auferte malum à vobisipsis.*) Ad hoc commonet vt discernantur à malis & operibus & hominibus.

2. Cor. 13.

Ioan. 3.

CAPVT SEXTVM.

Audet aliquis vestrum aduersus alteram habens negociũ, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?) Iniquos duplici genere significat, quia & nõ credunt, & leges à deo mundo creditas, frequenter cum adulatione interpretantur, authoritatem horum idolis deputantes: ideóque iniqui sunt. Et quia in ecclesia magis lex est, vbi dominus legis timetur, melius dicit apud dei ministros agere causam: facilius enim B
de dei timore sententiam legis veram promunt. *Aut ignoratis quoniam sancti de mundo hoc iudicabunt?*) Nihil ociosè dicit Apostolus. Ideo enim hunc mundum dixit, vt ostẽdat & alterum: quia & Ioannes apostolus, Nolite, ait, diligere hunc mundum. Et dominus in euangelio: Sic, inquit, dilexit deus hunc mundum, &c. Hic ergo mundus in errore est, non ille superior ad cuius similitudinem hic factus est. Vnde homo hic positus est ad imaginem dei factus, vt sicut in superiore mundo ab vno deo sunt omnia, ita & in hoc ab vno homine omnes haberẽt originem. Hinc est vnde Moyses in Deuteronomio, Cùm diuideret, inquit, altissimus gẽtem, quemadmodum dispersit filios Adæ: statuit fines gentium secundum numerum angelorum dei. Quid tam apertum hunc mundum superioris esse imaginem certa ex causa? Est enim & Hierusalem inferior, & illa superior, quam matrem nostram vocat idẽ Apostolus. Est & inferior paradisus, in quo homo positus, mandatum & vt operaretur ibi, & vt custodiret, accepit. Est & ille cœlestis, in quo raptus Apostolus C
audiuit verba arcana. Iudicabunt ergo sancti hunc mũdum, quia exemplo fidei illorum perfidia mundi damnabitur. *Et in vobis iudicabitur hic mundus.*) Tunc iudicatur hic mundus in nobis, si opus perfidorum hominum non inueniatur in nobis. *Indigni ergo sunt huiusmodi qui etiam de minimis iudicẽt.*) Hoc est, non sunt vtique indigni ij qui ipsum mundum iudicaturi sunt, ea iudicare quæ mundi sunt. *Nescitis quoniam angelos iudicabimus?*) Addit plus dicendo: Angelos iudicabimus, id est, potentias spiritales, quas alios loco tradit in cœlestibus degere, eodem genere iudicandos angelos à nobis, quo & mundus iudicabitur. *Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in ecclesia, illos ad iudicandum constituite.*) Secularia iudicia sunt ad corpus pertinentia vel corporea. Et quia non sic fieri debet, adiecit: *Ad verecundiam vestram dico.*) Ne supra, quia negocium nominauit, sed quale, non significauit, sunt enim & diuina negocia, dicente codẽ: Adiutor negocij mei: & secularia fortè iudicia quia prohibuerat apud perfidos agenda, quanuis in ecclesia, sicut audierant, à qualibuscunque tamen putarent audienda aut terminãda: ad ruborem eorum ait: Contemptibiles qui sunt in D
ecclesia, illos ad iudicandum cõstituite. Sunt enim in ecclesia & lignea vasa. Tam enim intractabiles & inconsideratos eos significauit, vt imperitos fortè ex fratribus iudices eligerent: hoc de experto Apostolus. Sciebat enim quàm tepidi & improuidi in reliquis causis fuerant deprehensi. *Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit iudicare inter fratrem suũ?*) Quia ergo sunt, inquit, sapientes fratres, aliqui horum eligantur ad iudicandum, quorum iudicium miretur mundus. Magnus enim pudor est si inter eos qui dicuntur deum cognouisse non inueniatur qui examinare possit negocium iuxta ius euangelicum. Ideo autem fratrem iudicem eligendum dicit, quia adhuc rector in ecclesia illorum nõ erat ordinatus. *Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles.*) Manifestum est quia infideles, aut arbitros, vt assolet fieri postulatos significat, aut iudicem publicum, cui dici solet: Hodie dies sacrorum est, ius dici non potest.

Iam

Am quidem omnino delictū in vobis est, quòd iudicia habetis inter vos.) Peccatū esse significat, quia frater cùm fratre litigat, cū danda opera sit vt concordes sint quasi germani, maximè cū fides nostra paci studeat. Quanquam enim Christianus litigare non debeat, tamen si graue fuerit, & quod contemni non possit, causam ad ecclesiam deferat, ne & damnum ad præsens & offensionem fortè incurrat. *Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.*) Nunc hos corripit, quorum iniustitia iurgium generatur: quia non solum per fraudem admissam rei sunt, sed & partem habent delicti illorum, qui coacti iniuria aut fraude eorum, infideles rogant ad iudicandum: & cùm fraudem aut iniurias illatas persequi non deberent, non solum vindicant, sed & ipsi fraudem & iniurias faciunt, vt punienda exempla fratribus tribuant. Et quid aliis facere credatur, qui non parcit suis?

An nescitis quia iniqui regnum dei non possidebunt?) Hoc dicens, ostendit illos non nescios peccare, ac per hoc grauius vindicandum. Si enim immisericordes rei sunt apud deum, quanto magis iniqui? *Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum dei possidebūt.*) Non hæc ideo memorauit, quasi nescirēt, apud quos annum & sex menses sedit docens euāgelium dei: sed commonuit, vt resuscitaret in illis reuerentiam legis, & meritum ad regna cœlorum. *Et hæc quidem fuistis.*) Ne omnibus hoc adscribere videretur, aut certè omnes ab his criminibus immunes faceret si taceret, (prohibuisse enim videbatur, non reuelasse crimina illorum) idcirco sit ait: Et hæc quidem fuistis. Et ne ad irā illos prouocaret, adiecit: *Sed abluti estis.*) Vt agnoscentes crimina rei facti, statim respirarent audientes, Sed abluti estis. Solent enim aliqui pudorem pati, & corrigere cùm de se audiunt bona. *Sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & spiritu dei nostri.*) Hæc omnia beneficia puritatis in baptismate cōsecuti noscuntur: quod est fundamentum euangelicæ veritatis. Illic enim omnibus peccatis depositis, abluitur credens, & iustificatur domini nomine, & per spiritum dei nostri deo filius adoptatur. Per hæc admonet illos quanta & qualis sit gratia, quam per veram traditionem assecuti sunt: postea verò cōtra hāc regulam fidei impulsu malorum doctorum sentientes, his beneficiis se exuerunt. Vnde id agit, vt reuocet illos ad primam sententiam, vt recuperarent quòd fuerant consecuti.

Omnia mihi licent, sed non expediunt.) Quibusdam videtur propter libertatem cōcessi arbitrij dixisse Apostolum. Omnia mihi licent. &c. vt liceat fornicari, sed non tamen expediat. Sed quomodo licet quod prohibetur? Aut certè si omnia licent, nihil potest dici illicitum. Sed licet, non tamen expedit. Hæc subsurrunt potius quàm asserunt aut immemores, aut negligentes. Dicit enim Ioannes Baptista ad Herodem: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Sed fortè Ioannes expers fuerit humani eloquij inspiratus in vtero: quia si hoc est, dicere debuit, licet tibi sed non expedit. Sed & dominus similiter mulieri Chananeæ ait: non licet accipere panem filiorum, & mittere canibus. Et iterum dicit dominus Iudæis: Non legistis quid fecit Dauid cùm esuriret, quomodo intrauit in domum domini, & panes propositionis accepit, quos non licebat ei edere? &c. Omne ergo quod prohibetur, non licet sed aliquando interueniēte causa aliqua non expedit. *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.*) Omnia sibi licere dicit, ea scilicet quæ & coapostolis eius licuerunt, quæ & lex continet naturalis, non Moysi: quia multa prohibuit Moyses propter duritiam cordis populi increduli & cernicosi. Tamen si ad causam respicias, aliud fuit in sensu apostoli vt hæc loqueretur. Hæc enim præmisit postea acturus hanc causam sicut fecit & de illo qui incestum admiserat. Proponit enim designans quid acturus est postea. Denique finem ad superiorem sensum breuiter interim re commendata redit. Hoc enim ideo dixit, quia licebat illi ab his sumptus accipere. Sed quoniam sciebat pseudoapostolos occasionem quærere accipiendi, noluit ab his accipere, ne causa ventris vigor euangelicæ veritatis torpesceret. Si enim ab iis acciperet quos in tantis vitiis arguebat, authoritatem magisterij concessam sibi à domino inclinabat. Non enim potest constanter argui à quo accipitur, maximè cùm ideo prōptus ad dandum sit, vt sibi humiliet præpositum. Vnde & dicit: Sed ego sub nullius redigar potestate. *Esca ventri, & venter escis, deus autem & hunc & has destruet.*) Destructio ventris est, cùm edendi cessat officium: escæ verò destructio tunc erit, quādo steterit natiuitas. Pseudoapostoli autem, qui non vtique religionis causa, sed quæstus circumibant, peccantibus amari esse nolebāt. *Corpus autem non fornicationi, sed domino.*) Nunc redit ad superiorem sensum. *Et dominus corpori.*) Quid dominus corpori? Subaudiatur, immoatalitatē resuscitato præstabit. Corpus enim deo dicatum, dono spiritali remunerabitur merito ducis, id est animi. *Deus verò & dominum suscitauit, & nos suscitabit per virtutem suam.* Idem sensus est, quem exemplo voluit dominicæ resurrectionis firmare. virtus tamen dei Christus est, qua nos suscitauit, & ipsum dominum. Hoc dixit quia ipse dominus corpus suum suscitauit: sicut & ipse dominus ait: Soluite templum hoc, & ego tribus diebus suscitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui. *Ioan. 2.*

Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?) Corpora nostra membra Christi sunt, sed in nouum hominem qui secundum deum creatus est, quia ipse est caput ecclesiæ. *Tollens ergo membra Christi, faciam mēbra meretricis? Absit.*) Ait, quia meretrici adhærentia membra desinunt esse mēbra Christi. *An nescitis quia qui adhæret meretrici, vnum corpus fit?* Hoc dicit quia qui contaminationi se admiscet, vnum fit cum eo cui se admiscet. Fornicatio enim ambos vnum facit, vt quomodo in natura, sic & in macula vnū sint. *Erunt, inquit, duo in carne vna.*) Manifestum est, vt quia mulier de viro est, ambo in carne vna sint. *Quia autem adhæret domino, vnus spiritus est.*) Quoniam in bene agentibus spiritus dei est communis cum deo & hominibus.

Fugite fornicationem.) Rectè fugiendam monet fornicationem, per quam filij dei fiunt filij diaboli. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est.*) Quia cætera peccata etsi per corpus generantur, non tamen animam ita carnali concupiscentia faciunt obstrictam & obnoxiam, quemadmodum commisceri facit animam cum ipso corpore vsus libidinis agens in opere carnalis fornicationis: quia intantum agglutinatur anima corpori, vt in ipso momento nihil aliud cogitare homini liceat aut intendere, quia ipsam mentem captiuam subdit ipsa submersio & absorbitio libidinis & concupiscentiæ carnalis. Vnde subditur: *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.*) Ostendit grauissimum esse peccatum, quia ex hoc omne deperit corpus, in cæteris autem peccatis portio perit, non totum. Totum enim corpus vir est & mulier, quia portio viri est mulier. Quicunque enim aliud peccatum admiserit, extra se peccat: fornicarius verò in carnem suam peccat. Age, si laqueo vitam finiat, aut ferro se trucidet: non in corpus suum videtur peccare, sed in animam, cui vim facit. Fornicari autem corporale delictum est, quod & corpus contingit, & animam. Non enim sine desiderio carnis, quia habet & caro proprium motum, anima concupiscit vt peccet in carnem, quanuis sine anima nihil possit. Per id ergo quòd in carnē quæ ex se est, peccat,) ad originem enim retulit.) in corpus suum dicitur peccare, vt desinat à fornicatione quasi sibi parcens. Nouatiano tamen hic qui fornicatur, non in corpus suum videtur peccare, sed in Christi. Aliter enim hoc pronunciat, vt etiam illum qui fornicatur, in spiritum sanctum dicat peccare, propter causam qua scissus est ab ecclesia. Hoc nulla ratione adstrui potest. corpus enim Christi non est vnus aut duo Christiani, sed omnes, singuli autem membra sunt. Quomodo ergo qui fornicatur, in corpus Christi peccat, cùm nō omnes contaminet? Quòd si ita esset, vt Nouatiano videtur, cætera omnia peccata extra

deum

deum esset. & sola fornicatio peccatum esset in deum: etiã qui vadit ad idola non peccat in deũ, neque qui negat in persecutione, quia omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est Christi, sicut illi videtur. Si autem & hoc aliter voluerit pronunciare, vt neget aliquod extra corpus Christi esse peccatũ, cogetur dicere quia omnis quicunque quodcunque peccatum fecerit, in deum peccat & in spiritũ sanctum, vt & fur, & periurus, & mendax in spiritum sanctum peccare dicatur. Et quomodo est illud quod ait dominus: Quia omnia peccata & blasphemiæ remittentur hominibus: qui autem peccauerit in spiritum sanctum, nõ remittetur ei neque hîc, neque in futuro? Apparet vtique exceptis cęteris peccatis aliud esse peccatum, quod peccatum dicitur in spiritum sanctum. Quibusdam iterum videtur quia qui fornicatur: ideo in corpus suum dicitur peccare, quia Ecclesiæ membrum est: & se contaminans, in Ecclesiam peccat, cuius membrum est. Qui ergo Ecclesiæ membrum est, dicendum est illi cùm fornicatur: quia non sibi sed in Ecclesiã peccat. Porro autem dicit Apostolus quia qui fornicatur, per id quod in portionem suam delinquit, in corpus suum peccat. *An nescitis quia corpora vestra templum est spiritus sancti, quem habetis à deo?*) Superius templum dei dixit, hîc templũ spiritus sancti, quia in substãtia hoc est spiritꝰ sanctus, quod deus. Hoc idcirco dixit, vt corpora nostra incõtaminata seruaremus, vt possit illic spiritus sanctus habitare. *Et non estis vestri. Empti enim estis precio magno.*) Manifestum est quia qui emptus est, non est sui arbitrij, sed eius à quo emptus est, vt non suam sed illius faciat voluntatem. Et quia caro precio empti sumus, propensius domino nostro seruire debemus, ne offensus, à qua nos redemit, morti nos reddat. Quàm enim carissimo precio nos emit, vt sanguinem suũ daret pro nobis. *Clarificate & portate deum in corpore vestro.*) Hoc est clarificare & portare deum in corpore, vt secũdum legem eius ambulemus. Per legẽ enim suam ipse videtur in nobis. Portare tamen deum, hoc est, imaginem dei in rebus bene gestis ostendere.

Matth. 12.

CAPVT SEPTIMVM.

De his autem quæ scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non cotingere.) Prauis sensibus pseudoapostolorum exagitati, qui nuptias per hypocrisin, vt puriores cæteris viderentur, spernendas docebant, hæc per epistolam ab Apostolo requirebant. Qui enim non oblectabantur haç sententia, prætermissis cæteris hoc solum requirunt. Quibus tamen respondit bonum esse quidem mulierem non contingere, quãquam non illi istud simpliciter asserant. *Tamen propter fornicationem.*) Hoc est, ne quid contra legem admittatur, quando quod lex non prohibet, vitatur. *Vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque suum virum habeat.*) Solent enim qui compendium quærũt, errare. Qui enim fieri posset vt hi ab vxoribus suis se abstinerent, quos in tãtis vitiis reperit? Ideo ergo non permittit, ne ab licitis se abstinentes, inconcessa pręsumerent, sicut faciunt Manichæi. *Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro.*) Inuicem sibi subiici illos in causa, vt quia vnum corpus sunt, vna eorum sit & voluntas in lege naturæ. *Mulier autem sui corporis potestatem non habeat, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habeat, sed mulier.*) Hoc dicit quod neque viro neque mulieri liceat corpus suum alij tradere. Inuicem enim sibi debitores sunt in hac causa, ne peccandi daretur occasio. *Nolite fraudare inuicem.*) Hoc dicit vt conueniat illis in re vxoria, ne dissensio generet fornicationem. *Nisi ex consensu ad tempus.*) Id est, vt ex condicto abstineant se propter gratiarum actiones. *Vt vacetis orationi.*) Quanquam enim sine intermissione orandum sit, (meditatio enim hæc omni die facienda est) tamen vt orationi insistatur, huic rei vacandum præcipit interpositis temporibus ad dominũ promerendum. Vt enim misereatur, mundius exorãdus est. Quamuis munda sint coniugia, tamen etiam à licitis abstinendum est, vt facilius ad effectum deducatur oratio. Nam & in lege sanctificari volentes, inter cætera etiam ab vuis passis iussu domini temperabant, vt fierent sanctiores. Cùm enim quis etiam concessa non contingit, ostendit se velle quod precatur accipere. Aliter. Quoniam coniugiis consilium dat vt ad ipsum dominum reuertantur, abstinentes ab vxoribus suis, vt possint dignius accipere corpus domini. *Et iterum reuertimini ad id ipsum.*) Quoniam cõsilium coniugiis dat post dies orationis ad vsum naturalem reuerti debere. *Ne vos tentet satanas propter intemperantiam vestram.*) Interpositis diebus abstinendum monet, ne occasio detur diabolo, sicut dicit Petrus apostolus, Ecce diabolus vt leo rugiens circuit quęrens quem deuoret. Si enim causa filiorum creandorum ducitur vxor, non multũ tempus concessum videtur ad ipsum vsum, quia & dies festi, & dies † purgationis, & ipsa ratio concepti & partus iuxta legẽ cessari temporibus his debere demonstrant.

1. Petr. 5.

† processionis.

Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.) Manifestum est ideo hoc illum dare consilium, vt fornicationem excludat, non vt ad meliorem vitam tendentibus iter claudat. *Volebam autem omnes homines esse sicut meipsum.*) Quantum ergo ad beneuolum & solicitum magistrum pertinet, omnes tales, si fieri posset, volebat esse sicut seipsum. Qualis autem ipse erat, mox in subiectis ostẽdit. *Sed vnusquisque proprium donum habet à deo, alius quidem sic, alius verò sic.*) Hoc est vnusquisque iuxta votum suum donum dei habet, vt si velit, ipsius nutu dei possibilitatem consequatur. Ideo non debet quis constringi, ne à licito, prohibitus, illicita admittat, sed ipse sibi eligat quid sequatur.

Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.) Non diceret, Bonum est in nuptis vt sint sicut & ego, nisi esset integer corpore. Nec diceret, Omnes homines volebam esse sicut meipsum. Si enim habuerit vxorem, & hoc dixit, virgines esse noluit: sed absit. Sic enim à pueritia spiritui seruiuit, vt huius rei studium non haberet: quippe cùm iuuenculus anticipatus sit à gratia dei. Postquam dixit vnumquemque proprium donum habere à deo, ostẽdit in qua re melius est esse propensiorem, quia in eo adiuuatur quis quòd videtur auiditate mẽtis appetere. *Quòd si se non continent, nubant.*) Imitari illos vult contendere vt se contineant. Quòd si impulsu carnis perseuerare se viderint nõ posse, quia nec sunt promptiores in eo ipso, vt adiuuentur à deo: (Illum enim deus iuuat, quem videt tota virtute contendere) nubant itaque si vri timent. Fortè enim poterũt hoc postea adipisci. Digesto enim impedimento reparat se voluntas robustiore virtute. *Melius est enim nubere quàm vri.*) Nõ ideo dixit, Melius est nubere quàm vri, quasi bonum sit vri, ideo nubere melius: sed cõsuetudinem secutus est. Solemus enim dicere: Melius est lucrum facere quàm damnũ. Vri ergo est desideriis agi vel vinci. Cùm enim volũtas calori carnis cõsentit, vritur. Nam desideria pati, & non vinci, illustris viri est & perfecti.

His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus.) Postquam innuptis & viduis locutus est, hos alloquitur qui matrimonio iũcti sunt, ore dominico: *Vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam.*) Hoc Apostoli consilium est, vt si discesserit propter malam cõuersationem viri, iam innupta maneat. *Aut viro suo reconciliari.*) Quòd si continere se, inquit, non potest, quia pugnare non vult contra carnem, viro reconcilietur. Non enim permittitur mulieri vt nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit, aut apostasiæ, aut si illicitè impellente lasciuia, vsum quærat vxoris: quia inferior non omnino hac lege vtitur qua potior: si tamen apostatet vir, aut vsum quærat vxoris inuertere, nec alij potest nubere mulier, nec reuerti ad illum. *Et virum vxorem non dimittere.*) Subauditur autem excepta fornicationis causa. Et ideo non subiecit dicens, sicut de muliere, quòd si discesserit, manere sic: quia viro licet ducere vxorem si dimiserit vxorem peccantem: quia non ita lege constringitur sicut mulier. Caput enim mulieris vir est. *Nam cæteris ego dico, non Dominus.*) Hoc dixit, vt ostendat quid proprio ore Dominus iusserit, & quid huius authoritati concesserit,

Matth. 5. & 19. Marc. 10. Luc. 16.

ceſſit, quia & per iſtum dominus loquitur, Ait enim: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?

Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier habet virum infidelẽ, & hic conſentit habitare cum illa, non relinquat virum.) Hoc dixit quia inter illa primordia cùm ambo vtique eſſent gentiles, fiebat vt vnus ex his crederet: & quia horrebant perfidi culturã dei, ſimiliter & credẽtes contaminationẽ præteriti erroris, ideo præcipit vt ſi contenti eſſent habitare cum immutatis, contenti eſſent fideles eſſe cum illis. *Sanctificatus eſt enim vir infidelis in vxore fideli, & ſanctificata eſt mulier infidelis à viro fideli.*) Habere illos beneficium bonæ voluntatis oſtendit, quia horrorem nominis Chriſti non habent, ad tuitionem hoſpitij pertinet, in quo ſignum ſit crucis, quo mors victa eſt. ſanctificatio enim eſt. *Alioquin filij veſtri immundi eſſent.*) Immundi eſſent filij eorum, ſi dimitterent volentes habitare ſecum, & aliis ſe copularent. Eſſent enim adulteri, ac per hoc & filij eorum ſpurij, ideo immundi. *Nunc autem ſancti ſunt.*) Sancti ſunt, quia de coniugiis licitis nati ſunt, & quia ſub creatoris veneratione nati ſunt propẽſiore ex parte: quia ſicut quicquid per dicationem idolorum fit, immũdum eſt: ita & quicquid ſub dei creatoris profeſſione fit, ſãctum eſt. *Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat.*) Propoſitum religionis cuſtodit præcipiendo ne Chriſtiani relinquant coniugia: ſed ſi infidelis odio dei diſcedit, fidelis non erit reus diſſoluti matrimonij. Maior enim cauſa dei eſt, quàm matrimonij. *Non eſt enim frater aut ſoror ſeruituti ſubiectus in huiuſmodi.*) Hoc eſt, non debetur reuerentia coniugij ei qui horret authorem coniugij. Non enim ratum eſt matrimoniũ quod ſine dei deuotione eſt, ac per hoc nõ eſt peccatum ei qui dimittitur propter deum, ſi alij ſe iunxerit. Contumelia enim creatoris ſoluit ius matrimonij circa eũ qui relinquitur, ne accuſetur alij copulatus. Infidelis autem diſcedens, & in deũ & in matrimonium peccare dinoſcitur, quia noluit ſub dei deuotione habere coniugium. Itaque non eſt ei fides ſeruãda cõiugij, qui ideo receſſit, ne audiret authorẽ eſſe Chriſtianorum deũ coniugij. Nam ſi Eſdra dimitti fecit vxores aut viros infideles, vt propitius fieret deus, nec iratus, ſi alias ex genere ſuo acciperent: (non enim ita præceptum his eſt, vt remiſſis iſtis alias minimè ducerent) quantò magis ſi infidelis diſceſſerit, liberum habebit arbitrium, ſi voluerit nubere legis ſuæ viro? Illud enim non debet imputari matrimoniũ, quod extra legem dei eſt: ſed cùm poſt cognoſcit, & dolet ſe deliquiſſe, ſe emendat, vt veniã mereatur. Si autem ambo crediderint, per cognitionem dei confirmant coniugium. *In pace autem vocauit nos deus.*) Verum eſt, quia non oportet litigare cum eo qui diſcedit, quia odio dei diſcedit, ac per hoc nec dignus habendus eſt. *Quid enim ſcis mulier ſi virum ſaluum facias? aut vnde ſcis vir ſi vxorem ſaluam facias?*) Hoc dicit quia fortè poſſunt credere qui non horrent nomen Chriſti. *Niſi vnicuique ſicut diuiſit dominus.*) Diuiſit vnicuique dominus quando ſaluetur, hoc eſt, ſcit quando poſſit credere, & ſuſtinet illum: ſic & hic docet expectandos eos, nec ſcandalum de his pati debere quia cuſtodienda eſt ſpes illorum. Si enim ipſi diſceſſerint, diſſimulandum ab his. *Vnumquemque ſicut vocauit deus, ita ambulet.*) Hoc eſt, vt ſi matrimonio iunctus eſt qui credit non deſerat, neque vir, neque mulier, ſed ſic maneat, ſiue Iudæus, ſiue Græcus. *Sicut in omnibus eccleſiis doceo.*) Vt ſuadeat, non ſe aliter his tradere dicit quàm cæteris: vt cùm cæteros huius fidei hoc doceri audiunt, promptius aſſẽquantur. Facilè enim quis inclinatur ſi viderit ſocium conſenſiſſe. *Circumciſus aliquis vocatus eſt? non adducat præputium.*) Hoc eſt quod dixit, vt ita ambulet ſicut vocatus eſt vt Iudæus factus Chriſtianus, non putet ſe fore indignum quia præputium non habet, dans gloriam præputio. *In præputio quis vocatus eſt? non circuncidatur.*) Vt gentilis vocatus non ęſtimet ſe debere circuncidi, per id quod filios Abrahæ audit præponi. Nec enim quia circunciſi ſunt, præponuntur, ſed merito Abrahæ, cuius filij ſunt in vtroque ſi credant: ſi quo minus, peiores erunt gentilibus. Deterius eſt enim fuiſſe & non eſſe, quam nunquã fuiſſe. *Circumciſio nihil eſt & præputium nihil eſt.*) Manifeſtum eſt quia nec obeſt nec prodeſt. *Sed obſeruatio mandatorum dei.*) Id

A eſt, fides propitium facit deũ, ſi bonis operibus approbetur. *Ephe. 4.*

Vnuſquiſque in ea vocatione in qua vocatꝰ eſt, in ipſa permaneat.) Hoc firmat quod ſuprà dixit. *Seruꝰ vocatus es? non ſit tibi curæ: ſed & ſi potes liber fieri, magis vtere.*) Hortatur vt bene ſeruiens de dei timore carnali domino, dignum ſe faciat libertate, ne audiens fortè, Seruus vocatus es? nõ ſit tibi curæ: negligentior eſſet circa bonos actus carnalis domini & doctrina Chriſti blaſphemaretur, & nec ille deum promereretur, quia in his terrenis bene ſeruiens, meritum ſibi collocat apud deum, quia dixit dominus: Qui in minimo fidelis eſt, & in magno. *Luc. 16.* *Qui enim in domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt domini.*) Ereptus enim à peccatis, quæ verè ſeruos probant, libertus fit. Hic enim omnino ſeruus eſt, qui imprudẽter agit, ſicut & veteribus placuit, qui omnes ſapiẽtes liberos appellarunt, imprudẽtes autẽ omnes ſeruos. Vnde & Salomõ: Seruo, inquit, ſapienti liberi ſeruiũt. *Eccl. 10.* Hic ergo qui credit, etſi ſeruus ſit ad tẽpus, quia rem facit prudentem vt

B credat in Chriſtum, libertus fit domini. Si ergo peccata ſeruos faciũt, ſicut Chã filius Noë peccati & imprudẽtię cauſa factus eſt ſeruus: cùm accipit remiſſionẽ peccatorũ, libertus efficitur. *Similiter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti.*) Profectus eſt, ex libero ſeruum fieri Chriſti. Liber enim erat à deo, quod maximũ crimen eſt, & ideo amiſſa amara & contraria libertate conditionem ſortitus eſt quæ prodeſſet, ſicut *Matth. 11.* dicit dominus: Tollite iugum meum ſuper vos, quia ſuaue eſt: & onus meum, quia leue eſt. Superbiam itaque abſcidit, & vnitatem fecit, vt neq; ſeruus pudore conditionis deſpectum ſe putet, neq; liber elatione mentis inflatus, ſeruo ſe ſuperponat. *Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.*) Verum eſt, quia tam caro precio empti ſumus, vt à nullo redimi potuiſſemus, niſi à Chriſto, qui omniũ diues eſt. *1. Petr. 1.* Qui ergo precio emitur, magis ſeruire debet, vt aliquatenus vicem reddat emptori. A deo ergo empti, id eſt à Chriſto, ſerui hominum eſſe nõ debent. Serui autem hominum hi ſunt, qui humanis ſe ſubiiciunt ſuperſtitionibus. Apoſtolus tamen illud

C memorat, quod in capite epiſtolæ reprehendit, eò quòd dicerent: Ego ſum Pauli: alius autem, ego Apollo: dedit tamen articulum, Chriſtum ſatendum deum, quando ſeruos Chriſti non homini ſeruos appellandos oſtẽdit. *1. Cor. 1.* *Vnuſquiſque frater in quo vocatus eſt, in eo maneat, apud deum.*) Hoc eſt quod ſupra dixit, quod vt plenè commendet, reiterat.

De virginibus autem præceptum non habeo.) Hoc ad ſcripta illorum reſpõdit, ſicut ſuprà dixit, De quibus autem ſcripſiſtis mihi &c. *Conſiliũ autẽ do, tanquam miſericordiã cõſecutus à domino, vt ſim fidelis.*) Præceptum de virginibus negat ſe accepiſſe, quia non poterat author cõiugij rẽ aduerſam nuptiis imperare, ne factũ ſuũ priſtinũ accularet. Cõſiliũ autẽ, ait, do, nõ quod diſpliceat, neq; quod adulatione fucatũ ſit, quia ad hoc gratiã cõſecutus eſt, vt idoneus ſit in dandis cõſiliis ſalutaribus. *Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter præſentem neceſſitatem, quia optimum eſt homini ſic eſſe.*) Bonum dicit eſſe virginẽ permanere. Et vt hoc abſolutius oſtenderet, propter præſentem neceſſitatem, ait: quia optimũ eſt vt inter bonum & optimum nihil tam præclarũ atq; vtile eſſe cognoſceretur, quam eſt virginitas: quia non ſolũ apud deũ virginitatẽ cõmendatiorem docet, ſed & apud vitã præſentẽ, dum neceſſitates tẽporis neſcit, quas patitur cõiugatio & mœrores partus, ſimulq; orbitates filiorũ ignorat. Vt ergo ad hãc affectandã hortaretur, præſentis neceſſitatis exitia lucrari docet has quę illã dilexerint, vt cùm nõ ſolum hanc apud deũ locum meliorẽ habere diſcunt verumetiã in præſenti, omni induſtria hanc appeterẽt. Vnum enim eſt quod laborat, vt affectũ carnis vincat, in cæteris omnibꝰ libera. Quia enim caro in origine ſua eſt & natura, vſus eiꝰ ſuauis videtur, & dulcis effectus videtur: ideo hæc ſuperare nõ breuis gloriæ eſt. *Vinctus es vxori? ne quæſieris ſolutionem.*) Hæc remẽdiorum conſilia ſunt. Dicit enim non debere quenquam abſolui ab vxore, cauſa fornicationis. Frequenter enim ſuas dimittẽtes, ſub tegmine cõtinentiæ alias decipiũt, refrigeſcẽte propoſito. Sed ſi meliꝰ vult viuere cũ vxore ſua poſitus, exhortetur illam, vt ſine ſcandalo purius

viuant. *Solutus es ab vxore? ne quæsieris vxorem.*) Vt sciens hoc magis deo acceptum, & à necessitate liberum, non quęrat vxorem, ita tamen, vt à cęteris temperet. Si quo minus, quid prodest desiderium carnis premere? hoc est, rem licitam spernere, & illicitis subiacere? *Si autem acceperis vxorem, non peccasti.*) Non vtique peccat: quia quod concessum est, facit. Si verò contempserit, meritum sibi collocat & coronam. Magnæ enim patientiæ est hoc non contingere quod prohibitum non est. *Et si nupserit virgo, non peccauit.*) Non peccat, quia apud deum ex hac causa libera est. *Tribulationes tamen carnis habebunt huiusmodi.*) Hoc est, & si à peccato liberi sint, in hac tamen vita tribulationes habebunt: gemitus ventris, nutrimenta filiorum, victus, tegumenta, dotes, ægritudo, apparatus domus, vxoris necessitas, mariti dominatio. *Ego autem vobis parco.*) Parcit, quando ad hæc magis prouocat, quæ tribulationes carnis & solicitudines memoratas excludunt. Potest sic videri parcere, cùm permittit, & non contradicit volentibus: quod onerosum ostendit. *Hoc itaque dico fratres, tempus breuiatum est, reliquum est.*) Breuiatum tempus & reliquum dicens, finem mundo imminere significauit, quanuis sciret adhuc tempora superesse. Sed aliter scribere nō debuit propter hos qui lecturi hæc tunc sunt, cùm perbreue supererit tēpus: ne semper dum longè esse putaretur dies iudicij, aut non timeretur, aut falsum esse æstimaretur. Illud autē quod dicitur, cum adhuc longè sit, imminere, multum proficit. Terrorem enim incutit ad meliorem vitam agendam hominibus. Denique hîc in præsenti quàm soliciti sunt ij qui apud iudices habent quæ agant, cùm actorum dies dicitur imminere. 2. Cor. 6. Hoc sonat hic quod alio in loco dicit: Seductores, sed veraces. *Vt & qui habent vxores, ita sint ac si non habentes.*) Quia enim mundi finis in proximo est, non debere ad generandum esse solicitos, neque ad vsum ipsum deditos, vt propensiores & vigilantes in diuinis operibus exercitati, circa curam legis imminente prælio repugnent. Pressuræ enim erunt quales nunquam fuerunt, & multi casuri sunt in laqueum diaboli. Denique nullus nostrum vult tempore suo hęc prouenire, timens prædictas à saluatore pressuras. Ideo sicut nobis optamus, cōsulamus & aliis, vt à generatione nos filiorum multorum abstineamus, plus orationi & dei seruituti subiecti, prouidentes diem iudicij, ne & nos simus imparati per impedimenta necessitatis præsentis, & illi incurrant quod nos timemus. Etiam à licitis ergo vult temperare fideles, vt non solum innocentes, sed & glorioſi videantur. Concessa enim præterire virtutis est maximæ, & prohibita non desiderare non longè est. *Et qui flent, tanquam non flentes.*) Scientes enim in proximo finem mundi, mox, consolationem eorum futuram qui pro dei iustitia fortè premuntur, hac spe inter eos consolantur se. *Et qui gaudent, tanquam non gaudentes.*) In præsenti enim qui gaudent, sciant mox luctum venturum, eis videlicet qui mundo gaudent, ambigentes de dei iudicio. *Et qui emunt tanquam non possidentes.*) Credentes enim qui emunt, paruum tempus superesse mundo, sic agant, vt non omnem curam in rem citò perituram impendant, magis autem curam animæ suæ gerant, quam sciunt æternam. *Et qui vtuntur hoc seculo, tanquam non vtantur.*] Id est, vt non præsumant de vsu hoc, quia citò peribit corruente mundo. *Præterit enim figura huius mundi.*] Quia finiri mundum dixit, ostendit figuram eius præterire, & hunc esse finem, id est non substantiam eius præterire, sed formam. Itaque si forma mundi peribit, dubium vtique non est, omnia quę in mundo sunt interire. Ideo præterit, quia quotidie senescit mundus. *Volo vos sine solicitudine.*) Deminuta enim solicitudine seculi, in dei rebus propensius vigilatur. *Qui sine vxore est, cogitat quæ domini sunt, quomodo placeat deo.*) Quomodo sine solicitudine simus, ostendit dicens: Qui sine vxore est, cogitat quæ domini sunt. Amputata enim solicitudine rei vxoriæ, quæ sola in mundo cæteris grauior est, ad deum promerendum animus eruditur: tamen hac spe animus his molestiis se exuat, vt deo magis seruiat. *Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt huius mundi, quomodo placeat vxori.*) Cura enim vxoris & filiorum, cogitatio mundi est.

A Nam inter cætera solent aliquando res puniendas admittere ne illas offendant, sicut refert Zorobabel vnus de tribus cubiculariis Artaxerxis in libo Esdræ. Magna enim amaritudo est in domo vxor tristis. Diuisus ideo dicitur, quia non potest & diuinis insistere rebus, & vxoris facere voluntatem. *Diuisa est mulier & virgo.*) Diuisa non vtique natura, sed actu, quia legimus in Numeris mulieres virgines appellatas. Alia ergo solicitudo mulieris, alia virginis est: tamen cùm dicitur mulier, incertum est quid significet, nisi significatio subsequatur: cùm autem dicit virgo, manifesta locutio est. Hic Apostolus virginem post mulierem posuit, vt mulierem non virginem significaret. Per hoc enim voluit ostēdere virginem liberam à tædiis & laboribus quos patitur mulier viro copulata. *Quæ autem non est nupta, solicita est de iis quæ domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu.*) Id est, animo. Dum enim spe cœlestium, mariti & filiorum solicitudinem non suscipit, de domino cogitat, quomodo propositum deo deuotum custodiat, si tamen in corpore mundo animus terrena abiiciēs cœlestibus studeat. Animus est enim B qui aut sanctificat, aut polluit corpus. Quid enim prodest corpus mundum habere, & animam pollutam, cum merito animæ aut honoratur corpus aut damnatur? *Nam quæ nupta est, cogitat quæ sunt huius mundi, quomodo placeat viro.*) Lege enim maritali constricta, solicita est quomodo impleatur ius maritalis officij, subdita mundanis necessitatibus. *Hoc autem ad vestram ipsorum vtilitatem dico, vt non laqueum vobis iniiciam: sed ad id quod honestum est.*) Quoniam quibusdam asperum & graue videtur, quod vtilius aut melius est propter consuetudinem temporalis vsus: ideo post rationem redditam hortatur affectu charitatis simpliciter hoc vtilius, hoc honestius esse quod dicit. Honestum est, quia sanctum & mundum: vtile verò, quia dignius est apud deū, & leue in seculo. Quid ergo dicemus si virgines de deo cogitant, & iunctæ viris de mundo, quæ spes relinquitur nubentibus apud deum? Si enim ita est, dubium est de salute eorum. Nam videmus virgines de seculo cogitare, & matrimonio iunctos dominicis studere operibus. His virginibus non imputabitur sanctiC monium à deo, & his matrimoniis erit merces apud deum: quia cùm obligati essent terrenis & carnis nexibus, operam dederunt vt in futurum aliquid immortalis præmij merērentur. Illis autem non solum non imputabitur virginitas, sed & pœnæ subiicientur, qui sub tegmine melioris spei vitam & conuersationem suam mundiali cura & solicitudine occupantes, pigros se ad dei opera agenda fecerunt: sicut dicit Hieremias propheta: Maledictus qui opera dei facit ne- *Hier. 48.* gligenter. Hi sunt de quibus in alia epistola dicit: Habentes *1. Tim. 3.* quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Apostolus autem his loquitur, qui mira deuotione obsequi desiderant cœlestibus præceptis, ostendens & docens quo compendio citius itur ad deum: quia qui propter deum promerendum virgo manere vult, sciens quale præmium possit accipere, qui à licito tēperat: vt melior fiat, simul omnia impedimenta carnis spernit, non nescius hæc esse quæ gressum currentis velut oneribus compedum detinent.

D *Si quis autem turpem se viderit supra virginem suam si sit vltra pubertatem, & sic oportet fieri: quod vult faciat, non peccat, si nubat.*) Propter quod superius virginitatem tenendam & continentiam reddita ratione hortatus est, ita vt penè ad comparationem earum coniugia inutilia & abiicienda videantur: nunc ne nuptias negare putaretur, non peccare virginem si nubat ostendit, sed rem maximi laboris aggredi: & qui apud deum præmium non habeat, sicut non habet pœnam. Christianos enim vult per omnia esse meliores. Si ergo aliqua in desiderio nuptiarum est iam matura ad vsum, melius esse vt secundum concessam legem publicæ nubat, quam occultè turpiter agat istud, & erubescatur in illa. *Qui autem statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem habet de sua voluntate, & hoc decreuit in suo corde seruare virginem suam, benefacit.*) Hoc dicit vt qui virginem habet cui animus ad nuptias non est, seruet illam: nec illi ingerat fomitem nuptiarum, quam videt nubendi voluntatem non habere. Beneficia enim si præstanda sunt, quanto

quantò magis minimè auferēda? *Itaque & qui nuptū dat virginem suam, bene facit.*) Bene facit, quia licet quod facit. *Et qui non dat nuptum, melius facit.*) Melius facit, quia & apud deum meritum illi collocat, & seculi solicitudine illam liberat. *Vxor vincta est lege quandiu viuit vir eius.*) Hęc idcirco prosequitur, vt doceat quia mulier etiam si à viro fuerit ejecta, nubendi licentiam non habet. *Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est.*] Etiam hæc ad supradictas pertinent causas, vt ostendat quàm beata sit virgo, cùm nulli nisi soli deo subiecta sit. Vincere enim videtur naturalē subiectionem, quādo quod per naturam humiliatum est, erigit. *Cui vult nubat, tantum in domino.*) Id est, quem sibi aptum putauerit, illi nubat, quia inuitæ nuptiæ solent malos prouentus habere. Tātum autem in domino, hoc est, vt sine suspitione turpitudinis nubat, & religionis suæ viro nubat: hoc est in domino nubere. *Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium.*) Cùm dicit nubat, lege loquitur naturali, quanquam à deo primæ nuptiæ sint, secundæ verò permissæ sunt. Denique primę nuptiæ sub benedictione dei celebrātur sublimiter: Secundę autē & in præsenti carent gloria. Cōcessæ sunt autem propter incontinentiā, & quia solēt viduatū iuniores incurrere: ac per hoc concedit secundas. Sed quia melius est vt se contineat, vt dignior sit in futuro, consilium dat spirituali ratione præcipuum, vt se contineat. *Puto autem & ego spiritum dei habeo.* Vt ratum & prouidum consilium suum ostendat, humilitate verbi hoc commendat alto sensu.

CAPVT OCTAVVM.

De his autem quæ idolis immolantur, scimus quia omnes scientiam habemus.) Nunc de scientia locutus est, & quæ sit scientia, non interim dicit, sed in subiectis ostendit dicēs: Quia nihil est idolum. *Scientia inflat.*) Manifestum est habentem scientiam in eo ipso gloriari, si non foris, quia prudens est vel apud se. Genus enim scientiæ hoc est, vt glorietur in sese. ideo inflat. *Charitas verò ædificat.*) Itaque tunc scientia magna est, & sibi vtilis, si charitate humilietur, vt amplius crescat. Temperatur enim à dilectione, vt non satis mera sit, & inebriet scientem vt se extollat. Sicut enim vinum non temperatum admixtione aquæ mentem alienat: ita & scientia superbum facit, nisi fuerit temperata. Omnia enim sola insuauia sunt & nociua, quia nec panis solus bene editur, nec reliqui cibi sine admixtione grati sunt, & nociui: ideo charitas ædificat. Ipsa charitas vno licet vocabulo appelletur, multis tamen consistit. Sine patientia enim non potest, neque sine humilitate, neque sine cordis simplicitate. Hi ergo inflati erāt per scientiam, quia nihil est idolum, qui contra salutem fratrum imperitorum carnes sacrificatorum edebant, scientes licere carnem edere: & quia nihil est idolum, ideo non contaminari edentem. Hi scandalo erant fratribus, charitatem præoculis non habentes: quia plus erat carnem contemnere, quàm fratribus scandalum facere. Scientia enim illorum destruebat animos imperitorum fratrum, putantium esse illic apud idolum aliquam gratiam, quando peritiores fratres interesse illic, & non horrere videbant. Ideo ait: Charitas ædificat, vt saluti fratrum studentes, scientiæ illic legibus non vterentur, ne illis scandalum facerent. *Quòd si quis existimat se scire, nondum cognouit quemadmodum oporteat scire.*) Eosipsos qui in scientia gloriantur, ostendit non ita cognouisse sicut cognoscendum est. Dum enim charitatem, quæ mater omnium bonorum est, non sectantur, non sciunt sicut oportet. Vt ergo scientia fructum habere possit, charitati se debet subiicere. *Si verò quis diligit deum, hic cognitus est ab eo.*) Hic diligit deū, qui charitatis causa scientiā mitigat, vt prosit fratri, pro quo Christus mortuus est. *De cibis igitur qui simulachris immolantur.*) Immolatorum nunc causam ipsam pertractat vt ostendat per rationem scientiam non solum nō proficere charitate contempta, sed & obesse. *Scimus enim quia nihil est simulachrum, & quia nemo deus nisi vnus.*) Verum est. Apud Christianos enim vnus est deus. *Licet sint qui dicantur dij & domini, siue in cœlo, siue in terra.*) A paganis enim & Sol & Luna & cætera sydera dij cœlestes dicuntur. Et in terra Apollinem, Aesculapium, Herculem, Mineruam deos dicunt & dominos. *Nobis tamen vnus deus pater, ex quo omnia & nos in illo.*) Omnia enim ex illo quæquæ sunt, vbicunque sunt. Nos autem cùm dicit in illo, discreuit nos à cæteris qui cùm ex illo sint, non tamen sunt in illo, dum adhuc non credunt. *Et vnus dominus Iesus, per quem omnia, & nos per ipsum.*) Omnia enim ex patre quidem, sed per filium creata sunt. Sed cùm dicit, & nos per ipsum: per quem creati fueramus, reformatos nos per ipsum significat in dei cognitione: quia facti per ipsum cū cæteris, post stuporem mētis & ignorantię nos per ipsum agnouimus mysterium vnius dei. Vnum ergo deum patrem dixit, & vnum dominum Iesum filium eius: vt quia deus non potest non esse dominus, similiter & dominus intelligatur esse & deus, vnum esse deum & dominum demonstraret, modum vnius principij conseruando. *Sed non in omnibus est scientia.*) Id est, non omnes norunt credentes mysterium dei vnius, ideo quidam putant ex iis, qui credunt aliquid numinis in simulachris. *Aliqui autem adhuc scientia simulachri quasi simulachro immolatum manducant.*) De plebe enim aliqui cum veneratione adhuc simulachri manducabant de sacrificatis, quasi aliqua esset illic diuinitas. *Et conscientia illorum cùm adhuc sit infirma, coinquinatur.*) Maculatur conscientia, si infirma est circa deum vnum. *Esca autem nos non commendat deo.*) Verum est, quia non ideo placebimus, si omnia ederimus, aut offendimus si aliqua contempserimus. *Neque enim si ederimus abundabimus: neque si non ederimus, deerit nobis.*) Contempta enim sacrificiorum esca, non vtique deerit quod edatur. Si autem sumpta fuerit, non abundabit, ita vt nihil requiratur, ac per hoc abiicienda, quia neque sine illa non viuitur, & scandalum fratribus est. *Videte tamen ne forte licentia vestra offensio fiat infirmis.* Hoc est, ne quia licere vobis edere carnem de sacrificio dicitis, per id quod nihil esse idolum scitis, offensionem generetis fratribus qui nesciunt adhuc, quia nihil est idolum. *Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nónne conscientia eius cùm sit infirma ædificabitur ad manducandum de simulachris?*) Hoc ideo dixit, quia videns qui fratrem peritum in idolio nouitatum recumbentem edere carnes sacrificiorum, putat illic esse aliquid gratiæ, & incipit & ipse edere carnes sacrificiorum, non illa conscientia qua ille peritiæ causa sciens nihil esse idolum, sed esse putat illic numen, quando fratrem peritum videt illic edere nec horrere. *Et peribit qui infirmus est, in tua scientia, frater: quo Christus est mortuus.*) Peribit infirmus, si edat contra vnius dei fidem de sacrificatis. Quòd quidem quasi irascentis verba sunt, & ostendentis quid mali possit parere scientia si non fuerit temperata à charitate. In tua scientia, id est, tua peritia, illum occidis, quando à te fieri videt quod ille aliter intelligit. Et tu eris occasio mortis fratris, quem Christus vt redimeret, crucifigi se permisit. Ac per hoc aliquando ab scientia dissimulandum docet charitatis causa: quia sine dubio plus est salus fratris, quàm cibus, quia licet quidem sed non expedit. Hoc erit cognouisse sicut oportet scire. *Sic autem peccantes in fratres & percutientes conscientiam illorum infirmam, in Christo peccatis.* Quando enim charitatis non æmuli sunt qua Christus nos liberauit, peccant in Christo, nō in Christum: quia in Christum peccare, negare est Christum: in Christo autem, in hæc quæ sunt Christi. Sicut & hic qui sub lege est, in lege dicitur peccare: ita & ij qui sub Christo sunt, in Christo peccare dicuntur. *Propter quod si scandalizat fratrem, non edam carnem in æternum, ne fratrem scandalizem.*) In tantum charitati studendum docet, vt licita pro illicitis habeantur, ne obsint fratri. Quantū enim mali est per illicita non delinquere, & per ea quæ concessa sunt offendere, vt lex seruetur in illicitis, & in licitis nō custodiatur, dum incōsideratè edūtur? Lex enim sic permisit siue concessit, vt modus tamen sit quem custodiant. Vxorem certè licet habere: sed si fornicata fuerit abiicienda est: ita & carnem licet edere, sed si idolis oblata fuerit, respuenda est.

CAPVT NONVM.

Non ſum apoſtolus, non ſum liber, nónne Ieſum dominum noſtrum vidi?) Cùm negare videtur, cõfirmat. Iratus enim loquitur. Apoſtolum enim ſe probat, quia miſſus eſt ad gentes, dicẽte domino ad eum: Ego ad gentes mittam te. Liberum autem ſe oſtendit, quia nullius aliquid cõcupiuit, neque in adulatione docuit. Ieſum autem dominum noſtrũ vidit, dum oraret in templo Hieroſolymis. *Nónne opus meum vos eſtis in domino?*) Ideo opus eius ſunt, quia ipſe illos plantauit in domino annum & ſex menſes euangelizans eis verbum dei. *Si aliis non ſum apoſtolus, verumtamen vobis ſum.*) Quia à Iudæis credentibus, & nihilominus legẽ ſeruantibus, apoſtolus eſſe negabatur. Iam enim circuncidi non debere docebat, neque ſabbatum cuſtodiri. Cæteris autem apoſtolis propter ſcandalum ab hac re diſſimulantibus, hic aliter videbatur docere: ideo apoſtolus ab his negabatur. His enim erat apoſtolus qui viderãt in eo virtutis inſignia. *Nam ſignaculum apoſtolatus mei vos eſtis in domino.*) Hoc enim prædicante, conuerſi ſunt ab idolis ad fidem dei vnius. *Mea defenſio ad eos qui me interrogant, hæc eſt.*) Nunc incipit agere cauſam quam ſuperius præmiſit, dicens: Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate: eſca ventri, & venter eſcis. Sic ergo incipit cauſam hanc, vt dicat, Mea defenſio apud eos qui me interrogant, hæc eſt. Et quæ ſit ſubiecit, dicens: *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi?*) Hoc eſt quod dixerat, omnia mihi licent. *Nunquid non habemus poteſtatem mulieres circunducendi, ſicut & cæteri apoſtoli, & fratres domini, & Cephas?*) Ideo addidit & Cephas, quia cùm primus eſſet inter apoſtolos, non refutabat ſumptus oblatos. Cephas ipſe eſt Simon Petrus. Mulieres enim deſiderio doctrinæ dominicæ & cupidæ virtutum ſequebantur apoſtolos, & miniſtrabant eis & ſumptus & ſeruitia, ſicut & ſaluatorem ſunt ſecutę miniſtrantes ei de facultatibus ſuis. *Aut ſolus ego & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi?*) Hoc eſt, habemus poteſtatem hoc operandi, ſed nolumus. Pro accipiendi tamen operandi ait, vt honeſtius loqueretur. Et vt hoc firmet, exempla ſubiecit, dicens: *Quis militat ſtipendiis ſuis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem ouium, & de lacte earum non percipit? nunquid ſecundum hominem hæc loquor?*) Id eſt, nunquid humanam ſententiam ſequor? *An & lex eadem dicit?*) Concordare docuit ſupradicta teſtimonia documentis diuinis, vt oſtendat non ſine cauſa vtique nolle ſe ab illis ſumptus accipere, quando tot exemplis oſtendit & dandum & accipiendum eſſe. *In lege enim ſcriptum eſt, Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bubus cura eſt deo?*) Interim paucis hæc abſoluamus. In Iona enim propheta ſcriptum eſt: Non parcam ciuitati in qua habitant plus quàm centum viginti milia hominum, & pecora multa. Et Pſalmographus. Homines & iumenta, inquit, ſaluabis. Quomodo ergo deus non curat de bubus & pecoribus? Sed non curat de bubus & pecoribus propter hæc ipſa, ſed propter nos, quorum cauſa ſunt facta: ideo de nobis curat, non de illis. *Aut potius, inquit propter nos dicit? propter nos enim ſcriptum eſt.*) Per figuram enim omnia dicta ad nos tranſeunt. *Quoniam qui in ſpe arat & triturat, debet ſpei ſuæ fructum percipere.*) Verum eſt, quia hac ſpe laboratur, vt fructus capiatur. *Si nos vobis ſpiritalia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos veſtra carnalia metamus?*) Non dicit magnum neque par eſſe, ſi euangelizantes regnum dei & cœleſti cibo eccleſiam ſaginantes, alimenta corporis ſumerent, vt tradentes æterna, conſequerentur temporalia. *Si alij poteſtate veſtra vtuntur, nónne magis nos?*) Si enim ij qui per euangelium patres veſtri non ſunt, nec eundem affectum habent erga vos, facultatem habent accipiendi, quantò magis nos? Et ſubauditur veſtri apoſtoli, quia Barnabas apoſtolus erat. *Sed non ſumus vſi hac poteſtate, ſed omnia toleramus, ne quod impedimentum demus euangelio Chriſti.*) Diu occultatum prodidit ſenſum. Oſtendit enim ſumptus ideo ſe nolle cùm liceret accipere, ne vigor euangelicæ authoritatis torpeſceret. Pſeudoapoſtoli enim peccantibus blandiebantur volentes accipere, ita vt non ſibi viderentur peccare illis ſubiecti. Sed quoniam hæc res contra euangelicam erat diſciplinam, hic non vult accipere, vt liberè arguat, ne in illorum numero inueniatur. Vt enim regulæ Chriſtianę ius maneret, licita illicita fecit, quia illi per licentiam offendebant. *Neſcitis quoniam qui in ſacrariis operantur, de ſacrario viuunt: & qui altario deſeruiunt, altari participantur?*) In ſacrariis legem gentilium ſignificat, in altari verò Iudæorum. Sic enim decreuit dominus per Moyſem, vt de iis quæ oblata erant partem ſumerent ſacerdotes. *Ita & dominus Ieſus ordinauit eos qui euangelium annunciant, de euangelio viuere.*) Non ergo deus per Moyſem gentilium formam ſecutus eſt: ſed ipſa naturalis ratio hoc habet, vt quis inde viuat vbi laborat. Hanc ergo rationem ipſe naturæ & conuerſationi humanæ decreuit. Hæc tamen ad cumulum adhuc addens, grauat cauſam, vt non leue faciat neque odioſum quod tantis teſtimoniis commendat: & tamen non ſibi proficere vult, ne libertatem arguendi humiliet. *Ego autem nullo horum vſus ſum.*) Poſtquam multis modis oſtendit licere accipere, ſibi tamẽ non opus eſſe. Obeſt enim accipere à peccantibus, ſicut ſupra memoraui. *Non autem ſcripſi hæc, vt ita fiat in me. Bonum eſt mihi magis mori quàm vt gloriam meam quis euacuet.*) Gloriam ſuam dicit in eo, ſi euangelij ſeueritas maneat, & mori magis eligit, quàm euangelij iura violare, ſciẽs hoc magis ſibi proficere ad futuram ſalutem. Debitum enim obſequium abnuit ab his ſibi impendi, ne per hoc accipiant fiduciam delinquendi. *Nam ſi euangelizem, non eſt mihi gratia: neceſſitas enim mihi incumbit.*) Sicut dicit dominus: Cùm feceritis quæ dico vobis, dicite, Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. *Væ enim erit, inquit, mihi, ſi non prædicauero euangelium.*) Miſſus enim ſeruus à domino facit etiam inuitus quod ſibi præceptum eſt: ſi quo minus, aſtringitur plagis neceſſe eſt. Denique Moyſes inuitus miſſus eſt ad Pharaonem, & Ionas coactus eſt prædicare Niniuitis. *Nam ſi volẽs hoc ago, mercedem habeo.*) Manifeſtum eſt quia nemo accipit remunerationem eius rei quam inuitus agit. Si enim voluntarius, dignus mercede eſt, quia conſentit domino: & quod voluntate fit, melius fit. *Si autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt.*) Nec hoc obſcurum eſt, quia qui indeuotus aliquid facit, non volũtate facit, ſed neceſſitate. Quia enim voluntatis ſuæ non eſt, facit inuitus quod ſibi præceptum eſt. *Quæ ergo erit mea merces, vt euangelium annuncians, ſine ſumptu efficiam euangelium, vt non abutar poteſtate mea in euangelio?*) Repreſſa verborum iactantia gloriatur, & vult intelligi quanta dignus mercede ſit, quia poteſtate ſua non vtitur in euangelio, dum reſpuit oblatos ſumptus, ne vim prædicationis humiliet. Hoc eſt licere, ſed nõ expedire propter ſalutem fratrum, vt corrigantur. Forma ergo vult eſſe cæteris, vt vbi vident non expedire, etiam licitis non vtantur: ſi quo minus, de licito fient rei, quod ſic ſumunt, vt ad detrimentum proficiat.

Nam cùm liber ſim ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifaciam.) Liber ex omnibus eſt, cum nulli in adulatione tradidit euangelium, nec cuiuſquam prẽter ſalutem aliquid concupiuit, neque ad delicias habendas ab aliquo ſumptus largiores mercedem hypocriſis accepit. Seruũ autem ſic ſe omnium factum dicit, dum ſemper humilitatem ſimilem omnium mente imbecillium exhibuit, vt eos per patientiam firmaret ad ſalutem futuram, confouens animos illorum qui aut peccabant, aut res diuinas tardius ſequebãtur, vt non aſperè ferrent reprehendi ſe. *Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem.*) Non videtur quaſi ſimulaſſe, vt omnibus fieret omnia, quod ſolent adulatores facere: ſed non ita eſt. Vir enim diuinus & medicus ſpiritalis ſciens omnium cauſas & vulnera, magna induſtria conſouet illos, & compatitur. Cum omnibus enim hominibus quædam habemus communia. Factus eſt ergo Iudæis quaſi Iudæus, quia propter ſcandalum illorum circuncidit Timotheum, & purificatus aſcendit templum, ne occaſionem per eum acciperent blaſphemandi. Rem ergo fecit, quę iam ceſſare deberet, ſed fecit ſecundum legem. Nam & coſenſit illis legem eſſe à deo & prophetas, & exinde illis oſtendit Chriſtum hunc eſſe qui promiſſus eſt, vt aſſenſus eius haberet effectum. *Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem cum ipſe non ſim ſub lege: vt eos qui ſub lege ſunt, lucrifacerem.*

Deut. 25.

Ione. 4.

Pſalm. 35.

Luc. 17.

lucrifacerem.) Ij qui sub lege sunt, Samaritani noscuntur. Legem enim solã accipiunt, id est, quinque libros Moysi. Sunt autẽ ex origine Persarum & Assyriorum: quos rex Assyriorum sublatis filiis Israel, in captiuitatẽ posuit ad incolenda loca Samariæ. ideo & ignem colunt more Persarum. His ergo Apostolus, dum nõ negabat legem esse à deo, fiebat quasi sub lege: sed ex ea illis mitti verbo Christum intelligẽdum tradebat, sicut & Samaritana illa quæ dixit ad dominum: Scio quia Messias venit: docta per legem. *Iis qui sine lege sunt, quasi sine lege essem, cùm sine lege non essem dei, sed in lege essem Christi.*) Hoc dicit, quia cùm in lege Christi est, in lege dei est: quia quod Christi est, dei est: & quod dei, Christi est: sicut dicit: Omnia mea tua sunt, & tua mea. *Vt eos qui sine lege sunt, lucrifacerem.*) Dum enim assentit illis, id est, gentilibus, iuxta physicam rationem mundum factum à deo, & quæ in eo sunt, & animam esse immortalem, & ab ipso nos originem habere. (Ita enim in Actis apostolorum ait: Et sicut quidam ex vobis dixerunt? Ipsius enim & genus sumus) sic fiebat quasi sine lege, per quod subintroducebat illis Christum ipsum esse quem deus ad iudicandũ mũdum præelegit, & ipsum esse per quem omnia fecit. *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem.*) Infirmus factus est, dũ propter fratres infirmos à licitis abstinet, ne illis scandalum generet. *Omnibus factus sum omnia, vt omnes saluos facerem.* Hoc fuit viri prudẽtis & spiritalis, vt omnib⁹ omnia factus, propositũ tamen religionis nõ excederet: quia vbi cessit, ad hoc cessit vt proficeret: nec aliud fecit quàm lex mãdauit. *Omnia autem facio propter euangelium, vt particeps eius efficiar.*) Hoc est, omnia supradicta facio, vt voluntatis euangelicæ particeps fiam, quam habet circa salutem humanam.

Nescitis quoniam qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, vnus autem accipit palmam?) Nunc aliud vult exponere. Itaque hoc exẽplo ostendit quanta sit vtilitas legis nostræ, in qua non vni, sed omnibus promissa est palma. *Sic currite, vt comprehendatis.*) Solicitè vult cursi ad promissionem, quia magna est. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.*) Ab omnibus quæ vitanda eadem tradit disciplina, cum sciant vnum coronandũ: quantò magis nobis obseruandum est, quia omnibus promissa est salus. *Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*) Et in hoc multum dispar donum est, ac per hoc diligentiores nos esse debere, quibus non terrenis & marcescentibus floribus, sed æternis conserta gemmis in modum regalis diadematis spiritalis corona seruatur.

Ego igitur sic curro, non quasi in incertum.) Magna spe currere se profitetur, certum habens quid sit promissum. *Sic pugno non quasi aerẽ cædens.*) Hoc est, nõ verbis magis, sed rebus contendo. *Sed castigo corpus meũ, & seruituti subiicio.*) Castigare corpus est ieiuniis illud agere, & illa ei dare quæ ad vitã proficiãt, non ad luxũ. Seruituti verò subiicitur, dum non suã perficit, sed spiritus voluntatẽ. *Ne forte aliis prædicans, ipse reprobus inueniar.*) Ideo se refrenare corpus suum ostendit, vt remuneratione, quã aliis prædicat, etiã ipse dignus habeatur, ne aliis curatis ipse remaneret in vulnere. Ratam ergo spem prædicationis suæ affirmat, quando gestis id se prosequi quod docet ostendit: quia qui aliter agit quàm prædicat, suspectos facit audientes, vt de promissis dubitent. Suo itaque exemplo non magis verbis quam operibus exercendum hortatur.

CAPVT DECIMVM.

Nolo enim vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierũt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.) Iudeorũ exẽplo qui negligentia sua offenderũt, solicitos nos vult esse. Ideoque sub nube dicit illos fuisse, quia omnia quæ gesta sunt, in figura nostri facta sunt, vt veritatis nostræ illi habuerint imaginem. Contecti enim nube, & ab aduersariis suis tuti prestiti, dum à morte liberati sunt, baptizati dicũtur. Illis enim, id est Aegyptiis in mari mortuis, dum hi duce Moyse feliciter transeunt, erepti sunt morte: quod præstat baptismum. Nõ enim illis præterita mala imputata sunt, sed per mare & per nubẽ purificati, præparati sunt ad accipiendam legem & formam futuri sacramenti nostri. *Et omnes eandem escam spiritalem ederunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant enim de sequenti spiritali petra. Petra autem erat Christus.*) Manna & aqua quæ fluxit de petra hæc dicit spiritalia, quia non mundi lege parata sunt, sed dei virtute sine elementorum commixtione ad tempus creata, habentia in se figurã futuri mysterij, quod nũc nos sumimus in cõmemoratione Cristi domini. Ideo & panis angelorum dictus est, quia virtute qua angeli subsistunt, creatus est, hoc significans, quia de cœlis venturus erat qui spiritaliter pasceret. Vnde & manna primum dominico die venit de cœlo ad saturitatem populi. Sequens autem petra dicta est, quæ intelligitur esse Christus. Vbi enim deficiebat humanũ eis suffragium, aderat Christus. ideo sequebatur, vt vbi defecissent, ille subueniret. nec enim petra aquam dedit, sed Christus. *Sed non in pluribus eorum bene sensit deus.*) Ideo hoc dixit, quia acceptum beneficiũ non intellexerunt. *Prostrati enim sunt in deserto.*) Dignũ est vt qui magna cõsecutus, in paruis diffidens est, nõ solũ hæc nõ adipiscatur, verum etiam amittat & illa. Quoniam ergo superius hortatus est ad meliora, se etiã id elaborare, vt ad promissionẽ dignus occurrat: nũc vt istud exẽpli terrore cõstringat, ac suadeat, Iudæos tunc simili modo dicit donum dei & gratiã sortitos sicut & nos: & quia indiligentes, & dubitãtes de dei promissione fuerũt, prostratos esse in deserto, vt ideo semetipsum affligere se ostẽderet, ne in illorũ numero inueniretur: proinde elaborandum vt sui imitatores existerent.

Hæc autem in figura nostri facta sunt, vt non simus desiderantes mala, sicut & illi desiderauerunt.) Hic sensus & ratio, quã supra memoraui. *Neque simulachris seruiẽtes, sicut quidam illorũ.*) Nunc hos tãgit qui in idolio recũbentes, putabãt nõ esse peccatum. *Sicut scriptum est: sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*) Ante idolũ vtique, vt non se crederent immunes à crimine, qui in idolio epulabãtur. Nã Moyse in monte posito apud deum simulachro vituli facto post oblationem dedicationis causa, sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Hæc luxuria est, qua semper oblectati, in dei rebus infideles inuẽti sunt. Ideoq; instruit ne in hanc diffidentiam per assensum luxuriæ in idolio incidamus. *Neque fornicemur, sicut quidã illorum fornicati sunt, & ceciderũt vna die viginti tria milia hominum.*) Hoc illis retributum est, quando cum Madianitis mulieribus se commacularunt, Ira enim dei extitit cõtra illos, quæ æmulatione Phinees sacerdotis habẽtis zelum dei, sopita est, ne plures morerẽtur. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt.*) Detrahentes de deo Christũ tentasse dicuntur, quia Christus erat qui ad Moysem loquebatur. Denique ne nos in eadem causa inueniamur, cõmonet, ne diabolo tradamur, cuius serpentes habent figurã. *Neque murmuraueritis, sicut quidam ex ipsis murmurauerunt.*) Murmurare est falso adinuicem de præpositis & rectoribus queri, quantũ ad mentem loci pertinet, quia solet murmur fieri, & iusta ex causa. *Et perierunt ab exterminatore.*) Hoc est, in locum Iudæ concesserunt anticipantes illum, quia tradens Christum exterminatus est de numero apostolorũ à iudice deo. Per hæc exẽpla ad correctiorẽ nos vitam prouocat, vt monitis eius aut præmium, si obedientes fuerimus, aut propẽsiorem pœnam mereamur inobedientes. Non est enim ambiguum illos peccantes plus subiiciẽdos tormentis, quibus peccantiũ pœnæ ad hoc relatæ sunt, ne peccarent.

Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt.) Fines seculorum nos sumus, quia tunc hæc ideo facta noscuntur circa retributionem illorum, vt nobis essent exẽplo, qui postremo seculo futuri eramus in fide Christi. Pro vtilitate enim nostra gesta sunt, vt si terrore horũ in dei timore manserimus, gloriam illis promissam accipiamus, si quo minus, geminabitur

bitur nobis pœna illorum: quia maior notitia legis plus facit reum. *Propterea qui se putat stare, videat ne cadat.*) Hoc ad eos loquitur qui præsumentes de scientia qua licitum est omnia edere, infirmis fratribus scandalo erant, & putantes aliquid se proficere doctrina pseudoapostolorum, deteriorauerant, & iudicabāt Apostolum, cùm ipsi essent rei. Superbiam ergo amputat, ne per hanc tententur, sicut Iudæi tentati sunt, & perierunt. *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.*) Ac per hoc detrahentes Apostolo, dominum tentare videntur, quia & tunc cùm Moysi detraherent, & dubitarent de eo, deum tentasse dicuntur. Omne enim quod probatum non habetur, tentatur. Ideo vt hæc tētatio conuellatur, admonet cùm terrore. Vt autem humana tentatio illos apprehendat, hortatur. Humana enim tentatio est propter spem dei diffidere de homine, quia vana spes in homine, vt in necessitate aut pressura non desperet de deo, humanum auxilium requirendo, sicut & Iudæi qui dubitantes de deo, idolorum adminicula exorabant, hoc est, humanum auxilium: quia dij paganorum terra sunt, & culturam idolorum humanus error inuenit. Propter Christum ergo pati humana tentatio est, per quam proficitur apud deum.

Idelis autem deus, qui non patietur vos tentari super quàm potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis tolerare.) Ideo fidelem dicit deum, qui non patietur vos tētari super id quod potestis, quia daturum se promisit deus diligentibus se regna cœlestia, & det necesse est, quia fidelis est. Propterea ergo tribulatis pro se aderit, nec patietur tantum irrogari quod tolerari non possit, sed faciet vt aut citò cesset tentatio, aut si prolixa fuerit, det tolerandi virtutem, alioquin non dabit quod promisit, quia vincetur qui patitur. Homo est enim infirmitati subiectus, & non erit qui accipiat. Sed quia fidelis est deus qui promisit, subuenit vt impleat quod promisit. Denique breuiatos dies dicit dominus, vt saluentur electi, vt possint consequi regnum dei. Quomodo tamen à deo
Matth. 24. adiuuatur, si tantum permittatur tentari, quantum potest? Adiuuatur planè, dum nō plus permittitur ei imponi, quàm scitur ferre posse, vt quarto die pati nō permittatur, qui scitur vltrà non posse quàm triduo tolerare. *Quapropter charissimi fugite ab idolorum cultura.*) Hortatur etiam nunc vt abstineant se ab omni societate idololatrię, vt non solum spes, sed & animus inde tollatur, ne per hoc nascatur in deum tētatio. Nemo enim assiduus in idolio nihil sperat de eo. Hinc enim sperare, dubitare de deo est, sicut & Saul relicto deo, qui ei fuerat delicti causa iratus, ad idololatriā se contulit, aliquid sperans de ea. Cui quidem & in præsenti obfuit, & in futurum gehennam vltricem prouidit. *Quasi prudentes vos iudicate quæ dico.*) Exempla subiicit, vt facilius suadeat: quia cui verba satis non faciunt, solent exēpla suadere.

Alix benedictionis quem benedicimus, nónne communicatio sanguinis domini est? Panem quem frangimus, nónne communicatio corporis domini est? Quia vnus panis vnum corpus multi sumus. omnes enim de vno pane & de vno calice participamus.) Quoniam vnum sumus, alter alterius membra: vnum nos sentire debere dicit, vt fides vna vnum habeat sensum & opus.

Idete Israel secundum carnem.) Hoc est, discite homines videntes deum, quemadmodum se habent carnalia, id est idololatria. *Nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris?*) Sicut enim nos de vno pane & de vno calice percipientes, participes sumus & consortes corporis domini, ita & qui edunt hostias, participes sunt altaris erroris. *Quid ergo dico? quia simulachro immolatum aliquid est, non quia simulachrum est aliquid: sed quæ sacrificant, dæmoniis immolant.*) Simulachrū verè nihil est, quia imago videtur rei mortuæ, sed sub tegmine simulachrorum diabolus colitur. *Nolo vos participes fieri dæmoniorum.*) Ostendit illis non hoc esse tantum quod videtur in idolio, sed esse occultum iniquitatis mysterium, quod vt vnius dei fidem corrumperet Satanas adinuenit. Vnde & Ioannes apostolus in epistola sua dicit: Ad hoc ve-
1. Ioan. 3. nit filius dei, vt solueret opera diaboli. *Non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ domini* A *communicare & mensæ dæmoniorum.*) Sicut & dominus ait: Non potestis deo seruire & mammonæ: quia qui calicem dæmoniorum bibit, calici domini insultat: & cum mensæ dæmoniorum communicat, mēsæ domini, ideſt altario, obstrepit, & domini corpus crucifigit. Idcirco enim Christus crucifixus est, vt dissolueret opera diaboli. Qui ergo facit opera diaboli, Christo repugnat. *Aut emulamur dominum? nunquid fortiores illo sumus?*) Vix fit vt humilis zeletur potentem: scit enim non sibi competere in quo illi potest inuideri: sed aut inequali inuidetur, aut prope æqualibus. Ideo Apostolus non posse dixit homines æmulari dominū Iesum. Præterea qui illum sciunt dominum, si quo minus, non videtur eis dignus esse vocari dominus, quem zelantur ne dominus sit. Zelo enim Satanas idololatriam inuenit, vt homines negando deum dominum, idolis seruiant quasi diis & dominis. *Omnia licent, sed non omnia expediunt.*) Omnia dicit licere secundum legem naturæ. Omnia enim munda sunt. De escis enim agebatur, & carne idolis immolata. Nam quę B prohibita & interdicta sunt, quomodo dici possunt licere, cùm hic etiam ipsa quæ concessa sunt significet aliquando non expedire? sicut dicit Petrus apostolus: Si hæc est causa viri cum vxore, non expedit nubere. *Omnia licent, sed non omnia ædificant.*) Idem sensus est, quia licet omnia edere: sed quod idolis immolatur, non ædificat: quia scandalum facit fratri, sicut suprà dictum est: ideoque à licitis aliquando temperandum est, vt prosit. Hinc est vnde sumptus ab iis, cùm ei liceret, noluit accipere, sciens non expedire.

Mne quod in macello venit, edite, nihil interrogantes propter conscientiam, domini est enim terra, & plenitudo eius.) Vt omnia munda ostenderet, exemplo psalmi vicesimitertij hoc roborauit, quia non potest immūdum esse quod domini est. Et quoniam superius de escis ait, Omnia licent: statim subsecutus est, Omne quod in macello venit, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Hoc autem ideo C subiecit, vt libera sit conscientia. Licet enim aliquid pollutum sit per accidentiam, id est oblationem idoli, cùm hoc tamen nescit qui emit, nullum patitur scrupulum, & apud deum immunis est.

I quis vocat vos ex infidelibus ad cœnam, & itis, omne quod appositum vobis fuerit, edite, nihil disquirētes.) Hoc est simpliciter manducate quod apponitur, non interrogantes vnde sit. *Si vero aliquis dixerit, hoc immolatitiū est, nolite mānducare propter cōscientiam. Conscientiā autem dico, non tuā, sed alterius.*) Hoc perfectis loquitur, qui possunt cōtennētes idololatriā, quia nihil est, manducare de sacrificio, certi quia quod sub deo creatoris nomine editur, non potest polluere: sed quia aliqui idolis seruit, gloriabitur te edente de sacrificatis quasi venereris idola, ideo non debet edi. Apud conscientiam enim ille lætabitur suam, quia videt te libēter appetere quod idolis immolatum est. *Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia?*) Hoc dicit quia cum ab idoli deuotione con- D sciētia sit libera, quid opus est vt putetur, quia veneratione causa edat idolis immolata? Iudicatur enim non distare a eo qui colit idola, quando non horret quod oblatum est simulachro. *Si ego gratiæ particeps sum, quid blasphemor pro quo ego gratias ago?*) Id est, si ego gratiæ dei communico, quia ipsius nomine edo, quid opus est arbitrari hoc aliquem, qui ego idolo deuotus sum, dum non horreo quæ oblata sunt idolo, hoc est, blasphemor. Et me ergo blasphemat, & ille idolo, suo gaudet: & dum me putat participem, habet occasionem permanendi in errore, & fratribus malum datur exemplum. Nam si præceptum est in lege, vt luci & arę & tuli & ipsa idola confringātur, vide si non peccatum est solum hæc non facere, sed & interesse epulis huiusmodi propterea de sacrificatis non expedit edere.

Iue ergo editis, siue bibitis, siue aliquid facitis, omnia gloriā dei.) Per hæc subiecta declarauit in idol edere, inimicum esse deo quauis licet conscie tia. Ad opprobrium enim dei vnius hæc diabo dedicantur. Nam in gloria dei edere & bibere & aliqu face

1913

facere, hoc eſt, vt ſub inuocatione creatoris cum modeſtia conuiuium celebretur. In gloria enim dei aliquid fit, cùm in actibus & conuerſatione Chriſtiani deus laudatur, vel cùm filiorum procreatio à deo ſperatur. *Sine offenſione eſtote Iudæis, & Græcis, & eccleſiæ dei.*) Sic temperandam conuerſationem noſtram docet, vt nullus in ea ſcandalum patiatur. Offenſio ergo Iudæis fit, cùm idola quæ illi abominantur, Chriſtianum, qui ſe dicit legē & prophetas accipere, vident non horrere. Græcis verò, id eſt gentilibus, hæc eſt offenſio, ſi in eo in quo ſunt, non ſolum non arguantur, ſed & promptiores fiant, dum non vitātur vota idolorum illorum. Eccleſię autem dei fit offendiculum quando quoſdam ex numero ſuo videt iis quæ inimica ſunt deo, adhærere. *Sicut ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed multis, vt ſalui fiant.*) Omnibus per omnia placere, eſt ſine ſcandalo cuiuſquam agere ad profectum vtilitatis illorum, vt & illis & huic ſit vtile.

CAPVT VNDECIMVM.

IMitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.) Humanum eſt quod dicit, vt imitatores eius ſimus, qui à deo nobis magiſter indultus eſt. Si enim hic dei imitator eſt, quare nos non hominis? quia ſicut deus pater miſit Chriſtum magiſtrū & authorē vitę, ita & Chriſtus miſit apoſtolos nobis magiſtros, vt eorum imitatores eſſemus, quia eius eſſe non poſſumus. Ita enim ait dominus ad patrem: Sicut me miſiſti in hunc mundū, ita & ego miſi eos in hunc mundū. Et quia digni imitatores eius erant futuri, ſubiecit: Et pro eis ſanctifico meipſum. *Laudo autem vos fratres quòd omnia mea memoria retinetis, & quomodo vbique trado, traditiones meas tenetis.*) Poſtquam mores & conuerſationem illorum arguit, nunc traditiones vult corrigere. Ideo non hoc confirmat, ſed ſuccenſet eis, quia cùm eſſet apoſtolus eorum immemores erant traditionum eius, neque quod adhuc non didicerant, ex aliarum eccleſiarum traditione ſectabantur, ac per hoc quaſi nouiter tradit illis, dicens:

VOlo vos ſcire quia omnis viri caput Chriſtus eſt.) Ad authoritatem retulit, quia omnis homo à deo quidem, ſed per Chriſtum. *Caput autem mulieris, vir.*) Quia quamuis & mulier per Chriſtum, de viro tamen facta eſt, ac per hoc ſubiicitur viro. *Caput autem Chriſti deus.*) Dignum eſt vt filij caput pater dicatur, quaſi genitor eius. Aliter tamen caput viri Chriſtus eſt, & aliter vir mulieris, & aliter deus caput Chriſti eſt. Deus autē ideo caput Chriſti eſt, quia de eo vel ab ipſo genitus eſt. Mulieris verò idcirco caput vir eſt, quia ex eius coſta dei virtute formata eſt. Chriſtus autē ideo caput viri eſt, quia per ipſum, cùm nō eſſet, formatus eſt. Vna ergo dictio diuerſam habet intelligentiam, quia & perſonæ diſcrepant & ſubſtantiæ.

OMnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum.) Orare dicit deprecari. Prophetare autem aduentum fore domini voce ſymboli poſt orationem effari. *Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, confundit caput ſuum. Vnum eſt enim atque idipſum, vt decaluata. Si autem non velatur mulier, tondeatur. Si autem turpe eſt mulieri tonderi aut decaluari, velet caput. Vir enim non debet velare caput, cùm ſit imago & gloria dei.*) Quanuis vna ſubſtantia ſit & vir & mulier, tamen quia vir caput eſt mulieris, anteponendus traditur, vt per cauſam & traditionem maior ſit, non per ſubſtantiam. Inferior ergo mulier viro eſt: portio enim eius eſt, quia origo mulieris vir eſt. Ex eo enim eſt: ac per hoc obnoxia videtur mulier viro, vt imperio eius ſubiecta ſit. Honorificētiam & dignitatem viri obſtare dicit ne velet caput. Imago enim dei non congruum eſt vt veletur: abſcōdi enim non debet. *Dei enim gloria videtur in viro, mulier autem gloria viri eſt.*) Multum diſtat inter gloriam dei, & gloriam viri. Vir enim ad imaginem dei factus eſt, non mulier. Hæc eſt autem imago dei in viro, quia vnus deus vnum fecit hominem, vt ſicut ab vno deo ſunt omnia, ita eſſent & ab vno homine omnes homines, vt vnius dei inuiſibilis, vnus homo viſibilis imaginē haberet in terris, vt vnus deus in vno homine vide-

A retur authoritatem vnius principij conſeruare ad confuſionem diaboli, qui ſibi neglecto vno deo dominium & diuinitatem voluit vſurpare. Quod propheta Ezechiel ſignificat, & Apoſtolus idem. Ait enim: Ita vt in templo dei ſedeat oſtendens ſe quaſi ſit deus. *Non eſt enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum: propterea debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter angelos.*) Poteſtatem velamen ſignificauit. Angelos epiſcopos dicit, ſicut docetur in Apocalypſi Ioannis. Et quia vtique homines ſunt, quod nō corriperent plebem, arguuntur: & quod rectum eſt in illis, laudatur. Mulier ergo idcirco debet velare caput, quia non eſt imago dei, ſed vt oſtendatur ſubiecta. Et quia præuaricatio per illam inchoata eſt, hoc ſigni debet habere, vt in eccleſia propter reuerentiam epiſcopalem non habeat caput liberum, ſed velamine tectū. Nec habeat poteſtatem loquendi, quia epiſcopus perſonam habet Chriſti. Quaſi ergo ante iudicem, ſic ante epiſcopum, quia vicarius domini eſt, propter reatus originem ſubiecta debet videri. *Verumtamen neque mulier ſine viro, nec vir ſine mu-*

B *liere in domino.*) Ideo in domino, quia deus ex vno fecit ambos & vnum: vna enim caro & vnum corpus ſunt in domino: hoc eſt: ſecundum dominum qui creauit. Denique qui non credunt mulierē de viro ſumptam, hi ſine domino, vel non ſecundum deum credunt hominum originem. *Nam ſicut mulier de viro, ita & vir per mulierem.*) Hoc firmauit quod dixit, quia ambo vnum ſunt in natura, quia origo mulieris vir eſt, ſicut legitur in Geneſi factum à domino creatore. *Omnia autem ex deo.*) Poſtquam gradatim expoſuit ſingula vt omnia deo ſubiiceret, vnum ſeruans principium ait: Omnia autem ex deo: vt neque mulier ſubiectionis ſuæ cauſa contriſtaretur, neque vir quaſi exaltatus ſuperbiret. *Vosipſi iudicate, decet mulierem non velatam orare deum?*) Hinc eſt vnde ſuperius illis per ironiam ſuccenſet, dicens: Laudo, quia omnia mea memoria retinetis, & quomodo vbique trado, traditiones meas tenetis. Cum enim hæc eſſet traditionis ratio, vt velatæ eſſent mulieres in eccleſia, illi contrà reuelatas eas in eccleſia patiebantur. Ideoque iam non authoritate traditionis quam neglexerant, ſed per ipſam naturam ſuadere illis nititur veritatem, dicens: *Nec ipſa natura docet vos quia vir quidem ſi comam habuerit, ignominia eſt illi.*) Hoc ſecundum legem locutus eſt: prohibet enim virum eſſe comatū. *Mulier autem ſi comam habuerit, gloria eſt illi, quoniam coma pro velamine data eſt ei.*) Naturaliter hoc honeſtum & propemodum decretum vult eſſe, vt velata mulier ſatisfaciat & gratias agat deo. Coma ergo indicium velaminis eſt, vt naturæ & voluntas addatur. Denique nulla mulier reuelata adit poteſtatem. *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque eccleſia dei.*) Poſt rationem redditam, vt contentioſos vincat, authoritatem interponit, quia neque Iudaiſmus hoc habuit: vnde dicit: Neque nos, neque eccleſia dei: vt neque Moyſes, neque ſaluator ſic tradiderit. *Hoc autem præcipio non laudans quod non in melius, ſed in deterius conuenitis.*) Quomodo particulatim conuerſationem illorum per correctionem emendat, ita & traditiones illorum, non laudans vtique, ſed vituperans eos.

D

PRimum enim.) Primum dicendo, genus peccati oſtendit vnde orti ſunt errores quos reprehendit vbi enim diſſenſio eſt, nihil rectum eſt. *Conuenientibus vobis in eccleſiam, audio diſſenſiones eſſe, & partim credo. Oportet enim & hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos.*) Sciendo nonnullos mente corruptos verſutia diaboli, dicit, oportet hæreres eſſe: non vtique voluit, nec optauit, ſed quia ſint, futurū dixit: ſicut & dominus, Oportet, inquit, venire ſcādala: &, oportet filium hominis pati: præſcius, quia Iudas proditor erat futurus. Vt probati autē, cùm dicit, manifeſti fiāt inter vos: illos ſignificat qui in traditione accepta durātes, exēplum probationis erant euāgelicæ diſciplinæ ad cōdemnationē cæterorum. Ij ſunt quos in capite epiſtolę ſignificat, eo quòd dicerēt: Nos verò Chriſti: cum alij dicerent: Ego Pauli, ego Apollo. *Conuenientibus igitur vobis in vnum, iam non eſt dominicam cœnam manducare. Vnuſquiſque enim veſtrum propriam cœnam præ-*

2. Theſſ. 2.

Matth. 18. Luc. 9.

ſumit in manducando, & alius quidem eſurit, alius ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad edendum & bibendum? aut eccleſiam dei contemnitis, & confunditis non habentes? Hos notat qui ſic in eccleſiam conueniebant, vt munera ſua offerentes aduenientibus presbyteris, quia adhuc rectores eccleſiis non omnibus locis fuerant conſtituti, totum ſibi qui obtulerat, vēdicaret ſchiſmatis cauſa. Diſſenſiones enim inter eos pſeudoapoſtoli ſeminauerant, ita vt oblationes ſuas zelarentur, cùm vna atque eadē prece, omnium oblationes benedicerētur, vt ij qui (vt aſſolet fieri) non obtulerant, aut vnde offerrent non habebant, pudore correpti confunderentur non ſumentes partem: & tam citò illud agebant, vt ſuperuenientes non inuenirent quod ederēt. Ideoque ſi ſic, inquit, conuenitis, vt vnuſquiſque ſuum ſumat, domi hæc agenda, non in eccleſia, vbi vnitatis & myſterij cauſa conuenitur, non diſſenſionis & ventris. Munus enim oblatum totius populi ſit, quia in vno pane omnes ſignificantur. Per id enim quod vnum ſumus, de vno pane omnes nos ſumere oportet. *Quid dicam vobis? Laudo vos in hoc? non laudo.*) Apertum eſt: deprehenſo & correpto errore, vt de cætero corrigāt, & ſciāt hoc verum, quod dudum in primordiis ipſi didicerant: formam illis quæ à ſaluatore in re huiuſmodi data eſt, iterat dicens:

EGo enim accepi à domino, quod & tradidi vobis, quoniā dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei commemorationem. Simili modo & calicem poſtquam cœnatum eſt, dicens: Hoc poculum nouum teſtamentum eſt, in meo ſanguine: hoc facite quotieſcunque bibetis in mei commemorationem.) Oſtendit illis myſterium euchariſtiæ inter cœnandum celebratum, non cœnam eſſe. Medicina enim ſpiritalis eſt, quæ cum reuerentia deguſtata purificat ſibi deuotum. Memoria enim redemptionis noſtrę eſt, vt redemptoris memores, maiora ab eo conſequi mereamur. *Mortem domini annunciantes donec veniat.* Quia enim morte domini liberati ſumus, huius rei memores, in edendo & potando carnem & ſanguinem, quę pro nobis oblata ſunt, ſignificamus, nouum teſtamentum in his conſequuti, quod eſt noua lex, quæ obedientē ſibi tradit cœleſtibus regnis. Nā & Moyſes accepto ſanguine vituli in patera aſperſit filios Iſrael, dicens: Hoc eſt teſtamentum quod diſpoſuit deus ad vos. Hoc figura fuit teſtamēti quod dominus nouū appellauit per prophetas, vt illud vetus ſit quod Moyſes tradidit. Teſtamētum ergo ſanguine conſtitutū eſt, quia beneficij diuini ſanguis teſtis eſt: in cuius typū nos calicē myſticum ſanguinis ad tuitionē corporis & animæ noſtræ percipimus, quia ſanguis domini ſanguinē noſtrū redemit, id eſt totum hominem ſaluū fecit. Caro enim ſaluatoris pro ſalute corporis, ſanguis verò pro anima noſtra effuſus eſt, ſicut prius præfiguratum fuerat à Moyſe. Sic enim ait: Caro, inquit, pro corpore veſtro offertur, ſanguis verò pro anima. Ideoque non māducandum ſanguinē. Si igitur apud veteres imago fuit veritatis, quæ nunc apparuit & manifeſtata eſt in ſaluatoris aduentu, quomodo hæreticis contrarium videtur vetus nouo, cùm ipſa ſibi inuicem teſtimonio ſint?

ITaque quicunque ederit panem hunc, aut biberit calicem domini indignè domino, reus erit corporis & ſanguinis domini.) Indignum dicit eſſe domino qui aliter myſterium celebrat quàm ab eo traditum eſt. Non enim poteſt deuotus eſſe, qui aliter prēſumit, quàm datū eſt ab authore. Ideóque prænonet vt ſecundum ordinē traditum deuota mēs ſit accedentis ad euchariſtiam domini, quoniā futurū eſt iudicium, vt quemadmodum accedit vnuſquiſque, reddat cauſas in die domini Ieſu Chriſti, quia ſine diſciplina traditionis & conuerſationis qui accedunt, rei ſunt corporis & ſanguinis domini. Quid eſt autem reos eſſe, niſi pœnas dare mortis domini? Occiſus eſt enim pro iis qui beneficium eius in irritum ducunt. *Probet autem ſe homo, & ſic de pane edat, & de poculo bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi ipſi manducat & bibit, non diſcernens corpus domini.*) Deuoto animo & cum timore accedēdum ad communionem docet, vt ſciat mens reuerentiam ſe debere ei ad cuius corpus ſumendum accedit. Hoc enim apud ſe debet iudicare, quia dominus eſt, cuius in myſterio ſanguinem potat, qui teſtis eſt beneficij dei. Quem nos ſicū diſciplina accipiamus, non erimus indigni corpore & ſanguine domini: gratias enim videbimur reddere redemptori. *Ideo multi in vobis inualidi & ægroti, & dormiunt multi.*) Vt verum probaret, quia examen futurum eſt accipiētium corpus domini, iam hic imaginem iudicij oſtendit in eos qui inconſideratè corpus domini acceperant, dum febribus & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur, vt in his cæteri diſcerent, & paucorum exemplo territi emendarentur, non inultum ſcientes corpus domini negligenter accipere, & eum quem hic pœna diſtulerit, grauius tractari fore, quia contempſit exemplum. *Quod ſi noſmetipſos diſcerneremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.*) Hoc dicit, quia ſi noſmetipſi errores noſtros corrigemus, non à domino iudicaremur. Et quia corripimur, tamen pro nobis eſt vt timore ipſo emendemur. In paucis enim omnium eſt emēdatio, ne cum hoc mundo, id eſt, cum infidelibus damnemur. Nihil enim differt ab infideli, qui inconſideratè ad menſam domini accedit.

ITaque fratres cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: ſi quis eſurit, domi manducet.) Adinuicem expectādum dicit, vt multorum oblatio ſimul celebretur, vt & omnibus miniſtretur, & ſi quis impatiens eſt, domi terreno pane paſcatur. *Vt non in iudicium conueniatis.*) Hoc eſt, ne myſterium reprehenſibiliter & cum offenſionē agatis. *Cætera autem cùm venero diſponam.*) Caput prius ſalutis ordine agendum oſtendit, & quomodo in eccleſiam ab vtroque ſexu conueniatur, præmiſit: in quibus rebus ſi error fuerit, non leue peccatum eſt. Cætera autem quæ ad ædificationem eccleſiæ pertinent, præſentia ſua ordinare ſe promiſit.

CAPVT DVODECIMVM.

DE ſpiritalibus autē nolo vos ignorare fratres: ſcitis quia cum gentes eratis, ſimulacrorum forma euntes prout ducebamini.) Spiritalia illis traditurus, exemplum prioris conuerſationis memorat, vt ſicut ſimulacrorum fuerunt forma, colentes idola, & ducebantur duce voluntate dæmoniorum, ita & colentes deum ſint forma legis dominicę, ambulantes ſicut placet domino. Forma enim vniuſcuiuſque legis in profeſſione & conuerſatione cultoris debet videri. Ille enim forma & imago legis dei eſt, in cuius fide & conuerſatione euangelij veritas lucet. *Propter quod notum vobis facio quia nemo in ſpiritu dei dicit anathema Ieſu, & nemo poteſt dicere dominū Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto.*) Quoniam rationem ſpiritalium ignorantes, per ſingula chariſmata hominibus potius quàm deo dabant gloriam, non aſſecuti per ſpiritum ſanctum hoc donum miniſtrari: & quia qui dominum Ieſum vocat, non ſine ſpiritu ſancto hoc dicit: habet enim gratiam in eo ipſo fidei ſuæ, propter gloriam nominis Chriſti: non enim ſine dono dei eſt, dominum dicere Ieſum: ac per hoc oſtendit illis in omnibus dei eſſe laudem & gratiam: quia ſicut idolorum imago in miniſtris eius eſt, ordinem ſuum habens per ſingulos gradus, totum tamen hominis eſt: ita & in lege dominica gradus chariſmatum ſunt officiis eccleſiæ, non vtique meritis humanis indulti, ſed vt membra ad ædificationem eccleſiæ pertinentia, quæ per ſe & in ſe habent gloriam, ſicut eſt etiam in humanis officiis. Scholæ enim ſunt quæ poſitis in ſe dant dignitatem, vt loci honor hominem faciat glorioſum, non propria laus. Ait ergo: Nemo in ſpiritu dei dicit anathema Ieſu. Vox enim quæ dicit anathema Ieſu, humano eſt errore prolata: quicquid enim falſum eſt, ab homine eſt. Et nemo poteſt dicere dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. Dictum enim ipſum quo ſignificatur dominus Ieſus, non adulatione hominum, ſicut & idola dij vocantur, ſed ſpiritus ſancti veritate profuſum eſt. Quicquid enim verum à quocunque dicitur, à ſancto dicitur ſpiritu. Ne ergo hominum fauorem exiſtimarent in regula Chriſtiana, & propter hoc ſe argui minimè paterentur, ſicut eſt in ſimulacris: (homo enim adiuuenit vt Deus dicatur qui non

eſt,

est, ac per hoc subiecti sunt antistites illis) ostendit enim eis nullum beneficium esse humanum in eo cum dicitur, Dominus Iesus, sed magis donum Dei, qui dignatus est mysterium suum hominibus declarare. Etenim ipsa professio remissionem acquirit peccatorum, sicut exaggerat dicatio idolorum. Docet ergo eos quia non præstant religioni beneficium dicentes dominum Iesum, sed accipiunt: ne more idolorum hominum putarent gratiam esse in lege domini, dum vocatur Deus qui non est. Denique non intelligentes dei donum esse in fide, singuli singulos sibi homines delegerant quos sequerentur dicentes: Ego sum Pauli, ego verò Apollo. Superbiam ergo illorum humiliat, vt patiantur se, sicut dixi, argui. *Diuisiones autem gratiarum sunt.*) Non hoc humanis meritis vult adscribi, sed gratiæ Dei, ad honorificentiam nominis eius. Sicut enim qui dicit dominum Iesū in spiritu sancto dicit qualisuis sit, ita & in loco ordinis officij ecclesiastici positus, gratiam habet, qualisuis sit: non vtique propriam sed ordinis per efficatiam spiritus sancti. Vnde & inter initia dicit: Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. *Idem autem spiritus, & diuisiones ministeriorum sunt.*) Per eundem spiritum diuersa dona dicit præstari. *Idem verò dominus, & diuisiones operationum sunt.*) Iungit nunc Christum spiritui sancto. *Idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.*) In tantum non hoc hominibus dandum quasi proprium, sed soli Deo asserit, vt etiam donum spiritus sancti, & gratiam domini Iesu, vnius Dei dicat operationem, ne gratia & donum diuisum sit per personas patris & filii & spiritus sancti, sed indiscretæ vnitatis & naturæ trium vnum opus intelligatur, vt ad vnum omnem gloriam redigat & diuinitatem. Diuisiones autem gratiarum sunt officiis ecclesiæ, non humanis meritis deputatæ. Si enim spiritus sanctus idem dominus est, & dominus idem Deus est, tres vnus Deus est. Cùm enim spiritus sancti gloria & potestas, & natura Dei est, & dominus Iesus idem est in natura quod Deus est vnus vtique spiritus sanctus, & dominus Iesus, & pater Deus est. Et singuli enim Deus vnus, & tres Deus vnus. Denique operante vno, tres operari dicuntur, vt trinitatis mysterium in vnius Dei natura & potestate claudatur, cùm sit immensum. *Vnicuique datur autem manifestatio spiritus ad vtilitatem.*) Hoc est, donum accipit, vt diuinis retinaculis vitam suam gubernans, & sibi & aliis vtilis sit, dum exemplum bonæ conuersationis ostendit. *Cuidam enim datur per spiritum sermo sapientiæ.*) Id est, datur illi prudentia non ex literis, sed coruisco spiritus sancti, vt cor habeat illuminatum & prudens & discernat quæ vitanda sunt, quæ sequenda. *Alij verò sermo scientiæ secundum eundem spiritum.*) Hoc est vt habeat scientiam rerum diuinarum. *Alij gratia curationum in vno spiritu.*) Id est, vt medelam tribuat infirmis, vel ægris. *Alij fides in eodem spiritu.*) Hoc dicit vt fidei profitendæ ac vindicandæ pressa verecundia accipiat facultatem. *Alij operatio virtutum.*) Potestatem dari significat in eiiciendis dæmoniis, aut signis faciendis. *Alij prophetia.*) Id est vt spiritu repletus dicat futura. *Alij discretio spirituum.*) Vt intelligat & iudicet quod dicitur, an spiritus sancti sit, an mundani. *Alij interpretatio sermonum. Alii genera linguarum.*) Interpretari est, vt dicta illorum qui linguis loquuntur vel literis, per donum Dei fideliter interpretetur. *Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens vnicuique prout vult.*) Quod superius trium personarum dicit, nunc per vnum spiritum sanctum agi profitetur, vt quia vnius naturæ sunt & virtutis, quod vnus operatur, operantur tres, vnus tamen est Deus, cuius gratia diuiditur singulis prout vult, non ad meritum magis hominis, sed ad ædificationem ecclesiæ suæ: vt omnia quæ mundus imitari vult, sed non implet, quia carnalis est: hæc in ecclesia, quæ domus Dei est, singulorum officiis & dono & magisterio spiritus sancti indulta, ad probationem veritatis in iis qui contemptibiles mundo sunt, videantur. *Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra ex vno corpore cùm sint multa, vnum sunt corpus: ita & Christus. Etenim in vno spiritu nos*

A *omnes in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui siue liberi, & omnes vnum spiritum potauimus.*) Per hæc docet nullius personam quasi despecti contemnendam, neque alicuius quasi perfecta sit præferendam, nec gloriam quæ soli Deo debetur hominibus tribuendam, quando in omnibus vnus atque idem Deus sit gloriosus: quippe cum omnes & vnum baptisma habeamus, & vnum atque eundem spiritum sanctum. Hoc propter supradictam cautelam, quia in aliquibus gloriabantur, aliquas vero velut contemptibiles spernebant. *Nam & corpus non est vnum membrum sed multa.*) Hoc dicens ostendit vnitatem varietatis officiorum, & diuersitatem hanc nondiscrepare in vnitate potestatis, quando corporis vnitas non in singularitate cõsistit, sed in multis membris, vt inuicem sibi præstent quod debent. *Si dixerit pes, quia non sum manus, non sum de corpore: num propterea non est de corpore?*) Hoc est non posse eum qui infirmus videtur inter fratres, negari esse de corpore quia non est potens. *Si dixerit auricula: quia non sum oculus, non sum de corpore: num propterea non est de corpore?*) Non debere dicit illum
B qui paulò inferior est, non necessarium putari corpori, propterea quod de primis non sit. *Si totum corpus oculus, vbi est auditus? si totum auditus, vbi est odoratus?*) Id est, si omnes vnius essent officij & operis, quomodo impleretur reliqua necessitas corporis, cum constet multis officiis opus esse ad gubernacula corporis? *Nunc autem Deus posuit membra vnumquodque in corpore sicut voluit.*) Voluntatem Dei, quia prouida & rationalis est, mẽbra dicit corpori aptasse, vt nihil desit multis membris perfectũ. *Si autem essent omnia vnum membrum, vbi corpus?*) Manifestũ est quia si omnes vnius essent dignitatis, non dicerentur membra, neque corpus: ideoque variis membrorũ officiis congubernatur. Omnia enim vnum membrum esse non poterant. ideo autem multa sunt, quia ab inuicem differunt dignitate. *Quia si essent omnia vnũ membrum, vbi corpus? nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus.*) Hoc dicit quia multa membra cùm sui inuicem egeant, non discrepant in vnitate naturæ, quamuis diuersa sint, quia diuersitas hæc in vnum concurrit, vt corporis vtilitas expleatur: sicut & ea quibus mundus ipse constat, cùm sint diuersa non solum officiis, sed & naturis, ad vnius tamen mundi proficiunt perfectionem, & ex omnibus
C his nascitur temperies quædam in fructibus qui humanæ proficiũt vtilitati. *Non potest autẽ dicere oculus manui, Opera tua non indigeo.*) Hoc est, non potest dicere potior inferiori, Non mihi opus es: quia oculis quidẽ videtur, sed manus sunt quæ opeãtur. *Aut iterum caput dicere pedibus, Non estis mihi necessarij.*) Id est, maior gradu & dignitate non potest sine illo esse qui humilis est, quia est quod humilis potest, quod non potest sublimis: quia ferrũ potest quod non potest aurũ: ac per hoc honorem capiti faciunt pedes. *Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt.*) Manifestum est quia quamuis aliquis dignitate sublimis sit, si subiectus tamen defuerit qui obsequiis suis illũ faciat glorioſum, ipsa dignitas contemptibilis erit. Officium est enim per quod dignitas constat. Tale est si imperatori desit exercitus. Quãuis ergo magnus sit imperator, necessarium tamen habet exer-
D citum. Membrum est enim corporis eius ante se habens tribunos, comites, magistos. His omnibus inferiores sunt milites, & magis necessarij sunt, sicut mẽbra corporis quæ cùm inferiora videntur, plus vtilia sunt. Sine oculis enim manibus operatur, & ambulans victum quæritat. *At quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his maiorem honorem circundamus.*) Similis est sensus, quia qui putantur sine dignitate esse, inuenimus in eis quod laudemus, sicut & in membris, & plus nobis placeat, quàm quod in cæteris inuenimus. Quo enim honore dignæ sunt manus, quando quod volumus, tenemus: vel pedes, cum quo volumus, imus? propterea, & nos addimus eis honorificentiam, vt puta pedibus, quos quia humiles sunt, & sine dignitate, calceamentis ornamus. *Et quæ inferiora sunt nobis, reuerentiam abundantiorem habent.*) Manifestum est quia pudenda nostra, quæ turpia videntur, dum aspectus publicos vitant, honestate se contegunt, ne per irreuerentiam horreant. Simili modo &

qui-

quidam fratrum cùm sint egestate & habitu inhonesti, non tamen sunt sine gratia, propter quod membra sunt corporis nostri. Nam solent succincti pede nudo vesticula tetrica incedere. Quanquam ergo videantur contemptibiles, magis honori sunt, quia solent vitam habere mundiorem. Quod enim hominibus videtur despectum, solet à deo pulchrum iudicari. *Quæ autem honesta sunt nostra, nullius egent.*) Apertum est quia caput non eget, neque facies, neq; manus, vt his addatur per quod decorentur: ita & fratribus in quibus studiũ peritiæ, & cõuersationis viget honestas, nihil est quod à nobis addatur: debitus enim illis redditur honor. Despectis verò vel humilibus exhortatio necessaria est, per quam addatur illis aliquis honor vt fiant vtiles: si quo minus, ipso contemptu negligentiores circa se erunt, in quibus magis proficiendum est. *Sed deus temperauit corpus, ei cui deest, ampliorem honorem tribuendo: vt non sit schisma in corpore, sed ipsa pro inuicem solicita sunt membra.*) Sic dicit à Deo moderatum humanum corpus, vt omnia membra ei⁹ necessaria sint, ac per hoc pro se inuicem solicita, quia aliud sine altero esse non potest, & quod inferius putatur, magis necessarium est: sicut & de fratribus expositum est vel disputatum, quia nullus debet velut inutilis despici. *Et si quid patitur unum membrum, compatiũtur omnia membra.*) Hoc de membris corporis carnis ambiguum non est: quia si oculus aut pes vel manus capiantur ægritudine aliqua infirmitatis, totum condolet corpus: ita & nos docet condolere fratribus, si aliquid huiusmodi aut necessitatis emerserit. *Siue glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra.*) Manifestum est quia lætum est caput siue cætera membra, si pedes fuerint accurati vel sani. Sic debemus & nos alacres fieri si fratrem aliquem viderimus cultiorem dei, & auctum honestate morum, hoc est sanum esse consilio. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.*) Ostendit apertè nostram se causam per membrorum carnalium rationem tractasse, quia non omnes possumus eadem, sed singuli pro qualitate fidei & gratiam habemus concessam. *Et quosdam quidem posuit deus in ecclesia primùm apostolos.*) Caput itaque in ecclesia apostolos posuit, qui legati Christi
2. Cor. 5. sunt, sicut dicit idem apostolus: Pro quo legatione fungimur. Ipsi sunt episcopi, firmante istud Petro apostolo, & di-
Actio. 1. cente inter cætera de Iuda: Et episcopatũ eius accipiet alter. *Secundo prophetas.*) Prophetas duplici genere intelligamus, & futura dicentes, & scripturas reuelantes: quamuis sint & apostoli prophetæ, quia primus gradus omnia subiecta habet. Denique pessimus Caiphas propter quod princeps sacerdotum erat, prophetauit, ordinis vtique causa, non proprij meriti. Tamen specialiter erant prophetæ & scripturarum interpretes, & futura dicentes: sicut erat Agabus, qui exitia & vincula huic apostolo prophetauit futura Hierosolymis, & famem cecinit quæ facta est sub Claudio. Ideo
Actuum 21. & 11. quanquàm sit melior apostolus, aliquando tamen eget prophetis. Et quia ab vno deo patre sunt omnia, singulos episcopos singulis ecclesiis præesse decreuit. *Tertio doctores.*) Illos dicit doctores qui in ecclesia literis & lectionibus retinendis imbuebãt more synagogæ, quia traditio illorum ad nos transitum fecit. Quarto loco ait: *Deinde virtutes, exinde gratiã curationum.*) Potest enim aliquis non esse episcopus, & habere in se donum virtutis sanitatum. Quinto loco donum intellectus tribuit. *Opitulationes, gubernationes.*) Vt in rebus diuinis vigilet intellectu: ita tamen, vt in aliquibus quæ implere non conceditur, ab alio sumat quod debabet, quia totum vni concedi non potest. Sunt & gubernatores qui spiritalibus retinaculis hominibus documento sunt. *Genera linguarum.*) Vt donum sit dei, multas linguas scire. *Interpretationes sermonum.*) Vt hoc alicui gratia dei impertiat, vt linguarum interpretandarum habeat peritiam. *Nunquid omnes apostoli?*) Verum est quia in ecclesia vnus episcopus est. *Nunquid omnes prophetæ.*) Non est ambiguum non omnibus concedi prophetiam. *Nunquid omnes doctores?*) Ille doctor est: cui conceditur. *Nũquid omnes virtutes?*) Hic potest habere virtutem, cui dat deus dæmonia eiicere. *Nunquid omnes gratiam habent curationum?*) Quomodo potest fieri vt omnes habeant dona curarionum? *Nunquid omnes linguis loquuntur?*) Non vtique nisi qui accipit donum in hac re. *Nunquid omnes interpretantur?*) Ille potest linguas interpretari, cui dat deus. In supradictum sensum hæc inserenda. Explanauit enim reddita ratione omnes habere diuersas gratias, nec totum alicui concedi exemplo membrorum. Exemplo enim corporis carnis, spiritale corpus insinuat, ac per hoc in omnibus deum benedicendum, & in ipsius nomine gloriandum cuius gratia est. Hanc rationem etiam in rebus physicis inuenimus. Aurum enim cùm melius argento sit, plus tamen in vsu argentum est: & cùm æs necessarium sit, plus tamen ferro opus est. Nihil enim penè sine ferro fit, cùm sit inferius. Et post hæc: *Æmulamini autem charismata meliora.*) Hoc mox in subiectis absoluit. *Et adhuc magis excellentiorem viam vobis demonstro.*) Gradatim illos ad vtiliora prouehit, ostendens illis gratiam supradicti omnis doni, quæ in hominibus videntur, siue loquendi, aut curandi, aut prophetandi, non ad meritum hominis pertinere, sed ad honorificentiam dei. Ideoque nũc viam se dicit illis ostendere planiorem, qua itur ad cœlum, quæ meritum collocat apud deum. Nam quia supradicta nõ semper ad meritum pertinent, dicit saluator: Multi mihi di- Matth. 7.
cent in illa die, id est, iudicij, domine domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Et quia non hoc ad meritum pertinet, sed officia sunt ecclesiæ: ad confusionem gentilium, & dei honorificentiam protestandam, dicit eis dominus: Recedite à me, non noui vos, operarij iniquitatis. Securi enim quia dei in illis operatio cernebatur, negligentes erga se fuerũt. Nam & illis septuaginta duobus discipulis gaudentibus quod dæmonia illis subdita fuerant, dicit Luc. 10.
saluator: Nolite in hoc gaudere quòd dæmonia vobis subiecta sunt, sed in hoc gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cœlo. Quare, nisi quia nomini dei subiecta sunt, non hominis merito? Et quare nunc non ita fit vt habeãt homines gratiam dei? Inter initia fieri oportuit, vt fundamenta fidei acciperent firmitatem. Nunc autem non opus est, quia populus populum adducit ad fidem, cùm videntur eorum bona opera, & prædicatio simplex.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

*Si linguis hominum loquar, & angelorum: charitatem autem non habeam: * vnum sum velut æramentum resonans, aut cymbalum tinniens.*) Magna vtique videtur gratia diuersis loqui linguis: plus autem aliquid est etiam si possit angelorum linguam scire, id est, si spiritaliter cognitum possit habere angelicum motum. Sed hoc ad meritum non ascribi, sed ad dei gloriam subiectis ostendit, dicens sic esse vt æramentum resonans, aut cymbalũ tinniens, quia sicut æramẽtum impulsu alterius resonat aut cymbalũ tinnit, ita & hic qui linguis loquitur, spiritus sancti effectum habet & motum vt loqui possit, sicut & alio loco dicit saluator: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Nam & asina locuta est humana lingua ad Balaam filium Beor, vt addisceret dei maiestatem: & pueri infantes in laudem dei proruperunt ad confusionem Iudæorum. Saluator autem non solum istos, sed & lapides ad condemnationem perfidorum, & gloriam dei clamare posse ostendit. Et inter ipsa primordia ad commendationem fidei, qui baptizabantur, linguis loquebantur. *Et si habeam prophetiam, & sciero omnia mysteria, & omnem scientiam: charitatem autem non habeam: nihil mihi prodest.*) Verè nihil prodest. Ad dei enim gloriam prophetatur, sicut dicit Dauid propheta: Non nobis domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Nam & Balaam prophetauit, cùm propheta non esset, sed ariolus: & Caiphas prophetauit, non merito, sed dignitate ordinis sacerdotalis: & Saul prophetauit, cùm iam inobedientiæ causa spiritu malo fuisset repletus, sed propter dei causam non posset comprehendere Dauid quem & occidere volebat. *Et si sciero omnia mysteria.*) Iudæ enim nihil profuit fuisse cum apostolis, & didicisse mysteria, cùm charitatis hostis tradidit saluatorem. Et propheta Ezechiel diabolum mysteria cœ-

ecclesiastia scire ostendit, quando increpata voce in paradiso
illum Dei fuisse,& pręciosos lapides habuisse testatur. Quos
lapides idem Apostolus doctrinæ diuinæ mysteria significa-
uit, vt nihil illi profuit, quia charitatis immemor in super-
bum profiluit. *Et si habeam omnem scientiam.*) Nihil mihi
prodest scientia si charitas non sit. Denique Scribis & Pha-
risæis nihil profuit, dicente saluatore: Vos habetis clauim
scientiæ, & neque vos intratis, neque alios finitis introire.
Et inuidiam enim charitatem corrumpentes, scientiam e-
tiam ad nihilum deduxerunt. Nam & Tertullianus & Noua-
tianus non paruæ scientiæ fuerunt, sed quia per zelum cha-
ritatis fœdera perdiderunt, in schisma versi ad perditionem
usq; hæreses creauerunt. *Et si habuero omnem fidem, ita vt montes
transferam.*) Virtutes facere, aut dæmonia per fidem eiicere
Dei virtus & gloria est: nec hoc ad meritum proficit nisi
quis bonæ conuersationis fuerit æmulus, sicut supra memo-
rauit. *Et si erogauero omnem substantiam meam.*) Apertum est,
quia si omnis substantia impendatur, nihil proficit charita-
te neglecta, quia caput religionis, charitas est: & qui caput
non habet, vitam non habet. *Et si tradidero corpus meum vt ar-
dam, nihil mihi prodest.*) Sine charitate nihil prodest, quia
fundamentum religionis charitas est. Quicquid ergo sine
charitate fit caducum est. *Charitas magnanima est, iucunda est.
Charitas non æmulatur, non inflatur, non perperam agit, non am-
biosa est, non quærit quæ sua sunt. Non irritatur, non cogitat ma-
lum, non gaudet in iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia tol-
lerat, omnia credit, omnia sustinet, omnia sperat. Charitas nunquam
excidit.*) Tanta præconia charitatis edocuit, vt non immeri-
to hanc cæteris anteponere videretur,& incassum labora-
re eos qui aliis mandatis operam dant, huic non obtempe-
rantes. Hinc ait Ioannes apostolus: Charitas Deus est: &
qui charitatem non habet, sciat se Deum non habere. Vnde
& in alia epistola idem Paulus Apostolus ait: Deus autem
qui dives est in misericordia, propter multam charitatem
suam misertus est nostri. Qui ergo charitatem non habet,
ingratus est misericordiæ Dei, quia non diligit per quod
saluatus est. Vt proinde discerent quia grauiter delinque-
bant, qui escā fraternæ charitati præponebāt. Nam hæc est
quæ & in præsenti prodest, & in æternum cum Deo perma-
net. *Sine autem prophetiæ euacuabuntur, sine linguæ cessabunt,
sine scientia euacuabitur. Ex parte enim cognoscimus, & ex
parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, euacua-
bitur quod ex parte est.*) Omnia charismatum dona euacuari
dixit, quia non tantum possunt comprehendere, quantum
ipsa veritas habet. Neque nos aut capere aut narrare pos-
sumus plenitudinem veritatis. qui enim fieri potest vt lin-
gua humana omne complectatur quod Dei est? Ideo de-
struetur imperfectio nostra, non id quod verum est eua-
cuabitur: sed dum additur imperfectio, quod deest destruc-
tur. Destructio enim imperfectionis est, quando id quod
imperfectum est impletur verum. *Cum essem paruulus, quasi
paruulus loquebar, quasi paruulus sapiebam, quasi paruulus cogi-
tabam, Cum factus sum vir, ea quæ paruuli erant, destruxi.*)
Hoc dicit quia exeuntes sancti de hoc mundo, plus necesse
est inueniant, quàm nunc putant, sicut Ioannes apostо-
lus de saluatore dixit: Tunc videbimus illum sicuti est.
In hac ergo vita paruuli sumus, ad comparationem futu-
ræ vitæ: quia sicut vita hæc imperfecta est, ita & scientia.
Videmus nunc per speculū in ænigmate, tunc verò facie ad faciem.)
Apertum est nunc imagines videri per fidem, tunc res
ipsas. *Modo scio ex parte, tunc verò cognoscam sicut & co-
gnitus sum.*) Id est videam quæ promissa sunt, sicut videor.
Hoc est præsentem esse ad Deum vbi Christus est. *Manent
autem fides, spes, charitas: tria hæc: maior autem horum est chari-
tas.*) Dignè maior est charitas, quia vt fides prædicaretur,
& spes esset futuræ vitæ, charitas præstitit sicut supra me-
morauit. Vnde & Ioannes apostolus, Ex hoc cognosci-
mus, inquit, charitatem eius, quia ipse pro nobis animam
suam posuit. Iustè igitur maior charitas, per quam reforma-
tum est genus humanum.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

A *Ectamini charitatem, æmulamini spiritalia, magis
autē vt prophetetis.*) Post charitatem, prophe-
tandi studium magis habendum hortatur:
quia quanuis magni sint spiritales gradus
quos enumerat: hic tamen melior qui ad vti-
litatem ecclesiæ proficit, vt discant omnes
diuinæ legis rationem. In quo enim quis animum dederit in
eo ipso accipit donum, dicente Salomone: Scire legem, sen-
sus est optimus. sciētia enim charitate subnixa non inflatur,
sed est mansueta, proficiēs omnibus ad vtilitatem. *Qui enim
loquitur linguis, non hominibus loquitur, sed Deo, nemo enim audit.
spiritu autem loquitur mysteria.*) Hoc est quod dicit, quia qui lo
quitur incognita lingua, Deo loquitur, quia ipse omnia no-
uit. homines enim nescium, ideoque nullus est ex hac re
profectus. spiritu autem loquitur non sensu, quia ignorabat
quod dicit. *Qui enim prophetat, hominibus loquitur ad ædificatio-
nem & exhortationem, & consolationem.*) Ædificatur enim quā-
do quæstionum solutionem addiscit. Exhortatio autem illi
fit, vt desiderium patiatur prophetandi. Consolatur verò,
B quia contemptum disciplinæ in spe videt. Scientia enim le-
gis firmat animos, & prouocat ad spei melioris profectum.
*Qui loquitur lingua, se ipsum ædificat. qui vero prophetat, ecclesiam
ædificat.*) Per id enim quod fortè solus sit quod loquitur, se
solum ędificat: nam qui prophetat, omnem plebem ędificat,
dum intelligitur ab omnibus quid loquatur. Prophetas in-
terpretes dicit scripturarum. Sicut enim propheta futura
prædicit, quæ nesciuntur: ita & hic dum scripturarum sen-
sum, qui multis occultus est, manifestat: dicitur prophetа-
re. *Volo autem vos omnes loqui linguis, magis autem vt prophe-
tetis.*) Non poterat prohibere loqui linguis, quia superius
donum istud dicit esse spiritus sancti: sed ideo prophetandi
magis studium habendum, quia vtilius est. *Maior est enim qui
prophetat, quàm qui loquitur lingua, nisi interpretetur.*) Quia si in-
terpretari poterit, non erit minor, quia ecclesiam ædificat.
hoc enim maius est, quod omnibus prodest. Hic enim per
donum dei linguis loquitur, qui etiam interpretatur, sicut &
illi duodecim in actibus apostolorum. *Nunc autem fratres, si
C venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero si non loquar vobis
aut in reuelatione, aut in notitia, aut in prophetia, aut in doctrina?*)
Hæc omnia vnū significāt. Docere enim nemb poterit, nisi
intelligatur. *Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, siue tibia,
siue cithara, si distinctionē sonitus nō dederint, quomodo cognoscetur
quod per tibiam canitur, aut quod cithari̇atur? Etenim si incertam
vocē dat tuba, quis se parabit ad prælium?*) Quoniam exēpla
facilius suadent quàm verba, exemplis commendat per quæ
facilius suadent quàm verba, exemplis commendat per quæ
facilè assequantur nō debere illos in ecclesia loqui linguis,
qui interprætari non possunt. Vt quid enim loquatur, quem
nemo intelligit? *Ita & vos per linguam nisi significantem sermo-
nem dederitis, quomodo scietur quid loquimini? Eritis enim aëra
loquentes.*) Hoc est nihil proficientes. *Vt puta genera linguа-
rum sunt in hoc mundo, & nihil sine voce.*) Multa quidem genе-
ra sunt linguarum, inquit, sed habent proprias vocum sig-
nificationes, vt intelligantur. *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero
ei cui loquor barbarus, & is qui loquitur, mihi barbarus.*) Non
vtique id studendum monet, vt inuicem per incognitam
D linguam barbari sibi videantur, sed quia concordiæ res est,
his nitendum est, vt per vnanimitatē intellectus, communi
lætitia glorientur. *Sic & vos quoniam æmulatores estis spirituum
ad ædificationem ecclesiæ, quærite vt prophetetis.*) Quia prodest
scripturas explanare. nam incitatur & gaudet animus quan-
do aliquid de scripturis percipit: & quantum propensior in
hac parte fit, tantum deserit vitia. propterea ad hanc par-
tem studium monet applicandum. *Ideo & qui loquitur lin-
gua, oret vt interpretetur.*) Eum qui linguis loqui desiderat,
orare debere vt accipiat donum interprætandi, vt proficiat
cæteris studium eius. *Si orauero lingua, spiritus meus orat, mens
autem mea sine fructu est.*) Manifestum est ignorare ani-
mum nostrum si lingua loquatur quam nescit, sicut as-
solent Latini homines Græcè cantare oblectati sono
verborum, nescientes tamen quid dicant. Spiritus
autem qui datur in baptismo, scit quid oret animus
dum

dum loquitur, aut perorat lingua sibi ignota: mens autem qui est animus, sine fructu est. Quē enim potest habere fructum, qui ignorat quæ loquatur? *Quid est ergo? Orabo spiritu, orabo & mente: psalmum dicam spiritu, psalmum dicam & mente.*) Hoc dicit, quia cùm quis hac lingua loquitur quam nouit, tam spiritu quàm mente orat, quia non solum spiritus eius quem dixit datum in baptismo, scit quid oratur, sed & animus simili modo & de psalmo non ignorat. *Cæterùm si benedixeris spiritu.*) Hoc est, si laudem dei lingua loquaris ignota audientibus. *Quis supplet locum idiotæ? quomodo dicit amen super tuam benedictionem, quia nescit quid dicas?*) Imperitus enim audiens quod non intelligit, nescit finem orationis, & non respondet amen, id est, verum, vt confirmetur benedictio. Per hos enim impletur confirmatio precis, qui respondent amen, vt omnia dicta veri testimonio in audientium mentibus confirmentur. *Nam tu quidem bene gratias agis.*) De eo dicit qui cognita sibi loquitur, quia scit quid dicat. *Sed alius nō ædificatur.*) Si vtique ad ædificandam ecclesiam conuenitis, ea debent dici quæ intelligant audientes. Nam quid prodest vt quis lingua loquatur quam solus scit, vt qui audit, nihil proficiat? Ideo tacere debet in ecclesia, vt ij loquantur qui prosint audientibus. *Gratias ago deo meo quòd omnium vestrum lingua loquor.*) Quoniam superius linguis loqui, donum esse dixit spiritus sancti, ideo ad deum refert quòd omnium lingua loqueretur. Et ne fortè quasi æmulus per inuidiam hoc dicere videretur, ostendit se omnium quidem horum loqui linguis, & quia non valde prodest. *Sed in ecclesia,* inquit, *volo quinque verba loqui per legem, vt & alios ædificem, quàm decem millia verborum in lingua.*) Vtilius dicit paucis verbis in apertione sermonis loqui quod omnes intelligant quàm prolixam orationem habere in obscuro. Hi ex Hebræis erant, qui aliquando Syra lingua plerumque Hebræa in tractatibus aut oblationibus vtebantur ad commendationem. Gloriabantur enim se dici Hebræos propter meritum Abrahæ.

Ephes. 6. Quod idem Apostolus pro nihilo habuit dicens: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. *Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, vt sensibus perfecti sitis.*) Perfectos illos vult esse, vt sciant quid ad institutionem ecclesiæ sit necessarium, vt recedentes à malitia & erroribus, iis studerent quæ proficerent ad vtilitatem fratrum. Hic est enim sensu perfectus, qui id agit vt prosit alicui maximè fratri. *In lege enim scriptum est, quia in aliis linguis & in labiis aliis loquar populo huic, & nondum me exaudient, dicit dominus.*) Hoc dominus de his dixit quos præsciit nec saluatori credituros. In aliis enim linguis & in aliis labiis loqui, nouum testamentum est prædicare, sicut dicit Hieremias propheta: Ecce, venient dies, dicit dominus, & consummabo domui Israel & domui Iudæ testamentum nouū, non secundum quod dispositi patribus illorum: hoc est, immutata ratione aliter loqui quàm se legis veteris verba habeant, dum audiunt sabbatum solui, neomenias euacuari, circūcisionem cessare, sacrificia immutari, escas dudum prohibitas licere edere, Christum de deo deum prædicare: hoc est aliis linguis & aliis labiis loqui: & nec sic perfidi deum obaudire voluerunt. Potest & sic intelligi, vt quia multi Iudæorum maleuoli erant, & propterea dignum non erat his in reuelatione loqui euangelium, in parabolis loqueretur ad eos, & intelligentes ideo sibi non reuelari quia mali erāt, nec sic se corrigerent vt mereri se facerent per explanationem audire verba dei. Vnde dicunt discipuli ad dominum:

Matth. 13. Domine, quare in parabolis loqueris illis? Et dominꝰ: Quia vobis datum est, inquit, nosse mysterium regni dei: illis autem non: vt videntes non videant, & audientes non intelligant: ne indigni salutem perciperent: quod animaduertentes pro meritis suis factum, nec sic conuersi deo satisfacere voluerunt. *Itaque linguæ in signum sunt.*) Hoc est, velamine incognitæ linguæ obscurati sunt sermones dei, ne videantur à perfidis, vt cùm audiuntur incognitæ linguæ, signum sit quia propter perfidiam factum est ne audiens intelligat. *Non vtique iis qui credunt, sed non credentibus.*) Hoc est, quod dixi, quia ad occultandos sensus incredulis proficiunt linguæ. *Prophetia autem non incredulis, sed iis qui credunt.*) Hoc est, non competit fidelibus audire linguas quas non intelligāt, sed infidelibus, qui non sunt digni intelligere, sicut dicit Esaias propheta: Vade, & dic populo huic: Aure audietis, & non intelligetis, &c. *Si conuenerit vniuersa ecclesia in vnum, & loquantur omnes linguis, introeant autem infideles & idiotæ, nónne dicent, quia insanitis?*) Manifestum est quia si omnes diuersis linguis loquantur, tumultus fit quidam inconditus populi quasi phrenesin patientis. *Si autem omnes prophetent, intret autem aliquis infidelis vel idiota, increpatur ab omnibus, redarguitur ab omnibus, occulta cordis eius manifesta fiunt, & tunc cadens in faciem, adorabit deum, pronuncians quòd verè deus sit in vobis.*) Cum enim intelligit & intelligitur, audiens laudari deum & adorari Christum, peruidet veram esse & venerandam religionem, in qua nihil fucatum, nihil in tenebris videt geri, sicut apud paganos quibus velantur oculi, ne quæ sacra vocant, perspicientes, variis se vanitatibus cernant illudi. Omnis enim impostura tenebras petit, & falsa pro veris ostēdit. Ideo apud nos nihil abdite, nihil sub velamine, sed simpliciter vnus laudatur deus, ex quo sunt omnia, & vnus dominus Iesus, per quem omnia. Si enim nullus sit qui intelligat, aut à quo ipse discutiatur, potest dicere seductionem esse quandam & vanitatem, quæ ideo linguis canitur, quia pudoris est si reueletur. *Quid est ergo fratres, cum conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet.*) Id est, laudem dei per canticum eloquitur. *Doctrinam habet.*) Hoc est, sensuum per spiritalem prudentiam habet expositionem. *Reuelationem habet.*) Id est, subest ei prophetia occultorum, quæ ad omniū mentem perueniat fauente spiritu sancto. *Linguam habet.*) Vt eos qui lingua loqui poterant, non contristaret, permisit eos loqui linguis: ita tamen, vt interpretatio sequeretur. Ideo ait: *Interpretationem habet.*) Vt si interpres adesset, daretur locus loquendi linguis. *Omnia ad ædificationem fiant.*) Conclusio hæc est, vt nihil incassum in ecclesia geratur, hócque elaborādum magis vt imperiti proficiant, ne quid sit corporis per imperitiam tenebrosum. Idcirco omnes paratos vult conuenire diuersis donis spiritalibus, vt ipsa auiditate animi vigilantes inuicem se exhortati, meliora dona æmularentur, ad illuminationem fratrum. *Siue enim lingua quis loquitur per duos, vt multum tres, & particulatim vt vnus interpretetur.*) Hoc est, duo aut tres, non plus linguis loquantur, sed singuli, non simul omnes, ne insanire viderentur. Ideo ergo vt multum tres, ne occuparent diem linguis loquentes, & interpretes illorum, & non haberent prophetæ tempus scripturas differendi, qui sunt totius ecclesiæ illuminatores. *Quòd si non fuerit interpres, taceat in ecclesia, sibi autem loquatur & deo.*) Hoc est, intra se tacitè oret aut loquatur deo, qui audit muta omnia. In ecclesia enim ille debet loqui, qui omnibus prosit.

Prophetæ autem duo vel tres loquantur, & alij examinent vel interrogent.) Ipsum modum tenuit dicendo: Duo aut tres loquantur, singuli autem, sicut suprà. Cęteros aut interrogare permisit de iis quæ fortè in ambiguum veniunt, aut quæ assequi aliquis non potest, quia diuersa sunt ingenia, vt disputatione planiore dilucidentur. *Quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat.*) Id est, permittat potior inferiori, vt si potest dicat: nec ęgrè ferat, quia potest & illi dari donū vt dicat cùm videtur inferior, quod potiori cōcessum non est. Sicut enim totū vni cōcedi non potest licet potiori, ita & non potest alicui quāuis inferiori nihil impertiri, vt nemo sit vacuus à gratia dei. *Potestis enim per singulos prophetare, vt omnes discant, & omnes exhortentur.*) Hæc traditio synagogæ est, quam nos vult sectari quia Christianis quidem scribit, sed ex gentibus factis, non ex Iudæis, vt sedentes disputent seniores dignitate in cathedris, sequētes in subselliis, nouissimi in pauimēto super mattas. Quibus si reuelatum fuerit, dādum locum dicendi præcipit, nec despiciendos, quia membra corporis sunt. *Et spiritus prophetarum, prophetis subiectus est.*) Quia enim vnus atque idem spiritus est, qui tam prophetis futura dicentibus, quàm iis qui reuelant scripturas, infundit se pro ratione & qualitate causarū, idcirco dixit: Subiectus est prophetis, vt ingenia accenderet

1925

deret hac ſpe quòd ſpiritus conatus adiuuet. Deſiderio enim optimo ad Dei res enarrandas ſubuenit, vt impleat boni propoſiti voluntatem. Nam & de ſaluatore idem dictum eſt: Bibebant autem de ſpiritali ſequente petra: petra autem erat Chriſtus. Hoc eſt & ſubiectum eſſe, quod & ſequi. Sequebatur enim vt humanis ſuffragiis defficientibus adeſſet ad auxilium tribuendum. Ita & ſpiritus ſubiectus dicitur, vt conatus bonos adiuuet, cum ſuggerit. Subiectus enim videtur, qui cœpta alterius perficit. *Non eſt enim diſſenſionis res, ſed pacis.*) Quia ergo pacis res eſt, dicente ſaluatore: Pacem meã do vobis, pacem relinquo vobis: nemo alterum non ſinat dicere, neque debet dicenti ſtudio contradicendi reſiſtere, ne diſcordia fiat in corpore. Qui enim in pace vocantur, patientiæ debent ſtudere, ne pacis iura ſoluantur. *Sicut in omnibus eccleſiis ſanctorum doceo.*) Hoc dicto hortatur illos vt quæ præcepit faciant, quãdo ſimilter ſe eccleſiis ſanctorum prædicare teſtatur. *Aut à vobis verbum Dei profectum eſt, aut in vos ſolos deuenit?*) Arguentis verba ſunt. Sic enim inflati erant, quaſi ipſis promiſſa fuiſſet hæc ſalus, & exemplo eorum cæteræ gentes vocarentur ad fidem, aut non eſſent aliqui qui poſſent accipere gratiam Dei apoſtolis prædicantibus. Sic enim ſe iactabant, quaſi beneficium darent magis quam accedentes ad fidem. Vnde dicit: Aut in vos ſolos deuenit verbum Dei? Omnis enim qui vult aliquid emere quod ſcit ab aliis non requiri, cum quodam faſtidio accedit ad emptionem, quaſi beneficium præſtiturus vendenti. Ideo hoc Apoſtolus arguit in Corinthiis, quia tales ſe præbebant elatione vanitatis, quaſi ſi ipſi non obedirent verbis fidei, nemo eſſet qui crederet: ſicut dicit Iudæis: Vobis primis opportebat loqui verba vitæ huius: ſed quia repuliſtis ea, indignos vos facientes æternæ vitæ, ecce conuertimus nos ad gentes. *Si quis exiſtimatur propheta eſſe aut ſpiritalis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia domini ſunt.*) Hoc dicens, tangit ſupra memoratos falſos apoſtolos, à quibus fuerant deprauati, qui pro deſideriis hominum non diuina ſed terrena docebant. Ideo hic nihil ſuum tradere ſe dicit, ſed domini, vt quibus ſuadet, Deo acquiſiti non hominibus videantur: quia fiducia & conſtanter prædicat, liberam habens conſcientiam, quia non hominibus placere vult, ſed Deo. Vnde peccatoribus non blanditur vt creſcant; ſed admonet, vt deſinant. *Si quis autem ignorat ignorabitur.*) Rectè, quia qui neſcit domini eſſe quæ loquitur Apoſtolus, & ipſe à domino ignorabitur in die iudicij, dicẽte domino: Amen dico vobis, quòd neſcio vos. *Propter quod fratres æmulationem habete prophetandi.*) Quamuis arguat hos, & in multis reprehendat & corripiat, eo quòd receſſerant à traditione eius: tamen fratres hos vocat, quia dicit Eſaias ad plebem domini: Dicite iis qui non rectè ambulant in viis meis, fratres noſtri eſtis vos. Vt ergo conſolaretur iſtos poſt correctiones, fratres illos vocat: & ad æmulationem prophetiæ hortatur, vt aſſidua diſputatione & explanatione legis diuinæ fierent ſtructiores, vt poſſent dicere peruerſas eſſe pſeudoapoſtolorum prædicationes. *Et loqui linguis nolite prohibere.*) Et hoc propter charitatem, vt qui poſſunt loqui linguis, & qui interpres fuerit præſens non vetentur, ne fiat diſſenſio. *Omnia autem honeſtè, & ſecundum ordinem fiant.*) Hoc eſt ſecundum ordinem ſupradictum. Honeſtè autem illud fit quod cum pace & diſciplina fit.

Mulieres veſtræ in eccleſia taceant.) Nunc tradit quod prætermiſerat. Superius enim velari mulieres in eccleſia præcepit, modo vt quietæ ſint & verecundæ oſtendit: vt operæprecium ſit, quia velantur. Si enim imago Dei vir eſt, non fœmina & viro ſubiecta eſt lege naturæ: quantò magis in eccleſia debent eſſe ſubiectæ propter reuerentiam eius qui illius legatus eſt, qui etiam viri caput eſt? *Non enim permittitur illis loqui, ſed eſſe in ſilentio, ſicut & lex dicit.*) Quid dicit lex? Ad virum tuum conuerſio tua, & ipſe tui dominabitur. Lex hæc ſpecialis eſt. Hinc Sara dominum vocabat Abraham virum ſuum. Ac per hoc in ſilentio iubentur eſſe, ne ſupradictæ legis ſententia infirmetur, cuius memor Sara viro ſuo erat ſubiecta, ſicut dictum eſt. Quamuis vna caro ſit, ſed duabus ex cauſis iubetur eſſe ſubiecta: quia & ex viro eſt, & per ipſam intrauit peccatum. *Si quid autem diſcere volunt, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieribus in eccleſia loqui.*) Turpe eſt, quia contra diſciplinam eſt, vt in domo Dei qui eas ſubiectas viris ſuis eſſe præcepit, de lege loqui præſumant, cùm ſciant illic viros habere primatum, & ſibi magis competere vt in domo Dei precibus vacent, linguam retinentes, aures apperiant, vt audiant quomodo miſericordia Dei mortem vicit per Chriſtum, quæ per eas regnauit. Nam ſi audeant in eccleſia loqui, dedecus eſt, quia idcirco velantur, vt humiliatæ appareant. Ille autem ſe inuerecundè oſtendunt, quod & viris opprobrium eſt. In mulierum enim inſolentia, etiam mariti notantur.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Notum autem vobis facio fratres, quia euangelium quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſalui efficimini, quod ſermone annunciaui vobis debetis tenere, niſi forte ſine cauſſa credidiſtis.) Oſtendit illis quia ſi in hac cauſſa quæ ſubiecta eſt, à traditione eius ſeducti ſunt, perdiderũt quod crediderũt. Omnis enim ſpes credentium in hoc ſenſu eſt, qui mortui reſurgent. Quod autem dicit, in quo & ſtatis, his dicit qui firmi erant in fide traditionis huius. Promiſcuis enim loquitur, vt & ij qui in fide fixi ſunt, gaudeant: & qui nutant, corripi ſe doleant & corrigantur. *Tradidi enim vobis in primis quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas.*) Scripturas teſtamenti veteris memorat, quæ futuram paſſionem domini cecinerunt, Dicit enim Eſaias propheta: Vt ouis ad immolandum ductus eſt. Et inter cætera, quoniam tolletur à terra vita eius, ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem. Hæc in Chriſto reperta noſcuntur. Sed quia præteriti temporis ſignificatio videtur, non eſt aduerſum: quia apud Deum qui omnium præſcius eſt, nihil futurum eſt: ideo ſic dicit quod futurũ eſt nobis, quaſi factum ſit. Nã in Apocalypſi Ioannis apoſtoli dicitur. Agnus, inquit, qui occiſus eſt à conſtitutione mundi. Quia enim aliter non fiet quàm ſcit Deus, factũ dicitur. nobis enim fit, non Deo, quia apud Deum nihil eſt quod futurum dicatur. Et in pſalmo ait: Dominus regnauit à ligno. Et Moyſes de cruce eius ita ſignificauit dicens: Tunc videbitis vitam veſtr ãpendentem ante oculos veſtros, & non credetis. Idcirco ergo in eadem cauſſa & futuri temporis aliquando ſignificantiam ponit, ne à peruerſis non de Chriſto dictum defenderetur, ſi totum quaſi præteritum ſignificaret. *Et quia ſepultus eſt.*) Nulli dubium eſt ſepultum eſſe, ſicut dicit Eſaias propheta. Et dabo malos pro ſepultura eius. *Et quia reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas.*) Omnia in fide clauſa ſunt, ideo ſub perſona populi reſurrectio domini tertia die futura deſcripta eſt. Dicit enim Oſee propheta: Poſt biduum & in tertio die reſurgemus, & viuemus in conſpectu eius. In Chriſto enim omnes reſurrexiſſe, ſicut in Adam mortuos eſſe, nemo fidelium denegat. Simili modo & in pſalmo ſub perſona hominis etiam de Chriſto ſignificat dicens: Omnia ſubiecciſti ſub pedibus eius, gloria & honore coronaſti eum. *Et quia viſus eſt Cephæ.*) Id eſt Petro. Hoc etiam Cleophas cum ſocio ſuo teſtatur, vt in Euangelio κατὰ λοῦκαν quod apparuit ſoli Petro. *Poſtea illis vndecim.*) Et hoc in Euangelio continetur. *Deinde apparuit plus quàm quingentis fratribus ſimul.*) Hoc ſua fide dicit. *Ex quibus plures manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt.*) De his quibus poſt reſurrectionem apparuit, dominus, tunc multos dicit fuiſſe in corpore. *Deinde apparuit Iacobo.*) Singulariter Iacobo apparuit ſicut & Petro. Quod ideo puto factum, vt multifaria apparentia fidem reſurrectionis firmaret. *Poſtea apoſtolis omnibus.*) Iterũ omnibus apoſtolis viſus eſt in mõte vbi conſtituerat illis Ieſus ſicut refert Matthæus Euãgelſta. Antè in Hieruſalem poſt dies octo reſurrectionis ſuæ, id eſt, dominica die ianuis clauſis intrauit ad diſcipulos, vt Thomę animus firmaretur, ſicut dicit Ioãnes apoſtolus. In monte enim in-

Eſa. 53.
Pſal. 95.
Eſa. 53.
Iona 2.
Oſee 6.
Pſalm. 8.
Luca. 24.
Act. 9.
Ioan. 20.

telligitur mandata illis dediſſe. *Nouiſſimè autem omnium quaſi abortiuo viſus eſt & mihi.*) Apparuit illi primum in cœlo, poſt oranti in templo. Abortiuum ſic dixit: quia extra tempus natus in Chriſto apoſtolatum accepit, iam Chriſto in cœlos
Epheſ. 3. recepto cum carne. *Ego enim ſum minimus omnium apoſtolorũ.*) Humiliat ſe, & temporis cauſam ſibi aſſcribit. Tempore enim minor eſt, non dignitate. Sed quia & perſecutor fuit, inclinat ſe dicens. *Qui non ſum dignus vocari apoſtolus, quia perſecutus ſum eccleſiam dei. Gratia autem dei ſum quod ſum.*) Deo dat gloriam qui eum elegit, & dignitatem ſuam non ſibi defendit, ſed indignum ſe dicit. Vnde verè plus meretur, ſciẽs
Luc. 18. dixiſſe dominum: Qui ſe exaltat, humiliabitur. *Et gratia eius pauper in me non fuit.*) Hoc dicit, quia non propter quod perſecutus eſt, minorem gratiam in apoſtolatu accepit. *Sed plus illis omnibus laboraui.*) Addit ad cauſam, quia non ſolum minoratus non eſt, ſed & amplius propter conſtantiam qua vigebat in Chriſto, afflictus eſt: quod non ægrè ferẽs dignior factus eſt. *Non ego autem, ſed gratia dei mecum.*) Ne ſe extuliſſe iactanter putaretur, ſtatim ſe humiliat, cùm hoc ipſum non magis ſibi, ſed dei gratię aſcribit: vt ſemper omnem gloriam reportet ad deum: vnde iure exaltandus eſt. *Siue igitur ego, ſiue illi, ſic prædicamus, & ita credidiſtis.*) Hoc eſt quod ſupra ſignificauit, quia non inferiorem gratiam in prædicatione accepit, quàm cæteri apoſtoli, ſed vnam atque eandem. Vnde magis arguit perfidiam Corinthiorum, quia cum manifeſtata eſſet credulitas hæc apud omnes eccleſias, hi ab hac fide & ſpe deſciuerant quam ſubiecit, dicens. *Si autem Chriſtus prædicatur quòd ex mortuis reſurrexit, quomodo dicunt quidam inter vos, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si ergo reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, vacua eſt & fides veſtra.*) Hæc à falſis apoſtolis erant tradita, qui Chriſtum neque natum, neque in carne paſſum, neque reſurrexiſſe aſſeuerabãt:
1. Ioan. 2. quos & Ioannes apoſtolus denotat quòd Chriſtum in carne veniſſe negabãt. Vnde dicit: Qui negat Chriſtum in carne veniſſe, hic eſt Antichriſtus: & qui negat filium, nec patrem habet. Iſti ambulabant, & quorundam fidem, ne imprudentes à mundi ſapientibus iudicarentur, ſubuertebant: quia prudentes ſeculi ſtultum iudicant cùm audiunt reſurrectionem mortuorum. Quod ſi, inquit, verum eſt quia Chriſtus non reſurrexit, falſi ſumus prædicatores, & fides veſtra inanis erit. Hoc enim crediderunt apoſtolo prædicãte, quia mortui reſurgent: & hac ſpe attracti ſunt ad fidem: quod vtique ad detrimentum illorum proficere aſſerit, ſi crediderunt quod futurum non eſt: & pudoris eſt vt aliquis profiteatur hoc ſe credidiſſe quod falſum eſt. Et verecũdiam ergo illis incutit, & labores illorum dicit infructuoſos, ſi quod à falſis apoſtolis audierũt, verum eſt, quia mortui non reſurgent: quod nemo vtique de ſe patitur audire: vt videntes hoc contra ſe eſſe, reuerterentur ad primam fidem. *Inuenimur autem & falſi teſtes dei, quia teſtimonium diximus aduerſum deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit.*) Qui aſſerit quòd Chriſtum deus à mortuis ſuſcitauit, falſus eſt teſtis ſi non eſt factum: virtutem tamen dei prædicat, non vtique vt inimicus, qui tam admirabile factum virtuti eius aſſcribit. Quod ſi verum eſt quia excitauit Chriſtum à mortuis, quid huic dicendum eſt qui & teſtis contra deum falſus eſt, & opus eius ſtultitiam aſſerit? *Si enim mortui non reſurgent, neque Chriſtus reſurrexit. Quòd ſi Chriſtus non reſurrexit, adhuc eſtis in peccatis veſtris: & qui dormierunt in Chriſto, perierunt.*) Terret illos, vt quia nemo ſibi malè vult, doleat illis hoc cœpiſſe credere quod contra ipſos eſt. Quis enim peccata ſibi remiſſa nolit audire? Et qui dormierunt in Chriſto, perierunt. Addit ad terrorem, quia charorum ſuorum exceſſum nolint æſtimare perditionem. Qui enim non timuerunt, ſub hac ſpe de ſeculo exierunt, ſiue occidi non timuerunt, quia reſurgere exemplo Chriſti crediderunt: quod ſi non eſt verum, perierunt. Hoc illis dicit quod amore ſuorum defunctorum nolunt audire, vt illis amputet quod prius per errorem volebant audire. *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.*) Manifeſtum eſt quia & in hac præſenti vita & in futura ſperamus in Chriſto. Nec enim hic deſerit ſeruos ſuos Chriſtus, ſed dat illis gratiam, & in futuro erunt in gloria æterna. Si autem futurę vitę ſpes non eſſet, omnibus hominibus, quod dixit, miſerabiliores eſſemus. Vt quid enim ieiunia, vigiliæ, exitus, munda vita, iuſtitia, miſericordia, mors, ſi pro his nulla merces erit in futuro? Increduli autem vel hac vita fruuntur. *Si enim Chriſtus reſurrexit à mortuis initium dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.*) Hoc dicens tangit pſeudoprophetas qui Chriſtum natum negabant, ac per hoc non reſurrexiſſe carnem: quia qui natus eſt non eſt, nec moritur. Sic autem probat Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe, quia homo fuit, vt dubium non ſit hominem à deo à mortuis excitatum: vt quia peccato hominis mors inuenta eſt, Chriſti iuſtitia reſurrectionem meruerit mortuorum. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.*) Hoc dicit quia ſicut Adam peccans mortem inuenit, & omnes ex eius origine tenuit vt diſſoluantur, ita & Chriſtus non peccans, & per hoc vincens mortem: quia qui non peccat, vincit mortem, quia mors ex peccato, omnibus qui ſunt ex eius corpore, acquiſiuit vitam, id eſt, reſurrectionem. Quamuis ergo generalem tribuerit reſurrectionem, vt ſicut in Adam omnes ſiue iuſti ſiue iniuſti moriuntur, ita & in Chriſto omnes tam credentes quàm diffidentes reſurgant: licet ad pœnam, increduli tamen viuificari videntur, quia corpora ſua recipient, iam non mortui, ſed paſſuri pœnam in eis ſine fine: quòd credere noluerunt. *Vnuſquiſque autem in ſuo ordine.*) Nunc ordines reſurrectionis vult exponere: ne ideo putarent fabuloſum eſſe, quia factum non eſt adhuc in cæteris, ordines illis exponit, & tempora quando factum ſit, & quãdo futurum vt reſurgant mortui. *Initium Chriſtus.*) Sicut in Actibus Apoſtolorum teſtatur ſcriptum eſſe in Moyſe, ſi paſſibilis Chriſtus, ſi prior ſurgens ex mortuis, &c. Prior ergo reſurrexit, vt forma fieret credentibus ſibi. *Deinde ij qui ſunt Chriſti in aduentu eius.*) Hoc duplici modo intelligendum eſt, quia & in aduentu eius ſecundo ſancti reſurgent, iuxta fidem Apocalypſis Ioannis, ſicut & in primo aduentu cùm reſurrexit, multa corpora ſanctorum reſurrexerunt ad proteſtationem euictæ mortis ac ſpolitæ. Sub vna ergo ſignificatione duplicem aduentum domini comprehendit. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri, cùm deſtituerit omnem principatum, & omnem poteſtatem, & omnem virtutem, & omnem dominationem. Oportet enim illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Nouiſſimè inimica deſtruetur mors.*) Hoc dicit quia tradito regno finis erit mundi, impleta reſurrectione. Quod quidam territi aſperitate ſermonis, dum quaſi piè volunt ſentire, à proprietate ſenſus declinant. Horrent enim ſonum verbi, audientes, Cùm tradiderit regnum deo & patri: putantes traditionem hanc regni, ſi iuxta ſonum verbi intelligatur, vacuam remanere: vt ſi tradit, iam ipſe non habeat, quaſi pater tradens omnia filio euacuauerit ſe. Nam ipſe dominus ait: Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Et poſtea: Hæc eſt autem vita æterna, inquit, vt cognoſcant te ſolum verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ecce regnante filio regnat & pater. Quomodo autem tradens regnum filius euacuare ſe crederetur, cùm dicat angelus ad Mariam: Et dabit illi dominus deus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis? Et Daniel de eodem regno dicit inter cætera: Deus cœli excitabit aliud regnum quod nunquam corrumpetur, & hoc regnum æternum erit. Nemo ergo dubitet filium ſemper regnaturum cum patre. Traditio autem hęc eſt regni, vt cùm omnia filio fuerint ſubiecta, & adorauerint illum vt deum, deſtructa morte: tunc filius oſtendit illis non ſe eſſe ex quo omnia, ſed per quem ſunt omnia: & hoc erit tradere regnum deo & patri, oſtendere ipſum eſſe ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur: & tunc erit finis. Deſtructio tamen mortis eſt reſurrectio mortuorum. *Cùm autem dicat, Omnia ſubiecta ſunt ei: præter eum qui ſubiecit ei omnia. Cùm autem ſubiecta illi fuerint omnia, tunc & ipſe ſubiectus erit ei, qui illi ſubiecit omnia: vt ſit dominus omnia in omnibus.*) Idem ſenſus eſt, quem nunc aperit, vt manifeſtet quid ſit tradere regnum filium deo & patri: hoc tamen

Pſalm. 109. Hebr. 1. & 10. Pſalm. 8. Matth. 11. Ioan. 17. Luca 1. Daniel. 2. Hebr. 2.

1929

tamen addit ad ſenſum quia tradens pater filio regnum non ſe ſubiecerit ei, ſicut filius patri ſe ſubiecit. Incongruum eſt enim vt pater ſubiiciatur filio. Omnia ergo ſubiecit pater filio, vt ſimiliter honorificetur filius, ſicut & honorificatur pater. *Cùm ergo omnia confeſſa fuerint Chriſtum Deum ſubſtrata pedibus eius, tunc & ipſe Chriſtus dominus ſubiicietur Deo patri, vt ſit Deus omnia in omnibus.*) Hoc dicit quia cùm omnium principum & poteſtatum & dominationum fuerit preſſa ſuperbia, & adorauerint Chriſtum quaſi Deum: tunc Chriſtus propter vnicam authoritatem patris Deum quidem ſe oſtendet, ſed de Deo, vt vnius principij ſublimis & ineffabilis authoritas maneat. Hoc eſt ſubiicere ſe filium patri, hoc eſt Deum eſſe omnia in omnibus: quia cum diſcit omnis creatura caput ſuum eſſe Chriſtum, Chriſti autem caput Deum patrem: omnia in omnibus eſt Deus pater: hoc eſt, vt omnis creatura vnum ſentiat, vna voce omnis lingua cœleſtium & terreſtrium & infernorum confiteatur vnum eſſe Deum ex quo ſunt omnia. Si autem dixiſſet, vt ſit Deus in omnibus, intelligeretur in omnibus quidem eſſe, ſed per effectum aut communem ſenſum, non tamẽ ea ipſa ex ipſo eſſe. Sed cùm dixit omnia in omnibus: hoc ſignificauit, quia ex ipſo ſunt, & in ipſis eſt. Ex ipſo, quia ab ipſo creata ſunt. In ipſis autem, quia in omnium confeſſione vnus erit Deus. Non tamen ſic ſubiicitur filius patri, ſicut filio creatura.

Aliquin quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non reſurgent, quid & baptizantur pro illis?) In tantum tutam & ſtabilem vult oſtendere reſurrectionem mortuorum, vt exemplum de eorum qui tam ſecuri erant de futura reſurrectione, vt etiam pro mortuis baptizarẽtur, ſi quem forte mors præueniſſet, timentes ne aut malè, aut non reſurgeret, aut qui baptizatus non fuerat, viuus nomine mortui tingebatur. Vnde ſubiecit, Quid & baptizantur pro illis? Exemplo hoc non factum illorum probat, ſed fixam fidem in reſurrectione oſtendit. *Quid & nos periclitamur omni hora? quotidie morior pro gloria veſtra, quam habeo in domino.*) Dicendo, quid & nos periclitamur? diſcreuit perſonas, oſtendens non catholicos eſſe, qui pro mortuis baptizabantur. Denique ſuprà dixit: Quid & baptizantur pro illis? nunquid & baptizamur pro illis? Nam & Iepte, quamuis in re quæ accepta fieri non poſſet, fidelis inuentus eſt, offerens filiam ſuam ſecundum votum ſuum quod ſtultè vouerat. Non ergo fictum probatur ſed perſeuerantia fidei in exemplum profertur. Prædicantium pericula & labores memorat dicens: Quid & nos periclitamur? & ſubauditur, niſi quia ſperamus futuram reſurrectionem, ſicut ſupra memorat. Securi enim quia poſt iſtam mortem vera vita ſequetur, pericula non timent illata ab infidelibus propter zelum illorum, quos quia crediderunt perdidiſſe ſe, dolent. Solicitudinem ergo ſuam oſtendit quam habebat erga ſalutem illorum propter gloriam promiſſam à domino, ſicut & in lege dictum eſt: Exalta ſicut tuba vocem tuam, ſi te audierint, lucraberis animas illorum. Ad hoc feſtinabat Apoſtolus ſemper ſolicitus, vt gloria illi creſceret apud Deum acquiſitæ ſalutis multorum. *Si ſecundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt ſi mortui non reſurgent?*) Hoc eſt, ſi ſecundum humanum ſenſum (qui videns hoc in rerum natura non cadere, vt caro iam ſoluta reformetur ad vitam, minimè credit futuram reſurrectionem mortuorum) beſtiis offerri, mori non timui, nihil profeci. Sed non hoc eſt, quia certus de promiſſa vita, non ſolum non timuit, ſed & libenter beſtiis offerri ſe paſſus eſt, ſicut inter cætera ait in actibus apoſtolorum: Ego enim non ſolum ligari, ſed & mori paratus ſum in Hieroſolyma pro nomine domini Ieſu Chriſti. *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.*) Hoc ab Eſaia propheta dictum eſt. Propter hos qui quaſi nihil futurum eſſet poſt mortem, ventri tantum ſtudebant quomodo pecora, ſicut & ij qui Corinthios deprauabant. *Nolite ſeduci, Corrumpunt mores bonos colloquia mala.*) Significat confabulatione malorum hominum euerti poſſe bonum propoſitũ. Aſſiduitas enim praui colloquij vitiat mentem, ac per hoc ab his cauendum. Quicunque enim acceptã fidem cuſtodire vult, maximè inter ipſa initia obſtrepentes debet vitare, vt impleat quod vtile iudicauit. *Vigilate, iuſti eſtote, & nolite peccare.*) Vigilandum monet, ne circunuentione praui ſenſus capti & à fide abducti deprauerentur, mortuorum reſurrectionem non credendo. Iuſtos eſſe præcepit, vt non ſolum terrenam iuſtitiam excolant, ſed & cœleſtem, quia terrena iuſtitia meritum non facit, ſicut & non facit reum. Quid enim magnum eſt aliena nõ tollere, quippe cùm hoc timoris ſit? Magnum eſt autem de proprio non habenti largiri. hæc eſt vera iuſtitia, & vt non peccent, ſubiecit. Vnde intelligi voluit non ſe iuſtitiam temporalem ſeruandam mandaſſe, ſed diuinam: quia qui cœleſtem iuſtitiam ſeruat, ſine dubio in hac præſenti perfectus eſt. *Ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reuerentiam vobis loquor.*) Propoſitum Dei ignorantes ij qui inter eos conuertebantur, mortuos reſurrecturos ſtultum eſſe dicebant credere. Ideo pudorem illis incuit quaſi imprudentibus. credebant enim eis qui ignorantiam Dei habentes, contra Dei ſtatuta docebant. *Sed dicit aliquis, quemadmodum reſurgent mortui, quo autem corpore venient?*) Hos dixit ignorantiam Dei habere, quorum deprauatæ ſententiæ verba protulit, dicens: Quemadmodum reſurgent mortui, quo autem corpore venient? Cui congruè reſpondit dicens: *Stulte, tu quod ſeminas, non viuificatur niſi moriatur.*) Cum animali homine non vtique legis authoritate agit, vt exemplis ſuadeat, quæ ſi acciperet, non erraret: ſed phyſica ratione, de qua ſibi blanditur, vt nõ credat reſurgere reſoluta & emortua corpora. Oſtendit enim mortua rurſum reparari ad vitam, & multiplicata, vt cõfundatur error humanus. *Et quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem illi dat corpus prout voluit, & vnicuique ſeminum proprium corpus.*) Si ergo nudum granum ſeminatur, vt Dei nutu quodammodo elementorum miniſterio veſtitum reſurgat, multa ſecum habens incrementa vtilitatis humanæ: cur non credibile ſit Dei virtute mortuum poſſe reſurgere, meliorata tantum ſubſtantia, non numero multiplicatum? Quid ergo requiritur ab infideli quo corpore reſurgant mortui, cùm exempla prædicant ad fidem hanc melioratę reſurrectionis, non amiſſę ſubſtantię: quia proprium corpus recipiet in quo creatus eſt Adam, iuxta exempla ſupradicta. *Non omnis caro eadem caro. Alia quidem hominis, alia autem pecoris: alia caro volatilium, alia caro piſcium.*) Cùm ex eadem maſſa omnis caro ſit, vnde & quomodo in his tanta diuerſitas eſt, vt vna impenſa faceret genera diuerſa? Dicant nunc ſophiſtæ mundi & ſcrutatores ſyderum, ſi valent compræhendere quæ extra ſe ſunt: cùm qui intra ſe ſit, neſciant. Denique omnes mundani philoſophi, quia mentem ſuam legi Dei humiliare vt fidem eius ſuſciperent, noluerunt, diuerſa ſemper & contraria afferentes, inaniſſimis diſputationibus inuicem ſe confuderunt: quia in nullo horum teſtificatæ veritatis ſignum agnitum eſt, quod antepoſitum verbis commendaret doctrinam: ſicut & Deus diſcreuit diſciplinæ veſtræ, quæ non verbis probatur, ſed virtute cui non poſſunt verba reſiſtere. Quemadmodum ergo ex vna impenſa diuerſa animantium caro eſt, ita & vnius carnis homines, diuerſi erunt dignitate in reſurrectione: vt talis vnuſquiſque appareat qualis fuerit meriti, quippe cum etiam hîc diuerſitatem corporum videamus. *Et corpora cœleſtia & terreſtria: ſed alia quidem cœleſtium gloria, alia autem terreſtrium.* Cœleſtia corpora ſunt reſurgentium: terreſtria autem antequam moriantur aut ſurgant: vt quia Chriſtus cœleſtis eſt ex eo corpora cœleſtia dicantur: ex Adam verò, quia terreſtris eſt, terreſtria corpora. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim ab ſtella differt in claritate.*) Vnius naturæ comparatione vtitur ad indiſcretæ ſubſtantiæ reddendam rationem, quia ſicut Sol & Luna & ſtellæ cùm ſint vnius quidem naturæ, diuerſæ tamen claritatis ſunt: ita & homines cum ſint vnius quidem generis, meritò tamen diſſimiles erunt in gloria: vt claritati Solis, illorum dignitas exæquetur, qui centeſimum numerum habent, qui vt perfecti eſſent, primi gradus æmuli fuerunt, de quibus dictum eſt: Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno patris ſui. Lunari autem claritati hi comparandi ſunt, qui ſexageſimum numerum bonis operibus mercati ſunt, vt ſecundi gradus meritum haberent. Stellis autem clario-

clarioribus eorum merita comparanda sunt, qui secundum
triceſimum numerum tertij gradus dignitatem iustis labo-
ribus quæſierunt. Sequentibus verò ſtellis quæ inter claras
& obſcuriores mediæ ſunt, peccatores homines coaptandi
ſunt, qui de tribus nullius gradus adipiſci honorem volue-
runt. Tetricis autem ſtellis & omnium nouiſſimis, perfido-
rum reſurrectio ſimilis eſt: quia errorem ſecuti, ſtellis in er-
rorem ducentibus comparandi ſunt, ſicut dicit in epiſtola
ſua Iudas apoſtolus. Infidelitas enim non poteſt claram re-
ſurrectionem habere: quia ſicut carbo cinere ſuo coopertus
obcæcatur, ita & hi perfidia ſua erroris tenebris circundati,
luce carebunt. *Ita erit & reſurrectio mortuorum.*) Exempla
dat, vt non ſit dubium reſurrectionem mortuorum futu-
ram, vt accepta ratione nemo ambigat. *Seminatur in corrupte-
la, ſurget in incorruptela.*) Seminare eſt ſepelire vt corrũpatur:
reſurgere autem in incorruptela, iam exſuſcitatum non poſ-
ſe corrumpi, ſed habere claritatem immortalitatis. *Semina-
tur in ignominia, reſurget in gloria.*) In ignominia ſeminatur,
quia dum in tetrico ponitur, fit fœtidum, & ſcatet vermi-
bus: ſurgere eſt autem in gloriam, quia exſuſcitatum & lu-
men erit, & nullam ſqualoris iniuriam patietur. *Seminatur
in infirmitate, ſurget in virtute.*) In infirmitate ſeminatur, quia
immobile eſt, & irregibile: ſurget autem in virtute, quia
iam totum viuum erit ac vegetum. *Seminatur corpus animale,
ſurget corpus ſpiritale.*) Animale corpus eſt dum cibis ſuſten-
tatur vt viuat: ſpiritale autem cùm horum nihil indigebit
conuerſum in vitam. Omnia ſupradicta hoc ſenſu claudun-
tur. Non enim corpus animale ſemper hic habere poteſt ſpi
Gen. 2. ritum ſanctum. Tunc verò, id eſt, in reſurrectione, ſemper
manebit in ſanctis. Surget corpus ſpiritale quod poſſit ire
obuiam Chriſto. *Sicut ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo Ad-
am in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuifi-
cantem.*) Notandum eſt quòd cùm duos Adam eiuſdem na-
turæ vtroſque demonſtrat, quod contra Manichæos & A-
pollinariſtas facit, qui negant à dei verbo perfectum homi-
nem eſſe ſuſceptum. *Sed non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod ani-
male, deinde quod ſpiritale. Primus homo de terra terrenus, ſecundus
homo de cælo cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni.*) Cœleſtis
dicitur, quia non humanæ fragilitatis ritu, ſed diuinæ maie-
ſtatis nutu & conceptus eſt & enixus. Nam vſque adeò na-
turam noſtri habuit, vt ſecundus Adam dicatur, & homo.
Et qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.) Si ideo (vt hæretici volunt)
noſtri generis aſſumptus homo non fuit, qui cœleſtis dici-
tur: ergo nec iſti naturæ noſtræ ſunt, qui cœleſtes appellan-
tur. Si verò de his nemo dubitat, nec de illo eſt ambigen-
dum. *Igitur ſicut portauimus imaginem illius terreni, portemus &
imaginem huius cæleſtis.*) Peccator imaginem Adæ portat, iu-
ſtus verò imaginem Chriſti. Ergo ſicut portauimus vete-
rem hominem ante baptiſmum, ita & poſt baptiſmum por-
temus nouum. *Hoc autem dico fratres, quoniam caro & ſanguis
regnum dei non poſſidebunt, neque corruptio incorruptelam poſſide-
bit.*) Frequenter ſcriptura carnem pro operibus nominat
carnis: vt ibi: Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu. A-
liter caro ſicut eſt, regnum dei non poſſidebit niſi immorta-
litate veſtita. *Ecce myſterium dico.*) Obſcuritatem ſignificat
nominando myſterium. *Omnes quidem reſurgemus, non omnes
immutabimur.*) Omnes enim homines reſurgent, ſed ſoli qui
regnaturi ſunt, in gloriam mutabuntur. Siue ita: Omnes re-
ſurgemus, qui in aduentu Chriſti mortui inueniemur: non
omnes immutabuntur qui in corpore ſint reperti, quia ſan-
cti ſoli beatitudinis gloriam conſequentur. *In momento, in
ictu oculi.*) Per ictum oculi, nimiam breuitatem vult ſignifi-
care momenti, vt quanta ſit dei potentia, ex reſurrectionis
celeritate cognoſcas. *In nouiſſima tuba & mortui reſurgent in-
corrupti, & nos immutabimur.*) Nouiſſimus aduentus intelli-
gitur Chriſti. Mortui autem vel peccatores intelligendi
ſunt, qui etiam viuentes mortui eſſe dicuntur, vt ad pœ-
nam: aut immortales, vt abſque aliqua membrorum demi-
nutione reſurgant. Vel certè ſimpliciter omnes mortuos re-
ſurgere dicit, & ſolos ſanctos cum iis qui viui iuſti inuenti
fuerint, in gloriam immutari. *Oportet enim corruptibile hoc*)
Neceſſe eſt fieri quod promiſſum eſt. *Induere incorruptelam:
& mortale hoc induere immortalitatem.*) Et quod induit, & eſt

A ſimiliter indumentum. *Cùm autem mortale hoc induerit im-* Oſea 13.
mortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in Hebr. 2.
victoria.) Vt euacuatis cauſis mortis per diuinam victoriam,
ac ſi abſorpta non pereat. *Vbi eſt mors ſtimulus tuus? vbi eſt mors
victoria tua?*) Propheta ex perſona iuſtorum loquitur inſul-
tãdo morti. *Stimulus autem mortis eſt peccatum.*) Sagitta mor-
tis peccatum, per quod animæ iugulantur. *Virtus verò peccati
lex.*) Dum fortius & maius fit per ſcientiam peccatum. *Deo* 1. Ioan. 4.
*autem gratias, qui dedit nobis victoriam per dominum noſtrum Ie-
ſum Chriſtum.*) Victoriam illius peccati in quo lex per car-
nalem noſtram voluntatem fuerat infirmata, quam Chri-
ſtus crucis exemplo deſtruxit. *Itaque fratres mei.*) Reddita
reſurrectionis ratione, de qua hæſitabant, hortatur eos in
dei opere permanere, iam certos de retributione futura. *Sta-
biles eſtote & immobiles, abundantes in opere domini ſemper, ſcien-
tes quòd labor veſter non eſt inanis in domino.*) Nemo vos de gra-
du ſpei futuræ vltrà permoueat.

B

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

C

*Am de collectis quæ fiunt in ſanctos, ſicut
ordinaui eccleſiæ Galatiæ, ita & vos facite.*)
De ſumptibus dicit, qui per ſingulas
eccleſias collecti Hieroſolymam ſan-
ctis pauperibus mittebantur. *Per vnam
Sabbati.*) Vna Sabbati dominica dies
eſt, ſicut in Euangelio dicit dominum
vna Sabbati ſurrexiſſe. *Vnuſquiſque ve-
ſtrum apud ſe recondens quod ei bene placuerit, vt non cum venero,
tunc collectæ fiant.*) Vt paulatim reſeruãtes, non vna hora gra-
uari ſe putent, vt hilares datores diligantur à deo. *Cùm au-
tem fuero præſens, quoſcunque probaueritis per epiſtolam, hos mittam
perferre gratiam veſtram in Hieruſalem. Quod ſi dignum fuerit vt
ego eam, mecum ibunt.*) Per ſe clarum eſt, quia vtrunque in eo-
rum arbitrio derelinquit, vt & quod dederint, portetur: &
per quos direxerint, ipſi eant. *Veniam autem ad vos cùm Mace-
doniam pertranſiero. Nam Macedoniam pertranſibo, niſi vos me de-
duxeritis quocunque iero. Nolo enim vos nunc in tranſitu videre.
Spero enim me aliquantum temporis manſurum apud vos, ſi domi-
nus permiſerit.*) Quia ita ſe agunt Macedones, vt non ſit ne-
ceſſe mihi apud eos diutius remanere. Apud vos neceſſe eſt
vt maneam vel hyeme. Multa enim ſunt quæ corrigantur à
nobis: ſicut medicus ibi moram habet, vbi plures ægrotant.
*Manebo autem Epheſi vſque pentecoſten. Oſtium autem mihi aper-
tum eſt magnum & euidens, ſed aduerſarij multi.*) Ideo ibi per-
manebo, quia cùm mihi euidens datus ſit aditus prædican-
di, ſunt plurimi qui reſiſtant. *Si autem venerit Timotheus, vide-* * 1. Cor.
*te vt ſine timore ſit * inter vos: quia opus domini operatur, ſicut &
ego: ne quis illum ſpernat.*) Sine tribulationis formidine, vel
etiam veſtri contemptus. *Deducite autem illum in pace, vt ve-
niat ad me. Expecto enim illum cum fratribus.*) Nihil admitten-
tes quod ad animi eius proficiat læſionem.

D

*E Apollo autem fratre notum vobis facio, quia
multum illum rogaui venire ad vos cum fratri-
bus: & vtique non fuit voluntas vt nunc veni-
ret: veniet autem cùm opportunum fuerit. Vigi-
late, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini:
omnia veſtra cum charitate fiant.*) Vigilate,
mentis oculis ad diaboli aſturias præcauendas. State, quia
ſtantibus difficile ſomnus obrepit. Viriliter agite. Muliebris
enim omnis inconſtantia & varietas iudicatur. Confortа-
mini, vt ſit in veſtra virtute profectus. Omnia non inanis
gloriæ cauſa, ſed charitatis gratia facere feſtinate. *Obſecro au-
tem vos fratres, noſtis domum Stephanæ & Fortunati & Achai-
ci, quoniam ſunt primitiæ Achaiæ, & in miniſterium ſanctorum ſe
ordinauerunt, vt & vos ſubiecti ſitis talibus, & omni cooperãti &
laborãti in vobis. Gaudeo autem in præſentia Stephanæ & Fortuna-
ti & Achaici, quoniam id quod vobis deerat, ipſi adimpleuerunt.*)
Quia præſentes ſunt apud vos, & in illis magnũ poteſtis ha-
bere profectũ: ſiue quia mihi venerunt pro vobis miniſtrare
officium

officium charitatis. *Refecerunt autem & meum ſpiritum, & veſtrum ſpiritum charitate.*) Pro vobis veſtrum, pro mea lætitia meum refecerunt. *Cognoſcite ergo huiuſmodi.*) Vnde alibi ait: Cognoſcite eos qui ita ambulant, vt habetis formam noſtram. Hic cognoſcite, honorate, cognoſcentes eorum ſtudium vel laborem. *Salutant vos eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in domino Aquila multum & Priſcilla cum ea quæ in domo eorum eſt eccleſia: apud quos etiam hoſpitor.*) Domeſticam congregationem fraternitatis eccleſiã nominauit. *Salutant vos fratres omnes. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutatio mea manu Pauli. Si quis non amat dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema,*) Sicut illis qui eum amant, redemptio venturus eſt Chriſtus: ita qui eum non amant, anathema ſit, id eſt, vt illos abominetur & perdat. *Maranatha.*) Magis Syrum eſt quàm Hebræum, tamen ex ſermone vtrarúmque linguarum aliquid Hebræũ ſonat, & interpretatur, dominus noſter venit. *Gratia domini noſtri vobiſcum.*) Propriæ manus conſueta ſubſcriptio. *Charitas mea cum omnibus vobis.*) Vt quomodo vos ego diligo, ita & in Chriſto inuicem diligatis. *In Chriſto Ieſu.*) Nõ ſecundum ſeculi charitatem. *Amen.*) Confirmatio eſt benedictionis hic ſermo, ſicut ſuperius ipſe demonſtrat, Quomodo, inquiens, dicit amen ſuper tuam benedictionem?

Diui Ambroſij

MEDIOLANEN. EPISCOPI, *Commentarij in Epiſtolam beati Pauli ad Corinthios ſecundam.*

Præfatio.

SEcundã epiſtolã Apoſtolus ſcribit Corinthiis, cuius hæc principalis eſt cauſa, quoniã in prima pro quorundã peccatis doctores eorũ præcipuè corripuerat, & multũ fuerãt contriſtati. Nunc eos cõſolatur, ſuum eis proponẽs exemplũ, & docens nõ debere ægrè ferre quòd pro aliorum ſunt ſalute correpti, cùm ipſe pro aliena ſalute periculis quotidiè & morti ſubiaceat.

CAPVT PRIMVM.

PAulus apoſtolus Ieſu Chriſti.) Quæritur cur in omnibus epiſtolis contra vſum epiſtolarum primo ſuum nomẽ ponat, quàm eorum ad quos literæ deſtinantur. Sed hæc authoritas apoſtolici ordinis, quia minoribus ſcribit: ſicut etiam & iudices ſeculi ſolent ad eos quos regunt, ſcripta dirigere. *Per voluntatem dei.*) Dei, non hominum, voluntate: ſimul vt oſtendat non ſine patris voluntate ſe miſſum à Chriſto. *Et Timotheus frater eccleſiæ dei quæ eſt Corinthi.*) Non dixit, Paulus & Timotheus, quia non ambo apoſtoli. Ad Philippenſes verò, vbi non erat tanta authoritas, ſerui ambo ponuntur. *Cum ſanctis omnibus.*) Hîc ſancti poſſunt accipi ſacerdotes, qui in prima ponuntur, dominum inuocantes: & ad Philippenſes, cum epiſcopis & diaconis. Ideo autem poſtea nominantur, ne parum intelligentes eos præmiſſos eſſe putarent, cùm iam ſint in eccleſia comprehenſi. *Qui ſunt in vniuerſa Achaia.*) Cuius eſt Metropolis Corinthus. *Gratia vobis & pax à deo.*) Gratias agunt deo gaudentes ſe ideo conſolari, vt ipſi alios conſolentur. *Benedictus deus & pater. Pater miſericordiarum.*) Quia ex ipſo eſt omnis miſericordia. *Et deus totius conſolationis.*) Id eſt perfectæ conſolationis, quia nõ eſt minus tribulatione ſolatium. *Qui cõſolatur nos in preſſura noſtra.*) Nõ in aliquibus, ſed in omnibus. *Vt poſſimus & ipſi conſolari eos qui ſunt in omni anguſtia, per exhortationem qua exhortamur & ipſi à deo.*) Proptea liberatur, vt & nos & alios cõſolari, & de triſtitia liberare poſſimus. Aut ita formam nobis dat alios conſolandi, vt per exhortationem qua ipſi à deo conſolamur, agnoſcamus quòd A deus timentium ſe neminem derelinquat, & multò magis in futuro remuneret, quos etiam in præſenti non deſerit, *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis.*) Id eſt, pro nomine Chriſti. *Ita & per Chriſtum abundat etiam conſolatio noſtra.*) Vt & Petrus eſt de carcere liberatus, & ipſe Paulus viſione domini & voce confirmatus in templo. *Siue autem anguſtiam patimur pro veſtra exhortatione & ſalute.* Quia vos ad ſalutem exhortamur, ſiue vt vobis exemplũ tolerantiæ præbeamus. Nã manifeſtũ eſt quia pro quo patimur, ipſe nobis adeſt * conſolans nos per liberationem, eripiens nos de preſſura interuentu maieſtatis ſuæ. *Siue autem preſſuram patimur pro veſtra exhortatione & ſalute, ſiue exhortationem conſequimur pro veſtra exhortatione quæ operatur per patientiam earundem paſſionum quas & nos ipſi patimur. Et ſpes noſtra certa eſt pro vobis, quia ſcimus quòd ſi ſocij eſtis paſſionum, ſic & conſolationis eritis,*) Generaliter loquitur, vt quia cauſa credentium perſecutiones patiebãtur à perfidis, ſubiecti iniuriis & cædibus: ſic iterum auxilio dei liberabantur, ad conſolationẽ credentiũ, ne B ſcandalũ paſſi à fide excíderent: quia iniuriæ apoſtolorũ tentationes erant credentium, ſicut ſcriptũ eſt in propheta Zacharia: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Quamuis futura credant fideles, tamen inter ipſa primordia preſſuræ nouellis faciunt ſcandalum. Putant enim inanem eſſe promiſſionẽ, ſi vi oppreſſum viderint prædicantem. Sed ſi iam firmus eſt credens, compatitur cũ ſuo magiſtro, fidẽs de ſpe futura, vt ſimul conſoletur cum quo & compatitur.

* *conſulens nobis.*

Zacha. 13.

NOn enim volumus vos ignorare fratres de preſſura noſtra quæ facta eſt in Aſia: quia ſupra modum grauati ſumus ſupra vires, ita vt deſperaremus nos etiam viuere.) Ideo paſſiones preſſurarũ indicat prope vſq; ad mortẽ illatas, vt oſtẽdat quę mala ſalutis illorũ cauſa patiebatur, vt nõ graui[9] ferrẽt ſi corriperẽtur errores illorũ ab iis qui hæc tã aſpera tolerabãt pro illis. Quis enim medicorum nõ arguat ſuſceptum ſuum negligentius ſe tractantẽ, ne cura medicinę eius ſine effectu remaneat? *Sed ipſi in nobis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in deo, qui ſuſcitat mortuos.*) Tantam inſolentiam iniquitatis ſignificat inſurrexiſſe contra fidei prędicatores, vt mortẽ ante oculos haberent. Denique erepti de ipſa preſſura, reſuſcitatos ſe dicunt. Sic enim afflicti fuerant vt deſperarent de præſenti vita. Sed quia deus præſidia ſua non negat in neceſſitate poſitis, maximè ſuis, eripuit illos deſperantes de ſemetipſis, fidẽtes autem de deo. Nimia enim preſſura deficere ſe profitebantur, niſi adeſſet deus. *Qui de tantis mortibus liberauit nos: in quo ſperamus, quia & liberauit accedente pro nobis etiam veſtra oratione, vt in multorum facie donum quod in nos collatum eſt, per multos in gratiarum actione celebretur pro nobis.*) Hoc dicit quia gratia dei multorum cauſa conſolata eſt apoſtolos, id eſt, omnium credentium, quorum cauſa & preſſuræ eis ingerebantur: ac per hoc quia omnium cauſa eſt, cuncti deo gratias referant cùm ceſſat tentatio: aut cùm oritur, ſimul obſecrent. *Gloria enim noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.*) Hoc dicit quia de conſcientia ſua preſumebant, quia pura erat ab omni ſimulatione: quamobrem de dei auxiliis non diffidebant. *Quia in ſimplicitate & ſynceritate, non in ſapientia carnali, ſed in gratia dei conuerſati ſumus in hoc mundo: abundantius autem apud vos.*) Hæc eſt gloria conſcientię quam dixit, ſimplicitas & ſyncerítas. Et quia hæc de dei doctrina ſunt, adiecit, Non in ſapientia carnali, ſed in gratia dei: vt oſtenderet non humanæ ſapientiæ, ſed euangelicæ prædicationi liberam ſe conſcientiam exhibuiſſe. Præterita † refricat. Hoc enim ſignificat quod in prima epiſtola arguit fucatam prædicationem iuxta humanum ſenſum aptatam, cuius prędicatores duplici genere in ſapientia carnali accuſat, & quia iuxta mundi ſenſum prædicabant, ne facilè offenderent homines: & quæſtus cauſa hoc agebant, propriis lucris carnalibus ſtudentes. Vnde Apoſtolus nunquam à Corinthiis ſumptus voluit accipere, ne his occaſionem daret, eò quòd ſimilis eis eſſet in hac re. Hinc eſt quod dicit, abundantius, apud vos ſimpliciter conuerſati: quia cùm ab aliis accepe-

† *replicat.*

rit, ab his noluit, ne arguendi eos authoritatem amitteret.

NOn enim alia ſcripſimus vobis, quàm quæ legiſtis vel cognoſcitis.) Ea ſe dicit ſcribere quæ non ſolum literis cernerent, ſed & operibus eius manifeſta haberent, vt probaret ea quæ loquitur, geſtis ſe implere, quibus vniuſcuiuſque mens & propoſitum diſcitur. *Spero autem quòd vſque ad finem cognoſcetis, ſicut & cognouiſtis nos ex parte, quia gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra in die domini Ieſu Chriſti.*) Proficere illos ſperat, ex eo quò iam cœperant meliores effici cognito affectu circa ſe apoſtoli, & gloriabantur in eo velut filij in patre chariſſimo. Vnde & Apoſtolus gloriam ſuam videri teſtatur in filios obaudientes, & tunc debere videri quando prodeſt, id eſt, in die iudicij dei. Hoc dicens, perſeuerandum monet. *Et hac fiducia volueram prius venire ad vos, vt ſecundam gratiam haberetis, & per vos tranſirem in Macedoniam, & iterum à Macedonia venirem ad vos, & à vobis deduci in Iudæam.* Hac fiducia emendata eſt vita illorum. Iam enim & deſiderare illos ſe ſignificat, quos ante indignum erat videre. Plenam ergo gratiam habuiſſent de aduentu eius, quia imago eſt epiſtola: præſentia autem veritas. Non eſt itaque ocioſum quia voluerat ire: & non iit. Intelligi enim vult eſſe aliquos inter eos quorum cauſſa voluntatem ſuam non impleuit, vt adhibita opera purificarentur. *Hoc ergo cogitans nunquid leuitate vſus ſum? aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito, vt ſit apud me eſt eſt, non non?*) Quoniam dixit, Volueram venire ad vos: & non ij: idcirco nunquid leuitate vſus ſum? inquit: quia videtur qui dicit aliquid & non facit, leuitate vti. Ideo ne fortè iſtud de apoſtolo arbitraretur, hoc purgat: quia non iſtud leuiter, ſed cum conſilio fecit, vt non impleret quod diſpoſuerat. Aut nunquid quæ cogito, inquit, ſecundum carnem cogito? Qui enim ſecundum carnem cogitat, tunc non implet quæ diſponit, quando aut perſonis amplioribus defert, aut certè lucris aut apparatibus vincitur: quod apoſtolus ſemper ſpreuit. Spiritalis autem tunc diſpoſitum non implet, quando prouidentius aliquid pro ſalute animæ meditatur: ſicut & apoſtolus ideo non impleuit quod voluerat, vt per hoc ipſum meliores efficerentur, ſcientes ideo diſtuliſſe eum, quia quidam adhuc inter eos non ſe purificauerant à peccatis. Vt ſit, inquit, apud me eſt eſt, non non. Hoc ſignificat, quia nõ aliud egit quàm ſcit agendum, quia vtilitas anteponenda eſt voluntati. Hic ſenſus ſpiritalis eſt. Carnalis autem ſenſus ſic mutatur, vt anteponat voluntatem vtilitati. *Fidelis autem deus, quia ſermo noſter non eſt, eſt & non.*) Hoc eſt quod dicit & ad Galatas, Si quæ deſtruxi, hęc eadẽ ędifico, pręuaricatorem me conſtituo. Ideo ergo fidelem in ſe dicit dei prædicationem. Nam hoc faciunt adulatores. Frequenter enim, ne homines offendãt, quæ vera ſunt prætermittunt. *Dei enim filius Ieſus Chriſtus qui in vobis eſt, qui per nos prædicatus eſt, per me & Syluanum & Timotheum, non fuit eſt & non, ſed eſt in illo fuit.* Quantum ad idoneos prædicatores pertinet, hoc debet eſſe vt ſit apud illos eſt eſt, non non, vt non aliud faciant quàm ſciunt vtile. Quia enim frequenter aliud volumus quàm eſt vtile, ne voluntas vincat vtilitatem, ideo apoſtolus voluntati ſuæ vtilitatem præpoſuit, ne iret ad illos. In Chriſto enim Ieſu non fuit eſt & non, ſed eſt in illo fuit: quia nunquã aliud voluit quàm eſt vtile. Semper enim voluntas eius cum vtilitate eſt: nec immutatus eſt vt faceret inuitus ſicut homo quod eſt vtile, aut vt ambigeret de aliquibus, & mutaret voluntatem. *Quotquot enim promiſſiones dei ſunt, in illo eſt, & in illo amen deo ad gloriam per nos.*) Manifeſtum eſt quia ſemper in deo veritas eſt, hoc eſt amen, manifeſtata per Chriſtum, pòſt per apoſtolos prædicata ad gloriam dei, ſignorum virtutibus teſtimonium perhibentibus vera eſſe quæ promiſit deus per Chriſtum dominum noſtrum. Gloria enim dei eſt cùm ab illo omnia & per illum & in illo eſſe dicuntur. † *Qui autem confirmat nos vobiſcum Chriſtus dominus, & qui vnxit nos deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritum in cordibus noſtris.*) Chriſtum dicit confirmare gentes in fide promiſſa Iudæis, quia ipſe eſt qui fecit vtraque vnum, id eſt, circunciſionem & præputium, in vno nouo homine faciens pacem. Dominus ergo confirmat, & deus qui vnxit nos, id eſt, qui dedit regiam honorificẽtiam, A ſicut dicit Petrus apoſtolus: Quia ſumus, inquit, genus regale, per vnctionem ſpiritalem, cuius typus fuit in regibus ludæorum. Qui & ſignauit nos dando ſpiritum ſuum nobis pignus, vt non ambigamus de promiſſis eius. Si enim adhuc mortalibus ſpiritum ſuum credidit, dubiũ non eſt quia iam immortalibus addat gloriam. Vnum tamen opus dicit patris & filij, quia & Chriſtum dicit confirmare & deum. Quem enim confirmat filius, confirmat & pater: & cùm dat ſpiritum pater, dat & filius: quia vtriuſque eſt ſpiritus ſanctus, ſicut dicit ad Romanos: Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Quoniam ergo de perfectione hominis locutus eſt, trinitatis hoc loco fecit mentionem omnis enim ſumma perfectionis in trinitate conſiſtit.

1. Petr. 2.

Rom. 8.

EGo verò teſtem deum inuoco ſuper animam meam, quòd parcens vobis non veni Corinthum.) Nunc manifeſtat qua cauſa cùm voluiſſet ire ad illos, diſtulit, vt tũc iret quando iam propè omnes emendatos inueniret. His enim nunc loquitur, qui videbantur ſe velle corri- B gere, ſed operam non dabant vt hoc implerent. Quia ergo corripere illos neceſſe erat, iter ſuum ad illos conuertit, ne contriſtaret multos: & hoc fuit illis parcere. Quod vt mentibus eorum commendet, deum teſtem dat, ne putarent ſe indignos eſſe, & contemni ab illo: quo comperto, vt pręſentiam eius mererentur, emendarent ſe. *Non quòd dominemur fidei veſtræ, ſed adiutores ſimus gaudij veſtri. Fide enim ſtatis.*) Quoniam fides non neceſſitatis, ſed voluntatis res eſt: ideo dicit, Non quòd dominemur fidei veſtræ. Dominatus enim neceſſitatis cauſa eſt. Sed adiutores ſumus, inquit, gaudij veſtri: hoc eſt, quia ſicut in malo opere triſtitia eſt, ita & in emendatione gaudium. Huius gaudij adiutores ſumus, inquit, quia volentibus eis emendare ſe, offerunt commonitiones, vt quod velle cœperant, poſſent implere.

CAPVT SECVNDVM.

C DEcreui autem hoc apud me, ne iterum in triſtitia venirem ad vos.) Apertum eſt quia ideo noluit ire, ne fortè corripiens paucos, multos contriſtaret, ipſe etiam contriſtatus. Compatiuntur enim omnia membra vnius mœrore. *Si enim ego contriſto vos, & quis eſt qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me?*) Hoc dicit quia non vult eos contriſtare, ſed quia peccatis ſtuduerant, neceſſe erat illos contriſtari inuito apoſtolo: ita tamen, vt de cætero obaudientes facti lætificarent eos qui contriſtabantur cum eis: vt qui corripiẽdo cõtriſtauerat eos, lętaretur ex his dum corriguntur. *Ideo & ſcripſi hoc ipſum, ne cùm veniſſem, triſtitiam haberem à quibus oportuerat me gaudere, certum habens quia meum gaudium omnium veſtrum eſt.*) Idcirco dicit hæc ſe ſcripſiſſe vt poſtea veniens non eſſet vnde contriſtaretur ſublatis vitiis, ſed gauderet cum eis quaſi cum chariſſimis filiis: vt quia ab infidelibus tribulationibus afficiebatur, ab his vtique gauderet qui crediderant. Gaudium enim apoſtoli, purificatio eſt populi. Ideo enim gaudet, quia vituperatio non eſt in eis quos ſimul oportet gaudere. *Nam ex multa preſſura & angu-* D *ſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas, non vt cõtriſtemini, ſed vt cognoſcatis charitatem quam habeo abundantius in vobis.*) Manifeſtum eſt quia quãdo hoc affectu quis aliquem corripit, vt plus illo doleat peccatis eius: non vtique vt illum contriſtet corripit, ſed vt oſtendat illi quo amore diligat eum. Qui enim non hoc affectu corripit, fratrem contriſtat. Inſultat enim qui non condolet fratri. *Si quis autem contriſtauit, non me contriſtauit, ſed ex parte, vt non onerem vos omnes.*) Omnes hos quos dicit, ſancti ſunt. Duæ enim partes in populo ſunt, ſicut in prima epiſtola memorani. Hi ergo ex parte ſanctorũ ſunt, quos contriſtatos in errore fratris ſignificat, ſicut & ſemetipſum. Hoc dicens onerauit peccãtem, vel eum qui peccauerat. Plus enim fit reus in cuius delicto multi tribulantur: ac per hoc. *Sufficit ei qui talis eſt,* inquit, *hæc quæ fit à pluribus obiurgatio.*) Magnum dolorem vtique patitur qui delictum ſuum videt pluribus horrere. *Ita vt econtrà magis donetis & conſolemini, ne quo modo abundantiore triſtitia abſorbeatur, quàm eiuſmodi eſt.*) Afflicto homini peccati proprij cauſa ſubuenire

Gala. 2.

† diſcuntur.

Ephe. 2.

subuenire præcipit, quia pœnitentia si de vero animo est, hoc est, si correptus statim in animo doleat, protinus habet fructum. Denique in Regnorum libro habetur quia Achab, cùm arguisset eum propheta, commotus animo statim meruit veniam. Et Dauid in causa Vriæ Ethei correptus, quia cognouit se peccasse, delictum eius deletum est. Itaque & apostolus illum qui incestum commiserat habens uxorem patris, obiurgatum & abiectum dolentem reuocari iubet, ne diu videns se contristatū sperni, desperans de se, daret animum ad mundum fruendū, quasi qui locum apud deum iam non haberet. Hoc est maiori tristitia absorberi, desperantem de se conuerti ad admittenda peccata, quibus grauatus absorbeatur à secunda morte. Hæc enim vera pœnitentia est, iam cessare à peccato. Sic enim probat dolere se sibi, si decætero desinat. *Propter quod obsecro vos vt confirmetis in illum charitatem. Ad hoc enim & scripsi, vt scirem an in omnibus obedientes estis.*) Quantum datur intelligi, obedientes hos factos in cæteris probat. Emendauerant enim quæ ad ordinem ecclesiasticum pertinent. Vnde etiam in hoc vult illos esse obedientes, vt confirment fratrem in charitate, suscipientes eum in communione. *Si cui autem aliquid donastis, &c.*) Manifestum est quia quod iubet fieri, ipse facit: nec potest hoc abnuere, quod etiam obsecrans vt fiat scribit, cùm haberet potestatē iubendi. Sed quia in prima epistola graue eius detulit crimen, vt horrerent illum omnes, nunc cùm recipi illū vult, orat ne adhuc exulcerato animo aduersus illū, durū illis esset habere cum illo cōmunionē ecclesiæ. Neque enim tanta in eis erat quanta in apostolo prouidentia, vt statim intelligerent faciendum esse quod dicebat apostolus in causa huius dumtaxat: ideo obsecrat vt dimittant illi, significans deum illi ignouisse, quia nihil sine dei spiritu agebat apostolus. *Etenim ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi.*) Hoc dicto grauat illos, quia si magister petentibus discipulis donauit cui voluerunt peccatū, quantò magis obaudire debent discipuli magistro? Et vt ratum ei cui donauit, ostenderet apud deum, ait in persona Christi se donasse quod donauit: hoc est, accepto tulisse Christum cuius legatione fungebatur, vt factum apostoli factum sit Christi, sicut dixit: Quæcunque solueris super terram, erūt soluta & in cœlo. Si ergo huic pro quo petierūt, per apostolum Christus ignouit: quanto magis huic iam ignotum erat, cui vt donent, ipse etiam hortatur? *Ne posßideamur à Satana. Nec enim ignoramus † astutias eius.*) Hoc dicit quod supra memoraui, quia consolatio debet subsequi fratrem delictum flentem, ne diu contristatus & contemptus à charitate ecclesiæ, incipiat desperare de se, & videns qui semper infidelis est subtilis diabolus mentem eius vilem effectam, accedat, & suggerat ei vt vel præsentibus fruatur, qui de spe futuri præmij deiectus est, & pereat frater possessus à diabolo, cui ad hoc pœnitentia data erat, vt conuersus reformaret se, sicut dicit in Ezechiele propheta. Nolo mortem morientis, quantum vt reuertatur & viuat. Et iterum: Conuertantur, inquit, & replantabo eos.

VM autem venissem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in domino, non habui requiem in spiritu meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum: sed vale illis dixi, & profectus sum in Macedoniam.) Troadem perrexisse significat ad prædicandum eis Euangelium Christi: & cùm cœpisset prædicare, fuisse qui caperent verbum fidei. Sed quia solatium Titi defuit, intolerabilis erat labor perstrepentium cau-
sa. Quamuis enim quidam eorum aperuerant corda sua ad recipiendum sermonem dei, tamen imprudentia infidelium non minima existebat, insurgens in apostolum zelo credentium: & hæc duo ab vno impleri non poterant, aut fideles instruere, aut incredulis repugnare. Ideoque vale illi facto qui susceperant eum, profectus est in Macedoniam. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo ipso.*) Hoc est deum apostolos triumphare in Christo, viatores illos facere in fide Christi, vt calcata perfidia tropheum habeat fides, dū ex perfidis fiunt fideles, & maleuoli non proficiunt in persequendo credentes. *Et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus deo: in iis qui salui fiūt, & iis qui pereūt.*) Odor notitiæ dei, in Christo, & per Christum est. Odorem autem idcirco dixit, quia sicut quædam res quæ cum non videantur, per odorem tamen cognoscuntur, & intelligis in loco aliquo esse quod non vides: ita & deus quia inuisibilis est, per Christum se voluit intelligi, vt prædicatio Christi (quæ vtique inuisibiliter, sicut ad nares odor, ita ad aures peruenit) deū patrem insinuaret creaturæ, & filium eius vnigenitū. Cuius rei legatione fungētes apostoli, (sicut dicit dominus ad deum, filius ad patrē: Sicut me misisti in hūc mundū, ita & ego eos mitto in hunc mundū) odorē notitiæ dei & Christi per signa & prodigia manifestarent. Vera enim esse de deo & Christo prædicatio, virtutis testimonio probatur. Quæ ideo in odore significata est, quia cùm deus non videatur: per hęc quę inuisibiliter operatur in apostolis, esse intelligitur, vt veritas doctrinæ manifestaretur. Qui ergo rectè asserit Christum, bonus odor est deo, laude dignus in eo qui credit, nec vituperabilis in illo qui non credit. Qui verò non rectè asserit Christū, malus odor est deo, tam in iis qui fidi sunt, quàm in illis qui diffidūt: pro vtrisque enim reus erit. Qui enim diffidit, idcirco videtur non credere, quia peruersum est quod audit: & qui credit, malè credit. Apostolus ergo ratione legis locutus est, vt sicut in lege qui hostias bono voto offerebat, bonus odor erat deo, & acceptabilis: ita & nūc prædicationis virtus doctrinæ odorē præstat fragrātem deo. Quam ob causam auxiliis suis tutos præstabat deus apostolos, vt verba cognitionis eius infunderēt patentibus auribus, siue Iudæis, siue gentilibus: addito his sacramento natiuitatis domini Iesu secundū voluntatē dei & patris eius in vnitate fidei salutaris, ad salutē credentium, & perditionem diffidentium. *Aliis quidem sumus odor mortis in mortem.*) Hoc dicit quia incredulis prædicatio crucis Christi odor mortis est. Audientes enim verbum dei, sic accipiunt quasi pestē ex qua oritur mors, & necesse est vt iuxta fidē illorum fiat eis. *Aliis autem odor vitæ ad vitam.*) Verum est, quia fidis sermo auditus dei, nuncius est salutis æternæ, & secundum fidem illorum cōtinget eis. Siue ergo in iis qui pereunt, siue in iis qui salui fiunt, Christi bonus odor deo erant apostoli, quia synceriter & sine adulatione prædicabant. Qui enim non credebant, ipsi sibi laqueum circundabant, his liberis, sicut dicit dominus ad Ezechielem prophetam: Tu prędica: si te audierint, lucraberis animas eorum: si quo minus, ipsi sibi viderint: tu tamen liber eris à perditione eorū. *Et ad hæc quis idoneus? non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum dei, sed ex synceritate sicut ex deo coram deo in Christo loquimur.*) Pseudoapostolos tangit diuersos, qui corrupta doctrina verba dei per malam interpretationem adulterabant, & tollentes diuinum sensum, ponebant humanum. Et quibus quidam zelū habentes traditionis Iudaicæ, nec de Christo bene docebant: ideo minus idoneos hos dicit. Apostolos autem synceriter prædicasse, sicut ex deo datum est, ante deum, id est, quomodo deus dedit: ipso teste in Christo loquebantur, non suam quęrentes, sed dei gloriam. Hoc est in Christo loqui, eius honorem & potentiam prædicare.

Ioan. 17.

Ezech. 3.

CAPVT TERTIVM.

INcipimus iterum nosmetipsos commendare.) Quoniā pseudoapostolos notat, praua eorum commēta designans: se autem verum prædicatorē testatur: videtur iterum cōmendare se, sicut in prima epistola. Et ne hoc versutia aliqua terrestris lucri gratia facere videretur, adiecit. *Aut nunquid indigemus, sicut quidam, commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis?*) Hoc dicens, & suum sensum purgat & adhuc pseudoapostolos notat, quos proprij honoris & quęstus causa circuire ecclesias probat, ad auferendam, non tribuendam salutem. Ex his erant quibus dicit dominus: Comeditis domos viduarum & pupillorum, oratione longa orantes, propterea accipietis maius iudicium. Hi enim & res eorum & animas inuadebant. Apostolus autem nec res eorum tangebat, & veritate doctrinæ animas eorum saluabat. Non ergo carnaliter, sed spiritaliter se commendabat ad profectum salutis illorum, vt hi de illo

Matth. 23.

hoc crederent quod erat quia qui de bono malè sentit, peccat: ac per hoc commendatio hæc istis magis proficit. *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris.*) Epistola, salutis indiciũ est. Rectè ergo ait, quia salus Corinthiorum in corde erat apostoli, & eorum qui cum illo erant: semper enim de salute eorum cogitabant. Cùm ergo in corde sunt apostoli, & eorum qui cum ipso erant, epistola sunt scripta in cordibus eorum: quia qui semper alicuius memor est, scriptus est in animo eius. *Quæ cognoscitur & legitur ab omnibus hominibus, manifestati quia estis epistola Christi ministrata à nobis.*) Apertum est quia cùm dicuntur Christiani, epistola Christi sunt, indicantes salutem quam dedit deus in Christo omnibus hominibus, scribentibus apostolis: dum enim docent, scribunt. *Scripta non atramento, sed spiritu dei viui.*) Quoniam quæ promissa sunt, æterna sunt, idcirco dei spiritu scripta dicuntur, qui semper est: temporalia autem atramento, quod obsolescit, & perdit memoriam. *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*) Nunc legem veterem pulsat, quæ primum data in lapideis tabulis abolita est, fractis tabulis sub monte à Moyse. Noua autem lex in animo scribitur, hoc est in corde, non per calamum, sed per spiritum. Quia fides enim æterna res est, ab spiritu scribitur, vt maneat. Vetera autem præcepta deficiente mundo cessabunt. Quomodo ergo differt lex à lege, ita differunt dispensatores illius legis à dispensatoribus legis fidei.

Exod.32.

Iduciam autem talem habemus per Christum ad deũ.) Quanta dignitas sit in apostolis, manifestat cùm dicit: Fiduciam autem talem habemus ad deum per Christum: vt ostendat veteres non hanc habuisse fiduciam ad deum, quia minor fuit administratio. *Non quòd sufficientes sumus æstimare aliquid à nobis tanquàm à nobis sit, sed sufficientia nostra ex deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu. Litera enim occidit: spiritus autem viuificat.*) Quanuis præferat apostolicam dignitatem, in dei tamen laudem prorumpit: non istud meritis humanis ascribens, sed eius gratiæ qui dignatus est pro vita humana salutarem prædicationem ordinare, quæ quos lex vetus reos tenebat, saluaret, data remissione peccatorum per Iesum Christum dominum nostrum. Literæ enim ad hoc datæ sunt Moysi, vt contemnentes legem occideret secundum ius naturæ. Spiritus autem, id est, lex fidei, quæ non scribitur, sed animo continetur, viuificat reos mortis: conuertentes tamen se, vt iustificati, de cętero non peccent. Rectè ergo data fuerat lex, vt timor esset peccandi. Sed quia fragile est genus humanum, misericordia dei data est in prædicatione apostolis: vt donatis peccatis euaderent mortem, credentes in Christum. Hæc est prædicatio noui testamenti, quod promiserat deus per prophetas. *Quòd si administratio mortis literis formata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non possent intueri filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis administratio spiritus erit in gloria?*) Manifestum est maiorem esse gratiam legis fidei, quàm legis Moysi. Quamuis enim ad hoc data sit lex Moysi vt prodesset, contempta tamen facta est lex mortis. Ergo quia peccatoribus prouidere non potuit, venit lex fidei, quæ hos saluaret, non solũ ignoscens, sed & iustificans eos. Multum ergo interest inter legem & legẽ. Tunc enim maculati peccato vultum Moysi descẽdentis de monte cum lege accepta in tabulis, intueri non poterant, quia glorioſa facta fuerat facies eius, ne à peccatoribus posset aspici, quia digni erant morte. Quæ nunc gloria euacuatur per legem spiritus, cum accepta remissione peccatorum facti iusti, digni sunt aspicere & possunt gloriam dei, sicut viderunt in monte Petrus & Ioannes & Iacobus gloriam Christi. *Si enim in administratione damnationis gloria, multò magis abundabit administratio iustitiæ in gloria.*) Hoc dicit quia amplius est donum iustitiæ dei per fidem Christi, quàm legis veteris: quia magis gloria in salute est, quàm in morte: quanuis iustè damnet, tamen ad laudem proficit magis si indulgeat, vt possit reus corrigere se. *Nec enim glorioſum factum est id quod glorificatum est in hac parte propter excellentem gloriam.*) Manifestum est non esse factum glorioſum quod visum est in vultu Moysi glorioſum. Quando enim nulli profuit gloria vultus eius, non habuit fructũ gloriæ, sed magis obfuit: licet non suo vitio, sed peccantium: tamen in hac parte gloria non est. Illa autem est magis gloria quæ abũdat in gratia, vt purificati homines dono dei, absterſa caligine possint videre gloriam Christi. *Si enim quod euacuatur, fuit in gloriam: multò magis quod permanet, in gloria est.*) Non negat gloriam fuisse in lege, vel in vultu Moysi, sed nõ permansit in Moyse, quia figura erat in Moyse, non veritas: ideo adueniente saluatore cessauit figura, quia apparuit veritas manens semper: vt quantum interest inter imaginem & veritatem, tantum interſit inter gloriam vultus Moysi, & gloriam Christi: ideo supradixit, propter excellentem gloriam. Illa enim tanta erat gloria, quanta debuit credi seruo. Hæc verò tanta quanta est genitoris eius, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Sicut enim vespere stellæ glorioſæ sunt, oriente autem Sole euacuatur earum claritas: ita & Moysi gloria euacuatur apparẽte gloria Christi. *Habentes autem talem spem, multa fiducia vtamur.*) Spem habere nos dicit videndi gloriam, non talem qualis fuit in vultu Moysi: sed eam quam viderunt tres apostoli in monte, reuelante se domino. Hinc igitur coniicere debemus quantum nobis contulit diuina clementia, quantúmque nos superioris gratiæ dono ditare dignata est, quam dederat Iudæis. Iudæi enim, cùm minor esset gloria vultus Moysi, eam speculari non poterant: nos verò non Moysi gloriam, quæ inferior est, sed excellentem saluatoris gloriam visuros nos credimus. Iudæi ergo serui gloriam non meruerunt videre: nos autem domini communis gloriam sumus visuri. Ideoque & nos vicem reddere inquantum possumus debemus beneuolentię dei, vt propensiores simus in eius amore, qui nobis fiduciam dedit, abluens nos à peccatis, videndi gloriam dei. Nunc itaque opus est vt crescat in nobis fiducia bonis actibus parata. Tantum enim videbimus, quantum credimus. *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ne intuerentur filij Israel vsque ad finem eius quod euacuatur.*) Quoniam digni facti sumus per gratiam dei videre gloriam Christi, idcirco, & non sicut Moyses, ait, ponebat velamen super faciem suam, ne intuerẽtur filij Israel. Ideo ponebat velamen, quoniam splendorem vultus eius ferre non poterant causa peccati, quo sublato potestas datur videndi gloriã dei vsque ad finem eius: quia tamdiu non reuelatur, quãdiu relicta lege conuertantur ad gratiam fidei, & sic euacuatur. Accedente enim dignitate per fidem, euacuatur indignitas. *Sed obtusi sunt sensus eorum vsque in hodiernum diem.*) Tamdiu obtusos dicit, quandiu non credunt. Quæ obtusio * increduli-tatis causa obuenit: ideo conuersis ad fidem acuitur acies mentis, vt videant diuini luminis splendorem. *Idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet dum non reuelatur, quia in Christo euacuatur.*) Obtusio, ait, hæc in lectione Exodi manet, quamdiu credant. Non enim reuelatur, nisi credant. In Christo enim euacuatur, hoc est, per fidem Christi aufertur velamen. Amoto enim delicto incipiunt videre, quod obstante peccato videre non poterant. *Sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen est supra cor eorum.*) Manifestum est quia cùm legitur hæc pars legis, sententia illorum recitatur qui sunt sub lege. *Cùm autem conuersus fuerit ad dominum, auferetur velamen.*) Conuerti ad dominũ, hoc est, credere in Christum, vt agnoscens dominum veniam mereatur accipere. Hoc est auferri velamen, sententiam euacuari qua tenebatur reus sub lege. *Dominus autem spiritus est. Vbi autem spiritus domini, ibi libertas.*) Quoniam deus spiritus est, per Christum legem dedit spiritus, non literis vtique scriptam, sed per eadem animis intimatam: non quæ visibilia doceat, sed inuisibilia credi suadeat: quæ animus spiritaliter colligat, neque oculus cernat. Hęc lex dat libertatem, solam fidem poscens: vt quia quæ non videt credit, de conditione erui mereatur. *Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini speculantes, ad eandem imaginem reformamur à gloria in gloriã, sicut à domini spiritu.*) Nos dicit omnes qui libertatẽ sumus consecuti dono gratię dei, gloriã domini per fidẽ speculãtes, ad eandem imaginem trãsformari quã speramus: id est, vt similes inueniamur trãsacta

* infidelitatis in.

Exod.34.

Matth.17.

1941

acta hac vita imaginis gloriæ Christi, sicut dicit Ioannes apostolus: Scimus, inquit: quia cùm apparuerit, similes ei erimus. A gloria in gloriã, sicut à domini spiritu, id est, sublati beneficio dei gloriæ Moysi, quam reatus caussa cernere nequibamus, transformamur ad gloriam quam credimus dari nobis à domini spiritu. Tantum enim dabitur gloriæ, quantum dignum est dare deum per spiritũ suum: ideo enim dixit, Sicut à domini spiritu: vt ostenderet talem gloriam dari quæ sublimitati cõgruat dantis. Moysi enim gloria nec tanta fuit, nec perennis. Pro modo enim legis & gloriam accepit: ita & pro modo legis fidei in qua spiritus dei est, dabitur gloria credẽtibus. Tantum enim concessit deus fidelibus, vt spiritum suum det eis pignus illius gloriæ quam promisit.

CAPVT QVARTVM.

Vare habentes hanc administrationem prout misericordiam consecuti sumus, non deficimus.) Tantam spem dicit administrationis huius, & non deficiat in pressuris confortatus fide promissionum. Vnde superius dicit. Multa fiducia vtimur. Fidentes enim in his quæ promissa sunt, quicquid aduersum acciderit, tolerant. Quod non humanis meritis deputat, sed misericordiæ dei, quæ hominem primo abluit, deinde iustificat, adoptans filium deo, vt donet ei gloriam similem gloriæ filij proprij dei. *Sed renunciemus occultis dedecoris.*) Vt illi gloriæ dignus sit homo, omnia turpia & polluta quę fieri & cogitari possunt, amouenda docet, vt non solum de opere, sed & de cogitatione pellantur. Inuitantis verba sunt. Sub sua enim & suorum persona ad meliorem vitam hortatur, propter supradicta vitia quæ in his sæpe reprehendit. Possunt & hæc occulta dedecoris esse, quæ prauo sensu ad prædicandum meditantur vt fallant. Vnde subiecit: *Non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum dei.*) Ad dedecus enim & deformationem eius proficit, qui subdola mente confingit doctrinam ad decipiendum corda simplicium: turpis enim inuenietur in die iudicij dei. Astutia enim malæ mentis, vt id quod sibi libitum est expleat, verba dei adulterat, vt sensum inuertat. Adulterare est autem, verum sensum per falsum velle excludere. *Sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram deo.*) Hoc dicit quia in prædicatione euangelica nulli se fecit suspectum, addens amplius cùm dicit, coram deo: vt hoc ipsum non solum hominibus manifestum probet, sed etiam deo, cui nihil occultum est. Testimoniũ ergo dei implorat, vt vel sibi credatur, quia ita prædicat sicut datũ est ab authore: & deus hoc modo testis est, dum dat signa & prodigia fieri per manus eius.

Sed etsi opertum est Euangelium nostrum in iis qui pereunt.) Verum est quia increduli non vident, perfidia obcæcante splendorem virtutis dei. Velamẽ enim est supra cor eorũ, & obtusio infidelitatis, in Iudæis maximè. *In quibus deus seculi huius obcæcauit sensus infidelium, vt non peruideant lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago dei.*) Deum dicit secularium hominum, quia maleuoli sunt erga fidem Christi, sensus obcæcare, ne videant veritatem Euangelij maiestatis Christi. Hoc ergo illis præstat quod volunt. Quia enim mali voti sunt homines, & intelligentes verum dicunt esse falsum, in eoipso adiuuantur, ne possint credere quod nolunt. Christum autem, cùm sit imago dei, corporeum tantum asserunt: & relinquentes gesta eius, solius carnis faciunt mentionem: de quibus dixit Esaias: Obcæcauit oculos eorum ne videant, & auribus ne audiant vsque in hodiernum diem. *Nec enim nosmetipsos prædicamus, sed Christum Iesum dominum nostrum.*) Hoc est, non nostram gloriam annunciamus, ne quis nos dicat propter nosipsos euangelizare, vt nobis proficiat fortè ad tempus, sed Iesum dominum nostrum annunciamus, subiicientes nos virtuti maiestatíque eius. Quando ergo nullum grauamus, nullum concutimus, & Christum dominum nostrum fatemur: quid est vt elati iudicemur, quasi aut pro nostra propria vtilitate prædicare vt glorioſi appareamus? *Nos autem seruos vestros propter Iesum.*) Intantum se seruum Christi esse probat, vt iubente ipso ministrum se horum in prædicatione testetur, vt pro vtilitate horum subiecti sint in ministerio Euangelij. Seruos ergo dicens, ministros significat: sed vt humiliter loqueretur, sic dixit: vt verè ostenderet non ad suam gloriam se prædicare Euangelium, sed ad claritatem domini Christi, cui obedit, cui seruit, sicut & ipse dominus ait: Ego sum in medio vestrum non vt ministrer, sed vt ministrem, non merito horum quibus ministrat, sed propter imperium domini. *Quia deus qui dixit de tenebris lumen fulgere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriæ suæ in facie Christi Iesu.*) Hoc dicit quia misericordia dei factum est vt nos, inquit, qui fuimus incredibiles in ignorantia, hoc est in tenebris, per nos daret deus lumen cæteris gentibus. *Quantum se adhuc humiliat, vt dei solius & Christi gloriam præferat. Illuminatur enim, vt cognitionem habeant gloriæ dei per Christum. Ideo gloriæ dei, ait, cognitionem, id est, non dei solius, sed & Christi, qui est gloria eius: vt significaret non solum deum cognosci, sed & opera eius & misericordiam & prouidentiam qua condidit & saluauit genus humanum, visus in Christo per gloriam virtutis suæ. Habentes autem thesaurum hunc in vasis fictilibus, vt excellentia sit virtutis dei, & non ex nobis.*) Thesaurum sacramentum significauit dei in Christo, quod credentibus manifestatur: incredulis verò quodam tectum est velamine: quia sicut thesaurus in occulto ponitur, ita & sacramentum dei intra hominem, id est, in corde humano absconditut. Hunc ergo thesaurum in animo & corpore dicit esse à deo datum, vt eminentia virtutis eius appareat per homines prædicatores dumtaxat, vt reconcilietur omnis lingua creatori suo non ad honorificentiam hominum, sed dei qui se manifestat per homines: qui cùm humiles & imperiti essent, acceperunt potestatem à deo & loquendi magnalia, & agendi. Fictilia ergo vasa dicens, infirmitatem naturæ humanæ significat, quæ nihil potest nisi à deo acceperit virtutem, & ad laudem suam deus per hæc se prædicet quæ infirma sunt, vt gloria illi detur, non homini qui ex luto fictus est. *In omnibus pressuram passi, sed non coangustati.*) Nunc ostendit propter quod idonei erant prædicatores, quia semper illis in necessitate affuit deus. Ideo pressuram, ait, passi, sed non coangustati: hoc est, non permisit deus tantum nos opprimi vt cederemus. *Inopiam passi, sed non destituti.*) Id est, in inopia positis affuit pastor deus. *Persecutionem passi, sed non derelicti.*) Verum est quia consulebat eis deus, ne satis sibi facerent de his inimici. *Deiecti, sed non perimus.*) Id est verberibus prostrati, sed obstante deo non mortificati. Siue enim clausi siue vinculati, adiutorio dei manus hostium euadebant. Denique Paulus & Sylas cùm essent clausi iam cæsi, & pedes eorum iam essent in neruo concluſi: alacres hymnum canebant deo, fortiores iis facti qui non erant cæsi. *Semper mortem Iesu in corpore nostro circunferentes, vt & vita Iesu in corpore nostro manifestetur.*) Dubium non est quia in martyribus Christus occiditur: & in iis qui pro fide patiuntur aut exitus, aut vincula, aut verbera, Christi passiones sunt, vt & vita eius in corpore eorum palam fiat. Passiones enim sunt quę ostendunt meritum ad futuram vitam quam promisit Christus. Vnde alio loco dicit: Cùm infirmor, tunc potens sum. Et iterum: Per tribulationes oportet nos intrare in regnum dei.

Actuum.16.

2.Cor.12.

Actu.14.

Si ergo nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu palam fiat in hac mortali carne nostra.) Apertum est quod dicit, quia ideo in mortem tradi, inquit, propter Iesum non recusamus cum possimus viuere, vt vita qua resurrexit à mortuis Christus, huic mortali carni nostræ præstetur: hoc est non timere mori propter resurrectionem promissam. *Itaque mors in nobis operatur, vita autem vobis.*) Hoc dicit, quia pro salute eorum morti subiiciebantur. Gentibus enim prædicantes inimicitias sibi excitabant tam à Iudæis, quàm à gentibus vsque ad mortem. *Habentes verò eundem spiritum fidei.*) Hoc est communem spiritum per quem firmatur fides, habemus vobiscum. Ideo enim pro ipsis tanta patiebantur mala, vt inuicem sibi copularentur in fide. *Secundum*

Luca.22.

Psal.115. *quod scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur.*) Exemplum ideo dedit de psalmo centesimodecimoquinto, vt ostenderet ideo se prõptum esse ad omnia toleranda, quia credidit futuram resurrectionem. Securus ergo de futura vita, præsentem vitam non habet charam: quippe cùm hoc credatur vt tunc illa beata vita speretur, si hæc contemnitur. Securus ergo quia quod credidit verum est, audet hoc prædicare, vt cęteros spei suæ participes faciat. *Scientes quòd qui suscitauit dominum Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum.*) Hac spe dicit laborari propter fidem, quia exemplum præcedit resurrectionis domini Iesu, quid futuri erunt qui credunt:

1.Cor.15. quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Adam enim forma mortis est, causa pec-

1.Petr.2. cati. Christus verò forma vitæ propter iustitiam, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Et quoniam participes hos communis fidei dixit: Resuscitatos, inquit, constituet vobiscum, vt vnius fidei in vna sint domo pacis. Cùm enim intelligunt quia pro ipsis patiuntur exitia, & isti soliciti sunt de passionibus horum velut compatientes, simul & participes erunt in vita promissa: vt simul contristati, simul gaudeant: propter illos sic loquitur qui resurrectionem negabant, quos & in prima epistola exprobrat. *Omnia enim propter vos, vt gratia abundans per multarum gratiarum actionem abundet in gloriam dei.*) A munere suo deus nullum voluit esse alienum. Et quia non omnes capiunt verbum fidei, apostolus dei voluntatem sciens, persecutiones & pericula pati non timuit, dummodo omnibus fideliter prædicaret, vt plures possent credere: vt abundans donũ dei non per paucorum gratiarum actionem minueretur ad contumeliam dei, sed multis proficiens affluaret per multarum gratiarum actionem ad gloriam dei. Quantò ergo hic dignus honore est qui animam suam semper morti subiecit, ne donum dei longè aliter proficeret quam datum est? Nũquid non magna contumelia eius est qui cœnam faciens opulentam, ac multos inuitans, paucos habet in summa? *Quapropter non deficimus.* Manifestum est hæc ad superiorem sensum pertinere. Vt enim deuotionem suam adhuc propensiorem in dei rebus ostendat, hæc subiecit quibus nullo genere deficere se probat quo minus id quod deo placitum est impleatur, securus tamen de resurrectione promissa. *Licet si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem.*) Pressuris, plagis, fame, siti, frigore, nuditate caro corrumpitur, sed anima spe futuri præmij renouatur, quia assiduis tribulationibus purgatur. Proficit enim in pressura, nõ interit: ita vt accedentibus tentationibus quotidie acquirat ad meritum, quia & corpori corruptio hæc proficit ad immortalitatem merito animæ. *Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue est pressuræ nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis.*) Præsentis temporis tribulationes quæ caussa fidei ingeruntur, momentaneas & leues dicit, quia sunt temporales: suprà modum tamen in sublimitate æternum pondus gloriæ operari patientibus. Paruis enim laboribus magna redditur merces, & pro leui tribulatione supra modum sublimitas gloriæ pẽsabitur perpetuæ. *Non contemplantibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ verò non cernuntur, æterna sunt.*) Desiderium cœlestium & spiritalium habentes hæc præsentia & terrena spernere profitetur, quia ad comparationem spiritalium hęc nulla sunt. Sic enim sunt hæc ad superna, quomodo figura ad veritatem. Figura deperit, veritas manet: ac per hoc exire de isto seculo non metuunt iusti, sed gaudent.

CAPVT QVINTVM.

Scimus autem quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quia ædificationem ex deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis.) Hac fiducia dicit non timendũ dissolui de corpore violẽtia infideliũ, aut sorte vitæ, quia præparata est huiusmodi hominibus habitatio in cœlis æterna: vt de temporali & terrena expulsi, in perpetuam domum recipiantur. Vnde & hoc optandum est, si fieri potest. Sed

A quia optãdum non est ne in tua gloria alius pereat: si tamen acciderit, libenter ferendum est. Terrestrem enim domum carnem hãc dixit, quia mortalis est: vt si de hac dissoluti fuerimus, ædificatam inueniamus in cœlis domum æternam. Hæc domus corpus immortale significat, in quo resurgentes semper erimus cuius forma iam in cœlis est in domini corpore declarata. *Etenim in hoc ingemiscimus habitaculo nostro quod de cœlo est, superindui cupientes: siquidem induti, non nudi inueniamur.*) Propterea dicit in precibus ingemisci, vt gloria promissa de cœlis possit resurgentes induere. Hoc ergo desiderantes insistunt precibus, ne resurgentes recepto vtique corpore nudi, id est, alieni à promissa gloria inueniãtur. Hoc enim opus est, vt induta anima corpore, dei iudicio superinduatur & gloria, quæ est immutatio in claritatẽ. Mors enim de terra est, resurrectio verò de cœlis, si tamẽ immutetur in gloriam. Alij codices sic habent: Si quidem expoliati, non nudi inueniamur, id est, si exeuntes de corpore Christum

B vestiti fuerimus: quia quicunque in Christo baptizantur, Christum induunt. Itaque si in forma baptismi & traditione manserimus, expoliati corpore non nudi inueniamur: quia in interiore homine habitat Christus, quem cum induti, siue spiritu sancto dato nobis videbimur, erimus digni superindui promissa cœlesti gloria. In illum enim decidet promissa claritas, quem viderit signum adoptionis habere. *Nam cùm sumus in isto corpore, id est, mortali, ingemiscimus grauati, eò quòd nolumus exui, sed superindui, vt absorbeatur mortale hoc à vita.*) Idem sensus est. Ideo enim dicit grauatos nos passionibus corporis, & ipsius mundi tempestatibus, postulationes ad deum dirigere, ne immutemur victi, & indigni efficiamur: sed vt contigerit exitus, perseuerantes in fide induti inueniamur sancto spiritu, qui in substantia Christus est. Tũc enim superindui promissa gloria poterimus, si exuti corpore, non despoliati à sancto spiritu fuerimus. Sic mortale absorbetur à vita, id est, vt resurgentes superinduamur immortalitate cum gloria, ne vltra mori possit, aut passionibus

C implicari: hoc est, absorberi à vita. Non enim dicendus est absorberi à vita, qui ad hoc surgit, vt pœnis agatur. *Qui autem perficit nos in hoc ipsum, deus, qui & dedit nobis pignus spiritum.*) Hoc quod ingemiscẽtes poscimus, id est, non vt exui, sed superindui mereamur, iuxta supradictum sensum, in die iudicij deum perficere dicit, quia promisit, & fidelis est, dãs huius rei implendæ pignus spiritum. Ipse est enim signaculum adoptionis nostræ.



Identes igitur semper, & scientes quia inhabitantes in corpore peregrinamur à domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem.) Manifestum est quia per fidem cum domino sumus, non per præsentiam: ac per hoc peregrinamur non fide, sed specie. Et quare, cum idem dicat in Actibus apostolorum: In ipso enim viuimus Actu.17. & mouemur, & sumus: hoc loco peregrinari nos à domino dicit? Si vbique est, quomodo hic positi peregrinamur à domino? Sine dubio vbique, imò omnia in deo sunt. Sed quia sedes dei in cœlis est, & illic semper videtur: ideo hic positi, vbi non videtur, peregrinari à domino dicimur: quando e-

D nim non eum videmus, licet præsens sit, absentes ab eo sumus. *Audemus ergo & consentimus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad deum.*) Rectè ait, audemus. Habentes enim fiduciam promissionis dei, & scientes multum expedire illic esse quàm in seculo: consentiunt, & optant excedere de corpore, vt requiescant vsque in diem resurrectionis sub altare dei. *Ideo conamur siue præsentes, siue peregrinantes placere illi.*) Id agendum dicit, & bonis operibus insistendum, vt siue in hac adhuc vita positi, siue ante tribunal Christi præsentes placeamus ei. Vnde si disciplina seruetur, & hîc & illic placebimus: quia qui hîc placet, illic nõ displicebit. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bona, siue mala.*) Igitur si iudicante Christo vnusquisque nostrum facta corporis recipiet, nõ vtique sine corpore adiudicabitur bono aut malo. Et nõ dixit facta carnis, quia carnis vitia punienda semper: sed facta corporis, quia aliquando spiritaliter, aliquando carnaliter operatur.

Scientes

1945 *Scientes igitur timorem domini hominibus ſuademus: deo autem manifeſti ſumus.*) Quoniam ergo iudiciũ dei futurum eſt per Chriſtum ad ſingulorum diſcriminanda opera: idcirco Apoſtolus ſuadere ſe dicit ad bonum ſenſum & vitam, vt auditores eius ſecuri ſint de pœna futura, & ipſe glorietur in his habens fructum laborum ſuorum, quia quorundam prauiloquio dies iudicij dei in dubium deducitur. Corrumpunt enim mores boni colloquia mala. Hominibus ſuademus, ait, vt credant & prouideant ne incurrãt & tunc pœniteant, quando pœnitentia fructum non habet. Deo autem manifeſti ſumus: hoc enim prædicabat quod deus iuſſerat, & hoc ſcire dicitur deus quod bonum eſt. Denique malè agẽtibus dicit, Neſcio vos. *Spero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe.*) Manifeſta erat puritas eorum Corinthiis, quia neque aliquando in adulatione fuerant deprehenſi, neque prædicatio illorũ diſplicuerat ſanctis, nec ab aliquo illorum quicquam, vt aſſolet, occultè elicere tantauerant, vt foris ſimplices apud turbas, intus verò impoſtores eſſent: ideo conſcientias illorum pulſat, vt ipſi ſibimet teſtes eſſent de veritate eorum.

Non iterum nos commendamus vobis.) Quoniam ſuperius veram prædicationem ſuam obteſtans, laudare ſe viſus eſt: idcirco nũc eadem ſignificat, non ad laudem ſuam hoc dicere ſe, ſed ad eorum gloriam, vt gaudeant integram prædicationẽ ſe addidiciſſe his annunciantibus. *Sed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis, vt habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde.*) Hoc dicit, vt quoniam multi per elationem gloriabantur in fide apoſtolis, profitentes ſe ab his doctos qui ſemper cum domino fuerunt: ideoque & hic dicit, dare ſe & his rationẽ per quam & ipſi glorientur aduerſus eos, quia apoſtolus erat à quo & iſti didicerant. Vnde alio loco dicit: Nihil minus feci ab his qui valde ſunt apoſtoli. Quod quidem coactus dicit, ne ſilentium eius iſtis obeſſet. Qui ergo in corde gloriatur, ſuperbiam reprimit: ſciens quia humilibus deus dat gratiam, ſuperbis autem reſiſtit. Superborũ enim mens fructum non facit deo dignum. *Siue enim mente excedimus, deo: ſiue ſanum ſapimus, vobis.*) Hoc dicit quia ſi elatè vel ſuperbè putatur locutus, quia laudare ſe viſus eſt verum dicens: deo hoc remittendum. Si autem non ſuperbè intelligitur, ſed ad gloriam audientium eſſe locutus, Corinthiis proficere dicit: vt tunc ſanum ſit dictum audientibus, ſi ita intelligatur vt dictum eſt. Si autem iactanter putetur dictum velut inſanũ, deo dimittẽdum. Omnis enim ſuperbia velut inſania habetur. *Charitas enim Chriſti vrget nos, hoc iudicantes, quod ſi vnus pro omnibus mortuus eſt.* Quoniam Chriſtus diligens humanũ genus, vt eos redimeret, morti ſe dedit: ideo apoſtoli vt vicem ei reddant, homines ex aliqua parte exhortãtur ad eius obſequium: & vt eos attrahent, neceſſe eſt vt verum ſe prædicare teſtentur, aliis praua docentibus: nec ſuum meritum taceant, vt malorum doctorum pœnã deſignent. Non ergo iactatione mentis hæc agebant, ſed vt donum Chriſti intelligeretur ab omnibus, & fideliter deuoti ei gratiarũ actiones referrent. Propter Chriſti ergo charitatem, quæ & quãta donatio eius circa diligentes eum ſint, non taceant, non iactãtiæ cauſa, vt inuitẽt audientes ad eius deuotionẽ, ne mors Chriſti infructuoſa videretur, non vt laus apoſtolorum noſceretur. Per meritum enim & gloriam apoſtolorum agnoſcitur Chriſti gratia, & beneficiũ dei. *Ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt: vt & qui viuunt, non iam ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.*) Quia omnes neceſſe eſt mori cauſa Adæ, pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt eos à ſecunda morte liberaret. Ideoque qui viuunt in corpore, fidentes Chriſtum mortuũ eſſe pro ſe, ſint ei ſubditi, profitentes hunc dominum: quia enim prodeſt eis mors eius, teſtimonium perhibet reſurrectio eius. Igitur hic ſibi non viuit, qui paratus eſt domini ſui facere voluntatem.

Itaque nos ex hoc tempore neminem nouimus ſecundum carnem: etſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus. Verum eſt quia Chriſto reſurgente à mortuis iam ceſſat in eo carnalis natiuitas, ceſſat infirmitas corporis, ceſſat & paſſio mortis. Vſque ad crucem enim ſuſpicio fuit infirmitatis in Chriſto. Poſt autem apparuit eſſe quod non credebatur, ſicut & ipſe ait: Cùm exaltaueritis filiũ hominis, tunc cognoſcetis quoniam ego ſum. Hoc ergo idcirco apoſtolus memorat, vt oſtendat qua deuotione obſequendum eſt Chriſto. Pro ſalute enim hominum non ſolum hominem ſe naſci non dedignatus eſt, ſed & iniuriis agi, & mori voluit: vt intelligentes quàm precioſa ſit mors eius, propenſius illi ſeruiant, non quaſi homini vicem reddentes, ſed deo: quia vnicuique pro perſona eius & meritis refundenda obſequia ſunt. *Quare ſi qua eſt in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt: ecce omnia facta ſunt noua.*) Manifeſtum eſt quia per Chriſtum renouata ſunt omnia, ſi animaduertant dignitatem eius. Nouus enim fit his quibus prius homo tantum videbatur cùm intelligitur eſſe deus, vt recedente infirmitate agnoſcatur diuinitas, & ceſſante errore veteri; qui introducta multorum deorum opinione, ab vnius veri dei fide tranſduxerat genus humanum, reuertantur omnia ad ſimplicitatis profeſſionem vnum deum adorantia in trinitate. *Omnia autem ex deo.*) Quanuis Chriſtus nos redemerit, omnia tamen ex deo, quia ab ipſo eſt omnis paternitas: ideoque neceſſe eſt præferri perſonam patris. *Qui reconciliauit nos ſibi per Chriſtum & dedit nobis miniſterium reconciliationis, quoniam quidem deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & ponens in nobis verbum reconciliationis pro Chriſto, pro quo legatione fungimur, tanquam deo exhortante per nos, orantes pro Chriſto reconciliari deo, eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos eſſemus iuſtitia dei in ipſo.*) Deus omnipotens genitor Chriſti, cùm omnia quę per Chriſtum fecerat, errore caduca fuiſſent effecta, creatoris ſui oblita, Chriſtum dominum noſtrum de ſacris ſedibus ad terrena venire dignatus eſt: & factum carne in ſpecie hominis, vt forma eſſet hominibus quemadmodum ſibi deum creatorem ſuum pacificum facerent. Deus ergo erat in Chriſto. Quomodo? Quaſi in vicario aut legato, ſicut fuit in prophetis: aut aliter non ſicut fuit in prophetis, ſic intelligi poteſt fuiſſe & in filio. Filius enim naturaliter natus eſt patris dei. Vnde dicit: Quia pater in me eſt, & ego in patre. Pater enim per id intelligitur eſſe in filio quòd vna eorum ſit ſubſtantia. Ibi enim eſt vnitas, vbi nulla eſt differentia: ac per hoc inuicem ſunt, quia & imago & ſimilitudo eorum vna eſt: vt videns filium vidiſſe dicatur patrem, ſicut & ipſe dominus ait: Qui me videt, videt & patrem meum. Rectè ergo dicitur: deus erat in Chriſto, hoc eſt, pater in filio, mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta eorum, quoniam creatura peccauit in deum, nec pœnituit vt reuerteretur ad eum. Deus opus ſuum nolens perire miſit filium ſuum, per quem prædicata eis remiſſione peccatorum, reconciliaret eos ſibi per ipſum, per quem nos creauerat. Siue ergo per filiũ, ſiue per ſeruos deus exhortatur populum: quia ad ipſum omnis ſumma referenda eſt, cuius voluntate & prouidentia Chriſtus incarnatus eſt ad ſalutẽ hominũ redimendã. Qui cũ reuerti vellet ad patrem, diſpenſationẽ acceptam à patre dedit diſcipulis. Orantes pro Chriſto reconciliari deo, hoc eſt quod dixi, quia pro Chriſto vicarios dedit apoſtolos, vt pro ipſo prædicarent reconciliari deo. Eũ qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Deum dicit patrem peccatum feciſſe filium ſuum Chriſtum, eum vtiq; qui peccatũ neſciebat, id eſt, qui non peccauerat, quia factus caro nõ immutatus, ſed incarnatus factus eſt peccatũ: ſicut qui fit præfectus, non amittit quod erat, ſed aſſumit vtiq; quod non erat. Homo ergo factus eſt Chriſtus cauſa peccati, quem non tangebat ſors, neq; dignitas naſci hominẽ. Propter quod autem omnis caro ſub peccato eſt, ideo factus caro, factus eſt peccatum. Et quoniam oblatus eſt pro peccatis, non immeritò peccatum factus dicitur, quia & hoſtia in lege quæ pro peccatis offerebatur, peccatum nuncupabatur, vt nos eſſemus iuſtitia dei in ipſo, qui peccatũ neſciebat, dicente Eſaia: Qui peccatũ non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, quaſi peccator occiſus eſt, vt peccatores iuſtificarentur apud deum in Chriſto. Zelum enim paſſus eſt Satanas aduerſus ſaluatorem, videns eum docere homines quomodo

Ioan. 8.

Ioan. 14.

Ibidem.

Eſaiæ. 53. 1. Petr. 2.

sibi propitium facerent deum, abrenunciantes diabolo, & propter hoc occidit eum, nesciens futurũ aduersus se. Christus enim post crucem descendens ad inferos deuicta morte, quia peccatum nesciebat, teneri à morte non poterat: quia mors per peccatum inaniuit infernum, vt mors iusti peccatoribus proficeret, vt de cætero mors eos qui signum crucis habent, tenere non possit.

CAPVT SEXTVM.

Diuuantes autem & obsecramus ne in vacuum gratiam dei recipiatis.) Duplici genere apostolus humanæ salutis curam subiacere contendit, vt & dei prouidentiæ deuotus existeret, & hominibus charitatis officiũ exhiberet. *Tempore enim, inquit, accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te.*) Hoc scriptum est in Esaia propheta. Prædestinatam docet gratiã dei in tempore Christi: sic enim decreuit deus affluere misericordiam suam, vt nomen Christi poscentibus auxilium largiretur. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: nemini dantes vllam offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum.*) Tempus adesse dicit, quo possint ad indulgentiam proficere peccatores. Tempus adesse dicit, quo morbis mortalibus medicamina possint infundi: & ideo se solicitum esse circa ægrorum salutem, ne fortè negligentia aliqua medicinæ gratia effectu careret, & bonæ voluntatis suæ. Fide ergo & vigilantia sua omnem offensionem negligentibus amputat, ne horum fortè segnitia offensionis occasionem pareret discipulis: ac per hoc liberos se significat, quia quod salutare est, simpliciter omni instantia prædicant. Vnde subiecit: *Ne vituperetur ministerium nostrum.*) Vituperaretur enim ministerium ipsorum, si ea quæ verbis docebant, operibus suis vt fierent exempla non darent. *Sed in omnibus commendantes nosmetipsos vt dei ministri.*) Dei ministri sine adulatione docent, vt ei cuius ministri sunt placeant, non sicut pseudoapostoli, scientes non se à deo missos præsenti vtilitati, studebant. *In multa patientia.*) Patientia est quæ saluat homines. Nisi enim patientia abusus esset, quomodo saluasset Corinthios quos post prædicationem suam tantis vitiis morum & erroribus diuersarum sectarum inuenerat inuolutos, quos patientia sua paulatim ad veram doctrinam reuocat? *In pressuris.*) Pressuras pertulit, sciens quid à deo pro his sit promissum. *In necessitatibus.*) Necessitas erat etiam in pressura positum docere, quia à domino erat missus. *In angustiis.*) Spe futuri angustatus, perfidorum oppositionibus non cessit. *In plagis.*) A Iudeis & gentibus cæsus frequenter, non tacuit gratiam Christi. *In carceribus sæpe.*) In carcerem missus contempta salute sua, etiam illic donum dei prædicauit. *In perturbationibus.*) Intantum deo deuotus erat, vt nec perturbatio fiduciam quam in deo habebat minueret. *In laboribus.*) Laborare non destitit manibus suis, ne cui grauis esset, certus hoc sibi proficere apud deum. *In vigiliis.*) Tam solicitus erat circa officium sibi delegatum, vt nec nocte cessaret. *In ieiuniis.*) Aliquando voluntaria, aliquando necessitatis ieiunia pertulit causa penuriæ, & deo gratias egit spiritaliter se pascenti: quia ideo contentus erat, ne ventris causa inclinaretur. *In castitate.*) Castitatem siue corporis siue Euangelij vindicans, non paucos fecit inimicos. *In scientia legis & Euangelij.*) Scientiam non in sapientia humana, neque in simulatione asserens, deo se fidelem dispensatorem Christi exhibuit. *In magnanimitate.*) Grandis animi erat in baiulandis infirmitatibus fratrum, & in contemptu mundi huius. Vnde alio loco dicit: Mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo. *In benignitate.*) Benignus erat, quia sicut arguebat, ita & blandiebatur, vt post correptionem leni exhortatione cõsolaretur. *In spiritu sancto.*) Spiritus sanctus effugit fictum. Quoniam ergo synceriter docebat in spiritu sancto, dei donum tradebat. *In charitate non simulata.*) Simulata charitas in his est, qui in necessitate deserunt fratres. Vnde hic semper necessitates fratrum suas faciens, simplex erat in charitate. Compatiebatur enim omnibus, sicut alio loco dicit: Quis scandalizatur, & ego non vror? Hæc enim vera charitas est, si sua vtilitate contempta eius curam agat quem diligere se profitetur, quod semper fecit apostolus. *In verbo veritatis.*) Verbum veritatis erat in eius doctrina, quia non aliud tradebat, quàm à domino acceperat. *In virtute dei.*) Virtus in eo dei erat, quę per signa atque prodigia hunc idoneũ ministrum probabat. *Per arma iustitiæ, à dextris & à sinistris.*) Liberum se significat fuisse & fidelibus & incredulis. Arma enim iustitiæ perimunt iniquitatem. *Per gloriam, & ignobilitatem.*) Iis qui Euangelium dei gloriam æstimabant, manifestè integrum se & fidelem prædicatorem dixit. Simili modo & eis qui verba diuinæ doctrinæ ignobilitatem & deformationem putabant, fidelem se dei ministrum exhibuit, dum non terretur, neque pudorem patitur ea illis loqui quę horrent audire. *Per infamiam, & bonam famam.*) Etiam his integrum se dei dispensatorem præbuit, qui fidei bonam opinionem faciebant: & qui malam, dum non metuit hanc inuidiam, sed constans est. *Vt seductores, & veraces.*) Increduli seductores eos vocabant, fideles econtrà veraces & simplices eos pronunciabant. Nec hoc odio cedit, vt superducat fucum veritati. *Vt ignoti, & qui cognoscimur.*) Malis ignoti erant, bonis noti: agnoscebant enim in his veritatem. *Vt morientes, & ecce viuimus.*) Odio illos habentes, quotidie putabãt non euadere minas iniquitatis. Isti autem quia deo propitio docebant, auxilio Christi tuti præstabantur à morte præsenti & futura. *Quasi tentati, & morti non traditi.*) Tentati videbantur, quando sic tractabantur vt cedere putarentur: & quia non vincebantur, morti non addicebãtur. Hic enim addicitur morti, qui in fide non permanet, & morti nõ huic, sed futuræ. Potest & de præsenti morte intelligi. Tentari enim eos patiebatur deus vt pressuris crescerent merita: non tamen permittebat eos occidi. *Vt tristes, semper autem gaudentes.*) Verum est quia tristitia hæc gaudium operatur: & qui eos iniuriis contristabant, gaudium eorum exaggerabant. *Vt egentes, multos autem ditantes.*) Quantum ad præsentem vitam pertinet, pauperes videbãtur, sed spiritales diuitias credentibus largiebantur, egeni in terris, in cœlis diuites. *Vt nihil habẽtes, omnia autem possidentes.*) Hoc fuit in apostolis gloriosum, vt sine solicitudine & nomine possidendi, non solum ea quæ in possessionibus erant, sed & ipsorum dominos possiderent. Omnia enim necesse erat ante eorum poni pedes causa virtutum, sicut legimus in Actibus apostolorum.

S nostrum patet ad vos, ô Corinthij.) Hoc libertatis causa loquitur, & puræ conscientiæ. Mali enim sibi conscia mens loqui trepidat, sensum perdit, in verbis errat. *Cor nostrum dilatatum est.*) Eius cor dilatatur, qui fiducia bonæ cõuersationis gaudet in sese, aut certè futuri spe præmij in tribulatione non angustatur: quia sicut in hac vita nisi præcesserit labor, reditus non sequitur: ita & in rebus diuinis si non exitia anteierint, præmium non sequetur. *Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris, eãdem habentes mercedis retributionem.*) Hoc dicit quia non oberat magistris si discipuli malè verterentur contemnentes vigorem doctrinę, quia vnusquisque pro operibus suis mercedem accipiet: quia quod ad magistros pertinet, non tacuerunt, dicente domino ad Ezechielem prophetam: Exalta vocem tuam, & loquere ad plebem: si te audierint, lucraberis eos: si quo minus, tu animam tuam saluabis. *Sicut filius dico, dilatamini & vos, & nolite iugum ducere cum infidelibus.*) Ad bonam conuersationem & spem eos hortatur, vt fidentes & purgantes conscientias suas possint in semetipsis gaudere, habentes fiduciam puræ mentis, sicut & eorum magistri, separantes se ab infidelium societate in malis operibus. Et bene ergo agendo & futura sperando, dilatari vult illos animo. Qui enim operatur, laborat, & futura non credit, sicut infidelis, angusti animi est desperatione futuri. *Quæ enim participatio iustitiæ & iniquitati? aut quæ societas lumini cum tenebris? quæve consensio Christi cum Belial? aut quæ participatio fideli cum infideli? vel quæ conuentio templo Dei cum idolis?*) Manifestum est hæc quæ enumerat, esse contraria:

Esaiæ 49.

Gala. 6.

Sapien. 1.

1. Cor. 11.

Actuum 4.

1. Cor. 3.

Exech. 2.

1949

ria: ac per hoc fugiendum ab his docet, quia dicit dominus: Nemo potest duobus dominis seruire. Lex enim iustitiam prædicat, vt fugiatur iniquitas. Lumen ostendit quod est veritas, vt ab ignorantia quæ tenebræ sunt recedatur. Christum in dei mysterio annunciat, vt à diabolo qui se deum mentiri vult, recedatur. Credentibus vitam pollicetur æternam, vt perfidia exuti ab omni infidelium errore sint alieni. Idola prohibuit coli, quia templo dei sunt inimica. *Vos enim templum estis dei viui.*) Nihil tam inimicum homini quàm idola, quia ab vnius dei fide cogunt recedere. *Sicut dixit deus, quoniam inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo, & ero illorum deus & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio illorum, & separamini, dicit dominus, & immundum nolite tangere, & ego suscipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit dominus omnipotens.*) Interim primæ causæ sensum explicemus, vt cuius personæ verba sint, declaremus dicentis: Quoniam inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo, & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus. Hæc verba Christi sunt. Hoc est enim quod & inter cætera Hieremias testatus est dicens: Post hæc in terris visus est, & inter homines conuersatus est. Hic enim habitauit in nobis dicente Ioanne Apostolo: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et quia deus noster est: dicit iterum Hieremias: Hic est deus noster. Et quia populus eius sumus, dubium non est. ecclesia enim Christi est: ideoque separari nos vult ab omni contaminatione, vt suscipiat nos in filios, sicut dicit: Filioli, adhuc modicum tempus vobiscum sum. Et quia omnipotens est, puto ambigi non debere. Si enim, sicut ipse dicit, Quæcunque facit pater eadem & filius facit similiter: hoc est filium omnia posse, potest & pater. Si quid non potest pater, non potest & filius. Si idoneus est filius, qui dicit de patre: Apud deum autem omnia possibilia sunt. Hoc testimonio & nos ad putam vitam exhortatus est ad dominũ nostrum Iesum Christum, iam olim dominum nostrum, & susceperum nos in affectu charitatis suæ prædestinatum ostendit.

CAPVT SEPTIMVM.

C *Hæc ergo habentes promissa clarissimi, mundemus nosmetipsos ab omni inquinamento carnis, perficientes sanctitatem spiritus in timore dei.*) Manifesta sunt quæ dicit. Inquinamentum tamen carnis multifariè intelligendum est. Ideo etenim non dixit ab inquinamento carnis, sed ab omni inquinamento, vt tota vitia carnalia fugiamus. Omne enim quod lex prohibet carnale est. Vt perficiamus sanctitatem spiritus in timore dei. Sanctitatem sic perficimus spiritus, si in timore dei recta sequamur, vt sub nomine Christi à peccatis nos abstinentes sancti simus. Qui enim sine professione Christi à vitiis se cohibere videntur, sancti sunt iuxta mundum, non secundum dei spiritum: quia secundum deum hi mundi sunt, qui fideles sunt: cæteri verò qualesvis sint, immundi sunt. Quicquid enim sine Christo est, immundum est, sicut dicit ad Titum, quia infidelibus nihil est mũdum. inquinata est enim eorum mens & conscientia. *Capaces estote nostri. nemini nocuimus, neminem grauauimus, neminem circumuenimus.*) Considerare vult illos quæ dicit, vt receptis his in animum, conferant secum vera esse quæ loquitur, & spernentes hos quos tangit, omnem animum transferant ad eos quos vident vero affectu se diligere. Pseudo enim apostoli erant qui & nocebant illis, corrũpentes sensus illorũ, & grauabant sacculos eorũ circunuẽtione serpentinæ astutiæ. *Non ad condemnationem dico.*) Hoc est, non vos abiicio, sed vt corrigatis moneo. Qui enim aliquem condemnat, non illi dimittit. *Prædixi enim quia in cordibus nostris estis ad commoriendum & ad conuiuendum.*) Ex prædictis vult illos cognoscere quo animo loquatur ad eos. Quos enim participes vult habere & ad præsentes passiones pro Christo, & ad futuram vitam: non vtique illos abiicit, sed vt participatione dignos se faciant, exhortatur.

Multa mihi fiducia ad vos, multa mihi gloriatio pro vobis. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio super omni pressura nostra.) Fiducia hæc de primæ epistolæ correptione est, quam quia non asperè susceperunt, fiduciam dederunt admonendi se. Visi sunt enim velle corrigere se. vnde gloriatur pro his. Animum etiam suum consolatum ex hac parte pronunciat, intantum vt in omni pressura superabundare se gaudio obtestetur. Videns enim esse spem in his pro quibus angustias patitur, gaudet cùm tribulatur, certus mercedem se à Deo acceptorum acquisitæ salutis eorum. *Etenim cum venissemus in Macedonia, nullam requiem habuit caro nostra.*) Pressuras & cædes memorat, quas patiebãtur causa credentiũ, vt magis prouocaret eos ad charitatem. Nullam, inquit, requiem habuit caro nostra: vt compaterentur eis certi, quia pro salute fidelium animas suas traderent vsque ad mortem. Antequam di gereretur enim tribulatio & corporalis iniuria, altera veniebat, vt requies patienti non esset. Nam quoniam sensu bruta est omnis caro, idcirco nullam requiem hanc habuisse vel habere in passione significat. Animam autem, quanquam ipsa patiebatur in corpore, ex hac tamen parte requiem habere, qua sperat pro tribulationibus his quæ pro fide irrogantur à perfidis, daturum deum mercedem. Denique in ipsa pressura deo hymnos canebant. *Sed in omnibus sumus afflicti.*) Iuxta historiam, domino vocante intrauerunt Macedoniam: & cùm non pauci credidissent, inuenissẽtque solatium Lydiæ mulieris quæ cum omnibus suis credidit: tunc factum est vt spiritum pythonem, id est, diuinum fugaret de ancilla quorundam, qui vidẽtes perdidisse se non minimum quæstum quem puella referebat diuinando, concitauerunt seditionem Paulo & Sylæ, & traxerunt eos ad forum ad magistratus: qui multas eis plagas imponentes miserunt eos in ima carceris, ita vt pedes eorum in neruo concluderent. Hęc est pressura quam passi sunt in Macedonia, & hinc est vnde dicit: Nullam requiem habuit caro nostra. *Foris pugnæ, intus timores.*) Pugnæ erant corpori, dum cædebantur: animo timores. Illic enim timor est, vbi intellectus est. Sed timor hic propter eos erant qui crediderant, ne passione eius scandalizarentur. Nam sibi quid iam timeret qui patiebatur? Præterea cùm dicat in actis Apostolorum, non solum ligari, sed & mori paratum se pro nomine domini Iesu Christi. Videtur enim totum hominem afflictum in carne significasse, vt ex parte spiritus qui homini datus maneat, quia impassibilis est, affligi potuisse minimè intelligatur: sed vt homo totus ex parte corporis & animę afflictus in carne dicatur: ex parte verò spiritus impassibilis. Potest & sic intelligi vt foris pugnæ: id est, in publico à perfidis fierent contra fidos, dum furore pleni resistebant veritati: cuius rei nuncius intus timores generabat, vbi erat Apostolus. Quis enim homo non timeat angustias? Sed quia in dei rebus propensior erat, timorem hunc spe superabat. *Sed qui consolatur homines, consolatus est nos deus in aduentu Titi.*) Quoniam deus suorum non est immemor, sed semper dat eis in tribulatione solatium, accelerauit aduentum Titi, vt refrigerio esset positis in feruore. Magna enim consolatio est patientis, si secum habeat condolentem. *Et non solum, ait, in aduentu eius, sed & in consolatione qua consolatus est in vobis.*) Plus addit ad consolationem quia audisse se à Tito significat † conuersationis eorum promptam voluntatem, intantum vt Titus qui dolorem habebat in obauditiones eorum, consolationem acciperet de pœnitentia illorum. Quantum affectum haberet circa eos, ostendit Apostolus, vt nec ima carceris, nec plaga rum dolorem computaret scissi corporis, neque neruum quo pedes eius concluſi erant: sed audita correctione eorum lætaretur, immemor factus passionum, deo gratias ageret pro eorum salute, sic hoc æstimans quasi remunerationem tribulationum. *Annuncians nobis vestrum desiderium.*) Nunciauit Titus desiderium habere illos emendandi se. Addiscentes enim quæ promissa sunt bene viuentibus, incitati sunt ad desiderium horum. *Vestrum fletum.*) Correpti flebant, dolentes quia peccauerunt, nec excusare nisi sunt, vnde gloriatur in his. *Vestram æmulationem pro me.*) Addiscentes enim charitatem erga se, apostoli cœperunt illum defendere contra aduersarios. *Ita vt magis gauderem, quia etsi contristaui vos in epistola, non me pœnitet.*) Manifestum est non debere pœniteri ex hac re quam secutus effectus est, quoniam seuerius

in prima

Act. 16.

Act. 21.

† cõuersionis

in prima epistola corripuit errores eorum. Non, inquit, me pœnitet asperius scripsisse, quia hoc causa popposcit. *Etsi pœnituerat, ait, video quia illa epistola etsi contristauit vos ad horam, nũc gaudeo.*) Hoc dicit, quia si me pœniteret, inquit, propter charitatem, quia vos contristaui: consolatio succederet gaudij, quia profuit quod vos contristaui. Non quia contristati estis, sed quia contristati estis in pœnitentiam. *Contristati enim estis secundum deum.*) Idcirco gauisum se dicit, quia cum pudore cõtristati sunt, non cum ira. Qui enim reprehensus pudorem patitur, corrigere se promittit: qui verò irascitur, peiorem se futurum ostendit. *Vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis.*) Vt omnia, inquit, nostra effectum habeant in vobis: etiam quod contristauimus vos, pro vobis est. *Quæ enim secundum deum est tristitia, pœnitentiam ad salutem stabilem operatur.*) Manifestum est quòd qui tristis est quia peccauit, secundum deum tristis est: dolet enim quia fecit quod odit deus. Hoc ad stabilitatem salutis pertinet. *Tristitia autem huius mundi mortem operatur.*) Hoc dicit quia sicut secundum deum tristitia vitam operatur (pœnitet enim, & sperat dei misericordiam) ita secundum mundum tristitia mortem operatur. Detectus enim peccator tristis est quasi puniendus, non habens à quo speret misericordiam: etsi fortè ad præsens defuerit qui vindicet, dei tamen iudicium euadere non poterit. *Ecce enim hoc ipsum secundum deum contristari, quantam in vobis efficit solicitudinem.*) Verum est, quia qui pœnitet, solicitus est ne denuò peccet. *Sed excusationem.*) Rectè, quia pœnitentia non habet excusationem, sed confessionem. *Sed timorem.*) Ostendit timorem in peccato, qui delicti causa veniam postulat. *Sed desiderium.*) Desiderat reformari se, qui se scit factum per peccatum deformem. *Sed æmulationem.*) Zelum incipit pati bonorum operum perficiendorum, qui intelligit pro se esse quod corripitur. *Sed vindictam.*) Necesse est vt quis vindicet eum cuius erga se sentit affectum: & in seipsum vindicat, qui se causa delicti affligit. *In omnibus castos vos exhibuistis esse negocio.*) Quando omnia quæ ad profectum melioris spei pertinent, meditari videntur zelum habentes Apostoli & præceptoris sui in omnibus officiis humanæ conuersationis, duce fide probos se videri contendunt. *Igitur etsi scripsi, non propter eum qui iniquè versatus est.*) Iniquè versatum dicit illum qui incestum admiserat: necnõ etiam hos tangit quos iniurias & fraudes fratribus in prima epistola feciſse significat. *Sed neque propter eum qui iniquè tractatus est.*) Hi iniquè tractati sunt, qui à fratribus contraria passi sunt. Hic sensus est quem in capite epistolæ memorat, vbi dicit: Si cui aliquid donastis, & ego. Ostendit enim non magis horum causa qui peccauerunt, scripsisse remitti illis debere, sed magis propter ecclesiam, quia in vno malè agente multi sunt qui confundantur, & in vno contumeliam aut fraudem patiente multi sunt qui indignentur: quia si patitur aliquid vnum membrum, compatiuntur omnia membra. *Sed vt manifestaretur solicitudo nostra, quam pro vobis habemus coram deo.*) Emendando iniustos, & pollutos sanctificando, & ecclesiæ reconciliando, totius populi solicitudinem se habere demonstrat secundum quę supra memoraui. *Ideo & consolationem accepimus.*) Accepisse se, ac per hoc & dare dicit consolationem. Accepit autem cùm dicit corrigere velle quos arguebat, vt per pœnitentiam se reformarent. Dat autem dum eos reuocat ad ecclesiam, ne diu contristati desperarent de se, & ad publicam & funestam vitam declinarent. *In consolatione autem nostra, magis magísque gauisi sumus super gaudio Titi, quia requieuit spiritus eius in omnibus vobis.*) Correptos per primam epistolam audiens velle corrigere, consolationem accepit. A Tito autem addiscens quia dolorem paterentur erroris sui, auctus est in consolatione gaudio repletus, quia voluntas eorum in opere cœperat approbari, Tito hoc idoneo teste cum lætitia animi referente. *Quoniam in quibuscunque pro vobis gloriatus sum, non sum confusus.*) Antequam pergeret Titus ad Corinthios, audiuit ab eis, id est, ab Apostolo, & qui erant cum eo, bonam voluntatem esse Corinthiorum in emendandis vitiis: ac per hoc regresso, & eadem referente, non vtique confusus est Apostolus: sed alacer factus est, quia non aliter inuenerat Titus, quàm audierat ab eis. *Sed quemadmodum omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra apud Titũ veritas facta est.*) Exultans in spiritu hęc scribit Apostolus, sic gaudens in his, vt efficaciam eorum tam veram probet, quàm est, & prædicatio eius ad eos in correptione duntaxat. Veritas enim arguentis in eo ipso, tunc videtur esse manifesta, si ij qui arguuntur, incipiant emendare se. Dum enim correpti immutantur, testimonium perhibent arguenti. *Et viscera illius abũdantius in vobis sunt.*) Animum & affectum Titi dicit esse in eis, quia vidit profectum illorum. Sancti enim animus in omni bono est. *Reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis illum.*) Sciẽtes Corinthij ab Apostolo esse missum Titum, ac si in tantis vitiis, ab Apostolo fuerant correpti, territi sunt in aduẽtu eius. Et quia vitam suam cœperant emendare, soliciti erant obedire præceptis eius: vt regressus animum Apostoli mitigaret eis: quamobrem Titum laudasse significat. In Tito enim Apostolum reuerti sunt. *Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis.*) Non solum in bona voluntate eorum lætatus est, sed & in operibus bonis quibus quæ peccauerant, emendabant. Ideo in omnibus, inquit, confido in vobis.

CAPVT OCTAVVM.

Notam autem facimus vobis fratres gratiam dei quæ data est in ecclesiis Macedoniæ quod in multa probatione pressuræ abundat gaudium ipsorum.) Quoniam deuoto animo perceperunt verbum fidei, idcirco eis gratiam datam à deo dixit, vt in tribulatione Pauli & Sylæ quam suprà memoraui, scandalum non paterentur, sed in exultatione mentis acciperent confidentes de spe promissa, vt probatos se horum passionibus demonstrarent. *Et quòd profunda paupertas illorum abundauit in diuitiis simplicitatis eorum.* Votum eorum prædicat, quia cùm tenues essent substantia facultatum, animus ipsorum diues inuentus est in ministerio sanctorum: pura enim conscientia operati sunt, non vt hominibus, sed vt deo placerẽt. *Quia pro viribus testimonio illis sum, & vltra vires voluntarij fuerunt.*) Quantum dignum fuit, & deo placitum, qui vires illorum scit, in facultatibus dederãt ad ministerium. Et quia ex toto corde deo se dederãt, amplius volebãt offerre quàm eorum vires admittebant. *Cum multis precibus orantes nostram gratiam, & cõmunionem ministerij quod est in sanctos.*) Tam simpliciter & deuoto animo obtulisse illos ministerium quod vltra vires eorum erat prædicat, vt cum lachrymis deprecãtes offerrent, vt vel sic cogerent accipi à se quod accipiendũ non videbatur, quia plus erat quàm poterat eorum substãtia, ne fortè eis postea egestas boni operis pœnitentiam suaderet. Sed quia tales se ostenderunt vt puro animo iam præsentia postponentes, futuris se promissionibus confidentia fidei cõfirmarent, accipi ab eis visum est, ne boni cordis gratia fructum amitteret. *Et non sicut sperauimus, sed semetipsos primùm dederunt deo, deinde nobis per voluntatem dei.*) Idcirco, inquit, ab his accipi debuit: quia prius emendãtes errores pristinos & vitæ vitia ac morum vltrà quàm sperabatur, deo se deuouerunt. Visum est enim simpliciter illos hoc agere, vt nec timeret cui offerebatur accipere: quia non vtique hoc animo offerebant, vt redimentes præpositos suos, vitia eorum paterentur, nec arguerent, quia munera excæcant oculos, & vim authoritatis inclinant. Dantes ergo se deo, dum emẽdant vitia, deinde dum fratribus offerunt sumptus, contristari non debuerunt, qui ante propè quàm inciperent perfecti esse voluerunt. Horum igitur exemplo inuitat Corinthios, vt ea quæ cœperant, hac exhortatione aucti, mente sedula consummarent. *Ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita consummet in vos etiam gratiam istam.*) Quoniam Titi affectum sciebat syncerum circa istos, necnon hos obedientes ei: idcirco per ipsum etiam ad hoc opus exhortari illos facilius posse significat, vt quomodo in cæteris rebus exhortationis suæ habuit fructum in eis, haberet etiam in hac gratiam, vt ad ministerium sanctorum promptos eos faceret: vt quia iam vitia emendabant, huius largitatis

1953

nullum fructum huius rei habebunt.

Sed sicut in omnibus abundatis fide & sermone, & scientia, & omni solicitudine, & insuper & ea quæ ex nobis & vobis est charitate, vt hæc in hac gratia abundetis.) Magis exhortatur illos, vt glorietur de his apud cæteras ecclesias. Hæc est enim probatio emendationis eorum, si prompti sint ad ministerium sanctorum. *Non secundum imperium dico, sed propter aliorum solicitudinem, & vestræ charitatis bonum comprobans.*) Manifestum est quia non imperat, sed exhortatur, vt penuriam patientibus mittant sumptus, & releuent solicitudinem illorum, bonum animum suum Deo & hominibus ostendentes: pro qua re sine dubio mercedem accipient. *Nostis enim gratiam domini nostri Iesu Christi, quia propter vos pauper factus est cum dives esset, vt illius inopia vos diuites essetis.*) Pauperem Christum dicit factum, quia Deus nasci dignatus est homo, virtutem potestatis suæ humilians, vt hominibus diuinitatis diuitias acquireret: vt sicut dicit Petrus Apostolus, diuinæ essent consortes naturæ. Homo ergo factus est, vt hominem in Deum sublimaret, sicut scriptum est: Ego dixi, dij estis. Hoc modo exhortatur, vt largiendo quasi pauperes fiant, vt prosit paupertas eorum, sicut Christi paupertas profuit nobis. Christus quidem nostri non sui causa pauper factus est: nos autem, vt nobis proficiat. *Et consilium in hoc do. Hoc enim vobis utile est, qui non tantum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore. Nunc ergo & facere consummate, vt quemadmodum prompta est voluntas in vobis velle, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis.*) Hoc dicit vt voluntas illorum in opere appareat, si vera est secundum vires: vt tantum det quantum potest & vult animus, vt munda fiat conscientia, non in simulatione vt hominibus placeat, & mercedem apud Deum non habeat. *Omnis enim voluntas prompta est, secundum facultatem acceptabilis est, non secundum quod non habet.*) Quoniã Corinthij ad hoc opus ministerij prouocãtur, hoc eis indicitur, vt non plus tribuãt quàm possunt: ne plus fortè offerentes coacti non volũtarij, grauari viderentur sine mercede futuri: quia qui coactus aliquid facit, mercedem non habet. Ecclesiæ enim Macedoniæ vitro obtulerunt cum precibus, vt probarẽt tota volũtate se hoc facere, vt plus offerrent quàm poterãt, ideóque accepta bile fuit. Quantò enim amplius obtulerunt, tantò plus acceperi sunt. Nam si tantum quis det, quantũ vult aut potest, acceptũ est. Iudicio enim videtur hæc facere, ac per hoc tanto det quantum potest & vult animus, vt rei huius possit habere mercedẽ. *Non enim vt aliis refrigerium sit: vobis autẽ angustia.*) Verum est quia sic dandum est, vt non egestatem prẽdat donantibus. *Sed ex æquitate in hoc tempore.*) Dicit hoc, vt quantum habet ad tempus, diuidat cum sanctis. Non enim plus exigitur, quàm sibi debet retinere, quia diliges, inquit, proximum tuum sicut teipsum. Vnde Zacchæus: Ecce dimidium, inquit, bonorum meorum do pauperibus. *Vt vestra abundantia ad illorum inopiam, & illorum abundantia fiat ad vestram inopiam.*) Hoc est quod dicit, vt quia iuxta tempus sanctis inopiam patiuntur deserentes omnia mundi, & se in diuinis solis operibus constituentes, vt doctrinæ & orationi insisterent ad profectum multorum: ij qui credunt, quíque uxoribus aut negotiis insistunt, aut certè facultates paternas habent, ministrent sanctorum inopiis: & iterum sancti illic vbi diuites sunt, & isti inopes, communicent eis, quasi vicem rependentes ministerio illorum; sicut dicit dominus: Quandiu fecistis vni ex minimis istis, mihi fecistis. *Vt fiat æqualitas, sicut scriptum est.*) Hæc est æqualitas, vt quia isti in hoc tempore ministrant sanctis, reddantur illis vices in futuro, debitores enim sibi faciunt sanctos. *Qui multum habuit, non abundauit: & qui modicum, non minorauit.*) Hoc in Exodo legitur. Plus enim sancti habent in spe futuri seculi, magis quàm ij qui in hoc tempore videntur diuites: & tamen æquabuntur illic † vtrique, vt sicut beneficio horum sanctorum inopia sustentatur: ita & beneficio sanctorum diuites fiant hi in futuro seculo, in quo videntur pauperes. Non enim totos se dederũt Deo, vt hîc pauperes, illic essent diuites: sed ex hac parte qua hîc diuites sunt, illic pauperes, sanctorum suffragio qui hîc positi iam illic mente sunt, ditabuntur. Non enim qualecunque meritum est de iustis laboribus ministrare sanctis. *Gratias autem Deo, qui dedit hanc ipsam solicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam consolationem quidem accepit.*) Deus qui iustus est, sciens Corinthios velle proficere, Titi affectum incitat circa eos, vt adimpleret exhortatione sua voluntatem illorum in opere bono, qui videns profectum illorum consolatus est lætatus in eis. *Cùm sit autem solicitior, voluntarius profectus est ad vos.*) Hoc est, videns proficere illos circa bonos actus, solicitior factus est circa affectum illorum: ita vt voluntarius proficisceretur ad eos, qui prius etiam rogatus excusaret ab eis propter vitia illorum. *Misimus autem cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias. Non solum autem, sed etiam ordinatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostræ in hac gratia quæ ministratur à nobis per domini gloriam, & solicitudinem nostram.*) Istum commendat, quia ignorabatur ab his vt scirent in quanta iam essent boni opinione, ad quos tales viri mittebantur, vt congauderent, cum eis, augentes eos in fide operationis Dei: ad cuius gloriam solicitè hoc agebant vicarij Christi, vt conditor Deus cœli & terræ agnosceretur in his. *Deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis.*) Quoniam de ministerio agebatur, ideo hoc subiecit, ne negligens circa curam pauperum vel sanctorum iudicaretur, si hoc segnius ageret. De hac enim re constituerant inter se apostoli, vt memores essent pauperum: quod ad Galatas significat. Cùm ergo inuituperabilis esset in omnibus Apostolus, ne in hac causa indiligens iudicaretur, idcirco hoc se præmonere significat, vt hoc opere impleto in omnibus solicitudo eius & prouidentia appareret. *Prouidemus enim bona non solum coram Deo, verumetiam coram hominibus.*) Prouidet bona coram Deo, dum quod iubet Deus circa ministerium sanctorum vel pauperum, fieri docet. Coram hominibus verò prouidet bona, quia tales mittit ad hoc opus exhortandum, qui probitate sua non faciant eis scandalum, sed prouocent eos ne bona doctrina Apostoli, per improuidos ministros eius in vituperationem caderet. *Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpe solicitum esse, nunc verò multò solicitiorem multa fiducia vestri, siue per Titum qui est socius meus & adiutor in vobis, siue per fratres nostros apostolos ecclesiarum gloriæ Christi.*) Titum ideo socium suum vocat, quia & ipse episcopus erat. Cui ministrum dedit notum in omnibus ecclesiis ipsius prouinciæ. Quibus addit & tertium fratrem probatum in multis operibus bonis atque solicitum. Per Titi autem relationem referentis bonam voluntatem Corinthiorum & cæterorum missorum quos apostolos ecclesiarum gloriæ Christi appellat, solicitiorẽ se factum ostendit videndi illos, & exhortandi ad ministerium sanctorum. Fiduciam enim accepit, audiens meliores esse factos Corinthios. Vnde fatagebat ad eos, certus quia obaudirent bona opera facere. *Ostentationem ergo charitatis vestræ, & nostræ pro vobis exultationis demonstrate in ipsis in facie ecclesiarum.*) Commonet eos, vt in his quos mittit, dilectionem suam ostendant, vt bona quæ de ipsis audierant, vera probarent. Sic enim ostendebant, profecisse se monitis Apostoli, si missos ab eo cum honore exciperent, vt cæteræ ecclesiæ agnoscerent vera esse bona quæ de eis dici cœperant. Prouocat ergo animos eorum, quia de quo bene sentitur, solet se meliorem præbere.

CAPVT NONVM.

Nam de ministerio quod fit in sanctos, superuacuum est mihi scribere vobis. Scio enim promptam voluntatem vestram de qua pro vobis glorior apud Macedones.) Et hæc oblectantis verba sunt. Superfluum enim esse dicit scribere se de ministerio quod fit in sanctos, vt de his bene sentire videatur. Superfluum est enim si commoneas eum quem scias facturum. Sed vt diligentiam suam ostendat, necessarium est vt scribat, & vt prõtiores faciat, & quid de eis cæteris prædicet manifestet. Nam superflua solent maiorem parere solicitudinem. Nam tatis fructum haberent. Qui enim ad hoc dant ne arguantur

& do-

& dominus non dubitans de amore erga se Petri apostoli,
Ioan. 21. tertio dicit ei: Simon Ioannis amas me? Quæ trina repetitio
A quasi superflua videtur, sed prodest ad perfectionem monitionis, vt sciant magna se cum diligẽtia debere curare quod frequenter mandatur. *Quoniam Achaia parata est ab anno priore.*) Post Macedonas Achaia, id est, ecclesiæ prouinciæ Achaiæ, non omnes, quia & Corinthij Achaici sunt, præparauerant se æmulatione ducti Macedonum vt ministrarent sanctis. Quo dicto plus exhortatur Corinthios cùm dicit illos paratos ab anno priore, sed expectare iam hoc vt diuideretur ministerium illorum pro vniuscuiusque necessitate. *Et vestra æmulatio prouocauit plures.*) Post Macedonas Achaiã paratam dicit, deinde vt & Corinthij fiant parati secundum promissum suum: cæteræ verò ecclesiæ æmulatione Corinthiorum, dum audiunt illos prius multis erroribus fuisse implicatos, post autem corrigentes se bonæ voluntatis effectos, incitati sunt ad bonum opus: quia si ij qui post acceptã fidem malè verfati sunt, hanc occeperant habere voluntatem: quantò magis isti in quibus hæc vitia non sunt reperta? *Misi autem fratres, ne gloria nostra qua vos præferimus, inanis fiat in hac parte, vt quemadmodum dixi, præparati sitis.*) Hos fratres memorat quos suprà, id est, Titum, & quos ei adiunxit adiutores, qui impensius exhortarentur eos ad promissionem implendam in ministerio sanctorum: vt non solum literis, sed & facie ad faciem oblectarent eos crebris admonitionibus, ne exultatio Apostoli qua in splendore animi eorum gloriabatur, euacuaretur. Sæpius ergo hoc memorans, solicitudinem suam circa eos ostendit, nolens illos confundi. *Ne cùm venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus, vt non dicam, omnes vos in hac parte.*) Manifestum est quia si non hoc inuentum fuerit quod testificatus est de his, & ipse erubescat in ipsis, & ipsi amplius confundantur, qui nec propterea quòd testis eis extitit Apostolus, id agere nisi sunt, quo verum illud facerent, vel propter tanti viri personam. *Necessarium ergo existimaui rogare fratres vt præcederent ad vos, & præpararent promissam benedictionem hanc vestram paratam esse: sed sic quasi benedictionem, non quasi circunuentionem.*) Vt solicitudinem suam adhuc manifestet, rogasse se dixit fratres per quos admoniti adimplerent quod promiserant & non implebant. Cùm suprà Titum dicat voluntarium profectum, hoc est, non illi fuisse extortum, sed mox vt audiuit, libenter amplexus est, vt videatur voluntarius ad illos profectus propter spem illorum: nunc non ideo se rogasse hos significat quasi nolentes ire sed suum affectũ probat circa illos, quando volentes ire insuper rogat, vt sine aliqua mora fiat quod & illi volũt, & hic precatur. Hoc ergo agit cũ his, vt in promissione sua fideles sint, & se ideo commonere propter existimationem illorum, non circunuenire, sed vt tantum offerant quantum non pœniteat. *Hoc autem dico: Quia qui parce seminat, parce & metet.*) Parcum, auarum significat, cui extorquetur vt inferat. Pœnitet enim quia promisit. Hoc de tarditate illorum collegit qui olim promiserant, & diu deliberabant. Huic parco perparua messis est: quia cum dubitatione seminat: nescit enim prodesse quod facit. *Qui autem in benedictione seminat, in benedictione & metet.*) Hic in benedictione seminat, qui bona voluntate
D sub spe futuræ retributionis hoc facit. *Vnusquisque secundum propositum cordis, non ex tristitia aut necessitate. Hilarem enim datorem diligit deus.*) Docet illos tunc prodesse hoc in futurum, si læto animo fiat. Ex iis enim qui inferunt, hunc elegit deus cui retribuatur, qui deuoto corde operatur, quasi thesaurizans sibi apud deum, quia qui inuitus facit propter præsentem pudorem, ne aliis inferentibus turpis inueniatur, mercedem non habet. *potens est autem deus omnem gratiam abundare facere in vobis.*) Dei potentiam adesse illis exoptat, vt sicut in emendandis vitiis & doctrinæ veritate compungit corda illorum, ita & in hoc faueat cœptis illorum, vt abundent in omni opere bono per gratiam dei. *Vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omni opere bono.*) Hoc dicit & optat, vt in omni re semper sufficientes sibi sint dei nutu, nec indigeant iis quæ ad salutem necessaria sunt. Si ergo sufficientiam solam sibi eligant, poterunt in dei opere abundare. Illud enim sibi retinendo quod sufficit, cætera in vsus sanctorum vel pauperum impendãt necesse est, & hoc erit abundare in omni opere bono. Licet enim exigui hominis parum sit quod tribuit, abundat tamen, quia recto iudicio fit: & non solum quæritur quantum, sed & de quanto, & quo animo detur. Denique illa vidua in euange- Luce 21.
lio de paruo laudata est: & qui multa mittebant laudati non sunt. Illius enim paruum multum est, quia plus misit quàm poterat. Diuites autem minus miserũt, cùm plus possent: ac per hoc modicum illius, quia vltra vires suas misit, plus inuentum est, quàm diuitum multum, quia de eo quòd abundabat eis, miserunt. Qui ergo tantum dat quantum potest, rectè facit: viduam tamen illam ante se habet, quia hæc omne quod habuit, misit. *Sicut scriptum est: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum.*) Hoc in psalmo scriptum est cẽtesimo vndecimo. Per exemplum addit ad curam pauperum, vt in omni opere bono abundent. Si enim huius qui pauperibus largitur, iustitia manet in æternum, quantò magis eius qui ministrat sanctis? Pauperes enim possunt dici
B qui publicani egeni sunt. Sancti enim discernuntur ab his, quia hi serui dei sunt, insistentes orationibus & ieiuniis, puram vitam agẽtes sicut & Anna prophetissa, quæ non discedebat de templo, ieiuniis & orationibus seruiens die ac nocte, omnem mundi curam postponens. Misericordia ergo hæc, iustitia appellata est, quia sciens qui largitur, omnia deum communiter omnibus dare, quia sol eius omnibus oritur, & pluit, & terram omnibus dedit: idcirco diuidet cum iis qui copiam terræ non habent, ne beneficiis dei priuati videantur. Iustus ergo est qui sibi soli non detinet quod scit omnibus datum, & iustus non solum in tempore, sed & in æternum, quia in seculo futuro hanc habebit secum in perpetuum. *Qui autem subministrat semen seminanti, & panem ad edendum ministrabit, & multiplicabit semen vestrum, & amplificabit fructum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletemini in omni simplicitate.*) Omnia dei sunt, & semina & nascentia dei nutu crescunt & multiplicãtur ad vsus hominum. Deus ergo qui
C hæc dat, ipse & iubet de his communicari eis qui indigent ac per hoc non poterit qui tribuit iuxta dei voluntatem, dei nutu non augeri incrementis huiusmodi ad amplificandum fructũ iustitię. Danti enim addit, vt eo amplius habeat vnde largiri. Hæc est iustitia, vt quia deus dat, retribuat ex eo & homo ei cui deest. Hos enim vult ministros esse eorum, qui potiora eligentes copias præsentis temporis spernunt, totos se dei rebus obligantes. Vnicuique enim secundum bonam voluntatem deus præstat auxilium. Sancti enim qui nihil volunt hîc possidere, nisi victum habere & vestitum: hos qui hîc habere volunt, tutores illorum deus esse disposuit, vt qui bene & simpliciter eis ministrauerit, amplificetur dei nutu, vt habeat vnde largiri semper, & ad præsens locupletatus, & in futurum. Semel enim seminans, bis metet, ita vt si futuris consulit spebus, nolit eos subiectos habere, sed magis se eis inclinet, quia à deo huius rei accipiet mercedem. Si enim ad præsens humiliari eos sibi voluerit, spem futuræ amittit. Hic enim accipit mercedem operis sui, non simpliciter hoc agens, sicut dicit dominus: Amen dico
D vobis, perceperunt mercedem suam. Si quis operatur per Matth. 6.
nos gratiarum actionem deo, quoniam ministerium officij eius non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed & abundabit per multarum gratiarum actionem in deo, per probationem ministerij huius magnificantes deum in subiectione confessionis vestræ in euangelio Christi in simplicitate communicationis in illos, & ipsorum orationes pro vobis desiderantium vos videre propter superabundantem gratiã dei in vobis. *Gratias deo super inenarrabili dono eius.*) Hoc dicit quia quicunque operatur per dispensatores doni dei hoc opus, vnde gratiæ agantur deo, ab iis qui necessarios sumptus accipiunt sub nomine Christi non mendicitati subiecti, sed deo, de cuius bonis ali se norunt: non tantum ab eis gratiæ illis referuntur, sed à reliquis fratribus, qui pro his gratias agant deo, commendantes factum ipsorum domino, vt paucis tribuentes, multorum obsecrationibus deo commendentur. Probantes enim mentem eorum in hoc opere magnificant

1957

gnificant in eis dominum, cuius ſpe firmati obediunt euangelio Chriſti in ſubiectione mentis, ne velint eos ſibi humiliari vt præbeant quæ neceſſaria ſunt ſanctis. Et hoc erit in ſimplicitate hoc agere communicationis illorum, commendantes ſe orationibus illorum, & deſideriis eorum. Quis enim non cupiat oculis videre neceſſitatibus ſuis propter Dei nomen ſubiectos? Denique Dei dona vocantur. Deo enim dat qui in his miniſtrat, quia qui iubet fieri, ipſi imputantur quod datur. Gratias Deo in his agentes, & ſuper ineffabili dono eius. Donum enim Dei eſt quod incitat homines ad bonum opus. ſpes enim promiſſa laceſſit ad miniſterium ſupradictum.

CAPVT DECIMVM.

IPſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinẽ & modeſtiam Chriſti qui ad faciem quidẽ humilis ſum in vobis, abſens autem confido in vobis.) Hoc eſt quod nunc dicit, quia talis eſt abſens, qualis & præſens. Nec enim humilis erat ad faciem adulatione aut ſubiectione alicuius rei, qui conſtantiam ſuam ſic zelabatur, vt aliquando etiam à licitis temperaret ne inclinaretur. Vnde dicit in alia epiſtola: Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. eſca ventri, & venter eſcis, & hunc & hæc Deus deſtruet. Ideo ergo abſens obſecratur, & modeſtiam Chriſti interponit, ne præſens durior inueniatur cauſa vitiorum eorum, quàm eſt in epiſtola, vt componentes ſe qui adhuc non emendauerant, mollirent ſibi rigorem Apoſtoli, vt moderatos eos inueniens, preſſa ſeueritate lætaretur in eis. Confidentiam itaque fiduciam ſeueritatis ſignificauit, quam fortè in epiſtola tantum habere putabatur, non tamen præſens facie, quia in prima epiſtola ſeuerus & nimis rigidus videbatur, ideo commonet, ne eadem ſeueritate præſens vtatur, ſicut non ſperabant

ROgo autem vt non præſens audeam per fiduciam qua exiſtimor audere in aliquos qui arbitrantur nos ſecundum carnem ambulare.) Idem ſenſus eſt, quem vt dilucideret, repetit. Orat enim vt tales illos inueniat, ne cogatur iraſci, ſed vt requieſcat cum eis. Hic ergo aperuit quod ſupra ſignificauit, & adhuc in ſubiectis plenius manifeſtat, hanc eſſe confidentiam quam hic fiduciam dixit, datæ ſibi poteſtatis à Chriſto cuius vicarius eſt, vt vindicet in eos qui ſub nomine Chriſti agentes non obaudiunt vt corrigãt in quibus reprehenduntur. Hos dicit qui non recipiendo ſpiritalia quę ab Apoſtolo dicebantur, ſic cum exiſtimabant quaſi carnalia loqueretur, quæ recipienda non eſſent. Ideo dicit, Qui nos arbitrantur ſecundum carnem ambulare: quia qui ſpernit ſpiritalia, putat illa carnalia. *Nam in carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus.*) Hoc eſt, in corpore poſiti ſpiritaliter viuimus. Spiritaliter autem viuit qui facit quod placet Deo. Hic ergo ſecundum carnem militat qui deſideriis carnis obtemperat. Omnis enim error, caro dicitur. Chriſto autem ipſe militat qui obaudit eum in fide & diſciplina, *Arma enim militiæ noſtræ non carnalia, ſed fortia Deo.*) Ideo fortia quia incorrupta. Omnia enim carnalia corrupta ſunt. Arma ergo ideo, quia repugnant vitiis, ſignum habentia imperatoris ſui Chriſti, qui hoſtis eſt vitiorum. Sicut enim imperator per milites ſuos vindicat ſuum regnum, ita & ſaluator per nos ſeruos ſuos defendit vnius Dei profeſſionem & diſciplinam. *Ad deſtructionem munitionum cogitationes deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus cognitionem Dei.*) Arma ſpiritalia fides eſt incorruptæ prædicationis. Per hæc Deus vincit principes & poteſtates, quos conſtat vt ſibi vſurpent imperium, extolli cõtra fidem Chriſti cogitationibus ſe hominum inſerentes, vt auocent eos à Dei dominio, quas cogitationes deſtruit veritas fidei. Munitiones ergo principes dicit, & poteſtates & ſpiritalia nequitiæ, qui ſe extollũt, & armãt infidelium animos ad cõtradicẽdum Chriſto, cõtra quos pugnat Dei lex diſſipãs cõſilia eorum. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum ad obedientiam Chriſti perducentes.*) Captiuat intellectum dum contradicentem ratione vincit, & ad fidem Chriſti cui prius repugnauerat, humilẽ & manſuetũ inducit. *Et parati in omnibus vindicare inobedientiam, cùm impleta fuerit obauditio noſtra.*) Manifeſtum eſt quia vindicat inobedientiam cùm illam condemnat per obedientiam, tunc illam deſtruens quando eos qui reſiſtunt, perducit ad fidem, vt perfidia ab iis à quibus defendebatur, damnetur. *Quæ ſecundum faciem ſunt, videte.*) Nunc vult eos quæ palam ſunt conſiderare, id eſt, ea quæ dicturus eſt, quia ſunt aperta, diiudicare. Dicit ergo, Si quis confidit ſe eſſe ſeruum Chriſti, hoc cogiter iterum apud ſe, quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos. Iis loquitur quorum tangit ſuperbiam, qui de ſe præſumentes inflatione animi, minus quàm dignum erat de Apoſtolo ſentiebant, quaſi non egerant præceptis eius. Quos commonet vt ſi de ſe confiderent quia erant ſerui Chriſti, non vtique deberent de Apoſtolo dubitare, ſed & de eo, quanuis impar ſit, vel ſimiliter ſentire, cùm vtique magis præferre ſibi deberent magiſtrum gentium. Sed hic illos humilitatem in ſe docet, æquans ſe illis, cùm eſſet vas electionis, & magiſter gentium in fide & veritate. Hoc ergo vult illos conſiderare, quod vtique clara luce videtur, quia de Apoſtolo nemo credentium non plus æſtimet quàm de ſe, quanto magis nemo minus quàm de ſe debeat æſtimare. Hoc ergo conteſtatur & docet, ne elatione mentis bonæ vitæ meritum perderent. Qui enim ſcit ſe aliquid eſſe, humiliet ſe, vt amplior fiat. *Nam & ſi aliquid amplius gloriatus fuero de poteſtate noſtra quam dedit nobis dominus in ædificationem non in deſtructionem veſtri, non erubeſcam.*) Nunc ſignificat quia ſuperius ſe humiliauit, ipſiſe comparando, cùm ſi ſe erigat, non erubeſcat, quia à domino accepit poteſtatem prædicandi, vt ſaluet, non vt perdat obaudientes. Si ergo hic qui à domino miſſus eſt, inclinat ſe, & comparat ſe inferioribus, quantò magis ij qui nullius erant teſtimonij, comparare ſe non deberent, non dicam præferre maioribus? *Vt non exiſtimemur quaſi terrentes vos per epiſtolas.*) Ipſe poteſt videri terrere per epiſtolas qui neque authoritatis alicuius eſt, neque præſens fiduciam habet arguendi: abſens autem ideo audet, quia præſens timet. *Quia epiſtolæ quidem graues & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis. Hoc æſtimet qui huiuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales ſumus & præſentes in opere.*) Ideo non ſe alium eſſe abſentem quàm præſentem probat, quia non erat præſumptor. A domino enim poteſtatem acceperat. Cui enim non eſt data poteſtas, abſens poteſt audere, præſens autem pudorem patitur. Ideo Apoſtolus non erubeſcit dum corripit, quia fiducia poteſtatis hoc agit. Hæc propter hos loquitur, qui non miſſi prædicabant adulantes quia ſe ipſos commendare volebant. *Non enim audemus coniungere aut comparare noſmetipſos quibuſdam qui ſeipſos commendant.*) Hi ſeipſos commendant qui non accepta poteſtate dominari volunt, nomini ſuo vindicantes authoritatem. Qui enim mittitur: non ſibi, ſed ei à quo mittitur, vindicat poteſtatem: per quod etiam oſtendit ſe à domino diſpenſatorem electum. Sic ergo non coniungit ſe aut comparat iis qui non miſſi prædicant, dum nihil vltra conceſſum præſumit. *Sed ipſi in nobis noſmetipſos menſurantes, & comparantes noſmetipſos nobis, non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ quam partitus eſt nobis Deus menſuram pertingendi vſque ad vos.*) Tanta ſe vti dicit poteſtate, quanta conceſſa eſt ab authore, nec menſuram egredi. Idcirco non ſuperba erit gloria, inquit, noſtra, quando non egredimur terminum datę poteſtatis. Gloriam pro authoritate poſuit, qua vtebatur in correptionibus peccatorum vt ſaluos eos faceret. Nec tamen gloriari ſe dicit in extollentia poteſtatis, ſed ad ædificationem illorum. Oſtendit enim poteſtatem: de qua ſi gloriari vellet, non illum puderet, quia data eſt illi à domino. ſed hic ſic illa vtitur, vt non glorietur niſi in profectu credentium, corripiens conſtanter vitioſos, vt glorietur in ſalute illorum, vt poteſtas data ſaluti proficiat, non elationi. Duplici ergo genere non ſe in immenſum gloriari teſtatur, & ſecundum datam poteſtatem, ſicut dixit, & quia non vltra quàm prædicatio eius perſonabat, vindicabat ſibi authoritatem. De his enim confidebat, quos ipſe fundauerat in fide Chriſti. Partitum enim dicit vnicuique ad quos in prædicatione dirigeretur, vt ſinguli proprias aliquas

ciuitates

ciuitates haberent, de quorum fide gloriarentur. Dei enim nutu Macedonibus prædicare aduocatus est hic Apostolus: & vt Corinthiis euangelizaret, à domino monitus est. Iis ergo audenter loquitur quos ipse fundauit, & ad quos dei nutu peruenit: cæteris non tali fiducia, quia in aliena regula erant, hoc est, in parte alterius euangelistæ. *Non enim quasi non pertingentes vsq; ad vos superextendimus nos.*) Hoc est, non quasi non missi peruenimus vsque ad vos in prædicatione, sed destinati, deo mittente nos ad vos. Superextendi autem est, vltrà extendi quàm conceditur. Sed non vltrà, quia mẽsuram dedit deus quam seruarent euangelistæ eius, quam hic se custodisse testatur. Ideo enim hoc ostendit, vt sciant quoniam à deo ad hos directus est, ac per hoc obaudire illos debere monita eius, ne contemnentes, deo à quo missus est, resistere viderentur. *Nam vsque ad vos peruenimus in euangelio Christi, non in immensum gloriãtes in alienis laboribus.*) Hîc manifestius apparet quod dicit, quia ipse illos fundauerat, ideo tanta fiducia ad hos loquitur. Nec enim labore alterius acquisiti
1.Cor.4. fuerant ad fidem, sicut in alia epistola ait: In Christo enim per euangelium ego vos genui. Non ergo extra mensuram gloriatur, qui in labore suo gloriatur. *Spem verò habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari.*) Quia fructum laboris sperat quæsitæ fidei eorum, idcirco non negligẽter hoc agere se profitetur, ne tædiis & molestiis cederet: quia magnificari se credit apud deum, si augeãtur in fide auditores eius,
Ioan.17. sicut dicit dominus: Pater, sicut misisti me in hunc mũdum, & ego misi eos in hunc mundum, & pro eis sanctifico meipsum. Hoc dicit quia testimonium magistri est in discipulis obaudientibus. Vnde ait: *In vobis magnificari secũdum regulam nostram in abundantia, in regionibus quæ vltra vos sunt euangelizare.*) Lætior de fide eorum vltra eos prædicaturum se necessario profitetur ad augendam gloriam prædicationis, vbi adhuc non fuerat prædicatum. *Non in aliena regula præparatis gloriari.*) Manifestum est quia vir prudens non in his confidit, neque gloriam spetat, quæ in aliorum laboribus constant. Ideo & Apostolus non audet in hos qui aliis prædicãtibus crediderũt, ne in alienis laboribus gloriari videretur, sed hoc nititur, vt eis prædicet quibus non erat annunciatũ,
1.Cor.1. vt gloriam labori suo quærat. *Qui autem gloriatur, in domino*
Hierem.9. *glorietur.*) Hoc dicto significauit ipsam confidentiam & gloriam domino dandam, cuius gratia est vt qui in potestate euangelica confidit, deo auctore confidat, vt quæstus omnis negocij diuini domino in lucrum veniat. Sed qui non accipit potestatem à deo, non potest in domino gloriari, quia gloriam suam quærit. *Non enim qui seipsum commendat probatus est, sed quem dominus commendat.*) Verum est, quia illum dominus commendat & probatus est, quem dignum habet ac mittit vt prædicet donum eius. Quem autem non mittit, non illum commendat. Ipse autem se commendat qui non missus prædicat, ac per hoc idoneus non est, sed præsumptor & reprobus.

CAPVT VNDECIMVM.

VTinam sustineretis pusillum imprudentiam meam, sed & patimini me.) Incipientem se vera de seipso narrare, insipiẽtem se dicit, quia ad laudem eius
Prou.27. videtur pertinere. Propter quod dictum est: Nõ te laudẽt labia tua, sed proximi tui. Sed hic dolore compungitur propter hos qui cùm de eo bene præ cæteris sentire deberent, indignè sentiebant. *Zelans enim vos dei Zelo, paraui enim vos vni viro virginem castam aßignare Christo.*) Quæ locuturus est amore eorũ dicturum se ostendit, vt non magis ad laudem eius proficiat, sed ad profectum horum, vt discant quemadmodum parenti suo in euangelio faueant, quia vituperatio patris, detractio filiorum est: & laus filiorum, gloria patris est. Virgines ergo vult eos esse in fide. Vnde & corruptores fidei zelatur ab his vt in die iudicij incõtaminatos eos assignet iudici Christo. Hinc est vnde in Apocalypsi Ioannis legitur: Hi sunt, inquit, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim permanserunt, Hi
Apoc.14. sequuntur agnum quocunque ierit. In mulieribus errorem
3.Reg.18. significauit, quia error per mulierem cœpit, sicut & Iezabel mulierem dicit propter vxorem Achab, quæ zelo Baal dei prophetas occidit, cum intelligatur idololatria, qua corrũpuntur mores, & fidei veritas. Nam si mulieres, mulieres intelligas, vt ideo putes virgines dictos, quia corpora sua inomnes apostoli, exceptis Ioanne & Paulo, vxores habuerũt. Et vide an conueniat accusare Petrum apostolum, qui primus inter apostolos est, quantò magis inter cæteros. *Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic sensus vestri corrumpantur à castitate quæ est in Christo Iesu.*) Ostendit qua causa cogitur vera de se protestari. Ad hoc enim gloriam sibi datam profitetur, non vt se laudet, sed vt illos deformet qui sub nomine Christi contra Christum prædicabãt, à quibus Corinthij seducebantur, & veritas hæc his magis quàm ei proficeret. Hoc enim ait ne audiãtur seductores quos diabolo comparauit propter astutiam malitiæ eorũ, quia corrumpere fidelium corda à veritate Christi conantur. Hoc ergo timens semper solicitus de eis est ne violentur.

NAm si is qui venit, alium Christum prædicat quem nõ prædicamus: aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis, aut aliud euangelium quod non recepistis, recte pateremini.) Quare, Rectè ait pateremini si alius vobis Christus prædicatus fuisset, aut si alius spiritus, vel aliud euangelium traditum vobis fuisset, cùm dicat Ga- Galat.1.
latis, Si quis vobis annunciauerit præterquam quod accepistis, anathema sit? Si Galatis peruersum erat aliud accipere, quàm ab apostolis fuerat traditum: quomodo Corinthiis rectum erat si alius Christus prædicatus illis fuisset? Sed sciens Apostolus nunquam alium Christum quàm hũc qui crucifixus est prædicari, idcirco ait, Rectè pateremini si vobis alius potior Christus ab iis qui veniunt prædicatus fuisset. Galatis autem anathema dixit, si aliud audirẽt quod non vtique maius esset, sed contrarium. Porro autem, inquit, si ipse Christus prædicatur ab iis qui à nobis annunciatur, & hoc euãgelium, quid causæ est vt nos inferiores habeamur, cùm nihil amplius ab illis addiscatur? Superius de pseudoapostolis loquitur fidei corruptoribus, hoc loco autem de veris prædicatoribus, quia plebs Corinthiorum variis erroribus fluctuabat, vt aliqui fauerẽt pseudoapostolis, quidam eis à quibus compositis verbis eadem audiebant quæ ab Apostolo audierant. Alij autem apostolis fauebant, quia cum domino fuerant, apostolum suum Paulum deformantes, quia in carne non viderit dominum nostrum. *Existimo enim me in nullo inferiorem fuisse ab iis qui valde sunt apostoli.*) Non vult gratiam dei inferiorem in se videri, quia similiter docuit, & eadem fecit quæ faciebant apostoli qui propensiores videbantur, quia priores cœperant docere, & fuerant cũ domino, vnde maioris authoritatis esse putabantur: cùm huius Apostoli electio cum testimonio sit, & amplius cæteris laborauerit, & dominum in templo orans viderit, & locutus sit ei. *Sed & si imperitus sermone sum, sed non scientia.*) Hoc non ad apostolos pertinet, quia non erant eloquentes, vtpote sine literis, pleni tamen spiritu sancto, sed hos tangit quos præferebãt Corinthij causa accurati sermonis, cùm in religione vis sermonis necessaria sit, non sonus dulcis. Quomodo tamen se humiliat, vt imperitum se esse dicat in ser-
Act.26. mone? & vbi est illud quod Festus ait, Paule, Paule, inquit, multæ literæ te faciunt extorrem? Hoc ergo dicens, non se loqui nescire voluit intelligi, sed propter eos qui non per fidem, sed per eloquentiam commendari volebant. Et in eo tamen dixit se imperitum quod non habet crimen. In eo autem quod non caret crimine, & acquirit salutem, non se imperitum pronunciauit, quia qui imperitus est in sermone, reus non est apud deum: qui autem scientiam dei non habet, reus est ignorantiæ: quia non licet ignorare, maximè quod pertinet ad salutem. Quamobrem Apostolus spreta eloquentia id agebat, vt fides teste virtute acceptabilis esset, vt non fidem eloquentia commendaret, sed virtus cui cedit eloquentia. *In omnibus autem manifestus sum vobis.*) Manifestum se dicit esse Corinthiis in omnibus, quia non ignorabant etiam loquendi habere illum peritiam, & hoc scientes aliis fauebant in eo quòd istum inferiorem nesciebant, ideoque commotus loquitur, quia hoc peius erat, cum

1961

cùm scirent illum in nullo deesse, humiliarent illum cæteris: cùm vidissent per eum non solum impleri prædicationem, sed & signa & prodigia fieri Apostolica. *Aut nunquid peccatum feci meipsum humilians, vt vos exaltemini, quoniam gratis euangelium Dei prædicaui vobis?*) Quoniam inflati erant eo quòd sumptus ab eis accipere noluit, & propter hoc alios ei præponebant, idcirco nunquid peccaui, ait, quia me humiliaui vt me indignum ad accipiendum iudicarem, quia inde mihi irascimini, cùm hoc non peccati sit, sed gloriæ. Itaque sic se humiliauit, cum id quod sibi debebatur, non exegit. Debitum enim erat vt sumptus ab iis acciperet, quibus prædicabat euangelium Dei, sicut dominus instituit, dicens: Dignus est enim operarius mercede sua. sed vt ad vtilitatem eorum proficeret, refutauit. Duabus enim ex causis oblatos sumptus refutauit, ne & pseudoapostolis similis inueniretur, qui non ad gloriam Dei, sed ad suam vtilitatem prædicabant, vt non occasionem acciperent deprædandi. Alio enim non accipiente non potest alter multum expetere, & ne vigor euangelicæ potestatis torpesceret. Qui enim à peccantibus accipit arguendi authoritatem amittit. Sic ergo exaltantur, cum ideo ab eis non accipitur, vt correpti emendentur, à morte eleuati ad vitam. *Alias ecclesias expoliaui, accepto stipendio, ad ministerium vestrum. Et cùm apud vos essem & egerem, nulli grauis fui.*) Onerat eos. Ostendit enim non solũ noluisse se accipere ab eis, sed & ab aliis accepisse, & eis ministrasse. Et vt multum hoc ostendat fuisse, non patuma it: Alias expoliaui ecclesias ad ministerium vestrum: non parua ergo significat se in eos impendisse. Cùm enim dicit, expoliaui, multa accepta & data significat, non extorta. Vnde subiecit, Accepto stipendio. Stipendium est enim quod militans accipit ad sumptus vice mercedis. Ruborem ergo incussit eis, quia non vtique dolo refutauit quando ipse eis ministrauit, & vt per hoc ministerium quod promiserant facilius implerent, scientes se esse debitores, vt non valde glorioſum iam sit ministerium eorum, sed debitum, nec vel inde se iactarent. *Et cùm apud vos essem, & egerem, nulli grauis fui.*) In tantum eis proficere voluit, vt egestatem suam consolaretur propter eorum salutem. Passus enim egestatem contentus fuit, ne illi aliquod scandalum paterentur. Qui enim dat, putat se exaltari, & iam se non patitur argui. *Nam indigentiam meam suppleuerunt fratres qui venerunt à Macedonia.*) A Macedonibus semper accepit, quia prius vitas sua correxerunt. Et sicut à Corinthiis accipiendum non erat, ne illis in scandalum proficeret: sic iterum à Macedonibus accipiendum erat, ne bene seminantes fructum amitterent. *In omnibus sine onere vestro meipsum seruaui, & seruabo.*) In eo permansurum se dicit, ac si se corrigant, propter pseudoapostolos, qui occasionem quærebant deprædandi eos. *Est veritas Christi in me quòd gloria hæc non infringetur in meis regionibus Achaiæ.*) Hortatur omnem Achaiam vt ministrent sanctis, sibi autem non permittere, ne cœptam gloriam non impleret. Gloria est enim à licitis abstinere, maximè ad aliorum salutem. In Achaiæ ergo regionibus noluit vti, in cæteris vsus est, & amplius promittit sub testimonio Christi dicens in eo se mansurum, ne aliquando ab Achaiæ regionibus acciperet. *Quare? Quia non diligo vos? Deus scit.*) Reddita ratione etiam Dei scientiam testem dat dilectionis suæ quam habebat erga eos: quia non illos diligebat, sed ideo magis quia amabat eos, vt hoc ipsum prodesset illis, sicut dixi. *Quod autem facio, & facturus sum, vt amputem occasionem eorum qui volunt occasionem, vt in eo quòd gloriantur, inueniantur sicut & nos.*) Gloria pseudoapostolorum in peiuriis erat accipiendis. Ideo Apostolus hoc refutauit, ne illis similis videretur, quia nisi hoc ab Apostolo fuisset vitati, maior occasio illis data fuisset accipiẽdi, aut magis extorquendi, quando in hac re formam ab Apostolo datam ostẽderent.

Huiusmodi enim pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.) Subdoli sunt, quia auaritiæ causa non religiosa mente, neque missi prædicabant Christum nomen Apostolicum vsurpantes. *Nec vtique mirum. ipse enim Satanas transfigurat velut angelus luminis.*) Manifestũ est quia frequenter multos fallit satanas ostendens se illis quasi angelum Dei, vt decipiat eos. Vnde Iesus Naue solicitus, quæsiuit quis esset qui ei apparuit. Et apostoli in naui perterriti putabant phantasma esse. Vnde Petrus Apostolus dicenti domino, Nolire timere, ego sum: non facilè credens ait, Si tu es, iube me venire ad te super aquas. vt si firmiter posuisset pedem super aquas, sciret verum esse quia non erat phantasma quod apparebat. *Non ergo magnum si & ministri eius transfigurãtur sicut ministri iustitiæ.*) Ministri iustitię Apostoli sunt, quorum se hi socios mentiebantur, vt deciperent audientes. *Quorum finis erit secundum opera eorum.*)

Marc. 6.

Exec. 18.

Sine dubio, quia iudicabuntur huiusmodi secundum animi sui nequitiam, quianon propter Deum, sed propter suum ventrem simulant seesse ministros Dei. Finem tamen illorum secundum opera illorum dixit, vt sicut opera & cura ventris interit, ita & hi interire intelligantur. *Iterum dico, ne quis existimet me insipientem: alioquin velut insipientem accipite me, vt & ego modicum aliquid glorier.*) Supra iam dixit, Vtinam sustineretis pusillum imprudentiam meam, hoc nunc repetit. Semper enim proponit, quod postea multis interpositis prosequatur. Quod ergo supra proposuit, modo incipit enarrare. Nam vera dicturus, velut insipientem se dicit quia videtur ad laudem eius pertinere. Vt & ego modicum, inquit, glorier. Modicum hoc dicit, quia in verbis, non in sensu est. Non ergo verè ad gloriam suam hæc loquitur, sed vult illis ostendere quia quos putant glorioſos, nihil plus ab hoc habent: ac per hoc si putantur hi glorioſi, & ego, inquit. Ideo insipientis hoc esse dicit, vt ad laudem suam aliquid prosequatur, se autem coactum hæc loqui. Dolet enim ei vt illos putarent sublimes hoc contempto, qui nihil plus ab eo haberent. *Quod loquor, non loquor secundum Deum.*) Secundum Deum non loquitur, quia ad carnis tumorem hæc pertinent, nec de inflatione apud Deum surgit gloria, quia apud Deum humilitas glorioſa est. *Sed quasi in insipientia in hac substantia gloriationis.*) Non plenam dixit insipientiam, sed ex parte: veritas enim est. Sed quia elatio vitioſa res est, ideo quamuis verum sit quod dicitur, quasi in insipientia tamen est vnumquemque laudare se. Plena autem insipientia est, si se falsis quis laudet. Ille enim superbus de vero est, hic stultus de falso. substantia tamen gloriationis in hac causa carnalis est, quia sicut flos fœni, ita decidit gloria ista. *Quia multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor.*) Hoc dicit quoniam aliqui ex Iudæis credentes præsumebant sibi quòd essent filij Abrahæ. Hoc est secundum carnem gloriari, nobilitatem sibi carnis vindicare. Inde enim sibi defendunt generis prærogatiuam, quia filij eius dicuntur qui Deo crediderit, cùm anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Si ergo hæc gloria est, inquit, & ego gloriabor quia & ego filius sum Abrahæ. sed nihil prodest filium esse Abrahæ apud Deum, quia fides est quæ saluat, non propago generis Abrahæ. ideoque hæc gloria carnis est gloria, vt puta si dicatur, filius nobilis hominis. *Libenter enim sustinetis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes,*) Insipientes appellat, qui de carnis circuncisione gloriabantur. Et quia à Corinthiis portabantur vt glorioſi viderentur, ideo Apostolus etiam se sustineri ab his vult, vt & ipse hoc se esse ostenderet quod erant hi, & non tamen gloriari ex hac parte secundum Deum: vnde gloriam hanc insipientiam vocat. Gloriari enim se dicit secundum carnem, sed hoc stultum esse profitetur, vt & gloriam hanc inaniret, & se coactum in laudem carnis erupisse doceret. Igitur ironia est hæc. Nam quomodo prudentes sunt qui sæpe reprehenduntur? Nam plus sapit insipientia Apostoli, quàm horum prudentia. Hic enim sapiens sustinet imprudentes, qui patientia sua suffert eos vt possint proficere, ne prouocans eos aut abiiciens, peiores illos faciat: aut certè si in illis proficere non potuerit, suam modestiam custodit. Horum in Corinthiis nihil est. Quomodo ergo libenter sufferunt imprudẽtes, cùm ipsi sint sapientes, nisi quia sic non vult intelligi sicut sonant verba? Hoc in sensu, & pronunciatione est, quia eadem quidem verba non eundem habent sensum aliter pronunciata, vt aliquando confirmet, aliquando neget quod dicit. Hi enim vt prudentes insipientes sufferebant falsos Apostolos.

Sustí-

Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit.) Hoc verum est, quia redigebantur in seruitutem, non per prudentiam, sed per stultitiam, vt famularentur pseudoapostolis. *Si quis deuorat.*) Nec hoc falsum est, quia contenti erant deuorari res suas à falsis doctoribus. *Si quis accepit.*) Accipere est aliquem dolo capere, ideoque significat hos capi à dolosis magistris, & ferre quod non expedit. *Si quis extollitur.*) Extollentia superbia est. Hos ergo tangit qui superbi erant malè taxantes Apostolum, & his non displicebat. *Si quis in faciem vos cædit.*) In faciem cæditur, in cuius os iniuria irrogatur. Nunc hos significat, qui eo quòd essent ex genere Abrahæ, obtrectabant eis quòd essent incircuncisi, se præferentes, hos humiliantes. *Secundum ignobilitatem dico.*) Ignobilitatem dicit hoc quod suprà ait: Et ego gloriabor secundum carnem. Non enim dicit ad laudem pertinere, quia infirmus nõ erat, in quo se iactabant quos occultè tangit. Vnde & adiecit: *Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte.*) Manifestum est quia non erat in hac gloria infirmus in qua se præferebant credentes Iudæi quos hi patiebantur, quasi apostolus eorum in hac re esset dissimilis, quia & ipse, erat de semine Abrahæ, ac per hoc infirmus non erat in hac gloria carnis. Infirmi autem hi iudicabantur, qui appliciti fuerant generi Abrahæ. Isti ergo quasi infirmi in eo quòd illi se præferebant, eo quòd essent Israëlitæ, in hoc ipso volunt se sufferri. Vt ostenderet in hac gloria carnis non se esse dissimiles & infirmos, cùm de sua causa loquitur, subinducit & Barnabæ personam socij sui.

1.Cor.9. Vnde & in prima dicit epistola: Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Non ergo minores erant in hac gloria in qua se Iudæi iactabant, sed non inde plaudebant. Denique dicit: *In quo quis audet? In insipientia dico, audeo & ego.*) Hoc est non fuisse infirmum in gloria qua se iactabant Israëlitæ, nec quidem in hac re prudentem iudicari: præferre enim se non solent prudentes. In insipientia ergo dicit audere se in eo quod audent ij qui se iactant eo quòd sint filij Abrahæ. Vt gloriam eorum inaniat, imprudentem se pronunciat, ne illi prudentes, viderentur in hac parte aut nobiles. *Hebræi sunt & ego, Israelitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego.*) In his parem se eorum de quibus suprà significauit, ostẽdit, vt detractiones eorum quibus indignus his iudicabatur, falsas ostenderet. *Ministri Christi sunt, velut insipiens dico magis ego.*) Vera de se dicens insipientem se pronunciat, vt intelligatur coactus ad laudem suam prorupisse. Nam qui sponte ea refert quæ ad laudem eius proficiant, imprudentem se non dicit. Ostẽdit ergo quæ sint quæ faciant illum ministrum Christi magis esse, quàm sunt reliqui prædicatores. Occasione enim inuenta, omnium tangit personas etiam apostolorum, dolens quia dei gratia minor in hoc iudicabatur, cum eadem operaretur quæ cæteri apo-

1.Cor.15. stoli, & fidei causa maiora exitia toleraret. Vnde & in alia epistola dicit: Plus illis omnibus laboraui. *In laboribus plurimis.*) Ideo in laboribus plurimis ait: quia & illi laborauerunt, sed non tantum. Hic enim à mane vsque in quintam horam victum manibus quærebat, & exinde vsque ad decimam horam disputabat publicè, tanto labore, vt contradicentibus suaderet. *In carceribus abundantius.*) Apertum est frequentius istum missum fuisse in carcerem quàm illos. *In plagis supramodum.*) Ideo supramodum, quia vltra quàm oportuit. Nam & illi cæsi sunt, sed non tãtum. *In mortibus sæpius.*) Verum est, quia hic frequẽtius pericula sustinuit quàm cæteri. *Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi.*) Hoc dicit, quia quinquies flagellatus est à Iudæis, secundum legem Moysi accipiens plagas triginta nouem, sicut scriptum est in Deuteronomio. Quod per quinque ergo vices factum est, hic summatim refert. *Ter virgis cæsus sum.*) Hoc à gentibus passus est. *Semel lapidatus sum.*) A Iudæis lapidatus est in ciuitate Lycaonia. *Ter naufragium feci.*) Qui omni tempore legitur nauigasse, aduersis procellis facilè fuit ter naufragiũ facere. *Nocte & die in profundo maris fui.*) Hoc factum est quãdo missus ad Romam cùm appellasset Cæsarem. Tunc desperatione vitæ in alto, hoc est, in profundo maris fuit, mortem ante oculos habens. Sic enim scriptum est in ipso loco: Ita vt desperaremus nos etiam viuere. *In itineribus crebrius.*)

Nunc alia memorat pericula, vt terra marique pro Christo vexatum se secundum carnem ostendat: *Periculis, ait fluminum.*) Si itinerum pericula recitat, quid est vt dicat periculis fluminum? Sed hyeme iter faciens, quia vtique imbres assidui sunt, egredientibus fluminibus incurrebat periculum. *Periculis latronum.*) Cùm in ciuitate diabolus eum occidere nõ posset, latrones illi excitabat in via, cùm nihil ferret, quæ latrones cuperent. *Periculis ex genere.*) Iudæorum dicit persecutiones, qui fratres eius erant secundum carnem. Dolebãt enim, quia spreta lege ad euangelium Christi se conuerterat. *Periculis ex gentibus.*) A gentibus persecutiones passus est, propter mysterium incarnationis domini nostri Iesu Christi, & vnius dei prædicationem. *Periculis in ciuitate.*) Vsque adeò sub periculo fuit in ciuitate, vt per feneſtram effugeret manus insidiantis sibi. *Periculis in deserto.*) Periculum hoc à Iudæis fuerat procuratum, quando eum factis insidiis in via volebant occidere. *Periculis in mari.*) Iam superius dixit, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: quod aliud fuit periculum in mari? Sed hoc est periculum quãdo in mari, hoc est, in naui milites cogitauerant omnes custodias occidere, ne quis enatãs effugeret. Quod periculũ Centurio prohibuit inferri ne Paulus occideretur, vt eum viuũ Romam perduceret. *Periculis in falsis fratribus.*) Falsi fratres ij sunt de quibus dicit ad Galatas: Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintrauerunt explorare libertatẽ nostram, quam habemus in Christo Iesu. Hi enim partim Christiani erant, partim Iudæi, in neutro perfecti, qui zelo legis Apostolo inuidiam excitabãt eo quòd prædicato Christo, legem iam cessare dicebat. Denique his perurgentibus Timotheum compulsus est circuncidere. Fictus ergo Christianus est, qui æmulatione legis persequitur Christianum, hic est falsus frater. Si enim tantum Iudæi erant hi, & propter Iudaïsmum frater eos falsos appellat, quid opus erat iterare: Iam enim superius dixit, periculis ex genere. Sed secũdum carnem non sunt falsi fratres, in Christo autem falsi sunt, quia non tota mente Christiani sunt. Fuerunt & alij falsi fratres, sicut Demas & Hermogenes. *In labore & molestia.*) Verum est, quia potest esse labor sine molestia. Sed hic ideo addidit & molestiam, vt laborem ipsum exitiosum ostenderet. *In vigiliis multis.*) Multæ fuerunt eius vigiliæ, sed aliæ voluntariæ, alteræ ex necessitate. In pressura enim positus, necesse erat vt vigilaret, dei quærens auxilium: & non solum diebus, sed & noctibus doceret, sicut dicit in Actibus apostolorum. *In fame, & siti.*) Fugatus frequenter à Iudæis persequẽtibus, necesse erat vt famem pateretur & sitim per inopiam. *In ieiunijs multis.*) Sæpius ieiunauit, vt dei adminiculo protegi mereretur. Ieiunat enim, qui dum habet quod edat, abstinet. *In frigore & nuditate.*) In frigore fuit, & nuditate, quando naufragium passus est. Denique ignem fecerunt, ait, & refecerunt nos propter pluuiam imminentem & frigus, Barbari in insula Melite. *Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea, quotidiana solicitudo omnium ecclesiarum.* Solicitudo hæc, quam dicit quotidianam, * detractionis vsu descendit, vt omnibus diebus commissum sibi populum instruat. Illa autem quæ supra memorat, superindicta sunt necessitate cogente. Dies enim ad operam datus est, nox ad requiem. Sed quia instabat necessitas, vt omnibus occurreret, etiam nocte docebat. Se enim affligere non dubitabat, ne dei gratia esset in ocio. *Quis enim infirmatur, & ego non infirmor?*) Compati se dicit omnibus, & condolere eo affectu, quo prouideat vulneri medicinam. Hoc autem ideo prosequitur, vt ostendat qua cura commissam sibi ecclesiam tueatur & regat, ac per hoc in nullo se minorem debere iudicari cæteris apostolis, quippe cùm, secundum quod declarauit, plus illis omnibus laborauit. Maiore enim inuidia laborabat apud Iudæos præ cæteris apostolis: quia cum persequeretur ecclesiam, subitò immutatus factus est defensor eiusdem, testificans atque confirmans quòd Christum, quem prius vt hominem mortuum æstimabat, de cœlo secum locutum audierit. Cuius testimonium necessario multi sequerentur, scientes eum de persecutore non vtique sine ratione factum defensorem. Hac causa excruciabantur Iudæi &

Gal.2.

Act.28.

* detractionis vsu

1965

dat & quærebãt eum semper interficere. *Quis scandalizatur, & ego non vror?*) Scandalizari est carnis pati desiderium, quãtum ad locum hunc pertinet. Et quia etiã inuiti solent scandalizari, illecti forma aut pulchritudine corporis, aut prauitate carnis calore. Apostolus autem necessitatem humanæ naturæ considerans, vri se dicit: vt consulat talibus compatiens infirmitati eorum: nec hos condemnans, sed commoneus in humilitate sermonis, vt spe promissi præmij repugnent stimulis carnis, ne quis eorum qui eum audiunt, desideriis carnis victi, desperantes de se, putantes iam non accepto ferre deum si corrigant, & in eisdem manentes, depereant. *Si gloriari oportet: in iis quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.*) Hoc dicit quia si gloriandum est Christiano, in humilitate gloriandum est, de qua crescitur apud deum, Vnde alio loco dicit: Cùm infirmor, tunc potens sum: hoc est, cùm humilior pro fratrum salute, tunc exaltor. Hinc gloriandum est, nõ de carnis progenię, quia est quis ex semine Abrahæ.

CAPVT DVODECIMVM.

B

(*Deus & pater domini nostri Iesu Christi scit, qui est benedictus in secula, quòd non mentior.*) Deum testem dat, vt quæ dicit, facilè credantur, propter hos duntaxat qui eum non vt verum apostolum honorificabant. *Damasci princeps gentis Arethæ regis custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet: & per fenestram in sporta demissus sum per murum, & effugi manus eius. Gloriari oportet, sed non expedit mihi.*) Princeps Damasci videns Iudæos insidias tendentes Apostolo, implere voluit per potentiam malam cogitationem eorum, vt ipse, si posset, eum comprehenderet, vt & Iudæis placeret, & vt diligens in officio sibi credito videretur, si eum quem perturbatorem audiret, causa quietis interficeret. Hoc inter ipsa primordia, tunc quando apparuit illi in via dominus eunti Damascum. Incensi sunt Iudæi videntes eum qui vinctos credentes in Christo venerat perducere in Hierusalem, prædicare C sectam quam venerat condemnare: & sic factum est vt à discipulis per fenestram per murum in sporta demissus effugeret. Quod quidem indignè factum dicunt, quia non dei auxilio liberatus est. Sed quòd ab hominibus fieri potuit, quid opus erat vt dei suffragio liberaretur? cùm dei suffragiũ tunc sit necessarium si humanum auxilium deficiat. Quo facto non sibi dicit expedire gloriari, quia præsentis vitæ gaudium fragile est. Si enim non euasisset, martyrium fecerat. Sed quia fugiendum in persecutione mandatum est, data opera effugit. Nec enim debet aliquis expectare vt in semetipsum peccetur. Ergo gloriandum dicit quia euasit, sed non expedit, inquit, propter superbiam: quia de humilitate crescitur, & auxilium dei mitibus proficit non elatis. Præterea qui gloriatur mortem se euasisse quæ pro fide infertur, inane videri significat pati pro Christo: ideo non expedit gloriari. *Veniam autem ad visiones & reuelationes domini.*) Nunc ostẽsurus est quò sublatus est, vt proinde qualia sint quæ illi ostensa & dicta sunt, possint intelligi: ne, sicut quibusdam videbatur, minor cæteris apostolis crederetur. *Scio, inquit, hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum.*) Vtrunque confirmauit, quia vtrunque posse fieri non negauit, vt & sine corpore rapi potuisset, & in corpore. Et fortè quibusdam videatur non magnum esse si homo Christi raptus est vsque ad tertium cœlum, cùm in tertio circulo dicatur luna esse. Sed non ita est, quia vltra omnia mundi sydera raptus intelligitur: & ideo magnificum & mirabile est quod narrat. Significat enim supra firmamentum, in tertium numero cœlum de spiritualibus cœlis raptum semetipsum. *Et scio talem hominem, siue in corpore, siue extra corpus nescio, deus scit, quia raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor.*) Bis se raptum dicit: id est, hinc vsque ad tertium cœlum, deinde in paradisum cœlestem, in quo latroni dixit dominus quòd futurus esset cum eo in paradiso, inquit, patris: illic vbi & ciuitas dicitur esse Hierusalem mater nostra. Quid ergo mirum si post resurrectionẽ A corpus iam expiatum atque tenuatum factum immortale futurum credatur in cœlis, quando non dubitat Apostolus adhuc mortale corpus potuisse leuari ad cœlos, & tolli in paradisum dei patris cœlestem? Pro huiusmodi homine, id est, qui iam dignus est deo vt ex hoc experiretur, gloriari se dicit: & nõ vult apertè dicere, quia de se loquitur, ne laudare se videatur. Et Ioannes apostolus, cùm de se sciatur loqui, Hic est, ait discipulus quem diligebat Iesus, qui & recu- Ioan.21.
buit in cœna supra pectus eius: ne glorioſè de se effari videretur. *Pro me autẽ non gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.*) Sic de se non gloriatur, dum non apertè de se profitetur. In infirmitatibus sanè, inquit, meis gloriabor. Exponere enim pressuras passionum, & infirmitates angustiarum, non videtur glorioſum, sed flebile: idcirco se in his gloriari dicit: sciens tamen quia ad profectum perducunt remunerationum cœlestium. Quid enim tam glorioſum in futurum Christiano, quàm exitia pro Christo illata sibi narrare? *Nam & si voluero gloriari, non ero stultus: nam veritatem dico.*) Hoc dicit quia si meritum suum profiteatur quod habet apud deum, non erit imprudens: vera enim loquitur. Ergo si quis pro meritis suis quæ sibi ostensa sunt loquitur, non est vtique stultus. Si autem taceat, est enim prudens. Sed qua causa hic non palam gloriatur, nunc subiicit dicens: *Parco autem, ne quis me existimet super id quod videt me, aut audit aliquid ex me.*) Ostendit igitur qua causa non apertè glorietur. Ne quis me existimet, inquit, vltra gloriam meam tendere quàm limes meritorum admittit. Hoc significat quos obtrectatores habebat causa legis, sicut suprà memoraui. Nam vtique meritorum gloriam bonum est non tacere, vt inuitentur credentes. *Et ne sublimitate reuelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanæ, vt me colaphizet, ne extollar.*) Deum bonis meritis prouidere testatur, dum permittit tentationibus hos deprimi, non solum ne laborum suorum fructibus abdicentur, verum etiam vt augeantur his ad cumulum possessionis æternæ. Hoc ergo remedium datum est Apostolo, vt iniuriis pressus, animo non possit extolli pro magnitudine reuelationum: quia ociosum pectus necesse habebat in iis quæ viderat extolli. *Propter hoc ter dominum rogaui vt discederet à me, & ait mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.*) Stimulos diaboli, quos perfidè mentibus inferens, ad nocendum dei seruis instigat: vt cessarent ab eo, ter dominum deprecatum se fuisse, & non impetrasse testatur, non quia despectum se dicit, sed quia insciis contra se petebat vt cassarent ab eo tentationes, per quas perfectior se fiebat. Ideo ad Romanos dicit: Nam quid oremus sicut oportet, nescimus. Vnde hoc sibi Roma.8.
dicit responsum, vt sufficeret sibi gratia dei, qua aut vires tolerandi addebantur, aut tempus pressuræ abbreuiabatur, vt deuotio dum infirmitate pressuræ accedentis non frangitur, probata videatur. *Libentissimè itaque magis gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.*) Apertum est, quia tunc gloriandum docet quando iniuriis humiliatur. A Christo autem virtus tolerandi præbetur, vt quia prius asperæ, ac per hoc fastidiendæ iniurię videbantur, postea libenter suscipiendæ, vt Christi auxilio lenirentur. Libenter ergo cædi se dicit, dummodo à Christo curetur, sciendo plus addere medicinam Christi ad salutẽ, quàm infirmitas detrahit sanitati. *Propterea placeo mihi in infirmitatibus meis. Cum enim infirmor, tunc potens sum.*) Verum est, quia tunc vincit Christianus cùm perdere putatur: & tunc perdit perfidia, cùm se vicisse gratulatur. Plaudit ergo cùm illi insultatur, & surgit cùm premitur. *Factus sum insipiens, vos me coegistis.*) Compulsum se dicit vt quid esset ostenderet. Et non vtique stultus est, quia de se vera locutus est: sed inclinat se vt manifestet, quia non voluntate merita sua ostendit. *Ego enim debui à vobis commendari.*) Manifestum est quia hi debuerant testimonium ei perhibere aduersus obtrectatores eius, apud quos ecclesiam constituit, & signorum prodigia apostolatus ostendit, vt hoc tacente illi eum defenderent quem patrem habebant in euãgelio Christi. *Nihil enim minus feci, quàm illi valde apostoli.*) Valde, hoc est, nimis, sicut quibusdam videbatur. Nam hoc erant, quòd

& apostolus Paulus. Hoc ergo dicit, quia minor non est neque in prædicatione, neque in signis faciẽdis, apostolis præcessoribus suis, non in dignitate, sed tempore. Nam si de tẽpore præscribendum putatur, antè cœpit Ioannes prædicare quàm Christus, & nõ Christus Ioannẽ, sed Ioannes Christum baptizauit. Nõ ergo sic iudicat deus. Denique prior secutus est Andreas saluatorem quàm Petrus: & tamẽ primatum nõ accepit Andreas, sed Petrus. Quare ergo Apostolus quibusdam non videbatur, cùm eadem posset per dei gratiam quæ & Apostoli? ideo dolet, & ostẽdit compulsus quid à dignatione domini mereatur. Hinc est vnde non solum minorem se non esse coactus est profiteri, sed & plus omnibus laborasse. His ergo displicebat, & non videbatur esse apostolus, qui æmulatione paternæ legis prædicationem eius respuebãt quasi inimici traditionis Moysi, quia eam iam cessare dicebat: apostolis magis fauentes, & istũ his humiliantes, quia non illi tam constanter contra legem aliquid asserebant. *Etsi nihil sum, tamen signa apostoli facta sunt in vobis, in omni patientia, signis, & prodigiis, & virtutibus.*) Sic se humiliat, vt erigat, patientiam tamen primam memorat, quia diu illos portauit quasi impatientes ægros, vt adhibita medicina signorum atque virtutum curaret vulnera erroris illorum. *Quid est enim quod minus habuistis cæteris ecclesiis, nisi quòd ego ipse non grauaui vos? Donate mihi hanc iniuriam.*) Adhuc per humilitatem se commendat. Ostendit enim non minus illos aliquid habuisse cæteris ecclesiis, sed & amplius. Euangelium enim dei gratis his prædicauit, quod nullis
1. Tim. 5. concessum est ecclesiis, dicente domino: Dignus est enim operarius mercede sua. Si ergo pro bono opere iniuria, inquit, dignus sum, ignoscite mihi. Omnis enim stultus boni accusator est. Vt hos ergo imperitos ostendat, veniam ab his postulat eius facti de quo laude dignus est.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

ECce tertio hoc paratus sum venire ad vos, & non vos grauabo.) Ne fortè hoc inter initia feciſſe putaretur ad commendationẽ suam, post autem mercedem euãgelicæ prædicationis velle accipere, ostendit in ea se voluntate durare, ne factum suum postea emendare videretur, & esset quod ab obtrectatoribus reprehenderetur. *Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.*) Ostendit ideo se nolle accipere ab eis, vt illos ipsos lucraretur, vt intelligẽtes quia pecuniæ præponit eos, tandem cognoscerent affectum illius erga se. *Nec enim debet filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.*) Patrem se eorum
1. Cor. 4. significat, sicut in prima epistola dicit: Per euangelium ego vos genui. Carnales tamen parentes sunt, qui filiis thesaurizant. Nam spiritales à filiis dignũ est vt accipiant sumptus ad substentandã vitam præsentem. Non enim magnum est vt spiritalia tradentes consequantur carnalia. Hic autem in tantum probat se nolle accipere, vt transferat causam carnalis patris ad spiritalem, vt non solum non ab eis accipiat, sed & si potest fieri, ipse illis tribuat, sicut iam supra dixit: Alias ecclesias expoliaui, accepto stipendio ad ministerium vestrum. Hoc dicto tangit eos, vt intelligant quantus sit, & quid ij mereantur qui tanti Apostoli prouidentiam neglexerunt. *Ego verò libentissimè impendam, & superimpendam, & ipse impendar pro animabus vestris.*) Nunc apertè affectum & charitatem quam circa eos habebat, ostendit, quando non solum sua pro eis impendere & propensius pẽdere paratum se dicit, sed & seipsum pro salute animarum eorum etiã mori, sicut & apostolus Ioannes dicit: Quia exemplo saluatoris
1. Ioan. 3. pro fratribus, inquit, etiam animas nostras debemus ponere. *Plurimum vos diligens minus diligor.*) Prouocat eos ad amorem, quia ipsi plus illum deberent diligere, maximè per quem didicerunt viam salutis, per quẽ & acquisiti sunt deo, ex perfidis facti fideles, & ex contaminatis purificati. *Esto autem, Ego vos non grauaui, sed vt astutus dolo vos cœpi.* Omnia quæ possent ex aduerso proponi, non tacet: vt se purget per omnia, quia nihil per circunuentionem egit apud eos, sed in simplicitate, sibi semel prospiciens, his duplici genere, vt & apud deum prouideret eis, & hic censum illorum non
A quæreret: sibi autem hoc sufficere quod à deo promissum est in futurum. Fortè enim suspicarentur ideo illum cõtempsisse, quia parua erant quæ offerebantur, vt maiora conqueretur, vt circunspiciens merita sua non pecuniam refutaret, sed numerum indignum sibi æstimans contemneret. *Num per aliquem eorum quos misi ad vos circunueni vos?*) Hoc est, quod dicit, quia quos misit, non illis hoc intimarunt, vt si vellent pacatum habere apostolum, dignam quantitatem personæ illius offerrẽt, quia ideo noluisset accipere, quia minus quàm dignum fuit offerebatur. Quod compositum Apostoli astutia intelligerent, vt quod egit, non per contemptum, sed per auaritiam egisse probaretur. *Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Nunquid auarus in vos fuit Titus? nonne eodem spiritu ambulauimus? non iisdem vestigiis?*) Apertũ est quia quando ab iis quos misit, nil tale dictum aut factum est, vna eorum sententia probatur in bono, excluſa suspicione auaritiæ. *Iterũ putatis quòd excusemus nos apud vos.*) Hoc est, quod
B dicit, olim de nobis dubitatis, arbitrantes quia non simpliciter agamus vobiscum. A pseudoapostolis enim exagitabantur, qui volentes deprædari eos, tergiuersatione hoc agere Apostolum asserebant, quasi vt plus possit accipere. *Coram deo loquimur: omnia autem charissimi pro vestra ædificatione.*) Sic cupit illos verum & bene sentire de se, vt & ratione & testificatione satis illis faciat, quia non vt sibi prosit, talẽ se præbet, sed vt ad ædificationem eorum proficiat, vt vel sic amorem illorum circa se prouocet, dum non grauat censum illorum, & authoritatem potestatis in arguẽdis vitiis non inclinat. Sine dubio enim prodest ei qui corripitur, vt emendet, si præpositus ideo oblata refutet, vt liberè arguat. *Timeo enim ne cùm venero, non quales volo inueniam vos.*) Quoniã non omnes adhuc quos in prima epistola corripit, emendauerãt in quibus fuerant vitiis reprehensi, ideo cum authoritate vult videri iturus ad illos, vt territi corrigantur, vt tales illos inueniat quales vult. *Et ego inueniar à vobis non qualem vultis.*) Hoc dicit vt tales se præbeant, vt conueniat eis cum A-
C postolo, vt inuicem congaudeant sibi. Ille enim inuenit aliquem qualem non vult, qui se talem facit vt discordet ab illo. *Ne forte sint inter vos cõtentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, tumores, seditiones.*) Nunc errores memorat quos in superiore epistola reprehendit, quãdo personis deferentes, & alterum alteri præponentes dissidebant adinuicem. *Ne iterum cùm venero, humiliet me deus apud vos, & lugeam multos ex iis qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitẽtiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quã gesserunt.*) Hoc præmonet vt non illos tales inueniat quales dudum inuenerat, cum vitiis diuersis operum immundorũ, vel magis nominum: quia omne opus sine crimine est, sed inordinationis nomen facit crimen. Tũc enim est illicitum cùm aliter fit quàm concessum est. Illis ergo peccantibus se humiliari dicit, quia incipit vt pius pater peccata filiorum deflere. Quis enim pater non gaudeat bene agentibus filiis? Sic iterum necesse est vt lugeat si prauè versentur. Ideo admonet vt si qui præteritarũ fornicationum aut alterius immunditiæ vel impudicitiæ non egerunt pœnitentiam, sicut
D quidam quos significat egisse, nunc agerent: vt veniens, sine tristitia esset cum eis. Cùm enim dicit, Et lugeam multos ex iis qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, probat quosdam ex his egisse pœnitentiam, quosdam non egisse. Quod Nouatiano aduersum est, quia dicit fornicatores non posse peragere pœnitentiam, & recipi in communionem. Hic probat peregisse, ac per hoc receptos esse in pace ecclesiæ. Tres ergo formas peccatorum probat, cùm fornicationem, & impudicitiam, & immunditiam nominat.

TErtium hoc venio ad vos.) Superius præparatum se dixit, nũc iam venturum. In ore duũm vel trium testium stabit omne verbum. Hoc secundum le- Deut. 17.
gem dixit: vt aliquis duobus aut tribus testibus aut purgetur aut condemnetur: ita & hi tertio aduentu Apostoli, vt purgati inueniantur commonet. *Prædixi enim, & prædico, vt præsens secundo aduentu, & absens nunc, iis qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus, quia si venero iterum non parcam.*)

Pridem

1969 *parcam.*) Pridem se dixisse significat præsentem, vt corrigerent se, ne cum pudore corriperentur: & nunc iterum absentem se eadem dicere contestatur, vt post secundam correptionem, si se non emendauerint, parci eis non debeat. *Quomodo? probationem quæritis eius qui in me loquitur Christus?*) Probationem quærunt Christi loquentis in Apostolo, dum præceptis non obediunt, volentes probare si audet vindicare, vt per id intelligatur esse fidæ authoritatis vt de cætero timeatur. Qui enim magistrum contemnit, emendari se quærit. *Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis.*) Potens est in his Christus, quia viderunt in nomine eius mortuos excitatos, dæmones fugatos, paralyticos conualuisse, surdos audisse, mutis redditum affatum, claudos cucurrisse, cæcos vidisse. Hæc omnia virtutis sunt, non infirmitatis. Denique hac causa attracti ad fidem sunt. *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed viuit ex virtute dei.*) Verum est quia propter peccata nostra crucifixus est Christus, vt mortem destruens, credentes sibi liberaret ab ea. Infirmari ergo se passus est propter nos, vt mortem vinceret nobis. Descendens enim ad inferos, qui omnio peccatum nesciebat, & quasi peccator occisus, chirographum Adæ deleuit, vt de cætero defuncti sub eius nomine, à morte non tenerentur, sed haberent fiduciam eundi ad cœlos. Propter infirmitatē ergo nostram occisus, reuixit virtute patris, vt discipulis probaret quæ docuerat esse vera exemplo in se ostenso. *Etenim nos infirmamur in illo.*) Hoc ad apostolorum personam pertinet, qui eum, id est Christum prædicantes, infirmabantur dum iniuriis agebantur, claudebantur, cædebantur. *Sed viuemus cum ipso ex virtute dei erga vos.*) Manifestum est quia si à perfidis infirmabantur, apud credentes non erat hæc infirmitas, sed profectus: quia hinc potētiores fiunt fideles, dum infirmantur. Illata ergo mors à perfidis, vita est erga credentes: virtute enim dei resurgunt, vt viuant cum Christo. *Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate.*) Inuicem vt se fratres discutiant, præcipit, Solicitiores fiunt enim si secum inuicem conferant. Tentationem ergo hanc probationem voluit intelligi, quia omnis probatio tentatio est, non tamē omnis tentatio probatio. Si enim deus tentare dicitur, probatio est. Si autem diabolus tentare dicatur, tentatio est, quia euertere nititur. Et homo aliquando tentat vt probet, aliquando vt capiat. *Aut non cognoscitis vos quòd Christus Iesus in vobis est, nisi reprobi estis?*) Hoc dicit quia si probare vos inuicem nescitis, non cognoscitis quia Iesus Christus est in vobis: & hoc est reprobum esse, nescire religionis vel professionis suę fidem. Qui enim fidei suæ sensum in corde habet, hic scit Christum Iesum in se esse. *Spero autem cognituros vos quia non sumus reprobi.*) Prouocat eos ad scientiam fidei, & rectæ vitæ. Cùm enim cœperint scire apostoli sui certam authoritatem & meritum apud deum, poterunt & circa se esse soliciti. *Oro autem deum ne quicquam mali faciatis, non vt nos probati appareamus, sed vt vos quod bonum est faciatis, nos autem quasi reprobi simus.*) Eo affectu quo semper orat pro eis, vt à malis temperent. Non vt nos, inquit, probati appereamus, id est, non vt in authoritate videamur vobis peccantibus, sed vt vos quod bonum est faciatis: nos verò vt quasi reprobi simus. Quid est hoc? Orat Apostolus vt reprobus sit? Non sanè, sed hoc orat, vt his bene agentibus, dum non auderent corripere, quasi humilientur, & humiliati velut reprobi appareant. Probati enim à deo videntur, dum iudicant peccatores authoritate concessa. Si ergo quos iudicent non sunt, cessante in his authoritate quasi reprobi videntur. *Non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate.*) Hoc dicit quia potestas non est data contra veritatem, vt arguant bene viuentem, sed pro veritate, vt vindicent in eum qui inimicus est legis. Ideóque cessabit potestas, si quod bonum est fecerint. Vnde & ad Romanos ait. Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Cùm ergo non timet bonum operando, euacuata est apud eum potestas. Hoc est quasi reprobum esse, quia hoc in eo cessat, vnde probatur potestas. *Gaudemus autem cùm nos infirmamur, vos autem fortes estis.*) Hoc est infirmari, non exercere potestatem. Hos autem optat fortes esse, vt bene agentes vitia vincant, & prohibeant à se vindictam aut correptionem. *Hoc & oramus in vestram consummationem.*) Petit orans vt in eo perficiantur nec peccent consummati in virtute bonæ vitæ, & incorrupta fide. *Idcirco hæc absens scribo, vt non præsens durius agam.*) Apertum est, quia ideo absens commonet vt correctiores illos inueniat, & non illic positus increpet cum pudore, vt erubescat qui peccat, in cœtu fraterno. *Secundum potestatem quam dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.*) Hæc potestas est quam superius optat esse ociosam his bene agentibus: si quo minus exercere se in hac, vt ędificentur correpti, non mortificati peccatores. Non enim destruuntur qui arguuntur vt corrigantur, sed ædificantur ad vitam. *De cætero fratres gaudete, perfecti estote, consolationem percipite, idem sapite, in pace agite, & deus pacis & dilectionis erit vobiscum.*) Gaudium hoc de emendatione erit, vnde & poterit prouenire perfectio. Sed antè erit consolatio, vt spe futurorum deserant prędentem oblectationem. Idem ait sapite: hoc propter veterem discordiam, vt iam vnum sentiant. In pace agite: si concordes fuerint, habebunt pacem. Et deus pacis & dilectionis erit, inquit, vobiscum. Deus pacis est Christus, qui dixit: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Ipse est & deus dilectionis, quia iterum ait: Nouum mandatum do vobis, vt diligatis inuicem. Et in hoc, inquit, cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem qua dilexi vos, habueritis inuicem. Alia tamen pax dei, alia mundi est: quia & maligni & spurij habent pacem, sed ad damnationem. Christi enim pax libera est à peccatis. Perfidiam ergo fugit, dolum spernit, factis malis repugnat. Hæc deo placita est & amica, diabolo autem inimica. Hanc qui habuerit, habebit & dilectionem, simul & deum eorum ad tuitionē perpetuam. *Salutate vos inuicem in osculo sancto.*) Hæc salutatio ecclesiastica est, quia oscula hæc non carnalia, sed spiritalia sunt, quæ complexu corporum animos copulant non desiderio carnis, sed spiritus. *Salutant vos sancti omnes.*) Prouocat eos ad sanctitatem, vt & ipsi audeant reddere vicem sanctis in salutatione. Ideo enim à sanctis salutantur, vt illos imitentur. *Gratia domini nostri Iesu Christi, & dilectio dei, & communicatio spiritus sancti cum omnibus vobis.* Trinitatis hic complexio est, & vnitas potestatis, quæ totius salutis perfectio est. Dilectio enim dei misit nobis saluatorem Iesum, cuius gratia saluati sumus. vt possideamus hanc gratiam salutis, communicatio facit sancti spiritus. Hic enim dilectos à deo & saluatos gratia Christi tuetur, vt trium perfectio consummatio sit hominis in salutem.

Ioan. 13.

Diui Ambrosij

MEDIOLANENSIS EPISCOPI COMMENTARII IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD GALATAS

PRAEFATIO.

OMnis credens in Christum, & obseruans legē factorum malè intelligit Christum. Sicut & Symmachiani, qui ex Pharisęis originem trahunt, qui seruata omni lege Christianos se dicūt more Fotini Christum nō deum & hominem, sed hominem tātummodo definientes. Si enim deum intelligerent Christū, nihil de lege factorum sperarent, id est de neomeniis, sabbato, circūcisione, & discretione escarum: quia qui deum & dominum legis colit, supra legem est: nec potest iudicari à lege, qui cum legislatore concordat. Denique non illorum causa lex data est, qui deum colebāt, sed eorum qui malè & credebant & agebant ad contemptum creatoris. Vnde dicit ad Timotheum: Nec enim iusto lex posita est, sed iniustis & malè versantibus. Et Moyses sic inquit, Timentes facietis filios Israel. Vnde & Galatæ, vel ij qui eos subuertebāt, adhuc erroris nebula contectum cor habentes, non cernunt

sensum Esaiæ prophetæ inter cætera dicentis: Verbum e-
Esaiæ 10. nim consummans & breuiãs in æquitate: quia verbum bre- A
uiatum faciet dominus super terram. Si ergo hæc dicta intelligerent, à lege recederent, scientes à prædicatione Ioannis Baptistæ legem iam cessare, vt sola fides sufficiat ad salutem abbreuiata ex lege. In lege enim & de deo patre, & de Christo filio eius, & de spiritu sancto continetur prædestinatum in tempore, quod manifestatum est in prædicatione. Nam si signaculi causa circuncidebantur filij Israel, vt exinde apparerent filij esse Abrahæ iuxta carnẽ, ritè cessare debet circunciſio, quia signum habent credentes mortis euictæ, quo dignoscuntur filij esse Abrahæ, sed secundum fidem. Abrahæ enim promissus est qui veniens vinceret mortem. Denique hunc expectabat Abraham: quem in spiritu sentiens natum, gauisus est, sciens se in breui introduci
Ioan. 8. in cœlos. Vnde dicit dominus ad Iudæos: Abraham cupiuit videre diem meum, & vidit, & gauisus est. Tempore enim quo simul adhuc erant filij Israel in eremo, antequam vicini essent gentium, non sunt circunciſi. At vbi commisceri habebant gentibus, tunc à Iesu Naue circunciſi sunt de petra, B
quæ significat Christum: quia petra, inquit, erat Christus, vt designaretur per Christum futuram circunciſionem cordis: sicut dixerat Moyses, & Hieremias propheta: circuncidite vos deo, & circuncidite præputium cordis vestri, vt
Deut. 10. Hiere. 4. amputata caligine, remissione accepta peccatorum, digni fierent videre gloriam dei, quam sub lege positi videre nequiuerant causa peccati. Vt ergo & Christum deum signaret: & non se ab homine ea didicisse quæ docebat, assereret, ita incipit:

CAPVT PRIMVM.

Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis.) Apostolum se non ab hominibus electum, & missum ad prædicandum testatur, sicut erant quidam, qui electi ab apostolis mittebantur ad ecclesias roborandas: neque sicut alij, qui à Iudæis mittebantur ad disturbandas ecclesias, quos pseudoapostolos vocat: sed à filio dei missum se: quem in hac causa idcirco hominem negare videtur, quia præcepta quasi deus dedit, non quasi homo: & quem elegit, diuino iudicio elegit. Per quod idoneum & firmum se prædicatorem significat: quia multò vtique melior est quem deus elegit, quàm quem homo. Neque enim per hominem, sicut arbitrabantur de Christo qui hos cogebant circuncidi, sed per Iesum Christum, id est, per eum qui deus & homo est. Quod statim aperit, cùm dicit: Et deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis. Hoc dicto duas hæreses damnauit, & Manichæi, & Fotini: quia Manichæus Christum hominem negat, & non negat crucifixum: & Fotinus Christum deum esse non concedit, & tamen ipsum se, hoc est corpus suum, excitasse à mortuis negare non audet: vt Manichæus cùm crucifixum non D
negat, stultè eum hominem non fateri videatur: & Fotinus impietate quadam deum negare, quem seipsum à mortuis excitasse fatetur. Legit enim dixisse dominum:
Ioan. 2. Soluite templum hoc, & ego tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Igitur ipse excitans se à mortuis, corpus suum significat se à mortuis excitasse: & nihilominus tamen à patre suo dicitur excitatus, propterea quod omnis virtus filij de patre est, vt gesta filij facta sint patris, ex quo sunt omnia. *Et qui mecum sunt fratres, ecclesiæ Galatiæ.*) Postquam authoritatem suam commendauit, adhuc auget ad causam, vt cæteros qui secum erant, omnes commotos aduersus eos ostenderet. Quanuis sufficeret authoritas eius, nec possit refutari, tamen vt grauet factum illorum quo à prima fide desiterant, multos secum accensos ad errorem illorum arguendum designat. Facilè enim poterit quis intelligere errare se, si se à multis videat reprehendi. *Gratia vobis & pax à deo patre nostro & domino Iesu Christo.*) Vtriusque beneficio tam patris quàm filij genus hominum subleuatum ostẽdit. Nec minorem filium significat, cùm eum dominum nostrum vocat: neque patrem maiorẽm, quia eum deũ nostrum appellat, quia non erit verus deus pater, nisi & dominus sit: neque verus dominus filius, nisi & deus sit. Si ergo vna gratia patris & filij erga nos est, quid est, inquit, vt de filio minus sentiẽtes, legem illi æquetis, vt partim Christo, partim legi seruiatis? cùm le-
geritis dominum dicentem: Quia dominus est filius homi- Luca 6.
nis, etiam sabbati: vt per hoc videant quanta contumelia ab eis domino irrogetur, quando comparant dominum famulæ. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* Apertè ostendit nihil prodesse legem, quando Christum dicit obtulisse se vt pro nobis pateretur, vt nos iustificaret quos lex reos tenebat: vt eruti à lege per fidem Christi, iam non peccatores essemus, sed iustificati secunda natiuitate, filij dei appellati. Cùm enim in conditione diaboli genus humanum teneretur, saluator obtulit se volenti diabolo, vt illudens eum potestate virtutis suæ, (accipere enim voluit quem detinere B
non potuit) auferre ei quæ malo iure tenebat obnoxia. Expoliatis itaque inferis, trophæum animarum pertulit ad patrem, ex quo sunt omnia. Quod lex vtique facere non potuit: quanquam enim profutura data sit, nobis tamen peccãtibus conuersa est vt fieret inimica, & cœpit occidere, non viuificare. Christus autem donans delicta, non solum viuificauit nos, sed & sibi sociauit, vt filij dei vocemur facti per fidem. Quantus ergo error est post gratiam reuerti sub lege, hoc est, post acceptam libertatem velle seruire, vt ereptus gladio, immemor beneficij denuò se vendat lanistæ? Accusator est enim emptoris, qui relicto eo rursum ad priorem dominum redit. *Vt liberaret nos de præsenti seculo maligno.*) Hoc dicit quia ideo morti cõcessit se dominus, vt nos ab errore seculi liberaret, id est, vt ab intelligentia huius seculi, quod curriculis senescente ætate deuergit in finem, alieni facti, futuri seculi quod occasum nescit, participes simus in sensu vnius dei. Præsentis enim seculi hæc est malignitas, quia non
reddit congruam reuerentiam creatori suo deo, & restaura- C
tori Christo, dũ multos sibi deos confingit error humanus, aut dum Christo à credentibus debita honorificentia non reseruatur. *Secũdum voluntatem dei & patris, cui gloria in secula seculorum. Amen.*) Vt firmum sit & plenũ authoritate quod dicit, quia Christus nos liberauit, addit quia istud fecerit cũ patris voluntate. *Miror quod sic tam citò transferimini ab eo qui vocauit vos in gratiam Christi, in aliud euangelium.*) Euangelium bonum nuncium est, ac per hoc & lex vetus euãgelium est, accepa lege factorum. Sed hoc potius, in quo quod promissum est, solutum est, per quod peccatores ad indulgentiam conuocantur. Mirari ergo se dicit ideo, quia de optimo & maximo beneficio decidentes, mancipauerunt se legi factorum, vt perderent quod fuerant consecuti, vt de accepta libertate ruerẽt in seruitutem, citò euersi: cùm mos sit vt paulatim aliquis de malo transeat ad bonum. Hi autem de bono facilè traducti sunt ad opera carnis, quæ sunt grauia. Rarò enim contingit vt quis de lætitia confugiat ad exitia: ac per hoc admiratur hebetudinem illorum, qui in securitate
positi, labori se subiiciebant inani. Tale est, si nauta insanus D
stans in portu, de tempestate securus laxet nauim in altum, vt perturbetur diuersis procellis. Ita & hi per stultitiam subegerunt se, vt dolores paterentur pudoris defecti, & iugum seruitutis legis susciperent, nulla huius rei spe prædicata. In aliud ergo euangelium vocati fuerant, quàm quod hi prædicabãt qui eos subuerterant. Non tamen aliud ab eo quod apostoli nunciabãt, quod hi pseudoapostoli aliud esse assere-
bãt ad inuidiam Apostoli qui eos instruxerat. Et vt Galatas per hanc fallaciam circunuenirent, necesse erat vt euangeliũ apostoli aliud esse dicerent, quàm quod ratio saluatoris docebat: hoc autem esse verum, quod ab eis cum legis veteris cõcordia prædicabatur. Hi sunt qui quæstiones fecerũt Paulo & Barnabæ de hac re, sicut continetur in Actibus apostolorũ. Isti enim docebãt ex gentibus credentes, quia nisi circũciderẽtur more Moysi, & Iudaïzarent, salui esse non possent. *Nisi aliqui sunt qui conturbãt vos, & volunt conuertere euãgeliũ Christi.*) Apertũ est, quia hoc agebãt, vt cõuerterẽt euãgelium

gelium Christi, immutantes traditiones, vt sub nomine Christi essent Iudæi: id est, conuertere euangelium Christi in legem. *Sed & si nos aut angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizauerit præterquam quod accepistis, anathema sit.*) Nemo miretur Apostolum, qui feritatem morum mansuetabat, sic esse commotum. Pro Galatarum enim salute indignatur aduersus inimicos disciplinę Christianæ. Indignatio enim hęc ostendit non leue peccatum esse post acceptam fidem conuerti ad legem. Nam tam firmum atque verum euangelium quod eis prædicauerat asserit, vt etiam seipsos, id est apostolos, si immutati fortè aliter prædicarent, non audiri doceret, quorum vtique fama quod essent apostoli Christi, peragrauerat omnē locum. Aut si fortè diabolus angelum dei se fingens, vt facilè posset audiri, de cœlis appareret contra hæc prædicans, sciretur esse contrarium, & abhominatio haberetur. Si ergo apostolos Christi, quorum tam præclara opinio in signis & prodigiis erat faciendis, & angelum de cœlo, quem posset spiritalis ratio commendare, aliter docentes quàm ab apostolo Paulo edocti erant, anathematizari præcepit: quantò magis quos nullum testimonium ad se ducendum potest commendare? Ideo autem iterat contestationem, vt confirmet eos in prima traditione. Iterata enim lex solicitiores reddit negligentes. *Modo enim hominibus satisfacio, aut deo?*) Hoc est, nunquid hominibus satisfacio, suadendo vobis reuerti ad gratiam Christi, aut deo? Non hominibus vtique, sed deo: vt per satisfactionem reuertantur ad deum quem spreuerant. Denique statim subiecit: *Aut quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, seruus Christi non essem.*) Significat igitur hos à quibus fuerant euersi, non deo sed hominibus placere in Galatarum subuersione, sicut & semetipsum iamdudum; quando ecclesiam vt patrum traditionem vindicaret, persequebatur. Vt enim à Iudæis laudari possent, secundum voluntatem illorum legem seruandam dicebant: ne si verum euangelium Christi prædicarent, inimicos eos facerent. Hic autem apostolus Paulus qui omni deuotione deo placeri docebat, non timebat homines offendere, dummodo dei gloriam commendaret. Omnia enim præsentia postponens, futuris se commendabat spebus, vt Christi idoneus seruus. Idonei autem serui esse non possunt, qui sub nomine domini propriis lucris student. Sed fortè contrà aliquis dicat. Ergo qui legem prædicabant quam deus dicitur dedisse, hominibus seruiebant. Quomodo ergo idonea lex esse dicitur cuius prædicatio secundum hominum voluntates narratur temperata? Ante aduentum domini lex iuxta dei voluntatem prædicabatur. Tempus enim ei debebatur vt seruaretur. At vbi autem venit dominus promissus in lege, cessare oportuit legem, iuxta prædictam sententiam prophetarum. Vnde dicit dominus: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem. Nec enim dignum erat vt præsente domino legis authoritas seruaretur. Ideóque si quis de cætero legem seruandam putat, iam non domini voluntati obtemperat, sed repugnat. Similibus enim suis satisfacit. *Notum enim vobis facio fratres, euangelium quod prædicatum est a me, quia non secundum hominem est. Neque enim ego ab homine accepi illud aut didici, sed per reuelationem Iesu Christi.*) Nunc principia epistolæ aperit. Ipsum enim sensum vult manifestare, quia non ea quæ docebat, ab homine didicerat, vt fortè dubitaretur de iis quæ docebat. Neque secundum humanū iudicium aptata erat eius prædicatio, vt indigna diuinina authoritate videretur: sed à dei filio dicit se didicisse per reuelationem, cùm iam post resurrectionem esset in cœlis, sicut suprà memoraui, & ea quæ didicit, conuenire voluntati maiestatique eius à quo se didicisse testatur. Spiritalia enim sunt quæ seruata meritum collocant apud deum. Illa enim carnalia sunt, quæ tempore suo seruata, nec meritum nec immeritum præstiterunt apud deum. Non seruata obfuerunt, quia & qui non fecerat legem, sub maledicto erat: & qui fecerat non iustificabatur apud deum, quia iustus ex fide viuit. Illa enim vt oneri essent, seruanda mandata sunt, non dignitati. *Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quia supra modum persequebar ecclesiam dei, & expugnabam eam, & proficiebam in Iudaismo super multos coætaneos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.*) Propositum suum quo prius iuxta carnem vigebat repugnans ecclesiæ, breuiter memorat: sed vt famulus Christi esset, hoc se reliquisse. Magis enim se deuotum, quàm illos in vindicanda lege fuisse designat, non tamen propter hominum fauorem, sed hoc putans vtile apud deum. Per ignorantiam enim, cùm humanitati placeret, deo se seruire putabat liberam habens conscientiam. Nesciebat enim iam tempus asserendæ legis non esse, doctrinam secutus patrum, videns aut in errore aut in maleuolentia constitutorum, omni industria & feruore mentis id agebat, vt cæteris coæqualibus sibi æmulatione legis præstantior videretur, sic insaniens contra disciplinam Christi, vt nulli hominum parceret fidei fœdera assecuto. Sed cùm dei reuelatione laborem hunc inanem esse didicisset, & magis contrarium destitisse ab eo, & se fidei gratiæ subdidisse, vt profectus ei esset apud deum. Si ergo hic qui Israelita est, & qui dignitate doctoris fultus erat apud Iudæos, eruditus à Gamaliele viro prudentissimo, locum habens cum optimis vita hominibus, reliquit legem, quantò magis ij qui extra legem erant, legi se subiicere non debuerant? Et si hic gaudet exisse se de sub iugo seruitutis, quid est vt hi libertatem suam obligauerint vinculis legis? *Cum autem placuit ei qui me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, reuelare filium suum in me, vt euangelizarem eum gentibus, continuò non acquieui carni & sanguini.*) Cùm in lege haberet fiduciam, insciis iam tempus legis seruandæ non esse, & omni auiditate contenderet, putans dei se voluntate hoc agere vt resisteret euangelio Christi, videns deus æmulationem eius bonam, sed scientiam ei deesse, placuit ei vocare illum ad gratiam suam, sciens iam idoneum hunc esse ad prædicandum euangelium filij eius gentibus: quia si in re minima tam velox & fidus erat audacia conscientiæ, non adulatione cuiusquam: quantò magis in prędicando dono dei futurus esset constantior spe promissi præmij? Præscientia ergo dei segregatus est de vtero matris suæ, id est antequam nascererur: vel statim natum sit deus futurum hominem bonum, sicut dicit ad Hieremiam prophetam: Prius quàm te formarem in vtero, noui te, &c. Ita & apostolum Paulum, sciens quid esset futurus, præuenit eum, vt antequā conuerteretur vocaret eum, quia erat necessarius. Denique statim suscepit dispensationē doni dei omni postposita cura carnali. Nec enim consilium cuiusquam petiit, aut ad aliquam retulit quid esset facturus, sed protinus prædicauit Christū, quia hic est filius dei. Nam sicut futuri mali frequenter antè sunt boni, ita & solent futuri boni esse mali. *Neque veni Hierosolymam ad præcessores meos apostolos, sed abij in Arabiam, & iterum regressus sum Damascum.*) Non fuisse dicit necessitatem electum se à deo pergendi ad præcessores suos apostolos, vt aliquid fortè disceret ab eis, quia deus ei reuelauit per filium suum quomodo doceret. Hoc ideo loquitur, vt ostendat non aliud tenendum esse quàm quod docet, nec hominibus credi, sed deo, à quo se didicisse testatur, ac per hos eos qui illos in legem induxerant, esse doctores falsos, quia non à deo traditum erat quod docebant. A Damasco ergo in Arabiam profectus est ad prædicandum, vbi nullus erat apostolorum, vt ipse illic fundaret ecclesias, ne surrepentibus pseudoapostolis Iudaismus seminaretur. Et inde iterum regressus est Damascum, vt visitaret quibus rudis prædicauerat euangelium gratiæ dei. *Deinde post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.*) Dignum fuit vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter apostolos, cui delegauerat saluator curam ecclesiarum: non vtique vt aliquid ab eo disceret, qui iam ab authore didicerat, à quo & ipse Petrus fuerat instructus, sed propter affectum apostolatus, & vt sciret Petrus hanc illi datam licentiam quam & ipse acceperat. Veniens ergo ad eum, hospitio receptus est, & apud eum mansit diebus quindecim, quasi vnanimus coapostolus. Hæc ideo manifestat, vt ostendat concordiam se cum apostolis habuisse, nec in ali-

quo dissensisse, sicut susurrabant de eo pseudoapostoli, vt cum apud ecclesias gentium deformarent, & sua mala simplicioribus insererent, dicentes ea conuenire cum doctrina apostolorum maiorum. *Alium autem apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem domini.*) Iacobum vidit Hierosolymæ, quia illic erat constitutus ab apostolis episcopus, qui
Ioan.7. & ipse prius fuerat incredulus, sicut dicit euangelista: Quia nec fratres eius, inquit, adhuc credebant in eum. Hic Iacobus filius fuit Ioseph, qui ideo frater domini appellatus est, quia & Ioseph pater eius, etiam domini pater nuncupatus
Lucæ 2. est. Sic enim dicit Maria ad Iesum in Lucæ euangelio: Quid fecisti nobis fili? Etenim & ego & pater tuus mœsti & tristes quærebamus te. Et in euangelio Ioannis dicit Philip-
Ioan.1. pus ad Nathanael: Quem scripsit Moyses in lege & prophetæ, inuenimus Iesum à Nazareth, filium Ioseph. Hoc ergo modo dictus est dominus frater Iacobi & cæterorum, quo & filius nuncupabatur Ioseph. Quidam enim ducti insania hos veros domini fratres de Maria natos impia assertione contendunt, cùm Ioseph non verum eius patrem dicant appellatum. Si enim hi veri erant fratres eius, & Ioseph erit verus pater: quia qui dixit patrem eius Ioseph, idem dixit & fratres eius Iacobum & cæteros. *Quæ autem scribo vobis, ecce coram deo quia non mentior.*) Quod ad commendationem eius pertinet locuturus, testem deum dat, quia ita se habent quę dicturus est: ne fortè videretur compositum, cùm personę eius non conueniat aliquid fingere: sed cùm se commendat, hos vult proficere. Commendatio enim hæc istis proficit, vt sciant ea quæ ab hoc dicuntur, esse verissima. *Deinde veni in regionem Syriæ & Ciliciæ: eram autem ignotus facie ecclesiis Iudææ: solummodo audiebant quia qui persequebatur nos aliquando, nunc prædicat fidem, quam aliquando expugnabat: & in me magnificabant deum.*) Hoc dicit quia cùm Iudaismum defenderat contra fidem, sicut & hi à quibus fuerant Galatæ euersi: à deo electus est & doctus dissimulare à Iudaismo, & nouam legem prædicare, ita vt gauderent in eo ex Iudæis credentes quos pridem persequebatur, deo agentes gratias, qui de persecutore fecit defensorem: vt proinde scirent Galatæ circunuentos se, vt sub nomine Christi Iudæos se profiterentur, circumcidentes carnem præputij sui, cùm Christi lex aliud imperet quàm Iudaismus. Illic enim circuncisio carnis est, hîc cordis. Illic sub elementis seruitur neomeniis & sabbato, hîc
Rom.10. soli deo in spiritu: quia corde creditur. Illic conditio est causa peccati, hîc libertas ex remissione peccatorum. Multa itaque distantia est.

CAPVT SECVNDVM.

Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem, & exposui illis euangelium quod prædico gentibus, secretò autem iis qui sibi aliquid videbantur, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.) Quoniam multo tempore fama eius crebrescebat apud omnes Iudæos, facie autem non videbatur, perãbulabat enim fundare & roborare ecclesias solita constantia inter gẽtes: A Iudęis autem causa legis mala illi fiebat opinio, quasi discordaret à prædicatione cæterorum apostolorum: & hinc fiebat multis scrupulus, ita vt gentes possent perturbari, ne in aliud inducerentur ab eo quàm tradebant apostoli qui cum domino fuerant: Nam ipsa occasione subuersi sunt Galatæ à Iudæis dicentibus quia aliud tradebat Paulus quàm Petrus. Hinc factum est vt admonitus reuelatione domini ascenderet Hierosolymã cum testibus prædicationis suæ, id est Barnaba, & Tito, vno ex Iudæo, & altero ex gentili: vt si quod de eo haberent scandalum, horum testimonio tolleretur: adaperiens illis sensum prædicationis suæ. Cum apostolis verò secretò contulit, vt scirent non illum discordare à regula euangelica, hoc est, ne putarent illum in vacuum currere aut cucurrisse, sicut æstimabant aliquanti ex Iudæis credentibus. Nec enim aliquid ab eis discere poterat, qui à deo fuerat instruct⁹: sed propter concordiam & pacem dei nutu factum est, vt tolleretur scrupulus aut suspicio fratribus aut coapostolis eius, A & vt gentibus proficeret, cognoscentibus quia concordabat euangelium eius cum apostolis. Prętерea cùm legem dicissent, non molestari eos qui ex gentibus credebant, sed vt ab his tantum obseruarent, id est, à sanguine & fornicatione & idololatria. Nunc dicant Sophistæ Græcorum, qui sibi peritiam vindicant, naturaliter subtilitate ingenij se vigere, quæ tradita sunt gentibus obseruanda? quæ ignorabãt, an quæ sciebant? Sed quomodo fieri potest vt aliquis ea discat quæ nouit? Ergo hæc illicita esse ostensa sunt gentibus quæ putabant licere, ac per hoc non vtique ab homicidio prohibiti sunt cùm iubentur à sanguine obseruare, sed hoc acceperunt quod Noë à deo didicerat, vt obseruarent à sanguine edendo cum carne. Nam quomodo fieri poterat vt Romanis legibus imbuti, quorum tanta authoritas in seruandis mandatis est, nescirent homicidium non esse faciendum: quippe cùm adulteros & homicidas & falsos testes & fures & maleficos & cæterorum malorũ admissores puniant leges Romanæ? Denique tria hæc mandata ab apostoB lis & senioribus data reperiuntur quæ ignorant leges Romanæ, id est, vt obseruent se ab idololatria, & sanguine, sicut Noë, & fornicatione. Quæ Sophistę Græcorum non intelligentes, scientes tamen à sanguine abstinendum, adulterarunt scripturam, quartum mandatum addentes, & à suffocato obseruandum: quod puto, nunc dei nutu intellecturi sunt, quia iam suprà dictum erat quod addiderunt. *Sed neque Titus qui mecum erat.*) Hoc est, illo ipso tempore quo fui Hierosolymis, inquit, Titus qui mecum erat. *Compulsus non est circuncidi.*) Cùm vtique inter apostolos, & eos qui ex Iudæis crediderant, essemus, nemo eum de his, id est, Titum compulit circuncidi. Et subintelligitur, quid est vt vos circuncidamini, cùm Titus ab apostolis qui videbãtur aliquid esse, non est compulsus circuncidi, sed susceptus est incircuncisus? *Propter autem subintroductos fratres falsos, qui subintrauerunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem subiicerent, ad horam cessimus subiectioni,*
C *vt veritas euangelij permaneat apud vos.*) Titum, quia Græcus erat, sicut Galatæ, negat circuncisum. Quo dicto hos arguit, qui paterentur se circuncidi, cùm essent Græci. Sed ne fortè opponeretur ei quia ipse circunciderat Timotheum, nunc causas exponit cur fecerit quod faciendum negabat, dicens: Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintrauerunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem subiicerent, ad horam cessimus subiectioni, vt veritas euangelij apud vos permaneat. Græci econtrà dicunt, Nec ad horam cessimus: & hoc aiunt conuenire causæ: quia qui fieri prohibebat, non oportebat, inquiunt, dicere se fecisse, ne probaret esse faciendum. Sed Apostolus vir diuinus sciens posse hoc opponi, ipse illud proponit, vt præueniat calumnios: & reddit causas quibus compulsus est facere quod nolebat. Propter subintroductos autem, inquit, falsos fratres. Subintroductos dicit, quia cum dolo introierunt ostendentes se fratres, cùm essent inimici. Qui subintrauerunt, hoc est, cum humilitate intrauerunt fingentes amicitiam. Explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem
D subiicerent. Explorare est sic intrare, vt aliud fingat, & aliud quærat. Quo possent accusare libertatem nostram quã habemus in Christo Iesu. Libertas in Christo Iesu hæc est, non subiici legi. Vt nos in seruitutem subiicerent, hoc est, ad hoc intrauerunt cum dolo & fallacia, vt nostram libertatem seruituti subiicerent, cogentes nos subiici legi circuncisionis. Ad horam cessimus subiectioni, hoc est, ad horam nos subiecimus seruituti, humiliantes nos legi, vt circunciso Timotheo cessaret dolus & scandalum Iudæorum. Parati enim erant, sicut datur intelligi commouere illi tumultum & seditionem. Fuit enim causa quomodo haberent aditum calumnię faciendæ. Timotheus enim erat matre quidem Iudæa, patre autem Græco: vnde factum est vt secundũ legem circuncisus infans non esset. Volens autem Apostolus eum assumere vt ordinaret illum episcopum, sicut fecit: quia testimonium ei, inquit, bonum perhibebant omnes loci illius: insidias passus est Iudæorum. Explorabant enim si filium

1977

filium Iudææ incircunciſum ſuſciperet, parantes ſeditionem: quia ſi de Græcis contradicebat non eſſe circundendos, ſicut & epiſtola ab apoſtolis de hac re fuerat data, vel filios Iſrael circuncidi non vetaret: quia nihil de his in epiſtola eadem ſignificauerant apoſtoli: ex cuius authoritate plus ſæuiebant credentes Iudæi, quia non prohibebat Iudæos filios ſuos circuncidere ipſa epiſtola. Tunc, inquit, accipiens eum, circuncidit propter Iudæos qui erant in locis illis. De gentibus autem ſcandalum non habebant, vnde Titus non eſt compulſus circuncidi. Ad horam ergo ceſſit, vt veritas euangelij permaneat apud gentes, cùm non ſubiiciunt ſe circunciſioni. Apud Iudæos autem non erat veritas euangelij, quia credentes circuncidebant filios ſuos. In Chriſto enim Ieſu neque præputium, neque circunciſio aliquid valet, ſed fides per dilectionem operans. Nam non ſolum hiſtoria, ſed & literæ hoc indicant, quia ceſſit. Nam ſuprà dicit Titum, cùm eſſet Græcus, non eſſe compulſum circuncidi, & ſubiicit dicens: Propter ſubintroductos autem falſos fratres. Quid iam ſonat, niſi quia ceſſit ad horam propter ſubintroductos autẽ falſos fratres? Si quo minus, quomodo verba aut ſenſus ſe ſequerentur? Titum certè negat compulſum circuncidi: propter ſubintroductos autem falſos fratres quid ſonat, niſi quia ceſſit? Si autem propter ſubintroductos falſos fratres non ceſſit, non voluntate non ceſſit. Nam ceſſurum ſe ſignificauit ſi hoc eſt, ſed propter ſubintroductos falſos fratres non ceſſit. Si ergo cedendum non fuit, quare falſi fratres dicuntur, quorum beneficio nõ fecit quod faciendum non erat? Itaque ſi hoc eſt, beneficium præſtiterunt Apoſtolo, quia horum cauſa non ceſſit quod cedere habebat. Cur igitur exploratores dicti ſunt, ſi hoc illum facere nolebant quod facturus erat, ſed propter iſtos non fecit? Si autem non erat facturus, ſine dubio propter iſtos fecit: aliud enim non eſt. Literæ enim hoc indicant quia ceſſit, & hiſtoria factum exclamat. Quomodo enim ad horam negaret ſe ceſſiſſe, cùm probaretur propter Iudæos Timotheum circuncidiſſe, quod eſt ad horam ceſſiſſe, & ſecundum legem purificatum in templum aſcendiſſe? Ille enim poſſet dicere nec ad horam ſe ceſſiſſe, qui nunquam inueniretur ceſſiſſe. Aut enim ceſſurus propter fratres falſos non ceſſit: aut non ceſſurus propter fratres falſos ceſſit. Vnum ergo de duobus accipite. Falſi fratres tamen dicuntur, qui credentes iudaizabant. *Ab his autem qui exiſtimantur aliquid eſſe, quales aliquando fuerant, nihil mea intereſt. Deus perſonam hominis non accipit.*) Hoc ſignificat, quia apoſtoli prius ſimplices homines erant & imperiti, nullius dignitatis in lege: ſed hoc non obeſſe. Quis enim accuſet eum quem deus excuſat? Quia non quæritur quis quid fuerit, ſed quid ſit. Præterita enim nec condemnant, nec vindicant. Sed tamen vult intelligi, quia & peritus fuit in lege, & clarus in vita: ac per hoc & in diſpenſatione euangelij præcipuus miniſter. *Mihi enim, qui exiſtimantur aliquid eſſe, nihil contulerunt.*) Nihil dicit ſe ab apoſtolis conſecutum, ſed à deo: quia qui imperitis ſenſum tribuit diſciplinæ chriſtianæ, ipſe & mihi, inquit, cùm eſſem legiſperitus, dignatus eſt impartiri ſenſum rationis huiuſmodi. Quomodo ergo fieri poterat vt hic ab his diſceret, quem peritum inueniens, peritiorem fecit gratia Chriſti? *Sed econtrà cùm vidiſſent quia creditum eſt mihi euangelium præputij, ſicut Petro circunciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in apoſtolatu circunciſionis, operatus eſt & in me ad gentes.*) Petro ſolum nominat, & ſibi comparat, quia primatum ipſe accepit ad fundandam eccleſiam: ſe quoque pari modo electum, vt primatum habeat in fundandis gentium eccleſiis: ita tamen, vt & Petrus gentibus prædicaret, ſi cauſa fuiſſet & Paulus Iudæis. Nam vterque inuenitur vtrunque feciſſe: ſed tamen plena authoritas Petro in Iudaiſmi prædicatione data dignoſcitur, & Pauli perfecta authoritas in prędicatione gentium inuenitur. Vnde & magiſtrum ſe gentium vocat in fide & veritate. Vnuſquiſque enim pro viribus ſuis & diſpenſationem ſortitus eſt. Difficilius enim fuit eos qui longè à deo erant, ad fidem ſuam attrahere, & ſuadere quàm proximos. *Et ſcientes gratiam dei, quæ data eſt mihi, Petrus & Iacobus & Ioannes qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, vt nos ad gentes, ipſi verò in circunciſionem tantum vt inopiis memores eſſemus pauperum: quod & ſolicitè curaui hoc ipſum facere.*) Ab apoſtolis qui clariores inter cæteros erant, quos & firmitatis cauſa columnas appellat, quique cum domino ſemper in ſecretis fuerant, gloriam eius digni in monte reſpicere, ab his itaque probatum dicit donum quod accepit à deo, vt dignus eſſet habere primatum in prædicatione gentium, ſicut & habebat Petrus in prędicatione circunciſionis. Et ſicut dat Petro ſocios viros egregios inter apoſtolos, ita & ſibi iungit Barnabam, qui diuino iudicio ei adiunctus eſt: gratiam tamen primatus ſibi ſoli vindicat conceſſam à deo, ſicut & ſoli Petro conceſſa eſt inter apoſtolos, ita vt apoſtoli circunciſionis dextras porrigerent apoſtolis gentium, ad concordiam ſocietatis demonſtrandam, vt vtrique ſcientes perfectionis ſpiritum in diſpenſatione euangelij ſe à domino conſecutos, in nullo ſe inuicem egere oſtenderent. Hoc ſolum tamen inter ſe conueniſſe, vt quod non ex præcepto vel dono domini fuerant inſtructi, quia facilè erat hoc ex lege cognoſcere, hos quibus prædicabant, pauperum memores eſſe iuberent, vt miſericordiam per quam à deo redempti ſunt, colerent. Idcirco igitur hæc quæ inter ſe & apoſtolos facta ſunt, manifeſtat, vt ſciant Galatæ quia quod ab eo acceperant, hoc verum eſt & probatum. *Cùm autem veniſſet Petrus Antiochiam, in faciem illi reſtiti, quia reprehenſus erat.*) Poſt concordiam ſocietatis, & honorificentiam primatus, quam ſibi inuicem per gratiam dei detulerunt, nunc interueniente cauſa negligentiæ vel erroris, diſſidere interſe videntur apoſtoli, non in propria cauſa, ſed in ſolicitudine eccleſiæ. In faciem, inquit, illi reſtiti. Quid eſt hoc, niſi in præſenti ei contradixi? Et qua cauſa, ſubiunxit dicens: Quia reprehenſus erat. Reprehenſus vtique ab euangelica veritate, cui hoc factum aduerſabatur. Nam quis eorum auderet Petro primo apoſtolo, cui claues regni cœlorum dominus dedit, reſiſtere, niſi alius talis, qui fiducia electionis ſuæ ſciens ſe non imparem, conſtanter improbaret quod ille ſine conſilio fecerat? *Prius enim quàm veniſſent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat. Cùm autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos qui erant ex circunciſione. Et ſimulauerunt cum illo & cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas conſentiret ſimulationi eorum.*) Hi omnes Iudæi, qui conſenſerunt ſimulationi Petri & Barnabæ, bonæ fidei fuerunt, ſed propter ſcandalũ illorum qui veniebant ab Iacobo, erant enim æmulatores legis, qui & legem & Chriſtum æquo iure venerarentur, quod contra fidei diſciplinam eſt, præſentibus eis non commiſcebantur gentibus. Timebant enim impetum audaciæ eorum, qui æmulabantur legem. Quod ſi ſolum fuiſſet, non erat reprehenſibile: ſed in quo erratum eſt, in ſubiectis oſtendit. Nam & ipſe vtique ceſſit animoſitati & audaciæ Iudæorum, timens ne per hoc quod facilè eſt, ſurriperet ſcandalum quod difficile ſedaretur: quia & ſecundum legem purificauit ſe coactus, & Timotheum circuncidit inuitus. *Sed cùm vidiſſem quia non recta via incedunt ad veritatem euangelij, dixi Petro coram omnibus.*) Ideo in ſolum Petrum inuehitur, vt in eo qui primus eſt, diſcerent cæteri. *Si tu cùm ſis Iudæus, gentiliter viuis, quomodo gentes cogis Iudaizare?*) Nunc aperit cauſam reprehenſionis. Non enim aliquid fuiſſet erroris, ſi præſentibus Iudæis diſſimulaſſet à gentilibus, timens ſcandalum. Sed hic tota cauſa reprehenſionis eſt, quia aduenientibus Iudæis ab Iacobo, non ſolum ſegregabat ſe ab eis cum quibus gentiliter vixerat, ſed & compellebat eos Iudaizare, cauſa timoris illorum: vt quid horum verum eſſet, ignorarent gentiles. Sciebant enim ipſum ſecum non quaſi Iudæum vixiſſe. Poſt autem audientes ab eo quia Iudæorum inſtar ſequendum erat, hæſitabant vtique quid eſſet verum. Si enim hoc verum erat vt iudaizarent, ipſum prævaricatorem tenebant, quia gentiliter vixerat. Si autem illud melius erat, & verum, vt ſimpliciter viuerent: euerſio erat gentilium per eius ignauiam, quibus adempto bono res laborioſa & ineficax tradebatur. Apoſtolus autem Paulus quando ad horam ceſſit, non hoc & ſuaſit, ſed rem ſe ſuperfluam & inanem facere clamitabat propter furorem Iudæorum. Cui

quidem rei non succubuisset, nisi causa interfuisset, qua audacia Iudæorum plurimum se iactaret. Erat autem Timotheus filius mulieris Iudææ, patre autem Græco. Vnde factum est vt infans secundum legem minimè circumcideretur. Insidiabantur ergo explorantes si eum qui Iudæus natura erat, incircumcisum assumeret: quod illicitum putabant generi Iudæorum: occasionem quærentes qua eum euersorem tenerent legis: hac causa ad horam cessit furori eorum. *Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores. Scientes autem quia non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christum Iesum credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.*) Manifesta ratione circunuentos eos ostendit vt seruarent legem, in qua nemo iustificatur apud deum: quippe cùm hi ipsi qui natura Iudæi sunt, volentes iustificari relicta lege, confugiant ad fidem Christi. *Quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.*) Nullum hominem iustificatum dicit ex operibus legis. Quicunque enim iusti sunt, ex fide iustificati sunt: sicut Abraham, & Isaac, & Iacob, & cæteri sancti. *Si autem quærentes iustificari in Christo, inuenimur & ipsi peccatores: ergo Christus peccati minister est? Absit.*) Quomodo Christus peccati minister potest esse, qui donat peccata? Ideo absit, inquit. Sed si iustificari volentes per fidem Christi, legi seruimus, sub peccato nos esse profitemur: quia fides extrahit hominem à lege, vt iustus sit. Ergo si damus nos legi, peccatores inuenimur: quia qui sub lege sunt, sub maledicto sunt. *Si enim quæ destruxi, hæc iterum reædifico, præuaricatorem me constituo.*) Absolutum est: qui enim accedens ad Christum reliquit legem, de seruo fit liber. Quòd si iterum redeat ad legem, ipse sui accusator existit, quia factum suum condemnat. *Ego enim per legem legi mortuus sum, vt deo viuam.*) Hoc dicit quia per legem fidei mortuus est legi Moysi. Moritur enim legi, qui liberatur ab ea: & viuit deo, cuius fit seruus emptus à Christo. *Christo enim confixus sum cruci.*) Hic configitur cruci Christi, qui æmulus vestigiorum eius nulla mundi concupiscentia capitur, vt deo viuens, mundo mortuus videatur. Qui enim non agit quæ mundi sunt vel erroris, mortuus est mundo. *Viuo autem iam non ego, sed viuit qui in me est Christus.*) Non est ambiguum, in eo qui per fidem liberatur à morte, Christum viuere. Morti enim digno dum donat peccata, ipse viuit in loco eius: ipsius enim præsidio ereptus est morti. Quod verò nunc viuo in carne, in fide viuo filij dei, qui dilexit me, & tradidit se pro me. *Non sum ingratus gratiæ dei.*) Quoniam futura vita promissa est Christianis, ideo qui nunc in hac vita auxilio dei munitus viuit, in fide vitæ promissæ viuit. Hic enim imaginem eius contemplatur, quasi pignus habens vitæ futuræ, quæ per dei nutum Christi amore nobis quæsita est. Hic ergo non est ingratus Christo, qui in fide eius perdurat, sciens nullius se habere beneficium, nisi huius; & ad contumeliam eius proficere, si alterum ei comparat, cuius auxiliū habere non potuit. *Si enim per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.*) Nihil tam apertum, quia si per legem potuisset homo iustificari, Christum nō oportuerat mori. Sed quia lex dare remissionem peccatorum non poterat, neque secundum mortem detriumphās expoliare captiuis quos tenebat causa peccati, idcirco Christus mortuus est, vt ea præstaret quæ lex non poterat: ac per hoc non gratis mortuus est. Mors enim eius iustificatio peccatorum est.

CAPVT TERTIVM.

Insensati Galatæ, quis vos fascinauit?) Irascentis cum miraculo verba sunt, quia sic fuerant deprauati, vt nec se agnoscerent circunuentos. Proœmio vsus est. Omnis enim qui fascinatur, de bono transit in malū: sicut & hi de libertate & securitate ad seruitium & solicitudinē transierūt. *Ante quorum oculos Christus Iesus proscriptus est, & in vobis crucifixus est.*) Manifestū est quia stultorū oculis Christus proscriptus videtur, id est expoliatus vel condemnatus. Prudentium verò oculis & sensibus non solum non condemnatus, sed ipse mortem cruce sua damnasse videtur. Passio enim domini vita nostra est, & destructio mortis. Sed quia hi indignè cœperant sentire trāslati ad legem, idcirco mentibus eorum Christum condemnatum videri conqueritur. Ideoque subiecit: In vobis crucifixus est, hoc est, sensu vestro crucifixus est, quasi homo. In quo enim spes plena non est, homo est. Ideo hi non putabant plenā salutem esse in Christo, quia legem illi æquabant. In his verò qui congruè intelligunt Christum, viuit in eis Christus. In Fotino crucifixus est. Hic enim verè mortuus est, in quo Christus dicitur crucifixus, quia istud loco accusationis obiicitur. *Hoc solum volo discere à vobis, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic sine intellectu estis?*) Adhuc cum stomacho loquitur. Dolet enim valde super errore eorum, quia fabricam suam, qua eos per euangelium ædificauerat, videbat esse destructam. Non sic de Corinthiis motus est, quia quamuis carnales eos appellet, non tamen vsqueadeo fuerāt mente capti, vt circuncidi se paterentur. Ideo & hi stulti & sine intellectu esse dicuntur, quia nec dolori carnis suæ consulere valuerūt. Vsque ad hoc enim solet quis induci, quod delectat, aut dolorem non præstat. Interrogantis ergo verba sunt, & quod interrogat, ex parte cōfirmantis, cùm dicit: Hoc solum volo discere à vobis, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Hoc ab eis quærit, in quo & gloriabantur, & negare non poterant, quia spiritum sanctum per fidem acceperāt, non per legem, vt resipiscentes agnoscerent quia donum dei, in quo gloriabantur, non ex opere legis acceperant, sed credentes in Christum, vt vel sic grati Christo legem quam sibi in nullo prodesse didicerant, relinquerent. Hoc proponit, quod illo in tempore negari non poterat, spiritum dei inesse credentibus. Ad rudimenta enim fidei commendanda, donum dei hoc manifestabatur hominibus, sicut inter ipsa initia factum est in apostolis, & cæteris discipulis, necnon & in illis duodecim, quos quia in adulterino baptismate sub nomine baptismi Ioannis fuerant non tincti, sed sordidati, Paulus apostolus in trinitatis nomine baptizari præcepit, quibus impositis manibus decidit in eos spiritus sanctus, & diuersarum linguarum ministrabat eloquia cum interpretatione earum, vt nullus auderet negare spiritum sanctū inesse eis. Quamobrem sine intellectu Galatas esse appellat, qui huius rei ignari, & consci degradantes se, carnis curæ se subiecerunt. *Incipientes spiritu, nunc carne consummamini?*) Hoc dicit, quia cùm ab inferioribus ad summa fidei ascensus sit, hi cōtra de summis in ima delapsi sunt. Per fidem enim spiritales effecti, cōuersi ad legem, perdiderant gratiam spiritus, quam fuerant consecuti. Consummatio enim perditionem significat, id est, finem. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa?*) Multa eos passos pro fide significat ab infidelibus. Tunc enim qui credebāt, cæteris opprobrio erant, siue domesticis, siue extraneis. Nam digito signabātur quasi rei maiestatis. Vnde similiter Galatæ multa passi sunt insaniores experti: cuius rei meritum perdiderāt mittentes se sub lege. Sed quia adiecit, Si tamen sine causa, ostēdit sperare se posse reformari illos. *Qui ergo præbet vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei?*) Idem sensus est, cui adduntur virtutis insignia, quę testimonium præbent fidei, quod sit spe fida & rationabilis. Legem autem nulla virtus comitatur, quæ attrahat ad eius spem: quia quæ videntur, non sperantur, sed sunt temporalia, sicut lex factorum, quam suprà ostēdimus. *Sicut scriptum est: Credidit Abraham deo, & æstimatum est ei ad iustitiam.*) Ostendit exemplo Abrahæ, qui pater fidei est, iustitiam non ex operibus legis imputari, sed per fidem: credens enim iustificatus est, ac per hoc stultè & improuidè legi eos se subieciſſe, quæ non ad iustificationem data est. *Cognoscetis ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ.*) Verum est quia credentes filij sunt Abrahæ, quia si Abraham ex fide iustificatus est primus, quotquot post hunc credunt, filij eius sunt, siue ex Iudæis, siue ex gentibus. *Præuidens autem scriptura quia ex fide iustificat gentes deus, prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes.*) Hoc dicit quia forma est Abraham omnium Genes 15.

omnium credentium, vt hi benedicti in eo sint qui credunt. sequentes enim fidem eius, participes fiunt benedictionis eiusdem. *Ergo qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Quotquot enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.*) Manifestū est quia fideles cum fideli benedicentur, quomodo infideles cum infidelibus punientur. Nam qui sub lege agunt, sub maledicto sunt, quia trāgressores legis sunt peccatores. *Scriptum quippe est: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.*) Hoc scriptū est in Deuteronomio, quia si quid legis præteriisset aliquis, maledictus haberetur. Et tanta mādata sunt, vt impossibile sit seruari ea. Vnde & Petrus apostolus in Actibus apostolorum ait: Quid imponitis iugum fratribus, quod neque patres nostri neque nos potuimus portare? Negligēti enim & superbo populo hęc data erant, vt per omnē conuersationē legem haberent. *Quod autem in lege nemo iustificatur apud deum manifestum est, quia iustus ex fide viuit.*) Ac per hoc recedēdum à lege docet, ne iustitia per fidem quæsita depereat. *Lex autem non ex fide est, sed qui fecerit ea viuet in eis.*) Non est ex fide lex, quia nihil mandat credendum. Omnia enim eius manifesta sunt vt seruans legem viuat. Si quo minus, necesse est plectatur: quia quod sciuit vitādū, admisit. Potest opponi è diuerso, & dici, Si in lege nemo iustificatur, quid est vt maledicatur qui aliquid præterit legis? Verū est, quia nemo per legem iustificatur, sed apud deum. Iustificatur autē apud mū dum, vt securus sit in vita præsenti. Si autē apud deum iustificari vult, vt illi ad meritum proficiat in die iudicij, dei sequatur fidem. Alioquin hic securus, reus erit in futurū. Prodest ergo lex, sed quæ in tabulis scripta est. Nā cætera, sicut dixi, vt oneri essent data sunt. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*) Quoniam nemo poterat implere legē, rei erant omnes maledicto legis, vt vindicaret in eos. Christus autem homo natus, oblatus à patre pro nobis, redemit nos à diabolo. Morti enim volētem offerens illum pro iis qui maledicto legis erāt obnoxij, maledictum illum fecit hoc modo, sicut in lege hostia pro peccatis oblata, peccatū nūcupabatur: propterea pro maledictis oblatus, factus est maledictum. Nam & à Iudæis factus est maledictum, dū quasi peccator occiditur. Ideo non dixit: Factus pro nobis maledictus, sed maledictum. Is enim qui propter peccatum proprium morti offerebatur, maledictus fiebat. in sua enim causa moriebatur. Et si propius aspicias, videbis Christum maledictum eorum factum à quibus occisus est. Crux enim saluatoris peccatum & maledictum est Iudæorum. *Quia scriptum est, maledictus omnis qui pendet in ligno.*) Hoc Moyses dixit in Deuteronomio de reis mortis, vt sufficeret suspensis in ligno illic esse vsque ad vesperam, & deponi ad sepulturam. Quia maledictus omnis, inquit, qui pendet in ligno, vereo mortis sufficeret hoc, quia suspensus moriebatur in ligno, ne diutius si esset suspensus, maius haberet opprobrium mors eius quàm deberet: & fieret macula generi eius amplius mors eius publicaretur. Ac per hoc saluator innocens suspensus in ligno, non est maledictus, sed maledictum illorum à quibus suspensus est. Quantum tamen ad Iudæos pertinet, quasi peccatorem illum occidendum Pilato offerentes, maledictum illum fecerunt, vt quasi reus occideretur, cùm esset innocens: quia dignus morte maledictus est iuxta legem. Videntes enim multos aggregari doctrinæ eius, zelati sunt dicentes: Ecce totus mundus abiit post illum. ac per hoc pro nobis occisus dicitur: & duplici genere pro nobis. Cùm enim putant illum occidi debere, ne doceret, nihil profecerunt, quia & doctrina eius creuit, & mortem euacuauit in passione sua. Descendens enim ad inferos, genus hominum liberauit, qua causa & occidi se permisit, sciens pro nobis esse contra diabolum. *Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt benedictionem spiritus accipiamus per fidem.*) Hoc dicit quia exprobratis & maledictis Iudæis, cum sibi de iustitia legis blandirentur, occiso saluatore quasi sabbati violati reo, promissionis benedictio Abrahæ transitum fecit ad gentes per fidem Christi Iesu. Vnde dicit dominus Iudæis: Tolletur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. *Fratres secundum hominem dico.*) Hoc dicit quia exemplo humanæ causæ commendare vult rationem diuinæ promissionis, *Tamen hominis testamentum confirmatum authoritate, nemo irritum facit, aut superordinat.*) Verum est quia testamentum defuncti iure factum non potest scindi. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, quod est Christus.*) Hoc est quod scriptum est in Genesi ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Quod vtique impletum est in Christo, in cuius nomine omnes gentes benedicūtur per fidem. Ideo non in multis, sed in vno firmata est promissio, qui est Christus. Hac disputatione sua Apostolus quasi reos fallati testamenti designat, qui credentes in Christum & de lege aliquid sperant, vt non solum salus promissa in Christo, sed & in lege sit. Ideo probat promissionem benedictionis in solo Christo factam. *Hoc autem dico, testamentum confirmatum à deo in Christo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non infirmat ad euacuandam promissionem.*) In tantum in solo Christo firmatam benedictionis promissionem docet, vt legem post quadringentos & triginta annos datam ostendat. Constituta enim promissione postea data est lex, quæ non vtique infirmaret promissionem, sed quod futura & quando ventura esset significaret. *Si enim ex lege hæreditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem promissionem donauit Deus.*) Duas cautas contrarias sibi defendunt Iudæi. Nullo enim pacto, nulla ratione suaderi potest Iudæis, Abrahæ promissionem euacuatam per legem & rectè. Sed aliud aduersum improuida præsumptione defendunt, putātes iustificationem sine operibus legis prouenire non posse, cùm sciant Abraham, qui forma eius rei est, sine operibus legis per solam fidem iustificatum. Sed æmulatione quadam cæcati, non intelligunt neque considerāt quia si per legē iustificatio, excluditur promissio. Et si exclusa fuerit promissio, sine dubio frustrabitur fides Abrahæ. Quod ne audire quidē se patiūtur Iudæi, sciētes quia promissio ex fide est Abrahæ. Quæ promissio ex fide iustificat, non per legē sicut & Abrahā iustificatus ex fide est. Hi ergo hęredes sunt promissionis Abrahæ, qui illi succedunt, suscipientes fidem, in qua benedictus & iustificatus est Abraham. Testimonium ergo promissionis Abrahæ testamentum appellatur, vt post mortem eius hæredes essent in promissione filij eius facti per fidem. Quæ causa cucurrit vsque ad Christum Abrahæ repromissum, vt post mortem Christi credentes, hæredes essent fidei Abrahæ per testamentum sanguinis Christi. Donum ergo quod promissum est Abrahæ, filiisque eius in Christo solutum est: quamuis & ipse Abraham consecutus sit donum hoc illic vbi inuentus est. *Quid ergo lex factorum posita est donec veniret semen cui promissum est?*) Lex factorum, id est Moysi, posita est in medio inter cœptam promissionem & semen cui facta promissio est, hoc est inter Abraham & saluatorem. Ideo longè data post factam promissionem, vt ipsa distinctione aliud lex, & aliud promissio videretur vt populum dei à gentibus segregatum erudiret sub dei timore, vt dignus fieret ad excipiendam promissionem, quæ est Christus. Lex tamē factorū ideo dicitur, quia docet quæ deo iubē te corporaliter fiant de sacrificiis, de primogenitis, de decimis, & de cæteris talibus. *Disposita per angelos in manu mediatoris.*) Angelos dicit dei nuncios, id est, Moysem, filium † Naue, & cæteros propheras vsque ad Ioannem Baptistam, de quo deus dicit: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam. Per hos ergo lex ordinata, dispositа est à deo, in manu, id est, potestate saluatoris. Ipse est enim mediator vel reconciliator dei & hominum, vt saluet quos vult ex iis qui legem per supra memoratos angelos acceperunt. Ipse enim ait: Sicut enim pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. *Mediator autem vnius non est.*) Sine dubio mediator, hoc est arbiter, non est vnius, sed duorum. Cùm enim duo populi inuicem aduersum se dimicarent, semper dissidentes & inimici diuersitate doctrinæ, Saluator horum arbiter venit, amputans vtrisque populis per quod discordabant, vt possent esse pacifici. Abstulit ergo gēubus numerum deorum, & famulatum elementorum, quod scādalum

Gen. 26.

† *Iesum.*

Mala. 3.

Ioan. 5.

dalum erat Hebræis. Abstulit & Iudæis opera legis, id est, Neomenias, circuncisionem & curam sabbati, & discretiones escarum, & cætera quæ abominabantur gentiles: & sic facti sunt pacifici, qui prius fuerant inimici. Si ergo hæc ita se habent, quid est vt Galatæ hebetudine mentis arbitrum istum corrumpant, conuersi ad Iudaïsmum? Iudicium enim saluatoris in irritum ducunt, quando post factã pacem quasi pœnitentes de ea, subiiciunt se illis quæ prius paci fuerãt inimica. Iuxta sensum ergo Galatarum Christus arbiter nõ est, quia inducti in legem, de duobus populis vnũ fecerunt: & vnius vtique populi arbiter nemo est. Hunc eundem sensum ad Ephesios prosequitur, dicens: Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitiam in carne sua, legem mandatorum in decretis euacuans, vt duos conderet in se vno nouo homine faciens pacem. Si in vno nouo homine fecit pacem, ambobus vtique abstulit per quod dissidebant, & hoc eis statuit data sua lege, per quod essent pacifici. Hoc Galatæ irruperũt conuersi ad Iudaïsmum. *Deus autem vnus est.*) Hoc dicit, ne Christum prædicando deum, quem arbitrum dicit vni deo, prædicasse putaretur contra legem & prophetas. Arbitrum ergo hunc per assumptionem carnis intelligi docet, sicut dicit ad Timotheum: Arbiter dei & hominum homo Iesus Christus. Iuxta autem quod deus est, à patre hunc non separari, sed vnum esse cum patre. Siue enim pater, siue filius, deus vnus est. Deus enim naturæ nomen est & potestatis, quam in patre & filio indiuiduam manere ipsa nominum ratio dolet. *Lex igitur aduersum promissa? Absit.*) Absit vtique, quia non est lex inimica promissionis, quippe cùm confirmet eam. Nam primus Moyses dixit: Prophetam vobis excitabit deus de fratribus vestris. Hoc dictum de Christo Petrus apostolus probat in Actis apostolorum septimo capite. *Si enim data esset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia.*) Iustitiam hãc dicit, quæ apud deum imputatur iustitia, id est, fidei, quia & lex habuit iustitiam, sed ad præsens, non quia iustificaret apud deum. Remittere enim peccata non potuit, vt de peccatoribus faceret iustos, sed ad hoc data est, vt terrori esset, prouocans homines ad bonam vitam, irreuerentes puniens: Ideóque non est data lex, quæ possit viuificare, sed cõdemnare. *Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.*) Hunc sensum & ad Romanos xj. posuit dicens: Conclusit deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur. Hoc dicit quòd suprà memoraui, quia lex ad hoc data est, vt peccatores reos se scirent apud deum. Manifestatis enim peccatis suis conclusi sunt, vt se excusare non possent, sed quærerent misericordiam, vt veniẽs qui promissus erat Abrahæ, fidem solam ab eis posceret, quam habuit Abraham, vt & malorum suorum veniam & iustificationem mererentur. Hoc enim manifestauerat deus per Esaiam prophetam, dicens: Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem ab Iacob: & hoc erit illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum. *Prius enim quàm veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eandem fidem, quæ incipiebat reuelari.*) Hoc est quod dicit, quia antequam veniret saluator, sub legis custodia agebamus ne peccaremus, vt venienti promissione digni essemus. Hac enim spe lex tutos præstabat nos, vt venienti Christo offerret, nos id est, Iudæos. *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo Iesu, vt ex fide iustificaremur.*) Idem sensus est, quia sub cura legis eramus, donec veniret Christus, qui nos credentes iustificaret. *Veniente autem fide, iam non sub pædagogo sumus. Omnes enim filij dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu.*) Sub pædagogo qui agit, potestatis suę non est. Paruulus enim & lubricus ad peccandum sub pædagogi cura habetur. Veniente autem Christo, qui quasi de minoribus facit maiores, liberati de potestate pædagogi, per ablutionem peccatorum facti sumus filij dei, cùm essemus serui peccati. *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.*) Hoc dicit quia credentes dum immutantur, Christum induunt, quando hoc appellantur quod credunt. *Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.*) Nullam distantiam dicit credentium, vt nulli præiudicetur quid fuerit antequã crederet. Omnibus enim his vnum decretum est donum. Apud deum enim nulla discretio personarũ est, nisi morum & vitæ, vt homines vnius fidei meritis distinguantur, non personis. *Si ergo vos omnes vnum estis in Christo Iesu, ergo Abrahæ semen estis secũdum promissionem hæredes.*) Semen Abrahæ sunt omnes credentes, quia Abraham pater est omnium credentium. Et si filij sunt, necessario & promissionis eius hæredes, vt consequantur per fidem quod promissum est Abrahæ, vt participes sint iustificationis eius in regno cœlorum.

Ephes 2.

1. Tim. 2.

Deut. 18.

Esa. 59.

CAPVT QVARTVM.

Dico autem quòd quamdiu hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub curatoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre.) Verum est, quia ius patres ordinauerunt, & vsque ad quam ętatem subiectus debeat esse adultus, statuerunt: ita vt quamdiu paruulus est, libertate sua vti non possit, neque dominari quasi hæres, sed similis propè seruis in conditione est curatorum vel actorum. Hoc exemplo probat eos qui sub lege fuerunt, paruulos fuisse circa meritum, nec libertatem habuisse, quia in conditione legis erant subiecti causa peccati. *Ita & nos cùm essemus paruuli, sub elementis huius mundi eramus subiecti.*) In elementis neomenias significat & sabbatum. Neomeniæ enim sunt dies Lunares, quos obseruãt Iudæi: Sabbatum verò dies requietionis. Antequã veniret ergo promissio, id est, donum gratiæ dei, & purificans iustificaret credentes, quasi imperfecti & paruuli per legem dei, subiecti eramus cõseruis quasi pædagogis. Libertas enim nostra obnoxia erat causa peccati. Nihil tamen de elementis sperabant Iudæi, sicut & Pagani, sed creatorem deum venerabantur in creatura. *At vbi venit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erãt redimeret, vt filiorum adoptionem reciperemus.*) Plenitudo temporis est completum tempus, quod præfinitũ fuerat à deo patre quando mitteret filium suum, vt ex virgine factus quasi homo nasceretur, subiiciens se legi vsque ad tempus baptismi, vt formam daret quomodo peccatores abluti, & à iugo legis erepti dignatione dei filij ei adoptarentur, sicut promiserat, redẽpti sanguine filij eius. Saluatorem autem necesse erat fieri sub lege, quasi filium Abrahæ iuxta carnem, vt circũcisus appareret iis esse, qui promissus Abrahæ, venerat gentes iustificare per fidem, signum habens eius cui promissus fuerat. Ideo vltra neminem oportuit circuncidi, quia tamdiu cucurrit signum, quoadusque veniret qui promissus fuerat restaurare fidem, in qua iustificatus est Abraham in præputio, vt credentibus non opus sit circuncisio. Abraham autem ideo circuncisus est, quia filium se credidit habiturum in quo omnes gentes benedicerentur. Ideo tamdiu cucurrit signum, donec veniret qui erat promissus. Si autem hoc crederetur quod credidit Abraham, non stetisset circũcisio, ne fortè opponeretur, quia si Abraham credidit, & circuncisus est, quare non circunciduntur credentes? *Quoniam autem estis filij dei, misit deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem, Abba pater.*) Ab his cœpit, quibus & scribit, dicens: Quoniam autem estis filij dei, & subiungit Iudæos, cùm ait: Misit deus spiritum filij sui in corda nostra. Quando autem dixit gentes filios dei credentes in Christũ, quę prius fuerant inimici, dubium non erat Iudæos credentes dici filios dei, quos constat iam pridem hoc nomine nũcupatos. Nomen enim olim acceperant velut in imagine, vt postea confirmaretur per Christum, quia sine spiritu non erat plenum, Hoc est, quod dicit & ad Romanos. Ipse spiritus reddet testimoniũ spiritui nostro quòd sumus filij dei. Vt enim probaremur adoptati esse à deo in filios, spiritum suum dedit nobis, qui signum patris ostendat in filios, vt quia hoc non auderemus dicere in infirmitate & indignitate nostra, suggerat, vt audeamus dicere, Abba, quod est pater. Denique Iudæis hoc iamdudum non est concessum dicere. *Itaque iam non est seruus, sed filius.*) Non est seruus, quia sublatus de potestate legis, socius factus est benedictionis

Rom. 8.

1985

proprij filij dei. *Si autem filius, & hæres per deum.*) Dubium nō est, quia ideo quis adoptat sibi filium, vt hæredem illum relinquat. Sed hæreditas ex morte alicuius prouenit. Quid est ergo vt mortales hæredes eius dicātur, qui semper viuit? Sed scriptura more nostro loquitur, vt intelligere possimus. Vt enim ostendat daturum patrem filius de bonis suis, hæc quæ dāturus est, hæreditatem appellat. *Sed tunc quidem ignorantes deum, iis qui non sunt dij, seruiebatis.*) Quoniam prius per ignorantiam peccabāt seruientes idolis, facile illis ignotum significat: sicut dicit in Genesi Abimelech ad deum: Domine, inquit, nunquid gentem ignorantem perdes? *Nunc autem cognoscentes deum, imo verò cogniti à deo quomodo iterum conuertimini ad infirma & egena elementa, quibus denuò seruire vultis?*) Graue illorum admissum adnotat, quia post agnitionem dei, ea quæ paganorum sunt, sequi cœperant. Et plus addit, quia non isti cognouerunt deum, sed magis cogniti à deo sunt. Cùm enim hi non quærerent deum, aduocauit eos ad suam gratiam: & hi ingrati, ad ea conuerti cœperant quę tunc colebant quando ignorabant deum, vt veneratentur infirma & egena elemēta, & non tora mente Christum, in quo omnis inhabitat diuinitas. Infirma & egena dicit elementa, quia imperfecta sunt. Ad regendum enim mundum inuicem egent sui: in Christo enim perfecta salus est. *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos.*) Quæ elementa dixerit, nunc declarat. Diem Sol facit, menses cursus Lunæ. Tempora verò sunt ver, æstas, autumnus, hyems. quatuor hæc completo numero proprio faciunt annum. Dies ergo obseruant qui dicunt, vt puta, Crastino proficiscendum non est. Post crastinum enim non debet aliquid inchoari. & sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses, qui cursus Lunæ perscrutantur, dicentes vt puta Septima Luna strumenta confici non debent. nona iterum Luna seruum emptum vt puta domum duci non oportet. & per hæc facilius solent aduersa prouenire. Tempora verò sic obseruant, cùm dicunt. Hodie veris initium est, festiuitas est, post eras Vulcanalia sunt. Et talia iterum aiunt. Posterum est, domum egredi non licet. Annos sic colunt, cùm dicunt kalendis Ianuariis nouus est annus, quasi non quotidie anni impleantur. Sed vt Iani illius recolant memoriam bifrontis, ac superstitione vtuntur, quæ longè debet esse à seruis dei. Si enim deus ex toto corde diligatur, ipso propitio nulla debet esse formido neque suspicio harum rerum. Prosperè enim potest cedere quicquid simpliciter sub dei deuotione fit. *Timeo vos ne frustra laborauerim in vobis.*) Duplici genere subuersi fuerant Galatæ, vt post dei gratiam non solum ad legem conuerterentur, sed ad errores pristinos. Inducti enim vel euersi in legem, facilè declinarant ad obseruantiam dierum & mensium. Sabbati enim obseruatio & Neomeniarum attraxerunt illos ad hæc. Ideóque timeo vos, inquit, ne sine causa laborauerim in vobis. Sic enim videbat eos in peius proficere, vt possent etiam à Christo penitus recedere. *Estote sicut & ego, quia & ego sicut vos.*) Hoc dicit vt dent operam corrigendi se, quia non est impossibile vt sint sicut ipse, quia & ipse hoc erat: id est, homo quod & illi: & cùm fuisset in errore persequens Ecclesiam, correptus conuertit se. *Fratres, obsecro vos, nihil mihi nocuistis.*) Nunc mitius agit cum eis, & bona eorum incipit memorare, vt post magnas correptiones bona opera sua audientes recreārētur, & data opera reformarent se, ne obiurgationibus diutius pressi asperiores fierent exacerbati, nihil tamen sibi nocuisse illos dicit. Ipsis enim oberat delictum illorum. Apostolus enim impleuerat officium dispensationis sibi creditæ, vt omni cum diligentia prædicaret eis: sicut dicit dominus ad prophetam Ezechiel: Tu, inquit, prædica. si te audierint, lucraberis eos. si quo minus, tu saluabis animam tuam. *Scitis quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam pridem, & tentationem vestram in carne mea non spreuistis neque respuistis.*) In memoriam reuocat illis tempus quando primum prædicauit illis Euangelium dei. Ipso enim tempore iniuriis agebatur Apostolus, & cædibus infirmabatur. Infirmus enim videtur qui humiliatur, & non resistit propter Euangelium dei. & in hoc laudat constantiam eorum, quia

A non sunt abstracti à fide. Iniuria enim apostoli tentationes erant Galatarum, in qua firmi inuenti sunt, non dubitantes de fide. Possent enim scandalum passi dicere: Quæ est virtus aut spes in hac fide, quando minister eius sic humiliatur? Sed quia iam animum futuris spebus infecerant, præsentes exitus pro Christi nomine non pertimescebant, certi fidem nostram non in terris, sed in cœlis habere dignitatem, & pro his tribulationibus magna rependi præmia. Ruborem illis incutit, quia post hæc laudabilia circunuenti fuerant, vt vituperabiles viderentur. *Sed sicut angelum dei excepistis me, sicut Christum Iesum.*) Hoc magis laudat in eis, quia pressuris non deformatus est apud eos, sed commendatus, scientibus pro iis qui credunt, pati illum exitia. Sicut ergo angelum dei exceperunt Apostolum, credentes donum dei esse quòd prædicat: sic ei deferentes, quasi ipsi authori domino Iesu Christo. *Quæ ergo erat beatitudo vestra?*) Beatos hos fuisse dicit apud cæteras ecclesias, per id quod apostoli iniuriis non frangebantur, sed crescebant in fide. *Testis enim sum vobis, quia si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.*) Votum eorū
B circa religionem tam plenum ostendit fuisse, vt non solum bene ab eis susceptus sit, sed & fortes in fide inuenti sint: &, quod ad laudē magis proficit, omnia penè sua illi obtulerint profliganda. Hinc plus dolet, quia tanta charitas subuersa fuerat praua doctrina. *Ergo inimicus vobis factus sum verum dicens vobis?*) Hoc dicit, quia non potest fieri vt inimicus, inquit, ego vobis sim, quorum tanta sensi obsequia. Sed quia nemo se argui vult errantem, idcirco inimicus vobis videor iustè vos reprehendens. *Æmulantur vos non bene, sed excludere vos volunt, vt eos æmulemini.*) Inuidia Iudęorum subuersos eos significat. Videntes enim sic illos proficere in euangelio, & tantam habere charitatem in Apostolo, id egerunt, quatenus illos deciperent. Erant enim legis caussa apostoli inimici, vt manente nomine saluatoris facerent eos Iudæos gaudentes in euersione eorum. Non enim patiebantur vt gratiam sibi promissam audirent incircuncisis gentibus datam. Ideo imitatores suos illos voluerunt fieri, vt more eo-
C rum circunciderentur. *Æmulamini autem meliora dona. Bonum æmulamini semper, & non solum cum præsens sum apud vos.*) Meliora dona spiritalia sunt, quæ imitati habebunt effectum apud deum. Hæc spiritalia & bona sunt, quæ vult vt semper imitentur: non ad tempus, sicut pridem, aut se præsente tantum, post autem ad aliud conuertantur, sed vult illos de cætero perseuerare in bono. *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.*) Primum per fidem illos genuerat in baptismo, sed quia velut per abortum nati, deformati, & infirmi inuenti sunt, nunc cum dolore confilij reformat eos in Christum. Concipientes enim fidem, & sensum fidei minimè aduertentes, formatum Christum in animis suis negantur habere. Si enim intellexissent gratiam dei in Christo, post fidem in Iudaismum traducti non essent. *Vellem autem præsens esse nunc apud vos, & mutare vocem meam, quia confundor in vobis.*) Præsens vult arguere illos, vt mutet vocem suam de laude in vituperationem eorum, vt duplici genere confundantur, & de errore suo, & rubore apostoli quem patiebatur apud eos quibus illos
D prætulerat. *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim quia Abraham duos filios habuit, vnum ex ancilla, & vnum de libera.*) Hoc in Genesi habetur, *Genes.16.* quia cum Sara generare non posset, erat enim sterilis, Agar ancillam suam obtulit viro suo Abrahæ in concubinam, vt quod generaret, adoptaret sibi. Sic factum est vt Agar nasceretur Ismahel. Post autem nutu dei promissus est Abrahæ filius de Sara vxore sua quæ erat sterilis. hæc peperit Abrahæ Isaac. Tunc cœpit Abraham duos habere filios, *Genes.21.* vnum de ancilla, &, vnum de libera. *Sed quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem. quæ sunt per Allegoriam dicta.*) Ismahel, qui ex ancilla Agar natus est, secundum carnem natus est, quia iuxta consuetudinem natus est. Isaac verò non secundum consuetudinem, sed secundum prouidentiam dei virtute natus est, quippe cùm Sara & anus esset, & sterilis. In typum enim Christi natus est Isaac. Ideo hæc per allegoriam asserit dicta,

vt aliud

vt aliud ex alio significent personæ Ismahel & Isaac. Ismahel enim Iudæorum significat natiuitatem, vel eorum qui A
serui peccati sunt: Isaac verò Christianorum, qui in libertate nascuntur. Liber enim fit qui accipit remissionem peccatorum. *Hæc enim sunt duo testamenta.*) Moyses accipiens sanguinem vituli in cratera aspersit populum dicens: Hic est sanguis testamẽti quod disposuit deus ad vos. Hoc est quod dixit. *Vnum quidem à monte Sina in seruitutem generans, quod est Agar.*) Lex enim in monte Sina data est, quam Moyses recitans populo, librum hunc testamenti appellauit, & tunc aspersit populũ sanguine, sicut dixit. Hæc lex reos tenuit peccatores, & cœperunt serui esse peccati, facti filij Agar quasi ancillæ. *Sina autem mons est in Arabia, qui coniungitur huic quæ nunc est Hierusalem, seruiens cum filiis suis.*) Causam Agar significare dicit Hierusalem terrenam, id est, synagogam, quæ in seruitutem generat, quia quos generat, sub peccato sunt. *Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra.*) Hęc quam matrem nostram dicit, regula est mysterij dominici, per quam renascimur in libertatem, sicut & ipsa libera
est. Ideo & cœlestis dicitur, quia cœlum sedes eius est: & B
quos generat, ibi erunt cum ea: sicut dicit dominus: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego fuero, & hi sint mecum. Hæc est & vita, quia immortalitate donantur qui credentes renascũtur per eam. Sic etenim de domino dictum est, quia quod factum est in illo, vita erat. Sicut enim pater habet vitam, ita dedit & filio vitam, & vita erat lux hominum. Hæc vita & lux, mater fidelium est. In Esaia hoc habetur, quod subiectum est. *Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris erumpe, & exclama quæ non parturis, quia multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum.*) Hanc terrenam Hierusalem virũ habere dicit, quia secundum carnem generat: illam autem cœlestem Hierusalem, quam dicit matrem nostrã, sterilem appellat, quia non parit secundum carnem, nec dolores patitur: hoc est, non parturit. Generat autem sine passione spiritaliter exclamans in lætitia, quia deserta aliquando, (à quo nisi ab Adã, quia deserta vita secutus est mortem?) nunc plures filios habet quàm hæc quæ habet virum, id est, quæ carnaliter generat. Multò enim plures sunt Christiani Iudæis,
sicut dicitur in Apocalypsi: Et vidi turbam magnam quam C
dinumerare nemo poterat ex omni tribu & gẽte. *Vos autem fratres secundum Isaac promissionis filij estis.*) Hoc est, non carnis filios esse, sed dei, quia Isaac in typum natus est filij dei: & vult eos subintelligere, quia facti filij dei cõuersi sunt vt essent filij carnis: si verò resipiscant, sunt filij dei. *Sed quomodo tunc, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum: ita & nunc.*) Non solum Ismahel secundum carnem natus est, sed & Esau, quia & ipse in populi Iudaïci typum natus est. De quo in Malachia propheta scriptũ est:
Iacob dilexi, Esau verò odio habui. Hic persequebatur Iacob, qui in populi Christiani figura vocatus est Israel, hoc est, homo videns deum. Similiter & Iudæos per inuidiam persequi significauit Christianos, vnde data opera Galatas euerterant carnali astutia. *Sed quid dicit scriptura? Eiice ancillã, & filiũ eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.*) Hæc verba Saræ sunt, quæ typum habet Hierusalem cœlestis, de promissione generans Isaac, vt eiecto filio ancillæ, id D
est, Iudæo populo incredulitatis causa abiecto, (serui enim peccati sunt, quibus data remissio peccatorum non est) hæres sit filius liberæ illius Hierusalem supernæ, qui est populus nouus regni cœlorum. *Itaque non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberauit.*) Fuimus igitur ancillæ filij, dum peccatis eramus obnoxij: sed accepta remissione peccatorum à Christo liberati sumus.

Exod. 24. Hebr. 9.

Ioan. 17.

Ioan. 1. Ioan. 5.

Esa. 54. Luc. 23.

Apoc. 7. Rom. 9.

Malac. 1.

Gen. 2.

CAPVT QVINTVM.

Act. 15.

Tate ergo, & nolite iterum seruitutis iugo contineri.) Standum monet in accepta gratia, ne redeuntes ad vetera, amittant donum libertatis, quod fuerant consecuti. *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Nũc apertè veritatis & authoritatis suæ vim non tacet, dicẽs: Ecce ego Paulus dico vobis, id est, ego magister gentium, cuius opus estis in Christo, palam vobis dico, quia nihil proderit vobis Christus, si circuncidamini. Ipse enim dominus ait: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem, ex quo regnum cœlorum prædicatur. Antequam ergo noua inciperet prædicatio, oportuit circuncidi: nunc autem lege fidei succedente, ea sequenda sunt quæ rudis veritas iubet, quia vetus & nouum admisceri non debent, authoritate domini prædicantis. Ait enim: Nemo enim additamentum rudis panni assuit vestimento veteri: tollit enim fortitudinem eius à vestimẽto, & maior fit scissura: ac per hoc non solum nihil proderit fideli addita circuncisio, sed oberit. Maius enim malum est ex libero seruum fieri, quàm nasci. *Testificor autem omni homini circuncidenti se, quia debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Possunt aliqui legem aliquatenus seruare, & non circuncidi. Nam multi Romanorum in Iudæa seruabant legem incircuncisi. Vnde dicit Paulus Apostolus ad Agrippam regem Iudææ: Scio rex Agrippa, credis prophetis: scio quia credis. Et Centurio, cuius seruus erat moriturus, qui mittens ad Iesum, rogabat vt veniret, & sanaret seruum eius: cui testimoniũ perhibentes Iudæi, dicebant ad Iesum: Dignus est vt præstes ei, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis. Nemo tamen circuncisus non totam legem seruat. Debitor est enim, quia circuncisis data est lex. Hoc ideo dixit, quia tam hebetes se ostendebant, vt digni essent omnia onera legis portare. *Euacuati estis à Christo.*) Quibus nihil prodest Christus, euacuati sunt à Christo. Erant enim gratia eius pleni, qua recedente euacuati sunt. His enim loquitur, qui post acceptum donum gratiæ dei circuncidi se maluerunt. *Qui in lege * iustificamini, à gratia excidistis.*) Iustitia legis est, si seruentur quæ data sunt. Ideóque qui in his iustificari se vult post fidem, amittit gratiam: quia ad hoc venit donum dei, vt cessantibus oneribus legis, iustificaret credentes apud deum. *Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. In Christo enim Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.*) Apertum est quod dicit, quia spes iustificationis in fide est per spiritum, non per opera legis. In fide enim spiritaliter seruitur deo deuotione mentis, & puritate cordis. Vnde dicit dominus ad Samaritanam: Deus spiritus est, & adorantes eum, in spiritu & veritate adorare oportet. Ac per hoc neque præputium valet quicquam, neque circuncisio, sed sola fides opus est in charitate ad iustificationem. Fides enim charitate fraterna debet muniri, vt perfectio sit credentis. Denique saluator quod primum mandatum esset, interroganti scribæ respondit, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & proximum tuum tãquam teipsum. In his, inquit, duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Imperfecta sunt itaque cætera, quando in his duobus mandatis perfectio continetur. *Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire?*) Exercitium illorum in opere fidei bonum fuisse testatur, sed nequitia malorum hominum detentos, ne cursum suum efficacia perseuerante consummarent: vnde vt resipiscant hortatur, de cętero nulli eorum credentes, qui vt opera legis seruanda suaderent, euãgelicæ veritati non eos obedire sinebant. *Suasio vestra non est à deo, qui vocat vos.*) Verum est, quia humano consilio hoc agebãt Iudæi, vt mitterent eos sub legis iugũ: non dei iudicio, qui vocabat eos per apostolum suum ad gratiam. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.*) Hoc dicit quia licet quippiã legis admiscentes fidei, violant fidem, ne habeat fructum, aut sit acceptabilis. Hoc ideo adiecit, ne fortè incolumem se putarent habere gratiam fidei, si pauca legis obseruarent. *Ego cõfido in vobis in domino, quia nihil aliud sentietis.*) Hac spe se dicit fidere de iis, quia non sponte, sed circunuenti erroris viã intrauerãt. Ideo ostenso vero itinere, facilè eos posse reuerti confidit. *Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicunq; fuerit.*) Quomodo qui errantem conuerti facit, remuneranduS est, dicente Iacobo apostolo in epistola sua: Qui conuerti fecerit peccatorem, saluabit animam eius, & operiet multitudinem peccatorum: ita & qui recta incedentem via, iter

Luc. 16.

Matth. 9.

Act. 26.

Luc. 7.

Ioan. 4.

Matth. 22.

1. Cor. 5.

Iacob. 5.

*gloriamini.

iter in deuium cogit flectere, damnationem consequitur, quicunque fuerit. Hoc propter hos subiicit, ne qui sibi meritum defenderent, eo quòd filij essent Abrahæ iuxta carnem. Denique exaltantes se dicunt ad Iesum: Nos filij Abrahæ sumus. *Ego autem fratres si circumcisionem prædico, quid adhuc persecutionem patior?*) Apertum est quod dicit. Ideo enim quasi inimicus à Iudæis habebatur, & non desinebant à persecutione eius, quia circumcisionem iam non fore docebat. Denique Iudæis compellentibus, & sæpenumero fallas accusationes contra eum deferentibus, obliquum iudicem videns, coactus appellauit Cæsarem. *Ergo euacuatum est scandalum crucis?*) Scandalum erat Iudæis prædicatio crucis, quia sabbatum & circumcisionem euacuabat. Si autem admitteret circumcisionem, non esset scandalum, & pacifici essent nobis Iudæi. Nam dicebant de saluatore: Non est homo à deo, qui sabbatum non custodit. *Vtinam & abscindantur ij qui vos subuertunt.*) Tale est hoc quale & illud ad Corinthios in prima, cap. xvj. Qui non, inquit, amat dominum Iesum, sit anathema. Ex ipso grege morbido sunt & ij, quos sociat sententiæ eorum, vt abscindantur à misericordia dei, qui Galatas dei gratia exuerunt: & non solum spiritaliter, sed & carnaliter hos maledicit, vt quia circuncidi Galatas cogebant, ipsi abscinderentur, vt multiplicaretur his dolor corporis. *Vos autem in libertatem vocati estis fratres.*) In libertatem vocati sunt, quia cùm peccatis essent obnoxij, dei gratiam accipientes, remissa delictorum liberati sunt. *Tantum ne libertatem in occasionem carnis detis.*) Hoc dicit ne accepram libertatem occasio carnis adimat. Ad hoc enim circuncidi eos volebant, vt in conditionem legis intrarent. Ideo monet ne dent occasionem consentiendi eis. *Sed per dilectionem spiritus seruite vobis inuicem.*) Non per affectum carnis charitatem habendam, sed per spiritum exhortatur, vt inuicem sibi subiecti sint. *Vniuersa enim lex in vno verbo impleatur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.*) Hoc scriptum est in Leuitico, quod suprà dictum est, quia perfectio salutis per dilectionem operatur: quia qui non diligit fratrem, non diligit deum, dicit Ioannes apostolus. *Quod si mordetis inuicem, & criminatis, videte ne ab inuicem consummamini.*) Manifestum est, quia dissensio fratrum inimica dilectionis est. Ideo monet vt pacifici sint proficientes in bono Contentiones enim generant iurgium, cuius fructus est vitę consumptio. *Dico autem, spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis.*) Postquam à lege factorum eos prohibuit, in qua sunt præcepta cornalia, nunc vt à vitiis carnis se abstineant præcipit. Hic enim spiritu ambulat, qui fugit peccata. *Nam caro cõcupiscit aduersus spiritum, spiritus verò aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non ea quæ vultis faciatis.*) Duas leges proponit, sicut facit & in epistola ad Romanos, quæ inuicem aduersæ sunt, vnam dei, alteram peccati. Quæ ideo in carne significatur, quia visibilibus oblectatur cupido peccatorum, vt his sibi aduersantibus, medius homo non ea quæ vult agat. Diuina enim lex premit & fugat legem peccati, consulens homini vt vigorem naturæ suæ custodiat, ne capiatur illecebris. Illa econtrà in insidiis agẽs lacessit hominem blanditiis, vt spernat præceptum legis diuinæ. Cùm ergo consenserit homo legi dei, contradicit lex peccati, suadens homini ne faciat quod imperat lex diuina. E diuerso autem lex dei reuocat hominem, ne faciat quod suggerit lex peccati. Quod quidem homo non videt esse absurdum, scit enim naturæ suæ cõgruere si faciat quod imperat lex dei. Denique gaudet quando hæc agit. Cùm autem ea operatur quæ suggerit lex peccati, videt se turpem, & horret post factum. Ideoque legis spiritus præcepta seruãda sunt, & carnalia fugienda. Ipsa enim conscientia se accusat si ei consentiat, sciens horrori esse quæ suggerit lex peccati. *Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege.*) Non est obscurum quia qui ducem habet spiritum sanctum, non errat. Lex enim errantibus dominatur: sicut alio loco dicit: Iusto non est lex posita. *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, fornicatio, impuritas, obscœnitas, idololatria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, simulationes, iræ, simultates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietas, comessationes, & quæ sunt his similia, quæ prædico vobis, sicut & prædixi, quòd ij qui talia agunt, regni dei hæreditatem non consequentur.*) Hæc omnia & his similia legis peccati membra sunt, quæ Apostolus opera carnis appellat: quia erro res isti ex mundo sunt, ex quo & caro. Omnia nanque peccata deforis oriuntur ex parte carnis, non ex parte spiritus: ideo non absurdè opera carnis dicuntur. *Fructus verò spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, spes, lenitas, continentia, castitas, bonitas: aduersus huiusmodi non est lex. Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*) Non dixit opera spiritus charitas est, sed fructus spiritus. Lex enim spiritus hæc quæ suprà memoraui fructificat, vt ex his hæreditas regni cœlorum quæratur. Qui enim Christo deuoti sunt, hos dicit Christos, id est, vnctos. Hi carnem, id est, mundum crucifigunt, quando hæc ex quibus errores oriuntur contemnãt. Hunc sensum & Ioannes Apostolus secutus ait, Nolite diligere hunc mundum, neque ea quæ in hoc mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in illo: quia om ne quod in hoc mundo est, concupiscentia carnis est, & con cupiscentia oculorum. Qui ergo mundum, & quod in mundo est, non concupiscit, hic carnem crucifigit. Neque enim corpori humano hæc vitia adscribenda sunt, id est, idololatria, veneficia, hæreses, inuidiæ, inimicitiæ, iræ, & talia. Sed ideo carnalia dicuntur, quia ex parte mundi sunt, sicut suprà memoraui. Interea non amplius quàm decem res posuit quas fructus spiritus significat, vt in his omnia complexus videatur secundum tabulas testamenti dei, in quibus non amplius quàm decem verba mandatorum tradita sunt. *Si spiritu viuimus, spiritu ambulemus. Non simus inanem gloriam sectantes, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Hoc dicit quia si bene & honestè viuimus, bonos debemus habere & mores. Hoc est enim spiritu viuere, incõtaminatã vitam habere & sic spiritu ambulamus, si paci studeamus. hæc enim parit charitatem. Inanis autem gloria est velle vincere vbi præmium non est, vt quis studium habeat contentionis & æmulationis, sciens quia hæc generant discordias & lites. Seruum autem, inquit, domini non oportet litigare. Bonæ enim vitæ fructus aridos facit perdens spem promissam castę conuersationis. Bona enim & casta vita moribus ornanda est, & beneuolentia locupletanda.

1. Ioan. 2.

CAPVT SEXTVM.

Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, humiliate huiusmodi in spiritu mansuetudinis: considerans temetipsum, ne & tu tenteris. Inuicem onera vestra portate.) Nunc hos alloquitur qui firmiores erant, ne inflatione bonæ vitę, eum qui fortè à peccato circunuentus fuisset, spernendum putarent & abiiciendum. ideoque consulendum his. Cum mansuetudine enim prouocandi sunt ad reformandos se: quia si acrius quasi ex authoritate fuerint correpti, non se patientur argui, sed & defendere incipient se, ne turpes videantur: & incipient peiores fieri. Tolle enim hominem à contentione & audacia, & habebis subiectum. Humilitas enim etiam superbos solet inclinare. Et vt cum tota animi lenitate fieret adiecit, Ne & tu tenteris: vt vel hac causa non sperneret peccatorem, sciens & se posse peccare. *Et sic implebitis legem Christi.*) Lex enim Christi omnes saluos vult fieri, ac per hoc qui fratri peccanti consulit vt redeat ad propositum, implet voluntatem Christi. *Si enim quis videtur sibi esse aliquid, cùm nihil sit, seipsum seducit. Opus enim suum probet vnusquisque, & tunc in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero.*) Verum est, nec latet quenquam, quia si actus nostros & menten consideremus, nulli nos anteponimus, & nec facilè quenquam iudicamus. Qui enim extollitur quasi aliquid sit, errat: nescit enim quia de humilitate crescitur. Verba enim saluatoris & gesta ante oculos non habet, qui cùm sit omnium dominus, humiliauit se, vt nobis formam daret quid sequi deberemus, si crescere velimus: & si nos erigeremus, inclinaremur, quod facit imperitia cordis inflati, vt apud homines commendatior videatur. Spernens enim & despiciens peccatores, iustum se videri contendit, sicut & pharisæus ille

quem

quem dominus denotat. Nunquid non verè hic imperitus
est qui præsentis gloriæ cupidus est? Nunquid non verè de
futuris desperans, qui mercedē iustitię in præsenti vult con-
sequi? Quare? quia non est iustus in opere, sed per fallaciam
fingit iustitiam. Qui enim vult iustus esse, alterum sibi præ-
ponit vt verè iustus sit. Vnusquisque enim plus mala sua no-
uit quàm alterius. *Vnusquisque enim sarcinam suam portabit.*)
Ad postremum hoc voluit innotescere superbis, quia non
coinquinatur quis alieno peccato, dummodo dissentiat, vt
nemo vereatur se iūgere peccatori, aut accedentem ad se su-
scipere, vt eum lucretur. *Communicet autem is qui catechizatur,*
hoc est, qui verbum audiens est: ei qui catechizat, in omnibus bonis.)
Hoc dicit, vt doctoribus audientes communicent in omni-
bus bonis. Si autem aliter agāt quàm docent, in his illis non
communicandum, sed dissentiendum, vt magis lex tibi dux
sit quàm homo. Sibi enim oberit non tibi: quia quæ docue-
rit, obserua. *Nolite errare, deus non deridetur.*) Nemini dubium
est deo impostura fieri non posse, sed hoc ab eo vnum-
quemque consequi quod meretur. *Quod enim quis seminaue-*
rit, hoc & metet. Qui enim seminauerit in carne sua, ex carne metet
& corruptionem.) Hic carnalia vitia quæ in carne admitti so-
lent, significat, vt qui carnem suam corruperit, sciat se corru-
ptelę futurum obnoxium. Corrumpit autem corpus qui in-
concessa præsumit. *Qui verò seminauerit in spiritu, de spiritu me-*
tet vitam æternam.) Homo Christianus spiritu constat & car-
ne. Homo enim ad comparationem sancti spiritus caro est.
Cùm ergo spiritui dat assensum cohibens se ab iis quæ con-
traria sunt, spiritaliter seminat, vt possit metere vitam æter-
nam. Testimoniū enim spiritus accipit, & immortalitatem
loco mercedis. Sicut enim qui corrumpit dehonestans cor-
pus suum, non ad æternitatem, sed ad corruptionem perti-
nebit: ita & qui incōtaminatum se custodit, vitam æternam
consequetur. Hæc est enim æterna vita, viuere sine pœna,
habere & gloriam. Nam si hic ad præsens qui in solicitudi-
ne est, negat se viuere: quātò magis vbi alienus à deo ignem
tortorem patietur? *Bonum autem facientes non deficiamus, tem-*
pore enim suo metemus infatigabiles.) Hoc dicit quia qui fortis
est ad seminandum, fortis erit ad metendum, id est, sic reci-
piet, quomodo facit. Ideo promptos nos ad benefaciendum
esse hortatur, nec fastidiū pati debere, securos quia pro pa-
uis magna recipiemus, & pro terrenis æterna tempore quo
promisit deus. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad o-*
mnes.) Gentiles tempus habent operandi malum. Homines
enim sine deo, quomodo possunt operari bonum? Christia-
ni autem facti, tempus habent operandi bonum ad omnes
homines, vt post acceptam fidem bonū opus proficiat mer-
cedi promissę. Tempus enim idcirco conceditur vitę, vt iam
iustè versemur exemplum dantes gentilibus. *Maximè autem*
ad domesticos fidei.) Verum est, quia faciliores & propensiores
in bono circa fratres esse debemus, quia inuicē sumus mem-
bra. Huic ergo rei inseruiendum quæ prodest, non circunci-
sioni rei nunc inani. *Scitote qualibus literis scripsi vobis mea ma-*
nu.) Authoritatem dat epistolæ suæ. Cùm enim dicit, Ego
scripsi mea manu, obediri vult literis his. Vbi enim hologra-
pha manus est, falsum dici non potest, ne fortè circunuenti
excusarent de epistola, quasi aut falsa esset, aut non esset a-
postoli, nolentes se reprehendi. *Quicunque volunt placere in*
carne, hi cogunt vos circuncidi, ne crucis Christi persecutionem patiā-
tur.) In carne placere, hominibus placere significat. Vt enim
Iudæis propitiis aut non infensis viuerēt, quos pseudoapo-
stolos dicit, sic Christum prædicabant, vt & legem seruan-
dam docerent. Quod apostolus nunquam metuit, sed con-
stanter quod verum est non tacuit, & sibi & his prouidens
quos docebat. Denique ego, inquit, non solum ligari, sed & Actuum 20.
mori paratus sum in Hierosolyma pro nomine domini no-
stri Iesu Christi. *Neque enim hi ipsi qui circuncisi sunt, legem cu-*
stodiunt, sed volunt vos circuncidi, vt in vestra carne glorientur.)
Tale est hoc quale & illud dictum ad apostolum Petrum:
Si tu cùm sis Iudæus, gentiliter viuis: quomodo compellis Galat.2.
gentes Iudaïzare? Ita & hi cùm ipsi legem non custodirent,
conuersantes iniustè: circuncisionem zelabantur, vt proin-
de vindices & amatores legis viderentur: cùm constet hunc
legem defendere & custodire qui iustitias eius exequitur,
& mandatum quod ad vitam pertinens datum est, non prę-
termittit. Talis ergo Galatarum excusatio erat. Hæc dicit, vt
vel sic intelligant quia illudebantur velut stulti & hebetes
de quorum doloribus gloriarentur. *Mihi verò absit gloriari, ni-*
si in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifi-
xus est, & ego mundo.) Quomodo pseudoapostoli tribulatio-
nes pro nomine Christi quasi nihil profuturas per hypocri-
sin redimebant erubescentes in his, ita & apostolus gloria-
batur de his, sciēs, magnam pro istis fore mercedem, quem-
admodum & coapostoli eius, sicut scriptum est in Actis a-
postolorum: Tunc, inquit, cæsi exierunt Apostoli de conci- Actuum 5.
lio, gaudentes quia digni habiti sunt pro nomine Christi cō-
tumeliā pati. Cuius ergo omnis spes in Christo est, hic glo-
riatur in cruce eius, huic & mundus crucifixus est, certus a-
morem crucis Christi vitam esse, mūdi verò amorem pare-
re mortem. Inuicem ergo sibi mortui sunt, & mundus apo-
stolo, & apostolus mundo, dum nihil concupiscit apostolus
mundi, & dum nihil habet mundus suum quod agnoscat in
apostolo, sicut & dominus ait: Ecce, inquit, princeps huius Ioan.14.
mūdi venit, & in me inuenit nihil. *Neque enim circuncisio quic-*
quam est, neque præputium, sed noua creatura. Et quotquot hanc re-
gulam sequuntur, pax super illos & misericordia, & super Israel
dei.) Noua creatura est regeneratio nostra: hæc est quæ dat
profectum permanētibus. Super istos enim est pax dei. Qui
enim cum deo pacificus est, nullius inimicitiam metuit. Tu-
tus enim est in protectione & misericordia dei, quę promis-
sa est & manet super Israel dei, non super Israel hominis. Iu-
dæi enim non credentes, Israelitæ sunt secundum carnem.
Duas ergo partes significauit, super quas manet pax & mise-
ricordia dei, Iudæorum credentium, & gentilium fidelium.
De cætero nemo mihi molestus sit.) Molestias sibi noluit de cæ-
tero fieri, vt iterum fortè cogeretur scribere, sed iam corre-
ctiores illos vult fieri, vt amputatis erroribus post tanta tæ-
dia pausam haberet. Si autem duriores se præstarent, & in-
flexibiles in cōuertendo, cessarent ab eo, vt illis operas suas
& efficaciam impenderet, de quibus mercedem aut lucrum
speraret. *Ego enim stigmata domini nostri Iesu Christi in corpore*
meo porto.) Hoc dicit iratus, quia passiones quas credentium
causa patiebatur, inefficaces in illis videbat, quoniam con-
stantia & fide doctrinæ suæ pro Christo plagas & vincula
pati non timuit: Sed passus est amore credentium cicatrices
plagarum habere se in corpore, quo non minus fideliter eis
prædicaret, sicut & pseudoapostoli, qui Galatas deceperant.
Neminem itaque vult sibi molestum esse, qui huic rei de-
uotus non est. Ista enim stigmata, id est, cicatrices plagarum
testimonia sunt credentium eorum qui patiuntur, quòd di-
gni sunt futura promissione. *Gratia domini nostri Iesu Christi*
cum spiritu vestro fratres.) Non legis gratiam dicit, sed domini
nostri Iesu Christi esse cum spiritu illorum quos spiritales
fratres appellat. Neque enim penitus omnes fuerant euersi.

DIVI

Diui Ambrosij MEDIOLANEN. EPISCOPI, *Commentarij in Epistolam beati Pauli ad Ephesios*

Præfatio.

EPhesios non apostolus fundauit in fide sed confirmauit, multa mala pro his passus à perfidis, sicut dicit. Si enim secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgent? Et quoniam pugnam suam non sine effectu profectionis illorum peruidet, gaudẽs in eis, ad meliora scriptis hortatur de vrbis Romæ custodia, quia veniens ab Hierosolymis in custodia sub fideiussore intelligitur, degisse manẽs extra castra in conductu suo.

CAPVT PRIMVM.

PAulus apostolus Christi Iesu per voluntatem dei, sanctis omnibus qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu.) Solito more scribit. Apostolum enim se esse Christi Iesu dei voluntate testatur Sanctis & fidelibus in Christo Iesu qui sunt Ephesi. Non solum fidelibus scribit, sed & sanctis, vt tunc verè fideles sint, si fuerint sancti in Christo Iesu. Bona enim vita nunc prodest ac creditur sancta, si sub nomine Christi habeatur: alioqui contaminatio erit, quia ad iniuriam profi-
cit creatoris. *Gratia vobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.*) Gratiam dei cum sanctis dicit esse & fidelibus, quem patrem nostrum appellat, quia ab ipso sunt omnia & condita & restaurata: Christum autem dominum nostrum quia redemit nos offerens se pro nobis. *Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali.*) Id est, non mundana, sed cœlesti benedictione, neque corruptibili sed æterna, quia gloria Christianorum nõ in terra sed in cœlo est, & est in Christo. Omne enim donum gratiæ dei in Christo est, vt si quis spreto Christo benedici se à deo putet, errare se sciat. Aliter tamen benedicitur deus, & aliter homines. Vnum quidem benedictionis nomen est, sed pro merito personæ debet intelligi. Nam & facere dicitur deus, & homines faciunt. Sed deus nutu solo impassibiliter facit, homines enim manu, conatu, labore, sudore efficiunt. Deus ergo benedicitur, cùm laudibus dignis extollitur. Homines autem sic benedicit deus, vt donum gratiæ suę eis impertiat, non secundum merita eorum, sed secundum misericordiam suam. Et ideo dixit: Qui nos benedixit in benedictione spiritali, vt ostenderet perfectam benedictionem dari cœlestium credentibus Christo, vt pleni sint gloria cœlesti supra potestates subuecti cœlorum, quia vbi ego, inquit, ero, illic & minister meus erit. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati coram ipso in charitate.*) Præscius deus omnium scit qui crediturí essent in Christum, sicut dicit ad Romanos: Quos præscíit & vocauit nos, non solum ex Iudęis, sed etiam ex gentibus. Quos ergo deus vocare dicitur, perseuerant in fide, hi sunt quos elegit ante mundum in Christo, vt sint incõtaminati coram deo in charitate, hoc est, vt amor dei sanctam illis faciat conuersationem. Nemo enim melius alicui obtemperat quàm qui ex charitate obsequitur. *Prædestinans nos in adoptionem filiorũ per Iesum Christum in ipsum.*) Hoc dicit decreuisse deum, vt credentes in Christum adoptarentur deo in filios, vt caput ipsorũ sit Christus verus dei filius *secundum placitum voluntatis in laudem claritatis suæ.*) Tae

A placitũ dicit deum habuisse, vt ad laudem claritatis eius proficeret gratia data hominibus, vt salus nostra gloria dei sit. *Qua gratificauit nos in dilecto filio suo.*) Deus nobis gratiam suam dedit propter quod credidimus in filium eius Christũ Diligens enim vnigenitum suum amatoribus eius diuina munera largitur. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum.*) Duplicem gratiam flagitat, quia & redemit nos sanguine suo, & peccata nobis non imputauit. Id est redemit & manumisit. *Secundũ diuitias gratiæ suæ, quæ abundauit in nobis in omni sapientia & prudentia.*) Addit ad gratiam, quia post suprà memorata beneficia donum accedit sapientiæ & prudentiæ spiritalium rerum. *Vt notum nobis faciat mysterium voluntatis suæ iuxta placitum suum quod proposuit in eo, & dispensationem adimpletionis temporum restaurans omnia in Christo quæ in cœlis sunt, & quæ in terra.*) Hoc placuit deo, cuius consilium retractari non potest, vt ostenderet in
B Christo mysterium voluntatis suæ tempore quo reuelari illud voluit in agnitionem creaturę. Voluntas autem eius hęc fuit, vt tunc propitius fieret omnibus qui in errore erant, siue in cœlis, siue in terris quando Christum manifestauit hoc donum esse credentium, ne illis imputarentur peccata, susci-
pientibus fidem Christi. Omnis ergo creatura in cœlis & in terris dum discit agnitionem Christi, restauratur ad id quod est condita. Cùm enim ad vnius dei fidem imbuitur, cognito mysterio saluatoris ab errore quem cœperat restau
ratur, pro certò habens creatorem suum vnum esse & deum & dominum. Hinc est vnde & Ioannes in Apocalypsi dicit: *Apoc. 12.* Vidi Michael & angelos eius in cœlo pugnare cum dracone, & cum exercitu eius. Hæc repugnantia partim de errore est, partim de vsurpatæ tyrannidis præsumptione. *In quo sortiti sumus prædestinati secundum propositum dei qui vniuersa creauit secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius, nos qui ante speramus in Christo.*) Hoc est quod dicit, quia dispensatio prædicationis his decreta est à deo, qui ex Iudæis crediderunt in Christum. Vnde nullus ex gentibus ad apostolatum electus est. Dignum enim erat ex his eligi
C prędicatores, qui ante sperauerunt salutem quæ illis promissa erat in Christo. *In quo & vos cùm audissetis verbũ veritatis Euangelij salutis vestræ, credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.*) Laus gloriæ dei est cùm multi acquiruntur ad fidem, sicut gloria medici est si multos curet. Ideóque ad gloriam dei pertinet quia gentes vocauit, vt salutis suæ medelam consequerentur per fidem promissam Iudæis, signum habentes redemptionis atque hæreditatis futu
ræ, spiritum sanctum datum post baptismum. Redempti enim hæredes designati sunt, si in regeneratione perdurent vt fides prima veniam, sancta verò conuersatio perdurans cum fide coronam mereatur. *Propterea audita fide vestra in domino Iesu, & dilectione in omnes sanctos, non cesso gratias agendo pro vobis commemorationem vestri facere in orationibus meis.*)
Quoniam iuxta decretum dei quo statuit gentes participes fieri promissionis Iudæorum, audito Ephesij verbo dei susceperunt fidem Christi, diligentes omnes sanctos sicut man
dauit dominus, hac caussa deo gratias agit pro conuersione
D & charitate eorum, qui dignatus est gentes concorporare Iudæis. *Vt deus domini nostri Iesu Christi, pater claritatis det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitione illuminatos habere oculos cordis vestri, ad hoc vt sciatis quæ est spes vocationis eius quæ diuitiæ hæreditatis gloriæ eius in sanctis.*) Manifestum est quia ideo se orare dicit pro eis, vt fidei suæ spem cognoscant in remuneratione cœlesti, quia cùm plenè scierint qui fructus est credentium, propensiores fient circa excolendam religionem. Iam enim in huiusmodi profectus fore videtur, qui si antequam sciant promissionis gloriam, tam deuoti sunt, propensiores fient necessario cum cognouerint. Claritatis tamen patrem vocat deum, & Christi deum, cùm verus pater Christi sit deus, & deus creaturæ. *Ioan. 20.* Sed & ipse dominus eadem dicit: Vado ad patrem meum, & patrem vestrum, deum meum, & deum vestrũ. Totius ergo claritatis pater est, quia ab ipso est omnis claritas & potestas & dignitas. Est & pater Christi, sed & aliter quia hic ve

rus

rus filius est, & deus omnium, sed non ita Christi deus est. Sic enim deus Christi est, quia deus de deo Christus est: cæterorum autem deus est causa terroris, sicut ipse dicit in Malachia propheta: Si deus ego sum, vbi est timor meus? *Et quæ est excelsa magnitudo eius in vos qui creditis secundum operationem potentiæ fortitudinis eius, quam operatus est in Christo suscitans illum à mortuis, & collocauit ad dexteram sibi in cœlestibus super omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed & in futuro.* Exemplum salutis credentium & gloriæ, in resurrectione saluatoris consistere profitetur, vt ex ea cognoscant fideles quid eis promissum est. Simili enim modo extollētur supra cœlos futuri cum Christo, sicut ipse dicit: Pater, volo vt vbi ego fuero, & hi mecum sint, & videant gloriam meā. Hoc propter incarnationem filij dei, vt etiam homo factus super omnes cœlos esse dicatur, & super cunctam creaturam sedens ad dexteram dei, habens nomen dei per naturam, non per adoptionem, vt cognoscant illum esse filium dei qui illum crucifixerunt. Honor enim quem illi dedit pater per generationem, tunc manifestatus est, cum natus homo passus est, & victa morte resurrexit, ascendens vnde descenderat, super omnes cœlos. Vnde dictum est: Quia veritas de terra orta est. Quia enim omne iudicium pater filio dedit, idcirco ad dexteram dei sedere dicitur, quasi iudex. Denique ipse dicit ad discipulos: Vsque modo nihil petistis in nomine meo: petite, & ego faciam. Vnde ait Iudæis: A modo videbitis filium hominis sedētem ad dexteram virtutis, & venientem cum nubibus cœli. Ex eo enim quo innotuit, adiri cœpit & postulari quasi iudex. *Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit super omnem ecclesiam quæ est corpus & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur.*) Patrem dicit filio omnem creaturam subiecisse, vt quia omnia per ipsum fecit, ipse omnium caput sit & dominus. Tunc illi omnia subiecit, quando illum ante omnia genuit, vt per ipsum fierent quę non erant. Omnem ecclesiam dicens, summatim totum comprehendit quod in cœlo est & in terra, vt in nouum hominem membra eius efficiantur, dum confitentur hunc esse per quem facti à deo sunt. Subiiciuntur enim illi quasi capiti membra, ex quo trahunt originem, vt omnia in omnibus adimpleantur. Cùm enim regressa fuerint ad confessionem vnius dei flectentes genu Christo, adimpletur in omnibus vt sit omnia, quia ab ipso sunt, ac per hoc ipse in eis est, quia virtute eius subsistunt. Recedentes enim à deo euacuare illum videntur. Vnde alio loco dicit: Vt crescant omnia in incrementum dei.

Mala. 1.
Ioan. 17.
Psalm. 84.
Ioan 5.
Ioan. 16.
Matth. 26.

CAPVT SECVNDVM.

ET *vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secūdum seculum huius mundi.* Mortuos dicit, qui errores seculi sequuntur. Quicquid enim ab vnius dei professione recedit, mortuum habetur, quia non manet in radice ex qua trahit originem. *Secundum principem potestatis aëris huius spiritum qui nunc operatur in filiis diffidentiæ.*) Principem potestatis, id est, diabolum, significat seculi intelligētiam corrupisse, vt ab vno deo recederet, multorum deorum opinionem suscipiens, vt socios illos suæ conspirationis efficeret, dum in eadem impietate inueniuntur negātes vnum deum. Principem ergo hunc erroris ideo aëris dicit spiritum, vt ostendat quia hanc partem sibi vsurpauit ad exercendam dominationem. Alius est enim aër, & alius princeps: sed quia in mundo vel in aëre dominatur, spiritus aëris appellatur. *In quibus & nos aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluptates carnis & consiliorum eius, & eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.*) Perfidiam significat dū desideria carnis memorat. Voluptas enim carnis est visibilibus oblectari, vt elementa quæ deus gubernacula mundi instituit, deos appeller, cùm hoc nomen vni deo debeatur ex quo sunt omnia, vt sicut nullum participem habet ex his in virtute, ita nullum habeat consortem in nomine. Christo autem idcirco hoc nomen non negatur, quia sicut communis eis natura est, ita erit & nomen. Hoc tamen inter patrem & filium interest, quia pater à nullo hoc accepit, filius autem per generationem omnia patris accepit, vt in virtute & substantia & nomine nihil differt filius à patre. Vnde dicit: Omnia quę habet pater, mea sunt, & mea patris. Non ergo indignum neque contrarium est si & Christus deus dicatur, sed de deo patre, vt vnius dei authoritas conseruetur. Nam si quis aliud putat significare cùm volūtatem carnis flagitat, sciat apostolum mūdam vitam habuisse, quia secundum iustitiam legis conuersatus est sine querela. Sed quia persecutus est fidem Christi, idcirco conuersati, inquit, sumus in desideriis carnis nostræ. Omne enim peccatum caro dicitur, maximè perfidia, quæ est totius sceleris mater. Nulli opera bona & castitas proderit si sit perfidus. Perfidia enim hæc omnia maculat. Hinc est quod subdidit: Et eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Naturæ enim cum mala voluntas supponitur, fit natura iræ, id est, quæ vltioni subiicienda sit, immutata non substantia, sed mala voluntate. Hoc enim deputatur naturæ quod sequitur. Vnde ait in Esaia: Semen pessimum. Et quare sit semen pessimum, subiecit: Reliquistis enim dominum, ait, & ad iracundiam prouocastis sanctum Israël: vt natura quæ deserit deum, pessimum semen dicatur. Degenerare est enim ab authore recedere: & cùm malum exemplum cæteris præbet, malum est semen: fructus enim pessimos facit. Si verò redeat ad authorem, bona erit natura, secūdum Apostolum, qui immutatus dum agnoscit creatorem suum, vas electionis appellatur. *Deus autem qui diues est in misericordia, propter multā charitatem misertus est nostri.*) Hæ veræ diuitiæ sunt misericordiarum, vt non quærentibus vltrò misericordia præstaretur, sicut dicit Esaias: Palam factus sum non quærentibus me. Hoc enim est abundare misericordia, vt & non postulantibus tribuatur. Hæc tamen charitas dei est erga nos, vt quia fecit nos, nolit perire nos. Diligit enim opūs suum. Ideo enim fecit, vt amaret quod fecit: nemo enim laborem suum odio habet. *Et cùm mortui essemus, conuiuificauit nos in Christo.*) A deo alienati mortui eramus, gratia autem sua reuocauit nos, hoc est, viuificauit nos in Christo. Quia enim per ipsum nos fecit, iterū per ipsum nos reformauit in ipso, id est, vt eius membra simus: ipse est autem caput nostrum. Ipsum enim habemus deo præstante authorem vitæ nostræ, sicut dicit Petrus apostolus: Authorem verò vitę interfeciſtis. *Cuius gratia estis saluati.*) Huic dono addit & gentes, significans saluatos nos gratia Christi. *Et simul suscitauit & simul sedere collocauit in cœlestibus in Christo Iesu.*) Hoc dicit quod supra memorauī, illic futuros sanctos etiam ex gentibus, vbi & Christus est caput eorum. *Vt ostenderet in seculis superuenientibus superabundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo.*) Significat quia in futuro seculo immortale donū dei apparebit in remunerationem fidelium, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus diligentibus se. Hę sunt superabundantes diuitiæ, vt tantum detur credentibus, quantum inuestigare non potest mens. *Gratia enim salui facti estis per fidem.*) Gratia fidei data est vt credentes saluentur. *Et hoc non ex vobis: dei enim donum est. Non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo in opera bona quæ præparauit deus vt in illis ambulemus.*) Verum est, quia omnis gratiarum actio salutis nostræ ad deum referenda est, qui misericordiam suam nobis præstat, vt reuocaret errantes ad vitam, non quærentes verum iter. Ideoque non est gloriandum nobis in nobis ipsis, sed in deo, qui nos regenerauit natiuitate cœlesti per fidem Christi, ad hoc vt bonis operibus exercitati, quæ deus nobis iam renatis decreuit promissa mereamur accipere. *Memoria retinentes vos qui aliquando eratis gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta, quoniam eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum, & promissionis eorum spem non habentes, & sine deo in hoc mundo.*) Commonet gentes vt remiscentes quid fuerunt, (Erant enim carnales, & sine spe, nullam promissionis communionem habentes Iudæorum

A
Ioan. 16.
B
Esaiæ 1.
Actor. 9.
C
Actor. 5.
Esa. 64. 1. Cor. 2.
D

rum in Christo, Iudæis enim promissus erat Christus non gentibus) propensius gratias agant deo per Christum, qui misericordia sua fecit illos participes spiritalium, cùm essent carnales. Ideo tamen circuncisio, ait, in carne manu facta, vt significaret aliam non manu factam spiritalem. *Nunc autem in Christo vos qui aliquando longè eratis, facti estis propè in sanguine Christi.*) Adhuc donum & gratiam dei commendat. cui nos semper velut obnoxios gratias vult referre: Idcirco enim sanguine Christi proximos nos deo factos memorat, vt quantum affectum circa nos habeat deus, ostenderet, qui pro nobis filium suum mori permisit, vt & nos in fide eius durantes omnibus exitiis pro illo nobis illatis non cedamus, scientes plus illum de nobis mereri, quàm quæcunque ab inimicis possunt inferri. Ille enim cùm sit dominus, & nullius egeat, obtulit se pro nobis, vt non illi sed nobis magis proficeret. Nos enim etiam si nobis non proficeret, fortè cogeremur mori pro ipso domino serui: quantò magis cùm non solum illius, sed & nostra mors nobis præstet effectum? *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua.*) Pacem fecit inter circuncisionem & præputium passio saluatoris. Inimicitia enim, quæ velut paries media erat, & diuidebat circuncisionem à præputio: & præputium à circuncisione, hanc soluit saluator, dans legem vt neque Iudæus præsumens de circuncisione reprobaret gentilem, neque gentilis fidus de præputio, id est, de paganitate abominaretur Iudæum, sed vt ambo innouati, vnius dei fidem sequerentur in Christo. Omnia enim quæ docuit saluator, tunc firmauit cùm resurrexit. Parietem tamen qui medius erat diuidens inter legem factorum & gentilitatem, maceriam siue sepem significauit, id est, non parietem stabilem neque robustum, quia neque gentilitas firma res erat, quasi ab homine inuenta, neque circuncisio & neomeniæ, escarum & sacrificiorum vel sabbatorum stabilis & fixa obseruatio. Sic enim data sunt vt cessarent adueniente Christo. Quamuis enim deus hæc dederit, sed ad tempus: fidei autem firma & sine successore est prædicatio. *Legem mandatorum in decretis euacuans vt duos conderet in se in vno nouo homine faciens pacem.*) Hoc est quod suprà summatim memoraui: quia legem quæ data erat Iudæis in circuncisione, & in neomeniis, & in escis, & in sacrificiis, & in sabbato, euacuauit, hoc est, cessare iam iussit, quia oneri erant: & sic fecit pacem. Vnde Petrus Apostolus dicit in actis apostolorum: Quid imponitis iugum supra ceruicem fratrum, quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare? *Vt exhiberet & reconciliaret ambos in vno corpore deo per crucem.*) Sublata inimicitia, morte sua Christus prius populos inter se reconciliauit, deinde deo patri pacificos fecit, vt homines naturæ vnius: quia diuersi facti fuerant per errorem membra, efficerentur vnius corporis noui, cuius caput Christus est. *Interficiens inimicitiam in semetipso, & veniens euangelizauit pacem vobis qui longè, & pacem iis qui iuxta: quia per ipsum habemus accessum vtrique in vno spiritu ad patrem.*) Idem sensus est. Interfecit enim inimicitiam in se, dum pro omnibus tam Iudæis quàm gentilibus mortuus est. Omnibus enim profecit mors saluatoris. Resurgens enim à mortuis damnata morte, quæ tenebat omnes, ostendit quam spem haberent credentes in eum. Hinc mandauit prædicationem qua omnes conuocarentur ad deum patrem in vnitate spiritus scissa discordia, vt siue Iudei (qui propè ideo dicuntur, quia ipsorum patribus facta promissio est) siue gentiles (qui ideo longè dicuntur, quia dei legem non receperunt datam per Moysem) sublato præterito ritu susciperent fidem Christi, per quam efficerentur vnum. *Ergo iam non estis hospites & incolæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici dei.*) Admonet illos vt memores sint beneficiorum dei, quia cùm longè essent à cognitione & timore dei, misericordia eius adiuncti sunt vt fierent participes eorum qui prope deum erant, ciues facti filiorum dei. Sicut enim quæcunque gens Romanorum pacem sequi desiderauit, ablatis donis susceptа est vt essent ciues Romani, quemadmodum è Tharso Cilicienses, vnde apostolus ciuem Romanum se dicit: ita & quicunque fidei se Christianæ sociauerit, fit ciuis sanctorum, & domesticus dei. *Superædificati supra fundamentum apostolorum & prophetarum.* Hoc est, supra nouum & vetus testamentum collocati. Quod enim apostoli prædicauerunt, prophetæ futurum dixerunt, quanuis dicat ad Corinthios: Deus, inquit, primum posuit in ecclesia apostolos: secundo, prophetas: sed hi alij prophetæ sunt. Illo enim loco de ordinatione ecclesiæ disputat, hic verò de fundamento ecclesiæ. Prophetæ enim disposuerunt: nam apostoli fundamenta iecerunt. Vnde dicit dominus ad Petrum: Super istam petram ædificabo ecclesiam meam: hoc est, in hac catholicę fidei confessione statuo fideles ad vitam. Nam & Dauid disposuit domum dei, & signauit locum vbi fieret, Salomon verò fundauit eam. *Ipso angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis structura compacta crescit in templum sanctum in domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum dei in spiritu.*) Hic sensus est vnde dominus ait: Super istam petram ædificabo Ecclesiam meam. Duos enim populos in se suscepit saluator, & fecit vnum in domino, sicut & lapis angularis duos parietes continet in vnitate domus firmatos. Fideles enim superficies sunt templi dei in spiritu conuersantes, vt possint hæredes fieri cœlestis habitationis.

1. Cor. 12.

Matth. 16.

Ibidem.

CAPVT TERTIVM.

Vius rei gratia ego Paulus vinctus Christi pro vobis fratribus.) Quoniam dispositionem clementiæ quæ fuerit ante mundum erga salutem gentium ostendit, nunc se legatione huius doni fungi dei prouisione Christo mittente declarat. Dominus enim post resurrectionem suam apostolos suos vice sua misit prædicare, hunc dirigens ad conuersionem gentium. Sic enim dixit ad eum: Vade, ego longè ad gentes mittam te. Dominico ergo vsus verbo est cùm dicit: Vobis qui longè, & pacem iis qui iuxtà. *Ti tamen audistis dispensationem gratiæ quæ data est nobis in vos.*) Vult eos scire quia dei iudicio à Christo missus est prædicare gentibus mysterium gratiæ dei. *Secundum reuelationem notum mihi factum est mysterium, sicut antè scripsi in modico, prout potestis intelligere prudentiam meam in mysterio Christi.*) Ostensam sibi significat reuelationem mysterij dei, de quo prius breuiter se memorat scripsisse, hoc est temperatè, prout potuerant capere prudentiam apostoli in sacramento Christi. *Quod aliis seculis non fuit notum filiis hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis eius & prophetis, spiritu esse gentes cohæredes & concorporatos & participes promissionis eius in Christo.*) Hoc asserit ostensum à deo tempore Christi quod latebat, quia gentes participes futuræ essent gratiæ promissæ in lege. Quod ostensum dicit prædicatoribus sanctis & prophetis, id est, apostolis & legis explanatoribus, non prophetis veteribus. Quamuis enim admitterentur prius ad legem gentiles, sed circuncidi iubebantur: & prophetæ sciebant gentes participes futuras doni dei: nam & hoc significauerunt multis in locis. sed hoc latuit, quia sine circuncisione & sabbatis & neomeniis & cæteris talibus gratiæ dei futuræ essent participes, vt absque lege perciperent fidem Christi, & saluarentur. Hoc est quod dicit spiritu esse gentes cohæredes & concorporatos & participes promissionis eius in Christo. Qui enim spiritu deum colit, opere legis opus non habet. *Per Euangelium eius factus sum minister secundum donum gratiæ dei quæ data est mihi secũdum operationem virtutis eius.*) Per prædicationem ministerij sui cognitum asserit donum quod disposuit deus gentibus iuxta virtutis suæ operationem. Operatio enim virtutis eius est quia Christum suscitauit à mortuis, deuicta morte in qua omnes saluauit. Dispensatio tamen euangelij eius hæc est, qua agnita est voluntas dei quia gentes sine opere legis saluare decreuit. *Mihi minimo omnium sanctorum data est hæc gratia.*) Humiliat se cùm se minimum dicit, sciens humilitatem profectum habere. Nam tantam gratiam sibi datam dicit, vt donum hoc quod antè

ignotum fuit preteritis seculis, sibi asserit concessum, vt hoc manifestaret gentibus. Vnde enim minimus sanctorum omnium videri potest, qui antequam baptizaretur, vas electionis appellatus est? *Vt in nationibus euangelizem inæstimabiles diuitias.*) Electum se probat ad prædicandum donum dei in diuitiis incõprehensibilibus Christi, quas gentibus iam desperatis largiri dignatus est, vt sine opere saluarentur per fidem. Et manifestum est, quia nemo egregium & munus maximum per indignam mittit personam. Ostendens ergo quantum à deo mereatur humiliat tamen se, vt meritum eius crescat. *Et illuminem quæ est dispensatio mysterij absconditi à seculis in deo qui vniuersa creauit.*) Missum se dicit duplici modo docere gentes mysterium quod fuit in deo ex quo sunt omnia, vt per eum discant ac intelligant Christum semper in deo, & apud deum, & quia sine circuncisione & cæteris legis mandatis dispossuit saluare gentes. Indigni enim inuenti sunt Iudæi tantum ac talem habere doctorem. Sic enim Iudæi credebant in Christum, vt legem tamen seruarent: quod odibile est apud deum. Denique dicunt apostoli ad coapostolum suum Paulum: Vides frater quot milia sunt in Iudæa credentium? & omnes isti æmulatores sunt legis. Vnde factum est vt vas electionis ad gentes docendas missus esset, vt vel ipsi fidei suæ spem plenam haberent, nihil de lege, sed in solo Christo sperantes. Manifestato enim sacramento Christi tale donum datum est, quod perfectæ salutis haberet effectum. Sicut enim in magna vota maxima dantur apophoreta, ita & magnifico manifestato mysterio gaudij & lætitiæ causa tam egregio munere donati sunt homines, quod illis satis sit ad copiam salutarem. *Vt nota fiat principibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam multiformis sapientia dei.*) Tantum de hoc bene sensit deus, vt non solum gentibus hunc magistrum daret, verum etiam vt per eum veritas Christi innotescat spiritibus in cœlestibus, qui sunt principes & potestates. Potestates ideo, quia potentiores sunt inter cæteros spiritus. Principes autem, eo quòd principentur potestatibus, vt agnoscentes per Ecclesiam quæ multifariè ad vitam attracta est, in Christo vnius dei manere mysterium, desinant ab errore. Id enim agitur, vt prædicatio ecclesiastica etiam his proficiat, & deserant assensum tyrannidis diaboli, qua se aduersus dei vnius fidem impia præsumptione armauit. Qui sensus in Psalmo. xxiij. præscriptus est, vbi deus vniuersitatis dominus demonstratur, dicente dei spiritu per Dauid: Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Et in subiectis, Tollite, portas principis vestri, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Dicitur ergo his principibus qui in errore sunt in cœlestibus, siue ministris eius in terris, vt auferant portas principis sui, id est, diaboli de mentibus suis, per quas multorum deorum asserendorum error intrauit. Sunt enim temporales, quia omnis fallacia tempore clauditur. Iter enim impiorum peribit. Vt autem æternas portas eleuent, hortante iustitia admonentur, quia veritas in sempiterna secula perseuerat. Vnde ait in psalmo. cxvij. Hæc porta domini, iusti intrabunt per eam. Manifestum est enim quia iusti per fidem intrant in cœlos in regnum dei. Quod nunquam corrumpi Daniel propheta testatur, dicent inter cætera: Exurget regnum aliud incorruptibile. Impij autem per incredulitatem intrant in infernum tartareum. Hic ergo rex gloriæ Christus est, qui deuicta morte resurgens apparet dominus esse & rex gloriæ. Virtute enim potestatis suæ qua subegit inferos, manifestatur quia ipse est filius dei, qui vnius dei regnum in cœlis & in terris esse ad condemnationem tyrannidis diaboli prædicauit. *Secundum propositum seculorum in Christo Iesu domino nostro, in quo habemus libertatem in confidentia per fidem ipsius.*) Manifestatum dicit Christum seculo, quo proposuit deus ostendere mysterium suum pro salute humana, vt cognitio mysterij dei mortalibus conferret salutem, vt quasi dedicatio regni Christi hanc gratiam credentibus pro

Psalm.1.

Daniel.2.

apophoretis largiretur. Licet enim infectum sit, notum tamen videtur ignoranti creaturæ. *Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis, quæ sunt in gloria vestra.*) Manifesta spe quæ est in mysterio Christi, commonet ne scandalum patiantur propter tribulationes quę sanctis à perfidis irrogantur. Ad gloriam enim pertinet illorum, si in tribulatione magistri non fuerint scandalizati discipuli, hac spe firmati, quia fidelium pressuræ futuri seculi gloria erigentur. Hæc enim fidelium probatio est, si fidei suæ spem aduertant. *Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias maiestatis suæ virtutem confirmari in spiritu suo.*) Hoc flexis genibus precari se dicit, vt quia dignatus est aduocare gentes ad cognoscendum mysterium voluntatis eius, hoc etiam donet, quia dies est, vt nutu eius firmentur in spiritu, hoc est, vt non illos perturbent carnalia exitia illata à perfidis, sed sint stabiles expectantes in futuro huius rei mercedem. *In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris.*) In eo petit eos magis firmari, vt non ambigant, sed magis credant Christum habitare in se, quem non vident his oculis, vt spiritus datus hoc eis per dei donũ infundat, vt certi sint de Christo quod viuit, & filius dei est, & habitat per fidem in cordibus nostris, vt cùm fidem eius habemus in cordibus nostris, ipsum habere videamur. Quod eo proficit, vt securi simus de auxiliis eius, quia non deserit nos, sed semper adest propter fidem suam quam videt in nobis: quippe cùm ideo spiritus eius, qui & dei patris est, detur nobis, vt vice eius tutos præstet nos si ei assentiamus, vt occulta reuelet, per quem vtique ipsum in nobis habitare ambigere non debemus. Est enim hic alius Paracletus: inter quos personarum distantia est, non naturę: quia & de eius accipit, & à deo procedit. In quibus enim naturæ vnitas est, inuicem sui sunt. Vnde dicit dominus: Omnia patris mea sunt, & mea omnia patris. *Vt in charitate radicati & fundati possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum.*) Hoc præstare dicit habitantem spiritum vel Christum in nobis, vt fundati simus in charitate dei deuincti beneficiis eius, & possimus cum sanctis, qui sunt Apostoli & Prophetæ, immensum & inæstimabilem cognoscere deum, omnia excedentem maiestate virtutis suæ. Cùm enim dicit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum: hoc vtique significat, vt sicut in sphæra tanta longitudo est quanta latitudo, & tanta altitudo quantum & profundum, ita & in deo omnia æqualia sunt immensitate infinitatis. Sphæra enim definito modo concluditur. Deus autem non solum implet omnia, sed & excedit. Nec enim clauditur, sed omnia intra se habet, vt solus ineffabilis & infinitus habeatur, & gratiæ huic insufficienter agantur, qui cùm tantus sit, dignatus est per Christum hominem visitare peccatis & morti subiectum. *Cognoscere quoque supereminentem scientiam charitatis Christi.*) Post dei patris infinitam & incomprehensibilem cognitionem & inenarrabilem clementiam, Christi quoque agnoscere nos vult charitatem, quia supereminentis est scientiæ, & subintelligitur humanæ, vt super scientiam hominum habeatur dilectio Christi. Quis enim potest colligere mysterij huius charitatis rationem, vt & deus hominis causa homo nasceretur, deinde moreretur pro hominibus, pro seruis dominus, pro creatura creator, pro impiis pius? Propter quid ita dilexit nos? Aut vt quid nostrum haberet qui nullius indiget? nunquid non charitas hæc super scientiam hominum est? Aut quis hominum hanc poterit charitatem alicui exhibere, quamquam impar sit, ac per hoc supereminet humana commenta? Hoc ergo vult nos scire, quia sensus noster assequi non potest nec perspicere profunditatem beneficiorum Christi erga nos: vt proinde semper ei supplices & deuoti, & qui debitis nulla ratione satisfacere possumus, vel in fide eius vsque ad mortem perseueremus. Ille enim pro magnificentia maiestatis suæ ea gessit pro nobis, quæ sibi indigna sunt, vt & nos inquantum possimus ei famulemur. *Vt impleamini in omnem plenitudinem dei.*) Quia fides neque in solo patre integra est, neque in solo

Ioan.17.

in solo filio perfecta, ideo adiecit: Vt impleamini, ait, in omnem plenitudinem dei: vt confessione & gratiarum actione sicut patri, ita & filio honorificentia reseruetur, & omnia quæ à deo patre sunt, per filium facta & restaurata credentur, vt sit plena perfectio diuinitatis in professione credentium. Nihil enim deerit Christiano, quando deum patrem per omnia immensum esse cognoscit, charitatem quoque Christi ineffabilem & supereminentem scientiæ humanæ profitetur. *Ei autem qui potest super omnia facere abundantius quàm petimus aut intelligimus secundum virtutem quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Christo Iesu, & in ecclesia, & in omnia secula seculorum. Amen.*) Ad patris personam hæc refert, vt quia melius scit quæ vtilia & quæ non petenda sunt, & quando danda, & qualia & quanta opus sint, ipse gubernet prouidentia & virtute sua sibi credentes. Cui ideo gloria in Christo Iesu, quia per ipsum omnia præstat nobis: & quia honor patris in filio est, & in ecclesia, id est, in populo quem sibi adoptare dignatus est. In claritate enim filiorum, gloria patris est, dicente domino: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum qui in cœlis est. In secula seculorum. Amen. id est, in æternum veritas.

CAPVT QVARTVM.

Obsecro itaque vos ego vinctus in domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis.) Hortatur eos, vt rectè incedentes in præceptis domini, ad promissam gloriam possint peruenire. Sicut enim peritus medicus obsecrat infirmos, vt bene se agentes possint salutarem recipere valetudinem, ita & magister gentium hortatur vt fidei suæ digna opera facientes possint percipere quæ promissa sunt sanctis, sciens gloriæ suæ esse huius rei profectum. *Cum omni humilitate animi & modestia, cum magnanimitate sufferentes inuicem in charitate, solicitè seruantes vnitatis spiritum in vinculo pacis.*) Nunc dissensionem prohibet, charitati autem studendum monet, ne spiritum vnitatis & pacis amittant, ac per hoc vt inuicem se sufferant cum patientia. Modestia enim profectum parit, quia cùm se inuicem tolerant cum lenitate animi monẽtes, corriguntur ad effectum, & pax in eis manebit, per quã filij dei non immeritò vocabuntur, quia dixit dominus: Beati pacifici quoniam filij dei vocabuntur. Perturbatio enim & inquietudo contentionem facit, quæ solet etiam ea quæ mala nouit, velle defendere, ne cedere videatur. Hinc oritur discordia, quæ corrumpit pacis fœdera. *Vnum corpus, & vnus spiritus, ita vt vocati estis in vna spe vocationis vestræ.*) Propter pacem & concordiam hæc subiecit, vt quia vnum corpus est ecclesia, vnum sapiat populus, quia vnum est quod creditur. *Vnus dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus deus & pater omnium, qui super omnes est, & per omnes, & in omnibus nobis.*) Adhuc vnitatem commendat, vt quia vnitas est ad quam vocamur, in nullo dissentiamus. Si enim vnus est dominus, id est Christus, sicut & ipse ait in euangelio: Quia magister vester vnus est Christus: Vna fides, vnum baptisma, vnus deus & pater omnium, qui super omnia est, & per omnes, & in omnibus credentibus: vnus debet esse & animus populi, quia hæc quæ enumerat, vnitatis sunt. Concordant enim in omnibus. Patrem tamen deum, quia nulli debet quod est, super omnia esse dixit, & per omnes. Ideo per omnes, quia ex eo omnes: & necesse est vt super hæc omnia sit, quæ ex eo sunt: Et in omnibus nobis, id est, fidelibus. In nobis est enim per confessionem, quia eum fatemur, & quia spiritum suum dedit nobis, per quem sine dubio in nobis est. In Paganis non est, quia pater Christi negatur esse ab illis. *Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis domini nostri Iesu Christi.*) Nunc, ne quia diuersa in hominibus dona sunt, putarentur officere vnitati, hoc purgat non esse contrarium, quia in donis officiorum diuersitas est, non naturæ. Vnicuique autem tantum dicit dari gratiæ, quantum donare dignatus fuerit dominus: non tamen sine æquitatis mensura quia vnicuique pro viribus tribuit, vt tantum hauriat quantum sitit. *Propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.*) Hoc scriptum est in Psalmo sexagesimoseptimo. Dona tamen hæc post triumphos cœpit largiri. Vincens est enim mortem exaltatus in cruce, sicut ipse dixerat. Ait enim, Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Expoliauit inferos, cùm captiuos quos ex preuaricatione Adę, aut propriis captos peccatis in conditione tenebant, abstulit consentiẽtes sibi, & ascendens inde in cœlos induxit. Ex quibus aliquanti resurgentes in corporibus, multis apparuerunt ad testimonium euictæ mortis, vt qui fortè Christi resurrectionem crediturι non essent, ex horum resurrectione quos mortuos scirent, rei fierent. Hos enim viderunt quos cognoscerent dudum vixisse. Quamuis captiui inuiti & alieni ducantur, saluator tamen & suos duxit, & voluntarios. Apparentia enim sua dum lacessit desiderantes liberari, cepisse illos dicitur. *Quod autem ascendit, quid est nisi quia etiam descendit in inferiora terræ?*) Verum est, quia ideo descendit, vt ascenderet, non sicut homines, qui ad hoc descenderunt, vt illic remanerent. Ex sententia enim tenebantur apud inferos: quæ sententia saluatorem tenere non poterat, quia vicit peccatum. Triumphato ergo diabolo descendit in cor terræ, vt ostensio eius prædicatio esset mortuorum, vt quotquot cupidi eius essent, liberarentur. Nec poterat non ascendere, qui ad hoc descenderat, vt vi potestatis suæ calcata morte, cum captiuis quorum causa pati se permisit, resurgeret. *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.*) Hoc est quod dicit dominus: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo: filius hominis qui est in cœlo. Quod quidem & in psalmo continetur. Ait enim: A summo cœlo egressio eius, & regressus eius vsque ad summum eius. Hic ergo descendens è cœlis in terram, homo natus est, pòst mortuus descendit ad inferos, ex quibus tertio die resurgens, ante omnes mortales ascendit super cunctos cœlos, vt illusam mortem ostenderet creaturæ. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, quosdam verò Pastores & magistros ad consummationem sanctorum in opus ministerij.*) Apostoli, episcopi sunt. Prophetæ verò explanatores sunt scripturarum, quamuis inter ipsa primordia fuerint Prophetæ, sicut Agabus, & quatuor virgines prophetantes, sicut continetur in Actis Apostolorum, sed propter rudimenta fidei commendanda: nunc autem interpretes Prophetæ dicuntur. Euangelistæ, diaconi sunt, sicut fuit Philippus. nam quamuis non sint sacerdotes, euangelizare tamen possunt sine cathedra, quemadmodum & Stephanus & Philippus memoratus. Pastores possunt esse lectores, qui lectionibus saginent populum audientem: quia non in pane tantum viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore dei. Magistri verò exorcistæ sunt, quia in ecclesia ipsi compescunt & verberant inquietos: siue ij qui lectionibus imbuendi, infantes solebant imbuere, sicut mos Iudæorum est, quorum traditio ad nos transitum fecit, quæ per negligentiam obsoleuit. Inter istos post episcopum plus esse intelligitur, qui propter reseratum occultum scripturarum sensum prophetare dicitur, præsertim quia futuræ spei verba depromit. qui ordo nunc potest esse presbyterij. Nam in episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoc est, princeps est sacerdotum, & propheta, & euangelista, & cætera adimplenda officia ecclesiæ in ministerio fidelium. Tamen postquàm omnibus locis ecclesiæ sunt constitutæ, & officia ordinata: aliter composita res est, quàm cœperat. Primùm enim omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuscunque diebus vel temporibus fuisset occasio. Nec enim Philippus tempus quæsiuit aut diem quo eunuchum baptizaret, neque ieiunium interposuit. Neque Paulus & Syleas tempus distulerunt quo Optionem carceris baptizarent cum omnibus eius. Neque Petrus diaconos habuit, aut diem quæsiuit quando Cornelium cum omni domo eius baptizauit, nec ipse, sed iussit fratribus qui cum illo

Ioan. 12.

Acto 7. Acto. 21. Matth. 4.

ierant ad Cornelium ab Ioppe. Adhuc enim præter septem diaconos nullus fuerat ordinatus. Vt ergo creſceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt & euãgelizare & baptizare, & ſcripturas in eccleſia explanare. At vbi aatem omnia loca circumplexa eſt eccleſia, conuenticula conſtituta ſunt, & rectores & cæteta officia in eccleſiis ſunt ordinata, vt nullus de clero auderet qui ordinatus non eſſet, præſumere officium quod ſciret non ſibi creditum vel conceſſum: & cœpit alio ordine & prouidentia gubernari eccleſia: quia ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res & viliſſima videretur. Hinc ergo eſt vnde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque clerici vel laici baptizant, neque quocunque die credentes tinguntur, niſi ægri. Ideo non per omnia conueniunt ſcripta Apoſtoli ordinationi quæ nunc in eccleſia eſt, quia hæc inter ipſa primordia ſunt ſcripta. Nam & Timotheum presbyterum à ſe creatum epiſcopum vocat, quia primi presbyteri epiſcopi appellabantur: vt recedente eo ſequens ei ſuccederet. Denique apud Aegyptum presbyteri conſignant ſi præſens non ſit epiſcopus. Sed quia cœperunt ſequentes presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, proſpiciente cõcilio, vt nõ ordo, ſed meritum crearet epiſcopum, multorum ſacerdotum iudicio conſtitutum, ne indignus temerè vſurparet, & eſſet multis ſcandalum. In lege naſcebantur ſacerdotes ex genere Aaron Leuitæ. Nunc enim omnes ex genere ſunt ſacerdotali, dicente Petro apoſtolo: Quia eſtis (inquit) genus regale & ſacerdotale. Ideóque ex populo poteſt fieri ſacerdos. *In ædificationem corporis Chriſti.*) Eccleſiæ ordinationem ad compaginationem humani generis, in profeſſionis vnitate dicit compoſitam, vt diuerſi dignitate, in Chriſto omnes ſint vnum caput habentes Chriſtum, hoc eſt, authorem vitæ. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij dei.*) Tandiu dicit manere ordinationem, quamdiu cuncti deſtinati ad vitam vnius ſint fidei in cognitionem Chriſti. *In virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*) Ita elaborandum hortatur vt perfectio fidei apprehendatur. Cuius hæc ratio eſt, vt Chriſtum perfectum & plenum deum teneat fides, ne menſura humana metiatur, ſed in plenitudine diuinitatis quaſi perfectus deus habeatur. Nec enim perfectum dicens virum, temporali ætate & menſura ſignificat, ſed per hoc dictum perfectos nos vult fieri in plenitudine intellectus diuinitatis filij dei. *Vt vltra non ſimus paruuli neque fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum in aſtutia ad remedium erroris.*) Fundatos & ſtabiles eſſe nos vult in diſciplina fidei catholicæ, quam Petrus apoſtolus reuelante deo profeſſus eſt, nec ventilari nos oberrantes per diuerſarum hæreſum peſtilentioſas aſſeuerationes nequitia humana inuentas, vt per has fallentis inimici ſub veri nomine error poſſit afferri. Hoc enim remedium eſt falſitatis, vt ſub prætextu veritatis inducat errorem. Et non ſolum ſub veri nomine, ſed & ne ſicut ante acceptam fidem ſenſu humiles vagabamur per diuerſos errores, fideles facti diſcurreremus fragiles & dubij: de ſpe promiſſa commonet, quia iam Chriſtiani facti fundati eſſe debent, quia ambiguitas in fide noſtra non eſt, commendatur enim virtute prodigiorum. *Veritatem autem facientes in charitate, augeamus in ipſum omnia, qui eſt caput Chriſtus.*) Hanc dicit eſſe veritatem, vt amorem Chriſti reſpicientes quo dilexit nos, & tradidit ſe pro nobis, omnia ſubiiciamus ei, ſcientes quia omnium eſt author vitæ, vt quaſi capiti membra ſubdantur. Vt ſi alij errore vel maleuolentia non fatentur omnia caput habere Chriſtum, quia ab ipſo facta ſunt voluntate patris: nos tamen qui catholicæ fidei adhęremus, hoc omni deuotione & cura agere debemus, vt huic fidei non damnum, ſed lucrum afferamus, perſeuerantes in hac aſſeueratione, vt comprimantur prauæ mentis colloquia aduerſus veritatem armata. *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, in menſuram vniuſcuiuſque partis incrementũ corporis facit, ad ædificationẽ ſui in charitate.*) Qua ratione Chriſtum caput eſſe omnium dixerit, docet. Ex ipſo enim, inquit, omne corpus, id eſt, omnis chorus archangelorum & potentiarum, principum & poteſtatum ſubſiſtit. Quamuis enim ſingula hæc numeros proprios habeant, & ſint legiones, vt ipſe dominus dixit: quia ab vno tamen per vnum ſunt, ſimul omnia vnum corpus appellat. Sicut enim membra cùm ſint vnius corporis, diuerſa tamen ſunt actu & dignitate: ita & creatura condita eſt à deo per Chriſtum, vt à Cherubim & Seraphim potentiis quæ ſub ſede dei ſunt, & angelis quos ipſe dominus ſanctos appellat, quaſi quædam concatenatio ſit, vſque ad firmamentum ordinata deſcendens, vt totum & iunctum ſit, & meritis temen diſcernatur. Meritis dico, non ſolum officiorum, ſed & naturarum. Nec enim quia iuncta dicit omnia, vnius erunt naturę. Sed quod in corpore membra faciunt diſcreta officiis, non natura: ita & in his omnibus non membra, ſed naturæ ipſæ faciunt diſtinctiones. Hoc eſt ergo quod laboratur, vt ad vnum ſenſum redigatur creatura, & in ſenſu vnum ſit corpus, dum omnium vna profeſſio eſt, vt cõcordet in charitate creatoris ad ſuum profectum. Reædificat enim ſe in templum domini: deſtructa enim fuerat dementia & furore diaboli. *Hoc ergo dico & teſtor in domino, vt non ambuletis ſicut & gentes ambulant in vanitate mentis ſuæ, obſcurati intellectu, alienati à fide dei per ignorantiam quæ eſt in ipſis.*) Manifeſtato creatore, & ratione oſtenſa quam ſequi debeat creatura, in fide dei dumtaxat, conteſtatur illos in deum, vt non aliter incedant vel ſentiant quàm docentur, ne ſimiles gentilibus inueniantur, qui nec fidem recipiunt, nec conuerſationem quam mandat lex, obſcurum habentes ſenſum, ne contemplentur diuini nominis veritatem. Vana enim ſectantes quæ ſunt idololatria, infrænantur à diabolo, ne vnius dei iter incedant, vt ſocios illos ſuæ perditionis efficiat. *Propter ignorantiam, quæ eſt in illis, & duritiam cordis illorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis & auaritiæ.*) Gentiles futuræ reſurrectionis deſperatione cęcitatem cordis habere ſignificat. Quaſi enim vltra non futuri vitam ſuam contaminant turpiſſima operatione, nolentes ſe ſubiicere legi fidei, quia prohibet voluptatem propter ſpem vitæ futuræ. Quam hi idcirco ridendam cenſent, vt iure dehoneſtare ſe, & aliena appetere auida cupiditate videãtur, quaſi poſt hanc tranſpunctionem nulla ſit vita. *Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, ſi tamen illum audiſtis, & in illo docti eſtis, ſicut eſt veritas in Ieſu.*) Manifeſtum eſt Chriſtianos non deſperationem poſt mortem hanc didiciſſe, ſed ſpem ad vtrumque. Fidelibus enim vita, perfidis verò promittitur mors, quæ eſt pœna æterna, vt ſiue mors, ſiue vita in Chriſto diſcatur: quia qui eum ſequitur, per eum reſurget ad vitam. qui verò diſcernit ſe ab eo, per eum mancipabitur gehennæ. ipſo enim iudicante damnabitur. Et quoniã ſunt quidam in eccleſia qui ſub nomine Chriſti non ſequuntur Chriſti veritatem, ideóque ſicut eſt, inquit, veritas in Ieſu: vt ſi ita docti ſunt vt eſt veritas in Ieſu, tunc Chriſtũ didiciſſe, & illum audiſſe, & in illo docti eſſe videantur. Chriſtus enim de ſe docet quid ſit, & quantus credendus ſit, & quæ ſpes in eo ſit, & quales debeant eſſe credentes. Qui enim didicit Chriſtũ, ſcit illum à mortuis reſurrexiſſe, vt forma eſſet fidelibus. Ideóque magna ſpes eſt pro iſta morte amantibus deum. *Vt exponatis ſecundum priorem conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris.*) Qui Chriſtum audiuit, hoc didicit, vt recederet à conuerſatione priſtina, quam veterem hominem nuncupat propter præteritum ignorantiæ tempus. Homo itaque vnus atque idem eſt: qui ſi priſtina vitia ſequitur, vetus dicitur. ſi autem in nouitate vitæ ambulat alienus à ſeculari errore, qui eſt ſiue in affectu, ſiue in ſenſu rudis dicitur, non vtique ſubſtantia carnis aut animæ, ſed intellectu, & conuerſatione vitæ. Corruptus tamen vetus homo dicitur propter adulterum ſenſum, & turpem vitam. *Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induimini nouum hominem, qui ſecũdum deum creatus eſt in veritate & iuſtitia.*) Iuſtum & verum eſt rectã viam ſequi. Hic autem rectam viam ſequitur, qui deuotus creatori ſuo in voluntate eius ambulat, quam gentilitas neſcit. Inri nouatus

1. Petr. 2.

Matth. 16.

Coloſ. 3.

Rom. 6. Coloſ. 3.

2005

nouatus enim spiritu mentis, nouum hominem dicitur induere, qui est Christus. Christum enim induitur, qui per fidem renatus in Christo, æmulus est vitæ quam tradidit Christus, vt iuxta deum creatus videatur. In eo enim quis creatur, in quo sapit: & ideo veritas & iustitia dei à gentibus ignoratur. Cùm enim credentes deum agnoscunt creatorem, seruantes mandata eius, & iustitia & veritate creantur. *Propter quod depositio mendacio loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra.*) Quia in veritate & iustitia creati sumus renati in baptismate: idcirco vt in eo maneamus, mendacium deponere iubemur, assumpta veritate: nec dolo aliquid cum fratre agere: vt quia vnius corporis membra sumus, caussis nostris in veritate inuicem faueamus. *Irascimini, & nolite peccare.*) Quoniam irasci quis non potest prohiberi: quippe cùm ira motus sit naturalis conceptus ex caussis, qui solet ad profectum pertinere delinquentis: idcirco irascendum dicit, sed commonet ne per iram peccetur. Solemus enim modum egredi dum irascimur, & inuenimur ipsi peccare, qui peccantes arguimus, dum plus irascimur, & amplius oneramus peccantem, quàm meretur. Hoc ergo docet, vt ipsa ira cum moderatione sit, neque nimium quis iustum se præbeat delinquenti: quia solent quidem sic peccare, vt tantis plagis affici videantur, quantas non possunt ferre: & qui poterat fortè corrigi, tollitur de vita, non sine peccato irascentis. Hinc est vnde Salomon, Noli, inquit, iustus esse multum, quia est qui perit in suo iusto. Sed imitatores dei esse debemus, qui temperatam habet iustitiam. Cùm enim iustum esset plecti iniquos, patientia sua suffert eos, vt aliqui ex eis corrigantur. Nosipsos seruos suos peccantes patitur, nec citò aliquem percutit. *Sol non occidat super iracundiam vestram, neque locum detis diabolo.*) Iram transire vult, nec retineri in pectore, vt die orta cum die decidat: quia si in animo manserit, dat occasionem diabolo gloriandi. Necesse est enim iratus animus malè cogitet: quod cupit diabolus. Inuenit enim mentem paratam ad malum, cui se inserens effectu suo decipit hominem factum ad vitam, quia hominis cogitare est, diaboli implere. *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.*) Vt noui hominis conuersatio maneat, hortatur ne rursum ad præterita vitia & peccata redeatur: & nihil proderit nouum dici, quando vetus homo malis operibus approbatur. Non solum ergo Christianus aliena non tollere iubetur, sed & de labore suo penuriam patientibus submistrare, vt bonis operibus deditus rependat quæ prius abstulerat, & de cætero thesaurizet sibi in futurum. Qui enim cessat à furto, veniam potest habere, non gloriam. Quid enim magnum aut cuius meriti est ab alienis temperare? Ad meritum enim proficit cùm quis de proprio tribuit egenis. *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad edificationem fidei, vt det gratiam audientibus.*) In dei seruo omnia debent bona videri, nec ex aliqua parte puritas eius debet maculari. Quid enim prodest mundam vitam habere, & os sordidum, cùm dicat dominus quòd vnusquisque verbis suis aut iustificabitur, aut condemnabitur. Nec credibile potest videri bene viuere eum qui malè loquatur. Malè enim loqui ad multa trahitur vitia. Potest enim malè loqui qui turpiter fatur, & qui bonis detrahit, & qui cum dolo fabulatur, & qui mentitur, hæc errorem præstant. Bonæ enim & sobriæ fabulæ dant gratum exemplum audiẽtibus, vt honorificent deum in verbis eius ædificati in fide Christi. *Et nolite contristare spiritum sanctum dei in quo signati estis in die redemptionis.*) Cùm bene agimus, gaudet in nobis spiritus sanctus datus nobis, videns monita sua proficere vtilitatibus nostris, sicut dictum est à domino: Ita gaudium erit in cœlo in vno peccatore pœnitentiam agente. Gaudet ergo spiritus sanctus in salute nostra, non sibi, qui non indiget lætitia, ita econtrario si obedientes ei non fuerimus, contristatur, quia non habet profectum in nobis. Vult enim nos pertinere ad vitam. Non tamen sic contristatur, vt patiatur, quippe cùm impassibilis sit. Sed cùm eum contristatum dicit, nostri causa hoc significat, quia deserit nos eo A quòd læserimus eum contemnendo monita eius. Contristatio itaque eius, indignitas nostra est, quæ filios nos dei prohibet appellari. Ipse est enim spiritus sanctus qui significat filios dei, manens in nobis. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia auferatur à vobis, cum omni malitia.*) Omnia hæc quæ perniciem possunt præstare animis, amouenda memorat. Per iram enim fit indignatio, per indignationem clamor, quasi vox insanientis, quæ aliena est à dei seruo. Per clamorem surrepit blasphemia, quæ non potest non mala esse, hæc amaram præstat vitam trahens ad mortem. Ideoque ab his omnibus cauendum. Timor enim dei temperare debet, & modum imponere accidentibus caussis. Sed quia possunt aliqui pressa in animo ira & clamore retinere malitiam ad retributionem nacta occasione, idcirco subiecit hęc auferri cum omni malitia: quia non solum blasphemare malitia est, verumetiam fingere pacem in faciem, & in animo meditari discordiam. *Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes vobis, sicut & deus* B *in Christo donauit vobis.*) Exemplo dei patris benignos & misericordes inuicem fieri exhortatur: sicut & dominus, Estote, inquit, misericordes, vt similes sitis patris vestri, qui in cœlis est. Si enim deus per filium suum seruorum misertus est, quantò magis serui ipsi inuicem sui debeant misereri, & donare si alter in alterũ peccet? Hæc præcepta eius sunt qui miseratus est: qui si in his contemptus fuerit, sine dubio reuocabit sententiam per quam misericordiam dederat: & ita euenit, sicut ait dominus in euangelio de eo qui accipiens à domino misericordiam, in conseruum suum impius deprehensus est. Luca. 6.

CAPVT QVINTVM.

Estote imitatores dei, sicut filij charissimi.) Hoc est quod supra dixit, quia dei patris imitatores esse iubemur hac exhortatione, vt si obaudierimus, filij dei & charissimi habeamur. C Hic enim charissimus patris est filius, qui bonorum eius imitator est. *Et ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis hostiam & oblationẽ deo in odorem suauitatis.*) Sicut dei patris imitatores nos esse vult in benignitate & misericordia, ita & Christi filij eius in dilectione: vt sicut ille dilexit nos, tradens se pro nobis, ita & nos inuicem pro nobis, etiam animas ponere debeamus. Quod etiam Ioannes apostolus dixit, exemplo domini pro fratribus animas ponendas. Si ergo Christi mors in odorẽ suauitatis est deo, mortem eius libenter accepit. Quod si verum est, non peccauerunt qui illum secundum dei voluntatem crucifixerunt. Sed non ita est, quia Christus deo dicit se obtulisse dum occidi se passus est, in dei patris sui voluntate perdurans: quia qui iustè occiditur diabolo se offerens, voluntatem eius facit, vt occidi mereatur. Ita & Christus dum dei voluntati adhæret, diabolo displicuit: & ideo illum occidit, quia deo se obtulit iustitiam exequendo. In oblatione enim iustitia signatur & veritas. Hanc enim respicit deus, & hoc est eius sacrificium acceptum. Itaque immeritus qui occiditur, placet deo, non quia occiditur, sed D quia vsque ad mortem iustitiam conseruauit. Suscepit enim hanc mortem deus Christus ad vitam: vnde & odor suauitatis appellatur deo. Ad Romanos tamen dicit: Quia deus illum tradidit pro nobis omnibus. Nunc quærendum est quomodo deus tradidit illum, aut quomodo se ipse obtulit deo. Nam hoc quantum ad verba pertinet, videtur cõtrarium. Deus illum tradidisse dicitur, dum illum occidi permisit, sicut dicit dominus ad Pilatum: Non haberes aduersum me potestatem, nisi data tibi esset desuper. Data est enim, sed non nolenti potestas, hoc est, permissum est illi facere quod voluit, & hoc est tradere. Dum enim dissimulat, tradit. Si enim noluisset permittere, non fuisset occisus. Permisit ergo occidi eum, sed ab iis qui eum volebant non coacti sed sponte occidere. Non ergo immunes à pœna sunt, quia hoc eis permissum est quod volebant. Damnatio enim Ioan. 13. & 15. Coloss. 3. Rom. 8. Ioan. 19.

in eo competit quia voluerunt. Quod ideo tamen permisit deus, quia scit istud aduersum diabolum futurum pro multis. Dignum enim fuit vt quod inimicus impręscius futurorum cõtra se quasi pro se facere putabat, permitteretur ei, vt impræscientiam suam sibi imputans, facti sui pœnitentia torqueretur. Quod autem Christus ipse se obtulit, aut deus illum tradidit, vnum est, quia amborum vna voluntas est. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur inter vos, sicut decet sanctos.*) Manifesta sunt quæ dicit: Quàm tamen grauis res sit auaritia, à qui dissimulamus, quando fornicationi & immunditiæ comparatur: & sic à nobis videtur quasi quædam culpa nullius momenti, cùm sit graue peccatum. Sancti ergo esse non possunt in quibus aliquid horum quæ prohibet, fuerit repertum. *Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio.*) Quoniam quidam solent aliquid turpe agere, aut stultiloquiis iocum mouere, quasi non sit peccatum: hoc prohibet, quia dei serui semper sobrij & modesti debent videri. Per stultiloquia enim peccatur. Vnde Salomon: Stultus, inquit, per risum agit mala. Et dominus in euangelio dicit: Quia omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Nec inulta possunt discerni quæ idcirco dicuntur, vt ad alicuius pertineant cõtumeliam, ideo ad rem salutarem non pertinent hæc. Quare hæc agenda & loquenda monet, quæ ad vtilitatem proficiant nostram, & dei laudem, in cuius lege meditandum est die ac nocte, sicut scriptum est in psalmo primo. Ex conuersatione enim & moribus dei serui etiam tacentes intelligendi sunt, vt quantum distat verum à falso, tantum distent dei serui à seruis diaboli. *Hoc enim scitote, quòd omnis fornicator, aut immundus aut auarus, quod est idololatria, non habet hæreditatem in regno dei & Christi.*) Qua caussa amouenda sint hæc ostendit, quia qui talis fuerit, partem in regno cœlorum non habebit, quod est patris & filij. Vt auaritiam tamen rem periculosam esse doceret, idololatriam hanc nuncupat, qua nullum peccatum maius est. Videamus ergo cur auaritia idololatria dicatur. Idololatria dei honorificentiam vsurpat, & vindicat creaturæ, cùm in nomine diuinitatis, quod soli conditori competit, participem illi asserit eius facturam. Auaritia autem idcirco huic exæquata est, quia similiter ea quæ dei sunt sibi vsurpat & recondit auarus, vt quæ vsibus omnium concessit communiter, auaritia deneget, quando idcirco hæc congregat apud se, ne alij vtantur. Quæ res facit vt carè venundent, ne pauperes viuant. Si enim minimè reconderentur, abundantia omnium rerum faceret vilitatem. Denique apud veteres quia auaritia non erat, nec caritas. Rectè ergo idololatriæ comparata est, quia multos lædit, creatori similiter inimica. Vult enim deus ac iubet de iis quæ creauit, subueniri pauperibus: auaritia contradicit. Vide an sine diabolo possit esse. *Nemo vos seducat inanibus verbis. Propterea enim venit ira dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum.*) Inanes sermones vani sunt, vanitas autem idolorum cultura est, quæ vtique non ex æquo initium habet, sed de errore. Docet ergo ne horum verbis assensus præbeatur. Perstrepunt enim semper, & seductione quadam fallaciæ contra fidem consuetudinem antiquitatis obtendunt, rationem præsentium non spem futurorum asserendam iudicantes. Ideo venit super hos vindicta de cœlis, vt sciant verum esse quod credere noluerunt. A qua vanitate dei seruos longè docet debere discretos esse, ne participes fiant pœnæ illorum. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino.*) Tenebræ, ignorantiæ sunt, quia nemo videt in tenebris. Ignorantia verò gentilitas est, siue perfidia, à qua dei gratia ad fidem tracti sunt, facti lux, id est veritas, quia in luce manifestantur quæ sunt. Denique Pagani in tenebris mystica sua celebrantes in spelæo velatis oculis illuduntur. Ex his Christiani facti cognita veritate filij lucis dicuntur, quia deus lux est, cuius fidem in veritate suscipiunt. *Vt filij lucis ambulate. Nam fructus lucis in omni bonitate, & iustitia, & veritate est.* Hoc dicit, vt sic conuersentur, vt non immeritò filij lucis dicantur. Opera enim lucis palàm sine timore fiunt, tenebrarum autem opera in occulto, quia illicita sunt. omne enim peccatum palàm fieri timet. *Probate quid sit quod placet deo.*) Ex magnificẽtia sanctitatis & bonitatis perpendi potest quibus deus operibus delectetur. Ipse enim dixit: Sãcti estote, sicut & ego sanctus sum, dominus deus vester. Et dominus, Estote, ait, misericordes, sicut & pater vester. Hæc placent deo. In sanctitate enim purificatio, in misericordia verò plena & perfecta iustitia est. *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.*) Monet ne malorum actibus per consensum polluamur, qui sunt infructuosi erga bonum, & quæstuosi ad malum. *Magis autem & obiurgate quæ in occulto ab eis fiũt, turpe est etiam tam dicere.*) Non solum alienos vult eos esse à malis actibus, sed & arguere mala facta eorum qui in occulto turpiter operãtur. Tunc enim probantur peccata, si arguantur, vt admirentur filios lucis, à quibus cùm iustè arguuntur, contradicere non poterunt, sed magis eos reuerebuntur. *Omnia autem cùm obiurgantur, manifestantur.*) Verum est, quia tũc videntur peccata, cùm obiurgantur: quia qui peccat, quamdiu non corripitur, minimè sibi videtur peccare. *Omne enim quod manifestatur, lux est.*) In manifesto ambiguitas non est, neque excusari potest quod palàm delictum est. Sicut enim apparente sole diem esse negari iam non potest, ita & manifestato peccato obiurgatio falsa videri. *Propter quod dicit: Surge qui dormict, & exurge de mortuis, & cõtinges Christum.*) Dormitionem hanc, stuporem mentis significat quæ alienatur à vero. Alienatio verò hæc species mortis est. Ex qua resurgere commonetur, vt resipiscens agnoscat veritatem, quæ est Christus. Perfidi ergo & vitiosi demersi in cœnum sub desperatione vitæ, vt resurgant siue emergant admonentur, & habeant partem cum Christo, vt de tenebris transeant ad lucem, & à morte ad vitam. *Videte ergo quomodo cautè ambuletis, non vt insipientes, sed vt sapiẽtes, redimẽtes tempus, quoniam dies mali sunt.*) Quoniam superius perfidiam & vitia vitæ à dei seruis arguenda mandauit, nunc vt prudenter ea ipsa arguantur propter scandalũ, subiecit, vt inter perfidos cum prudentia conuersandum sit, maximè tempore quo perfidi regnant præsumentes rege prophano: vt si viderit Christianus inquietum & iracundum cõtradictorem, dissimulet ab eo, ne eum quidem incitet ad blasphemiam & tempestatem mouendam: illic autem verba faciat, vbi datur facultas. Quemadmodum enim inter potentes perfidos interrogatus quid sit, tacere non debet, nec negare quod est: ita & si metus est inter eos disputare, dissimulandum est: quippe cùm detrimentum sit seminare supra spinas. Hoc est enim prudentis, scire quemadmodum vnicuique respõdeat. Est enim qui quamuis perfidus sit, non tamen penitus intractabilis est, vt nec audire se patiatur verba fidei. Est iterum in quo sic feruet zelus perfidiæ, vt non tantum non cum illo, sed nec præsente illo tractetur de fide, perstrepente enim illo & blasphemante multis fit scandalum. Vnde Paulus & Barnabas cùm aduersum se blasphemantes audirent, excutientes vestimenta sua recesserunt ab eis. *Ideo nolite effici imprudẽtes, sed intelligentes quæ est voluntas domini.*) Dominus Iesus paci studendum monet. Et vas electionis, Si potest, inquit, fieri, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habẽtes. Et ad Timotheum, Seruum, ait, domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Hæc est voluntas domini, vt quæ agenda sunt à seruis eius, cum modestia agantur. Perturbatio enim & strepitus, siue contentio cum animositate, inimicitiam generat. Hæc ergo propter superiora subdidit, in quibus vult dei seruos corripere delicta hominum peccatorum, vt quia per hoc solet oriri dissensio & rixa, cum temperantia & mansuetudine arguant peccatores, ne ad iracundiam prouocati insiliant ad litem. Ideóque prudenter istud curandum monet, vt sit profectus. *Et nolite inebriari vino in quo est luxuria.*) Sobrij possunt habere fiduciam arguendi. Bona enim conuersatio terrorem incutit delinquẽti: nec poterit qui arguitur, asperè ferre, quia reprehenditur, quando scit optimam conuersationem monentis se. Nam vbi ebrietas & luxuria est, luxuria prouocat turpitudinem. Quamobrem sobrios eos esse conuenit, vt bonæ conuersationis iura seruentur.

Prou. 10. Matth. 11. — 2. Thes. 2. Matth. 24. — Ioan. 1. — Luc. 19. Luc. 9. — Rom. 12. — 1. Tim. 2. — Rom. 12. 1. Thess. 4. — Coloss. 4.

Sed impleamini ſpiritu loquentes vobis in pſalmis, & hymnis, & canticis, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris deo.) Rationabilem vitam diligit ſpiritus ſanctus: quia ſi bene vixerimus, implebimur eo, vt memorat, ad confitendum & extollendum dei donum, diuerſo vocis canore, vt laus in deum omni lingua canatur. In quo enim eſt ſpiritus, ſemper ſpiritalia meditatur, vt non in labiis tantum ſit, ſed de corde prorumpat, propter vetus dictum domini per prophetam. Ait enim: Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. *Gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine domini Ieſu Chriſti patri & deo, ſubiecti inuicem in timore Chriſti.*) Deo gratias in omnibus donis eius agere iubemur, qui etiam adoptare dignatus nos eſt per Chriſtum filium proprium, per quem cognouimus eum, & didicimus in ſpiritu deum, quia deus ſpiritus eſt, adorandum, alter alteri ſe ſubiiciens propter timorem Chriſti, qui humilitatem exequendam mandauit: *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut domino: quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut & Chriſtus caput eſt eccleſiæ, ipſe ſaluator corporis. Sed eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus.*) Mulieres ſubditæ eſſe viris naturali lege iubentur, quia mulieris author vir eſt. Vnde ſicut domino, inquit, ita viris ſubditæ eſſe debent. Hinc Sara dominum vocabat Abraham. Sicut enim caput eccleſiæ Chriſtus eſt, ita & vir mulieris. A Chriſto enim eccleſia ſumpſit initium, vnde ſubiecta eſt illi: ita, & à viro mulier, vt ſit ſubdita. In eo tamen diſtat, quia mulier conſubſtantia viro eſt, eccleſia autem in nomine poteſt, non in natura participari Chriſto. *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam & ſemetipſum tradidit pro illa, vt eam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi vt ſit ſancta & immaculata, ita & viri debent diligere vxores ſuas.*) Mulieres humiles eſſe iubentur, & reuerentiam habere virorum. Viri verò ita diligere mulieres ſuas admonentur, vt etiam animas ſuas pro illis ponant, cauſſa dilectionis zelum habentes circa affectum earum & diſciplinam, vt religioſæ & ſanctæ ſint. *Suum corpus diligit, qui vxorem ſuam diligit.*) Naturali ratione mulier portio corporis viri eſt, ac per hoc vir in muliere ſeipſum diligit, quoniam ſi fornicetur, in ſe ipſum peccat, quia duo in carne vna ſunt. Non ergo perſonæ ſubſtantiam diuidunt, vt per perſonas numerus fiat naturæ, ſed ſunt in vnitate naturæ. *Nemo enim vnquam carnem ſuam odit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut Chriſtus eccleſiam.*) Exemplo ſaluatoris viros vxores ſuas diligere hortatur: ſicut Chriſtus corpus ſuum nutrit & fouet, ita & vir mulierem, quia caro eius eſt. *Quoniam membra ſumus corporis eius, & de carne ipſius, & de oſſibus.*) Hoc ſpiritaliter intelligendum eſt. In eo enim dixit nos eſſe membra eius, quia caput eſt ipſe totius eccleſiæ, vt quia per ipſum eſſe cœpimus, caput noſtrum dicatur, quaſi ex quo omne corpus ſubſiſtat, vt membra eius omnis ſpiritalis creatura ſit, ſi tamen in nomine eius genu flectat. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.*) Ad vnitatem commendandam vnitatis dedit exemplum, vt ſicut vir & mulier vnum ſunt per naturam, ita & Chriſtus & eccleſia vnum intelligantur eſſe per fidem. *Myſterium hoc magnum eſt. ego autem dico, in Chriſto & in eccleſia.*) Myſterij ſacramentum grande in vnitate viri ac fœminæ eſſe ſignificat. Nec hoc prodit, ſed aliam cauſſam quæ non diſcordet à memorato myſterio flagitat, quam ſcit ad profectum humani generis pertinere, hoc eſt, eccleſiæ & ſaluatoris, vt ſicut relictis parentibus homo vxori ſuæ adhæret, ita & relicto omni errore eccleſia adhæreat, & ſubiiciatur capiti ſuo, quod eſt Chriſtus. *Verumtamen & vos ſinguli vnuſquiſque ſuam vxorem vt ſe diligat, mulier autem vt timeat virum.*) Quoniam vna natura in viro & fœmina eſt, idcirco vir quaſi ſeipſum ita mulierem diligere commonetur: mulier autem quia perſona inferior eſt conditionis cauſa, non naturæ, viro ſubiecta timere eum iubetur.

CAPVT SEXTVM.

A *Filii obaudite parentibus veſtris, hoc enim iuſtum eſt: Honora patrem tuum, & matrem.*) Lex datur filiis, vt quia parentibus authoribus conſtant, obediant eis. Iuſtum eſt enim vt reuerentiam exhibeant eis, per quos ſunt. *Quod eſt mandatum primum promiſſionis, Vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram.*) Promiſſio hæc in Exodo continetur, vt honorificent parẽtes, & bene eſſent, & prouectioris fierent ætatis. Quomodo tamen hoc primum mandatum dixit? cũ conſtet primum mandatum ita contineri: Non ſint tibi alij dij præter me. Deinde: Non facies tibi ſimilitudinem vllam quæ ſunt in cœlo ſurſum, & in terra deorſum. Tertium: Non ſumes nomen domini dei tui in vanum. Quartum: Obſeruabis, inquit, ſabbata mea. Quintum autem: Honora patrem & matrem, &c. Sed quia prima quatuor mandata ad deum pertinent, hæc in prima tabula contineri ſubintelliguntur. Cætera ad hominem, vt honoret parentes, non occidat, non fornicetur, non furetur, non falſum teſtimonium dicat, neque
B quicquam proximi ſui concupiſcat. Hæc ſex mandata in ſecunda tabula videntur ſcripta, quorum primum eſt, Honora patrem & matrem. Hac cauſa ergo dixit, Quod eſt mandatum primum in promiſſione, vt diſcerneret inter mandata quæ ad deum, & inter ea quæ ad hominem pertinent. *Et patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione domini.*) Vt lex poſſit ſeruari qua cautum eſt vt filij honorificent parentes: parentibus quoque alia lex ab Apoſtolo datur, vt ſic imbuant filios, ne mãdata legis contemnant, quia ſi in timore domini fuerint enutriti, poterunt obſeruare quæ præcepta ſunt. Nam ſi ad iram prouocant filios, nec ipſi modum legis cuſtodiunt. Cogere enim eos videntur vt præuaricatores inueniantur. In ira enim nemo agnoſcit quid ſit vtile: idcirco temperantiam parentum exemplo debent addiſcere, vt quæ vtilia ſunt ſectentur. Meminiſſe enim debent patres quia & ipſi fuerunt filij, & noluerunt vtique exacerbari à patribus. Filij quoque
C cognoſcere debent quod futuri ſunt patres, & nolunt inhonorari ab eis. Idcirco vtrique exhibeant inuicem quod exquirunt adinuicem. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto.*) Quoniam omnium ſublimior & ſola potens eſt religio noſtra, & quæ crẽdentibus cœlorum regna pollicetur: ne hac igitur cauſa ſuperbia naſceretur hominibus, omnes debita conditionum & officiorum præſentium iubentur exoluere, vt & magis incitent perfidorum animos ad culturam dei, quam vident & iuſtam & humilem. Videntes autem deum melioraſſe ſeruos, & in reddendis obſequiis fideliter profeciſſe. Serui quoque dum cernunt manſuetudinem dominorũ, omni auiditate comcupiſcunt fidem, cuius tam placidis retinaculis gubernantur humana officia. Nam & qui in conditione eſt, ſi habuerit famulum, non vult contemni ab eo: ideoque nec ipſe debet contemnere dominum ſuum: & ſicut vult agere ſecum dominum ſuum, ita & ipſe agere debet cum ſeruo ſuo: & ſic poterit placere deo. *Non*
D *ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, facientes voluntatem dei ex animo, cum benignitate ſeruientes domino, & non hominibus, ſcientes quòd vnuſquiſque quodcunque fecerit bonum, hoc conſequetur à domino, ſiue ſeruus, ſiue liber.*) Propter timorem dei iuſta & fidelia vult hominibus exhiberi ſeruitia. Deo enim ſeruit, cuius iura in obſequiis domini carnalis cuſtodit, quem ſibi pro iuſtis actibus in die iudicij vicem reddere & cæteris omnibus audit teſtari. Quæ res poteſt proficere etiam ad ſalutem dominorum. Videntes enim, quod difficile eſt, ſeruos dei per gratiam factos fideles miniſtros, poterunt dei gloriam collaudare. *Et vos domini eadem facite ad illos, dimittentes minas, ſcientes quòd & veſter & illorum dominus eſt in cœlis, & perſonarum non eſt acceptio apud deum.*) Non ignorantes vtique carnales domini, deum omnium dominum eſſe conmunem, talia exigant ſeruitia, qualia à ſe exigi non ferant ægrè. In qua enim quis menſura menſurauerit, remetietur illi: dominus enim iuſtus iudex cauſſas diſcernit, non perſonas. *De cætero confortamini in domino, & in*

Coloſ. 3. Exodi 20. Deut 5. Matth. 15.

Coloſ 3. ad Tit 2. 1. Pet. 2.

potentia virtutis eius.) Poſt omnia merita, & hortamenta, & diſciplinę ordinem traditum religioſè, & diſpoſitionem myſterij manifeſtam, robuſtos illos vult eſſe in fide, fiducia poteſtatis dei, vt ſcientes firmam eſſe ſpem promiſſionis, prompti ſint circa obſequia dei, erigentes gubernacula contra fluctus excitos impudentia inimici. Tempeſtatem enim dei ſeruis commouet, ſed ipſe naufragium facit. *Induimini vos armis dei, vt poßitis ſtare aduerſum nationes.*) Arma dei fides eſt ſtabilis, per quam ſolam ſemper victus eſt ſatanas. *Quoniam non eſt vobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus & poteſtates huius mundi, tenebrarum harum rectores, aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus.*) Certus apoſtolus quia exitia quæ à perfidis dei famulis irrogantur, authore diabolo miniſtrantur, cuius altitudo grandis & hominibus impoſſibilis eſt, monet aduerſus hæc arma dei ſumenda, cuius ſolius virtute ſuperantur & deſtruuntur omnia machinamenta eius. Ipſe eſt enim cuius ſatellites ſunt, quos tenebrarum harum dicit rectores, ſpiritus nequiſſimi qui degunt in cœleſtibus in firmamento mundi. Hi ſunt erroris duces, tenebrarum rectores, hoc eſt, ignorantiæ & perfidiæ præpoſiti. Rectores enim tenebrarum in peruerſum intelligendi ſunt gubernare, quaſi incredulitatis magiſtri. *Ideo accipite vniuerſitatem armorum, vt poßitis reſiſtere malo, & in omnibus perfecti ſtare, ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam fidei, & calciati pedes in præparatione euangelij pacis. Super his omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo poteritis omnia tela maligni ignita extinguere, & galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum dei.*) Quoniam contra atrociſſimos hoſtes & omni tergiuerſatione callidos bellum gerimus, idcirco omni cautela & ſolicitudine vigilare debemus, vt quacunque tentauerint, munitos nos & præparatos inueniant. Neceſſe enim vt & deus adiuuet quos viderit in precibus vigilare, & de armis eius expectare victoriam. In huiuſmodi autem bello ſobria mente opus eſt, & pura conſcientia, quia non contra carnalia nequitæ, ſed aduerſus ſpiritalia dimicatur. Contra terrigenos enim hoſtes corpus ſagina roboratur, & poculis mens incitatur, vt repugnandi ſumat audaciam. Aduerſus ſpiritalia enim nequitiæ ſpiritaliter repugnandum eſt, & ſobritatis & abſtinentiæ arma ſumenda ſunt, vt infuſi ſancto ſpiritu immundos & erraticos ſpiritus deuincamus. Sic itaque ſuccingemus lumbos noſtros in veritate, ſi parati ſumus errori reſiſtere. Omnis enim qui operari valt ſuccingit ſe, vt ablato impedimento diligentius operetur. *Per omnem orationem & precem orantes in omni tempore in ſpiritu & in ipſum vigilantes, in omni perſeuerantia & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me vt detur mihi ſermo in adapertionem oris mei, exerte notum facere myſterium pro quo legationem fungor in catena, vt in ipſo exerta libertate vtar prout oportet me loqui.*) Si rectè cõuerſemur, ſpiritus ſanctus manet in nobis: & quod poſtulamus, poſſumus impetrare. Hoc eſt ergo in ſpiritu ſẽper orare, munda conſcientia & fide integra precem ad deum dirigere. In carne enim orat qui polluta mente precatur iterum peccaturus, non de euentu aut ſubreptione, ſed de propoſito. Sed poteſt non peccari ad mortem, ſi perſeueranter oretur, vt animus ſedula mente intẽtus ſit ſemper in dei legem, ea meditans die noctúque quæ amat deus: tũc & pro ſanctis poſſunt orare. Non eſt enim indignum vt pro inuicem ſolicita ſint membra, nec temerarium poterit videri ſi pro magiſtro diſcipuli idonei interpellent, adiuuantes eum, vt poſtpoſitis impedimentis libertate vtatur ad prædicandum, ſicut traditum eſt ab auctore, ne preſſus vi tribulationum, ipſa formidine acumen doctrinæ obtundat, amiſſa ſeueritate. Duplici igitur genere pro ſe orandum hortatur, vt & ſenſus eius impleatur ſpiritu ad eloquẽdum plenè myſterium, & facultas illi detur audaciæ in aſſerendo: quam vtique precem libenter audit deus. Videt enim legationem ſuam in apoſtolo deſpici, vnde vtique indignatus in cauſa ſua non negabit effectum. Si enim conſuetudo & lex eſt, legatis hominum non inferre exitia: qua præſumptione & audacia legatis dei non ſolum exitia, ſed & mors irrogatur? Quare & dicit: Pro quo legationem fungor in catena. Non enim permittebatur liberè loqui, ſed in ſubiectione & neceſſitate verba dei referens, vinculiſ plagis ſubiiciebatur, & mortibus: Et lapidatus eſt enim, & ad beſtias pugnauit Epheſi. *Vt autem ſciatis & vos ea quæ circa me ſunt: quid agam, plenè notum faciet vobis Tychicus dilectus frater, & fidelis miniſter in domino, quem miſi ad vos in hoc ipſum vt cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra.*) Per Tychicum Epheſij diſcunt quid agat apoſtolus, & idem cognoſcit quid agerent Epheſij. De apoſtolo, quia diuina erant quæ agebat, dubium non erat: ſed hoc ſciendum erat de eo quid ageret inter perfidos, & inſidias eorum. De Epheſiis verò hoc cognoſcendum, ſi proficerent, necne. Vt ergo obedirent, & libenter audirent verba Tychici, hunc commẽdat, & fratrem iſtum dilectiſſimum vocãs, & miniſtrum dei idoneum. *Pax fratribus & charitas cum fide à deo patre, & domino Ieſu Chriſto.*) Pacem quæ eſt ianua dilectionis, optat eſſe cum fratribus, & charitatem cum fide, vt ingreſſi per pacem poſſint manere in charitate, quæ eſt ex fide. Hæc eſt enim dei patris, & filij eius domini noſtri Ieſu Chriſti. *Gratia cum omnibus qui diligunt dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum in incorruptione.*) Præſcius apoſtolus multos futuros deſperatæ fidei ſenſum habentes de domino noſtro Ieſu Chriſto, cum iis æternã gratiam dicit manſuram, qui diligunt Chriſtum, rectè de illo & cum dei patris voluntate ſentientes. Qui enim degenerem hunc dicunt, data illis gratia auferetur.

Diui Ambroſij
MEDIOLANENSIS EPISCO.
pi commentarii in epiſtolam beati Pauli ad Philippenſes.
PRAEFATIO.

PHilippenſibus verbum fidei Apoſtolus tradidit. Somnio enim monitus eſt, ſicut continetur in Actis apoſtolorum, vt accederet ad eos, & aperiret aures eorũ ad recipiendum ſermonem dei. Multis ergo diebus commoratus apud eos, inſtruxit eos doctrina domini: & quia poſt diſceſſum eius non ſunt translati ad aliud, ſicut & Galatæ, ſed permanſerunt in fide, non recipientes pſeudoapoſtolos, per epiſtolam laudat eos, gaudens in propoſito cordis eorum. In laude enim horum, aliorum vituperatio continetur. Corinthij enim multo tempore audientes Apoſtolum, recedente eo à diuerſis pſeudoapoſtolis fuerant euerſi, vnde iſti iure laudantur.

CAPVT PRIMVM.

PAulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti.) Apoſtolũ ſe tacet, quia iis ſcribit qui de illo rectè ſentirent, ideo dignitatem ſuã ſupprimit. Erat enim his manifeſta. Conditionem verò fatetur, quia qui Chriſtum confitetur dominum, hic liber eſt, & habet ſalutem. *Omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu.*) Sãctis ſcribit more ſuo, ſed qui in Chriſto Ieſu ſancti ſunt, id eſt, qui deum & hominem Chriſtum fatentur. Fotinus enim Chriſtũ negat, & deum Manichæus hominem, ideóque immundi ſunt. Non ergo iis ſcribit qui mẽdaciis propriis ſupprimunt veritatem. *Qui ſunt Philippis.*) Quibus ſcribat ſignificat. *Cum epiſcopis & diaconibus.*) Hoc eſt, cũ Paulo & Timotheo, qui vtique epiſcopi erãt, ſimul & ſignificauit diaconos qui miniſtrabant eis. Ad plebem enim ſcribit. Nam ſi epiſcopis ſcriberet & diaconibus, ad perſonas eorũ ſcriberet, & loci ipſius epiſcopo ſcribẽdum erat, non duobus vel tribus,

2013

bus, ſicut & ad Titum & Timotheum. *Gratia vobis & pax à deo patre noſtro, & domino Ieſu Chriſto.*) Manifeſtum eſt deum patrem eſſe: Chriſtum verò Ieſum dominum noſtrum. Nũquid non videtur plus dominus eſſe quàm pater? Sed inter homines in mundo, apud deum verò patrem, & apud Chriſtum dominum concordia eſt. Hîc enim, hoc eſt in mundo, ideo plus eſt dominus quàm pater, quia aut & ipſius patris dominus eſt, aut pater filium non ſuæ conditioni generat, ſed alienæ. Deus autem ſic genuit, vt in poteſtate eius ſint quos genuit, vt natiingenui, ſerui tamen eius ſint, cùm hos tradit proprio filio, facit illos etiam ſeruos filij ſui, vt ſit dominus eorum, ſicut dicit: Pater, quos dediſti mihi, tui erant, & mihi eos dediſti, vt in patre & filio ſerui ſint dei vnius. *Ego quidem gratias ago domino ſuper omni memoria veſtra, ſemper in omni oratione mea pro omnibus vobis, cum gaudio orationem faciens ſuper communicatione veſtra in euangelio.*) Primùm quidem domino gratias agit, cuius nutu proſpera omnia cedũt fidelibus, in omni oratione ſua memor eorum cum exultatione, quòd participes facti ſint euangelij, ſicut dicit Petrus apoſtolus, inter cætera dicens: Vt ſitis, inquit, conſortes diuinæ naturæ. *A prima die vſque nunc.*) Præuidit enim Apoſtolus deuotionem illorum & fidem ratam ex ipſis principiis, & gaui ſus eſt in eis ſemper ſciens multis exemplo futuros. *Confidẽs in hoc ipſum, quod qui inchoauit opus bonum, perficiet vſque ad diem Chriſti Ieſu, ſicut eſt iuſtum mihi hoc ſentire pro omnibus vobis, eo quòd habeam vos in corde tam in vinculis meis quàm in defenſione & confirmatione euangelij, quoniam omnes mihi participes gaudij eſtis.*) Securus de bonitate & iuſtitia dei, & de horum fide non ambigens, confidit quòd dei auxiliis adiuti, perſeueraturi ſint in fide vſque ad diem domini, in quo remuneranti ſint perſiſtentes in fide. Nec aliud debuit de iis ſentire, quos ſemper inflexibiles in deuotione dei expertus eſt, tam directum & infatigabilem curſum eorum videns, vt cogitaret dignos hos ſibi participes gaudij eſſe. Vnius enim fidei homines congaudere oportet de ſpe futuræ immortalitatis & gloriæ. *Teſtis enim mihi eſt deus quemadmodum deſiderem omnes vos in viſceribus Chriſti Ieſu.*) Deum teſtatur, vt affectum commendet iuſti. Qui enim multum de aliquo ſentit, vt credibile hoc faciat, teſtificatur. per quod & prouocat deſiderium illorum erga ſe, vt deſiderati deſiderent. Deſiderat ergo omnes hos, non humana cupiditate, ſed in amore Chriſti, non carnis affectu, ſed ſpiritus, vt participes hos habeat & in ſenſu myſterij diuinitatis, & incarnationis domini Ieſu Chriſti. *Et hoc oro, vt charitas veſtra magis magisque abundet in agnitione & omni ſenſu, in hoc vt proberis quæ ſunt vtilia, vt ſitis ſynceri & inoffenſi in diem Chriſti, repleti fructu iuſtitiæ per Chriſtum Ieſum in gloriam & laudem dei.*) Deo adiutore ordinem diſciplinæ Chriſtianæ vult eos imbuere, vt quia firmati in fide ſunt, non ſint neſcij ſacramenti credulitatis ſuæ, & ſcientes diſcernere vtilia à contrariis, iuſtitiæ operibus ornent doctrinam domini, fructum facientes immortalitatis ad abundantiam omnium bonorum, vt glorioſus in his appareat magiſter gentium. *Scire autem vos volo fratres quòd quæ ad me attinent, magis in profectum euangelij venerunt, ita vt vincula mea manifeſta in Chriſto facta ſint in omni prætorio, & cæteris omnibus, & plures ex fratribus in domino confidentes, vinculis meis cæperunt magis audere ſine timore verbum dei loqui. Alij quidem & propter inuidiam & contentionem, quidam verò propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant. Alij quidem ex charitate, ſcientes quòd in defenſionem euangelij poſitus ſum. Aliqui verò, ex contentione Chriſtum annunciant, non ſimpliciter, exiſtimantes quòd preſſuram ſuſcitent vinculis meis.*) Hæc explanatione non indigent, tamen propter ſolicitudinem noſtram, ne qua in dubium veniant, per ordinem apertius proſequamur. Quoniam ſuperius participes hos gaudij ſui pronũciauit, ideo quid profecerit prædicatio eius inſinuat quaſi charis, ita vt omnibus innotuerint paſſiones eius pro Chriſto. Per hanc humilitatem glorioſum ſe indicat, vt habeant occaſionem gaudẽdi amatores eius, quia cuius vincula in Chriſto manifeſtantur, dignitas eius crebreſcit. In omni prætorio & in cæteris omnibus, id eſt, in omni Iudaiſmo & per vniuerſas eccleſias gentium. Præeſt enim Iudaiſmus, quia ipſi A facta promiſſio eſt, ſicut dicit dominus: Quia ſalus ex Iudæis eſt. Ideoque plures ex fratribus exemplum ſuum ſecutos, auſos dicit fuiſſe loqui verbum dei cum fiducia. Conſtantia enim eius multos animauit, vt non timerent euangelizare comperto exemplo Apoſtoli, quòd deus eſt, vt tueatur diligentes ſe, ſed & alios falſos fratres, non fiducia neque dilectione dei, ſed contentione zeli incitatos, dei verbum dicit prædicare quaſi inuidos. Plures ergo ex fratribus ſyncera quidem, ſed diuerſa voluntate Chriſtum annunciabant. Alij enim bona voluntate hoc agebant ad gloriam dei ſolius. Alij verò charitate incitati Apoſtoli, certi de tuitione dei. Sic iterum econtra alia duo genera ponit, quæ non ſyncero animo prædicabant. Quidam enim inuidentes Apoſtolo, contentione hoc agebant, alij verò aſtutia ſimulationis Chriſtum annunciabant, vt poſſint ſeditiones excitare Apoſtolo, quaſi authori huius ſectæ, qui multos aggregauerat ſuæ conſpirationi. Maior enim inuidia creſcebat Apoſtolo, quando ex latere eius multi videbantur docere. B *Quid enim? dum tamen omni modo, ſiue occaſione, ſiue veritate Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo: ſcio enim quòd hoc mihi procedit ad ſalutem per veſtram precem, & ſubminiſtrationem ſpiritus Ieſu Chriſti, ſecundum contemplationẽ & ſpem meam: quia in nullo cõfundar, ſed in omni ex certa fiducia ſicut ſemper & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem. Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.*) Primum gaudium eius eſt in fratribus, qui bona voluntate Chriſtum annunciant. Deinde etiam in eo ſe dicit gaudere, quod fallacia hominum aduerſus eum compoſitum erat, vt ad inuidiam eius & preſſuram Chriſtus prædicaretur. Hoc enim dicit ſibi ad vitam proficere, quod illi parauerant ad mortem. Hanc enim vitam ſuam dicit eſſe, ſi Chriſtus omnibus prædicetur, & ſe etiam mori paratum, vt hoc poſſit impleri, ſciens magnam ſibi pro hoc voto & efficacia dari poſſe mercedem. Imperita enim malitia aduerſum ſe ſemper machinatur dum neſcit. Ad calcandam ergo horum maleuolentiam, qui tecti fallacia, inſidias vitæ eius tendebant, C dei præſidiis ſe muniri teſtatur, iis quos vtique ſocios gaudij ſui dicit, adiuuantibus oratione propter communem alacritatem, & ſancti ſpiritus ſubminiſtrationem, qui contra voluntatem illorum, & vias aperiret prædicanti, dans gratiam & fiduciam verbis eius, vt ortas ſeditiones compeſceret. In nullo ergo ſe dicit confundi in doctrina Chriſti, quia & ſpes magna promiſſionis eſt: & quia nihil in ea turpe & inhoneſtum aut fallax eſt, ſicut apud paganos, ſed aperta ſimplicitas. Hinc eſt vnde cum omni conſtantia non cedit aduerſis, vt magnificetur Chriſtus in corpore eius, ſiue occidatur, ſiue cæſus euadat. Ex eo enim quæ & quanta ſpes in Chriſto eſt conſideratur, quando non ſolum cædi & affligi pro eo, ſed & mori paratus eſt. Vitam enim ſuam ſiue in præſenti, ſiue in futuro Chriſtum eſſe dicit, ſicut & euangeliſta Ioannes teſtatur dicens: Quod factum eſt in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Pro hac vita mortale *Ioan. 1.* corpus tradidit, vt id recipiat in æternum: ac per hoc lucrum computat mori pro Chriſto. *Si ergo viuere in carne, hic mihi fructus operis eſt: & quid eligam, ignoro. Coartor autem ex his* D *duobus, deſiderium habens diſſolui, & cum Chriſto eſſe, multò enim melius eſt. Remanere autem in carne, valde neceſſarium propter vos: & hoc certum habens, ſcio quia manebo & permanebo omnibus vobis in veſtrum profectum, & gaudium fidei, vt gloria veſtra abundet in Chriſtum per meum aduentum iterum ad vos.*) Manifeſtum eſt quod dicit, quia ſi in carne, poſitus non ocioſum eſt quod viuit, habet enim fructum operis ſui: Quid eligam, inquit, ignoro. Duabus enim ex cauſis vrgetur. Habet enim deſiderium excedere, & cum Chriſto eſſe. multò melius æſtimans vt iam præſens ſit apud deum, vt exoptatis & promiſſis fruatur. In carne verò vt ſit adhuc neceſſarium dicit propter inſtructionem credentiũ. Et cùm diſſolui & cum Chriſto eſſe multò magis melius dicat: certum tamẽ hoc ſcire ſe proteſtatur, quia manebit in carne ad profectum fidelium, vt gloria eorum abundet in domino, proficiens ad laudem Apoſtoli, cùm iterum viderint eum.

incre-

incrementum enim faciunt scientiæ, & plenius fundantur in fide. Quantum affectum habet circa credentes, vt hoc quod multò melius esse dicit, sibi non eligat, sed hoc velit quod expediat multis: certus etiam domino hoc placere, quod pro multorum salute proficiat. Quis non tertij cœli cupidus sperneret omnem curam præsentem? Quis non paradisi superioris desiderio omnia hæc postponeret? Quis nō verborum arcanorum memor humana eloquia euitaret? Quis non post tanta exitia eligeret requiem? Sed quia charitatem omnibus antepositit, hoc secutus est, quod proficeret fratribus. *Tantum dignè in euangelio Christi conuersamini.*) Dignam conuersationem vult eos exhibere disciplinæ dominicæ, ne pœniteat eum voluisse remanere in carne. *Vt siue cùm venero & videro vos, siue absens, audiam de vobis quòd stetis in vno spiritu vnanimes pariter cum fide euangelij, certantes, & non pauescentes in quoquam ab aduersariis, quæ est illis ostentatio interitus, vobis autem salutis.*) Vnanimes vult eos esse in fide & deuotione contra aduersarios, vt eadem audiat de illis absens quæ vidit & præsens: vt in nullo pauentes minas aut terrores aduersariorum, custodiant fidem: scientes quia eis qui pro Christo tribulātur, ad salutem proficit: illis verò qui tribulant, ad perditionem. *Et hoc quia à deo donatum est vobis pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini: eadem certamen habentes quale & vidistis in me, & nunc auditis de me.*) Quanquam dei gratiam extollat in omnibus, ad laudem tamen illorum proficit quod dicit, quia deus illis concessit pati pro Christo. Non enim concedit vel donat nisi amatoribus Christi. Ideo dixit, pro Christo donatum est vobis, vt à patre deo donatum sit diligentibus Christum, vt ad augmentum meritorum suorum patiantur pro Christo: & sequentes exemplo doctoris sui, omni confidentia certent ad triumphandos infideles.

CAPVT SECVNDVM.

SI qua ergo exhortatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua sunt viscera & miserationes, implete gaudium meum vt idem sapiatis eandem charitatem habentes, vnanimes, vnum sentientes, nihil secundum irritationes, neque secundum inanem gloriam, sed in humilitate mentis: alius aliū existimantes superiorem sibi: non quæ sua sunt vnusquisque contemplantes, sed quæ aliorum sunt:) Hoc dicit, quia si est vera exhortatio spei in Christo apud vos, qua nos inuicem consolamur: si solatium charitatis cōmunis, si participatio spiritus sancti per quam iungimur in vno corpore nouo, si aliqua sunt viscera, id est, si in animo vestro sum, sicut & vos in meo: si miserationes, hoc est, si affectus pietatis in amore est, implete gaudium meum. Hæc quæ enumerat, tunc vera probanda significat, si ista quæ subter mādat, fuerint seruata, vt vnanimes sint, & spiritu humiles, non se inuicem prouocantes, sed in charitate gaudentes, vt gaudium plenum sit in eis Apostoli. Sic ergo eos constringit, vt si hęc non custodierint, nec in cæteris probati videantur: vt quia in aliis nolunt se improbatos videri, ista quoque seruent, vt perfecti sint. Sine dubio enim erāt inter eos dissentientes & inquieti, & qui inani gloriæ studerent, contendere & vincere volentes cum animi atrocitate, vbi præmium non est, sed parit lites, & rūpit charitatem. Quæ enim potest esse plebs in qua vasa aurea & argentea tantum sint, non & lignea & fictilia? Sed possunt exercitio boni immutata fieri aurea & argentea, quia non naturæ vitiū est, sed voluntatis. *Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se parem deo.*) Christus semper in forma dei erat, quia imago est inuisibilis dei. Sed Apostolus de dei filio cum incarnatus homo factus est, tractat dicens: Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu, id est, de deo & homine: qui cum in forma dei esset, inter homines vtique conuersatus gestis & operibus apparebat esse deus. Forma enim dei nihil differt à deo. Ideo enim forma & imago dei appellatus est, vt intelligeretur non ipse pater esse deus, sed hoc esse quod deus est. Hic ergo non rapinam arbitratus est esse se parem deo. Sciens enim in forma dei se esse, non furatus est, vt diceret, Ego & pater vnum sumus. Et in Ioannis euangelio: Propterea, inquit, persequebantur Iudæi Iesum, quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem sibi proprium dicebat deum, æqualem se faciens deo. Iure ergo exæquauit se deo. Ille enim arbitratur rapinam, qui se parem facit ei à quo inferior est. *Sed semetipsum exinaniuit formā serui accipiens, in similitudinem hominum factus: & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum factus obediēs patri vsquè ad mortem, mortem autem crucis.*) Christus igitur sciēs in forma dei se esse, æqualem se ostendit deo: sed vt humilitatis legem doceret, Iudæis se comprehendentibus, non solum non repugnauit, sed semetipsum exinaniuit. hoc est, potestatem suam ab opere traxit, vt humiliatus ociosa virtute infirmari videretur. Formam serui accipiens, dum tenetur & ligatur, & verberibus agitur vsque ad crucem, factus obediens patri cui se æqualem sciebat. Non sibi defendit æqualitatem, sed subiecit se. Hanc patientiam & humilitatem imitari nos docet, vt non solum coæqualibus non nos anteponamus, verum etiā inclinemus nos authoris nostri secuti exemplum. Formam tamen dei non accepisse dicitur, sed esse in forma dei. Serui autem formam accepisse, dum quasi peccator humiliatur. Serui autem ex peccato fiūt, sicut Cham filius Noë, qui primus meritò nomen serui accepit. Non enim mihi, sicut quibusdam, videtur sic formam serui accepisse, dum homo natus est. Vide enim quid dicat: Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu, id est, deo & homine. Ante incarnationem enim aut Christus potest dici, aut Iesus, quia simul ambo nomina & hominis filium & dei filium significāt. Nam ante natiuitatē quid dicit inter cætera? Petra autem erat Christus. &, Non tentemus Christum, sicut quidam tentauerūt. Vbi ergo aut deum aut hominem vult significare scriptura, vnum è duobus ponit, aut Iesum, aut Christum. Dei enim filius homo natus, sic in forma dei erat, quia cùm homo videretur, opera dei faciebat, vt in gestis rebus appareret deus esse, qui tantum homo esse putabatur. Opera enim formam significabant, vt quia opera eius non vtique hominis opera sunt: hic qui in opere vel forma dei erat, deus intelligeretur. Forma enim dei quid est, nisi exemplum quo deus apparet dum mortuos excitat, surdis reddit auditum, leprosos mundat, & alia? Quomodo autem homini similis factus dicitur, si homo tantum erat? & qua ratione habitu repertus vt homo est, si non esset & deus? nisi quia cum antequam se inclinari permitteret, semper in dei virtute visus sit, postea infirmatus in habitu hominis repertus est? Nam in mōte vtique quasi deus apparuit, & in mari pedibus ambulās non solum homo, sed & deus visus & intellectus est. Denique qui erāt in naui, quid dicunt? Verè filius dei est hic. Ista ergo virtute cessante velut homo visus est. Ideo enim dicit quasi, vt illud significet, quia & deus est. Infirmitatis enim causa deum dicit similem factum hominibus. quod in subiectis aperit dicens: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.*) Hinc est vnde habitu reperto vt homo est. Retinens enim virtutem suam ne appareret in eo, vt homo visus est & occisus, qui mori nescit. *Propter quod & deus illū superexaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus in gloria est dei patris.*) Quid & quantum humilitas mereatur, ostēdit, vt magis hanc appeteremus calcata iactantia. Vnde dicit Salomon: Superbis deus resistit, humilibus autem dat gratiā. De qua re & dominus, Qui se, inquit, exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur. Hęc est ergo humilitas, si sibi qui nec quod deberi nouit, defendat. Denique Pharisæus ille vera de se dicens, exaltasse se dictus est, ac per hoc humiliatus est. Christus autem plus fecit, qui cùm deus sit, caro factus hominibus se inclinauit. Nunc videamus quomodo donatum est Christo nomen quod est super omne nomen, quasi eguerit filius dei, aut imperfectus fuerit. Qui enim eget, imperfectus est. Si enim in forma dei erat par & æqualis deo, quomodo donatum est illi? Etenim

donatum

donatum dicit, qui se humiliauit, & quasi homo apparuit, exinaniens se, factus obediens vsque ad mortem. Si ergo perfectus natus est, quomodo egit? Perfectum dei filium natum de deo patre qui negat, Arrianus est. Nam ante passionem æqualem se deo patri ostendit, sicut & suprà memorauí. Vnde constat hūc natum esse perfectum. In natiuitate enim sua omnia consecutus videtur. In plenitudine enim diuinitatis est natus ad omnia agenda quæ gessit, vt prius donum accepisset quàm gereret ad quæ agēda natus est. Videtur ergo donum patris, hoc est esse filium, & nomen eius super omne nomen sit, hoc est esse deum. Nomen enim dei, sed per naturam, non per solam appellationem super omne nomen est. Hinc est vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: sicut ad Romanos significat, inter cætera dicens: Et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedict⁹ in secula. Quæ sint autem hæc omnia in epistola ista aperit dicens: Cœlestia & terrestria & inferna. Alia enim nulla sunt. Quibusdam tamen videtur homini donatum esse nomen quod est super omne nomen, quod nullo genere, nulla ratiōne cō uenit. Si enim Christus dei filius idem ipse & homo est, & non poterat deus homo factus, sed manens deus his egere quæ habebat: aut si secundum quod homo erat, his egebat quæ dei sunt, ipse sibi dei filius deus dedisset quæ deerant ei iuxta quod homo erat. Quod quidem ad sapiētiam dicitur. Et quare pater dicitur dedisse, cùm ipse qui homo factus erat, nihil dehaberet: aut non poterat filij diuinitas corpori suo & animæ præstare quæ deerant? Sed fortè quia à deo patre sunt omnia, ideo ipse dicitur dedisse. Si ergo à patre omnia, quare non dicatur cuncta filio suo per generationem dedisse? & quanuis æqualem sibi genuerit filium: ordo tamen exigit vt in nomine patris agantur omnia. Hoc pater concessit filio, vt post crucem omnia in nomine filij saluentur. Denique dicit dominus de discipulis ad patrē: Pater, quos dedisti mihi, custodiui. Tui enim erant, & mihi eos dedisti. Et ad discipulos ait: Vsque modo nihil petistis in nomine meo. petite, & accipietis. Hoc ergo natus accepit, vt post crucem manifestaretur quid à patre dum generaretur acceperit. Nō enim tūc accepit à patre, cùm à creatura cœpit sciri. Cognoscitur enim quid propter hæc quæ gessit, antequam gereret acceperit. Denique ante crucem dixit: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Quomodo ergo hoc ad corpus potest referri, vt dei nomen corpori sit donatum, cùm constet Christum hominem esse deum? quia nec dignū est vt deus immutetur in carnem, neque caro hoc possit effici quod est deus. Sed fortè vt adoptione deus esset, & hic color est. Incipiet enim ex parte deus verus esse Christus, & ex parte adoptiuus, aut duo dij: sed aliud scriptura significat. Illi enim donatum significat, qui se exinaniuit, qui formam serui accepit, qui in similitudine hominis factus est homo, qui patri obediuit. Si homo deo patri obediuit, quid magnū est quod dixit Apostolus? Sed hoc magnum dicit, quia cùm æqualis esset, obediuit. Et quid laudis est si in similitudinem hominis factus est homo, vt homini similis homo factus dicatur? Sed nec potest fieri. Nemo enim in similitudinē fit alicuius, nisi alius sit antequam fiat in similitudinē cuius vult. Per causam enim similis factus est, non per substantiam. Et quis est qui se exinaniuit homo? Ergo habebat & quomodo accepit. Sed quid poterat se exinanire homo res infirma? Et in forma dei nūquid homo erat? Sed fortè homo in forma dei filius erat. Agè, filius dei in cuius forma erat, etsi iam homo in forma dei, hoc est, fili⁹ dei erat, iam ante passionē perfectus erat. Non ergo post passionē aliquid accepit. Sed videamus quid de eo scriptum sit: Propter quod superexaltauit eum deus, inquit, & donauit ei nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & confiteatur omnis lingua quia dominus Iesus in gloria est dei patris. Consideremus nūc dicta, & sic aduertamus vim elocutionis. Certè nomen quod super omne nomē est, dei nomen est. Sed si per naturā non constat hoc nomē, non est super omne nomen. Appellatiuū enim nomen in solo vocabulo est, non in nobilitate natu-

A

B

C

D

ræ. Et adoptiuo deo non flectit genu creatura, sed vero non creaturæ? Et quomodo fieri potest vt homo sit in gloria dei patris? Etiam si adoptiuus deus sit homo, in gloria dei patris non potest esse. Nam ei hoc competit qui natus est de deo. In gloria enim dei patris esse, nihil differre à deo est, vt vna gloria sit patris & filij per communem substantiam & virtutem. Est enim hæc vnitas naturæ. Quid rogo contrarium est si filius donū à patre accepisse dicatur, cùm omnia filij à patre sint, à quo & cuncta esse creduntur? Substātiam autem dei idcirco naturam dicimus, quia natus de illa Christus est. *Itaque dilectissimi mihi, sicut semper obedistis non in præsentia mei tantummodo, sed multo magis nunc in absentia cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.*) Deū bonos conatus adiuuare testatur. Omnem enim gratiam semper reportat ad deum, vt nostrum sit velle, perficere verò dei. Nam quis vincere potest principes ac potestates rectores tenebrarum harum, spiritalia nequitiæ in cœlestibus nisi solus deus, quos causa inuidiæ inimicos habemus? Indignāturenim nos dici filios dei. Non ergo nouū est quod hortatur, sed vt more solito subditi sint euangelio, curā proprię conuersationis habentes: bona enim conuersatio salutem operatur. *Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus, vt sitis irrepræhensibiles & simplices, sicut filij dei immaculati, in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes in gloriam mihi in diem Christi, quia non in vacuum cucurri, nec in irritum laboraui. Sed & si libor super sacrificium & ministerium fidei vestræ, gaudeo, & gratulor omnibus vobis. Idipsum autem & vos gaudete & congratulamini mihi.*) Vt fidei & operum suorum fructus possit habere, commonet vt omnia quæ ad disciplinā pertinent Christianam, sine hæsitationibus faciant & murmurationibus: quia si negligenter & indeuotè aliquid agitur, ad effectum non peruenit, quia in reprehensionem cadit: sed vt omni simplicitate operentur quasi filij dei immaculati, vt memores professionis suæ respondeant vt inter diffidentes tam clari appareant vita, conuersatione, moribus, quemadmodum, sol & luna inter stellas splendore sublimes sunt. Sicut enim stellæ apparente sole obscurantur, ita & iniusti & infidi præsentibus fidelibus aut iustis turpes & deformati vidētur, vt gloria sit Apostoli in aduentu filij dei, cuius plantatio tales edidit fructus. Labor enim & efficacia eius tunc probabitur non esse inanis. Ideoque & si immolor, ait, super sacrificium & ministerium fidei vestræ, gaudeo. Si enim oppressus fuerit à perfidis, cur eos congregauerit suæ conspirationi, gratulandum sibi significat. scit enim effectum habere mortem suam. Magna enim mœstitia est si patiatur quis pro eis in quibus nihil proficit. Quamobrem gaudere se in illis, & eos congratulari sibi debere testatur, vt inuicem participes sint gaudij communis & plebs & magister idoneus. *Spero autem in domino Iesu Christo Timotheum in breui mittere me ad vos, vt & ego bono animo sim certior de vobis factus. Neminem enim habeo tam vnanimem qui synceram circa vos solicitudinem gerat. Nam omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Christi Iesu. Probationem autem eius nostis. quòd vt filius cum patre mecum seruiuit in euangelio. Hunc ergo spero me missurum confestim, vt videro quæ sunt circa me. Confido autem in domino quòd & ipse citò veniam.*) Absoluta sunt hæc, nec interpretatione egent. Post epistolam enim istam Timotheum se missurum significat, per quem ad fidem agnoscat quæ circa hos agantur. Erat enim Apostolo vnanimis, quare & circa eos solicitior fignatur, non sicut quidam, qui dum semetipsos commendare volebant, negligentes erant de disciplina & conuersatione fratrum: Non enim deuoto animo prædicabant, sed propter propria lucra. Et quia Timotheus vir erat egregius, dicit quia probatum hunc habebant, quia erat cum eo vt filius charissimus deseruiens euangelio Christi. Ideo hunc filium dicit, quia ab ipso fuerat ordinatus. hunc se præmittere, se quoque in breui iturum ad eos. *Necessarium verò arbitratus sum Epaphroditum fratrem & commilitionem meum, vestrum autem apostolum & ministrum operis mei mittere ad vos, quoniam quidem desiderabat omnes*

vos,

vos, & impatienter solicitus erat, eo quòd audieritis illum infirmatum fuisse. Etenim infirmatus est prope mortem, sed deus misertus est illius: non solum autem eius, sed & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.) Omnia hæc manifesta sunt. Epaphroditū enim significat missurum se cum ista epistola ad eos. Inuicē enim desiderio sui mœsti erant infirmitatis eius causa & populus & Epaphroditus, vt viso eo recrearentur de recuperata salute eius, & ille careret solicitudine quem videndi eos gerebat. Erat enim eorū apostolus ab Apostolo factus, dum illum ad exhortationem eorum mittebat ad eos: & quia vir erat bonus, desiderabatur à plebe. Quid ergo est vt præsente Apostolo qui mortuos suscitabat, hic Epaphroditus infirmaretur vsque ad mortem? Nunquid non orauit pro illo Apostolus, & non impetrauit vt citius sanaretur? Sed signa infidelium causa fiunt. Nam huic non ad detrimentum contigit ægritudo, sed ad augmentū. Probationes enim diuersæ sunt credentium. Alius enim per ægritudinem, alius amissione charorum, alius per damnum pecuniæ, alius per tribulationes probatur si in necessitate stabilis inueniatur, auxilium à diuersa parte non quęrens, vt augmentum faciat meritorum. Non ergo contempta est postulatio Apostoli, sed melius prouisum ei pro quo petebat. Quid autem illud est, vt cùm de excessu fratrum in alia epistola non cōtristari debere admoneat: in hac autem contristandum se, si exisset Epaphroditus de corpore, significat? Tristitiam se, si exisset, habiturum dixerat super tristitiam quam habebat de infirmitate eius. Erat enim necessarius ecclesiis. Nam ad Thessa-
1. Thes. 4. lonicenses, Videte autem, ait, ne contristemini de dormientibus, sicut & cæteri qui non habent spem. Se autem sic tristem futurum dixerat de excessu Epaphroditi, quià solatiū eius & auxilium requirebat: non tamen vt quasi perditum lugeret. *Solicitus itaque misi eum, vt cùm illum videritis, iterum gaudeatis, & ego meliore animo sim.*) Affectionem habuisse Epaphroditum & plebem Philippensium significat, quem videntes iterum in lætitiam excitarent se, & Apostoli animus lætaretur, quia meliori animo fit qui ad charos suos mittit reuisendos. *Excipite ergo illum in domino cum omni gaudio, & huiusmodi in honore habete, quia propter opus Christi vsque ad mortem accessit, in interitum tradēs animam suam, vt suppleret id quod ex vobis deerat circa meum officium.*) Quanquam indiuidua esset charitas Epaphroditi & plebis: tamen etiam ab Apostolo commendatur, vt chariorem illum faciat, maximè propter hos qui fortè tam chari non essent circa eius affectum. In omni enim plebe diuersitas est. Hinc est vnde & prelium eius memorat, quòd non dubitauit propter opus euangelij emori. hoc est, non est deterritus minis & pressuris infidelium, sed perstitit in exhortatione fideliū, vt impleret quod deerat plebi in traditione iuxta dispensationem Apostoli. Qui ergo à morte non retrahit animam suam, in interitum hanc tradit iuxta vitam præsentem, sicut & dominus dixit:
Matth. 16. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eā. Perditio hæc interitus est, quia secundum mundum qui animam suam tradit, pro Christo, amittit eam: in futurum tamen conseruabit eam.

CAPVT TERTIVM.

Reliquum fratres mei gaudete in domino. eadem scribere vobis mihi quidem non est pigrum, vobis autem necessarium.) Ostendit solicitudinem suam quā gerit circa profectum illorū, quia impiger est ad scribendum eis quæ necessaria sunt vtilitatibus illorū. *Videte canes, videte malos operarios, videte circoncisionem.*) Hos designat qui inuidentes gentibus prauitate colloquiorum suorum euerterant Galatas, suadentes eis vt circunciderentur. Quos omni genere vitandos & spernendos docet, quasi canes qui primum oblatrant, dehinc morsu sæuo malè operantur in carnem. *Nos enim sumus circuncisio, qui spiritu deo seruimus, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habemus, quanquam ego habeam fiduciam & in carne.*) Manifestum est quia credentes ipsi circuncidunt cor suum, vt amputata erroris nebula aspiciant & agnoscāt dominum creaturæ. hoc est, spiritu deo seruire, & gloriari in domino Iesu Christo, qui legem spiritus dedit, vt carnis gloria exinaniretur. Apostolus tamen etiam hanc fiduciam habebat. vt si vellet, gloriaretur de carnis circuncisione: sed sciens vacuam esse hanc gloriam repudiauit eam. *Si qui videtur confidere in carne, ego magis circuncisionem octaui diei ex genere Israel, tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens ecclesiam, secundum iustitiā quæ in lege est conuersatus sine querela. Quæ mihi lucra fuerunt, hæc arbitratus sum propter Christum damna.*) Quantum ad legis culturam pertinet, & ad iustitiam eius seruandam, & ad studiū hæresis Pharisæorum, & iuxta zelum traditionis paternæ in persequendo ecclesiam, hic parem non habuit. In cæteris enim erant consortes eius, qui similiter essent natura Iudæi. Sed quæ lucra videbantur iuxta humanum sensum, comparatione Christi inuenta sunt damna. Quare damna, nisi quia iam tēpus non erat, vt lex seruaretur? Inania enim erant hæc omnia, & impedimenta ne accederetur ad gratiam: & quia hæc sunt carnalia, nostra verò spiritalia. Ideo autem de tribu se dicit Beniamin, vt genus suū extollerer super hos qui de patriarchis concubinarum Iacob filiis ducunt originem, aut propter illos qui erant proselyti. Vnde dicit: Ego magis circuncisionem octaui diei ex genere Israel, vt ostēderet primum se esse inter Iudæos, sed hoc se contemnere propter spem promissam à Christo. Hebræi tamen propter Abrahā dicti sunt. Immutata est enim litera propter sonum, vt non vocarentur Abræi, sed Hebræi, vt apud veteres cùm diceretur medidie, & esset absurdum, immutata est litera vt diceretur meridie. Si enim origo ex Abraham est, ex ipso trahi debet & nomen, non ex Heber, qui sexta generatione est super Abraham. Si enim in Abraham reformari cœpit genus hominum, & ipse est pater fidei, ex ipso & nomen & lingua Hebræa. Prima enim lingua quæ erat sine nomine, cùm huic redditur, ex eo nomen accepit. Nam nulla causa est vt ex Heber trahat nomen. Abraham tamen Chaldæus fuit, non tamen Hebręi Chaldęam linguam habent. *Verum quidem & omnia arbitror damnum esse propter eminentem scientiam Christi Iesu domini mei, propter quem omnia damna duxi, & arbitror stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ per fidem Christi, quæ ex deo est, iustitiam super fidem ad congnoscendum eum, vt virtutem resurrectionis eius, & communicationem passionum eius conformans me morti ipsius, siquo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis.*) Cùm superius de genere Abrahæ & de lege & de iustitiis eius & meritis obseruātium loqueretur, hæc omnia detrimentum deputans ad comparationem promissionum saluatoris, nunc addit non solum hæc, sed & omnia damnum esse propter eminentiam, inquit, scientię Christi Iesu domini mei. Post legem & iustitias eius quæ erunt hæc omnia, nisi vt ipsi vitę corporis animæque anteponatur agnitio Christi? Si enim, sicut dicit ad Colossenses, In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, cuncta quæcūque sunt, nullius momenti ducenda sunt, vt ad excellentiam sapientiæ & scientiæ huius peruenire contingat. Sufficit ergo, imò exuberat iustitia quę ex fide est, non ex lege ad salutē quæ est ex cognitione Christi, gratia dei indulta est. Cognitio enim mysterij incarnationis, & passionis, & resurrectionis eius perfectio vitæ est, & thesaurus sapientiæ. Vbi enim sapientia, ibi & vita: quia vita non est vbi stultitia est. Denique Salomon: Stultus, ait, in risu agit mala. Qui enim intelligit sui causa Christum hominem factū & passum, & victa morte resurrexisse, cōtemptis & spretis omnibus hūc sequitur, cuius præsidio videt se à morte liberatum, quærēs causas ad promerēdum eum, vt vel in aliquo illi vicem possit reddere, vt adhuc maiora consequi mereatur promissa in resurrectione. *Non quòd iam acceperim, aut iam iustificatus sim, aut iam perfectus sim: sequor autem si comprehēdam, in quo & comprehensus sum à Christo.*) Quoniam in tota epistola gaudere se testatur in eis, & laudat obediētiam eorum & fidem, ne fortè quasi homines inflatione, eo quòd iam digni essent extollerentur, nunc per suam personam adhuc deesse ad iustificationem

Colos. 2.

Prou. 10.

2021

tionem implendam aperta voce declarat, vt contendant addere in operibus bonis. Si enim hic qui tanta prædītus dignitate est adhuc deesse sibi ad perfectionem confitetur: quantò magis hi intelligerent elaborandum sibi esse vt iustificationum merita adipiscerentur. Ideo subiecit: Sequor autem, inquit, vt comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo. Dum enim errore æstu mentis fluctuaret de via domini diffidens misericordia dei quasi fugientem gratiam Christi comprehendit eum in via, euntem ad conturbandam & affligendam ecclesiam ad hoc vt donum dei addisceret, & gratiam quam refutabat, & sciret pro hac etiam mori lucrum esse: ideoque non se posse obesse credentibus, sed sibi se non crederet, qui rem salutarem per ignorantiā insequebatur. Ad hoc ergo cōprehensus est, id est, à † præscientia dei requisitus inuentus est, & didicit mysterium Christi, vt in omni vita augmentum faciens meritorum, comprehēdat destinatum præmium, promeritus eum quem didicit sui causa occisum. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse adhuc: vnum autem, quæ quidem retrò sunt obliuiscens ad ea autem quæ ante me sunt extendens me, secundum destinatum sequor ad palmam supernæ dei vocationis.)* Hoc est quod suprà dixit, quia ideo laborare se significat, vt quotidie in melius proficiat, semper extendens se ad potiora: vt illa quæ retrò acta sunt obliuiscens, meliora sectetur: non quia mala sunt, sed quia parua sunt ad meritum collocandum: in melius autem proficiendum, vt ad destinatum cœleste præmium occurratur. Causa enim tam admirabilis & inuisibilis præmij non leuiter vtique certandum esse pronunciat. *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.)* Superius perfectum esse se negat, sed iuxta promissum vt adhuc addatur ad meritum: ad comparationem autem cæterorum qui res diuinas negligentius curant, perfecti dicendi sunt. qui adhibita solertia perfectionis iter ambulant. Hoc ergo sentiendum est, vt in melius proficiatur. *Et si quid aliter sentietis, id quoque deus reuelauit.)* Hoc dicit, vt si quid amplius ad culturam melioratæ conuersationis excogitauerint, dei existiment donum esse, ne per hoc inflarentur. *Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, & in eo ambulemus.)* Ne qua hinc oriretur præsumptio, & putaretur quòd à deo non erat reuelatum, ideo subiecit dicens: Ad quod peruenimus vt idem sapiamus, hoc est non extra regulam disciplinæ sapere in conuersatione fidei, sed hoc sapere quod commune sit, & modestum in euangelij veritate. *Imitatores mei estote fratres, & considerate eos qui sic ambulant, sicut habetis formam nostram.)* Vult illos solicitos esse, ne prauorum hominum subtilitate capiantur, & notare vnumquemque qualiter conuersetur & doceat. vt his iungantur in quibus sensum magistri sui agnouerint. *Multi enim ambulant quos sæpe dicebam vobis: nunc verò & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis est interitus, quorum deus venter est, & gloria in confusione illorum qui terrena sapiunt.)* Hi quos significat, è numero eorum sunt qui Galatas euerterāt. Cum dolo enim ambulantes ecclesias subuertebant, sub nomine Christi Iudaismum colendum prædicantes, quasi † vbi Christus promissus sit. Quos cum dolore & lachrymis memorat, quia saluti credentium obsistebant, de cibis edendis & non edendis quæstiones mouentes, quasi salus in esca sit, aut venter deus, quem iuxta legem mundis escis delectari putabant, gloriantes in pudendis circuncisis. hoc est terrena sapere. Qui autem spiritalia sapit, in fide, in spe, in charitate gloriatur. Ad locum autem hunc non pertinet vt quæstus causa aut gulæ dixerit, quorum venter deus est. *Nostra autem conuersatio in cœlis est, vnde & saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ secundum operationem suam, qua possit etiam subiicere sibi omnia.)* Spiritalia curantes, in cœlis agere dicuntur, cùm ipsi adhuc sint in terris: quoniam mali principes & potestates cùm sint adhuc ipsi in firmamento, conuersatione tamen in terris sint. Christianorū ergo actus in cœlis sunt, vbi & spes salutis eorum est qui est Christus, quē omnis fidus expectat ad transfigurationem corporis carnis, vt quod ex humo est, indutum spiritali veste conforme efficiat aduentu maiestatis suæ corpori gloriæ suæ, iuxta operationem suam, id est, secundum
A virtutem suam, qua possit subiicere sibi omnia. hoc est, quia per resurrectionem mortuorum & immutationem in gloria apparebit virtus domini manifestata, comprimens omnes principes & potestates, vt manifestetur deus & dominus esse omnium.

CAPVT QVARTVM.

Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona, sic state in domino dilectissimi.) Commonet vt in eadem fide perseuerent. Gaudium enim eius constantia illorum ad præsens est & in futurum corona. Discipulis enim in agone victoribus, dignus erit corona magister. *Euhodiam rogo & Syntychen obsecro idem sapere in domino, & te rogo germane compar adiuua illas, quæ laborauerunt mecum in euangelio cum Clemente & cæteris qui sunt mihi participes operum, quorū nomina sunt in libro vitæ.* Euhodiam & Syntychen ad prudentiam amplexandam
B hortatur adiuuantibus quos memorat: vt sicut in operibus euangelij profecerant, proficerent & in scientia & sapientia dei. quos omnes merito fidei in libro vitæ haberi pronunciat. *Gaudete in domino semper, iterum dico gaudete.)* Lætus Apostolus in operibus & fide eorum ad cumulandam alacritatem suam exoptat illos in hoc studio proficientes in domino semper gaudere. hoc est enim quod iterat, vt se vera affectione gaudere in illis ostendat. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. dominus prope est. nihil soliciti sitis, sed per omnia oratione & prece, cum gratiarum actione postulationes vestræ innotescāt apud deum: & pax dei quæ exuperat omnem mentē, custodiat corda vestra in Christo Iesu.)* Nūc exemplo eorū alios vult lucrari. Cum enim modestia eorū manifestata fuerit, id est, rationabilis conseruatio, lucebunt opera eorum: & non deerunt qui imitentur bonum illorum, vt non solum propriorum gestorum, sed & aliorum augmentum consequantur, vt (sicut dictum est) labores fructuum suorum edant. Quā-
C do enim fructus operum suorum alios acquirit ad opus bonum, labores eorum qui acquisiti sunt, proficient eis quorū exemplo bona opera imitari cœperunt. Dominus ait, propè est, nihil soliciti sitis. hoc est præparatos esse debere, & vigilare in oratione & prece, deo gratias agentes, sepositā mūdi solicitudine illud sperare, & ante oculos habere, quod dominus repromisit: vnde & gratias ei agendas docet. Domino enim imminente solicitudo seculi cessat. Vt quid enim solicitus sit de re citò peritura? Ac per hoc postulationes vestræ notæ inquit, fiant apud deum. Quæ notitia assiduitate fit, & vigilantia orationis. Tunc demum munitionibus pacis suæ, quæ omnem exuperat mentem, ait, custodiat corda vestra in Christo Iesu. Hoc ideo dixit, quia cum deo qui habet pacem, non timet omnem mentem aduersam. Tutus enim est pace dei omnis diligēs deum in Christo Iesu. Quis enim non metuat eum quem scit dei esse amicum? *Reliquū fratres quæcunque sunt vera, quæcunque magnifica, quæcunque iusta, quæcunque amabilia, quæcunque laudabilia, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis,*
D *& vidistis in me: hæc agite, & deus pacis erit vobiscum.)* In conclusione, quæ reliqua erant ad imitationem perfectionis exponit, vt ea quæ non solum in vituperationem non cadunt, verum etiam laude digna sunt, & cogitantes & agentes, secuti formam Apostoli, deum pacis habeant secum. Deus noster verè deus pacis est, qui non rogatus quasi potens, non timidus quasi infirmus ad pacem hortatur, intantum vt & peccata in se commissa concedat, cùm possit vtique terrore manifestatæ potentiæ, & ineffabilis magnitudinis suæ etiam inuitos non ad pacem cogere, sed ad subiectionem. Sed huiusmodi pax mundi est, non dei, cuius ipsa natura pax est. *Gauisus sum autem in domino magnificè, quod tandem aliquando reflоruistis, ad hoc vt pro me sentiatis in quo & sentiebatis. occupati enim eratis.)* Nunc alacritatem suam propensiorem factam ostēdit, quia in quo negligentiores facti fuerant, adhibita solertia opus pristinū iterarunt, memores facti Apostoli sui, vt fructus suos ad eum mitterent condendos in hor-

reo

Matth.6. reo cœlesti, vbi neque tinea neque rubigo exterminant. *Non quasi propter penuriam dico. Ego enim cognoui in quibus sim sufficiens esse. Scio & abundare, & humiliari. in omni & in omnibus imbutus sum, & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. omnia possum in eo qui me cõfortat.*) Non se sui causa in hoc eorum opere gaudere, sed in profectu eorum ipsorum se ante omnia cõtentum deo adiuuante testatur, vt neque de penuria contristaretur, neque de abundantia exultaret, sciens quia & abundantia frequenter extollit, & tolerata penuria diuitias cœlestes acquirit: horum tamen opera in se benigna declarat. multorum enim necessitatibus profuit. *Scitis autem & vos Philippenses quia in principio euangelij, cùm profectus sum à Macedonia, nulla mihi ecclesia communicauerit in ratione dãdi & accipiendi, nisi vos soli, quia in Thessalonica semel & iterum vsibus meis misistis: non quia munus quæram, sed requiro fructum crescentem in rationem vestram.*) Hæc idcirco commemorat, vt audientes in memoria & laude esse opera sua, non dubitent illa accepto ferri apud deum, sed magis studium fidei adhibeant. *Percepi autem omnia, & abundo: repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ à vobis missa sunt, odorem bonæ suauitatis, hostiam acceptabilem, placentem deo.*) Non ociosè commonet debere fieri, & hortatur quod factum profitetur, nisi quia aut negligentius aut minus copiosè, sicut solitum erat ab eis fieri, factum videbatur, vt reminiscentes priorum operum, scirẽt se minus fecisse quàm cœperant. Licet enim non improbet factũ, sed significat deuotiores illos antè in opere hoc fuisse: se tamen gratum esse, & accepto ferre deum quasi sacrificium placendum. Denique dominus ait: Facite eleemosynam, & ecce vobis omnia munda sunt. Quàm gratum ergo Luc. 11. opus est, vt omnem maculam hominis & sordes emundet. *Deus verò meus impleat omne desiderium vestrum secundum diuitias suas in gloria in Christo Iesu.*) Ideo discreuit dicens, Deus meus, vt secundum ea quæ præstabat meritis eius, auxilia adessent, & desideriis eorum in copia magnitudinis bonitatis suæ in gloria Christi Iesu. Gloria est enim Christi Iesu, cùm dei nutu Christianorum implentur desideria secũdum euãgelicam disciplinam. *Deo autem & patri nostro gloria in secula seculorum. Amen.*) Hic non discreuit, sed generaliter ait: Deo & patri nostro. Deus propter timorem, pater autem honoris causa, & quia ab ipso est omnis origo. Ipse enim dixit in Malachia propheta: Si deus ego sum, vbi est timor Malach. 1. me? & si pater ego sum, vbi est honor meus? *Salutate omnem sanctum in Christo Iesu.*) Hunc salutate in Christo Iesu, qui se Leuit 19. sanctificat, vt Christo dignus habeatur, qui dixit: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dominus deus vester. *Salutant vos qui mecum sunt fratres.*) Salutatio fratrum solatiũ inuicem prẽstat. quasi imagines enim exhibet diuulsorum. *Salutant vos omnes sancti, maximè qui de Cæsaris domo sunt.*) Hos significat propensiorem affectum habere circa eos, qui de domo Cæsaris sunt. istos & potiores suprà memoratis ostẽdit fratribus, quia hos sanctos appellat. *Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro.*) Quoniam de saluatoris persona quæstiones oriuntur, hic vt soliditatem in eo diuinitatis approbet, tuitionem gloriæ eius spiritui nostro exoptat.

Diui Ambrosij

MEDIOLANENSIS EPISCOPI commentarii in epistolam beati Pauli ad Colossenses.

PRAEFATIO.

COlossenses pseudoapostoli euertere nitebantur, vt post prædicationem Epaphræ siue Archippi philosophicis disputationibus irretirent simplicitatem mentis eorum, ne spernerent rationes elemẽtorum, quibus quasi gubernatur vita humana. Idcirco hos Apostolus hortatur per epistolam, & admonet ne alicui præter Christum aliquam esse spem putarent, & deciperentur.

CAPVT PRIMVM.

PAulus apostolus Christi Iesu per voluntatem dei, & Timotheus frater, iis qui sunt Colossis sanctis & fidelibus fratribus in Christo Iesu, gratia vobis & pax à deo patre nostro.) Caput epistolæ solito more scribit ad eos, in quo & sanctis & fidelibus & fratribus literas se ordinare prosequitur, quibus exoptat dei gratiam manere per Christum. *Gratias agimus deo patri domini nostri Iesu Christi semper pro vobis orantes, audita fide vestra in Christo Iesu, & dilectione quam habetis in omnes sanctos propter spem quæ reposita est vobis in cœlis, quam antè audistis in verbo veritatis euangelij quod peruenit ad vos, sicut & in vniuersum mundum.*) Quoniam dignum habuit deus credere istis filium suũ, gratias ei refert in orationibus suis. Deinde propter charitatem quam habebãt in sanctos, fidi quia pro hac spes firma est apud deum, qua remuneraturus creditur credentes & diligentes se inuicem authore Christo, cuius nomen peruenit ad omnes gentes, vt multiplicentur in fide eius. *Et est fructificans & crescens, sicut & in vobis, ex qua die audistis & cognouistis gratiam dei in veritate, prout didicistis ab Epaphra dilecto conseruo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi, qui etiam notam fecit nobis vestram dilectionem in spiritu.*) Exemplum cæterarum gentium hos crescere, & fructum vitalem facere, alacri sermone prosequitur, vt ex eo quòd dei gratiã perceperunt, proficerent, & numero & opere adiungentes fidei suæ qui fierẽt fratres eorum in Christo. Exemplo enim bonorum operum illorum attracti sunt multi, teste illis Epaphra, qui eis ministrauit gratiam Christi vice Apostoli, quam statim imbiberunt vt potũ spiritalem in domini charitate, quę non in carne est, sed in spiritu. *Idcirco & nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia & intellectu spiritali, in hoc vt ambuletis dignè deo ad omne placitum in omni opere bono.*) Audiens Apostolus deuotam ac proptam voluntatem illorum circa fidem Christi, orat pro eis, vt propensius agnita voluntate dei, rationabili opere explerent deuotionem quã audita fide Christi didicerant, ne tam fida mentis ędificatio, & robur fidei, dum inconsultè aliquid imperitè conficeret, laboris sui fructum amitteret. Hoc enim libenter accepto fertur, quod deuoto fit animo, & prudenter. *Fructificantes & crescentes in agnitione dei, in omni virtute robur capientes secundum potentiam gloriæ eius, in omnem patientiam & longanimitatem cum gaudio, gratias agentes patri, qui vocauit vos in partem sortis sanctorum in lumine, qui liberauit nos à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ.*) Incrementum operum eorum cùm scientia vult fieri, vt non ignorent fidei suæ spem. Tunc enim firmi & stabiles sunt, si aduertant quæ pro fide promissa sunt, & quanta sit potentia gloriæ maiestatis dei in patientia, vt longa expectatione sustineat humanum genus, quod irreuerentia sua non solum negligit creatorem, verum persequitur amantes eum, vt & ipsi similiter patientes sint, vt supportent probra & maledicta infidelium, vel si illata fuerit pressura, expectantes iudicium dei, nec dubitantes de eo: magis autem gaudentes in promissa vita cum gratiarum actionibus deo, qui dignatus est aduocare & inducere gentes in promissionem Iudæorum, quæ est lumen æternum, id est, veritas perpetua. Liberati enim de conditione tenebrarum, hoc est, eruti de inferno, in quo tenebamur à diabolo tam ex proprio quàm ex delicto Adæ, qui est pater omnium peccantium: transłati sumus per fidem in regnum cœleste filij dei, vt ostenderet nobis deus quo amore diligit nos, quãdo attollens nos de imo tartari, induxit in cœlos cum vero filio suo. Iam enim omnes credentes, qui fixa mente deuoti sunt, exeuntes de seculo du-

2025

lo duce dextræ partis angelo inducuntur in cœlum, quod an te deuictam mortem concessum non erat. *In quo habemus redemptionem remissione peccatorum.*) In huius filij sui regnum transtulit nos deus per quem nos redemit, & manumisit. Remissio enim peccatorum liberos facit, vt liberati debitis, teneri obnoxij non possint. Nam sine fide Christi, nullus egressus de inferno est, quia obligatus peccatis exire ianuas tartari non potest. *Qui est imago dei inuisibilis.*) Inuisibilis dei imago visibilis esse non potest, alioquin nec imago. Quod enim inuisibile est, pingi non potest. nec enim visibilis potest inuisibilem videre. Aut enim corpus est quod videtur, aut figura, aut aliqua informata substantia quam fert acies oculorum, totum tamen corpus est. Deus autem qui ab his omnibus alienus est, quomodo potest imaginem habere visibilem? Sed ideo sic dicitur, vt talis filius intelligatur, qualis est pater: vt quia de ipso est, & nihil distat ab eo in diuinitate naturæ, imago eius dicatur & forma, ne alius deus à perfidis crederetur, quanuis nomine ipso hoc contineatur. Ideo enim verus dei filius dicitur, vt de ipso esse credatur. Sed propter malam intelligentiam etiam hoc additum est, vt imago eius dicatur, vt cùm apparet, licet in figura humana, aut certè in igne, vt ad Moysem: non ipse pater intelligatur esse, sed filius: & per id quod imago eius dicitur, nihil ab eo distare credatur. Vnde dicit ad Philippum: Philippe, qui me videt, videt & patrem: quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem? Non credis quia ego in patre & pater in me est? Hæc est vnitas & substantialis patris & filij, vt inuicem sint: vt qui videt filium, videat & patrem. Nunc videamus quomodo visus sit filius, vt proinde intelligamus qua ratione Philippus videndo filium, videat & patrem. intellectu certè operum diuinorum viderunt filium non carnalibus oculis, Quæ operatus est filius, dixit esse patris, vt vnitatem virtutis ostenderet. Eodem genere visus est & à Iacob, vnde nomen accepit Israel, id est, homo videns deum. Propter hoc ergo imago dictus est inuisibilis dei, vt ipse esse intelligeretur qui per intellectum visus est deus. patrem autem nunquam vllo modo apparuisse, sicut dictum est in euangelio: Deum nemo vidit vnquam. *Primogenitus vniuersæ creaturæ.*) Ante omnem creaturam genitum filium non creatum testatur vt secerneret natiuitatem eius à creaturæ factura. Et vt hoc penitus clarescat, subiecit: *Quia in ipso condita sunt omnia in cœlis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & ipso condita sunt.*) Non solum in eo magnificum & gloriosum significat Christum, quia antequam fierent omnia, natus est, sed & in ipso dicit omnia condita. hoc est, vt omnium potentia in eo esse credatur, & deo perfecta, dum omnia fiunt per ipsum. hoc est caput esse totius creaturæ, quia ab ipso vt sint, esse cœperunt. Ideo autem quæ ab ipso facta sunt, per ipsum facta dicuntur: quia ad hoc natus est, vt faceret creaturam. hoc est fecisse in eo, & per eum. Nec enim sibi natiuitas sua proficit, sed nobis, quia non eguit nasci qui in his erat: quomodo sit vnicus dei patris & filij, quomodo ipse nouit quæ ingenita sunt dei patris. Erat enim in deo qui processit de deo, ita vt vnus esset deus. ac sic fit, vt neque deminutio sit patris, neque profectus filij, dum nascitur. Et vt apertius tradat quæ & quanta sit potentia filij, ostendit quæ per ipsum sint, id est, throni, dominationes, & principatus, ac potestates: vt proinde omnino minus nihil in eo esse credatur, quàm est in patre. *Et ipse est ante omnes.*) Ante omnes sic est, quia hic solus de deo patre natus est, de ingenita vtique substantia dei. Hæc autem virtute eius, quam per generationem habet à patre, substiterunt, non vt communio eis substantiæ sit cum eo, sed ex nihilo nutu dei patris filio agente cœperunt. *Et cuncta in ipso constant.*) In ipso constant, quia sine eo nihil sunt. Nisi enim huic fuerint subdita, errore deuia quasi perditioni fient obnoxia. *Et ipse est caput corporis ecclesiæ.*) Ecclesiæ caput est Christus, si tamen omnes vnũ sentiant cœlestes & terreni, vt sint ecclesia, hoc est vnius fidei. Si quominus truncati capite, hoc est omniũ corporum, totius corporis, id est, à creatore suo seiuncti, amentia quadam & vanitate bacchantur. *Qui est principium primogenitus ex mortuis, vt fiat in omnibus ipse primatum tenens.*)

A Quoniam omnia per ipsum sunt, per ipsum denuò negligẽtia quadam facta caduca reformãda fuerunt, ne ad iniuriam eius pertineret si opus eius per alterum instauratum fuisset: vt quomodò ante omnes natus est, sic iterum ante omnes primus esset ex resurrectione mortuorum reddita pristina vita. Ante omnia enim natus est de deo, vt cuncta crearet quæ non erant. iterum autem accepta carne de virgine natus est, vt peccatum quod ex virgine Eua intrauerat in mundum aboleretur. Natus ergo & mortuus resurrexit, vt quæ primùm fecerat, postea iterum recrearet: quia per errorem fuerant velut mortua, vt semper in omni vita sit primus & princeps. *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.*) Plenitudo in ipso est & manet, quia omnia potest semper, vt nihil exceptum sit quod non per eum possit præstari, vt & faceret, & reformaret & lapsa erigeret, & mortua *Ioan. 5.* viuificaret. Vnde ait: Sicut habet pater vitam in semetipso, ita dedit & filio vitam habere in semetipso. Sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. B Nec enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Quid tam iustum, nisi vt horum quæ fecit per illum, ipsi daret iudicium vt omnis plenitudo diuinitatis haberet in ipso, per id quod diximus, omnem illum potestatem in se habere, hoc est, deum esse perfectum. qui enim hęc omnia non habet, non est deus. *Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terra.*) Hoc est quod suprà memoraui, quia vt ea omnia quæ fecit per illum, restauraret, cum errore quodam discrepare cœpissent abinuicem, nec non & ab authore, (est enim adhuc error in carnalibus cœlis) humiliauit eum incarnando illum, vt homo factus ostenderet ac doceret quomodo possint ea quæ in infirmamento sunt, & super terram reconciliari creatori. Quod vt ad perfectum perduceret, occidi se passus est propter homines vt quos apud superos docuerat, exeuntes hinc à morte secunda teneri non possint, vt doctrina eius fructũ haberet primæ institutionis, & omnia C facta per ipsum viuerent in ipso quasi in authore, sicut Petrus fatetur in Actis Apostolorum. *Et vos quondam alienatos & inimicos consiliorum eius in operibus iniquis: nunc autem reconciliatos in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensos in conspectu suo.*) Quale donum dei sit erga gentes, memorat: vt ostendat eos debitores, & quidem multum in gratiarum actionibus deo: qui cùm inimici essent consiliorum eius quibus decreuit visitare genus humanum per famulum suum Moysem, cuius doctrinam & potestatem non receperunt, deuoti idolis suis, imo operibus iniquis: adorauerunt enim opera sua quæ fecerũt, misericordia autem & prouidentia dei requisiuit eos vt gratuitò dei gratiam consequerentur, redeuntes ad eum in conscientia mũda: vt in die iudicij dum nihil erroris veteris inueniretur in his, accorporarentur creatori suo, qui vt prodesset humano generi incarnatus homo factus est, vt in carne sua vinceret mortem. *Si quidem perseueratis in fide fundati, stabiles & immobiles à spe euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura quæ est sub cœlo. Cuius factus sum ego Paulus minister,* D *qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis: & suppleo reliquias pressurarũ Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia.*) In tribulationibus quas patiebatur, exultare se fatetur, quia profectum suum videt in fide credentium. Non est enim inanis tribulatio, quando eum pro quo patitur, acquirit ad vitam. Quas passiones Christo dicit inferri, cuius vtiq; doctrinam persequuntur, vt perfidos grauet impietatis suæ crudelitate, & fidelibus dei prædicet charitatem, cuius filius nunc vsque iniurias patitur pro nobis. Nunc igitur intelligi vult qua causa scribit ad eos, cùm dicit: Si tamẽ perseueratis in fide fundati: vt scirent tunc prodesse sibi passionem Christi, si in accepta fide manerent. Idcirco enim omnipotentia magnitudini quanta sit Christi, & quàm infinita, ab initio declarauit, vt doceret in ipso solo spem ponendam, quia ipsius sunt omnia: & quia nihil sine ipso potest viuere neq; in cœlis, neque in terris. Ante omnes enim est, & cuncta ipsi constant, quia in omnibus ipse primatum tenet: vt si quis alicui elementorum

mentorum aut angelorum vel poteſtatum deuotum ſe debere eſſe putet, errare ſe ſciat. Hic enim vnus eſt filius dei, caput omnis principatus & principij, cuius euãgelium prædicatum eſt in toto mundo, incipiens à Moyſe, qui dixit Iudæis: Quia prophetam vobis ſuſcitabit dominus deus veſter ex fratribus veſtris, tanquam meipſum audietis. Erit enim, quicunque non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Vnde dominus ait Iudæis: Quia Moyſes de me ſcripſit. Itaque hic vnus audiendus eſt, & colendus, nec ad hunc æſtimandus eſt quiſquam: quia qui caput tenet, reliquam partem ſubiectam habet. Nam qui ſe ſubiectis humiliat, totus errat: quia non tenens caput truncus eſt, ex quo totum corpus continetur ad vitam. *Cuius factus ſum ego miniſter ſecundum diſpenſationem dei, quæ data eſt mihi in vos, ad implendum verbum dei in myſterio quod abſconditum fuit à ſeculis ſeculorum, & à generationibus.*) Miniſtrum factum ſe eſſe euangelij inter gentes à deo per Chriſtum cum fiducia loquitur, vt myſterium cœptum à domino per idoneum & efficacem ſeruum poſſit impleri quod ignotum fuit à ſeculis. *Nunc verò declaratum eſt ſanctis eius, quibus voluit deus demonſtrare quæ ſint diuitiæ mareſtatis myſterij dei in nationibus, quod eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ, quem nos annunciamus.*) Myſterium quod latuit à ſeculis, modo reuelatum eſſe aſſerit, id eſt, tempore apoſtolorum oſtenſum: quia & gentes admittendæ eſſent ſine circunciſione carnis ad fidem Chriſti, qui promiſſus erat Iudæis. Prius enim ante prædicationem fidei circuncidi mandatum eſt gentiles, ſi voluiſſent ad legem accedere. Nunc autem miſericordia dei ita vt ſunt ſuſcipi iuſſi ſunt ad fidem. Quod indignum putabatur Iudęis, vt Chriſtus in quo ſpes erat Iudæorum, etiam gentes participes faceret gloriæ ſuæ. *Monentes omnem hominem, & docentes in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto, in quo laboro certans ſecundum operationem ipſius quæ operatur in me in virtute.*) Hanc dicit veram eſſe ſapientiam quæ eſt in diſciplina dominica, cum agnoſcitur Chriſtus. quod ſeipſum Apoſtolus magna cum cura agere teſtatur: vt erudiens omnem hominem in hac ſapientia conſummatum eum exhibeat deo in intellectum Chriſti, vt myſterium natiuitatis ex deo, & natiuitatis ex Maria & totius operis eius cœleſtium & terreſtrium aſſequatur. Cuius rei certamen contra perfidos habere ſe loquitur, adiuuantibus ſignis virtutum, vt per hæc vita infidelitatis comprimatur. Qui enim verbis ſubtilitate quadam diabolicæ verſutiæ auſus eſt contradicere, pudore correptus neceſſe eſt vt cedat virtuti.

Deut. 18.

Ioan. 5.

A

B

C

D

CAPVT SECVNDVM.

Volo enim vos ſcire quantam pro vobis & pro his ſolicitudinem habeam qui Laodiciæ ſunt, & quotquot non viderunt faciem meam in carne, vt conſolationem accipiant corda eorum cùm fuerint inſtructi in charitate, in omnes diuitias plenitudinis intellectus, ad agnitionẽ myſterij dei in Chriſto, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.) Non ſe minus ſolicitum pro his quos in carne minimè vidit, quàm de illis erat, quibus præſens prædicabat teſtatur, vt ſcirent non minore affectu diligi ſe ab eo, quia eos non viderat, quàm cæteros apud quos erat diligebat, vt foueret animos eorum in charitate, & prompti fierent per epiſtolam, agnitionem acciperent ſacramenti dei in Chriſto, aduertentes has eſſe ſapientiæ & ſcientiæ diuitias, ſi agnoſcatur Chriſtus in deitatis ſuæ plenitudine adorãdus. Omne igitur myſterium ſacramenti dei in Chriſto eſt. Hic eſt enim vnus in quo omnis creatura niſi ſperauerit, peribit, vt omnium potentia in eo ſit: vt qui cognoſcit iſtum, cunctorum quęcunque ſunt, cognitionem videatur habere. Nec colendus alius præter hunc requiratur, quia omnium potẽtiarum virtus in eo eſt. Ex ipſo enim habent omnes. Vnus enim cùm ſit, omnia poteſt. Quare & caput omnium dicitur, vt per ipſum omnes ſubſiſtere videantur. Dignè ergo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ in eo dicuntur abſconditi. Omnis enim ſcientiæ ratio totius creaturæ ſupernæ & terrenæ in eo vt ſit oportet, qui omniũ eorum caput eſt: ſiue angelorum, ſiue ſolis, ſiue lunæ, ſiue ſtellarum, aut cæterarum rerum, omnis ſcientiæ peritia in authore illorum eſt: vt qui hunc agnoſcit, nihil vltrà requirat, nec ſapientiam, nec virtutem, quia agnouit eum in quo perfecta virtus, perfectáque ſapientia eſt. Quicquid enim alibi ſe putauerit inuenire, plenè in hoc & abũdè inueniet. Nam quid ſapientius Salomone? quid prudentius Daniele? quibus idcirco deus præ cæteris ſapientiam dedit, vt notum faceret infidelibus totius ſe ſapientiæ eſſe authorem. Denique Nabuchodonoſor dicit Danieli admirans ſuper ſapientiam eius: Verè deus veſter ipſe eſt deus viuus, & aperiens myſteria. Quod quidem omnem incredulum latet, in Chriſto omnem eſſe ſapientiam & ſcientiam: quia non legunt in euãgeliis Aſtrologiam, non in Apoſtolo Gæometriam, non in propheta Arithmeticam, nec Muſicam: quæ idcirco deſpecta ſunt à noſtris, quia ad ſalutem non pertinent, ſed magis mittunt in errorem, & auocant à deo, vt dum his ſtudent ratiocinationum diſputationibus, curam animæ ſuæ non habeãt. Quæ enim tam vera ſapientia eſt niſi cognouiſſe quod proſit, & deſpexiſſe quod obſit? Obeſt enim, quia impedit animam ne curam ſui agat. Non immeritò ergo qui Chriſtum agnouit, inuenit theſaurum ſapiẽtiæ & ſcientiæ. agnouit enim quod ei ſit vtile. *Hoc dico, vt nemo vos circunueniat in ſubtilitate ſermonis. Nam & ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum gaudens & videns ordinationem veſtram, & ſupplens id quod deeſt vtilitati fidei veſtræ.*) Commonet ne in malorũ colloquiis & aſtutia iniquitatis ſenſus eorũ traduceretur, quia ſapientes mundi arte quadam & minutiis diſputationum irretire geſtiunt ſimplicium animas, vt ratione mundanarum rerũ abſtrahãt eos ab ſpe quæ eſt in Chriſto. Vnde Apoſtolus ſpiritu ſe illic adeſſe dicit, vt reuerentiam eius ante oculos habentes abſtinerent ſe ab huiuſmodi hominibus. Si enim ſpiritus Heliſæi prophetæ vidit fraudem Giezi euntis ad Naaman Syrum, vt acciperet ſub nomine eius quæ illi mandata non fuerant, & deſcendentem prompto animo Naaman ei plus dediſſe, quàm fuerat poſtulatus: quãto magis apoſtolus ea quæ dixit, poterat in ſpiritu videre? Maior enim gratia fuit in apoſtolis quàm in prophetis. Et vt prõptiores illos faceret circa traditionem euangelij, gaudere ſe dicit in diſpoſitione conuerſationis illorum, vt ſcientes vnde deo placeatur, in eo fierent firmiores, per quod digni effecti ad vtilitatis profectum, fidei ſuæ addiſcerent ſenſum. *Quemadmodum enim accepiſtis Chriſtum Ieſum dominum noſtrum, in ipſo ambulate, radicati & ædificati in ipſo & confirmati fide, ſicut & docti eſtis ambulantes in illa cum gratiarum actione.*) Hoc monet & hortatur, ne deuotio eorum minueretur, & recederent à fide quam fuerant aſſecuti, & prauis fabulis euerſi aliter Chriſtum acciperent quàm didicerant. Multi enim corruptores fidei circumibant ad ſeducendos ſimplices dolosè, & cum ſimulatione annunciantes Chriſtum: quos euitari monet magna cautela, vt ſtabiles & firmi ſuprà fundamentum trinitatis ſpe futurorum gratias vberes agerent ſuper miſericordia dei. *Videte ne quis vos deprædetur per philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa huius mundi, & non ſecundum Chriſtum, quia in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*) Philoſophiam dicit terrenam, per quam ſolent ſeduci qui cupiunt prudentes iudicari in mundo. Hæc argumentis & ſubtilitate minutiarum quorundam componitur, quaſi phyſicas inueſtigauerit rationes, quædam habens admixta quæ hortamenta ſunt bonæ vitæ vel documenta: aliquando de menſuris, necnon de numeris, aliquando de elementorum qualitatibus & quantitatibus ordinamenta. In cuius diſputationibus qui inciderit, vix & rarò euadet. Detinetur enim veriſimilibus cauſis, & commentitiis rebus, nihil tam verum æſtimans, quàm conſpicitur & intelligitur in elementis. Et quia quæ ad præſens ſunt, & cernuntur oculis, ſuauia & oblectabilia videntur, aliquantos ſeducunt qui ſpiritalem rationem deſpiciendam & ridendam putant deſperatione futuri, omnem vim aſtris aſſignantes carnali rationi obnoxij, ne grauia credenda ſint ſuſtolli in cœlum poſſe, neue leuia venire ad terras, aut aliquid corporeum ſine rerum

Daniel. 2.

sum admixtione generari, repugnantes potentiæ ac prouidentiæ dei. Sciunt enim legi in diuinis veteribus Hebræorum voluminibus multa gesta per Moysem, quæ humana ratio non capit: simili modo & in nouis libris facta à domino, aut per apostolos, quę tractatus carnalis prohibet credi. Hanc ergo traditionem vel philosophiã fallacem & inanem appellat, quia non à potẽtia dei ordinata est, sed ab imbecillitate ratiocinationis humanæ, quæ potẽtiam dei intra scientiam suam coartat, ne aliter credatur facere quàm carnalis se continet ratio, qua singulis elementis diuinitatis diuersitatem deputant ad culturam, vt obligent animos imperitorum, ne se ad deum verum extendant. Quamobrem cauendam monet traditionem istam, quia mundi cultrix est, non dei, qui vnus est: nec ad Christum, sed à Christo abstrahit, in quo perfectio diuinitatis est. Omnia enim quæ habet pater dedit filio, cùm illum in plenitudinis genuit diuinitate corporaliter: vt quia ipse caput est, creatura autem eius corpus est: quicquid putatur posse cœlestis creatura, hoc totum plenè in Christo esse credatur, vt nullus arbitretur quenquam colendum. Quicquid enim in aliquo magnum putauerit, plus in illo inueniet: quia omnes ex ipso habent, sicut ex capite membra: ipse autem plenus est semper. *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis.*) Plus significat credentibus dari, quàm potest in elementis cõprehẽdi: quia qui in Christo est, repletus est diuinitatis abũdantia, quã elementa nõ habent. Denique in credentibus spiritus sanctus inhabitat: quod elementis concedi non potuit: quia indignum erat & incongruum, vt inuisibilis habitaret in substantia visibili, & incorporeus in iis quæ sensibilia sunt. Audiant ergo & veniant cultores eorum, & credant in Christo, vt fiant maiores eorum quos nunc colunt. *In quo etiam circuncisi estis circuncisione non manufacta, in expoliationem corporis carnis in circuncisione Christi, vnà cum illo sepulti in baptismo, in quo & simul surrexistis per fidem operationis dei, qui suscitauit illum ex mortuis.*) Hi circunciduntur in Christo, qui amputata totius traditionis humanę cultura, Christo iunguntur, corde non carne circuncisi, id est, in spiritu non in carne seruientes, vt à terrenis ad cœlestia, ab humanis ad diuina, & ab errore conuertantur ad veritatem, capiti & authori suo copulati per charitatem. Cum quo & sepulti sunt in baptismate: resurrexerunt autem per fidem dei: in quo credunt quòd exemplo Christi resuscitabit illos ex mortuis. Illic enim homo vetus deponitur, & nouus assumitur. Peccatis moritur, vt viuat iustitiæ. Elementis abrenunciat, vt Christo societur, resurrectionis futuræ tenens pignus exemplum saluatoris, qui resurrexit ex mortuis. Hæc igitur commonet, vt perseuerent in abrenunciatione pompæ & præstigiarum Satanæ. Qui idcirco elementorum suadet culturam, vt à deo auocet, participes apostasiæ suæ volens efficere homines. Quia enim sub nomine suo culturam suadere non potest. (horretur enim ipso nomine) sub alterius nomine suam conatur implere voluntatem. *Et vos cùm mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, conuiuificauit simul cum illo, donans nobis omnia delicta, deleto chirographo quod aduersum nos erat decreti quod contrarium erat nobis, & illud tulit de medio, & affixit cruci: exuens principatus & potestates, ostentauit in authoritate, triumphans illos in ipsum.*) Mortuos dicit gẽtiles fuisse. Primum quidem quia legem quę ad testimonium data est creatoris, & ad vitia cõdemnanda, recipere noluerunt. Deinde quia impietatis peccatorum suorum causa indigni erant vita: ideoque discreuit hos à Iudæis, quasi qui fuerint inimici dei vnius. Iudæi verò in vnius dei confessione degentes aduenięte Christo addiscunt mysterium dei, quod expectabant ad iustificatiõ suam, vt in eo quod subreptum illis fuerat, quia impossibile est esse sine peccato, acciperẽt remissionem. Vnde post causam gentilium inducit & Iudæos, dicens: Donans nobis omnia delicta: vt post specialem subiiceret & generalem, quia cunctis donauit omnia delicta. Sed quia, sicut dicit dominus. Cui plus donatum fuerit, amplius debet diligere: idcirco commonet gentes, vt considerantes causas malorum suorum, & qualem gratiam acceperint à deo in Christo, tota deuotione soliciti sint circa obsequiũ eius, à quo à diuersa mortis pœna sunt liberati. Quomodo ergo donauit nobis
A omnia delicta? Deleto, inquit, chirographo quod erat aduersarium nobis. Et quid est, & quantum est delere, subiecit dicens: Et illud tulit de medio. Sic ergo deleuit, cùm tulit de medio. Sic autem tulit de medio, cùm affixit, ait, cruci. Affigere autem cruci, hoc dixit esse spoliare principatus & potestates publicè, & detriumphare illos in Christo. Hæc sicut videtur, obscura sunt: ac per hoc adhibita cura dilucidanda sunt. Hoc est præsidium dei, quod per significantiam diuersarum causarum exponit Apostolus. Multa enim acta memorat vt genus hominum ad indulgentiam perueniret, vt non solum propria remitteret nobis delicta, sed & illud tolleret peccatum, quod ex Adæ erat præuaricatione, quod appellauit chirographum in decretis: quod nos à mortuis resurgere non sinebat: quia si non & hoc tulisset de medio, exeuntes hinc qui acceperant remissa, illic tenerentur apud inferos. Porrò autem ideo omnia delicta concessa sunt, vt resurgerent à mortuis. Quia enim ex peccato mors, sublato peccato fit resurrectio mortuorum. Quod quidem fieri mi-
B nimè potuisset, nisi peccatum affixisset cruci. Dum enim nõ peccãdo saluator vincit peccatum, quod hominem tenebat obnoxium: insuper & occiditur ab eo innocẽs: sic crucifigitur peccatum. Deuictum enim peccatum, mortificatum dicitur. Crux enim non saluatoris mors est, sed peccati. Innocens enim sic qui occiditur, reos illos facit à quibus occiditur. Peccatũ autẽ principes & potestates intelligamus, quorum studio peccauit primus Adam. Ad authores enim referendum est nomẽ hoc, quorum mortem in expoliatione significauit. Mors enim ipsorum hęc est, quia victi à saluatore dũ expoliãtur animabus quas tenebant in captiuitate, mortificãtur. Rei enim facti sunt, quia cum hac authoritate animas tenerent, quia peccauerãt: ipsi inuẽti sunt amplius peccatores, dum illum qui illos non peccando vicerat, occiderunt. Et sic iustè expoliati sunt, sicut dixit, publicè, id est in
C cruce: quod est palàm detriumphari à deo in Christo. Ille enim detriumphatur, qui palã vincitur, & spolia eius publicantur. Ostenditur enim omnibus prostratus, qui cæteris insultabat. Decretum autem quod dicit, non est hoc quod pagani fatum appellant: quia illud non omnibus contrarium asserunt: quia quosdam dicunt ex hoc felices, alios infelices. Hoc enim decretum omnibus dicit fuisse contrarium. Sententia enim erat cunctis aduersa hominibus. *Nemo enim iudicet vos in cibo vel in potu, aut in parte diei festi, aut in neomeniis, aut in sabbato, quod est vmbra futurorum, corpus autem Christi.*) Quoniam omnis spes vitæ in Christo est ac fiducia, nulli superstitioni aut legi subiacere nos debere præcepit: quãobrem perstrepẽtes, aut aliquid quod ad fidẽ Christi non pertinet susurrantes, contemnẽdos: istum autem solum sequẽdum, per quem deuicta mors est, & reddita resurrectio mortuorum. Quidam enim Iudęorum solent iudicare fideles, quòd ea quæ interdicta per Moysem sunt, edant de cibis, cùm omnia deus mũda fecerit. Indigni autem iudicati Iudæi de his edere, prohibiti sunt à melioribus. Solent iterum reprehẽdere nos, quia dies festos eorum spernimus, aut quia initia mẽsium nõ obseruamus, quæ neomenias vocant: maximè autem quòd dies sabbatorum nõ custodimus,
D vt ocio & epulis cum luxuria transigantur: quod magis ad offensam pertinet, quàm ad gratiam. Hæc autem omnia sunt corpus Christi, quia elemẽtorum per effectus sunt vocabula. Hinc est vnde in euangelio dicit: Dominus est enim, inquit, filius hominis etiam sabbati. Per ipsum enim Matth. 12.
omnia quæ quidem sic data sunt per Moysem, vt vmbra essent vel figura futurorum, vt apparente veritate figura cessaret. Sicut enim absente imperatore imago eius habet authoritatem, præsente non habet: ita & hæc ante aduentum domini tempore suo obseruanda fuerunt, præsente autem carent authoritate. Nunquid aliquis vicem domini agens, ipso præsente dominatur? Si prefectorum vicarij præsentibus eis priuati sunt, quantò magis serui præsente domino etiam ipsi in obsequio debent videri? *Nemo vos deuincat volens in humilitate animi, & superstitione angelorum ea quæ videt, extollens se frustrà, inflatus mente carnis suæ, & non tenens caput illud ex quo omne corpus per cõpagines & coniunctiones subministratum &*

compaginatum creſcit in augmentum dei.) Quod ſuperius ſub nomine philoſophiæ cauendum monuit, nunc apertius docet obſeruandum ab iis qui terrenæ ſapientiæ ſtudẽtes, hæc colenda aſſerunt, quæ obtutibus adiacent vel apparent, vt horum detentæ culturis animæ ſub firmamẽto obligatæ teneantur, ne ſe ſupra firmamẽtum tendant ad ſuperiores cœlos ad deum omnium adorandum. Quod opera efficitur inimici, vt ſemper animas ſuper terras humiliaras detineat, vbi ſe ſcit ſemper de cœlis deiectum futurum iuſto iudicio dei religionem ſimulans, cùm ſit maximum ſacrilegium. Inflantur enim motum peruidẽtes ſtellarum, quas angelos vocat, non authoritate diuina, ſed ſuperſtitione humana, quæ ad nihilum proficit niſi ad damnum: nolẽtes tenere fidẽ Chriſti, qui omnium creator & dominus eſt. Ex ipſo enim omnes originem habẽt, quare & corpus eius dicuntur, ſi tamen agnoſcant eum. Ad ipſum enim conuerſi reædificãtur, compaginati fide eius: ſubminiſtrante euangelio adunantur cuncti quaſi membra corporis in charitate Chriſti, vt augmentum faciant deo. Cùm enim redeunt ad illum, qui per errorem deſeruerant illum, minuentes copias diuitiarum eius, dum denegant eius ſe eſſe, crementum faciunt deo, quia ex perditis acquiruntur deo. Rurſum de Iudæis dicit quia & ipſi ſub elementis ſeruiunt, non elementis. Hoc loco de paganis. *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi, quid tanquam viuentes in hoc mundo decernitis?*) Omnis qui baptizatur in Chriſto, moritur mundo. Cunctis enim ſuperſtitionum erroribus abrenunciat, vt ſolam colat fidem Chriſti. Amotis enim quæ naturali iuſtitiæ accidunt, relinquitur diſciplina data à deo, per quam viuitur deo per ſpem quæ eſt in Chriſto. Moritur, autem his quibus ſubiectus fuerat per errorem, dum negat illos quos præſumpſerat eſſe. Et ita fit, vt per inimicitiam abrenunciationis inuicem ſibi mortui dicantur homo & elemẽtorum cultura. Mundum enim dicens, errorem carnis ſignificat. Omne enim quod videtur, carni deputatur. Hinc eſt vnde & Ioãnes apoſtolus, Nolite, inquit, diligere hunc mundum, neque ea quæ in hoc mundo ſunt: id eſt, neque elemẽta quibus compactus mũdus eſt, neque errores quos humana adinuenit traditio, diligamus, ſed ſolum Chriſtum qui mortuus eſt pro nobis, vt corpori ſuo nos ſociaret ex perditis. Qui ergo conſepulti ſunt Chriſto, mortui ſunt elementis, vt nihil curent ex his. Superna enim didicerunt tenenda, quæ poſſunt vitam donare perpetuam. Hæc enim nec præſentem dant, & impediunt ne apprehendatur futura. Qui autem poſt baptiſmum ambigit de aliquibus, putans quædam de veteribus veneranda, viuere ſe oſtendit elementis, quæ decernit colenda, aut dubitat contemnenda: hic remanebit intra circulos mundi, alienus à deo: quia veteri indutus homine, carnalia tranſire non poterit. *Ne tetigeritis, ne guſtaueritis, ne contrectaueritis, quæ ſunt omnia in interitum & corruptionem per abuſionem ſecundum præcepta & doctrinas hominum.*) Proh bet omni genere ab ſpe mundanorum, quia inanis eſt, ne colant, ne aſſentiant, ne cogitent: quia quæ promittunt, corruptionis ſunt. Vſus enim culturæ ipſorum interitum generat quia præcepta & doctrinæ non dei, ſed hominum ſunt in quibus vana ſpes eſt: quippe cùm aduerſus creatorem inuenerit hæc error humanus, vt prohibens ab vnius dei fide, multorum deorum ſuperſtitionem inducat. *Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ ſimulatione religionis, & humilitate animi, ad vexationem corporis, non in honore aliquo ad ſaturitatem & diligentiam carnis.*) Hinc ſe ſapientię rationem habere putant, quia traditioni humanæ nomen religionis applicant, vt religio appelletur, cum ſit ſacrilegium: quia quod contra authorem eſt, ſacrilega mente inuentum eſt. Nomen ergo fingit, vt falſa quæ ſunt, poſſit vera aſſerere, & humanas mentes in terra humiliat, ne ſe erigant ad ſuperna: aut terrena colentes, excidant à ſupernis cœleſtibus, & obſint corpori, cuius caput Chriſtus eſt ſecũdum primæuæ rationis facturã. Hinc enim grauati non poterunt ſurſum iungi capiti ſuo, vt inſtaurentur in illo, & honorati effecti quaſi prima parte corporis truncati, totos ſe dãtes mundo ad ſenſum carnis explẽdum. Sagina enim carnalis ſenſus, traditio humana eſt, quæ hoc dicit ſufficere, quod carnis tradidit prouidentia. Rationem enim videtur habere ſapientiæ iuxta carnem, quia ex elementis eſt omnis corporalis natiuitas: ac per hoc non eſſe incongruum inquiunt his inclinari quorum gubernaculis humanum regitur genus: vt his ſe ſubiiciat quæ videt mundi clariſſima, nec requiri debere ſpiritalia: quia his ſolis, inquiunt, ducibus vti conceſſum eſt. & per hanc rationem negligunt authorem.

1. Ioan. 2.

CAPVT TERTIVM.

Si enim conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt ad dexteram dei ſedens.) Hos cum Chriſto reſurrexiſſe aſſerit in baptiſmo, qui ſuper cœleſtia cogitãt, vbi ſedes eſt Chriſti, vbi deus pater filio ſuo tradidit dexteram, vt regnet & iudicet. Iudicis enim in ſiniſtra ſedere non eſt. Reſurrectio tamen duas habet formas, vt primo animo de terris reſurgat ad cœlos, deinde recepto corpore reſurgat raptus obuiam Chriſto. *Quæ ſunt ſurſum ſapite, non ea quæ ſuper terram.*) Supernorum cœlorum, qui æterni ſunt, habitacula nos petere exhortatur: ab his autem omnibus quæ in firmamento & ſub firmamento ſunt, diſſimulandum. Quiſquis enim his ſe ſuperſtitionibus occupauerit, impedimentum patietur. Non enim poterit hæc tranſcendere, quibus ſe inclinauit vt dominis. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in deo*) Apud mundi ſenſum mortuus Chriſtus videtur, & diſcipuli eius, dum conſtet viuere illum cum his omnibus. Idcirco carnalibus ac mundanis abſcondita eſt vita Chriſti & ſuorum in deo extra mundum in regno eius cœleſti, in quo viuunt. *Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.*) Vita noſtra Chriſtus eſt, quia legimus in Actis apoſtolorum hunc eſſe vitæ authorem, qui à perfidis non creditur futurus iudex. Cùm autem aduenerit in virtute cœleſti, & viſus fuerit eſſe quod minimè credebatur, tunc apparebunt cum illo etiam qui crediderunt in illum, & manifeſtabitur omni perfidię, quia viuit cum ſuis in gloria. Hæc conſolatio fiduciam ſpei parit, vt ſecuri de futura vita omnia poſtponentes, Chriſtum ſequamur. *Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiã, quæ eſt idolorum ſeruitus.*) Quoniam omnia ſimul peccata corpus eſſe in epiſtola ad Romanos ſignificat, idcirco ſingula delicta deſcribens, membra ea appellat, vt poſt acceptam ac ſeruatam euangelicam de ſaluatoris plenitudine rationem, bonæ vitæ operam darent, abſtinentes ſe ab omni turpitudine & deſiderio malo, quo poſſint peritiæ diuinę fructũ non amittere. Multum enim obeſt ſcire veri rationem, & minimè illã factis proſequẽtibus affirmare. Hinc eſt vnde & dominus inter cætera ait: Qui autem, inquit, ſcit volũtatem domini ſui, & non paruerit ei, vapulabit multis. Auaritiam tamẽ idolatriæ comparauit, vt nihil illa ſceleſtius demonſtraret. Sub vno nomine deo peſſima & impia genera deſignauit, & quę omni ratione monet fugienda. Primũ enim & pergraue crimen eſt idololatria. Quid enim tam pernicioſum, tamq; funeſtum, quàm ad iniuriam creatoris dei, lignis & lapidibus vel aliis metallis honorificentiæ eius nomen tribuere: cùm ipſi non patiantur vt ſeruus nomine domini nuncupetur, quem non natura vtique, ſed quædam conditio ſubiicit ſeruituti? Aliud ecõtra crimen eſt auaritiæ, non diſpar malitia, ſed diuerſum in nomine. Vnde ad Timotheum ait: Radix enim omnium malorum eſt auaritia. Omnium enim capax eſt delictorum, vt auiditatis ſuæ quod impoſſibile eſt, impleat deſiderium, ſemper bibens, & ſemper ſitiens. Non immeritò ergo ſub vno nomine vtrunque malum oſtendit. Penè enim vno explentur opere, quia ſicut idololatria vni deo auferre nititur gloriam, ne quod eius peculiare eſt, ſolus habeat nomen diuinitatis ſibi ſoli condignum: ita & auaritia in dei ſe res extendit, vt ſi poteſt fieri, vnus & ſolus creaturam eius ſibi vſurpet, quam deus omnibus fecit. Vnde dicit deus per prophetam: Meum eſt aurum, & meum eſt argentum. Vtraque igitur deo eſt inimica. ambæ enim deo abnegant quæ eius ſunt. *Propter quæ venit ira dei*). Malorum memoratorum cauſa venturum dicit iudicium dei, vt vindicetur in hos qui cõtempto deo & lege eius, interdicta ſequi

Luc. 12.

1. Tim. 6.

Aggæi 2.

sequi maluerunt. *In quibus & vos aliquando ambulastis, cùm viueretis in illis.*) Quantum illis beneficium præstiterit gratia dei per Iesum Christum, non tacet, vt gratulentur euasisse iram quæ ventura est repente super infideles totius terræ, & tales semetipsos præbeant, vt parere possint præceptis eius à quo à morte secunda sunt liberati. *Nunc verò deponite & vos hæc omnia, iram & indignationem, animi malitiam, blasphemiam: turpiloquium de ore vestro non procedat. Nolite mentiri inuicem. Exuite vos veterem hominem cum actibus suis, & induite nouum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius qui condidit illum, vbi non est Græcus & Iudæus, circuncisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus.*) Nunc ab his prohibet quæ minora peccata videntur, ne fortè quia superius quæ grauiora sunt, mortificanda mandauit: hæc admittenda, aut quasi non periculosa non fugienda putarentur: simul etiam vt exuti veterem hominem, id est tam verbo quàm actu, & incontaminatos se vident, noui facti in Christo per agnitionem veritatis, quæ olim latuit: modo autem manifestata est per nouam legem credentibus, vt similes fiant imaginis eius qui creauit illos. Imago hęc in conuersatione bonæ vitæ intelligenda est, sicut dicit ad Corinthios in epistola prima. xv. cap. Quemadmodum portauimus imaginem eius qui de terra est, ita & portemus imaginem illius qui de cœlo est. Ipse est ergo creator hominis, cuius imaginem portare nos iubet in sanctitate & bonis operibus, quæ de filij dei agnitione descendunt. Nemo enim potest bonam & mundam habere vitam, nisi habeat cui hanc exhibeat: à quo si non præmium, certè vel laudem expectet. Sed apud deum & laus & præmium sperantur, quia non patitur dei iustitia eum, qui carnis vitia vicerit, minimè coronari. In hac itaque agnitione nullus vt indignus excipitur, quasi non mereatur accedere ad fidem Christi. Omnes enim accedentes vnum fiunt, deleti quid fuerint, & scripti quid esse cœperint, vt quia vnius fidei sunt, in eo ipso vnius sint & meriti: vt quos fides iungit, non possint discerni, propter quod diuersi natura & gente siue conditione sunt. Omnia enim & in his omnibus Christus est. Quia enim cuncta membra eius sunt omnia, Christus est: vt dum vna cõfessio eorum est, de spe eius in omnibus Christus: & sic omnia corpus eius sunt, vt professio eorum & natura concordet. Alia est tamen imago hæc quam de agnitione saluatoris dicit creari, & alia imago ad quam factus est primus homo. Ista enim imago est & in fœmina, cùm agnoscit eum qui se creauit & obtemperans voluntati eius abstinet à vita turpi, & actu peruerso. Illa autem imago in solo viro est, sicut idem dicit in epistola ad Corinthios prima, cap. vndecimo: Vir quidem nõ debet velare caput suum, cùm sit imago & gloria dei. Si autem & mulier non velaret caput, esset & ipsa imago dei. Sed incongruũ erat vt facto viro subiecta diceretur esse imago dei. Nã & in Genesis primo capite ita ait: Et fecit deus hominem, ad imaginem dei fecit eum: vt sicut deus vnus est, vnus ab eo fieret homo: vt quomodo ex deo vno omnia, ita ex vno homine omne genus esset super faciem totius terræ. Vnus igitur vnum fecit, qui vnitatis eius haberet imaginẽ. Et ipse in viro & muliere est similitudo mysterij patris & filij. Barbarũ tamen ab Scytha segregauit, sicut seruuũ à libero: non vtique in Christo, in quo omnes vnum sunt: sed in morum feritate, & gẽtis immanitate. Peiores enim hos Barbaris intelligi voluit antequam credant, cùm Græcorum libri iustitiã eorum prædicent quam duce natura sequebantur. Intantum magnũ apud eos peccatum furti habebatur: quòd Græci magna cum industria, inquit, & doctrina iustitię semitas inuestigarunt, hos naturaliter apprehendisse collaudant.

Sed quomodo degenerant omnia, postea magis vituperabiles esse cœperunt, quàm fuerant antè laudabiles. Postquam enim mulieres eorum lege viri vti cœperunt, quas Amazonas primitus asserunt appellatas, totam Asiam contra naturam subiicientes, sic contigit vt & viri canum more rabidi efficerentur, immanes, syluestres, inculti plus quàm Barbari, intantum immutati vt carne humana vescenda imbuerẽtur. Quid mirum, cùm & ipsi Romani longè alij fuerint: quam nunc sunt? Nam & mulieribus eorum castitatis causa vini vsus incognitus fuit, sicut nunc aqua. Intantum enim vigebat disciplinæ authoritas, vt subiectum vas non faceret quod volebat. *Induimini ergo vt electi dei sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, sensus mansuetudinem, longanimitatem, præbentes vobis inuicem patientiam, & donantes alius alij, si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Christus donauit vobis, ita & vos facite.* Vt lucrum possint habere, ad hæc eos facienda hortatur, quæ meritum collocant apud deum. A peccatis autem abstinere timor facit: veretur enim ne mala faciens pœnis subdatur. Hæc autem quæ nunc facienda monet, ad profectum pertinent meritorum: ex voluntate enim fiunt, non ex necessitate. Qui ergo ab illicitis se abstinet, habet laudem: qui verò à licitis temperat, & laudem habet & præmium. *Super hæc autem omnia charitatem, quod est vinculum vnitatis, & pax dei in cordibus vestris exulter: in qua & vocati estis in vno corpore: & grati estote.*) Quia enim omnium maior est charitas, huic magis studendum hortatur. Tunc enim omnia quæ suprà mandauerat seruanda, ad effectum præmiorum poterunt deduci, si duce charitate iter ambulent legis. Tota enim mente operatur, qui de amore aliquid operatur aut facit. Hypocrisis & simulatio non est in charitate. Quare & Ioannes apostolus, Timor, inquit, non est in charitate. Qui enim timet, perfectus non est. Perfecta enim dilectio foras mittit timorem. Vnde & dominus amari se maluit, quàm timeri. Hæc est enim quæ complectitur vnitatem, hæc quæ omnes vnum corpus facit, hæc est quæ veram habet pacem, quam corde puro custodit. Potest enim pax dici, & non habet charitatem? charitas enim semper secum habet pacem. *Verbum Christi habitet in vobis abundè, in omni sapientia docentes, & monentes, vosmetipsos psalmis, hymnis, canticis spiritalibus in gratia cantantes in cordibus vestris deo.*) Hæc meditanda monet semper, quæ sonent Christum. Hæc in corde habenda, quæ deo patri semper gratias referant, vt vox canora illi seruiat, illum laudet psalmus, hymnus extollat. Et huic soli notum sit, qui occulta peruidet mentis, à quo speratur & præmium. In cordibus illi cantari mandauit, ne fauore hominum fieret, & fructum amitteret. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine domini Iesu, gratias agentes deo, & patri per ipsum.*) Quoniam suprà in corde deum laudari, & illi gratias referri præcepit, nunc tam in verbo quàm in opere totius conuersationis nostræ nomen domini Iesu laudari & exaltari hortatur, vt cum verba nostra carent reprehensione & opera nostra bona sunt, magnificetur dominus Iesus, cuius magisterio inuituperabiles sunt discipuli. Tunc enim veras gratias agimus deo per ipsum, si modum præceptorum eius custodiamus. *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in domino.*) Ita præcepit mulieres subditas esse debere viris, sicut mandauit deus inter cætera dicens ad mulierem: Et ad virum tuum conuersio tua, & ipse tui dominabitur: vt ipso ritu & disciplina timeat virum suum quasi dominum, ex quo cœpit esse. *Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas.*) Rigorem virilis legis emollit, ne potestate qua præualet, nimius quis sit in dominatu vxoris: sed debet respicere ad affectum, quia mulier caro eius est: ne plus illam humilians exacerbet, & contraria cogitet. *Filij, obedite parentibus per omnia: hoc enim placet deo.*) Non potest aliud placere deo, nisi quod iustum & pium est. Tunc possunt filij deum habere propitium, si debitam honorificentiam rependant parentibus, circa obsequium illorum faciles, in contemptu difficiles, scientes filij nunquam aduersus parentes prouidere †. *Patres nolite ad iram prouocare filios vestros, ne pusillo animo fiant.*) Modestos præcipit patres debere esse filiis, ne coartati ab eis delinquant in illos, & deum offendant: quod nolunt: Ira enim inconsiderata res est, intantum vt aliquando nec sibi parcat qui irascitur. Debent enim recordari patres quia fuerunt & ipsi filij: considerare autem filij quia futuri sunt patres: vt æquo librato consilio vtriusque partis, & filij subiecti sint, & patres modesti. *Serui, obaudite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes dominum.*) Quoniam deo aliter seruiri non potest, quàm puro corde: occulta enim peruidet

1. Ioan. 4.

Gen. 3.

† proterui-re

uidet animorum. sic & hominibus præcepit seruire debere. Qui enim ad oculũ seruit, in occulto aliud facit. qui enim ex animo, talis est foris qualis & intus. Si ergo in obsequio fuerit fidelis, promerebitur dominũ, quia ipse dixit: Qui in minimo fidelis est, & in magno fidelis est. Si enim ei qui ad Luc.16. præsens vindicat, fidelis non fuerit: quî fieri poterit vt illi fidem exhibeat, quem post mortem audit iudicaturum? Idcirco in domini carnalis causa iustum vult esse seruum & obsequentem, vt possit & in dei rebus & fidelis esse & obsequẽs. Si enim in præsenti idoneus fuerit, vbi scit nulla esse nisi corruptibilia præmia quãtò magis propensior erit in dei deuotione, quem scit, fidelibus immortalia daturum præmia? *Quicquid facitis, ex animo operamini vt domino, non hominibus, certi quòd à domino recipietis retributionẽ hæreditatis domini Christi, cui seruitis. Qui enim iniquè gerit, fert id quod gessit iniquè, & non est personarum acceptio apud deum.*) Vt promptos illos in obsequio & fide faciat mercedem illos bonorum operum accepturos promittit à deo in regno Christi. Quod vt probatum sit & acceptum, sic illos vult obsequi sicut domino à quo mercedem expectant. Aut si iniquè egerit, non solum hominem offendit, sed & deum, quem in admissa fraude carnalis domini contempsit. Si autem bene egerit, non erit apud deum seruus hominis quasi despectior, sed remunerabitur quasi liber inter homines, seruus autem Christi, quod dignitatis est nomen.

CAPVT QVARTVM.

Ephes 6. *Domini, quod iustum est & æquum, seruis præbete, scientes quòd & vos dominum habetis in cœlis.*) Ne domini tẽporales superbia extollantur, præsumẽtes de dominatu, mitigat & cohibet animos illorum, vt adhibita cõsideratione humani generi, animaduertant authorem deum non seruos & liberos, sed omnes ingenuos cõdidisse. Sed hoc mundi iniquitate factũ est, vt dum alter alterius fines inuadit, tunc captiuos ducit ingenuos: vnde & manu capti dicti sunt à veteribus: inde mãcipia. Hic casus & cõditio etiam nunc apparet. alij redimũtur, alij remanent serui. Apud deum autẽ hic seruus habetur, qui peccauerit. Denique peccati causa Cham seruus audiuit: Maledictus puer Chanaam: seruus seruorum erit fratribus suis. Cui sententiæ veteres assensere, ita vt definirẽt omnes prudentes esse liberos, stultos omnes esse seruos: quia prudẽs abstinet à peccatis. vt hic ingenuus sit, qui recta sequitur: seruus autẽ, qui per stultitiæ imprudentiam subiicit se peccato. Vnde & Cham propter stultitiam, quia risit nuditatẽ patris stultè, seruus est appellatus. Ostẽdit ergo dominis, quia nõ veri sunt domini, sed quasi per imaginẽ. corporum enim non animorũ sunt domini. Solus enim dominus, & author rerum inuisibilis deus tã corporibus quàm animis dominatur: vt hæc considerãtes, iusta ab eis exigãt seruitia, talia vtique qualia & à se exigi volũt à domino cõmuni. Nam cùm ipsi nõ vt dignũ est deo seruiant, quem non negant omnium potestatẽ habere, cuiúsque quotidiana dona per ministeria creaturæ humanis vsibus exhiberi: à paribus suis, non dicam fratribus, tam grauia exigunt seruitia, vt ferri non possint, non ponẽtes in animo quia & ipsi velint Ephes. 6. nolint serui sunt, & viderint cuius meriti. *Orationi instate* 1. Thes. 3. *vigilantes in illa, orantes simul & pro nobis, vt deus aperiat nobis ostium verbi ad loquendum mysterium Christi: propter quod etiam vinctus sum, vt manifestem illud prout oportet me loqui.*) Iam prudentibus mysterium domini Christi in euitandis vitiis peccatorum orationi instandum ostendit, vt meritis crescant deficientibus tentationibus aduersarij. Quos intantum dignos habet, vt iudicet eos etiam se posse precibus adiuuare ad asserendum audacter euangelium, ad quod manifestandum legationem acceperat. Ephes. 5. *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in sale gratia sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos singulis respondere.*) Quoniam necesse est ambulare nos inter infideles, & colloquia miscere causa conuersationis mundanę: hoc est quod commonet, vt cum sapientia sit ipsa conuersatio propter scandalum gẽtilium, ne occasionem accipiant per nos blasphemãdi, & incitentur ad persequendum. Quid enim opus est loqui cum eo quem scias intractabilem, & obstinatæ mentis, paratum ad contumeliam faciendam? Ideo hæc monet, vt opportuno & loco & tempore, magistra modestia, religionis verba promantur: aut si persona talis in medio est, quæ perstrepat, reticendum. Aliter enim cum potẽtibus mundi, aliter cum mediocribus, & aliter cum humilibus agendum est. Aliter iterum cum mansuetis, aliter cum iracundis, quibus cedi oportet. hoc est redimere tempus. Cum enim insidianti dominicis verbis, & furenti temporis audacia cedis, iniurias infesti temporis lucrifacis. Nam si caput, id est, rex assentit, corpori est libertas loquendi verba dei cum mãsuetudine, vt prouocentur ad bonum. perstrepẽtibus tamen & animosis ad conuitia semper cedendum. Vincis enim dum cedis. *Quæ circa me sunt, omnia nota faciet vobis Tychicus dilectus frater, & fidelis minister, & conseruus in domino, quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscat quæ circa vos sunt, & cõsoletur corda vestra cum Onesimo charissimo & fideli fratre, qui est ex vobis. omnia quæ hic sunt, nota faciet vobis.*) Ad hoc se dicit fratres misisse, vt inuicem sibi nota fierent quæ agerentur ab inuicem. Quamuis superius dicat spiritu se præsentem apud eos, & videre quæ agerent, internunciis tamen opus est. Solicitior enim fit quis quando videt ad se venire ad considerandum conuersationem suam. Plus enim veretur, si speculetur se videri quæ agat. Nam cùm deus omnia videat, & sciamus omnia illi nota esse: quia non tamen videmus nos videri ab eo, contraria facimus. *Salutat vos Aristarchus comes captiuitatis meæ, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandatũ, vt si venerit ad vos, excipiatis illum. & Iesus qui dicitur Iustus. qui sunt ex circumcisione. Hi soli sunt adiutores mei in regno dei, qui mihi solatio fuerunt.*) Hic Aristarchus bonæ conuersationis ac meriti videtur, qui deuotione dominica particeps & socius laborum Apostoli designatur. Marcum autem vt commendet quid sit non tacet: vt cùm laudabilis viri Barnabæ affinis addiscitur honorabilis habeatur. Addit & Iesum, quem Iustum nomine vocari appellat. Quibus solis testimonium perhibet, quia hi ex circumcisione adiutorio fuerũt ei, assẽtientes & participes sententiæ eius, vt iam circuncidi vlterius non debere prædicarent. ideo participes illos dicit suos in regno dei. Circuncidẽdum autem esse, & sabbata & neomenias seruandas prædicare, non spiritale est, sed terrenum. *Salutat vos Epaphras, qui est ex vobis, seruus Christi.*) Chariorem illis facit epistolam, quando ei qui ex ipsis est, testimonium reddit. *Semper solicitus pro vobis in orationibus, vt sitis perfecti, & abundè expleti in omni voluntate dei.*) Tam salutaria se illis exoptare testatur, vt illum qui ciuis illorum est, & affectu vnanimitatis charissimus, participem suæ deuotionis in profectum eorum ostendat. *Testimonium enim adhibeo illi, quia habet multum laborem pro vobis, & pro iis qui Laodiceæ sunt, & Hierapoli.*) Vt solicitos eos salutis suæ faciat, aliorum vigilantia quanta sit pro his, ostendit. Solicitior enim quis fit pudore, quando in causa sua alterum viderit laborare. *Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas.*) Verè charissimus Apostolo fuit Lucas, quia omnia postponens, apostolos secutus est semper, qui & euangelium & Actus apostolorum scripsisse perhibetur. *Salutate eos qui sunt Laodiceæ fratres, & Nympham, & domesticam eius ecclesiam.*) Quoniã simili modo & pro iis qui Laodiceæ sunt solicitus erat, in eorum epistola hos salutãdos monet, Nympham chariorem existimãs, cuius & domum salutat. Tam enim deuota videtur fuisse, vt omnis domus eiꝰ signo titulata esset crucis. *Et cùm lecta fuerit apud vos hæc epistola, facite vt & Laodicensium ecclesiæ legatur, & Laodicẽsium vos legatis.* Quia generales sunt institutiones Apostoli, & ad omnium profectũ scriptę epistolæ: idcirco etiam Laodicensibus epistolam hanc legi præcepit, vt per hãc quid agendum sibi esset, addiscerent: & Colossenses vt eorum legerent iuxta sensum supradictum. *Et dicite Archippo: Vide ministerium quod suscepisti in domino, vt illud impleas.*) Prępositum illorum per eosipsos commonet, vt sit solicitus de salute ipsorum. Et quia plebis solius causa scribitur epistola, ideo non ad rectorem ipsorum destinata est, sed ad ecclesiam.

Post

Post enim Epaphram qui illos imbuit, hic accepit regendam eorum ecclesiam. *Ipsa enim salutatio mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum.*) Vt confirmet epistolam, manu sua scriptam dicit, memorans vt in mente habeant exitus eius quos patiebatur pro salute gentium: & tales se præberent, vt non ferret ægrè pati pro his iniurias.

Diui Ambrosij

MEDIOLANENSIS EPISCOPI commentarii in epistolam beati Pauli ad Thessalonicenses primam.

PRAEFATIO.

VT horum, id est Thessalonicensium exemplo alios exhortetur ad fidei incrementa, istos laudat, eo quòd in accepta gratia permanentes, ad profectũ præmij aucti sũt meliora sectãdo, vt & ad perfectũ tenderẽt, & eorum virtutibus quæsita dignitas cæteros prouocaret. Tantæ enim fidei imbiberunt spiritum, vt spe futurorum etiam ciuium suorum Macedonum persecutiones illatas pro nomine Christi deuoto animo paterentur. Vt horum ergo meritum, & suam ex eorum profectu lætitiam literis signet, ita scribit ad eos:

CAPVT PRIMVM.

PAulus & Syluanus & Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium in deo patre & in domino Iesu Christo gratia vobis & pax.) Trium quidem episcoporum nomina literę continent, sed sensus & verba solius Apostoli sunt. Quia enim communi gaudio exultant in profectu illorum, ex consensu ad plebem epistola scribitur in exultatione, dei patris & domini Iesu Christi pacem & gratiam his exoptans. *Gratias agimus deo semper pro omnibus vobis memoriam vestri facientes in orationibus nostris, sine intermissione memores operis fidei vestræ, & laborum charitatis, & expectationis domini nostri Iesu Christi coram deo & patre nostro.*) Quoniam omnia bona à deo sunt, idcirco ei primùm gratias referunt in profectu illorum, qui dignatus est non solum donum suum dare hominibus sub peccato constitutis, sed in filios hos adoptare, simul adiuuans eos ad omnia exitia tolerãda, vt digniores fiant. Quãobrem meminisse horum dicunt se in orationibus suis, eo quòd crebresceret in opere fidei cæteris ecclesiis, vt nutu dei perficerent opus cœptum, prompti in studio charitatis & patientię, & spei aduentus domini ante deũ, qui dignatus est filium suum incarnare pro salute humana. Placitum enim dei est, si proficiatur in Christo. *Scientes fratres dilecti à deo electionem vestram, quia euangelium nostrum non fuit ad vos in verbo solum, sed & in virtute, & in spiritu sancto, & in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis vestri causa.*) Humiles se fuisse inter eos significant, vt illis formam darent mansuetudinis, non quòd defuerint quæ ad fidem illos hortarentur magnalia: quia doctrinæ euangelicæ robur virtus præstabat signorum & prodigiorum, in spiritu sancto: in est, non in phantasia, sed in veritate plenitudinis, vt nulli necessitati deesset auxilium, sed superabundans gratia videretur & in doctrina, & in conuersatione, & in ægris curandis, vt perfectum opus spiritussancti appareret in Thessalonicensium ecclesiis, vt in nullo se minores videntes Iudæorum ecclesiis, gauderent in dono dei, qui participes illos facere dignatus est promissionis Abrahæ. *Et vos imitatores nostri facti estis, & ipsius domini, suscipientes verbum in pressura multa cum gaudio spiritus sancti, ita vt fueritis vos exemplum omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia.*) Cupidi credulitatis probra & iniurias à ciuibus suis passi tolerarunt fiducia futurorum. Vnde æmuli dicuntur apostolorum, & ipsius domini: quia & dominus eadem passus est à Iudæis, & apostoli sequentes fidem dei persecutiones passi sunt, gaudentes, quia digni habiti sunt pro nomine domini contumelias pati, scientes pro his magna fore præmia repromissa. Idoneus enim seruus probatur, quando pro amore domini sui inimicos eius offẽdit. Cuius rei memores gauisi sunt spe promissionis in pressura. Itaque magna exhortatio est ad profectum, cùm similes illos factos dicit & Christi, & apostoli, ad formam præbendam cæteris credentibus illis in locis quibus fama illorum ambulabat. *A vobis enim diffamatus est sermo domini non solùm in Macedonia & in Achaia, sed in omnem locum fides vestra quæ est ad deum processit.*) Tale est hoc, quale & illud ad Romanos, cùm dicit: Quia fides vestra prædicatur in vniuerso mundo. Sed in his amplius, quia non solùm fides, sed opus fidei illorum peruenit in omnem locũ. *Ita vt non necesse habeamus nos aliquid eloqui. Ipsi enim de nobis annunciant qualem introitum habuerimus ad vos, & quomodo conuersi estis ad deum ab idolis ad seruiendum deo viuo & vero, & ad expectandum filium eius de cœlis, quem suscitauit à mortuis Iesum, qui eripuit nos ab ira veniente.*) Sic peragrasse dicunt famam introitus sui, & conuersationis eorum cum prædicatione euangelij, vt non esset necesse ea dicere. Superfluum est ea fari, quæ nota sunt. Ad omnes enim in circuitu peruenerat, ita vt & annunciarent cæteris qua deuotione susceperant apostolos. Et quia ad omnia quæ audierant ab eis, fuerant promptiores, relinquentes deos mortuos: expectarent autem Christum de cœlis, quem humanæ salutis causa mortuum audierant, & resurrexisse deuicta morte, & cum carne assumptum in cœlos ministra nube, ad confusionem prudẽtium mundi, qui consideratione habita mundanorum, carnis naturam, quæ grauis est, putant non posse fieri vt sustollatur in cœlos. Hoc effectu fit spiritus sancti, vt erubescant terrigenæ prudentes.

Actor 5.

Rom. 1.

CAPVT SECVNDVM.

IPsi enim scitis fratres introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed ante passi, & contumeliis afflicti, sicut scitis, in Philippis, exerta libertate ausi sumus in deo nostro loquendo ad vos euangelium dei in magno certamine.) Hanc pressuram quam nunc memorat, passus est in Philippis cum Sylea propter spiritum pythonem quem à puella eiecerat: quod iam suo loco dictum est. Cui pressuræ non cessit, sed fortior inuentus est, dum audet prędicare. nec loqui timet, spe vtique promissi prędmij: vt & hi securi essent in persecutionibus, gaudentes propter futuram mercedem. Signum ergo deuoti & fidelis prædicatoris hoc dicit esse, si in pressura loqui verbum dei non timeat: inanem illũ significans qui terrore præsenti formidinem patitur prædicandi. Qui enim securus est de promissa spe, non cedit vt coronetur. *Nam exhortatio nostra non ex fallacia, neque ex immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus à deo vt crederetur nobis euangelium: ita loquimur, non vt hominibus placentes, sed deo, & qui probat corda nostra.*) Hoc propter pseudoapostolos dicit, qui dolo & fallacia prędicabant non missi, vt circunuenirent gentes ad seruiandum legi factorum. Iste autẽ electũ se & missum prædicare multis probat rebus: quia & in pressuris fortior inuentus est, & in conuersatione irreprehensibilis, vt nihil esset in hoc quod minus deo videretur dignum prosequentibus signis. Quidam enim quæstus causa Christum prædicabant, fauori hominum seruientes: quia & in arguendo remissiores erant, quippe cùm nec authoritas esset: & in tribulatione infirmi, quia non ex corde, sed in fallacia erat sermo eorũ. Omnis enim qui aliquid sine spe agit, orta tribulatione succumbit. *Neque enim vnquam in verbo adulationis conuersati sumus, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, deus testis est.*) Nũc aperit quod suprà significauit, cùm dicit: Non in occasione auaritæ: deũ dans testẽ, quia istud ex corde faciebat, nõ in hypocrisi, quasi cõtemnens pauca, vt fortè

plura offerrentur. Vnde & ipsos conuenit, scientes ac probantes quia nulli fuerat adulatus. Pseudo enim apostoli formam auaritiæ dari sibi optabant, vt ipsa occasione, dum veros apostolos omnia illata vident accipere, possint ipsi sine inuidia simpliciores homines deprædari. *Nec quærentes ex hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis, cùm possemus † honori esse, vt Christi apostoli.*) Intantum grauat pseudoapostolorum causam, vt se abnuere dicat, cum liceret illi obsequia requirere, ad comprimendos eos quibus nec facultas erat, nec pudor, & tamẽ honorẽ sibi poscebant. se enim potius quàm dei doctrinam commendari volebant. Apostolus autem qui gloriam non ad præsens, sed in futuro requirebat, se humilem faciebat, vt dei prædicatio exaltaretur. *Sed fuimus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupimus impartiri vobis non solum euangelium dei, sed etiam animas nostras, quia charissimi nobis facti estis.*) Tãtum affectum habere se circa illos ostendit, quem, quia verus est, nõ verbis magis quàm rebus probatum vult videri. potest enim verbis latere fallacia. vt his exhortationibus prouocati omnem sensum suum in dilectione haberent apostoli. *Meministis enim fratres laborem nostrum & fatigationem, nocte ac die operantes ad hoc, ne quem vestrum grauaremus.*) Hoc est quod dicit in Actis apostolorum: Omnia, inquit, quæ mihi, & iis qui sunt mecum, fuerunt necessaria, laborauerunt manus istæ. Vnde & in alia epistola dicit: Qui non laborat, nec manducet. Et hoc contra pseudoapostolos, qui vt ocioſi manducarent, prædicatores se fingebant esse. Vt ergo exemplum daret quemadmodum gubernanda sit vita Christiana, & simulatores proderet, labori insistebat humano, offuscans pseudoapostolos: propterea quia qui labori insistunt, à malis cogitationibus declinant occupantes animum suum, & à periculis prohibentes. *Prædicauimus vobis euangelium dei, vos testes estis & deus quàm sanctè & iustè, & sine querela vobis qui creditis, facti sumus sicut scitis, quomodo vnumquenque vestrum vt pater filios obsecrantes vos, & consolantes ad hoc, vt ambuletis dignè deo, qui vocat vos in suum regnum & gloriam.*) Manifesta sunt hæc. Commonet enim illos quomodo crediderint sibi prædicanti, & qualem eum fuerint experti, & quæ præcepta dederit eis, vt digni fierent deo, qui illos vocauit de terris ad cœlos, vt exsuscitet lætitiam illorum. *Ideoque & nos gratias agimus deo sine intermissione, quòd cùm accepissetis à nobis verbum auditus dei, suscepistis non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum dei, quod & operatur in vobis qui credidistis.*) Deo gratias referunt, qui aperuit sensus illorum ad recipiendum euangelium suum. Gloria enim prædicantium est, quando audientes facilè credunt. Tanta enim deuotione receperunt verbum, vt probarent se intellexisse dei esse doctrinam. *Vos enim fratres imitatores facti estis ecclesiarum dei, quæ sunt in Iudæa, quæ sunt in Christo Iesu: quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & dominum interemerunt Iesum, & prophetas, & nos persecuti sunt, & deo non placuerunt, & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos gentibus loqui vt saluentur, ad hoc vt suppleant peccata sua semper: sed præuenit ira dei super eos vsque in finem.*) De impietate atque crudelitate queritur diffidentium Iudæorum, qui non solum suæ salutis inimici sunt, verumetiam aliorum, prohibentes ne credant, & salui fiant, ab initio parricidę. vel domino enim cõmuni parcere debuerant, qui conseruis & prępositis suis non pepercerunt. vt repleantur peccata eorum intantum, ne aliquando misericordiam consequi mereantur. Ideo Thessalonicenses à ciuibus suis eadẽ passos dicit, imitatos patientiam sanctorum, & domini nostri Iesu Christi: cuius sceleris authores inducit Iudæos, vt & quanta gloria digni sint qui pro nomine domini patiũtur, & quę vltio infestis & infidis prępărata sit dinoscatur. *Nos autem fratres desolati à vobis ad tẽpus horæ, facie non corde, abundantius festinauimus faciem vestrã videre in multo desiderio. Quapropter voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus & semel & iterũ, sed impediuit nos Satanas.*) Nõ animo, sed corpore diuulsos se dicũt ab eis. Charitas enim non diuiditur nec separatur, sed propter maiorẽ instructionem, etiam faciem eorum cupere se dicunt videre. In rebus enim diuinis deficiunt articuli comprehendere quæ possunt dici. Nec enim sufficit dies stylo his quæ vna hora possunt depromi, vt non dicam quędam esse mystica religionis nostrę, quæ propter carnales sensus, ne scandalum patiantur, facilè publicari non debeant: quia non omnibus dicenda sunt omnia, sed pro vniuscuiusque captu moderanda sunt dicta: aliter rudibus, aliter fundatis. Idcirco prędentia corporis requiritur, quia sic perficitur veritas charitatis. Quãuis enim charitas non diuidatur, desiderium tamen facit absentia corporis. Denique oscułis & amplexibus animorum expletur voluntas. Cui rei impedimento asserit fuisse Satanam, qui etiã apostolis obuias manus tendebat, ne veritatis ratio hominibus panderetur. Accendebat enim perfidorum mentes, vt eos verberibus ac vinculis detinerent, ne loquerentur verbum dei. Dixerũt enim maiores Iudæorum apostolis: Nón ne præcipientes denũciauimus vobis ne loqueremini in nomine Iesu vlli hominum: Sed quia quod non est à deo, stare non potest, dissoluuntur impedimenta Satanæ. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos coram domino nostro Iesu in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudiũ.*) Manifestum est quia perfectio discipulorũ, gaudium & corona magistri est. Hi enim sunt qui labores fructuũ suorum edituri sunt. fructus enim magistri, discipulus est obediens: cuius dum bona conuersatio proficit magistro, fructus sui edit laborem. Labor enim discipuli in opere bono, coronam dat magistro iudice Christo.

Actum 5.

CAPVT TERTIVM.

IDcirco iam non tolerantes, *optimum duximus vt Athenis soli relinqueremur, & misimus Timotheum fratrem nostrum, & participem operis dei in euangelio Christi ad hoc vt & vos confirmet, & deprecetur pro fide vestra, ne quis moueatur in his pressuris. Ipsi enim scitis quia ad hoc positi sumus. Nam & cùm apud vos eramus, prædicabamus vobis passuros nos pressuram, sicut factum est, & scitis.*) Desiderij supra memorati causas expressit. Idcirco enim præsentes esse apud eos volebant, vt animos eorum firmarent, ne quis ex his scandalum pateretur de pressuris Apostolorum, vt qui tanta signa facerent, aliquando infirmarentur, ita humiliati, vt verberibus & vinculis subiicerẽtur. Ad quam rem excusandam Timotheum missum testatur, idoneũ doctorem, qui ostenderet hinc merita crescere Christianis, si pro nomine domini passi gratias agant, à quo huius rei mercedem expectant, simúlque preces deo funderent vt stabiles essent. Quam persecutionem idcirco se passuros prædicauerant, vt per id quod præscientiam huius rei habere se protestarentur, posse se effugere & declinare has iniurias approbarent: sed quia spes magna in his est, ideo illatas sufferre quidem libenter. *Ideo & ego non tolerans amplius, misi ad hoc, vt cognoscerem fidem vestram, ne quo modo attentauerit ille tentator, & inanis fiat labor noster.*) Istud propter quosdam dicit qui possint seduci astutia Satanæ, quia in omni plebe est pars firma, & infirma: quorum causa solicitus erat ne amitteret fructum credulitatis eorum. Et quia diutius passus nõ est nescire se quid certius ageretur circa illos, misit Timotheum episcopum à se creatum, à quo posset certum scire. *Modo autem cùm venisset Timotheus ad nos à vobis, & annunciasset nobis fidem & charitatem vestram, & quoniam memoriam nostri habetis bonam, semper desiderantes nos videre, sicut & nos vos: ideo consolationem sumus adepti fratres in vobis super omni necessitate & pressura nostra per vestram fidem, quia nunc viuimus si vos steteritis in Christo.*) Declarauit cur alacri sermone scribat ad eos. Ideo enim nuncio veniente, & firmitatem deuotionis illorum in fide & dilectione Apostoli declarante, lætus factus de communi concordia scribit ad eos securum habens fructum fidei & bonæ cõuersationis eorum. *Quam enim gratiarum actionem possumus referre deo de vobis super omni gaudio quo gaudemus propter vos coram deo nostro, noctu diéque abundantissimè orantes, vt videamus faciem vestram, & suppleamus quæ desunt fidei vestræ?*) Nihil dicit tam dignum, quod sufficere possit ad compensationem acquisitæ salutis gentium. Et quoniam prouexerant se perseuerantia fidei, & actu vitæ melioris, magis ac magis cupit eos

† oneri

Actæ 20.

1. Cor. 4.
1. Thes. 3.

eos videre: vt ea quæ ad perfectionem illorum pertinent, edi-
scant, sacramenta scilicet rerum spiritalium, quæ facilè A
publicari non debent, vt scirent quis & quàm immensus est
quem iudicem sperabant. Aliud est enim fidem accipere, &
aliud expositionē fidei. Altera enim disputatio est de natu-
ra patris & filij, & alia de personis. Pater ingenitus est, filius
verò genitus. Quantum ad personas pertinet, diuersum vi-
detur, cùm sit indiuidua vnitas naturæ. Vnitas enim non in
persona est, sed in substantia. Spiritus autem sanctus non de-
gener putetur, quia tertius ponitur. Qui ergo de secunda
persona non ambigit, admittit & tertiam. *Ipse autem deus, &
pater noster, & dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram
ad vos.*) Integro ordine iter suum disponi postulat: primum
à deo patre, quia ab ipso sunt omnia: deinde à domino Iesu
Christo, per quem sunt omnia vt virtus atque prouidentia
patris & filij aduentum eius commendet, vt acceptabilis fiat
audientibus se, & impedimenta diaboli soluerentur ad diri-
gendum iter eius. *Vos autem dominus multiplicet, & abunda-
re faciat charitate in inuicem in vos & in omnes, sicut & nos in vos,
ad confirmanda corda vestra irreprehensa in sanctimonia coram deo* B
*& patre nostro in aduentu domini nostri Iesu Christi cum omnibus
sanctis suis.*) Vt gaudium suum quo de eis gaudet, cumulet,
in omnibus bonis multiplicari illos exoptat: vt veniens ad
eos, plus inueniat in eis quod laude dignum sit quàm à Ti-
motheo audierat, vt irreprehensibiles inueniantur cum san-
ctis in charitate dei patris, & aduentu domini nostri Iesu
Christi, cùm cœperit ante tribunal eius examinatio singulos
approbare. Deum vocat propter terrorem maiestatis eius:
Patrem verò propter benignitatem, qua dignatur cre-
dentes sibi adoptare in filios: quod in aduentu domini
manifestabitur.

CAPVT QVARTVM.

*QVod superest itaque fratres, rogamus vos & obsecra-
mus in domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à no-
bis qualiter oporteat vos ambulare, & placere deo, si-
cut & ambulatis, vt abundetis magis.*) Hoc est quod
suprà dixit, quia ad cumulandum gaudium suum crescere
illos vult in bonis operibus secundum mandata apostolica.
*Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per dominum nostrum Iesum
Christum. Nam hæc est voluntas dei, sanctificatio vestra abstinere
vos à fornicatione, scire vnum quenque vestrum suum vas possidere
in sanctimonia & in honore, non in passione desiderij, sicut & gen-
tes quæ ignorant deum: vt ne quis supergrediatur, neque circunue-
niat in negocio fratrem suum, quoniam vindex est dominus de his
omnibus, sicut & prædicauimus vobis, & testificati sumus.*) Quā-
uis laudet eos in tota epistola, tamen commonet ne aliqua
surreptione ad illicita deducantur, vt incurrant vindictam
quam vltricem malorum didicerant: scientes hoc deo place-
re, si corpora sua intaminata custodiant, sed & cum fratri-
bus simpliciter agant, ne similes gentibus inuenti, adoptio-
nis nomine abdicentur. *Non enim vocauit nos deus in immun-
ditia, sed in sanctimonia. Quapropter qui spernit hæc non hominem
spernit, sed deum, qui dedit spiritum sanctum in vos.*) Vt fortius
adstringat ad ea quæ docet, dei interponit personam, di- D
cens: Non hominem spernit qui præterit præcepta, sed
deum. Quem ideo dicit spiritum sanctum nobis dedisse, vt
sanctè viuamus: quia in corpore subdito peccatis non ha-
bitat spiritus sanctus. *De affectione autem fraternitatis non ha-
bemus necessitatem scribendi vobis. ipsi enim vos à deo docti estis ad
hoc vt vos inuicem diligatis. Nam & facitis illud in omnes per vni-
uersam Macedoniam.*) Etiam hoc cùm facere illos laudat, com-
monet tamen vt propensius hoc agant. Quos enim ab ipso
deo doctos dicit, promptiores esse debere in fraterna dile-
ctione significat. Propter multam enim charitatem deus
misertus est nostri, cuius imitatores effecti non immeritò
adoptatos nos ostendimus à deo in filios. *Hortamur autem
vos fratres abundare magis, & eniti quiescere, & vestrum nego-
cium agere, & operari manibus vestris, sicut vobis præcepimus, vt
honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius desiderium sit
vobis.*) Iterum hortatur eadem, vt data opera abundent bo-
nis actibus. Vt enim significet verè hoc esse, quod placet
deo frequenter hoc monet. Iustitiæ enim via tenenda est, vt
ad misericordiam iure veniatur: vt qui sunt inferiores sub-
stantia, manibus laborent, vt ipsa intentione tollantur à vul-
gari inquietudine, & à praua cogitatione, vt disciplina eo-
rum etiam ab infidelibus laudetur, & prouocari ad fidem
possint. *Nolumus autem vos ignorare fratres de iis qui dormiunt,
ne contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Nam si credi-
mus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: sic & deus illos qui dor-
mierunt per Iesum, adducet cum eo.*) Manifesta est ratio, quia
si resurrectio creditur mortuorum futura, non sunt lugen-
di qui cum signo crucis exeunt. Lugendi autem verè sunt in-
fideles, qui hinc transeunt in gehennam: vt ediscant verum
esse quod credere noluerunt. Fideles autē resurgent ad glo-
riam, vt qui in seculo stulti habiti sunt propter fidem, videā-
tur prudentes. Prouiderunt enim sibi gloriam. Hi sunt qui
per Iesum, id est, sub spe fidei huius exeuntes adducentur
cum eo in aduentu eius, vt ab hominibus videantur. Cum
tamen ipse defuncti excessum lugendum prohibeat, ipse a-
libi dicit: Ne tristitiam haberem. Sed iam suo loco solutum
est. *Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quia nos qui viuimus,* Philip. 2.
*qui subrelicti sumus in aduentum domini, non præuenient eos qui
dormierunt, quia ipse dominus in iussu & in voce archangeli & in
tuba dei descendet de cœlo: & hi qui mortui sunt in Christo, resur-
gent primi: deinde nos qui viuimus vnà cum illis rapiemur in nubi-
bus obuiam domino Christo in aera: & sic semper cum domino eri-
mus. Quare consolamini vos inuicem in his verbis.*) Sensum do-
mini loqui se profitetur, cum dicit: Hoc vobis dicimus in
verbo domini. Vt enim fidam spem & ratam gloriam re-
surrectionis sanctis promissæ demonstret, ordinem ipsum
quomodo futura sit, exponit, nutu iudicis Christi, sancto
spiritu intimante: vt ipsa spe qui charos suos præmiserunt,
non doleant, addiscentes quia in aduentu domini priores re-
surgent qui in Christo moriuntur. Ipse enim Christus do-
minus voluntate patris quasi primus angelus dei cum exer-
citu cœlesti, sicut continetur in Apocalypsi Ioannis apostо-
li, descendet de cœlo ad gerendum bellum nomine dei con- C
tra Antichristum. Quo extincto, iussu eius resurgent mor-
tui. Hoc est ergo in tuba dei descendere, nomine dei bellum
gerere. Est enim, vt ipse dixit ad Iesum filium Naue, dux & Iosue 5.
princeps exercitus domini: propter quod archangelus dici-
tur. Cùm autem in tuba dei descendet, deus est, quia vtrun-
que continent scripturæ, sicut in Exodo, quem angelum in
flamma apparuisse Moysi legimus, statim ipsum in subiectis Exod. 3.
esse deum agnoscimus, id est filium dei dicente eadem scri-
ptura: Et accedens, inquit, Moyses, auertit se, quia non po-
tuit considerare in faciem dei. Deus ergo est, quia filius dei
verus est. Dux autem & princeps ideo, quia caput omnium
est, quia per ipsum omnia. Resurgentibus ergo primis qui
in Christo mortui sunt: deinde nos qui viuimus, rapiemur
vnà cum illis baiulis nubibus obuiam Christo in aëra, vt
cum domino omnes veniant ad prælium, & quos occiderat,
videat viuos: quia sicut domino famulatę sunt nubes, ita &
his quos fratres suos dignatus est appellare. Et sic semper
cum domino erimus. In ipso enim raptu mors proueniet, &
quasi per soporem, vt egressa anima in momento reddatur.
Cùm enim tollentur, morientur: vt peruenientes ad domi-
num, presentia domini recipiant animas, quia cum domino
mortui esse non possunt. Hac spe consolari inuicem iubet
eos qui adhuc more gentili charorum suorum excessum pu-
tabant lugendum.

CAPVT QVINTVM.

*DE temporibus autem & momentis fratres non est
necesse vobis scribi. Ipsi enim diligenter scitis quia
dies domini vt fur noctu sic veniet. cùm dicit, Pax
& firmitas, tunc repentinus eis superueniet interi-
tus, quemadmodum dolor partus prægnanti: & non
effugient.*) Hoc est quod in euangelio dominus locutus est
dicens: Vigilate, quia nescitis horā qua dominus vester ve-
niet. Et iterū: Si quis vobis dixerit, Ecce hīc Christus, aut ec-

ce illic, nolite credere. Subitò enim & ex insperato apparebit, sicut coruscatio apparet ab oriente in occidentẽ, habens secum militiam exercitus dei patris ad perditionẽ Antichristi, & satellitum eius. Cùm enim securi fuerint perfidi de regno diaboli, interfectis sanctis, id est Enoch & Helia, & lęti de victoria inuicem sibi mittentes munera, sicut dicit Apocalypsis: tunc illis subitò veniet repentinus interitus. In aduentu enim suo Christus hos omnes disperdet, vt videntes sancti qui euaserint, glorientur. *Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies ille tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filij luminis estis, & filij dei, non estis noctis, neque tenebrarum.*) In tenebris ignorantiam significat, & mendacium: in die autem scientiam & veritatem. Idcirco Christianos non in tenebris esse dicit, gentiles autem vel incredulos Iudæos filios tenebrarum, quia cultores sunt mẽdacij. Quamobrem fideles securos esse debere significat, quia non ignorant futurũ aduentum domini, sed expectant soliciti vt veniat. qui autem ignorant diffidentes de eo, repente illos comprehendet improuidos, & interficiet. *Igitur non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus, & sobrij simus. hi enim qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui inebriantur, nocte sunt ebrij. Nos autem qui diei sumus: sobrij simus: induti thoracem fidei & charitatis, & galeam spem salutis, quia non posuit nos deus in iram, sed in acquisitionem salutis per dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis, vt siue dormiamus, siue vigilemus, simul cum eo viuamus. Propter quod exhortamini inuicem, & ædificate alterutrum, sicut & facitis.*) Apertum est quod dicit. Commonet enim ne securi de nomine saluatoris negligenter agamus: ideoque tribus propugnaculis nos muniri debere, id est fidei, & spei, & charitatis. Dum enim fides manet, spem excitat: spes autem necessaria solicita est de promissione, nec dormit: charitas autem deuotum offeret deo. Nihil enim aduersum admittit charitas. Idcirco enim mortuus pro nobis dominus Iesus, & resurrexit: vt siue vigilemus, hoc est viuamus, siue dormiamus, id est moriamur, vnà cum illo æterna vita fruamur. Hoc est quod suprà dixit, quia fideles in aduentu domini tam mortui quàm viui obuiam tollentur domino, & sic semper viuent cum eo. In hoc meditandum docet, vt inuicem se in eo ædificent sensu. *Rogamus autem vos fratres, vt cognoscatis eos qui laborant in vobis, & præsunt vobis in domino, & monent vos, vt illi summum honorem habeatis in charitate propter*
2. Tim. 5. *opera ipsorum. Pacem habete inter vos.*) Hoc est quod dicit & in alia epistola, presbyteros duplici honore honorandos qui laborant in verbo & doctrina. Potest enim pigere eum, qui per inopiam patitur, exercitium facere quod prosit audientibus. Quid enim prodest honorem sine fructu habere? aut quid magnum est offerre ei carnalia qui tribuit spiritalia? Sicut enim diuitiæ negligentiam pariunt salutis, ita egestas
Prou 30. dum saturari quærit, à iustitia declinat. Hinc Salomon nec nimis diuitem se petit fieri, nec egestosum. Hoc ipsum tamen in charitate fieri debere, vt honorificentia sacerdotis non de timore magis sit, sed de amore, vt etiam illi proficiat qui facit. Res enim quæ sponte non fit, ad effectum non peruenit. quanuis ad pręsens proficiat sumenti, nihil tamen proderit in futuro danti. Et quia dissensio multa generat mala, pacificos eos esse hortatur. *Rogamus autem vos fratres corripite inquietos, consolamini pusillanimes, opitulamini infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est, sectamini in inuicẽ, & in omnes. Semper gaudete in domino, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas dei in Christo Iesu in vobis.*) Quoniam necesse est quosdam in plebe esse immodestos, quosdam autem pusillanimes, hoc est timidos, quosdam verò fide infirmos, ideo hos qui modesti sunt & magnanimes, & fide fundati, hortatur cum prece, vt his consulant, vt possint proficere sufferentes eos, ne si retributio fiat malorum, peiores se fiant. Idcirco nihil aliud quàm bonum sectandum hortatur, non solùm in causa fratrũ, sed & in omnium. Possunt enim bonis operibus attrahi infideles ad credulitatem, ex qua semper gaudeatur in domino, hoc est in bonum. orãdum autem sine intermissione. Sedulæ enim preces pro-

A B C D

uocant animum iudicis ad dandam misericordiam. In omnibus verò actibus bonis deo gratias agendas qui hãc tribuit doctrinam in Christo Iesu domino nostro. *Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere. Omnia autem probate, quod bonũ est tenete: ab omni specie mala abstinete vos.*) Hoc dicit, vt non facilè alicui per spiritum loquenti interdicatur. Extinguitur enim, si incipientis loqui feruor contradictione sopitur, ne fortè non intelligentes dici ab eo spiritalia, iniuriam faciant spiritui sancto, & peccent per ignorantiam: neque aliquem qui quasi scripturas reuelet, non audiri patienter debere, sed omnia dicta examinari, & sic iudicari, ne fortè gratiã datam fratri dum respuũt, authori repugnent. Omnia ergo quæ dicuntur, probãda monet: & quicquid sobriè & bene dictum fuerit, retinendum. Quæcũque enim apostolorum & ipsius domini dictis congruunt, ea benedicta habenda sunt & retinenda: ab his autem quæ inimica fidei videntur, abstinendum. Solent enim spiritus mundi fallaciter quasi per imitationem dicere bona, & inter hæc subinducere praua, vt per hæc quæ bona sunt, accepto ferantur & mala, vt quia vnius spiritus dicta putantur, non discernantur abinuicem: sed per id quod licitum est, commẽdetur illicitum, authoritate nominis, non ratione virtutis. Solent enim sub apostolorũ nomine & ipsius domini nefanda docere & aduersa: ideóque omnia probanda monet, quia non possunt eloquia domini esse diuersa. Hinc est vnde & Ioannis apostoli epistola, No-
1. Ioan. 4. lite, inquit, omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex deo sunt: quia si multa bona dicat, in aliquo autem quod fidei aduersum est promat, sciatur non esse spiritus sanctus. Nihil enim erroris in spiritu sancto poterit reperiri. Sed aut per exercitium eloquij qũędam spiritalia, qędam verò carnalia, quia omnis error carni deputatur, aut certè commento quodam astutiæ bona fingit, vt his inserat mala, sicut supra memoraui: quemadmodum in Montano & Priscilla & Maximilla prophetis Cataphrygarum spiritus mũdi imitatione quadam boni simulat, vt per multa verisimilia necnõ & vera mentiretur se esse spiritum sanctum. *Ipse autem deus pacis sanctificet vos per omnia perfectos, vt integer spiritus vester & anima & corpus sine querela in aduentu domini nostri Iesu Christi seruetur.*) Deus pacis Christus est. Ait enim: Pacem meam do
Ioan. 14. vobis, pacem meã relinquo vobis. Quippe cum omnia quæ habet pater, filij sint, hũc sanctificare nos optat Apostolus, vt nos illustret pietate clementiæ suæ & omne votum nostrum dirigat in perfectione, vt integer sit spiritus datus nobis. Tunc enim integer est, si bonæ vitæ studeamus, animam habentes mũdam, & corpus sine querela, vt totus homo sit perfectus. Potest enim corpus mũdum esse, & anima inquinari per malum cogitatũ: ideóque spiritum in homine mundum dicit esse debere. Si autem mala vita vel cogitatio intercedat, non erit integer spiritus, quia deserit hominẽ peccatis obnoxium. Dum enim dissentit anima & corpus, quãuis sine sensu sit, alieni ab eo efficiũtur, & velut perdens eos non erit integer spiritus. Ad hoc enim datur homini, vt maneat & sit quasi caput eius. Integer ergo non erit, quia per-
1. Cor. 1. dit membra dum recedit ab eo homo ea agens quę odit spiritus sanctus. *Fidelis est deus qui vocat vos, qui & faciet. Fratres, orate pro nobis.*) Fidelem deum dicit in promissis suis, vt securi de præmio rectè versentur. Et quia qui rectè viuunt iuxta euangelium, facilè poterunt impetrare quę postulant. idcirco orare eos pro se hortatur. Facilè enim multi impetrant quod desiderant. *Salutate fratres omnes in osculo sancto.*) Sancta oscula sunt in salutatione Christiana, cætera carnalia sunt, quia quicquid sine Christo fit, carnale est, ac per hoc & mortale. Qui enim authorem vitæ contemnit, in morte est. *Adiuro vos per dominum, vt legatur epistola hæc omnibus fratribus.*) Astringit eos vt soliciti sint ad legendam epistolam cunctis fratribus, vt cognoscãt & laudes & admonitiones suas, per quas fiant perfecti. *Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum.*) Sic illos in bonis operibus vult proficere, vt gratia domini nostri Iesu Christi permaneat in eis in æternum.

DIVI

Diui Ambrosij

MEDIOLANENSIS EPISCOpi commentarii in epistolam beati Pauli ad Thessalonicenses II.

PRAEFATIO.

QVoniam in prima epistola ad Thessalonicēses data, inter cætera etiam de aduētu domini quædam scripsit,& de resurrectione sanctorum:nūc aliam scribit ad eos in qua significat, licet obscure. neque enim posset apertè scribere,de abolitione regni Romani,& de Antichristi apparentia & damnatione, & de quorundam fratrum inquietudine.

CAPVT PRIMVM.

PAulus & Syluanus & Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium in deo patre nostro & Christo Iesu:gratia vobis & pax à deo patre & domino Iesu Christo.) Solennibus verbis scribit ad eos. Solito enim more sermonum caput continetur epistolæ, & idē ipsi tres sunt quorum nomine scribitur, sicut & prima epistola.*Gratias agere debemus deo semper de vobis fratres, sicut dignum est quoniam superexcrescit fides vestra,& multiplicatur charitas vniuscuiusque omnium vestrum in vos inuicem.*) Deo se debitores de horum profectu in gratiarum actione profitentur,& vt non qualecunque esse debitum ostenderet sicut dignum est, ait: vt pro tam infinito dono satis magnas gratias referendas deo testarentur. Post acceptam enim primā epistolam meliores esse quàm fuerant persteterunt, ita vt in eo copiosi & abundantes viderentur, quod post domini & dei deuotionem habemus mandatum, vt diligamus nos inuicem. *Ita vt nosipsi in vobis gloriemur in ecclesiis dei pro patientia vestra & fide in omnibus persecutionibus vestris & pressuris quas sustinetis in exemplum iusti iudicij dei, in hoc vt digni habeamini regno dei, pro quo & patimini.*) Gloriam esse suam in horum conuersatione & persecutione toleranda testatur,intantum vt apud cæteras ecclesias exempla eorum proferantur,vt imitatione eorū crescant in deuotione passionum pro Christo, vt mereantur consequi quæ promissa sunt sanctis in die iusti iudicij dei,cuius amore mundum spernere non dubitarunt. Ipsæ enim pressuræ exempla sunt futurorum meritorum in his qui patiuntur,ad gloriam: in illis autem qui persequuntur, ad perditionem. *Siquidem iustum est apud deum retribuere eis qui vos deprimūt pressurā: & vobis qui pressuram sustinetis, requiē nobiscum in reuelatione domini Iesu de cœlo cū angelis virtutis eius in igne flāmæ dātis vindictā in eos qui nō nouerūt deū, & eos qui nō obaudiunt euangelium domini nostri Christi, qui pœnas soluēt in interitū æternū à facie domini, & gloria virtutis eius.*) Quoniā exemplū iusti iudicij dei apparere dicit siue in bonos siue in malos, idcirco subsecutus ait: Siquidem iustum apud deum, vt reddat vnicuique secundum opera sua. Quid tam iustum, vt qui in seculo bonos deprimunt, & extorres faciunt persecutionibus, in futuro eadem patiantur quæ faciunt: illi autem vt sint in requie cum cæteris sanctis,qui de magna tribulatione venientes, regnum accipient æternum in aduentu domini de cœlo, cùm cœperit venire cum cœlesti exercitu suo, & ministro igne ad dandam vindictam in paganos qui ignorant deum patrem esse Iesu Christi,& Iudæos qui dicunt se deum scire,non credunt euangelio Christi, quod dedit illi pater deus vt traderet seruis suis? Quos omnes præsentia domini, & gloria maiestatis eius ignis exuret,vt debitas reddant pœnas interitus in æternum,semper sentientes, non tamen penitus deficientes, vt ipsa pœna illos quodammodo generet semper quo consumantur. *Cùm venerit clarificari in sanctis suis, & mirificari in omnibus qui crediderunt, quia fidem habuit testimonium nostrum super vos in die illa aduentus domini.*) Duplicem continet sensum. Aduenier enim punire malos, & glorificare bonos. Ipse enim clarus & mirabilis videbitur in eos qui credunt exemplo & fide apostolorum cùm fuerint coronati, testimonium reddente illis euangelio in die domini. Seuerus autem apparebit incredulis, cùm æternis pœnis coartari cœperint. Corona enim discipulorum magistri est gloria, & veritas eius incredulorum est pœna, quia quod prædicabatur non crediderunt. *In quo & oramus semper pro vobis,vt vos dignos habeat vocatione sua deus noster & impleat omni placito bonitatis & opere fidei in virtute,ita vt clarificetur nomen domini Iesu Christi in vobis,& vos in ipso secundum gratiam dei & domini Iesu Christi.*) Gaudio addit & preces, vt quia deuoti sunt, dignetur deus adiuuare eos, vt perficiant opus cœptum ad claritatem domini nostri Iesu Christi,vt perseuerantia discipulorum testimonium sit magistri ad gloriam. Authoritas enim magistri in discipulorum est fiducia, cùm se in accepta gratia faciunt digniores.

CAPVT SECVNDVM.

ROgamus autem vos fratres per aduentum domini nostri Iesu Christi,& nostræ congregationis in idipsum,ne facilè moueamini à sensu vestro, neque conturbemini, neque per spiritum, neque per verbum, neque per epistolā tanquam à nobis missam, quasi instet dies domini. Ne quis vos seducat vllo modo:quoniam nisi venerit defectio primum, & reuelatus fuerit homo ille peccati filius perditionis qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur deus, aut quod colitur, ita vt in templo dei sedeat ostendens seipsum quasi sit deus.) Obsecrat eos ne leuiter & facilè de aduentu quasi imminentis domini opinionem reciperent: & talia dat mandata vt etiam si per spiritum aliquis velut propheta fuerit locutus, credi ei non debeat,neque sic per tractatum,aut per epistolam nomine forte apostolorum scriptam, assensum tribuendum. Solent enim tergiuersatores,vt fallant, sub nomine clari alicuius viri epistolam fingere,vt authoritas nominis possit commendare quod per ipsum recipi non possit.Hoc ideo,ne ipsa perturbatione dum incauti inuenirentur,possint seduci ad adorandum diabolum qui idcireo hæc iactabit,vt sub saluatoris nomine apparens ac fallens sanctos,velit se adorari,vt decipiat credentes in Christum. Sed vt locum aut occasionem fallendi quam se putat habere, non habeat impudētissimus satanas, tempus & signa aduentus domini designauit: quia non prius veniet dominus, quam regni Romani defectio fiat, & appareat Antichristus qui interficiet sanctos, reddita Romanis libertate,sub suo tamen nomine.Sciēs enim venturum dominum ad se comprimendum, nomen eius sibi vsurpabit: & vt regnum eius verum esse videatur,attrahet secum qui simul cum eo pereant,ita vt in domo domini in sede sedeat Christi & ipsum deum se asserat, non filium dei. Vnde in euangelio ad Iudæos dominus ait: Ego veni in nomine patris mei,& non me recepistis.si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quamobrem ex circuncisione aut circuncisum illum venire sperandum est, vt sit Iudæis credendi fiducia illi. Itaque cum Thessalonicensibus scribit Apostolus, docet omnes in re huiuscemodi cautas esse debere. *Non meministis quòd me adhuc apud vos agente hæc dicebantur vobis? Et nunc quid detineat scitis, ad hoc vt reueletur ille in suo tempore.*) Hoc superesse dicit, vt reueletur ille qui ante dominum venturus est, vt iam speretur & dominus venturus quod supra quasi sub velamine factus est, dicens: Nisi prius venerit defectio, quam regni Romani abolitionem superius intelligendam memorauit: vt cùm defecerit, & venerit Antichristus, tunc aduentus domini imminere credatur. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis tantum, vt qui nunc tenet, teneat, quousque de medio fiat.*) Mysterium iniquitatis & à Nerone inceptum est, qui zelo idolorum & apostolos interfecit, instigante patre suo

Ioan.5.

diabolo, vſq; ad Diocletianum, & nouiſſimè Iulianum, qui arte quadam & ſubtilitate cœptam perſecutionem implere non potuit quia deſuper cõceſſum non fuerat. His enim miniſtris vtitur ſatanas, vt interim ſub turba deorum ad ſeducendos homines vnius veri dei manifeſtatione illudat, quãdiu ſteterit regnum Romanum. hoc eſt, quod dixit donec de medio fiat. *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuminatione præſentiæ ſuæ. Cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſatanæ in omni poteſtate & ſignis & prodigiis mendacy.*) Poſt defectũ regni Romani apparituru Antichriſtũ dicit, ſicut memoratum eſt. Nouiſſimo enim tempore ſciens diabolus imminere ſibi interitum, deficiente autem regno Romano, & ille de cœlis mittetur deorſum proiectus in terram, ſicut dictum eſt in Apocalypſi Ioãnis apoſtoli, ſubornabit ſibi in quo & per quẽ ſigna quædam virtutis permiſſu iuſti dei faciẽs, ſe commendet vt adoretur quaſi ſit deus. Imitabitur enim, vt ſicut filius dei diuinitatem ſuam homo natus vel factus ſignis ac virtutibus demonſtrauit, ita & ſatanas in homine apparebit, vt virtutibus mendacij oſtendat ſe deum, ſicut ſuprà dictum eſt. Reuelatio verò myſterij iniquitatis hæc eſt. Cum enim apparuerit Antichriſtus, cognoſcetur ipſe eſſe quaſi eorum deus, quos prius nutu eius vt deos coluit vulgus, quorum ſit ipſe primus, aut ſummus quod ſignorum virtutibus faciet credibile. Ideo portenta mẽdacij dixit, quia hoc ſe vult credi per ſigna quod non eſt, vt decipiat quos circunuenturus eſt. Quod ſanctis ideo prædictum eſt, vt ſciãt quid caueant. *In omni fallacia iniquitatis iis qui pereunt, pro eo quòd dilectionem veritatis non ſuſceperunt ad hoc vt ſalui fierent.*) Iis dicit fallaciam iniquitatis prodigiorum eius proficere, qui perituri ſunt. Quia enim veritatis charitatem ſpreuerunt, per quam ſaluari potuerãt apoſtolis prædicantibus: traditi ſunt diabolo. nolentes enim ſaluari, deſeruntur à deo. *Et idcirco mittit illis deus operationem erroris in hoc vt credant mendacio, quatenus iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.*) Operatio erroris eſt falſis fidem committere, vt qui claritatem lumins diem eſſe cõſentire noluerunt, putent tenebras diem dici debere, vt poſſint propenſiori delicto rei facti ſine contradictione damnari veritatis inimici, fautores autem iniquitatis. *Nos verò debemus gratias agere deo ſemper de vobis fratres dilecti à domino, quia aſſumpſit vos deus à principio ad ſalutem in ſanctificatione ſpiritus, & fide veritatis, in quam & vocauit vos per euangelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ domini noſtri Ieſu Chriſti.*) Hoc loco præſcientia dei perſonat, qui ſcit omnium mentes ante natiuitatem eorum. Nec enim latet illum qui crediturí ſunt. idcirco à principio ſcit hos fideles fore qui credẽtes augmentum fidei faciunt, non detrimentum. Sanctificati enim per fidem veritatis euangelij filij dei acquiruntur ad augmẽtum gloriæ corporis Chriſti, ſicut in alia epiſtola ait: Vt creſcant, inquit, omnia in incrementum dei. Quicunque enim deſerto diabolo confugiunt ad fidem Chriſti, augmentum faciunt deo in corpore Chriſti, qui prius fecerant detrimentum. *Itaque fratres, ſtate, & tenete traditiones noſtras quas didiciſtis ſiue per verbum, ſiue per epiſtolam noſtram.*) Vt præſcientia dei maneat in ſalutem illorum, idcirco in traditione euangelij ſtandum ac perſeuerandum monet, vt ſoliciti ſint ne deſidia & ocio torpentes in operibus dei, non impleant quod cœperũt. Sic enim præſcit credere & poſſe manere, ſi crebra admonitione pulſentur. *Ipſe autem dominus noſter Ieſus Chriſtus, & deus pater qui dilexit nos & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratiam, cõſoletur corda veſtra, & ſtabiliat in omni opere & verbo bono.*) Quoniam pater & filius vna virtus, vnaq; diuinitas & ſubſtantia eſt: ideo non dubitauit primum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum nominare, deinde deum patrem noſtrum, dignatione eius, non veritate naturæ: qui intantum dilexit nos, vt filium ſuum daret pro nobis, deum pro hominibus, pro ſeruis dominum, pro adoptiuis filium verum: vt mors eius, vita noſtra ſit: & reſurrectio eius, iuſtificatio noſtra. Secundus autem aduentus eius, requies vitæ noſtræ & gloria in æternum, vt iſta ſpes conſolatio ſit præſentium preſſura-

Eſaiæ 11.

rum, per quam fundati creſcerent in bonis operibus & doctrina.

CAPVT TERTIVM.

Quod reliquum eſt fratres orate pro nobis, vt verbum domini currat & clarificetur, ſicut & apud vos, & liberemur ab iniquis & nequam hominibus. Non enim omnium eſt fides.) Decætero orãdum hortatur vt dignetur deus doctrinam ſuam infatigabili curſu dirigere & transfundere per os Apoſtoli ſui in aures audientium, & vt compeſceret & ſedaret malorum hominum ſeditiones qui diffidunt veritati. & loquendi fiducia creſceret Apoſtolo ad eius fructum, & conuerſionem multorum. *Fidelis autem deus, qui ſtabiliet vos, & cuſtodiet à malo.*) Quoniam deus fidelibus & bonæ vitæ hominibus auxilium ſuum non defuturum in neceſſitate promiſit ad cõfirmationem illorum, ij autem tam in fide quàm in opere æmuli erãt bonorum: idcirco fidelem deum dicit in promiſſis eius, quia prouidentia eius eſſet circa eos. *Confidimus autem in domino de vobis, quoniã ea quæ præcepimus, & facitis & facietis.*) Propter quod mereri illos, vt dei defenſione tutos præſtari confideret, idcirco ea quæ illis præcipiebat in nomine domini fieri ab illis & futura eſſe nõ dubitabat. *Dominus autẽ dirigat corda veſtra in dilectione dei, & expectatione Chriſti.*) Hoc illis exoptat à deo, quod non ambigit poſſe præſtari, vt in dei charitate cor eorum proficeret ad expectandum aduentum domini, vt contempto ſeculo deſideretur aduentus eius qui ſeculum vicit. *Denunciamus vobis fratres in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti ſecernere vos ab omni fratre intemperãter ambulante, & non ſecundum traditionem quam acceperũt à nobis.*) Quoniam in omni plebe non omnes obedientes ſunt verbo doctrinæ, non legis, ſed ſuum placitum & conſilium ſequentes: propter hoc declinandum ab his præcepit, vt cognoſcãt ſemetipſos errare. *Ipſi enim ſcitis quemadmodum debeatis imitari nos, quia non intemperãter viximus apud vos, neque gratis panem edimus à quoquam, ſed in labore & fatigatione nocte die-que operantes, ad hoc ne graues eſſemus cuiquam veſtrum, non quia nõ habuerimus poteſtatem, ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandos nos.*) Non illos dicit ignaros operis & laboris ſui quẽ ſedulo exitu operabatur, ne pane indigeret alieno, vt exemplum daret eis ad imitãdum illum. Neque enim reprehẽſibile eſſet ſi panem ab his reciperet ad corporis curam, qui animis illorum eſcam ſpiritalem præbebat, quæ etiam corpori immortalitatem cum gloria procuraret. Tunc etenim exerta poteſt eſſe libertas ſi ſemetipſum quis ventris cauſa aut pecuniæ nulli ſubiiciat, ſuo pane contentus, maximè quod ad laudem magis proficit, ſi cùm liceat, & ſit ſumendi poteſtas, contineat. Hic talis prodeſſe poteſt audientibus ſe. Reuerentiam enim habebunt rigoris huius: & ea quę ab hoc mãdantur, prætermitti non poterũt. *Nam cum eſſemus apud vos, hoc præcipiebamus vobis, quòd ſi quis non vult operari, nec mãducet.*) Nõ ſolùm verbis docebat, ſed hortabatur & factis. Idonei enim magiſtri eſt ſi ea quæ verbis docet, operibus expleat. Tũc enim addiſcentes vera eſſe ſciunt quæ audiunt, ſi negligi illa non viderint à doctore. Quãuis enim manifeſtè vera eſſe non ignorentur quæ docentur: tamen ſi negligi cœperint à magiſtro, difficilè proficient audiẽtibus. Magis enim opera ſuadent quàm verba. Quamobrem magis præmiis remunerandi ſunt, qui negligentibus magiſtris, de ſolis verbis proficiunt tam in opere quàm in ſenſu. Forma enim erat iis qui mediocris vel tenuis erant ſubſtantiæ in plebe, vt diſcerent quatenus libertatem ſuam non amitterent. Vnde & Salomon, Raro, inquit, inferes pedem ad amicum tuum, ne ſaturatus tui oderit te. Qui enim frequenter ad alienam menſam conuenit, ocio deditus aduletur neceſſe eſt paſcenti ſe: cùm religio noſtra ad libertatem homines aduocet. Ideóque ſi quis, inquit, manducare ſpernit, ceſſet à labore vt quia nullus ſine cibo poteſt viuere, det operam laborandi, vt arbitrio ſuo viuens deum poſſit habere propitium. *Audiuimus enim quoſdam ambulare inter vos intemperanter, nihil operantes ſed curioſè agentes.*) Qui ocioſi eſſe

Act. 20. 1. Cor. 4. 1. Theſſ. 2.

Prou. 25.

esse desiderant, id agunt quatenus occasio nascatur qua introitum suum desiderabilem faciant domibus diuitum, amb-
bulantes gesta & opiniones verborum subtiliter colligunt, scientes quid de quo velint audire, vt libenter & requisiti
pascantur. Quod factum valde abhorret disciplina domi-
nica. Horum enim venter, deus est, qui fœda cura necessa-
ria prouident. *His igitur huiuscemodi denunciamus & exhor-
tamur in domino Iesu Christo, vt cum quiete operantes suum panem
manducent.*) Vt eis facilius suadeat interposito nomine do-
mini Iesu Christi exhortatur eos, vt obaudiant quid eis sit
vtile. *Vos autem fratres, nolite deficere in benefaciendo. Quòd si
quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & nolite
cum eo conuersari, vt reuerentia confundatur. Non velut inimicum
existimetis, sed monete consiliis vt fratrem.*) Propter quod supe-
rius vnumquemque suum panem manducare debere præ-
cepit: ne fortè quidam illorum occasionem parcitatis & in-
humanitatis captarent, ideo statim subiecit: Vos autem, in-
quit, fratres, nolite defatigari benefacientes. Neque enim
in reprehensionem venit qui humanus in largiendo est, sed
hic qui cùm possit laborem ferre, in ocio vult vitam agere.
Quem si epistolæ authoritas non corrigit, notandum hunc,
nec conuersandum cum eo præcipit, vt confusus qui ab om-
nibus euitatur, subiiceret se præceptis apostoli. Quod tamẽ
sine iracundia & contumelia vult fieri, vt patienter decline-
tur ab eo: ita tamen, vt si res attulerit loqui cum eo, monen-
dum illum vt patiatur se corripi, nec vltra præcepta apostoli
contemnenda: familiaritatem quoque tamdiu cum eo non
habere, quandiu obaudiens fiat. Nam si ad iracundiam con-
tumeliis lacessatur, peior se fiet. Incitatur enim ad conten-
tionem, & incipiet erratum suum velle defendere, post au-
tem erubescere emendare se: ne quod prius excusabat, po-
stea fateri videatur. *Ipse autem deus pacis det vobis pacem semper
in omni loco. Dominus cum omnibus vobis semper.*) Quod suum
est, bono voto illos prosequitur quasi charissimos filios, o-
ptans semper cum illis pacem manere, quæ est dux ad vitam
æternam. Cum his enim dominus se esse promisit qui fue-
rint pacifici. *Ipsa salutatio mea manu Pauli, quod est signum in
omni epistola, ita scribo.*) Propter interpolas & adulteratores
scripturarum, semper se manu sua in omni epistola sua salu-
tationem subscribere testatur, vt sub nomine eius epistola
accepto ferri non possit quæ non fuerit manu eius subscri-
pta. *Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis, Amen.*)
Hæc salutatio manu Apostoli conscripta est, qua gratiam
domini nostri Iesu Christi optat esse cum eis. Amen.

Diui Ambrosij
MEDIOLANEN. EPISCOPI,
Commentarij in Epistolam beati Pauli ad Timotheum I.

Præfatio.

Timotheus filius fuit mulieris Iudææ fidelis, patre Græco, cuius caussa paruulus circuncidi non po-
tuit. Qui studio matris suæ sacras literas didicit, quibus operam dans bonam sibi vitam instituit. Hunc Apostolus cùm voluisset assumere, sciens idoneum fore dispensatorem euangelicæ veritatis, caussa Iudæorum compulsus est circuncidere eum instantibus eis, vt qui matre Iudæa natus esset, incircuncisus assumi non deberet ad magisterium propter testimonium generis. Hunc ergo iam creatum episcopum instruit per epistolam quomodo debe-
ret ecclesiam ordinare.

CAPVT PRIMVM.

A

Paulus Apostolus Christi Iesu secũdum imperium dei & saluatoris nostri Christi Iesu spei nostræ. Timotheo germano filio in fide, gratia, misericordia, pax à deo patre & Christo Iesu domino nostro.) Patris & filij imperio apostolum se factum ostendit, vt in deo patre salutem, & Christo filio eius spem prędicaret, vt quia nemo negat salutem esse in deo, nec quisquam dubitaret spem esse in Christo Iesu, quem à mortuis excitatum exemplum huius spei dedisse cognosceret. Hoc modo scribit Timotheo, vt securus esset de sua ordinatione, quia imperio patris & filij electus esset ad docendum. Quem verum filium appellat, sed in fide, sicut dicit ad Corinthios: In Christo enim Iesu, inquit, per euangelium ego vos genui. Hæc vera & firma generatio est, quæ nescit occasum, nescit morbos & pestilentiam, & quæ ignorat famem & sitim. Dicit autem in regno dei nullius egere, quia
B futura est dono dei immortalitas gloriosa in regno dei & Christi, quorum gratiam & misericordiam & pacem exoptat cum isto manere. *Sicut rogaui te subremanere Ephesi cum irem in Macedoniam, vt denuncies quibusdam ne aliter doceant, neque intendant fabulis & genealogiis infinitis, quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem dei, quæ est in fide.*) Filius à patre rogari non debuit, sed propter charitatis affectum, & vt illi formam humilitatis ostenderet, obtecrat episcopus coëpiscopum suum, ne pateretur Iudæos aliter populum quàm ab Apostolo tradebatur docere, ne oblectarentur fabulis, quas narrare consueti sunt Iudæi de generatione suarum originum de Abraham & Isaac & cæteris patriarchis, & de circuncisione & iis quæ postea tradita sunt à Moyse: ne circunuenirentur ad hæc colenda quæ carnaliter data fuerant. Quid enim opus est, generationum, quas constat esse infinitas per traducem, facere mentionem, & quid & quatenus factum est sub vnoquoque eorum, & non potius compendio per fidem salutem quærere? Inde enim quæstiones
C oriuntur, cùm quid & quando, & quomodo, & quare factum est, tractatur: quæ res impedit salutem. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non simulata: à quibus quidam errantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant.*) Quoniam omnium maior est charitas, hanc finem esse dixit, id est, perfectionis consummationem omnium præceptorum, si tamen ex corde puro sit & bona conscientia. Vera enim charitas non potest malam vitam agere, nec simulatam fidem habere, in quibus omnis lex impletur & prophetæ. Quidam autem Iudæorum mysterium legis ignorantes & prophetarum, quia vsque ad Christum seruanda sunt tradita, errauerunt, putantes prædicato Christo & legem factorum in Neomeniis & & circuncisione & escis discernendis seruari debere. Idcirco in vaniloquium dicit eos conuersos, quia volebant docere quæ ignorabant. *Scimus autem quia bona est lex si quis ea legitime vtatur, certum habens hoc, quod iusto lex non est posita, iniustis verò & inobsequentibus, impiis & peccatoribus,*
D *scelestis & prophanis, patricidis & matricidis & fornicatoribus, homicidis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum euangelium gloriæ beati dei, quod creditum est mihi.*) Bonam esse legem quæ per Moysem data est non negat, ita tamen, vt sensus eius sciatur & quomodo data est accipiatur. Hic enim scit legem, & qua caussa data sit, qui prædicato Christo deserit illam ex parte qua lex factorum appellatur: circa dilectionem autẽ dei vratur ea, asserens & affirmans quæ à saluatore dicta sunt in lege & prophetis. Hic enim legitimè vtitur lege, qui potest discernere ea quæ ad tempus data sunt ab iis quę perpetua sunt: & quę ad Christi pertinẽt sacramẽtum, seruari iam in futurũ non oportere, quasi venturus credatur qui iam venit. Si enim omnia locis suis accipiãtur, bona sunt: si quo minus, mala erunt asserenti peruersè. Peccare est enim vnaquæque minimè locis suis exponere. Prætereà

Act. 16.

1. Corint. 4.

Rom. 7.

quia

quia iustis lege non opus est,id est,iis qui accepta remissione peccatorum iustificati sunt,ne iam viuant sub lege,à qua liberati sunt dono dei per fidem Christi,vt decætero seruata lege naturæ, quæ creatoris cognitionem recepit, & non peccari hortatur:iudicij diem expectent, in quo iusti remunerandi sunt,custodientes legem naturalem:quam si humanum genus ducem habuisset,lex in literis per Moysem data non esset. Sed quia contemptui ducta est quasi nullius esset authoritatis,scriptura firmata est, vt sciretur quòd seruanda esset & propter tempus præsens, & quia requisiturus est in futurum qui illam firmauit, à quibus neglecta, & à quibus seruata est. Itaque non solum propter malos actus & vitia corporis legem datam dicit,sed & propter perfidiã qua spernebant creatorem,vt bene viuere addiscerent,& gratias agerent conditori. *Et gratias ago ei qui me confortauit Christo Iesu domino nostro, quòd fidelem me existimauit, ponens in ministerium qui prius eram blasphemus,& persecutor,& contumeliosus:sed misericordiam consecutus sum,quia ignorans feci nondum credens. Superabũdauit autem gratia domini nostri cum fide & dilectione quæ est in Christo Iesu.*) Propter quod omnis incredulus infirmitatem animi patitur, constrictus carnali ratione ne credat spiritali:idcirco se Christo gratias dicit agere,quia apparentia maiestatis suæ imbecillitatem mẽtis suæ roborauit:quia impossibile putabat esse quod de domini potestate & gemina natiuitate & resurrectione & spe prædicabatur. Confirmatus autem talis visus est qui dignus esset ac posset esse dispensator sacramenti dominici, vt ea vera per legem firmaret quæ prius amore legis incredibilia iudicabat, & in persecutionibus gauderet quas prius quasi iustè credẽtibus inferebat:dolens quia fecerat:lætus quia patiebatur. Tantam enim spem didicerat in eo quem antè negabat, vt plus gauderet in patiendo, quàm prius exultauerat in persequendo.

* potuit cùm resipuit.

Non enim malitia hoc agebat,sed errore,cui facilè * potest cùm resipiscit ignosci. Qui autẽ scit vera esse quæ negat,hic non errore hoc agit,sed maleuolentia.huius incurabile vulnus est. Inuidia enim cõpellitur falsum appellare quod scit verum. *Humanus sermo,& omni acceptione dignus,quia Christus Iesus venit in hunc mũdum peccatores saluos facere:quorum primus sum ego. Sed ideo misericordiam consecutus sum,vt in me ostenderet Christus Iesus omnem magnanimitatem & patientiam ad exemplum eorum qui crediturí sunt illi in vitam æternam*) Quid tam gratum,támque iucundum quàm peccatoribus indulgentiã prædicare? Quis enim sine peccato est, vt hoc munus non cum omni gratiarum actione suscipiat,deum authorem huius præferens, & collaudans in Christo? Qui vt hominem peccatis ablueret, de cœlestibus ad terrena descendens carnem peccati accepit:terrenis se admiscuit, vt eum cœlestem efficeret. Mori se passus est,vt illum morte erutum paradiso redderet immortalem. Quis hæc beneficia non in infinitum extollat,quæ deus præstitit homini,dominus seruo,cõditor creaturæ: vt plus esset adhuc in beneficiis humanis, quàm cùm fecit quæ non erant posteaquàm fecit? Etenim derelictus ab his & contemptus, & contumeliis appetitus, addit ad beneficia nõ requisitus,vt gratior esset,& plus præferendus dum reparat,quàm cùm fecit:vt ostenderet vnum se esse qui hæc omnia possit. Igitur sic Christus præsidium tulit homini, vt puritatem suam non violaret, nec amitteret potestatẽ. Hominem enim se nasci voluit,pro certo habens carnis contactu minimè se violari. Conuersationi humanæ se miscuit,sciens peccatis se corrumpi non posse. Occidi se passus est,non nescius mortem sibi dominari nõ posse,sed eam sua opprimere potestate.Hæc ergo gessit,vt omnia se posse doceret.Humilitas enim ista non ad diminutionem eius proficit,sed ad gloriam:& non solum eius,verum etiam in ipsum credentium. Dignitas est enim seruum esse potẽtis. Cùm ante apostolum multi vtique credidissent Iudæorum ex iis qui dominum occiderunt, Apostolus tamen vt se humiliet adhuc dolens de sua incredulitate,primum se omnium peccantium vocat.Quoniam enim præ cæteris sacramento se imbuit saluatoris, propius ad cognoscendam magnificentiam eius accedens,accusat se magis,qui tantum boni tardè agnouit, nec vltrò, sed misericordia eius quem prius vt hominem mortuum æstimabat.Hæc accusatio eius est, laus verò saluatoris, qui ad exemplum cæterorum credentium persequentem se vocauit ad gratiam,vt per patientiam suam & magnanimitatem in eo ostẽderet cæteris, qui inimico tam beneuolus extitit,qualis esset futurus ad se decurrẽtibus.*Regi autem seculorum immortali,inuisibili,soli deo honor & gloria in secula seculorũ,amen.*) Hæc ad dei patris personam pertinẽt,quem immortalem ideo solum & inuisibilem appellat,quia omnis immortalitas ab ipso est,vt ipsi soli magis competat in veritate, quia quisquis immortalis est,nõ à se hãc habet,sed ab illo. Simili modo & in euãgelio legitur domino dicẽte:Quia nemo est,inquit,bonus nisi vnus deus. Et iterum ipse dicit:Bonus homo de bono thesauro profert bona.Nemo tamen nisi vnus deus bonus est,quia ipse fons bonitatis est,ex quo cæteri potantur vt boni sint.Ipse est & inuisibilis solus deus,quia nulli vnquam visus est. Omnia enim agit per filium,quem idcirco visum dicimus,vt licet aliter quàm est apparuisset,tamen illum significemus.Honorificentiam ergo & gloriã deo patri in veritate pronunciat, cuius pietate & prouidẽtia Christus liberauit peccatores ex morte.*Hoc præceptum commendo tibi fili Timotheæ,secundum præcedentes super te prophetias, vt milites in illis bonam malitiam, habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt, ex quibus sunt Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.*) Postquàm dei patris & Christi filij eius quæ & quanta beneficia sint circa peccatores homines memorauit, qui cùm essent puniendi, non solum ignouit eis,sed & iustificauit,& in filios sibi adoptauit, quo ordine populũ disciplina ecclesiastica imbueret in subiectis ostendit, commonens vt memor electionis suæ sanctus Timotheus id ad quod prædestinatus est, impleat. Prædestinatus est enim quando ad hoc ab Apostolo assumptus est, vt ordinaretur dignus iudicatus futurus episcopus, vt impleret militiam euangelicam in fide, & pura conscientia. Qui enim fideliter docet,non potest malam habere conscientiam. Tunc enim fidem exhibet prædicationi, si se abstineat à contrariis omnibus,quia exemplo bonorum operum multos lacessit ad credulitatem,fidentes de spe prædicationis. Nam qui fidem spernit: proculdubio malæ est conscientiæ. Aut enim hypocrita prædicatur, aut apertus blasphemus,sicut erant Hymenæus & Alexander,qui deserentes fidem naufragi facti sunt,id est,nudi veritate,aut priuati vita. Quid est enim veritas nisi vita? Quos tradidisse se dicit satanæ,vt emendarentur causa blasphemiæ. Traditio autem hæc est, quia commotus Apostolus blasphemiis eorum sententiam protulit in eos.Diabolus autem qui ad hoc paratus est, vt auersos à deo accipiat in potestatem: audita sententia corripit eos, vt intelligerent hac causa se pœnis astringi,qui blasphemauerant.Hinc est vnde in euangelio dictum est inter cætera:Iam noli peccare,ne quid tibi deterius contingat. ostendens causa peccati aliquando infirmitates inferri corporibus. Et quia ministro diabolo fiunt,declarauit dominus dicens inter multa:Hæc autem cùm sit filia Abrahæ, quam alligauerat satanas decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo die sabbati?

Matth.9. Marc.2.

Marc.10. Matth.19.

Ioan.5.

Luca13.

CAPVT SECVNDVM.

Exhortare ergo primum omnium fieri deprecationes, orationes,postulationes,gratiarum actiones pro omnibus hominibus,pro regibus, & pro omnibus qui in sublimiori loco positi sunt, vt placitam & quietam vitam degamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum & acceptum est coram saluatore nostro deo,qui omnes homines vult saluos fieri,& in agnitionem veritatis venire.)Hæc regula ecclesiastica est tradita à magistrò gentium,qua vtuntur sacerdotes nostri vt pro omnibus supplicent:deprecãtes pro regibus huius seculi vt subiectas habeant gentes, vt in pace positi, in tranquillitate mentis & quiete deo domino seruire possimus.Orantes etiã pro iis quibus sublimis potestas est credita, vt in iustitia & veritate gubernent rempublicam, suppeditante rerum abun-

abundantia, vt amota perturbatione seditionis, succedat lætitia. Panis enim confirmat cor, & vinum lætificat mentem. Postulantes verò pro iis qui in necessitate varia sunt, vt eruti & liberati, deum collaudent incolumitatis authorem. Referentes quoque gratiarum actiones pro iis quæ nobis quotidie dei prouidentia præstantur ad vitam, vt in his omnibus pater collaudetur deus, ex quo sunt omnia: & filius eius, per quem sunt omnia. vt sopitis omnibus quæ huic imperio infesta & inimica sunt, in affectu pietatis & castitatis deo seruire possimus. Perturbatio enim & captiuitas nec pietatem seruat, nec castitatem. Vnde enim pius qui nudus est? & vnde castitas, vbi potestatis suæ non est? Vt hæc ergo seruari possint, quies necessaria est, vt placita deo reddantur obsequia, qui omnes homines saluos vult fieri, & cognoscere veritatem. Hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solum & verum deum, & quem misisti Iesum Christum. Si deus, vtique qui omnipotens dicitur, omnes homines saluos vult fieri: cur non impletur eius voluntas? Sed in omni locutione sensus est, conditio latet. Vnde dicit Petrus apostolus: Omnis scriptura indiget interpretatione. Vult enim deus omnes saluos fieri, sed si accedant ad eum. Non enim sic vult, vt nolentes saluentur: sed vult illos saluari, si & ipsi velint. Nam vtique qui legem omnibus dedit, nullum excepit à salute. Nunquid non medicus idcirco proponit in publico, vt omnes se ostendat velle saluare: si tamen ab ægris requiratur? Non est enim vera salus si nolenti tribuatur, nec gaudere potest in percepta salute qui inuitus, si tamen fieri potest, accepit medicinam: vt non dicam quia medicinæ effectum habere non potest, nisi ad illam æger animum commodauerit, quia hæc medicina non est corporalis, sed spiritalis, quæ neque dubiis proficit, neque inuidis. Fides est enim quæ dat salutem: quam nisi mens tota susceperit voluntate, non solum nihil proderit, sed & oberit. Fidei etenim gratia hanc habet potestatem, vt deuotis sibi diuinam infundat medelam, indeuotis verò cõferat morbum per quem totus homo intereat. *Vnus enim deus, vnus & mediator dei & hominum, homo Christus Iesus.*) Dei & Christi vnam significat esse voluntatem in saluandis hominibus: Vnde deum patrem, quia ab ipso est omnis authoritas, vnum esse fatetur, & vnum mediatorem dei & hominum Christũ Iesum. Missus enim à patre factus arbiter reconciliauit deũ & homines, reformando eos ad agnitionem eius. Quia enim vnus est pater & filius, non persona, sed indifferenti natura: vt arbiter esset dei & hominum, filius dei assumpta carne homo natus est, vt mediator dei & hominum homo esset Christus Iesus, id est, non sine diuinitate, quia in deo homo erat, & deus in homine: & vt ex vtroque esset mediator, & vtrunque reconciliaret, in se primum hoc fecit. Non enim poterat vnitatem dei custodiens, mediator dei & hominum vocari, quasi alius esset deus qui dissidentem hominem à deo in gratiam reuocaret: sed homo qui legem datam non præteriret, factus est arbiter inter eum qui peccauit, & inter illum qui peccare ignorat, vt hic ignosceret, & homo decætero in dei fide maneret. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Cuius testimonium temporibus suis datum est, in quo positus sum ego prædicator & apostolus veritatem dico, non mentior, magister gentium in fide & veritate.*) Quoniam homo reconciliatus iam deo, obnoxius erat morti infernæ, ne ad deum cui reconciliatus erat, possit ascendere: saluator vt arbitrium suum ad effectum perduceret, mori se passus est, contra ius, vt descendens ad inferos mortem de impietate quam in eo gesserat, damnaret, auferens ei quos tenebat, vt decætero quisquis signum eius haberet, ab ea teneri non posset. Cuius rei testimonium tempore quo resurrexit, ostendit. Destructio enim mortis, resurrectio mortuorum est. Quam spem missus est hic Apostolus gentibus prædicare, vt ab eo discerent quæ spes esset in Christo. Hic enim datus est magister, vt fidem doceret & veritatem. *Volo itaque orare viros in omni loco, leuantes sanctas manus sine ira & disceptatione.*) Pacificum ánimum in oratione esse debere, vt ad effectum deducatur oratio. Sanctæ enim manus sunt quando cor mundum est. Sic tamen in omni loco orandum præcipit, vt competens locus intelligatur, non vtique importuno aut sordido loco: quippe cùm prohibeat dominus vulgo orare: sed hoc monet, ne in sola ecclesia putarent orandum. *Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecundia & pudicitia, ornantes semetipsas non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste preciosa: sed (quod decet mulieres) professentes pietatem per opera bona.*) Humili habitu mulieres orare debere, non in iactantia. Qui enim vult audiri, inclinare se debet, amota à se põpa, vt misericordiam dei prouocet. Habitus enim superbus nec impetrat, nec recta de se facit credi. Quis enim prudentium iactanter ornatam mulierem non horreat? Quantò magis author deus, qui corpus à se liberum factum, obligatum metallis videt? Nam humilis habitus bonæ professioni congruit, vt possit non aliud æstimari, quam cernitur. Quæ autem in domo dei cum pompa se mauult videri, non vtique propter deum, sed propter homines consequitur quod vult, vt gloriosa videatur, nihil consecutura à deo nisi maculam. Quantò enim hominibus splendida videtur, tantò magis despicitur à deo. *Mulier in silentio discat, in omni subiectione. Docere autem mulieri non permittitur, neque dominari viro, sed esse in silentio.*) Non solum habitum humilem habere debere mulierem, verumetiam authoritatem ei denegandam & subiciẽdam præcipit viro, vt tam habitu quam obsequiis sub potestate sit viri, ex quo trahit originem. Adam enim primus creatus est, deinde Eua: & Adam non est seductus: mulier autem seducta facta est in præuaricationem. *Salua autem erit per filiorum generationem, si tamen in fide manserint & in dilectione & sanctimonia cum pudicitia.*) Præfert virum mulieri propter quod primus creatus est: vt inferior sit mulier, quia post virum & ex viro creata est. Adiicit & aliud, quia diabolus non virũ seduxit, sed mulierem. Vir autem per mulierẽ deceptus est: ac per hoc nulla illi concedenda audacia est, sed esse debet in humilitate: quia per illam mors intrauit in mundum. Salua autem erit, inquit, per filiorum generationem, si tamen in fide manserint & charitate & pura vita. Hos enim filios dicit qui regenerantur per fidem Christi: quia si in generatione sua perseuerauerint cum his liberabitur resurgens ex mortuis: non quo ab illis liberabitur, sed per illorum generationem, cùm credunt qui destinati sunt in vitam æternam, peruenitur ad resurrectionem ex mortuis, & fiet salua credentibus illis, & vitam castam agentibus. Tamdiu enim resurrectio suspensa est, quamdiu omnes credant prædestinati ad salutem.

1. Pet. 3.

1. Corin. 14.

Genes. 1.
Genes. 3.

CAPVT TERTIVM.

ad Titum 1.

HVmanus sermo est. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*) Quoniam episcopum bonæ vitæ esse oportet: idcirco qui episcopatum cupit, bonum opus desiderat. Hoc enim cupiens, bonam vitam appetere videtur, si tamẽ non ab iis declinet quæ in subiectis habentur, ne ambitione & desiderio pecuniæ hoc egisse videatur. *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse.*) Qualis episcopus debeat esse describit, vt nemo episcopatum appetat, nisi fuerit fidus, qui ab omnibus contrariis abstinere se potest, vt non indignus sit sua professione. *Vnius vxoris virum.*) Quamuis secundam numero vxorem non sit habere prohibitum: vt tamen quis dignus ad episcopatum sit, etiam licita debet spernere propter sublimitatem ipsius ordinis: quia cæteris melior debet esse, qui cupidus est sedis illius. *Sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, docibilem, non obnoxium vino, non verberatorem, sed modestum, non litigiosum, non asperum, domum suam bene regentem, filios habentem subditos cum omni charitate.*) Talem hominem qui hæc custodiat quæ enumerat bona, creari dicit debere episcopum. Hæc enim signa sunt dignitatis episcopalis. Si autem quis potiora sectatus, & corpus & animam suam Deo dicauerit ne se copulet matrimonio, tantò magis dignus fiet. Ideo enim inferiorem posuit, vt de potiore nemo dubitaret. *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ diligentiam habebit?*) Manifestum est, quia tunc potest idoneus rector futurus probari, si

Luc. 1. bari, si prius domum suam rectè gubernauerit. Qui enim in minimis fidelis est, & in magnis fidelis est. *Non Neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli.*) Verum est, quia rudis in fide solet extolli superbia, maximè si accipiat ordinem. Nouitate enim & potestate inflatur arbitrans se prę cæteris digniorem. Videns enim primo anno natiuitatis collatum in se honorem, putat non magis ad suum, sed ad aliorum profectum se vocatum, quasi beneficium religioni det magis quàm accipiat ab ea, per quam rem elatus incurrit laqueum diaboli. Inuenta enim occasione superbiæ illius satanas præcipitat eum. Ideoque in Salomone legitur: Superbis deus resistit. Vnde & in alia epistola idem Apo-
Gal. 6. stolus ait: Qui se putat esse aliquid, seipsum seducit. Et do-
Luc. 14. minus, Qui se, inquit, exaltauerit, humiliabitur. *Oportet autem eum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.*) Sensum dominicum secutus ait: Oportet futurum episcopum testimonium bonum habere ab extraneis: quia qui in minimis fidelis est, & in magnis, sicut dicit dominus. Si in alieno mammona fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? vt hic qui in mundanis rebus & cõuersatione humana fidelis minimè inuenitur, dubium non sit quia & in diuinis rebus idoneus non erit. Si autem hominibus fidem exhibuerit, multò magis deo. *Ne in opprobrium incidat, & laqueum diaboli.*) Si timorem dei ante oculos non habuerit episcopus, tempori magis se commendans: hunc quasi infidelem & pseudoprophetam deserit deus, & difformis videbitur omnibus & maculosus, quia aliter facit quàm prædicat, verbis suis ipse se accusans, quia deputatus est gregi satanæ. Tunc enim vera se probat prædicare, si ea conetur & gerere. Magna ergo cura eligendus est qui domum dei regendam accipiat. Si enim terrestriũ rerum dispensatores idonei quęrendi sunt, quantò magis cœlestium? *Diaconos pari modo pudicos, non bilingues, non vino multo deditos, non turpibus lucris vacãtes, habentes mysterium fidei in conscientia pura: & hi autem probentur primum, & sic ministrent sine crimine.*) Qui tanta cura diaconos eligendos præcipit, quos constat ministros esse sacerdotum: quales vult esse episcopos, nisi sicut ipse ait, irrepreheñsibiles? Negocia tamen publica, turpia, vilia lucra non habentes. Scit enim ideo negociari, vt capiant lucra, nec aliud profitetur quàm gerit. Turpia autem lucra hæc dicit esse, si sub pia professione quæstibus studeatur. Turpis enim deprehenditur cùm se purum ostentat. Post episcopum tamen diaconatus ordinationem subiecit. Quare? nisi quia episcopi & presbyteri vna ordinatio est. vterque enim sacercerdos est. Sed episcopus prim⁹ est, vt omnis episcopus presbyter sit, non tamen omnis presbyter episcopus. Hic enim episcopus est qui inter presbyteros primus est. Denique Timotheum presbyterum ordinatum significat: sed quia ante se alterum non habebat, episcopus erat. Vnde & quemadmodum episcopum ordinet, ostendit. Neque enim fas erat aut licebat vt inferior ordinaret maiorem. Nemo enim tribuit quod non accepit. *Mulieres similiter pudicas, non studentes discordiæ, sed sobrias, fideles in omnibus.*) Quia sanctum præcepit creari episcopum, adæquè & diaconũ: non vtique disparem
Leuit. 19. vult esse plebem: quippe cùm dicat dominus: Sancti estote, quia & ego sanctus sum. Ideóque etiam mulieres quæ inferiores videntur, sine crimine vult esse, vt munda sit ecclesia dei. Sed Cataphrygæ erroris occasionem captantes, propter quod post diaconos mulieres alloquitur, etiam ipsas diaconas ordinari debere vana prę sumptione defendũt, cùm sciãt apostolos septem diaconos elegisse. Nunquid nulla mulier tunc idonea inuẽta est, cùm inter vndecim apostolos sanctas mulieres fuisse legamus? Sed vt hæretici animum suum verbis non sensu legis astruere videantur, apostoli verbis con-
1. Tim. 2. tra sensum nituntur apostoli, vt cùm ille mulierem in ecclesia in silentio esse debere præcipiat, illi ecõtrà etiam authoritatem in ecclesia vindicent ministerij. *Diacones sint vnius vxoris viri, filios bene regẽtes, & domos proprias. Qui enim bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirunt, & multam fiduciam in fide quæ est in Christo Iesu.*) Ea quæ minus dixerat de ordinatione diaconatus, nunc subiecit. Ostendit etiam istos vnius vxoris viros esse debere, vt hi ad ministerium dei eligantur qui non sunt egressi constitutum dei. Homini enim vnam
A vxorem decreuit deus, cum qua benedicatur. Nemo enim cum secunda benedicitur. Qui si filios bene gubernauerint, & domos suas, id est, vernaculos aut domesticos, poterunt digni fieri sacerdotio, & fiduciã habere apud deum, vt sciãt se posse impetrare quod postulant, iam decætero se ab vsu fœminæ cohibentes. Veteribus enim idcirco concessum est leuitis aut sacerdotibus vxores ad vsum habere: quia multũ tempus ocio vacabant à ministerio aut sacerdotio. Multitudo enim erat sacerdotum, & magna copia leuitarum, & vnusquisque certo tempore seruiebat diuinis cæremoniis secũdum institutum Dauid. Hic enim viginti & quatuor classes cõstituit sacerdotum, vt vicibus deseruirent. Vnde Abia octauã classem habuit, cuius vice Zacharias fungebatur sacerdotio, sicut continetur in Paralipomenon, ita vt tempore
a. Paral. 23. quo non illos contingebat deseruire altari, domorum suarũ agerent curam. At vbi autem tempus imminebat ministerij, purificati aliquantis diebus accedebant ad templum offerre
B deo. Nunc autem septem diaconos esse oportet, aliquantos presbyteros, vt bini sint per ecclesias. & vnus in ciuitate episcopus, ac per hoc omnes à conuentu fœminæ abstinere debere, quia necesse est eos quotidie prę sto esse in ecclesia, nec habere dilarionem vt post conuentum legitimè purificentur sicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum est, etiam si non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada: & non desunt qui prope quotidie baptizentur ægri. Nam veteribus ideo concessum est, quia multo tempore in templo non videbantur, sed erant priuati. Si enim plebis hominibus orationis causa ad tempus abstinere se
C præcipit, vt vacent orationi, quantò magis leuitis aut sacerdotibus, quos die noctúque pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo esse debent cæteris, quia actores dei sunt. *Hæc tibi scribo, sperans citò me venire ad te. Si autem tardauero, vt scias quemadmodũ oporteat te in domo dei conuersari, quæ est ecclesia dei viui, columna & firmamentum veritatis.*) Quãtum ad sciẽtiam eius pertinebat hoc erat in eo quòd citius illum visurus esset. Sed quia solet aliud placere deo cuius prouidentia ipsi soli cognita est: idcirco ne fortè, inquit, tardem, scribo tibi vt scias quomodo ecclesiam ordines, quæ est domus dei, vt cùm totus mundus dei sit, ecclesia tamen domus eius dicatur, cuius hodie rector est Damasus. Mundus enim in præuaricatione est diuerso turbatus errore. Ideo illic necesse est dicatur esse domus dei & veritas, vbi secundum voluntatem suam timetur. Hoc profitẽtibus de eo seruis, quod ipse dignatus est edocere, ne fortè verba eius negarentur esse, virtutibus hæc signauit, quæ à nullo alio fieri possunt, vt his infidelitas accusata inexcusabilis pereat. Firmamentum enim veritatis huius signa sunt & prodigia. *Et quidem omniũ confessione magnum est huius pietatis mysterium.*) Nullum fideliũ admirari negat sacramentum veritatis in ecclesia prædicatę, quam pietatem appellat. Magnanimitatem enim & clemẽtiam suam cognoscentibus se diuina tribuit dona, excepta remissione peccatorum, quam hic in præsenti largitur. *Quod declaratum est in carne, iustificatum est in spiritu, visum est angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est*
D *in gloria.*) Sacramentum mysterij dei, quod est Christus in carne, dicit manifestatum quod latebat in spiritu. Natus enim homo filius dei, qui in secreto erat apud deum, opere & prædicatione declarauit se creaturæ. &, hoc est, iustificatum esse in spiritu, operibus & virtute clarusse eum qui erat in carne quis esset: deinde apparuisse angelis, non iam in forma humilitatis, sed in potestate. Tamdiu enim aspectu humilis visus est per carnem, quamdiu deuicta morte resurgeret à mortuis, & videretur maiestas eius qui natus vt homo, non erat totus homo: vt agnoscentes angeli mysterium quod prius latuit, declaratum in carne, genu illi flectentes quasi deo gratias agant, quia didicerunt veritatem quæ gẽtibus prædicata est, vt ab errore liberarentur: in quo mundus proficit, vt non damnetur. Ideo enim creditum est mundo dei sacramentum, vt perfidia eius veniam erroris mereri non possit: sicut dicit dominus de Iudæis: Si non venissem, Ioan. 15.
& locutus eis fuissem, peccatum non haberent. nunc autem excu-

excusationem non habebunt de peccato suo, quia quod velut infirmum & deforme contempserunt, assumptum est in gloria. Post crucē manifestata persona & virtute sua saluator palam famulātibus nubibus ascendit gloriosus in cœlos.

CAPVT QVARTVM.

Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes spiritus fallaces, doctrinas dæmoniorum in simulatione falsiloquorum, cauteriatam habentium conscientiam suam, prohibentium nubere, abstinere à cibis quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem, quia omnis creatura dei bona, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum dei, & orationem.) Quæ sibi spiritus sanctus futura reuelauerit ad institutionem ecclesiarum & cautelam, non tacet, vt præmonitæ ecclesiæ solicitæ sint ne ab huiusmodi possint circumueniri hominibus. Quid enim tam clarum tamque apertum ad euitandos aut magis condemnandos doctrinæ huius pestiferæ viros potuit manifesta voce præfari, nisi vt asseuerationem eorum, fallacem ac simulatam doctrinam dæmoniorum nuncuparet? vt cùm huius asseuerationis sermones audiuntur, à diabolo composita esse doctrina hæc sciretur, quam prædixerat spiritus sanctus, quę de incarnatione saluatoris asserit falsa, quæ nunc in Marcionitis, quanuis penè defecerint, vel Patritianis, aut maximè in Manichæis denotatur. Hi enim & Christum natum negant, & nuptias prohibent, & abstinendum à cibis tradunt. Quorum cauteriatam dicit conscientiam, hoc est simulatione corruptam, quia sicut cauterium corium corrumpit, & notam infligit, ita & fallacia conscientiam, quæ dolo maleuolentiæ aliud scit, & aliud profitetur, denotat ad perditionem. Iam enim hos imitari negat, vt saluentur: quia sicut cauterium immutari non potest, ita nec eorum animus emendari. Nihil enim prius simulatione. Tales enim ij sunt, quales & Iudæi illi qui intelligentes Christum dei virtute operari in Beelzebub hæc ab eo fieri dicebant. Vt enim fabricatorem hominis malè tractent, cum natos se non doleant, nuptias tamen prohibentes, Christo carnem subtrahunt, & vt ad eius iniuriam proficiant ab iis quæ vsibus nostris instituit, abstinendum docent, vt per id quod despiciuntur, mala esse, & à malo authore inuenta videantur. Hinc est vnde Apostolus omnia à deo bona facta ostendit: si tamen cum gratiarum actione sumantur. Immunda enim erunt ei qui non laudat in his creatorem. Nec enim possunt bene illi proficere qui sic illa sumit vt malè tractet authorem eorum. *Hæc igitur proponens fratribus bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ quam assecutus es.*) Quid tam verum, quid tam clarum & prouidum, nisi vt disciplina Christiana incorrupta tradatur, vt fructus eius in area dominica fertilis ac firmus collaudetur? Hoc est, vt in die iudicij non reprobus & igni comburendus censeatur. Hoc boni doctoris est atque idonei ministri domini Iesu Christi: quippe cùm enutritum hunc dicat verbis fidei & bonæ doctrinæ quam ab infantia hunc assecutum asserit. Qui enim integris omnibus Hebræorum libris imbutus erat, accepta fide perfectum fecit doctorem. *Prophanas autem & aniles fabulas abnue, exercens temetipsum ad pietatem. Corporalis enim exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ præsentis & futuræ.*) Prophana verba aduersa intelliguntur. Aniles autem fabulæ delyramenta sunt quædam. Hęc quorundam perstrepentium vocibus solent in cōtentionem deduci, vt quasi tractatus habeatur rei inanis, cuius affectus nullus est nisi vanitatis. Ab iis ergo quæ cōtraria sunt declinandum monet, simili modo & ab illis quæ anilia sunt vanitate quādam cōposita. Sunt enim aliqui qui calore animi mittunt se in disputationes huiusmodi. Pietati autem operam dandam commonet, quia grandem habet profectum. Qui enim misericordiæ student senioribus vicem reddentes parentibus, & in præsenti vita auxilia dei non deerunt illis, & in futuro immortalitatē habebunt cum gloria.

A Exercitium autem corporale ad modicum vtile dicit. Ieiunare enim & abstinere à cibis manente authoritate creatoris non multùm prodest, nisi addatur huic pietas, cuius opera multorum precibus adiuuatur ad dominum promerendum. Denique illos qui fratribus largi sunt, & variis titulis obsequentes, in vitam æternam proficere euangelicus sermo testatur: dissentientes autem ab hoc opere, in æternum ignem. Corporis autem exercitium nihil aliud quàm carnis frena sunt. Si quis ergo, quia misericordia magna res est, iubricum tamen carnis patiatur, huiusmodi quid fiet? sine dubio vapulabit, quia illud oportuit fieri, & hoc minimè prętermitti. Si autem solum corporis habuit exercitium, perennes pœnas patietur, sicut in euangelio dominus repromisit. Omnis enim summa disciplinæ nostræ, in misericordia & pietate est. Aliud tamen exercitium corporis habent carnales, & aliud spiritales. Carnales enim sagina & dapibus nutriūt corpora sua, vt celeri motu proficiant ad perditionem. Spiritales autem ieiuniis & abstinentia temperant corpora sua, vt pigra facta circa desideria, possint digna esse futura
B resurrectione. Hic enim propter spem futuram castigat corpus, ille verò propter futuri desperationem fouet, curam eius agens ad tempus, vt moueatur citius ad peccandum. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus. Ad hoc enim laboramus, & persecutiones patimur, quia speramus in deum viuum, qui est saluatoris omnium hominum, maximè fidelium.* Dignum est planè & accepto ferendum pro spe quæ est in deo, pati persecutiones, quia in præsenti vita spes caduca est, in promissione autem dei firma atque stabilis. Ipse est enim salus omnium, quia ex ipso & per ipsum viuunt, quantum ad præsentem vitam pertinet, omnes: quantum verò ad promissam salutem, fideles. Cognoscentibus enim se, post hanc vitam quæ morte finitur, aliam se daturum promisit, quæ immortalitate vigebit. Ideo ergo ait, maximè fidelium. *Præcipe hæc & doce. nemo enim iuuentutem tuam contemnat, sed forma esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide & castitate.* Timotheus quantum ad ætatem pertinet, iuuenis erat: quantum
C ad mores & conuersationem senior & grauis. Quem ideo sic monet, vt profectus eius per omnia exemplum esset bonorum operum, vt in adolescente mirabilis videretur & grauis disciplina, vt actus eius excusarent ætatem: & non quasi iuuenis, sed quasi senior haberetur, & erubescerent maiores natu nisi se exhibuissent iuxta formam huius, conuersatione & moribus graues: iuuenes autem coæuum suum haberent magistrum. Mirabilis adolescens sanctissimus Timotheus, cuius exemplo indisciplinata coërcenda iuuentus est, & seniorum irreuerentia puniēda. *Dum venio, attende lectionem, exhortationem, ac doctrinam. Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.*) Intentum hunc vult esse & deditum exercitio lectionis, vt omni cura diligentiaque hoc enitatur vt exhortetur & doceat. Exhortatio est, cùm miti verbo aliquos prouocamus ad bonum opus. Docere verò, quando ea quæ latent, intimamus mentibus audientium. Si enim rector populi ab his dissimulat, negligit gratiam datam sibi. Ad hoc enim creatur dux populo, vt huius salutis solicitudinem
D gerat, admonendo, docendo, vt fructum habeat ordinatio: quem ad hoc vtique deus constituit, vt proficiat saluti plebis suæ: Qui ergo in hac authoritate positus indiligens fuerit, dei contemptor habebitur, minimus in regno cœlorum vocatus. Neque enim poterit facere, qui nec docere dignatur. Gratiam tamen dari, ordinatoris significat per prophetiam, & manuum impositionem. Prophetia est qua eligitur quasi doctor futurus idoneus: manus verò impositiones verba sunt mystica quibus confirmatur ad opus electus, accipiens authoritatem teste conscientia sua, vt audeat vice domini sacrificium deo offerre. *Hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi, & doctrinæ: insta illis. Hoc enim faciendo, teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.*) Vt forma sit omnibus non solum in bonis operibus, verumetiam in doctrinæ exercitio, admonet. Apparere enim debere significat exercitij profectum in doctrina dumtaxat, & in gestis. Bona enim arbor bonos

Matth.5.

Matth.7.

facit

facit fructus. Similiter & bona doctrina mala opera habere non potest. vt cùm visa fuerint bona opera, diuini magisterij fructus esse intelligantur, & auditores possint proficere. Tum vera enim & metuenda esse intelligunt quę dicuntur, quando ab eo ipso qui docet, magna veneratione obseruari videntur. Quod rectori plebis duobus proficit modis. Et suorum enim bonorum operum & audientium mercedem accipiet: quomodo si negligens fuerit, tam pro se quàm pro eis redditurus est rationem.

CAPVT QVINTVM.

Seniorem ne increpaueris, sed exhortare vt patrem, iuniores vt fratres, anus vt matres, adolescẽtulas vt sorores, in omni castitate.) Propter honorificentiam ætatis maiorem natu cum mãsuetudine ad bonum opus prouocandum, vt facilius suscipiat admonitionem. Potest enim vereri commonitus ne postea corripiatur, quod turpe est seniori. Nam apud omnes vtique gentes honorabilis est senectus. Vnde & synagoga, & postea ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in ecclesia. Quod qua negligentia obsoleuerit nescio, nisi fortè doctorũ desidia, aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri. Iuniores quasi fratres censet admonendos cum dilectionis affectu, vt vidētes amoris causa se commoneri, facilius se corrigant, quippe cùm videāt non discrepare opera eius à prædicatione. Anus verò quasi matres, vt dum miti sermone doceri se vidēt, non asperè accipiāt, quia honorificè proficiunt. Asperum est enim senibus cùm corripiuntur à iunioribus. Quod temperamento quodam leniri vult, vt profectus sit & dicenti & audienti. Adolescentulas vt sorores admonet edocendas, vt promptè possint bonę conuersationis susc ipere disciplinã. Quando enim non cum imperio insinuari sibi videt quę ad bonam pertinent vitam, & cõsentit, humilem se præbens admonenti. Blãditiis enim solent obtineri quæ authoritate non possunt. Nam animalia quando membra sua zelantur, blanditiis tamen cedunt. *Viduas honora quæ verè viduæ sunt.*) Has viduas dicit honorãdas quæ data opera viduæ sunt: quæ cùm possent nubere: vt meliores essent, & dignæ deo, secundas nuptias reipuerunt, scientes semel benedici coniugium: æmulæ sanctissimæ Annæ, quę ieiuniis & obsecrationibus deo seruiebat noctu diéque, vnius viri experta concubitum. *Siqua autem vidua filios vel nepotes habet, discat primum domum suam pie tractare, & mutuam vicem gratiarum reddere parentibus, hoc enim acceptum est coram deo.*) Viduã prius in hac vita & conuersatione dicit probandam, vt tunc demum digna sit vidua ecclesiæ nuncupari, quæ non quæstus causa magis quam defensionis ecclesiasticæ succumbat disciplinæ. Præire enim debent merita, vt accedenti debitus honor tribui videatur. Quę enim affectus suos piè tractauit, & domũ bene gubernauit, dei legem seruabit, digna effecta remuneratione ecclesię. *Nam quæ verè vidua est & desolata sperat in deo, & instat orationibus noctu dieq́.*) Viduam filios aut nepotes habentem non facilè admittendam ad stipendia ecclesiæ: quia si piè & solicitè domum suã gubernauit, necesse est reddi illi vicẽ à suis, sicut & illa reddidit propinquis. Si autem, vt assolet, impietas fuerit operata vt anus despiciatur à suis, quos piè tractauit: dignum esse hanc suscipi ab ecclesia, quia in domini lege fideliter cõuersata est. Vidua igitur desolata, aut à suis contempta, sperat in deo. Videns enim ex nulla parte se habere suffragium, toto animo deuota est deo, de quo solo auxilium vitæ salutísque expectat. *Nam quæ in deliciis est, viuens mortua est.*) Viduam, propter quod vidua dicitur, talem esse debere significat, vt ad dominum promerẽdum orationibus vacet, deo seruiens noctu diéque, vt ostendat se idcireo nuptias secundas contempsisse, vt instaret disciplinæ dominicæ. Si enim sub nomine viduæ deliciis vacet aut luxuriæ, viuens mortua habẽda est, quia impostura genus est aliud agere, & aliud profiteri: non obsequia & deuotionem dei, sed honorem viduæ volentes habere: cùm nominis ipsius professio hoc indicet, quia spreto viro deum elegit: cui seruiat tota mente propter vitam promissam. *Et hæc præcipe, vt irreprehensibiles sint.*) Tantã diligentiam actuum ac morum viduã vult habere, vt reprehẽdi non possit. Amota enim à spe mũdanæ conuersationis, & corporis curandi officio, propter hoc se ad deum cõtulit, vt probabilem agat vitã. Sublatis enim occasionibus quæ aditus solent aperire peccatis, potest bona cõuersatio incolumis permanere. *Si quis autem suorũ & maximè domesticorũ curã non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*) Hanc vidua quę negligens fuit circa suos affectus, vt educaret eos in disciplinam & correptionem domini inhonorãdam: quia sicut perfidi, legi dei non obediuit: vt peior habeatur. Necesse est enim vt deterior sit, qui sub lege & timore dei agens contemptor est, quàm qui non subiectus est legi. Hic enim nescit, ille autem sciẽs contemnit. *Vidua eligatur annorum non minus sexaginta, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios enutriuit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si pressuram patientibus ministrauit, si omne opus bonum subsecuta est.*) Si prærogatiua præteritorum operum vidua commendatur, eligendam hanc docet. Domini enim iudicio adscribitur nomen eius ecclesiasticis monimẽtis, quam dignam vetus vita declarat. Imbuta enim diuinis obsequiis, & in his vitam atterens suscipienda est in sinus ecclesiæ cui olim se voluit legitimis seruitiis. *Iuniores autem viduas deuita. Cùm enim in deliciis egerint, in Christo nubere volunt.*) Prohibet adolescentulas viduas in hac suscipi professione. Lubricæ enim ætati fides facilè haberi non debet, quippe cùm quarũdum exempla præcedãt quæ post professionem vitæ deliciarum oblectatione nomen non opera viduitatis habent, & conuersæ nuptiis solicitantur. Qui enim putat se in Christo vitam deliciis agere, minimè innocens perseuerat. Luxuria enim trahit illũ ad sua membra, vt subiiciatur peccato: deliciæ enim ianuæ sunt peccati. Non enim quò tẽdat ignoratur qui fluidam amat vitam. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*) Quid maneat tales ostendit, ne facilè audeant quod implere difficile est: aut si animus est huic deuotioni deditus apud se interim teneat, quia dicit temerarium esse profiteri, quod adhuc iuuenili ætati credi non debet. Damnationi enim fit obnoxius qui ab hoc declinat quod rectè fecerat. Quantum enim laudabile est si impleat quod vltra vires eius creditur: tantò magis puniendus erit si hoc audeat sibi imponere prę sumptione temeritatis, quod ferre nõ possit: nec ad veniam debet pertinere, qui à primordio infidelis inuentus est. *Simul autem & ociosæ discunt circumire domos: Nõ solum autem ociosæ, sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet.*) Quædam virgines vel viduæ commendante professione (glorioſum est enim huius rei vocabulum) acceptabiles sunt domibus diuitum, quæ id agunt, vt pareãt voluntatibus eorum, ambulantes & quærentes quæ perferant ad illos quibus delectentur, vt ociosæ muneribus afficiantur. Et malo more plus quærunt fabulas quàm quæ operantur manibus, vt elatæ procedãt & compositæ contra professionem suam agentes. Quæ res solet istis etiam in hac vita esse contraria. reuelatur enim id quod semper occultũ putant. Quid est enim, vt ea loquãtur quæ non oportet? Nuptiarum enim sunt proximæ, multorum secretorũ participes, adulatrices, seruorũ querulæ. *Volo itaque iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quædam deerrauerunt post satanam.*) Quoniã quæ supra dixit de huiusmodi contraria & illicita, perducent eas ad mortem: idcirco consilium dat & præcipit ea fieri quæ licita sunt. Melius est enim domus curam suæ gerere, quàm in aliena domo adulari. Et multum expedit nubere, quàm sub bona & pia professione notabiliter incedere. Plus autẽ est cum pudore manibus victum quęrere, quàm inuerecundè cum ocio aliena vtensilia expectare. Sic enim inuenit occasionem satanas quomodo subuertat animas inconsultas, cum pia profitentes iniustè versantur. Nihil enim tam periculosum est, quam si professioni gesta repugnent. Apertum enim malum nõ zelatur satanas, quia gaudet in illo: iustum verò quem videt fallere, id agit, vt manifestet illum suum filium esse, non dei: quod factum non displicet deo. *Si quis fidelis, vel si qua fidelis habet viduas, sufficienter subministret illis, vt*

lis, vt non grauetur ecclesia, vt veris viduis sufficiat.) Quid mirum si apostolica potestas futura potuit prouidere? Nam apparet quod dixit, quia fidelium viduæ nunc multum grauãt ecclesiam, & eorum qui locupletes videntur mundi quia per senectutis causſam desistentes eas ab opere lanificij, retrahunt eis & vestimentum & victum, non totum, tamen ex parte, vt illæ ipsa inopia ad ecclesiam conuertantur vt viuant. Quos oportebat non solùm suis indigentibus largiri, verum etiam alias inopes pascere & contegere. Quod multum obest. Cùm enim his datur, cæteris aut minus, aut non datur quibus magis dandũ est, quæ dignę sunt ecclesię sumptibus ministrari. Sic autem grauatur, cùm cogitur vestire multos, quæ deberet vestire paucos: & plebs quæ libẽter & frequenter possit ministrare paucis, cogitur plures dimittere, vt aut murmuret, aut tardius occurrat. Nam cùm præcipiat vnius viri vxorem eligi viduam, nunc inueniuntur inter eas non tantum duum aut trium maritorum vxores, sed & quæ turpius vixerint: quod aliquando per negligentiam, fit, aliquando potentatu † insinuantis. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore habeantur digni, maximè qui laborant in verbo & doctrina.*) Boni dispensatores ac fideles non solùm honore sublimi debent digni iudicari, sed & terreno, vt non contristentur indigentia sumptuum, sed magis gaudeant fidesua & doctrina. Instantior enim fit si non humilietur inopia: & crescit in illo authoritas, cùm videt se etiam in præsenti laboris sui fructum percipere, non vt abundet, sed vt non deficiat. *Dicit enim scriptura: Non infrænabis bouem triturantem, dignus est operarius mercede sua.*) Tanta merces debet esse euangelizantis regnum dei, qua neque contristetur, neque extollatur. *Aduersum presbyterum accusationem ne receperis.*) Quoniam huius ordinis sublimis honor est, huiusmodi enim vicarij Christi sunt, idcirco non facilè de hac persona accusatio debet admitti. Incredibile enim debet videri istum qui dei antistes est, crimino sè versatum, sicut credibile est scænicum esse turpissimum. *Delinquentes autem coram omnibus argue, vt cæteri metum habeant.* Quoniam enim non facilè credi debet de presbytero crimen, si probetur tamen, aut sit manifestum quia irreuerenter versatus est, publicè præcipit arguendum, vt cæteri terreantur: quod non solum ordinatis proficit, sed & plebi. Quando enim vident dignitosum virum erroris causſa corripi, necesse est vt caueant sibi. *Testor coram deo & Christo Iesu & electis angelis, vt hæc custodias sine præiudicio nihil faciens in partem aliam declinans. Manum citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. temetipsum castum custodi.*) Contestationem deponit apud deũ patrem & Christum filium eius, & electos angelos, quos dominus in euangelio sanctos appellat. Hi ergo electi sunt, quia sunt alij reprobi qui sunt non dei angeli, sed diaboli, assentientes apostasiæ eius. Sub testatione ergo ea quæ ad ordinationem ecclesiæ mandat custodiri, præcipit nihil fieri sine præiudicio, ne facilè aliquis accipiat ecclesiasticam dignitatem nisi prius de vita eius & moribus fuerit disputatum, vt dignus approbatus minister aut sacerdos constituatur, vt non postea si reprehensibilis videatur, pœniteat fortè principem populi non ad liquidum præiudicasse quid mereretur, quem improbabiliter ordinauit: nec illum cuius peccata ad suspicionem veniũt, ordinandum, ne commaculetur ordinator vitiis & delictis eius. Si ergo omnino latentia sunt delicta, immunis erit rector, quia conscientia eius libera est. Suspicio enim trepidum facit. Peccat enim si nõ probat & sic ordinat. Melior enim cæteris debet probari qui ordinandus est. Non enim sufficit si sine crimine sit, quia merita eius debẽt præire bonorum operum, vt dignus habeatur ad ordinationem. Hæc episcopus custodiens, castum se exhibebit religioni: cuius rei in futuro præmium consequatur. *Iam noli bibere aquam, sed vino modico vtere propter stomachum, & crebras tuas infirmitates.*) Nunc speciale consilium dat, vt seipsum salubri regat doctrina. Prudenter enim deus sibi seruiri vult non vt nimietate sua debiles fiant, & postea medicorum suffragia requirant. Temperandum est enim, vt si fieri potest, cœptum obsequium gradatim prouehatur, quàm per inconsiderantiam minuatur.

Intemperantia enim ipsam animam inquietam facit, vt cùm de infirmitate solicita est non tantum dedita sit diuinis seruitiis. Damnum ergo affert improuidentia. Anima enim in tranquilitate posita, totum cor extollit ad deum, integro consilio obsecrans quæ petenda sunt. *Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia in iudicium, quosdam verò & subsequuntur. Pari modo & opera bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.*) Nullam excusationem vult intelligi fore eorum qui his adhærent quorum peccata propalam sunt, vt cùm euitandi sint, magis honori sint. Hoc enim significat, vt homo dei ab his secernatur, maximè dispensator Christi, qui etiã corripiendi eos habet authoritatẽ: qui si se emendare promittunt, retinendi sunt. Alios verò subsequi mala opera illorum ostendit, quia cùm viuentes æstimantur boni, mortui deteguntur: vt qui prius ostendebant se idoneos, postmodum declarentur impostores. Superiore ratione sicut mala, ita & facta bona manifesta sunt. Bona enim vita & actus modesti abscondi non possunt, adhibita pietate faciunt perfectos. Sed sicut quędam mala occulta ad prędens sunt, ita & bona. Nemo enim omnia in hominibus potest scire, sed ex iis quæ videt & audit, probat & iudicat. Perpendit enim an ea quæ dicuntur conueniant ei de quo dicuntur, siue bona, siue mala. Quæ autem occulta fuerint hominibus, in die iudicij palam fient. Propter hoc ergo dicta sunt, vt sciant huiusmodi grauiorem se causſam habere præ cęteris. Peior est enim qui se, cùm sit malus, bonum ostendat, quàm ille qui apertè est malus.

CAPVT SEXTVM.

Quotquot sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen domini & doctrina blasphemetur.) Seruorum obsequiis dominos deo gratias vult referre. Cùm enim per dei disciplinam fidelia illis exhibuerint seruitia, fortè etiam ipsi huic se subiiciant disciplinę. *Qui verò fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti qui beneficium percipiunt.*) Si prophanis dominis seruiẽdum tota solicitudine imperat, quantò magis fidelibus? Tũc enim probat se timori dei subiectum, si fideli & temporali domino toto animo fuerit obsecutus. Nec contemnendum putet, quia frater dicitur causſa communis fidei, quia magis corripiendus erit qui fidelem dominum contemnẽdum putauerit. *Hæc doce & exhortare.*) Doctrinam dominicam manifestari vult, vt obtrectatores studeant quia non est quod reprehendatur in ea, considerantes pariter quæ in sacris eorum sint occulta turpia, & erubescant per quod inexcusabiles erunt. *Si quis aliter docet, non acquiescit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & huic quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbit autem, & nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus fit inuidia, contentiones, blasphemiæ, suspiciones, malæ conflictiones hominum qui corrupti sunt mente, & veritate caruerunt, existimantes quæstum esse pietatem, & dei culturam: discede ab huiusmodi.*) Discrepantes à disciplina catholica spernendos præcipit, maximè qui conuicti & correpti acquiescere nolunt perturbatione mentis prauæ, qui contẽtionibus delectantur & pascuntur. Elatus enim vinci se non patitur, quippe cum ad fauorem quærendum in conflictum prorumpat, quod à mansuetis & bonis viris vitandum est. Contentio enim nunquã est sine lite: & parũ esset si lis sola oriretur, sed blasphemiæ & inimicitiæ: quod à dei seruis alienum est. Ab his autẽ qui corrupti mente, veritate priuati sunt, vtile iudicatur. Dei enim culturam & pietatẽ quæstum existimant, non de futuro aliquid sperãtes, sed quomodo in præsenti se transigant prouidentes, sicut & mundanæ sectæ quas constat propter præsentia lucra inuentas, non nescij quosdã hoc libenter audire, quod in hac vita florendũ sit, † ideoque desistendum ab huiusmodi. *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.*) Magnas diuitias & acquisitionem in eo dicit, si quis fidelis suo contentus sit. Pius enim & in semetipso & cæteris est, qui misericordiam dei acquisiturus ad futuram vitã, ad præsens sufficere sibi putat quod

† flendum

Iob. 1. Eccli. 5.

habet,

habet, non dubitans ex eo ipso largiri. Omnis enim auarus impius est, & sibi & cæteris nocens. *Nihil enim intulimus in hunc mundum, verum quia nec auferre possumus quicquam. Habentes autem alimentum, his contenti simus.*) Frustra mortales homines copię studere, & locupletes fieri velle aperta voce declarat, cùm sciant nihil se propriũ habere in mundo. Cui rei proficit humana cupiditas, nisi quia ipsa sibi inimica existit? Nihil enim intulit mũdo, nihil auferre poterit. Quid sibi incutit solicitudinem, & quærit congregare? Talis hinc exiet, qualis venit. Quod etiã scribit Iob, & in sua passione fatetur dicens: Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus reuertar in terram, sit nomen domini benedictum. Quòd si auari non retinerent in perniciem suã, pauci conderent quod pluribus possit proficere cum eorum ipsorum emolumento. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationẽ & laqueũ, & desideria multa, & inutilia & nociua, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Radix enim omnium malorum est auaritia: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.*) Nihil tam asperum tamque pernicioſum est quàm si ecclesiasticus, maximè qui in sublimi loco est, diuitiis huius seculi studeat: quia non solum sibi ipsi, sed & cæteris obest. Cõtrariam enim formam dat hominibus, necesse est enim multos imitatores eius existere ad perditionem. Quantò enim honorificẽtior ordine est, tantò magis suadet imitandũ se maximè in hac re quæ in ista vita procliuis est. Auaritia enim omnia mala potest admittere. ideo radix omnium malorum est, quia vt desideria sua expleat, quod impossibile est, & maleficia & homicidia & obscœnitatem, & quicquid sceleris est, perpetrat, nec ad præsens secura, quia semper cupida, & in futuro damnata. *Tu autem homo dei hæc fuge.*) Abscindere se hominem dei ab hac hortatur & præcipit, vt hîc securus sit, & in futuro præmiis remuneretur diuinis. Non enim immeritò coronandus est qui hanc spernit, quæ multis suadet. *Sequere autem iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, tranquillitatem animi. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam ad quam vocatus es, & confessus es bonam confessionem coram multis testibus.*) Quoniam auaritia res iniqua est, hominem dei vt ab hac dissentiat, iustitiam sequi iubet atque pietatem, & alia quæ memorat. Non enim poterit hanc euitare, nisi his adhæserit quæ auaritiæ aduersa sunt. Quomodo autem fieri potest vt auarus fidelis sit qui operibus negat quod verbis fateri videtur? Vnde autem amator fraternitatis, cuius manus sunt aridæ? Quomodo verò patiens, qui semper ad aliena se tendit? Aut quatenus quietem animi possit habere, qui die noctúque auiditate cupiditatis incenditur? Sed quia ab homine dei Timotheo iniquitas hæc aliena erat, bonũ certamen fidei aggredi iubetur. Fidei enim victoria est, cùm omnia vitia & crimina subiugantur, vt ad æternæ vitæ præmia veniatur: cuius confessio inter ipsa rudimenta fidei teste interrogante & respondente monimentis ecclesiasticis continetur. *Præcipio tibi in conspectu dei, qui viuificat omnia, & Christi Iesu qui testatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt serues mandatum immaculatum, irreprehensibile vsque in aduentum domini nostri Iesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus ille & solus potens rex regnantium, & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lumen habitans inaccessibile, quem vidit nemo hominum, nec videre potest: cui honor & potestas æterna, amen.*) Magna vigilantia atque prouidentia præcepta dat rectori ecclesiæ. In huius enim persona totius populi salus consistit. Non solicitus de cura Timothei, tam circunspectus est, sed propter successores eius, vt exemplo Timothei ecclesiæ ordinationem custodirent: ipsi quoque futuris formam tradentes à semetipsis inciperent. Denique vt serues, inquit, mandatum immaculatum vsque ad aduentum domini nostri Iesu Christi. Quod sic adstringit, vt coram deo & Christo hoc se mandare testetur. Et vt terrorem incutiat, passionem Christi memorat. Cuius passionis reus necesse est fiat qui hoc spernit propter quod passus est Christus. Nec diem iudicij tacuit, quod prædestinato tempore futurum est dei nutu, quem solum beatum & potẽtem & regem regum & dominum pronunciat. Solus est enim ipse qui propriam & à nullo habet acceptam beatitudinem atque potẽtiam, dominatum & regnum, necnon immortalitatem. Hæc omnia habet pater, similiter & filius à patre. Lumen autem inaccessibile solius patris est, quia nulli vnquam apparuit. Denique subiecit: Quem vidit nemo hominum, nec videre potest, non quia aliud lumen filij sit: quippe cùm in psalmo scriptum sit: Et in lumine tuo videbimus lumen, hoc est, lumen patris esse in filio. sed quia nemo videt patrẽ, ac per hoc inaccessibile habitat lumen. Non est enim ordo alicui videndi patrem, nisi Christo, qui de deo est, hic vidit deum. Filius autem, quia omnia ipse agit, & apparere dicitur & videri. Illud ergo peculiare patris est quod suprà dictum est, cui honor & potestas æterna, amen. hoc est, verum. *Diuitibus huius seculi præcipe non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum in voluntate operum bonorum, diuites esse factis bonis, faciles ad impertiendum, communicatores, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.*) Vera vita illa est quam speramus futurã quæ non occasu, non temporibus terminatur. Æterna est enim, & ideo meritò vera appellatur. Hæc enim præsens imago vitę est, non veritas. Et quia imago non omnino inanitas est, in hac vita illa acquiritur: & vt ad illam festinaretur, ex imagine quam præcellat veritas, addiscitur, quę neque superbia, neque spe diuitiarum attingitur, sed humilitate & spe dei qui hanc promisit. In ipso enim sperandum est, quia ipse præstat quæ vsibus sunt necessaria, non in ipsis copiis sed in authore earum. Quæ enim spes videtur in re caduca atque incerta? quippe cùm aliquanti ex his discedant, qui autem in his manere videtur, nullum lucrum ex his capiunt in futurum, sed damnum, nisi cum indigentibus partiantur. Neque enim æternę sunt, vt futuræ vitæ præponantur. Sic superbos faciunt, quasi immortalitatem polliceantur. Resurrectionis exemplũ habemus in Christo, & à multis non sic diligitur Christus sicut diuitiæ, quarum nullum exemplum videtur quod aliquem à morte liberarũt. Christus nos redemit, non diuitiæ. Ipse enim futuræ vitæ instar ostendit, vt his omnibus spretis ipsum sequamur, vt ad immortales & cœlestes diuitias veniamus. Quare hoc niti debemus, vt bonis factis diuites simus, & his terrenis copiis spiritales diuitias acquiramus. Seminemus in terra, vt metamus in cœlis, vbi thesaurus collocatur æternus. *O Timothee commendatum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones fallaces nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Gratia tecum.*) Eadem admonet, vt ea quæ supra dicta sunt seruentur, contraria autem religioni euitãda, quæ nomen tantum scientiæ vsurpant, fallaces in professione, vt decipiant simplices. Fidem enim simulant, à qua exciderunt, vt perfidiam inferant. Et manu propria subscripsit, dicens: Gratia tecum. Amen.

Iob 1.

Apoca. 17. & 19. Ioan. 1. Ioan. 1.

Psalm. 35.

Luce 12. Ioan. 1.

Diui Ambrosij MEDIOLANENSIS EPISCOPI commentarii in epistolam beati Pauli ad Timotheum II.

PRAEFATIO.

ALiam epistolam scribit ad Timotheũ, vt iam eruditum ecclesiastica disciplina, & quæ spes sit promissionis, suo exemplo ad martyrium prouocet, & quia futurum est vt quidam à sana doctrina, eo quòd dura illis videatur, ad fabulas conuertantur, id est, ad humana commenta.

CAPVT PRIMVM.

PAulus apostolus Christi Iesu per voluntatem dei secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu, Timotheo dilecto filio.) Huius rei gratia apostolum se Christi Iesu dei voluntate appellatum significat, vt quæ & quanta promissio in futuro in fide Christi sit edoceret, vt prędicatione eius cremẽtum faciat in saluandis disciplina dominica. Idonei enim serui sunt qui instantia sua & fide negocia dominorum suorum exaggerant. Quod ideo huic quasi charissimo filio scribit, vt huius rei imitator existat, eadem cæteris tradens, vt per traducem successionem indeficiens sit idoneus doctor, per quem asserta veritas multos acquirat ad vitam promissam. *Gratia, misericordia, pax à deo patre & Christo Iesu domino nostro.*) Gratiam hic patris in miseratione exoptat, vt assit ei & Christi Iesu domini nostri, quia deus gratiam suam per Christum largitur, vt vna gratia sit vtriusque. *Gratiam habeo deo meo cui seruio à proauis in conscientia pura, quòd indeficientem habeam tui memoriam in precibus meis, nocte diéque multum desiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, vt gaudio replear, recordationem accipiens eius quæ est in te syncerę fidei, quæ habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certum autem habeo quòd & in te.*) Quoniam dignum est meminisse bonorum, idcirco deo gratias agit, quia memor erat Timothei viri mirabilis, vt etiam hoc ipsum dei donum sit. Non enim sine merito est qui cogitat de bonis viris. Et quia idem deus Christianorum est qui erat Iudæorum, ei se deo gratias referre testatur, cui à proauis famulatus est. Quando enim hoc sperabant progenitores eius quod hic cœperat prædicare, vna eorum fides est. Et quia in parentum successit seruitia, & quia in his erat adhuc cum illi deo seruirent, rectè ait: Cui à proauis seruio. Quomodo? In conscientia pura, inquit. Sic enim aliquando persecutus est ecclesiam, vt dei amore hoc ageret non maleuolẽtia. Nam simili modo, & in epistola ad Hebræos scriptũ est, quia Leui qui decimas accepit, decimas dedit Melchisedech, quia in Abrahæ, inquit, lumbis erat Leui quando decimas obtulit Melchisedech. Ita & hic à proauis deo se dicit seruisse, quia & Leui in proauo decimas dicitur obtulisse. Est enim pater Leui Iacob, auus Isaac, proauus Abraham. Multùm ergo se memorẽ Timothei profitetur, & auidè illum desiderare propter lachrymarum eius recordationẽ, quas amore fuderat apostoli, sicut intelligitur, recedentis à se. Non immeritò ergo amantẽ se desiderat, vt gaudio impleatur ex communi lætitia caussa fidei syncere, quam & in auia eius, & in matre fuisse significat, certissimè & in eo. Omnis itaque hic affectus propter fidem est quæ erat in eis inuiolata. *Qua de caussa admoneo te vt reuoces donum dei quod est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis & sobrietatis.*) Propterea se parentum eius synceritatem fidei significat memorasse, vt fortiorem hunc faceret. Quis enim laudem illorum audiens quorum in eo ipso particeps est, non crescat, addens animum huiusmodi viribus. Sic ergo recreat in se donum gratię dei acceptum per ordinationem presbyterij, dum animum suum confouet mentis alacritate, gaudens in semetipso sicut in nouitate ordinationis gaudetur. Denique subiecit: Nec enim, inquit, dedit nobis deus spiritum timoris, sed virtutis. Innouatus enim homo exit de timore, accipiens spiritum lætitiæ propter iustificationem, quia omnis iniustus in timore est, non fortis, sed infirmus: non in dilectione, sed in odio, nec in mentis sobrietate, sed errore saucius. Si autem his caruerit, per fidem & fortis & dilectus & sobrius erit. *Noli itaque erubescere in testimonium domini nostri, neque in me vinctum eius.*) Constantiam habendam docet, nec trepidari debere in professione. Non est enim vnde erubescatur in ea: quia si homo visus est Christus, gestis tamen apparuit deus: & si crucifixus est, resurrexit tamen à mortuis, & multis videntibus suscipiente eum nube in cœlum ascendit. Non est ergo infirmitatis caussa, sed potestatis: quia vbi putatur imbecillitas, ibi apparet potentia. Itaque stultè infirmatus dicitur, qui vicisse probatur. Hoc modo nec in apostolo est quod ad ruborem pertineat: quia si pressuris & cædibus humiliatus dicitur, ex illa parte confundit obtrectatores suos, qua in signis ac prodigiis nutu mirabilis peruidetur: vt intelligatur non infirmitate humiliari, sed voluntate ad quendam meritorum profectum. Idcirco enim deus seruos suos ab iniquis humiliari permittit, ne illis iniustè præmia dare videatur. *Sed collabora in euangelio secundum virtutem dei, qui nos saluos fecit.*) Quoniam virtute dei victa est mors, vt nos salui esse possimus: iuxta hoc ergo conuenit vicem nos ex aliqua parte reddere redemptori. Quia enim ad omnia ei beneficia respondere non possumus, vel legationem eius fideliter & instanter agamus. *Et vocauit vocatione sancta.*) Vocatio sancta est, cum electi sunt ad gubernandum populum sanctum dei. Ad sanctam autem senior vocatur qui dux eligitur sanctitatis. *Non secundum merita nostra.*) Verum est, quia si ad liquidum quæras, nullus hominum dignus potest videri vicarius esse Christi. Omnes enim quos elegit, prius fuerant peccatores. Quantum ergo ad comparationem cæterorum pertinet, hi digni inuenti sunt: quantum verò ad rem ipsam, omnes indigni sunt. *Sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.*) Quoniã dignatione sua deus olim decreuit peccatores saluos facere. Prescius enim fuit deus quid futurum esset in homine antequam faceret eum, & peccaret, quomodo redintegraretur prædestinauit, quo tempore, & per quos & qua ratione saluari possint: vt neque merito suo qui saluantur, neque horũ per quos vocantur, sed dei gratia istud donum prestari videatur per fidem Christi. *Nunc verò declarata per illuminationem aduentus saluatoris domini nostri Iesu Christi.*) Donum dei quod ante tempora secularia latebat in mysterio, incarnatione & aduentu Christi declaratum testatur, quando cœperunt homines remissa peccatorum accipere. *Qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam æternitate per euangelium, in quo positus sum ego prædicator & apostolus, & magister gentium.*) Qua ratione saluum fecit populum suum Christus, ostendit dicens, quia mortem destruxit, quæ erat hominis inimica, ne ab inferis posset resurgere tum demum vitam illuminauit æternitate, vt resurgens à mortuis iam mori non possit. Obscura enim vita est quæ tempore definitur, dum soporatur, dum ignorat, dum malè versatur. Et quomodo illuminetur vita ostendit, quia per euangelium credentibus datur æternitas, magistro gentium prædicante. *Quam ob caussam & hæc patior.*) Prædicans dei donum, diabolum patitur inimicum, vt pressuras ei excitet, quia populum de faucibus eius eruit. *Sed non confundor.*) In hoc securus, quia pro tribulationibus magna promissa merces est, non confunditur, sed gloriatur in pressuris. *Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum custodire in illa die.*) Hoc est quod dicit, qua spe & fiducia magnificẽtię saluatoris securus est, quia quod commendat illi, in tuto est. Quid autem illi commendat, nisi salutem suam, vt hic pro illo patiens, salutem inueniat penes illum cum cœperit iudicare, vt puniens infideles, istum dignum æterna vita pronuncietꝰ *Formam habens sanorum verborum quæ à me audisti in fide & dilectione quæ est in Christo Iesu bonum commendatum custodire per spiritum sanctum qui habitat in nobis.*) Præcepta sua cum gestis formam appellat salutaris doctrinę: quam istum sequi mandat, vt custodiat ea spiritu sancto fauente. *Scis hoc quòd auersati sunt omnes à me qui in Asia sunt, ex quibus est Phygelus & Hermogenes.*) Hi quos memorat, fallacia pleni erant. Simulabant enim amicitias Apostolo, vt adhærentes ei addiscerent vnde illi calumniam facerent, aut per alios immitterent. Qui posteaquam viderunt manifestatos se, recesserũt ab eo. *Det misericordiam dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & super catenam meam non erubuit.*) Duplici genere refrigerium hoc intelligendum est, quia & in necessitate custodiæ solatio suo refrigerauit eum, & siqua illi opus erant, siue indigentibus ministrauit. Spe enim eorum quæ promissa sunt, non puduit illum accedere & requirere hominẽ positum in custodia. Illi enim quos supra memorat, quia erubescebant de cruce Christi, in necessitate deseruerunt Apo-

ad Tit. 3.

1. Tim. 2.

ſtolum. *Sed cùm eſſet Romæ, ſolicitè me quæſiuit, & inuenit. det illi dominus miſericordiam inuenire apud dominũ in illa die.*) Romam veniens Apoſtolus, cùm appellaſſet Cæſarem, à militibus cuſtodiebatur. Tunc enim eum Oneſiphorus charitatis cauſſa & magiſterij, magna diligẽtia requiſitum inuenit. Cuius viſitatio tam acceptabilis fuit Apoſtolo vt eũ ſic domino commender, vt inueniat miſericordiam apud dominũ in die iudicij: vt ſicut Apoſtolum requirẽs inuenit, ita & miſericordiã quærens inueniat apud iudicẽ. Hoc enim orat, vt præſtet ei dominus pater cœli & terræ inuenire gratiã apud dominum humani generis, filium ſcilicet. Tale eſt hoc, quale & illud in Geneſi, Et pluit, inquit, dominus ſulphur & ignem ſuper Sodomam & Gomorram à deo de cœlo. *Quanta autem Epheſi miniſtrauerit, melius tu noſti.*) Quoniam ſolent quidam perſonis magis quàm cauſſis ſeruire, volentes gratificari maioribus, ideo Apoſtolus Oneſiphori bonum generale oſtendit, ne videretur fortè perſonæ ſe commendaſſe dum Apoſtolo miniſtrauit, cùm conſtaret illum magnanimum omnibus fuiſſe.

xix. cap.

CAPVT SECVNDVM.

TV ergo fili mi, confortare in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu: & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erũt & alios docere.) Conſtantem hunc & robuſtum eſſe præcipit in docendo gratiam dei, quæ data eſt in Chriſto Ieſu, & non ſolum in gratia, ſed etiam in myſteriis quæ ſunt de Chriſto, arcana fidelibus ac dignis tradi vult, qui alios poſſint docere, non paſſim vulgaribus ac negligentibus. Magna enim cura eligendus eſt doctor. *Labora vt bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo enim militans deo, obligat ſe negociis ſecularibus, vt placeat ei cui ſe probauit.*) Manifeſtum eſt quod dicit, quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Negocia enim ſecularia auaritiæ ſeruiant neceſſe eſt: & niſi mentiti fuerint, tranſigi ſe non poſſunt. Eſt ergo, ſed leue peccatum. Eccleſiaſticus autem idcirco deo ſe probat vt huic deuotus, officiũ impleat quod ſpopondit, in dei rebus ſolicitus, à ſeculari negocio alienus. Nõ enim conuenit vnum duplicem profeſſionem habere. *Et niſi certet quis, non coronatur, niſi legitimè certauerit.*) Dei militẽ tam exercitatum vult eſſe in dei operibus, vel officio deputato, vt poſſit ad gloriæ meritum peruenire: tota mente vigilantem diuinis obſequiis, præſentia ſpernentem, cœleſtia diligentem. Ad hoc enim ſe probauit, vt hic laborans remuneretur in cœlis. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Intellige quæ dico, dabit enim tibi dominus in omnibus intellectum.*) Tantæ abſtinentiæ ſanctus fuit Timotheus, vt etiam à licitis ſe temperaret. Hoc enim vult intelligi, quia à participatione gazophylacij ſe abſtinebat, cum hoc dominus decreuerit vt qui Euangelium annunciant, de euangelio viuant. Ideo Apoſtolus prius hunc ſumere præcipit qui primus eſt, & ſic cæteris diſtribuere. *Memor eſto Chriſtum Ieſum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid ſecundum Euangelium meum, in quo laboro vſque ad vincula quaſi latro, ſed verbum dei non eſt alligatum.*) Quoniam multi futuri erant filij diaboli, qui filium dei incarnatum negarent: idcirco hoc memorat, quoniam fallaciter ſub nomine apoſtolorum hoc aſſeuerare nituntur. Subiecit, ſecundum Euangelium meum, vt excluderet malæ mentis falſa colloquia. Nec enim plus hæreticis credendũ eſt de apoſtolis, quàm his ipſis de prædicatione ſua teſtãtibus quam prædicationem cum labore ſe agere quæritur. Preſſuris enim tribulabatur & carceribus, eo quòd tam Iudæos quàm gẽtiles offenderet, ſicut illis videbatur incredibilia prædicando. Iratos enim habebat Iudæos propter legẽ, quã ceſſare docebat. Gentiles autem inimicos faciebat, quia vnum deum prædicabat in Chriſto. Vnde quaſi latronem hunc tractabant, alligantes, claudentes, ſi poſſet tacere, neſcientes quia verbum dei alligare non poterant. Denique ſæpe clauſus nõ diſpendium fecit, ſed lucrum. Neque enim defuit cui prædicaret in carcere: vt quos liberè inuitare ad fidem non poſſet, in vinculis poſitus paſceret dei verbo. *Ideo omnia ſuffero propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum gloria cœleſti.*) Vt prædicatione ſua ſaluaret homines prædeſtinatos ad vitam, exitiis erat ſubiectus, ſciens profectum ſe habiturum quæſitæ ſalutis illorũ. *Si enim commortui ſumus, & conuiuemus. ſi ſuſtinemus, & conregnabimus.*) Sic poſſe ad immortalitatem & gloriam Chriſti peruenire ſignificat, ſi in forma baptiſmatis, manſerimus, vbi omnia delicta moriuntur, vt innouati omnia vitia vetera & crimina fugiamus, vt authoris ſecuti veſtigia, peccatis mortui videamur. Si verò additũ fuerit ad cauſam, vt & tribulationes ac preſſuras non ægrè pro nomine domini pattamur, ſuſtinentes hæc ſimul cum illo regnabimus. Dignum eſt enim vt qui pro illo opprobria patitur & exitia, in regno eius glorioſus appareat. *Si negamus, & ille negabit nos.*) Verũ eſt quia ſi minimè confeſſi illum fuerimus coram hominibus, tunc dicet & ipſe nobis in illa neceſſitate futuri iudicij: Neſcio vos. Hæc eſt punitionis ſignificatio. *Si non credimus, ille fidelis permanet: negare ſemetipſum non poteſt.*) Nemo poteſt domino auferre quod habet. Quis enim illo fortior eſt, per quem omnia extiterunt? Nec addi poteſt perfecto, quia non illi aliquid præſtat qui credit in illũ: quomodo nihil aufert ei qui non credit in illum. Quicquid ergo agitur ad profectum noſtrum pertinet, ne in ignorantia maneamus. Nec enim à nobis firmatur, cùm ipſe ex ſe & apud ſe firmus ſit. *Hæc admone conteſtans coram domino, noli verbis pugnare. Ad nihil enim vtile eſt niſi ad ſubuerſionem audientium.*) Contentiones vitãdas monet, præcepta autem danda ſub dei timore & terrore, quia contentio poteſt adhuc minus ſtabilitis generare ſcrupulum. Solent enim in cõtentione talia opponi elimato maleuolentię ferro, vt moueant animos incipientium fratrum. *Solicitè cura temetipſum, vt probabilem exhibeas deo operarium, non impudoratũ, rectè tractantem verbum veritatis.*) Quoniam ſunt aliqui qui dicant contentionem audientibus prodeſſe, Apoſtolus autem ſciens magis obeſſe, hoc mandat, vt vnuſquiſque hoc curet, vt ſpreta altercatione ſemetipſum probabilem faciat, impudoratos appellans eos, qui contentionibus nituntur. Neceſſe eſt enim vt cõtentio extorqueat aliquid imò multa quæ dicantur cõtra conſcientiam, vt intus in animo perdat, foris victor abſcedat. Nemo enim patitur ſe vinci licet ſciat vera quæ audit. Rectè autem tractat, & bona conſciẽtia, qui volẽtibus loquitur & pacificis. Collatio ergo inter dei ſeruos eſſe debet, non altercatio. *Prophanas autem vocum nouitates deuita, plurimum enim proficient ad inanitatem, ſermo enim eorum ſicut cancer ſerpit.*) Hoc idem adhuc proſequitur, vt contentiones vitentur. Nec enim congruit vnius fidei viros habere contentionem, ſed in tractatu patiantur ſe inuicem, & cõſentiant bonis dictis. Si quid autem improbabile videtur, cũ pace diſſimuletur. Aduerſarij enim & diſſidentes ſolent ſe inuicem prouocare, ex quibus vnus catholicus eſt, & alter prophanus. Hic ergo catholicus, cui Apoſtolus mandat vt ſpernat & declinet à fabulis inanibus, quietus debet eſſe, vt ſemper de conſcientia verba emittat, nec patiatur ſe coram impia verba depromi. Dant enim quibuſdam occaſionem vt in peius proficiãt. Non enim deſunt qui audientes prophana, cõcipiant cogitatum malum: ideóque obeſt contentio. *Ex quibus eſt Hymenæus & Philetus, qui deerrauerunt à veritate, dicentes reſurrectionem iam factam eſſe, & fidem quorundam ſubuerterunt.*) Nunc ipſorum quorum cauſa vitandas cõtentiones monet, prodidit nomina, quos & prophanos & impios deſignauit, errantes à veritate. Hoc enim negabant quod palam eſt Chriſtianorum, vt credant ſe in futurum à mortuis reſurgere. Hi autem, ſicut ex alia ſcriptura docemur, in filiis fieri reſurrectionem dicebant, quibus non deerat qui aſſenſum præſtaret peruerſum contra fidem quam in primordio fuerat conſecutus. *Firmum tamen fundamentum dei ſtat, habẽs hoc ſignaculum. Cognouit enim dominus quæ ſunt eius, & diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen domini.*) Fundamentum dei fides eſt, quæ continet quæ promiſit deus, quæ fides non poterit infringi perfidorũ & hęreticorũ commẽtis. Quamuis enim hi negent futura quæ credimus, deus tamen dabit quæ credimus daturum illum, teſte prodeus tamen dabit quæ credimus daturum illum, teſte promiſſione eius. Signaculũ itaq; promiſſionis dei, fides noſtra eſt, quæ firmat dei verba. In die iudicij cognoſcet deus qui habent

Matth. 6.

1. Cor 9.

Matth. 25.

A B C D

habent signum eius, dissentientes à perfidorum & hæreticorum iniquitate, quę dei promissionem infirmare se putat. Nihil enim tam iniquum quàm dei fidei contraire. Sic & Dathan & Abiron & Chore dictum est à Moyse, cùm contra dei præceptum offerre sacrificia præsumerent. Cognouit itaque dominus quæ sunt eius. Quo dicto ostendit quæ perniciès maneret eos qui dei verba inuerterent. *In magna autem domo non solũ sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam in honorem, quædam autem in contumeliam.*) Hoc dicto significauit in ecclesia diuersos esse homines. Quosdam bonos & summos viros, quos in auro intelligi vult. Quosdam bonos tantum, quos in argento designat. Alios verò non bonos, quos vasa lignea & fictilia appellat, quod nulli ambiguum puto. Nam in Corinthiorum hoc ecclesia probat frequens sermo obiurgantis apostoli. Nunc autem in ecclesia nostra palam est, & in templo Hierosolymis, in quo typus erat ecclesiæ, manifestis lectionibus approbatur. Erant enim ibi Sadducæi, ex quorum radice erant Hymenæus & Phyletus. De quorum praua sententia cùm apostolus esset locutus, statim hoc subiecit, vt non esset mirabile in ecclesia videri homines dissentientes. Nam & in Corinth. ecclesia de qua dixi, quidam erant qui dissentientes resurrectionem negabant. Insanus tamen Nouatianus, vt errori suo blandiatur, aliter hoc intelligendum tradit, vt domus magna totus mundus significari credatur, quia habet hominum diuersitatem: cùm constet apostolum exemplo vsum domus diuitis & opulentis, quæ quamuis copiosa sit, habet tamen vasa lignea & fictilia. Hoc modo & ecclesia quanquam sancta dicatur, habet tamen & vitiosos, & praua sentientes, sicut superius memoraui. Quos contumelia dignos ostendit, non tamen perituros, sed purgandos per ignem, quia domui ex aliqua parte necessaria sunt. Nouatianus autem elatus superbia, vt ecclesiæ suæ veritatem & sanctitatem generalem defenderet, hoc modo intelligendum decreuit, quasi ecclesia penes ipsum sit, & cunctos habeat purificatos propter illas causas quibus nos innocentes accusat. Sed quid opus erat hoc loco de mundo aliquid dicere aut vt quid affirmaret mundum domum magnam significans? Nam dicit dominus apostolis: Non estis de mundo, ego autem elegi vos. Quomodo igitur intra mundum concludendi sunt, qui negantur de mundo esse? Et idem apostolus: Quò, inquit mihi de iis qui foris sunt, iudicare? Nam in vna domo omnes sub vno sunt nomine. Vno enim domini sui nomine censentur omnes. Mundus autem diuersæ professionis continet homines, ita vt dispares profiteantur se habere deos & dominos. Non ergo domum magnam mundum dixit, sed ecclesiam, in qua omnes sub vnius domini sunt nomine. *Si quis ergo purgauerit semetipsum ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, vtile domino ad omne opus bonũ præparatum.*) Nunc alia hæresis fraude sua conuincitur, quæ asserit animas quasdam natura esse malas, quæ ad bonum cogi non possint: cùm hic dicat posse malos immutari in bonum, & sordidos purificari. Poterant enim Hymenæus & Phyletus mundare sensum suum si voluissent, vt fierent vas sanctificatum præparatum in honorem. *Iuuenilia autem desideria fuge.*) Iuuenilia autem desideria aduersa sunt. Sunt enim voluptates mundanæ, quæ omnibus illecebris mancipatæ sunt ac per hoc à dei seruo fugiendæ sunt. *Sectare verò iustitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis qui inuocant dominum de puro corde.*) Hæc sectanda iubet, quæ iuuenili ætati deuia videntur & aspera. Qui enim iustitiam elegit, ei nihil facit cõtrarium: & qui fidem diligit, seruat mandata. Qui autem charitatem sequitur, omnibus humilis est. Pacis verò custos nullum lacessit ad iurgium. *Stultas autem & ineruditas quæstiones deuita, sciens quia generant lites.*) Insensatæ quæstiones partim infidelium, partim hæreticorum sunt, aliorum ex parte infidelium, quæ modestos homines cogunt ad litem. Immutantur enim nimia contradictione impietatis eorum, & irati dicunt aliquid cõtra præpositum suum. Nam solent quidam hæreticorum patiẽtiam fingere, quãuis à catholico non possint audire aliquid asperum, vt commendent praua sua colloquia, ideo dissimulandum ab his est. *Seruum autem domini non oportet litigare sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, modestum, corrigentem eos*
A *qui diuersa sentiunt, nequando det illis deus pœnitentiam ad agnitionem veritatis, & resipiscant à diaboli laqueis capti ab eo ad ipsius voluntatem.*) Hæc nulla indigent interpretatione: sunt enim manifesta: quantum tamen prosit modestia, declarauit. Si enim hoc in quibusdam hæreticis placitum est, quia humiles videntur: quantò magis laudabile & fructuosum erit in catholico si fuerit mitis, in quo & sensus vtilis, & grauitas imitanda perspicitur?

CAPVT TERTIVM.

Hoc autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines sui tantum amatores, auari, insolentes, superbi, blasphemi, parentibus non obsequentes, ingrati, impij, sine fide, sine dilectione, criminatores, incontinentes, immites, bo-
B *norum inimici, proditores, proterui, tumidi, amatores voluptatum magis quàm dei, habentes formam pietatis, virtutem eius abnegantes: & hos deuita.*) Prophetia est hæc sancti apostoli, in qua præuidit quanta mala futura essent hæreticorum & Iudeorum. In his enim omnia ista quæ inimica fidei sunt denotantur. Ipse enim apostolus dixit: Quò enim mihi de iis quæ foris sunt, iudicare? Qui enim malè de deo sentiunt, & non timẽt quod ad iniuriam eius pertinet profiteri, quomodo in conuersatione humana possunt esse beneuoli? Ideo enim dixit: Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes, quia profitentur quidem semetipsos Christianos, cùm sint & nequissimi operis, & sensu peruersi. Nõ enim in professione magis quàm in gestis laus dei & virt⁹ est. *Ex his sunt enim qui irrepunt in domos, & captiuas dicunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.*) Quamuis omnibus hæreticis hoc conueniat, vt subintrantes domos mulieres subdolis & versutis verbis capiant, vt per eas viros decipiãt more patris sui diaboli, qui per Euam Adam circunuenit:
C Manichæis tamẽ præ cæteris congruit. Nulli enim tam importuni, tam fallaces, tam captiosi sunt quàm ipsi, quos constat aliud colere & aliud profiteri, aliud intus gerere, & foris aliud vindicare. Nam sanctimoniam defendunt, & lege sua fauente turpiter viuunt. Misericordiam laudant, cùm inter se iniusti deprehendantur. Mundum spernendum asserunt, & semper accurati procedunt. In ieiuniis insistere se iactanter prædicant, cùm omnes saginati videantur, tantum quod arte quadam pallidi cernuntur, vt fallant. Hæc ergo Apostolus maximè de his prophetauit, quos constat Apostolorum tempore non fuisse, sicut nec Arrianos, quippe cùm Diocletianus imperator constitutione sua designet dicens, Sordidam hanc & impuram hæresim quæ nuper, inquit, egressa est de Persida. Hi inueniunt mulieres præ vanitate nouum aliquid desiderantes audire, & per ea quæ placida sunt, suadent illis fœda & illicita. Cupidæ enim sunt discendi, cùm iudicium non habeant probandi, hoc est semper discere, & veritatis scientiam non habere. *Quemadmodum autem Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita &*
D *hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed non proficient amplius. Ignorantia enim eorum euidens erit omnibus, sicut & illorum fuit.*) Exemplum hoc de apocryphis est. Iannes enim & Mambres fratres erant magi vel venefici Ægyptiorũ, qui arte magiæ suæ virtuti dei quæ per Moysem agebatur, æmulatione commẽtitia resistere se putabant. Sed cùm Moysi virtus in operibus crescceret, humiles facti confessi sunt cũ dolore vulnerum, deum in Moyse operatum. Vnde similiter & hos nõ amplius proficere in impietate assertionis suæ dicit, quia imperitia eorũ palam fiet & seductio: & licet inuiti, confitebuntur tamen suam imperitiam in vltimo. *Tu autem assecutus es doctrinam meam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutionem, passiones.*) Eorum vult esse æmulum quæ enumerat. Hæc enim in vltimo non ad pœnitentiam, sed ad lætitiam proficient. *Qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconio, Lystris,*

1. Timo. 4.
2. Petr. 3.
Iuda. 1.
1. Cor. 5.
Exod. 7.

ſtris, quales perſecutiones ſuſtinui: & ex omnibus liberauit me dominus. Sed & omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Nequam autem homines & deceptores proficient in peius, ipſi errantes, atque alios erroribus inuoluentes.) Ideoque & quanta paſſus ſit memorat, vt auxilia dei oſtendat quibus defendit & tutos præſtet ſeruos ſuos ab impudentia Satanæ, vt ſecuros illos faciat, & erigat, ne timeant quæ irrogari poſſunt à perfidis, ſed in perſecutione alacres ſint, certi quia omnes qui in Chriſto rectè conuerſantur, odio habentur etiam à corporis ſui membris. Mali autem in deterius proficiunt, dum vident multos ſibi dare aſſenſum, ita vt cæteros in errorem mittant. Dum enim ſciuntur eſſe mali & deceptores, & nihilominus florere & proſperari in mundo, attrahunt quoſdam, vt imitatores eorum efficiantur, non ſolum in propriis erroribus puniendi, verumetiam in horum
1. Petr. 1. quos exemplo ſuo deperdunt. *Tu verò perſeuera in iis quæ didiciſti, & quæ tibi credita ſunt, ſciens à quibus didiceris, & quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ poſſunt te erudire ad ſalutem.*) Multum prodeſſe ſignificat veteris teſtamenti habere notitiam. Ipſas enim ſacras literas dicit, quæ Chriſti perſonam inſinuãt, & incarnationem eius ad ſalutem hominum redimendam declarant. Hortatur enim vt in his proficiat. Antiquitas enim hæc robur eſt nouitatis: ſciens quia à quo didicit, firma eſt authoritas. Signa enim & prodigia vidit facta per eum, quibus omnis ſermo ſuccumbit. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad doctrinam, ad correptionem, ad redintegrationem, ad eruditionem quæ eſt in ipſa iuſtitia, vt paratus ſit homo dei ad omne opus bonum conſummatus.*) Manifeſtum eſt, quia omnis ſcriptura cuius deus author oſtẽditur, vtilis eſt. Ad hoc enim data eſt vt proficiat imperitis, & inſtauret deformes, attrahens iniquos ad iuſtitiam, vt homo dei in omni opere bono perfectus ſit. In nouo enim homine gradatim proficiens conſtituit illum hominem dei.

CAPVT QVARTVM.

TEſtor coram deo & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, & aduentum ipſius, & regnum eius, prædica hoc verbum, inſta opportunè, importunè, argue, hortare, increpa, in omni magnanimitate & doctrina.) Tam ſolicitè mandat inuiolatè prædicandum dei donum, vt cum teſtatione dei patris & Chriſti filij eius hoc moneat curandum, inſtandúmque in eo, vt aſſidua prædicatione & crebra obiurgatione cum opportunitate prouocet ad meliorem profectum: & vt facilius arguẽti aſſentiant, ſine amaritudine hoc agendum hortatur. *Erit enim tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria magiſtros ſibi aggerent, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas verò conuertentur.*) Et hæc ſimili modo prophetia eſt ſancti Apoſtoli, qui præſcius futurorum inſtandum in doctrina ſolicitè præcipit, vt formati in fide, & bonis operibus eruditi in diſciplina ſana, robuſti maneant, vt poſtremo tempore cùm quidam à veritate ad errorem conuerti cœperint, immobiles perſeuerent. Tales enim futuros dicit qui pro deſideriis ſuis doceri ſe velint, vt à magiſtris conſtantibus & veracibus ad hos conuertantur, qui hæc illos doceant quæ libenter audiant, quia veritas illis aſpera videbitur, vt relicta ſana doctrina fabulis vacent. Nolunt enim argui maligna opera ſua, quare tales volunt magiſtros qui ſeruiant moribus eorum. Pruriunt enim aures eorum vt audiant fabulas vanitatum compoſitas ſub nomine doctrinæ: quibus delectentur. Quod nullis tam proprium eſt quàm Manichæis, qui neſcio quæ habent diuerſa commenta inflatis nominibus, nuncupata, cùm ſint res friuolæ, & quædam delyramenta. *Tu verò ſobrius eſto, in omnibus patiens, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum exple. Ego enim iam delibor, & tempus ſolutionis meæ inſtat.*) Admonet & hortatur vt vigilet, in diſciplina Eccleſiaſtica viriliter agat, ſcripturas explanet, vt prudentes & eruditi inanes fabulas vitent. Apoſtolus enim ſciens paſſionem ſuã imminere, exemplum piæ conuerſationis & ſanæ doctri-
A næ in ſancto Timotheo vult relinquere, vt per traducem nunquam deeſſent doctores idonei: paſſionem tamen ſuam delibationem appellat. Deo enim immolatur, qui pro eius iuſtitia patitur. *Certamen bonum certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: quod reliquum eſt, repoſita eſt mihi iuſtitiæ corona, quã reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex. Non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt aduentum eius.*) Omnia quæ ſibi & cæteris vtilia eſſent & proſpera, ſeruaſſe ſe memorat. Nõ ſolùm enim in verbis, ſed & in operibus formam ſe præbuit audientibus: vt & authori ſuo veritate prædicationis fidelis diſpenſator exiſteret, & contra mundi principes & poteſtates omni ſolicitudine & peritia colluctatus, exemplũ quomodo vincerentur relinqueret vt inuiolata doctrina, & agonis legitimum certamen dignos illos faceret coronari, quia deus iuſtus iudex dabit ampliſſima præmia diligentibus ſe, & expectantibus filium eius de cœlis. *Solicitus eſto venire ad* Coloſ. 4.
me quàm primum. Demas enim me dereliquit, diligens hoc ſeculum,
& abiit Theſſalonicam, Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.
B *Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſume, & adduc tecum. eſt enim*
mihi vtilis in miniſterio. Tychicum autem miſi Epheſum.) Cùm conſtet omnem inſtructionem viri eccleſiaſtici in epiſtola contineri, propter multam tamen charitatem præſentiam eius deſiderat. Marco autem idcirco teſtimonium dat, quia memor eſt præteritorum eius laborum. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.*) Apoſtolus natura Iudæus fuit, nec quicquam habuit alienum. Vnde ergo illi penula? Sed quia erat à Tharſo, quos conſtat in ſocietatem Romanorum receptos vt decætero appellarentur ciues Romani, idcirco neceſſe eſt eos & curiam habere, in quam more Romanorum penulati conueniant. Quicunque enim illo tempore cum muneribus obuiam exiſſent Romanis, immunitate perpetua donati, ciues Romani & fratres eorum nuncupabantur, teſte eodem Apoſtolo. Poteſt ergo fieri vt ſi non ſuam, quia totum ſe legi dederat, patris ſui haberet penulam. *Alexãder ærarius*
C *multa mala mihi oſtendit. reddat illi dominus ſecundum opera ſua:*
quem & tu deuita. Valde enim reſiſtit verbis noſtris.) Alexander iſte & Demas ſupradictus collegæ fuerunt. Hi prius cum Apoſtolo erãt ſimulantes illi amicitiam: & quia fallaces tempore probabantur ambo ab eo receſſerunt. Hic autem ærarius, qui audacior erat in malis, ſic ab eo receſſit, vt & contradictor verborum eius exiſteret. Qui ergo Apoſtolo auſus erat contradicere, non immeritò euitãdum hunc admonet, dei iudicio iſtum dimittens. *In prima mea defenſione nemo*
mihi affuit ſed omnes me dereliquerunt. non illis imputetur.) Preſſuram & tribulationes ſibi illatas, defenſionem ſuam nuncupat. Paſſio enim Chriſtianis vita eſt, & perſecutio defenſio. Preſſura enim illata pro iuſtitia, defendit illum in die iudicij, reos conſtituens perfidos. Inter ipſa ergo initia illatæ preſſuræ derelictũ ſe conqueritur: & quia ſcit hanc eſſe conſuetudinem, non illis vult imputari, quia & dominum à Iudæis apprehenſum diſcipuli reliquerunt: quippe cùm ſcriptum ſit in propheta: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. *Dominus autem aſtitit mihi, & confortauit me, vt per* Zacha. 13.
D *me prædicatio impleretur, & audirent omnes gẽtes.*) Propter quod domini Chriſti auxiliis munitum ſe dicit, & auctum virtute, vt prædicationem impleret in omnibus gentibus: idcirco ignoſci petit eis à quibus derelictus eſt in neceſſitate: vt bene acceptus à deo, vindictam non quærat. Hac enim cauſa amplius adiutum ſe credit à deo, quia derelictus eſt ab hominibus. *Et liberatus ſum de ore leonis. Liberauit me dominus ab*
omni opere malo, & ſaluum faciet in regno ſuo cœleſti. cui gloria in 1. Petr. 5.
æternum, Amen.) Similiter dicit & Petrus coapoſtolus eius, quia aduerſarius noſter diabolus circuit fremens, ſicut leo quærens quem deuoret. Sed quia in Apoſtolo occaſionem non inueniebat qua illum deciperet, per filios ſuos preſſuram illi incitabat & pœnas: vt ſi non quaſi peccator, vel quaſi iuſtus de hac tamen tolleretur vita, ne multos hortaretur ad fidem. Quod cùm propè impleret, dei prouidentia liberatus Apoſtolus inſultat illi, infirmum illum teſtificans, quia de ore eius ereptus eſt: quia quod cupiuit impleret,

plere, non potuit. Igitur dei auxiliis morti se ereptum gratulatur, & de prouidentia dei tam securus est, vt & de futuris tentationibus liberari se credat: & non solum liberari ad præsens, verumetiam saluum se futurum in die iudicij, & regnaturum cum domino Christo in æterna secula. *Saluta Priscillam & Aquilam & Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Solicitus esto ante hyemem venire.*) Aquila & Priscilla hi sunt apud quos hospitatus operabatur manibus. Onesiphorus autem hic est, cuius testis est in prima epistola. Quid est tamen vt præsente apostolo qui mortuos excitabat, Trophimus infirmaretur? Sed signa propter incredulos facta sunt: & quia ex diuersis causis meritum collatur apud deum, vt sive qui in tribulatione, siue in ægritudine deo gratias agit, nec ab aduersa parte suffragium quærit, vt proficiat meritis apud deum. Propter imbres autem & frigora commonuit vt autumno ad se veniret. *Salutat te Eubolus & Pudens & Linus & Claudia, & omnes fratres.*) More consueto impleta est epistola salutatione fratrum. *Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Vale.*) Hæc subscriptio apostoli est: quod signum esse dicit in omni epistola. Et quia filius dei idem filius hominis est, & Iesus dicitur & Christus: vt & homo significetur & deus, duobus nominibus nuncupatur. Vtroque tamen nomine dignitas designatur: qua ratione sunt posita nomina.

Diui Ambrosij

MEDIOLANEN. EPISCOPI, *Commentarii in Epistolam beati Pauli ad Titum.*

Præfatio.

TItum Apostolus consecrauit Episcopum, & ideo commonet eum vt sit solicitus in ecclesiastica ordinatione, id est, ad quosdam qui simulatione quadam dignos se ostentant vt sublimem ordinem teneant: simúlque & hæreticos ex circuncisione corripiendos.

CAPVT PRIMVM.

PAulus seruus dei, apostolus autem Christi Iesu, secundum fidem electorum dei, & agnitionem veritatis eius, quæ secundum pietatem est in spem vitæ æternæ, quam promisit deus verax ante tempora secularia: manifestauit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quod creditum est mihi secundum præceptum saluatoris nostri dei. Tito germano filio secundum communem fidem, gratia & pax à deo patre & Christo Iesu saluatore nostro.) Decretum donum à deo quod ante secula promiserat, tempore saluatoris in prædicatione apostolorum manifestatum declarat. Sic enim promiserat, quod etiam sibi creditum dicit, vt gentibus insinuare prædestinatam misericordiam dei, vt & Titus verus eius filius, id est, secundum euangelium, (hoc est enim verum quod æternum est) hanc dei volũtatem & solicitè susciens prædicaret gratiam dei & pacem, vt accepto dono pacifici fiant cum deo patre, quia omnia ex ipso sunt, & Christo Iesu saluatore nostro, quia ipse liberauit nos à morte. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & cõstituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego tibi disposui. Si quis est sine crimine, vnius mulieris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut inobsequentes. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut dei dispensatorem, non protuum, non iracundum, non vino deditum, non percussorem, non turpia lucra appetentem, sed hospitalem, benignum, prudentẽ, iustum, sanctum, continentem, tenacem eius sermonis qui secundum doctrinã fidelis est, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere. Sunt enim multi & non obedientes, vaniloqui & seductores, maximè ij qui sunt ex circuncisione, quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.*) Manifesta sunt quæ lecta sunt. Episcopum enim & sanctum in operibus, & verbis prudentem ordinari vult, vt & fratres exhortari possit, & cõtradicentes conuincere, maximè eos qui erant ex Iudęis, qui sub nomine Christi Iudaizare docebãt, quos alibi falsos fratres appellat. Renati enim in Christo non puri erant Christiani: partim enim legẽ, partim Christum venerari volebãt. Hos dicit, quia domos subuertebant praua ista doctrina. Duplici etenim genere turpibus lucris studebant, quia ideo hæc magis agebant, vt placerent Iudæis, à quibus sumptus sperabant vt pecuniam lucrifacerent, & præputium. Hi erant quæstus eorum, sicut dominus dicit Iudęis: Ambulatis mare & aridã, vt faciatis vnũ proselytum. Hæc duo turpia lucra appellat, quia qui sub nomine dei docet, non deuotionis caussã, sed quæstus turpis lucri captator est. Similiter & qui per circũcisionem aliquem vult acquirere. Vnde alibi ait: Et gloria in pudendis eorum. *Dixit quidam ex ipsis proprius eorum propheta: Cretenses semper mẽdaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est.*) Quidam ex Cretensibus melioratus per disciplinam dominicam quid sentiendum esset de Cretensibus indoctis expressit, quòd & mali essent, & ocioſi vellent comedere. Malitia enim pasci volebant. qui cùm nihil prosunt, gestiunt & nocere. Duplex ergo malum est. Tales erant & Cretenses, vnde istum prophetam appellat, sed in caussa Cretensium. Tam vera enim hunc de his asserit locutum, vt prophetam. Falli enim prophetam impossibile est. *Quam ob caussam argue illos dure, vt sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mãdatis hominũ auersantiũ se à veritate.*) Insistendum præcipit in correptione illorum, vt conuerti possint, & illa sectari quæ iusta sunt, & legi dei condigna, auertẽtes se à Iudaicis fabulis, quia in lege nemo iustificatur apud eũ, quantò magis in mandatis hominum. Quicquid enim aduersum veritatem opponitur, humana inuentio est. Nescientes enim vim scripturarum, & interiora verborum legis, colorem sequuntur, non saporem. ideo fabulas dicuntur narrare, non veritatem. Putant enim nunquam recedendum ab iis quæ Moyses tradidit, vt puta de escis, aut coniugiis, aut neomeniis, aut sanguine mustelæ, vel domo immunda diebus septem, cùm sciãt primores suos Abraham Isaac & Iacob sine his iustificatos, & dei amicos appellatos: & Ezechiele propheta contestante, quia propter quod legem dei & iustificationes eius profanauerint, præcepta acceperint, & mãdata non bona, in quibus iustificari non possent. Vnde & dominus ait Iudæis: Quia hæc ad duritiã cordis vestri scripsit Moyses. Hinc est vnde & Petrus apostolus, Quid imponitis, inquit, iugum supra ceruices fratrum, quod neque patres nostri neque nos potuimus portare? Nam si vtilia fuissent, tunc data essent quando iex in tabulis data est. Sed quia post tanta signa prodigiorum & legem editam irreuerentes & diffidentes & ceruicosi inuenti sunt, talia ac tanta acceperunt mandata, in quibus respirare non possent. Hinc factum est vt & boni laborarent cum malis, accepturi mercedem. Hæc ergo pro vindicta data sunt, ita vt tempore quo promissum aduenit donum dei, misericordia dei relaxaret omnia quæ prius interdixerat. Quod non intelligentes Iudæi, sub iugo permanent: & quorundam libertatem his volunt vinculis obligare. Ideóque hos obiurgandos admonet, vt ab his auertantur. *Omnia munda mundis: his verò qui contaminati sunt & sine fide, nihil mundum, sed inquinata est eorum & mens & conscientia.*) Istos mundos esse significat, qui & qua caussa interdicta sunt norunt, & qua caussa cõcessa sunt postea. Nam si in Geneſis primo cap. legitur, quia omnia quæ fecit deus, bona sunt: dubium non est quia & munda sunt. Qui verò non intelligunt, immundi sunt. Accusatores ergo scripturę sunt. Si enim bona facta leguntur, cur in-

Matth. 23.

Philip. 3. Epimenides.

Exech. 20.

Marci. 10.

Actor. 15.

Roma. 14

terdicuntur quasi execrabilia? Si execrabilia non sunt, quia bona sunt: propter duritiam cordis interdicta noscuntur, quia indigni habiti sunt tota vti dei creatura. Nam qui à melioribus prohibiti videntur, horum mens & conscientia inquinata est, quia creaturam dei accusant, vt excusent semetipsos. *Deum fatentur se nosse, factis autem negãt, quoniam sunt execrabiles & inobedientes, ad omne opus bonum reprobi.*) Quamuis ad omnes hæreticos pertineat dictum hoc, tamen de Iudæis intelligitur locutus, qui se Abrahæ deum solos dicunt scire, operibus verò abnegant, sicut dicit dominus: Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Quomodo ergo possunt deum Abrahæ scire, qui mysterium & fidem eius ignorant, non Euangelij opera sectantes, sed legis factorum, in neomeniis & circuncisione, & cæteris, perturbatores impij & irreuerentes? Hæc sunt opera quæ deum nesciunt.

Ioan. 8.

CAPVT SECVNDVM.

TV autẽ loquere quæ decet sanam doctrinam.) Hæc scit deum quæ appellatur sana doctrina. Dei enim doctrina salutaris est. *Seniores sobrios esse, graues, prudentes, sanos fide, dilectione, patientia.*) Qui sint sanæ doctrinæ ostendit, vt minus sobrios, minus graues, infideles, sine charitate, impatientes, insanæ doctrinæ discipulos significaret. His enim operibus nescitur deus, neque iustitia eius. *Anus pari modo in statu religione digno, non criminatrices, non vino multo seruientes, bona docentes, vt instituant adolescentulas viros suos diligere, amare filios, prudentes, pudicas esse, castas, domus curam habentes subditas propriis viris, ne verbum dei blasphemetur.*) Tales precipit esse seniores, vt exemplo sint bonæ conuersationis iunioribus, vt si infideles viros habeant, congaudeant eis magis quã blasphement nomen dei: dum videt quia propter dei timorem propensius obsequuntur suis viris. *Iuniores similiter hortare continentes esse, per omnia teipsum præbẽs exemplum bonorũ operũ, in doctrina, in integritate, in grauitate verbũ sanum, irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est, reuereatur, nihil habens dicere de nobis dignum reprehensione.*) Quoniam iuuẽtus solet modum egredi, imò promptior esse ad lapsum, idcirco salubribus retinaculis contineri iubetur, vt infrænata diuinis legibus gubernetur. Quod vt effici non sit arduum aut difficile, magistrum formam esse præcipit, vt ea quæ docet, quomodo fiant ostẽdat: vt ij qui prophani sunt & inimici fidei, erubescant, videntes quia quæ verbis docet, vera esse probat factis. *Seruos dominis suis subditos esse in omnibus optimos, non respõsatores, non fraudantes, sed omnem fidem bonam ostendentes, vt doctrinam saluatoris nostri dei ornent in omnibus.*) Bonis operibus & fide doctrinam dicit ornari dominicam. Tunc enim placita est & decora, si hic qui eam profitetur, non illam exosam faciat abnegans factis, sed amabilem & veram. Non potest enim indecorum esse quod verũ est. Cùm ergo dicta sequentibus factis implentur, ostẽduntur vera, ac per hoc decora. Tunc possũt domini seruos suos non tantum à fide non prohibere, verum etiam gaudere, quia fidem eorum etiam sibi vident proficere. Nemo enim fidem dei custodiens, infidelis potest esse hominibus. *Illuxit enim gratia dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegata impietate & secularibus desideriis, temperanter & iustè & piè viuamus in hoc seculo.*) Donum dei illuxisse hominibus dicit per Christum, id est, veritatem vnius dei manifestatam in Christo, vt pia professione creatorem prædicemus in trinitatis vnitate: quod prius latuit humanũ genus, nunc autem misericordia dei illuxit, vt erroris tenebras euitantes, id est, ignorantiam & impietatem mundanorum fugientes, pij inueniamur in parentem omnium deum, profitentes eum in veritate, quam tradit Euangelium filij eius: & vt huius rei mercedem habere possimus, bona opera faciamus. Quomodo enim illi qui solum patrem prædicat, spes nulla est si non profiteatur in eadem veritate & filium: ita & huius spes frustrata est, qui solam professionem fidei habet sine bonis operibus. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ beati dei, & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & emundaret sibi populum abundantem, æmulatorem bonorum operum.*) Hanc esse dicit beatam spem credentium, quia expectant aduentum gloriæ magni dei, quod reuelari habet iudice Christo, in quo dei patris videbitur potestas & gloria, vt fidei suæ præmium consequantur. Ad hoc enim redemit nos Christus, vt puram vitam sectantes, repleti operibus bonis regni dei hæredes esse possimus.

Ephes 6. Coloss. 3. 1. Pet. 2.

A B C D

CAPVT TERTIVM.

HÆc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. nemo te contemnat. Admone illos principatibus & potestatibus subditos esse, obedire, ad omne opus bonum paratos esse.) Quæ spes credentium sit admonet, vt manifestet, cùm arguuntur, vt sciant cui bono præparantur, vt non asperè accipiant: certi quia pro salute sua corripiuntur, & vt ad malum tardi sint, ad bonum verò parati, non nescij quid singulis persolui oporteat. *Neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, ostendentes omnem mansuetudinem ad omnes homines.*) Christianos omnibus hominibus humiles vult videri. sic enim possunt perfidi ad futuram spem vocari. *Eramus enim & nos quondam inconsulti, inobsequentes, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odio nos inuicem habentes.*) Hæc bona quæ incredulitas non habet, Christianis data memorat, vt in omni iustitia elucentes, manifesti fiant quòd dei cultores sint. Cùm enim quondam inconsulti, nunc videntur per omnia sani esse consilij, laudatur in his deus. *Cùm verò bonitas & humanitas illuxit saluatoris dei nostri, non ex operibus iustitiæ quæ nos fecimus, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Christum Iesum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia illius, hæredes efficiamur, secundum spem vitæ æternæ.*) Hoc bonum quod in Christianis florere videtur, de radice pietatis diuinę oritur. Deus enim misericordia sua saluos nos fecit per Christum, cuius gratia renati, spiritum sanctum accepimus abũdè, vt bonis operibus inniti possimus, ipso nos in omnibus adiuuante, vt per hæc hæreditatem regni cœlorum assequi possimus. Quamobrem omni deuotione huic obsequi debemus, & præceptis eius parere: quia quicquid in nobis pulchrum est, spiritalibus lineamentis ipse depingit. *Fidelis sermo, & de his volo te confirmare, vt soliciti sint ad effectum bonorum operum ij qui crediderunt deo. hæc sunt bona & vtilia hominibus.*) Nihil tam apertum, quia misericordia atque humanitas bona est ad præsens, & vtilis in futurum. Et hic enim habet laudem & in iudicij die coronam. Omnis enim deo credens misericordiæ debet studere, per quam viuit. Vt in hæc ergo esset solicitus rector populi admonetur. *Stultas autem quæstiones, & originum enumerationes, & contentionem & pugnas legis deuita. sunt enim inutiles & vanæ.*) Stultas has quæstiones appellat, quæ salutis effectum non habent, neque aliquam tribuunt scientiæ peritiam ad vtilitatem. His verbis multorum hæreticorum denotat dogmata. Quamuis omnia quæ vera non sunt, stulta dicenda sint: alius tamen est qui res fabulosas inducit, & alius qui calliditate tergiuersationis rem veneno plenam proponit, vt est Arrius & Fotinus. Fabulosa autem non lex, sed hæresis est, quantum ad tempus pertinet illud Iudæorum, dum quidem eorum sibi vindicarent prærogatiuam originum patriarcharum, quæ de matrimoniis ortæ sunt, cùm ex hoc nullum meritum sit apud deum. Quidam verò vrceorum & cæterorum vasorum baptisma, & sanguinem mustelæ magna cura expiandum: & quia ideo Moysi sepultura abscondita est, ne à Madum: & quia ideo Moysi sepultura abscondita est, ne à Madogis excitaretur. Quod si verum esset, & cæterorum sanctorum abscondenda fuerat sepultura. Et quia Salomon adiutorio dæmoniorum templum ædificauit, in quo opere integens multitudo laborauit. quid tam fabulosum? *Hæreticum hominem post primam correptionem deuita, sciens quòd peruersus est huiusmodi, & delinquit à semetipso damnatus.*) Hæretici hi sunt,

hi sunt qui per verba legis legem impugnant. Proprium enim sensum verbis astruunt legis, vt prauitatem mentis suæ legis authoritate commendēt. Sciens enim impietas authoritatem multùm valere, fallacium sub nomine eius componit: vt quia res mala per semetipsam acceptabilis esse nō potest, bono nominis commendetur. Idcirco huiusmodi homines vt inexcusabiles sint, semel corripi oportere. Frequentius enim correpti, exercitatiores fient in malo. Cogere autem illos videtur qui sæpe corripit, vt solicitiores fiant ad perditionem multorum: ideo dimittendos, vt negligentiores effecti, soli fortè depereant. *Cùm misero ad te Artemam aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim. ibi enim statui hyemare.*) Post epistolam datam etiam ipsum videre vult affectus causa, & vt plenius illum firmaret in ecclesiastica disciplina. *Zenam legisperitum & Apollo solicitè præmitte, vt nihil illi desit. Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad vsus necessarios, vt non sint infructuosi.*) Vterque nobilis est sapientia & operibus, & idcirco iubet sumptus illis necessarios dari ab iis qui crediderant, vt refrigerarent: quia dignum erat vt qui spiritalia tradebant non illis deessent carnalia. Quanuis enim Zenam legisperitum vocitet, Apollo tamen perfectus erat in scripturis: sed quia Zena huius professionis fuerat in synagoga, sic illum appellat. *Salutant te omnes qui mecum sunt.*) Propter compendium simul omnes consalutare illum significat. *Saluta eos qui nos amant in fide.*) Illos salutatione sua dignos videri vult, qui fideliter illum diligunt affectu Christi domini nostri. *Gratia dei cum omnibus vobis.*) Nunc generaliter omnes salutat fratres & domesticos Titi.

Diui Ambrosij

MEDIOLANEN. EPISCOPI,

Commentarii in Epistolam beati Pauli ad Philemonem.

PRAEFATIO.

PHilemon nulla erat ecclesiasticę ordinationis prędituς dignitate, sed vir laudabilis, vnus ex plebe. Cui causa Onesimi serui eius familiares literas facit, vt non solum ignoscat ei, sed & deo gratias agat, quia talem illum recipit, vt non seruum æstimet, sed dilectissimum fratrem.

PAulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto fratri & laborum nobis participi, & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & domesticæ eius ecclesiæ: Gratia vobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.) Vt dignitatem epistolæ à se missæ faceret, ab iniuria sua cœpit. Sicut enim peccati causa vinciri opprobrium est, ita econtra pro Christo custodię vincula sustinere, maxima gloria est. Eo enim tempore quo hanc epistolam misit, in custodia erat. Quamuis clericus nō fuerit Philemon, tamē intererat ecclesiasticis necessitatibus causa deuotionis. vnde participem hunc dicit laborum. Sunt enim multi qui cum sint digni, excusant tamē, infimos semetipsos iudicantes tanti ministerij: vnde verè digni apparent. *Gratias ago deo semper mentionem tui faciens in orationibus meis, audiens fidem tuam & charitatem quam habes in dominum Iesum, & in omnes sanctos, vt communicatio tua accepta fiat in agnitione omnis boni, quæ in nobis est in Christo.*) Gaudere se dicit, & deo gratias referre in precibus suis, quia firmus erat in fide, & bonis operibus insistebat. Qui enim diligit Christum, probare hoc debet in seruos eius, sciens dominum sibi imputaturū quicquid constiterit erogatum in seruis. Apostolus tamen hoc se dicit addere precibus, vt operatio eius cum cognitione fiat bonitatis, hoc est vt tali hoc mente operetur, vt in futurum huius rei expectet mercedem. *Gaudium enim magnum habui & consolationem super charitate tua, quia viscera sanctorum requieuerunt per te frater.*) Manifestum est quia idcirco se significat lætum esse, quia sanctorum necessitatibus vtensilia ministrabat, vnde plus gaudet, certus ex hoc quia obsequeretur & mandatis eius quem constat esse potiorem. *Quapropter multam fiduciam habens in Christo imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter charitatem magis deprecor, cùm talis sis sicut Paulus senex, nunc autem & vinctus Christi Iesu.*) Quantum ratio exigebat, dignum erat imperare discipulo magistrum, & fiducia apostolicæ authoritatis: sed quia vir bonus erat Philemon, per affectum illum prouocat obaudire, quasi coęuum ætatis, & vinctum Christi Iesu, id est, obligatum negociis dominicis, vel propter nomen eius subiectum vinculis, sicut erant & ipsi apostoli. Tales enim fuerunt Iudas & Syleas, qui cùm ex plebe essent primores inter fratres, obligauerant semetipsos dominicis actibus, vt vnà cum apostolis coagonizarent propter fidem dei. vnde Syleas particeps laborum inuenitur apostoli. *Obsecro te de meo filio, quem genui in vinculis Onesimo quondam tibi inutilem, nunc verò tibi mihique vtilem, quem remisi ad te. Tu autem illum itidem sicut mea viscera suscipe, quem ego volueram apud memetipsum retinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis euangelij: sed contra tuum consilium nihil volui facere, vt non velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.*) Non magnum est humilem inclinare se, laudabile verò sublimem virum humiliare se. Ideo Apostolus rogat eum cui imperandi habet potestatem, vt in omnibus forma sit ad profectum meritorum. Onesimum ergo profugum decurrentem ad diuinum auxilium, cum esset in custodia vrbis Romæ baptizauit Apostolus videns in illo vtilitatis spem. Quem sic commendat, vt suum animum in illo significet idoneum ex inutili factū tam secularibus quàm diuinis obsequiis. *Forsitan enim idcirco recessit ad horam, vt æternum illum reciperes, non iam velut seruum, sed pro seruo dilectissimum fratrem, maximè mihi: quanto autem magis tibi & in carne & in domino?*) Onesimus offenso domino proprio confugit longa peregrinatione ad Apostolum, vt ostenderet se non ad hoc recessisse, vt delicti esset obnoxius, sed vt obliteratis peccatis vtilis reuerteretur, intantum vt non solum domino suo æqualis fieret meritis, sed ipsi magistro frater. Et ne Philemon aliquod, vt assolet, quasi dominus aduersum seruum fastidium inflationis pateretur, humiliat illum cùm dicit illum fratrem & in carne & in domino: vt sublata humanæ conditionis causa, quia omnes ex vno sumus Adam, fratres nos cognoscamus, maximè cùm fides accedit media, quæ omnem superbiam amputat. *Si ergo habes me socium, assume illum sicut me.*) Tantum se affectum habere circa Onesimum ostendit, vt tunc Philemonem, quem superius laudat, participem suum dicat, si istum sic susceperit sicut Apostolum. Hoc est enim quod dixit Salomon: Seruo sapienti liberi seruient. *Eccl.10.* Quod dictum terrori est Philemoni, vt saltem vel hac causa assumeret eum, si charitate flecti non posset. *Sin autem aliquid læsit te, aut debitor est, hoc mihi imputa.*) Nunc excusationem iracundiæ conuellit, ne fortè sic læsum se esse ab eo quereretur, vt illi ignoscendum minimè videretur. Quod si esset sibi imputandum dicit, per quem regni cœlorum hæredes futuri sunt qui antè peccauerunt. *Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam, vt non dicam tibi quòd etiam teipsum mihi debes.*) Si qua offensa est Onesimi, cautionem suam testatur esse idoneam, vt pro illo satisfaciat. Et vt verum loquatur, suberigit se & dicit, quia minus ab illo exigit quàm debere probatur. In seruo enim cogitur satisfacere qui seipsum debito onerat. *Ita frater sic ego te fruar in domino, refue viscera mea in Christo. Fiduciam habens obauditionis tuæ scripsi tibi, sciens quia super quàm dico facies.*) Modo blanditur vt obauditio eius voluntaria sit, vt possit fructum habere. Sic enim prouocat eum, vt amplius faciat quàm postulatur ab eo. Solet enim fieri, vt qui videt bene de se sentiri, meliorem se præbeat. *Simul autem præpara mihi hospitium. Spero enim quòd per orationes vestras donabor vobis.*) Vt solicitiorem illum

illum faciat, & magis obediat, venturum se esse illis significat. Solent enim absentes contemni. Et vt quid Apostolus hic adhuc esse non dedignatur, qui semper tædia passus est & exitia, cædes, persecutiones, ac vincula, & cuius requies non erat nisi in solo Christo? Sed propter profectum credẽtium, vt & inimicos crucis Christi confunderet, ad dei gloriam augmentandam carnem suam passionibus offerebat, vt animæ suæ & corpori coronas immortalitatis acquireret. *Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu, Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, adiutores mei.*) Hos omnes participes gloriæ suæ testatur. *Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.*) Hæc subscriptio Apostoli est confirmantis epistolam missam.

Diui Ambrosij MEDIOLANENSIS EPISCOPI commentarii in epistolam beati Pauli ad Hebræos.

PRAEFATIO.

Paulus quo consilio suæ gentis scripserit.

QVa ratione, quóve consilio scripserit beatus Paulus genti suæ populo Hebræorum, ex ipsius verbis deprehenditur. Timuit eis ne superati tentationibus, ad infidelitatem relaberentur. Nulla enim gens obstinatioribus animis repugnabat euangelio Christi, quàm Iudæorũ, qui beato Paulo erant infensissimi, quòd se gentium apostolũ profiteretur, quas Iudæi vt prophanas & impias abominabantur: quódque legem Mosaïcam, quam illi sacrosanctam habebant, & euãgelij vice per vniuersum orbem spargi cupiebant, antiquare videretur, adeò vt essent inter hos quoque qui Christi doctrinam receperant, qui putarent legis obseruationem cum euangelio miscendam. Hierosolymis igitur qui crediderant, variis calamitatibus afficiebantur ab iis qui resistebant euangelio. nam penes hos erat publica authoritas: coniiciebantur in vincula, cædebantur, diripiebantur illorum bona. Hos itaque cõsolatur Paulus partim exemplo veterum sanctorum, quorum pleriq; similibus, aut grauioribus calamitatibus exerciti sunt, quò virtus illorum esset exploratior, spectatiórque, ac præcipuè exemplo Christi: partim spe præmij cœlestis. Deinde declarat, coruscante iam euangelio Christi, cessasse vmbras legis Mosaïcæ, multa repetens ex veteri testamento, & ad Christum accommodãs. *Ex fide sed euangelica, nostram pendere salutẽ. Nomen cur non præfixerit.* Docet non ex obseruatione legis, ad tempus datæ & imperfectæ, sperandam esse salutem, sed ex fide, qua veteres, etiam illi probatæ sanctimoniæ viri, quorum memoria Iudæis erat sacrosancta, deo potissimum placuissent. Tãdem tradit præcepta quædam ad patientiam & mores Christianos faciẽtia. Quare autem Apostolus morem suum peculiarem scribendi & phrasin non seruarit, vel nominis sui, vel apostolatus dignitatem subticuerit, conspicuum est: vt ad eos qui ex circuncisione crediderant, quasi gentium apostolus & non Hebræorum, sciens quoque horum fastum, suam humilitatem exhibens, officium suum noluit ostentare. Sunt qui aiunt Paulum hanc epistolam sacra lingua scripsisse & misisse.

CAPVT PRIMVM.

Paulus cur Hebræis scripserit.

MVltifariè & multis modis olim deus loquens patribus in prophetis.) Tota intẽtio beati Pauli apostoli fuit in hac epistola, Hebræos, id est, gẽtem suam, ad Christi conuocare fidem, eminẽtiamque gratiæ, quæ per filium data est à legalibus discernere vmbris, quæ angelicis ministrationibus exhibitæ fuerũt. Idcirco primò posuit prophetas diuersis modis patribus locutos esse, dicens: Multifariè multísque modis olim deus locutus est patribus in prophetis, significans quod alibi dictum est, Ego enim visiones multiplicaui, & in manibus prophetarum adsimilatus sum. Proinde non secũdum hoc solum eminentia noui testamenti declaratur, quia patribus quidem prophetæ missi sunt, nobis autem filius. Sed etiam quod prophetarum vel patriarcharum nemo nisi in similitudine vidit deum, filium verò vnigenitum incarnatum esse, atque in ea carne visum cõstat, qua idem homo à verbo dei susceptus vnigenitus est filius dei. Ideo mox addidit: *Nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio.*) Dicendo enim, In filio, tantum valet quasi diceret, per filium suũ, quia In præpositio, pro Per accipitur, sicut multis in locis suarũ epistolarum inuenitur his præpositionibus indifferenter vti. Tacuit adhuc de Christi nomine, quia plurimos illorum sciebat negasse Christum filium dei esse. Non enim dixit, Christus locutus est: quanuis ipsum locutum constet esse. Ita necdum Iudæos aperto nomine tetigit. Nam fermè omnes quibus prophetæ locuti sunt, malignos esse nefariósque constabat. Et necdum de istis, rationem mouere voluit: sed interim generali sermone de muneribus disputat, quæ illis diuina largitate donabantur. *Quem constituit hæredem vniuersorum.*) Quid est, quem constituit hæredem vniuersorum? Hic incarnatum dicit filium, de quo superius locutus est: sicut etiam de eo in secundo legitur psalmo, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Non iam portio domini tãtum Iacob, & sors eius Israel, sed omnes prorsus nationes. Hoc est, hunc filium dominum cõstituit vniuersorum. Hæredis autem vtitur nomine: vt duo quædam per hoc adstruat & ostendat: quòd proprius sit filius, & quòd dominationis illi nulla cõtingat amissio. Hæredem autem omnium dicit, id est, mundi totius: deinde ad altiora sermonem conuertit, dicens: *Per quem fecit & secula.*) Vt ostẽderet eundem nouissimis diebus venisse in mũdum, per quem fecit & mũdum: magnitudinem eius ostendens, qui fuit noui testamẽti lator & auctor. Post hæc quibusdam gradibus dignanter vtens, peruenit ad id quod omnibus istis quæ supra dixit, multò maius est, & insonuit, dicens: *Qui est splendor gloriæ & figura substantiæ eius.*) Vbique quidem religioso nobis opus est intellectu: maximè autem vbi de deo vel loquimur, vel audimus. Quoniam neque ad loquendum dignè de deo lingua sufficit, neque ad percipiendum prẽualet intellectus. Oportet enim vbi vel sermo deficit, vel cogitatio explicari de deo non poterit, tunc magis glorificare nos deum, quòd talem deum habemus: qui & intellectum transcendit, & cogitationis intuitum. Meritò splendorem eum dixit gloriæ, vt pote qui ipsum sciebat dicentem: Ego sum lux mundi. Ostendens enim lumen de lumine, sicut deum de deo esse, animásque nostras illuminantem: & patrem nobis insinuãtem. Per splendorem quippe vnitatem declarauit essentiæ cum deo patre, & mirabili modo sic vnam substantiam ostendit: vt duas personas aperiret in gloria & splẽdore. Vnde etiam subiungit: *Qui est figura substantiæ eius.*) Figura quippe altera est ab eo, cuius refert formam. Altera autem non in omnibus, sed secundum personam. Nam & hic figura, æqualitatis omnino præbet indicium ad illud cuius figura ostenditur: & suspicionem vel paruæ dissimilitudinis proculdubio non recipit. Hic enim figuram dixit, quod alio loco formam nominat, vbi ait: Qui cùm in forma dei esset. Forma videlicet vel figura vnã declarat essentiæ æqualitatem. Sequitur: *Portans omnia verbo virtutis suæ.*) Portans, id est, gubernãs omnia eo verbo virtutis suæ, per quod fecit omnia. Non enim minus est gubernare mundum, quàm creare. Nam in creando quidem, ex nihilo rerum substantiæ productæ sunt: in gubernando verò ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur. Ergo dum hæc omnia reguntur, & adinuicem sibi repugnantia, coaptantur, magnum & valde mirabile plurimæque virtutis dei iudicium declaratur. Post hanc diuinæ maiestatis in filio claritatem, ad humilia incarnationis descendit, dicens: *Purgationem peccatorum faciens.*) Duo quædam significans, id est, curam nostri generis, in eo quod ait: portans omnia verbo virtutis suæ.

Quod

Os. 12. c. Act. eminẽtia noui testamenti.

Psalm. 2.

Christus filius, eóque hæres.

δόγμα.

ἀπαύγασμα Ioan. 8.

χαρακτὴρ.

Figura hic vt forma æqualitatem indicat. Philip. 2.

Quòd verò adiũxit purgationem peccatorum faciens, id est, peccata nostra mundat. In his duobus maximè Apostolum gloriari videmus, quòd hæc per filium nobis allata esse demõstrat. Et cùm nos commonuisset crucis & passionis eiusdem filij, per quæ nobis purgatio peccatorũ ministrata est, confestim de resurrectione atque ascensione eius instituit nos ad cœlestia erigere, & intueri inenarrabilem eius gloriam. ait enim, *Sedet ad dexteram maiestatis eius, in excelsis.*) Per dexteram, non deum corporaliter deformauit, sed magnitudinem demonstrauit honoris. Dum dixit in excelsis, ostẽdit eum omnibus altiorem & supereminentẽ esse, qui etiam vsque ad ipsum peruenit solium paternæ claritatis. Sicut enim pater in excelsis est, sic & filius. Cõsessus enim nihil demonstrat aliud nisi honoris æqualitatem. Si enim minorationem vellet ostendere, nunquam diceret, à dextris: sed potius, à sinistris eum sedere. Adhuc excellentiam eiusdem filij ostendere adgressus est, dum dicit: *Tantò melior angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit.*) Angeli sunt ministri & famuli: ille quidem filius & hęres. Tantò, inquit, melior angelis effectus. Hoc est, honorabilior atque præclarior, quantò melius hæreditauit nomen. Sequitur, *Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.*) Hoc enim absque vlla dubitatione de incarnatione filij dicitur. Ideo verbum futuri temporis posuit, Ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Quòd verò dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te: apertè manifestat quod idem de quo ait, Ero ei in patrem, ex ipsa essentia patris sit genitus. Ideo præsenti tempore posuit hodie: quia deo nihil præteritum aut futurum est, sed semper præsentia cuncta. Potest enim & secundum carnem hoc accipi dictum: quia caro communicat altioribus, sicut & diuinitas humilibus communicare dignata est. Hoc itaque loco perspicuè duas naturas in Christo ostẽdit. Hæc verò ad salutis nostræ exempla referamus. Si enim ipse cùm deus esset & dominus, deíque filius, non respuit formam serui suscipere: multò amplius nos oportet cuncta perficere, quæ iussa sunt nobis, & humilia quæque tolerare. Recordemur dominum dicentem: Cùm feceritis omnia: dicite, quoniam inutiles serui sumus. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes angeli dei.*) Paulus autem introitum Christi vocat assumptionem carnis: de qua ipse dominus in euangelio ait, Exiui à patre, & veni in mundum. Hoc loco Christus incarnationem suam exitum vocat: quam Paulus hic introitum nominat. Quærendum est quare vnam rem diuersis nominibus Christus & Paulus nominare voluerint. Significationes quidem dictorum manifestæ sunt, & secundum quid, alterutrum dicatur, apparet. Christus quidem meritò exitum vocat: foris enim eramus à deo, sicut qui sunt extra regales aulas in vinculis colligati, & qui habent apud regem pro culpis offensam, huiusmodi quippe à regali aula foris excluſi sunt. Qui enim voluerit istis veniam impetrare, non primum ipsos in aulam regis inducit, sed ipse foras egreditur, ibique cum eis communicat sermocinandi negocium, vsque dum eos correctos reddat, & dignos efficiat, quo regis vultui repræsentari mereantur. Sic etiam Christus efficit. Egressus quippe ad nos, hoc est, carnem sumens, & conlocutus nobiscum præcepta nobis intonuit. Et sic nos à peccatis emundans, & ad deum conuertens, in aulam regalem velut aduocatus optimus introducens. Propterea ergo exitum vocat suæ incarnationis aduentum. Paulus autem introitum nominat ex metaphora hæreditantium, & ius dominandi in aliqua possessione sumentium. Dicendo enim, Iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, hoc significat, cùm ei committit orbem terrarum. Tunc enim totum orbem possedit, cùm ab vniuersis est agnitus. *Et adorent eum omnes angeli dei.* Ad altiora quædam eleuans mentem nostram, vt sciamus illum qui carne indutus est, & passus est pro nobis, ab angelis adoratum. Vt discerneret autem maiestatem filij ab angelorũ ministratione, mox sequutus adiunxit: *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flãmam ignis.*) Non enim solos angelos hoc sermone significat, sed omnes virtutes ministeriis supernis fungẽtes. Scien- A dum est enim quòd angelus, nomen est officij, non naturæ. Qui etiam semper sunt spiritus: sed non semper angeli vocari possunt. Quæris huius naturę nomen? spiritus est. Quæris officij? Angelus. Ex eo quod est, est spiritus: ex eo quod agit, angelus, quia angelus Græcè, nuncius Latinè dicitur. Sicut homo nomẽ naturæ, miles verò nomen officij, sic enim qui erant iam spiritus conditi à creatore deo, facit eos angelos mittendo eos nunciare quod iusserit. *Et ministros suos, flãmam ignis.*) Legimus apparuisse ignem in Rubo. Legimus etiam missum ignem desuper apostolos, & implesse quod præceptum erat illis. Potest dici, quando leuia nunciare mittuntur, angelos esse: quando ad vindictam mittuntur, ministros esse, id est, ignem ardentem. Sunt etiam hæc officia in ecclesia præsenti. Nam prædicatores sancti, quando spiritalia prædicant, & gaudia regni dei annunciant: angeli dicuntur. Quando verò terrorem gehennæ ignis prædicant, ministri sunt: vt terreant peccatores comminatione ignis illius qui nunquam extinguetur. *Ad filium autem, Thronus tuus* B *deus in seculum seculi: virga æquitatis, virga regni tui.*) Hic de eo dicit, qui secundum carnem est, de quo etiam ipse dominus in euangelio ait: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio: vt omnes honorificent filium. Et paulò post, Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Hic enim thronus dei, ad iudicium pertinet futurum. In quo forma hominis videbitur, iudex viuorum & mortuorum, & quo iudicio omnia veraciter Christus moderatur, examinat atque iudicat. In seculum seculi ait, quia nouissimum iudicium inter bonos & malos externa discretione stabit, eo ipso testãte in euangelio, qui iudicaturus est. Tunc, inquit, ibunt hi in ignem æternum, iusti autem in vitam æternam, *Virga æquitatis, virga regni tui.*) Virgam verò regulam diuinæ significat æquitatis, quæ veraciter recta dicitur, quia nulla prauitate curuatur. Virga ista iustos regit, impios percutit. Hæc virga nempe fortitudo inuicta est, & æquitatis rectissima atque inflexibilis disciplina. Hæc enim virga regij honoris insigne sceptrum dicebatur antiquitus, designãs C in ea virtutem, regem, dominum, saluatorem. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.*) Ipsa est virga recta amare æquitatem, odisse nequitiam. Nemo enim perfectè diligit iustitiam, nisi qui & actus pessimos abominatur: quia veritatis amor, odium est falsitatis. Sed huic amori bonitatis, & odio iniquitatis, quæ præmia sint reddita, subter exponit, dicens: *Propterea vnxit te deus, deus tuus.*) Vnctus Christus, & regem significat, & sacerdotem, quia dignitates istæ sumebantur per sacratissimas vnctiones. Nam & ipsum nomen Christi, à sancto chrismate vocatur. Sed in illa natura vnctus dicitur, quia dispensatione & natus & mortuus, & resurrexisse veraciter Christus dicitur. Cæterum diuinitas eius nullo munere, nullo honore indiguit adiuuari. Repetitio autem ista qua dicit deus, deus pręconium magnę dilectionis ostendit. *Oleo exultationis præ participibus tuis.*) Duplici modo vnctionem illam sanctam proueniſſe significat. Oleum lætitiæ est peccati maculam non habere. Vnde se conscientia semper exhilarat: quando nulla recordationis asperitate mordetur. *Præ participibus tuis.*) In filiis hominum dicit: quos & ipse in D euangelio fratres appellat. Ideo autem dictum est: Præ participibus tuis, quoniam hanc benedictionem supra omne humanum genus, siue reges, siue sacerdotes in veteri testamento, etiam apostolos & martyres in nouo agnoscitur accepisse: vt vnctus singulariter cæteros vngere debuisset. In illo enim fons benedictionis, prout ipsi visum fuerit, per vniuersos electos competenter emanat. Sed hæc omnia carni conueniunt, cui perfectissimum & glorioſissimum verbũ vnitum est pro salute sanctorum. Hoc vnguentum in alio dicitur psalmo descendisse in barbam, barbam Aaron: vsque in oram vestimenti eius. Et paulo post: Quoniam illic mãdauit dominus benedictionem, & vitam vsque in seculum. Post humanitatis eius igitur excellentiam iterum ad æternitatem diuinæ in eodem filio dei naturæ conuertit se Apostolus, testimonia alterius psalmi inducens. ait enim, *Et tu domine in principio terram fundasti: & opera manuum tuarũ sunt cæli.*)

Confirmat simili.

Leuit. 10.

Quo differãt angelus & minister.

Psal. 44.

Ioan. 3.

Mat. 24.

Virga æquitatis.

Virga huius officium.

Oleum lætitiæ.

Psal. 28. Ioan. 20.

Psal. 132.

In Arianos. *cœli.*) Cùm dicit,in principio terram tu fundasti domine,o-
ſtendit quod à ſanis mẽtibus non poteſt abnegari:quia crea-
Pſalm.148. tor à creaturis ſuis ſine aliquo cognoſcitur extitiſſe initio.
Manus nomine quid. *Et opera manuum tuarum ſunt cœli.*)Hic manum virtutem iuſſionis dei debemus accipere. Alio enim loco dicitur,Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. *Ipſi peribunt, tu autem permanes.*) Pereunt enim ab eo quod ſunt,dum immutantur in melius creaturæ. Tu autem permanes.vt ſicut æternitatem domini oſtẽdit antequam crearet omnia,ſic poſt cœlos mutatos ipſum diceret in maieſtatis ſuę gloria permanere.*Et omnes vt veſtimentum veteraſcent.*) Ipſum enim veteraſcit, quod veſtis more,morte cõſumitur: ſicut caro humana, quæ tamen in melius reſurrectione immutabitur.addit,*Et velut amictum mutabis eos:& mutabũtur.*) His verbis forſitan cœlorum mutationem propheta intelligi voluit,qui ſimiliter vt cætera elementa commutantur,ſicut in alio legitur propheta: Et erit cœlum nouum,& terra
Eſaiæ 66. noua. Vt facta domini oſtenderet iam ſub æternitate menſura,dicit:Mutabis eos,& mutabuntur:quia nunquam erũt ad hoc corruptibile reddituri. *Tu autẽ idem ipſe es,& anni tui non deficient.*) Immutationem eiuſdem naturæ deſignat,ipſe verò idem eſt quod eſt, veluti Moyſi famulo ſuo dixit, Ego
Exod.3. ſum qui ſum.Sic iſtis tribus verſibus commutatio creaturarum,& æternitas domini mirabili breuitate deſcriptæ ſunt: poſt maieſtatem diuinæ æternitatis in filio, iterum beatus Apoſtolus ad humanitatis eiuſdem glorificationem ſermonem direxit, dicens:*Ad quem enim angelorum dixit aliquando:*
Pſalm.109. *Sede à dextris meis?*) Victori filio,& per ſanctã incarnationem totius mundi triumphatori,poſt reſurrectionis gloriam honorabilis conſeſſus paternæ maieſtatis offertur:vt per hunc ſitum,ſuſceptæ humanitatis gloria declaretur: quæ nemini angelorum deferri debuit.*Quoaduſque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorũ.*) Per pedes enim domini ſtabilitas æterna ſignificatur: vbi ille tanquam veſtigiis poſitus omnipo-
Nonẽ hoc. tentiæ ſuæ virtute cõſiſtit. His pedibus conſtat eſſe ſubdendos qui quotidie vitiorum contrarietate derelicta reuertuntur ad dominum,& tanquam ſcabellũ pedibus,ita eius prædicationibus inclinantur. Sine dubio de illis inimicis dicitur,qui conuerſi ad dexteram collocãtur.Non enim hic aduerbium quouſque,alicuius finem temporis deſignat,ſed ęternitatis potentiam demõſtrat.*Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis?*)Quid miraris ſi filio miniſterium exhibent angeli cùm etiam noſtræ ſalutis miniſtros eos cõſtet effectos? Mentes eorum ad quos loquitur,ſubleuare volens,dicit angelorum functiones humanæ ſalutis cauſa à domino directas eſſe.Filius verò ſicut dominus ſaluat:iſti verò ſicut ſerui ſaluti prædeſtinatorum deſeruiunt. Cuius rei pleni ſunt
Lucæ 2. veteris teſtamenti vel noui vbique libri.Nam & paſtoribus
Matth.28. angeli euangelizauerunt, & angelum legimus ad virginem
Ioan.20. Mariam miſſum:& in reſurrectione domini angeli mulieribus apparuerunt, & alia multa in diuinis leguntur ſcripturis. Intelligite igitur nunc, quantus honor nobis exiſtit, ad quos ſicut ad amicos, ita miniſtros angelos ſuos deſtinat deus.His ita introductis de angelorum miniſterio,per quos etiam & ipſa lex miniſtrata eſt, mox ſubiungit de excellentia gratiæ,quæ per dei filium nobis allata eſt, dicens:

CAPVT SECVNDVM.

PRopterea abundantius oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus.) Quare abundantius dixit?hoc eſt,magis quàm quod in lege ſolebamus audire. Hortatur itaque eos diligentius iis intẽdere quæ per dei filium audierunt,quàm eis quę per angelos dicta ſunt:more ſuo ſuam illis coniungens perſonam:in eo quod dixit,audiuimus,atque pereffluamus,nolens ab auditis per inania effluere audientium ſenſus:quod etiam ſequentibus verbis plenius explicauit dicẽdo: *Si enim qui per angelos dictus eſt ſermo,factus eſt firmus,& omnis præuaricatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem.*)Quid eſt,factus eſt firmus?videlicet verus,tãquam diceret, fidelis in opportuno tempore,volens intelligi eam quæ per angelos data eſt lex,ſuo tempore firmiter cuſtodiẽdam.Nam legem per angelos datam eſſe,plurimis oſtenditur in locis:attamen non cuſtodientem, iuſtam mercedis retributionem accepiſſe teſtatur.Quare dixit mercedis retributionẽ? Mer- *Merces pro qualitate meriti rependitur.* ces enim in bonis poni ſolet:ſed iſte Apoſtoli eſt mos,vt nõ magnam verborum habeat rationem, ſed indifferenter quæ vel in bono dicuntúr, vel quæ in malo,pro alterutro pone- *2.Cor.10.* re: ſicut alibi dixit, In captiuitatem redigentes omnem ſenſum,ad obediẽdum Chriſto.& hic mercedis retributionem pro ſupplicio poſuit.*Et quomodo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem?*) Per hæc verba ſignificat,quia non erat tanta ſalus in veteri teſtamento, quanta eſt in gratia dei quam dei filius nobis attulit. Non enim nobis nunc ſicut illis ter- *Leuit.26.* ræ diuitias,ſed cœli gratiam promiſit deus. Non vindictam de terrenis hoſtibus,ſed de ſpiritalibus cõceſſit. Non vitam fœliciter temporalem, ſed perpetuam æternaliter beatam donauit. Hæc quippe omnia breuiter intimauit, dicens: Si tantam neglexerimus ſalutem. Deinde ſupereminẽtiam eorum quæ per dei filium dicta ſunt,adiunxit:*Quæ cùm initium accepiſſet enarrari per dominum.*) Non enim hæc quæ dicimus, ab hominibus,vel etiam ab angelis nobis allata ſunt:ſed ipſe filius vnigenitus nobis impartiuit. *Ab eis qui audierunt,in nos confirmata eſt.*) Quid eſt confirmata eſt?credita eſt,atque perfecta, quia ſalus quæ per eundem filium nobis data eſt, perpetua manet in æternum. *Hoc idem etiam conteſtante deo ſignis & portentis, & variis virtutibus,& ſpiritus ſancti diſtributionibus.*) Affluentiam ſignificans gratiarum,quæ non erat apud antiquos,quę fuit data poſtquam glorificatus eſt Ieſus. *Ioan.7.* Teſtatur hoc euangeliſta, vbi ait:Nondum erat ſpiritus datus: quia Ieſus nondum erat glorificatus. Quod verò addidit:*Secundum voluntatem ſuam.*) Diuinæ voluntati atque eius conſilio cuncta contribuit:ne quis in ſuis meritis cõfideret, quaſi diceret:Ipſe nouit quid cuique proſit, vel cui quid ſit accommodum:quapropter ipſe gratiam vnicuique ſecundũ ſuæ voluntatis præſcientiam cõtulit.Sequitur, *Non enim angelis ſubiecit deus orbem terræ futurũ de quo loquimur.* Non enim ſalutem noſtram,quæ in nouiſſimo tempore facta eſt in orbe terræ, angelis ſubiecit, quæ à prophetis futura eſſe olim prædicta eſt,ſed filio ſuo,ad quem vox paterna (ſicut ſuperius demonſtratum eſt) ſonuit:Filius meus es tu:ego hodie *Pſalm.2.* genui te.Poſtula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuã. & hoc propheticis confirmat exemplis, dicens:*Teſtatus eſt in quodam loco quis dicens.*) Cur non hic nomẽ prophetæ poſuit, ſed abſcondit?Facit hoc etiam in aliis teſtimoniis ſicut ſupra dictum eſt. Exiſtimo non abſcondentis affectu,ſed oſtendẽtis intuitu,eos multam habere ſcientiã ſcripturarum, vt nec opus haberet nomen poſuiſſe dicentis:veluti diceret manifeſta ſe & in promptu conſtituta inducere teſtimonia.*Quid* *Pſalm.8.* *eſt homo quòd memor es eius,aut filius hominis quoniam viſitas eũ?*) Quid eſt homo?cum deſpectu pronunciãdum eſt,id eſt,fragilis & caducus Adæ ſequax, qui in veteri ſit peccato generali prauitate deuinctus. Huius memor eſt dominus,quando ei peccata dimittit, & miſericordiæ ſuæ dona largitur. *Aut filius hominis,quoniam viſitas eum?*) Huic iam voci aſſurgẽdum eſt,quòd dominum ſignificat ſaluatorem: quia non vt cæteri mortales, ex duobus hominibus natus eſt, ſed ex ſpiritu ſancto,& beatæ Mariæ ſemper virginis vtero tanquã ſponſus glorioſus de thalamo ſuo proceſſit. Et conſidera quòd ſuperius dixit,memor es:ſubiecit autem,viſitas. Memor fuit, cùm patriarchis de cœlo miſertus eſt. Viſitauit, *Ioan.1.* cùm verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis.Nam vi- *Domini viſitatio à ſimili.* ſitare dicitur,quando medicus ad infirmos ingreditur,quod in aduentu domini reuera conſtat impletum. *Minuiſti eum paulò minus ab angelis: gloria & honore coronaſti eum.*) Hinc iam domini ſaluatoris humilitas narratur & gloria. Minoratus eſt enim non neceſſitate miniſtratoria, ſed pietatis *Philip.2.* ſuæ ſpontanea voluntate: ſicut Apoſtolus ait: Semetipſum exinaniuit,formam ſerui accipiens. Sequitur, *Paulò minus ab angelis.*) Qui crucem pro omnium ſalute ſuſcepit,ex ea ſiquidem parte creator angelorum minor factus eſt angelis. Bene autem dixit, Paulo minus, quia etſi mortale corpus aſſumpſit,

assumpsit, tamen peccatum non habuit. Gloria & honore coronatus est, cùm post resurrectionem nimis mirabilem, mundi credulitatem deus in eo quòd homo factus est exaltatus accepit. Gloria coronatus est in resurrectione & ascensione, & honore in confessione paternæ maiestatis. *Et constituisti eum super opera manuum tuarũ, omnia subiecisti sub pedibus eius.*) Superius de gloria eius & honore narratum est: nunc ponitur & potestas, vt cognoscatur Christi domini maiestatis perfectissima plenitudo. Dicendo enim super opera manuum tuarum, omnis creatura illi subiecta monstratur: quia sicut à domini opere nihil est exceptum, ita nec à potestate Christi aliquid probatur esse diuisum. *In eo enim quòd ei omnia subiecit, nihil dimisit non subiectũ ei.*) Dicendo enim omnia, nec terrena videtur excepisse, nec cœlestia. Quem prius propter humilitatem carnis paulò minus ab angelis dixerat esse minoratum, post ascensionem dicit pedibus eius omnia fuisse subiecta, vt ista distinctio & dubietatem titubantibus auferat, & gloriam suę incarnationis ostendat, sub pedibus ait, vt omnis creatura meritò ipsum colat, atque adorare videatur. *Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei.*) Hoc itaq; B ait de non credentibus in eum: quia necdum omnia euangelica obtinuit prædicatio. Superius dixit nihil dimitti sibi nõ subiectum: & hic adstruit necdum omnia sibi subiecta videri: quia illic vniuersalem sibi volũtariam siue necessariã subiectionem designat, hic tãtum voluntariã eorum, qui fideliter credunt in eum. *Eum autem qui modico quàm angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis eius gloria & honore coronatum: vt gratia dei pro omnibus gustaret mortem.*) Hic ostendit quia gloria & honor crux est Christi, pro qua modicum minoratus est ab angelis, sicut ipse dominus eum semper vocat, dicẽs: Vt glorificetur filius hominis. Si ille ea quę pro seruis passus est gloriam vocat: multò amplius tu homo quæ pro domino pateris, tibi ad gloriã pertinere sempiternam dubitare nõ debes. Addidit, Vt gratia dei pro omnibus gustaret mortem. Ipsum verò gratiam nominat, qui pro omnium salute gustauit mortem. Non enim debebatur nobis, vt filius dei pro nobis gustaret mortem, sed gratia hoc fecit. Ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille tamen quod suum erat impleuit. Propriè dixit, gustauit mortem: quia breui tempore in illa fuit, vt ea deuicta confestim resurgeret. *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriã adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare.*) Id est, perficere omnium salutem. Per quem omnia, id est, per eius mortem, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris, restaurata sunt: per quem etiam & omnia creata sunt. Vides quãtum est in medio nominum. Et ipse filius, & nos filij: ille proprius, non adoptiui. Sed ille saluat, & nos saluamur. Vides quomodo nos & coniungit & discernit. Multos filios, inquit, inducens in gloriam. Illic coniunxit, auctorem salutis eorum, hic discreuit. *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes.*) Ecce iterum quomodo coniungit, honorans & consolans, & Christi fratres eos nominans, secundũ quod ex vno eos esse dicit. Deinde muniẽs sermonem suum, & ostendẽs quoniam de eo qui secundum carnem est, dixit, Qui enim sanctificat, inquit, hoc est Christus, qui sanctificãtur, hoc est, nos. Intueris quantum interest. Ille sanctificat, sanctificamur enim nos. Addidit, Ex vno omnes. Vnus est enim deus, à quo omnia: sed ille aliter, aliter & nos. Ille quasi proprius filius, nos verò quasi adoptiui: attamen vnum habemus patrem deum. Ille quasi proprius filius sanctificat: nos sicut adoptiui sanctificamur. *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis.*) In eo enim quod dixit, Non erubescit fratres eos vocare: demonstratur non eius naturæ esse fraternitas nostra, sed misericordiæ eius, & humilitatis multæ, qui nos fratres elegit sibi: & hoc prophetico affirmat testimonio, ne quasi nouum putaretur, & non multò antè prædictum. Ait enim: Annunciabo nomen tuum fratribus meis. Post sacram passionem & resurrectionem dicit gloriam diuinitatis toto orbe vulgandam. Nunciabo enim dicit, id est narrari faciam: sicut in euangelio mulieribus dixit: Ite, dicite fratribus meis. Fratres autem dicuntur, & qui diligunt, & qui diligun- *Ioan. 20.*
A tur. Addidit verò, *In medio ecclesiæ laudabo te.*) In medio sanctorum laus domini resonat per eum qui ait: Confiteor tibi *Lucæ 10.*
pater cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Laus enim domini vera, non solùm ore, sed etiam corde amantibus & perficientibus
præcepta domini narratur. *Et iterum: Ego ero fidens in eum.*) *Psal. 97.*
De suscepto homine hoc dictum est, cuius confidentiam totam in deo patre esse non dubium est, sicut in euangelio
ipse ait pro quibus supplicabat dicens: Volo pater, vt vbi ego sum, & isti sint mecum. Quos etiam vt confidentiam ha- *Ioan. 17.*
berent, exhortabatur dicendo: Confidite, ego vici mũdum. *Ioan. 16.*
Et rursum: Ecce ego, & pueri quos dedit mihi deus.) Hoc testimonium de Esaia protulit Apostolus, ad Christum & ad apo- *Esa. 8.*
stolos referens, quos propter innocentiam pueros nomi- *Apostoli pueri.*
nauit, de quibus ipse dominus ait, Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum cœlorum. *Matth. 14.*
Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit iisdem.) Hic astruit fraternitatem veram, & humanitatem in
B Christo non fictam. Sicut enim pueri carne & sanguine cõstant, & ille participauit carni & sanguini: vt haberet vnde gustaret mortem pro puerorum salute. Cuius dispensationis effectum & causam subiungens, *Vt per mortem, inquit, destrueret eum qui habebat mortis imperium, hoc est diabolum.*) Hic admirabile quidam demonstrat, quia per quod potestatem habuit diabolus, per hoc victus est. Arma quæ fuerant illi fortia aduersus mundum, hoc est, mors, per eam illum Christus percussit. Hic magnitudinem virtutis eius qui vicit, insinuat ostendendo quantum bonum operaretur mors. *Vt liberaret, inquit, eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.*) Quare tremitis, quare timetis eam, quæ iam condemnata est? Iam terribilis non est, sed optabilis, quasi laborum finis, & requiei initium. Cur, ait, timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti? Serui siquidem fuerant omnes mortis: quia mortem timebant. Necdum erant soluti à timore mortis, cuius legibus tenebantur. Nunc itaque
C sancti deridenr eam, qui agone transacto, & morte deuicta ad regnum transituri sunt. Vnde & ipse Paulus ait: Cupio *Philip. 1.*
dissolui, & esse cum Christo. *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: vnde debuit omnia fratribus similari.*) Honorat hic patriarcham, eósque qui eiusdem sunt generis, ad quos hæc epistola scripta est. Commemorat ergo de beneficiis dei, & de propinquitate carnali ad Christum, & de promissione quæ data est ad Abraham, Tibi & semini tuo dabo terram hanc. Quia ex vno omnes, id est, *Genes. 12.*
Abraham, Christus secundum carnem, & illi ad quos hæc loquebatur. Quod verò superius ait, Quoniam ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit iisdem: exequitur amplius hunc sensum, vnde participarit carnem & sanguinem. Ideo ait: Non enim quẽquam angelorum apprehendit, id est, non cuiuslibet angeli naturam suscepit, sed semen Abrahę apprehendit, Non enim angelis illa dignitas donata est, vt vna persona dei filius eorum naturæ coniungeretur, sed honorem hunc & dignitatem humanæ naturæ deus dei filius contribuit, vt deus & homo
D vna esset persona. Quare dixit apprehendit? quia nos quasi *Simili docet cur dixerit ἐπιλαμβάνεται, apprehendit.*
recedentes ab eo, & longè fugientes insecutus apprehendit & in vnam personam nostræ fragilitatis naturam sibi contemperauit. Mira coniunctio, dum æternus & immortalis mortali & temporali adunatus est. Quomodo verò hoc esset, confestim subiungit, dicens: Vnde debuit per omnia fratribus similari. Quid est per omnia? id est, natus est, educatus est, creuit, passus est etiam, & mortuus, vt per omnia similis esset fratribus, qui huiusmodi conditioni subiecti sunt absque peccato. Superius enim dixit splendorem eum gloriæ, & paternæ substantiæ figuram, per quem secula fecit. Iste tantus & tam mirabilis & tam glorioſus, tantam nostræ salutis curam habuit, vt frater noster in omnibus fieret. Propter hoc, angelos quodammodo reliquit, aliásque cœlorum virtutes, vt nos apprehenderet ouem perditam, passione sua inuẽtam, & humeris impositam reportaret ad cœlestia regna. Hic verò tantus & talis sacerdos noster voluit *Luca 15.*
apud

apud patrem ſeipſum offerre pro nobis. Proinde ſecutus eſt & infert: *Vt miſericors fieret & fidelis pontifex ad deum, vt repropitiaret delicta populi.*) Non itaque alia fuit cauſa illi per omnia fratribus aſſimilari, niſi vt fidelis pontifex eſſet in nobis, noſtríſq; propitiaret peccatis. Non eſt altera totius huius mirandę diſpẽſationis cauſa, quàm hæc ſola. Vidit quippe humanum genus humi iacens, peccatorum vinculis ligatum, mortis obnoxium tyrannidi, & miſertus eſt eius, ſicut fidelis pontifex: fidelis dicit, hoc eſt, verus & potens. Miniſteriũ ſcilicet ſacerdotis eſt, fidelem eſſe, vt poſſit eos quorum eſt ſacerdos, liberare à peccatis. Proinde de eius potentia ſubſecutus adiunxit. *In eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur, auxiliari.*) In eo, id eſt, homine in quo paſſus eſt, potens eſt vinctos liberare, tentatóſque adiuuare, ne vincantur: quia tentationes noſtras non ſolum ſicut deus, ſed etiam ſicut homo in ſeipſo per experimẽtum cognouit. Licet enim deus in ſua natura ſit impaſſibilis, tamen in noſtra quam aſſumpſit, idem dei filius paſſibilis fuit, noſtræ naturæ conſimilis. In ea verò carne quam ſuſcepit, multa ſæua paſſus eſt. Nouit ergo quid rei ſit iſta tribulatio patientium. Ipſe tentatus eſt, ſed non ſuperatus.

2. Cor. 4. *Sacerdotij peculiaris functio.*

CAPVT TERTIVM.

Num. 12. *VNde fratres ſancti vocationis cœleſtis participes conſiderate apoſtolum & pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei qui fecit illum, ſicut & Moyſes in omni domo illius.*) Adhuc etiã de incarnationis Chriſti loquitur myſterio. Nam in euangelio ipſe teſtatur ſe miſſum non eſſe niſi ad oues perditas domꝰ Iſrael. Apoſtolus igitur Græcè, Latinè miſſus dicitur. Cognoſcite quis ſacerdos eſt Ieſus, & qualis, & non habetis opus conſolatione alia, neque ſolatio. Pontificem enim eum dixit cõfeſſionis noſtræ, id eſt, fidei noſtræ, cui iſte populus nouus commiſſus eſt, ſicut & Moyſi prior populus in requiem datus eſt: ſed huic maiora vel longè meliora commiſſa ſunt. Vult enim beatus Paulus erigere animos Iſraelitarum ad excellentiam promiſſionum dei, vt intentè parent accipere, quod deus benignè illis promiſit afferre: nominans eos fratres chariſſimos ad cœleſtia vocatos participes cum Chriſto hæreditatis dei, qui fidelis eſt ei, id eſt, deo patri, qui fecit eũ. De humanitate dicit eius qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem: non de diuinitate quæ facta non eſt, ſed genita à patre vnius ſubſtãtiæ cum eo, ſicut Moyſes ait, fidelis eſt in domo ſua. Præpoſiturus eum Moyſi ſecundum comparationem in lege ſacerdotij, hunc ſermonem induxit, aſſerens eum fidelem eſſe in domo ſua. Fidelem, id eſt, deuotũ, defendentem ea quę ſunt eius, non permittentem corrumpi: quæ domus nos ſumus, ſicut in cõſequentibus dicit: Sicut Moyſes fidelis fuit in domo ſua, id eſt, populo priori. Cõfeſtímque conſecutus oſtẽdit quomodo domus illius eſſe debeamꝰ. Ait enim: Quę domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus: Quia qui perſeuerauerit vſque in finẽ, hic ſaluus erit. Domum enim dicit pro his qui conuocantur in eccleſia. Intulit: Dei domus ſumus nos, id eſt, factura dei, creati in Chriſto Ieſu. Huc vſque comparationem fecit de incarnatione Chriſti cum Moyſe, dehinc ſe ad altiora eius narranda conuertit, dicens: *Ampliorís enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus habitus eſt, quantò ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam.*) Non dixit quantò maiorem honorem habet ab operibus artifex, ſed quàm domus, qui conſtruxit eã. Vides quoniam de templo non dixit, ſed de omni populo primo, quem Moyſes de Ægypto eduxit, & deinde de eo quem Chriſtus de diabolica liberauit ſeruitute, ſibíque in domum acquiſiuit. *Omnis nãque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, deus eſt.*) Hic factorem à factura diſcernit, vtriuſque domus auctorem deum eſſe intelligi volens, ſed aliter illius cui Moyſes præfuit, aliter alius cui Chriſtus dux eſſe & dominus agnoſcitur. Ideo ſubſecutus ait: *Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant: Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, quòd fiduciam & gloriam ſpei vſque in finem firmam retineamus.*) Iſte autem, id eſt, Ieſus, in paternas res, ſicut filius ingreditur: ille autem, id eſt, Moyſes, ſicut famulus dei. Hic iterum eos hortatur ſtare fortiter, & non ſubrui. Domus quippe dei erimus, ſi fiduciam ſpei & gloriã vſque in finem firmã retineamus. Bene dixit fiduciam ſpei noſtrę, quoniam omnia bona ſanctis in hac vita in ſpe ſunt, donec ad ſpeciẽ perfectæ beatitudinis perueniant. Spe enim ſalui facti ſumꝰ. Bona enim quæ nobis promiſſa ſunt, in hac pœnali vita habere non poſſumus, niſi in ſpe, & patienter illa expectantes, vſque ad finem firmam ſpem retineamus. *Quapropter ſicut dicit ſpiritus ſanctus, Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecũdum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt & viderũt opera mea quadraginta annis. Propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi, ſemper hi errant corde: ipſi autem non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.*) Locutus eſt beatus Apoſtolus de ſpe in ſuperioribus: quia oportet nos ſperare quæ futura ſunt. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. Hiſtoria verò quam prophetа hic rememorat, notiſſima eſt. Quum enim egreſſi eſſent de terra Ægypti, & multam viam perambulaſſent, & multa indicia virtutis dei accepiſſent, in Ægypto, in mari rubro, in eremo, conſilium fecerũt, vt mitterent ſpeculatores, qui deberent inſpicere naturam terræ, quæ promiſſa eſt eis. Illi verò pergẽtes ac reuerſi, terram quidem valde vberem, & optimorum fructuum procreatricem eſſe dicebant, ſed virorũ inexpugnabilium eſſe illam prouinciam, & fortium. Iſraelitæ verò ingrati & inſenſati, quos oportebat recordari tantorum dei beneficiorum, & quomodo eos clauſos in medio tanti exercitus Ægyptiorum eripuit de periculis, & fluuiorum fontes ſine defectu donauit, & manna tribuit, & alia miracula quæ operatus eſt eis: ne ſic quidẽ deo crediderunt, nec horum aliquid rememorati ſunt, ſed timore perterriti dixerunt: Reuertamur in Ægyptum. Deus igitur iratus eis, qui ſic citò obliti fuerant beneficiorũ mirabiliúmque eius, iurauit vt nõ intraret generatio illa in requiem promiſſam olim patribus: & ſic omnes perierunt in eremo, prẽter duos tantummodo. Tres itaque requies Apoſtolus memorat in hac epiſtola: Vnam ſabbati, qua dominus requieuit ab operibus ſuis. Secundam in Palæſtina, in quam ingreſſi Iſraelitę requieturi erant ex miſeria multa & laboribus. Tertiã, quæ vera eſt requies, hoc eſt, regnum cœlorum: ad quam quos peruenire contigerit, reuera requieſcunt à laboribus & difficultatibus ſuis: de qua hic Propheta loquitur ad veros Iſraelitas, dicendo: Hodie ſi vocem eius audieritis, ne obduretis corda veſtra, ne ſimilia patiamini, qualia progenitores veſtri paſſi ſunt, & priuati ſunt requie promiſſa. Aliquando enim audierunt patres veſtri vocẽ illius per Moyſem, & obdurati ſunt. Ergo tunc per præconem locutus eſt, quãdo obduraſtis corda veſtra. Per ſe nunc loquitur, moleſtans corda veſtra. Qui præcones ante ſe mittebat, ipſe venire dignatus eſt. Ore ſuo hic loquitur, qui loquebatur per ora prophetarum. Ad eius ergo vocem qui præconem miſit, & nũc per ſe clamat: nolite claudere corda veſtra. Recordamini quomodo obdurati ſunt patres veſtri, & quomodo non introierunt in requiem promiſſam, ſed amaricati murmurãtes contra deum perierunt, Patres veſtri erant, qui perierũt, nolite imitari eos. Patres veſtri erãt, ſed ſi imitati eos non fueritis, patres veſtri non erunt, quanuis de his nati ſitis, ſciẽtes quia deus potens eſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. *Quadraginta annis offenſus fui generationi huic.*) Multis modis eos caſtigat: ipſi tamen ſemper corde errauerũt. Quadraginta diebus dominꝰ in deſerto ieiunauit, vt triumpharet de eo per quem illi quadraginta annis murmurauerunt cõtra dominum in eremo. Póſtque conſummatam in paſſione & reſurrectione totã victoriæ gloriam, quadraginta diebus fuit cum diſcipulis antequam cœlum aſcẽderet. Primis quadraginta diebus tẽtationem huius peregrinationis oſtẽdit: poſterioribus quadraginta diebus conſolationem quam ſancti habituri ſunt in patria. Corpus enim eius, id eſt, eccleſia, neceſſe eſt tentationes patiatur in hoc ſeculo: ſed non deeſt ille

Matth. 15. ἀπόστολος *quid.*

Chriſtus fidelis patri de humanitate intelligendum.

Matth. 10.

Chriſtiani, vera Chriſti domus.

Num. 14.

Ibidem.

Requies triplex.

Rom. 8.

Pſalm. 94.

Matth. 3. *Patres, & non patres quo pacto.*

De eo nempe diabolo.

ille consolator qui dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Quibus iuraui propter infidelitatem suam, non introituros in requiem meam. Loqui dominum, magnum est: quantò magis iurare? Iurationem confirmationem fieri voluit. Per quē iurat deus, nisi per seipsum? Non enim habet maiorem per quem iuret. Per seipsum confirmat præcepta sua, per seipsum confirmat manus suas. Sicut verum est, quod promittit: sic certum est, quod minatur. Iurauit, vt non intrarent in requiem ipsius: & tamen oportet intrare aliquos in requiem ipsius. Illis ergo reprobatis nos intrabimus: quia si aliqui ex ramis propter dissimilitudinem & infidelitatem fracti sunt, nos propter fidem & humilitatem inserimur. Sequitur enim exhortatio apostolica ad populum de requie introeunda. Dicit enim: *Videte fratres ne forte sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis discedendi à deo viuo.*) Quippe per duritiam cordis, infidelitas nascitur. Sicut enim obdurata corpora & dura non obsequuntur manibus medicorum: sic & animæ obduratæ non obsequuntur verbo dei. Si enim patres vestri, inquit, quia non sperauerunt sicut oportebat sperare, hæc passi sunt quæ leguntur in historia, cuius antè meminimus, & perierunt in deserto propter duritiam cordis: multò amplius nobis talia timenda sunt, sicut illis accidêre. Ad illos enim iste sermo factus est, qui in præsentia fuerunt, vel futuri sunt. Ideo dicit, hodie. Hodie nāque semper est, donec constat mundus. Infert enim amplius dicere de hodie, & subiungit dicens: *Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt nō obduretur quis ex vobis fallacia peccati.*) Hoc est, ędificate inuicem, corrigite vosmetipsos, ne contingant vobis similia: ne obduretur quisquam ex vobis decipiente peccato infidelitatis. Attendis quia infidelitas peccatum fecit. Sicut enim infidelitas malignam vitam procreat: sic etiam anima quādo in profundum malorum venerit, contēnit. Contemptus autem neque credere patitur, vt se à timore mortis perpetuæ liberet. Deinde infert Apostolus: *Participes enim Christi effecti sumus.*) Quid est, participes effecti sumus? participamur ex eo, inquit, id est, vnum effecti sumus cum illo. Siquidem ipse caput est, & nos membra, cohæredes & cōcorporales illi secundum spiritalem hominem, qui creatus est cum ipso. *Si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.*) Quid est initium substantiæ? Fidem significat, per quam subsistimus, & deo nati sumus in filios: & esse tales, vt ita dicā, facti sumus. Quod diligentissimè obseruandum est, ne cuiuslibet doctrinæ macula corrumpamur. Deinde subinfert Apostolus de hodie adhuc dicere. *Dum dicitur,* inquit, *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. vsque ad id: Ex his quæ audierunt.*) Hic verò Apostolus propheticum testimonium intrat explanare, quod superius posuit. dixit enim: Hodie si vocem eius audieritis, ne obduretis corda vestra sicut in amaritudine. Quòd obduratorum mentionem facit quorūdam infidelium, nónne eorum quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quod enim dicit, quale est? Audierūt & illi, inquit, sicut & nos audiuimus. Sed quid profuit illis sermo auditus? Non ergo putetis quia ex auditu tātum prędicationis introitus sit ad requiem dei, quia & illi audierunt per Moysen, sed nihil vtilitatis ex auditu habuerunt: quoniam nec crediderunt, nec sermo auditus fide contemperatus est. Discreuit eos qui crediderunt prædicationis verbo, ab illis qui non crediderunt. Ait enim: Sed non vniuersi. Caleph enim & Iosue qui non consenserunt infidelibus, effugerunt pœnam quæ illis illata est: nec solū illis donatū est mortem euadere, qua cæteri perierunt, sed etiam donatum est illis terrā repromissionis intrare, eámque laudabiliter pro sua portione possidere. Timeamus nos verò illorum perditionem, & iustum dei iudicium metuamus: qui reddet vnicuique secūdum opera sua, requiem sempiternam fidem habentibus, eam tamen quæ per dilectionem operatur: non credentibus, pœnam perpetuā, ne fortè relicta pollicitatione quam dedimus deo in baptismo, iterum reuertamur ad opera infidelitatis quæ abdicauimus coram multis testibus. Vnusquisque pro se ipso laboret, ne fortè minus dignus inueniatur introeundi in regnum dei. Etenim nobis nunciatum est quomodo intrare debeamus in requiem dei, sicut & illis. Nobis tamen per filium: illis verò per famulum. Confestimque verba exhortationis subiungit Apostolus, dicens:

CAPVT QVARTVM.

INgrediemur enim in requiem qui credidimus, quemadmodum dixit: Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.) Nos verò hortamur intrare in requiem: ne fortè nobis dicatur sicut illis: Si introibunt, id est, non introibunt in requiem meam. Festinat autem ostendere aliam esse requiem ad quam vocati sumus, id est, regnum cœlorum. Nec nos dicit illam quæ in Palæstina est, intraturos, sed illos non intraturos, propter obdurationem cordis sui, nec in Palęstinam, nec in requiem cœlestem. Addidit itaque de prima requie loqui, dicens: *Et quidem operibus ab institutione mundi factis. Dixit enim quodam loco de die septima sic, Et requieuit deus die septima ab omnibus operibus suis.*) Confestímque secundam subiunxit, quæ promissa est populo dei. *Et in isto,* inquit, *rursum, si introibunt in requiem meam.*) Si verò coniunctio, pro affirmatione, pro negatione, pro dubitatione accipi potest. Superius verò pro negatione posita est, vbi ait propter incredulitatem illorum iurasse deum non introire eos in requiem promissam. Addit, si introibūt: id est, non introibunt. Hic verò potest intelligi pro affirmatione positum esse, quasi diceret: Si introibunt, bene habebunt. Ideo addidit: *Quoniam supereſt quosdam introire in illam.*) In illam videlicet quæ in Palæstina fuit, pauci introierunt, id est, duo tantum, Caleph & Iosue, ex omnibus illis qui de Ægypto perrexerunt. Proinde ait, *Et ij quibus prioribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem.*) Eos significans qui de Ægypto profecti sunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto. Deinde infert de tertia quæ Christum credentibus promissa est, quamuis obscurè, disputare. *Iterum,* inquit, *terminat diem quendam hodie in Dauid, dicendo sicut post tantum temporis supra dictum est: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur.*) Hic ostendit tertiam quandam esse requiem, de qua Dauid dixit, Hodie: non illā significans ad quam Iesus populum introduxit: sed aliam quandam multò excellentiorem illa ad quam nō typicus, sed verus Iesus introduxit eos qui sunt eius. Audiamus si hoc certum sit. Post tātos annos, inquit, iterum dicit Dauid: Hodie si vocē eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Si enim Iesus veram præstitisset requiem populo, cuius ductor fuit, neque de alia requie Dauid loqueretur postea. Certū est ergo, quia futurū est quosdam accipere requiem quę per illam significata est quæ est in Palæstina, ad quam verus Iesus ducturus est populum suum. *Itaque relinquitur sabbatismus populo dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam requieuit ab operibus suis, sicut & à suis deus.*) Requies verò dei, operum perfectio intelligēda est, dum sexto die finita primordiali creatione, in septimo cessauit à nouarum creatione naturarum. Per illam verò requiem dei, quæ æterna est, nos ad æternam studiosè prouocat requiem: quam sabbatismum nominauit, quia videlicet Iudęis locutus est. Nō dixit hoc loco requiem, sed sabbatismum, proprium nomen ad quod gaudebant & concurrebant, sabbatismum regnum dei vocans, sicut cum sabbato, ab omnibus malis abstinere præcepit, seruare quæ ad obsequium dei pertinent, quæ sacerdotes efficiebant, & quæ animam iuuabant, & nihil aliud. Nec tale vult sabbatum in regno dei, vt iterum quis exinde reuertatur ad opera laboriosa, sicut in sabbato carnali fecerunt. Istud verò sabbatum dei quicūque intrat, requieuit perpetuò ab operibus suis sicut à suis deus. Volens itaque eos de resurrectione instruere, & de requie sempiterna, hodie sæpissimè interposuit, vt nunquam desperarent se intraturos: quasi diceret, si quisquam peccauerit vsque hodie, spem habeat reuertendi. Nullus igitur desperet vsquequo viuit. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem, vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.*) Magna quidem res est fides, & salutaris, & sine hac non est saluari possibile alicui, sicut dictum est. Sine fide

Psalm. 49.

Si, non.

Gene. 2.

Si, in sacris vt accipitur.

Mirè & hoc Si.

Tertia nimirum requie.

Sabbatismus. Gene. 2.

Infra 11. Audi Lutherane.

de impossibile est deo placere. Sed sola fides non sufficit, operari per dilectionem fidem necessarium est, & conuersari A dignè deo. Proinde etiam Paulus commonet eos qui dignè ministerium suscipere meruerunt, dicens: Festinemus ingredi in illam requiem. Festinemus, inquit, quoniã non sufficit fides, sed debet addi & vita fidei condigna, & multum studium debet adhiberi, ne fides sit ociosa. Si enim illi terrã intrare non meruerunt qui murmurati sunt contra deum: quomodo nos cœlum merebimur intrare, indifferenter viuentes sicut gentes? Opus est quippe omni volenti cœlum possidere, fidē operibus bonis ornare. Nec hoc solum damnum habet malè viuens, quod non intrat in regnum dei, verumetiam quod maioris est terroris, pœnæ perpetuæ mancipari. Ideo addit: Vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Eorum interitus qui perierũt in deserto, terruit audientes, ne in illorum inciderent iudicium: quasi diceret, sufficienter ex parentibus nostris docemur ne in similia incidamus, ne eadē patiamur quæ illi passi sunt, hoc est, in idipsum exemplum infidelitatis. Deinde vt maiorem peccantibus incuteret formidinem, subiunxit. *Viuus est enim*, inquit, *dei sermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.*) Hic ostendit eundem nos habere iudicem, qui illos propter incredulitatem eorum damnauit. dixit enim: Viuus est sermo dei. Sermo dei, filius est dei, qui de seipso ait: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem nō videbit in æternum. Sicut illi si seruarent sermonem dei, viuerent, terramq; promissionis intrarent: sic & nos si seruauerimus sermonem eius, viuemus, requiémque cœlestem intrabimus. Viuus est enim dei sermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Gladius enim potest membra diuidere à corpore, & penetrare secreta, & naturam carnis: sed eò multò penetrabilior est sermo dei. *Pertingẽs vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.*) Anima viuimus, spiritu intelligimus, vita nobis carnalis cum bestiis communis est, rationalis & spiritualis cum angelis. Tam efficax est iudicium dei, vt discernat inter carnalia peccata & spiritualia, quis quid quo agat animo, vel quo desiderio seruiat in corde: tam penetrabilis est eius intuitus, vt omnia nostra quæ agimus vel cogitamus, certius agnoscat, quàm nosmetipsi. Illum semper habemus testem actuum nostrorum vel cogitationum, quem iudicem habituri sumus. Timeamus eius potentiam, cuius præsentiam nullatenus effugere valebimus. Dixit enim, vt discretor sit sermo dei, id est, prouidentia dei, cogitationum etiam & intẽtionum cordis, quo loco ostendit quia omnia nostra interiora vel exteriora diiudicabuntur ab eo qui omnia nostra nouit, & totus per totũ penetrat hominem. Nec mirum si totus vbique totam suam agnoscat creaturam, siue spiritualem siue carnalem, quia nihil quod factum est, sine eo factum est. Ideo addidit, *Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.*) Hic maximè eos terruit, fortè adhuc nequiter seruiles, non cum integra satisfactione perficientes fidei opera: quia ipse quæ in corde sunt examinat & considerat, reddens vnicuique secũdum merita sua. Et quid dicemus de hominibus? Ac si angelos dicas, ac si archangelos, ac si cherubim, ac si seraphim, ac si aliam quamlibet creaturam, omnia reuelata sunt oculis eius, omnia aperta & manifesta. Quid est quod tunc possit latere? omnia nuda & aperta sunt oculis eius. *Ad quem nobis sermo.*) Quid est ad quem nobis sermo? hoc est, ipsi reddituri sumus rationem actuum nostrorum. *Habẽtes ergo pontificem magnũ, qui penetrauit cœlos, Iesum filium dei.*) Paululum enim antè de diuinitate eius differens ait: Omnia nuda & aperta sunt oculis eius, nũc autem quia de carne loquitur, de pontificatu disputat illius, qui semetipsum offerebat nostrę causa salutis: & quomodo prior omniũ intrasset in requiẽ, dicens: Habemus enim pōtificem magnum, qui penetrauit cœlos. Ergo Moyses ductor populi, cui promissa est requies transitoria, non introiuit in requiem quam sæpius populo promisit. Iste verò sacerdos noster melioris promissionis sponsor, viam faciens credẽtibus in se, primus intrauit in requiem populo sibi credito promissam, ostendens eum magnum sacerdorem, quia sempiternum haberet sacerdotium, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Et hunc filium dei ostendit, dum dixit, Iesum filium dei: quod nusquam de Moyse dicere voluit, sed eum famulum proferebat, in superioribus testificans eum sub nomine Iesu, quod nomen angelus à deo directus virgini annunciauit filium dei esse verum, & ideo magnum sacerdotem. *Teneamus spei nostræ confessionem. non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris.*) Qualem confessionem dicit? Quoniam filius dei est, quoniam Christus deus est, sepultus est, passus est, resurrexit tertia die deus, ascẽdit in cœlum, sedet ad dexteram dei patris, inde vẽturus iudicare viuos & mortuos: per quẽ omnia bona habemus, redemptionem, resurrectionem, hæreditatem cum eo sempiternam, hæc confiteamur. Quia verò hæc vera sunt, manifestum est ex eo, quòd pōtifex in interiora velaminis, intrat in sancta sanguine aspersus proprio, non alieno, sicut pontifices priores qui sanguine vaccæ rubræ aspergebantur. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Non ignorat quę B nostra sunt. Venit enim per viam humanæ conditionis, per omnia sine peccato, nihil secum afferens vnde morti debitor esset, sicut ipse in euangelio testatur, dicens: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Nulli pontifices ignorant eos qui in tribulatione cōstituti sunt, neque quæ sit tribulatio, in quolibet scientes. Impossibile quippe est scire afflictiones afflictorum ei qui per experimentum afflictionem non habuit, & sensibiliter omnia sustinuit. Pontifex enim noster competenter omnia sustinuit quæ fuerunt humanæ miseriæ illata post peccata primi hominis, & tunc in interiora velamina ad thronũ paternæ maiestatis ascendit. *Tentatum autem per omnia pro similitudine carnis absque peccato.*) Tentatus est siquidem diuersis modis, sed non superatus. In omnibus probatus, vbique victor gloriosus. Tentatus est siquidem pro similitudine carnis absquè peccato. Similitudinem itaque carnis peccati habuit, quæ tamen caro illius absque omni peccato fuit. Hæc est tentatio qua tentatus est: persecutionem plurimorum passus est, C sputa suscepit, accusatus est, detractionem sustinuit, calumnias passus est, repulsus est à propria gente, in finem crucifixus est. Iuxta similitudinẽ, inquit, carnis sine peccato, quia natura quam veram suscepit, similis est carnis nostræ: peccata verò nequaquam habuit, quæ caro nostra de parentibus contraxit: quia tale fuit originale peccatum in carne primi hominis, vnde & pœna & remediũ fieri potuisset. Pœna & peccatum in omni humano genere, prętерquam in Christo, in quo solo salus & remedium fuit. non enim præiudicata est caro peccatrix, vt inde fieri remedium nō potuisset. Præsciebat potentia dei qualiter ex illa massa, iustitiæ æquitas, & misericordiæ pietas potuisset prouenire. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*) Adeamus ergo cum fiducia, hoc est, adeamus per fidem ad thronum gratiæ eius, habeamus fiduciam quãuis peccatores sumus, eius gratiam recuperare posse, si tamen fructus dignos fecerimus pœnitentiæ, & fidem firmam vsque in finẽ retineamus. Nunc verus sedet pontifex noster Iesus Christus filius dei in throno D gratiæ, paratus indulgere peccatis nostris. In auxilio opportuno. Nunc vere opportunum tempus auxilij, & misericordiæ illius, sicut iste doctor egregius alio loco dixit: Ecce nũc tempus acceptabile, ecce nũc dies salutis. Et propheta multò ante hoc auxilium opportuni temporis significans, Tempore, inquit, opportuno audiui te, & in die salutis adiuui te. Nanque & quòd nunc post baptismum peccantes inuenire possunt misericordiam si pœnitentiam egerint, gratia est illius qui sedet in throno gratiæ: quòd verò opportunus factus est pro nobis, magnum est humilitatis indicium, quam ex nostra suscepit natura, non sua substantia, quam habet triumphaliter cum patre, cui nos fidem cum fiducia bonitatis suæ offeramus hoc opportuno tempore, cũ sedet in throno gratię, & omnia tribuit quæ nobis ad salutem prouenire certissimum est. Modo tempus est donorum, nemo de seipso desperet. Timeamus thronum æquitatis eius cùm venerit di-

Sermo dei.

Ioan. 1. Sequitur Græcorum interpretationem vt ferè assolet. Eccli. 13. Psalm. 33.

Collatio Iudæorum & Christianorum typica.

Ioan. 8.

Anima, spiritus, vita carnalis & spiritualis.

Collatio Moysi & Christi.

Luce 1.

1. Corint. 3.

Num. 19.

Ioan. 1.

Cõpendium passionum Christi. Marc. 14 & 15.

In Christo spes nostra collocanda. 1. Corint. 6. Esaie 49.

Si quidẽ pœnitẽtia operæ digna.

rit diiudicare omnia ſecundum iuſtitiam:& tunc erit deſperationis tempus, non volentibus conuerti ad ſedem gratiæ cùm thalamus erit clauſus,tantúmque cum ſponſo remanebunt qui lucentes bonis operibus ferent lampades. Vult oſtẽdere iam beatus Paulus,quoniam multò melius eſt teſtamẽtum hoc,quàm vetus:quia nihil in hoc eſt imaginarium, vt puta non templum corporale,non victimæ carnales,non obſeruationes legales,ſed altiora & perfectiora omnia:quia totum quicquid eſt in ſpiritalibus,eſt huius teſtamẽti ratio. Sed quia ſpiritalia non ſic introducunt infirmos, ſicut corporalia,de corporalibus incipit diſputare dicens.

CAPVT QVINTVM.

Omnis namque põtifex ex hominibus aſſumptus,pro hominibus conſtituitur.) Definit enim primum quid ſit pontifex, & demonſtrat quæ pertineant ad pontificem, & quod ſit eius miniſterium,& quæ ſunt ſigna põtificatus: id eſt, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, & vt condolere poſſit iis qui ignorant & errant, quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate. Oportebat enim de excellentibus terrenis fidem facere,vt ad excellentiora ſpiritalia peruenire poſſent,& vt conſueto ſacerdotum more, qui in lege fuit,ad altius,id eſt Chriſti ſacerdotium eos perduceret,qui adhuc infirmi fuerunt: & propterea mundum carnalis pontificis introducit.Pontificis itaque officium eſt,inter deum ſtare & populum, & deum deprecari pro populi delictis.hoc enim Chriſtus fecit,ſeipſum offerens pro peccatis noſtris,ſemper viuus ad interpellandum pro nobis, ſemel aſſumptus ab hominibus,ſed ſemper pro hominibus interpellans.Ponit hic Apoſtolus quædam communia Chriſto cum ſacerdotibus,quædam verò altiora. Quod itaque ait:Omnis namque pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad deũ: Hoc cõmune eſt,quòd pro hominibus conſtituitur,ad hoc, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis:& hoc,ſed non totum. Reliqua verò non ſunt communia: *Qui poteſt condolere iis qui ignoranter peccant.*) Hic iam excellentia eſt, de qua ſuperius in priori ſentẽtia latius diſputauit.Quod verò adiunxit.*Et propterea debet,quemadmodum pro populo,ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis.*) Hoc ad ſacerdotes legales magis pertinet, quàm ad Chriſtum,niſi fortè quis dicat vnum eſſe corpus Chriſti eccleſiam,vt dum offert pro eccleſia, pro ſuis etiam membris offerat:ſed hoc violenta interpretatio videri poteſt.Deinde diſputare aggreditur quomodo quis ad ſacerdotium accedere debeat. *Nec quiſquam,ait,ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à deo tanquam Aaron.*) Hic etiam percutit ſacerdotes honoris cupidos,& ſacerdotij auidos, non pro ſalute populi, ſed propter ambitionem ſeculi. Igitur Aaron vocatus eſt à deo, ſigno florentis virgæ, & demonſtratus eſt ſacerdos à deo eſſe electus, etiam & incendio eorum qui eius pontificatui inuidere voluerunt. *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit,vt põtifex fieret:ſed qui loquutus eſt ad eũ: Filius meus es tu,ego hodie genui te.*)Hoc eſt quod in euãgelio ipſe ait: Non enim à meipſo veni: ſed ille me miſit. Et iterum: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt enim pater qui glorificat me.Notandum eſt, quòd glorificare & honorare & clarificare, tria quidem ſunt verba, ſed vna res eſt,quod Græcè dicitur δοξάζειν: ſed interpretum varietate aliter atque aliter poſitum eſt in Latino. Quod in euãgelio dictum eſt, glorifico, hic Apoſtolus clarificationem nominat.Clarificatus eſt ergo filius à patre, quando ſuper baptizatum vox patris audita eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quæ clarificatio ſiue glorificatio multò antè per prophetam ſpiritu ſancto inſpirante prædicta eſt: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Dominum ſignificat patrem. Attendamus autem quod poſuit,Dixit ad me,Filius meus es tu:quod etiã ei dicturus erat poſt baptiſmum: Hic eſt, filius meus dilectus,in quo mihi complacui.Hic itaque vt Chriſtum vnam perſonam ſentires, & vnigenitum dei filium, adiecit, Ego hodie genui te.Hoc iam nihil habet commune cum cæteris qui filij dicuntur, qui ſacerdotes appellantur, de quibus dictum eſt:Ego dixi dij eſtis,& filij excelſi omnes: ſed totũ eſt vnigenito filio proprium.*Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.*) Melchiſedech ſecundum legalia mandata non fuit ſacerdos, ſed ſecundum cuiuſdam ſingularis ſacerdotij dignitatẽ, panem offerens deo & vinum,non brutorum animalium ſanguinem:in cuius ordine ſacerdotij Chriſtus factus eſt ſacerdos,non temporalis,ſed æternus:ad quem dictum eſt:Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Omnes enim ſub lege erant ſacerdotes,iſte ſolus ſecũdum ordinem Melchiſedech, ex eo quòd natus eſt de vtero virginali ante Luciferum,non ſecundum id quod natus eſt ex patre deus apud patrem,coæternus gignenti & conſubſtantialis: ſed ſacerdos propter carnẽ quam aſſumpſit,aut propter victimam quam pro nobis offerebat à nobis ſuſceptã,id eſt, carnem & ſanguinem:de qua victima ipſe in euangelio ait: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed in iſta carne & ſanguine nihil cruentum,nihil corruptibile mens humana concipiat: ne, ſicut dicit Apoſtolus, qui corpus domini indignè manducat, iudicium ſibi manducet,ſed viuificatricem ſubſtantiam atque ſalutarem in pane & vino: per quæ ſi dignè ſumantur, nobis eſt peccatorum remiſſio, & regni dei poſſeſſio collata.Huius ordinem ſacrificij per myſticam ſimilitudinem Melchiſedech iuſtiſſimus rex inſtituit,quando domino panis & vini fructus obtulit. Conſtat enim pecudum victimas periiſſe, quæ fuerunt ordinis Aaron, non Melchiſedech:ſed hoc manere potius inſtitutum,quod toto orbe in ſacramẽtorum erogatione celebratur.Sacerdos autem dicitur præcipuè Chriſtus, qui ſemel ſe pro nobis obtulit immolãdum,ſicut ſemel de Melchiſedech in ſancta legitur ſcriptura,& eius ſacerdotio.In æternum verò cùm dicitur, ipſe ſignificatur dominus Chriſtus, qui permanet in gloria ſempiterna. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationéſque ad eum qui poſſet ſaluum illum à morte facere,cum clamore valido & lachrymis offerens,exauditus eſt pro ſua reuerentia.*) Quid verò in ſacerdotio pontifex noſter egiſſet,certius hic exprimit Apoſtolus,dicens:Qui in diebus carnis ſuæ.Dies quippe carnis domini noſtri, dies ſunt in quibus carnem aſſumpſit,in quibus tentatus eſt,paſſus eſt: in quibus preces ſupplicationéſque ad eum qui poſſet ſaluum illũ facere à morte,offerebat. Totum verò quicquid egit Chriſtus in carne, preces ſunt & ſupplicationes pro peccatis humani generis. Sãcta verò ſanguinis eius effuſio,clamor validus eſt,in quo exauditus eſt à deo patre pro reuerentia eiuſdem paſſionis ſuæ. Sine peccato. Noſtræ enim ſalutis cauſa perpeſſus eſt, qui nullum habens peccatum,peccatũ pro nobis factus eſt, id eſt,oblatio pro peccatis noſtris. Hoc enim totum in magna reuerentia & perfectiſſima charitate peregit, qui prior dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis hoſtiam deo acceptabilem: quíque ideo exauditus eſt à deo, quia hoſtiã acceptabilem obtulit deo,id eſt,ſemetipſum. Simile eſt itaque quod dicitur hic,Qui preces ſupplicationéſque ad eum qui poſſet ſaluum facere illum à morte,cum clamore valido & lachrymis offerens ei: id quod in euangelio legitur eum dixiſſe:Pater, ſi fieri poteſt,transfer calicem iſtum à me:veruntamen non mea voluntas,ſed tua fiat.Qui enim non venit facere voluntatem ſuam,ſed eius qui miſit illum:voluntatẽ paternæ diſpenſationis præpoſuit voluntati carnis ſuæ, vt veram oſtenderet in ſeipſo humanitatis noſtræ naturam. Beatus Paulus hic dicit preces eum & ſupplicationes fundere,non timore mortis, ſed noſtræ cauſa ſalutis. Vnde & in alio loco etiam dicit ſanguinem Chriſti melius clamaſſe pro nobis, quàm ſanguinem Abel, qui ad accuſandum fraternum ſcelus, de terra clamauit. Chriſti verò ſanguis ad interpellandum pro nobis de terra clamat ad patrem. *Et quidem cùm eſſet filius dei, didicit ex eis quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo pontifex iuxta ordinem Melchiſedech.*) De ſimilitudine pontificatus Melchiſedech ſuperius ſatis dictum arbitror. Nunc videamus quid vult intelligi Apoſtolus in eo quod ait: Qui cum eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt, obedientiam. Hanc obe-

Pſalm.81. *Pſalm.109.* *Melchiſedechi ſacerdotium quale.*

Ioan.6.

Christus pro nobis peccatum factus.

Matth.26. *Marc.14.* *Luc. 22.*

Infrà.11.

Gen.14.

dientiam quam hic didiciſſe filium dei dicit,hoc eſt, voluntariè ſuſcepiſſe,alio quoque loco oſtendit,vbi ait Factus eſt obediens patri vſque ad mortẽ,mortem autem crucis: propter quod & deus exaltauit illum.In eo verò quod ait, Cõſummatus factus eſt omnibus obtẽperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.Conſummatus,id eſt,perfectus.Oſtendit quãtum lucrum ſit eius paſſio, quæ omnibus credentibus ſufficit ad ſalutem ſempiternam.Igitur ſi obediẽtia filij cauſa eſt ſaluris humanæ,quanta nobis neceſſitas eſt obedire deo , vt digni inueniamur eius ſalutis , quam nobis per filium proprium donauit? *De quo grandis nobis ſermo eſt,& non interpretabilis ad dicendum, quoniam imbeciles facti eſtis ad audiendũ.*) Cauſam reddit cur ſermo quem de filio incarnato inſtituit,difficilis ad interpretandũ eſſet nempe quia illi imbecilles erant & fragiles ſenſu ad intelligendum profunda dei myſteria. Qui enim pro tempore magiſtri debuerant eſſe , facti ſunt quibus lac opus eſt,non ſollidus cibus. Illa itaque difficultas interpretandi,in illorum fuit traditate,non in apoſtolica ſapientia,cui reuelata ſunt myſteria à ſeculis abſcondita, ſicut in epiſtola ad Epheſios pleniſſimè demonſtrat.Deinde ſubiunxit : *Etenim cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus,rurſum indigetis vt vos doceamini quæ ſunt elementa exordy ſermonum dei, & facti eſtis quibus lacte opus ſit,non ſolido cibo.*) Ad eos itaque loquitur,qui exercitatum ſenſum per legem & prophetas de aduentu Chriſti,& gratia quæ per eum allata eſt credentibus,habere debuerunt: qui etiam magiſterio aliis per myſteria dei quę data ſunt illis,poterant eſſe,ſi credidiſſent. Nunc autem tales facti ſunt vt infantes , quibus prima elementa literarum traduntur ad legendum.Dum illorum fuit fortes eſſe in fide,& alacres in ſcientia , ad ſolidum cibum ſapientiæ percipiendum,qui eſt perfectorũ,nunc facti ſunt quibus eſt lacte opus.Lac enim humilem ſermonem vocat, quo eos indiguiſſe teſtatur, qui ad altiora dei myſteriorum ſecreta aſcendere non poterant.Exempli gratia,qui non poteſt intelligere quod euangeliſta ait , Verbum caro factum eſt : quomodo poteſt ad altitudinem eius ſermonis peruenire vbi ait,In principio erat verbum, & verbum erat apud deum,& deus erat verbum ? *Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers factus eſt ſermonis iuſtitiæ:paruulus enim eſt.Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum qui exercitatos habens ſenſus ad diſcretionem boni & mali*)Palatum etenim ſapores diſcernit ciborum,anima vero variarum probat ſermones doctrinarum, de quibus in ſequentibus huius epiſtolæ dicit: Doctrinis peregrinis nolite abduci. Sicut enim paruulus inter cibũ & cibum diſcernere neſcit, & ſæpe in noxiis ſumendis periclitatur,ſi non prohibeatur à ſua matre:ita indoctus quiſque ſi diſcretionem doctrinarum neſcit,facilè decipitur , & in via erroris periclitatur.Quod in lacte & ſolido cibo,hoc in indocto & ſapiente differt.Sicut lac paruulis congruit,& ſolidus cibus ætate perfectis:ita indoctis humilis ſermo, & ſapientibus arcanum dei myſterium noſſe conuenit,qui exercitatos habere videntur ſenſus . Quomodo igitur poterunt ſenſus noſtri exercitati eſſe? vtique ex vſu , & frequenti lectione ſanctarum ſcripturarum. Vnde beatum virum Pſalmiſta dicit eſſe,qui in lege domini meditabitur die ac nocte.

Philip.2.

παράϰλησις.

Lactis nomine quid ſignetur.

Ioan. 1.

Palati & animæ functio quæ ſit. Infra.13. Collatio elegans.

Pſalm.1.

CAPVT SEXTVM.

QVapropter *intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem,ad perfectionem feramur.*) Quapropter, id eſt, quia exercitatos ſenſus in lege domini decet nos habere , intermitamus inchoationis Chriſti ſermonem.Quis eſt ſermo inchoationis Chriſti,niſi fidei initium ? Sicut enim eum qui in doctrinam literarum adducitur , elementa oportet primum audire : ſic & Chriſtianus primum omnium de fide catholica erudiri debet, quod eſt fundamentum ſalutis noſtræ.Si autem opus habet de fide doceri, nec dum fundamentum habet. Firmum enim oportet & fixum eſſe hoc fundamentum in corde Chriſtiani, vt inde dignus fiat ad perfectionem aliarum transferri virtutum.Si autem quiſquam verbum veritatis audiuit,& baptizatus eſt, & poſt annos aliquot de fide iterum audire opus habet,quia credere oportet eum de reſurrectione & futuro ſeculo,necdum fundamentũ habens,rurſum initium Chriſtianitatis quærit.Quia enim fides fundamentum eſt,cætera verò ſuperædificationes ſunt:quod beatus Paulus ſequẽtibus verbis oſtendit,dicendo: *Non rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis,& fidei ad deum.*) Perfectum enim illum vocamus,qui cum fide vitam habet rectam.Etſi cui horum vnum quodlibet deerit,perfectus non erit.Si verò ambo deſunt , meritò paruulus dici poteſt , & quaſi infans literis : ſic etiam iſte iterum in fide erudiendus eſt. Latenter autem legem infirmare vult, & ad gratiã Chriſti ſuos reuocare auditores. Qui autem ad virtutem iturus eſt : primùm malitiam debet culpare & abiicere , & opera mortis per pœnitentiam purgare,& ſic accedere ad dominũ. *Baptiſmatum doctrinam , impoſitionis quoque manuum,& reſurrectionis mortuorum,& iudicij æterni.*) Non enim ſufficit per pœnitentiam mundos facere peccatores , niſi confeſtim baptizẽtur, ſicut in Actibus apoſtolorum beatum Petrum reſpõdiſſe legimus : Pœnitentiam agite fratres, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu quia impoſſibile eſt operari hominem per ſe hoc , quod per dei gratiam in baptiſmate accipere poteſt. Quid eſt nanque baptiſmatum doctrina? Non tanquam multorum baptiſmatum debet intelligi , ſed vnius:quia ſicut vna fides eſt, ita & vnum baptiſma eſt : ſed pro varietate cauſarum accipientium baptiſmum,dixit.Impoſitionis manuum , per quam ſpiritus ſanctus accipi poſſe creditur : quod poſt baptiſmum ad confirmationem vnitatis in eccleſia Chriſti à põtificibus fieri ſolet.His igitur perfectè in eccleſia perceptis,fides reſurrectionis & iudicij futuri habenda eſt.Viuere quippe ſicut angeli,& nullius egere eorum quæ in iſta vita ſunt,huius vitæ promiſſio nobis facta eſt per ſpiritũ ſanctum.Fructus autem huius promiſſionis,eiuſdem præſentia vitæ eſt:quæ duo,id eſt,fides & iudicium,ſemel baptizato reſtant,non iterum baptizari. *Et hoc faciemus,ſi quidẽ permiſerit deus.*) In hac quippe fide baptiſmatis,& reſurrectionis , & iudicij futuri, vos deo permittente pleniter inſtruximus.Ne verò vllatenus quis ſecundum vel tertiũ æſtimaret poſt peccata poſſe fieri baptiſma, mox ſubiungit,dicens : *Impoſsibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes ſunt facti ſpiritus ſancti , guſtauerunt nihilominus bonum dei verbum , virtutéſque ſeculi venturi , & lapſi ſunt , renouari rurſus ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibimetipſis filium dei , & oſtentui habentes.*) Impoſſibile eſt,inquit,nõ difficile.Impoſſibile,inquit,In deſperationem eos miſit,ſecũdo baptizari non poſſe:quia impoſſibile eſt,quod fieri non poteſt:difficile verò,quod quãuis,cùm labore,fieri tamẽ poteſt.Si ſemel,inquit, illuminati eſtis per gratiam ſancti ſpiritus,& guſtaſtis donũ cœleſte, hoc eſt,remiſſionem peccatorũ accepiſtis , & participes facti eſtis ſpiritus ſancti,in diſtributionem donorum dei,quæ in epiſtola ad Corinthios beatus Paulus enumerat , & bonum guſtaſtis verbum dei.Hic doctrinam dicit euangelicã. Et virtutes venturi ſeculi cognouiſtis. Quæ reuelatio futuri ſeculi,niſi reſurrectio & vita beata,quæ ſanctis promittitur?Hęc omnia ſi in doctrina fidei in gratia dei per baptiſmũ illuminati accepiſtis & cognouiſtis ſcitote certiſſimè , ſi in peccata iterum incidetis , impoſſibile eſſe vos renouari iterum ad pœnitentiam.Ad pœnitentiã dixit,hoc eſt, per pœnitentiam.Quid ergo?excluſa eſt pœnitentia poſt baptiſmũ? Abſit.Sed renouatio per ſacri baptiſmatis lauacrum, ſecunda vice fieri non poteſt.Renouari dixit,hoc eſt, nouum fieri.Nouum quippe facere hominem,ſacri baptiſmatis eſt:de quo propheta ait:Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.Cuius virtus , id eſt , baptiſmatis ſacri , in cruce & ſepultura Chriſti conſtat.Proinde ſubiunxit:Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium dei , & oſtentui habentes.Hoc eſt , vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt cum Chriſto:ſicut alio loco ait:Conformes enim facti ſumus mortis eius.Et iterum: Conſepulti enim eſtis ei per baptiſmum in mortem.Sicut enim impoſſibile eſt ſecundò crucifigi Chriſtũ,hoc enim eſt oſtentui eum habere : qui ſecundò ſe baptizari poſſe putat, ſecundò Chriſtum crucifigere quærit, qui crucifixus eſt & mortuus,

A

B

C

D

Perfectio Chriſtiani qua in re cõſiſtat.

Actio. 2.

Epheſ.4.

Pſalm. 102 Rom. 8.

Coloſ.2.

1.Pet. 1.

1.Corin. 12

mortuus, & victor mortis resurrexit, aque cum triumpho gloriæ cœlos ascendit. Sicut enim semel Christus mortuus est carne in cruce: sic nos semel morimur in baptismate, non carne, sed peccato. Atque sicut ille iterum mori non poterit, ita nec nos baptizari possumus: nisi fortassis lachrymis pœnitentiæ, non lauacri regeneratione. Quid ergo est, inquis, non est pœnitentia? Est vtique pœnitentia, sed baptismum aliud non est. Pœnitentia verò est, & multam habet fortitudinem, etiam in eum qui peccatis valde dimersus est. Si voluerit, potest eum liberare ex onere peccatorum: & periclitantem in tuto constituere, etsi ad ipsum profundum iniquitatis peruenerit: & hoc ex multis manifestum est testimoniis. Ideo addidit: Nunquid enim qui cadit, non resurget? aut qui auertitur, non reuertetur? Quale ergo est istud medicamentum pœnitentiæ, aut qualiter conficitur? Primùm exculpando propria peccata. Iniquitatem, inquit, meam domino non celaui, & pronunciabo aduersum me iniquitatem meam, & tu abstulisti impietatem cordis mei. Secundò multa humilitate plangere peccata sua, fructúsque dignos exinde facere pœnitentiæ: quatenus nullatenus in eadem iterum corruat peccata. Deinde multis eleemosynis redimere se incipiat, qui seculi habet potestatem. Sicut enim scriptum est: Diuitiæ viri, redemptio animæ illius. Prostremò opus est nulli irasci, neque malum pro malo reddere, omnibus dimittere peccantibus in se, dicente ipsa veritate: Dimittite, & dimittetur vobis. *Terra enim sæpe venientem super se imbrem bibens, & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à deo. Proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionẽ.*) Cùm timore audiamus sermones dei: Nõ sunt hæ minę Pauli, non sunt hominis verba: Spiritus sancti sunt, Christi sunt loquentis in Paulo. Comparationem hic fecit de proficente anima in doctrina dei, & negligente salutem suam. Fructiferæ terræ, cœlestibúsque imbribus irrigatæ adæquauit proficientem animã in sanctorum germinũ floribus, dicens. Terra enim sæpe venientẽ super se imbrẽ bibens. Hìc declarat quòd hi ad quos eius sermo fuit, susceperunt & combiberũt verbum cœlestis doctrinæ, & sæpius per legem, per prophetas perceperunt, & nec sic prompti facti sunt germina fidei proferre. Adhuc addidit de bona terra, in quam cecidit semen verbi dei. Germinans ait herbam oportunam. Nihil sic opportunum sicut fides in filium dei, & vita optima. Hęc verò talis terra accepit benedictionem à deo, vt ferat tricesimum, sexagesimum, etiam & centesimum fructum. Et hoc notandum est, quòd omnis abundantia in frugibus terræ, in fructibus arborum, non aliter nisi per dei benedictionem cultoribus ad voluntatem respondere poterit. Neque enim agricolarum est terram excitare ad fructus, sed imperium dei, sicut alibi beatus Paulus ait: Ego plantaui, Apollo rigauit: sed deus incrementum dedit. Hoc ergo de anima florente in virtutibus & dei benedictione, dignè protulit exemplum: móxque subiungit aliud paradigma de ea quæ suam negligit salutem, dicens: Proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius cõsummatio in cõbustionem. Quis nanque est ab istis spinis mũdus? At si essemus mundi, neque sic præsumptuosos nos oporteret esse, sed timere & tremere ne fortè pullulẽt in nobis spinæ peccatorum. Quomodo anima vel caro spinis plena superbire poterit? Nunquid non maiori solicitudine extirpare eas opus haberet? Quæ sunt ergo spinæ? Audiamus Christum de spinis dicentem: Quia cura seculi huius & deceptio diuitiarum præfocant verbum, & infructuosum effitur. Proferens dixit spinas, non generans, maledictioni proxima est. O quantam habet consolationem hic sermo. Maledictioni, inquit, proxima, non maledicta. Qui autem necdum in maledictionem incidit, sed proximitatem, longè fieri poterit. Et non hoc solo consolatus est, sed etiam in eo quod sequitur. Non dixit reproba, & maledictioni proxima, quæ combureretur: sed quid? cuius consummatio in combustionem. Hæc combustio non erit, nisi quis vsque in finem permaneat in peccatis suis. Quia in quacũque die cõuersus fuerit peccator, vita viuet, & non morietur. Si verò abscindamus spinas, per pœnitentiam poterimus mille bonis perfrui, & fieri probabiles, & benedictionis dei participes. Postquam autem increpauit eos sufficienter, & terruit & percussit, curat eos iterum, ne desperatos faciat, neque in omnibus adulatur, neque in omnibus percutit. Nec hæc dicimus veluti putantes vos spinis plenos, sed timentes ne tales efficiamini. Melius est enim vos verbis terrere, ne rebus ipsis doleatis. *Confidimus autem dilectissimi de vobis meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquimur.*) Quia beatus Paulus non habuit vnde eos ad quos scripsit, de præsenti laudaret, incipit eos de spe futurorum consolari, dicens: Confidimus fratres de vobis meliora, & viciniora saluti, quamuis ita dicamus, quasi diceret, Optima quædam de vobis confidimus, & quæ saluti vestræ proficiant: non vtique quod superius dixi de reproba terra, & combustioni proxima: non de vobis hoc diximus, quia meliora de vobis credimus. Adduxit quoque eis in memoriam præterita, vt ex præteritis eos adliceret ad bona quæque: ideo subiunxit: *Non enim iniustus deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.*) Ecce quomodo recreauit animas eorum & confortauit, antiqua eis in mentem reuocans. Tunc fecit eis vt non æstimarent obliuisci deum, & præterita eius beneficia in eos. Necesse est enim eum peccare, cui spes deerat futura. Deinde hortatur eos omnibus modis sperare futura. Eum enim qui desperat de præsentibus beneficiis dei, quòd à deo non habeat: de futuris quis poterit eum confortare? Simile quid Galatis improperat, dicens: Currebatis bene, quis vos fascinauit? atque iterum: Tanta passi estis sine causa? vt posset mitigare eandem sententiam, mox subiunxit: Si tamen sine causa. Sic etiam hoc loco temperauit sententiam suam, dicens: Non enim iniustus deus, vt obliuiscatur operis vestri, dum tantam charitatem ostendistis in sanctis eius. Volumus enim vos imitari opera eorum, qui per fidem & patientiam hæreditaturi sunt promissiones. Quale verò desiderium haberet de salute eorum, sequenti ostendit allegatione, dicens: *Cupimus enim vnumquenque vestrum eandem ostentare solicitudinem ad expletionem spei vsque in finem, vt non segnes efficiamini.*) Desideramus verò, inquit, non tantùm circa verba, sed etiam in virtutibus conuersari, non quasi priora vestra culpantes, sed vt de futuris soliciti sitis, admonentes: hoc est, quales fuistis primum, tales vos cupimus & modo esse, & in futurum. Et non dixi, Volo, quod est auctoritatis doctrinæ: sed quod erat paternæ dilectionis. Hoc est, cupimus vnumquenque vestrum eandem quam olim habuistis solicitudinem, ad expletionem spei habere in æternam resurrectionem. *Verùm imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabunt promissiones.*) Hortatur enim auditores suos, vt fide non ficta, & patientia perfecta expectent promissiones dei, & hæreditates quas sanctis suis promisit. Et hoc firmius exemplis corroborare nititur, cùm dicit: *Abrahæ nanque promittens deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret, maiorem, iurauit per semetipsum, dicens: Benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te: & sic longanimiter ferens, adeptus est promissionem.*) Mira est sapientia beati Pauli. Per vices enim laudibus extollit eos ad quos scribit, per vices terroribus accidentis historiæ terret, ne infideles essent, & minus creduli promissionis dei. Per vices verò eorum exemplis hortatur ad patientiam & fidem: & vt indubitanter credant, non solùm deo dicente, verumetiam iurante per semetipsum. Et dum ei multa supperterent exempla sanctorum, qui per patientiam hæreditarent promissiones dei: præcipuè fidelis Abrahæ vsus est exemplo propter dignitatem personæ illius, & propter quod maximè in eo istud contigerit, qui longanimiter ferens adeptus est in filiis suis promissiones non modò præteriti temporis, quæ in populo dei impletæ sunt, sed magis etiam in futurum pronuncians in filios fidei Abrahæ, cuius filij sunt, quos bonitas dei de lapidibus gentium susciauit, & fecit eos in fide esse filios Abrahæ. Promissioni enim dei cooperata est longanimitas in audientes & expectantes hæreditatem promissam: quam quidem pusillanimes & increduli verbo dei non fuerunt adepti: sed plurima eorum in deserto periit

Galat. 3.

ὑπόδειγμα.

multitudo. Quàm impium est deo iuranti non credere? Iu-
Iurauit pater rauit enim deus per semetipum, quia neminem habuit ma-
A iorem per quem iuraret. Potest hîc persona in hoc iuramento, dei patris intelligi, qui de filio suo eidem patriarchæ promisit, dicens: Et in semine tuo benedicentur omnes gentes.
Gene. 22. Non dicit in seminibus, vt beatus Paulus in alia demonstrat epistola, sed in semine tuo, quod est Christus. Iurat enim & idem Christus in euangelio dicens: Amen, amen dico vobis. Et ipse per semetipsum: quia nec ipse habuit maiorem per quem iuraret: Benedicens benedicam te, hoc est, in stellis cœli, per quas sancti designantur de eius semine futuri, intelligi potest dictum. Multiplicans multiplicabo te, & hoc in arena maris, per quã peccatores populi illius designari possunt: vtraque enim dominum dixisse legitur, vbi ait: Et erit semen tuum sicut stellæ cœli, & sicut arena quæ est in littore maris. *Homines enim per maiorm se iurant: & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum.*) Si igitur hominibus in futurum credendum est, de quibus di-
Psalm. 115. citur per Prophetam, Omnis homo mendax: quantò magis dei iuramento credi debet, qui est veritas, qui nec falli nec mentiri potest? Homines enim per maiorem se iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum: prout si diceret: Ex hoc soluitur totius controuersiæ disceptatio, non vnius cuiuslibet, sed totius. Opportebat quidem sine iuramento credere deo, sed iurare deum dicit. *In quo abundantius volens deus ostendere pollicitationem hæredibus immobilitatémque consilij sui, interposuit iusiurãdum.*) Propterea enim huius repromissionis mentionem facit quæ ad nos communis facta est, quoniam apud homines hoc videtur fidele esse, cùm iuramentum interest controuersis eorũ. Non tamen æquale est hominem per se iurare, & deum. Homo enim sui potestatem non habet, deus autem potestatem habet, omnium quæ sunt. Sed quia incredulum est humanum genus, condescendit ad nos, sic certè iurat propter nos: quãuis indignum sit non credi ei, sicut superius dictum est: & didicit ex his quæ passus est, quoniam homines hoc putant maximè esse cum fide, vt per experimentum quis transeat ad fidem. *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri deum: fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam*
C *Duæ patris promissiones* *ac firmam.*) Duas rex dixit, dei patris promissiones de filio suo, & aduentum filij in hunc mundum pro salute nostra. Proposita verò spes, veritas est rerum gestarum quæ patriarchis promissæ sunt & redditæ, vt ex transactis futura credamus. Quem spem habemus sicut anchoram, inquit, ani-
Enarrat collationẽ Paulinum. mæ tutam ac firmam. Sicut enim anchora iacta è naui nõ permittit eam circunferri, licet venti commoueant eam, sed iacta firmam facit nauem: sic & fides spe roborata, introducit nos in rerum speciem, quam modo in fide & spe tenemus. ideo addidit dicens: *Et incedentem vsque ad interiora velaminis.*) Tempestas enim & multus imber commouet ratem, anchora autem non permittit eam dimergi. Sic etiam nostra spes quam habemus fixam in interiora velaminis, nulla infidelitate mergi poterit, si cum Propheta veraciter
Psalm. 54. dicamus, Iacta in deum curã tuam, & ipse te enutriet. Si hãc non habemus, omnino dimersi eramus, non tantùm in spiritalibus, sed etiam in carnalibus: Quia qui arat, inquit Apo-
D *2. Cor. 9.* stolus, in spe arat: & omnis labor noster in spe mercedis quẽlibet nostrum consolatur. Spes verò penetrat interiora velaminis, dum cœlestia absque vlla dubitatione credit, & sperat & amat, operibúsque ostendit, vtpote qui credit quod sperat. Vt firmiorem itaque spem nobis adderet, subiunxit, *Vbi præcursor pro nobis introiit Iesus secundum ordinem Melchisedech, pontifex factus in æternum.*) Præcursor autem, quorũdam est præcursor, sicut Ioannes Christi. Non enim dixit simpliciter introiit, sed vbi præcursor pro nobis introiit, veluti absque dubio nos oporteat prosequi præcursorem nostrum. Præcursorem siquidem & consequentem in eadem etiam via esse conuenit. Hoc autem de eo qui secundum carnem est, dicitur, qui semetipsum obtulit sacrificium deo in odorem suauitatis. Pontifex est factus secundum ordinem Melchisedech. Oportet itaque & illis quorum pontifex est, meliores esse: vt quantum est inter Aaron & Christum, tãtum est quodammodo inter Iudæos & Christianos. Superiora etiam & sacrificia. Talia videlicet offeramus sacrificia, quæ in illud sanctuarium cœleste offerri possunt: non iam peculdem & bouem, non sanguinem & adipem. Omnia hæc soluta sunt, & pro eis introductum est rationabile obsequium. Quid autem est rationabile obsequium, quod per animam, *Ioan. 4.* quod per spiritum offertur deo. Spiritus, inquit, deus est: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Quid est deũ in spiritu adorare, nisi in charitate & fide perfecta, & spe indubia, & sanctis animæ virtutibus? quas Apostolus alio loco abundanter enumerat?

CAPVT SEPTIMVM.

Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos altissimi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde hostium, & benedixit ei, cui decimas omnium diuisit Abraham.) Tradunt Hebræi hunc esse Sem pri-
B *Gene. 14.* mum filium Noë, & eo tempore quo hortus *Sem.* est Abraham, habuisse antiquitatis annos ducentos nonaginta. Nec esse nouum, si Melchisedech victori Abrahã obuiam professerit, & in refectionem tam ipsius quàm pugnatorum eius panem vinúmque protulerit, & benedixerit ei quòd abnepoti suo iure paternitatis dederit, & decimas prædæ atque victoriæ acceperit ab eo sicut, sacerdos excelsi dei: qui fuit etiam rex Salem. Salem etiam, vt Iosephus & nostrorum plurimi arbitrantur, esse Hierusalem, nomen ex Græco Hebræóque compositum, quod absurdum esse lin-
Iosephus. guæ peregrinæ mixtura demonstrat, sed oppidum iuxta Scythopolim, quod vsque hodie appellatur Salem: & ostenditur ibi palatium Melchisedech, ex magnitudine rimarũ veteris operis ostendens magnificentiam. Ad quam ciuitatem etiam legitur Iacob descendisse, quæ fuit in terra Chanaan, regionis Sichem. Considerandum quoque est quòd Abrahæ à cæde hostium reuertenti, quos persequutus est vsque
C Dan, nõ in via erat Hierusalẽ, sed oppidũ Metropolis Sichẽ, de quo in euãgelio legimus: Erat autẽ Ioannes baptizans in *Ioan. 3.* Ennon, iuxta Salẽ, quia aquæ multę erãt ibi. *Primum quidem, quia interpretatur rex iustitiæ, deinde & rex Salem, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initiũ dierum, neque finem vitæ habens assimilatus autẽ filio dei, manet sacerdos in perpetuũ.*) Sæpius beatus Paul⁹ eundẽ Melchisedech in typo dei Saluatoris introducit. Quãuis enim omnes penè sancti & patriarchę ac prophetæ prioris temporis in aliqua re figurã expresserint Saluatoris, hic tamen melchisedech specialius, qui quoniam non fuit de genere Iudæorum, in typum præcesserit sacerdotij filij dei: de quo dicitur in centesimonono psalmo: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ordinem autem eius multi inter pretantur, quòd solus & rex fuerit, & sacerdos, & ante circuncisionem fructus sacerdotio: vt non gentes à Iudæis, sed Iudæi à gentibus sacerdotiũ acceperint: neque vnctus oleo sacerdotali, vt Moysi præcepta constituunt, sed oleo exultationis, & fidei puritate. Ne-
D que carnis & sanguinis victimas immolauerit, & brutorum sanguinem animalium dextera susceperit, sed pane & vino simplici, puróque sacrificio Christi depicauerit sacerdotiũ. Nec tamen credendum est quòd iste Melchisedech sine patre aut sine matre esse, cùm Christus quoque secundum vtranque naturam & patrem habeat & matrem: sed quòd subitò introducatur in Genesi occurrisse Abrahæ à cæde hostium reuertẽti, & nec antea, nec postea huius nomẽ vel genealogia inueniatur scriptum. Affirmat autem huius exemplo Apostolus, quod sacerdotium Aaron, id est, popuuli Iudæorum, & principium habuerit & finem: Melchisedech autem, id est, Christi sacerdotium & in præteritum & in futurum æternum sit. Hic verò Melchisedech interpretatur rex iustitiæ. Quis est verus rex iustitiæ, nisi dominus noster Iesus Christus? Deinde rex Salẽ, hoc est, rex pacis: quod pertinet ad Christũ. Iste nanque nos iustos efficit, pacificans omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, qui solus est rex iustitiæ & pacis, dominus noster Iesus Christus, q̃ secundũ di-

uinitatem

uinitatem ſine initio, ſine fine, rex eſt ſempiternus, ex æterno patre æternus, quãuis ex temporali matre temporalis eſſet. ſicut enim iſtius Melchiſedech nõ legimus initium vel finem in ſcriptura ſancta, propter quod nõ eſt ſcriptum: ſic non nouimus filij dei initium vel finem, quia non habet. Et in hoc eſt ſimilitudo, quòd nec illius nec iſtius initium vel finis legatur. Illius quidem, quia non eſt ſcriptum: iſtius autem, quia omnino non eſt. *Intuemini quantus hic ſit, cui decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.*) Conuertit itaque ſermonem ad eos qui gloriãtur ſe filios eſſe Abrahæ, & de origine eius nobilitatem eorum deſcendiſſe, quem diuinis exaltare laudibus contendunt, & in euangelio eum domino præpoſuiſſe leguntur, dicentes: Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham? quaſi dicerent: Quem vos excellentiorem omnibus æſtimatis, hic decimas offerebat Melchiſedech, & hoc de præcipuis victoriæ, qui aſſimilatus eſt filio dei, pontifex factus in æternum. *Quoniam de filiis Leui ſacerdotium accipientes, mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundum legem, id eſt, à fratribus ſuis, quanquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ.*) Tanta quippe eſt ſacerdotij excellentia, vt etiam qui ſimiles eſſent, à progenitoribus, eundem haberent pro genitorem, tamen multò amplius meliores eſſent fratribus ſuis, ij qui ſacerdotio digni efficerentur, veluti Aaron inter viuos ac mortuos vt dei iram placaret quæ exarſerat, ſtare legitur: quod propterea ex populo facere poterat, licet omnes vnum haberent progenitorem, quod ſacerdos eſſet. Proinde ipſi Abraham nullo modo alienigenæ decimas dediſſet, niſi plurimus & excellens eius eſſet honor, cui decimas excubiarum dari, deo placere comperiſſet, oſtendens etiam incircunciſum ſacerdotem, ſacerdote circunciſo multò eſſe ſublimiorem. Quomodo ergo hoc? Oſtendit quia ipſe Leui ex quo ſacerdotale genus ortum eſt, decimatus eſt in lumbis progenitoris ſui. *Cuius autem generatio non adnumeratur in eis, decimas ſumpſit Abraham: & hunc qui habebat repromiſſiones, benedixit. Sine vlla autem contradictione, quod minus eſt à maiore benedicitur.*) Ille autem qui ſine genealogia eſt, in Abraham decimatus eſt, non ſolum Leui, verumetiam & ipſe Aaron, qui decimas ſolebat accipere à populo, & per eum omne ſacerdotium Leuiticum. Nec hoc loco contendentis eſt ſtare, ſed adhuc maiori honore exaltauit eum qui alterius generis fuit, dicens: Et eum qui habebat repromiſſiones, benedixit: Oſtendit & honorabiliorem eſſe illum ex communi omnium iudicio. Et ſine vlla contradictione (inquit) hoc eſt, omnibus luce clarius videtur, quòd minor à maiore benedicitur. Proinde melior eſt typus Chriſti etiam ab eo qui promiſſiones habebat. Quis eſt qui viuit? Ille etiam qui ſecundum ordinem factus Melchiſedech eſt ſacerdos in æternum. Secundum ordinem Melchiſedech: typum gerentis pontificis noſtri qui ſemetipſum obtulit hoſtiam deo placentem, non ex neceſſitate qualibet, ſed ex voluntate propriæ poteſtatis, deſignat: qui nihil morti debuit, idcirco pontificali ſacrificio ſui corporis, omnium abluit peccata. *Si ergo conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundum Aaron dici? Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat.*) Hinc iam incipit veteris nouique teſtamenti differentias oſtendere, dicens: Si enim conſummatio, id eſt perfectio, per ſacerdotium Leuiticum fuit, quid neceſſe fuit alium ſurgere ſacerdotem? Nam Aaron primum poſt datam legem ſacerdotem de tribu Leui eſſe nulli dubium eſt. Ideo ſacerdotium quo functus eſt, Leuiticum nominauit ſacerdotium. Quo ſacerdotio Leuitico multò melior Melchiſedech in ordine ſacerdotali factus eſt, qui typum gerebat ſacerdotis noſtri, id eſt, domini ſaluatoris mundi. Nequaquam enim dixiſſet, Secundum ordinem Melchiſedech, ſi illud ſacerdotium Aaron melius eſſet, ſub quo populus Iudæorum legem ſuſceperat. Si igitur ſacerdotij tranſlatio eſt, neceſſe eſt & legis eſſe tranſlationem. Neque enim ſacerdos poteſt ſine teſtamento eſſe, & ſine lege, & ſine præceptis. *In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt de qua nullus altario præſto fuit. Manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus eſt dominus noſter: in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes loquutus eſt.*) In quo enim ait, id eſt, de quo hæc dicta ſunt, dominum ſcilicet ſignificans ſaluatorem. Dum id trãſlatum eſt ſacerdotium, ſimul & teſtamentum tranſlatum eſt. Non autem ordine tantummodo, neque præceptis, ſed etiam tribu. Oportebat quippe vt etiam mutaretur. Et quomodo tranſlatum eſt ſacerdotium? ex tribu ad tribum, de ſacerdotali ad regalem, vt eadem ipſa ſit & regalis & ſacerdotalis. Et intuere myſterium. Primum fuit regale ſacerdotiũ Melchiſedech, ſecundum conſequentiam huius ſermonis. Secũdum etiam fuit ſacerdotale in Aaron. Tertium in Chriſto fuit iterum regale, qui rex erat ſemper, ſacerdos autem factus eſt quando carnem ſuſcepit, quando ſacrificium obtulit. Vides mutationem rerum. Quæ enim per tranſlationem facta ſunt, hæc veluti ex rerum conſequentia quaſi noua redire videntur. *Et amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundum ordinem Melchiſedech exurgeret alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim, quoniam tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.*) Aliam hoc loco differentiam inſtruit inter ſacerdotium Aaron, & ſacerdotiũ Chriſti: quia illud carnale, hoc verò ſpiritale. Illud temporale, hoc verò æternum eſt. Dicit enim de ſacerdotio Aaron, ſecundum legem carnalis mandati. Lex quippe illa ex multa parte carnalis erat, in circunciſione carnis, in mundatione carnis, in hoſtiis & oblationibus carnalibus, in diſcretione ciborum, dierum, temporum, etiam & in retributione, quibus benefacientibus, & legem cuſtodiẽtibus pax & ſecuritas & proſperitas, & frugum abundantia, & regni potentia promiſſa eſt, quæ omnia morte finienda erant. Sed non ita ſacerdotiũ Chriſti, quod ſecundum virtutem vitæ inſolubile eſt. Quis iſte eſt ſacerdos talis? non Aaron, nec Melchiſedech, ſed ille cuius Melchiſedech typum gerebat: de quo deus ipſe pater iureiurando teſtatur, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, hoc eſt, intemporalis, neque finem habens, ſed ſecundum potentiam inſolubilis vitæ. Vitam verò in ſeipſo habens inſolubilem, quamuis ad tempus mortuus eſſet in carne, tamen in æternum diuinitate & humanitate mediator inter deum & homines, ſemper viuens eſt ad interpellandum pro nobis. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex.*) Quid enim profuit lex? Profuit ſiquidem, ſed nihil ad hoc profuit, vt perfectos facere potuiſſet ſeruiẽtes in ea. Idcirco eius reprobatio fuit, vt gratiæ daretur locus, dum veniret in quo perfectio fieret. Vtilis quippe fuit lex, ſed illis qui fidem habuerũt in Chriſto: non illis qui totam ſuam ſpem in ea firmauerunt. *Introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad deum. Et quantum eſt, non ſine iureiurando: alij quidem ſine iureiurando ſacerdotes facti ſunt.*) Introductio, inquit, melioris ſpei. Habuit quippe & lex ſpem, ſed non talem. Sperabant enim bene placentes, & legem dei cuſtodientes, poſſidere terram, nihil ærumnoſum pati, proſperè viuere, ſicut dictum eſt: Qui fecerit eam, viuet in ea. Hic autem ſperamus, quia deo placentes, & euangelica præcepta cuſtodientes, non terram poſſidebimus, ſed cœlum. Magis autem, quod cœlo multò melius eſt, ſperamus proximi deo conſiſtere, ad ipſum paternum ſolium peruenire, & miniſtrare ei cum angelis. Hoc verò ſacerdotium per quod hanc gloriam poſſeſſuri ſumus, non erit ſine iureiurando, vt firmam dei promiſſionem credamus: quia hæc omnia nobis in filio proprio promiſit, quem pro nobis omnibus tradidit, vt per eum hæc omnia poſſideamus, de quo dictum eſt: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. *In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus: & alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.*) Duas ponit differentias, quia non habet finem ſacerdos noſter, ſicut legalis. Hoc autem facit ex perſona Chriſti, qui ingreſſus eſt, inquit, ſecundum virtutem vitæ inſolubilis: & hoc iureiurando teſtatur, ſicut ſupra dictum eſt. Sicut ille permanet, ſic etiam & lex quam attulit, permãſura eſt, in qua eſt vera peccatorum remiſſio, & perpetuæ perceptio

Ezech. 10.

Chriſti ſempiternum ſacerdotium.

ceptio gratiæ. Si enim illa prior propter imbecillitatem sui, quę nihil ad perfectum ducere potuit, excluſa eſt: iſta autem quam Chriſtus pontifex magnus attulit, valet & fortis eſt, & manet. Oſtendit autem hoc ex põtifice. Quomodo? quia vnus eſt. Non enim vnus eſſet, niſi eſſet immortalis. Sicut enim multi ſacerdotes in lege fuerunt, quia mortales fuerunt: ſic vnus, quia immortalis: qui in tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt, ſecundum quod iuratum eſt de eo ſemper eſſe menſurum. *Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.*) Intueris quia de eo qui ſecundum carnem eſt, iſta dicit. Quando enim ſicut pontifex eſt tunc etiam interpellat: quia ex ea natura qua pontifex eſt, interpellat pro eis. Quis eſt qui interpellat, niſi humanæ naturæ diuinitati illius coniunctio, quam paterno ſolio aduexit? Semper viuus, ad ſaluandum idoneus. Alij verò pontifices qui ſemper non erant, ſemper non interpellabãt. Hic verò non ſolum in hac vita ſaluat per interpellationem humanitatis ſuæ ſed etiam in futurum glorificat, dum tradet regnum deo patri, & perducet ſanctos ad viſionem paternę maieſtatis. *Talis enim decebat vt nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus.*) Talis etiam illis decuit eſſe pontifex, de quibus ipſe ait: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Videlicet ſerui legales pontifices habuerunt mortales peccatores pro ſemetipſis offerẽtes. Filij verò & amici dei pontificem habent immortalem, ſegregatum à peccatoribus, id eſt, prioribus ſacerdotibus: qui eſt innocens & ſanctus. Innocens, quia ſine malignitate: quod dicit propheta, Nec dolus inuẽtus eſt in ore eius. Sanctus, quia in omni bonitate præcipuus. Impollutus, quia ni habuit peccati. Excelſior cœlis factus, quia adorant eum omnes angeli dei. *Qui non habet quotidie neceſsitatem, quemadmodum ſacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo: hoc enim fecit ſemel ſe offerendo.*) Hic enim magnitudinem ſacrificij oſtendit, quamuis illud viuum eſſet, & ſic oblatum ſufficit in ſempiternum. Et tantum præualuit, quantum cætera omnia non præualuerunt. Et quod offerebat, non pro ſe offerrebat, ſed pro populo. Nec enim hoc pro populo quotidie offerendum erat, ſed tantæ ſanctitatis & honoris apud deum fuit hoc ſacrificium, vt ſemel oblatum, in æternum profuiſſet populo dei. *Lex enim homines cõſtituit ſacerdotes infirmitatem habẽtes.*) Propterea pro ſe, ſicut & pro populo ſemper offerebant. Iſte autem tã potens eſt, vt ſemel oblatus ſuæ carnis ſacrificio, nil opus eſſet cuiquam credentium offerre plus pro eo. *Sermo autem iuriſiurandi, qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum.*) Hic etiam filij nomen ad dictionem ſeruorum qui fuerunt in lege, poſitum eſt, quia ſerui infirmi fuerunt, ſiue quia peccatores mortales erant. Sed hunc filium perfectum eſſe demonſtrat, quia ſemper viuit, & ſemper ſine peccato eſt. Vtrunque Apoſtolus ait, & mirificè conſolatur audientes, & minaciter terret negligentes. Conſolatur in eo, quia ad ſacerdotem magnum potenti ſacrificio proximati ſunt. Terret in eo, ne peccent, quia illud ſacrificium nunquam pro peccatis iterum oblatum erit, non eſt aliud ſacrificium: vnum verò nos purgauit: poſt hoc iudicium erit. Quotquot redempti ſumus, iſto ſacrificio redempti ſumus, ideo permaneamus in generoſitate noſtra & honore.

Sacerdotij Chriſti & legalis diſcrimen.

Ioan. 15.

Eſaiæ. 33.

Paulus conſolatur & terret.

CAPVT OCTAVVM.

Capitulum autem ſuper ea quæ dicuntur. Talem habemus pontificem, qui conſidet in dextera ſedis magnitudinis in cœlis, ſanctorum miniſter & tabernaculi veri, quod fixit deus, & non homo.) Quod itaque ait, Capitulum in iis quæ dicta ſunt, ſignificat ſermonem ſummum & magnum, quaſi præcedentis diſputationis recapitulationem, ad rem ipſam deducens auditorem. Talem, inquit, habemus pontificem, qui ſedet ad dexteram ſedis maieſtatis. Humilia excelſis, humana diuinis commiſcens, eundem deum oſtendens, quem & pontificem. Nec alium eſſe qui ſedet ad dexteram dei, niſi eum qui eſt miniſter ſanctorun & tabernaculi veri, quod fixit deus, & non homo. Hoc tabernaculum animæ ſanctorum ſunt, quibus æterna gaudia miniſtrat, & velamen cœli pontifex magnus, qui ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis patris. Dum audis eundem ſedere à dextris dei, & miniſtrare ſanctis: ſedere dignitatis diuinæ eſt: miſericordiæ verò multæ, miniſtrare, & amoris magni, quem nobis impendit. Mirabile ſacramentum eſt eundem ſedere in diuinitatis gloria, quem perſecutores in cruce pendentem viderunt: in qua cruce paſſio illius miniſtratio eſt ſalutis noſtræ. Hoc enim geſtum credimus, hoc nobis ad ſalutem proficere nouimus. Sed quid carnalis mens humana æſtimet in eò quod dicitur ſedere eum à dextris dei? Cõdeſcendit enim ſancta ſcriptura noſtrę infirmitati, noſtræque conſuetudini, quatenus imbecilla inſtrueretur humanitas, quando vſque ad illam ſecretam gloriam diuinitatis hominum non poterat cogitatio peruenire. Igitur victori filio, & per ſanctam incarnationem totius mundi triumphatori, poſt reſurrectionis gloriam honorabilis conſeſſus offertur: vt per hunc ſitum ſuſceptæ humanitatis gloria declaretur. Nam hoc verbo ſedere, illud deſignatur, vt caput noſtrum (Chriſtus) ad patris cognoſceretur dexteram collocatum, id eſt, diuinæ maieſtatis ſublimatum: in qua parte ponendi ſunt, qui à perfidis eiuſdem ſaluatoris munere ſegregantur. *Omnis enim pontifex ad offerenda munera & hoſtias conſtituitur, vnde neceſſe eſt, & hunc habere aliquid quod offerat.*) Pontifices veteris inſtrumenti ſtatuti ſunt legalia offerre munera, hoſtias pro ſuis, ſicut ſuperius dixit, vel etiam pro populi peccatis. Vnde neceſſe eſt ſaluatorem noſtrum in diebus carnis ſuæ aliquid habere ad offerendum pro nobis. Dum enim in ſempiterna diuinitatis ſuæ natura non habuit quid offerret, ſumpſit ex nobis quod pro nobis offerre potuiſſet, id eſt, carnem humanam. Quid tam aptum immolationi, quàm caro mortalis pro mortalibus? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quàm ſine vlla contagione carnalis concupiſcentiæ caro nata ex vtero virginali? Et quid tam gratè offerri & ſuſcipi poſſit, quàm caro ſacrificij noſtri corpus effectum ſacerdotis noſtri? Et quoniam quatuor conſiderãtur in omni ſacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur. Ergo nec alicui ſacrificium debetur, niſi ſoli vero deo. Proinde pontifex noſter pro nobis ſemetipſum offerebat, idem ſacerdos & ſacrificium. *Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos, cùm eſſent qui offerrent ſecundũ legem munera, qui exemplari & vmbræ deſeruiũt cœleſtium.*) Si igitur eſſet terrenus pontifex ſicut Aaron, non eſſet vtique ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech in æternum. Aaron quippe mortuus eſt, & non eſt ſacerdos. Chriſtus verò quia viuit in æternum, ſacerdos eſt ſempiternus, non talis quales illi fuerunt, qui exemplari & vmbræ deſeruiunt cœleſtium. Omnes verò ſacerdotes in lege conſtituti, exemplare & vmbratile ſacerdotium gerebant cœleſtium, id eſt, ſpiritalium, ſignificantes verum & ſempiternum Chriſti ſacerdotium. Nónne altare eſt cœleſte fides noſtra, in quo offerimus quotidie orationes noſtras? Nihil habens carnalis ſacrificij, quod in cineres reſoluatur, nec in fumos extenuetur, nec in vaporationes diffundatur. Hæc verò ſacrificia clara & feſtiuiora efficiuntur. Quomodo cœleſtia non celebrant ſacrificia, quibus dicitur, Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt? Horum enim ſacrificiorum omnia leuitici ſacerdotij ſacrificia ſigna fuerunt: quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſũ Chriſtum facta eſt, *Sicut reſponſum eſt Moyſi, cùm conſummaret tabernaculum: Vide*, inquit, *omnia facito ſecundum exemplar quod tibi oſtenſum eſt in monte.*) Quoniam auditus noſter minus aptus eſſe videtur ad diſciplinam percipiendam, quàm viſus (non enim ita animo commendamus quæcunque audimus, quomodo illa quæ ipſo viſu percipimus) ideo dicit: Vide vt omnia facias ſicut tibi in monte demonſtratum eſt. Sed hîc quæri poteſt, de quibus dixiſſet omnia, ſiue de tabernaculi conſtructione, ſiue de hoſtiis & ſacrificiis, quæ in eo oblatur?

Tabernaculum, ſanctorum animæ.

Quatuor in ſacrificio cõſiderãda.

Fides, altare

Ioan. 20.

Ioan. 1.

Exod. 25. Actor. 7.

κεφάλαιον quid.

turi essent. sed de vtroque melius intelligitur. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò & melioris testamenti mediator est, quod melioribus repromissionibus sanctificatum est.*) Vides, inquit, quantò ista melior illa celebratione. Siquidem illa exemplar & forma, ista verò veritas: sicut dicitur in euangelio: Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. De qua gratia subsequenter hic significat apostolus, dicens: Quod in melioribus repromissionibus sanctificatũ est. Quantò meliora sunt cœlestia terrenis, æterna temporalibus, tantò melioris est mediator sacerdos Christus deus testamenti, transiens de loco, & à sacerdote, & sacrificio. Tunc demum & testamenti differentiam ponit, hic autem ad cœlum nos eleuans, & ostendens quia pro tabernaculo cœlũ habemus in repromissionibus dei. *Nam si illud prius culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. vituperans enim eos, dicit.*) Hoc est, si inculpabiles essent obseruatores sui, nunquam secũdi locus relinqueretur: sed quia illud non fuit perfectum, inuentus est locus aptus secundi testamenti, sicut per prophetam dicit dominus. *Ecce dies venient, dicit dominus, & consummabo super domum Israël & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentũ quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum illorum vt educerem eos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo: & ego neglexi eos, dicit dominus.* Hic autem discretè posuit de quibus dictũ est, quòd non permanserunt, dum dixit: In die qua apprehendi manum illorum, vt educerem eos de terra Ægypti de lege hoc dixit data in monte Sinai, quam quinquagesima die datam constat: in qua non permãserunt patres eorum, sed fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt illum. Non enim de illo quod patribus eorũ proposuit, id est, Abraham, Isaac, & Iacob: & omnes filij fidei, filij Abraham dici possunt, sicut ipse dominus in euangelio dicit: Dico autem vobis, quòd potens est deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Et hoc est, testamẽtum nouum quod consummabit deus, id est, perficiet super omnes gentes, vt quicunque crediderint in Christum, filij Abrahæ secundum spiritalem generationem verè sint. *Quia hoc, est testamentũ quod disponam domui Israël post dies illos, dicit dominus: dando leges meas in mentem eorum, & in cordibus eorum superscribam eas: & ero illis in deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suũ, dicens, Cognosce deum: quoniam omnes scient me à minore vsque ad maiorem: quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum non memorabor amplius.*) Et hîc magna distantia est inter legẽ & legem, inter scripturam & scripturam, inter literam & gratiam. Non litera legis scripta est in tabulis lapideis, quas Moyses ipse fregit, dum vidit populum ante vitulum ludentem. Gratia verò data est in corda credentium per spiritum sanctum, per quem charitas diffusa est in cordibus credentium. Quod verò in litera latebat, & legebatur à populo per magistrorum traditiones, hoc spiritus sanctus aduenies docebat per apostolos. Et hoc est quod ait propheta: Et non docebit vnusquisque proximũ suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce dominum. Omnes enim scient me à minore vsque ad maiorem eorum, sicut in euangelio de domino legitur: Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. *Dicendo autem nouum, veterauit prius: quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.*) Sumẽs autem à propheta fiduciam Paulus, amplius in illud testamentum inuehitur, commodè ostẽdens quoniã nostra nunc florent, illa vetusta sunt, & prope interitũ. Sed renouabitur sicut aquilę iuuentus nostra, si ad fontem vitæ recurramus, si alas & oculos ad solem iustitiæ extendamus.

CAPVT NONVM.

Habuit quidem prius iustificationes culturæ, & sanctum seculare. Tabernaculum enim primum factum est, in quo erant candelabra & mensa, & propositio panũ quæ dicitur sancta.) Legimus enim in Ioseph, tabernaculum ad instar esse huius mundi factum: exteriora A verò huius seculi figuram habebant. Idcirco quotidie ministrant sanctis sacerdotes accendentes lumen doctrinę, & pascentes populum dei pane, qui super mensam à sabbato vsque ad sabbatum præsto debet esse, id est, à sabbato spei nostræ, in qua quasi in Christo, & ab huius mundi turbinibus securi agimus, vsque in illud sabbatum quo re teneamus, quod nunc in spe habemus. Candelabra verò dona spiritus sancti sunt, quæ in ecclesiis lucent intelligentibus, per eum super quem requieuit spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris domini. *Interius verò tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum.*) Ipsum cœlum significat, velamentum autem cœlum est: intra quod sacerdos noster Christus non sine sanguine intrauit. *Thuribulum aureum habens.*) In quo offeruntur orationes sanctorum. *In quo Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium.*) Hoc est multitudo scientiæ. Aptè propitiatorium super arcam positum esse dicitur, quia ipsi mediatori dei & hominum specialiter à deo patre donatum B est vt esset propitiatio pro peccatis nostris. Vnde etiã Paulus dicit: Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Et arcam testamenti.*) Hæc est caro saluatoris nostri, in qua vrna aurea habẽs manna diuinitatis, & tabulæ duorum testamentorum, & virga Aaron quæ floruit in sacerdotio Christi, de quibus non est modo per singula dicere. *His verò ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes.*) Quod verò suprà dixit sanctum seculare esse, hoc modò lucidiùs ostendit, id est, in quo tabernaculo sacrificia fecerunt secularia nihil ad perfectum deducentes seruientes in eis. *In secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine quem offerret pro sua & populi ignorantia.*) Iste verò pontifex ex parte significat illum qui semel ingressus est cœlum intra velum in sancta sanctorum vt adsistat vultui dei pro nobis. Quod verò ait, Vt offerret pro sua & populi ignorantia, hoc est quod ipse C ait in cruce: Deus deus meus, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum. Quæ sunt verba delictorum suorum, nisi corporis sui? *Hoc significante spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente statum, quæ parabola est temporis instantis, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur.*) Propterea, inquit, ista ita constructa sunt, vt discamus quia sancta sanctorum, hoc est cœlum quod inaccessibile mortalibus soleret esse, iam adiri posset. Nec putemus illud ingredi non posse, vbi pontifex noster prior intrauit non sine sanguine, sicut prædixit propheta: Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Sed patienter expectamus tempus resurrectionis nostræ, in quo cum apparuerit, apparebit & quid erimus. Scimus enim quia similes ei erimus, hoc est immortales. Sicut illi mors vltrà non dominatur, nec caro nostra dominata erit. *Quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus & iustitiis carnis, vsque ad tempus correctionis impositis.*) Hæ verò iustitiæ carnales in cibis & potibus & variis baptismatibus, vsque ad tempus correctionis impositæ sunt. Attende quid hoc est. Nihil enim ad perfectum deduxit lex, sed secundum mandatum carnale sordes & ignorantias potuit emendare: de adulterio verò & capitalibus criminibus nihil potuit purgare, sed digna rependebat absque misericordia. Ideo adulteram mulierem Pharisæi proposuerunt ante Iesum, vt possent eum accusare, si contra legem absoluere iuberet: aut laudabilem consuetudinem amitteret, si legis iussionem custodire præciperet. Sed vtrumque cauebat sapientia dei, quasi dixisset: Iusta est quidem lex, si iustos haberet ministros. Qui festucam de oculo alterius tollere vult, iustum est vt prius trabem de proprio tollat oculo. De baptismatibus Iudæorum pleniùs in Euangelio secundum Marcum legitur, vbi Pharisæi vituperabant dominum & discipulos non lotis manibus manducantes. Frustra autem Pharisæi, frustra omnes Iudæi lauant manus, & à foro dum veniunt, baptizantur, quamdiu contemnunt fonte saluatoris ablui. Sed Pharisæi spiritalia prophetarum ver-

ἀλληγορικῶς hac omnia.

Rom. 18.

Arca testamenti, caro Christi.

Pontifex Christus.

Sancta sanctorum cœlum.

Esaiæ 63.

Ioan. 8.

Marci 7.

ba carnaliter accipientes, quæ illi de cordis & operis caſti-
Eſaiæ 1. 52. gatione præcipiebant, dicentes, Lauamini, mundi eſtote, & A
mundamini qui fertis vaſa domini: iſti de corpore ſolum-
modo lauando intelligi putabant, cùm certum ſit Moyſem
& prophetas, qui vaſa populi dei vel aqua dilui, vel igne
purgari, vel oleo ſanctificari quacunque ex cauſa iuſſerunt,
non in hac materialium rerum emundatione, ſed mentium
potius & operis caſtigatione, ſanctimoniam atque anima-
rum nobis mendare ſalutem. *Chriſtus autem aßiſtens ponti-
fex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum
non manufactum, id eſt, non huius creationis.*) Tabernaculum
non manu factum cœlum ſignificat, vnde nos futura bona
ſperamus nobis dari, id eſt æterna, quæ non tranſeunt. Ne-
que huius creationis, hoc eſt, non huius tabernaculi ſpe-
cies, quam in eremo fixit homo: ſed longè aliter ab ipſo
deo creatum eſt ſpiritaliter, non carnaliter. In quo taberna-
culo modò ſunt animæ iuſtorum, & angelorum ſpiritus,
expectantes donec compleatur numerus conſeruorum
ſuorum. *Neque per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per
proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptio-
ne inuenta.*) Omnia quippe permuttata ſunt: ibi ſanguis
hircorum diluit peccata carnis, hîc ſanguis Chriſti abluit
peccata ſpiritus: quia æterna redemptione inuenta, oſten-
dit in prioribus ſacrificiis & legalibus cerimoniis non eſſe
æternam retributionem. *Si enim ſanguis hircorum & tauro-*
Leui. 16. *rum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundatio-*
1. Pet. 1. *nem carnis, quantò magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctum*
1. Ioan. 1. *ſemetipſum obtulit immaculatum deo?*) Si enim carnem, inquit,
Apoc. 1. potuit mundare ſangnis taurorum, multò amplius animæ
A minori ad maius. ſordem diluit ſanguis Chriſti. Ne enim audiens ſanctifi-
cationem, perfectam eſſe ablutionem exiſtimet quis, mox
ſubiungit cauſam differentiæ, dicens: Qui per ſpiritum
ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum deo, hoc eſt,
ſacrificium deo immaculatum. Erat quippe mundum à pec-
catis hoc ſacrificium, hoc eſt, per ſpiritum æternum, non
1. Pet. 3. per ignem, non per aliena quædam. *Emundauit conſcientiam*
Rom. 5. *noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum deo viuenti.*) Bene di-
Num. 19. xit ab operibus mortuis. Si quis enim tangebat mortuum, C
polluebatur. Et hîc ſi quis tetigerit opus mortuum, conta-
minatur per conſcientiam. Opera mortua ſunt peccata. Qui
Eccli. 13. enim tetigerit picē, inquinabitur ab ea: ſic qui pœnitētia a-
blutus eſt ab operibus mortuis, ſi eadem iterum agit, peius
cōtaminabitur: ſicut ait apoſtolus Petrus, Canis reuerſus ad
2. Pet. 2. vomitum: ita qui iterat ſtultitiam ſuam. Ad ſeruiendum,
inquit, deo viuenti. Hic manifeſtat quia opera martua ha-
bentes, non poſſunt ſeruire vero & viuo deo: quia illa mor-
tua ſunt & falſa. Et meritò nullus opera mortua habens in-
greditur huc. Si enim eum qui corpus mortuum tangebat,
non oportebat intrare in templum: quantò magis is qui o-
pera mortua habet, non poteſt introire in cœlum? Mortua
quippe ſunt omnia opera quæ vitam non habent. *Et ideo
nouī teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente, in redemptio-
nem, earum prævaricationum quæ erant ſub priori teſtamento, re-
promißionem accipiant qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis. Vbi
enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſta-
mentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioqui nondum valet dū
viuit qui teſtatus eſt.*) Fortaſſis enim poſſent multi qui in D
firmius ædificabantur, ex eo maximè quòd mortuus eſt
Chriſtus, non credere promiſſiones eius. Paulus igitur ex
abundantia hæc ponit exempla ex communi aſſumens con-
ſuetudine. Dicit enim quaſi dubitante corde reſponderet.
Propterea igitur oportebat conſiderare, quia non viuentibus
teſtatoribus, ſed mortuis, tunc firma ſunt teſtamenta,
& fortitudinem accipiunt. Teſtamentum enim circa no-
uiſſimum diem fit defunctionis: defunctio ſimul debet ha-
bere teſtamentum. Aduerte eum dicentem: Ego ſum qui
Ioan 8. teſtimonium perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet
de me, qui miſit me pater. Et in lege veſtra ſcriptum eſt,
quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. Si duo-
rum teſtimonium non eſt ſpernendum, quanto magis pa-
Ibidem 15. tris & filij etiam & ſpiritus ſancti, de quo dicitur: Ille teſti-
monium perhibet de me? Et de apoſtolis: Et vos quidem
Gala. 4. teſtimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum e-

ſtis. In offenſione quippe eramus: mori nos oportebat. Mi-
ſit filium ſuum factum ex muliere, qui mori potuiſſet pro
debitoribus mortis: qui mortuus eſt pro nobis, & deuicta
morte effecit nos dignos teſtamenti, & hæreditatis promiſ-
ſæ. Hoc modo firmum factum eſt teſtamentum. Tantum
fuit peccatum noſtrum, vt ſaluari non potuiſſemus ali-
quādo, niſi vnigenit' filius dei pro nobis moreretur. Quod
verò ait, Infirmum eſſe teſtamentum viuente teſtatore,
hoc ſignificat, quòd quamdiu viuit teſtator, poteſt immu-
tare ſententiam, & alios atque alios hæredes adducere in
hæreditatem ſuam. *Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedi-
catum eſt.*) Vnde dixit, nec primum teſtamentum ſigne
ſanguine dedicatum eſt, id eſt, firmum factum eſt, robo-
ratum eſt. Quod autem dixit. Vnde, tale eſt quaſi diceret:
Propterea oportebat teſtamenti ſolennitatem compleri
etiam per mortem Chriſti. *Lecto enim omni mandato legis à
Moyſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum & hircō-
rum cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque li-*
B *brum & omnem populum aſperſit, dicens: Hic eſt ſanguis teſta-
menti quod mandauit ad vos deus. Etiam tabernaculum, & va-
ſa miniſterij ſanguine ſimiliter aſperſit: & omnia penè in ſangui-
ne mundantur ſecundum legem, & ſine ſanguinis effuſione non fit
remiſßio.*) Quid eſt quòd liber & populus & tabernaculum
ſanguine aſperſus eſt? niſi quòd precioſus ſanguis Chriſti
ſaluatoris noſtri ab initio, illo ſchemate prænunciatus eſt.
Quare hyſſopo? Hyſſopus enim herba humilis eſt, & in Hyſſopi vis
petris naſcens: humilitas Chriſti ſignificatur per hanc her- operatoria.
bam, & fortitudo qua interiora noſtra purgantur. Nam
hoc genere herbæ pulmonum vitia purgari ſolent. Quare
aqua? Oſtendit mundationem futurorum per aquam ba-
ptiſmi. Quare lana coccinea? Vt retineret ſanguinem. O-
ſtendit hoc loco, idem eſſe & aquam & ſanguinem, Baptiſ-
mum etiam noſtrum paſſio eius eſt. Ideo idem Paulus dicit
alio loco: Cōſepulti enim eſtis cum illo in baptiſmo. Quod Coloſ 2.
verò ait, Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio: quare hoc
dixit? quia in illis non fuit plena remiſſio, ſed ſemiplena, in
minima parte. Nunc autem hic eſt, inquit, ſanguis noui te- Marc. 14.
ſtamenti, qui pro nobis effuſus eſt in remiſſionem pecca- 1. Corin. 11.
torum. Quis eſt liber qui aſperſus eſt ſanguine myſtico, &
quæ ſunt vaſa vnctionis, & quod tabernaculum, niſi popu-
lus? Ipſi enim ſunt liber, vaſa, & tabernaculū. Ideo dicit do- Leui. 26.
minus: Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos. Sed il- 2 Corin. 6.
lius fuit tota veteris teſtamenti corporalis mundatio, nunc
autem ſpiritalis eſt mundatio ſanguinis Chriſti, Ideo dicit: Matth. 26.
Hic eſt ſanguis noui teſtamenti, in remiſſionem peccato-
rum. In illis quidem in ſuperficie aſpergebatur, & iterum
diluebatur aſperſus. Neque enim cruentatus ſemper deam-
bulabat populus. In anima vero non ita eſt, ſed ipſius eſſen-
tiæ commiſcetur ſanguis, fontem illam faciens mundum, &
inenarrabilem pulchritudinem producens. Propter hoc a-
gni occiſio fuit: & ſanguis eius ſuperliminaribus liberan-
dorum illitus eſt. Propter hoc etiam omnia ſacrificia ve-
teris teſtamenti leguntur, vt hoc vnum ſacrificium deſigna-
ret, per quod vera eſt remiſſio peccatorum, & mundatio
animæ in æternum. *Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cæle-
ſtium his mundari, ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis quàm i-*
D *ſtis: non enim in manufacta ſancta Ieſus introuit exemplaria ve-
rorum, ſed in ipſum, cœlum, vt appareat nunc vultui dei pro no-
bis.*) Quomodo exemplaria ſunt eorum quæ in cœlis ſunt?
Cœleſtia quidem nominauit hanc cōuerſationem noſtram
cuius conuerſationis & exēplar fuit & ſignificatio quæcun- Philip. 3.
que gerebātur in veteri teſtamēto. Vnde & Paulus, Cōuerſa-
tio noſtra in cœlis eſt. In cœlis ergo ſūt iſta quę noſtra ſunt,
& hæc noſtra cœleſtia, quāuis in terra celebrentur. Quæ eſt
iſta conuerſatio noſtra? hæc eſt vera philoſophia quā Chri- 1. Corin. 15.
ſtus docuit, quam apoſtoli ſecuti ſunt, quæ ducit ad cœ-
leſtia: vnde & apoſtolus, Primus homo de terra terrenus:
ſecundus de cœlo cœleſtis. Qualis terrenus, tales & ter-
reni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Melioribus, in-
quit, ſacrificis, quàm hæc ſunt. Quod melius eſt, bono ali-
quo melius eſt. Bona ergo fuerunt exempla, quæ in cœlis
ſunt: ſed ipſa cœleſtia longè excellunt exempla ſanctorum,
quibus ſignificantur. Si ergo cœleſtes ſumus nos, & tan-
tum

tum ſacrificium adepti ſumus:timeamus permanere in terra. Eſſe autem in terra & non eſſe quodammodo videmur, dum voluntate in cœlo ſumus, licet corpore in terris. Si ergo nos animo appropinquamus deo,in cœlo ſumus. Quid enim mihi curæ eſt cœlum, cùm video dominum cœli cùm ego efficior cœlum? Veniemus,inquit,ego & pater, & manſionem apud eum faciemus. Cœlum quidem quod perſerenum eſt & mũdum,non hyeme non nocte mutatur. Proinde & nos neque in tribulationibus ſeculi,neque in aduerſitatibus diaboli hoc pati timeamus, ſed maneamus immaculati & mundi. Habet quidem cœlum ſolem: habemus & nos Chriſtum ſolem iuſtitiæ ſemper lucentem in cordibus noſtris. *Neque vt ſæpe offerat ſemetipſum,quemadmodum pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno.*) Superius dixit exemplaria verorum,exemplaria omnia nominãs hæc etiam vera quæ intrat pontifex. Hoc verò vnum templum fuit in toto mundo venerabilius,ad quod homines vndique confluebãt,ſicut in actibus apoſtolorum legitur, die ſancto pentecoſtes, quando ſpiritus ſanctus datus eſt apoſtolis in omnibus linguis loquentibus, conſtitiſſe ex diuerſis partibus mundi,& cœleſte audiſſe miraculũ,& vidiſſe. Sed huic templo totum oppoſuit cœlum Paulus, & non hanc ſolam differentiam oſtendit,ſed etiam pontificem magnum,vt aſſiſtat vultui dei. Proinde non cœlum tãtum,ſed etiam ex ingreſſu rem venerabiliorem facit. Non enim ſimpliciter,ſicut hic per ſigna quædam, ſed ipſi deo aſſiſtit ſemper viuus ad interpellandum pro nobis. Intuere quantæ differentiæ, ſæpe, & ſemel: in ſanguine alieno, & in ſanguine proprio. Multum itaque intereſt. Ipſe ergo & ſacrificium & ſacerdos & hoſtia eſt. *Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt omnibus ſemel mori,poſt hoc autem iudiciũ: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Secũdò ſine peccato apparebit omnibus expectantibus ſe ad ſalutem.*) Chriſtus nõ continuò paſſus eſt, ſed poſtquàm multi erant peccatores morte meritò digni,apparuit:quod etiam alibi dicit: Vbi abundauit delictum,ſuperabundauit & gratia. Si ſemel oblatus non ſufficeret omnium in ſe credentium peccata exhaurire,oportuiſſet eum ſæpius pati ab origine mundi. Quod ne fieret,ſemel in conſummatione mundi paſſus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Quare multorum, & non omniũ? quia non omnes credũt. Pro omnibus mortuus eſt,hoc eſt, quantum in ipſo. Eius momenti eſt vnius,cuius momẽti eſt omnium perditio. Nõ enim omnium peccata abſtulit,propter quòd credere noluerunt. Statutum eſt quippe omnibus ſemel mori,& poſt mortem iudicabitur vnuſquiſque ſecundum merita ſua. Sic & Chriſtus ſemel mortuus eſt pro peccatis alienis. Et ideo quia voluntariè, & non neceſſariè mortuus eſt,ſecundo quippe aduentu apparebit ſine peccato. Omnis quippe hoſtia pro peccato,dicitur peccatum. Nõ enim erit tunc hoſtia pro peccato, quia peccatum non erit, ſed iuſtitia,ſiue in remuneratione iuſtorum,ſiue in retributione peccatorum.

CAPVT DECIMVM.

VMbram enim habens lex futurorum bonorũ,non ipſam imaginem rerum.) Hoc eſt,non ipſam veritatem. Vſquequo enim veluti in pictura aſpiceret quis lineamenta vmbrarum, ſignificans quid pingere velit,vmbra quædam eſt,ſed non imago. Si enim flores ipſos quis colorum intinxerit,& impoſuerit ſuper lineamẽta,tunc imagò efficitur:tale quiddam erat etiam lex, vmbra veritatis. *Per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis quas offerunt indefinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere: alioqui ceſſaſſent offerri,ideo quòd nullam haberent vltrà quàm conſcientiam peccati, cultores ſemel mũdati. Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Impoſsibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorũ auferri peccata.*) Vna eſt,inquit,iſta hoſtia:illæ autem multæ ſunt. Propterea enim nec fortes erant,quia multæ. Quid autem opus erat multis,dic mihi,vna ſufficiẽte? Proinde quòd multæ & ſemper offerebantur, oſtendit nunquam eos purgari. Sicut enim medicamentum quando fuerit forte,& ſalutis efficax, & valens cũctam valetudinem repellere,ſemel impoſitum totum operatur. Si ergo ſemel impoſitum totũ operatum fuerit,oſtendit eius virtutem,vt non vlterius apponatur. Si verò ſemper apponitur,manifeſtum indiciũ eſt minus illud præualuiſſe. Medicamenti quippe virtus illius eſt,vt ſemel apponatur,& non frequẽter. Sic etiam hic,qua ratione eiſdem ſacrificiis ſemper curabantur. Si enim omnibus eſſent liberati peccatis, nequaquã per ſingulos dies offerret quis ſacrificia. Proinde commemoratio peccati fuit, non abſolutio, quia quotidie iiſdem purgabantur hoſtiis etiam & ipſi ſacerdotes,& populus pariter. In Chriſto ecõtrario ſemel oblata eſt hoſtia potens ad ſalutem ſempiternam. Quid ergo nos? nónne per ſingulos dies offerim⁹? Offerimus quidem,ſed recordationem faciẽtes mortis eius, & vna eſt hæc hoſtia, non multæ. Quomodo vna eſt, & non multæ? quia ſemel oblata eſt in ſancta ſanctorũ. Hoc autem ſacrificium exemplar illius eſt, id ipſum ſemper offerimus, nec nũc quidem alium agnum cras, alium hodie,ſed ſemper idipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificiũ. Alioquin hac ratione quoniam multis in locis offertur, multi Chriſti ſunt? nequaquam: ſed vnus vbiq; eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens,& illic plenus,vnum corpus. Sicut enim qui vbique offert,vnum corpus eſt, & non multa corpora: ita etiam & vnum ſacrificium. Põtifex enim noſter ille eſt,qui hoſtiam mundantem nos obtulit. Ipſam offerimus & nunc,quæ tũc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit eius quod factum eſt. Hoc enim facite,inquit,in mei commemorationem. Non aliud ſacrificium,ſicut pontifex,ſed ipſum ſemper offerimus, magis autem recordationem ſacrificij operamur. *Ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationes noluiſti: corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt: tũc dixi, ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me,vt faciam voluntatem tuam deus. Superius dicens quia hoſtiam & oblationes & holocauſtomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi quæ ſecundum legem offeruntur: tunc dixi, ecce venio,vt faciam deus voluntatem tuam.*) Ablata ſunt ſigna promittentia,quia exhibita eſt veritas promiſſa. Ideo ait,Holocauſtomata & ſacrificia noluiſti,corpus autem aptaſti mihi. Hoc eſt,peccatũ humani generis legalia ſacrificia non potuerũt expiare. Corpus autem aptaſti mihi,hoc ex perſona dicitur eius,qui corpus ſuſcepit noſtræ mortalitatis,vt pro nobis haberet quid offerret. Tũc dixi,ecce venio. Dum tempus fuit vt ablata eſſent ſigna,& veritas promiſſa veniret,tunc dixi ecce venio. Ablata hæc illa oblata. Hęc impleta vbi ſunt,ſacrificia Iudæorum tranſierunt,& non ſunt in eccleſia Chriſti:quia venit ille qui figurabatur illis ſacrificiis:de quo in capite ſiue in capitulo libri ſcriptum eſt. Cuius libri? vtique Pſalterij,vbi dicitur, Beatus vir qui non abiit in cõſilio impiorum,& in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege domini voluntas eius. Qui Pſalmus capitulum libri totius dicitur à quibuſdam. Ideo apoſtolus hîc dicit, In capite libri ſcriptum eſt de me,vt faciam deus volũtatem tuam. Hoc eſt quod in Euangelio dicitur: Non veni,inquit,facere voluntatem meam,ſed voluntatem eius qui me miſit. *Aufert primum,vt ſequens ſtatuat.*) Id eſt, primum teſtamentum quod Moyſi datum eſt in monte Sinai,vt ſequens ſtatuat,hoc eſt, euangelium quod per Chriſtum oblatum eſt, firmum ſtatuat. *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti Ieſu ſemel.*) Hæc oblatio ſemel oblata eſt, ſed ſemper potens eſt abluere omnes credentes, & omnes optantes in ea mundari. Ideo plenius ſubiunxit & plenè exponẽs idem beatus Paulus virtutem huius hoſtiæ: *Et omnis quidem ſacerdos præſtò eſt quotidie miniſtrãs, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternam ſedet ad dexteram dei, decætero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius.*) Priores enim oſtendit inutiles eſſe hoſtias ad integram mundationem: ſed formã magis eas eſſe,& multò minus habere. Sed quia occurrebat ei adhuc, id eſt, ſi formæ erant, quomodo veritate veniente non ceſſauerunt neque diſceſſerũt,ſed adhuc celebrantur? Adhuc ergo de his ait oſtendens quia non celebrantur,

Enarratio ex collatione.

Nota.

Confirmat collatione.

Nota.

1. Cor. 11.

Pſalm. 39.

Lex typus Chriſti vẽturi.

Pſalm. 1.

Ioan. 6.

Pſalm. 109.

celebrantur, neque velut formæ. Non enim eas acceptabiles habet deus, & hoc soli habent qui semper spiritui sancto restiterunt. Quapropter prophetico testimonio redarguit eos dicens, Holocaustomata & pro peccato noluisti. *Psalm.39.* De nullo alio nisi de Christo hoc dicitur. Et quid mirum, si nunc non est voluntas dei in sanguine hircorum & taurorum, *Esaia 1.* dum per propheram Esaiam dicitur, Quis quæsiuit hęc de manibus vestris? Dum hæc noluisti, tunc dixi, ecce venio. In qua voluntate salui facti sumus, Quomodo facti sumus? Id est per oblationem corporis Iesu semel. Et omnis quidem sacerdos præstò est quotidie ministrans. *Ministrare & sedere.* Ministrare autem famulorum est, sedere verò dominorum. Vnde & dicit, Sedet ad dexteram dei. Quapropter vnam offerens hostiam quæ saluare potest in perpetuum, sedet ad dexteram patris, decætero expectans donec ponantur inimici eius sub scabellum pedum eius. Qui sunt inimici eius? Iudæi scilicet, & omnes infideles, qui in die iudicij damnandi sunt ab eo. Et hic nimietatem potentiæ significat. Non dixit subiiciantur, sed vt ponantur sub pedibus eius. Non igitur efficiamur ex numero inimicorum. Non enim soli inimici, qui infideles sunt, sed etiam qui vita immunda pleni *Roman 8.* sunt. Prudentia autem carnis inimica est deo. legi enim dei non est subiecta, nec enim potest. *Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Conteſtatur autem nos & spiritus sanctus. Postquam enim dixit, Hoc est autem testamentum quod testabor ad illos. Post dies illos, dicit dominus, dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas, & peccatorum & iniquitatum eorum non recordabor amplius. Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato.*) Vna quippe oblatio corporis Christi perfectos facit sanctificatos, quæ remissionem integram facit peccatorum. Hoc autem & ex testimonio probat propherico, dicens: Conteſtatur autem nobis & spiritus sanctus. Hoc est autem testamentum quod testabor ad illos, post dies illos, dicit dominus, dabo leges meas in cordibus eorum. Non ita vt scripta fuit lex in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus perpetualiter scribebat illam. *Lex in cordibus scribēda.* Quæ est ista lex, quæ in cordibus singulorum scripta est? vtique charitas, vt ea quæ nolimus nobis fieri, alteri non faciamus. Hæc est quæ cooperit multitudinem peccatorum, sicut in euangelio dicitur: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, hæc eadem & vos facite illis. *Charitas Matth.7. Luca 6.* Quapropter non est necesse quotidie sacrificiis quotidianis purgare, sicut in veteri lege. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum dei.*) Hîc ostendit distantiam pontificis & sacerdoris, & hostiarum, & tabernaculi, & testamenti, & repromissionis, & multam *Discrimē veteru legu & nouæ.* differentiam. Siquidem illa fuerunt temporalia, hæc autem æterna. Illa quidem ad horam parentia, hæc permanentia. Illa infirma, hæc perfecta. Illa formæ, hæc veritas. Hoc enim testamentum nouum habens remissionem peccatorum, illud autem nihil huiusmodi. Illud autem manufactum, hoc autem non manufactum. Illud quidem sanguinem hircorum habēs, hoc autem domini. Illud quidem stantem sacerdotem habet, hoc autem sedentem. Quoniam igitur cùm illa minora sint: hæc autem maiora: Habentes igitur, inquit, fratres fiduciam. Vnde? sicut enim confusionem faciunt peccata, sic fiduciam remissio peccatorū, & quòd cohæredes effecti sumus: & quòd tāta dilectione fruimur. In introitu, inquit, sanctorum. Hic cœlum dixit, & accessum ad spiritalia. *Dedicatio.* Quam dedicauit. Hoc est quam constituxit, & initiauit. Dedicatio quippe dicitur initium vtendi. Quam præparauit, inquit, & per quam ipse perrexit viam nouam & viuam. Per velamen, inquit, carnis suæ. Hęc quippe caro primò penetrauit viam illam, & dedicauit illam, hac ratione, quoniam ipse in ea perrexit. Velamen autem meritò vocamus. Cùm enim eleuatus est in cœlum, tunc apparuerunt cœlestia. *Accedamus*, inquit, *cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.*) In quo accedamus, scilicet fide & spiritali cultura, in veraci corde, sine simulatione, in satisfactione fidei, quia nihil est visibile horum, neque sacerdos, neque sactificium, neque altare.

Propterea, inquit, in plenitudine fidei sic oportet credere, quomodo certi sumus. De visibili etenim adhuc amplius certi sumus. Hic enim aliquando carnis sensus errant in iis quæ videntur: illic autem nequaquam, quia spiritu spiritalia percipimus, & non licet hæsitare de eis. Ideo ait, aspersi corda à conscientia mala. Ostendit quia non fides sola, sed etiam vita cum virtute quæritur: quia fides sine operibus ociosa est. Illi autem corpora mundabant, nos conscientiam. Et abluti, inquit, aqua munda. Lauacrum baptismatis in hoc loco dicit. Baptisma enim corporis mundatio non est, sed animæ: si fides adest baptizato, siue parentum, siue sui ipsius si ad rationabilem ætatem peruenerit. *Fides nimirum euangelica.* *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. Fidelis est enim qui repromisit.*) Nihil scruteris, nihil rationis expectes: fide opus habent hæc omnia: quia sine fide impossibile est placere deo. Sicut deus fidelis est in promissis suis, ita fideles vult nos in promissis nostris quæ vouimus, diabolo contradicere, & Christo obedire. *Et consideremus inuicem in prouocatione charitatis & bonorum operum, non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam.*) Quid est, Intelligamus inuicem? Si virtute creditur, hunc imitemur, in cum intendamus vt diligamus & diligamur. Ex dilectione quippe bona ὀpera fiunt. Magnum quippe bonum est congregatio. Ipsa nanque charitatem operatur feruentiorem, & ex ea cuncta opera bona generantur. Nihil nanque bonum est, quod non per charitatem fit. Istam igitur confirmemus inuicem, quia plenitudo legis charitas est. Non enim laboribus opus habemus, aut sudoribus. si dilexerimus inuicem, spontanea nobis via prosternitur, ducens ad virtutem, & ad cœlestia. *Sicut est consuetudinis quibusdam.*) In hoc loco non solum admonuit, sed etiam culpauit & terruit vnitatem charitatis scindentes. *Sed consolantes tantò magis, quantò videritis appropinquantem diem.*) Quem diem designat? nisi diem iudicij, in quo singulorum merita examinantur: vel etiam extremum diem vitæ nostræ. Dicit enim alio *Matth. 24. Roman. 15.* loco: Dominus propè est, nihil solliciti sitis, id est, de terrenis. Et item: Nunc propior est salus nostra, quàm cum credidimus. Tempus enim abbreuiatum est. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.*) Sponte nanque peccantibus nobis postquam accepimus veritatis agnitionem vltrà non relinquitur hostia pro peccatis, sicut in veteri lege donatum fuit hostias offerre sæpius pro peccato. Neque enim Christus ipse iterum immolandus est pro peccatis nostris, hoc enim semel factum est, & secundò non est opus, sed magis opus est post acceptam gratiam permanere in fide & veritate bonorum operum. Mundatus es, liber es à criminibus, factus es filius dei. Si ad primum vomitum reuersus fueris, aliud te expectat iudicium, nisi per pœnitentiam renouatus fueris. Ideo subsequenter ait: *Terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.*) In hoc non pœnitentiam exclusit, neque propitiationem quæ fit per pœnitentiam, neque repellit & deiicit per desperationem delinquentem: non enim ita est inimicus nostræ salutis. Sed quid? secundum exclusit lauacrum baptismi. Non enim dixit. Non est vltrà pœnitentia: neque dixit, Vltrà non est remissio, sed hostia, inquit, vltrà non est, hoc est, crux secunda vltrà non est. Vna nanque perfecit in perpetuum eos qui sanctificantur: non sicut Iudaicæ: cautos nos volens efficere, ne vltrà vel crucem Christi, vel hostias Iudaicas expectemus pro peccatis. Et quicunque pœnitentiæ medicamentum neglexerit, ignis æmulatio deuoret eum. Quapropter vnusquisque ad pœnitentiæ (dum tempus habet) medicamentum confugiat, ne igni tradatur æterno. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur.*) Terrorem enim incutit Christianis de pœnis eorum qui sub lege peccauerunt. Sine miseratione, inquit, vt nulla sit venia, nulla sit misericordia: quoniam Moysi esset illa lex. Si duo, vel tres, sicut ille dispositum, testificantur super eum, confestim iudices populi iudicant eum ad mortem, si legi contrarius fuit, aut inobediens. Et si hoc ita est in veteri lege, vbi lex Moysi irrita fit: *Quantò magis putatis, inquit Apostolus, deteriora mereri supplicia, qui filium dei*

3013

dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ cõtumeliam fecerit?) Quantò maior est Christus quàm Moyses, gratia quàm lex: tantò maiora mereberis supplicia. Et quomodo conculcat quis filium dei? quando enim eo indignè participatur per sacramenta, nónne grande peccatum committit? nonne illum cõculcat? nonne ipsum contemnit? Sicut enim ea quæ conculcamus, nullius momenti pendimus: sic & qui liberè peccãt absque timore & absque pœnitentia, Christum nullius momenti existimant, nec eum iudicem futurum formidant. Factus est per gratiam corpus Christi, & seipsum facit corpus diaboli: & sanguinem Christi polluit, in eo quòd mundatus est, & ad vomitum reuertitur pristinum: & seipsum per pœnitentiam iterum mundare neglexerit, spiritum gratię iniurians. Qui verò beneficium dantis grata mẽte non suscipit, iniuriam facit benefacienti. Ille facit te filium, & tu verò vis fieri seruus peccati. Venit enim ad habitandum apud te, tu verò non præparas ei domum dignam habitationis suæ: alium, id est, diabolum, tibi habitatorem concilians. *Scimus enim qui dixit, Mihi vindictam, & ego retribuam. Et iterum, Iudicabit dominus populum suum.*) De inimicis hoc dixit, & de negligentibus per pœnitentiam se purgare, sed securi malè faciunt. Iudicare enim intelligitur plebem suam, separãdo de ipsa plebe sua bonos à malis, fideles ab infidelibus. *Horrendum est incidere in manus dei viuentis.*) Incidit in manus dei in die iudicij, id est, in potestatem eius iudicij qui reddet vnicuique secundum merita sua. Qui non vult modò præuenire in confessione & pœnitẽtia faciem eius dum tempus habet, si non pœnituerit de peccatis suis, incidit in horrendum iudicium omnipotentis dei. *Rememoramini autem pristinos dies in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum.*) Postquam Paulus concussit animos eorum, dicendo, Horrendum est incidere in manus dei viuentis: fidem faciens quòd omnimodis oportet perire iniuriantem gratiam dei, & spiritui sancto contumeliam facientem: & hoc ex lege Moysi docet. Proinde ne multo timore desperantem à tristitia & desperatione absorberi faceret, consolatur eos per laudes, & orationes & æmulationem domesticam eis profetens. Illuminati, id est, confortati per gratiam diuinam. Magnum certamen sustinuistis passionum. Non dixit simpliciter certamen, sed addidit, magnum. Nec dixit tentationes, sed pugnam: quod quidem multæ laudis est, & nostrarũ prædicatio laudum, pro Christi nomine pati. *Et in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis.*) Modò minutatim per partes prosequitur laudes eorum, dicens eos non solùm viriliter sustinere passiones pro Christo, verumetiam & vinctis compassos eos esse annunciat, & tribulationibus opprobriisque spectaculum factos. Grauis quippe res est opprobrium, & idonea ad fortitudinem animæ subuertendam, & excæcandam mentem potens. Quoniam enim valde appetens est gloriæ genus humanum, propterea etiam & opprobriis facilè captatur. Et non simpliciter dixit opprobriis, sed etiam augmentum fecit, dicens: Spectaculum facti. Cùm enim quis secretè exprobratur, contristatur quidem: sed multò amplius cùm coram hominibus. *Et rapinãm bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.*) Mirabiliter laudat eos in fide: quia si fidẽ non haberent meliora recepere pro hac substantia abrepta, non cum gaudio suscepissent rapinam eius. Proinde subiungit fiduciam fidei. *Cognoscentes*, inquit, *vos habere meliorem & manentem substantiam.*) Quasi diceret, Vestras futuras vidistis diuitias, sustinuistis cum gaudio: quod necdũ apparet, quasi præsens appareret, cernebatis. Hoc enim totum apostolicum est opus, & dignum illis fortibus animabus vt flagellis gauderent, Ibant, sicut in actibus apostolorum legitur, à concilio gaudentes, quia digni habebantur pro nomine Iesu contumeliũ pati. Cognoscentes, inquit, vos habere meliorem & manentem substãtiam, prout diceret firmam, & substantialem, quæ perire non possit, sicut ista terrena perit. Deinde laudãs eos, dixit: *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnã habet remunerationem apud deũ.*) Apparet autẽ quia in magna confidentia erant ad deum, quam ne amitterent, instantissimè eos hortatur. Facilius enim integra conseruantur, quàm amissa recuperantur. Nihil enim vobis necessarium est, nisi vt stetis firmiter, & permaneatis in fortitudine vestra, quæ magnam habet remunerationem apud deum. *Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem dei facientes, reportetis promissionem.*) O quanta magnitudo exhortationis istius & consolationis. Vnum quippe opus habetis, id est, vt perseueretis in agone, donec recipiatis coronam condignam labori vestro: quia nõ qui cœperit, coronabitur, sed qui perseuerauerit in certamine vsque in finem, hic saluus erit. In patientia vestra siquidem possidebitis, dicit dominꝰ, animas vestras. Reportetis dixit, id est, accipiatis promissiones dei. *Adhuc enim modicum aliquãtulúmque qui vẽturus est, veniet & non tardabit.*) Non minima consolatio est laboris, citò sperare venturum iudicem, & remuneratorem, & consolatorem remuneraturum certaminis constantiam. *Iustus autem meus ex fide viuit. Quod si subtraxerit, se non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.*) Hoc propheticum intulit apostolus testimonium, ad exhortationẽ fidei. Sicut displicebit qui dubitat, ita qui crediderit, viuet in fide sua recta. Quaproprer credamus venire velociter iudicem Christum, & præparemus nos obuiam in bonis actibus, ne simus subtractionis filij à luce sempiterna, sed acquisitionis in gloriam cum sanctis, in die magno audientes vocem desiderabilem: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis ab origine mũdi.

Habac.2. Rom.10. Galat.5. γνώμη. Matth.25. Matth.10.

¶ *Ad finem vsque decimi istius capitis, continenti serie D. Ambrosij scholia siue commentarioli cucurrere: in Archetypo desyderabantur in capita.* 11. 12. *&* 13.

CVTHEBERTI TONSTALLI
Dunelmensis Episcopi Præfatio ad lectorem.

CVM monasteria multa circuirem, & bibliothecas, quæ in nonnullis magna librorum copia refertę celebres habebãtur, excuterem, puluerulentos & vetustissimos quosque libros euoluens, sicubi fortè delitescens antiquus aliquis author occurreret, casu incidi in vetustum quendam librum, cui titulus præscriptus erat huiusmodi. Incipit expositio beati Ambrosij Episcopi super Apocalypsin. Itaque tituli nouitate inuitatus diligẽter inuestigaui, si qua parte operis inuenire possem, cuiusnam ecclesiæ Episcopus is Ambrosius fuerat, qui hoc opus edidit, ac in fine operis itidem integrè adscriptum reperi: Explicit expositio beati Ambrosij Episcopi super Apocalypsin: nimirum vt libri finis cum principio cõsentiret. Deinde totum opus attentè perlegens, multáque eruditione plenum deprehẽdẽs, magnopere sum gauisus talẽ reperisse thesaurũ. Etenim hæc expositio nemini vel Græcorũ vel Latinorum, quorum in Apocalypsin cõmentationes hactenus in lucem prodierũt, non modo non cedit, sed longè superare videtur. Et quanquam Ambrosium Mediolanensem tum styli similitudine, tum industria sedula referat, qui dũ germanum literæ sensum instanter eruere pergit, digredi non solet, sed semper in id quod agit, incumbit, non tamen ausus sum amplius quidquam in titulo operis apponere, quàm quod illic scriptũ erat, sed eruditi cuiusque lectoris iudicio relinquẽdum existimaui, donec alia exemplaria inuestigata consulerentur, & rem certius aperirent. Porrò illud

lud animaduertendum est, locum quendam apud hunc haberi, qui Gregorium Romanum Episcopum Ambrosio Mediolanensi vno seculo integro posteriorem, & verbis & sensu penè referat. Verùtamen non ea re magnopere moueri quispiam debet, ne non Ambrosij Mediolanẽsis Episcopi opus esse existimetur. Cum Gregorius Ambrosij commentarios fortè legens studuerit ab illis, nec sensu nec verbis dissentire, vt sepe solent posteri per prata maiorum transeuntes flosculum aliquem inde carpere. Accedit ad hæc, quòd beati Ambrosij nomen adscriptum est in operis titulo. Et quis alius in ecclesia Dei Ambrosius, beati nomen assecutus est vnquam, nisi magnus ille Ambrosius Mediolani Episcopus? Quem Imperator Theodosius ille senior supra vniuersos orbis Episcopos sic admiratus est, vt illum sua ætate supra cæteros nomine Episcopi maximè dignum censuerit, sicuti Ecclesiastica narrat historia. Quocirca summa cura quã primum describendum opus curaui, non sinens vt quidquam mutaretur eorum, quæ in exemplo reperta sunt, aut quidquam his adderetur: quo fiet vt eruditus quisque lector suo iudicio non fraudetur, & ecclesiæ catholicæ iudicium, sibi saluum & integrum (vt par est) maneat. Tu verò Christiane lector, si quid ex huius operis lectione profeceris, iua me quæso tuis ad Deum precibus, qui non mediocrem curam adhibui, ne hoc opus longo situ pene antiquatũ interiret, sed vt ad profectum ecclesiæ Dei & legentium prodiret in lucem. Vale. Anno à Christo incarnato 1548.

Incipit expositio beati AMBROSII EPISCOPI SVPER APOCALYPSIN.

BEATVM IOANNEM Apostolum & Euangelistam hunc librum Apocalypsin edidisse constat: quanuis extiterint aliqui qui non ab eo sed ab alio dixerunt fuisse compositum. Sed eius fuisse sequentia manifestant.

CAPVT PRIMVM.

Apocalypsis Iesu Christi quã dedit illi deus palam facere seruis suis, quæ oportet fieri citò.) Apocalypsis, reuelatio vel manifestatio interpretatur. Quod reuelationis donum & pater filio dedit, secundum quod homo erat, & filius sibimetipsi, diuinitas scilicet homini quem assumpsit. *Palam facere seruis suis, quæ oportet fieri citò.*) Cùm hic liber non solùm futura, sed & præsentia, & præterita narret, cur hic sola futura dominum nostrum Iesum Christum seruis suis manifestare dixit? Quia videlicet præsentia visu, præterita auditu facilè cognoscuntur: futura autem, non nisi aut per doctrinam diuinarum scripturarum, aut per reuelationem agnosci queũt. *Et significauit mittens per angelum suum seruo suo Ioanni.*) In hoc loco, talis mihi sensus esse videtur. Dominus Iesus angelum suum misit, & per eundem angelum seruo suo Ioanni manifestauit, quæ oportet fieri citò. *Qui testimonium perhibuit verbo Dei.*) Hic locus apertè demonstrat, non ab alio Ioanne, sed ab illo qui Euangelium scripsit, hunc librum esse cõpositum. Qui & in cœna supra pectus Domini, in quo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, recubuit, de quo immensum fontem sapientiæ haurire meruit. Perhibuit ergo testimoniũ verbo Dei, quando dixit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Sed & in hoc quod sequitur, quæstio oritur. *Et testimonium Iesu Christi in iis quæcunque vidit.*) Quomodo ergo testimonium perhibuit Iesu Christi in iis quæcunq; vidit, cùm ipse dicat in eodem Euangelio, Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Sed testimonium perhibuit eorum quęcunque vidit, prædicando videlicet gentibus omnia quæ à Christo didicerat, miracula quæ viderat narrando, ea tantummodo scribens, quæ postea amplius profutura esse præuiderat. *Beati qui legunt, & qui audiunt verba prophetiæ huius, & seruant ea, quæ in ea scripta sunt.*) Tres species beatitudinis posuit, sed duæ nihil sunt, si tertia defuerit. Nam nihil prodest legere & audire mandata Dei, si non seruant ea quæ legunt vel audiunt. Multi namque sunt qui mandata Dei aut audiunt aut legunt, sed nihil eos iuuat, quia cũ corpore præsentes sint, mente sunt absentes. Aut enim adquirendis rebus mens eorum dedita est, aut libidine exagitatur, aut proximum diiudicat, aut contra prælatum superbit, aut fingit se potentem futurum, aut cæteris vanissimis rebus distenditur. Potest talibus conuenire quod ait Propheta: Aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Nonnulli verò sunt qui diuinas scripturas legunt & audiũt, id est mentem ad earum intelligentiam accommodant, sed ideo diuinas scripturas discunt, vt sapientes & egregij apud homines habeantur, & in seculi prosperitatibus floreant, non vt vitam reprobam corrigant. Sed beati non sunt, quia scripturam diuinam non pro amore Dei, sed pro amore seculi didicerunt. De talibus dicit Propheta: Sapientes vt faciant mala, bene autem facere nesciunt. Et dominus in Euãgelio in parabola seminantis loquitur dicens: Quod autem in spinis cecidit, ij sunt qui audierunt & à sollicitudinibus & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Illi ergo soli beati sunt, qui ideo mandata Dei student discere, vt impleant, id est in mente recondant: Ideo in mente recondunt, vt opere impleant: Ideo opere implent, vt æternam beatitudinem assequantur. *Tempus enim prope est.*) Tempus videlicet iudicij. Nam si tempus ab aduentu Domini vsque ad finem mundi ante oculos ponas, longum inuenies, sed in comparatione priorum temporum, breue est. *Ioannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo qui erat, & qui venturus est.*) Per septem ecclesias, vna ecclesia catholica regnatur, propter septem videlicet dona spiritus sancti, quibus illustrata in mundo refulget. Asia elata interpretatur, quia inter elatos huius seculi Christus multitudinem fidelium inuenit, ex quibus ecclesiam suam fabricauit. Et perpende quia totus hic liber in septenario numero consistit, sicut sunt septem Ecclesiæ, ad quas hæc scripta dirigũtur. Sunt septem candelabra, septem stellæ, septem lampades, septem cornua agni, septem oculi, septem sigilla, septem angeli tubis canentes, septem tonitrua, septem itidem angeli phialas habentes. Nam & draco qui diabolum, & bestia quæ Antichristum designat, vterque septem capita habuisse visus est. Similiter & bestia super quam mulier meretrix sedisse visa est. Et si diligenter aduertas, totus hic liber in septem visiones distinctus est. Prima est, quæ septem epistolas ad septem Ecclesias destinatas continet, & cętera quę ibi continentur. Secunda est, in qua sedem in figura ecclesiæ in cœlo positam vidit, & supra sedem, Christum sedentem. In tertia, agnus librum & sigilla eius aperuit. In quarta, septem angeli sunt visi tubis canentes. In quinta, septem iterum angeli visi sunt phialas habentes. In sexta, resurrectio describitur. In septima, gloria sanctorum in figura ciuitatis Hierusalem de cœlo descendentis demonstratur. *Gratia vobis & pax*

Ioan. 13.

Ioan. 1.

Ioan. 21.

Esaia 6.

Hierem. 4.

Matth. 13. Luca 8.

Diuisio operis in 7. visiones.

pax ab eo, qui erat, & qui est, & qui venturus est, & à septem spiritibus qui in conspectu eius sunt, & ab Iesu Christo, qui est testis fidelis.) Hic, tota Trinitas demonstratur. Per eum nāque qui erat & qui est, & qui venturus est, pater designatur. Erat nāque ante constitutionem mundi sine vllo initio, est modo post constitutionem mundi, regens omnia quæ creauit & gubernans: venturus est post finem mundi cum filio & spiritu sancto, vt regnet cum sanctis in secula seculorum. Per septem autem spiritus, spiritus sanctus eo quòd sit septiformis intelligitur. Et ab Iesu Christo qui est testis fidelis. Ille veraciter testis fidelis est, qui nescit mentiri. Qui quòd electis suis misericorditer repromisit, sine dubio implebit. Qui nec eum qui calicem aquæ frigidæ egenti dederit, à mercede vacuum derelinquit. Cuius verba ita fixa permanent, vt facilius sit cœlum & terrā, in nihilum redigi, quàm aliquid immutari ex omnibus quæ se facturum esse prædixit. *Primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.*) Quomodo Christus primogenitus mortuorū dicitur, cùm ipse in fine temporum sit natus, aduentúmque eius innumerabilis multitudo hominum præcesserit? Sed primogenitus propriè mortuorum ponitur: sicut primos in populo eos vocamus, qui non ætate sed honore & dignitate cæteros antecellūt. Mortui autem ipsi sunt, de quibus Apostolus loquitur dicens: Mortui estis & vita vestra abscondita est cū Christo in Deo. Primogenitus ergo mortuorum Christus est, quia ipse est primus, & caput omnium electorum suorum. Princeps regū terræ. Rex, à regendo dicitur. Per reges ergo, Apostoli & cæteri sancti designantur, qui semetipsos & alios regere nouerūt. Per terram autem, Ecclesia designatur. *Qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo.*) Ergo quia dilexit, lauit. Et quid ista lauatio nobis contulit, sequentia manifestant. *Et fecit nos regnum & sacerdotes, Deo & patri.*) Regnum Dei, Ecclesia Dei dicitur. Regnum ergo Dei ex hominibus Christus fecit, quando eos tales constituit, in quibus ipse cum patre & spiritu sancto inhabitare & regnare dignaretur. Nam qui designantur per regnum, ipsi & per sacerdotes. Sacerdotes ergo Dei electi dicuntur, eo quòd membra sint summi sacerdotis. De quo Psalmista loquitur dicēs: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Possunt & aliter electi Dei, sacerdotes Dei dici, eo quòd semetipsos quotidie per compunctionem cordis & orationes cæteraque bona opera offerāt Deo, sicut dicit Psalmista: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Est & sacrificium laudis quod quotidie offerre Deo sancta ecclesia consueuit, de quo idem propheta loquitur dicens: Immola Deo sacrificiū laudis. Et iterum: Sacrificium laudis honorificabit me. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*) Veniet ad iudicium Dominus cum nubibus, sicut dicit ipse in Euāgelio: Et tunc videbunt filium hominis veniētem in nubibus cum potestate magna, & maiestate. Sed quomodo eum omnis oculus videbit cùm scriptura dicat, Tollatur impius ne videat gloriam Dei? Videbunt eum impij ad sinistram in iudicio constituti, in ea forma qua in mūdo cōstitutus ab hominibus videri potuit, sed non in ea qua Deus est. Iusti autem in ea claritate eum videbunt, quomodo in cœlestibus positi eum vidēt & visuri sunt post finem mundi in perpetuum. Sed & ipsi qui eum pupugerunt, velint, nolint, videre compellentur, impij videlicet Iudæi qui eum crucifixerunt, vt sciant quem irriserunt, sicut scriptum est in Euangelio: Videbunt in quem transfixerunt. *Et plangent se super eum, omnes tribus terræ.*) Per omnes tribus terræ, soli reprobi intelliguntur. Plangent autem se, cur præcepta Dei contempserūt, cur propter breue gaudium perpetuam tristitiam acquisierūt. Aliter: Ecce venit cum nubibus. Possunt per nubes, apostoli cæteríque prædicatores intelligi. Venit autem cum nubibus, quando nomen eius per sanctos prædicatores vniuersis gentibus innotuit. Et videbit eum omnis oculus, quia omnes qui oculos habuerint, eum videbunt cum illis videlicet oculis, de quibus dicit ipse discipulis: Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Habebant impij Iudęi oculos, sed eos oculos non habebant, quibus Deus videtur. *Et qui eum pupugerunt.*) Id est, qui eum persecuti sunt, & membra eius, & postea ad fidem illius maxima ex parte

A conuersi sunt, ex quibus fuit apostolus Paulus. *Et plangent se super eum omnes tribus terræ.*) Per omnes tribus terræ, omnis multitudo gentium potest intelligi, quæ ad Christum conuersa est, quæ quotidie in ecclesia Dei posita plāgit peccata sua, vt veniam à Deo consequi mereatur. *Etiam amen.*) Confirmatio sermonis est *Ego sum alpha & ω.*) Quid sit alpha & ω, sequentia manifestant: id est, *Principium & finis.*) sicut ipse dixit Iudæis, Ego sum principium, qui & loquor vobis. Potest Saluator noster principium ideo dici, eò quòd ipse sit principium, id est, creator generis humani, & auctor salutis. Finis autem potest dici quia ipse est finis legis, finis mortis, omnísque præuaricationis. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.*) Est modò Dominus in mundo ecclesiam suam regens, erat ante constitutionem mundi æternaliter cum patre permanens: venturus est ad iudicium, vt iudicet mundum. *Ego Ioānes frater vester, & socius in tribulatione, & regno, & patientia in Iesu.*) Discipulos vocat fratres, quia vno Christi sanguine redempti, & vna matre, Ecclesia scilicet, generati erant. Socium se eorum in persecutione etiam B dicit, quia omnes ecclesias, Domiciani persecutio turbauerat. Socium in regno, quia & se membrum ecclesiæ, sicut & ipsi erāt, quos Deo acquisierat, fatebatur. Socium se eorum etiam in patientia testatus est, quia & ipsi æquanimiter aduersa tolerabant, sicut & ipse, qui pro amore Christi in Pathmos insula relegatus tenebatur. *Fui autem in spiritu in dominica die.*) In spiritu se fuisse dicit: quia tanta mysteria quæ sequuntur non carnalibus, sed spiritalibus oculis, videri poterant. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Dominica autem dies, tempus euāgelij designat. De quo tempore, Apostolus loquitur dicens, Ecce nūc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. In quo tempore, Prophetæ mysteria diuina gentibus esse pandenda prædixerūt. *Et audiui post me vocem, tanquam tubæ dicentis.*) Quasi post nos est, quod ignoramus. Aliter: Vox Domini post nos est, quia nos quasi serui fugitiui sumus: Dominus autem post tergū nostrum clamat, vt nos reuocet. Post se ergo Ioānes vocem C audiuit, quia mysteria quæ tunc ei reuelata sunt, nondum perfectè cognouerat. Quæ vox similis tubæ, dicitur fuisse. De hac tuba, propheta loquitur dicēs, Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Tuba ad pugnandum milites prouocare solet. Similiter & nos sermo Dei ad pugnandum contra diabolum atque vincendū incitare non desinit. *Quod vides, scribe in libro, & mitte septē ecclesiis, Ephesum & Smyrnam, Pergamum & Thyatiram, Sardis & Philadelphiam, & Laodiceam.*) Per has septem ecclesias, vna ecclesia catholica, sicut interpretatio nominum docet, designatur. Ephesus nanque voluntas, siue consilium interpretatur. Smyrna, cāticum eorum: Pergamus, diuisio cornu: Thyatira, illuminata: Sardis, principium pulchritudinis: Philadelphia, saluās hæreditatem Dei: Laodicæa, tribus amabilis Domini. Ephesus igitur quæ primò ponitur, initium conuersionis vniuscuiusque demonstrat. Interpretatur nanque voluntas, siue cōsilium. Quod enim melius consilium quàm voluntas bona, quæ homini suadet abrenunciare diabolo & sequi Chri- D stum, relinquere vitia, & apprehendere virtutes. Et quia qui ad Deum conuerti volunt, necesse est vt Domini misericordiam implorent, vt perficere possint quod desiderāt, Smyrna huic supponitur, quę canticum eorum interpretatur. Ille enim bene cantat, qui misericordiā conditoris sui corde cōtrito & humiliato spiritu deprecatur: de quo cantu, Apostolus loquitur dicens. Cantantes & psallentes in cordibus vestris domino. Et quia qui à Deo exaudiri vult, necesse est vt vitia derelinquat, & ad bona opera agenda, in quantum virtus suppetit, semetipsum conuertat, Pergamus in ordine sequitur, quæ diuisio cornu interpretatur. Duo cornua in hoc loco, malum & bonum significant. Cornua diuidimus, quādo inter bonum & malum discernentes, malum à bonis repellimus: & bonum amplectimur. Et quia quandiu in peccatis iacemus, in tenebris sumus: cùm autem mala à nobis reiicimus, & bona operari incipimus, quasi à tenebris ad lucem progredimur, non inconuenienter post Pergamū Thyatira sequitur, quæ illuminata interpretatur. Et quia ex operatione

Ioan. 8.

1. Cor. 2.

2. Cor. 6.

Esa. 58.

Ephes 5.

ratione mandatorum Dei pulchritudo animæ accreſcit, & quantò quis plus in operatione mandatorum Dei creſcit, tantò ampliorem pulchritudinem animæ ſuæ confert, non incongruè poſt Thyatiram, Sardis ſequitur, quę principium pulchritudinis interpretatur. Principiũ pulchritudinis ideo dicitur, quia ſanctorum pulchritudo in hac vita inchoatur, & in æterna beatitudine perficitur. Sequitur Philadelphia, quæ ſaluans hæreditatem Dei dicitur. Quid eſt autem hæreditas Dei, niſi omnis multitudo electorum, ſicut dicit Dominus ad Prophetam, Hæreditas autẽ mea Iſrael? Et in quo ſalus electorum conſiſtit, niſi in operatione mandatorum Dei? Nam ille qui venit quærere & ſaluare quod perierat, illis ſalutem animarum largitur, qui mandata eius ſinguli ſecundum propriam virtutem cuſtodiunt. Laodicæa ſeptima ponitur, quia tribus amabilis Domino interpretatur. Tribus autem amabilis Domino, eſt omnis multitudo electorum, quę eſt Eccleſia, quę per abrenunciationem vitiorum, & per virtutum operationem ad hoc peruenit, vt tribus amabilis Domino vocetur. *Et conuerſus ſum, vt viderem vocem eius qui loquebatur mecum.*) Cur tam diu aduerſus ſtetit? cur non ad primum ictum ſermonis, aures eius percutientis, ad eum cõuerſus eſt, qui à tergo loquebatur? Sed ſciẽdum quòd exemplum dedit nobis. Nam ad eum qui ſecum loquebatur, non prius conuerſus eſt quàm nomina eccleſiarum, ad quas ſcribere præcipiebatur, audiret. Et ſuperiùs breuiter diximus per interpretationes nominum ſeptem eccleſiarum, viam demonſtrari, quæ ducit ad vitam. Quiſquis igitur per hanc viam ire ad Deum deſiderat, aut legendo, aut ab aliis audiendo, qualiter per hanc viam gradi debeat, inueſtigare debet: quia ſtultus viator eſt, qui ad locum optatum ire deſiderat, & viã neſcit, ſi non prius diſcere ſtuduerit, quæ ſit longitudo viæ, quæ aſperitas, qui anfractus, quæ pericula, vt cum iter ſcandere cœperit, pericula pręcognita facilius tranſeat. Multos enim vidimus ſeculum reliquiſſe, vt per contẽplationis viam vitam ęternam acquirerent, ſed quia neſcierunt aſperitatem viæ, ſubitò cecidiſſe. Sed poteſt fieri, vt contra hæc, teſtimonium vobis de diuina ſcriptura aliquis obiiciat, quæ dicit, Ne tardes conuerti ad Deũ. Ad hæc ego reſpondeo, quia iam ad Deum conuertor, cùm viam quæ ad eum ducit, inueſtigare non deſino. Et quid eſt quod dicit, Et conuerſus ſum vt viderem vocem cùm vox non oculis, ſed auribus percipiatur? Sed ſciendum quòd Ioannes in ſpiritu poſitus, ſpiritalibus oculis ea quæ ſequuntur, videre promeruit. Neque opus erat ibi voces verborũ perſtrepere, vbi intus erat Deus qui docebat. Aliter: Ille competenter verba Dei audit, qui quod audierit, oculis mentis intueri non deſinit, nec ea opere impleat. *Et conuerſus, vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis.*) Septem candelabra aurea ſeptem eccleſias deſignant, ſicut ipſe expoſuit: Et ſeptem eccleſiæ vnam eccleſiam catholicam figurant. Quæ candelabra aurea dicuntur, ſiue propter perſecutiones quas ſancti in ſeculo perferunt, ſiue propter ſapiẽtiam qua illuminantur. In quorum medio Chriſtus ſtare viſus eſt, ſicut ipſe dicit in Euangelio, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi. Sequitur: *Veſtitum podere, & præcinctum ad mammillas, Zona aurea: caput eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tãquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti. Et vox eius ſicut vox aquarũ multarum. Et habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas: & de ore eius gladius vtraque parte exibat & facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua.*) Si ſeptem candelabra & ſeptem ſtellas pro duobus ornamentis accipere volueris, decem ornamenta inuenies, ex quibus Domini corpus decoratũ fuiſſe viſum eſt. Sed quid duo ornamenta, id eſt, ſeptem candelabra, & ſeptem ſtellæ ſignificarent, ipſe per ſemetipſum expoſuit. Quid autẽ octo quæ reſtant ſignificent, perſcrutandum nobis eſt. Sanctam nanque ciuitatem Dei, quæ ex omnibus electis conſtat, quę ab initio vſque ad finem tendit, ſi diligenter perſpicias, in ſeptem partes diuiſam inuenies. Prima igitur pars eius, ſunt electi, qui ab initio vſque ad diluuium fuerunt. Secunda, patriarchæ & cæteri iuſti, vſque ad legem datam. Tertia, hi qui ſub lege fuerũt. Quarta, Prophetæ. Quinta, Apoſtoli, & qui ex Iudæis crediderunt. Sexta verò pars, eſt gentium multitudo quę ad fidem venit. Septima electi, qui in fine mundi naſcituri ſunt & contra Antichriſtum pugnaturi. Per has igitur ſeptem partes quod Dominus dederit, dicendo redeamus. De octauo, in ſequentibus dicemus. Poderis igitur quæ eſt talaris tunica, iuſtos qui ante diluuiũ fuerunt, deſignat. Quæ cuius coloris fuerit, non dicitur, eo quòd nullam aliã legem, niſi naturalem, habuerint. Naturalis autem lex eſt, creatorem ſuum diligere, & quod ſibi quis nõ vult fieri, alteri non facere. Hanc legem nullus qui ratione ſuffultus eſt, ignorare permittitur. Per zonam autem, patriarchæ, & cæteri iuſti qui ante legem fuerunt, deſignantur. Quæ aurea fuiſſe dicitur, quia multis tribulationibus, ſicut aurum in fornace probati eſſe noſcuntur. Sicut Abraham qui de igne Chaldæorũ erutus eſt, ſicut Lot quem Sodomitæ afflixerunt, ſicut Iſaac qui cæcitatem pertulit, ſicut Iacob qui perſecutione fratris atq; ſoceri eſt afflictus, ſicut Ioſeph qui captiuitatem & carcerem ſuſtinuit, ſicut Iob qui amiſſionem rerum, diramque paſſionem pertulit. Eodem modo & de cæteris quos ſcriptura cõmemorat, debemus intelligere. Quæ zona mammillas conſtrinxiſſe legitur. Per mammillas nanque duo præcepta charitatis deſignantur, per quæ ſanctos patres deo placuiſſe certum eſt. Caput verò eius & capilli erant candidi tãquam lana alba, & tanquam nix. Per caput lex, per capillos verò qui ex capite naſcuntur, multitudines eorũ deſignantur, qui per legem ſalui facti ſunt. Qui capilli tanquam lana alba, & tanquam nix eſſe dicuntur, quia videlicet ille populus à tenebris vitiorum, per legem eſt emundatus: oculi autem eius, erant velut flamma ignis. Oculi, cuncta quæ circa ſe ſunt, longè latéque perſpiciunt. Per oculos igitur prophetæ deſignantur, qui ea quæ ventura erant, longè antè præuidere meruerunt. Qui ſicut flamma ignis eſſe dicuntur, quia ſpiritu ſancto illuminati myſteria cœleſtia contemplati ſunt. *Et pedes eius, ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.*) Per pedes, Apoſtoli deſignantur, & cæteri qui ex Iudæis crediderunt. De iſtis pedibus, Propheta loquitur dicens, Quàm pulchri ſuper montes pedes euangelizantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus: Qui ſimiles aurichalco dicuntur. Aes nanque in fornace quibuſdam medicaminibus admixtis randiu conflatur, vſque dum colorem auri accipiat, & dicitur aurichalcum. Per æs igitur quod ſonorum eſt, & quod in nigredinem citò vertitur, Iudæi deſignantur, qui legem quidem ſecundum literam ſonare videbãtur, ſed velamine nigredinis mente obtecti, ſpiritalem intelligentiam, quæ in ea latebat, intelligere nequiuerunt. Aes igitur in aurichalcum eſt conuerſum, quãdo ex Iudæis Apoſtoli ſunt electi. Per fornacem autem, ſiue mundus, in quo aliquantum Chriſtus conuerſatus eſt, ſiue tribulationes quas ſuſtinuit, poſſunt deſignari. In hac ergo fornace per doctrinam euangelij ſplendorem auri accipere meruerunt. *Et vox eius, ſicut vox aquarum multarum.*) Per vocem aquarum multarum, multitudo gentium, quæ ad fidẽ Chriſti cucurrit, deſignatur. *Et habebat in dextera ſtellas ſeptem.*) Quid hoc ſignificet, ipſe in ſequentibus exponit. *Et de ore eius gladius ex vtraque parte exibat.*) Per gladium, electi qui in fine mundi naſcituri ſunt, atque contra Antichriſtũ pugnaturi, deſignantur. Et quia maxima multitudo gentium culturam Chriſti derelinquens, Antichriſtum hominem impiiſſimum pro Deo adorabunt, non incongruè illi qui ad errores eorum concidendos progreſſuri ſunt, per gladium deſignãtur. Qui duo acumina habere viſus eſt, quia ipſi doctores, duorum teſtamentorum doctrinis eruditi, facilè hoſtes deuincent. Nã quòd de ore Domini, ipſe gladius procedere viſus eſt, illud ſignificat quod ipſe dixit in Euangelio: Non enim uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. In iis ergo ſeptem ornamentis omnis electorum eccleſia, quæ à nobis in ſeptem partes diuiditur cõprehenditur. Sine iis ergo ſeptem partibus, non mihi videtur hunc librum, quenquam ordinatè poſſe intelligere. De octaua autem quæ reſtat, aliquid dicendum eſt. *Et facies eius, ſicut Sol lucet in virtute ſua.*) Per faciem, eccleſia ſicut poſt reſurrectionem futura eſt, deſignatur. Et ideo per faciem eccleſia, quæ tunc Deum ſicut dicit Apoſtolus, facie ad faciem videbit

Eſaiæ 19. *Luca 19.* *Eccleſ. 5.* *Eſaiæ 52.* *Antichriſtus.* *Matth. 10.*

videbit, designatur. Quæ sicut Sol lucere visa est, quia sicut dicit Dominus, Tunc iusti fulgebunt sicut Sol, in regno patris sui. Inueniuntur in scripturis quædam his septem partibus conuenientia, vt est illud quod in Iosue legitur, vbi præcepit Dominus, vt circuiret arca Dei ciuitatem Iericho per septem dies semel in die, sacerdotibus eam portantibus, tubisque canentibus, ac populis sequentibus. Iericho nanque, omne corpus reproborum quod est ciuitas diaboli significat: per filios verò Israel, electi designantur: per sacerdotes, prædicatores: per tubas, doctrina prædicationis: per populum verò qui eos sequebatur, omnes iusti designantur, qui eorum doctrinam sequebantur, & actus imitabātur: per arcam autem quam ferebant, Christus intelligitur, qui in sanctis cordibus eorum habitans portabatur. De prædicatoribus autem qui post Christi aduētum fuerunt, nulli dubium, quòd Christum non solùm lingua prædicādo, verum etiam corde diligendo portauerint. Illi autem qui aduentum eius præcesserunt, quomodo illum portauerūt? Portauerunt vtique & illi: Nam aliqui eorum eum verbis prædixerunt, aliqui factis prefignauerunt. Quærendum verò nobis est quid circuitur iste, qui per septem dies factus est, designet. Locū nanque quem circuimus, ingressum eius deuitamus. Nam cùm per viam pergimus, si foueam aut limum profundum, aut aliquod periculum inuenimus, circumeundo si possumus, ingressum eius deuitamus, vt periculum euadamus. Iericho nanque circuimus, si iter vitæ præsentis, secūdum voluntatem Dei perficimus. Nam quamuis cùm reprobis habitemus. Iericho circuimus, si ab eorum prauitatibus abstinemus. De hac circuitione dicit Psalmista, Circuiui & immolaui in tabernaculo eius, hostiam iubilationis. Circuiuit nanque & postea immolauit: quia facta reproborum prius spreuit, vt hostia iubilationis eius, acceptabilis Deo fieret. Multi enim sunt qui assiduè laudant Deum, sed quia vitia à se repellere nolunt, eorum laudationis hostia, non est acceptabilis Deo. Prima igitur circuitio ad eos iustos, qui ante diluuium fuerunt pertinet, qui & filij Dei dicti sunt. Ciuitatem igitur Iericho tandiu circuierunt, quandiu à societate reproborum se sequestrauerunt. Postquam igitur arca Dei, & populi Iericho ciuitatem circumierunt, ad castra redierunt: quia vnusquisque iustus circuitionis suæ tempore expleto, post mortem ad societatem electorū, quæ sunt castra sanctorum ducatur. Secundæ diei circuitus ad eos qui post diluuium vsque ad Moysen fuerunt pertinet. Qui & ipsi ciuitatem Iericho circumierunt, quia ab iniquitatibus reproborum se separauerunt. Nam & Abraham quamuis inter Amorrhæos habitaret, non solùm vitia, sed etiam corporum societatem in tantum horruit, vt filio suo ex filiabus eorum nollet accipere vxorem. Et de Loth, qui apud Sodomitas habitabat, loquitur beatus Petrus, quia auditu & visu iustus erat habitās apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Eodem modo de cæteris intelligendum. Tertius verò circuitus ad eos qui sub lege fuerūt, pertinet: qui quāta solicitudine à societate iniquorum se secernere deberēt, ipsa lex manifestat. Prophetæ verò ad quos quartus circuitus pertinet, in tātum peccata principum hominúmque impiorum spreuerunt atque reprehenderunt, vt pro hoc quidam eorum lapidati, quidam interfecti, quidam verò in occisione gladij mortui sint. Apostoli verò & hi qui ex Iudæis crediderunt, ad quos quintus circuitus pertinet, quanto studio se ab infidelium Iudæorum consilio atque operibus segregauerint, Lucas in actibus Apostolorū narrat. Gentes verò, ad quos sextus circuitus pertinet, quanto ardore se à societate impiorum disiunxerint, martyres requisiti dicāt. Septimus verò circuitus ad eos qui temporibus Antichristi futuri sunt, pertinet: sed & illi quomodo Antichristi ministrorúmque eius defutabūt perfidiam, hic liber manifestat. Septimo ergo die circumeūtibus sacerdotibus cùm arca Iericho, atque vociferantibus muri Iericho ceciderunt, omnísque populus cum rege suo interfectus est, quia prædicantibus in fine mundi prædicatoribus veritatis, finémque mundi annunciantibus, subitò finis mundi aduenier, omnísque ciuitas diaboli destruetur, atque cum ipso capite suo diabolo perpetua morte damnabitur. Legimus etiam in libro Iudicum, Samsonem fortissimum habuisse septem crines. Samson, Christum significat: per capillos verò, omnes electi designantur. Et sicut capilli adhærent capiti, ita & omnes iusti adhærent Christo, qui caput est omnium electorum suorum. Et sicut capilli Samsonis in septem partes diuisi sunt, ita & omnis electorum numerus in septem partes pro temporum qualitatibus diuidi potest, sicut superius demonstrauimus. Sed & hoc quod in Salomone scriptum est, Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, potest huic nostro intellectui conuenire. Sapientia nanque ædificauit sibi domum quando dominus noster Iesus Christus ab initio mundi vsque ad finem eius, ex numerositate electorum ecclesiam sibi construxit & constituit. Excidit columnas septem, quando iis septem temporibus prædicatores, qui singulis temporibus conuenirent, in ecclesia sua statuit, qui & monitis salutaribus & bonorum operū exemplis eam sustentarent. Possumus quod idem Salomon in alio loco ponit dicens, Da patres septem, necnon & octo, huic nostræ expositionis operi coaptare. Primū igitur quærēdum nobis est quid sit vnde partes facere præcipimur. Est nanque quoddam bonum, & ipsum est summum bonum: charitas videlicet, quæ nisi partiatur, perfectum bonū non erit. Partitur enim in dilectione Dei, & dilectione proximi. Quæ cùm vna sit, habet tamen duo brachia quæ circunquaque extendens, & Deum hominibus, & homines Deo coniungit. Sunt & duæ vitæ, vna quę actiua, altera quæ contemplatiua nuncupatur. Dilectio proximi ad actiuam, dilectio autem Dei, propriè ad contemplatiuam pertinet. Possumus igitur per septem, omnem electorum multitudinem, per octo verò, dominū nostrum Iesum Christum intelligere, eo quòd octaua die resurrexit. Sācti itaque Dei, partes septem dant amoris sui, cùm in exercitiis vitæ actiuæ occupantur, videlicet cùm curam proximis non solum carnalem, sed & spiritalem impendunt. Dant etiam partes octo, cùm eos amor Dei ad contemplationem eius iterum reuocat. Aliter. Partes septem damus, cùm sanctis Dei debitam veneration-nem exhibemus. Partes octo damus, cùm Deo creatori nostro debitum cultum impendimus. Sequitur. *Et cùm vidissem eum, cecidi ad pedes eius, tanquam mortuus.*) Ecce Ioannes qui sibi stare videbatur, viso Domino cecidit tāquam mortuus, quia vnusquisque vir sanctus quantum se ad contemplandam diuinitatem Dei altius erexerit, tanto apud se introrsus inferius cadit: quia in comparatione Dei eius magnitudo quàm parua sit, facilè perspicit. Vnde & tanquam mortuus cecidit, quia in cōparatione Dei, se nihil esse perspexit. Ad pedes cecidit, quia incarnationis eius mysterium, quod per pedes figuratur, se nullo modo comprehendere posse perspexit. *Et posuit manum suam super me, dicens, Noli timere.*) Sicut manus in corpore plurima habet officia, ita & manus Dei in diuinis scripturis plurimas significationes. Iob nam- Iob 13.
que flagellum Dei, manum Dei vocat: cum dicit, Manum Iob 19.
tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat. Et iterum amicis dicit, Miseremini mei, miseremini mei, saltem
vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Nam & Ie- Hier. 1.
remiam manu sapientiæ Dominus tetigit, sicut ipse dicit. Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit
mihi: Ecce dedi verba mea in ore tuo, & reliqua. Similiter
& Daniel manu confortationis Dei tactus est, quando pro- Dan. 10.
pter visionem Angelicam in terra prostratus iacens, manum ad se missam vidit, quæ eum confortauit, cui & dixit: Loquere Domine, quoniam confortasti me. Hac ergo confortationis manu idem Ioannes tactus est, quæ eum ne se vltra modum deiiceret confortando erexit. *Ego sum primus & nouissimus.*) Si primus, cur dixit Arrius filium Dei initium habuisse? Si enim initium habuit, non ipse primus, sed ipse à quo initium sumpsit, fuit. Primus ergo & nouissimus ipse est, quia sicuti finem non habebit, sic nec initium habuit. *Et fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum.*) Hoc manifestum est. *Et habeo claues mortis & inferni.*) Qui clauem alicuius domus habet, quem vult intromittit, & quem vult ab ingressu domus repellit. Per clauem ergo potestas filij Dei intelligitur. Claues igitur mortis & inferni ipse possidet, quia quos vult à damnatione mortis perpetua misericordi-

ter

Prou. 9.

Eccle. 11.

ter liberat, & quos vult in eodem mortis periculo damnationis, iusto iudicio remanere sinit. *Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.*) Hîc demonstrat non se de præsentibus & futuris tantummodo, sed & de præteritis prophetiam texuisse. Scribe ergo quæ vidisti, id est, quæ de præteritis tibi ostensa sunt. Quæ sunt & quæ oportet fieri post hæc, id est præsentia & futura. *Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea.*) Subauditur quid significent. Quid autem significent, subdēdo manifestat. *Septem*, inquit, *stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum, & septem candelabra aurea, septem ecclesiæ sunt.*) Septem igitur angelos, rectores septem ecclesiarum debemus intelligere, eo quòd angelus nuncius interpretatur. Et qui verbum Dei populis annunciant, non inconuenienter angeli, id est, nuncij vocantur. Et sicut per septem ecclesias, vna ecclesia catholica: ita & per septem rectores septem ecclesiarum, omnes rectores ecclesiæ catholicæ designantur.

CAPVT SECVNDVM.

ET angelo ecclesiæ Ephesi scribe. Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.) Per dexteram Dei, potestas Dei in hoc loco potest designari: per stellas, sancti prædicatores. Sancti igitur prædicatores manu Dei tenentur, quia ab ipso gubernantur & reguntur, & ipsi sunt copulati, sicut ipse dicit in Euangelio: Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic & vos nisi in me manseritis. In medio verò septem candelabrorum aureorum Christus ambulat, sicut ipse dicit Propheta: Inhabitabo inter illos, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. *Scio opera tua.*) Ea videlicet quæ operabaris prius antequam refrigesceret in te charitas. *Et laborem & patientiam tuam.*) Id est, persecutiones, quas pro nomine meo patiēter toleras. *Et non potes sustinere malos.*) Cùm scriptura diuina nobis præcipiat, vt toleremus malos, cur hîc laudatur quòd non potuerit sustinere malos? Sciendum est autem, quòd de hæreticis dictum est. Nā proximorum mala aliquando reprehendendo corrigere debemus, tempore videlicet opportuno: aliquando patiēter tolerare, vt quos correptio non emendat, patientia ad emendationem prouocet. Sunt nanque nonnulli qui reprehendere proximos nesciūt, nisi ira inflammati: horum aliquis si non solùm pro magna, verumetiam pro parua aliqua re cōtra proximum commotus fuerit, tandiu iram in corde gestat, donec in actibus proximi aliquid videat, quod reprehendere possit: & tunc lætus efficitur, cum reprehensionis vindictam proximo intulerit. Quòd si alicui viderit displicuisse, dicit se zelo Dei hoc fecisse. Ad te ergo loquor, qui talis es. Cur quæris fallere eum, qui occulta cordium considerat? Si zelus Dei in te est, cur oculi tui per diuersa vagantur more diabolico, desiderans malum potius videre quàm bonum? desiderans in proximo videre malum quod reprehendas, non bonū vnde ædificeris? Sunt etiam multi, qui eos à quibus aliquam iniuriam pertulerūt, etiam pro minimis delictis impatienter insectantur: eos verò quos diligunt, non solùm non reprehēdunt quanuis grauiter deliquerint, sed etiam tota virtute defendunt. O infelix amicitia, quæ illum quem diligit, tacendo & defendendo, diabolo tradit: illum verò cui iratus est, reprehendendo à diabolo abstrahit. Correptio ergo illa iusta est, quæ ex zelo Dei & amore fraterno descendit: quæ non propter iram vindicandam, sed propter animam proximi saluandam profertur. Verū quia hæc verbis paucis diximus, ad ea quæ cœpimus, redeamus. Igitur hoc quod præsuli ecclesiæ Ephesi à Domino dicitur, quia non potes sustinere malos, de hæreticis debemus intelligere. Omnis enim qui pastor est ecclesię, societatem hæreticorum quantum potest vitare debet, ne per occasionem familiaritatis, eorum corda simplicium veneno suæ malitiæ corrumpant. Sicut enim lupus quietus inter oues sine laceratione earundem ouium versari non potest, sic nec hæreticus inter simplices. Sequitur. *Et tentasti eos qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces.*) Quidam praua docentes temporibus Apostolorum, Apostolos se esse dicebant, vt per reuerentiam nominis facilius prauam doctrinam in cordibus audientium plantarēt. Hos & Apostolus Paulus damnat. Et Dominus in Euangelio cauendos eos insinuat, cùm dicit: Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Hos ergo iste falsos, eorumque doctrinam, falsam esse comprobauit. *Et patientiam habes & sustinuisti propter me, & non defecisti.*) Id est, in hoc apparuit patiētia tua, quia in laboribus quos pro nomine meo sustinuisti, non defecisti. Sed habeo aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Multi enim sunt, qui in initio conuersionis suæ in seruitio Dei feruentes existunt, sed processu temporis tepescunt. Quod huic præsuli ecclesiæ Ephesi cōtigisse manifestum est. *Memento ergo, vnde excideris.*) Vnde excisus est? De charitate scilicet. Si de charitate excisus est, de Deo excisus est, quia Deus charitas est. *Et age pœnitentiam.*) Videlicet eo quòd per torporem & ignauiam tuam, à charitate disiunctus es. *Et prima opera tua fac: sin autem, venio tibi citò, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.*) Si per candelabrum ecclesia Ephesi designatur: cur, propter peccatum pastoris, ecclesia locum suum perdet, cùm scriptura dicat, Non morientur patres pro filiis, neque filij pro patribus suis, sed vnusquisque in peccato suo. Sed sciendum est quòd per locum merces quæ illi pro pastorali cura debebatur, designatur, vt sit sensus: Nisi pœnitentiam egeris pro eo quòd charitatem tuam primam reliquisti, & ad prima opera non redieris: vt quod ore prædicas, opere impleas, mercedem quæ tibi pro pastorali cura debebatur subtrahā. *Sed hoc habes.*) Videlicet vt candelabrum non moueatur. *Quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.*) Pro eo quòd illorū facta odisti, quæ & ego odiui, merces quæ tibi pro pastorali cura debebatur, adhuc tibi manet. Nicolaitæ verò erant hæretici, quos superius dixit, non posse eum sustinere. *Qui habet aures audiendi audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.*) Quia cunctis aures habentibus dicit, qui habet aures audiendi audiat, aures procul dubio cordis requirit. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.*) Duo ligna erant in medio paradisi. E quibus vnum lignum vitæ, alterum verò lignum scientiæ boni & mali vocabatur. Quorum virtus talis erat, vt si quis ex ligno vitæ comedisset, non moreretur in æternum. Si quis verò ex ligno scientiæ boni & mali comederet, quanuis esset immortalis, mortalis statim fieret. Paradisus igitur ecclesiam significat: lignum verò vitæ in medio paradisi, Christus est in medio ecclesiæ suæ. Lignum autem scientiæ boni & mali, quod & ipsum in medio paradisi fuisse dicitur, diabolum significat, qui inter fideles discurrere non cessat, vt quoscunque potest decipiat. Lignum igitur vitæ ad electos: lignum verò scientiæ boni & mali, ad reprobos pertinet. Fructus ergo ligni vitæ electi comedūt, vt in æternum viuant cum Domino: fructus verò ligni scientię boni & mali, reprobi comedunt & moriuntur: quia suggestionibus diaboli, omnibúsque vitiis & voluptatibus pascuntur, vnde æternam damnationem sibi adquirunt. Et sicut mulieri delectabiliores fuerunt fructus ligni scientiæ boni & mali, quàm fructus ligni vitæ, ita & reprobis delectabilior est gloria huius seculi, quam oculis corporis vident, quàm gloria cœlestis patriæ, quæ non nisi oculus spiritalibus videtur. Sed oritur quæstio, Cur lignum scientiæ boni & mali dicatur, cùm primo homini, scientiam mali ministrauerit, non scientiam boni. Quæ ita soluitur: Primus nanque angelus quando creatus est, scientiam boni habuit, non scientiam mali. Sciētiam verò mali per semetipsum inuenit, ob quam causam de illa cœlesti gloria deiectus est. De ligno ergo scientiæ boni & mali primus homo comedit, quando illius suggestiones secutus est, qui scientiam boni & mali habebat. Neque enim lignum, scientiam mali docere potuit, sed diabolus præceptum Dei homini transgredi suasit. Dicit ergo, Vincenti dabo edere de ligno, quod est in paradiso Dei mei. Ille vincit, qui in bonis operibus vsque ad finem vitæ suæ perseuerat. Vincenti ergo Christus edere de ligno vitæ dabit, quia præcepta sua vsque ad finem vitæ seruantibus, immortalitatis suæ gloriam in cœlesti beatitudine secundabit, vt cum eo æternaliter viuant, cuius præcepta in seculo positi

Ioan. 15.
Leuit. 26.
2. Corin. 6.
2. Cor. 10. 11.
Matth. 7.
Hierem. 31. Ezech. 18.
Genes. 3. 1. Pet. 5.

siti seruare studuerunt. Quod autem patrem deum suum vocat, ad humanitatem pertinet. *Et angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe. Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus & venit: Scio tribulationem tuã, & paupertatem tuã.*) Potest fieri vt Smyrnæorum ecclesia, eandem persecutionem à contribulatoribus suis in rapina bonorum suorum pertulerit, quam & illa quæ apud Hierosolymam erat. Ideóque tribulatio & paupertas eius à Domino, quam pro ipso sustinuit, laudatur. Potest & hoc, voluntaria paupertas intelligi: de qua Dominus dicit in Euangelio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: Sed diues es: pauper videlicet rebus, diues virtutibus. *Et blasphemaris ab iis, qui se dicunt Iudæos esse & non sunt, sed sunt synagoga satanæ.*) Iudæi, confitentes interpretantur. Iudæi igitur Christum blasphemabant: non Iudæi, id est confitentes, sed synagoga satanæ non incõuenienter vocantur. Prædicuntur ei aduersa, vt venientia facilius tollerare posset. *Nihil horũ timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem vt tentemini.*) Id est quosdam ex vobis diabolus, id est ministri diaboli in carcerem missuri sunt, vt tentemini vtrum timore pœnarum à fide cedere, an pro amore Christi, mori deliberetis. *Et habebitis tribulationem diebus decem.*) Tempus quo hæc persecutio crudelius sæuitura esset, demonstrat. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*) Per coronam vitæ, gloriam sempiternam demonstrat. *Qui habet aures, audiat quid spiritus dicat ecclesiis. Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.*) Quid sit mors secunda, in sequentibus demonstrabimus. *Et angelo Pergami ecclesiæ scribe. Hæc dicit qui habet romphæam, vtraque parte acutam.*) Per romphæam, iudiciaria domini potestas potest intelligi. Quæ vtraque parte acuta dicitur, propter duo iudicia. Vnum quod factum est per aquam, alterum quod fiet per ignem. Sed excludimur ab hoc intellectu, eo quòd illud iudicium iam peractum, atque per misericordiam Dei abolitum sit. Tunc nanque iudicij illius acumen deletum est, quãdo Deus dixit ad Noë: Per memetipsum iuraui, quia non adiiciam vltrà aquas diluuij super terram. Videtur ergo mihi per romphæam, diuinam scripturam debere intelligi: quæ propter resecanda vitia, acuta esse dicitur: & propter duo testamenta, vtraque parte acuta demonstratur: Nam & vetus & nouũ testamentum hoc nobis indesinenter admonent, vt vitia relinquamus, & in bonis operibus nosmetipsos exerceamus, quatenus salutem animarum nostrarum inuenire possimus. *Scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ.* Id est, inter illos habitas, qui sessorem habent diabolum. *Et tenes nomen meum & non negasti fidem meam.*) Id est, quanuis ab eis inter quos habitas, pro nomine meo assiduè persecutiones perferas, tamen nomen meum tenes, & fidem meam non negasti. *Et in diebus illis Antipas testis meus, qui occisus est apud vos, vbi satanas habitat.*) Et in diebus illis, id est, in diebus quibus persecutio apud vos amplius feruebat, Antipas testis meus, subauditur extitit, qui occisus est apud vos, vbi satanas habitat. Apud vos occisus est, & non à vobis, sed ab illis inter quos vos habitatis, in quibus habitat diabolus. *Sed habeo aduersum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.*) Legimus in libro Numeri, quòd Balac Rex Moabitarum, ad sugestionem Balaam posuerit speciosas mulieres in conspectu filiorum Israel, diis suis sacrificantes. Quarum pulchritudo non solùm ad perpetrandam libidinem eos accendit, sed etiam vt de sacrificiis eorum comederent, perduxit. Nicolaitæ verò erant hæretici nuptias detestantes, docentésque fideles, vt quibuscunque vellent miscerentur more bestiarum. Sicut ergo per doctrinam Balaam, filij Israel in fornicationis malum dilapsi sunt, propter quod multi eorum perierunt, ita & Nicolaitæ quosdam ex fidelibus, qui apud Pergamum erant, sua praua doctrina in fornicationis malum deiecerunt: docentes eos vt nullo modo se vinculo coniugali irretirent, sed quibuscunque vellent, passim miscerentur. Quòd autem dicit, habeo aduersum te pauca, significat paucos ex fidelibus ab hæreticis esse deceptos. *Similiter pœnitentiam age.*) Hoc quod dicit similiter, videtur mihi ad angelum Ephesi ecclesiæ respicere, cui dicitur: Pœnitentiam age, eo quod charitatem tuam primam reliqueris. Quasi diceret: Sicut præcepi angelo Ephesi, vt pœnitentiã ageret, eo quòd charitatem primam reliquisset, similiter & tu pœnitentiam age, eo quòd à charitate deuiaueris, vt aliquos tuorum per taciturnitatem amitteres. *Si quo minus, veniam tibi citò.*) Solet per aduentum Domini, mors intelligi: vnicuique enim dominus tunc venit, quando per mortem, animam à corpore Matth. 24. separat, partémque eius, cum hypocritis ponet. Homo enim ex anima & corpore cõsistit. Diuidit Dominus hominem, cùm animam à corpore separat. Partem eius cum hypocritis ponit, quando animam, quę secunda pars est in homine, pro iniquitatibus suis cum impiis cruciandam tradit. In hoc ergo quod dicit, Veniam tibi citò, talis mihi sensus esse videtur: Si pœnitentiam non egeris veniam tibi citò, vt te per mortem quam præuidere negligis, dissoluam. Sequitur. *Et pugnabo cum illis, in gladio oris mei.*) Id est, alium in loco tuo ponam, & ponam gladium verborum meorum in ore eius, in quo deiiciam aduersarios veritatis. *Qui habet aures, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.*) Vbicunque hæc sententia ponitur, vel in Euangelio, vel in Apocalypsi, sciendum est mysticum esse quod dicitur, & ad intelligendum difficile. *Vincenti dabo manna absconditum.*) Legimus in veteri testamento, quòd po- Exod. 16. pulum Iudæorum per desertum gradiẽtem, Dominus manna pauit, vsque dum venirent ad terram repromissionis. Per manna igitur sapientia, quæ Christus est, intelligi potest. Ipse est enim panis viuus, qui de cœlo descendit. Hoc pane Ioan. 6. aluntur omnes electi, in deserto atque in itinere huius seculi positi: vsque dum veniãt ad terram repromissionis, id est, ad cœlestem beatitudinem, quam repromisit Deus diligentibus se. Absconditum autem ideo dicitur, quia sapientia Dei superbis absconditur, & humilibus reuelatur, sicut ipse dicit in Euangelio: Confiteor tibi pater, domine cœli & ter- Matth. 11. Luc. 10. ræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. *Et dabo illi calculum candidum.*) Per calculum, qui lapis paruus est, & à calcando sic dictus, Euangelium possumus accipere. Quia sicut antiqui, horum lapidum multitudinem magnam sibi congregabant ad partiendos & diuidendos numeros: ita doctores ecclesiæ, multa verba Euangelij in cordibus suis congregant. Quorum obscuritates & spiritales intelligentias, & vtilitates dũ auditoribus suis aperiunt, quasi numeros suos diuidũt, & partiuntur. *Et in calculo nomẽ nouum scriptũ, quod nemo scit, nisi qui accipit.*) Quod est hoc nomen Christi, quod in calculo Euangelij scriptum esse dicitur: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, Ioan. 1. & deus erat verbum. Et iterum. Ego & pater, vnum sumus. Et idem Euangelista in alio loco dicit: Qui non solùm sol- Ioan. 10. uebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqua- Ioan. 5. lem se faciens Deo. Si Christus æqualem se faciebat Deo, cur dicit Arrius minorem esse filium patre? Hoc ergo nomen quod in calculo scriptum est. nullus scit, nisi qui accipit, quia omnipotentiam, diuinitatem, æqualitatem filij cum patre, nullus scire præualet, nisi cui doctrina Euangelij data fuerit. Sed est aliud quod nos mouet: nam paulo superius dixit: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Si igitur solis illis qui diabolum vincunt, & manna, & calculus, & nominis Christi datur scientia, ergo impij qui diabolum non vincunt, sed ab eo vincuntur, quanuis baptisma, quanuis fidem Christi videantur habere, ab hoc tamen munere alieni existunt. Sed dicit aliquis, Quomodo literatus quisque, & in diuinis scripturis eruditus, mysterium nominis Christi nescit, quãuis & seculum diligat, & voluptuosè viuat? Huic ego duorum hominum similitudinem, mel multum possidentium opponam: ex quibus vnus ex eo edere solitus erat: alter verò ab eius esu, quadam necessitate cogente, omnibus modis abstinebat. Quis horum tibi videtur, saporem mellis satius cognouisse? Vtique respõdebis mihi, quia iis qui eius dulcedine perfrui solitus erat. Et tamen si interrogasses vtrosque de melle, cuius esset saporis, vterque dulcissimum esse fateretur. Sed diceret ille quod audiuit, iste quod expertus erat: illius lingua loqueretur quod fauces ignorabant, istius autem quod delectatio docuerat. Ille igitur

qui mel non ad vtendum,sed ad lucra exaggeranda possidebat,eos significat,qui ex scientia diuinarum scripturarū gloriam temporalem plusquam æternam capessunt. Ille verò qui mel ad hoc possidebat,vt eius dulcedine assiduè fruerētur,eos significat, qui mandata Dei non pro gloria temporali,sed pro amore Dei discere studeant,vt per eorum operationem, ad gloriam æternam peruenire mereantur. Illis mandata Dei quanuis ea prædicentur, dulcia non sunt,quia non dulcedinem cœlestis patriæ,sed dulcedinem terrenam,
Psalm. 118. quæ amaritudinem generat,diligunt. Istis autem mandata Dei spes cœlestis patriæ, dulcia facit: sicut dicit Psalmista: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua domine, super mel & fauum ori meo. Illi ergo soli sciunt nomen Dei, qui cu-
Amici huius seculi Deum ignorant. stodiunt mandata Dei. Qui verò seculum diligunt, qui in quibusdam vitiis semetipsos deiiciunt, qui desideria carnis suæ perficiunt,nesciunt nomen Dei, quia timorem & amorem eius à mente sua abiiciunt. Aliter: Potest per calculum noménque in eo scriptum, beatitudo cœlestis patriæ designari, vt per calculum cœlestis patria, per nomen verò in eò scriptum, beatitudo cœlestis patriæ figuretur. Hoc ergo B nomen nullus scit, nisi qui accipit calculum,quia quanta sit
Esa. 64. illa cœlestis beatitudo, nullus scire prævalet, nisi qui ad hanc peruenire meruit, sicut dicit Esaias propheta: Oculus non vidit Deus absque te,quæ præparasti expectantibus te. *Et angelo Thyatiræ ecclesiæ scribe. Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos vt flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco.*) Quid ista significent,superius dictum est. *Scio opera tua, & charitatē, & fidem, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus.*) Hic per omnia laudatur: sed sicut sequentia manifestant,sola taciturnitatis culpa in eo redargui tur. *Sed habeo aduersum te,quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetam,docere & seducere seruos meos,fornicari, & manducare de Idolothytis.*) Hæc mulier quæ Iezabel impiissimæ comparatur,ideo se propheten mendaciter affirmat, vt facilius sub religionis nomine falsam doctrinam in populum Dei introduceret. Et sicut Iezabel populum Dei, culturam Dei
3. Reg. 19. deserere, & idola venerari: ita & hæc populum Dei à cultura Dei, id est, à fide recta, conabatur per prauam doctrinam separare. Fornicatur enim anima, quæcunque à Deo creatore suo recedit. Idolothytum vocat illud, quod idolis erat immolatum. Docebat enim hæc mulier, nihil nocere fidelibus si comederent carnes, quæ idolis immolabantur.
Iob 24. *Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicationibus suis,*) Sicut & beatus Iob de impio dicit: Dedit illi Deus locus pœnitentiæ,& ille abusus est eo in superbia. *Ecce mitto eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, erunt in tribulatione maxima, nisi pœnitentiam egerint, & filios eius interficiam morte.*) Ecce mulieri & filiis eius pœnitentiæ locus nullus promittitur,eo quòd pœnitentiæ tempus à Deo sibi indultum spreuerint: iis autem qui mœchabantur cum ea, adhuc locus pœnitentiæ repromittitur. Videntur ergo mihi ij qui mœchabantur cum ea, eos designare, qui prauis eius assertionibus fauentes necdum ex toto in foueam malitiæ eius demersi fuerant. Per filios eius eos designari, qui iam ex toto ab ea decepti medicamentum correctionis nullo modo recipere volebant. Per lectum autem
Luc. 16. in quo mulier mittenda erat,infernus designatur,in quo sepultus est & dives,de quo dicit Dominus in Euāgelio: Mortuus est autem dives,& sepultus est in inferno. Per tribulationem verò maximam,in qua ponendi erant, qui mœchabantur cum ea,nisi pœnitentiam agerent,& per mortem in qua filij eius interficiendi erant,eadē inferni pœna designatur. *Et scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda.*) Per renes qui intra corpus continentur,& ex quibus libido procedere dicitur,peccata abscondita: per corda autem,cogitationes occultæ designantur. Et est sensus: Et scient,videlicet in die iudicij,quando & ipsa mulier,& omnes qui decepti sunt ab ea,damnabuntur: omnes ecclesiæ, id est, omnes qui Christiano nomine censentur,non solùm electi,sed etiā reprobi,quia ego sum scrutans renes & corda. Id est, Nō solum peccata quæ patent, verumetiam & quæ latent, sed & ipsas cogitationes intueor,& in illa die dabo vnicuique vestrum secundum opera vestra. *Vobis autem dico cæteríque, qui Thyatiræ estis, quicunque non habent doctrinam hanc, qui non cognouerunt altitudinem satanæ, quemadmodum illi dicunt, non mittam super vos aliud pondus.*) Hoc quod dicit, videtur mihi non ad doctrinam mulieris, sed ad falsos apostolos pertinere, qui docebant eos qui ex gentibus crediderāt, vt in legem & circuncisionem verterentur. Et quia Iudæi de legis obseruantia superbiebant: & post Euangelium datum, custodia legis secundum literam, nihil est aliud quàm seruitus diaboli. Possumus per altitudinem satanæ, ipsam legem, si carnaliter implētur, intelligere. Quod igitur dicit, tale est: Vobis dico cæteris qui Thyatiræ estis: Videlicet qui in fide perstitistis, quicunque non habent doctrinam hanc, id est, qui non receperunt doctrinam illius pessimæ mulieris: qui nō cognouerunt altitudinem satanæ, quemadmodum illi dicunt, id est qui legem non susceperunt, quemadmodum falsi apostoli dicunt, vt eam carnaliter impleant: receperunt quidem eam, vt spiritaliter impleant, non receperunt autem eam, vt carnaliter custodiant. Verbi gratia, Illi dicebant, quia nisi Act. 15. circuncidatis carnem præputij vestri, non potestis salui fieri: isti autem circuncisionem non carnaliter, sed spiritaliter intelligentes, circuncidebant à cordibus & à carne sua omnia vitia. Illi autem dicebant vt seruarent sabbatum, nihil in eo facientes operis: isti verò omne tempus vitæ suæ pro sabbato accipientes, ab omni opere seruili, id est, à peccatis in Act. 15. quantum poterant, abstinere curabant. Non mittam super vos aliud pondus, id est, qui in fide perstitistis, qui falsos apostolos non recepistis. Non mittam super vos aliud pondus, nisi quod ab apostolis præceptum est vobis, vt abstineatis vos ab escis, quæ idolis immolantur, & à suffocato & san Hebr. 9. guine & fornicatiōe. *Veruntamē id quod habetis, tenete donec veniā.*) sic est, ac si diceret: Quia paruuli estis, & lac vobis opus est, non solidus cibus, fidē quam didicistis, tenete, donec veniam, vt per aspirationis meæ gratiā ad altiora opera virtu- Psalm. 2. tum agenda vos prouocem. *Et qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo ei potestatem super gentes, & reget eas virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à patre meo.*) Per finē in hoc loco, mors, intelligitur. Qui ergo vicerit mundum & cōcupiscentias eius, & perseuerauerit vsque in finem, dabitur ei potestas super gentes, & reget eas in virga ferrea. Sed & si per finē mors intelligitur, quomodo electi post mortem gētes dicuntur regere, cùm in illa beata vita, nullus sit qui regatur in virga ferrea, vbi nihil distortum, nihilque prauum inueniatur? nisi fortè eo sensu intelligamus, sicut est illud: qui fecit quæ futura sunt. Omnia enim quæ secundum dispositionem Dei fienda sunt, in prædestinatione eius iam quasi facta existunt: quia non potest fieri vt immutetur aliquid ex omnibus, quæ statuit Deus vt fiant. Similiter & sanctos quos præsciuit Deus futuros iustos, & in bonis operibus perseueraturos, ante ortum illorū Hiere. 1. hos præsciuit, vt habeant potestatē super gentes, & regant eas in virga ferrea: sicut ad Hieremiā loquitur dicens: Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de Psalm. 2. ventre sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te. In secundo psalmo scriptum est, quia dixit pater ad filium: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuā, & possessionem tuam, terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli cōfringes eos. Dedit pater filio potestatem, vt regat gētem in virga ferrea: dedit & filius potestatem Apostolis & cæteris prædicatoribus, vt regant & ipsi gentes in virga ferrea, & tanquam vas figuli conterant eas. Per virgam igitur ferream, Euāgelium designatur, sicut & per virgam ligneam, lex. Nam virga lignea qua vtebatur Moyses, ipsam legem quæ ab eo data est, prætendebat. Ipsa nanque virga sicut in Exodo legimus, Percussit bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta. Virga igitur est vetus testamentum. Bina percussio, legem & prophetas: petra autem Christum figurabat. Virga ergo bis silicem percussit, quando vetus testamentum per legem & prophetas, Christum ad redemptionem generis humani venturum esse prædixit. Et quia impossibile erat, vt ea quæ Luc. 16. per legem & prophetas prædicebantur non implerentur, sicut Dominus dicit in Euangelio: Facilius est cælum & terram transire, quàm vnum iota, aut vnus apex præte-

Exod. 17. Num. 20.

prætereatur à lege qui non impleatur. Virga bis silicem percussit, quando vaticinia prophetarum atque legis quodãmodo compulerunt, vt homo fieri Deus dignaretur. Percussa est igitur petra, & egressæ sunt aquæ largissimæ, quia Christus secundum hoc quod dictum erat veniens, fluenta doctrinæ cœlestis, id est, euangelium de se produxit. Bibit populus & iumenta, id est, Iudæi & gentes. Ipsa etiam virga in tabernaculo floruit, nucésque produxit: quia in tabernaculo ecclesiæ postea vetus testamentum flores spiritalium sensuũ protulit: ipsíque flores, fructus bonorum operum ediderunt. Hoc totum ideo diximus, vt demonstraremus per ligneam virgam definatam fuisse legem. Et quia austeriora sunt præcepta noui testamenti quàm veteris, non incongruè per virgam ferream Euangelium, per ligneam autem, lex figuratur. In illa dicitur, Comedetis & saturabimini, bibetis & inebriabimini, dormietis & non erit qui exterreat: & iterum, Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proiicietis, & multa alia quæ ad delectationes carnales pertinent. Istis autem dicitur: Videte ne grauẽtur corda vestra in crapula & ebrietate & curris huius seculi: & iterum, Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitã. Et Paulus Apostolus dicit, In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patiẽtia, in vigilis, in ieiuniis, & alia innumerabilia, quæ in nouo testamento de maceratione carnis inueniuntur. Nam & Dominus in Euãgelio quòd austeriora sint sua præcepta præceptis legis, manifestat cùm dicit: Audistis quia dictum est antiquis, Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iracitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit consilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Et iterum dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Et iterum dictum est antiquis: Quicunque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij. Ego autem dico vobis, Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Et iterum dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est. Hæc igitur verba domini quæ protulimus, apertè demonstrant per virgam ferream Euangelium: per ligneam autem, fragilem & mollem legem figurari: per vasa autem figuli, corda Gentilium omnibus erroribus dæmonum repleta designantur, quæ à tactu virgæ ferreæ confracta sunt. Quia veniente euangelij gratia, omnis error Gentilium destructus est: & quæ erant antea vasa fictilia, facta sunt vasa ferea: contra omnia tentamenta dæmonum, & contra persecutiones hominum malorum fortissima. *Et dabo illi stellam matutinam.*) Id est, meipsum dabo illi. Ipse est enim stella matutina, de quo dicit scriptura: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israel, & percutiet duces Moab. Moab dicitur ex patre. duces ergo Moab Dominus percussit, quãdo omnes fabricatores errorum exinaniuit.

CAPVT TERTIVM.

ET angelo Sardis ecclesiæ scribe. Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei & septem stellas.) Septem spiritus Dei, septem sunt dona spiritus sancti, quæ in Dominum descendisse Propheta Esaias ostendit, dicens: Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus: spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. De his septem spiritibus, quod Dominus dederit, in sequentibus dicemus. Quid sint autem septem stellæ, superiùs dictum est. Sequitur: *Scio opera tua, quia nomen habes quòd*
A *viuas, & mortuus es.*) Nomen habet quòd viueret, id est, nomen Christianum: sed mortuus erat, quia fidei opera, quæ est charitas, non habuit. *Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant.*) Vigilat, qui semper bona opera exercet. Præcipitur ergo huic vt vigilet, id est, vt in charitatis operibus semetipsum exerceat, ne parua bona quæ adhuc videbatur habere deperirent. Quia sicut corpus mortuum est sine anima, ita & nos si quælibet bona videamur habere, mortua sunt si charitas defuerit. *Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.*) Non erant plena, sed vacua, quia charitate non replebantur: vnde & quinque virgines fatuæ à contubernio sponsi cœlestis repulsæ sunt, quia oleum charitatis in vasis suis habere noluerunt. *In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & serua pœnitentiam age.*) Id est, recordare qualiter fidem Christi in baptismate perceperis: vbi promisisti renunciaturum te diabolo, & omnibus pompis eius. Recordar eetiam quid à doctoribus fidei Christianæ, qui te fidem Christi docuerunt, qualiter te viuere opporteret,
B audisti: & serua quod audisti: & pœnitentiam age, eo quòd à bonis operibus tam diu torpuisti. *Si ergo non vigilaueris.* (Id est, ad bona opera agenda, temetipsum non excitaueris. *Veniam tanquam fur, & nescies qua horam veniam ad te.*) Illi Dominus tanquam fur superuenit, vt eum per mortem ab hac mundana habitatione subtrahat, qui in prauitatibus suis requiescens, neque à vitiis vult abstinere, neque ipsam mortem ante oculos ponere, sicut Dominus dicit in Euangelio: Quia si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Per patremfamilias, mentem debemus intelligere: quia sicut paterfamilias omnibus qui in domo sunt, principatur, ita & mens omnibus actibus corporis & cogitationibus præfertur. Pater igitur familias dormit, fúrque veniens domum eius perfodit, quando mens in delectationibus carnalibus requiescens, mors dum non præuidetur, superuenit, atque domum corporis perfodiens, animam abstrahit. Si autem vigilauerit, id est, in bonis operibus perseuerauerit, mortem nõ vt furem, sed vt liberatricem perferet. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua.* Ecce discipuli pastori negligenti præponuntur, vt saltem in eorum imitatione proficeret. Sed mirum cur pauca nomina habere dicatur, & non paucos homines. Sed hoc ad excellentiã magnam alicuius sancti pertinet: cùm eum Deus nominatim scire dicitur, sicut Moysi perfecto viro dicitur: Noui te ex nomine. Et Dominus dicit in Euãgelio: Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Isti ergo pauci, qui voce Dei laudari merentur, non inquinauerunt vestimenta sua, id est, mundiciam quam in baptismo perceperunt, sordibus vitiorum non inquinauerunt. Et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt, id est, in bonis operibus. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, id est, qui per pœnitentiam & lachrymas diabolum vicerit, & vitia omnia à se expulerit, eandem mundiciam quam baptizatus possidet, & ipse consequetur, Hæc ideo dicit, vt & pastorem Sardis ecclesię, & omnes etiam peccatores ad pœnitentiam prouocet. *Et non*
D *delebo nomen eius de libro vitæ.*) Si librum vitæ prædestinationem vocat quomodo de libro vitæ aliquis deleri potest, cum Apostolus dicit: Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, ipsos & glorificauit? nisi fortè ita intelligamus: Sunt multi qui ab hominibus iusti putantur, sed in conspectu Dei, iniusti existunt. Ergo homines qui eos iustos æstimãt, iam in libro Dei eos scriptos esse putant. Sed in die iudicij, cùm facta reproborum atque iustorum omnibus patebunt, hæc inscriptio atque falsa suspicio à mentibus eorum delebitur, cùm eorum damnationem pro impietatibus suis conspexerint. *Et confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis Dei.*) Confessio ista tunc fiet nominum iustorum, quando secundum qualitatem meritorum, vnusquisque mercedem recipiet. *Et angelo Philadelphiæ ecclesiæ scribe: Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid.*) Legimus in libro Regum, quod dixerit Dominus ad Dauid: Et erit cùm dormieris cum patribus tuis, suscitabo

Vigilia Christianorum. Iacobi 2.

Matth. 25.

Rom. 8.

Deleri de libro vitæ.

Exod. 3. Ioan. 10.

Matt. 24.

semen tuum quod egredietur ex te, & firmabo regnum
eius in sempiternum. Ego ero ei in patrem,& ipse erit mihi
2.Reg.7. in filium.Hoc de Christo esse dictum, nullus est nisi perfidus Iudæus, qui ambigat. Et in domum obseratam nullus nisi per clauem potest introire. Filius ergo Dei habet clauem Dauid,quia ipse hominem assumpsit ex genere Dauid, quem clauem Dauid vocat, per quem reserata sunt omnia, & quæ Deus ad Dauid, & quæ Dauid de Deo locutus est. *Qui aperit,& nemo claudit,claudit,& nemo aperit.*) Aperuit dominus Iesus Christus vetus testamentũ ad intelligenda diuina mysteria, quæ in ea latebant, quod nullus claudere poterit. Clausit verò obseruantiam literæ legalis superfluam, quam nullus aperire poterit. Aperuit etiam corda gentilium, ad percipiendam doctrinam fidei, quæ nullus persecutor claudere potuit. Clausit verò atque destruxit culturam idolorum, quam nullus persecutor aperire potuit. Aperiet etiam aditum regni cœlestis suis electis, quod nulla vis dæmonum claudere potest:clausit verò eundem aditum reprobis, quod nullus eis aperire poterit. *Scio opera tua: Ecce, dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere:quia modicam habes virtutem,& seruasti verbum meum: & non negasti nomen meum.*) Videtur quod iste angelus ecclesiæ Philadelphiæ non satis in diuinis scripturis fuerit eruditus: & ideo dixerit eum modicam habuisse virtutem, ad refutandos videlicet inimicos fidei veritaris. Et est sensus, Quia in persecutione constans fuisti, & seruasti verbum meum, id est, à prædicatione verbi mei non cessasti, & nomen meum non negasti: ideo quia modicam habes virtutem: dedi coram te ostium apertum in diuinis scripturis, vt intelligas mysteria diuinarum scripturarum: Quod nemo poterit claudere, id est, sapientiæ quæ tibi dabitur, nullus poterit resistere inimicorum. *Ecce dabo de synagoga satanæ qui dicunt se Iudæos esse & non sunt, sed mentiuntur.*) Ecce,dabo de synagoga satanæ qui tibi aduersabantur,& quorum infestationem assiduè tolerabas, vt credant per verba tua in me. Ecce, faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos, & sciens quia dilexi te, quoniam seruasti verbum sapientiæ meæ: id est, cùm crediderint per verba tua in me, adorabunt ante pedes tuos deprecantes, vt per te vitam æternam consequantur. *Et ego te seruabo ab hora tentationis,quæ ventura est in vniuersum orbem, tentare omnes qui inhabitant terram.*) Hora tentationis, diem iudicij significat. Tentationem autem pro manifestatione posuit, quia singulorum facta omnibus manifestabuntur. A qua hora tentationis, nos & omnes electos suos Dominus saluabit. *Ecce venio citò: Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*) Tene quod habes, id est, bonum quod habes vsque in finem vitæ tuæ tene. Vt nemo accipiat coronam tuam, id est, vt gloriam quæ tibi debetur, nullus sine te possideat. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum.*) Potest per templum ecclesia designari: per columnas autem quæ
Galat.2. sustentant templum, prædicatores. Nam & Paulus apostolus Petrum & Iacobum columnas ecclesiæ vocat, eo quòd super ipsos ædificata sit ecclesia: sicut Dominus dixit
Matth.16. Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Sed videtur propter hoc quod sequitur:Et foras non egredietur amplius,non ad presentem ecclesiam, sed ad cœlestem pertinere hanc sententiam.Nam multi fuerunt, qui columnæ ecclesiæ dicebantur:sed propter prauam doctrinam eorum ab ea exierunt sicut fuit Origenes, &
Origenes. multi alij. Per templum ergo, cœlestis habitatio: per columnam verò vnusquisque electus potest designari.Ergo qui vicerit omnia tentamenta diabolica, omnésque carnales voluptates, columna in templo Dei efficitur, id est, in cœlesti beatitudine. Et sicut columna in loco, in quo statuitur firmissimam stabilitatem à creatore consequitur, vt nunquam ab ea diuellatur, quemadmodum auulsus est diabolus, qui de cœlesti beatitudine superbiendo cecidit. *Et scribam super eum nomen Dei mei.*) Nomen hoc Dei, est æternum: Nomen ergo Dei quod est æternum, super vnumquenque iustum scribitur, quando æternitas ei cum
A Domino permanendi largitur. Et nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo. Noua Hierusalem illa est cœlestis, quæ non ex lapidibus sicut vetus, sed ex sanctis hominibus quotidie ædificatur. Hierusalem autem interpretatur visio pacis, id est, visio. Dei. Nomen ergo Hierusalem, super vnumquenque electum scribitur, dum hoc vnicuique conceditur, vt Deum sine fine videre mereatur. Aliter: Nomen Hierusalem super vnumquenque electum scribitur: cò quòd sit ipse Hierusalem, in quo Deus regnare dignetur: in societate videlicet angelorum omniúmque electorum, qui Hierusalem cœlestis vocantur. Sed mirum, cur Hierusalem de cœlis descendisse dicitur, cùm sciamus electos omnes à terris ad cœlos conscendere quotidie, non de cœlestibus ad terrena relabi. Sed domino de cœlis ad redemptionem generis humani descendente,simul etiam sancti descenderunt, qui iam per prædestinationis gratiam illi coniuncti erant, quos
B per misericordiam suam redimere veniebat. *Et nomen meum nouum* videlicet vt vocetur filius Dei, sicut & ego sum filius Dei. *Et angelo Laodiciæ ecclesiæ scribe: Hæc dicit,amen, testis fidelis & verus.*) Amen verè, siue fideliter interpretatur. Quod est amen, hoc est, & testis fidelis & verus. *Qui est principium creaturæ Dei.*) Non ideo se principium creaturæ Dei dicit, quòd ipse sit creatura, sed quòd ab ipso omnia sint creata, vtpotè architectus fecit domum. Si interrogaueris quis fuerit principium domus, dicetur tibi: Artifex, qui eam prius mente concepit, & postea ædificauit, quia domus sibimetipsi principium dare non potuit. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus,*) Frigidus non erat, quia quamuis opera fidei non haberet, sola fide se iustum existimabat. Calidus non erat, quia charitas illi deerat. Vtinam frigidus esses aut calidus, id est, vtinam aut charitate ferueres, aut te peccatorem sicut es, existimares: vt per timorem ignis æterni & pœnitentiam, ad bona opera agenda impellereris. *Sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore*
C *meo.*) Aqua tepida si hausta fuerit, fastidium generat, ideóque facilè reiicitur. In ore verò Domini tunc ingredimur, quando per baptismum à vitiis omnibus emundati, membra eius efficimur.Igitur si fidem, quæ per charitatem operatur,& quam in baptismate promisimus, à charitate tepescentes operari neglexerimus,ab ore Domini, veluti quoddam nocuum, ac fastidiosum, fœtidúmque reiicimur,sicut ipse dixit de seipso discipulis suis: Ego sum vitis,& vos palmites, & pater meus agricola est. Omnem palmitem non ferentem in me fructum purgabit eum, vt fructus plus afferat. *Quia dicis quòd dives sum,& locupletatus,& nullius egeo.*) Dives & locupletatus rectè dicitur, qui omnibus virtutibus plenus,vsque ad culmen perfectionis excreuit. Iste autem pręsul ecclesię Laodicię propter solam fidem,omnibus virtutibus diuitem se & locupletem æstimabat, & nihil se ad salutem æternam adquirendam aliud agere, non recogitans illud quod dicit Apostolus, quia fides sine operibus mortua est. *Et nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper,*
D *& cæcus,& nudus.*) Miserum eum dicimus,qui cum paupertate & nuditate,etiam aliqua infirmitate premitur. Similiter & iste miser & miserabilis dicitur, eò quòd pauper erat virtutibus,operibus bonis nudus. *Suadeo tibi emere à me aurum probatum ignitum.*) Per aurum sapientia intelligitur,sicut scriptũ est Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Quòd probatum dicitur quia probatos & perfectos reddit omnes quos possidet.Ignitum verò ideo dicitur,quia eorum mentes in quibus habitat, in amore Dei atque proximi accendit.Et quia vera sapientia ex diuinis scripturis accrescit, Psalmista manifestat cùm dicit:Eloquia Domini,eloquia casta,argentum igne examinatum,probatũ terræ purgatum septuplum.Eloquia Domini,eloquia casta sunt,quia castas mentes à vitiis reddunt.Sed cùm nihil purgari possit, nisi quod sordidum est,quærendum nobis est, quomodo eloquia Domini purgari dicantur,in quibus nihil sordidum esse potest.Eloquia ergo Domini sicut argentũ igne examinatum esse dicuntur,quia mentes fidelium, aliquando igne charitatis ab omnibus sordibus examinant. Quod autem

Ioan.15.

Iac.2.

Prou.21.

Psal.11.

aiț,

ait, probatum terræ, in Hebræo habet separatum à terra. Quod etiam septuplum purgatum dicitur propter septem purgationes quas diuina scriptura in se continet, septem videlicet virtutes quibus omnia vitia purgantur: quemadmodum gulæ vitium purgatur per abstinentiam, superbia per humilitatem: libido per pudicitiam: odium, auaritia, inuidia & multa alia, per charitatem. Similiter & cætera vitia habent hostes suos, à quibus aut vincuntur aut vincunt. Et quia superiùs dicit, vt aurum, id est, sapientia à se ematur, quærendum nobis est, quo precio sapiẽtia ematur cùm Iob dicat: Non dabitur aurum obrizum, id est, purum pro eamed aliud quid, quod inter homines præciosius habetur. Sed quo precio ematur, ipse beatus Iob manifestat cùm dicit: Timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere à malo, intelligẽtia. Non quod ille qui timet perfectus sit in sapiẽtia, cùm Apostolus dicat, Qui autem timet non est perfectus in charitate, sed quod sapientiam iam possidere incipit, qui per ea pretium dare inchoat. Pretium autem eius est, timor Domini, ab renunciatio vitiorum, pœnitentia, lachrymæ, opera misericordiæ. Et ideo non inconuenienter sequitur, vt locupleles fias, quia sine hoc precio, ad locupletationem virtutum quod est sapientia, nemo peruenire post. *Et vestimẽtis albis induaris.*) Vestimenta alba sunt opera bona: *Et non appareat confusio nuditatis tuæ.*) Confusio nuditatis illa est, de qua dicit Psalmista, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: hanc autem confusionem nuditatis, bonis operibus operire debemus. Nam quamuis iste episcopus fidem haberet, nudus tamen dicitur, eo quòd ab operibus fidei vacaret. *Et collyrio inunge oculos tuos vt videas.*) Per collyrium qui caliginem ab oculis detergit lachrymasque educit, pœnitentiam atque compunctionem cordis debemus intelligere. Ipse est nanque, qui ab oculis mentis, caliginem cæcitatis detergit, atque ad videndum quæ sit retributio iustorum & pœna peccatorum acuit. *Ego quos amo, arguo, & castigo.*) Sicut dicit scriptura, quem enim diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem hominem, quem recipit. *Æmulare ergo pœnitentiam age.*) Id est, æmulare bonos, & pœnitentiam age, eo quòd bonis operibus vsque modo torpueris. *Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocẽ meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.*) Pulsat Dominus ad ostium nostrum cùm per scripturam diuinam quotidie nos admonet, ut vitia relinquentes, ad bona opera agenda conuertamur. Vocem eius audimus, & ianuam aperimus, cùm mandata eius tota mentis intentione suscipimus. Ad nos verò intrat cum de nostris profectibus gaudet. Cœnamus nos cum illo, cùm de spe cœlestis glorię exultamus. *Qui vicerit, dabo ei potestatem sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedeo cum patre meo in throno eius.*) Vicit Christus diabolum, vincunt & sancti eius. Sed Christus per semetipsum, sancti verò eius non per semetipsos, sed per ipsum. Dedit pater filio potestatem, secundum quod homo est, vt sedeat in throno eius. Dedit & filius potestatem suis, vt sedeant & ipsi in throno eius. Christus ad dexteram Dei sedet, sicut dicit Psalmista: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: quia æqualis est patri. Sancti autem, non ad dextram filij sedere dicuntur, sed in sedibus suis, sicut dixit Dominus in Euangelio: Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicãtes duodecim tribus Israel. Ipsi enim non naturaliter, vt Christus: sed per adoptionem sunt filij, ideo diuersas sedes sortiuntur, secundum meritorum diuersitatem. Præstet hoc nobis de quo loquimur, vt in earum sedium distributione, nos miseri partẽ habere mereamur, Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Explicit expositio visionis primæ.

Incipit expositio Visionis Secundæ.

Ratio deposcit, vt post septem epistolas, quas ad septẽ ecclesias, quæ vnam catholicam ecclesiam designant, Ioannes direxit: in quibus fideles instruuntur qualiter celsitudinem conscendere debeant, eiusdem ecclesiæ status atque sublimitas manifestius describatur.

CAPVT QVARTVM.

Post hæc vidi hostium apertum in cœlo.) Per ostium, Christus intelligitur, qui dicit Ego sum ostiũ. Per me si quis introierit, saluabitur. Quod ostium apertum esse dicitur, quia omnibus ad se venire desiderantibus, quamuis sceleribus deprimantur, ostium misericordiæ suæ aperire non dedignatur, sicut ipse dicit in Euangelio: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos. Per cœlum autem ecclesia designatur. Sed si omnis qui per ostium in ouile ouium, id est in sanctam ecclesiam introierit saluabitur, reprobi quorum innumerabiles multitudines intra sanctam ecclesiam continentur quo aditu introierunt, de hoc Dominum interrogemus. Ait enim, Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est & latro. Quicunque ergo hoc quod in baptismo promiserunt, obseruare volunt, non per ostium in ouile ouium, sed aliunde ascenderunt. *Et vox prima quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum dicens.*) Vocem primam, vetus testamentum accipere possumus. Sed melius mihi videtur, vt per vocem primam, Ioannem Baptistam intelligamus, de quo scriptum est, Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis ante dominum parare vias eius, ad dandam scientiã salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum. Sed & ipse Ioannes se vocem vocat, dicens: Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam domini, sicut dixit Esaias prophera. Et quia prædicatio eius circunquaque percrepuit, vox prædicationis eius, tubæ similis dicitur. Sed quid vox ista dicat, audiamus. *Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.*) Id est, terrena desere, & ad cœlestia animum erige. Aliter. Ioãnes euangelista personam eorum in hoc loco gerit, qui per Ioannem Baptistam in Christum crediderunt, & multi eo tempore extiterunt, qui Ioannem Christum æstimabant: Ioannes verò, sursum auditores suos mentes erigere suadebat, cùm se non Christum esse dicebat: sed alterum qui post se venturus erat, dicens, Non sum ego Christus. Veniet verò fortior me post me, cuius non sum dignus vt soluam eius corrigiam calciamenti, Ipse vos baptizabit in spiritu & igne. Et iterum. Illum oportet crescere, me autẽ minui. Sed & discipulos suos conscendere sursum monebat, cùm se deserendum, & Christum esse sequendum manifesta ratione perdocebat. Deinde sequitur, *Et ostẽdam tibi quæ oportet fieri post hæc.*) Ac si diceret: Si sursum cor erexeris, id est, Christum fide secutus fueris, ea quæ doceo & quæ ventura sunt, etiam ipso docente facile cognoscere poteris. *Et statim fui in spiritu.*) Id est, cùm in Christum credere cœpi, ex carnali spiritalis effectus sum. *Et ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens.*) Per cœlum ecclesia degnatur. Sedes verò posita in cœlo, corda sanctorum in ecclesia commorantium designat. Qui verò supra sedem visus est sedere, Deus est, qui in cordibus sanctorum suorum inhabitat atque sedet, sicut Apostolus dicit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. *Et qui sedebat, similis erat aspectu lapidis iaspidis & sardini.*) Iaspis lapis viridis coloris est: sardius autem, rubei. Per viriditatem ergo iaspidis, diuinitas nostri saluatoris: per ruborem autem sardij, eius humanitas designatur. Saluator igitur noster, & viriditatem iaspidis in se continet, quia secundum diuinitatem, per omnia æqualis est patri: & ruborem sardij, quia secundum humanitatem homo perfectus existit, sicut scriptum est: Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. *Et iris*

Ioan. 10. Matth. 11. Ioan. 10. Luc. 1. Ioan. 1. Esa. 40. Ioan. 1. 1. Cor. 3. Athanas. in symb.

erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdini.) In Genesi legimus, quia dixit Deus ad Noë: Arcum meum ponam in nubibus cœli, & recordabor fœderis mei sempiterni, quod pactum est inter Deum & omnem animam viuentem. Per arcum igitur qui in signum clementiæ Dei hominibus in terra consistentibus apparet, misericordia Dei non inconuenienter accipitur. Iris, id est, arcus, sedem Dei, id est, ecclesiã circundabat: quia eius misericordia nos circundando protegit & gubernat, atque à visibilibus & inuisibilibus hostibus defendit. In ipso enim, sicut dicit Apostolus, viuimus, mouemur, & sumus. Qui arcus similitudinem smaragdi habuisse dictus est, qui nimiæ atque gratissimæ viriditatis est. Iaspis verò, de quo superius diximus, viridis coloris est, sicut smaragdus, sed eius viriditas obscura est. Viriditas verò smaragdi perspicua est, cuius pulchritudo oculos intuentium ad se mirandam pertrahit: per viriditatem iaspidis, sicuti diximus, diuinitas nostri saluatoris accipitur. Quæ obscurata & quibusdam nebulis obtecta est, quia diuinitatem redemptoris nostri nulla mens sicut est, comprehendere potest. Et quantò altius se mens ad perscrutandum erexerit, tantò amplior caligo ei obiicitur. Per viriditatem verò smaragdi quæ perspicua est, misericordia Domini rectè designatur. Misericordia nanque Domini tam perspicua est, vt nullus homo sanam mentem possidens, hanc ignorare valeat. Quis enim immensam misericordiam Dei, quam erga humanum genus exhibuit, & exhibet quotidie, ignorare potest, quamuis verbis perfectè explicare non possit? Sed & hoc quod viriditas huius lapidis hebetatos oculos si inspicitur, ad videndum acuit, potest misericordiæ Dei conuenire. Quando enim in peccatis iacemus, & scelera nostra nos deprimunt, hebetatos oculos mentis habemus. Cùm verò consideramus misericordiam Dei, qualiter meretrices & latrones omniúmque scelerum generibus depressos, etiam & persecutores suos per pœnitentiam ad salutem reduxit, ad spem veniæ reformamur. Et quia iam in perditionis fouea detinebamur, misericordiam Domini intuentes, atque de ea præsumentes, ad eum quem offenderamus confugimus, vt eius misericordia à morte perpetua liberemur, Quam misericordiam Dei Psalmista intuens, nec eam verbis explicare valens, ipsum deum misericordiam suam vocauit dicens: Deus meus, misericordia mea. *Et in circuitu sedis, sedilia viginti quatuor. Et supra thronos viginti quatuor seniores circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.*) Viginti quatuor seniores in hoc libro, aliquando patres veteris testamenti, aliquando noui, aliquando simul vtrosque significant. Sed in hoc loco patres veteris testamenti designant, qui viginti quatuor sedilibus sedisse dicuntur. Quando sedemus, à labore quiescimus. Per sedilia igitur viginti quatuor, viginti quatuor libri veteris testamenti designantur. Super viginti quatuor igitur thronos, viginti quatuor seniores sedisse visi sunt, quia patres veteris testamenti, à laboribus & curis huius seculi, in lectione & meditatione diuinorum librorum, quodammodo quiescebant. Sed quærendũ nobis est cùm sedes ecclesiã significet, cur in circuitu sedis, hęc sedilia dispositа esse dicantur. Nimirum quia quisquis paterfamilias, qui domum suam tutam à latronibus & inimicis esse desiderat, hanc aut muro aut sepe aut pariete circundat. Similiter ecclesia & contra hæreticos & contra paganos, qui fidem Christi in ea deiicere volunt, veteris testimẽti libris munitur. Quia quãdo ea quę colit, longè ante aduentum Christi, fuisse prædicta probat, iacula inimicorũ fidem Christi euertere cupientium, longè à se repellit. Qui senes circumamicti vestimentis albis fuisse dicuntur, & in capitibus eorum coronæ aureæ. Per alba vestimenta, vitæ puritas: per coronas autem aureas, opera bona designantur. *Et de throno, id est de ecclesia, procedunt fulgura & voces, & tonitrua.*) Per fulgura miracula quæ per sanctos suos operatur Deus: per voces, predicatio: per tonitrua verò, terror gehennæ ignis designatur. Quia sancti prædicatores eos quos amore cœlestis patriæ à vitiis reuocare nequeunt, eis tormenta æterna, quæ impiis præparata sunt, opponũt: vt quos blanditiis nequeunt, saltem terroribus à vitiis compescant. *Et septem lampades ardentes ante thronum.*) Quid sint septem lampades, ipse exponit cùm dicit, quæ sunt septem spiritus Dei. Per septem spiritus Dei, septem dona spiritus sancti debemus intelligere, quæ in Dominum requieuisse propheta Esaias manifestat dicens: Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini. Hæ igitur lampades septem, id est septem dona spiritus sancti, ante sedem, id est, ante conspectum ecclesiæ suæ ardere dicuntur: quia sine lumine harum virtutum, in nocte huius seculi positi, per vitæ viam ad cœlestem patriam gradi non possumus. Quod autem Christũ hæc septẽ dona spiritus sancti accepisse dixit, ad humanitatis eius mysterium pertinet. Nam secundum diuinitatem, in nullo augeri potuit, sine quo nihil esse potest. Verum quæri potest, cur propheta cùm hæc septem dona in Christum descensura esse diceret, à maioribus cœpit, & descendendo ad minora peruenit. Sed non ab re esse factum videbitur, si diligẽter inspiciatur. Nam quia Dominus noster Iesus Christus de illa cœlesti beatitudine, in qua æqualis erat per omnia patri ad terras descendere, & homo fieri dignatus est, & angelis minorari voluit, quos ipse creauerat: non inconuenienter hæc septem dona descendendo accepit, quia voluntatem patris descendendo & humiliando se vsque ad mortẽ adimpleuit, sicut dicit Apostolus: Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis. Nos autem qui ab ipsa perditionis fouea, ad cœlestia subleuamur, à minoribus incipimus, vt ad maiora crescendo perueniamus. Quomodo autem hæc septem dona super Christum descẽderint, prout Dominus dederit, breuiter dicamus. Spiritus sapientię super hominem Christum requieuit, quando filius Dei secundum diuinitatem, qui sapientia patris dicitur, in eum descendit. Spiritus intelligentiæ in eum requieuit, quando omnibus virtutibus est ditatus, sicut in Euangelio scriptum est: Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia coram Deo, & hominibus. Post intellectum, consilium sequitur. Consilium à consulendo dicitur. Nam si aliquod periculum nobis imminet, consilium à sapiente perquirimus, qualiter periculum euadamus. Similiter & cùm ad aliquam dignitatem seculi conscendere cupimus, consilium quærimus, qualiter ad id quod desideramus, peruenire valeamus. Christus igitur est consiliator noster, qui consilium dat, qualiter pericula æterna euadamus: & consiliũ quod dat ipse, perficit, cùm à periculis ęternis nos liberat. Similiter & consiliũ dat qualiter ad hæreditatem paradisi peruenire possimus, & ad ipsa gaudia ipse nos perducit. Spiritus itaque cõsilij in homine Christo descendit: dum à spiritu sancto percepit doctrinã Euangelij, in qua consilium consistit omniũ hominum saluari cupientium. Spiritus etiam fortitudinis super Christũ requieuit. quando ad debellãdum hostẽ antiquum, fortis inter homines apparuit: de hac sua fortitudine ipse dixit in Euangelio: Dum fortis armatus custodit atriũ suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autẽ fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Post fortitudinem sequitur scientia. Apud homines, multæ scientiæ sunt. Sunt nanque diuersarum artium diuersæ scientiæ. Est scientia in literis, est in mundanis legibus, est in augendis rebus temporalibus, est etiam scientia in præcauendis periculis. Sunt etiam multi, qui per subtilitatem sensus, quædam futura præuident. Sed has scientias aliquãdo boni, aliquando mali possident. Scientiam verò quæ in Christum descendit, nullus nisi bonus habere potest. Quæ tanta est, quanta nulla mens cõprehendere potest. In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Videtur itaque mihi per spiritum scientiæ, aliud factum eius nos debere intelligere. Præuidens nanque saluator noster, si accessum hominum peccatorum deuitaret, multos sceleratos in desperationis foueam esse decidendos, peccatoribus per societatem corporis se conformari voluit: manducans videlicet & bibens cum eis tactus etiam meretricum non respuens. Qui etiã & latroni in initio confessionis eius paradisum repromisit, vt omnibus peccatoribus salutari cupientibus, spem veniæ tribueret. Pharisæi verò, spiritum scientiæ non habentes, reprehendebant eum, eo quòd cum

Gen. 9.

Actor. 17.

Misericordia Dei.

Psalm. 143.

Numerat 24. libros veteris testamẽti.

Arma ecclesiæ, verbi Dei.

Esa. 11.

Philip. 2.

Luc. 2.

Coloss. 2.

Luc. 7.

Luc. 23.

cum publicanis & peccatoribus manducaret. Sed ipse spiritū scientiæ possidens, dixit eis: Non est opus sanis medico, sed malè habētibus: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. De spiritu verò pietatis, non est necesse nobis quicquam dicere. Quid enim tam pium, quàm ille qui peccatum non fecit, nec inuētus est dolus in ore eius, & qui cùm posset à morte sua potestate liberari, se pro salute generis humani, & teneri, & ligari, & conspui, & alapis cædi, & flagellari, & crucifigi permisit? Spiritus verò timoris Domini, qui vltimus ponitur, ad passionem pertinet: non quòd timore coactus sit, vt pro salute generis humani moreretur, sed timorē pro obedientia accipere debemus. de qua ipse dicit: Non veni facere voluntatē meam, sed voluntatem eius qui misit me patris. Nam & filiū qui patri carnali est per omnia obediens patrē timere dicimus, cū illa obedientia non sit timoris, sed amoris. De quo timore Psalmista dicit: Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi. Non autem timor, sed charitas Dei in seculum seculi permanebit. Nunc qualiter hæc septem dona spiritu sancti, vnicuique fidelium conueniant, breuiter dicendū est. Et quia nos qui per primę prævaricationis culpam, in perditionis laqueo iacebamus, misericordia Dei ad superna reducimur ab inferioribus: id est, à timore Dei incipimus, vt ad superiora, id est, ad sapientiam proficiendo crescamus. Et quibus gradibus Christus humiliando se ad nos descendit, salutémque nostram moriendo perfecit, eisdem gradibus & nos ad eum conscendere debemus: faciendo videlicet præcepta eius, quæ in donis septem spiritus sancti continentur. Spiritus igitur timoris Domini super vnumquenque peccatorem requiescit, cùm considerans peccata sua, iustúmque iudicium Dei pertimescens, pœnásque ignis æterni, quæ impiis præparatæ sunt, ad pœnitentiam lachrymásque conuertitur, & amarissimè flere incipit, quod delectabiliter gessit. Spiritus verò pietatis, super quemlibet peccatorum requiescit, dum audiens scripturam dicentem: Sicut aqua extinguit ignē, ita eleemosyna extinguit peccatum: & Dominum dicentem, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: alere egentes, vestire nudos, &c. pietatis opera incœperit exercere, vt Deum aliquando miserando propitium sibi faciat, quē peccando offenderat. Vnde & Daniel propheta, Regem impiissimum, vt peccata sua eleemosynis redimeret, & misericordiis pauperum, admonere studuit. A pietate, ad scientiæ spiritum conscenditur. Nam quanuis videatur aliquis scientiam possidere, stultus est, si malè viuit. Quid enim stultius quàm timorem Dei à mente abiicere, vitiis deseruire? Scientia verò maxima est, vitia deserere, atque ad Deum tota mente conuerti. Quicunque ergo per timoris spiritum, peccata sua plangere incipit, & per pietatis spiritum misericors erga indigentes esse studet, vt Deum aliis miserando, misericordem sibi faciat, necesse est, vt per donum sancti spiritus, scientiæ spiritum possideat. Quicunque enim conuerti ad Deum desiderat, necesse est vt per doctrinam diuinarum scripturarū, siue per prædicationem sanctorum virorum, discat quæ sint genera vitiorum: qualiter homines illa queant, & quibus modis extingui possint: quæ sint etiam deceptiones dæmonum, & qualiter contra eos pugnandum sit, hoc est scientiæ spiritum possidere. Et quia Salomon dicit, Quia qui addit scientiam, addit & laborem, à scientia ad fortitudinis spiritum conscenditur. Nam sicut quilibet præliator non contra eum qui est in vinculis pugnat, sed potius contra eum qui resistere ei vult: ita & diabolus non contra eum quem vinculis peccatorum constrictum tenet, dimicat, sed potius contra eum qui peccare desistit, & ad Deum tota mente cōuertitur. Quicunque ergo per pœnitentiā, pietatísque opera à diaboli vinculis absolui meretur, atque contra eum per scientiæ spiritum bellum cupit instruere, necesse habet, vt à spiritu sancto fortitudinis donum accipiat: quo instructus, & interiores hostes, id est, vitia funditus possit extinguere, & exteriores, videlicet homines per patientiā superare, omniáque iacula dæmonū scuto fidei à se repellere. A fortitudine ad consilium conscenditur, Consilium autem salutis nostræ, in præceptis consistit Euangelicis. Quisquis igitur vitia in se extinguere per fortitudinis spiritum potuit, necesse est vt ad mandata Euangelij perscrutanda, atque in
A corde suo recondenda, transeat: vbi consilium reperiet qualiter ad perfectionis culmen conscendere valeat. Et quia mandata Euangelij sine virtutibus custodiri non possunt, à spiritu consilij ad intellectum conscenditur, in quo perfectio virtutum tota consistit. Intellectus verò dona à spiritu sancto fideles accipiunt, cùm omnibus virtutibus ditari merentur. Ille verò verùm intellectum possidet, qui fide illuminatur, qui pudicitia mundatur, patientia decoratur, qui humilitate munitur, qui charitate refulget, cæterísque virtutibus consummatur. Et quia per orationem virtutum, ad culmen perfectionis conscenditur, sapientia intellectui præponitur: in qua tota perfectio consistit. De hac perfectione Matth. 19.
Dominus dicit in Euangelio: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me. Sunt nāque multi, qui ad perfectionis culmen subitò conscendere conantur, sed quia per gradus virtutum non conscendunt, facilè corruūt.
B Quid enim prodest substantiam relinquere, si iram, odium, ebrietatem, inuidiam, superbiam, vanam gloriam, cæteraq; vitia, quæ occidunt animam, à mente sua non abiiciat? Non enim prodest arborem conscēdere, vt leonem euadat, si serpētem in sinu gestet, cuius veneno pereat. Nec dicit Dominus illum perfectum esse, qui substantiam tantummodo dimiserit, sed eum qui & substantiam dimiserit, & ipsum secutus fuerit. Sequimur autem illum, quando imitamur. Ad hoc igitur perfectionis culmen ille competenti gradu conscendit, qui prius vitiis abrenuncians per actualem vitam, quæ virtutibus perficitur, ad contemplatiuam conscēdit: in qua soli Christo coniungitur qui est sapientia patris, filiúsq; Dei, & ciuis Hierusalem cœlestis efficitur. Nūc qualiter descensioni Christi per gradus septem donorum spiritus sancti ascensio fidelium conueniat, breuiter demōstremus. Vltimus descensionis Christi gradus est, timor Dei, per quem passionem & mortem eius diximus fuisse designatā, & primus ascensionis, ad Deum conuertentium. Congruit autem
C mors Domini iis qui per spiritum timoris Domini, peccata sua deflent, quia in morte Domini, remissio consistit omniū peccatorum. Nec perfecta remissio peccatorum esse posset, si ille pro nobis mortuus non fuisset. Sextus descensionis Christi gradus est pietas, & secundus ascensionis pœnitentium. Cōgruit autem pietas fidelium cum pietate Domini, quia ille iis qui secundum animam erant miseri, misericordiam suam impendit ab æterna morte, sua morte eos liberans: & isti his qui secūdum corpus sunt, misericordiam impendunt, largiendo eis corporum necessaria, quibus in iudicio ipse dicturus est: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Matth. 25.
Quintus descensionis Christi gradus est scientia, & tertius ascensionis fideliū. Conuenit autem spiritus sciētiæ, qui fidelibus datur, cum spiritu scientiæ, qui homini Christo oblatus est: quia ille vt peccatores saluos faceret, semetipsum illis cōformare non est dedignatus: & isti vt peccata euadant, ad eum per spiritum scientiæ confugiunt, qui potestatem habet dimittendi peccata. Quartus descensionis Christi gradus est fortitudo, & quartus similiter ascensionis fidelium. Congruit hæc fortitudo fidelium, fortitudini
D Christi, quia ea fortitudine isti vincunt diabolum qua & Christus vicit, fortitudine videlicet Christi, non sua, sicut ipse dicit: Sine me nihil potestis facere. Victoria nostra Christus. Ioan. 15.
Tertius descensionis Christi gradus est spiritus consilij, & quintus, ascensionis fidelium. Coniungitur autem consilium fidelium, consilio Christi, cùm ad præcepta Euangelij seruanda se transferunt, in quibus perfectum consilium consistit omnium sanctorum. Secundus descensionis Christi gradus est intellectus, & sextus ascēsionis fidelium. Congruit autem intellectus fidelium, intellectui Christi, cùm easdem virtutes quas ipse à spiritu sancto percepit, easdem & sancti eius ab ipso percipere merentur. Primus descensionis Christi gradus est sapientia, & septimus, ascēsionis fidelium: quia Christus est sapientia patris, & ab ipso omnis sapientia oritur. Sancti igitur qui per operationem virtutum Domino copulantur, ab ipso sapientiam, in qua totius bonitatis summa consistit, percipiunt. Quibus ipse per Salomonem loquitur, dicens: Prou. 8.

Si quis diligit ſapientiam,ad me declinet, & eam inueniet: & eam cùm inuenerit,beatus eſt,ſi tenuerit eam. Sequitur: *Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum, ſimili cryſtallo.*) In templo Salomonis,mare æneum fuiſſe legimus, in quo lauabantur ſacerdotes antequam accederent ad altare, ad hoſtias offerendas: æris verò ſplendor quadam nigredine citò obnubilatur.Per mare itaque æneum lex Moyſi deſignatur, quæ fulgorem ſpiritalis intelligentiæ, literæ nigredine obſcurat.Et ſicut æs ſi lima teratur, ſplendor eius aperitur:ita & ſpiritalis intelligentia, quæ literæ ſuperficie obſcuratur in lege,ſi à fidelibus viris diligenter diſcutiatur,per gratiam Dei manifeſtatur. In hoc igitur mari ſacerdotes lauabantur, quia per ſacrificia & per quaſdam obſeruationes legales,quædam peccata veteris populi, delebantur. Per mare ergo vitreum,atque cryſtallum, non inconuenienter nouũ teſtamentum intelligitur. In hoc autem mari, tria inuenimus,mare,vitrum,atque cryſtallum.Per mare igitur, hiſtorica:per vitrum,moralis intelligẽtia:per cryſtallum autem, ſpiritalis intelligentia deſignatur. Per vitrum ergo ex quo ſpecula fiunt,non incongruè moralis intelligẽtia accipitur. Quia ſicut homo quicquid turpe in facie gerit in ſpeculo deprehendere poteſt,ita & quicquid vitioſum in animabus hominum eſſe poteſt, moralis intelligentia patefacit. Per cryſtallum autem,quæ clarior eſt omnibus gemmis, & quæ flammas ſplendoris,ſæpe etiam & ignem de ſe emittere ſolet,ſpiritalis intelligentia exprimitur,quæ obſcura quæque in diuinis ſcripturis elucidat,mentes ſpiritalium hominum flammis illuminat, quoſdam etiam in amorem Dei, amorémque cœleſtis patriæ accendit.Sequitur. *Et in medio ſedis, & in circuitu ſedis, quatuor animalia plena oculis antè & retrò.*) Hoc ſecundum hiſtoriam, ſtare non poteſt. Neque enim tam paruus numerus,& ambitum ſedis,& medietatem obtinere poterat.Sed ſpiritaliter intelligendum eſt. Quatuor igitur animalia, non ſolùm quatuor Euangeliſtas, ſed & omnes doctores eccleſiæ,qui eorum doctrinam ſequuntur, deſignant. In circuitu verò ſedis, quatuor animalia ſtant: quia doctores eccleſiæ populũ ſibi commiſſum,& à viſibilibus,& ab inuiſibilibus hoſtibus,quanta virtute poſſunt defendunt.In medio ſedis conſiſtunt,quia vnumquẽque eorũ, vt in virtutibus,omnibúſque bonis operibus proficiant,admonere non deſinunt.Quatuor ergo hæc animalia, antè & retrò oculos habuiſſe viſa ſunt:quia prædicatores ſancti, & futura & præterita inſpiciunt. Antè oculos habent, quia diem iudicij,dãnationémque impiorum gloriámque iuſtorũ dum inſpiciunt,auditoribus ſuis quid cauere,& quid appetere debeant,oſtendunt.Retrò oculos habent, quia vitã præcedentium patrum dum intuentur,& ipſi in eorum imitatione proficiunt,eorúmque vitam atque doctrinam auditoribus ſuis ante ponunt, vt & ipſi in eorum imitatione proficiant. *Et animal primum,ſimile leoni: & ſecundum animal, ſimile vitulo: & tertium animal,habens faciem quaſi hominis: & quartum animal, ſimile aquilæ volanti.*) Figuras quatuor animalium, non omnes authores vno modo expoſuerunt. Sed ab antiquioribus nobis traditum eſt, vt per leonem Marcum intelligeremus: per vitulum, Lucam: per hominem Matthæum:per aquilam verò,Ioannem.Eo quòd Marcus à deſerto incœpit:Lucas, à ſacerdotio Iudæorum: Matthæus,ab homine,id eſt,à Chriſti generatione:Ioannes verò,à diuinitate Chriſti. Quidam verò alium ordinem ſequentes,per leonem,Matthæum:per vitulum,Marcum:per hominem,Lucam:per aquilam verò, Ioannem deſignatum fuiſſe putant.Nam per leonem, qui rex eſt beſtiarum, ideo Matthæum deſignatum fuiſſe dicunt, quòd ipſe Chriſtum ſecundum humanam naturam, ex regia ſtirpe deſcendiſſe narrauit.Ipſe etiam tempore natiuitatis eius, ſtellam apparuiſſe dicit,quæ eum regem cæli & terræ,angelorum hominúmque fuiſſe demonſtrauit: Magos etiam veluti regem mundi ad adorandum eum ab Oriente perduxit. Sed & regem terræ, id eſt, Herodem, tempore natiuitatis eius,cum omnibus miniſtris ſuis turbatum fuiſſe dicit quia ſicut quilibet rex qui paruæ potentiæ eſt,alterum regem qui magnæ potentiæ eſt, contra ſe, vt regnum eius inuadat,venire cognouerit, contremiſcit & conturbatur: ita & Chriſto in carne veniente, qui rex futurus erat mundi, Herodes turbatus eſt,& omnis Hieroſolyma cum illo.Nam & munera quæ Magos Chriſto obtuliſſe narrat,eum Regem & Dominum eſſe omnium creaturarum demonſtrant: Marcum verò propter ſimplicitatem eloquij, per vitulum ſignatum fuiſſe dicunt:Lucam per hominem,eo quòd ipſe generationem Chriſti ſecundum humanitatem plenius quàm cæteri proſecutus eſt. Nanque ab ipſo qualiter ſit in præſepio poſitus,qualiter circunciſus,qualiter in tẽplo preſentatus,qualiter vſque ad maturã ætatẽ creſcẽdo peruenerit,didicimus. Ioannem per aquilam deſignatum fuiſſe, nullus eſt qui neget. *Et quatuor animalia,ſingula eorum habebant ſenas alas, & in circuitu & intus plena ſunt oculis.*) Per ſenarium numerum qui perfectus eſt,perfectio ſanctorum deſignatur,ad quam nullus niſi per doctrinam Euangelij,valet aſſurgere. Lex enim, nullum ad perfectum adduxit.Senas verò alas,quatuor animalium,ſi ſimul iunxeris,viginti quatuor inuenies. Videntur ergo mihi eandẽ ſignificationem habere, quã & viginti quatuor ſedilia,quæ viginti quatuor libros veteris teſtamenti ſignificaſſe diximus. Sedilia hæc cùm ſemper terræ hæreant,eos qui in eis requieſcunt,ad terram aliquantulum incuruant.Alæ verò,eos quibus innexæ ſunt, ad excelſa ſubleuant.Libri igitur veteris teſtamenti antiquis patribus ſedilia fuerunt, quia eos ſecundum literam intelligentes, nequaquam ad eorum intelligẽtiam ſpiritalem ſe erigere perfectè potuerunt.Sed hæc ſedilia patribus noui teſtamenti in alas conuerſa ſunt:quia libros veteris teſtamenti ſpiritaliter intelligentes,per eorum doctrinam ad cœleſtia quotidie ſubleuantur.Verùm quia hic numerus,id eſt, viginti quatuor in hoc libro ſæpe inuenitur:placuit,vt de ſacramentis huius numeri pauca dicamus. Partes autem huius numeri, ſunt: Vnum,duo,tres,quatuor,ſex,octo,duodecim. Vnus qui in capite ponitur,vnum Deum ſignificat:duo verò qui ſequũtur,duo teſtamenta indicant.Tres ad trinitatem pertinent. Poſt tres,non inconuenienter quatuor ſequuntur, quia per doctrinam quatuor Euangeliorum,fides nobis ſanctæ trinitatis manifeſta eſt.Poſt quatuor verò ſex, qui perfectus eſt numerus,ſequuntur:quia ſine doctrina Euangelij nullus ad perfectionis culmen conſcendere potuit,quia lex, ſicut dicit Apoſtolus,nullum ad perfectum adduxit.Poſt ſex, octo ſequuntur, quia octo ſunt virtutes quæ dimicant contra vitia, ſine quarum operatione, nullus ad faſtigium perfectionis valet conſcendere. Poſt octo, ſequuntur duodecim, quia per doctrinam Apoſtolorum ad fidem peruenimus, quæ mater eſt omnium virtutum. Quatuor ergo animalia, in circuitu & intus plena eſſe oculis dicuntur. Per circuitum, totum corpus intelligere debemus. Nam Ezechiel cùm de iis animalibus loqueretur, dicit totum corpus eorum plenum fuiſſe oculis.Sancti igitur retrò oculos habent, quando audientes comminationem Domini dicentis: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei: tota virtute laborant, ne in malis quæ ſe aliquando egiſſe meminerunt, relabantur: quamuis ea ante mentis oculos ad humilitatis ſuæ cuſtodiam ponere non deſiſtunt. Ante ſe oculos habent, quando audientes vocem Domini dicentis: Beatus ille ſeruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Bona quæcunque poſſunt operari, non deſinunt, vt tempore mortis ſuæ,Domino veniente parati inueniantur.A ſiniſtro oculos habent, cùm omnia tentamenta dæmonum, ſcuto fidei à mentibus ſuis repellunt. A dextris oculos habent, cùm ſolicitè cauent,ne pro bonis operibus extollantur. Siue à dextris & à ſiniſtris oculos habent, cùm eos nec proſpera erigere,nec aduerſa poſſunt inclinare. Inferius oculos habent, cùm deſideria carnalia extinguendo calcant. Superius oculos habent, cùm ad cœleſtem patriam toto mentis deſiderio anhelant. Intus oculos habent, dum corda ſua à ſordidis cogitationibus cuſtodiunt. *Et requiem non habebant animalia, die ac nocte dicentia: Sanctus,Sanctus,Sanctus Dominus, Deus omnipotens,qui erat,& qui eſt,& qui vẽturus eſt.*) Quia requies reproborum,vita præſens eſt:ſequitur eos tribulatio, quæ finem non habet.Iuſti autẽ in hoc ſeculo tribulantur, vt requiem æternã poſſideant,dicente Paulo apoſtolo: Per multas

3. Reg. 7.

Paſtoris officium.

Matth. 2.

A

B

C

D

Hebr. 7.

Fides, mater virtutum.

Exec. 1.

Luca 9.

Matt. 24.

Epheſ. 6.

Impiorũ requies vita præſens.

Actor. 14.

multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Aliter: Sancti requiem non habent, quia à laudibus Dei & orationibus non ceſſant, dicente Domino: Oportet ſemper orare, & non deficere. Et Paulus apoſtolus loquitur, dicens, Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. Sed quęrendum nobis eſt, quomodo ſine intermiſſione orare poſſimus. Multi enim ſunt, qui cùm ſint aſſidui in orationibus, in Pſalmodiis, in miſſarum celebrationibus, & eleemoſynas multas largiantur: tamen ſuperbia inflantur, auaritiæ æſtibus ardent, pecunias quacunque arte poſſunt, congregant: In tantum etiam ipſos pauperes, quorũ miſereri debuerant, quibuſdam argumentis inſectantur, vt ex eorum parua ſubſtantia opes ſuas augeant, dicentes: Hoc ſe legaliter facere, cùm iſta lex non ſit Dei, ſed ſtropha diaboli. Sed & in monaſteriis multi inueniuntur, qui in vigiliis, in pſalmis, in orationibus, & miſſarum celebrationibus ſunt dediti, & tamen ira ſępiſſime facilè inflammantur. Quidam verò ebrietati & gulæ deſeruiunt, quidam etiam odium in corde, longo tempore portant. Quidam in bonis quæ agere videntur, fauores & laudes hominum quærunt. Quidam inuidia, quidam detractionibus, aut cęteris vitiis deprimuntur. Et quid pluta? Omnem ſanctitatem quam ſermonibus vſurpant, indignis moribus deturpant, atque deuenuſtant. Ad iſtorum ergo cæcitatem demonſtrandam, quandam ſimilitudinem proponam. Homo quidam vſque ad collum defixus in limo tenebatur: cúmque vidiſſet quendam prætereuntem, extendens manum, clamabat dicens: Miſerere mei, & extrahe me ab hoc luto. Cúmque manum extẽdiſſet vt eum extraheret, iſte manum quam extẽderat, ſub luto demerſit. Cúmque ille qui ad extrahendum venerat, recedere vellet, iſte iterum vt eruereturꝰ poſtulabat. Cúmque ille ſecundò ad eruẽdum manum extenderet, iſte ſicut prius manum ſub luto demerſit. Cúmque crebrius hoc faceret, ille iratus dixit: Cur petis vt eruaris, cùm in tuo periculo perſiſtere velis? Et quia interitum tuum diligis, poſſide quod elegiſti. Similiter & iſti Deum deprecantur aſſiduè, vt à vitiis eruãtur, & tamen ipſa vitia ita amplectuntur, vt ab eis nullo modo diuelli poſſint. Ponamus ergo ante oculos, duos: vnum doctum aſſiduè orantem, pſallentem, miſſas celebrantem, & tamen quibuſdã vitiis ſubditum: Alterum verò indoctum, idiotam, attamen fidelem, Deum timentem atque amantem, proximum diligentem, patientem, humilem. Quis horum tibi videtur Apoſtoli ſententiam magis ſeruaſſe, qua dicit, Sine intermiſſione orate: Iſte qui aſſiduè orat, & quibuſdam vitiis ſubiacet: an iſte qui neſcit orare, & tamen mũdus eſt à vitiis, & in operibus bonis deditus? Omnibus claret, iſtius innocẽtiam atq; bona opera magis exaudire Deum, quam iſtius voces, cuius vita quibuſdam vitiis ſordeſcit. Ille igitur ſine intermiſſione orat, qui congruis temporibus mente & lingua Deum deprecatur, & in bonis operibus aſſiduus eſt. Qui quando dormit, aut aliquibus operibus humanę vitæ neceſſariis eſt occupatus, opera eius refulgent in cõſpectu Dei, & ipſa ſunt interceſſores eius apud Deum, ſicut ad Cornelium loquitur angelus dicens: Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei. Quid hæc quatuor animalia indeſinenter dicant, audiamus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus, Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.*) Ter ſpiritu Domini vocantes, demonſtrãt patrem & filium & ſpiritum ſanctum. Quod hæc animalia dicunt, Dominus Deus omnipotens, à pluralitate trãſeuntes ad ſingularitatem, oſtendunt patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, vnius eſſe dominationis, vnius deitatis, vnius omnipotentiæ. Sed quærendum nobis eſt, Si quatuor animalia non ſolum quatuor Euangeliſtas ſed & omnes doctores eccleſię deſignant, cur ſanctam trinitatem indeſinenter inuocare dicantur, cùm ſancti Dei aliquando in orationibus, aliquando in lectione, aliquando in prædicatione, aut diuerſis neceſſitatibus occupentur. Prædicatores ergo ſancti dũ fidem ſanctæ trinitatis & mente retinent, & ore profitẽtur, dum opera fidei adimplent, dum eãdem fidem & opera fidei quibuſcunque poſſunt prædicant, dum etiam in orationibus & in gratiarum actionibus ipſum qui eſt trinus & vnus Deus exorant & laudant, dum ſecundum Apoſtolum, ſiue manducant, ſiue bibunt, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti faciunt, trinitatem ſanctam indeſinenter inuocant. Quod autem ſequitur, *Qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.*) iam ſuperius dictum eſt. *Et cùm darent illa animalia gloriam & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum viuenti in ſecula ſeculorum, procedebant viginti quatuor ſeniores ante ſedẽtem in throno, & adorabant viuentem in ſecula ſeculorũ.*) In hoc loco per quatuor animalia, quatuor libri Euangeliorum deſignãtur. Per viginti quatuor ſeniores, patres noui teſtamenti accipi poſſunt. Quatuor ergo animalia gloriam & honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum viuenti in ſecula ſeculorum dant, quia doctrina Euangelij in vniuerſo orbe legitur & prædicatur, per quam gloria & honor & benedictio patri & filio & ſpiritui ſancto datur. Ad vocẽ igitur quatuor animalium, viginti quatuor ſeniores ceciderunt ante ſedentem in throno, & adorauerunt viuentem in ſecula ſeculorum: quia ſancti Dei per vniuerſum orbẽ conſtituti, audientes doctrinam Euangelij, humiliant ſe in conſpectu Dei, vt cum ipſo viuant in ſecula ſeculorum. *Et mittebant coronas ſuas ante thronum.*) Per coronas, opera bona fuiſſe deſignata ſuperius, diximus. Sãcti ergo coronas ſuas ante thronum mittunt, dum quicquid boni agunt, Deo tribuunt non ſibi, ſecundum Apoſtoli præceptum, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quid hęc animalia dicant, audiamus: *Dignus es Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem & virtutem.*) Superiùs dixit quatuor animalia gloriam & honorem & benedictionem à Deo accepiſſe, hîc virtutem pro benedictione cõmutauit. Quid verò aliquis Deo dare poteſt, aut quid Deus ab aliquo accipere poteſt, cùm ipſe ſit qui creauerit omnia, & ſine quo nihil eſſe poteſt, & qui dicit in Euangelio, Sine me nihil poteſtis facere? Si enim ſancti ſine Deo nihil poſſunt facere, quid poſſunt dare illi? Igitur quia hominum talis eſt natura, vt nihil boni à ſe habere poſſint, niſi ab ipſo accipiant, qui eſt ſummè bonus, dat Deus ſanctis ſuis vnde ipſe eos remuneret. Regnum nanque cœlorum Deus promiſit ſanctis ſuis, attamen ſi pretium bonorum operum pro eo dederint. Et quia electi hoc pretium non habent, niſi ab ipſo accipiant, ipſe dat pretium, vnde ab ipſo emant vitam æternam. Dant itaque ſancti gloriam Deo, quãdo quicquid boni faciunt, eo ſtudio faciũt, vt glorificent Deum patrem, ſicut filius Dei dicit in Euangelio: Vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt: nam & Ioannes Petrum dicit morte ſua Deum glorificaſſe, Dant honorem quando in omnibus quæ agũt honorem Dei quęrunt, non ſuum. Superius benedictio tertio loco ponitur, hîc virtus. Et quia ſancti dum magna faciunt, benedicuntur ab hominibus, conuenit virtus cum benedictione. Sed quãtùm ſancti pro magnis operibus quæ faciunt, laudes hominum deteſtantur, liber actuum Apoſtolorum nobis indicat. Nam Petrus & Ioãnes cùm claudum ſanaſſent, & omnium oculi eſſent intendentes in eos, quaſi ſua virtute hoc facerent, Petrus oculorum benedictiones deuitans, dixit ad eos: Viri fratres quid nos intuemini, quaſi in noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abrahã, & Deus Iſaac, & Deus Iacob ſuſcitauit filium ſuum Ieſum, in cuius nomine, hic ſtat coram vobis ſanus. Similiter & Paulus & Barnabas, cùm ægrotum in Lyſtris ſanaſſent, & populi vellent eis ſacrificare, ſciderunt veſtimenta ſua, dicentes: Viri vt quid hæc facitis? Et nos homines ſumus, ſimiles vobis. Poſſumus & hoc de Chriſto intelligere, quem ſecundum humanitatem, & gloriam & honorem, & virtutem, accepiſſe manifeſtum eſt. Sequitur: *Quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.*) Si erant, quomodo creata ſunt? Omnes ergo creaturæ erant in poteſtate & voluntate Dei, antequam crearẽtur. Creata ſunt verò eo tempore, quo diſpoſuit Deus. Ipſe igitur qui cuncta creauit ex nihilo, creare dignetur in nobis cor mundum, qui viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Humilitas ſanctorũ. 2. Cor. 10.

Ioan. 15.

Opera bona dat Deus quæ remuneret. Matth. 5.

Ioan. 21.

Act. 3.

Act. 14.

Explicit expoſitio viſionis ſecundæ.

INCIPIT

Incipit expositio Visionis tertiæ.

Non inconuenienter post descriptam ecclesiæ formam apertio libri ponitur, per quam apertio diuinarum scripturarum designatur: quia postquam à sanctis Apostolis, cæterisque prædicatoribus, ecclesia in gentibus est fundata: libri veteris ac noui testamenti secundum Apostolicam fidem, à sanctis doctoribus expositi sunt.

CAPVT QVINTVM.

ET *vidi in dextera sedentis super thronũ, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.*) De dextera & sigillis, quod Dominus dederit in sequentibus dicemus. Liber verò scriptus intus & foris non solum vetus testamentum, sed & nouum significat. Qui intus scriptus est secundum allegoriam, foris secundum historiam. Hic igitur liber, vetus & nouum testamentum in se continet, quia spiritalis intelligentia in veteri testamẽto, nihil est aliud, quàm nouum testamentum. *Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna.*) Angelus fortis, patres veteris testamenti significat, voce magna prædicauerunt, quia Christum ad redemptionem generis humani venturum esse prædixerunt. *Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius?*) Interrogatio angeli desiderium sanctorum significat: desiderabant enim sancti videre Christũ in carne, & audire sermones eius, eo quòd scirent omnia mysteria veteris testamenti ab eo esse reuelãda, sicut ipse dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia multi prophetæ & reges voluerunt videre que vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. *Et nemo dignus inuentus est neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum & soluere signacula eius.*) Nullus nanque angelus cœlum inhabitans, nullus iustus in terra consistens, nullus etiam ex iis qui mortis debitum soluerant, in mundo vnquam apparuit, qui genus humanum de potestate diaboli redimeret. quæ redemptio, apertio est veteris testamenti. *Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum.*) Ioannes in hoc loco personam gerit eorum, de quibus modo diximus, id est patrum veteris testamenti. Flebant enim sancti multum, eo quòd misteria scripturarum sibi abscondita, nullus esset qui eis manifestaret, nullúsque esset qui genus humanum perditum, de potestate diaboli erueret. Sed quærendum nobis est cur dicat, hunc librum à nullo posse videri, cùm superius dicat, quòd eum in dextera sedentis super thronum viderit. Videbant nanque antiqui patres, quorum typum Ioannes in hoc loco tenet, veteris testamenti librum, & non videbant secundum spiritalem intelligentiam. *Et vnus de senioribus dixit mihi. Ne fleueris. Ecce leo vicit de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere signacula eius.*) Videtur mihi eandem significationem habere seniorem quam & Ioannem, quam etiam angelum fortem, significat enim patres veteris testamenti. Angelus nanque fortis, interrogat quis esset dignus aperire librum. Ioannes flet, eo quòd nullus dignus esset aperire librum: senior verò dicit, quòd per leonem id est Christum, aperiendus esset liber. Per angelum igitur fortem iidem designantur, qui desiderantes aduentum Christi, interrogabant quo tempore venturus esset. Ioannes verò eos significat qui flebant, eo quòd tanto tempore tardaret. Senior autem, prophetas designat, qui dixerunt quomodo & quo tempore vẽturus esset. Per leonem igitur de tribu Iuda, Christus intelligitur, qui ex tribu Iuda, & progenie Dauid, ortus est. Leo autem propter fortitudinem vocatur, qua diabolum vicit, & electos suos ab eius potestate eripuit. Vicit ergo leo de tribu Iuda, radix Dauid, diabolum, vt aperiret librũ & septem signacula eius, quia liber non posset aperiri, nisi prius vinceretur diabolus, quæ victoria apertio fuit veteris testamenti. Quomodo septem signacula aperuerit in sequentibus dicemus. *Et vidi in medio throni & quatuor animalium, & seniorũ, agnum stantem quasi occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.*) Per thronum & quatuor animalia & seniores, vna ecclesia cum cunctis suis ordinibus designatur. Agnus verò non occisus, sed tanquam occisus visus est, quia mortem in transitu gustauit, & paulo post resurgens iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Qui cornua septem & oculos septem habuisse visus est. Quid sint autem septẽ oculi, ipse exponit cùm subiũgit: Qui sunt septẽ spiritus, missi in omnẽ terram. Per cornua verò, sæpe regna designantur. Videtur ergo mihi aliam significationem habere cornua, aliam oculi. Per septem nãque cornua, omnes electi designantur, qui regnum Dei vocantur, quorum omnium multitudinem superius in septem partes diuisimus. Ad primum igitur cornu, electi qui ante diluuium fuerunt, pertinent. Ad secundum verò, ij qui post diluuium vsque ad legem fuerunt. Ad tertium autem, ij qui sub lege erant. Ad quartum, prophetæ. Ad quintum, ij qui ex Iudæis crediderunt in Christum. Ad sextum, populus gentilis. Ad septimum verò, ij qui in fine mundi nasciturí sunt, & cum Antichristo pugnaturi. *Et venit, & accepit librum de dextera sedentis super thronum.*) Superius diximus per sedẽtem in throno, Christum designatum fuisse. Sed quia ipse dixit, Ego in patre & pater in me est, & qui videt me, videt & patrem, in hoc loco sedens in throno, patrem designat: dextera verò patris, filius est. Agnus autem hominem, quem Christus assumpsit, designat. Agnus ergo librum de dextera sedentis super thronum accepit: quia homo Christus à sua diuinitate accepit, vt sacramẽta diuinarum scripturarum reseraret. *Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorũ.*) Quærendum nobis est, quomodo ante reserationem sigillorum, liber aperiri potuerit. Sed spiritaliter intelligendum est. Prophetæ nanque aduentum Christi, passionem & resurrectionem eius, aliquando per quasdam figuras, aliquando apertis vocibus prædixerunt. Sed patriarchæ in suis actibus, hæc omnia præfigurauerunt. Christus ergo quando ex virgine natus est, quando passus est, & resurrexit, & in cœlum ascendit, librum veteris testamenti aperuit, quia quę ibi significabantur, opere impleuit. Postea verò, ea quæ in veteri testamento obscura erant & in nouo, doctoribus ecclesiæ per inspirationem spiritus sancti aperuit. Quæ apertio, reseratio est sigillorum. Quod autem sequitur, quòd quatuor animalia & seniores ceciderunt coram agno, ad eosdem doctores ecclesiæ pertinet. Quoties enim natiuitatem, passionem, & resurrectionem Domini ad memoriam reducunt, & quibuscunque modis hæc à sanctis patribus præfigurata, & à prophetis prædicta sunt, recolunt, quotiésque hæc quæ in Euangelio obscurè posita sunt, inuestigare non desinunt, toties eis liber signatus aperitur. Cadunt verò coram agno, cum per meditationem diuinarum scripturarum, considerãtes immensam clementiam Dei, humiliant se in conspectu creatoris sui: & quantò se per humilitatem deiiciunt, tantò amplius in amore eius exardescunt, quia humilitas quæ fit in conspectu Dei, nutrit amorem Dei. Per citharas autẽ quæ animalia & seniores habuisse dicuntur, mortificatio carnis designatur, sicut dicit Apostolus: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, auaritiam, & cætera. Phialæ verò aureæ, corda sunt sanctorũ, spiritali sapientia repleta: quæ odoramentis plena fuisse dicuntur. Quid sint autem odoramenta, ipse exponit cùm subiungit, Quæ sunt orationes sanctorum. Et vt hæc odoramẽta, ad Deum ascendant, Psalmista precatur cùm dicit, Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo Domine.

Et can-

Vetus testamentũ spiritaliter intellectum idem cum nouo.

Luca 10.

Christus cur leo dictus.

Roman. 6.

Antichristus.

Ioan. 14.

Coloss. 3.

Psal. 140.

Et cantabant canticum nouum.) Populus nouus,canticum nouum cantat. Canticum nouum,canticum est Euangelij. *Dignus es Domine Deus accipere librum, & aperire signacula eius.*) Hoc quod dicit,ad humanitatem eius pertinet. Nam secundum diuinitatem,nihil accipere potuit, quia omnia semper habuit. Cur autem dignus fuerit accipere librum,& soluere signacula eius,subdendo manifestat. *Quoniam occisus es,& redemisti nos Deo in sanguine tuo,ex omni tribu,& populo,& natione.*) Hic demonstrat, ex omnibus gentibus ecclesiam fuisse collectam. Nam fuerunt quidam hæretici,qui hoc negauerunt. *Et fecisti nos Deo nostro,regnum & sacerdotes.*) Sunt quidã, qui se & alios optimè regere nouerunt: qui etiam & sacerdotes dicũtur, quia semetipsos quotidie igne charitatis succensi,per compunctionem cordis & lachrymas, Deo offerre consueuerunt, sicut dicit Psalmista, Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Siue sacerdotes Dei dicuntur,eo quòd membra sint summi sacerdotis, de quo dicit Psalmista: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. *Et vidi & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni, & seniorum,& quatuor animalium, & erat numerus eorum millia millium,dicentium voce magna: Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & diuinitatem,& sapientiam & fortitudinem, & honorem & benedictionem.*) Per thronum & quatuor animalia & seniores, vniuersa ecclesia cum suis doctoribus designatur. Angeli verò qui thronum,id est,ecclesiam cinxisse visi sunt, angeli sunt qui ad custodiam ecclesiæ à Deo destinati sunt,sicut Paulus Apostolus loquitur dicens: Nonne omnes administratorij sunt spiritus in ministerium missi propter eos qui hęreditatem capiunt salutis? Per maximum autem numerum, eorũ multitudo innumerabilis designatur: qui agnum magna voce benedicere dicuntur, quia ad quæcunque officia angeli explenda designantur, à laudibus Dei nũquam cessant. Et sicut hic liber in septenario numero totus consistit,vtique septem dona spiritus sancti Propheta in Christo requieuisse dicit: ita & septẽ benedictiones in hoc loco ponuntur,quibus assiduè angeli Deum laudare dicuntur. *Et omnem creaturam quæ in cælo est, & quæ in terra, & quæ subtus terram,& quæ sunt in mari, & quæ in eo sunt,audiui dicẽtes sedenti in throno & agno.*) Per creaturam quæ in cœlo erat, angeli: per eam verò quæ erat in terra,homines: per eam autem quæ erat subtus terram,ij qui iam debitum mortis soluerant,designantur. Quòd verò dicit,& quæ sunt in mari,aquas maris intelligere possumus: per mare autem, locum in quo aquæ continentur. Quòd verò subiungit,& quæ in eo sunt: pisces qui in aquis morantur intelligere debemus. Sed si per omnem creaturã quæ in terra est, omnes homines intelligere debemus, quomodo omnes homines Deum laudant, cum Pagani & Iudæi, blasphematores Dei potius dicendi sint, quàm laudatores? Inuenimus etiam & quosdam flagitiosos,qui Christiani vocãtur,qui quamuis Deum laudare videantur,Deum non laudant: quia sicut dicit scriptura,Non est speciosa laus in ore peccatoris. Et si per omnem creaturam quæ in terra est,omnes animas debemus intelligere,quorum corpora in terra requiescunt: quomodo ij qui apud inferos cruciantur,Deũ laudare credendi sunt? Sed per omnem creaturam, quæ in terra, & quæ subtus terram est, solos electos debemus intelligere,qui & in terra bonis operibus,& verbis Deũ laudare non desistunt, & in cœlis cum Domino positi,à laudibus eius nunquam cessant. Per mare verò,ecclesiã: per aquas maris, multitudinem fidelium: per pisces qui in aquis commorantur, doctores ecclesiæ possumus intelligere. Sequitur benedictio, qua fideles Deum assiduè benedicere dicuntur. *Benedictio, honor, gloria,& potestas Deo nostro in secula seculorum, amen.*) Benedicunt nãque electi assiduè Deum,cùm verbis bona opera coniungunt. *Et quatuor animalia dicebant, Amen.*) Amen,confirmatio sermonis est. Quatuor igitur animalia dicunt,amen,cùm sancti prędicatores optãt assiduè,vt auditores eorum in bonis operibus magis ac magis proficiãt. *Et viginti quatuor seniores ceciderunt, & adorauerunt.*) Viginti quatuor seniores in hoc loco,eandem habent significationem,quam & quatuor animalia. Seniores ergo cadunt & adorant,cùm prędicatores sancti quãtò amplius auditores suos vident in bonis operibus proficere,tãtò magis se humiliant in conspectu Dei,sicut dicit scriptura: Quantò magnus es, humilia te in omnibus,& coràm Deo inuenies gratiam. Sequitur sigillorum apertio,quæ nõ nisi ad perfectionem diuinarum scripturarũ, pertinere credenda est. Nam & ea quę sub sigillorum apertionibus facta esse dicuntur,ad perfectionẽ veteris ac noui testamenti pertinent. Et sicut omne corpus electorum,ex septem partibus consistit: ita sunt & septem sigilla, quæ vnicuique parti cõueniunt, ad demonstranda ea, quæ in diuinis scripturis obscurè posita sunt, vel quid sanctorum patrum facta significent. Apertio igitur primi sigilli, ad ea quæ ante diluuium facta sunt,pertinet: secundum verò sigillum,ad patriarchas: tertium,ad eos qui sub lege fuerũt: quartum autem,ad prophetas. Tres verò apertiones,quæ residuæ sunt,ad nouum testamentum pertinent. Quinta apertio pertinet ad martyres. Sexta,ad Iudæorum delectionem,& ad Gentium vocationem. Septima,ad aduentum Christi pertinet. Et cur in septimo loco aduentus Domini ponatur,in sequentibus dicemus. Sed quærendum nobis est, cur per visionem quatuor equitum,apertio veteris testamenti figuretur. Equus nanque ex parte equi,irrationabilis: ex parte verò præsidentis, rationabilis esse dignoscitur. Similiter & quædam prȩcepta legalia,ex parte literæ,irrationabilia: ex parte autem allegoriæ,valde rationabilia esse comprobrantur.

CAPVT SEXTVM.

ET vidi cùm aperuisset agnus vnũ de septem signaculis.) Apertio primi signaculi, vt suprà dictũ est, ad ea quæ ante diluuiũ facta sunt,pertinet. Agnus igitur primum sigillum aperuit,quando ea quæ ante diluuiũ gesta sunt, doctoribus ecclesiæ qualiter spiritualiter intelligerẽtur,spiritus sancti gratia patefecit. Et vt quid sit apertio sigillorum plenius manifestemus, de apertione singulorum sigillorum pauca dicamus. In Genesi scriptum est, quòd plantauerat Deus paradisum voluptatis, in quo posuit hominem quem formauerat. Qui diuersis arboribꝰ, consitus esse describitur. Per paradisum igitur,ecclesia: per arbores verò paradisi,doctores ecclesiæ designãtur. Et sicut arbores paradisi, victum pomorum præbebãt primis hominibus, ita & doctores ecclesiæ, victum verborum diuinorũ animabus fidelium in ecclesia constitutorum, præbere non desistunt. De ligno autem vitæ,& de ligno scientiæ boni & mali superius diximus. Fons verò qui egrediebatur de medio paradisi, Euangelium significabat, qui in medio sanctæ ecclesiæ exoritur. Qui inde in quatuor capita diuidebatur: quia doctrina Euangelij in quatuor libros diuiditur,& circuit omnes terminos terræ. Nam & Adam,Christum figurauit,Eua verò,ecclesiã. Et sicut Eua ex latere viri dormientis facta est,ita & ecclesia ex latere Christi in cruce pendentis fabricata est, quia eius sanguine redempta & mũdata est à sordibus. Duo filij nati sunt Adæ,Cain & Abel: Cain,populum Iudæorum: Abel verò,Christum significauit. Obtulit Cain de fructibus terræ munera, id est, primitias, decimas,sacrificia,& cætera quæ in lege iubebantur: Abel verò obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorũ. Primogenita gregis, sunt Apostoli, quos primos genuit ecclesia, & ex quibus ecclesia nata est. Adeps verò,fides est Apostolorum. Obtulit igitur Abel de primogenitis gregis sui,& de adipibus eorum: quia Christus Apostolos quos de mundo elegerat,fidémque illorum Deo patri obtulit. Cain inuidia ductus,eo quòd respexisset Dominus ad Abel & ad munera eius, interfecit eum: similiter & Iudæi videntes signa, quæ sua & patris virtute Christus operabatur, interfecerũt eum, qui frater illorum erat secundum carnem. Maledixit Deus Cain,eo quòd interfeciſſet Abel fratrem suum: dixîtque ei, quòd vagus & profugus esset super terrã. Similiter & Iudæi non solùm à Deo, sed à semetipsis maledicti sunt, quando dixerunt de Christo: Sanguis eius super nos,& super filios nostros. Sũntque vagi & profugi super terrã, quia propriam sedem nullam habentes, per vniuersas gentes vagantur. De apertione igitur primi sigilli, tantum dixisse sufficiat. Deinde sequitur: *Audiui vnum ex quatuor animalibus, dicens:*

Gen. 2.

Eua ex latere Adæ: Ecclesia, ex latere Christi.
Gen. 4.

Matth. 27. *Iudæi à semetipsis maledicti.*

dicens? Veni, & vide.) Eãdem significationem habet primum animal, quam & secundum, & tertium, & quartum: significant enim doctores ecclesiæ. Quòd autem dicit, veni & vide, ad intelligentiam spiritalem nos prouocat. Ac si diceret, Veni non passibus corporis, sed passibus mentis, & intelligespiritaliter ea quę primo tempore historialiter facta legisti. *Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum, habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.*) Equus albus iustos qui ante diluuium fuerũt designat, qui propter innocentiam albi dicuntur. Sessor verò equi, Dominus est, qui in sanctis suis æternaliter præsidet. Per arcum autem, qui procul sagittas à se mittit & vulnerat, vindicta Domini potest designari, qua & primos homines propter inobediẽtiæ culpam damnauit, & Cain propter fratricidij reatũ, septuplum puniuit. Per coronam nihilominus, sicut & per equũ album, iusti qui ante diluuium fuerunt, designãtur. Exiuit verò vincens vt vinceret, quando statuit vt per aquas diluuij, omnis multitudo reproborum deleretur. *Et cùm aperuisset sigillum secundum.*) Secundi sigilli apertio, ad arcæ fabricam, & ad iustos qui ante legem fuerunt, pertinet. Ad demonstrandam ergo secundi sigilli apertionem, pauca de his loquamur. In Genesi scriptum est, quia dixit Deus ad Noë: Fac tibi arcam de lignis læuigatis: mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus, & sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Arca ecclesiam. Noë verò fabricator arcæ, Christum fabricatorem ecclesiæ figurabat. Quæ arca ex lignis læuigatis facta fuisse describitur. Per ligna læuigata quæ & aquas prohibuerunt, & vitam omnibus animalibus intra se constitutis seruauerunt, doctores ecclesiæ designãtur: qui & doctrina cum scriptis suis aquas diuersorum errorũ ab ingressũ ecclesiæ prohibent, & vitam iis qui intra ecclesiam sunt, sua doctrina & exemplis seruant: quæ leuigata esse dicuntur, id est ab omni asperitate vitiorum emundata. Per mansiunculas, quæ in arca fieri iussæ sunt, diuersi ordines in ecclesia designantur. Alius enim in coniugali ordine, alius in continenti, alius in monachico, alius in sacerdotali, dum Deo seruire student, quasi in diuersis mansionibus habitant. Per bitumen autem quo lita fuisse dicitur, diuina scriptura designatur. Tabulæ ergo ex quibus arca facta est, quas doctores ecclesiæ significasse diximus, bitumine intrinsecus & extrinsecus liræ sunt: quia doctores ecclesiæ intrinsecus liti sunt per sapientiam, doctrinámque diuinarum scripturarum, & extrinsecus per opera virtutum. Trecentorum autem cubitorum longitudo arcæ fuisse describitur, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Per longitudinem igitur arcę, fides: per latitudinem, charitas: per altitudinem, spes figuratur. Longitudo ergo arcæ, in trecentos cubitos extenditur: quia fides nostra in confessione sanctæ trinitatis consistit: centenarius verò, perfectus est numerus. In trecẽtos ergo cubitos fides nostra præsignata est, quia æquam perfectionem habet pater & filius & spiritus sanctus, sicut scriptum est: Qualis pater, talis filius, talis spiritus sanctus. Latitudo nihilominus eius in quinquaginta cubitos dilatatur in latitudine, quia fides per dilectionem operatur: sed non inconuenienter per quinquaginta cubitos latitudinis, charitas figuratur. Septies enim septem, quadraginta nouem faciũt. Quòd si vnum huic numero addideris, quinquaginta inuenies. Dilectio ergo proximi non inconuenienter in septenario numero comprehenditur, quia sine septem virtutibus perfici non potest. In septem verò septenis, vnusquisque fidelis dilectionem proximi extendit, dum quibuscũque modis necessitates aut aduersitates, quæ proximis euenire possunt, eisdem modis & ipse ad subueniendum paratus existit: verbi gratia, dum esurienti, nudo, hospiti, egenti, in carcere posito, quæ sunt necessaria ministrat: dum dolentem consolatur, dum iracundum verbo temperat, dum odium in corde gerentem pacificat, discordantésque ad pacem reducit: dum eum qui in peccatis iacet, ad pœnitẽtiam prouocat, dum ad vitam æternam quoscunque potest, secum trahere studet. Et vt breuiter dicam, quibus modis vult, vt ei salubriter ab alio subueniatur, eisdem & ipse quibuscunque potest subuenire, paratus est. Ad septem autem septenos si vnum adiungas, quinquaginta fiunt. Similiter & ad dilectionem proximi, si vnius Dei dilectionem adiungas, tota charitas integra atque perfecta in te efficitur. Altitudo verò arcæ in triginta cubitos exaltata est, quia ille venialem spem possidet, qui à fide sanctæ trinitatis, sicut nobis ab Apostolis tradita est, atque cæteris documentis, neque opere, neque credulitate discordat. Qui enim spem sine recta fide, de vita æterna possidenda sibi vsurpat, sine dubio semetipsum decipit, quia sine fide impossibile est placere Deo. Altitudo itaque arcæ, à magna longitudine & latitudine exoriebatur, & in cubito sursum consummabatur: quia charitas quæ ex fide nascitur, in magna latitudine erga proximorum curam semetipsam extendit. Sursum verò in cubito consummatur, quia omnis spes fidelium atque desiderium, ad vnius Dei visionem tendit. Quod autem Noë ad iussionem Domini ex omnibus animantibus mundis & immundis introduxit in arcam, significat quòd mali & boni in ecclesiam introducuntur. Sed de mundis septena & septena, de immundis verò bina & bina, masculus & fœmina in arcam introierunt. Per munda nanque animalia electi, per immunda verò reprobi designãtur. Munda itaque animalia in septimo numero ponuntur, quia illi soli electi sunt, qui per gratiam spiritus sancti, ab operatione donorum eiusdem spiritus sancti alieni non sunt. Reprobi verò in secundo numero ponuntur, quia cũ solo corpore & anima in ecclesia consistunt: mente verò, extra ecclesiam sunt. In sequentibus quoque scriptum est, Quia aperiens Noë fenestram arcæ quam fecerat, dimisit coruum, qui egrediebatur & non regrediebatur donec siccarentur aquæ super terram. Per coruum auem nigerrimam, Iudæi in fidelitate tenebrosi designantur. Noë igitur de arca coruum emisit, quia Dominus noster Iesus Christus à consortio sanctæ ecclesiæ populum Iudæorum seperauit. Post coruum, emisit columbam, quæ cùm non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam. Secũdò emisit columbam ex arca, quæ venit ad eum ad vesperam, portãs ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo. Tertiò emisit columbam, quæ non est reuersa vltra ad eum. Per columbam, sæpe spiritus sanctus figuratur, eo quòd in colũbæ specie super Dominum descenderit. Sed quærendum nobis est, quid significet trina emissio colũbæ, & bina reuersio. Tres emissiones, tria tempora significant. Primum ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. In hoc verò loco, Noë Deum: arca autem, cœlestem Dei habitationem designat. Noë primo columbam ex arca emisit: quia Deus omnipotens sanctis viris qui ante legem fuerunt, gratiam spiritus sancti dedit: & qui legem non habebant, diuina præcepta quæ postea data sunt, per donum spiritus sancti impleuerunt. Sed columba non inuenit vbi pes eius requiesceret, quia non solùm cæteræ gentes, sed & ipsi Iudæi in Aegypto positi, in tantum culturam Dei reliquerunt, vt eo tempore quo Moyses natus est, penè nullus inueniretur, in quo spiritus sanctus habitare dignaretur. Et quodammodo gratia spiritus sancti ad eum rediit à quo missa est, cùm homines iniquos deseruit. Secundò emisit Noë columbam ex arca, quia Deus gratiam spiritus sancti hominibus legem puro corde seruantibus dedit. Vespere autem qua columba ad Noë rediit, tẽpus quo Christus natus est designat. De hoc tempore Dominus dicit in Euangelio, Lex & prophetæ vsque ad Ioannem: quia postquam euangelium cœpit prędicari, circuncisio & multæ obseruationes legales nihil profuerunt. Quandiu legis obseruatio Deo placuit, tandiu homines legem seruantes spiritus sancti gratia commutauit. Et sicut columba ad vesperam ad Noë rediit, ita & spiritus sancti gratia Iudæos infideles deserens, quodammodo ad eum à quo fuerat missa, reuersa est. Per ramum verò oliuę, legem possumus intelligere, vel accipere: per folia autem virentia, eos qui per legem salui facti sunt. Columba igitur ramum oliuæ cum virentibus foliis in ore suo detulit, cũ spiritus sancti gratia eos quos per legem saluauerat, quodammodo obtulit. Tertiò Noë columbam ex arca emisit, quando fidem Euangelij seruantibus, gratiam spiritus sancti dedit. Quæ non est reuersa vltra ad eum, quia fides Euangelij tandiu cum electis manebit, vsque dum veniente

Genes. 34.

Genes. 6.

Arcæ Noë significatio.

Opera charitatis.

Spes sine fide manis. Hebr. 11.

Mali & boni in ecclesiam inducti.

Genes. 8.

Matth. 11.

niente Domino ad iudicium, electi qui in hoc mundo inuenientur, rapientur coram Domino in aëra, & sic semper cũ Domino erunt. Ad demonstrandam verò apertius secundi sigilli apertionem, de tribus patriarchis pauca dicamus. In Genesi scriptum est, quia tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum, Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, & offeres eum ibi in holocaustum super vnum montium, quem dixero tibi. Abraham verò de nocte consurgens, strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Abraham, Christum secundum diuinitatem: Isaac autem hominem, quem Christus assumpsit, designat. Per asinum verò, Apostoli designantur. Abraham igitur de nocte surrexit, quia filius Dei mundo in tenebris ignorantiæ posito, ex Maria virgine nasci dignatus est. Strauit asinum suum, quando Apostolis suis mandata Euangelij tradidit. Duos verò iuuenes secum duxit, quia duo præcepta charitatis discipulis suis arctius & frequentius tradidit: duxit & filium suum, quia hominem quem assumpsit, ad moriendum pro genere humano tradidit, sicut ipse dixit in Euangelio discipulis suis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget: die autem tertia eleuatis oculis, vidit locum procul. Tres dies, tres decades annorũ, térque binos menses designant. Quo spatio temporũ Christus in mundo conuersatus dicitur: locus verò, Hierusalem designabat, in qua passus est. Christus locum procul vidisse dixit, cùm quotidie in templo prædicaret: quia quanuis Iudæi propè essent corpore, propter incredulitatem tamen longè ab illo recesserant. Dixítque Abraham pueris suis: Expectate hic cum asino: ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Similiter & Christus expectare discipulos suos iussit, vsque dum resurgens reuerteretur ad eos, cùm diceret: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Et cùm comprehenderetur, dixit Iudæis: Si me quæritis, finite hos abire. Tulit igitur Abraham ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Diximus superius, per ligna peccata nostra fuisse designata. Ligna ergo Isaac portauit, quia peccata nostra Christus pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: per manus verò Abrahæ, potestas Domini nostri Iesu Christi intelligitur. In eius nanque potestate fuit vt moreretur, & vt non moreretur si vellet, sicut ipse ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Per ignem autem passio, per gladium, eius mors intelligitur. Cùm veniſſet ad locum, ędificauit altare, & desuper ligna composuit. Cúmque colligasset Isaac filium suum, posuit eum super struem lignorum. Per altare, crux intelligitur. Crucem ergo filius Dei, in qua homo quem assumpserat, vt immolaretur, ędificauit, quia ipso permittente factum est. Super altare verò ligna composuit, & super ligna posuit Isaac filium suum colligatum. Illud namque quod suffocare volumus, nobismetipsis supponimus, vt pondere nostro suffocetur, & pereat. Similiter & redemptor noster, ligna, id est, peccata nostra in cruce pendens, sibi suppositit, vt pondere suo atque virtute peccata nostra suffocarentur ac delerentur. Vincula autẽ Isaac, afflictionem Domini in cruce designauerunt. Ea verò quæ angelus ad Abraham locutus est, ad hanc expositionẽ non pertinent. Leuauit Abraham oculos, vidítque arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit pro filio. Aries Christum designauit. Per duo cornua, duo præcepta charitatis designantur: per vepres, Iudæi. Christus igitur inter vepres hærebat cornibus: quia Iudæos vt fratres diligens, & sciens quia gẽtium vocatio, Iudæorum esset perditio, noluit primò fidem euangelij gentibus tradere: sed mittens ad prædicandum discipulos suos, præcepit eis dicẽs: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorũ ne intraueritis, sed ite potius ad oues perditas domus Israel. Et mulieri Chananeę dixit: Non sum missus nisi ad oues quę perierunt domus Israel. Et iterum: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Abraham autem à vepribus arietem abstraxit, atque in holocaustum pro filio obtulit: quia pater filium, & ipse filius semetipsum ab amore impiorum Iudęorum separauit, atque hominẽ quem assumpsit, pro salute humani generis, in holocaustum obtulit. De eodem verò Isaac scriptum est, quia habuit duos filios, Esau & Iacob. Esau venator fuit, & homo agricola: Iacob verò simplex, habitabat in tabernaculis. Per Esau, populus Hebraicus: per Iacob verò, populus gentium designatur. Isaac autem vtriusque genitor, typum Domini tenuit, qui vtrunque populum, & illum per legem, & istum per fidem filios sibi fecit. Esau agricola erat, quia Iudæorum populus pro terrenis commodis Deo seruiebat. Non enim dictum est ad illos, Si pauperes fueritis spiritu, si mites, si pacifici, si misericordes, si persecutiones pro nomine meo sustinueritis, beati eritis, & merces vestra copiosa erit in cœlis: sed dictũ est ad illos, Si custodieritis mandata mea, & iudicia mea seruaueritis, dabo vobis pluuiam temporibus suis, & terra proferet germen suum, & pomis arbores replebuntur, & cætera quæ ad delitias seculi pertinent. Fuit etiam venator, quia per effusionem sanguinum arietum, hircorum atque vitulorum, Deum placare consueuerat. Iacob autem simplex, habitabat in tabernaculis: quia electi ex gentibus soli, fide bonaque voluntate Deo placere studuerunt. Per tabernacula, siue diuersas ecclesias, in quibus per vniuersum orbẽ vna ecclesia catholica diuisa est, siue diuersos ordines possumus intelligere. Isaac diligebat Esau, eo quòd de venationibus illius vesceretur, sed Rebecca diligebat Iacob. Isaac sicut diximus in hoc loco, typum Domini tenet. Per Rebeccam autem, præscientiam Dei possumus intelligere. Isaac igitur diligebat Esau, eo quòd de venationib⁹ illius vesceretur: quia Deus diligebat populũ Iudęorũ, eò quòd assiduè eorũ oblationibus placaretur. Mater verò diligebat Iacob, quia sciens Deus populum gẽtium multò meliorẽ fore quã populũ Iudæorũ, per præscięẽtiæ suæ gratiã, multò amplius diligebat. Esau cũ in venatione moraretur, vt de agrestib⁹ animalibus cibos patri exhiberet, quatinus ab illo benediceretur, mater Iacob ad percipiendam benedictionem patri applicuit, quia dum populus Iudæorum, obseruationibus legalibus deditus esset, atque ad fidem Christi percipiendam tardus occurreret, mater, gratia scilicet, populum gentium, eo quòd fidẽ Christi cum auiditate suscepisset, ad percipiendam benedictionem quæ Iudæis debebatur, Deo obtulit. Qualiter autẽ ipse populus gentium, hoc benedictionis donum promeruit, testantur opera Iacob per significationem, quæ pro benedictione percipienda egisse describitur. Dixit igitur Rebecca filio suo Iacob: Affer mihi duos hædos optimos, & faciam ex eis escas patri tuo quibus libenter vescetur. & benedicat tibi coram Domino, antequam moriatur. Abiit & attulit, dedítqve matri. Parauit illa cibos sicut nouerat velle patrem illius, & vestibus Esau, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculásque hœdorum circundedit manibus, & colli nuda protexit, dedítque pulmentum, & panes quos coxerat, tradidit. Per duos hœdos, confessionem peccatorũ populi gentilis & pœnitentiam intelligere debemus. Duos ergo hœdos optimos Iacob matri obtulit: quia per confessionem peccatorum & pœnitentiam, quę via est ad fidem euntibus, populus gentilis ad eandem fidem percipiendam properauit. Qui hœdi optimi dicuntur fuisse, quia valde acceptabilis Deo est pœnitentia peccatoris, cum abrenunciatione vitiorum, sicut ipse Dominus noster dicit in Euãgelio. Gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Per vnum peccatorem, populum gentium, per nonaginta verò iustos, Iudæos intelligi volens. Qui iusti ideo dicuntur, quia propter obseruationem legis, iustos se falsò putabant. Nam ad eosdem iustos, Dominus loquitur dicens: Væ vobis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra. Qui in imperfecto numero ponuntur, quia nullum ad perfectum adduxit lex. Per escas autem delectabiles, quæ Isaac ad sumendum ex duobus hœdis præparatæ sunt, pœnitentiæ opera debemus intelligere,

Matth. 15.

Genes. 25.

Mysterij Iacob & Esau expositio.

Deum propter opera præuisa diligere sentit.

Genes. 27.

Luce 15.

Luc. 16.

Hebr. 7.

Matth.3. intelligere. De iis escis loquitur Ioannes Baptista dicens, Facite fructus dignos pœnitentiæ. Per vestes verò valde bonas, quas Esau id est, Iudæi domi reliquerant, optima præ-
Deuter.9. cepta legis debemus accipere, vt est illud: Diliges Dominum
Matth.22. Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum: & multa alia, sine quibus nullus iustus esse potest. Hæ sunt optimæ vestes quas Iudæi domi, id est in veteri testamento reliquerant, eo quòd ea observare nollent: iis populus gentilis indutus & ornatus, ad Deum patrem cum cibis operum bonorum perrexit. Cum cibis autem, & panes detulit. Per panem sæpe verbum Dei designatur, quia ille congruenter ad Deum patrem cum cibis operum bonorum pergit, qui & alios quoscunque potest ad bona opera agenda admonere non desinit. Sed & illud nobis quærendum est, cur mater pellibus hœdinis, manus Iacob & colli nuda protexerit. Pellis nanque cũ ab hœdo subtrahitur, caro apparet, vnde delectabiles cibi confici possunt. Similiter & ab vnoquoque peccatore cùm vitia detrahuntur, bona naturæ cum ratione apparent, quæ si fide Deo coquantur, delectabiles cibi ex bono naturæ, Deo præparantur. Per collum igitur, eo quòd in collo sæpe superbia appareat, possumus elationem mentis intelligere. Per manus verò, opera designantur. Collum ergo vnusquisque fidelis pellibus hœdinis circundat, cùm ad mentis elationem deponendam, ad humilitatis suæ custodiam, peccata præterita, ante oculos mentis reuocare nõ desinit. Manus circundat, cùm ne in bonis operibus extollatur, peccata præterita ante oculos mentis sæpe reducit. Postquam Isaac cibũ sumpsit, obtulit ei Iacob etiam vinum. Si per cibum actiuæ vitæ opera designantur, possumus per vinum, quod mentes hominum alienat, contemplatiuam vitam accipere, quæ ab amore seculi mentes quorũdam electorum insensibiles reddit. Cibo igitur potúque sumpto, Isaac Iacob benedixit, qui illi benedictionem cœlestis patriæ à Deo percipiũt, qui eum
Genes.28. vsque ad finem vitæ suæ, bonis operibus placare studeant. Idem verò Iacob cum fugeret Esau fratrem suum, venit ad quendam locum. Cúmque supposuisset capiti suo lapidem, dormiuit illic: vidítque in somnis scalam ad caput suum à terra asque ad cœlum erectam, & Dominum innixum scalæ: angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per
1.Cor.3. eam. Per lapidem, Christus intelligitur: fundamẽtum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Caput igitur super lapidem ponimus, si
Scala Iacob expositio mystica. ex bonis operibus, parietem nostrum super Christum ædificamus. Concordat huic sensui, visio scalæ. Duo nanque ligna scalæ maiora, quæ sunt ex vtraque parte, atque ab inferioribus ad superiora eriguntur, duo præcepta charitatis designant. Per gradus verò qui in transuersum ex vtraque parte iis duobus lignis inseruntur, cæteræ virtutes designantur. Et sicut duo ligna nisi à gradibus, & gradus nisi à duobus lignis contineri non possunt: ita & charitas sine cæteris virtutibus, & cæteræ virtutes sine charitate esse non possunt. Et quemadmodum diuersi gradus, nisi in duobus lignis maio-
1.Ioan.4. ribus ex vtraque parte inserantur, ascensum hominibus prębere non possunt, sicut dicit Ioannes Apostolus: Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et sicut scala ex vna parte terram, ex altera cœlum tangere visa est: ita & charitas ab inferioribus proximis, à superioribus verò, Deo cõiungitur. Vnde & angeli Dei per eam ascendentes & descendentes monstrati sunt: quia sanctos Dei qui per angelos designantur, aliquando amor Dei per contemplationis gratiam ad excelsa subleuat, aliquando amor & cura proximorum, ad inferiora reducit: Dominum autem innixum scalæ vidit, quia quicunque per iter virtutum ad Dominum conscendere satagunt, postquam viam sui itineris finierint, Dominum omnium bonorum authorem, præmiorúmque largitorem in-
Genes.32. ueniunt, cum quo sine fine gaudebunt. Cùm verò idem Iacob reuerteretur de Mesopotamia Syriæ, venissetq; ad Iordanem, transductis omnibus quæ ad se pertinebant, remansit solus. Et ecce vir luctabatur cũ eo, vsque ad manc. Cúmque videret quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit, dixítque ei, Dimitte me, iam enim ascendit aurora. At ille dixit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et ait illi, Quo vocaris nomine? Respondit ei, Iacob. At ille dixit: Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Per Iacob in hoc loco, quilibet peccator & pœnitens designatur. Quòd verò angelus cum Iacob in figura luctabatur, illud significat quod Dominus dicit in Euangelio: Regnum cœlorum vim patitur, & vio-
Matth.11. lenti rapiunt illud. Qui sunt autem violenti, nisi peccatores
Peccatores omnes luctantur vt Iacob. & pœnitentes? Qui cùm se vident pro sceleribus suis, mortis perpetuæ esse reos, tamdiu ianuã paradisi precibus pulsant, vsque dum eis aditus regni cœlestis aperiatur. Iacob ergo cum Domino luctatur, quomodo quilibet peccator pertimescens pœnas ignis æterni, tamdiu in precibus persistit, vsque dum ei misericordia diuina succurrat, sicut sequẽtia manifestant. Qui cùm videret quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Et quia libido ex femore nascitur, per neruum femoris, voluptates carnales intelligi possunt. Neruum igitur femoris peccatoris Dominus tetigit, cùm omnia desideria carnalia, ex quibus peccata oriuntur, extinxit: quia fieri non potest, vt à peccatis abstineamus, quamdiu in voluptatibus carnalibus resoluti iacemus. Dixit igitur angelus ei, videlicet ille, qui in persona Domini cum eo luctabatur: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Ac si dixisset, desine iam pro timore ignis æterni flere, quia iam tranquillitas vitiis extinctis redit, quæ te in perditionis foueam demersurant. Et quia non satis prodest mala deserere, nisi bona agere studeamus, sequitur, Dixítque Iacob: Non dimittam te nisi benedixeris mihi: id est, à precibus non cessãbo, nisi me virtutibus ditaueris. Vt qui vsque modo secundum carnem vixi, amodo secundum spiritum viuam. Dixítque ei: Nõ vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum: id est, non vocaberis vltra supplantator vitiorum, sed vocaberis vir videns Deum. Et qui antè flebas ne in infernum demergereris, nunc flebis eo quòd aliquo tempore à visione omnipotentis Dei elongeris, dicens cũ Psal-
Psalm.119. mista, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Idem etiam Iacob post luctationem quam cum angelo gessit, vno pede claudicasse dicitur. Qui verò claudicat, super sanum pedem totus innititur, altero pauliſper terram tangens. Duo igitur pedes, duorum alimentorum genera designant. Sunt nanque alimenta corporis, sunt & animæ. Alimenta corporis, sunt cibi, potus, & vestimenta. Alimẽta verò animæ sunt verbum Dei, opera bona. Vnusquisque igitur fidelis vno pede pauliſper terrã tangit, super alterum totus innititur: quia iis quæ sunt mundi, tantummodo ad necessitates corporis subleuandas vtitur, sicut dicit Apostolus: Habentes autẽ vi-
1.Tim.6. ctum & vestitum, iis contenti simus. In ea verò quæ ad salutem animæ pertinent totus incumbit, ne aliquãdo à via Dei, quæ salus animæ est, deuiet. Ad apertionem secundi sigilli demonstrandam, pauca de multis diximus, nunc ordinem persequamur. Sequitur. *Audiui secundum animal, dicens: Veni & vide*, id est intellige spiritaliter quæ à patriarchis facta cognouisti. *Et ecce equus rufus.*) Hic color aureo colori parumper appropinquat, veluti si aureo colori sanguineũ admisceas. Non incongruè sancti viri, qui ante legem fuerunt, huic colori comparantur: eo quòd & sapientia claruerint, quæ per aurum figuratur, & in persecutionibus & aduersis constantes fuerint, quę per sanguinem figurantur. Sessor verò huius equi, Dominus est, qui in sanctis suis habitat. Huic sessori datum est, vt pacem sumeret de terra. Si pax bona est
De pace bona & mala. Exod.23. Deut.7. Psalm.17. à Deo, de terra quomodo sumpta est? Sed est pax bona, & est pax mala. Pacem malam filij Dei ante diluuium cum filiis hominum habuerunt, quando filias eorum acceperunt, & suas eis dederunt, ideóque cum illis aquis diluuij deleti sunt. Sed & filiis Israel pręcepit Dominus, vt fœdus non inirent cum Cananæis, neque filias eorum acciperẽt, nec filias suas illis darent. Nam de pace bona & mala Psalmista loquitur dicens: Cum electo electus eris, & cum peruerso perueterteris. Hanc ergo pacem Deus de terra sumpsit, quando iustos homines ab impiis separauit mente non corpore. *Et vt inuicem se interficiant.*) A quibus pax ablata est, consequẽs est, vt alius ab alio interficiatur. Nam sæpe iusti iniustos, & iniusti iustos interficiunt, sicut Aran frater Abrahæ secundum

Nõ satis declinare à malo, nisi & facias bonum.

dum traditionem Iudęorum in igne Chaldęorum, eo quòd ignem adorare noluerit, mortuus est: sicut Abraham quatuor reges pro suis impietatibus cum exercitibus interfecit: sicut filij Iacob qui pro stupro sororis omnes Sichimitas interfecerunt. Per gladium autem magnum, aquas diluuij accipere possumus, quibus omnis mundus deletus est. Possumus etiam per gladium magnum, exterminium quinque ciuitatum intelligere, quarum habitatores igne & sulphure perierunt, eorumque terram, quæ cum ipsis in abyssum demersa est. *Et cùm aperuisset sigillum tertium.*) Sigilli tertij apertio, ad legem & ad eos qui sub lege fuerunt pertinet. Ad demonstrandum ergo tertij sigilli apertionem, placuit vt pauca de Moyse & de iis quæ in lege irrationabilia esse videntur, dicamus. In Exodo scriptum est, quòd cùm natus esset Moyses, absconditus est mensibus tribus à parentibus suis. Postea verò fecit ei mater fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, & posito intus infante, posuit eum in carecto ripæ fluminis. Moyses Christum figurabat. Per menses autem tres quibus abscōditus est Moyses, tria tempora designantur. Vnum ante diluuium: secundum, post diluuium vsque ad Moysen: Tertium à Moyse vsque ad aduentum domini. In iis tribus temporibus, quomodo homines aduentus Christi secundum carnem latuit, à perfectis multis viris prædictum est. Per fiscellā verò scirpeam, beata virgo Maria designata est. Mater ergo fiscellam scirpeam in qua Moyses ponebatur præparauit, quia sapientia Dei, quæ est filius Dei, beatam Mariam virginem elegit, in cuius vtero hominem cui per vnitatem personæ coniungeretur, formauit. Per bitumen verò quod ab aquis solui non potest, virginitatem beatæ Mariæ, quæ nullo æstu carnali violari potuit, intelligere possumus. Per picem autem, quæ custos est bituminis, humilitatem custodem cæterarum virtutum. De qua ipsa loquitur dicens: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Per flumen verò, mundus. Per carectum in quo Moyses positus est, Iudæi designantur. Nam in sequētibus, in papyrione à filia Pharaonis, inuentus fuisse legitur. Eandem significationem habet carectum in hoc loco, quam & papyrus. Nam carectum, manus attrectantium vulnerare solet, ex papyro autem antiquitus libri conficiebantur. Per carectum ergo Iudæi designantur, qui prophetas medicos videlicet spirituales, qui vulnera eorum sanare cupiebant, interfecerunt. Idem etiam & per papyrum designantur, eo quòd in scripturis sibi à Deo traditis gloriarentur, quas legebant & non custodiebant. Filia ergo Pharaonis Moysen à papyrione sustulit: quia ecclesia ex gentibus fidem Christi suscipiens, eundem Christum à Iudæis credere nolentibus, abstulit: filia verò Pharaonis, filia videlicet diaboli, populū ex gentibus figurauit. Postea cū idem Moyses, oues Iethro cognati sui pasceret, apparuit ei Dominus in igne flammæ rubi, videbatúrque quòd rubus arberet, & non combureretur. Possumus per rubum qui flammas ex se producebat, & non comburebatur, beatam virginem Mariam intelligere, quę filium Dei ex suo vtero protulit, & virginitatē nō amisit. Sed propter ea quæ sequuntur, per rubum, Christum esse intelligendum existimo, secundum quod homo est. Flamma verò rubi eius diuinitatem figurauit. Rubus ergo ardebat & non comburebatur, quia filius Dei hominem assumens, sicut eius diuinitas non est mutata in humanitatem, vt admitteret quod erat: sic nec eius humanitas per diuinitatem ardens, non est absumpta à diuinitate, vt admitteret humanitatem, sed ex duabus substantiis humanitatis atque deitatis, vnus Christus permansit & permanet, sicut scriptū est: Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Locutus est autem Dominus ad Moysen de medio flammæ rubi: Ne appropinques huc, solue calciamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, & gemitum eius audiui, & descendi liberare eum. Sed veni mittam te ad Pharaonem, vt educas filios Israel de terra Ægypti. Post pauca, dixitque ad Dominum: Quis ego sum, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto? Et in sequentibus, Moyses de filiis Israel loquitur ad Dominum dicens: Non audient vocem meam, sed dicēt

A Non apparuit tibi Dominus. Et iterum: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Hæc verba demonstrant, Moysen inuitum obedisse mandatis Domini, vt educeret filios Israel de terra Ægypti. Sed quærendum nobis est, cur tantus vir, Domini præceptum inuitus executus sit: verum hanc eius pertinaciam spiritaliter intelligere debemus. Dicit enim Apostolus, Hæc autem omnia, in figura contingebant illis. Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerūt. Per Moysen igitur in hoc loco Apostoli designantur. In initio namque prædicationis euangelicæ, Apostoli scientes electionem gentium, reprobationem esse Iudæorum, nolebant gentibus doctrinam euangelij tradere, vt de potestate diaboli eruerentur. Vnde & Dominus in visione quadrupedum atque reptilium, Petrum ne gentes despiceret, docuit dicens: Quod Deus purificauit, tu cōmune ne dixeris. Ad hūc igitur sensum pertinet illud, quod Domin⁹ dixit ad Moysen, Ne appropinques huc. Solue calciamentum de pedibus tuis, & cętera. Ac si alicui ex magnis

B apostolis Dominus dixisset: Quanuis mortuos suscites, quanuis vmbra corporis tui ægrotos sanes, in nullo tamen te mihi comparare audeas, quia magnum quod agis, non est de te, sed ego operor per te. Calciamenta autem pedes muniunt, ne terram tangant: per terram verò, gentes designantur. Solue, inquit, calciamentum de pedibus tuis: id est, auferodium & despectionem gentium de corde tuo. Locus enim in quo stas, terra sancta est: id est, mundus in quo habitas, meo sanguine redemptus est. Et in sequentibus scriptum est, Dixitque Dominus ad Moysen: Quid est quod tenes in manu tua? At ille dixit, Virga. Ait illi, Proiice eam in terram. Quam cùm proiecisset, versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses: dixitque ei Dominus, apprehende caudam eius. Quam cùm comprehendisset, versa est in virgam. Per virgam Iudæi designantur. Moyses virgam in manu tenebat, quia apostoli populum Iudæorum per amorem in corde tenebant, toraque virtute laborant, vt eos per doctrinam sanctæ prædicationis ad salutem perducerēt. Proiecit Moy-

C ses virgam de manu, quia apostoli videntes Iudæos in Christum nullo modo velle credere, amorem eorum à cordibus suis proiecerunt: per colubrum verò diabolus designatur. Versa est igitur virga in colubrum, quia Iudæi ex prædicatione Apostolorum deteriores effecti, qui antè dicebantur populus Dei facti sunt filij & membra diaboli. Fugit Moyses, quia Apostoli, relictis Iudæis, transierunt ad gentes. Per caudam verò, quæ finis est corporis: Iudæi qui in fine mūdi nascituri sunt, designantur. Moyses igitur caudam serpentis apprehēdit, atque in virgam versa est, quia prædicatores sancti in fine mundi Iudæos quodammodo apprehendent, cùm per eorum doctrinam ad fidem Christi conuertentur, atque ex filiis diaboli, efficiētur filij Dei. Nam & illud quod præcipiente Domino Moyses manum in sinum misit, & leprosam retraxit, & iterum misit, & sana effecta est, eandem significationem habet. Per manum namque Moysi, Iudæi designantur. Manum Moyses in sinum misit, quia Apostoli Iudæorum salutem desiderantes, eis doctrinam fidei prædicare non cessabant. Moyses manum retraxit, & leprosam in-

D uenit: quia Iudæi ex prædicatione Apostolorum multò peiores effecti, in pessimā lepram incredulitatis atque blasphemiarum delapsi sunt. Moyses iterum manum in sinum misit, & sanam retraxit, quia predicatores sancti in fine mundi, Iudæos in sinum recipient, cùm eis fidem Christi prædicabunt, eósque ad sanitatem quam amiserant, reduxerint. In sequentibus quoque scriptū est, quòd cùm reuertetur Moyses in Ægyptum, occurrit ei Dominus, & volebat interficere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circūcidit carnem pręputij filij sui, tetigítque pedes eius, & dixit, Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum postquam dixerat, sponsus sanguinum tu mihi es. ob circuncisionem. Si Dominus occidere voluit Moysen, quare non fecit quod voluit; cùm Psalmista dicat: Omnia quæcūque voluit fecit? Sed voluntas sæpe pro comminatione ponitur. Comminatus est igitur Dominus Moysi mortem, eo quòd incircuncisum filium ferret, sicut ad Abraham loquitur, dicēs: Omnis anima

Moyses inuitus ad pastoris munus trahitur.

1. Cor. 10.

Pulchra humilitatis doctrina pro pastoribus.

Exodi 4.

Virga in colubrum versa, quid significet.

Manus Moysis leprosa, quid significet.

Exod. 4.

Psalm. 113. Voluntas pro comminatione.

anima ex vobis quæ circunciſa non fuerit, peribit de populis ſuis. Sed iſta prætermittentes, ad ſpiritalem intelligentiam recurramus. Moyſes in hoc loco, eos qui ex gẽtibus crediderunt, deſignat. In initio nanque fidei Apoſtoli, & cæteri prædicatores, conſiderantes imbecillitatem gentium fidem Chriſti ſuſcipientium, noluerunt eis auſteriora Chriſti præcepta primum tradere, ne fortè territi non auderent ad fidem Chriſti ſuſcipiendam accedere. Hæc ita eſſe apoſtolus Paulus demonſtrat, qui eis qui ex gentibus crediderant, per epiſtolam loquitur, dicens: Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, & non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis. Adhuc enim eſtis carnales. Sed & Apoſtoli eis qui apud Antiochiã in Chriſtum crediderant, mandauerunt dicentes: Placuit ſpiritui ſancto & nobis, nihil imponere vobis oneris, niſi vt abſtineatis vos ab eſcis quæ idolis immolantur, & à fornicatione & ſuffocato & ſanguine. Comminatus eſt igitur Dominus Moyſi mortem, eo quòd carnem præputij filij ſui circũcidere diſſimularet: quia credentibus ex gentibus, eo quòd tepidi eſſent in charitate, Dominus mortem comminatus eſt, cùm eis præcepta Euangelij ſui antepoſuit, vbi ſcriptum eſt: Arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui vadunt, vel qui intrant per eam. Et iterum, Qui non baiulat crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus, & multa alia quæ de reſecatione vitiorum in Euangelio, & in dictis Apoſtolicis inueniuntur: per petram verò, Chriſtus intelligitur: acumen autẽ petræ, dura ſunt præcepta Euangelij. Tulit igitur Sephora acutiſſimam petram, & circũcidit carnem præputij filij ſui: quia eccleſia cernens filios ſuos nullo modo poſſe perfectam conſequi ſalutem, niſi omnia deſideria carnalia ab eorũ corporibus extirparet, tulit auſteriora præcepta Euãgelij, & amputauit à corporibus filiorum ſuorum omnia nutrimenta vitiorum: in pedibus verò finis eſt corporis. Sephora igitur poſt circunciſionem pedes filij ſui tetigit, quia ille circunciſionem ſalutiferam percipit, qui in bono quod cepit, vſque in finẽ vitæ perſeuerat. Poſtquam aũt Sephora pedes filij ſui retigit, iam non filium, ſed ſponſum vocat: ſponſus verò eccleſię, Chriſtus eſt. Sed & ipſa eius ſponſa vocatur, ſicut dicit Ioannes Baptiſta: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: quem & ſpõſum ſanguinum vocat, quia Chriſti ſanguine eſt redẽpta. Filij ergo eccleſiæ poſt circunciſionem vitiorum, & in bonis operibus conſummationem, iam non filij, ſed ſponſi vocantur, quia illi coniuncti ſunt in cœlis per copulationẽ membrorum, qui ſponſus eccleſiæ in terra vocatur, & eſt. Et quoniã non poſſumus omnia, quæ per Moyſen in Aegypto geſta ſunt commemorare, pauca de iis quæ poſt egreſſionem Iſraelitici populi ex Aegypto ab eis geſta ſunt, ponamus. Filij igitur Iſrael vt Pharaonẽ & Aegyptios euaderent, per medium ſicci maris tranſierunt, & aquæ eis erant quaſi pro muro à dextris & à ſiniſtris. Similiter & populus gentium, vt diabolum, omnéſque eius ſatellites euaderent, per aquam baptiſmatis tranſierunt. Et qui antea fuerũt filij diaboli, ex aqua & ſpiritu ſancto, qui per columnã ignis deſignabatur, renati, effecti ſunt filij Dei. Aqua ergo maris filios Iſrael ſaluauit, Pharaonem verò cum omnibus ſatellitibus ſuis necauit, quia aqua baptiſmatis, imaginem Dei ſaluatoris, peccata quibus ſeruierat, extinguit: diabolus autem vnicuiqne extinguitur, qui eum fideliter cum omnibus põpis eius abrenunciat. Aquæ verò quæ pro muro eis erant à dextris & à ſiniſtris, fidem deſignabant noſtram, quam in baptiſmate percepimus, quæ murus eſt noſter ex vtraq; parte defendens nos, & ab inuiſibilibus hoſtibus, & à viſibilibus. Poſt tranſitum maris rubri, venerunt in Marach, vbi aquas amaras inuenerunt, quas bibere non poterãt. Et oſtendit Dominus Moyſi lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt. Per aquas amaras, lex Moyſi deſignatur: per lignum autem, paſſionem Chriſti, eo quòd in ligno crucis completa fuerit, debemus intelligere. Populus igitur qui ex Aegypto egreſſus eſt, aquas amaras inuenit, quia legem acceperunt quam implere non potuerunt, ſed gentibus ad fidem Chriſti venientibus amaritudo legis per paſſionem & reſurrectionem Chriſti in dulcedinem verſa eſt, quæ ab eis ſpiritaliter non carnaliter intellecta eſt. Illud etiam quòd in Elym duodecim fontes repererunt, & caſtra metati ſunt iuxta aquas, eandem ſignificationem habet. Per aquas nanque duodecim fontium, doctrina noui teſtamenti deſignatur, quæ à duodecim fontibus, id eſt, à duodecim Apoſtolis per vniuerſum mundum emanauit. Per ſeptuaginta autem palmas, vetus teſtamentum deſignatur, eo quòd interpretatio ſeptuaginta interpretum, ad notitiam gentium vſque peruenerit. Iis nihilominus intermiſſis pauca de iis quæ in lege irrationabilia eſſe videntur, dicamus. Præcepit nanque Dominus filiis Iſrael, Non coques hœdum in lacte matris ſuæ. Et iterum, Non arabis ſimul in boue & aſino, & non induas veſtem, quæ ex lana linóque contexta eſt. Quid igitur peccat quis, ſi hœdum in lacte matris coquat? aut quid agricola delinquit, ſi cum bobus & aſinis, terram vomere ſcindat? aut quid offendit aliquis, ſi veſtem ex lana linóque contextam induat? Sed ſpiritaliter hæc omnia intelligenda ſunt. Per hœdum nanque, vnuſquiſque peccator deſignatur. Mater hæc noſtra, primi parentes fuerunt, ex quibus omnes procreati ſumus: lac verò matris, vitia ſunt, quæ de originali peccato proceſſerunt. Niſi enim originale peccatum fuiſſet, vitium nullum eſſet. De hoc matris lacte Pſalmiſta loquitur dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Hœdus igitur in lacte matris coquitur, dum quilibet peccator, igne vitiorum, vſque ad diem mortis ſuæ exuritur. Præcepit ergo Dominus, ne coquatur hœdus in lacte matris ſuæ, id eſt, vt peccator non ſinat vſque in diem mortis ſuæ ſe in peccatis permanere: ſed ante diem mortis ſuæ, ad bona opera agenda reuocetur, ne pereat. Non arabis ſimul in boue & aſino. Per bouem, Apoſtolos, cæteróſque prædicatores: per aſinum populum Iudæorum poſſumus intelligere. Aramus verò quando ſecundum traditionem ſanctorum, noſmetipſos in bonis operibus exercemus. In boue igitur & aſino ſimul arat, quicũque doctrinam Apoſtolorum, traditionéſque Iudæorum ſimul ſeruare nititur. A qua doctrina Paulus apoſtolus Galatas reuocare ſtuduit, cùm diceret: O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit veritati non obedire? Dico enim vobis, quoniam ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt. Poſſumus etiam per bouem, quemlibet ſapientem prędicatorem: per aſinum verò, ſtultum intelligere. Præcipitur ergo, vt non aretur ſimul in boue & aſino, id eſt, vt non copuletur ſtultus ſapienti in prædicationis officio. Hoc autem quod dicit, Non induas veſtem ex lana, linóque contextam, ſecundum ſuperiórem ſenſum poſſumus intelligere. Per lanam nanque, quæ veſtis eſt ouium, doctrinam Apoſtolorum: per linum verò, quod ex terra oritur, doctrinã Iudæorum poſſumus intelligere. Veſtem ergo induimus, cùm noſmetipſos bonis operibus circundamus: ex lana autem linóque contexta vtitur veſte, qui cum traditionibus Apoſtolorum, etiam traditiones Iudæorum vult obſeruare. Præcepit etiam Dominus Moyſi, vt ſi quis leproſus mundatus eſſet, veniret ad ſacerdotem, & offerret duos paſſeres ſacerdoti. Ex quibus ille vnum immolans, decurrere faceret ſanguinem eius in aquam viuentem, & intingens paſſerem viuum in aquas, in quibus ſanguinem immolati paſſeris decurrere fecerat, cum lino cedrino, lana coccinea, & hyſſopo aſpergeret ſepties leproſum, & tunc ritè mundaretur. Per ſacerdotem, Chriſtus intelligitur: per duos verò paſſeres, duorum teſtamentorum doctores intelliguntur: per aquas autem viuentes, præcepta Euãgelij deſignantur, de quibus Dominus dicit in Euangelio: Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Aquas viuas vocat, eo quòd vitam æternam præſtent facientibus ea. Per paſſerem igitur immolatum, ſicut diximus, doctores Iudæorum, ſacerdotes videlicet, Scribæ & Phariſæi deſignantur. Sanguis verò, qui vitam paſſeri præſtabat, ſpiritalis eſt intelligentia, quæ in obſeruationibus Iudæorum latebat. Et ſicut paſſer ſine ſanguine mortuus efficitur, ita & multæ obſeruationes Iudæorum, ſi ſpiritalis intelligentia defuiſſet, vanæ eſſe viderentur. Poſtquam ergo ſanguis paſſeris apparuit, atque in aquas viuas decurrit, paſſer mortuus eſt: quia poſtquam ſpiritalis intelligentia, quæ in obſeruationibus Iudæorum latebat, per gratiam Domini noſtri Ieſu

Geneſ.17. *1.Corin.3.* *Actu.15.* *Matth.7.* *Matth.10.* *Circunciſio ſpiritalis.* *Sponſus ſanguinũ Chriſtus.* *Exod.14.* *Baptiſmus.* *Fides murus contra hoſtes inuiſibiles.* *Exod.15.* *Crux Chriſti legẽ ſuauem facit.* *70. Interpretes.* *Loci nonnulli legu difficiles, & quorum ratio facilè non apparet, exponuntur.* *Exod.23.* *Deut.22.* *Pſalm.50.* *Hœdus in lacte matris.* *Traditiones Iudæorũ non tenendæ.* *Galat.3.* *Leuit.14.* *Leproſi mundatio cum ceremoniis annexis quid ſignificet.* *Ioan.4.*

Iesu Christi manifestata est, obseruationes legales nihil profuerunt: sed & ipsi qui propter custodiam legis fidem Christi spreuerunt, secundum animam mortui sunt. Sanguis igitur passeris, aquis viuentibus admixtus est: quia omnis scriptura, quæ ad nouum testamentum pertinet, spiritalibus intellectibus repleta est. Per lignum verò cedrinum pater: per hyssopum, filius: per lanam autem coccineam, quæ fulgorem ignis habet, spiritus sanctus designatur. Iis tribus qui ritè mundari volebat, aspergebatur: quia nullus per aquam baptismatis à lepra peccatorum mundari potest, nisi sub inuocatione patris & filij & spiritus sancti. Sed si per hæc tria, pater & filius & spiritus sanctus designantur, cur passer viuus quartus adiungitur? Per passerem namque viuum, prædicatores noui testamenti designatos fuisse diximus. Sacerdos ergo ligno cedrino, cocto, & hyssopo passerem viuum adiungebat: quia Dominus noster Iesus Christus in inuocatione sui nominis, & patris & spiritus sancti, adiungit ministerium sacerdotum, nósque à paccatis nostris, qui per leprosum designamur, per eorum inuocationem, & per aquam baptismatis abluit. Qui passer in aquis viuentibus intingi iubetur: quia qui alios docet in diuinis scripturis, doctum esse oportet. Nam si cæcus cæcum ducere tentauerit, ambo in foueam cadũt. Qui leprosus, septies aspergi præcipitur, quia nullius munditia sine donis septem spiritus sancti perfecta esse potest. Quis enim sine timore Dei, sine pietate, cæterisque virtutibus saluus esse potest? Sed cum vnusquisque à prædicatoribus fidei qualiter viuere debeat, secundum mandata Dei docetur, septies aqua viua aspergitur. Post emundationem verò leprosi, passer viuus in agro auolare sinebatur: quia prædicatores sancti post expletum officium prædicationis suæ, in agro patriæ cœlestis auolare promerentur. In alio quoque loco scriptum est, quia præcepit Dominus Moysi, vt offerrent filij Israel sacerdoti caprum emissarium, ponerétque sacerdos manum super caput eius, & confiteretur super eum peccata filiorum Israel, & mitteret eum per hominem paratum in desertum, vt portaret pec cata filiorum Israel in desertum. Ille autem qui caprum emissarium in desertum ducebat, non permittebatur in castra ingredi, nisi prius lauaret vestimenta sua. Eandem significationem habet sacerdos, quam & caper emissarius: significant enim Dominum nostrum Iesum Christum. Sacerdos igitur super caprum emissarium peccata filiorum Israel confessus est, quia filius Dei peccata generis humani super hominem quem assumpsit posuit, vt pro eis ipse moreretur. Per desertum verò, cuius habitationem omnes delitiosi perhorrescũt, crux designatur, cunctis reis valde horribilis. Duxit ergo homo paratus caprum emissarium in desertum: quia Iudæi qui ad hoc scelus perpetrandum præstiti fuerant, Dominum nostrum Iesum Christum crucifixerunt. Illi autem qui caprum emissarium in desertum duxerat, præceptum est vt lauaret vestimenta sua, & sic ingrederetur in castra: quia Iudæi interfectores Christi in castra ecclesiæ ingredi non potuerunt, nisi prius aqua baptismatis abluerentur. Et in Deuteronomio præcepit Moyses filiis Israel, dicens: Si transieris per agrum, & inueneris auem incubantem super pullos suos, ne teneas auem cum pullis suis, sed dimitte auolare auem in campum, & captos tene filios, vt longo viuas tempore, in terra quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Nunquid dimissa auicula dies alienos augere poterat? Non. Sed spiritaliter intelligendum est. Per auem vnaquæque sancta anima designatur: per pullos autem eius, bona opera intelliguntur. Nam sicut auis pullos suos sub alas congregat, vt eos fouendo nutriat: ita vnaquæque sancta anima, opera sua intra cordis secreta recondit, & ea semper augendo multiplicat & nutrit, vt ex iis mercedem pleniſſimam recipiat. Auem itaque cum pullis suis inuenimus, cùm aliquem iustum pro suis bonis operibus amando amplectimur. Auem in agro auolare permittimus, cùm eum quem diligebamus, per mortem ad regna cælestia conscendisse gaudemus. Filios verò eius captos tenemus, si eius bona opera in mẽte retinemus, atque in eorum imitatione proficimus. Et in hoc longitudinem vitæ nobis adquirimus, quæ non nisi in cœlesti beatitudine constitutis datur. De apertione tertij sigilli, pauca de multis diximus, nũc ordinem prosequamur. *Et audiui tertium animal, dicens: Veni & vide.*) Id est, intellige spiritaliter scripturam legis. *Et ecce equus niger, & qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua.*) Per equum nigrum, doctores legis possumus intelligere. Nigredo enim equi, siue obscuritatem legis quam docuerũt, siue duritiam designat. Nam & Moyses velamen habebat super faciem suam, eo quòd splendor vultus eius, id est, spiritalis intelligentia in lege, à lippiẽtibus oculis non posset videri: sessor autem equi, Dominus est: statera verò, æquitatem iudicij legalis demõstrat, vt est istud: Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, pedem pro pede, & quale inflixerit quis malum, tale & sustinere cogatur. *Et audiui in medio quatuor animaliũ, dicentem.)* Potest per vocem quæ facta est in medio quatuor animalium vox ecclesiæ accipi, Domini misericordiam implorantis. Sequitur. *Bilibris tritici denario, & tres bilibres ordei denario, & vinum & oleum, ne læseris.*) Magna sunt quæ protulit, & valde obscura. Per triticum nanque, ex quo panis optimus conficitur, diuinam scripturam possumus accipere, quæ est panis animarum: duæ verò libræ tritici, duo testamenta designant, quibus diuina scriptura diuiditur. Ex iis duabus libris tritici, magnam ciborum copiam nobis sancti patres præparauerunt, qui eam multipliciter exposuerunt: denarius autem Dominum nostrum Iesum Christum designat. Binæ ergo libræ tririci, denario copulãtur: quia quod sancta scriptura loquitur, ad vnius Dei omnipotentiam, magnitudinem, bonitatem, atque seueritatem pertinet. Quicquid enim boni erga proximos agimus, de illo est, nõ de nobis. Per asperitatem verò ordei, opera sanctorum designantur. Quæ aspera quidem videtur per operationem, sed spes, ea suauia facit, sicut dicit Dominus, Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Tres autem bilibres ordei sunt. Nõ inconuenienter ergo per binarium numerũ, qui perfectus est, opera sanctorum designantur: quia perfectio sanctorum ex bonis operibus accrescit. Tres bilibres ergo ordei, denario coniunguntur: quia quicquid boni electi in hoc seculo operantur, quicquid aduersi patiuntur pro amore vnius Dei omnipotentis, agunt & patiuntur. Aliter. Per equum, ij qui per legem salui facti sunt, designantur. Per asceſorem eius, ipse dator legis, per stateram verò, æquitas iudicij eius. Cõsequẽs est igitur, vt per binas libras tritici, & per tres libras ordei vetus testamẽtum intelligamus. Per binas ergo libras tritici, duo præcepta charitatis, quę in lege & prophetis specialiter commendantur designantur: sicut Dominus dicit in Euangelio, In iis duobus mandatis, tota lex pẽdet & prophetæ. Et per tres bilibres ordei, vetus testamentum possumus accipere, eo quòd in tres partes ab Hebræis diuidatur, in prophetas, in legem, in agiographa. Nec inconuenienter per ordeum, quòd asperum habet corticem, vetus testamẽtum designatur, propter asperitatem corticis sui. Medullam continet, ex qua panis conficitur, ita & infra literam veteris testamenti, spiritalis intelligentia continetur: ex qua à magistris ecclesiæ panis doctrinæ spiritalis conficitur, ad nutrimenta fidelium proficiens. Scribit enim Apostolus Paulus, quia nullum ad perfectum adduxit lex. Nullum scilicet eorum, qui eam carnaliter intelligunt, & operantur: eos verò qui eam spiritaliter intelligunt & operantur, ad perfectionis culmen sine dubio erigit. Tres ergo libræ ordei duplicantur, vt ad senarium, qui perfectus est numerus, perueniant: cùm vetus testamentum à doctoribus ecclesiæ, primo historialiter postea spiritaliter intelligitur, eiúsque spiritalis intelligentia operibus impletur. Per denarium autem, æterna vita designatur, sicut Dominus dicit in Euangelio. Precatur igitur dominum ecclesia & dicit: Bilibris tritici denario, & tres bilibres ordei denario, id est, iis qui duo præcepta charitatis secundum doctrinam legis atque prophetarum, patribus videlicet veteris testamenti: similiter & eis qui vetus testamentum spiritaliter intelligunt & operantur, id est, fidelibus ecclesiæ denarium vitæ æternæ dignetur largiri. Per austeritatem verò vini, actiuam vitam: per pinguedinem olei, contemplatiuam possu-

Exod. 34.

Exod. 21.

Scriptura panis anima.

Iacob. 1.

Matth. 11.

Bona opera.

Matth. 22.

Vetus testamẽtum in 3. partes diuisum.

Hebr. 7.

Lex spiritaliter intel.

Matth. 20.

mus accipere. Quod ergo dicit, Vinum & oleum ne læseris, tale est ac si diceret, eos qui tibi per actiuæ vitæ opera A siue contemplatiuæ seruire studuerunt, ne læseris cùm ad iudicium veneris. Sequitur: *Et cùm aperuisset sigillum quartum.*) Apertio sigilli quarti ad prophetas pertinet, qui aduentum Christi, passionem, & resurrectionem eius, vocationémque gentium & aperto sermone, & per varias figuras prædixerunt. Saluator igitur noster, quartum sigillum aperuit, quando intelligentiam prophetarum doctoribus ecclesiæ præbuit. Sed de dictis prophetarũ, non est nobis necesse quicquã dicere, eo quòd ab eisdem doctoribus expositi sint. Et quia non solum quæ à prophetis scripta sunt, sed & quæ ab eis gesta sunt, spiritalem habent intelligentiam, pauca de iis quæ per Dauid, Heliam, & Helisæũ gesta sunt, dicamus. In Regum volumine scriptum est, quia cùm Dauid vellet pergere ad pugnam contra Philistæum, dicat ad Saul: Pascebat seruus tuus gregem patris sui, & veniebat leo vel vrsus, tollebátque arietem de medio gregis, & insequebar
1.Reg.17. percutiebámque eos, eruebámque eum de ore eorum. Et illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum B eorum, & suffocabam, interficiebámque eos. Nam & leonẽ & vrsum interfeci ego seruus tuus. Dauid Christum significat. Per leonem autem & vrsum, persecutores ecclesiæ designantur. Per leonem, imperatores, & cæteri principes terrę.
De his vide Ioſ. de bello Iud. li. 1. ca. vlt. & li. 18. cap. 10. Per vrsum Iudæi designati sunt, qui ecclesiam Dei persecuti sunt. Per arietem verò, martyres designantur. Leo igitur & vrsus venit, atque arietem de medio gregis abstulit: quia persecutores, quosdam de ecclesia fideles tulerunt, atque pro Christi nomine interfecerunt. Et sicut Dauid leonem vrsum insecutus percussit, atque arietem de ore eorum eruit: similiter & redemptor noster quosdam ex persecutoribus persecutus est, quando eis pœnam quam merebantur, in præsenti seculo irrogauit, sicut primo Herodi, & iterum secundo, & tertio, & multis aliis. Percussit quippe, quando æterna morte damnauit. Arietem de ore eorũ eruit, quia populum fidelium de laceratione eorum liberauit. Et iterũ illi consurgebant aduersum Dauid, quia temporibus persecutorum cùm alij punirentur, alij contra Christum insurgebant, vt eius nomen atque culturam funditus extinguerent. Sed Dauid apprehendebat mentum eorum, & suffocabat interficiebátque eos. Per mẽtum quod ori eorum appropinquauit, blasphemiæ Iudæorum atque Paganorum designantur. Christus mentum persecutorum apprehendit, & suffocauit, interfecítque eos, quando imperatoribus in Christum credentibus, omnis cultura & error gẽtilium ita suffocatus est, vt nullus persecutorum auderet os ad blasphemandũ Chri-
1.Reg.17. stum aperire. Item, idem Dauid cùm ad bellum contra Philistęum iret, baculum suum tulit secum, quem semper habebat in manibus, elegítque sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit contra Philistæum. Per baculum quo homo sustentatur, Apostoli designantur, qui Christũ quasi sustinuerunt, cùm opus propter quod in mũdum venerat compleuerunt, sicut dicit Apostolus Paulus,
1.Cori. 3. Dei adiutores sumus. Per peram autem, eius humanitas designatur. Per quinque lapides, quinque libri Moysi, quos in D peram misit, quia scientia quinque librorum, homini quem assumpserat dedit: per fundam autem, eius linguam accipere possumus. Processio verò Dauid cõtra Philistæum, duobus modis secundum allegoriã intelligi potest. Processit nanque Saluator noster contra Philistæum, quãdo ductus est in de-
Matth. 4. sertum à spiritu sancto, vt tentaretur à diabolo, vincerétque diabolum. Quinque lapides Dauid in peram misit, sed ex vno Goliam prostrauit: quia Saluator noster scientiam quinq; librorum æqualiter possedit, sed ex vno, id est, Deuteronomio tria testimonia assumpsit, ex quibus tres tentationes diaboli deuicit. Et sicut Dauid funda lapidem iecit, & Goliam interfecit: ita & Dominus noster Iesus Christus linguã sanctæ scripturæ testimonia protulit, & diabolum superauit. Aliter: Perrexit Dauid ad pugnam contra Philistęũ: similiter & Christus vt diabolum vinceret, ad passionẽ properauit. Dauid lapide Goliam deiecit, similiter & Christus diabolum morte sua peremit. Cúmque gladium non habe-

ret in manu Dauid, tulit gladium Philistæi, & caput illius amputauit. Iste est gladius de quo diabolus primum hominem, deinde genus humanum vsque dum à Christo redimeretur interfecit. Hunc gladium incurrimus, cùm peccamus. Sed hunc gladium Christus non habebat, quia pecca- 1.Pet.2.
tum non fecerat, nec inuentus fuerat dolus in ore eius. Originali quoque peccato obnoxius non erat, quia in peccato ortus non fuerat. Christus itaque qui mortem ex debito nõ habebat, à diabolo qui author eius erat, mortem mutauit, & per eam eundem principem mortis interfecit. Per caput autem Philistæi, genus humanum in hoc loco designatur. Præcidit Dauid caput Philistæi, quia Christ⁹ à corpore diaboli, electorum multitudinẽ separauit. Detulit illud in Hierusalem, quia multitudinẽ electorum in cœlesti beatitudine, quæ Hierusalem vocatur, collocauit. De Helia verò & Helisæo quamuis eorum facta plena sint spiritualibus sensibus, ea tantummodo proferamus, quæ à domino in Euangelio commemorata sunt. Nam cùm venisset Dominus in
Nazareth, dixerunt ei conciues eius, Quanta audiuimus fa- Luæ 4.
cta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua. Dixítque eis: Amen dico vobis quia multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel, quando clausum est cœlũ, & ad nullam illarũ missus 3.Reg.17.
est Helias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in diebus Helisæi in Israel, & nemo eo- 4.Reg.5.
rum mundatus est, nisi Naaman Syrus. In Regum volumine scriptũ est quia cùm cœpisset Achab rex Israel Heliam perse- 3.Reg.17.
qui, præcipiente Domino abiit in desertũ, & sedit iuxta torrentem Charib: corui quoque deferebant ei panes & carnes mane, & panes & carnes vespere, & bibebat de torrente. Helias Christum figurabat. Per torrentem autem Charib, legem debemus intelligere. Charib, interpretatur mendaciũ, non quòd lex mendaciũ sit. Solent nanque prudentes proponere auditoribus suis parabolas, vt apertius intelligantur ea quæ dicere volunt, & introducunt bestias & aues loquẽtes. Quòd si sola verba parabolarum attendas, mendacium esse perspicies: sin verò sensum, veritatem probabis. Simili- Spiritalis intelligentia.
ter & quædam præcepta legalia, si literam tantummodo, at- C tendas inutilia tibi videbuntur, si spiritalem intelligentiam, veritatis tibi magna in litera refulget. Quædam igitur præcepta legalia, Iudæis mendacium sunt, quia ea carnaliter intelligunt, nobis autem veritas, quia ea spiritaliter intelligere curamus. Per coruos verò, sacerdotes Iudæorum designantur, velamine cordium suorum tenebrosi: per Num.28. Exod.25.
carnes iuge sacrificium quod mane & vespere offerebatur. Panes autem, panes propositionis demonstrant, qui assiduè in conspectu Domini ponebantur. Bibebat verò de torrente, quia in obseruationibus legalibus, Christus delectabatur. Post dies autem multos, siccatus est torrens quia veniente Christo in carne & prædicante, obseruatio legalis cessauit, atque ab illo tempore nihil profuit, sicut dicit Do- Matth.11.
minus: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem, & cætera. Et i- Esa. 1.
terum dicit ad Israel per prophetam: Ne offeratis vltrà sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi. Neomenias & sabbata vestra non feram, iniqui sunt cœtus vestri. Sequitur: dixit Dominus ad Heliam: Vade in Sareptam Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te. Qui consurgens, abiit in Sareptam. Helias in Sareptam abiit, quia Iudæos perfidos Christus derelinquens, per Act. 13.
Apostolos suos, pertransiuit ad gentes. Sarepta enim, succẽ- Gentes ciuitas diaboli.
sa interpretatur, vel angustia panis. Gentiles quippe qui erãt Esa. 50.
ciuitas diaboli, & qui per Sareptam designantur, igne vitiorum succensi erant. De hoc igne scriptura dicit: Omnes vos accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis. Illi nanque flammis accincti sunt, qui igne vitiorum, vndique exuruntur, qui & angustia panis vocantur: quia nullus prædicator vnquam ad eos accesserat, qui pabulum verbi Dei eis impartiret. Cúmque venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua, colligens ligna. Eandem significationem habet mulier, quam & ciuitas. Significat enim eccle siam ex gentibus congregatam. Vidua enim erat, quia Deũ virum suum peccatis suis exigentibus perdiderat. Et vocauit eam, dixítque ei: Affer mihi paululum aquæ in vase, vt bi-

vt bibam. Minora petiit, vt ad maiora peruenire t. Possumus nanque per paululum aquæ, quod animum sitientis refrigerat, voluntatem audientium intelligere: quia sicut sitientis linguam aqua refrigerat, ita & prædicatorum mentes promptus animus auditorum. Cúmque illa pergeret vt afferret, clamauit post tergum eius dicens: Affer mihi & bucellam panis in manu tua. Quasi post tergum nobis est, quod ignoramus. Helias ergo post tergum mulieris clamauit, quia prædicatores sancti, gentibus Deum quem ignorabant prædicauerunt. Vnde & per buccellam panis, initium fidei possumus intelligere. Et quia illi competenter ad fidem veniũt, qui studeant prius peccata sua cõfiteri, rectè subditur: Dixitque mulier, Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum potest pugillus capere farinæ in hydria, & paululum olei in lechyto. Lechytus, vas erat in quo oleum seruabatur. Possumus verò per farinam, rationem: per oleum autem, opera misericordiæ intelligere. Gentilis ergo populus cognoscens se grauiter errasse, confitebatur nihil in se boni esse, nisi tãtummodo quòd parum rationis, & parum ex operibus misericordiæ videretur habere. Gentiles nanque parum rationis habebant, quia ex parte rationabiles, ex maxima autem parte, irrationabiles erãt. Quid enim irrationabilius, quã dicere ligno aut lapidi, Deus meus es tu? Habebant & parum misericordiæ: quia ipsa natura, sæpe eos ad hoc impellebat, vt miseris subuenirent. Per vasa verò in quibus farina & oleum continebatur, eorum corda designantur. En colligo duo ligna vt ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur. Ligna quæ in ciuitate colliguntur, nihil vtilitatis habent, nisi vt igni comburantur. Per ligna igitur, errores gentilium, diabolica fraude inuenti, designantur. Mulier ligna duo colligebat, quia gentilis populus ex doctrina philosophorum atque poëtarum diuersos errores colligebat, pro quibus perpetuo incendio traderetur. Sed quid est quod dicit, vt comedamus & moriamur? Nos enim ideo comedimus, vt vitam in corpore seruemus. Hæc autem ideo se dicit comedere vt moriatur, quia doctrina gentilium mortem magis infert, quàm vitam. Ad quam Helias: Vade & fac sicut dixisti. Veruntamen fac mihi ex ipsa farinula subcineritium panem paruulum, & affer ad me, tibi autem & filio tuo facies postea. Per panem, fides: per cinerem verò sæpe pœnitentia designatur, sicut dicit beatus Iob ad Dominum: Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Panis igitur cinere cooperitur, cùm quilibet infidelis ad fidem veniens, primùm studet deflere mala quæ fecit, vt conuenientius ad fidem Christi percipiendam, quæ in baptismate datur, accedat. Helias itaque præcepit mulieri, vt ex farina panem faceret, sibique deferret: quia prædicatores sancti gentes hortabantur, vt ex rationis bono, quod à Deo perceperant, cibum fidei Deo præpararent, sibique deferrent: fidem nanque vnusquisque ad baptismum veniens, prædicatori defert, cùm ad interrogationem sacerdotis qualiter credat, confitetur. Helias panem quem mulieri facere præcepit, comedit: quia profectus filiorum, merces est prædicatorum. Quapropter Helias mulieri præcepit, vt sibi primum, postea sibi & filio suo panem præpararet: quia conuersio peccatoris, prædicatori primo imputatur. Postea verò conuersus, panem sibi præparet, cùm in bonis operibus semetipsum exercens, vt hæres cœlestis patriæ fiat obtinet. Quòd autem ait Helias, Hydria farinæ nõ deficiet, nec lechytus olei minuetur, vsque in diem in qua daturus est Dominus pluuiam super terram, illud significat, quòd fides ab electorũ cordibus bonaque opera non deficient, vsque dum Dominus ad iudiciũ cum omnibus sanctis suis veniat. Similiter & Heliseus Christum figurabat: Naamã uerò, populũ gentium. Multi leprosi erant in Israel, & nemo eorum mundatus est, nisi Naamã Syrus. Quia veniente Christo in carne, & Iudęi & gentes lepra peccatorum suorum circundati erant. Sed Iudæis in iniquitate sua permanentibus, gentes à lepra peccatorũ suorum mundatæ sunt. Præcepit ergo Heliseus Naaman, dicẽs: Vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Abiit & lauit in Iordane septies, & restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli, &
A mundatus est à lepra. Aqua Iordanis baptismum figurabat, eo quòd in ea Christus baptizatus sit. Naaman aquis Iordanis ablutus est, & à lepra mundatus: quia populus gentium aqua sacri baptismatis à lepra peccatorum suorum est expurgatus. Septena verò eius lauatio, septiformem spiritum sanctum figurabat, per cuius operationem, remissio peccatorum in baptismo datur. Quia sicut corpus visibiliter aquis baptismatis, ita anima inuisibiliter per operationẽ spiritus sancti à peccatis omnibus emundatur. Giezi autem qui pretium sanitatis Naamã recepit, lepramque eius hæreditauit, eos designat qui doctrinam suæ prædicationis hominibus vendunt, quos Dominus in Euangelio non pastores sed mercenarios vocat. Helisæus igitur sanitatem cõtulit, & Giezi pretium accepit: quia ab eis quos diuina misericordia saluat, peruersi doctores pretium sanitatis exigunt. Et ideo hæredes lepræ eorum efficiuntur, quia in malis quæ isti per gratiam Dei contempserunt, permanentes, damnationem sibi perpetuam adquirunt. De apertionibus
B quatuor sigillorum quæ ad vetus testamentum pertinere certum est, pauca de multis diximus: vt demõstraremus nihil aliud esse sigillorum apertionem, nisi demonstrationem spiritalium sensuum in veteri testamento quæ nobis per Christum facta est. Sequitur: *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum.*) Videntur hæc quæ de equite quarto dicuntur, ad Antichristum pertinere. Sed quia superiores tres equites in bonam partem interpretati sumus, vt conuenirent cum apertionibus trium sigillorum, ordinis rectitudo cogit, vt & istum in bonam partem intelligamus, quatenus concordet cum apertione quarti sigilli, quam ad prophetas pertinere demonstrauimus. Equus igitur pallidus, prophetas significat. Pallor verò, diuersis modis accidit hominibus. Aliquando nanque pauore, aliquando languore, aliquando morte, totum corpus occupante, multisque modis aliis pallescũt homines. Prophetæ ergo qui populo peccanti prædicabant
C quòd in rapinam, & gladium, & perditionem darentur, non inconuenienter colorem pallidum habuisse dicũtur. Sessor huius equi, Dominus est, qui in prophetis suis inhabitauit. Sed valde durum videtur, quòd nomen mortis habuisse dicitur. Ipse enim vita est omnium electorum suorum, sicut ipse dicit: Ego sum vita. Sed si diligenter scripturas diuinas inspexerimus, inueniemus Dominum nostrũ Iesum Christum, etiam mortem vocari. Nam sicut vita est omnium electorum, quibus quotidie vitam æternam largitur, ita & mors dici potest reproborum, quos pro sceleribus suis quotidie morti tradit perpetuæ. Ipse enim habet potestatẽ, animam & corpus perdere in gehennam. Nomen ergo mortis habuisse dicitur, qui Israelitico populo peccanti mortem intulit, sicut in cãtico Deuteronomij ipse manifestè demõstrat, cùm dicit: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit
D vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet, & cætera. Hunc equitem infernus sequebatur, quia omnes qui cõminationes prophetarum, quas ex ore Domini ad populum protulerant, contempserunt, infernus absorbuit. Vnde & sequitur: *Et data est ei potestas in quatuor partes terræ occidere in gladio, & fame, & morte, & bestiis terræ.*) Per quatuor partes terræ, omnis terra designatur. Qualiter autem in gladio, & fame, & morte, & bestiis terræ consumpti fuerint, libri prophetarum atque regum apertè demonstrant. Quærendum verò nobis est, cur apertio quatuor sigillorũ ad vetus testamentum, trium verò ad nouum pertineat. Quatuor nanque sunt elementa, quibus secundum corpus subsistimus. Vetus igitur testamentum, in quaternario numero non inconuenienter ponitur, quia lex Moysi nihil aliud populo Hebraico, nisi ea quæ ad quatuor elementa pertinent, repromittit. Nouum verò testamentum in ternario numero ponitur, quia fides sanctę trinitatis, sine qua salui esse non possumus, in eo specialiter commendatur. *Et cùm aperuisset sigillum quintum.*) Quinti sigilli apertio, sexti & septimi, sicut iam diximus, ad apertionem noui testamenti pertinet. Et quãuis nouum testamẽtum apertio sit veteris testamenti, tamẽ multa

Baptismus.

Pastores Giezita.

Ioan. 14.

Matth. 10.

Deut. 23.

Nouum testamentum.

in eo obscurè ponuntur, quæ necesse est vt exponantur. Igitur sigillum sextum & septimum saluator aperuit, quando ea quæ per parabolas ipse locutus est, & figuraliter gessit, doctoribus ecclesiæ patefecit. Sed de expositione noui testamenti, non est nobis necesse quicquam dicere, eo quòd à sanctis patribus mirabiliter & multipliciter sit expositum. Quinti igitur sigilli apertio, ad martyres pertinet. Quintum verò sigillum tunc Christus aperuit, quando ea quæ per parabolas & quasdam figuras de persecutione martyrum, & glorificatione eorum dixit, doctoribus ecclesię manifestauit. Aperuit etiam quintum sigillum, quando eis cœlestem gloriam quam promiserat, contulit, eósque in mundo apud homines clarificauit. *Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter Verbum Dei, & testimonium Iesu, quod habebant.*) Altare Dei Christus est. Animæ igitur sanctorum, sub altare quiescunt: quia sicut capiti supposita sunt membra, eique cohærent, ita & animæ sanctorũ in cœlesti gloria constitutę, Christo saluatori subiectę sunt, eique per cõiunctionem membrorũ nectuntur. *Et clamabant voce magna, dicentes: Vsquequo Domine sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?*) Cùm scriptura præcipiat, malum pro malo non reddere, & Matt.5. Dominus dicat in Euangelio, Diligite inimicos vestros, & benefacite iis qui oderunt vos, quid est quòd sancti in cœlestibus constituti, vltionem de inimicis suis expetunt? Sed scimus sanctos Dei diem vltimum desiderare, in quo & corpora & mercedem plenam laborum suorum à Domino percipient. Nam hunc diem Dominus desiderandum esse discipulis suis manifestauit, cùm signa diei iudicij prędiceret, dicens: Cùm autem videbitis hæc fieri, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquauit redemptio vestra. Et oratione dominica assiduè petimus, vt Aduenìat regnum tuum. Verùm quia sanctorum resurrectio atque glorificatio in die iudicij fiet, & dies iudicij damnatio erit impiorum, sancti vltionem de inimicis suis postulant, quando petunt vt dies Domini veniat, quia eo die damnatione perpetua damnabuntur. Sed hìc quæstio oritur, cur sancti Domini diem iudicij desiderent, cùm propheta dicat, Væ desiderantibus diem Domini. Scimus Amos 5. nanque diem Domini damnationem esse impiorum, sicut iam diximus. Et quid necesse fuit prophetæ dicere, Væ desiderãtibus diem Domini, cùm nullus impius reperiatur, qui aut mortem suam, aut diem Domini desideret, eo quòd in eo damnari metuit? Et quia verum est quod propheta dixit, inuestigandum nobis est quid significet. Damnatio quippe impiorũ, sunt peccata. Quicunque ergo cum scorto coire desiderat, damnationem suam desiderat. Qui equũ aut bouẽ aut aliquid huic rei simile furari desiderat, dãnationem suã desiderat. Qui damnum aliquod proximo inferre desiderat, damnationem suam desiderat. Igitur quia damnatio impiorum erit dies iudicij, quicunque ea scelera committere desiderat, pro quibus in die iudicij damnabitur, diem Domini, id est, dãnationẽ suam desiderat. *Et date sunt illis singulæ stolæ albæ.*) Stolæ albæ, gloria est sanctarum animarum. Singulas stalas albas sancti Dei nunc possident: quia corporibus in terra quiescentibus, stolis animæ beatitudinis æternæ perfruuntur. Binas stolas tunc percipient, cùm post resurrectionem, animæ cum corporibus gloriam cœlestis patriæ sine fine possidebunt. *Et dictum est illis, vt requiescerent tempus modicum, donec impleantur conserui eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt, sicut & illi.*) Tempus modicum, tempus est vsque ad diem iudicij. Quod modicum idcirco dicitur, quia in comparatione futuri temporis valde modicum est. Sancti ergo qui hoc desiderant, vt dies iudicij fiat, in qua & corpora & mercedem plenam laborum suorum recipiant, tempus modicum expectare iubẽtur, donec impleatur numerus fratrum eorum: quia dies iudicij nõ veniet, vsque dum impleatur omnis numerus electorum. Sed quærendum nobis est, cur solæ animæ pro Christi nomine interfectorũ, sub altare Dei quieuisse, & stolas singulas accepisse legantur, cùm omnes electorum animæ sub hoc altari quiescant, easdémque stolas & ipsæ possideant. Per animas igitur interfectorum, non solùm martyres, sed & omnes animæ iustorum debemus accipere: eo quòd & ipsi mundo sint mortui, vt Deo viuerent, sicut dicit Apostolus Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Col.3. Deo. Et de semetipso dicit: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et omnes qui volunt piè viuere in Chri- Galat.6. sto Iesu persecutionem patiuntur. Et iterum dicitur, Per 2.Tim.3. multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Act.14. Sed & Ioannes author huius libri, calicem Domini bibis- Matth.20. se describitur, cùm sine gladij peremptione quieuerit. *Et cùm aperuisset sigillum sextum.*) Sigilli sexti apertio ad Iudæorum deiectionem, sicut diximus, & ad gentium vocationem pertinet. Et quia Christus de Iudæorum perditione, & de gentium electione, multa per parabolas est locutus, quædam etiam gessit, quæ hoc designauerunt. Sextum igitur sigillum Dominus aperuit, quando doctoribus ecclesiæ ea quæ per figuras dixit & fecit, per inspirationis suę gratiam patefecit. Aperuit etiam sextum sigillum, quando ea quę prędixit, opere impleuit. *Terræmotus factus est magnus.*) Per terram in hoc loco, Iudæi designantur. Terræmotus factus est magnus, quando à Romanis hæc gens est deuastata. *Et factus est niger Sol, sicut saccus cilicinus.*) Per Solem idem Iudæorum populus designatur. Sol igitur factus est niger tanquam saccus cilicinus, quia populus Iudæorum qui propter cognitionem vnius Dei, & propter custodiam legis, velut Sol in mundo refulgebat, inter cæteras gentes factus est omnibus hominibus odiosus, propter iniquitates suas. Sacco nanque pœnitentes vestiuntur, vt indicẽt se esse pecatores. Sol ergo nigredinem sacci habuit, Luc. 21. quia omnibus gentibus facinora Iudæorum patuerunt. *Et luna facta est sicut sanguis.*) Eandem significationem habet Luna, quam Sol. Significat nanque synagogam. Luna ergo Matth.6. speciem sanguinis habuisse visa est, quia omnibus claruit Iudæos propter effusionem sanguinis Christi, sanctorúmque eius esse deletos. *Et stellæ ceciderunt super terram: sicut ficus mittit grossos suos, cùm à vento magno mouetur.*) Per stellas, principes sacerdotum designantur, Scribæ & Pharisæi: per ficum autẽ, terram Iudęorum possumus intelligere. Grossi verò eiusdem arboris fructus inutiles vocantur, qui citò labuntur, cùm arbor eadem vento concutitur. Ficus igitur vento commota est, & inutiles fructus à se emisit: quia terra Iudæorum à Romanis inuastata est, & gentẽ inutilem, & Deo odibilem à se expulit, vt habitatio fieret fideliũ. Stellæ itaque grossorum more in terram ceciderunt, quia eos qui per doctrinam legis velut stellæ in populo refulgebant, eadem pœna conclusit, quæ & cæteram multitudinem. *Et cælum recessit, sicut liber inuolutus.*) Per cœlum, vetus testamentum designatur: liber verò quando inuoluitur, eius scriptura ab oculis intuentium absconditur. Liber ergo Iudæis inuolutus est, quia spiritalem intelligentiam in veteri testamento, quę Christum demonstrabat, intelligere noluerunt. Cœlum itaque sicut liber inuolutus recessit, quia vetus testamentum Iudæos dereliquit, & ad gentes transiuit. Et omnis mons & insulæ, de locis suis motæ sunt. Et quia Iudæorum terra montuosa est, possumus per montes eos qui in ciuitatibus: per insulas autem, eos qui in campestribus habitant, intelligere. Qui de locis suis morti sunt, quia omnes aut exterminati, aut in captiuitatem ducti sunt. *Et reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, omnis seruus & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium. Et dicunt montibus, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum. Et quis poterit stare?*) Per reges terræ, principes & tribunos, eos qui hanc gentem regere videbãtur, possumus intelligere, per diuites & fortes, seruos & liberos, cęteram multitudinẽ. Qualiter autem se in speluncis & petris montium absconderunt, Iosephus manifestè narrat, qui euersionem Hierusalem de- De bello Iudaico libro 6. scribit. Tanta enim fuit afflictio, vt cùm fame diutina con- c.11. & deinceps. sumerentur, & ab hostibus exterius, & multò deterius à prædonibus intrinsecus affligerentur, absconderunt se in puteis & in cloacis, & in quibusdam terræ abditis locis cupientes mori, vt prolixam miseriam, mortis compendio terminarent. Qui etiam scientes se pro scelecribus

Cur Iudæi delecti.

ribus suis ista pati, & post mortem se inferni pœnas esse passuros, cupiebant vt montibus sub quibus delitescebant opprimerentur, & absconderentur à facie Dei, & à facie Christi eius, quem grauiter nouerant se offendisse. Nam & Dominus cùm ad passionem duceretur, hoc eos esse passuros mulieribus se lamentantibus predixit, dicens: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos flete, & super filios vestros: quia ecce veniet dies, quando dicent: Beatæ steriles quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipietis dicere montibus, Cadite super nos, & collibus cooperite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Se viride lignum, illos verò, lignũ aridum vocans. Ac si dixisset, Si in me qui lignum sum secundum humanitatem viride, hoc secundum diuinitatem, id est, qui Deus sum & homo hæc faciunt: in illis qui lignũ sunt aridum, id est, qui viriditatem fidei non habent, quid fiet? Subauditur, pessimè peribunt. Sed & arbor fici quam Dominus ante passionem maledicendo aridam fecit, eo quòd in ea fructum non reperisset, eosdem Iudæos designauit, quos maledictione perpetua damnauit, eo quòd in illis fructum fidei non reperisset.

SEPTIMVM.

Post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ.) Iudæorum deiectione præmissa, nunc qualiter ecclesia ex gentibus congregata fuerit, narrare inchoat. Per quatuor quippe angelos, quatuor regna designantur: Assyriorũ scilicet, Persarum, Macedonum, atque Romanorum. Sed quia potestas quatuor regnorum ad solos Romanos transierat, per quatuor angelos, soli Romani intelliguntur: quia potestatem sibi quatuor regnorum vendicauerant. Per quatuor angulos vniuersæ gentes, quæ intra quatuor mundi plagas continentur, designantur, quas sibi Romani subiecerant. *Tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem.*) Per ventos qui nubes excitant, vt terram irrigantes faciem eius hilarem reddãt, ac fructiferam faciant, pax cunctis mortalibus optata designatur, quæ & mentes hominum lætificat, & vt propriis vtilitatibus deseruiant, facultatem tribuit. Per terram & mare, omnes gentes figurantur: per arbores autem, ij qui inter eos principatum tenebant. Quatuor ergo angeli, quatuor ventos tenebant, ne flarent super terram. Quia Romani qui per quatuor angelos designantur, omnem terram cædibus & rapinis, & mortalitatibus hominum replentes, non sinebant genus humanum pacatum esse ac quietum. *Et vidi alterum angelum descendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui.*) Alter angelus Christus est, de quo scriptum est: Et vocabitur nomen eius magni consilij angelus. Ipse est sol de quo scriptum est: Vobis autem timentibus nomen meum, orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Ab ortu solis Christus descendit, id est, à semetipso: quoniam non ex concubitu viri carnem assum pſit, sed à semetipso, qui vtique sibi carnem immaculatam ex carne Virginis creauit. Signum autem Dei viui, est Christi diuinitas. Nam in carne positus, signum Dei viui habuit: quia ea opera gessit, quæ demonstrabant eum vnicum esse filium Dei, sicut ipse dicit: Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me. *Et clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.*) Clamasse Dei, fecisse dicitur. Etenim aduentu suo fecit, vt Romani ab infestatione generis humani cessarent, fierétque pax per vniuersum orbem, sicut dicit Psalmista: Orietur in diebus eius iustitia, & abũdantia pacis, donec semina fidei per vniuersas gentes spargerentur, ac signaculo fidei ij qui prœordinati erãt ad vitam æternam, signarentur. *Et audiui numerum signatorum centũ quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorũ Israel.*) Per centum quadraginta quatuor milia præsentis ecclesiæ electi significantur. Duodecies namque duodeni, fiunt centum quadraginta quatuor. Omnes igitur qui fidem duodecim Apostolorum custodiunt, actúsque imitantur, in hoc numero consistunt. Sed quærendum nobis est, cur ex omni tribu filiorũ Israel congregati esse dicantur, cùm multò plures ex gẽtibus, quàm ex Iudæis crediderint. Verum si interpretationes nominum attendimus, in nominibus duodecim tribuum, omnes ad electos pertinent. *Ex tribu Iuda, duodecim milia signati, & cætera.*) Iudas prior ponitur, Beniamin verò, vltimus. Quòd si interpretationes nominũ inspicere voluerimus, Iudam inferiorem in pœnitentia: Beniamin verò, superiorem reperiemus in patria. Nam qui ad Deum conscendere desiderat, à minoribus incipit, vt gradatim crescendo ad maiora perueniat, sicut dicit Psalmista: Ibunt sancti de virtute in virtutem. Et quia sancti ad Deum per iter virtutũ conscendunt, subiungit, Videbitur Deus deorum in Sion. Iudas cõfessio interpretatur. Iudas ergo prior ponitur: quia quicunque post peccata ad Deum conuerti desiderat, necesse est vt primò confiteatur peccata sua, sicut dicit Iacobus apostolus: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini: videlicet vt per confessionẽ peccatorum & pœnitentiam, Deum sibi placabilem faciat, quẽ offenderat. Et quia qui salubriter pœnitet, & deflet mala quæ fecit, gaudium in cœlo facit, oculos misericordiæ Dei ad se conuertit, sicut dicit Dominus: Conuertimini ad me, & ego reuertar ad vos. Ruben secundus ponitur, qui visionis filius interpretatur: quia per pœnitentiam, visionis factus est filius, qui erat antea filius perditionis. Post Ruben Gad sequitur, qui accinctus interpretatur: quia necesse est, vt qui pœnitet se mala gessisse, & petit ne in eisdem relabatur, contra omnia vitia armetur, voluptatésque carnales à se præcidat: quia non potest fieri, vt à peccatis abstineat, qui in voluptatibus carnalibus requieſcit. Et quia qui cõtra vitia pugnat viriliter, iam beatus esse incipit, Aser in ordine ponitur, qui beatitudo interpretatur. Sequitur Nephthali, qui dilatatio mea interpretatur. Omnis enim qui scit se Deũ offendisse, & vult vt ei misericordia diuina succurrat, debet & ipse misereri quibuscunque potest, & quomodo potest, sicut dicit Dominus: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Illius quippe mens circunquaque dilatatur, qui per dilectionem quam proximis exhibere debet, omnibus quibuscunque potest, miseretur. Post Nephthali ponitur Manasses, qui oblitus interpretatur: quia expedit vt qui peccata sua deflet, qui eleemosynas pauperibus largitur, vt peccata eius dimittantur, eadem peccata ita deserat, quatenus ea penitus oblitus esse videatur. Et ideo Simeõ sequitur, qui exauditio interpretatur. Ille enim pro malis quæ fecit, deprecans vt ei dimittãtur, à Deo exauditur, qui omnia vitia ex toto deserit. Deinde Leui sequitur, qui additus siue assumptus interpretatur. Quia qui de peccatis quæ fecit, iam pœnitentiam exercuit, qui contra vitia pugnauit, eáque deuicit, qui erga indigentes misericors extitit, atque iis operibus hoc promeruit, vt eius peccata dimitterentur, de venia iam securus, timorem ignis æterni à mente abiicit, atque in amorem Dei, ac cœlestis patriæ totus assumitur, iisque additur, qui filij Dei nuncupantur & sunt. Sequitur Isachar, qui merces interpretatur. Sed interpretationem huius nominis clarius videbimus, si ea quæ mater Lia, eo nascente dixit, ponamus. Ait enim, Reddidit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo. Et idcirco appellauit nomen eius Isachar, id est, merces. Caro nostra, ancilla nostra debet esse. Vir noster, Deus noster est. Ancillam verò nostrã viro nostro damus, si carnem nostrã Dei seruitio mancipamus, si eam vigilare, ieiunare, & abstinere cõpellimus, atque voluptates eius edomamus. Isachar igitur Liæ in mercedẽ datus est à Deo: quia iis qui carnem domant, qui vitia extingunt, ea merces datur à Deo, vt virtutibus ditentur. Et ideo post Isachar, Zabulon ponitur, qui habitaculum fortitudinis interpretatur. Quis est fortis nisi Deus? de quo Psalmista dicit: Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio. Et quid habitaculum

Semper in virtute promouendum. *Psalm.* 83

Confessio.

Iac. 5.

Luc. 15. *Zacha.* 1.

Matth. 5. *Misericordia.*

Peccata deserenda.

Peccator cõuersus, paulatim à timore in amorẽ transfertur. 1. *Ioan* 3.

Gen. 30.

Psalm. 23.

culum fortitudinis, nisi habitatio Dei? In illo enim habitat Deus, in quo fides, patientia, castitas, humilitas, charitas, cæteræque virtutes commorantur. Et quia per operationem virtutum augentur præmia meritorum, Ioseph subsequitur, qui augmentum interpretatur. Beniamin vltimus imò & superior ponitur, qui filius dexteræ interpretatur. Dextera nanque patris, filius Dei dicitur. Et Euangelium loquitur quia sancti Dei ad dexteram Dei ponentur. Electi itaque Matt. 25. Dei, filij dexteræ efficiuntur, cùm ab hac vita subtracti, in cœlestibus sedibus collocantur, vbi nihil est siniſtrum, sed totum dexterum. Igitur quia interpretationes nominum duodecim tribuum, vsque ad eum finem perduximus, quo in cœlestibus sedibus collocantur, congruum est vt ea quæ sequuntur ad glorificationem animarum sanctarum transferamus. *Post hæc vidi turbam magnam quam nemo dinumerare poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum, & in conspectu agni. Et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronũ & agno.*) Per turbã superiorem quæ numero comprehenditur, electi qui Matth. 22. in ecclesia Dei singulis temporibus laborant, designantur, sicut iam diximus. Et quia multi sunt vocati, pauci verò electi, Electi. & in cõparatione reproborum exigua est turba electorum, non immeritò, numero centum quadraginta quatuor milia, electi, qui singulis tẽporibus in ecclesia Dei laborant, designantur. In cœlesti verò beatitudine vbi singulis temporibus ex omnibus gentibus, tribubus, & linguis congregantur, tanta eorum efficitur multitudo, vt nullo numero comprehendi possit. Per stolas autem albas, munditia animarum designantur. Palmę verò in signum victorię ponuntur. Palmas igitur non solum sancti martyres, quibus victoria specialiter adscribitur, sed & omnes electi qui in hoc seculo positi contra visibiles & inuisibiles hostes fortiter dimicarunt, in cœlesti beatitudine possident. Palmæ autem, præmia sunt victorię sanctorum. Qui & voce magna clamare dicuntur: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum & agno.*) Sancti Dei nunquam cessant à laude Dei, nec tamen laborant laudando Deum, quia sicut dulcis est sanctis visio Dei, sic & laus Dei. *Et omnes angeli stabant in circuitu throni & seniorum & quatuor animalium, & ceciderunt in medio throni in facies suas & adorauerunt Deum dicentes: Amen: Benedictio & claritas & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorũ, Amen.*) Superius milia milium angelorum in circuitu throni Deum laudare dicuntur: hic autem nullo numero cõprehenduntur, sed omnes in circuitu throni stare dicuntur. Possumus per superiores angelos, qui numero comprehenduntur, eos intelligere qui ad diuersa officia in mũdo destinantur: Eos autem qui sine numero ponũtur, illos qui in cœlestibus cum Domino conuersantur. Sed & hîc septem benedictiones ponuntur sicut superius, vt demonstraret eodem modo & istos benedicere Deũ, qui mundum sua gubernatione tuentur, sicut & illos qui in cœlestibus cum Domino commorantur. *Et respondens vnus de senioribus, dixit mihi, Ii qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerũt? Dixi illi, Domine mi, tu scis.*) Interrogabat, vt doceat. Per seniorem nanque doctores ecclesiæ: per Ioannem verò, auditores intelliguntur. Nam prædicatores sancti gloriam animarum sanctarum quibuscunque modis possunt, intimant auditoribus suis, vt mentes eorum ad amorem cœlestis patriæ accendant. *Et dixit mihi, Ii sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.*) Hîc demonstrat non ad electos, qui in hac vita laborant, sed ad eos qui in cœlesti vita cũ Domino requiescunt, hæc pertinere. Non enim sancti de magna tribulatione, sed ad magnas tribulationes perferendas in mundum veniunt, Iob 5. sicut dicit Salomon: Homo ad laborem nascitur, & auis ad Matth. 5. volandum. Et dominus dicit in Euangelio: Beati qui perse- Act. 14. cutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et Paulus dicit: Per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum cœlorum: hîc etenim tempus est tribulationis, illic tempus pacis. Sancti itaque de magna tribulatione veniunt, qui ab hac vita subtracti vbi tempus tribulationis est, in æterna quiete collocantur. Lauerunt autem stolas suas, quia animas suas in hac vita positi, ab omnibus sordibus peccatorum mundauerunt. Primò quidem per baptismum: postea verò per pœnitentiam & lachrymas ac misericordiæ opera, & in cæteris bonis operibus. Quæ etiam in sanguine agni, dealbatæ fuisse dicuntur, quia animæ electorum, quæ antea erant nigredine peccatorum inuolutæ, per redemptionem sanguinis Christi candorem mundiciæ assumpserunt. *Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius.*) In conspectu nanque Dei, sancti Dei assistunt, ac visione eius indesinenter perfruũtur. Templum verò Dei, cœlestem patriam, seruitium Dei, amorem Dei vocat. Quod enim seruitium tam acceptabile Deo, quàm vt diligatur ex toto corde, totaque virtute? Et quis ita ardenter diligit Deum sicut illi, qui assiduè contemplantur faciem eius? *Et qui sedet super thronum, habitat super illos.*) Thronus Dei, sancti Dei sunt, sicut superius diximus. Qui ergo designantur per thronum Dei, ipsi sunt super quos habitat Deus: habitat verò super sanctos suos Deus, cùm eos suo lumine illuminat, circundat, & tuetur. *Non esurient, neque sitient amplius.*) Cùm Dominus dicat in Euangelio: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, cur hîc sancti Dei nunquam esurire dicuntur? Sed sicut superius diximus, non ad electos qui in hac vita sunt positi, loquitur. Qui videntes iniustitias hominum, esuriunt & sitiunt iustitiam, cupientes omnes homines iustos esse, sicut ipsi sunt. Esuriunt etiam, vt sua iustitia quotidie crescat, esuriunt & sitiunt vitam æternam. Animæ verò sanctorum non esurient neque sitient amplius: quia esurierũt, iámque percipere vitam æternam meruerunt. *Et non cadet super eos sol neque vllus æstus.*) Per solem, tentationes quas sancti ab hominibus perferunt, possumus intelligere: per æstum tentationes dæmonum, siue voluptates carnales. Et quia sancti in hac vita positi, persecutiones iniquorum hominum tolerando vicerũt, tentationes dæmonum superauerunt, desideria carnalia in se extinxerunt, in cœlesti beatitudine positi, nullum laborem in perpetuum sentient. *Quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*) Reget Deus sanctos suos, cùm volũtates eorum ita disponit, vt nihil velle possint, nisi quod Deus vult. *Et deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*) Ioan. 14. Vitæ fons Christus est, qui dicit, Ego sum vita. Quod enim sine illo est, mortuũ est. Quod verò cũ illo est, vita est. Ad vitæ fontem Christus sanctos suos ducit, quia ad semetipsum eos ducit, vt sint vnum cum illo. Per aquas, eosdem sanctos possumus intelligere. Ipse est quippe & fons aquarum, quia ab ipso procedit omnis sanctitas electorum, sicut ipse dicit: Sine me nihil potestis facere. *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.*) Quia tempus flendi Ioan. 15 hîc fuit, tempus ridendi in illa beatitudine erit, sicut Dominus dicit. Beati qui nunc lugent, quoniam ipsi tunc consolabuntur. Matth. 5.

CAPVT OCTAVVM.

ET cùm aperuisset sigillum septimum.) Apertio septimi sigilli ad natiuitatem Christi pertinet. Sed quærendum nobis est, cur in septimo non in quinto loco ponatur. In Genesi scriptum est, quia sex diebus fecit Deus cuncta quę ex cœlo & terra originem sumpserunt, septimo aũt requieuit, & idcirco vocauit diem septimum sabbatum, id est requiem. Quę est autem requies nostra, nisi Christus? Non inconueniẽter ergo in septimi sigilli apertiõe, natiuitas Christi ponitur, quia ipse est requies omnium sanctorum suorum, quæ per septimum diem figuratur, & quia ea quæ in natiuitate Christi gesta sunt, spiritalem intelligentiam obtinent. Septimum sigillum Christus aperuit, cùm ea quæ per significationem gesta sunt, doctoribus ecclesiæ per inspirationem spiritus sancti manifestauit. *Factum est silentium in cœlo, quasi media hora.*) Per silentium, pax quæ ab Octauiano Augusto, Christo nascente per vniuersum orbem facta est, designatur. Media autem hora silentium Gen. 2. Regnante Augusto pax per totum orbem.

silentium factum est, quia pax quam ecclesia in initio fidei apud paganos habuit, pauco tempore mansit. Nam à Nerone Imperatore interrupta est, & Petro Paulóque interfectis, præcepit omnes Christianos persequi. *Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ.*) Ordo istorum angelorum in sequentibus designatur. Nam sicut præco ante regem aut principem mittitur, qui eius aduentum annunciet, ita & Ioannes, quia magna erant quæ per angelos designabantur, eorum memoriam facere voluit antequam ad eorum narrationem veniret. *Et alius angelus venit & stetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua. Et data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum.*) Iste angelus Christum significat. Venit autem, quia per incarnationis mysterium in mundo apparuit. Per altare autem aureum, ecclesia designatur. Qui ante altare stetisse dicitur. Iacebat nanque Christus in incredulis, qui eum purum hominem æstimabant: Stabat verò cum fidelibus, qui eum Deum verum esse credebant. Ante altare ergo sterit, quia Apostolis & cæteris credentibus, ex quibus ecclesia tunc constabat, quòd Deus esset manifestauit. Per thuribulum verò quod in manu tenebat, corda Apostolorum cæterorúmque fidelium demonstrantur. Quod aureum fuisse dicitur, quia corda discipulorum per fidem purificata, & per sapientiam quam à Christo didicerant erant inaurata. Qui etiam thuribulum in manu tenuisse dicitur, quia corda Apostolorum in manu Dei erant, sicut dicit Salomon: Cor regis in manu Dei, quocunque voluerit inclinabit illud. Nunquid cor istud Salomonis, in manu Dei erat, quando idola adorabat? Nunquid cor Antiochi aut Herodis, in manu Dei erat? Nunquid corda regum sanctos Dei persequentium, in manu Dei erant? Non. Sed in manu diaboli erant, quia ad quæcunque volebat facinora, ea inclinabat. Corda vero regum spiritalium, id est sanctorum, in manu Dei sunt, & ideo ad quæcunque voluerit, inclinabit ea. Sequitur: *Et data sunt ei incensa multa.*) Incensa multa, præcepta sunt Euangelij. Incensa enim in thuribulo ponuntur, vt calore ignis accepto, fragrantiam odoris sui circunquaque spargant. Similiter & Christus doctrinam Euangelij in cordibus discipulorum suorum posuit, qui igne charitatis succensi, odorem fidei suæ per omnes gentes sparserunt. Vnde & sequitur. *Vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureū,* quod est in conspectu Dei.*) Genera orationum plura sunt. Orant nanque fideles verbis Deum, deprecantes vt dimittantur eis omnia peccata eorum. Orant & eleemosynas largiendo, sicut dicit Dominus in Euangelio: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et in alio loco scriptum est: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Orant etiam, dimittendo proximis quæ in eis deliquerunt, sicut Dominus dicit in euangelio. Si remiseritis hominibus peccata eorum, & pater vester cœlestis, dimittet vobis peccata vestra. Orant nihilominus & præcepta charitatis seruando, quemadmodum scriptum est, quia vniuersa delicta operit charitas. Ille igitur salubriter orat Deum, qui seruat mandata Dei. Nihil enim prodest nobis clementiam Dei verbis implorare, & operibus irritare. Super altare ergo aureum de orationibus sanctorum dedit Deus, quando super corda credentium, fidem, doctrinam, actúsque Apostulorum, cæterorúmque prædicatorum posuit, vt haberent vnde erudirentur, & quod imitarentur, Vnde & sequitur: *Et ascendit fumus aromatum de orationibus sanctorum, de manu angeli, in conspectu Dei.*) Per fumum aromatum, non solum orationes fidelium, sed & fragrantia bonorum operum designatur, quæ ab ecclesia indesinenter ascendit in conspectu Dei. Qui fumus de manu angeli cõscendere dicitur, quia quicquid boni fideles faciunt, operante Deo faciunt, sicut dicit ipse: Sine me nihil potestis facere. *Et accepit angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt fulgura, voces, & tonitrua, & terræmotus.*) Per ignem, spiritus sanctus designatur. Angelus itaque, id est, Christus, thuribulum, id est, corda discipulorum, de igne altaris, id est, de spiritu sancto impleuit: quando post ascensionẽ suam in cœlũ, decimo die spiritu sancto misso de cœlo, corda discipulorũ impleuit, ac scientiam omnium linguarum dedit. Et si per altare ecclesia designatur, cur spiritus sanctus antequam daretur, ignis altaris esse dicitur? sicut idem Ioannes dicit: Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Sed spiritus sanctus antequam daretur, ignis altaris erat, quia per remissionis gratiam, iam eum ecclesia possidebat. Nam Dominus ante passionem suam, promisit se spiritum sanctum daturum discipulis suis: & idem Ioannes cùm verba Cayphæ posuisset dicẽtis, Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat, intulit dicens: Hoc autem à semetipso nõ dixit, sed cùm esset pontifex anni illius prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gẽte, & non tantũ pro gẽte, sed vt filios Dei cõgregaret in vnũ, qui dispersi erant. Nunquid ij qui in Christũ crediturierant, qui per vniuersas gentes dispersi idolis seruiebãt, filij Dei erant? Erant itaque iã filij Dei per prædestinationẽ, quia iam prædestinati erãt ad vitam æternã. Congregati sunt verò postea in vnum, quando per fidem, quam in baptismate susceperunt, corpori ecclesiæ sunt sociati. Misit ergo angelus ignem, quem in thuribulo posuerat in terram, quia doctrinam fidei, quam in cordibus Apostolorũ posuerat, per aduẽtum spiritus sancti in cordibus Iudæorum, qui per incredulitatem terra erant, per ora Apostolorum effudit. *Facta sunt fulgura, voces, & tonitrua, & terræmotus.*) Per fulgura, virtutes quæ per Apostolos fiebant: per voces, prædicatio: per tonitrua autem, comminatio ignis æterni designatur: per terræ motus verò, conuersionem Iudæorum possumus intelligere. Conuersi sunt nanque ad pœnitentiam per prædicationem beati Petri, sicut liber Actuum Apostolorum narrat: Iis (inquit) auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos. Viri fratres, quid faciemus: Ostendite nobis. Et in sequentibus scriptum est, quia ad primam Petri prædicationem, crediderunt ex Iudæis tria milia, postea verò innumerabiles. Hũc ignem, id est spiritum sanctum, super nos qui terra sumus misericordia Domini nostri Iesu Christi effundere dignetur, vt ex carnalibus spiritales efficiamur, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Mali ante cõuersionem quomodo sint filij Dei.

Act. 1.

Ioan. 7.

Ioan. 16.

Ioan. 11.

Act. 2.

Act. 2.

Explicit expositio visionis tertiæ.

Incipit expositio Visionis qvartæ.

GRatia domini nostri Iesu Christi largenite, de apertionibus septẽ sigillorum pauca diximus, nunc de cantu tubarum, septem angelorum quę sequuntur, aliqua proferamus. Per septem angelos, doctores qui ad eruiendum populum Dei à Deo missi sunt, & mittentur vsque in finem, designantur. Et quia sacramenta diuinarum scripturarum doctoribus ecclesiæ perspicacius Deo inspirante quàm cæteris patuerũt, rationis ordo poscebat, vt post reserationem sigillorum, quæ apertionem diuinarum scripturarum significat, septem angeli ponerentur, per quos omnes doctores populi Dei designantur, qui sciẽtiam diuinarum scripturarũ locupletius perceperunt. Et sicut omne corpus electorũ in septem partes diuisimus, ita & septem angeli tubis ceciniſſe visi sunt. Per quos omnes doctores populi Dei designantur, quamuis ab eo ordine parumper discrepent. Nam superius per poderem, quæ talaris est tunica, & prior in ornamentis Domini ponitur, vt & in sequentibus per primum cornu agni, iustos qui ante diluuium fuerunt diximus fuisse designatos: per zonam verò aureã in corpore Christi, & per secundum cornu, patriarchas & cæteros qui ante legem fuerunt: hîc autem per primum angelum, doctores qui ab initio mundi vsque ad legem fuerunt: per secundum doctores legis designantur. *Et septem angeli parauerunt se, vt tubis canerent.*) Per tubæ cantum, prædicatio designatur. Prædicatores

Superius cap. 1. In sequent. cap. 5.

Pastoris munus.

dicatores quippe sancti ad hoc semper parati existunt, vt quoscunque possunt, per doctrinam suæ prædicationis Deo acquirant. *Et primus angelus tuba cecinit.*) Per primum angelum sicut iam diximus, prædicatores qui ante legem fuerunt, designantur. Primus ergo angelus tuba cecinit, quia sancti viri, qui ante legem fuerunt, quâuis nullam legem haberent, nisi naturalẽ, hoc quibuscũque poterãt suasisse conati sunt, vt Deum creatorem suum timerent atque diligerent, & quod quis pati non vellet, alteri non faceret. *Et facta est grando & ignis mixta sanguine, & missum est in terrã.*) Ea quæ seprem angelus tubis canentibus facta fuisse visa sunt, in bonam partem, sicut mihi videtur, accipienda sunt, sicut econtrario effusio phialarum septẽ angelorum, quæ sequitur, in malam. Per grandinem igitur quæ percutit, verba sanctorũ virorum, quę corda prauorũ hominum arguendo percutiebant, designantur. Quæ ignẽ & sanguinẽ permixtũ habuisse describitur. Per ignẽ spiritus sanctus designatur, qui in sanctis inhabitans suis, minister verborum eorũ extitit. Per sanguinẽ verò Christus intelligitur, qui & à patribus sæpe prædictus est, & eorũ actibus præfiguratus. Terra autem, seculi homines peccato subditos demonstrat. *Et tertia pars terræ combusta est, & omne fœnum viride combustum est.*) Per tertiam partem terræ, eos qui per doctrinam, & exempla bonorum hominum salui facti sunt, debemus intelligere. Qui igne timoris Dei, atque amoris quicquid praui in se fuit combusserunt, atque deleuerunt. Arbores verò, qui principatum inter eos tenuerunt, significant. Ex quibus multi per doctrinam & exempla bonorum hominum salui facti sunt, sicut Abimelech per Abraham, & per Iob, tres amici eius. Per fœnum autem viride, quod omne combustum est, ij designantur, qui & superius per tertiam partem terræ, & arborum quæ combusta est, id est, electi, qui eo tempore fuerũt. Fœnum nanque viride difficile accenditur: aridũ verò facilè consumitur. Per fœnum verò viride, electi: per aridum autem, reprobi designantur. De hoc arido fœno, Propheta dicit: Verè fœnum est populus. Per fœnum igitur viride, ij qui fideles erant viri, designantur: qui omne quod in se reprobum fuit, igne charitatis combusserunt. *Et secundus angelus tuba cecinit.*) Per secundum angelum, Moyses & cæteri legis doctores designantur. *Et ecce tanquam mons magnus igne ardens, missus est in mare.*) Per montem magnum, lex Moysi designatur. Quæ propter grauitatem ponderis sui, monti assimilatur, & propter spiritalem intelligentiam quæ in lege refulgebat, igne ardere dicitur. Ipse verò Hebraicus populus, propter magnitudinem scelerum, per mare designatur. *Et facta est tertia pars maris sanguis, & mortua est.*) Tertia pars creaturæ, quæ habebant animas, & tertia pars nauiũ interiit. Omnis remissio in lege, sanguinis effusione atque aspersione fiebat. Vnde & Moyses populum sanguine aspersit, dicens: Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Sed & Aaron & filios eius, vt mundi efficerentur, ad offerendas hostias Deo: idem Moyses sanguine aspersit, nec sine sanguinis effusione, remissio esse poterat. Per tertiam ergo partem maris, electi qui eo tempore fuerunt, designantur: per sanguinem verò, in hoc loco remissionem peccatorum possumus accipere. Tertia igitur pars maris in sanguinem versa est, quia electi qui eo tempore fuerunt, per obseruationem legis à peccatis suis mundari meruerunt. Tertia pars creaturæ, quæ habebant animas in mari, & mortua sunt, eãdem significationem habet, quam & tertia pars maris, quę in sanguinem versa est. Per mare autem, sicut iam diximus, multitudo peccatorum designatur: pisces verò cum ab aquis subtrahãtur, animas amittunt. Electi ergo quandiu in aquis vitiorum suorum versantur, animas marinas habent, peccatorũ videlicet tenebris inuoluras: cùm verò aut per baptismum, aut pœnitentiam ab aquis vitiorum extrahuntur, animas pristinas quasi amittunt, cùm ex malis boni efficiuntur, moriuntúrque diabolo vt viuãt Deo. Tertia igitur pars piscium, animas amiserũt, quia electi qui eo tempore fuerunt, per obseruationẽ legis mortui sunt peccato, & cœperunt viuere Deo. Per naues autem quæ aquas sub se habẽt, illísque supereminẽt, principes gentis illius designantur. Tertia verò pars quæ interiit, eos designat, qui ex eis iusti fuerunt, iuxta illum sensum quẽ diximus: eo quòd interierint, & mortui sint peccato, & vixerint Deo. *Et tertius angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo stella ardens tanquam facula.*) Eandem significationem habet stella quam & angelus, significat nanq; prophetas. Sed quærẽdum nobis est, quomodo de cœlo in terrã cecidisse dicatur. Sancti in cœlum quodãmodo conscendũt, cùm eos amor diuinus ad cœlestia contemplãda eleuat. Cadunt in terram, cùm eos amor proximorũ ad ima retrahit, vt prædicatione sua, peccantes ad viam veritatis reducant: facula verò accẽditur, vt tenebras noctis depellat. Verba igitur prophetarum faculæ fuerunt, quia tenebras peccatorum à mentibus hominũ fugauerũt. Possumus etiam per ignem faculæ, spiritum sanctum intelligere, quo inflãmati prophetæ, & multos ab iniquitatibus correxerunt, & quæ ventura erant, prædixerunt. *Et cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.*) Per flumina & fontes duodecim tribus cum suis familiis designantur: per tertiam verò partem, ii qui ex eis ad vitam æternam præscripti erant, figurantur. Cecidit ergo stella in tertiam partem fluminũ, quia illi doctrinam prophetarum accceperunt, & in cordibus suis plantauerunt, qui ad vitam æternam prædestinati erant. *Et nomen stellæ dicitur absinthium.*) Absinthium valde est amarum. Per absinthium igitur comminationes prophetarum designãtur, quas populo peccanti ingerebãt, prædicẽtes eis, quòd nisi pœnitentiam agerent, in prædam & in captiuitatem hostibus suis darentur. Et quòd si nec sic pœniterent, morte perpetua damnarentur. *Et facta est tertia pars aquarum in absinthium.*) Illi amaritudinem pœnitentiæ per comminationem prophetarum assumpserunt, quos superius per tertiam partẽ aquarũ diximus fuisse designatos, id est, electi. *Et multi homines mortui sunt de aquis quia amaræ factæ sunt.*) Illis nanque amatitudo pœnitentiæ mortem intulit, qui salui esse meruerunt. Mortui sunt enim secundum id quod mali erant, & vixerunt secundum id quod boni esse cœperunt. *Et quartus angelus tuba cecinit.*) Quartus angelus, Christũ & Apostolos eius significat. *Et percussa est tertia pars Solis, tertia pars Lunæ, & tertia pars stellarũ, vt obscuraretur tertia pars eorũ, & diei non luceret tertia pars, & noctis similiter.*) Sol, Luna, & stellæ, ad vnam rem pertinent. Nam per Solem, populus Iudæorum: per Lunam verò, synagoga: per stellas autem, pincipes sacerdotum & Pharisæi, designantur. Sed si obscurationem Solis & Lunæ, atque stellarum, ad eos qui in Christum noluerũt credere, transferre voluerimus, superior perturbabitur sensus. Superius enim combustionem terræ tertiæ partis, quæ sub cantu tubæ primi angeli facta est, conuersionem tertiæ partis maris in sanguinem, quæ sub cantu tubæ secundi angeli facta fuisse visa est: conuersionem nihilominus tertiæ partis aquarum in absinthium, quæ sub cantu tubæ tertij angeli facta fuisse legitur, in bonam partem accipiendam esse demonstrauimus, ideòque ad electos pertinere. Consequens est ergo, vt percussionem Solis & Lunæ atque stellarum, in bonam partem interpretemur. Per tertiam itaque partem Solis, quæ percussa obscurata est, ij qui ex populo Iudęorum in Christum crediderunt, designantur. Obscurati sunt nanq; impiis Iudæis, sed refulserũt in cõspectu Dei: Similiter & per tertiam partem Lunę atq; stellarum quæ obscurata est, ij qui ex archisynagogis atq; sacerdotibus & ex Phariseis in Christũ crediderũt, designãtur: quia & ipsi propter lumen verum, id est Christũ, quæcunq; perceperũt: obscurati sunt eis, quorũ mentis oculos diabolus obcæcauerat, ne in Christũ crederẽt. Nã claritas Solis, lippiẽtes oculos obcęcat, magis quã illuminat. Possum⁹ verò per tertiã partẽ diei Apostolos: per tertiam autem partem noctis eos qui ex gentibus crediderunt intelligere. Obscurati sunt nanque eis Apostoli, qui eorum doctrinam non solùm spreuerunt, sed etiam ipsos vsquequaque persecuti sunt. De hac eorum obscuratione, Dominus dicit: Trademini autem à parentibus, & fratribus & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis, &c. *Et vidi, & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cœlum, dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus terram, à vocibus trium angelorum, qui erant tuba canturi.*) Per cœlum in hoc loco ecclesia designatur. aliqua verò, Christum

Prædicatores ante legẽ.

Amor proximi sanctos à cõtemplatione retrahit.

Doctrina & exempla bonorum multi saluati.

Gene. 20. Iob vltim.

Esa. 40.

Exod 24. Exod. 19. Hebr. 9.

Mori peccato & diabolo.

Sancti ab impiis obscurũ habentur.

Luc. 21.

ſtum & Apoſtolos eius demonſtrat. Aquila ergo per mediũ cœlum volabat & clamabat, quia Chriſtus primum per Iudæam: Apoſtoli verò eius per vniuerſas gentes Euangelium prædicauerant. Quas etiam perſecutiones ab aduerſariis eccleſia eſſet paſſura, multis modis prædixerunt. Ideóque tria, væ, poſuit, ex quibus primum ad hæreticos pertinet, qui eccleſiam Dei multis modis impugnare conati ſunt. Secundũ ad Paganos, qui eandem eccleſiam Dei perſecuti ſunt, maximámque fidelium multitudinem interfecerunt. Tertium ad Antichriſtum, qui populum Dei in fine mundi debellaturus eſt. Nec putare debemus, quòd tria, væ, ad electos pertineant, qui diuerſas calamitates ab impiis pertuleruut: ſed potius ad eoſdem impios, qui eaſdem calamitates intulerũt. Vnde & Væ, væ, væ, habitãtibus in terra, dicit. Impij nanq; qui nihil aliud quàm terram quærunt, habitatores terræ iure vocantur: iuſti autem qui cœleſtia ſemper deſiderant, cœli habitatores rectè vocantur, ſicut dicit apoſtolus Paulus: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.

CAPVT NONVM.

ET quintus angelus, tuba cecinit.) Quintus angelus, defenſores eccleſiæ orthodoxæ fidei deſignat. Tuba cecinerunt quoniam pro defenſione fidei omnibus modis laborauerũt. *Et vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram.*) Per ſtellam hæreſiarchæ deſignantur: quia ſicut ſtellæ in cœlo refulgẽt, ita & iſti antequam caderent, doctrina & ſapientia refulgebant in eccleſia. De cœlo in terram cecidit, quia ab eccleſia præciſi, corpori reproborum, qui per terram deſignãtur, ſociati ſunt. Sed quærendum nobis eſt, cur primum hæreticos, qui per ſtellam & locuſtas deſignati ſunt, poſuerit, & poſtea perſecutores, qui deſignantur per equites loricatos: de quibus in ſequentibus in cantu tubæ ſexti angeli dicturus eſt. Quia antequã imperatores Romanorum, eccleſiam Dei perſequi inſtituiſſent, hæretici eſſe cœperunt: ſicut Nicolaus, qui temporibus Apoſtolorum extitit & multi alij. *Et data eſt illi clauis putei abyſſi.*) Per clauem, liberum arbitrium hęreticorũ quod habuerunt in malo, deſignatur: per abyſſum verò, corda eorum: per puteum autem, eorum ora deſignantur. Data eſt igitur hæreticis clauis putei abyſſi, quia permiſit Deus hæreſes eſſe, ſicut dicit apoſtolus Paulus: Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos. *Et aperuit puteũ abyſſi.*) Stella quæ de cœlo cecidit, puteum abyſſi aperuit: quia hæretici ad proferenda mala quæ in cordibus eorum latebant, ora ſua aperuerunt. *Et aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ.*) Per fumum, doctrina hæreticorum deſignatur: quia ſicut fumus vento impulſus citò euaneſcit, ita & doctrina hæreticorum, per doctrinam ſanctorum patrũ, velut fumus euanuit: per fornacem verò, ſæpe corda impiorum deſignantur: ſicut dicit propheta, Velut clibanus ardẽs, corda eorum. *Et obſcuratus eſt Sol & aër, de fumo putei.*) Per Solem ſæpe Chriſtus intelligitur: in hoc autem loco, membra eiuſdem, id eſt, prædicatores ſancti deſignati ſunt: per aërem verò, populus fidelis, qui eis ſubiectus erat. Sed quomodo electi obſcurati ſunt quos prauitas erratica decipere non valuit? Sed obſcurati ſunt eis, quos heretici decipere potuerunt: qui & in ſequentibus per locuſtas deſignantur: verùm claritas eorum cæteris fidelibus latere non potuit, ſicuti lucerna ſub modio abſcondi non poteſt. *Et de fumo exierunt locuſtæ in terram.*) De fumo, id eſt, de doctrina eorum, qui hæreſiarchæ appellati ſunt, magna multitudo hæreticorum generata eſt. In terram exierunt, quia à ſocietate electorum ſeparati, eis qui terra vocantur, id eſt, infidelibus coniuncti ſunt. *Et data eſt illis poteſtas, ſicut habẽt poteſtatem ſcorpiones terræ.*) Sæpe Deus dicitur dediſſe, quod permittit. Permittit enim Deus impiis malè agere, vt ex eorum malis bona operetur: per ſcorpiones verò, poſſumus dæmones accipere. Quia ſicut ſcorpiones dum non præuidentur, corpora hominũ ſuo veneno inficiunt & extinguunt, ita & dæmones incautis hominibus venena malarum perſuaſionum ingerunt. Et dũ ad perpetranda ſcelera pertrahunt, eorum animas veneno ſuæ malitiæ infectas occidunt. Poteſtas ergo locuſtarum, id eſt, hæreticorum, ſimilis eſt poteſtati ſcorpionum, id eſt, dæmonũ: quia ſicut dæmones in hoc ſemper inſiſtunt, vt quoſcunque poſſunt decipiant, ita & hæretici tota virtute laborant, vt quoſcunque poſſunt, in foueam ſuæ perditionis demergant. *Et perceptum eſt illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem.*) Quod ſignificat fœnum terræ, hoc & omne viride. Nam ſicut ſuperius ſub cantu tubæ primi angeli, per omne fœnum viride quod combuſtum eſſe dicitur, electi qui primis temporibus fuerunt, deſignantur: ita & hic per fœnum terræ, & omne viride, fidelis populus eſt deſignatus: per arbores verò, doctores eccleſiæ deſignantur. Prohibiti ſunt ergo hæretici, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: quia non permiſit Deus, vt eos qui viriditatem fidei habebant, id eſt, qui fidem quam profitebantur, operibus implebant, neque ſanctos prædicatores qui non erant ſpinæ vel tribuli, ex quibus neq; vuæ, neq; ficus colligũtur, ſed potius arbores bonorum operũ fructus ferẽtes, ex quibus fideles populi reficiebantur, hæretici deciperent. Vnde & ſequitur. *Ii homines qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis.*) Quid eſt autem ſignum Dei niſi charitas? De qua idem Ioannes loquitur, dicens, Deus charitas. Poſſumus verò per frontes quæ qualitates mentium ſæpiſſimè demonſtrant, corda reproborum intelligere. Illi verò facilè ab hæreticis decipiebantur, qui ſignum Dei viui, id eſt, charitatẽ in cordibus ſuis non habebãt. *Et præceptum eſt illis, ne occiderent eos.*) Quod dicit, præceptum eſt illis, videtur mihi ad dæmones pertinere. Tanta eſt enim nequitia dæmonũ, vt ſi hoc Deus permiſiſſet, ſtatim vt homo mortale facinus admiſiſſet, eũ interficerent. Sed expectat Deus homines impios, vt aliquãdo pœnitentia ad eum redeant & ſaluentur, ſiue vt iuſti per eos probentur. Nam & Pſalmiſta, cùm de impiis loqueretur, precabatur, dicens: Ne occidas eos, ne quãdo obliuiſcãtur populi mei. Et in iudicum libro ſcriptum eſt: quia dimiſit Deus Chananæos & Philiſtheos, vt in eis experiretur Iſrael, & haberent ſcientiam certandi cum hoſtibus. Præcepit ergo Deus, id eſt, non permiſit, vt exterminarentur, ſiue omnes hæretici, ſiue omnes impij, vt haberẽt iuſti per quos probarentur, ſicut aurum quod probatur per ignem, Vnde & ſequitur: *Sed vt cruciarentur, menſibus quinque.*) Per menſes quinque, omne tempus vitæ præſentis, quod in quinque ętatibus conſiſtit, poſſumus intelligere. Prima nanque ętas eſt infantia: ſecunda, pueritia: tertia, adoleſcentia: quarta, iuuentus: quinta, ſenectus. In quinque ergo menſibus, id eſt, in omni tempore vitæ præſentis, non ſolùm hęretici, ſed & omnes impij cruciantur. Nam velint nolint, cùm ad memoriam, mortem, pœnámque, quę mortem ſequitur, reducunt, quanuis de proſperatibus ſeculi videantur exultare, cruciantur tamen intrinſecus, eo quòd ſciant ſe pro ſceleribus ſuis æternaliter eſſe cruciandos. E contrario iuſti, quanuis extrinſecus diuerſis modis affligantur, intrinſecus tamen de ſpe cœleſtis gloriæ, ad quam ſe peruenturos credũt, exultant. Poſſumus etiã per quinque menſes, omne tempus huius mundi intelligere. Primus nãque mẽſis eſt ab origine mundi vſque ad diluuiũ. Secundus, à diluuio vſque ad Moyſen. Tertius, à Moyſe vſque ad Dauid. Quartus, à Dauid vſq; ad Chriſtum. Quintus, à Chriſto vſque ad conſummationẽ ſeculi. In iis ergo quinque menſibus omnes fabricatores errorum cruciantur, ſiue eo modo quo ſuperius diximus: ſiue quòd falſas adinuentiones ſuas, vident à veritate ſuperari. *Et cruciatus eorum vt cruciatus ſcorpij, cùm percutit hominem.*) Diximus ſuperiùs per ſcorpiones dæmones eſſe deſignatos. Nam ſicut ſcorpio corpus aculeo vulnerat, vt per vulnus venenum intromittat, per quod hominem interficiat: ita & diabolus, aut ira, aut ſuperbia, aut libidine, aut aliqua delectatione carnali mentem vulnerat, vt per hoc venenum ſuæ malitię infundat, animámque interficiat. Cruciatus ergo locuſtarum, ſimilis eſſe cruciatui ſcorpij dicitur: quia hæretici imitantes patrem ſuum diabolum per lenia verba atque compoſita, mentes hominum imperitorum vulnerabant, venenúmque

1. Ioan. 4. Charitas ſignum Dei.

Diabolus impios interficeret, ſi Deus permitteret.

Pſalm. 58. Mali ad bonorum exercitiũ à Deo relicti.

Impiorũ cruciatus in hac vita.

Iuſtorum cõſolatio in præſentis vita malis.

Arma diaboli.

Hæretici quo modo patrẽ suum diabolum imitentur.

venenúmque sui erroris infundentes, eorum animas necabant. Possumus quippe per cruciatum, animarum interfectionem intelligere. *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam, & cupient mori, & fugiet mors ab eis.*) Hæc sententia ad electos pertinet. In diebus illis, id est, in diebus quibus Euangelij gratia per vniuersum mundum refulget, quærent homines mortem. Quærebat Paulus mortem, persequendo ecclesiam Dei, & non inuenit eam: quia Christus qui est murus impenetrabilis, se illi obiicięs à morte quam quærebat, eum retraxit, & ad vitam quod est ipse, violenter reduxit. Fuerunt & alij multi, qui quærebant mortem, ecclesiam Dei persequendo, aut cætera mala exercẽdo: sed fugit mors ab ipsis, quia per prædicationem sanctorum ad vitam sunt reuocati. Nos etiam quosdam vidimus, qui quæsierunt mortem, & non inuenerunt eam, & cupierunt mori, & fugit mors ab eis. Scimus enim quosdam fuisse, qui amplius quàm oportebat seculum diligentes, multo tempore, multísque modis laborasse, vt carnis suæ desideria perficerent. Sed cùm ad id quod optabant, peruenire nõ possent: respuentes seculi falsa promissa, ad diuitias cœlestes adquirendas se contulerunt, atque ad earum perceptionem, sicut credimus, bonis operibus insistendo, peruenire meruerunt. Vidimus nihilominus quosdam monasteria reliquisse, & ad seculum transisse, & in seruitio quorundam hominum potentium se tradidisse, vt terrenas diuitias atque possessiones quas per se habere non poterant, eorum suffragiis obtinerent. Sed cùm ad id quod desiderabant, peruenire non possent, seculum reliquisse, & ad monasteria sua rediisse, atque in bonis operibus vitam terminasse. Ij ergo quæsierũt mortem, & non inuenerunt eam, & cupiebant mori, & fugit mors ab eis. De talibus Dominus sub specie Hierusalem, ad Prophetam loquitur, dicens: Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: quæret, & non inueniet eos. Amatores nostri, sunt desideria carnalia. Amatores nostros sequimur, quando in hoc laboramus, vt diuitiarum possessores efficiamur, vt habeamus vnde desideria carnalia expleamus. Amatores nostros sequimur, & non apprehendimus, quando misericordia Dei impediente, ad hoc quod inutiliter desideramus, peruenire non possumus. *Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium.*) Per equos sæpe prædicatores sancti designantur, sicut Abacuc propheta in cantico suo loquitur dicens: Viam fecisti Domine in mari equis tuis, in luto aquarũ multarum. Viam fecit Deus in mari equis suis in luto aquarum multarum, quando initio fidei, pacem mundo largitus est: vt Apostoli Domini per vniuersas gentes, quæ per mare & lutum designatæ sunt, possent discurrere, & semina fidei spargere. Equi ergo Dei ad prælium parabantur, quando prædicatores sancti, & verbo & virtutibus ad hoc armabantur, vt genus humanum de potestate diaboli eruerẽt. Locustæ verò similes equis paratis in prælium esse dicuntur: quia sicut prædicatores sancti tota virtute laborant, vt quoscunq; possunt de laqueis diaboli eripiant, ita & hæretici ad hoc semper armantur, vt quoscunque possunt decipere, in barathrum suæ damnationis inuoluant. *Et super capita eorum, tanquam coronæ similes auro.*) Sæpe per aurum sapientia designatur, sicut superius iam diximus. Per coronas locustarum, sapientia secularis ostenditur. Coronæ igitur locustarum aurũ ipsę non erant, sed similitudinem auri habebant, quia sapientia secularis, in qua hæretici maximè confidebant, aurum non erat, id est sapientia, sed potius stultitia, sicut dicit Apostolus Paulus: Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. *Et facies earum, sicut facies hominum.*) Homo rationale est animal. Per faciem verò hominum, diuinarum scripturarum scientiam intelligere possumus, quam hæretici habere studebant, vt per eam facilius simplices quosq; deciperent. Locustæ igitur facies hominum habere videbantur, sed similitudo erat non veritas: quia hæretici videbantur quidẽ scientiam habere diuinarum scripturarum, sed procul à veritate distabant, quia eam non rectè intelligebant. *Et habebant capillos sicut capillos mulierum.*) Per capillos qui sine sensu præciduntur, possumus maximam multitudinem infidelium intelligere. Qui ab hæreticis facilè decipiebãtur, quia sicut capilli absque iniuria præciduntur: ita & isti ab ecclesia, sine aliquo dispendio præcisi sunt. Per mulieres verò, diuersas ecclesias possumus intelligere. Habebant igitur locustæ capillos mulierum, quia sicut sancti ecclesiæ Dei habebant turmas suas, quæ certis temporibus ad diuina officia celebranda confluebant: ita & hæretici habebant populos insanos, qui in diuersis locis conueniebant, non ad ministeria diuina, sed ad diabolica officia celebranda. *Et dentes earum, sicut leonum erant.*) Officium dentium est, vt quicquid intra se ceperint terendo consumentes, in foueam ventris demergant. Possumus ergo per leones & dentes, persecutores ecclesiæ intelligere. Per leones quidem, principes: per dentes autem, eos qui eorum imperio sanctos Dei laniabant. Dentes igitur hęreticorum sicut leonum erant, quia sicut pagani ecclesiam Dei persequebantur, & quoscunque poterant terroribus atque cruciatibus in perditionis voraginem implicabãt: ita & hęretici quosdam potentes homines sibi sociantes, ecclesiam Dei persecuti sunt, multósque more dentium, minis & impressionibus afflictos, in ventrem suæ malitiæ demerserunt. *Et vox alarum earum, sicut vox equorum multorum currentium in bellum.*) Possumus per alas, verba hæreticorum intelligere. Quia sicut alæ à terra aues subleuant, ita hæretici suis eloquiis extollebantur. Per equos verò prędicatores designantur, sicut superius iam diximus. Vox igitur alarum locustarum, erat sicut vox equorum multorum currentium in bellum: quia sicut prædicatores sancti, voces prędicationum emittebant, cùm pergerent ad bellum contra diabolum, vt genus humanum de potestate eius liberarent: ita & hæretici circumquaque discurrebant, falsam doctrinam spargendo, vt quoscunque possent deciperent, & diabolo subiugarent. *Et habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum.*) Et Esaias propheta dicit, quòd propheta docens mẽdacium, cauda est. Hæretici ergo qui propter notitiam diuinarum scripturarum, prophetas se esse æstimant, non inconuenienter caudis scorpionum assimilantur, quia eorum doctrina falsa erat, & venenosa: vnde & aculeos in caudis habuisse dicuntur. Per aculeos nanque, blasphemiæ quas in diuinis scripturis intermiscebant, designantur. Et sicut scorpio innoxius esset, si aculeus deesset, ita & doctrina hæreticorum bona esset, si hanc blasphemiis non fœdarent. *Potestas eorum nocere hominibus, mensibus quinque.*) Quid sint mensęs quinque, superius dictum est. *Et habebant super se regem angelum abyssi cui nomen Hebraicè abbadon, Græce apollyon, & Latinè habens nomen exterminans.*) Certum est omnibus, hæreticorum principem esse diabolum, sicut Dominus dicit ad Iob: Ipse est rex super omnes filios superbiæ: vnde & exterminator vocatur, eo quòd exterminator sit totius bonitatis. *Væ vnum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ. Et sextus angelus tuba cecinit.*) Per sextum angelum martyres designantur. Sextus angelus tuba cecinit, quia martyres Christi doctrinam fidei infidelibus propinauerunt. *Et audiui vocem vnam ex cornibus altaris aurei, quod est in conspectu Domini, dicente sexto angelo.*) Per altare aureum, sicut superius iam diximus, ecclesia designatur. Quatuor verò cornua altaris, quatuor Euangelistas demonstrant. Vocem ergo vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, audisse se dicit: quia vna est fides, vna doctrina, quam quatuor libri Euangeliorum docent. Quid autem hæc vox sexto angelo dicat, manifestat subdendo: *Vade & solue quatuor angelos qui alligati sunt in flumen magnum Eufraten.*) Primum dicamus quid sint quatuor angeli, quid vincula, quid Eufrates, & postea cur sexto angelo præcipiat Euangelium, vt soluat quatuor angelos, diligentius inuestigabimus. Nam sicut superius in apertione sexti sigilli, quatuor angeli super quatuor angulos terræ stetisse visi sunt, tenentes quatuor vẽtos terræ, ne flarent super terram, neque in vllam arborem: ita & hic sub cantu tubæ sexti angeli, quatuor angeli in flumen magnum Eufraten alligati esse referuntur. Eandem ergo significationem habent quatuor angeli isti, quam & illi. Significant enim quatuor regna, Assyriorum videlicet, Persarum, Macedonum, atque Romanorum. Et quia potestas quatuor regnorum, sicut superius diximus, ad Romanos secesserat, per quatuor angelos in hoc loco Romani designãtur.

Quomodo electi negato eis successu in malis à morte quam peccando quærebant, reuocantur.

Ose. 2.

Abac. 3.

Prædicatores Dei milites sunt.

Sapiẽtia secularis stultitia. 1. Corin. 3.

Hæreticorũ simulata scientia.

Infideles ab ecclesia præcisi.

Hæreticorũ conuẽticula.

Persequutores ecclesiæ.

Vt sancti animarum salutẽ quærũt, sic hæretici perditionẽ.

Esaiæ 9.

Doctrina hæreticorum sublata blasphemia bona esset.

Princeps hæreticorũ diabolus. Iob 14.

Concors doctrina Euangelij.

Quatuor regna.

tur. Per Eufratem hic mundus intelligitur. Quid ſint ergo vincula quatuor angelorum, ſuperius manifeſtatum eſt. Nam ſuprà ſcriptum eſt, quia vidit Ioannes angelum deſcendiſſe de cœlo, habentem ſignum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum eſt nocere terrę & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus quo adusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Per angelum qui habebat ſignum Dei viui, Chriſtũ diximus fuiſſe deſignatum. Vincula igitur quatuor angelorum, verba ſunt Domini: non quòd Dominus præceperit perſecutoribus vt à perſecutione ceſſarent, donec ſemina fidei per omnes gentes ſpargerentur: ſed quod poteſtate fecit, hoc dicitur verbis præcepiſſe. Romani nanque qui ante aduentum Chriſti, cædibus & rapinis, atque ab effuſione ſanguinis generis humani, manus cohibere non poterant, pace ligati ſunt, atque ab effuſione ſanguinis prohibiti ſunt. Præcepit ergo vox, quæ proceſſit à quatuor cornibus altaris aurei ſexto angelo, qui habebat tubã vt ſolueret quatuor angelos: quia doctrina Euangelij hoc præcepit prædicatoribus verbi Dei, vt nullis minis, nullis terroribus hominum impiorum terreantur, vt ceſſent ab officio prædicationis, ſicut Dominus dicit in Euangelio: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Imperatores quippe Romanorum & cæteri principes terræ, cùm viderent religionem Chriſtianam quotidie augeri, & culturam idolorum euacuari interminati ſunt mortem omnibus qui Chriſtum colerent aut prædicarent. Sextus ergo angelus, id eſt martyres, quatuor angelos, id eſt prędicatores ſuos quaſi ſoluerunt: cùm propter inſuperabilem Euangelizandi conſtantiam, ad perſequendos eos ſe armauerunt. Vnde & ſequitur. *Et ſoluti ſunt quatuor angeli, qui parati erant in horam & diem, & menſem, & annum, vt interficerent tertiam partẽ hominum.*) Soluti ſunt quatuor angeli: quia impij homines pace abiecta, manibúſque ſolutis quas pax alligauerat, perſecuti ſunt populum Dei. Quòd autem dicit, Parati erant, impiorum hominum voluntatem demõſtrat: quia antequã tempus perſecutionis veniret, voto parati erant vt populũ Dei interficerent. Sanè tertia pars hominum, vt ſuperius dictum eſt, electos ſignificat. Porrò quòd in horam, & diem, & menſam, & annum, quatuor angeli vt interficerent tertiã partem hominum parati eſſe dicuntur, poſſumus ad omnes impios, qui ab initio mundi fuerunt, & erunt vſque in finẽ, referre. Per horam quippe, tempus ab initio mundi vſque ad diluuium: per diem autem, tempus diluuij vſque ad legẽ: per menſem verò, tempus ſub lege: per annum autem, tempus ſub gratia deſignatur. In iis ergo quatuor temporibus, ſemper reprobi perſequuntur electos. *Et numerus equeſtris exercitus, vicies milies dena milia.*) Qui deſignãtur per quatuor angelos, ipſi & per equeſtrem exercitum, videlicet perſecutores eccleſiæ. Exercitus autem perſecutorum equeſtris eſſe dicitur: quia ſicut habet Deus equos ſuos, id eſt ſanctos prędicatores, qui eum per vniuerſum mundum deportauerũt: ita habet diabolus equos ſuos, id eſt omnes impios, ſuper quos ſedet, & ad perpetranda diuerſa ſcelera impellit: qui vicies milies dena milia eſſe dicuntur. Per finitum nanque numerum perſecutorum, innumerabilis multitudo exprimitur. *Et ita vidi equos in viſione, & qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas.*) In hoc loco per equos, inſani populi: per ſeſſores autem equorum, principes terræ deſignantur: per loricas verò, quæ ictus gladiorum à ſe repellunt, duritia cordium reproborum deſignatur, quæ ad corda eorum gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, accedere nõ ſinit. Quę loricę igneæ, hyacinthinę, & ſulphureę eſſe dicuntur. Per ignem planè crudelitas perſecutorum mentis: per iacinthum qui cœli figuram habet, honor deitatis, quem diis ſuis referant, deſignatur. Per ſulphur verò quod fœtet, blaſphemiæ quas in Chriſtum proferebant deſignantur. Perſecutores igitur loricas igneas, & hyacinthinas atque ſulphureas habuiſſe dicũtur: quia partim propter credulitatem mentis, corda ſua indurauerãt, vt non ſolùm in Chriſtum non crederent, ſed etiam ſeruos eius perſequerentur: partim propter defenſionem deorum falſorũ: partim propter blaſphemias quas in Chriſtum ferebant, dicentes eum magum fuiſſe & ſeductorem. *Et capita equorum erant tanquam capita leonum.*) Per capita equorum Imperatores Romanorum deſignantur, quia capita eſſe videbantur omnium perſecutorum, qui etiam propter inſatiabilem rabiem leonibus aſſimilantur. *Et de ore eorum procedit ignis, fumus, & ſulphur.*) Per ignem, impia præcepta imperatorum deſignantur, quibus populus Dei interfici iubebatur: per fumum verò, honor deitatis, quem diis ſuis deferre iubebãt. Et rectè per fumum, idololatriæ falſitas deſignatur: quia ſicut fumus à facie venti euaneſcit, ita & cultura idolorum in conſpectu prædicationis Euãgelicæ deperiit. Per ſulphur autem ſicut ſupra dictum eſt, blaſphemiæ quas Chriſto ingerebant, deſignantur. *Ab iis tribus plagis interfecta eſt tertia pars hominum.*) Id eſt, multitudo martyrum: per ignem videlicet, fumum, ac ſulphurem, quę procedebant de ore ipſorũ. Procedebat quippe ignis de ore ipſorũ, id eſt iuſſio impiiſſima quæ præcipiebat, vt ſancti Dei martyres interficerentur. Procedebat & fumus, quia præcipiebant, vt honor deitatis ab omnibus hominibus, diis ſuis impenderetur. Procedebat & ſulphur id eſt blaſphemiæ in Chriſtum, præcipientes vt religio Chriſtiana funditus de mundo extingueretur. *Poteſtas igitur equorum in ore ipſorum eſt, & in caudis eorum.*) Superius capita equorum, vt leonum eſſe dicuntur. In ore verò leonum dentes conſiſtunt, quibus conterunt & dilaniant omnia quæ ceperint. Poſſumus itaque per dentes, carnifices intelligere qui in ore leonum, id eſt, in poteſtate perſecutorum poſiti, eorum imperio diuerſis cruciatibus corpora ſanctorum cruciabant. Corpora igitur ſanctorum perſecutores in ore, id eſt, in poteſtate habebant: ſed animas non habebant, ſicut Dominus dicit in Euangelio: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Et ideo poteſtas perſecutorum tantummodo in ore erat: quia corpora ſanctorum in poteſtate habebant, ſed animas non habebant. Occidere poterant, quos vincere nõ valebant. Per caudas verò, philoſophorum atque poetarum doctrina deſignatur. *Nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus habentes capita, & in iis nocent.*) Rectè doctrina philoſophorum ſerpentibus aſſimilatur, quia plena erat mẽdaciis & fallaciis. Qui ſerpentes capita habere dicuntur, quia omnes errores gentilium proprios habebãt authores. Poteſtas ergo equorum in caudis eorum erat, quia perſecutores eccleſiæ per doctrinam philoſophorum, volebant euertere religionem Chriſtianam. *Et cæteri homines qui non ſunt occiſi in iis plagis, neque egerunt pœnitentiam ab operibus manuum ſuarum, vt non adorarent idola aurea & argentea, quæ neque videre poſſunt, neque audire neque ambulare.*) Subauditur perierunt. Tertia igitur pars, quæ interfecta eſt, ſalua facta eſt, id eſt, electi ex quibus multi pro Chriſti nomine interfecti ſunt: reliqui libentiſſimè occumberent, ſi neceſſitas exegiſſet. Cæteri verò, id eſt, pagani qui in Chriſtum credere noluerunt vt agerent pœnitentiam, ab iniquitatibus ſuis perierunt.

Idololatria.

Tyrannorũ furor contra Chriſtum & mẽbra eius.

Philoſophorũ & poetarũ doctrina mẽdaciis plena.

CAPVT DECIMVM.

ET vidi alium angelum fortem deſcendẽtem de cœlo, amictu nube, & iris in capite eius.) Quia ſuperius aduerſitates eccleſiæ narrauerat, quæ ab hæreticis & paganis paſſa eſt, reſtat vt de proſperitate eius, qualiter inter perſecutiones creuerit, narret. Conſtat nanque eccleſiam in perſecutionibus creuiſſe, & quantò amplius opprimebatur, tantò amplius confortabatur, & creſcebat: ſicut de filiis Iacob in figura eiuſdem eccleſiæ ſcriptum legimus, qui quantò amplius ab Ægyptiis opprimebantur, tantò amplius multiplicabantur. Angelus fortis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum deſignat, de quo dicit Pſalmiſta: Dominus fortis & potens, Dominus potens in pręlio. Qui deſcendens de cœlo amictus nube eſſe dicitur, quia Dominus noſter veniens in mundum, carnem quæ per nubem deſignata eſt induit, vt per carnis aſſumptionem, ſe hominibus conformaret, quos redimere veniebat. Per irim verò, eius miſericordia deſignatur, ſicut ſuperius diximus, Per caput autem, eius diuinitas in hoc loco intelligitur. Irim in capite habebat, quia eius diuinitas

Eccleſia in perſecutionibus creuit.

Exod. 2.

Pſalm. 23.

diuinitas ante incarnationem ſuam tantam miſericordiam aſſumpſerat, vt homo fieri pro hominibus non dedignaretur,& ad vltimum,peſſima morte damnari. *Et facies eius,erat ſicut ſol.*) Sæpe per ſolem Dominus deſignatur,quia ſol omnes creaturas viſibiles ſuo ſplendore atque pulchritudine antecedit.Sed quæ creatura, poterit comparari ſuo creatori? Verùm per figuras viſibiles,ſæpe inuiſibilia demonſtrantur.In corde igitur electorum,Chriſtus ſol eſt,quem cernere per ſpem,nullo modo deſiſtunt,& ad cuius pulchritudinem intuendam,ſemper venturos eſſe credunt. *Et pedes eius tanquam columna ignis.*) Per columnam ignis,eccleſiam Dei poſſumus accipere, quia amore Dei atque proximi indeſinenter ardet.Per duos verò pedes,duos populos intelligere debemus. Ex duobus ergo pedibus, vna columna efficitur: quia ex duobus populis,ex Iudæis videlicet atque gentibus, vna eccleſia Dei fabricatur. Poſſumus etiam per duos pedes,duo teſtamenta intelligere,ſicut in ſequentibus plenius demonſtrabimus.Nec diſcordat à ſenſu ſuperiori, eo quòd vetus teſtamentum Iudæis,nouum autem, gentibus ſpecialiter traditum ſit. *Et habebat in manu ſua libellum apertum.*) Hic liber ſuperius ſeptem ſigillis ſignatus fuiſſe deſcribitur. Sed de eius apertione,Domino largiẽte, aliqua ſuperius diximus.Libellum igitur apertum,in manu ſua Dominus noſter Ieſus Chriſtus tenere viſus eſt,quia ſenſus diuinarũ ſcripturarum, doctoribus eccleſiæ ipſe aperuit. *Et poſuit pedem ſuum dexterum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.*) Per pedem dexterum ſicut diximus, nouum teſtamentum : per ſiniſtrum,vetus deſignatur. Poſſumus autem per mare, populum gentium deſignare,propter profunditatem ignorantiæ atque errorum:per terrã verò quæ excolitur vt fructum ferat,Iudæos qui excolebantur per diſciplinam legis,& fructum ferebant cùm præcepta legalia,quanuis carnaliter,implebant. Pedem ergo ſuum dextrum , Dominus ſuper mare poſuit , quando ſpecialius gentibus doctrinam Euangelij, quàm Iudæis tradidit : ſicut Paulus eiſdem Iudæis loquitur dicens,Vobis oportebat primũ loqui verbum Dei, ſed quia repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Pedem ſiniſtrum ſuper terram poſuit,quando legem Iudæis ſpecialiter tradidit.Sed nullũ moueat,quòd poſteriora prius commemorauerit,& priora poſterius:eo quòd in diuinis ſcripturis hoc ſæpe contingat.Ad quod comprobandum, vnum tãtummodo exemplum proferamus.In Pſalmo centeſimo quinto, cum dixiſſet, Aperta eſt terra & deglutiuit Dathan,& operuit ſuper congregationem Abyrõ,exarſit ignis in ſynagoga eorum,flamma combuſſit peccatores:retrò reuertitur,& dicit,Et fecerunt vitulum in Oreb,& adorauerunt ſculptile.Nec inconuenienter per dextrum pedem,nouum teſtamentum,per ſiniſtrum aũt vetus deſignatur:eo quòd vetus teſtamentum vmbra fuerit noui teſtamenti. *Et clamauit quemadmodum cùm leo rugit.*) Clamauit Chriſtus per legem, ſed nõ quemadmodum cùm leo rugit, quia in vna domo Iſrael vox eius tãtummodo audita eſt.Clamauit poſtea per Euangelium, quemadmodum cùm leo rugit, quia in omnem mundum vox eius intonuit. Et cùm clamaſſet , locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas. Per ſeptem tonitrua,ſeptẽ virtutes poſſumus accipere. Clamauit Chriſtus per legem, ſed ſeptem tonitrua non ſonuerunt.Clamauit per Euangelium, & locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.Nam illis quibus lex dicebat : Maledictus qui non reliquerit ſemen in Iſrael , è quibus ob hoc plures vxores atque concubinas habere licitum erat,pudicitiæ tonitruum necdum ſonuerat. Similiter & illi quibus lex dicebat:Oculum pro oculo, dentem pro dente:& qualem inflixerit quis maculam,talem & ſuſtinere cogatur,necdum tonitruum patientiæ audierant.Et illi tonitruũ charitatis necdum perfectè audierãt, quibus lex dicebat:Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Idem & de cæteris virtutibus intelligendum eſt. Septem ergo tonitrua locuta ſunt,quando per doctrinam Euangelij, ſublimitas virtutum cœpit demonſtrari.*Et audiui vocem de cælo dicentem mihi:Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua,noli ea ſcribere.*) Vox de cœlo, vox eſt de eccleſia : ſcribere verò,eſt prædicare. Quia ſicut ſcriptor atramento in volumine ſcribit,vnde legentes exercitentur,ita & quilibet doctor,verba Dei ſcribit cùm'ea prædicando in cordibus audientium plantat. Cur ergo per vocem , quæ de cœlo ſonuit,prohibitum eſt, ne ſeptẽ tonitrua ſcriberentur , in actibus Apoſtolorum,& in epiſtolis Pauli inuenire poſſumus.In initio nanque fidei,prædicatores ſancti videntes infirmitates gentium ad fidem veniẽtium,non ſunt auſi eis auſteriora Chriſti præcepta committere,ne fortè duritia præceptorũ territi,non auderent ad fidem Chriſti ſuſcipiendam accedere:ſicut Paulus apoſtolus diſcipulis ſuis ſcripſit,dicens : Tanquam paruulis in Chriſto,lac vobis dedi,non eſcam. Nondum enim potèratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis,adhuc enim eſtis carnales. Sed & Apoſtoli,qui erant Hieroſolymis,eis qui ex gentibus crediderant mandauerunt,dicentes:Placuit ſpiritui ſancto & nobis,nihil imponere vobis oneris,niſi vt abſtineatis vos ab eſcis quæ idolis immolãtur,& à fornicatione,& ſuffocato,& ſanguine.Vox ergo de cœlo Ioanni loquitur,ne ſeptem tonitrua ſcriberet, quia Apoſtoli qui per cœlum deſignantur , primis prædicatoribus præceperunt,ne nouiter ad fidem venientes, ſubitò ad celſitudinem virtutum conſcendere cogerent, donec in fide confortati,iam ad operationem virtutum tranſire poſſent. *Et angelus quem vidi ſtantem ſupra mare,& ſuper terram, cùm leuaſſet manus ſuas,& iuraret per viuentem in æternum, qui creauit cælum,& ea quæ in eo ſunt : & terram,& ea quæ in ea ſunt:mare,& ea quæ in eo ſunt:quia tempus amplius non erit, ſed in diebus ſeptimi angeli cùm cœperit tuba canere , conſummabitur myſterium Dei,quod euangelizauit per ſeruos ſuos prophetas.*) Nos quando iuramus,volumus vt firmum ſit quod loquimur.Dixiſſe ergo Domini,iuraſſe eſt:quia fieri non poteſt, vt quod loquitur Deus,irritum fiat,ſicut ipſe dicit in Euãgelio:Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Cùm igitur Chriſtus per viuentem in æternum, & per eum qui fecit omnes creaturas iurauit , per ſemetipſum iurauit: Quia omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil.Iurauit autem,non in quibuſdã verbis ſemetipſum obligando,ſed dicendo ea quæ ventura erant.Per ſeptimum verò angelum,prædicatores qui in fine mundi futuri ſunt,deſignantur : de quibus in ſequentibus dicemus. Iurauit ergo Chriſtus,quòd in diebus ſeptimi angeli cõſummabitur myſterium Dei , quod euangelizauit per ſuos prophetas , quia prædixit quòd tunc veniret finis,cùm omnis electorum numerus fuerit completus. *Et vocem quam audiui de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem : Vade,& accipe librum de manu angeli , ſtantis ſupra mare & ſupra terram.*) Vocem primam eam dicit,quando de cœlo ei dictum eſt : Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, noli ea ſcribere. Eandem quippe vocem ſe iterum audiiſſe dicit:quia eiuſdem ſpiritus ſancti vox fuit illa,cuius & iſta.Per Ioannem in hoc loco omnes Apoſtolos intelligere debemus. Vox ergo diuina Ioanni locuta eſt,vt iret ad angelum,& acciperet ab eo librum:quia ſpiritus ſancti gratia Apoſtolis inſpirauit , vt relictis omnibus Chriſtum ſequerentur,vt doctrinam Euangelij ab eo perciperẽt. *Et abij ad angelum,dicens ei,vt daret mihi librum.*) Abierunt Apoſtoli ad Chriſtum,vt ab eo doctrina diuinarũ ſcripturarum inſtruerentur.*Et dixit mihi:Accipe,& deuora illum, & faciet amaricare ventrem tuum, ſed in ore tuo, erit dulce tanquam mel. Et cùm deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.*) Per os in quo ſapores diſcernuntur,corda Apoſtolorum intelligere poſſumus:per ventrem autem,in quo omnes ſpurcitiæ commorantur corporis, memoriam peccatorum intelligere debemus.Liber igitur dũ deuoraretur,vt mel dulce fuiſſe dicitur:quia diuina ſcriptura dum in mente reuoluitur, vitamque æternam mandata Dei cuſtodientibus repromittit,dulcis vt mel in corde efficitur : cum verò mentem à ſuperioribus ad inferiora, id eſt, à contemplatione cœleſtis patriæ,ad peccata ſua intuenda deducit,pœnáſque quas impij pro peccatis ſuis paſſuri ſunt, oſtendit,quæ antea fuerat dulcis in demonſtratione cœleſtis gloriæ,amara efficitur in peccatorum oſtenſione.Poſſumus etiam hoc de Ioãne prius intelligere, qui antequã Euangeliũ ſcriberet, Pathmos in exilium ductus eſt.Sed quia propter abſentiam eius, hæretici eccleſiam Dei inuaſerant, poſt reuerſionem ſuam de exilio , ad eorum blaſphemias deſtruendas compulſus eſt Euan-

Spes Chriſtum ſemper intuetur.

Hyſterõ proteron in ſcripturis familiare.

Pſalm.75.

Exod.21.

Leuit.19. Matth.5.

Act.10.13.

Predicator ſcribit verbũ Dei in cordibus hominum.

1.Cor.3.

Act.15.

Infirmi ſupportandi.

Luca 21.

De fine mundi.

Mat.4.19.

Ezech.3.

Verbi Dei effectus in nobis.

Ioãnes Euãgeliſta per hæreticorum blaſphemias ad ſcribendũ prouocatur.

Euangelium scribere. Præcipit igitur vox diuina Ioanni, vt iret ad angelum, & acciperet ab eo librum: quia spiritus sanctus hoc Ioanni inspirando suasit, vt iret ad Christum non passibus corporis, sed passibus mentis ad considerandam diuinitatis eius potentiam, atque cum patre æqualitatem, vt de diuinitate eius libellum omnibus fidelibus salutiferum posset conscribere. Deuorauit verò Ioannes librum, cùm scientiam Euangelij quod postea scripsit, plenissimè accepit. Liber itaque dum deuoraretur, dulcedinem mellis ori exhibuit: quia diuina scriptura, quantò amplius in cordè ruminatur, tantò salubriorem dulcedinem menti exhibet. Possumus autem per ventrem, in quo escæ putrescunt, carnem mortalem intelligere. Liber igitur qui in ore dulcis fuit, amaritudinem ventri generauit: quia sancti viri quantò amplius in meditatione diuinarum scripturarū dediti sunt, quantóque eius meditatio dulcior fit in mente, tantò maiorem amaritudinem carni suæ exhibent, affligendo videlicet eam ieiuniis, vigiliis, abstinentia vitiorum, cæterísque cruciatibus quibus caro atteritur. *Et dixit mihi angelus: Oportet te prophetare iterum populis, & gentibus, & linguis, & regibus multis.*) Prædicitur ei, quòd ab exilio ad prædicandum rediturus sit. Sed cùm sancti patres tradant, quòd post reuersionem suam de exilio tantummodo in Ephesо, & circa adiacentia loca eius prædicauerit, ibique mortuus sit, & corpus eius requiescat: quomodo populis, & gentibus, & linguis, & regibus multis prophetasse dicitur? Sed prophetauit, id est, prædicauit per Euangelium suum quod postea scripsit omnibus gentibus, & linguis, & regibus multis: quia per omnes gentes dispersum est, & in meditatione eius, omnes terrarum populi, regésque multi proficiunt.

CAPVT VNDECIMVM.

ET datus est mihi calamus mensuræ similis virgæ, dicēs: Surge & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.) Per calamum quo antiqui scribere solebant, Euāgelium quod ei datum est à Domino, & quod postea scripsit, designatur: per virgam verò, sæpe disciplina accipitur. Calamus igitur qui Ioanni datus est, similitudinem virgæ habuit, quia disciplina Christianorum est Euangelium. Vnde & templum & altare, & adorantes in eo, metiri præcipitur. Per templum nanque, ecclesia: per altare, sancti & perfecti viri designantur, qui in ecclesia cōsistunt: per adorantes autem in eo, cætera multitudo, quæ eorum doctrina instruitur, designatur. Templum nempe Dei & altare, atque adorantes in eo, vnusquisque prædicator metitur, dum vnicuique secundum propriam capacitatē spiritalis gratię doctrinam administrat, aliter Paganis, aliter Christianis, aliter hæreticis, aliter Catholicis. Nam & Dominus dicit in Euangelio, quia paterfamilias peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque telenta, alij autem duo, alij verò commisit vnum, vnicuique secundum propriam virtutem. Sequitur: *Atrium autem quod est † foris templum, eiice foras, & ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus.*) Si foris erat, quomodo foras eiici poterat? Per atrium ergo, Iudæi designantur: Iudæi verò fortis erant per incredulitatem: sed Ioannes & cæteri Apostoli adhuc eos per amorem in cordibus suis tenebant: sicut dicit apostolus Paulus. Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ. Vnde præcipitur ei, ne eum metiatur, id est, verba prædicationis non eis ministret, sicut in euangelio ipse præcipit, dicens: Nolite mittere margaritas vestras ante porcos, ne conculcent eas pedibus suis, & conuersi elidant vos. Et ad prophetam Ezechielem Dominus loquitur, dicens: Ecce ergo adhæresce faciam linguam tuam palato tuo, & eris quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est. Hócque atrium datum esse gentibus dicitur, quia Iudæi propter incredulitatem suam paganis gentibus erant coniuncti, siue traditi erant gentibus, id est, Romanis, vt ab eis delerentur, atque exterminarentur. *Et ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.*) Subitò saltum facit ad Heliam atque Enoch, qui temporibus Antichristi venturi sunt. Et pulchro satis ordine videlicet, vt qui Iudæorum deiectionem per figuram atrij protulerat, eorū restaurationem tacitè subnecteret. Constat enim Iudæos in fine mundi prædicatione Heliæ & Enoch, ad finem Christi esse reuertendos. Ciuitatem itaque sanctam, id est, Ecclesiā, Antichristus & ministri eius calcabunt, id est, persequentur mensibus quadraginta duobus, qui faciūt tres annos & dimidium. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabūt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.*) Testes duos Dominus Heliā & Enoch vocat, qui aduentum eius secundum præcurrent, sicut Ioannes præcucurrit primum. *Ii sunt duæ oliuæ, & duo cādelabra in cōspectu Domini terræ stātes.*) Oliua oleū fert, quod super candelabrum postea ponitur, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Per oleum in hoc loco sapientiam spiritalem possumus accipere. Vnusquisque enim oliua tunc est, quando apud se quiescens, per contemplationis gratiam, Deo deseruire studet: quando illud desiderat implere, quod Dominus dicit in Euangelio: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi: candelabrum verò tunc fit, quando illud implet, quod Dominus dicit in Euangelio: Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Duo igitur isti sancti modo oliuæ sunt, cùm in aliquo loco terrę positi, vbi eos maiestas diuina commorari præcepit, per cōtemplationis gratiam Deo deseruiunt. Candelabra tunc fient, cùm ad explendum prædicationis suæ officium venerint, quando omnibus videlicet fidelibus & infidelibus verbum Dei annunciabunt. De hoc candelabro Dominus dicit in Euangelio: Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Lucerna quippe super candelabrum ponitur, quando officium prædicationis sancto viro traditur, qui bonum quod prædicat, flammis bonorum operum illustrat: lucerna verò sub modio ponitur, quando officium prædicationis alicui reprobo cōmittitur, qui bonum quod prædicat, prauis operibus tegit, ne lumen præbeat eis qui in domo sunt, sicut scriptum est: Cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur. Duæ ergo oliuæ & duo candelabra in conspectu Domini stare dicuntur: quia in terra positi, illud tempus præstolantur, quo officium prædicationis suæ expleant, & mortis debitum soluant, sicut sequentia manifestant. *Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorū. Et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.*) Quia igitur spiritus sanctus loquitur per ora sanctorum, sicut Dominus dicit in Euangelio: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Non incongruè verba sanctorum ignis vocantur, sicut Psalmista dicit de Domino: Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Ignis igitur exiet de ore sanctorum istorum, & deuorabit inimicos eorum: quia doctrina eorum, ita errores Antichristi destruet, vt omnibus sanam mentem possidentibus, nihil videatur esse quod asserere conabuntur Antichristus & ministri eius. Quod autem sequitur: *Et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.*) ad eandem rem pertinet. *Ii habent potestatem claudendi cœlum, vt non pluat diebus prophetiæ eorum. Et habent potestatem super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint.*) Legimus Heliam oratione clausisse cœlum, & iterum aperuisse: sed & Moysen aquas in sanguinē conuertisse: Nō ergo putādum est Heliam minorē virtutē habere, cum ad explendum officium suę prędicationis venerit, quam habuit eo tempore quo inter homines conuersatus est, sed potiorem. Possumus etiam per cœlum ecclesiam, per pluuiam verba sanctorum spiritaliter intelligere. Clauditur nanque cœlum impiis, cùm Deus suo iudicio corda eorum ita obdurari sinit, vt nullo modo verbi Dei aditum accedendi ad cor suum tribuat, vt saluētur. Nam & propheta Esaias cœlū Iudæis clausit, cū ei à Domino dictū est: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde suo intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Clausit & cœlum Hieremias

A *Iudæorum conuersio & salus in fine mundi Antichristus.*

Helias & Enoch.

B *Matth. 6.*

Matth. 5.

Donum prædicandi non debet abscōdi.

Matth. 5.

C *Mala vita prædicationis lumen offuscat.*

Matth. 10.

Psalm. 118.

D *Cōfusio Antichristi.*

3 Reg. 17. 18. Exodi 7.

Impiorū induratio.

Esa. 6.

remias amicis ſuis,cùm dicebat ad Dominum:Ne propitieris iniquitati eorum,& peccatum eorum à facie eorum non
Hierem. 18. deleatur.Fiant corruentes in conſpectu tuo, in tempore viſitationis tuæ peribunt.Nunquid Moyſes non habebat poteſtatem claudendi cœlum,& aperiẽdi?Cui dicebat Dominus,cùm populus peccaſſet: Dimitte me vt iraſcatur furor
Exodi 32. meus contra eos,& deleam eos,faciamque te in gentẽ magnam.Sancti itaque illi quibuſdam claudent cœlum,vt non
Cœlum aperire & claudere quid. deſcendat ſuper eos imber miſericordiæ Dei, eis videlicet, quos ab erroribus Antichriſti reuocare non potuerint.Quibuſdam verò aperient,eis videlicet quos ab erroribus Antichriſti reuocauerint.Imbrémque ſuper eos pluent,quando ſuis precibus Deum illis propitium efficient.Per aquas quas in ſanguinem conuertere dicuntur,populi deſignantur,ſanguis autem vltionem diuinam demonſtrat. Aquas igitur in ſanguinem conuertent, quando gentes quæ à fide Chriſti diſceſſerint,perpetua morte eſſe damnandos ſuo iudicio decernent. *Et cùm finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo, faciet contra eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.*) Beſtia hæc, Antichriſtum ſignificat. Faciet contra eos bellum, quando perſequetur:vincet verò illos,non ſuperando verbis,ſed interficiendo.Vnde & ſequitur: *Et iacebunt corpora eorum in platea ciuitatis magnæ,quæ vocatur ſpiritaliter Sodoma & Aegyptus,vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.*) Si per ciuitatem magnam,Hieruſalem terreſtrem voluerimus intelligere,propter hoc quod dicit: Vbi & Dominus eorum crucifixus eſt : à veritate non aberrabimus:eo quòd illa Hieruſalem vſque ad ſolum deſtructa ſit,& iſta quę pro ea ædificata
Vide hiſto. Eccl. ſ. l. b. 4. cap. 6. eſt,non in eo loco,ſed in alio ſita eſſe dicatur. Neque Sodoma & Aegyptus dicenda eſt, eo quòd à Chriſtianis incolatur.Simúlque conſiderandum,quia vbicunque in hoc libro ciuitas magna ponitur, Babylonem quæ eſt ciuitas diaboli, & ex omnibus reprobis conſtat ſignificat. Quod autem in platea ciuitatis magnæ,corpora ſanctorum proiicienda eſſe dicuntur,poſſumus ſimpliciter intelligere , vt in quacunque platea, quæ ad iuſſa alicuius reprobi pertineat, iaceant. Sed melius mihi videtur,vt ſicut per ciuitatem magnam,omnes reprobos intelligendos eſſe diximus,ita & per plateam corda reproborum intelligamus.Iacebunt itaque corpora ſanctorum in platea ciuitatis magnæ : quia ſancti illis iacent, à quibus nullius eſſe momenti exiſtimantur:Econtrario fidelibus ſtant, qui quanta ſit eorum virtus atque gloria, cordis oculis intuentur. Ciuitas verò diaboli non inconuenienter Sodoma & Aegyptus nominatur:eo quòd Sodoma,cęcitas, Aegyptus, tenebræ interpretentur. Quis enim deteriorem cæcitatem,atque tenebras patitur quàm impij,qui præcipiti
Impij in cloacam inferni ſe præcipitant. gradu, vt in cloacam inferni demergantur, mala operando properare non deſiſtunt?in platea verò ciuitatis magnæ,vbi Dominus crucifixus eſt,corpora ſanctorum proiicienda eſſe deſcribuntur : quia ſicut à membris diaboli Chriſtus crucifixus eſt,ita ab eiſdem ij duo prophetæ occidentur. *Et videbunt de populis, & tribubus, & linguis, & gentibus corpora eorum,tribus diebus & dimidium,& corpora eorum non ſinent poni in monumentis, & inhabitantes terram, gaudebunt ſuper eos, & iucundabuntur, & munera mittent inuicem, quoniam ij duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitant terram. Et poſt dies tres & dimidium, ſpiritus vitæ à deo intrauit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos,& timor magnus cecidit ſuper eos,qui viderunt eos.Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem illis, Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cælum in nube, & viderunt illos inimici eorum.*) Hoc ſi ſecundum hiſtoriam impleatur, hominibus quidem incognitum,Deo autem nota ſunt omnia.Poſſumus autem & nos huic hiſtoriæ ſpiritalem intelligentiam adiungere.
Videtur legendum,non intelligimus Sed temerarium videtur, illam hiſtoriã quam intelligimus, ſpiritalibus ſenſibus velle adornare.Nullam quippe domum extra poſiti,interius ornare valemus.Sed ne omnino tacuiſſe videamur,pauca dicamus.Poſſumus per tres dies & dimidium,tres annos & ſemis intelligere,quibus ij duo prophetæ prædicaturi ſunt:per monumenta verò,mentes reproborum intelligere poſſumus. De iis monumẽtis Dominus loquitur,dicens:Væ vobis Scribæ & Phariſæi : quia eſtis ſicut
Matth. 23. ſepulchra dealbata, quæ foris quidem videntur candida,intrinſecus autẽ plena ſunt omni immunditia & oſſibus mortuorum.Sic & vos quidem foris paretis hominibus iuſti,intus autem pleni eſtis rapina & iniquitate. In monumentis igitur reprobi corpora ſanctorum non ſinent poni,quia doctrinam illorum à mẽtibus ſuis abiicient.Quòd autem poſt dies tres & dimidium ſpiritus vitæ à Deo intrare in eos dicitur,& ſtare ſuper pedes ſuos,reſurrectionis tempus accipere poſſumus,quod poſt tria tempora & dimidium,quamuis
Reſurrectionis tempus. non ſtatim,in proximo tamen fiet.Stabũt quippe ſuper pedes ſuos,quando poſt reſurrectionis tempus,quanta ſit eorum virtus atque magnificentia,omnibus impiis manifeſtabitur. Timor verò magnus cadet ſuper inimicos eorũ, cùm viderint eos,quia in die iudicij cùm viderint eos, gloriámq; illorum,turbabuntur timore horribili,dicentes:Ij ſunt quos
Sapien. 5. aliquando habuimus in deriſum , & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam,& finem illorum ſine honore. Quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorũ eſt? Et quia
Malac. 4. Malachias propheta, ex perſona Domini loquitur, dicens: Ecce ego mittam vobis Heliam Theſbiten prophetam qui conuertat corda patrum ad filios, & cætera quæ ſequuntur, credimus Iudæos per prædicationem Heliæ, ſicut ſuperius demonſtrauimus,ad fidem Chriſti conuertendos.Poſſumus autem per duos teſtes,duorum populorum prędicatores intelligere,Iudæorum videlicet atque gentiũ.Qui diebus mille ducentis ſexaginta,prophetaturi eſſe dicuntur:quia omni tempore quo Antichriſti perſecutio atque deceptio per vniuerſum orbem deſæuiet, quoſcunque poſſunt ad viam veritatis adducere ſtudebunt. *Et in illa hora, factus eſt terræ motus magnus.*) Nunc ad initium prędicationis Heliæ & Enoch reuertitur.Terrę motus ſicut ſuperius iam diximus,motionem cordiũ,ſolet deſignare.Terræmotus tunc fiet cùm per prædicationem Helię & Enoch , multi ad pœnitentiam, multi ad fidem conuertentur. *Et decima pars ciuitatis cecidit.*) Non ſanus ſenſus eſſe videtur,vt per ciuitatem,cuius decima pars cecidit,eccleſiam intelligamus:eo quòd hic ſermo ad ciuitatem magis diaboli, quàm ad ciuitatem Dei reſpiciat. Illius ergo ciuitatis in hoc loco decimam partem corruiſſe dicit, quam ſuperius ciuitatem magnam Sodomámque & Aegyptum vocauit,& in cuius platea corpora ſanctorum per tres dies & dimidium,inſepulta iacere dicuntur. Et quia per denarium numerum ſæpe lex deſignatur, eo quòd lex per decalogum ſit accepta , poſſumus per decimam partem quæ corruit,Iudæos obſeruatores legis intelligere,qui per prędicationem Heliæ fidem Chriſti ſuſcipientes,à ciuitate diaboli corruent & præcidentur. *Et occiſa ſunt terræmotu ſeptem milia hominum,& reliqui in timorẽ ſunt miſſi,& dederunt gloriam Deo cœli.*) Sicut per denarium numerum lex,ita & per ſeptenarium,ſæpe gratia Euangelij accipitur.Ecce decima pars ciuitatis quam non ex lapidibus , ſed ex hominibus conſtare docuimus cecidit,& nõ decem milia ſed ſeptem milia mortua eſſe perhibentur. Denarius igitur numerus, in ſeptenarium commutatus eſt , quia Iudæi obſeruationes legales reſpuentes , doctrinam Euangelij ſuſcipient:quæ propter ſeptem dona ſpiritus ſancti, per ſeptenarium numerum deſignatur. Septem ergo milia mortua eſſe deſcribuntur, quia morientur diabolo,vt viuãt Deo. Reliqui verò qui in timorem ſunt miſſi,electos deſignant,qui videntes cõuerſionem
Conuerſio Iudæorum. Roman. 11. Iudæorum , atque diuinam ſcripturam in illis eſſe completam,in timore Dei, atque amore proficient, Deúmque pro eorum conuerſione,laudare non deſiſtunt. *Væ ſecũdum abiit, & ecce væ tertium,veniet citò.*) Væ tertium ad ea mala quæ per Antichriſtum facturus eſt diabolus,& ad diem iudicij pertinet. Et quia ſuperius angelum quem vidit ſtare ſupra mare & ſupra terram,iuraſſe dicit per viuentem in æternum:quia in diebus ſeptimi angeli cùm cœperit tuba canere,conſummabitur myſterium Dei quod Euãgelizauit per ſeruos ſuos prophetas , diem iudicij breuiter ponere voluit, & ad mala Antichriſti poſtea narranda reuertitur. Quòd ſi diligenter inſpicimus,videbimus eum hoc ordinatè feciſſe.Scimus nãque quia prędicatores ſancti,qui in fine mũdi naſcituri ſunt, hoc prædicabunt,quòd dies Domini in proximo ſit,vt quos exhortationibus ad viam veritatis reducere non potuerint, ſaltem terroribus ad pœnitentiũ reuocent.Et quia ante per-

ſecu-

secutiones Antichriſti, dies iudicij incipiet prædicari, eundem diem iudicij Ioānes antea ponere voluit, quàm ad perA secutiones ipſius Antichriſti narrando veniret. *Et ſeptimus angelus tuba cecinit.*) Per ſeptimum angelum ſicut diximus, prædicatores ſancti, qui in fine mundi naſcituri ſunt, deſignantur. Tuba canent, cùm verbum Dei annunciabunt. *Et facte ſunt voces magnæ in cœlo, dicentes.*) Poſſumus per cœlum eccleſiam: per voces verò magnas, ſanctorum verba intelligere, qui in aduentu Domini, ad iudicium venientes exultabunt, ſicut Dominus dicit in Euangelio: Reſpicite & leuate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra. *Factū eſt regnum huius mundi Domini & Chriſti eius, & regnabit in ſecula ſeculorum.*) Nunquid antea non erat Domini & Chriſti eius regnum huius mundi? Sed regnum huius mundi homines vocauit, in quorum mentibus aut regnat Deus, aut regnat diabolus. Regnat Deus in ſanctis eius. Regnat diabolus in eis qui ſunt ex parte eius. Ipſe eſt enim Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Regnum igitur huius mundi, Domini & Chriſti eius tunc fiet, cùm diabolus cum omnibus quos decepit, in infernum demerſus fuerit, cùm illud implebitur, B quod angelus ad Danielem loquitur dicens: Regnum autē & poteſtas quod eſt ſubter omnem cœlum, tradentur populo ſanctorum, qui & obtinebunt illud, vſque in ſeculum, & in ſeculum ſeculorum. *Et viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent, in ſedibus ſuis ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt Deum dicētes.*) Per viginti quatuor ſeniores in hoc loco, animas ſanctorum quæ in cœleſti beatitudine cum Domino commorantur, poſſumus intelligere. Sedes verò, requiem ſempiternam deſignat. Viginti igitur & quatuor ſeniores in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, quia ſanctorum animæ, ſine corporibus in cœleſti beatitudine, modo cum Domino requieſcunt. In facies ſuas ceciderunt & adorauerūt, quia ſancti Dei cum viderint iuſtiſſimum Dei iudicium peragi, inenarrabilémque eius potentiam, deiicient ſe per humilitatis ſubiectionē in conſpectu creatoris ſui, ſcientes nihil eſſe quicquid eſt, in comparatione illius qui Deus C eſt. *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens qui es, & qui eras ſanctus, & qui accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti. Et iratæ ſunt gentes, quia aduenit ira tua, & tempus mortuorum, iudicare & reddere mercedem ſeruis tuis prophetis & ſanctis, & timentibus nomen tuum, puſillis & magnis, & exterminandi eos qui terram corruperunt.*) Eſt Chriſtus modo, poſtquā hominē aſſumpſit, eiuſdē ſanctitatis qua & pater, eiuſdē æternitatis, eiuſdē potentiæ erat & antequā hominē aſſumeret, æqualis per omnia patri. Accepit autem virtutem ſuam magnam, quando per paſſionem ſuam, diabolum vicit. Regnauit verò, quando genus humanum, ſibi ſubiecit. Iratę ſunt gentes, quia impij homines eccleſiam Dei perſecuti ſunt, vt nomen Chriſti, de mundo extinguerent. Aduenit autem ira Dei, cùm dies iudicij aduenerit. Aduenit tempus mortuorum, iudicari videlicet, vt mortui iudicentur. Illi ſcilicet mortui, qui in hac vita poſiti, animas ſuas malè viuendo interficere non timuerunt. *Et reddere mercedem ſeruis tuis prophetis & ſanctis, & timentibus nomen tuum, puſillis & magnis.*) Hoc tunc implebitur, quando in die iudicij dicturus eſt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Puſillos illos vocat; qui minoris ſunt meriti, magnos qui maiorem gratiam obtinent apud Deum. Et exterminandi eos qui corruperunt terram. Corruptores terræ, impios vocat, hoc tunc implebitur quando dicet: Ite maledicti in ignem æternum, & cætera. Sed quærendum nobis eſt quam terram corruperunt impij. Semetipſos vtique malè viuendo corruperunt, quando in luxuriis cæteriſque vitiis, corpora ſua enutrierunt. Corruperunt & aliorum terram, eorum videlicet quos & verbis & exemplis ad mala opera agenda pertraxerūt. Nunc ad ea quæ prætermiſerat, id eſt ad mala Antichriſti narranda reuertitur. Et vt commodius ad ea exprimenda perueniat, ab aduentu Chriſti incipit, atque mala quæ eccleſia à diabolo paſſa eſt commemorans, qualiter idem diabolus eandem eccleſiam per Antichriſtum euertere conetur, annectit. *Et apertum eſt templum Dei in cœlo, & viſa eſt arca teſtamenti eius, in templo eius.*) Poſſumus per templum Dei, beatam Mariam intelligere: per arcam verò teſtamēti, Chriſtum qui ex ea carnē aſſumpſit. Templum autem Dei non ideo apertum dicitur, quòd vterus beatæ virginis Mariæ in pariendo Dominum, apertus ſit, quę fuit ante partum virgo, virgo in partu, virgo poſt partum. Sed ideo apertum dicitur, quia per ipſam viſibilis nobis factus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Poſſumus etiam per templum, vetus teſtamentum intelligere: per arcam, ſacramenta quæ de Chriſto in veteri teſtamento continentur. Veniente quippe Chriſto in carne, apertum eſt vetus teſtamentū, atque ſpiritalis intelligentia quæ in eo latebat, fidelib⁹ eſt reuelata *Et facta ſunt fulgura, & voces, & termotus, & grādo magnus.*) Per fulgura, miracula quæ per Chriſtum facta ſunt: per voces verò, eius prædicatio deſignatur. Terræmotus autem motionem cordiū deſignat. Moti ſunt nanque multi per prædicationem Chriſti ad pœnitentiam de peccatis ſuis peragendam: moti ſunt per fidelitatem ab infidelitate: moti ſunt de malo ad bonum, per bonam conuerſionem. Et quia grando terram ſolet percutere, poſſumus per grandinem comminationes ignis æterni, quæ in Euangeliis ſæpe inueniuntur, intelligere, quibus corda prauorum percutiuntur vt reſipiſcant ab iniquitatibus ſuis.

Beatæ virg.

Apertio veteris teſtamenti.

CAPVT DVODECIMVM.

ET ſignum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.) Hæc mulier, eccleſiam deſignat. Conſequens quippe erat, vt poſt prædicationem Chriſti, eius forma deſcriberetur, quam prædicatio Chriſti genuit. Poſſumus autem per cœlum in hoc loco, hunc mundum intelligere: per ſignum magnum, ſalutem magnam, quam aduentus & prædicatio Chriſti mundo contulit. Per ſolem verò, Chriſtus deſignatur, ſicut dicit Propheta: Vobis autem timentibus nomen Domini, orietur ſol iuſtitiæ: & ſanitas ſub pennis eius. Mulier itaque amicta erat ſole: quia fideles, ex quibus eccleſia cōſtat, in baptiſmate Chriſtum induunt, ſicut Apoſtolus dicit: Omnes qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Per lunam verò quam ſub pedibus ſuis habuiſſe viſa eſt, quæ creſcit & decreſcit, mundum iſtum poſſumus intelligere, quem eccleſia deſpiciendo calcat, vt liberius ad cœleſtia tendat. Sed quia luna noctem illuminat, melius mihi videtur, vt per lunam, ſacram ſcripturā intelligamus, ſine cuius lumine, in nocte huius ſeculi per vias rectitudinis incedere non valemus. De hoc lumine Pſalmiſta dicit: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis. Mulier igitur lunam ſub pedibus ſuis habuiſſe viſa eſt: quia eccleſia greſſus mentis ſuæ in præceptis diuinarum ſcripturarum figens, ad cœleſtia quotidie nouit tendere. Quæ etiam in capite ſuo coronam ſtellarum duodecim habuiſſe viſa eſt. Caput eccleſię, Chriſtus eſt: duodecim verò ſtellę, duodecim ſunt Apoſtoli. Poſſumus nihilominus per caput, mentes fidelium intelligere. Mulier ergo in capite coronam ſtellarum duodecim habuiſſe viſa eſt, quia mentes fidelium doctrina & actus Apoſtolorum cùm eos imitari ſatagunt, exornant. *Et in vtero habens, & clamabat in doloribus, & cruciabatur, vt pareret.*) Quomodo infans in vtero D coagulatur, humanámque formam accipit atque ſpiramētum, ſimiliter & eccleſia infideles quoſque, quos in vtero geſtat, dum eos prædicando tamdiu nutrit, vſque dum humanam formam accipiāt, id eſt, vſque dum in Chriſtum credant, atque animam ſpiritalem accipiant, quæ in baptiſmo datur, cùm efficiuntur Dei filij. Vnde & clamare in doloribus dicitur, & cruciari vt pareret. Clamat namque eccleſia prædicando, clamat etiam pro auditorum ſuorum ſalute, Deum deprecando. Cruciatur verò vt pariat, cùm luget eos quos in peccatis iacere conſpicit, ſicut Paulus Apoſtolus infirmantibus diſcipulis loquitur dicens, Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Et in Actibus Apoſtolorum, Epheſiis loquitur dicens: Per trienniū quotidie non ceſſaui cum lachrymis monens vnūquenque veſtrum. Et Pſalmiſta de prædicatoribus loquitur dicens: Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.

Malac. 4.

Galat. 3.

Eccleſia mūdum ſub pedibus calcat.

Pſalm. 118.

Eccleſia infideles cum dolore parturit.

Clamor eccleſiæ pro peccatorum ſalute.

Galat. 4.

Act. 20.

Pſalm. 125.

Et viſum

Et visum est aliud signum in cœlo. Et ecce draco magnus, rufus, habens capita septem & cornua decem, & in capitibus suis septem diademata, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.) Draco iste diabolum significat. Rufus autem color talis est, ac si croceo colori sanguineum admisceas. Cõcordat verò pallidus color id est, croceus cum sanguineo. Quia sanguis dum effunditur, mortem adducit: pallor autem, totum corpus moriẽtis occupat. Rectè ergo diabolus habere dicitur colorẽ mortis, quia illius inuidia mors

Sapien. 2. intrauit in orbem terrarum. Per septem verò capita, reprobi quibus diabolus ad decipiendum genus humanum vsus est, designantur. Diademata regiam eius potestatem designãt.

Iob 41. Ipse est enim Rex, sicut dicit scriptura, super omnes filios superbiæ. Nam sicut per septẽ cornua, omnes electi designati

Septem capita diaboli. Genes. 6. sunt, quos in septem partes diuisimus: ita & per septem capita draconis, reprobi qui eis in via Dei aduersati sunt, designantur. Primum nanque caput draconis, fuerunt reprobi, qui ante diluuium fuerunt, quos scriptura filios hominum vocat, qui eis qui filij Dei vocabãtur, in laqueum fuerunt. Secundum caput diaboli, fuerunt ij qui post diluuium vsque ad legem fuerũt, inuentores scilicet idolorum, diuersorúmque errorum, per quos genus humanum deceptum est. Tertium caput diaboli fuerunt ij, qui postquam lex data est populo Dei, idola colere suadebant. Quartum caput fuerũt falsi prophetæ, regésque impij, à quibus populus Dei in tãtum deceptus est, vt pro suis iniquitatibus in captiuitatem duce-

4. Reg. 24. retur. Quintum caput fuerunt impij Iudęi, qui & Dominum occiderunt, & Apostolos eius persecuti sunt. Sextum caput fuerunt persecutores ecclesiæ. Septimum verò caput diabo-

Infra ca. 17. li, erit Antichristus. Quid significent autem decem cornua in sequentibus dicemus, eo loco vbi mulier meretrix super bestiam coccineam sedisse visa est. Per caudam verò quæ finis est corporis, Antichristus designatur. Tertiam igitur partem stellarum cœli, cauda draconis traxisse visa est, quia Antichristus multos ex iis qui ab hominibus electi putabuntur, & qui in ecclesia, velut stellæ in cœlo, scientia & intellectu refulgent, decipiet atque in perditionis foueam demerget. *Et draco stetit ante mulierem quæ paritura erat, vt cum peperisset, filium eius deuoraret.)* Possumus per mulierem in hoc loco, & beatam Mariam intelligere, eo quòd ipsa mater sit ecclesię, quia eum peperit qui caput est ecclesiæ, & filia sit ecclesiæ, quia maximum membrum est ecclesiæ. Draco igitur sterit ante mulierem, vt cùm peperisset, filium eius deuoraret: quia

Matth. 2. in exordio natiuitatis Christi, eum per Herodem ministrum suum interficere voluit. Stat etiam ante mulierem, id est ecclesiam, vt eos quos per baptismum Deo generat, malè suadendo perdat. *Et peperit filium masculum.)* In quantum hoc ad dominum nostrum Iesum Christũ pertinet, quid necesse fuit dicere, filium masculum mulierem peperisse, cùm omnes sciamus masculum esse Dominum nostrũ Iesum Christum? In quantum verò ad ecclesiam, cur dicit masculum eam peperisse, cùm ex vtroque sexu filios & filias quotidie Deo generet? fœmineus quippe sexus, fragilis est. Fœmina igitur quæ fortitudine animi assumpta, diabolum vincit, atque per bona opera Deo placere studet, non incongruè vir vocatur, quia quamuis corpore sit fœmina, virtute tamen animi, viris bonis coæquatur. Mulier itaque masculum pepe-

Ecclesia quotidie parit filios. rit, quia eius membra quem beata Maria virgo peperit, quotidie ecclesia parit. Vnus ergo masculus est quem virgo Maria peperit: & ecclesia quotidie parit, quia Christus cum omnibus membris suis, vnus Christus est. *Qui recturus erit omnes*

Cap. 2. infine. Actor. 1. *gentes in virga ferrea.)* Hoc superiùs expositum est. *Et raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius.)* Hoc tunc impletum est, quando quadragesimo die postquam resurrexit, ascendit in cœlum. Rapiuntur quotidie filij ecclesiæ, id est, membra Christi ad Deum & ad thronum eius, cùm post mortem ad cœlestia perducuntur. *Et mulier fugit in solitudinem, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi pascat illa, diebus mille ducentis sexaginta.)* Solitudinem, Christum vocat. Solitudo quippe dicitur, eo quòd sola sit, deserta ab habitatoribus. Similiter & Christus desertus est à suis, sicut Euangelista loquitur, dicens: In propria venit, & sui eum non receperunt.

Ioan. 1. Et per prophetam loquitur Dominus, dicens: Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Mulier igitur

A Esa. 63. fugit in solitudinem: quia Apostoli & cæteri discipuli, ex quibus constabat ecclesia, relicto diabolo, relictísque omnibus quæ possidebant, Christũ secuti sunt. Per dies verò mille ducentos sexaginta, tempus quo Christus prædicauit, designatur. Pascitur ergo mulier, diebus mille ducentis sexaginta: quia Apostoli & cæteri discipuli, ex quibus sicut superius diximus, ecclesia tunc constabat per tres annos & dimi-

Tempus prædicationis Christi. dium, dapibus Euangelij à Domino pasti sunt. *Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael & angeli eius præliabantur cum*

Victoria Christi contra diabolũ. *draconc.)* Quia superius natiuitatem & prædicationẽ Christi breuiter comprehendit, consequens est vt qualiter per passionem suam diabolum vicit, subiungat. Michael qui interpretatur, quis vt Deus, Christum significat. Prælium in cœlo factum est, id est propter cœlum, pro salute videlicet omnium electorum, præliatus est Michael cũ dracone: quia Christus prædicando, patiendo & moriendo, pro salute generis humani præliatus est. Præliati sunt angeli Michaelis,

B id est, Apostoli Christi cum dracone, prædicando videlicet, mitacula faciendo, & ad vltimum pro Christi nomine moriendo. *Et draco pugnabat, & angeli eius.)* Pugnauit draco & angeli eius contra Michaelem, quando diabolus & cætera multitudo dæmonum, Iudæos contra Christum excitauerunt, vt eum interficerent. Pugnauit & contra angelos Michaelis, quando Apostolos Christi, & per Iudæos, & per Paganos tandiu persecutus fuit, vsque dum eos interficeret, *Et non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo.)* Non valuit diabolus, neque ministri eius vincere Christum,

Diabolus per eam rationẽ victus est, qua vincere sperabat. nec Apostolos eius: quia vnde putauerũt vincere, victi sunt. Putauerunt nanque Christum se per mortem vicisse, sed ex morte eius, nomen illius claruit in mundo. Non valuerunt ergo, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo: quia per prædicationem Apostolorum, cæterorúmque sanctorum à cordibus electorum, qui per cœlum designantur, expulsi sunt. *Et proiectus est ille draco magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum or-*

C *bem: & proiectus est in terram, & angeli eius cum eo missi sunt.)* Rectè diabolus serpens vocatur, siue quod per serpentem,

Diabolus serpẽs dictus. primum hominem deceperit, siue quòd veneno suæ malitiæ, genus humanum perdiderit. Diabolus verò, interpretatur deorsum ruens. Ruit quippe primò per superbiam de cœlo, ruit postea, cùm ab electorum cordibus per Christum deiectus est, sicut præsens scriptura demonstrat: Satanas autem interpretatur contrarius. Cõtrarius est enim Deo, om-

Diaboli amicitia qualis. nibúsque bonis hominibus. Væ illis quibus diabolus amicus est. Nam quantò amplius est cuilibet amicus, tantò ampliora ei tormenta ingerit. Infelix est enim amicitia diaboli. Quod autem dicit, qui seducit vniuersum orbem, præsens tempus pro præterito posuit. Seduxerat enim genus humanum, quod per orbem designatur, sed ex magna parte, illud per Christum amiserat. Proiectus est ergo diabolus & angeli eius in terram, quia ab electis expulsus, solos reprobos, qui per terram designantur, possidet. *Et audiui vocem magnam de cœlo dicentem: Nunc facta est salus & virtus, & re-*

D *gnum Deo nostro, & potestas Christi eius.)* Vox magna de cœlo, vox est angelorum, pro salute generis humani gaudentium, Deúmque laudantium, sicut dicit Dominus in Euan-

Luc. 15. gelio: Gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta iustis qui non indigent pœnitentia. Possumus per vnum peccatorem, populum gentilem, per nonagintanouem iustos, Iudæos intelligere. Qui ad centenarium numerum non perueniunt, quia neminem

Hebr. 7. ad perfectum adduxit lex. Multò enim maius gaudium factum est in cœlo de conuersione gentium, quàm de Iudæorum obseruationibus. In deiectione igitur diaboli, facta est salus credentium. Acceperunt etiam virtutem vincendi diabolum, à quo antea vincti tenebantur. Factum est nihilominus regnum Dei nostri, quia in quibus diabolus regnabat, cœpit regnare pater, & filius, & spiritus sanctus. Facta est & potestas Christi eius, cum eos quos diabolus possidebat, cœpit Christus possidere. *Quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.)* Accusantur noxij homines apud iudices, cùm eorum

rum scelera eis manifestantur. In conspectu verò Dei, qui non solùm facta, sed & coagitata considerat, quomodo diabolus aliquem accusare potest? Sed accusamur in conspectu Dei, cùm peccamus. Accusat & diabolus, cùm in peccatis malè suadendo deiicit. *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui.*) Propter sanguinem agni vicerunt, quia redemptio sanguinis Christi hoc contulit sanctis, vt diabolum possent vincere. Vicerũt etiam propter verbum testimonij sui, fidem seruando quam professi sunt, eámque operibus implendo. Sed valde obscurum est quod sequitur: *Et non dilexerunt animas suas vsque ad mortem.*) Quomodo enim sancti animas suas non diligunt, pro quarum salute, ardua quæque ac difficilia patiuntur? Quomodo animas suas non diligunt, pro quibus semetipsos vigiliis, ieiuniis, abstinentia macerant, atque cæteris virtutibus exercent? Quòd si per animam, vitam præsentem intelligere voluerimus, quis sanctus vitam suam non diligit, in qua positus, illam cælestem gloriam sibi acquirit, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec vlla mens potest comprehendere? Aut quis ad illam sine ista vnquám peruenit? Lucrum enim magnum confert sanctis vita præsens, sicut è contrario reprobis magnum detrimentum. Secundum tamen quendam modum, rectè dicuntur sancti vitam suam odio habere, eo quòd propter amorem vitæ æternæ, in fastidium eis vita præsens vertatur, sicut Psalmista deplorans dicebat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Dominus quoque dicit in Euangelio: Qui amat animam suam perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Amatores mundi animas suas amant secundum seculum: quia ab hac vita præsenti nunquam vellent recedere, sed semper luxuriosè hic viuere. Ille diues animam suam secundum seculum diligebat, qui dicebat: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, epulare, iucundare, & satiare. Sancti verò qui nolunt conformari huic seculo, sicut dicit Apostolus sed reformari in nouitate sensus spiritalis, qui non diligunt mundum, neque ea quæ in mundo sunt: qui nolunt esse amici seculi huius, ne inimici Dei constituantur, odio habent animas suas in hoc mundo, id est, non diligunt eas secundum seculum, sed secundum Deum: pro cuius amore transitoria cuncta contemnunt, vt eas in vitam æternam custodiant. Non dilexerunt igitur sancti animas suas vsque ad mortem, qui eas in præsenti vita seruare noluerunt, vt Christum negarent, sed pro Christi nomine mori potius elegerunt, vt eas in vitam æternam inuenirent. *Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis.*) Possumus per cœlos & habitatores cœlorum diuersas ecclesias intelligere, quæ vna est. Præcipitur igitur filiis ecclesiæ vt lætentur, eo quòd à tam immani hoste liberari meruerunt per domini gratiam. *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet.*) Possumus per terram, Iudæos: per mare verò, Paganos cæteróque reprobos intelligere. Væ igitur Iudæis, cæterisque gentibus incredulis: quia propter iram quam habet diabolus, eo quòd maximam multitudinem amiserit, tam atrociter reprobis dominatur, & in tantis flagitiis deiicit, vt nullo modo digni sint, quatenus ad vitæ vias reuertantur, & sanentur. Dicit etiam diabolum scire quòd modicum tempus habeat: quia quantò appropinquare cernit diem iudicij, tantò callidior efficitur ad decipiendos homines. *Et postquam vidit draco quòd proiectus est in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum.*) Videns diabolus se maximam multitudinem electorum amisisse, & intra angustias cordium reproborum esse conclusum, persecutus est mulierem, id est, ecclesiam. Concitauit enim imperatores Romanorum, omnémque multitudinẽ impiorum ad persequendum populum Dei. *Et datæ sunt mulieri: duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum locum vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis.*) Per aquilam, Christum possumus intelligere: duæ verò alæ, duo sunt testamenta. Duæ igitur alæ datæ sunt mulieri: quia duo testamenta ecclesia accepit, vt eorum doctrina & diabolum euadat, & ad cœlestem patriam quotidie conscendat. Hanc nanque patriam desertum vocat, quemadmodum & dominus dicit in Euangelio, cùm se nonagintanouem oues in deserto dixit, dimisisse, & vnam abiisse quærere, quę errauerat. Hanc patriam locum ecclesię vocat, sicut in iudicio dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Per tempus verò, & tempora, & dimidium temporis tempus à passione Christi vsque ad finem mũdi designatur. In hoc ergo spatio temporum animæ sanctorum, id est, ecclesia dapibus cælestis patriæ, in cælesti beatitudine pascũtur. *Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.*) Flumẽ aquæ desideria sunt carnalia. Videns autem diabolus ecclesiam non posse deiici persecutionibus, sed potius crescere & roborari: multitudinem desideriorum carnalium ei immittere voluit, quibus decepta ad mala opera agenda retraheretur. *Et adiuuit terra mulierem, & aperuit os suum, & suscepit flumen quod misit serpens ex ore suo.*) Possumus per terram reprobos intelligere, qui susceptores fuerunt desideriorum carnalium, quibus diabolus fideles irretire voluit, & ad se pertrahere. Possumus etiam per eãdem terram Christum intelligere. Et quia in sermonibus Domini magna potestas est: Dixit enim & facta sunt, mandauit & creata sunt: haud absurdè per os terræ, potestas eius intelligi potest. Adiuuit ergo terra mulierem, id est, Christus ecclesiam, & aperuit os suum, & suscepit flumen quod misit serpens ex ore suo, id est, sinum misericordiæ suę aperuit, fluménque vitiorum potestas eius funditus extinxit. *Et iratus est draco in mulierem, & abiit prælium facere cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu.*) Reliqui de semine ecclesiæ electi sunt, qui in finem mũdi nasciturí sunt. Quemadmodum autem hoc prælium diabolus peragat, in sequentibus manifestatur. *Et stetit super arenam maris.*) Per arenam maris, multitudines reproborum, qui eo tempore futuri sunt, designantur.

Luc 15. Matth. 25.

Psalm. 48.

Reprobi sub finem mundi vt arena maris.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

ET vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata.) Hæc bestia, Antichristum significat. Qui verò designantur per arenam, ipsi & per mare, multitudo scilicet reproborum. De mari igitur bestia conscendere visa est, quia de societate reproborum Antichristus exurget: quæ bestia, capita septem, & cornua decem habere describitur. Similiter & draco superius septem capita habuisse dictus est, & in capitibus, septem diademata: per quæ omnes reprobos, quibus diabolus ad decipiendum genus humanum vsus est, diximus fuisse designatos. Hæc autem bestia, non in capitibus, sed in decem cornibus decem diademata habuisse describitur. Ideóque per decem cornua, gentes quas sibi Antichristus subiugaturus est, designantur: septem verò capita, septem vitia principalia designant. Et vt sequentia melius intelligamus, placuit mihi in enumeratione vitiorum prudentium sequi vestigia, qui de conflictu vitiorum atque virtutum, egregiè disseruerunt. Primum nanque vitium posuerunt culturam idolorum, secundum libidinem, tertium iram, quartum superbiam, quintum luxuriam. Quanuis enim libido ita inserta sit luxuriæ, sicut aliquod membrum corpori, pro qua re à pluribus pro libidine sæpe luxuria ponebatur: tamen inter libidinem & luxuriam distantia est. Sextum, posuit auaritiam: septimum, blasphemiam siue discordiam. Et quia eos qui iis vitiis subditi erunt, facilè Antichristus decipiet, sibique sociabit, rectè per septem capita, septem vitia designantur. De iis septem vitiis Dominus in Euangelio loquitur, dicens: Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit scopis mundatam & ornatam. Et tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi. Immundus spiritus exiuit ab homine, quando diabolus exiuit à Iudæis, cùm legem accepe-

Septem peccata principalia.

Matth. 12.

runt. Ambulat per loca arida, id est, per gentium nationes, quæ aridæ erant, quia viriditatem fidei non habebant. Non inuenit ibi requiem: quia veniente Christo in carne, gentes quas diu tenuerat, amisit. Rediit in domum suam vnde exiuit: quia ad Iudæos possidendos reuersus est, eo quòd in Christum credere noluerunt. Inuenit domum Iudæorum vacantem, quia Christum hospitem non habebant.

Quærendum verò nobis est, cur eas mentes quæ Deum habitatorem non habebant, mundatas & ornatas dixerit. Sed mundatæ erant diabolo, non Deo. Quod enim mundum est in conspectu Dei, immundum videtur diabolo: & quod immundum est Deo, mundum est diabolo. Nam sicut mundius videtur stercus * cuilibet animanti, quam quilibet cibus mundus atque delectabilis: ita & diabolus plus diligit ea corda quæ omnibus vitiis sunt repleta, quam ea quæ cunctis virtutibus pollent. Scopæ autem sunt quæ domum à quisquiliis emundent. Habet igitur Deus scopas suas, habet & diabolus. Scopæ Dei sunt, quæ domũ eius emundant, vt in ea ipse habitare possit videlicet confessio peccatorum, pœnitentia, lachrimę, & elemosinę. Scopæ diaboli sunt, quæ secundum eum, domum ipsius euertunt: scilicet amor seculi, leuitas mentis contemptus mandatorum Dei & multa alia. Septem verò spiritus quos diabolus secum assumpsit, septem sunt vitia principalia. Cùm iis ergo septem satellitibus, diabolus Iudæos vsque modo possidet. Sed quæri potest, cur hæc septem vitia principalia diabolo esse deteriora dicantur. Verùm nobis deteriora sunt vitia quàm dæmones, quia illi foris nos impugnant: vitia autem intrinsecus, nos assiduè debellant. Nam sicut lenius tolerantur hostes, qui extrinsecus vrbem oppugnant, eo quòd muros habeant obiectos, quam ij qui intrinsecus positi iam ciuitatem depopulantur: ita facilius tolerantur dæmones qui exterius, quàm vitia quæ intus nos indesinenter deuastant. *Et super capita eius, nomina blasphmiæ.*) Blasphemia Antichristi plura nomina habebit, quia multis modis Christum blasphemabit. *Et bestia quam vidi similis erat pardo, & pedes eius sicut vrsi, & os eius sicut os leonis erat.*) Per pardum qui fertur diuersos colores habere hypocrisis Antichristi designatur. Qui cum futurus sit homo nequissimus, variis virtutibus se decolorabit, vt facilius stultos quosque decipiat. Per vrsum verò, qui calidissimum est animal, eius astutia ad decipiendos homines demonstrari potest. Per leonem nihilominus eius crudelitas, ad dilacerãdum populum Dei designatur. *Et dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam.*) Virtutem suam diabolus, quæ tota mala est, Antichristo dabit: quia in illo habitabit, & per eum quicquid nequitia diaboli excogitare potest, operabitur, Sed cum scriptura dicat, Non est potestas nisi à Deo, Quomodo diabolus potestatem magnam Antichristo dabit? Deus dabit Antichristo potestatem, sed ipsam potestatem in tanto permutabit in malum, vt tota diabolica esse credatur, & sit. *Et vidi vnum de capitibus eius quasi occisum in morte, & plaga mortis eius curata est.* Diximus superius per septem capita Antichristi, septem vitia principalia esse designata. Per caput ergo quod non occisum, sed quasi occisum visum est, blasphemia designatur. Quærendum itaque nobis est, quomodo blasphemia quasi occisa esse dicatur. Primis nanque temporibus Euangelij fuerunt multi hæretici, qui fidem ecclesiæ suis erroribus labefactare conati sunt. Sed omnipotens Deus, defensores ecclesiæ orthodoxos patres, ex filiis ipsius ecclesiæ elegit, quos flumine sapientiæ suæ replens, per eorum doctrinam omnes hæreses ab ecclesia sua extirpauit. Qui etiam maximam copiam librorum ediderunt, quibus omnes hæreses quæ fuerunt, & quæ esse poterant, destructæ sunt. Blasphemia ergo quasi occisa est modo: quia quanuis sint multi qui multas blasphemias mente concipiant, malũ quod mente conceperint, non audent proferre, ne per istorum doctrinam turpiter conuincantur. Hoc igitur caput, id est, blasphemia temporibus Antichristi mortuum esse videbitur sed à diabolo in Antichristum resuscitabitur, quem ad blasphemandum Christum in tantum accendet vt omnes blasphematores in suis blasphemiis antecedat. *Et admirata est vniuersa terra post bestiam.*) Per terram, peccatores homines designantur. *Et adorauerunt draconem quia dedit potestatem bestiæ & adorauerunt bestiam dicentes: Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea?*) Quomodo draconem, id est, diabolum adorabunt quem non videbunt? Sed adorabunt Antichristũ illi qui per terrã designantur, & in Antichristo diabolum, dicentes nullum esse Antichristo similẽ, nec esse qui eiꝰ fortitudini possit coæquari. *Et datũ est illi os loquẽs magna, & blasphemias.*) Datũ est, id est, permissũ est à Deo, vt loquatur magna de semetipso, dicens se esse filium Dei, & vt loquatur blasphemias de Deo. *Et data est illi potestas facere menses quadraginta duos.*) Difficile videtur, vt in tam paruissimo tempore, id est, in tribus annis & dimidio, omnes gentes sibi subiicere, & ad suam culturam genus humanum præter paucos electos possit adducere. Erunt enim multi electi, sed in comparatione infidelium valde pauciſſimi. Verum potest fieri vt primò omnes gentes suæ ditioni subiiciat, postea verò in superbiam elatus, se pro Deo coli instituat. Nam sicut mihi videtur, in tribus annis, & dimidio, persecutionis tempus tantummodo compræhenditur, in quo & per se, & per discipulos suos, & per ostensionem signorum mirabilium totus laborabit, vt culturam deitatis omnes homines sibi impendant. Eos autem qui contradicere voluerint, diuersis & inauditis tormentis affliget, vt coacti faciant quod voluntariè facere detractabuut. *Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum blasphemare nomẽ eius, & tabernaculũ eius, & eos qui in cœlo habitant.*) Aperiet autem os suum ad blasphemandum Deum, patrem videlicet, & filium, & spiritum sanctũ. Blasphemabit & nomen Dei, dicens, Christum non esse Deum. Blasphemabit etiam tabernaculum Dei, id est, ecclesiam Dei dicẽs, nihil prodesse fidelibus religionem Christianam, sed interitum magis afferre quàm salutem. Blasphemabit & eos qui in cœlo habitant, id est, martyres & cæteros sanctos, dicens nihil prodesse eos posse cuiquã, falsúmque esse quicquid de eis à fidelibus asseritur. *Et datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere illos.*) Faciet bellum cum sanctis, quosdam blandiendo, quosdam terrendo, & ad vltimum eis pessima tormenta inferendo, vt eos in erroribus suis inducat: sed fieri non potest, vt in errorem inducantur electi. Vincet autem illos, non superando, sed interficiendo. *Et data est ei potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerũt eum omnes, qui habitant terram.*) Hoc secundum literam implebitur. Multi dicent, cur talia Deus fieri sinat, vt Antichristus genus humanum tam pessimè decipiat. Verum duabus cautis existentibus talia permitet. Nã sicut ipse dicit in Euangelio: in illis diebus refrigescet charitas multorum, & abundabit iniquitas eorum: in tantum quippe malitia hominum excrescet, & ita Deum pro suis sceleribus ad iracundiam prouocabunt, vt digni sint quatenus tam pessimo homini subiiciantur, atque ab eo decipiantur testante scriptura: Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peruersitatem populi. Tradet enim illos Deus, sicut dicit Apostolus, in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt, & quibus nihil peius erit, tantum vt quicquid mali cogitauerint expleant, iustissima Dei permissione fiet, vt ab Antichristo decepti deterius pereant. Permittet etiam hoc Deus fieri, propter probationem electorum suorum, vt sicut aurum probatur per ignem, ita & illi in persecutionibus Antichristi probentur & examinentur, sicut in Daniele de illis scriptum est: Eligentur & dealbabũtur plurimi. Sequitur: *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi.*) Liber vitæ prædestinatio est Dei omnipotentis. Reprobi non sunt scripti in libro vitæ, quia non sunt prædestinati ad vitam æternam. Sed quærendum nobis est, quomodo agnus, id est, Christus, ab origine mundi occisus esse dicatur. *Nam illud quod sequitur: Si quis habet aures audiẽdi audiat:*) Vbicunq; in diuinis scripturis ponitur obscurũ esse quod præcessit demõstrat. Aures quippe cordis atq; intelligẽtiæ requirit. Agnus igitur ab origine mũdi occisꝰ est, quia eiꝰ mors ab exordio generis humani in sanctis patribus prefigurata est. In primo nãq; homine prefigurata est, quãdo eo dormiẽte, Eua de costa eius facta est. Similiter & in Abel prefigurata est, q à fratre Cain peremptus est. Præfigurata est & per Isaac quẽ pater in holocaustum obtulit

vel, quibusdam animãtibus. — *Scopæ Dei.* — *Scopæ diaboli.* — *Vitia sunt nobis peiora diabolo.* — *Hypocrisis.* — *Astutia. Crudelitas Antichristi.* — *Rom. 13. Quæstio. Responsio.* — *Hæreses extirpandas curat Deus.* — *Antichristus adorabitur.*

Superbia Antichristi. — *Blasphemiæ Antichristi, in quibus multos videtur habere præcursores.* — *Vel errores suos.* — *Cur Deus per Antichristum tam tam hominũ multitudinẽ decipi permittat.* — *Matth. 24.* — *Iob 34.* — *Rom. 1.* — *Iob 23.* — *Sap. 3.* — *Daniel 12.* — *Figuramor tu Christi.* — *Genes. 2.* — *Genes. 4.* — *Genes. 22.* — *Genes. 37.*

obtulit Domino: Similiter & per Ioseph, quem fratres vendiderunt. Præfigurata est etiam mors eius in diuersis sacrificiorum ritibus. Quoties ergo mors Christi à sanctis patribus aut præfigurata aut prædicata est quasi toties agnus occisus est. Quanuis hoc simpliciter possit intelligi, vt non dicat agnum occisum ab origine mundi, sed nomina sanctorum scripta ab origine mundi in libro agni, qui pro eorum salute occisus est. *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadit. Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.*) Antichristus qui populum Christianum à creatore suo captiuabit, ipse à præsenti vita captiuabitur, & in infernum detrudetur. Et qui gladio malitiæ suæ multorum animas eremplurus est, gladióq; corporali iustorum corpora occisurus, ipse gladio mortis perpetuæ damnabitur. Hic est patientia & fides sanctorum, id est, patientia & fides sanctorum in persecutionibus Antichristi comprobabitur. *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, habentem cornua duo similia agni, & loquebatur sicut draco.*) Hæc bestia aut vnum ex discipulis Antichristi designat, deteriorem cæteris, aut multos, qui eum prædicaturi sunt. Quæ de terra ascendisse visa est, quia de societate reproborum exurget. Duoq; cornua similia agni habuisse visa est. Superius diximus, per septem cornua agni, omnes electos esse designatos, quos in septem partes diuisimus. Per quintum autē cornu, diximus Iudæos qui in Christum crediderunt, fuisse designatos. Per sextum verò, gentes quæ in Christum similiter crediderunt. Bestia itaque cornua duo similia agni habebit, quia Iudæos & gentes decipiendo possidebit. Quia quanuis multi credant ex Iudæis per prædicationem Heliæ in Christum, maxima tamen pars eorum Antichristum secutura est, sicut dicit Dominus in Euangelio: Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me: alius veniet & in nomine suo illum recipietis. Loquebatur ergo hæc bestia vt draco, quia eius verba diabolica erant. Nam diabolus qui loquetur per Antichristum, ipse loquetur & per discipulos eius, & omnem potestatem prioris bestiæ faciet in cōspectu eius. Quod dicit in conspectu eius, significat in nomine eius. Nō enim præsens poterit Antichristus in omnibus locis, vbi fuerit prædicatus à suis: faciet nāque miracula Antichristus arte diabolica, facient & discipuli eius: sed eorum miracula falsa erunt & non vera, sicut dicit Apostolus: Cuius aduentus erit secundum operationem satanæ, in omnibus virtutibus & signis, & prodigiis mendacibus. Non enim credibile est, vt eos quos Deus excæcauerat aut debilitauerat, sanitati possint restituere, sed eos tantummodo quos ipsi læserint, lædentes in occulto, sanantes in aperto. Sed ipse Antichristus in tanta claritate se hominibus demonstrabit, vt ab insipientibus credatur Deus, sicut dicit Apostolus, ita vt in templo sedeat, ostēdens se tanquā sit Deus. *Et fecit terram & inhabitantes in ea adorare bestiam primam cuius curata est plaga mortis. Et fecit signa magna, ita vt etiā ignem faceret de cælo descendere in terram, in conspectu hominum.*) Legimus in libro Iob, diabolum ex permissione Dei ignem fecisse de cœlo descendere, & oues Iob pueróque consumpsisse. Quod ergo illic per semetipsum fecit, hoc per Antichristum & sequaces eius extremo tempore faciet. *Et seduxit habitantes terram propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ.*) Nihil est quod sic seducat simplices quosque, quemadmodum signorum demonstratio. Ideóque ministri Antichristi propter signorum operationem, facilè stultorum multitudinem decipient. Sequitur: *Dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit.*) Videlicet vt in imaginibus Antichristus adoretur. Quod autem bestiam plagam gladij habuisse dixit, & vixisse, potest fieri vt arte diabolica fingat se Antichristus mori & surgere, vt hoc facto facilius homines decipiat. Quod Simon magus fecisse dicitur. *Et datum est illi, vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ.* Sed & hoc quosdam magos fecisse audiuimus: faciebant quippe per necromanticam artem, vt statuæ viderentur moueri, & loqui. Possumus hoc aliter intelligere. Imago speciem habet hominis, sed non est homo. Similiter & Antichristus propter operationem virtutum atque signorum, putabitur esse Deus, sed hoc falcissimum erit. Non enim potest fieri, vt homo impiissimus aliquid deitatis in se habeat. Imaginem ergo Antichristi faciēt, qui eam Deum existimabūt. Ministri verò Antichristi, spiritum imagini bestię dabunt, cùm eos qui crediderint in Antichristum, Christum blasphemare compellent, & faciet vt quicunque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur: fideles autem qui Antichristum adorare noluerint, diuersis pœnis macerati interficientur. Erit nanque talis tribulatio, sicut dixit Dominus in Euangelio, qualis non fuit ab initio seculi, neque fiet, ita vt in errorem inducantur electi, si fieri potest. *Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites & pauperes, & liberos & seruos, habere characterē in dextera manu, aut in frontibus suis.*) Potest fieri vt sicut nos habemus characterem Christi, id est, crucem qua signamur, ita habeat Antichristus proprium characterem quo signentur ij qui in eum crediderint. Possumus & hoc aliter intelligere. Discipuli Antichristi, laudatores erunt vitiorum: docebūt enim ideo creatum vitium cæteraque diuitias, vt homines iis abundanter & efficienter vterentur. Cùm autem istam nefandam doctrinā virtutibus affirmauerint, terrenos homines qui proni erunt ad malum magis quàm ad bonum facilè decipient. Sæpe verò per manus, opera intelliguntur. Characterem ergo Antichristi in dextera manu habebunt: quia opera maligna doctrinæ Antichristi congruentia exercebunt: habebūt & in fronte, per quam mens sæpe discernitur: quia ex prauis operibus, quas pessimas mentes gerant, dignoscetur. *Et ne quis possit vendere, aut emere, nisi qui habuerit characterem nominis bestiæ, aut numerum nominis eius.*) Scimus humanam vitam non posse subsistere, nisi aut vendant āliquando homines, aut emāt. Eò itaque Antichristi persecutio erga fideles crudelius grassabitur, quò eis hoc interdictum fuerit, sine quo viuere non poterunt. Facient autem hoc ministri Antichristi, vt in tempore necessitatis, eos qui Christianitatis fidem occultè seruare voluerint, deprehendāt. *Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus eius est, sexcenti sexaginta sex.*) De hoc numero multi multa dixerūt. Pluraque nomina repererunt in quorum literis hic numerus inuenitur. Tamē si aliquod ex iis nominibus Antichristus possideat, prēuidere non potuerunt. Sed de re tam incerta, nihil audeo definire. Quis enim scit, si nomen quod ei à parentibus imponetur hunc numerum contineat?

Apoc. 14.

Signum crucis Christi.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

ET vidi, & ecce agnus stabat supra montem Sion.) Si diligenter textum lectionis sequētis inspiciamus, hæc quæ de centum quadraginta quatuor millia dicuntur, ad electos potius, quorum animę in cœlesti beatitudine cum Domino exultant, quàm ad eos qui in hac vita laborāt, videbimus pertinere. Agnus itaque, Christum demonstrat. Sion autem, speculatio interpretatur. Per mōtem verò Siō, cœlestem patriam intelligere debemus. In mōte igitur Sion agnus visus est, quia in cœlesti beatitudine, cum sanctis suis Christus consistit. *Et cum illo centum quadraginta quatuor millia, ex duodecim tribubus electa, & signo fidei signata fuisse dicuntur.*) Illa ergo centum quadraginta quatuor millia, sicut expositio nominum duodecim tribuum demōstrat, ad electos qui in hac vita laborāt, pertinent. Ista verò centum quadraginta quatuor millia, electos qui in cælesti gloria cum Domino lætātur significāt, sicut textus præsentis lectionis manifestè indicat. Sed cur nomen patris & filij tātummodo in frontibus suis eos scriptum habere dicit, & de spiritu sancto reticuit? Quia videlicet vbicunq; patrem & filium legimus, intelligere debemus spiritum sanctū. Possumus autem per frontes, corda sanctorum intelligere. Nomen itaque patris & filij & spiritus sancti in frontibus suis habent scriptum, quia à mentibus eorum amor Dei nunquam auelli poterit, sicut auulsus est à cordibus quorūdam angelorum, qui propter superbiā de cœlo ceciderunt. *Et audiui vocem de cœlo tanquam vocem aquarū multarū, & tanquam vocem tonitrui magni.*)

Spiritum sanctum.

Sæpe per Ioannem, præsentis, vitæ fideles demonstrantur. Per aquas verò, populi designãtur. Et quia de omnibus gentibus quotidie colliguntur electi, & in cœlesti beatitudine, sancti Dei in terra constituti, qui per Ioannem designantur vocem aquarum multarum assiduè audiunt, quia doctrinã sanctorum in cœlis consistentiũ, & cordis auribus sentiunt, & virtute qua possunt, eorum actus imitantur. Vnde & eadẽ vox tanquam tonitruum esse dicitur, quòd corda audiẽtium terrere solet. Terrẽtur enim, cùm ad eorum perfectionem se ascendere non posse considerant. *Et vox quam audiui, sicut citharœdorum citharizantiũ in citharis suis.* Vox citharœdorum, valde est dulcis audientibus. Et quid dulcius fidelibus, quàm memoria sanctorũ in cœlis commorantium, dũ quãta sit eorũ gloria mente pertractant, atque vt ad hanc quandoque perueniant, suppliciter exorant? *Et cantabãt quasi canticũ nouum, ante sedem & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo poterat dicere canticũ, nisi illa centũ quadraginta quatuor milia, qui empti sunt de terra.*) Hîc magna obscuritas est: Dicit quippe cẽtum quadraginta quatuor milia non fuisse coinquinatos cum mulieribus, virgineśq; esse, & ideo canticum nouũ cantare, quod nemo potest dicere nisi illi soli. Scimus autem quosdã ex Apostolis atq; martyribus vxores habuisse. Nunquid ij qui virginitatem corporis seruare studuerũt, laudes Deo decantant, & isti in laudibus Dei muti existunt? Maximè cùm sciamus ex vtroq; sexu, parui meriti homines virginitatem corporis vsque ad mortem seruasse, sicut sunt infantes & pueri, quos ætas virginitatem amittere nõ permittit. Vidimus etiam quosdã aliquibus peccatis obnoxios, virginitatem corporis vsque ad mortẽ seruasse, quos credimus per ignẽ purgatoriũ esse purgãdos, vt in iustorũ numero quandoque ascribi mereantur. Nunquid istos tales Apostolis & martyribus, quos vxores habuisse scriptura non tacet, præferre audebimus, vt illud canticum suauissimũ Deo offerant à quo Petrus eiúsq; similes, alieni existant? Nam sicut est dulcis sanctis visio Dei, sic & laus Dei. Et quemadmodum saturari nequeunt visione Dei, ita nec satiari laudibus Dei. Et quanto proximiores sunt secundũ mœritorum qualitates Domino Deo, tantò & feruentiores in laudibus Dei. Quis verò dignè considerare potest, quod magna pars gloriæ sanctis detrahitur, si à laudibus Dei expertes habeantur? Nec ideo hoc dicimus vt virginitati derogemus, quę magna est virtus sociaq; angelorum, si tamen eam vitia non fœdauerint. Quis enim perpendere potest, quod magnum bonũ est integritatẽ corporis & animæ possidere? Igitur quia hæc quæ superius de virginibus dicta sunt: de iis solũmodo qui virginitatem corporis seruauerũt intelligere nõ possumus, necesse est vt indagemus qui sint virgines, & qui illi qui canticũ virginũ dicere non poterũt. Nam si superficiẽ lectionis diligenter attendimus, inueniemus non de solis virginibus, sed de omnibus sanctis animabus, hæc esse dicta. Diximus superius per centum quadraginta quatuor milia, sanctorum animas esse designatas, quæ in cœlesti beatitudine Deũ assiduè laudare non desinunt. Per sedẽ verò, quatuor animalia, & seniores, ante quos canticũ nouum cãtare dicuntur, fideles in hac vita positi, ex quibus ecclesia constat, designãtur, sicut in secunda visione diximus. Ante sedẽ ergo & quatuor animalia, & seniores centũ quadraginta quatuor milia canticum nouum cantasse dicuntur. Nouũ nanque testamentũ, canticũ nouum dicitur, sicut dicit Propheta: Cantate Domino canticũ nouum, laus eius ab extremis terræ. Nouũ autẽ testamentum dicitur, eo quòd præcedat aliud quod vetus vocatur, siue pro eo quòd nouos populos faciat, cũ ex filiis diaboli facit filios Dei. Habent & fideles in hac vita positi cantica sua, sed in iis cãticis sæpe cõfessio fit peccatorũ, sæpe pro peccatis deprecatio, sæpe cõmemoratio tormẽtorum æternorum: ideóque in fletus sæpe cantantes excitãt, sæpe in laudibus Dei, orare solẽt, sæpe ad spem cœlestis patriæ, mẽtes fidelium eleuãt. In illo verò cãtico spirituum cœlestium nihil triste, nihil quod mentem perturbet, resonat. Et quanto amplius depromitur, tanto ampliorem vel amplius gaudium & lætitiam mentibus cantantium infundit. Sicut igitur nouum testamentum dicitur, quia præcessit vetus: ita & aliud canticum spirituum cœlestium, nouum canticum dicitur, quia præcessit quod vetus est, illis qui ad cœlestẽ beatitudinem quotidie transeunt, & nouum est ad quod perueniunt. Et hoc canticum ante sedem, id est, in conspectu sedis, cantasse dicuntur. Quod enim in conspectu nostro est, indesinenter aspicimus. In conspectu ergo fidelium, qui per sedem & quatuor animalia & seniores designantur, animæ fidelium canticum nouum cantasse dicuntur: quia sancti viri in hac terra positi, gloriam sanctorum in cœlis commorantium, oculis mentis assiduè conspiciunt, atque vt ad eorum societatem quandoque perueniant, tota virtute laborant. *Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor milia, qui empti sunt de terra.*) Id est, nemo illorum qui per sedem & quatuoranimalia, & seniores designantur. Vident nanque modo fideles viri in terra positi, quasi per speculum & in ænigmate gloriam sanctorum in cœlis consistentium, illúdque canticum quia ardenter desiderãt, quasi audiunt, Sed dicere non possunt, quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Qui de terra empti esse dicuntur. Empti sunt quippe in terra positi, precioso sanguine Christi. Sed melius est vt per emptionem, assumptionem intelligamus. Assumpti sunt enim de terra, & in cœlesti beatitudine collocati. *Ii sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.*) Hic rursum oritur quæstio. Nam si in illa beatitudine diuersi ordines sunt vt sunt Apostoli, martyres, cõfessores, & virgines, quomodo omnes sanctorum animæ virgines esse dicuntur, & in tantum virgines, vt cum mulieribus coinquinati non fuisse dicantur? Et si verum est quod dicit, imò verum est, quia non potest fieri vt Deus mentiatur, Qui viderit mulierem ad concupiscẽdam eam, iam mœchatur eam in corde suo, quomodo omnes sanctorum animæ in toto spacio vitæ præsentis, ab inquinatione mulierũ mundi esse potuerunt? Quærendum ergo nobis est quomodo hoc intelligendum sit. Multi quippe fuerunt ante baptismum adulteri & fornicatores, sed in Christum credentes, atque de peccatis suis pœnitentiam agentes, fontémque baptismatis expetentes, quicquid in eis sordidum fuit per spiritus sancti gratiam aquis baptismatis deletum est. Qui in bono quod in eodem baptismate promiserunt, vsque in finem perseuerantes, veniente Domino, vt eos per mortem ab hac terrena habitatione subtraheret, eorum animæ, virgines, id est, integræ & ab omni corruptione vitiorum mundæ inuentæ sunt. Istorum ergo animæ, iure virgines vocantur: quia eorum omnis corruptio aquis baptismatis bonísque operibus delera est. Fuerunt etiam multi qui post baptismum multa scelera commiserunt, sed cùm per pœnitentiam & lachrymas atque misericordiam, cæterísque bonis operibus malum quod gesserũt delere studuerunt, & in bono proposito perseuerauerunt, Domino veniente, eorum animæ virgines repertæ sunt. Quicquid enim in eis fuit reprobum, charitatis remediis est purgatum. Fuerunt & coniugati qui Deum tota virtute dilexerunt, atque in virtutibus vitam ducere studuerunt. Istorum igitur animæ, rectè virgines vocantur quia si quas sordes ex coniunctione fœminarum traxerunt bonis operibus deletum est. Similiter de cæteris sordibus intelligendũ est. Possumus etiam per mulieres, corpora sanctorum intelligere: per viros autem, animas: quia sicut vir & mulier vna caro vocatur, ita corpus & anima, vnus homo. Et quemadmodum fœmina inferior est viro, ideóque necesse est, vt à viro regatur eiúsque dominationem perferat: ita corpus multò inferior est quàm anima, & ideo necesse est, vt à spiritu regatur atque dometur, eiúsque desideria frangãtur. Quod quia sancti facere studuerunt, nõ sunt coinquinati cũ mulieribus: quia ex coniunctione corporum, nullas sordes traxerunt, ex quibus Deũ nimis offenderẽt. *Ii sequũtur agnũ quocunque ierit.*) Quo vadit qui omnia implet, & totus vbiq; est? Sed quemadmodũ vadat, Apostolus docet, dicẽs: Cui vult miseretur, & quẽ vult indurat. Vadit itaque Deus miserando quibusdam, & à quibusdam misericordiam suam auferẽdo. Sequuntur verò sancti, quia quibus ille misericordiam suam largitur, largiũtur & illi, & à quibus abscindit, abscindunt & illi. Hoc de electis in terra positis intelligere non possumus: Sæpe enim illi mi-

Ignis purgatorius.

Esa. 42.

Cantica fidelium.

Fideles adhuc in terra positi, mente in cœlo versantur.

1. Cor. 13.

Esa. 64. 1. Cor. 2.

Matth. 5.

Animæ sanctorum spiritus sancti gratia lauatæ, virgines dicuntur.

Genes. 2.

Rom. 9.

illi miſerentur quibus Deus nō miſeretur, ſicut Samuel qui lugebat Saul, quem Deus proiecerat à facie ſua. Quoſdam etiam ſancti damnare volunt, quibus Deus miſeretur, ſicut Ionas qui cupiebat vt Niniuitæ delerentur, quos Deus ſaluare decreuerat *Ii empti ſunt ex omnibus primitiæ Deo & agno.*) In lege præceptum eſt, vt primitię frugum offerrētur Deo, Per primitias frugum, electi deſignātur. Nam ſicut ex multitudine fructuum paruę primitię Deo offerebātur, ita & ex multitudine populorum, paruus numerus electorum eligitur, qui ab angelis Deo in templo gloriæ cœleſtis offertur, ſicut Dominus dicit in Euangelio: Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. Sancti ergo primitiarum more, ex hominibus ſunt aſſumpti, & in cœleſti beatitudine collocati. *Et in ore eorum non eſt inuentum mendacium.*) Valde difficile eſſe videtur quod dicitur. Sunt quippe quædam mendacia valde grauia, ſunt alia quæ inter leuia peccata deputanda ſunt, à quibus noſtris temporibus, neſcio ſi aliquis omni tempore vitæ ſuæ abſtinere poſſit, niſi fuerit infans qui loqui ignorat. Non itaque de omnibus mendaciis hoc dictum eſſe mihi videtur: ſed eſt mendacium valde grauiſſimum, cùm mentimur ea quæ in baptiſmate promiſimus. Hoc ergo mendacium in ore ſanctorum non eſt inuentum: quia hoc quod in baptiſmate promiſerūt, vſque in finem vitæ ſeruare ſtuduerunt. Et ſi fuerunt aliqui qui poſt baptiſmum multa peccata comiſerunt, tamen in ore eorum non eſt inuentum mendacium: quia per pœnitentiam charitatiſque opera malum quod geſſerunt, ante mortem delere ſtuduerunt. *Sine macula enim ſunt.*) Et hic ſatis apertè demonſtrat ea quæ in hac lectione continentur, non ad fideles, qui in hac vita laborāt, ſed ad eos qui in cœleſtibus ſedibus requieſcunt pertinere. Quis enim in hac vita poſitus ſine macula eſſe poteſt? cùm idem Ioannes dicat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis nō eſt. Animæ verò ſanctorū ſine macula ſunt: quia ſi quas ſordes ex mundana habitatione contraxerunt, aut per pœnitentiam & lachymas, charitatiſque opera, aut per flagella, aut certé poſt mortē igne purgatorio deletæ ſunt. Dixi quod ſenſi. Quòd ſi quis textum huius lectionis ad præſentem eccleſiam trāſferre voluerit, & per viginti quatuor milia, aut prædicatores, aut cæteros iuſtos, in hac adhuc vita degētes, per nouum verò canticum, quod nemo niſi ipſi ſoli dicere poterant, Euangelium deſignatum eſſe cenſuerit, perpendat ſanctū Euangelium non ſolùm ab electis, verùm & à reprobis ſæpe prædicari, de quibus Dominum in Euangelio dixiſſe credimus: Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tūc confitebor illis, Amen dico vobis, neſcio vos, diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. De talibus apoſtolus Paulus loquitur dicens: Sunt qui per contentionem Chriſtum annūciant non ſincerè, exiſtimantes ſe preſſuram ſuſcitare vinculis meis. Si quis autem ſeriem lectionis huius ad præſentis temporis virgines pertinere ſanxerit, ad eos videlicet quos amor Dei ad integritatis cuſtodiam, adiunctis cæteris bonis operibus quotidie impellit, ſanum mihi in hoc videtur poſſidere ſenſum: ſed animaduertere debet, non poſſe huic ſenſui conuenire, vt per canticum nouum in hoc loco Euangelium intelligat, ſed potius gaudium ſpiritale, quod eis ex cuſtodia viginitatis accreſcit. Nullus igitur canticum nouū dicere poteſt, niſi illi ſoli: quia gaudiū virginitatis nullus habere prævalet, niſi illi ſoli qui hāc cæteris bonis operibus exornatam quotidie Deo offerre conſueſcūt. Similiter & qui hanc ſententiam eis aptare voluerit, qui cum virginitatis palma ad cœleſtia regna iam conſcendere meruerunt: à recto intellectu non diſcrepant. Sed ſciat non conuenire huic ſenſui, vt per nouum canticum, aliquod canticum quod voce, lingua, labiis componi poteſt, intelligat: ſed potius virginitatis præmiū, quod à Domino ęternaliter percipere merētur. Hócq; canticum nullus niſi illi ſoli dicere poteſt: quia virginitatis præmium nullus percipit, niſi qui hāc in ſeculo poſiti, intemerata mēte pro Chriſti amore ſeruare ſtuduerint. De quibus propheta Eſaias loquitur dicens: Hæc dicit Dominus eunuchis, Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quę volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit. *Et vidi alterum angelum volantem per mediū cœlum, habentem Euāgelium æternum, vt euangeliʒaret ſedentibus ſuper terram & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicentem voce magna,*) Iterum vniuerſa breuiter comprehendit. Nam ſicut ſuperius cùm mala Antichriſti narrare vellet, ab aduentu Chriſti inchoauit, perſecutionéſque quas eccleſia à diabolò paſſa eſt prius narrans, ad Antichriſtum peruenit: ita & hic diem iudicij deſcribere cupiens, ab aduētu Chriſti inchoat, atque ſub ſpecie trium angelorum cuncta comprehendens, ad diem iudicij peruenit. Iſte quippe angelus, Chriſtum & Apoſtolos eius, cæteróſque Chriſti prædicatores ſignificat. Qui Euangelium æternum habuiſſe dicitur, quia doctrina Euangelij à Chriſto Apoſtolis, cæteríſque prædicatoribus data eſt, quam gentibus prædicarent. Quod Euangelium æternum eſſe dicitur, quia æternitatem præſtat omnibus facientibus illud. Quod etiam ſuper terram ſedentibus prędicatum eſſe dicitur. Gentes nanque quibus Euangelium prędicatum eſt, nihil aliud quàm terram quærebant, totámque requiem ſuam in terram poſuerāt. Quid autem iſte angelus prædicet, audiamus. *Timete Dominum, & date illi honorem: quia venit hora iudicij eius, & adorate eum qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum.*) Conueniēter timorem Domini primò poſuit, & poſtea honorē. Timor etenim Domini ad pœnitentiam impellit hominem: pœnitētia verò, ad bona opera agenda eum prouocat. Honorem itaque Deo deferimus, cùm bona opera agimus, ſicut ipſe Dominus dicit: Videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Hora verò iudicij ex tunc incœpit, ex quo Euangeliū prędicari cœpit. Illi igitur acriter in die iudicij iudicabūtur: qui verbum Euāgelij audientes, illúdque ſpernentes, fidem Chriſti ſuſcipere noluerunt. Similiter & illi qui ſuſceperūt fidem Chriſti, ſed eā operibus implere noluerunt. Cui enim plus cōmittitur, plus ab eo exigetur. De illis autem qui verbum Dei non audierunt, Dominus dicit in Euangelio: Qui non credit, iam iudicatus eſt. *Et adorate eum qui fecit cœlum & terram, mare, & fontes aquarum.*) Id eſt, relinquite idola ſurda, & muta, & adorate eum qui cuncta fecit ex nihilo. *Et alius angelus proſecutus eſt, dicens.*) Alius angelus, doctores eccleſiæ qui finitis perſecutionibus eccleſiam Dei gubernauerunt, deſignat. *Cecidit, cecidit Babylon magna.*) Per Babylonem, ſicut ſuperius diximus, ciuitas diaboli deſignatur, quæ ex omnibus impiis conſtat: ceciderat autem, quia omnis cultura dæmonum, per fidem Chriſti deleta fuerat. Et bis cecidiſſe dicitur, quia ex parte perſecutorum, & ex parte culturę diabolicæ ceciderat. *Quæ à vino iræ ſuæ potauit omnes gentes.*) Vinum iræ, errores ſunt gentiliū, quibus Deum ad iracundiam prouocauerunt. Sed cùm Babylon nihil ſit aliud, quàm omnes gentes, id eſt, omnes reprobi, quomodo omnes gētes à vino iræ ſuę potauit? Verùm cùm vnus alterum docuit, & ille tertium, & tertius quartū, & ita omnes homines, error diabolicus trāſiit, vtique Babylon omnes gentes vino iræ Dei potauit. *Et angelus tertius ſecutus eſt illos, dicens voce magna: Si quis adorauerit beſtiam & imaginem eius, & acceperit characterem eius in fröte ſua, aut in manu ſua, & hic habet de vino iræ Dei qui mixtus eſt mero, in calice ipſius.*) Angelus tertius, prædicatores ſunt qui temporibus Antichriſti futuri ſunt. Prædicabunt enim vt nullus Antichriſtum adoret, neque ad eius peſſimam doctrinam aures cordis accommodet, neque opera eius imitetur. Quòd ſi quis fecerit, perpetua pœna eum eſſe damnandum teſtabuntur. Per vinum iræ Dei, damnatio vltima quæ in die iudicij impiis irrogabitur, deſignatur: merum autem, purum dicimus. Per merum igitur, iuſtitia Dei deſignatur: per calicem verò, iudicium Dei accipere poſſumus. Vinum itaque mixtum eſt mero in calice Dei: quia damnatio vltima qua impij damnabuntur, mixta erit cum iuſtitia in calice Dei, id eſt, in iudicio, quia iuſtiſſimo Dei iudicio perficietur. Bibent igitur impij vinum iræ Dei, cùm illis dicetur: Ite maledicti in ignem æternum, &c. *Et cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu angelorum ſanctorum, & in conſpectu agni, & fumus tormentorum eorum, in ſecula ſeculorum*

Euāgelium. Matth. 5. Dies iudicij. Luc. 19. Ioan. 3. Cap. 11. Ciuitas diaboli. Errores gentilium. Matth. 25.

rum aſcendet.) Ignis exurit, ſulphur autem fœtorem peſſimum de ſe emittit. Igne autem corporaliter cruciabuntur, qui ignem vitiorum in ſe extinguere noluerunt: fœtore ſulphuris torquebuntur, quibus dulcis fuit fœtor luxuriæ. In conſpectu angelorum ſanctorum cruciabuntur, & in conſpectu agni, videlicet vt in eorum conſpectu crucientur, in quorum conſpectu non timuerunt multa mala perpetrare. *Impij in peccãdo præſentiã Dei non timent.* *Nec habebunt requiem die ac nocte qui adorauerint beſtiam & imaginem eius, & ſi qui acceperint characterem nominis eius.*) Cur neque in die neque in nocte reprobos habere dicit requiem, cùm electi æternum diem poſſeſſuri ſint, reprobi verò perpetuam noctem? Sed more humano locutus eſt. Hæc eſt patientia ſanctorum, qui cuſtodiunt mandata Dei & fidem Ieſu. Id eſt, talis eſt patientia ſanctorum, & talem fructum affert, qualis in ſequentibus demonſtratur. *Et audiui vocem de cælo, dicentem mihi: Scribe, Beati mortui, qui in domino moriuntur.*) Talis eſt igitur patientia ſanctorum, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu, vt ſint beati in perpetuum. Sed quid eſt quod dicit: Beati mortui qui in Domino moriuntur? Quis mortuus mori poteſt? Nullus procul dubio mortuus mori poteſt, niſi prius animam recipiat, vt iterum mori poſſit. Sed illi ſunt beati, & illi in Domino moriuntur, qui prius moriuntur ſeculo, poſtea carne: qui prius veterem hominem, id eſt, omnes nequitias & ſpiritales & carnales in ſe extingunt, vt poſſint dicere cum Apoſtolo: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Mundo moriẽtes beati. Galat. 6.* Illi namque in Domino moriuntur, de quibus Dominus dicit in Euangelio: Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. *Matt. 24.* *A modo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.*) A modo, id eſt, à tempore mortis ſuæ requieſcent ſancti à laboribus ſuis. *Opera enim illorum ſequuntur illos.*) Quomodo ſequuntur? Nõne Cornelium opera ſua præceſſerant, cui ab angelo dictum eſt, Orationes tuæ & eleemoſinæ tuę commemoratæ ſunt in conſpectu Dei? *Act. 10.* Sed ſequi, pro comitari poſuit. Nam & exercitus qui regem comitatur, eum ſequi dicitur, cùm alij præcedant, alij ſequantur, alij ad dexteram, ſiue ſiniſtram incedant. Opera igitur ſanctorum ſequuntur illos, quia merces operum illorum comitatur illos in perpetuum. *Merces operum.* Poſſumus & hoc de illis ſpiritaliter intelligere, qui temporibus Antichriſti pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti interficiendi ſunt. Beati quippe erunt illi, & in Domino morientur, qui pro fide Domini noſtri Ieſu Chriſti morientur. Nunc quia pœnam illorum qui in Antichriſtum crediturí ſunt narrauit, beatitudinémque illorum qui in fide Chriſti perſeuerauerint vſque in finem breuiter comprehendit: conſequens eſt, vt diem iudicij deſcribat, in quo hæc cuncta complebuntur. *Et vidi, & ecce nubes candida, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam. Et alter angelus exiit de templo, clamans voce magna ad ſedentem ſuper nubem, dicens: Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit meſſis terræ. Et miſit qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam ſuper terram, & meſſuit terram.*) Vterque nanque iſte Angelus, Chriſtum ſignificat: ſimiliter & duæ falces, vnam ſignificationem habent: deſignant enim illum ignem, quo vniuerſus mundus delendus. Quia ſicut primo tempore mundus per aquam deletus eſt: ita & in fine temporum, per ignem delebitur. *Mundus per ignem delendus.* Sed quærendum nobis eſt, cur vnus Chriſtus per duos angelos, & vna exterminatio per duas figuretur. Primus quippe angelus ſuper nubem candidam ſediſſe, & coronam auream habuiſſe viſus eſt: ſecundus verò, neque coronam auream habuiſſe, neque ſuper nubem candidam ſediſſe dicitur. Et primus, meſſem terræ: ſecundus verò, botros vineæ terræ præciditſſe dictus eſt. Sed primus quo loco meſſem terræ poſuerit non dicitur: ſecundus autem botros vineæ terræ in lacum iræ Dei magnum miſiſſe dictus eſt. Videtur itaque mihi per meſſem terræ electos, per botros autem ex quibus vinum oritur, quod mẽtes hominum alienat, reprobos eſſe deſignatos. Iſta eſt meſſis, de qua Dominus dicit in Euangelio: In tempore meſſis, dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & ligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum verò recondite in horreis meis. *Mat. 13.* Qui enim illic per triticum, ipſi in hoc loco per meſſem deſignantur. Et qui illic per zizania, ipſi in hoc loco per botros vineæ terræ figurantur. Et quia Chriſtus aliter apparebit iuſtis, & aliter iniuſtis, non inconuenienter per duos angelos figuratur. Iuſti nanque in eadem claritate eum videbunt, quomodo ab angelis & ſanctis ſpiritibus, in cœleſti beatitudine cernitur. Impij autem in ea ſpecie eum videbunt, qua ab hominibus in terra poſitus videbatur, ſicut ſcriptum eſt, Tolletur impius, ne videat gloriam Dei. Blandus itaque iuſtis, terribilis apparebit iniuſtis. Vnde & primus ſuper nubem candidam ſediſſe, & coronam auream habuiſſe in capite deſcribitur. Per nubem nanque candidam, corpus eius immaculatum deſignatur: per coronam verò auream, multitudo angelorum atque ſanctorum, qui eum ad iudicium venientem comitabuntur, exprimitur. Similiter & vna exterminatio per duas falces deſignatur: quia aliter exterminabuntur iuſti, aliter iniuſti. Iuſtorum exterminatio, redemptio potius dicenda eſt, ſicut Dominus dicit: Reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Redemptio iure vocatur, eo quod à malis temporalibus liberet, & ad gaudia æterna perducat. *Luc. 21.* Impiorum autem exterminatio, & hîc grauis erit, & poſt mortem grauior: damnatio enim luctúſque perpetuus eis permanebit. *Bonorum & malorũ ſors diuerſa.* Iuſti de ſpe retributionis æternæ mortem lætam excipient: impij verò de damnatione perpetua timidi, triſtiſſima morte plectentur. Alter angelus qui exiuit de templo, & clamauit voce magna ad eum, qui ſedebat ſuper nubem, dicens, *Mitte falcem tuam, & mete.*) Electos qui in hac terra laborant, deſignat: per templum autem vnde exiiſſe viſus eſt, eccleſia deſignatur. Clamauit ergo ad eum qui ſedebat ſuper nubem, vt mitteret: falcem ſuã in terrã & meteret: quia ſancti viri videntes mundum in maligno poſitum, eiuſq; miſerias horrentes, deprecantur quotidie vt regnum Dei veniat, in quo ab omnib⁹ anguſtiis libetati, corpora propria recipiẽt, & in æternum cum Domino exultabunt: ariditas verò meſſis maturitatem eius indicat. Nam ſicut meſſis creſcit ad maturitatem quando arida efficitur: ita & numerus electorum vſque ad finem mundi creſcet, eorúmque maturitas tunc perficietur, cùm eorum fuerit numerus completus. Similiter & Quartus angelus qui exiit de altari, qui habebat poteſtatem ſuper ignem, eandem ſignificationem habet quam & ſecundus, qui de templo exiiſſe viſus eſt: ſignificat nanque electos in hac vita laborantes. Altare nanque eccleſiam ſignificat, ſicut & templum: per ignem verò, charitatem poſſumus intelligere, quam in cordibus ſanctorum ſpiritalibus fomentis ſpiritus ſanctus enutrit. Super hunc ignem ſancti habere poteſtatem ideo dicuntur: quia & ipſi poſſident charitatem, & poſſidentur ab ea. Iſte ergo angelus clamauit ad tertium angelum, ſecundam falcem gerentem, quem Chriſtum ſignificaſſe diximus, vt vindemiaret botros vineæ terræ. Per quos impij deſignantur: quia viri ſancti videntes quotidie genus humanum à dæmonibus decipi: videntes etiam impios florere, mundúmque ſemper ad deteriora delabi, orant vt dies iudicij veniat, in quo & nequitia dæmonum cum ipſis authoribus pereat, & omnis præuaricatio cum ipſis præuaricatoribus accipiat finem, & adducatur iuſtitia ſempiterna, quæ nullo fine terminabitur. Vinea quippe mundum ſignificat, quæ omnem impiorum multitudinem genuit & nutriuit: lacus verò, quem infernum vocamus, ideo lacus irę Dei dicitur, quia vindicta irę Dei in eo conſummabitur. *Et calcatus eſt lacus extra ciuitatem.*) Per calcationem, demerſionem in infernum poſſumus intelligere: per ciuitatem autem, cœleſtem Hieruſalem quæ ex omnibus electis conſtat. Extra hanc ergo ciuitatem lacus calcabitur, quia à conſortio iuſtorum impij ſeparabuntur, & in infernum detrudentur, ſicut Dominus dicit in Euangelio. Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, &c. *Mat. 25.* *Et exiit ſanguis de lacu vſque ad frenos equorum per ſtadia ſexaginta.*) Per ſanguinem, pœna impiorum deſignatur. Per ſpacium verò mille ſexcentorum ſtadiorũ, quod ſanguis de lacu exiens occupauit, falſi Chriſtiani deſi-

Chriſtus aliter à iuſtis, aliter ab iniuſtis in iudicio videbitur. Eſa. 26.

Sancti quotidie orant pro die iudicij.

ni designantur. Qui numerus quanuis à quaternario numero deriuetur, circunquaque tamen eundem numerum spargens spargitur, finésque eius minimè transilit. Similiter & falsi Christiani fidem Christi, quæ in quatuor libris Euangelij consistit, in baptismate suscipiunt, sed arctam & angustam viam, quæ intra angustias quaternarij numeri concluditur relinquentes, quæ ducit ad vitam, per latam & spaciosam viam quæ ducit ad mortem, incidunt. Veruntamen à quaternario numero non recedunt, quia quanuis opera Christianitatis non habeant, nomen tamen Christianitatis non amittunt. Sanguis ergo de lacu exiuit, & mille sexaginta stadia occupauit: quia ea pœna quæ dæmones & omnes incredulos absorbebit, etiam falsos Christianos qui fidem visi sunt habuisse, sed opera fidei non habuerunt, illaqueabit. Per equos vero, falsi pastores ecclesiæ designantur, qui officium regiminis non pro amore Dei, sed pro amore seculi suscipiunt. Per frenos quibus equi reguntur, eorum falsa doctrina designatur. Habent quidem falsi pastores doctrinam in ore, ne ab officio funditus alieni videantur, sed Pharisæorum exemplum sequentes, dicunt & non faciunt. Et quia aliud non possunt docere nisi quod Euangelium loquitur, & in prædicatione sua annunciãt peccatoribus quas pœnas patientur, nisi corrigantur, vsque equorum frenos sanguis peruenit: quia pœnas quas peccatoribus minati sunt nisi corrigerentur, ipsi quia vitia sua deserere noluerunt, experientur.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

ET vidi aliud signum in cœlo, magnum & mirabile. Angelos septem habentes septem plagas nouissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei.) Sicut superius antequam ad narrationem septem angelorum tubis canentium veniret eorum mentionem facere studuit, ita & hic antequam ad septem angelorum phialas habentium narrationem veniat, eorum mentionem facit, vt indicet magna mysteria in eorum visione contineri. Sed de iis in sequentibus quod dominus dederit dicemus. *Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igni, & eos qui viceruut, bestiam & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moysi serui Dei, & canticum agni dicentes.)* Quid significet mare vitreum superius in visione secunda diximus. Sed illic tanquam crystallum esse dicitur, hic autem mixtum igne. Et quia crystallus eximiæ claritatis est, ignèmque de se cùm calorem solis acceperit solet emittere, eandem significationem habet illic crystallus, quam hîc ignis: significant nanque spiritalem intelligentiam quæ in diuinis scripturis inuenitur. Mare igitur vitreum mixtum est igni, quia diuina scriptura mixta est spiritalibus intellectibus. Super mare itaque vitreum ij qui bestiam vicerunt stare visi sunt: quia sancti Dei qui contra Antichristum pugnaturi sunt, in præceptis diuinarum scripturarum gressus figent, nullaque impulsione vitiorum à sua fide moueri poterunt. Per citharas verò quas habebant, mortificatio carnis designatur. Canticum autem Moysi, vetus testamẽtum, canticum agni, nouum demõstrat. Canticum ergo Moysi & canticum agni cantabant, quia & vetus & nouũ testamentum sancti prædicabãt. Quod canticum quale sit, audiamus. *Magna & mirabilia opera tua domine Deus omnipotens: Iustæ & verè viæ tuæ rex seculorum. Quis non timebit te Domine, & non magnificabit nomen tuum, quia tu solus pius es: quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conspectu tuo: quoniam iudicia tua manifesta sunt.)* Concordat hoc canticum, cum veteri & nouo testamento. Nam septem benedictiones ibi inueniuntur, quæ septem partibus, de quibus superius diximus, coaptari possunt. Prima quippe benedictio est: *Magna & mirabilia opera tua Domine Deus omnipotens.)* Quæ primo tempori conuenire potest, in quo factum est cœlum & terra omnésque creaturæ, quæ valde sunt mirabilia. Secunda est, *Iustæ & verè viæ tuæ rex seculorum.* Quæ congruit parti secundæ, in quo omnes creaturæ quæ habebant spiritum vitæ, iustissimo Dei iudicio aquis diluuij deletæ sunt. Tertia est: *Quis non timebit te Domine?)* Quæ tertiæ parti, iis videlicet quibus lex data est congruit, qui timore potius quàm amore legis mandata exercebant. Quarta est, *Et magnificabit nomen tuum.)* Quam prophetis conuenire manifestum est, qui nomen Dei & prædicationibus & scriptis magnificauerunt. Quinta est, *Quia tu solus pius es.)* In quinta parte, aduentum Christi apposuimus, in qua Dominus noster Iesus Christus, qui solus pius est, & homo fieri pro salute generis humani, & pati & mori, dignatus est. Sexta est, *Quoniam omnes gentes venient, & adorabũt in conspectu tuo.)* Manifestum est, post ascensionem Domini omnes gẽtes ad fidem venisse Christi, quas in sexto loco posuimus. Septima est, *Quoniam iudicia tua manifesta sunt.)* Quã ad diem iudicij pertinere manifestũ est, in quo iudicia Dei iusta & vera esse manifestabũtur. A cuius iudicij damnatione, nos misericordia & pietas Domini & redẽptoris nostri Iesu Christi liberare dignetur, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorũ. Amen.

Explicit expositio visionis quartæ.

Incipit expositio VISIONIS QVINTÆ.

ET post hæc vidi, & ecce apertũ est templum tabernaculi testimonij in cœlo, & terra.) Visio quinta, ad cuius sensus elucidãdos Domino iuuante peruenimus, ex maxima parte visioni superiori cõcordat, de cuius intelligentia, vsque modo quod Domini gratia largiri dignata est, diximus. Nam sicut illic septem angeli visi sunt, quibus datæ sunt septem tubæ, ita & hîc septẽ angelis septẽ phialæ datæ fuisse memorãtur. Et sicut in cantu tubæ primi angeli, grãdo magna terrã percussit: ita & in effusione phialę primi angeli, homines, qui per terrã sæpe designãtur, pessimis vulneribus percussi esse dicuntur. Et quemadmodum in cantu tubæ secũdi angeli, tertia pars maris in sanguinem versa est: similiter & in effusione phialæ secundi angeli, totum mare in sanguinem versum fuisse describitur. Sed qualiter isti cũ superioribus concordant, in sequentibus dicemus, eundem sensum secuturi. Eandem ergo significationem habent isti, quam & illi. Significant quippe prædicatores qui fuerunt ab initio, vsque ad finem. Sed ideo bis ponuntur, quia sicut superius demonstrauimus, ea quæ sub cantu tubæ primi angeli, secundi, tertij, atque quarti gesta fuisse visa sunt, ad electos pertinent. Porrò quæ sub cantu tubæ quinti, sexti, atq; septimi angeli facta fuisse referũtur, quibus & tria væ, coniũguntur: in quibus persecutiões ecclesiæ quas ab hæreticis & à paganis passa est, & ab Antichristo in fine mundi passura est describuntur, ex vna parte ad reprobos, ex altera ad electos pertinent: quia impij ex malo quod piis ingerunt, pœnam perpetuam, iusti verò, ex malo quod perferunt, gloriam sempiternam sibi adquirunt. Omnia itaque quæ sub effusione phialarum septem angelorum describuntur, ad reprobos pertinẽt. Vnde & primi, tubis quibus exercitus Dei ad pugnam prouocabatur, cecinisse dicuntur. Sequentes autem, phialas plenas iracundiæ Dei, super impios effudisse referuntur. *Post hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in cœlo.)* In Exodo scriptum est, quòd fecerat Moyses tabernaculum in deserto, postea verò à Salomone iam populo in terra repromissionis degente, templum ædificatum est. Per desertum igitur, hoc seculum: per tabernaculum quod de loco ad locum transfertur, præsens ecclesia designatur, quæ de deserto huius seculi quotidie ad cœlestẽ beatitudinem trãsit, pergítque de virtute in virtutem, vt videat Deum deorũ in Sion. Vnde & cortinæ tabernaculi, quę diuersis coloribus depictæ erant, pellibus tegebantur & ciliciis, vt demonstrarent mortificationẽ carnis atque humilitatem, custodiã esse virtutũ. Quid autem per terrã repromis-

Quomodo cõueniat hæc visio cum superiori.

Melius est iniuriam pati quam inferre.

Exod. 35.36 3.Reg.5.

Psalm. 83. Mortificatio carnis & humilitas custodia virtutum. 1.Cor. 2.

sionis nisi cælestis patria designatur,quam repromisit Deus diligentibus se? Et quid per templum, quod ex optimis lapidibus ędificatum fuit,figuratur,nisi cœlestis Hierusalem, quæ ex viuis lapidibus quotidie ædificatur. Quid igitur dicit, apertum est templum ecclesiæ? Templum verò ecclesiæ quid est aliud nisi cœlestis patria? In hoc templo Psalmista habitare desiderabat, cùm dicebat: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.Hoc itaque templum per Christum apertum est, quia aditus regni cœlestis per eum omnibus fidelibus patefactus est. *Et exierunt septem angeli habẽtes septem plagas de templo,vestiti lapide mundo candido,& præcincti circa pectora Zonis aureis.*) Si per templum cœlestis patria, & per septẽ angelos,prædicatores designantur,quomodo de tẽplo existe dicuntur?Nunquid sancti de illa cœlesti patria,ad prædicandum descendunt?Sed sancti prædicatores quasi de cœlesti patria exeunt,cùm ab illo mittuntur, qui est gloria sanctorum,& à quo omnis doctrina eorum procedit.Qui etiã septem plagas habuisse dicuntur.Et superiùs septem plagas habuisse dicti sunt,eo quòd in illis consummata sit ira Dei Si septem plagas iracundię Dei habuerunt,quomodo sancti facti fuerunt?Sed habuerũt sancti Dei plagas septem in potestatem,non in pœnam suam.Dominus namque dicit in Euangelio:In regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ,sedebitis & vos super sedes duodecim,iudicantes duodecim tribus Israel. Per septem autem plagas, septem vitia principalia, ex quibus omnia mala oriuntur, designantur. Septem igitur plagas, septem angeli habuisse visi sunt: quia prædicatores sancti in die iudicij septem vitia principalia, id est, omnes operatores malorum ita in potestate habebunt, vt eorum iudicio perpetua pœna plectantur. Consummata est verò in sanctis prædicatoribus ira Dei,id est,per illos, quia eorum iudicio ira Dei perficietur. Possumus septem plagas aliter intelligere. Superius omne corpus impiorum in septem partes diuisimus. Septem ergo plagæ sunt peccata, quę vnicuique parti aptius conueniunt. Aliter enim iudicabuntur ij qui ante diluuium fuerunt,populúmque Dei coniunctione fœminarum deceperunt: Aliter ij qui post diluuiũ idololatriam diuersósque errores inuenerunt,per quæ genus humanum deceptum est: Aliter ij qui sub lege fuerunt,& mandata Dei non custodierunt: Aliter pseudoprophetæ, qui populum Dei deceperunt: Aliter impij Iudæi, qui Deum interfecerunt, & apostolos eius persecuti sunt: Aliter persecutores ecclesiæ qui fidem Christi extinguere conati sunt: Aliter ministri Antichristi, qui Christum deserturi,& Antichristum sunt secuturi Has itaque plagas sancti Dei in potestate habebunt,qua singuli eos qui suis temporibus fuerunt,eorúmque monita contempserunt, suo iudicio perpetua pœna damnabunt. Per lapidem verò mundum atque candidum, quo septem angeli vestiti fuisse visi sunt,Christus designatur:de quo dicit Apostolus Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis. Per zonas autem aureas, quibus circa pectora præcincti narrantur, prædicatorum sapientia intimatur: quæ corda sanctorum intra se ita concludit, vt extra ipsam per diuersos errores euagari non sinat. *Et vnus è quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viuentis in secula seculorum.*) Quatuor animalia quanuis quatuor Euã gelistas significent,tamen & simul, & sigillatim Christum significant. Sed quia breuitas non permittit, vt dicamus quemadmodum vnum quodque Christum significet, per istud vnum animal, Christum intelligamus. Phialæ verò corda sunt sanctorum, quæ propter sapientiam, aurea rectè vocantur. Vnus ergo ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, quia Christus corda sanctorum suorum sapientia repleuit. Verum si sapientia repleta sunt,quomodo iracundia Dei plena esse dicuntur?Dominus in Euangelio dicit: Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunquid Iudæi ante aduentum Christi, peccatum non habebant? Erant itaque antea peccatores, sed peccatum incredulitatis, peccatum blasphemiæ, quo eum Belzebub vocauerunt, peccatum homicidij quo eum crucifixerunt, & multa alia scelera quæ ex aduentu eius traxerunt,non habebant. In phiala autem Christi, in qua vita mundi continebatur, Iudæi suis culpis exigentibus,mortem inuenerũt. Phialæ igitur septem angelorum plenæ fuerunt iracundiæ Dei, quia quantum ad reprobos pertinet, prædicatio sanctorum iram Dei in se continuit: quia pro eo quòd eorum prædicationem contempserunt, iram Dei incurrerunt. *Et impletum est templum fumo à maiestate Dei, & de virtute eius.*) Diximus superius per templum, cœlestem patriam designari: fumus verò si intra domum fuerit, oculos à foris perspicientium obscurat,vt non perfectè possint videre ea quæ in domo geruntur. Templũ igitur cœlestis patriæ, modò fumo est plenum: quia electi in hac vita positi, dum oculos mentis suæ ad contemplanda cœlestia attolunt, obscurantur quadam caligine, quam transmeare non possunt, quam obscuritatem, fumum vocat: hanc caligĩem Paulus patiebatur, cùm dicebat: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et iterum: Nunc autem cognosco ex parte, tunc verò cognoscam,sicut & cognitus sum. Et notandum quia hanc hebetationem, electi quandiu in hac vita positi sunt, patiuntur:cùm autem ad illam cœlestem beatitudinem trãsierint, ab oculis mentis eorum alleuetur. Vnde & sequitur: *Et nemo poterat introire in templum, donec consumarentur septem plagæ septem angelorum.*) Nunquid in illa cœlesti beatitudine, quotidie iusti non introeunt? Sed de ingressione corporum hoc dictum esse intelligamus.In illa quippe cœlesti beatitudine iusti non ingredientur cum corporibus suis, vsque dum septem plagæ septem angelorum compleantur. De septem plagis superius diximus: vltima verò plaga erit, cum Antichristus suis erroribus genus humanum interficiet. Finitis autem septem plagis, pro quibus examinandis dies iudicij fiet,sancti corpora sua recipient,atque in templo patriæ cœlestis sine fine cum domino habitabunt. De hac habitatione dicit Psalmista: Beati qui habitant in domo tua domine,in secula seculorum laudabunt te.

Ecclesia. Psal.26.

Prædicatores à Deo mittendi.

Matth.19.

Septem vitia principalia.

Galat. 3.

Prædicatoris sapientia corda contra errores munit.

Ioan. 15.

Matth. 10. 12.

Prædicatorũ vox impiis propinat mã Dei.

Tenebræ præsentis vitæ.

1.Cor.13.

Verbum Dei etiam reprobis annunciandum.

A prædicatore grauiter vulnerantur qui verba eius contemnunt. Superbia.

Psalm. 83

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

ET audiui vocem magnam de templo, dicentem angelis septem: Ite & effundite septem phialas iracundiæ Dei in terram.) Vox de templo, vox domini est præcipientis prędicatoribus,vt verbum Dei non solùm electis, sed etiam reprobis annuncient, quatenus habeant isti vnde corrigantur, & illi vnde deterius damnentur. Per terram verò,peccatores designantur. Prædicatores itaque phialas suas super terram effundunt, cùm verbum Dei peccatoribus annuncient.*Et abiit primum primus,& effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus sæuum ac pessimum in hominibus,qui habebant characterem bestiæ, & eos qui adorauerunt imaginem eius.*) Primus angelus prædicatores qui ante legem fuerunt designat: sicut & ille qui in præcedenti visione tuba primus cecinisse visus est. Sed ibi per tertiam partem terræ quæ combusta est, electi designantur:hîc autem per eos qui vulnus sæuum ac pessimum passi sunt, reprobi. Effudit igitur angelus phialam suam in terram, quia sancti viri qui ante legem fuerunt, admonitionis verba impiis impenderunt, vt eos corrigerent.Sed vulnus sæuum ac pessimum in eos factum est, quia ex prædicatione sanctorum deteriores effecti mandata Dei contempserunt. Vulnus nanque sæuum ac pessimum est,contemptus mandatorum Dei.Verum si vulnus sæuum ac pessimum,tantummodo ad reprobos pertinet, & illi tantummodo hoc passi sunt qui characterem bestiæ habuerunt, quærendum nobis est quid sit character bestiæ. Quòd si per characterem bestiæ, superbiam voluerimus intelligere, eo quòd diabolus de cœlo ceciderit, aduertere debemus, multos electos superbiæ vulnus habuisse, sed medicamento humilitatis sanatos esse. Est autem aliud vitium pessimum, quod medicamentum pœnitentiæ, à se semper excludit. Scimus diabolum esse irreuocabilem, vt nullo modo ab iniquitatibus suis corrigi possit. Ideóque qui irreuocabilis est,medicamentum pœnitentiæ non requirit: sicut & diabolus ab hoc medicamento alienus existit. Ergo qui per doctrinam sancto-

sanctorum patrum à sceleribus suis reuocari non potuerũt, characterem diaboli habuerũt, qui incorrigibilis & impœnitens perseuerat. Sed quia hoc vitio nostro tempore multi laborãt, necesse est vt de magnitudine eius aliqua dicamus. Nam sunt nonnulli ita irreuocabiles, vt quamuis sciant prauam esse assertionem suam, nullo modo ab ea reuocari possint, timentes vinci ab hominibus: & ne vincantur, mendaciis & periuriis atque flammantibus contentionibus falsitatem suam defendere conantur, dúmque timent vinci ab hominibus, à diabolo vincuntur. Cætera verò vitia, medicamento pœnitentiæ sanantur: istud autem solum est, quod à se salubre medicamentum excludit, ne scilicet per confessionem & pœnitentiam victi esse videantur. Et quia malum suum vt vicisse videantur laudant, completur in illis illud Propheticum: Vę qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Fertur auis quædam esse quæ serpentem vincit & comedit, sed post paululum veneno illam perimit. Similiter & isti gaudent se vicisse proximos, sed talis victoria interfectrix est animarũ illorum. Quicunque ergo tales sunt, characterem portant diaboli. Per imaginem verò bestiæ, vitia possumus intelligere: eo quòd ipsa, id est, diabolus, sit author omnium malorum. Imaginem itaque bestiæ adorat, quicũque vitiis seruit. Nam & Paulus dicit, quòd venter Deus esset falsorum prædicatorum, inquiens: Quorum Deus vẽter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt. Similiter & auaritiam, seruitutem vocauit idolorum. *Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens, mortua est in mari.*) Iste angelus doctores legis significat, sicut & ille qui in præcedenti visione secundus tuba cecinisse visus est. Sed ibi tertia pars maris in sanguinem versa fuisse dicitur: per quæ electos designatos fuisse diximus, hic autem totum mare in sanguinem versum esse legitur. Vindicta criminalium scelerum secundum legem, erat sanguinis effusio. Per mare igitur, præuaricatores legis designantur. Quod in sanguinem versum est, quia vindictam perpetuam pro contemptu mandatorum Dei receperunt. Omnis verò anima viuens, mortua est in mari: quia multi ex iis qui in mari erãt, id est, ex numero reproborum, qui per mare designantur, & qui ante perceptionem legis viui, id est, iusti videbantur, accepta lege quod iniusti fuerint, ex præuaricatione legis comprobatum est. Sunt etiam modò multi in ecclesia, qui antequam ad honores ecclesiasticos, siue seculares conscendant, sancti & iusti videntur: verum acceptis honoribus, dum donum Dei in malum peruertunt, quod mortui & non viui fuerint, omnibus patet. *Et tertius angelus effudit phialam suã super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis.*) Iste angelus prophetas designat: per flumina verò fontésque aquarum, duodecim tribus cum suis famulis designantur. Nam & in præcedenti visione, per tertium angelum tuba canentem, prophetas diximus fuisse designatos. Sed ibi pars fluminum atq; fontium versa esse legitur in absinthium: per quam eos qui per doctrinam prophetarum amaritudinem pœnitentiæ assumpserunt, atque per eam salui esse meruerunt, diximus fuisse designatos. Hic autem in effusione phialæ tertij angeli, flumina & fontes in sanguinem conuersa fuisse leguntur. Angelus igitur phialam suam super flumina & fontes aquarum effudit, quãdo prophetæ sancti impio populo verbum Dei annunciauerunt. Sed illi ex prædicatione sanctorum, multò deteriores effecti, non solùm mandata Dei contempserunt, sed & ipsos verbi Dei ministros occiderunt. In sanguinem verò versi sunt: quia ipsi sibimetipsis mortem perpetuã intulerunt. *Et audiui angelum* quartum, dicentem: Iustus es, qui es, & qui eras, & sanctus: quia hæc iudicasti, quia sanguinem sanctorum fuderunt, & prophetarũ, & sanguinem eis dedisti bibere, quòd digni sunt.*) Possumus per angelum quartum, angelum illius populi intelligere, qui videns iusto Dei iudicio populum iniquum esse damnatum, laudat sentẽtiam iustissimam Dei omnipotentis. Et quia sanguinem sanctorum & prophetarum fuderunt, sanguinem biberunt: quia pro morte temporali, quam iustis intulerunt, mortem perpetuam receperũt. *Et audiui vocem de altari dicentem: Domine Deus omnipotens, vera & iusta iudicia tua.*) Possumus per altare sanctos viros qui eo tempore fuerunt intelligere, qui laudauerunt iustum iudicium Dei, eo quòd impio populo iustissimam damnationem intulerit: sicut legimus Danielem, & tres pueros fecisse. *Et quartus angelus phialam suam effudit in solem, & datum est illi æstu* afficere homines, & igni. Et æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiã, vt darent illi gloriam.*) Quartus angelus Christum & Apostolos eius, cæteróque prædicatores significat, vt quartum angelum in superiori visione significasse diximus. Sed ibi per solem, populus Iudæorum: per tertiam partem solis & lunæ atq; stellarum, fideles qui ex illa populo in Christum crediderunt, designãtur. Quartus igitur angelus phialam suã in solem effudit: quia Christus & Apostoli eius, quòd impij Iudæi à Romanis delendi essent, apertis vocibus prædixerunt. Nam sicut quilibet seruus accipit à Domino suo gladium, nõ vnde ipse iuguletur, sed vnde reum iugulet: ita & Romani effusionem phialæ in qua ira Dei continebatur, non ad hoc susceperunt vt ipsi in ea perirent, sed ad vindicandum Christi sanguinem in Iudæos effunderent, vnde & sequitur, *Quia datum est illi æstu afficere homines & igni.*) Possumus per æstum, obsidionem: per ignem autem, famem & gladium, quibus Iudæi penè omnes consumpti sunt, intelligere. Datum est ergo soli afficere homines æstu & igni: quia Romanis datum est à Deo, vt impios Iudæos diuersis calamitatibus afflictos, quosdam occiderent, quosdam à sua terra euellerent. *Et æstuauerunt homines æstu magno.*) Quàm magn⁹ fuerit ille æstus, quo Romani Iudæos afflixerunt, qui vult scire, Iosephum legat, & inueniet nullam gentem in omnibus regnis terrarum atrociùs periisse. *Et blasphemauerunt nomen Domini, habentis potestatem super has plagas.*) Tam impia fuit gens Iudæorũ, vt cùm se viderẽt pro sceleribus suis inaudita mala perpeti, non solùm à blasphemijs Christi non cessauerunt, sed etiam multò deteriores blasphemias in suis afflictionibus contra Deum euomuerunt. Vnde & sequitur: *Neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.*) Darent nãque Deo gloriam, si ex suis iniquitatibus pœnitentiam agentes, in Christum credidissent, eiúsque mandata custodissent. *Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, & factũ est regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ doloribus, & blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus, & vulneribus suis, & non egerũt pœnitentiam ex operibus suis.*) Quintus igitur angelus orthodoxos patres, qui contra hæreticos dimicauerunt, significat: quemadmodum & illum diximus significasse, qui in superiori visione quintus tuba cecinit. Et sicut illic per locustas hæretici designati sunt, ita & hic per sedem bestiæ hæretici designantur: bestia autem diabolũ significat. Iure igitur hæretici sedes bestiæ dicuntur, quia in eorum cordibus diabolus inhabitat. Quintus igitur angelus phialam suam super sedem bestiæ effudit: quia sancti viri errores hæreticorum detegentes, quæ pœna illis instarer, manifestare studuerũt. Factum est verò regnum eius tenebrosum, quia illis quibus doctrina hæreticorum fulgida videbatur, per doctrinam sanctorum patrum, quòd misera & tenebrosa esset, demonstratum est. Commanducauerunt linguas suas præ doloribus, quia singuli singulorum errores reprehendebãt. Qui etiam Deum præ doloribus & vulneribus suis blasphemasse dicũtur. Dolebãt quippe hæretici, eo quòd à catholicis viris sem per conuincerentur: vulnera verò eorum erant errores singulorum. Blasphemabant verò hæretici Deum præ doloribus suis: quia quantò amplius à catholicis viris separabantur, tantò ampliores blasphemias ad eos reuincendos inueniebant, impellebántq; eos ad Deum blasphemandum proprij errores quos profitebantur: qui etiam sine pœnitentia fuisse dicuntur. Vix nanque aliquem ex inuentoribus hęresẽon inuenies, qui pœnitentiam egerit ex suis erroribus. *Et sextus angelus effudit phialam suam super flumen magnum Euphraten, & siccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus ab ortu solis.*) Sextus iste angelus eandem significationem habet, quã & ille qui sexta tuba ceci isse visus est: significat enim martyres sanctos. Et qui designantur illic per equites, à quibus tertia pars hominum occisa fuisse describitur, ipsi & in hoc

Dan. 3.

* vel, affligere.

Luc. 21.

Romani viæ dices mortis Christi.

Vide sextum libr. de bello Iudaico.

Iudæi in afflictione peiores euadũt.

Hæretici sedes diaboli.

Hæretici seinuicem confutant.

Pauci ex hæreticis pœnitentiam agunt.

hoc loco per flumen magnũ Eufraten persecutores videlicet ecclesiæ Dei. Effudit ergo angelus phialam suã super flumen Eufraten: quia quæ dãnatio persecutoribus ecclesię instaret, ipsis persecutoribus sine aliqua trepidatione prædixerunt: per aquam verò, ipsa persecutio designatur. Siccauit aquam eius, quia tandiu in prædicatione verbi Dei sancti martyres perstiterunt, vsque dum omnis persecutio finem acciperet, quibusdam ex persecutoribus in infernum demersis, quibusdam fidei Christianæ semetipsos subiicientibus. Per reges multitudinem gentium, quæ ad fidem Christi cõfluxit, possumus intelligere. Via itaq; regibus siccata aqua præparata est: quia finitis persecutionibus, libera facultas data est omnibus gentibus ad fidẽ Christi veniẽtibus. Sed quomodo ab ortu solis veniſſe dicuntur, id est à Christo, qui per solem designatur, cùm non à Christo, sed ad Christum, diabolũ relinquẽtes venerint? nisi fortè per solẽ diabolũ intelligamus, vt ab ipso ad Christũ venerint. Sed melius est, vt per solẽ Christum intelligamus, propter illud propheticum: Vobis autem timentibus nomen meum, orietur sol iustitiæ. Ab ortu ergo solis, id est à Christo, veniunt: quia ipso inspirante, & impellente ad eum veniunt. Ipsius est donum, & velle & perficere quæ bona sunt: sicut ipse dixit, Sine me nihil potestis facere. A Christo itaque veniunt quicunque ad Christum veniunt, quia ipse dat vt veniant, & ipse suscipit venientes. *Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetarum, tres spiritus immundos in modum ranarum.*) Sunt itaque spiritus dæmoniorum facientes signa: spiritus verò tres immundi, discipulos designant Antichristi, qui eum per vniuersum orbem prædicaturi sunt. Qui quanuis homines sint futuri, spiritus immundi, & spiritus dæmoniorum vocantur: quia dæmones in ipsis habitabunt, & per ora eorum loquentur. Qui de ore Antichristi, & de ore pseudoprophetarum eius exiisse visi sunt: quia per eorum doctrinam, filij diaboli efficientur. Qui etiam de ore draconis exiisse visi sunt, quia per os Antichristi diabolus loquetur. Ranis nihilominus quæ sunt reptilia immunda, & in luto viuentia, rectè assimilantur: quia sicut ranæ in sordidis aquis immorantur, ita & discipuli Antichristi eos facilè decipient, qui diuersis vitiis & sceleribus non timuerunt sordidari. Nam & ranarum vox rauca & turpis, impiissimam eorum prędicationem blasphemiis plenam designat. *Et præcedent ad reges totius terræ congregare illos in prælium, ad diem magnum omnipotentis Dei.*) Per reges terræ, non solùm reges, sed & populi designantur. Congregabunt autem illos discipuli Antichristi in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei, non quòd contra Deum audeant in die iudicij, à quo tam terribiliter iudicabuntur, sed congregabunt eos in prælium ad persequendam ecclesiam, vt in die magno Dei omnipotentis, perpetua pœna damnentur. Et quia finita persecutione Antichristi, Dominus ad iudicium in proximo veniet, subdit: *Et ecce venio sicut fur.*) Dies Domini, sicut dicit Apostolus, sicut fur, ita in nocte veniet. Cùm enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, vt videant turpitudinem eius.*) Impij qui in voluptatibus suæ carnis, veluti in quadam mollitie lecturi requiescunt, & qui nolunt præuidere mala quæ sequuntur, non inconuenienter dormire dicuntur. Quos, Apostolus Admonet, dicens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Iusti verò qui mala quæ sequuntur præuidere studeut, qui voluptates carnales in se extinguunt, qui armis virtutum se muniunt, vt contra visibiles & inuisibiles hostes indesinenter dimicare valeant, non incongruè vigilare dicuntur, ideóque beati sunt. Vestimẽta autem nostrarum animarum, sunt opera bona. Custodia vestium, custodia est mandatorum Dei. Vestimenta nostra custodimus, si ea quæ præcepit Deus, operãdo implemus. Nudus verò est, qui à bonis operibus alienus existit. Nudi impij ambulant, cùm ad diem iudicij à bonis operibus vacui deducentur. Et ideo turpitudo illorum videbitur: quia & angelis & hominibus eorum scelera manifestabuntur. *Et congregabit eos in locum qui vocatur Hebraice Ermagedon.*) Ermagedon mõs globosus, siue consurrectio in priora, interpretatur. Quæ vtraque interpretatio, diei iudicij coaptari potest. Mõs quippe globosus rectè vocatur, eo quòd globis flammarum, vniuersus mundus tunc deleatur. Similiter & consurrectio in priora rectè dicitur: eo quòd omnes homines, in priorem statũ, resurgendo reparentur. *Et septimus angelus effudit phialam suam in aërem.*) Per septimum istum angelum, prædicatores sancti, qui tẽporibus Antichristi futuri sunt, designantur, sicut & illum significasse diximus, qui superius septima tuba ceciniſſe legitur: per aërem verò, vani homines designãtur. Angelus igitur phialam suam in aërem effudit: quia prædicatores sancti, vanis & impiis hominibus, quòd perpetua morte sint damnandi, denunciabunt. *Et exiuit vox magna de templo, à throno, dicens.*) Vox magna, vox est prædicatorum sanctorum. Per templum, ecclesia designatur. A templo ergo vox exiit, quia ab ecclesia vox sanctæ prædicationis procedit. Quæ etiam & à throno exiisse dicitur, quia ecclesia Dei, thronus est Dei, & in illa sedens requiescit. Quid autem hæc vox dicat, subdendo manifestat: *Factum est.*) Id est, finis mundi instat, in quo omnia quæ prædicta sunt à Domino & à sanctis complebuntur. *Et facta sunt fulgura & voces, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis nunquã fuit ex quo homines fuerunt super terram.*) Per fulgura miracula, quæ per sanctos suos facturus est Deus, designantur. Legimus nanque in superioribus Heliam & Enoch plurima signa esse facturos. Per voces, prædicatio sanctorum: per tonitrua autem, terror ignis æterni exprimitur: terræmotus verò, motionem cordiũ sæpe designat. Mouebuntur enim quidam de malo ad bonum, sicut Iudæi qui in Christum crediturí sunt. Mouebuntur alij de bono ad malũ, qui fidem Christi relicturi sunt, & errores Antichristi secuturi. *Et facta est ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentium ceciderunt.*) Ciuitas magna, ciuitas est diaboli, id est, omnis multitudo reproborum. Per tres partes in quibus diuisa est, Iudæi qui in Christum credere noluerint, & Pagani atque falsi Christiani designantur. Quod autem dicit, & ciuitates gentium ceciderunt, ad diem iudicij pertinet. Ciuitates gentium tunc cadent, cùm eo igne qui faciem Domini ad iudicium venientis præcedet, omnes gentes delebuntur, sicut dicit Psalmista: Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare ei calicem vini indignationis iræ eius.*) Quomodo Babylon in memoriam ante Deum veniſſe dicitur, ad cuius memoriam nihil accedere, nihil recedere potest, in cuius conspectu sicut præsentia, ita præterita & futura consistunt? sed memoriam pro tempore posuit. Babylon igitur in memoriã ante Deum veniet, quando illud tempus veniet, in quo statuet iudicare mundum, & reddere vnicuique secũdum opus eius. Vinum verò indignationis iræ Dei, pœna perpetua est: quia peracto iudicio omnes impij cum authore iniquitatis diabolo damnabuntur. *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.*) Eãdem significationem habent montes & insulæ, quam ciuitates gentium, quæ paulò superius dicuntur ceciditſe. Per insulas nãque gentes, per mõtes verò, earum principes designantur. Fugere autem dicuntur, cũ ab igne in die iudicij delebuntur. *Et grando magna, sicut talentum descendit de cœlo in homines.*) In Euangelio scriptum est, quòd quidam paterfamilias peregrè proficiscens, dedit vni seruorum suorum quinque talenta, alij duo: alij verò, vnum. Sed primus & secũdus negociando, talenta quæ à Domino acceperunt, duplicarũt: tertius fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Quæcunque ergo temporalia aut quascunque artes à Domino accepimus, pro talentorum acceptione, nobis reputabũtur. Iusti igitur qui per primum & secundum seruum designantur, talenta sua duplicant, cùm bona temporalia quæ à Domino accipiunt, in bonis operibus expendunt, atque ad bona agẽda quoscunque possunt prouocant. Impij verò qui per seruum tertium designantur, talenta sua in terra abscondunt, quia ex bonis tẽporalibus quæ à Domino acceperunt, vitia potius quàm virtutes enutriunt. Per grandinem, quę ea quæ ex terra nascuntur conterit & delet, vindicta omnipotentis Dei designatur, quæ impios conteret, & in infernum demerget. Quæ sicut talẽtum esse dicitur, quia vnumquenq; secundum talenti sui qualitatem puniet: & quantò amplius quis deliquit, tantò ampliora tormenta sustinere cogetur.

Sed

Malac. 4.

Philip. 2. Ioan. 15.

Diabolus loquitur in mẽbris suis.

Cap. 11.

Psalm. 96.

1. Thess. 5.

Impij in peccatis dormiunt.

Matth. 25.

Ephes. 5. Iustorum vigilia.

Omnium donorum Dei reddenda est ratio.

Talentum describere.

Sed obſcurum eſt valde quod ſequitur: *Et blaſphemauerunt homines Deum, propter plagam grandinis, quoniam magna facta eſt vehementer.*) Quis enim in illo tam diſtricto iuſtorum iudicio, blaſphemare Deum audebit? Sed blaſphemare dicũtur, quia blaſphemiæ reproborum, quas modò in corde tegunt, cunctis manifeſtabuntur.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

ET venit vnus de ſeptem angelis qui habebãt ſeptem phialas, & locutus eſt mecum, dicens.) Sicut ſuperiùs ſub cantu tubæ ſeptimi angeli, diem iudicij breuiter comprehendens, ad ea quę prætermiſerat, rediit, atque ſanctam eccleſiam deſcribens, paſſiones quas à diabolo pertulit, & quas ab Antichriſto in fine mũdi paſſura eſt, annexit: ita & hîc ſub effuſione phialæ ſeptimi angeli, diem iudicij ſummatim perſtringens, ad ea quæ prætermiſit reuertitur, atque ſub ſpecie mulieris meretricis, ciuitatem diaboli deſcribens, quas pœnas pro ſceleribus ſuis paſſura ſit, in ſequẽtibus manifeſtat. Angelus verò phialam habens, prædicatores ſanctos deſignat. Ioãnes autem typum tenet omnium fidelium, vnde & ſubditur: *Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt omnes qui habitãt terram, de vino proſtitutionis eius.*) Meretrix iſta in aliquibus locis, Romam ſpecialiter, quæ tunc eccleſiam Dei perſequebatur: in quibuſdã verò generaliter, ciuitatem diaboli, id eſt, omne reproborũ corpus, demonſtrat. Angelus igitur Ioanni oſtendit damnationem meretricis magnæ, quia prædicatores ſancti & verbis & ſcriptis fidelibus oſtẽdunt, quas pœnas impij pro ſceleribus ſuis patiantur, vt eorum pœnis territi, à peccatis abſtineãt. Quæ ſuper aquas multas ſedere dicitur, quia ex multitudine gentium, quæ per aquas deſignantur, ciuitas diaboli conſtruitur. Cum qua reges terræ fornicati eſſe dicuntur, quia ſcelera Babylonis auxerunt potius, quàm deſtruxerũt. *Et inebriati ſunt qui habitant terram, de vino proſtitutionis eius.*) Vinum proſtitutionis, diuerſi errores, diuerſa ſunt ſcelera impiæ ciuitatis. Nam ſicut meretrix proſtituitur omnibus ſecum fornicari volentibus, vt eorum immunditiis polluatur: ita & omnes impij ſubiiciuntur dæmonibus, cùm eorũ prauis ſuggeſtionibus ſceleribus ſe deiiciunt, ſicut Prophetа ad Hieruſalem loquitur, dicens: Et poſuiſti vt terram corpus tuum, & quaſi viam trãſeuntibus. Terræ autem habitatores, omnes reprobos vocat. Ebrietas verò, malitia eſt Babylonis, quia ſicut ebrioſus tam diu impletur vino, vſque dũ à mente ſua alienus efficiatur: ita & reprobi tam diu omni malitia ſemetipſos replent, vſque dum à mente ſua alieni effecti, timorem Dei omnémque bonitatem à ſemetipſis abiiciant, ſicut dicit beatus Iob, quia bibunt ſicut aquam iniquitatem. *Et abſtulit me in deſertum in ſpiritu, & vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.*) Per deſertum, omnis impiorum multitudo deſignatur, eo quòd ipſi deſeruerint Deum, & ideo derelicti ſunt à Deo. In deſerto igitur mulier meretrix inuẽta eſt, quia ex multitudine iniquorum, ciuitas diaboli conſtat. Beſtia verò ſicut ipſe in ſequentibus exponit, diabolum ſignificat. Coccus autem colorem ſanguinis habet, & per ſanguinẽ ſæpe mors deſignatur. Diabolus itaque ſanguineus eſt, quia author eſt mortis omnis perditionis. Quæ beſtia plena nominibus blaſphemię eſſe dicitur, eo quòd ipſe diabolus author ſit omnium blaſphemiarũ. Quid ſint autem capita ſeptẽ, & cornua decem, angelus in ſequẽtibus exponit. *Et mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide precioſo, & margaritis: habens poculũ aureum in manu ſua, plenum abominationibus, & immunditie fornicationis eius.*) Purpura ſanguine tingitur, coccus verò ſanguinis habet colorem, ſuntque veſtimenta regalia, per quæ poteſtas ſecularis deſignatur. Purpura igitur & coccus, ſanguinis ſpeciem habent, quia poteſtas ſecularis mortifera eſt, & periculum ſempiternũ affert iis qui eam amplius quàm cœleſtem gloriam amplectuntur. Poſſumus etiã per veſtimenta ſanguinea, opera impiorum intelligere, pro quibus morte perpetua damnabuntur. Quódque ſequitur, Et aurata auro: per aurum ſæpe ſapientia deſignatur. Mulier igitur inaurata erat auro, quia ſapientiam huius ſeculi poſſidebat, quæ ſtultitia eſt apud Deum. Per gemmas verò & mergaritas, eloquentia ſecularis deſignatur. Per poculum aureum, quod manu tenuiſſe dicitur, philoſophorum & poëtarum doctrina deſignatur: quod plenum abominationum & immunditiæ fornicationis dicitur: quia doctrina philoſophorũ plena erat mendaciis omnibuſque erroribus, ad decipiendum genus humanum compoſitis. *Et in fronte eius nomen ſcriptum. myſterium Babylon magna, mater fornicationum, & abominationũ terræ.*) Per frontem itaque atque faciem, opera impiorũ deſignantur, quia ex operibus ſuis intelliguntur quòd ſint filij diaboli, ciuéſque impiæ ciuitatis. *Et mulierem vidi ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrum Ieſu.*) Nunquid Babylon, ſanguinem ſanctorum biberat? Non. Sed ebria erat, id eſt, ab omni ſpiritali ratione aliena. Ebria erat, quia vltio ſanguinis ſanctorum, ita eam damnabilem fecerat, & à miſericordia Dei alienam, vt non eſſet digna, quòd aliquo modo ſuæ ſaluti poſſet conſulere. *Et miratus ſum cùm vidiſſem illam, admiratione magna.*) Mirantur fideles, cùm vident reprobos tantum à timore Dei alienos, vt ſine aliqua trepidatione, & innocentibus plurima mala ingerant, & in omnibus flagitiis ſemetipſos demergant, ſciẽtes Deum nullum ſcelus impunitum relinquere, niſi prius pœnitentia cæteriſque medicaminibus quibus peccata ſanantur, fuerit deletũ. *Et dixit mihi angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem.*) Eandem ſignificationem habet beſtia in hoc loco, quam & ſuperius diximus draconem habuiſſe: ſignificat nãque diabolum. Quid ſint autem capita ſeptem, & cornua decem, ipſe vt diximus in ſequentibus, exponit. *Beſtia quam vidiſti, fuit & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit.*) Beſtia, id eſt, diabolus, fuit ante aduentum Chriſti, poſſidens genus humanum. Non eſt modò, id eſt, non poſſidet genus humanum, ſicut antea: quiá per Chriſtum ab electorum cordibus expulſus eſt. Aſcẽſura eſt de abyſſo, quia temporibus Antichriſti, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit & ſeducet gentes, ſicut ſequentia plenius manifeſtãt. Et in interitum ibit, quia cum omnibus reprobis quos deceperit, & cum omnibus ſatellitibus ſuis æterna pœna damnabitur. *Et mirabuntur inhabitantes terrã, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi, videntes beſtiam quæ fuerat, & non eſt.*) Inhabitantes terram eos debemus intelligere, qui amatores terræ erũt magis quàm Dei, quos Antichriſtus facilè decipiet. Mirabuntur ergo reprobi quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitę, id eſt, qui non ſunt prædeſtinati ad vitam ęternam: videntes beſtiam, id eſt, diabolum per Antichriſtum ſigna facientem, & in Antichriſto, diabolum adorantes. *Et hic eſt ſenſus qui habet ſapientiam.*) Id eſt, in hoc quod ſequitur magna obſcuritas eſt, & ſenſus ad ea intelligenda valde acuendus eſt. Et nos rogemus Dominum, vt hanc obſcuritatem nobis aperiat. *Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & reges ſeptem ſunt. Quinque ceciderunt, vnus eſt, alius nondum venit. Et cum venerit, oportet illum breue tempus manere.*) Diximus ſuperiùs per ſeptẽ capita draconis, illos reprobos eſſe deſignatos, per quos diabolus genus humanum decepit: quos etiam in partes ſeptem diuiſimus, ſicut & cæteram multitudinem reproborum. Et quia eandem ſignificationem habet hæc beſtia de qua loquimur, quam & draconem diximus habuiſſe, deſignãt nanque diabolum: eandem ſignificationem habent etiam ſeptem capita beſtiæ, quam & ſeptem capita draconis diximus habuiſſe. Quæ & montes dicuntur, quia altiores fuerunt illi in ſceleribus qui cæteros deceperunt, quàm illi qui ab eis decepti ſunt: ſicut in ſequentibus de Babylone dicit, Quia venerunt peccata eius, vſque ad cœlum: vocantur nihilominus & ſeptem reges, eo quòd cæteris ad perditionem euntibus, ducatum præbuerint. Super hos ergo montes meretrix ſedere dicta eſt, quia ab iis ciuitas diaboli in omnibus erroribus atque ſceleribus informata eſt. Nam ſicut Apoſtoli fundamẽta dicuntur eccleſiæ, ita è diuerſo inuentores errorum, fundamenta ſunt ciuitatis diaboli. Ex iis igitur capitibus ſiue montibus vel regibus, quinque ceciderunt, vnus erat, alius verò

Doctrina philoſophorum erroribus & mẽdaciis plena.

Satanas ſoluetur.

Amatores ſeculi.

Sup. ca. 12.

Doctores errorum in impietate cæteros omnes excellunt. Infra ca. 18.

Mali doctores fundamẽtum ciuitatis diaboli.

Tales fuerunt per omnes ætates.

verò nondum venerat. Primum caput diaboli ceciderat, quia illi qui ante diluuium fuerunt, per quos ij qui filij Dei vocabantur, decepti sunt, in cloacam inferni descenderant. Similiter qui post diluuium vsque ad legem fuerunt, in eadē perditionis fouea demersi tenebantur. Ceciderant & tertij, qui populo Dei, quibus lex data est, idola colere suadebāt. Similiter & falsi prophetæ qui in quarto loco ponuntur, iam ceciderant in interitum suæ perditionis, eo quòd deceptores fuerint populo Dei. Iniqui verò Iudæi qui Dominum interfecerunt, & Apostolos eius persecuti sunt, qui in quinto ponuntur loco, eo tempore quo hæc visio Ioanni demonstrata est, iam à Romanis deuastati fuerant. Quinque ergo capita bestiæ iam ciderant, quæ montes regésque nominantur, quia omnes præcedētes & impij Iudæi, qui in quinto loco ponuntur, iam perditionis suæ pœnas luebant. Vnus erat, quia pagani illi videlicet qui ecclesiā Dei persecuti sunt, qui & in sexto loco ponuntur, tunc ecclesiam Dei persequebantur. Ob quam causam, & iste Ioannes in Pathmos insulam relegatus tenebatur. Alius nondum venerat, quia Antichristus qui in septimo loco ponitur, nondum venit. Et cùm ve-

2. Thes. 2.

nerit, oportet illum breue tempus manere: quia Dominus Iesus interficiet eum spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, sicut ipse dicit in Euangelio: Et nisi Dominus

Matth. 24.

breuiasset dies illos, id est dies persecutionis Antichristi, non fieret salua omnis caro: per omnem carnem solos electos designans. *Et bestia quæ est, erat & non est, & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit.*) Bestia id est diabolus, qui ante aduentum Christi dominabatur humano generi, & non modò ita illud tenet obnoxium, quemadmodum tunc faciebat, ipsa scilicet bestia octaua est. Septem nanque partes sunt omnium reproborum. Octaua verò pars eorum est diabolus cum cæteris dæmonibus: de septem est, quia de societate reproborum dæmones existunt. Et sicut fuerunt authores perditionis eorum, ita erunt & socij tormētorum. Vnde & sequitur, & in interitum vadit. Hæc quæ sequuntur vsque ad eum locum vbi angelus de cœlo descendisse visus est, ad destructionem Romani imperij propriè pertinent.

Romani imperij ruina. Daniel. 7.

Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges, vna hora accipient post bestiam.) Quatuor bestiæ Danieli in visione demonstratæ sunt, per quas quatuor regna figurabantur. Quarta autem bestia, quæ erat fortis atque terribilis, per quā Romani designati sunt, decem cornua habuisse describitur. Per quæ ea regna quæ Romanum imperium destruxerunt designata sunt, sicut beatus Hieronymus quorundam assertionem sequens, exponit. Eandem significationem habent decem cornua in hoc loco, quam & illa habuisse dicuntur. Significant quippe ea regna, per quæ Romanum imperium destructum est. Partem nam Asiæ per se primitus abstulerunt: postea verò Sarraceni totam subegerunt. Vuandali, Affricam sibi vēdicauerunt. Gothi, Hispaniam. Longobardi, Italiam. Burgūdiones, Galliam. Franci, Germaniam. Huni, Pannoniam. Alani autem & Sueui, multa loca depopulati sunt, quæ eorum subiacebant ditioni. Hæc ergo regna eo tempore quo visio ista Ioanni demonstrata est, potestatē nondum acceperant. Sed vna hora tanquam reges potestatem acceperunt, quia singularum istarum gentium potestas pauco tempore permansit. Post bestiam regnum acceperunt, quia destructo regno diaboli per Christum, hæ gentes in propriam potestatem acceperunt. *Ii vnum consilium habebunt, id est vnam voluntatem, in malo. Virtutem suam & potestatem bestiæ tradiderunt.*) Quia eorum virtus atque potestas diabolica fuit. *Ii cum agno*

Cum Christo pugnant qui ecclesiā persequūtur.

pugnabunt, & agnus vincet illos.) Cū agno pugnauerunt, quia ecclesiam Dei persecuti sunt, populúmque Dei interfecerūt. Agnus vincet illos, quia scimus has gentes præter paucas, iugum fidei Christi iam suscepisse. *Quoniam rex regum est, & Dominus dominantium, & qui cum illo sunt vocati, electi & fideles.*) Qui sunt reges & dominantes, ipsi sunt electi & fideles. Christus igitur rex regum est, & Dominus dominantiū: quia ipse est rex, & Dominus omnium sanctorum, & qui cum illo sunt vocati, electi & fideles sunt, id est sancti, qui ad hoc vocati sunt, vt cum illo in æternum permaneant, electi & fideles iure vocantur. Vocantur etiā & reprobi, sicut Dominus dicit: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Sed reprobi ad hoc vocantur, vt inexcusabiles sint: electi verò, vt cum ipso in æternum perseuerent. *Et decem cornua quæ vidisti in bestia, ij odient fornicariam.*) Fornicariam Romam vocat, quæ pro defensione falsorum deorum, Deum creatorem suum persequebātur. Decem itaque cornua, odio† habebunt fornicariam, quando gentes quæ per decem cornua designatæ sunt, ad destruendum Romanum imperium arma sumpserunt. *Et desolatam illam fecerunt & nudam.*) quando omnes gentes potestati eius ademerunt. *Et carnes eius manducauerunt.*) Quia verò delitiæ carnem nutriunt, possumus per carnem, diuitias omnium gentium intelligere. Carnem eius manducauerunt, quando opes omnium gentium, quæ Romæ deferebantur, acceperunt & in suos vsus redegerunt. *Et ipsam igni concremabunt.*) Scimus plurimas ciuitates, vicos & castella, quæ Romano imperio subiacebant, ab iis gentibus fuisse concrematas. *Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant quod illi beneplacitum est, vt dent regnum suum bestiæ donec consummentur verba Dei.*) Deus dedit in corda eorum, id est permisit vt faciant quod illi beneplacitum est, & quod prædictum est à prophetis eius & Apostolis, qui prædixerunt quòd potestas Romani imperij ab iis gētibus esset destruenda. Regnum autem suum bestiæ dederunt, donec consummarentur verba Dei, quia secundum iustissimi Dei permissionem, tādiu suggestiones diaboli in sceleribus perpetrandis secuti sunt, quandiu consummarentur verba Dei, id est implerentur ea quæ à Deo & sanctis eius prædicta sunt. *Aquas quas vidisti vbi meretrix sedet, populi sunt, & tribus & linguæ.*) Per aquas, omnes gentes quas sibi Romani subiecerant designantur. *Et mulier quam vidisti est ciuitas magna, quæ habet potestatem super cunctos reges terræ.*) Hoc manifestum est. Scimus enim Romanos eo tempore cūctis regibus terrę dominari. Sed dicet aliquis: Quomodo per mulierem meretricem, Romani designantur, cùm illis temporibus, quando hæ gentes diuersas clades generi humano intulerūt, Romani Christiani extiterunt? Ad quod nos respondemus, quia per mulierem meretricē, non electi qui ex eadem gente fuerunt, intelliguntur, quíque mundi gloriam, pro amore gloriæ cœlestis contempserunt: sed reprobi siue pagani, siue falsi Christiani fuerint. Illorum ergo potestas ab iis gentibus destructa est, quia impia dominatione, genus humanum premebant.

Matth. 22. Reprobi cur vocantur. Romam ante conuersionem, meretricem vocat. † Vel habuerunt,

Roma cur meretrix dicta.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Post hæc vidi alium angelum ascendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius.) Hæc quæ sequuntur, generaliter ad impiam ciuitatē, id est ad omnes reprobos pertinent. Et vt plenius euersionem Babylonis demonstret, ad primam eius ruinam quæ per Christum euersa est, reuertitur. Angelus nanque iste, Christum significat, qui de cœlo ad terram descendere dignatus est, vt nos ad cœlestia subleuaret. Qui potestatem magnam habere dicitur, quia eādem potestatem habet quam & pater, eo quòd æqualis sit per omnia patri. Terra illuminata est à gloria eius, qui per doctrinam fidei eius, genus humanum à tenebris ignorantiæ atq; incredulitatis est ereptum. *Et clamauit in forti voce, dicens.*) Vox Christi, doctrina est Euangelij. Quid autem hæc vox clamauerit, subdendo manifestat. *Cecidit Babylon magna.*) Dixisse Dei, fecisse est. Dixit enim cecidisse Babylonem, quia ipse fecit vt caderet. Quæ bis cecidisse dicitur, quia cecidit primo, cùm per doctrinam Euangelij, maximam multitudinem electorum amisit, qui ab ea per fidem Christi præcisi, ciues sanctæ ciuitatis, id est sanctæ ecclesiæ facti sunt. Cadet secundo, cùm in vltimo die, morte perpetua, quæ in hoc libro mors secunda vocatur, punietur. *Et facta est habitatio dæmonum.*) Nunquid ante aduentum Christi dæmones in Babylone non habitabant? Habitabant quidem, sed eorum habitatio ignorabatur. Quando autem multitudo electorum ad fidem conuersa est, Babylon habitatio dæmoniorum facta est: quia illi qui fidem Christi susceperunt, quòd habitatio dæmoniorum in Babylone semper fuerit, veraciter cognoue-

Babylonis ruina duplex.

Per lucem Euāgelij regnum tenebrarum inuoluit.

gnouerunt. *Et custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundi, & odibilis.*) Qui sunt dæmones, ipsi sunt A spiritus immundi & volucres immũdi: volucres quippe nominantur, eo quòd per aërem istum more ventorum indesinenter discurrant. Custodes Babyloniæ ideo vocantur, quia sicut angeli electos Dei custodiunt, ne tam pessimè peccent vt pereant: ita & dæmones impios obseruant, ne aliquando ab iniquitatibus suis resipiscant & saluentur. *Quia de vino iræ eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt, & mercatores terræ de virtute delitiarũ eius diuites facti sunt.*) Quid sit vinum iræ, & quid fornicatio regũ cum Babylone, superiùs diximus. Per mercatores terræ, amatores seculi possumus intelligere, qui animas suas pro acquisitione pecuniarum, perditioni tradunt. De huiusmodi mercatoribus Iesus filius Sirach, loquitur dicẽs: Hic animam suam venalem habuit, quoniam in vita sua proiecit intima sua. Animam suam venalem habuit, quia eam pro acquisitione pecuniarum dæmonibus tradere non timuit. Delitias virtutem Babylonis vocat, quia sicut electi tota virtute laborant, vt diuitias cælestes adquirant: ita & reprobi totis nisibus insistunt, vt diuitias perituras sibi accumulent. De talibus dicit Propheta: Vt inique agerent laborauerunt. *Et audiui aliam vocem de cælo dicentem.*) Per cœlum in hoc loco, ecclesia designatur. Vox de cœlo, vox est prædicatorũ de ecclesia procedẽs. Sed quid dicit vox ista? *Exite de illa, populo meus.*) Dominus per prædicatores suos suadet electis, vt exeant à Babylone, non corpore, sed mente. Quemadmodum à Babylone exire debeãt, in sequentibus docet, dicẽs: *Et ne participes sitis delictorũ eius.*) Illi à Babylone cõuenienter exeunt, qui malis operibus eius se alienos reddunt: sicut Psalmista de semetipso loquitur, dicens: Non sedi in consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus nõ introibo. *Et de plagis eius non accipietis.*) Quid sunt plagæ Babylonis, nisi vitia quæ animas interficiunt? Possumus etiam per plagas Babylonis, pœnas quæ impiis præparatæ sunt intelligere, vt sit sensus: Si à sceleribus Babylonis abstinueritis, à pœnis quas in æternũ patietur, alieni eritis. *Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum, & recordatus est* C *Deus iniquitatum eius.*) Iniquitates Babylonis omnipotens Deus semper intuetur: sed cùm vindictam non exerit, videtur non videre quod videt. Per hoc quod dicit, aliã vocem, illud designat tempus in quo omnes impij perpetua pœna plectentur. *Reddite illi sicut ipsa reddidit vobis.*) Præcipitur electis, vt reddant Babyloni, sicut illa ipsis reddidit, siue pro eo quòd sancti Dei impios iudicabunt, sicut dicit Dominus in Euãgelio: In regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel: siue pro eo quòd ipsi membra sunt eius, cui iudicandi potestas à patre tradita est. Reddent itaque iusti impiis mala, quæ ab eis passi sunt, cùm Christus qui caput illorum est, & cuius membra ipsi sunt, eos perpetua pœna damnabit. *Et duplicate supplicia secundum opera eius.*) Dupliciter Babylon electos Dei persecuta est, quando corporibus & animabus eorum multa mala ingessit. Dupliciter pœnas ipsa recipiet, quia cum animabus, corpora cruciabuntur: ipsaque duplicia duplicabũtur, quia pro D pœnis temporalibus atque breuibus quibus iustos afflixit, pœnas æternas excipiet. *In poculo quo miscuit vobis, miscete ei duplum.*) Per poculum, tribulationes quas ab iniquis sancti passi sunt, possumus intelligere. *Quantùm glorificauit se, & in delitiis fuit, tantùm date illi tormentum & luctum.* Quantùm glorificauit se, id est, in superbiam erexit, & in omnibus vitiis se implicauit, tanta & ampliora tormenta excipiet. *Quia in corde suo dicit: Sedeo regina, & viduã non sum, & luctum non videbo.*) Reginam se Babylon vocat quodam modo, cùm se in prosperis huius mundi extollit. Viduam non se esse dicit, quia à bonis temporalibus quibus coniuncta est, & ex quibus luxuriam suam enutrit, non se posse disiungi confidit. Luctum non se esse visuram dicit: quia impij quanuis sciãt, se pro sceleribus suis esse puniendos, fingunt se non videre quod vident, memoriamque mortis à mente reiiciunt, ne tristis cogitatio lætitiam cordis eorum perturbet. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames.) In die iudicij mors perpetua illi veniet, quæ in hoc libro mors secunda vocatur. Luctus illi veniet, sicut Dominus dicit in Euangelio: Ibi erit fletus, & stridor dẽtium. Fames illi veniet, id est, fames requiei: desiderabunt enim à pœnis requiescere, quas patientur, ad quã requiem nullo modo peruenient. Et igni comburetur.) Id est, igne æterno. *Quoniam fortis est Dominus, qui iudicabit illam. Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in delitiis vixerunt, cùm viderint fumum incẽdij eius longè stantes, propter timorem tormentorũ eius, dicentes: Væ, væ ciuitas illa Babylon, ciuitas illa fortis, quia in vna hora venit iudicium tuum.*) Quid sit fornicatio regum cum Babylone, superiùs diximus. Sed mirũ valde est, quòd longè stare dicãtur, cùm in eisdem pœnis & ipsi sint demergendi, in quibus & cæteri reprobi, qui per Babylonem designantur. Stabunt igitur longè mente & volũtate, non corpore, horrentes scelera sua, quibus æternaliter cruciabuntur. Stabunt longè, per desiderium, aliud desiderãtes, id est, requiem, & aliud patientes, id est, tormenta æterna. *Et negotiatores terræ flebũt & lugebunt super illam, quoniam mercedes eorum nemo emet amplius.*) Quia superiùs per mercatores terræ, B amatores seculi dixim⁹ esse designatos, possumus in hoc loco per negotiatores eos accipere, qui bonũ quod facere videntur, vendunt. Sunt nanque multi, quibus legum secularium scientia data est, qui causas pauperum in iudiciis portant. Sed quia non pro amore Dei, sed pro prẽmiorum acceptionibus hoc faciunt, mercedem à Deo non recipiunt. In tantum verò hęc miseria cõualuit, vt non inuenias aliquem, ex iis qui locum habẽt apud principes, qui aliquod verbum ad proximi pauperis necessitatem sustentandam proferat sine præmij acceptione. Possumus & per negotiatores terræ, eos intelligere, qui ex bono quod faciunt, laudes ab hominibus requirunt. Possumus etiam & per eosdem illos, qui gradus ecclesiasticos vendunt intelligere, quòd diuina scriptura valde condẽnat. Et quanuis multi ex episcopis ab hoc scelere videantur immunes, ministri tamen eorum in hoc sæpe polluuntur. Sed ad magistros respicit quicquid à discipulis delinquitur. Est & aliud scelus valde pessimum, quod C ab iis qui archidiaconi appellantur, committitur. Nam ab adulteris presbyteris pretium accipiunt, & tacendo malum consentiunt, quod per authoritatem quam ab episcopis acceperunt, emendare possent. Sunt etiam alij ex huiusmodi presbyteris, qui timentes se damnari pro sceleribus suis, in seruitiis archidiaconorum plus sunt assidui, quàm cæteri. Contra quos si quis aliquod verbum contrarium proferre voluerit, defendũtur ab eis, & fingunt se nescire quod sciũt, condemnantúrque illa prophetica sententia quæ dicit: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Ad te ergo loquor qui talis es. Ecce animam sacerdotis diabolo vẽdidisti. Quis enim suasit presbytero vt fornicaretur, nisi diabolus? Qui ergo suasit vt fornicaretur, ipse suasit vt pretium tibi daret, quatenus hoc scelus sine timore perpetrare posset. Per manum ergo presbyteri, pretium perditionis animæ ipsius tibi diabolus dedit. Ecce pretium accepisti, & animam fratris Christi sanguine redemptam, eidem diabolo à quo redempta est tradidisti. In lege scriptũ est, quòd si quis hominem qui fra- D ter eius esset, vendidisset, morte moreretur. Si igitur reus est ille qui hominem homini vendit, quantò magis tu reus existis, qui hominem Christi sanguine redemptum, non homini, sed quod pernicioſius est, diabolo vendidisti. Tales itaq; negotiatores flebũt, & lugebunt in inferno, quoniam mercedes eorum nemo emet amplius. Amittent enim quod tenere videbantur, & incident in malum, quod præuidere neglexerunt. *Mercedem auri & argenti, & lapidis precioſi, & margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci, & omne lignũ thynium, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide precioſo, & æramento, & ferro, marmore & cinnamomo, & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedariũ, & mancipiorum, & animarum hominum, & poma deſiderabilia animæ tuæ diſceſſerunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius non inuenientur mercatores horum.*) In omnibus quæ enumerata sunt, auaritia Babylonis atque luxuria cõdemnatur. Nam & in iudicio Dominus non dicet reprobis: Ite maledicti in

Pœnitentia ſera.

Eſt & hoc proh dolor, nimis verum in noſtra ætate Simonia.

Archidiaconi qui muneribus corrupti adulteros iuſtificant.

Eſa. 5.

Commiſſarij vendũt diabolo fornicatorũ animas.

Exod. 21.

cti in ignem æternum:homicidæ fuistis,superbi, fornicatores,adulteri,sed dicet:Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Sitiui,& non dedistis mihi bibere,& cætera misericordiæ opera, quibus auaritia retrahit reprobos, ne misericordes sint erga pauperes. Auaritia quippe nutrix est luxuriæ: nutrimenta autem luxuriæ, in hoc loco descripta sunt, quibus ab auaritia nutritur. Et si diligēter inspicere voluerimus, inueniemus omnia quæ in hoc loco ad auaritiam siue luxuriam Babylonis demonstrandam enumerata sunt, ad quinque corporis sensus pertinere. Quinque enim sunt corporis sensus,id est, Visus,auditus,gustus,odoratus,& tactus,quos Deus hominibus & animalibus dedit. Animalibus ad vitam suam tantummodo tuendam:hominibus autem & ad vitam tuendam,vt per eos ratio animam,quæ illi commissa est,per viā rectitudinis posset ducere. Iusti itaque qui per hos quinque corporis sensus, secundum rationis rectitudinem incedere studuerunt,amicitiam sibi Dei omnipotentis acquisierunt: Impij verò qui rationis bonum in malum peruertētes, hósque corporis sensus luxuriæ, & cæteris vitiis seruire coëgerunt,iram nihilominus iusti iudicis incurrerunt. Igitur si ea quæ in sequentibus scripta sunt, vocem scilicet citharœdorum & musicorum, & tibia canentium, & tuba, cum iis cōiungere volueris,inuenies omnes diuitias Babylonis,quæ hic descriptæ sunt,ad quinque corporis sensus,vt supra diximus,pertinere. Aurum nanque & argentū,& lapides pretiosi,& margaritæ ad visum:byssus,& purpura,& coccus,ad tactum:cinnamomum & odoramenta, & vnguenta, & thus, ad odoratum:vinum,oleum,similа,triticū & cætera, ad gustum:vox citharœdorum,& musicorum, & tibia canētium, ad auditum pertinent. Damnatio ergo Babylonis,sicut hæc scriptura demonstrat,maximè in diuitiis consistit: eo quòd diuitiæ nutrimenta sint vitiorum,& ex quibus auaritia,quæ modò regina mundi dici potest, luxuriam suam alit. *Qui diuites facti sunt,ab ea longè, stabunt propter timorem tormentorum eius, flentes, & lugentes, & dicentes: Væ,væ ciuitas illa magna,quæ amicta erat bysso,& purpura,& cocco,& inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, quoniam in vna hora destitutæ sunt tantæ diuitiæ.*) Quod diuites Babylonis longè stare dicuntur,secundum sensum superiorem, quem de regibus diximus,intelligendum est. *Et omnis gubernator, & omnes qui à longè nauigant,& nautæ qui in mari operantur,longè steterunt,& clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes: Quæ similis ciuitati huic magnæ? Et miserunt puluerem super capita sua, flentes, & lugentes,& dicentes: Væ,væ ciuitas magna,in qua diuites facti sunt omnes qui habent naues in mari de pretijs eius, quoniam vna hora desolata est.*) Possumus per mare, hoc seculum: per gubernatores verò principes iniquos intelligere. Per eos autem qui de loco ad locum nauigant,& per nauras qui in mari operantur, eos qui diuersa officia ad deprædationes pauperum, & ad peccata sua quotidie augenda in mundo exercent. Isti ergo flebunt & lugebunt,videntes locum incendij Babylonis. Ipsi nanque erunt Babylon, & ipsi lugebunt & flebunt. Videbunt autem incendia Babylonis, quia sua incendia perferendo videbunt,quæ mente in seculo positi,cōspicere neglexerunt,vt se corrigerēt. Qui etiam cinerem super capita sua misisse dicuntur. Nam sæpe per caput, mens, per cineres peccata designantur. Cinerem itaque super capita sua ponent,quia memoria peccatorum à mentibus eorum nunquam recedet. *Exulta super eam cœlum,& sancti Apostoli, & prophetæ: quia iudicauit Deus iudicium vestrum de illa.*) Possumus per cœlum,angelos:per Apostolos, noui testamenti patres:per prophetas autem, patres veteris testamenti intelligere. Exultabunt igitur, cùm destructa fuerit omnis caterua impiorum,cum ipsis dæmonibus authoribus iniquitatum. Exultabunt etiam, eo quòd tunc finem acceptura sit omnis malitia,& adducentur iusti ad gaudia sempiterna. *Et sustulit vnus angelus fortis lapidem,quasi molarem magnum, & misit in mare,dicens: Hoc impetu mittetur Babylon magna,& vltra non inuenietur.*) Iste angelus Christum significat. Qui fortis esse dicitur: quia fortitudinem Christi quanta sit, humana mens comprehendere non potest: per lapidem verò molarem magnum,omnis multitudo impiorum designatur: mare autem infernum designat, in quo omnes impij demergentur. Angelus igitur lapidem molarē in mare misit: quia Dominus noster Iesus Christus in die iudicij omnem impiorum multitudinem suo iusto iudicio in infernum demerget. *Et vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium,& tuba non audietur in te amplius.*) Hoc superius expositum est. *Et omnis artifex, & omnis ars non inuenietur in ea amplius,& vox molæ non audietur in te amplius,& vox sponsi & sponsæ non audietur in te adhuc.*) Quærendum nobis est cur artes & voces molæ, & lumen lucernæ, & vocem sponsi & sponsæ inter scelera Babylonis computet, cùm ista omnia sine culpa exerceri possint,& sine istis vita humana subsistere non possit. Spiritaliter itaque ista omnia intelligēda sunt. Possumus ergo per artes,sapientiam huius seculi,quæ stultitia est apud Deum intelligere. Quas artifices maligni & filij Babylonis ad hoc discunt, vt in malitia Babylonis possint proficere. Sapientes enim sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt. Mola autem quicquid sub se acceperit,conterit,& comminuit. Possumus igitur per molam,iudices impios intelligere vel accipere. Vocem ergo molæ mittit,cùm iudices impij iudicia iniusta ad conterendos innocētes proferunt:per lumen verò lucernæ,huius seculi gloria designatur. De hac lucerna dicit scriptura. Lucerna impiorū extinguetur. Lucerna quippe impiorum extinguitur, cùm ab hac vita subtracti,gaudium temporale amittunt,& æternam tristitiam incurrūt. Possumus nihilominus per sponsum,amatores seculi:per sponsam verò,terram intelligere. Quia sicut amor sponsum & sponsam ligat, vt vna caro efficiantur, ita & amor seculi amatores suos sic terræ coniungit, vt vnum cum ea efficiantur,à qua si fieri posset, in perpetuum segregari nollent. Tales ergo artifices in Babylone non audientur amplius,quia cum ea in perpetuum damnabūtur. *Quia mercatores tui erant principes terræ.*) Habent ecclesiæ mercatores suos,habet & Babylon. Mercatores ecclesiarum, thesauros suos in cœlo recondunt, vbi fures non effodiunt nec furantur: mercatores verò Babylonis, thesauros suos in terra recondunt, vbi fures effodiunt & furantur. *Et in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes.*) Veneficia Babylonis sunt diuersi errores,per quos genus humanum deceptum est. *Et in ea sanguis prophetarum & sanctorum inuentus est,& omnium qui interfecti sunt in terra.*) Sanguis sanctorum in ea inuentus est, id est,scelus interfectionis sanctorum: sicut Dominus dicit impiis Iudæis sub intellectu omnium reproborum: Veniet,inquit, super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram.

Matth.25.

Auaritia nutrix luxuriæ.

Luxuria per quinque sensus sese exercet.

Obiecta quinque sensuum quibus impij abuntur.

Contra principes iniquos & depradatores pauperum.

A

B

C

D

Nfernus.

1.Cor.3.

Hierem.4.

Iudices impij.

Proner.24.

Seculi amatores.

Matth.23.

CAPVT DECIMVMNONVM.

VDIT audiui quasi vocem magnam tubarum multarum in cœlo,dicentium alleluia. Salus,& gloria, & virtus Deo nostro est, quia vera & iusta iudicia eius sunt: quia iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua,& vindicauit sanguinem sanctorum suorum de manu eius. Et iterū dixerunt alleluia,& fumus eius ascendit in secula seculorum. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas,& quatuor animalia,dicentes amen,alleluia. Et vox magna exiit de throno, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius,& qui timetis Deum pusilli & magni. Et audiui quasi vocem tubæ magnæ, & quasi vocem aquarum multarum, & quasi vocem tonitruorum magnorum,dicentium alleluia. Quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni,& vxor eius præparauit se,& datum est ei,vt operiat se bissino splendente candido. Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum.) Totam sententiam posui, vt vndique circunspecta,eius subtilitas facilius indagari possit. A septem nanque vocibus, quinquies alleluia decantata esse legitur. Primò & secundò,à voce tubarum multarum: tertiò, à viginti quatuor senioribus & quatuor animalibus: quartò,à voce quæ de throno exiit,non iam alleluia,sed eius interpretatio decantata est,id est,laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius. Alleluia quippe, laudate Deum sonat. Quintò verò à tribus vocibus semel decantata est, id est, à voce tubæ magnæ, & à voce aquarum multarum, & à voce tonitruorum magnorum. Scriptura libri huius sæpe demonstrat

strat omnem electorum multitudinem in septem partes esse diuisam, si eius subtilitas, vel intelligẽtia perscrutetur. Iusti itaque qui ante diluuium fuerunt, ad primam partem: illi verò qui post diluuium vsquequo lex data est, ad secundã pertinent, sicut sæpe iam diximus. Nullámque aliam legem habuerunt, nisi naturalem, id est, dilectionem Dei & proximi. Scit enim vnusquisque se debere timere, & super omnia diligere eum, à quo creatus est, & à quo ei vita & vitæ subsidia ministrantur, & nulli se debere facere, quod non vult ab alio pati. Hanc legem nullus qui sanæ mentis est, ignorare permittitur. Per tubas igitur multas, electi qui ante diluuiũ fuerũt, & qui post diluuium vsque ad illud tempus quo lex data est, designantur. Vocem emiserunt, quia per prædicationis suæ doctrinam, quoscunque potuerunt à suis erroribus reuocauerunt. Alleluia decantauerunt, quia secundum naturalis legis notitiã, per bona opera Deo placere studuerunt. Secundo alleluia dixerunt, quia hi qui post diluuium fuerunt, secundum eandem legem viuentes, creatori suo iustè viuendo adhæserunt. Sed quærendum nobis est, cur in pronunciatione secunda, alleluia, fumus Babylonis in secula seculorum ascendisse dicatur. Potest per fumum fama designari. Scimus quia in secunda parte, Noë & filij eius primi ponũtur, quorum temporibus, aquis diluuij humanum genus deletum est. Postea verò Sodoma & Gomorra, & cęteræ ciuitates quæ eis adhærebant, cœlesti igne consumptæ sunt. Fumus ergo Babylonis in secula seculorum ascendit: quia hæc fama ab ore fidelium nũquam recedet. At verò per viginti quatuor seniores, patres qui sub lege fuerunt, designantur. Quibus coniunguntur quatuor animalia, per quæ nouum testamentum figuratur: quia in veteri testamento si spiritaliter intelligatur, nouum continetur. Alleluia decantauerunt, quia mandata legalia obseruantes, per bona opera Deo placere studuerunt: per thronum autem prophetæ designantur, eo quòd sedes Dei fuerint, & per eos, sua iudicia disposuerit. A throno vox exiit, quia à prophetis prædicatio sancta processit. Laudem Deo decãtauerunt, quia ei tota virtute seruire studuerunt. Tuba verò magna, Christum significat. Vox tubæ, prædicatio est Euangelij. Per vocem autem aquarum multarum, multitudo gentium Christum confitẽtium designatur. Per vocem verò tonitruorum magnorum, electi qui in fine mundi nascituri sunt intelliguntur. Et iure per tonitrua, quia terrorem diei iudicij annunciabunt. Tres ergo voces semel alleluia decantauerunt, quia fidem sanctæ trinitatis doctrinámque Euãgelij, quæ à magna tuba, id est, à Christo processit seruauerũt, & seruabunt vsque in finem. Duæ igitur partes, id est, prima & secunda, ad legem quam naturalem esse diximus pertinent. Duæ verò quæ sequũtur, id est, tertia & quarta, ad legem quæ per Moysen data est. Tres autem quæ restant, id est, quinta & sexta & septima ad legem Euangelij, vt indicent eos in fide sanctæ trinitatis vsque ad finem mũdi permanere debere. Quid autem istæ tres partes decantent, audiamus. *Alleluia quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens.*) Id est, laudemus Dominum, eo quòd destructo regno diaboli perditoris nostri, ipse in nobis regnare dignatur, qui est Dominus & saluator noster. *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni & vxor eius præparauit se.*) Ideo gaudeamus, ideo exultemus, eo quòd misericordia conditoris nostri, ecclesiam suam, qui nos ita sibi coniungere sit dignatus vt sponsa coniungitur sponso suo, quatenus simus cum ipso vna caro, sicut dicit scriptura, Erunt duo in carne vna: quod Apostolus de Christo & ecclesia intelligendum esse docuit. Vxor eius præparauit se, id est, ecclesia quę vxor agni dicitur, variis virtutibus semetipsam ornauit. *Et datum est illi vt operiat se bissinos splendente candido.*) Quid byssus significet, ipse exponit. Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum. *Et dixit mihi angelus: Scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.*) Prãdium electorum nunc est, quando in ecclesia dapibus Euangelicis pascuntur. Cœna verò tunc erit, quando post resurrectionem, in cœlesti beatitudine, æterna gloria perfruentur. Et quia prandium quod nunc agitur, & bonos & malos recipit, non omnes beati sunt, qui in eo videntur recumbere. Illi autem soli beati sunt, qui in illa cœna quæ post finem

A mundi futura est, recipientur. *Et cecidi ante pedes eius vt adorarem eum. Et dixit mihi angelus: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu: Deum adora.*) Redemptio sanguinis Christi hoc fidelibus contulit, vt filij Dei sociique angelorum efficerentur. Ideóque pertimescit angelus adorari ab homine, qui super se adorabat hominem Deum. Quapropter conseruum se Ioannis, cęterorúmque fidelium vocat. Testimoniũ verò Iesu, est spiritus prophetiæ. Patres autem veteris testamenti, qui aduẽtum Christi, passionem, & resurrectionem eius prędixerunt, spiritum prophetiæ habuisse certissimum est, vnde & prophetæ vocantur. Quicũque ergo testimonium Christo perhibet, spiritum prophetię habet. *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis & verax.*) Nullo modo æstimare debemus, quòd hoc capitulum ad aduẽtum Christi pertineat, in quo ad iudicium venturus est, sed potius ad electos qui in fine mundi nascituri sunt: fine etenim mundi instãte, veniet Dominus cum sanctis suis, vt pugnet per ipsos contra Antichristum, & ministros eius. Et qualis à B sanctis illis prędicabitur, talis & forma eius in hoc loco describitur. Nam per cœlũ ecclesia designatur: per equum album, homo quem filius Dei assumpsit, super quem & sedisse visus est, qui etiã fidelis & verax vocari dicitur. Hæc duo nomina, id est, fidelis & verax, vnum sensum habent in hoc loco. Rectè fidelis vocatur de quo dicit Psalmista: Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Veracem verò seipsum in Euangelio vocat, dicens: Ego sum via, & veritas & vita. Sequitur: *Et iustitia iudicat, & pugnat.*) Non armis Deus in die iudicij contra impios dimicaturus est, sed eius iustitia expugnabuntur, & conterentur. Omnia enim peccata impiorum atque scelera in cõspectu eorum adducet Dominus, vt sciant se iustissimo Dei iudicio esse damnatos. *Oculi eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa.*) Per oculos Domini spiritus sanctus designatur, sicut in tertia visione author huius libri exponit: habebat, inquit, agnus oculos septem qui sunt septem C spiritus Dei, missi in omnem terram. Et quia flamma vrit & illuminat, non inconuenienter spiritus sanctus flammineus esse dicitur, eo quòd corda fidelium & illuminet & incẽdat in amorem Dei. *Et in capite eius diademata multa.*) Per diademata multa, multitudo sanctorum exprimitur. *Habẽs nomen scriptũ, quod nemo nouit nisi ipse.*) Cùm superiùs dicat, quia vocabitur fidelis & verax: & paulò post, quia vocabatur nomẽ eius verbũ Dei, quid est quod dicit, quòd nemo scit nomen eius, nisi ipse? Sciunt quidẽ sancti Dei nomen Christi, quod est filius Dei, & nesciunt. Ex parte quippe sciunt, & ex parte nesciunt. In omnibus enim creaturis quæ gignunt & gignuntur, nullus filius coæuus potest esse patri, quia nęcesse est vt antecedat qui generat, & subsequatur qui generatur. Sed non talis est natura filij Dei. Nam quemadmodum pater est sine initio, sic & filius. Et quanuis hoc quomodo fieri possit considerare non possimus, in veritate tamen credimus & confitemur, filium per omnia coęqualem & coæternum esse patri: de hac eius generatione Propheta loquitur dicens: Generationem eius, quis enarrabit? *Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius, Verbum Dei.*) Possũmus per vestem corpus Christi: per sanguinem verò peccata nostra pro quibus mortuus est ipse, siue ipsam mortem quam pertulit pro nobis, intelligere. Sed quia peccata electorum suorum moriendo deleuit, & ipsam mortem resurgendo calcauit, sicut dicit Apostolus Paulus, Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur: melius mihi videtur vt per vestem Christi, multitudinem sanctorũ intelligamus, qui sunt membra eius. Per guttas autem sanguinis, quibus vestis aspersa esse legitur, martyres designantur, qui pro amore Christi, sanguinẽ fundere non dubitauerunt. Ideo vestem Christi, quæ ex angelis & sanctis hominibus constat, in illa cælesti beatitudine suo splendore exornant. *Et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eũ, in equis albis: vestiti bissino albo mundo.*) Diximus superiùs quia qualis Christus à sanctis in fine mundi prædicabitur, talis & figura eius in hoc loco describitur. Per cœlum ergo in hoc loco, ecclesia: per exercitus qui de cœlo processisse Christum

Sãguis Christi nos angelis associauit

Psal. 144.

Ioan. 14.

Supr. ca. 5.

Nomẽ Christi quomodo sancti norũt & ignorãt.

Fides captiuã ducit rationem.

Esa. 53.

Rom. 6.

Martyres.

ſtum ſequentes viſi ſunt, ſancti qui in fine mundi naſcituri, & contra Antichriſtum pugnaturi ſunt intelliguntur. Per equos autem, corpŏra: per ſeſſores verò equorum, animæ deſignantur. Albos igitur equos habuiſſe viſi ſunt, qui ſe mundos & nitidos in quantum humana fragilitas permiſit, exhibebant in conſpectu Dei. Quid ſit verò biſſinum, ſuperiùs expoſitum eſt. Biſſinum igitur iuſtificationes ſunt ſanctorum. *Et habebat in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.*) Per veſtimentum ſicut ſuperiùs diximus, ſancti: per femur autem, ex quo humana origo procedere dicitur, homo quem Chriſtus aſſumpſit deſignatur. In veſtimento itaque ſuo, quòd ipſe ſit Rex regum, ſcriptum habet, quia in operibus ſanctorum agnoſcitur hūc eſſe verum Deum, qui tales ſeruos poſſidet. Habet & in femore ſuo ſcriptum quòd ipſe ſit Rex regum & Dominus dominantium: quia in operibus, quæ in carne poſitus geſſit, cognitum eſt hunc eſſe verum Dei filium. Poſſumus etiam per femur, patres veteris teſtamenti, ex quorum ſtirpe Chriſtus originem duxit, intelligere: qui & ipſum figuraverunt, & quòd ipſe futurus eſſet Rex regum & Dominus dominātium apertis vocibus prædixerunt. *Et de ore eius gladius acutus exibat.*) Poſſumus per os Domini, eoſdem prædicatores de quibus diximus, qui in fine mundi naſcituri ſunt accipere, per quorum os loquetur Deus, ſicut ipſe dixit in Euangelio: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Et ipſe dicit per Prophetam: Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. Per gladiū verò diuinam ſcripturam, ſicut ſuperiùs diximus, intelligere debemus, ſicut dicit Apoſtolus Paulus: Et gladiū ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Qui acutus eſſe dicitur, quia ad reſecanda vitia, diuina ſcriptura acutiſſima eſt. Vnde & ſequitur. *Vt in ipſo percutiat gentes.*) Percutiet Chriſtus gladio ſuo gentes, quando per doctrinam ſanctorum ſuorum, hominum infidelium errores deſtruet. *Et ipſe reget gentes in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.*) Per virgam ferream, Euangelium diximus fuiſſe deſignatum. Reget ergo Chriſtus gentes in virga ferrea, quando per doctrinam ſanctorum, & Iudæos ad fidem ſuam cōuertet, & electos ab erroribus Antichriſti defendet. *Et tanquam vas fictile, confringentur.*) Quandiu quilibet in peccatis iacet, rectè vas fictile vocatur. Cùm autem per pœnitentiam & lachrymas ad bona opera agenda conuerſus fuerit, confringitur vas fictile, & ex vaſe fictili efficitur vas ſolidum & firmum, & ad ictus tentationum dæmonum fortiſſimum. *Et ipſe calcabit torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.*) Eſaias cùm de paſſione loqueretur interpoſuit Dominum dicentem: Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Sed ibi per torcular, crux Domini intelligitur: hic verò non crux, ſed locus pœnarum in quo impij retrudendi ſunt, deſignatur. Eandem quippe ſignificationem habet torcular in hoc loco, quam & lacum ſuperiùs diximus habuiſſe, in quo botri vineæ terræ, per quos impij deſignantur, demerſi fuiſſe leguntur. Sed & ipſa calcatio torcularis, eandem ſignificationem habet, quam & illic calcationem lacus habuiſſe diximus. Significat nanque vltimam demerſionem impiorum in infernum. Quid verò ſit vinum furoris iræ Dei omnipotentis, ſuperiùs diximus. *Et vidi alium angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli.*) Iſte angelus, prædicatores qui in fine mundi futuri ſunt, ſignificat. Qui etiam & per equites paulò ſuperius deſignati ſunt. Per ſolem verò, Chriſtum intelligere debemus. Angelus igitur in ſole ſtetit, quia prædicatores ſancti in Chriſto ita ſolidabūtur, vt ab eius fide nulla perſecutione auelli poſſint. Per aues autem, fideles omnes qui eo tempore futuri ſunt deſignantur. Per cœlum volabant, quia in terris poſiti, mente in cœleſtibus habitabant. Poſſumus nihilominus per cœlum, eccleſiam intelligere. Per cœlum ſancti volant, quia duas alas habentes, id eſt duo præcepta charitatis, circūquaque volant, quibuſdam miſericordiā imponendo, quoſdam ab iniquitatibus reuocādo. *Venite, congregamini ad cœnam magnam Dei omnipotentis, vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum & ſedentium in ipſis, & carnes liberorum & ſeruorum, & puſillorum & magnorum.*) Qui deſignātur per reges & principes, liberos & ſeruos cæteróſque, ipſi per equos eorúmque aſcenſores, principes ſcilicet terræ, ac populi, qui eis ſubiiciuntur. Cœna verò Dei, quid aliud eſt, niſi exterminatio impiorum? Carnes autem impiorum iuſti māducabunt, cùm vindictam ex malis quæ eis intulerunt, excipient. Et quia iuſti videntes pœnam impiorū, in bonis operibus proficiunt, ſicut dicit Pſalmiſta: Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam impiorum, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. *Et vidi beſtiam & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius.*) Hic demonſtrat non ad aduentum Domini ſecundum, ea quæ ſuperiùs dicta ſunt pertinere, ſed potius ad illud tempus, in quo per ſanctos ſuos contra Antichriſtum præliatus eſt, ſicut iam diximus. Congregabuntur nanque beſtiæ, & reges terræ, & exercitus eorum, vt pugnent contra Chriſtum & ſanctos eius: quando Antichriſtus & innumerabilis multitudo gentium quæ ab eo decipietur, ad perſequendam eccleſiam Dei exurgent, vt nomen Chriſti de mundo funditus extinguant. *Et apprehenſa eſt beſtia & pſeudopropheta, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eius, viui miſſi ſunt ij duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure: & cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedebat de ore ipſius, & omnes aues ſaturatæ ſunt de carnibus eorum.*) Apprehendentur beſtia & pſeudopropheta eius, quando illud implebitur quod Apoſtolus Paulus ait: Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Si Antichriſtus ſpiritu oris Domini interficiēdus eſt, quomodo ipſe & pſeudopropheta eius, in ſtagnum ignis viui mittendi ſunt? Eſt vita iuſtorum, eſt & impiorum: de vita iuſtorum dicit Propheta, quia iuſtus ex fide viuit: de vita verò mala dicit Paulus, quia vidua malè viuens mortua eſt. Vitam nanque impiorum, iuſti non incongruè mortem vocant. Similiter & impij, vitam iuſtorum mortem æſtimant, ſicut in iudicio dicturi ſunt, Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Antichriſtus ergo & pſeudopropheta eius viui miſſi ſunt in ſtagnum ignis, id eſt in malitia ſua, viui in ea videlicet vſque in finē vitæ ſuæ perſeuerantes. Quòd autem dicit quia cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, interfectionem iſtam pro confuſione poſuit. Nam ſancti, quorum doctrina per gladium oris Domini deſignatur, interfecto Antichriſto, inſultabunt infidelibus, eo quòd hominem impiiſſimum, atque omnibus hominibus deteriorem Antichriſtum, immortalem Deum exiſtimauerint, quem conſtabit peſſima morte peremptum. At illi confundentur & tabeſcent in iniquitatibus ſuis. Omnes ergo aues ſaturatæ ſunt de carnibus eorum, quia ſubuerſo Antichriſto, omnes electi inenarrabiliter gaudebunt & exultabūt, eo quòd à tam peſſimo hoſte miſericordia diuina eos liberauerit, omnéſque qui eos perſequebantur, velut fumus euanuerint.

Prædicatores Dei dicitur. Matth. 10. Hierem. 15.

Epheſ. 6.

Eſaiæ 63.

Sup. ca. 14.

Noſtra conuerſatio in cœlo.

Pſalm. 57.

Antichriſti interitus.

Abac. 2. 1. Timot. 5.

Sapien. 5.

Gaudium ſanctorum de deliū impiorum interitu.

CAPVT VIGESIMVM.

Tres damnationes diaboli.

ET vidi angelum deſcendentem de cœlo, habentem clauem abyſſi, & cathenam magnam in manu ſua.) Damnationem diaboli narrare nolens, ad aduentum Chriſti reuertitur. Tres nanque ſunt damnationes diaboli. Damnatus eſt primò, quando de cœleſti beatitudine propter iniquitatem ſuam eſt deiectus. Secunda damnatio eius fuit, de qua author libri huius loqui modo incipit, quādo per mortem Chriſti, genus humanum de poteſtate eius eſt ereptum, & ipſe ſicut præſens ſcriptura demonſtrat, in abyſſum eſt religatus. Tertia damnatio eius erit, quando in infernum cum omnibus impiis in æternum cruciandus demergetur. Angelus itaque iſte Chriſtū ſignificat: deſcēſio eius de cœlo, eſt incarnatio eius. Clauem abyſſi id eſt inferni, ipſe poſſidet: quia ab ingreſſu eius, quos vult retrahit, & quos vult in eius damnationem cadere, iuſtè permittit. Per cathenam verò magnā, eius poteſtas deſignatur. *Et apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui vocatur diabolus &*

lus & Satanas, & religauit eum per annos mille.) Apprehendit Christus serpentem antiquum, id est, diabolum, quando per mortem suam eius destruxit imperiũ. Per annos autem mille, omne tempus ab aduentu Christi vsque ad finem mundi debemus intelligere vel accipere. Religauit ergo Christus diabolum non vinculis corporeis, sed vinculis potestatis suę immensæ, quia eum à cordibus electorum suorum expellẽs, ab eorum deceptione diuina sua virtute exclusum tenet. *Et misit eũ in abyssum, & clausit & signauit super eum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. Post hæc oportet eum solui modico tempore.*) Alligationem diaboli tribus modis possumus intelligere. Possumus namque hoc simpliciter intelligere, vt virtute Dei omnipotentis in abyssum religatus teneatur vsque ad tempus præfinitum. Possumus etiam per abyssum corda impiorum intelligere, vt à cordibus electorũ excluſus, intra angustias cordium reproborũ constrictus & alligatus teneatur. Possumus & hoc tertio modo intelligere: diabolus nihil aliud desiderat quàm deceptionem hominum. Et dum per custodiam Dei omnipotentis, qui electos suos custodire & defendere non desistit, ab eorũ deceptione arcetur, quasi quibusdam vinculis, eius impiissima volũtas religata tenetur. Per gentes verò quas seducere non permittitur, solos electos debemus intelligere. Tempus modicum, quo post mille annos soluendus esse dicitur, tẽpus Antichristi est. Tunc enim peccatis hominum faciẽtibus, dabitur potestas diabolo, tota virtute cõtra genus humanum dimicandi. *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datũ est illis.*) Quia superiùs narrauit quo ordine misericordia diuina quotidie electos suos ab immanissimo hoste diabolo liberet, consequens est, vt gloria ad quam eorum animæ quotidie perducuntur, describatur. Per sedes nãque cælestis patria: per sedentes verò super eas, sanctorum animæ designãtur. Quòd autem iudicium datum sit sanctis, quorum animę in cælesti beatitudine requiescunt: in hoc aduertere possumus, cùm ad eorum sepulchra dæmonia ab obsessis corporibus expelli, periuria sæpe detegi, atque multa miracula videmus. *Et animas interfectorum propter verbum Dei & testimoniũ Iesu, & qui non adorauerunt bestiam & imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus aut in manibus suis, vixerũt & regnauerũt cum Christo mille annis.*) Per animas interfectorum propter verbum Dei, & testimonium Iesu, martyres qui diuersis temporib⁹ interfecti sunt, possumus accipere. Per eas verò quæ non adorauerunt bestiam & imaginem eius, eos qui ab Antichristo interficiendi sunt puto esse intelligẽdos. Isti ergo vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis: quia quanuis corpore sint interfecti, secundum animam tamen viuunt cum Christo in cælesti beatitudine. Sed quærẽdum nobis est, quomodo electi qui instante fine mundi nascituri sunt, cum Christo mille annis regnare dicantur, cùm tempus mille annorum non ad futurum tempus, quod sine fine est, sed ad præsens potius pertineat, quod in fine mundi consummabitur: & in quo fides Euãgelij per vniuersum orbem florens, electos quotidie ad vitam æternam percipiendam dirigit. Quod ita soluẽdum puto. Tempus ab ascensione Christi vsque ad finem mundi, quod per mille annos designatur, omnibus electis deputatũ est, vt in eo sine corporibus gloria cælesti cũ Domino perfruantur. Et scimus quia omnes electi membra Christi sunt, & ex multis membris vnum corpus efficitur. Et si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Gaudium igitur præcedẽtium sanctorum, illorum nihilominus erit, qui in fine mũdi nasciturisunt: quia vnum corpus efficientur cum eis, & in aliis possidebunt quod ipsis deerit. *Cæteri verò non vixerunt, donec consummentur mille anni.*) Cæteri autem, id est, reprobi, non vixerunt: quia post mortem non ad vitã ducuntur, quæ in cælestibus sanctorum animabus datur, sed in infernũ demergũtur, quæ in hoc libro mors prima vocatur. Hæc est resurrectio prima. *Beatus qui habet partem in resurrectione prima, in iis secunda mors non habet potestatem.*) Quærendum nobis est, quę sit resurrectio prima. Nam primam resurrectionem non diceret, nisi esset & secunda. Nec secundam mortem, nisi esset & prima. Resurgimus itaque primo per baptismum à morte animæ. Sed quia dicit beatos esse eos qui habent partem in resurrectione prima, non mihi de baptismo hoc dictum videtur, eo quòd non omnes beati sint, qui per baptismum à morte animæ resurgere videntur: eo quòd nonnulli post baptismum, ipsi sibi peccando mortem attrahunt, mentiendo quæ in eo promiserunt, atque in suis malis perseuerãdo. Sunt etiam nonnulli qui post perpetrationem scelerũ, quibus sibi mortem intulerũt, ad vitam per pœnitentiam & lachrymas, cæteráque bona opera redeunt, quibus Apostolus loquitur, dicens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Sed nec istam primam resurrectionem dicere possumus, eo quòd primò per baptismum, secũdò per pœnitentiam & lachrymas, animæ nostræ ad vitã reuocentur. Necesse est ergo vt inuestigemus, quam vocet resurrectionem primam. Quatuor sunt vitæ fidelium. Prima, mala: secunda, bona & mala: tertiæ verò & quartæ nullũ malum adhærere potest. Prima est ante baptismũ, quæ tota mala est. Secunda post baptismũ, quæ & bona & mala dici potest. Nullus enim fidelium, tempus vitæ præsentis sine aliquibus peccatis transire potest: sicut iste Ioãnes loquitur dicẽs: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Tertia est, quæ tota bona est, & ad quam series huius lectionis pertinet, quæ à passione Christi vsque ad finem mundi extẽditur, in qua sancti sine corporibus cum Domino vita æterna perfruuntur. Quã etiam primam resurrectionem esse vocat, cùm dicit, Hæc est resurrectio prima. Tempus itaque à passione Christi vsque ad finem mundi, resurrectio prima vocatur. Quarta vita sanctorum erit post receptionem corporũ, quæ nullo fine terminatur. Igitur quia vita præsens in comparatione vitæ cælestis, mors rectè dici potest, sancti prima resurrectione tũc resurgunt, cùm ab hac misera vita subtracti, in cælesti beatitudine cum Domino collocantur. Et sicut est hæc prima resurrectio sanctorum, ita est & prima mors impiorum, quãdo præsentem vitam deserũt, & in pœnis demerguntur. Secunda verò mors, vltima damnatio erit, sicut in sequẽtibus exponit. Beati ergo erunt qui habent partem in resurrectione prima, & in iis secunda mors non habet potestatem: quia illi tantummodo beati sunt & erunt, qui ante finem mundi in cõsortio sanctorum ascribi merebuntur. Multos enim fine mundi instãte, ignis purgatorius purgando cremabit, sed ante iudicium absoluti in sanctorum collegio recipientur. Atque in iis secũda mors, id est, damnatio vltima non habebit potestatem: quia iam nõ cum hœdis in sinistris, sed cum ouibus in dextris ponẽtur. *Sed erũt sacerdotes Domini & Christi, & regnabunt cum Christo mille annis.*) Nomine sacerdotum omnes electos comprehendit. Omnes nanque electi, sacerdotes vocãtur, siue quòd sint membra summi sacerdotis, siue quòd ipsi semetipsos offerre Deo per bona opera nõ desistant. *Et cùm consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog.*) Quod hic carcer vocatur, superiùs abyssus vocatur. Sed interim quæstio oritur. Superiùs quippe quorundam opinionem sequens, dixi per abyssum corda impiorum designari, in quibus diabolus à cordib⁹ fidelium expulsus, religatus teneatur. Si ergo per abyssum corda reproborum designantur, quomodo de abysso, id est, de cordibus reproborum, exire dicitur, quos nũquam derelinquet? Nunquid reprobos derelicturus est, & inuasurus electos? Nullo modo. Alligationem ergo diaboli, secundum literam intelligendam puto, vt in aliquo abysso loco virtute diuina religatus teneatur, vel certè in inferno vsq; ad diem solutionis suæ. Seducet autem gẽtes quæ sunt super quatuor angulos terræ: quia vniuersas gẽtes quę infra quatuor plagas mũdi continẽtur, Antichristi impiissima doctrina perlustrabit, nullásque alias gentes seducet, nisi quæ spiritaliter Gog & Magog vocantur. Gog nanque interpretatur tectũ. Per Gog igitur qui interpretatur tectum, ij designãtur qui malitiam suam in corde tegentes, iusti ab hominibus videbuntur, cùm futuri sint mẽte reprobi: Magog verò, qui interpretatur de tecto, eos designat qui de tecto cordis sui, in apertas * miserias prorumpentes, omnibus se impios esse demonstrabunt. Tales itaque diabolus per Antichristum facilè decipiet. *Et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris.*)

Resurrectio

Vita quadruplex.

Nemo sine peccato vixit. 1. Ioan. 1.

Resurrectio prima & secunda.

Mors prima & secunda.

Ignis purgatorius. Matth. 25.

Electi sacerdotes dicti, & quare.

Gog & Magog.

* malitias legẽdum puto.

ris.) In prælium eos congregabit, qui ad ecclesiam Dei persequendam eos armabit. *Et ascenderūt super latitudinem terræ, & circundederunt castra sanctorum & ciuitatem dilectam.*) Diximus superiùs, discipulos Antichristi laudatores fore vitiorum & omnia quæ ad delectationes carnales pertinēt docere. Super latitudinem ergo terræ ascenderūt, quia vastas huius seculi vias ingredientur, quæ ducunt ad mortem. Castra verò sanctorum & ciuitas dilecta, vnam significationem habent, significant quippe ecclesiam. Castra igitur sanctorum circundabunt: quia ecclesiam tota virtute persequentur, vt nomen Christi de mundo funditus extinguant. *Et exuit ignis de cælo à Deo, & deuorauit eos.*) Ignis de cœlo exiet, quia veniente Domino ad iudicium, ignis ante ipsum præcedet, qui non solùm omnem cateruam impiorum, sed & ipsum mundum cōsumet, sicut in nonagesimo sexto psalmo Dauid loquitur, dicens: Ignis ante ipsum præcedet, & inflāmabit in circuitu inimicos eius. Reprobi nanque quanuis cum electis conuersentur, in circuitu sunt: quia sicut hostes ciuitatem aliquam impugnāt, vt capiant eam, ita & ecclesia à reprobis impugnatur. Sed & in psalmo quadragesimonono, idem Dauid loquitur, dicens: Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Quidam hunc versum ita exponunt, quòd post succensionem elementorū, pluuia descendet, quæ combustionis cineres abluat. Sed talis expositio absurdissima videtur. Scimus enim pluuiam à mari atque à terra siue per nebulam, siue per exiccationem solis exurgere. Et sicut aqua leuia quæque à fundo ad superiora eleuat: ita & aër, aquam, aut in nebulam conuersam, aut per ardorem solis in tenuissimum fumum, & penè inuisibilem redactam, vsque ad ea loca vbi consummatio eius est, eleuat. Ibíque conglobata primò in densam nebulam, quam nubes vocamus, conuertitur: deinde vento agitante, minutissimæ guttæ simul mixtæ, atque sua permixtione graues effectæ, ad terras decidunt, pluuiámque faciunt. Ecce terra, ecce aër, ecce mare, cæteràque elementa igne consumentur. Vnde ergo pluuia exurget, maximè cùm secundū Apostolum, tunc creatura liberetur à seruitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorum Dei? Nunquid deus qui omnia ex nihilo creauit, non poterit mundare creaturam suam sine adiutorio pluuiæ, præsertim cùm ipse mundus in meliorem statum, atque multò pulchriorem reparetur post ignem? Aut quid sunt aliud cineres, nisi terra munda? Nam quascunque sordes ignis absumpserit, in cineres mundos conuertet. Nunquid non poterit deus mundos cineres in meliorem statum cum altera terra reparare, vt necessaria non sit ei ablutionis pluuia? Dicamus aliter: Omnium sordium ablutiones aut terra ebibit, aut in fluminibus decurrunt, & cum fluminibus in mare. Et quomodo terra postquam ab igne examinata fuerit, sordes suas ebibet, vt iterum sordescat? Aut quomodo in fluminibus decurret, & cum fluminibus in mare, cùm mare iam non sit, sicut sequentia huius libri videntur fateri? Quòd si mare in meliorem statum reparabitur, sicut cœlum terráque, à terræ sordibus quomodo inquinabitur? Quòd si quis dixerit ante innouationem hanc passurum esse inquinationem, atque in permutatione eius ad nihilum esse redigendas, non poterit deus sicut in aqua, ita & in terra easdem sordes ad nihilum redigere, vt non sit necesse vt in mare defluant? Per tempestatem igitur validam, vltimum interium impiorum possumus intelligere, quem sapientia per Salomonem in vltimo examine impiis se illaturam esse testatur, dicēs: Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo cùm vobis quod timebatis aduenerit, cùm irruerit repētina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit. *Et diabolus qui seducebat omnes gentes, missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi est bestia & pseudopropheta.*) Hoc tunc implebitur, quando Dominus dicet: Ite maledicti in ignē æternū, & cætera. Et cruciabūtur die ac nocte in secula seculorū. A quo cruciatu, misericordia Domini nostri Iesu Christi redēptoris nostri nos liberare dignetur: qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Via seculi lata ducit ad mortem.

Reprobi impugnant ecclesiam.

Cōsumat ineptam cuiusdam interpretationem in Psal. 49.

Rom. 8.

Prouerb. 1.

Matt. 25.

Explicit expositio visionis quintæ.

Incipit expositio Visionis sextæ.

DOmini nostri Iesu Christi misericordia largiente ad sextam visionem peruenimus: quæ bræuior est cæteris, eo quòd in ea generalis resurrectio, dānatio impiorum, glorificatio iustorum tantummodo breuiter describatur. Et rectè in sexto loco, resurrectio vltima ponitur: quia senarius numerus perfectus est, & quicquid sanctis promissum est in resurrectione perficietur. *Et vidi thronum magnum & candidum, & sedentem super eum.*) Thronus iste Dei, nō auro & gemmis ornabitur, sed hominibus iustis. Iste est nanque thronus, de quo Psalmista dicit: Thronus tuus Deus in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui. Thronus igitur Dei est omnis multitudo angelorum atque sanctorum. *A cuius conspectu fugit terra & cœlum, & locus non est inuentus eis.*) Quemadmodum à conspectu sedentis super thronum, cœlum & terra fugiat, Psalmista ostendit sicut superiùs iam diximus, qui dicit: Ignis in conspectu eius exardescet. Et iterū, Ignis ante ipsum præcedet. Fugiet autem terra & cœlum, id est, species terræ & cœli: quia ignem à sua specie commutabuntur, vt possint in aliam reformari multo meliorem & pulchriorem. Quod verò dicit, Locus non est inuentus eis: non ideo dicit, vt locum pristinum amittant, sed speciem. *Et vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni.*) Per mortuos magnos & pusillos, reprobi designantur, qui in die resurrectionis, mortui astabunt in conspectu Dei, ea videlicet morte quam primam esse diximus, post paululum in mortem secundam deiiciendi: Per mortuos verò magnos, eos designari puto, qui aut maiores fuerunt in sceleribus, aut altiores in seculi dignitatibus. Per pusillos autem ij designantur qui eis subiecti fuerūt, vel certè ij qui min⁹ peccauerūt. *Et libri aperti sūt, & alius liber apertus est, qui est vitæ.*) Libri multi ad reprobos: vn⁹ qui est vitæ ad electos pertinet. Reprobi multos libros habent, quia in multis erroribus sunt deuoluti. Nam Pagani multos deos coluerunt, & in multis erroribus semetipsos deiecerunt. Similiter & hæretici multa dogmata praua, & deo odibilia inuenerunt. Falsi etiam Christiani in multis sceleribus quotidie inuoluuntur. Multos ergo libros reprobi possident: quia multis modis Deum offendunt. Electi verò vnum librum habent, quia vnum Deum colunt, vnam fidem catholicam confitentur, vno vinculo charitatis connectuntur. Sed quærendum nobis est, quid sint libri isti. Nunquid ex aliqua materia visibili, aut inuisibili fiēt libri, in quibus singulorum facta describantur? Libri igitur multi, sunt facta reproborum: libri multi aperientur, cùm scelera reproborum omnibus manifestabuntur: per librum autem vitæ, prædestinationem Dei omnipotentis possumus intelligere. In hoc libro nomina discipulorū esse cōscripta, dominus in Euangelio manifestat, cùm dicit: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. De hoc libro Apostolus Paulus loquitur, dicens: Quos autē præscIuit, hos & prædestinauit: & quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & glorificauit. Et iudicati sunt mortui secundū ea quæ scripta erāt in libris.) Qui secundū errores proprios, & iuxta qualitatē scelerū suorū singuli iudicabuntur. aliter enim iudicabūtur hæretici, aliter Pagani, aliter falsi Christiani. Sed vnusquisque ipsorū, quātò deterior fuerit in proprio errore, tātò & acrius iudicabitur. *Et dedit mare mortuos suos, & mors & infern⁹ dederūt mortuos qui in ipsis erāt, & iudicatū est de singulis secundū opera eorū.*) Nunc ad ea quæ prætermiserat, reuertitur. Pri⁹ quippe resurrectio generalis fiet, & postea iudiciū exercetur. Quod ita esse dominus in Euāgelio manifestat, dicēs discipulis: In regeneratione cū sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecī, iudicātes duodecim tribus Israel. Primò regenerationē posuit, & postea ad iudicādos populos, eos sessuros esse dixit. Et in Euāgelio huius Ioānis dominus loquitur, dicens: Venit hora quādo omnes qui in monumētis sunt, audiēt vocē filij dei. Et pro-

Sexta visio de resurrectione generali.

Psal. 44.

Psal. 46. Psal. 96.

Seculi dignitas.

Dissentio & diuisio impiorum.

Consensio fidelium.

Luc. 10. Rom. 8.

Ioan. 5.

Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Ad imperium igitur Domini, de monumẽtis suis procedent mortui: quia corpora omnium mortuorum, pro receptione animarum viuificata, de sepulchris suis exient. Qui mala fecerunt, in resurrectionem iudicij procedent: quia ad hoc resurgent, vt in corporibus in quibus animæ peccauerũt, in ipsis & iudicentur. Vel quos habuerũt socios in iniquitatibus, habeãt participes in tormentis. Præsens quoque lectio, quod ante iudicium futura sit resurrectio ostendit, cum post redditionem mortuorum, quos mare mortem & infernũ reddidisse dicit, impios esse iudicandos narrat. Sed & fides catholica quam frequenter decãtamus, hoc demonstrat, cum dicit de Domino: Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habẽt cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem. Verum quærendũ nobis est quid significẽt, mors, mare & infernus. Scimus quippe aquas ad ablutionem peccatorum nostrorum esse consecratas: sicut dicit Dominus in Euãgelio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Mare itaque ad resurrectionem electorum; mors verò atque infernus, ad reproborum deiectionem pertinent. Mare ergo in hoc loco, baptismum designat. Quasi igitur mare mortuos suos reddet, cum electi qui in ea mundicia quam in baptismate perceperunt, in ea etiam & resurgent nullam maculam peccati habẽtes. Mare mortuos suos reddet: quia sacri baptismatis ablutio, sancti spiritus gratia, electos omnes tempore resurrectionis in conspectu creatoris sui, mundos & immaculatos exhibebit. Per mortem autem corpora impiorum quæ in terræ sinibus mortua detinentur: per infernũ verò, eorum animas, eo quòd in inferni claustris detineantur, intelligere possumus. Infernus itaq; mortuos dabit: quia animas prima morte deuoratas, quas detinet ad recipiẽda propria corpora, remittet. Mors etiam mortuos suos dabit: quia corpora quæ in puluerem redegerat, vt virtute diuina per animarum susceptionem viuificentur, exhibebit. *Et mors & infernus, missi sunt in stagnum ignis: & omnis qui non est in libro vitæ scriptus, missus est in caminũ ignis.*) Mors & infernus missi sunt in stagnum ignis, id est, animæ cum corporibus. Possumus & per mortem dæmones, eo quòd ipsi authores fuerint mortis, intelligere. Mors & infernus in stagnum mittentur, quia dæmones cum cæteris impiis in infernum demergentur.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

ET vidi cœlum nouum, & terram nouã. Primum enim cœlũ, & prima terra abiit, & mare iam non est.) Cœlum & terra, & cætera elementa quæ modò videmus, ab igne consumentur, non vt penitus deleantur, sed vt in meliorem statum, sicut superiùs iam diximus, per ignem reparentur, sicut Psalmista indicat, dicens: Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent, & velut amictũ mutabis eos, & mutabuntur. Quod dicit primum cœlũ, & prima terra abiit, speciem eiusmodi cœli ac terræ transituram esse demonstrat. Species enim eorum non essentia transibit, cum in meliorem statum commutabũtur: quod verò infert, & mare iam non est, possumus secundum literam intelligere, vt mare penitus deleatur. Aliter, Mare iam non erit, quia propriam figuram amittet, sicut cœlum & terra, vt in pulchriorem formam reparetur. Sed spiritaliter hoc intelligẽdum puto. Quicquid enim de innouatione cœli & terræ dictum est, & historialiter intelligẽdum est, sicut superiùs diximus, & spiritaliter. Possumus itaq; per cœlum, animas sanctorum: per terram, corpora intelligere. Cœlum nouũ fiet, cùm animæ sanctorum per receptionem corporum, in hominis naturam atq; formam restituentur. Terra noua efficietur, cùm corpora sanctorum quę antea erant mortalia atque corruptibilia, immortalia & incorruptibilia reddentur. Sæpe per mare impij designãtur, dicente Esaia propheta: Impij quasi mare feruẽs quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius, in conculcationem & lutum. Mare igitur iam non erit, quia omnis multitudo impiorum cum deceptoribus suis dæmonibus, in infernum detrusa, præsentem mũdi faciem, à sua inquinata habitatione mundam præstabunt. *Et vidi ciuitatem sanctam Hierusalem descendẽtem de cœlo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.*) Ciuitas Hierusalem, ecclesia est ex omnibus iustis cõstructa: de cœlo descendet, quia Domino ad iudiciũ veniente, cum illo omnis multitudo sanctorum veniet, sicut dicit Esaias Propheta: Dominus ad iudicium veniet, cum senibus populi sui, & principibus eius. Et Salomon in Prouerbiis: Nobilis in portis vir eius, quãdo sederit cũ senatoribus terræ. Quæ sicut sponsa parata & ornata esse dicitur, quia sicut sponsa diuersis monilibus & ornamentis semetipsam exornat, vt sponso suo placeat: ita & ecclesia diuersis virtutibus decoratur, vt creatori suo, qui est spõsus eius, placere valeat. *Et audiui vocem magnam, de throno dicentem. Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erũt, & ipse Dominus cum eis erit eorum Deus.*) Scimus per ciuitatẽ Hierusalẽ & tabernaculũ Domini, ecclesiam sæpe esse designatam. Ciuitas ergo in hoc loco & tabernaculum, ecclesia vocatur, eo quòd in illa habitet Deus, sicut ipse dicit per Propheram: Inhabitabo in illis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. *Et absterget Deus omnem lachrymam, ab oculis eorum.*) Animę omnium hominum immortales creatæ sunt, sicut Dominus dicit in Euangelio, Nolite timere eos qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere. Quamuis enim moriantur peccato, aut ea morte quam primam & secundam diximus: tamen non ita moriũtur, vt penitus non sint, sed earum mala essentia mors vocatur. Duóque tẽpora iis constituit Deus, præsentis vitæ, quod citò finitur, & futuræ, quod finiri non potest: vnúmq; quod fletui & mœrori, alterũ quod gaudio atq; lætitię deputauit. Verbi gratia: Si quis vellet in hoc tempore quod breuissimũ est, pro peccatis suis flere & lugere, & affligẽdo semetipsum carnalia desideria extinguere, in alio tempore quod istud sequitur, quódque infinitũ est, gaudebit, & exultabit in æternum. Si quis autẽ hoc elegerit, vt in præsenti tempore gaudeat, & desideria carnis suæ perficiat, vt in futuro lugeat & tristetur in æternũ. De iis duobus temporibus, videtur mihi Salomonem dixisse: Tempus flẽdi & tempus ridendi. Tempus flẽdi electorũ nunc est, tempus ridendi tunc erit, quãdo illud implebitur, quod Dominꝰ dicit in Euãgelio: Beati qui lugent, quoniã ipsi consolabuntur. Peccatoribus verò dicit: Væ vobis qui ridetis nũc, quia plorabitis & flebitis. Absterget ergo Deus omnem lachrymam ab oculis eorũ, quia post resurrectionem nihil triste sanctis accidere poterit, vnde lachrymę oriri possint. Et mors vltra non erit.) Primus homo immortalis factus est: peccãdo autem & immortalitatem amisit, & mortem mundo intulit. Post resurrectionem, mors non erit, quia & ipse princeps mortis diabolus, cũ omnibus satellitibus suis in infernum perpetuò reclusus tenebitur, & immortalitas quã primus homo peccando amisit, iustis redderur, & possibilitas peccãdi, quæ mortem mũdo intulit, ab eis auferetur. Neq; luctus.) Cũ superiùs dicat, quòd absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, quid necesse fuit in hoc loco luctũ ponere? Sed inter effusionem lachrymarum & luctum, aliqua distãtia est. Nam tristitia sępe lachrymas educit, sæpe gaudium, sæpe lætitiã. Luctus verò, semper ex magno mœrore nascitur. Luctus nãque, est fletus dierum multorum. Lugebat Paulus eos qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. Et Salomon loquitur dicẽs, Luctus mortui, septem diebus: luctus autẽ fatui, omnibus diebus vitæ eius. Ecclesia Domini nũc in luctu est, eo quòd per deceptiones dæmonũ quotidie maximam partem ex suis amittat. In illa autem vita luctus non erit, quia per deceptiones dęmonũ, nullum ex suis amittere poterit. Neq; clamor.) In Genesi scriptũ est quòd dixit Deus ad Abraham: Clamor Sodomorum & Gomorræ venit ad me. Esaias verò Propheta quid sit clamor Sodomorũ exponit cùm loquitur de Israel: Peccatũ suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Prędicatio igitur peccati, clamor vocatur. Possumus etiã clamorem aliter intelligere. Psalmista nanque dicit: Ad Dominũ cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me. Et Moyses in angustia positus, clamabat ad Dominũ. Vbi ergo neque peccatum quod prædicetur, neque tribulatio vlla erit, clamor vllus necessarius non erit. Neque dolor erit.) Est dolor corporis, est & mentis. Istique dolores ita sunt connexi,

Esa 3. *Prou 31.*

Ornamenta Ecclesiæ, virtutes.

Leuit. 26. *Hierem. 31.*

Matth. 10.

Eccles. 3.

Matth. 5. *Lucæ 6.*

2. Cor. 12. *Eccles 22.* *Luctus ecclesiæ.*

Genes. 18. *Esa. 3.*

Psalm. 119. *Nume. 11.*

vt vnus sine altero esse nõ possit. Dolor quippe corporis affligit mentem: similiter & dolor mẽtis, corpus excruciat. In illa igitur vita, dolor non erit, vbi neque corpori neque animę vlla aduersitas accidere poterit. Quę prima abierũt.) Prima ista abierũt, quia cum seculo trãsierunt. Electi enim qui præsentem vitam sicut superiùs iam diximus, mœroribus & afflictionibus deputauerunt, post finem præsentis vitæ gaudium sempiternum inuenerũt. Et dixit qui sedebat in throno.) Ecce noua facio omnia. De innouatione creaturarũ, superius aliqua diximus. Et dixit mihi: Scribe quia hæc fidelissima sunt, & vera.) Sed & hoc superius dictum est. Et dixit mihi: Ego sum Alpha & ω.) Quid sit Alpha & ω, subdendo manifestat, cùm dicit: Initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ, gratis.) Per fontem aquæ viuæ, sæpe scriptura sancta designatur: sicut Dominus dicit in euangelio:

Ioan. 7. Qui credit in me, sicut scriptura dicit, flumina de vẽtre eius fluent aquæ viuæ. Sed vt ordinem seruemus, per fontem aquæ viuæ, gloriam cœlestis patrię debemus intelligere. Qui fons ab ipso Domino procedens, mẽtes omnium iustorum

Merces vitæ æternæ quomodo gratis datur. Ioan. 15. sua inenarrabili dulcedine satiare non desistit. Verum quomodo gloria ista, gratis iustis datur, pro cuius acceptione, multa aduersa perferunt, multas lachrymas fundunt, innumeras precesDeo offerunt, multas eleemosynas largiuntur, & cæteris bonis operibus semetipsos exercẽt? Sed gratis vitam æternam percipiunt, quia preciũ vitę æternę, quod sunt bona opera, ab ipso accipiunt qui dixit, Sine me nihil potestis facere. Ipse quippe dat pretium, & * sine pretio vitam æternam largitur. *Qui vicerit possidebit hæc, & ero illi Deus, & ipse erit mihi filius.*) Qui vicerit diabolum, omniaque vitia superans, in bonis operibus perseuerauerit, possidebit hæc, id est, ea quæ superiùs dicta sunt, videlicet vt bibat ipse de fonte vitæ æternæ, quod est gloria perpetua. Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & mendacibus, pars illorum erit in stagnum ignis ardẽtis sulphure, quod est mors secũda.) Cùm timor valde necessarius sit hominibus, cur timorẽ inter octo vitia valde pessima, primũ posuit? Sed sunt timores boni, sunt & mali. Est timor valde optimus, de quo dicit Psalmista: Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. Est & timor mortis valde necessarius, timórque ignis æterni, timor etiam bonorum hominum, quãdo amantur ab iis, à quibus timentur. Sunt & alij timores, qui aliquando iuuant, aliquãdo nocent, sicut est timor malorum hominum, timor iudicum, timor malorum dominorũ. Sunt alij timores valde pessimi, de quibus hic dictum esse reor. Sunt nanque nonnulli qui timore pœnarum, sępe in fletibus compũguntur. Sed quia timent asperitatem viæ illius quæ ducit ad vitam, vitia deserere, rigorémque vitæ bonæ apprehendere trepidant. Sunt etiam multi quibus dedit Deus sciẽtiam legum temporalium, qui in iudiciis positi, dum vident quosdam à potentioribus iniustè opprimi, plus timentes iras hominum, quàm iram Dei, eos quos per doctrinam quam acceperunt, iuuare poterant, & à periculo liberare, tacendo in damnum magnum sinunt deuenire. Sunt alij qui non solum non eos iuuant, sed propter timorem hominum, sententiam damnationis in eos proferunt. Est & timor quem auaritia parit, aliique timores valde inutiles, de quibus longum est dicere. Incredulos non eos tantummodo vocat qui non credunt, sicut sunt Iudæi, atque pagani, sed & eos qui non credunt resurrectionem. Sunt etiam multi ex iis qui Christiani vocantur, qui non credunt Dei iustitiæ. Pro eo enim quod vitia diligunt, & desideria carnis suæ perficere volunt, non credunt comminationes diuinarũ scripturarum, nec putant se pro iis esse damnãdos. Nam libidinosi dicunt, nullo modo pro vsu concumbendi quenquam esse periturum. Sed & ebrioſi dicunt, nullo modo se pro nimia vini potatione esse puniẽdos. Similiter & auari, luxurioſi atque superbi defendunt vitia sua. Execratos eos esse puto, qui execrantur mandata diuinarum scripturarum, correptionéque hominũ bonorum. Possumus & per execratos, eos intelligere, qui tantùm sunt inuerecundi, vt non pudeat eos quædam execrabilia in cõspectu omnium perpetrare, qui non solùm à iustis, verum etiam à quibusdam iniustis, sæpe execrãtur. Homicidas vocat non solum interfectores quorundam hominũ, sed & eos qui odium portant in cordibus suis, sicut iste Ioannes loquitur dicẽs, Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Sequitur fornicatio. Fornicationũ genera multa sunt. Quibuscunque modis, excepta legitima vxore, desiderium libidinis expletur, fornicatio vocatur. De fornicationis malo, Paulus Apostolus loquitur dicẽs: Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. In corpus suum peccat, qui integritatẽ eius violat, atque corrumpit, cùm humores eius innoxios vi extrahit, atq; effundit. Est & fornicatio cogitationis de qua Dominus loquitur dicens: Qui viderit mulierem ad concupiscendũ eam, & cætera. Propheta quoque Hierusalem fornicatricem vocauit, eo quòd Deum derelinquens, idola coluerit. Similiter & nos suggestionibus dęmonum obtemperãdo, cùm nosmetipsos eis subiicimus, fornicatores non inconuenienter vocamur. Venefici autẽ sunt, qui corpora hominum veneno inficiunt, vt eos extinguãt. Sunt & alij multò deteriores venefici, ij videlicet qui seminant inter fratres discordias. Illi autẽ corpora interficiunt, isti animas. Et multò deterior est mors animę, quàm corporis. Idololatræ verò sunt, non solùm ij qui idola colunt, sed & omnes auari: hoc demonstrante Apostolo Paulo, qui auaritiam idolorum seruitutem vocat. Sed valde terribile est, quod sequitur: *Et omnibus mendacibus.*) Deinde subiungit: *Pars illorum erit in stagno ignis ardentis sulphure, quod est mors secunda.*) Et Psalmista dicit ad Dominum: Perdes omnes qui loquuntur mẽdacium. Et in alio loco: Omnis homo mendax. Si igitur omnis homo mendax, & si perdet Deus omnes qui loquuntur mendaciũ, & si omnes mendaces partem habebunt in perditione cum cæteris impiis, de quibus hactenus locuti sumus, quis saluus esse poterit? Scimus nanque nullum hominem hanc vitam posse transire, vt aliquando non mentiatur, nisi fuerit infans qui fari non potest. Sed non de omnibus mendaciis hoc dictum esse intelligere debemus, sicut nec illud de omnibus peccatoribus quod in Psalmo triceſimoſexto canitur, quia peccatores peribunt. Et in Psalmo centeſimo quadrageſimo quarto: Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet. Si peccatores peribunt, & omnes peccatores disperdet, & omnes sumus peccatores, secũdum dictum istius Ioannis, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est, ergo omnes peribimus. Absit. Sed nec hoc de omnibus peccatoribus dictum esse intelligere debemus, sed de illis tãtummodo qui in grauibus peccatis semetipsos præcipitantes, nolũt agere pœnitentiam de iniquitatibus suis. Similiter & hîc, non de omnibus mendacibus dictum esse intelligere debemus. Sunt enim mendacia quæ inter leuia peccata deputantur, à quibus nullũ puto hominem ex toto posse abstinere. Sunt & grauia, quæ mergunt hominem in damnationem mortis. Sed quia iis temporibus multi sunt qui sine aliqua reuerentia Dei omnipotentis, pene assiduè mentiuntur, placuit nobis vt de hoc vitio aliqua dicamus. Verũ prius de leuibus mendaciis dicamus, postea de grauioribus. Sæpe æstimatione mentimur, æstimantes nos videre quod non videmus, aut audire quod non audimus, aut scire quod non scimus. Sępe nanque cum à longe quosdam prospicimus, fallit nos aspectus noster, & dicimus esse qui nõ sunt. Sæpe etiam & obscuris temporibus, cùm procul lapides aut arbusta cõspicimus, ipsa obscuritate fallimur, & dicimus homines esse aut bestias. Sæpe obliuione fallimur, cùm obliuiscimur quę fecimus & vidimus, aut locuti fuimus, & dicimus nos fecisse quod non fecimus, aut non fecisse quod fecimus, aut audisse quod non audiuimus, aut nõ audisse, quod audiuimus, aut vidisse, quod non vidimus, aut nõ vidisse quod vidimus, aut dixisse quod non diximus, aut nõ dixisse quod diximus. Sępe & cùm audimus quod desideramus, dicimus verum esse quod audimus, & sæpe contingit quod falsum sit. Et cùm audimus quod nolumus, dicimus falsum esse, quãuis verum sit. Sæpe etiam ioco mentimur, vt risum audientibus excitemus. Sæpe verò ex nimia credulitate mentimur. Nam cùm audimus quosdam homines, quos veraces existimamus, aliqua narrantes verisimilia, credentes quod audiuimus, cùm ea aliis referimus, dicimus vera esse quamuis sint falsa, & frequenter

* videtur legẽdum suo.

Psalm. 18. Timor bonꝰ & malus.

Iudices timentes homines magis quàm Deũ, quales hodie multi.

Timor ex auaritia.

Impij vt vitijs indulgeant, impunitatem sibi falsò promittũt.

Ebrij.

Prostitutæ malitiæ homines.

Homicidæ

qui sint. 1. Ioan. 3.

Fornicatio.

1. Cor. 6.

Matth. 5. Ezech. 16.

Venefici.

Discordiæ authores. Idololatriæ Coloss. 3.

Mẽdacium. Psalm. 5. Psal. 115.

Mẽdacia leuia, seu vrgentes.

Neminẽ esse qui à mẽdacijs in totum abstineat.

Duo peccatiũ genera.

1. Ioan. 1.

frequenter cum iuramento affirmamus. Sunt & multi qui gesta patrum quæ in diuinis scripturis aut legerunt, aut audierunt, ex parte obliuiscētes, cùm ea aliis narrare cœperint aut quædam mendacia intermiscent, aut ex multis narrationibus vnam facere conantur. Et sicut qui stannum auro vel argento admiscens, inutilem materiam facit, ita & isti cùm ex multis narrationibus vnum facere satagunt, mentiendo inutilem reddūt. Melius est enim silere, quàm gesta sanctorum mendaciter proferre. Sunt etiam multi diuinis literis eruditi, qui Iudæis vltrà quàm oportet credentes, quasdam eorum fabulas vanissimas suscipiūt, & suis traditionibus interserūt. Scimus itaque quoniam Iudæi omnia quæ de Christo in veteri testamento inueniuntur, in prauos sensus peruertere nituntur, vt gloriam nominis Christi, apud quoscunque possunt, extinguant. Et non solum prophetias de Christo euertūt, sed & in cæteris locis, multas vanissimas & obscurissimas fabulas interponunt. Miror ergo cur inimicis Christi, omnisque religionis nostræ creditur, aut ab eis aliqua suscipiūtur, nisi tantūmodo ea quæ ab antiquis patribus probata esse dinoscuntur. Ipsi quippe patrem habent diabolum, qui in veritate non stetit, quia mendax est ipse & pater eius, & quoscunque diabolus possidet, mendaces facit. Sæpe & timore mentimur. Nam cum timemus, vt à potentioribus aliquæ molestiæ nobis ingerantur, aliquando mendacia excogitamus, per quæ liberemur. Sed & viatores quædam mendacia inuenire solent, vt à latronibus liberentur. Similiter & serui & pueri aliqua mendacia interpolare solent, ne vapulēt. Sunt etiam multi, qui in extraneis locis positi, egestatis, aut aliqua necessitatis causa mentiuntur, vt victum aut aliqua corporis necessaria, sibi adquirant. Sæpe & nos amore atque ira mentimur, laudantes eos quos diligimus vltra modum, & vituperantes eos quibus irati sumus, plus quàm oportet. Sed ista grauiora mihi videntur, quàm superiora. Sunt alia mēdacia superioribus similia, quæ longum est prosequi. In talibus nanque mēdaciis non solum iniusti, sed & iusti sæpe dilabuntur. Et propter hoc videtur mihi Psalmistam dixisse, Omnis homo mēdax, Est & aliud genus mēdacij, quod absque culpa videretur, nisi scriptura diceret, quia omne mendacium à malo est: ex quo aliqua in diuinis scripturis inueniuntur. In † Genesi nanque scriptum est, quòd præceperit Pharao obstetricibus Hebræorum vt masculos interficerent, & fœminas reseruarent. Sed illæ timentes deū conseruabant mares. Pro qua re, cùm à Pharaone increparentur, dixerunt, quòd omnes Hebrææ mulieres obstetricādi haberēt scientiam, illisque nescientibus parerent. Nonne melius fuit mentiendo pueros reseruare, quàm vera dicēdo, tot homicidia perpetrare? In Iosue quoque scriptum est, quòd miserit duos exploratores, ad explorandam Iericho. At illi ingressi sunt domum cuiusdam meretricis, nomine Raab, quæ abscondit eos in interioribus domus suæ. Venientibúsque persecutoribus eorum, dixit, quòd cum porta clauderetur in tenebris aufugissent. Atque pro hoc mendacio, à persecutoribus eos liberans, ipsa cum tota cognatione sua, à mortis periculo liberata est. Et pro hoc facto, à beato Paulo Apostolo, in epistola ad Hebræos laudatur. Ait enim: Fide Raab meretrix non periit cum cæteris incredulis, excipiens exploratores cū pace. In Regum etiam volumine scriptū est, quòd Dauid fugiēs Absalon filium suū, miserit Hierusalē duos exploratores, ad explorandos actus eiusdem filij sui. Quod cùm audisset Absalon, misit qui eos caperēt. At illi fugientes, ingressi sunt domum cuiusdam viri, cuius vxor abscōdit eos in puteo, quē habebat in vestibulo, posito desuper operimento. Venientes verò persecutores eorum, eósque requirentes, illa respondit: Transierunt statim gustata paululum aqua. Verum igitur dicendo, eos posset perdere, quos mentiendo seruauit. Talium itaque mendaciorum maculæ, à charitate ex qua procedunt, delentur, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Nunc de grauioribus mēdaciis dicamus. Sunt nanque infidelitatis mendacia, sunt & blaspemiæ, sunt & alia quæ ex odio procedūt, alia quæ inuidia generat, alia quæ auaritia, alia quæ vana gloria, habent nihilominus cætera vitia, mendacia sibi conuenientia. Infideles quippe Iudæi atque ethnici, habent plurima mēdacia.

A Nam excepto quòd Christū negant venisse in carne, habent multos errores, quibus decepti pereunt. Sunt & mendacia blasphemiæ, quibus idem Iudæi atque Pagani, necnon & hæretici Deum & ecclesiam, omniaque diuina mysteria multis modis blasphemant. Sunt etiam mendacia, quæ ex odio procedunt. Nam nonnulli pro eo quòd odium in cordibus contra proximos gestant, falsa crimina eis innectunt, & quos non possunt gladio interficere, falsis criminationibus in damnum magnum, sæpe etiam & in mortem præcipitant. Sunt & alia mendacia, quæ parit inuidia. Inuidiosi quippe cùm vidēt aliquos, aut dignitatibus seculi, aut sapientia, aut aliquibus artib° præpollere, eos despicere & subsannare nō cessant: séque ipsos illis præferre, vt ipsi clariores apud eos qui eorum mendaciis credunt, videantur, quàm illi quos despiciunt. Sunt & derisionis mendacia, quę propriè ad inuidos pertinent. Derident nanque semper inuidi facta meliorum, & quibus coęquari non possunt, eorum actus suis mendaciis obnubilare quęrunt. Sunt etenim multi qui eos quos odio habent, aut quibus inuident, fingentes se esse amicos, suis callidis suasionibus, ad quędam flagitia perpetrāda pertrahūt. Quos cum in aliquod scelus, veluti in foueam alicuius peccati prępcipitauerint, contra eos versi atrocius quàm cæteri persequuntur, & qui videbantur amici, quòd fuerint pessimi inimici comprobantur. Habet & auaritia mendacia sua. Quàm multi sunt qui propter aliorum substantiam tollendam, multas fallacias & diuersas machinationes componunt, vt aliis auferant, vnde auaritiæ suę baratro quod insatiabile est, aliquantulum satisfaciant. Sūt etiam multi qui pro præmiorum acceptionibus, falsi testes contra proximos suos efficiuntur, & eos mentiendo, aut in seruitium præcipitant, aut hæreditatem siue substantiam auferunt. Sunt & alia mendacia, que gignunt vanam gloriam. Sunt enim multi vanæ gloriæ amatores, qui vt magni & egregij ab hominibus habeantur, dicunt se magna quædam fecisse, quæ non fecerunt, aut posse quod non potuerunt, aut possidere quod non possidebant, aut sapere quod non sapiebant, vt ad celsitudinem ad quam conscendere nequeunt, sua mendacia eos eleuent. Et quia hoc vitium apud quosdam pro nihilo habetur, etiam in monasteriis scimus quosdam hoc vitio esse maculatos. Multi quippe sunt qui postquam seculum reliquisse videntur, vt magnos & inclytos se apud simplices quosque, & qui in monasteriis educati fuerunt constituant, dicunt se possessores fuisse magnarum diuitiarum, iactant se fuisse præliatores, venatores, & multa alia de se mentiuntur, vt magni apud eos, quos suis mendaciis decipere possunt, habeantur. Ad te ergo loquor, qui talis es: Ecce qui in seculo positus, vix simplicem cibum, qui tibi tuísque omnibus sufficeret, per totum annum elaborare poteras, in monasterio positus, possessor thesaurorum, prædiorum, magnarúmque diuitiarum efficeris. Et qui vix vnam vulpeculam capere poteras, monachus effectus, venator potentissimus factus es, & qui quosdam ex infimis vicinis tuis formidabas, in monasterio positus, pręliatorem fortissimū te fecisti. Ecce hoc nō fuit seculum reliquisse, sed acquisisse. Dicis te hominem in prelio interfecisse, & homicidij reatum

D super te imposuisti. Lingua mendax fecit, quod manus non præualuit. Et vis vt probē quòd te mentiendo, reum homicidij feceris? Saul, sicut in libro Regū legimus, timore Philistinorū, manu propria semetipsum interfecit. Venítque quidam homo ad sanctum Dauid, & dixit quòd ipse Saulē, qui eum persequebatur, interfecisset: sed ille spiritu prophetiæ mētitum esse eum intelligens, veluti homicidā punire iussit, reatúmque homicidij super illum imponens, dixit: Sanguis tuus super caput tuū. Os enim tuum locutum est aduersum te dicēs, Ego interfeci Christum Domini. Scimus autem diuites seculi ad conuersionem venientes, grauiter peccare, si se de diuitiis ac potentia sua iactare cœperint. Et si ille reus est, qui verū dicit, quantò magis tu qui penè per omnia mētiris. Sunt etiā alij qui propè indesinenter mentiuntur, & vix aliquid loqui possunt sine mēdacij admixtione. Qui ad omnia semper quæ audiunt, quædam mendacia confingunt: & dicunt se vidisse quæ non viderunt, & audisse quæ non audierunt, & fecisse quæ non fecerunt. Cúmq; à veracibus de-

Mendacia blasphemiæ contra ecclesiam & diuina mysteria. Detractio. Mendacia ex inuidia.

Derisio inuidiæ filia.

Personatus amicus hostis pessimus. Auaritia.

1. Reg. 31. 2. Reg 1.

Iactantia etiam sine mendacio peccatum.

Contra assiduitatē mētiendi.

Inanis gloria.

prehenſi fuerint, dicunt non poſſe quenquam bene vera loqui, qui non poſſit bene mentiri. O ſtulte, quàm vana eſt aſſertio tua. Ecce Chriſtus multa bene & veraciter locut⁹ eſt, qui nunquam potuit mentiri. Cuius veſtigia te ſequi magis oportuiſſet, in quantum virtus ſuppeteret. Similiter & cęteri prædicatores multa docuerunt & ſcripſerũt ſine permixtione mendacij, & ſcriptura dicit, quia omne mendacium à malo eſt. *Matth.5.* Si mendacium malum eſt, quomodo malum bene poteſt proferri? O infelix, quàm vana eſt tibi ira Dei omnipotentis, quem aſſiduè ſine cauſa offendere non trepidas. *Peccans ſine cauſa, ſine tentatione.* Nam cætera vitia quanquam Domino contraria ſint, videntur tamen aliquid corpori conferre. Auaritia quippe quanuis ſit per omnia Deo odibilis, videtur tamen aliquid corpori conferre: quia diuitias congregat, ex quibus deſideria ſua expleat. Similiter & libido videtur aliquid corpori conferre, quia in perfectione eius, voluptas carnis extinguitur. Et ebrietas quanuis Deum offendat, gulæ deſideria perficit. Similiter & cætera vitia ad carnis deſideria perficienda aſſumuntur. Sunt etiam quædam mẽdacia, quæ corpori aliquid videntur adiicere, ſicut ſunt auaritiæ, de quibus ſuperius diximus. Tu autem nihil corpori acquiris, & Deum ſine intermiſſione offendere non metuis. Ecce mendacium tuum leue eſſet, ſi tardè accidiſſet: verùm ex iugi continuatione, grauiſſimum atque importabile efficitur. Nam ſicut lutum leuius eſt quàm plumbum, ſed ex multiplicatione ſua, grauius & periculoſius fit, ita vt in eo ſæpe pecora demergantur: ſic & quædam leuia peccata ex congerie ſua, grauiora quibuſdam, quæ grauia exiſtimantur, efficiuntur. Et ſcito quia ſicut ipſe dixit, Deus veritas eſt, nihil plus contrarium poteſt eſſe veritati, quàm mendacium. Horum ergo pars erit in ſtagno ignis ardentis ſulphure, quod eſt mors ſecunda. *1.Ioan.5.* Quid ſit mors ſecunda, in hoc loco manifeſtè demonſtrat. A ſupradictis igitur vitiis, ne in morte ſecunda, incidamus, miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti redemptoris noſtri, nos liberare dignetur, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Explicit expoſitio viſionis ſextæ.

Incipit expoſitio Visionis Septimæ.

Septima viſio de gloria ſanctorum. Septima viſio ad quam Domino donante peruenimus, tota ad illud tempus quod poſt reſurrectionem futurum eſt, pertinet. Et ordo poſcebat, vt generali reſurrectione deſcripta gloriam ſanctorum, quam poſt reſurrectionem ſine fine poſſidebunt, deſcriberet: quæ ſub figura ciuitatis Hieruſalẽ, in hac viſione deſcribitur. *Et venit vnus de ſeptem angelis qui habebat phialas, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, oſtendam tibi ſponſam vxorem agni.*) Superius in quinta viſione, Ioannes dicit, ſeptem angelos habentes ſeptẽ phialas ſibi fuiſſe demonſtratos. *Supra, cap. 15.* Et in ſequentibus vnum ex illis, ciuitatem diaboli damnationémq; eius ſub ſpecie mulieris meretricis, ſibi oſtẽdiſſe. Similiter & hîc vnum ex eiſdem ſeptem angelis dicit ſibi ciuitatem Dei ſub figura Hieruſalem demonſtraſſe. Eandem ergo ſignificationem habẽt ſinguli iſti, quam illi ſeptem. Significant nanque prædicatores, qui fuerunt & erunt vſque in finem: Ioannes verò, typũ tenet cæterorum fidelium. Angelus igitur Ioanni ſe demonſtraturũ ciuitatem Dei repromittit: quia prędicatores ſancti, cæteris fidelibus quanta ſit beatitudo iuſtorum, in quãtum poſſunt, ſtudent demonſtrare, vt eos ad vitam æternam percipiendam accendant. *Prædicatores.* Quam etiam ſponſam, vxorem agni vocat. *Ioan.3.* Quod ſponſa agni eccleſia iure vocetur, Ioannes Baptiſta demonſtrat, dicens: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Quod autem & vxor dicatur, ſcriptura demonſtrat dicens: *Geneſ.2. Epheſ.5.* Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Quaſi ergo patrem ſuũ filius Dei dereliquit, cùm de illa cœleſti beatitudine ad terras deſcendens, hominem aſſumpſit, quem pro ſpõſa ſua quæ eſt eccleſia, daret. Matrem dereliquit, quia affectũ matris abiiciens, corpus quod ex ea aſſumpſit, pro eccleſia ſua tradidit. Quã ſibi ita vniuit, vt ipſe ſit caput, & ipſa corpus. *Coloſſ.3.* *Et ſuſtulit me in montem magnum & altum.*) Mons iſte, Chriſtus eſt. De hoc monte Propheta loquitur dicens: Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini, ſuper verticem montium. *Eſaiæ 2.* Montes ſuper quorum verticem mons domus Domini præparatus eſſe dicitur, patres veteris teſtamenti deſignant. Super hunc igitur montem domus Domini, id eſt, eccleſia ædificata eſt: quia ſuper Chriſtum fundata eſt, ſicut Paulus apoſtolus loquitur dicens: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. *1.Cor.3.* *Et oſtẽdit mihi ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cœlo, habentem claritatem Dei.*) Notandum quia Ezechielis vltima viſio, cum hac Ioannis viſione concordat in aliquibus locis. Et ideo placuit vt de illa huic operi pauca inſeramus. Dicit nãque montem ſibi fuiſſe demonſtratum, ſuper quem erat ciuitas, & in ea templum. Verùm ciuitatem tantummodo commemorans, de templi ſtructura multa eſt locutus. Eãdem verò ſignificationem habet illud templum, quam & hîc ciuitas: ſignificãt enim eccleſiam. Sed per templum illud, prẹſentis temporis eccleſia: per ciuitatem autem Hieruſalem, eccleſia quidem, ſed qualis poſt finẽ mundi futura eſt, deſignatur. Sed dicit aliquis: Quomodo deſcriptio iſta Hieruſalem, id eſt, eccleſiæ, ad futurũ tempus pertinet, cùm præſentis temporis eius forma in hac videatur viſione deſcribi? Ad quod nos reſpõdemus, quia eccleſia quandiu in hac vita cõſiſtit, agnoſci perfectè non poteſt, ſed quaſi ſub quodam velamine abſconſa tenetur, cùm ignoretur quis ſit reprobus, aut quis electus, aut ad quem finem actus ſuos vnuſquiſque perducat: in illa autem vita, eius forma omnib⁹ patebit. Tunc enim aliquando omnibus apparebit, quis fuerit murus, qui portæ, qui fundamẽta, qui lapides ſtructuræ, qui lapides precioſi. Sed quærẽdum nobis eſt, quomodo de cœlo deſcẽdere dicatur, cùm ad cœleſtẽ habitationem quotidie conſcendat, in qua ſine fine permanſura creditur. Sanctorum actus atque merita quandiu mente pertractamus, ſeu per augentur in cordibus noſtris: & quãtò plus ea cõſideramus, tãtò amplius eorum magnificẽtia nobis eleuatur. At cùm oculos mentis noſtræ ad magnitudinem Dei omnipotentis conſiderandam attollimus, magnitudo ſanctorum magnitudini Dei comparata, valde nobis humiliatur. Aſcẽdunt igitur nobis ſancti, cùm eorum actus & merita conſideramus: deſcendunt verò, cùm ad conſiderandam Dei omnipotentiam, oculos mentis noſtræ attollimus. Dicitur igitur claritatem Dei habuiſſe. Habebat profectò claritatem Dei, non ſuam. Sẹpe etenim ſol in aqua fulgẽs, ſuam claritatem aquæ largitur, ita vt aqua oculos intuentiũ reuerberet, ſicuti & ſol. Quemadmodũ igitur aqua claritatem ſolis habet, ſed non à ſeipſa, ſed à ſole, ita & ſancti habẽt claritatem Dei, ſed non à ſeipſis, ſed à Deo à quo illuminantur. *Lumen eius ſimile lapidi precioſo, & tãquam lapidi iaſpidis, atque cryſtalli.*) Ecce tres lapides poſuit, quorum lumẽ eccleſiæ aſſimilauit: vnum ſine nomine, duos verò nominatim exprimẽs. Poſſumus itaque per lapidem precioſum, patrem: per iaſpidem, filium: per cryſtallum, ſpiritum ſanctum intelligere. Primus ſine nomine eſt, quia pater à ſeipſo eſt. Secundus & tertius nominatim experimuntur: quia filius à patre eſt, ſpiritus verò ſanctus ab vtroq; procedit. Poſſumus etiam per lapidem precioſum, ſpem: per iaſpidem, fidem: per cryſtallum verò, charitatem intelligere. Sed poteſt aliquis dicere, quia in illa vita neceſſariæ non erunt fides & ſpes. *Rom.8.* Quod enim videt quis, quid ſperat? Ad quod reſpondemus, quia ſicut veſtis quæ ex aliqua materia tingitur, poſt tinctionem materia abiecta, colorem pulcherrimum in ſe retinet: ita & in illa vita fide, ſpe, humilitate, abſtinentia, cæteriſque virtutibus abſque charitate finem accipientibus, ſplendor quem ex operatione illarũ ſancti acquiſierunt, in eis ſine fine permanebit. *Et habebat murum magnum, & altum.*) Iſte eſt murus de quo dicit Propheta: Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in eã murus, & antemurale. *Eſa.26.* Per hunc igitur murum, Chriſtus cum omnibus membris ſuis deſignatur: ita vt per illum, fundamentum: per reliquam verò ſtructuram, eius membra figurentur. *Habentem portas duodecim.*)

Simile. *Sanctorum claritas à Deo eſt.* *Vltima viſio Ezech. & vltima Ioannis cõferuntur.* *Ezec.40.* *Eccleſia in hac vita propter mixta zizania imperfectè cognoſcitur.*

In Eze-

In Ezechiele ſcriptum eſt,quòd templum quod ei demonſtratum eſt,tres portas habuerit,Orientalem videlicet, Auſtralem & Aquilonarẽ.Præcepitque Deus, vt porta Orientalis clauſa ſemper maneret,principe tantummodo per eam intrante & exeunte. Per portam Orientalem, beata virgo Maria figuratur, quæ clauſa ante ingreſſum principis, id eſt Chriſti,ſemper extitit:& poſt egreſſum eius,clauſa in ęuum permanſit.Porta autem Auſtralis,vetus teſtamentum: porta verò Aquilonaris,nouum deſignat. Ij itaque qui Auſtrali parte venire dicuntur, Iudæos:qui autem ab Aquilonari, gentes deſignant. Iudæi itaque qui cognitionem Dei habebant,& quibus lex data fuerat à parte ſolis,id eſt ab Auſtrali parte,in qua ſol feruet, non incõgruè in eccleſiam venire dicuntur. Per portam Auſtralem ingrediebantur, quia cognoſcentes in veteri teſtamento multipliciter Chriſtum eſſe prophetatum,diuerſiſque modis præfiguratum,eos ad fidem Chriſti ſuſcipiendam,ſuæ ſcripturæ pertrahebant.Gentiles verò idololatriam deſerentes, illíque abrenuntiantes, qui dixit:Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis:aſcendam ſuper altitudinem nubium,ſimilis ero altiſſimo,non incõgruè ab Aquilonari parte venire dicuntur.Per portam aquilonarem ingrediebantur,quia doctrinam euangelij audientes, virtutes etiam quæ per Chriſtum & miniſtros eius factæ ſunt admirantes,ad fidem Chriſti ſuſcipiendam currebant. Præceptum eſt etiam, vt per iter quo quiſque intrauerat, non regrederetur,ſed è regione eius egrederetur. Videlicet vt qui ingrediebatur per portam meridianam, egrederetur per portam ſeptentrionalem : & qui ingrediebatur per portam ſeptentrionalem, egrederetur per portam meridianam. Iudæi quos intelligentia veteris teſtamenti, ad fidem Chriſti ſuſcipiendam perducebat, non debebant reuerti ea parte qua venerant, ſcilicet vt obſeruationes legales carnaliter implerent, ſed egredi potius per portam Aquilonarem ad Euãgelij videlicet doctrinam meditandam,& perſcrutandam ſe transferre,vt diſcerent ſpiritaliter implere, quod antea carnaliter facere ſatagebant. Gentiles verò qui per portam Aquilonarem ingrediebãtur, id eſt,qui per doctrinam Euangelij filij eccleſiæ efficiebantur, non debebant reuerti ea parte qua venerant, videlicet vt ad errores philoſophorum perſcrutandos regrederentur: ſed potius poſt ſuſceptionem fidei atque doctrinæ Euangelicæ,ad portam meridianam, id eſt,ad doctrinam veteris teſtamenti perſcrutandam ſe transferre, vt cùm inuenirent in eo Chriſtum multis modis eſſe prædictum, roboraretur in eis fides Chriſti. Per portas autem duodecim,quas Hieruſalem habere dicitur, duodecim Apoſtoli eorúmque doctrina deſignatur. *Et in portis, Angelos vidi duodecim.*) Angeli duodecim, cæteros prædicatores, videlicet Apoſtolorum ſequaces, deſignant. Qui in portis viſi dicuntur, quia fidem Apoſtolorum inconcuſſam tenentes, eorúmque doctrinam ſequentes,quoſcunque potuerunt,ad fidem Chriſti trahere ſtuduerunt. *Et nomina ſcripta duodecim tribuum filiorum Iſrael.*) Per nomina duodecim tribuum,patres veteris teſtamenti poſſumus accipere, qui à fide ſanctæ trinitatis non deuiauerunt. Poſſumus etiam & per eadem nomina vetus teſtamentum intelligere. Nomina duodecim tribuum,in portis ſcripta erant: quia doctrina Apoſtolorum cæterorúmque prædicatorum plena ſunt exemplis veteris teſtamenti.Ab Oriente portæ tres. Quatuor plagas mundi poſuit,vt indicet penè omnes gentes,quæ inter quatuor plagas mundi continentur,ad eccleſiam conueniſſe.Contra vnamquanque verò plagam, ternas portas ſe vidiſſe dixit, id eſt, ſimul duodecim, vt indicet nullum intra eccleſiam ingredi poſſe,niſi per confeſſionem ſanctę trinitatis. Et quia doctrina Apoſtolorum nihil eſt aliud niſi Euangelium & ipſum Euangelium in quatuor libros diuiditur,& vniuſcuiuſque libri doctrina in fide ſanctæ trinitatis cõſiſtit: rectè hæc ciuitas quatuor latera habere dicitur, & per ſingula, ternas portas:quę ſimul iũctæ,fiũt duodecim.*Et murꝰ ciuitatis habẽs fundamẽta duodecim,& in ipſis ſcripta duodecim nomina Apoſtolorũ & agni.*) Quid ſignificẽt duodecim fundamenta,ipſe expoſuit,cùm ſubiunxit, quòd in eis ſcripta eſſent duodecim Apoſtolourm nomina & agni.Reprehenſus ſum à quodam, cur Petrum fundamentum eccleſiæ dixerim, in eo loco vbi Dominus dicit:Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.Si Petrus fundamentum eſt eccleſiæ ſicut & cæteri Apoſtoli,quemadmodum præſens lectio apertè demonſtrat:ergo ſuper ipſum ædificata eſt, ſicut & ſuper cæteros. Si verò ſuper Petrum eccleſia ædificata non eſt,ergo nec ſuper cæteros. Vera eſt ergo huius Ioannis præſens aſſertio,quia duodecim fundamenta eſſe eccleſiæ dixit. Nec repellit nos à noſtro intellectu,illud quod Apoſtolus dicit: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt,quod eſt Chriſtus Ieſus. Non enim aliud fundamentum eſt Petrus, & aliud Chriſtus Ieſus, quia Petrus membrũ eſt Chriſti Ieſu, ſicut ipſe dixit diſcipulis ſuis:Vos in me,& ego in vobis. Chriſtus nãque fundamentum eſt omnium Apoſtolorum ſuorum, ſimiliter & ipſi fundamenta ſunt eorum,qui per eos crediderũt.Vnum eſt igitur fundamentum,id eſt, Chriſtus, à quo continentur omnia fundamenta,ſuper quem etiam Chriſtum,tota compages eccleſię conſtructa eſt. De hoc fundamẽto Paulus loquitur,dicens: Si quis autem ædificat ſupra fundamentum hoc, aurum,argentum, lapides pretioſos,lignum,fœnum,ſtipulam,vniuſcuiuſque opus quale ſit,ignis probabit. Sex hîc poſuit ſpecies:tres ſpecioſas,& tres viles.Sæpe per aurum ſapiẽtia deſignatur. Aurum ſupra fundamentum Chriſti ædificat, qui ſapientiam quæ vitia conterat, & virtutes nutriat, in corde ſuo recondit, imitans Pſalmiſtam, qui dixit : In corde meo abſcondi eloquia tua,vt non peccem tibi.Per argentum verò,ſermo prædicationis exprimitur.De quo idem Pſalmiſta dicit:Eloquia Domini,eloquia caſta,argentum igne examinatum. Argentum ſupra fundamentum Chriſti ædificat, qui bonum quod didicit, alios docet, vt eos ad bona opera agenda pertrahat. Per lapides autem pretioſos, bona opera deſignantur: lapides pretioſos ſupra fundamentum Chriſti ędificat,qui bonum quod docet,operibus implet.Sunt quidam qui verba exhortationis, quibus cæteros perfectè inſtruant non habent, ſed cùm bona opera exercent, lapides pretioſos ſuper fundamentum Chriſti ædificãt.Similiter & qui parua ſciunt,& ea alios docent, argentum vtique ſuper Chriſtum ædificant:ſi tamen operibus implent ea quæ docent.Multi enim intellectum quem acceperunt,alios docẽdo ſuper Chriſtum ædificant, ſed per mala opera deſtruunt in ſe,quod ædificauerunt. Per ligna verò,fœnum,atque ſtipulam,peccata minima deſignãtur.Sed alius intellectus eſt, qui nos ab hoc ſenſu excludit. Non enim ſuper Chriſtum peccata,ſed virtutum opera ædificantur. Et quando peccamus,ab ædificatione quæ fit ſuper Chriſtum reuertimur,& quantò grauius peccamus,tantò lõgius ſeparamur.Sed cùm per pœnitentiam ad bona opera agenda recurrimus,ad ædificationem quæ fit ſuper Chriſtum reuertimur. Poſſumus ergo per ligna, terrena opera intelligere, dum quis terreno operi inſiſtit,vt habeat vnde viuat,ne fortè neceſſitate compulſus,furari cogatur. Nam Apoſtolus præcipit,vt cum ſilentio operantes,vnuſquiſque ſuũ panem mãducet.Per fœnum verò amorẽ terrenũ poſſumus accipere, cùm quis pro affectu carnis,vxorẽ,filios,fratréſque diligit. Sed & hoc ipſum Apoſtolus præcipit,vt viri vxores,vxores viros,filij parentes,parentes filios ſuos diligãt. Per ſtipulam autem,eos poſſumus intelligere, qui pro eo quòd eos libido exagitat, & ſe continere non poſſunt,vxores accipiunt.Sed & hoc Apoſtolus præcipit,dicens:Propter fornicationem,vnuſquiſque ſuam vxorem habeat.Et quia talis conuerſatio ſine crebris offenſionibus eſſe non poteſt,dicit per ignem tales eſſe ſaluandos,id eſt,per ignem purgatorium.Et hoc fiet ſi à grauibus peccatis ſe abſtinuerint,& per eleemoſynarum largitionem hoc promeruerint,vt poſt mortem, per ignem purgatorium ſaluari poſſint.Sicut enim aurũ quod ex aliis permixtionibus ſordidũ efficitur,per ignem purgatur:ita & iſti à ſordibus quas ex mundanis actibus contraxerunt,per ignẽ mundantur,vt digni fiant electorum numero ſociari. *Et qui loquebatur mecum,habebat harundinem auream,vt metiretur ciuitatem,& portas & murũ.*) Angelus qui loquebatur cum Ioãne,in hoc loco Chriſtum ſignificat, qui modò reget omnes gẽtes in virga ferrea,ſicut ſuperiùs iã dictũ eſt.In futuro au-

Petrus fundamẽtum eccleſiæ quomodo? *Matth.16.*

1.Cor.3.

Ioan.14.

Locus Pauli 1.Cor.3. exponitur.

Pſalm.118.

Pſalm.11.

Prædicatores qui dicũt & non faciunt.

2.Theſ.3.

Epheſ.5.6. Tit.2.

1.Cor.7.

Ignis purgatorius.

tem, ciuitatem Dei, quæ ex omnibus gẽtibus conſtabit, harũdine aurea metietur. Diximus ſuperiùs per virgã ferream, diſciplinam Euãgelij eſſe deſignatam ferrum verò graue eſt, & duriſſimum. De duritia autem virgæ ferreæ dicit Dominus in Euangelio: Arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam. Sed hanc duritiam, amor Dei & ſpes cæleſtis patriæ, ſuauem & leuem facit, ſicut ipſe iterum dicit: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Virga itaque ferrea in harundinem leuem, ſuauem, atque auream commutabitur: quia ſancti pro anguſtiis quas pro Chriſto pertulerunt, ſuauitatem, & gloriam perpetuam recipient. Metietur verò ciuitatem, & portas eius, & murum, quãdo ſecundum qualitatem operum vnicuique mercedem reſtituet. Sed quærẽdum nobis eſt, cùm ciuitatem mẽſus fuiſſe dicatur, cur portas & murum adiunxerit, cùm ciuitatis nomine hæc omnia comprehendantur. Verùm ſicut præterita & futura docent, per portas, Apoſtoli: per ciuitatem, Apoſtolici viri: per muros verò, cætera multitudo fidelium deſignatur. Sed hæc ſequentia plenius manifeſtant. Sequitur: *Et ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt, quanta & latitudo.*) Per quadraturam ciuitatis, perfectio deſignatur. Quadratum quippe lapidem in quamcunque partem verteris, rectus ſtabit. Et ſi quadratum lapidem aut aliud quicquid quadrari poteſt, diligenter inſpexeris, perfectionem eccleſię in eo eſſe depictam, deprehendere poteris: habet nanque ſex latera, octo cornua, crepidines duodecim. Sex latera, perfectionem demonſtrant bonorum operum: quia ſenarius numerus perfectus eſt. Habet octo cornua, ex quibus quatuor cœlum, quatuor terram reſpiciunt. Quatuor igitur cornua, deſignãt Euangelia, quæ duplicantur, quia dilectionem Dei & proximi ſpecialiter commendant. Quatuor cœlum reſpiciũt, vt indicent Deum ſuper omnia eſſe diligendum. Quatuor, terram reſpiciũt, vt indicent proximos tanquam noſmetipſos eſſe diligendos. Duodecim verò crepidines, fidem demonſtrant duodecim Apoſtolorum. A ſingulis autem cornibus, tres crepidines prodeunt, vt indicent à doctrina Chriſti, quod eſt Euangelium, quæ etiam in quatuor libros diuiditur, fidem ſanctæ trinitatis in Apoſtolos tranſiſſe, vt per illos ad omnes gentes migraret. Hoc totum de quadrato lapide ideo diximus, vt demõſtraremus per quadraturam ciuitatis, perfectionem eccleſiæ eſſe deſignatam. Et quia hæc ciuitas quadraturam æqualem habet, longitudo eius tanta eſſe dicitur, quanta & latitudo. Per longitudinem nanque æterna gloria, per latitudinem autem charitas deſignatur: longitudo igitur huius ciuitatis tanta eſt, quanta & latitudo: quia quantùm vnuſquiſque fidelis in hac vita poſitus, maior fuerit in charitate, tantò maiorem gloriam in cæleſti beatitudine poſſidebit. Et quantò minor fuerit charitas, tantò minor erit & gloria. *Et menſus eſt ciuitatem, per ſtadia duodecim millia.*) Longitudo & latitudo & altitudo, æqualia ſunt. Eandem ſignificationẽ habent ſtadia duodecim, quam & portæ duodecim habent. Significant nanque Apoſtolos, ſed ſuperiùs longitudinem & latitudinem hanc ciuitatem æqualem habere dicit: hîc verò dicit, quòd longitudo, latitudo & altitudo eius, æqualia ſunt. Poſſumus ergo in hoc loco per tria hæc quę poſuit, fidem, ſpem, & charitatem intelligere: ita vt per longitudinem, fidem: per latitudinem, charitatem: per altitudinem verò, ſpem intelligamus. Sed quomodo æqualia eſſe poſſunt, cùm Apoſtolus dicat: Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hęc, maior autem horum eſt charitas? Nam quamuis charitas maior ſit omnibus virtutibus eo quòd ipſa maneat in æternum, ſecundum tamen quendam modum iis tribus virtutibus æqualitas aſcribi poteſt: dicit quippe Apoſtolus, quia fides per charitatem operatur, & fides ſine operibus mortua eſt. Si mortua eſt, illi cui mortua eſt, nihil eſt. Et ſi fides per charitatẽ operatur, & illi mortua eſt, qui charitatis opera non habet: ergo fides tanta eſt quãta ſunt & opera charitatis. Similiter ſpes tanta eſt, quanta fides & charitas, quia quanta ſunt opera fidei quæ eſt charitas, tanta eſt & ſpes gloriæ. In quantum nanque vnuſquiſque per charitatis opera ſe dilatauerit, in tantum ſibi gloriam patriæ cœleſtis accreſcere non dubitat. *Et menſus eſt muros eius per circuitum centum quadraginta quatuor cubitorum menſura hominis quæ eſt angeli.*) Hoc ſi ſuperiora attendamus, ſecundum literam ſtare non poteſt. Superiùs nanque dicit, quia menſus eſt ciuitatem, per ſtadia duodecim: hîc autem muros ciuitatis cẽtum quadraginta quatuor cubitorum, dicit eſſe mẽſuratos. Multò enim maius eſt ſpacium, per quod eos qui maioris meriti ſunt, intelligere poſſumus. Diximus ſuperius per duodecim ſtadia, duodecim Apoſtolos eſſe deſignatos. Martyres ergo & confeſſores, & cæteri perfecti viri, qui Apoſtolorum doctrinam per omnia ſunt ſecuti, & eorum actus imitati, in eorum ambitu metientur, quia eandem gloriam poſſidebunt, quam & illi. Per muros verò, qui ex minoribus lapidibus fiunt, cætera multitudo fidelium deſignatur. Qui minorem ambitum tenebunt, quàm illi de quibus ſuperiùs diximus: quia qui minoris erũt meriti, minora percipient & præmia. Quorum menſura in duodenario numero conſiſtit, quia fidem Apoſtolicam intemeratam ſeruauerunt: duodecies nãque duodecim, fiunt centum quadraginta quatuor. Quod autem dicit, ciuitatem & muros menſura hominis eſt, vel menſuram hominis dicit angelos fuiſſe menſuratos, vel demonſtrat angelum in ſimilitudinem hominis ſibi apparuiſſe. Poſſumus hoc aliter intelligere. Menſuram hominis dicit eſſe menſuram angeli, & ea menſura ciuitatem & muros, dicit eſſe mẽſuratos, quia ſancti viri æqualitatem habebunt cum angelis, & eorum menſura menſurabuntur, quia eandẽ gloriam poſſidebunt, quam & illi, ſicut Dominus dicit in Euangelio: In reſurrectione, neque nubent, neque vxores ducent, ſed erunt ſicut angeli Dei in cœlo. *Et erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide, ipſa verò ciuitas, auro mundo, ſimilis vitro mundo.*) Sed & hîc aliquam diſtantiam inter muros & ciuitatem fecit. Muros dicit ex lapide iaſpidis eſſe cõſtructos, ipſam verò ciuitatem, auro mundo, & vitro mundo dixit eſſe ſimilem. Per viriditatem nanque iaſpidis, fides deſignatur. Per iaſpidem ergo, ſimplices quique & imperfecti viri non inconuenienter deſignantur, qui fide ſaluantur, ſicut dicit Propheta: Iuſtus autem ex fide viuit. Sancti autem & perfecti viri, qui per ciuitatem deſignantur, auro mundo non inconuenienter aſſimilantur, eo quòd & ſapientia fuerint repleti, quæ per aurum ſæpe figuratur, & diuerſis tribulationibus probati, ſicut aurum quod per ignem probatur, vel purgatur. Per vitrum verò mundum, quod clarius eſt omnibus metallis, angeli deſignãtur, quos nulla macula peccati vnquam ſordidare potuit. *Fundamenta muri ciuitatis, omni lapide pretioſo ornata.*) Superiùs diximus per duodecim fundamenta, duodecim Apoſtolos eſſe deſignatos: per lapides autem pretioſos, omnes iuſti deſignantur. Duodecim ergo fundamenta, duodecim lapidibus ornabuntur, quia in illa beatitudine, Apoſtoli & cæteri prædicatores, pro ornamento habebunt eos, qui per eos crediderunt, quoniam pro illis omnibus, mercedem recipient. *Fundamentum primum, iaſpis.*) Iaſpis verò, viridis ac ſpiſſi coloris eſt. Significat autem fideles ſeculares, qui à vitiis abſtinentes, quamuis eorum viriditas, id eſt, fides, ex mundi actibus aliquantulum obfuſcetur, eleemoſynis tamen & cæteris miſericordiæ operibus peccata ſua redimere non ceſſant. Nec ab re eſt, quod tales in primo loco ponuntur. Apoſtoli nanque ſicut ſæpe iam dictum eſt, timentes iis qui ex gentibus primò crediderant, auſteriora Domini præcepta committere, ne fortè duritia præceptorum territi, non auderent ad ſuſcipiẽdam Chriſti fidem accedere, ſcripſerunt eis dicentes: Placuit ſpiritui ſancto & nobis, nihil imponere vobis oneris, niſi vt abſtineatis vos tantummodo à fornicatione, & ab eſcis quæ idolis immolantur, & à ſuffocato & ſanguine. Et in alio loco Petrus conuerſionem gentium narrãs, dicit Iudæis: Deus qui nouit corda hominum, teſtimonium perhibuit, dans illis ſpiritum ſanctum ſicut & nobis, fide purificans corda eorũ. Quicunque ergo Deũ imitantur, in figura lapidis iaſpidis continentur. *Secundus, ſapphîrus.*) Sapphîrus, cerulei coloris eſt ſicut hyacinthus, ſed guttas habet intermixtas eiuſdẽ coloris, ſed nigrioris. Videntur etiam mihi per hunc lapidem ſeculares quidam viri deſignari, cæleſtia quidem deſiderantes, ſed in ſeculi actibus adhuc occupati, ex qua occupatione quaſdam maculas contrahere videntur. Qui pro eo quòd omnibus curis cæleſtia anteponunt, cœli habere colorem dicuntur. Qui

Cap.2.19. *Matth.7.* *Matth.11.* *Perfectio eccleſiæ.* *Charitas.* *Sanctorum gloria impar.* *1.Cor.13.* *Sancti æquales angelis erunt.* *Matth.22.* *Abac.2.* *Prou.17.* *Eleemoſyna.* *Dan.4.* *Act.15.* *Act.15.*

Qui in ſecundo numero ideo ponuntur, quia Deum ſuper omnia, & proximos ſicut ſeipſos, ſtudent diligere. *Tertius calcedonius.*) Calcedonius rubeum habet colorem, ſed tamen obſcurum, niſi cauando attenuetur. Ipſa vero concauitas, pulcherrimum colorem & gratiſſimũ ei confert. Significat autem & iſte, ſeculares quoſdam viros. Qui quantæ ſanctitatis ante perſecutionis tẽpus fuerint, homines latuit, ſed à perſecutoribus ſuis diuerſis tribulationibus attenuati, quantus ſplendor ſanctitatis in eis latuerit, cunctis patuit. Qui non conuenienter in tertio loco ponuntur, eo quòd in confeſſione ſanctæ trinitatis perdurantes, ad martyrij palmam peruenire meruerunt. *Quartus, ſmaragdus.*) Smaragdus eximiæ pulchritudinis atque viriditatis eſt, in tãtum vt ea quæ circa ſe ſunt, ſua viriditate inficiat. Significat autem prædicatores ſanctos, qui & fide virides, & virtutibus præclari, ſplendorem ſuæ fidei prædicando circunquaque ſparſerunt. Qui ideo in quarto loco ponuntur, eo quòd doctrinam Euãgelij, quę in quatuor libros diuiditur, per multa loca diſſeminauerunt. *Quintus, ſardonix.*) Sardonix, candidus eſt, in rubeum colorem parumper declinans. Significat autem ſimplices quoſque, & innocẽtes viros, qui propter vitæ puritatẽ, per lapidem candidũ deſignantur. Qui pro eo quòd vigilando, ieiunando, abſtinendo, ac diuerſis modis corpora ſua affligendo martyria ſibi imponunt, quaſi colorem rubeum habere videntur. Qui non inconuenienter in quinto loco ponuntur. Per quinarium enim numerum, ſæpe quinque ſenſus corporis deſignantur. Quia igitur per quinque ſenſus corporis, ſciẽtia exteriorum deſignatur, & qui a exteriorum ſcientiam quam perceperunt, aliis impartire ſtuduerunt, rectè in ædificio ciuitatis ſanctę, quintum locum obtinẽt. *Sextus, ſardius.*) Sardius, rube⁹ eſt. Qui pro eo quòd in rubicũdum colorem aliquantulum declinare videtur parumper obſcuratur. Per rubeum itaque colorem, qui aureo colori appropinquat, tribulationes quas ſancti ab hoſtib⁹ pertulerunt, deſignantur. Rubeus verò color, martyrium deſignat. Per Sardium igitur ſancti & perfecti viri deſignantur, qui poſt experientiam omnium virtutum, poſt diuerſas perſecutiones, poſt immania tormenta quæ ab inimicis pertulerunt, ad martyrij palmam peruenire meruerunt. Qui non incongruè in ſenario numero, qui perfectus eſt, ponuntur, quia & virtutibus perfecti extiterunt, & ipſam perfectionẽ, martyrio ornauerũt. *Septimus, chryſolitus.*) Chryſolitus, totus aureus eſt, & ſæpe per aurum ſapientia deſignatur. Per chryſolitum ergo, ſapientes in eccleſia deſignantur, qui propter fulgorem ſapientiæ, aurei apud homines rectè dici poſſunt. Qui congruenter in ſeptimo loco ponuntur, eo quòd ſeptem donis ſpiritus ſancti repleti, multos verbis & exemplis, ab iniquitate auerterint. *Octauus, berillus.*) Berillus eximię claritatis eſt, ceruleum colorem habẽs admixtum. Significat autem puræ vitæ homines, & à ſeculi actib⁹ per omnia alienos, qui ne claritatem vitæ ſuæ, aliquo modo macularent, etiam à conſortio cæterorum hominũ ſequeſtrari voluerunt. Quorum claritas, in ceruleum colorẽ vertebatur, quia cœlo ſemper intẽti, angelicam vitam inter homines duxiſſe comprobantur. Qui non inconuenienter in octauo loco ponuntur. Quaternarium itaque numerum iſti impleuerunt, quia Euãgelij præceptum ſecuti ſunt, qui dicit: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Quaternum numerum duplicauerunt, quia ad idem perfectionis culmen, multos alios ſecum conſcendere ſuaſerunt. *Nonus, topazius.*) Topazius, ærei aureique coloris eſſe dicitur, iubar ſuum circunquaque ſpargens. Sæpe per aurũ, probati viri, qui igne tribulationis probantur deſignantur, ipſæque tribulationes diuerſæ ſunt. Aliquando nanque ſancti viri, diuerſis tentationibus, quas à dæmonibus patiuntur, probantur: aliquando per tribulationes, quæ eis à malis hominibus ingeruntur: aliquando per afflictiones, quas ipſi ſibi ingerunt: aliquando flagellis Dei probantur, & per actiuæ vitæ exercitia. Videntur itaque mihi per lapidem topazium ij deſignari qui per actiuæ vitæ opera ad contemplatiuam vitam conſcendunt, qui prius per actiuæ vitæ exercitia probati fuerunt. Nam qui ſubitò ad contemplatiuæ vitæ celſitudinem, ſine exerciis actiuæ vitæ tranſeunt, facilè labuntur. Quod autem hic lapis radios ſuos circunquaque ſpargere dicitur, ſignificat illos viros qui per lapidem deſignãtur, & ad actiuæ vitæ opera prædicando multos pertraxiſſe, & ad contemplatiuæ vitę celſitudinẽ multos etiam ſecum duxiſſe. Qui non incõgruè, in nono loco ponũtur. Ter enim terni, fiunt nouem. Sancti ergo viri qui propter amorem ſanctæ trinitatis, in actiuæ vitæ bonis operibus, prius affligentes ſemetipſos, ſuis exhortationibus quoſcũque potuerunt, ad ſuam imitationem pertraxerunt, & iterum ad contemplandam ſanctę trinitatis diuinitatem conſcendentes, multos ſecũ perduxerunt, non inconuenienter in nono loco ponuntur, eò quòd talentum quod à Domino perceperunt, nõ ſolum duplicauerunt, ſed & triplicauerunt. *Matth.25.* *Decimus, cryſopraſus,*) Cryſopraſus lapis, viridis aureique coloris eſſe perhibetur. Qui pro eo quòd in decimo loco ponitur, poſſumus per eum quoſdam doctores eccleſiæ intelligere, qui & verbis multos docuerũt, & multò plures ſuis ſcriptis erudierunt, & erudiunt. Qui etiam & lumina eccleſiæ rectè dici poſſunt. Qui per viridem & aureum colorem deſignãtur, eo quòd viriditate fidei, firmitate & ſapientia, vt aurum fulgidi fuerunt. Per denarium verò numerum, vetus teſtamentum, propter decem videlicet præcepta legis, poſſumus intelligere. Et vetus teſtamentum ſine doctrina noui teſtamenti nullus intelligere poteſt: eo quod ſpiritalis intelligentia, in veteri teſtamento, nihil ſit aliud quàm nouum teſtamentum, non inconuenienter in decimo loco ponuntur, eo quòd ſcientiam veteris teſtamẽti ac noui pleniſſimam habuerint. Poſſumus & denarium numerum, aliter intelligere. Denarius quippe numerus, diuidit & ordinat, & perficit omnes numeros. Ita & iſti diuiſerunt quodammodo ſcripturas, cum eas exponendo, per ſententias & libros partiti ſunt. Ordinauerunt eas, cùm earum obſcuritates aperuerunt. Et quæ inordinata videbantur, quàm rectum ordinem habuerint, manifeſtauerũt. Perfecerunt autem, cùm ea quæ deeſſe videbantur ſuppleuerunt. *Vndecimus hyacinthus:*) hyacinthus, cuius ſpecies hyacinthino colori nomen impoſuit, precioſiſſimus eſt, cœli ſereni colorem habens, ſicut ſapphirus. Sed ille maculas habet, iſtius pulchritudo nullis maculis deturpatur. Significat autem ſanctos viros, ab omnibus ſordibus peccatorum alienos, terram corporibus, cœlum mentibus ſemper inhabitantes, de qualibus fuit Apoſtolus, qui dicebat: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. *Philip.3.* Qui non inconuenienter in vndecimo loco ponuntur: per decem nanque, ſcientia diuinarum ſcripturarum, ſicut ſuperiùs diximus, deſignatur. Vnus verò qui decem ſequitur, vt vndecim fiant, ad vnius Dei cõtemplationem pertinet. Iſti ergo ſancti vndenarium numerum compleuerunt: quia ſcientia diuinarum ſcripturarum repleti, multos ſuis prædicationibus ad vitam æternam perduxerunt. Vnum numerum compleuerunt, quia in contemplatione Dei omnipotentis, aſſidui fuerunt: nec inſtantia prædicationis à contemplatione, nec aſſidua cõtemplatio à prædicatione eos retraxit, ſimilitudinem geſtantes, qui & * angelicum officium ſemper implent: & à contemplatione Dei omnipotentis, nunquam alieni exiſtunt. De talibus videtur mihi Prophetam dixiſſe: Labia ſacerdotis, cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt. *Malac.2.* De talibus fuit Ioannes Baptiſta, de quo Dominus dicebat: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. *Luca 7.* *Duodecimus amethyſtus.*) Sæpe per duodenarium numerum, Apoſtoli deſignantur. Amethyſtus verò purpureus eſt. Et ſcimus quia purpura ornamentum eſt regale. Per amethyſtum igitur, Apoſtoli eorúmque ſimiles deſignantur, qui ornamentum fuerunt Dei: quia eum per vniuerſum mundum prædicauerunt. Ornamentum Dei fuit Petrus, de quo ſcriptum eſt, quòd clarificauerit Deum morte ſua. *Ioan.21.* Similiter & cæteri ornamentum Dei fuerunt, quia eum prædicando, miracula faciendo, pro nomine eius moriendo, clarificauerunt. *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas. Et ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis.*) Hoc ſecundum literam, ſtare non poteſt. Si ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis, quomodo per vnanquanque duodecim mar-

Vetus teſtamentum ſine nouo intelligi nõ poteſt.

*Videtur deeſſe, angelorum.

cim margaritæ fuisse dicuntur? Sed spiritaliter intelligendum est: duodecim nanque margaritæ sunt, ex quibus singulæ portæ esse dicuntur, id est centum quadraginta quatuor, per quos apostolorum successores, doctores ecclesiæ designantur, qui fidem doctrinámque Apostolorum sunt secuti & actus imitati. Qui propter vitæ munditiam & sanctitatem præcipuam, per candorem margaritarum significantur. *Et plateæ ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.*) Superius per aurum mundum & vitrum mundum, perfectos viros & sanctos angelos diximus significatos: sed hîc per plateam ciuitatis, mentes fidelium: per aurum verò mundum, & vitrum perlucidum, munditia mentium hominum designatur, atque angelorum: quia sicut ad mentes angelorum nulla vnquam vana cogitatio accedere potuit quæ eos macularet, ita & sanctis post resurrectionem, nulla vnquam inutilis cogitatio aduenier, quæ eorum mentes commaculet. *Et templum non vidi in ea: Dominus enim omnipotens templum illius est, & agnus.*) Per templū in quo hostiæ & sacrificia offerebantur, ecclesia designatur, in qua non carnalia, sed spiritalia sacrificia, quotidie deo offeruntur. Nam sicut illic secundum qualitatem peccatorum exercebatur ritus sacrificiorum, ita & in ecclesia, secundum modum culpæ debent esse sacrificia pœnitentię, sacrificia orationum, fletuum, cordis compunctionum. De talibus sacrificiis, Propheta loquitur dicens: Sacrificium deo spiritus contribulatus. Et iterum: Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ. Si est sacrificium iustitiæ, est & sapientiæ, est & abstinentiæ, est & humilitatis, cæterarúmque virtutum. Hæc sunt sacrificia, quæ odorem suauissimum præbent Domino, non carnales carnes pecudum, quæ in altari cremabuntur. Ioannes ergo templum in sancta ciuitate non se vidisse dixit: quia hæc omnia quæ diximus, in illa beatitudine necessaria non erūt. Absterget enim Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit, quæ prima abierunt. Dominus verò templum illius erit & agnus quia in illo erunt sancti, & in illo habitabunt, sicut ipse dixit discipulis suis: Sicut ego sum in patre, ita & vos in me eritis, & ego in vobis. *Et ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus.*) Per solem, nouum testamentum: per lunam, vetus designatur. Absque istis duobus luminibus vel luminaribus, ecclesia per viam rectitudinis, in tenebris huius seculi, sine crebris offensionibus incedere non potest. In illa autem beatitudine, vbi nullæ tenebræ erunt, nullæ offensæ, nihil incorrectum quod corrigi possit, lux noui ac veteris testamenti necessaria non erit. Illius enim lumine sancti sine fine perfruētur, qui author est lucis, & qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Et ambulabunt gentes per lumen eius, & reges terræ afferent gloriam suam, & honorem in illam.*) Per gentes omnes electi designantur. Sed quomodo ambulabunt? Ambulabunt mente, non corpore, non mutando locum, sed considerando omnipotentiam, diuinitatem, atque maiestatem. Per lumen ecclesiæ ambulabunt, quia vt hoc iter perficere possint, illo lumine illuminabuntur, quod cunctæ ecclesiæ omnipotēs Deus daturus est. Per reges autem terrę, Apostoli & cęteri prędicatores designantur. Gloriam verò & honorem prædicatorum eos vocat, qui per eos crediderunt, sicut Apostolus Paulus dicit discipulis suis: Gloria nostra vos estis in domino. Afferent ergo gloriam suam & honorem in illam cùm eos qui per eos crediderunt, domino repræsentabunt. *Et portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic.*) Superius per duodecim portas, quæ ex duodecim margaritis fuisse dicuntur, Apostolos fuisse diximus designatos. Sed hîc vbi sine numero ponuntur, aliam significationem habent. Significant nanque corda fidelium, fideles nanque in hac vita positi, noctem patiūtur, id est, dæmones & impios homines. Portas autem in nocte claudunt, cùm contra omnia tentamenta dæmonum, aditus mentium suarum obstruunt, eáque à se repellunt. Claudunt etiam portas in noctem, cùm contra malitiam prauorum hominum corda sua muniunt, vt non audiant linguam detrahentem, non reddant malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, vt secundum Prophetam, Excutiant manus suas ab omni munere, & obturant aures suas ne audiāt sanguinem, & claudunt oculos suos, ne videant malum. Porrò in cœlesti beatitudine, vbi nullus dæmon, nullus reprobus esse poterit, qui mala suadeat, qui per noctem designantur, portarum, id est, mentium obseruatio, necessaria non erit. Nam & secundum literam erit ibi dies perpetuus, nulla nocte succedente. *Et afferent gloriam gentium, & honorem illam.*) Superius reges terræ, id est prædicatores sanctos, gloriam suam in ciuitatē sanctam detulisse dicit. Per gloriam, gentes quæ per eos crediderunt diximus fuisse designatos. Si ergo gloria prædicatorum gentes sunt, gloriæ gentium quæ sunt? nisi fortè secundum Salomonem hoc dictum intelligamus, qui dicit: Gloria senum, filij filiorum: & gloria filiorum, patres eorum. Gloria verò filiorum erunt patres eorum, quia gaudebunt gentes: eo quòd tanti meriti tantæq; excellentiæ patres habeant, cùm eorum gloriæ participes esse meruerint. Quod autem dicit, afferent: possumus ad angelos referre, qui in die iudicij, sanctos Dei ad percipienda præmia repromissa deducent, sicut dominus dicit in euangelio: Mittet filius hominis angelos suos, & congregabit electos eius à quatuor ventis cœli, & à summitate cœlorum. *Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.*) Inquinatos vocat eos, qui se diuersis sceleribus inquinauerunt. Abominationē faciunt, qui malum operantur. Nihil enim abominatur deus, nisi malitiam, sicut in libro Sapientię scriptum est: Misereris omnium Domine, & nihil eorum odisti quæ fecisti. Quæri autem potest, cur mendacium fieri dicatur? Quod autē facimus, iam non est mēdacium: quia quod factum est, non potest non esse factū, vt sit mendacium, sed factum pro locutione posuit. Peccatum quippe mendacij, loquendo facimus, non operādo. Possumus etiam per mendaciū omne peccatum intelligere. Scimus enim, quia deus veritas est. Peccatum verò, deceptio est animarū. Quicquid ergo contrarium est veritati, atque ad deceptionem animarum pertinet, quanuis videatur verum, mendacium rectè dici potest. In illa itaque sancta ciuitate non intrabit aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium: quia in die iudicij exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis ardentis. Nam & illis qui oleum charitatis in vasis suis non habuerint, claudetur ianua regni cœlestis, dicetúrq; illis à domino: Amen dico vobis, nescio vos.

Sacrificia christianorū

Psal.50.

Ioan.14.

Ioan.1.

2.Cor.1.

Custodia cordis.

Esa.33.

Prouer.17.

Mare.13.

Sapien.11.

Mēdacium pro quouis peccato.

Ioan.14.

Mat.13.

Matt.25.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede dei & agni.) Licet Ezechieli in vltima visione torrens demōstratus sit, qui de templo exibat, & decurrebat in mare de quo ita loquitur: Et duxit me, inquit, angelus mille cubitos, & transduxit me vsque ad talos. Et duxit me mil le cubitos & transduxit me vsque ad genua. Et duxit me mil le cubitos, & trāsduxit me per aquam vsque ad renes. Et duxit me mille cubitos, torrentémque non potui transuadare, quia intumuerāt aquæ torrentis, qui transuadari non potuit. Per torrētem, scripturam diuinam intelligere debemus, quę de templo, id est, de ecclesia egreditur, ab ore scilicet prædicatorum: angelus verò, dominum significat. Angelus itaque prophetam mille cubitos ducit, cum dominus alicui fideli suo, desiderium largitur intelligendi scripturas. Propheta nanque typum tenet eorum qui diuinas scripturas ad hoc discere volunt, vt ipsi in eis proficiant, & alios per earum scientiam instruāt. Millenarius verò numerus perfectionem alicuius rei sæpe demonstrat. Et prima transductio ad historiæ intelligentiam, secunda ad moralem, tertia pertinet ad spiritalem. Angelus igitur transducit angelum vsque ad talos, cum ei historiæ intellectum tribuit. Quisquis enim moralem & spiritalem intelligentiam in diuinis scripturis inuestigare desiderat, necesse est vt historiæ intelligentiā prius possideat. Secundò, angelus prophetam mille cubitos ducit, cùm dominus fidelem suum ad moralem intelligētiam percipiendam accendit. Per aquam vsque ad genua eum transducit,

Exec.47.

Finis studiorum.

Historia in scripturis primò cognoscenda.

ducit, cùm moralis ſcientiæ ſenſus ei manifeſtat. Torrentémque nō potuit tranſuadare: quia profunditatem diuinorum cœleſtiúmque myſteriorum, nullus ſicut eſt, perſcrutari poteſt. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus, ſicut dicit Apoſtolus: Cùm autem venerit quod perfectum eſt euacuabitur quod ex parte eſt. Et iterum: Videmus nūc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Hunc torrentem idem Paulus tranſmeare ſe non poſſe conſiderans, dicebat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: quis enim cognouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſecula ſeculorum, amen. Et propheta Eſaias: Oculus non vidit deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. Ecce angelus prophetam vſque ad locum præfinitum duxit, & non eum tranſduxit: quia omnipotens deus ſuos ſanctos vſque ad contemplanda ſecreta & arcana myſteria ſuæ diuinitatis perducit, ſed nequaquam eos tranſducit: quia fragilitas humana non perfectè poteſt comprehendere illa inſcrutabilia diuina myſteria. Et ſicut qui regios cibos odoratus eſt, & eorum dulcedinem præguſtauit, amplius eos deſiderat, quàm ille qui nec eos vidit, nec odoratus eſt, nec qualis eſſet eorum dulcedo guſtando ſenſit: ita & ſancti qui per contēplationis gratiam, dulcedinem patriæ cœleſtis ſæpe deguſtant, multò amplius in eius amore quotidie exardeſcunt, quam illi qui propter dulcedinem ſeculi, dulcedinem non ſentiunt vitæ æternæ. Dicit idem Propheta in ſequentibus, vidiſſe ſe ligna in vtraque parte torrentis, quorum fructus erant in cibum & folia ad medicinam. Duæ ripæ, duo teſtamenta ſignificant. Inter has duas ripas, magnus torrens ſcripturarum, qui à ſanctis patribus editus eſt, decurrit: per ligna verò doctores eccleſiæ deſignantur, qui in vtriſque ripis, id eſt, in doctrina veteris ac noui teſtamenti plantati eſſe dicūtur: vnde aquas veræ ſcientiæ trahentes, & fructus gignunt, & folia. Per fructus nanque, opera bona: per folia autem, verba prædicationis deſignantur. Fructus in cibum, & folia ad medicinam proficiūt: quia vnuſquiſque doctor, languenti animæ medicinam verborum ſalutiferam tunc miniſtrat, cùm eam prius exemplis bonorum operum pauerit. Ecce Ezechiel torrentem de tēplo exiiſſe ſe vidiſſe dixit, Ioannes autem non torrentem: ſed fluuiū à ſede dei & agni procedentem, ſibi oſtēſum fuiſſe dicit. Torrēs, ex nimio ardore ſolis ſolet ſiccari, fluuius verò nullo ardore exiccatur. Non inconuenienter ergo per torrentem diuina ſcriptura exprimitur, quæ veniente ſole, id eſt, domino ad iudicium, ſiccabitur: quia poſt reſurrectionem diuina ſcriptura neceſſaria nō erit. Porrò per fluuium, qui nullo ardore ſolis exiccatur, gloria ſanctorum perpetua intelligitur. Qui à ſede dei & agni procedere dicitur, quia ab illo fluuius gloriæ ſanctorum procedet, à quo illis in carne poſitis proceſſit riuus omnium bonorum, qui fluuius ſplendidus tanquam cryſtallus eſſe dicitur. Verum quia huius lapidis in hoc libro ſæpe fit mentio, placuit vt de natura & ſignificatione eius aliqua dicamus. Hic lapis clarior eſt omnibus lapidibus: naſcitur autem in frigidiſſimis locis, à quibus frigus nunquam recedit. Qui ex inferiori parte ſaxo aliquantulum molliori, radicem in eo parumper defigens, ſurſūmque creſcens erigitur ſex angulos habens, in ſummitate verò acutus, eundem tamen ordinem ſex angulorum vſque ad ſummitatem ſeruans. Significat nanque vnumquenque perfectum virum: lapis verò cui inhæret, Chriſtum ſignificat. Claritas cryſtalli, puritatem mentium ſanctorum deſignat: ſex anguli, perfectionem demonſtrant operum bonorum. Ordinem ſex angulorum vſque ad ſummitatem ducit, quia ſancti hoc ſtudent, vt perfectionem bonorum operum vſque ad finem vitæ perducant. In ſuperiori verò ſummitate acuitur: quia omnis intentio ſanctorum ad illum tendit, qui vnus eſt, & in quo etiam ipſi vnum fiunt. Fluuius ergo iſte, qui gloriam ſanctorum deſignat, ſplēdorem cryſtalli habere dicitur: quia vnicuique fidelium ſecundū qualitatē operū ſuorū refulget, ſicut dicit Apoſtol⁹: Stella ab ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorū qui de ſede dei & agni procedere dicitur, quia ab ipſo procedit omnis gloria ſanctorum, qui author eſt omnium bonorum. Qui etiam in medio plateæ ciuitatis decurrere dicitur, quia corda ſanctorū perpetua ſuauitatis dulcedine lætificabit. *Et ex vtraque parte fluminis, lignum vitæ.*) Ezechieli in vtraque ripa torrentis, plurima ligna demonſtrata ſunt, de quibus ſuperiùs locuti ſumus: hîc autem, vitæ lignum vtranque partem fluminis occupaſſe dicit. Sed illic per multa ligna, multi prædicatores: hîc autem, per vnum vitæ lignum, vnus Chriſtus deſignatur, qui eſt vita cunctorum fidelium: per vtrāque verò partem fluminis, poſſumus angelos & homines intelligere. Vtranque igitur partem fluminis lignum vitæ obtinebit, quia & angelos & homines ſanctos Chriſtus æqualiter poſſidebit. *Afferens fructus duodecim.*) Fructus duodecim, Apoſtoli ſunt omnéſque qui eorum doctrinam ſunt ſecuti. Fructus duodecim, lignum vitæ affert: quia in cœleſti beatitudine, Chriſtus omnē multiutdinē fideliū collocabit. *Per menſes ſingulos reddens fructum ſuum.*) Menſes ſinguli, tempora ſunt ab initio mundi vſque ad finem eius, de quibus frequenter diximus. Per menſes ergo ſingulos reddet fructū ſuum: quia omnes electos qui ſingulis temporibus fuerunt, & erunt vſque ad finem, in cœleſti beatitudine patri repræſentabit. *Et folia ligni ad ſanitatem gentium.*) Folia ligni, verba ſunt Euangelij, quæ ſanitatem multis gentibus præſtiterunt. Et eſt ſenſus: Omnes gentes quæ per doctrinam Euangelij à languoribus animarum ſunt ſaluæ factæ, in cœleſti beatitudine conſtituet. *Et omne maledictum non erit amplius.*) Cùm dicit omne maledictum, demōſtrat plurimas eſſe maledictiones. Maledictionem mortis primus homo incurrit, quando peccauit, & ab illo in omnes homines pertranſiuit. *Geneſi. 3. Galat. 3.* Et de Chriſto Paulus dicit, quòd factus ſit maledictum pro nobis: quia mortem quæ eſt maledictio primi hominis, pro noſtra ſalute ſuſcepit, Sed & Cain, pro reatu homicidij maledictus eſt à Deo. *Geneſ. 4. Deut. 27.* Et contemptoribus legis dicit Moyſes, Maledictus qui non permanſerit in omnibus iis. Similiter & nos cum grauiter peccam⁹, ipſi noſmetipſos peſſima maledictione damnamus. Omne igitur maledictum nō erit amplius, quia peccatum non erit, nec aliquid quod occaſionem præbeat peccādi. Maledictio quoque primi hominis in reſurectione delebitur, cū immortalitas omnibus electis fuerit attributa. *Et ſedes Dei & agni in illa erunt.*) Si modo ſunt ſancti Dei in hac vita poſiti, ſedes Dei: quantò magis tunc erūt, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitem? *Et ſancti ſedes Dei.* *Et ſerui eius ſeruient illi.*) Quæ eſt iſta ſeruitus, qua ſerui dei ſeruiunt deo, amādovi delicet eū, & ſine fine eū laudando? *Et videbunt faciē eius & nomē eius in frontibus eorū.*) Quanta ſit gloria & ſuauitas quæ ſanctis miniſtrabitur, mens humana comprehendere non poteſt. ſicut dicit Apoſtol⁹ Paulus: Quod oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcēdit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. *1. Cor. 2.* Sed omnē dulcedinē atque ſuauitatē illud trāſcēdet quādo videbunt Deū facie ad faciem: nomen verò Dei eſt filius Dei. *Viſio Dei.* Nomen itaque erit in frontibus ſanctorum, quia ipſa claritas atque ſpecies, demonſtrabit eos eſſe filios Dei. *1. Cor. 13.* *Et nox vltra non erit.*) Dicit alis loco Ioannes: Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Quas ergo tenebras pati poterunt, à quibus Deus aſſiduè videbitur? *1. Ioan. 1.* Et ſi de dæmonibus & impiis intelligere voluerimus hoc dictum, nox non erit, quia dæmones cum omnibus impiis in cloacam inferni in perpetuum tenebuntur recluſi. *Et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis*) Diximus ſuperius, per lumen lunæ ac lumen ſolis, vetus ac nouum teſtamentum eſſe deſignatum. Eandem itaque ſignificationem habet lucerna in hoc loco, quam ſuperius diximus lunam habuiſſe. De lumine autem ſolis ac lunæ, id eſt veteris ac noui teſtamenti ſuperiùs aliqua diximus. Hoc igitur lumine non egebunt ſancti, *quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt cum illo in ſecula ſeculorum.*) Hucuſque viſio ſeptima. Quæ ſequuntur, ad admonitionem pertinent ipſius Ioannis, cæterorúmque fidelium. *Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima & vera ſunt.*) Hoc bis repetiuit ideo, vt nullus conſiderans obſcuritates dictionum, & ea quæ ſecundum literam irrationabilia videntur, incredulus exiſtat. Fuerunt enim quidam qui

non

Vide Euseb. eccl. hist. l. b. 7. cap. 23.

non intelligentes diuina mysteria, quæ in hoc libro continentur, à catalogo diuinarum scripturarum eum amputare voluerunt. *Et dominus Deus spirituum prophetarum misit angelum suum, ostendere seruis suis quæ oportet fieri citò.*) Id est, dominus Deus qui spiritum prophetiæ dedit omnibus sanctis prophetis, ipse misit angelum suum, id est ipsum qui loquebatur, qui & Ioanni ostendit omnia mysteria quæ in hoc libro continentur, ostendere seruis suis, quæ oportet fieri citò. Cùm hæc scriptura non tantum ad futurum tempus, sed etiam ad præteritum pertineat, cur ad demonstranda ea tantummodo quæ oportebat fieri citò, à deo se dicit esse missum? Quia nimirum prætetita facilè dinoscuntur: futura autem & incognita hominibus, non nisi per reuelationem spiritus sancti, aut per angelorum ministerium intelligere possumus. Aliter. Quicquid ignoramus, futurum nobis est, quia futurum est vt ad cor nostrum veniat quod nescimus, illud videlicet, quod deus prædestinauit vt sciremus. Non enim scientia mali nobis prædestinata est, sed ex originali peccato descendit. *Ecce venio velociter.*) Hoc in persona loquitur Christi, significãs eum ad iudicium citò esse venturum. *Beatus qui custodit verba prophetiæ libri huius.*) Ille seruat verba prophetiæ, id est mandata dei, qui ea operando impler, & in meditatione eorum assiduus est, implens illud Psalmographi dictum: In lege domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. *Et ego Ioannes qui audiui & vidi hæc, & postquam audissem & vidissem, cecidi vt adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat, & dixit mihi: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarũ, & eorũ qui seruant verba libri huius. Deum adora.*) Cur angelus domini à Ioanne adorari noluerit, superiùs in expositione quintę visionis, sufficienter exposuimus. Quærendum verò nobis est, cur repetiit quod antea prohibitum fuerat. Sed si diligenter scripturam inspexerimus, non in vanum esse factum intuebimur. Nam cùm ei demonstrasset angelus Christum in sua sede sedentem, quatuórque animalia, & viginti quatuor seniores, nequaquam dicitur angelum adorare voluisse. Similiter cùm ei demonstrasset, qualiter ab agno septem sigilla reserata sunt, & ea quæ sub cantu tubarum septem angelorum gesta sunt, necnon & ea quæ sub effusione phialarum septem angelorum gesta fuisse leguntur, nequaquã dicitur quòd angelum adorare voluerit. Vbi verò ventum est ad eum locum in quo ei ab angelo demonstratum est, qualiter sponsa Christi, id est, ecclesia Christo coniuncta est, in eo videlicet loco vbi scriptũ est: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, & cætera, continuò angelum adorare voluit. Simili modo & in sequentibus, cùm ei demonstrata esset deiectio Antichristi, alligatio diaboli in abyssum, gloria resurrectionis, nullo modo angelum adorare voluit. Cùm autem in fine huius visionis demonstratum esset ei, qualiter ecclesia post resurrectionis gloriam, Christo in æternum cum illo regnatura sociabitur, continuò angelum adorare voluit. Coniungitur nanque ecclesia quotidie Christo per fidem cæteraque bona opera, quæ per byssum designantur. Coniungetur verò ei post resurrectionem multò excelsius, atque nobilius, non iam per partes sicut modò, sed tota simul in æternum cum illo mansura, & sine fine regnatura. Igitur Ioannes bis angelum adorare voluit, quia binas coniunctiones ecclesiæ cum Christo ei demõstrasset. *Et dixit mihi, ne signaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim prope est.*) Signata est scriptura illis, à quibus non intelligitur. Præcipitur igitur Ioãni, ne signet verba prophetiæ libri huius, id est, ne tacendo obscuritates eius abscondat, sed exponendo potius omnibus eam scire volentibus manifestet, eo quòd dies iudicij, qui in hoc libro diuersis modis describitur, propè sit, & necesse habeamus, vt periculum quod imminet corde videamus, ne sicut fur incautos occupet, & perdat. Sed cur Ioannes secundum præceptum angelicum, obscuritates libri huius exponendo & describendo manifestare noluit? præsertim cùm propter eas obscuritates, quidam in errorem & hæresim diciderint, dicentes Christum post resurrectionem, per mille annorum spacium, cum omnibus sanctis in mundo curnaliter esse regnaturum. Verum quod non fecit scribendo, credimus eum fecisse prædicando.

Scientia mali, pœna peccati.

Psal. 1.

In cap. 19.

Cur angelũ voluit adorare.

Prædicatori non tacendũ

Hæresis millenariorũ ex locis Apoc. perperam intellectis.

Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.) Non præcipiendo, sed comminando dixit. Solent quippe homines hoc genere locutionis terrere quosdam sibi subiectos, sicut magistri solent dicere pueris vacantibus: Nolite legere, Nolite legere. Illi vero intelligentes comminationem esse hoc, non prohibitionem, statim incipiunt legere. Hoc etiam modo domini seruos otio torpẽtes terrere solẽt, vt opus sibi iniunctum, citius expleant. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.*) Seculi homines, mercedes quas sibi seruientibus debent reddere, aut in sacculis, aut in horreis, aut in quibusdam terrę locis habent. Christus autem præmia seruorum suorum secum semper habet: ab ipso enim procedit modo omnis bonitas sanctorum, ab ipso & in futuro procedet omnis gloria eorum. *Ego sum Alpha & ω, primus & nouissimus, principium & finis. Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas illis in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.*) Possumus per stolas in hoc loco, animas nostras intelligere. Et quia assiduè peccamus, necesse est vt stolas id est animas nostras, orãdo, vigilando, ieiunãdo, eleemosynas largiẽdo, assiduè lauemus. Per lignũ vitæ possumus sapientiam intelligere, dicẽte Salomone: Lignum vitæ est iis qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus. Potestatem in ligno vitæ, id est, in sapientia habent sancti, quia quicunque sapientiam possidet, potens est ad omnia vitia extirpanda, ad tentationes dæmonum deuincendas, & ad omnia bona opera peragenda, sicut dicit Salomõ: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbiũ. Tales ergo per portas intrãt in ciuitatẽ, per illam videlicet portam, quæ dicit in Euangelio: Ego sum ostium, per mẽ si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Possumus hoc & ad futurum tempus referre. Per lignum nanque vitæ, Christus designatur, vt sæpe iam diximus. Sicut enim ex vno stipite ligni, multi rami prodeunt: ita & ex vno Christo, multitudo sanctorum. Quicunque ergo lauacris spiritalibus, id est, bonis operibus abluere non cessant, potestatem habent in ligno vitæ, quia eius membra effecti, per illum magna poterunt. Nam sicut ex vno stipite arboris, omnis virtus ramorum procedit, ita & ex vno Christo omnis potestas sanctorum. Per portam ciuitatis, possumus accipere misericordiam & clementiam dei. Hæc est porta, quæ iustis aperietur, quia iustos intra aulam paradisi, misericordia diuina recipiet. Sequitur: *Ego Iesus misi angelum meum testificari vobis hæc in ecclesiis. Ego sum radix & genus Dauid, stella splendida, & matutina.*) Dauid, radix est vniuersæ stirpis suæ. Quia sicut ex vna radice multi rami oriuntur, ita & ex vno Dauid, magna progenies est exorta. Cùm ergo Dauid fuerit radix Christi eo quòd de stirpe eius Christus fuerit exortus, quomodo Christus radicem se dicit esse Dauid? Christus igitur, & radix, & filius est Dauid. Radix est Dauid, quia ab ipso Dauid, est creatus, sicut & cæteri homines: filius est Dauid, quia ex eius progenie processit secundum carnem. Qui etiam stellam matutinam se vocat. Stella matutina quam Luciferum vocamus, rectè Christus vocatur: quia sicut illa manè oriens splendorem suum per vniuersum mundum spargit, ita & Christus veniens in mundum, vniuersam mundi faciem illuminauit. Qui non incongruenter Lucifer vocatur, quia veniens in mundum, lucem secum detulit, qua tenebras huius mundi extinxit. De hoc Lucifero, Iob loquitur dicens, Qui producit Luciferum in tempore suo. Luciferum in tempore suo deus pater produxit, quando filium suum tempore constituto, ad redimendum genus humanum direxit. *Et *sponsus & sponsa,*) Id est Christus & ecclesia, omnes homines per scripturas, & per prædicatores ad percipienda præmia æterna quotidie inuitant. Sequitur: *Qui audit, dicat, veni.*) Audiunt autem non solum illi qui diuinas scripturas intelligunt, sed & illi qui ea bona sciunt, per quæ saluari possunt. Multi sunt verò qui audiunt, id est qui diuina mandata didicerunt, sed non veniunt quia ea opere implere negligunt. Qui igitur audit, necesse est vt veniat, & qui iam cœpit venire ad deum per viam operum bonorũ, necesse habet vt & alios secum admonendo pertrahat. *Et qui sitit, veniat.*) Id est, qui sitit vitam æternam, ad eam per viam

Sap. 3.

Prouer. 16.

Ioan. 10.

Ab vno Christo omnis potestas sanctorum.

**Vel spiritus.*

viam bonorum operum, venire se debere cognoscat. *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Hoc superius expositum est. *Contestor ego omni audienti verba prophetiæ libri huius si quis apposuerit ad hæc apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.*) Cùm superiùs præcipiat angelus Ioanni dicēs: Ne signaueris verba prophetiæ libri huius, quid est quod idem Ioannes in hoc loco maledictione terribili damnat eos, qui ad scripturam libri huius aliqua addiderint? maximè cùm in hoc libro multa inueniantur, quæ secundum literam inutilia & vana esse videbuntur, nisi eis spiritalis intelligentia adhibeatur, per quæ intelligantur. Verum non de expositoribus, sed de hæreticis hoc dictum esse intelligere debemus. Expositor nanque nihil addit aut minuit, sed aut obscuritates historiæ exponendo manifestat, aut moralem aut spiritalem intelligentiam demonstrat. Hæreticos ergo maledicit, qui in scripturis diuinis ad confirmandam hæresim suam quædam falsa apponebant, & quædam detrahebant, quæ eorum hæresi videbantur esse contraria. *Dicit ergo qui testimonium perhibet istorum. Et iam venio citò, Amen. Veni Domine Iesu Christe.*) Dicit venio citò. Ioannes petit, Veni Domine Iesu: & nos aduentum Christi, multis modis postulare debemus. Postulamus nanque aduentum eius in oratione Dominica, quotidie dicentes: Adueniat regnum tuum, id est tempus quòd post resurrectionem, futurum est, in quo omnes sancti cum Christo sine fine regnabunt. In peccatis iacemus, & ideo necesse habemus, vt pœnitendo, plorando, orando, abstinēdo, eleemosynas largiendo, aduentum eius deprecemur, vt ad nos misericordiam suam impendendo redeat, à quibus malis nostris irritatus discesserat. In tenebris ignorātiæ positi sumus, deprecandus est Dominus vt veniat, & lumine sapientiæ suæ corda nostra illuminet. Ab inuisibilibus hostibus impugnamur, rogandus est Dominus vt veniat, & ab eis inuisibili potentia nos defendat. Visibiles hostes patimur, implorandus est Dominus, vt veniens patientiam & tolerantiam nobis in aduersis tribuat, vt non vincamur à malo, sed vincamus in bono malum. Sunt etiam alij hostes interiores multò deteriores, à quibus indesinenter debellamur, auaritia videlicet, gula, libido, inuidia, ira, odium, superbia, vana gloria, tumor mētis, despectio proximorum, blasphemiæ, & alij multi quos lōgum est ponere. Isti sunt itaque hostes pessimi, qui ex nobis prodeunt, & nobiscum morantur, & iugiter nos debellant. Habent autem & innumerabilia iacula malarum cogitationum, quibus assiduè nos vulnerant. Si ergo interiores hostes deessent, exteriores hostes nullo modo nisi per istos ciuitatem cordis nostri possent capere. Rogemus igitur Dominum nostrum Iesum Christum, vt veniat, & istos immanissimos hostes in nobis funditus extinguat, & illis extinctis, perducere dignetur ad gaudia vitæ perpetuæ. Sequitur: *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis, Amen.*) Sit & nobiscum gratia domini Iesu Christi, & det nobis arma virtutum, quibus, muniti ipso duce atque signifero, & ab interioribus & ab exterioribus hostibus defendamur, vt vitæ æternę participes esse mereamur: Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Explicit tractatus beati Ambrosij episcopi, super Apocalypsin.

Expositio in Cantica CANTICORVM SALOMONIS, ex diuersis D. Ambrosii opusculis, ab Antonio Monchiaceno Democharе, Doctore Sorbonico, excerpta, & in vnum corpus collecta.

CAPVT PRIMVM.

SAlomon librum de Prouerbiis scripsit, quo moralem locum vberius expressit: naturalem, in Ecclesiaste: mysticum, in Canticis Canticorum: quanquam si diligenter discutias, & in Prouerbiis, mystica pleràq; reperias: & in Cāticis moralium suauitatem. Nam vtique mysticum est: Sapientia ædificauit sibi domū, & subdidit columnas septem, interfecit suas hostias &c. Hoc quoque in Canticis, licet tam mysticum, quàm morale, in quo blanditiarum suauitas & affectus amantis exprimitur: *Osculetur me ab osculo oris sui. Quoniam optima vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.*) Constitue ergo virginem desponsatam multo tempore, & iusto feruentem amore, quæ multa præclara opera dilecti probabilium testium assertione cognouerit: desideriis suspēsis dilatam frequenter, iam non ferentem moras, quæ omnia fecisset, vt sponsum videret, aliquādo votis petitam suis, ad improuisum sponsi aduentum gaudio turbatam, non quærere primordia salutationis, non verborum vices, sed statim quòd desiderasset exigere. Ita ergo & sancta Ecclesia, quæ in primordiis mundi desponsata in paradiso, præfigurata in diluuio, annunciata per legem, vocata per prophetas, diu redemptionem hominum, euangelij decorem, dilecti expectasset aduentum, impatiens moræ in oscula ruit dicens: *Osculetur me ab osculo oris sui.*) Et delectata osculis adiecit: *Quoniam optima vbera tua super vinum.*) Et vt moralius dicamus. Intellige mihi carnem illam, quæ madefacta fuerat in Adam serpentis veneno, quę criminum marcebat fœtore, quę procedebat in filiabus Sion alta ceruice, & nutibus oculorum, & itinere pedum trahens tunicas, & pedibus suis ludens, crinium cincinnis & compositis vultibus atque redimiculis, & omni affectata decore plus dedecens, eandem tamen plurimis edoctam oraculis, quòd venturus esset, qui serpentis illecebris exclusis sancti spiritus infunderet gratiā: vt omnis caro videret salutare dei, omnis caro ad deum veniret, inarsisse desiderio: sed metuentem ne vt impatiens, vt lasciua, vt luxuriosa, vt querula, sicut ante fuerat, displiceret, quamuis longiore, quàm ferre iam poterat, morantis aduentus dominici expectatione quateretur, non immurmurantē tamen, nec transgredientem, sed leuantem in omni loco puras manus sine ira & disceptatione, in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornātem se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste preciosa: sed his quę castitatis & bonæ conuersationis decerent gratiam, orare dicentem: *Osculetur me ab osculo oris sui: quoniam optima vbera tua super vinum.*) Iam volebat adhærere Christo caro: iam festinabat innubere, vt esset vnus spiritus, & fieret caro Christi, quę erat antè meretricis. *Osculetur*, inquit, *me.*) Osculatur nos dei verbum, quando sensum nostrum spiritus cognitionis illuminat.

Ex serm. 1. & vers. 1. in Psal. 118. tom. 4. Triplex scriptura sensus.

Prou. 9.

Canti. 1.

In canticis sensus mysticus & moralis.

Esa. 3.

Esa. 40.

Psal. 64.

1. Tim. 2.

Prouerbia Salomonis, moralia: Ecclesiastes, naturalis: in quo quasi vanitates istius despicit mundi: Mystica eius sunt Cantica Cāticorum. In ipso quoque Canticorum libro Salomon hanc triplicem sapientiam (moralem, naturalem, & mysticam) euidenter expressit: licet in Prouerbiis dixerit, vt tripliciter sibi scripserit, qui sapientiam eius vellet audire. Ait ergo in Canticis sponsa de sponso: *Ecce sponsus est consobrinus meus.*) Et ideo pulchra acclinatio nostra opaca, trabes domo-

Ex lib. de Isaac ca. 4. tom. 4. In canticis triplex scripturæ sensus. Cant. 1.

domorum noſtrarum cedri, lacunaria noſtra cupreſſi. Poſſumus hoc de moralibus accipere. Vbi enim requieſcit Chriſtus & eccleſia, niſi in operibus ſuæ plebis? denique vbi impudicitia, vbi ſuperbia, vbi iniquitas erat, ibi ait dominus Ieſus: Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. De naturalibus autem quid accipiamus? In vmbra, inquit, eius concupiui & ſedi: & fructus eius dulcis in faucibus meis. Qui enim terrena ſupergreditur, & cui mundana moriuntur, quoniam crucifigitur ei mundus, & ipſe mundo, omnia quæ ſunt ſub ſole, refugit & contemnit. De myſticis quoque ait: Introduc me in domum vini, conſtituite in me charitatem: etenim ſicut vineam ſuam, ita dominus Ieſus populum ſuum, quaſi vitis æterna quibuſdam brachiis charitatis amplectitur.

Mat.8. *Cant.2.* *Cantic.2.*

Suſcepit carnē deus, aſſumpſit animam per inuſitatam nec legitimam incarnationem conſortium fecit eſſe legitimum: vt ſit deus omnia in omnibus. Denique vt ſcias eſſe myſteriū interpretare vocabula. Dauid enim accipis in typo Chriſti. Bethſabee, filia ſabbati, aut filia plena, vel puteus dicitur iuramenti. Quid igitur expreſſius, quàm quod filia ſabbati, caro Chriſti eſt? Quia miſit deum filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. Eadem plena, quia in paſſione eius legis eſt plenitudo, vel quia plena ſpiritus ſancti. Ieſus enim plenus ſpiritu ſancto, egreſſus eſt à Iordane. Eadem etiam puteus iuramenti, hoc eſt, religionis & fidei. Et bene puteus, quia flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hanc ergo aſſumens ſibi deus Verbum copulā fecit eſſe legitimam: quòd myſteriū illæ nuptiæ deſignarunt, quæ ſunt in Canticis Canticorum, quibus Chriſto eccleſia, & ſpiritui caro nubit. Et ideo circumuerſabat, & quærebat vbique dei verbum: quia vulnerata, quia nuda, quia adultera in omnibus (etſi immaculata in Chriſto) quærebat caro miſera redemptorem: hanc ſibi Chriſtus iunxit, vt immaculatam redderet: hāc ſociauit, vt auferret adulterium.

Ex apologia 2. Dauid. c. 4. *In canticis nuptiæ Chriſti & eccleſiæ ſpiritus & carnis deſignantur.*

Qui habet cor (mundum) ſeruat mādata dei: quemadmodum legiſti. Maria geſtabat omnia domini ſaluatoris in corde ſuo vel dicta, vel geſta. Circuncidamus ergo cor noſtrum, nihil corporeum, nihil leue atque mutabile in eloquiis conſtituamus cœleſtibus. Eloquia enim domini, eloquia caſta, vt in his myſteriorum immaculata & pudica ſyncritas ſpiritali interpretatione reſplendeat. Non adulterina quædam opinione miſceamus terrena diuinis, & illud inuiolabile ſacramentum propheticæ viſionis, aut perennis oraculi naturæ noſtræ æſtimatione violemus. Ideo enim addidit, Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatū ſeptuplum: vt tanquam boni nummularij ſpiritu examinemus prophetici ſermonis argentum.

Ex ſermone 12. in Pſal. 118. in principio. *Pſal.11.*

Hæc ego vobis ſanctæ virgines nondum triennalis ſacerdos munuſcula paraui, licet vſu indoctus, ſed veſtris edoctus moribus. Quātus etenim adoleſcere vſus potuit, in tam parua initiatæ religionis ætate? Si quos hic flores cernitis de veſtræ vitæ collectos legite ſinu. Non ſunt hæc præcepta virginibus, ſed de virginibus exempla. Veſtræ virginitatis effigiem noſtra depinxit oratio, veſtræ grauitatis imaginem, quaſi in ſpeculo quodam ſermonis iſtius cernitis refulgere. Vos ſi quam noſtro gratiam inhalaſtis ingenio, veſtrum eſt quicquid iſte redolet liber. Et quoniam quot homines tot ſententiæ: ſi quid defecatum eſt in ſermone noſtro, omnes legant: ſi quid decoctum, maturiores probent: ſi quid modeſtum, pectoribus inhæreat, genas pingat: ſi quid florulentum, ætas florulenta non improbet. Debuimus ſponſæ citare amorem, Scriptum eſt enim: Diliges dominum deum tuum. Debuimus in nuptiis calamiſtris quibuſdam crines ſaltem orationis ornare. Scriptum eſt enim: Plaude manu, & percute pede. Debuimus perpetuos ſpargere thalamos roſis. Etiam & in his coniugiis tēporalibus nubenti prius plauditur, quàm imperatur, ne ante dura offendāt imperia, quàm blanditijs amor fotus inoleſcat. Equorum vis plauſæ ſonitum diſcit amare ceruicis, ne recuſet iugum. Denique prius aſſueſcitur verbo laſciuiæ, quàm verbere diſciplinæ. Aſt vbi colla ſubdiderit iugo, & habena conſtringit, & ſtimulus vrget: & compares trahunt, & iugalis inuitat. Sic etiam virgo noſtra debuit prius amore pio ludere, aurea thori regni cœleſtis fulcra mirari, in ipſo veſtibulo nuptiarum, & poſtes frondium ſertis cernere coronatos, & chori ſtrepentis interius haurire delitias: ne ſe prius dominico iugo timefacta ſubduceret, quàm vocata inclinaret. Veni igitur huc à Libano ſponſa: veni huc à Libano: trāſibis, & pertranſibis. Sæpius enim nobis iſte verſiculus recantandus eſt: vt vel dominicis vocata verbis ſequatur, ſi qua non credit humanis: hoc nos magiſterium non inuenimus, ſed accipimus: ſic inſtituit myſtici carminis doctrina cœleſtis.

Exlib. Iſaac cap. 3. to. 4. *Gen.24.* *Cant.4.*

Oſculetur me ab oſculo oris ſui: quia bona vbera tua ſuper vinum, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata. Vnguentum exinanitum eſt nomen tuum.) Totus iſte delitiarū locus ludum ſonat, plauſum excitat, amorem prouocat. *Ideo*, inquit, *adoleſcentulæ dilexerunt te retro. In odorem vnguentorum tuorum curramus. Induxit me rex in tabernaculum ſuum.*) Ab oſculis cœpit, vt ad tabernaculū peruenirent. Atque illa tam patiens duri laboris exercitatæque virtutis, vt aperiat manu clauſtra, in agrum exeat, in caſtellis maneat: in principio tamen retro odorem currit vnguenti, mox cùm in tabernaculum venerit, vnguentum mutatur à caſtellis. Denique quò euadat, videte: *Si murus*, inquit, *eſt, ædificemus ſuper eum turres argenteas.*) Quæ ludebat oſculis, iam turres erigit: vt precioſis ſanctorum turribus faſtigiis, non ſolum hoſtiles fruſtretur incurſus, verumetiam bonorum propugnacula ſtruat tuta meritorum.

Cantic.1. *Cantic.8.*

Veniebat (Rebecca) iam cœleſtibus dotata myſteriis, veniebat magna ſecum ornamenta aurium & manuum ferēs: eo quod auditu & operibus emineat eccleſiæ pulchritudo, cui rectè dictum aduertimus: Eſto in millia milliū, & ſemen tuum poſſideat aduerſariorum ciuitates. Decora igitur eccleſia, quę ex inimicis gentibus filios acquiſiuit. Sed poteſt hoc etiam ad animam deputari: quæ paſſiones corporis ſubigit, & ad virtutum officia conuertit, repugnantéſque motus ſibi obedientes efficit. Ergo vel anima patriarchæ (Iſaac) myſterium Chriſti, videns Rebeccam venientem cum vaſis aureis & argenteis, tanquam eccleſiam cum populo nationum mirata pulchritudinem Verbi & ſacramentorum eius dicit: *Oſculetur me ab oſculis oris ſui.*) Vel Rebecca audiens virū Iſaac, verum illud gaudium, veram lætitiam deſiderat oſculari. Quid eſt igitur? Oſculetur me ab oſculis oris ſui? Conſidera vel eccleſiam iam diu promiſſo ſibi per prophetas dominico aduentu per tempora multa ſuſpenſam, vel animam, quæ eleuant ſe à corpore, abdicatis luxurię delitiis, voluptatibúſq; carnalibus, exuta quoque ſolicitudine ſecularium vanitatū, iamdudum infuſionem ſibi diuinæ præſentiæ, & gratiā Verbi ſalutaris exoptet, commacerari, quòd ſero veniat, & affligi. Ideóque quaſi vulneratam charitate, cùm moras eius ferre non poſſit, conuerſam ad patrem rogare: vt mittat ſibi deum verbum: & cauſam, qua ſit ita impatiens, declarare, dicentem: *Oſculetur me ab oſculis oris ſui.*) Non vnum oſculum quærit, ſed plura oſcula, vt deſiderium ſuum poſſit explere. Quæ enim diligit, non eſt vnius oſculi parcitate contenta, ſed plura exigit, plura vēdicat: & ita ſe amplius dilecto commendare conſueuit. Denique illa in euangelio ſic probata eſt: Quia non ceſſauit, inquit, oſculari pedes meos: & ideo remiſſa ſunt ei peccata multa: quia dilexit multum. Ergo & hęc anima oſcula Verbi multa deſiderabat, vt illuminetur diuinæ cognitionis lumine. Hoc eſt enim oſculum Verbi, lumen ſcilicet cogitationis ſacræ. Oſculatur enim nos deus Verbum: quādo cor noſtrum, & ipſum principale hominis ſpiritu diuinę cognitionis illuminat, quo anima donata charitatis pignore nuptiali, læta atque ouans dicit: Os meum aperui, & duxi ſpiritum. Oſculum eſt enim quo inuicem amantes ſibi adhærent, & velut gratię interioris ſuauitate potiuntur. Per hoc oſculum adhæret anima deo Verbo, quod ſibi transfunditur ſpiritus oſculantis: ſicut etiam hi, qui ſe oſculantur, non ſunt labiorum prælibatione contēti: ſed ſpiritum ſuum ſibi inuicem videntur infundere.

Cant.1. *Luc.7.* *Pſal.118.*

Quid autē loquar de oſculo oris, quod pietatis & charitatis eſt pignus? Oſculantur ſe & columbæ. Sed quid ad humani oſculi venuſtatem, quo amicitiæ inſigne humanitatiſque præfulget, in quo plenæ charitatis fidelis exprimitur affectus? Vnde & dominus velut prodigij genus in proditore condem-

Ex 6. lib. Hexameron cap. 9 to. 4.

condemnãs ait:Iuda,oſculo filium hominis tradis? Hoc eſt, charitatis inſigne cõuertis ad ſignũ proditionis,& infidelitatis indicium:pacis hoc pignore vteris ad officium crudelitatis? Beſtiali igitur oris obſequio inferentem potius necem,quàm charitatis fœdera deferentem diuinæ arguit vocis oraculo.

Veniſti ad altare: vocat te Dominus Ieſus vel animam tuam vel eccleſiam,& ait: Oſculetur me ab oſculis oris ſui. Vis ad Chriſtum aptare? nihil gratius. Vis ad animam tuã? nihil iucundius. Oſculetur me. Videt te mundum eſſe ab omni peccato: quia delicta de terra ſunt. Ideo te ſacramentis cœleſtibus dignum iudicat:& ideo inuitat ad cœleſte conuiuium. *Oſculetur me ab oſculis oris ſui.*) Tamen propter ſequentia anima tua vel humana conditio,vel eccleſia videt ſe ab omnibus mundatam eſſe peccatis, & dignam quæ ad altare Chriſti poſſit accedere. Quid eſt enim altare, niſi forma corporis Chriſti? Vidit ſacramenta mirabilia & ait: Oſculetur me ab oſculis oris ſui,hoc eſt, oſculũ mihi Chriſtus infigat.

Non mediocris hæc meriti eſt, de qua poteſt dicere ſapientia: Ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos: vt aliud niſi ſapientiam loqui neſciat, vt aliud niſi iuſtitiã diligere neſciat,vt aliud niſi caſtitatẽ libare neſciat, vt aliud niſi pudicitiam oſculari neſciat. Oſculum enim mutui amoris indicium eſt: Oſculum pignus eſt charitatis.

Et fortaſſe illud quod ait ſupra. *Oſculetur me ab oſculis oris ſui,*) ſignificat ſpiritus ſancti ſuperueniẽtis gratiam: ſicut angelus ad Mariam dixit: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,& virtꝰ altiſſimi obumbrabit tibi.

Quia meliora vbera tua ſuper vinum.) Hoc eſt,meliores ſenſus,meliora ſacramenta tua ſuper vinum: ſuper illud vinum quod & ſi ſuauitatem habet,lætitiam habet,gratiam habet, tamen in illo lætitia ſecularis, in te autem iucunditas ſpiritalis eſt. Iam tunc ergo Salomon inducebat nuptias vel Chriſti & Eccleſiæ vel carnis & animæ. Et tanquam deſpiciens omnes iucunditates & delectationes ſuas,cœleſtibus cupiens inhærere mandatis,ait, quoniam optima precepta teſtamentorum tuorum ſuper omnem appetentiam carnis, & ſeculi voluptatem. Meminerat enim ſe in Eua antè ſic lapſum, dum voluptatem corporis mandatis cœleſtibus præfert. Oſtendens itaque non ſolum ſpeciem verbi & vultum quendam, ſed omnia interiora eius ſe diligere,adiungit ad gratiam oſculorum. Quia bona,inquit,vbera tua ſuper vinum, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata. Illa oſculum popoſcit, Deus verbum ſe ei totus infudit,& nudauit ei vbera ſua, hoc eſt, dogmata ſua, & interioris ſapientiæ diſciplinas: & vnguentorum ſuorum dulci odore fragrauit: quibus capta iam dicit vberiorem eſſe iucunditatem diuinæ cognitionis, quàm lætitiam omnis corporeæ voluptatis.

Vnguentum exinanitum nomen tuum.)Hoc eſt, totus immũmundis impuritatibus diuerſorum facinorum fœtebat hic mundus:nunc ſpirat vbique ſuauitas pudicitię,vnguentum fidei,flos integritatis. Adſpirat enim in verbo odor gratiæ, & remiſſio peccatorum, quæ in totum diffuſa mundum, omnia tanquam exinanito repleuit vnguento,quia per vniuerſos grauis vitiorum colluuies deterſa eſt.

Vnguentum exinanitum nomen tuum.) Caro Chriſti non vidit corruptionẽ,nec odore aliquo mortis emarcuit,ſed æterni illius floris & ſemper virentis odore condita ſurrexit. Quomodo enim poterat vel in carne marceſcere,cuius nomen vnguentum exinanitum eſt? Exinaniuit ſe,vt ſpiraret tibi. Semper hoc vnguentum erat, ſed erat apud patrem, erat in patre. Olebat tantum angelis & archangelis,tanquã intra vas cœli: aperuit os pater,dicens, Ecce poſui te in teſtamentum generis mei, in lucem gentium,vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ. Deſcendit filius,repleta ſunt omnia nouo odore verbi. Eructauit cor patris verbum bonum, fragrauit filius,ſpiritus ſanctus exhalauit,atque per omniũ ſe corda diffudit. Diffuſa eſt enim charitas Dei in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum. Ipſe Dei filius in corpore tanquam in vaſe odorem primo cohibebat ſuum, operiẽs tempus quãdo effunderet,ſicut ait: Dominus dat mihi linguam eruditionis, vt ſciam quando oporteat me dicere ſermonem. Venit hora,aperuit os, exiuit vnguentum,quando virtus exibat de eo. Hoc vnguentum exinanitum eſt ſuper Iudæos, & collectum eſt à Gentibus. Exinanitum in Iudæa, & redoluit in omnibus terris. Hoc vnguento vncta eſt Maria,& virgo concepit,virgo peperit bonum odorem,Dei filium. Hoc vnguentum effuſum eſt ſuper aquas, & aquas ſanctificauit. Hoc vnguento vncti ſunt tres pueri, & humorem iis flamma rorauit. Hoc vnguento Dauid vnctus eſt,& leonum ora molliuit, feritatémque permulſit. Fluit hoc vnguentum quotidie,& nunquam deficit. Accipe vas tuum virgo,& accede,vt poſſis hoc vnguento repleri. acceptum vnguentum æſtimatum trecentis denariis, ſed gratis datum, non venditum, vt omnes gratis haberent. Gratis vngere virgo noli contriſtari ſicut Iudas,quia hoc vnguentũ effunditur, ſed conſepeli te in Chriſtum. Claude ſanè vas tuum,ne vnguentum effluat. Claude integritatis claue, loquendi verecundia, abſtinentia gloriandi. Hoc quæ habet vnguentum,Chriſtum recipit.

Aliud eſt ſobrietatis vnguentum de quo dicit Eccleſia ad ſponſum ſuum. *Vnguentum exinanitum nomen tuum.*) Aliud oleum quo artus animæ & quædam membra pingueſcunt: vnde & Dauid dicit, impinguaſti in oleo caput meum. Et hoc eſt oleum lætitiæ quo vnctus eſt Chriſtus à Deo patre, vt præ omnibus ſuis emineret conſortibus. Hoc iubet vngere caput noſtrum, vt oleo lętitiæ obducatur omnis ſimulata triſtitia, ne videaris ieiunium tuũ vendere hominibus,ne videaris cõtriſtari in animæ tuæ ſalute. Nemo enim triſtis coronatur,nemo mœſtus triumphat. *Lib. de Helia & ieiunio cap. 10.*

Vnguentum exinanitum nomen tuum.) Deſcendat vnguentum iſtud in animæ præcordia,viſcerúmque ſecreta: quo non deliciarum odores ſancta Maria, ſed diuinæ gratiæ ſpiramenta redolebat. Hæc pluuia Euæ reſtinxit appetentiam: hoc vnguentum fœtorem hæreditarij erroris abſterſit. hoc vnguentum Maria ſoror Lazari in pedes Chriſti effudit, & tota domus pio repleta odore fragrauit. Nec vlla ſe pauperem putet,nulla ſe arbitretur inopem, nulla metuat ne precioſum hoc vnguentum emere nõ poſſit,aut fontem iſtum putet eſſe venalem. Qui ſitis,inquit,ite ad aquam:& quicunque non habetis argentum,ite & bibite ſine argento. Et ſuprà ait: Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini. Ideo pauper factus eſt dominus cùm diues eſſet, vt eum omnes emant,& egenos præcipuè ſua paupertate locupletet. Parate igitur vaſa domini, vt excipiatis hunc fontem aquæ viuæ, fontem virginitatis, integritatis vnguentum, odorem fidei & ſuauis miſericordiæ gratia florulentum. Non mediocre iſtud vnguentum eſt, quo Chriſti longè latéque diffunditur nomen. Vnde etiam propheticè dictum eſt. Vnguentum exinanitum eſt nomen tuum. Ideo exinanitum,vt maiore fides odore fragraret. *Lib. de inſtitutione virg. cap. 13.* *Eſa. 55.* *2. Cor. 8.*

Vnguentum effuſum eſt nomen tuum.)Huius virtute ſermonis nihil poteſt eſſe præſtantius. Nam ſicut incluſum in vaſe aliquo vnguentum cohibet odorem ſuum, qui odor quandiu vaſis illius anguſtiis coërcetur, & ſi ad plures non poteſt peruenire, tamen vim ſuam ſeruat: cum verò de vaſe illo quo claudebatur vnguentum fuerit effuſum, longe latéque diffuſum ducitur: ita & Chriſti nomen ante eius aduentum in Iſraëlitico populo quaſi in vaſe aliquo Iudæorũ mentibus claudebatur. Notus enim in Iudæa Deus,in Iſraël magnum nomen eius. Hoc vtique nomen,quod vaſa Iudęorũ anguſtiis ſuis coërcitum continebant, magnum quidem & tunc nomen, cùm infirmorum & paucorum hæreret anguſtiis,ſed magnitudinem ſui nondum per corda gentium & in fines totius orbis effuderat. Poſtquam verò per omnem mundum ſuo illuxit aduentu,per omnem vtique creaturam diuinum illud ſuum nomen extendit,non repletum acceſſione aliqua (plenitudo enim neſcit augmentum) ſed replens vacua, vt eſſet admirabile nomen eius in vniuerſa terra. Huius igitur effuſio nominis abundantem quandam exuberãtiam gratiarum, bonorúmque cœleſtium ſignificat largitatem. Ex abundanti enim ſuperfluit quicquid effunditur. *Lib. 1. de ſpiritu ſancto cap. 7.* *Pſal. 45.*

Propterea

Lib.5. ca 1. de sacramẽtis. *Lib. 3. de virginibus.* *Propterea adolescentulæ dilexerunt te.*) Quæ sunt iste adolescẽtulæ, nisi animæ singulorum, qui deposuerunt istius corporis senectutem, renouatæ per spiritum sanctum? Nolite adolescentulas arcere, de quibus scriptum est, Propterea adolescentulę dilexerunt te nimis, & introduxerunt te in domum matris suæ. Bona quidem prudentia, sed dulcis misericordia: illam enim parci assequuntur, hæc ad omnes peruenit. Propter hanc, inquit, indulgentiam tuam diligunt te animæ renouatæ spiritu, quam ij qui veteris & rugosi hominis grauantur exuuiis amare non possunt: vnde & ad animam dicitur. Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Ad animam enim loquebatur dicens: Benedic anima mea dominum.

Lib de Isaac cap.3.

Ex epist.11. ad Irenaum lib.3. *Attrahe nos post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.*) Verum & summum si illo concupiscibili suo & delectabili anima gustauerit, & duabus his hauserit affectionibus, excludens & formidinem, incredibiliter exæstuat. Osculata enim iam anima sancta verbum dei, modum non capit, nec expletur dicens: Suauis es Domine, & in iucundirate tua doce me iustificationes tuas. Osculata, inquam, Dei verbum concupiscit super omnem decorem, diligit super omnem lętitiam, delectatur super omnia aromata, cupit frequenter videre, sæpe intendere, cupit attrahi vt sequi possit. Vnguẽtum, inquit, exinanitum nomen tuum, propterea diligimus te adolescentulæ, propterea certamus, sed comprehendere te nõ possumus. Attrahe igitur nos vt possimus currere, vt odore vnguentorũ tuorũ accipiamus virtutẽ sequẽdi. Festinat etiã interna mysteria videre, ipsam requiẽ verbi, ipsam boni illius summi habitationẽ, & lucẽ eius, & claritatẽ. Festinat ad verbũ, & rogat vt attrahatur, ne forte derelinquatur quia currit verbũ Dei, & non est alligatũ. Denique exultat tanquam gigas ad currendam viam. Et quia egressus eius à summo cœlo, & occursus eius vsque ad summum eius, vidẽs se imparem tantæ velocitati, dicit: Attrahe nos. Habemus enim cupiditatem sequendi, quam vnguentorum tuorum inspirat gratia. Sed quia cursus tuos æquare non possumus, attrahe nos, vt auxilio tuo fultæ vestigiis tuis possimus insistere. Si enim tu attraxeris, curremus & nos, & spiritalis velocitatis flabra capiemus. Deponitur enim sarcina, quibus manus tua fulcro est, & oleum tuum infunditur, quo curatus est ille qui à latronibus vulneratus est. Ac ne impudens tibi videatur quod ait, Attrahe nos, audi dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Vides quàm libenter nos attrahit, ne remaneamus sequentes. Sed qui vult attrahi, currat vt comprehendat: & currat posteriora obliuiscens, & ea quæ sunt priora appetens. sic enim poterit Christum comprehendere. Vnde & apostolus ait: Sic currite, vt comprehendatis. Prudenter ergo rogat vt attrahatur, quia non omnes sequi possunt. Denique dicenti Petro, Quò vadis, respondit verbum Dei: Non potes me sequi modo, sequêris autem postea. Claues ei commiserat regni cœlorum, & insequendo se imparem iudicauit. Hanc tamen animam non distulit, quia non præsumebat, sed rogabat.

Ex lib. de Isaac patriarcha cap 3 Psalm.18.

Luce 9. *Matth.11.* *Philip.5.* *Ioan.13.*

Ibidem continuò lib. de Isaac & anima cap.3. *Denique ait: Introduxit me Rex in cubiculum suum.*) Beata anima quæ verbi ingreditur penetralia. Insurgens namque de corpore, ab omnibus fit remotior, atque intra semetipsam diuinum illud si quo modo adsequi possit scrutatur & quærit. Quod cum potuerit comprehendere, ea quæ sunt intelligibilia supergressa, in illo confirmatur, atque eo pascitur. Talis erat Paulus, qui sciebat se raptum in paradisum, sed siue extra corpus raptum, siue in corpore, nesciebat. Assurrexerat enim anima eius de corpore, & se à visceribus & vinculis carnis abduxerat atque eleuauerat, factúsque a semetipso alienus, intra semetipsum tenuit verba ineffabilia quæ audiuit, & vulgare non potuit: quia aduertit ea homini loqui non licere.

Serm.1.vers.1.in Psal. 118. & ser. 1.vers 8 in Psal.118. Iustificationes. *Introduxit me rex in cubiculũ suũ. exultemus & lætemur in te. diligamus vbera tua super vinum.*) Simplex est osculum, sed negocioſum cubiculi secretum. Hoc loco mystica plenius cognoscere se velle testatur, vt ingrediatur penetralia mysteriorum cœlestium, & aperiãtur sibi thesauri sapientiæ & scientiæ in Christo absconditi. Vnde & Salomon ait: Attrahe nos post te, in odore vnguentorum tuorum curramus. Quod vt possit, fortasse illud quod ait scriptura, Osculetur me ab osculis oris sui, significat superuenientis spiritus sancti gratiam, sicut angelus ad Mariam dixit. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quãdo autem introduxerit eam rex in cubiculum suum, passionis tempus, lateris compunctio declarat, sanguinis effusio, sepulturæ vnguentum, resurrectionis mysteriũ, vt osculum quasi sponsa acceperit: in cubiculum autem Christi sit introducta ecclesia, non iam quasi tantummodo desponsata, sed etiam quasi nupta: nec solum thalamum sit ingressa, sed etiam legitimæ claues copulæ consecuta sit. Ideóque quasi in thalamo sita ait: Colligatio guttæ frater meus mihi, inter media vbera requiescit. Proinde si quod sit cubiculum quærimus, ipse nos edoceat qui ait: Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Cubiculum ecclesię, corpus est Christi. Introduxit eam rex in omnia interiora mysteria: dedit ei claues, vt aperiret sibi thesauros scientiæ sacramẽtorum: clausas antea fores panderet: cognosceret quiescentis gratiam, defuncti somnũ, virtutem resurrectionis. In illo cubiculo iustitias domini Iesu nupta reperit. Quæ sunt illæ iustitiæ? Vtique sacramenta baptismatis, sicut legimus: quia cùm venienti ad baptismum diceret Ioannes: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? respondit Iesus: Sine modo, sic enim decet nos adimplere omnem iustitiam. In illo cubiculo iustificationes didicit, cognouit consilium dei, sicut scriptum est, Quia omnis populus audiens & publicani iustificauerunt deum, baptizati baptismo Ioannis: Pharisæi autem & legisperiti consilium dei spreuerunt in se, non baptizati ab eo. Quod ergo illi spreuerunt, nos elegimus & sequimur consilium dei: quo nihil potest esse sublimius. Hoc enim diuinum, quo fit remissio peccatorũ. Hæc à domino quærit discere, quæ homines docere non poterant, nisi deus antè docuisset. Quæ posteaquàm à Christo didicerunt apostoli, Ecclesia dicit: Introduxit me rex in cubiculum suum, hoc est, in illud secretum suum, in quo sunt thesauri scientiæ & cognitionis suæ. Ideo tibi dicitur: Cum oras, intra in cubiculum tuũ, quod significat mentis animíque secretum. In hoc cubiculum iustitiarum sponsa se poposcit induci, cum post odorem vnguenti excurrerit, quod semper fluit, & nunquã deficit. *Introduxit me ergo*, inquit, *rex in cubiculũ suũ.*) Græcus, *in promptuarium suum & in cellarium suum* habet: vbi bona libamina, vbi boni odores, suauia mollia, vbi fructus diuersi, vbi epulæ variæ, vt plurimis epulis prãdium tuũ condiatur.

Luce 2. *Matt.6.* *Sacramenta baptismi quæ.* *Matt.3.* *Luc.7.* *Sermones 2. in psal. 115. vers.4.* *Matt.5.* *Lib 5. de sacramentis cap.2.*

Denique in illud diuini illius introducta secretum, *Exultemus*, inquit, *& lætemur in te: diligamus vbera tua super vinũ.*) Non enim in diuitiis & auri argentíque thesauris, non in possessionum fructibus, non in potestatibus, non in conuiuiis, sed in solo deo exultat, dicẽs ad eũ: *Diligamus vbera tua super vinũ.*) Sic tamen bibẽs, vt non absorberetur à vino, sed gratia eius lætitiam cordis hauriret, non corporis ebrietate titubaret. Quæ verò sunt vbera sponsi nisi Ecclesiæ suauia, lactea & pinguia sacramẽta? Hæc sunt illi iucundiora ac gratiora quàm mũdi omnes exquisitæ delitiæ, quam opularum varia ac splendida fercula, gratiora denique q̃ vinũ quod inebriat homines, & apostatare fecit sapientes. Itaque post istã exultationem ac lætitiam aperuit oculos suos, & vidit viam rectam, reliquit tortuosas vias, dicẽs: *Æquitas dilexit te.*) hoc est, non flexuosa itinera te sequuntur, sed solus potest ad te iustitiæ trames peruenire. Qui enim diligit iustitiam, non se auertit à Christo. Quomodo enim arbitrum iustitiæ, remuneratorémque meritorum innocens metuat conscientia?

Lib.de Isaac cap. *Serm.2. vers.1.in psal.118.* *Lactea Ecclesiæ sacramenta. Eccle.19.* *Serm.2.vers. 1.in psal. 118.* *Lib.de Isaac cap.4.*

Eadem tamen anima cognoscẽs corporis societate se esse fuscatam, dicit ad alias animas, vel ad alias cœlestes & appositas sacro ministerio potestates, Nolite aspicere me quoniam obfuscata sum, quoniam non est intuitus me sol.

Ex cap.7. lib.de his qui initiantur. In exhorta. ad virgines. In apologia Dauid prior. cer.10. *Fusca sum, & decora filiæ Hierusalem.*) Nigra per fragilitatem conditionis humanæ, decora per gratiam. Nigra, quia ex peccatoribus, decora fidei sacramẽto. Nigra per carnem, decora per virginitatem. *Nigra sum, inquit, & decora filiæ Hierusalem.*) Erat enim, antequam baptizaretur, tenebroso peccatorum horrore deformis, sed posteaquam abluta per baptismum

ptiſmum remiſſionem meruit delictorum, dealbata aſcendit ad Chriſtum. Inde per Eſaiam Dominus locutus eſt, dicens: Si fuerint peccata veſtra vt Phœniciũ, vt niuem dealbabo. id eſt, ſi cruenta, ſi tetra, mundabo. *Fuſca ſum & decora*, inquit, *filiæ Hieruſalem, vt tabernaculum Cedar, vt pellis Salomonis.*) Habes cauſam qua ratione ſe lauare geſtiat, quæ fuſcam ſe eſſe commemorat. Nam quaſi interroganti Ioanni qua ratione plebs multa concurrens geſtiret lauari, reſpondit, Fuſca ſum & decora filia Hieruſalem. Quia fuſca eſt, lauari deſiderat: quia decora eſt, videri nuda non metuit. In Ioanne porrò euangeliſta iuuene ſpectato præuide magna myſteria quæ in Canticis Canticorum ſanctus Salomon repletus Domini ſpiritu reſultauit. Conſtitue Dominum Ieſum recumbentem in conuiuio, reclinantem ſe Ioannem ſupra pectus eius, mirantes alios quod ſeruus ſupra Dominum reclinaret, quod caro illa peccatrix ſupra templum verbi recumberet: quod anima illa carnis vinculis innexa, aulam diuinæ plenitudinis ſcrutaretur. Hæc ergo mirantibus aliis, reſpondit anima Ioannis: *Fuſca ſum & decora filiæ Hieruſalem.*) Fuſca per culpam, decora per gratiam. Dicit & caro, Fuſca ſum & decora. fuſca puluere ſeculari, quem certando collegi: decora oculo ſpirituali, quo mundi huius puluerem ſqualoremque deterſi. Fuſca per vitium, ſed decora iam per lauacrum, quo ablui omne delictum. Fuſca, quia peccaui: decora, quia iam me diligit Chriſtus, quam relegauerat in Eua, recepit ex virgine, ſuſcepit ex Maria. Dicit etiam Synagoga, cuius myſteria hoc loco pleriſque videntur exprimi: quæ cum ſe reiici iam videret propter totius plebis impietatem, ſolabatur ſe tamen, quia ipſum Chriſtum de populo ſuo non tantum, ſed & Petrum, Ioannem, Iacobum Chriſto adhærentes videbat, & quia habebat eloquia ſibi credita: & ideo dicebat: Fuſca ſum, & decora, filiæ Hieruſalem. Fuſca per incredulitatem, decora per legem. Fuſca per lapſum, decora quia dilexit me ſol, & prior facta ſum congregatio Dei. *Nigra ſum & decora.*) Præmiſit nigram, vt augeret decoram. Non dixit, Nigra ſum decora: ne quod nigrum eſt, decorum æſtimaretur. Nigra ſum ſuperiore peccato, ſed decora confeſſione peccati, & correctionis ſtudio, atque amore virtutis. Nigra per culpam, decora per gratiam. Aut certè nigra exercitij ſui puluere. Nigra ergo dum præliatur, decora dum victoriæ ſuæ inſignibus coronatur.

Sicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.) Tentoria de exuuiis mortuorum animalium fiunt. Igitur quæ hoc dicebat, mortua erat peccato, viuebat deo. Et nos ergo moriamur peccato, vt viuamus Deo. Repleti ſpiritus iucunditate, & ſuauitate lætitiæ, erimus exuuiæ ſpiritales, carentes infirmitate corporea, & integro mentis ſinu infuſam nobis diuinorum myſteriorum gratiam reſeruantes. Tabernacula autem Cedar, pellésve Salomonis, corpus hoc dici licet ex pluribus locis: tamen inde etiam intellige, quòd Adam & Eua vbi imaginem depoſuere cœleſtis, quam antè portabant, imaginem terreni hominis induentes, tunicas dicti ſunt veſtiti eſſe pelliceas. Corporales enim eos fecerat de ſpiritalibus culpa commiſſa. Nec illud abſurdum ad intelligendum, quod ita ſe Sponſa dicit factam ſicut pelles ſolis aduſtas, caloribus: eo quòd in aſperitate licet tribulationum poſita, mortificauerit tamen corpus ſuum, ne illam aſperitatem ſentire poſſet. Sicut enim ardorem ſolis non ſentit pellis tabernaculi, eò quòd pellis ſit animalis mortui: ita hæc mortua peccato, ardorem peccati ſentire non poterat.

Nolite aſpicere me, quia obfuſcata ſum, quia non eſt intuitus me ſol.) Ideo, inquit, fuſca ſum, quia ſol me reliquit iuſtitiæ, qui ante illuminare conſueuerat. amiſi colorem vultus mei, obtuſa facta eſt acies oculorum meorum quibus antè ſolem videbam. In tenebris ambulo, quæ diem Chriſti neſcio. Nolite tamen deſpicere me: quoniam qui reliquit, poteſt rurſum aſpicere, miſereri iterum. Solet enim congregare diſperſos, deſertos requirere, colligere deſtitutos. Omnes tribus Iſraël conuenite, aſpicite me decoram, antè dilectam. Nolite aſpicere me, quoniam obfuſcata ſum, hoc eſt, non hoc ſolum aſpiciatis, quia obfuſcata ſum. non eſt intuitus me ſol, & ideo obfuſcata ſum. Sed lucet ſol ſuper iuſtos & iniuſtos. Super iuſtos pro gratia, ſuper iniuſtos pro miſericordia: illis mercedem meritorum tribuens, iſtis peccata dimittens. Et gentibus non lucebat antè, nunc lucet. Nunc illis oritur, qui oriebatur mihi: qui illis remiſit, remittet & mihi. Nolite arbitrari quoniam obfuſcata ſum, quòd penitus reliquerit me ſol, & iam non intueatur, nõ requirat ægram. Diſſimulauit à me, quia non ſeruaui mandata eius: reconciliabitur cùm viderit meorum pœnitentiam delictorum. Non videt me ſol, quia non recepi aduenientem, non aperui feneſtras, vt lumen vitæ intraret. Cùm aperuero, illuminabit oculos meos, qui venit vt totum mundum illuminaret, & videant etiam non videntes.

Denique quaſi orbis terrarum dicit Eccleſia. Noli aſpicere quoniam fuſca ſum, quia non reſpexit me ſol, eo quòd velut pruinis hyemalibus gelúque conſtructam gentilis erroris congregationem gentium ſol iuſtitiæ diuin dignam æſtimauerit, quam ſerena vultus ſui luce luſtraret. Nónne tibi videtur hyberni rigor temporis, quando notus erat in Iudæa tantummodo deus? nunc autem plenitudo lucis effulget æſtiuæ, quando omnia & in omnibus Chriſtus. Nónne terra Domini, & plenitudo eius? Et verum orbis terrarum in Eccleſia, in qua non Iudæus tantummodo aut Græcus, non barbarus aut Scytha, non ſeruus aut liber, ſed omnes in Chriſto vnum ſumus: Sol omnibus fulget: dies omnibus lucet. Ergo fuſcamur quando non videmur à Chriſto: ſed quando videmur, albeſcimus.

Ex ſerm. 12. verſu 2. in Pſal. 118.

Ex apologia Dauid poſteriore.

Filij matris meæ pugnauerunt aduerſum me.) Poſſunt apoſtoli eſſe filij matris eius, qui verè impugnaueruut Synagogam, dicentes, Ecce conuertimur ad gentes, & nationibus verbum Dei ſeminare cœperunt.

Serm. 2. ver. 1. in Pſal. 118. Act. 13. Lib. de Iſaac cap. 4.

Vel, filij matris meæ pugnauerunt aduerſum me: hoc eſt, impugnauerunt me corporis paſſiones, carnis illecebræ decolouerunt me.

Poſuerunt me cuſtodẽ in vineis, vineã meã non cuſtodiui.) Putant aliqui hoc de illis dici qui Synagogam ad legis præcepta conſtringunt vt legem cuſtodiat, vineam ſuam tueatur, quã cuſtodire non potuit. Deniq; cuſtodiebat vt faceret vuas, fecit autem ſpinas. Quæ ſit igitur vinea, veni Dauid teſtificare nobis, dicens: Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gẽtes, & plantaſti eam. Poſſunt & prophetæ intelligi, qui monendo, denunciandóque vt vineam ſuam cuſtodiret ſynagoga, nihil profecerunt. Fecit enim ſpinas improbitatis, quæ virtutis vberes fructus deferre debuerat: & ideo confitetur quia populum ſuum cuſtodire non potuit.

Ex tractatu in pſalm. 118 ſerm. 1. ver. 1

Eſa. 5.

Vineam meam nõ cuſtodiui.) Nemo auferat animæ veſtræ vineam, & vilia holera ſerat. Vinea enim quidam fructus virginalis eſt: coniugia velut holerum plantaria ſunt, in quibus frequens zelus eſt, & ideo ſicut holera herbarum citò cadunt atque marceſcunt, niſi finem imponat ſenectus, aut ad perfectionem continentia vehat. Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiſcat vineam veſtram delere & extinguere: nec veniat in vos Iezabel, vanum illud ac ſeculare profluuium. hoc enim vocabulo ſignificatur vana & vacua redundantia: ſed veniat Nabuthe, qui venit à patre, ſicut indicat nominis ipſius interpretatio, qui vineam ſanguine defendat ſuo, & pro ea mortem offerat. Hic eſt qui lapidatus pro nobis eſt, pro nobis mortuus, pro nobis falſis appetitus teſtimoniis. Qui pauper huc venit cùm dives eſſet, vt vos eius inopia ditaremini. Hic eſt vitis, qui redundantibus gratiæ ſuæ fructibus repleuit vniuerſum orbem terrarum. Hic in veſtris pectoribus alta maneat defixus radice, vt & fructus veſter exuberet, & liquore gratiæ ſpiritualis corporei vaporis incendia temperentur. *Vineam meam non cuſtodiui.*) quia ſpinas & non vuam attulit, id eſt, faciens peccata pro fructibus.

In exhortat. ad virg.

2. Reg. 21.

Iam verò ad Sponſum conuerſa, *Annuncia*, inquit, *mihi*

In Pſal. 118.

ferm 1. verſ. 1.

quem dilexit anima mea, vbi paſcis, vbi cubas in meridie?) Cur, quem dilexit anima mea, dicis, & non, quem diligit? Cur remiſiſti quem tenebas? Dilexiſti patrum fide, amiſiſti incredulitate, tenebas charitatis vinculis, amiſiſti lõgo fune perfidiæ. Ideo neſcis vbi paſcat, vbi maneat. nam ſi ſcires, non quæreres. Dicis enim, Vbi paſcis, vbi manes in meridie? Meridie noſti eſſe eccleſiam, quæ tenet Chriſtum, & tu eum in noctibus quæris? Dic, inquit, mihi Chriſte, reſponde vel propter id quia antea charus fuiſti, atque dilectus mihi. Etſi ego tantæ prærogatiuam charitatis amiſi, tu tamen quaſi pius reſponde mihi: Vbi paſcis? vbi manes? Reliquiſti me, abiiſti ad Gentes: receſſiſti longè à me, & illis propior factus es, à quibus longè eras. Sed factus es propè, quia crediderunt ſanguini tuo. A me receſſiſti, quia ego crucem tuam non recepi, vt mundi redemptionem, ſed vt noxij damnationem. Qui autem receperant ſicut ſalutis auctorem, in meridie ſunt. illis luces, illis refulges, illis calet gratia tua ſicut meridies. Mihi matutinus eras, cum adhuc crẽderem: ſed non credebam plene, quia non ſum inuenta in meridie, ſicut Ioſeph qui cum fratribus ſuis cœnabat in meridie. Illis meridies factus es, qui paſcuntur in diuitiis tuis, & in te ſperant. Ideo ſicut dixit Dauid, Deduces eorum iuſtitiam ſicut lumen & iudicium eorum tanquam meridiem. Quæris ergo tanquam aliena, quæ proxima eras: tanquam pauper, quæ diues fuiſti. Vis ſequi quæ precedebas: atque vtinam vel ſequaris, quos præcedere debuiſti. *Annuncia mihi,* inquit, *quem dilexit anima mea.*) Eccleſiæ Chriſti vox videri poſſit ad Ioannem dicentis, Annuncia mihi, &c. ipſum ſcilicet Chriſtum cauſam deſiderij, ipſum cauſam lauacri ſibi eſſe commemorãtis, ſicut habes, Fuſca ſum & decora, &c. de quo ſuprà tractatum eſt. Et alioqui Synagoga dixiſſe etiam videri poteſt, *Annuncia mihi quem dilexit anima mea, vbi paſcis, vbi manes in meridiano, ne fortè fiam circumamicta ſuper greges ſodalium tuorum?*) Hoc eſt, Annuncia mihi Chriſte, quem dilexit anima mea: Cur nõ potius, quem diligit? Sed ſynagoga dilexit, eccleſia diligit: nec vnquam circa Chriſtum ſuum mutat affectum. Vbi, inquit, paſcis, vbi manes in meridiano? Sequi te cupio quaſi alumna quæ quaſi copulata antè retinebar, & greges tuos quærere, quæ amiſi meos. In meridiano paſcis, hoc eſt, in Eccleſiæ loco, vbi iuſtitia reſplendet, vbi fulget iudicium ſicut meridies, vbi vmbra non cernitur, vbi maiores ſunt dies, quòd eis ſol iuſtitiæ tanquam æſtiuis menſibus diutius immoretur.

Annuncia, inquit, *mihi quem dilexit anima mea.*) Synagoga quærebat quem amiſerat: vos (eccleſiæ filiæ) quærite quem non amittatis. Sed cur Synagoga dicis, quem dilexi, & non dicis, quem diligo? ideo non tenes, quia dilexiſſe te dicis. cur non potius adhuc diligis, vt poſſis tenere? Verum illam omittamus. Tu virgo cum cœperis quærere, adeſt. Neque enim fieri poteſt, vt deſit quærentibus ſe, qui palam factus eſt non quærentibus, & inuentus eſt non interrogantibus. Dum tractas & cogitas, præſto eſt. Diſce interrogare cum venerit, vbi paſcat, vbi maneat, ſicut illa dicebat, Vbi paſcis, vbi manes in meridiano? Vbi enim Chriſtus manet, niſi vbi iuſtitiæ meridies refulget? quod ſacræ ſcripturæ docetur teſtimonio, quæ dicit, In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Vnde & alibi propheta dicit: In lumine tuo videbimus lumen.

Vbi paſcis, vbi manes, in meridiano, ne fortè fiam circumamicta ſuper greges ſodalium tuorum.) Mercenaria eſſe deſiderat, quæ ſibi vendicabat antè dominatum. Quàm damnoſa perfidia eſt! Sed quia incredula, immitis, ſacrilega, ideo eam à gregibus eccleſiæ ſuæ ſeparat Chriſtus, dicens: Niſi ſcias te ô decora in mulieribus. hoc eſt, prius te quæ ſis ipſa cognoſce, & tunc pete vt meis gregibus appropinques. *Vbi paſcis? vbi manes in meridiano? &c.*) Rectè dicit, vbi paſcis? quia regulare eſt Dei verbum. Vbi manes? quia morale. In meridiano, quia myſticum. Siquidem quia meridie Ioſeph cum fratribus ſuis in conuiuio conſtitutus, futurorum temporum myſteria reuelabat. Et Abrahæ quando Deus apparuit ad illicem Mambræ meridies erat. Sed & ipſe Paulus circunfulſiſſe ſibi lumen meridie aſſeruit, quando à perſecutione ad gratiam eſt conuerſus. Queritur ergo (ſynagoga) quòd dereliEx apologia Dauid poſteriore.

Ex lib. 4. Hexaemeron cap. 5.

In exhortat. ad virgines.

Lib. de Iſaac cap. 4.

cta ſit, quòd ſit deſtituta, ſit pauper ex diuite. Abundabat enim munere gratiarum: ſed egere cœpit, vbi diuinæ præſentiæ copia ſibi eſt denegata: & ideo vel quaſi mercenaria haberi poſtulat, quæ ante ſibi pretioſioris copulæ gratiam vendicabat. Mercenaria eſſe deſiderat, quæ antè mercenarios colligebat. Mercenariæ vtique vox eſt iſta dicentis: *Ne forte fiam circumamicta ſuper greges ſodalium tuorum.*) Quę proſelytos ex gentibus antè ſuſcipiebas, nunc ipſa in nationibus vis pro proſelytis ſuſcipi, & tanquam aduena congregari. Reſpondit Ieſus: *Niſi cognoſcas te decoram inter mulieres.*) Noſce te ipſum homo, tuæ animæ dicitur. Cognoſce te anima, quia non de terra non de limo es, quia inſufflauit in te Deus, & fecit in animam viuentem. Opus es magnificum, Dei inſpiratione generatum. Attende tibi, vt lex dicit, id eſt, animæ tuæ. Seculania te & mundana non teneant, terreſtria non morentur. Ad illum tota intentione feſtina, ex cuius inſpiratione conſiſtis. Grande, inquit, homo, & pretioſum vir miſericors. virum fidelem opus eſt inuenire. Diſce homo vbi grandis & pretioſus ſis. Vilem te terra demonſtrat, ſed glorioſum virtus facit, fides rarum, imago precioſum. An quicquam tam precioſum quàm imago eſt Dei? Quæ tibi primò debet fidem infundere, vt in corde tuo refulgeat quædam auctoris effigies: ne qui mentem tuam interrogat, non agnoſcat auctorem. An quicquam tam precioſum quàm humilitas? Vt naturam corporis animæque perſpiciens, altero te ſubiicias, altero te recognoſcas. Prona in vitium carnis illecebra, miſericordiam ſuadet: quia quod alteri contuleris, tibi ſoluis, quicquid à te procedit, in te recurrit: & quicquid fueris, tibi ſoluis: & qui profueris, tibi proficit. Cui reſpondit verbum Dei: *Niſi cognoſcas te decoram inter mulieres.*) Quæ quereris quod relicta ſis, niſi te cognoſcas, niſi te pœniteat lapſus tui, niſi intentionem deuotionis approbes, niſi fides tua & ſynceritas augeatur, querela nihil proderit. Ac ſic: Niſi cognoſcas te quia decora es, niſi pulchritudinem naturæ tuæ ſerues, & corporis te illecebrę non demergant, nec impedimenta detineant, nihil tibi creaturæ melioris nobilitas ſuffragabitur. Cognoſce igitur te, & naturæ tuæ decorem, & exi quaſi exuta vinculis pedem, & nudo exerta veſtigio: vt carnalia integimenta non ſentias, veſtigium mentis tuæ corporalia vincula non implicent, vt pes tuus ſpecioſus appareat. *Niſi cognoſcas te decoram, &c.*) Quoniam & elephantes vides tibi ſubditos, & leones eſſe ſubiectos, noſce teipſum ô homo: quod non (vt ferunt) Apollinis Pythij, ſed Salomonis ſancti eſt, qui ait, Niſi ſcias te formoſam in mulieribus. quanquam antè Moyſes in Deuteronomio ſcripſerit. Attende tibi ô homo. Attende tibi, ait lex, & propheta ait: Niſi ſcias te. Cui dicit hoc? Formoſa, inquit, in mulieribus. Quæ eſt pulchra in mulieribus, niſi anima, quæ in vtroque ſexu præſtantiam poſſidet pulchritudinis. Et meritò decora eſt, quæ non terrena ſed cœleſtia, non corruptibilia ſed incorrupta deſiderat, in quibus decus perire nõ ſoleat. corporalia enim omnia proceſſu ætatis, aut ægritudinis inæqualitate marceſcunt.

Serm. 2. ver. 1 in Pſalm. 118.

Serm 10. verſus 1. in Pſalm. 118.

Prou. 12.

Ex ca. 6. lib. 6. Hexaemeron.

Deuter. 15. in xta lxx.

Niſi noſcas te decoram inter mulieres.) Quid eſt ſe noſcere, niſi vt ſciat vnuſquiſque hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum, rationis capacem, qui terram ſuam excolere tanquam bonus agricola debeat aratro quodam & falce ſapientiæ, vt vel dura findantur vel luxurientia recidantur, qui inferiorem ſui portionem, animi imperio debeat gubernare? Vnde etiam in lege ſcriptum eſt: Attende tibi, ne fiat verbum abſconditum in corde tuo. Tibi, inquit, attende, non vtique dicit pecuniæ tuæ, non poſſeſſionibus tuis, non viribus corporis, ſed animo tuo, ac menti tuæ. vnde omnia conſilia facta cogitationéſque manant. Tibi ergo attende ibi, vbi potiorem eſſe te noſti. Noſce te ipſum, quod Apollini Pythio aſſignant gentiles viri, quaſi ipſe auctor fuerit huius ſententię, cùm de noſtro vſurpatum ad ſua transferant, & longè anterior Moyſes fuerit, qui ſcripſit librum Deuteronomij, quàm philoſophi qui iſta finxerunt. Attẽde, ait, tibi ſoli. Aliud enim nos ſumus, alia ſunt noſtra, alia quæ circa nos ſunt. Nos ſumus, hoc eſt, anima & mens.

In pſal 118. ſerm. 2. verſ. 1.

Lib. 6. Hexaemeron, cap. 7.

Noſtra

Noſtra ſunt corporis membra & ſenſus eius. Circa nos pecunia eſt, ſerui ſunt, & vitæ iſtius apparatus. Tibi ergo attende, & teipſum ſcito. hoc eſt, non quales lacertos habeas, non quantam corporis fortitudinem, non quantas poſſeſſiones, quantam potentiam, ſed qualem animam ac mentem, vnde omnia conſilia proficiſcuntur, ad quam operum tuorum fructus refertur.

Vnde & Salomon diuinum oraculum ſecutus ſcripſit: Niſi ſcias, inquit, te decoram inter mulieres. hoc eſt, Niſi cognoſcas te mortalem & rationalem, & citò peccata tua fatearis, citò dicas iniquitates tuas, vt iuſtificeris, niſi conuertaris, & prior accuſes tua delicta, venit dies mortis, & iam præueneris dum non cogitas, & nullum conuerſionis remedium eſt. Niſi ergo, inquit, cognoſcas te decora inter mulieres, *Exi tu in calcaneis gregũ, & paſce hœdos tuos in tabernaculis paſtorũ.*) Quia per greges, regnum intelligimus, eò quod poteſtatis ſit gregibus præſiderę. Præſidet autem vnuſquiſque ſibi quadã poteſtate regali, ſi coërceat in ſe corporis luxus, & ſeruituti redigat carnem ſuam. Ideóque dictum eſt, Regnum dei intra vos eſt. Vnde pulchrè ait ad animam: Exi, id eſt, exi à ſeruitio: exi à carnis imperio atque dominatu: & exi non in carne, ſed in ſpiritu: exi ad regnum poteſtatis. Ideóque addidit: Paſce hœdos tuos: hoc eſt, rege ea quæ in ſiniſtra tua ſunt. nam ſi non regantur, facilè labuntur. Coërce petulantiam & laſciuiam tui corporis, & luxuriam irrationabilem: edoma leues motus: paſce eos non in corporeis tabernaculis, ſed in tabernaculis paſtorum, qui regere gregem norunt. Sunt enim amabilia tabernacula Iſrael, ſicut nemora obumbrantia ſuper flumen, in quibus anima tanquam in procinctu bellico ſita, bonam exercet militiam, incurſus explorat hoſtiles. Exi ergo nudo pede, & paſce hœdos tuos in tabernaculis paſtorum. Quæ ſine peccato eſt, agnos paſcit, oues paſcit. quæ autem peccato obnoxia eſt, paſcit hœdos, quia à ſiniſtris ſunt. non enim poteſt eſſe in dextera paſtoris boni. ſequatur magis dicentem Petro: Veni retro me, Satana. Sequendo Petrus in dextra meruit collocari: ideóque ei dicitur, Paſce agniculos meos. Sed quò exeat audi. Ad tabernacula, inquit, paſtorum. hoc eſt, ad gẽtes, ad diſperſionem. Ideóque dixit, Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis, vt repleatur totus orbis terrarum grege Chriſti: ſignificans tunc ſaluam forè ſynagogam, cum ſe huic diſperſioni & ipſa ſociauerit, quæ repleuit hunc mundum. Tabernacula enim paſtorum, regna ſunt terræ. Ideóque propheta Dauid nationes annuncians crediturus, ait, Regna terræ cantate Deo.

Equæ meæ in curribus Pharaonis aſſimilaui te proxima mea.) In quo dum velocium equorum curſui ſimilitudo eccleſiæ comparari videtur, æſtimatur diues eius gratia. Non igitur vnam equam diuitis regis accipias, ſed abſolutè pro equitatu, vt ſæpe diximus: qualis ouis illius eſt pro grege ouium. Pharao igitur vt potentiſſimus rex & prædiues, habebat equos potẽtes, vnde & ſcriptura dicit, currus Pharaonis, quaſi potentiſſimum genus ad bellorum vſum, & ſubſidium præliandi. Denique his curribus Pharao fugientes. Hebræos facilè comprehendit. Sicut ergo equi iuncti cõcorditer trahunt currum, & patienter ſuſcipiunt iugum, & portant congrua cum gratia, & iugi illius ſuſceptione manſueſcunt: ſic & congregatio gentilibus indomita moribus ſe antè iactabat. Vbi verò ſuſcepit iugum dicẽtis, Tollite iugum meum quia leue eſt, & onus meum, quia ſuaue eſt, & cœpit ſponſa Chriſti concordia & manſuetudine populorum eſſe ſublimis, & toto circunferri orbe, tanquam currus equis velocibus ſupra mundum rapta aſcendit ad ſponſum. Habet enim equos ſuos Chriſtus, de quibus dicit propheta: Immiſiſti in mare equos tuos, turbantes aquas multas. eò quod gentium populos qui mouentur vt aquæ multæ, & excitantur vt fluctus aquarum, euangelizando commouerunt apoſtoli. vt aſſurgentes à tertenis idolorum cerimoniis in Chriſtum crederẽt. Et ſuprà ait: Aſcendiſti in equos tuos: equitatus tuus ſanitas. O bonorum equorum duodeca iugũ mirabile, quibus frena pacis, habenæ ſunt charitatis: conſtricti inter ſe cõcordiæ vinculis, & iugo fidei ſubiecti, quatuor rotis euangelij myſterium totius orbis finibus inuehentes, bonum aurigam portantes Dei verbum: cuius flagello fugatæ ſunt illecebræ ſeculares, exterminatus mundi iſtius princeps, iuſtorum eſt curſus impletus. O rationabilium equorum grande certamen, ô mirandum myſterium. Rota intra rotam currebat, & non impediebatur. nouum teſtamentum in veteri teſtamento intra illud currebat, per quod annunciabatur. In quatuor partes rotæ ibant, & non reuertebantur retrorſum, qui ſpiritus vitæ erat in his, qui currebat. In quatuor partes totius mundi, & ſine offenſione currebat, quia bonam equorum vitam quadrabat. Currebant igitur equi, quia non dormiebat qui aſcenderat equos. Tranſeundum eſt hoc mare impigrè, vix tranſitur à vigilantibus. Si quis autem dormitauerit, tranſire non poterit, ſed demergetur vt Ægyptius, cuius & anima & corpus interiit. Equũ & aſcenſorem proiecit in mare, qui non ſequebãtur legem, ſed perſequebantur. *Exech. 1.*

Equæ meæ in curribus Pharaonis aſſimilaui te.) Virtutis labor quærit victoriam, vt poſſit equæ illi, quæ Salomonis eſt, comparari. velox ad currẽdum, habilis ad patrum: quoniam fœcunditas animæ deſideratur & quæritur. Hæc ergo equa precioſa, & currus Pharaonis veloces: quod aliqui ad Eccleſiam referunt & ad populum: ſed de hoc myſterio alibi ſæpius diximus & maximè in pſalmo 118. Hoc autem loco de anima dicendum ſuſcepimus. Huius equæ ſimilis æſtimatur anima, hoc eſt, propheticæ vel apoſtolicæ virtutis, eò quòd in eorum annumeretur gregem, qui fœcunditate prædicationis ſuæ, totius orbis terrarum ſpatia repleuerunt: & quãuis in corpore conſtituti, nulla tamen curſus ſpiritualis ſenſere diſpendia. Ideóque laudatur, quod cœleſti ſibi illuminante præcepto, iam ſpecioſa, iam pulchra ſit, quę vultu præferat caſtitatis decorem, & redimicula ceruicis attollat, in qua ſunt patientiæ & humilitatis inſignia. Atque idcirco ſponſam ſuam collaudans dicebat.

Quàm ſpecioſæ faſtæ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis: ceruix tua ſicut redimicula.) Vultus liberior eſt, vbi eſt caſtitatis conſciẽtia: & portare Chriſti iugum eſt ſuaue, ſi ornamenta putes ceruicis tuæ eſſe, non onera. Attolle ergo oculos ſemper ad dominum, & quære Deum, vt inuenias. Erige ceruicem: redimicula non vincula geris. Muta quoque animalia redimiculis gaudent, & phalerari ſibi magis, quàm nudari videntur. Genæ ſicut turturis præferant inſignia verecundiæ: redimicula, ceruicis, libertatis attollant fiduciam. leue enim eſt iugum Chriſti, & ideo ceruix eo non premitur ſed leuatur. *In pſal. 118. ſerm. 3. verſu 1.*

Similitudines, inquit, *auri faciemus tibi ex diſtinctionibus argenti, quouſque rex eſt in declinatione ſua.*) Ex iis enim quæ ex lege ſunt & prophetis mediocriter antè crediderãt gloriam domini Ieſu: ſed hæreditas eius diffuſa per populos quo frequentius exanimata, hoc amplius eſt probata. Crebræ enim perſecutiones eccleſiæ, iuſtorum nobis titulos, martyrij victorias ediderunt. Itaque ſicut aurum bonum, ita eccleſia cum vritur, detrimenta non ſentit, magis fulgor eius augetur: donec Chriſtus veniat in regnum ſuum, & reclinet caput ſuum in Eccleſiæ fide. Qui cum veniſſet ad oues perditas domus Iſrael, non habebat vbi caput ſuum reclinaret, nunc autem redolet fides. Ideóque dicit Eccleſia: Nardus mea dedit odorem ſuum. Et dicit cum præſumptione expectans retributionem: Olim, inquit, non exhalabat Synagoga de ſe niſi tetrum odorem, incenſum & thymiama quod offerebat, abominatio erat apud Deum: victimas & holocauſtomata faſtidiebat anima eius: nunc verò eccleſiæ fides, Eccleſiæ caſta integritas, tanquam nardus ſuauiſſimum & amœniſſimum odorem ſpirat. *Ibidem continuo.*

Colligatio guttæ, conſobrinus meus: botryo cypri frater meus mihi, intermedia vbera mea requieſcit.) Corpus enim ſuſcipiens dominus Ieſus, charitatis ſe vinculis illigauit: & non ſolùm ſe membris noſtris & paſſionibus naturalibus, ſed etiam ſe cruci vinxit: ideóque ſicut botryo in eccleſiæ fide & morali requieſcit gratia: & tanquam faſciculum ſe nobis dedit, quẽ inter vbera noſtra contineamus: cuius lætemur aſpectu, fruamur amplexu, ſaturemur guſtu, roboremur contactu. *Ibidem continuò ſerm. 3 verſu 1.* *Ibidem in pſalm. 118.*

Ibidem. *Nardus Cypri consobrinus meus in vineis Engaddi.*) Si locũ quę-
rimus, regionis cuiusdã quę in Iudæa est, locus sic dicitur, in
qua opobalsamũ gignitur, si interpretationem, tẽtatio Latinè significatur. Illis verò in vineis lignũ est, quod si quis cõpungat, vnguentũ emittit. Hic fructus est ligni. Si non incidatur lignũ, nõ ita fragrat, & redolet, cum autem cõpũctum fuerit artificis manu, tunc lachrymam distillat. Sic & Christus in illo tentationis ligno crucifixus illachrymabat populum: vt peccata nostra dilueret, & de visceribus misericor-
Luce 23. diæ suæ fundebat vnguentũ, dicens: Pater dimitte illis, quia
nesciunt quid faciunt. Tunc ergo in ligno compunctus lancea, exiuit de eo sanguis & aqua, omni vnguẽto suauior, accepta Dei hostia, per totum mundum odorem sanctificationis effundens: & quasi balsamum ex arbore, sic virtus exi-
Ibidem 8. bat è corpore. Vnde ipse ait: Sentio virtutem de me exisse.
Inde opobalsamum expressius dicitur, eò quod compũctione ligni balsamum per cauernam pũctionis erumpat. Compunctus ergo Iesus odorem remissionis peccatorum & remissionis effudit. Nam & constrictus erat, cum verbum esset homo factus: & pauper factus est, cum diues esset, vt nos
2. Cor. 8. illius inopia ditaremur. Potens erat, & despiciendum se prębuit, ita vt Herodes sperneret eũ, & illuderet ei. Terrã mouebat, & hærebat in ligno, cœlum obducebat tenebris: mũdum crucifigebat, & crucifixus erat. Inclinabat caput, & exibat verbum, exinanitus erat, & replebat omnia. Descendit Deus, ascendit homo. Verbum caro factum est, vt caro sibi verbi solium in Dei dextera vindicaret. Vulnus inflictum erat, & fluebat vnguentum. Scarabeus audiebatur, & Deus
Ibidem continuò serm. 3. versu 1. agnoscebatur. Respõdit & Christus: *Ecce bona es proxima mea, ecce es bona, oculi tui columbæ.*) Quoniam cognouerat Ecclesia mysterium, & pro totius mundi redemptione crucifixũ dominum prædicabat, meretur audire: Ecce es bona. Quæ me bonum dicis, & ipsa es bona: quæ vidisti gloriæ meæ decorem, & ipsa speciosa es & decora. Quid est autem Christum
Luca 7. dicere, bona es, vel decora es, nisi illud euangelicum, Constans esto filia, dimissa sunt tibi peccata multa?

Quòd vero sponsam suam oculos columbæ habere dicit, ideo dictum existimo, quòd huic aui gratissima sit pudicitia, & adulterium nesciat, & coniugij fidem summo & inuiolabili studio colat. Ingens ergo & sublime præconium, sponsę datur, cum oculos illius columbarum similes esse prædicat. cõmendat enim illius excellentem castitatem, integritatem, simplicitatem: vt in illius vultu nihil resideat spurcum, nihil lasciuum, libidinosum, fraudulẽtum, sed tota eius facies virginali pudore, omniq; morum honestate ac simplicitate refulgeat. Vel ideo oculi eius columbis comparantur, quòd acumine & diuini ingenij oracula prophetarum, & diuinas scripturas non iam secundum historicum sensum, sed secundum spiritũ intelligat, spiritalibus spiritalia cõparare sciẽs. Sponsa igitur hoc modo cõmendata, vicissim Sponsum collaudat. *Ecce es formosus cõsobrinus meus, & quidem pulcher. Acclinatio nostra opaca, trabes domorum nostrarum cedri lacunaria nostra cupressi.*) Laudat Sponsi decorem Ecclesia, quem plus vnusquisque laudat tacito affectu, & fidus mysteriorũ interpres tacendo plus prędicat. Nam qui arcana diuulgat, imminuit Christi decorẽ. Ideo nemo mittat margaritas suas porcis, ne cõculcari faciat ornamenta preciosa. Non ergo in tabernaculo loquacis & garruli, quia multiloquio peccatum admittitur, sed in viri serij, qui sit parcus alloquij, nec sermonis intemperans, & verborum sobrietate temulentiam loquacitatis euitans, caput suum Christus reclinat. Et meritò opacam significat acclinationem, quia in Ecclesia constitutos virtus obumbrat altissimi. Hac vmbra Dauid protegi postulabat, ne eum per diem sol vreret, vel luna per noctẽ. Hãc vmbram spiritalis ministrat gratia, torrida seculi huius & mundi æstiua fugientibus, Opaca igitur acclinatio Christi Ecclesię sunt, quibus Dei patris æterna illa requies adspirat. In hac ergo requiescamus vmbra, peccatorum nostrorũ æstibus fatigati. Si quos aduxit libido, hos domini crux refrigeret, in qua se reclinauit vt nostra delicta susciperet. Si quos culpa lassauit, hos Iesus gremio suscipiat, & molli foueat amplexu. Vnde audeo dicere quòd caro Christi, acclinatio sit Ecclesiæ.

A Ait in canticis sponsa de sponso, *Ecce sponsus est consobrinus meus: & ideo pulchra acclinatio nostra opaca, &c.*) Possumus hoc & de moralibus accipere. Vbi enim requiescit Christus & Ecclesia, nisi in operibus suæ plebis? Denique vbi impudicitia, vbi superbia, vbi iniquitas erat, ibi ait dominus Iesus: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. De naturalibus autem quid accipiamus? In vmbra, inquit, eius concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis. Qui enim terrena supergreditur, & cui mundana moriũtur, quoniam crucifigitur ei mundus & ipse mundo, omnia quæ sunt sub sole, refugit & contemnit. De mysticis quoque ait: Introduc me in domum vini: constituite in me charitatem. Etenim sicut vineam suam, ita dominus Iesus populum suũ quasi vitis æterna quibusdã brachiis charitatis amplectitur. *Ex lib. de Isaac cap. 4.*

Trabes domorum nostrarum cedri.) Cedri specie, maiorũ qui iusti fuerunt, gloria designatur. Iustus enim vt palma florebit, & sicut cedrus quæ in Libano est multiplicabitur. Sicut enim cedrus non putrescit, ita nec maiorum gloria vlla ve-
B tustate corrumpitur. Denique Cedrus suspendendis est tectorum apta culminibus: eò quòd huiusmodi materies & procera sit spaciis, nec parietibus onerosa, lacunaribus quoque comendisque fastigiis habilis est cupressus: vnde & Ecclesia in Canticis dicit: Trabes domorum nostrarum cedrinæ, lacunaria nostra cupressina: in his esse dẽclarans decora sui ornamenta fastigij, qui quasi trabes verticẽ Ecclesiæ sua virtute sustineant, & fastigium eius exornent. *Ex serm. 4. versu 4. in Psal. 118. Psal. 91. Lib. Hexaemeron 3. ca. 13.*

Lacunaria nostra cupressi.) Genus hoc arboris nunquam amittit viriditatem suã, hyeme iuxtà atque ęstate comam pascit: nec diuerso colore mutatur, solam hanc arborem ventus nunquam suo honore despoliat, sola nũquam veteri suo exuitur amictu, aut nouo flore vestitur. Sic apostolica quoque gratia nescit defectum, sed vetustate sui floret. Anima ergo corrumpi nescit, quæ florẽtibus membris vigens, semper iustitiæ cæterarúmque virtutum culmina patienti magnanimitate sustẽtat. Et ideo non defluit neque deficit, quia
C nihil in ea rimosum est atque remissum, nihil mobile, nihil lubricum, nihil quod vitio sermonis ex ea possit effundi. *Serm. 4. versu 4. in Psal. 118.*

CAPVT SECVNDVM.

In Psal. 118 serm 4. versu 4.

Ego flos campi, & lilium conuallium.) Quis est iste flos boni odoris, nisi ille de quo in Esaia scriptũ est, Exiet virga de radice Iesse, & flos ex radice eius ascendet? Radix vtique familia Iudæorum est, virga Maria, flos Mariæ Christus. Qui quando in nostra resplendet terra, & in agro animę redolet, vel in ecclesia sua vernat, nec frigus possumus timere, nec pluuiam, nec vereri sed expectare diem iudicij. *Ego flos campi, & lilium conuallium.*) Quoniam de deserto tractatus hic sumitur vbi quærendus sit Christus, etiam ipse monstrat, dicens: Ego flos campi, & lilium conuallium, tanquam lilium in medio spinarum. Ecce alium locum in quo solet dominus diuersari, imò non in
D vno, sed in pluribus. Ego, inquit, flos campi: quia patentem simplicitatem puræ mentis frequentat. Et lilium conualliũ. Flos enim humilitatis est Christus, non luxuriæ, non voluptatum, non lasciuiæ, sed flos simplicitatis, flos humilitatis, tanquam lilium in medio spinarum. Nónne inter asperitates laborum, cõtritionésque animorum boni flos odoris assurgit, quia contrito corde Deus placatur? *Ego sum flos campi, & lilium conuallium.*) In moralibus flos est, in naturalibus Sol iustitiæ, qui oriens & resurgens illuminat, occidens obumbrat. Caue ne tibi occidat, quia scriptum est, Sol non occidat super iracundiam vestram. In mysticis charitas est, quia plenitudo legis est Christus: & ideo Ecclesia quæ diligit Christum vulnerata est charitate. *Ex apologia Dauid posteriore. Esa. 11. Ca. 4. lib. de Isaac. Ephes. 4. Lib. de instit. virginis cap. 14.*

Sicut lilium in medio spinarum.) Christus erat lilium in medio spinarum quando erat in medio Iudæorum. *Ego flos campi.*) In totam enim terram fides populi credentis exiuit, & in *Ex serm. ver su 1. in Psal. 118.*

in ſpatioſo poſuit pedes ſuos Chriſtus. Et ideo pulchrè ait florem ſe eſſe campi. Flos erat etiam Paulus, qui dicebat, A Bonus odor Chriſti ſumus deo. Et verè flos, qui poterat noua & vetera de ſui cordis proferre theſauro.

Ego flos cãpi & lilium conualliũ.) Pleriq; cõparationem hanc ſecundũ naturã floris & vſum putãt propoſiti germinis aptiorem: eò quòd lilia nullius annui vſus cultũ requirant: nec ſicut erga prouentũ fructuum cæterorum, ita etiam erga generationem iſtius floris ſolicitis in orbẽ redeat labor actus agricolis. Quibuſlibet enim ſiccitatibus agri omne illud quòd alitur in florem, quadã virtute genitali ex ſeſe atq; in ſe ſucci ſemper manentis animatur: ita vt cũ foliorũ puberũ caulẽ videas aruiſſe, floris tamẽ natura vireſcat. abſcõditur enim viriditas, nõ amittitur. aſt vbi vernis fuerit prouocata blanditiis, indumẽtum germinis comam floris liliíve reſumit ornatus. Non in aſperitatibus mõtiũ, incultiſque ſiluarũ lilia, ſed in hortorũ amœnitate generantur. *Ego flos campi, & liliũ conuallium.*) Benè lilium Chriſtus eſt, quia vbi martyrũ ſanguis, ibi Chriſtus, qui eſt flos ſublimis, immaculatus, innoxius, in quo non ſpinarũ offendat aſperitas, ſed gratia circũfuſa clareſcat. Sunt enim ſpinæ roſarũ, quia tormẽta ſunt martyrum. Nõ habet ſpinas inoffenſa diuinitas, quę tormẽta non ſenſit. Bene, inquàm, lilium Chriſtus. quid enim candidius lilio? quid odoratius? Et Chriſto quid candidius eſſe poteſt? quid ſuaueolentius? Cõſiderate, ait, lilia agri, quãtus ſit cãdor in foliis, quemadmodũ ſtipata ipſa folia ab imo ad ſummum videãtur aſſurgere, vt ſcyphi exprimant formã: vt auri quædam ſpecies intus effulgeat, quæ tamen vallo in circuitu floris obſepta nulli pateat iniuriæ. Eſt verò & lilium conuallium, id eſt, humilium animarum & mitium. Eſto ergo mitis, humilis atque manſueta, vt in te ſicut liliũ germinet Chriſtus. Chriſti enim lilia ſunt ſpecialiter ſacræ virgines, quarum eſt ſplendida & immaculata virginitas. Vnde plerique accipiunt quòd eccleſia videatur dicere, Ego ſum flos campi, & lilium conuallium, quæ in hac conualle iſtius mundi gratiam boni odoris exhalat ſedula cõfeſſione pietatis. Vide ergo in quo loco ſolet dominus conuerſari: imò nõ in vno, ſed pluribus. Ego, inquit, flos campi, quia patentem ſimplicitatem puræ mentis frequentat: & lilium cõuallium. flos enim humilitatis eſt Chriſtus, nõ luxuriæ, nõ voluptatum atq; laſciuiæ, ſed flos ſimplicitatis, flos humilitatis, tanquam lilium in medio ſpinarum. Nõne inter aſperitates laborum cõtritionéſque animorum boni flos odoris aſſurgit, quia contrito corde deus placatur? Denique quàm pulchrũ eſt illud, & gratiæ plenum, vt ſe florem campi ſeu agri, eſſe dicat? Imò non ſolum ipſe eſt flos cãpi vel agri, ſed eſt quoque ipſe ager. Ager quem benedixit pater in omni benedictione ſpirituali, de rore cœli, & pinguedine terræ abũdãtiã frumenti & vini in ſe habens. Quæ enim ſpecies pleni agri? Quis odor? quæ ſuauitas? Quid tibi deſcribã purpuraſcentes violas, candida lilia, rutilantes roſas, depicta rura nũc aureis nunc variis, nunc luteis floribus, in quibus neſcias vtrũ ſpecies amplius florum, an vis odora delectet? Denique fertilis ager ſemper parturiẽs nouos ſe fundit in partus & induit ſe amictum viriditatis, gratiam fœcunditatis aſſumit, diuerſiſque comptus germinibus proprios ſuſcipit ornatus. Quàm hæc omnia venuſtè ac propriè Chriſto poſſunt aptari! Idcirco dominus dicebat, Et ſpecies agri mecum eſt. Cum ipſo quippe eſt Chriſtus, quem ipſe ante ſecula genuit. Dicit ergo: *Ego flos cãpi, & liliũ conuallium.*) Flos odorẽ ſuũ & ſucciſus reſeruat & cõtritus accumulat, nec auulſus amittit. Ita & domini ſpiritus in illo patibulo crucis nec contritus emarcuit, nec auulſus euanuit, & illa lanceæ punctione ſucciſus, ſacro ſpecioſior fuſi cruoris colore vernauit: mori ipſe neſcius, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans. Pulchrè etiam liliũ dicitur eccleſia. Sicut enim liliũ fulget, ita etiam ſplẽdẽt opera ſanctorum. Pulcherrimè etiã dictum eſt liliũ cõuallium, quia in humilibus magis elucet gratia. Sed hoc lilium in medio ſpinarum, hoc eſt, inter Iudæos & hæreticos eſt, atque inter ſolicitudines huius ſeculi, quę mẽtẽ hominis animúmq; cõpungunt. Poſſumus etiã aliter accipere: quia ſicut lilium inter ſpinas eminet, ita ſuper omnes conuentus eccleſia dei refulget? Nõne etiam inter aſperitates laborum cõtritionéſque animorum boni flos odoris aſſurgit? Contrito enim corde deus placatur. Refert etiã cõſiderare, quòd hoc liliũ ſplẽdore circũfuſum ſit, intus autẽ quod habet, rubeũ ſit, & boni ipſum odoris: eo ꝙ caro Chriſti velut mortali diuinitatis claritudine circunſepta, cœleſtis habuerit ꝓtectionẽ gratiæ. Deniq; in poſterioribus ait: fraternus meus cãdidus & rubeus. Candidus claritate diuina, rubeus ſpecie coloris humani, quẽ ſacramẽtis ĩcarnationis aſſumpſit. Meritoque & ipſum ꝙ eſt rubrum, benè olet: quia caro Chriſti ſine peccato eſt: quã perfidi contrectãtes, manus ſuas inquinauerunt, ſancti venerãtes pietaris odore fragrarunt. Accepit hunc odorẽ dominus Ieſus fragrãtis eccleſiæ ſuæ, & ait, *Ecce proxima mea bona.* & Eccleſia dicit ad Chriſtum, *Ecce bonus fraternus meus, ecce es bonus tanquam malũ in lignũ ſyluæ.*) Pulcherrima collatio. Quid enim pulchrius aptiúſque dici queat, quàm vt ſponſum arbori mali cõparet? Huiuſmodi enim pomũ odorẽ gratum habet, vt cæterorum pomorũ fragrãtiã vincat. Et Chriſtus affixus ad lignum, ſicut malũ pẽdens in arbore, bonum odorem mundanæ fundebat redemptionis, qua peccati grauis deterſit fœtorem, & vnguẽtum potus vitalis effudit. Dicit ergo: Tanquam malum in lignis ſyluæ, ita conſobrinus meus in medio filiorum: eò, quod ſuper prophetas & apoſtolos intima corda hominum verborum ſuauitate mulcebat. Sed non ſolum odor, verum etiam cibus in malo eſt. Ergo cibus ſuauis eſt Chriſtus. Cibus planè mentes angelorum & hominum paſcens: cibus qui eſurientes implet bonis, & diuites dimittit inanes. Denique excellit Chriſtus & ſapore & odore, & ſpecie. Guſtate, inquit propheta, & videte quoniam ſuauis eſt dominus. Et tantus eſt illius odor longe latéque diffuſus, vt de eo pater verè dixerit: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit dominus. De ſpecie & decore quid dicendum? Speciouſus, ait Dauid, præ filiis hominum. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis: tantáque & tam admiranda eſt ipſius pulchritudo, vt angeli in ipſum ſine intermiſſione conſpicere concupiſcant. Iuxta hanc arborem noſtræ ligna ſyluæ fruteſcunt, quia *ſicut arbor mali inter ligna ſyluæ, ita frater meus inter medium filiorũ.*) inquit: & hoc videns lætatur & gaudet, dicens:

Luc. 3. *Pſalm. 33.* *Geneſ 27.* *Pſalm. 44.* *Lib. 3. de virg.*

In vmbra eius concupiui & ſedi.) Legem enim acceperat. hãc ſequebatur: huic adhærebat. In legẽ itaque requieſcens, in vmbra Chriſti requieſcebat. Bona vmbra, quæ nos ab iniquitatis ſole defendit. Cui autem dubium, quod lex dei vmbra ſit Chriſti? Dicit enim apoſtolus legem vmbram fuiſſe futurorum, & omnem veterem cultum exemplar & vmbram eſſe cœleſtium. Quid eſt enim lex diei feſti, neomeniæ, ſabbatorum, niſi vmbra futurorum? Qui dies ſecundum legem Moyſi, vt videam ſex dies, & iterum ſeptimum diem, & ſic perpetua ſecula? Qui menſis ſecundum legem Moyſi, vt ſciens menſem, ſciam primam menſis Neomeniam, & vera ſancta in Neomeniis offerenda? Qui ſecundum legem Moyſi annus, ſex illis diebus conſtat de quibus ait: Sex annis ſeruiet Hebræus, & ſeptimo anno liberabitur: vt inueniantur ſex anni, quibus aliquis operatur terram, ſeptimo autem anno rem ittit illam proſelytis, & pauperibus & beſtiis terræ? Qui ſeptimus annus quo conceduntur debita omnia Hebræis? In hac vmbra requieſcebat patrũ fides, prophetarum ſancta deuotio. Dicit ergo congregatio religioſa vel ſancta anima: In vmbra eius concupiui & ſedi. Vmbra eſt Iubileus annus. Quis enim myſtica eius videt, vt facie ad faciem cognoſcat, quæ anno quinquageſimo complenda, lege præſcripta ſunt? Vmbra ſunt dies feſti ſecundũ legem primo menſe, decima menſis vſque ad quartam decimam, & inde vſque ad vinceſimam primam menſis. Quæ vmbra eſt celebritas illa inter primum & ſeptimum menſem in tempore illo anno quinquageſimo qui Iubileus dicitur? Vmbra eſt ſanctificata libertas in ſabbato. Vmbra eſt dies feſtus ſeptimi menſis, Neomeniæ, & memoriale tubarũ ſeptimi menſis, dies decimus, dies propitiationis. Vides quia monas & decas, duo feſti dies. Itẽ quintuſdecim°, dies tabernaculorũ per octo dies. In vmba hæc omnia. In vmbra prima dies vocata, & octaua dies vocata in vmbra, quæ in ſcenopegiis præſcripta ſecundũ legẽ. Cõſtitue igitur mihi aliquos ex circũciſione credẽtes in lege doctos obſeruantiæ

Exod. 21.

solicitę viros,& nunc euangelij agnitione illuminatos spiritali gratia saginatos:dicit in his ecclesia quę videt Christum, quæ sponsum recipit, quæ cibo eius pascitur: *In vmbra eius cocupiui & sedi,& fructus eius dulcis in faucibus meis.*) Quis fructus eius dulcis, nisi prædicatio dominicæ passionis, vt ipse *Psal.126.* ait:Ecce hęreditas domini filij merces fructus ventris? Quis enim dulcior fructus potest esse in faucibus nostris, quàm remissio peccatorum? Et bene flos est ecclesia,quæ fructum annunciat,hoc est,dominum Iesum Christum,de quo dictũ est Mariæ: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fru- *Epistola 62. ad Irenæum, lib.8.* ctus ventris tui. Denique habet Christus spiritale manna. hoc est,pluuiã spiritalis sapientiæ,quæ ingeniosis & quærẽtibus de cœlo infunditur,& irrorat mentes piorũ,& fauces eorum obdulcat. Qui igitur intellexerit infusionem diuinę sapientiæ, delectatur,nec alium cibum requirit: nec in solo pane viuit,sed in omni verbo dei. Qui curiosior est,quærit quid sit istud,quod melle dulcius est. Respõdet illi minister Dei: Hic est panis quem dedit tibi Deus mãducare. Quis sit iste panis,audi:Sermo,inquit,quem ordinauit deus. Hæc ergo ordinatio dei,hæc alimonia alit animam sapiẽtis,& illuminat atque obdulcat,resplẽdens veritatis coruſco, & mulcens tanquam fauo quodam diuersarum virtutũ suauitate, *In Psal.118 serm.13.versu 7.* & sermone sapientię. Persenserat huius sermonis suauem & salutarem gustum,qui dicebat,Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo. Mox ergo vbi gustauit fructum suauitatis, impatiens ad perfectiora festinat, *Ex serm.5. versu 1 in Psal.118.* dicens: *Introducite me in domum vini.*) Postquàm gustasset & comedisset dulcedinem fructuum arboris mali, nunc quoq; optat introduci in domum vini, & in cellam vinariã, vt bibat vinum:non quod sit fomentum libidinis, aut ebrietatis *Prou.31.* materia,sed quod Lamuel iis daret qui amaro sũt animo, vt obliuiscãtur egestatis suę,& doloris sui non amplius recordẽtur. Optat se,dico introduci in domum vini,id est,vbi Sapiẽtia miscuit in cratere vinum suum,& omnem paruulum & insipientem vt ad cõuiuium suum veniat, inuitat dicens: *Prou.9.* Venite,edite panes meos,& bibite vinũ quod miscui vobis. Vinum quippe est gratia spiritus sancti:quę vbi infunditur, nouam & salutarem lætitiam homini adfert. Vinum deniq; *Lucæ 5.* est euangelicus sermo,qui vtres veteres mitti non potest. Illi enim iuxta Salomonem edunt cibos impietatis,& iniquitatis vino inebriantur, ex vineis enim Sodomorum vinum *Prou 4.* *Deut.32.* eorum: vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus, furor draconum,vinum eorum,& furor aspidum insanabilis. Verum spõsa nostra spiritualium appetens deliciarum,& sitim suam longè meliori potu restinguere cupiens: Introducite me,inquit,in domum vini. Iam enim fastidiebat insipidam aquam Synagogæ,quam derelicto fonte aquæ viuæ ex dissipatis cisternis sibi hauserat, & tota inhiabat ad euãgelicum vinum,quod ij, qui patris mensæ accumbunt,hilariter & liberaliter bibunt. Denique adiungit:

Hexaemerõ lib 3.cap.12 *Ordinate in me charitatem.*) Cum omnibus in rebus,tũ maximè in ecclesia verè atque manifestè ordinem atque æqualitatem seruare decet,vt nemo se diues aut honoratus extollat,nemo pauper deiiciat,ignobilisq; desperet. Omnibus sit in ecclesia par atq; vna libertas, omnibus impertiatur iustitia cõmunis & gratia. *Ordinate*,inquit,*in me charitatem.*) Cha- *De virginit. lib.3.* ritas nõ potest esse sine fide. Tres enim sunt velut vades ecclesiæ,spes,fides,charitas. Cùm spes præcesserit,fides fundata fuerit,ordinatur charitas,ecclesia copulatur. Optat itaq; Ecclesia vt charitas in se ordinetur,vt vnicuique ac rebus omnibus eum affectum impertiat,quem debet. Præposterus est enim frequenter ac stultus hominum amor vt ea diligãt quæ sunt odiẽda,ea odiãt quæ sunt amanda. Quis non præponit sæpenumro ea quæ sunt terrena cœlestibus, quæ sunt carnalia spiritualibus? Orat ergo Sponsa adolescentulas vt amoris & charitatis ordinem in se cõstituant,ne per imprudentiam,sobrietatis ac moderationis metas excedat. *Constituite in me dilectionem.*) Bona statiua,vbi plenitudo est charitatis. Sequitur:

Ex serm.5. versu . in Psal.118. *Confirmate me in vnguentis, stipate me in malis, quia vulnerata charitatis ego sum.*) Vulnerata est ecclesia,sed vulnere charitatis. Vulnus enim est,quod Christus excepit, sed vnguentum est quod effudit. Hoc vulnere vulneratur ecclesia,cũ saluatoris sui prædicat mortem:sed hoc vulnus est charitatis. Denique qui nõ credit,negat:qui diligit, cõfitetur. Manichæus negat,Christianus fatetur:& ideo scriptũ est: Vtiliora vulnera amici,quàm volũtaria oscula inimici. Pulchrè ergo dicit Ecclesia,quia vulnerata charitatis ego sum. Nudemus ergo membra nostra bono vulneri, nudemus sagittæ electæ. Sagitta hæc Christus est,qui per prophetã dicit: Posuit me *Esa.49.* sicut sagittam electam. Bonum ergo vulnerari hac sagitta. Non omnes possunt dicere quia vulnerati sunt dilectione. Dicebant apostoli cum pro Christo lapidarẽtur, & Christũ prędicarent:dicebat Paulus,cum ter virgis cæderetur,& die ac nocte Christum adorãdum Gentibus prædicaret. Dicunt hoc martyres qui vulnerantur pro Christo:& quia vulnerari pro eius meruerunt nomine,plus diligunt. *Quia vulnerata charitate ego sum.*) Habet clauum suum charitas,habet gladiũ *Serm.15.ver su 1.in Psal. 118.* suum,quo anima vulneratur. Felix,qui hoc gladio meruerit vulnerari. Hæc sunt vulnera quę oculis pręferuntur:vtiliora vulnera amici,quàm voluntaria oscula inimici. His nos vulneribus offeramus, quibus quicunque mortuus fuerit, mortem gustare nõ poterit. Nam & alligati vinculis ipsum sequuntur,quia quos vulnerat ligat. Ergo sunt etiam vincula charitatis, quibus ligatus est Paulus, qui ait: Paulus vinctus Iesu Christi. Vincula autem charitatis esse docet Iob, quo nemo amplius Christum dilexit,qui diligebat etiam in ipsis sui corporis cruciatibus:vnde dicebat: Sagittæ autem *Iob 6.* domini in meo corpore sunt,quarum furor ebibit sanguinẽ meum,cum cœpero loqui,compungunt me. Sunt ergo charitatis vulnera,& bona vulnera. Vulnera non timenda,sed *In apologia Dauid prior.* optanda:quia vulnera charitatis sunt,sicut ipse dicit,Vulneratæ charitatis ego sum. Denique meliora vulnera amici, quàm voluptaria oscula inimici. Habet & diabolus sua vulnera, quæ suis amatorib⁹ infligit:sed vulnera carnalis amoris,vulnera inuidiæ,vulnera ambitionis, quæ perdũt hominem,non sanãt:extinguunt,non viuificãt. Sed ecclesia Christi diuini vulnus amoris accepit,atque ideo præfidenter ait: Vulnerata charitate ego sum.quæ enim perfecta est,vulneratæ charitatis est. Bona sunt igitur verbi vulnera,bona sunt amantis vulnera. Vtilia enim vulnera amici,quàm voluntaria oscula inimici. Denique Petrus osculatur,Iudas osculatur. Illum oscula condemnant,hunc vulnera emendãt:illius osculis proditionis vulnera funduntur,istius lachrymis culpa lauatur.

Læua eius,inquit,*sub caput meum,& dextera illius amplexabitur me.*) Hæc loquitur Sponsa de Christo, anima de Verbo. *Ex serm.14 versu 5.in Psal.118.* Christus autem idem est verbum dei,atque Sapientia. Beata ergo anima quam complectitur sapientia. Magna est Sapientiæ,magna dextera totam complectitur animam. Tota enim munita est,quæ desponsata dei verbo est. Plenitudo enim sapientiæ,timere deum. Quæ ergo deum timet anima, pleno se munit ipsa præsidio. Mittit sapientia læuam suam sub collum eius,dexteram autem in complexum eius. Vtrũque quidem brachium eius, ad vtilia extenditur:habent tamen propria sua singulæ manus sapientiæ. In dextera longitudo vitæ est,in sinistra autem diuitiæ & gloria. Bonis vtiq; manus vtraque dotata est dotibus. In eo tamen habẽt varietatẽ sui muneris,quòd & præsentia & futura tempora comprehendunt, vt læua præsentium remuneratrix, dextera futurorum sit. Possumus hoc etiã de prophetia sancti patriarchæ Israel cognoscere,nam cum dexterã suam posuisset super caput Ephrem,sinistram autem super caput Manasse,& conuertere eas Ioseph ætatum consideratione voluisset, vt dexterã patris super caput Manasse senioris filij collocaret, noluit,& dixit,Scio fili, & hic erit in populum,& hic exaltabitur:sed frater iunior maior illo erit. In quo maior? In eo vtique,quia benedictione prælatus est, dicentibus posteris, Hoc est, Ephrem, faciat vos deus sicut Ephrẽ & Manassem. vel quia semen eius multitudo gentium sit,quę in hoc seculo laborem elegit,credens in dominum Iesum,vt cõsolationem habeat futurorum. Manassæ autem semen,est populus obliuionis, qui proprium oblitus authorem, exaltatus ad tempus in hoc seculo, daturus est in reliquum pœnas graues, quia Deum suum, & dominum denegauit. Hoc ideo diximus, vt probaremus ea esse potiora quæ futura sunt.

Denique

Denique læua ſapientiæ ſub capite ſponſæ eſt: dextera autem ſuperior, quæ totam complectitur ſponſam. Itaque illa quaſi fulcrum eſt quietis præſentis, quo anima innixa requieſcit. Habet vbi reclinet caput ſuum, quia in læua ſapientiæ ſunt diuitiæ & gloria. Ad tempus hæ demulcent, & ex parte ſolatio ſunt. Et ideo filius hominis non habebat vbi caput ſuum reclinaret: quia cum diues eſſet, pauper factus eſt: nec gloriam aliquam iſtius ſeculi requirebat, quia venerat non vt in portione, ſed vt vniuerſo humano generi ſubueniret, dicens: Mihi indignamini, quia totum hominem ſaluum feci in ſabbato? Hoc eſt totum, non vt facultatum collatione ditaret, non vt honorum inſignibus, nō vt gloriæ ſecularis cumularet augmento. Hec enim non habent beatitudinis & gratiæ plenitudinem, ſed totum, hoc eſt quod lōgitudinē vitæ complecteretur æternæ. Neque enim communis vitæ ſimilis vita in dextera eſt Sapientiæ, ſed longitudo vitæ eſt: vt qui accipit vitam à ſapientia, non exiguitatem vitæ, ſed perpetuitatem & æternitatis lōgitudinem adipiſcatur. Itaque ſponſa malorum granatorum, hoc eſt diuerſorum & innumerabilium fructuum, & præcipuè fidei operibus grata, ſapientiæ & gloriæ vitæque æternæ ſubnixa diuitiis, quę ſunt circa ſiniſtram & dexteram ſpōſi, & animas ſanctas laudabilium congregationū, plauſibus excitat Chriſtum, dicens:

Adiuraui vos filiæ Hieruſalem in virtutibus & fortitudinibus agri, ſi ſuſcitaueritis & reſuſcitaueritis dilectionē, vſquequo voluerit.) Ager iſte, quem benedixit dominus, nō eſt iſte terrenus aut horridus ſyluis, aut fragoſus torrētibus, aut paluſtris pigrioribus aquis, aut ieiunus frumentis, aut inutilis vitibus, aut infœcunda glarea ſaxoſus, aut hiulcus & aridus ſiccitate, aut ſanguine madidus, aut ſentibus incultus & ſpinis, ſed ille ager de quo dicit eccleſia in canticis, Adiuraui vos filiæ Hieruſalem &c. Hic nanque eſt ager de quo & dominus ait: *Et ſpecies agri mecū eſt.*) In hoc agro vua illa reperitur, quæ expreſſa ſanguinē fudit, & mūdum diluit. In hoc agro eſt ficus illa ſu qua ſancti requieſcent ſpiritalis gratiæ ſuauitate recreati. In hoc agro eſt oliua illa fructifera dominicæ fluens pacis vnguentū. In hoc agro florēt malogranata, quæ plurimos fruct⁹ vno fidei munimine tegūt, & quodā fouēt charitatis amplexu. Hos igitur fruct⁹ redolebat Iacob, qui deū per pericula ſequebatur, & tutū ſe eius vbiq; deductione credebat. Nā licet dulcis & ſuauis odor ſit agri, quia eſt odor naturæ, tamē in ſancto patriarcha virtutū ſpirabat gratia. Petit ergo Spōſus in odore agri quē olebat ſanctus Iacob, id eſt illa fide, illa deuotione, excitari ſpōſam ſuā à filiabus Hieruſalē vt feſtinet ad ſpōſum, & excitari eius in ſe charitatē, aut etiā ipſum excitari, quia charitas ſpōſus eſt. Deus enim charitas eſt, ſicut dixit Ioānes. Sed ille nō eſt paſſus ſe ab eis excitari: quia ad ſpōſam pperabat, egreſſus de thalamo exultauit vt gigas ad currēdā viā. Cæterū quia ſapiētia, honeſtas, claritas, ita perfecta ſunt, ſi habeāt, plenitudo enim legis charitas eſt: ſuſcitari & reſuſcitari vult charitatē. Suſcitari in veteri teſtamēto, reſuſcitari in nouo. Charitas deus eſt, vt legimus: charitas Chriſtus eſt. Suſcitatur vt leo, & tanq̄ catulus leonis, vt Iudę aſcēdat ex germine. reſuſcitatur vt dormiēs, vt recumbens: quia nō humana, ſed ſua & patris maieſtate ſuſcitatus eſt à mortuis. vnde ait ſcriptura: Quis ſucitabit illū? Non enim poterat illū aut angelus aut poteſtas ſuſcitare aliena, cū ipſe alios ſuſcitaret. Ergo cū hic dicit, Si ſuſcitaueritis & reſuſcitaueritis dilectionē vſquequo voluerit, de his dicit, qui reſurrectionē eius poſſunt cōgruè prædicare, vt audientibus ardorē fidei & deuotionis accēdant. Vel ſuſcitatur Chriſtus in his qui primū accedūt, reſuſcitatur in his qui poſtq̄ acceſſerint, dormiūt. Dormit ergo Chriſtus negligentibus, ſuſcitatur in ſanctis. Hanc itaq; charitatē ſuſcitat & reſuſcitat, donec vocē eius accipiat. & preſentiā eius accerſat: quia quęſitus nō ſolum venit ſed etiam ſaliēs venit, Vt probaret illud, quia adhuc loquentibus nobis dicit, Adſum. Adeſt, quaſi ſuſcitatus à filiabus Iudę, & quaſi reſuſcitatus à filiabus Hieruſalem, audit eccleſia ſonum vocis eius, & dicit: *Vox cōſobrini mei. Ecce hic aduenit ſaliēs ſuper mōtes, trāſiliens ſuper colles.*) Manipularis eſt hic liber, multas habēs perſonas nobiles, velut manipulos triūphales, multóſq; actus ſignificās, quos intelligere magis quàm expreſſos tenere poſſumus. Nam quaſi aduenientem ſponſum audierit, cum aliquibus pariter viātibus colloquentem, dicit ſponſa: *Vox conſobrini mei.*) Dum loquitur cum filiabus Hieruſalem, & rogat vt ſuſcitent & reſuſcitent ſponſum, ſubito tanquam de longinquo miſſæ vocis ſonū ſentiens dicit, Vox conſobrini mei, annuncians quē nunciari ſibi antè quærebat, quem cupiebat ab aliis ſuſcitari ſua prece reſuſcitatum à patre venire iam credens, læta dicit: Vox cōſobrini mei. Bene addidit, Cōſobrini mei, vt non aliæ, ſed conſobrina ſola ſibi eius vendicaret aduētum. Ecce iſte, inquit, aduenit. Adhuc ego eū quæro, & ille iam venit. adhuc ego ſuffragia capto vt veniat, & ille iā proximus eſt. Ego ſuſcitari mihi charitatē cupio, ego me vulneratam charitatis puto, & ad me pl⁹ ipſa charitas feſtinat. Ego dixi, Veni. ille ſalit & trāſilit. Ego rogo eū venire cū gratia: ille gratiarū operatur augmēta: & dum venit, incremēta gratię ſecū vehit: & veniēdo acquirit, quia ſtudet etiā ipſę ſuæ placere dilectæ. Salit ſuper excelſa, vt aſcendat ſuper ſponſam. Spōſę enim thalamus tribunal eſt Chriſti. Salit ſuper eccleſiam, tranſilit ſuper ſynagogam. Salit ſuper gentes, tranſilit ſuper Iudæos. Videamus ſalientem. Salit de cœlo in virginem, de vtero in præſepe; de præſepio in Iordanē, de Iordane in crucem, de cruce in tumulum, in cœlū de ſepulchro. Proba mihi Dauid ſalientem, proba currētem. Tu enim dixiſti: Exultauit tanquam gigas ad currendā viam: à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Ergo & nunc ſalit & nunc currit de corde patris ſuper ſanctos ſuos, de oriente ſuper occidētem, de ſeptemtrione ſuper meridiem. Ipſe eſt qui aſcendit ſuper occaſum, ipſe ſuper cœlos cœlorum ad orientem. Ipſe aſcendit ſuper montes, ipſe ſuper colles. Vtinā ego miſer dicam, dicat anima mea, Ecce iſte aduenit, & aduenit non ſuper terrena, non ſuper valles, ſed aduenit ſaliens ſuper montes. Deus enim deus montium eſt, non vallium. Vbi ergo ſalit? Super montes ſalit. Si ſis mons, ſalit ſuper te. Salit ſuper Eſaiam, ſalit ſuper Hieremiam, ſalit ſuper Petrum, Ioānem, Iacobum. Mōtes in circuitu eius. Si non potes mons eſſe, & non prævales, eſto vel collis, vt ſuper te Chriſtus aſcēdat: & ſi tranſilit, ita tranſiliat, vt te tranſitus eius vmbra cuſtodiat. Diximus de Chriſto & Eccleſia, dicamus de anima & verbo. Anima iuſti, ſpōſa eſt verbi. Hæc ſi deſideret, ſi cupiat, ſi oret aſſiduè, & oret ſine vlla diſceptatione, & tota intēdat in verbum, ſubito vocem ſibi videtur eius audire, quem nō videt, & intimo ſenſu odorem diuinitatis eius agnoſcit: quod patiuntur plerúmque qui bene credunt. Replentur ſubitò nares animæ ſpiritali gratia, & ſentit ſibi præſentiæ eius flatū aſpirare, quem quærit, & dicit: Ecce iſte eſt quem requiro, ipſe quem deſidero. Nónne cum aliquid de ſcripturis cogitamus, & explanationem eius inuenire non poſſumus, dum dubitamus, dum quærimus ſubitò nobis quaſi ſuper mōtes, id eſt, altiſſima dogmata videtur aſcēdere: denique quaſi ſuper colles apparēs nobis illuminat mētem, vt infundat ſenſibus quod inuenire poſſe difficile videbatur? Ergo quaſi ex abſente fit præſens verbū in cordibus noſtris. Et rurſus cum aliquid nobis obſcurum eſt, tāquam ſubducitur verbum, & tanquam abſentis aduētum deſideramus, & iterum apparet, & oſtendit ſe nobis, tāquam præſens ſit nobis in his quæ requirimus cognoſcēdis. Salit ergo in vniuſcuiuſq; corde frequenter, trāſilit, & exit, & reuertitur, ſi ſequaris, ſi requiras, ſi tibi fidelium grata diſceptatione doctorum verbum quod exierat atq; trāſierat, poſtules reſuſcitari: ſicut illa quæ quæſiuit & inuenit, & dixit: Frater meus trāſiuit, anima mea exiuit in verbo eius. Ergo & ſi ſuper montes ſalit, ſequere: & ſi ſuper colles, ſequere. Reperiuntur enim in montibus & in collibus venatores domini, qui inueſtigant eos qui capiuntur ad vitam. Sic enim per Hieremiam dixit dominus: Ecce mitto multos piſcatores & venatores, & venabūtur eos ſuper omnem montem, & ſuper omnem collem. Ibi ergo populus dei quęratur, & inueniatur in Petri & Pauli doctrina, gratia, diſciplina: vt non in cōualle ſit vbi fletus, ſed in mōtibus, à quibus Chriſtus vnūquemque illuminat. Et cum Petrū legimus, Chriſtus illuminat: & cū Paulū legimus, Chriſtus illuminat. Curauit Paulus, Chriſtus illuminauit: quia

Pſalm.18.

3.Reg.20.

Hierem.16

inuocato domini Iesu nomine resurrexit, cuius sanatus est munere. Suscitauit mortuã Petrus, Christus illuminauit. Et ideo ait: Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Nos igitur qui mõtes esse non possumus, stemus in montibus, vel in collibus: vt cũ miserit piscatores suos Dominus & venatores, vt venẽtur eos qui super omnẽ montẽ sunt vel super omnẽ collẽ, id est, in legis & prophetarũ præceptis, & noui & veteris testaméti cognitione omnem, habẽtes cõuersationẽ, inueniãt nos paratos, & velut bonas colligãt spicas opportuno missi messores tẽpore: quia si quis extra montẽ aut collẽ fuerit repertus, colligi velut bona spica non poterit ab his qui (vt comparationis faciamus alterius mentionem) triticum à paleis separare nituntur. Plurimarum igitur operationum solertes ministros habet Dominus. Igitur sponsa postquã sponsum tanta alacritate tantoque studio salire super mõtes, transilire colles, vt ad se veniret, cõspexit, lætissima dixit: *Similis est consobrinus meus capreæ aut hinnulo ceruorum super montes Bethel.*) Meritò sponsum capreolæ comparat. caprea enim in altis pascitur. Deniq; & caprea Græcè dorcas dicitur, à videdo dorcadõn, etenim visus acutior est. Quid hoc aptius Christo? qui patrẽ vidit, quem nemo vidit: aut si quis vidit in Christo, ipse filiꝰ reuelauit. Meritò & sicut hinnulus ceruorũ. Hinnulꝰ, quasi ipse filius, cui paternæ inoleuerit vis naturę, vt eũ occulta non lateant, serpẽtes fugiant, venena non lædant. Denique eductus de latibulis suis serpẽs qui producebatur ex homine, dicebat: Quid venisti ante tẽpus torquere nos? Oues & capræ, ea quę sibi noxia sunt declinare didicerũt, & solo odore per quoddam naturæ mysterium, cũ sint rationis expertes, rationem tamen euadendi periculi vel tuẽdæ salutis agnoscunt, noxiaq; pariter ac profutura distinguunt: ita vt plerunque cum armata venenis tela senserint, notas petere herbas, atque his remedium vulneri dicantur adhibere. Cibus ergo illis medicina est, vt resilire sagittas videas è vulnere, & fugere venena, non serpere. Quid pulchrius, si hæc Christo aptentur? Denique hoc loco ceruum illum propositum arbitror, de quo Salomon dixit: Ceruus amicitiæ & pullus gratiarum confabuletur tibi. Verus enim Dei filius in semetipso naturam quam animantibus ipse donauit, expressit: qui in hunc mundum tanquam ceruus aduenit, & cum his se mira simplicitate iungebat, à quibus ei parabantur insidiæ. fertur enim huiusmodi ceruorum esse simplicitas, vt cum se exagitari viderint, his sese equitibus adiungant, qui ministerio fraudis appositi, fugæ specie ac simulatione societatis inductos, ad retia vsque deducant. Ita ergo Dominus tanquam ignarus periculi & improuidus, Iudæis sibi dolũ struẽtibus admiscebatur, & societatem Iudæ proditoris sibi adsciuit, cuius simulatione funesta vsque ad crucis laqueos & passionis retia peruenit: vnde conuersus ad eum dixit: Iuda, osculo filium hominis tradis? Et hoc quidem modo venit ad synagogæ retia volénsque se induit, sed non implicitus est nec instrictus, qui omnes resoluit. Hinnulus est igitur Christus. Verùm hic hinnulus salit super domum Bethel, id est ecclesiam, quę est domus panis, eò quod fidelium ipse corda confirmet, atque hoc saltu ad sponsæ ædes festinus aduenit. Ideoque ait: *Ecce ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per retia.*) Venit ergo, & primo post parietem est, vt inimicitias animæ & corporis soluat, sublato pariete qui impedimentum concordiæ videbatur afferre. Deinde prospicit per fenestras. Quæ sint fenestræ, audi prophetam dicentem: Fenestræ apertæ sunt è cœlo. Prophetas itaque significat, per quos Dominus ad genus humanum priusquàm in terras ipse descenderet, locutus est. Et hodie siqua eum anima multum requirat, multum merebitur misericordiæ: quoniã qui multum requirit, plurimum debetur ei. Si qua ergo anima studosius eum quærat, longè audit vocem eius. Et quanuis ab aliis requiretur, præ ipsis à quibus quæritur, audit vocem eius. Videt eum salientem ad se venire, id est, properantem atq; currentẽ, & transiliẽtem eos qui infirmo corde virtutẽ eius capere nõ possunt. Deinde prospicientem per ænigmata prophetarũ legendo eos, & tenẽdo eorũ sermones. Videt prospicientẽ, sed quasi per fenestras, nõ quasi adhuc præsentẽ. Videt eminentẽ super retia. Quid est hoc nisi fortè quia illa retia nobis sunt, non illi? Retia, eo quòd adhuc illa anima intra sensibilia & mundana sit posita: igitur adhuc in seculariibus. Sed tamen quærẽti eũ per retia ostendit. Denique dicit ad animã eiusmodi: Surge, veni proxima mea: id est, surge à delectationibus mũdi, surge à terrenis, & veni ad me, quæ adhuc laboras & onerata es, quia solicita es quæ sunt mundi. Veni supra mundum, veni ad me, quia ego vici mundum. Veni prope me, iam pulchra æternæ vitæ decore, iam columba, id est, mitis atque mansueta, iam tota gratiæ spiritalis. Iure ergo iam retia timere non debet anima, cum is vocet ad se animam qui tentamentis & retibus mũdi non potuit capi. Nam cùm nos homines ambulemus in medio laqueorũ, per appetentiam escæ retibus simul & laqueis obnoxij sumus. Ille verò in corpore positus retia non timebat, sed eminebat super retia, id est super tentamenta mundi, & corporis passiones.

En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per retia.) Viderat ecclesia vel anima iusti salientem sicut hinnulum super montes, & repente proximum aspiciẽs post parietem domus suæ, perspicientem per fenestras, eminentem per retia, exultat & gaudet, quia etiam ipsa amatur à sponso. Qui tanquam & ipse vulneratæ charitatis decore, dilectæ primò cùm abesset, ad oscula rogatus affuerit. Rogatus enim cũ dicitur: Osculetur me ab osculo oris sui. Deinde preces sponsæ blanditiasque non spreuerit, dilecta sibi vbera prædicãtis, atq; in interiora domus eã benignꝰ induxerit. Deinde tãquam lasciuiẽte ludens amore, quia velit pertẽtare sensus amãtis, sæpe egressus vt quæreretur à spõsa, sæpe regressus vt inuitaretur ad oscula, astiterit post parietem, prospexerit per fenestras, eminens super retia, vt non totus abesset, nec quasi totus intraret, & ipse ad se sponsam vocaret, vt veniendi ad se inuicem fierẽt gratiora commercia, amorisq; vim mutuis adolerẽt sermonibus: Exurge, inquit, veni proxima mea, formosa mea, colũba mea. Et tu si habeas fundatum parietum, non illum mediũ, qui domus vnius separet mẽbra, sed ædificatum supra fundamentũ apostolorũ & prophetarũ, vt cõpaginata eius structura crescat in tẽplũ, nec disterminet eius interna, sed muniat: si habeas ergo in te ædificationem dei, & ad orientẽ, semper pateãt fenestrę tuę. venit verbũ, stat post parietẽ tuum. Oculi enim Domini super iustos, & prospicit per fenestras tuas. Quæ sunt fenestrę istæ? Legimus fenestras de quibus dicit Hieremias: Intrauit mors per fenestras, per quas intrauit auaritia, intrauit libido. Oculus tuus fenestra est. intrauit mors per oculum tuũ, si videris mulierem ad cõcupiscendũ eam. Intrauit mors per oculum tuum, si videris possessionem viduæ vel minoris, & concupieris inuadere, indefensam putans ætatem esse vel sexum (sed nõ sunt indefensi, quos Dominus vult esse defensos) si videris decorẽ mulieris, aut thesauros minoris, & tuas excitaueris cupiditates, intrauit mors per fenestras. Sicut ergo per hæc intrat mors, intrat & vita. si decorẽ puellæ aspiciens sacræ, venereris Dominum Iesum, quòd in teneros annos venerit ætas senectutis, vita immaculata, & ipse filiam tuam offeras, vt pio consacretur velamine: si possessionem minoris non tanquam solicitus inuasor aspicias, sed quasi parens sedulus religioso tuearis affectu: per has fenestras prospicit Christus, vt vocet sponsam, eminens super retia. Benè eminens, quia solus est quem retia non inuoluerint peccatorum. Omnes intra retia eramus: imò adhuc intra retia sumus, quia nemo sine peccato, nisi solus Iesus: quem non cognoscentem peccatum, pro nobis peccatum fecit pater. Etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus. mittens eum non in peccato in quo erant omnes homines, sed in similitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatum erat caro, secũdum illud, quia hæreditario damnata erat maledicto. Peccatũ erat illecebra & ministra peccati. Venit dominus Iesus, & in carne peccato obnoxia militiã virtutis exeruit. Facta sunt membra nostra iam non arma libidinis, sed arma virtutis. Nanque vbi erant incẽtiua libidinis, ibi nunc sunt domicilia castitatis. Hic ergo venit ad laqueos, sed volũtarius: venit ad retia, sed securus. Plena erant omnia laqueis, referta retibus. Audi dicentẽ, In via hac qua ambulabã, abscõderunt laqueum

Psalm.75.

ἀπὸ τῦ δορκάδ.

Matth.8.

De interpellatione Dauid.

Lib. de Isaac cap.4.

Serm.6. vers. 3. in Psalm.118.

Psal.35.

1.Corin.5.

Psal.140.

queũ mihi. Et in libro ſapiẽtiæ Sirach moneris, quòd in medio laqueorum ambulas. Quot vitia, tot retia: quot peccata, tot laquei. Hæreditarij iam te nexus tenebant. Venit ad laqueos Ieſus, vt Adam ſolueret: venit liberare quod perierat. Omnes retibus tenebamur: nullus alium eruere poterat, cũ ſeipſum non poſſet eruere: Talis ergo neceſſarius fuit, quem vincula generationis humanæ delictis obnoxia nõ tenerẽt, non cœpiſſet auaritia, non ligaſſet dolus. Is ſolus erat Ieſus: qui cùm huius carnis ſe circundediſſet vinculis, captus non erat, non erat alligatus, ſed diſrumpens ea atque diſſoluens, ad ſe magis vocauit Eccleſiam proſpiciẽs per laqueos, eminens ſuper retia: vt & ipſa diſceret vinculis non teneri. Denique eò vſque non lõgè à vinculis fuit, vt pro nobis ſubiret & mortem: ſed tamen non ſeruus mortis effectus, ſed inter mortuos liber. Liber enim erat, qui ſoluendæ mortis poteſtatem habebat. Denique ipſe te doceat, qui ait: Soluite hoc templum, & in triduo reſuſcitabo illud. Audiamus itaque quid dicat, *Surge, veni proxima mea.*) id eſt, ſurge à delectationibus mundi, ſurge à terrenis, & veni ad me, quæ adhuc laboras & onerata es, quia ſolicita es quæ ſunt mũdi. Veni ſupra mundum, veni ad me, quia ego vici mundum. Veni prope me, iam pulchra æternæ vitæ decore, iam columba, id eſt mitis atque manſueta, iam tota gratiæ ſpiritalis. Iure ergo iã retia timere non debet anima, cum is vocet, ad ſe animã qui tentamẽtis & retibus mũdi non potuit capi. Nam cùm nos homines ambulemus in medio laqueorum per apparẽtiam eſcæ, ſimul & laqueis noxij, ille in corpore poſitus retia non timebat, ſed eminebat ſuper retia, id eſt, ſuper tentamenta mũdi, & corporis paſſiones: imò & alios eminere faciebat. Ideóque & hanc animam fundare volẽs, dicebat: Surge, veni proxima mea, noli timere retia, iã præteriit hyems: id eſt, venit paſcha, venit indulgentia, aduenit remiſſio peccatorũ, ceſſauit tentatio, imber abiit, procella abiit. Quaſſatio ante aduentum Chriſti, hyems eſt, poſt aduentũ eius flores ſunt.

Exurge, inquit, *veni proxima mea, formoſa mea, &c.*) Hoc eſt, ſurge à mortuis, exurge à vinculis quibus circundata tenebaris. exurge, quia ego reſurrexi tibi, ſolue vincula iniquitatis, quia ego iam ſolui tibi. veni, quia iam retia ſoluta ſunt. Virgo peperit, puer natus ex virgine eſt, nihil debet muliebri hæreditati, quia quaſi filius mulieris non tenetur. Cerne medium parietem macerię iam ſolutum, qui interiorum affectuum concordiam diuidebat, & in diuerſum excitabat diſſenſiones corporalium paſſionum. Veni ergo ſecura. Cupio videre faciem tuam, & audire vocem tuam. Veni vt iam me per retia non videas, ſed facie ad faciem vultibus amatoriis dilecta potiaris. Ethicè iſta decurſa ſunt. Myſtica autem illa, ſi poſſumus, vel linea intueamur extrema. Sedebat intra domum ſponſa deuota domino intra parietem legis & prophetarum ſpiritalium lapidum exædificatione fundatũ, qui claudebat atque vallabat domum regiam plenam iucũditatis atque lętitię. Mirabatur theſauros regios, vt intuebatur ſolicitè cupiens ſapientiam, quæ has ſibi diuitias demõſtraret, adſciſcere. In ſecreto erat, ſed ſecreti ipſius interpretẽ requirebat. Venit dominus Ieſus ſaliens ſuper montes. Nobis ſero videbatur venire, ſed ille properabat. Saliebat denique & tranſiliebat, vt Iudæorum corporalia & ſaxoſa dogmata tranſiliret. Aſtitit poſt parietem domus quę erat in veteri teſtamento, proſpiciens per legis feneſtram, prophetarũ cauernas. Nondum erant domus illius aperta veſtibula, nõdum claues ſcientię portarum clauſtra patefecerant, quibus legis claudebantur interna. De ſuperiore tamen, hoc eſt, ſpiritali parte proſpectans, Eccleſiã vocat, vt per legem & prophetas Euangelij vertice ſublimis aſſurgens, retia Iudaïcæ interpretationis, & nobis intrepido calcet veſtigio. Ideóq; proxima vocatur, vt adhæreat Chriſto, mundana non quærat, ideo formoſa, vt ſpecioſos euangelizantium pedes proferat, ideo colũba, vt ſpiritalia petat, terreſtria derelinquat.

Ecce, inquit, *hyems præteriit, imber abiit, diſceßit ſibi, flores viſi ſunt in terra.*) Ante aduẽtum Chriſti hyems erat: venit Chriſtus, fecit ęſtatem. Tunc omnia erãt florum indiga, nuda virtutum, paſſus eſt Chriſtus: & omnia cœperunt nouæ gratiæ fœcundari germinibus. Imber abiit luxuriæ profluentis, & nubila tetris ora flagitiis, æſtiua iam puræ conſcientiæ ſerenitate laxantur. Ideo non euadunt, quorum fuga hyeme fit, quia non ſequuntur domini paſſionem, non tollũt crucem ſuam, & Chriſtum ſequuntur. Vnde quam aliam ob cauſam ſecundum domini ſentẽtiam orandum eſſe putemus, ne fiat fuga noſtra hyeme vel ſabbato? Niſi forte quia is qui in mõtes fugit, frigus & glaciem, procellas & grandinem delictorum timere non debet, ſed optare æſtiuæ lucis ſerenitatem, ne lubrico corporis veſtigia infirma labantur? Vnde & illa iam ſecura proceſſu, iam firmis radicibus nixa, lętatur dicẽs, Hyems abiit, tempus ſecandi aduenit. Hyeme etenim arbores vẽtus ſuo honore deſpoliat, & aſperitas frigoris teneras frondes in ſpeciem mortis interficit: verè autem reſurgunt ſemina, & tanquam noua æſtas naturæ viridantis adoleſcit. Cùm enim ſol ex meridianis decedẽs partibus ſuper terram redit, noctis ac diei exæquat tempora: & quo magis moras ſuis adiũgit curſibus, eo paulatim aëris huius reducit, & reuocat aurarum clementiam: quæ fouens omnia, repetendos cogit in partus, vt terra germinet, ac reſoluta ſulcis ſemina reuiuiſcant, vireſcant arbores, ad perpetuitatem quoque cõſeruandi generis eorum quę vel in terris ſunt, vel aquis gaudẽt, annuis fœtibus ſucceſſio propagetur. Aſt vbi ad æſtiuas conuerſiones in ſeptẽtrionem ſe ſubrigit, ſpacia diurna producit, noctis verò arctat & aſtringit. Itaq; quo magis vſu aſſiduo aëri huic copulatur atque miſcetur, eo amplius & ipſum aërem vaporat, & terrarum exiccat humorem, adoleſcere facit ſemina, & tanquam in ſuccos viriles matureſcere poma ſiluarum. Ita nimirum in eccleſia poſt infidelitatis, ac impietatis hyemem apparente ſole iuſtitiæ factum videmus. Vnde verbum dicebat: Exurge, veni proxima mea, formoſa mea, columba mea, quia ecce iam hyems pręteriit. Antequam verbũ dei reciperet, hyems erat, inhonora, ſine fructu: vbi verbum dei recepit, & mundus ei eſt crucifixus, æſtas eſt facta. Denique feruore ſancti ſpiritus euaporata, flos eſſe cœpit, & ſpirare odorem fidei, fragrãtiam caſtitatis, ſuauitatem gratię. Ait ergo: *Exurge, veni proxima mea, formoſa mea, columba mea.*) Proxima, vtique fidei deſiderio: formoſa, decore virtutis: colũba, gratia ſpirituali. Pennæ enim columbæ deargentatæ æternam illam ſignificãt poteſtatem: & columbæ volatus ſancti ſpiritus præſentiam declarauit. Vocat igitur ad ſe eam Chriſtus vt veniat, quoniam ſpiritualibus iam preciis dotata veniebat. *Quia ecce*, inquit, *hyems præteriit, imber abiit, diſceßit ſibi, flores viſi ſunt in terra.*) Videte quemadmodum ſancta inuitetur eccleſia. Hyems, inquit, diſceſſit ſibi, ne hyemem nuda formidet: hyemem non temporis ſed infirmitatis, quæ agrum animæ fœcundum omni flore deſpoliat. Eſt enim hyems, nõ terreni ſolis, eſt hyems mẽtis, quando animo frigus inlabitur, quando vapor animi euaneſcit, quando ſoluitur vigor ſenſus, quando nimius humor exundat, & mentem grauat, quando interior caligat aſpectus. Et ideo ait dominus: Videte ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato. Bonũ enim eſt vt tunc dies iudicij vel mortis aduenĭat, cum viget animi blanda temperies, cum cœleſte myſteriũ ſerena luce refulget, cum cor noſtrum ardet in nobis. Tunc enim Chriſtus eſt præſens, ſicut teſtantur in euãgelio dicentes Ammaon & Cleopas, Nónne cor noſtrũ ardẽs erat in nobis in via, cum aperiret nobis ſcripturas? *Imber*, inquit, *abiit, flores viſi ſunt in terra.*) Imber impedit flores, at nunc flores videtur in terra. Vbi antè ſpinæ, ibi nunc flores. Boni flores apoſtoli, qui diuerſorum ſcriptorum atque operum ſuorum fuderunt odorem. *Tempus ſecandi aduenit.*) Vbi antè deſertum, ibi meſſis eſt: quoniam recidũtur in hominibus ocioſa & infrugifera vitiorum ſarmẽta, execantur peccata, & matura in horreis frumenta cõduntur: & qui metit, mercedem accipit. Denique iuxta Baptiſtæ ſententiam, ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, vt omnẽ arborem non ferentem fructum exſcindat. *Vox turturis audita eſt.*) Quia inuenit ſibi nidum. Eccleſia enim domus eſt caſtitatis. *Audita eſt in terra noſtra.*) Benè addidit propheta, noſtra, quaſi admirãs quòd vbi antè impudicitia, ibi caſtitas. *Ficus protulit groſſos ſuos.*) Quæ antè infructuoſa iubebatur excidi, hęc fructus iã ferre cœpit. Sed quid dubitas, quia groſſos dixit? Priores diſcutit, vt poſteriores meliores afferat, ſicut Synagogæ fructus abiicitur, Eccleſiæ autem renouatur. Apta autem Synagogæ

Ad ca. 21. lib. 10. in Lucam.

Hexameron. lib. 4 ca. 5.

Lib. de inſtitut. virg. ca. 1.

Lib. de apologia Dauid priore. Pſalm. 67.

Lucæ 24. Lib. de Iſaac cap. 4. & ſerm. 6. verſ. 3. in Pſal. 118.

Lib. de Iſaac ca. 4.

gogæ iſtius arboris comparatio eſt: quia ſicut ea arbor foliis
Iu⁹ uęam, lib. 7. ca. 13. redundans fluentibus, ſpem poſſeſſoris ſui caſſa ſperatorum A
prouentuum expectatione deſtituit: ita etiam in ſynagoga
dum doctores eius operibus infœcundi, verbis tamen velut
foliis redundantibus gloriantur, inanis vmbra legis exu-
berat, ſpes autem falſi expectata prouentus, populi vota
credentis illudit. Eſt etiam in natura arboris, quo magis
credas ſynagogæ ſpeciem comparatione huius expreſſam
Etenim ſi diligenter inquiras, diſcreram ab vſu arborum
cæterarum conſuetudinem naturæ huius inuenies. Nanque
aliæ florem ferunt antequam fructum, pomáque ventura
prænuncio ſui flore deſignant: Hæc ſola ab initio germinat
poma pro floribus. In aliis flos decutitur, & poma naſcũtur:
in hac poma decidunt, vt poma ſuccedant. Ergo priora illa
caſſa fructuum: vice floris emergunt, ita præcoci quodam
naſcendi vſu, quæ ordinem naturæ neſciunt, beneficium na-
turæ ſeruare non poſſunt. Etenim quà ſe medio fundere de
cortice gemma conſueuit, eà minutiſſima quæque huius ge-
neris poma prorumpunt, de quibus legimus in canticis can-
ticorum: ficus protulit groſſos ſuos. Itaque cæteris albenti- B
bus primo vere virgultis, ſola ficus proprio neſcit flore ca-
neſcere, eò fortaſſe quòd nullus iſtius maturior ſit vſus in po
mis. Nanque ſuccedentibus aliis hæc quaſi degenerantia
reſpuuntur: & arenti infirma radice renouatis, quibus ſit ſuc-
cus vtilior, exuruntur. Manent tamẽ aliqua perrara, nec de-
cidunt, quibus hic prouentus arriſerit, vt de medio duarum
virgarum clauiculo breui erumpente promergant, quo ge-
mmis tecta præſidiis, tanquam naturæ parentis gremio ſuc-
ci fotu plenioris inoleſcant ea clementioris auræ prouoca-
ta temperie, & prolixioris adultiora temporibus vbi ſyue-
ſtrem animum ſucci prioris exuerint, ſpecie cæteris & matu-
ritatis gratia præferuntur. Specta nunc cultus & animos iu-
dæorum, qui quaſi primi fructus mali feracis ſynagogę groſ-
ſi labentis ſimilitudine corruerunt, vt manſura ſupra æuum
noſtri generis poma ſuccederent. Etenim primus Synagogę
populus quaſi radice operum infirmus arentium vbertatem
ſapientiæ naturalis haurire non potuit: & ideo velut inutilis
decidit fructus: vt quaſi ex iiſdem clauiculis arboris fructuo- C
ſæ de pinguedine religionis antiquæ nouus Eccleſiæ popu-
lus emergeret. Ergo ille qui erat, eſſe deſinit, vt inciperet eſ-
ſe qui non erat. Primi tamen ex Iſrael, quos naturę validio-
ris ramus extulerat, ſub vmbra legis & crucis, in vtriuſque ſi-
nu ſucco gemino colorati groſſi matureſcentis exemplo,
pulcherrimorum gratia fructuum cæteris præſtiterunt, qui-
Matt. 19. bus dicitur: Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duo-
decim tribus Iſrael.

Ex lib. 9 ad cap. 20. Luc. *Vineæ florentes dederunt odorem.*) Bene per vineã Eccleſia de-
ſignatur. Vt enim vitis maritatur arboribus, ita corpus ani-
mæ: anima quoque corpori coniugatur, vt vinea dum liga-
tur, erigitur, & reciſa nõ minuitur, ſed augetur: ita plebs ſanc-
ta dum ligatur exuitur: dum humiliatur, attollitur: dum re-
ciditur, coronatur. Quin etiam vt tener ſurculus veteri ab-
ſciſſus ab arbore, in alterius fœtu radicis inſeritur: ita popu-
lus hic ſanctꝰ ſurculi veteris cicatricibꝰ enodatus, in illo cru-
cis ligno tanquã gremio piæ parentis fotus inoleſcit: Spiri-
tuſq; ſanctus ſicut in altas dimiſſus terrarum ſcrobes, ita in
hoc carcereum corpus infuſus, aquæ ſalutaris irriguo diluit
quicquid eſt fœtidum, membrorumque noſtrorum habitus
in cœleſtem erigit diſciplinam. Hanc vineam diligens agri-
cola fodere, rigare, tondere conſueuit, eruderatíſque terre-
næ molis aggeribus operta corporis noſtri nunc ſole torre-
re, nunc imbre perfundere, ſtirpare agrum ſolitus, ne à ſen-
tibus gemma lædatur, ne luxuriet vmbra foliorum, verbo-
rumque infructuoſa iactantia virtutibus obumbrando ma-
turitatem indolis naturalis impediat. *Vineæ*, inquit, *florentes*
Hexaẽmerõ lib 3. ca. 12. *dederunt odorem ſuum.*) Nihil gratius florentis odore vitis.
Siquidem de flore earum ſuccus expreſſus poculi genus cõ-
ficit, quod & voluptati & ſaluti ſit. Deinde quis non mire-
tur ex acini vincio vitem vſque in arboris ſummum cacu-
mem prorumpere, quam velut quodam amplexu fouet, &
quibuſdam brachiis ligat, & circundat lacertis, pampinis ve-
ſtit, ſertis vuarum coronat? Quæ ad imitationem vitæ no-
ſtræ, primùm viuam defigit radicem: deinde quia natura fle-
xibilis & caduca eſt, quaſi brachiis quibuſdam, ita & clauicu-
lis quicquid comprehenderit ſtringit, hiſque ſe erigit & at-
tollit. Huius eſt ſimilis plebs eccleſiæ, quæ veluti quadam fi-
dei radice plãtatur, & reprimitur humilitatis propagine, de
qua pulchrè ait propheta: Vineam ex Ægypto tranſtuliſti, & *Pſal. 79.*
plantaſti radices eius, & repleuit terram. Euidenter igitur
exemplum vitis ad noſtræ vitæ inſtitutionem accerſandam
eſſe ſignauit: quæ primum veris tepefacta temperie gemma-
re perhibetur: deinde exeſis ſarmentorum articulis fructum
emittere, de quibus otiẽs vua formatur: paulatimq; auges-
cens immaturi partus retinet acerbitatem, nec poteſt niſi
matura iam dulceſcere. Veſtitur interea viridantibus pãpinis
vinea, quibus & aduerſum frigus omnemque iniuriã non e-
xiguo munitur ſubſidio, vt & ſolis ardore defenditur. Quid
autem eo vel ſpectaculo gratius, vel fructu eius dulcius, vide-
re ſerta pendentia velut quædam ſpecioſi rutis monilia, car-
pere vuas vel aureo colore vel purpureo renitentes? Hya-
cinthos cæteráſque gemmas fulgere exiſtimes, coruſcare
Indicos, albarumemicare gratiam gemmarum. Nec aduertis
ex his admoneri te homo, ne immaturos fructus tuos dies B
ſupremus inueniat, aut plenę tempus ætatis opera imparata
dedeceant? Acerbus enim fructus amarior eſſe conſueuit:
nec poteſt eſſe dulce, niſi quod ad maturitatis perfectionem
adoleuerit. Huic vero perfecto nec frigus horridæ mortis,
nec ſol iniquitatis nocere conſueuit: quia obumbrat eum
gratia ſpiritualis, & omnia humanæ cupiditatis & corporeę
libidinis reſtinguit incendia, defendit ardores. Laudent te
quicunq; conſpiciunt, & agmina eccleſię velut quędam pal-
mitum ſerta mirentur ſpectẽt, ſingula fidelium pulchra ani-
maliũ monilia, delectentur maturitate prudentię, ſplendore
fidei, confeſſionis decore, iuſtitiæ pulchritudine, vbertate
miſericordiæ, vt dicatur tibi: Vxor tua ſicut vitis abundans *Pſal. 127.*
in lateribus domus tuæ, eo quòd redundantiam vitis fructi-
ferę copioſe munere liberalitatis imiteris. Perpulchrè ergo
eccleſia vel anima cuiuſque fidelis, vineæ comparatur: quòd
exculta ſit probitate morum, & conſcientiæ trãquillitate lę-
ta. Quæ cum virtutum diuerſarũ pulchritudine adornatur,
tanquam floribus quibuſdam veſtitur, & ſuauiſſimam bonę
opinionis fragrantiam longe latéq; ex ſe diffundit. Sed nũc
ad ſequentia properemus. Poſtquam igitur ſponſus variis
modis ſponſam ſuam vt ad ſe veniret inuitaſſet, nunc oſten-
dit ei locum ad quem venire debeat:

Veni, inquit, *columba mea in tegimento petræ iuxta præmuni-* *Lib. de Iſaac ca. 4. in fine.*
tionem.) Surge, ait, ſecura in tegimento petræ, id eſt, tuta prę-
ſidio paſſionis meæ, & fidei munimento. Suxerunt enim
mel de petra: & oleum de firmiſſima petra. Hoc integimen-
to animæ piorum indutæ, iam nudæ non ſunt, & hoc eſt illis *In Pſal. 118. ſer. 6. ver. 6.*
præmunitio. *Veni ergo*, inquit, *in tegimento petræ iuxta præmu-*
nitionem.) Hoc eſt, veni iuxta euangelium Propugnacula fi-
dei tuę geſta ſunt Chriſti: muri tui ſubſidia verba ſunt domi-
ni: paſſio dominici corporis, tua eſt virtus.

Oſtende mihi faciem tuam, & inſinua mihi vocem tuam: quia *Ibidem.*
vox tua dulcis, & facies tua decora.) Suauis eſt vox quia ore cõ-
feſſio fit ad ſalutem: & decora facies quæ non erubeſcit au-
thorem, non confundit redemptorem. Oſtẽdit ergo faciem
ſuam ſignaculum crucis prę ferens: & inſinuat vocem ſuam, D
authoritatẽ pædicationis aſſumens. In tegimento enim cor-
poris Chriſti, quo redempta eſt à peccato, munimentũ gra-
tiæ ſpiritalis inuenit vt ſalutaria ſibi & ſumat, & loquatur.
Suauis ergo ſponſę vox, quę in diuinis teſtimoniis loquebа-
tur, decora facies, quę in conſpectu regum non confundeba-
tur. *Oſtend. m. fa. t. & inſi. &c.*) Hortatur ſponſam ad confi-
dentiam, vt non erubeſcat crucem, nec eius ſignaculum.
Hortatur ad confeſſionem: vult omnes inſidias dimoueri. vt
bonus fidei odor aſpiret, vt dies fulgeat, vt aduerſæ noctis
vmbra non noceat: quoniam qui iuxta Chriſtum eſt, dicit, *Rom. 13.*
Nox præceſſit dies, autem appropinquauit. Eſt enim vmbra
ſecularium, quæ præteriit: & dies cœleſtium Chriſtus, qui
ſanctis ſuis lucet. *Oſtende mihi faciem tuam, &c.*) Verba vide- *1. Reg. 25.*
ri poſſint Dauid ad Abigeam vxorẽ Nabal, cui Abigeæ tũc
dictum eſt, Benedictus dominus deus Iſrael, qui miſit te ho-
die huc obuiam mihi, & benedicti morestui. Et iterum di-
xit ei, Aſcende in pace in domum tuam. vide, audiui vocem
tuam

tuam & reueritus ſum faciem tuam. (quæ quidem penè eadem hic verba ſunt. Oſtende mihi faciem tuam, & inſinua mihi vocem tuam, nempe ſponſi ad ſponſam) Et tunc quidem Abigea illa à Dauid dimiſſa eſt, quoniam alterum habebat virum, qui dicebatur Hebraicè Nabal, Latinè inſipiēs, durus, inhoſpitalis, inhumanus, ingratus, qui officia neſciret referre: ſed poſteaquam defunctus eſt vir eius, ſolutam à lege viri, accepit eam ſibi in vxorem propheta Dauid, per cuius copulam, Eccleſiæ credituræ ex gentibus ſignificantur myſteria, quę amiſſo viro cui antè iuncta fuerat, tranſiuit ad Chriſtum cenſu pio diues humilitatis & fidei, miſericordiæ quoque dotata patrimonio. Iam verò in ſequentibus verbis eſt mutata loquentis perſona. non enim iam ad ſponſam, ſed ad ſodales loquitur Sponſus, dicit ergo:

Prendite nobis vulpes puſillas, exterminantes vineas: & vineæ noſtræ florebunt.) Vulpes, fallax eſt animal, & inſidiis ſemper intentum, rapinam fraudis exercet. Nihil tutum, nihil ocioſum, nihil patitur eſſe ſecurum, quod inter ipſa hoſpitia hominum prædam requirat. Hæreticis autem vulpes comparat. Denique cum gentes vocet, hæreticos excludit. Vulpes enim plenum fraudis eſt animal, foueam parans, & in fouea ſemper latere deſiderans. Ita ſunt hæretici, qui domum ſibi parare non norūt, ſed circunſcriptionibus ſuis alios decipere conantur. Iacob domum habitat: hæreticus in fouea eſt, vt fraudulenta vulpes gallinæ illi euangelicæ dolum intendēs. Meritò ergo foueas habent, quia domum quam habuerunt perdiderunt. Hoc animal neque manſuefcit vnquam: vnde & apoſtolus ait: Hæreticum hominem poſt vnam correptionē deuita neque vlli vſui eſt, aut cibo vtile. Non et im de hoc dixit Chriſtus: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei qui in cœlis eſt. Quin etiā à fructibus ſuis eas relegat, dicens, Capite nobis vulpes puſillas, exterminātes vineas, hoc eſt, quæ minorem vineam non maiorem exterminant. Et ideo Samſon ad caudas earum faces ligauit, & in ſegetes alienigenarum dimiſit, eo quod hæretici fructus incendere conātur alienos, latratibus magis ſonori, quàm vocibus expoliti. Qui enim verbū negant, nec vocem habent. Ad præſens ore liberi, ſed in futurum finem iam vincti: caudæ facibus ſignificantes ſui finis incendium.

Prendite nobis vulpes puſillas, exterminantes vineas: vt vineæ noſtræ floreāt.) Scriptura enim hominem dicit, qui eſt ad imaginem & ſimilitudinem dei: peccantē autem, non hominem ſed aut ſerpentem, aut equum adhinnientem fœminis, aut vulpeculam, aut iumentum vocare conſueuit, de quorum vno ait: Ite, dicite vulpi illi. hoc eſt de Herode. Et alibi cum ſe fraudulenter interrogari aduerteret, dixit: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, vbi requieſcant: eò quòd fraudulenter in terreſtrium paſſionum quibuſdam latibulis demorentur. Inde etiam Samſon binas vulpes ſibi nexuit, ad quarum caudas alligauit faces, & dimiſit eas per meſſes, Allophylorum: per hāc figuram ſignificans quòd improbi aut fraudulenti homines, & maximè hæretici liberam linguam ad latrandum habeant, ſed exitus impeditos, aut litigioſa principia: finem verò fraudis ſuę incendio deputatum. Ideóque & trecentas vulpes dimiſit, eo quòd perfidi crucis quidem prædicatione ſe commendare deſiderant, ſed myſteriū eius tenere non poſſunt, qui hac prædicatione compoſita, & falſa atque ſimulata vtere magis fructus conantur alienos: cum vtique vera crux domini non exurat aliena merita, ſed fœcundet. Meritóque ſcriptum eſt, Prendite nobis vulpes puſillas, exterminantes vineas, vt vineæ noſtræ floreāt. Quo oſtenditur, quòd vel dominus Ieſus, vel eccleſia fraudulentorum dolos à vineis ſuis exterminandos eſſe præcipiat, ne puſillulis vineis noceant, quia adultis iam vitibus nocere nō poſſunt. Hæreticus enim imperfectum tentare poteſt, non poteſt ſupplantare perfectum. Vel ideo bene puſillas vulpes dixit, quia maiores, vineas extetminare non poſſunt: licet fortibus vt diabolus puſillus ſit, aut verò puſillas vulpeculas capi præcipit, vt cogitatus malos in ipſo principio ne adoleſcāt ſtatim perimas, quemadmodum ſcriptum eſt, Beatus qui alludit paruulos ſuos ad petram.

Sponſa igitur vbi tantum ſpōſi ſui amorem erga ſe videt, multa cum fiducia loquitur, *Fratruelis meus, mihi, & ego illi.*) Vox iſta eſt ſpōnſæ: vox iſta eſt virginis. Nam immaculatum corpus à vitili permixtione ſeruare, & palmam caſtimoniæ limoſo in corpore vſque ad angelorum conuerſationē cuſtodire, vtilitas priuata, laus eſt publica. Quàm rarus in terris, qui poteſt hoc dicere, quàm alienus à vitiis, quàm ſegregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat cōmune cum ſeculo, dicens, Fratruelis meus mihi, & ego illi, ſcilicet qui nihil mundi huius ſibi vindicet: in quo non ſit corporalium poſſeſſio cupiditatum: quem non inflammet libido, non ſtimulet auaritia, non laſciuia effœminet, non luxuria decoloret, non ſternat ambitio, non maceret inuidia, nō aliqua negociorum ſecularium cura ſolicitet. Verus enim miniſter altaris deo eſt natus non ſibi. Leui enim, vt habet interpretatio, ſignificat, ipſe mihi aſſumptus. ſignificat &, ipſe meus. ſignificat & tantùm, aſſumpus. ſignificat & aſſumptus. Ipſe idem & mihi Leui & deo eſt: quomodo idem & mihi ſacerdos & deo eſt: & mihi aduocatus, & domini deprecator: pro me offerens ſacrificium, & idem ſe offerens domino. Denique & alibi Leui interpretatione dicitur, pro me: Etenim ſi à me nominetur Leui, pro me eſt. ſi pro me offerat, pro me eſt. ſi pro me interueniat, pro me eſt. ſin autē vocetur à domino, ipſe mihi dicitur hoc eſt non alij tributarius, non decimarius, non de poſſeſſione munificus. Ipſe, inquit, mihi. hoc eſt tanquam abundans pro his omnibus. Non ab hoc decimas, nō fructus, non dona quęro, non munera. ipſe mihi pro munere eſt, ipſe pro tributo. Nō in poſſeſſione ſua munific⁹ mihi, ſed ipſe mihi poſſeſſio, ipſe meus fructus, ipſe meus cēſus, aſſumptus mihi, vel aſſumptus à me. Non poteſt hoc ſine diuina eſſe gratia. Sicut enim poſſeſſio non poteſt eſſe mea, niſi emero eā: ſic non poteſt eſſe Leui, niſi fuerit aſſumptus à domino. Cum enim fuerit aſſumptus, rectè dicetur, ipſe meus. Denique cum Moyſi dictum eſſet vt populo Iudæorum per tribus ſingulas diuideret incolatus, & diſtribueret ſingulis tribubus portiones, tribum Leuiticam excepit Deus, dicens: Filiis Leui non erit portio in medio fratrum ſuorum, quia dominus deus pars eorum eſt. Et alibi: Ego dominus portio eorum. Negatur his terrena diuiſio: vt ipſi dum ſecularem ſibi non vindicant portionē, fiant cœleſtis poſſeſſio, & hoc ſolum nouerint poſſidere, hoc eſt fidei & deuotionis obſequium: multo ditiores, quam qui poſſeſſionum ſuarum ſpatia ampla diffundunt. Quantumlibet enim fines extendant ſuos, & terra deficit, & mare includit inſanas cupiditates, & pendūt tributa maiora quam fructus ſunt. At verò iſte nihil poſſidens, nulli niſi deo militat. Supra terram eius eſt portio: non cum terra deficit: non mari clauditur. Cui portio deus eſt, totius poſſeſſor eſt creaturæ. Pro agris igitur ipſe ſibi ſatis eſt, habens bonum fructum, qui nunquam poſſit perire. Pro domibus ſatis eſt ſibi, vt ſit habitatio domini, & dei templum, quo nihil poteſt eſſe precioſius. Quid enim precioſius deo? Aut quid deeſt ei viro qui poteſt dicere: Non contingat mihi gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo? Non poteſt in hoc princeps mundi huius ſibi conſortium vendicare, in quo nihil ſuum inuenit. Ideoque dominus qui venit docere vt fieret nobis deus portio, ait: Venit huius mundi princeps, & in me inuenit nihil. Meritóque imitatores ſui nos eſſe volens, ait: Nolite poſſidere aurum neque argentum neque pecuniam. Vnde Petrus oſtendens in deo ſibi portionem eſſe, non in ſeculo, ait: Argentum & aurum non habeo: quod autem habeo, do tibi: In nomine Ieſu Nazareni ſurge & ambula. hoc eſt, portio mea Chriſtus eſt. In nomine igitur Ieſu Chriſti ſurge & ambula. Hoc eſt, in portione mea diues ſum, in portione mea potens ſum. Meritò tales præſumo fructus iſtius portionis, vt ſalus & vita donetur, quia hoc eſt iſtius patrimonium portionis quam elegi mihi.

Ex ſerm. 7. verſ. 1. in Pſal. 118.

Galat. 6.

Ioan. 15.

Actu. 3.

Dilectus ergo meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.) Lilium caſtitatem ſignificat. Scit itaque bonus paſtor vbi paſcat gregem ſuum quæ pabula ouibus ſuis expediant. Quæ ſunt paſcua noſtra, hoc eſt fidelium, niſi Chriſtus? In cuius paſcuis ſe locutum propheta lætatus eſt, dicens, In loco paſcuæ ibi me collocauit. ibi enim nos paſcit & reficit. Bona paſcua, ſacramenta diuina ſunt. Carpis illic nouum florem, qui bo-

Ex tractatu in pſal. 118. ſer. 6. 4. v. 1. Pſal. 22.

qui bonum odorem dedit resurrectionis. carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis. carpis rosam, hoc est dominici corporis sanguinem. Bona etiam pascua, libri sunt scripturarum cœlestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur, cum ea quæ scripta degustamus, vel summo ore libata frequentius ruminamus. His pascuis grex domini saginatur. Bona etiam Christi pascua, qui pascit in liliis, in splendore sanctorum. Bona pascua etiam montes conuallium, sicut luminaria istius mundi sedula humilitate fulgentes, qui virtutum diuersarum præstant cacumine, & supra mundum meritis suis eminẽt. Isti sunt de quibus dicitur: De hoc mũdo non sunt, sicut & ego non sum de hoc mundo, quia supra mundum sunt, qui Christum sequuntur.

Donec adspiret dies, & inclinentur vmbræ.) Omnia sunt hic vmbrosa & caliginosa. nusquam veri cognitio, nusquam recta experientia rerùm. Videmus, ait ille, nunc per speculum, & in ænigmate: verum cum adspirauerit dies, cum apparuerit Christus vita nostra, vel cùm extremi iudicij dies aduenerit, quando audient iusti: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: tunc discussis vmbris, lætus lætis iustorum mentibus adspirabit dies. Vmbra est ergo vita hæc, festina ad solem, vt te defendat ab vmbræ hui⁹ frigore, & calorẽ tibi profundat æstiuum. Et ideo suadet orandum ne fuga nostra hyeme fiat aut sabbato: non tempus diémque significans, sed frigere nos mentibus prohibens, & bonorum operum esse ieiunos.

1. Co. 13.

Matth. 24.

Ibidem.

CAPVT TERTIVM.

Ex lib. de Isaac cap. 4. in fi. & in princ. cap. 5.

IN *cubili meo, in noctibus, quæsiui quem dilexit anima mea, quæsiui eum, & non inueni.*) Acceperat iam hæc anima bona pignora charitatis: sed quia semper soliciti esse debemus, semper intenti: & quia verbum dei sicut capreola exilit, aut sicut hinnulus ceruorũ semper vigilet anima & prætendat, quę requirit eum & quę tenere desiderat. Ideo quasi sublapsum sibi, in cubili, inquit, meo in noctibus quæsiui quem dilexit anima mea. Qui bene quærit, in cubili quærat, in noctibus quærat: nec dies feriatus neque noctes sit. nullum tempus vacet à pietatis officio: & si non inuenerit primo, perseueret in requirendo, Nullum tempus vacuum sinat sancta deuotio prætetire. Nã si studẽtes doctrinis secularibus perparum somno indulgẽt, quãto magis qui deũ cupiũt cognoscere, nõ debent somno corporis impediri, nisi quantum naturæ satis est? Dauid per singulas noctes lectum suum lachrymis diluebat: surgebat etiamnoctis medio, vt domino confiteretur: & tu sopori noctem existimas deputandam? Tũc magis orandus tibi est dominus, tunc præsidia postulanda, culpa cauenda, quando videtur habere secretum. Tunc maximè quando tenebræ in circuitu meo, & parietes me operiunt, considerandum quia deus omnia abscondita intuetur. Ne dixeris, ego circunfusus tenebris, quis me videt? & quem vereor septus parietibus & inclusus? Quia vultus domini super facientes mala. Denique si arbitum non vides, te ipsum non vides? Tuæ conscię testimonium non vereris? Nescis illam caliginem noctis non opertorium sed incentiuum esse peccati? Cùm somno & cibo feruent corpora, tunc etiam mentis vigor sopore laxatur, somno resoluitur: tunc irrepit impuri libido concubitus, tũc perturbatur cor squalore immunditiæ, non videtur castitas, puritas non consideratur, pudicitiæ gloria non recensetur. Nox erat, quando Iudas Christum prodidit, Petrus negauit. Illo igitur præcipuè tempore iustificationes dei animo retexendæ sunt, relegenda mandata hortatoria. Illa de castitate præcepta non absint, vt his occupata mens flagrantiam libidinis, carnis restinguat ardorem. Tene animo, Lauabo per singulas noctes lectum meum. Quis enim stupris deditus, flagitiis inuolutus, lauat per singulas noctes lectum suum? Nescit flere, qui flenda committit: & cum sit ipse lachrymabilis, non habet pœnæ lachrymas suæ. At ille qui castigat corpus suum, & sui solicitus gubernator est, atque ingemiscens & dolẽs lapsus superioris offensam, quærit quomodo abluat fletibus pœnitentiæ: hic lauat per singulas noctes lectum suum. Non dormiamus ergo totis noctibus, sed maximam earum partem lectionibus & orationi deputemus. Audi ecclesiæ vocem quærentis etiam in noctibus Christum, In cubili, inquit, meo in noctibus quæsiui, quem dilexit anima mea. Accipe secundum literam. Quæsiuit in noctibus, orando, deprecando, etiam lachrymis deplorando. Quæsiuit in noctibus, quia posuit tenebras latibulũ suum, vt quærere eum solicitius discereremus. Quæsiuit igitur in prophetis ecclesia ex gentibus congregata, & ideo credidit. Denique aduentus dominici testimonia de prophetis Euangelistæ Paulúsque posuerunt: Vnde scriptum est, Nox nocti indicat sciẽtiam. Quæsiuit in noctibus, in persecutionibus, in aduersis, in tribulationibus & laboribus duris. Nox est omnibus quibus non est perfecta securitas. vnde ait dominus: Venit nox, quando nemo potest operari. Cum in hoc mundo sum, lux sum mũdi: nõ ergo operemur intenebris. Si enim lucent opera nostra, nõ operamur in tenebris, sed in lumine. Dies est, quibus adest Christus: nox est, quibus se denegat. Non magnum igitur, si tunc domino gratias agas, quãdo in prosperis & secundis es: sed si tunc adhæreas Christo, quando te persecutor exagitat, quando aliqua procella perturbat. Amisisti filium? in illo dolore, in illa nocte, in illa destitutione memẽto domini dei tui: ne quasi nõ exauditus, ingratus sis, & in tua præuaricęris ruina. Pulsus es in exilium? memento domini dei tui, ne patrię tibi interdictę charitatem deo preferas. Alicuius diuitis oppressus potentia amisisti proprias facultates, indiges sumptu? memento domini dei tui, ne nox te egestatis abducat à deuotionis affectu. Hoc est enim mandatum legis, vt in nocte magis quęras, quando magis exaudiaris à domino, & possis dicere: In tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine.

Ibidem continuò ser. 7. versu 7. in psal. 118.

Psal. 18.

Ioan. 9.

Ecclę. 23.

In noctibus, inquit, *quæsiui eum & non inueni.*) Sequamur ergo Christum per diem, sed eum diem qui adest ecclesiæ, quẽ & Abraham vidit, & gauisus est. non enim in noctibus reperitur Christus. vnde & infert, *Exurgam itaque, & quæram in ciuitate, in foro, in plateis, quem diligit anima mea.*) Fortassis ideo non inuenit adhuc, quia in foro quæsiuit vbi sunt lites: in plateis, vbi sunt nundinæ rerum venalium. non enim vlla Christus pecunia comparatur. Nequaquam igitur ibi Christũ quæramus, vbi inuenire non possumus. Non est Christus circunforaneus. Christus enim est pax, in foro lites. Christus iustitia est, in foro iniquitas. Christus operator est, in foro inane ociũ. Christus charitas est, in foro obtrectatio. Christus fides est, in foro fraus atque perfidia. Christus in ecclesia est, in foro idola. Et vt illa vidua, quam in alio perstrinximus libro, cognoscat mę, non obtrectandi me locutum ista studio sed monendi, neque, non asperum sed solicitum, gratiam reconciliationis accipiat. In ecclesia vidua iustificatur, in foro circunuenitur. fugiamus ergo forum, fugiamus plateas. Prudentiã notam assume tibi, & custodias te à muliere aliena. Per feneſtram enim de domo sua in plateas prospicit. fugiamus plateas. Non enim iniuria tantummodo est non inueniſſe quem quæras, sed etiam plerunque vbi non oportet quæsiſſe, vulnus est: quæsiſſe in domibus virorum, qui sibi falso doctorum nomen assumunt, quæsiſſe procacius quam verecundius.

Ex lib. 3. de virginib.

Li. de Isaac cap. 5.

Ex lib. de virginib.

Habeto & alium sensum. Quæsiuit sponsa Christum in foro, vbi oleum venditur, quod expectantes sponsum emere consueuerunt, vt semper faces suę luceant, nec eas fumus iniquitatis extingat: vbi ius, vbi leges. Si enim lex spiritalis est, & forum est vtique spiritale, vbi disputant periti legis æternæ: quod forum in litibus tumultuosum est, sed Christi tribunalibus glorioſum. Vbi quæsiuit inquam? In foro quæsiuit, in planteis, de quibus ij qui ad patrisfamilias euangelici prandium conuenirent colligebantur: qui vocati excusandum ab huiusmodi epulis non putarũt. Exurgam ergo dicit id est, erigam & attollam intentionem meam, & quæram impigrè, quæram solicitè, introibo in ciuitatem. Est & anima quæ dicit, Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa. Est ciuitas munita per Christũ: est ciuitas illa Hierusalem in cœlo, in qua abundant diuinæ legis interpretes & disciplinarum periti, per quos verbum dei quęritur. Quæram, inquit, in foro illius

Ex tract. in psal. 118. ser. 7. versu 7.

Esa. 27. iuxta. 70.

ro illius ciuitatis, in illo foro vbi tractant iura consulti, vbi oleum venditur, quod euangelicæ virgines emunt, vt semper faces suæ luceant, nec eas fumus iniquitatis extinguat. Quæram, inquit, in plateis in quibus superfluunt aquæ, de quibus Salomon dicit esse potandum. Hæc solicitè ac sedulò agentem

Inuenerint me, inquit, *vigiles, qui circumeunt ciuitatem.*) Dum quærit igitur Christum, inuenit custodes qui in ministerio sunt: ab his requirit, Num quem diligit anima, vidistis? Sed anima quæ deum quærit, etiam custodes transit. Sunt enim mysteria quę etiam angeli concupiscũt videre: vnde Petrus ait: Nunciata sunt vobis per eos qui euangelizauerunt vobis spiritu sancto misso de cœlo, in quem concupiscunt angeli prospicere. Posteaquam itaque in foro & plateis quæsiuit, incidit in eos qui circumeunt ciuitatem, & tunc demum potuit inuenire. Quærit fortasse quòd in tribulatione & metu posita magis inueniat gratiam. Denique posterius ait:

Inuenerunt me, qui circumeunt ciuitatẽ, tulerunt mihi pallium.) Habuit ergo certamen: sed qua ratione supra non tulerint pallium, hęreo reperire, nisi forte quia ibi interrogasse se dixit: Nunquid quem dilexit anima mea, vidistis? quæ Christũ loquebatur, nec exuta est pallio, & quem quærebat inuenit. Disce quemadmodum quęratur Christus. Ab his vtique, qui non perfunctoriè quærunt, violenter retinent: sicut ista quæ ait: Tenui eum, & non dimisi eum: fide inuenit, meditatione cõstrinxit. Si bonos custodes accipimus, vtique angeli sunt. Qui verò angelos transiuit, verbum inuenit. ideo non multum interualli fuit, cùm trãsiuit ab his & inuenit Iesum. Quomodo ergo infrà tulerunt pallium? nisi fortè quia processu operæ suæ ecclesia dum nudatur, dominus plus amatur: expolians se veterem hominem vt nouum induat, quem non operiunt indumenta, sed mentis secreta clarificant, aut quia amictum sapientiæ secularis ad Christum ventura deposuit. *Percusserunt*, inquit, *me, tulerunt pallium meum.*) Videtis quemadmodum quærat quæ desiderat inuenire, vt nõ timeat vulnerari. Sed hæc vulnera non metuenda sunt, sed optanda, quia vulnera charitatis sunt. sicut ipse dicit, vulneratæ charitatis ego sum. *Percusserunt & vulnerauerunt me, & tulerunt pallium meum à me custodes murorum.*) Non in se, filiæ, non inquam in se filiæ, sed in nobis vulneratur ecclesia. Caueamus igitur ne lapsus noster, vulnus ecclesiæ fiat, ne quis à nobis pallium auferat, hoc est amictum prudentiæ, insigne patientiæ, quo mollioris ambitio vestis exuitur. Qui enim mollioribus vestibus induuntur, in domibus regum sunt. Nobis autem pallium dedit Christus, quo apostolos suos & corpus suum ipse vestiuit. Quod denique iubet te dare, si quis à te tunicam petat, vt dimittas ei & pallium, id est, insigne philosophiæ tuæ tradas, & quasi amictu prudentiæ tuæ, eum qui ante nudus fuerat, circumuestias.

Quàm modicum cum transiui ab eis, inueni eum, tenui eum, & non dimisi eum!) Ergo qui transierit custodes, verbum inuenit. Transiuit Ioannes, qui verbum apud patrem inuenit. Multi quoque sunt qui in ocio quęrunt Christum & non inueniunt: & quærunt eum in persecutionibus, & citò inueniunt: & ideo quasi post tentationes, quia in periculis fidelium suorũ adest. *Quàm modicũ*, inquit, *cum trãsiui ab eis, &c.*) Omnis enim qui quærit, inuenit: & qui inuenerit, adhærere debet, ne possit amittere. Et quoniam per euãgelium in terris videmus cœlestia mysteria figurata, veniamus ad illam Mariam, veniamus ad Magdalenam: cõsideremus quemadmodum Christum in cubili corporis sui, in quo defunctus iacebat, in noctibus quæsiuerint, quando dixit illis angelus: Iesum qui crucifixus est quæritis: non est hic, surrexit. Quid igitur quęritis viuentẽ cum mortuis? Quid quęritis in sepulchro eum qui iam in cœlo sit? Quid quæritis in vinculis sepulturæ vniuersorum vincula soluentem? Non sepulchrum huic sedes, sed cœlum est. Ideo dicit vna ex his: quęsiui eum, & non inueni. Tamen dum vadũt apostolis nunciare, miseratus quærẽtes occurrit eis Iesus dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tenetur ergo Iesus, sed delectatur sic teneri, quia fide tenetur. Denique delectauit eum & illa mulier quæ tetigit eum, & curata est à sanguinis fluxu, de qua dixit: Tetigit me aliquis: nam sentio virtutem de me exisse. Tange ergo & fide tene, & constringe fideliter pedes eius: vt virtus de eo exeat, vt sanet animam tuam. Tenui, ait, eum, & non dimittam eum.

Lib. 2. de virginib.

Sed quibus tenetur Christus? Non iniuriæ nexibus, non restium nodis, sed vinculis charitatis, mentis habenis stringitur, & animæ tenetur affectu. Si vis & tu tenere Christum, quære iugiter, nec pœnam metuas. Inter enim supplicia frequẽter corporis, inter ipsas persecutorũ manꝰ Christꝰ meiꝰ inuenitur. Quàm modicũ, inquit, fuit cum transiui ab ipsis. Exiguo enim spatio breuique momento, cum persecutorũ manus euaseris, nec succubueris potestatibus mundi, tibi Christus occurrit, nec te diu tentari patitur. Quæ sic Christum requirit, quæ Christum inuenit, potest dicere: *Tenui eũ, nec relinquam eum, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum eius quæ me concepit.*) Quæ est domus matris tuæ, & cubiculum eius, nisi internum tuæ secretumque naturæ? Hanc domum serua, huius domus penetralia munda: vt cum immaculata fuerit domus, nec vllius adulterinæ conscientiæ sordibus inquinata, spiritalis domus in sacerdotium sanctum lapide angulari coagmentata consurgat, & spiritus sanctus habitet in ea. Quæ sic Christum requirit, quæ sic Christum obsecrat, nõ relinquitur ab eo, imò etiam frequenter reuisitur. Vel domus matris fortasse est, in qua præfulget moralium disciplina. secretum autem illud est, in quo sunt altiora mysteria, in quibus diuinæ gratiæ mella redolent. An non omni melle dulcior peccatorũ remissio? Nonne omni flore gratior resurrectio mortuorum? Adolescentulæ dilexerunt te nimis, & introduxerunt te in domũ matris suæ. Nolite à Christi charitate etiam paruulos separare, quem etiam intra matris vterum adhuc positi exultatione prophetica fatebantur.

In psal. 118. serm. 7. ver. 3.

Lib de Isa. ac cap 5.

Videntes itaque sponsam filiæ Hierusalem Christo inhęrentem & adhuc ascendentem cum eo (dignatur enim quęrẽtibus frequenter occurrere, & condescendere vt eos eleuet) dicunt: *Quæ est hæc quæ ascendit à deserto, sicut vitis propago fumo incensa, odorificata myrrha & thure, ab omnibus pulueribus vnguenti.*) Mirantur ascendentem virtutes cœlorũ, quod sine offensione ascendat, & ex hoc mundo ascendat cum lætitia & iucunditate, sicut vitis propago & sicut fumus se ad superna subrigat, fragrans piæ resurrectionis odorem, & suauitatem fidei. Pulchrè verò subtilitatem eius expressit pulueris comparatione, & vnguenti commemoratione: quia in Exodo legimus subtile & ex multis compositum thymiama, illud esse incensum propheticum, quod est sanctorum oratio, vt dirigatur in conspectu domini, sicut & Dauid dicit: Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Porrò desertum à quo sponsa ascendit, mundum hunc intelligimus, qui velut desertus terræ locus & incultus videtur, sentibusque ac spinis nostrorum obsitus delictorum. Qua propter filiæ Hierusalẽ mirantur quomodo anima quę anteà in inferioribus relinquebatur, nunc inhæreat Dei verbo, & ascenderit ex hoc arido & inculto loco ad illas florulentas delectationes, vbi vitæ æternæ voluptate fruatur: ascenderit autem sicut vitis propago in superiora se subrigẽs, veluti fumus natus ex igne alta petens: tum etiam quòd odoribus fragret. Odor autem ille, orationis piæ redolet suauitatem, quæ dirigitur sicut incensum in conspectu domini. Et in Apocalypsi legimus quòd ascendit fumus incensorũ de orationibus sanctorum, quæ incensa deferuntur per angelum super altare illud aureum quod est ante sedem Dei: & tanquàm suaue piæ prędicationis fragrat vnguentũ: quia de æternorum & inuisibilium non de corporalium petitione cõpositum est. Precipuè tamen myrrham redolet sponsa, & thus, eò quod peccato mortua sit, & Deo viuat. Vnde & in posteriroibus, Ibo, inquit, mihi ad montem myrrhæ, & collem thuris. Audiamus sequentia.

Psal. 114. Lib. de Isaac cap. 5.

Epistol. 62. ad Irenæum lib.

Apoca. 8.

En lectulum Salomonis: sexaginta potentes in circuitu eius, ex potentibus Israel: omnes tenentes gladium, docti bellum.) Lectus sanctorum, Christus est, in quo vniuersorum fessa secularibus præliis corda quiescunt. In hoc lecto requieuit Isaac, & benedixit filium iuniorem, dicens, Maior seruiet minori. In hoc lecto recubans Iacob benedixit duodecim patriarchis.

Li. de Isaac cap. 5.

Gen. 25.

Ibidem 49.

In hoc

Matt.9. Luc.7. In hoc recubans Archiſynagogi filia ſurrexit à morte. In hoc lecto iacens viduæ defunctus filius, mortis vincula Chriſti voce vocat⁹ diſſoluit. Hūc lectulū ſexaginta potētes ambiūt ſtrictis armati ēſibus, & eruditi præliaribus diſciplinis: qualis nimirum fuit Dauid Rex & Propheta, qui ducū omniū fortiſſimus confidenter canebat, Benedictus dominus deus meus, qui docet manus meas, ad præliū, & digitos meos ad bellū. Qualis & ille qui omnibus fortunis exutus, animi cōſtantiā ſeruans, Nudus, inquit, ſum natus, nudus exibo: quia dominus dedit, dominus abſtulit: ſit nomē domini benedictū. Hęc eſt inuicta animi fortitudo, quę bellū cū vitiis gerit, quę ſola defendit virtutū omniū ornamēta, & quæ inexpiabili prælio aduerſus vitia omnia decernit, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigida aduerſus corporis voluptates, dura aduerſus illecebras, quibus aurem deferre neſciat, nec (vt dicitur) aue dicat. pecuniam negligit, auaritiam fugit tanquam labem quandam, quæ virtutem efœminet. Nihil enim tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci. frequenter pulſis hoſtibus, & inclinata in fugam aduerſariorū acie, dum exuuiis cæſorum capitur prædator, inter ipſos quos ſtrauit miſerandus occubuit: & triumphis ſuis delectatæ legiones, dū ſpoliis occupantur, hoſtem in ſe reuocarūt qui fugerat. Fortitudo igitur tam inanem hoſtem repellat & proterat, nec tenteturr cupiditatibus, nec metu frangatur: quia virtus ſibi conſtat, vt fortiter omnia perſequatur vitia, tanquam virtutis venena. Hęc itaque ſunt arma quibus iſti potentes qui lectulum Salomonis ambiunt, ſunt armati. Horum fortium *Gen 32.* caſtra videns Iacob in ſpiritu, Caſtra, inquit, dei ſunt hæc. Tenēt autem fortes iſti gladios in manibus, quos pro Chriſti nomine non refutēt: vel quibus corporalia à ſpiritalibus, *Heb.4.* vmbram à veritate diſtinguant. Viuus eſt enim dei ſermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingēs vſque ad diuiſionem animę & ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis: & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius. Sunt & *Luc. 22.* alij gladij in eccleſia, de quibus dicitur: Domine, ecce duo gladij hic, eccleſiaſticæ videlicet poteſtatis, & mundanæ. Eſt & gladius ſpiritalis, quem dominus vendita tunica emi imperat: vt vendas patrimonium, emas verbum, quo nuda mētis penetralia veſtiūtur. Eſt etiam gladius paſſionis, vt exuas corpus & immolatæ carnis exuuiis ematur tibi ſacri corona martyrij. Habent ergo fortiſſimi iſti, lectuli Salomonis cuſtodes, huiuſmodi gladios in manibus: habent paratos & exertos, vt ſpirirales, nequitias noſtri regis quietem interturbare volentes, ſua virtute oppugnent.

Lectum fecit ſibi Rex Salomon ex lignis Libani: columnas eius fecit argēteas, adclinatorium aureum, adſcenſum eius purpureum, dorſum eius gemmatum ſtratum.) Quis eſt iſte lectus niſi corporis noſtri ſpecies? Nanque in gemmis aër ſpecie fulgoris oſtenditur, in auro ignis, aqua in argento, terra per lignum, ex quibus corpus humanum quatuor conſtat elemētis, in quo noſtra recubat anima, ſi non aſpero montium, non humi arido expers quietis exiſtat, ſed ſublimis à vitiis ligno fulta requieſcat. Vnde & Dauid dicit: Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius. Nam lectus doloris eſſe quis poteſt, cum dolere non poſſit, qui non habet ſenſum? Corpus autem eſt doloris, ſicut tempus eſt mortis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et quoniam verſiculum induximus, in quo dominici corporis fecimus mentionem, ne quem fortè perturbet legentem, quod dominus corpus ſuſcepit doloris, recordetur quomodo Lazari mortem doluit & fleuit, & in paſſione eſt vulneratus, atque ex vulnere aqua & ſanguis exiuit, ſpiritúmque exhalauit. Aqua ad lauacrum, ſanguis ad potum, ſpiritus ad reſurrectionem. Vnus enim Chriſtus eſt nobis ſpes, fides, charitas: Spes in reſurrectione, fides in lauacro, charitas in ſacramento. Tamen vt corpus ſuſcepit doloris, ita etiam ſtratum in infirmitate verſauit, quia conuertit in commodum carnis humanæ. nam paſſione infirmitas eſt ſoluta, mors reſurrectione: & tamen mœrere pro ſeculo, gaudere debetis in domino: triſtes ad pœnitentiam, alacres ad gratiam: licet & flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus oportere, gentium doctor ſalutari præceptione præſcripſerit.

Lib.3. de virginib.

Media charitate conſtrauit propter filias Hieruſalem.) Quæ ſunt iſtæ filiæ? Non debet eſſe occultum, quòd ſuperiores videātur, qui antè generati ſunt, inferiores qui poſteà. Comparantur enim vtero partus huius ſeculi, quoniam fortiores ſunt qui in iuuentute virtutis nati ſunt: infirmiores, qui tempore ſenectutis. Defecit enim multitudine generationis hoc ſeculum, tanquam vulua generantis, tanquam ſeneſcens creatura: robur iuuentutis ſuæ, velut marcenti iam virium ſuarum vigore deponit. Iſtæ ergo ſunt filiæ Hieruſalem, id eſt, teneriores & inferiores animæ. Iſtis ſe exhibet, vt luceat imago eius in confeſſione earum, luceat in dilectione, luceat in operibus: vt ſi fieri poteſt, tota ſpecies eius exprimatur in ipſis.

Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in corona qua coronauit eum mater eius in die ſponſalium eius, & in die iucunditatis cordis eius.) Canūt epithalamium, & vocant cæteras poteſtates cœlorum vel animas, vt videant charitatem quàm circa filias Hieruſalem habet Chriſtus. Vnde & meruit coronari, quaſi filius charitatis, ſicut Paulus oſtendit dicens: Quia deus eripuit nos de poteſtate tenebrarum. & tranſtulit *Coloſſ 1.* in regnum filij charitatis ſuæ. Charitatis itaque filius, & ipſe charitas eſt: non ex accidentibus habens charitatem, ſed habens ſemper ex ſubſtantia ſua, ſicut regnum, de quo dicit, Ego in hoc natus ſum. Ideóque dicūt, Egredimini, id eſt: exite de ſolicitudinibus & cogitationibus huius ſeculi, exite de vanitatibus mundi, & videte quam rex pacificus in die ſponſalium ſuorum habeat charitatem, quàm ſit glorioſus, quia corporibus reſurrectionem dedit, animas ſibi iunxit. Hæc magni eſt corona certaminis, hoc præclarum munus ſponſalium Chriſti, ſanguis & paſſio. Quid enim plus potuit dare, qui ſibi etiam non pepercit, ſed pro nobis mortem ſuam obtulit? Quæ eſt autem corona gloriæ, niſi Eccleſia, quæ caput ſuum Chriſtum coronat? Quæ iucunditas vniuerſæ terræ, niſi domus populi Chriſtiani, aula ſanctorum, de quibus ſcriptum eſt, In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum? Ergo quia corona *Pſal.18.* gloriæ eſt Eccleſia, ideo dicitur: Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in corona qua coronauit eum mater eius in die ſponſalium eius, & in die iucunditatis cordis eius. Ad animas dicitur vt è gurguſtiis & clauſtris exeāt corporalibus, extra corporis cogitationes exeant, egrediantur à cupiditatibus & à curis, & à cæteris carnis iſtius illecebris, & affectus lubrici paſſionibus. Supra mundum aſcendant: de hoc mundo exeant, Chriſto occurrant, paratæ adſint facib⁹ ardentibus relucentes. Quaſi angeli Chriſti hæc loquuntur. Nō poteſtis videre charitatem eius, gloriam eius, niſi egrediamini humanæ fragilitatis curas, filiæ Hieruſalem: quaſi dicant, Quid viuentem inter mortuos quæritis? Non intra hunc mundū quæritur Chriſtus, qui ſupra mūdum ſuos voluit eſſe diſcipulos. Et quæ eſt corona, qua coronatur Chriſtus, niſi corona gloriæ? Ioſeph coronam habuit caſtitatis, Paulus iuſtitiæ, Petrus fidei. Singularum virtutum coronæ ſunt. Solus Chriſtus habet coronam gloriæ, qua eum Eccleſia coronauit. In hac corona omnes coronæ ſunt: quia gloria, non portio vnius coronæ, ſed præmium omnium coronarum eſt.

CAPVT QVARTVM.

IAm verò conuerſus ſponſus in laudem ſponſæ, dicit: *Ecce pulchra es proxima mea: oculi tui columbæ, extra taciturnitatem tuam.*) Pulchrà es, inquit, in *In pſal.118. ſer.15.ver.1.* prædicatione, pulchra in conuerſatione. Oculi tui columbæ. Oculi ſunt viri ſpiritalibus ornati ſenſibus, qui ad videnda myſteria ſunt acuti, & parati ad penetranda ſcripturæ ſecreta diuinæ, rationabili lacte fulgentes, in quibus non ſit aliqua doli maculoſa cōfuſio, ſed ſimplicis affectus pura & immaculata ſynceritas. Ideóque in aquarū abundātia loras has colūbas in lacte memorauit. Iā cætera, dētes & genas, & ſicut coccineum reſticulum labia ſponſæ, intelligimus animæ eſſe virtutes, doctorúmque diuerſitates, quę vel ſpiritalem menti alimoniam diſpenſatione ſedula ſubminiſtrent, vel prædicatione dominicæ crucis, ſicut verbi quadā

linea

linea alligẽt audientem?vel modeſtia verecundi & iuuentutis flore gratiſſimi:& ſi à tractatu pudore reuocentur, redoleat tamẽ in his odor Chriſti,& ſicut in genas quaſi à capite ſacerdotali deſcẽdat vnguẽtũ, eluceat pulchritudo doctrinæ. *Ecce formoſa es proxima mea.*) Chriſtꝰ videſ eccleſiã ſuã in veſtimentis cãdidis, pro qua ipſe(vt habes in Zachariæ libro prophetæ) ſordida veſtimenta ſuſceperat, vel animam regenerationis lauacro mundam atque ablutam, dicit, Ecce formoſa es proxima,ecce es formoſa,oculi tui ſicut colũbæ in cuiꝰ ſpecie ſpiritus ſanctus deſcendit de cœlo.formoſi oculi, ſicut diximus ſuprà,quia ſicut columba deſcendit. *Oculi tui ſicut columbæ,extra taciturnitatem tuam.*) quòd & ſpiritaliter videat, & nouerit tempus eſſe tacendi, & tempus loquendi,vt in tempore ſermonem ſuum proferat,ne importunitate loquendi peccatum poſſit incurrere. *Extra taciturnitatem tuam.*) eò quod & videant ſpiritualiter,& nouerint ea quæ viderint tacere myſteria. *Oculi tui ſicut columbæ.*) Hic colũbæ.id eſt,eccleſiæ ſimplicitas deſignatur & gratia. Vide taque ſimplicitatem oculi. Qui enim iuſtum videt & gaudet,etiam ipſe vult iuſtus eſſe. Pulchrum eſt enim vt in aliis delectet,quod vult ipſe in ſe ſeruare ſi poſſit. Eſt enim inſitum bonis,vt caſtum pudicus, prudẽtem ſapiens affectu pio diligat, miſericors liberalem,& virtutes ſuas in aliis amet. Pleriſque etiam iuſtis aſpectus admonitio correctionis eſt, perfectioribꝰ verò lætitia. Nã ſi tanta vis in naturalibus eſt, vt animal viſum ꝓſit ictericis,ita vt mortui quoq; cornu eius animantis prodeſſe dicatur, ſi fuerit demõſtratum his qui eiuſmodi paſſionem inciderint,dubitare poſſumus quòd iuſti ſanet aſpectus,cuius ſunt oculi ſicut columbæ, ſimplicis & pudici?Ergo animal vile, irrationale tantam virtutem habet,vt ſanare hominem poſſit momento exiguo quo videtur,homo iuſtus ſi tamen cum fide aſpiciatur ab eò qui vtilitatem ab eo percipere deſiderat, nihil confert?Nónne vel ipſi oculorum radij virtutem quandam videntur infundere iis qui fideliter eum videre deſiderant?Sed quemadmodum iuſtus lætificat cor innocentium cum videtur,ita improbi iuſtorum cognitione torquentur, quia vel tacitis ſanctorum moribus arguuntur. Torquet caſtitas incontinentem,auaritiam liberalitas,impietatem fides. *Oculi,inquit,tui columbæ, extra taciturnitatem tuam.*) eo quod tota ſpiritalis & ſimplex ſponſa Chriſti ſicut columba (in ciuius ſpecie viſus eſt à Ioanne deſcẽdere ſpiritus ſanctus) ſpiritalia videat, & nouerit ea quæ viderit tacere myſteria.non enim mediocris virtus tacere : Eſt enim & tempus tacendi ſicut tempus loquendi, ſicut & ſcriptum eſt:Dominus dat mihi linguam eruditionis,quando oporteat dicere ſermonem. Virginitati itaque dos quædam eſt verecundia,quæ commendatur ſilentio. Ideo eccleſiæ gloria intus eſt,non vtique in multiloquio,ſed inſenſibus vel penetralibus ſacramentorum. Pergit verò commendare dignitatem ſponſi: *Capillamentum tuum vt grex caprarum quæ reuelatæ ſunt à monte Galaad.*) Ideo capillamẽtũ, quia virtus omnium ſenſuum in capite eſt. Oculi enim ſapientis in capite eius. Profunda igitur doctorum prudentia, quæ poteſt ea quæ obſcura ſunt reſerare,& alta aperire ſenſuum. Capillamentum verbi,eſt altitudo & eminentia quædam iuſtarum animarum . in altitudine enim cogitationis humanæ certum eſt eſſe ſapientiã. Et quemadmodum tondentur capræ,vt ſuperflua deponant:ita etiam tonſarum animarum gregem , hoc eſt , multarum animarum virtutes habet eccleſia,in quo grege nihil poſſis inſenſibile reperire, nihil ſuperfluum:quoniam fides ſapiẽtes facit, ſpiritalis autem gratia ab omni ſuperfluorum labe mundauit. Sequitur: Dentes tui ſicut grex tonſarum, quæ aſcenderunt à lauacro, quæ omnes geminos creant , & infœcunda non eſt in eis. Quod ſpecie de capris dicitur,myſticè de eccleſiæ grege ſentiẽdũ. Nec vilia tibi iſta animalia videantur. Vides ꝙ in altis grex iſte paſcitur:audiſti,in mõte. Itaque vbi aliis præcipitia, ibi capris nullũ periculum.vbi aliis periculũ , ibi gregis huius alimentum,ibi cibus dulcior , ibi fructus electior . Spectantur à paſtoribus ſuis dumoſa de rupe pendentes, vbi luporum incurſus eſſe non poſſunt,vbi fœcundæ arbores fructum integrum ſubminiſtrant. Cernere licet vberi lacte diſtentas ſuper teneram ſobolam materna pietate ſolicitas. ideo elegit eas ſpiritus ſanctus quibus cœtum venerabilis eccleſiæ compararet. Et quemadmodum tondentur capræ vt ſuperflua deponant, ita etiam tonſarum animarum gregem , hoc eſt, multarum animarum virtutes habet ſancta eccleſia: in quo grege nihil poſſis inſenſibile reperire, nihil ſuperfluum: quoniam fides ſapientes facit, ſpiritales autem gratia ab omni ſuperfluorum labe mundauit. Meritò igitur reuelatæ ſunt animæ iuſtorũ, & reuelatæ ſunt à monte Galaad , hoc eſt à tranſmigratione teſtimonij , eò quod à Synagoga ad eccleſiam teſtimonium cœleſte migrauit. In hoc monte itaque naſcitur thymiama,reſina,& cæteri odores , quos negociatores illi Iſmaelitę , vt habes in primo libro teſtamenti veteris, deferebant. Hos odores habet eccleſia,quos mercatores ex gentibus congregati fide & deuotione vexerunt. Itaque ſicut capræ bonis refectæ cibis,& ſolis calore vernantes , lauantur in flumine , & exultantes mundæ ſurgunt de flumine:ita animæ iuſtorum aſcendunt, ab ſpiritali lauacro. Iſtę ſunt verè quæ geminos creãt,in quibus non eſt infœcunditas aliqua virtutũ , vlla ſterilitas meritorũ. Bene geminos creant,quia congeminant ſenſus ſuos: vnde habes in Prouerbiis ſcriptum: Et tu ſcribe hoc tibi tripliciter in conſilio & cognitione. Triplicem præmiſit ſcriptionem, & duo ſubdidit, conſilium, & cognitionem. Sed cognitio gemina eſt,vna incorporalium,alia corporalium. *Prouerb.22.*

Diximus de fœcunditate , dicamus de dentibus. Nam & nauigantes plerique , & properantes itinere terreno, vbi viderint ſpecioſum aliquem locũ delectationis gratia demorantur,paſcunt oculos,animúmque alleuant , nec mora vlla commorandi putatur, ſed gratia. ità & nobis pulcherrimos dentes iuſtarum animarum conſiderare cordi eſt. Docuit enim ſcriptura pulcherrimos dentes eſſe iuſtorum , dicens ſecũdum literam quidem de patriarcha Iuda, ſpiritaliter autem de Chriſto: Hilares oculi eius à vino,& dentes ſicut lac. In quo non vtique carnis humanæ officia,ſed diuinæ gratiæ munera prædicauit. Docet igitur exemplum, dentes non eſſe prætereundos , vbi de oculis diſſeruimus. Qui ſunt igitur iuſtarum dentes animatum, niſi qui durum & informem accipientes cibum vel frigidum plerumque, vel ſupra modum calentem,nunc comminuunt, nunc fouent,nunc temperãt, prout fuerit qualitas alimentorum? Dura comminuunt,ne aſperitas literę in veteri teſtamẽto,& ſecularis intellectus rigor, niſi fuerit ſpirituali dẽte ſolutus vitalia ipſa intercluſis ciborum ſalutarium meatibus,& gulam quandam animæ incurioſa edacitate ſuffocet. Par eſt igitur vt diuidas primum, ſi ſolida tibi videtur eſca quæ ſumitur, & diſtinguas eam:atque emollitam ſine noxa aliqua animæ in omnia eius membra naturali diuiſione trãsfundas : vt vitalem ſuccum omne eius corpus epuletur. Nihil cadaueroſum, nihil mortuum ore tuo ſumas,ne dicatur, Sepulchrum patens eſt guttur eorum: ſed viuum haurias verbum,vt in tuæ mentis viſceribus poſſit operari. Hi dentes ſuper lac candidiores, quia dentes iuſtorum ſunt. Denique cùm omnes in Moyſe babtizati in nube & in mari patres noſtri fuerint,non ocioſè tamen ſcriptum eſt , quia omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerũt, & omnes eundẽ potũ ſpiritalẽ biberunt : vt iſtis ſanctorum dentibus maior quidam fulgor accederet,quos poſt trãſitum maris rubri, Marei fontis amaritudine per ligni tẽperata cognoſcimus eſſe mundatos: deinde duodecim fontium potu, poſtremò petræ ſpiritalem vndam vomentis irriguo. petra enim erat Chriſtus. Inde & manna manducauerunt : vt toties abluti , manducarent panem (vt ſcriptum eſt) angelorum . Nunc quoque in euangelij myſteriis recognoſcis,quia baptizatos licet tincto corpore, poſtea tamen eſca ſpiritali potúque mundari. Meritò ergo Dauid & oculos interiores purificatos,& tanquam illuminatos ſpiritaliũ dentium candore ſermone profert,dicens: Feci iudicium & iuſtitiam. Ille eſt enim verè dentium fulgor , vbi bene ſibi conſciæ mentis reſonat canora confeſſio. Ille mundus oculus,quem peccatorum grauium trabes nulla depreſſerit:quẽ purgamentorum leuium feſtuca nulla turbauerit. Dicit ergo : Dentes tui ſicut grex tonſarum quæ aſcenderunt de lauacro. Non mediocris iſta laudatio. Primum quidem dulci comparatione tonſarum. Capras enim & in altis paſci ſine periculo

Ser.16 verſ. 3. in Pſ.118.

Exod.15.

Lib.de his qui initiantur ſacr.ca. 7.

periculo nouimus, & in præruptis ſecuras cibum ſumere: deinde cùm tondentur, deonerari ſuperfluis. Harum gregi comparatur eccleſia, multas in ſe habens animarum virtutes, quæ per lauacrum ſuperflua peccata deponant, quæ myſticam fidem & moralẽ gratiam deferant Chriſto, quæ crucem domini Ieſu loquantur. In his formoſa eſt eccleſia. vnde ad eam verbũ deus dicit: Tota formoſa es proxima mea, & reprehenſio non eſt in te, quia culpa demerſa eſt. Ades huc à Libano ſponſa, ades huc à Libano, tranſibis & pertrãſibis à principio fidei: eò quod renuncians mundo, tranſierit ſeculum, pertranſierit ad Chriſtum. Sequitur: *Sicut reſticula coccinea labia tua.*) In cocco enim ſpecies ignis & crucis dominicæ ſanguis irrutilat. Coccinea labia domini, quæ paſſionẽ propriam loquebantur. Denique in exodo coccum pro igne prolatum eſt. nõ enim ex cocco mũdus, ſed ex quatuor elementis conſtat. Sed in cocco figura ignis expreſſa eſt: cuius vapor niſi cœlum atque aëtem, maria terraſque penetraret, omnia tanquam effœtis viribus ſolueretur. Per reſticulã ergo vinculũ perſuaſionis agnoſcimus: per coccũ, vel cupiditatis ardorẽ, qui ſcintillat in animis audiẽtiũ, vel indiciũ paſſionis. Bona ſunt huiuſmodi ſponſi vincula quia nocere nõ ſoleãt vincula gratiæ, vincula charitatis, vt quiſq; ſuis vinculis glorietur, ſicut gloriabatur & Paul⁹, dicẽs, Paulus vinct⁹ Ieſu Chriſti, his ligatus vinculis dicebat: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? an afflictio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculũ, an gladius? Certus ſum quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque inſtantia, neq; futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura vlla poterit nos ſeparare à charitate dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. *Vt cortex mali punici genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecus latet.*) Plerunque citò florent mala granata, & fructum adferre non poſſunt, niſi congruis peritorum remediis excolantur: plerunque ſuccus vaneſcit interior, & foris ſpecies eius pulchra prætenditur. Quæ non immeritò cõparatur eccleſiæ. Eccleſia enim bonum fidei fulgorem confeſſioniſque prætendit, tot martyrum ſanguine ſpecioſa, & (quod eſt amplius) Chriſti cruore dotata, ſimul plurimos intra ſe fructus vſu iſtius pomi ſub vna munitione cõſeruãs, & virtutum negocia multa complectens. Sapiens enim ſpiritu celat negocia. Neque enim Eccleſia in ſe theatrale habet negocium, vt opes ſuas ſuperba vanitate quibuſuis oſtẽtet: ſed omnis gloria eius, Pſalmiſta teſte, abintus: cum interim pompoſæ Synagogæ vani ſacerdotes ament in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus.

Sicut turris Dauid ceruix tua, quæ ædificata eſt in Thalpio: mille oſtia pendent in ea, omnia iacula potentium.) Erecta enim ceruix, & iugo Chriſti habilis, quæ nulla in terrarum illecebras inflexione curuetur, ſicut Chriſti regalis eſt turris, cui iugum ſuum Nabuchodonoſor non poſſit imponere. Condidit enim turrim illam Dauid ille manu fortis, & ſuper murorum ædificauit excelſa, vt ſubſidio pariter ſit, & decori. Subſidio, quia hoſtem præuidet & expellit: decori, quia non ſolum inter humilia, ſed etiam inter excelſa ſupereminet. Ita tamen ſubſidio vel decori, ſi habeat in ſe vel dogmata, velut quædam phalerarum monilia, habeat etiam iacula potentium propheratum, quæ aduerſus omnem extollentem ſe altitudinem, lacertis quibuſdam fidei diriguntur. Noli igitur in puluerem deducere animam tuam, cui dominus etiam naturalem altitudinem tribuit & vigorem, quo ſe excitet & aſſurgat. Vnde etiam de hac coniunctione animæ & corporis dictũ opportunè accipitur, eò quod in naturali vitę noſtrę myſterio connexa anima corpori veluti humi repter, & pauimento adhæreat, partim propter hoc terrenum habitaculum, partim quia corpus iſtud è terra eſt. Et regionis igitur diuerſorium & materia ipſa corporis noſtri huic concutrit ſententiæ. Ideóque apoſtolus de mortis huius corpore liberari cupit, quia carcere quodam claudimur, & in quodam luxuriæ gurguſtio ſiti, tenebris inuoluimur delictorum. Ergo ſecundum voluntatem dei ambulemus, vt adhærere diſcamus deo. Nam qui ſecundum carnis appetẽtiam viuit, caro eſt: qui ſecundum præcepta dei, ſpiritus eſt. Non ergo fiat anima noſtra caro, hoc eſt, vt dicatur caro, ſicut illi qui in diluuio perierunt, de quibus dictum eſt, quia caro ſunt: ſed magis caro noſtra obediens animæ gubernaculum fiat animæ, & hoc appellari mereatur nomine, ſicut appellata eſt familia patriarchæ Iacob & generationis ſancta poſteritas. ſic enim ſcriptum eſt: Hí filij Balæ quam dedit Laban Rachel filiæ ſuæ: & peperit hęc Iacob omnes animas ſeptem. & alibi: Omnes autem animæ quæ intrauerunt in Ægyptum, quæ exierunt de femoribus eius præter mulieres, ſexaginta, inquit, & ſex. & in principio Exodi legimus: Erant autem omnes animæ de Iacob quinque & ſeptuaginta qui erant cum Iacob. Ergo illi qui habitabant cum Ioſeph, & de Ægypto exierunt, animæ ſunt. Qui autem cùm eſſent angeli dei, hoc eſt, vitæ probitate angelorum imitantes gratiam (qui enim non ducunt vxores, & quæ non nubunt, erunt ſicut angeli in cœlo) qui ergo cum angeli viderentur, capti ſunt decore fœmineo, hi caro ſunt, ſicut dominus deus dixit: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis in æternum, propter quod caro ſunt. Et meritò expertes libidinis angelis cõparantur. caro enim non ſunt, quia non ſunt in carne, ſed in ſpiritu: quales erant illi qui doctorem apoſtolum ſequebantur, quibus ait: Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Qui autem corporea fœminarum capiuntur libidine, caro ſunt: atque vtinam caro tantum, & non etiam equi adhinnientes, quia in vxorem, inquit, proximi ſui adhinniebant.

Donec aſſpiret dies, & inclinentur vmbræ.) Repete ad hunc locum quæ ſcripta ſunt ſupra ad finem capitis ſecundi hoc libro.

Tota es formoſa proxima mea, & reprehenſio non eſt in te.) Pulchritudinem quis poteſt maiorem exiſtimare decore eius quæ amatur à rege, probatur à iudice, dicatur domino, conſecratur deo, ſemper ſponſa, ſemper innupta, vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor. Pulchritudo iſta interior eſt, non exterior: quæ non marceſſit, non defluit: qualem in ſe habuit ſanctiſſimus Ioſeph: qui cum eſſet pulcher valde, & decorus aſpectu, venuſtatem vultus ſui non ad alienam deriuauit iniuriam, ſed ad ſuam gratiam conſeruauit: hoc ſe pulchriorem ratus, ſi non diſpẽdio caſtitatis, ſed cultu pudoris ſpecioſior probaretur. Illum eſſe verum decorem qui nõ alienos oculos caperet, nec fragilis mentes vulneraret, ſed iudicia acquireret vniuerſorum, fraudi nulli futurus, laudi ſibi. Eſt enim hæc pulchritudo, nõ quæ laſciuam iuuenum luxuriam excitet, & petulantem cupiditatem accẽdat, ſed quæ honeſtatem inducat, incutiat pudorem, venerationem conciliet, adferat ſanctitatem. Sequitur:

Veni huc à Libano ſponſa, veni huc à Libano: tranſibis & pertranſibis à principio fidei, à capite Sanir & Hermon, à latibulis leonum, à montibus pardorum.) His indiciis oſtenditur perfecta & irreprehenſibilis virginalis animæ pulchritudo, altaribus conſecrata diuinis, inter occurſus & latibula ſpiritualium beſtiarum non inflexa mortalibus, ſed intenta myſteriis dei meruiſſe dilectum, cuius vbera plena lætitię. vinum enim lętificat cor hominis, *Tranſibilis*, inquit, *& pertranſibis à principio fidei.*) Non enim ſolum tranſit virgo, ſed etiam pertranſit, quæ feſtinat ad ſponſum. Tranſit ſeculũ, pertranſit ad Chriſtum. Vel quia ea quæ Chriſto ſe dicauerit, tranſeundo ad cœleſtia, terrena pertranſeat. Nam & ipſe ſponſus ſic venit ad ſponſam ſuam, vt ſaliat ſuper montes, tranſiliat colles. *Tranſibis & pertranſibis.*) Tranſibis in ſeculum certatura, pertranſibis ad Chriſtum triumphatura de ſeculo. Audiſti quia te à leonum & pardorum, id eſt, ſpiritualiũ nequitiarum incurſionibus ſeparauit. Audiſti quia placet ei tuarũ pulchritudo virtutum. *Ades huc à Libano ſponſa, ades &c.*) Hoc eſt, egredere de corpore & totam te exue. Non potes enim mihi adeſſe, niſi antè peregrineris à corpore: quoniam qui in carne ſunt, peregrinantur à dei regno. Ades, inquit, ades. bene repetiuit, quia ſiue præſens ſiue abſens adeſſe & placere domino deo tuo debes. Adeſto præſens, adeſto abſens, & ſi adhuc in corpore es. mihi enim omnes præſentes ſunt, quorum fides mecum eſt. Adeſt mihi qui exiit de ſeculo. adeſt mihi, qui me cogitat, me intuetur, de me ſperat, cui ego ſum portio. Adeſt mihi, qui abfuerit ſibi. Adeſt mihi, qui ſe negauerit ſibi. Ille mecum eſt, qui intra ſe non eſt: quoniam qui in carne eſt, non eſt in ſpiritu. Ille mecũ eſt, qui ex ſeipſo egreditur. Ille iuxta me eſt, qui extra ſe fuerit. Ille mihi integer eſt,

Serm. 18. verſ. 4. in Pſal. 118.

Ad Philemo.

Roma. 8.

Hexaëmerum lib 3. ca. 13.

In pſal. 118. ſer. 4. ver. 1.

Hierem. 5.

Lib. 1. de virginib.

Lib. de patriarcha Ioſeph. ca. 5.

Lib. 1. de virginib.

In exhortat. ad virgin.

Lib. 3. de virgin.

Li. de Iſaac ca. 5.

ger est, qui perdiderit propter me animã suã. Et ideo, Ades, ades sponsa, transibis & pertransibis à principio fidei. Transit & pertransit qui ad Christũ peruenit. Trãsit fidei merito, & operum claritate, quæ lucet Sanir & Hermon, hoc est, via lucernæ transit deuictis tentationibus seculi, & superatis nequitiis spiritalibus, legitimi petens coronam certaminis. Et bene inquit, *Transibis & pertransibis à principio fidei.*) quia vbi fidem habes, adulterium timere non debes. fides enim coniugij est, fraus adulterij. *Transibis*, inquit, *& pertransibis à principio fidei, à cubilib. leonũ & montib. pardorũ.*) quòd gentiles populi q velut bestialiũ passionũ graues patiebãtur incursus, nunc altitudine fidei & sublimitate deuotionis meant. Per hos igitur montes Christus aduenit, comprimens euangelicis disputationibus feroces corporis motus, atque illam altitudinem cordis, & se extollentem superbiam obedientia & humilitate sui destruens: meritóque fructus mansuetudinis ferre cœperũt, quos antè grauiũ diluuia passionũ subruebãt. Possit & versus iste accommodari, cum virgo aliqua deo sacerdotali munere offertur, vt deus ipse propitius & præsul conferat ei gratiam, quò cœlestium thalamorum immorantem adytis sponsum excutiat, mereatur videri, introducatur in cubiculum dei sui regis, & mereatur audire dicentem sibi: *Ades huc* à Libano sponsa, ades huc à Libano: transibis & pertransibis à principio fidei, vt transeat seculum, ad illa æterna pertranseat.

Corde nos cepisti soror mea sponsa, corde nos cepisti vno ab oculis tuis.) Oculi mentis, isti sunt oculi, interioris scilicet hominis: non hi oculi, qui ministerio funguntur obtutus. Est enim oculus & mentis & carnis. Sed ille cæcus est oculis, qui non videt quæ diuina sunt: qui frustra mente est inflatus. Est & alius oculus, sensus Christi, quo Ecclesia videt Christum, sicut ipse dicit ad sponsam suam: Corde nos cepisti ab vno oculorum tuorum. Meritò vno oculo Christus videtur, quia non videtur oculo carnali: aut quia duos oculos habens ecclesia, moralem & mysticum, fidei oculo plus videt Christum. Mysticus enim oculus acutior est, moralis dulcior. Vt iste oculus gratiæ sit, qui Christi sibi pleniorem acquisierit charitatem. Plerique tamen hoc loco accipiunt duos oculos ecclesiæ: vnum qui mystica videt, alterum qui moralia: eò quòd sancta Ecclesia non solum moralium teneat disciplinam, sed etiam cœlestis doceat secreta mysterij. Et fortasse isti oculi sunt quibus Paulus videbat æterna, vbi cœpit corporalia non videre. Denique qui Christum non videbat priusquam oculos amitteret, vidit eum posteaquam visum amisit oculorum. Vidit eum, qui dixit: Quis es domine? Videbat vtique Christum, quem etiam dominum fatebatur. & infra, Domine, inquit, quid me vis facere? Non ergo videbat eum, cuius expectabat imperium? Porrò vno oculo vulneratum se esse sponsus scribit, dum intellectum suum spiritalem in ipsius amorem deflectit: dum illius in se beneficia propendit: cum denique castissimo illo suo oculo nullam mundi carnísque lasciuiam expetit: sed ei soli adhærere cupit, cuius se esse amicam, columbam formosam cognoscit. Sed quia oculus mentis & oculus carnis vnus oculus fiunt, & tunc consolatione fulcitur, cum caro & mens diuersa non cupiunt, sed vnum desiderant, vnũ requirunt: ideo intenti ad eum, qui ait: Ego & pater vnum sumus: isti quoque oculi vnum esse se confitentur, quia vno atque eodem desiderio officióque funguntur.

Quàm pulchra sunt vbera tua à vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.) Duo vbera sunt testamenti veteris & Euangelij sacramenta, è quibus fideles omnes doctrinæ spiritualis lacte nutriũtur. Odor, inquit, vnguẽtorum tuorum super omnia aromata. & infra: Odor vestimẽtorum tuorum sicut odor Libani. Vide quem nobis tribuas virgo processum. Primus enim odor tuus super omnia aromata quæ in Saluatoris missa sunt sepulturam, emortuos corporis motus membrorũmque redolet obisse delicias. Secundus odor tuus sicut odor Libani, dominici corporis integritatẽ virgineæ florem castitatis exhalat: fauum itaque mellis tua opera componant. *Bona*, inquit, *vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.*) Illa osculum poposcit, deus verbum se ei totus infudit & nudauit ei vbera sua, hoc est, dogmata sua, & interioris sapientiæ disciplinas, & vnguẽtorum suorum dulci odore fragrauit. Quibus capta, iam dicit vberiorem esse iucunditatem diuinæ cognitionis quam lætitiam omnis corporeæ voluptatis. Aspirat enim in verbo odor gratiæ, & remissio peccatorum, quæ in totum diffusa mundum omnia tanquam exinanito repleuit vnguento, quia per vniuersos grauis vitiorũ coluuies detersa est. Odor vestimentorum, est odor actuum nostrorum. Admoue igitur manus naribus tuis, & odorẽ actuum indefessa ac peruigili alacritate mẽtis explora. Mulcebit te odor dexteræ tuæ, & fragrantiam resurrectionis tua membra redolebunt, myrrhã digiti sudabunt, hoc est veræ fidei gratiam spiritalia gesta fragrabunt. Capis ergo virgo ex interiore tuo corpore voluptatem, & ipsa tibi dulcis, ipse tibi suauis es, ipsa tibi quod peccantibus non sæpe contingit, non incipis displicere.

Fauus distillans labia tua sponsa.) Digna virginitas quæ apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit cõcubitus, mella componit. Ros quoque virgini est sermo diuinus, quia sicut ros verba dei descẽdunt. Pudor virginis est intemerata natura: partus virginis, fœtus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suauitatis. In commune labor, communis est fructus. Quàm te velim filia imitatricem esse huius apiculæ, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur. Hanc imitare tu filia. Verba tua nullum doli velamen obtendant, nullum habeant fraudis inuolucrum: vt & puritatem habeant, & plena sint grauitatis, meritorum quoque tuorum tibi æterna potestas tuo ore pariatur: nec soli tibi, sed etiam pluribus cõgreges. Quid scis enim quando à te anima tua reposcatur? Nec receptacula horreorum frumentis coaceruata dimittens, nec vitæ tuæ vsui profutura, nec meritis, rapiaris eò, quò thesaurum tuum ferre non possis. Diues igitur esto, sed pauperi, vt naturæ tuæ participes, participes sint etiam facultatum. *Fauus*, inquit, *distillans labia tua sponsa.*) Quid sit fauus, doce nos Salomon. Tu enim dixisti: Faui mellis, sermones boni. Et verè bonus fauus, quem manducat ecclesia, multorum prophetarum velut apum spiritale vbertate congesta mella redolẽtem. Hoc est de quo ait: Manducaui panem meum cum melle meo. Stillant mel labia prædicãtis, quãdo collisa duris casibus vel ruinis lapsæ animæ membra refouentur: fauũ distillant labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua. os enim iusti distillat sapientiã: de ore iusti suauitatis & misericordię mella procedunt. In ore iusti nullus dolus, nulla fallacia, nulla amaritudo peccati. Audit ecclesia verba iusti, audit plebs dei verba sapientis: delectatur alloquij suauitate, moralis disputationis rotũditate mulcetur, dicens: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo: quia mel apum ad horam delectat, sed cito sapor eius euanescit, & plerunque viscera vitiosa lædunt: verborum autem moralium etsi pungunt mella, non lædunt. Cognosce tamen cui illa credantur. scriptum est enim: in aurem insipientis nihil dicas, nequãdo irrideat prudentes sermones tuos. Euomet enim & eiiciet sermonem tuum stultus, qui eius sentire non potest suauitatem. Quomodo possunt verba dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitię? Quomodo mel & lac sub lingua tua, cum dolum lingua tua cõponat, vt aliud pectore concipias, aliud forensi prætendas, vt decipias incautum, cum tibi Petrus apostolus dicat, vt deponas omnem malitiam, & fucum simulationis abiicias dicens: Sicut dudum geniti infantes rationabile & sine dolo lac concupiscite? Ostendit enim nobis quid sit lac & mel habere sub lingua: vt non maledicere maledicẽtibus, sed referre benedictionem norimus: nesciamus odisse nisi viam iniquitatis: vt facere quod execramur, reluctãti caueamus affectu. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*) Eo quod in hortis huiusmodi impressã signaculis imaginem dei, synceri fontis vnda resplendeat, nec volutabris spiritualium bestiarum sparso cœno fluenta turbentur: Et quod vbi integritas, vbi castitas, vbi religio, vbi fida silentia secretorum, vbi claritas angelorum est, illic confessorum violæ, lilia virginum, rosæ martyrum sunt. Illa est enim animæ pura & immaculata virginitas, quę nullo terrore pœnarum,

Ex lib. 1. de virgin.

Ex serm. 13. versu 7. in Psal. 118.

Ex lib. 1. de virgin.

Ex lib. 7. ad Luc. cap. 17.

rum, nullis à fide ſecularis voluptatis illecebris, nullo vitæ amore traducitur. *Hortus concluſus*, inquit, *ſoror mea ſponſa, &c.*) Laudatur ſponſa eò quod hortus ſit, habens in ſe odorem agri illius pleni, de quo dicit Iſaac: Odor filij mei tanquam odor agri pleni. Bona ergo anima fragrat odores iuſtitiæ. Et fortaſſe ager eſt patriarcha, hortus eſt anima inferioris alicuius, quaſi agri portio: & hortus clauſus, ne incurſetur à beſtiis: & fons ſignatus, quæ integritate ſignaculi perſeuerãte, quæ fide propria peccata diluerit. Quæ meritò fons ſignatus dicitur, eò quod imago dei inuiſibilis in illa exprimatur. Hortus etiam clauſus, eſt eccleſia ſancta, & immaculata virginitas, quæ ideo hanc gratiam meretur à Chriſto, quia verbum Dei quæſiuit, deſiderauit, inuenit, aduigilans ante oſtia ſapientiæ, ſicut ipſa dicit, Beatus vir qui audit me, & homo qui vias meas cuſtodierit, aduigilãs oſtiis meis quotidie, cuſtodiens poſtes mei introitus. Et bene hortus cõcluſus, quia hinc ille murali ſeptus ſpiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque ſicut hortus furibus inacceſſus vitem redolet, fragrat oleam, roſam renidet: vt in vite religio, in olea pax, in roſa pudor ſacratę virginitatis inoleſcat. Hic eſt odor quem patriarcha Iacob fragrauit, quãdo meruit audire: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni. Nam licet plenus omnibus ferè fructibus patriarchæ ſancti fuerit ager, ille tamẽ fruges maiore virtutis labore generauit, hic flores. Accingere itaque virgo: & ſi vis huiuſcemodi tibi vt hortus aſpiret, propheticis eum claude præceptis. Pone cuſtodiam ori tuo, & oſtium circumitus labiis tuis.

Ex lib. de Iſaac ca. 5.

Ex apologia Dauid poſteriore.

Prouer. 8.

Ex lib. 1. de virginib.

Pſal 140.

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa.) Salomon in ſpiritu paradiſum in homine eſſe euidenter declarauit. Et quia myſteria exprimit vel animæ & verbi, vel Chriſti & eccleſiæ, ideo ait de virgine anima vel eccleſia, quam volebat virginem caſtam exhibere Chriſto, Paradiſus clauſus ſoror mea ſponſa, &c. Paradiſus Græcè, Latinè hortus dicitur. Denique Suſanna in paradiſo erat, & ſic legitur Latinè. Et Adam in paradiſo erat, & ſic legimus. Ergo non te moueat quod alij codices Latini hortum habent, alij paradiſum. Ibi ergo eſt, & caſta vxor, vbi & virgo: licet virgo excepta habeat clauſtra & ſignacula ſua, ſed vtraque in paradiſo, vt aduerſus æſtus & corporis flagrantiam refrigeretur virtutum vmbraculis. Hunc hortum illum ſibi Plato cõpoſuit, quem Iouis hortum alibi, alibi hortum mentis appellauit. Iouem enim & deum & mentem totius mũdi dixit: in hunc introiſſe animam, quam Venerem nuncupat, vt ſe abundantia & diuitiis horti impleret, in quo repletus potu iaceret, purum qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro canticorum compoſuit, eò quod anima deo adhærens in hortum mentis ingreſſa ſit, in quo eſſet abundantia diuerſarum virtutum, floréſque ſermonũ. Quis autem ignorat quod ex paradiſo illo quem legimus in Geneſi habentem lignum vitæ, & lignum ſcientiæ boni & mali, & ligna cætera, abundantiã virtutum putauerit transferẽdam, & in hortum mentis eſſe plantandam? Quem in canticis canticorum Salomon hortum animæ ſignificauit, vel ipſam animam: ſic enim ſcriptum eſt: Hortus clauſus ſoror mea ſponſa, hortus clauſus, fons ſignatus, tranſmiſſiones tuæ paradiſus. & infra ait anima, Exurge aquilo, & veni auſter, perfla hortum meum, & defluant vnguenta mea. deſcendat frater meus in hortum ſuum. *Hortus concluſus ſoror mea.*) Homo quanto plures ſenſus oculorum auriúmque habet, tanto maiora pericula. Nanque mentis reſoluto ſenſu, ſe corporales delectationes effundunt, perniciofæ nimis, & in appetentiam plenam grauis periculi proruentes: quos ſi mentis viuidæ conſiderata manſiſſet cuſtodia refrenaſſet. Itaque caue ne vigor mentis tuæ coitu quodam corporeæ voluptatis inflexus emolliatur, atque in eius amplexus omnis reſoluatur, & fontem eius aperiat, qui debet eſſe clauſus & ſeptus intentionis ſtudio, & conſideratione rationis.

Ex epiſt. 42. ad Sabinum, lib. 6.

Li. de Iſaac cap. 1.

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, &c.) Quo ſignificat ſignatum debere apud te manere myſterium, ne violetur operibus malæ vitæ, atque adulterio caſtitatis: ne diuulgetur quibus non conuenit: ne garrula loquacitate diſpergatur in perfidos. Fona debet ergo fidei tuæ eſſe cuſtodia, vt intemerata vitæ ac ſilentij integritas perſeueret: ne ſecuris &

Lib. de hũ qui initiantur, cap. 9.

A ocioſis affectibus blanda conciliatricula voluptatis irrepat illecebra.

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa.) Concluſus nimirum, ne facilè aperiat os ſuum, ne vulgari deſignet alloquio. neque enim de ipſis diuinis decet, niſi verbo Dei interpellata reſpondeas. Quid tibi cum cæteris? Soli Chriſto loquere, ſoli Chriſto fabulare. Si enim mulieres in eccleſia taceant, quanto magis non decet patere virginis ianuam? non decet patere viduæ fores? Citò inſidiator pudoris obrepit, citò verbum excidit quod reuocare deſideres. Si Euæ clauſa fuiſſet ianua, nec Adam deceptus fuiſſet, nec reſpondiſſet interrogata ſerpenti. Introiuit mors per feneſtram, hoc eſt per Euæ oſtium. Ingreditur mors per oſtium tuum, ſi falſum loquaris, ſi turpiter, ſi procaciter: poſtremò ſi vbi non oportet loquaris. Clauſæ ſint igitur labiorum fores tuorum, & obteratum maneat vocis veſtibulum, tunc fortaſſe reſerandum, cum audieris Dei vocem, cum audieris Dei verbum. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, fons ſignatus.*) propterea B quod meliores afferat fructus clauſtro pudoris ſepta virginitas, in qua permaneant intemerata ſignacula caſtitatis. Hunc hortum, ſanctæ virgines, hunc fontem ſeruate puri liquoris, vt eum in vobis nemo perturbet, nemo reſignet, quem genitalis in vobis origo ſignauit.

Ex lib. de virginib. 3.

Hierem. 9.

In exhortat. ad virg.

Hortus clauſus ſoror mea ſponſa, hortus clauſus, fons ſignatus.) Chriſtus hoc dicit ad eccleſiam, quam vult eſſe virginem ſine macula, ſine ruga. Bonus hortus virginitas, quæ plurimos boni ferat fructus odoris. Hortus clauſus, quia vndique vallata eſt muro caſtitatis. fons ſignatus, eò quod virginitas ſit fons & origo pudicitiæ, quæ inuiolata cuſtodiat integritatis ſignacula: in quo fonte imago dei luceat: quia cum munditia corporis congruit etiam puritas ſimplicitatis. Habet igitur murum ſuum virginitas aduerſus mundi huius turbines: & ideo ſepto diuinæ munita protectionis, nullis ſeculi flabris inquietatur. *Emiſſiones tuæ, paradiſus malorum punicorum cum fructu pomorum. Cyprus cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinamomum, cum vniuerſis lignis Libani: myrrha & aloë cum* C *omnibus primis vnguentis.*) Laudantur munera animæ quæ miſſa ſunt illi à ſponſo, quibus dotata veniebat. Dos autem piæ animæ, boni odores ſunt, myrrha & aloë, quibus ſpirat hortorum gratia, & peccatorum fœtor aboletur. Itaque tanto ſecura præconio conquieſcere Aquilonem grauem ventum petit, ne flores decutiat. ſpirare Auſtrũ: id eſt, vult hyemen præterire, & melioris flatus vernare temperiem. Inuitat ſponſum in hortum ſuum. Deſcendit ſponſus, & fructũ eius diuerſitate delectatus, lætatur quod inuenerit fortiorẽ cibum, inuenerit etiam dulciorem. Eſt enim velut panis quidam verbi & mel: alius vehementior, alius ſuauior ſermo. Eſt & fides alia feruentior vt vinum: alia lucidior, vt ſuccus eſt lactis. Hũc cibum Chriſtus epulatur in nobis, hoc poculum bibit: & eius potus ebrietate nos prouocat, vt ad meliora & optima ab inferioribus faciamus exceſſum. Pulcherrimæ ergo & ditiſſimæ ſunt ſponſæ dotes, quas à ſponſo accepit: tales nimirum quæ & ſuauiſſimum de ipſa bonę famę odorem diſpergerent, & illam ab omni fœdæ colluuionis corruptione integram conſeruarent. fiſtula enim & cinamomum ad ſuauitatem odoris, myrrha & aloë ad integritatem D corporis pertinent.

Ex lib. de Iſaac ca. 5. in fine.

Fons hortorum, puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano.) Tres puteos fodit Iacob, quos Salomon ita interpretatus eſt, vt ad moralem doctrinam & naturalem referret & myſticam. Nam & in Prouerbiis cum declinandam ſpeciem doceret ſecularis illecebræ, ait: Bibe aquam de tuis vaſis, & de puteorum tuorum fontibus, & ſuperfluant tibi aquæ de tuo fonte. Et infra: Fons aquæ tuæ ſit tibi proprius, & iocundare cum vxore: eò quòd aduerſum tentamenta mundi remedium nobis vera ſapientia ſit. Moralis quoque doctrina, quæ imaginem mundanæ voluptatis meretriciis quibuſdam illitam fucis irriguo ſuo diluat, & fluento ſui fõtis abſtergat. De naturalibus quoque habes in Eccleſiaſte dictum: Feci mihi piſcinas aquarum ad irrigandum ex his ſaltum germinantem. Neque te moueat quod pro puteo piſcinas poſuit, quia & Moyſes puteum latitudinis dixit, eò quòd à ſolicitudine omni & anguſtiis ſoluitur, qui mundum hunc

Li. de Iſaac cap. 4.

Prouer. 5.

hunc pia mente transcenderit. Non immeritò ergo piscinas habet Ecclesiastes, qui nullã vidit abundantiam esse sub sole: sed si quis abundare velit, abundet in Christo. De mysticis puteus superest nobis, quem etiam ipsum reperimus in Cãticis Canticorum, dicente scriptura, Fons hortorum, puteus aquæ viuæ, & impetu descendens de Libano. Etenim si mysteriorum altitudinem persequaris, puteus tibi videtur, tanquam in profundo sita, mystica esse sapiẽtia. Si verò haurire velis affluentiam charitatis, quæ maior & vberior est quàm fides & spes, tunc tibi fons est. Exuberat enim charitas, vt & haurire eam comminus, & rigare eius affluentia hortum tuum possis spiritalibus fructibus redundãtem. Et quia ipse puteus latitudinis est qui charitatem habet, ideo dixit, quia vbi charitas est, ibi impetus magnus, descendit de Libano. Ne quid autem moueat quòd & puteum & fontem eundẽ dixit, etiam euangelium te instituat, in quo scriptũ est, quia venit Iesus in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sychar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. erat autem ibi fons Iacob: & fatigatus, inquit, sedebat sic super puteum. Vnde ad mysticam doctrinam hinc referri puteum etiam ibi cognoscimus: quia ibi Samaritana illa, id est, custos, custos autem cœlestiũ præceptorũ, hausit de puteo illo diuina mysteria, cognoscens quia deus spiritus est, & non in loco adoratur, sed in spiritu: & quia Messias venit, qui Christus est.

Fons hortorũ puteus aquæ viuæ, & impetus descendẽs à Libano.) Hos impetus ecclesia deduxit à Libano, hoc impetu diluuntur peccata, hoc impetu puri fontis spiritus sancti affluit à Libano sponsa, & à principio fidei transiuit seculum, & pertransiuit ad regnum. Aliis fons est, aliis puteus pro captu nostro gratia spiritualis, aliis hortus clausus, fons signatus. Aliis hortorũ fons, qui in ecclesię dote numeratur: aliis impetus descendens à Libano: & magnus impetus qui nunquã deficit. Non enim deficiunt de petra vbera, neque nix à Libano, neq; aqua quæ fertur valido vẽto. Virgini Hierusalem descendit impetus à Libano, quando collectis in vnum apostolis & plurimis credentibus, factus est subitò sonus de cœlo, tãquam vi magna spiritus ferretur, & repleti sunt omnes spiritu sancto, diuersitates donante linguarum. Bonus impetus, qui lædere nesciat, norit implere. Si quis igitur hũc impetum superuenientis è cœlo gratiæ vult mereri, descendat etiam ipse oculis in decursum aquarum. *Puteus*, inquit, *aquarum viuentium.*) Puteus, si nihil haurias, inerti otio & degeneri situ facilè corrumpitur: exercitatus autem nitescit ad speciem, dulcescit ad potum. Ita & aceruus diuitiarum, cumulo arenosus, spectosus est vsu, ocio autem inutilis habetur. Deriuato igitur aliquid de hoc puteo, ignem ardentem restingue, quia eleemosyna resistit peccatis. Aqua autem statiua citò vermes facit: non stet thesaurus tuus, ne ignis tuus stet. Stabit autem in te, nisi eum operibus tuæ miserationis auerteris.

Puteus aquæ viuæ.) Quid est puteus aquæ viuæ? nisi profundæ altitudo doctrinæ. vnde & Agar ad puteum angelum vidit, & Iacob ad puteum Rachel sibi inuenit vxorem. Moyses quoque secus puteum futuri locauit merita prima coniugij.

Surge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum meum, & defluant vnguenta mea.) Audisti Christi sponsa quia placet ei tuarum pulchritudo virtutum: audisti quia vestimentorum tuorum aromata, hoc est bonum odorem integritatis omnibus odoribus prætulit: audisti quia hortus es clausus, suauium pomiferarum refertus frugibus. pete igitur vt aspiret tibi spiritus sanctus, adspiret super cubile tuum, atque odorem piæ mentis & gratiæ spiritalis accumulet. Excita spiritum sanctum, dicens: Exurge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum meum, & perfluant aromata mea: Spiritus enim sanctus terræ fertili atque fœcundæ animæ salutaris sicut ventus Auster adspirare consueuit. Huic vento dicitur in Canticis, Veni Auster: vt clementia aëris mollioris, cordis nostri arua laxentur, quæ brumali gelu stricta, recipiendis gremium seminibus denegabant. Bonum est nobis vt hic ventus adspiret, qui naues Tharsis ferentes vero Salomoni quæ ad tempus eius necessaria videntur, tutos deducat in portus. Sed tunc iste ventus adspirat, si Boreas ille grauis ventus flare desierit. Ideo vel ecclesia, vel anima pia dicit: Exurge Borea, & veni Auster: hoc est, tu Borea recede, & veni Auster, adspira hortum meum, vt flores non discutias, sed reserues. Anima igitur plena pietatis hortum habet, vel ipsa hortus est qui fructus ferat. Anima quę impietati paret, puluerem habet, qui est infœcundus ad fructum. Surge Aquilo, & veni Auster. Plerique hæc ita accipiunt, quasi proiiciatur Aquilo, & inuitetur Auster. Quod si ita accipiunt, exturbatur ab ecclesia perfidiæ glacialis asperitas, ne fiat fuga nostra hyeme vel sabbato. Aut certè exurge Aquilo, hoc est, Exurge qui dormis, exurge à mortuis populis nationum, qui diu antè dormisti: euigila aliquando, & illucescet tibi Christus. Postremò omnes inuitantur ad ecclesiam, & Synagogæ populus, vt Gentilium: sed prius Synagogæ: quia priores ex Iudæis apostoli crediderunt, & per ipsos postea nationum populi congregati sunt. Vides ergo venientem solem nostrum ad Austrum, postea gyrantem ad Aquilonem: Hierusalem, Hierusalem, Venit vtique ad eam, quam etiam vocare dignatus est. Sed hæc Hierusalem terrena est, quæ occidit proheras, hoc est, Synagoga Iudæorum. Quoties, inquit, volui congregare filios tuos sicut gallina pullos suos, & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Gyrauit igitur ad gentes: gyrando autem gyrauit spiritus Dei, & in gyrum suum conuersus est, vt fieret deus omnia in omnibus. *Exurge*, inquit, *Aquilo. & veni Auster, aspira hortum meum, & fluant aromata mea.*) Ex omnibus enim partibus mundi odor sanctæ religionis adoleuit, dilectæ quo virginis membra fragrarunt. Vnde & ecclesia altitudinem seruans mysteriorum cœlestium, reiicit à se grauiores venti procellas, & inuitat vernantis gratiæ suauitatem: & sciens quòd hortus suus Christo displicere non possit, aduocat ipsum sponsum, dicens.

Ex serm. 12. versu 2. in Psal. 118.

Ephe. 5.

Ex lib. 1. de virginib.

Ex cap. 9. lib. de his qui initiantur.

CAPVT QVINTVM.

Descendat frater meus in hortum suum, & edat fructum pomiferarum suarum.) Bonas enim arbores & fructiferas habent, quæ radices suas tinxerint in sacri fontis irriguo, & in bonos fructus nouæ fœcunditatis germine pullulauerint, vt non iam prophetica cædẽtur securi, sed euangelica vbertate fœcũdentur. *Descendat*, inquit, *frater meus in hortum suum.*) Quãto hoc pulchrius, quòd anima ornata virtutum floribus hortus sit, vel in se paradisum habeat germinantem? In quem hortum inuitat verbum dei descendere, vt anima illa verbi imbre cœlestis & eius copiis irrigata fructificet. Verbum autem Dei pascitur animæ virtutibus, quoties obedientem sibi & optimam inuenerit, & carpit fructus, atque his delectatur. Cum autem descenderit in eam Dei verbum, defluunt ex ea salubrium vnguenta verborum, & diuersarum fragrant longè latéque redolentia gratiarum spiramina. *Descendat*, inquit, *vt edat fructum pomiferarum suarum.*) Sed quæ sunt istæ pomiferæ? Lignum aridum factus eras in Adam, sed nunc per gratiam Christi pomifera arbor pullulasti. Inuitatur ergo Dei verbum in hortum pomiferarum, vel in hortum nucis, in quo fructus propheticæ lectionis, sacerdotalis est gratia: quæ amara in tentationibus, dura in laboribus, in virtutibus interioribus fructuosa est. Vnde etiam virga Aaron nucea floruit, non iam natura sua, sed virtute secreta. Descendat ergo in hortum suum, vt vindemiet fidem, capiat odores, pabulum cœleste reperiat, suauitatem nostri mellis epuletur, dicens: Vindemiaui myrrham meam cum aromatibus meis, manducaui panem meum cum melle meo. Quod diuersarum virtutum concretum floribus, illarum apum quæ sapientiam prædicant, consono ore congregatum sancta ecclesia in fauis condit, vt cibus sit Christi: omnia enim habemus in Christo. Omnis ergo anima accedat ad Christum, siue corporalibus ægra peccatis, siue clauis quibusdam secularis cupiditatis infixa, siue imperfecta adhuc quidem, sed intenta tamen meditatione proficiens, siue multis aliqua sit iam perfecta virtutibus, omnis in domini potestate

Lib. 5. ca. 3. de sacramẽtis.

Ex lib. 3. de virginib.

est, & omnia Christus in nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est. si febribus æstuas, fons est. si grauaris iniquitate, iustitia est. si auxilio indiges, virtus est. si mortem times, vita est. si cœlum desideras, via est. si tenebras fugis, lux est. si cibum quæris, alimentum est. Sequitur:

Ex lib. 5. ca. 3. de sacramentis

Ingressus sum in hortum meum soror mea sponsa, vindemiaui myrrham cum vnguētis meis.) Quæ est ista vindemia? Cognoscite vineam, & agnoscite vindemiam. Vineam, inquit, ex Ægypto transtulisti. hoc est, populum Dei. Vos estis vinea, vos estis vindemia: quasi vinea plantati, quasi vindemia fructum dedistis. quæ enim melior quàm fidei vindemia, qua resurrectionis fructus reconditur, qua perpetuæ lætitiæ fons rigatur? Vinea typus noster est. quòd populus Dei vitis æternæ radice fundatus, supereminet terris: ac solum vile prætexens, nunc gemmante flore pubescit, nunc circunfusa viriditate vestitur: nunc mite iugum suscipit, cum maturioribus brachiis quasi sarmentis fœcundæ vitis adoleuerit. Agricola quippe omnipotens pater, vitis Christus est: at verò nos palmites: qui nisi fructum feramus in Christo, cultoris æterni falce succidimur. Rectè igitur vinea Christi, populus nominatur, vel quòd crucis in fronte prætexat indicium, vel quòd fructus eius postrema anni legatur ætate: vel quòd omnibus vt ordinibus vinearum, ita pauperibus atque diuitibus, humilibus atque potentibus, seruis ac dominis in ecclesia Dei æqua dimensio, nulla discretio sit. Sed animaduertendum quòd dicit vindemiasse se myrrham, nimirum amaram passionem & sepulturam ipsius, vt consepultus cum illo per baptismum in mortem, quemadmodum surrexit ille à mortuis, ita & tu quoque in nouitatem resurgas.

Ex lib. 9. in Luc. ca. 20.

Manducaui panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.) Vides quòd in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suauitas sit: & in hoc vino eiusmodi esse lætitiā, quæ nullius peccati sordibus polluatur. *Manducaui panem meum cum melle meo.*) Quod [mel] diuersarum virtutum concretum floribus, illarum apium quæ sapientiam prædicant, consono ore congregatum, sancta ecclesia in fauis condit, vt cibus Christi sit. Ne vereatis ne in conuiuio ecclesiæ aut grati odores tibi, aut dulces cibi, aut diuersi potus, aut conuiuæ nobiles desint, aut decentes ministri. Quid Christo nobilius? qui in conuiuio ecclesiæ & ministrat, & ministratur ei. Istius conuiuæ recumbentis adnecte te lateri, ac te Deo coniunge. Ne fastidias mensam quam Christus elegit, dicens, Introiui in hortum meum soror mea sponsa: vindemiaui myrrham cum aromatibus meis: manducaui panem meam cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo. In horto, hoc est, in paradiso est conuiuium Ecclesiæ, vbi prius erat Adam quàm peccatum committeret. ibi recumbebat Eua priusquam culpam crearet ac pareret. Ibi vindemiabis myrrham, hoc est, Christi sepulturam: vt consepultus cum illo per baptismum in mortem, quemadmodum ille surrexit ex mortuis, & tu resurgas. Ibi manducabis panem, qui confirmat cor hominis. Mel gustabis, quo tuarum dulcescat meatus faucium. Vinum bibes cum lacte, hoc est, cum decore & synceritate: siue quòd meri pura simplicitas sit, siue quod immaculata gratia quæ in remissione sumitur peccatorum, siue quòd paruulos consolationis suæ lactet vberibus vt ablactati in deliciis in plenitudine perfectæ ætatis adolescant. *Manducate proximi mei & bibite, & inebriamini patres mei.*) Vis manducare? vis bibere? Veni ad conuiuium sapientię, quæ inuitat omnes cum magna prædicatione, dicens: Venite & edite panes meos, & bibite vinum quod miscui vobis. Delectant cantica, quæ epulantem demulceant? Audi hortantem, audi cantantem, ecclesiam: Manducate proximi & bibite, & inebriamini patres. Sed hæc ebrietas sobrios facit, hæc ebrietas gratiæ non temulentiæ est: lætitiam generat, non titubātiam. Hæc ebrietas pudicitiæ custos est: illa vini ebrietas fomes est libidinis, quo per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit, anima exuritur. Sæuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum paritur affectum. Nocte feruet, die anhelat, de somno excitat, à negocio abducit, à ratione reuocat, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat: castis insidiatur, potiendo inflammat, vsúque accenditur: vnde & Apostolus ait: Nolite inebriari vino, sed adimpleamini spiritu sancto. Vino enim qui inebriatur, vacillat & titubat: spiritu qui inebriatur, radicatus in Christo est. Et ideo præclara est ebrietas quæ sobrietatem mentis operatur. Bona ebrietas, quæ ad meliora atque iocunda facit quendam mentis excessum, vt immemor solicitudinum animus noster vino iocunditatis hilaretur. Bona mensæ spiritalis ebrietas. Denique poculum meum inebrians, quàm præclarum! Sed & alibi habes: Riuos eius inebria, multiplica generationes eius: eò quòd ebrietas terræ cum infusa fuerit imbre cœlesti, suscitare semina, fructus multiplicare consueuerit. Itaque verbum Dei quod sicut pluuia descēdit de cœlo, vbi venas terræ nostræ vel animæ ac mētis nostræ inebriauit, prędicatione diuina excitauit virtutū studia diuersarum, fructúsque fidei & castæ deuotionis adoleuit. Meritóque ei dicitur: Visitasti terram, & inebriasti eam. Susceptione etenim corporis visitauit vt sanaret infirmos, inebriauit gratia spiritali, vt anxios iucunditate mulceret. *Edite proximi mei & bibite*, inquit, *& inebriamini fratres mei.*) Cognoscamus quos fructus & cibos epuletur deus, quibúsve delectetur. delectatur eo si quis mortificet peccatum suum, obliteret culpam suam, sepeliat atque abolefaciat iniquitates suas. Myrrha enim est sepultura mortuorum: mortua autem peccata sunt, quæ vitæ suauitatem habere non possunt.

Ex epist. 60 lib. 3. epistolarū.

Ego dormio, & cor meum vigilat.) Hausit anima fidelis mysteriorum ebrietatem cœlestium: & veluti soporata à vino, & quasi in excessu vel stupore posita, dicit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Cum enim verbi præsentis lumine percussa, oculis requieuisset inflexis, excitatur à verbo. Est enim sanctorum somnus etiam operarius, secundum quod Iacob sanctus diuina dormiens videbat mysteria, quæ vigilans non viderat, de cœlo ad terras aërem peruium sanctis, respicientem dominum, & pollicentem terræ eius possessionem. Itaque breui somno dormiens impetrauit quod magno labore postea acquisiuit hæreditas eius. Est enim somnus sanctorum feriatus ab omnibus corporis voluptatibus, ab omni animi perturbatione, tranquillitatem menti inuehens, placiditatem animæ adducens, vt tanquam soluta nexu corporis se ableuet, & Christo adhæreat. Hic est somnus vitæ sanctorum. Dormiat ergo caro tua, vigilet fides: dormiant illecebræ corporis. vigilet prudentia cordis: membra tua redoleant crucem Christi, & sepulturæ odorem, vt nihil his somnus caloris infundat, nullos excitet motus. Perfectus enim non dormitat, qui diuinis animum intēdit mysteriis. Idcirco Dauid, Si dedero, inquit, somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

In exhortat. ad virgines.

Vox dilecti pulsantis. Aperi mihi soror mea sponsa.) Quòd si dormias, si modo deuotionem animæ tuæ nouerit Christus, venit & pulsat eius ianuam, & dicit: Aperi mihi soror mea sponsa. Bone soror, quia nuptiæ spirituales sunt verbi atque animæ. Neque enim norunt coniugiorum fœdera, & vsus copulæ corporalis, sed sunt sicut angeli in cœlo. Aperi, inquit, mihi, sed extraneis claude: claude seculo, claude mundo: neque ipse foras ad illa materialia prodeas: neque tuum relinquens lumen, alienum requiras: quia materiale lumen tenebrosum infundit caliginem, vt non videatur lumen veræ gloriæ. Aperi ergo mihi, noli aperire aduersario, neque locum des diabolo. Aperi ipsam te mihi, noli coartari, sed dilatare, & implebo te. Et quia decurso orbe terrarum, plus molestiarum & offensionis reperi, nec facilè habui vbi requiescerem, ideo tu aperi, vt in te filius hominis reclinet caput, cui non est requies nisi super humilem & mansuetum. Aperi, inquit, mihi soror mea. Pulsat ad ianuam & quando tu dormis: si tamen vel excitatus euigiles, vel vocatus ianuam tui pectoris aperias, introibit. Disce ergo hic (ô sponsa Christi) ianuam tuam temporibus obserare nocturnis: non facilè quisquam patētem reperiat. Sponsus ipse vult clausam esse cum pulsat. Ianua nostra, os nostrum est: Christo propemodum soli debet aperiri: nec

Psal. 131. Lib. de Isaac patriarcha ca. 6.

Ex serm. 1. versu 2. in Psal. 118.

Ex lib. 2. de virginib.

Ex lib. 1 de Cain & Abel, ca. 5.

Ibidem.

nec aperiatur, nisi antè pulsauerit Dej verbum. Est & ianua quam vult patere vt audiatur, vt resonet os tuum laudem domini, gratiam sponsi, crucis confessionem, cum symbolum recenses, psalmos in cubiculo tuo concinis. Ipse est anima, quæ se Christo aperit, quam nulli vapores carnis exagitant, quam nullæ illecebræ mundi corrumpunt. Vult enim te omnibus inuigilare momentis, vult ianuam tuæ mentis semper inuenire patentem.

Aperi mihi soror mea sponsa, columba mea, perfecta mea: quia caput meum repletum est rore, & crines mei guttis noctis.) Considera quando maximè pulset ianuam tuam Dei verbum: Cum repletum est caput eius rore nocturno. In tribulatione enim & tentatione positos visitare dignatur, ne quis fortè succumbat victus ærūnis. Repletur ergo caput eius rore vel guttis, quando corpus eius laborat. Tunc ergo vigilandum, ne cum venerit sponsus, recedat exclusus. Si enim dormias, & cor tuum non vigilet, discedit antequam pulset. si verò cor tuum vigilet, pulsat, & aperiri sibi ianuam poscit. Habemus ergo animæ nostræ ianuam, habemus & portas, de quibus dictum est: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Est ergo & cœlum in his, in quibus portæ sunt æternales. Si has fidei tuæ portas velis attollere, intrabit ad te rex gloriæ, triumphum portans propriæ passionis. Habet etiam iustitia portas. Nam etiam de his legimus scriptum, dicente domino Iesu per prophetam suum: Aperite mihi portas iustitiæ. Et infrà ait propheta Dauid: Lauda Hierusalem dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit seras portarum tuarum. Est ergo anima quæ habet ianuam, est que habet portas. Ad hanc ianuam venit Christus, & pulsat: pulsat & portas. Aperi ergo illi. Vult introire, vult sponsam inuenire vigilantem. Noli bono amatori facere moras. Citò recedit, & tu somno corporis tui videris excluisse pulsantem. Excludis enim cum desidiosus es, cum piger, cum somnolentus. His repagulis Christus excluditur: & si castus, & si sobrius sis, caue ne negligens sis. Maiorem Christo facit iniuriam, qui aduenientem repellit. *Quia caput*, inquit, *meum plenum est rore.*) Sicut ros cœli nocturnas amouet siccitates, ita ros domini nostri Iesu Christi nocturnis & secularibus tenebris æternæ vitæ stillauit humorem. Hoc est caput quod æstu mundi nesciuit arescere: vnde ait: Quia si in humido hoc faciunt, in arido quid facient? Hoc igitur caput rorat aliis, sibi abundat. Et bene abundat caput Christi, quia caput tuum Christus est, qui plenus est semper, nec liberalitatibus exhauritur suis, aut diuturna deficit largitate. In hoc caput ferrum non ascendit, quod est instrumentum belli, insigne discordiæ. Nunc vide & specta ros iste qualis sit, scilicet non vulgaris humoris. Cincinni autem sunt in eo guttarum noctis. Noli proxima mea accipere cincinnos corporalium capillorum: non illa ornamenta sed crimina sunt, lenocinia formæ, non præcepta virtutis. Alios cincinnos Nazaræus habet, quibus ferrum non ascendit, quos nemo præcidit: qui non calamistris compositi, & arte digesti, sed multiplici crespante virtutum nitentium gratia refulserūt. Disce in historia quales Nazaræus cincinnos habeat: quos quandiu Samson habuit intactos, nunquam vinci potuit. Cincinnos perdidit, & meritum virtutis amisit. *Caput meum plenum est rore &c.*) Cum serenior nox est, & Luna pernox, tunc largior ros fertur arua perfundere: & plerique sub aëre quiescentes, quo magis sub lumine fuissent Lunę, eo plus humoris se capite collegisse senserunt. vnde & in Canticis Canticorū Christus dicit ad ecclesiā. Quoniā caput meum repletū est rore &c. *Et crines mei guttis noctis.*) Pulchrè capillorum meminit. Quàm est enim speciosa cæsaries? Quàm reuerenda in senibus? quàm veneranda in sacerdotibus? quā terribilis in bellatoribus? quàm decora in adolescentibus? quàm compta in mulieribus? quàm dulcis in pueris? Alium sexum crinita non decet, alium tonsa non decet. Ex arboribus licet quæ humani sit gratia capitis æstimare. In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est pulchritudo: illius coma nos aut à pluuiis tegit aut defendit à Sole. Tolle arbori comam: tota arbor ingrata est. Quantò igitur maior humani capitis ornatus est, qui cerebrum nostrum, hoc est, sedem originémque nostrorum sensuum capillis capitis munit & vestit, ne aut frigore vexetur, aut æstu? Illic enim fons vniuersorum est: & ideò vbi iniuria nocet, ibi gratia præminet. Quid sine capite est homo, cum totus in capite sit? Cum caput videris, hominem agnoscis. Si caput desit, nulla agnitio esse potest, iacet truncus ignobilis sine honore, sine nomine. Sola & ære fusa principum capita, & ducti vultus de ære vel de marmore, ab hominibus adorātur. Non immeritò igitur huic quasi consultori suo cætera membra famulantur, & circumferunt illud seruili gestamine sicut numen atque in sublime locatum vehunt, vnde censoria potestate quò vult dirigit quorundam obsequia seruulorum: & præcepta singulis obeunda decernit. Dicit ergo sponsus crines suos nocturno rore esse perfusos, quando hi qui fide & amore capiti suo Christo adhærent, peccati tenebras patiuntur & à persequentibus exagitati, tanquam nocturno rore madescunt.

Exui tunicam meam, quomodo induam illam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?) Quàm tunicam exuerit: & non inuenerit quemadmodum induat eam: de scripturis si possumus reuelemus. Est enim quædam tunica corporalis, sunt cupiditatum quædam intexta velamina: & ideò interdum melius est nudum esse corpore, quàm corde velatum. Vnde etiam Paulus nos admonet expoliari multò esse melius quàm superuestiri, dicens etiam alibi: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite nouum, qui renouatur in agnitione, secundum imaginem eius qui creauit eum. Ergo quæ expoliata est, & pedes lotos habet, nescit quomodo inquinari possit. obliuiscitur enim per gratiam, quod hauserat per naturam. Nocte, ait, exui me tunicam meam. Etenim in hac seculi nocte prius tibi corporalis vitę amictus est exuendus: Exuit enim se carne dominus, vt pro te de dominationibus & potestatibus mundi istius triumpharet. Quomodo induam illam? Vide anima Deo deuota quid dicat. Sic se actus corporis & terrenos exuit mores, vt nesciat quomodo, etiam si velit, rursus possit induere. Quomodo induam illam? hoc est, qua verecundia? quo pudore? qua postremò memoria? Consuetudo enim boni, vsum veteris prauitatis amisit. Veteris enim hominis vestimentum vitiis erroris intextum, in lauacri regeneratione depositum, nescit quomodo possit induere. Studio enim correctionis inoleuerat obliuio peccatorum. Tanta vis consummatæ emendationis est, vt quandam pueritiæ reddat spiritalis ætatem, quæ vias erroris ignoret, crimen etiam si velit non possit admittere, quia desueuerit vsum nosse peccandi. *Exui tunicam meam, quomodo induam illam?*) Veretur ne iterum in tentationes recidat, ne iterum in culpam redeat atque peccatum, & egressus suos virtutúmque processus terrenis incipiat vestigiis inquinare. Iam enim non sentit carnis exuuias, iam quasi spiritus exuens se corporis coniunctione, etiam si velit, illius meminisse non potest. *Exui tunicam meam, quomodo induam illam?*) Exuit tunicam illam pelliceam, quam acceperunt Adam & Eua post culpam, tunicam corruptelæ, tunicam passionum: quomodo induam illam? Non requirit vt induat, sed ita significat abiectam, vt iam indumento sibi esse non possit. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos?*) Hoc est vestigia mea laui dum egrederer, ac me eleuarem de corporis contubernio, de illa cōnexione & familiaritate carnalis complexus: quomodo inquinabo ea, vt in corporis claustum, & illum tenebrosum passionum eius carcerem reuertantur? *Laui pedes meos.*) Non dicit, quomodo iterum lauabo eos, sed quomodo iterum inquinabo illos? Quasi oblita maculæ veteris, oblita contagij. Admonet igitur in ministerio corporali quemadmodum spiritale debeamus actuum nostrorum diluere vestigium. Itaque pedes cum simul lauetis æterni fontis irriguo, & mysterij mundaueris sacramento, caue iterum corporeæ cupiditatis illuuiem, ne lutulenti actus sordibus inquinētur. Isti sunt pedes, quos Dauid lauit in spiritu, qui te docet quemadmodum eos inquinare non possis, dicens: Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem. Vtique hic nō corporis, sed animæ intellige pedes. Quomodo enim terrenus homo in cœlo haberet corporis pedes?

Ex apologia Dauid posteri.

Ex lib. 1. de virginib.

Ex serm. 9. versu 1. in psal. 118.

Hierusalem enim, sicut Paulus te docuit, in cœlo est. Dicit ergo. Exui tunicam meam, quomodo induam illam? Eò quòd, non solum renunciare peccatis, sed etiam memoriam omnem debeas actus superioris abolere. Nam & Paulus anteriora obliuiscens culpam exuit, penitentiam non omisit.

Philip 1. Ex lib. 8. in Luc. ca. 17.

Frater meus misit manum suam per prospectum: & venter meus conturbatus est super illum. Surrexi aperire fratri meo. Manus meæ distillauerunt myrrham: digiti mei myrrha pleni.) Primum tanquam de prospectu mittit manum suam: nimirum quando Deus esse operibus æstimatur, vnde ait: Si mihi non creditis, vel operibus credite. Deinde augetur amor, & intimis visceribus conceptus inolescit, inde intelligibili vtero in quo est receptaculum verbi, seminibus eius infusis, plenitudinem eius corporaliter inhabitantē haurire anima nostra desiderat. non enim turbatur vterus fœminarum nisi quæ fuerint aluo graues. Surgit igitur anima, vt aperiat Dei verbo: sed dum se expandit atque aperit, vt opera mundi huius verbi receptione mortificet, sicut ille qui ait, Mortificationem domini nostri Iesu Christi in corpore nostro circunferimus: ergo dum aperit dico, transit sponsus. Vult ergo semper quæri, frequentius inueniri: & si clausam inuenerit ianuam, pulsat: & si per moram fuerit exclusus, recedit: sed citò redit, & iterum pulsat, vt vel postea sponsam inueniat præparatam. Venter, inquit, meus turbatus est super illum.

Ex serm. 12. versus 1. in Psalm. 110.

Lib. de virginib. 3.

Bonum est vt ad aduentum domini interiora turbentur. Si ad aduentum angeli Maria turbata est, quantò magis nos ad Christi turbamur aduentum? Influentibus quippe diuinis corporeus peregrinatur affectus, & vsus ille exterioris hominis exolescit. Et tu turbare & festina: festinantes illi agnum manducare præcipiuntur. Surge aperi, ad ianuam Christus est. Vestibula domus tuæ pulsat: si aperueris, introibit: & introibit cum patre. Nec solum cum ingressus fuerit mercedem relinquit, sed etiam prius quàm ingrediatur, mercedem præmittit. Adhuc anima turbatur, adhuc parietes domus suæ palpat, adhuc ostium quærit vbi Christus est: adhuc soluit vinculum carnis, & corporis clausstrum: adhuc Christus fores pulsat. Quæ est fenestra nostra vel prospectus, nisi per quem opera Christi videmus? oculus scilicet animi, & mentis obtutus? Et ideò, virgo, per fenestram tuam Christus introëat, Christus mittat manum suam per fenestram: tibi verbi veniat, nō corporis amor. Si igitur per fenestram tuam manum mittit Dei verbum, vide quemadmodum fenestras tuas præpares: vide quemadmodum ab omni puluere delictorum detergere debeas. Nihil tetrum habeat, nihil adulterinum fenestra virginis: procul stibium, & cæteras affectati nugas decoris, procul adulterini amoris illecebras. Similis aurium causa est: quibus non suspendenda onera, non figenda vulnera, sed vnus ornatus est audire quod prosit. Audiam quid sponsa dicat.

Ibidē paulo infra.

Ex lib. de Isaac cap. 6.

Surrexi aperire fratri meo, Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha in manibus clausuræ.) Quid hoc significet, consideremus. Primum operibus suis videtur, vt dixit, deus verbum, tanquam per cauernam, non plenè atque perfectè: deinde augetur amor, & conceptus adolescit: atque ex seminibus eius quæ quodam vtero intelligibilis susceperit anima, totam plenitudinem diuinitatis eius habitantem in eo corporaliter, vt legimus, videre desiderat. Surrexit vt propius illud Dei verbum videret. Et in hoc ipso processus eius significatur: nimirum quod surrexit per vigorem atque virtutem. Præsentia enim verbi hausit animæ virtutem, sicut præsentia Mariæ cum vtero grauis esset, erudiuit Ioannem in vtero constitutum, adeò vt exiliret in vtero & exultaret, domini præsentiam agnoscēs. Surrexit ergo aperire, & manus eius distillant myrrham: quia opera eius & facta mortificata sunt mundo. Talis enim debet esse anima quę verbum est receptura, vt moriatur mundo, & consepeliatur Christo. Sic enim Christus inuenitur, & tale sibi quærit hospitium. *Aperui*, inquit, *fratri meo: frater meus transiuit.*) Quomodo trāsiuit? id est mentis interna penetrauit, sicut dictum est Mariæ: Et tuam ipsius animā pertransibit gladius. Viuum enim verbum Dei sicut gladius acutus penetrans corporalium repagula cogitationum, cordis intima rimatur.

Anima mea exiuit in sermone eius.) Meritò, inquit, illum præsentem habere exposco. neque enim illius ad me confabulatio est ociosa ac futilis. sermo enim ipsius est viuus & efficax, & penetrātior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionū cordis: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Rapit me totum, & in sui amorem ac desiderium transfert. Ita quippe anima illorum exierat, qui dicebant: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis, & aperiret nobis scripturas? Bonus exitus, quando anima relicta corporeæ voluptatis fallaci illecebra Christo coniungitur. Bonus exitus, quum ad Dei verbum anima de vitiis ad virtutes se transfert: quum denique contemptis rebus terrenis cœlestium amore liquescit. Vide exeuntem & Christi desiderio liquescētem prophetam, Quàm dilecta, inquit, tabernacula tua domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Et apostolum Paulum, Cupio dissolui, & esse cum Christo. *Exiuit anima mea*, ait, *in verbo eius.*) Hoc est, Verbum secuta exiuit de corpore, eleuans se de eius tabernaculo, & peregrinam se faciens ei, vt adesset Deo, & esset ciuis sanctorum. Simul enim & carnis domestici & Dei esse non possumus. Ergo & hoc loco exire significatur anima, quando se abducit à voluptatibus corporis. Deniq; scriptum est, Exi de Babylone, fugiens à Chaldæis. Non vtique vt regiones Babylonis Hebræus fugiat, sed vt mores, prophetico admonemur alloquio. Siquidem sint qui in Babylone sunt Hebræi, & de Babylone exisse moribus doceāt. Nam & illi de quibus dicit Propheta quòd sedebant super flumina Babylonis, sed in eius non erant vitiis & confusione. Nam quomodo erant in illa confusione vitiorum, qui flebant gerentes pœnitentiam, quòd de arca deuotionis ac fidei & virtutis paternæ meritis excidissent?

Ex lib. 1. Isaac.

Sed dum exit anima: dum sponsum sedula requirit, audi quid dicat: *Inuenerunt me custodes qui circūmeunt ciuitatem: percusserunt & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meū custodes murorum.*) Bene quidem quasi sponsa veniebat cum pallio quo obnubiret caput cū sponsus occurreret: sicut Rebecca, quæ cognito quòd Isaac veniret obuius, descendit de camelo, & pallio se operuit. Ita & hæc anima, nuptialis vestis premittebat insignia, ne fortè reiiceretur quasi vestem non habens nuptialē: vel vt caput velaret propter angelos. Sed illi percusserunt eam, vt amplius probaretur. Exercētur enim animæ tentationibus. Tulerunt ei pallium, quærentes si verum decorem nudæ virtutis adferret: vel quia sine integumento quis illam cœlestem ciuitatem debeat introire, nulla deferens secum operimenta fucorum. Sunt etiam qui requirant ne qua anima exuuias secum vehat carnalis illecebrę, & concupiscentiam corporalem. Nudatur pallio, cū eius conscientia manifestatur. Sed est & quæ bene nudatur, cui licet imitari dicentem: Venit huius mundi princeps, & in me inuenit nihil. certè quia nihil in illo solo inuenit, qui peccatum non fecit. Beata & illa est, in qua non grauia aut multa inuenit: sed inuenit in ea amictum fidei, & sapientiæ disciplinam, vtique sine sui dispendio: quia & si volet quis, non potest auferre veram sapientiam, & si aduersarius obstrepat. vbi tam vera innoxiæ conuersationis elucet integritas. *Tulerunt pallium meum.*) Meritò nuda, quia pallium perdidit: aut fortassis ideò nuda, quia nonnunquam virtutis est, opertum non habere pectus, cor non habere velatum. Denique velatam illam, hoc est synagogam, quæ habebat velamen in lectione veteris testamenti, quòd modo reuelatur, quoniam in Christo euacuatur, velatam inquam synagogam Christus despexit & spreuit: vnde hodiéque velamen supra cor Iudæorum est positum. At verò eam quæ tota ad dominum mente conuertitur, vt gloriam Dei videre possimus, Christus suscipit atque amplectitur. *Tulerunt pallium meum.*) Caueamus ne quis à nobis pallium auferat, hoc est amictum prudentiæ, insigne patientiæ, quo mollioris ambitio vestis exuitur. qui enim mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

Nobis

Nobis autẽ pallium dedit Christus, quo apostolos suos & corpus suum ipse vestiuit. Quod deniq; iubet dare si quis à te tunicam petat, vt dimittas ei & palliũ, id est, insigne philosophiæ tuæ tradas, & quasi amictu prudẽtiæ tuæ eum qui antè nudus fuerit, circunuestias. *Tulerunt pallium meum.*) Quomodo tulerunt pallium [sponsæ] nisi fortè quia processu opere suæ fidei ecclesia dum nudatur, dominus plus amatur, expoliãs se veterem hominem vt nouum induat, quem non operiunt indumenta, sed mentis secreta clarificant, aut quia amictum sapientiæ secularis ad Christum ventura deposuit.

Inuenerunt me custodes qui circumeũt ciuitatem.) Quæ est hæc ciuitas? Est ciuitas quæ portas murorum clausas non habet, de qua dictum est: Et portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit amplius in ea. Illa est ergo ciuitas Hierusalem, quæ in cœlo est, intra quam iam quasi perfecta & immaculata seruaris. Non enim intrat in eam omne commune. Communis castitas non est, communis pudicitia nõ est, quæ in libro vitæ scribitur. Quomodo ergo isti custodes sũt angeli, qui castæ animæ pallium tollunt? Aliud pallium virginũ est, aliud puellæ circunforaneæ. Illa quæ in foro Christum quærit, pallium etiam quod habebat amisit. Prudentia enim non in foro, non in plateis, sed in ecclesia possidetur. Pallium quoque istud amictus est corporis. Tulerunt ergo ei pallium, hoc est, actus corporalis inuolucrum sustulerũt, vt nuda mentis simplicitas quæreret Christum, quia nemo potest vestitus amictu Philosophiæ in habitu scilicet sapiẽtiæ secularis Christũ videre. Et bene tollitur ei amictus Philosophiæ, ne quis eam per philosophiam deprædetur. Bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat, vt Deum visura, mũdo corde gradiatur. Beati enim mũdo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Pallium ergo suum sublatum dicit, vt aperta meritis & nuda fulgeret. Quãtumuis enim esset spoliata veste, non tamen erat nuda. Nõ est enim nudus, nisi quem culpa nudauerit. Vnde & Adam postquàm Dei mandatũ præuaticatione deseruit, & peccati grauis æra cõtraxit nudus erat: vnde & ipse ait: Vocem tuã audiui in paradiso, & timui, quia nudus sum, & abscõdi me. intellexit enim se esse nudum, quia insulas diuinæ protectionis amiserat: & ideo latebat, quia fidei vestem nõ habebat, quam vtique præuaricando deposuit. Contrà Ioseph à domina solicitatus ad stuprum, vestem exuit, crimen excussit, & relictis quibus tenebatur exuuiis, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris.

Adiuro vos filiæ Hierusalem in virtutibus & fortitudinibus agri, si inueneritis dilectum meũ, vt annuncietis ei quia vulnerata dilectionis ego sum.) Quicquid est quod vehementer experimus, nisi eis maturiorem habuerimus effectum, id nos videtur longa quadam intentione lassare. Amor impatiens die noctúque meretricis fores pulsans, si diutius potiendi desideria differantur, ipsa deficit expectatione dum spirat. In quo vtique non finis sed incrementum est amoris. Et quicquid est desiderabile, si non contingat desiderãti, deficit in aliud, & quasi ipsam deponit animã qui desiderat. Si tamen spes propior assurgat, dat vires spes proxima. Si autem absentia sit dilecti, eo ipso quòd absentem desiderat, qui concupiuit, animæ suæ defectionem patitur. Itaque quanto longius est quod desideratur, tanto magis defuit qui desiderat. Is est ergo deficere, id est, amore languere, in id vnumquemque totis studiis migrare, quod diligit. Illud cogitat, illi adhæret, illud personat quod receperit diligendum: in id quadam animi defectione transfunditur: vt si mater filij expectet præsentiam, quemadmodum expectabat Tobiæ vxor filium peregrinantem, deficiens à desiderio, & in angustiis constituta, & tanquam viribus resoluta. Quid enim aliud nisi defectum eius verba significant? Sed quo magis lassatur affectus, eò amplius amor crescit: & quo diutius abest qui desideratur, eo expectantis desideria maiore quadam vi ignoscunt amoris. Cor deficit, sed cupiditas alitur & augetur. Itaque sancta anima nescit aliud desiderare quam sponsum, qui est Christus Iesus. Illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis viribus intendit, illum gremio mentis fouet, illi se aperit & effundit: & hoc solum veretur, ne illum possit amittere. Itaque quanto maiore desiderio exercitata fuerit anima cupiens adhærere amatori suo, tanto magis deficit. Ergo ista defectio imminutionem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. Denique ipse alicubi dicens, Sitiuit in te anima mea, subiecit infrà: Adhæsit anima mea post te, me autem susceptit dextera tua. Qui enim sitit, cupit semper adhærere fonti, nec alius sibi nisi aquam expetere & contingere videtur. vt ipso pascatur affectu. Suscipiens ergo me dei dextera animæ meæ inhians, & de sua virtute mihi impartiens, facit eam esse quod non erat, vt dicat: Viuo autem iam non ego: viuit autem in me Christus. Discе autem etiam hoc exemplo defectionem istam nimiæ esse cupiditatis. Concupiscit enim & deficit anima mea in salutare dei. Antè concupiscens, inquit, & quasi totam se effundens in concupiscentiam, longo fine suspensa defectione dissoluitur. Denique deficiat anima in salutare Dei, Hieremias docet. Et factum est, inquit, in corde meo vt ignis ardens flammans in ossibus meis, & dissolutus sum vndique, & ferre non possum. Hoc igitur inflammatus desiderio ait Dauid: defeci in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum speraui. Concupiscebat ergo sponsa, desiderabat, deficiebat, & toto dissoluebatur affectu, vt tota illius fieret quem desiderabat, sicut etiam Dauid ipse dicit: Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio, in deficiendo ex me spiritum meum. Deficit spiritus eius qui seipsum negat, vt adhæreat Christo. Sponsa igitur quasi amoris impatiens, circuncursabat & quærebat vbique Dei verbum: nimirum quia vulnerata, quia nuda: & quærebat adminiculum alicuius à quo Christus rogaretur vt veniret. Vide æstuantem, vide desiderantem. Adiuro vos, inquit, filiæ Hierusalem si inueneritis dilectum meum vt annuncietis ei quia vulnerata charitatis ego sum. Vulnerat enim Dei verbum, sed non vlcerat. Est vulnus boni amoris, sunt vulnera charitatis. Quæ perfecta est, vulnerata est charitatis. Bona sunt igitur verbi vulnera, bona sunt vulnera amantis: vtiliora enim vulnera amici quam voluntaria oscula inimici. Vulnerata charitatis Rebecca fuit, quæ relictis parentibus migrauit ad sponsum. Vulnerata charitatis Rachel, quæ zelauit sororem, amauit maritum. Sorori enim quòd abundaret filiis ipsa adhuc sterilis inuidebat, quia typum gerebat ecclesiæ, cui dicitur: Lętare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama quæ non parturis. Habet ergo charitas vulnera sua, habet gladium quo vulneratur. felix qui hoc gladio meruit vulnerari. sunt enim hæc vulnera quæ osculis præferuntur. His nos vulneribus offeramus, quibus quicunque mortuus fuerit mortem gustare non poterit. Talis erat eorum mors, qui dominum sequebantur, de quibus dictum est: Sunt aliqui de istis astantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. Meritò Petrus non timebat hanc mortem. non timebat enim qui dicebat, quia & si oportuerit eum pro Christo mori, non eum relinqueret aut negaret. Sequitur:

Quid dilectus tuus ex dilecto, quid si ádiuraſti nos? Dilectus meus candidus & rubeus, electus ex decem millibus.) Decet virgo vt planè agnoscas quem diligis, atque in eo omne & ingenitæ diuinitatis & assumptæ mysterium incorporationis agnoscas. Candidus ergo est meritò, quia patris splendor: rubeus, quia partus est virginis. Color in eo fulget & rutilat vtriusque naturæ. Momento tamen antiquiora in eo diuinitatis insignia, quàm corporis sacramenta: quia non cœpit à virgine, sed qui erat, venit in virginem. *Fraternus meus candidus & rubeus*) candidus claritate diuina, rubeus specie coloris humani, quem sacramento incarnationis assumpsit. Meritóque & ipsum quod est rubeum benè olet, quia caro Christi sine peccato est: quam perfidi contrectantes, manus suas inquinauerunt: sancti venerantes, pietatis odore fragrarunt. *Electus ex decem millibus*) Dauidem enim, iuuenculæ Mariæ autorem, ex cuius successione Christus est natus per virginis partum, in decem millibus prædicabant: Saul autem in millibus, cum reuerentiæ gratiam circa regem magis præponere debuissent.

Serm.7. vel 7. in Psal. 118.

Luc. 2.

lib. 3. de Spir. c. 21.

Ex lib. 1. de virginib.

Serm. 5. vel 5 in 1. in Psal. 118.

Galat. 4.

Serm. 15. vel 15 in 8. in Psal. 118.

Matth. 16.

Serm.15.ver su 1.in psal. 118. Ephe.4.

Caput eius aurum cephas.) hoc significat stabilem eminentémque sapientiam : Christum verò esse caput ecclesiæ docet apostolus ad Ephesios scribens, Veritaté,inquit,facientes in charitate , augeamus in ipsum omnia , qui est caput Christus : ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam submini strationis , in mensuram vniuscuiusque partis incrementum corporis facit ad ædificationem sui in charitate . Sic quoque ad Colossenses,Nemo vos deuincat volēs in humilitate animi & superstitione angelorum, ea quæ videt , extollens se frustra, inflatus mente carnis suæ , & non tenens caput illud ex quo omne corpus per compagines & coniunctiones submini stratum & compaginatum crescit in augmentum Dei. Caput ergo ecclesiæ Christus. Caput enim fouet membra omnia,& dirigit atq; sensibus implet. Sensus enim sapientis in capite eius. Inde ductus venarum , meatúsque spiritus, sanguinis vires in totius partes corporis deriuātur. Lustrat omnia,ornat omnia. sublato capite corpus sine nomine est. Non agnoscitur,nec vlla supereſt vsura viuendi. In capite enim vigor vitæ,in capite est gratia venustatis. Fertur coluber cum vrgetur periculo,caput semper abscondere,& in orbem se colligens,obiecta reliqua parte corporis, hoc solum tueri, quòd læsa ferantur membra cætera saluo capitis vigore reparari. Hoc & tu moraliter caput serua,hoc seruato & mystice. Mysticum caput Christus est , quia in ipso omnia constant , & ipse est caput corporis ecclesiæ. Hoc caput qui amiserit,viuendi vsum habere non poterit.Hoc caput humani seruate serpentes, etiam si omnia membra cædantur,totum vratur corpus incendiis,mergatur profundo, euiscereturà bestiis, hoc tamē capite custodito,vita integra,solus est tuta. Nemo enim potest perire,cui non sublatus est Christus.Caput verò hoc aurum esse describit,nimirum ob splendorem & claritatem diuinitatis in eius facie relucentem.ipse est enim secundum apostoli sententiam , splendor gloriæ patris , & figura substantiæ eius.

Caput eccle-sia Christus.

Ex serm.15. vers.1.Psal. 118. Supra 4. cap.

Crines eius abietes nigræ sicut corax.)De hoc alibi dixit:Capillamentum tuum vt grex tonsarum . Ideo capillamentum, quia virtus omnium sanctorum in capite est. Oculi autem sapientis in capite eius. Profunda igitur doctorum sapientia, quæ potest ea quæ obscura sunt reuelare, & alta aperire sensuum : & huiusmodi disputatores sunt crines ecclesiæ,crines sunt capitis Christi.quemadmodum enim capilli capitis sunt ornamenta , & pulchra venustate illud conuestiunt : ita quoque & sancta iustorum hominum vita , qui suo exemplo tanquam luminaria mundi , errores & peccatorum tenebras caliginémque depellunt. *Crines eius*,inquit,

Ex prologo lib.2. de spiritu sancto.

abietes nigræ.) Bonæ abietes naues Tharsis,quæ fluctibus supernatent mundi,& tutum remigium salutis exhibeant.vnde & in euangelio dominus noster visibiles capitis & intelligibiles capillos quosdam esse significans ait: Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. spiritalium videlicet significans facta virtutum.neque enim de capillis nostris cura est deo. Quanquam & illud non absurdum sit æstimare, quia pro maiestate diuina eum latēre nihil possit. Sed quid mihi prodest si deus ipse omnes meos nouit capillos? Illud mihi redundat & proficit, si bonorum operum peruigil testis remunerationem gloriæ donet æternæ. Denique & ipse Samson non corporales,sed intelligibiles hos capillos esse declarans, ait, Si tonsus fuero,discedet à me virtus mea.

In psal.118. ser.15.ver.1.

Oculi eius sicut columbæ super abundantiam aquarum, lotæ in lacte , sedentes super plenitudinem aquarum.) Oculi Christi sunt viri spiritalibus sensibus ornati,qui ad vidēda mysteria sunt acuti , & parati ad penetranda scripturæ diuinæ secreta, rationabili lacte fulgentes : in quibus non sit aliqua doli maculosa confusio,sed simplicis affectus immaculata synceritas.Ideoque in aquarum abundantia lotas has columbas in lacte memorauit. Baptizat in lacte dominus , id est in synceritate . Et isti sunt qui verè baptizantur in lacte , qui sine dolo credunt , & puram deferunt fidem , vt immaculatam induant gratiam. Ideo candida sponsa ascendit ad Christū , quia in lacte est baptizata . ideo mirantur eum virtutes dicentes : *Quæ est hæc quæ ascendit dealbata?*) Ante paululum dicebat,Nigra sum:nunc dealbata cernitur. Nec immeritò illic aquarum abundantia,vbi Christus : vnde mens humana repleri cupiat.Has sitit aquas ceruus,quas cum biberit,sitire non potest. Has sitit aquas propheta cum dicit, Sitiuit in te anima mea. Sedet ergo Christus super abūdantiam aquarū, & super plenitudinem.Et ideo qui baptizatur in aqua,dicit, Et nos omnes de plenitudine eius accepimus. Vnde & oculus suppliciorum non alienus est ab ecclesia:quia etsi Ioannes baptizabat in Ennon,quod significat oculum suppliciorum,baptizabat iuxta Salim,vbi erat aquarum abundantia, duodecim fontes , & septuaginta palmarum arbores. Hos fontes habet ecclesia,hoc est in veteri testamēto duodecim patriarchas,in nouo duodecim apostolos. Ideóque dictum est , In ecclesiis benedicamus domino de fontibus Israël. His fontibus antè perfunditur,quicunque mysteria sacra consequitur.Isti enim fontes ex æterno fonte manantes toto orbe fluxerunt.

Ex orat. funebri de obitu Valentiniani circa prine.

Genæ eius sunt phialæ aromatis gignentes vnguentaria,labia eius sicut lilia distillantia myrrham plenam.) Mystice ecclesiæ gratia deflentis accipitur , quæ in obitu viri iusti bonum doloris sui effundit vnguentum,& vitam eius prædicando concelebrat. Cui mors obesse non potuit,eò quod odor prædicationis vniuersorum ore celebrabilis fœtorem omnem mortis aboleuit.Flet igitur ecclesia pignus suum,& lachrymæ eius in maxillis eius.

Tractatuin psal.118. serm.18. versu 4. Ex cap. 15. de institut. virginū. Galat.5. 1.Corin.4.

Labia eius distillauerunt myrrham plenam.)Per myrrham,passionis vnguentum & resurrectionis gratia declaratur , quæ rediuiuum vitæ odorem suscitatis mortuorum visceribus infundit.Hanc myrrham labia sanctorum prædicatorum distillant qui Christi passionem loquuntur,& suo ore concelebrant, ac mortificationem eius in suo circunferunt corpore : qualis erat ille qui dicebat : Mihi absit gloriari nisi in cruce domini mei Iesu Christi,per quem mihi mundus crucifixus est,& ego mundo.& alio loco:Mortificationē Christi in corpore nostro circunferamus, vt & vita Iesu in corporibus nostris manifestetur.Deniq; labia sanctorum myrtham distillare dicit,quod efficax & potēs sit eorum sermo, neque inanem tantummodo tinnitum habens, & aures demulcens, sed penetrans vsque ad interiora mentis. Sermo meus,inquit ille , & prædicatio mea non in persuasione sapiētiæ verborum,sed dei formatur virtute.In sermone & in labiis sanctorum virtus est : in sermone autem forensi isto ac philosophico vanitas mundi.

Manus illius tornatiles,aureæ,plenæ Tharsis.) Tornatiles sunt manus sponsi,id est perfectæ:aureę,propter sapientiam quę Christus est. plenæ hyacinthis propter spiritum sanctum,& plenitudinem charismatum eius.Tornatiles dico,quia omnia ipsius opera quæ vel in creatione mundi,vel post assumptam humanitatem per ipsum facta sunt, perfecta & absolutissima fuerunt.Sic enim scriptum habes:Vidit deus cuncta quæ fecit,& erant valde bona.Denique in euangelio habes:Bene omnia fecit,& surdos fecit audire,&mutos loqui.

Gene. 6.

Vēter eius pyxis eburnea super lapidem sapphirū.) Audi apostolum,Etsi, inquit, crucifixus est Christus ex infirmitate nostra(ecce venter,id est carnis infirmitas) viuit tamen ex virtute dei(ecce distinctio sapphiri). Sapphirus enim eò quod cœli sereni speciem gerat,quæ sunt diuinitatis eius opera significat : ebur autem propter castitatem & nitorem ac perpetuitatem,carnem significat saluatoris : de qua idem apostolus dicit : Quia & si Christum secundum carnem nouimus,sed nunc non nouimus. Vēter itaque eius pyxis eburnea , qui reciperet oracula scripturarum , vt posset dicere: Ventrem meum dolor,sicut dixit propheta.dicit enim hæc qui imitator est Christi.

Ser.5.vers. 6.in tract. in psal.118.

Crura illius columnæ marmoreæ , fundatæ super bases aureas.) Per hæc significat columnas ecclesiæ esse apostolos,qui fundati sunt in timore sancto.Nam sicut Petrus,Iacobus, Ioānes & Barnabas columnæ esse videbātur ecclesiæ,sic & quicunque vicerit hoc seculum, fit columna dei , quam confirmat qui dicit , Ego confirmaui columnas eius . ita & basis aurea,timor plenus disciplinæ,quia initium sapiētiæ timor domini est.In timore sapientum apostolica prædicatio tanquam super basin aureā colūna firmatur Christi. Igitur casto eloquio & apostolico sermoni tribunal est timor iusti, & basis

Psal.74.

& basis aurea plena prudentiæ: simulacrum autem bonum tanquam effigies veritatis sermo sanctorum est. Et vide tanquã basim auream esse timorem sanctorum. Lege Esaiam: vide quantis subiecerit timorem, vt faceret irreprehensibilem & bonum timorem. Spiritus, inquit, sapientiæ & intellectus, spiritus consilij atque virtutis, spiritus cognitionis ac pietatis, spiritus sancti timoris. Quantis timorem subiecit, vt haberet quod sequi posset. Informatur per sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur. Tolle timori domini ista, & est irrationalis & insipiens timor vnus ex illis, foris pugnæ, intus timores. Quibus afflictus esset & Paulus, nisi habuisset dominum consolantem. Nec ociosum est in prouerbiis: Tunc intelliges timorem domini. Quid est tũc? Cum sapientiam inuocaueris, & prudentiæ dederis vocem tuam, & quæsieris illam vt pecuniam, & vt thesauros scrutatus fueris eam, tunc intelliges timorem domini. Et ideo tanquam super basim bonam dicit, Stante seruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Bene ergo dicit columnas ecclesiæ. hoc est crura sponsi, fundata esse super bases aureas, vt & pulchritudine spectantes oblectent, & fundamento sancti timoris subnixa, nullo spiritalium tempestatum turbine ab animi constantia valeant dimoueri. Solus enim Christus inãbulat animis, & graditur in mente sanctorũ, in quib⁹ velut aureis basibus fundamentisq; pretiosis solidata vestigia verbi cœlestis hæserunt. Denique addit Spõsa, Species eius vt Libani, electus vt cedri. In altis habitat, & humilia respicit, quia species eius sicut cedrus Libani, quę comam nubibus, radicem inserit terris. Principium eius è cœlo, posteriora eius in terris, fructus cœlo proximos ediderunt.

Isaiæ 11.

Lib. 3. de fide, ca. 5.

Guttur illius dulcedo, & totus desiderij.) Id est quod prophe-
ta de eo scribit: Iudicia domini vera, iustificata in semetipsa: desiderabilia super aurum & lapidem precio-
sum multum, & dulciora super mel & fauum. Quod seuerum in aliis, in Christo suaue est, quia suauis est dominus. Dulcia iudicia confitenti, quia ipse dixit: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Dulcia iudicia agenti pœnitentiam, quia ipse dixit: Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm in nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.

Psalm. 33.

Fauces, inquit, *eius dulcedines, & totus desiderium.*) Omnium enim bonorum author est deus: & quæ sunt, eius profecto omnia sunt: & nusquam illic malum: & si in illo mens nostra maneat, malum nescit. Anima igitur quæ in deo non manet, ipsa sibi author malorum est, itaque peccat. Anima autem quæ peccauerit, ipsa morietur. Aureis enim vinculis soluta virtutum prona fertur præcipitio, & labitur ad inferiora. Anima autem beata est, quam nulla aduersa corporis prælia expugnant. Porrò gutturis ipsius dulcedinem propheta describẽs, Diffusa est, ait, gratia in labiis tuis: propterea benedixit te deus in æternum. Denique in euangelio habes quòd mirabantur homines de verbis gratię quæ procedebant de ore eius. Huius dulcedinis bonum si in illo concupiscibili suo & delectabili anima gustauerit, & duabus his affectionibus hauserit, excludens dolorem & formidinem, incredibiliter exæstuat. Osculata enim dei verbum modum non capit, nec expletur, dicens: Suauis es domine, & in iocunditate doce me iustificationes tuas. Osculata dei verbũ, cõcupiscit super omnem decorem, diligit super omnem lætitiam, delectatur super omnia aromata, cupit frequẽter videre, sæpe intendere, cupit attrahi, vt sequi possit. Doceat te propheta qui gustauit & ait, Quàm dulcia faucib⁹ meis verba tua, super mel & fauum ori meo. Quid enim desideret anima quę semel suauitatem verbi gustauerit, quę semel charitatem eius viderit? Moyses in monte positus quadraginta diebus legem accipiens cibum corporis non requirebat. Helias ad illam festinans requiem, rogabat vt acciperetur anima sua à se. Petrus aspiciens & ipse in monte dominicæ resurrectionis gloriam, nolebat descendere, dicens: Domine, bonum est nos hic esse. Quanta igitur illa diuinæ substantiæ gloria, quanta dulcedo, quanta verbi bona, in quæ concupiscũt & angeli prospicere? Hoc igitur modo cum sponsa spõsi sui diuinas & incomparabiles depinxisset dotes, requirentibus filiabus Hierusalem & dicentibus, Quò abiit fratruelis tuus ô pulchra inter mulieres? quò declinauit fratruelis tuus, & quæremus eum tecum?

Lib. 3. epist. ad Irenæum 11.

Psal. 118.

Ibidem.

CAPVT SEXTVM.

Fratruelis, inquit, *meus descendit in hortum suum ad areolas aromatis, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.*) Vbi verbum quærat agnoscit: nimirum quòd inter orationes sanctorum moretur & ipsis inhæreat nouit: & quòd ecclesiam suam vel animas iustorũ suorum inter lilia pascat intelligit. Hoc mysterium tibi dominus in euangelio demonstrauit, cum in sabbato duceret per seminata discipulos. Moyses per desertum duxit plebem Iudæorũ, Christus per seminata. Christus per lilia ducit, quia per passionem eius desertum floret vt lilium. Diuersatur ergo Christus in hortis, in illis mentibus quæ sunt virtutum ornamento excultæ. pascitur inter lilia apud eos qui boni odoris fragrãtiam de se exhalant: qualis erat ille qui dicebat, Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni cui benedixit domin⁹. & apostol⁹, Christi bonus odor sumus in omni loco. Pascũt ergo animę Christũ, quę sunt cãdidæ castitatis nitore odoriferæ odore virtutũ. Dicit ergo sponsa, *Ego fratrueli meo, & fratruelis meus mihi, qui pascitur inter lilia.*) Facilis hæc vox & communis videtur: sed paucorũ est. Satis rarus est enim qui potest dicere deo: Tuus sum, & dilectus meus mihi. Ille enim dicit qui adhæret deo totis sensibus, & qui aliud cogitare non nouerit. Pauci quidem, inquam, possunt hoc dicere, cum multis etiam non sit satis dei filius, in quo sunt omnia. Denique ille diues in euãgelio, cui dictum est, Si vis perfectus esse, vende omnia quę habes, & da pauperibus, deum sibi non sufficere indicauit: denique & contristatus est, quasi quod pluris esset, relinquere iuberetur: quod minus esset, eligere. Ille ergo dicit, Tuus sum. ille dicit, Dilectus meus mihi, & ego illi, qui dicere potest, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Nõ potest hoc dicere secularis, plures enim dominos habet. Venit libido, & dicit, meus es: quia ea quæ sunt corporis concupiscis, in illius adolescentulæ amore te mihi vendidisti, in illius concubitu meretricis pretium pro te adnumeraui. Venit auaritia, & dicit: Argentũ & aurum quod habes, seruitutis tuæ pretium est. possessio quam tenes, iuris tui emptio, venditio tuæ est libertatis. Venit luxuria, & dicit, Meus es. Vnius diei cõuiuium, pretium tuæ vitæ est, ille sumptus epularum, tui capitis licitatio est, tui est summa contractus. Non est meus quem libido succendit, quia mea castitas est. Non est meus, quem cura spoliãdi minores exagitat, quia mea integritas est. Nõ est meus quem ira mobilis inquietat, quia mea trãquillitas est. Non est meus, vini crapula temulẽtus, illuuie ambitionis impurus, gloriæ secularis cupidus, ebrius in periculum, qui non possit sobriæ moderationis seruare vestigium. Non est ergo cuiusuis dicere, Dilectus meus mihi, & ego illi: sed eorum duntaxat, qui animum à rebus terrenis auulsum habent, & Christum adiunctum: qualis erat apostolus Paulus, qui dicebat: Viuo verò iam non ego, viuit verò in me Christus, & alio loco: cupio dissolui, & esse cum Christo. Sequitur:

In psal. 118. serm. 12. vers. 5.

Multũ non sufficit deus. Matth. 19.

Matth. 19.

Galat. 2. Philip. 1.

Pulchra es amica mea, tanquam beneplacita, speciosa vt Hierusalem.) Non caduci ista est corporis pulchritudo, vel morbo peritura vel senio, sed nullis obnoxia casibus, opinio bonorum nunquam moritura meritorum: quoniam non humanis iam sed cœlestibus quorum vita viuit in terris, digna est comparari. Beneplacita es, ait, amica mea. Veritas amoris ex sui perpetuitate probatur. Laudatur itaque sponsa à sponso quòd iam bene & constanter requisierit eum: ideóque iam non solum soror dicitur, sed etiam beneplacita nominatur, quasi ei complacita, qui complacuit patri: & speciosa, sicut Hierusalem, sicut admiratio ordinata, quòd ciuitatis æternæ vniuersa habeat mysteria, & admirationi sit omnibus vidẽtibus eam: quia plena vt æquitas atque perfecta est, & fulgorem de verbi lumine mutuata: dum in id semper intendit, sit etiã terribilis ordine quodam ad summam prouecta virtutum. Itaque sponsus iam quasi sponsæ perfectæ dicit: *Auerte oculos tuos à me, quia me auolare fecerunt.*) Deuotione, inquit,

Lib. 1. de virginibus.

Ex lib. de Isaac cap. 7.

Ex lib. de Isaac cap. 7.

quit,nimia ac fide possibilitatem naturę & conditionis propriæ supergressa es,quia lucem immarcessibilem è regione intueri est graue. Auerte,air,oculos tuos à me:eò quòd plenitudinem diuinitatis eius & splendorem veri luminis sustinere non possit. Possumus tamen & sic accipere: Auerte oculos tuos à me. Et si tu perfecta es,aliæ mihi adhuc redimendæ sunt animæ, aliæ fulciendæ.Eleuas enim me videndo: ego autem ideo descendi, vt omnes eleuem.Et si surrexi, & habeo patris sedem, tamen orphanos vos non relinquam quasi paterno præsidio destitutos, sed præsentia mea
Matth.28. vos confirmabo.Habes hoc in euanglio scriptum:Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem mundi. Auerte ergo oculos à me,quia me eleuas.Quanto enim quis ad dominum intendit, tanto amplius dominum eleuat, & ipse
Psal 29. eleuatur. Vnde & ille ait: Exaltabo te domine,quoniam suscepisti me. Sanctus enim exaltat dominum, peccator humiliat. Vult enim illam auertere oculos, ne eam considerans, quod iam ad superiora sequi possit,eleuetur, & cæteras animas derelinquat. In euangelio non omnibus discipulis,sed perfectioribus gloriam suam demõstrans. Constitue nunc aliquem doctorem, qui rem obscuram velit aperire auditoribus,quemadmodum & si ipse potens sit in sermone & scientia,condescendat ad eorum scientiam qui non intelligunt, & simplici & planiore atque vsitato sermone vtatur, vt possit intelligi. Qui igitur inter audientes viuacior sensu sit, qui facilè sequi possit,eleuat eum atque excutit, hunc videns doctor reuocat, vt patiatur magis doctorem humilioribus & planioribus immorari, quò & cæteri sequi possint. Quod ait Aquila, sonans vt reuelata, sonantem ad admirationem dignam retulit,quasi magna & sonora habẽtem opera:reuelata ad operum charitatem.vel quod eius animæ opera luceant coram patre qui in cœlis est. vnde non ocioſè pallium eius sublatum intelligis,vt aperta meritis & nuda fulgeret.

Corium malorum granatorum genæ tuæ.)Istæ sunt genę in quibus solet nitere verecundia, pluchritudo fulgere:in quibus aut flos iuuentæ,aut perfectæ ætatis insigne est. Porro sermo multorum sensuum,& de diuersis scripturis abundans, sermo angelorum,sermo apostolorum ac prophetarũ. quo vno velut corio ecclesia sancta complectitur,malorum fluxus est grauatorum.

Ex lib.de Isaac ca.7. *Vna est columba mea.*) Laudatur sponsa quod fidelis, quod verbo potens, quod fructibus fœcunda diuersis, quod vna sit columba,habens vnitatem spiritus.in quo sit pax quæ fecit vtraque vnum,& quæ non sit composita ex diuersis elementis discretæ compũgnantísque naturæ. Quid enim tam
Proverb. 11. iuxta 70. Ioan.17. diuersum quam ignis & aqua,aër & terra,ex quibus corporis nostri creatura consistit? Anima autem benedicta, omnis simplex,quæ imitatur dicentem:Vt omnes vnum sint,sicut tu pater in me,& ego in te:vt & ipsi in nobis vnum sint. hæc est enim consummatio atque perfectio. vnde & addidit, vt sint vnum,sicut nos vnum sumus.Ego in his, & tu in me:vt sint consummati in vnum.Hæc ergo anima, columba atque perfecta, quæ simplex atque spiritalis est, neque huius turbatur corporis passionibus, in quo foris pugnæ, intus timores sunt.Denique hoc verbo vnitatis, concordiã
Actor.4. & pacem significari scriptura nos docet,dicens: Multitudo autem credentium habebat animam vnam,& cor vnum: & non erat separatio in eis vlla.Sic ergo formosam, sic perfectam,& vno simplicíque affectu deo adhærentem admirantes filiæ Hierusalem exclamant.

Lib de benedict. patriarch. cap.10 *Quæ est hæc prospiciens tanquam diluculum,speciosa sicut luna?*) Prospicit enim tanquam de domo libera: nec dicit, Tenebræ cooperiũt me,& parietes circundant me, & quis scit si videt altissimus? Sed ipsa magis lucem expetit,tanquam in superioribus domus suæ, id est corporis sui, & supra domũ posita diuina intuetur,& ad æterna se eleuat,vt adsit deo, iã lumen suorũ operum sicut luna orbem suum toto orbe circunferens.Prospicit tanquam diluculum,tanquam diceret: Nox præcessit,dies autem appropinquauit.Prospicit sancta anima de loco superiore,tanquam inferiora despiciens.Exiuit de tenebris istius seculi vt luna resplendens,vt sol refulgens.Igitur tanquam de corpore recedens,& repulsa noctis caligine surgens diluculo sicut sol appropinquat deo, & rapido volatu sicut aquila quæ sunt terrena relinquit.Meritò verò ecclesia sicut luna speciosa dicitur,quæ toto mundo refulsit,& tenebras huius seculi illuminauit.Pulchrè verò ait, prospiciens, quasi suos de superiore prospectãs,sicut habes: Dominus de cœlo prospexit super filios hominum.Prospiciens ergo ecclesia sicut Luna defectus habet & ortus frequentes:sed defectibus suis creuit, & his meruit ampliari, dum persecutionibus minuitur, & confessorum martyriis coronatur.Hæc est vera luna, quæ de fratris sui luce perpetua lumen sibi immortalitatis & gratiæ mutuatur. Fulget enim ecclesia non suo sed Christi lumine,& splendorem sibi arcessit de sole iustitiæ vt dicat:Viuo autem iam non ego. Philip.1. viuit autem in me Christus. Igitur dum sponsa laudatur à Sponso,verecundè refugiens coram laudari, deinde sponsi amore reuocata, ait:

In hortum nucis descendi videre in natiuitate torrentis.) Vbi enim est ecclesia, nisi vbi virga & gratia floret sacerdotalis? Ibi est frequenter,vt amaritudinibus & tentationibus probetur. Per nucem quippe ammaritudinem intelligimus, per torrentem tentationes, sed tamen tolerabiles. quia scriptum est: Torrentem pertransiuit anima nostra. Psal.123. Itaque descendit in locum amaritudinis, vbi flore vitis, & malorum granatorum specie diuersus & multiplex fructus, qui velut vno tegmine totius corporis fide & charitate munitur. In illa ergo amaritudine non cognouit se anima. Sap.9. Corruptibile enim corpus aggrauat animam,& terrenum habitaculum cito inclinatur. Cognoscere autem se debet. Sed tentatus est & Petrus:non se cognouit & Petrus.nam si cognouisset, nõ negasset authorem.Sed cognouit eum Christus,qui etiam respexit.Cognoscit dominus qui sunt ipsius, & tanquam suum misericordiæ suæ frenis vt bonus rector reuocauit à lapsu.Rector enim noster. ideóque ait sponsa. Posuit me currus Aminadab,eò quod anima nostra cõiungitur corpori, & velut quidam equorum frementium currus, rectorem sibi quærit aurigam. Aminadab enim pater Naason fuit,sicut in Numeris legimus,qui erat princeps populi Iudæ. Cuius figura refertur ad Christũ, qui verus populi princeps animam iusti velut currum agitator ascendens,verbi habenis gubernat,ne violentorum equorum furore in abrupta rapiatur. Sunt enim eius velut quatuor equi, quatuor affectiones,ira,cupiditas,voluptas,timor:quibus furẽtibus cum cœperit agi,nequaquã se ipsa cognoscit. Corruptibile enim corpus animã grauat,& tanquã irrationabilium animaliũ cursus inuitã rapit, voluẽtibus curis velut quodam impetu proruentem, donec memoratæ corporis passiones verbi virtute mitescant. Hæc verbi tanquam boni agitatoris est prouidentia,ne illi animæ,quæ in se non est morti obnoxia,corpus mortale cõiunctum agitationem faciat esse difficilem. Primo igitur hos veloces corporis motus domitet, & metu rationis infrenet: deinde caueat ne dispari motu se velut equi implicent: vt bonum aut improbus decoloret, aut tardus impediat,turbidus inquietet. fremit enim equus malitiæ, séque iactando currum lædit, grauat iugalem. Hunc bonus auriga demulcet, & in campum veritatis mittit,fraudis declinat anfractum. Tutus ad superiora cursus est,periculosa ad inferiora descensus. Inde quasi emeriti qui bene portauerint iugum verbi, vsque ad domini præsepe ducuntur, in quo non fœnum est esca, sed panis qui de cœlo descendit.Huius currus rotæ sunt de quibus dixit propheta, Et spiritus vitæ erat in rotis: eò quòd Ezech.1. currus animæ teres atque rotundus sine vlla offensione voluatur. Si ergo currus est anima,habet equos vel bonos, vel malos.Boni equi, virtutes sunt animæ: mali, corporis sunt passiones:Bonus ergo rector malos equos restringit & reuocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor:prudentia, temperantia fortitudo,iustitia. Mali equi, iracundia, concupiscentia, timor iniquitas. Interdum ipsi equi inter se diffident, & aut iracundia protendit, aut timor, & se inuicem præpediunt,& cursum retardant.at verò boni equi euolant, & à terris ad superiora se subrigunt, animámMatth.11. que eleuant,maximè si iugum habeant suaue,& onus leue, dicentis: Tollite iugum meum super vos.iugum enim meũ suaue,

suaue est, & onus meum leue. Ipse rector est, qui nouit equos proprios gubernare, vt æqualis omnium sit cursus. Si velocior est prudentia, tardior iustitia, admonet flagello proprio segniorem. Si temperantia mansuetior, fortitudo durior, nouit copulare discordes, ne forte currum suum dissipent. Itaque licet intelligibili spectaculo videre vnamquanque animam cum summo certamine ad cœlum rapi, festinantes equos qui priores perueniant ad brauium Christi, quorum prius imponatur palma ceruicibus. Isti equi sunt subiecti fidei iugo, adstricti vinculo charitatis, iustitiæ frenis, retinaculis sobrietatis. Pulchrè ergo ait: Posuit me currus Aminadab, hoc est pater populi. Ipse autem qui pater populi, idem pater Naason, hoc est serpentum. Iam tu recole quis sicut serpens in cruce pependerit pro salute vniuersorum, & intelliges illam animam esse pacificam, cui pater Deus præsul sit, & Christus agitator: quia scriptum est & hoc nomen in nostris, Pater, pater, agitator Israël. Hic ergo agitatur dicit: Conuertere Sunamitis, conuertere. Benè & quasi agitator & quasi ad currum dicit, Conuertère Sunamitis, id est pacifica. Quæ enim pacifica est anima, citò se cõuertit & corrigit, etiã si antè peccauit: & magis eã Christus ascendit & regere dignatur, cui dicitur. Ascende equos tuos, & equitatus tuus sanitas. & alibi: Misisti equos tuos Tharsis. Hi sunt equi Christi. Quanquam & alius equus caro possit accipi, equi carnis voluptates, agitator autẽ vigor mẽtis qui regit carnẽ, & motus eius velut quosdam equos prudentiæ habenis coërcet. Dormitauerunt ergo qui hos equos ascenderunt, nullo eos moderamine gubernantes. vnde & ascensores eos quam equites vel agitatores psalmista maluit nũcupare, cum inquit, Ab increpatione tua deus Iacob dormitauerunt qui ascenderũt equos. Agitator enim cum disciplina & arte pro arbitrio suo equos agitat, vel currentes incitat, vel reflectit indomitos vel reuocat fatigatos, vel mãsuetos pro sua voluntate cõuertit. Vnde cum reciperetur Helias, & curru quasi ad cœlum ferretur, clamauit ad eum Heliseus, Pater, pater agitator Israël, & eques eius. hoc est, qui populum domini bono ductu regebas, constantiæ meritò hos accepisti currus, hos equos ad diuina currentes, quia moderatorem te animarum humanarum Dominus comprobauit: ideo tanquam boni auriga certaminis victor æterno præmio coronaris.

Conuertere itaque inquit, *conuertere*.) Ad animam piam dicit hoc Christus: iubet illam paulisper conuerti, vt nobis gloria eius appareat, & requies futura cum sanctis: & postea præcipit eam ad illud supernum sanctorum festinare cõsortium. Etenim cum fuerit anima nostra pacifica: vt dicatur ei. Cõuertere cõuertere Sunamitis, quod pacificam significat, & vt hoc nomine vtar, irenicen, tunc accipiet in se signaculum Christum, id est, imaginem dei, vt sit ad imaginem dei: quoniam qualis cœlestis, tales & cœlestes: & oportet nos portare imaginem cœlestis, id est pacem. Semel itaque in seculo conuersa est, conuersa est iterata communione ad gratiam Christi. Et ideo pulchra conuersio eius in seculo, pulcherrimus incessus eius & volatus in cœlum.

CAPVT SEPTIMVM.

Quid videbis in Sunamite, quæ incedit sicut chori castrorum?) Quid videbis, inquit, in ea quæ multum & aduersus plurimos in corpore præliata est? Etenim pugnauit aduersus extraneos hostes, pugnauit aduersus lubricas seculi mutationes, pugnauit aduersus corporis fragilitates, aduersus multiplices passiones. Audiuit à domino: Conuertere Sunamitis. Conuersa est ad pacem semel in seculo, conuersa est iterata communione ad gratiam Christi. Et ideo pulchra conuersio eius in seculo. pulcherrimus incessus eius, volatus in cœlo. vnde meretur audire, Speciosi facti sunt gressus tui in calciamẽtis filia Aminadab. hoc est filia principis. Interrita, inuicta, & tãquam in acie consistens est sponsa Christi. habet in manu gladiũ spiritus, quod est verbum Dei. habet loricam fidei, habet in capite galeam, spem salutis: quibus armis communita prælietur & colluctetur non aduersus carnem & sanguinem tãtum, sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum, aduersus spiritales nequitias in cœlestibus. Illud quippe est quod superius dixit: Terribilis vt castrorum acies ordinata. Nihil enim in se habet effœminatum, nihil molle, nihil languidum: sed semper tanquam in acie & procinctu consistit: quemadmodum ille qui dicebat: Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

Quàm speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis filia principis.) Speciosa es in processu, habitasti in corpore, tanquam calceamento eo vsa, non vt inuolucro, vt quasi superior & eminentior eo, vt velles tuum circumferres sine vlla offensione vestigium. Dubium non est, ecclesiæ vel animæ profectus significari. Quàm speciosi sunt, ait, pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Vtique speciosos dicit euangelicæ prædicationis & disputationis progressus, vt alibi dicitur. Transgredere flumina, hoc est fluentia & lubrica huius mundi trãscurre stabili mentis incessu. Quod de animæ gressibus dicit, in posterioribus ipse Dauid euidẽter ostendit, asserens quod torrentem iniquitatum anima sua transisset. Sed quid sibi vult quod ait, in calceamẽtis speciosos esse gressus ecclesiæ? Legimus dictum ad Moysem, Solue calceamẽtum pedum tuorum. quæ videtur admonitus, ne corporalibus vinculis teneretur adstrictus. Ergo speciosam hic significat animæ pulchritudinem, quæ carne tanquã calceamẽto vtitur, & in ipso calceamento impedimentum non patitur, sed incessus decore præcellit. Calceat ergo se anima ecclesiasticam gratiam, vt cursum huius vitæ & transitum cum decore prætereat. Quod fit, si calceamentum suum non inquinet luto corporali, nec in vitiorum mergat voraginem: si castigat carnem suam ne moretur ad cursum, & aruinæ pinguis pondere prægrauetur. Bonum calceamẽtum animæ pudicitia est, bonus gressus est vestigium castitatis. Vtamur ergo corpore tanquã calceamento ad inferioris opera virtutis, ad ministerium, non ad præceptitium: ad obsequium non ad delectationem: ad obedientiam, non ad dissensionem: & in via sapientiæ vestigium collocemus: ne gressus nostros vis aliqua concludat. Ideo ad Moysem dictũ est, Solue calceamentum tuum, & ad Iesum Naue: ad Christum non est dictum, sed magis scriptum, dicente Baptista, Post me venit vir cuius non sum dignus calceamenta portare: quia illi bene admonentur, vt soluant calceamentum suum, qui sine peccato esse non poterant: hic autem non solum calceamentum, sed etiam calceamenta non soluit: quia non solum corpus suum à peccato immune seruauit, sed etiam omnium dedit indulgentiam peccatorum. Ergo ecclesia ad imitationem Christi speciosa est, & in calceamentis omni abluta delicto. Speciosi ergo facti sunt gressus tui in calceamentis filia Aminadab, eò quòd speciosa ecclesia euangelij prædicatione processit. In hoc calceamento speciosè processit Maria, quæ sine vlla commixtione corporeæ consuetudinis, autorem salutis virgo generauit. vnde egregiè Ioãnes ait: Nõ sum dignus soluere corrigiũ calceamẽti eius. id est, non sum dignus incarnationis mysterium comprehendere angustiis mentis humanæ, atque inopis vilitate sermonis absoluere. vnde & Esaias dixit: Generationem eius quis enarrabit? Speciosi ergo gressus vel Mariæ vel Ecclesiæ, quoniam speciosi pedes euangelizantium. Dicitur itaque ad eam: *Moduli femorum tuorum similes torquibus opera manuum artificis.*) Hoc est consonans sibi in omnibus factis tuis gratia atque moderatio, magnorum æquauit insignia triumphorum. Meritò hoc additum est, vt posteritatis ecclesiæ canerentur ornamenta. Per femur enim insigne generationis agnoscimus, iuxta illud, Accingere gladium tuũ circa femur tuum potentissime. quo significatur quòd filius dei cum semetipsum exinaniisset, verbi accinctus diuinitatẽ, & generationem calceatus humanam prodiret ex virgine, omnibus daturus salutem. Monilia autem dicuntur ornamenta pretiosa quæ suspendi matronarum ceruicibus solent. Tantus ergo ecclesiæ processus significatur, vt ornamentis pretiosissimis cõparatus sit, & torquibus triumphãtium. hæc enim ornamenta sunt bellatorum. Symmachus ἐπιγαχήλια dixit, hoc est, quæ sunt circa collum. Siue ergo

Ex orat. de obitu Valentiniani.

Ex ser. 17. vers. 5. in psal. 118.

Corpore vti tendum tanquam calceamento.

Ex lib. de inst. virg. ca. 14.

Matth. 3.

Ex lib. de obitu Valen. orca fi.

Ex serm. 17. vers. 5. in psal. 118.

ergo generatio Christi ex virgine, siue ecclesiæ propagatio, specie quidem tanquam manu artificis torquibus adornatis, verè autem virtutis insigniis spiritalibus ceruices fidelium coronauit : Sicut etiam victores secularium præliorum solent strenuorum virorum donatis torquibus honorare ceruices, ita Christus iugum nostrum leuauit, vt fidelium colla virtutum insignibus coronaret.

Ex cap 14. de instit. v.rg.

Vmbilicus tuus cratet tornatilis non deficiēs mixto.) Eò quod in omni doctrina tornatus plenitudine cognitionis & potu non deficiat spiritali. Bonus vmbilicus animæ, virtutū omnium capax, sicut crater ab ipso fidei autore tornatus. Sapientia enim in cratere miscuit vinum suum, dicens: Venite edite panes meos, & bibite vinum quod miscui vobis. Vere autem aluus ille Mariæ crater tornati is, in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis piæ gratiam diuinitatis suæ plenitudine subministrans. Habet enim ecclesia Christi aquas perpetuo scatētes quibus abluitur, sanctificatur, purgatur, & quibus etiam carnalium voluptatum ardores extinguantur. habet etiā vinum in cratere sapientiæ mixtum, quod lætificat cor hominis, quódque omnem seculi tristitiam quæ secundum apostoli sententiam mortem operatur, depellit. De hoc cratere dicebat propheta: Calix tuus inebrians quam præclarus est!

Ex serm. 16. vers. 5. in Psal. 118.
Ex orat. funebri de obitu Valentin.
Ex cap. 14. de institut. virginis.

Venter tuus sicut aceruus tritici minuti inter lilia.) Venter eius non solum aceruo tritici, id est fortioribus cœlestis mysterij cibis saginatur, verum etiam tanquam liliis quibusdam moralium suauitate repletur. In virginis enim vtero simul aceruus tritici & lilij floris gratia germinabat, quoniam & granum tritici generabat, & lilium. Granum tritici secūdum quod scriptum est: Amen, amen dico vobis, nisi granū tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Sed quia de vno grano tritici aceruus est factus, completum est illud propheticum: Et conualles abūdabunt frumento, quia granum illud mortuum, plurimum fructum attulit. Hoc itaque granum omnes homines perpetua cœlestium munerum esca saturauit. cōsummatum est illud prophetici oris eloquium, dicente eodem Dauid : Cibauit eos ex adipe frumēti, & de petra melle saturauit eos. In hoc grano esse etiam lilium diuina testantur oracula, quia scriptum est. Ego sum flos campi, & lilium conuallium. Venter itaque eius sicut aceruus &c. Neque enim sponsæ venter solum fortem cibum sumit, quo corda formantur, sed etiam suauem ac florulentum quo delectantur. Venter igitur spōsæ non solum iustitiæ veluti frumentario cibo replebatur, sed etiam gratiæ suauitate, quæ florebat sicut lilium?

Ex serm. 17. vers. 5. in psal. 118.
Ex cap. 14. lib. de inst. virg.
Ex epist. 62. ad Iren.

Oculi tui sicut stagna in Esebon, in portis filiæ multorum. Nasus tuus sicut turris Libani.) Stagna in Esebon quid sunt, nisi in cogitationibus rationabilibus abūdantia? Quæ est in portis ecclesiæ, cui meritò defertur multitudo doctrinæ. Filia enim multorum, plurimarum doctrinarum posteritas est & effectus. Cuius nares, odor est sacrificiorum floribus omnibus præstans. Nares tuæ sicut turris Libani, eò quòd vnguētum viri sacerdotis quod descendit de capite in barbam, hoc est, odor ille diuinus, odor gratię spiritalis, qui de patre in Christo erat, & sacramento incarnationis descendit in terras, vt omnia fuso replerentur vnguento, emineat præcelsi potestate iudicij, & nares repleat animæ, vt benè olentia discernat & fetida : suauia sanctorum, qui possunt dicere, Christi bonus odor sumus. Nares tuæ, inquit, sicut turris Libani, præcelsæ supra mūdum. Et ideo prospicit faciem Damasci, Gentium scilicet populum, odorans fidem eius, cuius gratia delictorū suorum detergeret fœtorem. Facies ergo Damasci, fides est gentium, nullo obumbrata amictu, nullo adoperta vestitu, nuda ac libera, cœlo magis intenta quam terris. Hanc speculantur & prospiciunt nares ecclesiæ, quod suaue in ea & odorum aspirationis & gratiæ colligentes. Et benè nares sicut turris Libani, quia in sacrificiis odor suauis ecclesiæ est, in quibus boni odoris hostia, remissio peccatorum. Sume igitur has nares ô homo, vt à graue olentibus florulenta secernas, & viuificabit te Dominus. Nares enim hîc interioris hominis sunt, quibus vitæ odorem capimus æternæ, & gratiam cœlestis vnguenti geminis quibusdam sensibus haurimus. Sunt enim quædam interioris hominis membra cuius manus in actu, aures in auditu, pedes in processu quodam boni operis æstimantur.

In psal. 118. serm 16. vers. 1.
1. Cor. 2.
In psalm. 118 serm. 5. vers 5.
Lib. 3 de spiritu sancto.

Cincinnus [*ornatus*] *capitis tui sicut purpura.*) Sanguis Christi purpura est, qui inficit sanctorum animas, non solum colore resplendens, sed etiam potestate: quia reges facit, & meliores, reges quibus regnum donet eternum. Quàm pulchra & suauis facta es charitas in deliciis tuis. Pulchra decore virtutis, suauis iucunditate gratiæ, remissione vitiorum, quam nulla vexat amaritudo peccati. & ipsa iam [vestit] charitas quæ diligendo deum & nomen acceperit, quia deus charitas est. Ornatus ergo capitis eius gloriosus, quod non regalia diademata, sed dominici sanguinis insignia coronarent.

Ex serm. 17. vers. 5. in Psal. 118.

Statura tua assimilata est palmæ.) Virorem & integritatem pectoris eius ostendit. Nulla est arbor quæ ita perpetuò viret vt palma. Seruat quidem indumentum suum olea vel pinus, sed folia sua sæpe commutant: nec ea quasi diuturna sed tanquam succedanea prætendunt suæ arboris pulchritudini, perpetui integritate vestitus vice muneris obumbrantes. Palma autem inter cana niuium, pruinas frigorum, viriditatem suam semper conseruat, conseruatione & diuturnitate, non immutatione foliorum. nā ea quæ primò generauerit folia, ea sine vlla substitutionis successione conseruat. Stutura ergo sponsæ assimilata est palmę, ꝙ viriditatē pueritiæ, & illius innocentiæ naturalis, quam à primordio accepit, semper conseruarit incolumem, tanquam videlicet arbor plantata secus decursus aquarum: cuius folium non defluat. Hanc viriditatem gratiæ semper florentis in Christo secuta ecclesia dicit, In vmbra eius confugi & sedi. Hanc prærogatiuam doni virentis acceperunt & apostoli, quorū nec folium vnquam potuit elabi, vt eorum etiam vmbra curaret ægrotos. Obumbrabat enim infirmitati corporis, fides mentis, & florentia merita virtutum.

Lib. 3. hexameron cap. 17.

Ascendam in palmam, & apprehendam sublimitatem eius.) Ipsa charitas, palma est. ipsa enim est plenitudo victoriæ. Penitudo enim legis est charitas. Vnde & ascendam, inquit, in palmam, tenebo altitudinem eius. eminentiam enim videns verbi, & sperans quòd ad eius altitudinem possit ascēdere, & scientiæ summitatem, dicit, Ascendam in palmam : vt omnia inferiora relinquat, & ad superiora conscendat, ad brauium Christi, vt suaues eius fructus carpat & gustet. Suauis enim virtutis est fructus. Vnde & palmæ offeruntur vincentibus & eorum dexteræ triumphali arbore muniuntur. Præmium enim quoddam est palma martyrij, quæ confitenti linguæ dulcem tribuit fructum, & victrici dextræ, vt dixi, glorioſum præstat ornatum. Est enim martyribus suauis ad cibum, vmbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper vīrens, semper vestita foliis, semper parata victoriæ. Atque ideo non marcescit palma, quia martyrum victoria nō marcescit. Curramus ergo vt comprehendamus altitudinem palmæ, vt fructus eius carpamus: curramus vt vincamus. Qui vicerit, ascendit in palmam, & manducat fructus eius. Hinc philosophi currulia illa animarum in suis libris expressere certamina, nec tamen ad palmam peruenire potuerunt: quoniam suauitatem verbi, & altitudinem illam animæ nescierunt, quam cognouit hæc anima, in qua erat verbi conuersio. Sic enim ait, *Ego fratri meo, & super me conuersio eius.*) Hunc sensum tertiò repetiuit diuersè in Canticis Canticorum. In principio ait: Frater meus mihi, & ego ei, qui pascitur in liliis, vsque dum adspiret dies, & amoueantur vmbræ. Deinde ait: Ego fratri meo, & frater me⁹ mihi qui pascitur inter lilia. In fine ait: Ego fratri meo, & super me conuersio eius. Primum ad institutionem animæ: ideo & præmisit, frater meus mihi. illo enim demonstrante se, etiam adhærendi deo sumpsit affectum, quod sequitur secundum profectum, tertium secundum perfectionem. In primo quasi in institutione adhuc vmbras videt anima, necdum verbi appropinquantis reuelatione commotas: & ideo adhuc ei dies euangelij non refulgebat. In secūdo sine vmbrarum confusione odores pios carpit. In tertio iam perfecta requiem in se verbo ministrat, vt conuertatur super eam, & caput suum reclinet atque requiescat, meritóque iam tenens quem antea quæsitum inuenire non poterat,

Ex lib. de Isaac, ca. 8.
Ex lib. 3. hexameron cap. 15.
Ex lib. de Isaacca. 8.

rat,inuitat ad agrum ſuum,dicens:

Veni frater mi,egrediamur in agrum, requieſcamus in caſtellis.) Suprà ad hortum inuitabat, hic ad agrum habentem non ſolum florum gratiam,ſed etiam triticum & hordeum, hoc eſt,ſolidiorum firmamenta virtutum:vt fructus eius aſpiciat.Requieſcamus,inquit,in caſtellis, ad quæ Adam cum de paradiſo eiectus eſſet,fuerat relegat⁹.in his requieſcebat, ſed terram operabatur. Qua autem ratione exire eum in agrum velit,intellectus manifeſtus eſt:vt quaſi bonus paſtor paſcat gregem ſuum, laſſos alleuet,prouocet errantes.Nam &ſi anima iſta noua ac vetera ſeruauit, tamen ſunt adhuc velut agni qui lactis ſucco ſunt nutriendi. Ergo quaſi perfecta non pro ſe ſed pro aliis interuenit:vt de ſinu patris exeat,vt procedat foras tanquam ſponſus de thalamo ſuo egrediens currat viam, vt infirmos lucretur,non in illo ſecreto patris ſolio,& in illa luce cõmoretur,quò inualidi equi conſcendere non queunt: ſed vt aſſumatur & inducatur in domum ſponſæ atque ſecretum.ibi ſit foris,vt nobis intus ſit, medius noſtrum,&ſi non videatur à nobis.

Veni frater meus exeamus in agrum.) Aduertis quemadmodum ſpõſa verbũ inuitet dei vt veniat in terras, & tollat peccata mũdi.Ager hic erat antè deſertus,ſentibus noſtrorũ ſqualidus delictorum,horridus ſpinis. Caſtellum erat in quo relegat⁹ Adã perpetuo ſuæ poſteritatis heredes ſtringebat exilio. Illo ergo ducit Chriſtũ Eccleſia,vt Adã liberet:deinde exulibus abſolutis cœpit mundi iſtius ager idoneos habere cultores: & qui erat antè ieiunus, factus eſt æternæ vitis plantatione fœcundus.Nec ſic tamen ſpiritalibus læta palmitibus euagatur, ſed ad has vineas vocat Chriſtum, vbi pſallentes ſint & orantes,vbi noctibus ac diebus fructus innoxius perſeuerer.*Veni*,inquit,*frater meus exeamus in agrum.*) Multos ager fructus habet:ſed ille melior eſt, qui & frugibus redundat, & floribus. Eſt ergo eccleſiæ ager diuerſis fœcundus copiis.Hic cernas germina virginitatis flore vernantia,illic tanquam in campis ſyluæ viduitatem grauitate pollentem,alibi tanquam vberi fruge coniugij, eccleſiæ ſegetem replentem mundi horrea,ac veluti maritatæ vineæ fœtibus turcularia Ieſu domini redundantia,in quibus fidelis coniugij fructus exuberat. *Veni*, inquit,*frater meus in agrum,&c.*) hoc eſt,veniſti eò,vbi diuerſarum virtutum fructus pro ſingulorum meritis deferuntur:vbi abundant meritorum præmia. Exeamus ergo in agrum, in quo non vacuus labor, ſed fœcundus prouentus eſt gratiarum. quòd in terris ſeminaſti, hîc mete. quod tibi ſparciſti,hîc collige. *Veni* igitur, inquit, *frater meus exeamus in agrum,&c.*) Non ſolum igitur ſe lauat,ſed etiã Chriſtum ad ſe venire prouocat & inuitat dicens,Tibi dabo vbera mea.Nec ſua tantum, ſed etiam noua ac vetera pollicetur, ſicut habes: Noua & vetera frater meus ſeruaui tibi. Et quaſi amoris impatiens quærit adminiculum alicuius à quo Chriſtus rogetur vt veniat. Videte æſtuantẽ,videte deſiderantem.Quis dabit, inquit, te frater mi lactantem vbera matris meæ? Et qua ratione quęrat,& qua gratia inuitet,& quemadmodum poſſit tenere demonſtrat, quemadmodum foris morantem expectet oſtendit: & vt domo ſua egrediatur implorat dicens: Inueniens te oſculabor te,aſſumam te,& adducam te in domum matris meæ,& in ſecretum eius quæ concepit me.

Mandragoræ dederunt odorem ſuum.) Plerique diſcernunt quendam inter mandragoras ſexum,vt & mares putent eſſe & fœminas:ſed fœminas grauis odoris.Significat ergo gentes quæ antè fœtebant cum eſſent infirmiores,euirata quãdam imbecillitate perfidiæ boni odoris fructus ferre cœpiſſe,poſtquam in aduentum domini crediderunt. Legimus etiam quod mandragoras acceperit ſancta Rachel à ſorore ſua Lia,vt concederet ei illa nocte dormire cum ſancto Iacob.Mandragoras Ruben primogenitus attulerat matri ſuę Liæ, quæ lippientibus oculis ſynagogæ figuram acccepit, quia Chriſti gratiam hebetato debilis mentis obtutu.Quo declaratur quòd fructus quos antè ſynagoga à primogenito Dei filio ſuſceperat,eccleſiæ conceſſit.Sed quia illius noctis potita concubitu concepit & genuit Lia ſuæ poſteritatis hæredem,impletur myſterium,quoniam credentibus apoſtolis reliquiæ Iudæorum per electionem gratiæ ſaluæ factę ſunt:vnde & ait Eccleſia:Noua & vetera frater meus ſeruaui tibi: Similis illius patrisfamilias qui profert de theſauro ſuo noua &vetera:neque vetera ſine nouis,neque noua ſine veteribus.Sed tranſierunt vetera, id eſt, legis myſteria abſcondita in Chriſto, facta ſunt omnia noua. Hæc eſt noua creatura,de qua apoſtolus ad Galatas ait. In Chriſto enim Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura,per quam iam renouata caro floret,& fructũ inuenit gratiæ, quæ antè inueterati flagitij ſpinas habebat. Noua itaque & vetera frater meus ſeruaui tibi,hoc eſt dicere:Teneo mandata omnia noui & veteris teſtamenti.quod ſola dicere poteſt eccleſia, non dicit alia congregatio, non dicit ſynagoga, nec ſecundum literam noua tenens, nec ſecundum ſpiritum vetera.Non dicit hæreſis Manichæa.Vetera ſeruaui tibi,quæ prophetas non ſuſcipit.

Ex lib.2. ẽpiſtolarum, epiſto. 2. ad Fauſtinum.

Ex ſer.22. verſ.8.in pſal.118.

CAPVT OCTAVVM.

Quis mihi det te fratrẽ meũ ſugentem vbera matris meæ?) Vbera ſponſæ,duo ſunt teſtamenta: vetus,& nouum.Ex his exprimitur lac quo infantes in Chriſto aluntur, quemadmodum Paulus dicebat: Lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis: ſed nec quidem poteſtis. adhuc enim eſtis carnales. *Inuenieus te foris, oſculabor te, & quidem non ſpernent me.*) Habens igitur informationem nouarum & veterum ſcripturarum, nec deſpicabilem ſe eſſe ſentiens, non ſolum orationibus in ſecreto cordis verbum tenet: verum etiam pſallentes chori vocibus velut quibuſdam eum oſculis gratiæ oſculatur. Itaque malorum granatorum, hoc eſt,diuerſorum & innumerabilium fructuum & præcipuè fidei odoribus,gratiæ,ſapientiæ & gloriæ vitæque æternæ ſubnixa diuitiis ſponſa,quæ ſunt circa ſiniſtram & dextrã ſponſi, per animas ſanctas laudantium congregationũ plauſibus excitat Chriſtum dicẽs: Adiuraui vos filiæ Hieruſalem,vt non ſuſcitetis & reſuſcitetis delectionem vſque quo voluerit.Foris verò oſculatur eccleſia Chriſtum,& ab eo in cubiculum introducitur,ſicut ſupra dixit,Introduxit me in cubiculum ſuum.Oſculatus eſt eam foris quando tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo exultauit tanquam gigas ad currendam viam. Tanquam gigas foris eſt, quia non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo,formã ſerui accipiens. Foris ergo factus eſt,qui erat intus.Vide illum intus,quando legis quod eſt in ſinu patris:cognoſce illum foris,quando nos quærit vt redimat. Foris ſibi factus eſt,vt mihi intus eſſet,& fieret medicus noſter.

Ex ſer.19. verſ.4.in pſal.118.

Ex inſtit. virg. cap. 12 Cantic.2. Pſal.18.

Aſſumam te & inducam te in domum matris meæ,& in ſecretũ eius quæ me concepit.) Bona mater animarum Hieruſalem illa quæ in cœlo eſt.Erit ergo vxor tua,& inueniens te, oſculabitur te. Et ſi poſtea diſplicuerit tibi quod caſtiget corpus ſuum,& ſeruituti redigat, non patieris eam ſeruire, id eſt voluptatibus corporis:nec ſubiicies eam carni, ſed liberam permanere patieris:nec alienabis eam.hoc eſt enim vendere,nec contemnes eam,ſed permittes eam ſeruire Deo ſuo in caſtitate fidei,& bonorum operum ſobrietate. *Aſſumam*, inquit, *te,& inducam te &c.*) Vides quemadmodum delectata munere gratiarum,ad interiora cupit myſteria peruenire,& omnes ſenſus ſuos conſecrare Chriſto?Adhuc quærit ſuſcitantem, & ſuſcitari eam ſibi poſcit à filiabus Hieruſalem quarum gratiam,hoc eſt,animarum fidelium ſpõſum in amorem ſui vberiorem deſiderat prouocari.

Ex lib.3 epiſt. epiſt. 13.ad Ireneũm.

Ex cap.7. lib.de his qui initiãtur.

Aſſumam,inquit,*& ducam te &c.*) Nam &ſi Deus omnia videat cordis occulta,bonum tamen eſt vt vnuſquiſque animam ſuam ei aperiat & expandat & tanquam lumini vel calori eius occurrat.Nec immerito gloriatur eccleſia dicẽs: Ego eram in oculis eius tanquam inueniens pacem, quoniã vias ſuas prodere nõ timebat. *Introduxi*,inquit, *eã in domum matris meæ,& in ſecretum.*) Fortaſſe domus eſt in qua præfulget mortalium diſciplina:ſecretum autem illud eſt, in quo ſunt altiora myſteria.

Ex ſer. 18 verſ 8.in pſal.118.

Ex ſerm. 17 verſ.3.in pſalm.118.

Læua eius ſub caput meum,& dextera eius complectitur me.)Hæc loquitur ſponſa de Chriſto,anima de verbo Dei. Chriſtus autem idem verbum dei atque ſapientia. beata ergo anima, quam

Ex ſerm.14 verſ 5.in pſalm.118.

quam complectitur ſapientia. Magna eſt ſapientiæ manus, magna dextera, totam complectitur animã. Tota enim munita eſt, quæ deſponſata Dei verbo eſt. Plenitudo enim ſapientiæ, timere Deum. Quæ ergo Deum timet anima, pleno ſe munit ipſa præſidio: mittit ſapientia læuam ſuam ſub collum eius, dexteram autem in complexum eius. Vtrumque quidem brachium eius ad vtilia extenditur. Habent tamen propria ſua ſingulæ manus. Sapientia in dextera longitudo vitæ eſt, in ſiniſtra autem diuitiæ & gloria. Denique læua ſapientiæ ſub capite ſponſæ eſt, dextera autem ſuperior, quæ totam complectitur ſponſam. Itaque illa quaſi fulcrum eſt quietis præſentis, quo anima innexa requieſcit.

Ex ſer. 14. verſ. 5. in pſal. 118.

Quæ eſt hæc, quæ aſcẽdit dealbata, innitens ſuper fratrem ſuum?) Mirantur virtutes cæleſtes ſponſum albentibus meritis aſcendentem ex iſto vitæ huius, vt habent plerique, deſerto, ad illum florentem ſemper locum iocunditatis æternæ. Iſtæ ſunt virtutes quæ & in Eſaiæ libro loqui dicuntur: Quis eſt iſte qui aduenit ex Edom: rubor veſtimentorum ex Boſor, ſic ſpecioſus in ſtola? Iſtę ſunt, inquam, quæ mirantur ex iſto confragoſo ſcopuloſóque deſerto, ex loco inquam arido & inculto poſſe aliquem aſcendere ad illas florulentas delectationes ſine magnorum labe vitiorum: & ideo gratulantur repertam, quæ veſtimenta innocentiæ naturalis non polluerit atramento inſipientiæ ſecularis & gratiæ candore mundarit.

Ex cap. 7. de his qui initiantur.

Quæ eſt hæc quæ aſcendit dealbata?) Hæc erat nigra, vnde nũc ſubitò dealbata? Dubitauerunt enim etiam angeli cum reſurgeret Chriſtus, dubitauerunt poteſtates cœlorum vidẽtes quod caro in cœlum aſcenderet. denique dicebãt: Quis eſt iſte rex gloriæ? In Eſaia quoque habes dubitantes virtutes cœlorum dixiſſe, Quis eſt iſte qui aſcendit ex Edom: rubor veſtimentorum eius ex Boſor, ſpecioſus in ſtola candida? Chriſtus autem videns eccleſiam ſuam in veſtimentis candidis, pro qua ipſe (vt habes in Zachariæ libro prophetæ) ſordida veſtimenta ſuſceperat, vel animam regenerationis lauacro mundam atque ablutam, dicit: Ecce formoſa es proxima mea, ecce es formoſa, &c.

Zachar. 1.

Ex lib. 4. de ſacramen. cap. 2.

Quæ eſt hæc quæ aſcẽdit à deſerto dealbata?) Mirãtur & angeli. Vis ſcire quia mirantur? Audi ergo apoſtolum Paulum dicentem: ea nobis eſſe collata quæ cõcupiſcunt & angeli videre, & iterũ quod oculus non vidit, nec auris audiuit, &c.

1. Cor. 2.

Deinde quid acceperis recognoſce. Sanctus Dauid prophetа hanc gratiam in figura vidit & concupiuit. Vis ſcire quia concupierit? audi dicentem: Aſperges me hyſſopo & mundabor: lauabis me, & ſuper niuẽ dealbabor. Quare? quia nix quanuis ſit candida, cito aliqua ſorde nigreſcit atque corrumpitur.

Ex libr. de Iſaac, cap. 8.

Quæ eſt, inquiunt, *hæc quæ aſcendit candida innitens ſuper fratrem ſuum?*) Superius dixerãt, Quænam eſt hæc quæ proſpiciens tanquam diluculum, ſpecioſa ſicut Luna, electa vt Sol: hîc plus quam diceretur inuentum eſt, eò quòd verbo Dei innixa aſcenderet. Perfectiores enim ſupra Chriſtum recumbunt, ſicut & Ioannes in Chriſti pectus recũbebat. Ita ergo & hæc vel incumbebat in Chriſtum, vel ſupra ipſum ſe reclinabat, aut certè quoniã de nuptiis loquimur, iam quaſi tradita in dexteram, in thalamum ducebatur à ſponſo. Et quia iam copula charitatis eſt, blanditur ei ſponſus, & dicit:

Ibidem.

Sub arbore mali eleuaui te: illic perturiuit te mater tua: illic perturiuit te, quæ peperit te.) Bona anima quæ requieſcit ſub arbore fructuoſã, & maximè boni odoris. Nam ſi Nathanaël bon⁹, in quo dolus nullus erat, ſub arbore fici viſus eſt, vtiq; bona anima, quæ ſub arbore mali eleuata eſt à ſpõſo ſuo. Pl⁹ eſt enim eleuari quàm videri, plus etiam à ſponſo eleuari. Nam & ſi Nathanaël videbatur ſub arbore, tamen anima eius ſponſa non erat, qui occultè veniebat ad Chriſtum, quia verebatur Iudæos. Non erat ſpecioſa ſicut luna, electa vt ſol, quæ erat in vmbra: quia ſponſa per diem nubit, publicum confitetur. Ideo iſta ſub arbore mali, illa ſub ficu: quia hæc confeſſionis ſuæ odorem diffundebat longius, illa habebat puritatis & innocentiæ ſuauitatem, fragrantiam ſpiritus non habebat. Illic, inquit, parturiuit te mater tua, illic parturiuit te, quæ peperit te. Ibi enim naſcimur, vbi renaſcimur. Parturiuntur autem, in quibus imago Chriſti formatur. vnde & Paulus ait: filioli, quos ego parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Parturit enim qui in vtero accipit ſpiritũ ſanctum & aliis infundit. Vnde quoniam iam formatus in hac erat Chriſtus, ait:

A

Galat. 4.

Pone me vt ſignaculum in cor tuum, vt ſigillum in brachium tuum.) Signaculum Chriſtus in fronte eſt, ſignaculum in corde. In fronte, vt ſemper confiteamur: in corde, vt ſemper diligamus: ſigillum in brachio, vt ſemper operemur. Luceat imago eius in confeſſione noſtra, luceat in dilectione, luceat in operatione, vt ſi fieri poteſt, tota eius ſpecies exprimatur in nobis. Pone me vt ſignaculum in cor tuum, vt ſigillum in brachium tuum: quia valida eſt vt mors charitas, durus ſicut inferi zelus. Infige ergo pectori tuo & cordi tuo hoc ſignaculum crucifixi, infige & brachio tuo: vt opera tua peccato mortua ſint. Ipſe ſit caput noſtrum, quia caput viri Chriſtus. ipſe oculus noſter, vt per illum videamus patrem. ipſe vox noſtra, per quam loquamur ad patrem. ipſe dextera, per quam deo patri ſacrificium noſtrum offeramus. ipſe quoque ſignaculum noſtrum, quod eſt perfectionis & charitatis inſigne, quia diligẽs pater ſignauit filium, ſicut legimus, Quem pater ſignauit Deus. *Pone itaque me*, ait, *ſignaculum in brachium tuum*:) vt luceat pax in corde tuo & in operibus tuis Chriſtus, & formetur in te ſapientia & iuſtitia & redemptio. Pone me vt ſignaculum in corde tuo, quo fides tua pleno fulgeat ſacramẽto. Opera quoque tua luceant & imaginem Dei præferant, ad cuius imaginem facta es. Charitas tua nulla perſecutione minuatur, quam multa aqua excludere, flumina inundare non poſſunt. *Pone me ſicut ſig. in cor. ſic. ſig. in brachiis tuis.*) Ergo vnxit te Deus, ſignauit te Chriſtus. Quomodo? Quia crucis ipſius ſignatus es forma ad illius paſſionem: accepiſti ſignaculum ad illius ſimilitudem, vt ad ipſius ſimilitudinem, vt ad ipſius formã reſurgas, ipſius viuas figura, qui peccato crucifixus eſt, & Deo viuit. Et tuus homo vetus in fontem demerſus, peccato crucifixus eſt, ſed Deo reſurrexit. *Pone me vt ſignac. in brac. tuum:*) quia valida eſt vt mors charitas, durus ſicut inferi zelus. Infige ergo pectori tuo & cordi tuo hoc ſignaculum crucifixi: infige & brachio tuo, vt opera tua peccato mortua ſint. nihil in his criminis reuiuiſcat, nihil erroris reſurgat. *Pone me vt ſignacu, &c.*) Reſpõſum eſt ſpõſi ad ſpõſam, Signaculũ meum es, ad imaginẽ meã es & ſimilitudinem. Fulget in te imago iuſtitię, imago ſapientiæ, imago virtutis. Et quia imago dei es, in corde tuo eſt, ſit & in operibus tuis, ſit effigies euangelij in tuis factis, vt in tuis moribus mea præcepta cuſtodias. Effigies euangelij erit in te, ſi percutienti maxillam alterã præbeas, ſe diligas inimicũ tuũ ſi crucem tuã tollas, & me ſequaris. Ideo crucem ergo pro te portaui, ne tu propter me portare dubitares. *Pone me vt ſigillũ*, inquit, *in cor tuũ &c.*) quo ſignatura prudentiæ tuæ factorúmque documẽta promantur, in quibus figura dei Chriſtus eluceat, qui paternæ ambitum exæquans naturæ, totum quicquid à patre diuinitatis aſſumpſit, expreſſit: vnde etiam apoſtolus in ſpiritu nos dicit eſſe ſignatos: quoniam patris imaginem habemus in filio, ſigillum filij habemus in ſpiritu. Hac trinitate ſignati caueamus diligentius, ne quod accepimus pignus in cordibus noſtris, aut morum leuitas, aut vllius adulterij fraus reſignet. *Pone me*, inquit, *vt ſignac. &c.*) Quia vidit ſpõſus tantam deuotionem eccleſiæ, idoneos putat eſſe iam populos qui in corde noſtro & in brachio ſignaculum eius portare poſſimus. Ipſam enim pater ſignauit deus: & qui teſtimonium eius accepit, ſignauit, quia Deus verax eſt. Et ideo operantes cibos permanantes in vitam æternam, ſignati ſunt ad imaginem & ſimilitudinem Chriſti, qui eſt imago inuiſibilis Dei. Sicut ergo Deus verax eſt, & tu ſigna in tuo ſenſu & opere veritatem, vt os tuum non loquatur mẽdacium, manus tua non operetur opera hominum, quę ſunt fallacis iſtius mundi, ſed illa quæ Dei ſunt: & pauperibus largiatur, debiles ſubleuet, mortuos honoret tumulis ſepulturæ. His operibus charitas quæritur, vt nemo poſſit à Chriſto vel periculo mortis auelli: Vnde de ea dictum ſequitur: *Valida ſicut mors dilectio: Zelus vt inferi: alæ eius, alæ ignis.*) Inde eſt quod ille dicebat: Quis nos ſeparabit à Chriſto? Tribulatio,

B

C

D

Ioan. 6.

Ex epiſt. 12. ad Irenæum, lib. 3.

Ex cap. 7. de his qui initiantur.

Ex lib. 6. de ſacramen. cap. 2.

Ex ſerm. 15. verſu 8. in pſal. 118.

Ex ſerm. 22. verſu 8. in pſal. 118.

Ex ſerm. 19. verſ. 4. in pſal. 118.

Ibidem conſtituò. Rom. 8.

latio, an anguſtia, an perſecutio? & infra: Confido enim quia neque mors neque vita neque angeli. Ea ſpecie etiam zelus durus eſt charitatis, & alæ eius, alæ ignis. Habet alas ſicut columba, ſunt enim pēnæ columbæ deargentatæ, quibus euolat qui diligit, dicens: Ecce elongaui fugiens, & māſi in ſolitudine. Sed alæ charitatis, alæ ſunt ignis, quibus dilectionis inflammat ardorem. Hoc vapore feruentes fecit dominus angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem, ſed non exurentem. Eſt durus ergo zelus charitatis, qui non cedat infernis, cum pro Dei zelo vnuſquiſque nec ſuis parcat. *Valida ſicut mors dilectio.*) quia ſicut mors finis eſt peccatorum, ita & charitas: quoniam qui diligit dominum, peccare deſinit. Charitas enim nō cogitat malum, neque gaudet ſuper iniquitate, ſed omnia ſuſtinet. Nam qui ea quæ ſua ſunt non quærit, quomodo aliena quærit? Eſt & mors valida per lauacrum, per quod peccatum omne ſepelitur, & culpa dimittitur. Talis erat charitas quam deferebat euangelica illa mulier, de qua dominus dicit: Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Eſt & alia mors ſanctorum martyrum valida, quæ culpam abluit ſuperiorem, & ideo valida: cuius non impar eſt charitas quæ martyrum æquatur paſſionibus, vt auferat meritum delictorum. Zelus quoque vt inferi: quoniam qui zelum Dei habet, pro Chriſto nec ſuis parcit. Itaque & mortem habet charitas, & zelum habet charitas, & alas ignis habet charitas. Denique Chriſtus diligens Moyſen, in igne ei apparuit. Et Hieremias donum in ſe habēs diuinæ charitatis, dicebat: Et erat ignis inflammans in oſſibus meis, & diſſolutus ſum, & ferre non poſſum. Bona igitur charitas habens alas ignis ardentis, quæ volitat per pectora & corda ſanctorum, & exurit quicquid eſt materiale & terrenū: quicquid verò ſyncerum eſt probat: & quod contigerit, ſuo igne meliorat. Hunc ignem in terras miſit dominus Ieſus, & refulſit fides, accenſa eſt deuotio, illuminata eſt charitas, reſplenduit iuſtitia. Hoc igne inflammauit cor diſcipulorum ſuorū, ſicut teſtatur Cleophas, dicens: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis ſcripturas? Alæ igitur ignis, flāmæ ſunt ſcripturæ diuinæ. Denique aperiebat ſcripturas, & ignis exibat, & audientium corda penetrabat. Et verè alæ ignis, quia eloquia domini eloquia caſta, argentum igne examinatum. Bonæ ergo alæ charitatis, verè alæ, quæ volitant per ora apoſtolorum: & alæ ignis, quæ purgatū ſermonem loquebantur. His alis euolauit Enoch raptus ad cœlum: his alis euolauit Helias curru igneo & equis igneis ad ſuperiora trāſlatus. His alis dominus Ieſus per columnam deducebat patrum plebem. Has alas habuit Seraphin, quādo ſumpſit carbonem de altari, & tetigit os prophetæ, & iniquitates eius abſtulit, & peccata purgauit. Harum alarum igne purgati ſunt filij Leui, & baptizabantur populi nationum, ſicut teſtatur Ioannes de domino Ieſu: Ipſe vos baptizabit in ſpiritu & igne. Meritò vri renes ſuos & cor ſuum volebat Dauid, qui alas igneas charitatis ſciebat non metuendas eſſe: meritò Hebræi pueri in fornace ardenti non ſentiebant incendia, quia charitatis eos ignis refrigerabat.

Aqua multa nō poterit extinguere charitatem.) Charitas adamante fortior, & vinculum indiſſolubile. Nulla diluuia paſſionum charitatem excludere poſſunt, nulla eam acerbitatū flumina inundare. Sicut enim arca in illo mūdi diluuio totius orbis ſpaciis innocua ferebatur, ita & tu aduerſus omnium tentationum fluctus immobilis perſtas. *Aqua multa non poterit excludere charitatem, & flumina non concludent eam.*) quia torrentem tranſit anima diligentis, nulla tempeſtas, nullum profundum periculū, nullus terror mortis aut pœnæ vim charitatis imminuit. In his enim probamur, in his beata vita eſt, etiam ſi multis periculis inundetur. Nō enim, frangitur ſapiēs doloribus corporis, nec vexatur incommodis, ſed etiam in grumnis beatus manet. Neque enim aduerſa corporis, vitæ beatæ munus imminuunt, neque de eius ſuauitate aliquid delibant: quia non in delectatione corporis vitæ beatitudo eſt, ſed in conſcientia pura ab omni labe peccati, & in eius mēte qui cognoſcit quia quod bonum eſt hoc delectat, etiam ſi aſperum ſit: quod autem indecorum, etiam ſi ſuaue, non mulcet.

Sunt ergo faſtigia pietatis, ſunt culmina charitatis, quæ vaporem gratiæ pectoribus humanis adolere conſueuerūt: vt multa aqua extinguere atque excludere non queat charitatem, & flumina eam ſecularium tempeſtatum nulla cōcludant. Ideóque charitate fundatus dicit: Torrentem pertranſiuit anima noſtra. Nunquid aqua maris excludere potuit Moyſi charitatem? Nempe diligens Deum, tutum ſibi credidit iter eſſe per maria: qui autem nō dilexerunt deum, hi dimerſi fluctibus, dignum ſacrilegij ſui exitum pertulerunt. Nulla ergo tempeſtas, nullum profundum, nullus terror mortis aut pœnæ vim imminuit charitatis. Audierunt igitur hæc omnia filiæ Hieruſalem, nimirum quod Dominus Ieſus eccleſiam ſibi copulabat: & quia conſiderātes magnitudinem verbi, imparem tantis nuptiis æſtimabant, ne fortè tantæ copulæ pōdus ſuſtinere non poſſit, excuſant dicentes.

Soror noſtra parua, & vbera non habet.) Sic enim qui volunt differre nuptias, excuſare conſueuerunt, vt prætendant immaturæ ætatis infirmitatem, & adſtruant quod vbera nō habet, quæ nubilis ſignificat tempus ætatis. Hoc ſolet ſymbolum omnibus virginibus eſſe nupturis, vt cum vbera cœperint eminere, tunc coniunctioni habiles iudicentur. Turbatæ igitur, quod ſtudio dilectionis vrgeat ſponſus, dicunt: *Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando loquetur in ea?*) Vel, vt Symmachus, qua loquetur ei. hoc eſt, ſponſalium celebritate. tunc enim ſolet fieri collocutio & confirmatio nuptiarum. Quid ergo faciemus, dicunt turbatæ. quia vrgetur coniunctio ſpiritalis, & à tantis nuptiis excuſare non poſſunt? Nemo eſt enim qui copulā vel animæ & ſpiritus, vel Chriſti & eccleſiæ non beatam putet. Sed quia plenitudo verbi vel ſpiritus ſancti vibrat & fulget, & nihil eſt quod illis poſſit æquari, ideo differre deſiderant, vt illa dilatione vel anima vel eccleſia poſſit eſſe perfectior. Dicunt ergo:

Si murus eſt, ædificemus ſuper eum receptacula argentea. ſi ianua eſt, ſculpamus ſuper eam tabulas cedrinas.) Quæ dudum ludebat oſculis, iam turres erigit: vt precioſis ſanctorum turrita faſtigiis, non ſolum hoſtiles fruſtretur incurſus, verum etiam bonorum propugnacula ſtruat tuta meritorum. Murus eſt anima ſancti. Habet & eccleſia muros ſuos, quæ iam perfectior dicit: Ego ciuitas munita. Hic eſt murus qui habet duodecim portas apoſtolicas, per quas populo nationum patet ingreſſus in eccleſiam. Sed murus quantumuis ambitum totius vrbis includat, tunc tamen eſt munitior cum receptacula habuerit præparata, in quibus propugnatores vrbis tutum ſpeculandi & tuendi poſſint habere ſubſidium. Sed quia hæc rationabilis ciuitas eſt, & omnis ſpes eius in Dei verbo: non ferrea ſed argentea ei propugnacula requiruntur, eloquiis magis cœleſtibus quam corporis voluptatibus hoſtiles impetus repulſare cōſueta. Eo fulta præſidio, eo fulgēs ſplēdere, habilior Chriſti copulæ iudicatur. Et quia ianua Chriſtus eſt, qui ait: Per me ſi quis introierit, ſaluābitur: & eccleſia ianua nuncupatur: quia per ipſam patet populis aditus ad ſalutem. Sed ne hæreticorum corrumpatur tineis aut vermibus, dicunt filiæ Hieruſalem, vel angeli, vel animæ iuſtorum: Ædificemus ſuper eam tabulas cedrinas, hoc eſt fidei ſublimis bonum odorem. Eſt enim ſuauis huius materiæ odor, quam non vermis, non tinea corrumpat. Ideo huius materiæ vſus eligitur tectorum faſtigiis eleuandis, formādiſque literarum elementis, quibus ætas puerilis ad ſtudiū liberalis eruditionis imbuitur: Eſt ergo materia iſta ſublimis ad gratiā, leuis ad onus, ſuauis ad odorem, vtilis ad inſtrumentum ſcientiæ, habilis ad miniſterium cognitionis æternæ. Sed quemadmodum ſponſam ſuam diligens Chriſtus vrgebat ad copulæ ſpiritalis ſolennitatem, ita & eccleſia verbi decore iam capta feſtinabat ad nuptias. Ideóque morarum & dilationis impatiens, quas filiæ Hieruſalem innectare geſtiebant, dicit: *Ego murus & vbera mea turres.*) hoc eſt, Nolite dubitare vtrum murus ſim. illæ enim dixerant, Si murus eſt: ego, inquit, murus ſum: & non parua vbera habeo, ſed vt turres vbera mea ſūt: quomodo dicitis, quia non habeo vberes ſenſus, quæ turres habeo ſapientiæ, in quibus eſt abundantia, ſicut ſcriptum eſt: Et abundantia in turribus tuis. His vberibus, id eſt, ſenſibus, habilem ſe tā-

tis nu-

In pſal. 118. ſerm. 19. verſ. 4.

Ibidem ſerm. 21. verſ. 5.

Ibidem ſerm. 22. verſ. 8.

Ex lib. 2. de virginib. in fin.

Ex ſerm. 22 verſ. 8. in Pſal. 118.

Pſalm. 111.

tis nuptiis æstimabat. Sed filiæ Hierusalem adhuc non poterant estimare, quia sensuum eius abundantiam non videbant. addidit ergo: *Ego eram in oculis eius tanquam inueniens pacem*.) Talis, ait, eram in oculis sponsi, qualis quæ habet & inuenerit pacem, illam vtique pacem quæ exuperat omnem sensum. scriptum est enim: Qui rectè quærunt pacem, habebunt, habebũt eam testimonium. Dicit itaque ecclesia, *Ego murus, & vbera mea turris.*) Benè muri Hierusalem siue ecclesiæ sunt fidei propugnacula, disputationum munimenta, ac culmina virtutum. Muri Hierusalem ecclesiarum conuentus sunt toto orbe fundati: quoniam quisquis bona fide atque opere ingreditur ecclesiam, fit supernæ illius ciuis & incola ciuitatis, quæ descendit de cœlo. Hos muros, lapidum ædificat structura viuorum. *Ego murus & vbera mea turres.*) Murus est ecclesia: turres eius sunt sacerdotes, quibus abundat & de naturalibus verbum, & de moralibus disciplina. *Ego murus & vbera mea turres.*) Bonus murus, quem pinxit Dominus, sicut ipse ait, In manibus meis pinxi muros tuos, & in conspectu meo es semper. Bona anima, quæ habet speculatorem Deum, & in manibus eius est, sicut anima prophetica, quæ in manus domini commendatur vt spiritus, & quæ in conspectu Dei est.

Ex apologia priore Dauid, cap. 17.

Ex lib. hex aemeron 6. cap 8.

Ex lib. de bono mor. cap 5.

Vitis mea in conspectu meo, mille Salomoni, & ducenti seruantibus fructum eius.) Festinantibus dilecto atque dilecta, celebrata coniunctio spiritalis est, mutuo expetita cõsensu: ideo tanquam nuptiale canens carmen exultabat spiritus in propheta, dicens: Vinea facta est Salomoni in Belammon: dedit vineam suam his qui seruant. Clamat ergo spiritus. Plãtata est congregatio populorum vt vitis æternæ radice fundata: & spiritalia sub iugum verbi corde mãsueto colla subiecit, plantata autem in multitudine nationum. Hoc enim intelligendum Belammon, Symmachus, Aquila, aliæque translationes Græco sermone docuerunt. Repudiata est vetus copula, quæ fructum afferre non poterat, data est vinea nouis fidelibúsque cultoribus: qui non solum facere fructũ possent, sed etiam custodire. Vna igitur ouis errauit, sed reuocata totius spacia orbis impleuit. Vnam ouem error abduxerat, sed multitudinem populorum domini gratia congregauit. Errauit homo, sed ecclesia iam murus est, & murus validus. Errauit Adam, murus est Dauid, qui mandata Dei oblitus non est. Custodita igitur & vallata hæc vinea munimine spiritali, mille fructus dat Christo, ducentes autem custodibus. Ideóque ait ecclesia. *Vitis mea in conspectu meo, mille Salomoni, & ducenti seruantibus fructum.*) Perfectio & plenitudo Christi est, portio seruulorum. Habes hoc mysterium in Genesi, vbi quinque partes Beniamin fratri iuniori tribuit Ioseph, singulas reliquis fratribus. Domino igitur quinque sensuum portio & prærogatiua defertur, quã illi vtique tribuit ipse quem diligit, sicut dilexit & Paulum, cui dedit ad euocandas gentes sapientiæ principatum. His igitur fructibus delectata ecclesia, & spiritalibus iam donis exuberans, & cœlesti sponsa perpetuo fœdere copulata, in hortos ingreditur, & inueniens illic sponsum sedentem & cum amicis disputantem, dicit ad Christum: *Qui sedes in hortis, amici sunt intendentes voci tuæ: vocem tuam insinua mihi.*) Delectabatur enim quòd in hortis Christus sedebat, & in hortis positi amici intendebant voci eius. Sed quia amici illi de cœlestibus erant, archangeli vel dominationes & throni, homines enim expulsi de paradiso fuerãt propter inobedientiam cælestium mãdatorum, atque ideo adhuc ecclesia vocem eius audire non poterat, quam cupiebat audire, ideo ait: *Vocem tuam insinua mihi.*) Vnde & nos si volumus eum in nobis sedere, simus horti clausi atque muniti, feramus virtutum flores, gratiæ suauitatem, vt disputantem angelis dominum Iesum audire possimus. Sed quia futurum erat, vt cum ad plenitudinem peruenisset ecclesia, persecutionibus variis tentaretur, ideóque cum verbi gratia delectaretur, subitò cernit insidias persecutorum, & quę plus sponso quàm sibi timeret, aut quia à persecutoribus Christus magis appetitur in nobis, ideo ait: *Fuge frater meus, & similis isto tu capreolæ aut hinnulo ceruorum super montes aromatum.*) Propter infirmos fugit, qui tẽtamẽta grauiora ferre non possunt: ideóque scriptum est, vt de ciuitatibus ad ciuitates fugiamus: & si nos in hac ciuitate fuerint persecuti, fugiamus in aliam. A Propter infirmos igitur, vt diximus, fugiat persequẽtes, aut fugiat ab infirmis, & trãseat ad montes aromatum, qui pro martyrio odorem possint beatę resurrectionis adferre. Mõtes aromatum, sancti sunt. Ad eos confugit Christus, quia fundamenta eius in montibus sanctis. Ad eos igitur confugit, qui sunt eius stabilia fundamenta. In nobis fugit, in illis fida statione consistit. Mons ergo aromatum Paulus est, qui potest dicere: Bonus odor Christi sumus deo. Mõs aromatum Dauid, cuius orationis odor ascendebat ad dominum, & ideo dicebat: Dirigatur oratio mea sicut incensum in cõspectu tuo. *Fuge ergo*, inquit, *fraternus meus, & similis efficere ceruo aut hinnulo cerui in mõtes aromatum.*) Fugit fraternus plateas, fugit conuentus & strepitus fori. Serpentinus enim inuisus colubris, effugitans canem, atque humi reptãtibus infestus serpentibus, nescit habitare nisi in sublimitate virtutum, nescit commorari nisi in talibus ecclesiæ filiabus, quæ possunt dicere: Christi enim bonus odor sumus: sed quibusdam odor mortis in mortem, in iis qui pereunt: quibusdam B odor vitæ in vitam, in iis vtique qui odorem resurrectionis dominicæ viuida fide spirant. Isti sunt aromatum montes, qui domini corpus Iesu acceperunt, & in linteis cũ aromatibus ligauerunt. Quicunque enim crediderunt quia Iesus mortuus est, & sepultus est, & resurrexit, hi excelsum veræ cacumen fidei virtutum fastigiis extulerunt. Ibi ergo quæramus Christum, vbi quærit ecclesia, in montibus boni odoris, qui excelsorum sublimitate factorum, suauem vitæ odorem pro meritorum verticibus exhalant.

2. Cor. 2.

Psal. 140.

Ex lib. 3. de virginib.

1. Corint. 2.

FINIS.

Diui Ambrosij
C MEDIOLANEN. EPISCOPI,
orationes, aut si mauis, μελεταὶ, *meditationes aliquot piißimæ, ex archiuis depromptæ Cartusiæ Parisiensis.*

Orditur ab excomologesi laudis diuinæ.

SVmma trinitas, vna virtus, indiscreta maiestas, Deus noster omnipotẽs, Confiteor ego vltimus seruorũ tuorum, & exiguum membrum ecclesię tuæ, confiteor, gratias ago, & honorifico te debito sacrificio laudis, pro scire & posse quod mihi tãtillo dona re dignatus es. Et quia exteriora mihi munera desunt, quæ possint offerri: ea quæ in me sunt, vota laudationis ex dono misericordiæ tuæ, ecce libens atque ouans offero tibi de fide non ficta, & conscientia pura. D Credo ergo te corde, rex cœli, & terræ domine, & ore confiteor te patrem, & filium, & spiritum sanctum in personis trinum, & in substantia vnum, verum Deum omnipotentem, vnius simplicis, incorporeæ, inuisibilis, incircunscriptæ naturæ, nihil in te maius aut inferius habentem, sed per omnem modum sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte vitã, sine infirmitate fortem, sine mendacio veritatem, sine loco vbique totum, sine situ vbique præsentem, sine extensione omnia implentem, sine contractione vbique occurrentem, sine motu omnia transcendentem, sine statu intra omnia manentem, sine indigentia omnia creantem, sine labore omnia regentem, sine tui initio omnibus initia dantem, sine tui immutatione omnia mutabilia facientem. In magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in consiliis terribilem, in iudiciis iustum, & in cogi-

cogitationibus ſecretiſſimum, in verbis veracem, in operibus ſanctum, in miſericordiis copioſum, erga delinquentes patientiſſimum, erga pœnitentes pium, ſemper eundem ipſum, æternum ac ſempiternum, immortalem, atque immutabilem. Quem nec ſpatia dilatant, nec breuitas locorũ angustat, nec receptacula coartãt, nec voluntas variat, nec neceſſitudo corrumpit, nec mœſta perturbãt, nec læta demulcent. Cui nec obliuio quicquam tollit, nec memoria reddit, nec præterita tranſeunt, nec futura ſuccedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec caſus finem dabit: ſed ante ſecula, & in ſeculis, & per ſecula in æternum viuis. Et eſt tibi perennis laus, & æterna gloria, ſumma poteſtas, ac ſingularis honor, perpetuum regnum, & ſine fine imperium per infinita & indefeſſa & immortalia ſecula. Amen.

Secunda oratio eiuſdem ad patrem, & gratiarum actio de humana, per redemptoris aduentum, piè procurata reſtauratione.

OMnipotens deus Trinitas, cordis mei inſpector & ſcrutator, confeſſus ſum omnipotentiam maieſtatis tuæ, & maieſtatem omnipotentiæ tuæ: nunc autem qualiter humano generi in fine ſeculorum ſubuenire dignatus es, ſicut corde creditur ad iuſtitiam, ita ore coram te confiteor ad ſalutem. Tu quidem pater deus ſolus nunquam legeris miſſus: de filio autem tuo ita Apoſtolus ſcribit: Cùm venit plenitudo temporis, miſit deus filium ſuum. Cùm dicit, miſit: ſatis oſtendit quòd in hunc mundum miſſus aduenit, cùm de Maria ſemper virgine natus, verus & perfectus homo in carne apparuit. Sed quid eſt quod de illo præcipuus Euangeliſtarum ait, In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt? Illuc verò miſſus eſt per humanitatem, vbi ſemper fuit per diuinitatem. Quam videlicet miſſionem opus eſſe totius Trinitatis, corde credo, & ore confiteor. Quomodo nos amaſti pater ſancte, quantum nos dilexiſti pie cõditor, qui etiam proprio filio tuo non pepercisti, ſed pro nobis omnibus tradidiſti eum? Subditus ille tibi vſque ad mortem, mortem autem crucis, tollens ſcilicet chirographum peccatorum noſtrorum, & affigens illud cruci, crucifixit peccatum, & occîdit mortem, vnus ille inter mortuos liber, poteſtatem habens ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam, pro nobis tibi victor & victima factus: & ideo victor, quia victima: pro nobis tibi ſacerdos, & ſacrificium: & ideo ſacerdos, quia ſacrificium. Meritò mihi ſpes valida in illo eſt: quia ſanabis omnes lãguores meos per eum, qui ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. Languores quippe mei, Domine, magni ſunt & multi. Habet enim multa in me princeps huius mundi, ſcio & fateor. Sed rogo te, libera me per ſedẽtem ad dexteram tuam, redemptorem noſtrum, in quo nihil ſuũ potuit inuenire. Per ipſum me iuſtifica, qui peccatum non fecit, nec inuentus dolus in ore eius. Per ipſum caput noſtrum, in quo nulla eſt macula, libera mẽbrum eius, licet exiguum & infirmum. Libera me, quæſo, à peccatis, culpis, vitiis, & negligentiis meis. Reple me tuis ſanctis virtutibus, & fac me bonis pollere moribus. Fac me in ſanctis operibus propter nomen tuum perſeuerare vſque in finem ſecundum volũtatem tuam. Deſperare vtique potuiſſem propter nimia peccata, & infinitas negligentias meas, niſi verbum tuum, deus, fieret homo, & habitaret in nobis. Sed deſperare iam non audeo: quia cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem filij tui: quantò magis nunc ſalui facti ab ira per ipſum? Omnis nanque mihi ſpes, & totius fiduciæ fortitudo eſt in precioſo ſanguine eius, qui effuſus eſt propter nos, & noſtram ſalutem. In ipſo reſpiro, & in ipſo confiſus ad te peruenire deſydero, non habens meam iuſtitiam, ſed eam quæ eſt ex filio tuo domino noſtro Ieſu Chriſto. Vnde clementiſſime & benigniſſime amator hominum, deus, qui per Ieſum Chriſtum filium tuum dominum noſtrum cùm non eſſemus, potenter feciſti nos: & cùm perditi fuiſſemus culpa noſtra, mirabiliter recuperaſti nos, gratias ago pietati tuæ, & multas tibi refero gratias ex totis præcordiis meis, qui proter tuam inenarrabilem dilectionem, qua nos miſeros & indignos mirabili bonitate amare dignatus es, miſiſti eundem vnigenitum tuum de ſinu tuo ad publicum noſtrum commodum ſaluare nos peccatores, tunc filios perditionis. Gratias tibi ago pro ſancta incarnatione & natiuitate eius, & pro gloriola genitrice eius, de qua ipſe carnem aſſumere dignatus eſt propter nos & noſtram ſalutem: vt ſicut verus deus eſt ex te deo, ita verus homo ex homine eſſet. Gratias tibi ago pro paſſione & cruce eius, pro morte & reſurrectione eius, & pro aſcenſione eius in cœlum, & ſede eius maieſtatis ad dexteram tuam. Ipſe enim die quadrageſimo poſt reſurrectionem ſuam videntibus diſcipulis aſcendens ſuper omnes cœlos, ſedénſq; ad dexteram tuam, ſpiritum ſanctum ſecundum promiſſionem tuam in filios adoptionis effudit. Gratias tibi ago pro illa ſanctiſſima effuſione precioſi ſanguinis eius, quo ſumus redempti: ſimul pro ſacroſancto & viuifico myſterio corporis & ſanguinis eius, quo quotidie in eccleſia tua paſcimur & potamur, abluimur & ſanctificamur, & vnius ſummęque diuinitatis participes efficimur. Gratias tibi ago pro hac tua mira & inenarrabili charitate, qua nos indignos ſic amaſti, & ſaluaſti per vnicum dilectum filiũ tuum. Sic enim dilexiſti mundum, vt vnigenitum tuum dares: vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam ęternam. *Ioan. 3. b.* Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcamus te ſolum verum deũ, *Ioan. 17. a.* & quem miſiſti Ieſum Chriſtum per fidem rectam, & digna fidei opera. O immenſa pietas: ô immenſa & ineffabilis charitas: vt liberares ſeruum, tradidiſti filium. *Roma. 8. f.* Deus factus eſt homo, vt perditus homo de poteſtate dæmonum erueretur. Quoniam benignus amator hominum filius tuus deus noſter, cuius piis viſceribus non ſatis viſum eſt vt ſe inclinaret factus homo de vera virgine, niſi etiam ſubiret crucis ſupplicium, effuſo ſanguine propter nos, & noſtram ſalutem. Venit pius deus, venit pro pietate & bonitate ſua, *Lucæ. 19. b.* venit quærere & ſaluum facere quod perierat. *Luc. 15. a. b.* Quæſiuit ouem perditam, quęſiuit, & inuenit, & humeris ſuis reportauit ad caulas gregis pius dominus, & verè multum mitis paſtor. O charitas: ô pietas: Quis audiuit talia? Quis ſuper tanta miſericordiæ viſcera non obſtupeſcat? Quis non miretur? quis non collętetur? Propter nimiam charitatem tuã qua dilexiſti nos, miſiſti filium tuum in ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum, vt nos efficeremur iuſtitia tua in ipſo. *Roma. 8. a.* Ipſe enim verus eſt agn⁹, agnus immaculat⁹, qui immolatus abſtulit peccata mũdi: qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit. *2. Cor. 5. d.* Sed quid tibi retribuere poſſumus deus noſter, pro tantis beneficiis miſericordiæ tuæ? Quas laudes quáſve gratiarum actiones? Etiam ſi illa beatorum angelorum ſcientia & potentia foret nobis, nil tamen dignum tantæ pietati & bonitati tuæ recompenſare valeremus. Si certè omnia mẽbra corporis noſtri verterentur in linguas, ad rependendas tibi debitas laudes, nequaquam ſufficeret exiguitas noſtra. Supereminet enim omni ſcientiæ ineffabilis charitas quam oſtẽdiſti nobis indignis pro ſola bonitate & pietate tua. Filius nanque tuus rex noſter, non angelos, ſed ſemen Abra- *Hebr. 2. d.* hæ apprehendit, aſſimilatus nobis per omnia abſque peccato. Humanam nanque non angelicam ſuſcipiẽs naturam, & eam ſtola reſurrectionis & immortalitatis glorificans vexit ſuper omnes cœlos, & ſuper choros angelorum, ſuper cherubim & Seraphim collocãs ad dexteram tuam. Hanc autem laudant angeli, & adorant dominationes, & omnes virtutes cœlorum tremunt ſuper ſe deum hominẽ. Hæc nempe eſt mihi ſpes tota, omníq; fiducia. Eſt enim in ipſo Chriſto domino vuiuſcuiuſque noſtrum & portio, & ſanguis, & caro. Vbi ergo portio mea regnat, regnare me credo. Vbi ſanguis meus dominatur, dominari me credo. Vbi caro mea glorificatur, glorioſum me eſſe cognoſco. Quantumuis peccator ſim, de hac communione gratiæ non diffido: & ſi peccata mea prohibent, ſubſtantia requirit: & ſi delicta propria me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis eſt dominus, vt obliuiſcatur hominis, & non meminerit ipſius, quem ipſe geſtat: vt quem mei cauſa ſuſcepit, non me eius cauſſa requirat. Mitis certè & valde benignus

nignus est dominus deus noster,& diligit carnem suam,mẽbra sua,viscera sua.In ipso deo & domino nostro Iesu Christo dulcissimo atque clementissimo, in quo iam resurreximus, iam ad cœlum conscendimus, iam in cœlestibus considemus, caro nostra nos diligit. Habemus autem prærogatiuam sanguinis nostri: in ipso sumus, membra eius,caro eius.Ipse denique est caput nostrum,ex quo totum corpus est compactum,sicut scriptum est:Os ex ossibus meis,& caro de carne mea: Et erunt duo in carne vna. Et nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed fouet & diligit eam. Mysterium hoc magnum est,ego autem dico in Christo & in ecclesia,ait Apostolus.¶Gratias igitur ago labiis & corde, & omni qua valeo virtute, infinitæ misericordiæ tuæ domine deus noster pro omnibus miserationibus tuis,quibus mirabiliter nobis perditis subuenire dignatus es per eundem filium tuum saluatorem & recuperatorem nostrũ, qui mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram: & nunc viuens sine fine, sedet ad dexteram tuam,& interpellat pro nobis,& simul tecum misereturꝰ, quia deus est ex te patre coæternus tibi & consubstãtialis per omnia,vnde potest nos in æternum saluare. Sed secundum hoc quòd homo est,ex qua parte minor te est, data est ei à te omnis potestas in cœlo & in terra,vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium,& infernorum:& omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria tua est ô Deus pater omnipotens. Ipse quidem iudex constitutus est viuorum & mortuorum.Tu verò non iudicas quenquam,sed omne iudicium dedisti filio, in cuius pectore reconditi sunt omnes thesauri sciẽtiæ & sapientiæ. Ipse est autem testis & iudex: iudex & testis, quem nulla conscientia peccatrix effugere potest. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius. Ipse sanè qui iniustè iudicatus est, iudicabit orbem terræ in æquitate,& populos in iustitia. Benedico ergo nomen tuum sanctum, & glorifico ex toto corde meo, & gratias ago omnipotens & misericors domine, pro illa mirabili & inenarrabili coniunctione diuinitatis & humanitatis in vnitate personæ: vt non alter Deus,alter homo esset: sed vnus idem deus,& homo: homo & Deus. Sed licet mirabili dignatione verbum caro factum sit: neutra tamen ex duabus naturis in aliam mutata est substantiam. Trinitatis mysterio quarta non est addita persona. Vnita quidem est, non confusa verbi Dei hominisque substantia: vt in deum,quod susceptum est ex nobis perueniret, & illud quod nunquam non fuerat,idem quod fuerat,permaneret. O mirabile mysterium, ô inenarrabile commercium, ô mira sempérque miranda diuinæ propitiationis benignitas. Serui digni non fuimus: & ecce filij Dei facti sumus:hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et quid nos ad hæc? Sed rogo te, clementissime pater deus per hanc inæstimabilem pietatem & charitatem tuam, vt dignos nos facias multis & magnis promissionibus eiusdem filij tui domini nostri.Mãda virtuti tuæ, & confirma hoc quod operatus es in nobis. Perfice quod cœpisti, vt ad plenam pietatis tuæ gratiam mereamur peruenire. Fac nos per spiritum sanctum intelligere & mereri, ac debito honore venerari magnum hoc pietatis tuæ mysterium, quod manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria. O quantum tibi sumus debitores,domine deus noster, tanto redempti precio, tanto saluati dono, & tam glorioso adiuti beneficio! Quantum à nobis miseris es timendus,amandus, honorandus, & glorificandus,qui nos sic amasti, sic saluasti, sic sanctificasti,sic sublimasti! Tibi nempe debemus omne quod possumus, omne quod sapimus,omne quod viuimus. Sed quis habet quicquam, non tuum? Tu domine deus noster à quo bona cuncta procedunt, propter te & propter nomen tuum da nobis de bonis tuis,vt de tuis donis ac datis seruiamus tibi, & in veritate placeamus atque debitas quotidie laudes & gratiarum actiones rependamus tibi pro tantis beneficiis misericordiæ tuæ.Non enim aliunde possumus seruire tibi neque placere, nisi de tuo munere. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est,descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Domine Deus noster,Deus pie,Deus bone, Deus omnipotens,Deus ineffabilis & incircunscriptæ naturæ,institutor omnium rerum, & domini nostri Iesu Christi pater, qui eundem dilectum filium tuum misisti de sinu tuo ad publicum nostrum suscipere vitam nostram, vt nobis donaret suam, essétque perfectus Deus ex patre, & perfectus homo ex homine matre. Deus totus, homo totus, vnus idémque Christus æternus & temporalis, immortalis & moriturus: Creator & creatus, fortis & infirmus,nutritor & nutritus: pastor & ouis: temporaliter mortuus: tecum viuens in æternum, suis dilectoribus vitæ municipatum dedit: & nobis dixit: Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis per ipsum sacerdotem & verum pontificem & bonum pastorem,qui se tibi obtulit sacrificium,ponẽs animam suam pro grege suo.Te rogo per ipsum, qui sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis,redẽptorem & aduocatum nostrum: pietati tuæ & bonitati tuæ supplico clementissime & benignissime amator hominum Deus,vt des mihi cum eodem filio tuo domino nostro & cum sancto spiritu, te in omnibus benedicere & glorificare,tibíque gratias agere cum multa cordis contritione, & lachrymarum fonte, & mentis iubilatione: quia quorum est vna substantia, vnum est & datum. Sed quoniam corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: excita, quæso,torporem meum tuis stimulis,& fac me strenuè perseuerare in præceptis tuis & laudibus die ac nocte. Tribue vt concaleat cor meum intra me, & in meditatione mea exardescat ignis.Et quia ipse vnicus tuus dixit, Nemo venit ad me,nisi pater qui misit me,traxerit eum: & nemo venit ad patrem,nisi per me: obsecro & suppliciter rogo, trahe me semper ad ipsum, & ipse me tandem perducat ad te, illuc vbi ille est in dextera tua sedens, vbi est sempiterna vita,& sempiternè beata, vbi amor perfectus, & nullus timor: vbi est dies æternus,& vnus omnium spiritus: vbi est summa & certa securitas,secura tranquillitas,tranquilla iucunditas, iucunda fœlicitas, fœlix æternitas, æterna beatitudo,beata tui sine fine visio,& laudatio:vbi tu cum illo,& ille tecum, cum communione sancti spiritus æternaliter & sempiternaliter viuit & regnat deus,Amen.

Ioan.1. *Ephe.1.d.& 4.d.& 5.e. 1.Cor.6.d. Ephe.5.f.* *Rom.4.d.* *Roma.8.g.* *Matth.28.d* *Philip.2.b.* *Actor.10.g.* *Ioan.5.d* *Coloss.2.a.* *Hiere.29.f.* *Hebr.4.d.* *Psal.67.f.* *1.Tim.3.d.* *Iacob.1.c.* *Ioan.14.b.* *Sapien.9.d.* *Psal.38.a.* *Ioan.6.c.* *Ibidem.g.* *Gradatio ab abstractis ad concreta.*

Alia eiusdem oratio.

SPes mea Christe deus, hominum tu dulcis amator,
Lux, via, vita, salus, pax, & decus omne tuorum.
Omnia pro quorum voluisti ferre salute,
Carnem,vincla,crucem,vulnus, mortémque,sepulchrum.
Post tres inde dies (deuicta morte) resurgens,
Discipulis visus nutantia corda reformans,
Luce quaterdena cœlorum regna petisti
Viuus in æternum nunc & per secula regnans.

Tu es deus meus,viuus & verus.pater meus,sanctus. dominus meus,pius.rex meus,magnus.pastor meus, bonus. magister meus, vnus. adiutor meus, opportunus.dilectus meus, pulcherrimus. panis meus, viuus. sacerdos meus, in æternum. dux meus,ad patriam. lux mea, vera. dulcedo mea, sancta. via mea, recta. sapientia mea, præclara. simplicitas mea, pura. concordia mea, pacifica. custodia mea, tuta. portio mea, bona. salus mea, sempiterna,misericordia mea, magna. patientia mea, robustissima. victima mea, immaculata.redemptio mea, sancta. spes mea futura. charitas mea, perfecta. resurrectio mea, sana. vita mea, æterna. exultatio & visio mea, beatissima sine fine mansura. Te deprecor, supplico, & rogo, vt perficias in me cœptum opus misericordiæ tuæ: Ego enim vltimus seruorum tuorum, non immemor beneficiorum tuorum & miserationis tuæ, quæ mihi peccatori collata est, gratias tibi ago, qui me indignum pro tua sola clementia per aquam sacri baptismatis, & renouationem sancti spiritus ab originalibus peccatis expedisti,& inter adoptionis filios aggregasti, qui mihi rectam fidem donasti, cã-

eámque in corde meo ſemper augere & confirmare dignatus es per illuminationem gratiæ tuæ, & per documenta matris eccleſiæ. Obſecro domine & ſuppliciter rogo, adauge in me fidem veram & ſanctam, fidem catholicam & orthodoxam, fidem prudentiſſimam & inuictiſſimam, bonis omnibus cunctiſque virtutibus adornatam, quæ per dulcedinem operetur in me quod tibi placet, quæ nequeat vinci inter verba adulationis, in tempore perſequutionis, vel in die neceſſitatis. Cunctarum fons & origo, largitor & conſeruator virtutum deus, auge, quæſo, in me fidem rectam, ſpem inconcuſſam, charitatem perfectam, humilitatem profundam, patientiam inuictiſſimam, corporis & animæ caſtitatem perpetuam. Da mihi domine prudentiam, iuſtitiam fortitudinem, & temperantiam, diſcretionem in omnibus & ſenſum peruigilem, vt poſſim inter bona & mala, inter dexteram & ſiniſtram prudenter diſcernere. Fac me ergo diuitem ſanctarum virtutum tuarum, ex quibus tibi ſeruiam, per quas tibi in veritate placeam. Amator enim factus ſum pulchritudinis earum per gratiam tuam. Da mihi eas propter honorem & gloriam nominis tui, coniunge eas ndei B meæ, vt ſint ei indiuiduæ comites per omne tempus vitæ meæ. Vnde rogo fac me per gratiam tuam ſemper & in fide ſtabilem, & in opere efficacem, vt fidem tuam quam lingua mea loquitur, etiã bonis moribus vita fateatur. ¶ Gratias tibi ago domine, qui me vas vacuum, inutilem & idiotam repleſti ſcientia & intelligentia, & dediſti mihi tantam tui nominis cognitionem. Obſecro domine & ſuppliciter Petitio rogo, da mihi ſemper humilem ſcientiam, quæ ædificet: & da mitiſſimam & ſapientem eloquentiam, quæ neſciat inflari, & de tuis donis ſuper fratres extolli. Pone, quæſo, in ore meo verbum conſolationis & ædificationis ac exhortationis per ſpiritum ſanctum tuum: vt bonos ad meliora valeam exhortari, & eos qui peruerſè gradiuntur, ad tuæ rectitudinis lineam reuocare verbo & exemplo. Sint verba quæ dederis ſeruo tuo, tanquam acutiſſima iacula, & ardentes ſagittæ, quę penetrent & incendant mentes audientium ad timorem & amorem tuum. ¶ Gratias tibi ago domine, C qui me etiam à vano huius ſeculi conſortio ſeparaſti, & ad ſanctum ſeruitium tuum perduxiſti, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ. Benedico te domine deus noſter, qui das mihi indigno, ſeruorũ tuorum ſocietate & charitate perfrui: das mihi quietem & ſalutem corporis & animæ, ſimúlque ad te opportunam vacationem. Libera me à vaniſſimis huius ſeculi implicationibus ad profectum animæ meæ, propter honorem & gloriam nominis tui. Et quia ſcriptum eſt, Nemo militans deo, implicat ſe negociis ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit, libera, rogo, penitus à cunctis negociis terrenis, & ab omnibus ſecularium cauſſarum tumultibus animas ſeruientium tibi, vt tibi ſolo domino vacent nocte ac die. Da fructuoſum & ſpirituale ocium abrenunciantibus mundo, vt ipſo cordis palato guſtent & ſapiant quàm ſuauis es domine, & dulcis: ſicut diuina ſcripura admonet, dicens: Vacate & videte, quoniam ego ſum deus. & alibi, Sapientia diſcitur in tempore ocij: & qui minoratur actu, ipſe percipiet eam. Sed & ſanctiſſima verba pio ore tuo probata plenius nos informant, & à mundaD nis curis nos prohibent dicentia: Non poteſtis deo ſeruire, & mammonæ. Et rurſum: Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciẽs retro, aptus eſt regno dei. Et alibi euidenti nos exemplo terrere dignatus eſt, dicens: Mementote vxoris Loth. ¶ Gratias tibi ago, domine miſericordiſſime qui me miſerum multum negligentem peccatorem à cunabulis meis & pueritia per vniuerſa penè vitia currentem, benignè & patienter adhuc ad pœnitentiam expectas, nolẽs me perdere cum vitiis & peccatis, culpis & negligentiis meis. Si enim mihi domine ſecundum peccata mea facere voluiſſes, olim me viuum terra abſorbere debuiſſet. Sed rogo pie, ne tua in me tanta expectatio ſit vacua, ne ſit (quod abſit) infructuoſa. Tu, qui mortem non vis peccatoris, da mihi de præteritis meis malis indulgentiam, de præſentibus concede mihi emendationem, de futuris verò largire iugiter cuſtodiam atque cautelam. Da locum & ſpatium ad dignos pœnitentiæ fructus. Aperi oculos cordis mei per ſanctum ſpiritum tuum, vt videam & plangam omnia peccata mea, 2. Cor. 6. a.
A donec tempus eſt acceptabile, & ſuperſunt dies ſalutis. Miſerere mei, & ne perdas me cum peccatis meis, neque reſerues mala mea punienda in illis infernalibus ſuppliciis, in illa futura vita, in illo tremendo examine. Propter magnam clemẽtiam tuam, ſolue peccatorum meorum vincula priúſquam ex hac vita egrediar. Da mihi cor contritum & humi- Pſalm. 50.
liatum, da gratiam lachrymarum, da lumen in corde, da vires in corpore, vt quæ agenda ſunt, videam, & ad ea implenda quæ videro, fortiter conualeſcam cunctis diebus vitæ meæ. Miſerere mei deus, miſerere mei. Non permittas perire animam meam peccatricem, pro qua etiam naſci de virgine, & mori in cruce dignatus es. Non iubeas, quæſo, ſeparari eam ab hoc mortali corpore priuſquam me facias plenè & perfectè pœnitere, plangere omnia peccata mea quæcunque egi poſt baptiſmum ab ipſis cunabulis meis, ſiue ſcienter & neſcienter, ſiue ſuperbè & negligenter: ita vt in die exitus mei, emendatis delictis omnibus, & bene correctis moribus, ſecurus & gaudens videam dulciſſimam B & pulcherrimam faciem tuam cum lætitia & exultatione, propter nimiam miſericordiam tuam & bonitatem. ¶ Gratias tibi ago iterum atque iterum omnipotens & miſericors Chriſte, qui immeritam exiguitatem meam propter te & propter nomen tuum ſanctum de multis meis anguſtiis, tribulationibus, calamitatibus, miſeriis & infirmitatibus, de multis foueis, laqueis, & peccatis: de multis inſidiis viſibilium & inuiſibilium inimicorum: de multis malis & grauiſſimis periculis hactenus liberare dignatus es, dirigens mirabiliter & miſericorditer vitam meam inter aduerſa & proſpera, ita vt nec aduerſa me deiicerent, nec proſpera me extollerent. Poſuiſti enim frenum in maxillis meis, & non Alluſio ad. e
me dereliquiſti penitus in manu arbitrij mei, habens curam Exech. 26. d
de me paterna pietate, & non permittens amplius tentari ſupra id quod poſſum ſuſtinere. Vbi fuit locus peccandi, non fuit voluntas: & quando fuit voluntas, non fuit locus. 1. Cor. 10. e.
Sit itaque tibi laus, ſit benedictio, ſit gratiarum actio, do- C
mine deus meus pro vniuerſis donis ac datis tuis: pro omnibus beneficiis quæ animæ meæ & corpori meo largiris, & ſemper largitus es ab ipſis cunabulis pro pietate & bonitate tua, nec vllis meis meritis. Sed rogo te, domine, rogo, ne ſinas me ingratum eſſe tantis beneficiis, & indignum tantis donis, & multis miſerationibus tuis. Non mihi, non diabolo, non mundo, non alicui rerum, non cuilibet homini liceat dona tua in me peruertere: quia totum fragile eſt, quicquid tibi nititur obuiare. Pone, quæſo, Cant. 1. a.
magis magíſque frænum tuum in maxillis meis, & trahe me poſt te tanquam manſuetum animal in nullo tuis iuſſionibus recalcitrantem, ſed plano moderatóque inceſſu te dominum meum portantem, & voluntati tuæ in omnibus obtemperantem. Excita domine torporem meum tuis ſtimulis, & fac me toto corde, tota virtute quærere faciem tuã cunctis diebus vitæ meæ. Attrahe me ad te, virtus ſalutis noſtræ deus, fræno potentis deteræ tuæ, & non ſinas me propria voluntate, vel libero arbitrio vagari. Imaginem tuam in me non ſinas obſcurari, quæ ſi te defendente protegaD tur, ſemper egregia, nobilis, atque perſpicua eſt. ¶ Miſerere mei miſerrimi & indigni ſerui tui: quia non ſum ſicut innummeri & multiplices ſerui tui, qui tibi ab ipſis cunabulis deuotiſſimè ſeruierunt: non ſum ſicut illi, qui poſt publica flagitia pœnitendo, tibi meruerunt eſſe deuoti: non ſum ſicut nonnullæ Chriſtianæ fœminæ viris ſuis iunctæ, quæ tibi ſeruiunt in actibus miſericordiæ, cum ſumma deuotione. Non ſum ſicut multi illorum, qui in oculis hominum tanquam iniqui & peruerſi eſſe videntur, ſed multò aliter habentur in conſpectu tuo. Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum. Si quid tamen domine boni facio vel fe- 2. Para. 6. e
ci tua gratia largiente, quo fine hoc faciam, quá ve diſtri- Pſal. 65. a.
ctione à te penſetur, ignoro. Vnde Deus terribilis ſuper fi- 2. Pet. 3. b.
lios hominum, tuam ſanctam & immenſam ſupplex & 1. Tim. a.
multum tremens deprecor clementiam, vt tu, qui ne- Eccle. 13. c.
minem vis perire, ſed omnes ſaluos facere, non me derelinquas in manu conſilij mei, neque in iudicio arbitrij mei, neque in poteſtate aut tentatione demonis,

neque in errante iudicio,aut noxio consilio hominum : sed pro pietate & bonitate tua,iuxta tuam benignissimam,quæ in sui dispositione falli non potest, prouidentiam, dispone hîc & vbique, nunc & semper dies vitæ meæ in beneplacito tuo, & dirige per spiritum sanctum tuum, cor, linguam, actus meos secundum voluntatem tuam in tua misericordia: vt te rectore, te duce, illa semper studeam cogitare,loqui,& agere,quæ & tibi placeant per gratiam tuam in veritate,& me tandem ad vitam perducant æternam,te miserante & donante,qui es largitor omnium bonorum, qui es benedictus cum patre & spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

Alia eiusdem oratio.

Apoc.3.d. IEsu domine, Iesu pie, qui mori dignatus es propter peccata nostra,& resurrexisti propter iustificationem nostram, resuscita me de sepulchro vitiorum & peccatorum omnium, & da mihi quotidie partem in resurrectione tua prima,vt in resurrectione secunda merear percipere portionem.Dulcissimè,benignissime, amantissime, charissime, preciosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, ascendisti in cœlum cum triumpho gloriæ,& sedes ad dexteram patris, rex potentissime.Trahe me sursum post te:in odore vnguentorum tuo-
Colos.3.a. *Cantic.1.a.* rum curram,& non deficiam te trahente,te ducente. Trahe os sitientis animæ in superna fluentia internę satietatis,imò trahe ad te fontem viuum, vt inde pro captu meo bibam,
Psal.41.a. *Ioan.7.f.* inde semper viuam,deus meus,vita mea. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto: Si quis sitit,veniat ad me,& bi-
Psal.35.b. bat. Fons vitæ,da sitienti animæ semper bibere ex te,vt secundum sanctam & veridicam promissionem tuam,de ventre meo fluant aquæ viuæ. Fons vitæ,reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, & inebria cor meum sobria ebrietate amoris tui, vt obliuiscar quæ vana sunt & terrena,& te solum iugiter habeam in memoria mea, sicut scriptum est:
Psal.76.a. Memor fui dei,& delectatus sum:da spiritum sanctũ tuum, quem significabant aquæ illæ, quas te sitientibus daturum promiseras. da, quæso, toto desyderio & omni studio tendere, quò te ascendisse post resurrectionem die quadragesimo credimus:vt in præsenti quidẽ miseria, solo tenear corpore, tecum autem sim cogitatione semper & auiditate : vt ibi sit cor meum, vbi tu es, thesaurus meus desyderabilis, multúmque amabilis. In hoc magno seculi huius diluuio, vbi circunflantibus procellis non inuenitur fida statio, & locus eminentior, vbi pes columbæ aliquatenus valeat re-
Genes.8. *Sapien.9.d.* *2.Cor.7.b.* quiescere. Nusquam tuta pax,nusquam secura requies:vbique hostes : foris pugnæ, intus timores : & quia altera pars sumus cœli,altera terræ, corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Idcirco animus meus,socius & amicus meus, fatigatus veniens de via, languet, & discissus atque laceratus ab ipsis quas transierat vanitatibus, esurit & sitit valde,
Luca 11.a. & non habeo quod ponam ante illum.Pauper sum & mendicus:tu diues omnium bonorum,& dapum supernæ satietatis opulentissime largitor, da lasso cibum, collige dis-
Apoc.3.d. persum,redintegra dissipatum.En stat ad ostium,& pulsat. Obsecro per viscera misericordię,quibus visitasti nos oriens ex alto, aperi pulsanti misero manus pietatis tuæ, iube propitiabili dignatione vt ingrediatur ad te, & requiescat in te, & reficiatur de te cœlesti viuóque pane, quo satiatus, resumptis viribus, ad superna contendat, & de hac valle lachrymarum penna sancti desyderij raptus, ad cœlestia gaudia volitet. Assumat domine, assumat rogo, spiritus meus
Esa.40.g. pennas vt Aquilæ, volet & non deficiat, volet & perueniat vsque ad decorem domus tuæ,& locum habitationis glorię tuæ : vt ibi super mensam refectionis ciuium supernorum, pascatur de occultis tuis in loco pascuæ, iuxta fluenta pleni-
Psal.25.b. *Psal.22.a.* *Matth.8.c.* ssima. Requiescat,Deus,in te cor meum,mare magnum, & tumens fluctibus. Tu,qui imperasti ventis & mari,& facta est tranquillitas magna, veni & gradere super fluctus cordis mei,vt tranquilla & serena fiant omnia mea: quatenus vnum bonum meum amplectar te,& dulce lumen oculorum meorum contempler te sine tumultuantium cogitationum cæca caligine.Confugiat,domine,mẽs mea sub vm- *Psal.16.e.*
A bra alarum tuarum ab æstibus cogitationum huius seculi, vt in tui refrigerij temperamento absconsa,lætabunda cantet & dicat:In pace in idipsum dormiã & requiescam. Dor- *Psalm.4.b.*
miat obsecro deus meus, dormiat memoria mea ab omnibus quę sub cœlo sunt, vigilans in te,sicut scriptum est:Ego *Cantic.5.a.*
dormio,& cor meum vigilat. Sit tuta,sit semper secura sub pennis protectionis tuæ anima mea, deus meus, maneat in te,foueatur semper à te. Contempletur in mentis excessu, & cantet laudes tuas in iubilatione, & hæc dulcia dona tua sint inter hos turbines consolatio mea interim donec veniã ad te veram pacem meam,vbi nõ est arcus, scutum,gladius, & bellum,sed est summa & certa securitas,secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, beata tui visio, & laudatio in secula seculorum. Amen.

Alia oratio sancti Ambrosii.

B CHriste domine, virtus & sapientia patris, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas vẽtorum,qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem, obsecro & humiliter rogo, da præpetes pennas fidei,da celeres alas virtutum,quibus euectus æterna & cœlestia valeam contemplari. Adhæreat,quæso,anima mea post te,& suscipiat me dextera tua. Sustollat me super altitudinem terræ,& cibet me illa cœlesti hæreditate,cui suspirat peregrinatio mea die ac nocte. Et quia moribũda membra vigorem animæ hebetant:

Disiice terrenæ nebulas & pondera mentis,
Siste vagam mentem per deuia multa ruentem,
Et da cœlestem mentem conscendere sedem:

vt superno lumine irradiata, terram despiciat, cœlum aspiciat,peccata oderit,iustitiam diligat. Quid enim pulchrius,
C quídve dulcius,quàm inter tenebras huius vitæ, multásque amaritudines, diuinæ dulcedini suspirare, illícque teneri mente,vbi vera gaudia haberi certissimum est? Dulcissime, amantissime, charissime, preciosissime, desyderatissime, amabilissime,pulcherrime, quando te videbo? quando appa- *Psal.41.a.*
rebo ante faciem tuam ? quando satiabor de pulchritudine tua? quando educes me de carcere hoc tenebroso, vt confi- *Psal.29.c.*
tear nomini tuo, ita vt deinceps non compungar? quando *Psal.41.a.*
transibo in illam admirabilem & pulcherrimam domum tuam,vbi personat vox lætitię & exultationis in tabernaculis iustorum? Beati,qui habitãt in domo tua,Domine:in se- *Psal.83.a.*
cula seculorum laudabunt te. Beati,& verè beati,quos ele- *Psal.64.a.*
gisti & assumpsisti in illã hæreditatem cœlestem. Ecce,Do- *Esaie 35.a.*
mine,sancti tui florebunt ante te sicut lilium:replẽtur enim *Psal.35.b.*
ab vbertate domus tuæ,& torrẽte voluptatis tuæ potas eos: quoniam tu es fons vitæ, & in lumine tuo vident lumen, adeò vt ipsi lumen illuminatum per te deum lumen illu- *Sapien.3.b.*
minans,sicut Sol refulgeãt in cõspectu tuo.Quàm mira,quàm *Psal.83.a.*
pulchra,quàm acceptabilia sunt domus tuæ habitacula, do- *Psal.25.b.*
D mine virtutum ! Concupiscit intrare in ea hæc peccatrix anima mea. Domine,dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Vnam petij à domino,hanc requi- *26.b.*
ram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ. Quemadmodũ desyderat ceruus ad fontes aquarum, *41.a.*
ita desyderat anima mea ad te,deus. Quãdo veniam?Quando apparebo?Quando videbo deum meum,quem sitit ani- *26.d.*
ma mea?Quando videbo eum in terra viuentium?In ista autem terra mortuorum,mortalibus oculis videri non potest. Quid faciam miser, grauatus compede mortalitatis meæ? Quid faciã? Dum sumus in corpore, peregrinamur à domino.Non habemus hîc manentem ciuitatem,sed futuram in- *2.Cor.5.b.*
quirimus. Noster autem communicipatus in cœlis est.Heu *Hebr.13.c.*
mihi,quia incolatus meus prolõgatus est:habitaui cum habitantibus Cedar,multum incola fuit anima mea. Quis da- *Psal.119.d.*
bit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? *54.b.*
Nihil mihi tam dulce, quàm cum domino meo esse. Mihi *72.d.*
autem adhærere deo,bonũ est. Da mihi, domine,donec his fragilibus

fragilibus assisto membris, tibi adhærere, sicut scriptum est:
1.Cor.6.d. Qui adhæret domino, vnus spiritus est. Præbe mihi, rogo, A
contemplationis pennas, quibus indutus, ad te volitem sursum. Et quia omne siniſtrum deorsum iacet, tene mentem meam, ne ad ima tenebrosæ vallis corruat: ne interueniente vmbra terræ, à te vero sole iustitiæ separetur, & obducta nebulæ tenebris, prohibeatur alta respicere. Idcirco sursum tendo ad pacis gaudij & lucis delectabilem statum atque serenum. Tene cor meum manu tua: quia sine te ad altiora non rapitur. Illuc festino, vbi pax summa regnat, & iugis tranquillitas rutilat. Tene & rege spiritum meum, & assume illum secundum voluntatem tuam: vt te duce, ascendat in illam regionem vbertatis, vbi pascis Israël æterno pabulo veritatis, vt ibi vel rapida cogitatione attingat te summam sapientiam supra omnia manentem, cuncta scientem, & omnia gubernantem. Sed volitanti animæ ad te, multa sunt quæ obstrepunt. Iussu tuo, Domine, conticescant mihi omnia, ipsa sileat anima, pertranseat omnia quæ creata sunt, transcendat & se, præueniat ad te, atque in te solo creatore omnino oculos fidei figat. Tibi inhiet, tibi intendat, te me- B
ditetur, te contempletur, te sibi ante oculos ponat, te sub corde reuoluat summum bonum & verum gaudium sine fine mansurum. Multæ denique sunt contemplationes, quibus anima deuota tibi, mirabiliter pascitur: sed in nulla earum ita requiescit & delectatur anima mea, sicut quando te
Psal.30.c. solum cogitat & contemplatur. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quàm mirabiliter inspiras cordibus amatorum tuorum! Quàm mira suauitas amoris tui, quo fruuntur illi, qui nihil præter te diligunt, & nihil suprà cogitare concupiscunt! Felices illi, quibus tu solus spes es,
Lam.3.d. Thren. omne opus, & oratio. Beatus qui sedet solitarius, & tacet, stans super custodiam suam iugiter die ac nocte, vt adhuc in hoc fragili corpusculo positus, prælibare valeat aliquatenus iustitiam tuam. Rogo per illa salutifera vulnera, quæ
Esaiæ 21.b. passus es in cruce pro salute nostra, ex quibus manauit ille preciosus sanguis, quo sumus redempti, vulnera hanc peccatricem animam meam, pro qua etiam mori dignatus es, vulnera eam igneo & potentissimo telo tuæ miræ charita-
Hebr.4.c. Esaiæ 49.a tis. viuus enim es sermo dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Tu gladius acutissimus, & sagitta electa, qui durum scutum humani cordis penetrare tua potentia vales: confige cor meum iaculo tui amoris: vt dicat tibi anima mea, Charitate tua vulnerata sum, ita vt ex ipso vulnere
Psal.41.a. amoris tui vberrimè fluãt lachrymæ meæ die ac nocte. Percute domine percute, obsecro, hanc durissimam mentem meam prævalida cuspide amoris tui, & altius ad intima penetra potenti virtute: & sic da capiti meo aquam immensam, & oculis meis infunde verum lachrymarum fontem iugiter manãtem ex nimio affectu & desiderio visionis pulchritudinis tuæ: vt lugeam die ac nocte, nullam in præsenti recipiens consolationem, donec te in cœlesti thalamo merear videre dilectum & pulcherrimum sponsum meum, Deum & dominum meum: vt tibi videns glorioſam & admirabilem & pulcherrimam faciem tuam omni dulcedine plenam, cum his quos elegisti, maiestatem tuam supplex adorem, & illo tandem cœlesti & ineffabili repletus iubilo
Extr. prorsus in vita beati Aug. æternę exultationis, exclamem cum diligentibus te, dicens: D
Ecce, quod concupiui, iam teneo: quod speraui, iam video: quod desyderaui, iam habeo: illi iam in cœlis iunctus sum, quem in terris positus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus sum, cui toto amore inhæsi. ipsum laudo, ipsum benedico, atque adoro, ipsi gratias ago, Qui viuit & regnat.

Item alia eiusdem oratio.

IEsu nostra redemptio, amor, & desyderiũ, Deus de deo, adesto mihi seruo tuo, te inuoco, ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Te inuoco in anima mea, in animam meam: intra in eam, & capta eam sine macula & ruga. Mundissimo nanque domino mũda debetur habitatio. Sanctifica ergo vas tuum quod fecisti, malitia euacua, imple gratia, & plenum conserua: ita vt dignissimum efficiar habitationis tuæ templum. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissi-
me, preciosissime, desyderantissime, amabilissime, pulcherrime: tu melle dulcior, lacte & niue candidior, nectare suauior, gemmis & auro preciosior, cunctisque terrarum diuitiis & honoribus tu mihi charior. Quid dico, Deus meus, vnica spes mea, prægrandis misericordia mea? Quid dico dulcedo mea non fallax, dulcedo mea secura & felix, quid dico, dum talia dico? Dico quod valeo, sed non dico quod debeo: vtinam possem talia, qualia illi hymnidici angelorum chori! O quam libẽter in tuis laudibus me totum effunderem! O quam deuotè illa cantica cœlestis melodiæ ad laudem & gloriam nominis tui, in medio ecclesiæ infatigabiliter perorarem! Sed quia talia non possum, nunquid tacebo? Væ tacentibus de te, qui ora mutorũ resoluis, & linguas infantum facis disertas: væ tacentibus de te, quoniam ipsi loquaces muti sunt, cùm tuas non dicunt laudes. Quis dignè te laudare potest, virtus & sapientia patris? Et quia nulla inuenio verba, quibus sufficienter te valeam explicare cunctipotens & omniscium verbum: dicam interim quod valeo, donec iubeas me venire, vbi possim dicere quod decet te, & me oportet. Et ideo suppliciter rogo, ne respicias tantum ad id quod modo dico, quantum ad id quod dicere cupio. Cupio enim desyderio magno de te loqui quod oportet & decet: quia te decet laus, te decet hymnus, tibique debetur omnis honor. Scis igitur occultorum cognitor Deus, quia non solum terra & omnibus quæ in ea sunt, sed ipso cœlo, & omnibus quæ in eo sunt, tu mihi charior, tu acceptior, tu amabilior es. Diligo enim te supra cœlum & terram, & cætetra omnia quæ in eis sunt. Imò præ amore tui nominis ista quæ transitoria sunt, proculdubiò amanda non sunt. Amo te deus meus, amo, & magis magisque amare cupio: da mihi vt amem te semper quantum volo, quantum debeo: vt tu sis solus tota intentio mea, & omnis meditatio mea. Te mediter sine cessatione, te sentiam per soporem in nocte, te alloquatur spiritus meus, tecum confabuletur mens mea. Lumine sanctæ visionis tuæ illustretur cor meum, vt te rectore, te
C duce ambulem de virtute in virtutem, tandemque videam *Psal.83.b.*
te deum deorum in Sion, nunc quidem per speculum in ænigmate, tunc facie ad faciem: vt cognoscam sicut & co- *1.Cor.13.d.*
gnitus sum. Beati mundo corde, quoniam ipsi deum vide- *Matth.5.a.*
bunt. Beati qui habitant in domo tua, Domine: in secula *Psal.93.a.*
seculorum laudabunt te. Rogo itaque te domine per omnes miserationes tuas, quibus de morte æterna liberati sumus, mollifica cor meum durum & lapideum, saxeum & ferreum, tua sacratissima vnxione & potenti, & fac me per ignem compunctionis coram te omni hora hostiam viuam fieri. Fac me in tuo conspectu cor contritum & humiliatum semper habere. Fac me desyderio tui huic mundo funditus extingui, & trãseuntium rerum obliuisci, præ magnitudine timoris & amoris dei, vsq; adeo vt de temporalibus nec lugeam, nec gaudeam, nec meruam aliquid temporale nec diligam, nec blãdis corrumpar, nec aduersis concutiar. Et quia tui plena dilecto, valida est vt mors: absorbeat, quæso, mentem meã ab omnibus quę sub cœlo sunt, ignita & melliflua vis amoris tui, vt tibi inhæream, solaque tuæ suauitatis memoria pascar. Descendat, domine, precor, descendat in cor meum odor tuus suauissimus, ingrediatur amor tuus mellifluus, vt veniat mihi tui saporis mira & inenarrabilis fragrantia, quæ sempiternas in me susciter concupiscentias, & ex corde meo producat venas aquæ salientis in vitam æternam. Immensus es domine, & sine mensura debes amari & laudari ab his quos tuo precioso sanguine redemisti, amator hominum benignissime. clementissime domine, & æquissime iudex, cui omne iudicium dedit pater sapientissimæ æquitatis tuę iudicio discernis hoc rectũm & iustum esse, vt filij huius seculi, noctis scilicet & tenebrarum, præstantiori desyderio, virtute atque studio diligant & quærant perituras diuitias, & fugitiuos honores quam nos serui tui diligamus te, Deus noster, per quem facti & redempti sumus? Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, vt alter alterum vix patiatur abesse: si sponsa sponso tanto mẽtis conglutinatur ardore, vt præ magnitudine amoris, nulla

frui valeat requie, chari ſui abſcentiam non ſine magno mœrore ſuſtinens: qua dilectione, quo ſtudio, quo feruore, anima quã deſponſaſti tibi in iuſtitia & fide, miſericordia & miſerationibus, debet diligere te deum verum, & pulcherrimum ſponſum ſuum, qui nos ſic amaſti & ſaluaſti, qui pro nobis tanta & talia feciſti? Quamquam hæc infirma habeãt ſuas delectationes, ſuóſque amores, non tamen tali modo delectant, ſicut tu deus noſter. In te enim delectatur iuſtus, quia amor tuus ſuauis eſt & quietus. Nam pectora quæ replet, dulcedine & ſuauitate replet, & tranquillitate. Ecõtrà amor ſeculi & carnis, anxius eſt & perturbatus. Animas certè quas ingreditur, quietas eſſe non patitur. ſemper enim ſuſpicionibus vaníſq; timoribus ſolicitat eas. Tu itaque es delectatio iuſtorũ & merito: quia eſt apud te valida & imperturbabilis vita. Qui intrat in te, intrat in gaudium domini ſui, & nõ timebit amplius, ſed habebit ſe optimè in optimo loco, dicens: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hîc habitabo, quoniam elegi eã. Dulcis Chriſte, bone Ieſu, reple, quæſo, ſemper cor meum tui inextinguibili dilectione, tui continua recordatione: adeò, vt ſicut flamma vrens, totus ardeã in tui amoris dulcedine, quem & aquæ multæ in me nõ poſſint extinguere. Fac me, dulciſſime domine, amore & deſyderio tui, deponere pondus omnium carnalium deſyderiorum, & terrenarum concupiſcentiarum grauiſſimam ſarcinam, quæ impugnant & impediunt miſeras animas: vt poſt te expeditus in odore vnguentorum tuorum currens, vſque ad tuæ pulchritudinis viſionem efficaciter ſatiandus, quantocyus (te quoque duce) merear peruenire. Duo enim amores: alter bonus alter malus: alter dulcis, alter amarus, non ſe ſimul in vno capiunt pectore. Et ideo, ſi quis præter te diligit aliquid aliud, non eſt charitas tua in eo, deus amor dulcedinis & dulcedo amoris. Amor non crucians, ſed delectãs. Amor ſincerè, & caſtè permanens in ſeculum ſeculi. Amor qui ſemper ardes, & nunquam extingueris. Dulcis Chriſte, bone Ieſu, Charitas mea, Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tuo, ſuauitate tua, dilectione tua, iucunditate & exultatione tua, voluptate & concupiſcentia tua, quæ ſancta & bona eſt, caſta & munda, trãquilla & ſecura: videlicet, vt totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ accenſus, diligam te deum meum ex toto corde meo, totíſque medullis præcordiorum meorum, habens te in corde & in ore meo, & præ oculis meis ſemper & vbique, ita vt nullus in me adulterinis amoribus pateat locus. Audi deus meus, audi lumen oculorum meorum quæ peto: & da, vt quæ petam, audias. Pie & exorabilis domine, ne efficiaris mihi inexorabilis proprer peccata mea: ſed propter bonitatem tuam ſuſcipe preces ſerui tui, & da mihi effectũ petitionis & deſiderij mei, interueniente, orante, & impetrante glorioſa genitrice tua domina mea, cum omnibus ſanctis, Amen.

Quod diſcernatur dei amor ab amore ſeculi.

Pſalm. 131. c

Amores duo.

Item alia oratio beati Ambroſij.

SPes mea Chriſte deus, hominum tu dulcis amator,
Lux, via, vita, ſalus, pax, & decus omne tuorum.
Omnia pro quorum voluiſti ferre ſalute,
Carnem, vincla, crucem, vulnus, mortémque, ſepulchrum.
Poſt tres inde dies (deuicta morte) reſurgens,
Diſcipulis viſus nutantia corda reformans,
Luce quaterdena cœlorum regna petiſti
Viuus in æternum nunc & per ſecula regnans.

Te deprecor, ſupplico, & rogo, vt per te ambulem, ad te perueniam, in te requieſcam, qui es via, veritas, & vita, ſine qua nemo venit ad patrem. Te enim deſidero dulciſſimum & pulcherrimum dominum. O ſpendor paternæ gloriæ, qui ſedes ſuper Cherubim, & intueris abyſſos, lumen veridicum, lumen illuminans, lumen indeficiens, in quem deſiderant angeli proſpicere, ecce cor meum coram te eſt. Diſcute tenebras eius, vt amoris tui claritate plenius perfundatur. Da mihi te, deus meus, redde te mihi. En amo te: & ſi parum eſt, amem validiùs. Non poſſum metiri, vt ſciam quantum deſit mihi amoris tui ad id quod ſatis eſt, vt curat tota vita mea in amplexus tuos: nec auertatur, donec abſcondatur in abſcondito vultus tui. Hoc enim ſcio, quia malè mihi eſt præter te, non ſolum extra me, ſed etiam in meipſo. Sed & omnis copia, quæ deus meus non eſt egeſtas mihi eſt. Bonum nanque quod neque in melius, neque in deterius commutari poteſt, tu ſolus es, cui non eſt aliud viuere, & aliud beatè viuere: quia tua beatitudo tu es. Creatura verò tua, cui eſt aliud viuere, & aliud beatè viuere: omne quod viuit, & quod beatè viuit, non debet niſi gratiæ tuæ: & ideo nos egemus te, non tu nobis: quia ſi omnino non eſſemus, nihil omnino tibi deeſſet ad bonum, quod tu es. Tibi itaque domino Deo noſtro ſemper adhærere neceſſe habemus, vt per continuum auxilium gratiæ tuæ, ſanctè, piè, & rectè viuere valeamus. Pondere nanque fragilitatis noſtræ deorſum trahimur, dono autem tuo accendimur, & ſurſum ferimur: & inardeſcimus & imus: aſcendimus per aſcenſiones in corde, & cantamus canticum graduum. Igne tuo, igne bono inardeſcimus. ¶ Quo iam ſurſum imus? Ad pacem Hieruſalem, quoniam lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum domini ibimus. Illic collocauit nos voluntas bona, vt nihil velimus aliud, quàm permanere illic in æternum. Sed quia dum ſumus in corpore, peregrinamur à te domine, non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus: noſter autem municipatus in cœlis eſt. Ideo duce gratia tua ingrediot in cubile cordis mei, & canto tibi amatoria, rex meus & deus meus gemens inenarrabiles gemitus, in loco peregrinationis meæ, vbi cantabiles mihi factæ ſunt iuſticationes tuæ, & recordans Hieruſalem, extendo me in eam ſurſum corde, Hieruſalem patriam meam, Hieruſalem matrem meam, téque ſuper eam regnatorem, illuſtratorem, patrem, tutorem, patronum, rectorem, caſtas & fortes delicias, & ſolidum gaudium, & omnia bona ineffabilia ſimul omnia: quia vnum ſummum & verum bonum: & non auertar, donec in eius pacem matris chariſſimæ, vbi ſunt primitiæ ſpiritus mei, colligas totum quod ſum à diſperſione & deformitate hac: & conformes atque confirmes in æternum deus meus, miſericordia mea. ¶ Hæc domus tua, deus, non terrena eſt, neque vlla mole cœleſti corporea, ſed particeps æternitatis tuæ: quia ſine labe manet in æternum. Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit, & non præteribit. Non tamen tibi, deus, coæterna, quia non ſine initio. facta eſt enim. Prior enim omnium creaturarum eſt ſapientia, patri deo planè coæterna & coæqualis, per quam creata ſunt omnia, & per quam in principio factum eſt cœlum & terra. Sed profectò ſapientia ſpiritalis, natura ſcilicet, quæ contemplatione luminis, lumen eſt, dicitur & ipſa quanuis creata, ſapientia. Sed quantum diſtat inter lumen illuminans, & lumen quod illuminatur, tantum differt inter te ſummam ſapientiam, quæ creas, & iſtam quæ creata eſt: ſicut inter iuſtitiam iuſtificantem, quæ deus noſter es: & iuſtitiam, quæ iuſtificatione facta eſt. Nam & nos ſumus dicti iuſtitia dei patris in te filio eius, domino noſtro, teſte Apoſtolo. Ergo quia prior omnium creata eſt quædam ſapientia, mens rationalis & intellectualis caſtę ciuitatis tuę, matris noſtræ, quę ſurſum eſt & libera eſt, & ęterna in cœlis. Quibus cœlis, niſi qui te laudãt, cœli cœlorum? Quia hoc eſt cœlum cœli domino. Et ſi non inuenimus tempus ante illam, quæ creaturam temporis antecedit, quia prior omnium creata eſt, ante illam tamẽ tu es deus æternus creator omnium, à quo facta ſuſcepit exordium, quamuis non temporis (quia nondum erat tempus) ipſius tamen conditionis ſuæ. Vnde ita eſt abs te Deo noſtro, vt aliud ſit planè quàm tu: licet nec ante illam, nec in illa inueniamus tempus: eſt enim idonea faciem tuã ſemper videre, nec vſpiam flectitur ab ea. Quò fit, vt nulla mutatione varietur. Ineſt tamen ei ipſa mutabilitas: quia tenebreſcere & frigeſcere poſſet, niſi amore grandi cohærens tibi, ſemper tanquam meridies luceret & ferueret ex te. Denique tam caſto amore cohæret tibi deo verò, & verè æterno, vt quanuis non ſit tibi coæterna, in nullas tamen temporis varietates & viciſſitudines à te reſoluatur & defluat: ſed in

2. Cor. 5. b.

Pſal. 184. b.

Sapientia increata patri coæterna

Sapientia creata natura.

Iuſtitia duplex.

ſed in tui ſolius veriſſima contemplatione requieſcat: quoniam tu Deus diligenti te quantum præcipis, oſtendis : & ſufficit ei. Vnde non inclinata à te, nec à ſe, ſemper in eodem ſtatu manet, te indeſinenter videndo, te indeficienter amando verum lumen, & caſtum amorem. ¶ O beata iſta ſublimis creatura & creaturarum maxima, beata inhærendo ſemper beatitudini ſuæ. Fœlix hæc & nimium fœlis, te ſempiterno inhabitatore, & illuſtratore ſuo. Nec inuenio quid libentius appellãdo, exiſtimem cœlum cœli domino quàm domum tuam contemplantem dilectionem tuam, ſine vllo defectu egrediendi in aliud, mentem puram, concordiſſimè vnam ſtabilimento pacis beatorum ſpirituum ciuium ciuitatis tuæ in cœleſtibus ſuper iſta cœleſtia. Vnde intelligat anima, cuius peregrinatio longinqua facta eſt, ſi iam ſitit tibi, ſi iam factæ ſunt ei lachrymæ eius panes die ac nocte: ſi iam petit à te vnam, & hanc requirit, vt inhabitet in domo tua per omnes dies vitæ ſuæ. Et quæ eius vita, niſi tu? Et qui dies ſui, niſi æternitas tua? Sicut anni tui, qui non deficiunt. Hinc ergo intelligat anima quæ poteſt, quàm longè ſuper omnia tempora æternus ſis, quando domus tua quæ peregrinata non eſt, quamuis tibi non ſit coæterna, indeſinenter tamen & indeficienter cohærendo tibi, nullam patitur temporum varietatem, téque perſeuerantiſſima caſtitate hauriens, mutabilitatem ſuam nuſquam & nunquam exerit, & te ſibi ſemper præſentem, ad quem toto affectu ſe tenet, non habens futurum quod expectet, nec præteritum traiiciens, quod meminerit, per nullas vices variatur, & in nulla tempora extẽditur. O domus dei luminoſa & ſpecioſa, dilexi decorem tuum, & locũ habitationis gloriæ domini mei fabricatoris & poſſeſſoris tui. Tibi ſuſpiret peregrinatio mea die ac nocte: tibi inhiet cor meum, tibi intendat mens mea, ad ſocietatem tuæ beatitudinis peruenire deſyderet anima mea. Dico ei qui fecit te, vt poſſideat me in te: quia ipſe fecit & me. Imò tu dic, tu roga eum, vt dignum me faciat participatione gloriæ tuæ. Sanctam enim ſocietatem tuam & mirabilem pulchritudinem tuam non per meritum requiro: ſed per ſanguinem domini mei, quo redẽptus ſum, adipiſci non deſpero. Tantùm adiuuet me miſericordia tua, ſubueniant paruitati meæ ſanctiſſimæ & puriſſimę orationes tuæ, quæ inefficaces eſſe apud deum nullatenus poſſunt. Erraui, fateor, ſicut ouis perdita, & incolatus meus prolongatus eſt, atque procul proiectus ſum à facie dei mei, in hanc exilij cæcitatẽ, vbi expulſus à paradiſi gaudiis, deploro quotidie mecum ſuper miſerias captiuitatis meæ lugubre carmen, ingenteíſque lamentationes, dum recordor tui, mater Hieruſalem, dum ſtant pedes mei in atriis tuis, ſancta & decora Sion. Necdum interiora tua conſpicere in propatulo valeo, ſed in humeris paſtoris mei, & ſtructoris tui, ſpero me reportari tibi, vt tripudiem tecum in illo inenarrabili gaudio, quo lætantur illi, qui tecum ſunt coram ipſo deo & ſalutari noſtro, qui diſſoluens inimicitias in carne ſua, pacificauit omnia quæ in cœlis ſunt & in terra, in ſanguine ſuo. Ipſe eſt pax noſtra, qui facit vtraque vnum, qui duos ex diuerſo venientes parietes coniungens in ſe, tuæ beatitudinis permanentem fœlicitatem pari modo & eadem menſura ſe nobis daturum promiſit, dicens: Erunt æquales angelis Dei in cœlis.

Item alia oratio.

O Domus dei æterna poſt Chriſti dilectionẽ, tu eſto lætitia mea & cõſolatio. Dulcis memoria tui beati nominis, ſit releuatio mœroris, tædiorúmque meorum. Tædet enim me valde vitæ huius, & iſtius ærumnoſæ peregrinationis. Vita hæc, vita miſera, vita caduca, vita incerta, vita laborioſa, vita immunda, vita domina malorum, regina ſuperborum, plena miſeriis & erroribus: quæ non eſt dicenda vita, ſed mors, in qua momentis ſingulis morimur per varios mutabilitatis caſus, diuerſis generibus mortium. Nunquid ergo quod viuimus in hoc mundo, dicere vitam poſſumus, quam humores corrumpunt, dolores extenuãt, ardores exſiccant, aëris inclementia morbis reddit obnoxiam, eſcæ inflant, ieiunia macerant, ioci diſſoluunt, triſtitiæ conſumunt, ſolicitudo coartat, ſecuritas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deiicit, iuuentus extollit, ſenectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & his omnibus malis mors furibunda ſuccedit? Simúlque cunctis gaudiis iſtius miſeræ vitæ ita finem imponit, vt cùm eſſe deſierint, nec fuiſſe putentur. Mors iſta vitalis, & vita mortalis: licet his & aliis reperſa ſit amaritudinibus, proh dolor, quàm multos ſuis capit illecebris, & quot ſuis falſis promiſſionibus decipit? Et cùm ita per ſe ſit falſa & amara, vt etiam ſuos amatores latere non valeat, tamen infinitam ſtultorum multitudinem aureo calice, quem in manu tenet, potat & inebriat. Fœlices illi, & ipſi rari, qui familiaritatem eius reſpuunt, perfunctoria gaudia ſpernunt, ſocietatem abiiciunt: ne cum pereunte deceptrice quandoque perire cogantur. O tu vita, quam præparauit deus his qui diligunt illum, vita vitalis, vita beata, vita ſecura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita ſancta, vita caſta, vita ignara mortis, vita neſcia triſtitiæ, vita ſine labe, ſine corruptione, ſine dolore, ſine anxietate, ſine perturbatione, ſine varietate & mutatione, vita totius elegantiæ & dignitatis pleniſſima, vbi non eſt aduerſarius impugnans, vbi nulla peccati illecebra, vbi eſt amor perfectus, & nullus timor, vbi eſt dies æternus, & vnus omnium ſpiritus, vbi deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens ſine defectu ſatiatur. Libet mihi tuæ intendere claritati, delectant me bona tua auido corde, quantum plus valeo, mecum conſiderare: tuo enim amore lãgueo, tuo vehemẽter deſiderio flagro, tuáque dulci memoria admodũ delector. Libet itaque libet in te oculos cordis attollere, ſtatum mentis erigere, affectum animæ conformare. Libet ſanè de te loqui, de te audire, de te ſcribere, de te conferre, & de tua beatitudine & gloria quotidie legere, & lecta ſæpius ſub corde reuoluere, vt vel ſic poſſim ab huius mortalis & perituræ vitæ ardoribus, periculis, & ſudoribus, ſub tuæ vitalis auræ refrigerium tranſire, & tranſiẽs, in ſinu tuo feſſum caput dormiturus vel paululum declinare. Huius rei gratia, ſanctarum ſcripturarum amœna prata ingredior, veriſſimas ſententiarum herbas exarando carpo, legendo condo, frequentãdo rumino, atque congregando tandem in alta memoriæ ſede repono: vt tali modo tua dulcedine deguſtata, minus miſerrimæ iſtius vitæ amaritudines ſentiã. O tu vita fœliciſſima, ô regnum verè beatum, carens morte, vacans fine, cui nulla tempora ſuccedunt per ęuum, vbi continuus ſine nocte dies neſcit habere tempus, vbi victor miles illis hymnidicis angelorum choris ſociatus, cantat Deo ſine ceſſatione Canticum de Canticis Sion, Nobile perpetua caput amplectente corona. ¶ Vtinam conceſſa mihi peccatorum venia, mox hac ſarcina carnis depoſita, vtinam, vtinam in tua gaudia, veram requiem habiturus, intrare, & in tuæ ciuitatis præclara atque ſpecioſa mœnia, coronam vitæ de manu domini ſuſcepturus ingrederer, vt illis ſanctiſſimis choris intereſſem, vt cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſterem, vt præſentem Chriſti vultum cernerem, vt illud ſummum, ineffabile, & incircunſcriptum lumen aſpicerem: ſicque nullo metu mortis affici, ſed de incorruptione perpetuæ gloriæ lætari potuiſſem ſine fine. Fœlix ſancta anima, quæ terreno reſoluta eſt corpore. Habet enim ſemper præſentem, cernitque indeſinẽter pulcherrimum dominum ſuum, cui ſeruiuit, quem dilexit, ad quem tandem læta & glorioſa peruenit. Hanc ergo beatitudinis gloriam nulla dies minuet, nullus improbus prædo poterit auferre. Viderunt eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicauerunt: reginæ & concubinæ laudauerunt eam, dicentes: Quæ eſt iſta, quæ de deſerto aſcendit deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Quæ eſt iſta, quæ progreditur ſicut aurora conſurgens pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Quàm læta exit, feſtina currit, cùm dilectum ſuum ſibi dicentem attonitis auribus audit: Surge amica mea, ſpõſa mea, & veni. Iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt, tempus putationis aduenit.

Vita illius beatæ epitheta.

Canti. 6. c.

aduenit. Vox turturis audita est in terra nostra. Ficus protulit grossos suos. Florentes vineæ dederunt odorem suum. Surge propera amica mea, formosa mea, columba mea, immaculata mea, sponsa mea, veni, & ponam in te thronum meum: quia cõcupiui speciem tuam. Veni vt lætetis in conspectu meo cum angelis meis, quorum societas tibi à me repromissa est. Veni, & post multa pericula & labores intra in gaudium domini tui, quod nemo tollet à te. Fœlices sancti dei omnes, qui iam pertransistis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis, & pacis: securi & tranquilli, sempérque festiui atque gaudentes estis. Obsecro per matrem charitatem, securi estis de vobis, soliciti estote de nobis. Securi estis de vestra immarcessibili gloria, soliciti estote de nostra miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam satiamini, de cuius immortalitate immortales facti estis, de cuius beatissima visione semper gaudetis, estote iugiter memores nostri. Subuenite nobis miseris, qui adhuc in salo huius vitæ circunflantibus agitamur procellis. Vos portę pulcherrimę, quę in magnam surrexistis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum longè inferius iacens. Date manum, & erigite iacentes, super pedes: vt conualescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello. Intercedite atque orate constãter & indesinenter pro nobis miseris, multúmque negligentibus peccatoribus, vt vestro sancto consortio coniungamur in cœlis, vbi est deus omnia in omnibus. Amen.

Apostrophe ad cœlites cũ imploratione.

D. Ambrosii oratio, quæ compendio verborum singulos quosque dominicæ dispensationis articulos adstringit & complectitur.

DOmine Iesu Christe fili dei viui, creator & resuscitator humani generis, gratias tibi referimus exiles licet & indignas, vtinam deuotas & tibi gratas, quia pro nobis miserrimis de cœlo descendisti, & ex beatissima virgine Maria carnem assumpsisti, de ipsa nasci voluisti, pãnis fuisti inuolutus, in præsepio reclinatus, vberibus lactatus, die octauo carne circũcisus, Magis manifestatus, ab eisdem adoratus, in templũ fisti iussus, & deo patri præsentatus, in Ægyptum relegatus, illinc ad patriam reuersus, parentibus subditus, à Ioanne baptizatus, ieiunio quaterdeno extenuatus, ter à dæmone tentatus, itineribus fatigatus, vigiliis, fame, siti maceratus, prædicando delassatus, compatiendo lachrymatus, & à Iudæis reprobatus, sæpius ab eisdem iniuriis & contumeliis appetitus. Instante demum passione tua voluisti contristari & mœstus esse, vt verus homo pauere & tædere, positis genibus orando ter in faciem procidere, factus in agonia guttas emittere sanguinis præ sudore. A Iuda denique fuisti traditus, & ab ipso fraudulenter osculatus, ab impiis Iudæis cum impetu comprehensus, vinculis quasi latro ligatus, solus profectò derelictus discipulis metu fugientibus. Ad pontificem Annam abductus, ibidem alapa percussus, missus ab ipso ad Caipham vinctus, & ibidem multipliciter derisus, in consilio Iudæorũ statutus, per falsos testes accusatus, morte turpissima condemnatus, sputis facie contaminatus, opprobriis lacessitus, cõtumeliis affectus, colaphis cæsus, palmis iterum percussus, multis modis blasphematus, vinctus Pilato traditus, falsò accusatus, & ad mortem instanter postulatus, ad Herodem à Pilato missus, ibi nihilominus criminatus, ab Herode & eius exercitu spretus, indutus alba veste ad Pilatum remissus, nudus ad columnam iussu Pilati ligatus, ad exundantem & copiosam sanguinis effusionem flagellis dirissimè cæsus, ab eodem morti adiudicatus, ad crucifigẽdum militibus traditus. Ab his iterum exutus & purpurea veste indutus, corona spinea coronatus, arundine pro sceptro insignitus, genu flexo salutatus, irrisoriè rex Iudæorum nominatus, tertiò alapis cæsus, iterum facie consputus, arundine capite percussus, veste purpurea exutus, ligno crucis oneratus, ad passionis locũ adductus, ibi myrrhato vino cum felle potatus, vestibus propriis tertiò exutus, in cruce demum extensus, clauis manus & pedes confixus, & sic inter latrones crucifixus & cum sceleratis deputatus, à prętereuntibus quoque & adstantibus pendens à cruce ignominiosè blasphematus, clamans, Deus meus, deus meus: vt quid dereliquisti me? Tandem sitiens aceto potatus & inclinato capite mortuus, à milite lancea perforatus, vnde exiuit sanguis & aqua. Sub crepusculum de cruce depositus, in monumento à Ioseph sepultus. Resurgens tertia die tuis apparuisti, quadragesimo die cœlos ascendisti. Sedens ad dexteram patris, promissum παράκλητον discipulis misisti. Demum ad iudicium venturus singulis pro cuiusque meritis bonum malúmve es redditurus. Tu domine Iesu Christe per has sanctissimas pœnas tuas, per mortem tuam precioſissimam, per sanguinem tuum precij inæstimabilis pro nobis effusum, & per alia omnia de te hic prædicta, pérque tuam ineffabilem misericordiam, per preces & merita beatissimæ semper virginis Mariæ & omnium sanctorum tuorum, sordidum & squalentem vitiis me peccatorem. N. omnes parẽtes meos, fratres, sorores, amicos & inimicos, pauperes, tentatos, debiles & desolatos, vinctos & infirmos, omnes insuper pro quibus orare teneor, omnem denique populum Christianum à tribulationibus & angustiis eripe, à diaboli laqueis, à peccatorum vinculis. Ab omni malo animæ & corporis nos libera, & ab his nos tuere semper, salua ac protege. Cogitationes nostras omnésque actiones sic dispone semper, vt in cõspectu tuo sint acceptabiles. Gratia tua ac sancta pace atque omni virtute nos reple: & in his vsque ad mortem nos perseuerare concede, finem vitæ nostræ bonum ac laudabilem nobis indulge, nósque prænominatos viuos post mortem, ac de eis iam mortuos & omnes fideles defunctos ab omnibus pœnis redime, & ad cœlestis regni gloriã sempiternam nos omnes fac peruenire, qui cũ deo patre & spiritu sancto viuis ac regnas deus, per omnia secula seculorũ. Amen.

B. Ambrosii Exomologesis, confessionem generalem dicunt.

SVscipe confessionem meam vnica spes salutis meæ domine deus meus. Gula nanque, ebrietate, fornicatione & libidine, tristitia, ira, acedia, somnolentia ac negligentia, cupiditate, inuidia, malitia, odio, murmuratione & detractione, periurio, falsitate & mendacio, superbia, vana gloria, auaritia, & cæteris eiusmodi vitiis prò dolor perditus sum, cogitatione, loquutione, actione omnibúsque sensibus extinctus. Sed tu domine qui iustificas impium & mortuos resuscitas, resuscita & iustifica me per Iesum Christum filium tuum dominum nostrum, qui pro nobis ac totius mundi salute factus est opprobrium hominum & abiectio plebis. Qui tecũ & cum spiritu sancto viuit & regnat deus, per omnia secula seculorum. Amen.

FINIS.

PHILO-

Philosophorum aliquot EPISTOLÆ, D. AMBROSIO *interprete, Gilberti Cognati Nozereni opera in studiosorum vsum iam olim cum aliis Laconicis multorum epistolis, collectæ.*

Thales Pherecydi.

AVdio te primùm Ionum, de Diuinis rebus, apud Græcos palam disserere parare. Verùm iustiore fortasse sententia, inter amicos ea quæ scripseris, leges, quam passim quibuscunque permittes, nullo illis emolumento futura. Equidem si tibi gratum cognouero, volo conscius eorum quæ scribis, esse. Ac siquidem iubes, ad te maturè proficiscar. Neque enim adeò amentes ac stolidi sumus, ego & Solon Athenienſis, vt cùm nauigio Cretam petierimus visendi gratia, Ægyptúmque itidem penetrauerimus, vt istic Sacerdotibus & Astronomis congrederemur, ad te non pari studio nauigaturi simus. Veniet enim & Solon ipse, si annuas. Neque tu loci illius amore detentus, rarò in Ioniam transis, neque peregrinorum hominum desiderio tangeris. Verùm vni tantum, vt spero, scribendi negocio incumbis. At nos, qui nihil scribimus, Græciam, Asiámque peragramus. Vale.

Thales Soloni.

Athenis si excedas, Mileti, vt equidem reor, commodissimè habitare poteris. Est enim vestra colonia, patiérisque graue nihil. Quòd si & apud Milesios execraris tyrannidem, æquè enim vbique tyrannos infestos habes, at cum amicis nobiscum viuere erit iucundissimum. Scripsit ad te Bias, vt Prienam proficiscaris: eam tu vrbem si libentius inhabitaueris, & ipsi eò ad te aduolabimus.

Pisistratus Soloni.

Neque solus Græcorum tyrannidem arripui, neque mihi rem alienam vsurpaui, quippe genus à Cecrope duco. Id enim mihi meo iure vendico, quod Athenienses olim cùm in iureiurando firmassent Codro, illiúsque genti præbituros, postmodum abstulerant. Cæterùm in Deos, vel in homines nihil aliàs pecco. Leges, quas ipse Athenienſibus dedisti, seruari, atque secundum eas viuere iubeo: & quidem melius seruantur, quàm possent, si multitudinis imperio res ageretur. Permitto enim nemini iniuriam fieri: ac tyrannus ego præter dignitatem & honorem nihil à plebe differo, solis eis stipendiis contentus, quæ iis quoque, qui ante me regnarunt, debebantur. Denique Athenienſium singuli decimas frugum suarum separant, non in vsus nostros consumendas, verùm sacrificiis publicis commodísque communibus: & si quando bellum contra nos ingruerit, in sumptus deputandas. Tibi equidem nihil succenseo, quòd mentem meam consiliúmque detexeris: quippe qui id potius rei publicæ studio ciuitatis, quàm mei odio detexeris: ac præterea quòd ignorares, cuiusmodi ego rex futurus essem. Id enim si didicisses, æquo animo & conatus meos fortè tolerasses, & te fugæ haudquaquam commisisses. Domum igitur bona fide redi, mihi & iniurato credens, nihil esse periculi à Pisistrato Soloni. Nosti enim neminem, etiam ex inimicorum numero, mali quippiam à me perpessum. Denique si placuerit nostra amicitia frui, inter primos eris: nihil enim in te fraudis, perfidiæve cõspicio. Quòd si alioqui habitare Athenis nolueris, pro arbitrio tuo id facies: tantùm ne nostri causa, patria excederis. Vale.

Solon Periandro.

Scribis tibi plurimos insidiari. at tu, siquidem omnes è medio tuleris, ne sic quidem proficies. Insidiabitur enim tibi quispiam ex his, quos minimè suspectos habes, partim sibi quidem metuens, partim te reprehendens, quòd omnia formides, nihílque non metuas: partim item ciuitati gratificari cupiens. Esset ergo optimum, abstinere tyrannide, vt causas omnis metus euaderes. Quod si tyrannidi omnino insistendum censes, compares tibi, necesse est, externas vires & peregrina auxilia, vrbanis viribus maiora, vt iam tibi nullus infestus sit, & tu neminem extorrem agas. Vale.

Solon Epimenidi.

Neque leges meæ profectò Athenienſibus profuturæ multum erant: neque tu eis antiquatis, ciuitati fuisti emolumento. Deus enim, ac latores legum non soli iuuare ciuitates possunt, sed qui multitudinem agunt, in quamcunque sententiam volunt. His enim, si rectè rem administrent, Deus ac leges vtiles sunt: sin autem malè, nihil prosunt. Neque sanè meæ leges ac iura, quæ scripsi, quicquam profuerunt: sed qui illas transgressi sunt, magna reipublicæ inuexere detrimenta, qui Pisistrato, ne tyrannidem inuaderet, non obstiterunt. Neque verò futura prædicenti mihi fides habebatur. Ille fidelior existimabatur Athenienſibus blandiens, quàm ego vera proloquens. Positis igitur armis pro curia, his quidem qui Pisistratum gestire tyrannidem non animaduertunt, sapientiorem: eis verò qui libertatem reipublicæ asserere metuerent, fortiorem me esse dixi. at illi Solonis interpretabantur insaniam. Tandem ita patriam contestatus, excessi: ô Patria, hic quidem Solon ille tibi opem ferre, & facto & dicto, promptus & paratus est, cæterùm hisce & insanire videor. Itaque te deserta, proficiscor, solus ex omnibus Pisistrati inimicus: isti verò & fauere & obsequi parati sunt. Nosti enim hominem amice, quanto ille astu, quo ingenio, qua arte tyrannidem inuaserit. Nam cœpit blandè plebem illecere, deinde sibi etiam vulnera inflixit: ac progressus in publicum, eáque se ab hostibus accepisse vociferans, orabat quadringentos robustissimos iuuenes sibi custodes darent. At illi, me quidem reluctante & reclamante, acquieuerunt. Erant autem hi armati validis fustibus. his itaque stipatus, statum reipublicæ euertit. Dúmque illi spe inani pauperes suos, ne mercede seruirent liberare student, omnes vnà sub iugum missi sunt, vníque seruiunt Pisistrato.

Solon Pisistrato.

Credo equidem, nihil me abs te passurum mali. Nam ante tyrannidem tibi amicus eram, ne nunc quidem magis infensus, quàm alius quiuis Athenienſium, qui tyrannidem non ament. Siue autem vnius imperio regi, siue publicè rem administrari illis vtilius sit, ex sua quisque sententia statuat. Certè tyrannorum te omnium esse præstantissimum fateor. Athenas autem redire, mihi vtile non esse cognosco, ne quis me iustè reprehendat, qui Athenienſibus dudum rempublicam ex æquo administrandam tradideram, præsénsque oblatam mihi tyrannidem spontè declinaueram, modo rediens factum tuum subita pœnitentia probare videar.

Solon Cræso.

Amplector mirificè tuam in nos beneuolantiam: & per Deos immortales, nisi apud me iampridem statuissem ibi sedem habere, vbi respublica sit libera, mallem apud te, in tuo regno vitam, quàm Athenis agere, violenter tyrannidem exercente Pisistrato. Verum ibi suauius ex instituto nostro viuimus, vbi sunt omnibus æqua & communia iura. Veniam tamen ad te, vt tuo vel hospitio tantisper fruar.

Chilo Periandro.

Iubes, vti militia vacem, extorrísque agam: quasi tu in tuto futurus sis. Atqui ego monarchæ nec sua tuta esse puto: fœlicémque eum tyrannum censeo, cui in sua domo absque sanguine contigerit mori.

Pittacus Cræso.

Iubes me in Lydiam venire, spectatum opes tuas. Ego etsi illas minimè aspexi, nihil ambigo, Alyattis filiũ, regum omnium esse opulentissimum, auróque refertissimum. Neque verò amplius quicquam habituri sumus, si Sardeis ad te accesserimus. Auro enim ipsi non indigemus, contenti modico vitæ stipendio, quantũ satis sit mihi, & amicis. Veniam tamen,

tamen, vt tibi perhumano & hospitali viro familiaris efficiar. Vale.

Cleobulus Soloni.

Amici quidem tibi sunt permulti, singulisque domus est: verùm ego Soloni commodissimam fore ad inhabitãdum, Lindum censeo, ciuitatem liberam. Estque insula maritima, vbi si morari volueris, nihil à Pisistrato maliformidabis, atque ad te amici vndique confluent. Vale.

Periander Sapientibus.

Gratias immortales ago Pythio Apollini, quod in vnum coactos epistolæ meæ repererunt, ipsæque Corinthum, vt confido, perducent. Expecto itaque vos. Certè ipsi videbitis, quàm ciuiliter vos excipiam. Sicut igitur anno præterito Sardeis, in Lydiam venistis: ita nunc oro, ne pigeat ad me quoque proficisci, Corinthi tyrannum. videbunt enim vos non sine gratulatione Corinthij, Periandri domum adeuntes.

Periander Procleo.

Nobis quidem non ex sententia fuit vxoris scelus: tu autem spõte filio ingrato si quid egeris, peccas. Aut igitur immanitatem in filiũ compesce, aut ego illi opem feram: nam & ipse satis diu pœnas dedit.

Thrasybulus Periandro.

Præconi quidem tuo nihil dissimulaui, sed ipsum in segetem inducens, eminentiores spicas bacillo feriens, decutiebam, subsequẽte illo: tibique, si interrogares, referret, quicquid vel viderit, vel audierit à me. Tu ergo sic facito, siquidem tyrannidem tutò tenere cupis, atque in ea constabiliri. Ciuitatis principes tolle, siue illi amici, siue inimici videantur: quippe tyranno amici quoque sæpe suspecti sunt.

Anacharsis Cræso.

Ego Lydorum rex in Græciam adueni, Græcorum mores & studia & instituta percepturus. Auro autem nihil egeo, satisque mihi est, vt ad Scythas redeam melior atq; doctior. Veniam tamen ad te Sardeis, plurimi faciẽs tibi familiarem & amicum fieri.

Epimenides Soloni.

Confide ô amice. Si enim vel seruire assuetis, vel non bene institutis, Athenienſibus Pisistratus immineret, imperium profectò diuturnũ habuisset. Cæterùm viros haud sanè malos, aut ignauos seruire compulit: sed qui monitorum Solonis memores, prę pudore ingemiscãt, seruire tyrannidi diutius haud quaquam ferent. Verùm etsi Pisistratus ciuitatem occuparit, non tamen ad illius liberos imperium spero deducendum. Est enim perdifficile hominibus liberis, præclarisque institutis legibus, sub seruitute durare. Tu autem, noli, quæso, vagus agi, sed in Cretam venire ad nos matura, vbi tyrannus nullus cuiquam molestus est. Si verò illius amici fortè, vt fit, in itinere inciderint, metuo, ne quid siniſtri tibi eueniat.

Pherecydes Thaleti.

Bene moriaris, cùm tibi fatalis dies superuenerit. Morbus me inuaserat, cùm tuas accepi literas, pediculis opperiebar, & febri quatiebar totus. Mandabi itaque quibusdã ex familiaribus, vt cùm me sepelierint, ad te perferant, quæ scripsi. Tu autem, siquidem ea probaueris cùm sapiẽtibus reliquis, ita legenda demum trades: sin autem improbaueris, nolito edere. Mihi certè nec dum satis placebant, est ibi quidem non certæ rerum fides. Neque enim id recepi, neque quid sit verum me scire professus sum. Fortè quædam de Theologia reseruaui, cætera intelligere oportet. Omnia quippe iudico potius, quàm aperio. Morbo autem singulis diebus inualescente, neque medicorum quempiam, neque amicorum penitus admitto. Cæterum assistentibus pro foribus, & interrogantibus, quò in statu sim, digito per ostij claustra dimisso, quàm pestilẽti malo tenear, ostendi: admonuique vt postridie conueniant ad solennes Pherecydis inferias. Vale.

Anaximenes Pythagoræ.

Thales, ab ætatis flore, ad senectutem, per studia virtutis humanitatisque peruectus, inclita morte defungitur. Is cũ, vt consueuerat, vnà cum ancillula, sydera inspecturus, atrio domus matutinus exisset, immemor vt sese loci situs haberet, dum æthera securus explorat, in subiectam foueam cecidit. Milesij syderum obseruatoris hunc finem tradunt. Cæterùm nos, qui literarum amore tenemur, tanti viri iugiter meminim⁹, atque in illius maximè doctrina acquiescimus, initiúmque sermonis nostri Thaletem semper instituimus.

Anaximenes Pythagoræ.

Consultius nobis egisti, vt quietus viueres, qui ex Samo Crotonem commigrasti. Nam Æacidę cùm aliis infesti sunt, tum Milesiis tyranni dominantur. Medorum item Rex nobis acriter imminet, nisi velimus esse tributarij. Quanquam videntur Iones pro libertate omnium cum Medis dimicare. Ita enim illi nos vndique vrgent, vt nulla nobis spes salutis sit. Quonam igitur animo possit Anaximenes cœli secreta rimari, cui iugis aut mortis, aut seruitutis incumbit metus? Atqui tu Crotoniatis atque Italis cæteris gratus atque in precio es, quem accedunt & ex Sicilia studiosi quique.

Archytas Dionysio.

Misimus omnes Platonis necessarij Lamiscum, & Photidam, virum illum abs te recepturi iure antiquæ nostræ amicitiæ. Rectè igitur feceris, si memineris, quanto à nobis studio efflagitasti Platonis ad te aduentum, vt nos illum venire hortaremur, facturum te spondens omnia illúmque liberè accedere & abire permissurũ. Memor esto igitur, quãti illius aduentum feceris, quódque eo tempore plus cæteris amaueris. Quòd si qua orta simultas est, humani⁹ te agere conuenit, illúmque nobis restituere illæsum. Hæc enim si facis, iustitiam coles, ac nobis gratificaberis.

Arcesilaus Thaumasiæ.

Testamenta mea Diogeni tradidi ad te perferenda. Quia enim sæpius ægroto, & corpore non rectè valeo, testamentum conficere placuit: vt si quid contingat inopinatum, sine tua iniuria proficiscar ex vita, qui vnus ex omnibus maximo me affectu prosecutus es. Fidelissimus autem omnium, qui hîc sunt, cùm mihi semper fueris, diligenter & seruare studę, tum propter ætatem, tum propter necessitudinẽ. Cura igitur memor, quantum tuæ fidei committam, vt quod apud te totum deponetur, quantum in te est, & negotia mea honestè dispositа sint.

Rex Antigonus Zenoni Philosopho.

Ego fortuna me quidem & gloria vitam tuam anteire existimo: cæterùm disciplinis studiisque liberalibus, & perfecta fœlicitate, quam tu possides, longè abs te præcelli sentio. Quocirca te orare statui, vti ad me proficiscaris, id mihi persuadẽs, te preces meas minimè irritas fieri passurũ. Tu igitur modis omnibus enitere, vt tuo contubernio fruamur: certò sciens non mei tãtùm, sed omnium simul Macedonũ eruditorem forè. Nam qui Macedoniæ regem erudit, atque in virtutem imbuit, eum & subditos quosque instruere ad fortitudinem & probitatem certum est. Nam cuiusmodi fuerit dux, tales vt plurimum subditos fieri necesse est. Vale.

Zeno Antigono regi.

Amplector tuum tam vehemens discendi studium, quod veram, vtilem atque necessariam: non popularem, & quę ad peruertendos mores tendit, eruditionem apprehendere iustituis. Qui enim philosophiæ amore ac studio tenetur, declinátque celebrem illam & vulgarem voluptatem, quæ quorundam adolescentulorum animos effœminat: eum nõ natura modò nobilitatem tueri, sed verum quidem virtutis quoque institutum, manifestum est. Porrò liberali ac nobili ingenio si adiiciatur modica exercitatio, neque desit præceptoris copia, maturè ad perfectam virtutis euadit frugem. Equidem nisi senectus mihi obsisteret, sum enim octogenarius, corpúsque prętereа inualidum, ipse ad te venirem vt iubes. Quia verò id datur, quosdam ex conturbernalibus meis ad te mitto, qui animi bonis me minimè inferiores sunt, & corporis etiam commodis exuperant. His si tu studioſè cõgrediare, nihil quod ad perfectam pertinet beatitudinem, desiderabis. Vale.

Pythagoras Anaximeni.

At tu virorum optime, si nihil Pythagora, & genere & gloria præstantior esses, profectò ad nos iam ex Mileto migrasses:

grasses: nunc verò te continuit paterna & auita gloria, quæ & me cõtinuisset, si essem Anaximeni similis. Cæterùm vos si augurio vrbes deseretis, eis quidem ornatus adiuuetur, Medique illis infestius instabunt. Neque verò semper conuenit astrorũ ac cœli vestigare rationes. Præstat interdum, ad patriam curas cogitationésque conuertere. Quanquam ego nõ semper meis vaco fabulis, verum & bellis interdum quibus inter se inuicem Itali dessident.

Archytas Platoni.

Facis tu quidem rectè, quod nobis te conualuisse ex ægritudine significaris: de Damisco item certiores feceris. De Commentariis autem curauimus venimúsque ad Lucanos, ibíque conuenimus Occelli nepotes. Quæ igitur de regno, legibus, iustitia, omniúmque generatione, & ipsi habemus, & ex his quædam misimus. Reliqua modò reperiri nõ possunt: cum inuenta fuerint, ad te deferentur.

Plato Archytæ.

Quæ abs te nobis allata sunt Commentaria, dici non potest, quàm libenter accepimus: quíque illa scripsit, in primis admirati sumus. Ostendit enim profectò vir ille, dignum se maioribus illis suis, antiquissimis atq; optimis viris. Feruntur autem isti viri, Myræi fuisse: hi autem ex illis fuere Troianis, qui cum Laomedonte migrarunt, viri boni, vt de illis tradita significant. Quæ apud me sunt Commẽtaria, de quibus scripsisti, nondum satis elucubrata sunt, neque vnquam satis erunt, ea tamen misi. De custodia verò ambo consentimus. nihil itaque adhortatione opus est. Vale.

Rex Darius Histaspis Filius, Heraclitum Ephesium, sapientem virum, salutat.

Librum de natura scripsisti obscurum, difficilémque in plerisque: qui si ad verbum exponatur, vim quandam speculationis continere videtur mundi totius, & quæ in eo fiunt omnium, quæ quidem sunt in diuino motu constituta. In quibus plurimi hæserũt adeò, vt & qui complura legerunt, ambigant, cum recta abs te narratio conscripta videatur. Rex igitur Darius, Hystaspis filius, auditor esse tuus cupit, particépsque Græcæ eruditionis fieri. Venias itaque quàm primùm ad conspectum meum, ac regiam domum. Græci enim, vt plurimùm sapientibus viris obseruandis minus dediti, aspernantur ea quæ ab his rectè fuerint elucubrata: tametsi eiusmodi sint, vt eruditione & grauitate non careant. Apud me autem aderit tibi omnis honor, primatúsque omnis, quotidiéque solicita obseruatio, & grata collocutio, vitáque tuis moribus probabilis. Vale.

Heraclitus Ephesius regi Dario, Hystaspis filio.

Quotquot mortales in terris viuunt, à veritate ac iustitia abstinent, auaritiæ autem & inani gloriæ inexplebiliter intendunt, perditæ dementiæ causa. Ego autem omnis immemor nequitiæ, fastidiúmque deuitans omnis inuidiæ domesticæ, quæ splendorem comitari solet, nunquam in Persarum solum aduenirem, paucis contentus, quæ sunt secundum meam sententiam.

FINIS.

D. Ambrosij Hymni sparsim hincinde collecti.

Hymnus ad nocturnum officium concinendus.

1. AEternæ rerum conditor,
Noctẽ diémque qui regis,
Et temporũ das tempora,
Vt alleues fastidium.
2. Præco diei iam sonat,
Noctis profundæ peruigil:
Nocturna lux viantibus
A nocte noctem segregans.
3. Hoc excitatus Lucifer
Soluit polum caligine.
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deserit.
4. Hoc nauta vires colligit,
Pontíque mitescunt freta.
Hoc ipsa petra ecclesiæ
Canente, culpam diluit.
5. Surgamus ergo strenuè,
Gallus iacentes excitat,
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.
6. Gallo canente spes redit,
Ægris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides reuertitur.
7. Iesu labentes respice,
Et nos videndo corrige:
Si respicis, lapsus cadunt,
Fletúque culpa soluitur.
8. Tu lux refulge sensibus,
Mentísque somnum discute:
Te nostra vox primum sonet,
Et vota soluamus tibi, Amen.
9. Deo patri sit gloria,
Eiúsque soli filio,
Cum spiritu paracleto,
Et nunc & in perpetuum.

Hymnus sub finem laudum dicendus.

1. SPlendor paternæ gloriæ
De luce lucem proferens,
Lux lucis, & fons luminis,
Dies diem illuminans,
2. Verúsque sol illabere.
Micans nitore perpeti:
Iubárque sancti spiritus
Infunde nostris sensibus.
3. Votis vocemus & patrem,
Patrem perennis gloriæ:
Pater potentis gratiæ
Culpam releget lubricam.
4. Confirmet actus strenuos,
Dentem retundat inuidi,
Casus secundet asperos,
Donet gerendi gratiam.
5. Mentem gubernet & regat
Casto, fideli corpore:
Fides calore ferueat,
Fraudis venena nesciat.
6. Christúsque nobis sit cibus,
Potúsque noster sit fides:
Læti bibamus sobriam
Ebrietatem spiritus.
7. Lætus dies hic transeat:
Pudor sit vt diluculum,
Fides velut meridies:
Crepusculum mens nesciat.
8. Aurora cursus prouehit,
Aurora totus prodeat:
In patre totus filius,
Et totus in verbo pater.
9. Deo patri sit gloria.

Ad primam diei horam.

1. IAm lucis orto sydere
Deum precemur supplices,
Vt in diurnis actibus
Nos seruet à nocentibus.
2. Linguam refrenans temperet,
Ne litis horror insonet:
Visum fouendo contegat,
Ne vanitates hauriat.
3. Sint pura cordis intima,
Absistat & vecordia:
Carnis terat superbiam
Potus cibíque parcitas.
4. Vt cùm dies abscesserit,
Noctémque sors reduxerit:
Mundi per abstinentiam,
Ipsi canamus gloriam.
5. Deo patri sit gloria,
Eiúsque soli filio,
Cum spiritu paracleto,
Et nunc & in perpetuum. Amen.

Ad tertiam diei horam.

1. NVnc sancte nobis spiritus
Vnum patri cum filio,
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori.
2. Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessionem personent:
Flammescat igne charitas,
Accendat ardor proximos.
3. Præsta pater piissime,
Patríque compar vnice,
Cum spiritu paracleto,
Et nunc & in perpetuum. Amen.

Ad sextam diei horam.

1. REctor potens verax deus,
Qui temperas rerum vices,
Splendore mane instruis,
Et ignibus meridiem.

2. Extin-

2. Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer ſalutem corporum,
Veramque pacem cordium.
3. Præſta pater,&c.

Ad nonam diei horam.

1. RErum deus tenax vigor,
Immotus in te permanens,
Lucis diurnæ tempora
Succeſſibus determinans.
2. Largire clarum veſpere,
Quo vita nuſquam decidat:
Sed præmium mortis ſacræ
Perennis inſtet gloria.
3. Præſta pater,&c.

Hymnus ad veſperas dicendus.

1. DEus creator omnium,
Polique rector veſtiens
Diem decoro lumine,
Noctem ſoporis gratia.
2. Artus ſolutos vt quies
Reddat laboris vſui,
Mentéſque feſſas alleuet,
Luctúſque ſoluat anxios.
3. Grates peracto iam die,
Et noctis exortu preces,
Voti reos vt adiuues,
Hymnum canentes ſoluimus.
4. Te cordis ima concinant,
Te vox canora concrepet,
Te diligat caſtus amor,
Te mens adoret ſobria.
5. Vt cùm profunda clauſerit
Diem caligo noctium:
Fides tenebras neſciat,
Et nox fide reluceat.
6. Dormire mentem ne ſinas,
Dormire culpa nouerit:
Caſtos fides refrigeret,
Somni vaporem temperet.
7. Exuta ſenſu lubrico
Te cordis alta ſomnient:
Ne hoſtis inuidi dolo
Pauor quietos ſuſcitet.
8. Chriſtum rogemus,& patrem
Chriſti, patríſque ſpiritum:
Vnum potens per omnia
Foue precantes Trinitas. Amen.

Hymnus B. Ambroſii per aduentum domini dicendus ad veſperas.

1. COnditor alme ſyderum,
Æterna lux credentium,
Chriſte redemptor omnium,
Exaudi preces ſupplicum.
2. Qui condolens interitu
Mortis perire ſeculum,
Saluaſti mundum languidum,
Donans reis remedium.
3. Vergente mundi veſpere,
Vti ſponſus de thalamo,
Egreſſus honeſtiſſima
Virginis matris clauſula.
4. Cuius forti potentiæ
Genu curuantur omnia,
Cœleſtia,terreſtria
Fatentur nutu ſubdita.
5. Occaſum ſol cuſtodiens,
Luna pallorem retinens,
Candor in aſtris relucens
Certos obſeruat limites.
6. Te deprecamur hagie
Venture iudex ſeculi,
Conſerua nos in tempore
Hoſtis à telo perfidi.
6. Laus,honor,virtus,gloria,
Deo patri cum filio,
Sancto ſimul paracleto
In ſempiterna ſecula. Amen,

Hymnus die dominici natalis concinendus.

1. VEni redemptor gentium,
Oſtende partum virginis:
Miretur omne ſeculum,
Talis decet partus deum.
2. Non ex virili ſemine,
Sed myſtico ſpiramine
Verbum dei factum eſt caro,
Fructúſque ventris floruit.
3. Aluus tumeſcit virginis,
Clauſtra pudoris permanent:
Vexilla virtutum micant:
Verſatur in templo deus.
4. Procedens è thalamo ſuo,
Pudoris aula regia
Geminæ gigas ſubſtantiæ,
Alacris vt currat viam.
5. Egreſſus eius à patre,
Regreſſus eius ad patrem:
Excurſus vſque ad inferos,
Recurſus ad ſedem dei.
6. Æqualis æterno patri
Carnis trophæo accingere:
Infirma noſtri corporis
Virtute firma perpeti.
7. Præſepe iam fulget tuum,
Luménque nox ſpirat nouum,
Quod nulla nox interpollet,
Fidéque iugi luceat.
8. Gloria tibi domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre & ſancto ſpiritu,
In ſempiterna ſecula. Amen.

Hymnus quadrageſimali ieiunio conſecratus.

1. AVdi benigne conditor
Noſtras preces cum fletibus,
In hoc ſacro ieiunio
Fuſas quadragenario.
2. Scrutator alme cordium
Infirma tu ſcis virium:
Ad te reuerſis exhibe
Remiſſionis gratiam.
3. Multùm quidem peccauimus,
Sed parce confitentibus:
Ad laudem tui nominis
Confer medelam languidis.
4. Sic corpus extra conteri
Dona per abſtinentiam;
Ieiunet vt mens ſobria
A labe prorſus criminum.
5. Præſta beata trinitas,
Concede ſimplex vnitas,
Vt fructuoſa ſint tuis
Ieiuniorum munera. Amen.

Hymnus dominica in paſſione concinendus, cui de authore à multis controuertitur. Sunt qui tribuant Theodulpho Aurelianenſi epiſcopo. Alij Sedulio aſcribunt, rurſus alij Fortunato vel Proſpero. In tãta rei caligine ſequutus iudicium Dionyſii noſtri, viri in eiuſmodi eccleſiaſticis literis longè eruditiſsimi, refero in noſtrum hunc Ambroſium, palinodiam cantaturus ſi quis rectiora docuerit.

1. VExilla regis prodeunt,
Fulget crucis myſterium,
Quo carne carnis conditor
Suſpenſus eſt patibulo.
2. Confixa clauis viſcera,
Tendens manus,veſtigia.
Redemptionis gratia
Hic immolata eſt hoſtia.
3. Quo vulneratus inſuper
Mucrone diræ lanceæ,
Vt nos lauaret crimine,
Manauit vnda ſanguine.
4. Impleta ſunt quæ concinit
Dauid fideli carmine,
Dicens,In nationibus
Regnauit à ligno deus.
5. Arbor decora & fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno ſtipite
Tam ſancta membra tangere.
6. Beata,cuius brachiis
Secli pependit precium,
Statera facta eſt corporis,
Prædámque tulit tartaris.

Quidam à ſexto mox verſu ſubnectunt & interſerunt duos hoſce quaternarios nihil indignos cæteris.

7. Aroma fundis cortice,
Vincis ſaporem nectaris,
Iucunda fructu fertili,
Plaudis triumpho nobili.
8. Salue ara,ſalue victima,
De paſſionis hoſtia,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam reddidit.
9. O crux aue ſpes vnica,
Hoc paſſionis tempore
Auge piis iuſtitiam,
Reiſque dona veniam.
10. Te ſumma deus trinitas
Collaudat omnis ſpiritus:
Quos per crucis myſterium
Saluas,rege per ſecula. Amen.

Hymnus tempore paſchali dicendus.

1. CHorus nouæ Hieruſalem
Noua melli dulcedine
Promat,colens cum ſobriis
Paſchale feſtum gaudiis.
2. Quo Chriſtus inuictus leo
Dracone ſurgens obruto,
Dum voce viua perſonat,
A morte functos excitat.
3. Quam deuorarat improbus
Prædam refudit tartarus,
Captiuitate libera
Ieſum ſequuntur agmina.
4. Triumphat ille ſplendidè,
Et dignus amplitudine,

Soli

Soli polique patriam
Vnam facit rempublicam.
5. Ipſum canendo ſupplices
Regem precemur milites,
Vt in ſuo clariſſimo
Nos ordinet palatio.
6. Per ſecla metæ neſcia
Patri ſupremo gloria,
Honórque ſit cum filio
Spiritui paracleto. Amen.

Hymnus alter prædictæ celebritati conſentaneus.

1. HIc eſt dies verus dei
Sancto ſerenus lumine,
Quo diluit ſanguis ſacer
Probroſa mundi crimina.
2. Fidem refundens perditis,
Cæcóſque viſu illuminans.
Quem non graui ſoluit metu,
Latronis abſolutio?
3. Qui præmium mutans cruce,
Ieſum breui quærit fide,
Iuſtóſque præuio gradu
Præuenit in regnum dei.
4. Opus ſtupent & angeli
Pœnam videntes corporis,
Chriſtóque adhærentem reum
Vitam beatam carpere.
5. Myſterium mirabile,
Vt abluat mundi luem,
Peccata tollat omnium
Carnis vitia mundans caro.
6. Quid hoc poteſt ſublimius,
Vt culpa quærat gratiam?
Metúmque ſoluat charitas,
Reddátque mors vitam nouam?
7. Hamum ſibi mors deuoret,
Suíſque ſe nodis liget?
Moriatur vita omnium,
Reſurgat vita omnium?
8. Cùm mors per omnes tranſeat,
Omnes reſurgant mortui?
Conſumpta mors ictu ſuo,
Periſſe ſe ſolem gemat?
9. Gloria tibi domine,
Qui ſurrexiſti à mortuis,
Cum patre & ſancto ſpiritu,
In ſempiterna ſecula. Amen.

Hymnus in celebritate dominicæ aſcenſionis decantandus.

1. OPtatus votis omnium
Sacratus illuxit dies,
Quo Chriſtus, mũdi ſpes deus
Conſcendit cœlos arduos.
2. Aſcendens in altum dominus
Propriam ſedem remeans,
Gauiſa ſunt cœli regna,
Reditu vnigeniti.
3. Magni triumphum prælij,
Mundi perempto principe,
Patris præſentans vultibus
Victricis carnis gloriam.
4. Eſt eleuatus nubibus,
Et ſpem fecit credentibus,
Aperiens paradiſum
Quem protoplaſtus clauſerat.
5. O grande cunctis gaudium,
Quòd partus noſtræ virginis
Poſt ſputa, flagra, poſt crucem,
Paternæ ſedi iungitur.
6. Agamus ergo gratias
Noſtræ ſalutis indici,
Noſtrum quòd corpus vexerit
Sublimem ad cœli regiam.
7. Sit nobis cum cœleſtibus
Commune manens gaudium:
Illis, quòd ſe præſentauit:
Nobis, quòd ſe non abſtulit.
8. Nunc prouocatis actibus
Chriſtum expectare nos decet,
Vitáque tali viuere,
Quæ poſſit cœlos ſcandere.
9. Gloria tibi domine,
Qui ſcandis ſupra ſydera
Cum patre & ſancto ſpiritu
In ſempiterna ſecula. Amen.

Hymnus ad horam completorij recitandus.

1. CHriſte qui lux es & dies,
Noctis tenebras detegis:
Lucíſque lumen crederis,
Lumen beatum prædicans.
2. Precamur ſancte domine,
Defende nos in hac nocte:
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.
3. Ne grauis ſomnus irruat,
Nec hoſtis nos ſurripiat:
Nec caro illi conſentiens,
Nos tibi reos ſtatuat.
4. Oculi ſomnum capiant,
Cor ad te ſemper vigilet:
Dextera tua protegat
Famulos qui te diligunt.
5. Defenſor noſter aſpice,
Inſidiantes reprime:
Guberna tuos famulos,
Quos ſanguine mercatus es.
6. Memento noſtri domine
In graui iſto corpore:
Qui es defenſor animæ,
Adeſto nobis domine. Amen.

PIO LECTORI S.

HVnc hymnum inuenimus in codice perantiquo, quem nobis Dionyſiana ſuppeditauit bibliotheca, poſt commentarios in Pſalmos, nomine Beati Ambroſij: quem antè Caſſander ſine authoris nomine excuſerat. Nos cur Ambroſij non ſit nihil videmus. Itaque edimus ornatũ titulo, quo plus authoritatis in poſterum habeat.

Sancti Ambroſij HYMNVS DE *ſancta Agatha.*

1. MArtyris ecce dies Agathæ
Virginis emicat eximiæ,
Qua ſibi Chriſtus eam ſociat,
Et diadema duplex decorat.
2. Stirpe decens, elegans * ſpecie, * facie
Sed magis actibus atque fide,
Terrea proſpera nil reputans,
Iuſſa Dei ſibi corde ligans.
3. Fortior hæc trucibúſque viris
Expoſuit ſua membra flagris,
Pectore quàm fuerit valido,
Torta mamilla docet patulo.
4. Deliciæ cui carcer erat,
Paſtor ouem Petrus hanc recreat,
Inde gauiſa magíſque flagrans,
Cuncta flagella cucurrit ouans.
5. Ethnica turba rogum fugiens,
Huius & ipſa meretur opem,
Quod fidei titulus decorat,
His Venerem magis ipſa * premat. * ergo
6. Iam retinens quaſi ſponſa polo,
Pro miſeris * ſupplica Domino, * ſupplicet
Sic ſua feſta coli faciat,
Se celebrantibus vt faueat.
7. Gloria cum Patre ſit Genito,
Spirituíque proinde ſacro,
Qui Deus vnus & omnipotens
Hanc * noſtri faciat memorem. * memorum
Amen.

CANTICVM SANCTORVM AMBROSII ET AVGVSTINI.

TE deum laudamus, te dominum confitemur.
Te æternum patrem omnis terra veneratur.
Tibi omnes angeli, tibi cœli & vniuerſæ poteſtates,
Tibi Cherubim & Seraphim inceſſabili voce proclamant,
Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus deus Sabaoth.
Pleni ſunt cœli & terra maieſtatis gloriæ tuæ.
Te glorioſus apoſtolorum chorus,
Te prophetarum laudabilis numerus,
Te martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum ſancta confitetur eccleſia,
Patrem immenſæ maieſtatis.
Venerandum tuum verum & vnicum filium,
Sanctum quoque paracletum ſpiritum.
Tu rex gloriæ Chriſte.
Tu patris ſempiternus es filius.
Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis vterum.
Tu deuicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna cœlorum.
Tu ad dexteram dei ſedes in gloria patris.
Iudex crederis eſſe venturus.
Te ergo quæſumus famulis tuis ſubueni, quos precioſo ſanguine tuo redemiſti.

Æterna

Æterna fac cum ſanctis tuis in gloria numerari.
Saluum fac populũ tuũ domine, & benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos, & extolle illos vſque in æternum.
Per ſingulos dies benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.
Dignare domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire.

LECTORI CHRISTIANO S.

ERat hic liber in codice valde vetuſto, quem nobis Dionyſiana bibliotheca ſuppeditauit, cõiunctus cum tribus libris de Spiritu ſancto B. Ambroſii, & hoc titulo: Incipit liber quartus Beati Ambroſii de Spiritu ſancto. Quem cùm iterum atque iterum legiſſemus, primùm quidem antiquiſsimi eſſe authoris intelleximus tum ex aliis, tum ex duabus maximè rebus: quòd alia vtatur verſione cùm ſcripturæ profert teſtimonia, quale eſt illud Act. 13 λειτουργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ. *deſeruientibus illis Domino. & quòd ſcribat: Vnde tractum eſt per omnes facere Orientales Eccleſias, & nonnullas Occidentales vt in oblationibus ſacrificiorum, quæ Deo Patri offerrentur, vna cum ſacerdote voce populus vtatur, id eſt, Sanctus, Sanctus, Sanctus. quòd Xiſti inſtitutum eſſe dicunt hiſtorici. Deinde non eſſe librum quartum Ambroſii, vt titulus præ ſe ferebat, multis aſſecuti ſumus coniecturis. alij in capita diſtincti ſunt & quidem ab ipſo Ambroſio, hic perpetuus: in aliis præfatione vtitur, hic caret præfatione: & in fine huius libri ait ſe breuiter de diuinitate Spiritus ſancti dixiſſe, & in tribus libris diſputat copioſiſsimè. Sed & Ambroſii ne eſſet, dubitare cœpimus, quia neſcio quid diſsimile in ſtilo deprehendimus: nihil tamen ſtatuimus, niſi digniſsimum eſſe lectu.*

PROHOEMIVM VIDETVR DESIDERARI.

Rom.8. VOs autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus vero viuit propter iuſtitiam. Quòd ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitauit Chriſtum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis. Diuino Apoſtolus modo & diuino eloquio ſacramentum dominicæ Trinitatis, fidei noſtræ & mentibus intimauit. Nam cùm dixiſſet: Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis: adiecit, Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Quid ergo Apoſtolus aliud quàm vnionem Trinitatis edocuit? Nam ſpiritus Dei, ſpiritus Chriſti eſt. Spiritus autem Chriſti & Dei neque à Chriſto diuiſus aut ſeparatus eſt: quoniam neque Deus ab ſpiritu ſuo, neque Chriſtus idem ab ſpiritu ſuo poteſt ſeparabilis iudicari. Si autem inſeparabilis Deus ab ſpiritu ſuo eſt, inſeparabilis vtique & Chriſtus ab ſpiritu ſuo eſt. Ergo ſpiritus Dei & ſpiritus Chriſti inſeparabilis à Deo & Chriſto. Ac per hoc Deus & Chriſtus & ſpiritus ſanctus indiuiſi manifeſtantur, quia ſemper ſpiritus in Deo & Chriſto perennis eſt. Nam quid aliud concatenatio hæc & connexio ſignificari contendit, quàm intelligentiam vnitatis, dum per ſpiritum Deus & Chriſtus, qui inſeparabiles à ſeſe ſunt * vnitati? Et, vt verius dicam, vnum intelliguntur. Hoc diuinum ſacramentum eſt. Hoc in ſe creatura naturaliter aut inſeparabiliter non habet: vt vnus ſpiritus Patris & Filij, aut tres vnum & vnus indiuiſibiliter eſſe noſcantur. Et ideo

* vniti

Miſerere noſtri domine, miſerere noſtri.
A Fiat miſericordia tua domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.
In te domine ſuperaui, non confundar in æternum.

FINIS.

ſecurus Apoſtolus qui hoc fundamentum fidei de ſancta ſcriptura didicit, & de diuina reuelatione cognouit, de cætero non timet, alibi vnum Deum, alibi cum Domino, alibi cum Deo & Domino ſanctum ſpiritum prædicare: quia ſiue vnus Deus dixerit, ſcit ſe nomen Trinitatis impleſſe. Siue autem Dei & Domini ſolummodo memor ſit, ſcit dicere: Ipſe autem Deus & Pater & Dominus noſter Ieſus dirigat viam noſtram ad vos: & cauere ne dicat, Ipſi dirigant. Siue Dei & ſancti ſpiritus faciat mentionem, ſcit ſe Chriſto iniuriam non feciſſe. Siue Dei & 1.Theſſ.3.
B Domini & ſpiritus ſancti cauſis competentibus perſonas aptet, ſcit dicere, & omnia hæc operatur vnus atque idem 1.Cor.12.
ſpiritus diuidens ſingulis prout vult: quoniam & tres Deos dicere, impium eſt: & vnum non in Trinitatis nomine confiteri, admodum irreligioſum eſt. Denique ſequentia conſideremus quibus hunc ſenſum confirmat & ſolidat. Nam cùm dixiſſet: Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius: adiecit, Si autem Chriſtus in vobis eſt, ergo manifeſtum eſt, quia per inhabitantem ſpiritum Chriſti, Chriſtus habitat: ſi autem per inhabitantem ſpiritum Chriſti, Chriſtus habitat: vtique & per inhabitantem ſpiritum Dei, Deus habitat. Denique ſubiunxit: Quòd ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Chriſtum ex mortuis habitat in vobis, hoc eſt, Dei: Ac per hoc non aliud eſſe ſpiritus ſanctus, quàm Deus & Chriſtus probatur: per quem Deus & Chriſtus habitat: quem qui in ſe non habet habitantem, nec Deum poteſt habere nec Chriſtum. Sed dicit aliquis: Si per ſpiritum ſuum deus habitat in
C nobis, & ſpiritus cum Deo & Chriſto vnũ atque idem eſt, quomodo rurſum dicitur: Qui ſuſcitauit Chriſtum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra? Quomodo Deus & Chriſtus vnum ſunt, cùm Chriſtus per ſpiritum Dei ſuſcitetur ex mortuis. O altitudo diuitiarum ſapientiæ Rom.11.
& ſcientiæ Dei. Verè, vbi ſapiens? vbi ſcriba? Verè hoc eſt, 1.Cor.1.
quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor homi- Eſa.64.
nis aſcẽdit quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Præparauit 1.Cor.2.
autem Deus diligentibus ſe, vt Chriſtus Dominus cùm in Philip.2.
forma Dei eſſet, formam ſerui acceperit, vt ſolus inueniretur vtrunque. Cùm ergo Chriſtus vtrunque ſit, Deus ſcilicet & homo, ſuſcitatio hæc non ideo diuinitati eius adſcribitur: quia diuinitas eius aut pati aut mori poſſet, Ioan.1.
ſed quia Verbum Deus caro factus eſt, & inhabitauit in nobis. Cæterùm ſi diuinitas eius pati potuiſſet, non vtique opus fuiſſet, vt formam ſerui acciperet: accepit autem formam ſerui non aliam ob cauſam, quàm vt per eam pro ſalute diligentium & pati & mori poſſet. Et
D ideo rectè dicitur, Dominus maieſtatis crucifixus, & Dominus Ieſus Chriſtus ex mortuis excitatus: quia ſpontanea benignitate & diuina ſua ratione per templi ſui paſſionem cuncta ipſe ſuſcepit & pertulit. Ac per hoc, id quod Chriſtus excitatur ex mortuis, proficit ad gloriam Dei, & comprobat omnipotentiam Chriſti. Sed & ſequentia loci huius non minus diligenter inſpicere debemus, quoniam alta & profunda doctrina Apoſtolus ita locutus eſt, dicens: Rom.8.
Quòd ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum ex mortuis habitat in vobis, qui ſuſcitauit Chriſtum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra per inhabitantem ſpiritum eius in vobis. Primùm ergo manifeſtum eſt quia omnia Deus & Chriſtus per inhabitantem ſpiritum ſuum in nobis operatur. Ac per hoc conſtat, quoniam ſanctus ſpiritus omnia operatur, quia & mortalia corpora noſtra viuificabit is qui ſuſcitauit Ieſum ex mortuis per inhabitantem ſpiritum Chriſti in nobis. Et non dixit quia per ſe ſuſcitat is qui ſuſcitauit Ieſum ex mortuis, neque Chriſtum

per

per se susciture, sed per inhabitãtem in nobis spiritum Christi, spiritus eius qui susciteuit Iesum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra. Et vtique in Euangelio legimus dicente Domino: Pater susciteat mortuos & viuificat: ita & Ioan.5. filius quos vult viuificat. Et nõ est dictum ibi, quia spiritum suum susciteat Deus & Christus. Quid ergo? contrarium hoc erit illi sententiæ? absit. Sed intellectus illorum nobis redditur, & docemur per Euangelium beatissimi Pauli, qua ratione deus susciteet, per inhabitantem scilicet spiritum Christi in nobis. Ac per hoc apertissimè traditur, quia omnia opera diuina spiritus sanctus operatur. Et ideo alio in loco 1.Cor.12. idem Apostolus docet, dicens: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Et diuisiones ministeriorũ sunt, idem autem Dominus. Et diuisiones operationũ sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus. Quomodo est istud, idem spiritus, si aliud est spiritus quàm Deus & Dominus? aut quid est, istud idẽ dominus, si aliud est Dominus, quàm Deus & spiritus? aut qua ratione accipiemus idem Deus, si aliud est Deus, quàm Dominus & spiritus? etsi essentia vel vsia & diuinitate & authoritate aliud & aliud, & non vnum sunt? Nullo modo possent dici idem, qui lõgè aliud & aliud reperirentur. Inueniretur autem & Apostolus falsus testis & contumax in Deum, qui idem adscriberet, vbi idem non est. Sed absit hoc. Nõ sensu Apostolus laborauit. Nouit autem Deum & Dominum & spiritum sanctum, vnum spiritum omnia in omnibus operãtem. Et ne quid fortè scrupuli mens audientium sustineret, quia cùm Trinitatis personas ostendisset, Deum cuncta in omnibus dixerat operantem dum scit & Trinitatẽ verè probare, sicut verè & vnionem. Quanquam terror nullus poterat videri, vbi idem sæpe iam dixerat. Solito tamen suo more Apostolus, & prudẽtiæ suæ cautela, imò, vt verius dicam, Spiritus sancti gubernatione, quem se reuelatorem & doctorem habere sæpe profitetur, 1.Cor.2. sicut dixit: Sed docti spiritu, spiritalibus spiritalia comparantes. & alio loco: Nobis autẽ reuelauit Deus per spiritum Ibidem. sanctum: reddidit omnia vnioni, dicens: Alij enim datur per 1.Cor.12. spiritum sermo sapiẽtiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia curationum in vno spiritu, &c. Et in nouissima parte concludens, ait: Omnia autem hæc operatur vnus atq; idem spiritus: qui suprà scilicet Deus. Ergo quia omnia operatur Deus atque idem spiritus, Patrem & Filium & Spiritũ sanctum, in quorum nomine per regenerationis baptisma recreamur, vnum Deum, quod est nomen vnum, accipere debemus & credere: quia vno atque eodem modo iisdémque virtutibus necnon & prophetationibus, quibus Patrem Deum discimus, de spiritu quoq; sancto & de filio edocemur. Sed fortè quis dicat, Omnia dixit quæ ad ordinationem Ecclesiæ pertinẽt: non autem omnia quæ Deus operatur & Dominus operatur & spiritus. Ergo de omnibus vel pauca ponenda sunt, quibus probetur spiritum sanctum omnibus omnino diuinis operibus adesse, & ipsum omnia implere. Moyses spiritu sancto impletur & per spiritum Prophetæ præscientia docetur & futura prædicit. Quid Prophetę omnes deinceps num spiritu sancto pleni prophetauerunt, & plagas populo imminentes annunciauerunt, & aduentum Domini & passionem prędicauerunt? probante Domino & dicente per os Zachar.1. Zachariæ prophetæ: Veruntamen verba mea & legitima mea accipite quæ ego mãdo in spiritu meo seruis meis Prophetis. Ac per hoc manifestum est omnes Prophetas spiritu Exod.31. sancto prophetasse. Legem quoque ipsam per spiritum sanctum datam accepimus & scriptam. Dicit enim Moyses: Et dedit Dominus duas tabulas lapideas digito Dei scriptas. Digitum autem Dei spiritum sanctum dici Euangelia manifestant. Cùm Dominus dæmonem eiecisset, & accusaretur à Iudæis quòd in Beelzebud principem dæmoniorum, dęmonia expelleret: secundum Lucam quidem respondisse perhibetur: Quòd si ego in digito Dei expello dæmonia. Vnde Luc.11. manifestum est spiritum digitum Dei dici. Cùm ergo constet spiritum sanctum, digitũ Dei dici, manifestum est quia tabulas lapideas spiritus sanctus scripsit, quas Moyses digito Dei scriptas accepit: & spiritus sanctus dedit, quia digitus Dei non aliud, quàm Deus est, quoniam in omnibus operatur. Virtutes quoque ipsas quas diuina potentia in Ægypto in doctrinam & in experimentum sui peccatoribus operata est, num manifestum est in digito Dei esse perfectas? probãte Domino, qui se in digito Dei, id est, in spiritu sancto eiicere dæmonia profitetur: quia idem ipse in Ægypto, & spiritus sanctus eadem consummauit & gessit. Quod quidem sensibus nostris intimans Dominus, in digito Dei se profitetur expellere dęmonia, docens scilicet opera sua, opera esse sancti spiritus: & cùm opera sancti spiritus, opera Christi sint: opera autem Christi, opera patris sunt, sicut in Euangelio secundum Ioannem legimus, ipso Domino dicente: Amen, amen dico vobis, nõ potest filius facere à se quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Quęcunque autem ille facit, eadem & filius facit similiter. &, Sicut pater mortuos suscitat, & filius quos vult viuificat. Ergo hoc gradu & hac ratione agnoscimus opera sancti spiritus, esse opera paterna: quia quæ pater operatur, eadem & filius operatur similiter: quæ autem filius operatur, eadem & sanctus spiritus operatur. Ac sic semper Trinitas vnus Deus & vnus spiritus per se, sed ex sese eadem & omnia in omnibus operatur: quem quidem sanctum spiritum, quia in virtutibus suis & potentia diuina agnoscere Ægyptij noluerunt, plagis compulsi sunt confiteri. In quas me nunc audientes incidant à Domino admonentur, & serò incipiant dicere, Digitus Dei est. Ac per hoc manifestum est, quia vnus atque idem spiritus omnia in omnibus operatur. Natiuitas quoque ipsius Domini Iesu secundum carnem, nónne per spiritũ sanctum facta prædicatur, euangelizante Angelo Gabriel, Mariæ, & dicente: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et iterũ Ioseph Angelus in somnis apparet, dicẽs: Ioseph fili Dauid, ne timueris accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea generatum est, de spiritu sancto est. Et vnde perspicuum est quia omnia & in omnibus ipse operatur & perficit. Sed aiunt quidam, Omnia quidem diuina operatur, & de operibus Deus intelligitur, sed nihil tamen sua authoritate probatur operari, quia omnia per eũ Deus operatur & Dominus. Iam quidem de authoritate eius satis constat cùm Deus probatur, Deus agnoscitur, cùm inseparabilis à Deo inuenitur, cùm vnionem habere cum Deo & Domino manifestetur. Iam quoniam de authoritate eius quæritur quam scriptura non tacuit, edoceri nos oportet, primùm quidem cùm dicitur: Hæc autem 1.Cor.12. omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. Diuidit, manifestum est, qui non ex imperio operatur alieno, & attendendum quia, quæ prout vult diuidit, non est scriptum, quæ aliena sunt. Et rursum in Actibus Apostolorum legimus: Deseruientibus autem illis & ieiunantibus Domino, dixit spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod vocaui eos. Quid ergo clarius, quid lucidius ad manifestandam diuinitatem & authoritatem spiritus sancti dici potest? Segregate mihi, nõ enim dixit, Segregate Deo, sed mihi: Neq; in opus ad quod vocauit eos, sed in opus ad quod vocaui. Satis vtique probauit nobis authoritatem & diuinitatem suam, qui segrationem Apostolorum non alij quàm sibi adscripsit: quos & in opus non alienum sed suum aduocasse se dixit. Quod vtique alienus à Deo & Domino & ab authoritate diuina facere nunquam potuisset. Atque vt clarius luceat Trinitatis sanctæ authoritas vna & diuinitas excolẽda, Esaiæ Prophetæ nobis contemplanda prophetatio est, quam per Apostolos ipse spiritus sanctus nobis interpretatus est, quam ita legimus: Et audiui vocem Domini dicẽtis, Quem mittam, & Esaiæ 6. quis ibit ad populũ istum? Et dixi, Ego, ego sum, mitte me. Act.28. Et dixit: Vade, & dic populo huic: Aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis, & non aspicietis, &c. Et vti- Esaiæ 6. que modo dices, suprà in eadem visione dominum Sabaoth Apoc.4. vidisse se dixit sedentem in throno gloriæ suæ, & Seraphim audiuisse dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra maiestate eius. Et certè Dominus sabaoth cui laus hæc & gloria redditur, vnus atque idem in prophetis ostenditur, & ipse est qui Esaiæ locutus est, dicens: Quem mittam, & quis ibit ad populum istum? Esaiæ 6. Et cùm vnus atque idem in prophetis significetur, ab Apostolis

ſtolis tamen & ab Eccleſia Trinitas intelligitur. Vnde etiam
* ferè tractum eſt per omnes * facere Orientales eccleſias & non-
A nullas Occidentales, vt in oblationibus ſacrificiorum, quæ
Deo patri offerrentur, vna cum ſacerdote voce populus vta-
tur, id eſt, Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus ſabaoth plena
eſt omnis terra maieſtate eius. Ergo ſecundum hoc conſtat
prophetam ad perſonam Dei patris referri oportere. Ioan-
nes autem Euangeliſta informat nos & docet de Filio in-
telligere debere. Nam cùm ſuprà dictum teſtimonium
Euangelio inſcripſiſſet, & interpretatus eſſet poſtea dicens:
hæc dixit Eſaias quando vidit gloriam eius & locutus eſt de
eo, id eſt, Domino Chriſto. Paulus autem Apoſtolus Ro-
Act.18. mæ Iudæis contra dicentibus doctrinæ ſuæ, & blaſphemantibus viam Domini Chriſti, exaltans vocem ſuam, ait: Bene
prophetauit Spiritus ſanctus per Eſaiam dicens: Vade, &
dic populo huic, Aure audietis & non intelligetis, & viden-
tes videbitis & non aſpicietis, &c. Cùm ergo in prophetia
diuinitas vna doceatur ab Apoſtolis, tamen & ab Eccleſia
Trinitas intelligatur: certiſſimè vtique docemur quia Trini-
tas idem Pater & Filius & Spiritus ſanctus, vnum & vnus
B Deus ſunt. Et cùm vnus Deus intelligantur & agnoſcantur,
vnius etiam & authoritatis intelligantur neceſſe eſt. Et rur-
ſum Dominus in Euangelio huius vnionis Trinitatem do-
Matth.28. cet, dicens: Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes
eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, &c. Et cùm
Patris & Filij & Spiritus ſancti ſignificantiam edidiſſet, Tri-
nitatis tamen ipſius nomen vnum obſeruare nos docuit,
quod eſt, Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus ſabaoth, plena
eſt omnis terra maieſtate eius. Ac per hoc conſuetudo ſcri-
pturæ manifeſta eſt, quæ & cùm vnum Deum nuncupat, in-
tellectum tamen Trinitatis non amputat: & cùm Patris &
* memi- Filij & Spiritus ſancti memorat, nomen non * interimit
nit fortè maieſtatis vnius. Et quid plura? deficiet mihi pagina, defi-
ciet tempus ſi cuncta quæ ad probandam diuinitatem ſpiri-
tus ſancti ſcripta ſunt reuoluere aut enumerare voluero.
Hæc autem breuiter dicta ſunt ad retundendam impuden-
tiam eorum qui diuinitatem Spiritus ſancti, imò, vt verius
dicam, ipſam Trinitatem abnegare conantur: ipſam autem
negant, quando non ita, vt eſt, Deum fatentur: quando non
ita credũt vt ſcriptura diuina nos docuit, & vt credere opor-
tet, ſed prout illos traxerit ſenſus ſui libido: & vt intelligant
quàm longè à fide Dei ſint, aut quàm alieni à ſalute quæ eſt
in Chriſto Ieſu, qui Spiritum ſanctum, quo credentes ſigna-
mur, in die redemptionis noſtræ contriſtare & abnegare ni-
tuntur: & vt ſciant qui talia ſentiunt quia huiuſmodi machi-
nantur quæ neque ad veniam neque ad remiſſionem pecca-
torum ſuorum poterunt pertinere, quia ſcriptum eſt: Qui
Mar.3. Luc.12. autem blaſphemauerit in Spiritu ſancto, non remittetur ei
neque in hoc ſeculo neque in futuro: ſed illi ſe potius ſen-
tentiæ ſubiicere non neſciant, quam diuina menſura idem
Eſa.66. per os Eſaiæ protulit, dicens: Vermis eorum non morietur,
& ignis eorum non extinguetur.

FINIS.

LECTORI BENEVOLO S.

TRactatum hunc de concordia Matthæi & Lucæ narrantium genealogiam Chriſti, inuenimus in duobus exemplaribus perantiquis, altero S. Victoris, altero S. Dionyſii. Quem cùm nec materia nec ſtilo abhorrere ab Ambroſio videremus, addendum cenſuimus.

DE CONCORDIA MATTHÆI *& Lucæ de genealogia Chriſti.*

IN Chriſti generatione Matthæus & Lucas diſſentire videntur, propterea quòd cùm alter, id eſt, Matthæus deſcendendo, alter, id eſt, Lucas aſcendendo, eiuſdem generationis ſeriem texat. Matthæus quidem ab Abraham exordium narrationis ſumens, & ad Dauid vſque deſcendens, deinde per Salomonem vſque ad Ioſeph lineam deducit. Lucas verò à Ioſeph incipiens per Nathan
A ad Dauid, & à Dauid vſque ad Abraham, poſtremò ab Abraham vſque ad Adam generationis ordinem reuoluendo, aſcendit. Vnde contingit vt à Dauid deorſum, cùm ille per Nathan, iſte per Salomonem generationis tramitem deducat, totus penè computationis ordo diſſideat. Sed quia ſcriptura ſacra diuerſa quandóque recipit, aduerſa autem omnino non admittit: dum non permittimur credere contrarietatem, latẽtem cogimur quærere veritatem. Matthæus igitur generationem Chriſti deſcendendo computat, oſtendens filium Dei per carnis ſuſceptionem factum eſſe filium hominis. Lucas eandem aſcendendo texit, demonſtrans filios hominum effici filios Dei per gratiã adoptionis. Propterea etiam Matthæus generationis ſeriem vſque ad Chriſtum natum ducere volens, non à primo parente Adam, ſed ab Abraham exorſus eſt: vt oſtenderet quòd ſuſceptio carnis in filio Dei non fuit primæ conditionis inſtitutio, ſed promiſſionis poſtmodũ factæ impletio. Lucas verò à Chriſto baptizato incipiens non in Dauid vel in Abraham, ſed
B nec in Adam finem fecit, ſed per Dauid & Abraham atque Adam tranſiens ad Deum aſcendit: vt apertè daret intelligi, quòd ij qui per generationem carnis filij ſunt hominum, per regenerationem baptiſmatis in adoptionem tranſeunt deitatis. Ideo Matthæus in genealogia non niſi naturales filios computare voluit: Lucas verò inter naturales etiam adoptiuos aſcribit, vt oſtendatur & in Chriſto naſcente vera fuiſſe carnis ſuſceptio, & in nobis renaſcentibus non per naturam ſed per gratiam peruenire adoptio. Hæc ergo fuit cauſa quare in generationis ſerie alios Matthæus, & alios Lucas patres poſuit: quia ille, ſicut diximus, ſolos naturales, iſte verò naturalibus etiam adoptiuos connumerauit. Quod vt melius patere poſſit, vtrorúmque narrationem conferamus. Ordo generationis Chriſti ſecundum Matthæum talis eſt: Abraham genuit Iſaac. Iſaac genuit Iacob. Iacob genuit *Matth.1.* Iudam. Iudas genuit Phares. Phares genuit Eſron. Eſron genuit Aram. Aram genuit Aminadab. Aminadab genuit
C Naaſſon. Naaſſon genuit Salmon. Salmon genuit Booz. Booz genuit Obeth. Obeth genuit Iſai vel Ieſſe. Ieſſe genuit Dauid. Dauid genuit Salomonem. Salomon genuit Roboam. Roboam genuit Abiam. Abia genuit Aſa. Aſa genuit Ioſaphath. Ioſaphath genuit Ioram. Ioram genuit Oziam. Tres hic intermiſit Euangeliſta, id eſt, Oziam ſiue Ocoziam & Ioas & Amaſiam. Ioram enim primo loco genuit Ooziam, & Oozias genuit Ioas, & Ioas genuit Amaſiam, & Amaſias demum genuit Oziam. Quod ita intelligendum eſt, genuit, videlicet mediantibus ſupradictis, quia per illos de ſemine eius proceſſit. Hos autem Euangeliſta vel ideo prætermiſit vt numerus teſſerecæ decadis æquaretur: vel ideo quia Ioram generi ſe miſcuit Iezabel: & dictum erat per Prophetam de domo Achab non eſſe quemquam regnaturum, niſi in quarta generatione. & ideo memoria eius tollitur eo vſque à ſancta generatione. Ozias ergo qui & Azarias genuit Ioatham. Ioatham genuit Achaz. Achaz genuit Ezechiam. Ezechias genuit Manaſſem. Manaſſes genuit Amon. Amon genuit Ioſiam. Ioſias genuit Iechoniam. Iechonias genuit Salathiel. Veritas hiſtoriæ habet quòd Ioſias genuerit Eleachim qui &
D Ioachim ſiue Iechonias dictus eſt. Eleachim autem genuit Ioachim qui & ipſe ſicut pater Iechonias appellatus eſt. Hic demum genuit Salathiel. Dicemus ergo aut vnum propter ſupradictam rationem ſiue aliam quamcunque ob cauſam, prætermiſſum: aut non eſſe eundem Iechoniam illum de quo dicitur, Ioſias genuit Iechoniam: & illum de quo dicitur, poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel: ſed priorem eſſe patrem, ſecundum eſſe filium: propter ſeparationem autem & diſiunctionem tranſmigrationis non eſſe repetitam inter eos generationis connexionem, vt diceretur: Iechonias genuit Iechoniam. Iechonias ergo genuit Salathiel. Salathiel genuit Zorobabel. Zorobabel genuit Abiud. Huc vſque ex libris veteribus generationis ordo texitur, quæ ſequuntur authoritas Euangeliſtæ confirmat. Abiud genuit Eliacim. Eliacim genuit Azor. Azor genuit Sadoc. Sadoc genuit Achim.

Achim. Achim genuit Eliud. Eliud genuit Eleazar. Eleazar genuit Nathã. Natham genuit Iacob. Iacob genuit Ioſeph. Hoc modo generationem naturaliter deſcẽdiſſe credimus. Nunc ſecundum Lucam ſeriem generationis reuoluamus. Lucas ſic ait: Ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathath. Prima fronte cõtrarietas occurrere videtur. Mathæus dicit Ioſeph filium fuiſſe Iacob, & Iacob filium Mathã. Lucas dicit Ioſeph filium fuiſſe Heli, & Heli filium non Matham ſed Mathath. Sed huius quæſtionis talis à patribus ſolutio datur. Matham qui per Salomonem deſcẽdit vxorem habuiſſe Eſthan nomine, de qua genuit filium Iacob, quo mortuo Mathath, qui per Nathan deſcẽdit, eandem vxorem duxit, & genuit ex ea filium Heli. Sic ergo Heli & Iacob vterini fratres fuerunt, vna matre non vno patre editi. Prior Heli duxit vxorem, & mortuus eſt ſine liberis. Poſtea Iacob accepit vxorem fratris vt ſuſcitaret ſemen fratri ſuo, ex qua genuit Ioſeph. Ioſeph ergo filius eſt Iacob ſecundum generationem: filius Heli, ſecundum legem. Deinde generationis ordo texitur. Ioſeph qui fuit Heli, qui fuit Mathath, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioſeph, qui fuit Matthathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heſli, qui fuit Naggæ, qui fuit Maath, qui fuit Matthathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iuda, qui fuit Iohanna, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel. Nõ puto eundem hunc eſſe Zorobabel aut Salathiel, qui ſuperius in ſerie generationis ſecundum Matthæum numerati ſunt, cùm & ille Salathiel non filius Neri, ſed filius Iechoniæ fuerit: & Zorobabel non Reſa, ſed Abiu, & cæteros inter quos Reſa non numeratur, genuerit: vel ſi idem ſunt, dicendum eſt quod hic primum vtriuſque computationis linea in vnum cõcurrat. Deinde mox ſecũdum modum quem in capite generationis huius ſignauimus ab inuicem deducãtur. Qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſam, qui fuit Elmodam, qui fuit Her, qui fuit Ieſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Ioram, qui fuit Matthath, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Iona, qui fuit Eliachim, qui fuit Melcha, qui fuit Menan, qui fuit Matthata, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid. Quæ deinceps ſequuntur vſque ad Abraham, in vtroque eadem ſunt. Sanè quòd in ipſa generationis linea plures ſecundum Lucam à Ioſeph vſque ad Dauid, quàm ſecundum Matthæum à Dauid vſque ad Ioſeph numerantur, contrarium videri non debet: cùm ipſæ ſucceſſiones generationum in ea parte multiplicius excreuerint, vbi citius decẽtibus patribus filij numeroſius ſucceſſerunt.

FINIS.

LECTORI S.

IN exemplari S. Germani ad pratum Scholaſticorum, poſt tres libros de officiis, hæ duæ epiſtolæ ſequebantur. Priorem eſſe Ambroſii perſuadebat materia ad illud tempus accommodata de Antonio, Hilarione, Machario, Gerualio, Prothaſio, de Mediolanenſi ciuitate in qua ſcriptam fuiſſe conſtat. Illud tãtum vt dubitaremus fecit, quòd vocet Germanicos & Anglicos & Italicos. Poſterior minus habet Ambroſii: ſed tamen appreßimus vtranque, quia vtraque antiquam eſſe & vtilem iudicauimus.

EPISTOLA PRIMA.

VIr quidam religioſus atque in monachico habitu conſtitutus tunc, noſtro, tempore nunc antiqui hoſtis eſt inaudita tentatione pulſatus, ita vt idem malignus ſpiritus veſtimentorum eius particulas & extra illum etiam incompoſitas, immunda colluuione crebrius fœdaret. Quæ intantum erat horrenda, fœtida & noxia, vt pars veſtium quam tetigiſſet,* nullius deinceps eſſet vſui apta, quãquam fuiſſet abluta. De qua cùm interrogatus fuiſſem, cur omnipotens Deus talem verſuto ſerpenti poteſtatem in eum dediſſet, vt cordis eius immunditiam foris oſtenderet, quod nunquam in exteriori habitu feciſſet, niſi interiorem omnino corrupiſſet, ſcilicet aut infidelitate & blaſphemia, aut certè inani & vana gloria, reſpondi: Sanies quippe intus in corde foras per veſtimenta manauit. Quem quia longè poſitus erat, ego quidem non vidi, ſed tamen, vt arbitror, hæc in illo verè præuidi. Quod ſi ita non eſt, nunquid tamen factum putatur ſine cauſa & propterea geſtum, vt in eo munditiam cordis fœditas illa ſeruaret, nec hanc callidus hoſtis inani gloria fœdaret: ſicuti Paulus ne de reuelationis magnitudine timeret, ſtimulum carnis accepit. Si itaq; horum quodlibet, aut certè ſi non fuerit, nũquid tamẽ quod ad extremum poſiturus ſum verũ non erit? Verũ eſt omnino. Verum eſt quod dico, nõ eſſe colluuionem illã extrinſecus animæ noxiã, ſi ipſa ſeruare ſtuduerit intus cordis munditiam. Interea ſicut tu ipſe iudicare curaſti, audio quoſdam apud vos dicere: Non poſſe aliquem in patria ſuæ natiuitatis perfectum eſſe, illud in argumentum aſſumentes, quod dominus dixit: Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Quos primùm oportet ratione veritatis refelli, & ſic demum qualiter intelligenda ſit prolata ſentẽtia demonſtrari. Audiant igitur patienter qui hæc dicunt, quia dum ſenſum ſacrę ſcripturæ prudenter non conſiderant, penè omnes ſanctos contemnant. Si enim ita eſt, vt aſſerunt, ergo quotquot ex Romanis conuerſi, apud Romanos degunt: quotquòt ex Græcis, apud Græcos: quotquot ex Italis, apud Italos: quotquot ex Hiberis, apud Hiberos: quotquot ex Germanicis, apud Germanicos: quotquot ex Aquitanicis, apud Aquitanicos: quotquot ex Anglis, apud Anglos religiosè viuunt, imperfecti erunt. Ecce Paulus & Antonius ex Thebæis, apud Thebæos perfecti ſunt. Ecce Hilarion ex Palæſtinis, apud Palæſtinos perfectus eſt. Ecce Macharius ex Ægyptiis, apud Ægyptios perfectus eſt. Ecce Oxyryncus ciuitas ex propriis ciuibus tota perfecta eſt. Ecce, vt ad proximos & vicinos noſtros veniamus, Prothaſius & Geruaſius in propria hac Mediolanenſi ciuitate, propriáque domo manentes, ac per decem annos monachorũ vitam exercentes, ita perfecti fuerunt, vt martyres fierent. An fortè ſola noſtra prouincia extra hanc regulam erit excepta, vt non de propriis, ſed tãtum de * extremis habeat monachos. Satagendum igitur magis eſt, vt vbi quis fuerit, iuxta regulam perfectorum viuat, & non parentum, non propinquorum, non affinium illecebris à via perfectionis declinet. Sic certè iuxta Saluatoris ſentẽtiam patri, matríque, fratribus, ſororibúſq;, vxoribus, filiis, domibus, agris, & cunctis quæ poſſidet renuntiare valebit. Hoc autem dico non quo ſeceſſores qui de regno ad regnũ, de publico ad eremum tranſeunt, ſumma laude non ducam: ſed quo etiam illos qui magis * effectibus patriam fugiunt, quàm greſſibus, fœlices atque perfectos oſtẽdam. Obſecro itaque illos qui hæc apud vos fieri poſſe denegant, vt vigilanti ſtudio conſiderent, cur non dixerit dominus: Nemo Propheta perfectus eſt in patria ſua, ſed: Nemo acceptus eſt in patria ſua. Sed ibi quid aliud intelligendum eſt, niſi quia non acceptum dixit, nequaquam receptum. Quod de antiquis Prophetis & ſeipſo dictum intelligi voluit, qui apud incredulos Iudæos non fuerunt accepti, ſed magis ſpreti, Stephano ad eos dicẽte: Quem Prophetarum non ſunt perſequuti?

* fortè, nulli. aut, nullius rei.

* fortè, externis.

Matth. 19.

* fortè, affectibus.

Luc. 4.

Act. 7.

ALTERA.

PRædicator omnipotentis domini Paulus Apoſtolus dicit: Seniorem ne increpaueris. Sed hæc eius ſententia in ea re ſeruanda eſt, cùm culpa ſenioris exemplo ſuo nõ † tradat ad interitum corda iuniorum. Vbi autem ſenior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi diſtricta increpatione feriendus eſt, quia ſcriptum eſt: Laqueus iuuenum omnes vos. & rurſum Propheta dicit: Et peccator centum annorum maledictus. Tãta autem nequitia ad aures meas de tua ſenectute peruenit,

Tit. 5.

† fortè, trahat.

Eſaiæ 42.

Ibidem. 65.

nit, vt eam nisi adhuc humanius pensaremus, fixa iam maledictione feriremus. Dictū quippe est, quòd dominicorum die prius quàm Missarum solēnia celebrares, ad exarandam messem Latonis præsentiū perrexisti: & post exarationem eius missarum solennia celebrares. Post missarum solennia etiam terminos possessionū illius eradicare minimè timuisti. Dubij autem de tanta hac peruersitate fueramus, sed filius noster Quiriacus abba à nobis requisitus dum esset Caralis, ita se cognouisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur aliquādo resipisce senex, atque tantam lenitatem morum & operum peruersitatem compesce: qui quantò morti vicinior efficeris, tanto fieri solicitior atque timidior debes. Et quidem pœnę sententia in te fuerat iaculāda: sed quia simplicitatem tuam cum senectute nouimus, interim tacemus. Eos verò quorum consiliis hæc egisti, in duobus mensibus excommunicatos decernimus: ita vt si quid eis infra duorum mensium spatium humanitus euenerit, benedictione viatici non priuentur. Deinceps autem ab eorum consiliis cautus existe, téque solicitus custodi: ne si eis in malo discipulus fueris, quibus magister in bono esse debuisti, nec simplicitati tuæ nec senectuti tuæ vlterius parcamus.

LECTORI CHRISTIANO S.

HVnc librum in veteri quodam exemplari manuscripto bibliothecæ Sorbonicæ reperimus inter D. Ambrosii opera, hoc titulo: Liber primus de Pœnitentia D. Ambrosii. Quo excitati nomine cùm auidè & attentè legissemus, primùm quidem animaduertimus non esse Ambrosii, & quòd stilus maiore studio esset elaboratus, quāquam maximè Ambrosius elaborauit, & quòd ipso genere dicendi dissimilis esset, & quòd D. Ambrosius in Psal. 37. duos tantùm libellos scripsisse se dicat de Pœnitentia: & quòd hîc nulla mentio Nouatianorum, quos profectò Ambrosius de eo argumento scribens alicubi perstrinxisset: & quòd scripturæ aliam versionem sequatur quàm Ambrosius. Deinde ex duritie sermonis, ex compositione anxiè affectata, & quibusdam verbis quibus Africani maximè delectati sunt, vt quòd remissam peccatorū dicat pro remissione: quasi ex colore & vultu cognouimus eum qui scripsisset Africanum fuisse hominem. Cùm autem in extremo libro legeremus: Nulla capiaris obliuione Victoris: nomen illi fuisse Victorem suspicati sumus. Cúmque inueniremus apud Gennadium & Tritthemium, quorum elogia hîc subiecimus, Victorem fuisse quēdam Cartennensem Episcopum in Mauritania, qui de Pœnitentia librum vnum composuisset: certò nobis persuasimus hunc illum esse Victorem, qui nunquam in lucem anteà prodiisset. Tamen & quia inter Ambrosii opera repertus erat, & quia nec Ambrosio, nec ipsis illis præstātissimo ingenio. Africanis authoribus Tertulliano, Cypriano, Optato postponendus esse visus est, noluimus ab Ambrosio dissociare: quod te, studiosè lector, cōfidimus non esse improbaturum. Vale.

GENNADIVS IN CATALOGO virorum illustrium.

VIctor Cartennæ Mauritaniæ ciuitatis Episcopus, scripsit aduersum Arrianos librū vnum & longum: quem Genserico regi per suos audiendum obtulit, sicut ex procemio ipsius libri didici. Scripsit & de Pœnitentia Publicani librum: in quo & regulam viuendi pœnitentibus iuxta scripturarum authoritatem statuit: & ad Basilium quendam super morte filij consolatorium libellum, spe resurrectionis perfecta instructione munitū. Homilias etiam cōposuit multas, quas à fratribus salutis propriæ solicitis in libris digestas seruari cognoui.

IOANNES TRITTHEMIVS IN LIBRO de Scriptoribus Ecclesiasticis.

VIctor Cartennæ Mauritanię ciuitatis Episcopus, in scripturis sanctis doctus, & declamator sermonū egregius, hæreticorum persecutor insignis, multa dicitur scripsisse volumina, in quibus & populum erudiuit deuotum, & errantes circa fidem fortiter contriuit: de quorum numero ista feruntur.

Aduersum Arianos	lib. 1.
Aduersum Donatistas	lib. 1.
Ad Basilium consolatorius	lib. 1.
De Pœnitentia quoque	lib. 1.
Homiliarum ad populum	lib. 2.

Alia quoque non pauca edidit, quæ ad notitiam meam non venerūt. Claruit sub Martiano Augusto, anno domini 450.

Liber de Pœnitentia.

CAPVT PRIMVM.

PROEnitentiæ officia & merita narraturus mihi, frater charissime, puto non verbis esse sed factis opus. Res enim salubris ac necessaria non tam dicenda est, quàm docenda: quę totum * habeat insitum amaritudinis actum, fructum perfert in effectu dulcedinis, & hæret faucibus, cùm cordi impertit salutare remedium. Pœnitētia, inquam, est prioris æui damnatio, & in futuro promissa correctio: & velut in aliam vitam ducitur vsus viuendi, dum pia mens, ea quæ sunt à tergo, non respicit. Hāc non ita dictis doceo, sicut gestis exerceo. Et quamuis iusti persona non competat, me tamen in initio mei sermonis accuso. Habet enim iustitiæ partem errati cauta confessio: quia licet, vt tu doces, dei sit punire commissa, sententiam tātum cognitoris præuenit in humilitate exercita pœnitentia. Scriptum est enim: Pœnitentibus dedit partem iustitiæ, & corrogauit deficientes sustinere, & destinauit illos in sortem veritatis. Age pœnitens, propria scelera cōfitere, pande Deo tuæ iniquitatis arcana, denuda secreta pectoris tui, & amoue internæ præuaricationis operculū. Nota sunt Deo cūcta quæ in occulto feceris, quæ si non dixerit lingua, non potest celare conscientia. Frustra te latenti consolatione deludis, & abscōsum putas esse posse, quod sine teste cōmiseris. Patet Deo omne quod clausum est, & in aperto lucet quicquid nox abstrusę cogitationis intenebrat. Reum te tibi officio confessionis institue, causam tuam in conspectu tuo temetipso accusante compone, dicta in te sub seueritate sententiam, antequam iudicis sentias iracūdiam. Et vt mulgeas misericordiam, exerce prior in te ipso censuram. Crede mihi totum quo suspectus es, fit illico veniabile, cùm * iniuncta fuerit in te huiusmodi pœnitudo iustitiæ, scriptura dicente: Pœnitētibus autem dedit partem iustitiæ, & corrogauit deficientes sustinere, & destinauit illos in sortem veritatis. Expectat ecce dominus confessionis munus, si confitentem non inuoluit reatus. Et cùm sit nota diuinis sensibus hominum cōscientia, mauult lingua prodere quod non possunt occulta cordis celare. Pœnitētia itaque vno actu officia diuersa congeminat. Hinc enim publicat confitentem, inde confessum reuocat innocētem: hinc reatum nundinat, inde crimen excusat: hinc obiicit propius peccata peccanti, inde indulgentiam exigit pœnitenti, nec permittit puniri confessum, qui pœnitentem nosci reuocare damnatum. O magnificum bonitatis diuinæ thesaurum! ô singulare clementissimi iudicis institutum! Ad hoc de reis vult confessionis exculpere vocem, vt non inueniat quod vltum iri debeat. Et cùm apud seculi iudices confessus

*habens

*inuēta

Ecclesi. 17.

Ecclesi. 17.

sus mox dirigatur ad pœnam: apud dominum confitens statim pergit ad veniam. Nec hoc vllis elicit de confitente tormentis, cùm patiens in semetipso officium videatur exercere tortoris. Lucra sunt enim pij iudicis gemitus confitentis: & gaudium cognitoris est sine quæstione confessio. Acquiritur domino quod non punitur inferno, & multum cõfertur authori si deputatus pœnæ, veniæ condonetur. cupit enim damnum esse vindictæ, quod non vult perire clementiæ. Nec optat vlcisci, qui paratus est misereri, ipso de se per Prophetam dicẽte: Nolo mortem morientis, quàm vt conuertatur & viuat. Quibus Sapientia concinens Salomonis: Deus, inquit, mortem nõ fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Iudicis ergo nostri clementia non optat reos perire vitæ, sed perire sententiæ: nec desiderat morientis exitium, sed festinat magis seruare confessum. Nolo, inquit, mortem moriẽtis, sed vt reuertatur & viuat. Ecce verus vitæ author, qui non vult morientis mortem, sed lamenta conuersi: & vult se semper in miseratione esse beneficum, ne iustitia teneat iudicatum.

Ezech. 33. Sapien. 1.

CAPVT SECVNDVM.

DAmnum ergo in moriente experitur, qui in vno perdito non lætatur, quia in donatore vitæ necesse est vt ex morte veniat causa tristitiæ, non quasi ex corporalium sensuum lege descendat, quod in perdito ac moriente contristat, cùm in authore incorporeo non cadat omne quod venit è corpore. Sed cùm nullam capiat ex pereuntis morte lætitiam, tristitiæ actus in promptu est, vt sit miserãtis affectio, non dolentis anxietas: & decurrens ex pietate tristitia, non de passione vlla externa perpessio. Consequens ergo est vt doleat perditum, qui gaudet inuentum: & non lætetur ex mortuo, qui gratulatur ex viuo. Hoc per parabolam dominus in Euangelio manifestat, dicens: Gratulari & gaudere te oportet, quoniam frater tuus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est. Et iterum: Sic erit, inquit, gaudium in cœlo coram patre vestro & angelis eius super vno peccatore pœnitentiam agente. Vnde per Esaiam prophetam dominus prouocat pœnitentem, dicens: Ego sum qui deleo iniquitates tuas & non memorabor: tu autem noli obliuisci, & iudicemur: dic tu prior iniquitates tuas vt iustificeris. Quid oro hac spõsione iucundius? quid potest hoc inuitamento dulcius inueniri, prouocare iudicem, dicere aduersum se reum pro se, non vt puniat, sed vt absoluat: non vt animaduertat in confessum, sed vt iustificet à seipso conuictum. Ego autem non memorabor, tu autem noli obliuisci. Hoc est dicere, non remanebit penes me memoria facti tui, si tu proprij non obliuiscatis errati. Et delebitur infamia criminis tui, si eius recordatione compulsus non cesses meis auribus cõfiteri. Vides ergo Deum in flagitia peccatoris intentum, si nullum pœnitentiæ existat officium, & imminentem ceruicibus rei iram iusti iudicis cui non placuerit gemitus confitentis: illa autẽ in obliuionem ducere quę tu non quieris publicare, & aboleri criminis notã, si non † vulneres silentio conscientiam. Ego sum, inquit, qui deleo iniquitates tuas & non rememorabor, tu autem noli obliuisci. Nullum voluit esse temporis punctum, nullum momenti momentũ, quo in pectus tuum irrepat obliuio peccatorum, sed vt execreris quæ antè commiseras: non vt pristinorum oblectatione capiatis, & sit in te non ex desiderio præteritorum, sed ex doloris recordatione suspirium. Casum tuum semper ante oculos proponas & lugeas, & funera tua momentis omnibus plãgas, mortuum te iugiter sentias, moriturúmque sine dubitatione cognoscas. Hæc dominus non imputabit ad pœnam, sed detorquebit ad gloriã, & ita memorabitur tui, vt obliuiscatur eorum quæ antè in peccati registi, præbiturus tibi pro tẽporali luctu ætterna atque infinita solatia, cùm peccata tua euaserint impunita ipso dicente: Beati qui nunc lugent, quoniam ipsi consolabũtur. Tu autem noli obliuisci & iudicemur. Interea iudicemur, ait: an nũquid dominus iudicabitur qui dicit, vt cum peccatore iudicetur? absit. Iudicemur, inquit, tu confitens, ego dimittens: tu offerens debita, ego donãdo peccata: tu dicens iniquitates, ego te absoluta pietate iustificans. Denique vide quod sequitur: Dic tu prior, inquit, iniquitates tuas vt iustificeris, non vt condamneris: vt maneat in te præmium conuersi, non confessi supplicium: vt iudicium tecum comitetur iusti, non nota damnati. Et tunc carebis cunctis iniquitatibus tuis, cùm aduersum te testis & accusator extiteris. Dic tu, inquit, prior iniquitates tuas, vt iustificeris. Sed nunquid tanquam ignorans prouocat te, frater, vt confitearis iniquitates tuas, qui scit antequam fiant? Et tã quam nescius ex te optat audire, qui necdum natos solet ex præscientia iudicare: Aut nescis in vtero sanctæ Rebeccę geminum partum vno tempore conceptum eodémque progenitum præscientiæ notiore retulisse iudicium disparium meritorum?

Genes. 25.

CAPVT TERTIVM.

VIt ergo te magis nosse quid agatur in te, vt cùm exponis medico vitium tuum, necessarium tibi propinet antidotum. Tunc enim potens perfectum consequi beneficium medicinæ, si non celes medico tuæ vulnera conscientiæ. Cæterum qualiter curandus eris, qui ea quæ sunt in te absconsa non pandis? Opinor enim nisi interpelletur medicus, non curatur ægrotus. Expectat ergo diu sibi ostendi doloris tui causas, vt medicinæ remediũ iam curatus intelligas. Quid enim medico debeatur iusta æstimatione pensabis, si morbum tuum in te antè cognoueris. Et vt pluribus te non teneã, confessio tua pœnitens medicina est: ipsa te curat, ipsa te viuificat, nec patitur vulnus tuum tenere putredinem, sed mox vt ingemueris, superinducit inde notabilem cicatricem. Hodie si quisquam te morbus corporalis afficiat, & sentias artus tuos intestino grauari lãguore, aut vulnus tuum intelligas tabo & sorde putredinis cancerare, statim curris ad medicum, quæris de arte remedium, excubas antè ianuam dormientis, & antè fores eius matutinus salutator adsistis, precibus orare, dona promittere, munera offerre & totũ patrimonium pro tua cupis sanitate prodere. Et cùm plerũque imperitia eius aut grauetur languor, aut certè in longa tempora differatur, nihilominus tamen in obseruatione assidua perseueras, & homo ab homine speras tarda remedia, nec desperas adiutorium profuturum, cùm adhuc non sentias corroborationis effectum: & non curris ad Deum tuum gratuitum medicum, ad vltroneum pigmentarium, qui in curandis animæ tuæ valetudinibus nullum nouit pati fastidium, nec expectat ex sanitate tua præmium, sed magis desiderat præmio munerare curatum? Et vtique temporalis medicus hoc solũ curat quod ad corpus attinet. Cæterùm deus animam sanat, quam peccata conuulnerant: & ille profert ad præsens profutura remedia, hic autem adhibet perpetuam medicinam. Et tamen homo nec seipsum potest iuuare medicus, nisi subuenerit Deus. Nam incassum laborat plerunque astutia medicinæ, si deus ægroto viuendi tẽpus noluerit prolongare. Quos nec sibi videmus nonnunquam posse succurrere, cùm prę̃senti corporalibus vitiis fraudantur beneficio sospitatis. Nullum ergo beneficium medicinæ erit, quando medico ipsi medicina non subuenit. Nemo te, crede mihi, melius reficit, quàm qui fecit: nec alius iustificat, nisi qui flagellat & curat. Solus nouit operis sui sarcire † ruinas, & limi nostri quassatam speciem in status pristini † substantiam reformare, ipso per Prophetam dicente: Sicut lutum figuli, sic vos estis in manu mea. Neque hoc ipsum aliquo interuallo temporis operatur. Mox vt dixeris vitium tuum, illico impertit & adiutorium: imploranda subsidia & confitẽda remedia, nullum prope modum tempus interuenit. Hoc tantum expectat, vt fatearis, mora non erit vt saneris. Dic tu inquit, prior iniquitates tuas vt iustificeris. Hoc per Ezechielem prophetam idem Spiritus repromittit iniustis: Impius quacunque die conuersus fuerit ab iniustitia, & iustitiam fecerit, ipsa die peribunt omnes iniustitiæ eius: in sua iniustitia quam fecit non morietur. Et alibi: Cùm conuersus fueris & ingemueris, tunc saluaberis.

† ruptu-ras *Hiere. 18.*

Ezech. 18.

CAPVT QVARTVM.

SEd forsitan dicas, non habeo conscium, & nulli omnino manifesta sunt quę commisi. Quid ergo, si non habes conscium, saltem nescis præsciũ Deum conscientiæ tuæ ineuitabilem conscium? Et si facta tua nemo hominum nouit, nempe Deus facta tua & adhuc futura prænoscit. Quid enim non videt, qui vbiq; & totum videt? ipso ad Iob dicente: Quis putet aliquid me latere? Da mihi locum in quo nõ sit Deus qui totus est * occultus, & erit in factis tuis, vt tu arbitraris occultus: sed Deus vbique est, & totus in toto est, ipso dicente: Cœlum mihi sedes est, terra verò scabellum pedum meorum. &, Cœlum & terram ego impleo. Vnde & beatissimus propheta Dauid: Quò ibo, inquit, à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es: si descendero in inferos, tu ibi venies. Si recepero pennas meas directas, vt inhabitem in nouissimo maris: etenim illuc manus tua domine deducet me, & continebit me dextera tua. Frustrà ergo dicis non habere te conscium, cùm audias Deum totum vbique, & per omnia maiestatis suæ ambitione diffusum, cui fit notũ quicquid putatur abscõsum. Sed non habeo, inquies, conscium. Hoc rectè dixisses, si exemplũ Cain parricidarum principis non haberes. Persuaserat ire secum in campũ pio fratri parricidalis impietas, & nihil de fratre se custodire æstimãs rudis adhuc & noua germanitas, præceptis eius bono simplicitatis obtemperat. Gradiuntur vno pariter comitatu ambo germani, & parricida infaustus ad perficiendum nefarij sceleris cogitatum quasi locum eligit sine teste. Quasi verò si sibi hominem conscium non haberet, latere aliquid Dei oculo potuisset, aut cælare posset studio solitudinis, cùm nihil obtutibus cæletur authoris. At vbi infandi facinoris attifex * primitus aptum indicauit locum perpetrando flagitio, insiliit in furorem, & patientissimum fratrem ac minimè repugnantem diabolo instigante interfecit. Res quidem in effectu euidens erat, sed quantum eam ratus fuerat, sine cõscio admissa latebat. † Et credebat crudelissimus hominũ sine teste aditum criminis nõ fateri, cùm ob hoc ipsum crimen agnosceret, quod cupiebat occultare. Sed ecce rerum dominus cui quicquid absconsum putatur in promptu est, & quem non potest latêre quod in cogitationum occultis agitur, scriptura dicente: Cogitatio hominis confitebitur tibi. & iterum: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. & iterum: Scrutans corda & renes Deus. vnde propheta Dauid: Cogitationes, inquit, meas à longè vidisti: parricidam voce indignãtis appellat. Et sciẽs ferocis facti atrocem spiritum quem gesserat negaturum, vt reatum cumularet impij parricidæ, simulat se veluti quod admissum fuerat, ignorare. Et dixit, inquit, Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Et dixit Cain: Nescio: nunquid custos fratris mei sum ego? O insaniam detestabilem! ô audaciam singularem! fidus negat quod sine teste commiserat. Et credidit sine conscio crimen publicari non posse, † cùm ipso negotio reatũ magis proderet conscientię. Quid agis Cain infœlix? Non habes vllum hominem testem: ecce habes effusum sanguinẽ proditorem, ipse te publicat & accusat. Vox eius aduersum te interpellat authorem, & facit cruor diffusus inuidiam, ne latentem prætereat vltio parricidã. Quid, inquit, fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Verum vbi parricida sensit proditum quod putabat occultum, & sanguine teste conuictus frustrà finxisse contumaces insidias, facinus confitetur: exoptat in se acrius dictari iudicium cùm excusare non posset cõscientia parricidium perpetratum. Sed differtur interim seuerior pœna, vt tanti facinoris authorem diutius trucidaret lenta sententia, † vt celeritas interrogati supplicij compendium magis videretur addicti, & fieret pœnali diuturnitate longæuior quod † latrocinij moriendi extenuaret facinus parricidij. Quid ergo tibi super eo blandiris, quòd non habeas conscium, cùm videas testimonio sanguinis innocẽtis Cain fuisse conuictum pariter & punitum.

* forta sse oculus *Esaiæ 66. Hierem. 23. Psalm. 138.*

Genes. 4.

* vel, primitiuus.

† legerẽ, Et quęrebat crudelissimꝰ hominũ sine teste reatũ criminis nõ fateri. *Psalm. 75. Ibidem 138. Ibidem 7. Psalm 138. Genes. 4.*

† fortè, ipsa negatio.

† ne † quoad lẽtitudine moriẽdi æstimaret facinus parricidij.

CAPVT QVINTVM.

SEd cõscium, inquies, non habeo, qui mea facta diuulget. Rogo dicas mihi, si non habes conscium, non habes conscientiæ testimonium? aut teipsum potes effugere, & † conscium declinare? Conscientia, inquam, apud quam non moritur omne quod gerimus, quæ nos in factis nostris accusat & iudicat. Quæ cùm non habeat loquendi vsum, nescit tamen tenere silẽtium. Potest conscius morte † subduci, potest tibi ad tempus prodesse testis conscientia. Nec rectum supereſt, & sine te non est, hæret pectori, nec vnquam te deserit, & velut quædam pediſſequa nullo abs te temporis interuallo discedit, tenet te reum, & in sua semper ditione captiuum: si quando mẽtem tuam letior secundarũ rerum actus auocarit, & sensus tuos cœperit facti delectatione iucũditas: subitò te illa stimulat, illa medullitus pulsat & interpellat sensum, interrũpit gaudium & totam pectoris regionẽ mœstis suspiriis inquietat: * atque vulnerata opprobrio teneatur, non inuenitur † bonum remedium quo curetur. Sẽper enim offenditur cùm alius castigatur, & in alieno vulnere primò ipsa percutitur. Deinde vis nosse quanta sit seueritas cõscientiæ? potest tibi conscius auro corrumpi, potest pecunia cõparari. Conscientia nihil corruptionis admittit, manet integrũ eius testimonium tota fidei firmitate vallatum: quinetiam aduersus cõscium conducitur patrocinium, & defensionis ingenio argumenta versutiæ conquiruntur, & testimonij veritas loquelæ impudentis calliditate peruertitur: iudex quoque redimitur, vt facti qualitas excusetur. Vacant hæc omnia vbi mentem conscientia † & cùm homo moriatur, conscientia certè non moritur, quæ post mortem corporis in anima iudicatur. Et putas prodesse tibi te non habere conscium, cùm conscientiæ quotidianum sentias perpetuúmque iudicium? Sed planè eum nõ comitabitur vltio diuina, quem propria iudicauerit conscientia: vacet enim ibi necesse est potestas iudicis, vbi conscius sibi reus aduersum se testis & accusator extiterit. Nam proculdubio geminabitur causa peccati, si contumax conscientia facta sua noluerit confiteri. Tunc enim ex peccatore fit impius, qui in peccatis suis fatendis extiterit induratus, vt & flagitia perstringat digna sententia, & contumaciæ pœnas luat peruicax conscientia. Frangitur enim commotio iudicis, vbi pœnitudinis & seueritatis enixa districtio cõfessionis oppugnatione lenitur. Deprõptum indignatione iudiciũ, satisfactione percellitur, & cõminantis intentio orationis humillimæ verecundia tẽperatur. Hoc ex Niniuitis addisce quorũ cõfessione deleta est iam dicta sententia, & auersa imminẽs ira, ne inanis fieret cõfitens pœnitẽtia. Pendebat super miserã ciuitatẽ cœlitus iam vibrata sententia, & animaduersionis diuinæ securis ceruicibus infelicium perurgebat. Iam productus fuerat cœlestis gladius è vagina, & in vltione perpetratorum criminum vehemens ira feruebat. Vox præconis interitum populis minitabatur, & denuntiabat cunctis proximum perituris Prophetæ clamor exitium. Post triduum, inquit, & Niniue ciuitas subuertetur. Heu quid de deo exigitis sceleta, quid peccata mercamini? Ipsam Dei nostri clementissimam præueniſtis pietatem, de quo tam propinquam & ante tempus † exigitis vltionem. Videre itaque mihi videor quanta miseros arrabat anguſtia, & qualis perstrinxerat in tremore necessitas. Consilium metus amiserat, remedium desperatio non habebat. Ita enim fuerat tẽporis præcipitata celeritas, vt ne spatij quidem attributa diram suspitionem criminis relaxaret. Post triduum, inquit, Niniue ciuitas subuertetur. Et quænã fuerat illa subuersio, quæ † inducitur perituris? Non vtique hostilem significabat incursum, non armorũ strepitum, nec clangorem terribilem buccinarum, quibus forsitan poterãt † resistentium obuiare † agmina, aut præliis promulgatis partium conferri certamen, aut fugæ præsidia sortem proiicere captiuorum. Sed diuinæ indignationis & vindictæ cœlestis interitus prædicatur, cui puniendus nec fuga subducitur, nec bellicis artibus defendendi cura datur. Quis enim posset irrogatum exitium declinare, quod ętherius fragor incipiebat effundere?

† puto legendum, conscientiam.

† aliquid hîc deesse aut super esse videtur. aut sic legendum: prodesse. Testis conscientia & tecum semper est, & sine te, &c.

* & quasi † homini

Ioan 3.

† fortè, exegistis

† indicitur.

† tutamina.

CAPVT SEXTVM.

AT ecce miseros non deserit in pauore consiliũ, & inuenit remedium ex periculo desperatio. Ad seipsos redeuntes conscientias suas vice iudicantis interrogant, currunt ad propugnaculum pœnitentiæ, & confessionis scuto oppositio declinant sagittam. Itur ab omnibus in curatione criminum fatẽdorum, & in satisfactionis officium exposita morti turba cõspirat. Indicunt sibi necessariũ perituri ieiunium † induũt ipsis corporibus, animas humilitatis flagello castigant. † Indicunt pro veste cilicium & cinere pro vnguentis aspergunt ac prostrati humo puluerem lambũt. Mortem suam lachrymis funerant, & vitam plangimoniis prosequuntur: reatum suum gemitibus publicant, & actuum suorum pandunt arcana facinora. Omnis ætas & sexus indiscretè lugubribus se aptat officiis: depositus omnis cultus, deiectus ornatus. Sed planè illæ sordes corporis ornamenta fuerant pœnitentiæ, & virtus habitudinis summum fuit decus confessionis: negata quoque sunt ipsis alimenta lactẽtibus, & ætas necdum propriis peccatis infecta, onera sustinuit aliena. Cibũ suum mutum pecus esuriuit, & naturalia pabula brutum animal non accepit. Vnus audiebatur per mœnia ciuitatis eiulatus disparium naturarum, & per omnia tecta vrbis flebilia resonabant lamenta plangẽtium, & vt semel dixerim, terra mugitus confitentium sustinebat. Sed & astra ipsa voce pœnitentiæ personabãt. Impletum est quod scriptum est: Oratio humiliãtis se nubes penetrauit. Denique sic placauit offensum Deum, sic mitem fecit rigidum, sic demulsit iratum: & mucronem vltionis in techa recondidit, quia cõscientiæ de se iudicium indicauit. Eripuit reos pœnæ confessio, & vindictæ iam deditos pœnitẽtia sibi metu dicauit. Deletum est statim condemnationis elogium lachrymis cõfitentium, & * consp̃atio cõfessa. vel, conspirata confessio absoluit obnoxios pœnę * speratio confessa de crimine. Vidit pius Deus tulisse in se iudicium pœnitentes, & errata suę conscientiæ ea stipulatione damnantes, continuò donauit veniæ quos destinauerat pœnæ. Et ideo pepercit afflictis, vt exempli supplicio, lucra fierent pietatis. Probatum est testimoniũ prophetiæ, quod in superioribus paulò antè diſpoſuimus: Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & nõ rememorabor: tu autem noli obliuisci & iudicemur. Dic tu, inquit, prior iniquitates vt iustificeris. & iterum: Cùm conuersus fueris & ingemueris, tunc saluaberis. & iterum: Conuertimini ad dominum Deum vestrum, quia misericors & pius est: patiens & multæ misericordiæ, & qui sententias flectat aduersum malitias irrogatas. Vnde & beatissimus Dauid: Peccatum, inquit, meum * & sciui, & iniquitatem meam non cooperui. Dixi, Confitebor aduersum me iniquitatem meam domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. & iterum: Quia iniquitatem meam ego scio, & peccatũ meum coram me est semper. Vides ergo quotidiano in se peccanti opus esse iudicio, quo cum conscientia * operitur, & cùm publicatur operitur. Et licet notum sit Deo omne quod gerimus, nec occultatur sensibus eius antequam fiant, mauult tamen cordis tui nudare secretum & facinora prodere conscientiæ, vt indulgẽtiæ suæ dono operiat turpitudinis nuditatem. Quomodo vult spoliatum venia dimittere confitentem? De talibus Propheta beatissimus cecinit, dicens: Beati quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Quanquã hoc euidentius pertinet ad renatos, quorum & iniquitates & crimina Baptismo operiuntur & teguntur. Fidelem enim veniæ locum tenet non infida confessio, & in tuto est pœnitens conscientia, si indulgentiæ remissionem, non dubitet.

Psalm.31.

*ego sci-ui *Psalm.50.*

*fortè, aperitur

Psalm 31.

CAPVT SEPTIMVM.

Genes.4.

AT è contrario peccati cumulus erigitur si quod committitur, id negatur: quod in facto Cain suprà memorauimus, qui dum putauit authori suo facinus abnegare, seipsum pœnæ non est † remissus eximere, vt conscientia in facti sui atrocitate publicum frustraret ei ex negatione fructum pœnitentiæ. Negans enim est conuictus, non ex volũtate confessus: & punita est in scelere contumacia, quia interrogationem non subsecuta est confitens pœnitẽtia. Libet igitur pedetentim hîc illius vindictæ septemplicem aperire rationem, & quænam causa coegerit tam duram coaceruari sententiam euidẽtius rei probatione monstrare, ne enormitate vindictæ pateat ad suspicionem iniustitiæ via calumniæ: quanquam noui * fœderis inuentum, vehemens debeat comitari supplicium, quod † longioribus esset posteris in exemplum. Errat enim qui putat vno teneri crimine parricidam, cùm eiusmodi sceleris testimonio constipata sint omnia facinora. Audio enim dominum dixisse: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota virtute tua: & diliges proximum tuum tanquam teipsum. vnde, in his, inquit, duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ. Cùm ergo duobus his præceptis pendeat omne quod legis est, videámque Cain nec Deum dilexisse, cuius primum fabricam violauit: & germanum vehementer odisse, quem instinctu impietatis occidit, apparet illum adhuc munus soluisse vindictæ, in cuius facto cuncta inueniuntur crimina conuenire. Et iure in illo exertum septiforme supplicium, in quo vniuersa tenebant scelera principatũ. Et tamẽ specialiter septem in illo deprehẽdo flagitia, quibus singulis singula sunt deputata tormenta. Primum enim crimen est, quia non rectè diuisit, hoc est, de primitiis terræ fructibus, primò comedit antequam obtulit. Secundum est * quia cùm muneris sui dignum videretur accepisse repudium, contumacem * spiritum: & cùm nulla reiectæ oblationis culpa pij fratris existeret quasi vindicãdum se infaustus credidit de authore, si pro hoc fratrem deo probatum videretur occidere. Tertium crimẽ est, quòd inuidiæ felle suffectus & liuoris amaritudine venenatus, innocentissimum zelauit truculenta animositate germanum. Quartum est, quòd dolo fefellit obsecundantem sibi, vt pariter comitarentur in campum in quo iustus initiaret sub ouis simplicitate martyrium, parricidio terram macularet iniustus. Quintum est quòd fratrem nefarius * crudelitatis occidit. Sextum, quod cùm scelus perficeret, insuper & negauit, & putauit deum alicuius facti ignarum, quem conscientiæ suæ secretum mulctasse persensserat, cum cõpetens retulisset in oblationis suæ reprobatione repudium. Septimum crimen est, quòd post mortem se non credidit proditus, parricio puniri, cùm ob infamiam criminis publicati ad præsens tempus sese postulauit occidi. Meritò ergo in Cain septuplũ vindicatũ est, in quo totidem prærogata sunt tormenta, quot crimina. Cui tantæ inflictæ sunt plagæ, quantæ numerantur & causæ, vt nec iustitia modũ vltionis excederet, nec numerum criminum vindicta cõpetens prẽterirer. Quod idcirco iterũ posui ne insinuatę expositionis præteriret occasio.

† permissus

*sceleris

† longius *Matth.22.*

*qui

* videtur legendũ, contumacem concepit spiritum

* videtur deesse, auctor

CAPVT OCTAVVM.

IAm diu me à proposito inchoati operis sentio deuiasse, & in aliam detorsisse partem cursum celerẽ dictionis. Sed facilis est ad omissa recursio, & citò repetitur trames declinatæ materiæ, cùm à finibus eius interiectæ probationis non exorbitat argumentum. Peccatum ergo, inquit, meum sciui, & iniquitatem meam non cooperui. Dixi, confitebor aduersum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. & iterum: Quia iniquitatem meam ego scio, & peccatum meum coram me est semper. Hoc nõ solum verbis docuit, sed & factis impleuit: quia nõ sufficit ad consummationem sapiẽtiæ spiritalis, verbis præferre virtutẽ, nisi doctrina ornetur ex rebus. Tunc enim demum tribuitur competens authoritas † magisterio, si proprio innititur exemplo. Denique Dominus in Euangelio: Qui fecerit, inquit, & sic docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum: vt & facto doctrina firmetur, & factorum fides ex doctrina accipiat testimonium. Alioquin non erit nixis viribus fundata doctrina, quæ verborum phaleris gloria virtutis abutitur. Erit enim facundiæ locuples lingua, non erit plena operum diuitiis conscientia: & priuabitur merito suo, qui priuilegio fruitur alieno. Videamus ergo quid gesserit qui ista cantauit. Vno igitur tempore duo regi peccata subrepserant, & pellexerat principẽ in facinoris perpetrationẽ regni licentia. Cũ enim vult adulteriũ cooperire, crimẽ incidit homicidij. Perfecit tamen vtrumque non violẽtia regij stemmatis

Psal.31.

Psal.50.

† vel, magistro *Matth.5.*

2.Reg.11.

nec ambitione poteſtatis: quia licet de inceſti licentia deſcenderet adulteriũ, tamen non ex odio fuerat homicidium perpetratum. Mittitur ergo à domino Propheta, qui apud eum cauſas adulterij & cædem peroraret occiſi, & ſub quodam colore compoſitę fabulæ eliceret de neſciente iudiciũ. 2.Reg.12. Sed vbi Propheta quod propoſuerat explicuit, † fert ille cõmotus indeſignatæ inde ſub veritate ſententiæ, & diſceptator ignarus in ſeipſum exerit vltionem. Porrò vbi præuentus cognitor proprio ſe vidit perſtringi iudicio, & reum ſe ſibi examinator iuſtiſſimus adprobauit, nec pœnã ſenſit vitare poſſe iudicij, in quo iudex ipſe detinebatur conditione damnati, arripit ſaluberrimum † intenta rerum neceſſitate conſilium. Et cùm non poſſet ad iuſtitiam iudicij prouocare, confugit ad ſecretarium pœnitẽtiæ. Peccatum ſuum proditum ſciuit & iniquitatem ſuã nulla negationis nube contexit. Dixit aduerſum ſe protinus teſtimonium, & voce confeſſionis emiſſa, ſtatim adeptus eſt veniam peccatorũ. Peccaui enim, inquit, hinc domino. At ille Propheta non interpoſuit abſolutionis moras, non effectum diſtulit remittendi, repente vt manifeſtatus reus confeſſionem dedit, indulgentiam criminũ ex Dei voluntate deprompſit, dicens: Dominus abſtulit peccatum tuum. Impletum eſt illud quod in Pſalmo cantauit, dicens: Peccatum meum ſciui, & iniquitatem meam non cooperui. Dixi, Cõfitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. Pſalm.31.

† videtur eſſe legẽdum, fert ille commotus inde ſignatam in ſe ſub veritate ſententiam.

†fortè, in tanta.

Ibidem.

CAPVT NONVM.

ALiud quoque in ſancto Dauid pœnitentiæ aperiamus exemplum. Ita enim Rex hic egregius vitæ mutabilis inſtitutor, diuinis ſe cultibus fidei ſeruitio mãcipauerat, vt relinqueret nobis ſuorũ morum non exempla ſed monumẽta. Contra interdictum nãque populum numerari mandauerat, & voluerat noſſe cuncti exercitus quantitatem. Obſecundatum eſt voluntati regali, & renuntiata eſt totius agminis dinumerata collectio, atq; inclytè cœpit ſcire quod nocuit: fœlicitatem ſuam popularibus extulit incrementis, & lucra multiplicati exercitus inter principalia gaudia numerauit. Mox ad eum alius Propheta dirigitur, & non ei, vt primo actum eſt, ſubtiliter peccati cauſa prætẽditur, ſed iam pro facto proponitur pœnalis electio. Et factum eſt verbum Domini ad Gad Pro- 2.Reg.24. phetam, dicens: Vade ad Dauid, & loquere: Hæc dicit Dominus: Tria ego tollo in te: elige tibi vnum ex ipſis, & faciam tibi. Et venit Gad ad Dauid, & nuntiauit ei, dicens: Elige tibi quid fieri velis è tribus: ſiue famem triennio ſuper terram: aut tribus menſibus fugere te à facie inimicorum tuorum, vt ipſi perſequantur te: aut tribus diebus fieri mortem in terra: & nunc ſcito & vide quid reſpondeam ei qui miſit ad te verbum. Quænam ergo eſt nunc in animo eius verſata pugna conſilij? Quæ cogitationis fuit in electione turbatio? Hinc inimicorum metus, hinc famis vaſtitas, inde diuinæ animaduerſionis plaga terrebat. Nihil horum vellet incidere, ſed offenſa non poterat inulta remanere. Inter ipſas tantum electionis anguſtias, cùm vtriuſque periculi vallaretur articulo, præcedentis veniæ doctus exemplo: acrius eligit in ipſa voluntate ſupplicium, & contulit ſe ad maiorem pœnam, vt poſſet prouocare clemẽtiam. Lenitur enim rigor iuſtitiæ, cùm de miſeratione præſumitur, & apud clementiſſimum iudicem prima pietatis cauſa tractatur. Qui enim errata confitentibus donat, peruicaces non de voluntate condemnat. Et ideo rex iſte deuotus cùm deliberationis fluctuat tempeſtate, non dimiſit anchoram pœnitentiæ, & fidus de pietate terrentis, magnitudinem non cõtemplatus eſt vltionis. Et dixit, inquit, Dauid ad Gad: Anguſtiæ mihi valde in iis tribus: ſed melius mihi incidere in manus domini, quia magna eſt miſericordia eius valde, quàm in manus hominum incidam. Sequitur illico vindicta confeſſum, & electionem placabilẽ placabilis pœna comitatur. Et ſtrages innumera peremptorum, & multitudo populi Angelica percuſſione mactatur: percutiũtur ſeptuaginta millia de exercitu & acerbius perurgebat dulcem animum miſerabilis ruina caſtrorum. Obiicit ſe authorem facti telo ſupplicij, & induit contra ſæuientem iuſtitiæ machæram cõfeſſionis loricam, puniendum ſe magis inſtans inter punitos exclamat, & optat in ſe deriuari ſententiam, vt poſſit à populo reuocare fracturam. Ecce ſum ego, inquit, ego paſtor peccaui, & ego male feci: grex autem hic quid fecit? In me manum tuam conuerte, & in domum patris mei. Ecce ſatisfactionis officio pœna percellitur, & in armis confeſſionis indignatio propugnatur: vt nec in eum vlterius vindicta procederet, & erga populum quaſſatio cœlitus effuſa quieſceret: vno actu pœnitentiæ & ſibi mercatus eſt pietatem, & à populo ſuſpendit protinus vltionem, vt merito veniæ condonatus cantauerit, dicens: Dixi, confitebor aduerſum me iniquitatem meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei: quia cùm adſiſteret ſub deſperatione conuicti, dignus reputari meruit, expiari. Sed premit te tuorum enormitas peccatorum, & eorum ditione captiuus in cœlum oculos non audes attollere. Probo quidem conſcientiæ metum, non laudo conſilium: ſed malo te ſuper indulgentiæ conſecutione ſuſpectum, non de ſalutis reparatione pœnitus deſperatum. *Ibidem.* Pſalm.31.

CAPVT DECIMVM.

TEnet enim quandam confeſſionis partem ſupplicandi confuſio, quæ ſuorum conſcia peccatorum non de authoris remiſſione dubitat, ſed de magnitudine ſui ſceleris erubeſcit. Reatum enim agnouiſſe confeſſionis initium eſt, & proximum fit veniæ quod † ſimulat pœnitudo. Sed retrò agit me meorum, inquies, abundantia peccatorum? Quinimo tantò magis inſiſtendum eſt confeſſionis officio, quantò peccatorum ſarcinis es oneratus: vt quod per amicitiam non es dignus exigere, per impudentiam valeas obtinere. Audis enim in Euangelio Dominum dixiſſe: Quia cui puſillum dimittitur, minus diligit. Deinde impium facis Deum, ſi putas eum repudiare conuerſum: & affectum negare redeunti, à quo ſcias perditos effectu commiſerationis inquiri. Hoc Apoſtolus probat dicens: Et ſi nos infideles extiterimus, ipſe fidelis perſeuerabit, negare ſeipſum non poteſt. An neſcis nouies tentatum in eremo dominum diſtuliſſe vindictam, nec ipſa decima tentationis vice damnare potuiſſe, ſi de prætentis nouem culpis egiſſet populus pœnitentiam? ipſo dicente: Ecce iam decies exacerbant me in deſerto hoc. Lege librum Iudicum, & inuenies innumeris vicibus filios Iſraël coram Domino feciſſe malum, & traditos incurſibus nationum. Sed iterum conuerſum populum per electos duces de captiuitatibus variis liberatum, nec vindicari potuiſſe commiſſa, ſi toties factum ſequeretur competens pœnitentia. Quia licet pœnalis correctio non deeſſet, non erat tamen proditionis abſciſio, ſed conuerſionis oratio. Cùm enim caſtigatus filius recipitur affectum, admonitum eum conſtat ad ſatisfactionis officiũ non punitum: nec odij videtur eſſe correctio ſed amoris, cùm reuerſo identidem poſt flagellum non negantur iura pietatis. Denique audi dominum per Prophetam increpantem huiuſmodi verbere † fornicariam, & probroſis deditam inquinatámque contagiis voluiſſe ſibi iure cõuerſionis aſciſcere. Et dixi, inquit, poſtquã fornicata es hæc omnia, Ad me reuertere: & non es reuerſa incompoſita luda. Quod idem dominus in Euanglio manifeſtat, cùm induratos increpat, dicens: Hieruſalem Hieruſalem quæ interficis Prophetas, & lapidas miſſos ad te: quoties volui cõgregare filios tuos ſicut galina congregat pullos ſuos ſub alás ſuas, & noluiſti? Vltimum, crede, vitæ noſtræ actum dominus expectat, & in quo nos exitus finalis inuenerit, in eo iudicabit, ſi ſcilicet multiplicibus ſeptus erratis circunuolent ſupra caput tuum vmbræ facinorum, oculos tuos ſcelerum caligo pernubilet, & peccati iugum tuam ceruicem incuruet, atque intra conſcientiæ penetrale † flagitium probrum ſubinde vulnus exulceret, ſi animam tuam non in deſperationis proieceris vilitatem, cum vnũ circuncordialis ſecreti effuderis in cõfeſſione ſermonẽ, nõ negabit remediũ veniæ, qui venit animas ſaluare non

† potius, ſuggillat

Luca 7.

2.Timot.2.

† Aut

† fortè, verbis Iere.3.

Matth.20.

† fortè, flagitiorum

non perdere:quia qui non vult mortem moriẽtis cõuersum
Luc.9. proculdubio suadet ad vitã:ipso domino dicente: Filius ho-
minis non venit animas hominũ perdere,sed saluare. & ite-
Matth.18. rum : Venit enim filius hominis saluare & quærere quod
perierat. Nisi quia præpotentem facis diabolum, si putas
quia de faucibus eius dominus non potest eruere captiua-
tum : aut quemadmodum ille vigilat semper vt perdat,non
ita satagit dominus vt acquirat.

CAPVT VNDECIMVM.

Luc.23. IN hac igitur te veluti præsentis loci fiducia vlti-
ma cõfessio latronis inducat, & spem maximam
tribuat nouissima desperati non desperantis in
cruce confessio. Omne igitur vitæ suæ actum il-
le latrociniis cruẽtauerat, & egerat semper in seculo diabo-
licæ feritatis armigerum, nunquam Dei meminerat, nulla
legis audierat mandata, aut certè si audierat, procliuior ad
facinora non curabat,totam spem in desperatione versabat,
& exercebat crudelitatem more sceleratorum satellitum:ob
hoc nãque damnatus in cruce, & cum ipsis criminibus suis
affixus ligno pendebat. Tandem perditus resipiuit,& in ip-
so supplicio constitutus magnum sibi mercatus est ex mor-
te compendium. Deum enim cum quo pendebat agnouit,
iudicem futurum cui adhærebat intremuit,conscientiæ suæ
crimina explicauit, Baptismum sanguinis perfusione proti-
nus acquisiuit,& cum domino in paradisum purpuratus cõ-
fessor intrauit.Hæc vera consultatio pœnitentię,hoc præci-
puum pracmaticũ confitendi,si filium Dei quem non igno-
Ioan.5. res authorem,credas & iudicem,ipso dicente : Pater nemi-
nem iudicat,sed omne iudicium dedit filio.& ad spem salu-
tis perpetuæ capessendam, non præsenti vitæ consulere,sed
de futuro iudicio cogitare. Primò enim in cõspectu iudicis
sese damnatus exposuit,& confessus de criminibus suis im-
pleuit officium pœnitẽtis.Deinde cùm crucis cerneret pœ-
nam,intellexit iudicium affixo commune esse, non causam.
Deum tamen tunc credidit, quãdo eum Iudæa pertinaciter
abnegauit,& futuri non immemor in cruce iudicij,memo-
riam sui commendabat iudicio regnaturi.Hoc Euangelium
manifestat. respõdens autem,inquit,alius latro corripiebat
Luc.23. illum,dicens : Non times Deum qui in eadem damnatione
es?Nos quidem iustè quẽadmodum egimus & percipimus,
hic autem nihil mali admisit.Et dicebat ad Iesum : Domine
memento mei cùm veneris in regnum tuum. Sed vide re-
pente quod meruit quod ex ore veritatis audiuit, quòd ex
gratia iudicantis accepit:Amen dico tibi,hodie mecum eris
in paradiso.

CAPVT DVODECIMVM.

SEd ais mihi:Peccata peccatis adieci,& qui iam ca-
dens erectus fueram, iterum cecidi : & conscien-
tiæ meæ vulnus iam penè curatum peccati exul-
ceratione cruduit.Quid trepidas?quid vereris?Idẽ
semper est,qui antè curauit,medicum nõ mutabis. Non la-
borabit explorare valetudinis tuæ causam,nec tentabit erga
te nouiter medicaminis virtutem examinare, noto te cura-
bit antidoto.Experimẽtum adiutorij non expectat,qui lan-
goris tui nouit originem. Vnde dudum curatus fueras,inde
iterum curaberis:nec tu eris de remedio medelæ suspectus,
& medicus de reparatione tua securus. Castigabit planè in-
temperantiam tuã,& dura obiurgatione impatientiam ver-
berabit. Sed non negabit auxilium,qui non contaminat æ-
Psalm.40. grotum. Audi Prophetam dicentem : Nunquid qui dormit
non adiiciet vt resurgat?aut qui naufragauit,non itidem na-
uigat ? aut qui messem perdidit, nunquid semel desperatus
non iterum aut arat aut seminat? Cursus hic noster in quo-
dam salo mundi iactatur. Nauigandũ nobis est & malorum
tendiculis vela insinuanda sunt. Procella sæuit,ventus con-
surgit,tempestas insanit. Si ita clauum tenueris, vt manus
tuæ retinacula non amittas ad portum illibatis mercibus
tendes:sin verò fluctibus aduersis illisus scopulis implican-
tibus,ac flatibus prepeditus inter freta rixantia tumidi gur-
gitis naufragaueris,redeundum est ad saburram,reficiẽdum
A primo nauigium, merces emenda,rursus pericula subeun-
da, & præteriti casus referendi per causas. Et vt liceat per-
dita reparare, non dubitabis te prisco discrimini sub spe
incerta committere. Nam procul dubio mendicabis si
post naufragium ad negotiandi vsum reuerti nolueris : nec
de egestate atque ærumnis tuis queri postmodum poteris,
si captus forte naufragij sub ignauiæ stupore afficiaris cala-
mitate mendici. Et si mundani negotiatoris hæc cura est,vt
plerumque post naufragij iacturam non desperet præterita
sua damna industriæ emolumento sarciri, nec expoliatus
incursibus detegi suam patitur nuditatem, sed studet ma-
gis è paruo concrescere, & spebus dubiis aucupatur po-
tiora lucra peccato lenocinante conquirere : quantò ma-
gis tibi animæ tuæ damna cogitanda sunt, & in vestigio re-
paranda perditio,in qua futuræ spei damna munerant & vi-
tæ perpetuæ infœliciter quæstus amittitur.

B

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

EVndum tibi est ad armarium idonei largitoris,&
fœnore pœnitentiæ ac satisfactionis oblatis vsu-
ris conscribe syngrapha, mitte chirographa:eme
ibi ab illo aurum ignitũ de idoneo, qualibuscũ-
que, si non preciosis mercibus imple nauigium. Censum
tuum in comparando illam pretiosam margaritam depẽde,
ex qua animæ tuæ turpitudinem possis ornare:vt cùm ad ci-
uitatem magnam delatis mercibus veneris lucris digniori-
bus & mercib⁹ beatissimis amplior sis.Nã si te segnitiæ stu-
por inuaserit,& dominari sensib⁹ cœperit corporis ignauia,
nec vlla animæ tuæ reficiẽdi argumẽta quæsieris,subiicieris
cruciatibus creditoris, obnoxi⁹ fœnori detineberis.Dicetur
liberalis illa sententia quam non valebis tui conscius eua-
dere,aut appellationis interiecta voce suspẽdere. Omni ha-
C benti dabitur & abundabit:ab eo autem qui non habet, &
quod habet auferetur ab eo. Et seruum superuacuum ex-
pelle foras in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor
dentium. Tunicam tuam vilissimi operis lanificio confectã
non pateris induere. Horret tibi vestis tua quæ fit deformis
ex macula, & non tibi horret anima tua quæ fit peccati sor-
de & sceleris inquinatione polluta? Nisi quia eodem mo-
mento tunicam festinas eluere,vt possis eam mundam & si-
ne vllo næuo fœditatis induere,animæ verò tuæ infectum
squalore criminum non desideras recuperare cãdorem: nec
optas dilui conscientiam tuam quam scias flagitiorum illu-
uie & contaminatione scelerum cœnolentam. Quis rogo
cadit, & non quærit surgere? quis infirmatur, & non de-
siderat conualescere? quis periclitatur, & non optat euadere?
quis pauper effectus patrimonium non cupit reparare?Hęc
si rerum patitur natura, vt istiusmodi mergentibus casibus
quispiam redire nequeat ad status pristini qualitatem,æmu-
lare priora vt deteriora percipias,demitte manus,& semiui-
giles oculos stoliditate inuolue,obdormisce nunquam eui-
D gilaturus,iace nunquam surrecturus & hebetem mentem
stupore soporis elide. Pœnitebit te postmodum tarditatis,
cùm nihil quod vtilitati animæ tuæ proficiat cogitaueris.
Eris semper iacens infirmus,nudus, paupertate confectus,
& vt ita dixerim,somni ebrietate temulẽtus, elogium illud
quo nunquam careas auditurus : Dormierunt somnum suũ
Psal.65. & nihil inuenerũt.Exurge frater, exurge, & malè sani con-
silij pelle torporem:vigila semper vigila, & esto pro tua sa-
lute solicitus,non vt dormias desperatus. Caue nocturnum
furem,ne domus tuæ perfodiat parietem & meridianum ia-
culatorem sagittæ volantis euita. Patet enim incursibus in-
cauta securitas,sed facilè dormiẽti subripitur vt lætaliter fe-
riatur. In vigilante fiducia est, in dormiente nihil tutum.
Conuenit sobriæ menti somnum seruum habere non do-
minum. Refugit hostis quem non inuenerit dormientem,
Matth.24. & beatus seruus erit, quem aduenies dominus inuenerit
Luca 12. vigilantem:quia dicit,Surge qui dormis, exurge à mortuis
Ephes.5. & accinge Christum.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SEd non audeo, inquies, orare, quia me reuocat conſcientia: non enim ſemel ſed ſæpius & frequenter erraui. At ego dicam: Si te orandi reuocat verecundia, peccādi deſinat pertinacia, & fiet beneficium timoris non deſperationis cauſa quod metuis. Reuereri enim poteſtatem iudicis non erit verecundiæ ſed pudoris. Quia licet frequens ſit peccandi licētia, excuſabilis tamen efficitur cōſcientia quam † pertulit in peccati recordatione timiditas. Exemplū Achab illius impiiſſimi regis te doceat: hic namque Naboth Iezrahelitæ vineam cōcupiuerat, quòd ſuæ eſſet poſſeſſioni confinis. Offert precium aut certè vicariam vineæ quātitatem. Ille neglexit aſſerens hæreditariam ſe rem nulla in alterum poſſe ratione tranſſcribere. Hac repulſa compunctus triſtis domum reuertitur, quòd appetitus ſui libido recidiſſet incaſſum. Tum eius mulier ſacrilega Iezabel triſtitiæ mariti cauſas requirit. Quibus compertis veluti ſaucio cordis eius fomite conſolationis infecit, † quo ars cùm plura concinnatis falſitate calumniis conſilio impuræ mulieris Naboth innocens lapidatus occiditur, & funeſti voti ſui mulier impleto flagitio velut victrix ad maritum ingreditur, interempti exitio narratura lætitiam. Quæ ne ſola teneretur in crimine, egit aſtutia mulieris primitiuæ vt maritum ad conſcientiam ſceleris obligaret & vtróſque iugales conſcios vna facinoris catena vinciret. Surge, inquit, poſſide vineam Naboth Iezrahelitæ, qui noluit tibi eā dare precio, quia ecce mortuus eſt. At ille dolēs materiam ſe præbuiſſe mortis, facinoris nuntia perhorreſcit, & mortis eius cauſam flebili dolore † lucrificat. Diſciſſis enim regalibus indumentis, accingit ſe veſtitu funereo, non tam conſcientiæ reatui quàm pœnitentiæ primæ cogitationis atteſtās. Et factum eſt quomodo audiuit, inquit, Achab quia mortuus eſt Naboth Iezrahelites, diſrupit veſtimenta ſua & accinxit ſe ſacco. Vacare ergo potuit Achab effuſi ſanguinis culpa, quia de concepto non de parricidio egerat pœnitentiam, & remanſerat in prophana muliere impietas homicidij, quæ precio quodam cruoris effuſi putauit ſe vineam debuiſſe mercari. Sed ecce ſicut canis reuerſus ad vomitum ſuum odibilis fit, oblitus Achab pœnitudinis ſuę ſtatim expoſito luctu pergit peremptī vineam poſſidere. Et perdit innocentiæ meritum qui vineæ cupiditate pellectus, innexuit interfecti occiſioni conſenſum. Mox ad eum venerandus Helias propheta mandatur, & ſententia in eum cum indignatione depromitur, vt acta dudum pœnitentia fruſtraretur, & vindictæ occaſionem tribueret ſceleris geminata præſumptio. Et ait Helias ad Achab: Hæc dicit dominus: Ecce ego ſuperduco ſuper te mala, & incidam poſt te & exterminabo de Achab mingentem ad parietem & contemptum & derelictum in Iſrael, & dabo domum Achab ſicut domum Ieroboam filij Naboth, & quomodo domum Baaſa filij † Achiæ, pro omnibus quibus irritaſti Deum & feciſti declinare Iſrael. Verùm ille cùm ſententiæ ictum non valeret effugere, ad priorem pœnitentiam conuertit repente conſilium, reatum fletibus confitetur, cilicio deiecit regiū potentatum, ſaccum induit pœnitentiæ, & reueritus faciem comminantis tacito gemitu publicabat offenſam, non excuſabat conſcientiā. Factum eſt, inquit, quomodo audiuit Achab ſermones hos, reueritus eſt à facie Domini, & ibat flens & ſcidit veſtimenta ſua & accinxit ſe ſacco. Tunc dixit Dominus ad Heliam: Vidiſti quemadmodum reueritus eſt Achab à facie mea, non adiiciam adducere mala in diebus eius, ſed in diebus filij eius adducam. Et quonam perduxit timidum reuerentia? & quantum ſeueritatis motum fregit metus? Non orationis pompa, nō ſermonis ornatu, nec eloquij copia placuit Deo, ſed multis precibus lachrymarum. Os tacuit, ſed cor ingemuit: oculus fleuit, ſed conſcientia planxit, & verecundiam pœnitudinis pietas laudauit authoris. Parum fuit reum debitum euaſiſſe ſupplicium, niſi accepiſſet reuerentia probabilis teſtimonium. Et probatus eſt in timore, qui damnabatur in crimine: nec prius quod mortem luxit occiſi, inane fuit, ſed repetitam identidem culpam iterata lamentatione purgauit.

† fortè, perculerit

3. Reg. 21.

† forte legendum, qua arte compluribus cōcinnatis: aut, quod ardente compluribus

† fortè, luctificat

† Ahia

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

NEc Manaſſes quoque rex filius Ezechiæ tacendus eſt, qui cunctorum prætergreſſus audaciam prophanorum, manus tetendit impias contra Deum & paternis moribus degenerans, ex toto præ diuinis cultibus idolorum caput erexit inſanum. Hic ſacrilego furore poſſeſſus in domo Dei execrandæ ſuperſtitionis aras inſtituit, ſimulachris dæmonum funeſtauit, templi ſacra altaria lapideis figmentis impleuit, captauit auguria, vitam ſuam maleficiis inquinauit, populum ad idolorum obſeruationes induxit, cerimoniis polluit, diabolo mancipauit, & omnia quæ diuinis cultibus prohibentur vltra omnem inſolentiam deſperatæ mentis exercuit. Pro his tot tantíſque flagitiis ductus in prædam & vinculis innexus grauatúſque compedibus pertulit captiui ſupplicium atque in Babyloniam tranſportatus, impietatis ſuæ pœnas luit, vt diuinā vltionem ſentiret addictus, cuius nunquam anteà meminerat induratus. Denique congruo correptus flagello cōuertitur, & Deum in pœna conſtitutus agnouit, quem in regno poſitus anteà non quæſiuit. Profuit afflictio deſperato, & correcta eſt in agnitione de ſtimulo correctionis improbitas. Fuit vindicta illa mentis perditæ medicina, & multum ſalutis contulit caſtigatio, quæ ideo verberauit impium, vt Deo faceret acceptum quem diabolus per impotentiam fecerat alienum. Et animæ ſanitati profuit, quod inflictum fuerat vanitati. Hoc ſcripturæ dominicæ fides admittit. Et loquutus eſt, inquit, Dominus aduerſum Manaſſen & aduerſum populum, & non audierunt: & induxit ſuper illos dominus principes virtutum Aſſyriorum, & comprehenderunt Manaſſen, & alligauerunt vinculis & compedibus, & adduxerunt eum in Babyloniā: & mox afflictus quæſiuit dominum Deum ſuū, & humiliatus eſt nimis ante faciem Dei patrum ſuorum, & orauit ad Deum, & exaudiuit illum dominus, & reuocauit illum in Hieruſalem in regnum eius. Et cognouit Manaſſes quia dominus Deus ipſe eſt. Ecce quātum repentinæ lamentationis ex corde conuerſo, peccatum ſuum fleuit & diluit, & lachrymis terſit quod nefas infecerat. Orauit tamen conſcius reatus ſui, & veniam meruit ſatisfactione mercari, vſque adeò vt illa ſacra quæ dudū profani actus contaminatione polluerat, in priſtinum reſtitueret veneramen, & in cultum timoris Dei cuncta reponeret. Conſummatione conuerſi impletum propheticum illud diuini oris oraculum: Cùm conuerſus fueris & ingemueris, tunc ſaluaberis.

2. Paral. 33.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SEd quid ego eorum regum faciam mentionem, quos electi generis origo laudabilis non ſinebat ab vrbe ſacrę religionis peſſima perſuaſione diſcedere: cùm Nabuchodonoſor ille feralis & alienigena † principalis diuina animaduerſione multatus ſit: vt per emendationē vindictæ cogeretur agnoſcere, quem † ſacrilegium fuerat abnegaſſe, & virtutibus eū crederet quem per ferociam ſpiritus antè neſciſſet, vſque adeò vt qui elatus ſpiritu peruicaci Deum ſe nō timuerat antea prædicari, non auderet poſtmodū ſuper eius incomparabili maieſtate mentiri, cùm ingenti in ſe facti admiratione correctus, non deſiit ſolum Deum verum ex toto corde decretíſq; pręconantibus confiteri. Sed ſi malè tibi conſcius reuereris orare, habes magiſteriū Publicani, & ſi ſuſpectum geris, ne cùm pro peccatis tuis oraueris nō merearis audiri? Ingreſſus ille templum fuerat peccatorum mole decuruata ceruice, & oculorum palpebris graui morbo iniquitatis compreſſis, cœlum non audebat aſpicere: retrò gradum timidus reuocat, & extremum ſe non tam loco quàm iudicio cōſcientiæ ſiſtit, nec ad ſupplicandum irreuerenter pedem incitat promptus audacia, ſed veſtigiis modum ſubtrahit, publicat ſe verecundia reum, peccatum pectoris percuſſione crebrò commemorat, & cor conſcium pugni admonitione contundit. Audiebantur oris eius non verba, ſed gemitus: & quinque tantum ſermonibus celebrata eſt tota cōfeſſio. Hoc dominus in Euangelio manifeſtat homines duos aſcendiſſe in templum adorare,

Daniel 3.

† princeps.

† aut, ſacrilegū.

Luc. 18.

rare, vnus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus autem cùm ſtetiſſet, talia apud ſe precabatur, dicens: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri homines, iniuſti, raptores, adulteri, quomodo & Publicanus iſte: ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Publicanus autem de longè ſtabat, & neq; oculos in cœlum volebat leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Sed aduerte quid de inſpectore cordis exegerit reuerens ſupplicatio, verecundia mercede munifica ſenſit Deum quem cupiebat habere propitium. Et ſtatim meruit iuſtificari verecundia, quæ probata eſt in humilitate confeſſa, Domino dicente: Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam, magis quàm ille Phariſæus, quia omnis qui ſe exaltauerit humiliabitur, & qui ſe humiliauerit exaltabitur.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

VBi deinde ponis exemplum mulieris illius peccatricis, quæ crimina ſua non verbis viſa eſt expoſuiſſe, ſed lachrymis: cuius cùm orando tacuerit lingua pœnitentiæ officio confeſſa eſt conſcientia. In domo namque Phariſæi cuiuſdam dominus recumbebat, & pręparauerat velut homini temporaneum inuitator ille conuiuium. Hoc reperiens mulier proſtituta Phariſæi domum audacter ingreditur, atq; ad pedes domini recumbẽtis aſſiſtit: lauat lachrymis ſancta veſtigia, capillis extergit, oſculatur inceſſabiliter plantas, & precioſo pedes madefacit vnguento, atque omnibus penè membris quibus antè peccauerat, ſcelerum ſuorũ maculas expiabat. Tũc dominus apud quem oſſa noſtra diſcreta ſunt, Propheta dicẽte: Omnia oſſa mea dicent, Domine, quis ſimilis tui? Obtrectantis Phariſæi murmur obuerterat, occultam mulieris cogitationem, ſed manifeſtam fidem admirabili probatione collaudat: & præfert apparatibus inuitantis confitentis obſequium, magis delectatus mulieris facto quàm prandio: cui plus fuit conuerſione delectari, quàm paſci, vt qui cibi deſiderio minimè ducebatur, confeſſionis epulis paſceretur. Vides, inquit, hanc mulierem? intraui in domum tuam, oſculũ mihi & aquam pedibus meis non dediſti: Hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti, hęc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi remittẽtur ei peccata multa, quia dilexit multum. Et cõuerſus ad mulierem dixit: Dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Paruũ eſt hoc? Poſtmodũ autem vide quid audiat: Filia, fides tua te ſaluam fecit, vade in pace. Dudum peccatrix, abſoluta mox filia, & in domini pace cõfeſtim abſoluta dimittitur, quæ ſuorum bello criminum vaſtabatur. Hoc eſt illud propheticũ oraculum: Cùm conuerſus fueris & ingemueris, tunc ſaluaberis. &, Dic tu prior iniquitates tuas vt iuſtificeris. Cùm ergo tot ac talibus documentis agnoſcas delectari pœnitentiæ ſacrificio, nec contriti cordis & humiliati ſpiritus apud pium iudicem verearis perire mercedem, ſcriptura dicente: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit: nec de profundo luxuriæ & de mundanæ voluptatis gurgite feſtinas emergere, atque ad pœnitentiæ officia capeſſanda ex temulentis actibus reſpirare: nec putes quòd te ab ipſo adeò elongaueris, aurem tibi eius obcludi: mox vt pulſaueris fores aperiet, & in ſepta cohortis ſuæ miſerandum miſeratus includet, tantum eſt vt doloris tui querela flectatur. Quantò tu procul abſceſſeras, tantò celerius proximabit, propheta dicẽte: Proximus eſt deus tribulatis corde, & humiles ſpiritu ſaluos faciet. De quib⁹ dominus in Euangelio: Beati, inquit, plangentes quia ipſi conſolabuntur.

Luc. 7.
Psalm. 34.
Luc. 7.
Isai. 43.
Psalm. 50.
Psalm. 33.
Matth. 5.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

SEd aſpera tibi fortaſſis videtur poſt voluptates ſeculi pœnitentia. Verum eſt, ſentio valetudinis tuę vitium, video animi tui morbum. Sed ſi curari deſideras medelę impetum nõ attendas, nec expaueſcas remediũ cũ admouerit tuo vulneri ferramentũ, celerior cura ſectionis officitur. Nam peſſimè ſedulitas medẽdi palpatur, cùm non continuò ſuperata labes abſcinditur. Amarus eſt guſtus antidoti, ſed vitale ac ſalutare eſt quod eſt faucibus inſuaue. Curat nos Dominus non vt exteros, extraneos ſibi ſeruat quoſcunque ſanauerit delinquentes. Omni hora, omni die in curandis intentus, nec retardatur tempore, nec vllis morarum obſtaculis impeditur, cùm inuentus fuerit qui curetur. Vacet enim neceſſe eſt beneficiũ Domini, cùm non extat cui debeat miſereri. Aſpera eſt caſtigatio pœnitentiæ, ſed lenior efficitur ſi modus culpæ tractetur. Iampridem mundialis pompæ oblectabat ambitio, & in ſeruum ſibi dominatus ſeculi vindicabat nunc in luxuria remiſſum, nunc in vinolentia demerſum. Hi te modo exercitio aliæ intentum viderunt, alij ad ganeandum, alij in ſcortum proiectum, iſti lupanaribus mãcipatum, vnguentis oblitum, aromatibus delibutum & peregrinis cernebant oculis infectum. Spledebas veſtibus, auro fulgebas, gemmis & precioſiſſimis margaritis ornabaris. Vicem ergo vici reſtitue, & ſero ſaltem compenſationem temporum temporibus redde. Reciprocam vitam tuam in vtroque actu æquali moderatione partire. Fuiſti tunc diaboli, eſto nunc Dei: imò verò eſto iam tuus qui dudum fueras alienus. Et forſitan ſi cõſideres multum temporis decoxiſti, vt id quod reſiduum eſt breue tempus anguſtet. Vaca iam tibi nõ tempori: vaca dixi, non vt torpeas, ſed vt negotio confeſſionis inſiſtas. Reuertere in viam à cuius ſemitis aberraueras, damna quæ geſſeras, quære quod fueras. Primò teipſum inueni, vt quod quæris iuuenias: & ſi te inueneris abs teipſo, nihil quæras. Saccum indue, cinerẽ aſperge. In ieiunio ſemper ora, in oratione ieiuna. Precioſa magis hæc ſunt quibus corpus afficitur, vt pulchritudo animi reparetur. Horret humilis veſtis, ſed hoc valde decet, quod Deo non diſplicet. Vilis eſt corporis cultus, ſed ipſe præcipuus ſanitatis ornatus. Et adhuc de indignitate forſitan quereris indumenti, qui nuptialem tunicam perdiſti. Et cùm appareas fœditatis tuæ nuditate deformis, non cogitas qualiter identidem veſtiaris. Non metuis queſo, ne cum illo qui ad regiam cœnam vocatus intrauit, à conuiuio recumbentium ſimili exprobatus damnatione pellaris, & audias dici tibi: Amice quomodo huc veniſti, non habens veſtem nuptialem. Et cũ argumentum non repereris excuſandi, dicat: Tollite eum ligatis manibus & pedibus, & mittite in tenebras exteriores, ibi erit ploratio & ſtridor dentium. Et vtique ille quia non quæſierat aut non acceperat, dicitur abiectus. Vocatus enim intrauit, ſed non veſtitus accubuit. Si ergo is qui nunquam habuit taliter quia non quæſiuit, exiuit, qualiter iam puniendus, erit qui tunicam & accepit & perdidit, veſtiri iterum non potuit?

Matth. 22.

CAPVT DECIMVMNONVM.

SEd credo dubitas amiſſum non poſſe repeti veſtimentum, aut ab eo qui nuper dederat cũ petieris, poſſe negari. Intuere in Euangelio filium iuniorem perdito patrimonio mendicantem vſque eò fuiſſe perductum, vt egeſtatis impulſu paſtor vellet eſſe porcorum. Is ſumma inopia & egeſtate confectus, cùm nec porcorum veſci paſtibus ſineretur, reuerſus ad priſtinam mentis propriæ ſanitatem, prioris æui cœpit deſiderio conflagrare & æternæ domus abundantiam cogitans, reatum ſuum conuerſionis animaduerſione damnare. Habito igitur tandem pœnitendi tractatu & ſecum in corde ſatisfactionis arcano loquutus, velut poſt liminium ad lares patrios nudus exúlque reuertitur. Tum ille pariter * qui cogitantis viderat in corde conſilium, antequam verba perditus filius in confeſſione profunderet, affectum dolentis anticipat, & miſericorditer ſuſcipit redeũtem. In collum eius irruit, oſculis reconciliat & adhuc trepidum nihílque loquentem pater mirè confirmat. Sed ille conſultiſſimus pœnitens & confeſſor egregius de voto patris ſecurus, atque adhuc de ſua ſatisfactione ſuſpectus meditatum confeſſionis ordinem pandit, & verbis explicat, quod corde ruminauerat. Pater, inquit, peccaui

Luc. 15.
* pater
Ibidem.

peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Placatus itaque pater precibus confitentis stolam primam mandat afferri, & statim nudum præcipit amisso nuper indumento vestiri. Dare iubet & annulum, symboli reparat sigillum, pedes includit munimine præceptorum, & in reparatione eius mactari iubet vitulum saginatum, hoc est pro reconciliato offerri imperat gratissimum sacrificium quod esset acceptũ & cœlo & exercitibus angelorum. Erexerat in germani odium fratris seuerior pertinacia exprobrans crimina* recepti, maior filius contradicit. Non reuocatur,* pietas patris non mutatur, frater eius asseritur, filius nuncupatur. Et plenum patris in se prouocauit affectũ, qui perfectum habuit in pœnitendo consilium. Iucundatus inquit, sum & gauisus, quia hic frater tuus mortuus fuerat & reuixit: perierat, & inuentus est. Vides ergo conuerso filio stolam pristinam pœnitentiæ mercimonio restitutam, & votis omnibus celebrasse patrem reditum confitentis. Patrimonium enim perditum baptismi insinuat sacramentum, in quo sunt cuncta ædificia cœlestium constituta regnorum. Hoc ille filius, hoc est, fidelis Christianus libertatem patris indeptus libidinis ac luxuriæ contagione perdiderat, & longè à Deo suo positus probrosis se actibus tota fœditate polluerat, ac diabolo mancipatus cui se perditissima conuersatione dederat, porcorum, hoc est immundorum spirituum cœpit exercere pasturam, quorum non permitteretur cibo depasci: quia per carnis obtentum* dæmonicis non poterat inagitari vtrobique desertus, & vndique destitutus bonæ frugis inopia defessus desudabat. Sed reuersus, omne illico quo fuerat priuatus accepit, & in concordiam patris reputata sustantia prioris possessionis remansit. Reuertere ergo & tu frater, reuertere, & ex mortuo reuiuisce, & ex perdito reparare.

* præcepti.

* mandatum non reuocatur.

*Videtur legẽdum, dæmonicis non poterat siliquis ingurgitari.

CAPVT VIGESIMVM.

Luc.15. QVærit ouem suam bonus pastor errantem, & amplius de inuenta, quàm de non perdita gratulatur. Humeris reuehit ipsam, in gregis sui consortio reponit ipsam, diuersorio priscæ securitatis includit: nec attendit relictum numerum qui quærebat ex reparatione vnius perditæ, complesse integrum centenarium. *Ibidem.* Drachmam perditam mulier vehementer inquirit, lucernam accendit, domum scopis emundat & charas pariter ac vicinas inuitat ad gaudium inuentæ drachmæ. Et putat aliquis Deum non lætari de reparatione conuersi, cum parabolam videat specialiter in personam pœnitentis aptari? ipso dicente: Dico vobis sic erit gaudium coram Angelis *Matth.9.* Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Animaduerte tandem sententiam illam Domini singularem, quia dixit: Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus: non enim veni vocare iustos, sed peccatores in pœnitentiam. Vocat ergo Dominus ad pœnitentiam peccatores, & optat medicus noster languidis magis prodesse quàm sanis. Sed non *Luc.15.* ideo iustos præterit, quia peccatores adsciuit. Nam iustorum vita diuina vocatio est, sicut nonaginta & nouem oues in montibus dereliquit, qui vnam erraticam requisiuit: Illis debitum reddens iustitiæ præmiũ, istis beneficiũ misericordiæ collaturus. *Roma.4.* Hoc Apostolus probat, dicens: Ei autem qui non operatur & credit in eum qui iustificat impium, accepta est fides eius in iustitia, secundum propositum gratiæ Dei. Denique Dominum audi quibus iaculis in Euangelio feriat corda peccantium, & intelliges quantum fecerit pœnitentiæ sacramentum. *Luc.13.* Aderant autem, inquit, qui ei nuntiarent de Galileis, quorum Pilatus sanguinem miscuit cum sacrificiis eorum. Tunc dicit illis Iesus: Putatis quia isti Galilęi præ omnibus Galilęis fuerunt peccatores, quia talia passi sunt? dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis omnes, similiter peribitis. Aut illi decem & octo super quos cecidit turris in Siloe & occidit eos, putatis quia præ cæteris peccatores fuerunt qui habitabant Hierusalem? Dico vobis nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et subiecit ad probationem rei comparationis exemplum, siculneæ arboris faciens mentionem, quæ fructu sterilis & infrugifera iubetur abscindi. Sed interuentu coloni interitum differri permittitur, donec congruis circunfossa culturis adhibito cophino stercoris ad præferendos fructus pœnitentiæ differatur. Porrò si arbor quæ generis sui fructum nullum edidit, ante tempus præcepta est amputari, quali iam ferramento truncanda vel securi cædenda est quæ vepribus obsita & spinis alienigenis constipata nullam habuit in sui restauratione culturam? Nam exemplum arboris similitudo est hominis fidelis, qui fidei suæ fructu ieiunus nihil quod ad futuræ spei lucrum proficeret cogitauit. Plantata enim in vinea fuerat, quæ vinea specialiter designat Ecclesiam in qua arbor fuerat illa plantata. Sed cultor huius vineæ, illius sacerdotis persona videtur exprimi, qui scrobem infructuosi plantarij culturas dominicorum exerceat præceptorum, & stercoris cophino pœnitentiæ designatur officium. Quòd si inueniri post dilationem temporis omnino non posset, conuulsa in futuro radicitus exaresceret, hoc est, futuro abscissa iudicio tanquam ligni inutilis abiecta materies pabulum effecta æterni ignis arderet: quanquam hoc de Christo possit in plebe Iudaica subaudiri.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

REdo tuis sensibus his probationibus patuisse * quæ studio de infirmis vnguentis ad erigendum animum tuum suscitandúmque protulimus, abundéque claruisse ita Deum misericordiæ fontem nolle interitum peccantium, sed flagitiosum magis habere correctum, vt quantæ numerantur offensæ, tanta sit actio pœnitentiæ. Non desperet reditus sui reformationem celerem, quia audiat ipsum Dominum peccatori pœnitentiam suadentem. Hoc expressius Apocalypsis beatissimi Ioannis exponit: in qua Ecclesiarum angelos increpat vt pristinis fraudatis erroribus ad pœnitentię lamenta curuentur. Nam probatur sic Dominus nullius desiderare ruinam, qui cadenti ingerit pœnitentiam. Angelo denique ecclesiæ Ephesi: Memento, inquit, vnde cecideris, & age pœnitentiam, & fac prima opera: sinautem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo nisi pœnitentiam egeris. Et ecce tamen angelus dicitur, cui pœnitentiæ cura conuersióque mandatur, & ad priora opera perficienda suadetur, vt nihil admisisse ex totis suis meritis intimetur. Grauius tamen minatur admonitio pœnitentiam non agenti, si contumaciam pertulerit indurati. Erit enim inexcusabilis seueritas vltionis, si ceruicem indomitam non flexerit prima correctio, & malo suo peribit qui comminantis authoritate præmonitus, satisfactionis iugo peruicacia colla non subiicit. Rediturum enim sanè ad statum præteritum profitetur, qui ad veræ vitæ stadium decurrendum digna confessionis humilitate corrigitur. Hoc vberius paulò posterius declaratur, *Ibidem.* cùm angelus ecclesiæ Thyatiræ obiurgationis verbere castigatur. Habeo, inquit, aduersum te * multa, quia dimittis mulierem Iezabel quæ se dicit prophetissam, & docet & seducit seruos meos fornicari & manducare de immolatis, & dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere à fornicationibus suis, & mittam illam in lectum, & qui mœchantur cum ea in tribulatione magna erunt, nisi pœnitentiam egerint ab omnibus operibus suis, & filios eius interficiam gladio, & scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator cordis & renum, qui reddo vnicuique secundum facta sua. Quid verò potest humanius, quid clementius dici? Et dedi, inquit, illi tempus vt pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere. Non habes peccator, non habes quod excuses, non est quod cum causa dubites, non est quod sine causa desperes: his te ad cõfitendum exemplis accingere, his ad pœnitentiam armare.

* vel sic, quæ studioſe de non infimis vnguentis scripturę, ad erigẽdum, &c.

Apocal.2.

*legimus, pauca.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

DIffert enim Dominus pœnam, vt inueniat pœnitentiam: & moraturis vtens spatiis, protelat patientiam, ne amittat clementia, quod debuit fieri censura. Non præterita mala expectat, nec errata cõputat, sed correcta collaudat. Habes promissum ad pœnitentiam

nitentiam ſuadentis tibi, ſi non pœnitueris, imputabit. Et dedit illi, inquit, tempus vt pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere. Huic ſimile propheticum illud: Et dixi poſtquam fornicata es omnia hæc, ad me reuertere. Et noluit ad me reuerti. Cæterùm ſi te in deſperationis gurgitem enormitate tuorum ſcelerum circumactus abieceris, aut itineris tui dubitaueris repreſſo gradu extirpare congeriem, vel ſiniſtræ mentis prolapſu declinior in pronum vergentia adducas lubrica exercitatione veſtigia, illico tibi ſpes amiſſæ reparationis adimitur, rapiet te ſorbens in abruptum vorago facinorum, claudentur oculi tui nocte peccati, ne veri luminis videant radium permicantem, mortis ſe cæcitas opponet, & per ludum quendam huc atque illuc te circunducent angeli deceptores. Fient igitur grata cuncta flagitia, & peccandi licentia tibi penitus adlubeſcet: tenebit te diabolus ſuæ libertati addictum, vt ſit tibi liberum peccare non viuere. Nec ſinet te reſipiſcere † antè qui fueras cùm blandimento peccandi, dulcedine te criminum fallaciſſimus auocauerit. Et vt ſemel dixerim, ita te pereundi ſuauitate decipiet, vt delectabilius tibimet videatur perire potius quàm redire. Omne namque peccatum abſque ſui delectatione non geritur. Nec aliàs ineſcare animum poterit, niſi ſuauitate deſiderij illiciat quem deceperit. Dulcis enim mixtura, & ſuauis ſit neceſſe eſt faucibus lætalis poculi funeſta confectio, ne amaritudinis prima libatio reuocet haurientem. Sic denique viſum eſt mulieri primitiuum bonum eſſe ad aſpectum & dulce ad cibum arboris illius venenum, cuius poſtquam mentita eſt ſuauitas labri comedentis, infecit moriẽtis hauſtus, violenta ſubtilitas, quod vigens ac viuidum manebat extinxit, & in contrarium per intemperantiam recidentibus votis ad exilium mundi & ſpectaculum ſeculi de paradiſo beatitudinis & prædio ſecuritatis eiecit.

Apoc. 2. Hierem. 3.

† fortè, vt ſis antè qui, &c.

Geneſ. 3.

A

B

CAPVT VIGESIMVTERTIVM.

PRo te frater hæc metuas, fugias & expaueſcas, nec patiaris inimicum de tua perditione gaudere, & in conſpectu Dei ſuperciliũ efferre victoris. Caue reditum ſeptem ſpitituum immundorum, quibus ſe ducem malorum omnium ſociauit octauus. Et cùm vnum nemo patiatur diabolum, quis ſuſtinere valeat dominatum? Domino dicente: Cùm immũdus ſpiritus exierit ab homine, pertrãſit loca inaquoſa, quærẽs requiem & non inueniẽs, dicit: Reuertar in domum meam à qua exieram. Et reuerſus inuenit eam vacantem, mundatam ſcopis & compoſitam. Tunc vadit & adducit ſecum alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitabũt illic, & fient nouiſſima illius hominis peiora prioribus. Si te obſidione bellica ſeptum manus accepiſſet hoſtilis, & ſub incurſione barbarica tenuiſſet prædonis vrua captiuum, quos fletus ederes, quos euilatus dares, quæ lamenta iactares? Ageres omni die noctúque ſuſpirium, non cibum quæreres, potum non deſiderares, exhauſtus & fame nectus, ſola in te aſperæ cutis auiditas & rugoſa macies appareret, rigeret concreta ſordibus coma & hirſuta cæſaries ſqualentis verticis, promiſſæque barbæ † impreſſi actus horrent, patrimonium redderes redẽptoris ſub gladio, diſtrictus ambulares nudus, pauper atque omni cenſu euolutus quæſiſſes euadere. Aut ſi fugæ aditus præberetur, ſub maximo incertus diſcrimine, meditareris periculum ſuperare: captiuum te tenet author ſcelerum vinculis nõ ferreis ſed catenis habet criminum te ligatum, compedes tibi libidinis impoſuit, & vndiq; te ſepſit arctiori cuſtodia: Legem tibi dedit vt licitum putes omne quod non licet, viuum te æternæ mortis fouea demerſit, & non ingemiſcis ſalutis tuæ damnum, ſpei æternæ diſpẽdium & vitæ perpetuæ detrimentum? Incedis comptus ornatu veſtium, celebras opulentibus cibis refectiones, vino mades, pinguificas epulis quotidianis animã & toroſi corporis excolere non quieſcis ingluuiem, vt interim de cæteris criminibus taceam, putas etiam putas & hoc non eſſe animaduerſionis diuinæ, vt neſcias quemadmodum debeas de tuis ſceleribus pœnitere, Apoſtolo probante qui ait. Propter quod non habuerunt Deum in notitia, tradidit eos in reprobum ſenſum, facere inconuenientiam. & iterum: Pro eo quod dilectum veritatis non receperunt vt ſaluarentur, miſit Deus illis operationem erroris, vt iudicentur qui non crediderũt veritati. De talibus denique metuit ne veniens Corinthum lugeret multos ex his qui non egerunt pœnitentiam ex immunditiis quas fecerunt & fornicationibus & libidine.

Luc. 11.

† vel, impreſſi artus horrerent

Rom. 1.

C

D

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

COgita diuitis illius opiparas cœnas & copioſarũ dapũ huberem affluentiam, purpura, murice pinguiori & textilibus incluſi ſeric initoris, totum de ſpe præſentis temporis nihil tamen de futuro tractantis. Quid illi poſt iſta omnia reponatur, auſcultа. Poſt purpuram flamma, poſt epulas egeſtas, vt aquę guttulam quęreret, qui guttam antea precioſi nectaris ebibiſſet, & ab eo peteret, nec tamen acciperet, ſummitatis digiti humentis ſolatium, cui in ſeculo micas ſuarum negauerat epularum. Cõfitere quęſo cuncta quibus reum te memineris. Confitere & faciem Dei præueni ſatisfactionis officio, humilia ante eum cor tuum, & in conſpectu eius curua ceruicem: flecte genua & eliſo vultu terræ proſternere. Suſcipiet gemitum tuum cœleſtis ille protinus aduocatus, & non prętermittet pro te interpellare patrem ſuum, qui fidum præbere conſueuit pœnitentibus patrocinium. Cauſam ſuam non argumentis & † pręſcriptum genus ne patientiæ perorabit. illico impetraturus veniæ beneficium qui de ſuperato non expectat aliquod honorarium. Hoc Apoſtolus probat, dicens: Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat. Quis eſt qui condemnat? Chriſtus qui mortuus eſt, verùm etiam & ſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis. Concinens Ioannes Apoſtolus beatiſſimus in epiſtola ſua ponit & dicit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem cõfeſſi fuerimus peccata noſtra, & fidelis & iuſtus eſt deus qui nobis peccata dimittat, & mundet nos ab omni iniquite. Si dixerimus quia non peccamus, mẽdacem facimus eũ, & verbum eius non eſt in nobis. Filioli mei hæc ſcribo vobis vt non peccetis. Et ſi quis peccauerit, habemus aduocatum apud Patrẽ, Ieſum, & ipſe exorat pro peccatis noſtris. Omne quod Dei Filius dominus Ieſus Chriſtus, qui eſt via, veritas & vita loquutus eſt, lex eſt. Et ſub exemplo ſui fieri docuit quod nobis in ſcripto mandauit. Neque enim à nobis fieri aliquid vellet, quod aut ipſe non fecerit, aut quod ei nobis facientibus non placeret. Sed nec diſplicere poſſet quod ipſe mandaſſet, quia qui mandaſſet, ipſe antea feciſſet. Inanis enim fieret doctrina mãdati, ſi in facto doctoris non præiret authoritas. Sed quicquid Dominus præcepit & fecit, inane non erit quod ſub imitatione ſui faciendum eſſe mandauit. Iam ergo Dominus diſcipulis hæc cuſtodienda propoſuit. Attendite vobis: Si pecauerit in te frater tuus, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties reuertatur ad te, dicens: Pœnitet me. dimitte illi & dimittetur tibi. Atque cum ſancto Apoſtolo Petro fuiſſet in cauſa conſultus, & diceret: Domine, ſi peccauerit in me frater meus, quoties dimittam illi? vſque ſepties? Dixit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſuptuagies ſepties. Qui ergo ad dimittenda ſepties fratri in nos peccãti debita nobis donare imperat, erga nos formam præcepti ſui nõ ſeruat? Aut qui dixit: Miſericordiam plus volo quàm ſacrificium, miſericordiæ nobis poteſt negare theſaurum? Hoc eſt quod exorata prius venia dixerim, credere Dominum Ieſum cuncta quæ docuit fuiſſe mentitum, ſi circa nos formam cuſtodire ſuorum noluerit præceptorum.

Luc. 16.

† fortè, ad præſcriptum genus eloquentiæ perorabit. aut, & prę-ſcriptum genere ſapientiæ perorabit.

Rom. 8.

1. Ioan. 1.

Luc. 17.

Matth. 18.

Heſt. 6.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

ET bene quod repente aptat huic ſententiæ de cõparatione parabolam duorum ſcilicet ſeruulorũ: de quibus vnus cùm ob debitum numeroſum ære decocto vnà cum vxore & filiis diſtrahi iuberetur, & patiantiã domini proſtratus eius pedibus exoraret vt

Matth. 18.

† fortè, redderet † fortè, ad cruciatus

vt tributo sibi spatio omne debitum † reddidisset, meruisséque misericordia domini cuncta sibi donari, qui sub conditione tali † adsciscitatus detinebatur addictus, ipse cõseruo suo debitori noluit misereri, quia oblitus collati sibi nuperrimè beneficij statim tortoribus traditur, vt de eius cruciatibus idem quod dudum fuerat donatum exigatur. Inde est quod Dominus huiusmodi orandi ordinem posuit, dicens: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: vt tantum scias posse tibi dimitti, quãtum tu proprio dimiseris debitori: imò verò vt tibi parcere videaris, cùm alij obsecratus ignoueris: nam iudicio tuo proculdubio iudicaberis, si dimitti tibi ipse cupiens, alij dimittere nolueris, Domino dicente: In quo iudicio iudicaueritis, in eodem iudicabitur de vobis: & in qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur de vobis. Legas volo intentius prophetæ Zachariæ principium, & illic quo robustius animeris inuenies. Iratus est, inquit, Dominus ad patres nostros ira magna. Quis non hoc audiens contremiscat? quis non huius vocis † concitu pertertritus arefieret? aut quem sensum non hæc indignatio intimata turbaret? Quis enim status teneri poterat sanitatis, vbi tam vehemens ira denuntiabatur authoris? Et parum fuit dixisse iram, nisi denuntiaretur & magna, quasi si non esset magna, sustineri eius posset vel lentior iracundia. Sed videamus quem exitium pronuntiet tanta commotio. Credo, dixit, bellicis vos inquietabo tumultibus, & captiuitatis vos sæua ditione mulctabo, fame vos afficiam, morbo quatiam, morte consumam, ferarum atque bestiarum rapiet inopinata vastatio, profugos & vbique dispersos agitabit exilium. Hoc enim intellectui relinquitur, vt iram magnam vehementior vindicta sequatur. Iratus est, inquit, Dominus ad patres nostros ira magna, dicens ad eos. Quid dixerit audiamus: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. O indignationem de pietate minantem: ô magnam iram quæ infert misericordiam. Rogo quis sic irascitur, quemadmodum miseretur? Aut si ita miseretur, quemadmodum indignatus irascitur? Hoc alius Propheta proloquitur: Reuertere Israël ad Dominum tuum, propterea quod infirmatus es in iniquitatibus tuis. Dicite ei: Potens es remittere peccata nostra, non vt accipiatis iniquitatem, sed vt accipiatis bona. Et reddite ei fructus labiorum vestrorum, & epulabitur in bonis cor vestrum. Et alibi: Reddite, inquit, filij desertores dicit Dominus. Et iterum: Reuertimini filij reuertentes, & sanabo tribulationem vestram. His consona Dauid beatus peccatorum solatia decantauit, dicens: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.

Matth. 6.

Luc. 6.

Zacha. 1.

† fortè, tonitru

Ibidem.

Exech 33.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

NEc hoc dixerim, vt latiores admodum videar habenas dedisse licentiæ, & sub veniæ diuinitus tribuendæ prætextu peccandi magis fomitem authoris pœnitentiam præbuisse. Hoc enim sermone meo cadentem erigo, stantem non impello: nec præiudico innocentiæ, qui exhortor ad pœnitentiam peccatorem. Siquidem, vt suprà iam diximus, innocentia exigit de Deo debitum vitæ suæ præmium: pœnitentia verò expectat misericordiæ beneficium. Non peccare enim timere est, pœnitere verò plus quàm timere. Nam plerunque offensionibus subiacet secura fœlicitas, cautior tantum ad euitanda præterita efficitur, quem metus emendat: quia solicitior semper erit qui cauet ne identidem ibi incidat, vbi iam antea cecidit. Sic gubernatorem faciunt pericula experta solicitum, & in offensos portus nonnunquam veretur intrare, qui vel semel incurrerit ex securitate naufragium. Denique scriptura diuina, Qui non tentatus est, inquit, qualia scit? Vt ostenderet per tentationis causam tentatum semper effici cautiorem, & per timorem magis corrigi, qui incautus antea fuerit tentationis scientia. Vsque adeò autem peccantibus Dominus optat ignoscere, qui non vult mortem morientis, quantum vt reuertatur & viuat: vt quos pro facinoribus suis aliquoties destinat pœnæ, interpellans pœnitentia illico festinet absoluere: & vt recondat in vagina machæram, commutat animaduersionis satisfactione sententiam.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

EST quanquam hoc ex Niniuitarum facto superius sit probatum, tamen etiam Hieremiæ prophetæ super eo accipe testimonium, vt ex testimonio plenius tibi proberur exemplum: Sermo, inquit, qui factus est à Domino ad Hieremiam, dicens: Exurge & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, & ecce ipse opus faciebat super lapides, & cecidit vas quod ipse faciebat in manibus suis. Et iterum fecit † eum vas aliud, sicut placuit coram ipso facere. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Sicut figulus iste non potero vos facere domus Israël? Ecce sicut latum figuli vos estis in manibus meis. & tantum si loquar super gentem aut super regnum vt tollam eos & vt perdam eos. Etsi conuersa fuerit gens illa à malis suis cogitationibus, pœnitentiam agam pro malis quæ cogitabam vt facerem eis, & non faciam: & tamen si loquutus fuero super regnum aut gentem vt reædificetur & circumplantetur, & fecerit iniqua in conspectu meo, vt non exaudiat vocem meam, pœnitentiam agam † pro bonis quæ loquutus sum vt facerem eis, & non faciam. Et nunc dic ad viros Iuda & inhabitantes Hierusalem: Ecce ego fingo mala super vos, & cogito super vos cogitationem. Conuertatur vnusquisque à via sua maligna, & meliores facite cogitationes vestras. Suadet ergo figulus noster à viis pessimis & cogitationibus nos malignis auerti, vt cõuersio pœnitentiæ in aliud vas possit fracturas nostras vitiáque plasmare. Et vult operis sui substantiam non perire in pœnitentiam, ne sententia reum teneat quem confessio excusat. † Huic conscia sapientia Salomonis: Sed misereris, inquit, Domine omnium, quia omnia potes, & negligis peccata hominum propter pœnitentiam: Subest enim tibi cùm voles posse, & cùm sis omnium Dominus, omnibus te parcere facis. Conuertamur ergo & cõfiteamur Domino, cùm in hoc seculi degimus commeatu, & iudici nostro pœnitentiæ viaticum præparemus. Non sint temporis nostri otiosa curricula, nec nos nati ad peccandum, sed ad bene agendum conuiuamus. Aut si peccato fuerimus obnoxii, quoniam deesse non potest in hoc mundi theatro quin peccemus, reminiscamur nostri vt euadere gehennæ præcipitium capiamus. Pœniteamus ergo ex fide, oremus ex corde, ploremus ex viscere. Et sicut Propheta dicit: Adoremus & procidamus & ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia qui serunt in lachrymis, in gaudio metent. Fœlix heu nimium fœlix officium lachrymarum, quo futuro tempore colliguntur præmia. Et beatum seminis incrementum quod in fletu profunditur, vt in lætitia metatur. Scriptum est enim: Fœlix homo qui agnoscit vlulatum suum. Leuemus oculos nostros ad montes, vnde veniet auxilium nobis: quia sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum: & sicut oculi ancillæ ad manus dominæ suæ: sic & oculi nostri ad dominum Deum nostrum vsque dum misereatur nobis.

Hier. 18.

† fortè, illud

† pœniteam

† huic cõsona Sapien. 11.

Psal. 94.

Psal. 122.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

NEque ita conuersionis nostræ consilium temporis delectationibus prolongemus, vt sub scientia peccandi & delectatione pereundi vsque ad extremam ætatem nos in voraginem criminum demergamus, cùm viuendi nobis vsum à diuina dignatione collatum qui terminus claudat habeatur incertum. Et forsitan hoc quod aut primum putatur, aut medium imminentis occidui meta iam limitet, sitque debitus finis indignantis Domini ex conuersionis tarditate vocatio: quandoquidem ex admonitione rumpendarum in conuersione morarum propositum videatur oraculum: Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdit te. Fili, peccasti, ne adiicias iterum, sed & de pristinis deputare, vt sibi dimittantur, & ne adiicias peccatum super peccatum, & dicas:

Eccles. 5.

Miseratio

Miseratio Dei magna est. Misericordia enim & ira ab illo. & iterum: Nec nos vsque ad mortem fieri mancipia patiamur, & demus corpora nostra scelerũ ditioni, sed obediamus Apostolo dicenti: Non regnet peccatũ in vestro mortali corpore, vt obediatis ei: vt quia peccata deesse non possunt, certè non regnent, hoc est, ne sine respectu euadendi fiat abrupta licentia peccandi. Aut certè si putat aliquis restare sibi tempus vt peccet, & satiata libidine cùm iam imperassent animo corporis vires, tunc ad pœnitẽdi redire iudicium, vltimum vitæ suæ mihi tempus edicat quo calculante didicerit, quo insinuante cognouerit, vt iure sibi, vt ita dicam, de temporis spatio blãdiatur. At cùm nobis inopinatus sit exitus terminalis, & vitæ nostræ dubia sint ex mortis ignorantia curricula, quomodo sibi quisque superesse ad confitendum tempus existimat, qui temporis sui tẽpus ignorat, cùm vtique audiat dicentem scripturam: Viuens & sanus fateberis & laudabis Deum, & in partem vade seculi sancti cum viuis & dantibus cõfessionem. Dilatio enim temporis confessionem creet & non desperationem generet, quia exaggeratur in dilato damnatio, qui diuinam patientiam pertinaci animositate cogitat, quod sancti Noë temporibus docetur effectum, cùm per centum annos pertracta patientia implacabilem per mundi ambitum fudit cataclysmum inundante censura. Vnde beatus Apostolus ait: An nunquid opulentiam bonitatis eius & longam patientiam contemnis, ignorans quod Dei bonitas ad pœnitẽtiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum facta sua.

Rom. 6.

Rom. 2.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

VOlo dicas mihi, quæ rerum præsentium gloria, qui sint huius temporis fructus, quæ vtilitas caducorum. Regni potẽtia, dixi, morte finitur, potestatis ambitio successione dirimitur, diuitiarũ copia viuis nobis plerumque subtrahitur, voluptatis effectio tristitia interueniente corrumpitur, iucunditas gaudiorum metus formidine violatur, & omne quod capitur desiderio aut corpus † aut anima finis calce succiditur. Nec potest perfectum priuilegium beatitudinis obtinere, quod æternitatis non circumuallat infinitas. Caducum enim sit necesse est, quod indeuitabili necessitate † metitur. Obnoxiũ & inconstãs atque infirmum proculdubio remanebit, cuius vitam nonnunquam fortuitus euentus intercipit. His ergo cũctis morte finitis, nostrum in ipsa morte quid proprium? Si nihil quod boni operis incremento conscientia subsarcinetur habebimus, & si nihil boni ex nobis habere potuimus, quid nobiscum remeantes ad patriã deferemus? Quàm nuda atq; deformis anima nostra remanebit, si nos eam saltem pœnitentiæ velaminibus & cõfessionis amictibus non obtegamus, nisi quia turpitudinem festinamus abscondere & animæ operire non contendimus nuditatem, cuius cùm sit naturaliter inuisibilis pulchritudo, visibilis fiet peccatorum sorde deformitas.

† corporis aut animæ, finis falce † nectitur.

CAPVT TRIGESIMVM.

DIlla sunt occupanda cõmercia, illæ complectendæ diuitiæ, illa captanda potentia quã non tempus eripit, nõ locus subtrahit, non persona subducit, quæ manet statu perpetuo, quæ priuilegio seruatur æterno, quæ fini non subducitur, quæ mortis iugo nec premitur nec vrgetur. Ibi enim bona tuta sunt cõscientiæ, vbi iam non licebit post præsentia seculi mala peccare, vbi diabolo nullus accessus, vbi tenebrarum non est locus, sed neque qui decipit, neque qui decipi possit pœnitus inuenitur. Illic bona omnia, illic cuncta fœlicia, illic prospera vniuersa: non dies lucis incremẽto mutabilis, non Sol lentior in ortu, in fulgẽdo clarior, in occasu fuscior apparebit. Nox omnino vacabit, Luna non erit, nec siderum micatus ardẽtior rutilabit. Famem nemo sentiet, lachrymæ detergentur, timor nullus, metus ex nihilo, iucũditas omnia, pax totum, gaudium quicquid obnoxium tristitiæ fuerat, possidebunt. Omnia Propheta Esaias euidenter exponit. Quæ tunc ibi gloria fœlicium, quę supplicia miserorum, qui gemitus, quę suspiria peccãtium, quæ beatitudo Sanctorum: his cum deo consortium, illis donari gehennalium cruciamenta flammarum: hos incomparabili perfrui refrigerio, illos incendio indomitabili trucidari: hos paradisi fontibus nemorũmque verticibus à riuulis indefessos amœnari, illos stagno ignis effluentatos, incendij atque atræ noctis tenebris obsessos pœnis inextricabilibus perurgeri: ad postremum hos bonis cœlestibus vti, illos totius gehennæ & æternæ mortis edacitate consumi.

A

B

C

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

SI nunc quantum ad secũdum, quispiam patrimonij labe defectus, in promptu non habeat vnde qualicunque victu famelicam sustentare possit esuriem, videatque alios opimis dapibus mẽsas onerare, ac refertos epulis bibere gemma, & protrahere longè apparatus ambitione peregrinis saporibus pigmentata conuiuia, quæ putas eum ducere ab vltima viscerum parte suspiria? Quas edere intestino dolore querelas? Interdum etiam lachrymas fundere, cùm paulò amplius capi incipiat desiderio visorum & inardescere magis ac magis sentiat ex desiderio inefficax desiderium. Quinam ergo tunc erunt gemitus infelicium, quod * inconsonabili luctu in illa comparatione tormentum cum cœlestibus copiis, perennibus diuitiis perfrui fœlicium viderit agmen animarum, & se stillicidio rorantis digiti defraudari, & perferre insuper inextinguibilem flammam, cùm nulla spe reseruetur ad veniam? Solis ardorem ferre non possumus, balneares æstus minimè toleramus, sentimus incendia fornacum & longè secedimus: quis ferat fluctuantem gehẽnam & caminis tartareis æstuantem pati strepitum fumantis baratri, & sustinere infernarum globos renebrarum, vbi solus auditur vlulatus ardentium, & eiulatus resonat crudeliter punitorum? Hæc oro quàm fugienda sunt, quàm cauẽda, ac totis viribus & omni animo ac mente declinanda.

* inconsolabili

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

CVm patent igitur ianuæ veniales, cùm fluctuantibus & criminum tempestate iactatis pœnitentiæ portus offertur, cùm mentibus promittitur cura languentibus & sauciatis vitalem pollicetur vltroneus artifex medicinam, cùm misericordia habetur in promptu, antequam iustitia capulo tenus extrahat pugionem, sumamus arma pœnitentiæ, & iudicis rigorem satisfactionis officio mulceamus. Certum enim habet donum veniæ, qui permittit pœnitere. Nã proculdubio confiteri non finitur, cui pietas nulla seruatur. Hoc probat inueterati serpentis in ipsa origine mundi damnatio, quem inauditum sententiæ fulmen excussit: & non † peroptatum obsoluta seueritas status sui possessione deiecit. Hoc Sodomæ & Gomorrhæ cœlesti incendio concrematæ perhibent regiones, erga quas ob excessum facinorum nihil reseruatum est pœnitentiæ, ne fortassis admoniti possent vltionis iustitiam declinare. Hoc Pharaonis in Exodo clamat interitus: hoc Chore, Dathan & Abiron inexpertum testatur exitium: hoc Antiochi & Herodis supplicia proloquuntur: hoc Ananiæ & Saphiræ indicat repentina animaduersione naufragium: quos ad præsens tempus vindicta non distulit, & negata venia sæueritas comitata truncauit. Non nos imparatos dies absessionis inueniat, nec intra castra diabolica hiemis illius aut sabbati tempus includat. Vigilemus contra hostis antiqui fraudulentas insidias & apertas minas. Erga cõuersos enim acrius excitatur, & refugos suos seuerior tanquam irrisus insequitur. Tunc cùm deciperet, blandimentis illexerat, nunc tentationibus & credulitatibus inquietat. Tũc fuerat vt amicus, nunc inimicus irascitur, & per casum elisum effecit cautiorem, sed eliden-

D

† peroptatum; Genes. 19. Exod. 14. Num. 16. 2. Mac. 9. Act. 12. Ibidem 5.

elidentem aliquoties solet elisus elidere. Fugiamus pomposas illecebras mundi & ambitionibus eius demus repudium: hoc Ioannes Apostolus persuadet, dicens: Nolite diligere mundum neque ea quæ sunt in mundo. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quia omne quod in mundo est concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & ambitio seculi quæ non est à Patre, sed ex concupiscentia mundi est, & mundus transibit & concupiscentia eius. Qui verò facit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum. Lauemur Baptismo pœnitentiæ vt possimus Dominum mundo corde videre. Auferamus nequitias ab animis nostris à conspectu oculorum Dei, discamus iustitiam facere, inquiramus iudicium, eripiamus iniuriam accipientem, iudicemus pupillo, iustificemus viduam, & cum Domino disputabimus. Et si fuerint peccata nostra vt Phœnicium, vt niuem dealbabit: si autem vt coccinum, vt lanam candidam efficiet. Et quia asperget hyssopo & mundabimur, lauabit nos & super niuem candidiores erimus.

1. Ioan. 2.

Esa. 2.

Psal. 50.

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

TRia sunt quæ erga nos Dominus arbitrio suo constituta conseruat. Bonitatem dico, misericordiam atque iustitiam. Bonitas est qua esse iam cœpimus. Misericordia, qua ad pœnitentiam prouocamur. Iustitia, qua futuro tempore iudicabimur. Hæc interim ordinem temporum in sese custodiunt: præteritum, præsens & futurum. Præteritum, quo Domino authore creamur & nascimur. Præsens, quo conuersi misericordiam promeremur. Futurum, quo iuxta opera nostra iustitia distribuente munerabimur. Itaque cùm misericordia regnum habemus in manibus & in arbitrio nostro sunt posita dona pietatis: Hic purgemus conscientias nostras ab omni inquinatione, & spiritualibus nos deinceps per bonam conuersationem instrumentis aptemus. Euitemus desideria quæ militant contra animas nostras, & prophanam conscientiam nullatenus patiamur. Consequemur omnia quæ ex fide credimus, si iustis nos actibus & vita inuituperabili componamus. Merebimur remissam omnium peccatorum, resurgemus in vitam æternam in resurrectione credentium: & ne amplius loquendi præsumat audacia, in regna cœlorum cum iustis intrabimus cum quibus partem per pœnitentiam habere meruimus, scriptura dicente: Pœnitentibus autem dedit partem iustitiæ & corrogauit deficientes sustinere & destinauit illos in sortem veritatis. Hæc, amantissime frater, quibus tecum pariter ad exercendam pœnitentiam cohortarer, quantum ex dominicis lectionibus colligere mediocritas ingenij mei potuit, exaraui. Quæ si iam vt arbitror animi studio è proprio instituto sectaris, & curribus confessionis insidens tendis ad veniam, accipe me tecum in hac cogitatione consortem, vt adiuncto communi comitatu ad metas indulgentiæ properemus: aut si pigritiæ inertia præpeditus pernicitatem tuam sequi non potero, memento mei, & cùm præmium de Dei largitione merueris, quæso vt in orationibus tuis nulla capiaris obliuione Victoris.

Ecclesi. 17.

Explicit liber de Pœnitentia.

Scholia Petri Nannij ALCMARIANI IN QVÆDAM opera Diui Ambrosii, ac primum in funebrem eius orationem, de obitu Valentiniani Imperatoris.

Col. 443.

ET *si incrementum sit doloris id quod doleas scribere.*) Verba hæc consentiunt cum hemistichio Ouidiano, Pars est meminisse doloris. Nec longè abludit illud Æneæ apud Virgilium, qui iussus referre excidium Troiæ ita respondit: Infandum Regina iubes renouare dolorem.

Col. 443. linea 8. Signare aliquid.) Minus est signare quam indicare: quod enim notulis compendiariis obiter & succinctim rem significat, id signare dicitur: vnde apud Græcos à signis σημειογράφος is dicitur, qui à Latinis Notarius: siquidem notæ ea signa sunt, quæ vulgo abbreuiationes vocantur. atque ita protheſim istius orationis mira modestia temperatam reddit.

Ibidem lin. 10. Pignoris.) Quicquid datur ad confirmandam securitatem creditoris pignus appellamus. hic tamen pignus ferè idem est quod filius aut alumnus, eóque nomine dignatur Valentinianum, quòd illum & catechismo Christianitatis instruxerat, & baptismo regeneraturus erat, nisi mors interceſſisset.

Col. 444. lin. 15. Perfectæ ætatis insigne.) Lanuginem primum barbescentis intelligit. Vnde postea barbæ Aaronis mentionem facit.

Ibid. lin. 31. b. Intus mysteria diuidentes.) Græcanica propemodum loquutio κλυβδωνοι τὰ μυστηρια ad nomen clericorum alluſum est.

Ibid. lin. 45. c. Quos vno velut corio.) Quia toties putamen (vt sic dicam) mali punici corium nominat, distinguendum est, quid putamen, crusta, corium, cutis, in fructibus differant: cæterum optimè eam rem enucleauerint verba Plinij lib. 15. cap. 28. Putamine (inquit) clauduntur nuces, corio castaneæ, crusta teguntur glandes, cute vuæ, corio à membrana punicæ, carne & succo mora constant, cute & succo cerasi.

Col. 445. c. lin. 5. Et quid iam de aliis dicam, qui etiam ludo ætatis putauerit abstinendum?) Totus iste locus mihi videtur alludere ad verba M. Tullij pro Cœlio, maximè criminibus petulantioris iuuentutis grauato. Datur enim (inquit) concessu omnium huic aliquis ludus ætati: & ipsa natura profundit adulescentiæ cupiditates, quæ si ita erumpunt, vt nullius viram labefactent, nullius domum euertant, faciles ac tolerabiles haberi solent: ac paulò pòst, Detur aliquid ætati, sit adulescentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur, non semper superet vera & directa ratio, vincat aliquando cupiditas, voluptásque rationem, & cæter. Hac enim ratione Cicero Cœlio in capitali crimine defendit, lapsúsque adolescentiæ deprecatur: quid si sic legas? Et quid iam de aliis dicam, cùm etiam ludo ætatis Cicero non putauerit abstinendum, non resecandam ætatis licentiam seueritatis publicæ duritiem molliendam, lenitatémque deferendam ei qui in periculum conuicti criminis vocaretur? Certè vt nunc legitur infestis cornibus seipsa impetit oratio.

Col. 446. d. lin. 55. Iam promiseram, nam me profecturum respondens, vel honoratis petentibus, vel Præfecto, vt tranquillitati Italiæ consulerem, me sicut superfluo ingerere non posse, ita necessitati non defuturum.) Honorati sunt, qui honores in militia adepti sunt, quales sunt, centurio, primipilus, præfectus castrorum, magister militū, Aelianus lib. 1. Prætermissorum, etiam illi honorati sunt, qui Palatinā quidem dignitatem habent, sed

ſed tamen adminiſtratione abſtinent,& quod Auſonius ait: Muneris exortes nomine participes. Iam quod ſequitur:

(*Propriis animalibus*) non video quomodo ſanari poſſet, nam ſi illi defuerunt ſua iumenta, cur in publica legatione non vſus eſt publicis iumentis? Deum animalia vſurpare pro iumẽtis prorſus eſt infacetũ, nec Ambroſianę elegantię.

Ibid. li. 69. Ecce reſcriptum accipio, vt ſine mora pergendum putarem, eo quòd vadem fidei tuæ habere me apud Comitem tuũ velles.) Sanior eſſet lectio.

Eo quòd vadẽ fidei tuæ habere me apud Comitẽ velles.) deeſt tamen aliquid integræ valetudini: Sic enim verba ordinanda exſtimo, eo quòd vadem tuæ fidei me apud te comitem habere velles. Vt autem ſic putem, faciunt illa quæ paulò poſt ſequuntur: verba illa poſtrema, quibus me vadem tuum fieri poſtulabas, niſi comitem aliquem intelligas ex palatinis officiariis. Lingua enim eius ſeculi familiares principis aliqua adminiſtratione rerum ornatos, Comites appellabat, adiuncto titulo eius rei cui præfecti eſſent, vt comes ſacrarũ largitionum, comes ſacri palatij, comes ſacri patrimonij, comes conſiſtorij. Scriptores aliquando eius ſeculi Comitem accipiunt pro ſummo præfecto, ſic Maximus comes Gratiani tantum potuit, vt eum Imperio & vita ſpoliaret: Idem facit in hoc ipſo Valentiniano Comes Abrogaſtes, quos alij nunc præſides, nunc legatos interpretantur: Eos autem non eſſe magiſtros equitum, quod propemodum tamen ita eſſe videtur, docet Ammianus Marcellinus ſub his verbis: Tunc & Equitius Illyricano præponitur exercitui, nondũ magiſter ſed comes: niſi intelligas magiſtrum hîc eſſe, qui præeſt ſcholis militaribus, quod officium tunc inter maxima reputabatur. Alciatus author eſt comitem inde dictum, quòd ex comitatu Cæſaris ad aliquam prouinciam, vel eius partem regendam mitteretur. Euſtathius in Homerum aſſerit comites eos dictos qui maritimis prouinciis præſiderent. Operioſior hîc fui, quia hoc vocabulum vario ſignificatu frequentiſſime occurrit.

Col. 448. D lin. 57. Pium ſanctis ſororibus impreſſit affectum, vt concedendi prædij voluntatem haberent, iudicium darent.) Lego quanquam ex diuinatione, pro darent, declinarent, nimirũ vt ſine lite predium reſtituerent.

Col. 449. lin. 11. In horum amore ſupplicij feralis hæreditas.) Id eſt, funebris. Feralis hîc non à fera dicitur, ſed à feriis, id eſt inferiis mortuorum. Eſt autem hîc feralis hæreditas, idem quod exequialis. quæcunque enim ad mortuos pertinẽt, feralia dicuntur.

Ibidem lin. 20. B. Non igitur velut penicillo.) Penicillus tametſi propriè, ex peniculis, hoc eſt, caudis animalium conſtet, quibus pictores in ducendis coloribus vtuntur, non tamen infrequens eſt eos pro ſpongiis vſurpari, quemadmodum & hîc & in Terẽtiana Eunucho: Quid ignaue peniculo ne pugnare? Quid iſthuc huc portas, cogitas: Sanga. Ego ne? Imperatoris virtutem noueram & vim militum, ſine ſanguine hoc fieri non poſſe, quin abſtergerem vulnera.

Ibidem linea. 24. Sed id poſtulo ne vel infixum pectori releuetis.) Ego exiſtimo legendum (releueritis.) deducitur enim à relino releui, non à releuo, releuas, releuare. Eſt autem relinere idem quod reſignare, ſigillum detrahere, & delere. Terentius in Heautontimoroumeno, releui omnia dolia omnes ſerias releui.

Ibid. lin. 64. D. Virtutũ ſtipendiis.) Quot bellis aliquis militauit, tot ſtipendia dicitur expleuiſſe, atque ideo capitur aliquando pro annua militia. hinc miles qui octodecim ſtipẽdia non abſoluiſſet, vacationem à bellis obtinere non poterat. Cicero pro lege Manilia, partem militũ qui iam confectis ſtipendiis erant, dimiſit. Ideo de Senectute, animum tãquam emeritis ſtipendiis, libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium ſecum eſſe. hinc factum, vt operam diuturnam & functionem ſtipendium vocent. Ita Symmachus: In illis ſtipendiis caſtitatis, veſtalẽ pudicitiam deſignãs. Ita & hîc quoque virtutum ſtipendiis dixit, inde vocabulum deductum, quòd militi ſtipes dependebãtur in ſalarium: operoſior & hîc quoque fui in hoc vocabulo exponendo, quia multus eſt Ambroſius in hac voce vſurpanda.

Col. 450. D. linea 61. Solue ergo ſeruo tuo munus tuæ gratiæ, quam ille nunquam negauit, qui ante diem mortis templorum priuilegia denegauit vrgentibus his quos reuereri poſſet.) Arbitror deeſſe τὸ tibi ſcilicet quam ille tibi nunquam negauit. Non mirum eſt Ambroſium nihil ſcribere de genere mortis, quo Valentinianus in fata conceſſit, quia Tyrannum Abrogaſtem, qui iam imperio incubabat, & Valentinianum laqueo præfocauerat ſparſa opinione, tanquam princeps ſibi manus attuliſſet, nõdum opportunũ exiſtimabat, eũ eius criminis impetere. Sed eſt hîc nonnulla obſcuritas, opinórq; ſenſum talẽ eſſe. Solue Valtiniano gratiã baptiſmi & Chriſtianitatis, cùm ille tibi ſemper gratificatus ſit. hoc enim puto, quãille nunquã denegauit. Iam quod ſequitur (*qui ante diem mortis templorum priuilegia denegauit.*) approbatio eſt vel quòd Chriſtianitatem amplexus ſit, vel quòd Chriſto gratiã non denegauit, qui templis idolorum ſua priuilegia denegauit, ſpreto Symmacho præfecto vrbis qui nomine totius ſenatus à Valentiniano petebat, vt templis templorúmque gentilium ſacerdotibus ſua ſtipendia incolumia ſeruarẽtur. Puto autem vt dixi hîc deeſſe (tibi) vt ita legas. Solue ergo ſeruo tuo munus tuæ gratiæ, quam ille tibi nunquam denegauit. Commata enim iſta per compenſationem, & paria officia decurrere videntur.

Col. 450. verſu vltimo. Hic tuus iam, & tuo iudicio vindicatus.) Id eſt, tibi aſſertus: alluſum ad vindicias, ſecundum libertatem & ſeruitutem. qui enim in ſeruitutẽ petebatur, aut qui in libertatem prouocabat, aſſertorem adhibebat, cuius patrocinio iuſſum tueretur, is Valentiniano Chriſtus erat.

Col. 451. linea 11. Date manibus ſancta myſteria.) Apuleius author eſt, malas animas vbi de corpore egreſſæ eſſent, vocari lemures, bonas lares: eas autem de quibus incertum eſt, quo in grege eſſent, vocari manes: ſed ea differentia poſtmodum abolita eſt, vt deos etiam infernales manes appellarint, vnde illa frequens in aris ſepulchralibus inſcriptio, D. M. hoc eſt, diis manibus, adeo vt prorſus ſub nomine manium ſanctiores animas comprehenderint.

Ibidem linea 15. A. Non ego floribus.) Alluſum ad carmina illa Virgilij de Marcello filio Octauiæ ſororis Auguſti.

Manibus date lilia plenis
Purpureos ſpargam flores, animámque nepotis
His ſaltem accumulem donis, & fungar inani Munere:

Ibid. lin. 61. D. Dixi tamen abſens & dicentem me fidem pro te Chriſtus audiuit.] Optimè reſtitutum (*dixi*) *pro* (*dixit*) vt alia infinita, quæ facilè lectori hanc impreſſionem cum cæteris conferenti, occurrent. Apparet ex hoc loco locíſque ſuperioribus vadem adhiberi ſolere in baptiſmo, qui de Cathecumeno baptizando promitteret eum poſt ſacramentum datum, in fide manſurum: hanc fideiuſſionem indicat ſe abſenti Valentiniano apud Chriſtum obiiſſe. Eſt enim fidem dicere, fideiubere.

Col. 452. lin. 51. C. Cogitationes rationabiles, fidei odor, circũciſionis intentio, ornatus capitis glorioſus.) Addẽdũ puto (*ideo*) vt ſit, ideo autẽ glorioſus quod nõ regalia diademata, ſed dominici ſanguinis inſignia coronent. Ita ego hunc locum legendum exiſtimo, ſed prouocatio ſemper libera ſit ad codices ſcriptos, ſi qui vſquam caſtigatiores apparuerint. Diadema Alciato faſcia linea eſt, & rectè à reuinciendo nomen inditum: gemmis vnionibúſque id obſitum habebant Reges, nunc adhuc in capitibus Ducum & Comitum apparet, noſtris temporibus ſponſarum eſt ornamentum: olim ſanctis virginibus ſemper additum martyrium paſſis, quod Chriſti reginæ eſſent. Germani vocant een treck.

Col. 453. linea 44. Beati ambo ſi quid meæ orationes valebunt.) Et hîc quoq; alluſũ ad carmina Virgilij de Niſo & Eurialo:

Fortunati ambo, ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.

PETRI NANNII SCHOLIA IN D. AMBROSII orationem funebrem de exceſſu fratris ſui Satyri.

Col. 454. linea 26. In vtroque & fidei ambiguum & vitæ periculum.) Vita aliquando ipſa anima eſt. Virgil. de Turno: Vitâque cũ gemitu fugit indignata ſub vmbras. Aliquando idẽ quod victus Græcanico more quibus βίος & vitam & victum ſignificat Digeſtis de officio præſidis. Ne tenuis vitæ homi-

homines ſub prætextu aduẽtus officiorũ vel militum limine vnico vel breui ſuppellectile ad aliorũ vſus trãſlato iniuriis vexentur, præſes prouinciæ prouidebit. Aliquando mores ſignificat alicuius, quapropter qui operoſiores ſunt in ſcribendis ingeniis principum libros ſuos vitas inſcribunt non hiſtorias. hinc Plutarchus opus ſuum βίοις ἀλλήλοις nuncupauit: atque ex eadem ratione eſt titulus ille Vitæ ſanctorum patrum: atque eam ſignificationem verba Ambroſij hic requirunt: hinc eſt quod Donatus in Phormione dicit, vita, & mores & animam & alimentum ſignificat & ſpatium viuendi.

Col.457.16. Nihil mihi profuit vltimos hauſiſſe anhelitus, nihil flatus meos inſpiraſſe morienti.) Alia lectio flatus in os inſpiraſſe. Summa cum vbertate & vehementia cum Virgiliano luctu decertat, & in proſa elegantiſſimi carminis vim & gratiam exuperat.

Date, vulnera lymphis
Abluam & extremis ſi quis ſuper halitus exit, Ore legam.

Nec aliter Statius ſecundo Syluarum.

Te vultu moriente videt, linguáque cadente
Murmurat, in te omnes vacui iam pectoris efflat
Reliquias.

Solent autem id facere, vt recepta in ſe per μετεμψύχωσιν morientis anima, quaſi eius ſpiritu deinde potius quam ſuo victuri eſſent. Sed Ambroſius id luctuoſius interpretatur, quaſi communionem mortis ex fratris anhelitu accipere ſtuderet, ne videretur ad iſtam μετεμψύχωσιν Pythagoricam alludere.

Col.459 lin.13. Quàm dolores in alpium vallo ſummam noſtræ ſalutis conſiſtere lignorum concædibus conſtrui murorum.) Habent alij pro concædibus, congeribus, alij aggeribus nimirum ſtragibus deiectarum arborum, vt itinera hoſtibus intercluderentur. quid melius ſit, aliis diuinandum relinquo, nam & concædibus intelligi poteſt, quaſi multa ligna communi cæde, & ſimul ſint ſtrata.

Ibidem lin.36. Fœlix igitur tam opportuno obitu, quia non es ſeruatus in hunc dolorem.) Eadem imago ſententiæ in verbis Virgilij. Túque ô ſanctiſſima coniunx
Fœlix morte tua, nec in hunc ſeruata dolorem.

Ibid.lin.71. Qualem te nunc ego frater aſpicio.) Et hoc quoque ad Virgilianum carmen effigiatum eſt. Hunc ego te Euryale aſpicio.

Col.460.lin.12. Quanti tibi dixerunt aliquid, qui ſe mihi dixiſſe memorarent? quæ mihi hinc gaudia, quanta frequenter oborta lætitia, quòd eos errare nobis cernerem, quàm gratus error, quàm iucunda prolapſio.) Et hoc quoque aliqua ex parte à Virgilio mutuo ſumptum eſt:

Daucia Laridæ Tymbérque ſimillima proles
Indiſcreta ſuis gratúſque parentibus error.

Quanti autem hîc poſitum pro quot, vt tanti in Euangelio pro tot, ſed quid hoc inter tãtos? Ita Græcis eadem ſignificatione τόσοι & τοσοῦτοι dicuntur quo & numerum continuum & diſcretum oſtẽdunt, Ioan.6. ἀλλὰ ταῦτα τί ὅτι εἰς τοσούτους, vbi interpres vetus, ſed quid hęc inter tantos, id Eraſmus caſtigat, inter tot de numero, inquiẽs, loquitur. Fateor raras huiuſmodi loquutiones, ſed tamen quia (*quãti*) pro quot, apud probatiſſimos reperitur, verſimile eſt eius ἀποδοτικὸν tanti, in eoſdem vſus receptũ eſſe. Catullus, & quantum eſt hominum venuſtiorũ, pro quotquot ſunt venuſtiores dixit. Certè cùm dicimus, Tantum nummorum, non dicimus quàm magni ſunt nummi, ſed quàm multi.

Col.460.lin.66. Etenim ligari fecit in orario.) Orarium hîc idem genus veſtis cum eo quod nũc in ſacrificali cultu ſtola dicitur, apud veteres infula nominatum, cuius extremitates vittæ dicũtur, etiam nunc in baptiſmo pueris initiandis imponitur: inſigne illud & hoſtiarum & ſacerdotum eſt, credo id ideo Chriſtianis ſolenne fuiſſe, quòd diuus Petrus genus Chriſtianorum & regium & ſacerdotale appellat.

Col.461.lin.8.A. Quod ſi homini non referre, ſimile homicidio iudicatum eſt.) Non abhorret hoc ipſum à lege Perſica, cuius meminit Xenophon, ſecundum quam ſumma pœna plectebantur, qui ingratitudinis conuicti eſſent.

Col.ead.lin.26.B. Eſt enim huiuſmodi gratia vis, vt cùm referatur habeatur, & habendo referatur.) Pulcherrima Antypallage, mutuóque ſumpta ex oratione Ciceronis pro Cn. Planco. Quãquam diſſimilis eſt pecuniæ debitio & gratiæ. Nam qui pecuniã diſſoluit, ſtatim non habet quod reddidit: qui autem debet æs retinet alienũ, gratiam autem, & qui refert, habet: & qui habet in eo ipſo quod habet refert. hactenus Cicero. Criſpum, inquit, Iulianus, agmen orationis rotundúmque ac modulo ipſo numerorum venuſtũ. Meminit huius ſentẽtiæ Aulus Gellius Noctium Atticarum lib.1.cap.4.

Col.461.verſu.54. Nam quid ſpectatam ſtipendiis forenſibus eius facundiam loquar.) Stipendiis forenſibus, id eſt, agendis cauſis in foro. Iam enim militiam in duo genera diſtinguunt in armatam & forenſem.

Col.462.lin.39. Is enim non quærit aliena qui ſeruat ſua, nec inflatur in modico (vel immodice) qui contentus eſt proprio.) Exiſtimo legendum pro inflatur, inflammatur, & pro in modico, vna dictione, immodico vt ſit ſenſus non ardeſcit ad immodica qui contentus eſt proprio.

Col.463.lin.20. Quid verò illud recenſeam quod ſupra ipſam iuſtitiam progreſſus, cùm quædam incubator (vel incubatori) conuiuium, non omnium fructuum mei contemplatione muneris putabat (vel putaret) eſſe tribuenda.) Incubatori detentori, qui rebus alienis toto corpore inhæret. Ita Dionyſius à Macrobio Siculæ incubator aulæ nominatur. Metaphora ſumpta à canibus, qui toto complexu corporis prædæ quam rapuerunt, imminent, qualem Cerberum deſcribit Virgilius.

Corripit obiectam atque immania terga reſoluit,
Fuſus humi, toto ingens extenditur antro.

Huic tamen improbo detentori, aliquid concedendum putabat, reſpectu epiſcopalis functionis, quæ ſui iuris tenax eſſe non debet.

Col.465.lin.26.B. Ex te conceptum per te lenire mœrorem.) Integer heroicus eſt, ſi pro mœrorem dolorem.

Col.465.lin.49. Eius defuncta ſolatio:) Id eſt vſa: ſic ſuprà in hac eadem oratione: Ita perfunctus ſum, quandiu licuit commiſſo mihi fœnore.

Col.465.lin.62. Etſi diutius morari tibi videor, accerſi.) Alluſum ad Didonem Virgilianã, vbi Dido ideo magis ad mortem properat, quod mariti voce ſe vocari putaret.

Quo magis inceptum peragat, lucémque relinquat.
Hinc exaudiri voces & verba vocantis Viſa viri.

Col.465.Ibid.lin.62. Neque enim vnquam prolixius abfuimus à nobis, tu tamen ſolebas reuiſere.) Mutilum videtur, & tale aliquid deeſſe, neque enim vnquam prolixius abfuimus à nobis inuicem, quin ſi ego non te, tu tamen me ſolebas inuiſere.

IN ORATIONEM DE FIDE RESVRRECTIONIS SCHOLIA.

Col.466.lin.56.D. Fuiſſe etiam quidam feruntur populi qui ortus hominum lugerent, obitúſque celebrarent.) Thraces hi ſunt, & potiſſimum ex gente quibus nomen eſt Drauſis, author Pomponius Mela, Herodotus, Solinus.

Col.466.lin.58.D. Eos qui in hoc vitæ ſalum veniſſent.) Salum dictum putãt quaſi ſalem, hoc eſt, aquam marinam: ſed ego non minus à Græco verbo σάλω, quod commotionem tumultúmq; maris ſignificat, deductum puto. Virg. Æn. primo. Pérque vndas ſuperante ſalo, pérq; inuia ſaxa. Idẽ libro ſecũdo, Fit ſonitus, ſpumãte ſalo. Iuſtinus lib. XLIIII. Tum planè manifeſto quodã numine, inter furẽtes æſtus, ac reciprocãtes vndas, velut naue non fluctu veheretur, leui ſalo in littore exponitur. hîc tamẽ Ambroſius ſalũ pro mari poſuit.

Col.467.A.lin.14. Denique Lyciorũ ferũtur præcepta, quæ viros iubeãt muliebrẽ veſtem induere, ſi mœrori indulgeãt.) Mœrore eſt vicẽ mortui dolere. Cic. in primo Tuſculanarũ. Quis eſt qui ſuorũ mortem primùm nõ eo lugeat, quòd eos orbatos vitæ cõmodis arbitretur. Tolle hãc opinionẽ, luctũ ſuſtuleris: nemo enim mœret ſuo incõmodo, dolẽt fortaſſe & anguntur.

Col.467.lin.24. Cur enim mœſtitiã tuã non rãtio potius quàm dies leniat.) Primùm hæc ſententia deformata eſt ex verbis Terẽtij in Heautontimorumeno, Aut ego profecto ingenio egregiè ad miſeriã natus ſum: aut illud falſum eſt, quod vulgò audio dici, diem adimere ægritudinẽ hominibus. Cadere deinde ſumma ab aliis multis occupata. Cic. ad Atticum lib. XII.

XII. epistola quinta. Cõsolationum autem multæ viæ,sed illa rectissima,impetret ratio quod dies impetratura est.Ægrotationem autem Cicero, in tertio Tusculanarum quæstionum libro,corporis esse dicit ægritudinem animi.Sic & Grammatici ægrotũ corpus,ęgrum animũ appellari volunt.

Col.468.lin.25. Quasi cuidam certa sit redeundi.) Lego pro cuidam,cuiquam.

Col.468.lin.66.Quantò magis anima nostra corporeum istud euadere gestit ergastulum.) Ergastulum est vbi serui vincti tenentur,ἀπὸ τοῦ ἔργα,id est,ad opera facienda.

Col.469.lin.30.Morte obita.) Id est,tolerata.Sic Lucretius, Morte obita quorum tellus amplectitur ossa.

Col.470.lin.42.Ecce veteres posuisti dies meos,& habitudo mea tãquam nihil ante te.) Vetus trãslatio habet,ecce mẽsurabiles posuisti dies meos,& substantia mea tanquam nihilum ante te.Græca habent ἰδοὺ παλαιστὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου καὶ ὑπόστασίς μου ὡσεὶ οὐθὲν ἐνώπιόν σου. quod reddi potest, ecce vnius spithamæ vel palmi reddidisti meos. Ambrosius videtur legisse non παλαιστὰς sed παλαιας. nam veteres trãstulit,quasi dies senio & vetustate annorum grauatos. Hieronymus vertit, ecce breues posuisti dies meos, & vita mea quasi non sit in conspectu tuo.Est autẽ hic substantia,idem quod materia,aliquando idipsum quod essentia.

Col.470.lin.65. Melius vtique quàm illi,qui philosophiã mortis meditationem esse dixerunt.) Verba Ciceronis sunt in Tusculonis ex authoritate Platonis, philosophiam esse commẽtationem mortis. Est autem meditari rebus aliquando agendis quasi præludere:meditatióque nihil aliud est quàm præexperimentum & prætractatio qua te instruis antequam ad ipsum agona venias.

Col.471.lin.20. Habes pœnarum ferias.)Ferias insolenter dixit pro fœderibus ac sanctionibus, quod in fœdere porcam silice ferire solent.

Col.472.lin.10. Quam multi vitam solo mortis titulo consecrarunt.) Nimirum quod vitam mortis honestate sanctam rediderunt,alioquin vituperabiles : qualis fuit,inter cæteros, Otho & Catonis filius. Ausonius,

Mox Otho famosus,clara sed morte potitus.

-Idem de eodem.

Æmula polluto gesturus sceptra Neroni
Obruitur celeri,raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit,qui morte decora
Hoc solum fecit nobile quod periit.

Sic & Suetonius, Denique magna pars hominum incolumem grauissimè detestata, mortuum laudibus tulit, vt vulgo iactatum sit, etiam Galbam ab eo, non tam dominandi quam Reip.ac libertatis restituendæ causa interceptum.

Col. 474.lin.2. Denique multa gignentia quamuis iugi serenitate humo arido arenoſóque nascuntur.) Non humo arida & arenosa,& rectè. Priscianus verba illa Salustij in bello Iugurtino ita legit,Sed ex medio quasi collis oriebatur,in immẽsum pertingens,vestitus oleastro,ac myrtetis aliísque generibus arborum,quæ humo arido arenoſóque gignũtur. non vt vulgo legitur,humo arida arenosaque. Id admonendum fuit, quia sæpius Ambrosius humum in masculino genere vsurpat,ne vitium putetur.

Col.474.lin.21.B. Auis in regione Arabiæ cui nomen Phœnix.) Lactantius,

Hoc nemus,hos lucos auis incolit vnica Phœnix,
Vnica sed viuit morte refecta sua.
Ipsa sibi proles,suus est pater,& suus hæres,
Nutrix ipsa sui,semper alumna sibi.
Ipsa quidem,sed non eadem,quia & ipsa,nec ipsa est,
Æternam vitam mortis adepta bono.

Col. 475.lin.38. Multi dormientes in terræ fossu, vna apertione exurgent.) Aliqui legendum putant in terra defossi,sed Græca verba Danielis astipulãtur priori lectioni: καὶ πολλοὶ τῶν καθευδόντων ἐν γῆς χάματι ἐξεγερθήσονται. nouè autem dixit Ambrosius fossu pro fossa siue fossura.

Col. 476.versu 12. Quod si veteres sapientes satis Hydræ dentibus.) Et Iason in Colchis, & Cadmus in Thebana regione dentes serpentum seminauerunt, ex qua semente homines armati prodierunt.

Col. 477.lin.34. Audiuit ergo defunctus & exiuit de monumẽtis ligatus pedes & manus institis & facies eius orario colligata erat.) Pro institis transtulit Erasmus sepulchralibus fasciis:& in annotationibus in eundem locum idem tradit quasi κειρία ἀπὸ τοῦ κῆρος hoc est, à morte sit deriuatum. Aristophanes in auibus κειρίας zonas siue cingula lectorũ interpretatur, arbitrórque veteris interpretis vocẽ castissimam & huic loco congruam esse. Est enim instita lymbus ille siue fascia,quæ matronali vesti subassuitur,vt prætexta, purpura illa quæ togæ pretexitur.Horat.Saty.2.lib.1.

-Quarum subsuta talos tegat instita veste.

Arbitror autem Iudæos his fasciis vsos esse, vt mẽbra resoluta tabe vinculis illis cohærerent, ac potissimum ideo manus & pedes vinciri solitos,quod illi à cæteris membris separatiores essent & facillimè disiungerentur, nisi zonæ istæ intercederent:certè beatus Augustinus author est,morientibus solere pollices ligari. Existimo autem in Christi sepultura Iudaïco more inhumati,ea vincula ex lino fuisse,ac proinde ea sub linteorũ nomine ibi subintelligi. Iam quod Dauidis Psalmus ait 18.quia circundederunt me contritiones mortis,torrentes Belial terruerunt me,funes inferi circũdederũt me,præuenerũt me laquei mortis,traductũ metaphoricôs videri potest ab isto vsu sepulchralium vinculorũ.

Col.477.lin.36.c.Comprehende si potes,quemadmodum clausis oculis iter carpat,vinctis pedibus gradum dirigat,inseparabili gressu, separabilique progressu.)Non hic vitij quicquam, sed obscuritas magna.Est autem hic sensus, quomodo vinctis pedibus iter dirigat,cruribus inter se reuinctis tamen quasi diuaricatis,alterno motu pedum incedens.

Col.481.D.lin.56.Vnde oportet vocis tubæ nos scire virtutem ne videamur barbari.) Id est, vel indocti bellorum vel non Romanę ditionis, vt qui Romanas consuetudines non intelligamus:hîc autem Barbari pro Allophylis ponuntur, qui ad Ecclesiæ Christi ritúsque insolentes sunt.

Col.484.lin.71. D.Iudicantes videlicet grauiorem metum mortis quàm mortem.) Habent alia exemplaria grauiorem metum mœroris,sed recte mutatum à Costerio : allusum enim ad versum illum Senecæ tragici,

Peior morte timor ipse mortis.

Col.485.li.44.c.Læui cornua quærat.) Lęui cui contrarium est asperum.Virgilius de Præti filiabus,Et sæpe in læui quęsissẽt cornua fronte.

Col. 486.lin.3.Sic enim cuius alterius ornantur nuptiæ.) Arbitror legendũ,*Sic enim cuiusque aliis atque aliis ornantur nuptiæ.*

In Epist.I.D. Ambrosij,ad Iustum de didrachmo,Scolia.

Col.505.D.lin.4.Interrogans me quid significet illud didrachmũ.) Nouè dixit didrachmũ pro didragma,eadem ratione& ἡμιδράχμιον dicit.Quanti illud sit prætij,inter Budæum, Alciatum, Georgium Agricolã multis disputationibus iactatur: alij denarium & drachmã idem volunt:alij drachmã minorem censent,vt est:binas drachmas vnum didrachmum facere in confesso est.De didrachma multa mentio est Exodi tertio,vbi collatis Græcis verbis Septuaginta interpretum cum interpretatione Hieronymi siclum & didrachmum idem esse, contineréque inter se obolos viginti, deprehendas,cuius dimidium pretium domino offerendum erat in singula capita,lõgè alia ratione quam Dioscorides cæteríque tradunt, qui drachmã sex obolorum esse volunt. Sed in Septuaginta interpretum translatione euidenter describitur hunc didrachmũ sui generis esse,& peculiaris pretij, secũdum numisma templi cùm inquit, κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον εἴκοσι ὀβολοι τὸ δίδραχμον,tertio Exodi.

Col.506.li.6. Quod si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione ipsorum, & dabunt singuli redemptionem animæ suæ domino, & non erit in his ruina in visitatione eorum.) Visitatio hîc idem est quod censitio, nimirum cùm singuli citati nomen suum profiteri coguntur, quod in censendo exercitu fieri solet. Eadem propè ratione accipitur illud in quarto Sapientiæ Salomonis capite 3. ἐκ γὰρ ἀνόμων ὕπνων τέκνα γενόμενα μάρτυρες εἰσι πονηρίας κατ' γονέων ἐν ἐξετασμῷ αὐτῶν,liberi enim ex legitimo concubitu testes sunt nequitię parentum,in ipsorum examinatione : nimirum

cùm ab ipsis quæritur, vt nomina suorum parentum edant, coguntur stupra parentum ipsa professione nominum quasi cõtestata reddere. Pro examinatione habet Latin⁹, interrogatione, quod eodem recidit. cap. item 14. Διὰ τοῦτο καὶ ἐν εἰδώλοις ἐθνῶν ἐπισκοπὴ ἔσται, ideóque in simulachra gentium visitatio fiet: sed Latinus interpres incommod⁹ hæc verba trãstulit: Propter hoc in idolis nationũ erit respectus: sed respectus eorũ est, quorũ cura & reuerẽtia aliqua habetur. Alij hoc ipsũ vitates addiderunt τὸ, nõ, inquiẽtes, propter hoc in idolis nationũ non erit respectus, diluta prorsus sentẽtia. Totum autẽ istud caput trigesimũ Exodi, non parum sapit mores cẽsurę Romanæ: cùm enim numerus Romanorũ in condẽdo lustro iniretur, singuli ciues citati ad cẽsores prodibãt, si nihil in iis nota dignum apparebat, inoffensè transmittebantur: si quid cõtrà ignominia dignum videbatur, senatori curiã, equiti equum, plebeio centuriam tribúmq; adimebãt. Id ita esse ex Grẽcis verbis hoc modo trãslatis intelligemus, Cùm numerũ filiorum Israẽlis colliges, in visitatione, siue lustratione eorũ, dabit quisque domino munera pro capite suo, neque erit ruina siue cadauer in illorũ visitatione: & hoc est quod dabũt singuli quotquot in visitationem prodierint, nimirũ dimidium didrachmæ secũdum didrachmam sanctam. Faciunt autem hanc didrachmam oboli viginti, huius dimidium oblatio est domino: quicunque processerit ad visitationem à viginti annis & suprà, dabunt hanc oblationẽ Domino. Quare optimè transtulit ita D. Hieronymus, Quando tuleris summã filiorum Israël iuxta numerum, dabunt singuli precium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti: hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet, media pars sicli offeretur Domino, qui habetur in numero à viginti annis, & supra dabit hoc Gomar. Gomar mẽsura est trium chenicũ Atticarũ, teste Hieronymo. Iosephus inquit eam habere τρεῖς ἡμιστυκτύλους cotilia autem & hemina idem est, teste Fannio, continet ergo heminum & eius dimidium.

Col. 507. *lin.* 10. *In ore piscis inuentũ stateręm sumat.*) Stateres, Dorici nũmi sunt, eius põderis, cuius didrachma: quod ipsũ cõuenit cũ tractationib⁹ Ambrosianis, qui se de didrachmo loquuturũ promisit. Certè Matth. 17. didrachma exigitur, & postea Petrus in ore piscis stateręm inuenit, ex quo loco ista desumpta sũt. Hieronymus agnoscit stateręm & didrachmam idẽ esse. Ambrosius item hoc ipsum præ se fert quum inquit:

Col. 507. *lin.* 28. B. *Et ideo pro se & Petro tanquã singulas drachmas in stateręm soluit.*) Quamobrem Budæi authoritas qui quatuor drachmarũ stateręm censet, in presenti negotio locũ non habet. Id autẽ obiter annotãdum, cur cùm integrũ stateręm videãtur à solo Christo exigere, vnus stater potuit sufficere quæstoribus pro binis capitibus, nempe pro Christo & Petro. Sed mihi videtur Imperatores tributũ quod Moyses trigesimo Exodi in cẽsendo populo instituit, reseruasse. & vt ibi mentio est de didrachma, & vltra eius dimidium nec à diuite nec à paupere exigitur: ita hîc quoq; formula petendi tributi, nomen didrachmi præ se tulisse, suffecisse tamen in singula capita eius dimidiam partem.

Col. 507. *lin.* 41. c. *Dilexi dominum, & vxorem & infantes, non abibo liber: quod non solũ ad dominũ, sed etiam ad eius refertur infirmitatem, qui se subiecerit mundo, quod diligat mundũ, vel mentem suam, id est, non huius authorem voluntatis.* Habent alij libri pro non, νοῦ huius authorem volũtatis. Ego arbitror olim sic scriptũ fuisse, quod diligat mundum, vel νοῦ huius authorem volũtatis: iam quod scriptum erat pro interpretamẽto in margine (id est mentem suam) in cõtextum irrepsisse: sed etiam ne sic quidem locum istum omni suspitione libero.

Col. ead. lin. 54. D. *Cognouimus itaq; ideo didrachmi dimidium lege postulari, quia dimidium generi huius mundi, id est, conuersationi seculari, & vsui domestico, & posteritati reseruabatur, quibus necesse erat sortẽ ex sorte, id est, trãsmissionis deputari.*) Sensus hic est, quanquã verba aliqua deesse videãtur. Dimidiũ didrachmi à Iudæis ex lege petitur, quia dimidiam bonorũ partem relinquere in hæredes oportebat, & sortẽ quam in sua familia nactus erat, de successore in successores transmittere quia prædia non licebat de familia exire. fortasse sic legendum, id est, ius transmissionis.

Col. 508. c. 48. *Vnde nec numerũ monada, sed elemẽtũ numeri, quibus ea cura est, appellauerũt.*) Arithmetici vnitatem, numerũ esse nolũt. In iis enim numer⁹ est vbi summa in plura singula diuidi potest. Iam dicũt omnẽ numerũ repetita vnitate cõfici, non tamen vnitatem esse, sicq; omnia ex deo fieri: eum tamen ea ipsa non esse, sed quod sint, ex Deo habere.

Col. 508. D. *lin.* 57. *Degener sui.*) Degener est, qui à genere suo deficit. in vtramque partem & bonam & malam capitur, sępius tamen in deteriorem.

In Epistolam II. ad Simplicianum, Scholia.

Col. 509. A. *li.* 4. *Dimidiam partẽ sanguinis in crateras miserit.*) Crateras vel est Græcus accusatiuus ἀπὸ τοῦ κρατῆρος, vel Latinus à cratera crateræ deductus. Horatius Satyra quarta, lib. 2. Sermonũ. Siue grauis veteri crateræ lim⁹ inhæsit. In cratere vinum misceri solet: vnde & nomen ἀπὸ τῆς κράσεως hoc est à mixtura.

Col. 509. A. *lin.* 14. *Tamẽ quia collatio sermonis, vt pecuniæ, magno est vsui, atque ea maximus in cõmune emolumentũ negotiationis profectus paratur.*) Collatio hic idem quod commercium, permutatio, συναλλαγμα, siue quod magis ad etymologiam accedit συμφολαγα.

Col. 509. D *lin.* 59. *λόγος enim diuisor est animarũ atq; virtutum, λόγος autẽ verbũ Dei validũ & acutũ.*) Nõ leuis causa est cur hanc vocẽ Græcam retinuerit Ambrosius, cui in πολυσήμοις significationibus nulla vox Latina par est. Sæpe enim id est quod verbũ, quę interpretatio maximè increbuit: à nonnullis trãsfertur sermo, sæpe id quod ratio, sæpe idem quod cogitatio, sæpe id quod eloquentia: & fit vt ad multa eius significatio simul alludatur: quod cùm fit nullo modo sensus eius transferri potest. Mirórque quod alij exemplum Ambrosij in retinẽda Græca dictione sequuti nõ sunt: sed, puto, deterruit eos, quod apud Latinos logi dicãtur nugæ & inania verba. Veriti igitur sunt patres, ne dignitas quę est in verbo dei, sordido vocabulo euilescerẽt. Sed plura de hac re diũus Basilius.

In Epistolam III. ad eundem Simplicianum, Scholia.

Col. 510. *lin. Epi.* 28. D. *Si hodie obtulerit pro peccato suo holocausta sua cõtra dominũ.*) Aut legendũ, corã domino, aut intelligendũ, cõtra, pro ex aduerso: sic in Euãgelio, Ite in castellũ, quod contra vos est: Græcè εἰς τὴν κωμήν.

Lin. 36. D. *Rara itaq; cõfessio de peccato, rara pœn. &c.*) Assertio, id est, vt hanc vocẽ pœnitentiam, sibi vendicent, & vsurpẽt, & agnoscant se errasse.

Lin. 45. D. *Quia citò impetus irrationalis præuenit & flãma quædam celerrimi motus animã depascitur.*) Allusum est ad Abiud & Nadab, qui ideo cõbusti fuerũt, quòd alieno igne incensum domino adoleuissent: sed hoc plenius postea ipse indicat.

Col. 511. B. *lin.* 23. *Facilè corrũpitur ac deterioratur.*) Deteriorare, verbum etiam in Pandectis legum obuium est, ne quis tanquam barbarum auersetur.

Col. 511. D. *lin.* 66. *Vt reficiat & pascat animũ obnoxium pœnitentia.*) Obnoxius qui in noxa siue qui in noxia est. Discrimen inter vtrumque Grammatici ponunt, sed authores iis vocibus promiscuè vtuntur.

Col. 511. *lin. vltima. Ideo & alibi legis duos hircos, vnum in quo sors Domini, alterum transmißionis.*) Hæc inuenies Leuit. 16. Cæterùm hircus iste transmissionis, ab Hieronymo appellatur emissarius, quòd in solitudinẽ emittatur, & à septuaginta Interpretibus ἀποπομπαῖος, quasi dicas ablegaturus, siue dimissarius, nam emissarius longè alterius est significationis: videat diligens lector num vox dimissarius corrupta sit apud Hieronymum in emissarium.

In Epistolam quartam ad Irenæum, Scholia.

Col. 112. c. *lin. Epist.* 7. *Abraham autem & Iacob & postea Moyses, Dauid pastores fuerunt, regalem quandam in hoc munere disciplinam induentes.*) Allusum ad hoc, quod Homerus reges ποιμένας λαῶν hoc est, pastores populorum nominet, atque adeo ipsi simpliciter reges ποιμένες appellan-

appellantur:sed & alia lectio melior est quam in marginem ascripsit Costerius, non disciplinam induentes sed innuentes,nimirum significantes:nam quod leui nutu significatur, innui dicitur.

Col.513.lin.30.Neque nos dulcis pluribus secularium diuitiarum cupiditas teneat.) Dulcis pluribus,id est,vulgo τοῖς πολλοῖς, siue τῷ πλήθει,multitudini scilicet.

Ibidem lin.31.Lætitia luxuriæ.) Id est,splendor nitórque opulentiæ,vnde mox contraria opponit.

Ibid.lin.57.D.Hæc sunt quæ plena inopiæ atque egestatis arbitramur: vocibus mutis,cymbalis animam ferientibus.) Vocibus mutis,id est,nō humanis:qua forma, muta animalia vocamus, non quòd sono carent,sed quòd humana loquela.

Ibidem linea 64. Præferens insensibilibus simulachris virtutum spirantem decorem.)Id est,decorem vita prēditum & quasi spiritum vegetum,sic & Virgilius, Excudent alij spirātia mollius æra.

In Epistolam quintam ad Fœlicem,Scholia.Col.514.

Ibidem lin.2.c. Tamen vbi sermonem vnanimis mihi pectoris tui legi, non mediocrem sumpsi ad conualescendum gratiam, quasi quodam tui alloquij pulegio refotus,vel (vt alij habent)*polio.*) Vtrumque tolerabile puto. Nam ex authoritate Dioscoridis pulegium extenuat, calefacit, & concoctiones adiuuat, potum cum melle & aloë vitia pulmonis educit, conuulsis succurrit,nauseas,& erosiones stomachi bibitum cum posca mitigat,venenatorum morsibus subuenit.Idem admotum naribus ex aceto,animę deliquiis medetur.Polium autem quod nonnulli ob depulsionem serpētum φευξασωίδιον vocant, & à canicie verticis sui polium dicitur,decoctum venenatorum morsibus succurrit, hydropicis item & regio morbo laborantibus,& cum aceto etiam spleneticis.

In Epistolam V I. ad Irenæum,Scholia.Col.515.

Ibidem lin.5.c. Nam cum ex populo Iudæorum (*vt plerique arbitrantur*) *genus duxerit.*) Ferè omnes eum Samium tradunt, nonnulli Thyrrenum, ex insulis quas Athenienses eiectis Barbaris occuparūr. Vnde hauserit Ambrosius eum esse ex Iudæorum populo,nōdum comperi. Versatum autem eum apud Sacerdotes in Ægypto,apud magos in Chaldæa, multa mentione scriptorum testatum est.

Col.516.A.lin.7. Parietinis animæ ruinosus.) Parietinæ sunt parietum ruinæ, muri semiconsumpti. Cicero ad Seruium Sulpitium, In tantis tenebris & quasi parietinis Reip. Tusculanarum tertio, Magísque me mouerant Corynthi subitò aspectæ parietinæ,quàm ipsa Corynthus.

Col.516.c.lin.32. Atque vt cicadas aiunt,aura quadam pasci cupiditatum. Vere sicut cicadas,quia de die in diem viuunt,quæstúque rumpuntur suo.) Cicadas rore vesci ex Plinio libro secundo,capite vigesimosexto,ex quarto Aristotelis de Animalibus & ex illo notissimo carmine Virgilij apparet:

Dúmque thymo pascentur apes,dum rore cicadæ.

Aristoteles hoc animal maximè ieiunum censet:Sed & Plinius Cameleontem vt in pastu animal vicinum, quod haud dubiè vento alitur,vno tractatu cum Cicadis cōiungit.Aura autem leuis est spiritus,cœlo sereno,rore abundās.Quin illud, *Ibid.lin.34.quæstúque rumpuntur suo.*) Optimè & ad cātum,& ad querelas,& acquisitiones temperatum est.Queri enim dicuntur aues in cantando, queri de suis fortunis expostulant, quærere qui intēdunt possessionibus comparandis & quæstus nomen verbale ab omnibus istis æquè deriuari inflectíque potest.

Ibidem lin. 36.c. Ad mortem nati diurnam.) Et intra vnum diem moriantur. Sunt apud Aristotelem animalia quædam in ponto ἐφήμερα dicta,quasi diurna,quòd eorū ætas diem vnum non excedat. Et Philosophi apud Lucianum ἐφημέρους cæteros mortales vocant.

Col.eadem lin.40. Viæ tortuosæ serpentum, qui venenato lapsu corporis esse trahunt.) Ea dicuntur propriè labi, quæ in motu pedibus non nituntur sed voluuntur, vt serpentum & rotarum actus.Virgilius in secundo Æneidos,

-Pedibúsque rotarum
Subiiciunt lapsus, & in octauo eius libri,
Ac dum prima lues vdo sublapsa veneno
Pertentat sensus,atque ossibus implicat ignem.

In Epistolam Septimam,ad Simplicianum, quæ est prima Libri secundi, Scholia.

Col.517.lin.23. Licet difficilius sit tuo iudicio quàm plurium non displicere.) Plurium vulgi, τῶν πολλῶν, sic Demosthenes ἑνὸς τῶν πολλῶν dixit,Origenes πολλῶς ita aliquādo accipit, vt omnes intelligat, quòd si hic ita capiatur, sensus erit,omnium iudicio citius posse satisfieri quàm tuo vnius.

Col. ead.lin.28. Ostendens libertatem nostram in Christi esse sapientia, siue (vt alij volunt) *in Christi cognitione esse sapientia.*) Ego lego, in Christi cognitione esse sapientiam,iuxta stoicum dogma, solum sapientem esse liberum. Cicero in Paradoxis ὅτι μόνος σόφος ὁ ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος, id est omnes sapientes esse liberos, & omnes stultos seruos:quid enim est libertas?Potestas viuēdi vt velis.Quis igitur viuit vt vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio,cui viuendi via considerata atque prouisa est, qui ne legibus quidem propter metum paret,sed eas sequitur, atque colit,quod salutare esse maximè iudicat:qui nihil dicit, nihil facit,nihil cogitat denique,nisi libenter ac liberè. cuius omnia consilia,résque omnes quas gerit,ab ipso proficiscūtur,eodémque feruntur:nec est vlla res,quæ plus apud eum polleat quàm ipsius voluntas atque iudicium?

Col.517.D.lin.45. Maledictus Cham seruus domesticus erit fratribus suis.) Græcè sic, ἐπικατάρατος χαμπαῖς οἰκέτης ἔσται τοῖς ἀδελφοῖς,id est,maledictus Cha puer,famulus erit fratribus suis,hoc est, qui in familia vel domi seruit.Vernæ autem sunt,qui ibi seruiunt vbi nati sunt.

Ibid. lin. 52.D. Affectus enim necessitudine fertur.) Sosipater Charisius, necessitas inquit imperij, necessitudo sanguinis coniunctio.Salustius tamen necessitatem sæpe pro necessitudine ponit.Cornelius autem Fronto aliquāto distinctius, Necessitudo,inquit, vel sanguinis, vel meritorum, vt cum præceptoribus,cum amicis. Necessitas immutabilis res est, vt mori necessitatis est,

Col.518.lin.53. Vt si e asperatos eos excutere toros viderint, fugiant.) Virgilianum est,

Tum demum mouet arma leo, gaudétque comantes
Excutiens ceruice toros.

Toros autem hîc iubas vocat,in toris hoc est mulsculosis & puluinatis carnibus nascentes.

Ibid.lin. 69. Vt gentes pluuia sermonis sui faceret humescere.) Alluśum ad id Psalmi,Audite cœli,quæ loquar,audiat terra verba oris mei, concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum,quasi imber super terram, & quasi stillæ super gramina.

Col.519.A.lin.13. Sed non ille solùm liber qui dominum licitatorem non pertulit, aut tollentem digitum non vidit.)Id est,non solùm ille liber, qui emptus non est, & de cuius capite licitatio facta non est, aut qui non vidit emptorem sui,qui digitum in sublime sustulit,quo indicabat sibi eo precio mancipium addici cupere, quod in auctione præco pronunciauerat. vt enim χειροτονία est vbi sublata manu suffragium declaramus, ita tollere digitum solemus, vbi indicamus, quid nobis addici velimus.

Col.519.B. lin. 25.Sed non ista libertas quam manumissus accipit & palma lictoris donatus acquirit.) Non dissimiliter Persius,

Quem quærimus hic est,
Non in festuca,lictor quam iactat ineptus. Horat.item,
Túne mihi dominus rerum imperiísque hominúmque
Tot tantísque minor,quem ter vindicta quatérque
Impósita haud vnquam misera formidine priuet?

Est autem vindicta,virga prætoris quæ seruis iniecta libertatem donat.hanc etiam festucam dici nonnulli opinantur, eandémque hic palmam nominari mihi persuadeo. Vt autē vindicta liberat à seruitute,ita rudis,quæ est laniſtæ virga, liberat gladiatorem ab operis harenæ.

Col.520. lin.penult. Et quanta in ipsis insipienti refragia sint.) Refragia à refragari,cui contraria sunt suffragia.Vt enim astipulatio alienæ sententię suffragium est,ita refragium dissentio est,& ablucratio:à Comitiis ducta translatio.

Col.521.lin.6.Furta belli.) Quæ per insidias gerūtur,& non aperto marte,furta belli nominātur, cū victoriā dolo furantur,non vi eripiunt.Virg.11.Æn.Furta paro belli.Salustius,

gens ad furta belli peridonea. Rursus Virg. 10. Aen. Haud melior furto sed fortibus armis.

Col. 521. lin. 47. Stultus complexus est manus.) Ecclesiast. 4. Stultus cõplicat manus suas & comedit carnes suas dicens: Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraq; manus cũ labore, & afflictione animi. Græcè, ὁ ἄφρων περιέλαβε τὰς χεῖρας αὐτοῦ. Quod & ita interpretari potest, Incuri⁹ siue stultus circumplexus est manus suas. Descripsit autem habitum ignaui & inertis, qui alteram manum alterius palma inuoluit & vtramque ita ad opus inutilem reddit: ferè idem, quod consertis inter se digitis sedere.

Col. 521. D. lin. 66. Calami vox, Maximus ignis viuentibus dolorem corporibus inurit & gignit corruptionẽ, super hunc nos sumus.) De Calamo ita Suidas. Indus vnus ex numero Brachmannorum (ita enim sapientes Indi vocant) huic Alexander Macedo, cùm se prę sẽte obiisset, funebres ludos exhuit, & merobibas in certamen produxit ob temulentiam Indorum. Calamus autem ad omnia Alexandro concinnè respondit. Cæterùm sermo iste ex interpretatione Græcorum verborum nonnihil græcissat. quale illud (gignit corruptionem) quod nihil aliud significat quàm ignẽ perdere & absumere, quale & illud (super hunc nos sumus) pro istis nos superiores sumus & vincimus, quę prorsus indolem Græcanicam sapiunt.

Col. 522. B. lin. 3. Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquar, quæ tanquam nobilia vitulamina pullulantes ad mortem quasi ad immortalitatem festinauerunt?) Vitulamina Græcè μοσχεύματα, stolones, plantæ teneræ, malleoli vitium, viui radices. Cæterùm vocem hanc in Sapientia Salomonis obuiã improbat Augustinus, mirúmque est Ambrosium eam vt probam retinuisse. Fortasse publicæ lecturæ nihil voluit derogare. & ideo quoque vocem cõsuetam reseruauit, vt melius allusio intelligeretur. Sapient. 4. Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & spuria vitulamina non dabunt altas radices.

In Epistolam Octauam ad Faustum, quæ est prima libri secundi.

Col. 323. c. lin. 6. Inter ferarum diuersaris spelæa.) Spelæa, id est, spelũcas. Virgilius in Bucolicis: Certum est in syluis inter spelæa ferarum Mille pati.

Ibid. lin. 21. Nempe de Bononiensi veniens vrbe à tergo Classernam, ipsam Bononiam, Mutinam, Regium.) Imitatio ex Seruij Sulpitij ad Ciceronem de obitu Tulliæ filiæ, Ex Asia rediens, cùm ab Ægina Megaram versus nauigarem, cœpi regiones circũ circa prospicere, post me erat Ægina, antè Megara, dextra Piræus, sinistra Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos iacent, cœpi egomet mecum cogitare, hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, cùm vno in loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant.

In Epistolam nonam ad Bellicium.

Col. 524. D. lin. 8. Epi. Sed non excuti dilationib⁹.) Puto legendũ sed non exequi dilationibus, nimirum quia propositũ Christianæ religionis suscipiendæ dilationibus protrahebatur. non executioni mandatum fuit, fortasse veterum more ita scriptum fuit execui pro exequi.

In Epistolam decimam ad Simplicium, que est Prima lib. tertij, Scholia.

Col. 525. c. lin. 10. Epist. Non enim [inquit] sit extrinsecus capillorum implicatio.] Verba Petri Græca hæc sunt, ὧν ἔστω οὐχ ὁ ἔξωθεν ἐμπλοκὴ τριχῶν, interpres vetus, quarum non sit extrinsecus capillatura: Erasmus transtulit plicaturam. Cæterùm D. Petus intellexit omnem ornatum qui capillis adhibetur, siue eos in nodũ colligunt, siue in corymbos glomerant, siue in cincinnos vibrant, siue gradibus frangũt, siue eos quasi in funiculos triplici quadruplici ordine reuinciunt, siue crobylis innectunt, siue aurea scobe aspergunt.

Ibid. lin. 30. D. In summis diuitiis inops.) Horatius, magnas inter opes inops.

Col. cad. lin. 44. Posteritas sicut odor agri, sepultura sicut messis.) Ad duo loca scripturarũ simul allusum. Gen. 27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus: & Iob 5. Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici tempore suo.

Ibid. lin. vltima. Infertur apothecis.) Vbi aliquid reponitur apotheca dicitur. nunc autem Pharmacopolarum officinas ita appellamus.

Col. 526. A. lin. 12. Ideo raptus est ne cor eius malitia mutaret.) Verba ex quarto Sapientiæ, raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.

Col. 526. lin. 28. B. Alter despicies βασιλέων πολυχρύσους τύχας.) Regum fortunas auro abundantes.

IN EPISTOLAM VNDECIMAM ad Irenæum.

Col. 526. vers. vltimo. ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, ὡς ὡραῖοι πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων αὐτῶν.) Id est, Speciosus pulchritudine præ filiis hominum, quàm specioси pedes annunciantium eum.

Col. 527. D. lin. 70. In quo & videtur & clarificatur pater, sicut ipse clarificat filium.) Mutuatitiũ id, ex verbis Ioan. cap. 17. δόξασόν σου τὸν υἱόν, ἵνα καὶ ὁ υἱός σου δοξάσῃ σε, vetus interpres, clarifica filium tuũ, vt filius tuus clarificet te. Quia hoc idẽ verbum multis in locis glorificet trãsfertur, veni in eam cogitationem, num gloria dicta sit quasi claria: Esse autem promiscuum vsum inter C, & G, in Caio & Gaio, Cneo & Gneo, omnib. liquet. qua αὐτοχώδει gladium pro cladiũ, rursum o in a transire in moro & mauro, codice & caudice, ola in aula euidenter cognoscitur, nec tamen interim ignarus sum Varronem de lingua Latina, qui vulgo Festus Pompeius dicitur, gloriã ἀπὸ τοῦ κλέους dictam existimare, sed quid vetat in Latino vocabulo Latinã etymologiã quęrere?

Col. 528. D. lin. 63. Volebat enim nos in figura esse istius mundi non in possessione atque vsu.) Subobcursus sermo: sensum hunc opinor, Volebat nos versari in mũdo quasi in re imaginaria, & quę nulla quasi soliditate subsisteret. Puto enim illum alluisse ad illud primæ ad Corinthios cap. 7. Præterit enim figura mundi, nam postea addit, ambulantes tanquam in imagine seculi.

Ibid. lin. 67. Velocissima dispositione ipsam imaginẽ huius mundi trãseuntis.) Dispositione, œconomia, vt tractatus mundanarum rerum sit quasi alienarum.

Col. 529. lin. 11. Tunc supinatur per arrogantiam.) Describit vultum superbi qui os sublime in cœlum erigit, cui contrarius est demissus, qui vultum in terram deiicit.

Col. 529. lin. 29. Vt renouatis alarum remigiis.) Metaphora Virgiliana est,

Redditus his primum terris, tibi Phœbe sacrauit.
Remigium alarum.

Col. 529. lin. 55. Corde nos cæpisti soror nostra.) Græcis id maiori emphasi dicitur. ἐκαρδίωσας ἡμᾶς ἀδελφὴ ἡμῶν νύμφη, ἐκαρδίωσας ἡμᾶς ἐνὶ ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου. Excordiasti (vt hoc verbi fingã, quia Latini nihil tale habẽt) nos soror nostra spõsa, excordiasti nos vno oculorũ tuorũ. Vetus autẽ interpres, vulnerasti cor meum soror mea sponsa mea, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.

Col. 529. lin. 61. Tabernaculum circa quod scribæ domini prætendunt.) Tendere est tentoria habere. Virg. Hic sæuus tẽdebat Achilles. Prætẽdere qui ante alios tendunt, & suis custodiis cingunt & tuentur.

In Epistolam XII. ad Irenæum.

Col. 530. c. lin. 4. Epi. Si tẽpus vobis vt habitetis in domibus cælatis.) In veteri trãslatione, Nũquid vobis tẽpus vt habitetis in domibus laqueatis? fere eodem sensu, tãgit enim eã magnificẽtiam ædium, quę vel cælato opere vel lacunaribus constant: Græcè autem, εἰ καίρος ὑμῖν μὴ δὲ οἰκοδομεῖν ἐν οἴκοις ὑμῶν κοιλοστάθμοις, hoc est, in ædibus q̃ habẽt cauas manſiones,

manſiones, atque eò videtur alluſiſſe Ambroſius ex iis quæ ſubtexit. *Quid ergo iſtud eſt niſi in ſuperioribus habitandum, non in valleſtribus & ſubterraneis habitaculis.*) Quaſi per domos cælatas intellexiſſet domos, quę habent ſubterraneas cellas, & hypogæa.

Ibid.lin.9.D. Quia luxurioſorum eſt hypogæa quærere.) Hypogæa loca ſubterreſtria vbi caupones & meretrices ſtabulari ſolent, quæ ob ſimilitudinem cubilium ferarum luſtra Romanis appellantur, meretrix certè χαμαιτύπη & χαμαιτύπις nominatur.

Ibid.lin.23.D. Eiuſdémque reſuſcitati pignoris.) Arbitror legendum, Ibidémque reſuſcitati, &c. Fit enim loci ſuperioris repetitio.

Ibid.lin.24. Quid de Petro dicam, qui ad horam ſextam aſcẽdens in ſuperiora.) Ne quis per ſuperiora montis cacumen aut ſimile quid intelligat, ſciat hoc vocabulum ad quod toties alludit Ambroſius ὑπερῷον eſſe, quod ſignificat cœnaculum ſuperius, vox compoſita ab ὑπὲρ & ᾠον. veteres teſtudinata ſiue concamerata ouum appellabãt, ita Leda in fabulis cùm in tali cubiculo peperiſſet, finxerunt eam oua peperiſſe. In actis tamen δῶμα reperitur, quod tectum ſignificat, nimirum Iudæorum more in ſublimi oraturus.

Col.531.lin.25.B. Ædificaſti, inquit, *domum, metire ſuperiora eius, perflatilia, diſtincta feneſtris, contignata cedro, & illita minio.*) Græcè habetur, ᾠκοδομήσας σεαυτῷ οἶκον σύμμετρον, ὑπερῷα ῥαπιζὰ ἐν διεζαλμένα θύρεσι, καὶ ἐξυλωμένα ἐν κέδρῳ. Cæterum ego duas voces caſtigandas exiſtimo, primùm vt pro ῥαπιζὰ legatur ῥαπευζὰ & pro ἐξυλωμένα ἐξηλωμένα ἐν κεχεισμένα ἐν μίλτῳ. Videtúrque Ambroſius non σύμμετρον ſed σύμμέτρεισον legiſſe. Græcorũ verborum hic ſenſus. ædificaſti tibi domũ proportionibus ſuis inter ſe congruentem, cœnacula perflatilia & diſtincta feneſtris, compacta cedro, illita minio. Hieronymus autẽ ſic, Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpecioſa, qui aperit ſibi feneſtras & facit laquearia cedrina. hæc ideo diligenter annotaui, vt ex tot trãſlationibus ſentiretur, quænam ſint laquearia ſiue lacunaria in ædibus: nimirum vbi ſuper tranſtra domorum non temere materia iniecta eſt, quæ tegat manſionem, vt fit in tuguriis, ſed trabes inter ſe reuinctę tectum ſuſtinent.

Col.532.lin.51. Currus ex Ephrem & equus ex Hieruſalem.) Aut ἐν Ἅρμα δύω currus equis iunctis ſignificat, aut duo genera bellatorum innuit, quorum alij ex curribus depugnabant, alij ex equis ſingulis, ita quoque & in Pſalmo 19. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine domini ſperabimus.

In Epiſtolam decimamtertiam ad Irenæum, quæ eſt prima lib. quarti.

Col.533.lin.8. Lamentare ad me ſuper ſponſam præcinctam ſaccum in virum eius virginalem.) Græcè θρήνησον πρός μεν τὸν νύμφιον περιεζωσμένην σάκκον, ὅτι τὸν ἄνδρα αὐτῆς παρθενικόν. Hiero. Plange quaſi virgo accincta ſacco, ſuper virum pubertatis ſuæ, ſed eodem recidit. Homerus huiuſmodi maritum κυδείδιον appellat, quaſi dilectiſſimum qui adoleſcens & intactus alia libidine in matrimonium venerit κουρίδιον ποθέουσα πόσιν eadem ratione & vxor κουρίδια dicitur, quod Virgilius quum tali epitheto careret longa periphraſi extulit, Et magno miſerę dilectus amore, Cui pater intactam dederat, primíſq; iugarat, ominibus. Sic alibi, obuiauit ei & quaſi mulier à virginitate ſuſcepit eum, hoc eſt vxor virginalis. Quod autem hîc ſaccũ nominat, id poſtea cilicium vocat, rerum vicinarum vocabula permiſcens.

Col.534.lin.32. Exuens veſtimentis captiuitatis vt depoſitis omnibus capitis ſui capillis.) Alluſum videri poteſt præterquam ad 21. Deuteronomij, etiam ad mores Romanos qui eorum quos manumittebant caput radere ſolent. Plautus, Quid ſupereſt niſi vt raſo capite accipiam pileum? Arbitrórque idem inſtitutum, vt monachi radantur: quo ſe agnoſcant libertos Chriſti. Contráque qui ſeruile quiddam in moribus habent, dicuntur ſeruiles pilos retinere. Diuerſum in Nazaræis, in quorum caput nouacula non aſcendebat.

In Epiſtolam decimamquartam ad Irenæum.

Col.535.lin.16. Eſt enim amabilis animæ ſpecies.) Græcè eſt Deuteronomj 21. ἠγαπημένη, id eſt, dilecta, ſed hanc appellat amabilem eo ſignificatu ac ſi φιλήδονος eſſet, hoc eſt, voluptuaria & ad delicias prona.

Ibid.lin.19. Quæ mentem non afficiat ſed oblectet.) Afficiat, id eſt, cruciet, anxiam & ægram faciat, ferè idem quod conficiat, quod poſtea ſubiicit. Tibullus, Iupiter affectę tandem miſerere puellæ, ſunt autem affecta quæ fere confecta ſunt & conſumpta.

Col.535.lin.20. Scortari comparem ſuum voluit.) Coniugem intelligit, tranſlatio ſumpta à paribus boum qui ſimul iugum trahunt.

In Epiſtolam X V ad Irenæum

Col.536.c.lin.22. Epiſt. Quid in pullis? quàm canora vox Galli? nocturníſque vicibus ſolenne munus ad excitandũ & canẽdum.) Deeſt autem aliquid plenitudini orationis, credo autem legendum ſic, nocturníſque vicibus quàm ſolenne munus, & cæt. Omnis auitij generis fœtus, pulli dicũtur, vt quadrupedum catuli, propriè tamen partus Gallorum pulli appellantur, inde pullarius qui gallinaceos nutrit ad obſeruandum tripudium ſoliſtimum. Plinius libro 10. capite 21. de gallis, Proximè gloriam ſentiũt & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendóque ſumno natura genuit. Norunt ſydera & ternas diſtingunt horas interdiu cantu, cum ſole eunt cubitũ, quartáq; caſtrenſi vigilia ad curas laboréſq; reuocant, nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diémque venientem nunciant cantu, ipſum verò cantum plauſu alarũ. hactenus Plinius. quamóbrem à Prudentio appellatur, ales diei nuncius, ab Auſonio excubitor, Excubitórque diem cantu prædixerat ales. Ab eorum cantu Græci duo gallicinia faciunt, Latini vnum.

In Epiſtolam X V I. ad Irenæum.

Col.537 c.lin.Epiſt.33. Nulla epiſtola tantum benedictionis increpuit.) Increpuit, inſonuit, ſonitum edidit. Virgilius, At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro Increpuit.

Col.538. B.lin.33. Legem mendatorum in decretis inuacuauit.) Græca verba Pauli hæc ſũt, τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι κατήργησας. vox δόγμα πολυσημάντου magnã habet: nũc hæreſim ſiue ſectam, nunc placitum ſiue edictum, nunc decretum ſignificat. ſic Lucæ 24. ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐξῆλθε δόγμα παρὰ καίσαρος αὐγούστου, factũ eſt autem in diebus illis exiit edictũ à Cæſare Auguſto. Arbitrórque ſecundi anni diſcipulos in Iuriſprudentia cogneſcenda, quos iubet Iuſtinianus ab edictis appellari, dogmaticos Græco vocabulo appellatos fuiſſe: id vt credam facit perpetuus græciſmus illius proœmij quod Pandectis à Iuſtiniano præfixum eſt, vt prorſus videatur primùm Græcè natum eſſe, deinde in Latinam linguam conuerſum.

Col.538.lin.64. Ex quo totum corpus fidelium & ſapientũ, per harmoniam rationabilem verbi, hoc eſt enim συναρμολογούμενον, ἁρμονίᾳ τοῦ λόγου δεδεμένον, *id eſt harmonia verbi compaginatum.*) Et Græcè & Latinè interpretatur verbum Pauli συναρμολογουμένη, quod compoſitum ex σὺν & ἁρμονία & λόγος.

Col.539. A.lin.7. Hoc eſt quod dixit Grecus ἀφλὼ τῇ ἰσχύϊ καὶ ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ.) Quis ille Græcus ſit ignoro, & an integra ſint Græca addubito. huius modi tamen ex illis ſententia cõfici poteſt, tactum materię ſuppeditatę, pro vt officio functionique eius congruebat attemperatum. Quædam exemplaria pro Græcis habebant characteres malè expreſſos, quos ad coniecturam libuit ſtudioſis proſcribere. Quod ſi pro ἀφλὼ legas ὑφὲν vt ſit materiæ vnitionem, quod ſequentia verba indicant, quæ ex caſtigatione Coſterij ita legenda ſunt. Quod non difficile erit tanto architecto, ſecũdum menſuram vniuſcuiuſque meritorum ac fidei conuenientem ſibi connectere, cum ædificatio charitatis ruinam excludat.

*Col.*539.B. *linea* 29. *Postremò quasi bonum bellatorem sumere arma Dei ac prætendere.*) Prætendere hic rursus pro in castris agere, de quo supra meminimus.

In Epistolam XVII. ad quosdam clericos.

Col. 539.C. *linea Epi.*3. *Si non illis cedant pro studio voluntaria.*) Arbitror legendum, pro studio voluntatis.

Linea 10. *Quasi aliter sumptum exercere nequeam.*) Id est, quæstum exercere ad impendia vitæ sustinenda, paulò pòst & hæc subiungit.

Ibidem linea 12. *Quasi verò hoc solum sit in clerico vt sumptum expediat suum.*) Hoc est vt necessaria ad vsum vitæ obtineat. sumptus enim propriè est quod ad vsus nostros sumitur & impenditur. Cicero in Officiis, Pecuniæ còllocandæ ratio est, quæ perpetuos sumptus suppeditat. Item pro Q. Ligario, Sumptus nusquam melius poni potest.

In Epistolam XIX. quæ est 11. lib. V. ad Horontianum.

*Col.*545. *linea* 3. *In die transiuit in paradisum vbi se capiendum dedit.*) Paradisum hortum illum Gethsemani nominat, vbi Christus à Iudæis captus est, & rectè. Est enim Paradisus non proprium nomen loci, sed appellatiuum. Viuaria enim vbi feræ habentur, à Græcis παράδεισοι vocantur, nec non & horti & viridia & ambulationes Regum ita nominãtur.

*Col.*545. *lin.* 60. *Quam suscepit in Golgotha Christus vbi Adæ sepulchrum est.*) Ex opinione illa qua dicũt sanguinem Christi in Adæ sepulchrum defluxisse.

In Epistolam XX. ad Horontianum.

*Col.*546. *lin.* 2. *Iura pietatis.*) Id est, iura paternæ necessitudinis. pietas enim & religio est erga Deum, & obseruantia erga parentes, & gratitudo erga benemeritos: nam & irreligiosus impius & in sanguine coniunctos sæuus, impius quoque dicitur, nec non & is qui vicem meritis ob animi malignitatem non reponit.

Col. 546. *linea* 4. *Exhæredatione vel abdicatione contumacis pignoris.*) Latini exhæredant, Græci abdicant. hoc discriminis inter vtrunque, quod abdicamus in vita, exhæredamus in morte. Abdicato, statim gratia parentum, iúsque liberorum denegatur: exhæredato, successio bonorum. Per pignora autem hîc intelligimus liberos.

*Col.*547. *lin.*4. *Honorata autem quæ pietate defertur.*) Hoc est honoratum obsequium, quod ex philostorgia exhibetur. Est autem hic deferri, cedere, submittere se & obsecundare, quo in significatu sæpius antè vsurpauit, quod semel admonendum fuit.

*Col.*547. *linea* 23. *Lex ergo pædagogus fuit, id est nomos.*) Puto ordinem verborum inuersum esse, ac sic debere legi: νόμος igitur, id est lex, pædagogus fuit. Vsurpauit autem Ambrosius Græcum vocabulũ, vt dulcior esset allusio in vocabulis quæ ambo sunt masculini generis. nam lex & pædagogus quasi sexu inter se discrepare videntur.

In Epistolam XXI. ad Horontianum.

*Col.*548.B. *lin. epi.*6. *Quod ipsum se mouet, & nõ mouetur ab alio, ipsa tibi anima videtur.*) Sentẽtia Platonis est in primo De legib⁹. ψυχὴν εἶναι τὸ δυναμένον αὑτὸν αὐτὸν κινεῖν κίνησιν. Congerit Ambrosius ferè omnium Philosophorum opiniones de anima. Siquidem Xenocrati anima mens est nullo corpore, Zenoni ignis, Aristoteli quinta quædam essentia, quam entelechiam nominat, Aristoxeno corporis intentio quædam, Empedocli cordi suffusus sanguis, Euripidi Deus, Pythagoræ numerus, Dicæarcho nomen inane, Democrito atomi.

*Col.*549. *linea* 12. *Quotiens sol obtexitur nubibus, quotiens obiectum afferunt terræ, vel cùm è regione lunæ suus radius fuerit repercussus.*) Alij codices habent obiectu terræ cùm è regione luminis sui radius fuerit percussus. Ego quia triplici de causa spoliamur lumine solis vel obiectu nubium, vt in caligine, vel obiectu terræ, vt in singulis noctibus, vel obiectu lunæ, vt in eclipsi contingit, ita legendum arbitror, Quotiens sol obtexitur nubibus, quotiens obiectum afferunt terræ, vel cùm è regione lunæ suus radius fuerit percussus. Deinde in fine ipsius Epistolæ.

*Col.*549. *linea* 53. *Quàm nostrorum peccatorum vltricibus pœnis interpolari.*) Legendum interpellari. Interpolantur enim quę speciem renouationis accipiunt, vt vestes quæ à fullone interpolantur: interpellentur quæ perturbantur & in rerum suarũ tenore impediũtur. sed tam sæpe in his libris occurrit interpolari, pro interpellari, vt dubitem num Ambrosius promiscuè his vocibus vtatur.

In Epistolam XXII. ad Horontianum.

*Col.*550. *linea* 8. *Et comparturiat illum fortasse spiritũ salutis.*) Græcum verbum ὠδίνω & parturio & doleo significat, ad vtramq; significationem hic allusit Ambrosius, quę in Latina dictione parturio non est, sed in δηλογίας interpretes omnes, tum in philosophicis tum theologicis his, violentiores fiunt ipsa necessitate, cogúntque Latinas voces sæpe πολυσημίαν Græcarum dictionum accipere.

*Col.*550. *linea* 68. *Quid sit quod primitiarum, vel initij nomine declarauerit.*) & postea, *Col.*551. *lin.*2. *Licet aliqui distantiam velint esse inter primitias & primogenita, id est quæ primo nascuntur, eo quòd collectis seminibus quasi ex omnibus initia offerantur areæ, tamen de mensibus quod primum tollitur, id offertur domino.*) Hanc differentiam Ambrosius facit inter primitias & initia, quòd primitiæ sint ex messe, initia ex tritura. Primitiæ cum aristis sint, initia puro semine constent: quod primum metitur, primitiæ, quod primum excusso frumẽto ex tritura colligitur, initia vocat. Decimæ porrò, non ordine nascendi, vt primitiæ, non ordine colligendi, vt initia, sed de numero vocabulum suum trahunt: nimirum quòd decima pars sit, eodémq; modo vigesimæ, centesimæ dicuntur. hoc quoque adiici potest. Initia tum propriè vocari, cùm deo initiata sint & cõsecrata. sic primitias esse in cõcipiẽdis votis, initia in reddẽdis.

In Epistolam XXIII. ad Horontianum.

*Col.*552. D. *linea epist.*34. *Etenim aduocati nostri Iesu.*) Fortasse legendum aduocatus nostri Iesu. Verum haud dubie allusum ad vocabulum τῷ παρακλήτῳ, quod vel aduocatum vel consolatorem significat.

Ibid. Lin. 37. *Ventrẽ meũ doleo.*) Metaphora sumpta videtur à parturiẽtis dolore, de quo supra in verbo ὠδίνω meminim⁹.

In Epistolam XXIIII. ad Macellum.

*Col.*553.A. *linea* 9. *Erubui recusare fateor, cùm præsertim togati vtriusque partis inuicem se lacesserent.*) Togati ex habitu cultúque quo causas agebant, patroni litium & causidici appellari cœpti sunt.

*Col.*553..C. *linea* 41. *Vt expensas iurgij poscerem.*) Iurgij litis. dictum enim est iurgium quod iure agatur.

*Col.*553. D. *linea* 70. *Sed possessionem regeret tributariam.*) Id est, quę tributa dependunt: vt vectigalis, quę vectigal, quę si suo die non represententur, magna mulcta inuoluunt proprietarium.

Col. 554.A. *linea* 9. *Sibi ascribit Lætus conditionem oblationis suæ.*) Id est, suo periculo pensitationem sustinebit, eámque ab oneribus extraordinariis expediet, & indeminutam persoluet. Argumentum quantum ex verbis Ambrosianis colligi datur, tale fuit. Marcellus agros suos sorori in vsum fructum, Ecclesiæ in proprietatem dedit. Hanc donationem Lætus frater litibus inquietabat, & rescriptis principum donationem labefactabat.

Col. eadem C. *linea* 42. *Et hoc Lætus faciet, recepta iam etiam nominis sui proprietate.*) Hoc est, hilaris id faciet, proprietatique & etymologiæ sui nominis, quod lætitiã sonat, respõdebit.

In Epistolam XXV. Gratiani ad Ambrosium.

*Col.*554.D. *linea* 9. *Epist. Non ei obiiciens, quem in me video creaturam.*) Arriani ideo negant Christum esse deum quia & homo sit, id est, creatura. hanc impietatem quam de matre sua didicerat, nunc se detestari & abiicere ostendit.

Ibidem linea 11. *Velle tamen (vel veruntamen) vt etiam patrime commendem, filium prædicando. Non ego in Deo (siue, in Deum) verebor inuidiam.*) Arriani asseuerabant si diuinitatem adderes filio, eam patri detrahi, patrémque prædicationibus filij in inuidiam prouocari. has ineptias Gratianus amplius non agnoscit. Videntur autem ista nonnihil mutuata esse ex Athanasio de Trinitate, vbi ostendit patrem non irritari filij laudibus, imò iniquè ferre, si quis sibi iniustas laudes attribuat, quemadmodum amici Iob in eo reprehendendo fecere, asseuerantes Deum neminem mortalium, nisi ob peccata sua affligere, ac proinde Iob multa antea deliquisse, qui tot malis affligeretur. Hoc Patrocinium de iustitia sua Deus asperna-

aſpernatus eſt. Videat diligẽs lector num error ſit in titulo, ac potius hæc Epiſtola ſit Valẽtiniani quàm Gratiani. Certum eſt ex Oratione funebri Valentinianum per literas ab Ambroſio poſtulaſſe, vt ab eo ſacra myſteria doceretur. hæc enim ſunt verba Ambroſij: Illa priuata, quod ſæpe me appellabat abſentem, & à me initiandum ſe ſacris myſteriis præferebat.

In Epiſtolam XXVI. D. Ambroſ. ad Gratianum.

*Col.*555.A.*lin.*16. *Nocte & die in tuis caſtris cura & cenſu locatus.*) Arbitror legendum, cura & ſenſu, quod prius dicta videntur requirere.

Ibidem. Orationum excubias prætendebam.) In caſtris ſunt qui excubias agunt, ſunt etiam qui ante caſtra, hos Græci προφύλακας nominant: Latini aliquãdo præexcubitores. Horum officium indicat Ambroſius ſe orationibus præſtitiſſe.

*Col.*555.B.*lin.*25. *Perfidorum ora atque (quod vtinam) & corda clauſiſti.*) Parentheſis autem malè ſuis finibus diſtincta eſt, qũæ poſt (*ora*) incipere debebat, & deſinere poſt (*corda*) hoc modo, Perfidorum ora (atq; vtinam & corda) clauſiſti. Optat enim vt ora perfidorum obſtruxerat, ita quoque & animos obſtruxiſſet.

*Col.*555.*lin. vlti. Hanc appendicem, Domine Imperator Auguſte, diuino electe iudicio, princeps glorioſiſſime.*) Adiectam puto ab indocto aliquo nebulone, qui id genus adulationis ex moribus poſteriorum ſeculorum aſſuerat. Non enim electus fuit Gratianus, ſed natus Imperator. Deinde Princeps glorioſiſſime, ineptam adulationem habet, in aduleſcente principe, qui nondum magnis rebus geſtis inclaruerat. nec conueniebat, vt ei alium titulum daret in fine Epiſtolæ quàm dederat in principio, vbi beatiſſimum Auguſtum, & Chriſtianiſſimum principem vocat.

In Epiſtolam XXVII. ad Valentinianum.

*Col.*556.A.*lin.*8. *Me violentiam à Maximo non recepiſſe.*) Græciſſat oratio. τὸ περὶ τοῦ ἀπὸ μαξίμου, pro violentiam maximi. Recepiſſe autem hîc ſignificat, approbaſſe, vt Græcis ſuum ἀποδέχομαι.

*Col.*556.*lin.*11. *Quia tamen regredienti mihi decernendi impoſuit neceſſitatem.*) Decernendi pro diſputandi poſitum videtur.

*Col.*556.B.*lin.*21. *Certè eſſe aliqua de quibus ſerio deberem cum ſuo principe fabulari.*) Certè pro (ſaltem) Cicero in Tuſculanis. homines mortem optare incipiant, vel certè timere deſinant. Horat. lib. 1. Serm. Sat. 9. Certè neſcio quid ſecretò velle loqui te aiebas.

*Col.*556.C.*lin.*435. *Quia tunc inquam vt inferiori pacem petebam, nunc vt æquali.*) Id eſt, tunc Valentiniano exuli & excluſo à regnis pacem poſtulabam. Superiorem, victorem, inferiorem, imparem & victũ, Græco more, qui ita τὸν κρείττονα καὶ τὸν ἥττονα appellant.

*Col.*556.C.*lin.*42. *Et annonas à me accipiant.*) Annonas, ſalaria: quia olim in frumento dabatur ſtipendium.

*Col.*556.D.*lin.*55. *Qua acie, quibus numeris?*) Numeris, id eſt, legionibus: quibus à numero nomen imponi ſolet. ſic quarta, quinta, decima, decimaſexta legio in multam mẽtionem apud ciuilium bellorum ſcriptores.

*Col.*556.D.*lin.*63. *Quid deuotionem Imperatori exhibuit ſuo.*) Deuotionem, fidem ſummam & obſequiũ ad omnia, qualem præſtant qui ſe aliorũ ſaluti addixerunt & deuouerunt.

*Col.*557.A.*lin.*18. *Quoniam dum tu militem Romanum occupas, dum is aduerſum ſe vtrinque prætendit.*) Hoc eſt, dum miles Romanus binis hinc inde caſtris quaſi contra ſeipſum ſtipẽdia facit, nimirum in legiones & Maximi & Valẽtiniani diſtractus.

*Col.*557.B.*lin.*20. *In medio Romani imperij ſinu Iuthungi populabantur Rhetiam.*) Arbitror has gentes fuiſſe Iutlandos qui nunc in Dania ſedes habent. In ratiocinario imperij Romani inter præſidia Auguſtanicæ prouinciæ cohors quarta Iuthungorum ex Aphrodito numeratur.

*Col.*557.B.*lin.*29. *Nec tibi vicem etſi non parilis dignitatis, eiuſdem tamen neceſſitudinis retulit.*) Occiſo Gratiano fratre ſuo Valentinianus habuit in poteſtate ſua fratrem Maximi, quem non occidit cùm potuit. Quod ſi feciſſet, in mactando Maximi fratre, fratris ſui necem vltus fuiſſet. Par quidem in homicidiis ius ſanguinis verſatum eſſet, non par dignitas, quia Gratianus Imperator erat, frater Maximi homo priuatus.

*Col.*557.C.*lin.*41. *Ni fallor, vſurpator bellum infert.*) Vſurpator, id eſt, inuaſor. eſt enim vſurpator propriè, qui non iure, ſed vſu, rem alienam ſuam facit. hinc apud Grammaticos, illud vſurpatiuè dictum cenſent, quod licentia occupantis ita dicitur, & contra regulam eſt.

*Col.*557.D.*lin.*59. *Iuſſeram eum deduci Cabillonum.*) Opinor oppidum fuiſſe Cabalorum, quos Nitiobrigibus fuiſſe vicinos conſtat. hos Cæſar ait, ſub clientela Auernorum fuiſſe.

*Col.*557.*lin.*68. *Sine plumatio paterentur extrudi ſenem.*) Veſtis haud dubiè genus, ſed an ab opere plumatili dicta ſit, aliis diuinandum relinquo. Eſt autem veſtis plumatilis, vbi diuerſi colores ſimul relucent quales vides in collis auium maximè columbarum: quod ideo fit, quòd ex polymitis & ſtaminibus verſicoloribus contexta ſit. Sed quia res in coniectura poſita eſt, videat quoque lector, num plunatium legendum ſit, vt ſit veſtis linea ſiue ephod, ſiue alterius formę quæ ſæpe lauari ſolet.

In Epiſtolam XXVIII. ad Theodoſium.

*Col.*558.A.*lin.*4. *Et veteris amicitiæ dulcis recordatio eſt, & beneficiorum quæ crebris meis interceſſionibus ſumma gratia in alios contuliſti, gratiæ memini.*) Gratiæ videtur abundare: Eſt enim ita conſtruendum, beneficiorum memini. Niſi ſic velis interpretari gratiæ beneficiorum memini, ſed genitiuus, qui alterum genitiuum regit, nimium diu dilatus videtur, non ſine vitio ὑπερβάσεως. Eſt alioqui παρηγμένον non ingratum, & quiddam πολύπτωτον in gratia & gratiæ.

*Col.*558.*lin.*10. *Soli mihi in tuo comitatu ius naturæ ereptum videbam audiendi.*) Vt & loquendi priuarer munere. Integrum quidem, ſed plenius eſſet, ſi forma loquẽdi ad hunc modum concepta fuiſſet: ſoli mihi in tuo comitatu ita ius naturæ ereptum videbam audiendi, vt & videndi. Indicat ſibi in Cæſaris familia nec liberum fuiſſe auditum nec viſum. Comitatus autem hîc, eſt familia imperatoris cum officiariis & ſtipatoribus, quæ olim cohors dicebatur.

*Col.*558.B.*lin.*18. *Aut non audiam per metũ omnium.*) Quod omnes præ metu muſſent & taceant, nec ad aures Ambroſij perferant.

*Col.*558.B.*lin.*23. *Sed aures non poſſum cera veterum fabularum claudere.*) Alluſum ad id quod Vlyſſes ſociorum aures cera obturauerit, ne audirent Sirenum cantus.

*Col.*558.B.*lin.*29. *Accipe illud Imperator Auguſte.*) Conceſſionis eſt, magna illi dat, vt inoffenſus alia detrahat. Sic & Paulus, Laudo vos, in hoc non laudo.

*Col.*558.C.*lin.*42. *Prætendi ægritudinem re vera grauem, & niſi à viris mitioribus vix leuandam.*) Rectum videtur ſi pro mitioribus legas, peritioribus: vt res ad medicos pertineat. quando primum auditum eſt, cùm propter, &c.

*Col.*559.C.*lin.*40. *Vt vſurpes, quod vſurpaſſe multis officit.*) Vſurpes, occupes & peruicaciter teneas, vt iuſtum videri prætendas quod ſceleratum eſt.

In Epiſtolam XXIX. ad Theodoſium.

*Col.*560.C.*lin.*24. *Epiſt. Et fecerit delictum quia non diſtinxiſti ei, hoc eſt, quia non dixiſti quid eſſet cauendum.*) Septuaginta ſic habent, υἱὲ ἀνθρώπου σκόπον δέδωκά σε τῷ οἴκῳ Ἰσραήλ, καὶ ἀκούσῃ ἐκ τοῦ στόματός μου λόγον, καὶ διαπλήσῃ αὐτοὺς παρ' ἐμοῦ, ἐν τῷ λέγειν με τῷ ἀνόμῳ, θανάτῃ θανατωθήσῃ, καὶ οὐ διεστείλω, οὐδὲ ἐλάλησας, τοῦ διαστεῖλαι τῷ ἀνόμῳ, τοῦ ἀποστρέψαι ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτοῦ, ἵνα ζήσαι αὐτόν. Fili hominis dedi te ſpeculatorem domui Iſrael, & audies ex ore meo ſermonem meum, & interminaberis iis meo nomine, dicendo ad iniuſtum morieris, & non diſtinxiſti neque loquutus es, vt diſtingueres iniuſto, quo ipſe conuerteret ſe à viis ſuis, vt viueret. Eſt autem hîc diſtinguere,

 diſertè

diſertè & expreſſè denunciare, ſine ambage aut inuolucris verborum.

Lin.48.D. Imò corripiatis, ſi non vtatur militiæ ſuæ ordine.) Prorſus & hîc & in principio huius epiſtolæ videtur militiam ponere, non tantummodo pro caſtrenſi ſtipendio, ſed quo quauis functione, miniſterio, & officio.

Col.561.B.lin.24. Non aſtruo expectandam fuiſſe aſſertionẽ Epiſcopi.) Aſſertionem, id eſt, defenſionem. Metaphora inde ſumpta, quòd in cauſa liberali aſſertorem ſiue vindicem adeſſe oportebat, quo alterius libertatem, qui in ſeruitutem, petebatur, aſſereret.

Col.561.linea.33. Si aut præuaricari cogatur aut ſubire martyrium.) Præuaricatio hîc idem quod idololatria: quod ipſum aliquando adulterium, aliquando ſacrilegium appellatur. Eſt quoque & ille præuaricator, quem nunc Apoſtatam vocant. In literis prophanis is præuaricator eſt, qui cum reo colludit & cauſam aduerſario prodit.

Col.561.D.linea.60. Huic labarum, hoc eſt, Chriſti ſacratũ nomine ſignum.) Vexillum auguſtale quod in ſumma galea Conſtantinus Magnus geſtare ſolebat, ipſi & in ſomniis & cœlitus oſtenſum. Euſebius libro primo de eius vita: Circa horas meridiei, iam luce vergente, vidiſſe ſe ſuis oculis aiebat in ipſo cœlo ſupra ſolem crucis trophæum, quod non niſi luce conſtabat, additúmque titulum his verbis, hoc vince. Deinde cùm hoc ipſum in ſomnis apparuiſſet, tali ſpecie iuſſit effigurari. Erat autem huiuſmodi ſpecie configuratum. Haſtile in ſublime erectum, auróque veſtitum, antemnam ſiue ceruchos habebat tranſuerſos inſtar crucis. In ſummo faſtigio corona ex lapidibus precioſis & auro conſerta collocabatur, in qua erat ſalutaris vocabuli inſigne, nimirũ duo verſiculi Chriſti nomen præſeferentes, ita vt litera, P, decuſſatim in medio poneretur



Quas quidem literas in cono galeæ ſequẽtibus deinde temporibus gẽſtare ſolebat Imperator. ab antemna autem illa ſiue ceruchis haſtili in tranſuerſum inſertis, velum pendebat, opus regium, varietate gemmarum multa luce fulgurantium obtectum, auróque intertexto, ineffabilem magnificẽtiam pulchritudinémque ſpectantibus de ſe præbens. Cæterùm hoc velum ita ceruchis dependulum, iuxta latitudinis & longitudinis modum bona & congrua proportione ſibi ipſi reſpondebat.

Col.561.D.linea 71. Non audiſti Imperator quia cùm iuſſiſſet Iulianus reparari templum Hieroſolymis quod diuino qui faciebant repagulum igne flagrauerunt.) Alij pro repagulum habent repurgium, quod rectius videtur, & pro flagrauerunt legendum opinor flagrauerint, eo ſenſu, Non audiſti Imperator eos qui purgabant aream à parietinis & caducam materiam eruderabant, vt tibi nouum templum iuſſu Iuliani conſurgeret, cœleſti igne combuſtos eſſe. Nam in Theodoreti libro 3. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ legitur ignem ex fundamentis erupiſſe & concremaſſe operarios.

Col.562.A.linea 10. Quid igitur dignius, vt Callinici caſtri in parte.) Caſtrum hic pro caſtello poſuit, eſt autem caſtellum oppidulum paruum, ſed munitum.

Col,562.C.linea 41. Incenſa eſt Baſilica.) Baſilica Vitruuio eſt, vbi ius dicitur, hic autem pro templo vſurpatum eſt.

Linea 45. Licet gentiles duodecim Deos appellent, iſti triginta duos æonas colant.) Valentinus vnde eius gregales Valentiniani nominati ſunt, Platonicæ ſectæ perſtudioſus fuit, is (vt in Decretis refertur) æonas in origine dei induxit. Plura de eo Irenæus. Deos autem iſtos duodecim Conſentes appellat quòd Iouis conſiliis interſint: quorum hæc nomina ſunt, in verſu Enniano, Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo. Horũ ſinguli ſingulis menſibus ſecundum gentiles errores præſidebant.

Col.562.D.linea 59. Quanquam vindictam cœleſtem non euaſerit ſuo ſuperſtes hæredi.) Hæres hîc non qui in ius defuncti ſucceſſit, ſed ſucceſſurus eſſe ſperabatur: vt intelligas filium ante patrem mortem obiiſſe.

Col.562.D.linea 61. Scriptúmque eo quod referre non debuerit ſed vindicare.) Non conſulere principem quid facto opus eſſet, ſed ſtatim factum punire.

Col.563.B.linea 21. Si Iulianus non eſt vltus Eccleſia, quia præuaricator fuit.) Semper præuaricatorem eum vocat, quem nunc Apoſtatam appellamus.

Col.563.C.linea 36. Ego comitem eius atque exercitum ex altera parte naturæ, quos ante diſperſeram.) Intelligo claſſem Nauarchæ quem Maximus bello maritimo præfecerat, tempeſtate diſiectam fuiſſe. Sunt enim qui duas naturæ partes appellent, terram & aquam: aërem & ignem non eſſe elemẽta, ſed elemẽtata: nata nimirum aliunde, non autem primordia aut ſemina prima rerum naturæ.

Col.563.linea 50. Rex iſte Iudæus eſt, defenſorem iſtum diſciplinæ audimus, quem mox Chriſtus probauit.) Vitij nihil eſt in verbis, ſed in diſtinctione, vt ſic legas. Rex iſte Iudæus eſt: deinde colon defenſorem iſtum diſciplinæ, audimus, vbi comma ponẽdum eſt, deinde alterum comma quod ſententiam abſoluat quem mox Chriſtus probauit, vt populus agnoſcat Theodoſium eſſe defenſorem diſciplinæ quam Chriſtus victoriis probauit.

In Epiſtolam trigeſimam, ad Valentinianum de non conſtituenda ara in Curia.

Col.565.C.linea 40. Quando ille tanto motu veri vana defendit.) Hoc eſt tanto tumultu inania veri propugnat. Vana ergo idem quod vacua, alioqui vanum quo raritate ſui nihil ſolidum habet, & aëris naturam accedit, ventoſúmque eſſe apparet.

Col.565.D.linea 71. Fidei tuæ præſulem.) Præſulem, præſidem, tutorem, in cuius numine ac poteſtate eſt vindicare perfidiam, qualem veteres Iouem Orcium volebant.

Col.566.linea 2. Conuenio fidem tuam Chriſti ſacerdos.) Id eſt, appello, conteſtor fidem tuam.

IN ORATIONEM SYMMACHI.

Col.567.B.linea 20. Cui ideo diui Principis denegata eſt ab improbis audientia, quia non erat defutura iuſtitia.) Verba quæ iam ſequuntur, puto ex margine, vbi pro interpretatione aſcripta erant, in contextum irrepſiſſe.

Linea 21. Domini Imperatores Valentiniane, Theodoſi & Arcadi inclyti victores, &c.) Primum quia in ætatem aduleſcentulorum Arcadij & Valentiniani non congruunt hi tituli: deinde ſtilus Symmachi rotundus & aſtrictus tantum inanitatis verborum & firmatum non trahit: tertiò quia Ambroſius ad eoſdem de eadem re ſcribens non niſi vnum Valentinianum alloquitur, Beatiſſimo Principi & Clementiſſimo Imperatori Valentiniano Impertori Auguſto.

Col.567.D.linea 58. Illa ara concordiam, &c.) Solet Senatus ei numini ſacrificare cui curia conſecrata erat, ex inſtitutione Auguſti, vt in eius vita docet Suetonius, cuius hæc verba ſunt. Sanxit vt priúſquam conſideret quiſquam, thure ac mero ſupplicaret apud aram eius Dei, in cuius templo coiretur: nunc autem loquitur de templo Concordiæ. Fidem autem hîc vocat εὐορκίαν id eſt, religionem ſanctitatémq; in cenſendo decernendoque. Et de reprehenſione antecedentis exempli naſcitur emendatio, ſunt qui putent legendum per antitheſim. Et de reprehenſione antecedentis, ſequentis naſcitur emendatio, ego ſic legendum exiſtimo. Et de reprehenſione antecedentis, exemplum naſcitur emendationis, ſed ſit ſuum cuique iudicium liberum.

Col.568.B.linea 27. Nunc preces nunc certamina offerimus.) Sine vlla hæſitatione lego, nos preces, non certamina offerimus, vult enim precibus obtinere, non contentione diſputandi

Col.568.C.linea 39. Vllum ne lucrum compenſat inuidia.) Melius opinor ſi legas vllum ne lucrum compenſat inuidiam? hoc eſt, an vllum lucrum tanti eſſe poſſit, quanti inuidia? vt in æquilibrio pendeant parique inter ſe pondere ſint? Idem nos mundus illuminat, in Prudentio legitur, idem nos mũdus inuoluit.

Col.568.D.linea 50. Quod nomen accipiet ablatio, quas nulla lex, nullus caſus caducas fecit.) Caduca hoc in loco ſunt, quæ ex

mortuorum

mortuorum bonis ad fiſcum recidunt. Olim viceſima omnium hæreditatum fiſco debebatur, id temperatum eſt, vt extranei hæredes eam partem fiſco decideren, cæteri liberi eſſent. Sed qui per Latium in ciuitatem veniſſent, etiã ſi ſui hæredes eſſent, pro extraneis reputabantur, niſi ſimul cum ciuitate ius cognationis impetraſſent. Id rurſus temperauit Nerua, vt inter hos Latinos ciuitate donatos in matris bonis filij, aut mater in filiorum bonis vigeſimam ne darent. Idem factum in bonis paternis, ſiquidem filius in patris poteſtatem redactus fuit. Traianus hoc auxit, vt pater quoque in bonis filij immunis eſſet, & exceptionem de patria poteſtate ſummouit, eandémque indulgentiam in remittẽda viceſima ſecundo gradui impartiuit, vt ſoror in fratris aut viciſſim frater in ſororis, auus auiáque in bonis nepotis neptíſue, idque inuicem ſeruarentur immunes. Poſtremo certam ſummam in omni gentilitate præſcripſit, ex qua viceſima deberetur, hæreditates minores liberas dimiſit: ſed ex Iuſtiniano colligimus hæredes, qui defuncti necem non vlciſcerentur, hæreditario iure ſpoliari, ex Senatuſconſulto Syllaniano, lege quoque Papia legata ad fiſcum reuolui, ſi legatarius antequam tabulæ aperirẽtur diſcederet. Quin & deficiente conditione ſub qua legatũ fuit, id quod relictum erat ad fiſcum pertinebat. Iam ergo Symmachus quærit, ſi bona veſtalium à morte fiſco vendicabuntur, qua lege id fututum ſit, aut quo caſu, cùm ſolæ veſtales inter mulieres ſine tutore ius teſtandi habeant, nec caſus aliqui interuenerint, quæ earum patrimonia ad fiſcum redigerent, quale ſi peregrinum inſtituerent, ſi ſub conditione quæ poſtea non extet, ſi hęres earum necem non vindicet, cùm nihil tale interueniat, quo iure aut lege bona eorum fiſco committuntur, atque ita ſubinnuit prædationem potius eſſe & vim iniuſtam, quàm quiduis aliud.

IN ORATIONEM CONTRA Symmachum quæ eſt epiſt. XXXI.

Col.569. Ibid. lin.3.c. Cùm vir clariſſimus.) Quid differant illuſtres, ſpectabiles, ſpecioſi, clariſſimi operoſiſſimè docetur ab Alciato, libro Diſpunctionum tertio. Maximè autem hic titulus conuenit viris ſenatorij ordinis, præfecto vrbis, præfecto prætorij aliiſque nonnullis magiſtratibus. Eſt ergo hîc dignitatis vocabulum potius, quàm famæ celebrationis indicium.

Col. ead. linea 10. Popoſci tamen exemplũ mihi relationis.) Id eſt, libellum in quo quid Symmachus petereat, & ad Principem retuliſſet, continebatur. Aliud eſt quinta relatio, cùm poſt quatuor ſententias binas condemnatorias, binas abſolutorias, quinto eadem lis ad eum iudicem refertur, à quo poſtea vlterius appellatio non cadit.

Ibid. lin 19. D. Sed aurum hoc ſi diligentius tractes, foris precium, intus metallum eſt.) Precium id quod rei æſtimationem habet, & tantum in nummis, quanti res eſt, continet. Hic tamen precium, ipſum aurũ propemodum ſignificat. Sic idem paulò pòſt, Omitto abſconditam precio humum, id eſt, paſtorales caſas auro degeneri retinentes. Sic & Ouidius, In precio precium nunc eſt, dat cenſus honores. Metallum autem pro ære poſuit, genere ad ſpeciem contracto: alioqui precium eſt quod pro re debetur, penſationémque facit, vt merces quæ redditur operæ, & premium quod virtuti.

Col.570. lin.1. Nam de Senonibus quid loquar? Quos Capitolij ſecreta penetrantes Romanæ reliquiæ non tuliſſent.) Id eſt, ſufferre valuiſſent, nimirum impotentes ad hoſtes depellendos. Virgilius. Inſtat vi patria Pyrrhus, nec clauſtra, nec ipſi Cuſtodes ſufferre valent. Senones autem Celtarum gens, quæ duce Brenno Romam cepit, Capitoliúmque obſedit, quos noctu furtim aſcendentes Manlius ſtrepitu anſerum excitatus de rupe Tarpei deiecit.

Col. 570. lin.11. Quid me caſſo quotidie gregis innoxij ſanguine cruentas?) Apud antiquos cruentare idem erat quod vulnerare. Ennius apud Ciceronem in primo de Diuinationibus, quem ſe intorquentem lanians roſtróque cruentans. hîc autem cruentans idem quod cruore implens.

Col.570. linea 19. Quid dicam bimeſtres Imperatores?) Galbam, Othonem, Vitellium intelligit, quorum Galba ſeptimo imperij menſe occiſus eſt; Otho nonageſimo quinto die, Vitellius octauo menſe: tres certè annos trini Principes in imperio non expleuerunt, quod eleganti carmine comprehẽſum eſt ab Auſonio.

Galba ſenex, Otho laſciue, famoſe Vitelli,
Tertia vos Latio regnantes neſciit æſtas.

Niſi hoc potius referri velimus ad Ælium Pertinacem, qui duobus menſibus & diebus 25. & ad Didium qui duobus menſibus & quinque diebus in Imperio fuere: quod certius conuenit cum ſpatio Ambroſiano.

Col. 570. linea 21. Nunquid etiam illi Chriſtiani fuerunt, quorum miſerabili nouóque exemplo alter captiuus Imperator, ſub altero captiuus orbis.) Id haud dubiè de Licino Valeriano, & filio eius Galliano intelligendum: quorum pater captus à rege Perſarum Sapore, cui aſcenſuro ceruicem pro ſcabello ſubiiciebat, in miſerabili ſeruitute conſenuit: Alter orbem terrarum luxu & nequitia perdidit, adeo vt triginta tyrãni prouincias occupauerint, & fœminæ quoque contra eum diadema ſumpſerint.

Col.570. D. linea 64. Dum cœpimus, etiam ſequimur.) Alij libri ſic, Dudum cœpimus, etiam ſequamur excluſos. Neutra lectio integra videtur. Quid ſi ſic legas? Dudum ipſi cœpere, & iam ſequantur excluſi: hoc nimirum ſenſu, ipſi primi exemplum dedere, non admittere aras Chriſtiani numinis, nunc ipſi viciſſim excluſi ſuum exemplum ſequãtur, vt non ſperent ſuis diis à Chriſtianis altaria datum iri.

Col.571. A. linea 3. Vix ſeptem Veſtales capiũtur.) Capi propriè dicuntur virgines cùm ad Veſtale ſacerdotium eligũtur: hac enim formula in eligendo Põtifex vti ſolet, Capio te Amata: capere etiam Virgilius ſimpliciter pro eligere poſuit. Æneidos 1. Nunc terras ordine longo
Aut capere aut captas iam deſpectare videntur.

Ibidem linea 4. En totus numerus quem infulæ vittati capitis.) Infula redimiri ſolent & ſacerdotes & victimæ. Sic enim de immolanda Iphigenia, inquit Lucretius lib.1.

Cui ſimul infula virgineos circundata comptus
Ex vtraque pari malarum parte profuſa eſt.

Eſt autem infula faſcia in modũ diadematis, aliquando lata, aliquando tortilis, albo & cocco. Vittæ ab vtraque parte dependent. Virg. in 11. Æneid. Vittaſque deum quas hoſtia geſſi. Eſt autem id quoque inſigne ſacerdotum, vt diadema Regum. Idem Æn.10.

Nec procul Æmonides Phœbi, Triuiaque ſacerdos,
Infula cui ſacra redimebat tempora vitta.

Cic. contra Rullum, his inſignibus atque imperij infulis vẽditis: atque ita metaphoricῶς infula pro inſigni ſummarum dignitatum capitur, Codice Iuſtiniani lib.12. de Conſulibus antiquitus ſtatutum eſt, conſularibus viris cæteros quidem honoratos ipſius Trabeæ ſummitate, pares verò infulis, conſideratione tantum temporis anteire.

Col. eadem A. linea 9. Non vittæ capiti decus, ſed ignobile velamen vſui nobile caſtitatis.) Vel (vt alij) caſtitati, lego autem vſu nobile caſtitati: nimirum quod eximiũ ſit ad vſum pudicitiæ, dum ora prætegit, & à lubricis conſpectibus defendit.

Col. eadem B. linea 31. Si preuilegium quærat ſacerdos, &c.) Quænam iſta lex fuerit non facilis diuinatio, niſi ſit ea quæ ſub nomine Valẽtiniani cùm ſit Valentis, lib.10. Cod. Iuſtiniani aſcripta eſt de decurionibus, cuius hæc verba ſunt: Quidã ignauiæ ſectatores, deſertis ciuitatũ muneribus captãt ſolitudines, & ſecreta, & ſub ſpecie religionis cũ cœtibus μοναζόντων congregantur, hos igitur atque huiuſmodi deprehenſos, erui latebris conſulta præceptione mandamus, atque ad municipia patriarum ſubeunda reuocari, & pro tenore noſtrę ſanctitatis familiarium rerum carere illecebris, quas per eas cenſuimus vendicandas, qui publicarum eſſent ſubituri munera functionum. Id autem legem Atticam περὶ ἀντιδώσεως videtur referre, qua cautum erat, vt ſi quis facultates ſuas impares eſſe diceret, ad ferẽda publica onera eas illis cederent, qui ea onera in ſe transferre vellent: meminit huius legis Demoſthenes in oratione ſua aduerſus Leptinem. Eſt & altera ibidem lex, quæ propius adhuc ad verba Ambroſij accedere videtur, Curiales (inquiẽs) omnes iubemus

iubemus interminatione moneri, ne ciuitates fugiant, aut deserant, rus habitandi causa, fundum quem ciuitati præ- A tulerint, scientes fisco esse sociandum, eóque iure esse carituros, cuius causa impios se patriam vitando demonstrauerunt. Onus autem curiale, præter cætera maximè in eo situm est, teste Alciato, quod ditiores senatores curiæ municipalis, qui & decuriones appellantur, onera publica tenuiorum in se recipere cogantur. sed tamen ex verbis Ambrosianis duriores fuisse conditiones sacerdotum, quàm decurionum fuisse intelligimus: cùm postea dicat, vos excusare vultis decurionem, cum ecclesiæ excusare non liceat sacerdotem. & paulò superiùs, At contrà nobis eius priuatæ successionis emolumenta negantur. Iam quod sequitur.

Col.ead.C.lin.44. Nulla legata vel grauium viduarum.) Id est, magnarum quo genere locutionis sæpe vtitur & Cæsar in Commentariis: Grauitatem oppidi dixit pro firmitudine & magnitudine.

Col.ead.D.lin.70. En quod factum, quod triste piare nefas.) Et hoc quoque vel mutilum vel deprauatum: quid si legas? En quod factum quàm triste, quàm expiare nefas. Videtur alludsum nonnihil ad verba Iuuenalis, Et triste & morte piandum. B

Col.572.A.lin.2. Propterea Chaoniam frugem glande mutantes, rursum in pecudum pastus, & ad infelicis victus alimenta reuocati, concussa quercu famem in syluis miseram solabantur.) Multiplex allusio ad dicta Virgiliana,

Chaoniam pingui glandem mutauit arista.
Victum infœlicem, baccas lapidosaque corna. &,
Victum Dodôna negaret
Concussaque famem in syluis solabere quercu.

Col.ead.A.lin.6. Reuera quando antè vacuis auenis seges fallax auari vota luserit agricolæ.) Et hoc quoque concinnatum ex verbis Virgilij,

Infœlix lolium & steriles dominantur auenæ.
Illa seges demum votis respondet auari
Agricolæ, bis quæ solem bis frigora passa.

hic tamen Ambrosius, Auenis, posuisse videtur pro spicis, vt à Virgilio pro omni genere culmi, C

Syluestrem tenui Musam meditaris auena.

Col.ead.A.lin.9. Et vnde Græcis oracula habita suæ quercus.) Et hoc more Virgiliano,

Æsculus atque habitæ Graiis oracula quercus.

Col.ead B.lin.22. Propterea nec assueto cursu Nilus intumuit.) Plinius minor in Panegyrico Traiani, Ægyptus alendis augendisque seminibus ita gloriata est, vt nihil imbribus cœlóque deberet, siquidem proprio semper amne perfusa, nec alio genere aquarum solita pinguescere, quàm quas ipse deuexerat, tantis segetibus induebatur, vt cum feracissimis terris, quasi nunquam cessura certaret: hæc inopina siccitate vsque ad iniuriam sterilitatis exaruit, quia piger Nilus cunctanter alueo sese ac languidè extulerat: Plin. maior lib.18. capite 18. Nilus ibi coloni vice fungens euagari incipit, vt diximus, à solstitio, aut noua luna, ac primo lentè, deinde vehementius quamdiu in leone est sol, mox pigrescit in virginem transgresso, atque in libra residet. Si duodecim cubitos non excesserit, fames certa est, nihil minus si 16. exuperauerit. fons ille in paradiso qui ascendebat & irrigabat omnem D superficiem terræ naturam istius fluminis videtur referre.

Col.ead.B.lin.29. Sed operum læta fœlicium, dum messes & ipsa miratur.) Et hoc quoque imbutum est ex imitatione Virgiliana,

Et ipsa suas mirantur Gargara messes.

Ibid.B.lin.31. Quis ergo tam nouus humanis vsibus.) Id est, quis tam imperitus & recens in casibus humanis.

Col.ead.lin.52. Mundus ipse qui vel primum coactis elementorum per inane seminibus tenero orbe concreuerat.) Id quoque ex Virgilio promptum ex asse referri acceptum debet,

Namque canebat vti magnum per inane coacta
Semina terrarum animæque, marisque fuissent
Et liquidi simul ignis, vt his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreuerit orbis.

Col.ead.D.lin.57. Exutæ humentibus tenebris nouum terræ stupuere solem.) Et hoc quoque allusionibus constat,

Iamque nouum terræ stupeant lucescere solem.

Ibid.D.lin.64. Post vbi imperare aruis sollicitus cœpit agricola, & informe solum vestire vinetis, syluestres animos domesticis mollitæ cultibus exuerunt.) Virgilius.

Fructúsque feros mollire colendo
-Tu hoc quoque si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint syluestrem animum.

Col.573.B.lin.18. Vnde igitur exemplum quod currus suos simulato Almonis in flumine lauat Cybele.) Almon fluuius est Romæ in prima regione, apud quem Romani olim sacra Cybelis faciebãt, eodem ritu quo Galli sacerdotes in Phrygia. Iuuenalis, Et totum paruo reuocant Almone Cybelen. Ouid.Fast.4.

Est locus in Tyberim quo lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam sacráque lauit aquis.

Ad cuius similitudinem cùm alibi sacra fiunt, proximum fluuium Almonem esse fingunt, si quidem mos est vt quæ in sacris haberi nequeant, simulentur, quod perinde accipitur ac si vera essent. Virgilius in 4.Æneidos,

Sparserat & latices simulatos fontis Auerni.

Ibid.lin.21. Quam cælestem Aphri, Mitram Persa, plerique Venerem colunt.) Sumptum est ex illo Herodoti Ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ οὐρανίῃ θυίῃ, παράτε ἀσσυρίων μαθόντες καὶ ἀραβίων, καλέουσι δὲ ἀσσύριοι τὴν ἀφροδίτην μύλιττα, ἀράβιοι δὲ ἀλίττα, πέρσαι δὲ μίτρην.

Col.ead.D.lin.55. Sed fortasse aliquem moueat ita fidelissimum principem destitutum.) Gratianus is fuit, qui defectione suorum militum Maximo tyranno proditus fuit.

Ibid.lin.63. Canopei manu Spadonis occubuit.) Achillus Eunuchus Ptolomæi exceptum in nauem Pompeium Magnum nefariè occidit, meminit Lucanus libro 8. Suetonius in vita Cæsaris. Habebant quidam libri Conopei, quidam Canopei, primum à Canopo ciuitate Ægypti, alterum dictum est à Conopeo re iculo quibus muscæ capiuntur, quod Ægyptij inter signa militaria in bello circunferebant. Horatius in Epodis,

Intérque signa (turpe) militaria
Sol aspicit Conopeum.

Col.ead.lin.67. Et ille rex quis superatos etiam confessus honore donauerat, exsecto capite, & intra vtrem plenum cruoris satiari iussus, incluso, fœmineis imperiis ludibrio fuit.) Cyri regis Persarum exitum miserabilem describit, qui victum à se Crœsum in summo honore habuit: post modum illato Massagetis bello, à Tomyri illius populi regina superatus est, capútque ei auulsum & in vtrem humano sanguine plenũ coniectum est. cum ea insultatione vt se tandem exsatiaret.

Col.574.lin.19. Nam cùm de superioribus principibus texuisset, quia prior eorum numerus ceremonias patrum coluit, recentior non deleuit.) Vox illa, Numerus, delenda est.

IN EPISTOLAM TRIGESIMAM SECVNDAM, AD VALENTINIANVM, VBI recusat cum Auxentio in Consistorio certare.

Col.574.C.lin.21. Et sapientia melioratæ reipub. profectibus prædicatur.) Meliorare & melioratio verba sordida videntur, à quibus tamen non abstinent veteres Iurisconsulti, vt in Pandectis deprehendi licet.

Col.575.B.lin.24. Quicunque obuiauerit imperatori, gladio feriatur.) Id est, quicunque non cesserit, sed contumax fuerit, aut in diuersum tetenderit.

Ibidem lin.26. Quis est qui possit vel vnus vel inter paucos dicere Imperatori.) Hoc est, quis est qui vel solus vel cum paucis dicat Imperatori.

Col.ead.lin.32. Ego igitur aut præuaricationi offeram homines aut pœnæ?) Id est, ego eligendo iudices, id committam, vt vel metu à religione deficiant, dum hæreticum Episcopum eligunt, vel ad pœnam rapiantur, si secundum religionem eligant.

Col.

*Col.*576.A. *lin.*8. *Ego in consistorio nisi pro te stare non didici.*) Tacitè illi obiicit, quod pro eò ad Maximū legatus bis coactus sit contra decus episcopale in consistorio stare: semel eo destinatus pro pace, semel vt Gratiani fratris reliquias reportaret. Est autem consistorium tribunal Imperatoris vbi ius dicit.

In orationem de Basilicis non tradendis, contra Auxentium.

*Col.*576.C.*lin.*39. *Sed in cõsistorio non reus solet esse Christus sed Iudex.*) Locus supra modū mihi suspectus, nescio an debeat legi, sed in consistorio reus esse solet Christus, non Iudex, hoc sensu, vbi in consistorio agitur, ibi Christum non Iudicem esse solere, sed reum: vt allusum sit ad iudicium Pilati. Non vult ergo Ambrosius in consistorium ire: vbi in causa non iudicem Christum sit experturus, sed illum ipsum ibi eum inuenturus.

*Col.*577.C.*lin.*44. *Explorabant hos atque illos aditus.*) Virgilianum est.

Ibidem D.*lin.*62. *Nam vbi eum Herodes quæsiuit, & cepit, recepit in carcerem.*) Dubium est, num recipere, idem sit, quod recõdere aut retrudere. In actis est Græcè, ἔθετο εἰς φυλακὴν.

*Col.*578.B.*lin.*24. *Non regiam Palatij prætexebam eundo atque redeundo.*) Id est, non pertransibam regiam Palatij in itu atque reditu, vt intelligamus illum diuerticula non quæsisse, aut obliquasse iter dum ad martyres tenderet, ne regiam præterirer.

Ibidem C.*lin.*45. *Alios sacrilegio.*) Sacrilegium hic appellat impiam religionem.

*Col.*580.A.*lin.*12. *Gentiles quosdam quatuor aut quinque fermè homines, eliget cognitores sibi.*) Cognitor sæpe ipse iudex est, qui causam cognoscit: sæpe procurator litis, cui apud iudicem præsenti à præsente litigatore causa committitur: sæpe iam is est, qui alios de statu suo disceptantes agnoscere se dicit, & eorum natalia, patriamque docet. Cic. in Verrem, Ciuem Romanum qui cognitores homines honestos daret, sublatum esse in crucem.

*Col.*581.B.*lin.*30. *Nec ego hanc inuidiam perhorresco, habeo ærarios: ærarij mei, pauperes Christi sunt.*) Ærarius fieri dicebatur, qui plebeius à Censoribus in Ceritum tabulas referebatur, ac per hoc ex albo centurię suæ expunctus, amplius æra mereri non poterat. Quod cùm per Imperatorem fieret, ære diruti nominabantur. Liuius decadis tertiæ, lib. 9. Inter nomina eorum quos ærarios relinquebat, dedit collegæ nomen. Sed & ærarij aliquando milites dicebantur, contrario sensu, qui æra accipiebant, qui μισθοφόροι dicebantur. Cicero ad Atticum, Milites non tam ærarij, quàm vt appellantur ærati: atque ita hîc capitur. Nam pauperes qui de stipendio Ecclesiæ viuebant, ærarios Christi appellauit.

*Col.ead.*D.*lin.*65. *Deportationem minitantur.*) Deportatio sæuissimum exilium est, vbi nimirum quis insulæ includitur.

*Ibidem lin.*71. *Si baptismum Ioannis non soluerunt Iudæi, Auxentius soluit.*) Syllepsis est. Soluere enim, duplici significatu positum est. Primo loco, soluere est quæstionem explicare, secundo loco perdere, quod Græci διαλύειν vocant.

In Epistolam trigesimam tertiam, ad Marcellinam, Quid actum sit de basilicis.

Col. 582.C.*lin.*33. *Nec huius sanguis in causa Ecclesiæ fieret.*) Egregiè emendauit Costerius, ne cuius sanguis in causa Ecclesiæ fieret, quāquam etiam sic mihi quiddam suppuratum latêre videtur, fortassis pro fieret, flueret: nam sanguinem fieri pro sanguinem effundi nusquam me memini legisse.

*Col.ead.lin.*42. *Dum modo seruarent.* Id est, modo integram seruarent existimationem, quæ nexis statim perit.

Ibidem 43. *Palatina omnia officia, hoc est, memoriales agentes in rebus apparitores diuersorum comitum.*) De agentibus in rebus titulus est in codice Iustiniani lib. x i i. Multa etiam mentio in codice Theodosij, præsertim sexto libro. Sunt qui generale nomen putent in eos relatum qui res principis agũt, vt aut procuratores sint principis, aut Commissarij per diuersas Prouincias ad legatos, auctóque Imperio per dispersos: vnde in libris posterioribus, ducenarij quidam, alij centenarij leguntur. Alienam sententiam, nimirum Alciati, cum alienis verbis retuli. Ego ex verbis Theodosij, in rebus agẽtes esse eos diuino, qui ordinem ducunt, hoc est militares magistratus gesserunt: quales sunt Centuriones, & ducenarij, quod ex verbis Iustiniani in locis supra citatis colligi posse videtur. Verba Theodosij sunt libro x v i. titulo sexto, In Iudaica superstitione viuentibus, attentandæ de cætero militiæ gradus obstruatur. Quicunque igitur vel inter agentes in rebus, vel inter Palatinos militiæ sacramenta sortiti sunt, percurrendæ eius & legitimis stipendiis terminandæ remittemus facultatem, ignoscentes facto potius quàm fauentes. vbi duo genera militiæ insinuãtur: quorum alij sunt Palatini, qui principi in palatio inseruiunt: alij qui in rebus agẽtes sint, vt arbitror, qui in prouinciis militares magistratus gerunt. tit. & lib. x v. idem libro L x x i i. Iudæos & Samaritanos qui sibi agentium in rebus priuilegio blandiuntur, omni militia priuandos esse censemus: eodem lib. tit. i i i i. l. x i x. Sublimitatem tuam inuestigare præcipimus, an aliqui hæreticorum, vel scriniis, vel inter agentes in rebus, vel inter Palatinos cum legum nostrarum iniuria audeant militare. Vbi rursus officia in treis partes distinxit: in eos qui ærario præsunt, in Palatinos qui munia in palatio obeunt, & in agẽtes in rebus, qui res castrẽses administrant.

*Col.*582.C. *linea* 46. *Honoratis multa minabantur grauissima.*) Hoc est, denuntiabant pœnam grauissimam. Alciatus libro Prætermissorum primo sic ait, Honorati etiam hi, qui palatinam dignitatem habẽt administratione abstinent, & quod Ausonius ait, nomine participes: capitur in hoc significatu etiam apud Ammianum Marcellum. Mihi videtur honoratos aliquando eos esse, quos Romæ senatores, in municipiis decuriones dicimus: Theodosius certè lib. x v i. tit. i i i i. l. x L i i i. Huiusmodi autem conditionibus etiam honoratos reliquos obligamus, scilicet vt senator qui nullo munitus extrinsecus priuilegio dignitatis, inuentus in grege Donatistarum centum libras soluat argenti. Ambrosius de obitu Valentiniani, Iam promiseram me profecturum, respondens vel honoratis petentibus, vel præfecto, vt trãquillitati Italiæ consuleretur, me sicut superfluo ingerere non possem, ita necessitatibus non defuturum.

*Ibidem lin.*D. 52. *Ius huiusmodi meum non refragaturum.*) Attror legendum quiduis huiusmodi meum.

*Col.ead.lin.*58. *Sed pro altaribus gratius immolabor.*) Dubiũ pro defensione altarium, an ante altaria, fortasse per dilogiam vtroque respexit.

*Col.*583.A. *linea* 7. *Prodire de Arrianis nemo audebat, quia nec quisquam de ciuibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiam Gothi.*) Locus mutilus est, nec supplementum video, fortasse ita legẽdum fuerit. Prodire de Arrianis nemo audebat, quia nec quisquam de ciuibus Arianus erat, pauci de familia, &c.

Ibidem 9. *Quibus vt olim plaustra sedes erant, ita nunc plaustrũ est Ecclesia.*) Eo allusum, Gotthi, Scythica gens creditur, qui quia in curribus degũt ἀμαξόβιοι, & ἀμαξάβιται appellãtur. Gotthorum sedes tum Oriẽtalium, hoc est Oostgoeten, vulgo Ostrogoten, tum Occidentalium, hoc est Vuestgoeten, vulgo Visogothen, in mari Baltheo ad Suuediam demonstrantur: arbitror illis nomen inditum à bonitate, hoc est, goet. vt altera gens se à malitia, hoc est, quaet, appellauerunt Quados: vt Franci dicti sunt vrij ancken, hoc est, iuuecælibes, nondum mariti.

Ibid linea 14. *Quam omnes, &c.*) Aut addendum, aut subintelligendum τὸ metu.

Col. eadem B.*linea* 20. *Clamauit aliquà populus.*) Existimo vocem, Aliquandiu, in Aliqua, vitiatam esse. Est alioqui aliquà pro aliqua in re. Virgil. Et si non aliquà nocuisses, mortuus esses. Sed huiusmodi significationem præsens locus nõ recipit, cùm subiungat, quàm moderatè, quàm constanter, quàm fideliter poscebat: quæ intentionem potius habent, quà diminutionem, & κατορθωμὸν qui est in τὸ aliqua.

Col. 584.A. *lin.*9. *Quæ ratio est aduersus hunc vermiculũ, &c.*) Allusum ad caput Ionæ quartum: sed & Græcis & Latinis vermis antelucanus percussit heredam (vt Latini) vel vt Græci

Græci colocynthis, non vermis percutitur. puto Ambrosium pro his verbis Græcis καὶ προσέταξε κύριος ὁ θεὸς σκόληκι legisse, non προσέπαξε, sed προσεπάλαξε: quanquam sequentium sensus hoc vix permittat. vt vt est per vermem percussum intelligit mortem Iustinæ imperatricis.

Col.585.C.lin.43. Ego enim patiar quod episcopi: tu facies, quod spadones.) Hoc est iugulabis me. alludsum ad Achillum, Eunuchum Ptolomæi regis, qui Pompeium Magnum occidit.

In trigesimamsextam Epistolam ad Sabinum Episcopum, quæ est prima lib. vj.

Col.587.A.lin.5. In hos se induisse cultus.) Virgiliana loquutio, Contemplator item cùm se nux plurima syluis Induet in florem.

Ibid.B.lin.11. Æuum exigat.) Vitam transmittat, & hoc quoque Virgilianum,

Omnes vt tecum meritis pro talibus annos Exigat.

Col.ead.lin.14. Cessite.) ἐκκοκκισικῶς pro paruo agello.

Col.ead.lin.19. Et cùm ipsi capita & supercilia sua radant.) In sacris Isidis toto corpore erant deglabrati, in signum luctus quo dea illa suum Osyrim deflet. hinc ne Christiani hunc ritum imitarentur, vetitum olim Imperatorum Christianorum legibus, ne qua fœmina tondeatur.

Col.ead.lin.22. Equidem doleo tantam esse in mendacio obseruantiam.) Mendacium hîc vocat idolum, vel cultum idoli, phrasi Ecclesiastica: quod alio nomine vanitatem appellant. tertio Regum, decimosexto, Prouocantes deum in vanitatibus suis. Psal. quarto, Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Hieremiæ octauo, Quare ad iracundiam me cõcitauerunt, in sculptilibus suis & in vanitatibus?

Col.588.B.lin.28. Potuit quidem hoc sermone exprimere, sed exemplo exacerbare maluit, vt species ipsa plus incuteret horroris.) Species, ipsius rei conspectus visióque, ab antiquo verbo specere, quod videre significabat.

Ibid.D.lin.57. Piè posse fieri credidit parricidium.) Id est, filij Isaac mactationem, omnis cedes in cognatos parricidium dicitur, aut in eos qui titulum patris patriæ emeruerunt.

Col.589.A.lin.6. Exuitur non vestis laneæ, id est morticinæ.) Eo allusum, quod ad corpus sacerdotis vestiendum, nulla morticina admittebantur.

In Epistolam trigesimamseptimam ad Chromatium.

Col.589.B.lin.27. Hoc igitur impossibile, eius plenitudinis est, quæ minuere se & augere non potest.) Sana sententia, & cutis ipsa sana esse apparet, mihi tamen quomodocunque suspecta. Fortasse pro augere, legendum est exaugere, id est, exhaurire, & diminuere: quem intellectum sequentia quoque videntur exigere, cùm ait, *Hoc igitur impossibile eius, plenitudinis est, qua minuere se & augere non potest, non infirmitatis quæ in eo quo se auget, imbecilla est.*) Vbi pro augere, exaugere, & pro auget, exauget, lego. Eadem forma dicimus explere, pro plenitudinem rerúmque copiã diminuere. Virg. Æn. 6.

Discedam, explebo numerum reddárque tenebris.

Col.ead.C.lin.51. Ideo Balaam ille Chaldæus accitur ad fidem, vt Chaldæorum superstitio conticesceret.) Allusio ad id quod à gentis vitio Mathematici & Genethliaci Chaldæi appellentur.

Col.590.D.lin.60. Si spem potiundi hauriat, affectum deferat.) Alia lectio habet effectum, differat: quod rectius puto. nam ostentare spem & non satiare amantem, sed procrastinationibus eludere mira incendia libidinis excitat.

Col.ead.lin.62. Sed & visu faciles & dictu affabiles circumerrent.) Versus Maronis cum paruula immutatione,

Nec visu facilis nec dictu affabilis vlli.

Col.591.A.lin.5. Et ideo tentauit eum quasi diuinum, non elegit quasi prophetam.) Diuinum, id est, hariolum, augurem.

In Epistolam trigesimamoctauam, ad Horontianum.

Col.592.A.lin.2. Videt coronas luminum, lunæ & stellarum globos considerat.) Vel allusum ad coronam Ariadnes, vel in genere sidera hic illic quasi flores sparsa coronas appellat: nimirum vnde coronæ stellantes fieri possent, materia pro ipso opere posita, per Metonymiam.

Ibid.10. Calcem leuat.) Omnia munia pugilis describit, qui non armis sed pugnis & calcibus aduersarium oppugnat.

Ibid.25. Terra ergo exercitium est hominis, cælum corona.) Exercitium idem quod palestra, locus nimirum vbi pugiles sese exercent.

Col.ead.B.lin.30. Quàm iucunda insitiua arborum, quàm fructus votiui.) Vtitur hic insitiua pro insitione. Horatius in Epodis, Vel cùm decorum mitibus pomis caput, autumnus aruis extulit, vt gaudet insitiua decerpens pira.

Col.593.A.lin.11. Nullis assentantium pumicetur sermonibus.) Id est titilletur, fricetur adulatorum blandiloquentiis.

Ibid.C.lin.40. In quo ad similitudinem æterni dei νῦς esset inuisibilis.) Miror cur D. Ambrosius Græcam vocem retinuerit, an quia Latini variè hanc efferunt, cum eam nunc mentem, nunc animum interpretantur quod vel & disticho illo Catonis apparet,

Si deus est animus, nobis vt carmina dicunt
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Nec Virgilius hinc longè abludit,

Dísne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? An cuíque deus sua dira Cupido.

An quod etymon Græcum illi magis placuerit, quòd νῦς ἀπὸ τοῦ νοεῖν, hoc est ab intelligendo sit dictus, cùm Mens à meminisse, Animus quasi ἄνεμος appellatus sit, quorum verborum vim naturámque νῦς probe explet. An quia Anaxagoras omnia dixerit materia & νῷ conseruari, ad dogma gratiosum alluserit, & vocabulum huic dogmati familiare retinuit.

Col.ead.D.lin.63. ἀπλανεῖς πλανήτας.) Id est, minimè errantes errones.

Col.594.B.lin.18. Tauri depresso sulcis per totum diem aratro gemunt.) Virgilianum est, Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro, Ingemere.

Ibid.lin.23. Glomerat gressus superbos.) Et hoc Virgilianum, Insultare solo & gressus glomerare superbos, vbi Seruius glomerare gressus, id est, vt cum disciplina incedat.

Ibid.lin.29. Tum equis singularibus.) Cum scilicet vno equo ad cursum vtuntur, quales Græci vocant celites: non binos trahunt, vt desultores: non iugis innectunt, vt in bigis & quadrigis fit.

In Epistolam trigesimamnonam ad Horontianum.

Col.595.D.lin.61. Et abij & conduxi mihi quindecim argenteis & coro hordei & semicoro hordei & neuel vini.) Hieronymus hoc tertium caput Oseæ sic transfert, Et fodi eam mihi quindecim argẽteis & coro hordei & dimidio coro hordei. Et septuaginta translationem in hunc modum adfert. Et conduxi eam mihi quindecim argenteis, & gomor hordei, & nebel vini, Sic Ambrosiana interpretatio ab vtróque nonnihil variat. Vbi in glossa ait, Gomor & corum eiusdem esse mensuræ, nimirum triginta modiorum: & nebel, esse dimidium cori.

Col.596.C.lin.39. Quid igitur opus est vt explorem ortus signorum atque obitum.) Ex Virgilianis verbis hoc deformatum est, Daphni quid antiquos signorum suspicis ortus. & alibi, Nec frustra signorum obitus speculamur & ortus.

Ibid.lin.41. Vna mihi stella abundat pro omnibus.) Id est, vna mihi stella abundè pro omnibus sufficit.

Ibid.lin.45. Cuius stellæ obitus non cremiorum sensibilium, sed spirantium defunctorum triumphales manipulos de tumulis resuscitauit.) Cremium à cremando dictum: volunt nonnulli Grammatici Cremium id esse, quod dum in sartagine cibus frigitur, circa margines combustum adhæret. allegántque illum locum Psalmi centesimi primi, Et ossa mea sicut cremium aruerunt, vbi Septuaginta habent, καὶ τὰ ὀστᾶ μου ὡσεὶ φρύγιον συνεφρύγασαν, Hesychius autem φρύγιον ξύλον ζηρὸν, hoc est torrem interpretatur. hic autem sine omni dubitatione cremia busta significant, hoc est ossa quæ ex

ex vſtrina ſepulchrali reſidua ſuperſunt, quæ aliquando reliquias appellamus.

In Epiſtolam quadrageſimam, ad Sabinum.

*Col.*597.D.*lin.*57.*Epiſ. Non erit longi ſubſellij iſta iudicatio & mora.*) Ciceronis verba ſunt, ſine omni commutatione, prouerbium eſt de graui cauſa, quæ non niſi à maximo conſeſſu iudicum cognoſci debeat.

*Col.*598.A.*lin.*5. *Ipſe igitur pro ſe loquatur, qui procedit ſine interprete.*) Interpres hic eſt quem vulgo mediatorem dicimus, hoc eſt, conciliatorem. Cicero in Verrem, Aut qui ſequeſtres aut interpretes corrumpendi iudicij eſſe ſolent. idē in Epiſtolis, Quo ego interprete nouiſſimè ad Lepidum vſus ſum.

*Ibid.*B.34. *Si verba alicubi mouent non præiudicant fidei.*) Senſus, ſi verba aliud fortaſſe ſonent, quàm nos volumus, non tamen præiudicium faciunt noſtræ ſententiæ de religione.

In Epiſtolam quadrageſimamprimam, ad Sabinum.

*Col.*598.D.*lin.Epiſt.*5. *Nunquam enim minus ſum ſolus, quàm cùm ſolus eſſe videor, nec minus ocioſus, quàm cùm ocioſus.*) Verba Ciceronis ſunt ex proœmio tertij Officiorū, P. Scipionem Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato, qui fuit eius ferè æqualis, nunquam ſe minus ocioſum eſſe, quàm cùm otioſus, nec minus ſolū, quàm cùm ſolus eſſet. Magnifica verò vox & magno viro, & ſapiente digna, quæ declarat illum & in ocio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum, vt neque ceſſaret vnquam, & interdum colloquio alterius non egeret. ego vt obiter Ciceronis locū caſtigem, non lego interdum, ſed interea dum, hoc eſt, dum interim ſecum loquitur.

*Ibidem lin.*58. *Interpellat, interpolat.*) Iucunda, in vocum affinitate per Paronomaſiam alluſio, nouè autem dixit interpolat pro interturbat. Eſt alioqui Interpolare, rem veterem poliendo in nouam ſpeciem refingere.

Ibidem 63. *Et concepit redemptionem vniuerſorum.*) Magnificè & per Metonymiā redemptionem pro redemptore poſuit.

In Epiſtolam X L I I. ad Sabinum.

*Col.*599.C.*lin.Epiſt.*1. *Lecto Hexaemero.* Titulus eſt multorū veterum Theologorū, qui de operibus ſex dierum, quibus mundus conditus eſt, Commentaria ſcripſerunt.

Ibid.lin 17. *Ex quibus colligitur paradiſum ipſum non terrenum videri, non in ſolo aliquo, &c.*) Principale hic idem eſt, quod Græci ἡγεμονικὸν, mens ſcilicet: id nimirum quod in anima humana præcipuū eſt, in quo phantaſiæ & impetus motúſque animi naſcūtur, & vnde ratio emergit Hieronymus damnat eos qui paradiſum tantummodo allegoricè exponunt, & rectè. quanquam veteres Theologi id plerique faciant: neque Ambroſius hic longè abſit ab ea ratione interpretandi.

*Ibid.*D.*lin.*36. *Conſtituit etiam, &c.*) Alluſum eſt haud dubiè ad arborem ſcientiæ boni & mali. Heſiodus qui diligenter videtur euoluiſſe libros Geneſeos, hanc Allegoriam ex iſto loco collegiſſe videtur. Arborem ſcientiæ boni & mali non eſſe eam vnde artes vſui vitæ neceſſariæ rerúmque ſcientiæ perceptæ ſint, ſed eam, vnde artes luxuriæ, delitiarum, fucorum, curioſarúmque rerum promanarunt. qualia in aulica vita reperiūtur, & maximè in cultu fœminarum, quæ prorſus etiā ad huius vitæ vſum non ſolum ſuperflua, ſed etiam peſtifera ſunt. At ſtulti eas pompas ita admirātur, vt qui eas poſſideant ſimiles diis exiſtiment, & paulatim relicta nuditate, hoc eſt, ſimplicitate vitæ, ad maiores cultus procedunt, vt primum frondibus, poſtea melotis ſe veſtiant, tandem ad indumenta ex textili auro progreſſura. Certè Adamū ſcientia boni & mali etiam ante guſtatum pomum, non inexpertum fuiſſe argumento eſt, quod tanquam ſapientiſſimus ille Salomon diſputās à cedro Libani, vſque ad hyſopum qui creſcit in pariete, omnibus animalibus prò natura ſua nomina impoſuerit, quod ſine ſumma rerum ſciētia, boni malique cognitione fieri non potuit. Deinde plauſibilior eſt opinio, Deum noxia prohibuiſſe quam ea quæ ſecundum naturam humanam ſunt: nihil autem magis ſecundum humanam naturam quam appetentiam ſciendi boni & mali, in quo etiam imago illa, qua deo ſimiles ſumus, conſiſtit. cur enim mentem rationem, iudicium dediſſet, ſi ocium earum rerum voluiſſet? quæ certè omnia torpent, & ignauia ſepeliuntur niſi addiſcentia, diſcipliníſque exerceantur. Fortaſſe etiam iſthuc adiicere licuerit, arborem ſcientiæ boni & mali, allegorica ratione interpretari poſſe, curam induſtriamq; magicarum artiū, qua magi & ſagæ prorſus diuinitatem affectant, dum naturæ imperare videntur, miracula edere, angelis ad imperium pro adminiſtris ſuis vti. hæc ideo à me allata ſunt, vt ſentiant illi bardi & barbari ſuā ſtoliditatem, qui ex hoc loco imaginantur omnes artes ſcientiáſque eſſe inuenta diaboli, idque etiam ſcriptis mundo tradiderunt, atque interim ſe ſpiritum Dei habere gloriantur. Ex eodem quoque loco orti ſunt Adamitæ, genus hominum prorſus phanaticum, qui non ſimplicitatem ſed ſtultitiam amplexādam & æmulandam putant.

*Col.*600.B.*lin.*17. *Tortuoſis angulatur anfractibus.*) Alluſum in hoc verbo angulatur, ad etymon anguis, quod ſe circumagat & voluminibus implicet, qui à Prudentio, Ciceroné- que meandri appellantur.

*Ibid.lin.*32. *Bona eſt enim ſapientia cum hæreditate, id eſt, cum fide, quoniam eſt hæreditas credentibus in dominum.*) Hæreditas idē eſt quod Græcis κλῆρος, prędium, poſſeſſio, ea pars quæ cuique in diuidendo ceſſit. κοσμοπολίτης, id eſt, mundi ciuis ita nonnulli philoſophi de ſua patria reſponderunt, interrogati cuiates eſſent, vnde & illud Poëtæ natum eſt, Omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus æquor.

In Epiſtolam quadrageſimamtertiam, ad Siſynnium.

*Col.*601.B.*lin.*24. *Quia poſtulati contemplatio temporalis eſſe ſolet, virtutis autem diuturnus eſt habitus, & iugis animarum inductio.*) Arbitror legendum non poſtulati, ſed poſtulantis, vt temporaria ſit petentis cōſideratio, ſed virtus animi qua ad bene agēdum prouocamur, diuturna ei & firmi habitus nec recētis affectionis, quali quis ex aliena precatione afficitur: deinde illud & iugis animarum inductio φιλοστοργίαν ſignificat, nimirum eam propenſionem, qua parentes aduerſus liberos ſuos vergunt, alluſum nonnihil, quod ex ſequentibus magis patebit, ad illud Terētij, Pro peccato magno paulum ſupplicij ſatis eſt patri.

Ibidem C.*lin.*46. *Si quid fortaſſe offenſum ſit quod habet vſus.*) Hoc eſt, ſicubi impingitur, & offenſio aliqua naſcitur, vt in vita fieri ſolet.

Ibidem D.*lin.*57. *Maiore pietatis ſtudio feſtinauit ouem ſubrogare ſacrificio.*) Subrogare, ſubſtituere, ſufficere, ſubiicere ouem in locum filij ad victimationem.

In Epiſtolam X L I I I I. ad Conſtantium. Eſt prima, lib. V I I.

*Col.*602.*lin.epiſt.*7. *Quia ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit eum.*) Hebræi videntur ſentire terram aquis inniti, iiſque quaſi pro fulcris ac fundamentis vti. Habent enim illi in quibuſdā rebus peculiarem phyſiologiam, inter quæ etiam illud eſt, quod aquas ſupra cœlum conſtituunt & firmamentum aiunt diuidere inter aquas & aquas: ſed theologi eam controuerſiam interpretatione quaſi conciliant, cum Grecorū philoſophorum dogmatibus, eo quod aquas ſupra cœlum conſtitutas cœlum criſtallinum velint eſſe. Baſilius autem in libris Hexamerῶn ſimpliciter & φυσικῶς hoc ipſum interpretatur.

Ibidem D.*lin.*60. *Sunt ergo & fluuij dulces atque perſpicui, ſunt & fontes niuei.*) Fortaſſis legendum viui, iuxta illud Ioannis, Fiet in eo fons aquæ viuæ ſaliens in vitam æternam.

*Col.*603.*lin.*52. *Quæ vagum exulem.*) Quod Cain perpetrato homicidio ſolum vertit, id poſtea abiit in omnium gentium mores, adeò vt omnes homicidæ, etiamſi per errorem, & caſu

& casu hominem necassent, quasi nefarij patriam, quam sanguine humano cõtaminauerant, vltro reliquerint. Exempla plurima apud Poëtas & nonnulla apud Historicos.

*Ibid.lin.*59. *Circũscribit pupillum.*) Scriptura & cautionibus fallat, transfertur ad omne genus impostura. Cicero in Academicis, Alterum est quod fallacibus & captiosis interrogationibus circumscripti & decepti, quidam cùm eas dissoluere non possunt, desciscunt à veritate.

*Col.*604.C.*lin.*32. *Grande innocentiæ præcipitium.*) Innocens hîc capitur pro simplici & ἀκάκῳ, sic paulò pòst, Innocens dum credit facilè, citò labitur. Sunt libri qui sic distinguunt, Fouea alta est, os maleuoli grande præcipitium innocentiæ. Sed rectiorem puto priorem distinctionem.

*Ibid.lin.*43. *Subdola iniquitate defeneratum.)* Defeneratum, valde vsuris obligatum & depressum.

*Ibid.D.lin.*67. *Propendunt bona.*) inclinantur, humi vergunt, onere suo. Plautus in Asinaria, Nec dependes, nec propendes, quin malus nequaquam sis. Cic. in Tusculanis, Tantum propẽdere illam bonorum animi lancem, vt & terram & maria deprimat.

*Ibid.lin.*71. *Grauis est enim vtpote talento plumbeo suffulta iniquitas.*) Talentum hîc simpliciter immensum pondus significat. Virg. Memoras quàm multa talenta
Gnati parce tuis. Apud Homerũ etiam bilãcem significat.
χρύσεια πατὴρ ἔτι τάνε τάλαντα.

*Col.*606.*A.lin.*7. *Vadatur hunc sermonem scilicet Ioseph.*) Vadatur, hoc est, hunc sermonem certum eum esse docet, & qui subterfugere nequeat: à consuetudine eorum sumpta metaphora, qui reum vadantur, hoc est, fideiussores accipiunt, de eo in iudicium ad certum diem sistendo. Cic. pro Quintio, Hic hominem in præsentia non vadatur, ita sine vadimonio disceditur.

*Ibid.lin.*12. *Geminatur autem seruitus, vbi seruitur vernaculis.*) Olim habebant serui peculiosi, eos qui ipsis seruiebant, quos vicarios appellabant, qualis Sauria apud Plautum in Asinaria: istorum conditio pessima, eo quòd in eius manu sunt, qui nec ipse libertatem habet nec aliis dare potest.

*Ibid.B.lin.*20. *Postremo faciem & ora mutatus.*) Ex Virgiliano versu desumptum hoc est,
-Vt faciem mutatus & ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat.

*Ibid.lin.*22. *Conciliato hærede nobiliórque decoloratior.*) Primo Dauidi successor iure natalium destinatus fuit Ammon, sed Thamaris sororis stupro decoloratus ante patris obitum occidi meruit. Hæreditas deinde ad Absolonem pertinebat, sed is tam impius in patrem, quàm ille in sororem. Ille enim sorori pudicitiam eripuit & probro oppletam cum summa ignominia statim eiecit: iste patri & regnũ & vitam eripere molitus est. Nefarij ambo: alter incesto, alter patricidio. Tertius deinde ordine nataliũ successor destinatus Adonias, qui senis decrepiti extremum halitum non expectans, eo viuo adhuc regium nomen occupauit, & post mortem eius coniugem Dauidis in vxorem affectauit. Salomon autem legitimo gradu nascendi ad regnum nullum accessum habebat, vtpote minor Adonia, sed tamen hunc Dauid præterito maiore filio ad successionem accersiuit. Clarior igitur Dauid accersititio hærede, & comparatitio, quàm legitimo, siue illum voles Amonem siue Absolonem, siue Adoniam.

*Col.ead.*606.*D.lin.*54.) *Commendo tibi Ecclesiam quæ ad Forum Cornelij est.* Multæ ciuitates à foro nomen habent, vt Forum Appij, Forum Fuluij, Forum Flaminij, Forum Sempronij, Forum Clodij, Forum Liuij, Forum Iulij, ab iis qui eò colonias deduxerunt appellatæ. Forum autem Cornelij siue Forum Cornelium in Italia non longè à Cliterna.

*Ibid.lin.*65. *Nerui enim sunt, & quidam artus sapientiæ non temere credere.*) Verba Ciceronis in Epistolis ad Quintum fratrem.

*Ibid.lin.*67. *Tamen si quis est suspectæ infirmitatis & annunciantis affectus.*) Habent alij codices nunciantis affectus, sed ne sic quidem mihi integrum videtur.

*Ibid.lin.*71. *Nam etiam medendi periti cùm vident notas ægritudines, vt ipsi quidem appellant.*) Ego existimo legendum motas ægritudines, non notas. Intelligit autem morbos in ipsa sui cruditate & paroxysmo non esse pharmacis tentandos, quod sequentia indicant cùm inquit, Aut crudior ægritudo medicinam respuat.

In Epistolam quadragesimam quintam, ad Sabinum.

*Col.*607.*B.lin.epi.*4. *Nam exemplaris liber.*) Exemplaris liber archetypus est, nimirum ad cuius exemplum cætera describuntur.

*Ibid.lin.*12. *Vt non tam deflare aliquid videamur quam abscondere.*) Deflare pro ebuccinare.

*Ibid.D.lin.*28. *Iam si, vt hortaris, aliquid & de veteribus scriptis redoleat.*) Puto legendum iam si ita hortaris vt aliquid & de veteribus scriptis redoleat in Epistolis.

*Ibid.lin.*38. *Quia absens erat corpore, sed patris spiritu, non solum cùm scriberet, sed etiam cùm iudicaretur.*) Verba sunt Pauli ad Corinthios prima capite quinto. Congregatis vobis & spiritu meo. Hinc puto est, quòd vbi sacerdos in missa, in salutando populo optat eis domini præsentiam, Dominus, inquiens, vobiscum, vicissim à populo respondetur, Et cum spiritu tuo. optans cum domini præsentia vt etiam spiritus sacerdotis ipsis præsto sit. Ea enim olim fuit sanctitas sacerdotum, vt istiusmodi optatio friuola non haberetur.

In Epistolam quadragesimamsextam, ad Eusebium.

*Col.*608.*A.lin.*3. *Faustinus vtérque tibi redditus est, nobis vtrúmque Ambrosium pignus resedit.*) Facilè colligitur ex sequentibus duos esse Ambrosios, & ipsum authorem huius libri, & alium de quo postea ait, salutant te Ambrosij. Nescio quid hic aut integritatem aut sententiam impedit.

*Ibid.lin.*5. *Ipse habes quod primum in patre & quod iucundissimum in filio minore.*) Et hic verbum deest quod sententiam absoluat. Hic filius minor Parthenius appellatus est. Videtur autem Ambrosius ita scribere ad Eusebium quasi ad patrem seu potius ad auum: pater autem Ambrosij & ipse Ambrosius dictus est, de se vt maiore filio non meminit, in minore filio dicit esse quod amplexetur Eusebius.

*Ibid.lin.*9. *Et perpetuati vocabuli iugis successio.*) Id est, æterna propagatio sobolis sub eodem nomine (vt gentiles solent) nuncupatæ, quales sunt familiæ Lentulorum, Pisonum, Fabiorum.

*Ibid.B.lin.*32. *Quia ipse tanquam bonus retrorsum rediens.*) Alia exemplaria habent, quia ipse tanquam Bononiam rediens. Quo alluserit Ambrosius incertum: an quod hic filius remenso itinere Bononiam ad patrem redierit, vt eius nuditati & egentiæ subueniret, non possum pro certo affirmare. Ista enim epistola omnium inquinatissima etiam post Costerij castigationem, qui tamen plurima loca persanauit.

*Ibid.C.lin.*44. *Sed maledictus nemo.*) Allusit ad Elogia Noe qui Cham maledixit, in hac autem stirpe vult Ambrosius nullum esse Cham aut maledictum.

*Ibid.D.lin.*52. *Comacinas rupes gestare secum & faciem tauro propior vultu videatur exprimere.*) Comacinas rupes fortasse intelligit alpes eas quæ Como imminent, quo Coloniam Pompeius Strabo deduxit pater Pompeij Magni, sed hæc diuinatio est. faciem, regionis scilicet imaginem, vt asperitatem loci natalis vultu & moribus præ se ferre videatur.

In Epistolam quadragesimam septimam, ad Irenæum, aliàs ad Sabinum.

*Col.*608.*D.lin.*67. *Quod eum Apollinare virus infecerit, qui non potest audire, quod Dominus noster Iesus pro nobis seruiturem susceperit.*) Cur Christus secundum carnem ab Apostolo seruus sit inter plurimas causas & hæc quoque referri potest, quod tanquam furcifer crucem suam tulerit, & quod seruili supplicio necatus sit.

*Col.*610.C.*lin.*34. *In manus tuas commendo spiritum meum.*) Ex Græcis verbis etiam ita interpretari potest, in manus tuas depono

depono ſpiritum meum, quaſi à patre reſumpturus in reſurrectione. Sed enim commendo etiam aliquãdo hunc ſignificatum habet.

Col.611.A.lin.6. Ille dehoneſtatus eſt & depreciatus.) Depreciatus cuius precium decreuit.

Ididem lin.12. Perdix qui clamauit vt congregaret quæ non peperit.) Deſumptum ex 17.cap.Hieremiæ, Perdix fouit, quæ nõ peperit.

In Epiſtolam XLVIII. ad Irenæum.

Col.611.B.lin.28. Quæ decipiẽdi venatoris vias calleat.) Plinius lib.x.cap.xxxiii. Si ad nidum auceps cœperit accedere, procurrit ad pedes eius fœta, prægrauem aut delumbem ſeſe ſimulans, ſubitóque in procurſu, aut breui aliquo volatu cadit fracta, quaſi aut ala aut pedibus, aut procurrit iterum, iam iam præhenſurum effugiens, ſpémque fruſtrans, donec in diuerſum abducat à nidis.

Ibid.lin.36. Vt in fœminas cum ſummo certamine mares irruãt.) Plinius ibidem, Illæ quidem & maritos fallunt, quoniam libidinis intemperantia frangunt earum oua, ne cubando detineantur: tunc inter ſe dimicant mares deſyderio fœminarum, victum aiunt venerem pati.

In Epiſtolam LI. ad Fœlicem.

Col.612.D.lin.Epiſt.5. Itaque partem direxi amicis.) Noua & apud veteres inſolenti ſignificatione, quæ tamen poſterioribus temporibus increbuit. direxi, dixit, pro miſi.

Ibidem lin.14. Intorquẽda eſt amentata illa non manipularis ſententia.) Amentum vinculum eſt & genus habenæ, quo tela alligata ipſo rotatu fortius euibrãtur. Eſt autem mens iſtorum verborum, non gregariam eſſe ſententiam, ſimplicis quaſi militis, ſed eximiam, quaſi ordinum ductoris intorquendam.

Ibidem lin.17. Vectigalis.) Quaſi lucroſa, & quæ vectigal dependat, eo quod munuſculis comitata veniat.

In Epiſtolam LII. ad Romulum.

Col.613.B.lin.25. Vt alienis diſpendiis famem ſuam ableuent.) Alij codices habent alleuent, quod quidem conſuetius, ſed illud alterum familiare Ambroſio eſt.

Ibidem 28. Verè terra eſt ferrea telorum ſegetibus inhorrens.) Alluſionibus Virgilij hæc verba conſtant, Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus, æráque fulgent Sole laceſſita.

In Epiſtolam LIII. ad Titianum.

Col.613.C.lin.43. Vt ſi de negotio definiueris.) Pro tranſegeris & finem negotio impoſueris, compoſita lite.

Ibidem 44. Ideóque promptior eſt deciſioni.) Rurſus deciſioni pro tranſactione ſiue compoſitione, cùm hinc inde controuerſiæ à cauſa detrahuntur, & id ſolum remanet quod apud vtrumque in confeſſo eſt.

Ibid.48. Vel cum illo, quod tum gerebat officio depoſuit.) Id eſt, poſtquam magiſter officiorum eſſe deſiit, cum ea functione depoſuit litis iſtius iudicandæ curam.

Ibidem 49. Iſte negotij ſui meritum.) Videtur per iſtum intelligi neptis maritum, qui iam æquitati cauſæ, non patrociniis magnorum virorum innitebatur.

In Epiſtolam LIIII. ad Syricium.

Col.613.D.lin.60. At cùm de conſeruitio noſtro aliquos dirigis.) Collegas ex ordine Eccleſiaſtico conſeruos, eorúmque cum aliis functionem conſeruitium vocat, & fortaſſe ex eadem conſuetudine humilitatis eſt, quod Pontifex ſe ſeruum ſeruorum dei appellat.

Ibidem lin.65. Plurimum minuit.) Nimirum lætitiam, Nam hoc ſubauditur, niſi velis, minuit pro minuitur per ἀλλόγως capere.

Col.614.A.lin.5. Dicebatur hoc prophetæ cùm mitteretur in carcerem.) De Hieremia hoc intelligendum, conſule huius Prophetæ caput trigeſimumoctauum.

In Epiſtolam LV. ad Fœgadium & Delphinum.

Col.614.B.lin.Epiſt.3. In quibus conſularem iuriſdictionem egregie repreſentauit.) Id eſt, proconſulatum adminiſtrauit.

Ibidem 15. Nec mihi immutarem quod in vſum venerat.) Bis igitur ſcribit ad eoſdem, vt & morem ſemel receptum tueretur, & Polybio gratificaretur, qui ad ſingulos deferret literas communes.

In Epiſtolam LVI. ad Romulum.

Col.614.C.lin.Epiſt.4. Crebra & iucunda alloquia tedantur.) Alij cudãtur. vt hic duplex lectio eſt, ita quoque in illo Terentiano verſu, vnde illud deſumptum videtur eſſe, Verum interea dum ſermones cedimus, vbi in aliis libris inuenitur Cudimus.

Ibidem lin.23. Conflatum eſt vituli caput.) Iudæi qui Ægyptiis ritibus quadringentorum annorum incolatu aſſueuerant, facilè pertrahebantur ad ſuperſtitionem Apis ſiue Serapidis, quem in ſpecie tauri Ægyptij colebant. vitulum verò aliquando capi pro iuuenco ſiue tauro notum eſt vel ex Virgiliano, Si ad vitulam ſpectes nihil eſt quod pocula laudes. Eſt alioqui vitulus inter boues gradus ætatis, qualis eſt puer inter homines, & quod iuuẽcus ſiue iuuenca inter hoc genus armenti, id viciſſim iuuenes inter homines.

Ibidem lin.27.A. Denique & Patriarcha Iacob abſcondit inaures cum ſimulachris gentium.) Sæpius me malè habuit, cur inaures ab idololatriæ cultu diuerſiſſimas, ſepelierit Iacob vnà cum idolis. Sed hunc ſcrupulum mihi eripuit Hebræus noſter Andreas Balenſis, qui reſpondit inaures ibi vocari, quo ſacerdotes in cultu numinis aures tegunt, quales fuere apud Romanos infulæ.

Col.615.A.lin.17. Sic Moſes typum illum diſſipauit Ægyptiũ.) Ex caſtigatione Coſterij legendum eſt typhum, faſtum ſcilicet & elationem. Id enim ſignificat Græcum vocabulum hoc.

Ibidem 65. Ipſe ſi quid melius habes nobis comparticipato.) Alluſum ad illud Horatij, - Si quid nouiſti rectius iſtis, Candidus imparti, ſi non, his vtere mecum.

In Epiſtolam LVII. ad Seuerum.

Col.616.A.lin. In medio verſamur omnium moleſtiarum freto.) Suprà dixerat ſæuis curarum æſtibus, quod ferè idem eſt: freta enim à feruore vndarum dicta ſunt, quod in iis anguſtiis maris vndæ maiori æſtu ferantur.

Ibidem 26. In quo tam graues iamdudum ſuſtinemus gemitus.) Alluſum ad illud Pauli ex ſecundo ad Corinthios, cap. 5. Nam qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus grauati, vel ad illud ad Rom. 8. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc: non ſolum illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum dei expectantes redemptionem corporis noſtri.

In Epiſtolam LVIII. ad Studium.

Col.616.C.lin.epiſt.16. Sed ſi non potueris facere, nec tamen innocentes atterere ſqualore careres & abſoluere, plus quaſi ſacerdos probabo.) Locus prorſus inquinatus nec remediũ video. Senſum ſi coniectare licebit, fortaſſe is fuerit. Cùm ſuperius docuiſſet, non eſſe abſcindendum communione Eccleſiæ iudicem, qui pro legibus capitalem in aliquem ſententiam protulerit, eúmque excuſari poſſe, laudandum tamen ſi à capitalibus ſententiis abſtinuerit, alium adhuc gradum adiecit, ſed eum quaſi ſacerdos, non quaſi iudex cõmendat, ſi ne carcere quidé reos atterat, ſed à carceribus liberet. poſtea nacti ſumus librum, qui ſic habet, Nec tamen innocẽtes atterere, ſed abſoluere, quod noſtræ cõiecturæ non nihil aſtipulatur.

Ibid.D.22.

Ibid.D.lin.22. Quod incruentam de administratione imperiali securim reuexerint.) Isti dicuntur Græcè ἀναμαστί imperium A dminiſtrare,quale Titi Veſpaſiani fuiſſe traditur,cuius vox eſt,ſe malle perire quàm perdere.

Ibid.D.lin.28. Aduersum finem veniſſe sui propositi.) Finem id eſt,ſcopum ſiue inſtitutum ſui propoſiti.

Col.617.A.lin.9. Non damnat quasi redemptio,corrigit quasi vita,quasi abluit.) Et in iſtis verbis nihil ſani,quid enim congruit redemptio cum damnatione? Tertia certa ἀπόδοσις recta eſt.lauandi enim ratio cum fontis natura bene conuenit,ſed facillimum eſt vitium indicare,quod ſaltem eò proficiet,vt alios ad ſanandum & diligentiores & acutiores reddat. quid ſi legas, Non damnat,quam ſic redimit,ſed vitam eius corrigit,& quaſi fons abluit.Nolim mihi credi,ſatis eſt ſi modo ex mea coniectura quantumcunque futili, ſentiatur,vbi hulcus ſit,quod chirurgi manum expectat.Aut ſi ſic legas, Non damnat cùm ſit redemptio, corrigit quaſi vita, &c. Vita enim etiam mores ſignificat, ſic Chriſtus, qui via, veritas & vita,mores admonitionibus emendat.

In Epiſtolam quinquageſimamnonam, De obitu Acholij.

Col.618.A.lin.1. Ætate ſupparem, non imparem ſpiritu.) Dulciſſima agnominatio:eſt autem hîc Suppar, idem quod aliquando inferior, & ſubſequens & quaſi ſucceſſor,& proximi deinde gradus.Cicero de Claris oratoribus:Huic ætati ſuppares Alcibiadis,Critias Theramenes.

Ibid. C.lin.37. Velut quodam melotidis.) Veſtes ex pellibus:pro genere animalium,vnde fiunt, nomina ſua ſortiuntur, Leontis ex pellibus leonum, Diphtera ex caprarum, quam nonnulli rhenonem appellant, Melotis ſiue Melota ex ouium. μήλον enim Græci ouem vocant.

Ibid.lin.39. Cuius meritum & gratiam non nunc primum audio, nec in vestris epistolis didici, sed in vestris literis recognoui.) Legendum haud dubiè licet exemplaria refragentur,ſed in ipſius literis recognoui. Sequitur enim,(vt omittam vitium battologiſmi.) Nam quaſi præſcius ſucceſſurum ſibi, & ſi promiſſis tegebat,tamen indiciis declarabat. C

Ibid.D.lin.65. Sed repræsentat dominus & seipsum in discipulo repræsentat.) Mallem, & ipſum in diſcipulo repræſentat, vt Acholium repræſentatum intelligamus in Anyſio, non Chriſtum in Anyſio : quanquam & illa ſententia non mala,ſed hîc agitur de Anyſio nunc ſucceſſore Acholij,olim autem diſcipulo.

Col.619.A.lin.7. Non aliter etiam eius discipulus imitatione, qui & ipse dixit patri suo & matri suæ,non vidi te.) Quid hoc ſit in ſequenti Epiſtola D. Ambroſij reperies ſub his verbis, Poſitus in monaſteriis in quibus cùm quæreretur à parentibus vel proximis dicebat, qui ſunt fratres mei aut quæ mater mea?non noui patrem vel matrem,&c.

In Epiſtolam ſexageſimam,ad Anyſium.

Col.619.D.lin.Epist.37. Medias inter sortes.) Idem eſt quod alibi dicit ſcriptura funiculos hæreditatis.Iudæa inter tribus ſorte diuiſa fuit:cuiuſque ergo tribus partes Sortes vocant. D

Ibid.lin.42. Aërem peruium sanctis.) Peruium peragratum,per quem Angeli decurrebant.

In Epiſtolam ſexageſimamſecundam,ad Irenæum libro viij.

Col.620.D lin.Epist.30.Quod abscondit mulier in farinæ mensuris tribus.) Lucæ 13. Satū Syriaca vox Hieronymo ſeſquimodium continet.

Col.621.A.lin.4. Quæ est hæc quæ ascendit à deserto sicut vitis propago fumo incensa odorificata myrrha & thure ab omnibus pulueribus vnguentis?) Græca ſic habent τίς αὕτη ἀναβαίνουσα ἐκ τῆς ἐρήμου ὡς θελέχη τεθυμιαμένη σμύρναν καὶ λίβανον ἀπὸ πάντων κονιορτῶν μυρεψοῦ, hoc eſt, quæ eſt iſta quæ aſcēdit è deſerto,ſicuti ſurculus ſuffitu redolens myrrham & thus ex omnibus pulueribus vnguētarij? Sed nihil melius interpretatione Ambroſiana.Latina Biblia paulo aliter habēt, A Quæ eſt iſta quæ aſcēdit per deſertū,ſicut virgula fumi myrrhæ & thuris & vniuerſi pulueris pigmentarij? Hic autem obſeruari licet,vnguentarium & pigmentarium eundem eſſe,quem nunc aromatarium appellant.

Ibid.B.lin.19. Vmbilicus tuus crater tornatilis non deficiens musto,venter tuus aceruus tritici minuti inter lilia.) Ex Septuaginta interpretatione liquet omnino legendum eſſe, vmbilicus tuus crater tornatilis non deficiens mixto,venter tuus, aceruus tritici munitus inter lilia ὀμφαλός σου κρατὴρ τορευτὸς,μὴ ὑστερούμενος, νᾶμα κοιλία σου θυμωνία σίτου, περφραγμένοι ἐν κρίνοις.

In Epiſtolam ſexageſimamtertiam, ad Iuſtum.

Col.621.D.lin.7. Denique in arte requiruntur vt sit αἴτιον, ὕλη, ἀπολέσμα.) Epiſtola iſta & hiulca & ſpinoſa, nihilque habet præter aliquot verba, quod Ambroſianam B œconomiam aut dulcedinem repræſentet. αἴτιον autem vel cauſa, vel author alicuius rei, ὕλη materia, quam tamen hic pro ſubiecto vel obiecto vſurpat, ἀπολέσμα effectus ſiue opus interpretari debet, ſed neque in eius ſignificatu ipſe ſibi conſtat. Nam nunc pro effectu ſiue conſummatione, nunc pro efficiente, ſiue conſummatore vtitur: quod cùm ita ſit, non video quid inter αἴτιον & ἀπολέσμα interſit, quin & in ipſo ἄιτιῳ varius eſt. Nam ita aliquando accipere videtur, vt αἴτιον is ſit, qui aliquid conatur efficere, & ἀπολέσμα qui hoc efficit, & conſummat quod ἄιτιον conatur.

Col.622.D.lin.70. Pulchrè autem quod dicunt horos seruauit.) ὅρος vocabulum artis hîc eſt, & ſignificare videtur obſeruationem finium inter quos momenta ſententiarum includi debent.

In Epiſtolam ſexageſimamquartam, ad Syagrium.

Col.623.C.lin.Epist.21. Neque delationis nexu se obligare.) Nexus propriè eſt, vbi debitor non ſoluendo & adductus per Iudicem creditori nectitur, hoc eſt,in vinculis habetur. Poſtea ſignificatio tranſlata eſt ad omnem obligationem. Accuſator autem ſi appareat eum calumniatorem eſſe ad pœnam talionis obligatur,& hoc iſthic nexum vocat.

Col.624.A.lin.13. Denique non minima etiam in tuis literis tentatæ expressionis verecundia est.) Hoc eſt,dum in literis tuis conaris exprimere rationem inſpiciundæ virginis, pudor te retinuit quo minus hoc ipſum clarè proferres.

Ibid.B.lin.27. Ea ergo tibi locuples videtur ad fidem quæ & redimi & falli potest.) Hoc eſt ea ne idonea & ſufficiens teſtis ad fidem faciendam? Alluſum ad illud duodecim tabularum, Aſſiduus aſſiduo vindex eſto.

Ibid.C.lin.38. Quid quod etiam ipsi archiatri.) Archiatri principes medicorum. Etiam noſtro tempore Medici quidam negant, inter quos Andreas Veſalius in re Anatomica facilè primus,hymem in virginibus non inueniri.

Ibid.lin.50. Neque indocilitas.) Indocilitatem pro inſcitia poſuit, cùm indocilitas ſit impotentia diſcendi, ſed ex vicino Catachreſis. Qui enim doceri nequeunt ſemper imperiti ſunt:ſic & Virgilius,

Is genus indocile & diſperſum montibus altis
Compoſuit.

Col.625.A.lin.6. Qui locus vt superiori vtilis ad Hebræorum salutem, ita reliquo confragosus ad obstetricum fidem, quæ didicerunt mentiri pro salute & fallere pro excusatione.) Id eſt, qui locus imprimis ſui partibus, vt vtilis eſt ad ſalutem Hebræorum, nam eo modo factum eſt, vt pueri non ſint necati: ita abruptus eſt & inacceſſus & auius à fide obſtetricum, quibus credendum non videtur, cùm mentiri pro ſalute didicerint.

Ibidem 13. Defloratio virginitatis.) Pro deuirginatione, verbum apud veteres inſolens : videtur Metaphora deducta ex illo elegantiſſimo Epithalamio Catulli,

Vt

Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis
Ignotus pecori,nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ,firmat ſol,educat imber,
Multi illum pueri,multæ optauere puellæ.
Idem cùm tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri,nullæ optauere puellæ.
Sic virgo dum caſta manet,tum chara ſuis:Sed
Cùm caſtum amiſit polluto corpore florem
Nec pueris iucunda manet,nec chara puellis.

Ibidem B.*lin.*31.*Quam erubeſcunt & mulieres.*) Mulier hîc ea eſt,quæ virgo non eſt,vel potius quæ vxor eſt,& tamẽ quãtum poteſt,præ pudore grauidum vterum celat.

Ibidem D.*lin.*57. *Sine viſitatione ſuſcipiendam crederes.*) Id eſt, ſine inſpectione ne quis eam viſitationem intelligat qua amicos accedimus, vt certi ſimus de eorum ſtatu aut valetudine.

Ibidem. Ergo iudicandi formulam accepiſti.) Prætores ſolent iudicibus formulam iudicandi præſcribere, non in omnem partem liberam decernendi poteſtatem permittere, quod poſtea abolitum fuit. Quid nobis futurum eſt, comica locutio,pro quid de nobis futurum eſt.Sic Terentianus Charinus in Andria,Quid me fiet,pro,quid de me fiet

Col.eadem 625.D.*lin.*67. *Quid igitur fiet?*) Omnia quæ ſequuntur Ironicè dicuntur,cùm qui virginem commendare debuerint,criminandi offenſas pepererint.

Ibidem lin.vltim. Quid præſtantius præſertim in virgine, cuius præcipuum opus verecundia,quæ ſecreta eſt,tutius ſecreto ad actus omnes expeditius.) Ego ſic legendũ arbitror:Quid autem præſtantius præſertim in virgine, cuius præcipuum opus verecundia,quàm ſecretum, quid tutius ſecreto, & ad omnes actus expeditius, poſtea nacti ſumus alium codicem qui ſic habebat. Quid autem præſtantius præſertim in virgine,cuius præcipuum opus verecundia quàm ſecretum quæ ſecreto eſt tutior & ad omnes actus expeditior : legendum videtur,quæ ſecreta eſt,tutior eſt,& ad omnes actus expeditior. Et paulò poſt.*Col.*626.A.*lin.*10.*Diuiſam germanitatis inter ſorores ſocietatem,aliáque,proh dolor, & quod virgo in agro affinitatis ſuæ refugiſſet.*)Mutilum id ſine dubio,ſed quo ſupplemento reſarciẽdum ſit,non facilis diuinatio, & quod nunc ſubiicimus,nõ ideò ſubiicimus vt rectũ putetur,ſed vt defectus percipiatur. Legamus igitur ad iſtum modũ,Muróq; interiecto diſcretas ędes vxoris ſuę ac virginis,quaſi diuiſam germanitatis inter ſorores ſocietatẽ cõqueſtus,&c. non ita diu poſtea. *Ibid.lin.*14.*Et teſtes auditionis deduxit.*) Auditionis,id eſt,famæ,vocabulũ etiã Ciceroni in hac ſignificatione vſurpatum,ſic & in Pſalmis,Ab auditione mala non timebit.

In Epiſtolam LXV. ad Syagrium.

*Col.*627.C.*lin.Epiſt.*24.*Locus in poſſeſſionem datus pro funiculo hæreditatis.*) Funiculus Græcè σχοῖνος ſpatij certa magnitudo. Continet autem teſte Herodoto in Euterpe ſexaginta ſtadia,hoc eſt,duas paraſangas:lexici tamẽ paraſangam cum funiculo confundunt,ſed malè.

*Ibid.lin.*33.*Quo mulier offenſa claues remiſit.*) Signum hoc diuortij & renuntiantis curam familiæ, atque ita materfamiliâs eſſe deſiuit.

*Ibidem lin.*50.*Feſtino viam celerabant gradu.*) Virgil.

-ſtudio greſſum celerabat anili.

*Col.*628.B.*lin.*31. *Vt vino adoleret curarum obliuio.*) Lego pro adoleret abolere, hoc eſt, aboleretur, ἀλλοίωσις generis, vt vertit pro vertitur,quo mox vſurus eſt.

Ibidem C.*lin.*45. *Publicum flagitium priuato dedecore tolerabilius habere.*) Lego intolerabilius.Publicum flagitium eſt in ſtupro hoſpitæ, priuatum dedecus in filiæ contumelia, ſed illud,quàm iſtud, intolerabilius putat, quare filiã ſuam eorum libidini offert.

Ibidem D.*lin.vltim.Sed prius verbis experiundum de flagitio & decernendum conditionibus pro delictis.*) Alluſum ad id Terentij, Omnia prius experiri verbis quàm armis ſapientem decet. Apollonius ἀρχαιονικῶν tertio. μηδ' αὖθις ἀλκῇ πρὶν ἔπεσθ' ἑτέρωθεν πειρηθῆναι. Decernitur conditionibus cùm offerendis accipiendiſque legibus de cauſa diſceptatur.

*Col.*629.C.*lin.*46.*Sed miſerè in ſua populum conuerſum viſcera & bello ciuili vtrumque afflictum.*)Lucanus in primo: Populúmque potentem In ſua victrici conuerſum viſcera dextra.

In Epiſtolam LXVI, ad Paternum.

Col. 630.C. *lin. Epiſt.*1. *Paterni quidem vnanimis mei ſalutationem legi,ſed cõſultationem haudquaquam paternam, vt velis filio neptam ex filia copulare.*) Olim licebat patruum filiam ex fratre in vxorem ducere, vt patet ex fragmentis Vlpiani, cuius verba hæc ſunt : Inter cognatos autem ex tranſuerſo gradu olim quidem vſque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant , nunc autem ex tertio gradu licet vxorem ducere,Si tamen fratis filia non etiam ſororis filia aut amita aut matertera quamuis eodem gradu ſit.Hoc genere connubij primus inter Romanos vſus eſt Claudius Cæſar Agrippina fratris filia in vxorem ducta.Nunc autem Paternus in pari gradu idem ius putauit,quæſiuítque quod licitum erat Patruo,num idem liceret Auunculo:Si inceſtæ nuptiæ non erant cum fratris filia,non vîderi etiam inceſtas cum ſororis filia.Quod D.Ambroſius hac epiſtola refellit.

*Ibid.lin.*2: *Sed conſultationem haudquaquam paternam.*) Per agnominationem alluſum ad proprium nomen,Paternum, quod nomen ipſe in affinitatem mutate volebat.

Ibid.lin 8.*Medicorum etiam pueri corporibus vtile ferunt.*)Alia lectio Medicorum periti, ſed ſuperior magis ſyncera eſt, ſic enim à Platone ſæpius appellantur ὑοὶ ἰατρῶν Celſus autem & Paulus Ægineta tradunt Venerem melancholicos adiuuare inſigniter,& in pituitoſis prodeſſe ægritudinibus.

*Col.ead.*D *lin.*18.*Boues qui iungit ad aratrum,equos ad currum, pares eligit.*) Alluſum ad illud in Heroïnis,

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.

*Ibid.lin.*23. *Nempe Auunculus iſte illius,illa huius neptis vocatur.*) Quidam Grammatici carpunt Eraſmum quod dixerit neptem ex fratre & ſorore pro ſororis & fratris filia, arbitrantúrque id non poſſe dici,niſi vbi quis fratris vel ſororis filiam adoptauerit in neptem, quaſi ex ſuo filio filiáve nata eſſet,quod hîc tamen falſum apparet.

Col. 631.A.*linea* 11. *Patrueles fratres.*) Qui ex duobus fratribus naſcuntur fratres patrueles, ſororéſque patrueles appellantur. Cic.in 2. Philippicorum. Sedenim ſi alter ſit maſculus altera ſit fœmina qui ex duobus fratribus,ſiue altero fratre altera ſorore naſcuntur, æquè fratres patrueles vocantur à digniore tranſſumpta ſignificatione,& ſic etiam maritos vocamus cùm & vxorem virúmque eius intelligimus.

*Ibid.*C.*lin.* 43. *Nam Theodoſius Imperator etiam patrueles fratres & conſobrinos vetuit inter ſe coniugij conuenire nomine.*) Theodoſij lex de inceſtis nuptiis habetur lib.3. capite 12. ſed ibi nulla mentio de patrui,vel auunculi cum fratris aut ſororis filia,nuptiis,ſed pleraque in eo codice mutila.

Ibidem D.*lin.* 62.*Tamen tuam familiam non propagaret.*) Qui ex mea filia naſcitur,nõ ad meam familiam ſed ad mariti familiam pertinet,aut patris eius , ſi ipſe nondum emancipatus ſit: vnde quidam dicunt ſororem dictam, quòd ſeorſum in familiam detur.

In Epiſtolam LXVII,ad Quinegium vel Cynegium.

*Col.*631.D.*lin.*2.*Epiſt.Quia de eo conſuleres quod non probares, ſed morem gereres parenti.*)Ego legendum exiſtimo,quia de eo conſuleres, non quod probares, &c. melius enim negatio prepoſita ſuſpendit orationem , vt contrarietas poſtea inferatur.

In Epiſtolam LXVIII, ad Antonium.

*Col.*632.A. *lin.* 12. *Cum indiuiduo pectoris mei loquar.*) Id eſt,cum eo qui à pectore diuidi non poteſt,talem ferè Græci Amicum vocant ἑταιρίδιον. Eſt autem non ingrata

ἀλλοίωσις significationis, sic inuictus pro inuincibili, sic infractus qui frangi non potest.

In Epistolam LXIX. ad Alypium.

Col. 632. B. lin. 30. Quam contumeliam non cumulandam arbitror.) Rectius videtur, si legas, quam cumulandam arbitror. Vt magis satagendũ, vt munia officiorum exaggeres quã vices reddas, vt benecuolẽtiæ certamẽ videatur, nõ satisfactio.

In Epistolam LXX, ad Vigilium lib. ix.

Col. 633. A. lin. 15. Populi sæpe conciderunt fœnore.) Romani non ferentes onera vsurarum per secessionem Sacrum montem occupauerunt.

Ibid. B. lin. 28. Leuitis de Ephren.) Hoc videtur abundare.

Ibid. B. lin. 57. Quod cùm alius vsu probatum sit, tum maximè in ea rerum conuersione qua rursus ad Hebræos à Palæstinis versa vice res mutatæ.) Nonnihil in hac oratione peruersum est, sic enim mihi legèndum videtur, ab Hebræis ad Palestinos versa vice res mutatæ. Fortuna enim se ad Palæstinos reflexit, & Hebræos hactenus dominos in ipsorũ potestatẽ redegit.

Col. 634. B. 22. Eo quòd prosperorum iudicium non aduersantium sit visere Deum.) Veteres crediderunt conspectum numinis aut Herois pestiferum esse: vnde apud Ethnicos solent precari, vt contra obtueri fas sit. Petrus quoque fulmen numinis ex præsentia eius metuens, dixit, Exi à me domine, quia homo peccator sum. & Vidua in libris Regum putat ideo filiũ esse mortuum quòd in cõtubernio haberet prophetã.

Ibid. D. lin. 65. Aut mulctam ignorantibus.) Existimo adiiciendum eandam, vt par hinc inde conditio esset luendi accipiendique vestes. nam ita habetur Iudic. XIIII.

Col. 635. A. lin. 17. Quem tamen paranymphum.) Paranymphus apud Græcos vtriusque generis alióque nomine νυμφόστολος dicitur, nimirum is eáve qui sponso sponsævé ad curam nuptiarum adiungitur, ferè idem qui in Romanis nuptiis est Auspex, cuius authoritate potissimum solennia nuptiarum peraguntur. Lucanus de nuptiis Corneliæ & Pompei, contentique auspice Bruto, Iunguntur taciti. Sed regrediar aliquantulum retro ad quæstionem Sampsonis. De comedente exiuit cibus & de forti dulce. Si Hebraïca verba ita essent πολύσημα, vt fortis is diceretur aliquando, qui acer aut acerb' esset, optimè decurreret per antitheta, & inextricabilem videretur ex cõtrariorum natura habere solutionem, & prorsus incredibile quiddam, quod in omni ænigmate obseruari solet. Certè apud Latinos, Sæuus nunc pro forti, nunc pro crudeli ponitur, acrémque, nunc fortem nunc acerbum dicimus. Sed eam curam ad Hebræos reiicimus. Noster Balenus linguę Hebraicę peritissimus dicit mihi vocabulum Fortis istiusmodi ambiguitatem non admittere. Sed si scriptum fuisset meari, hoc est de Leone, idque pronuntiando nonnihil deprauatum esset in mari hoc est acerbo, Sãpsonis verba proximè ad naturam rei accessisse, & tenui quadam luce, ænigmatis obscuritatem adiuuisse. Certè Iosephus ita habet, ὅτι τὸ πάμβορον γεγεννήκει βοερὰν ἡδεῖαν ἐξ αὐτοῦ, καὶ πάνυ ἀνδρὸς ὄντος, hoc est, qui omnivorax est, genuit cibum suauem ex sese, quanquam ipse prorsus insuauis esset.

Col. 636. B. lin. 25. Maxillæ interfectionem.) Vetus interpres vocat maxillæ eleuationem. Græcè est ἀνάιρεσις σιαγόνος, longè melius est quod ab Ambrosio est redditum.

Ibid. C. lin. 35. Quomodo Dei misericordia, cùm proiecisset ille maxillam, aperuit fissuram.) Locus & si vitium præ se non ferat mihi tamen suspectus est. alij Codices habent: Quomodo dei misericordiæ cùm proiecisset maxillam ille aperuit scissuram eius, eo sensu, cùm ad eum modum Maxillam Dei gratiæ proiecisset, ille, hoc est, deus aperuit scissuras eius. Quod ob iactantiam in hanc sitim deuenerit inuenies apud Iosephum lib. quinto, capite decimo, Rerum antiquarum, quem Ambrosius in plerisque imitatur. Quod autem Ambrosius scissuras vocat, apud Septuaginta habetur τὸ τραῦμα τὸ ἐν τῇ σιαγόνι, nimirum eam partem mandibulæ, quæ ex incussu læsa & attrita esset.

Ibid. D. lin. 72. Si vitibus virentibus adhuc & non aridis.) Septuaginta loquuntur, si septem neruiceis funibus & adhuc humentibus ligatus fuero, sed noster Iosephum imitatur, cuius hæc verba sunt εἰ κλήμασιν ἐπὶ ἁθεῖην ἀμπελίνοις.

Col. 637. A. lin. 11. Si dissoluti essent crines septem capitis sui & quasi in cubitum intexti discederet ab eo virtus sua.) Iosephus sic habet περὶ τὸν ἀνυφῆναι τὰς κόμας, αὐτῷ ἐμήνυεν, hoc est tertio iudicauit comas suas intexi debere. Septuaginta sic, ἐὰν ὑφάνῃς τὰς ἑπτὰ σφαῖρας τῆς κεφαλῆς μου κατὰ τὸ ὕφασμα τοῦτο, καὶ ἐγκρούσῃς ἐν τῷ πασσάλῳ εἰς τὸν τοῖχον hoc est, si texueris septem catenulas siue annulos capitis mei cum trama, & impegeris cum paxillo in parietem. Vbi elegantissimè Septuaginta σεῖρας posuerunt. Sunt enim Cincinni quos in alicuius numinis aut fluuij gratiam alere solent. Cæterùm quod ait Ambrosius quasi in cubitum, sciendum est, cubitum hic certam partem machinæ textoriæ significare.

Ibid. lin. 17. Simul quia debebatur inuictæ ad id tempus fortitudinis viro, vt incideret in ærumnam.) Illud debebatur tum à scriptoribus vsurpatum, cùm id quod fatale siue in futurum imminebat, indicare volunt. Iosephus de eodem Sampsone, ἔδει γὰρ αὐτὸν συμφορᾷ περιπεσεῖν. nonnunquam hoc ipsum χρέον dicitur, vocabulum idoneum, iis qui à nomine fati abhorrent.

In Epistolam LXXI, ad Irenæum.

Col. 638. C. lin. 37. Cuius testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se prodit, quibus vel redarguitur, improbitas, vel defenditur innocentia.) Consonum hoc est cum versu Iuuenalis. prima est hæc vltio, quod se iudice, nemo nocẽs absoluitur.

Ibid. lin. 49. Insolentia quid sit.) Insolentia opponitur modestiæ: proprium hoc vitium eorum, qui recenti fortuna luxuriant.

Col. 639. A. lin. 15. Ad cauẽdum enim prodest præscire.) Alii libri habent, præsciscere, quod est numerosius.

In Epistolam LXXII. ad Irenæum.

Col. 640. A. lin. 15 Pædagogus ergo, sicut etiam interpretatio Latina habet, Ductor pueri.) Videtur olim ea lectio fuisse, lex ductor noster fuit in Christo.

Ibid. C. lin. 37. Litera igitur occidit exiguam corporis portionem.) Habent alij libri, quod omnino verum est, non occidit, sed circuncidit, nisi hoc intelligi velis, de præputio quod perit, non de membro vnde abscinditur.

Col. 641. A. lin. 10. Eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplo.) Nescio an & in Græcis & Latinis commata ista male distincta sint, & num sic legi oporteat, eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum, terræ purgatum septulo. vt purgatum cum terræ construatur. Certè Hieronymus sic transtulit: Eloquia domini, eloquia munda, argentum igne probatum, separatum à terra, colatum septuplum. Si apud Græcos illud terræ esset Genitiui casus, magis mihimet ipse crederem, quare ad Hebræos prouocandum puto.

In Epistolam LXXIII. ad Clementianum.

Col. 642. B. lin. 31. Tanquam clausis tabulis hæreditatem cernit.) Cernere hæreditatem est adire hæreditatem. sic enim vulgo præceptum, sed ex fragmentis Vulpiani & ex Codice Theodosij quarto, titulo primo, ratio id temporis est quod datur hæredi liberum ad cernendum, hoc est consultandum, velitne adire hæreditatem an non. Sed hîc cernere hæreditatem, idem est, aspicere, quanquam non statim qui aspicit cernit: ille enim cernit: qui rem agnoscit, nec minus animo quàm visu perlustrat. vt ex illo prophetico, vt audientes non audiant, & videntes non cernant.

In Epistolam LXXIIII. ad Horontianum.

Col. 643. B. lin. 31. Sed arbitror, propositi gratia hoc dixisse Apostolum.)

ſtolum.) Propoſiti vt id quod in manibus erat, tractaret, eóq; preſentem ſermonem attemperarer, vel vt Hypotheſim fingeret, quod barbari vocant ſuppoſitionem, ita vt fingat omnem fidem quæ ſit in charitate.

In Epiſtolam LXXVI. ad Studium.

Col.644.D.lin.8.Epiſt. Id enim Iudæorum commenta eſt tergiuerſatio.) Alij codices commentata eſt tergiuerſatio, quod quia numeroſius eſt, melius aures implet.

Col.645.B.lin.23.Duo æra.) Id eſt, duo aſſes.

Ibidem lin.vltim. Nec ocioſe quindecim anabathmorum Pſalmos Dauidicos legimus.) Anabathmi Græcè, gradus Latinè nuncupantur.

col.646.lin.1.Cùm Ezechias iuſtus rex vitæ huius acciperet cõmeatum.) Commeatus eſt certum ſpatium temporis adquod miles caſtris abeſſe poteſt. eadem ratione Ambroſius indultum ſpatium vitæ, per quod à morte abeſſet Ezechias, pulcherrima metaphora Commeatum vitæ appellauit.

In Epiſtolam LXXVII. ad Conſtantium.

Col.647.D.lin.54. Qui viros circunciſione ſignatos, etiam opprobrio & illuſione dignos arbitrantur.) Eos enim contemptiſſimo nomine verpos appellare conſueuerunt.

Ibidem lin.66. Reperimus autem in hiſtoria veterum non ſolùm Aegyptios, ſed etiam Aethiopum & Arabum & Phœnicum aliquos circunciſione erga ſuos vſos.) Sumptum hoc aliqua ex parte ex Euterpe Herodoti eſt.

In Epiſtolam LXXVIII. ad Theophilum lib. X.

Col.651.C.lin.Epiſt.9. Vexari intentione.) Intentionem hîc vocat contentionem & peruicaciam, opponitur remiſſioni.

Ibidem 18.Protenderet.) Propenderet legẽdum, non protenderet, ſumpta metaphora à lancibus quarum quæ læuior, eleuatur: quæ grauior, propendet. Plautus in Aſinaria, Nec dependes nec propendes.

Ibidem D. lin.29. Aut certè victum inopum itineris vſurpare.) Rectum ne ſit valde mecum ambigo, vt hic ſit ſenſus, collatione pauperum viaticum cõquirunt. nihil enim hic victus itineris niſi viaticum. quid ſi legas pro inopum inopem, vt aut cogantur inopiam gemere, aut ſi non gemant, ferre? Eo deſcenderem, niſi vſurpare propriè diceretur, cùm quæ noſtra nõ ſunt, occupamus: quod tum fit, cùm ſacerdotes pauperibus victum, in ſui vſum detrahunt. Bene autem emendauit Coſterius pro gerere gemere.

Ibidem lin.42. Poſſe typum reperiri.) Typum, id eſt, formam, rationem, modum.

In Epiſtolam LXXIX. ad Theophilum & Anyſium.

col.652.B.lin.Epiſt.7. Vel cognoſceret.) Id eſt, maximè vel potiſſimum cognoſcerent: qua loquutione & Cicero & Horatius vtitur.

Ibid.C.lin.18.Temerãdum.) Id eſt, temerè agẽdum. Lucanus,

Acer & indomitus quaſpes quaque ira vocaret
Ferre manum & nunquam temerando parcere ferro.

Ibidem D.lin.48. Suſcepit eam diſcipulus in ſuam.) Sed alij ſcripti codices habent. Accepit eam in ſua. quam lectionem ob interpretationem Ambroſij cogimur ſequi, & cum Græcis conſentit ἔλαβεν αὐτὴν εἰς τὰ ἴδια. D. Ambroſius videtur ita ſentire quaſi tum quoque adhuc vixiſſet Ioſeph, & quaſi Ioannes matrem Chriſti ad ſe domum tranſtulerit: quam ſententiam bis alibi quoque apud eũdem reperies, ſemel in Orationem ad virginem. Neq; enim mater domini Ieſu niſi ad poſſeſſorem gratiæ demigraret, alludens ita ad etymon Ioannis. Rurſus in Inſtitutione virginis, ipſe eſt diſcipulus, cui mater commẽdabatur. Quomodo marito tolleret vxorem, ſi fuerat Maria mixta coniugio, aut vſum thori coniugalis cognouerat? Poteſt quidem hæc ſententia Ambroſij ex verbis Græcis colligi, ἔλαβεν αὐτὴν εἰς τὰ ἴδια, hoc eſt, A tranſtulit ad proprias ſuas poſſeſſiones. ſed & illa quam Eccleſia ſequitur ex iiſdem verbis Græcis elicias, hoc eſt, accepit eã inter ſua, hoc eſt inter ea quæ ipſius erant, hãc quoq; pro ſua habuit. Sed Latina interpretatio proba mihi videtur, accepit eam in ſuam: qua ratione, neceſſitudinem & quaſi adoptionem matris Ioannem apparet agnouiſſe. Et quid miri ſi vna aut altera litera in Græcis mutata ſit, vt olim fuerit, ἔλαβεν αὐτὴν εἰς τὸν ἴδιον? Non mihi veriſimile videtur ſi Ioſeph in viuis fuiſſet, eum vxoris & filij eius curam in extremis calamitatibus, quæ etiam alieniſſimos excitare ſolent, relicturum fuiſſe. Neque tamen ſic caditargumentum integritatis Mariæ: ſi enim Mariæ alij filij fuiſſent, non cura matris à filiis tranſlata in patruelem fuiſſet. Sed orba iam & marito & vnica prole in proximi tutelam committitur.

In Syricij papæ ad Mediolan. Eccleſiam, Epiſtolam LXXX.

B *Col.653.C.lin.Epi.26. Hi videlicet, qui quaſi vtilitate Chriſti noſſe ſe iactant vt velamẽto nominis.*) Alia lectio eſt, ij videlicet qui ſubtiliter Chriſtianos ſe iactant, vt ſub velamento: quæ lectio aliquando melior apparet. Valde mecum ambigo num ex his vetbis, quadam ſubtilitate, factum ſit, quaſi vtilitate, quod ſi recipimus legendum eſſet, qui quadam ſubtilitate Chriſtianos ſe iactant, vt eadem deformatio facta ſit ex, Chriſtianos ſe, in Chriſti noſſe, mala dictione vocum.

Ibid.D.lin.50. Nos ſanè nuptias non aſpernanter accipimus, quibus velamine interſumus, ſed virginum nuptias Deo deuotas, maiore honorificentia veneramur.) Rectum nec ne ſit, non auſim affirmare, ſi fauerent exemplaria libenter legerem, quorum velationi interſumus, niſi hoc ipſum illis verbis ſignificari velis, nimirum ſacerdotes intereſſe dum nouæ nuptæ flammeo teguntur. ita enim appellatur velum, quo noua nupta faciem abſcondit, quod poſtea dum ἀκαλυπτήρια celebrantur deponere ſolet.

Ibid.lin.52. Facto igitur presbytero conſtitit doctrinæ, id eſt Chriſtianæ legi eſſe contraria.) C Conſentiunt exemplaria, quo maior deſperatio ſanitatis. Nos quia præter diuinationem nihil eſt quod agamus, non inſulsè ita legi poſſe coniicimus. facto igitur preſbiterio, quaſi dicas, habito ſenatu, eſt enim πρεσβυτέριον ſeniorum congregatio, vt γερουσία Senatorum apud Lacedemonios. Erãt enim preſbyteri in Eccleſia, quod Senat. in rep. vtrique nomen inditum eſt à grauiori ætate. Dicit autem Ambroſius de ſententia proſbyterorum, viſam eſſe eam doctrinam aduerſariam Chriſtianæ legi.

Ibid.lin.57. Vna ſcitata ſententia.) Sciſcita ſententia eſt quæ interrogata eſt, ſcitata quæ iuſſa eſt, vtrumque ex moribus Rom. reip. deductum. Magiſtratus enim interrogat velitne iubeatne, populus ſciuit, vnde & plebiſcitum, quod à plebe iuſſum eſt.

In Epiſtolam LXXXI. ad Syricium.

Col.655.B. lin.32. Ne ſupereſſet locus in quo non dominarẽtur.) Ibi dominarentur non poſitum eſt pro regnarent, ſed pro D ſæuiant. Virg. in 2. Æneid.

Incenſa Danai dominantur in vrbe.

Ad Vercellenſem Eccleſiam, Epiſtola LXXXII.

col.656.A.lin.10. Mihi aſcribitur veſtra intentio.) Alij codices, inſcribitur, habent, quod eiuſdem momenti eſt. eſt autẽ hic intentio idem quod contentio. futurorum temporum vidit negotia, id eſt, acta, res gerendas.

col.659.C.li.44. Ad caput ſuum collyridam.) Eſt autem ſubcineritius panis teſte Heſychio. Sunt autem quatuor genera panum, furnaceus, cratitius ſubcineritius, & ſartagineus.

Ibid.D.lin.61. Qui ſylueſtribus ramis.) Alij codices habent pro ramis grumis, rectius fortaſſe glumis, quam vocẽ in eadẽ ſententia vſurpat libro de Viduitate. Grumæ enim Nonio Marcello loca media ſunt, in quæ directæ quatuor congre-

gantur & conueniunt viæ.

Col.663.c.lin.44.Promiſſum non remordeat.) Fortaſſe legendum,proſciſſus non remordeat.

Ibid.lin.48.Aſſueſce vnus eſſe.) Id eſt idem & vniformis nō varius & multiplex.

Col.664.A. lin.1.Sed vt coniugali caſtimonia ſeruiet ablutionis ſuæ gratiam.) Ablutionem hic poſuit pro baptiſmate.

Col.665.D.lin.64.Et tanquam paſtus ad virtutis adipalem agreſti alimēto proceſſit.) Locus aut mutilus aut corruptus,nam ſi retineas adipalem deeſt ſubſtantiuum, ſuccum , aut aliud ſimile,corruptus ſi mutes adipalem,in ad virtutis palen, id eſt,virtutis paleſtram, ſiue palum ad quem milites ſe exercere ſolēt,proditurі ex illa meditatione ad iuſtum prelium.

Col.669.c.lin.49. Non vtique vt elementum quod plerumque repletur ſanguine in quo eſt officina ſcelerum , aut vaſtis plerumque horret cautib', aut præruptis rupibus,aut ſterili & ieiuno ſolo eſt,ſed vt carnem præſidio nobis futuram.) Sermo iſte incompletus eſt, deeſt enim aliquid tale non vtique vt elementum quod ſanguine plerumque repletur,in quo eſt officina ſcelerum, aut vaſtis plerumque horrer cautibus , aut præruptis rupibus,aut ſterili & ieiuno ſolo , ſed vt in terra carnem Chriſti nobis præſidio futuram adorarent.

In Epiſtolam LXXXIIII. ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos.

Col.671.c.lin.38.Sed aliud eſt obſeruare gentilitio more,vt qua luna quid adoriendum ſit iudices,vt puta , quintam eſſe fugiendam nihilque ea inchoandum.) Ex obſeruatione Virgilij Heſiodíque dictum,qui quintum diem lunæ inauſpicatum volunt. Virgil.Georgicῶn I.

Ipſa dies alios alio dedit ordine ſoles
Felices operum,quintam fuge,pallidus orcus
Eumenidéſque ſatæ,tum partu terra nephando,
Coeúmq; Iapetúmque creat ſæuúmque Typhœa.

Heſiodus autem ſic:

Πέμπλας δ' ἐξαλέσασθαι ἐπὶ χαλεπαί τε καὶ αἰναί.

Ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν ἐριννύας ἀμφιπολεύειν

Sic Virgilius eam diem infauſtam eſſe voluit, quia ſit natalitius hoſtibus Iouis.Heſiodus quia tum Furiæ obambulēt ad pœnas ſumendas de nocētibus.Seruius quòd eo die nata ſit Pallas dea ſterilis. Democritus etiam philoſophus in hac opinione fuit. Mirum eſt Virgilium quintam dixiſſe cùm dixerat Heſiodus quintas, niſi exemplar Virgilianum ſit corruptum.Sunt autem ſex quintæ in ſingulis menſibus lunaribus ſecundum Atticam obſeruationem , qui lunare ſpatium in tres decades deſcribunt. Cæterùm etiam quartam lunam vulgare prouerbiū infamat,qua infœlices quarta luna nati eſſe dicuntur.

Col.672.D.lin.65.Octogeſimo autem anno & nonageſimo tertio ex die imperij Diocletiani.) Mira loquutio, ſed qua ter in hac eadem epiſtola vſus eſt. Paulò enim pòſt ſic dicit, rurſum nonageſimo & tertio anno à die imperij Diocletiani:ac deinde in fine huius Epiſtolæ, ſicut & ſeptuageſimo ſexto anno die imperij Diocletiani.Eſt autem ſenſus anno octageſimo , & nonageſimo tertio , ex quo primum ad imperium Diocletianus peruenerat , non quòd tot annos imperauerit Diocletianus qui ſeptuageſimo octauo anno ſuæ ætatis extinctus eſt , ſed quòd poſt acceptum à Diocletiano imperium is annus fuerit octogeſimus,quo lunaris ratio Paſchatis feſtum in alium diem tranſtulit. Cæterùm in tertia iſta formula,ſicut & ſeptuageſimo ſexto anno die imperij Diocletiani , ego arbitror prępoſitionem ex vel à neceſſario requiri,& addendum eſſe.Locutio iſta non tam inſolens eſſet ſi ſic legeretur,à primo die imperij Diocletiani.An ea quoque debeat reponi alij iudicent. Nos in hanc epiſtolam , & in reliquas ſequentes nullos ſcriptos codices habere potuimus.

Col.673 B.li.27.Indictio enim ſeptem libri menſe incipit. Indictio quindecim annos cōtiner,hoc eſt tres Olympiades.Indictiones Beda incipere dicit VIII. Calend.Octobres,quæ ſententia non pugnat cum Ambroſiana,cùm octauo Calen. Octobris octo adhuc dies menſis Septembris reſidui ſint.

In Epiſtolam LXXXIIII.ad Demetriadem.

Elegans epiſtola & erudita , ſed dilutiori ſtilo conſcripta, credo quod ſe attemperauerit ad puellare ingenium.

Col.675.A. lin.17. Valde enim mirabile erat & inter præcipua diuinæ gratiæ exempla numerandum,quod virgo Anitia ſuper omnes faſtigium trahens beatæ nobilitatis euecta,de cuius fœcunditate auis atque atauus reſponſura poſteritas , & familiæ votis expectabuntur & patria conuerſo repente animo deſiderio cœleſtium nuptiarum declinaſti mortale cōiugium.) ad hunc locum non ſine cauſa ſuſpectum deſtituti omni præſidio ſcriptorum Codicum, neceſſario diuinationem afferimus.Fortaſſe igitur ad iſtum modum legendum fuerit.quòd virgo Anitiæ (non Anitia) ſuper omnes ad faſtigium beatæ nobilitatis euecta. Primum hæc puella Demetrias eſt dicta, mater Iuliana , auia autem patris nomine Anitia eſt dicta , niſi gentis vocabulo Demetriadam Anitiam velis dici . Anitiorum autem Romæ ferè ordinarij conſulatus, & quaſi de manu in manum traditi, vt ex verbis Hieronymi ad eandem virginem colligere licet.Eſt virgo Anitiæ neptis Anitiæ Græcanica loquutione ſed quæ etiam apud Latinos increbuit. Quid autem hic vocabulum,trahens,faciat non video,niſi aliquid omiſſum eſt cum quo copulari potuit.

Col.ead.D.lin.62.Ob hoc enim de illo ſeruuli metu.) Sic Codex Pariſiis impreſſus,ſed legendum,ſeruili metu,vt habent exemplaria Baſileæ ædita.

Col.676.D.li.55.Sed ad ipſum viſibilium & inuiſibilium ambiunt creatorem.) Sic impreſſa, ſed legendum eſt abeunt,non ambiunt, vt & præcedentia & ſequentia requirunt.

Col.ead.lin.58.Sed hæc virtus quæ temporalis copiæ & patientiæ negligens ad vitam æternam anguſta & ardua mittitur.) Tolerabilis lectio & quæ ſenſu vtcunque conſtat,mihi tamen aliquo modo ſuſpecta, quid ſi legas : Sed hæc virtus quæ temporalis copiæ & patientiæ negligens ad vitam æternam peranguſta & ardua mittit?ac paulopoſt.

Col. 677. lin.5. Quaſi tunc iſtius gratiæ particeps factus eſt, quando omnibus facultatibus perditis vniuerſa quoque familia filiiſque priuatus,& percuſſus vulnere peßimo à planta pedis vſque ad verticem capitis , teſta ſaniem radebat , ſedens in ſtercore ad imaginem elationem reuocatus eſt.) Neceſſario hic duæ voces interſerendæ ſunt, vt ſic legas, ſedens in ſtercore, aut tunc ad imaginem elationis, &c. Duo enim abſurda adfert quibus docet in diuitiis humilitatem animi poſſe conſiſtere. Non enim Iob amiſſis diuitiis humilis factus eſt, aut reſtitutis ad ſuperbiam rediit.

Col.ead.B . lin.31. Qui vt expeditiores dominum ſequerentur, ſimul ſe omnibus ſuis opibus.) Mallem,ſemel, quanquam & illud tolerabile eſt.

Col.678.B.lin.27. Sed quid illud eſt , qua corporeum ſenſuum exteriora pulſantur in agro cordis cui impenditur iſta cultura , nec radicem poteſt figere?) Ego ſic legendum exiſtimo , inſerta particula ſi , τὸ quo, in quod mutato. Sed quid illud eſt quod corporeorum ſenſuum exreriora pulſantur , ſi in agro cordis,cui impenditur iſta cultura, nec radicem, &c. hoc nimirum intellectu , quantulum illud eſt , quod ſenſus corporis,cœli naturæque conſpectu,ad notitiam Dei excitantur,ſi perceptio iſtius quaſi in ſuperficie corporis & ſenſuum hæreat , non pertingat ad ima cordis cui iſta cultura impenditur,niſi,&c.

Ibidem D.lin.68 Sed ex mala voluntate concepta & propria diliguntur.) Quid ſi ſic legas,ſed ex mala voluntate concepta & genita vt propria diliguntur.Eſt enim hic ſenſus,nos peccata in noſtra natura nō habere nobis inſita,ſed ea nos cōcipere aliunde & gignere, deinde ea vt noſtros fœtus à nobis diligi, vt ſit eò alluſum , Perturit iniuſtitiam , concepit dolorem & peperit iniquitatem.

Col.683.lin.16.Et iſtius proprietatem ſubtiliſſimis diſcretionibus eliquabat.) Eliquabat,liquidum & clarum reddebat,hinc in forenſibus rebus ea dicuntur liquidata quæ clarè & euidenter probata ſunt.

Ibidem B.lin.25.In quarum definitionum formula multo laborauerimus

remus obscuro.) Sic omnia exemplaria. obscurum hîc igitur quod obscuritas.formulas istas loquendi plurimas inuenies apud Cornelium Tacitum, quale est: Sed veteris Romani populi prospera vel aduersa claris scriptoribus memorata sunt,pro prosperitates & aduersitates. elegans enim in primis est abstracta in concreta mutare, vt Dialecticè loquar. obscurum autem à Græca origine deflexum est. ἐπισκιερὸν.

Col.684.A.lin.4. Si cui ab humana gloria continentiam suasissem.) Continentiam pro abstinentia posuit.

In Epistolam LXXXV. ad sororem de inuentione sanctorum Geruasij & Prothasij.

Col.685.A.lin.15.Nam cùm Basilicam,&c.) Basilicæ olim regiæ domus erant,quod & etymon indicat, apud Romanos in basilicis principes ius reddebant.nunc autē basilicas templa nominamus.

Ibidem lin.17. Sic in Rom.basilica dedices?respōdi,faciam,si martyrum reliquias inuenero.) Requirit populus vt basilicam dedicet conditis sub altari reliquiis martyrum.Nam id etiam olim in more fuisse ex Decretis de Consecratione distinctione prima,non vno in loco deprehendere licet,nunc respondet Ambrosius se id facturū, si vllæ martyrum reliquiæ appareant.

Ibidem lin.19.Ardor præsagij.) Enthusiasmum,hoc est,prophetici spiritus diuinum afflatum intelligit, sed modestiore vocabulo vti voluit.

Ibidem lin.24.Vt adhuc nobis,&c.) Indicat vt arbitror,tantam fiduciam fuisse inueniendorum sanctorum, vt non deesset qui vrnam, sepulchrale vas, ad colligendas martyrum reliquias inclinaret,& ad crepidinem fossæ subiiceret.

Ibidem lin.26.Inuenimus,&c.) Sic & Lucanus. Grandiáque effossis mirabitur ossa sepulchris.

Ibidem lin.29.Ad ordinem.&c.) Sceleta sanctorum ita disposuit vt singula membra suis locis & iūcturis redderētur.

Ibidem D.*lin.65.Quos nulla,&c.*) Legerem non interpolat, sed interpellat, hoc est, continuationem eius impedit, nisi C obseruassem hoc ipsum sæpius obuium in scriptis Ambrosianis,vt interpolari pro interpellari capi videatur.Est alioqui interpolari cùm vetustis rebus poliēdo noua quasi species additur.

Col.686.A.lin.16.Videro tamen,&c.) Arbitror legendum non certi, sed certè, vt certum sit martyres resurrexisse, sed vtrum sibi,an nobis id in dubio versari.Certè miracula quę patrauerunt,eos mortuos esse,intelligi non sinunt.

Ibidem B.*lin.22.Quanta oraria,&c.*) Hoc est,quot oraria iactitātur supra martyrum ossa,fascias autem, strophia, & institas intelligit,plura de ea re superius diximus.

Ibidem lin.34.Talibus me,&c.) Videntur hæc scripta cùm Ambrosius Cæsari basilicam in gratiam Arianorum noluit cedere, eíque obiectum fuit quod populi cateruis se stiparet & tumultum faceret.

Ibidem.lin.42.Erant clausi isti oculi.) ἀφτικῶς, ostendit enim eius oculos qui cæcus fuerat.

Ibidem D.*lin.56.Auulsum humeris caput.*) Virgilianum est: Auulsúmque humeris caput & sine nomine corpus.

Ibidem 60.Succedant victimæ,&c.) Indicat eos sepeliendos sub altari veterum Christianorum more, quod etiam in Apocalypsi clamor ille Martyrum sub altari confirmari videtur.Vsquequo non vindicas sanguinem sanctorum tuorum?

FINIS.

LECTORI CHRISTIANO S.

CVm in omnibus ferè D.Ambrosij libris multa mendosè legerētur, non tam vitio temporum quàm hominum iniuria,curauimus quantum fieri potuit, vt in pristinam integritatem quæ deprauata fuerant fideliter restituta ex consensu veterū codicum ederentur. Si verò aliquid diffidij interue- A nit, placuit vt diuersa in marginibus annotarentur quando ferre possent, aut quæ satis cōmodam habere sententiam iudicaremus,in hunc locum redigerētur.Primùm variæ lectiones à Manutio collectæ ex tribus libris de Virginitate,quibus etiam interseruimus ea quæ ab illis in nostris exemplaribus scriptis dissenserūt.Deinde aliæ quę à nobis in singulis fermè libris obseruatę sunt ex veterum collatione,quādo eas nec reiici nec receptæ iam lectioni præferri debere censuimus.In his autem notandis id sequuti sumus vt numero columnæ & lineæ qua quæq; habetur adiecto,lectio à nobis impressa præponeretur:tum quæ ab antiquissimis exemplaribus manuscriptis,aut ex Germanica editione desumpta est: vt doctiores prioris ad alteram collatione facta,vtra cōmodior esset animaduerterent. B Quæ omnia qua potuit à nobis fieri diligētia & fide in tuam vtilitatem collecta,quęso te,Christiane Lector,ita accipiasvt tua benignitate nostrum studium ad meliora coadiuues. Vale.

Variæ lectiones in quosdam D. AMBROSII LIBROS, COLLECTÆ & *per singulorū ordinem notatæ ex multis dissidentibus antiquis voluminibus, & ex Germanica editione,per Ioannem Gillotium.*

IN LIBROS DE VIRGINIBVS, VT PLVRIMVM OBSERVATÆ per Manutium.

*Columna 78.*D.*linea 16.*Equidem.*nostrum exemplar scriptū habet,* Et quidem.*Ibidem lin.24.* de nostris nodis,*vt etiam legit Germanicum exemplar. Sorbonicum verò manuscriptum,* de nostris nucleis.*Ibidem lin.28.*mirentur lucere fulgorem.*Sorbonicum,*mereātur ducere fulgorem.*Col.79.lin.6.*dimittat illā.*Manutius* remittat illam.*Ibid.lin.7.*nam fortè.*Sorboni.* ne fortè. *Ibid.lin.13.& in Germ.*Ac fortasse. *Manut.* At fortasse.*lin.15.*euangelicis scripturis.*melius esse videretur,*scriptis,*vt habetscriptum vnum & Ger.Ibidem* 35.prædicaui satis, prolixa.*vetus liber,*prædicaui virginem.Satis prolixa.*Germanicus autem,*prædicaui satis.Prolixa.*Ibidem linea* 37. Vox vna præconium est. *Non malè legeretur,* vox vna præconum est, *etsi repugnent exemplaria,maximè & Aldinum. Col.81.lin.26. & Germ.editio,* vt in commemoratione. *Manut.* vt commemoratione. *Col.82.lin.58.& Germ.* sed Apostoli. *Manut.*sed D spiritus.*Ibidem lin.65.*Dei verbo.*Manut.*sacræ doctrinæ verbis.*Col.83.lin.23.sequuti Manutij impressionem reposuimus,*profitentur, ipsi non debuissent nasci. *Germ.verò & Sorbonicum exemplar scriptum habent,*profitentur se nasci non debuisse. *Et continuò post,* non vtique, (*Sorb.* itaque) dissuadeo nuptias, si fructus. *Ger.*sed fructus.*Ibid.lin.36.& Germ.* à dextris eius. *Manut.* à dextris tuis. *Ibid.lin.59.vt Aldina & Ger.impressio,* non inflexa mortalibus.*Sed in codice scripto legitur,*non inflexa moralibus. *quod non videtur alienum,cùm sequatur,*sed intenta mysteriis,&c. *Ibidem lin.65.*& mortuos(*vel* emortuos) corporis motus. *sic omnes codices præter Aldinum, vbi legitur,* & mortuus corporis motus. *Ibidem lin.71.* Ros quoque virginis est sermo.*sic quoque habetur in Aldina editione.In Germ.verò,*Ros quoque virgini est sermo.*In scripto autem,* Ros quoque virgineus est sermo. *Ibidem lin.vlt.* Partus virginis fœtus labiorum. *Sic legit Aldus. vetus Sorbonicum & Germanicum exemplar.* fœtus laborum. *Col.84.lin.8.* Quis scit enim. *Germanicus & Sorbonicus codex.* Qui scis enim. *Ibidem lin.23.*

Nec vtique eum in pectoris tui coualle reperies. *ſic etiam legitur in Aldino libro. In ſcripto autem & in* Ger.*editione*, necubi eum in pectoris tui cõualle reperias.*col.*85.*lin.*54. Nam caue quid debeas. Nec meum eſt docere. *Aldus Manut.* Nam cauere quid debeas,nec meũ eſt docere.*Ita quoque habet* Ger. *editio.col.*86.*lin.*47.qui credere.*Manut.* quia credere,*vel*,cedere.*Ibid.lin.*68. ſacrarium virginitatis. *Manutij impreſsio &* Ger.ſacrificiumvirginitatis.*col.*87.*lin.*13.eadem quiſque.*Manut.* eadem ſibi quiſque.

In librum ſecundum de Virginibus.

*Col.*89.*lin.*31.*&* Ger.*impreſ.* naturam inuerat.*Manut.*noſtram induerat.*col.*91.*lin.*16. At illa clamare cœpit.*aliàs Manut.&* Ger. at illa clamaret.*Ibid.lin.vlt.* Æſculapij.*Manut.* Æſculapio.*Col.*92.*lin.*30.*&* Germ. Vos ſi quam noſtro. *Aldus Manut.* Vos,ſi qua eſt,noſtro.*Ibid.lin.*47. thori regni cœleſtis.*ſic quoque* Ger. *Aldus verò*,thori cœleſtis.*lin.*57.*&* Ger.ab oſculo oris. *Aldus*,ab oſculis oris.*&* 68.à caſtellis. Deniq; quò euadat videte.*ſic &* Ger.*Manut.verò & Sorbonicum exemplar*,A caſtellis denique quò euadat,vide.

In librum tertium de Virginibus.

*Col.*93.*lin.*11.acquiſiuit?atque aſtantibus.*Manut.* acquiſiuit?) aſtantibus.*Ibid.lin.*20. Sed plures pauiſſet, ſi iam tunc qui.*Manut.* plures potuit,ſi plures iam tunc,qui.*quam lectionem ſequuti ſunt* Germani.*Ibid.lin.*54.ſuſpecta eſt.Modico.*Aldus Manut.*ſuſpecta.Modico.*&* 60.equus raptatur indomitus.*Aldus*,equis raptatur indomitis.*col.*94.*lin.*20.riſus ſubrepit.*ſic &* Ger.*Aldus verò*, riſus obrepit.*Ibid.lin.*33. non amiſit affectum.*Aldus* non omiſit affectum.*&* 57,qui ſi idẽ ignis eos contigiſſet.*Manutius*, quos idem ignis ſi contigiſſet,*vt habet etiam* Germana editio.*Col.*95.*lin.*25. vt mutatio laboris,*ita &* Ger.*Aldus verò*,vt mutatione laboris.*Col.*96.*lin.*15.eſt Chriſtus nobis.*Aldus*, Chriſtus eſt nobis.*Ibid.lin.*35. bonæ conſciẽtiæ.*Manut.*bene cõſciæ.*ita &* Ger.*&* 58.mandata ſecretis.*Aldus Man.*mandãda ſecretis.*Ger.* amandanda. *col.*97.*lin.*20. ſacri cruoris. *ſic &* Ger.*Aldus*,ſancti cruoris. *col.*98.*lin.*3.*&* Ger.incincto ſinu.*Aldus*,incinctæ ſinu.*Ibid. lin.*36.*incipit liber quartus ſecundum exemplar Sorbonicum.* Nobile,&c. *Ibid.lin.*44.Euentu conuentus, *vt* Germ.*Aldus & Sorbonicum exemplar*, Ibi tum euentu conuentus. *col.*99.*lin.* 68.oblationis non inuidetur.*Aldus*, oblationis inuidetur. *col.*101.*lin.*51. potuiſſem reuocare.*Manut.*poſſem reuocare. *ſic Sorbonicum ſcriptum &* Ger.*impreſſum.col.*102.*lin.*19. ignorãtia remeauerint.*Aldus*,ignoratione remeauerint.*ita quoque Sorbon.&* Germ.*Ibid.lin.*38.Iunctus es.*Aldus*, vinctus es. *&* 39. *Ibidem. Sorbonicus codex habet*, ligatus. *Col.*103.*lin.*10. virginitas exiſtimatur, *ſic Germanicus codex*,*Aldus*, virginitas æſtimatur,*ſic Sorbon.Ibid.*32.Tamen deinde.*Aldus*, Tum deinde.*&* 36. differatur puella moribus quàm annis. *videtur aliquid deeſſe,nam Sorbon.liber habet*,quàm annis adoleſcentior.*col.*105.*lin.*16.frater meus,*ita Sorbonicus codex.Aldus*,fraternus meus,*ita* Ger.*Ibid.lin.*61.caue iterum corporeæ cupiditatis illuuiem,ne lutulenti. *ſic* Ger.*Aldus*, caue ne iterum corporeæ cupiditatis illuuie,lutulẽtíque.*col.*107.*lin.*15. plenum eſt.*Aldus*,repletum eſt.*lin.*24.Nũc expecta.*Aldus legit*, nunc ſpecta,*& ita habet* Ger.*&* Sorbon.*exemplar.lin.*35.audita virtute verbi.*Aldus*,audita voce verbi.*ita Sor.&* Germ. *lin.*60.inueni illum:vocaui eum.*ſic* Ger.*&* Sorb.*Aldus*,inueni:vocaui eum.*lin.*65.tu rurſus explora.*ita &* Germ.*&* Sorb. *Aldus Manut.*exi rurſus.*&* lin.71.agnoſce. *ſic* Ger.*Manutius*, cognoſce. *vt Sorb.Col.*108.*lin.*43.deſignet alloquio. neq; de. *Aldus*,diſſignet alloquio.Neque enim de.*ita Sorb.&* Germ. *Col.*109.*lin.*13. Et portæ eius.*Aldus*, Portæ eius. *lin.*56. Si quæſiuit iuxta.*Aldus,Sorb.&* Germ.Si quęſiuit in noctibus, iuxta.*Col.*110.*lin.*6.erumpe,& clama.*ſic vbique.Aldus*, erumpe & exclama.*Col.*111.*lin.*10.Vbi ſunt pedes verbi.*ſic in aliis. Aldus*, Vbi ſunt domini pedes. *&* lin.51. eſſe proſpexit,*ſic* Ger.*Aldus*,eſſe perſpexit,*ſic Sorb.Col.*112.*lin.*28. deſerere terrena.*ita* Ger.*Aldus*,ſede terrena.*ita Sorb.lin.*34. maculare non debent. *ita legitur in aliis.Aldus*, violare non debent. *&* 52. proceſſũmque accipiunt.*Aldus*, proceſſúſque accipiunt.*col.* 113.*lin.*23.*&* Ger.diſcordantibus in tertis.*Aldus*,diſcordantibus internis. *vt habet Sorb.col.*114.*lin.*25. excuſſit caliginẽ. *Aldus*,diſcuſſit caliginem.*col.*115.*lin.*10. Viuificet ille.*Aldus*, Viuificet vos ille.*&* lin.23.obſequitur plebeia. *Aldus*, obſequij plebeia.

In librum primum de Pœnitentia.

*Col.*169.*cap.*2.*lin.*7.Quibus donatum eſt vtrumque,aut vtrumque licere manifeſtũ eſt,aut vtrumque non licere certum eſt:eccleſiæ autẽ vtrumque licet,hæreſi vtrumque non licet.*ſic quoque legit vetus exemplar ſcriptum Dionyſianũ.In Germanica autem editione ſic habetur*,Si quibuſdam datum vtrumque eſt licere, aut vtrumque non licere:certum eſt eccleſiæ vtrumque licere,hæreſi vtrumque non licere. *col.*170.*cap.*3. *lin.*18. remunerationem laboris.*aliàs*, rationem laboris.*col.* 171.*cap.*4.*lin.*14.ſi Iudæus miretur.*ſcripti habẽt*,meretur.*Ibid. lin.*22.24.*&* 26.*pro* expectat.*vnus ſcriptus habebat*,ſpectat. *Ibidem lin.*42.Quod ſi non ex toto corde omnẽ humiliat peccatorem,quãto magis eum qui.*potius legẽdum videretur*, quãto magis non ex toto corde humiliat eum qui. *&* lin.62.*pro* pugnare,*ſcripti legunt*,repugnare.*col.*172.*cap.*5.*lin.*15. vt facilius in eum miſericordiam habeas, *ſic veteres omnes.*Ger.*verò*, vt facias in eum miſericordiam.*Ibid.lin.*18.ſuperbia facit.*ita & ſcripti.*Ger.facis.*col.*173.*cap.*7.*lin.*47. In vtroque miniſterium eſt.*ſic & veteres ſcripti.*Germ.in vtroq; myſteriũ.*col.*175. *cap.*10.*lin.*10. prohibebis orare.*aliàs*,prohiberis.*col.*176.*cap.* 11.*lin.*32. peccatis renunciauit,aliàs,recũciet. *col.*178.*lin.*10. vt cuſtodia hominis imperetur.*ſic omnes ſcripti codices.Germana editio*, vt cuſtodiam hominis imperet.*Ibid.lin.*14.quanuis immitis,*ita habebãt ſcripti.*Ger.inuitus.*&* lin.51.habemus immortalem dominum.*ſic quoque quidam ſcripti legebant.*Ger.habemus moralem.*col.*179.*lin.*44.refrigerat animam tuam.*in vno ſcriptum erat*, refrigeratur anima tua.*col.*180.*cap.*15.*lin.*1. addendum ſacramentis,*vel* reddendum ſacramentis.

In librum ſecundum de Pœnitentia.

*Col.*182.*lin.*28.in te mortuos.*alij legunt*,inter mortuos.*col.* 187.*cap.*6.*lin.*18.*omnes veteres legunt*,pœnitẽtibus.*Ger.* peccãtibus.*col* 188.*lin.*37.pertinere,*habet vnus ſcriptus.*Ger.pertingere.*col.*190.*lin.*43.vt mouearis ad obſecrandã,*aliàs*, vt noueris obſecrandam.*col.*192.*cap.*9.*lin.*18.malorũ petiiſſe pœnitentiam,agere bonorum. *ſic habent vt veteres.Ger.verò*,malorum pœnituiſſe,pœnitẽtiam agere bonorum. *col.*194.*lin.* 25.fructus charitatis,patientiam pacis afferre.*Germ.* fructus charitatis,patientiæ ac pacis afferre.

In librum de Fuga ſeculi.

*Col.*202.*lin.*43.vt diſcat ſtudioſius diſciplinæ virtutes ſenſuum.*ſic omnes veteres ſcripti quos habuimus.Ger.verò*,diſciplinę & virtutis ſenſum. *col.*203.*lin.*24. quomodo mortuũ inueniet in eo,qui.*aliàs*,quomodo eum mortuum inueniet qui. *col.*204.*lin.*11.vtentibus ea vmbra eſt vitæ. *melius ſic leges & diſtingues*,vtentibus ea.Vmbra eſt vita.

In librum de Bono mortis.

*Col.*218.*lin.*20.in quo repletus potu iaceret,purũ qui nectar effunderet.*Scriptus vnus liber*,potiúſque nectar effunderet.*Ger.*in quo repletus potu iaceret Porus, qui nectar effũderet. *Quanquam apud Platonem in conuiuio,vnde hæc deſumpta ſunt, Porus non effundere viuum fingitur, ſed ipſe in conuiuio diſcumbere, deinde nectare ebrius ingreſſus hortum & ſomno grauatus dormiiſſe.*

In librum primum de Fide,ad Gratianum.

*Col.*374.*cap.*4.*lin.*14.ſed cogitatione diſcreta.*ſcripti codices habent*,coitione diſcreta,*& melius.col.*297.*lin.*6.Eſt,inquit, quod & ſemper eſt.*ſic &* Ger.*impreſſi.col.*278.*lin.*14.auertat, *ſic vnus ſcriptus.alter*,auerruncaſſet.*Ger.* auerruncet.*&* lin.17. quæſtionem pro pietate. *vetuſtus quidam legit*, quæſtionem proprietatis.*alter*,quæſtionis proprietatẽ.*col.*279.*lin.*2.quẽ non legit,ſed credi iudicauit.*duo veteres*,quem non legit,ſed credidit & iudicauit. *col.*280.*lin.penult.*vẽtura pro factis.*ſic codices*

codices aliquot ſcripti, Impreſſi vero Germ. ventura perfecta ſunt. *col.* 281. *lin.* 5. & inter hoſtias ſuas. *quidam ſcripti legunt*, & immolauit hoſtiam ſuam. *lin.* 10. voce clamauit dicens. *veteres*, voce clara dicens. *col.* 282. *lin.* 32. nec differens poteſtate. *ſcripti*, nec indifferens poteſtate. *lin.* 35. Licet adhuc non corde credentes. *vnum exemplar ſcriptum & impreſſum* Ger. licet, ſed adhuc non credẽtium chori. *col.* 283. *lin.* 8. ſentiunt cenſoriè. Itaque. *ſic dimidunt ſcripti*, Céſoriè itaque. *Ibid. cap.* 9. *lin.* 13. & poſt Ariminenſe concilium ſecunda correctio. Epiſtola ad imperatorem Conſtantium miſſa teſtatur correctionem. *ſic vnum exemplar ſcriptum, aliud conſentit cum impreſſis* Ger. *vbi ita legitur*, ſecũda correctio. Cõfeſſionem epiſtola teſtatur, correctionem ſequuta. *col.* 284. *lin.* 3. ſe ſimulant conferẽdo coæquabunt. *ſic habent omnia exemplaria, & tamen verbum* coæquabũt *videtur abundare. & lin.* 22. Aut quia. *ſic & veteres. impreſſi* Germ. At quia.

In librum ſecundum de Fide.

col. 286. *lin.* 6. eſſe authorẽ. *aliàs*, ipſum authorem. *col.* 287. *lin.* 27. quid agis. *ſic veteres.* Germ. quid ais. *lin.* 29. Nec in bonũ credam? Bonum eſt enim confiteri domino. Mihi expedit vt domino confitear. *ſcripta exemplaria ita legunt*, Mihi expedit vt bonum credam. Bonum eſt enim cõfidere in domino. *impreſſa* Ger. Mihi expedit vt bonum dominũ confitear: bonum eſt enim confiteri domino. Mihi expedit vt bonum credam: ſcriptũ, &c. *col.* 288. *lin.* 27. Beatus & ſolus potens, ab eo dei filius ſeparetur. *impreſſi* Germ. à deo dei filius ſeparetur. *col.* 289. *lin.* 51. quam nemo ſuſcepit affectu. *potius legendum videtur vt habent quidam ſcripti*, quam meo ſuſcepit affectu. *col.* 290. *lin.* 11. quod enim cecidit, hoc reſurrexit per naturã hominis. Dicit etiã. *alij legunt & diſtingunt hoc modo*, quod enim ceciderit, hoc reſurgit. Per naturam hominis dicit etiã. *Ibid.* 35. de homine Dauid prophetauit. *ferè omnes ita habẽt*, de homine ſe Dauid prophetare ſignauit. *& lin.* 47. vt nihil ei agnoſcas per naturam hominis imminutum. *ſic veteres ſcripti. impreſſi* Ger. vt nihil ei ignoſcas per naturam corporis imminutum. *& lin. vlt.* facere patrem. *ſic omnes ſcripti. Impreſſi* Ger. fateri patrem. *col.* 293. *lin.* 8. *quæ intercluduntur quaſi parenthęſis nota, ſunt adiecta ex vetuſtiſſimo Dionyſiano codice*, quoq; docuit paſſione. Filius, &c. *col.* 296. *lin.* 41. Ego ſcio, iudicaturũ dico, imò iam iudicauit. *Alij ſic diſtingunt*, Ego ſcio iudicaturum, dico, imò iam iudicauit.

In librum tertium de Fide.

Col. 300. *lin.* 13. *In quibuſdam exemplaribus ante hanc clauſulã.* Ergo quia altiſſimus, &c. *iſtud præponitur*, Qui altiſſimus? dei filius. *deinde ſic legitur*, Ergo qui altiſſimus, Deus Chriſtus. *In vetuſtiſſimo autem, idipſum ſcribitur maiuſculis literis, & vice capitis aut ſummarij præponitur. Ibidem lin.* 57. & Chriſto Ieſu in deo. Hic etiam. *Alij ſic melius diſtingunt.* & Chriſto Ieſu. In deo hic etiam. *col.* 301. *lin.* 2. Euangeliũ claritatis. Beatus dei potens. *nonnulli ſic legunt & diſtingunt*, Euangelium claritatis beati dei potens. *Ibid. lin.* 16. obnoxia diſciplina. *ſic omnes ſcripti. Impreſſi* Ger. obnoxia diſciplinæ. *& lin.* 45. An ne hoc argumentum putes. *Scripti*, Ac ne hoc. *Impreſſi*, At ne hoc argutum putes. *col.* 301. *cap.* 3. *lin.* 3. *Hæc quæ in Germanico exemplari præponuntur ipſi clauſulæ*, In quo, &c. Quia ſecundum carnem factus intelligitur dei filius non ſecundum diuinam generationem. *non erant in quibuſdam, ſed in vno tantum libro manuſcripto, ſummatim capiti præponebantur. col.* 304. *lin.* 22. *adiecta ſunt quædam quæ deſiderãtur in* Ger. *editione, nempe ab eo loco*, Ideo enim carnem, &c. *vſque ad*, Denique vt ſcias, &c. *Itidem & lin.* 67. *ab eo loco*, Quod etiam angelus, &c. *vſque ad*, hoc eſt, puer ex virgine, &c. *col.* 306. *lin.* 11. Sed vide, antè ibi quid præmiſerit. *Alij legunt*, Sed videant & ibi quid præmiſerit. *Ibid. lin.* 43. myſticè calceamẽta. *Aliàs*, myſtic calceamenti. *col.* 309. *lin.* 9. Eò enim vſque regnum eſt. *vel*, Eò enim vſque vnum regnum eſt. *col.* 309. *lin.* 29. *Quod incipit*, Accipe adhuc, &c. *vſque ad eum locum*, Vnum igitur, &c. *additum eſt ex vetuſtis. Ibid. lin.* 62. honorantur & ſerui domini. *Sic quoque omnes ſcripti. Impreſſi* Ger. honorantur & ſerui dignitate domini ſui. *col.* 310. *lin.* 6. feciſſe gradum quendam ordinem videretur. *Sic vnus ſcriptus. Alter verò & impreſſus* Ger. feciſſe gradũ quẽdam & ordinem. *lin.* 41. & tamen abundãtius aliis ad ſuſtantiam teſtimoniis. *melius legeretur*, & tamen abundantius aliis ſubſtantiæ teſtimoniis. *& lin.* 48. At hic. *ſic veteres.* Ger. Aut hic. *col.* 311. *lin.* 4. dixiſſe domino per Prophetam. *ſic vetus vnus. alter verò & impreſſi* Ger. dixiſſe dominum per Prophetã. *Lin.* 45. niſi ouſia ſemper maneat. *impreſſi* Ger. *melius*, niſi ἀΐδιος quod ſemper maneat. *& lin.* 56. deſignarunt, *habent omnes ſcripti. impreſſi* Germ. reſignarunt. *col.* 312. *lin.* 7. cur bonæ confeſſioni. *Sic quoque omnes ſcripti.* Ger. *verò*, cur bono confeſſionis. *Li.* 20. non enim. *in aliis*, non ergo. & 42. Sed charitas dei honorat. *ſic & ſcripti.* Ger. Sed quem charitas.

In librum quartum de fide.

Col. 313. *In omnibus etiam ſcriptis liber ſic incipit*, Conſideranti mihi. *in* Ger. Cogitandi mihi. *Ibid. lin.* 3. de dei filio, pleriq; ve in diuerſa. *ſic legendum*, vt de dei filio plerique (væ mihi) in diuerſa. *col.* 314. *lin.* 19. Semper enim victor & præcelſior æſtimatur. *Alij habent*, Semper enim victor tanquam maior & præcelſior. *col.* 318. *lin.* 20. impoſſibilitatis. *Legunt quoque omnes ſcripti. impreſſi* Ger. impoſſibilitati. *Ibid. lin.* 40. votis noſtris medicinæ præcurreret effectus, orans curaret & fimbria mundaret & tactus. *veteres ita legunt & diſtingunt*, votis noſtris medicina præcurreret, effectus orantis curaret, fimbria mundaret & tactus. *Ger. &* fimbriç mundaret attactus. *col.* 323. *lin.* 45. vtique ſi ſempiterna voluntas. *Sic etiam omnes ſcripti. impreſſi* Ger. vtique filius. Si ſempiterna voluntas. *col.* 327. *lin.* 51. profutura authoritas. *Scripti*, profectura. *impreſſi* Ger. profertur.

In librum quintum de fide.

col. 331. *lin.* 45. ſi eloquia diuina teneamus. *ſic vnus ſcriptus. alter & impreſſus* Ger. teneatis. *Ibid. lin.* 64. ciuitates in deditionem. *ſic omnes, excepto vno* Ger. *vbi legitur*, Gabaonitæ. *col.* 333. *lin.* 4. *poſt*, memoratũ eſt, *quæ hîc ſubiecimus, non erãt in libris ſcriptis quos habuimus, ſed in impreſſis* Ger. *ſic.* ſicut Apoſtolus in actibus Apoſtolorum, ait: Et nos vobis annũciamus quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam hanc deus adimpleuit in filiis noſtris: ſicut ſcript eſt in Pſalmo ũſecundo. Filius meus eſtu, ego hodie genui te. Sãcto, &c. *vide num ſint irreptitia. li.* 8. qui enim ſemper eſt, eſt. *vel ſic*, qui enim eſt ſemper eſt. *&* 57. Eſt ergo ſol⁹ & verè dei fili⁹. *vel ſic*, Eſt ergo ſolus & verus deus fili⁹. *ita enim habẽt aliqui codices. col.* 336. *li.* 25. & credim⁹ ſacramẽtũ. Ger. ſacramẽta. *col.* 338. *li.* 51. propter quid dixerit, *quidam addunt*, meum. *col.* 339. *cap.* 4. *lin.* 2. qui hac diuinitate. *vnus ſcriptus & impreſſus* Ger. qui hanc diuinæ. *col.* 340. *lin.* 7. qui ſecundum carnem non accipis miſſum? Apoſtolus dixit. *Alij habent*, Qui ſi ſecundum carnem non accipis miſſum, vt Apoſtolus dixit. *col.* 341. *lin.* 61. *ancillæ tuæ. Quæ ſequuntur in chartula deſcripſeramus ex libris vetuſtiſſimis, vt ederentur: cùm tamen eſſent omiſſa neſcio qua ratione à typographo, maluimus hîc adiicere, quam omnino relinquere.* Quis nimis humiliatus eſt, niſi Chriſtus, qui venit vt omnes liberaret per obedientiam? Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt plurimi, ita & per vnius obedientiam iuſti cõſtituentur multi. Quis calicem ſalutarem accepit? Chriſtus princeps ſacerdotũ, an Dauid, qui neque ſacerdotium habuit, neque paſſionem ſubiit? Quis ſacrificauit hoſtiam laudis? Sed ſi hoc parum eſt, accipe aliud. Cuſtodi animã meam, quoniam ego ſanctus ſum. Nunquid de ſe hoc diceret Dauid? Sed ille dicit qui ait: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Idem ergo vtrumque dicit. Addidit verò: Saluum fac ſeruum tuum. & infrà: Da poteſtatem puero tuo, & filio ancillæ tuæ. Et alibi, id eſt, in Ezechiele, Et ſuſcitabo ſuper eos paſtorem vnũ, & reget eos ſeruus meus Dauid: & erit eorum paſtor & ego dominus: & ero illis in deũ, & Dauid in medio eorum princeps. Vtique Dauid iam defunctus erat, filius Ieſſe. De Chriſto itaq; dicit, qui propter nos filius ancillæ factus eſt, ſecundum formam hominis. Nam ſecundum, &c. *col.* 345. *li.* 5. Sicut filius hominis regnũ accepit dei filius, vtique vt filius hominis etiam traditurus eſt quod accepit: ſicut (*vel* ſi vt,) filius hominis tradit, ergo & vt filius hominis ſubiectionem vtique per cõditionem carnis, non per maieſtatẽ diuinitatis agnoſceret. *ſcripti habent*, agnoſcit, *& vt apparet eo modo diſtingunt. Impreſſi* Ger. *aliter*,

Sicut filius hominis, regnum accepit Dei filius: vt filius vtique hominis etiam traditurus est quod accepit, sicut filius hominis. Tradit ergo & Dei filius. Hominis verò susceptionem, vtique per conditionem carnis, non per maiestatem diuinitatis agnosce. *Col.* 348. *lin.* 38. Ita nō per se, sed per nos. *Scripti*, non pro se, sed propter nos. *Impressi Germ.* non pro se, sed pro nobis.

In librum primum de Spiritu sancto.

Col. 358. *lin.* 28. qui fidem non deferunt. *sic vnus vetus: alter & impressi Germ.* qui fidei non deferunt. *Ibidem* 29. *videtur legendum*, dicimus, *non* didicimus. *Col.* 364. *lin.* 31. quid differimus eos. *sic scripti. Germ. verò*, deferimus eos. *Ibidem lin.* 45. quasi impertiens bonus est. *In Germ. solo*, quasi impertiens bonitatem. *Col.* 367. *lin.* 20. secundum quod vnitatem habebat. *Alij legunt*, sed vnitatem habet. *Col.* 370. *lin.* 1. qui super omnem est creaturam totius opifex creaturæ. *sic nostri scripti. Impressi verò in Germ.* qui super omnem est creationis totius opifex creaturam.

In librum secundum de Spiritu sancto.

Col. 376. *lin.* 68. palpatus & captus. *Germ.* colligatus & captus. *Col.* 377. *lin.* 2. Crines Nazaræi in lege perfecti, in parsimonia. *sic veteres scripti. Impressi*, Crines Nazaræi intellige, perfecti in parsimonia. *lin.* 9. Et bonę abietes, naues Tharsis, quæ. *Ita habent scriptum omnes antiqui. Ger. verò*, Et bene ex abiete sunt naues Tharsis, quæ. *Col.* 380. *lin.* 14. mysteria reuelationis, *vt legunt scripsi. Impressi verò*, generationis. *Col.* 383. *cap.* 10. *lin.* 34. sed cōuincat fides syllabam. *Ita vnum exemplar scriptum, alterum verò & Ger.* sed commendat fidem syllaba. *Col.* 384. *lin.* 3. derogatum, *aliàs*, derogandum. *lin.* 17. Cupio dissolui. *legitur in vno manuscripto, & in impresso Ger.* Dissolui & cū Christo esse multò melius. *Nec enim apud D. Paulum scribitur verbum* Cupio. *Col.* 389. *lin.* 61. Loquitur & filius. *post hæc verba*, loquitur & filius, *ista clausula*, & quod loquitur pater & filius, loquitur & spiritus sanctus. Vnde, &c. *reperitur in impressis, sed non in scriptis libris quos legimus. Col.* 391. *lin.* 9. *adiecimus has tres lineas quæ desiderantur in impressis, post hæc verba*, sanctus operatur, vt scias quia non est discretio operationis inter Deum patrem & Spiritum sanctum, quādo ea quæ operatur spiritus, operatur & pater, Deus qui operatur omnia in omnibus: alioquin, &c.

In librum tertium de Spiritu sancto.

Col. 410. *lin.* 9. facessere *habent omnes scripti, tamen conuenientius legeretur*, fathiscere, *vt est in impressis in Germ.*

In librum de Fide contra Arianos.

Col. 416. *cap.* 3. *lin.* 2. ob hoc potius adorēt quàm creatorem seruientes. (*vel* seruātes) Eadem vtique Apostolus qui dixit. *Impressus liber in Ger.* ob hoc potius quàm creatorem adorēt seruātes eadem vtique quæ Apostolus dixit. *& cap.* 4. *lin.* 23. quia omne quod, quasi omne quod, *legitur in Germ.*

In librum de Incarnat. Domi. sacramento.

Col. 434. *lin.* 47. *hæc clausula, quæ est in Ger. post hoc verbum*, diuinam, vt nos faceret diuinæ consortes naturæ. *de industria à nobis prætermissa est, quòd in nullo exemplari scripto reperissemus.*

In orationem funebrem de obitu Valentiniani Imperatoris.

Col. 443. *lin.* 13. tāquam de præsente, (*vel* ad præsentem) mihi sermo sit. *lin.* 43. reuerterūt, *Ger.* reuersi sunt. *lin.* 55. *Ex Ger. editione ita legendum*, Et quia de Hierusalem edictum est, plorauit & nostra Hierusalem, id est, Ecclesia, & plorauit in no cte, &c. *Col.* 444. *lin.* 2. *& in scriptis*, celebrabilis. *In Ger.* celebris. *lin.* 31. interna. *scriptis*, in terra. *Ger.* intus. *lin.* 32. *In scripto codice repetitur dictio*, lilia, myrrha plena. *In Ger. legitur*, Lilia & myrrha prima. *lin.* 51. Sors mea dominus dixit, ideo susciabo eum. *melius*, Sors mea dominus, dixi, Ideo sustinebo eū. *& lin.* 66. patienti confessus. *scripta exemplaria*, pœnitēti. *Ger.* pœnitēdi & corrigendi. *Col.* 445. *lin.* 9. in euāgelio iugū suaue dixerit. *sic in omnibus libris scriptis. In Germ.* in euangelio tamen iugum suaue dixit. *Ibidem lin.* 38. Delicta iuuentutis & ignorantias. *manuscriptus habet*, delicta iuuentutis & ignorātiæ. *Col.* 446. *lin.* 20. Senatus nomine nitebantur. *vetus*, vtebantur. *Ibidem lin.* 70. quod vadem fidei tuæ haberem caput, comitem tuum velles: *Hæc imprudēter transposita fuerunt à Typographo, & sic reponenda sunt*: quod vadē fidei tuæ habere me apud comitem tuum velles. *Col.* 448. *lin.* 47. vt quod acciderat de. *Aliàs*, Acciderat, vt quoddā de. *Ibid. lin.* 59. iudicium darent. *Germ.* indicium darent. *Nannius censet ita legendum*, iudicium declinarent, nimirum vt sine lite prædium restituerent. *Ibid. lin.* 65. publicè negotium. *Aliàs*, publicum negotium. *Col.* 450. *lin.* 48. hoc votum habuit, vt antequam in Italiam veniisset. *Alibi sic*, hoc voti habuit, vt cum in Italiā veniisset. *lin.* 52. & quia poposcit. *Ger.* Certè quia poposcit. *lin.* 63. negauit insurgentibus. *Ger.* denegauit, iis vrgentibus. *Col.* 451. *lin.* 11. Pio requiē eius poscamus. *scriptus liber*, poscimus. *Ger.* Pio requiē ei poscamus. *lin.* 48. quibus Christus influebat vnguentū. *Aliàs*, quibus Christi influebat vnguentum. *& 49.* distillantia myrrha plena. *Germ.* distillantia myrrham plenam. *Col.* 452. *lin.* 27. & quia superior & eminētior eò vt velles, *vel*, quasi superior & eminentior, quò velles. *lin. vlt.* meritò ergo Iacob est fructuosus. *In aliis*, meritum ergo Iacob, ager est fructuosus. *Col.* 453. *lin.* 31. & quia pio officio. *aliàs*, pro officio. *Ibid. lin.* 41. credamus quia ascedit. *Ger. addit*, credamus & sicut alij habent, quia. *lin.* 49. commendationis persecutionem. *Ger.* commendationis persecutione. *lin.* 67. quos pietas non iungebat. Non virtutum distantia dispares fecit, super. *Ger. sic legit & distinguit*, quos vna pietas iūgebat. Non virtutum distantia dispares fecit, quos religio vna fouebat. Super. *Col.* 454. *lin.* 12. arma concupiscentia, *vel*, concupiscenda.

In orationem funebrem de excessu fratris Satyri.

Col. 454. *lin.* 26. In vtroque enim fidei ambiguū, vitæ periculum est. *Ger.* In vtroq; & fidei ambiguum, & vitæ periculum est. *Col.* 455. *lin.* 16. illę lachrymę, illi gemitus, ille dolor. *sic omnes scripti codices. Impressi habent*, Istæ lachrymæ, isti genutus, iste dolor. *Ibid. lin.* 41. moriendi contubernia. *Ger. non habet postremam dictionem. lin.* 45. labore inferior fui, sed. *Alij omnes*, labore inferior, sed. *lin.* 58. frænos mœroris, *vel* mœrori inducit. *& lin. vlt. & seq. quæ in nostris afferuntur per verbum deponens*, lachrymor: *in Ger. dicūtur per actiuum*, lachrymo. *Col.* 456. *lin.* 13. sicut & alibi. *aliàs*, sic &. *Ibid. lin.* 27. Scribit Dauid, quia mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea. Quasi homo ergo factus dissimilis, vtique. *In aliis ita legere est*, Scribit Dauid, mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea. Dissimilis vtique. *Ibid. lin.* 60. minuas acerbitatem. *Scriptus liber*, minuis. *Ger.* minuisti. *& 62. in nullis exemplaribus habetur*, Marcelliana. *Col.* 457. *lin.* 53. quid inquā. *aliàs*, vnquam. *lin.* 58. videremur attollere, *in plerisque*, viderer. *lin.* 59. affectum vultu. *In Ger.* affectum vultum. *In scriptis*, multum. *& 63.* absentiæ impatiens, vel non immemor. *Ger.* absentiæ oblitus. *Col.* 458. *lin.* 2. Quas virtutes. *Alibi*, quàm virtutes. *Ibid. lin.* 63. *& in scriptis omnibus*, non opus fuit ei resurrectio. *Ger.* resurrectione. *Col.* 459. *lin.* 42. quid de me loquor. *aliàs*, loquar. *Ibidem lin.* 71. mœstitiam (*vel* mœstitudinem) propulsare. *Col.* 460. *lin.* 5. probaremus, *habēt etiam omnes scripti. Ger.* probare. *lin.* 27. plerumque complacitum ita fidem. *In Germ. non est*, complacitum. *lin.* 32. timere desiderarem. *sic vnus liber vetus, alter & Ger.* desieram. *& lin.* 68. compage resolutā tabulam. *in aliis*, cōpage resoluta tabula. *Col.* 461. *lin.* 54. Nam quid spectatam in stipendiis forensibus eius facundiam loquar: quæ incredibili admiratione in auditorio emicuit? *Impressi Ger. ita legunt & distinguunt*, Quid spectatū stipendiis forensibus eius facundiam loquar? Quàm incredibili admiratione in auditorio prefecturę sublimis emicuit? *Col.* 463. *lin.* 46. nemo

46.nemo moreretur. Pro quantis ergo quotidie. *sic duo veteres. alius & impressus Ger.* nemo ergo moreretur. Pro quantis quotidie. *Col.* 464. *lin.* 17. *& scripti omnes,* Vides ergo. *Ger.* Vides eum. *Ibid. lin.* 56. *& in vetere vno,* & semper ostenderis. *in altero,* offunderis. *in Ger.* offerris. *Col.* 465. *lin.* 8. quę nunc quidem. *sic & vetus vnus. Ger. & alij veteres,* quæ ne (*vel* nec) nũc. *Et lin.* 49. defuncta solatio. *sic duo antiqui. alter,* facta. *Ger.* functa solatio.

In librum de fide resurrectionis.

Col. 467. *lin.* 8. quẽ reuocaret. *& scripti omnes,* reuocat. *Ger.* quomodo reuocet. *lin.* 10. debitum mortis est. *Ger.* debitum mors est. *Col.* 468. *lin.* 16. quę ex improuiso. *duo veteres,* quem pro inuiso. *alius & Germ.* quę improuisum. *& lin.* 29. *& duo scripti,* coaceruat. *Ger. & alter vetus,* coacerbat. *Col.* 470. *li.* 47. eripi nos, & insipienti seculo carere, de peregrinatione diuturna ad illã. *Sic alij legunt & distingunt,* eripi nos ex insipienti seculo, carere peregrinatione diuturna, ad illam. *Col.* 472. *lin.* 11. mortis stimulo. *alij codices habẽt,* mortis titulo. *Col.* 473. *lin.* 13. Ratio euidens est, quia. *In alijs,* Ratio euidens. Quia. *lin.* 19. Resurrectio omnibus erit, sed. *Vnus scriptus & Germ.* Resurrectio omnibus attributa est. Sed. *lin.* 24. genitalis huius aliter. *Germ.* genitalis huius terrę aliter. *& lin.* 45. & cum occata soli genitalis. *Ger.* & cum occata & mortua soli: *quidam scripti,* & cũ obcæcata & mortua. *alij,* obsecata. *Col.* 474. *lin.* 3. humo arida. *Duo veteres,* humi arida. *Ger. & vnus script⁹,* humo arido. *Ibid. lin.* 7. vnde claret non esse dubitandũ, quod secundum naturã magis quàm contra naturam, est interire. *Ger. & scripti omnes ita legunt,* vnde claret non esse dubitandũ quod secundum naturam magis quàm contra naturam est: Ex natura enim est, resurgere, & nascentia omnia cõtra naturam, interire. *Ibid.* 45. quàm ex paruo quanti exurgimus. *sic quoque habent omnes veteres. Ger.* cùm ex paruo tãti exurgimus. *& 59. & duo scripti,* beatiores qui non. *Ger.* beati qui nõ. *Col.* 475. *lin.* 38. *variant exemplaria. nostra impressio habet,* multi dormientium in terræ fossis. *Ger.* in terræ fossu. *duo scripti,* in terra fossa. *alter vetustissimus,* in terra defossi. *Ibid. lin.* 50. patientia virtutis. *ita omnes scripti. Ger.* patiẽtiæ virtute. *Col.* 476. *lin.* 31. Prophetiza super ossa ista & dices. *sic legũt omnes codices, nõ vt errore typographi impressum est,* Sta & dices. *Col.* 477. *lin.* 12. vitalis spiritus in artus resinuatur. *Alij omnes scriptum habẽt,* vitalis spiritus commercia resinuantur. *Col.* 478. *lin.* 11. nec Christi redimim⁹ passione. *Ger. & vetus,* credimus passione. *Alij veteres,* & nos adhuc pro salute non credimus. Ipse etiã dominus noster Iesus seriem ipsam resurrectionis exercuit. *Col.* 479. *lin.* 15. quoniã dei mori non poterat sapientia. *Veteres & Ger.* quoniam deus mori nõ poterat, mori non poterat sapientia. *lin.* 60. mori nescit, *vel* nesciat. *lin.* 65. vt, *vel,* aut vinculum. *&* 67. quia non solus est. *omnes reliqui habent,* non solus est raptus. *Col.* 480. *lin.* 20. vna hostia, triũ gratia. *Scripti,* vnam hostiam, trium gratiarum, *vel* gratiam, *vt est in Ger. lin.* 23. subiecerit, fidelis in bello, abstinens in triumpho. *Ger. & duo veteres,* subiecerit? Fidelis in bello, abstemius in triũpho, *vel vt habet alter vetustissimus,* ac strenuus in triumpho. *Ibid.* 32. amabiliora prẽcepta, *Ger.* ampliora. 34. patrio percussit, (*vel* percussus) affectu. *&* 39. vt possit nos seruare dilectos. *Ger. & vetus liber,* vt possit nobis seruari dilectus. *Col.* 481. *lin.* 35. *& duo veteres,* numerus explicandus sit. *Ger. & alter vetus,* vindicandus sit. *Ibid. lin.* 44. sicut tubæ loquẽtis mecum & dicẽtis. *Scripti omnes codices & Ger. impressi ita legunt,* sicut tubam loquentem mecum & dicẽtem. *Col.* 482. *lin.* 8. & cùm cõgregabitis synagogam, tuba canite & non significatione. Et filij, *sic legitur & distinguitur in omnibus scriptis. & lin.* 12. significabilis aduersarios. *Ibid.* 25. tonitruũ factum est illis corpus Christi, quod. *Hãc lectionem & distinctionem representant omnes veteres. lin.* 55. quem nunc secundum veritatem videre non possumus, sed videmus quasi in quadam imagine futurorum, quorum vmbram. *scripti omnes ita habẽt, & ita legendum videtur. Ger.* quæ nunc secundum veritatem videre non possumus, sed videmus quasi quandam imaginem futurorum. *& lin.* 173. alterum sine altero nequaquam videtur euocationẽ habere. *sic legitur in omnibus. Col.* 483. *lin.* 15. *Nostra impressio cõuenit cũ omnibus scriptis exemplaribus quæ habuimus,* festines in locum. *Sed Ger. sic quæ sequuntur interserit,* festines. Hanc intentionem Dauid versabat in pectore, cùm dicebat: Quoniam transibo in locum &c. *Ibid. lin.* 21. *quædam sunt intermista, sic enim legendum:* exultare lætitia, dies festos aut neomenias agere. *Lin.* 41. *Quidam libri pro* mereatur, *habent,* mutuetur. *Col.* 484. *lin.* 69. vt omnes in vnam cõueniãt sententiam. *Alij,* vt cognoscamus omnes in vnam conuenire sententiam. *Col.* 485. *lin.* 7. *& duo veteres,* erranti & iusto vitæ. *Ger. & scriptus vnus,* erranti iustóve. *lin.* 18. *reperio in omnibus scriptum,* velut Circeo poculo, *non,* Circeos populos. *Lin.* 33. frequẽti motu. *aliàs,* frequenti. *Lin.* 55. sed spiritus. *in alijs,* sed ratio. *Col.* 466. *lin.* 4. Confessorum liuore, *vel* labore.

In Orationem habitam in morte Theodosij Imperat.

Col. 492. *lin.* 42. *& vnus scriptus,* quàm quod immane quãtis promissa. *Ger. impressus,* quàm quod immani quantitate promissa. *Col.* 493. *lin.* 47. regis minitatio, *pro,* imitatio *legendum. Ibid. lin.* 70. iam validus inuentus est. *Ger. & vnus liber vetus,* iam validus iuuenta. *Col.* 496. *lin.* 5. possessionem hæreditariam, de qua recipimus. *vetustus quidam non habet,* hæreditariam. *Ger. impressus nõ addit,* de qua. *Ibid. li.* 67. circa se gratia filiorum exprimeretur. *In Ger. & in aliquibus scriptis,* circa se gratiam filiorum experiretur. *Col.* 497. *lin.* 14. non hominis finem esse, sed culpæ. *Ger. & scripti aliquot,* non naturæ finem, sed culpæ. *Ibid. lin.* 62. pulchra iam dulcissima sibi pignora. *sic & veteres. Ger.* pulcherrima & dulcissima sibi pignora. *Col.* 498. *lin.* 63. imperatores redimerentur, *habent veteres. Ger.* redimeret. *& lin. vlt.* Imperatoris. *alias,* imperij. *Col.* 499. *li.* 22. aduersus eum cui. *sic distingue,* aduersus eum. Cui.

In Epistolam primam.

Col. 506. *lin.* 14. minorabitur. *Ger.* minorabit. *Ibid. lin.* 32. pro numero animarum qui apud se erat. *Ger.* pro numero animorum qui apud se erant. *Col.* 507. *lin.* 6. *adde,* alia laboris. *& lin.* 8. nos Christus. *Col.* 508. *lin.* 59. eundem habitum seruans. Quotidie videns. *Ger. sic diuidit,* eundem habitum seruans quotidie. Videns.

In Epistolam secundam.

Col. 509. *lin.* 30. qui vidit Dominum. *In Ger. impressis.* qui sciuit Dominum.

In Epistolam tertiam.

Col. 511. *lin.* 7. *Impressi in Ger. legunt,* adorienda inspicit, *pro,* incipit. *Lin.* 15. & huiusmodi aboletur in vitils. *Ger.* & huiusmodi aboletur inuitus. *& li.* 38. Illi soli igi. *alias,* Illi soli igni.

In Epistolam quartam.

Col. 513. *lin.* 32. que nos miseria aliena. *Ger.* misera & aliena. *Col.* 514. *lin.* 52. promisi ego de te, quoniam & tibi id de me licet. Promisi illi, exegi mihi. *Ger.* Promisi. Ergo de te, quoniam & tibi id de me licet, promisi illi, exegi mihi. *Col.* 516. *in Epist.* v 1. *lin.* 7. fumo iniquitatis oblitus. *In Ger.* fimo iniquitatis.

In Epistolam septimam.

Col. 517. *lin.* 10. crederetur. *Ger.* cederetur. *Ibid. lin.* 59. disceptaret iudicio. *alias,* discreparet. *Col.* 518. *lin.* 51. accrescit pietas. *Ger.* accersitur pietas. *Col.* 520. *lin.* 14. quod volũtas & prædicat & operatur. *Impressi in Ger.* quod volentes & prædicant & operantur. *Col.* 521. *li.* 2. ac triumphatis libidinis, timori, cæterísque vitiis. *Ger.* triumphatis libidini, timori, cæterísque vitiis. *Col.* 522. *lin.* 6. & prodeuntes. *in Ger.* & rudentes.

In Epistolam vndecimam.

Col. 528. *lin.* 3. diligimus. *Alij,* diligunt. *& lin.* 37. recessu patrio, *pro,* primo. *Col.* 529. *lin.* 42. quàm quod is qui viderit. *In Impressis,* quàm cùm quis id viderit. *Col.* 535. *Epist. xiij. lin.* 59. filium diceremus, quanuis præpositi. *in Ger.* Filium doceremus, quanuis propositi. *Col.* 536. *Epist. xv. lin.* 49. illic seruatur, *alias,* non seruatur. *Col.* 537. *Epist. xvi. lin.* 46. capta ex hoste terrarum possessio. *Ger.* captarum ex hoste terrarum possessio. *Col.* 542. *Epist. xvij. lin.* 5. quanta, *vel,* quæcunque aduersa sunt. *Epist. xix. Col.* 545. *lin.* 12. vt euangelij docet lectio. *Impressi Ger.* vt euãgelicæ lectionis docet assertio. *Ibid.* 27. iacet in sepulchro suo conditio humana. *Alia lectio apud Ger.* iacet in sepulchro suo condita humo. *Epist. xxi. Col.* 549. *lin.* 6. qui subiecit in spe, facit, vt ei parcat. *Germana impressio habet,*

habet, qui ſubiecit in ſpe, facit in ſpe, facit vt pareat. *Col.* 553. *lin.* 66. ſi tam mallet. *Ger.* ſi ita mallet. *Col.* 554. *Epiſt. xxv. lin.* 16. vt mihi des ipſum tractatum quem dederas. *ſic emendauimus Col.* 270. *vbi hæc Epiſt. præponitur libris de fide. quanuis in ſcriptis præmittatur libris de ſpiritu ſancto. Epiſt. xxix. Col.* 561. *lin.* 61. hoc eſt, Chriſti ſacratum nomine. *ſic & vetus vnus. Ger.* ſacratum nomine ſignum. *Col.* 562. *lin.* 12. ſi oportet? Tamen Cõſtantinopoli. *Ger. & alter vetus.* ſi oportet tamen? Conſtantinopoli. *Col.* 568. *lin.* 32. inſigne ſacrificij. *Aliàs*, inſigne ſacerdotij. *Col.* 569. *Epiſt. xxxi. lin.* 14. *pro*, expectandum, *lege*, expendendam. *Col.* 571. *lin.* 61. ſed quæ melioratio. *Ger.* ſed quæ, malum, ratio. *Col.* 573. *lin.* 14. Omitto, abſconditam, *vel*, abſcondito precio humum. *Col.* 576. *lin.* 28. volens nũquam ius deſeram. *aliàs*, vos deſeram. *Col.* 579. *lin.* 41. nomine ſuo prodi tantorum populorum ſanguinem? Manu. *Impreſſi ita diuidunt*, nomine ſuo prodi. Tantorum populorum ſanguinem manu. *Col.* 608. *Epiſt. xlvi. lin.* 31. gratia, & ſit in moribus. *ſic repone*, gratia ſit, & in moribus. *Ibid. lin.* 40. Lætetur Iaphet. *Aliàs*, dilatatur. & 43. ſint benedictiones in poſteritate. *Ger.* ſit benedictio omnis in poſteritate. *Col.* 609. *lin.* 5. quod, *vel*, quò videatur moueri. *col.* 612. *Epiſt. li. lin.* 10. inuehas tubera. *Ger. addit*, doloris tubera. *col.* 617. *Epiſt. lix. lin.* 13. ſed tamen clauſo mari. *Ger.* ſed tamen clauſo tunc temporis mari. *col.* 623. *lin.* 16. vt benedicemus. *Alij*, vt bene diſcamus. *col.* 625. *lin.* 38. negamus inſpiciẽdas virgines interim. Quod nuſquam legerim non aſtruo. *Ex Ger. ſic diſtinguendum.* Negamus inſpiciendas virgines interim, quod nuſquam legerim? non aſtruo. *col.* 626. *lin.* 1. verecundia, quæ ſecreta eſt, tutius ſecreto. *In Ger.* verecundia, quam ſecretum? quid tutius ſecreto? *col.* 632. *Epiſt. lxx. lin.* 6. ſignificandum. *aliàs*, inſinuandum. *col.* 635. *lin.* 63. Liceat mori ſine ſcelere veſtro. *vel*, liceat mori ſine meorum ſcelere. *col.* 636 *lin.* 27. humanæ opis. *Ger.* humano operi. *col.* 637. *lin.* 16. committeretur arcanum, dilectíque id. *Sic legitur in Ger.* committeretur arcanum dilecti, qui id.

In Epiſtolam. LXXII.

Col. 639. *lin.* 5. qui dicunt. *vetus*, qui dicant. *lin.* 7. quid cauſæ eſt. *aliàs*, quid cauſæ ſit. *Col.* 640. *lin.* 2. cùm quod licebat. *vetus*, cùm id quod licebat. *lin.* 3. ſigno data ſit. *vetus*, in ſigno. *lin.* 14. maturioris, an adoleſcentis aut pueri. *vetus*, an adoleſcentis? vtique adoleſcentis aut pueri. *lin.* 24. lapſum, humilem. *vetus*, lapſu mobilem. *Ger.* lapſu humilem. *lin.* 31. reſonaret. *vetus*, ſonaret. *Ger.* perſonaret. *lin.* 37. occidit exiguam. *vetus*, circuncidit. *Col.* 641. *lin.* 1. exuratur, ſed melioretur. *vetus*, exuritur, ſed melioratur.

In Epiſtolam. LXXIIII.

Col. 643. *lin.* 7. Crux in Chriſto. *vetus*, Crux Chriſti. *Ibid. lin.* 59. exuto timore. *vetus*, excluſo timore.

In Epiſtolam. LXXV.

Col. 644. *lin.* 2. quæ plerunque. *vetus*, quæ pleriſque. *Ibid. lin.* 17. vt videre poſſitis. *vetus*, vt videri poſſit deus. *In tribus vetuſtis exemplaribus, quæ conſuluimus, hæc epiſtola ſic ſequenti iungitur:* nocere ſe credunt. Ac ſemper quidem decantata quæſtio. &c. *Col.* 645. *lin.* 32. in typo eccleſiæ. *vetus*, in typo, eccleſia. *Col.* 646. *lin.* 43. deſcendentibus. *vetus*, diſcedentibus. *Col.* 650. *lin.* 29. proficiunt vt virtutum. *Alij*, præferuntur. *Ibid. lin.* 45. & erit in ſigno. *Aliàs*, in ſignum.

In Epiſtolam. LXXXI.

Col. 654. *lin.* 17. quaſi Chriſtiana ſit palma quam tribuit, (hinc enim plurimi abundant tituli præmiorum) ſimul ſe eſti condemnare coniugio. *Hic locus, imò tota hæc epiſtola inquiſatiſſima eſt. Impreſſi in Ger. ita legunt:* quaſi Chriſto vna ſit palma quam tribuit, ac non plurimi abundent tituli præmiorum. Simulant ſe iſta donare coniugio. *Ibid. lin.* 37. Quidam ferũt ex muliere, ſed ex his humanorum pignorum patribus virgines permanere. *Ger.* qui aſſerunt ex muliere, & ex his humanorum pignorum patribus virgines permanere. *Ibid. lin.* 40. Ille verò qui carnem ſuam ſuſcepit & ſi homo. *Ger.* Ille verò qui carnẽ ſic ſuſcepit, & ſic homo. *Ibid. lin.* 42. inuitatus tamen quaſi deus munere venit in terras. *Ger.* inuſitato tamen quaſi deus itinere venit in. *Ibid. lin.* 52. iteratum ſeruat. *potius*, intemeratum. *Col.* 655. *lin.* 2. porta ſanctorum. *In Germ.* porta ſanctuarij. *Ibid. lin.* 15. quando petra profluxit, ſcaturiuit ferrum ſuper aquas. *Rectius legitur in Germ.* quando petra pro fonte flumen ſcaturiuit, ferrum ſuper aquas natauit.

In Epiſtolam LXXXII. Ad Vercellenſ. Eccleſiam.

Col. 656. *lin.* 4. Confligor dolore. *Alij codices habent*, conficior. *Ibid. lin.* 22. à ſancto confeſſore inſtitutos meliores patribus eſſe oporteat, quando vos melior. *Impreſſi in Ger.* à ſancto confeſſore Euſebio inſtitutos, tantò meliores patribus eſſe oporteat, quantò melior. *Ibid. lin.* 55. Audio enim homines qui dicũt. *Hæc videntur eſſe truncata, & ita reſtituẽda,* Audio enim veniſſe ad vos Sarmationẽ & Barbationũ vaniloquos homines qui dicũt, *vel*, dicant. *& ſic habetur in Ger. exẽpl. & in vno ſcrip. Ibid. lin.* 59. ad inſtruẽdũ. *ſcriptus liber & Ger.* inſtituẽdũ. *Ibi. lin.* 66 *hæc verba*, illecebra voluptatis, *videtur deſiderari, poſt* libidinis. *& lin.* 69. caſtimoniã nulli⁹ eſſe dicãt vtilitatis. *Alij malunt*, caſtimoniam nulli vſui eſſe dicãt. *col.* 657. *lin.* 1. *pro*, diſputationis licẽtia, *legunt alij*, diſputationi, *& magis congruè. Ibid. lin.* 3. cauere. *Aliàs*, caueri. *Lin.* 4. diſſeminare talia. *melius*, alia. *Lin.* 35. Ideo hæredes dei, cohęredes Chriſti. Sunt hæredes dei, quia. *Rectius diſtinguitur hic locus in Impreſſis*, Ideo hæredes dei, cohæredes Chriſti ſunt: hæredes dei quia. *quãuis repugnet ſcriptus liber vetus. col.* 658. *lin.* 17. *Impreſſio noſtra conuenit cum ſcripto codice*, ſpe omni redẽptionis amiſſa. *vbi Ger. ita legit*, reſurrectionis. *Ibid. lin.* 22. *poſt hæc verba*, nihil ad nos, *iſta deſunt*, Quod enim diſſoluitur, inſenſibile eſt: quod autem inſenſibile, nihil ad nos. *Qui error natus eſt ex repetitione verborum*, nihil ad nos. *Lin.* 24. *legendum*, ſeceſſione, *pro*, ſucceſſione. *col.* 659. *lin.* 43. profectionem. *Alij legunt*, perfectionem. *Lin.* 51. Inflexa, *pro*, inflexit. *Lin.* 57. non victa eſt, *ſed*, vicit, *Legendum: & addẽdum*, Heſter, *pro*, &. *quæ particula etiam reponenda eſt lin.* 60, *poſt*, magiſter. *col.* 660. *Plenius leges*, Moyſi ſorore. *ſi addideris ex Ger.* ſorore. *etiam ſi repugnet exemplar ſcriptum quo vſi ſumus. Ibid. lin.* 61. Et hoc iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam, benefacit: & qui non iungit, melius facit. *Sic etiam noſtrum exemplar. tamen locus eſt imperfectus. Nam apud D. Paulum ita habetur*: Et hoc iudicauit in corde ſeruare virginem ſuam, benefacit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam benefacit, & qui non iungit, melius facit. *repetitio eiuſdem verbi*, benefacit, *induxit errorem. Col.* 661. *lin.* 8. incaptus prætendere. *Alij legunt*, in caſtris. *Ibid. lin.* 26. Tu rubus, ego ignis in rubo, ego in carne propterea ignis. *Germ. ita habet diſtinctum*, Tu rubus, ego ignis, ignis in rubo, ego in carne. Propterea. *Ibid. lin.* 39. quaſi ocio, & reſoluitur corpore. *Apertius erit locus ſi legamus, vt quidam habent*, quaſi otio reſoluitur corporis. *& lin.* 55. voluptatum, *loco*, voluptatem. *col.* 663. *lin.* 18. quas, *pro*, quam, *Legunt alij codices. Ibid. lin.* 23. marceſcat, *pro*, inareſcat. *Ibid. lin.* 34. *pro*, induceret, *Lege*, induceret, *etiam ſi repugnet exemplar vetus. vide tamen an poſſit ferri ex ſequentibus*, induere eum veſtimentis. *Ibid. lin.* 62. motum recipiat ſecundum naturam. *adde quod ex impreſſis deeſſe videtur*, non peccatum propter naturam. *col.* 665. *lin.* 23. propiore martyribus titulo. *ſcriptus liber.* priori. *Ger.* æquali. *Ibid. lin.* 69. *pro* ſignificet, *Legendum* ſignificent. *col.* 666. *lin.* 2. *lege*, vel quaſi, *addendo*, vel. *Ibid. lin.* 56. ſi veſtra humanitas aſpiret. *Ger.* ſi veſtra vnanimitas aſpiret. *& lin.* 66. *repone*, te, *pro* tu. *col.* 668. *lin.* 4. *legendum*, tanquam furioſi, *addendo*, tanquam, *alioquin imperfectus eſt ſenſus. Ibid. lin.* 27. ſe numerat, *pro* enumerat. *col.* 670. *lin.* 27. plures putant. *Legitur in aliis*, pluris putatur. *Ibid. lin.* 29. *duo hæc verba*, vitæ æternæ, *abundant. Lin.* 39. Sed Maria nec minor. *Melius*, Sed nec Maria. *&* 53. *lege*, non quaſi conditione ſubditis, *præponendo*, non.

In

In Epiſtolam LXXXV.

Col. 685.*lin.*19.ad baſilicam Fauſtæ,ibi vigiliæ. *In Ger. codice legitur*,ad baſilicam.Fauſtè venimus:ibi vigiliæ.

In quoſdam Sermones.

*Col.*689.*lin.*4.*Ser.i.* ſi fides mira eſt, *in aliis*,ſi fides tãta eſt. *Ibid.lin.*13.odorem ſuum acrimonia exhibet.*in Ger.* odorem ſuum fundit,acrimoniam exibet.*& lin.*34.Sinapis,iniquos humores decoquit.*Ger.* Sinapis,inquam,granum humores decoquit.*col.*690. *Ser.ij. lin.* 38. cùm famem eſuriens ſuſtinet. *vel*, cùm famis eſuriem ſuſtinet. *col.*691.*Ser.iij.lin.*17. ſplendorem patiamur.*aliàs*,ſplendore potiamur.*ibid.lin.*23. de nocte delinquentes.*In aliis*,de nocte delinquentiæ.*Li.*25. ſuſceptione conueſtirent. *vel*, conſueſcerent.*&* 27. præceptis facilioribus.*aliàs*,ſimplicioribus.*col.*695.*Serm.vij.lin.*3. hac ſolent à peccati ſui pœna ſe voce excuſare. *Ger.*hac ſolẽt à peccatis ſuis prima ſe voce excuſare.*col.*696.*li.*45. cuicũque qui ſtipendia publicè ſibi decreta conſequitur. Si amplius quærit.*In Ger.*quicunque ſtipẽdia ſibi publicè decreta conſequitur , ſi amplius quærit.*Ibid.lin.vlt.* quaſi maiorem prædam à viduis blandimenta eliciant. *Ger.* quaſi maiorem prædam à vidua blandimẽtis eliciant.*col.*698.*Ser.ix.lin.*44. toto ſpoliabantur patrimonio. *Ger.* toto ſe expoliabant patrimonio.*col.*700.*Serm.x.lin.*28.& in illa curſus directione veſtigiis ſæpe redeuntibns.*Ger.* & ſine vlla curſus directione veſtigiis in ſe ſæpe redeuntibus. *Col.*709.*Ser.xviij.lin.*29. teſtimonio famulatur.*aliàs*,fabulatur.Col.710.*Serm.xix.li.* 31.oculos quoſdam cordis infudit. *In aliis*, oculis quorũdam cordis infudit.*Col.*718.*Ser.xxvi.lin.*34. tanquam Deum & hominem.*aliàs*,& dominum.*Col.*721.*Ser.xxviii.lin.*14.tanta diſtantia.*vel*,tantam diſtantiam. *lin.* 30.infirmitatibus plenus,fiat caſtus,humilis & modeſtus.*In aliis hoc additur*,infirmitatibus plenus,aſſuetum corpus eius malo verſans,dominus, fiat caſtus,humilis & modeſtus.

In librum primum Hexaëmeron.

*Col.*802.*li.*22.mundum efficere.*in ſolo Ger.legebatur*, effingere.*Ibid.Cap.iii.lin.*10.creaturæ infirmitatem.*ſic habebat vnum vetus exemplar.alterum*,creaturæ informi materiam.*Tertium*, informam materiam.*Ibidem linea* 13. incomprehenſibilis operator. *Aliàs*, incomparabilis. *Col.*804.*linea* 40. Regeneratis itaque dicitur , *ſic quatuor codices ſcripti.Germ.habet* , ſynceritatem regenerationis.Itaque dicitur. *Col.*808. *Cap. vii. linea* 26. Væ terræ nauium pennæ. *In aliis legitur*,væ terræ nauium pennatę. *Col.*810.*lin.*31.quæ indecora ſunt.*Sic etiam veteres quotquot habuimus.Ger.* quæ decolora ſunt.*Col.*812.*Cap.ix.lin.*14.tota domus deformior eſt: ſed in cultu.Lux eſt,quę.*ſic etiam habent veteres quibus vſi ſumus.Ger.* tota domus deformi horret cultu.Lux eſt,quæ.

In librum ſecundum Hexaëmeron.

Col. 815.*lin.*14.ſecundum ſcripturam. *ſic quoque ſcriptum erat in vno vetere.in aliis* , ſecundum ſcriptorum veritatem ad laudem. *In Ger.* ſecundum ſcriptoris veritatem.*Col.*816.*li.*3. vti ſecundum aut tertium ſit.*ſic legebat vnicum exemplar vetus. Alia conueniebant cum Ger.vbi ſcribitur*,vt aut ſecundum.*ibid. lin.*38.eo videlicet loco,*legunt etiam omnes libri ſcripti.Ger.* eò videlicet loci.*ibid.lin.*50.cœleſtem ſonum.*aliàs*,cœleſtes ſonos.*col.*817.*li.*60.hærere aquam cùm labitur, & ita ſurſum redire in ſuperiora. *Scripti aliquot codices*, hęrere aquam cùm labitur inuſitatum:redire in ſuperiora. *Ger.* rurſúmque redire in ſuperiora.*ibid.*65.an ſinu nubium coligatur,*ſic vetus vnus.Alii*,an ſinus nubium colligatur.*Ger.*an ſine nubibus. *col.*818.*lin.*56.præſcitus arbitrio.*aliàs legitur*,præſtitutus.*ibi. lin.*63.pleniora deſuper.*ſic quoque libri veteres.Ger.* planiora. *huiuſmodi autem vaſa appellantur à medicis cucurbitæ,vulgo,ventoſa.& lin.*67.prohiberetur.*aliàs*,cohiberetur. *col.*819.*li.*10. *Quædam eſſe tranſpoſita videntur,& ſic collocanda* , an ex paſſione aut aliqua ex cauſa. *col.*820.*lin. 6.* Vnde & de tonitruis (*Ger.*de tonitrubus) quæ concepto intra ſinum nubium ſpiritu,cum ſe vehementer eruptura eliſerint(*vel*,erupturus eliſerit)magno concrepant(*vel*,concrepat)ſonitu.

In librum tertium Hexaëmeron.

*Col.*823.*cap.ii.lin.*10.aſtipulante nobis lectionis ſerię teſtificamur, quæ. *Scripti codices legunt*, aſtipulantem nobis lectionis ſeriem teſtificamur , quæ.*Ger.* aſtipulatur nobis lectionis ſeries,quę.*ibid.lin.*24.quæſtiones afferunt. *aliàs*, ſerunt.*col.* 824.*lin.*65.fluant aquæ,& non ſuperfluant. *Scripti libri per numerum ſingularem efferunt.ibid.lin.*67. deſtituto aruorum cultu.*Sic etiam habet impreſſus in Ger.veteres ſcripti.* arborum cultu.*col.*825.*cap.iii.lin.*20. vſque ad Gaditani oram littoris,& inde in mare rubrum,extremo circunfuſa orbem *Magnã hîc reperimus diuerſitatem in ſcriptis libris.quidã habebant*, vſq; ad Gaditani ora littoris.*Alii*, vſque ad Gaditanorũ littora. Et tibi extremo circunfuſa orbem terrarum includit oceano.*vnus ſic*,extremo circunfuſa orbe terrarum includit oceanus.*alius conſentit cum Ger. vbi ita habetur* , extremo circunfuſo orbe terrarũ includit oceano.*Col.*835.*li. 16.*aut plenæ tẽpus ætatis opera imparata dedeceant. *ſic vnus ſcriptus: duo alii*,opera praua deducat.*Ger.* opera imperata. *col.*837. *cap. xiiii. lin. 6.* & cortice alitur tamen & ipſe calore ſolis naſcitur atque nutritur: & quantum pinea denſitate nucleus abſcõditur,tanta deinde.*ſic vnum exemplar ſcriptum,aliud ; & Ger.*cortice,tamen & ipſe calore ſolis æquè nutritur , & quantum pinea denſitate nucleus abſconditur,tantum. *vel*, tanto ſolis calore nutritur,(*aliàs*,fouetur.) Quanta deinde; &cet.

In librum de Paradiſo.

*Col.*899.*lin.*30.& facta ſunt?nũquid indigens eorum quæ generari vellet? *eam habebat lectionem vetus exemplar. aliud & Ger.*facta ſunt,nunquam indigens eorum.*col.*900.*li.*1.quaſi profluo quodam.*vel*,profluuio.*col.*902.*lin.*69.vel frondes. *Ger.legit*,vel ſordes. *col.*914.*lin. penult. cap.xi.* & ad fidei latrocinium reuertenti.*Ger.habet*,& ad fidem à latrocinio reuertenti.*col.*917.*lin.*57.reſpondiſſet,Quod eſt in medio paradiſi,dixit Deus,Non manducabitis ex eo.*Sic enim legit exemplar ſcriptum,vbi fortaſſe hæc omiſſa ſunt , quæ habet Ger. impreßio*,reſpondiſſet.Ex omni ligno paradiſi manducabimus, de fructu autẽ ligni, quod eſt in medio paradiſi,dixit deus , Non manducabitis,&c.

In librum primum de Cain & Abel.

*Col.*928.*li.*4.*ab vltima*,quod corporis voluptate quis perceperit.*impreßi in Germ.* pepercerit.

In librum de Noë & Arca.

*Col.*971.*lin.*19.omnis imprudentia.*aliàs*,impudentia.*col.* 98.*lin.*31.ſpem hæreditatis.*in aliis*,poſteritatis.

In librum primum de Abraham.

*Col.*994. *lin.*26. In hoc corpore ſitis plerumque oboritur peregrinandi neceſſitas.*ſic habent exemplaria ſcripta.Ger.*vẽ ſcitis,plerumque &c.

In librum ſecundum de Abraham.

*col.*1010.*li.*39.petulantiæ,cantionem fœmineam.*Ger legit*, petulantiæ cautiorem feriam. *Vetus Sorbonicum exemplar* , petulantiam cautiorem feriam.*Dionyſ.* procacitatis petulantiam,cautionem ſeriam. *col.*1017.*lin.*52.precioſus ſenſus.*Ger. hîc & poſtea lin.*54.*habet*,cenſus. *duo ſcripti, primo loco*, ſenſus, *ſecundo*,cenſus *legunt*. *col.*1021.*lin.*14.*ab vlt.poſt hæc verba*,Iſtæ alæ virtutes ſunt,quæ,*iſta addenda deſcripſimus ex vetuſtiſſimis codicibus manuſcriptis,altero Sorbonico,altero Dionyſiano*,quę maximo & dulci plauſu prudentiæ,fortitudinis,temperantiæ,iuſtitiæ ſuauem † decoræ vitæ cantilenam reſultãt.Plato autem dulces quoſdam ſonitus ſyderũ putauit ex ſphęræ cœleſtis

† decore

ræ cœlestis generari conuersione, emphasim magis & pompam, quàm veritatem sequutus. Nam licet Origenes quoque noster, hoc est, ecclesiastico vir officio deditus, planetarum stellarum quandam inenarrabilem motu armoniam esse suauissimi illius soni cœlestis asserat, tamen etiam plurimùm indulgere philosophorum traditioni pleraque eius scripta testantur. Quod eò scripsi, vt & ab Aruspicinæ & à philosophiæ traditione sacrificij istius interpretationem secernerem. Velint alij doctrinam probari suam, ego iuxta Apostolum, timidus malo quàm doctus videri, qui ait: Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem seductionem secundum traditionem hominum, secundum elementum huius mundi, & non secũdum Christum. Quòd autem ait: Diuisit Abraham corpora & consedit illis, ne quis extispicium putet, aruspicina verba esse non nego. Sic enim audio. Sed diuisionem corporum quadrupedum, cùm lectio factam astruat, non factam auium. vtique si inspectio fuisset, istarum etiam auium facta esset diuisio, vt fieret inspectio. Quid si fidei nostræ hoc conuenit? Et ideo quod supra Aruspicinam verbi nobis datur aditio, requiramus. Diximus suprà quia in vitula terrã accipiamus, in capra aquam, in ariete aërem. Quod ipso nomine colligitur, quòd trina ad sacrificium suum iubentur. quia terra ipsa inter tres diuiditur species sui. Aut enim continens, aut insula, aut peninsula. Aqua ipsa in tria, quia aut mare, aut fluuij, aut lacus. Nam fontes aut putei priuata negotia nequaquam digna diuisione generali & publica. Putei latent, fontes aliis originem præstant. Aër quoque habet diuisiones temporum, veris, æstatis, hyberni. & hæc mundana diuisio. Quò hoc proficit? vt agnoscamus deum esse horum authorem moderatorémque omnium, qui omnibus ordinem rebus dederit, & eas diuisione distinxerit, vt iis colligas posse tibi deum conferre, quæ piè postulas, & quæ spondet implere. Itaque Abraham quia promittenti domino terræ hæreditatem responderat: Vnde cognoscam, quia hæres ero terræ huius? per illas species hostiarũ informatur, vt eum credat esse supra mundum, qui vniuersa quæ mundi sunt, prouida distinctione diuiserit: sed ea quæ sunt diuisa resolui postea: ea autem quæ non sunt diuisa, (aues enim, hoc est, turturem & columbam non diuisit) nunquam resolui. Fides enim manet integra, quæ columbæ more in sublime subrigitur lustrans superna, & spiritalibus alarum remigiis cœlum circumuolans. Turturi quoque mens illa confertur quæ auis vsu istius secretis alitur, intelligibilem illam & indiuisam quærens Trinitatis substantiam, refugiens plebem quandam creaturarum, & corporeę se non commiscens congregationi, atque ab omni passionum labe secernens. Hoc sacrificium de te poscitur. *& cætera quæ sequuntur in eadem linea. Col.*1022.*lin.*70. vnde & diuitiæ dictæ sunt curæ, quòd mentem. *In exemplari Sorbonico*, vnde & diuitiæ dictæ sunt curæ & cogitationes mundi huius: *& in Dionysiano vetustissimo eo modo legitur. In Ger. verò*, vnde & diuisæ dictæ sunt quòd mentem.

In librum de Isaac & anima.

*Col.*1033.*lin.*8. nãque mentis resoluto sensu, se corporales delectationes effundunt. *sic quoque habent scripti codices. Ger. sic*, namque mentis vigore resoluto sensim se corporales delectationes effundunt. *Col.*1039.*lin.*13, *quædam nescio quo errore typographi prætermissa sunt. post ista verba*, & mundana sit, *nempe hæc*, quæ mentem hominis capere & quodam sinu proprio consueuerunt inuoluere. posita ergo in secularibus. *& quæ sequũtur. Col.*1042. *Cap.vi.lin.*16. orationibus suis gratia quærentem reuocauit, adeo vt etiam. *Scriptus liber ita legit*, gratia qua reuocauit à deo, vt etiam. *Ger.* gratiaque reuocauit, à deo vt etiam.

In librum primum de Iacob & vita beata.

*Col.*1051.*lin.*1. Necessarius ad disciplinã bonis omnib⁹ sermo plenus prudentiæ. *ea quoque est lectio in scriptis codicibus. In Ger. verò*, Necessarius ad disciplinam boni sermo omnis plenus. *Col.*1052.*lin.*13. impressione refrenare ac reprimere quãuis grauem passionem, & feruorem. *cõmodior esse videtur lectio quæ est in impressis Basileæ*, impressiones refrænare ac reprimere quãuis grauium passionum, & feruorem. *Col.*1054.*ca.iiij. lin.*5. cognoui concupiscentiam. *post quæ verba, hæc leguntur in Germanica editione*, esse peccatum: & hac occasione cognitionis, peccati æra cumulata sunt, quia peccatũ quod ante, &c. *non autem adiecimus, quòd in nullo codice scripto reperissemus: quãquam non aliena videntur. Col.*1055.*Cap.v.lin.*28. quid igitur? *in Ger.* iterum. *& sic cõtinuò bis ponitur*, iterũ, *pro*, igitur. *col.*1056. *cap.vi.lin.*39. Cum Christo suscipe passiones eius, vt supra passiones cum eodem esse. *sic etiam veteres, nisi quod non habent particulam*, eius. *Ger. verò ita distinguit*, si consepeliare cũ Christo. Suscipe passiones eius, &c. *col.*1057.*lin.*13. totum obtulit, quod in plenitudine diuinitatis nihil ipse amisit, & te redemit. Considera. *Quãuis repugnent omnia exẽplaria, quibus hîc vsi sumus, melius tamen videtur sic legi in Ger.* totum obtulit. Quod in patre fuit, nihil sibi ipse reliquit, totũ pro te obtulit, quod in plenitudine diuinitatis non amisit. Considera, &c. *col.ead. lin.penul.* præstantiúsque quod iudicio subiectum est. *Fortasse rectius hoc modo legetur*, præstantiúsque quod iudicat, quàm quod iudicio subiectum est. *nam sic legitur in Ger.*

In librum secundum de Iacob & vita beata.

*col.*1063.*ca.iij.lin.*11. Bona enim vbi irreprehẽsibilis est rapina. *In quibusdam sic habetur*: Bonus dolus vbi irreprehensibilis rapina. *col.*1064.*lin.*11. cùm vtrique consuleret, intemperanti præfecit sobrium. *Ger. habet*, quò vtrique consuleret. *col.ead.cap.iiij.lin.*5. *lege*, inducatur, *pro* induatur.

In librum de Ioseph Patriarcha.

*col.*1079.*lin.*16. vnius æstimatione prævalet Christus. *vide num melius legatur in Ger.* vnius ęstimatione precij valet Christus. *col.*1084.*lin.vlt.* Id quod accepit, regis gratiæ est proprium. *hæc sunt confusa, & ita reponenda*, Id quod accepit gratiæ, regis est propriũ. *col.*1087.*lin.*2. *lege*, affectui, *pro* affectu. *& lin.*32. mitia, *pro* mitis. *col.*1089.*ca.xi.lin.*5. Et poculũ tuum inebrians quàm præclarum est. *col.*1090.*lin.*4. *& in scriptis voluminibus*, pro Christo, Pauli prædicatio. *Ger.* pro Christo paupere prædicatio. *Ead.col.cap.xij.lin.*5. credentem, *pro* credendum.

In librum de Benedictionibus Patriarcharum.

*col.*1094.*lin.*22. *legẽdum est* sumens, *pro*, sumus. *col.*1102.*lin. vlt.* & vuluæ. Benedictiones. *apparet ex sequentibus coniungendum hoc modo*, Et vuluæ benedictiones. *col.*1105.*lin.*2. sicut legatus Pauli proconsulis. *In Ger. ita legitur*, sicut legimus, Paulus proconsul.

In librum de Nabuthe.

*col.*1109.*lin.*53.*ca.v.* quibus oculis. *Ger. habet*, quibus labiis. *col.*1110.*lin.*8. Hæsi. *pro*, hæc si. *col.*1112.*lin.*5.*cap.viij*, meditaris. *Scripti habent*, metiris. *Ger.* promittis. *col.*1119.*lin.*15. Reddite in pauperes, in egenos, soluite inopes, fœnerate quæ placare possint deum propter flagitia vestra: aliter eum non potestis. Ergo quem vltorem timetis, facite vobis eum debitorem. *sic etiam legebat exemplar scriptum vnum, alterum & Ger. hoc modo*, Reddite in paupere, in egeno soluite, in illo inope fœnerate, quem placare propter flagitia vestra aliter non potestis. Quem vltorem timetis, facite eum debitorem.

In librum de Helia & ieiunio.

*col.*1123.*lin.*28. quæ prima est præuaricatio. Indictũ ieiunium, abstinentiæ lex à domino deo. *Magna fuit diuersitas exemplarium hoc loco. Vetustissimum & Gothicus literis descriptũ, ita legit. Alterum*, quæ prima est præuaricata. Indictum abstinentiæ. *Tertiũ, eam lectionem sequitur, sed non ita distinguit*, quæ prima est præuaricata indictum abstinentiæ. *Ger. verò sic habet*, quæ prima est præuaricata ædictum. Abstinentiæ lex. &c. *col.*1125.*lin.*1. ebrietatem vindicauit. *Alias*, ebrietate est vindicatus. *Ibid.lin.*4. hospitalitatis humanitate implebat officium.

cium. *Col.eād.cap.8.lin.21.* Quæ non propter ventris pericula muta animalia crimen neſciunt? *Ger.& quidam codices ſcripti,* Quæ non propter ventrem pericula? muta animalia crimen neſciunt. *ibidem lin.27.poſt* inquietudinem, *iſta conſultò omiſimus hîc redigenda,* ieiunium otia ſerit, luxus negotia. *Sic enim legunt ſcripta volumina. impreſſa verò in Germ.* ieiuniũ otia quęrit, luxus ſectatur negotia. Ferietur aliquando coquorum veſtigiorũ machera, requieſcat obſonator, qui, &c. *Col.1126. lin.8. non malè legitur in Ger.* licitatio, *pro* iactitatio, *quamuis vtrunlibet ferri poſſit. & lin.20.* immolatorum, pro, immoderatorum. *& lin.21.* Non coquina, ſed carnificina: putes prælium geri, non prandium. *Ger.* non coquinam, ſed carnificinam putes, prælium geri non prandium curari. *Col.1128. lin. 46.* non nos velut quadam impietate operiamus. *Ioannes Coſterius mirum in modum exultat ob emendatum hũc locum. ſic enim reponendum cenſet,* quodam peripeteſmate, *id eſt, tapetis quæ extenduntur ad ornandum aliquem locum. quanquam priorem lectionem reperimus in vno codice ſcripto, eóque vetuſtiſſimo. Col.1129. cap.xij.lin.2.* dum ſermone diſputo, meũ redoluit prandum. *In Ger.* in ſermone meo dum diſputo, redoluit prandium. *In ſcriptis libris,* in ſermone meo redoluit prandiũ. *Ibidem lin.48.* philoſophorum diſputantium, *aliàs,* philoſophi diſputantis. *Col.1130. lin.6.* quibus dimicent. Cum epulis diuidendis. *vel ſine diſtinctione,* quibus dimicent cum epulis diuidendis. Aſſiſtunt. *Col.1132. cap.xvi.lin.22.* Nam eadem. *Ger.& ſcripti aliquot libri,* mentior niſi eadem. *Col.1134. lin.4.* mordebantur, pro moriebantur. *Col.eadem cap.xix.lin.45.* cibo, non mercatu vtere. *In aliis,* ad cibum nõ ad mercatum vtere. *Ibidem lin. 50.* cede tu, vbi & pelagus & mare inquietudinem tuam non poteſt ſuſtinere. Denique totiens recurrentibus. *Germ.* cedet tibi pelagus, & mare inquietudinem tuam ferre non poteſt totiens recurrentibus. *Scripti omnes libri ita legunt,* cedit tibi mare & inquietudinem tuam non potes recurrentibus. *per ſecundam perſonam ſine verbo infinito, quod an ſit additum, aliorum eſto iudicium. nam in aliis ferre, in alius ſuſtinere legitur quæ longè quantum ad literas, diſſimilia ſunt. Col.1135. lin.5.* Inſulæque repletæ potu inhabitantur. *Scripti,* Inſulas repletas potu inhabitant. *Ger.* Inſulas repleta potu inhabitãt corpora. *Col.1136. lin.49.* Sub tantis erubeſcere, cõſidera quàm dedecoroſum ſit. *additur in quibuſdam,* Sub tantis ſpectatoribus.

In librum de Thobia.

Col.1139.lin.24. à ſepulturæ feſſus reuerteretur meridie. *Ger.* cùm à ſepultura feſſus reuertiſſet meridie. *Scripti aliquot* cùm feſſus à ſepulturæ reuertiſſet munere. *Col.1140. cap.iij. lin.10.* quos captiuos Barbarus vendat. *ſic habent omnes veteres ſcripti. Ger.* barbaris. *Ibid.lin.18.* ſacramentum. *In ſolo Ger. habetur,* iuramentum. *& lin.28.* recipere, *habent etiam ſcripti. Ger.* reficere. *Col.1143. lin.12.* profectus fructuum. *In aliis,* prouentus. *Ibid.lin.19.* Laqueos vſurarum, paternum ſepulchrum: *quibus verbis hæc interpoſita leguntur in Ger.* petunt obligari ſibi auitum prętorium, paternum, &c. *Col.1145. lin.3.* acceſſione diuturna. *quam lectionem habent veteres. Ger.* diurna. *Ibid.lin. 11.* vendidiſſet digna pœna dominum relinquentes. *Vide an rectius diſtingui poſſit,* vendidiſſet, digna pœna. Dominum relinquentes habent. *Licet repugnent veteres. col.1146. lin.13.* memorabam (*Ger.habet* memorabar) proficere *ſcripti,* proſpicere. *Col.1147. cap.xiij.lin.10.* fœnoris, *vel* fœnebris. *& lin.16. iddem. Ibid.lin.26.* otioſum neſcit auaritia, vſura ferias. *videtur legendum,* otium, *vt habet Ger. col.1154. lin.47.* non permiſit. Obiectio huius ſortis bonum pignus eſt, verbi amictus. *Vt fortaſſe malè hîc diſtinctum eſt, ita non rectè putamus ſcriptum in Germ. hoc modo.* non permiſit obiectum. Huius, &c. *ſed rectius legi poſſe,* non permiſit obiectu. *quam lectionem habent plerique ſcripti codices.*

In librum ſecundum de Interpellatione.

Col.1167.lin.2. Quem enim dominus iuſtum pronuntiauit eum condemnabant iniuſtitiæ, accerſibant (*vel* arceſſebant) iniquitatis. *Quidam veteres ita legunt.* De quo quem dominus Deus, &c. *col.ead.cap.iij.lin.3.* muralibus tentationis *in aliis,* muralibus tentationibus. *Non tantum reperimus diſſidij in reliquis libris, qui ſequuntur, quod non facile conuenerit ex multorum veterum conſenſu. Niſi forte illud notandum ſit, quod eſt emendatum à coſterio in Pſal.118. Ser.xix. col.1579. lin.46.* cùm fit peridrome matricis. *Quam lectionem non impreſsimus, quòd in vno ſcripto antiquam illam,* periculum matricis, *inueniſſemus.*

In Epiſtolam D. Pauli ad Romanos.

col.1802. lin.9. quadam ſunt truncata, & hoc modo reſtituenda? Igitur ſi lex Dei data eſt per Moyſem, & prædicatio nouæ legis, dei eſt, quid eſt quod differt, vt à lege quam deus dedit, tranſlatum ſe dicat in Euangelium dei? Sic eſt hoc, quomodo qui à ſecundo gradu accedit ad primum, vt à bono ad melius. Lex à deo data eſt ad correctionem diſciplinæ: Euãgelium autẽ dei eſt, per quod myſterium dei manifeſtatur, quod latuit à ſeculis in deo, quod eſt Chriſtus. Ad quod omnes inuitati apophoreta duplicia conſequuntur: remiſſam enim peccatorum accipiunt, & filij dei fiunt, vt iam mori non poſſint ſecunda morte. Hinc eſt quod dominus in Euangelio: Hæc eſt, inquit, vita æterna, vt cognoſcant te ſolũ & verum deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Quod antè, &c. *vide quid habeat impreſſa lectio. col.ead.li.39. deeſt quod ſequitur,* vt ſicut verus deus eſt, verus eſſet & homo. Verus autem nõ erit, niſi ſit ex carne & anima vt ſit perfectus. Qui enim, &c. *col.1803. lin.52. impreſſa lectio ſit ſemper habuit,* quãuis non ſecundum regulam ab authoribus traditæ veritatis, tamẽ, &c. *Sic verò legimus ex codice Dionyſiano quo hic vſi ſumus:* Mira enim res videbatur, vt domini gentium inclinarentur promiſſioni Iudæorum: quanuis non rectè credidiſſent, tamen, &c. *col.1807. lin.29.* Euanuerunt. Videntes enim mũdum miro ornatu aptatum ab eo quem eius opificem cognouerant, diſſimulauerunt. Et obſcuratum. *idem liber antiquus ſic habet,* Verè vanitas eſt hoc, vt cognoſcentes veritatem cogitarent aliud colendum quod neſciebant verum eſſe, & diſſimulantes à deo colerent idola. Et obſcuratum. *col. 1808. Dionyſianum exemplar ſic legit,* Sic commutauerunt veritatem in mendacium, dum nomen dei qui verus eſt, dederũt his qui falſi ſunt dij. Lapidibus enim & lignis vel cæteris metallis offerentes quod ſunt, dant illis quod non ſunt, vt dei veritas ſit mendacium, quando lapis dicitur deus. Quod factum pulſat deum qui verus eſt, vt quia commune nomen arbitrantur falſi & veri, ſimili modo verus Deus habeatur vt falſus. hoc eſt immutare verum in falſum. Sic ſeruierunt creaturæ potius quã creatori. Non enim negant deum, ſed ſeruiunt creaturæ. Vt enim viderentur dignè hæc colere, dei honorem his impoſuerunt, vt iniuria dei horum eſſet cultura. Idcirco ad pœnã eorum proficit, quia cognoſcentes deum, inhonorant eum qui eſt benedictus in ſecula, Amen: hoc eſt, verum. Deus verò ait, benedictus in ſecula, quia permanet deus. Idolis autem ad tẽpus impietas tribuit dei honorem: ideo non eſt verum, &c. *col.ead.lin.vlt. hæc addenda videntur poſt* mulierum. Denique non dixit de viris quod immutauerunt naturalem vſum in inuicem, quia huiuſmodi vſus huic parti conceſſus non eſt. Quid mirum, &c. *col.1809. lin.27. Vide impreſſam lectionem ab eo loco.* Malitia, *quàm ſit diuerſa.* Malitia inquit, impudicitia, auaritia, nequitia plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate ſuſurratores, detractores, deo odibiles, cõtumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum) Caput iniquitatis malitiam dixit, cuius opus impudicitiam poſuit & auaritiam. Deinde adiecit nequitiam, cuius effectus inuidiam parit, & homicidia, contentionem ac dolum. Poſthæc ſubiecit malignitatem quæ gignit ſuſurrationes atque detractiones. Et quoniam hæc deo diſplicent, ait, deo odibiles. Et quia nec hominibus placent, contumelioſos, inquit, ſuperbos, elatos, inuentores, id eſt, malorum authores. Iſti enim imitatores facti patris ſui diaboli, idololatriæ malum inuenerunt, per quod omnia vitia in mundo ſunt nata & perditio maxima. Nam diabolus, quem ab initio ſcriptura peccare teſtatur, quãquam tyrannicę preſumptioni ſtudeat, non tamen id auſus eſt profiteri, vt dicat, Ego ſum deus. Denique inter cętera dicit ad dominum: hęc omnia mihi tradi

ta ſunt

ta sunt: non dicit, A me sunt, vel mea sunt. Et in libro Iob petit sibi dari potestatē. Quamobrem peiores isti sunt, qui non tantùm elementis, sed & figmentis tribuunt deitatem. Parentibus non obedientes.) Quanta autem insolentia arrepti sunt, vt nec parentes suos cognoscerent honorādos? Ideo insipiētes & incompositos esse dixit, nec dei nec hominum habentes affectum. Vnde & sine misericordia.) Qui enim in suos crudelis est, quantò magis in alienos? In his ergo omnibus contumaces effecti, cognitam habentes dei iustitiam, in animo ponere noluerunt. Quoniam qui hæc agunt digni sunt morte: & non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.) Ista enim non horrentibus neque argumentibus (*aliquid desiderari videtur.*) Et in propheta Zacharia contradicere se putat sacerdoti non sibi vindicans potestatem. Cùm enim videt honorari se ab iis qui nō sunt tales, crescit in mala & gloriatur fortè (vel fore) se talem. Idcirco dignum est vna hos pœna multandos. Omnis tamen conscientia nouit dei iustitiam creditam mundo. Occultè enim quæ puniēda sunt operantur. Quomodo ergo credunt ista impunè futura, quæ nō audent publicè gerere? Quapropter, &c. *quæ sunt in principio capitis secūdi. col.* 1810. *lin.* 6. *ca. ij.* excusare se posse putaret. *ab eo loco ita legitur in vetustissimo codice Dionysiano:* dum simulat foris horrere se hoc opus & cōdemnare, intus eadem faciēs, excusari se putat, quia ad tēpus latet, docet huiusmodi, &c. *Ibid. lin.* 21. *ab eo loco,* Hoc est, *quædam sic variata legimus:* Non vult huius rei impunitatem ab iis sperari, quia iniustū est, quibus examen potestatis datum est de malis & stupris huiusmodi iudicare, cùm sint tales. Et si deest, inquit, ad præsens qui de te iudicet, effugere tamen iudicium dei non poteris in futuro. Per se enim, &c. *Vide lectionem impressam longè diuersam. Ibid. lin.* 51. *vbi hæc scribuntur:* In pœna enim positus, *alia reperiūtur in eodem codice perantiquo, nimirum ista,* qui vt terrorem futuri iudicij sui ostenderet, & patientiam non contemnendam, ait: Tacui, nūquid semper tacebo? huiusmodi ergo positus sine fructu pœnitebit, vidēs iudicium dei, quod negauit futurū: vt nec pudorem habeat deprecandi, qui longanimitatem bonitatis deridendam putauit. Secundum, &c. *quæ sequuntur in contextu. col.* 1812. *lin.* 6. *impressa lectio longissimè differt ab ea quæ inuenitur in eodem codice Dionysiano, vbi sic habetur:* Sicut gentiles & si legem naturæ custodiant, peribunt tamen, nisi acceperint fidem Christi. Maior enim causa est solum deum profiteri, quòd deus vnus sit, quàm à cæteris abstinere peccatis: hæc enim dei causa est, illa nostra. Ita & Iudæi sub lege agentes, à lege accusati iudicabuntur, quia non recipiunt Christum in lege promissum. Et si quæras, maior dolor Iudæis est quàm gentibus. Peius enim promissionem amisisse, quàm desperatum non accepisse. Iste enim non intrauit regiam, ille autem foras missus est. Non enim, &c. *Col. ead. lin.* 23. auditor legis, &c. *Variat exemplar scriptum, hoc modo,* quia quæ dicuntur, non transfundit ad mētem, non factor legis sit, sed auditor: non enim credit in Christū scriptū in lege, &c. *col.* 1813. *lin.* 58. *impressa lectio ita habet,* vel per idololatriæ culturam impios. Promissio nāque facta per legem est ad melioris spei fiduciam prouocare. *sic quoque Ger. Scripta verò in vetustis alia est,* vel idololatriæ cultura impios promissione quæ facta est per legem, ad melioris spei fiduciam prouocare. *col.* 1815. *cap. iij. lin.* 23. *ab eo loco,* Non, inquit, &c. *sic legi potuit ex eodem codice,* hoc dicit, quia non præiudicabitur Iudæis credentibus, ne digni dicantur accipere quod promisit deus cæteris diffidentibus, quia sic facta promissio est, vt donum gratiæ eius credentibus proficeret. Igitur, &c. *col. ead. lin.* 34. *vbi dicitur,* Vt iustificeris, &c. *ita in scripto habetur:* Igitur quoniam deus verax est, dat quod promisit: sed hominis est fallere, quem tempora & naturæ imbecilitas faciūt esse mutabilem per id quod præscientiam non habet. Deus autem apud quem nihil futurum est, immutabilis perseuerat, sicut dicit: Ego sum & non mutor. Omnem ergo hominem dicit mendacem, & verum est: natura enim quę fallitur, nō absurdè dicitur mendax. Itaque aliquando studio, aliquando errore mendax est. Non ergo hoc de deo sperandum est, qui & perfectus est & beneuolus, vt nō impleat quòd promisit: quod etiā prophetico oraculo confirmat dicens: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.) Deum iustum promisit, & verbis suis propheticus sermo testatur: nec aliquorū perfidia fidem eius minui, sed dādo vincere. Quod perfidi nō credentes negant eum daturū. Dabit ergo quod iudicatur, vt vincat faciēdo quod negatur facturus. Tunc vincetur impietas, quæ dum non credit, negat vera esse quæ promisit deus. Videbit enim factam resurrectionem quam negauit, & sciet victam esse perfidiā pollicitatione & veritate dei. Hoc est quia deus verax est, omnis autē homo mēdax, qui negat quod futurum est. Nā & Christus cùm iudicatus est, vicit: iniquè enim occisus reum fecit diabolū quem iam non peccando superauerat, vt secūdo victus amitteret quos tenebat. Si autē iniustitia, &c. *quæ sequuntur. col.* 1816. *lin.* 12. *col.* 1817. *lin.* 48. *Post hūc D. Pauli contextum,* Et viam pacis non cognouerunt, *sic legitur in vetere libro,* Inimicitiarum viam eligētes, per quam itur ad mortem secūdam, iter per quod pergitur ad æternam vitam, quę idcirco pax dicitur, quia nullā perturbationem habebit. deum habēs propitium, spreuerūt nolentes scire quia bonæ voluntatis homines requiem habebūt apud deum. Non est timor, &c. *col.* 1826. *lin.* 18. *post verba ista,* vita ipsius, *hæc adiiciūtur in antiquo,* Nō enim poterit minimè diligere amicos, qui prodest inimicis. Si enim mors, &c. *col.* 1839. *lin.* 22. *vbi habetur impressum:* Si enim anima de, &c. *ita scribitur in vetere:* In anima autem non permittitur habitare propter arbitriū liberum volūtatis. Igitur in carne habitat peccatū quasi ad ianuas animæ, vt non illam permittat ire, quò vult. In anima autē si habitaret, perturbaret eam, ne se omnino cognosceret. Nūc autem cognoscit se & delectatur lege dei. Video autem, &c. *col.* 1842. *lin.* 13. *post hæc verba,* Nam prudentia carnis mors est, *Ita legit exemplar scriptū,* Prudētia enim carnis mors idcirco est, quia graue peccatum: per peccatum enim huiusmodi mors. Prudētia enim ideo dicitur, &c. *col. ea. lin.* 44. Ac per hoc legi dei hoc studiū subiectum esse non potest in eo quod exercitatur vt dei gestis repugnet. Qui enim in carne sunt, deo placere non possunt) Sapiētes mūdi in carne sunt, quia respiciētes mundum spiritali sapiētiæ resistunt, quia totus mundus caro est. Omne enim, &c. *In scripto codice & Basileæ impresso ita videre est,* ac per hoc dei legi subiecta esse non potest ista carnis prudētia: ad hoc enim studium suum exacuunt, vt deo gētes repugnent. Qui enim in carne sunt, deo placere non possunt.) Sapiētes mundi in carne sunt, quia sapientiæ studeant per quam legi dei repugnēt. Quicquid enim contra legem dei est, carnale est, quia ex mundo est. Totus enim mundus caro est. Omne enim, &c. *col.* 1869. *lin.* 21. *his verbis,* signū est salutis futuræ, *ista addi possunt ex vetere,* Cùm baptizatur ergo vniusquisque, ad veniā pertinet, non ad coronā: postea in nouitate vitę ambulans vicinus est vitæ ęternæ. Nox præcessit, &c. *Et hæc sunt, beneuole lector, quæ post emendationem eorum quæ sine controuersia in contextum reponenda videbantur, in hunc locum redegimus ex codicibus antiquis, vbi præsertim plures fuerunt dissidentes dictiones: nam vbi vnius dictionis occurrit diuersitas, lateri marginis affiximus. Quæ omnia pro animi tui candore boni, vt speramus, consules.* Vale.

FINIS.

REGESTVM SEV ELENCHVS CODICVM huiusce voluminis.

†. ††. 1a 1b 1c 1d 1e 1f 1g 1h 1i 1k 1l 1m 1n 1o 1p 1q 1r 1s 1t 1v 1x 1y 1z
2a 2b 2c 2d 2e 2f 2g 2h 2i 2k 2l 2m 2n 2o 2p 2q 2r 2s 2t 2v 2x 2y 2z
3a 3b 3c 3d 3e 3f 3g 3h 3i 3k 3l 3m 3n 3o 3p 3q 3r 3s 3t 3v 3x 3y 3z
4a 4b 4c 4d 4e 4f 4g 4h
aa bb cc dd ee ff

Omnes sunt quaterniones, præter 1g 2b. quinterniones 1o. 3e terniones.

Errata quæ remorari possent Lectorem.

*Col.*148.*lin.*2 *lege dira col* 166.*lin.vlti.dele catera.col* 169.*lin.*47.*lege concessu.col.*173.*lin.*42.*reualuerit.*178.*l n.*6.*fit.*179.25.*per aquam,adde,tecum sum.*
191.18.*Lapsa pro lapsè.*197.*lin.*7.*aptè.*202.40.*habitandum.*276.25.*confutetur.*278.56.*legis nouatæ, sine distinctione.*281.63.*fatu.*285.8. *lin. ab vlti. lapides.*
288.51.*infra.*290.63 *sapientiam* 294.67.*iniuria.*303.50 *accidens.*306.48.*se & sacrum.*312.37.*quia vnicus.*314.65.*quicunque.*316.70.*vnum sumus.*317.35.
*pro deum.lege, domine Iesu.& 52. incarnationis.*321.4.*Filio.*323 13.*perstringat.*329.3.*deo.& 17.fœcundu.*336.57.*veniabilu.*346.5.*tractata.*347.65.*in cru-*
*ce.*348 42.*suscepit.*350.7.*condemnat eos.*351.46.*& signa expressit & causas.*362.26.*dignitas.*364.39.*vbique.*367.66.*sectibus.*373 4. *Madian.*383 *lin. vlti.*
*scriptum est.*389.14.*Quid ergo.*390.53 *Denique Apostoli.*401.62.*deus sit.*406.23.*in vnit.*407.14.*det.*410.65.*adde post renes: quia scriptum est, Deus scru-*
*tans corda & renes.*411.32 *Spiritus sancti.& 42.mortisque fat.*420 66.*omne.*422.52.*sociatum.*426.10.*dele est.*436.25. *Significatoria.*444.3. *abolent.*29.
*foris.*445.3.*qui potest.*46 *similis.& 64.quod præm.*447 6.*& iter.*450.7.*perisse sciebat.& 67. Aut si qua.*452.11.*certè quia.*50 *sicut lilium.& 53.dominici.*
453.28.*& arcana.*454.9 *in sacerdote dominum requirebas.*456 52.*capio.& 7.ab vlt.iudicium fut.*459.13.*doleres.*462.1.*simplicitate.*463.23.*putasset.*26.*ex-*
*asperant.& 42. Nam & si.*465.20.*decessus.*466 52.*consolatione.& 3.ab vlt.exceptionem.*471.3 *vita huius.& 12. pœna dominus.*473.40.*prouentu.& natu-*
*ra.*474.30.*auis. & 69.carentem* 476.3.*Docet.*480.*lin* 1.*gratiam, sequamur obedientiam.*15.*significans.*481.1. *recipiat. & 55. quomodo quis.* 482.35.*sacri*
*numeri.*483.39.*procliuis.*485.49. *prius autem.*492.11.*qui sicut.*33. *Omnes eorum & 49 glorioſior.*497.49.*requiem tamen.&, Illic.& 70.sibi.*498.11.*illam.*
500 3.*terra.*512.36.*innuentes.*513.51.*persequendo.*514.49 *fabulis.& vlt qua arnerat.*520.12. *Sequestrat a lege.*530.26.*poterit.*531.52.*cibos.*533.7.*ab vlt.va-*
*de.*535.59 *propositi.*539.43.*eos.*544.27.*ad misericordiam,eo.*555.13.*abfui.*556 14.*veris prius.*560.38.*periculosum.*561.39 *conduxerit.*563.4.*seditionis.*564.2.
*annorum.*586.14 *ita emen.*588. 67.*Figurat.*595.29 *accepit.*597.55.*legi antè.*601.*& fraterna,dele non.*602.38.*mundi.*604.10. *eius est.*607.3. *delinimentis.*
613.38 *prætorio,pro præfect.*616.28.*Madian.*625.*lin.vlt.præstantius præsertim.*626.63.*eam.*630.59.*innocentem.*634.69.*futurum.*635.30. *igne, pro igitur. &*
31.*exurebant.& 36 inuoluerunt.*637 1.*eum vitea.*3.*solutus.& 68.pro nihilo* 642.35. *Quomodo lib.*649 56 *vt & ea.*691.26.*sicut dicit.*696.12.*publicam.*701.
5.*tutum.*705 9.*inediam.*718.19.*& 20 ambulabat.& 41.Quos enim.*719.63.*refectis.*722.65.*largiendo restingãt.*816.34.*referunt.& 37.afferunt.*819.21.*& 26.*
*salsam.*824.67.*arnorum.*901.29.*augustius.*907.25.*noluit.& 56.ergo qui.*917 46 *sapientiam* 928.4.*ab vlti. pepercerit.*932.*fragrabant.*962. 7. *causa,& 8.*
præstaret 994.2.*inutilis.*1006.23.*forma,& 25.degustauerimus & 53 regat.*1009..20 *illucescat.*1011.28.*census.*1015.40. *geruntur.* 1019. 28. *consedit.* 1032.
5.*præmium.*1039.12.*ab vlt.capreola.*1044 *lin.*3 *cap.vij sed etiam.*1045.3.*ab vlt.labes,*1052.23. *diuina & hu.*1057.24.*concessit.& 26.de perseuerantia.*1065.
*cap.v.*4.*angustus censu, fide optimus, & a labæ filiis.*1066.61.*Lia tanquam.*1067 15.*cautibus.*1068.41.*Ibi.*1069.15.*claue.*28.*infracto.cap. ix. lin.* 2. *mortis.*
1072.10.*vrgebat ter.* 41.*te vinci,pro vindici, & lin.penult. ad votam.*1076.18 *Sit.* 1078.30. *Nec mirum si defic.& 39. Ecce,inquiunt,* 1085.42. *iniquitates.*
1086.*lin. vlt.ille antè im.*1087.68.*cur argen.*1095 17. *videns.*1098.25.*veste.& 50. Lætitia.*1103.15 *pro,eo quod,scribe,& 1112.cap.vij.lin.*2.*dies mortis.& 3.*
mortis. 1117.*debitorem.& 46.caligantium.*1122.*cap.ij.*2.*vt ieiunare.*5. *sacrilego. & 16. de cœlo eduxit.cap.iij .lin.*2.*refectio.*1125.*cap.vij.lin.* 5. *in Amianti*
*transformata naturam.*1126.*lauantur,mundant.*1127.15.*gratior.* 1130 17.*magnis.*1132.36.*excidunt.*1134.3.*mordebantur.*1139.9.*genera.*1140.*lin.*28.*cap.iij.& qui.*1142.36.*defluit.*1144.15.*cap.viij seruitium.*1146.*cap.xi.lin.*9.*annuus.* 1149 *cap.xv.*22.*ergo qui.*1153.*lin.*3.*ab vlt.Hac.*1156.*lin.*5.*ab vlt.meueris.* 1160.
6.*delicti.Ibid.cap.v.*16.*Ipsi.*1164.*lin.*12.*ab vlt.abditè.*1172.*lin.*2.*ab vlt.successibus.*

PRIMVS INDEX, QVI EST LOCORVM aliquot ſcripturarum, qui pugnare videri poſſint, conciliatorum in Ambroſio.

Pſal.141. *Periit fuga à me.*
Pſal.138. *Si ſumpſero pennas meas diluculo.* 2041.A
Marci.16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.*
Matth.10. *In viam gentium ne abieritis.* 252.C
Rom. 8. *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ.*
Gala. 1. *Qui ſe dedit pro peccatis noſtris.*
Ephe. 5. *Sicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum.* 282.A
Ioan.12. *Anima mea turbata eſt.*
Ioan.13. *Animam meam pro te ponam.* 288.C.D
Ioan.14. *Paracletus quem mittet pater in nomine meo.*
Ioan.15. *Cum venerit paracletus, quem ego mittam à patre meo.* 292.A
Matth.11. *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo.*
Roma.11. *Quis prior dedit illi & retribuetur ei.* 327.C
Ioan. 5. *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.*
Ioan. 8. *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me, verum eſt teſtimonium meum.* 343.B
Ioan. 8. *Omnia quæ placita ſunt ei facio ſemper.*
1.Cor. 15. *Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe ſubiectus erit ei, qui ſibi ſubiecit omnia.* 346.C
Luca 20. *Forſitan verebuntur filium meum.*
Matth.21. *Verebuntur filium meum.* 352.C
Marci. 12. *Pater maior me eſt.*
Ioan.14. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo.*
Philip.2. *Propterea Iudæi volebant eum occidere, quia dei filium ſe eſſe dicebat.*
Ioan.5. *Ego & pater vnum ſumus.* 353.D
Ioan.10. *Adorate ſcabellum pedum eius.*
Pſalm.98. *Dominum deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* 402.D
Matth. 4. *Bonum eſt viro cum portauerit iugum graue in adoleſcentia ſua.*
Threno.3. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* 445.A
Matth.11. *In vacuum laboraui.*
Eſa.49. *Non in vacuum laboraui.* 611.A
Philipp. 2. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*
1.Ioan.1. *Qui natus eſt ex deo, peccatum non facit quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex deo eſt.* 684.D
1.Ioan.3. *Non potes me modo ſequi, ſequeris autem poſtea.*
Ioan.13. *Hodie mecum eris in paradiſo.* 739.D
Luc. 23. *Senectus enim venerabilis.*
Sapien. 4. *Niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut puer iſte, non intrabitis in regnum cœlorum.* 748.A.B
Matth.18. *Pater in me eſt, & ego in patre.*
Ioan.14. *Nondum aſcendi ad patrem.* 752.D.& 753.A
Ioan.20. *Nondum aſcendi ad patrem.*
Ioan.20. *Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, deum meum & deum veſtrum.* 753.A.B
Ibidem *Non permanebit ſpiritus meus in homine.*
Gene.6. *Super quem videris ſpiritum deſcendentem de cœlo & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat.* 955.D.& 956.A
Ioan.1. *Iacob adorauit ſepties in terra.*
Gene.33. *Dominum deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* 1067.A
Deute. 10. *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtati mihi.*
Matth. 4. *Vt iumentum factus ſum apud te.* 1165.A
Pſalm. 50. *Volo autem viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione.*
Pſalm.72. *Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum.* 1254.B.C
1.Timo. 2. *Omnes enim oportet nos aſtare ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit ſiue bonum ſiue malum.*
Matth. 6. *Qui credit in me, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij dei.* 1285.D
2.Cor. 5. *Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt.*
Ioan.3. *Iuuenis fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum nec ſemen eius quærens panem.* 1312.A
Pſal.34. *Qui oderunt me gratis.*
Pſal.36. *Qui oderunt me inique.* 1336.C
Pſal.37. *Humiliabam in ieiunio animam meam.*
Pſal.34. *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam.* 1341.C.D
Voluntarie ſacrificabo tibi.
Pater ſi poſſibile eſt transfer à me calicem hunc, ſed non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. 1351.D
Deus deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti.
Non ſum ſolus, quia pater mecum eſt.
Traditus ſum & non egrediebar.
Exurrexi, & adhuc ſum tecum. 1352.B
Propter electos breuiabuntur dies.
Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere. Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. 1368.C
Nunc autem repuliſti & confudiſti nos, & non progredieris, in virtutibus noſtris.
Quia non repellet dominus plebem ſuam.
Non repulit deus plebem ſuam quam præſciuit. 1374.D
Nihil occultum quod non manifeſtabitur, neque opertum quod non reueletur.
Paulus audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui. 1390.B
In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam, in cuſtodiendo ſermones tuos.
Tria ſunt impoſſibilia mihi intelligere, & quartum quod non agnoſco, veſtigia aquilæ volantis, viam ſerpentis in petra, & ſemitas nauis nauigantis, & vias viri in iuuentute. 1430.D
Pronunciaui omnia iudicia oris tui.
Iudicia tua ſicut abyſſus multa.
O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius. 1434.A
Non ſecundum peccata noſtra reddas nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.
Retribue ſeruo tuo. 1435.C
Non ſum dignus vocari Apoſtolus.
Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex. Non ſolum autem mihi, ſed & omnibus his qui diligunt aduentum eius. 1435.D
Mandatum domini lucidum illuminans oculos.
Ne abſcondas à me mandata tua. 1443.A
Aufer à me opprobrium & contemptum.
Contemptibilia elegit deus. 1443.D
Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.
Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. 1473.D
Nemo videbit faciem meam & viuet.
Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo. 1480.B
Qui timent te, videbunt me & lætabuntur.
Rogauit illum omnis multitudo regionis Geraſenorum, vt diſcederet ab ipſis, quia magno timore timebant. 1502.A
Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis.
Confundentur ſuperbi quia iniuſte iniquitatem fecerunt in me. 1506.A
In æternum domine permanet verbum tuum in cœlo.
Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. 1516.D
Latum mandatum tuum nimis.
Arcta eſt via quæ ducit ad vitam. 1526.B
Si quis venerit ad me, & non oderit patrem & matrem & vxorem & filios & fratres & ſorores, adhuc etiam & animam ſuam, non eſt me dignus.
Dilige dominum deum tuum. Dilige proximum tuum.
Honora patrem tuum & matrem tuam, 1548.B.& dein.
Iniquos odio habui.
Diligite inimicos veſtros.
Benedicite eos qui vos perſequuntur & nolite maledicere. 1549.B
Auerte oculos meos ne videant vanitatem.
Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum & in eloquium iuſtitiæ tuæ.
Maior ſeruiet minori.

Pſal. 130.
Pſal.73.
Matt. 26.
Pſal. 21.
Ioan. 8.
Pſal. 87.
Pſal.131.
Matt. 24.
Ibidem
Pſal.43.
Pſal.93.
Roman.11.
Matth.1.
2. Cor. 12.
Pſal.118.
Prouer.30.
Pſalm. 10.
Pſal.118.
Ibidem
1.Corin. 1.
Lucæ 23.
Pſal.57.
Exod.33.
Pſal.118.
Pſal.118.
Lucæ 8.
Pſal. 7.
Pſal.118.
Pſal.118.
Matt. 24.
Pſal.118.
Matth. 7.
Lucæ 14.
Deute.6.
Exod. 20.
Deute.5.
Matth.15.
Pſal.118.
Matth.5.
Roma. 12.
Pſal.118.
Pſal.118.
Geneſ. 25.

Eccl.20. *Et dedi vobis præcepta non bona.*
Esaiæ. 45. *Et ego dominus creans mala.* 1557.B.C
Leuiti. 19. *Diliges proximum tuum.*
Matth.5. *Diliges inimicum tuum.* 1564.D.*in fine*
Psal.72. *Zelaui in peccatoribus pacem.*
Eccli.9. *Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam.* 1573.B
Eccles.3. *Tempus omnibus & tempus omni rei sub cælo est.*
1.Cor.10. *Siue manducamus siue bibimus, Christum annuntiemus.* 1582.B
Ioan.7. *Tempus meum nondum aduenit.*
Ibid.12. *Pater venit hora.*
Esa.7.& Matth.1. *Ecce virgo in utero habebit.* 1582.B.C
Non intres in iudicium cum seruo tuo domine.
Psal.142. *Misericordiæ tuæ multæ domine.* 1593.B
Ibid.118. *Iesus pernoctabat in oratione pro nobis.*
Lucæ 6. *Aduocatum habemus apud patrem.*
1.Ioan.2. *Ego vado ad patrem, & quodcunque ab eo petieritis in nomine meo,*
Ioan.14. *hoc faciam.*
Ibid.11. *Sciebam quòd semper me audis.* 1594.A
Ioan.5. *Non possum à me facere quicquam.*
2.Timo.2. *Negare semetipsum non potest.* 1594.B.C
Ioan.5. *Sicut audio iudico, & iudicium meum est verum.*
Ibid.19. *Potestatem habeo crucifigendi.* 1594.C.D
Matth.1. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ.*
Lucæ 3. *Vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli.* 1655.B.C
Ibid.4. *Tu procidens si adoraueris coram me, erunt tua omnia.*
Roma.13. *Omnis potestas à deo est.* 1669.D
Lucæ 5. *Venient dies cùm auferetur ab eis sponsus.*
Matt.28. *Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.*
Ioan.14. *Non relinquam vos orphanos.* 1681.D
Deut.18. *Prophetam vobis suscitabit dominus deus vester. Erit autem, Omnis*
Matth.11. *anima quæ non audierit prophetam illũ, exterminabitur de plebe.*
Lucæ 7. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* 1696.A
Matt.26. *Mulier effudit vnguentum super pedes domini.*
Ibid.8. *Mulier effudit vnguentum supra caput domini.* 1699.B.C
Occurrerunt Iesu duo homines habentes dæmonia de monumentis
Lucæ 8. *exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam.*
Matth.7. *Occurrit illi quidam vir qui habebat dæmonium iam multis temporibus.* 1703.D.*in fi.*
Post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem. Marc 9.
Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrum Lucæ 9.
& Iacobum & Ioannem, & ascendit in montem. 1716.B
Non noui vos. Discedite à me operarij iniquitatis. Matth.7.
Nolite prohibere. Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.
1719.C
Putatis quia pacem venerim mittere in terram. Non dico vobis, sed Lucæ 9.
separationem. Ibid.12.
Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Ioan.14.
Ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum. 1735.D.& *dein.* Ephe.2.
Domum & substantiam patres partiuntur filiis, à deo autem præparatur viro vxor. Prouer.19.
Quæ deus coniunxit, homo non separet. Matt.19.
Quòd si infidelis discedit, discedat. 1653.C I.Cor.7.
Conuerte gladium tuum in vaginam. Omnes qui acceperint gla- Matt.26.
dium, gladio peribunt.
Qui non habet, vẽdat tunicam suam & emat sibi gladium. 1782.C Lucæ 22.
Quæ est mater mea, & fratres mei. Matth.12.
Ecce mater tua. 1793.A Ioan.19.
Mane valde tempore. Lucæ 24.
Valde mane. Marci.16.
Vespere sabbati. Matt.28.
Prima sabbati cùm adhuc tenebræ essent, mulieres venerunt ad mo- Ioan.20.
numentum. 1795.A.B
Lucas duos viros ponit, Lucæ 24.
Marcus vnum iuuenem in albis sedentem. Marci.16.
Vnum angelum posuit Matthæus. Matt.28.
Ioannes duos angelos in albis sedentes visos esse memorauit. 1795. Ioan.20.
A.B
Ioannes scripsit dictum Mariæ Magdalenæ, Noli me tangere, non- Ibidem
dum ascendi ad patrem meum.
Matthæus occurrisse dominum scripsit Mariæ Magdalenæ & alteri Matt.28.
Mariæ, & illas accessisse & tenuisse pedes eius & adorasse.
1794.A.B.& *dein.*
Scientes qui inhabitantes in corpore, peregrinamur à domino. 2.Cor.5.
In ipso enim viuimus & mouemur & sumus. 1944.C Act.17.
Deus illum tradidit pro nobis omnibus. Roma.8.
Tradidit semetipsum pro nobis hostiam & oblationem deo in odorem Ephe.5.
suauitatis. 2006.C.D

LOCI ALIQVOT PVGNANTES CONCILIATI
in expositione super Apocalypsin.

Eccl.5. NE tardes conuerti ad deum.
Apoc.1. *Et conuersus sum vt viderem.* 3019.C
Apo.2. *Edere de ligno vitæ.*
Gene.3. *Lignum scientiæ boni & mali.* 3024.C
Amo.5. *Væ desiderantibus diem domini.*
Adueniat regnum tuum. 3063.C Matth.6.
Non est potestas nisi à Deo. Rom.13.
Draco dedit antichristo virtutem. 3091.C Apoc.13.
Canticum nouum nemo potest dicere nisi soli virgines. Apoc.14.
Quidam Apostolorum & Martyrum duxerunt vxores. 3096

SECVNDVS INDEX, QVI EST LOCORVM SACRÆ
Scripturæ à Diuo Ambrosio passim expositorum, secundum ordinem librorum veteris ac noui testamenti, per F. Florentium Borgoinum Franciscanum Parisinum, in Magdunio conuentu digestus.

EX GENESI.

Gene.1. IN principio fecit deus cœlum & terram. 425.D
Terra autem erat inuisibilis & incomposita. 808.C
Tenebræ erant super abyssum. 810.B
Spiritus domini ferebatur super aquas. 810.B.1230.C
Fiat lux. 812.B.C.D
Et vocauit deus diem lucem, & tenebras noctem. 813.B
Et factum est vespere & mane dies vnus. Ibidem
Fiat firmamentum inter mediam aquam, & sit discernans inter aquam & aquam. Et factum est sic. 815.C
Vocauit deus firmamentum, cœlum. 819.C
Congregetur aqua quæ est sub cælo, in congregationem vnam, &c. 822.B.& *dein.* 823.D.
Et appareat arida. 826.B.& 827.A
Fecit deus duo luminaria magna. 826.B
Et vidit deus quia bonum est. 820.B
Germinet terra herbam fœni, seminãs semen secundum genus suum. 828.B
Vt sint in signa & in tẽpora, & in dies & annos. 844.C.& 848.D
Producant aquæ reptilia animarum viuentium secundum genus suum. 854.A
Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. 282.B 886.A & *dein.* 1593.D

Genes. 2. *Requieuit dominus.* 895.C
Posuit deus hominem quem plasmauit,in paradiso. 900.A
Erat autem lignum scientiæ boni & mali in paradiso. *Ibid.*B
Erat fons qui irrigat paradisum. 901.D
De quatuor fluuiis paradisi. 902.A.B
Et apprehendit dominus hominem quem fecit, & posuit eum in paradiso operari & custodire. 904.B
Et præcipit dominus deus Adæ dicens: Ex omni ligno quod est in paradiso ad escam,edes. 905.B
Morte moriemini. 911.B
Non est bonum hominem esse solum. 912.C
Immisit dominus soporem in Adam,& obdormiuit. 913.C
Et ædificauit dominus deus costam quam tulerat de Adam,in mulierem. *Ibid.*
Factus est Adam in animam viuentem. 1033.C.& 1500.B
Finxit deus hominem de limo terræ, & insufflauit in faciem eius flatum vitæ. 1649.B
Gen.3. *Erat autem serpens sapientior omnium bestiarum quæ erant super terram, quas fecit dominus deus. Et dixit serpens mulieri, &c.* 914.D
Nequaquam morte moriemini.Scit enim deus,&c. 918.B
Et vidit mulier quia bonum est lignum ad manducandum, & quia gratum oculis ad videndum, & speciosum est ad videndum. 918.C
Et assuerunt folia ficus,& fecerunt sibi succinctoria. *Ibid.*D
Et audierunt vocem domini deambulantis ad vesperam. 919.C
Adam vbi es?. 194.A.583.D.741.A.920.A.1353.D
Serpens decepit me,& manducaui. 920.C.921.B
Maledictus tu ab omnibus pecoribus terræ. 207.B
Super pectus tuum ambulabis. 207.B.921.C
Terram comedes. 178.B.& 207.B
Ponam inimicitias inter te & mulierem, ipsa conteret caput tuum. 207.D
Maledicta terra in opere tuo.In tristitia manducabis eam omnes dies vitæ tuæ. 922.B
Spinas & tribulos tibi germinabit terra. 730.B
Terra es,& in terram ibis. 1445.D
Adam quomodo sit eiectus de paradiso. 1445.D
Factus est Adam tanquam vnus ex nobis, quia aperuit oculos. 920.B & 1123.C
Gen.4. *Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti,quiesce.* 424.B & 699.A & 945.D
Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 760.A
Adam autem cognouit Euam mulierem suam,quæ concepit & peperit Cain,& dixit,&c. 924.A
Et adiecit parere Abel. *Ibid.*B
Et factus est Abel pastor ouium, Cain autem operabatur terram. 926.D
Et factum est post dies, obtulit Cain ex fructibus terræ munus domino. 932.C & 937.A
Abel obtulit de primogenitis gregis sui. 937.A
Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagiessepties. 951.C.954.C
Eamus in campum. 948.B
Vbi est Abel frater tuus. 948.C.D
Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 1187.C. 949.A. 997.B
Nescio.Nunquid custos fratris mei sum? 949.A
Maior causa mea est. Si derelinques me,hodie à facie tua abscondam me. 950.A
Gen.5. *Omnis qui inuenerit me,occidet.* 950.B.C
Hic faciet nos requiescere ab operibus & à tristitia, & à terra cui maledixit dominus deus. 954.C
Gen.5.et 6 *Noe vero cum quingentorum esset annorum,genuit Sem, Cham, &*
Gen. 6. *Iaphet.* 954.D
Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est. 955.D
Gigantes autem erant in terra in diebus illis. 956.A
Ab homine vsque ad pecus, & à reptilibus vsque ad volatilia delebo. 956.C
Noe vero inuenit gratiam coram domino. 956.D
Corrupta est autem terra coram domino, & repleta est iniquitate. 957.A
Tempus omnis hominis venit ante me, quia impleta est terra iniquitatibus suis,&c. 957.A.B
Arcæ mysterium declaratur. 258.C.957.C.D.958.C.D.& dein.
Omnia quæ sunt in terra,morientur. 961.C.D
Statuam testamentum meum ad te. 962.C
Erunt dies eorum anni centum viginti. 1452.B
Angeli amauerunt filias hominum. 1491.B
Gen.7. *Intra tu & omnis domus tua in arcam, quia te vidi iustum in generatione ista.* 962.D
Ex omnibus animantibus mundis tolles septena & septena, masculum & fœminam,&c. 963.C
Adhuc enim & post dies septem ego pluam super terram 40. diebus & 40.noctibus.&c. 964.C
Fecit ergo Noe omnia quæ mandauerat ei dominus. 966.B
Anno sexcentesimo vitæ Noe mense secundo septimodecimo die mensis,rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ. & cataractæ cœli apertæ sunt. 966.C
Et clausit dominus à foris arcam. 967.C
Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat. 968.A
Consumptáque est omnis caro quæ mouebatur super terram. 968.B
Deleuit deus omne quod erat super faciem terræ. 968.D
Omnibus qui extra arcam fuerunt interemptis derelictus est Noe solus in arca cum his qui cum ipso erant. 969.A
Gen.8. *Memor fuit dominus Noe,& bestiarum & iumentorum.* 969.B
Et induxit dominus spiritum super terram,& cessauit aqua. 969.C
Clausi sunt fontes aquarum,& cataractæ cœli. 969.D.& dein.
Requieuit arca septimo mense septima & vicesima mensis. 970.B & dein.
Coruus non reuertebatur,donec siccaret aqua à terra. 971.B
Emisit quoque columbam post coruum. 971.C
Noe extendens manum suscepit columbam, & introduxit ad se. 972.A
Expectatus autem septem diebus aliis rursum dimisit colũbam,&c. 972.B.C
Intellexit ergo Noe quod cessassent aquæ super terram. 972.D.*in fi.*
Et denudauit Noe tectum arcæ. 974.A
Expectauit nihilominus septem alios dies,& emisit columbam, quæ non est reuersa vltrà ad eum. 973.B
Igitur sexcentesimo primo anno vitæ Noe, primo mense, prima die mensis imminutæ sunt aquæ super terram. 973.D
Exi de arca tu,& vxor tua,& filij tui. 974.D
Et ædificauit Noe arcam domino. 975.C
Recogitans non adiiciam maledicere terram propter opera hominum, quia permanet cor hominis diligenter super mala à iuuentute. 975.D
Semen & messis,hyems & æstas,die & nocte nõ requiescẽt. 976.C
Noe dimisit columbam & coruum. 1230.C
Gen.9. *Et benedixit dominus Noe & filiis eius dicens: Crescite & multiplicamini.* 977.B
Omnia reptilia quæ sunt viua,erunt vobis in escam. 978.A
Sicut olera pabuli dedi vobis omnia. 978.A
Qui effuderit sanguinem hominis,pro sanguine hominis eius effundetur. 979.D.908.B
Ad imaginem dei fecit hominem. 980.B
Non erit diluuium,vt corrumpat omnem hominem. 980.D
Arcum meum ponam in nube,& erit signum testamenti æterni inter me & inter terram,&c. 981.A
Cham autem erat pater Chanaam.Tres isti filij sunt Noe. 981.C
Et cœpit Noe homo agricola esse terræ. 982.A
Et plantauit vineam,&c. 982.C.D
Et nudatus est in tabernaculo suo,&c. 983.A.984.B.C
Benedictus dominus deus Sem, & erit Chanaam seruus eius. 985.A.B
Vixit autem Noe post diluuium trecẽtis quinquaginta annis. 985.C
Etenim vestrum sanguinem & animarum vestrarum exquiram de omnibus bestiis,& de manu hominis. 979.D
Gen.10. *Chus Nemroth Gigãtem genuit,qui erat venator ante deum.* 986.B
Fuit autem principium regni eius Babylon. 986.C
Gen.11. *De turre & linguarum varietate.* 258.D
Gen.12. *Exi de terra tua,& de cognatione tua.* 987.C.D.1007.C.& dein. 1808.1009.1010.& 1011.*totum hoc caput.12.ferè exponitur.*
Gen.13. *Facta est rixa inter pastores gregum Abrahæ & Lot.* 989.C.& *pene totum caput ibi exponitur.*

Non sit rixa inter me & inter te & inter pastores meos & tuos, quia homines fratres sumus. 1014.B

Si tu in sinistram, ego in dexteram: vel tu in dexteram, ego in sinistram. 990.A.& 1015.D

Elegit sibi Loth regionem circa Iordanem. 1016.B

Homines autem Sodomitæ pessimi erant. ibidem

Respice oculis & vide à loco vbi nunc es ad Aphricum,& Aquilonem & Orientem & mare,&c. 1016.D

Discessit itaque Abraham inde, habens secum vxorem suam Saram. 1012.A

Erat enim diues pecoribus,argento,& auro. 1012.B

Abraham rediit in Bethel vnde venerat. 1012.B

Et Loth qui ambulabat cum Abraham,erant oues & boues & tabernacula. 1013.A.B

Non capit eos terra. 1013.C

Gene. 14. *Loth captiuus ducitur cum substantia, & ab Abraham liberatur.* 990.B

Abraham sacrificium obtulit, decimas dedit, Melchisedech ei benedixit. 990.D

Abraham de præda victoriæ nihil voluit contingere, nec oblatum sumere. 990.D

Quatuor reges de quinque regibus triumphauerunt & adduxerunt equitatum Sodomorum totum,&c. 1017.D

Numerauit Abraham trecentos decem & octo vernaculos suos vsque Coba,&c. 1018.B

Da mihi homines,equos autem sume tibi,&c. 1019.A.B

Qui fecit cœlum & terram. 1019.B

Gene.15. *Abraham credidit deo,& reputatum est illi ad iustitiam.* 642.D. 991.C.D

Noli timere Abraham, ego protegã te,merces tua magna erit nimis. 991.A.1019.B.D

Quia mihi semen non dedisti, vernaculus meus mihi hæres erit. 991.B

Respice in cœlum,& numera stellas,si potes numerare.Sic erit semen tuum. 1019.D

Eduxit eum foras. 1019.D

Quomodo intelligam quia hæres eius sum. 1020.A

Sume mihi vitulum trimum & capram trimam, & arietem trimum,& turturem & columbam. 1020.B

Aues descenderunt supra diuisa corpora vitulæ,capræ atque arietis. 1022.C

Nam solis occasu excessus cecidit super eum, & ecce timor magnus & tenebrosus incubuit super eum. 1023.A

Sciendo scies quod peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & seruitio opprimentur,& nocebunt eis, & humiliabunt eos annis quadringentis. 1023.C

Tu ibis ad patres tuos cum pace nutritus in senectute bona. 1024.B

Quarta generatione reuertentur. 1024.D

Et ecce fornax fumigabunda & lampades ignis quæ pertransierunt per media diuisa illa. 1025.D

Semini tuo dabo terram hanc à flumine Aegypti vsque ad flumen magnum Euphratem. 1026.B

Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum. 1837.C.*in fi.*

Gene. 16. *Abraham quomodo de Agar suscepit filium.* 991.D.& *dein.*

Iniuriam accipio ex te, Agar despectui me habet. Iudicet deus inter me & te. 992.D

Angelus dixit Agar. Vnde venis,aut quò vadis? Respondit,A facie Saræ dominæ meæ ego fugio. 993.A

Sara vxor Abrahæ sterilis fuerat. 1027.A.C

Ego sum deus tuus,emerere in conspectu meo,&c. 993.B

Gene.17. *Esto sine reprehensione.* 1027.D

Augebo te valde,& ponam te in gentes,& reges de te erũt. 1028.A

Circuncidatis omne masculinum vestrum, & circuncidatis carnem vestram,&c. 1028.C.& 1029.C.D

Saræ nomen mutatum. 1030.B

Cecidit in faciem Abraham,& risit,&c. 1030.D

Hismael viuat in conspectu tuo,&c. 1031.A

Tertiodecimo anno circunciditur Hismael. 1031.B

Gene.18. *Apparuit dominus Abrahæ in conualle Mambræ sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei,&c.* 995.A

Domine si inueni gratiam ante te,ne præterieris seruum tuum,&c. 995.C.D

Et festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram & dixit ei, Festina & consperge tres mansuras,&c. 995.D

Abraham currit ad boues, & sumit vitulam, deditque puero. 996.B.C

Vbi est Sara vxor tua?&c. 996.C

Desierant Saræ fieri muliebria. 996.D.*Et risit Sara.ibi.*

Eurgentes autem viri conspexerunt in faciem Sodomæ & Gomorræ. 996.D

Non cœlo puero meo Abrahæ quæ ego facio. 997.A

Clamor Sodomorum & Gomorræ impletus est,&c. 997.A.B

Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate,perdes illos?&c. 997.B.C

Reuertar ad te in futurum,& erit Saræ filius. 1031.B

Venerúntque duo Angeli Sodomam vespere. 997.C.D Gene.19.

Viri autem ciuitatis Sodomorum circundederunt domum ab infante vsque ad senem,& reliqua quæ eo capite continentur. 998.A.B. *& dein.*

Pluit dominus à domino. 273.A

Sedebat Loth ad portam ciuitatis,&c. 997.D

Eiice ancillam & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Gene. 21. 536.A.1000.B

Risum fecit mihi dominus. Quicunque audierit,congratulabitur mihi. 999.D

Fecit autem Abraham cœnam magnam quando ablactatus est Isaac filius eius. 1000.A

Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius,quoniam in Isaac vocabitur tibi semen. 1000.B

Caput istud exponitur pro parte. 1000.C.D.& *dein.* Gene. 22.

Nunc cognoui quòd timeas deum tuum, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. 1002.C

Ecce ignis & ligna,vbi hostia,&c. 621.D

Abraham quomodo voluit immolare Isaac. 933.C

Et surrexit Abraham à mortuo. 1003.B Gene. 23.

Caput istud exponitur pro parte. 1003.A.& *dein.* Gene. 24.

Pone manum tuam super femur meum vt adiurẽ te per deum cœli. 1003.C

Esto in milia milium, & semen tuum possideat aduersariorum ciuitates. 1034.B

Abraham mortuus est in senectute bona. 222.B Gene. 25.

Duæ gentes in vtero tuo sunt,& duo populi de ventre tuo exibunt. 924.D.1588.D

Dedit Abraham cuncta quæ possederat, Isaac,filiis autem concubinarum largitus est munera. 931.D

Maior seruiet minori. 1557.B

Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. 84.C.840.C.1062.B Gene.27.

Isaac benedixit Iacob. 141.B.209.B.C

Iacob obtinuit benedictionem Esau mediante Rebecca. 1530.B

Ecce ab vbertate terræ erit tibi benedictio,& à rore cœli,&c. 546.C

Iacob Esau veste induitur vt benedicatur. 1063.B

Seruies fratri tuo. 1064.C

Iacob vidit scalã,& Angelos ascendentes & descendentes. 1065.A Gene.28.

Mandragoras accepit Rachel à Lia sorore sua. 1584.A

Cognosce si quid est tuorum apud me. Et quæsiuit Laban & nihil suum reperit. Gene. 30. 1066.C Gene.31.

Vidi deum facie ad faciem,& salua facta est anima mea. 1368.B

Adorauit Iacob septies in terra. 1067.A Gene.32.

Iacob luctatus est cum deo & tetigit neruum femoris eius. 1372.D

Propterea non manducant hodie filij Israel neruum. 1068.A.B Gene.33.

De Ioseph & somniis eius ac fratrum inuidia. 1077.A.B. *& dein.*

Ioseph missus ad fratres errabat,&c. 1078.A.B Gene.37.

Ecce somniator noster venit, nunc ergo venite & occidamus eum. 1078.B

Venite vendamus Ioseph Ismaelitis. 1079.A

Iustificata est magis Thamar quàm ego. 191.B Gene. 38.

Thamar historia & filiorum eius exponitur. 1655.D. *& dein.copiose.*

Immisit oculos vxor domini eius in Ioseph. 1081.C Gene. 39.

Dormi mecum. 1081.C

De duobus eunuchis Pharaonis,& somniis eorum. 1083.B.& *dein.* Gene.40.

Memor esto per temetipsum cum tibi bene fuerit: & facies in me misericordiam & memor eris mei. 1083.D Gene. 41.

De somnio Pharaonis. 48.D.& *dein.*& 1084.D

Tulit anulum de manu sua & dedit eum in manu Ioseph,&c. 1085.C

Ecce audiui quòd frumentum est in Aegypto. 1086.C Gene. 42.

Vidit

Gene.43. *Vidit autem illos Ioseph', & Beniamin fratrem suum ex eadem matre.* 1087.B

Parauerunt autem munera, donec introiret Ioseph meridie. 1088.B

Biberunt autem & inebriati sunt pariter cum eo. 1089.B

Gene.44. *Et scyphus argenteus soli sacco eius inseritur.* 1089.B

Gene.45. *Et iussit omnes recedere, vt cognosceretur à fratribus.* 1090.B

Gene.46. *Et eleuans se Israel venit ad puteum iuramenti, immolauitque hostias deo patris sui Isaac.* 1092.C

Gene.49. *Beniamin lupus rapax.* 706.B.& 1104.D

Lauit in vino stolam suam & in sanguine vuæ anaboladiũ suum. 1098.B

Hilares oculi eius vino, & dentes candidiores quàm lac. 1098.C.

Zabulon iuxta mare habitabit, & ipse secus accessus nauiũ, & pertendit vsque ad Sidonem. 1098.D

Ruben primogenitus meus, tu virtus mea, & initium filiorum meorum, &c. 1095.A

In consilium eorum non veniat anima mea, &c. 1095.C

Catulus leonis Iuda, ex germine fili mi ascendisti. &c. 1097.B

Qui suscitabit eum. 1097.C

Et ipse est expectatio gentium. 1097.D

Isachar bonum concupiuit, requiescens inter medias sortes. &c. 1099.C

Dan iudicabit populum suum tanquàm vna tribus Israel. &c. 1100.A.& 1361.D

Gad tentatio. Tetauit eum, & ipse tentauit eum secus pedes. 1100.D

Aser pinguis eius panis, & ipse dabit escam principibus. 1101.A

Neptalim vitis remissa porrigens in germine decorem. 1101.C.D

Filius meus ampliandus Ioseph, filius ampliandus meus. &c. 1102.B.& 1373.B

Iacob benedicens filios Ioseph, posuit dexteram super Effrem, sinistram autem super Manassem. 1541.A

Dentes sicut lac & hilares oculi eius, à vino. 1559.A

EX EXODO.

Exod.2. *Interfecit Moses Ægyptum, & fugax factus est de terra Ægypti. &c.* 944.C

Exod.3. *Solue calciamenta pedum tuorum.* 203.C. 208.A. 1097.D. 1566.A. 1648.A

Rubus Mosi exponitur. 372.D. 421.D

Locus in quo stas, terra sancta est. 661.A

Exod.4. *Mitte manum tuam in sinum tuum. &c.* 72.C

Precor domine non sum dignus ante hesternam & nudiustertianam diem, neque ex quo cœpisti loqui seruo tuo. 1027.B

Extende manum tuam & apprehende caudam eius. Extendit & tenuit, versáque est in virgam. &c. 1440.C

Exod.7. *Proiecit virgam, & serpens factus est, qui deuorauit serpentes Ægyptiorum.* 72.B

Exod.8. *Abominanda apud Ægyptios immolemus deo.* & dein. 512.B

Exod.9. *Quia ab hoc ipsum te suscitaui, vt ostendam in te virtutem meam, & annuntietur nomen meum in vniuersa terra.* 1571.D

Roma.9. *Manducabitis cum amaritudine. pascha enim domini est.* 690.C

Exod.12. *Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mensibus anni.* 803.D.& dein.

Agnus sine macula mundus consummatus anniculus masculus erit vobis ab ouibus & hœdis. &c. 996.B

Exod.13. *Populum Israel in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem quasi dux itineris præcedebat.* 421.D

Cum inducet te deus in terram Chananæorum, tolles omne quod aperit vuluam masculinum domino. &c. 937.B

Omne quod aperit vuluam de armentis & de pecoribus quæ sunt tibi, masculinum sacrifica domino. 939.D

Omne quod aperit vuluam asinæ, mutabis oue. 942.A

Exod.14. *Quid clamas ad me?* 1581.A

Exod.15. *Maria sumens tympanum. &c.* 80.B

Marath per lignum dulcoratur. 133.D

Exod.16. *Moyses lignum misit in Marath, & dulces factæ sunt aquæ.* 1231.A

Exod.17. *Cur dominus pluerit manna populo patrum* 620.C. 622.B

Exod.19. *Manus Moysi erant graues.* 521.C

Exo.20. *Et lauabat vestimenta sua.* 35.B

& Matth. 15. *Honora patrem tuum & matrem, vt longæuus sis super terram.* 1369.A

Exod.21. *Si emeris puerum Hebræum, & seruierit tibi annis sex. &c.* 1434.A.1441.B. 1453.B

Exod.22. *Quòd si pecuniam fœneraueris pupillo, orphano, pauperi, apud te non suffocabis eum, non impones illi vsuram.* 1148.B

Si quis peccauerit ante me, delebo eum de libro meo vitæ. 1851.B

Exod.23. *Aaron aurum detraxit populo poscenti sibi deos fieri, & quòd ex auro figuratum sit vituli caput, & vltio eius facti per Moysem.* 614.C.D

Exod.32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* 1129.B

Quis enim vid. vult. m. & viuet? 226.A. 1480.B. & dein.

Exod.33. *Non coques agnum in lacte matris suæ.* 141.A

Exod.34. *Tabulæ Mosi confractæ.* 396.A

Factum est vt Moyses poneret velamen super faciem suam, ne in eam filij Israel intenderent, & super turbarentur. 1567.D

2.Corin.3. EX LEVITICO.

Anima totius carnis, sanguis est. 979.A.1761.D

Leuit.17. *Estote sancti, quia ego sanctus sum.* 437.D

Leuit.19. *Et viuet frater tuus tecum: pecuniam tuam non dabis illi in vsuram. &c.* 1149.C

Leuit.25. *Ponam cœlum æreum, & terram ferream.* 613.A

Leuit.26. EX NVMERIS.

Exploratores deportantes botrum in phalanga. 767.D. *in fine.*

Nume.15. *Disponetis vobis ciuitates ad refugium. &c.* 197.D.& dein.

Nume.15. *Virga Aaron floruit.* 663.A

Nume.17. *Si quis mortuum tetigerit, immundus erit.* 228.A

Nume.19. *Moriatur anima mea morte iustorum.* 217.A.1559.C

Nume.23. *Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel.* 589.B

Principium nationum Amalech, & semen eius peribit. 804.C

Num.24. *Iustam rem postulant filiæ Salphaath.* 120.D.& 537.D

Num.27. *Indues Eleazarum filium Aaron veste patris.* 663.B

Num.29. EX DEVTERONOMIO.

Deuter.4. *Ego sum ignis consumens.* 844.A

Hebr.12. *Tu autem hic sta mecum.* 661.A. *in fine.*

Deuter.5. *Audi Israel, dominus deus tuus est.* 406.B

Deuter.6. *Non tentabis dominum deum tuum.* 718.B

Matth.4. *Fœnerabis gentibus multis, tu autem mutuum non accipies.* 1064. C. 1314.A

Deuter.5. *De duabus vxoribus hominis vnius, altera dilecta & altera odibili. &c.* 927.D

Deut.21. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* 580.A

Non exiges à fratre tuo vsuram pecuniæ, & vsuram escarum. &c. 1148.C.1149.B

Deut. 23. *Si debitum tibi fuerit à proximo quodcunque, non introibis in domum ipsius pignerare pignus. &c.* 1153.B

Deut.24. *Hic tibi fœnerat: tu autem non fœnerabis ei. Hic tibi erit caput, tu autem eris cauda.* 1152.D

Deut. 28. *Ego occidam, & viuificabo: percutiam, & sanabo.* 719.A

Furor draconum vinum eorum, & ira aspidum insanabilis. 1131.A

Deut.32. *Lactauit eos mel ex petra, & oleum de solida petra.* 1227.A

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, seniores, & dicent tibi. 1529.A.& dein.

Veniat super caput Ioseph benedictio, & super verticem ipsius. &c. 1103.D

Deut.33. EX LIBRO IOSVE.

Funiculus coccineus Raab. 343.C

Iosue 2. *Sex ciuitates ad refugium erunt vobis. &c.* 197.D.& dein.

Iosue 20. EX LIBRO IVDICVM.

Delbora historia exponitur. 160.A

Iudicũ 4. *Ponam vellus hoc.* 156.B.

Iudicũ 6. *Iosue sacrificium.* 355.C

Hieroboal sub arbore quercus tritici messem cum virga cæderet. &c. 355.B

Gedeon quomodo separauit Madian. 373.A

Iudicũ 7. *Samsonis historia.* 633.D.& dein.634.A.B

Iudicũ 13. *De edente exiuit esca, & de potente exiuit dulce. &c.* 376.A. & 1128.D

Iudicũ 14. *Sampson binas vulpes sibi nexuit ad quarum caudas alligauit faces, &c.* 1515.B.C

Iudicũ 15. *Leuita accepit sibi concubinam de Bethleem Iudæ: & irata est ei concubina & rediit in domum patris sui.* 543.A

Iudicũ 19. EX LIBRO RVTH.

Ruth historia exponitur. 1659.C.& dein.

EX LIBRIS REGVM.

1.Reg.2. *Si peccauerit homo in hominem, orabunt pro eo ad dominum. Si autem in dominum peccauerit homo, quis orabit pro eo?* 174.C

Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contẽnunt

me, erunt ignobiles. 921.D
1.Reg.21. Fugiebat Dauid sanctus à facie Saul. 1034.A
1.Reg.24. Non mihi contingat à domino, si fecero hoc verbum domino Christo meo domini iniicere manum meam. 1540.B
2.Reg.1. Montes qui estis in Gelboe, neque ros neque pluuia cadat super vos. 67.D
2.Reg.7. Vt meminerit dominus verbi sui. 1469.A
2.Reg.18. Parcite filio meo Absalon fili mi Absalon, Absalon fili mi. 1540.B
2.Reg.23. O si quis potum mihi daret aquæ de cisterna quæ est in Bethleem iuxta portam. 1187.B
3.Reg.3. Iudicium Solomonis de duabus meretricibus & infantulis. 98.C. & seq.
3.Reg.10. De Salomone & regina Saba. 45.A
3.Reg.17. Helias mittitur ad viduam Sareptanam, hæc historia exponitur. 154.B.& dein.
Helias in torrente Carith pascebatur à coruis. &c. 665.D
Heliæ temporibus clausum cœlum est. &c. 819.D
3.Reg.18. Helias ligna supra altare imposuit & dixit vt mitterent super de hydrus aquam, & iteratum est tertio. &c. 1137.A
3.Reg.21. Non mihi fiat à domino, vt dem tibi hæreditatem patrum meorum. 68.A.1108.B
Da mihi vineam tuam & dabo tibi pro ea aliam vineam. &c. 1107.B.1108.A
His auditis turbatus est spiritus regis, & dormiuit in lecto suo, &c. 1108.C
Deum benedixit & regem. 1114.A
2.Reg.23. Quis dabit mihi potum de lacu qui est in Bethleem ad portam. 1051.D
4.Reg.4. Heliseus proiecit se vt mortuum erigeret. 539.D
4.Reg.6. Quomodo Heliseus sanauit aquas petens sal in vase fictili. &c. 786.A.B
4.Reg.2. Pater pater agitator Israel & eques eius. 1118.B
Domine aperi oculos pueri huius, vt videat. 686.C
4.Reg.5. Lepra Naaman adhæreat tibi & semini tuo vsque in æternum. 1674.B
4.Reg.5. Naamam historia. 1673.C
4.Reg.6. Domine aperi oculos pueri huius vt videat. 686.C

EX ESDRA.

4.Esdr.7. Cum venerit iudicij dies, reddet terra defunctorum corpora. &c. 224.C
4.Esdræ. Tu enim recip. ab hominib. & conuer. resid. cum fil. in. & cum similibus tuis. 226.B

EX IOB.

Iob 1. Pueri autem eorum ludunt accipientes psalterium & citharam, & delectantur voce psalmi. 1169.C
Iob 2. Ecce trado tibi eum, tantummodo animam eius custodi. 177.D
Si bona suscepimus de manu domini, mala autem quare non tolerabimus? 737.A
Iob 3. Pereat dies in qua natus sum. 213.B.1672.A
Iob 7. Vita hominis est tentatio super terram. 216.A
Iob 9. Qui facit montes inueterascere. 1160.C
Extendens cœlum solus, & ambulans quasi in pauimento super mare. 333.C
Iob 10. Memento quòd sicut lutum feceris. Pelle & carnibus vestisti me. &c. 215.D
Manus tuæ fecerunt & plasmauerunt me totũ in circuitu. 1499.D
Si peccauero, custodies me, ab iniquitate autem immaculatum me non feciſti. &c. 1162.D
Iob.14. Mortalis filius mulieris breuis vitæ est, & plenus iracundiæ, qui sicut flos floruit & cecidit. &c. 1163.B
Cum autem dormierit homo, non resurget vsque dum cœlum assumatur. 1163.D
Vtinam in inferno conseruares, absconderes autem me, donec desinat ira tua, &c. 1164.B
Iob 16. Terra non cooperias in sanguine carnes meas, vt oratio eius sicut incensum dirigatur ad dominum. 1164.C
Iob 18. Quare obscripsisti aduersum me mala & apposuisti mihi adolescentiæ peccata? 1163.A
Iob 19. Miseremini mei saltem vos amici mei. 77.B
Ecce rideo, nec respondebo conuitiis vestris. 1167.B
Iob 21. In congerie mortuorum vigilabit. 10.A
Iob 24. Non considerabit me oculus. 8.C
Iob 27. Viuit dominus qui sic me iudicat & omnipotens qui ad amaritudinem perduxit animam meam, spiritus autem diuinus qui est in naribus meis. 383.A
Si interrogatur abyssus vbi est? sapientia respondet, non est mecum, quia surrexit, &c. 1164.D Iob.28.
Benedictio morituri in me veniat. 222.C Iob.29.
Adduces draconem in hamo, ludes eum sicut auem, ligabis eum sicut passerem, &c. 177.D Iob.40.

EX PSALTERIO.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit. &c. 1062.A.& 1273.B.& dein. Psal.1.
Beatus qui in lege domini die ac nocte meditatur. 1505.D.1529.A
Filius meus es tu: ego hodie genui te. 333.A.1244.B.1364.C Psalm.2.
Dirumpamus vincula eorum, & abijciamus à nobis iugum ipsorum. 1486.C.in fin.1542.B.in fin.
Iraſcimini, & nolite peccare. 1.D.14.D.126.C.663.D.1051.C. 1687.B Psalm.4.
Quis ostendit nobis bona. 227.B
Signatum est super nos lumen vultus tui domine. 527.D.373.B
Sacrificate sacrificium iustitiæ & sperate in domino. 1197.D
Sepulchrum patens est guttur eorum. 751.C.D Psalm.5.
Lauabo per singulas noctes lectum meum. 95.D.1315.D.1475.B Psalm.6.
Quoniam videbo cœlos opera digiterum tuorum. 1256.B Psalm.8.
Volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. 1134.C
Qui exaltas me de portis mortis. 228.A Psal.9.
Sciant gentes quoniam homines sunt. 1531.B
Eloquia domini, eloquia casta: argentum ign. ex. 1515.D
Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. 1764.C Psalm.11.
Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet. &c. 174.D Psalm.13. Psalm.14.
Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. 1149.C
Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? 1189.D
Notas mihi feciſti vias vitæ. 769.B Psalm.15.
Custodi me vt pupillam oculi. 892.C Psal.16.
De vultu tuo iudicium meum prodeat. 1194.C
Et ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo: exaltauit tanquam gigas ad currendam viam. 1376.B Psalm.18.
Dies diei eructat verbum. 114.B.685.C.793.C
Tanquàm sponsus procedens de thalamo 428.B
Cœli enarrant gloriam dei. &c. 685.C.819.B.& 1021.C
In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 763.B.1021.C
Tribuat tibi dominus secundum cor tuum, & omnes petitiones tuas confirmet. 1299.A Psal.19.
De ventre matris meæ deus meus es tu. 280.B Psalm. 21.
Deus deus respice in me. &c. 428.C.1352.B. columna.691.C.D. & dein.
Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. 1154.A
Circundederunt me vituli multi. 1382.A
Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. 1591.A
Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. 1127.B.1293.B Psal.22.
Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. 1251.B
Et poculum tuum inebrians quàm præclarum est. 1599.C
Quis ascendet in montem domini. 174.B Psal.23.
Tollite portas principes vestras. 314.C
Tollite portas principes vestras, & eleuamini porta eternales, &c. 1518.C
Domini est terra &c. vtcunque exponitur. 1999.C
Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hæreditabit terram. 223.B Psal.24.
Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris. 445.C. 1163.B.1339.B
Proba me deus, & tenta me. 1481.C Psalm.25.
Credo videre bona domini in terra viuentium. 227.B Psal.26.
Mentita est iniquitas sibi. 1290.D
Refloruit caro mea. 749.A Psalm.27.
Vox domini præparauit cernos. 1499.A Psal.28.
Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem. 41.C Psal.29.
Beati quorum remissæ sunt iniquitates. 186.D Psal.31.

Beati quorum tecta sunt peccata. 984.C
Psal.32. In decachordo psalterio psallam tibi. 1365.D.in fine.
Psalm.33. Venite filij, audite me: timorem domini docebo vos. 1.A
Mors peccatorum pessima. 222.A
Diuites eguerunt & esurierunt. 526.C.1520.A
Psalm.34. Calix in manu domini vini meri plenus est mixto, veruntamen fex eius non est exinanita. 1324.D
Eruit pedes meos à lapsu. 1531.A
Humiliabam in ieiunio animam meam. 1340.C
Confitebor domine in ecclesia magna, in populo graui laudabo te. 1355.A
Psalm.35. Quia apud te est fons vitæ. 372.C.D
Psal.XXXV.exponitur. 1289.D.& dein.
Homines & iumenta saluabis domine. 1748.A
Et in lumine tuo videbimus lumen. 2064.A
Psalm.36. Iustus miseretur & fœnerat. 44.A
Declina à malo & fac bonum. 1274.1314.B
Psal.XXXVI.exponitur. 1296.C.& dein.
Psalm.38. Dixi custodiam vias meas. 1.D
Obmutui & silui à bonis. 4.A
Psal.38. Psal.XXXVIII.pro parte exponitur. 4.B.& dein.1338.A.& dein.
Psalm.38. Quanquam in imagine dei ambulet homo.&c. 487.C
Psalm.39. Tota die miseretur & fœnerat. 1151.B
Psal.XXXIX.exponitur. 1349.& dein.
Holocausta & pro peccato non postulasti: tũc dixi ecce venio. 1197.B
In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatẽ tuam. 1351.B
Psal.40. Versasti stratum eius in infirmitate eius. 721.B
Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. 1113.A.& 1274.B.1525.C
In die mala liberabit eum dominus. 1305.C
Psalm.41. Psal.XL.exponitur. 1355.C.& dein.
Sitiuit anima mea ad deum fontem viuum. 1032.D
Psal.43. Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum. 1293.B
Humiliata est in puluere anima mea, adhæsit in terra venter meus. 922.A
Psal.XLIII.exponitur. 1366.C.& dein.
Posuisti nos in parabolã gẽtibus, cõmotionẽ capitis in populis. 1546.C
Psal.44. Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ. 273.B.368.A
Speciosus forma præ filiis hominum. 526.D.& dein.
Eructauit cor meum verbum bonum. 1695.B
Lingua mea calamus scribæ. 1695.A.in fine.
Eructauit cor meam verbum bonum. 1103.A
Accingere gladium tuum super femur tuum potentissime. 1566.C
Psal.XLV.exponitur. 1395.D.& dein.
Psal.47. Ibi dolores vt parturientibus in spiritu vehementi conteres naues Tharsis. 1161.C.in fine.
Exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua domine. 1504.C
Mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni. 1520.B
Psal.48. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, &c. 897.D
Psal.48. Psalm.XLVIII.exponitur. 1406.A
Psal.49. Frater non redemit, redimet homo. 1655.C
Peccatori dixit deus, quare tu enarras iustitias meas. 578.C.& 1334.D.& 1466.B
Sedens aduersus fratrem tuum detrahebas. 661.B
Os tuum abundauit nequitia, & lingua tua concinnauit dolum. 1513.A
Psalm.50. Miserere mei deus secundum magnam misericordiam &c. penè totus ex ordine exponitur. 1189 A.B.C.D.& dein.1190.1191.1192.1193.
Asperges me hyssopo & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. 1193.C.1233.C. & dein.ceteri versus vsque ad finem psalmi. 1194.1195.1196.1197.
Cor mundum crea in me deus. 1507.A
Psalm.51. Sicut nouacula acuta fecisti dolum. 69.D
Psalm.52. Dixit insipiens in corde suo, non est deus. 296.A
Psal.54. Tu vero homo vnanimis, dux meus, &c. 78.A
Descendunt in infernum viuentes. 228.B
Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate, & non defecit de plateis eius vsura & dolus. 1141.A
Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam. 766.A
Psalm.55. Deus vitam meam nuntiabo tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo. 1331.C
Sicut aquila tegit nidum suum. 1226.A Psalm.56.
Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam impiorum. 1473.D Psal.57.
Errauerunt peccatores ab vtero. 535.C
Psal.LXI.exponitur. 1413.A.& dein.
Nonne deo subiecto erit anima mea. 349.C Psal.61.
Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. 349.C
Te decet hymnus. 5.B Psal.64.
Replebimur in bonis dom.tuor. 227.B
Riuos eius inebria, multiplica generationes eius. 1552.A
Transiuimus per ignem & aquam. 1438.A Psal.65.
Sicut adipe & pinguedine repleatur anima. 1157.A Psal.66.
Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. 363.D.757.C Psal.67.
Si dormiatis inter medias sortes. 1142.B
Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in specie auri. 902.C
Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. 1511.A
Detractiones exprobrantium te ceciderunt super me. 1873.B Psal.68.
Pauper & dolens ego sum. 1288.C.1356.D
Defecerunt oculi mei dum spero in deo meo. 756.A
Scis opprobrium meum. 1460.A
In mensura dabis nobis potum in lachrymis. 1280.B Psal.69.
Descendet sicut pluuia. in vellus. 703.D Psal.71.
Permanet sicut sol. 782.A
Ex vsuris & iniquitate liberauit eos. 1141.C
Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum, &c. 487.C Psal.72
Ecce qui elongant se à te, perierunt. 735.A
Mihi adhærere deo bonum est. 925.B
Quàm bonus Israel deus rectis corde. 1172.D.& deinceps magna pars eius psalmi exponitur continua serie. 1173.D.1174.D.1175.A.1176.1177.1178.1179.
Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias, &c. 1300.B
Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. 1110.C Psal.75.
Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. 1117.B
Notus in Iudæa deus, in Israel, &c. 1117.B
Omnes viri diuitiarum, ibidem.D
Dormitauerunt qui ascenderunt equos. 1118.& dein.
Orate & reddite domino deo vestro. ibidem.D
Voce mea ad dominum clamaui, & vox mea ad deum, & intendit mihi. 1366.A Psal.76.
Viderunt te aquæ deus, viderunt te aquæ, &c. 1396.C
Spiritus vadens, & non rediens. 235.D Psal.77.
Quanta audiuimus & cognouimus ea. 1545.B
Vineam de Ægypto transtulisti. 1251.C Psal.79.
Deus stetit in congregatione deorum, in medio autem deos dijudicat. 656.C Psal.81.
Audiam quid loquatur in me dominus. 1315.B.& 1545.B. Psal.84.
Psal.LXXXIIII.pro parte exponitur. 1461.C.& dein.
Mater Sion dicet homo, &c. 299.D.& 456.A Psal.86.
Memor ero Rhaab & Babylonis scientibus me. 1294.B
Etenim alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum hi fuerunt ibi. 1295.B
Factus est in opprobrium vicinis nostris 307.B Psal.88.
Domine refugium factus es nobis. 302.C.& 1395.D Psal.89.
Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. 3.A Psal.90.
Dominus regnauit, decorem indutus est. 897.D Psal.92.
Psal.xCIII.vtcunque exponitur. 8.B
Adorate scabellum pedum eius. 402.D Psal.98.
Factus sum illis in parabolam. 1383.B
In matutino interficiebã omnes peccatores terræ. 691.C.& 1552.B Psal.100.
Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. 217.C.748.C.1226.A Psal.102.
Omnia in sapientia fecisti. 303.C Psal.103.
Qui ambulat super pennas ventorum. 718.A
Extendens cœlum sicut pellem. 806.C
Fecit deus solem in potestatem diei, & lunam in potestatem noctis. 843.A
Expandit nubem ad protegendum eos. 756.C Psal.104.
In seruum venundatus est Ioseph, humiliauerunt in compedibus pedes eius. 518.B

Psal. 106. Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim. 826.C
Psal. 109. Dixit dominus domino meo, &c. 755.A
Sede à dextris meis. 294.D. & 538.A. 755.A
Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 134.C
Ex vtero ante luciferum genui te. 321.D
Iurauit dominus, & non pœnitebit eum. 937.D. 1536.D
Tu es sacerdos in æternum. 201.A. 937.D
Psal. 110. Initium sapientiæ timor domini. 1459.C
Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum. 1650.C
Psal. 112. Quis sicut dominus deus noster qui in altis habitat, & humilia, &c. 685.D
Psal. 113. Iordanis conuersus est retrorsum. 713.A. & 1629.C
Psal. 114. Dilexi quoniam exaudiet dominus vocẽ orationis meæ, &c. 494.B
vbi totus psalmus exponitur.
Placebo domino in reg. vi. 228.A
Psal. 115. Dirupisti domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. 214.B.C. & 1479.B
Credidi: propter quod locutus sum. 1315.C
Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi. 1452.A
Calicem salutaris accipiam. 1687.D
Psal. 117. Bonum est sperare in domino, quàm sperare in homine. 335.A
Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. 335.A
Bonum est confidere in domino, quàm confidere in principibus. 335.B
Hic est dies quẽ fecit dominus: exultemus & lætemur in eo. 440.C. & 1368.A
Confitebor tibi domine quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem. 1306.A
Dextera domini fecit virtutẽ, dextera domini exalt. uit me. 1608.C
Psal. 118. Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. 41.D
Anima mea in manibus tuis semper. 224.B
Omnia seruiunt tibi. 359.A
Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. 715.A
Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperaui. 925.B
Psal. CXVIII. exponitur. 1421.D. & dein.
Psal. 119. Cum his qui oderant pacem eram pacificus, &c. 1495.D
Psal. 126. Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. 905.A. in prin.
Ecce hæreditas domini filij merces fructus ventris. 1636.D
Psal. 127. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. 1350.C
Psal. 131. Si dedero somnum oculis meis, &c. 1315.D
Psal. 136. Super flumina Babylonis illic sed. & fle. 194.A
Beatus qui tinebit & allidet paruulos suos ad petram. 194.C 1227.A
Psal. 137. Domine retribues propter me, domine misericordia tua in seculum. 1498.D
Psal. 138. Mirabilis facta est cognitio tua ex me. 889.B
Tu finxisti me, & posuisti super me manum tuam. 1501.A
Si ascendero in cœlum tu ibi es: si descẽdero, &c. 1586.B. & 1651.C
Psal. 140. Pone domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis. 664.C. & 1484.C
Psal. 141. Effundo in conspectu eius orationem meam: tribulationem meam ante ipsum pronuncio, &c. 1509.A
Psal. 143. Homo vanitati similis factus est. 1033.C
Psal. 148. Exaltauit cornu populi sui. 1002.D
Aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen domini. 411.D

EX PROVERBIIS.

Prouerb. 2. Tunc intelliges timorem domini. 1459.C
Prouerb. 3. Si enim sedeas, sine timore sedebis. 1316.C
Longitudo enim vitæ in dextera eius, &c. 1455.A
Prouerb. 5. Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus. 59.B
Sacrificium pacis est mihi, hodie reddo vota mea, hac ex causa progressa sum obuiam tibi. & c. 928.A
Prouerb. 5. Non enim adest vir meus in domo, abiit autem viam longissimam inuolucro pecuniæ accepto in manu. 928.B
Prouerb. 6. Non abscondes ignem in sinu tuo. 178.D
Alligabit quis ignem in sinu, vestimẽta autẽ non comburet? 1277.D
Loquêris in illis sedens in domo, ambulans in via, &c. 1315.B
Verbum dei lucerna est. 1534.A. in fi.
Prouerb. 9. Sapientia ædificauit sibi domum. 281.A
Relinquite insipientiam, & quærite sapientiam. 581.B
Prouer. 10. Possessio diuitum ciuitas firmissima. 668.A
EX multiloquio non deest peccatum. 935.D
Captans annonam maledictus in plebe est, benedictio autem in capite eius qui participat. Prouer. 11. 65.C
Qui continet frumentum, relinquet illud nationibus. ibidem.
Redemptio animæ viri diuitiæ eius. 668.A Prouer. 13.
Innocens ẽredit omni verbo. 68.D Prouer. 14.
Labia sapientium alligata sunt sensui. 1316.D Prouer. 15.
Faui mellis, sermones boni. 218.C Prouer. 16.
Iustus in exordio sermonis accusator est sui. 1447.C Prouer. 18.
Iustus in principio accusator est sui. 1475.A
Fœnerat domino qui miseretur pauperi, &c. 1150.B Prouer. 19.
Execrabile domino duplex põdus, & statera fallax nõ bona. 1420.A Prou. 20.
Grande homo & pretiosum vir misericors virum fidelem opus est enuenire. 1499.B
Corregis in manu domini. 224.B. 1540.D Prouer. 21.
Eripe eum qui ducitur ad mortem. 1486.D Prou. 24.
Vtiliora vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. 1454.B. 1553.B Prouer. 27.
Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro, &c. 1224.D Prouer. 30.
Diuitias & paupertates ne dederis mihi, sed ordina mihi quæ opus sunt. 1485.C

EX ECCLESIASTE.

Quæ abundantia homini in omni labore suo quo laborat sub sole? Eccles. 1.
Generatio vadit & generatio venit, &c. 1519.D
Gritur sol & occidit & in locum suum vadit. 1520.A
Oculi sapientis in capite eius. 958.D Eccles. 2.
Tempus amandi, & tempus odio habendi. 1548.C. & dein. Eccles. 3.
Totam vitam odio habui. & ibidem plura de Ecclesiaste. 220.D Eccles. 4.
& deinceps.
Optimi duo super vnum, quibus est merces bona in labore ipsorum: quia si ceciderit vnus, alter erigit socium suum. 539.D
Funiculus triplex difficilè rumpitur. 540.B
Stultus complexus est manus suas, & deuorauit viscera sua. 588.A
Et laudaui ego mortuos magis quàm viuentes, & optimum iudicaui supra hos eum qui nondum natus est, qui non vidit hoc opus mali. 1570.C
Est langvor malus quem vidi sub sole, diuitias custodiri in malum possidentis eas. 1278.A Eccles. 5.
Noli festinare in spiritu tuo irasci, quia ira in sinu stultorum requiescit. 126.C Eccles. 7.
Omni tempore munda sint vestimenta tua. 489.B Eccles. 9.

EX CANTICIS.

Cantica pro parte exponuntur in lib. de virginibus. 78. per to. in lib. de institutione virginis. 129. per tot. & in lib. de Isaac & anima. 1032.B. & dein. copiosè. & 1422.C. & dein.
Nigra sum, sed decora, filiæ Hierusalem. 120.B. 388.A. 1233.C. 1429.A. 1576.D
Si ignoras te ô pulchra inter mulieres, &c. 125.A. 1430.A. 1499.A
Annuntia mihi quem diligit anima mea, &c. 123.C. & 847.D. 1429.C. in fi. Cantic. 1.
Osculetur me ab osculis oris sui, quoniam optima vbera tua super vinum. 1034.B. 1250.C. 1422.D
Filij matris meæ pugnauerunt contra me. 1035.D
Vnguentum exinanitum verbum tuum. 1423.A
Attrahe nos post te. In odore vnguentorum tuorum curramus. introduxit me rex in cubiculum suum. 1426.A
Egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos meos iuxta tabernacula pastorum. 1430.C
Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilaui te proxima mea. 1434.D
Quam speciosæ factæ sunt genæ tuæ sicut turturis, ceruix tua sicut redimicula. 1436.B
Ecce bona proxima mea, ecce es bona. 1435.A
Exurge, veni proxima mea, formosa mea columba mea. 1464.D. & dein.
Ecce es formosus consobrinus meus & quidem pulcher, acclinatio nostra opaca. 1448.D
Ego flos campi & lilium conuallium. 104.D. in fine & 1452.C Cantic. 2.
Introduxit me rex in cubiculum suum. 1434.A
Ecce bonus fraternus meus, ecce bonus, &c. 1452.D
Tanquam malum in lignis syluæ, ita consobrinus meus in medio filiorum. 1453.A
In vmbra eius concupiui & sedi. ibidem.B
Fructus eius dulcis in faucibus meis. 1453.C. & 1454.A

Læua eius sub capite meo, & dextera illius complectetur me. 1454.D

Si suscitaueritis & resuscitaueritis charitatem vsquequo voluerit. 1455.A

Vox consobrini mei, Ecce hic venit saliens super montes transiliens colles. 1462.A.& dein.

Ecce hyems præteriit, imber abiit, discessit sibi, &c. 1466.A.848.B

Ostende mihi faciem tuam, & insinua vocem tuam, quia vox tua suauis, &c. 1467.C

Veni ô colũba mea in tegimento petræ, iuxta præmunitionẽ. 1467.C

Prendite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas. 1515.C

Oculi tui sicut columbæ extra taciturnitatem tuam. 1557.D

Ordinate in me charitatem. 1689.D

Flores viri sunt in terra, tempus secandi aduenit: vox turturis audita est. 1658.C

Cantic.3. *Fecit sibi lectum Salomon ex lignis Libani.* 95.D

Egredimini filiæ Hierusalem, & videte regem Salomonem, &c. 140.D.1547.B

Tenui eum & non dimittam eum. 1319.C

Introduxi eum in domum matris meæ, & in secretum eius quæ me
Cantic. 4. *concepit.* 1565.A

Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. 83.D

Hortus conclusus soror mea. 84.B.218.B.660.B

Veni à libano sponsa, veni. Transibis & pertransibis à cubilibus leonum, & montibus pardorum. 968.A.1546.B

Exurge Boreа, & veni Auster. 1283.D.1520.C

Sicut turris Dauid cernix tua, quæ ædificata in Thalphio, &c. 1446.B

Corde nos cepisti ab vno oculorum tuorum. 1509.C.& 1557.D

Cantic. 4. *Fauum distillãt labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.* 1532.B

& 5. *Oculi tui sicut columbæ.* 1547.D.& 1557.D

Dentes tui sicut grex tonsarũ, quæ ascenderũt à lauacro, &c. 1558.B

Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, &c. 1568.D

Sicut restícula coccinea labia tua. 1574.B

Cantic. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* 84.C

Inuenerunt me custodes ciuitatis, percusserunt & vulnerarunt me. 104.C

Exui tunicam meam, quomodo induã illam. 105.C.489.C.1556.B.C.1605.A

Manus meæ stillauerunt myrrham. 106.A

Aperui fratri meo, & transiuit. 106.D

Videmiaui myrrham meam, cum aromatibus meis, manducaui panem meum, cum melle meo. 110.D

Introiui in hortum meum soror mea sponsa, vindemiaui myrrham cum aromatibus meis, &c. 218.C.930.C

Fraternus meus candidus & rubicundus. 1452.D

Crura eius columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas. 1459.B

Vox fratris mei pulsat ad ianuam. Aperi mihi soror mea sponsa, columba mea. 1518.B

Frater meus misit manum suam de prospectu, & venter meus conturbatus est super eum, &c. 1518.D

Vulnerata charitate ego sum. 1553.B

Labia eius lilia stillantia myrrham plenam. 1574.C

Cantic. 6. *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol?* 851.B

Posuisti me currus Aminadab. 1021.C

Cantic. 7. *Capillamentum tuum vt grex tonsarum.* 1547.C.& 1558.B

Speciosi facti sunt gressus tui in calceamẽtis filia Aminadab. 139.D 1565.D

Ascendam in palmam. 835.C

Nares tuæ sicut turris Libani, prospiciens faciem Damasci. 1458.B

Oculi tui stagna in Esebon, &c. 1554.C.*in fi.*

Moduli femorum tuorum similes torquibus operi manuum artificis. 1566.C

Quam pulchra & suauis facta es charitas in deliciis tuis. ibidem. D

Vmbilicus eius tanquã crater tornatilis mixto non deficiens. 1566.D

Et ornatus capitis tui sicut purpura. 1566.D

Ibi dabo vbera mea, ibi dederunt mandragoræ odorem. 1583.D

Veni frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, &c. ibidem.

Cantic. 8. *Tenui eum, nec relinquam, donec introducam eum in domum matris meæ, &c.* 108.A

Ego murus, & vbera mea turres. 889.B.1611.B

Pone me vt signaculum in corde tuo, vt signum in brachio tuo, &c. 1234.B.1553.A.1584.B.C.& 1610.C

Aqua multa non poterit excludere charitatem, &c. 1057.D

Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. 1541.A

Quæ est hæc quæ ascendit candida, innitens super fratrem suum. 1541.D.1584.B.

Valida vt mors dilectio, duriis sicut inferi Zelus. 1572.D

Assumam te, & ducam te in domum matris meæ, & in secretum eius quæ concepit me. 1604.A

Si murus est, ædificemus super eum receptacula. 1610.D.1611.B

Ego eram in oculis tuis tanquam inueniens pacem. 1611.B

Vinea facta est Salemoni in Belammon, dedit vineam suam iis qui seruant. 1611.C

Qui sedes in hortis, amici intendentes sunt voci tuæ, &c. 1612.A

EX SAPIENTIA.

Alligemus iustum, quia inutilis est nobis. 41.C Sapien.2.

Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. 915.A

Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ & gloria. 1541.A Sapien.3.

Benedictum lignum quod fit per iustitiam, maledictum autem lignum quod fit per manum hominum. 1482.A Sapien.14.

EX ECCLESIASTICO.

Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. 705.C.& 722.D Eccli. 3.

Stultus complexus est manus suas, & laborauit viscera sua. 521.C Eccli. 4.

Ante mortem ne laudaueris aliquem. 1274.B Eccli. 11.

Quis dabit mihi cogitationum mearum flagella, & labiorum meorum signaculum. 1347.C Eccli. 13. & 22.

Posui ante te bonum & malum. 1360.D Eccli. 15.

Quis videt me tenebræ, &c. 8.D Eccli. 23.

Ex ore altissimi prodij. 321.C Eccli. 24.

Mulier ebriosa, ira magna. 1133.D Eccli. 26.

Stultus sicut luna mutatur. 781.D.850.D Eccli. 27.

Narratio iusti semper sapientia, stultus autem sicut luna immutatur. 1315.A

Sepi possessionem tuam spinis, & aurum & argentũ tuũ alliga. 2.C Eccli. 28.

Sepi aures tuas spinis, 1608.A

Recipe proximum tuum secundum virtutem tuam, & attende tibi ne cadas. 1156.D.*in fine.* Eccli. 29.

Beatus vir qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, &c. 1116.A.& dein. Eccli. 31.

EX ESAIA.

Caupones vestri miscent aquam vino. 771.D.*in fi.* Esa. 1.

Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, &c. 973.B

Si fuerint peccata vestra sicut phœniciũ, vt niuem dealbabo. 1193.D

Omne caput in dolore, & omne cor in mœstitia, &c. 1328.D

Auferam validam virtutem, prophetam & consiliarium. 1630.A Esa. 3.

Vinea facta est dilecto in cornu in loco vberi, &c. 834.B Esa. 5.

Quid trahitis peccata vt fune longo & iugi loro vitulæ? 1149.D

Sanctus, sanctus, sanctus. 295.B.406.D Esa. 6.

Eleuatum est super limen Esaiæ quando Seraphim tetigit labia eius. 315.B

Ecce tetigit hoc labia tua, & abstulit iniquitates tuas. &c. 369.B

Videntes videbitis, & non videbitis. 710.B

Quis est iste qui aduenit ex Edom? rubor vestimentorum ex Bosor, sic speciosus in stola? 1541.D

Ecce dominus dabit vobis signum, ecce virgo cõcipiet. 487.B.657.D. 926.C Esa. 7.

Pete tibi signum à domino in profundum aut in altum, &c. Ecce virgo concipiet in vtero. &c. 1485.B

Prius quàm sciat puer vocare patrem ac matrem, accipiet virtutem Damasci, &c. 926.C Esa. 8.

Spolia detrahe, diuide citò, quia priusquam sciat puer vocare patrem & matrem, &c. 1660.D

Sustinui vt faceret vuam, fecit autem spinas. 768.C

Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnã, &c. 906.B

Verbum consummans & breuians faciet dominus super terram. 1155.A Esa. 10. & Roman. 9.

Cuius principatus super humerum eius. 1099.D

Puer natus est nobis, filius datus est nobis. 304.D.456.A.1281.A. 1500.A.1653.D

Auferam à Iudæa caput & caudam, initium & finem. 1588.B

Verbum

Verbum enim consummãs & breuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet dominus super terram. 1971.A

Esa.11. *Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* 380.A. & 1636.D

Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij atque virtutis, &c. 1459.C

Esa.12. *Et saliet aqua cum delectatione de fontibus saluatoris.* 1329.C

Esa.13. *Ecce veniet dominus disperdere orbem terrarum.* 1136.A

Esa.14. *In cœlum ascendam, super sydera cœli ponam sedem meam.* 1556.C

Esa.19. *Ecce dominus sedet super nubem leuem, & veniet in Ægyptum.* 119.D.139.A.1451.D

Esa.22. *Manducemus & bibamus: cras enim moriemur.* 1134.A.1929.D

Esa.23. *Erubesce Sidon, dicit mare.* 847.B.1134.D

Esa.23. *Vlulate naues Carthaginis, quia perierunt, & non amplius erunt.* 1134.A

Esa.23. *Erítque post septuaginta annos Tyrus vt cãticum meretricis.* 1135.B

Esa.26. *De timore tuo in vtero accepimus & parturiuimus spiritum salutis.* 1169.B

Esa.29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est me.* 171.C

Esa.31. *Audite me populus meus qui scitis iudicium.* 580.B

Esa 32. *Beatus qui seminat super omnem aquam, vbi bos & asinus calcat.* 641.B

Esa.35. *Conualescite manus remissæ, & genua dissoluta.* 206.C

Esa.39. *De filiis tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent & facient spadones in domo regis.* 1433.C

Esa.40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis vt flos fœni.* 829.B

Sic omnes gentes, vt stillicidium de vrceo, & sicut momentum stateræ æstimatæ sunt, &c. 1285.A

Parate viam domino, rectas facite semitas eius. 1309.B

Consolamini, consolamini populum meum, dicit dominus. Sacerdotes loquimini iustitiam in cor Hierusalem, &c. quia recepit de manu domini duplicia peccata sua. 1583.B

Ascende in montem qui euangelizas Sion. 1716.B.*in fin.*

Videbit omnis caro salutare dei. 1818.B

Esa.43. *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero, tu autem esto memor.* 187.C.& 1469.A

Dic iniquitates tuas vt iustificeris. 1507.D

Esa.45. *Labor Ægypti, & mercatus Æthiopum & Sabaim viri excelsi ad te transibunt.* 1328.C

Ego dominus creans mala. 1557.B

Tu enim es deus, & nesciebam. 1814.A

Esa.47. *Transgredere flumina.* 1565.D

Esa.48. *Exi à Babylone, fugiens à Chaldæis.* 1275.D

Esa.49. *Qui finxit me seruum ex vtero sibi ad congregandum Iacob, &c.* 1289.A

Magnũ tibi est vocari puerũ meum, vt suscites tribus Iacob. 1289.B

Ex vtero matris meæ vocauit dominus nomen meum. 1289.A.*in fi.*

Esa.50. *Cui vendidi vos fœneratori?* 1144

Esa.52. *Ipse qui loquebar, adsum.* 288.D.528.A

Quàm speciosi pedes sunt Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. 1565.D

Esa.53. *Et pro nobis dolet.* 1413.C

Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, &c. 668.B

Esa.54. *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, &c.* 786.D

& Gal.4.

Esa.55. *Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt: vos verò esurietis.* 1127.B

Sicut imber descendit super gramen, & nix super fœnum. 1511.B

Esa.56. *Qui custodierint præcepta mea, &c.* 118.A

Esa.58. *Ossa tua pinguescent, & eris sicut hortus ebrius.* 659.D

Esa.59. *Telam araneæ texunt.* 1348.A

Esa.65. *Qui sititis, ite ad aquam: & quicunque non habetis argentum, ite & emite, &c.* 1127.B

Erit cœlum nouum, & terra noua. 1516.D

Esa.66. *Quis audiuit si parturiuit terra vno die & gẽs nata est simul.* 121.C

Super quem requiescam, nisi supra humilem & quietum & trementem verba mea? 1302.C

EX HIEREMIA.

Hiere.1. *Priusquam te formarem in vtero matris tuæ, noui te: & priusquam exires de vulua, sanctificaui te, &c.* 1103.1192.D

Hieremias primum baculum vidit nuceum, deinde ollam feruentem. 1347.C

Hiere.1. *Noli dicere quia iuuenis sum.* 1431.A.1529.D.1539.C.D

Pax pax, & vbi est pax? 1565.D Hiere.8.

Intrauit mors per fenestras nostras. 197.B.& 1457.B Hiere.9.

Inijciamus lignum in panem eius. 1288.D Hiere.11.

Ego sicut agnus ductus sum & nesciui. 1352.B

Si mutabit Æthiops pellem suam, & pardus varietatẽ suam. 880.A Hiere.13.

Ecce ego quæro multos piscatores & multos venatores, & venabuntur eos super omnem montem, &c. 1463.A Hiere.16.

Ego sum scrutans corda & renes. 8.C Hiere.17.

Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit. 611.B.879.D

Nunquid sicut figulus iste non potero vos reformare, &c. 489.D Hiere.18.

Seduxisti me domine, & seductus sum, &c. 1539.D Hiere.20.

Væ qui ædificant domum suam non cum iustitia. 531.B Hiere.22.

Hoc autem testamentum quod testabor ad illos, dicit dominus, Dando leges meas in cordibus eorum, & in sensibus eorum scribam eas, &c. 1544.B Hiere.31. Hebr.6.

A iuuentute mea dilectus mihi est filius Effrem puer in deliciis. 1628.B Hiere.31.

Ecce venient dies, dicit dominus, & confirmabo domui Israel & domui Iuda testamentum nouum, &c. 1923.C Hebr.8. Hiere.38.

Hieremias de lacu assumptus. 387.D Hiere.51.

Calyx aureus Babylon in manu domini inebrians omnem terram. 1131.D.1595.B.*in fin.*

Ecce ego ad te mons corrupte, qui corrumpis omnem terram. 1758.A Hiere.71.

Manus suas extendit qui tribulat, in omnia desideria eius. 1497.A Thren.1.

Abstulit omnes fortes meos dominus de medio mei: Vocauit in me tempus, &c. 1545.C

Tenuerunt super te manus omnes transeuntes per viam, &c. ibid.D

Oculi mei caligauerunt à fletu, quia elongauit à me qui me consolabatur. 1554.D

Dominus quæ cogitauit, consummauit, verbum suum quod mandauit à diebus antiquis, &c. 1554.D

Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam. 1563.B

Aperuerunt in te os omnes inimici tui, sibilauerunt & fremuerunt dentibus, &c. 1563.C Thren.2.

Surge expergiscere in nocte, in principio vigiliæ tuæ effunde sicut aquam cor tuum coram facie domini, &c. 1579.D

Bonum est viro cum portauerit iugum graue ab adolescentia sua. 499.D.1492.C.1582.D Thren.3.

Et satiabitur opprobriis. 1497.C

Dabit percutienti maxillam suam. Ibidem.

In vmbra eius viuemus. 1306.B Thren.4.

Spiritus antè faciem nostram Christus dominus comprehensus est in interitu nostro, &c. 1545.D

Appropinquauit enim tempus nostrum, repleti sunt dies nostri, &c. 1580.A

Defecit iniquitas tua filia Sion, non adijciet te expellere adhuc, &c. 1605.A

EX EZECHIELE.

Similitudo vultus quatuor animalium facies hominis, &c. 112.C. & deinceps. EZech.1.

Visio cælorum, rota intræ rotam, & animalium quatuor. 412.B. 1021.B

Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. 1832.B EZech.18.

Et dedi vobis præcepta non bona. 1557.B EZech.20.

Plaude manu & percute pede. 1698.C.*in fin.* EZech.21.

Ecce proficiscar in Hierusalem, & insufflabo vos in igne iræ meæ, &c. 1438.B.& 1527.A EZech.22.

De funiculo agri mensorio. 354.B EZec.40.

Porta hæc clausa erit. 136.B.& 655.A EZec.44.

EX DANIELE.

Lapis de monte sine manibus abscissus. 766.B Daniel.2.

Iudicium sedit, & libri aperti sunt. 1286.A Daniel.7.

Multi qui sedent in tumulo terræ, exurgent, isti in vitam æternam, &c. 1286.A Daniel.12.

EX OSEE.

Seminate vobis ad iustitiam. 1112.C Oseæ 10.

EX IOHELE.

Lamentare ad me super sponsam præcinctam sacco in virum eius virginalem. 533.A Ioel.1.

EX AMOS.

Ecce ego formans tonitrua, & creans spiritus, & nuntians in homines Christum suum, &c. 380.D Amos 4.

Pastor eram caprarum, vellicans mora. 1757.D Amos 7.

Ecce

EX MICHEA.

micheæ 1. Ecce dominus procedet de loco suo, & descendet & ascendet super excelsa terræ, &c. 1376.A

micheæ 5. Et tu Bethleem domus Ephrata non es minima inter principes Iudæ, &c. 541.B

Quia tunc pax erit in terra Israel, cum venerit Assyrius in terram eius, &c. 596.A

micheæ 6. Populemeus quid feci tibi, aut quid contristaui te, &c. 1191.D

micheæ 7. Noli gaudere super me inimica mea. 1335.A

EX ABACVC.

Abac.2. Iustus ex fide viuit. 1806.D.& 1859.B

Abac.3. Ascende super equos tuos, & equitatus tuus salus. 1118.B. & 1362.A & 1450.D

Immisisti in mare equos tuos turbantes aquas multas. 1450.D

EX SOPHONIA.

Sophon.1. Scrutatus sum Hierusalem ad lucernam. 1574.B

EX AGGAEO.

Aggai 1. Si tempus vobis est vt habitetis in domibus cælatis. 530.C

Aggai 2. Ego mouebo cœlum & terram. 532.B

EX ZACHARIA.

Zacha.1. De eo quem sequebantur equi variorum colorum. 490.A

Zacha.3. Iesus indutus vestimenta sordida. 304.B.& 1452.A

Iniquitas in talento plumbeo sedet. 1452.A

Zacha.13. Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. 1430.D

EX MALACHIA.

Malach.1. Si dominus sum, vbi timor meus: Si pater, vbi amor meus? 737.C

EX LIBRIS MACHABAEORVM.

2.Mach.1. Ignis aqua factus est, & aqua ignis facta est. 74.A

2. Ignis super sacrificium cecidit, & consumpsit illud. 73.A.& deinceps copiosè.

6. Eleazarus sacerdos ab Antiocho interficitur, &c. 1071.B.C

7. Septem Maccabæi fratres cum matre ab Antiocho perimuntur. 1072.A.B

EX MATTHAEO.

Matthæi caput primum pro parte exponitur. 1653.B.C & deinceps.

Matth.1. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham. 1653.B

Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariã coniugem tuã. 1632.C

Et nõ cognouit eã Ioseph, donec peperit filiũ, &c. 971.B.& 1632.D

Matth.2. Magorum adoratio ponitur in expositione Lucæ. 1642.A & dein.

Obtulerunt ei aurum thus & myrrham. 158.A.273.D

Vox in Rama audita est, fletus & vlulatus multus. 1323.A

Arundinem quassatam non confringet. 1695.C

Matth.3. Parate viam domini, rectas facite semitas eius. 760.A

Ioannes habebat vestitum de pilis Camelorum, & Zonam pelliceam: esca autem eius erant locustæ, &c. 760.B

Sine nos implere omnem iustitiam. 1544.D

Post me venit vir, cuius non sum dignus calceamẽta portare. 1566.B

Matth.4. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore dei. 657.D

Ductus est Iesus in desertũ à spiritu vt tentaretur à diabolo. 1666.B

Matth.5. Beati pauperes spiritu, &c. 9.C

Si quis à te tunicam petat, præbe & ei pallium. 104.C

Mulier sanguiflua fimbriam Christi tetigit. 111.A

Estote perfecti sicut & pater vester qui in cœlis est. 437.D

Vos estis sal terra. 787.A

Sol refulget super iustos & iniustos. 1429.B

Dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis, &c. 1455.D

Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterauit eam in corde suo. 1484.B.1553.D

Qui te percusserit in vnam maxillam, præbe ei & alteram. 1497.B

Diligite inimicos vestros. 1526.C

Non iurandum omnino. 1536.D

Videns Iesus turbas ascendit in montem. 1689.B

Matth.6. Nesciat dextera tua quid faciat sinistra tua. 21.B

Cum oras, intra in cubiculum tuum, &c. 130.C.935.C 1254.C. 1366.B.1434.A

Vbi fures effodiunt & furantur. 374.D

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. 1128.A

Si oculus tuus simplex fuerit, totũ corpus tuum lucidum erit. 1262.B

Nolite vobis thesaurizare in terra, vbi ærugo & tinea exterminat, &c. 1516.A

Matth.7. Nolite sanctum dare canibus, neque mis. marg. ve. an. por. 192.B 1433.D

Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quãto magis pater vester, &c. 363.D

Petite & dabitur vobis: quarite & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. 622.D

Attendite à falsis prophetis. 885.D

Nolite iudicare, vt non iudicemini. 914.B

Nunquid colligunt de spinis vuas aut de tribulis ficus. 1149.A

Discedite à me omnes qui operamini iniquitate. Nescio vos. 1304.D

Omnis qui audit verba hæc & fecerit ea, similis erit viro sapienti. 1501.D

Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos. 69.D.773.B.888.C Matth.8. 1515.B

Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. 471.A & 1410.C

Ibi erit fletus & stridor dentium. 733.C.D

Si vis, potes me mundare. Volo. Mundare. 1279.B

Apostoli, cum Christus dormiret in naui, tempestatem fluctuum formidantes, excitauerunt dominum Iesum, vt ab his formidinem propulsaret. 1390.D

Nemo enim additamẽtum rudis panni assuit vestimento veteri, &c. Matth.9. 1988.A

Credo domine, adiuua incredulitatem meam. 257.B

De filia archisynagogi resuscitata. 477.D

Cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt. 533.B

Vinum nouum in vtres nouos mittunt. 1511.B

Fugite in aliam ciuitatem. 27.A Matth.10.

Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam. 54.D

Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram patre meo, &c. 170.B

Estote astuti sicut serpentes. 207.A.311.D.1774.A

In quancunque ciuitatem introieritis, interrogate quis in ea dignus est: & ibi manete donec exeatis. 724.D

Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. 736.D

Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. 1549.A. in fi.

Nisi quis tulerit crucem suam, & me secutus fuerit, non est me dignus. 1553.C

Cantauimus vobis, & non saltastis. 587.D Matth. 11.

Confiteor tibi domine pater cœli & terræ. 609.A

A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud. 705.D 1696.C

Venite ad me omnes qui laboratis & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos & discite à me, &c. 9421.D.1538.A.1545.A 1550.A

Quia nemo maior ex natis mulierum Ioanne Baptista. 1366.D

Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur. 1564.B

Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. 1564.C

Et iustificata est sapientia à filiis suis. 1697.C. in fi.

De omni verbo otioso reddenda est ratio. 2.A.1339.C Matth.12.

Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur hominibus, &c. 185.A.362.A

Arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit. 185.D

Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? 198.B

Inuenta vna preciosa margarita venditis omnibus emit eam. 695.A Matth. 13.

Qui habet, dabitur ei: & qui non habet, auferetur ab eo. 774.D

Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, &c. 857.C

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. 1433.C

Domine iube me venire ad te super aquas. 1161.C Matth.14.

Modicæ fidei quare dubitasti? 742.B.C

Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. 235.A Matth. 15.

Miserere mei fili Dauid, filia mea male à damonio vexatur. 1696.D

Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. & reliqua. 1381.B.C.D

Tu es Christus filius dei viui. 427.B.1711.D Matth.16.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, &c. 771.D.1363.B.1998.A

Portæ inferi non præ. 228.A

Tibi dabo claues regni cœlorum. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: &c. 1349.A

Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. 2019.C

Non occides, non adulterium, non furtum facies, non falsum testimonium dices. 1026.D

Matth.17. *Aperto ore piscis inuenies stateram.* 507.A

Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. 1193.D.1511.C

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. 277.A. 1394.B

Matth.18. *Si duo consenserint super terram, &c.* 131.A.1745.D

Adhibe vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. 623.C.D.1756.C

Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. 656.B

Quis maior est in regno cœlorum? Et aduocans Iesus paruulum dixit, Nisi efficiamini sicut paruulus iste, &c. 699.B.748.A.B

Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, &c. 700.A. 1603.A

Si frater meus in me peccauerit, quotiens dimittam ei, vsque septies? Non solum septies, sed vsque septuagies septies. 1067.B

Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum inter te & ipsum solum. 1756.C

Oportet venire scandala. 1914.D

Matth.19. *Non omnes capiunt verbū istud, sed quibus datum est.* 102.A.118.B

Facilius est Camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. 692 D.699.C.& 1431.B

Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. 1477.D *in fi.*

Si vis perfectus esse, vende oīa quæ habes & da pauperibus. 1523.D

Quod deus coniunxit, homo non separet. 1753.C & 1754.A

Matt. 20. *De vinea & operariis.* 242.B.C

Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram meam vel sinistram non est meum dare vobis, &c. 336.C.D.& 337.D

Matth.21. *Verebuntur filium meum.* 352.C

Matt. 22. *Homo non habens vestem nuptialem eiicitur.* 489.B.704.D

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo. 507.D. & 696.B

Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex tota mente tua. 896.C.1026.C

Hierusalem Hierusalem quæ occidis prophetas. 1432.C.*in fi.* 1520.D

Matt.23. *Super cathedram Mosi sederunt scribæ & Pharisæi, &c.* 1385.D 1386.A.1546.D

Ecce derelinquetur vobis domus vestra deserta. 1397.C

Matt. 24. *Qui est in tecto, non descendat vasa sua tollere.* 530.A

Erunt duæ molentes, vna assumetur, & vna relinquetur. 694.C. 934.A.698.D.& 155.C.*in fine.*

Quoniam abūdauit iniquitas, refrigesceret charitas multorum. 698.D

Orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. 1294 C.1383.B.1548.D

Cœlum & terra transibunt, verba autē mea non transibunt. 1516.D

Propter electos breuiabuntur dies. 1368.C

Vbi ruina, ibi & aquilæ. 1411.C

Matt. 25. *Parabola de talentis.* 255.B.C

Cum sederit filius hominis, &c. 255.D.309.D

Quæ in vasis suis oleum non tulerunt. 1534.C

Matt. 26. *Accipite & comedite: hoc est corpus meum.* 1249.A

Tristis est anima mea vsque ad mortem. 432.A

Pater si possibile est transfer calicē hunc à me. 288.B.432.A.1352.A

Amodo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis dei. 294.D

Matt. 27. *Peccaui tradens sanguinem iustum.* 745.A

Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. 1418.A

Transeuntes autem blasphemabant mouentes capita sua. 1417.A. 1546.D

Matt. 28. *Non est hic, sed surrexit.* 122.C

Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. 252.C

Ite baptizate gētes in nomine patris & filij & spiritussancti. 271.D 342.B.371.C

Quid quæritis viuentem cum mortuis. 1040.C

Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. 1091.A

EX MARCO.

Marc. 1. *Descendit spiritussanctus sicut columba & mansit super eū.* 1098.B

Marc. 4. *Qui seminat, verbum seminat.* 833.A

Marc.8. *Veni retro post me.* 1417.C

Marc. 10. *Veni sequere me.* 1338.B

Nemo est qui relinquat domum aut parentes aut vxorem aut filios propter regnum dei, & non recipiat septies, 1026.D

Nemo bonus nisi vnus deus. 286.C

Ficulnea fructum non habens sed tantum folia. 1561.A Marc.11.

Potuit hoc vnguentum venire trecentis denariis. 1079.B Marc.14.

EX LVCA.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. 654.B.1020.A Lucæ 1.

Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. 1458.D

Exultauit infans in vtero Elizabeth, & repleta est spiritu sancto. 324.C.758.D

Per viscera misericordiæ dei nostri. 243.D

Pastores erant vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. 703.C Lucæ 2.

Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. 703.B

Vt darent hostiam par turturum aut duos pullos columbarū. 1021.B

Nunc dimittis domine seruum tuum in pace. 213.C

Ecce hic positus est in ruinam, &c. 487.B.& 1295.B

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. 98.D.*in fi.* & 1528.B

Iesus proficiebat ætate & sapientia & gratia apud deum & homines. 433.A

Nihil amplius exigatis quàm quod constitutum est vobis, &c. 696. A.C Lucæ 3.

Post me venit vir, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius. 1098.A

Spiritus sanctus in specie columbæ visus est. 426.C

Tentationes Christi à diabolo. 929.B.C.& dein. Lucæ 4.

Medice cura te ipsum. 1334.D

In diebus Heliæ quando clausum erat cœlum. 1305.A

Et stans super illam, imperauit febri, & remisit illam. 161.A

Cum sol occidisset, omnes qui habebant infirmos, &c. 103.D

Ascendens Iesus in vnā nauim quæ erat Simonis, rogauit eum, &c. 701.A.B Lucæ 5.

Duc in altum, & laxate retia in capturam. 113.D.701.B

Exi à me domine, quia homo peccator sum. 111.C

Si vis, potes me mundare. Volo. Mundare. 1441.C

Sciebat enim Iesus cogitationes eorum. 8.C

Quid cogitatis mala in cordibus vestris? ibid.

Nunquid possunt filij sponsi ieiunare quamdiu cum illis est sponsus. &c. 756.A

Vinum nouum in vtres nouos condendum. 772.D

Ingressus Christus synagogam, manum hominis aridam curauit. 697.A.& deinceps. Lucæ 6.

Iesus pernoctabat in oratione. 1582.C.1594.A

Væ vobis qui ridetis, quia flebitis. 15.C

Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram. 444.A

Adolescens tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus. 477.D Lucæ 7.

Cantauimus & non saltastis, lamētauimus & nō ploraſtis. 187.D. 775.B.1474.B Lucæ 7.

De Magdalena. 190.B.& dein.

Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne baptista. 759.C

Duo debitores erant cuidam fœneratori, &c. 1156.A

Quia iustificata est sapientia sua à filiis suis. 1496.C

Sentio de me virtutem exisse. 1404.C Lucæ 8.

Qui habet aures audiendi audiat. 1407.A

Vade ostende te sacerdoti. 1441.D

Nescitis cuius spiritus estis. 181.A

Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, &c. 994.B Lucæ 9.

Oportet filium hominis pati. 1914.D

Historia de Samaritano exponitur. 176.A.1599.C Lucæ 10.

Videbam sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. 207.A

Væ tibi Corozaim. Væ tibi Bethsaida. 1444.A

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. 1464.B

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. 1510.D

Nomina vestra scripta sunt in cœlo. 1851.A.1920.B

Quanto magis pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. 363.D Lucæ 11.

Væ vobis qui tulistis clauem scientiæ, & reliqua. 697.C Lucæ 11.

Lucerna corporis tui est oculus tuus? &c. 1389.C

Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. 1395.C

Stulte, hac nocte à te repetent animam tuam. 224.B Lucæ 12.

Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. 377.A

Hominis cuiusdam diuitis fructus vberes ager attulit. &c .776.B
Anima, habes multa bona, mãduca, bibe, & epulare. 777.C.1111.A
Stulte, hac nocte auferetur abs te anima tua, & quæ præparasti, cuius erunt? 779.D.1112.D
Destruam horrea mea, & maiora faciam. 1111.A
Sint lumbi vestri præcincti. & lucernæ ardentes. 1535.D
Lucæ 13. *Mulier abscondit fermentum in farina donec fermentaretur totum.* 180.B
Regnum cœlorum simile est grano sinapis. &c. 688.D
Et excreuit & facta est arbor, & volucres requieuerunt in ramis eius. 690.B
Mulier quæ habebat spiritũ infirmitatis, inclinata erat, vt sursum respicere non posset. 834.C.1486.D
Regnum cœlorum simile est fermento quod acceptum mulier abscondit in farina donec fermentatum est totum. 693.D
Ecce anni tres sunt ex quo veni quærens fructum in ficulnea, & nõ inuenio. 1051.C.& 1647.A
Discedite à me operarij iniquitatis, Non noui vos. 1287.C
Ite dicite vulpi illi. 1427.C. 1515.B
Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam. &c.* 172.C
Lucæ 15. *Filij prodigi historia.* 184.A.B. *in fi.*
De oue errante. 1184.C.& *dein.* 1604.D
Lucæ 16. *Lex & prophetæ vsque ab Ioannem.* 1988.A
Lucæ 17. *Sicut fulgur, ita erit aduentus filij dei.* 207.A.& 720.D
Domine auge nobis fidem. 257.B
Matt. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis non solum de ficulnea facietis, sed etiam si monti huic dixeritis: Tollere. & c.* 1396.B
Regnum dei intra vos est. 1696.C
In illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & vnus relinquetur. Erunt duæ molentes. &c. 721.C
Lucæ 18. *Pharisæus & publicanus orantes in templo.* 1443.A
Lucæ 19. *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. &c.* 934.D.945.B
Parabola de diuite qui in regionem longinquam profectus est, exponitur. 344.D
Pullum sibi asinæ saluator per Apostolos iussit adduci. &c. 577.A
Si isti tacuerint, lapides clamabunt. 578.D
Forsitan verebuntur filium meum. 352.C
Lucæ 20. *Vidua duo minuta mittens in gazophylacium.* 157.C.645.B
Lucæ 21. *Venit dies in qua necesse erat immolari pascha, & misit Petrum &*
Lucæ 22. *Ioannem. &c.* 671.B
Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum. 1442.C
Simon, ecce Sathanas expostulauit vt ventilet vos sicut triticum, Ego autem rogaui patrem meum vt non deficiat fides tua. 1379.A
Iuda, osculo filium hominis tradis? 409.A.894.A.1352.C
Lucæ 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* 1353.A.1479.A
Filiæ Hierusalem nolite me flere, sed vosipsas flete. 1544.C
Lucæ 24. *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* 228.C

EX IOANNE.

Ioan. 1. *In principio erat verbum.* 137.D.425.C
Et verbum erat apud deum. 276.A.426.A
Omnia per ipsum facta sunt. 359.C.1538.D.1593.D
Sine ipso factum est nihil quod factum est. 303.B.1593.D
Quod factum est in ipso, vita erat. 804.D.1305.D.1306.C
Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 1305.B
Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. 321.C.
Verbum caro factum est. 80.B.431.B.1886.B
Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratia & veritate. 1576.C
Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. 1577.D
Deum nemo vidit vnquam. 359.B.1626.D
Vnigenitus qui est in sinu patris ipse enarrauit. 1627.A
Ego sum vox clamantis in deserto. 759.B
Medius vestrum stat quem vos nescitis. 1404.B
Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. 305.D
Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius. 139.D
Super quem videris spiritum descendentem de cœlo, & manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. 956.A
Ioan. 2. *Aqua mutata in vinum.* 710.C
Ei manifestauit gloriam suam, & crediderũt discipuli eius in eum. 711.A

Soluite templum hoc & in triduo resuscitabo illud. 1404.B
Nondum venit hora mea. 1561.A
Zelus domus tuæ comedit me. 1573.A
Ioan. 3. *Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem non credit filio, non videbit vitam, &c.* 176.B
Sic deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, &c. 175.C
Non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluetur mundus per me 176.C
Spiritus vbi vult spirat, 283.A
Sic est omnis qui nascitur de spiritu. 401.C
Illum oportet crescere, me autem minui. 702.A.1102.C.1648.A
Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exultari oportet filium hominis. 750.A
Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. 753.A
Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, &c. 1098.A
Dilexerunt magis tenebras quàm lucem. 1287.B
Ioan. 4. *Iesus fatigatus ex itinere sic sedebat supra fontem.* 1078.B
Samaritana venit ad fontem, &c. 1004.D.1034.B
Eius historia pro parte exponitur. 1034.B
Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus. 336.A
Veri adoratores adorabunt Deum in spiritu & veritate. 402.A.& *sequentibus copiose.*
Meus cibus est vt faciã voluntatẽ patris mei qui in cœlis est. 1122.D
Ioan. 5. *Propterea enim volebant eum Iudæi occidere, quia non solum soluebat sabbatum, sed patrem proprium dicebat deum.* 291.A
Pater omne iudicium dedit filio. 294.C
Sicut audio iudico: & ideo iudicium meum verum est. 1594.C
Quæcunque pater fecerit, eadem & filius facit similiter. 317.A.& *deinceps.*
Pater diligit filium. 319.D
Sicut pater vitam habet in semetipso, sic dedit filio vitam habere in semetipso. 326.A.C.334.B
Angelus descendebat in piscinam & mouebatur aqua. 366.B
Non possum ego à me facere quicquã. 317.A.547.C.1593.C.1594.B
Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. 547.D.1594.D
Historia piscinæ probaticæ. 366.B.1231.D
Domine hominem non habeo. 1241.B
In nomine patris mei veni, & non me suscepistis. Si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis. 1374.A
Erat lucerna ardens & lucens. 1534.D
Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. 1742.B
Iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. 2052.C
Ioan. 6. *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum.* 265.D
Sicut me misit viuens pater, & ego viuo propter patrem. 324.D
Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. 373.D
Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, &c. 490.B
Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. 1253.D
Mea doctrina non est mea. 292.B.338.D
Ioan. 7. *Qui à semetipso loquitur gloriam suam quærit.* 292.C
Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. 666.A
Mihi indignamini quia totum hominem saluum feci in sabbato. 1541.C
Si quis sitit, veniat ad me & bibat. 1581.C
Ioan. 8. *Principium, qui & loquor vobis.* 304.B.342.D
Duorum hominum testimonium verum est. 335.B
Christus digito scripsit in terram. 396.B
Ego sum lux mundi. 529.D
Ego non iudico quenquam. 548.A
De adultera quam absoluit Christus. 616.D.& 646.A
Si manseritis in me, cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. 1504.A
Vos ex patre diabolo estis. 1674.C
Ioan. 9. *Præteriens Iesus vidit cæcum à natiuitate.* 643.D.1245.C.D
Surge, tolle grabatum tuum. 1357.D
Ioan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* 224.A
Ego & pater vnũ sumus. 271.D.407.C.886.C.1294.A.1394.C
Ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. 408.A
Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis. 1593.D
Lazari resuscitatio. 189.A.320.B.326.C.477.B.809.C

Lazari

Ioan. 1. Lazari historia, &c. 477.B.C.809.C
Qui ambulat in die, non offendit. 440.C
Expedit vnum hominem mori pro populo. 1546.D
Ioan. 12. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. 176.C
Vt qui credit in me, in tenebris non maneat. 176.C
De vnguenti effusione. 190 A & deinceps.
Qui in me credit, non credit in me, sed in eum qui misit me. 342.C
Qui me videt, videt eum qui me misit. ibidem.D
Ex meipso non sum locutus. ibidem.
Sicut dixit mihi pater, ita loquor. ibidem.
Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, &c. 1306.B
Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. 1520.B 1802.D
Ioan. 13. Si ego laui pedes vestros. 105.C
Lotio pedum declaratur. 356.D
Satanas immisit se in cor Iudæ, &c. 1244.C. & 1407.D
Quod facis, fac citius. 945.A
Ibidem Qui manducat mecum panem, leuabit super me calcaneum suum. 1408.A
Ioan. 14. Venit princeps mundi huius, & in me inuenit nihil. 203.A
Surgite eamus hinc. 217.B
In domo patris mei mansiones multæ sunt. 224.C. & 226.D
Ego sum via, veritas, & vita. 227.B
Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. 1067.B.1092.A & 1565.C
Non turbetur cor vestrum neque formidet. 1485.D
Ioan. 15. Qui me odit, & patrem meum odit. 315.D
Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. 328.C
Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. 681.A
Iam non dicam vos seruos, sed amicos. 1468.B
Ioan. 16. Non loquetur à semetipso, sed quæ audit loquetur. 344.A.388.B
Omnia quæ pater habet, mea sunt. 288.B.320.D
Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit dies eius. Cum autem pepererit, iam, &c. 1403.A
Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. 1778.C
Ioan. 17. Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. 316.C
Vt cognoscant te solum verũ deum, & quem misisti Iesum Christũ. 332.B
Dilexisti eos sicut me dilexisti. 339.D
De hoc mundo non sunt, sicut ego non sum de hoc mundo. 1533.D
Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum deum. 1624.B
Ioan. 18. Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, cur me cædis. 1594.B
Regnum meum non est de hoc mundo. 1662.D
Potestatem habeo dimittere te potestatẽ habeo crucifigere te. 1594.C
Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. 2006.D
Ioan. 19. Tolle, tolle, crucifige eum. 1358.D
Quod scripsi scripsi. 498.C
Mulier, ecce filius tuus. Ecce mater tua. 652.D
Ex illa hora accepit eam discipulus in sua. 120.A
Exiuit de latere eius aqua & sanguis. 1098 1250.C
Eo quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudeorum. 1794.A
Ioan. 20. Maria stabat ad monumentum foris plorans.
Euangelium istud exponitur copiosè. 101.A. & deinceps
Mulier, quid ploras, quid quæris? 752.B.1796.A
Domine si tu tulisti eum, dicite mihi vbi posuisti eum, & ego illum tollam. 752.B
Noli me tangere, nondum ascendi ad patrem meum. 752.D.1400.A 1796.A
Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum: deum meum & deum vestrum. 280.A.1796.C
Accipite spiritum sanctum. 509.C.168.D.1500.D
Ioan. 21. Dominus meus, & deus meus. 1371.D
Petre diligis me? Pasce oues meas, &c. 1191.A

EX ACTIS APOSTOLORVM.

Acto. 1. Sors cecidit super Mathiam. 537.D
Acto. 3. Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. 667.C
Scio quòd per ignorantiam feciſtis. 1886.B
Erant illis omnia communia. 698.B
Nemo sub apostolis indigens fuit. ibidem.C Acto. 4.
Ecce video Iesum stantem ad dexteram virtutis dei. 656,C
Durum est tibi contra stimulum calcitrare. 1552.D Acto. 7.
Vas descendens velut linteum coram Petro, vbi erant diuersa animalia. 386.D Acto. 9.
Vos autem spiritu sancto baptizabimini. 401.C Acto. 10.
Ego hodie genui te. 1244.C Acto. 11.
Visum est spiritui sancto & nobis. 391.C Acto. 13.
Cuius & genus sumus, &c. 223.A 227.C Acto. 15.

EX EPISTOLA AD ROMANOS. Acto. 17

Iustitia dei in eo reuelatur, &c. 200.B
Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. 234.B
Qui seruierunt creaturæ potius quàm creatori. 334.A Roma. 1.
Inuisibilia enim eius à creatura mũdi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, &c. 395.D
Ignoras quia bonitas dei ad pœnitentiam te adducit. 200.C Roma. 2.
Ex operibus legis nemo iustificatur. 639.C Roma. 3.
Lex iram operatur. Vbi autem non est lex, nec præuaricatio. 638.B Roma. 4. & dein.
Abraham signum accepit circoncisionis. 994.A
Qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt. 1318.D
Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. 639.B.C 1056.C.1500.A
Tribulatio patientiam operatur. 1280.B Roma. 5.
Quicunque baptizatur, in morte Iesu baptizatur. 1243.C
Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel. 1578.B Roma. 6.
Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. 1014.A 1055.B Roma. 7.
Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, &c. 1033.B
Quod ergo bonum est, mihi mors est? Absit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. 1055.A
Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, &c. 1382.C
Mulier quæ sub viro est, viuente viro ligata est legi, &c. 1384.D
Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi, &c. Ibidem.
Ego ipse mente seruio legi, carne autem legi peccati. 1761.C.D
Deus filium suum misit in similitudine peccati, &c. 169.D 1321.B Roma. 8.
Charitas dei quæ est in Christo Iesu. 349.D
Vanitati creatura subiecta est .548.C. & dein.
Quoniam ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis. 549.D
Scimus quod omnis creatura congemiscit. Ibidem.
Primitias spiritus habentes. 550.D & 551.C
Spe salui facti sumus. 551.C
Spes autem quæ videtur, non est spes. Ibid.D
Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 552.B
Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. 1057.A 1427.A
Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. 1158.B
Hæredes sumus dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt simul glorificemur. 1479.C
Qui est super omnia deus benedictus in secula. 361.A Roma. 9.
Igitur non est volentis neque currentis, sed miserentis dei. 1027.C. 1505.A
Quàm speciosi pedes euangelizantium bona. 714.C Roma. 10.
Habent zelum dei, sed non secundum scientiam. 1459.A
Non repulit deus plebem suam quam præsciuit. 238.B Roma. 11.
Secundum Euangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem dilecti propter patres. .238.C
Cæcitas ex parte in Israel contigit. Ibidem
Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? 327.B
Ex ipso & p ipsum & in ipso sunt omnia. 327.A.385.C & 805.D
Vt reliquiæ saluæ fierent. 1386.C
Vbi bonitatem & seueritatem dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate. 1483.A.1493.B
Quia si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens enim est deus inserere illos. 1493.C
Date locum iræ. 13.D Roma. 12.
Non vosmetipsos vindicantes, &c. 1092.A

Si fieri poteſt, cum omnibus pacem habentes. 1526.C

Rom.13. *Non ſine cauſa gladium portat qui iudicat: deus enim vindex eſt in eos qui malè agunt.* 616.C

Nox præceſſit, dies autem appropinquabit. 747.A.1039.C.1397.D

Sic vt in die honeſtè ambulemus. 1374.C

Si quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur. 1608.B

Omnis poteſtas à deo eſt. 1669.D

EX EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.

1.Cor.1. *Qui factus eſt nobis ſapientia à deo.* 302.C.397.B

Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. 487.B

Quod ſtultum eſt dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt dei, fortius eſt hominibus. 589.B

Vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. 676.B

Gratias ago deo meo ſemper pro vobis, in gratia dei quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, &c. 1434.C

Elegit deus quæ non ſunt, vt quæ ſunt deſtrueret. 1751.C

1.Cor.2. *Sed loquimur dei ſapientiam in myſterio.* 302.C

Si cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. 302.C 1632.B

Et ſermo meus & prædicatio mea non in perſuaſione ſapientiæ verborum, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. 1511.A

Nihil me iudicaui ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. 1711.C

1.Cor.3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* 254.D

Qui plantat & qui rigat, vnum ſunt. 316.C

Ædificare aurum, argentum, lapides precioſos. 331.C

Templum dei vos eſtis, & ſpiritus ſanctus habitat in vobis. 404.B & 1404.C

Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: poteſt tamen & ipſe per ignem ſaluari. 1598.D

1.Cor.4. *In virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis.* 177.B

Nolite ante tempus iudicare, donec veniat dominus qui illuminabit occulta tenebrarum. &c. 1390.A

Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. 1459.D

Non in ſermone regnum dei eſt, ſed in virtute. 1510.D

1.Cor.5. *Tradidi illum Satanæ, non ad interitum animæ, ſed carnis.* 177.B & dein. 182.A. & 1556.A

Expurgate vetus fermentum. 180.B.C.D

1.Cor.6. *Omnia mihi licent, ſed non omnia vtilia ſunt.* 41.B

In corpus ſuum peccat. 149.C

Qui inhæret deo, vnus ſpiritus eſt, &c. 235.B 1446.A

Fugite fornicationem. 931.A 1596.B

Eſca ventri, & venter eſcis. Hunc & hanc deus deſtruet. 1871.B

1.Cor.7. *De virginibus præceptum domini non habeo, &c.* 81C. & 118.A & 660.B

Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem. 102.C

Solutus ne quæſieris vxorem. 1442.B

Qui iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. 654.C

Pretio empti eſtis: nolite fieri ſerui hominum. 1379.D 1732.A

1.Cor.8. *Nobis autem vnus deus pater, ex quo omnia, &c.* 273.B.326.D 385.A

Non manducabo carnem, ne fratrem meum ſcandalizem. 1603.A

1.Cor.9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. &c.* 656.D 922.B

Væ mihi eſt ſi non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, &c. 1539.A

Sic enitor, non vt aerem cædens. 1669.A

Nunquid de bobus cura eſt deo? 1731.B

1.Cor.10. *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.* 61.A

Siue manducatis ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite. 737.C

1.Cor.11. *Omnis viri caput Chriſtus eſt, caput autem mulieris vir, caput autem Chriſti, deus* 315.D

Nunquid æmulamur domino. 1297.C

1.Cor.12. *Diuidens ſingulis prout vult.* 121.D 1314.A

Quæ videntur membra corporis infirmiora, neceſſaria ſunt. 960.A

1.Cor.13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* 226.A

Nunc autem manent fides, ſpes, charitas tria hæc. Maior autem horum eſt charitas. 643.B

Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, &c. 683.A

Charitas patiens eſt, benigna eſt: non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, &c. 613.C.1690.C

Oramus ſpiritu, oramus & mente. 552.B 1.Cor.14.

Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimè in ſpiritum viuificantem. 138.B.524.C 1.Cor.15.

Vnuſquiſque autem in ordine ſuo, primitiæ Chriſtus, deinde qui ſunt Chriſti, &c. 225.C

Cùm tradiderit regnum deo patri, tunc & ipſe ſubiectus erit ei qui ſibi ſubiecit omnia. 345.A.550.C

Qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. 383.A

Sicut portauimus imaginem terreni, ſic portemus & cæleſtis. 440.B. 532.D

Si in hac vita in Chriſto tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. 484.C

Quia licet exterior homo noſter corrumpatur, &c. 488.C

Vt abſorbeatur quod mortale eſt, &c. 488.C

Non enim omnis caro eadem caro, &c. 488.D

Vt ſit deus omnia in omnibus. 550.D

Si ſecundum hominem pugnaui Epheſi ad beſtias, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? Manducemus & bibamus, &c. 658.A

Quotidie morior per veſtram gloriam. 1390.C

Sobrij eſtote iuſtè: euigilate iuſtè, & nolite peccare, &c. 1506.D

Propter te quotidie morior, quotidie periclitor. 1540.D

Apud vos forſitan manebo & hyemabo, manebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſten. 1757.B 1.Cor.16.

EX EPISTOLA II. AD CORINTHIOS.

In Chriſto non fuit eſt & non ſed eſt, in illo fuit. 333.A 2.Cor.1.

Qui vnxit nos deus, & qui ſignauit nos & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. 365.A

Benedictus deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti pater miſericordiarum, &c. 1505.B

Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas. 1472.C 2.Cor.2.

Aliis odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem. 1841.A

Litera occidit, ſpiritus autem viuificat. 379.A.640.B.C 2.Cor.3.

Illuxit deus in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis dei, in faciem Chriſti Ieſu. 404.A.B 2.Cor.4.

Quæ videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna, 548.C

Preſſuram patimur, ſed non anguſtiamur. 1467.B

Qui peccatum non fecit, pro nobis peccatum factus eſt. 431.C.580.A 2.Cor.5.

Neminem nouimus ſecundum carnem: & ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus. 523.D

Si qua ergo in Chriſto noua creatura. 524.A

Cum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à domino, &c. 1348.C

Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. 1450.A

Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. 1578.C

Foris pugnæ, intus timores. 1486.A 2.Cor.7.

Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. 22.C 2.Cor.8.

Vt abundantia veſtra fiat. 777.A

Chriſtus pro nobis pauper factus eſt, cum diues eſſet. 1356.A

Sathanas ſe transfigurat in angelum lucis. 1169.C 2.Cor.11.

Omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. 283.A 2.Cor.12.

Paulus raptus eſt in paradiſum vſque ad tertium cœlum. 914.B. 1305.D.1307.B.C.1445.D

Placeo mihi in infirmitatibus, in iniuriis, in neceſsitatibus, in perſecutionibus. 1496.C

Sufficit tibi gratia mea. Nã virtus in infirmitate perficitur. 1846.C

Cum infirmor, tunc potens ſum. 1965.A

EX EPISTOLA AD GALATAS.

Gratia vobis & pax à deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto. 370.D Gala.1.

Viuo autem iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus. 922.D.912.D

Per legem legi mortuus ſum, vt deo viuam. 579.D

Lex pedagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. 639.D Gala.3.

Chriſtus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum. 580.A

Quoniam in lege nemo iuſtificatur. 1523.A

Miſit deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. 280.C. 579.D.1456.B Gala.4.

Quia tunc neſcientes deum ſeruiſtis iis qui natura non erant dij. 333.B.434.B.& D

Nos ergo fratres secundum Isaac promißionis filij sumus. Sed quemadmodum tunc qui secundum carnem.&c. 382.D

Dies obseruatis & menses & tempora & annos: timeo ne sine caussa laborauerim in vobis. 671.B.708.C

Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla & vnum de libera. &c. 993.C.1182.D.1382.D

Eiice ancillam & filium eius. Non enim erit.&c. 1383.B

Gala.5. *In Christo enim Iesu neque circunciſio aliquid valet neque præputium, sed noua creatura.* 524.B

State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. 546.B

Gala.6. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* 399.C.1714.C

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

Hæc summaria ac breui explanatione perstringitur pag. 537. A. *& deinceps*

Ephe.1. *In quo & credentes signati estis.* 85.A

Ephe.2. *Qui fecit vtraque vnum.* 1935.D

Consedere fecit in cœlestibus in ipso domino Iesu. 538.A

Ephe.4. *Nolite contristare spiritum sanctum dei.* 1894.D

Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui &c. 382.D

Surge qui dormis, & exurge à mortuis. 1017.C.1315.D

Ephe.5. *Quoniam sumus membra corporis Christi de carne ipsius, & de ossibus eius.* 1194.A

Sacramentum hoc magnum est.&c. 1649.C

Ephe.6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem.* 481.C

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Philip.1. *Mihi viuere Christus est & mori lucrum.* 213.D

Dissolui & esse cum Christo multo melius &c. 214.A.222.A

Qui incepit in vobis opus bonum.&c. 249.C

Non quærentes quæ sua sunt, sed aliorum. 61.A

Philip.2. *Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu.&c.* 1591.A

Qui cum in forma dei esset, non rapinam.&c. 291.B.609.D

Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.&c. 367.A.1576.C

In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. 307.C.1389.A

Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.&c. 293.A.367.A.422.B.&.1591.B

Propter quod exaltauit illum deus, & dedit illi nomen.&c. 1538.B. 1775.C

Philip.3. *Nostra conuersatio in cœlis est.* 105.D.785.D

Quæ mihi lucra fuerunt, hæc duxi propter Christum detrimenta. 1681.D

Et gloria in pudendis eorum qui terrena sapiunt. 1815.A

Philip.4. *Ego didici in quibus sum, sufficiens esse.* 49.D

Scio & humiliari scio, & abundare. 50.A

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Coloſ.1. *Ipse est imago dei inuisibilis, primogenitus vniuersæ creaturæ.* 275.A

Quoniam in ipso condita sunt omnia in cœlis & in terra. 361.D

Omnia in ipso constant. 384.C

In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. 598.A

Qui donauit nobis peccata dominus Iesus, delens chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.&c. 300.B.1194.D

Ne attaminaueritis, ne giustaueritis: quæ sunt omnia ad corruptelam ipso vsu. 1542.C.

Coloſ.3. *Nunc enim vita nostra abscondita est.&c.* 228.B

Expoliantes veterem hominem cum actibus eius, induamus nouum. 1695.D

EX EPIST. AD THESSALONICEN.

1.Theſ.4. *Nolumus autem ignorare vos fratres de dormientibus, vt non tristes sitis, sicut & cæteri qui spem non habent.* 1058.C

Quem dominus interficiet spiritu oris sui. 399.A

2.Theſſ.2.

EX I. EPISTO. AD TIMOTHEVM.

1.Timo.2. *Deus vult omnes homines saluos fieri.* 233.B.& deinceps copiosè.

Volo autem viros orare in omni loco. 1255.A.B.C

1.Timo.3. *Diaconos similiter oportet esse graues, non bilingues, non multo vino deditos.* 34.D

Oportet episcopum esse vnius vxoris virum, filios habentem subditos.&c. 663.D.1259.B.C.D.& dein.1260.C

Fidelis sermo: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 1259.B

1.Timo.5. *Quæ in deliciis est, viuens mortua est.* 228.B

Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quosdam autem.&c. 1185.B

Solus habet immortalitatem. 334.A 1.Timo.6.

Diuites sint in operibus bonis. 698.D

Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes, errauerunt à fide. 754.A

Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli. 1542.B

EX II. EPIST. AD TIMOTHEVM.

Bonum depositum custodi per spiritum sanctum, qui habitauit in nobis. 1153.A 2.Timo.1.

Scio cui credidi, & certus sum quia potens est commendatum meum seruare in illum diem. 1153.A

Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. 1513.B.& 1596.A 2.Timo.3.

Bonum certamen certaui, cursum consummaui. 9.B.& 1469.A

EX EPISTOLA AD TITVM.

Loquere quæ decent sanam doctrinam. 1015.B

Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita. 745.A.1756.D Ad Tit.1. Ad Tit.3.

Eramus enim aliquando insipientes, increduli, errantes in desideriis & voluptatibus. 1604.C

EX EPISTOLA AD PHILEMONEM.

Fositan discesſit ad horam, vt æternum illum reciperes. 227.C Ad Philemonem.

Tu autem illum vt mea viscera suscipe, quem ego volueram mecum detinere.&c. 1539.B

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Qui cum sit splendor gloriæ. 323.D Hebr.1.

Et opera manuum tuarum sunt cœli. 333.C

Nonne omnes sunt administratorij spiritus mihi in ministerium dei. 361.B

Decebat autem eum per quem omnia.&c. 5.B.304.A Hebr.2.

Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.&c. 290.C

Quia pueri communicauerunt carni & sanguini & ipse similiter participauit eisdem.&c. 305.D

Vt sine deo pro omnibus gustaret mortem. 341.C

Nunc autem nondũ videmus omnia illi esse subiecta. 346.B.347.C

Confirmata est salus nostra testificante deo signis & prodigiis, &c. 361.C

Participes enim Christi Iesu facti sumus. 1490.A Hebr.3.

Penetrabilior omni gladio ancipiti. 99.A Hebr.4.

Postera ergo die restat requies populo dei: Festinemus igitur intrare in illam requiem. 1400.D

Qui in diebus carnis suæ preces supplicationésque ad eum qui posſit illum saluum facere à morte, cum clamore velido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.&c. 1414.B Hebr.5.

Impoßibile est eos qui semel illuminati sunt.&c. 183.A.2096.C Hebr.6.

Impoßibile est deum mentiri. 589.A

Talis enim decebat vt esset nobis sacerdos.&c. 201.A Hebr.7.

Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium vitæ neque finem habens. 662.A.1234.D.& 1247.D

Hoc autem est testamentum quod testabor ad eos, dicit dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in sensibus eorum scribam eas, & peccati & iniustitiæ eorum non ero memor. Vbi ergo remißio, iam non oblatio pro peccato. 1577.D Hebr.8. & 10. Hiere. 31.

Testamentum non valet, nisi mors intercedat testatoris. 642.A Hebr.9.

In quo erat virga Aaron quæ refloruit.&c. 1246.C

Impoßibile est enim sanguine taurorum & hircorum peccata mundari. 1577.D Hebr.10.

Maius patrimonium æstimans thesauris Aegyti opprobrium Christi. 944.C Hebr.11.

Sanguinis aspertionem melius loquentem quàm Abel. 205.A Hebr.12.

Sed acceſs istis ad montem Sion.&c. 535.C.941.C

Conualescite manus remissæ & genua dissoluta. 1403.C

Adhuc ego semel terram mouebo. 1415.A

Castigat enim dominus omnem filium quem recipit. 1497.B

Christus heri & hodie, ipse & in secula. 332.D. *in fine* 431.A *in prin.*596.B Hebr.13.

Iesus extra portam passus est. 669.D

EX EPISTOLA IACOBI.

Deus superbis resistit. 1470.B Iaco.4.

EX EPISTOLA PETRI I.

Sanguine precioso redempti sumus. 302.C 1.Petri.1.

Non

Non corruptibilibus argento & auro empti estis, sed precioso sanguine. 1732.B.1379.C

1.Pet. 2. *Vos autem genus electum re.sac.&c.* 238.D

1.Petri.3. *In incorruptibilitate quieti & modesti spiritus qui est in conspectu dei locuples.* 525.C

Quarum non sit extrinsecus capillatura neque circundatio auri, sed qui absconditus est cordis homo. 525.B

1.Petri. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1562.B

EX EPISTOLA IOANNIS. I.

1.Ioan.2. *Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christũ.* 755.C.1357.B. 1594.A

Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis, &c. 1851.B

Nolite diligere mundum, neque èa quæ in mundo sunt. 2031.B

1.Ioan.3. *Scimus cum apparuerit, similes ei erimus.* 1831.C

1.Ioan.4. *Perfecta charitas foras timorem excludit.* 1492.B

Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex deo sint. 2044.B

Est peccatum ad mortem, non de illo dico vt oret quis. 175.A 1.Ioan.5.

Hi tres vnum sunt, aqua, sanguis & spiritus. 364.D

Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus aqua & sanguis. 401.D.1781.D

EX APOCALYPSI.

Apoca. 1. & 22. *Ego sum primus & nouissimus, principium & finis.* 804.D

Apoca. 3. *Scio opera tua quia neque frigidus es neque calidus, &c* 1432.D

Apoca. 5. *Agnus librum signatum aperuit, quem nullus ante aperire poterat.* 1491.C

Apoca.6. & 19. *Ioanni Euangelistæ cœlum est apertum & albus equus est demõstratus, super quem sedebat habẽs in capite diadema, & in femore suo nomen scriptum Rex regum & dominus dominantium.* 1362.A

Apoca. 8. *Væ habitantibus in terra.* 1018.A

LOCI ALIQVOT SCRIPTVRÆ QVI EXPLICANTVR in Commen. super Apocalypsin.

Gen.2. *Plantauerat Deus paradisum voluptatis.* 3046.C

Gen.3. *Lignum scientiæ boni & mali.* 3024.C

Genes.4. *Obtulit Cain de fructibus terræ munera.* 3046.D

Genes.6. *Fac tibi arcam de lignis leuigatis.* 3047.B

Genes.8. *Aperiens Noë fenestram dimisit coruum.* 3048.B

Genes.9. *Arcum meum ponam in nubibus cœli.* 3035.A

Genes.22. *Tolle filium tuum quem diligis Isaac.* 3049.A

Genes.25. *Isaac habuit duos filios.* 3050.A

Exod.2. *Cùm natus esset Moyses absconditus est.* 3053.A

Exod.23. *Non coques hædum cum lacte matris.* 3056.A

Leuit. 14. *Si quis Leprosus mundatus esset.* 3056.D

Leuit .16. *Vt offerrent caprum emissarium, &c.* 3057.B

Deute.22. *Et inueneris auem incubantem.* 3057.D

Non arabis simul in boue & asino. 3056.A

Iud.16. *Samson habuit septem crines.* 3022.A

1.Reg.17. *Pascebat seruus tuus gregem, &c.* 3059.B

3.Reg. 17. *Helias abiit in desertum.* 3060.B

Vade & lauare septies in Iordane. 3061 4.Reg.5.

Reges eos in virga ferrea. 3028.D Psal.2.

Eloquia Domini eloquia casta. 3032.D Psal.11.

Ignis in conspectu eius ardescet. 4024 Psal.49.

Sapientia ædificauit sibi domum. 3022.A Prou.9.

Et requiescet super eum spiritus Domini. 3036.A Esai.11.

Et dimisit me super montem excelsum. 4032 Ezec.40.

Et dixit me angelus mile cubitos. 4040.D Ezec.47.

Cùm immundus spiritus exierit. 3090.D Matth.12.

Dedit vni quinque talenta, alij verò. 4008.D Matth.25.

Si quis autem ædificat super fundamentum. 4034.B 1.Cor.3.

Sine intermissione orare. 3041.C 1.Thess.5.

FINIS.

TERTIVS INDEX, QVI EST VERBORVM AC RERVM MEMO-

rabilium, quæ in his D. Ambrosij operibus continentur, per F. Florentium Borgoinum Franciscanum Parisinum origine, apud Magdunium verò professum, accuratissimè collectus.

Aaron in quibus Mosi prælatus, & contra. 510.C
Aaronis admirabile facinus. 39.D 1350.D. & 614.D
Aaronis imitatores esse debemus. 662.B
Aaronis filij igne consumpti. 73.C.D
Aaronis peccatum. 510.C. & 1184.A.B
Aaronis virga. 110.D. 663.A.B. 1065.B. 1246.C
Abana fluuius. 1673.D
Abba pater. 1844.A
Abdemelech Aethiopis pium factum. 388.A
Abel quid significet. 924.C. & 925.A
Abel, iustus dictus. 903.C. 1290.A. quare occisus in campo. 948.B
Abelis oblatio. 424.B. 937.A. quare deo plus placuerit quàm munus Cain. 1119.A. 1137.D
Abies. 833.C
Abigail deprecatione mitigauit Dauidem. 14.C
Abigea acquisita in prælio. 534.B
pro Abimelech Abraham rogauit. 998.C
Abiron à terra absorptus. 662.C.D
Abiud igne cœlesti absumptus. 511.B
Ablactatio Isaac qualis fuerit. 1000.A
Abominatio desolationis. 1777.C
Abram & Abrahã quid interpretetur. 993.B
Abrahæ antiquitas. 992.A. 1026.D. laus. 16. B.C. prudentia. 17.A. præstantia. 987.A.B. virtutes. 17.C. 1688.C. hospitalitas. 52.A. 997.C. divitiæ. 1012.B. 1013.A
Abrahæ & Melchisedech dignitas. 3001.B
Abraham cùm esset senex, quomodo puer vocetur. 997.A
Abraham fragilis, vt vniuersi homines. 991.D. & dein. vanus, & electus. 993.B. eiusdem tenebræ & timor. 1023.B
Abrahã de regione Chaldæorũ vocatus. 991.D
Abraham quomodo descendit in Aegyptum. 16.B. 1010.C
Abrahã in Bethel rediisse quid significet. 1012.C
Abraham in hac terra aduena. 932.A
Abraham variè exercitus. 988.C
Abraham dei fauore vbique tutus. 16.B
Abraham quare Saram vocauerit sororem. 16.B
Abraham an in legem commiserit in consuetudine Agar. 992.A. 991.D. & dein.
Abraham circuncisionem signũ accepit. 1821.D. 1984.C
Abraham mentis loco inducitur. 1007.C
Abraham imitandus nobis proponitur. 991.D. 992.A. 1008.C. 1399.A
Abraham quare pater dictus, & quorum. 993. D. 1007.C. 1023.C. 1822.A.D. pater fidei. 1591.A. 1653.C. 1688.C. 1980.D
Abraham forma credentium. 994.C. 1980.D
Abraham deo credidit. 16.B. 991.C. 1019.D. deum vidit. 995.A. 1009.B. trinitatem in typo cognouit. 480.A
Abraham in Christum credidit. 934.A. eum vidit. 1622.C
Abraham tentatus à deo & probatus. 901.A. 1000.C. 1503.C
Abraham fidelis domino. 901.A
Abraham filiũ nõ occidit, sed deo obtulit. 99.C
Abrahæ immolatio, sequentium doctrina. 99.C. & 601.C
Abraham benedictiones tres accepit. 1003.A
Abraham quomodo accepit & possedit gratiam. 662.B. 992.A
Abraham iustus. 17.D. Eius iustificatio. 259.A. 1237.D. 1815.A. 1820.C. 1984.C
Abraham quam sobolem desiderarit. 1019.D
Abraham quibus hæreditatem detulerit. 932.A
Abrahæ filij. 237.A. 1025.C. 1182.D. 1850.A. 1980.D
Abrahæ semen, qui. 1984.A
Abrahæ successores secundum carnem, principes Sodomorum & parietes dealbati. 1646.C
Abraham Lot nepotem armis recepit. 47.D
Abraham vt se gesserit in victoria. 16.B. 271.B. 990.D
Abraham Lot nepotem fratrẽ appellabat. 1014.B. cur eum dimittere voluerit. 1015.D
Abrahæ promissio facta. 1026.B
Abraham de filij promissione risit. 994.D
Abrahæ promissionis transitus. 1981.D
Abraham apud inferos. 1828.A
in Abrahæ sinu cur requiescere dicantur iusti. 1341.C
Absalonis exemplo nihil simulatum perpetuum esse declaratur. 53.A
Absalõ filius meus, filius meus Absalõ. 1540.A
Absalon quare vocatus puer. 1567.B
Abscindere aut castrare se nemo debet. 164.D
Absentes coniuges expectandi. 858.C
Absentes contemni solent. 2079.A
Absinthij herbæ vis. 831.B
Absolutione criminum qualiter gaudẽdũ. 221.A
Absolutio improbis obest. 1570.B
Absolutio sanctorum matura est. 1592.B
Absorberi à vita quid sit. 1944.C
Abstinendum quare sit à licitis. 1899.D
Abstinentia ad paradisum reuocauit errantem. 1123.C
Abstinentia, disciplinæ castimonia. 1071.C
Abstinentia se dissoluere qui meditatus fuerit, diem passionis suæ timere non poterit. 1403.C
Abstinẽtiæ encomium. 659.B. Eius meritum necessarium est. 656.D
Abstinere à malo, disciplina est. 1165.D
Abstinere à peccato, exordium est processionis ad virtutem. 1274.D
Abstinere à peccatis quid faciat. 2034.A
Abundans pauperiorem se iudicat. 1114.D
Abundare in omni opere bono. 1956.A
Abundantiæ fructus nullus. 220.B
Abyssus lex. 1219.B
Abyssi deum non vident. 1396.D
Abyssi quomodo turbentur. 1302.B
Acceptor personarum non est deus. 1851.B
Accipere quid sit. 1963.A
Accipere verba Christi. 176.C
Accipitrum natura. 870.A
Accola quis sit. 1018.A. 1348.B
Accubitionis prima pars non occupanda. 996.C
Accusatus dominus tacet. 1788.B
Accusatorem nostrum diabolum nos ipsi apud deum præueniamus. 188.D
Acetum apibus medetur. 873.C
Aceti oblatio quid signet. 1791.C.D
Achab regis misera & insatiabilis cupiditas. 40.B. 119.C.D. 526.B. fruſtranea pœtinentia. 1119.D. 1331.B. mors. 1114.C. & 1119.C
Achab nunquam huic seculo moritur. 1106.C
Acham furtum in Hiericho. 55.A
Achimelech mori maluit q̃ amicũ prodere. 76.C
Achinaam malè fortis in fratrem. 534.A
Acholius vir sanctꝰ mira fecit. 617.B. & 618.A
Aciei dispositio. 955.A
Aconita. 831.C
Acquisitum nõ legitimè facilè dissipatur. 65.C
Actio vera gratiarum. 975.C
Actus modesti abscõdi nõ possunt. 2062.A. in fi.
Aculei timoris. 1552.D
Adã quid interpretetur. 901.C. 1007.B. 1425.D
Adam cœlestis & terrenus. 1552.C
Adam cœlestis quare dicatur Christus. 1931.C
Adam duo. 1931.B. eorum collatio. 1666.B. 1790.A
Adæ & Christi comparatio. 1666.B
Adæ & Petri comparatio. 740.D
Adam nouissimus. 1649.D
Adam solus. 598.D
Adam mandatum accepit à deo, & non Eua. 916.B
Adæ natura ante lapsum & post. 235.D
Adæ dormitio quid significet. 913.C
Adam forma mortis, causa peccati. 1943.A
Adam ante peccatum nudus. 588.C. 918.D. nec putabat se nudum esse. 983.D. sed post peccatum nuditatem suam cognouit. 699.D. & nudus remansit. 1082.E
Adam quomodo sit præuaricatus. 906.D. quorum studio. 2030.B. per Euam tentatus ac seductus. 583.D. 904.C. 918.C. 1548.D. 1168.A
Adam post peccatum foliis se texit. 588.C
Adam primus folia quærebat, secundus poma. 1740.D
Adam increpatur à deo. 920.B.C
Adæ confusio. 225.A
Adam quomodo sit eiectus de paradiso. 1445.D
Adam & Eua in vno corpore & in vno spiritu. 859.A
Adam non cognouit Euam nisi intemperantiæ prouocente. 731.B
Adam in singulis nobis est. 1214.C
Adam peccauit in omnibus. 1826.C
Adam incidit in latrones. 1725.C
Adã formauit filios consortes suæ naturæ. 437.A
Adæ vnde mors acciderit. 908.B.C. 1928.A. 1579.B
Adam non erat cum Christo quando deceptus est. 1353.D
Adam quare forma futuri dicatur. 1829.A
Adæ dilecto mortui. Ibid.B
Adam soluet legem naturalem. 638.C
Adæ peccatum posteris nocuit. 689.C
Adæ peccatum, idololatriæ affine. 1827.D
Adæ præuaricatio & Euæ mystice interpretata. 901.C
Adæ maledictio sublata. 208.A
Adama vrbs ex Sodomorum vicinia. 171.A
Adamantina natura. 1125.A
Adamantur & qui nolunt amari. 1081.C
Adeps dicitur pingue. 1175.A
de Adipibus sacrificiorum & hostiarum. 945.C
Adesse deo qui dicantur. 1551.C
Adhærens Christo perire non potest. 1703.C. in fi.
Adhærere deo bonum est. 1446.B
Adhærere pauimento quid sit. Ibid.A
Adhærere testimoniis domini quis dicatur. 1450.B
Adiectio quid sit. 1360.A

Aditum ad gratiã dei per quẽ habemus. 1824.C
Adiumentum dei. 1551.A
Adiumentum viro mulier data. 19.C
Adiumento quod datum est Adæ, lapsus occasio illi fuit. 904.C
Admonet nos deus multifariè. 559.D
Adolescentia lapsibus vicina. 155.C
Adolescentis officia. 10.C
Adolescens in ciuitate Nain resuscitatus. 477.D
Adolescentes senibus adhæreant. 30.B
Adolescentes quos imitari debeant. 51.A
Adolescentes metu magis quàm ratione à vitiis auocantur. 1089.A
Adolescentulæ rarius ad ecclesiam progrediantur. 135.D
Adolescentulæ non arcendæ à Christo. 103.C
Adolescentulæ vt sorores edocendæ. 2059.B
ἀδολεσχία quid. 1448.A.1513.A
Adoptio filiorum. 550.A
Adoptati quomodo simus. 1984.D
Adorans patrem, adorat & filium. 1849.D
Adorare deum quomodo intelligatur. 336.B
Adorare deum in spiritu & veritate. 402.C & 1804.A
Adorare lignum, gentilis error est. 498.C
Adoratores veri. 402.A
Adoratio Iacob septies in terra, quæ fuerit. 1067.A
Adoratio trinitatis. 403.D
Aduena qui sit. 1348.B.1442.A
Aduentus Christi prophetatus. 1461.B.1531.B petitus & desideratus. 1563.B. non superuacuus. 1576.C. salutaris. 1802.B. quibusdam est morti. 1054.D
Aduentus domini signa. 1740.D.1780.D. testimonium. 1564.B.1628.C
Aduentus domini duplex. 1928.C. Primus quare fuerit. 1777.D. Secundus quando & quare futurus. 1776.B.1777.D.2046.D. cur nocti comparetur. 720.D
Aduersa exploranda. 27.C. patienter ferenda ac superanda. 27.C.D.1186.D.1469.C.1571.A
Aduersa quæ nobis contingunt, pro precio nostri erroris excipimus. 1211.B
Aduersis oppressi, magis ad deum confugere, & eum orare debemus. 946.D.1475.D.1497.A 1585.C
Aduersitatibus præsentibus vita beata non minuitur, sed magis augetur. 40.B.1056.D
Aduersarius noster. 1328.B.1738.C.D
Aduersarius quomodo nos exploret. 3.B
Aduersarij quomodo vincantur. 785.B
Aduersus diabolum quo vtendum est. 1580.D
Aduersus spiritalia quõ repugnandũ. 2011.B.C
Adulationes non attendendæ. 30.A
Adulterare quid sit. 1941.B
Adulterantes verbum dei. 1513.B
Adulter in matrimonio. 660.A
Adulter lucem erubescit. 948.B
Adulter religionis. 744.C
Adulteri spirituales. 1754.D
Adulterorũ filij in consummatione erũt. 1412.B
Adulteri deum non latent. 989.A
Adultera quæ sit. 584.B
Adultera omnis Christum nõ potest habere præsentem. 1201.B
Adulteræ tela quæ sint. 1081.C
Adulteram non habet quod vereatur. Ibid. D
Adultera Christo præsentata. 396.B.616.D. 646.A.B
Adulterium propriè. 992.C.D.999.A
Adulteriũ ante Moysen nondũ interdictũ fuisse videtur. 992.A. sed nec in paradiso. Ibid.
Adulterium est graue, & naturæ iniuria. 859.A 998.B
Adulterium pisces nesciunt. 856.A
Adulterium cordis & corporis. 649.D
Adulterium non omne damnandum. 1210.B
Adulterium non solum vitandum ipsum, sed etiam eius concupiscentia. 1515.B
Adulterium in diuinis nõ audet Ambrosius nominare. 1210.B
Adulterium quomodo committatur. 36.B.999 B.1384.D
Adulterij crimen etiam barbari cauent. 989.A 992.B.C
Adulterij & homicidij Dauidis occasio. 1199.D. & deinceps.
Adulterij excusandi, prætextus. 919.B
Adulterij Abrahæ excusatio. 991.D. & dein. & 992.A
Adulterij punitio. 999.A.1425.D
Adulteria decorum quidam venerantur. 165.D
Adulteria naturæ vera. 856.A
Adulteria rebuspublicis semper damno fuerunt. 102.D. in fi.
Adulterinus sermo iuuenculæ. 178.D
Adulterino corpori non commiscendum. 992.C
Aduocatus noster Christus. 1357.B.1594.A
Aedificare domum suam cum iustitia. 531.B
Aedificationis via sequenda. 1872.A
Aedificatur quomodo quis. 1922.A in fi.
Aegyptus venena multa habet. 1723.B
Aegyptus quid sonet. 487.D.1016.B
Aegyptus nostra. 1010.C
Aegyptus quomodo onerabatur. 1328.C
Aegyptus pro nilo ponitur. 1026.C
Aegypti rex, dux vitiorum. 998.C
Aegypti vitia. 988.C.& 989.A
In Aegyptum descendere. 516.C
ex Aegypto exeundum est. 1452.A
Aegyptius quæ refugit. 512.C
Aegyptij Apin adorant. 1808.A
Aegyptij quare pastores abominentur. 512.C
Aegyptiaci dies. 671.C
Aegytiorũ sacerdotes circuncidi oportuit. 647.D
Aegyptij animo & corpore interierunt. 1451.A
Aegyptij Geometriæ operam impendunt. 647.D
Aegyptij nullam veniam sunt adepti. 922.C
Aegyptiorum vestis. 1024.B
In Aegyptiis confidere. 588.D
Aemulari quid sit. 1296.C
Aemulari debemus quæ bona sunt. 1173.D. in fi.
Aemulari dominum Iesum. 1912.A
Aemulatio in bonam & malam partem. 1296.C
Aemulatio & subæmulatio differunt. 1298.A
Aemulatio virtutis & offensionis. 1297.D
Aemuli legis & gratiæ differunt. 1681.B
Aeneam curauit Petrus. 302.A
Aenigmata pphetarũ mors Christi soluit. 1383.C
Aeones Valentinianorum. 562.C
Aequalitas in diuinis psonis. 137.C.D. 2000.C
Aequor vnde dicatur. 824.A.B
Aër, corpus est mundi. 808.D
Aër græcè, ver dicitur latinè. 977.A
Aërus huius spiritus, auctor & causa gignantiũ. 1020.B
Aëris variatio. 1022.B
Aegritudo mundi. 1776.C.D
Aes effunditur. 1772.A
Aera duo. 645.B
Aera trecentorum quid declarant. 1702.A
Aerarij Ambrosij pauperes sunt. 581.B
Aerugo quid significet. 374.D
Aerugo animi quid sit. 1624.C
Aesculapij barba aurea detrahitur. 91.D
Aesculapius fulminatus. 94.A
Aestas post Christi aduentum. 1466.A
Aestas quando nobis est. 847.D
Aetas naturæ est: non contra. 1635.B
Aetas perfecta. 492.D
Aetas non tam annorum quàm morũ consideranda. 1539.D
Aetas non præfertur ætati. 1762.D
Aetas omnis peccato obnoxia. 1029.B. & sacramento idonea. 1029.C
Aetas, debilitas, & verecundia largiendo pauperibus considerandæ. 22.D
Aetas resurgentium. 489.A
Aetates hominis quatuor. 1025.A. septem secundum Hippocratem. 596.C. decem secundum Solonem. Ibid. D
Aetates quædam sunt meritorum. 748.A
Aeterna temporalibus sunt contraria. 228.A
Aether qui sit, & vnde. 1022.B
Aethiopia quid interpretetur. 903.A
Aethiopis color quid significet. 76.C.986.B
Aetij hæresis. 274.D
A facie sua quomodo proiiciat deus. 1195.B
Affabilitas sermonis. 50.D
Affectus auctor est culpæ. 1053.D
Affectus hominis cautus esse debet. 1352.A
Affectº corporalis cõditio Christũ offendit. 1735.C
Affectus humani consuetudo. 646.D
Affectus etiã humanos induit Christº. 1413.B.C
Affectus necessitudine fertur. 517.D
Affectus noster est parandus. 1485.D
Affectus parentum in filios. 336.C.D
Affectus puritatẽ quærit dominus. 1718.C. in fi.
Affectus quid sit in crimine. 1689.B
Affectº sui potestatẽ solus habet Christº. 1391.D
Affectuum omniũ cãpita sunt delectatio & dolor. 1052.B.C
Affectus varij singulorum. 165.A
Affigere cruci quid sit. 2030.A
Afflicti vt se consolentur. 1537.A
Afflictionis genus diuersum. 1567.B
Afflictiones forti viro coronæ sunt, inualido infirmitates. 1010.D
Afflictionum vtilitas. 1280.A. & dein. remedium. 1521.D
Afflictionis locus quis sit. 1388.B
Africanus. 570.A
Agabus propheta. 1919.C. eius filiæ. 2002.C
Agag peccare fecit Saul. 1449.D
Agar quid interpretetur aut obumbret. 772.D 932.A.1027.A.B.1987.A
Agere in pace. 1970.B
Ager quis sit. 1759.D. in fine. 1683.C
Ager beatorum. 1062.B.C
Ager Ecclesiæ. 102.D
Ager figuli precio sanguinis Christi comparatur. 745.C. qui sit. 1787.D
Ager stercorandus. 182.C
Agri pleni species. 830.D
Ager plenus qui sit. 1062.B.C
Agri emendi cautio. 1528.D
Agri seges. 1683.C
Agri spicæ. Ibidem.
Agrum paternum pro vili vsu alienare turpe est. 1108.B.C
Agri quo tempore colantur. 967.A
Aggæus quid interpretetur. 531.C
Agitator & ascensor equorũ mysticus. 1118.A.B
Agnetis fortitudo. 29.C. martyriũ ac passio. 79. B.C. & dein. & 789.B. & dein.
Agnoscere perfecti est. 1503.D
Agnus Christi passionem representans. 1378.A
Agnus non coquendus in lacte matris. 141.A

Agnus paschalis. 1523.B.
Agnus sine macula Christus est. 1351.D
Agnus ad vesperam occiditur. 1397.D.1488.B
Agni vt pinguescant. 947.B
Agnorum pascua. Ibidem.
Agniculorum natura. 882.D
Agon hominis Christiani. 1136.A.B C
Agon loci nomen. 636.A
Agonum & vitæ humanæ comparatio. 9.D
Agricola martyr. 115.D
Agricola cur sit dictus. 116.C
Agricola bonus quid habeat. 982.B
Agricolæ boni exemplum sequendum. 95.A.B
Agricola, omnipotens pater. 1773.A
Agricolæ superni prima plantatio. 235.A
ἄιδης, infernus. 224.D
Ain quid interpretetur. 1553.C
ἄϊδησις. 901.C.914.A.1020.D
ἄιτιον, ὕλη, ἀποτέλεσμα. 621.D
αἴξ quare dicta sit capra. 1020.B
ἀκτινώδης ecclesia. 1218 D
ἀλάλαγμα quid sit. 1378.C.in fine.
Alæ charitatis. 1584.D
Alæ ignis in flamma. 1049.A
Alcyon auis maritima. 865.A
Aleæ lex inuiolabilis. 1146.C
Aleph quid interpretetur. 1421.D
Alexander & Demas collegæ. 2072.C
Alexandri Macedonis puer miræ constantiæ inter sacrificandum. 94.C
Alexandrina ecclesia quotannis multas virgines consecrauit. 103.A
Alia substantia est dei, & alia creaturæ. 310.B
Alienigenæ qui dicebantur. 1149.B
Aliena vel superflua audienda nõ sunt. 1608.A
Alienis erroribus ac lapsibus improbi delectantur. 983.D
Alienis malis gaudendum non est. 1861.A
Alimentum gratiæ cœlestis quibus impartitur. 1707.D
Alimenta non damnentur. 1759.A
Alimenta vitæ firmissima. 772.D
Aliquem inuenire qualem non velimus. 1968.B
Aliter bonus est deus, & aliter homo. 60.D
Aliud est agnoscere, & aliud credere. 1503.D
Aliud est dignum se præmio dicere, aliud indignum iniuria. 1555.B
Aliud Ennon, aliud Ain. 1557.C
Aliud est operatorem esse terræ, aliud agricolam. 982.B
Aliud est quod figuratum est, & aliud quod factum. 1500.B
Aliud sumus nos, alia nostra, alia quæ circa nos. 886.D
Alia sunt quæ fugiuntur, & alia quæ contemnuntur. 49.D
Alius fit homo per pœnitentiam. 193.B
Allegoria quid sit. 993.C.1182.D
Allegoria in numero Græco τ ι η. 990.C
Allegoriæ scripturarum. 535.A
Allegorica diluuij & arcæ interpretatio. 966.C
Alleluia, laus dei. 1421.C
Allio delectantur homines, molestantur leopardi. 883.B
Allophyli qui dicantur. 20.C
Alloquium dei ignitum. 1574.B
Alloquia dei quomodo congreganda. 1469.D
Almonis flumen. 573.B
Alta sapere. 1866.A
Altare quid sit. 1250.D.1908.A
Altare mirabile. 1441.B
Altaris ministri quales esse debeant. 34.D
Alteri se facilè credere nemo debet. 904.C
Altitudo scientiæ & sapientiæ dei. 1395.B. 1863.A
Amalech quid interpretetur. 804.C. semen eius. Ibidem.D
Amaon socius Cleophæ. 689 B
Aman suæ ebrietatis pœna exoluit. 1126.D
Amara prosunt corporibus. 1128.D
Amara inferuntur vt corrigant. 1495.B
Amamus bene aliquid. 1533.A
Amare quid sit. 233.D
Amare parentes filij tenentur. 1548 D
Amazones mulieres. 2033.D
Ambiguitas in fide nostra non est. 2003.D
Ambitio quid destruat. 683.C
Ambitio quàm fallax. 1670.C
Ambitiosi habent mercedem præsentium. 38.B
Ambrosia Eusebij filia. 129.D
Ambrosius vasa sacra confregit vt captiuos redimeret. 56.A
Ambrosius cum scriberet libros de virginibus, nondum triennium sacerdotio præfuerat. 92.B
Ambrosij & Ticinensis episcopi exemplum. 58.A
Ambrosius raptus de tribunalibus ad episcopi munus. 1.C
Ambrosius præterit quæ apertis scripturis non dicerit. 826.A
Ambrosius aliis ecclesijs prædicat. 720.C
Ambrosius commentarios in Esaiam edidit. 1642.D
Ambrosij iudicium in diiudicandis moribus aliorum. 11.C
Ambrosij insignis constantia. 576.D. & inde. 583.A. & deinde.
Ambrosij tempore episcopi eleemosynarij erant. 47.A
Ambrosium populus comitatur in basilicam. 580.C
Ambrosij deprecatio deuota ad Christum. 128. C.D.875.D
Ambrosij deprecatio super virginem velandam. 142.A.B. & deinde.
Ambrosij humilitas. 1.B modestia. 664.B. 1380.D
Ambulandum est in die. 1529.A
Ambulandum quantum nobis sit vt veniamus ad Christum. 1455.D
Ambulandum est secundum voluntatem Dei. 1446.C
Ambulandum quomodo nobis sit. 1452.C
Ambulare in Christo. 1345.B
Ambulare ad vesperam. 919.C.D
Ambulare in luce. 104.A
Ambulare in via qui dicantur. 1423 C
Ambulare in vtero suo. 921.C
Ambulare secundum carnem, peccatũ est. 1321.C
Ambulare spiritu quid sit. 1989.C
Ambulatio honesta sit. 11.D
Ambulatio Dei. 919.C
Amen quid sit. 317.B.1249.B.1364.D
Amicior nobis quis sit. 1727.C
Amicitia Herodis & Pilati. 1788.D
Amicitia Ionathæ & Abimelech. 76.C
Amicitia nescit superbiam. 77.A
Amicitia vera. 76.C. non vera. 77.D
De moderamine amicitiæ conseruandæ. 76.C
Amicitia probabilis quæ. Ibid.
Amicitiæ forma sequenda. 77.D
Amicitiæ fructus. 77.B
Amicitia nil pulchrius aut preciosius. 77.B.D
Amicus qui sit. 1461.A
Amicus alter ego. 392.D
Amicus amoris consors, &c. 77.C
Amicus deo qui sit. 1008.C
Amicus in aduersis probatur. 77.A
Amicus quidam ab Ambrosio cur in clerum non receptus, & alius ex eo delectus. 11.C
Amicus verus nil occultat. 77.D
Amici Iob reges fuerunt. 6.D. & illis quid amicitia Iob profuerit. 78.B
Amicos quomodo facimus de Mammona. 1752.C.D
Aminadab quid interpretatur. 1047.A.1435.A.1566.C. Christum præfigurat. 110.A
Amœnitatis deceptio. 990.B
Amor amore superatur. 257.C
Amor crucis Christi. 1992.B
Amor amore superatur. 257.C
Amor habet plagas suas. 783.B
Amor mundi. 1992.B
Amor non minus quàm duorum est. 897.B
Amor verus constantia probatur. 598.C
Amoris aculei quo compungant. 188.D
Amoris pedicis quomodo nos explicemus. 178.B
Amoris titillatio. 468.A
Amorræorum disputatio. 1369.D
Amphoram aquæ portare. 1781.C
Amphibia quæ. 854.C
Amplexus piæ mentis. 1845.B
Ampotis. 850.C
Amygdalus amara quomodo dulcescat. 836.C
Anaboladium quid representet. 1098.B
Ananias fraude mortuus est & sacrilegio. 69.D.699.A
Ananias fuit pauper. 192.A
Ananiæ auaritia detestanda. 753.D
Ananias & Saphira quare subitò extincti. 1571.C
Ancilla Petrum male introduxit. 740.C
Ancilla quare seruos pepererit. 1027.D
Ancillæ dominis suis humiliandæ sunt. 993.A
Ancillarum adulterarum fastus. 992.D
Ancillas suas permittebant viris suis vxores bonæ steriles. 992.C
Ancillis suis viri ne commisceantur. 761.A
Ancoræ & fidei comparatio. 2099.
Angelus hominis custos. 1347.A
Angelus sathanæ Paulo adhibitus. 1443.B
Angelus mittitur ad virginem. 154.B
Angelus quomodo visus in templo. 1626.D
Angeli quare in vestibus apparuerint. 700.A in prin
Angeli custodes. 109.D. cœlestes humani generis tutores. 1642.A
Angeli Episcopos significant. 1914.A
Angeli appellantur sancti. 2004.A
Angeli etiam mali sunt. 1892.C
Angeli non omnes boni in cœlo. 831.C
Angeli in figura hominum sæpe visi. 421.C
Angeli substantiam non mutant. Ibidem.
Angeli, istius mundi flores. 1734.A
Angeli dei nuncij. 1982.D
Angeli ad ministerium facti. 1500.A
Angeli sine Zelo nihil sunt. 1572.D
Angeli ministri, filius hæres. 2081.B
Angeli & ministri quomodo differãt. 2082.A
Angeli pro quibus militant. 85.B
Angeli sectatores omnium sunt. 1424.A.B
Angeli quare ceciderint de cœlo. 85.C
Angeli excidiorum & pœnarũ ministri. 549.C
Angeli cæcitate percutiunt. 998.A
Angeli quare non moriuntur. 301.A.1483.C
Angeli quomodo à nobis iudicantur. 1896.C
Angeli quomodo assistant Deo. 309.C.D
Angeli reprobi. 261.C
Angelorum lætitia de virginibus. 89.A
Angelorum officium siue ministerium. 1500.A

Angelo-

Angelorum verba, domini mãdata sunt. 100.D
Angelorum typus. 899.D
Angelis similes erunt homines in resurrectione. 1734.B
Angelos fecit castitas. 86.B
Angelos quare filios dei vocet scriptura. 956.B
Angelos suos mittit deus ad defensionem electorum suorum. 1424.A
Angustiæ quæ sint. 1811.C
Ani vsus. 894.D
Anicia virgo. 675.B
Anima quæ sit. 897.A.1033.C. an sit cœlestis substantia. 548.B
Anima, vita. 224.A
Anima carnis, sanguis est. 979.A
Anima secũdum sui naturã optima est. 1033.D
Anima euangelica. 545.D
Anima Iudæa. 117.A
Anima sexum non habet. 110.A
Anima vna in homine, & non duæ. 535.A
Anima διμερὴς est. 988.A
Anima nostra in duo diuiditur. 1007.D
Anima diuisionem suarum patitur portionum. 1021.D
Anima vna multas cogitationes habet. 1435.A
Anima nostra ad imaginem dei est. 887.A imaginem trinitatis habet. 896.B. tres habet dignitates. Ibid.
Anima pulchrè ab Ezechiele descripta. 112.C
Anima spiritus, vita carnalis, & spiritualis. 2091.C
Anima & sanguis differunt. 979.A
Anima & spiritus, duo. 1745.C
Anima in corpore tanquam in fidibus musicus. 220.C
Anima in tranquillitate posita. 2062.A
Anima morientis paulatim se explicat vinculis corporis. 213.C
Anima corpore soluta, adhuc futuri iudicij ambiguo suspenditur. 942.C
Anima immortalis est & incorruptibilis. 223.A.D. & dein. 290.A.468.D.485.A.950.D 951.A.1284.C.D
Anima etiam moritur. 223.D.301.A
Anima carni compatitur, & contra. 200.B 1413.D
Anima nomine hominis nuncupatur. 888.A pro toto homine ponitur. 896.D.1033.B. 1843.A
Anima hortus dicitur. 218.B. templum dei. 1010.A. currus dei. 1021.C. 1435.B. ciuitas. 1040.A. quibus muris muniatur. 217.D
Anima qualis sit ante baptismum. 1193.C
Anima auari. 219.D
Anima Christiana continens esse debet. 682.D
Anima Christum cogitans. 1582.C. concipiens. 543.A. pariens. 101.A
Anima spiritualiter parit Christum. Ibid.
Anima currus, equus, caro, agitator, vigor mentis. 1118.A
Anima deum receptura qualis esse debeat. 1043.C
Anima impiorum tanquam sepulta. 949.D
Anima iusti. 219.D. sponsa verbi. 1462.C
Anima iniusti non clamat nec viuens. 1580.D
Anima per paradisum figurata. 901.D
Anima perfecta quid auersetur. 1033.D
Anima quorum bonorum sit contentrix. 1035.C quibus figuretur. 1396.B. quomodo fornicetur. 1179.B. quando humilietur. 1469.D. in quo exultet. 1035.D. quomodo pallio nudetur. 1044.B. quomodo pingatur. 217.D. 886.D. quibus indumentis ornanda. 704.C quomodo pingueſcat. 659.D. quibus renouetur. 1943.D. quomodo à corpore vincatur. 1675.D. quomodo viuificetur. 1447.A. vbi viuat. 1609.A. vt alatur verbo dei. 1469.D
Anima templum dei appellatur. 1010.A
Anima timens deum quid faciat. 1541.A
Anima nostra deo semper cõmendanda. 224.B
Anima non in carne. 1167.A
Anima peccat in carnem. 1898.D
Anima quomodo caro fiat. 1894.C. ne fiat caro. 1446.D
Anima lapsui obnoxia. 915.B. & passionibus. 1783.C
Anima quare cum corpore non moriatur. 223.A
Anima carnem præcedit in voluptate. 148.B
Anima figurate pro terra. 1013.C
Anima purgatur velut aurum. 1049.B. in fi.
Anima corpus agit. 1675.D
Anima in corpore vbique tota viget. 896.B
Anima habet suos volatus. 111.D
Animæ substantia est diuinus spiritus. 978.D. in fine.
Animæ quare corporibus coniungantur. 548.D
Animæ ex nullo homine generantur. 956.B
Animæ nostræ cognati. 1007.C. in fi.
Animæ pax. 543.A
Animæ clarificatio. 956.D
Animæ desideria. 528.C
Animæ & musices venusta comparatio. 220.C
Animæ locus mundandus. 1020.A
Animæ motus. 112.C
Animæ in corpore affectiones tres. 1736.C
Animæ fœcunditas. 1045.C. sterilitas. Ibid.D.
Animæ partus. 939.C
Animæ venter. 621.B
Animæ os & membra. 1564.D
Animæ amictus sapientia. 1566.A
Animæ operimenta. 983.A
Animæ equi. 1046.D
Animæ magnitudo & paruitas. 1618.A
Animæ gibbus. 692.D
Animæ passionis noxiæ. 978.A
Animæ ægritudines. 1045.D
Animæ cogitatio in crimine. 1808.B
Animæ in perfectionem prudens cogitat. 1027.D
Animæ ætates quædam. 1467.A.939.C
Animæ affectiones quatuor. 112.C. tres. 1736.C
Animæ conuersione nihil deo gratius. 1380.A
Animæ fuga. 1034.A
Animæ humanæ pulchritudo. 885.D.1566.A
Animæ illusiones non sunt metuendæ. 1330.A.B
Animæ iustitia. 1026.C
Animæ maculæ quomodo ablue idæ. 705.C
Animæ mors quæ sit. 1720.D.223.D.980.B. & .D
Animæ motus, velut equi, quatuor. 1021.C
Animæ natura preciosa. 1285.A
Animæ nudatio. 983.B
Animæ rationale cognatos habet sensus irrationabiles. 1014.C
Animæ sanitas. 970.B
Animæ sitis. 1217.A
Animæ sponsus qui sit. 218.C
Animæ substantia. 978.D.1469.D
Animæ viscera quæ sint. 1195.A
Animæ vita, dei alloquium. 1469.D
Animam exire in verbo domini. 109.A
Animam pauci curant. 956.B
Animam perdere. 2019.C
Animam Christus suscepit. 432.C. & 1210.B
Animam ignem esse quidam voluerunt. 978.D
de Anima philosophorum sententia varia. 485.A.548.B.978.D
Animæ non norunt cõiugiorum corporalium fœdera. 1042.D
Animæ ponuntur pro hominibus. 1357.C
Animæ pro manibus. Ibidem.
Animæ quomodo exerceantur. 1044.A
Animarum damnatarum passio quare reticeatur. 225.D
Animarum domini. 520.C
Animarum genus virtutes sunt. 956.D
Animarum habitacula promptuaria. 224.D
Animarum iustarum lætitia, septenario ordine digesta. 225.A
Animarum requies. 223.A
Animas dicere in ferarum corpora conuersas, ridiculum est. 485.A
Animas quasdam natura esse malas quidam asserunt. 2069.C
Animal mutum cùm videtur prodest, ac nocet. 1502.B.C
Animalia commercium viuendi quærũt. 1108.B
Animalia adulterina. 856.A
Animalia immunda à sacrificio separata. 942.A
Animalia muta redimiculis gaudent. 1436.B
Animalia omnia hominem reformidant. 593.C hominis voci obediunt. 594.A. homini seruiunt. 884.A. propter hominem generata sunt. 962.A
Animalia peccandi sensum non habentia, cur diluuij pœnæ subiecta fuerint. 961.C.D
Animalia quatuor descripta. 112.C
Animantia omnia socialia sunt. 1108.B
Animantia quæ reputant coitum non esse repetendum post conceptionem. 1581.D
Animantium tria sunt genera. 864.D
Animus aut sanctificat aut polluit corpus. 1904.A. in fine.
Animus non defigendus ad secularia. 1487.B
Animus noster, culpæ auctor est. 179.A
Animus noster, seuerus iudex. 603.C
Animus quatenus relaxandus. 13.B
Animus sancti in omni bono est. 1952.A
Animus secundis rebus rarò bene vtitur. 636.A 1497.A
Animus ex motu corporis cognoscitur. 11.C
Animi motus si non euelli, at ratione comprimi decet. 13.D
Animus quando virtutem capiat. 265.D
Animus cognitione rerum alitur. 1738.B
Animus hominis vitiis obnubilatur. 1211.C
Animus sit præmunitus ad pericula. 1198.D
Animos degeneres vita arguit. 46.B
Animus plus quàm census in beneficio reddendo operatur. 24.A
Animi excellentia in duobus consistit. 27.C
Animum vincere, non est facile. 1402.C
Anna vidua. 655.B
Anna ieiunio fœcundata. 1124.D
Anna prophetissa, viduarum exemplum. 156.D
Anna quomodo Christum agnouerit. 659.D
Annus cùm finitur, incipit, & contra. 976.D
Annus dominicæ benignitatis. 140.C
Annus solstitialis. 848.D
Annus vnus. 475.A
Anni principium quando sit. 970.C
Anni centũ viginti temporũ plenitudo. 1452.C
Anni tres famis. 1155.D
Anni tres quid significent. 1629.B
Annorum defectum, morum perfectio frequens supplet. 1539.D
Anserum natura. 866.A
Ante luciferum, id est, ante omnium luminum claritatem. 1203.C

Ante mortem nemo laudandus. 222.B.1274.B
Antelucanos potatores arguit. 1131.D
Antequàm loquamur, multa sunt consideranda. 5.D
Antequàm nascimur maculamur. 1192.C
ἄνθρωπος *vnde dicatur homo græce.* 888.A
Antichristi tres. 1777.C.D.& 1778.A
Antichristi qui. 1777.C.D
Antichristus ascendit ex abyssо. 1396.D
Antichristus diabolus. 1777.D
Antichristus in nomine suo venturus est. 371.D & 2046.D
Antichristus futurus est in tribu Dan. 1100.A 1361.D. *ex circuncisione aut circuncisus venturus est.* 2046.D & *quando venturus. ibid.*
Antichristus, hora tenebrarum est. 1760.C
Antichristus quomodo fugabitur. 721.A
Antichristi dies. 1368.D. *potentia.* 1328.D. *regnum.* 721.A. *signa.* 1221.B
Antichristo non est credendum. 1368.D
Antidotum bonum est etiamsi, &c. 1055.A
Antiochenæ cuiusdam virginis historia. 89.C
Antiochi crudelitas in Iudæos. 1071.C
Antiochus 48. milia pugnatorum perdidit. 28.C.D
Antipelargosis quæ dicatur. 868.D
Antiqui per fidem sine lege vixerunt. 1657.A
Antiquitas robur est nouitatis. 2071.B
Antrum vnde dictum. 812.A
Anulus Ioseph digito insertus quid significet. 1085.C
Anulus quid sit. 1751.A
Anulum dare in manu. 184.D
Anulum habere, quid sit. 1751.B
Anysius episcopus. 618.C
Apellis tres quæstiones ab Ambrosio solutæ. 905.D
Apeme concubina regis Darij. 518.C
Apis operaria bona. 872.C
Apis industria, & natura. 111.D
Apes superfuso oleo pereunt, & aceto reuiuiscunt. 873.C
Apes reip. formam habent. 871.C. *in anno gemi nos creant fœtus.* 872.D
Apum industria, virginitas, communis partus, &c. 871.C.D.& *dein.*
Apiculæ imitatrix virgo. 84.A
Ἀφὴ *quid.* 958.B
Apin Aegyptij colebant. 1808.B
Apollinare virus. 608.D
Apollinaristarum error. 1931.B
Apollo eruditio in sac. lit. 1876.D.2077.B
Apollo impubes. 92.A
Apollo Pythius Mose posterior. 1430.B
Apollonius magus. 490.C
Apostata vnde dictus. 1551.D
Apostatæ qui habeantur. 1854.A
Apostolus quid. 1880.A.2087.B
Apostolus naturalibus vtitur verbis. 201.A
Apostolus aliquando eget prophetis. 1919.C
Apostolus Paulus interpres Christi. 1392.B
Apostolus nihil agebat sine spiritu dei. 1937.B
Apostoli nomen quare aliquando subticeatur à Paulo in epistolis suis. 2012.D
in Apostolo dominus locutus est. 239.C
Apostoli veri qui. 1.B
Apostoli gratiam habuerunt maiorem quàm prophetæ. 1028.C
Apostoli Christi vicarij. 1889.A.1946.D
Apostoli os Christi, vt & prophetæ. 189.D
Apostoli de prælatione certabant. 337.A
Apostoli dei adiutores. 1889.A
Apostoli dicuntur sal. 787.A
Apostoli episcopi sunt. 2002.C
Apostoli falsi taxantur. 1925.B.C
Apostoli in persecutionibus gaudentes. 1514.A
Apostoli nobis sunt magistri. 1913.B
pro nobis laborauerunt. 114.B.C
Apostoli non derelicti. 1426.D
Apostoli quare nudis pedibus missi. 1566.C
Apostoli qui columnæ appellati. 1978.A
Apostoli qui vxores habuerunt. 1960.A
Apostoli quibus rebus orbem exuerunt. 279.C
Apostoli quomodo dicantur fontes. 716.B
quomodo pueri. 2086.A
Apostoli quomodo memores erant pauperum. 1954.B
Apostoli quomodo per totum orbem prædicantes errare potuerint. 1399.C
Apostoli repleti sunt spiritu sancto. 261.B
Apostoli sunt Israelitæ. 1026.D
Apostoli supra mundum erant. 112.B
Apostoli tres ducti in monte quid significent. 1716.C
Apostolorum æmuli. 2038.A
Apostolorum dispersio. 1378.C
Apostolorum erga Christum quàm tener affectus. 1763.C
Apostolorum fides prædicanda. 711.B
Apostolorum murmur de vnguento Magdalenæ in Christum effuso. 1356.A
Apostolorum vas est fictile. 1132.A
Apostolos quare Christus destinauerit sine calceamento, auro & argento. 203.C
Ἀποτέλεσμα. 622.A
Apparere quis dicatur. 1626.D
Appellationem pœnori scriptura deputat. 813.C
Appellationes membrorum pudendorum, indecoræ. 12.C
Appetitus & cogitationis diuersa munera. 15.A
Appetitum rationi cedere cõuenit. 15.D.& *dein. de hominis apprehensione.* 904.B
Appropinquare lumini quid. 223.D
Appropinquare quid sit. 1605.C
Aqua quid sit. 1756.B
Aqua aliena. 1507.D
Aqua amara lex vetus est. 715.A
Aqua bona. 1507.C
Aqua contradictionis. 1394.D
Aqua sacramentum Christi. 1781.C
Aqua sine prædicatione dominicæ crucis ad salutem non facit. 1231.A
Aqua non mundat sine spiritu. *ibid.C. in fine*
Aqua abluit peccata. 184.A
Aqua Christus. 724.B
Aqua nutrit aureum vellus. 863.C
Aqua cœlestium secretorum. 1206.C
Aqua pondere distat. 838.B
Aqua varios sapores recipit. *Ibidem.*
Aqua dicitur spiritualis. 1910.A
Aqua in vinum mutata quid repræsentet. 710.C
Aqua ligno temperata est. 715.A
Aqua, misericordiæ comparatur. 722.D.& 723.A
Aqua multa diuersarum est passionum. 1602.A.B
Aqua, omnium virgultorum nutrix. 838.A
Aqua quomodo salutaris sit. 1231.A
Aqua quæ sanat. 1239.B
Aqua quam mittimus in peluim animæ nostræ. 357.B
Aqua quare admisceatur vino ĩ calice. 1250.A.B
Aqua sancta. 1781.C.D
Aqua refectio animæ. 1756.B
Aqua stativa citò vermes facit. 1115.B
Aqua Synagogæ fœtida est. 772.D
Aqua viuificat & extinguit. 724.B
Aquæ gratia. 1244.B
Aquæ & spiritus munera distant. 364.D
Aquam periculis quæsitam Dauid noluit bibere. 1187.C
Aquam biberunt patres. 659.C
per Aquam Naaman Syrus mundatur. 184.A
Aquæ variæ species. 838.B
Aquæ super cœlos. 816.D
Aquarum obedientia. 854.A.B
Aquæ varia mutatio. 837.D
Aquam quare Christus à Samaritana postularit. 723.A. *in Aqua seminare, quid.* 1135.A
Aquæ bonæ quæ sint. 1396.C
Aqua conuersa in sanguinem. 72.A
Aquæ se diuidentes. 1248.C
Aquarum abundantia vbi Christus. 1558.A
Aquarum natura. 823.D
Aquarum vna congregatio. 825.C
Aquila socius laboris Pauli. 1876.D
Aquila bona. 1247.B
Aquila Christum significat. 1226.A
Aquila quomodo renouatur. 183.B.748.D
Eius membra senectutem non sentiunt. 748.D
Aquilæ vnius renouãda nobis iuuentus. 749.A
Aquilæ mysticæ. 1762.C
Aquilarum natura ac proprietas. 2748.D.870.A.1226.B.1430.D.& *dein.* 1762.C
Aquilo grauis ventus. 1520.C
Aquilonis intelligibilis mala. 1401.C
Aranæ natura. 1348.A
Aranæ telam texere. 846.D
Arbiter quõ Christus sit. 1982.D. & 1983.A
Arbitrium operante spiritu iuuatur. 681.A
Arbor bona. 2058.D
Arbor pomifera quæ dicatur. 1251.B
Arborum laus. 833.C. *varietas.* 835.B.C
Arborum fructus vt prouenient. 1025.B
Arborum ortus. 833.C
Arboribus homines comparati. 1646.D
Arca fœderis. 958.C
Arca Noë, vel corporis nostri, vel ecclesiæ figura est. 12.B.258.C.895.A.967.D
Arca testamenti, caro Christi. 3006.B
Arca Noë quare claudenda erat. 967.C.D
Arcæ ostium quinque sensus corporis repræsentat. 971.A
Arca testamenti à Leuitis operta. 35.C
Arcanorum reuelationis vitium quadripartitũ. 1433.B
Architectus negligens repellendus. 1432.B
Architectus sapiens quis sit. 1889.A
Archytæ Tarentini dictum. 14.C
Arcus instrumentum iaculandæ sagittæ. 981.B
Arcus non vulnerans. 981.C
Arcus quem posuit dominus in nubibus. 981.A
Ardea paludibus inhæret. 865.D
Ardor primus discendi. 87.D
Areæ spiritalis primitiæ. 940.C
Argentum mysticum. 1013.A
Argentum naturæ & gratiæ. 1089.C
Argentum nostrum. 2.C
Argentum probum & reprobum. 1088.A
Argentum sermonem significat. 1012.A
Arguendi fiduciam habere qui possint. 2008.D
Argui nemo vult errans. 1986.B
Argumenta quibus diabolus confidebat se vincere hominem. 915.A.B
Arida & terra quomodo differunt. 826.B
Aries comparatur aëri. 1020.B
Aries lupum arietat. 1372.A
Aries pendens cornibus. 621.D
Aries pro Isaac immolatus. 70.C

Arietis vellera. 594.A
Ariminense concilium. 283.B
Aristarchus comes Pauli. 236.B
Aristobolus congregator fratrum in Christo. 1877.B
Aristoteles disputauit de officio. 5.B
Aristoteles duo posuit principia. 801.B
Aristotelis sententia de loquacibus disputatoribus. 1513.A
Aristotelis opinio de anima. 978.D. de mundo. 801.B. de prouidentia dei. 7.D. & 8.A
Anima Dei, fides est. 2011.A
Arma ecclesiæ. 160.D. 1369.C
Arma & vexilla mentis exercitatæ. 1018.B
Arma fidei nostræ. 706.A.B
Arma huius mundi sunt vana. 788.A
Arma iusti. 3.C. 1445.A
Arma iustitiæ perimunt iniquitatem. 1948.A
Arma lucis quæ sint. 1869.B
Arma nostræ militiæ fortia sunt. 1957.C
Arma nostra quæ sint. 784.D
Arma spiritalia. 1957.D
Armenij euangelio crediderunt. 1777.B
Armentarij. 940.B
Aromatum montes. 104.D
Arrius archipirata. 1227.C
Arrius crepuit medius. 283.B
Arrij & Pauli comparatio. 354.B. & dein.
Arrij perfidia. 283.A. error. 296.A
Arriani ex omni hæresi venena collegerunt. 297.B
Arriani corruptores scripturæ. 401.A
Arriani dogmatis expositio. 274.A
Arriani dicunt filium dei facturam. 280.C
Arriani quomodo in perfidiam ruerũt. 1606.B
Arriani reprehenduntur. 407.C
Arrianorum error. 305.A. crudelitas in catholicos. 765.B
Arrogantia non est vbi crimen enorme depellitur. 1555.B
Arrogantiæ malum. 1443.D
Arrogantiæ ruina. 1443.B
Arrogantes quare increpentur. Ibidem.
Arteriæ & venæ. 979.A
Arteriarum initium. 892.D
Artes diuersæ. 805.B
Artibus bonis ad honores nitendum. 53.D
Artifices à spiritu Dei docti. 1439.C
Arundo vt nascatur. 830.B
Arundo bona, caro Christi. 1695.C
Arundo quid significet. 1789.B
Arundines quomodo simus. 1695.A
Aruspicinæ similis solennitas. 1020.B
Asa. 40. annis regnauit. 494.A
Asa rex Iuda quid passus fuerit. 1817.B
Asaph an aduersis sit vexatus. 1172.B.C
Ascendere ad Christum quomodo debeamus. 197.B
Ascendere in montem quid. 1685.B
Ascendere supra mundum debemus. 197.C
Ascensus paradisi, descensus inferni. 1411.D
Ἄσκιοι. 848.C
Aser quid interpretetur. 1101.A
Asellus non despiciendus, & asina non despicienda. 1770.D. & dein.
Asina, laboriosum animal. 942.A
Asina locuta. 78.D
Asina, vt & Asinus, typus gentilium. 700.B 1640.D. 1764.A
Asinæ & pulli mysterium. 1001.D. 1769.D
Asinus ad molam. 700.C. 1764.A
Asini pigritia quid repræsentet. 879.C
Aspectus dei salus nostra est. 1398.A
Aspectus iusti. 1502.B
Aspectus noster mentitur. 849.C
Aspectu violatur virginitatis sanctitas. 660.B
Aspendius citharista. 1273.A
Aspiciendum non est retro, sed ante. 998.B
Assentatione inuitati, haud temerè fidi. 53.C
Assentire quid sit. 1809.D
Assos pisces cur magis mãducaret Iesus. 946.C
Assuesce vnus esse, vetus dictum. 663.C
Assyrius quid interpretetur. 903.A. 1117.B. 1739.A
Astartæ templum ædificauit Salomon. 1654.B
Astrologi taxantur. 845.A.B. & dein.
Astrologorum sapientia telæ aranææ comparatur. 846.C
Astronomi Mosen imitari debent. 18.A.B
Astronomia & Geometria. 18.A
Astronomiæ vanitas. 844.D
Astrorum disputatio. 1842.B
Astutia spiritalis. 1298.A
Ateses vnda. 855.B
Athleta bonus quibus exercetur. 1186.D
Athleta quare membra sua monstret. 1592.A
Athletam suum quomodo Christus exerceat. 1366.C
Athletæ, pueri, ephebi, viri. 1310.C
Athletæ quomodo simus. 1136.B. 1310.B
Athletarum labor primum, deinde requies. 9.D
Atlanticum mare. 863.B
Attende tibi, nosce te, à quo profectum. 885.D. 886.D
Atramentum ecclesia nescit, Iudæi vident. 965.D
Attrahit nos deus libenter. 1035.B
Attilius. 570.A
Auaritia aspernanda. 1456.D
Auaritia auarorum accusatrix. 779.B
Auaritia cæca. 754.A
Auaritia caput iniquitatis & fomes. 1420.A
Auaritia fidem frangit. 1281.C. perfidiæ vicina. 41.C
Auaritia idololatriæ comparata. 2007.C 2032.C
Auaritia omnium malorum radix & origo. 50.A. 754.A. 2063.B
Auaritia plerumque sensus hebetat. 604.D. virtutem tentat. 1733.A
Auaritia quàm detestabilis & quàm grauis sit. 990.A. 2007.A.B. quàm iniqua. 2063.C
Auaritia, plurimorum consortium refugit. 866.D
Auaritia quanto plus inuenerit, tanto plus quærit. 779.A
Auaritiæ consortes. 1117.A
Auaritiæ crimen. 2032.C
Auaritiæ incentor. 155.D
Auaritiæ malum. 55.A. 931.A
Auari piscibus comparantur. 857.A
Auarus impius & nocens. 2062.D. in fine.
Auarus non potest esse fidelis. 2063.C
Auarus non est liber. 522.B
Auarus quæ vocet bona. 1112.A
Auarus quomodo prouentu vbertatem confiteatur. 1112.A
Auari coangustatio. 1467.B
Auari mens, metallum est. 1171.A
Auaro quid facere competat. 779.C
Auari cupitis interdum fraudãtur. 69.B
Audire quid sit. 1545.A
Audire ea quæ leguntur, quid sit. 1601.A
Audire Christum, quid. 13.C
Audire vocem dei deambulantis ad vesperam, quid sit. 918.D
Auditor quando proficiat. 783.A
Auditorum raritas in audiendo verbo dei. 822.B.C
Auditus. 892.D
Auditu quidam priuantur ob nili fragorem. 816.C
Audiunt citius iuniores quàm seniores. 1086.C
Auernus lacus. 826.A
Auertit faciem suam à nobis deus, & quomodo. 1392.A
Auersio à deo vnde procedit. 257.D
Auersio dei ab homine, quàm grauis. 1195.B
Auis pia. 868.D
Aues cœli in exemplum datæ. 1733.C
Aues cœli malæ. 1022.C
Aues in laudando deo imitandæ. 738.B
Aues nullæ sine pedibus sunt. 866.C
Aues rapaces commercia non habent, cæteræ habent. 866.D
Aues quomodo simus. 1543.A
Auium cœlestium natura. 865.A.B. & dein.
Auium natura cubitum euntium & mane experrectarum. 864.B.C
Auium nomen vnum, genera diuersa. 866.C
Augmentum facere deo in corpore Christi. 2047.C
Augustinus quàm eruditus & argutus. 794.D ad fidem conuersus. Ibidem. à Simpliciano de religione Christiana instructus. 795.B. cucullam nigra indutus. Ibidem.C
Augustus nomen regum apud Romanos. 1852.B in fine.
Aurium consideratio. 892.D
Aures cur tam sinuatæ. 959.B
Aures spirituales. 1407.A
Aurium sordes vtiles. 959.B
Auriculam qui habent amputatam. 1545.B
Aurum bonum. 904.A
Aurum bonum sanguis Christi. 1288.B
Aurum Ecclesia habet, & quare. 56.B
Aurum est iustitia. 1288.A
Aurum ex auro nascitur. 779.A
Aurum foris precium, intus metallum est. 569.D
Aurum, materia magis offensionis, quàm commendationis gratia. 1116.A
Aurum à quibus precioſum constitutum. 734.B
Aurum mysticum. 1013.A
Aurum animam onerat. 1066.B
Auri cupiditas, materia perfidiæ. 1184.A
Auro mens bona comparatur. 1012.B
Aurum nostrum. 2.C
Aurum possidere Christianus homo non debet. 1722.C. in fine.
Aurum pro prudentibus accipitur inuentis. 902.C
Aurum quomodo probatur. 1483.A
Aurum, thus & myrrha. 158.A
Aurum vtile. 56.C
Aureos trecentos quis habeat. 1091.C
Auster & Boreas. 1283.C.D
Author vitæ omnium Christus. 2003.D
Authorem non recognoscere, impietas est. 1062.A
Autumnus quando nobis est. 848.D
Auxentius episcopus hæreticus Arrianus qui & Mercurinũ se vocabat. 274.D. 400.D. 578.B.C. 579.B
Auxes dictus Euphrates. 903.B
Auxesis Dauidis prophetæ. 1569.B
Auxilio diuino indigemus. 1182.A. quando id maximè implorandum. 1358.B. vbi. 1292.D quomodo frustra expectetur. 1673.A

Auxilium humanum vanum. 1911.A
Αἴτησις, deprecatio. 1607.A
Azyma, Græcè ἐγκρύφια. 935.C
Azyma vnde dictum. 1895.A
Azyma Iudæus quotannis facere consueuit. 1528.C

B.

Babylon principium regni Nemroth. 986.C
Babylon quare contrita sit. 1132.A
Babylon quid interpretetur. 1276.A
Babylonis filia est, quæ dei filia esse desinit. 194.C
Babylonij Belum adorant. 1807.D
Baculus nuceus, & olla feruens, quid sibi velint. 1347.D
Balach à Balaam edoctus. 590.D
Balaam consiliarius fornicationis. *Ibidem.*
Balaam dei oraculo prohibitus ne malediceret populo. 589.B
Balaam quam mortem quærebat. 1559.C
Balaam quare accitus ad fidem. 589.C
Balaam auaritia. 55.B. *dolus.* 589.C
Balneis calor deponitur. 1600.C
Balthasar quare morte est punitus. 151.D
Baptisma vnde sit. 1241.B. *quid sit.* 1242.C.D *eius figura ac gratia.* 375.C. 1230.D. 1673.D. *in fi. & dein.*
Baptismum consilium est dei. 1243.A
Baptisma verum. 360.C *adulterinum.* 1980.B
Baptisma post quod nemo delinquit, quid. 97.D
Baptisma in igne. 1438.A
Baptismus velut ignis peccata consumit. 1137.B
Baptisma in lacte. 1558.A.
Baptisma in spiritu & aqua. 364.D. 649.C
Baptismus quare per aquam celebretur. 1831.C
Baptisma, mors peccati est. 1831.B
Baptisma pœnitentiæ aliud à baptismo gratiæ. 1647.D
Baptisma resurrectionis pignus. 1831.C
Baptismus, fundamentum euangelicæ veritatis. 1897.C
Baptismus Augustini. 794.D
Baptismus, Christi typo ignis præfiguratus. 73.D
Baptismi vis. 1647.D
Baptismi gratia in aquis inuisibilis operatur. 1230.B
Baptismi promissio sæpe cogitanda. 1230.A.B
Baptismi sacramenta die Paschæ celebrari. 121.C
Baptismi ceremoniæ. 1238.A.B.C
Baptismum qui petit, accepit. 450.C
Baptismum, pœnitentiæ, & baptisma gratiæ. 1647.D
de Baptismi gratia. 735.B. *& dein.*
post Baptismum vnctio in capite. 1233.A
post Baptismum, nullum remedium quàm pœnitentiæ solatium. 150.D
per Baptismum omnia peccata dimittuntur. 173.C. 243.A 409.D
sine Baptismo mortui pereunt. 264.D
Baptismatis typus, transitus maris rubri. 1239.D
Baptismatis typum demonstrauit Helias. 1137.C
de Baptismate puerorum. 679.C
Baptisma vnum. 360.C.D. 1240.D. *non vnum.* 1437.D *non iterãdum.* 183.B *ab hæreticis reiteratum.* 186.D
Baptismatis tres testes. 1231.C
Baptismata diuersa in lege, destructa. 183.D
Baptismus Christi nobis est sepultura. 746.B 1831.C
Baptismus Christi. 1321.A. 1648.C. 1650.D
Baptismus Ioannis. 360.C. 1321.A
ad Baptismum Ioannis qui veniebant, qui ad baptismum Christi. 1557.C
Baptismus omnibus hominibus necessarius. 1245.D
Baptismus perfidorum polluit. 1232.A
ad Baptismum veniens quid sit facturus. 187.D
in Baptismo culpa dimittitur, lex non potest abolere. 35.A
Baptistæ meritum. 759.B
Baptizabantur olim ægri quocunque die. 2003.A
Baptizabant omnes primum. 2002.D
Baptizare quibus primum concessum. 2003.A
Baptizari in morte Christi. 1831.B
Baptizari pro mortuis. 2929.B
Baptizandus quis sit. 1650.C
Baptizati qui dicantur. 1909.D
Baptizatus mundatus est. 1233.C
Baptizati in Christo. 2031.B
Baptizati ante passionem Christi, & baptizati post resurrectionem. 1824.B
Baptizati quomodo consepulti sumus Christo. 1831.C
Baptizati spiritu sancto qui sint. 401.C
Baptizati sumus in vno nomine. 1243.B
Baptizati iam non debent peccare. 1831.D
Barabbas quid interpretetur. 1788.D
Barach, dux coruscus. 160.C
Barba Aaron. 1233.A
Barbarus à Scytha segregatur. 233.D
Barbari quo nomine ab Imperatoribus puniantur. 1592.D
Βάρεις. 1405.D
Barnabas Apostolus erat. 1907.D
Barnabas quomodo Paulo adiunctus. 1978.A
Basis verbi. 1459.A
Basiliscus serpens, & eius natura. 1052.C
Bathuel sapientia interpretatur. 202.B
Bauto fidelis erga principem suum. 556.D
Beatitudo, arboris ligno comparata. 1281.B
Beatitudo debilitate corporis non impeditur. 1069.D
Beatitudo iuxta philosophos in quo sita. 38.C *iuxta Christianos ex quibus constet.* *ibi.* 38.D
Beatitudo perfecta ex tribus subsistit. 1026.B
Beatitudo quomodo æstimanda. 7.B. *vnde incipiat.* 9.C. *in quo sit.* 1057.D. *vbi sit.* 1274.A. *à domino deo est.* 1438.A
Beatitudinem doloribus & necessitatibus adipisci. 39.D
Beatitudines quatuor tantùm in Luca. 1686.C
Beata & vera vita quæ. 950.D
Beatus quis dicatur esse. 6.C. 21.D. 40.D. 197.A. 1062.A. 1505.D
Beatus, cuius iniquitas remittitur, & peccatum tegitur. 186.D
Beati erant viri sancti etiam cùm affligerentur. 1071.A
Beati manifestè qui sint. 1821.A
Beatorum præmia diuersa sunt in cœlo. 1688.B. 1749.D
Beatum nihil nisi quod caret peccato. 39.B
Bel primus deus Babyloniorum. 1807.D
Belammon quid significat. 1611.C
Bellatorum sexagintaquinque milia vno bello cæsa. 75.C
Bellum nobis hic quotidianum. 1023.D. *in nobismetipsis.* 1486.A
Bella quæ abstulit dominus. 1399.B.C
Bellorum tumultus excidium mundi significat. 787.B
Bella Dauid fortunata. 25.C
Bellum Moses pro populo suscepit. 20.B
Bella varia tempore Ambrosij. 1776.C
Bellorum vicinitas quid designet. 787.B
Bellica gloria claruere maiores nostri. 25.B
Bene ageres, malorum meminisse debemus. 1523.B.C
Bene se amare qui dicantur. 235.A
Bene viuere post pœnitentiam quid sit. 195.B
Benedicere pro maledicere. 1114.B. 1304.D
Benedictio quæ sit. 1095.A. 1876.A
Benedictio Dei, & benedictio hominum differunt. 1993.C
Benedictio morituri quanta virtutis sit. 222.C
Benedictio quomodo præripienda. 1063.D
Benedictiones tres plenarias accepit Abraham. 1003.A
Benedictum quid faciat. 1152.A
Benedicitur quomodo deus. 1993.C
Benedicuntur omnes gentes, & in quo. 1822.A
Benefacere, prima doctrina est. 770.C
Beneficentiæ consideratio. 20.D. *& dein.*
Beneficentiæ & membrorum humani corporis comparatio. 61.C
Beneficentia cunctis exhibenda. 61.A
Beneficentia non est, vbi non est benevolentia. 21.A
Beneficentia vt sit perfecta, ex quibus constet. 20.D
Beneficium apud quos locandum. 54.D
Beneficium quomodo reddendum. 23.A *& deinceps.*
Beneficium dei irritum quis faciat. 1872.B
Beneficia Christi in nos collata. 1873.C. 2051.C.D
Beneficia quibus deferuntur diuina. 1673.B
Beneficia nostra non vulganda. 1679.C
Beneficia plus pauperibus quàm diuitibus eroganda. 54.C
Beneficia non solùm pecuniaria sunt. 54.D *& deinceps.*
Beneficiorum dei oblitiisci non debemus. 932.D 1551.A
Beneficiis quomodo certandum. 1690.A
Beneficus qui. 1690.A
Benevolentia communis parens omnium. 24.B
Benevolentia in ecclesia perseuerat. 24.C
Benevolentia quomodo augeatur. 24.C.D
Benevolentia sine liberalitate est imperfecta. 22.A
Benevolentia facit vt amici vulnera quàm inimici oscula vtiliora sint. 25.A
Benevolentiæ laus. *Ibidem.*
Benevolentiæ prætextu Eua serpenti assensit. 24.C
Benevolentiam liberalitate potiorem esse. 23.D
Beniamin quid interpretetur. 1104.D
Beniamin Paulum designabat. 1086.C
Beniamin populus diuina iudicatus sententia. 75.B
Benignitatis consideratio. 55.C
Benignitas dei latè patet. 1690.D
Berenice mater Ptolemæi secundi. 1561.D
Bersabe quid interpretetur. 666.A
Beseleel spiritu diuino impletus. 1439.C
Bestiæ mundæ quid significent. 975.D
Bestiæ agri quæ sint. 914.A
Bestiæ irrationales motus significant. *Ibid.*
Bestiæ quare omnes ad Adam deductæ. 913.B.C
Bestiæ nihil habent nobiscum commune naturæ. 979.D
Bestiæ sua remedia norunt. 883.A
à Bestiis quomodo distemus. 1588.A
Beth quid interpretetur. 1427.A. 542.D

Bethania quid interpretetur. 1287.A.1699.E. *in fine.*
Bethel quid interpretetur. 988.B.1038.D.1068. B.C.1462.B
Bethleem, quid. 542.B.D.1010.A
Bethsabee significat congregationem nationum. 1183.C
Bibenda nobis quæ sint. 1280.C
Bibendi certamen. 1130.B
Bibendi disciplina. 1129.C
Bibere Christum. 1692.B
Bibere pro salute imperatorum & huiusmodi. 1132.D.*in fine, & dein.*
Bibonum mos. 1126.C
Bigamus in clerum non recipiendus. 664.B
Bina ferè omnia in homine. 1021.D
Bitumen. 958.B
Blanditiis multa obtinentur. 2059.B
Blasphemari bonum nostrum. 1871.C
Blasphemetur quomodo nomen dei inter gentes. 1814.B
Blasphemia in spiritum sanctum. 1732.C.D
Bononienses virgines. 86.A
Bonosius episcopus. 652.C
Bonus qui sit. 1764.B.C
Bonus solus deus. 2052.A.& 1764.C
Bonus ex parte homo. 1764.C
Bonus & iustus ac perfectus aliter est homo, aliter deus. 60.C
Bonum esse, dei proprium est. 1495.B
Boni an semper iusti. 1825.D
Boni quomodo non inueniantur. 1115.A.B
Bonorum societas imitanda. 742.D
Bonis iungi vnicuique prodest. 51.A
Bonum quid sit. 1050.A
Bonum à mulieribus inchoatur. 1637.B
Bonum delectat, etiam si asperum sit. 1057.D
Bonum naturæ omnibus inest. 954.D
Bonum domini. 227.B
Bonum est faciendum. 1314.B
Bonum omne non potest in aliquo penitus obliterari. 1851.C
Bonum vita est æterna. 206.C
Bonum nostrum sit voluntarium. 1468.B
Bonum nullum sine deo. 684.A
Boni & mali cognitio quare primis parentibus prohibita. 906.C.D
Boni & mali & indifferentis inter se coordinatio. 954.D.& 955.A.B
Boni natura. 1046.A
Bona aliena quantos miseros effecerunt. 1144.B
Bona multa sunt, vna tamen est vita æterna. 1670.B
Bona omnia, dona sunt dei. 250.B.255.D.1037.C
Bona prima, secunda, tertia. 1016.A
Bona indifferentia. 985.C
Bona nostra accepimus à Christo. 1551.B
Bona opera sine fide non possunt manere. 39.A
Bona perfecta quæ sunt quærenda. 205.D
Bona quæ putantur, impedimento sunt ad vitam æternam. 40.B
Bonorum species tres. 1026.B.C.D
in Bonis etiam operibus mens humana turbatur. 1390.D
ex Bonis mala orta sunt. 1046.A
Bonitas omnibus grata. 42.B
Bonitas, fructus spiritus sancti. 1298.D
Bonitas dei. 206.B
Bonitas dei in omnes est, seueritas in paucos. 1493.B
Bonitas dei redundauit supra meritum nostrum. 1285.C
Booz soluit calciamentum Ruth. 306.C
Boreas, durus est ventus. 483.C
Boreæ obiectus sinus Ponti. 862.B
Bos impendentem pluuiam præsentit. 881.A
Bos ruralis culturæ laborem significat. 1169.B
Bouis commoditas homini. 832.B
Botrus in phalanga suspensus. 768.A
Eum portantes quid significent. *ibidem* A
Botryo Christus dictus est. 329.B
Brachæ sacerdotum. 12.C
Brachiorum consideratio. 894.B
Branchiæ idem agunt in piscibus, quod pulmo in terrenis animantibus. 856.C.*in fin.*
Breuitas humanæ vitæ vnde sit. 1344.B
Britanni frumenti æquore includuntur. 826.A
Bruta magis generandi studio, quàm coeundi desiderio inuicem miscentur. 1631.A
Bruta medicinas suas norunt. 832.A
Bruta vt mansuescant, & nobis obediant. 940. A. *vide Animalia & Animantia.*
Buxus ad quid vtilis. 835.D

C

Cadere de altissimis, & cadere in planis. 1295.A
Cadere in faciem. 1030.D
Cades, in nupta. 121.D.1451.C
Caducum est quicquid sine charitate fit. 1921.B
Cæcitas multiplex. 644.A
Cæcitas Pauli quid significet. 1089.B
Cæcitas Tobiæ. 1140.A
Cæcitas quibusdam grauis est. 1069.C
Cæcitatis remedium. 880.D
Cæcus natus. 644.A.& *dein.* 1245.C
Cæcus sanatus. 685.B.793.D.& 794.A.& 1767.C
Cæli enarrant gloriam dei. 592.C
Cæsaris & Pompeij odium. 1399.B
Cæsaris ius non potest esse dei templum. 581.D
Cæsari reddere quæ sunt reddenda. 507.D
Cæsaries capitis quàm speciosa. 891.C
Cælum, cælestia, cælibatus. vide infra in litera O. Cœlum, cœlestia, &c.
Cain & Abel quid figurent. 925.A
Cain quare prior quàm Abel nascatur. 926.D
Cain oblatio ac sacrificium quare deo displicuerit. 424.B.932.C.937.A.947.C.D.1137.D
Cain quid interpretetur. 924.C. *quos significet.* 925.A
Cain commisit in fratrem sacrilegium. 920.D
Cain cur signatus à deo. 950.C
Cain per vocem sacrilegium sceleri suo addidit. 1339.A
Cain tristitia vnde. 945.D
Cain vitam æternã posthabuit corporali. 950.D
Cain vagus & exul. 603.C
Cain longæuitas, vindicta erat. 951.B
Cain non antè interiit, quàm filios generasset. 912.D
Cain quare non punitus in peccato. 920.C
Cain in generatione Christi nõ recẽsetur. 1664.B
Caiphæ prophetia. 589.C.1540.A
Calamus quid mysticè. 1695.B
Calani epistola ad Alexandrum. 521.D
Calcanei iniquitas. 1408.A
Calcaneum duplex. 1408.B
calcaneum leuare super aliquem quid sit. 1361.B
Calceamentorum typus. 184.D.1751.A
Calceamenta dei portare. 1648.A
Calceamentum animæ. 1566.A
Calceamentum Apostoli deposuerunt. 1648.A
Calceamentum euangelicum sumendum. 207.D
Calceamentum Moysi. 1481.C
Calceamenta non tollenda sed soluenda, quæ sint. 203.C.D
in Calceamentis filia Aminadab. 139.D
Calceamentum nuptiale. 1648.B
Calceamenta soluere quid. 1385.B.306.C.D
Calceamentum pedum suorum Moyses iubetur soluere, & quare. 208.A.1648.A
Calidus quis sit. 1432.D
Caligo noctis, peccati incentiuum. 1475.B
Calix aureus Babylonis. 1280.C
Calix quid significet. 1325.A
Calices duo. 1325.A
Calix domini, remissio peccatorum. 1599.B
Calix martyrio rectè comparatur. 767.D
Calix passionem designat. 1730.A
Calliditas Siculi hominis. 69.B.C
Calligonus præpositus. 585.C
Calumnia opprimi quid. 1567.D
Calumnia reprimenda. 61.A
Calumnia tentatione grauior. 1567.B
Calumniatores mali fugiendi. 1556.D
Camelus quid repræsentet. 692.D.699.C
Camelus populus gentilis. 1765.C
Camelus qui intrat per angustam viam. 1431.A
Cameli tentendos se exhibent. 594.A
Camelo rectè comparatur diues. 693.A
Camillus. 570.A
Cancri astutia. 859.D
Cancri oculos in vertice habent. 892.B
Candelabrum, principale nostrum est. 1535.A
Canus adiunctus Tobiæ. 880.C
Canis, domini mortui homicidam declarauit. 882.C
Canis sagacitas & vigor sensus. 882.A
Canes marini. 855.A
Canes obesi in domibus diuitum, serui pallentes. 726.B
Canes syllogismorum coniunctiones contexunt. 882.A
Canes vulnera Achab lambebant. 1119.C
Canum gratitudo. 888.D. *memoria.* 882.B
Canum mira disciplina etiam in fame. 659.B
canum suorum origines recensent diuites. 1115.D
Canini sanguinis mira vis. 883.A
Canities animæ. 620.A
Cantandi commoditates. 1474.D
Cantandi vsus. 1474.A. *suauitas vt acquiratur.* 5.C
Cantare dei gloriam. 1607.C
Cantatores fecit sibi Salomon. 1474.B
Canticorum præstantia in sac. lit. 1270.C.D. *& dein.*
Cantica qui scripserint aut cecinerint in sacr. lit. 1271.B.& 1698.B.C
Canticum nouum, nouum testamentum. 1350.A 1474.B
Cantico non solum laudari, sed & reconciliari delectatur deus. 1271.A
Cantica canticorum mystica sunt. 1037.C. *moralium etiam suauitatẽ quãdam habent.* 1422.B
Cantica canticorum, manipularis liber. 1462.A
Canticorum libri principium enarratur. 1422. C.& *dein.*
Canticorum vis. 1271.A.B
Cantilena dulcis. 1474.B
Cantus cygni. 873.B
Cantus sanctorum. 1271.B
Cantus suauitas ad delectation. 1270.C.D
Caph quid interpretetur. 1507.D
Capillamentum quid sit. 1558.C
Capilli nostri vt sint apud deũ cõputati. 1731.B
Capillorum consideratio. 895.A
Capilli quid repræsentent. 190.C
Capilli qui possũt tergere pedes Christi. 1700.B
Capillorum vsus. 959.B.C

Capitolium ab anseribus defensum. 866.A
Capitulum quid sit. 3003.D
Capra vnde nomen αἴξ Græcè acceperit. 1020.B
Caprarum natura. 1558.B
Caprea vulnerata dictamo curatur. 883.A
Capræ agrestis sanguine poto leopardus curatur. Ibidem.
Capreola dorcas. 1463.B
Captiua captiuitas. 364.A
Captiuitas beatitudinẽ vitæ non minuit. 1060.C
Captiuitas, peccati precium. 1211.B
Captiuitas perniciosa. 147.B
Captiuitas prima, patriam non videre. 784.A
Captiuitas verè dolenda. 1554.D
Captiui redimendi. 47.B
Captiuus vrbis victæ. 171.C
Capuensis synodus. 651.C
Caput quid sit. 1384.B
Caput Christi est aurum. 1547.C
Caput ecclesiæ, Christus. 2025.D.1588.A
Caput cur ãputetur criminosis quibusdã. 1587.D
Caput duplex. 1128.B
Caput esse totius creaturæ, quid. 2025.C
Caput Ioannis Baptistæ, saltatricis præmium. 1109.B
Caput libri vbi de Christo scriptũ est. 1351 C.D
Caput mulieris vir est, caput viri Christus, caput Christi deus. 1913.C.& 1720.B
Caput omniũ, Christus. 1384.B.1546.C.1588.A.2003.D
Caput quod æstu mundi nesciuit arescere. 107.A
Capitis cæsaries. 891.C
Capitis commotio mala, ac bona. 1383.D.1384.B.1546.C.D
Capitis encomium. 891.A.C.958.D.1587.D.1595.B
Capitis periculum in vsuris. 1141.C
Capitis vertex. 891.C
Capite sublato cætera mẽbra moriuntur. 666.A
Carith. 961.D
Caro qui sint. 1445.C. in fin. & dein.
Caro quid significet, & quomodo accipiatur. 1832.A
Caro nostra corpus mortis. 170.A
Caro nostra diuisa habet membra. 1021.D
Caro nostra moriatur cupiditatibus. 177.B
Caro nostra necesse est vt occidat. 523.D
Caro nostra quomodo vitula sit. 1020.B
Caro peccati per traducem fit. 1839.B
Caro peccatrix præiudicata non est. 2092.C
Caro piscium, caro volucrum. 488.D
Caro pro homine peccatore. 1033.B. pro homine terreno. 957.B. pro toto homine. 1843.A. pro operibus carnis. 1931.C. pro omni re visibili. 2031.B
Caro bruta natura est. 1840.B
Caro ante mentem non corrumpitur. 148.B
Caro immeritò quasi infirma accusatur. 1053.C
Caro mala non est. 1838.D
Caro non in vitio est, sed ea quibus solicitatur & fluctuat. 1388.C
Caro, voluntatis est ministra. 1053.D
Caro debet obedire animæ. 1446.D
Caro amictus est animæ. 885.D. nauis est animæ. 1161.C
Caro sine anima nihil est. 887.A
Caro, corruptelæ illecebra. 956.C
Carnis corruptela. 968.B
Caro quomodo potest corrumpi. 147.B. quibus corrumpatur. 1943.C
Caro corrumpit animam, & quomodo. 957.B
Caro stimulus mentis. 1010.C
Caro velut origo & locus voluptatis. 957.B
Caro voluptatis mouet, & voluptatibus mouetur. 968.B
Caro diuersis agitatur fluctibus. 967.D
Caro omnis error dicitur. 1957.C
Caro omnis sub peccato. 1946.D
Caro quomodo crucifigatur. 1832.A. quomodo humilietur. 1388.D
Caro nostra tingẽda in sanguine Christi. 1695.B
Caro peccati in corpus Christi cõuertitur. 680.A
Caro hominis quare cælu inferatur. 491.B.C
Caro Christi expiata à spiritu sancto. 1841.C
Caro Christi damnauit peccatum. 170.A
Caro Christi, arundo. 1695.C
Caro Christi stola. 1098.B
Carnem Christi epulamur & sanguinẽ. 1682.B
Caro Christi sola passa est & crucifixa, non diuinitas. 280.D.290.A.1356.B
Caro Christi, acclinatio ecclesiæ. 1449.A
Caro Christi quomodo floruit & refloruit. 749.A
Caro in Christo quare benedicatur. 1461.C
Caro quomodo adhærere vult Christo. 1422.D
Carnis alia natura, alia diuinita. gloria. 1640.C
Carnis natura disciplinæ repugnat. 955.D. in fi.
Carnis & animæ coniugium. 1014.C
Carnis inquinamentum variè accipitur. 1949.C
Carnis intẽperantiam Christus compressit. 538.B
Carnis opera. 1989.D
Carni sapientia legi non est subdita. 1055.C
Carnis actus & consilia quomodo mortificari dicuntur. 1843.D
Carnis cura non facienda. 299.C.D
Carnis desiderium. 1894.C
Carnis nostræ diuisio. 1021.D
Carnis fragilitates timendæ non sunt. 1396.A
Carnis infirmitas non contemnenda. 469.C
non metuenda. 1330.B
Carnis interitus quomodo prodest. 1346.D
Carnis nostræ interitus quis intelligatur 182.A.B
Carnis martyrum resolutæ honor. 798.A
Carnis opprobria. 588.D
Carnis sapientia vbi primò inuenta. 1842.B
Carnis sensus occidendus vt viuat. 198.C
Carnis sensum in nobis mori quid. Ibidem.
Carnis similitudo. 1841.B
Carnis stimulus Paulo datus. 111.C
Carnis voluntas in Christo, ad voluntatem diuinam consensit. 1353.A
Carnem nostram oportet resurgere. 124.A
per Carnem vir, & per virum caro intelligitur. 306.A
Carnem nemo vincit. 1014.C
Carnem crucifigere. 1831.D.& dein.
Carnem suillam Eleazarus noluit comedere. 1071.B.C
Carne & anima saluamur. 1501.A
in Carne esse, variè intelligitur. 1835.B
Carnẽ præuaricãtium maledixerat deus. 1461.C
Carnem quare & quomodo Christus susceperit. 293.C.1204.D.1239.C
Carnem quomodo liceat edere. 1906.D
in Carne placere. 1991.D
Carne tanquam oleribus vesci debemus. 978.C
in Carne qui sunt, deo placere nõ possunt. 1391.D
in Carne esse multifariè intelligitur. 1835.B
Carnes anima. 1552.D
Carnales qui sint. 1888.A.B
Carnalia & temporalia reijcienda. 979.B
Carnalia omnia corrupta sunt. 1957.C
Carnalia quæ sint. 1973.D
Carnalia spiritualibus subiecta. 1884.A. in princip.
Carthaginem Tyrij condiderunt. 1135.A. in prin.
Castigare corpus quid sit. 1909.C
Castigare amantis est. 1493.C
Castigatio filij ex dilectione procedit. 1278.D
Castimonia eadem à viro quæ ab vxore debetur. 992.C
Castimoniam qui vindicare debeant. 1095.D
Castitas angelos fecit. 85.B
Castitas duplex. 1947.D
Castitas etiam in brutis. 989.B
Castitas etiam loci abolet infamiam, non locus infamat castitatem. 90.B
Castitas Susannæ. 743.D
Castitas, corporis passiones abolet. 902.D
Castitas deo placet. 630.B
Castitatis patria. 81.B
Castitas Ioseph. 901.A
Castitas virginalis. 81.B
Castitatis laus maior in iuuene. 1089.A
Castitatis pedissequæ. 1011.B
Castitatis prima victoria. 571.A.B
Castitatis testimonium atque documentum. 988.D
Castitatis triplex virtus. 157.A
Castus dicitur etiam qui in coniugio est. 453.A
Castrare se ferro an quis debeat. 164.D
Castulus à populo raptus. 582.B
Cataphrygarum erroris occasio. 2055.D
Cataphrygarum prophetæ. 2044.B
Cataractæ quæ sint. 1219.B
Catechismus fidei. 2095.D
Catechumenus priusquam baptizetur, est sicut aqua. 715.C
Cathedra pestilentiæ. 1276.B
Cathedræ quæ intelligantur. 579.B
Cato Mose posterior. 1148.B
Κατόρθωμα. 6.B.60.C
Cauendum ne per diem fiat media nox. 1489.B
Caupones qui sint. 772.B
Caupones pessimi. 1513.B
Causa duplex per verbum. 1021.A
Causa humanæ generationis. 913.D
Causa peccati Adam. 1943.A
in Causa dei non licet silere. 54.B
Cautela parentum circa filios obseruanda. 1063.A
Cedrus. 833.C.& 835.C.1449.B
Cedrus superexaltata. 1318.C
Cedri proprietates aliquæ. 1611.A
Cedrinæ tabulæ. Ibidem
Celebrantes hominum obitus. 466.D
Celsi martyris natalis. 795.D.& 797.B
Cenæus qui sit. 1369.D
Censores Christi. 1639.B
Centesima sæpe summa fit. 1147.B
Census boni debitoris. 192.A
Census sapientis in tribus est. 1012.B
Census soluendi. 1678.A
Centum annorum curriculis vita nostra nunc clauditur. 1344.B
Centurio gentilis Christum confitetur. 282.C
Centurio Cornelius primum animal ex gentibus deo immolatus. 763.A
Centurio ædificauit synagogam. 788.B
Centurionis seruus curatus. 1601.C
Cephas non refutabat sumptus oblatos. 1907.B
Cerberus, canis infernalis. 221.D
Cerebrum in capite locatum. 892.D
Certamen graue. 1596.B
Certamen nobis est contra insidias spiritales. 1671.B
Certamen nostrum aduersus fortes est. 1514.B
Certamen nostrum, ieiunium est. 1122.A
Certamen pium Isaac & Rebeccæ. 1063.B
Certamini semper parati simus. 1522.A

certamina grauia nobis sunt proposita. 1366 C
certamina quæ subiit Paulus. 1311.B
certãdam est christianis, non ociãdum. 1749.D
cerua pro virgine. 91.A
ceruus æger quo curetur. 831.B.883.A
ceruus bonus inter multos colubros. 1463.C
ceruo christus comparatur. 1463.C.& dein.
ceruus cornibus se tuetur. 1372.A
cerui veneno pascuntur. 832.A
cerui serpentibus inimici. 1499.A
cerui vt simus. 1216.A
ceruorum mitis natura. 1215.C
ceruix mentis, & cordis. 1508.A
cete immensa genera piscium. 861.C
cethura quid interpretetur. 932.A
chaldæi superstitiosi. 991.D. qui sint. 1276.A
chaldæorum qui sint dij. 1009.B
cham à Noë patre maledictus. 517.D
cham quid significet. 954.D.981.D.& 985.B
cham quare seruus. 2035.C
cham filij Noë offensa. 12.C.
camæleon. 873.D
chanaam quid interpretetur. 981.D.& 985.B.1009.D
chanaam quare fuerit punitus pro patre. 985.A
chananæa mulier. 1381.A.1696.D
chananæorum author chanaam. 981.D
chaos apud inferos inter iustos & peccatores. 1828.A
charitas finis præcepti. 2050.C
charitas, sine qua alia omnia insania. 683.A.B
charitas bona. 520.B.1048.C
charitas carnis. 1809.C
charitas christus est. 1316.A. deus est. 1455.A
dei verbum est. 1553.A
charitas, cibus validior. 1689.D
charitas crescit affectu. 1527.C
charitas, legis plenitudo. 1341.B
charitatis summum mandatum. 1527.B.in fin.
charitas vna patris & filij & spiritus sancti. 371.A
charitatis testimonium & incentiuum. 43.B
charitas dei patris. 371.A.1057.A
charitas diffusa per spiritum sanctum. 260.D. 367.B
charitas est fundamentum omnium virtutum. 1266.C. bonorum omnium mater. 1905.D
charitas exuberat. 1038 A
charitas facit amicum deo. 520.B
charitas filij dei. 371.A
charitas, lex est in cordibus scripta. 3011.C
charitas legis & charitas euangelij. 547.A
charitas libertatis timor seruitutis est. 547.A
charitas lucrum christi est. 554.B
charitas non diuiditur nec separatur. 2039.D
charitas omnem perturbationẽ excludit 1602.A
charitas non metuit pericula. 1492.B
charitas pars humilitatis. 683.D
charitas perfecta est. 529.B
charitas perfecta omnem fidem habet. 643.B
charitas quare maior fide & spe. 1562.E. 1921.D
charitas quibus sit deferenda. 1506.A
charitas quomodo ordinatur. 105.B.1689.D
charitas quomodo sit palma. 1047.A
charitas quomodo suscitatur & resuscitatur. 1455.A
charitas simulata, & charitas vera. 1947.D 2050.C
charitas sponsus est. 1215.D. à charitatis consortio quis sit alienus. 1608.B
charitatis differentia an sit apud deum. 533.A
charitatis duritia. 1553.A
charitatis filius. 1041.A
charitatis gratia quæ sit. 1088.D
charitatis vincula. 124.B
charitati quomodo studendum sit. 1906.D
charitatẽ christi quis potest cognoscere. 2000.D
charitatem nihil imminuere potest. 1057.D
charitatem non habentes quid sint. 1921.B.in fi.
in charitate summum præsidium. 43.B
charon inferni gurgitis portitor. 221.D
charræ, cauernæ. 202.B
de charra exire quid sit. 988.A
cherubin cognitionis profundum signat. 1176.B
cherubin dicunt sanctus sanctus & sanctus. 406.D
chirographum Adæ deleuit christus. 1969.B
chirographum in decretis. 2030.A
chlamys coccinea & purpurea quid repræsentet. 1789.A
χλευασταὶ qui sint. 1278.D
chore terra absorptus. 662.C.D
chore filij qui fuerint. 1400.D
chorus quasi singularem personam habet, sed numerus plurimorum est. 1387.A
chori fœminarum quàm pernicioſi adolescentibus. 1133.D
chorrad significat cognitionem. 205.C
christus quid significat. 2016.B
χρηστὸν quid significat. 1493.D
christus quare acceperit librum. 1072.C
christus non nisi magno labore acquiritur. 1402.D.& 1403.A
christus non egebat adiutore. 670.C
christus iure adorandus & venerandus. 272.A
christus quare aduenerit. 1355.B.1444.B
christus aduocatus noster. 1685.C
christus quare sit afflictus miseriis. 1329.B.C
christus à Ioanne primum agnitus. 491.B
christus non agnitus à discipulis. 491.A
christus altus est. 114.A
christus ambulauit supra mare. 333.C
christus quomodo amittitur. 1697.A
christus quibus est anathema. 1933.A
christus quomodo dicatur Angelus. 1241.A
christus quomodo minor Angelus. 290.C
christus quomodo animam suam posuit pro nobis. 287.B
christus quomodo ante omnes. 2025.D
christus aquilæ comparatur. 749.A.757.B
christus quo genere vtatur armorum. 1668.C
christus quare apparuit Iacobo. 1926.D
christus quomodo apparuerit mundo. 710.B
christus quomodo nondum ascenderit ad patrem. 752.D
christus quomodo ascendit ad patrem. 753.A
christus quid assumpserit pro nobis. 2051.C
christus quos ad se attrahat. 1375.D
christus quomodo auferatur à nobis. 1681.D
christus baptizaturus in aqua & igni. 173.C
christus quare bap. 709.C. 1648.C. quomodo baptizatus. 1239.C. à quo baptizatus. 1646.A
christus bonus quomodo sit. 1179.A
christus super quos cadat. 1363.B
christus calamus. 1695.B
christus quare se permiserit capi. 545.C
christus, quando vult vnusquisque, capitur & inuenitur. 578.B
Christus, caput omnium. 1417.A.2207.D
Christus, caput Ecclesiæ. 1757.C.1898.B
Christus erat caput veteris Synagogæ. 1385.A
Christus vbi caput suum reclinet. 1449.A
Christus veritatem susceptt carnis humanæ non similitudinem. 169.D
Christus suos castigat, alienos damnat. 1592 D
Christus quare assumpti hominis agit causam. 691.C.D
Christus quare circunciſus. 643.A
Christus clamor in cruce. 1792.B
Christus quomodo columba. 712.D
Christus non habet cum seculo consortiũ. 1478.C
Christus quibus consummetur. 671.D
Christus quid contulit nobis. 1054.C
Christus amat esse in corde. 114.A
Christus virginum corona. 137.B
Christus corpus suscepit doloris. 96.A
christum dicere creaturã, anathema. 311.D.312.A
Christus quomodo creatus est. 1456.B
Christus quare crucem pro nobis portauerit. 1610.C
Christus quare crucem ascendit. 1456.B
Christus qualis crucem ascenderit. 1790.A
Christus cur pependerit in cruce. 750.A.B
Christus in cruce venerandus. 348.A
Christus quare crucifixus. 499.A
Christus post serpẽtem quare crucifigitur. 750.A
Christus quare crucifixus. 1912.A
Christus propter peccata nostra crucifixus. 1969.A
Christus rursum crucifigendus in Petro. 578.A
Christus Dauidis & dei filius diuersis respectibus dicitur. 341.A.B
Christus bonus debitor. 1150.B
Christus quibus deferebat. 441.B
Christus quomodo derelictus. 1426.D
Christus quomodo se manifestat esse derelictum. 691.D
Christus descendit in locum corruptionis. 114.D
Christus quid operatus sit descendens. 538.C
Christus in infernum descendit. 1391.C
Christus quemadmodum amet desiderari. 109.A
Christus solus desperatis potest medicinam afferre. 1580.A
Christus deus & homo. 1775.C
Christus dextera dei. 72.C
Christus sedet ad dexteram patris. 538.A. 1775.A
Christus dicitur dies. 747.A
Christ⁹ quibus est dies, & quib⁹ est nox. 1475.D
Christus digito scripsit in terram. 396.B
Christus quomodo diligat nos. 1843.C
Christus omnia discipulis suis donauit. 173.C
Christum diuidere quid. 1881.D
Christus diuidendus non est. 433.D
Christus quomodo diuisus. 1881.D
Christus quod non docuit, Ambrosius detestabile esse ait. 101.D
Christus delet nostra vulnera. 289.D
Christus dolet pro nobis. 552.C
Christus quomodo doleat. 1288.D.& pro quibus. 1413.C
Christus quare dicatur dominus, & quare deus. 1371.D
Christus in naui dormiens quid significarit. 1391.A
Christus quibus dormit. 1455.B.1677.B
Christus dux noster. 1451.C
Christus vnam diligit Ecclesiam. 1226.B
Christus quos elegit. 1685.D
Christus quo ematur. 1086.D
Christus quomodo esuriit. 730.C
Christus quomodo esuriuit & sitiuit. 1418.B. 1668.A
Christus quare dicatur à patre excitatus. 1971.D
Christus quid exigat à nobis. 1797.A
Christus quàm in multis sit expectatus. 1350. C.D.& dein.

Christus exuit se carne. 105.C
Christus quomodo factus ex muliere. 579.D
Christus quomodo factus. 299.D
Christus quomodo caro, maledictum & peccatum factus sit. 431.C
Christus quæ pro nobis fecerit. 1452.A
Christus fide tangitur. 1796.C
Christus fidelis patri quomodo intelligatur. 2087.C
Christus quomodo dicatur filius. 272.C
Christus filius, eóque hæres. 2080.B
Christus cuius filius, contra hæreticos. 1203.D. & 1204.B
Christus filius Dauid. 1203.D.& 1204.B.C. & 1654.C
Christus quomodo filius Dauid & Dei. 1775.B
Christus per naturam filius est dei. 283.C
Christus quasi filius mulieris nõ tenetur. 1465.B
Christus finis noster. 1355.C
Christus finis legis. 1526.A
Christus dicitur finis omni populo eius. 138.D
Christus flos. 105.A
Christus fons est. 1395.B
Christus forma vitæ. 1943.A
Christus quomodo fuerit in forma Dei. 2015.D
Christus quare dicatur fortior. 1647.D.& deinc.
Christus quomodo omnium fructus. 1637.A
Christus fundamentum nostrum. 640.D.in fi.
Christus granum est, flos, fructus. 757.A
Christus granum sinapis. 690.B
Christus gratiæ largiendæ adest, non seuientati exercendæ. 997.C
Christus gratiam promittit omnibus. 170.C
Christus quomodo habitauit in nobis. 1409.A
Christus cur non Heliæs nec Hieremias. 1712.B
Christus homo, & supra hominem. 610.A
Christus quare homo dicatur. 1408.C
Christus quare homo factus est. 1456.B.1460.B.1953.A
Christus quasi homo in hoc mundo. 304.A
Christus secundum hominem loquitur, orat ac tristis est. 1352.A
Christus in mentis hospitio suscipiendus. 1488.C
Christus quare se humiliauerit. 1538.A
Christus quomodo sit ianua. 1611.A
Christus cur ieiunauerit. 657.D
Christus quare ieiunauit & mãducauit. 1633.D
Christus & ignis est, & lux. 1483.A.1500.C
Christus est imago patris. 275.A.1500.C
Christus semet ꝓ omnibus immolatus est. 184.D
Christus bonus imperator. 1452.B
Christus quare se inclinet. 616.D
Christus quid induit. 431.A
Christus indumentum credentium, amictus fidelium. 550.D
Christus vbi libenter ingrediatur. 1681.B
Christus ex virgine initium non accepit. 1672.C
Christus interpres diuinitatis. 1093.A
quare Christus introierit in sancta. 308.A
Christus die inuenitur. 104.A
Christus vbi inuenitur. 108.A.1193.B
Christus quare existimabatur Ioannes. 1712.B
Christus verus Ioseph. 1087.B
Christus Iudæus promissus. 1997.A
Christus sciebat Iudam prævaricaturum. 909.C
Christus Iudex. 1685.C
Christus quomodo non iudicat. 548.A
Christus est iustitia. 1833.C
Christus dicitur iuuenis secundus. 138.C
Christus quomodo laborat. 539.D
Christus quare non conuertit lapides in panes. 729.A
Christus lapidis vocabulo designatur. 787.D 1855.B
Christus quæ dona largitus est hominibus. 757.D
Christus quare discipulorum pedes lauit. 1407.D
Christus super Lazarum illachrymatur. 189.B
Christus dat leges suas. 236.C
Christus non vitat leprosum & immundum. 1699.B
Christus fuit ex tribu Leui. 1096.C
Christus quomodo liber. 481.A
Christus liber inter mortuos. 1465.C
Christus à seruitute Pharaonis nos liberauit. 1523.C
Christus ligatus ad arborem. 749.C
Christus lilium inter spinas. 105.A.140.B
Christus quomodo longè erat à nobis. 1461.D
Christus est lumen. 123.D
Christus lux est. 529.D.1287.B
Christus quomodo magnus. 1633.C
Christus quare & quomodo maledictum factus. 293.D.431.C.643.A.1070.D.1460.B
Christus vbi manet. 123.C
Christus quomodo manifestatus seculo. 1999.D
Christus est margarita. 695.A
Christus matrem corpore, patrem virtute referebat. 93.B
Christus quõ medicus noster. 719.A.1440.B
Christus quomodo in medio congregatorum in nomine suo. 656.B
Christus merces nostra est. 1099.C
Christus secundum diuinitatem non est minor patre. 290.D
Christus ex magno minor factus, & ex minore magnus. 1219.A
Christus quare discipulos misit sine auro, &c. 1092.A
Christus mons est. 1293.A
Christus aliter in lege monstratus, aliter in euangelio. 1480.B
Christus de monumento non tollitur. 101.A
Christus bene in monumẽto iusti ponitur. 1794.C
Christus constanter se morti obtulit. 1783.D
Christus quare mortuus. 210.D.1979.D
Christus pro peccatoribus mortuus est. 260.D. 1825.B
Christus ꝓ omnibus mortuus est. 454.C.1945.C
Christus semel mortuus omnibus. 1578.C
Christus quomodo ad tempus mortuus est. 1825.B
Christus quomodo mouit cœlum & terrã 532.B
Christus quomodo factus ex muliere. 579.D
Christus de peccatorib⁹ & captiuis natus. 1663.D
Christus vbi nascitur. 1639.C
Christus quomodo natus & datus. 456.A
Christus natus quid acceperit. 2017.C
Christus quomodo nescire momenta extremi iudicij dicatur. 350.A.B
Christus quare viam noui testamenti est ingressus. 1456.B
Christus nouus sacerdos quid obtulerit. 597.B
Christus quibus nouus sit. 1946.A
Christus quomodo nouissimus. 594.C
Christus euidenti naturæ nouitate ortus. 926.C
Christus quomodo pro nobis oblatus sit. 1714.D
Christus quomodo occidat & viuificet. 719.A
Christus duplici genere pro nobis occisus. 1981.D
Christus in martyribus occiditur. 1942.C
Christus cur occisus. 1895.B
Christus quando occisus. 674.A
Christus nunc offertur. 33.D. immolatur. 1627.C
Christus omnia est nobis. 110.D
Christus quare opprobrium crucis susceperit. 1392.A
Christus quare opprobrium factus sit. 1460.B
Christus quare orat. 1685.C
Christus quàm difficilè in mentis nostræ vitro pariatur. 1403.A
Christus os legis aperuit. 1027.B
Christus quomodo pauit oues suas. 1534.A
Christus pascha nostrum immolatus. 180.D
Christus quare passus sit. 1490.D
Christ⁹ vt homo ꝓ nobis multa passus est. 289.D
Christus qui passus est, & dei verbum, idem. 429.D.& deinc.
qua ratione Christus se in passionem paschæ mysterio consecrauerit. 439.B
Christus propter ecclesiam passus est. 461.C
Christus voluntariè est passus. 578.A
Christus non in phantasmate passus est. 429.D. & deinceps.
Christus in quo cœli tractu passus. 1402.D
Christus pati voluit in seruis suis. 578.A
Christus quare pauper factus. 1150.C.1671.D
Christus quomodo pauper. 1288.C.1953.A
Christus quomodo pax nostra. 1736.A
Christus quomodo peccatum factus est. 431.C
quare. 643.A.1070.D.2094.C
Christus peccati minister non est. 1979.B
Christus peccatum vicit in omnibus. 1826.C
Christus peccatum non cognouit. 1330.C
Christus solus sine peccato. 1362.C
Christus dicitur petra. 1855.B
Christus nõ placuit sibimetipsi, sed patri. 1873.A
Christus pernoctabat in oratione. 947.A
Christus pro Petro orauit. 266.B
Christus est pomum odorem habens. 1453.A. 1454.B
Christus quomodo posci à patre. 227.B
Christus quare non præcedit. 1456.B
Christus primitiæ. 551.B
Christus quomodo sit primogenitus. 280.A. 551.A.1847.A
Christus quare dicatur primogenitus à mortuis. 1244.B
Christus quare dicatur primus & nouissimus. 138.A.B.1250.B
Christus quomodo sit principium. 1456.B
Christus virtutum principium. 1167.D
Christus quomodo proditur. 1418.C
Christus quomodo proiecit se. 539.D
Christus promisit & poposcit. 227.B
Christus quomodo factus sit propè. 1461.D
Christus quomodo proximus noster sit. 1004.A
Christus quomodo quærendus. 752.C.1476.A.B. vbi quærendus. 104.A.123.C
Christus quatuor animalibus cõparatus. 1620.D
Christus quare ex radice Iesse. 1874.B
Christus quomodo rapiatur. 706.C
Christus vbi reclinet caput suum. 709.C
Christus quomodo reconciliauit populos. 1997.C
Christus non habuit opus redemptione. 507.A
Christus nos redemit, non emit. 1054.B
Christus plus nobis contulit redimendo quàm creando. 1561.C
Christus quomodo nos redemit. 1386.C.1442.D
Christus in paupere atque despecto mundum redemit. 1576.D
Christus quibus est redemptio venturus. 1933.A
Christus quomodo dicitur remissio peccatorum, captiuorum redemptio, & subsidium laborantium. 1563.A
Christus in Epiphania est renatus. 713.D
Christus quomodo reperiatur. 1697.B
Christus repertus est & tenetur. 108.B
Christus suum à te reposcit. 1086.B
Christus cum desidia non requiritur. 1642.C
Christus quare fuerit reseruatus. 1854.C
Christus quibus resuscitatur. 1455.B

Christus resurrectionis suæ auctor est. 1097.C
Christus quomodo rex gloriæ. 314.C
Christus sacerdos in æternum. 201.A
Christus sacerdos patris. 990.D
Christus quomodo sit sagitta. 1303.A.1454.C
Christus dicitur salus dei. 1608.D
Christus quid fecerit pro hominũ salute. 1946.A
Christus factus est nobis sanctificatio. 397.A
Christus quibus sapientia. 238.A
Christus quomodo dicatur dei sapientia. 272.C
Christus quomodo dicatur scire aut cognoscere aliquid, vel non cognoscere. 1330.C.D
Christus scriba. 1695.B
Christus quare bis scripserit in terra, & solus remanserit. 646.B.C
Christus quomodo dicatur sedẽs & stans. 755.B
Christus sedet ad dexteram patris. 294.C 1500.B
Christus quare sedet. 312.C
Christus corporaliter non sedet. 1775.A
Christus quomodo sit semen omnium. 1378.C
Christus semen minimum. 1743.D
Christus seminandus. Ibid.B
Christus seminat regnum dei. 833.A
Christus semen fratris resuscitauit. 1385.C
christus quare in aliena sepultura positus. 752.A
christus quare in monumẽto nouo positus. 100.B
christus in desertum sequendus. 104.A
cristus in omnibus sequendus & imitãdus quatenus nobis possibile est. 1338.B.1591.A
christus quomodo seruus. 610.B
christus idem seruus & dominus. 1289.B
christus plus offensus discipulorum seueritate quàm misericordia. 181.A
christus signaculum in fronte, corde, & brachio. 1048.C
christus secundum similitudinem Adæ nasci voluit. 731.B
christus quomodo dicatur solus. 333.C.& 334.A
christus, sol iustitiæ. 691.B
christus dicitur spiritus. 368.C
christus sponsus Ecclesiæ. 306.D
christus sponsus duorum coniugiorum. 1066.D
christus quomodo sponsus sit. 1098.A
christus vno loco stare legitur. 312.C
christus quomodo stella. 1641.B
christus quomodo subiectus. 550.C.D
christus quomodo subiectus patri. 345.D.& deinceps.
christus quomodo subijcit inimicos patri. 1775.C
christus quomodo suscipit animam euangelicam. 544.D
christus quid pro nobis susceperit. 432.D
christus susceptit infirmitates nostras. 1182.C
christus quibus suscitatur. 1455.B
christus quare tacebat in mortis periculo. 1583.A 1788.C. Ibid.B
christus cur retro tangitur. 1705.D
christus à diabolo tentatus. 728.C.929.C
christus quid ad se traxit. 1520.B
christus quomodo ematur & vendatur. 409.A
christus viginti aureis in veteri testamento, triginta in nouo venditur. 408.C
christus non est venalis. 1135.D
christus ad quos venit. 105.B
christus non frustra venit in mundum. 244.A
christus quare venerit in mundum. 244.A. 269.C.1173.C.1321.D.1415.B.1460.D.1156.C.1598.C.1768.C. quomodo venerit. 1457.D
christus quando sit venturus. 1368.C
christus quomodo dicatur verbum. 272.C
christus est veritas. 227.A
christus quare vermiculo voluit cõparari. 691.D
christus vespere passus est. 1397.D
christus vesperi venit. 997.C
christus est via. 227.A
christus nobis via est. 304.C
christus quomodo fuerit victor. 716.A
christus quomodo videtur. 1578.B.413.A.& 1627.B.C.1626.D
christus quibus vigilet, & quibus dormiat. 1375.D.& 1677.B
christus dicitur vir. 1228.A
christus quibus virtus. 238.A
christus quomodo dicatur dei virtus. 272.C
christus est vita. 227.A.1438.C
christus quomodo vitis dicatur. 328.C
christus quare dicatur vitulus. 1620.D
christus quomodo sit vnigenitus. 280.A
christus vnus est. 137.C. non duo. 305.B
christi acclinatio opaca. 1449.A
christi aduentus in lege præ cæteris annuncirtur. 509.D
christi aduentu turbamur. 105.D.& 106.A
christi & aquilæ comparatio. 757.B
christi baptismus quò nobis profuerit. 1650.D
christi beatum corpus. 751.A
christi benedictio in Ioseph. 1070.D.& 1071.A
christi corpus & membra sumus. 747.D
christi caro, bona arundo. 1695.C
christi confessus. 3004.B
christi corpus Ecclesia est. 461.C
christi crux scandalum est Iudæis. 1603.C
christi crucem plerique scandalum putarunt. 1763.D
christi descensus ad inferna. 440.A
christi dictum, non est meum dare vobis, quomodo accipiendum. 339.A
christi dignatio erga nos. 1591.B.C
ad christi mysterium quomodo est perueniendum. 751.D
christi & Ecclesiæ mysterium. 920.D
christi & Ecclesiæ, Adam & Eua figura. 920.D
christi & Iob collatio in tentationibus. 1671.D
christi & Melchisedech comparatio. 3001.A
christi facere quid sit. 288.D
christi filij qui per adoptionem generãtur. 321.B
christi hospitium non mutandum. 725.A
Christi ieiunium & fames. 299.D
Christi imitatores. 1179.A
Christi interfectorum nullus euasit. 1210.D
Christi iustitia quæ sit. 1544.D
Christi maiores multi peccatores fuerunt. 1205.D.& dein.
Christi medicamentum quo sanauit vulneratum. 293.C
Christi mors quid e[illegible]it. 570.C
Christi passio non mutauit verbi naturam. 429.D.& dein.
Christi passionum compendium. 2092.C
Christi perfectio in quo consistat. 2096.A
Christi pietas. 511.C
Christi populus quis dicatur. 1297.C
Christi post mortem adsciti in numero filiorum, regno seruati. 1210.D
Christi qui dicantur. 1990.A
Christi sacerdotiũ sine initio & sine fine. 3000.D 3002.D
Christi sepultura nobis nota. 926.B
Christi seruitus. 1289.A
Christi subiectio quæ sit. 1644.B
Christi tædium & pauor. 1782.D
Christi varia nomina. 419.B
Christi velle, fecisse est. 227.A
Christi velle quid sit. 288.D
Christi verba ex locorum qualitatibus consideranda. 407.D
Christi verecundia. 336.D
Christo qui luceant. 1540.A
Christo omnia sunt subiecta. 1995.B
Christo quodammodo nondum omnia subiecta sunt. 1414.C
Christum annuncians qualis esse debet. 1124.C
Christum quomodo Arriani deum dicunt. 332.B.C
Christum corporalis affectus conditio offendit. 1735.C
Christum dormientes perdunt. 706.C
Christum ementes & vendentes qui sint. 1079.C.1363.D
Christum per fidem contemplamur. 710.D
Christum negans quid meretur. 1369.D
Christum non fuisse phantasma. 490.C.429.D
Christum non videns, errat. 101.A
Christum parturientes. 1778.D
Christũ quis induat. 1500.D.1869.D.2005.A
Christum quis occidit. 744.B
Christum quomodo alloquamur. 13.C
Christum sequens post se non respicit. 1377.B
Christum super pinnã tẽpli stare quid sit. 718.B
Christam vigilantes inueniunt. 706.C
in christo differẽtia diuinitatis & carnis. 273.D
in Christo mori. 540.A
in Christo nihil imperfectum. 432.C
in Christo spes nostra collocanda. 2092.D
Christianus, quis. 1526.C
Christiana infirmitas, fortitudo. 716.D
Christiana simplicitas. 1756.A
omnis Christianus est liber & sapiens. 520.A
Christianus fictus quis sit. 1964.B
Christianus litigare non debet. 1897.A
Christianus iure naturæ contentus non est. 1690.A
Christianus perfectum significat. 1526.C
Christianus proficit vetustate. 713.D
Christianus quando vincit. 1966.D
Christianus quisque vngitur in sacerdotium, & in regnum. 1245.D
Christianus quomodo vulpes sit. 774.A
Christianus sacrificiis gentilium interesse non debet. 573.B
Christianus gentili aut Iudæo filiam suam non tradat. 1002.D
Christianus vt sis, quid te oporteat facere. 717.B
Christianus vim sibi non inferat. 97.C
Christiani hominis consolatio. 1056.D
Christiani hominis constantis descriptio. 1058.A.B.& dein.
Christiani populi antiquitas. 1247.D
Christiani populi arma. 1369.C
Christiani dignitas. 1607.A
Christiani viri magnificentia. 1671.B
Christiano quomodo nihil potest deesse. 2001.A
Christiani impij aliter punientur quàm Iudæi impij. 1764.A.B
Christiani pacifici & quieti debent esse. 1870.A
Christiani quomodo Iudæi sint. 1852.C
Christiani sublimioribus potestatibus pareant. 1677.D. in fin.
Christiani vera Christi domus. 2087.D
Christianorum mysteria anteriora sunt mysteriis Iudæorum. 1247.C
Christianus mundus hic pelagus est. 1845.D
Christianos quid deceat. 583.B
Christiani commoda temporalia non sequuntur, sed æterna. 60.B.C
Christiani humiles esse debent. 2976.B
Christianitatis infamia. 748.A. in prin. profectus

Ctus summa quæ. 699.E
Cibus agrestis. 546.D
Cibus apostolicus, & cibus dominicus. 1550.D
Cibus bestiis sæpe pro medicina est. 832.A
Cibus bonus. 546.C
Cibi quibus deus delectetur. 218.C
Cibus Christi qui sit. 578.A.730.C
Cibus in quo vita definitur æterna. 911.A
Cibus interior. 1365.D
Cibus legis tardior. 546.D
Cibus luxuriosi. 1749.B
Cibus mentis. 1122.D
Cibus prædurus. 546.D
Cibus refectionis & cibus sanguinis. 1761.D
Cibus sacerdotalis ad vsum transiit populorum. 1684.B
Cibus vt retineatur in intestinis. 960.D
Cibo parce vtendum virginibus. 94.A
Cibum sumere cum infideli non prohibet Paulus. 1895.D
Cibi dulces qui sint. 1361.A
Ciborum communio quantam vim conciliandorum inter se hominum habeat. 1361.A
Ciborum parsimonia mitigatur iuuentutis ferocitas. 659.B
Ciborum reliquiæ quà egeruntur. 12.B
Cicadæ canoræ. 873.B
Cicadæ de die in diem viuentes. 516.B
Cicatrices bonæ. 1336.D.& dein.
Ciconiarum pietas erga parentes. 868.C
Cicero de officiis apud Latinos scripsit. 4.B
Ciconiæ quemadmodum proficiscantur. 868.A
Ciconiarum aduentus, ver annunciat. 866.D *in fine.*
Cinæus qui sit. 1369.D
Cincinni duplices. 106.B
Cincinni Nazaræi. 107.B
Circei populi. 485.C
Circuncidi mares in primis infantiæ vagitibus quare lex iubeat. 1029.B
Circũcisionis vocabulo quid præscribitur. 993.C
Circuncisio duplex. 643.A.1028.D
Circuncisio carnis aut corporis quò tendebat. 640.A.993.C.994.A.1456.A.1815.A
Circuncisio cordis. 1456.A.1815.A.1873.D. 1971.B
Circuncisio an nunc inutilis sit. 642.D
Circuncisio cur mandata fuerit, & hodie non obseruetur. 994.A
Circuncisio mandata est semini Abrahæ, non gentibus. 650.C.1873.D
Circuncisio per legem vtilis, per euangelium inutilis. 647.B.& dein.
Circuncisio quæ in occulto est, est necessaria. 649.D
Circuncisio quos repræsentat. 1820.A.1873.C
Circuncisio vt posset iterari, Iesus naue significauit. 1529.C
Circuncisionis perfectio. 994.A.C.& 1028.C
Cessatio. 994.A.1971.A.1984.C
Circuncisione non opus est populo christiano. 648.B
Circi vanitas. 197.C.1457.A
Cithara animæ nostræ. 224.A
Cithara est caro nostra. 1224.A
Citharista etiam sine cithara se oblectet. 1060. C.D
Ciuilia bella. 1399.B
Ciuis cui adhæret prodigus. 1749.B
Ciuis mundi. 1748.D
Ciuis sanctorum & domesticus dei. 2998.A
Ciues Romani qui dicebantur. 2072.B
Ciuitas bene ædificanda. 603.D
Ciuitas dei Ecclesia est. 1552.B
Ciuitas Hierusalem. 106.A.B
Ciuitas munita. 889.B
Ciuitas nostra quæ sit. 669.D
Ciuitas obsessa. 889.B
Ciuitas quæ portas murorum clausas non habet. 109.A
Ciuitas sine rectore, effœminata. 940.B
Ciuitates Leuitarum datæ ad refugium. 197.D
Ciuitates intra Iordanem sequendæ. 199.D
Ciuitates sex refugij, & earum mystica interpretatio. 197.D.& 198.C.D
Ciuitates tres trans Iordanem. 199.B. *earum leges.* *Ibidem.*
Clamandum quomodo ad dominum. 773.B
Clamant iusti mortui. 1580.D
Clamat in corde suo omnis sapiens. 1581.B
Clamor affectus interioris. 1564.D
Clamor cordis. 1630.B
Clamor fidei grandis. 1580.D
Clamor filiorum Israel. 1581.B
Clamor Moysi. 1581.B
Clamor noster ad deum quis esse debeat. 935.D. & 936.A
Clamor sanctorum. 1366.A.B
Clarificari filium quid. 390.D
Clarificatio filij. 326.C
Claritas Christi. 404.A
Claudus à Petro sanatus. 763.C
Claudus ex vtero matris sanatur. 1477.D
Clauis Petri quæ sit. 732.D
Clauis quomodo dicenda est. 761.C
Claues duæ, scilicet scientiæ & potentiæ. 761.C
Claues regni cælorum quomodo datæ sint Apostolis. 1349.A
Clauium potestas. 168.D.& 173.A
Claui mystici. 217.B.1552.D
Claui timoris. 1552.D
Clauis configere carnes suas. 1552.C
Clementia diuina quantũ nobis contulit. 194.B
Clementiam domini non imitantes, spiritus ipsius non sunt. 181.A
Cleophæ socius Amaon. 689.B.766.C
in Clerico quid requiratur. 1719.C
Clerici ne ob aliquam offensam ab officio desistant. 539.C
Cn. Pompeij mors. 573.D
Clericus non est qui ad secundas nuptias peruenit. 664.B
Clerici quidã cur non ab Ambrosio recepti. 11.C
Clericos dedecet fraus & turpe lucrum. 67.B
Coangustatio malorum. 1467.B
Coba quid interpretetur. 1018.B
Coccus Rhaab fuit figura sanguinis Christi. *Et mon* 1228.C
Coccus pro igne aliquando ponitur. 1574.D
Coccus quid significet. 1574.B
Cocytus fluuius infernalis. 221.D
Codicum Græcorum diuersitas. 1828.D
Cælestis vbi inhæreat. 1363.B
Cælestia vincunt terrena. 1884.A
Cælestium præmiorum incrementa sunt. 1688.A
Cælibatus pœnæ olim. 165.D
Cælibes concubinas aut ancillas sibi iungere non debent. 760.D
Cælorum nomen commune est. 819.C
Cælum quid significet. 967.B
Cælũ multipliciter accipitur. 1520.D.& dein.
Cælum æreum. 613.A
Cælum ferreum. 819.D
Cælum corona hominis, terra exercitium. 592.B
Cælum currum velocem dixit Plato. 1021.B
Cælum extenditur sicut pellis. 806.C
Cælum mihi thronus, vt intelligatur. 1518.A
cælũ multipliciter est maius quam terra. 1285.A
Cælum primo factum, & quare. 595.A
Cælum & terra in quo tempore facta. 804.A
Cælum non ad similitudinem dei factum. 1500.A
Cælum quæ sunt claudentia. 440.A
Cælum mysticum, & terra mystica. 1517.D
Cælum nobis imitandum. 1517.A.B
Cælum purius ab omni labe peccati. 1491.A
Cælum quomodo ascendendum. 109.B
Cæli tertij ascensio necessaria. 914.C
in Cælum tertium Paulus raptus. 819.A
Cælum vbi sit. 1252.A
Cælum vsia intelligibilis, visibilis vel sensibilis substantia terra. 1019.B
Cælum tanquam cælatum. 819.C
Cæli ornamentum quare dicatur. 842.D. *in fin.*
Cæli qualitas & essentia. 807.C
in Cælo vitiis locus fuit. 1517.D
Cæli in terris. 1517.D.1518.A
Cæli quomodo nobis aperiuntur. 656.C
Cæli superni. 2032.A
Cælorum numerus. 815.D
Cælorum nomen generale est, firmamentum autem speciale. 819.C
in Cælis agere qui dicantur. 2021.D
in Cælis carnalibus error. 2026.B
Cœna magna, & eius historia. 172.C.1746.C
Cogi, quid sit. 705.D
Cogi quomodo dicatur regnum cælorum. 1696.C
Cogitare hominis est, diaboli implere. 2005.B. *in fine.*
Cogitare antè quid sit. 1484.D
Cogitare secundum carnem. 1935.B
Cogitatio omnis sancta à deo est. 938.A
Cogitatio inquinat hominem. 1507.B
Cogitatio quomodo incurrit delictum. 1843..C
Cogitatio & appetitus diuersa munera. 15.A
Cogitatione præuenienda quæ acturi sumus. 1484.D
Cogitationes duæ in homine inuicem se accusabunt. 1813.A
Cogitiones hominum deo patent. 1390.A
Cogitationes nostræ à quo sciuntur. 1886.D
Cogitationes nostræ frugibus comparatæ. 940.C
Cogitationes nostræ non sunt in potestate nostra. 197.A
Cogitationes nostræ quomodo rectæ sint. 684.C
Cogitationes seculares orantibus offunduntur. 1608.A
Cogitationum scaturigo cor. 1507.C
Cogitationum nostrarum discordia. 1014.A
Cognata Mariæ Elizabeth. 1653.A
Cognati Pauli. 1877.A.B
Cognati quomodo simus. 154.C
Cognati sunt omnes Iudæi, & quomodo. 1653.A
Cognoscere dei. 1220.A.B
Cognoscere est in operatione. 906.D
Cognoscere verbum quam vim habeat. 906.D
Cognoscere & timere differunt. 1504.A
Cognitio Christi quid sit. 1365.D
Cognoscere Christus suos. 1390.C
Cognitio duplex. 1558.D
Cognitio de deo quid sit. 418.A
Cognoscentes deum, ab ipso etiam cognoscuntur. 1390.C
inter Cognoscere & timere distat. 1504.A
Cognoscere verbum quam vim habeat. 906.D
Cohæredes christi quomodo simus. 550.B.1056. C.D
Cohæredem dei esse quid sit. 1844.C
Coitus studio non miscentur pleræque pecudes, sed gene-

generandi desiderio. 1631.A
Cœtus quàm parcè permissus. 1900.A
Colaphizari quid. 1893.A
Collatio elegans. 2095.C
Collatio beneficij facta in pauperes iuuat. 54.C.D
Collatio Iudæorum & Christianorum typica. 2091.B
Collatio Moysi & Christi. Ibidem.D
Collatio quomodo potest prodesse. 1872.A
Colli longioris commodum in cantu. 873.B
Colloquium prauum est cauendum. 1929.D
Colloquia familiaria qualia esse debeant. 15.B
Colluctatio est sanctis. 1580.C
Coluber ceruum fugit, hominem interficit. 832.A
Coluber ceruo noxa non est, sed præda. 1463.C
Coluber quomodo caput abscondat. 1588.A
Columbæ quæ intelligantur. 579.B
Columbæ typus. 1021.B
Columba cæteris auibus velocius volat. 766.A
Columba spiritumsanctum significat. 1230 D
Columbæ & corui in arca Noe interpretatio. 145.B
Columba ramum oliuæ deferens quid significet. 701.C.713.A
Columbæ & domini similitudo. 712.D
Columba quare iubentur auferri. 1772.A
Columnæ cur supra monumentum Rachel positæ. 1068 D
Columnæ dei quomodo simus. 1459.B
Columna lucis quid sit. 1240.A
Columna nubis quid sit. 1240.A. & 1451.C.D
Columna ignis. 1451.C.D
Columna uncta, ecclesia est. 1065.D
Columnæ ecclesiæ. 1459.B
Coma mulieribus ornamento est, viris dedecori. 959.C
Commessationes quæ sint. 1869.C
Commendantes seipsos. 1958.C
Commendare nos deo qui debeamus. 55.D
Commendationes hominum plurimum valent, si probatis adhæreant. 51.A
Commendatum quid sit. 1153.A
Commercium humanitatis cum diuinitate in Christo. 486.D
Commercia mulierum vitanda. 14.B
Commori Christo quid sit. 1831.D
Commotio temperanda. 1015.C
Commotio vitiosa. 968.B
Commotiones in pueris innoxiæ sunt. 14.B
Cõmunicatio vna patris filij & spũssancti. 371.B
Ad Cõmunionẽ quomodo sit accedendũ. 1915.D
Communio dominici corporis post baptisma. 1234.C
Comessationes indecoræ fugiendæ. 1137.A
Commutationem quare non habuerit populus erroris. 1380.B
Compassio Christi erga nos. 1357.A
De Compassionis bono. 56.A
Compati quid sit. 1844.C
Compitum quid vocetur. 1484.A
Complacet deus in filio. 1371.B
Compositionis materialis sola Trinitas veneranda immunis. 1022.B
Compunctiones variæ. 1347.A
Conatus nostros deus adiuuat. 2018.A
Concessa præterire, virtutis est maximæ. 1903.C
Concessorum abusus, peccatum. 1809.A
Concilium Nicenum. 430.C. 575.D. 652.A. 664.B
Concilium sequitur Ambrosius. 271.C
Concludere, interdum redarguere est, & conuincere. 1175.B
Concludi quid sit. 1579.C
Concubinarum vsus illicitus. 760.D
Concubitus aut deliciarum tempus non esse, cum omnibus imminet interitus. 975.A
Concupiscentia omnis quid repræsentet. 1836.B. in fine.
Concupiscentia in bonam & malam partem. 1331.C
Concupiscentiã quare prohibeat lex. 1836.E. in fi.
Concupiscentia in senibus & pueris friget. 1046.A. in prin.
Conditi sumus in primo homine sine vitio. 235.C
Conditio humana à paradiso excluſa. 545.A
Cõditio humana sarcinam grauem portat. 577.A
Conditio humana lapsa quo recreatur. 1604.D
Confessio beati Petri omnes hæreses excluſit. 428.A. & deinceps.
Confessio ex qua surgit lætitia. 1874.A
Confessio nostra precium nobis est immortalitatis. 1678.A
Confessio perfecta quid requirat. 1597.A
Confessio, pœnarum compendium est. 948.D
Confessio de peccato, rara. 510.D
Confessio peccatorum iustificat. 1697.D.1698.A
Confessio peccatorum verecunda, omnes nexus peccatorum soluit. 187.C
Confessio prima. 1750.B. in fi.
Confessio trina in baptismo. 1243.A
Confessio peccatorum mundat cor. 1507.C
Confessio Christi sit aperta, non inuoluta. 1786.D
Confessio medicina erroris est. 133.A
Confessionis necessitas. 1750.B
Confitenda peccata publicè. 192.D
Confitendum deo & sacerdoti. 195.B
Confiteri Christũ corã hominib⁹. 170.C. & dein.
Confiteri quomodo oporteat. 1460.C
Confidentia est robur spei nostræ. 1550.C
Confidentia viri consummati. 1605.B
Confidentia in corpore. 1645.C
Confidentia fiduciã seueritatis significat. 1957.B
Configi cruci Christi. 1979.B. in fi.
Confirmatio quæ tres personas requirit. 1804.C
Confusio bona. 1387.A
Confusio Christi, crux est. 1387.A
Confusio peccatum adducens, & confusio peccatum abolens. Ibidem.
Confusio quare nos simus. 940.D
Confusionis gloria. 1387.C
Conglorificatur Christo, quis & quomodo. 550.B
Coniugatis copulæ vsu abstinendum pœnitentibus. 193.B
Coniugatæ maritali auxilio destitutæ, tuendæ. 1554.B
Coniugatis etiam nocte ad orationem surgendum est. 1002.D
Coniugium à deo iunctum. 1754.A.C
à Christo sanctificatum. 654.B
Coniugium benedictione sacerdotali sanctificari oportet. 633.B
Coniugium omne non est à deo. 1753.D
Coniugium ecclesiæ minister non iteret. 35.A
Coniugium bonum. 120.C.654.C
Coniugium sanctum. 1192.C
Coniugium non reprehenditur. 1746.C
Coniugium quid faciat. 135[illegible]A
Coniugium quid. 1[illegible]C
Coniugium impar vbi est, lex dei non est. 1554.C
Coniugium monimenta, arma castitatis. 159.B
Coniugia ne fiãt inter impares religione. 1004.A
Coniugia non spernenda. Ibidem.
Coniugium Leuitarum. [illegible]35.A
Coniugij charitas in naturam versa. [illegible]48.D
Coniugij præsul ac custos deus. 988.D [illegible].B
Cõiugij fides quibus nõ est seruãda. 1901.B [illegible]fi.
Coniugij lex. 1753.C
Coniugij onera & incommoda. 102.C.1745.C
Coniugij præmium. 1632.A
Coniugij ius quare datum. 999.A
Coniugij nomen quando adsciscitur. 135.A
Coniugio tempora præscripta. 1630.D
In coniugio religio quæritur. 1004.A
In coniugio non culpa sed lex est. 34.A
Coniugia non spernenda. 991.A.1004.A. nec damnanda. 1759.A
Coniugia, velut olerum plantaria. 119.C
Coniugia secunda sacerdotum Ambrosio nõ probantur. 664.A
Coniux, quid significet. 1632.D
Coniugia aliena vitanda. 633.B
Coniunx non tam ob decorem quærenda quàm ob virtutem & grauitatem. 988.C
Coniunx quare Maria vocetur. 134.D. in fine & deinceps.
Coniux in probro deprehensa si sit, marito quid agendum. 1632.D
Coniuges habent quod inter se ipsi erubescant. 120.C
Coniugum amor. 858.B.C
Coniugum amor constans esse debet. 858.C.D
Coniugum mores ferendi. 858.C. vide Mariti, & Vxores.
Conium cur inter triticum inueniatur. 831.B
Conio sturni vescuntur. 83[illegible]C
Connexio animæ & corporis quomodo alitur. 1469.D
Connubia, vide Coniugia.
Conquisitor seculi qui sit. 1883.A
Conscientia bona cum examinatur, probatur. 1442.C. Eius gaudium. 946.A. in prin.
Conscientia cauteriata. 2057.B
Conscientia locuples testis. 603.C
Conscientia quæ illuminatur, & conscientia quæ confunditur. 1387.D
Conscientia sine iudice seipsam punit. 194.A
Conscientia mala. 1190.C
Conscientiæ malæ nullus locus tutus. 741.A
Conscientiæ testimonium. 1475.B
Conscientiæ iudicium verberat. 1.D
Conscientia quomodo maculatur. 1906.B.C
Conscientiæ gloria. 1934.D
Conscientiæ remorsus quàm grauis. 195.A
Conscientiæ vermes. 728.B
Conscientiæ vulnus. 62.C
Conscientiam suam nemo fugit. 1114.D. in fi.
Conscientiarum accusatio in die iudicij .1213.D
Consecratio dominici corporis vt fiat. 1248.A D & deinceps.
Consensus bonus vnde gignatur. 265.C
Consentientium malis duplex nequitia. 1809.D
Conseßus cui offertur. 755.A
Consiliarius qualis esse debeat. 49.D
Consiliarius suspiciendus. 46.B
Consiliarij mali sæpe in ruinam. 50.C
Consilium apostoli donum spiritussancti. 122.A
Consilium à quo requirendum. 45.C.49.C
Consilium dei quod est. 1863.C
Consilium dei habere quid sit. 661.A
Consilium dei semper est certum, consilia hominũ incerta sunt plerunque. 1445.C
Consilium dei sequendum. 1426.C
Consilij diuini arbiter spiritus est. 378.A
Consilium vnũ est patris & filij & spiritussancti. 378.A
Consilia nostra quo dirigantur. 975.B
Consilia piorum requirenda, impiorum fugienda. 45.C.D.& 46.A
Consilia seniorum audienda. 984.D

Consilia plurimum ad conciliationem valere aliorum. 43.C.D
Consiliis acquirendis quid conferat. 46.A
Consolatio qualis esse debeat. 1333.A
Consolatio pro exhortatione. 1504.C in fi.
Consolatione qui indigeant. 1569.D
Consolationis gratia vnde acquiratur. 1472.A
Consolationes diuersæ. 1570.A.B
Consolationes gentilium. 472.D
Consortia intemperantium hominum vitanda. 14.B
Consperſio humana. 940.D
Consperſio noua esse debemus 180.C
Consperſio noua, doctrina Christi est. 1895.A
Constantia Imperatoris filia ab Agne sanatur. 792.D.& dein.
Constantinopolis verbum dei recepit. 357.C
Constantius aram tolli iußit. 573.C
Constantia Iob. 28.A
Constantinus imperator. 497.D
Constitutio regis terreni soluenda non est. 1677. D.& dein.
Consuetudo dominatur homini. 1839.C
Consuetudo peccandi quàm perniciosa. 1277.C. in fine.
Constrictus & angustiatus ne murmures. 1239. D.in fine.
Consummatio quid sit. 1605.A
Consummatio est ex deo. 249.D
Consummatio malitiæ. 1526.A
Consummatio seculi, finis est seculi. 1525.C
Consummationem seculi sequitur finis. Ibid D
Consummationes multæ sunt. 1525.C
Contemptibilia quæ elegit Deus. 1884.C
Contemptum in hoc mundo pretiosum est apud deum. 1443.D
Contentio in familiari sermone non sit pertinax. 15.B
Contentio verborum est inutilis. 1015.B
Contentionis incommoda. 2062.D
Contentionem quid faciat. 2001.C
Contentiones vnde veniant. Ibidem
Contentiones vitandæ. 2068.B
Continentia est mater fidei. 1129.B
Continentia potest esse in diuitiis. 407.D
Continens qui esse possit. 247.D.in.fi.
ad Contingendum Christum alis opus est. 84.A
ad Conuitia & opprobria tacendum. 1340.C.D
Cõtristari magis deberemus peccatis alienis, quàm iniuriis nobis illatis. 1472.B.C
Contristatio spiritus. 2005.D.in fi. 2006.A
Contristari non secundum deum. 1058.C
Contritio bona. 1161.D
Contumelia nulli vel minimo inferenda. 1503.A
Contumelia quod est sub aliis, sub Christo gloria est. 1398.C
Contumeliam vnam sustinere facile est. 1497.C
Conturbari vanè. 34.B
Conturbatio vana. 1346.B
Conuallis mundus est. 1533.D
Conuersandum in corde. 59.B
Conuersatio bona salutem operatur. 2018.B
Conuersatio nostra quomodo temperanda sit. 1913.A
Conuersatio sit cum sapientia. 2035.D
Conuersationem nostram in cœlis esse, quid sit. 785.D
Conuersationes cum insipientibus noxiæ sunt. 513.A
Conuersio multorum ad fidem. 1360.D
Conuersio Pauli qualis. 1354.A
Conuertimur ad Christum, & quomodo. 1230.B
Conuerti ad dominum quid sit. 1940.D
Conuitium conuitio non referendum. 1167.B
Conuitia patienter ferenda. 1334.A.B.& dein.
Conuiuiorum gratia. 1361.A
Conuiuium dei operibus bonis. 23.C.D
Conuiuium ecclesiæ. 930.C
Conuiuium sapientiæ. 23.C.D
Conuiuium viri Christiani quale esse debet. 737.C
Conuiuia detestabilium hominum vitanda. 96. C.D.& dein.
Conuiuia extraneorum vitanda omnibus, præcipuè Ecclesiæ ministris. 13.B.C
Conuiuia lubricorum hominũ. 1129.D.& dein.
Conuiuia gentilium fugienda. 513.D
Conuiuiorum inquietudo. 1126.A
Cophini mysterium. 1711.C
Cophini duodecim. Ibidem
Copiæ seculares salutem non afferunt. 1520.A
Copula nuptialis non vitãda quasi culpa. 165.B
Copulari alienigenæ nihil grauius. 633.B
Cor gentilium quomodo illuminatum. 1568.A
Cor grande à domino creatum. 1507.B
Cor hominis quando deficit. 1179.A
Cor hominis quomodo maculetur, & quomodo mundetur. 1507.B.C
Cor nostrum quomodo circuncidendum. 1515.D
Cor nostrum quomodo clamat ad deum. 1580.D
Cor per quæ coagulatur. 1496.B
Cor nostrum est dilatandum. 1526.C
Cor quomodo dilatatur. 1948.C
Cor nostrum quomodo sit effundendum. 1419.D
Cor quomodo est emundandum. 1481.D
Cor mundum habere quid sit. 1194.D
Cor nostrum vbi esse debet. 496.A
Cor viri altum. 113.D
Cor hominis non in sua potestate est. 197.A
Cor initium arteriarum. 892.D
Cor humiliatum deus admiratur. 144.B
Cordis clamor. 1580.D
Cordis temperantia. 1689.A
Cor sanctorum subtile. 1496.B
Cor, sanguinis & spiritus nidus est. 958.A
Cor superborum coagulatum. 1466.B
Cordis occulta prophetis manifestata. 1647.B.C
Cordis & oris custodia. 1266.D
Cordis occulta quare tenebræ dicantur. 1390.B
Corda hominum surdiora, quàm dura saxorum. 839.D
Corda ne turbentur, cauendum est. 1466.C
Corallium lapis prius herba. 863.B
Corinthius traditur Satanæ in interitum carnis & non animæ. 177.D.& dein.
Corinthius Satanæ traditus. 1894.B.D
Corinthij quomodo in Pauli doctrina profecerunt. 1434.C
Corinthiorum frigus. 1757.B
Corinthijs quare scribat Paulus. 1879.C.D
à Corinthijs quare sumptus nõ acceperit Paulus. 1934.D
Corinthios Paul⁹ vult esse sui imitatores. 1893.C
Cornelius accepit donum dei. 1819.D
Cornicis oculus. 612.A
Cornices mirabiles in sui natura. 868.B
Cornicum pietas. 869.C.D
Cornu nostrum quomodo Christus sit. 1002.D
Cornua bona. 1373.A
Cornua fidei. 1372.A
Cornua Satanæ. 1373.A
Cornua cur animantibus quibusdam data. 1372.A
Corona certaminis Christi. 1041.C
Corona cui defertur. 9.C
Corona de spinis quid significet. 1789.A
Corona Olympica.
Corona perfectorum est. 1338.A
Corona qua Christus coronatur. 10.A
Corona quomodo quæratur. 1547.C
Corona quos decet. 1292.C
Corona vbi sit. 1571.A
Coronæ dies ab omnibus expectatus. 1582.D
Coronam gloriæ solus habuit Christus. 224.D
ad Coronam quomodo admittamur. 1547.C
Coronæ multæ, multa certamina. 1366.C
Coronarum diuersa præmia. 1595.D
Coronamur in certaminibus grauioribus. 1589.C
Corozain & Bethsaida quare condemnantur. 1444.A 1396.A
Corporatio Christi, peccatorum remissio. 1205.D
Corpus quod sit. 1762.C
Corpus totum hominem significat. 1843.A
Corpus coinquinat animam. 215.D
Corpus animale. 1931.B
Corpus Christi verum est in Eucharistia. 1236.B
de Corporis & sanguinis Christi virtute. 1235.B
Corpus Christi est quod sumimus in Eucharistia. 1248.D
Corpus Christi spiritalis est esca. 1236.D
Corpus Christi qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. 1252.C
Corpus Christi Ecclesia est. 1363.D. 1373.A. 1547.C
Corpus Christi quod est. 1702.B
Corpus Christi quare edimus. 1782.A
Corpus Christi infirmum. 1667.B
Corpus deo dicatum. 1898.A
Corpus doloris. 96.A
Corpus denudare, quid mysticè. 974.B
Corpus domini peccato subiectũ non fuit. 1841.C
Corpus domini nemo negligenter accipiat. 1915.D
Corpus humanum à deo moderatum. 1919.B
Corpus mortis. 471.C.1839.D
Corpus non mortis. 1840.A
Corpus quare dicatur mortale & quare immortale. 1832.B
Corpus spiritale. 1931.B
Corpus nostrum ieiuniis castigandum est. 1137.A
Corpus sub qua lege vult gubernari. 1843.C
Corpus pro omnibus peccatis. 1831.D
Corpus totius peccati quibus significatur. 1821.B
Corpus vnum Ecclesiæ. 1727.B
Corpus vnum omnes sumus. 1490.B
Corporis accidentia quæ sint. 1026.C
Corporis debilitate nullus à regno excluditur. 1746.D
Corporis domini homines: animarum passiones. 520.C
Corporis & animi communis actus. 478.D
Corporis dominici diuisio in apostolorum ministerio erat. 1710.C
Corporis & mentis communia sunt delicta. 1647.D
Corporis exercitium. 2058.A
Corporis facta punientur. 1944.D
Corporis humani descriptio allegorica. 1021.D
Corporis humani fabrica quàm venusta & commoda. 12.A.1498.B
Corporis humani ignobiliora membra. 960.A
Corporis lapsus in vitio non est, nisi animus quoque inclinetur ad culpam. 983.D
Corporis naufragium. 967.B
Corpus quomodo quis corrumpit. 1991.B
in Corpus suum peccare. 149.C
de Corpore esse. 1918.B
sine Corpore homo non adiudicabitur bono aut malo. 1944.D
Corpore vtamur tanquam calceamento. 1566.A

Corpore vt instrumento vtamur. 219.D
Corpora cœlestia, & terrestria. 1930.D
Corpora nostra quomodo sint Christi membra. 2898.B
Corpora mortua peccatis subiecta. 1864.A
Corpora nostra hydria sunt. 373.A
Corpora quomodo dehonestantur. 1808.B
Corpora quomodo intuenda. 1049.D
Corpora nostra exuuiis animalium comparãtur. 1683.A
Corpora perfidorum quid sunt. 1704.B
Corporum penetratio. 1797.D
Corporum resurrectio, Esdræ testimonio probata. 224.C
Correctio fraterna. 1756.C.1484.A
Correctio non potuit esse plena nisi per gratiam domini saluatoris. 1605.A
Correctio seuerior, & moderatior. 1494.A
Correctio sine scientia, molesta. Ibid.B
ad Correctionem fratris qui testes adhibendi. 623.C.D
Correptio amica proficit. 1756.C
Correptio, eruditio est. 1325.B
Corrupta conscientia neque cœlum neque terram tutè contueri audet. 147.D
Corruptæ increpatio eo quòd corruptorem admiserit. 147.C
Corruptarum excusatio. Ibid.A.B
Corruptibilia in nobis quæ sint. 988.A
Corruptio, vanitas est. 1845.A
Corruptoris obiurgatio. 151.D
Coruus figura peccati. 1230.D
Coruus p̃ fenestrã emissus quid significet. 971.A
Coruus de arca dimissus, carnem est secutus. 145.B
Coruus egressus non reuertitur ad Noẽ. 971.B
Corui obseruatio. 971.A
Corui marini. 855.B
Corui pascentes Heliam. 666.B
Κοσμοπολίτης. 600.D
Costa Christi quæ sit. 1649.D
Coturnicum esca elleborum. 831.C.D
Crapula iniquitatis. 1506.C
Crapulæ mala. 930.A.B
Crassities & aruina mala. 1347.D
Crateres duo sunt oculi. 509.C
Creator ex quibus potest agnosci & adorari. 1806.D
Creatorem colere iustum est. 1884.D
Creata cur non sint omnia vno momento. 595.A
Creatura in deo esse non potest. 281.D
Creatura noua. 247.A.324.A.1992.B.in fi.
Creatura omnis quomodo congemiscat. 549.C.D
Creatura præstantissima, homo. 1024.A
Creaturarum omnium postremus homo. 593.B
Creatura superflua, ebrius. 1132.D
Creatura vanitati subiecta. 548.C.549.B.C. 1845.A
Creaturã quomodo mutet sermo Christi. 1248.B
inter Creaturam & dominum distantia. 279.D
Creaturæ quædã visibiles & inuisibiles. 436.B
Creatus quare sit Christus. 1456.B
Creati sumus ad laborem. 1537.D
Credendum est prius, vt sit fiducia postulandi. 1857.B
Credendum non est de facili. 604.B
Credentes quomodo hæredes sint fidei Abrahæ. 1982.C
Credentes circuncidunt cor suum. 2019.D
non Credens in Christum, similis est illi qui solem à se excludit. 1490.D
Credere aliud est, & aliud agnoscere. 1503.D
Credere aut non credere, voluntatis est. 1820.D
Credere bene, nobis prodest. 293.D
Credere, & non discutere. 278.D
Credere in Christum, lucrum vitæ est. 176.B
Credere in mandatis dei, & mandatis credere differunt. 1494.B
Credere opus est opere, non sermone. 712.A
Credere nemo plenè potest sine Euãgelio. 1694.A
qui credit, habet vitam æternam. 174.C
qui non Credit, non audit. 297.A
Creditũ est nobis amplius quàm Iudæis. 1701.A
Creditores qui. 1141.C
Credulitas vnde nascatur. 473.A
Crimẽ minus est peccasse ante legẽ, q̃ post. 1837.C
Crimina maiora maioribus abluuntur fletibus. 169.C
Crines Nazaræi in lege perfecti. 377.A
Crudelitatis ferinæ affectus vt ponatur in deo. 1205.B
Cruditatis malum. 930.A.B
Crux ad patriam redire nos facit. 749.C
Crux in ecclesia arbor est in naui. Ibid.D
Crux Christi nobis vtilis. 1714.C
Crux Christi omnia membra nostra circuncidit. 643.A
Crux domini abscondit errores omnes atque abolet. 1185.C.643.A
Crux domini credentibus vita. 1545.C
Crux Christi quomodo scandalum & stultitia. 1603.C
Crux quibus possit afferre scandalum. 1694.C
Crux quomodo ornatur. 1702.B
Crux Christi Petro non fuit opprobrio. 1603.C
Crux Christi quibus stultitia est, quibus virtus. 1882.D
Crux Christi peccatum & maledictum est Iudæorum. 1981.C
Crux mors peccati. 2030.B
Crucis beneficio vniuersa renouantur. 1161.A
de Crucis dominicæ baiulatione. 193.B
Crucis iustitia. 1482.A
Crucis opprobrium à gentibus omnibus diuitiis secularibus est prælatum. 1381.D
Crucis opprobrium suscipiendum. 1346.C
Crucis passio multis scandalum fuit. 739.A
Crucis prædicatio Iudæis scandalum. 1989.A
Crucis velamento protegimur. 1439.A
Crucis sacramentum. 750.C
Crucem nostram ascendit Christus. 1789.C. 1790.A
crucem tollere. 1702.C.in fi.
cruce Christi omnium hominum leuatur infirmitas. 1242.A
cruce salus nobis data. 1692.C
cubiculum ecclesiæ quod sit. 1426.B
cubiculum iustitiarum. 1434.A
cubiculum nostrum quod est. Ibid.& 130.C
cubiculum matris nostræ. 108.A
cubiculum orationis quod sit. 936.B
cubiculum nostrum quod sit. 935.C
cubiculum nostrum quod est. 1254.C
in cubiculum intrare quid. 935.C
cui plus commissum est, plus debet. 1560.A
cubiculum verum, mentis arcanum, animique secretum. 935.C
culices vt ne noceant. 831.B
cui misericordiam præstat deus. 1851.D
culpa Adæ & Euæ seruituti nos mancipauit. 1054.B
culpa auctorem suum prodit. 1115.B
culpa crescit cum ætatibus. 976.B
culpa felicidio comparata. 1511.D
culpa grandis. 21.C
culpa gratiam minuit. 1211.B
culpa infirmitatis est lapsus. 1550.A
culpa nos humiliat, non carnis conditio. 1388.D
culpa nullam habet substantiam. 1380.A
culpa nulli prodest. 1511.D
culpa plus nobis profuit, quàm nocuit. 142.A
culpa pro laude habetur apud plerosque. 976.B
culpa pudore minuitur, defensione cumulatur. 947.D
culpa q̃ ærumna magis desleta Dauidi. 1569.C
Culpa quomodo crescit. 1054.D
Culpa quomodo debeat mori in nobis. 1515.A
Culpa tolerabilior est quæ premitur verecundia. 1206.B
Culpæ auctor animus. 179.A
Culpæ characteres, & vbi scribantur. 1213.C
Culpæ proprium. 1417.C
Culpæ regnum. 1018.A
Culpæ reos tradit dominus. 1115.B
ad Culpam quomodo teneamur. 1053.C
Culpam nostram soli voluntati nostræ adscribere debemus. Ibidem.
Culpam propriam fatèri vnusquisque erubescit. 510.D
Cultores religionis ex quibus excitãtur. 1646.C
Culturæ vis. 1691.A.1106.D
Cum & in syllabarum vsus in salit. 385.B.C. & deinceps.
Cupiditas ex formidine oritur. 908.A
Cupiditas humana cui rei proficit. 2063.A
Cupiditas quosdam gradus habet. 1107.A
Cupiditatis edacitas insatiabilis. 1278.A
Cupiditati ratio rẽsistat, exẽplo Dauidis. 1052.A
Cupiditatũ causæ, causæ sunt tẽtationũ. 1671.A
Cupiditatum multitudo. 1201.D
Cupiditatum retia. 179.A
à Cupiditatibus est resipiscendum. 1458.B
Cupressus. 833.C. ad quid habilis. 835.C
Cur deus interrogat Cain vbi esset frater suus. 948.C.D
Cur pri⁹ omnia producta fuerint homine. 591.B
Cur quinque milia quinque panibus, & quatuor milia septem panibus satiata. 1709.B
Cura carnis. 1869.D
Cura humanæ salutis ĩ apostolo duplex. 1947.A
Curam nostri inuicem agere debemus. 1873.A
Cura vxoris & filiorum. 1903.D
Curare quomodo nos debeamus. 1334.D
Currus animæ. 110.B
Currus multos habet Ecclesia. 1435.A
Currus Pharaonis. Ibidem.
Currus regum triumphantium, pompa captiuorum præcedebat. 757.C
Curuari quid sit. 1507.D
Custodes boni sunt angeli. 1476.B
Custodia datæ legis melior, quàm sui arbitrij libertas. 678.C
Custodia ori adhibenda. 3.B.674.C
Custodit dominus suos mirabiliter. 577.B.C
Custodire quid sit. 904.D
Cybelle. 573.B
Cygni collum cur procerius. 873.B
Cygni quomodo moriantur. 1074.C
Cygnorum proprietas. 873.B
Cyri Persarum regis infelicitas. 573.D
Cypriani passio. 767.C.D

D

Dacia ripensis. 298.A
Dæmonia non habent diuinam naturam. 434.C
Dæmonis confabulatio quàm periculosa. 1838.B
Dæmonum malicia facilè occulta deprehendit. 1632.C. Vide diabolus & Satan.
Daleth quid interpretetur. 1445.C

Dalila mulier fornicaria. 636.D.eius auaritia Sampſon decepit. 55.B
Dalmatius tribunus & notarius. 574.B
δάμαλις vnde dicta vitula. 1020.C
Damaſus Romanæ Eccleſiæ ſacerdos. 566.A
Damaris Dionyſij vxor credidit. 658.D
Damnat deus iuſtè. 1939.D
Damnationis ordo. 921.D
Damnationi qui ſit obnoxius. 2060.B
Damonis & Pythiæ amicitia. 91.C
Damula retia aſpect⁹ viuacitate declinat. 888.D
Dan quid interpretetur. 1100.C.1361.D
Daniel falſæ accuſationis deprehendit mendacium. 44.D
Daniel falſitatem teſtimonij vbi deprehendit. 1068.D
Daniel iuuenis redarguit ſenes. 1431.A
Daniel ieiunauit. 658.A
Daniel inter leones. 39.D
Daniel inter medios leones beatus. 1071.B
Daniel patrio cibo & aquæ potu vtebatur. 659.C
Daniel bonum ſemen. 1313.D
Danielis conſilium ac ſapientia. 45.C
Danubius ponto ſe condit. 818.B
Darius Medus. 825.A
Dathan terra abſorptus. 662.C.D
Dauid quare Abrahæ præponitur. 1654.C
Dauid quomodo ſe accuſauit. 1473.B
Dauid adulterium & homicidium commiſit. 1180.C.quare id ipſe inuulgauerit. 1199.B
Dauid Platone & Pythagora antiquior. 1288.A.1428.B
Dauid auctor generis declaratur. 1653.C
Dauid vnde beatus. 40.D
Dauid quare non ceciderit. 43.C
Dauid quomodo non confuſus. 587.C
Dauid cuſtodiam proferēdi ſermonis docuit. 5.C
Dauid velut palinodiam cecinit. 1661.A
Dauid in quibus delectabatur. 1434.D
Dauid quomodo dei filius. 1202.B.1205.B
Dauid quomodo dilexit dominum. 1185.C.D
Dauid electus ex omnibus. 42.D
Dauid iuuenis electus. 1574.D
Dauid non erubuit fœmineas opiniones. 587.D
Dauid ex fide iuſtificatus. 1205.C
Dauid Goliam interemit. 25.C.& quō.787.D
Dauidis victoria aduerſus Goliam typus eſt chriſti. 1575.A
Dauid quàm multa in filiis ſuis paſſus. 1549.A
Dauid quomodo flagellatus. 1300.B
Dauidis fletus. 67.D.450.A.1569.A.C
Dauidis fletu peſtis ceſſauit. 188.C
Dauid trium filiorū obitum deplorauit. 40.D. 469.A
Dauid etiā velut fluctuabat conſiderās impiorū proſperitatem,& iuſtorū afflictionē. 1471.A
Dauid quomodo fugit à facie Saul. 1034.A
Dauid, humiliatus interpretatur. 1207.A
Dauid quare humiliauerit ſe. 1537.D
Dauid iniquitatem ſuam cognouit. 1661.B
Dauid intrauit in domum Abimelech ſacerdotis. 1684.C
Dauid Ionathæ conſiliis acquieuit. 24.B
Dauid quomodo iuſtus. 1290.A
Dauid laceſſitus à Semei patienter tulit. 4.A 33.A.1473.B
Dauid in quo laudandus. 1504.B
Dauid maiore dei gratia præditus quàm Salomon. 1339.B
Dauid manu fortis Chriſtus. 1197.B
Dauid mitiſſimus. 669.D
Dauid moralium magnus magiſter. 1421.A
Dauid numerari fecit populum ſuum. 1181.B
Dauid quō obtulerit ſeipſum pro omnibus. 42.C
Dauid quare peccatum guſtauerit. 1320.A.id quale fuerit. 1183.D
Dauid poſt populi numerationem peccatum eſt confeſſus. 1473.B
Dauid pepercit Sauli. 63.D
Dauid ſibi plebem officiis obligauit. 42.D
Dauid qualis extiterit. 16.D
Dauid ante arcam ſaltauit. 714.A
Dauid ſeruum ſe reputat. 1469.B
Dauid ſitiebat chriſtū oriūdū de virgine. 1187.C
Dauid cuius typum gerebat. 1575.A
Dauid de Vriæ morte coargutus. 1473.B
Dauid duas vxores habuit. 533.C
Dauidis afflictiones. 1445.A
Dauidis calamitas grauior quā Iobi. 1198.C.D
Dauidis & Abigeæ coniugium quid repræſentet. 534.A
Dauidis denudatio quid figurauerit. 588.B
Dauidis honeſtas. 67.C. manſuetudo. 1540.D
Dauidis patientia in opprobriis ſibi illatis. 1334.C.D
Dauidis perſecutores de eo non triumphauerunt. 1599.D
Dauidis opera quibus texit peccatum. 1185.B
Dauidis pietas. 53.A
Dauidis probitas ac manſuetudo. 1540.B
Dauidis excuſatio. 1181.B
Dauidis pœnitentia. 558.D.& dein. 1183.D
Dauidis probitas. 1540.B
Dauidis ſilentium. 2.C.5.D
Dauidis ſitientis exemplum. 1187.B
Dauidis ſtylus blandus. 1215.B
Dauidi quanta fuerit neceſſitas 1852.A
Dealbari ſuper niuem quid ſit. 1193.C
Deambulandum in corde. 59.B
Debboræ viduæ forte factum. 160.A.B
Deambulatio dei quid ſit. 918.C
Debitor qui ſit. 1153.C
Debitor quibus ſit Paulus. 1805.C
Debitores, criminoſi appellantur. 1141.C
Debitores duo, qui. 1700.D.in fi.
Debitum quid ſit. 1252.D.quomodo reddendū. 947.C.quatenus repetendum. 1148.D
Debitorum vincula laxabantur diebus hebdomadis vltimæ. 582.C
Debitorū reprehēſio, mutuū recipiētium. 1155.B
Debita, peccata dicuntur. 1141.C
Debita reddenda ſunt. 1868.B
Decem & ſeptem anni, paruum tempus reſpectu longæuitatis patriarchæ. 1069.B
Deceptionis ſimilitudo eadem in Petro quæ in Adam fuit. 740.D
Decet, cum datiuo. 201.A
Decimas Abrahā dedit Melchiſedech. 990.D
Declinandum eſt à malo. 1314.B
Declinātes à dei mādatis maledicti. 1443.C.D
Declinare quid ſit. 203.D
Decorum à ſummo opifice in humano corpore formando ſeruatum. 12.B
Decorum generale & ſpeciale. 31.D.& dein.
Decorum primo conſtitui loco. 5.B
Decorum vbique ſeruandum. 12.D.id in quo ſitum ſit. Ibidem
Decorum in ingreſſu obſeruandum. 11.C.D
Decorum orationis. 15.C
Decorum perſonæ. 30.D
Decorum ſermonis. 15.B
Decorū in veri inueſtigatione ſeruandum. 18.A
Decori conſeruatio in quo conſiſtat. 15.A
Decretum quod ſit. 2030.C
Dedicatio quæ ſit. 3011.D
Defectio bona & imitanda. 209.A
Defectio Lunæ. 781.B
Defectus noſtri Ieſus auctor non eſt. 1707.B
Defenſio aliquando tribulationē ſignat. 2072.C
Deficere quid ſit. 1508.B
Definitio in inuentione. 209.B
Defuncti à fœneratoribus pro pignore detenti. 1145.D
Defuncti ambiguo iudicij futuri ſuſpenduntur. 942.C
Defunctorum animæ qualia nunc præmia aut ſupplicia habeant. 225.A
Defunctorum corpora ſepelienda. 1139.C.D
Defunctis impenſa humanitatis officia præſtantiſſima. 1139.D
Degenerare quid ſit. 1996.B
Deiectionis plenitudo ſolutio eſt peccati. 1583.B
Delectatio fugienda. 601.A
Delectatio noſtra vbi ſit ponenda. 1458.A
Delectatio, prima origo peccati. 921.C
Delectatio quomodo dicatur ſapiēs. 914.D.in fi.
Delectatio, ſerpētis ſimilitudine figurata. 600.A
Delectationis vis. 1270.B
Delectationes corporis neceſſariæ. 941.A
Delectationes mundanorum, & delectationes ſpiritualium. 1434.C
Deleri quid ſit. 965.C.1213.B
Deletur non gratia ſed iniquitas. 401.A
Delibatio de maſſa eſt. 1860.D
Delibatio paſſio dicitur. 2072.A
Deliciæ fugiendæ. 1134.A
Deliciæ ianuæ ſunt peccati. 2060.B
Deliciæ nutricationis, malæ. 1628.B
Deliciarum comes ſaltatio laſciua. 587.C
Delictum quibus purgetur. 705.C
Delicti noſtri origo vnde manauit. 1470.A
Delicta, mentis & corporis ſunt communia. 1647.D
Delicta vbi moriuntur. 2068.A
Delictorum nundinæ. 1731.C
Delinquentes non coercere, plerunque maioris auctoritatis, aut acerbitatis eſt, quàm ſi vlciſcaris. 1449.D
Delinquere ſibi. 1291.B.C
Demarchi aſſertio. 658.C
Demetriadi virgini ſcribit Ambroſius. 674.D
Democritus quid ſenſerit de mundo. 801.B
Demoſthenes orator. 1640.C
Denarij duo. 1726.B
de Dentibus. 893.C
Dentes animarum iuſtarum. 1559.A
Dentium venenum. 600.A
Dentium fulgor quis ſit. 1559.C
Dentium vſus. 959.D
ex Dentibus Hydræ ſatis enati homines armati. 476.A
Depoſitio defunctorum. 765.C.D
Depoſitum quid ſit. 1153.A
Depoſitum quando non ſit reddendum. 36.A.B
Deprecari dominum ſemper debemus. 1582.B
Deprecatio laudabilis in peccatore. 1331.D
Deprecatio pro omnibus à quo tradita. 2052.D
Deprecatio vſitata. 1194.B
Derelinquere dei aliud eſt quàm penitus derelinquere. 1426.C.D
Derelinqui quando nobis videmur. 1427.A
Derelinquit nos deus diuerſimode. 1426.C.D
Deſcendere ab Hieruſalem. 1599.C
Deſcendere oculis ſuis in ductus aquarum. 1569.A
Deſcenſus Abrahæ de Ægypto cum Sara quid ſignificet. 1012.A
Deſertum quod ſit. 1040.D

Desertum, corpus est Christiani. 731.D
Desiderium quid sit. 1331.B
Desiderium boni, non nostræ potestatis est, sed gratiæ dei. 1442.C
Desideria iuuenilia. 2069.C.*in fine*
Desolationem sequitur humilitas. 1498.A
Desperandum non est. 1327.D
Desponsata viro, coniugis nomen accepit. 134.D
Destructio escæ. 1898.A
Destructio mortis quid sit. 1928.C
Destructio ventris. 1898.A
Detractor prius suas quàm aliorum radices euellit. 1266.B
Non detrahendum alteri. 61.D
Detriumphari quis dicatur. 2030.B
Deuotio celerata fructus habet vberiores. 995.A
Deuotio in plebe sub Apostolis. 698.C
Deuotio sancta mensuram supergreditur. 1480.C
Deus quid sit. 419.A.*& dein.* 886.A
Deus nomen naturæ. 1983.B
Deus nomen est magnificum, & potestatis. 271.D
Deus multis nominibus appellatur. 419.B
Deus adoptiuus homo dicitur. 2017.C.D
Deus æquus bonis ac malis. 9.A
Deus suis vocibus æstimandus. 171.A
Deus aliorum meritis aliis ignoscit. 1680.B
Deus author mundi & diluuij. 964.C
Deus author naturæ est. 623.A
Deus bonus est, & author omnis boni. 247.D.*& dein.* 249.B. 286.C.D. 1173.B. 1495.B. 1764.C.*& dein. copiosè.*
Deus aliter bonus, iustus, sapiens, &c. dicitur, aliter homo. 60.D
Deus quibus sit bonus. 1173.A
Deus bonæ voluntatis remunerator est. 1024.B
Deus quomodo caput Christi. 316.B
Deus arguit Cain. 948.D
Deus cur non vno momento creauerit omnia. 595.A
Deus deambulans in paradiso. 598.D
Deus cur omnibus non dederit vt cognoscerent deum. 244.C
Deus aliquãdo se demonstrauit in angelo. 421.D
Deus aliquando se demonstrauit in homine. 421.C.D
Deus quomodo digito scripserit legem. 396.A
Deus dilectionis. 1970.B
Deus quomodo diligendus. 1527.B
Deus duobus maximè mulcetur. 895.B
Deus quomodo erat in Christo. 1946.B.C
Deus excedit omnia. 2000.C
Deus quid exigat à nobis. 187.C
Deus ex deo. 272.C.273.A
Deus non factura sed factor. 1306.A
Deus factus est Moyses Pharaoni. 1480.A
Deus fecit cœlum & terram. 801.C
Deus quomodo fiat debitor noster. 1117.A
Deus quare dicatur fidelis. 1911.B.2044.C.*in fine.* 2048.A
Deus homines nusquàm deseruit. 234.C
Deus dissimulat nonnunquàm se scire quod nouit. 352.C.D
Deus quomodo humanã carnem assumpsit. 439.D
Deus quare nos humiliat. 171.B.C
Deus ignis est. 1527.A
Deus implet omnia. 2000.C
Deus locorum interuallo non relinquitur. 1551.C
Deus quomodo immortalis. 2052.A
Deus non est mutabilis. 1120.A.1816.C
Deus frequenter mutat sententiam suam. 70.C
Deus nullo indiget. 1065.A
Deus quomodo sit intus. 1376.A
Deus quomodo inuisibilis. 2052.A
Deus quomodo dicatur irasci. 956.C
Deus iudicaturus. 1810.B
Deus quare iuret. 937.C.*quem iuuet.* 1900.C
Deus quomodo iustificet. 1192.B
Deum iustificare quis dicatur. 1445.C
Deus quomodo iustificetur. 1191.D.*&* 1192.A
Deus expers laboris est. 1498.D
Deus in quibus laudetur. 1421.C.D
Deus laudatur in sanctis suis. 680.B
Deus de loco ad locum non transit. 290.B
Deus quomodo semel sit locutus. 1420.C
Deus quomodo manibus operatus sit. 1649.B
Deus quomodo habeat manus & digitos. 383.B
Deus nullius est immemor. 718.C
Deus mentes comprobat. 790.C
Deus mente complectendus magis quàm verbis. 554.D
Deus montium non vallium. 1462.C
Deus meus & deus vester. 101.B
Deus non mentitur. 589.A
Deus quomodo nostri misereatur. 965.B.C.*&* 967.A
Deus quare nostri misertus sit. 1830.D
Deus cur illorum non misertus, & horum sit misertus. 241.D
Deus morum magis quàm annorum ætatem considerat. 1539.D
Deus mortem non fecit. 216.B
Deus muneribus oblatis non placatur, sed offerentis affectu. 945.D
Deus virtutum quomodo nobiscum. 1398.D
Deus solus nouit omnia consilia. 1863.B
Deus quomodo est omnipotens. 278.B
Deus operatur quod bonum est. 921.D
Deus non operatur malum. 921.D
Deus operatus in Petro & Paulo. 391.D
Deus pacis, Christus est. 1876.B
Deus pacis. 1970.B
Deus pacis. 2022.D
Deus pacis. 2044.C
Deus & pater & iudex noster est. 705.D
Deus pater noster quî dicatur. 1803.C
Deus pater quõ subiicit inimicos filio. 1775.C
Deus pater quomodo agricola dicatur. 328.C
Deus quomodo sit perfectus. 340.A
Deus quomodo posuit hominem in paradiso. 899.D
Deus cui portio est, totius possessor est naturæ. 1477.C
Deus præest omnibus creatis. 7.D.*& dein.*
Deus omnibus præferendus est. 989.B
Deus in Adam omnes homines præuidit. 918.A.*in fine*
Deus principium omnium. 304.C
Deus principium & finis omnium. 662.B
Deus quando progressus est in virtutibus Iudæorum. 1376.B
Deus promissa sua mutet. 1120.A
Deus promissorum suorũ non immemor. 1468.D
Deus omnibus prope est. 1587.A.B
Deus quæ per prophetas annunciauit in Euangelio manifestauit. 1564.B
Deus regit omnia quæ creauit. 7.C.D
Deus quomodo relinquitur. 1551.C
Deus non est serus ad remunerandum. 991.A
Deus qualiter olim requisitus à gẽtilib⁹. 1400.A
Deus an sciret Adam præuaricaturũ. 909.A.C
Deus seculi huius. 1941.C
Deus saluator omnium hominum. 267.D
Deus maluit plures saluos facere, quàm vnum solum. 912.D
Deus quomodo velit omnes saluos fieri. 253.A
Deus omnia facit. 241.A
Deus quomodo saluos nos fecerit. 2076.C
Deus solus sine initio. 415.B
Deus quid spectet. 1016.C
Deus sphæræ assimilatus. 2000.C
Deus sanctus. 406.D
Deus sequendus. 197.D
Deus quare suscepit carnem. 208.A
Deus spiritus est, incorporalis & inuisibilis. 755.B
Deus non est temporalis. 1009.C
Deus tentat aliter quàm diabolus. 1000.C
Deus quomodo trinus & vnus. 897.A
Deus est vbique. 1586.A
Deus verax est. 244.B.1815.D.*veritas ipsa est.* 1519.B
Deus aliter vidit quàm homo. 815.C
Deus non videtur. 1009.C
Deus quomodo vincat cum iudicatur. 1191.D
Deus virtutum vnde dicatur. 1245.B
Deus quomodo ad vlciscẽdum moueatur. 1016.B
Deus à deo vnctus. 273.A
Deus vnius pœna multos corrigit. 1571.C
Deus vnus, non tres dij. 404.D
Deus vnus pater & filius. 420.A
Dei cura super homines. 980.C
Dei examen quale futurum sit. 1016.C
Dei filij quare nominentur. 256.C.*dei forma nihil differt à deo.* 2015.D
Dei gratia non desperanda. 981.A
Dei munera esse gratuita. 242.A
Dei munificentia larga in homines. 486.D
Dei natura simplex. 1746.A
Dei nomẽ cõmune patri & filio. 300.A.*& dein.*
Dei & domini nomen. 271.D
Dei occulta non scrutanda. 244.D
Dei progredi, egredi, ingredi, exurgere, obdormire, vigilare, &c. quomodo intelligatur. 1375.C.D.*&* 1376.A.B
Dei proprietates quatuor quibus cognoscitur. 409.B.*in fine*
Dei proprium. 1495.B
Dei verba non excidunt. 237.B
Dei virtus magna in singulis. 839.B
Deo an aliquid possit comparari. 419.A.B
Deo nihil est simile. 418.D
Deo nihil impossibile. 1162.D
Deo omnia possibilia. 1031.A.*in prin.*
Deo reddere quæ sunt reddenda. 507.D
Deo quid placeat. 2034.D
Deo quis seruit. 2010.D
Deo viuere. 369.A
Deum Apostolos triumphare in Christo facere. 1937.D
ad Deum prius confugiendum quàm ad remedia in morbis. 936.D
Deum dicere incuriosum. 1883.A.B
Deum ad dexteram habere. 1178.B
Deum esse, vel operibus cognoscitur. 1518.D
Deum esse natura quid sit. 434.D
Deum esse omnia in omnibus quid sit. 1929.A
Deum & Christum quare frequenter nominet Paulus. 188.A
Deum fateri bonum quis potest. 1172.D
Deum fugiens quis sit. 1179.B
Deũ homini primus diabolus nũcupauit. 1675.C
ad Deum quomodo itur. 1807.C.1817.C
Deum nihil præterire. 8.B.*& dein.*
Deum nemo præueniat. 469.B
Deum ore negans supplicij metri, sed ore confitẽs, an per pœnitentiam mereatur veniam peccatorum. 170.C.D.*&* 171.A.B.*& dein.*
ad Deum promerẽdum suffragatore opus non est, sed mente deuota. 1807.C
Deum qui sequitur, semper est tutus. 989.B

Deum veracem qui neget. 1806.C
Deum videre quid sit. 1622.C
à Deo & incipere debemus, & in ipsum finire. 1012.C
De bono deo dei filio. 287.C.D
ex Deo est principium, profectus & consummatio virtutum. 249.D
ex Deo principium virtutum. 249.D
in Deo duo principalia genera virtutum. 944.D
in Deo nulli gradus. 342.C
De deo vno. 271.D
Dij à deo adoptati. 1888.C
Dij duo de adulterio certantes. 94.A
Dij gentilium, homines fuerunt. 1205.A
Dij gentium vbi sint. 1068.C
Dij gentium etiam à suis irrisi cultoribus. 91.D
Dij mortui relinquendi. 2038.B
Dij multi dicuntur, sed non sunt. 1519.B
Dij Paganorum terra sunt. 1911.A.*in fi.*
Dextera quæ sit. 1178.D.2081.A
Dextera dei quæ sit. 1608.C
Dextera dei est Christus. 72.C.1728.C.D
Dextera patris dicitur filius. 383.B
in Dextera quæ sint. 1015.D
à Dextris dominum habere quid sit. 1178.B
δευτερόπρωτον *sabbatum.* 1400.C
Διαβήματα. 1309.A
Diana libidinum venatrix. 94.A
Diabolus quomodo aggressus fuerit mulierem. 915.D
Diabolus vbi mulierem inuenit, vincit: vbi non inuenit, victus est. 731.D
Diabolus quomodo amiserit gratiam. 1470.A
Diabolus in Christo falsus sit, nécne. 1632.B
de Diaboli recessu à Christo. 1671.A
Diabolus corpora à se repleta mouere solet. 1132.B
Diabolus quare damnatus. 921.C.D
Diabolus omnium delictorum auctor. 1555.C
Diabolus in seipsum diuisus. 1022.C
Diabolus multos excitauit ad malum. 1444.D
Diabolus est fœnerator peccati nostri. 1145.B
Diabolus inimicus generis humani. 915.A
Diabolus quare inuidit homini. *Ibidem*
Diabolus iustis etiam vtilis est. 178.A
Diabolus p ministros suos certamen auget. 576.D
Diabolus quomodo dicitur fuisse mortuus. 1836.D
Diabolus quomodo nocere possit. 1669.A
Diabolus in paradiso an fuit. 901.C
Diabolus perdicis imitator. 879.D
Diabolus in studio non est pertinax, sed cedit veræ virtuti. 1671.B
Diabolus ab homine exactus, in porcos mitti cupit. 1398.B
Diabolus tendit multa retia. 179.A
Diabolus seminat peccatum. 833.A
Diabolus studet secum plures habere supplicij consortes. 1425.A
Diabolus qua fraude primum hominem tentauerit. 901.B.C
Diabolus quomodo maximè bonos tentet. 1382.C
Diabolus tentator noster est. 177.D
Diabolus vt tentet, copias pollicetur. 407.D
Diabolus cur permittatur à deo tentare. 583.C. 1704.D
Diabolus quo vincatur. 1340.B
Diaboli arma. 1600.D
Diaboli debitores vt simus. 1252.D
Diaboli excusatio tollenda. 921.C
Diaboli imperium quàm latè patuerit. 1401.C
Diaboli impudentia. 1675.C
Diaboli infirmitas. 1731.D
Diaboli insidiæ ac laquei. 1666.D.& 1667.A
Diaboli insidiæ cauendæ in conuiciantibus nos. 1340.A.B
Diaboli metus in aduentu saluatoris. 1396.D
Diaboli natura non iniqua, sed opera. 1675.C
Diaboli obsequium. 177.D
Diaboli proprium. 1668.D
Diaboli mira tentatio aduersus prophetã Esayã. 1522.D
Diaboli voluntas nunquam facienda. 929.D
Diabolo custodia nostri commissa. 178.A
Diabolica vox quàm nociua. 1668.D
Dialectica diuitijs verborum fluit. 1304.C
Dialectica philosophorum seipsam conuincit. 320.D
Dialecticorum gloria. 435.A
Διαπαντὸς *quid significet.* 1455.B.1466.D
Dicere dei est facere. 392.A
Dicta sine factis nihil prosunt. 770.D
Dictami vis in excutiendis sagittis. 883.A
Didrachma nostrum Christus est. 1678.A
Didrachmum cuius Hebræus dimidium præcipitur offerre pro redẽptione animæ suæ. 505.D
Didrachmum pro quo accipiatur. 508.B
Dies quis dicatur. 964.D.2043.A
Dies nocti antefertur. 813.B
Dies cœli Christus dicitur, & quare. 747.B
Dies Christi. 1368.B
Dies Christi, incarnatio eius. 1386.D
Dies Christum repræsentat. 1869.B
Dies domini. 1777.C
Dies festus domini. 941.D
Dies eadem prima, quæ & octaua. 1400.C
Dies, Ecclesia est. 114.B
Dies & horæ diei quid mysticè. 1750.A
Dies humanus. 1891.B
Dies iudicij. 2063.D
Dies iræ. 1810.D.*in fi.*
Dies mala, iudicij. 1356.D
Dies quem fecit dominus. 440.C.746.C.D
Dies solis, dominica. 755.D
Dies vitæ istius quare breuiores. 1344.B
Dies vna. 475.A
Diei principium, vox dei. 813.C
ad Diem & de die viuentibus sepulchra pro domibus sunt. 1410.B
Diem omnem quis iudicat. 1870.C
Dies boni & mali. 1305.B
Dies Christi permanent. 1343.B
Dies dimidij. 1368.C
Dies duo, scilicet heri, & hodie. 596.B
Dies feriati à sacrificio. 1192.D
Dies halcyonides. 865.B
Dies hominis alius, alius Christi. 1343.C
Dies omnes sunt tanquam dominica. 1757.B
Dies præclari qui sint. 1368.A
Dies quibus à nobis Christus aufertur. 1681.D
Dies septem quid signent. 972.B
Dies tres ante solem fuerunt. 841.D
Dierum obseruatio. 1985.B
Dierum, mensium & annorum leges apud Hebræos. 1453.B
Dierum suorum non noctium numerum Dauid scire cupiebat. 1343.A.B
Diebus etiam noctes veniunt. 964.D
Difficilia intellectu non contemnenda. 900.B
Difficilius quispiam se quàm alterũ regit. 932.B
Difficultas in via virtutum. 1402.D
Digitus dei. 1212.D.1386.A
Digitus, spiritus sanctus dicitur. 1546.D.1728.D
Digito dei eiiciuntur dæmonia. 1693.D
Dignitas omnis secularis diabolicæ subiacet potestati. 1669.B
Dignitas est seruum esse potentiũ. 2051.D
Dignitatis acquirendæ ambitio pœnitentem non decet. 193.B
Dignitati quantum deferatur. 1607.A
Dilatatio Christi. 1393.B.C
Dilatio de alterius salute est periculosa. 1113.A
Dilectio casta. 683.A
Dilectio seruanda exemplo domini. 1873.C
Dilectio veri Christiani non vincitur tormentis. 1848.A
Dilectionis effectus. 494.B
Dilectione Christi vulnerati qui fuerint. 1454.C
Diligendus quomodo sit deus. 1461.A
Diligendus est frater, & non odiendus. 1585.D
Diligentia à superiore facienda circa virgines consecratas. 150.B
Diligere deum, mandatum dei est. 1608.B
Diligere iudicio, & diligere necessitate. 4.C
Diligere pl⁹ est quàm custodire. 1598.A.1603.D
Diligere deum verè quis dicatur. 1905.D. 1527.C.D
Diluuia multa. 980.D
Diluuium animæ. 970.A
Diluuium hominis. 961.A.B
Diluuium quando factum fuit. 966.C
Diluuium quid sit. 1240.D
Diluuij species quid repræsentet. 966.A
Diluuium magnum. 967.C
Diluuium propter peccata nostra datum. 955.D
Diluuium quomodo minuatur. 970.A
Diluuij causa. 1759.A
Diluuij vis exprimitur. 967.A.B
Dimitte incertum, & tene certum. 195.D
Dimittitur quod acceptum est. 1632.D
Dionysius Areopagites credidit. 658.D
Dionysius in exilio causa fidei defunctus. 578.D
Dionysius martyr. 765.A
Dionysius multa pro fide perpessus est. 664.D. *& deinceps*
Dionysius tyrannus deorum irrisor. 70.C.91.D
διορατικὸν *animæ.* 1021.C
Direptionis genus duplex. 1696.D
Diripiuntur hic multi non separati à christo. 1377.C
Dis apud gentiles quis dicatur. 1110.D
Discedere à domino quis dicatur. 1551.C
Discendum est à sacerdotibus. 440.B
Discendum à quo sit. 1538.A
Disceptatio discordiam parit. 1872.A
Discere à christo quid debeamus. 1545.A
Discessio quando fiet. 1778.A
Disciplina sine adiectione ac simpliciter dicta quæ intelligatur. 1367.B
Disciplina bellica quomodo assequenda. 5.C
Disciplina christiana. 2057.C
Disciplina dominica quid abhorret. 2049.A
Disciplina occultorum quanta sit. 1395.C
Disciplina pro conseruatione ponitur. 1367.B
Disciplina seuera & dulcis. *Ibid.*A
Disciplina domini duplex, seuerior & moderatior. 1494.A
Disciplina sine scientia molesta. *Ibid.*B
Disciplinæ excellentia. 929.B
Disciplinæ nostræ summa. 2058.A
Discipuli vnde dicti. 1053.B
Discipuli diaboli eo peiores. 1442.D
Discipuli Ioannis quid obumbrent. 1693.B
Discipuli 72. quos christus elegerat secũda classe. 1851.A
Discipuli multi assequuntur industria quod non didicerunt à magistris. 1529.C.*in fi.*
Discipuli passioni & resurrectioni difficile credidérunt. 1713.A
Discipulorum perfectio, magistri laus. 2040.B

Discipulis quomodo sit corona magister. 2022.A
Discipulos tacere quare iubeat Christus. 1713.B
Discordia corrumpit pacis fœdera. 2001.C
Discordia exordium iniustitiæ. 1868.D
Discordia vnde oriatur. 2001.C
Discordiæ inter serpentem & mulierem. 207.D
Discordibus nulla spacia possunt satis esse. 1013.C
Discrepantes à disciplina catholica spernendi. 2062.C
Dispares etiam ætate, vitæ delectari similitudine. 51.A
Dispensatio Euangelij. 1998 D
Dispensator ciuitatis qui sit. 1878.D
Dispersiones miræ. 1378.C.D
Disputationis simplicis virtus. 658.D
Disputatio sobria. *Ibid.*C
Disputationes vanæ. 1513.A
Diu viuere, cõmune sapientibus & insipientibus est: bene viuere, speciale sapientis est. 1024.D
In omni plebe Diuersitas est. 2019.C
Diuersitas sexus in resurrectione. 488.B
Diuersum & contrarium quomodo accipiuntur. 183.A
Diues quibus sit deus. 1856.D
Diues quid est. 1110.D
Diues est, qui suo contentus est. 1107.B
Diues dormire non potest. 1111.A.1153.D
Diues epulo. 1411.D
Diues epulo fructum quietis amisit. 1505.A
Diues epulo sanitatis remedium inuenit. 1329.A
Diues indutus purpura & bysso. 1755.A B
Diues iustus. 1151.B
Diues euangelicus pœnalibus vrgetur ærumnis, vt citius possit euadere. 1592.C
Diues in Ecclesia quis sit. 667.B
Diues in lege. 1441.A
Diues in seculo quantumuis magnus videatur, nihil est. 1318.C.D
Diues natus erat homo. 1252.D
Diues quomodo pauper sit. 1107.A
Diues pauperibus non impartiens reus est culpæ. 1769.A
Diues verus. 525.C
Diuitis epulonis sitis, Lazari satietas. 1126.B.C
Diuitis & pauperis comparatio. 890.A
Diuitis fœcunditas misera. 1111.C
Quid est Diuitem esse. 526.B.1012.A
Diuitem quid faciat. 667.B
Diuitem qualis deceat prædicatio. 1116.B
Diuitem deus quietum esse nõ patitur. 1111.A.B
cum Diuite plurima pereunt. 1106.D
Diuites à suis diuitiis possidentur. 1117.D
Diuites auari taxantur. 667.D
Diuites non omnes auari. 1768.B
Diuites egent & esuriunt. 1117.B
Diuites in deo. 1117.A
Diuites in hoc seculo timendi non sunt. 1411.B
Diuites in verbis qui sint. 1304.B
Diuites in quibus esse debemus. 1591.D
Diuites magis alienum panem quàm suum manducant. 1108.C
Diuites miseræ luũt paupertatis ærũnas. 1108.D
Diuites onerati auaritia. 692.D
Diuites qui intelligantur. 1689.B
Diuites quales esse debemus. 2064.C
Diuites quare irascantur. 1114.B
Diuites reprehenduntur. 1108.C.D
Diuites terram non capere, seculare est vitium. 990.A
Diuitum ac nobilium ineptiæ. 1115.D
Diuitum auaritia cui comparetur. 1113.B
Diuitum consuetudo. 1113.C
Diuitum malorum detestatio. 1106.D
Diuitum mensa multorum instruitur sanguine. 1109.B
Diuitum seruitus misera. 1115.B
Diuitum superbia quàm stulta sit. 1115.D
Diuites nescit natura. 1106.D
Diuitiæ Abrahæ. 1013.A
Diuitiæ bonæ. 125.A
Diuitiæ bonitatis. 525.D
Diuitiæ cur homini dentur. 10.A
Diuitiæ fugiendæ. 1303.B
Diuitiæ huius seculi incertæ. 734.A
Diuitiæ non præiudicant fidei. 1363.C.*in fi.*
Diuitiæ non omnes criminosæ. 1755.B
Diuitiæ vt fructuosæ sint, & contrà. 908.D
Diuitiæ, nostræ non sunt, sed alienæ. 1752.D
Diuitiæ peccatorum. 1304.A
Diuitiæ ad quid prosint. 1110.C.D
Diuitiæ quid prosint in hoc mundo. 604.A.D
Diuitiæ nullum adminiculum præstant ad vitam beatam. 40.B
Diuitiæ salubres. 1520.A
Diuitiæ seculares in homine iusto non laudantur. 1012.A
Diuitiæ simplicitatis. 525.D
Diuitiæ superabundantes. 1996.C
Diuitiis non confidendum. 667.B.C
Diuitias contemnere quàm magnum sit. 46.D. 1479.D
Diuina quomodo sint præferenda. 1549.A
Diuinæ substantiæ subsidia quare hominibus desunt. 1582.A
Diuina non esse subiecta imperatoriæ maiestati. 582.D
Diuinitas non est immolata. 431.A
Diuinitas non recipit numerum. 405.A
Diuinitas vbi habitet & consistat. 790.D
Diuinis mandatis nihil est addendum neque detrahendum. 916.A
in Diuinis scripturis quid examinandum sit. 1763.D
Diuisi qui sint, & qui non. 1022.C.D
Diuisio rectè facienda. 1314.A
Diuisio vbi deest, totum sacrificium refutatur. 947.A
Diuisiones carnis & animæ. 1022.A
Docebant omnes primum. 2002.D
Docens debet excellere eum qui docetur. 87.B
Docere quid sit. 2058.C.*in fi.*
Docere qui præsumunt, nesciunt. 1529.C
Docere se multi dicũt, quod nõ intelligũt. 1529.C
Doceri omnis homo potest quandiu viuit. 1.C
Docet de° & illuminat mẽtes singulorũ. 1491.C
Docilitas brutorum. 940.A
Doctor ex persecutore datus. 182.D
Doctor quomodo eligendus. 2067.B
Doctores qui sint. 1919.D
Doctores debent firmare infirmos. 1873.A
Doctores & docentes differunt. 1529.D
Doctores honorandi. 1727.A
Doctrina alia ex deo, alia ex homine. 292.B
Doctrina bona. 2059.A
Doctrina dominica quibus ornetur. 2075.C
Doctrina & bona vita duæ res sunt. 1862.B
Doctrina insana. 2075.B
Doctrina mala & adultera quibus significetur. 1889.C
Doctrina moralis omnis suauis est. 1421.B
Doctrina quæ mercedem habeat. 1423.B
Doctrina sana. 2075.B
Doctrina sapientiæ triplex. 1434.D
Doctrina sine vita integritatẽ nõ habet. 1422.A
Doctrina sine vitæ innocentia. 1423.B
Doctrina superna semper hominibus adhibita. 259.B.C
Doctrinæ gratiam non diuidens imperitis, reus est culpæ. 1769.A
Doctrinã apostolicã criminabãtur Iudæi. 1816.D
Doctrinã intellectus facit, non memoria. 1501.C
Doctrina peruenitur ad iustitiam. 1053.B
Dodoneæ arbores. 569.A
Doech Syri fallacia. 69.D. *nequitia.* 1084.C
Dolor adiumento est ad vitam æternam. 40.B
Dolor maior qui sit. 541.D
Dolor verus. 1332.D
Doloris acerbitas naturaliter fugitur. 881.C
Doloris sensus melius signum in ægris quàm nullus sensus doloris. 1331.D
Doloris sensus, sensum arguit vitæ. 1190.C
Doloris summi vis. 1568.D
Dominatus necessitatis causa. 1936.B
Dominus non est acceptor personarum. 773.B
Dñs & deus nõ superfluè simul iũgũtur. 966.B
Dominus quomodo dicatur iustificari. 1192.A.B
Dominus Iesus auctor est corporis nostri. 1501.A
Dominus laudandus. 122.C.D
Dñs maiestatis quõ crucifixus. 290.A.1886.A
de Domino maiestatis dei filio. 290.A. *& dein.*
Dñs nomen est magnificẽtiæ & potestatis. 271.D
Dominus semper orandus. 1582.B
Dñs spiritussanctus sicut pater & filius. 405.A
Dominus vbique bonus. 1493.B
Dominus vnus. 1752.C
Dominus vt vincat, famem nutrit. 407.D
Domini est omnia complere. 366.A
Domini visitatio. 2084.D
in Domini lauacro non desinit mysterium trinitatis. 712.B
Dñi diuersi volũt nos tenere in seruitute. 1023.D
Domini quomodo seruis imperent. 670.C
Dominorum concordia seruulorum dissensione soluitur. 989.C
Dominis duobus nemo potest seruire. 1752.C.D
Dominos multos habet secularis homo. 1524.A
Dominica quare nobis sit venerabilis ac solemnis. 755.D
Dominica die ieiunium nescit ecclesia. 1757.B
Dominica dies sabbatum sequebatur. 1400.C
Dominica oratio omnia comprehendit. 1311.A
Domus quæ sit. 1565.A
Domus corpus immortale significat. 1944.A
Domus dei communis diuiti & pauperi. 890.B
Domus in viro & muliere. 913.C
Domus iustorum in cœlo est. 1410.B
Domus legis, Iudæa. 1700.D
Domus magna. 2069.C
Domus dei magna est. 930.D
Domus matris nostræ. 108.A
Domus mentis quæ sit. 1007.D
Domus negociationis quæ sit. 1573.B
Domus nostra, domus Christi. 1410.A
Domus quam Zelare debemus. 1573.A
Domus Simonis leprosi. 1699.C
Domus totum censum representat. 1478.D
Domus vera quæ sit. 1680.D
Domus vna quæ omnes capit. 13.C.1736.C
Domus vna vt dicatur, & vt plures. 969.B
Domus maiores. 1087.D
Donec particulæ vsus. 134.C
Domesticus dei. 1474.D
Domestici hominis, inimici eius. 1332.D
Donare quid sit. 392.A
Donec quõ itelligi debeat. 134.C.971.B 1632.D
Donec quomodo accipiatur. 1632.D. *& dein.*
Donum dei gratis donat peccata. 1862.C
Donum dei quare venit. 1988.B
Donum dei immortale. 1996.C

Donum à deo, quomodo manifestatum. 2073.D
Donũ de fame parentũ non quærit deus. 1764.D
Dona dei. 1957.A
Dona meliora. 1986.C
Donorum dei administratores sumus, non domini. 10.A
Dorcas vnde dicatur. 1463.B
Dormientibus comparati mortui. 468.D
Dormientibus necessarius deus adest. 737.D
Dormire somnum suum. 1118.A
Dormitio quid sit. 2008.B
Dormitio Christi in naui quid repræsentet. 701. C.D
Dothain, defectus idoneus interpretatur. 208.D
Dothain quid interpretetur. 1078.B
δόξα quid significet. 326.C
Drachma pro quo accipiatur. 508.B
de Drachma perdita & inuenta. 1748.C
Draco elephantem ligat. 832.A
Draco in escam. 1715.C
Draconem coluerunt Babylonij quem occidit Daniel. 1808.A
Dracones sine pedibus. 866.C
Dubitare quid sit. 352.C
Dubius in fide, deo displicet. 3014.B
Ducere in altum, quid sit. 113 D.701.B
Duæ molentes in pistrino. 1760.D
Duo consentientes in euangelio. 131.A. *qui sint.* 1745.C.D
Duo in agro. 1761.A
Duo in lecto vno. 721.A.1760.C.D
Duo ab homine requisita. 904.D
Duo præ cæteris deum mulcentia. 895.B
Duobus testibus multi innocẽtes oppressi. 1114.B
Dulcibus inflantur corpora. 1128.D
Dux quare creatur populo. 2058.D

E

EBrietatis descriptio. 1129.B.C. *& dein.*
Ebrietas multiplex. 1293.C
Ebrietas duplex. 1132.D
Ebrietas bona. 930.C.1280.C.1532.A.1599.B
pudicitiæ custos. 931.A
Ebrietas sancta. 1550.D
Ebrietas mala. 931.A
Ebrietas est mater perfidiæ. 1129.B
Ebrietas & corpus & animam lædit. 1131.B
Ebrietas incesti origo. 1124.B
Ebrietas summopere euitanda. 179.C.998.D
Ebrietas quantum nocet mulieribus. 159.C
Ebrietatis incommoda. 998.D.1132.B. *& dein.*
Ebrietatis magna detestatio. 1132.B
Ebrietatis species gemina. 982.D
Ebrietati conuenientia. 1124.B
Ebrietati sacrilegium coniunctum. 1129.B
ex Ebrietate dicta, an ad crimen tenenda. 1133.A
Ebrietate quæ peccãtur, qualia habeãtur. 998.D
Ebrietate nemo curatur. 1131.B
Ebrij amplius bibunt. 1126.B
Ebriorum hominum stoliditas. 1129.B
Ebriosus & fornicator omnis, pauper fiet. 1201.D
Ebrioſi mens vino peruertitur. 1131.C
Ebrioſi proprium. 982.D
Ecclesia quomodo adhærere debet capiti. 2009.D
Ecclesia quomodo à Christo adamata. 1208.A.B. *& dein.*
Ecclesia Christi quæ sit. 1949.B
Ecclesia in Christi cubiculum introducta. 1426. A.B
Ecclesia armis spiritalibus vincit. 160.D
Ecclesia aurum cur habeat. 56.B
Ecclesia ciuitas sterilis aliquando fuit, modo fœcunda est. 786.D
Ecclesia & cœlum dicitur, & orbis terrarum. 1521.A
Ecclesia comparatur caprarum gregi. 1234.A. *horto.* 1794.B. *mari.* 827.D. *viti.* 834.B. *malo punico.* 836.C
Ecclesia ex quibus sit congregata. 1625.B
Ecclesia à verbo cœpit non ab homine. 1645.A
Ecclesia domini quomodo in Christianis consolatur non in Iudæis. 1323.B
Ecclesia quomodo copulatur. 105.B
Ecclesia dei corpus est Christi. 677.C.1373.A
Ecclesia vnum corpus. 2001.C
Ecclesia corona gloriæ. 1547.B
Ecclesia currus est dei. 1435.B
Ecclesia quare decora in virginibus. 125.B
Ecclesia est desertum. 1645.A
Ecclesia desponsata in paradiso. 1422.C
Ecclesia docet nos Christum tenere. 107.D
Ecclesia domus est castitatis. 1466.B. *domus dei.* 1917.D
Ecclesia ex duobus constat. 1729.B
Ecclesia per Euangelij disciplinam seruanda. 1497.C
Ecclesia pro nobis exorat ad deum. 1680.B. *pro nobis flet.* 1692.D
Ecclesia quæ in fauis condidit, vt sit cibus Christi. 110.D
Ecclesia quomodo sit flos. 1453.C
Ecclesia quomodo fundatur. 1406.D.1794.B
Ecclesia ianua nuncupatur. 1611.A
Ecclesia quomodo sit immaculata. 1625.B
Ecclesia vnde sumpsit initium. 2009.B. *vnde incrementum sit consecuta.* 1378.B
Ecclesia 70. interpretes sequitur. 1494.C
Ecclesia vbi iustificatur. 1700.D
Ecclesia, iustorum est tabernaculum. 1010.A
Ecclesia quem lauerit, non habet necesse iterum lauare. 1767.A
Ecclesia est libera. 1659.A
Ecclesia quomodo dicatur lilium. 1452.C
Ecclesia mane adeunda, ante opera secularia. 1585.B
Ecclesia quare magna dicatur. 1354.D
Ecclesia malignantium. 1878.A
Ecclesia mater viuentium. 1649.D
Ecclesia quomodo fuerit dicta meretrix. 1228. B.C
Ecclesia habet muros suos. 1610.D
Ecclesia quomodo molit. 694.C
Ecclesia typo mulieris figurata. 1744.C
Ecclesia osculatur Christum foris. 130.B.C
Ecclesia persecutionibus probatur. 1369.B
Ecclesia dei fuit in prædestinatione. 1027.C
Ecclesia est regina. 1030.C
Ecclesia speciosa vt luna. 851.B
Ecclesia quomodo speciosa sit. 1556.B
Ecclesia quõ sterilis videtur in hoc seculo. 1027.A
Ecclesia sine cruce stare non potest. 750.D
Ecclesia an suscipiat onus peccatoris. 180.B
Ecclesia per multa tempora suspensa. 1034.B
Ecclesia quomodo dicatur templum dei. 1010.A
Ecclesia, torcular fontis æterni. 355.C
Ecclesia dei vbi sit. 1068.C. *vbi inuenitur.* 1004.C
vbi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna. 1363.B
Ecclesia virgo est. 119.B. *virgo & mater.* 82.D
Ecclesia vita est. 1306.D
Ecclesia à deo vocata. 386.D
Ecclesia in nobis vulneratur. 104.C
pro Ecclesia multa toleraũerunt Petrus & Paulus, & cæteri apostoli. 1378.B
Ecclesiæ acclinatio opaca. 1449.A
Ecclesiæ ancilla est synagoga. 1027.A
Ecclesiæ caput, crines, oculi, dẽtes, &c. 1547.C.D
Ecclesiæ conuiuium in horto est. 930.C
Ecclesiæ desiderium Christi. 1209.B
Ecclesiæ fides quomodo acquiratur. 1004.C
Ecclesiæ figura. 1742.A
Ecclesiæ figura in Magdalena. 1502.D
Ecclesiæ & Christi figura Eua & Adã. 920.D
Ecclesiæ filij omnes sacerdotes sunt. 1684.B. *in fi.*
Ecclesiæ fundamẽta & culmina qui sint. 1401.D
Ecclesiæ gloria vbi sit. 130.B
Ecclesiæ gratia, laus doctoris. 54.A
Ecclesiæ intercessio. 1680.B
Ecclesiæ mysterium exprimitur. 1026.D.1729.B
Ecclesiæ oculi duo. 1557.D
Ecclesiæ partus. 1031.B
Ecclesiæ possessio sumptus est egenorum. 571.D
Ecclesiæ prius quàm synagogæ regnum in prædestinatione delatum. 1063.D
Ecclesiæ sacrificium est quod offertur deo. 425.A
Ecclesiæ tentationes. 1612.B
Ecclesiæ thesauris non parcendum tempore necessitatis. 56.A.B. *& dein.*
Ecclesiæ victoria, eiúsque arma. 1369.C
Ecclesiæ vulnus, lapsus noster. 104.C
Ecclesiæ suæ Christus non deest. 1232.D
Ecclesiam dei separantes, diabolico vtuntur spiritu. 185.C
ad Ecclesiam omnes vocantur. 1407.B
Ecclesiã Romanã in omnibus cupit sequi Amb. 1244.D
ab Ecclesia excuti, maximopere cauendũ. 1362.D
in Ecclesia quare conuenitur. 1915.A
in Ecclesia diuersi sunt homines. 2069.A
Ecclesiæ sunt ædificandæ. 788.B
Ecclesiarum omnium duo sunt populi. 1878.D
in Ecclesiis quãdo officia ordinata sunt. 2003.A
Ecclesiastes Salomonis, naturalis. 1037.C
Ecclesiastes liber bonus magister ad omnia. 1147.C
Ecclesiastes naturalem locum exprimit. 1422.B
Ecclesiasticus diuitiis studens quàm pernicioſus. 2063.B
Ecclesiasticus sit hospitalis, non cõuiua extraneus. 13.B
Ecclesiasticos ad honores sincero proposito nitendum. 53.D
Echeneidis pisciculi mira vis. 562.D. *in fi.*
Echidna, fœneratoris pecunia. 1147.A
Echidnæ natura. 1147.A
Echini marini præscientia. 860.B
Echinus terrenus siue Hericius. 881.B
Edaci, tormenta & vigiliæ. 930.A
Edebant & bibebant, vxores ducebant, & nubebant, vt intelligatur. 1759.A
Eden voluptas. 904.A
Edendo Christi carnem quid significamus. 1915.B
Edom quid interpretetur. 1454.D.1588.D
Effrem quid interpretetur. 545.B.1094.C
Effrem lachrymæ ac pœnitentia. 187.A
Effrem semen. 1541.B
Effrem quare maior Manasse. 1541.B
εἰς τὸν αἰῶνα, variè interpretatum. 1516.D
Elatio, peccatum est. 1866.B
Elatio, vitiosa res est. 1962.C
Eleazar patris induuiis induitur. 663.B
Eleazarus sacerdotum sacerdos. 1071.B
Eleazari afflictio. 1071.B
eiusdem fortitudo & mors. 28.C
Electrum. 838.B. *in fine*
Electus requiesceret in monte domini. 174.B
Electi à domino, sunt. 1380.A
Electi ad Euangelizandum qui fuerunt. 1882.C

Electi ad tempus. 1847.A
qui Eligantur à deo. 930.D
Eligenda quæ sint. 1016.B
Eligendus episcopus magna cura. 2055.B
Eleemosyna beata. 734.A
Eleemosyna commendatur. 722.D.*& dein.*
Eleemosyna danda. 146.C.*& cui.* 48.B
Eleemosyna extinguit peccatum. 705.C
Eleemosyna qua intentione fieri debet. 192.A *& dein.*
Eleemosyna necessaria. 6.B
Eleemosyna quomodo proficiat. 1115.C
Elementa Græcè στοιχεῖα dicuntur. 826.D
Elementa quid repræsentent. 1984.B
Elementa in aliam speciem vertuntur. 1710.D *in fine*
Elementorum inter se connexio. 826.D.*commistio.* 806.B
Elemẽta propter scelus hominũ dãnantur. 948.C
Elementa quare infirma & egena. 1985.B
Elementa testantur in hominem malum. 1543.C
Elephantorum descriptio. 883.D
Elephas dentibus armatur. 884.D
Elephantus tauris terribilis, murem timet. 885.A
Elephas cur trabibus fulciatur. 884.A
Elephanti pedes. *Ibid.D.promuscis.Ibidem*
Elephanti quid rebus bellicis ministrant. 884.B
Elephantorum mirum ingenium. 1133.B.C
Elephantorum vitæ longitudo. 884.C
Elephantis insidiæ propter ebur paratæ. *Ibid.B*
Eloquia dei seruanda. 1495.A. *non tacenda.* 1608.A
Eloquia domini abscondenda in corde. 1433.C.D
Eloquia domini nõ possunt esse diuersa. 2044.B
Eloquia dulcia. 715.A.1531.D
Elymas Magus. 851.D
Emendi agri cautio. 1528.D
Emendus quomodo sis tui ipse tibi. *Ibidem*
Emitur Christus diuersimode. 408.D.*in fine.* *& 409.A*
Empti precio qui sint. 1029.A.B
Emerentianæ passio. 792.C
Emisit spiritum Christus, non amisit. 428.D. 1399.A.1431.B
Emmanuel, nomen Christi. 1289.B. *quid significet.* 431.B.1399.A
Emphasis quid sit. 980.B
Ἐμπειρικοὶ primùm vocati sunt medici. 1320.B
Enauigandus mũdus nõ erat sine Christo. 1703.B. *in fine*
Enchoria auium genera quædam, quædam aduentitia. 866.D
Engaddi quid interpretetur. 1436.C
Enneadecateris. 671.A
Enoch diues. 526.A
Enoch ad cœlum raptus. 458.D. 903.C. *& 904.A*
Enoch tempore vltimo futurus apostolus. 1892.B. *in fine*
Enoch & Helias vẽturi quare sint. 1892.B.*in fi.*
Enon quid interpretetur. 1320.D.*in fi.* 1553.D
Ἐνόντα quæ dicantur. 1026.B
Enos, dei cultor. 903.C.*&* 904.A
Enos creditur translatus. 1032.C
Enos Latinè dicitur homo. *Ibidem*
Entelechia Aristotelis. 548.B.955.B
Ἐντροπὴ quid. 1386.D
Epaphroditus qualis vir erat. 2019.A
Ephesiorum feruor. 1757.B
Ephesios confirmauit Apostolus in fide. 1993.A
pro Ephesiis multa mala passus est Apostolus. *Ibidem*
Ephrata quid interpretetur. 542.B
Epicurus assertor voluptatis. 657.C
Epicurei corpore viuunt, & non mente. 658.B
Epicurei voluptatem summum bonum esse dicũt. 1030.D
Epicureis non videtur deus humana curare. 7.D. *in princ.*
ἐπινίκιος, hymnus. 1338.B
Epiousios panis. 311.C
Ἐπιούσιος panis qui sit. 1252.B.C
Epiphania apparitio interpretatur. 1710.A
Episcopatum pecuniis comparantes. 1260.D
Episcopus quid interpretetur. 1262.C
Episcopus qualis esse debeat. 663.D.2073.D. *& dein. quid agere debeat.* 55.D
Episcopus debet esse vnius vxoris vir. 1259.C
Episcopus lux est ecclesiæ. 1262.A
Episcopus domini vicarius est. 1914.A. *in fi.*
Episcopus sacerdotum princeps. 2002.D
Episcopi munus in membris putridis. 55.D
Episcopum quid creat. 2003.B
Episcopi appellabantur primi presbyteri. *Ibid.A*
Episcopis nihil sublimius reperitur. 1258.C
Episcopi proprium munus docere populum. 1.A
Episcopi boni sunt laudandi. 1258.D
Episcopi de laicis in ecclesia, & non laici de episcopo in consistorio iudicare debent. 574.C.D
Episcopi mali ac vitiosi, miserabiles. 1256.D. *in fi. & dein.*
Episcopi sacerdotalem honorem diffamantes. 1260.D
Episcopi sententiam Gieẓi & Simonis sectantes. *Ibidem*
Episcoporum regula. 1259.B
Episcopalis dignitas ad quid voluitur per culpam. *Ibid.C*
Episcopalis dignitatis signa. 2054.D
Epistola imago est. 1935.B
Epistola ad Ephesios plus benedictionis increpuit in plebem dei, quàm vlla alia. 537.C
Epistola manu Pauli scripta. 396.A.2037.A
Epistola salutis indicium. 1939.A
Epistolarum genus ad quid repertum. 614.C
Ἐπιθυμία quid sit. 1331.C
ἐπιθυμητικὸν animæ. 1021.C
ἐπιτραχήλια bellatorum. 1566.D
ἔπου θεῷ, sapientis dictum. 987.D
Epulæ spiritales prosunt. 1607.C
Epularum conciliatio. 1361.A
Epulatio bona. 1378.A
Epulationis nostræ ouis Christus. *Ibidem*
Epulonum cura. 1125.D.*& dein.*
Equestrium spectaculorum vanitas. 1457.A
Equa pro equitatu. 1434.D
Equæ Salomonis comparata anima. 1036.C.D
Equus albus Ioanni visus qui fuerit. 1362.A.B
Equus Dianæ immolatus. 93.D
Equus comparem suum diligit. 858.D
Equus indomitus. 93.D
Equus vulneratus qui sit. 1362.A
Equi adhinnientes, libidinosi. 1447.A
Equi boni, & equi mali. 1046.D.
Equi plausu hominum fremunt. 594.A
Equi & equites mystici. 1118.A.B
Equi quatuor animæ. 110.B
Equorũ bonorũ duodecaiugum mirabile. 1450.D
Equorum docilitas. 940.A
Equorum natura. 1018.B.1190.A
Equorum suorum nobilitatem prædicant diuites. 1115.D
Equos suos habet Christus. 1450.D
Equites dormientes. 1100.B
Erigimur à filio dei. 279.A
Erranti facilius datur venia, quàm improbè in alium iudicanti. 1592.D
Errantem ad pœnam misericorditer tradit deus. 171.A
Errauit & errat quid significent. 1604.C
Error humanus quid inuenerit. 2031.C.*in fi.*
Error omnis, caro dicitur. 1957.C.2044.B
Erroris agnitio quàm salutaris. 1190.B
Erroris medicina. 133.A
Errori renunciasse quid sit. 1604.D
Errorum grauia, graues contritiones excipiunt. 1280.A *& dein.*
Errores fortissimi etiam viri non potuerunt cauere. 1184.A.B
Eructuare hymnum. 1607.B
Eruditio plena iustitiæ est. 1537.A
Eruditus in bono quis sit. 1878.B
Erumpere in sermonem non ex ira. 3.A
Esaias denudatus in conspectu populi. 588.A *nudum se non conspicabatur.* *Ibid.C*
Esaiæ prophetæ nuditas. 1350.B
Esaias quomodo non confusus. 587.C
Esaias in capite vulneratus. 1772.D
Esaias medius sectus. 1071.A
Esaias spiritu diuino locutus est. 659.D
Esaiæ locus declaratus. 487.B
Esaiæ mira tentatio. 1522.D
Esau quid interpretetur. 1487.A. *quare vocatus sit Edom.* 1588.D
Esau typus malitiæ. 924.D.*typus populi Iudaici.* 1987.C
Esau quomodo perdiderit primatus benedictionẽ. 669.A.927.C
Esau & Iacob discordia. 24.D.209.B.C
Esca alimenti cœlestis. 506.B
Esca diaboli. 1542.C
Esca laquei. 1542.C
Esca opus dei est. 1872.A
Esca quam deus hominibus subministrat. 1392.C
Esca secundum naturam sola medicina nobis est. 837.A
Esca fratris quidam tentantur. 1603.A
Escarum laquei. 1125.D
Escas diuidit Iesus. 1708.D
Esdras memoria scripturas reddidit. 659.D
Esdras remunerationem inuenit. 226.B
Esdræ reuelauit iustos cum Christo futuros. *Ibid.*
Esdræ liber legendus. 548.B
Esse deo soli competit. 622.C
Esse in carne, & in carne nõ esse. 1835.B.1842.C
Esse in Christo. 1770.A
Esse in principio. 276.B
Esse semper quid sit. 333.A
Esse sub lege. 1833.A
non Esse cur dicantur repudiati à Christo. 1380.A
Est primum, secundum & tertium. 1708.A.
Esurienti panem dare, quis fructus. 777.D
Et, syllabæ coniunctiuæ proprietas. 1576.D
ἑτερόσια quæ sint. 334.D
Ethicus sermo scripturarum, velut mel. 1532.A
Etiam, confirmatiuum verbum. 1031.A
Eua de Adæ costa formata. 166.C.913.A
Eua malè induxit Adam. 740.C
Eua quæ perierat, salua facta est per Ecclesiam. 1307.A
Eua quid repræsentet. 1007.B
Eua sensus est. 901.D
Eua vita interpretatur. 132.D
Euæ lapsus. 2.A
Euæ peccatum multiplex. 907.D
Euæ quare peccatum veniabile. 921.B
Euæ atque Adæ tentator serpẽs, voluptas. 657.D
Euãgelista veritati plus q̃ gratiæ dedit. 1786.A
Euangelistæ diaconi sunt. 2002.C

Euangeliſtæ diuerſo genere præſtant. 1619.C. & 1620.D. & deinceps

Euangeliſtæ ſortem miſerunt ſuper veſtem domini. 1154.A

EuangeliZandi officiũ quibus mãdatur. 1796.B

EuangeliZans regnũ dei qualis debet eſſe. 1706.D

EuangeliZantes Ieſum euangeliZant. 527.D

EuangeliZare maius eſt quàm baptiZare. 1882.B

Euãgeliare quibus primùm conceſſum. 2003.A

Euangelium quid ſit. 1802.A

Euangelium quid ſit. 1972.C

Euangelium quid nobis loquitur. 1887.B

Euangelium diuerſis prædicatur. 973.C

Euangelium quare prædicetur. 1777.B

Euangelium crucis Chriſti ad omnes miſſum. 252.C

Euangelium fidei doctrina, & morum magiſterium. 1593.D

Euangelium indulgentiam habet. 640.B

Euangelium Ioannis cæteris excellentius. 1245.C

Euangeliũ Ioannis eſt naturalis ſapiẽtia. 1619.C

Euangeliũ in quatuor libris perfectũ eſt. 1025.A

Euangelium quantum diſtet à lege. 1804.A

Euangelium parabolarũ ratione ſubſiſtit. 694.A

Euangelium per Ieſum datum eſt. 1531.C

Euangelium pro mari poſitum. 858.B

Euangelium paradiſus eſt. 599.A

Euangelium reſuſcitatum. 1087.A

Euangelium ſpeculũ iuſtæ conuerſationis. 1593.D

Euangelium ad omnium vocationem dirigitur. 253.A

Euangelium gratis prædicauit Paulus. 1967.B

Euangelij gratia quando cœpit reſplendere. 1381.B

Euangely laus. 722.A. *perfectio.* 1689.D. *veritas.* 1349.D

Euãgelij prædicatio Apoſtolis debebatur. 208.A

in Euangelij traditione ſtandum eſt. 2047.D

ad Euangelium quõ accedere debeamus. 1384.D

Euangelium meum dicit Paulus. 2067.D

Euangelium non erubeſcit Paulus. 1806.A

nulla pars mundi ab Euangelio vacat. 268.B

Euangelio profecerunt ſtudia caſtitatis. 1515.B

in Euangelio Chriſtus multorum officia ſuſcepit. 1593.D

in Euangelio geniti. 4.C

Euangelia à diuerſis ſcripta. 1621.C

Euchariſtia conficitur ſermone Chriſti. 1248.A

Euchariſtia quare ſemper accipienda. 1249.C

Euchariſtia quare ſub aliena ſpecie accipiatur. 1253.C

Euchariſtiæ myſterium. 1915.B

Euiratus quis dicatur. 979.B

Εὐνομίαν. 1195.A

Eunomiani error. 424.D

Euphrates fluuius. 902.A.903.B.1281.C.*vnde ſic dictus.* 1026.C.*quid interpretetur.* 1004.C

Εὐσχημόνως, *quid ſignificet.* 31.B

Euſebius ſanctæ memoriæ. 664.C.D

Euſebius martyr. 764.C

Euſebius hæreticis ſe hæreticum eſſe mentitus eſt. 765.A

Euſebius pro fide dura perpeſſus eſt. 664.D

Euſebij martyrium. 765.B

Euſebius Nicomedienſis. 311.B

Euſebius Verſellenſis epiſcopus. 764.B.C

Euſtorgius confeſſor. 578.D

Ex ipſo quid ſit. 385.A

Exactio non omnis apud deum damnata, ſed iniqua. 696.A.B

Exactores qui ſint. 1739.B

Exaltans ſe, etiam ſi verũ dicat, offendit. 1443.B

Exaltati corde. 1504.A

Examen hominum ſæpe falſum. 1016.C

Examinabuntur omnes. 1590.C

Examinatio fiet per ignem. 1889.C.D

Exelſior cœlis quõ Chriſtus ſit factus. 307.C

Exceſſus prophetis fieri ſolet. 1023.A

Excidium Iudæorum diabolus inuenit. 1563.C

Excitare in æmulationem quid ſit. 1296.D

Exclamare conſueuimus, & quare. 1580.C

Excludi in bono quid ſit. 1492.C

Excommunicatio tardius exercenda. 55.D

Excludere quid ſit. 172.A

Excluſio quid ſit. 1492.A

Excrementa quà egerantur, quàm bene à deo prouiſum. 12.B

Excuſatio ætatis minoris quando admittenda, & quando non. 1539.D

Excuſationes in peccatis. 919.A.B

Exempla facilius ſuadent quàm verba. 1922.C

Exemplum ſalutis credentium. 1995.A

Exempla ſeueritatis cur proponantur. 1571.C

Exequiarũ officium mortuis deferẽdum. 1003.B

Exercere nos debemus. 1522.A

Exerceri in præceptis domini quid ſit. 1506.C

Exerceri in verbis Apoſtolorum. 1435.B

Exercitatio quomodo perfectionem conferre poſſit. 1009.A

Exercitatione augentur omnia. 947.A

Exercitium corporis duplex. 2058.A

Exercitium in opere fidei bonum. 1988.C

Exercitus diſpoſitio. 969.B.C

Exhortatio quid ſit. 2058.C

Exhortatio quibus neceſſaria ſit. 1919.A

Exhortatio blanda. 1505.C

Exhortatio pro conſolatione. 1504.C.*in fi.*

Exilium leuius clauſtris carceris. 1592.C

Exinanire quid ſit. 2016.A

Exinaniuit ſe Chriſtus. 1591.A.422.B

Exire quid ſit. 282.A

Exire de terra ſua quid ſit. 987.D. & 1007.C

Exitus ex Ægypto. 1218.A

Exlex quis. 1549.B

Exeundum eſt ex Ægypto. 1452.A

Exorciſtæ. 2002.C.*in fine*

Expectare dominum quid ſit. 1318.A

Expectatus Chriſtus iam inde ab Adam. 1350.C

ab Experientia primùm medicina cœpit. 1320.B

Explorare quid ſit. 1976.D

Exploratores ſecus acceſſus nauium. 1099.B

Expulſi à Roma tempore famis. 66.B.C

Expurgare, & non proiicere. 180.A

Expurgare quomodo nos oporteat. 180.A

Exquirere iuſtitias quid ſit. 1581.D

Extollentia, ſuperbia eſt. 1963.A

Extollimur fruſtra inflati. 926.D

Extorquere pluſquam dederis, duritiæ eſt. 62.A

Extra Chriſtum eſſe. 1770.A

Exultatio vniuerſæ terræ quæ ſit. 1401.C

Exurge Borea, & veni Auſter excuſſũ. 1283.C.D

Exuperantius martyr. 764.C

Ezechiæ regis humilitas. 1538.A

Ezechiel iuſſus eſt flere Hieruſalem. 188.C

F

Fabæ flos quàm gratus. 840.C

Fabula cuiuſdam adoleſcentis qui reſpondit veteri dilectæ, Ego non ſum ego. 193.B

Fabulæ cauendæ. 15.C

Fabulæ circa res nobis certiſſimas. 2076.D

Faber pater Chriſti dicitur. 708.A

Fabri filius dici cur voluerit Chriſtus. 1652.B

Fabula peccantium ocioſa. 1159.C

Fabulæ aniles. 2057.D

Fabuloſa hæreſis. 2076.D

Faciei præſtantia inter cætera membra. 1392.A.B

Faciei Chriſti. 1392.B

Facies Damaſci. 1458.B.C

Facies decora. 1467.C

Facies dei non videtur ab homine. 1392.D

Facies dei quomodo videtur. 1481.D

Faciei dei auerſio quàm grauis nobis ſit. 1195.B

Facies Moyſi corporaliter illuminata. 1567.D. & 1568.C

Facies plerunque conſcientiæ index. 1128.C

Faciem exterminare. 1128.C

in Facie quis cæditur. 1963.A

Faciem ſuam deformans adoleſcens, ne adamaretur. 127.A

in Faciem reſiſtere quid ſit. 1978.B

Facilitas ventæ incentiuum tribuit delinquendi. 1482.D

Facilius inueniri qui innocentiam ſeruauerint, quàm qui cõgruè egerint pœnitentiam. 193.B

quod Factum eſt, creatum eſt. 307.D

Factum eſſe, non ſemper ad creationem referendum. 302.C

Factum neceſſariũ, & non auditio tantũ. 1501.D

Facto melius docemur quàm voce. 770.D

Facta corporis. 1944.D

Facta & dicta noſtra ad Chriſtũ referẽda. 96.B

Facta requiruntur etiam, non ſolus intellectus. 1579.B

Facta ſunt etiam quæ futura ſunt. 351.A

Facultatum ſuarum ſeruus & non dominus, quis. 1117.D

Fallacia omnis tempore clauditur. 1999.C

Fallendi principis mundi conſilium. 1632.B

Fallere quid ſit. 352.C

Falſa pro veris iactare nemo debet. 929.D

Falſi fratres qui fuerunt. 1877.A

Falſum omne ab homine eſt. 1916.D

Fama ſolet ſubſequi factum. 149.D

Fames adiumento eſt ad vitam æternam. 40.B

Fames, amica virginitatis, inimica laſciuiæ. 731.B

Fames & cruditas vt temperetur. 961.A

Fames iuſtitiæ. 1687.C

Fames mentis quando exoriatur. 1010.D

Fames parentis tui, quem alere poſſis, mortis te reum arguit. 1767.B

Fames per regionem longinquam. 1749.A

Famis mater luxuria eſt. 1125.D

Fames quæ dei timore concipitur. 1127.C

Famis tempore Roma eiecti. 66.C

Famis tempore ſubueniendum. 64.C.D

Famem pati. 1749.A

Familia Iacob appellata eſt anima. 1446.D

Famulus prudens regit dominos ſtultos. 1064.B

Fatale decretum, inane. 957.A

Fatum. 245.A

quibus Fauemus frequentius. 54.C

Fauores pauperibus pluſquam diuitibus erogandi. 54.C

Fauus quid ſit. 1531.D

Fauus, mundi voluptatem ſignat. 717.D

Febris amoris. 1676.A

Febris animi vehemẽtior quàm corporis. 1676.B

Febris noſtra quæ ſit. 1676.A

Febris propter peccata à deo immittitur. 1704.D

Febris ſpiritalis quæ. 1675.D

Felicitas quibus bonis æſtimatur. 6.C

Fœmur generationem ſignificat. 1566.C

Feneſtra noſtra quæ ſit. 108.B.197.B

Feneſtræ noſtræ quæ ſint. 1457.B.C.1464.D

Feneſtræ noſtræ claudendæ ſunt. 1457.B.C

per Feneſtras noſtras quõ mors intrat. 1457.B

Feneſtræ prophetas ſignificant. 1038.D

Fera omnis ægra hauſto canis ſanguine curatur. 883.A

Feræ vini odore asperiores redduntur. 1131.A
Feræ quid mystice. 387.C
Ferarum mansuetudo. 594.A
Ferinæ crudelitatis affectum quendam deus aliquando induit. 1205.B
Fermentum quid significet. 180.B.694.C
Fermentum duplex. 1745.A
Fermentum est doctrina. 1745.A
Fermentum, doctrina humana. 1895.A
Fermentum abscondit mulier in farina. 180.B.C
Fermentum vetus expurgandum. 180.A.1528.C
Fermenti vis. 693.D
Fermento dominus comparatur. 694.A.B
Ferocitas iuuentutis vt mitigetur. 659.B
Ferrum aquis innatans. 1248.C
Ferrum peccatum est. 518.B
Festus dies domini vbi sit. 941.D
Festi dies quomodo celebrandi. 482.A.B
Festi dies Iudæorum vmbræ erant futurorum. 1453.B
Fiat fiat diuersas significationes habet. 1364.D
Ficulnea Iudæorũ malitiam repræsentat. 1051.C
Ficulnea duplicem habet figuram. 1781.A
Ficulneæ folia, vmbratiles sermones. 919.A
Ficus agrestis. 836.B
Ficus domestica. 836.B
Ficus in vinea. 1739.D
Ficus pro qua specie accipiatur. 918.D
Ficus natura. 1739.D.& dein.
Fici parabola frequenter in Euangelio inducitur. 1739.D
Fides quid sit. 184.B.493.A
de Fide definitio patrum. 283.A
Fides quæ res sit. 1936.B
Fides vnde acquiratur. 245.C
Fides per quod opus possit agnosci. 1806.D
Fides altaris. 3004.D
Fides auget ætatem. 493.A.in prin.
Fides ante omnia nos debet commendare deo. 941.D
Fides est bona substantia. 184.B
Fides bona. 493.A
Fides canitiem sapientiæ ministrat. 1539.D
Fides citharæ quare sic dictæ. 493.B
Fides sine qua ad Christum nemo venit, vnde sit. 265.D
Fides Christiana regnum est. 690.A
Fides quibus constet. 712.C
Fides quid nobis conferat. 991.C
Fides credentium, dei donum. 246.A ex inspiratione diuina. 246.D
Fides quare data sit. 1841.A
Fides præcedit deuotionem. 1092.C
Fides quem propitium faciat deum. 1902.A
Fides donum dei est. 174.D
Fides duodecim Apostolorum symbolo concepta. 733.A
Fides dulcis est. 1369.D
Fides ecclesiæ digito reperitur. 1693.D
Fides est ecclesiæ fundamentum. 428.A
Fides ecclesiæ quærenda. 1707.B
Fides ecclesiæ quomodo festinabat. 1027.C
Fides ad Ecclesiam est transferenda. 1729.C
Fides & cognitio non idem sunt. 1504.A
Fides in omnes gentes diffusa. 1491.A
Fides quando exorta sit. 1368.B
Fides cæterarum virtutum fundamẽtum. 987.C
Fides fundatur. 105.B
Fides gaudium operatur. 1822.B
Fides nostra quodam gradu crescit. 809.C
Fides est diuinæ gratiæ. 174.C
Fides habet æternam iustitiam. 1818.B
Fides, hæreditas locuplex deo. 117.C
Fides hostia, qua mundus redimatur. 1025.C
Fides humilis & ignara. 752.D
Fides nostra velut ignita debet esse. 496.B
Fides à veteri testamẽto incipit, impletur in nouo testamento. 1694.A
Fides quomodo sit induenda. 1419.D
Fides inexercitata citò languescit. 1513.D
Fides innocentes facit latrones. 740.A
Fides in sensibus inuenitur. 790.C
Fides Iosue in Gabaonitas. 69.A
Fides nos secernit ab irrationabilitate. 1587.A
Fides qua impius iustificatur. 247.B
Fides est quæ liberat per sanguinem Christi. 639.D
Fides ex lege abbreuiata. 1854.A
Fides extrahit hominem à lege. 1979.B
Fides maior est quàm lex. 1818.B.1824.C
Fides magna. 1742.D
Fides mira. 689.A
Fides, mortis damna non patitur. 793.B
Fides frequenter operatur in mortuis. 493.B
Fides mulieris sanguinifluæ fimbriam vestimenti Christi tangentis. 111.A
Fides per mulierem oppugnari consueuit. 740.D
Fides quo debeat muniri. 1988.C
Fides vnde nascatur. 245.C
Fides nostra paci studere debet. 1897.A
Fides æternum patrimonium est. 1238.C
Fides peccatum minuit. 1194.D
Fides etiam perfidis est præstanda. 68.C.D
Fides permanet. 1343.B
Fides Petri super aquas ambulauit, non corpus. 490.D
Fides debet præuenire rationem. 991.D
Fides prima est in Christiano. 1237.C
Fides principium Christiani est. 1598.C
Fides prior quàm litera aut lex. 1656.D
Fides radix est iustitiæ. 20.D
Fides radix omnium virtutum. 949.A
Fides rata in Christo. 1802.A
Fides redemptio est animæ. 505.D
Fides regno cœlorum comparata. 1025.C
Fides est quæ saluat. 1962.C
Fides dat salutem. 2053.B
Fides est velut semen spirituale. 1888.A
Fides seruat. 1430.C
Fides nostra signaculum dei. 2068.D
Fides perfecta sinapis grano comparata. 1396.C
Fides sola in ecclesiæ principio pugnauit. 1369.B
Fides sola quæ sit. 547.B
Fides sola posita est ad salutem. 1854.A
Fides sola non sufficit. 2091.A
Fides, spes, charitas. 105.B
Fides spiritum excludit immundum. 1758.A
Fides est timentis. 1503.D
Fides vbi est, quid habemus. 1588.B
Fides vbi est, ibi exercitus angelorum est. 493.B
Fides vera nunquam turbatur. 424.B
Fides virorum sanctorum. 698.C
Fides vna diuersitatem præstat hominibus. 1841.A
de Fidei Abrahæ singulari deuotione, quam obedientia mirabili comprobauit. 987.C. & deinceps
Fidei acquisitio vnde. 245.C.D.& dein.
Fidei & ancoræ comparatio. 299.C
Fidei causa vbi agenda. 575.D
Fidei clamor peruenit in orbem. 1027.B
Fidei deuotionem prælia sequuntur. 1513.C
Fidei veræ dignitates. 1607.A
Fidei nostræ expositio. 271.C.D
Fidei fœcunditas quomodo concluſa. 1027.C
Fidei gloria. 1714.C
Fidei quidam sunt gradus. 783.C
Fidei gratia. 189.D.2053.B
Fidei maximum fundamentum. 1098.B
Fidei mysterium in Abraham. 995.A
Fidei nihil in iis quos pecunia vel adulatione tibi deuinxeris. 53.C
Fidei operimentum. 1174.D
Fidei pax, corruptelæ est materia. 1513.D
Fidei profectio quàm laboriosè acquiratur. 1403.B.C
Fidei prærogatiua. 1435.C
Fidei nostræ principium. 285.C
Fidei tactus quis sit. 1365.D
Fidei testimonium. 43.C
Fidei victoria. 2063.C
Fidei non præiudicant opes. 1363.C
Fidem habens non est exclusus à venia. 174.C
ad Fidem quomodo inducti simus. 1833.C
Fidem quomodo seminamus. 1743.B
Fide iustificamur. 1063.C.1205.C
Fide iustificatus est Abraham. 1237.D
Fide nihil pretiosius in homine. 1327.A
Fide peccata abolentur. 1862.D
in Fide proficere vsque in finem, à deo est. 249.C
Fide magis quàm operibus salutem quæri cur voluerit deus. 1371.D
Fide seculum hoc fugitur. 201.C
Fide sola addita legi naturali deus hominum genus saluari decreuit. 1804.D
Fide tangitur Christus & videtur. 1705.D.in fine
Fideli viuo comparatur. 713.C
Fideli totus mundus possessio est. 525.C 1409.D
Fideles qui dicantur. 1237.D
Fidelium innocentia. 1012.D
Fideles suos Christus castigat, impios ac infideles damnat. 1592.D
Fiducia in Christo est. 2030.C
Figulus quem repræsentat. 1787.D
Figulus quare deus dicatur. 746.A.1219.C
Figura quæ intelligatur. 2080.D
Figura futurorum. 2030.D
Figura humani corporis in arca Noe descripta. 957.C
Figura, per legem. 482.D
Figura quando cessat. 2030.D
Fila chordarum citharæ quare dicantur fides. 493.B
Filia Abrahæ quæ sit. 1430.C
Filia annorum duodecim moribunda. 1705.D
Filia Iairi resuscitata. 477.D
Filia Iepte quomodo plangebatur. 70.C
Filia imperatoris ad sacrificium vocata. 1714.C
Filiæ dei. 82.A
Filiæ Hierusalem egredi iubentur. 140.D
Filiæ huius seculi. 82.A
Filiarum Loth peccatũ excusatur. 992.C.998.C
Filius adoptiuus & filius naturalis differunt. 434.D
Filius æqualis est patri. 291.B. 320.D.& dein. & 1461.D
Filius castigatur. 783.A
Filius frequẽtius corripitur quàm seruus. 1537.A
Filius in patre redarguitur, & contrà. 983.C
Filius punitur pro patre. 985.B
Filius amicus, mercenarius & seruus differunt. 1750.D
Filius, medium nomen est, & de filio hominis, & de dei filio. 350.C
Filius dei & filius hominis, idem sunt. 1758.D
Filius Dauidis & filius dei diuersis respectibus dicitur Christus. 341.A.B

Filius dei non est creatura. 279.D.344.C
Filius patris charissimus. 2006.D.in fi.
Filius est æqualis patri. 291.B
Filius, dextera dei est appellatus. 396.C.cur ad dexteram esse dicatur. 755.A. quomodo ad dexteram patris resideat. 757.D
Filius hominis ad dexteram dei sedet, non angelus aut archangelus. 1500.B
Filius dei dilectus à patre. 279.A
Filius non est dissimilis patri. 274.C
Filius exiuit à deo. 281.D
Filius sine patre nihil facit. 1593.C
Filius non potest à se facere quicquam, explicatur. 317.A.B
Filius quæ facit, placent patri. 319.C
Filius quomodo sit factus. 1802.B
Filius quomodo gloriâ suâ non quærit. 292.C.D
Filius quomodo habuerit scientiam. 350.B
Filius quomodo sit dei imago. 820.C
Filius dei liberæ voluntatis est. 288.D.in fi.
Filius liber est, seruus in reatu. 1409.A
Filius dei natus ex patre, ortus ex virgine. 456.A
Filius dei etiam paracletus dictus. 372.A.B
Filius dei sempiternus. 275.D
Filius dei quare venerit. 1806.A
Filius viduæ resuscitatus. 1692.B
Filius quare verbum dicatur. 712.D
Filius sempiterna virtus patris. 395.D
Filius quomodo viuat propter patrem. 324.D
Filius quomodo videt patrem. 319.B
Filium esse Abrahæ, quid. 1987.D
Filium dei esse. 1688.A
Filium hominis tradidit Iudas. 1352.C
Filij à grubus pietatem erga parentes discant. 868.C
Filij commendationem à parentibus trahunt. 1624.D
Filij ancillæ. 1987.D
Filij fidei, filij Abrahæ. 3005.B
Filij apud parentes eadem gratia esse debent. 1062.D
Filij quàm meritò matres suas alere debeant. 1764.B.C
Filij quando deum habent propitium. 2034.D
Filij parentibus obediant. 2010.A
Filij cum parentibus non intrent lauacrum. 984.B
Filij in parentes diuiduntur. 1737.D
Filij carnis, & filij dei. 956.B
Filij dei & diaboli quomodo probantur. 1843.D
Filij dei non vani. 1420.A
Filij dei quomodo dicamur aut simus, vel efficiamur. 283.C.680.A.B.1873.C
Filij dei qui sint. 1984.D
Filij dei vbi prius vocabantur. 1853.D
Filij Ecclesiæ. 1716.A
Filij hominum. 1420.A
Filij quomodo sint immundi & quomodo sancti. 1901.A
Filij Iacob duplici stola donati à Ioseph eorum fratre quid obumbrent. 535.D
Filij liberæ. 1987.D
Filij lucis. 2007.D
Filij prodigi historia. 184.B. & deinceps. & 1748.D
Filij spirituales quomodo facti simus. 1736.C
Filij sponsi qui sint. 1682.B
Filij tenebrarum non semper prudentiores filiis lucis. 765.B
Filij tonitrui. 1715.D
Filiorum amor quàm vehemens. 1492.B
Filiorum amore quidam à martyrio reuocati. 1548.D
Filiorum dissolutio ad negligentiam patris refertur. 222.B
Filiorum gratia qualis esse debeat. 1077.A
Filiorum Noe discordia. 24.D
Filiorum reuerentia quid sequi debeat. 1793.B
Filios amare, à Cornicibus discendum. 869.C.D
Filios quare scriptura pro operibus declarat. 1169.A
Fimbria Christi quomodo tangenda. 1706.A
Finis quis dicatur. 1412.D
Finis multiplex. 1343.A.B
Finis disciplinæ nostræ quis sit. 1176.C
Finis Ecclesiæ. 1588.B
Finis in principium recurrit. 976.D
Finis iustitiæ summus. 1602.C
Finis legis. 1480.B
Finis nullus vbi finis putatur. 942.C
Finis omnium Christus. 1525.C.& 1526.A
Finis principium. 813.D
Finis sapientiæ summus. 1602.C
Fines seculorum qui sint. 1910.D
Finis spei nostræ Christus. 1355.C
Finis studiorum nostrorum qui sit. 1176.C
Finis totius virtutis. 1602.C
ad Finem omnes contendimus. 1412.C
Firmamentum quid sit. 815.D.& vnde dictum. 820.A
Firmamentum etiam aër dicitur. 873.A
Firmus non mouetur. 1537.A
Flagella iusto remedia salutis sunt. 1514.D
Flagella post mortem nihil prosunt. 117.B
Flagellatus quare fuerit Christus. 1789.A
Flagellum quod elegit Dauid. 1335.C
Flagitiis quomodo morimur. 1553.A
Flagitiosi ad vitia descendunt. 530.D.in fi.
Flamma perfidiæ. 1785.C
Fletus sui tempora filia Iepte postulauit. 450.B
Fletus præsentium merces est futurorum. 95.D
Fletus quantum profuit Petro. 741.B
Fletus prophetarum. 1698.C
Flos est Ecclesia, flos erat & Paulus. 1452.C
Flores boni, Apostoli. 1466.A
Fluenta retrorsum vertuntur. 476.D
Flumen est spiritus sanctus. 374.A
Flumen de Christi corpore exiens. 1397.A
Fluminis impetus. Ibid.B
Flumina de ventre fluentia. 602.C
Flumina quatuor mystica. 1397.A
Flumina spiritualia. 1354.D
Fluuius de dei sede procedens. 411.C
Fluuius & fons paradisum irrigans qui sit. 901.D
Fluuius qui de Edem exit, verbum dei. 1397.A
Fluuij aure percipientes verbum dei. 1407.A
Fluuij diuersi. 602.D
de quatuor fluuiis paradisi. 902.A
Fœcunditas vnde terris infundatur. 1517.A
Fœcunditas diuitis bona quæ esse debeat. 1111.D
Fœcunditas parientis diuinum est munus. 1628.A
Fœcunditas vniuersarum est. 1112.A
Fœmina, erroris causa. 920.C
Fœmina triumphauit. 160.D
Fœminæ conclusio ex matrice. 1579.C
Fœminæ debent lactare filios suos. 1000.A
Fœminæ debent meminisse dignitatis suæ. Ibid.
Fœminæ vsque ad ebrietatem bibunt. 1133.C
Fœminarum à viris suis contemptarum querela quàm sit grauis. 992.D
Fœminarum circuncisio apud Ægyptios quoto anno fieret. 1028.C
Fœminarum luxus improbus. 1110.B
Fœminarum pudicarum verecundia. 11.A
Fœminarum pudor quantus esse debeat. 996.C
Fœminis pudor. 1631.B
Fœmineæ illecebræ quàm potentes. 1548.D
Fœniculi vsus serpenti. 880.D
Fœnum, ita vile ac fœnum est. 1141.C
Fœnum manducare. 922.D
Fœnum montanum. 527.B
Fœnus bonum. 1150.B
Fœnus bonum & malum. 1140.B
Fœnus est radix mendacij, causa perfidiæ. 1145.A
Fœnus spiritalis gratiæ est bonum. 515.A.B
Fœnerare quid sit. 1148.B
Fœnerare gentibus. 1151.D
Fœnerare vetus est. 1156.C
Fœneramur domino, & quomodo. 1117.B
Fœneratio duplex. 1314.A
Fœneratio bona. 1314.B
Fœnerator cum idololatra copulatus. 1148.D
Fœnerator irreprehensibilis. 1150.B
Fœnerator quis cauendus. 1066.B
Fœneratoris leges. 1145.D
quem Fœneratorem imitari debeamus. 1156.A
Fœneratores comparantur diabolo. 1141.B. & Iudæ. Ibidem
Fœneratores mali. Ibid.B
Fœneratorum auaritiæ detestatio. 1140.C. 1143.A
Fœtor omnis quomodo abolitur. 189.B
Folia quibus Adam & Eua teguntur. 583.D
Folia assuere. 918.D
Folia peccator eligit, iustus fructum. 919.A
Fons deus est. 210.A
Fons paradisum irrigans, Christus est. 901.D
Fons verus qui sit. 1032.C
Fontes duodecim quid repræsentant. 1558.B
Foris qui dicantur esse, qui intus. 1359.A
Forma & imago dei. 2015.D
Forma dei nihil differt à deo. Ibidem
Forma dei quid est. 2016.C
Forma doctrinæ quæ sit. 1833.C
Forma hominis. 958.D.& dein.
Forma & imago legis dei. 1916.A
Forma vitæ Christus. 1943.A
Forma vxoris sæpe vir periclitatur. 988.C
Formæ concupiscentia reiicienda. 929.B
Formica nouit explorare serenitatis tempora. 881.A
Formicæ deuoratæ vrsum ægrum curant. 883.A
Formicæ industria. 880.B
Fornax aurea. 1589.D
Fornax dura. 1589.D
Fornax ferrea. 1589.D
Fornicari abs deo quid sit. 1375.B
Fornicari, corpus & animam contingit. 1898.D
Fornicariæ species per Salomonem expressa. 928.B
Fornicatio fugienda. 149.C.179.B
Fornicatio quàm graue peccatum. 1894.A. 1898.C
Fornicatione filij dei fiunt filij diaboli. 1898.C
Fornicator quare dicatur in corpus suum peccare. 1330.A
Fortè & forsitan quomodo accipiuntur. 186.C. 352.C
Fortis est viri non dissimulare. 27.B.C
Fortes in Sa. scriptura qui dicantur. 1647.D.& deinceps
Fortes qui sint. 1892.D
Fortes Iudææ quando abstulit dominus. 1545.C
Fortes secundum carnem qui dicantur. 1884.A
Fortiores percussi, acrius insurgunt. 1362.C
Fortissimi multi in errorē prolapsi sunt. 1184.A
Fortitudo plena iustitiæ. 19.A

Fortitudo in res bellicas & domesticas diuiditur. 25.B
Fortitudo non incommitata virtus. *Ibidem*
Fortitudo sine iustitia, iniquitatis materia. 25.C
Fortitudo animi in duobus generibus spectatur. 26.A.B
Fortitudo vera. 26.A
Fortitudo aduersus omnia vitia dimicat. 27.D. *& dein.*
Fortitudo in quo consistat. 17.A.25.D.29.A
Fortitudo, fidei fundamentum. 1732.B
Fortitudo, iustitia debet temperari. 1026.C
Fortitudinis seculum seu tempus. 903.C.D
Fortitudini contrarium. 28.A. *versu* 1.
Fortunis deiecti, iuuandi. 47.B
Forum duplex. 1476.A.B
Fori incommoditates. 104.B
Fotinianus deum Christum negat. 296.A
Fotinianorum error. 305.A
Fotini error. 341.A
Fotiniani reprehenduntur. 407.C
Frater qui sit. 1148.D
Frater cum fratre litigare non debet. 1897.A
Frater noster quis sit. 1149.B
Frater noster factus est Christus. 1591.C
Frater verus qui sit. 698.B
Fratri insidians homo grauiter peccat. 979.D
Fratrem peccantem non arguens, quodammodo hortatur vt peccet. 695.A
Fratres & gentis & generis. 135.A.2078.C
Fratres domini. 1975.A.B
Fratres falsi qui sint. 1977.C
Fratres subintroducti qui sint. 1976.C
Fratres sumus omnes. 979.D
Fratrum inter se odia. 980.A. *amor.* 1548.D
Fratrum dissensio inimica dilectionis. 1989.C
Fratres quomodo abinuicem alienentur. 1062.D
Fratres quos vocet Paulus. 1805.A. *in fi.*
Fraternitas Christi. 698.B
Fraternitas sanguinis. *Ibidem*
Fraternitas pia. 1090.C
Fraus bona. 1589.A
Fraus pia. 1064.A
Fraudes clericos permaximè dedecent. 67.B
Fraudulēti cupitis nonnūquam fraudētur. 69.B
Fremere dentibus. 1302.C. *in fi.*
Frigidus qui sit. 540.B.1432.D
Frigus erat, &c. 1785.C
Frontis gratia. 891.D
Fructus qui sit. 919.A
Fructus Apostoli. 1804.C
Fructus bonæ arboris. 1495.B
Fructus dulcis. 1453.C
Fructus bonorum munerum in quos conuertuntur. 1112.C
Fructus hominis iusti qui sint. 982.C
Fructus alij necessarij, alij voluptuarij, & eorum producendorum tempora. 976.D
Fructus necessarij. 982.C
Fructus peccati quales sint. 1834.A
Fructus ventris Mariæ. 1636.D
Fructum dominus requirit. 1647.A
Fructuosum omne quod non est, periculosum atque eradicabile. 1339.C
Fructificare deo quid sit. 1835.B
Frumentū in quo Patriarchæ negociātur. 1086.D
Frumenta vt in sui generis speciem reuertantur. 832.C
Fucum in mulieribus insectatur. 82.B.888.B
Fuga bona & necessaria. 205.B
Fuga gloriosa. 202.A
Fuga nostra ne fiat in hyeme aut sabbato, orandum. 1779.C
Fugere quid sit. 206.C. *& fugere hinc.* *Ibid.* 203.C
Fugere de ciuitate in ciuitatem. 27.A
Fugere quomodo possumus animo. 208.B
Fugiamus sicut Lot. 210.C
Fugiendi qui sint. 58.B
Fugiendi causa non mediocris. 206.C
Fulgor legis quid sit. 1567.D
Fulicæ aues maritimæ. 865.D
Fulica siue phene auis, & eius natura. 870.C
Fullo quis sit. 1717.B
Fumus iniquitas est. 204.A
Fundamentum bonum. 1744.D
Fundamentum dei. 2068.D
Fundamentum Euangelicæ veritatis. 1897.C
Fundamentum verum. 1889.B
Funebris oratio de obitu Valentiniani Imperatoris. 443.A. *& deinceps copiosè.*
inter Funus & fœnus nihil interest. 1145.D
Funes qui sint. 1772.A
Funes delictorum nostrorum quibus inuoluimur. 1486.C
Funes diuersi. *Ibid.*B
Funiculus agrimensorius. 354.B
Fur, immundus spiritus dicitur. 374.D
Fures hæretici. 1513.A.B
Furiarum agmina. 221.D
Futor Græce βυμός. 1325.B
Futilitatis vitium. 1433.B
Futura etiam fecit deus. 351.A
Futura præsentibus sunt contraria. 228.A

G

Gabaonitæ ad libidinem proni. 628.B
Gabaonitarum fraus. 20.B.68.D
Gad quid interpretetur. 1100.D
Galaad quid interpretetur. 1558.D
Galatæ duplici genere subuersi. 1985.C
Galatæ qua occasione à Iudæis subuersi. 1975.D
Galilæi quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. 1739.C
Galliarum furor aduersus Romanos. 1399.B
Gallus iactantior. 867.A
Galli cantus suauis & vtilis. 875.B.C
Galli leonibus formidini sunt. 883.A
Ganges Phison dicitur. 902.A
Gastrimargiam sequitur luxuria. 1125.C.D
Gaudere de lapsu alieno. 191.C
Gaudium Apostoli. 1936.C
Gazophylacium quid sit. 645.B
Gedeon. 28.B.355.C.373.A
Gelicidium est inutile. 1511.D
Gemitus pius. 552.C
Gemitus quem non despicit deus. 1331.A
Gemitus, signum spiritussancti. *Ibidem*
Gemma quibus conuenit. 695.A
Genæ Ecclesiæ quæ sint. 444.A
inter Generare & creare distantia. 281.A
Genitilia hominum quare operiuntur. 588.B
Generatio Abrahæ, Christus est. 1802.C
Generatio apta Christi euangelio. 259.C
Generatio Christi, in euangelio, in Apostolo & in Prophetis legitur. 280.B
Generatio diuina qualis. 296.D.321.A
Generationes duæ in Christo. 1644.B
Generatio domini per Nathan deriuatur & per Salomonem. 1655.A
Generatio hominis gemina. 977.C
Generationes populi duæ. 1664.B
Genesis, paradisus est. 598.D
Genitalium consideratio. 588.B.895.B
Gentes cur ante passionem non sunt ingressæ vias domini. 240.C
Gentes ab ecclesia victæ. 1369.C
Gentes quomodo confirmatæ in fide. 1935.D
Gentes futuræ gratiæ participes. 1998.C
Gentes quomodo sint insitæ. 1860.D. *in fi.*
Gentes repulsæ sunt, vt eligeretur Israel: & contra cæcatus est Israel propter vocationem gentium. 1419.C
Gentes in quibus versabantur. 1862.D
Gentes duplici genere per Paulum significatæ. 1812.D
Gentes quomodo vocentur ad Ecclesiam. 1406.B
Gentes per Euangelium vocatæ. 1660.A
Gentium congregatio primò Abrahæ promissa. 1653.C
Gētium plenitudo quare dicatur ingredi. 240.C
Gentium vocatio Prophetis cognita. 261.D
Gentilis populus ignobilis. 960.B
Gentiles quomodo accusabuntur & iudicabuntur. 1812.C.D
Gentiles quomodo acquisiti. 1573.C
Gentiles cæci. 2004.C
Gentiles falsa & vana sectantur, vera deserunt. *Ibidem* B
Gentiles quare lignum adorant. 1503.A
Gentiles quare longè dicantur. 1997.D
Gentiles quomodo mortui. 2029.D
Gentiles mortui quomodo resurrexerunt. 1717.B
Gentiliū calūnia aduersus Christianos. 1200.A
Gētilibus cōuiuari nō prohibet dominus. 1681.C
Gentilitas quando partus cœpit habere æternos. 998.D
Gentilitatis vitia, fidei studio compensanda. 21.B
de Genu. 895.B
in Genua non succidebatur tempore Pentecostes seu quinquagesimæ. 775.D
Genus hominum quomodo bonum. 132.C
Genus hominum quomodo subleuatum. 1972.A. *in princ.*
Generis humani species. 1601.D
Geometria & astronomia. 18.A
Geon, qui & Nilus. 902.A. *& D*
Geon quid significet. 904.D. *& dein.*
Geon insigne est temperantiæ. *Ibidem*
Geon vnde dictus sit Nilus. 1026.C
Geraseni præsentiam Christi ferre non poterant. 579.A.1011.B
Germanitas dulcis. 1090.C
Geruasij & Protasij inuētio. 685.A.B. *& dein.* 793.C. *& dein.*
Gestus exterioris hominis persæpe qualitatem interioris ostentat. 11.B.C. *& dein.*
Gibbus quid repræsentet. 692.D
Giezi oculi aperti. 20.C.493.B.785.B.1424.B
eiusdem oculi clausi quid repræsentent. 686.C
Giezi lepram qui possideant. 1674.B.C
Gigas terræ. 428.B
Gigantes. 299.B
Gigantes non electi à deo. 930.D
Gigantes qui sint accipiendi. 956.A.B
Gigantes fabulosi. 986.B
Gimel quid interpretetur. 1435.C
Gladij duo. 1782.C
Gladius bonus. 109.D
Gladius peccatoris quis sit. 1302.B
Gladius spiritualis. 1218.B
Gladius spiritussancti est verbum dei. 1302.D
Gladius verbum dei. 98.D. *& dein.*
Gladius versatilis cur ante paradisum positus. 1590.A
Gladius verbi, spiritus est. 399.A.B
Gloria quid sit. 1461.D
Gloria pro auctoritate ponitur. 1958.D
Gloria bona quæ sit. 1589.B
Gloria inanis quid sit. 1990.B

Gloria patris & filij est vna atq; eadem. 1649.A. 2018.A
Gloria Christi maxima. 1300.A
Gloria Christi Iesu. 2023.C
Gloriæ Christi & Moysi discrimen. 1940.A
Gloria Christiani. 1965.A
Gloria Christianorum vbi sit. 1993.C
Gloria dei quæ sit. 1935.D
Gloria diuinæ substantiæ quanta. 528.C
in Gloria dei fieri quid dicatur. 1913.A.B
Gloria quomodo insipientia dicitur. 1962.D
Gloriam nominis dei homini vindicare, periculosum. 1882.C
Gloria Pauli. 2045.C
Gloria promissa quomodo superindui poterimus. 1944.B
Gloriæ præsentis cupidus. 1991.A
in quo Gloriandum est. 1996.D
Gloriandum est in Christo. 1056.B.C
Gloriandū est in deo, & non in homine. 1890.C 1884.D
Gloriari in cruce domini. 1992.B
Gloriari in domino, quid. 1371.D
Gloriari non extra mensuram. 1959.B
Gloriari secundum carnem. 1962.C
Gloriatur Apostolus, & in quibus. 1589.A
Gloriabantur Iudæi se dici Hebræos. 1923.B
Gog Gothus est. 297.C.D
Golias lapide percussus. 788.A
Golias verus Christi humilitate stratus. 1575.A
Goliæ caput abscissum. 1600.C
Goliæ gladius. 1777.A
Gomor quid interpretetur. 506.B
Gomorra quid interpretetur. 973.A
Gomorræ gesta quare Moses memorauit. 1809.D
Gradus disciplinæ. 1274.C
Gothi euangelio crediderunt. 1777.B
Gradus quos fabricauit Adam. 1839.D
Gradus in matrimonio prohibiti. 631.A
Gradus primus ad virtutem est abstinere à peccato. 1274.D
Gradus tres propter delictorum varietatē. 1821.B
Græcè cantarunt Latini. 1922.D
Græci sermonis vis exprimi non potest in omnibus. 1525.C
Græci hoc est gentiles, ostenduntur rei. 1813.A
Græci ex Hebræis naturalem iustitiam didicerunt. 1834.C
Græci post annum sumunt eucharistiam. 1252.C
Græci sapientiam mundi quærunt. 1883.C
Græci scripturas falsarunt diuinas. 350.C
Græcorum codicum variatio. 1828.D
Græcorum duo populi de gloria certantes. 71.C
Græcorum sophistæ eleuantur. 1976.A.B
γραμματεῖς scribæ dicuntur Græcè. 1385.D
Granum sinapis Christus. 1743.C
Granum tritici Christus. 140.A. 1743.C. & 1744.C
Gratia ad diligendum vehemens. 4.C
Gratia ad quid data. 163.D. & 164.A
Gratia quomodo data in Christo Iesu. 1880.D
quomodo sit in Christo. 1819.B
Gratia cum quibus sit. 1803.B. 1993.C
Gratia dei adueniens piæ menti, eam turbat. 1023.B
Gratia dei prædestinata tempore Christi. 1947.A
Gratia dei non precio taxatur. 1674.A
Gratia dei quid agat in nobis. 681.A
Gratia domini vbi. 101.C. *vnde.* 121.C
Gratia donum dei est. 1859.A
Gratia duplex. 174.D. 1859.B. 1994.A
Gratia hominis intus existit, brutorum foris est. 132.A
Gratia legem præcessit. 1656.D
Gratia maioris est virtutis quàm natura. 1236.A. *in prin.*
Gratia quomodo præparet voluntatem. 265.C
Gratia quomodo regnat. 1830.C
Gratia spiritalis varia sortitur nomina. 1568.D
Gratia spiritualis seruanda. 1195.C
Gratia super omnem artem est. 621.D
Gratiæ percipiendæ causa. 242.D
ad Gratiam quis accedat. 1740.D
Gratiam dei extollit Paulus. 2015.B
Gratiam dei nemo præuenit merito suo. 681.B
Gratiæ authori referendæ sunt. 461.A
Gratiæ deo sunt agendæ post cibum. 737.A.B
Gratiæ quomodo reddendæ. 947.C
Gratiarum vera actio. 975.C
Gratiarum actio cui deferenda. 1888.C
Gratiarum diuisio secundum mensuram datur. 506.C
Gratiarum relatio, antipelargosis cur dicta. 868.D
Gratias deo agere iubemur. 2009.A
Gratias omnia deo agunt. 461.A
Gratias veras agere deo. 2034.B.C
Gratianus imperator. 1417.D
Gratis persecutionem pati, quid sit. 1600.A
Gratis redempti sumus, nullo nostro merito. 1380.C
Grauia sunt, quæ contraria iugo Christi sunt. 1385.D. *in fine*
Greges regnum repræsentant. 1036.B
Gregorius. 357.C
Gressus animæ. 1566.A
Gressus probabilis. 11.D
Gressus pro profectibus animæ sæpe accipiuntur. 1565.B
Grues frequenter peregrinantur. 867.A. *in prin.*
Grues nos docent in multis. 867.B
Gubernator quando laudandus. 1486.A
Gubernator quis sit inquirendus. 1703.C
Gula de paradiso regnantem expulit. 1123.C
Gula plurimos occidit. 930.A
Guloforum solicitudo. 1125.D
Gustus quomodo generatur. 1022.A
de Gutture. 894.B
Gygis fabula & equi ænei. 63.C. 64.B
Gymnosophistæ Indorum. 521.D

H

Habena quæ sit. 1770.C
Habenti iubetur dari. 774.D
Habitandum est in superioribus. 530.C
Habitat deus non in abiecto corde. 1763.C
Habitator quid significet. 1018.A
Habitus humilis, & habitus superbus. 2054.A
Hemourrhousæ fides. 1400.A
Hæres, Christus. 1772.D
Hæres quomodo legitimus. 1031.A
Hæredis meritum vbi consistat. 1115.D
Hæredis successio magis dicitur quàm accessio. 1336.D
Hæredes à domino quales petere debeamus. 991.A
Hæredes sine re, & cum re. 642.A
Hæreditaria commoda. 1544.A
Hæreditas duplex. 1543.C
Hæreditas authoris vitio deformata. 983.C
Hæreditas cælestis quibus debetur. 1410.A
Hæreditas Christi præclara. 1543.D. *vbi sit.* 1479.C. *quomodo probata.* 1436.B. *quæ sit.* 1544.A
Hæreditas Christianis proposita. 546.A
Hæreditas culpæ quomodo ad nos transiit. 1470.A
Hæreditas domini qui sint. 1858.C
Hæreditas quæ dicatur apud deum. 1844.B
Hæreditas quomodo prouenit. 1985.A
Hæreditas maiorum quæ sit. 1301.C
Hæreditatis humanæ conditio. 1543.D
Hæresis fastuosa. 1756.A
Hæresis hydra est. 274.D
Hæreses omnes dum se impugnant, in se recurrunt. 1214.B
Hæretici qui sint. 2076.D. *in fine*
Hæreticus imperfectum tentare potest, non potest supplantare perfectum. 1515.C
Hæreticus post primam monitionem repellendus. 330.D
Hæreticus quomodo seipsum damnat. 745.B
Hæreticus suo ipsius iudicio damnatus. 1015.B
Hæreticus superflua loquitur. 1513.A
Hæretici diabolico spiritu suffulti. 185.C
Hæreticū se mentitus Eusebius, & quare. 765.A
Hæretici ab ecclesia dei separati. 1729.A
Hæretici aliter dicta, ad aliud accipiunt. 1804.D
Hæretici docent sub Christi nomine. 1889.B
Hæretici & de syllabis faciunt quæstiones. 383.B
Hæretici huius temporis reiiciuntur. 656.D
Hæretici liberam linguam habent ad latrandum. 1515.B
Hæretici nomen Christi non negant, sed Christū. 1713.B
Hæretici nomina sua sæpe mutant. 579.B
Hæretici patrocinium scripturarum cælestium in sua furta detorquent. 1513.B
Hæretici pernicioſissimi, quibus multa cum orthodoxis paria sunt. 414.B
Hæretici quantopere cauendi. 1722.B
Hæretici vulpibus comparati. 1719.D
Hæreticorum aliquot nomenclatura. 653.D
Hæretici sunt exterminandi ab Ecclesia. 1515.C
Hæreticorum conuersio sæpe permultum prodest. 836.B
Hæreticorum de diuinitate errores. 271.C.D
Hæreticorum & Iudæorum collatio. 302.D
Hæreticorum quorundam errores recensentur. 424.D. & *dein.*
Hæreticis hæreticum cur se mentitus sit Eusebius. 765.A
in Hæreticis mentis sensus perpendendus. 414.C
in Hæreticos dicentes Mariam non perseuerasse in virginitate sua. 134.A
Hæreticos quomodo faciat diabolus. 1669.B
Halcyonis natura mirabilis. 865.A.B
Halcyonides dies. 865.B
Hallucinari quid sit. 1447.D
Hamilcar Carthaginensium dux. 573.D
Hamus doctrinæ. 113.C
Hannibal Romanis sacris insultauit. 569.D
Harmonia quid sit. 1753.D
Harmonia nuptialis. 1753.D
Harmonia verbi. 538.D
Harundines quassatæ. 1562.D
He quid interpretetur. 1451.A
Hebdomada à quibusdam vnus dies dicta. 813.D
Hebdomas veteris testamenti est, octaua noui. 595.C
Hebrææ prius pariunt quàm veniant obstetrices. 209.A
Hebræi ab Abraham dicti. 2020.B
Hebræus seruus septenni seruitio liberandus, qui sit. 1441.C
Hebræi, magistri Græcorum. 1834.C
Hebræi nō canebāt in terra captiuitatis. 1307.D
Hebræi quomodo gratiam sint consecuti. 922.C

Hebræorum fuga ex Ægypto. 202.B
Hebræorum populus tentatus. 1603.B
Hebræorum puerorum constantia. 1221.C
ad Hebræos cur scripserit Paulus. 2079.B.D
Helcana interpretatur possessio dei. 122.D
Helena Constantini mater. 497.D
Helena reuisit loca sancta. 498.A
Helena stabularia. *Ibidem*
Helena tria patibula confusa reperit. 498.B
Helena vnde crucem domini recognouit. *Ibidem* C
Heli filij erant filij pestilentiæ. 1276.B
Heli filios non arguebat. 1895.A
Helias propheta. 1716.D
Helias Abrahæ semen. 1313.C
Helias diues. 526.A
Heliam Iezabel persecuta est. 584.A
Helias fugit Iezabelem, & venit ad Oreb. 205.C
Helias à coruis pastus. 666.B.762.D.1645.D
Heliæ panis ad victum datus. 40.A.B
Helias quomodo suscitauerit mortuum. 302.A 478.A.530.D
Helias orationibus fœcundauit terram. 732.B
Heliæ ieiunium. 659.C. *quid profuerit.* 720.A. 732.A.1122.A
Helias sermone suo quid fecerit. 59.D
Helias victor secularium voluptatum. 786.A
Helias missus ad viduam. 154.B.526.A
Heliæ raptus. 173.B.618.B.783.C.786.A
Helias plus gratiæ dimisit in terris, quàm portaret ad cœlos. 786.B
Helias an sit mortuus. 926.A
Helias tẽpore vltimo futur⁹ apostol⁹. 1892.B. *in fi.*
Heliæ victus. 1629.A
Heliæ & Moysi comparatio. 1060.B
Heliodori sacrilegi factum. 57.C.D
Helisæus Heliæ spiritualis filius. 786.B
Helisæus ab exercitu Syrorum obsessus. 686.C *cum non timuit.* 785.A
Helisæus petiit Giezi oculos aperiri. 577.C. 686.C
Helisæus honestatem secutus. 71.B
Helisæus panes multiplicat. 878.B
Helisæus quibus cibis prophetas pauerit. 659.D. 1125.A
Helisæus in solitudine quid fecerit. 59.D
Helisæus quomodo sanauerit aquas. 786.C
Helisæus suscitauit mortuum. 302.A.530.D
Helisæi quanta sint merita. 786.B
Helisæi mirabilia. 618.A
Helisæi oratio quantæ virtutis fuerit. 493.A.B
Heli Zabeth absconsio quid repræsentet. 702.D
Helleboro coturnices vescuntur. 831.C.D
Helluonum periculum. 960.A
Hemicranium. 958.A
Herbarum potestates nosse, medicorum est. 837.A
Heri & hodie quid. 333.A
Hermonim, via lucernæ. 1218.A
Herodiadis malitia. 1291.D
Herodes quos repræsentat. 1788.C
Herodes Ioannem occidit. 36.B
Herodes cauendus. 1641.B
Herodes quare vulpes dictus. 1427.C
Herodis crudele promissum. 70.A
Herodis fides amentia fuit. *Ibid.* B
Herodis historia. 1661.D
Herodis regnum non fuit legitimum. *Ibidem*
Hester ieiunium. 1126.D
Hester pro dei populo mortẽ se obtulit. 76.B
Heth quid interpretetur. 1476.D
Hetrusci iuuenis fabula. 127.A
Hialech victoriam de hoste quæsiuit. 160.B.C
Hieremias an ab originis contagio fuerit immunis. 1192.D
Hieremias in lacum missus est. 1772.D. *mersus.* 1071.A
Hieremias Iudæorum captiuitatem prædixit. 1563.B
Hieremias pro salute aliorum orauit, & exauditus est. 174.A
Hieremias quomodo fuit sanctus. 324.B
Hieremiæ verecundia. 10.D
Hiericho ciuitas. 1725.B. *Eius ruina.* 68.D
Hieroboal oraculum accepit. 355.B
Hieroboam rex sceleratissimus. 92.A. *eius manus exaruit.* *ibidem. post vitulos aureos abiit.* 187.A. *& adorari eos fecit.* 615.A
Hierusalem quid interpretetur. 1857.C
Hierusalem duplex. 1896.B
Hierusalem à Romanis deleta. 1601.C.1777.C
Hierusalem, dominicum forum. 1699.A
Hierusalem mater nostra. 1024.C
Hierusalem quomodo vocata fuit meretrix. 1228.C.D
Hierusalem terrena. 1987.A
Hierusalem ærumna deploratur. 1497.A
Hiezabel aduersaria prophetarũ eloquiis. 532.A. *inimica veritati.* 532.A
Hiezabel dilacerata est canum morsibus. 532.A
Hinnulus cernuorum. 1463.C
Hippocrates medicinæ magister. 596.C. *quid sentiat de anima.* 978.D
Hircus in desertum dimissus. 512.A
Hircus pro peccato immolatus & in holocaustum oblatus. 510.C.511.D
Hirci duo. 512.A
Hirundinum natura. 869.A. *& dein.* 881.A
in Historiæ simplicitate quærendum est veritatis secretum. 1658.D
Hodie quid sit. 2089.B.C.333.A.1353.B
Hœdi oculus ad sinistram est. 1553.D
Holographa manus. 1991.D
Homeri locus. 186.C.299.B.969.C
Homo ab humo dicitur. 61.B
Homo est commune vocabulum. 1373.D
Homo quid est. 1033.A
Homo attendere debet quid sit. 889.B.C
Homo quis dicatur. 1499.C
Homo quomodo accipiatur. 1415.B
de Homine dupliciter habemus scriptum. 1500.B
Homo duplex. 1840.A
Homo ex duabus naturis subsistit. 1647.C
Homo quis verè sit. 1032.C
Homo quomodo nomenclaturam suam perdat, & qualem acquirat per peccatum. 1499.D
Homo, anima est, non caro. 885.D.888.A
Homo Christus. 113.C
Homo est caput omnium animalium. 961.D
Homo, creaturarum omnium præstantissima. 1024.A
Homo dominus terrestris creaturæ. 439.C
Homo quo maximè cæteris animantibus præstet. 18.B
Homini quare tanta dignitas collata. 896.A
Homo se vilem æstimare non debet, nec de contuitu corporis æstimare. 132.A
Homo solus cur non laudatus in sua creatione. 131.D. *& dein.*
Homo quare dicatur carnalis. 1838.A
Homo Christianus quibus constet. 1991.B
Homo quare condemnetur. 1499.D
Homo cordis quis sit. 525.C
Homo qui destruxit horrea. 776.B
Homo quomodo sit diuisus. 1904.A
Homo ad imaginem dei est factus. 1500.A
Homo non est imago dei. *Ibid.* C
Homo ad similitudinem dei factus. 1500.A
Homo idem & saluatur ex parte, & condemnatur. 1598.D
Homo sibi ipse vel iniuriæ auctor vel gratiæ. 1389.C
Homo ipse sibi auctor ærumnæ est. 1704.D
Homo ipse sibi emendus. 1528.D
Homo quando consolatione fulcitur. 1510.C
Homo vnde consummationem acceperit. 1500.B
Homo quomodo exiit de timore. 2065.D
Homo exterior. 525.C.649.D
Homo exterior iustorum quotidie moritur, renouatur interior. 1390.C.D
Homo interior & exterior. 131.B.1314.D
Homo interior custodiendus. 2.D
Homo interior ad imaginem dei est factus. 132.B. 896.D
Homo interior quomodo renouetur. 74.C
Homo interior. 525.C.649.D.1839.B
Homo factus est sexto die. 977.C
Homo octauus est. 950.C
Homo geminæ substantiæ. 1501.A
Homo habens manum aridam curatur. 1685.A
Homo quare dicatur infelix. 1839.C
Homo infirmitati est subiectus. 1911.B
Homo quomodo iumentum. 1178.A. *in prin.*
Homo iustus cœlum dicitur. 1518.A
Homo iustus non obumbratur aliorum assensione. 956.D
Homo etiam non arroganter iustitiam suam dicere possit. 1355.B
Homo mansuetus cordis est medicus. 1271.D
Homo quomodo mendax. 1815.D
Homo quomodo sit mortuus. 1837.A
Homo mortuus reuiuiscit. 1360.A
Homo alteri non noceat. 62.C
Homo nouus & vetus. 131.B
Homo nouus quis dicatur. 1831.D
Hominem nouum quis sit indutus. 2005.A
Homo vetus quis dicatur. 1831.D.2004.D
Homo ad operandum & custodiendum paradisum positus est. 212.D.913.D
Homo opus dei est. 1872.A
Homo, operis mundani finis. 592.C
Homo, ergo peccator. 1459.D. *in fi.*
Homo peccans qui vocetur. 1499.C
Homo non peccans magis admirandus quàm non peccans. 1200.A
Homo quomodo sit sine peccato. 1625.B
Homo pecudum more viuere caueat. 879.B
Homo post lapsum terra dictus est. 1517.D
Homo primus, lex posteritatis erat. 904.D
Homo puluis. 1283.D
Homo semiuiuus relictus à latronib⁹ quis. 176.A
Homo solus consortem excludit, & solus omnia possidere contendit. 1108.B
Homo spiritu dei scribit. 965.D
Homo rudis. 2004.D
Homo totus quomodo sit curatus. 1680.D
Homo vanitatis quis sit. 1033.D
Homo quomodo viuificatur. 1843.B
Homo vnus de multis dicitur. 335.A
Hominis definitio. 956.D
Hominis ætates quatuor. 1025.A
Hominis conditio quàm misera. 1159.B
Hominis dignitas ratione similitudinis. 897.D
Hominis dignitas in quo sit. 896.B.1531.C. *perfectio.* 340.A.1058.A.1498.B.C
Hominis filius quare Christus. 1353.B
Hominis non similitudinem sed veritatem suscepit christus. 1576.C
Hominis præmia. 591.D
Hominis vanitas in conspectu dei, excellentia

præ brutis. 1344.A
Homini hostis intimus, carnis suæ infirmitas. 1222.C
Homini collata à deo. 592.D.593.D
Hominem ab homine decipi nil mirum. 888.D
Hominem ad pietatem redire quid sit. 235.D
Hominem esse in homine. 525.B
Hominem hominis causa generatum esse. 19.C
Hominem interficere quid. 1157.B
Hominem resurgere à lapsu ex deo est. 235.D. 247.B
in Homine macula prius incipit, quàm culpa. 1193.A
in Homine tria sunt. 487.D
Homines & iumenta quid significent. 1293.B
omnes Homines in Christi hæreditate à patre esse transcriptos. 237.B
Homines mali & increduli. 1892.C
Homines mobiles. 1417.A
Homines non vilia mancipia. 1732.A
Homines qualiter ad aliquod studium incitentur. 181.B
Homines sub peccato nascimur. 169.D
Homines, suorum delictorum censores sint. 126.C
Homines vnius naturæ partus sunt. 1014.B
Hominum benedictio, & dei. 1993.C
Hominum immodestia. 94.D
Hominum duo genera. 1859.D
Hominũ tria genera excludũtur à cœna. 1746.C
Hominum tria genera iniurias accipiẽtium. 32.D
Hominibus nihil dandum. 1891.D
Hominibus omnibus insunt caro, sensus, & verbum. 1020.C
Homicidij vltio. 979.D.*& dein.*
Homousion & heterousion. 311.B.C.415.A
Honestè ambulare quid sit. 1374.C
Honestè quomodo quid fiat. 1925.D
Honestas vtilitati prælata. 67.D
Honestatis laus. 76.B
Honestati nihil præferendum. *Ibid.*C
Honestati salutem postponendam. 63.B
Honestatem non habere deforme est. 67.B
Honestatem saluti prælatam, à deo comprobari. 66.D
Honestatem semper sequitur vtilitas. 71.A
Honestate vitam acquiri beatam. 38.A
Honestum & vtile apud Christianos vnum est. 60.B
Honestum quomodo vtile vocetur. 41.B
Honestum vnde metiantur Christiani. 5.A
de Honesto & pulchro. 31.A
Honor quid sit. 1766.B. *quomodo accipiatur.* 1868.C
Honor Christi quando manifestatus. 1995.B
Honor deo debitus. 1026.C.*in fi.*
Honor deo & parentibus deferendus. 1026.C.D
Honor hominis. 1410.D
Honori studere, quatenus bonum sit. 1670.A
qui Honore digni putentur. 55.A
Honores cur homini conferantur. 10.B
Honorandi qui sint. 1868.C
Hora in nocte. 1750.A
Horæ duodecim diei. *Ibidem*
Hordei duæ mensuræ siclo. 75.D
Horos triplex. 622.D
Horoscopi statuendi vanitas, &c. 844.D.*&* 845.B
Horrea destruere. 780.A
Horrea destruere quid sit. 1111.D
Horrea, iniquitatis sunt receptacula. *Ibidem*
Horrea iustitiæ nostræ operire. 1112.B
Hortus clausus, Ecclesia sancta. 1209.B
Hortus nucum quid. 1046.C
Hortus Platonicus. 218.A
Hortus verbi. 105.B
Horti fructus. *Ibidem*
Hospes plus quàm triduanus cito displicet. 725.A
Hospitem suscipiendo, deum suscipis. 995.C
Hospites sumus in hoc mundo. *Ibid.*B
Hospitalis qualis esse debeat. 52.A
Hospitalia iura vnde homines discant. 868.B
Hospitalitas Abrahæ. 52.A
Hospitalitas diligenda. 670.A
Hospitalitas est exhibenda. 995.B
Hospitalitas in Christum quomodo exerceatur. 52.B
Hospitalitas non mediocris virtus. 994.D
Hospitalitas species humanitatis. 51.D
Hospitalitas inoffensa. 998.A
Hospitalitatis bona. 995.B
Hospitalitatis commendatio. 994.D
Hospitalitatis gratia. 1684.C
Hospitalitatis gratia magna. 725.A
Hospitalitatis iura præscripsit Christus. 724.D
Hospitalitatis præceptum salubre. 154.C
Hospitij remuneratio. 1707.A
in vna Hostia duplex martyrium. 80.A
Hostia optima. 945.C
Hostia, peccatum nuncupabatur. 1946.D
Hostia per quam dimittuntur peccata. 1441.A
Hostia placens deo. 1863.D.*in fi.*
Hostia pro peccatis, filius est. 1751.C
Hostia pro peccato, peccatum. 3009.C.*in fi.*
Hostia quare apud veteres occidebatur. 1864.A
Hostia quomodo homo sit factus. 74.B
Hostis domesticus grauissimus. 1222.C
Hostis domesticus. 1514.B
Hostis grauior omnium. 1573.C
Hostes antiquo ritu peregrini dicebantur. 20.C
Hostes qui habẽtur apud imperatores, vt puniantur. 1592.D
Hostis intra clausus. 1067.D
Humana conditio procliuis ad vtrunque vel virtutis studiũ, vel delectorum illecebrã. 1402.C
Humana fragilitas prona est ad malum. 1530.C
Humana gloria qualis. 829.C
Humana non sunt comparanda diuinis. 1652.B
Humana natura sine gratia qualis. 243.C.D
Humana posthabenda diuinis. 1720.B
Humana diuinis sunt posthabenda. 1736.A
Humani corporis conditio. 900.D. *decor ac præstantia.* 891.A.B.*& dein. dispositio.* 1022.A
Humanum genus per quid saluatur. 1863.D
Humanis præsidiis deficientibus, maximè de diuina miseratione præsumendum. 869.D
Humanitas lege naturæ docetur. 23.B
Humanitas vnde appellata. 61.C
Humeri Christi. 1748.B
Humilia respicit deus. 685.D
Humiliamur culpa, non carnis cõditione. 1388.D
Humiliando proficere debemus. 1496.C
Humilians se nequiter. 605.A
Humiliari mulier dicitur, cùm ei pudoris integritas eripitur. 1388.D
Humiliatio nostra qualis sit, diligenter exprorandum. 1516.C
Humiliatio ad correctionem debet esse, non ad desperationem. *Ibidem*
Humiliationis nostræ causa. 1494.C
Humiliatus in veritate quis dicatur. 1504.A
Humiliauit se Christus, & quare. 1990.D
Humiliauit se Christus propter nos. 1389.B
Humiliauit se Christus, & quare. 1591.A
Humilitas Christi qualis fuerit. 1414.A.B
Humilitas à Christo discenda. 1592.A
Humilitatis præconia. 675.D
Humilitas duplex. 50.A. *quadruplex.* 1590.B
Humilitas potest de aduersis intelligi. 1494.C
Humilitas bona. 1537.D.*&* 1538.A.D. 1289.C
Humilitas commendat orationem. 935.A
Humilitas commendatur. 1746.B
Humilitas de culpa orta est. 1494.D
Humilitas defecit in paradiso. 1576.C
Humilitas in hoc mundo contemnitur, sed dei iudicio comprobatur. 1443.D
Humilitas in iuuenibus rara. 1576.B
Humilitas maior quæ potest esse. 1555.C
Humilitas non destituit. 1537.D
Humilitas non est mirabilis in senectute. 1576.B
Humilitas operis. 1388.D
Humilitas est pars charitatis. 683.D
Humilitas pretiosa. 1499.B
Humilitas sectanda. 699.B
Humilitas spiritus. 1688.A
Humilitas vbi dicenda. 1589.C.D
Humilitas vera. 605.A.2016.D
Humilitas virtutum omnium caput est. 1588.C
Humilitas virtutis, & humilitas afflictionis. 1521.C.*&* 1589.D
Humilitatem quis docere possit. 1538.A
Humilitas & fides deũ maximè mulcent. 895.B
Humilitatis mensuram in omnibus tenere, grande est. 1538.A
Humilitate nihil excelsius. 1759.C
Humilitate peccata purgantur. 1504.A
Hunnorum populi. 1146.C.1776.C
Hydra infernalis. 221.D.274.D
ex Hydræ dentibus satis armati homines nati. 476.A
Hydropicus curatur. 1746.B
Hyems ante Christi aduentum. 1466.A
Hyems mystica. 1208.C
Hyems quando nobis est. 847.C
Hyginus episcopus senex in exilium ductus. 557.D
Hyle. 435.C.*in fi.* 621.D. 808.C.D
Hymenæus de Sadducæorum secta. 2069.A
Hymnus quomodo dicendus. 1374.D
Hymnus specialiter deo dicitur. 31.C
Hypocritæ quare sic nominentur. 1128.A
Hyssopi vis operatoria. 3008.B

I.

Iacob quare Israel dictus. 1987.C
Iacob, beatus. 40.D. 1061.D.*& dein.*
Iacob benedicitur ab Isaac. 141.B.C
Iacob benedictionem Esau obtinuit. 1530.B
Iacob filios suos benedicit. 1070.C.*& dein.& 1095. per totum*
Iacob de Beniamin infirmitate dubitabat. 1086.C
Iacob figura bonitatis. 924.D
Iacob & Esau duorum populorum typus. 1850.C
Iacob Christi typum gerebat. 1063.B
Iacob vir exercitatus. 1009.A
Iacob, fons omnium disciplinarum. 517.D
Iacob fratri indignanti piè cessit. 13.D. *iram eius mitigauit.* 16.C
Iacob super omnes filios amabat Ioseph. 1102.B
Iacob Sicimam Ioseph dedit. 196.A
Iacob an reprehendendus quia præferebat Ioseph cæteris. 1077.A
Iacob per septuaginta dies lugetur. 492.A
Iacob optimus magister mitigandi doloris iniuriæ. 1053.A
Iacob quomodo apud parentes inuenerit gratiam. 669.A
Iacob parentum excusatio. 1062.D
Iacob profugus. 16.C
Iacob quomodo fuit sanctus. 324.B

Iacob quomodo vidit angelos dei. 1065.A
Iacob temperantia. 1052.C
Iacob duæ vxores quid repræsentant. 1183.A
Iacob quatuor virtutes. 17.D
Iacob sepultura notabilis. 492.A
Iacob imitari debemus. 1399.A
Iacobus aliquando incredulus. 1975.A
Iacobus quare frater domini dictus. 1975.A
Iactantia quibus sit amica. 1016.A
Iactantia cauenda. 929.C.1669.B.C.1782.B
Iactantia etiam in integro insolens. 1331.D
Iactantia fallax. 1668.D
Iactantia iuuenum in malis. 976.B
Iactantia nõ semper est vbi quis de se bona prædicat. 1555.B
Iactantia rara inter vitia. 679.A
Iannes & Mambres fratres, magi. 2070.C. in fi.
Ianua nostra, quæ. 108.C. os nostrũ. 123.D. fides nostra. 1518.B
Ianuam nostram quando pulsat deus. 1518.B
Ianuæ animæ nostræ sunt custodiendæ. 1331.A.B
Ianus homo fuit, qui & Ianiculum condidit. 708.C
Iaphet quid interpretetur, & quid repræsentet. 954.D.985.C.& 608.B
de generatione Iaphet Rhodus & aliæ insulæ sunt nationum. 985.D
Ibi, quid sit. 1295.B
Icari volatus. 113.A
Icterici vt liberentur. 1502.B
Ictus oculi. 1931.D
Idea. 801.A
Ideæ Platonicæ. 317.D
Idithum qui fuerit. 1338.A.1412.D
Idoli portio quæ sit. 708.B
Idola homini inimica. 1949.A
Idola plus nocent quàm prosunt. 1711.A
Idolorum beneficia. 1711.A
Idolorum cultura fornicatio nominatur. 1228.C
Idolorum culturæ vsus interitũ generat. 2031.C
Idolorum culturam quis adinuenerit. 1911.A. in fine. & 1912.A
Idololatræ quasi primi. 1827.D
Idololatria quid sit. 2007.C
Idololatria caput totius erroris. 1831.D
Idololatria graue crimen. 2032.C
Idololatriæ author serpens. 918.C
Iebusæorum turpis abiectio. 1369.D
Iechoniæ historia. 1662.B
Iechoniæ duo. 1663.C
de Iecore. 894.C
Iecur amaritudine escæ temperatur. 1128.D
in, decem & octo summam exprimit. 990.C.D
Ieiunauerunt pecudes in Ninive. 735.A
Ieiuni hominis sputum quàm efficax contra serpentem. 883.C
Ieiunium. 488.A. quãdo cœpit. 1123.A. quid sit. 1122.C
Ieiunij laus. 930.B
Ieiunium deo acceptum. 725.D
Ieiunium Danielis ora leonum obstruxit. 1125.B
Ieiunium vt fiat acceptabile. 1127.C
Ieiunium deo ingratum. 1113.C.D
Ieiunium diuitum. 1109.A
Ieiunium Hester, & Iudith. 1126.D
Ieiuniũ indictũ violare, non leue peccatũ. 717.B
Ieiunium improbabile & probabile. 1127.C.D
Ieiunium inutile & inane. 725.B.C
Ieiunium Moysi. 1124.D
Ieiunium murus est Christiano. 716.D
Ieiunium nescit ecclesia intra Pentecosten, sicut nec dominica. 1757.B
Ieiunium orationem habeat. 1127.D
Ieiunium operimentum est. 1174.D
Ieiunium religiosum. 1109.B
Ieiunium à sacerdotibus indicitur. 735.B
Ieiunium verum. 725.D
Ieiunium appellatur vetus vestimentũ. 1682.C
Ieiunij Christi causa. 730.D.& dein.
Ieiunij facti prima præuaricatio. 1122.A
Ieiunij culpa sanguinis effusione punitur. 717.C
Ieiunij lex à Moyse data. 1124.C
Ieiunij species & forma. 1127.D
Ieiunij quadrageſimalis laus. 729.D.& dein.
Ieiunij virtus quàm magna. 1122.A.1125.A. 1355.C
Ieiunij vtilitates. 1125.C
Ieiunia quare dicãtur castra & stationes. 716.C
Ieiunia duplicia. 1947.D
Ieiunia infrenent teneram ætatem. 93.D
Ieiunia nos perducunt ad mensam venerabilem. 1127.C
Ieiuniis vitia purgantur. 659.D
cætera de Ieiunio vide in libro de Helia & Ieiunio.
Iepte iudex Iudæorum. 99.A
Iepte promissa. 70.B
Iepte fidelis inuentus est. 1929.C
Iepte filia vsque ad mortem patri morigera. 70.C.122.D.450.B.521.C
Iepte filiam immolauit. 36.B. 99.B. vtrum in eo peccauerit. 99.C
Israel, diuina generatio. 1210.B
Iesus quid significat. 2016.B
Iesu nomen inuocandum. 1475.A
Iesus quare α & ω dicatur. 1012.C
Iesus est initium & finis. 1455.D
Iesus cur dictus sit Christus. 1462.A
Iesus quare dicatur Christus. 2073.B
Iesus quare expandit manus suas. 1439.A
Iesus fatigatus. 375.A
Iesus quare fatigatur. 1078.B
Iesus fide tenetur. 1040.C
Iesus Christus fons est. 901.D
Iesus in typo Hierusalem metitur. 354.B
Iesus nos suo ieiunio atque deserto informat. 1665.D
Iesus iustus. 2036.B
Iesus lumen verum. 1460.A
Iesus Nazarenus à diabolo dicitur. 1675.C
Iesus quare in oratione pernoctabat. 1582.C
Iesus quomodo proficiebat. 433.A.B
Iesus vbi quærendus. 228.B.C
Iesus vbique est. 1634.C
Iesus quos sanauit. 644.A
Iesus quomodo sequendus. 1327.B
Iesum vocantem sequamur. 1468.C
Iesus quomodo teneatur & ligetur. 1784.C
Iesus Christus quare venerit. 1055.C
Iesus quare venerit ad laqueos. 1465.B
Iesus quomodo videatur. 1622.C
Iesu Christi subiectio. 1644.C
Iesus Naue prius Auxes dictus. 1852.C
Iesus Naue Christi figura. 1405.B
Iesus Naue quàm appositè typus fuerit Christi. 1351.A
Iesus Naue quantus. 51.B
Iesus Naue solem sistere potuit, auaritiam minime. 55.B
Iesus Naue successit Moysi. 1452.B
Iesus Naue Moysi indiuiduus comes. 51.B
Iesu Naue ac Moysi differentia. 1603.B
Iethro quid interpretetur. 932.B
Iezabel multiplex. 1113.B
Iezabel auaritiam significat. 1113.B
Iezabel, idololatriam significat. 1960.A
Iezabel fugienda. 1114.D
Iezabel lapidari fecit Naboth. 119.D
Iezabel persequens prophetas. 666.B
Iezabelem comederunt canes & volucres cæli. 1114.D
Ignis multiplex. 1342.D.1735.B
Ignis in sa. lit. quid. 1527.A
Ignis alienus. 511.B.C
Ignis amoris quomodo excutiendus. 178.B
Ignis de aqua crassa accensus. 73.B
Ignis aqua factus. 74.A
Ignis bonus, & ignis malus. 1527.A
Ignis charitatis bonus. 1527.B
Ignis charitatis, & ignis gladij. 1590.B
Ignis consumens. 844.A
Ignis de altari absconditus. 73.A
Ignis non est alligandus in sinu. 178.B.D
Ignis infernalis. 1747.C
Ignis innoxius quid significat. 1372.B
Ignis mundans animam, & errorem consumẽs. 1574.A
Ignis omnis humoris consumptor est. 819.A
Ignis prophetas loqui faciens. 1342.D
Ignis quẽ domin⁹ misit in terrã. 1573.C.1735.B
Ignis sermo Christi est. 1573.D
Ignis, typus spiritus sancti. 73.D.421.D
Ignis varius. 1438.B.C
Ignis visibilis quare fuerit missus. 1232.C
Ignem iudicij vnus Christus non sensit, & quare. 1590.B
Ignem transire nos oportet. 1590.A
Igne examinabimur omnes. 1303.C
Ignita velut debet esse fides nostra. 946.B
Ignobilia quæ elegit deus. 1884.C
Ignobilis quis sit mundo. 1892.D
Ignorans ignoratur. 1390.C
Ignorantia quæ sit. 2007.D
Ignorantiam dei habere qui dicantur. 1930.A
Ignorare non licet quod pertinet ad salutem. 1960.D
Ignorat christus aliquos. 1390.C
Ilices. 833.C
Illecebra carnis prona in vitium. 1499.B
Illecebra quàm multos decepit. 13.C
Illecebræ fœmineæ quàm vehementes. 1548.D
Illecebræ vetustis lasciuiæ fabulis comparandæ. 299.B
Illuminat christus. 1463.A
Illuminat dominus sanctos suos. 1567.D
Illusiones animæ seu lumborum. 1330.A
Imago quomodo sit intelligenda. 2033.B
Imago duplex. 2033.C
Imago aduersarij. 33.D
Imago cælestis Adæ. 532.D
Imago cælestis. 1345.D. quomodo maneat in nobis. 1177.C. quomodo suscipienda. 1552.C
Imago dei. 886.B.1913.D.2025.A.B
Imago dei alia ab imagine mundi. 1774.B
Imago dei christus. 1345.A.& 1637.A
Imago dei plena christus. 1782.A
Imago dei esse caro non potest. 887.C.D
Imago dei & imago terreni. 34.B.C
Imago dei homo interior. 132.B
Imago dei inuisibilis in quo sit. 1503.A
Imago dei, iustus. 1782.A
Imago dei non condemnatur. 1499.D
Imago dei vera. 886.B.C
Imago dei est vir perfectus. 201.C
Imago & gloria dei vir, & nõ mulier. 2033.C
Imago de deo egressa. 275.C
Imago dei preciosa. 1499.B
Imago nequitiæ. 34.A
Imago patris filius est. 174.C

Imago patris in filio. 85.A
Imago regis quæ sit. 1748.C
Imago terreni hominis quomodo reformetur. 247.B
Imago terrestris. 1345.D
Imaginem Adæ portat peccator, imaginē christi iustus. 1931.C
Imaginem Cæsaris qui non habeant. 1774.A
ad Imaginem dei esse quid sit. 887.B.*& dein.*
ad Imaginem dei quomodo & quare simus facti. 125.B.1068.A.1457.D.1482.B
Imaginem dei portare. 2033.B
Imaginem imperatoris contemnens, imperatorem videtur contemnere. 1502.D.*in fine.*
Imaginem suam Christus *reparauit.* 487.C
Imaginem suam diabolus in peccatoribus agnoscet,& requiret. 1346.A
in Imagine dei ambulare. 487.C
Imagines christi quomodo colendæ. 1503.A
Imaginibus terrenis deus conferendus non est. 1400.A
inter Imagines christi ambulamus. 1503.A
Imbecilliores in exercitu quo loco ponendi. 969.C
Imber nubis leuis suscipiendus. 139.A
Imitari deum quomodo possimus. 1539.A
Imitatores nos sui deus esse voluit. 809.B
Immaculatus qui sit. 1423.C
Immemorē Deū nostri quomodo faciam°. 718.C
Immobilis quis dicatur. 1416.D
Immolari deo. 2072.A
Immolatur christus in altari mentium. 83.A.*in fine*
Immunda quomodo fiant. 1872.B
Immundi qui. 1471.C
Immundus apud deum omnis iniquus. 173.D
Immortalitatem quomodo deus solus habeat. 334.A
Impacificus quis sit. 1866.D
Imperare quid sit. 302.A
Imperator nihil habet iuris in diuina. 582.D. 584.A.*& dein.*
Imperator non supra Ecclesiam est. 581.D
Imperator populi Israelitici christus. 1452.B
Imperatoris imaginis authoritas. 2030.D
Imperatore occiso, commoritur eius exercitus. 961.D
Imperatores seueri sint in legibus statuendis, misericordes in supplicijs exigendis. 1325.C
Imperatoribus quid amabile. 560.B
Imperatoribus quæ pertinent. 584.B
Imperiale nomen impietas obtendit. 580.D
Imperium nemo sponte deponit. 868.A
Imperfecti angustias patiuntur. 22.B
Imperitus in sermone. 1960.C.D
Impetrare qui possint facilè. 2044.D
Impietas, stipulæ & pulueri comparatur. 1170.B
Impietas quid. 1062.A
Impietas mater delictorum, 948.A
Impietas præter naturam est. 1284.C
Impietatis vestigia adolenda sunt. 615.A
Impius quibus magis affligatur. 1067.C
Impius cum interficitur, christus infunditur. 945.A
Impius deo gratias nō agit in paupertate & aduersis positus. 1412.A
Impius gaudet sui peccati consorte. 983.D
Impius sibipsi pœna est. 7.C
Impius superexaltatus. 1318.B
Impij inquietudo. 1067.C.D
Impij non resurgunt in iudicio. 1285.D
Impij quare tanta bonorum copia abundant. 1168.C.D
Impiorum dies sunt manes. 1637.D
Impiorum excessus somnij similes in hac vita. 1471.A
Impiorum portio quàm miserabilis sit. 1170.D
Impiorum preces deus non audit. 949.D
Implere mensuram peccatorum quàm graue sit. 997.A.B
Implere voluntatem christi. 1990.D
Impositio manuum. 544.C
Impossibile dei, potentissimum est. 589.B
Impossibile & difficile vt differant. 2096.C
Impossibile quomodo fiat possibile. 1431.A
Impossibile virtutis & maiestatis. 589.B
Impossibilitatum multæ sunt differentiæ. 318.A
Impostura quid petit & quid ostendit. 1924.A
Impostura deo fieri non potest. 1991.A.*in fi.*
Improbitas vsu & exercitatione augetur. 961.A
Improbitatis commune consortium est. 985.B
Improbus quis dicatur. 1409.D
Improbus qua causa diues fuerit, in iudicio reuelabitur. 10.A
Improbus quare de aliorum lapsu lætetur. 983.D
Improbo mala assunt. 950.A
Inter improbum & inuidū quid interst. 58.B
Improbi iustorum cognitione torquētur. 1052.C
Improbos homines fugiendos. 46.A
Improuidentia damnum affert. 2062.A
Imprudens prudenti seruiat. 1064.A
Imprudenti amica sunt iurgia. 1014.B
Impudorati qui dicantur. 2068.B
Impudentia pœnitentiam excludit. 511.A
Impunitas vt promittatur populo. 997.B
In, & cum, syllabæ in sac. lit. an differentiam faciant. 383.B.*& dein.*
In, pro, per. 2080.A
In ipso quid est. 385.B
In ipso, per ipsum, & cum ipso. 403.D
Inanes sermones. 2007.C.*in fi.*
Inaures abscondit Iacob cum simulacris. 614.D
Inaures gentilium vbi defossæ. 1068.C
Incarnatio christi lucem attulit mūdo. 1386.D
Incarnatio opus spiritus. 403.A
Incarnatio domini omnia in similitudinem hominum habuit. 1794.B
Incarnationis christi causa. 431.A
Incarnationis mysteria adoranda. 402.D
Incendij causa. 1759.A
Incensorum fumus ascendens qui sit. 1041.A
Incessus hominem arguit. 11.C
Incola quis sit. 1348.B
Incontinentiæ auctor. 1555.D
Incredulus animi infirmitatem patitur. 2051.B
Incredulus putat non esse in deo scientiam. 1175.C
Increpatio de Kalendis Ianuarij. 708.B
Indecorum etiam si suaue, non mulcet. 1057.D
Indecorum nec loquendum nec audiendum. 12.A
India Thomæ apostolo patuit. 1399.C
Indicia supernæ indignationis. 1415.A
Indicus vermis. 873.D
Inebriatio bona. 930.C
Indifferentia. 954.D
Indignatio quid sit. 1811.C
Indignatio dei. 171.B
Indignatio locum rationi non relinquit. 13.D
Indignatio tempore mollitur. 1064.D
Indignatio est mala lex peccati. 13.D
Induere christum, quid. 1983.D
Induere nouum hominem. 382.D
Indulgentia vnde speranda. 1590.C
Indulgentia quibus est exhibenda. 181.C
Indulgentiæ tempus omne opportunum. 1137.C
Indulgentiæ domini prophetico spiritu præuisæ. 1349.A
Indumenta mollia. 1695.D
Indumenta per viam extensa. 1770.C
Industria auget gratiam. 12.B
Inexcusabiles qui audito Euangelio non credidérunt. 236.D
Infans à peccato reuocandus. 1029.B
Infantes aliena confessione credunt. 264.B.C
Infantes an ferant culpam parentum cum non circuncliderentur. 1029.D
Infantes non arcendi à christo. 103.C
Infantes non regenerati alienantur à perpetua salute. 263.A
Infantium multorum alienatio à salute quare. 262.A
de Infantibus ethnicorum multa. 263.B.C
Infantia innocens est. 1389.C
Infantia sine peccato non est. 976.B
Infernus quibus procuretur. 440.A
In inferno qui sit. 1152.B
Inferos christus spoliauit. 2002.A
Infideles quomodo attrahi possint ad fidem. 2043.D
Infirma mundi quæ sint. 1884.B
Infirmantium consuetudo. 700.D
Infirmari quid sit. 1969.D
Infirmatus est propter nos christus. 1969.B
Infirmus quis dicatur. 1870.A
Infirmus videtur, qui humiliatur. 1985.D
Infirmum quem dicit scriptura. 1871.B
Infirmi qui sint. 1892.D
Infirmi qui dicebantur. 1963.B
Infirmi non tentandi. 1763.D
Infirmum dei. 589.B
Infirmitas ad salutem. 1600.A
Infirmitas christi. 1884.A
Infirmitas quando est fortū. 716.D
Infirmitas orationis nostræ. 1846.B
Infirmitas quare subueniat. 1307.D
Infirmitas, virtutis officina. 1308.A
Infirmitatis ruina vt non sit grauis. 1335.A
Infirmitates pœna peccati. 1704.D
Infirmitates sæpe vtiles. 524.C
Inflari vnde soleant homines. 1533.A
Inflatio quid destruat. 683.C
Ingenium diuini muneris est. 209.B
Ingenia mala. 859.C.D
Ingeniis hominum quisque se accommodet. 30.C
Ingeniosus hæreticus. 653.D
Ingenuos omnes condidit deus. 2035.B
Ingratus qui sit. 975.C
Ingratus non esse christo. 1979.C
Ingrati qui sint. 1826.A
Ingressus & egressus dei quis sit. 1376.B
Inhonesta nostra quæ sint. 959.D.C.960.A
Inhonorare deum. 1814.B
Inhospitalitatis vitio. 868.C
Inimica quæ sunt deo. 1512.A
Inimicus noster quis sit. 1357.C
Inimicus noster quis sit. 1377.A.B
Inimicum diligere quid sit. 1869.A
Inimici qui sint. 1573.B
Inimici conuiciantes patientia superandi. 3.B.C
Inimici diligendi. 1867.B
Inimici quando sunt audiendi. 1528.A
Inimici quomodo sunt diligendi. 1548.B
Inimici graniores, praui mores, quàm hostes infensi. 786.A
Inimici quomodo diligendi. 1689.D

Inimici propheta sancti qui sint. 1528.A
Inimicorum consuetudo peruersa. 1334.A
Inimicis parcendum est. 949.C
Inimicos carnales cum nos ad conuitia prouocant, patientia superare debemus. 3.B.C
Iniquitas quid. 1194.C.1811.B.& 1868.D
Iniquitas calcanei nostri. 1408.A
Iniquitas quomodo declinanda. 1563.A
Iniquitas quales leges habeat. 1788.D
Iniquitas quando ferueat. 1328.C
Iniquitas fumo comparatur. 940.D
Iniquitas hominis cui comparetur. 979.D
Iniquitas igneo gladio exuretur. 1590.B
Iniquitas incomitata sedet, sapiētia regit. 1064.B
Iniquitas quomodo non poterat deficere sine dei visitatione. 1605.A
Iniquitas non quasi naturalis. 1449.C
Iniquitas lutum est. 1288.A
Iniquitas, operatrix culpæ & delicti. 1194.C
Iniquitas vbi propendet, nulla bonorum operum commutatione reuocatur. 1380.C
Iniquitas se extollit. 1016.A
Iniquitas quare dicatur sedere in talento plumbeo. 1277.C
Iniquitas velut à summo cœli volans, & opprimens infirmos terræ. 1022.D
Iniquitatis census. 1304.B
Iniquitatis effigies. 1287.D
Iniquitatis mysterium à quo sit inceptum. 2046.D
Iniquitatem fugere quid sit. 1601.C
Iniquitatem qui fugiant. *Ibidem*
Iniquitates quō trahuntur à peccatore. 1486.C
Iniquus quis sit. 1409.D
Iniquus duplici genere significatur. 1896.A
Iniquus, improbus etiam dicitur. 1409.D
Iniqui quomodo odio habendi sint. 1549.B.C
Iniuria Apostoli quæ erat. 1986.A
Iniuria quando ferenda, & quando non. 33.A
Iniuria filij est contumelia patris. 303.A
Iniuria loco gloriæ ducta. 1444.B
Iniuria saluatoris quæ sit. 701.A
Iniuriæ tolerantia quid faciat. 1690.B
Iniuriæ Apostolorum. 1934.B
Iniuriæ dei in carne. 1213.B
Iniuriæ donandæ. 669.D
Iniuriarum cumulus bonæ conscientiæ non præiudicat. 1168.B
Iniuriarum patientes esse debemus. 1497.C
de tribus generibus hominum Iniurias accipientium. 32.D
Iniurias contemnere. 4.A
Iniustitiam quid merito odiat. 1601.B
Iniustus qui sit. 1447.D
Iniustus in timore est. 2065.D
Iniustus nemo bene senescit, quantumuis diu viuat. 1024.C
Iniustus non odiendus, sed iniustitia. 1601.D
Iniustus pro omni sermone dat pœnas. 1290.A
Iniustus quicquid dixerit peccatum est. 1289.D
Iniusti sæpe affluunt rebus secundis. 1166.B
Iniusti per incredulitatem intrant in infernum. 1999.D
Iniustitia omnis peccatum est. 1289.D
Innocentis mors beata. 7.B
Innocentem esse quid sit. 68.D
Innocentia vbi sit. 112.C
Innocentia libera est. 1080.C
Innocentia pro ignauia habetur apud plerosque. 976.B
Innocentia vbi. 212.C
Innocentiæ defensio vbi sit. 1594.B
Innocentiam pueritia habet. 1163.B
Innocētiam qui seruarit, facilius inuenias, quàm qui congruè egerit pœnitentiam. 193.B
Innouatio quid sit. 748.C
Innouatio quarè aquilæ comparetur. 748.C
Inobedientia orta in paradiso. 1576.C
per Inobedientiam culpa irrepsit. 1413.A
Inopia bona quæ largitur diuitias. 1150.C
Inopia non est pœna peccati. 1175.D
Inopia nostra quæ sit. 1393.A
de Inopia nemo conqueri debet. 869.B
Inquinamentū carnis multifariè intelligendum. 1949.C
Inquinatur homo, & quibus. 11.D
Insaniæ falsæ, & insaniæ veræ. 1350.B
Insepultum pauperem iniqui oppressum vlciscitur deus. 1114.C
Insidiarū ac perturbationū oīa sunt plena. 1022.C
Insidias loquendi tendit hostis inuisibilis. 3.A
Insipiens qui sit. 1346.C. 1409.D. 1962.D
Insipiens aliud est quàm stultus. 1409.D
Insipiens quæ consideret. 984.B
Insipiens quibus delectetur. 1190.B
Insipiens in bello nutritur, & discordiis. 1024.C
Insipientes non habent diuitias. 1409.D
Insipientia plena. 1962.C
Insipientia salutem afferens. 1329.B
Insipientiæ defensores. 984.A
Institutio naturam vincit. 940.A
Instructio viri ecclesiastici in quo consistet. 2072.B
Instrumentū vitæ suæ egeno nō auferēdū. 1155.D
Insufflauit Helisæus in puerum. 138.D
Insulæ peccatorum. 1223.C
Insultatio in victum probrosa. 1361.B
Integritas corporis expetenda. 118.A
Integritas nuptiis præferenda. 102.B
Integritas vera. 571.A
Intellectus quis dicatur. 1367.B
Intellectus ad mortem. 1606.A
Intellectus memoriæ præferendus. 1501.C
Intellectus naturæ & non bonus. 1560.B
Intellectus spiritale munus est. 1560.B. *gratia spiritalis est.* 1579.B
Intellectus scientiæ boni & mali duplex. 906.D. *& deinceps*
Intellectus viuificat. 1579.B
Intellectus vis. 1578.D
Intellectum captiuare. 1957.D
Intellectum sibi dari poscit Dauid. 1601.C
Intelligere quod turpe sit, pudori est. 12.A
Intelligere sup egenū & pauperē quid sit. 1113.A
Intēperans castitatem seruare nō possit. 1011.B.C
Intemperanti sobrius præficiendus. 1064.A
Intemperantia Adæ. 731.B
Intemperantia quid mali sit. 1134.A. *in prin.*
Intemperantia animam inquietā facit. 2062.A
Intemperantiæ malum. 961.A
Intemperantiæ pœnitudo. 1126.B
Intercessio sanctorum apud deū an sit. 1807.B.C
Interitus, quid significet. 182.A
Interpellatio Dauidis prima. 1216.C. *secunda.* 1220.D. *in fi. tertia.* 1222.B
Interpretari in ecclesia quid. 1917.D
Interpretatione omnis scriptura indiget. 2053.B
Interpretationem LXX. magis sequitur ecclesia. 1494.C
Interptationes malæ ī sacris, q̄ pniciosæ. 919.A.B
Interrogamus sæpissimè quod videmus. 646.D
Interrogatio trina Petro facta. 1191.A
Interuenire pro persequentibus. 1473.C
de Intestinis. 894.D
Intestina cur sinuata. 960.D
Intestina Romanorum prælia quō sedata. 1399.C
Intrare in tentationem quid sit. 448.A
Introitus & exitus quid. 2081.C
Intus est culpa, intus est virtus. 1213.C
Intus esse debemus. 530.A
Intus esse quid sit. 1359.A
Inuenire & quærere in sac. lit. quid. 1291.B
Inuentio humana. 2074.C
Inuentio mala. 1115.A
Inuidus quis. 58.B
Inuidorum aspernator dominus. 1673.A
Inuidia etiam sanctos exussit. 1076.D
Inuidia est extra chorum angelorum. 112.B
Inuidia est declinanda. 1065.D
Inuidia citò aliquis consenescit. 1751.D. *in fi.*
Inuidia citò sequitur prosperitatem. 1000.A
Inuidia inimicitiarum causa. 915.A
Inuidia sanctorum quomodo discenda. 1076.D
Inuisibile quid dicatur. 828.B
Inuitantur omnes ad Ecclesiam. 1520.D
Inuitatio ad coronam. 877.B
Inuitus homicidium faciens, extra ministerium potestatis non est. 944.D
Inuitus nemo curatur à deo. 1705.A
Inuitus qui quid facit, laborat etiam in re facili. 867.D
Inuiti ac nolentes quædam etiam bona aut facimus aut dicimus. 1540.A
Inuitus ac reluctantibus quæ inferuntur, crimen non habent. 1053.C
Inutile idem & indecorum. 66.D
Ioab occisus inter altaria templi. 1202.C
Ioachim cum suo auro periit. 56.D
Ioachim duo. 1663.C
Ioannem obsecratio creauit, non voluptas. 758.A
Ioannis Baptistæ cōceptio mysteriis plena. 702.D
Ioannes Baptista natus Pharisæis iustitiam legis abstulit. *Ibidem*
Ioannes Baptista abstinentiæ magister. 659.D
Ioannes sponsi amicus. 1098.A
Ioannes vacauit ieiuniis. 1122.C
Ioannis cibus. 1645.C
Ioannes petiit Christi baptismum, & non accepit. 736.A
Ioannes probauit se non esse Christum. 1647.C
Ioannes à mentis constantia laudatur. 1694.D
Ioannes ab asperitate vestium laudatus. 1695.C
Ioannis discipuli ad Iesum missi. 1693.A
Ioannes non fide sed pietate dubitauit. 1694.A
Ioannes Herodē reprehendit de adulterio. 100.A
Ioannes honestatem saluti prætulit. 71.D
Ioannes Iudaici populi plerunque typus. 1648.A *typus etiā legis & prophetarum.* 702.C.760.D.1209.D.1645.B. *veteris testamenti figura.* 758.C
Ioannes vocatus à domino lucerna. 702.D
Ioānes quare dictus magnus. 1628.C.1633.C.D. 1768.B
Ioannes maior & inferior. 22.D
Ioannes quomodo maior propheta. 1696.B.C
Ioannes quomodo paruulus. 1628.C
Ioannes Christi prænuncius. 1629.C.& 1645.B
Ioannes quomodo sanctus. 324.B.C
Ioannis vestitus quid obumbret. 760.B.1645.B
Ioānes Zona pellicea cinctus qd significet. 1645.C
Ioannes quomodo vox dicatur. 1646.A
Ioannes clamat in nobis. 759.D
Ioannes saltatricis optione iugulatus. 96.C
Ioannis & Heliæ comparatio. 1629.A.B
Ioannis & Isaac comparatio. 1823.B
Ioannis caput cur à corpore ablatum. 760.D
Ioannem Baptistā Herodias fecit occidi. 584.A
Ioannis Baptistæ mors. 96.C.D.1291.D
Ioānes apostol⁹ quō acceperit mariā ī sua. 120.A
Ioānes post alios suum euangeliū scripsit. 1245.C

Ioannes in euangelio suo maximè de cœlestibus est locutus. 1365.A
Ioannes quare duplicat Amen amen. 1365.A
Ioannes piscator. 425.D
Ioannes quicquid locutus est, mysterium est. 1245.C
Ioannis Euangelistæ laus. 1311.A
Ioannis Euangelistæ mysteria. 1428.D
Ioannis de morte dubitarunt quidam. 1590.A
Ioannes Euangelista transiuit per ignem. 1590.A
Iob Platone & Cicerone antiquior. 7.A
Iob rarus inuenitur in terris. 1485.D
Iob laudatus. 16.D.& 676.D
Iob diues fuit. 132.A
Iob stylus grauior. 1215.B
Iob quid nos doceat. 1198.D
Iob amici quare cum peccatorem pronunciabant. 6.D
Iob vnde beatus. 41.A
Iob certamen grande. 1559.D
in animam S. Iob potestatem non dedit dominus. 177.B
Iob constantia in aduersis. 1412.A
Iob cura erga pauperes. 6.B
Iob fortitudo mirabilis. 28.A
Iob victoria aduersus diabolum. 1537.A
Iob consolatione fruitur æterna. 1505.B
Iob quædam dixit quæ non probabat. 6.D
Iob cùm infirmaretur, validior erat. 1167.A
Iob & Christi collatio in tentationibus. 1671.D
Iob percussus vlcere magno. 177.D
Iob patientia. 1503.C
Iob patientia. 1595.D
Iob quotidie sacrificium offerebat. 1252.C
Iob tentatione clarus effectus. 901.A
Iob diuersæ tentationes. 1522.A
Iob à domino tentatus est. 1537.A
Iob in quibus à diabolo tentatus est. 583.C
Iob in tentatione mysteria loquitur. 1672.A
Iob virtus. 6.C
Iob vxor ad tentationem ei reseruata. 1158.D
Ioca ab Ecclesia sunt remouenda. 15.C
Iod quid interpretetur. 1497.A
Ionas dormiens in naui, quid figuraret. 1391.B
Ionas à ceto exceptus. 863.D
Ionas Christi figura. 864.A.1391.A.B.& dein.
Ionæ exemplum cur Iudæis Christus proposuerit. 1406.A
Ionæ fuga. 202.B
Ionæ libro prophetatur quòd peccatores in pœnitentiam reuertantur. 585.A
Ionæ oratio quid nos doceat. 1391.C
Ionam emendauit aqua. 863.D
Ionathas intincta virga gustauit mel. 717.C
Ionathas periculum non refugit. 76.C
Ionathas cum patre interemptus est. 948.C
Ionathæ consilio Dauid acquieuit. 24.B
Ionathæ fortitudo. 28.B.C
Iordanis descensio interpretatur. 199.C.1016.A. 1323.A
Iordanis diuidit terram promissionis. 1218.A
Iordanis fluuius multis mirabilibus celebris. 713.A
Iordanis retrorsùm cõuersus quid significet. 1629.C
Iordanis mysterium. 1218.A
Iordanis miraculorũ & baptismi collatio. 714.D
Ioseph nomẽ quid interpretationis habet. 1079.A
Ioseph vnde beatus. 40.D
Ioseph etiam in carcere beatus. 1071.A
Ioseph benedicitur à Iacob. 141.C
Ioseph benedictio. 1070.D.& dein.
Ioseph quare filius adolescentior. 1102.C
Ioseph generatio describitur. 1652.C
Ioseph filius Iacob & Heli. 1655.B
Ioseph typus Christi. 408.C
Ioseph fuit figura Christi. 1373.B
Ioseph, incarnationis Christi indicium. 1183.A
Ioseph typus veri Hebræi. 1441.C
Ioseph diuinam gratiam significat. 1079.A
Ioseph historia. 1574.C
Ioseph quomodo errabat per campos. 1078.B
Ioseph nõ intellexit cœlestis mysterij cõsiliũ. 134.C
Ioseph in frumenti elargitione imitandus. 777.C
Ioseph frumenta vendidit & non donauit. 48.C
Ioseph precia annonæ non captauit. 65.A.B.& dein.
Ioseph calorem iuuentutis edomuit. 1052.C.D
Ioseph pro castitate subiit martyrium. 1082.C
Ioseph quo mittitur ad fratres. 1078.A
Ioseph quanta pertulerit. 1522.B
Ioseph liber seruitutem suscepit. 16.D
Ioseph solatium seruitute pressis. 1080.C
Ioseph à muliere tentatus non consensit. 605.C
Ioseph tentatio quàm vtilis illi fuerit. 1672.B
Ioseph vestem reliquit. 588.C
Ioseph non deceptus à domina sua. 178.D
Ioseph scripturæ testimonio excusatus. 1081.D
Ioseph quare dicatur primogenitus. 1372.C
Ioseph quare venditus Ægyptijs. 1080.C
Ioseph viginti aureis emptus. 408.C.1079.A
Iosephi animus pudicus. 1081.C
Ioseph benignitas erga fratres suos. 601.D
Ioseph calumnia. 1567.C
Ioseph consilium. 45.C
Ioseph humilitas. 49.C
Ioseph humilitas. 1538.B
Ioseph iustitia. 1632.D
Ioseph liberalitas. 65.C
Ioseph somnia & fratrum inuidia. 1077.B
Ioseph suauitas in Beniamin. 49.B
Ioseph temperantia. 1052.C
Ioseph virtutes. 10.C.D
Ioseph ab Arimathia affectus. 751.A
Ioseph dicitur iustus & diues. 1793.D.& dein.
Ioseph pater domini appellatus. 1975.B
ex Ioseph fratres. 135.A
Ioseph Mariæ virginis sponsi iustitia. 1473.D
Iosephus historiographus. 590.C
Iosias decem & octo annorum existens celebrauit pascha. 58.B.451.B
Iosias per fidem & deuotionem magnum nomen acquisiuit. 58.B
Iosias placuit domino, ideo pascha celebrauit. 494.A
Iosias rex deo probatus. 564.A
Iosias vsque ad trigesimum & primum annum imperium perduxit. 494.A.*primo versu*
Iosiæ pietas. 493.D.*in fine*
Iosiæ mors. 451.B
Iosue & Caleb ad explorãdam terrã missi. 66.D
Iosue fortitudo. 28.B
Iosue hostes tubarum sono vicit. 271.B
Iosue non sponsus Ecclesiæ. 306.D
Iosue solem stare fecit, sed non auaritiam. 55.B
Iouis fulmina. 94.A
Iouis transformationes. 1205.A
Ioui vestis aurea detrahitur. 91.D
Iphigenia. 1714.C
Ira quid sit. 2005.A
Ira res inconsiderata. 2034.D
Ira in sinu stultorum requiescit. 126.C
Ira sit cum moderatione. 2005.A.B
Ira decipit fortes. 14.D
Ira motus est naturalis. 14.D.2005.A
Ira inuidiam sequitur. 1266.D
Ira innocentes sæpe in crimen abducit. 1092.A
Ira parit vindictam. 1868.B
Iræ resistendum. 13.D
Iræ dies peccatoribus. 1810.D
Iræ locus dandus. 669.B
in Ira non agnoscimus quid vtile. 2010.B
per Iram solet peccari. 1867.A
Iracundia caueatur. 13.D
Iracundia cum prævenerit, quid faciendum. 14.A
Iracundia in aliis mitiganda. 13.D
Iracundia in se est exprimenda. 13.D
Iracũdia reliquorum vitiorum educatrix. 462.B
Iracundiam continere. 14.D
Irascendum est, sed non peccandum. 663.D
Irasci, naturæ est. 663.C
Irasci sine peccato. 14.B
Irasci quomodo dicatur deus. 956.C
Irasci quomodo dicatur deus. 1811.B
Irasci quis non potest prohiberi. 2005.A
Iris cœlestis. 981.B
Irrationabile non potest melius esse ratione. 1058.A
Irrationabilia quare cum homine diluuio deleta. 956.D
Irrationabilia rationem agnoscunt. 594.A
Irrationabilia quàm deo curæ sint. 1733.D.*in fi.* & dein.
Irrisoris pœna. 588.C
Isaac quid interpretetur. 1032.C
Isaac beatitudo. 40.D
Isaac & Esau benedicit Iacob. 546.C.D
Isaac dote naturæ commendatus. 10.C
Isaac ex multis commendatur. 1032.B
Isaac ex promissione natus quid significet. 1032.B
Isaac Christi typus. 903.C. 1001.D. 1850.C. 1986.D.1987.C
in Isaac dominicæ incarnationis typus. 925.C
Isaac ad genus suum appositus. 925.B
Isaac ligna portauit mystice. 1001.D
Isaac patriarchæ oblatio. 941.A.*quid repræsentet.* 1032.C
Isaacum filium suum quomodo Abraham pater immolare voluerit. 99.C.D.621.D
Isachar quid interpretetur. 1099.C
Isidis sacra. 587.B
Ismahel filius Abrahæ ex Agar. 991.B
Ismael quid obumbret. 1987.A
Ismaelitæ quid interpretentur. 1079.A
Israel quid interpretetur. 2025.B
Israel vnde dictus Iacob. 1062.B
Israel cæcatus fuit propter vocationem gentium. 1419.C
Israel secundum carnem. 1911.D
Israel carnalis. 1858.B.C
Israel spiritualis. 1858.B.C
Israel populus electus à deo. 252.D
Israel ad veritatis cognitionem electus. 240.C
Israel populus duræ ceruicis. 1095.B
Israel non omnis reprobatus, nec omnis electus. 238.C
Israel primogenitus nuncupatur. 941.B
Israelitæ carnales qui sint. 1859.B
Israelitæ veri qui sint. 1853.D
Iter facere domino. 760.D
Iter nostrum cui est committendum. 1452.A
Iubileus Iudæorum. 1453.B
Iubileus, remissionis numerus. 1078.B
Iubilei celebritas. 1188.D
Iucunda multa hic vidẽtur, quæ tamẽ non sunt. 1493.A
Iucunditas vera. 1493.B
Iudæa quæ sit. 1759.A
Iudæi cognomen. 1813.B
Iudæi vnde dici cœperunt. 1806.B
Iudæi quando esse cœperint. 1247.C

Iudæus quare præponatur Græco. 1811.C
Iudæus quare seruiat. 1528.C
Iudæi filij sunt carnis. 1850.A.in fi.
Iudæi quomodo Christiani fuerint. 1852.C
Iudæi Christum agnoscere noluerunt. 1354.D
Iudæi clauem scientiæ non habent. 1491.D
Iudæi quare ab Ecclesia separati. 1483.A
Iudæi propter flagitia sua destituti à deo. 588.D
Iudæi quare de plebe exterminati. 1489.D
Iudæi in quo grauius dominum læserint. 155.C
Iudæi quomodo dispersi. 1547.A
Iudæi indigni habere p doctore Paulũ. 1999.A
Iudæi excæcati in facie Moysi. 1568.A
Iudæi de Ægypto exeuntes perierunt in deserto. 1576.A
Iudæi exierunt foras. 646.C
Iudæi quomodo fœnerent gentibus. 518.D
Iudæi quomodo sint iustificati. 1821.A
Iudæi frequenter ad culpam lubrici. 614.D
Iudæi minuũtur Christianis surgentibus. 702.C
Iudæi quare non manducant neruum. 1068.B
Iudæi paternæ iniquitatis hæredes. 1730.D
Iudæi occiderunt Christum quasi peccantem in deum. 1873.B
Iudæi quare in parabolam positi. 1547.A
Iudæi quæ signa petant. 1883.C
Iudæi ad vindicandum se auctoritate legis vtuntur. 1506.C
Iudæi ostenduntur rei. 1817.A
Iudæi reprobi aliter quàm impij gentiles punientur. 1764.A.B
Iudæorum baptismata alia superflua, alia in figura. 1241.A
Iudæorum baptismi inutiles. 1232.A
Iudæorum cæcitas in scripturis legendis. 1532.D
Iudæorum cædes. 1210.D
Iudæorum calumniæ de Dauid adultero, respondetur. 1202.B
Iudæorum consortia vitanda. 708.C
Iudæorum & Christianorum collatio typica. 2091.B
Iudæorum festa quid adumbrarent. 1453.B
Iudæorum nequitia & improbitas. 1675.D
Iudæorum malitia arguitur. 1646.A
Iudæorum originarium malum. 708.D
Iudæorum perfidia taxatur. 562.D.& dein.
Iudæorum populus quomodo moriturus. 1480.B
Iudæorum populus quomodo mutus. 1630.B
Iudæorum regnum in Iechonia defecit. 1661.D
Iudæorum sacrilegium. 1352.D
Iudæorum solennitates, vmbra sunt festorum. 481.D
Iudæis & gentibus forma in Abraham data. 1824..A
Iudæis gratia dei non denegatur. 1087.B.C
Iudæis quasi Iudæus quomodo factus sit Paulus. 1908.D
Iudæos an deus repulerit. 1374.D.& 1375.A
res Iudaicæ quare egent solutione. 1382.D
Iudaici scribæ vanitas. 1319.B
Iudæ Maccabæi virtus. 1806.B
Iudæ Maccabæi fortitudo. 28.C
de Iuda Scarioth. 745.B
Iudas Scarioth aliquando bonus fuit. 1851.B
Iudas cur à Christo apostolus electus. 1685.D
Iudas à deo penitus derelictus. 1426.D
Iudas condemnatur auaritiæ. 1702.A
Iudas figura infidelis populi Iudæorum. 1363.D
Iudas cur prodiderit dominum. 10.B
Iudas quomodo Christũ pdere potuerit. 1339.D
Iudam proditorem sciebat Iesus. 909.B
Iudæ necessitas nulla pditionis imposita. Ibid.C
Iudas murmurans de vnguento. 190.A
Iudæ murmuratio de vnguento. 408.D
Iudas quare accepto pane magis repletus est diabolo. 1212.A
Iudas sua sententia condemnatus. 745.A
Iudas seuerissimus sui iudex. Ibid.C
Iudas & Ruben pij præ cæteris fratrib⁹. 1078.C
Iudas propriæ nurus concubitum petiit. 1183.A
Iudæ benedictio. 1096.D
Iudæ & Saulis lapsus etiam fortes viros terreat. 1402.D
Iudæ osculum. 1352.D.1396.B
Iudæ peccato cuncti periclitantur apostoli. 701.D
Iudæ ploratus ac gemitus. 1402.D
Iudæ pœnitentia cassa. 1787.D
Iudas quare indignus pœnitentia. 511.C
Iudæ proditio quam fraudulenta. 1215.C
Iudam elegit dominus. 909.B
Iudam quare non abiecerit deus. 1894.B
à Iuda quomodo Christus recesserit. 945.A
Iudex quis sit. 1739.A.B
Iudex bonus. 1594.B
Iudex quomodo conciliandus. 294.C
Iudex sine accusatore non damnet. 1894.B
Iudicis in sinistra sedere non est. 2032.A
Iudicis officium. 616.C
Iudicis partes. 1788.C
Iudicis personam sumpsit Christus. 1594.B
Iudicem suum vnusquisque laudat. 1495.A
Iudices à communione non separentur. 616.C
Iudices confitentium quàm negantium reorum magis miseret. 948.D
Iudices non nisi per spiritum sanctum iudicant. 398.B.C
Iudices in Israel vnde fuerint. 1100.A
Iudices quomodo nefarios vlciscantur. 997.A.B
Iudicabunt sancti hunc mundum. 1896.B.in fi.
Iudicandum facile non est. 914.B
Iudicandi religio quæ sit. 547.D
qui Iudicantur. 1361.D
Iudicare de alio graue est. 1593.C
Iudicare non oportet, & quare. 1871.A
Iudicare plebem suam quomodo dicatur deus. 3013.B
Iudicari mundum in nobis quid. 1896.C
Iudicat Christus neminem. 548.A
Iudicat deus non sine misericordia. 1595.A
Iudicaturus est deus per se. 1810.B
Iudicat quomodo quis. 1895.D
Iudicet de alterius errore, qui non habet quod in seipso condemnet. 1593.C
Iudicet nemo ante tempus. 1180.D
Iudicium Christi. 1286.B
Iudicia Christi quæ sint. 1540.C
Iudicium duplex. 1593.B
Iudicium domesticum seuerissimum. 62.C
Iudicium & potestas à deo est. 1810.B
Iudicium seuerius: 62.C
Iudicium dei quid sit. 1460.D
Iudicium dei nemo potest retractare in nobis. 1847.C
Iudicium diaboli quare differtur. 1592.C
Iudicium filij dei iustum. 1594.C
Iudicij consortium cum diabolo & sanctis non est commune. 1592.B
Iudicij extremi meditatio deterret à peccatis. 151.C
Iudicij extremi dies expectatur ab omnibus quæ à seculo fuerũt animabus: interim tamẽ quæque vel iniuria afficitur, vel fructu gaudet. 224.A.B.C
Iudicium quare dicatur futurum. 1880.D
Iudicium futurum nunciatur. 1555.A
Iudicij forma ea in te redit, quam in alium ipse decreueris. 1593.A
Iudicij futuri momenta quare Christus noluerit designare. 351.D
Iudicium pater dedit filio. 337.D
Iudicium præscientiæ dei iustum. 1852.B
Iudicij finis iustitia est. 1556.A
Iudicium Salomonis. 98.C
Iudicij causa. 1759.A
Iudicij causa apud iustos. 1592.B
Iudicij dies dicitur dies mala. 1324.B
Iudicij dies quare dicatur mala. 1356.D
in die Iudicij nihil occultum. 1891.C
Iudicij diuini forma seruanda. 1594.C
Iudicij futuri ambiguo suspenditur anima corpore exuta. 942.C
Iudicij supremi terror. 1590.B.C.& dein.
ad Iudicium festinant innoxij. 1592.A
ad Iudicium sanctus venit, impius non venit. Ibidem C
Iudicio de nostro grauior nobis causa quàm de errore dicenda. 1592.D
Iudicio dei omnia fiunt. 1503.C
de Iudicio & separatione bonorum à malis. 255.D
Iudicia æterna sunt confitenda. 1489.C
Iudicia bonorum non negligenda. 32.B
Iudicia dei sunt custodienda. 1472.A
Iudicia dei, & Iudicia oris dei. 1434.B
Iudicia dei iusta. 1503.D
Iudicia dei semper laudanda. 1504.C
Iudicia dei sunt ipsa iustitia. 1503.D
Iudicia diuina quibus sint dulcia, & quibus amara. 1472.A
Iudicia humana peccatoribus terribilia. 1472.A
Iudicia domini abyssus. 1443.C
Iudicia domini sunt dulcia. 1460.C.D
Iudicia dei inscrutabilia. 239.C.D
Iudicia domini quomodo inscrutabilia. 1434.B
Iudith forte factum. 159.C
Iudith ieiunium. 1126.C
Iudith quantum periculum honestatis intuitu subierit. 71.A. eius triumphi. Ibidem
Iudith coniugales resumpsit ornatus. 159.B
Iudith se, vt adultero placeret, ornauit. 90.A
Iudith victoria. 659.C
Iudith viduitas. 159.A.B
Iugum Christi suaue portare. 1436.A
Iugum domini. 444.D.& dein.
Iugum domini tollendum à iuuentute. 1427.D
Iugum graue portare. 499.D
Iugum graue portare à iuuentute sua. 1492.C
Iugum graue super filios Adæ. 263.D
Iugum portare à iuuentute. 1582.D
Iugum meum suaue est, &c. extortè à Nouatiano exponitur. 170.B
Iugunthi populati sunt Rhetias. 557.A
Iuliana vidua. 117.A
Iulianus templum Hierosolymitanum reparari iussit. 561.D.in fi.
Iulio Augusto quare Romanum delatum imperium. 1399.C
Iumenta, corporis sensus significant. 1013.D
Iumenta saluanda quæ sint. 1748.A
Iunior, nõ ætate aut tempore, sed rudis sensu, &c. 984.D
Iupiter qui intelligatur apud Platonem. 218.A
Iuramentum custodire, nonnunquam contra officium est. 36.B
Iuramentum non semper præstandum. Ibid.
Iuramentum temerarium quàm malum. 70.A
Iuramenta sunt præstanda. 937.D
quare Iuramus. Ibid.C

Iurandi causa hominibus quæ sit. 937.C
non Iurandum facilè. 126.A
Iurandum non esse. 97.A
Iurandum quomodo & qualiter. 1536.D
Iurantium iudex est deus. 937.D
Iurare bene. 1536.C
Iurare in aram. 565.D
Iurare te quare noluerit deus. 1536.D
Iurat deus. 937.C
qui Iurat, aliquando in periurium incidit. 126.A
Iurauit pater, iurauit & ipse filius. 2099.A
Iuret ille quem sacramenti sui pœnitere non poterit. 1536.D
Ius patres ordinauerunt. 1984.B
Iusiurandum quàm sit periculosum. 1786.B
Iustè sobrius. 1506.D
Iustè viuere. 667.B
Iustificare deum. 1576.A.B
Iustificare dominum. 1192.B
Iustificari apud deum. 1981.B
Iustificari deum quid sit. 1697.D.& dein.
Iustificatus latro vnde. 740.B
Iustificati qui sint. 1822.C
Iustificati sumus gratia dei. 254.C
Iustificatio quid sit. 1495.C
Iustificatio vnde deriuata. 888.B
Iustificatio vnde conferatur. 888.B
Iustificatio domini. 1551.A
Iustificatio quæ fit per gratiam. 242.A
Iustificatio quomodo impletur in nobis. 1841.D
Iustificatio legis vmbra est. 1523.A
Iustificationis ordo. 1697.D
Iustificationis signum in homine. 1843.A
Iustificationes dei non obliuiscendæ. 1576.B
Iustificationes dei vbi melius docentur. 1495.C
Iustificationes domini. 1474.A
ad Iustificationes dei vt perueniatur. 1447.A
Iustificationum gradus & ordo. 1447.D
Iustificatur homo & qualiter. 1437.B
Iustificatur homo à deo & quomodo. 1818.B
Iustificatur quomodo quis. 935.A
Iustificatur quomodo quis. 1551.A
Iustitia ad quæ referatur. 19.A.B
Iustitia quæ sit. 1650.C
Iustitia & iniustitia oppositæ. 1287.D
Iustitia aliis potius nata quàm sibi. 1290.A
Iustitia communis est virtus. 1637.D
Iustitia duplex. 1854.C
Iustitia in tres partes diuisa. 1690.B
Iustitia cœlestis. 1869.A
Iustitia Christi resurrectionem meruit mortuorum. 1928.A
Iustitia vbi constituenda. 16.D
Iustitia dei vnde dicta. 1818.D
Iustitia est omnia mandata dei. 1608.B
Iustitia dei angelus eget. 1483.B
Iustitia dei in quo sit. 1806.B
Iustitia dei in quibus reueletur. 200.B
Iustitia dei in seueritate non permansit. 1861.D
Iustitia dei magna. 1176.D
Iustitia discendo acquiritur. 1053.B. in fine
Iustitia in peccati condemnatione est. 1346.C
Iustitia cum æquitate. 24.D
Iustitia fides est. 1355.A
Iustitia imputatur per fidem. 1980.D
Iustitia fidei & iustitia legis. 1983.B
Iustitia legis. 1814.D
Iustitia legis quare sic dicatur. 1854.D
Iustitia legis. 1988.B
Iustitia supra legem. 507.B
Iustitia in iudicando, non potentia est in iudicando. 547.C
Iustitia lumen est. 1305.A
Iustitia mundi. 1832.D
Iustitia etiam dicta misericordia. 1956.B
Iustitia non est sine misericordia. 495.B
Iustitia nescit inuidiam. 407.B
Iustitia non est per legem, sed per fidem Iesu Christi. 579.D
Iustitia non est sine prudentia. 18.C
Iustitia, perfecta bonitas. 1825.D
Iustitia quomodo possit acquiri. 1053.B
Iustitia precationi adesse debet. 946.D
Iustitia secundum verbum dei. 1483.C
Iustitia spiritalis. 1197.D
Iustitia superabundans plusquam scribarum. 1854.D
Iustitia temperanda. 168.B
Iustitia terrena. 1930.A
Iustitia vera quæ sit. 726.C
Iustitia vera quæ inimicis defertur. 1577.B
Iustitia vera & permanens. 1854.C
Iustitia vera. 1930.A
Iustitia, cæterarum virtutum parens. 903.D
Iustitia omnes virtutes complectitur. 1026.C
Iustitiæ commendatio. 1556.B
Iustitiæ coronam vt mereàris. 1671.B
Iustitiæ forma. 1287.D.& dein.
Iustitiæ forma in ecclesia teneri debet. 1482.C
Iustitiæ prima forma. 19.A.B
Iustitiæ fructus. 667.B
Iustitiæ opera. 1577.A.B
Iustitiæ pietas. 18.D
Iustitiæ prærogatiua. 1435.C
Iustitiæ regula manifesta. 69.C
Iustitiæ requies. 954.C
Iustitiæ rex. 1247.C
Iustitiæ summa quæ sit. 463.A
Iustitiæ summus finis. 1602.C
Iustitiæ tempus. 903.C
Iustitiæ via tenenda. 2042.A
Iustitiæ vis non ex infirmitate nostra æstimanda. 1537.C
Iustitiæ vsurpatores non vocantur ad gratiam. 1682.A
Iustitiam Christi facere. 1544.D
Iustitiam diligens non se auertit à Christo. 1428.C
Iustitiam esse misericordiam liquet. 495.C
Iustitiam & fidem hostibus exhibendam. 20.A
Iustitiam oppugnaturus apud Platonem, veniam precatur. 7.A
Iustitiam parturientes. 1778.D
Iustitiam temperatam habeamus. 2005.B
Iustitiam imperpetuum possidere soli deo supputit. 1577.B
Iustitiæ domini Iesu quæ sint. 1426.B
Iustitiæ quomodi meditandæ. 1435.C
Iustus qui sit. 17.C. 1065.D. 1483.B. 1956.B
Iustus quis, nisi dominus? 328.B
Iustus in nobis qui sit. 961.B
Iustus quis verè dicatur. 1570.D
Iustus dicitur, qui deum iustificat. 1173.B
Iustus abundat. 1308.C
Iustus est qui se pro alio accusat. 1473.A
Iustus se accusat. 1190.C
Iustus se accusare mauult, quàm alium deformare. 1473.D
Iustus cum aduersis premitur, à domino tāquàm filius corripitur. 1537.A
Iustus alterum sibi præponit. 1991.A
Iustus nihil sibi arrogat. 974.D
Iustus quomodo augeatur. 977.D
Iustus in angustiis magis deum benedicit. 1412.A
Iustus cùm contemnitur à peccatore non auertitur. 1472.D
Iustus quomodo non derelinquitur in seculo. 1312.A
in quo Iustus deus. 1482.B
Iustus homo quis dicatur. 1149.C
Iustus homo ad imaginem dei est. 1782.A
Iustus quomodo quis incipiat esse. 1447.C
Iustus ipse sibi castrum est. 1340.A
Iustus vt falso testimonio circunueniatur. 1016.C
Iustus habet quod fœneret. 1151.B. 1313.D
Iustus sibi est gloria. 7.C
Iustus vice solis alios illuminat. 973.B
Iustus lætificat cor innocentium. 1502.C
Iustus quid loquatur. 1445.B
Iustus quomodo maneat ante dominum. 1016.C
Iustus, quantus murus sit patriæ. 997.B
Iustus etiam peccat. 1201.C.D
Iustus quid spectat. 60.B
Iustus semper sperat, desperare non nouit. 1583.A
Iustus semper in verba dei sperat. 1583.B
Iustus vir quid velit. 1059.A.B.& dein.
Iustus quomodo à nobis est videndus. 1502.D
Iustus dicitur vter. 1511.A
Iusti argentum. 1151.D
Iusti hominis arma. 3.D.in fine
Iusti consilia quæ debeant esse. 1445.C
Iusti hominis forma. 1060.B
Iusti est pro peccatoribus interuenire. 1031.A
Iusti laus in quo consistat. 963.A
Iusti officium. 1140.B
Iusti pax & securitas. 1067.C.D
Iusti propositum excellentissimum. 1473.C
Iusti semen. 1313.B
Iusto omnia transeunt. 1319.A
Iustum quare permittat deus tentari. 1387.D
Iustum fides non lex facit. 579.D
Iusti vita plenitudinem habet. 1637.D
Iusti qualiter esse debeamus. 1930.A
Iusti qui sint. 1682.A
Iusti an iidem & boni. 1825.D
Iusti quid in hac vita agunt. 214.D
Iusti frequenter in hoc seculo affliguntur. 1166.B
Iusti cur egeant. 9.A
Iusti plerunque inopia laborant. 1470.D
Iusti tanquam homines errauerunt. 1201.D
Iusti per fidem intrant in cœlos. 1999.D
Iusti quomodo sint iustificati. 1979.A
Iusti in paradisum sæpe rapiuntur. 914.B
Iusti in sinu Abrahæ requiescunt. 1341.C
Iusti prosunt populorum saluti. 943.C
Iusti recipiunt cum effectu propria postulata. 1366.B
Iusti in spiritu seminant. 1169.A
Iusti quomodo tentantur. 1012.C
Iustorum consuetudo optima. 1334.A
Iustorum fides nos seruat. 997.B
Iustorum filios aut vxores errare, nouum non est. 963.A
Iustorum hominum aspectus quàm gratus bonis. 1502.B
Iustorum lætitia. 1012.D
Iustorum numerus prodest multis. 943.C
Iustorum oculi & virtus eorum. 1502.C.D
Iustorum etiam magnus erit pauor in die iudicij. 1025.D
in Iustorum passione lætantur Angeli. 1525.B

Iustis quomodo adsit deus. 1602.B
Iuuari in quo dicatur quis. 1900.C
Iuuenis ætate, & senex prudentia. 1431.A
Iuuenis quomodo prolabitur. 444.C
Iuuenum grex quomodo destituatur. 943.D
Iuuenum peccata, quasi improborum. 976.B
Iuuentus qualiter gubernetur. 2075.C
Iuuentutis fragilitas. 1562.C
Iuuentutis ferocitas vt mitigetur. 659.B
Ixionius orbis. 221.D

K

Kalendæ Ianuariæ vnde dictæ. 708.C
Kuph quid interpretetur. 1579.C

L

Laban quid interpretetur. 1066.C
Laban splendidus interpretatur. 203.D
Laban bona Iacob videre non potuit. 203.D
Laban domum Iacob perscrutatur. 202.D
Labia aperire. 1197.A
Labia Esaiæ immunda. 2.C
Labia intellectu ligare quid sit. 1339.D
Labia nostra quid sint. 1339.D
Laborare qui dicantur. 905.A
Labor quomodo accipiatur. 1877.C.*in fine*
Labor æquanimitatem habeat. 868.A
Labor animæ est maior quàm carnis. 1329.D
Labor fructu mutandus. 942.A
Labor quare homini iniunctus. 922.C.D
Laboris lex in paradiso imposita homini. 904.D
Labor potest esse sine molestia. 1964.C
Labor processus virtutis est. 942.A
Laboris causa, ignorantia est. 1176.C
Laboris fructus, requies. 1135.B
Laboris gratia. 669.A
Laboris socij Pauli qui dicantur. 1876.D
Laboris speciem in paradiso cur susceperit primus homo. 904.D
Labori insistebat humano Paulus. 2039.B
Laborem quare hîc subire debemus. 1169.D
Lac cibus est doctrinæ. 141.B
Lac pro sanguine è Pauli ceruice fluxit. 764.A
Lac temporale est. 1098.C
Lactis baptismus. 1558.A
Lactis natura. 1496.B
Lactis nomine quid signetur. 2095.B
Lactare filios, matres diuites fastidiunt. 866.D
Lactare filios suos exemplo Saræ prouocãtur fœminæ. 1000.A
Lachrymæ bonæ. 1700.A.1787.A.1797.A
Lachrymæ Christi. 456.A
Lachrymæ Dauid. 1569.C
Lachrymæ pietatis indices. 455.D
Lachrymæ crimen abluunt. 1570.B
Lachrymæ panes. 1217.A.B
Lachrymæ pœnitentiales. 741.A.B
Lachrymarum arborum discrepantia. 838.B
Lachrymarum fructus. 1700.B
Lachrymarum preces vtiliores. 741.B
Lachrymarum vis. 1568.D
Lachrymas non solus dolor habet, sed & lætitia. 455.D
Lachrymis quomodo culpa diluitur. 1787.A
Lacus factus est Iudæis dominus. 1545.C
Læsos à nobis vt deprecemur. 1194.B
Lætitia quid vngat. 368.B
Lætitia seculi temporalis est. 1401.C
Lætitia cuius sit perpetua. 1401.C
Lagenam aquæ portare. 1781.C
Lamech septuagiessepties vindicatus. 951.C
Lamed quid interpretetur. 1515.D
Languor malus. 1278.A
Lapis vocabulum Christum præfigurat. 787.D. 1155.D
Lapis molaris quare non oppignerandus. 1155.D
Lapides molares, qui sint. 722.A
Lapides preciosi, qui sint. 1889.B.*in fi.*
Lapides viui clamaturi. 1771.B
Lapidibus homines comparati. 1646.C
Lapidibus vanis nemo ceruicem inclinet Christianus. 790.C
in Lapidibus deus coli non vult. 570.C
Lapsus quis dicatur. 1295.A
Lapsi grauiter, sequestrandi sunt ab aliis. 180.A
Lapsu aliorum, improbi gaudent. 983.D
Laqueus quo Adam fuit strangulatus. 1122.A
Laqueus aduersarij. 3.B
Laqueus diaboli quis sit. 1542.B
Laqueus grandis. 1542.A
Laqueus voluptatis. 1731.C
Laqueus vnde soluitur. 1667.A
Laquei corporis nostri. 220.A
Laquei diaboli nos impedientes. 219.A
Laquei multi. 1666.D
Laquei vbi non pertimescendi. 1543.A
Laqueorum mundus est plenus. 1666.D
in Largiendo quæ sint consideranda. 22.D
Largitas probabilis. 21.A
Largitas quæ non probetur. 21.A
Largitatis duo genera. 52.C
Largitor frumenti non precij captator. 65.D
Largus commendabilis. 2049.B
Lasciuiæ secularis illecebra quàm perniciosa. 299.C.D
Latera diaboli qui sint. 1401.C
Latera principis qui dicantur. 1401.C
Latini codices Græcis incorruptiores. 1828.D
Latitudo cordis. 1993.C
in Latitudine ingredi quid sit. 1467.A
Latro armatus feriens non referiendus. 63.A
Latro quare diem refugit. 948.B
Latrones qui sint. 1725.C.D
Latro detestabilior. 63.A
Latrones duo. 1791.C
Latrones duo an conuiciati sint Christo. 1791.B
de sancto Latrone. 738.D.739.B.740.B.1353.A. 1791.B
Latrones, angeli noctis & tenebrarum. 1728.C. *in fine*
ad Lauacrum quare venerit dominus. 712.B
Lauacro exiguo aufertur grandis macula. 1189.C
Lauat lachryma delictum quod voce pudor est cõfiteri. 741.A.1787.A
Lauare pedes, quid. 105.C.356.D.& *deinceps*
Lauare vestimenta quid sit. 35.B
Lauari quid sit. 1193.C
Lauari filiis puberibus cum parentibus mos Romanus non permittebat. 12.C
Laudare deum quid sit. 935.B
beatus Laurentius aurum Ecclesiæ pauperibus erogauit. 56.D
S. Laurentius viuus adustus est. 522.A
D. Laurentius sinapis grano comparatus. 689.C
Laurentij constans vox in tormentis. 30.A. 522.A
Laurentij fletus cùm videret Sixtum episcopũ ad martyrium duci. 29.C
Laurentij fortitudo. *Ibidem*
S. Laurentij martyrium. 689.C
Laurentij passio mundum illuminauit. 766.B.C
Laurus. 833.C
Laurus ad quid apta. 835.C
Laus quando ex potestate surgit. 1868.A
Laus filiorum, gloria patris est. 1959.D
Laus gloriæ dei. 1994.C
Laudis cupiditas quàm acre telũ diaboli aduersus bonos. 679.B
Laudes Christi verbera perfidorum sunt. 579.A
Laudem non exigamus à nobis. 1758.C
Lazari resuscitatio. 809.C
Lazari historia exponitur. 188.D.& *deinceps.* & 447.B
Lazarus mendicus. 1411.D.1755.B
Lazarus sanitatis remedium inuenit. 1329.A. *in fine*
Lazarus quare requiem in sinu Abrahæ habuit. 1505.A
Lectio diuina sit diligens. 1474.A
Lectio frequens, doctrinæ munus operatur. 1505.D.*in fine*
Legendum non in tenebris est. 1529.A
Lectio quotidiana sit pro exercitio. 1522.D
Lectio sacrarum literarum, vita est. 729.C
Lectoris officium non aspernatus est Christus. 1672.D
Lectus quid repræsentet. 1680.D
Lectus bonus, tori graminum. 890.C
Lectus doloris. 96.A.1357.C
Lectus noster lauandus. 95.D
Lectus per singulas noctes lauandus. 1475.B
Lectus noster terra est. 721.A
Lectus noster quis sit. 95.D
Lectus sanctorum quis sit. 1041.B
Lectuli nostri membra nostra sunt. 721.B
Lectulo comparatur corpus. 721.B
Legata quibus dentur. 1031.A
Legatio ad deum per ieiunia est destinanda. 735.A
Legitimi procreandi hæredes, non spurij. 991.B
Legitimorum vera est successio. 1000.B
Leem panis dicitur. 542.D
Lentiscus genus infructuosum. 1068.C
Leænæ natura. 881.C
Leo aquatilis. 855.A
Leo exiguo scorpionis aculeo exagitatur. 885.A
Leo gallum album veretur. 883.A
Leo simiam deuorat vt sanetur. 883.A
Leonis superbia & ferocitas. 879.D
Leoni Thecla virgo cohabitat. 89.B
Leones timere discunt. 940.A
Leones rugientes non expauit Daniel. 1071.B
Leopardum allia fugant. 883.A
Lepidus & Sertorius Romanis rebelles. 1399.B
Lepores hyeme albescunt. 873.D
Lepores generant simul & educant. 1147.C
Lepores sine vulnere capiuntur. 594.A
Lepusculus marinus. 863.A
Lepra Maria soror Aaronis percutitur. 1184.B
Lepra mentis. 1679.B.*in fine*
Lepræ medicina verbum. 1679.B
Leprosus à Christo mundatus. 1678.D.& *dein.*
Leprosi quatuor. 76.A.& 1673.C
Leprosi Syrios fugisse narrant. 76.A
Leui sors. 121.A
Leui tertius fuit filius Liæ. 535.C
Leui interpretatur ipse mihi assumptus. 1477.A
Leuita interpretatur ipse meus, vel ipse pro me. 34.D
Leuites significatur susceptꝰ pro me, vel ipse mihi

leuis. 943.B
Leuites qui sit. 1561.B
Leuita Christi possessio est. 121.B
Leuita verus qui sit. 615.C
Leuites accipiens iugalem, hoc est, concubinam. 74.D.627.C
Leuites interpres verbi dei. 944.B
Leuites minister remissionis est. *Ibidem*
Leuita præstantissimus Christus. 1441.B
Leuitæ fugitantes sunt mundi huius. 198.A
Leuitæ ministri sunt dei. *Ibid.*C
Leuitæ nullas possessiones habent. 120.D.941.C
Leuitæ separati erant de medio populi. 535.C. 941.C
Leuitæ quare cæterorum redemptores appellentur. 944.A
Leuitæ omnibus præferuntur. 35.B.C
Leuitæ primogeniti nuncupati. 941.B
Leuitarum ciuitates redemptrices. 944.B
Leuitarum officium. 35.B
Leuitis terra non est diuisa. 120.D
Leuitica tribus à portione excepta. 1477.B.C
Leuitate vti quid sit. 1935.B
Lex à deo est. 1833.A
Lex absens peccantibus est. 928.B
Lex aduenam vocauit, non excluſit proselytum. 200.D
Lex aliud imperat quàm Iudaismus. 1975.C
Lex quomodo sit amanda. 1549.B
Lex annunciatrix Christi. 1480.B.1561.B
Lex per occulta mysteria nunciat Christum. 1480.B
Lex Christum promisit. 1812.C
Lex annunciauit Euangelium. 1384.C
Lex auctor boni. 1702.D
Lex quare bona. 1658.B
Lex vt bona sit. 1658.D
Lex cui non bona sit. *Ibidem* B
Lex caput mulieris intelligibilis. 1384.B
Lex carnis. 940.B
Lex clausa erat vsque ad Christi aduentum. 1027.B
Lex carceribus incluſa. 1693.B
Lex quando cessare cœperit. 1351.B
Lex quando incœpit cessare. 1971.A
Lex Christi omnes vult saluos fieri. 1990.D
Lex coniugalis diuina. 165.B.166.B
Lex quid contulerit. 1054.C
Lex cordibus nostris inscripta. 909.D. 3011.C
Lex rectè data. 1833.A. *quando data.* 1982.A *in fi. propter quos data.* 1970.D. *quare data.* 1819.A.1822.B.1828.B.1939.C.1983.C *vbi data.* 1987.A
Lex est data circunciſis. 1988.B
Lex deficit Euangelio coruscante. 702.C
Lex dei, ipsa cœlestia. 1577.C
Lex dei quid doceat. 575.D
Lex dei vbi scribatur. 1577.D
Lex dei est in corde iusti. 1317.A
Lex dei de corde non tollenda. 1544.B
Lex dei quomodo veritas sit. 1577.B
Lex dei non est typus neque vmbra. *Ibid.*C
Lex dei vmbra est Christi. 1453.A
Lex diei festi, vmbra futurorum. 1453.A
Lex quæ est diligenda. 1601.D
Lex ad præsentem disciplinam pertinet. 1824.C
Lex domini seruanda & meditanda. 1516.B
Lex Ecclesiæ prænuncia. 1645.B
Lex factorum posita inter Abraham & Saluatorem. 1982.C
Lex Euangelij. 1531.A
Lex exemplar & vmbra cœlestium. 1279.C
Lex factorum quomodo cessat. 1822.C
Lex fidei. 1835.D.& dein.1844.A
Lex fidei liberauit hominem. 1840.D
Lex idonea. 1973.C
Lex vnde incipit. 1598.C
Lex quos increpat. 1818.A
Lex quomodo infirma. 1979.D
Lex interioris hominis & exterioris. 1761.C
Lex intra gratiam quomodo currat. 1073.A
Lex iterata solicitiores reddit negligentes. 1973.B
Lex Iudæos increpat. 1857.D
Lex habet temporalem iustitiam. 1818.B
Lex iustum non facit. 579.D
Lex cur lata sit. 638.D
Lex non latuit ante Moysen. 1834.C
Lex non aufert malitiam. 207.A
Lex mentem non conuertit. 200.D
Lex mortis quæ sit. 1835.D.1840.D
Lex quomodo sit ad mortem. 1837.A
Lex Moysi spiritualis. 1838.A
Lex Moysi vtrum necessaria. 638.B.& dein.
Lex Moysi data vt timor esset peccandi. 1939.C
Lex, per Moysen. 482.D
Lex quomodo dicatur mortua. 1834.D
Lex naturæ maior quàm legum præscriptio. 989.B
Lex naturæ, tantum quærere quantum ad victũ sufficit. 861.B
Lex naturæ quomodo obruatur. 1807.A
Lex naturæ generalis & specialis. 1834.C
Lex naturalis. 1818.C.1827.A
Lex naturalis & scripta. 200.C
Lex naturalis in cordib⁹ nostris. 638.B. 1354.C
Lex naturalis quid in nobis operetur. 638.B.C
Lex naturalis tres habet partes. 1827.B
Lex necessaria erat. 638.D.1702.D.1830.A
Lex nescit irasci. 1325.C
Lex nihil mandat credendum. 1981.B
Lex noua vbi scripta sit. 1939.B
Lex nullam vim habuit peccati donandi. 1645.B
Lex quid operatur. 200.D
Lex per quos sit ordinata. 1982.D
Lex oris dei, quis dicatur. 1496.D
Lex pædagogus fuit. 547.B
Lex pædagogus est paruulorum. 1523.A
Lex patrem & filium prædicauit. 1725.A
Lex non est peccatum, sed index peccati. 1836.B
Lex peccati non affigenda cordi. 1544.B
Lex peccati quæ sit. 940.B.1840.D
Lex peccati index. 1835.D
Lex peccatum denunciabat solum. 1054.C
Lex & promissio differunt. 1982.C
Lex quare promulgata, cùm non esset profutura. 1056.B
Lex & prophetæ quomodo vsque ad Ioannem. 1753.B
Lex spiritualis. 1480.A
Lex spiritalis & lex spiritus quomodo differant. 1841.B
Lex spiritus quare sic dicatur. 1836.A
Lex spiritus in tabulis cordis scribitur. 1836.A
Lex spiritus vitæ quæ sit. 1840.D
Lex quare non prævaluerit. 1056.A
Lex primitiua. 1087.A
Lex ad quid profuerit. 1056.B
Lex quomodo prodest. 1981.B
Lex nihil prodest, si finem legis ignores. 1528.A.B
Lex quæ prosit, & quò. 1981.B
Lex quomodo nihil prodest. 1972.A.B
Lex promittitur custodienda hic & in futuro. 1466.D
Lex omne quod prohibet, carnale est. 1949.C
Lex quare recidat ciborum licentiam. 1052.C
Lex secretæ mentis emundat affectum. 1471.B
Lex seueritatem gladij habet. 640.B
Lex quomodo non erat sufficiens. 1027.B
Lex non superflua. 547.B
Lex superflua fuit, & facta est non superflua. 639.A
Lex tria in se habuit. 482.C
Lex triplex est. 1818.D
Lex typus Christi venturi. 3009.C
Lex vera. 521.B
Lex vetus quare sic vocetur. 1836.A
Lex vetus quomodo sit Euangelium. 1972.C
Lex vetus, nomen criminis non est. 1836.A
Lex vetus vbi scripta sit. 1939.B
Lex vetus typus futuri. 1643.A
Lex vmbra veritatis. 3009.D
Lex vmbram habuit futurorum. 1693.B
Legis bona. 200.C. *mala.* *Ibidem* C
Legis dogmata quomodo interpretanda. 538.B.C
Legis & Euangelij differentia. 640.B
Legis fulgor non in litera est, sed in intellectu spiritali. 1567.D
Legis litera amara. 715.A
Legis mandata. 1523.A
Legis Mosaicæ honor apud Romanos. 1988.A.B
Legis mysterium est quærendum & custodiendũ. 1455.C
Legis obseruantiam Christus non abolenit. 1209.D
Legis operatio. 200.D
Legis opus est fides. 1812.C
Legis os quomodo fuit apertum. 1027.B
Legis perfectio. 1854.D
Legis perfectionem qui habeant. 1856.A
Legis semiperfectio. 596.A
Legis imperfectio. 1689.D
Legis nostræ vtilitas quanta. 1909.B
Legis prævaricatores. 1814.B
Legis typus in Ioanne. 1693.C
Legis veteris & nouæ discrimen. 3011.C
Legi quomodo mortificati esse debeamus. 1384.D
Legem custodire per omnia quid sit. 1466.D
Legem nemo implere poterat. 1981.B
Legem quis mereatur accipere. 1740.D
per Legem mori. 579.D
Legem scire quis dicatur. 2050.D.1725.B
Legem seruare quis dicatur. 1812.B.1814.C
Lege data quid prouenerit. 1830.A.B
Lege quis vtatur legitimè. 2050.D
à Lege cur citò declinemus. 1471.D
à Lege dei qui recedant. 1854.A
ex Lege nullus iustificatur. 1856.A.1979.A
in Lege quomodo sit æquitas. 1601.C
in Lege domini est meditandum. 1505.D
in Lege esse. 1812.B
in Lege non esse. *Ibidem*
in Lege nemo iustificatur. 2074.C.1981.B
in Lege præ cæteris aduentus Christi annũciatur. 509.D
Leges duæ aduersæ. 1989.C
Leges duæ in nobis. 1761.C
Leges duæ, vetus & noua. 1839.D
Leges duas memorat Apostolus. *Ibid.*B
Leges quatuor. *Ibid.*C
Leges seueræ esse debent, ministri legum misericordes. 1325.C

Lia lippentibus oculis quid repræsentat. 1584.A
Libelli theologorum quomodo legendi. 597.D. & deinceps
Liber & libertus differunt. 1054.B
Liber nemo est, sed liberti omnes sumus Christi. 1054.B
Liber qui sit. 518.D. & dein. 521.B. 1064.B. 1902.A. 2012.D
Liber qui fiat. 1987.A
Liber fieri de seruo. 1979.B
Liberi, sunt qui legibus viuunt. 521.B
Liber sapiens. 519.B
Liberos esse omnes prudentes. 2035.C
Liberi ad virtutis officia instituendi. 455.A
Liberi nuptiarum præmia sunt. 1778.B
Liberi pro delicto paterno in auctionem deducti. 1144.C
Liberorum charitas quàm vehemens. 1548.D
Liberos dare non mediocre munus dei. 1628.A
Liberalitas quibus constet. 47.A
Liberalitas duplex. 47.C
Liberalitatis plurima sunt genera. 47.A
Liberalitas fundamentum habere debet. 21.B
Liberalitas largitatis definitur affectu. 157.C
Liberalitas non communis omnibus. 47.C
Liberalitas perfecta. 21.C
Liberalitas quibus præstanda. 48.B
Liberalitas probabilis. 21.A
Liberalitas pulchra. 52.C
Liberalitas sine beneuolentia est imperfecta. 22.A
Liberalitas summa. 47.B
Liberalitas vbi non habeat gratiam. 1768.A
Liberalitatis gratia in quem redit. 1112.C
Liberalitatis præcipuum opus. 47.A.B
Liberalitati modus adhibendus. 47.D. in fi.
Liberamur precio sanguinis Christi. 1409.D
Liberari à sanguinibus quid sit. 1196.D
Liberari à seruitute. 549.D
Liberatio corporis nostri quando erit. 1845.D
Liberius vir sanctus. 93.A
Liberij præcepta. 93.A.B. & dein. copiosè
Libertas quando potest esse exerta. 2048.C
Libertas Christiana quo precio emitur. 676.C
Libertas est sapienti seruire. 520.B
Libertas gloriosa. 1054.A
Libertas in Christo Iesu. 1976.D
Libertas, in Euangelio. 520.A
Libertas liberum facit hominibus. 520.B
Libertas nostra in quo consistit. 517.C
Libertas vera. 517.A. & dein. & 519.A
Libertas vera hominis spiritualis. 520.D
Libertatis vox. 34.A
Libertatem alienam rescindentes. 47.B
in Libertatem vocari. 1989.B
Libertinitas sub Christo nõ inferior est libertate. 1054.B
Libertus qualiter fiat aliquis. 1902.B
Liberti Christi quomodo simus. 1054.A
Liberum arbitrium. 233.A. 236.A. 681.A. 1360.D
Libido ante se non videt. 998.A
Libido cæca est. Ibidem
Libido educatrix reliquorum vitiorum. 62.B
Libido quibus pascatur. 179.C
Libido quomodo rescindenda. 1031.B
Libido stimulus criminum. 931.A
Libidinis commotiones plerunque à diabolo excitantur. 1330.A
Libidinis expertes angelis comparantur. 1446.D
Libidinis malum. 961.B
Libidinis vu. 1676.B
Libidinum furores conio medicantur. 831.D
Libri non atramento scripti. 1286.B
Licere, & expedire. 1912.B
Libros Herodes incendit. 1662.A
de Liene. 894.C
Ligat nos diabolus diuersis vinculis. 1486.D
Lignum crucis. 369.A
Lignum quare adorant gentiles. 1503.A
Lignum in sac. lit. quid. 1281.A
Lignum in medio paradisi est Christus. 1281.B
Lignum quid dominus mõstrauit Adæ. 1188.D
de Ligno scientiæ boni & mali. 900.C. & deinceps
Lilium. 1533.D
Lilium conuallium. 1452.D
Lilia agri consideranda. 831.A
Lilia Christi sacræ virgines. 140.B
Lilia cultum non requirunt. 1734.B
Liliorum odor. 831.A
Lingua pro sermone accipitur. 1197.A
Lingua etiam post mortem officium seruat viuentis. 97.B
Linguæ munus. 893.C. 958.A
Linguæ peccatum detestandum. 1608.A
Linguæ vitium omnibus est. 1.D
Linguarum varietates. 258.D
Linguas interpretari quis potest. 1920.A
Linguis loquebantur qui baptizabantur. 1920.D
Litera diuina errorem non habet. 286.C
Litera legis maledictum habet. 1386.B
Litera seruit, libera est gratia. 1064.C
Literæ quare sint datæ Moysi. 1939.C
Literarum apices quomodo deleantur. 965.C
Litura Arrianorum. 401.A
Locus ignotus. 73.D
Locus mortui qui non erat. 1319.C
Locus noster quis sit. 14.A
Loca sceleribus & parricidiis commoda. 948.B.C
Loca scripturæ difficilia vt eruantur. 1462.D
Locis non suis vnà quæque non exponere, peccare est. 2050.D
Locuples quis in Ecclesia dicatur. 698.D
Locustæ cibus Ioannis Bapt. 1645.B.C
Locustæ figuram populi gentilis habent. 1745.C
Locustæ vt curentur. 831.B
Locustarum proprietas. 874.C. 1645.C
Locutionum formulæ. 238.D
Logos quid significet. 419.B. 509.D
Λογισμὸς, rectæ rationis tractatio. 1052.D
Λογιστικὸν animæ. 1021.C
Longæuitas Cain indulta, vindicta fuit. 951.B
Longæuitas priscorum. 1344.B
Longanimitas dei. 1853.B
Longe facere se à domino. 1593.A
Loquacitas incentiuum prolapsionis & culpæ. 1304.C
Loquacitas est innocentiæ, & virtutis naufragiũ. 1304.C
Loquacitas pluribus nocuit. 108.C
Loquendum quando sit. 1387.C
Loquendi cautio quomodo discenda. 5.C.D
Loquendi importunitas quàm mala. 1338.D. & 1339.A
Loquendi modus officium primum. 5.D
Loqui aliis linguis aut aliis labiis quid sit. 1923.C
Loqui de quibus nos oporteat. 15.B
Loqui dei quid sit. 344.A
Loqui in Ecclesia quis debeat. 1924.C
Loqui malè ad multa trahitur vitia. 2005.D
Loqui verbum dei. 1607.D
quomodo Loquitur deus. 928.A
Loquutus quomodo sit deus. 1420.C
quid Loquitur apud deum. 936.A
Loth quid interpretetur. 990.C. 1008.C. 1013.B
Loth amœnam terram elegit. 990.A
Loth quomodo emendatus. 997.C
Loth quasi geminus. 1013.B.C
Loth capitur, & ab Abraham liberatur. 990.C
Loth hospitalitas. 52.A
Loth hostium Sodomitæ inuenire non potuerunt. 203.A
Loth fuga. 210.C
Loth reliquit flagitia Sodomæ. 530.A in prin.
Loth filias suas offerebat. 998.A
Loth quomodo euasit à Sodoma. 1760.B
Loth vxor respexit. 90.D
Loth vxor in salem conuersa fuit. 1376.D
Loth à vino est deceptus. 999.A
Loth vtrum fuerit diues. 1013.A
Lucas quare laudabilis. 1623.D
Lucas apostolorum acta historico stylo scripsit. 658.D
Lucas quid docuerit. 1619.D
Lucerna bona à Christo lumen accipiens. 1534.D
Lucerna est fides. 1729.C
Lucerna nostra est oculus noster. 505.D
Lucet dominus in corde iustorum. 1567.D
Luscinia quomodo imitanda est. 738.C
Luscinia proprietas. 874.D
Lucernæ multiplices. 1534.D
Lucrum pecuniæ quare damnum sit. 1456.C
Lucrum quomodo faciat mors. 1835.C
Lucrum verum. 606.C.D
Lucra non sunt quærenda alienis incommodis. 62.C
Lucra turpia. 2055.C
Lucra turpia. 2074.B
Lucra turpia maximè clericos dedecent. 67.B
Lucta, & πάλη. 1311.B. idem
Lucta Christiani hominis. 591.D. & dein.
Lucta nostra aduersus quos sit. 592.A
Lucta serpentis mala. 1443.B
Luctamen nostrum aduersus multa. 1666.C
Luctandum est aduersus multa. 1366.C
Luctatores veri. 1457.A
Luctatorum astutia. 1358.A
Luctatorum exercitium. 5.C
Luctari cum deo quid sit. 1068.A
Luctus annuus. 70.B
Luctus causæ duæ. 468.A
Luctus diutius. 1108.C
Luctus in viro effœminatus. 467.B
Luctus inordinatus mulierum taxatur. 467.D
Luctus ob demortuum quomodo sedandus. 467.B.C
Ludorum Circensium vanitas. 1457.B
Ludorum spectacula ab ecclesiæ visitatione reuocant. 1562.D. in fi.
Lugendi qui sint, & qui non. 2042.A
Lugentes hominum ortus. 466.D
Lugendi infideles. 2042.A
Lugendi non sunt innocentes. 450.A
Lumbi nostri qui sint. 1329.D. & 1330.A
Lumbos succingere. 902.D
Lumbrici vt interimantur. 1128.D
Lumen bonæ voluntatis. 165.B
Lumen ex lumine. 418.D
Lumen vnde oriatur. 1389.C
Lumen verum est Christus. 1332.B
Lumen Christi, spiritus sanctus est. 1410.C
Lumen solis, lunæ & stellarum. 842.C

Lumen virtuti familiare. 972.D
Lumen vultus diuini. 373.B
Lumen vultus patris. 527.D
Luminis vox. 812.B
in Lumine ad horam exultare. 1536.A
Luna mysterium Christi annunciauit. 851.B
Luna Ecclesiam præfigurat. 572.D
Luna Ecclesia est. 1373.D
Luna quare imminuatur. 851.B.C
Luna vbi sit. 1965.D
Luna laborat cum cæteris creaturis. 782.A
Luna non est particeps stultitiæ. 850.D.in fine
Luna, larga roris. 850.A
Luna & stellæ, quid. 130.D
Luna quarta indicium serenitatis dat. 852.A
Lunam quartam gentiles horrent. 852.A
Luna quartadecima. 671.C.& dein.
Lunæ cursus. 848.D
Lunæ defectus. 850.C.D
Luna non deficit, sed eius orbis integer manet. 840.B
Lunæ cornua. 843.C
Lunæ globus vbique æqualis omnibus videtur. 849.A
Lunæ obseruationes superstitiosæ. 670.C
Lunari claritati qui sint comparandi. 1930.D
Lupanar locus orationis efficitur. 791.A
Lupanar quomodo simus. 1425.A
in Lupanar Agnes detruditur. 790.D.in fine
Lupanar intrantes erubescunt. 90.C
Lupanar ingredientes taxantur. 1424.D.& dein.
de Lupanari martyres exierunt. 91.A
de Lupanari virgo exiuit. 90.D
Lupanaria tempore Ambrosii fuerunt. 89.D
Lupus homini vocem eripit. 883.A
Lupus si quem præuenit videndo, obest. 1052.C
Lupus rapax Paulus. 1464.B
Lupus squillæ folia fugit. 883.C
Lupi diaboli sunt plurimi. 1104.D
Lupi hæreticos repræsentant. 1721.D.& dein.
Lupi, leonum subsequuntur vestigia. 754.B
Lupi sunt persecutores. 1464.B
Luporum natura. 1721.D
Luscinia peruigil custos. 874.D
Lustramenta sunt py. 1478.B
Lux quomodo facta sit. 812.B
Lucis author. 812.C
Lucis natura. 813.A
Lux aperta in veritate resplendet. 1193.B
Lux est Christus, & quare. 176.C
Lux Christi, dies sine nocte. 747.A.in prin.
Lux clarior, ex quinta vsia est. 1022.B
Lux magna Christus. 1672.C
Lux mundi fuerunt discipuli. 173.B
Lucis species simplex. 843.D
inter Lucem & tenebras discretio. 813.B
Lucem deus locutus est. 812.C
Luxui se committere. 588.D
Luxui se nemo committit, nisi qui recedit à præceptis dei. 588.D
Luxuria, auaritiæ mater. 1134.B.famis. 1157.B libidinis. 659.B.origo vitiorum. 1134.B
Luxuria quid mali secum vehat. 588.D
Luxuria finem non habet. 1134.B
Luxuria gastrimargiam sequitur. 1268.A
Luxuria, iustitiæ inimica. 760.C
Luxuria quando inceperit. 854.B
Luxuriæ fructus quàm acerbus. 152.D
Luxuriæ ludibrium lasciua saltatio. 587.C
Luxuriam resecare haud facile est. 1402.C
Luxuriari incipiens, incipit deuiare à fide vera. 588.D
Luxuriosi adulterium saltem caueant. 981.A
Luxuriosi & in albenti canicie. 1277.D
Luxuriosi nauibus comparantur. 1135.A
Luxuriosorum pœna. 1347.D
Lyciorum præcepta. 467.A
Lydia mulier purpuraria. 246.C
Lyncis in videndo vis. 490.C.

M

Macedones prius vitia sua correxerunt. 1961.C
à Macedonibus Paulus semper accepit. 1961.C
Maceria quid sit. 1657.D
Machabæa matris & septem Machabæorum eius filiorum fortitudo, ac martyrium. 28.C.29.B 146.C.522.A.1072.A.1074.A
Machinamenta diaboli quomodo destruuntur. 2011.A
Madiam quomodo superatus à Gedeone. 373.A
Madianitis quæ sit. 1572.B
Madianitarum concubitu Israel interficitur. 1596.D
Madianitarum vltio. 20.B
Magdalena vtrum vna, an plures. 1746.A
Magdalena mulier peccatrix. 1699.C
Magdalena eiecit Iudæum, vt acquireret Christum. 563.D
Magdalena quomodo quærebat Christum. 752.B 1040.B.C
Magdalena plorat ad monumentum. 100.C
Magdalena reprehensa. 1400.A
Magdalena typus est ecclesiæ. 563.D
Magistri authoritas. 2046.B
Magistri corona. 2046.A
Magistri fructus in discipulo. 2040.B
Magistri idonei proprium. 2048.D
Magistri exorcistæ fuut. 2002.C.in fi.
Magna misericordia quæ sit. 1212.B.& 1213.A
Magna virtus quæ sit. 1212.C
Magnetis virtus. 600.C
Magi quomodo Christum inuenerint & adorauerint. 1403.B
Magorum aduentus. 1641.A.& seq.
Magorum munera quid significant. 273.D
Magorum thesaurus. 158.A
Magistratus quis sit. 1739.A
Magnificatur dominus, & quomodo. 1637.A
Magnitudo & paruitas etiã in spiritualibus est. 1628.A
Maior & minor quomodo designantur. 290.D 291.C
Maiores domus. 1087.D
Maiores in quibus imitandi. 1562.D
Maiorum probra non sunt posteris dedecori. 1205.D
Mala drachma non est drachma. 1554.B
Maledicta terra quomodo sit. 208.A
Maledictio manet supra serpentem. 207.B
Maledictus author culpæ. 208.A
Maledictus qui habebatur in lege. 1981.A
Maledictũ pro nobis factus est Christus. 580.A 1981.C
Maledicto dignus quomodo repellatur. 1432.A
Malignum quid sit. 1530.D
Malignitas plus nocet quàm malitia. 661.C
Malignitas quare sit fugienda. 1549.D
Malitia quid sit. 1045.D
Malitia per coruum figuratur. 971.D
Malitia huius seculi fugienda. 206.C
Malitia idonea regno. 50.C
Malitia ipso vsu augetur & cumulatur. 206.D
Malitia inueneſcit infirmitate. 927.B
Malitia, peccati fons. 1550.A
Malitia præcedit tempore. 927.B
Malitia terrena. 207.B
Malitiæ cedendum. 1867.C
Malitiæ consummatio. 1526.A
Malitiæ egressus, virtutis operatur ingressum. 945.A
Malum à mulieribus cæpit. 1637.B
Malum iudicium non est iudicium. 1554.B
Malum malo non corrigitur. 1155.C
Malum quæritur vt inueniatur. 1291.B
Mali cognitio, peccatũ non est, sed actus malitiæ. 908.A
Mali incentiuum, aut iracũdia aut cupiditas esse consueuit. 908.A
Malum deus non fecit. 207.A
à Malo est declinandum. 1314.B
Mala non creauit deus. 1557.B
Malum vt operetur, à quo impellatur. 908.A
Mali cognitio sæpe prodest. 917.B
Mala quæ sint. 1046.A
Mala vnde hic abundare cœperunt. 1517.C
Mala hominibus eueniũt propter peccata. 1168.C
Mala æquanimiter toleranda. 26.D
Mala interdum declinanda. 27.A
Mala facere quem pudeat. 737.D
Mala quæ sunt materia virtutum. 40.B
Malis alienis gaudendum non esse. 1861.A
de Malis bona facere debemus non contra. 1112.A
Mala granata ecclesiæ comparantur. 836.C
Mali, bonorum cognitione torquentur. 1502.C
Mali & ignaui medio loco ponuntur. 955.A
Mali quomodo inueniantur. 1115.A.B
Manasses quid interpretetur. 1094.C
Manassæ semen. 1541.B
Mancipia verberari maluit, quàm alio amãdari. 1195.B
Mancipiorum emptores ac vẽditores quo in precio ea habeant. 1379.C
Mandatum quomodo sit bonum. 1055.A
Mandatum dei directum. 1443.C
Mandatum qua ratione latum. 1526.B
Mandatum primum in promissione. 2010.A
Mandatum quod Christus à patre accepit. 343.C
Mandatum quomodo sit mors. 1054.D
Mandati forma duplex. 164.A
Mandati forma, pura & simplex seruanda est. 916.A
in dei Mandato nihil superfluum. 911.A
Mandata dei, iustitia est. 1608.B
Mandata dei quid habent. 1561.B
Mandata dei sine ipsius gratia intelligi non possunt. 1501.C.D
Mandata diuina non sunt negligenda. 1468.B
Mandata domini plena testimonius. 1543.C
Mandata legis multiplicia. 1981.A
Mandata sua custodiri quando mandauit deus. 1425.C
Mandata simul omnia custodienda sunt. 1425.D
Mandata quomodo possint seruari. 1532.C
Mandata tria ab Apostolis quæ ignorant leges Romanæ. 1976.B
Mandatis dei credere, & in mandatis credere, quid. 1494.B
Mandragora somni conciliatrix. 831.D
Mandragoræ odor. 1583.D
Mandragoræ mares & fœminæ. 1583.D
Manducare cum amaritudine. 690.C.& 691.C
Manducci & bibones, damnabiles. 930.B
Manducorum pœnitentia. 1126.B
Mane & vespere mysterium. 1354.A
Mane surgentes quid facere debeamus. 737.D
Manere in Christo. 2005.A
Manichæus prophetas non recipit. 1610.C
Manichæi error. 296.A.2070.B.C

Mani-

Manichæi hæresis. 1971.C
Manichæorum friuola. 2071.D
Manichæorũ sacrilegia vnde emanarunt. 591.A
Manna cur pluerit dominus, & nunc non pluat. 620.C
Mannæ esus etiam non perpetuabat. 1249.B
Manna manducantes in deserto mortui sunt. 1575.C
de Manna vermiculi procreati. 692.A
Manna spirituale. 620.C.1910.A
Mansiones diuersæ. 1454.D
Mansionum populi Israelitici ordo. 1452.A
Mansueti qui sint. 1302.C
Mansuetudo ferarum. 594.A
Manumissoris ac patroni nostri Christi meminisse debemus. 1054.B
Manus quid intelligatur. 2083.A
Manus animæ. 1536.B
Manus arida quid repræsentet. 697.A
Manus primò in Adam aruit. 697.D
Manus Christi. 1392.D
Manus Christi bonus operarius. 451.C
Manus dei quæ. 1540.D.1326.A.B.1608.C
Manus dei quàm fortes. 1540.D
Manus dextera synagogæ aruit. 697.C
Manus diuina sanat iustos. 1304.D
Manus diuinæ potentiæ. 1347.B
Manus domini cruci affixæ. 113.A
Manus domini dicitur spiritus. 1501.A
Manus holographa. 1991.D
Manus Mosi leprosa. 72.C
Manus quomodo est extendenda. 697.D
Manus sapientiæ. 1541.A
Manum extendere. 1685.A
Manu Christi leuari. 204.D
in Manu dei sumus. 205.D
in Manu dei sunt omnia. 247.D
Manu vna dei cœlum firmatum, duabus homo figuratus. 1500.A
Manus ad dominum leuandæ exemplo Moysi. 1370.B
Manus quæ hominem parauerunt. 1501.A
Manus quando sanctæ. 2053.D
Manuum impositiones. 2058.D
Manuum singulare præconium. 894.B
Manus ad dominum extendere. 1019.A
Manus puras leuare quid sit. 1255.B
in Manibus esse animam, quid. 1540.C.D
Manibus operari cur inductus deus. 1649.B
Manu capti. 2035.B
Mara quid interpretetur. 1452.B
Mara fons per lignum dulcoratus. 133.D
Maranatha quid interpretetur. 1933.A
Marcelliana Ambrosij soror. 456.D
Marcellion vnde traxit errorem. 1885.B
Marcus consobrinus Barnabæ. 2036.B
Marci euangelium, quale. 1619.C
Mare ad escam datum est, non ad nauigandi periculum. 1134.B.C
Mare hospitium fluuiorum. 827.C
Mare rubrum, figura baptismatis. 1189.B
Mare est scriptura diuina. 603.D
Mare quare est salsum. 819.B
Mare turbatum sedatur. 1677.B
Maris Atlantici commendatio. 863.B
Maris periculum. 1670.C
Maris laus. 827.C
Maris singularitas. *Ibid.*B.C
Maris varia nomina. 825.B
Mari comparatus fœnerator. 1147.D
Mari terminus statutus est. 824.D
Mari plerique ad quæstum vtuntur. 1147.D
Maria sanguine Romanorum infecta. 1399.C
Margarita vbi inueniatur. 863.B
Margarita spiritualis. 695.A
Margarita quibus aptatur. *Ibidem*
Mariæ multæ, 133.D
Maria significat deus ex genere meo. 133.D
Maria typus Ecclesiæ. 1633.A.& dein.
Maria quomodo domini ancilla. 1635.B
Maria de domo Dauid erat. 190.C.1653.B
Maria dicitur arca. 775.D. *aula regalis.* 138.D *fons signatus.* 137.B. *hortus clausus.* 137.B *manna.* 692.A. *nubes leuis.* 119.D. 1451.D. *paradisus.* 137.B. *porta clausa.* 136.B. 137.B. *templum dei, non deus templi.* 403.B. *terra.* 1281.B. *vellus.* 703.D. & dein. *virga.* 137.A
Maria domi sola in cubiculo à Gabriele inuenta. 125.D.598.D.625.D
Maria Christum non parturiuit, sed peperit. 1403.B
Maria cur non antequam desponsaretur, sit impleta. 1631.D
Maria quomodo coniunx. 1632.D
Maria cur desponsata connubio. 135.A
Maria quomodo mulier dicatur. 134.A.B
Mariæ virginitati non derogauit quòd Ioseph coniux nominata fuerit. *Ibid.*A
Maria animum nũquam mutauit, nec pudorem. 135.D
Maria deum attulit. 133.D
Maria vnicũ filiũ habuit, scilicet Iesum. 652.D
Maria fidei fructum consecuta. 1637.A
Maria non fuit incredula. 1634.D
Maria quid expectabat iuxta crucem. 1792.D
Mariæ humilitas & deuotio. 157.B
Maria humilior facta. 88.C
Maria quomodo obumbrata. 1458.D.
Maria verè ac semper virgo, non solum corpore sed etiam mente. 87.D.652.C.D.871.C. 1632.C.D
Maria virgo cõcepit, virgo peperit, & virgo permansit. 654.D. *in fi.* & dein.
Maria virginitatis incentiuum attulit. 133.D
Maria quomodo virum suum Ioseph dereliquerit. 1632.C
Maria visitauit Helisabeth. 88.C
Mariæ comites. *Ibid.*A.B
Mariæ gressus speciosi. 139.C.D
Mariæ integritas extorqueri non potuit. 136.A
Mariæ & Zachariæ responsio. 1634.D
Mariæ perfectio. 87.D
Mariæ quæstio ab angelo, qualis fuerit. 1020.A
Mariæ turbatio ad salutationem angeli. 1023.B
Mariæ verecundia. 11.A
Mariæ venter crater tornatilis. 140.A
Mariæ vterus olla dicitur. 138.D
Mariam deiparam quidam negarunt virginem perseuerasse. 134.A. *eorum confutatio.* *Ibid.*B
de Maria velut de speculo refulget species castitatis. 87.C
in Maria Christus quid repererit. 660.A
Maria Magdalena culpam suam lachrymis diluit. 190.B. *Ea quare dominum tangere prohibetur.* 1997.C
Maria soror Aarõ quare pœnã incurrit. 1639.A
Maria soror Moysi. 660.B. *figura virginis Mariæ.* 133.D
Maria soror Moysi quomodo leprosa. 663.A
Marius & Cinna hostes. 1399.B
Mariti officium erga vxorem. 859.A
Mariti reuerentia. 858.D
Mariti debent amare coniuges. 1548.D
Mariti etiam asperi ac vitiosi coniugibus suis expectandi. 858.C
Marthæ actuosa operibus deuotio, & Mariæ religiosa mentis intentio dei verbo. 1727.A
Martius primus mensis. 970.C
Martianus hæreticus. 653.D
Martyr Christi, thesaurus Ecclesiæ. 113.C
Martyris in tormẽtis cõstituti trepidatio. 1600.B
Martyres fuerunt idonei testes. 771.C
Martyres illustres. 1743.A
Martyres, victores. 1884.A
Martyrum feruor erga Christum. 1492.B
Martyrum fortitudo. 29.B
Martyrum loca perquirenda. 725.C
Martyrum mors quid effecerit. 472.A
Martyrum passio nobis ad exemplum confertur. 762.A
Martyrum passio vindemiis cõparata. 767.C.D
Martyrum quorundam voces in tormẽtis. 1072.B.C
ad Martyrum sepulchra calices deferentes. 1133.A
in Martyribus Christus occiditur. 1942.C
Martyrium duplex in vna hostia. 80.A
Martyrij genus durissimum. 765.B.C
Martyrij gloria quibus acquiratur. 1821.C
Martyrij mater, fides catholica. 795.C
Martyrij vtilitas. 771.A.B
à Martyrio multi reuocati per vxores. 1548.D
Masculi nomine mens significatur. 1030.A
Materialis compositionis Trinitas veneranda sola immunis. 1022.B
Mater coquens & comedens filium. 75.C
Mater & filiæ martyriũ naufragio passæ. 98.A
Mater & fratres Christi. 198.B
Mater filiorũ Zebedæi iure reprehẽditur. 339.A
Mater Iesu quare arguatur. 1644.B
Mater lactet pueros suos. 1000.A
Mater vera quæ sit. 535.D
Matris pudorem dominus conseruauit. 135.A
Maternus affectus erga filios. 336.D
Maternus affectus quid debeat imitari. 1783.B
Materni affectus erga fœtum suum commendatio. 1764.B.C
Mathematica auocant potius à deo, quàm ad salutem faciant. 844.D. & dein. & 2028.A
Matricis strangulatio. 1579.C
Mathusala. 1664.A
Matrimonium cur priscis sacerdotibus permissum. 2056.A.B
Matrimonium extra legem dei. 1901.C
Matrimonium non quærendum ex alienigenis. 632.D
Matrimonium non soluendum nisi causa fornicationis. 102.B
Matrimonium seruitus est. 163.B
Matrimonium seu coniugium non defloratio virginitatis facit, sed pactio coniugalis. 135.A
Matrimonium quomodo non sit ratum. 1901.B
Matrimonij ius quomodo soluatur. *Ibidem*
Matrimonio iunctæ quomodo de mundo sint sollicitæ. 1904.B
Matrimonium Ambrosius non dissuadet. 81.D
in Matrimonio cur nasci Christus voluerit. 1632.A
Matrimonij incommoda. 1903.A
Matrimonij præsul deus. 988.D
Matthæus cur potissimum nominauerit Abraham & Dauid. 1653.B.& dein.
Matthæi euangrliũ morale. 1619.B.& 1620.D
Maturitas ætatis quomodo præueniatur. 1582.C
Matutina susceptio. 691.B
Matutinos potatores arguit. 1131.D
Maxilla quid sit. 444.A
Maximus tyrannus Gratiani Imperatoris persecutor. 1418.B

Media officia. 6.A
Media vita. 912.A
Mediator arbitrum significat. 1982.D
Mediator dei & hominum. 2053.C
Medicamina Christi. 1726.A
Medicamentum nouum. 1681.C
Medicus animarum Christus. 719.A
Medicus negligens repellendus. 1432.A
Medicus perfectus solus Christus. 1370.A
Medici boni cognitio. 552.C
Medici desiderium quando maximum. 1560.C
Medici mollis malum. 1482.D
Medici Asam non curarunt. 494.A
Medici inutiles. 1369.D.*in fi.& dein.*
Medici primũ ἐμπειρικοὶ sunt vocati, & quare. 1320.B
Medicorum opus, nosse herbarum potestates. 837.A
Medicina antiquissima herbis curabat & succis. 836.D
Medicina Christi. 1337.A
Medicina de vulnere sumpsit exordium. 1320.B
Medicina vera quæ sit. 1321.A
Medicinæ præcepta, diuinæ cognitioni contraria. 1608.D
Medicinæ principium. 970.A
Medicinæ ratio. 1333.A.B
Medicinæ secta prima, ac valida quæ sit .1320.B
Meditari in lege domini die ac nocte. 1528.D
Meditatio quotidiana quid faciat. 1865.B
Meditationis præceptorũ cœlestiũ finis. 1468.A
Meditationis verborum finis. 1468.A
post Meditationem quid sit agendum. 1468.A
Mel vt colligant apes. 872.C.*eius vsus.Ibid.*D
Mellis sapor citò euanescit. 1532.B
Melle iecur tenditur. 1128.D
Mel syluestre. 1645.D
Mel mysticum. 1532.A
Mel & lac habere sub lingua quid sit. 1532.D *& dein.*
Melchisedech quid interpretetur. 990.D
Melchisedech quid significet. 1247.C
Melchisedech typus. 661.D
Melchisedech benedixit Abraham. 802.D
Melchisedech panem & vinum obtulit. 1247.D
Melchisedech sacerdotium quale. 2094.A
Melchisedech & Abrahæ dignitas. 3001.B
Melius, quomodo interpretandum. 1900.C
Melior est hospitalitas in oleribus cum gratia quàm vitulorum pinguium præparatio cum discordia. 860.B
Melius est vt ancilla recedat quàm vxor. 1000.A
Melius est exiguum cum dei timore quàm thesauri magni sine timore eius. 860.B
Melius est vt vnius aut duorum damnatione plurimi liberentur, quàm duorũ absolutione plures periclitentur. 1572.C
Mem quid interpretetur. 1526.D
Membrum vnum officium alterius membris sibi non vindicat. 61.C
Membra Christi quomodo simus. 2009.C
Membra nostra quomodo desint esse Christi membra. 1898.B
Membra nostra arma sunt iniquitatis, & arma iustitiæ. 1053.C
Membra nostra vt sint arma iustitiæ. 27.A
Membra nostra & arma iustitiæ sunt, & arma peccati. 522.D
Membra nostra arma pietatis sunt. 1053.C
Membra in diuinitate quid significent. 383.B
Membra interioris hominis. 383.A
Membrorum corporis consensus. 1918.C.D
Memoria grato viro suppetit. 1009.D
Memoriæ magis mandantur quæ bene cantantur. 1474.A
Memorem esse & communicatorem. 1865.D
Mendax iudicatur deus, dum ei non creditur. 1816.A
Mendaces qui. 1815.D
Mendacium à muliere inchoatum. 916.C
Mendacium fugiendum. 2005.A
Mendacium hominum an proficiat. 1816.C
Mendacium nescit os iusti. 1632.D
μήνη, luna, & μῆνες menses. 673.D
Mens quid propriè. 897.B
Mens est animus. 1921.A
Mens bona quæ sit. 1055.C
Mens bona auro quare comparetur. 1012.B
Mens in Abraham reformata. 1008.C
Mens in Adam lapsa. 1008.C
Mens in Charra quid repræsentet. 1007.C
Mens nostra quibus alitur. 1010.B
Mens quomodo ascendit vel descendit. 1010.A
Mens virtutibus repleta ascendit in cœlũ. 202.D
Mens quomodo coinquinetur. 1601.B
Mens nostra cum deo semper esse debet. 1012.C
Mens deo deputanda. 36.A
Mens nostra vbi habitet, & quid gubernet. 1007.D
Mens hominis pura est ante adolescentiæ lubricum. 1389.C
Mens humana in bonis operibus quomodo turbetur. 1390.D
Mens humana, indiuisa. 1022.B
Mens quomodo illuminatur. 1010.A
Mens quæ dicitur inflata. 1538.A
Mens quomodo iudex sit. 1011.B
Mens maligna quomodo tractanda. 1810.D
Mens nostra vbi sit locata. 958.D
Mens quare maior dicatur. 1012.B
Mens, masculi nomine significatur. 1030.A
Mens quibus oneretur. 834.C
Mens nostra petra est. 1712.C
Mens quando probetur. 1010.C
Mens prudens quid considerare debeat. 1027.D
Mens sapiens retrorsum ambulat. 984.B
Mens semita bonarum cogitationum. 1028.C
Mens sapientis qualis esse debet. 1031.B
Mens quando dicatur sobria. 984.C.D
Mens nostra vestitur gemino amictu. 983.B
Mens quandiu non videat deum. 1009.C
Mentis circunciſio. 1028.D
Mentis sibi rectè conſciæ gratulatio. 946.A.*in prin.*
Mens cubiculum tuum. 1254.C
Mentis decimæ quæ sint. 1018.D.*in fi.*
Mentis grauis lucta. 1055.C
Mentis habitus in corporis statu ostenditur. 11.B. *in fine*
Mentis naufragium. 967.B
Mentis optimæ est meditari principium & finem. 1012.C
Mentis opus. 1697.D
Mentis perfectæ quid sit. 1019.A
Mentis piæ propositum quid habeat. 1019.B
Mentis sobrietas habet suas habenas. 2.D
Mentis tranquillitas, iustitiæ fructus. 667.B
Mentis vexilla & arma. 1018.B
Mentem simplicem diligit Christus. 1550.A
Mentem Venerem intelligit Plato. 218.A
Mente nihil est validius. 1028.C
Mente tota operari. 2034.B
Mentes, dei altaria sunt. 89.A
Mentes duæ. 1761.B.C
Mensa malorum. 1859.C
Mensa mystica ieiunio comparata. 1127.B
Mensa pauperis funestior quàm diuitis. 1109.D
Mensæ conciliatio. 1361.A
Mensarum studium, posthabendum sapientiæ studio. 1727.A
Mensis primus. 804.C
Mensis primus, Martius. 970.C
Mensis secundus Aprilis. 970.C
Mensis quomodo incipiat. 673.A
Menses antiquitus quomodo obseruabantur. 1373.D
Mensium series. 970.C
Menstrua quando incipiant fluere mulieribus. 1028.D
Mensura quædam delictorum. 1837.D
Mensura sapientiæ. 506.B.*in fine*
Mensuram cùm peccator excedit, deus ad vlciscẽdum commouetur. 997.A.B
Mensuræ tres. 1745.B
Mentiri deum impossibile est. 1191.D
Mentiri, infirmitatis est. 589.B
Mercatores Christiani damnantur ab hæreticis. 582.C
Mercatores Tyriorum & Galatarum. 47.A.*in prin.*
Mercenarius quis sit. 604.B
Mercenarij qui sint. 1749.C
Mercenarius sua mercede nõ fraudandus. 632.D
Mercenario merces est reddenda. 1157.B
Merces bonæ operationis. 39.C
Merces bonorum defunctorum quare differatur. 224.D
Merces dabitur secundum laborem. 255.B
Merces Euangelij Zantis regnum dei. 2061.B
Merces gratiæ par. 1749.D
Merces magna pro tribulationibus. 2066.C
Merces pro qualitate meriti rependitur. 2084.A
Mercedis futuræ promissio. 9.C
Merces piorum in cœlo. 9.C
Mercedem ab hominibus non quærens, à deo accipit. 991.A
Mercurinum pro Auxentio se quidam episcopus Arianus vocat. 579.B
Mereri quid sit. 302.A
Meretrix quæ intelligatur. 604.A
Meretrix prophetica, ecclesiæ typus. 723.D
Meretrix omnis cupiditas, omnis perfidia, fallacia. 624.A
Meretricis detestatio. 223.C
Meretricis oculus laqueus est. 179.A.219.C.928.A.1485.A. *Sermo eius laqueus est.* 219.C
Meretrices cur se latuisse dicuntur in sanguine Achab. 1114.C
Meretrices duæ suis cum filiis. 98.C
Meretricius etiam vsus viris interdictus, non solum adulterium. 1028.D
Mergi à mergendo. 865.D
μερίδες astronomicæ. 845.C
Meridies Ecclesiam significat. 1429.D
Meridies quando est in nobis. 1489.A
Meridies quando fuit. 1088.B
Meridies sit sibi quisque. 1489.A
Meridiano tẽpore virtus diuinæ lucis operatur. 1488.D
Meritum secundum fidem tribuitur. 740.C
Merita quomodo sint acquirenda. 269.A
Merita aliena inquirenda non sunt. 1113.A
Merita beatorum diuersa sunt in cœlo. 1688.B
Merita nostra qualia sint. 932.D.*& dein.*
Merita sanctorum imputabilia. 958.C
Meritorum fidelium precium apud Christum. 1732.B
Meritorum præmia post mortem manere. 9.B
Meritorum prærogatiuæ. 1661.A

Meritorum principium deus. 247.B
Meritorum remuneratio reposita est in futuro. 1470.D
Meritorum splendore sancti illuminãtur. 949.D
Meritis præcedentibus nihil debetur. 242.A *in fine*
de Meritis suis nemo glorietur. 1590.C
Meritis suis nemo peruenit ad salutem. 254.C
Merularum vox. 867.A
Mesopotamia vnde dicta. 902.A
Mesopotamia duob⁹ fluminibus cingitur. 632.D
Mesopotamia Ecclesiam præfigurat. 632.D
Messis nostra. 573.A
Μεταψύχωσις. 484.D
Meum non est dare vobis, cur dixerit Christus. 338.C
Micæ quæ sint. 1755.D
Michæas quid interpretetur. 541.B
Michol reprehendit Dauid saltantem. 587.C
Michol sterilis per punitionem. 587.D
Midæ fabula. 1711.A
à Milib⁹ tribus quadraginta octo milia cæsa. 28.C
Miles regni cœlestis candidatus impiger esse debet. 1063.D
Milites sunt hæretici peruersi. 692.B
Milites incusantur. 695.D
Militum munus. 1451.B
Militum pericula. 1844.D
Militibus cur stipendia constituta. 1647.A
Militans quomodo se cognoscere debeat. 696.C
Militare Christo. 1957.C
Militare secundum carnem. *Ibidem*
Militaris disciplina. 991.A
Militia cœlestis. 1440.D
Militia honestatis sit apud omnes Christianos prima. 696.A
Minister vltionis diuinæ quis sit. 944.D
Minister Christi qualis esse debeat. 162.D
Ministri Christi sumus. 331.B
Ministri dei quomodo docent. 1947.B.*in fi.*
Ministri iustitiæ. 1962.A
Ministrorum regalium fastus & fragilitas. 1084.C
Ministros altaris decet officiorum gratia. 34.D
Ministerium quomodo vituperetur. 1947.B
Ministrare & sedere vt differant. 3011.A
Minor culpa, vbi culpæ ignorantia. 638.D
Minuta seu μερίδες astronomorum. 845.C
Miracula Christus facit hodieque in sanctis. 793.B
Miracula Christi obliuioni non danda. 711.D
Miracula quare nunc non fiunt. 1920.B.*in fi.*
Miracula varia operatorij sermonis dei. 1248.B.C *& deinceps*
Miscere aquam vino. 772.C
Miseratio iniusta. 1449.D
Miseremini mei amici mei, &c. qualiter dictum. 77.B
Misereri decet maximè in Ecclesia. 1482.C
Misereri inopis quomodo prodest. 1525.C
Miseretur deus non sine iudicio. 1595.A
Misericors, & immisericors. 112.C
Misericordes nos esse decet. 1875.D
Misericordia de cœlo petenda. 1292.D
Misericordia Christi maxima. 1404.B
Misericordia cõmendat animã Christianam. 6.B
Misericordia quibus conferri consueuit. 1483.B
Misericordia dei. 1884.C
Misericordia dei quare data est. 1804.D. *& quomodo.* 1939.C
Misericordia dei erga peccatores. 1181.D. *& dein.*
Misericordia dei quomodo affluit. 1947.A
Misericordia dei in omnem carnem est. 1593.B
Misericordia dei magna. 1504.C
Misericordia domini vbique obuia. 170.A.B
Misericordia quib⁹ iure debeatur. 1483.C 1563.D
Misericodia dei descendit ad Israel. 1605.C
Misericordia nunquam destituitur, sed adiuuatur. 66.A.B
Misericordia domini in omnes gentes diffusa. 1491.A
Misericordia quomodo dispensanda debitoribus. 1482.D
Misericordia exhibenda est. 48.B.C
Misericordia sine fide, nuda & ĩstabilis. 1356.A
Misericordia quomodo fieri debet. 1865.A
Misericordia hominis in proximum est. 1593.B
Misericordia per dominum inuenitur. 1590.C
Misericordia non est sine iudicio. 177.A
Misericordia, iustitiæ portio. 1481.D
Misericordia iustitiæ appellata. 1956.B
Misericordia iusta & iniusta. 1482.C
Misericordia non de meritis indigorum iudicat. 1113.A
Misericordia nouissima. 1659.D
Misericordia à peccato liberat. 1483.B. 1556.B
Misericordia, plenitudo virtutum est. 1647.B
Misericordia pœnitentibus facta hic, testimonium est futuræ remunerationis. 181.B
Misericordia vnde progredi debeat. 1767.B
Misericordia saluatoris. 700.D
Misericordiæ fons. 723.A
Misericordiæ incentiuum. 56.A.B
ad Misericordiæ officium exhortãs exẽplum. 22.C
Misericordiæ opera commendantur. 6.B
Misericordiæ quis debeat studere. 2076.C
Misericordiam dei vt promerearis. 726.A
Misericordiam à deo petere debemus. 1559.D
Misericordiã accepimus duabus ex causis. 1831.A
Misericordiã & iudicium tẽperauit deus. 256.A
Misericordiam omnibus debemus. 21.C
Misericordiam esse iustitiam liquet. 495.C
Misericordia domini quomodo terra sit plena. 1490.D
de Misericordia domini Iesu. 181.A
Misericordia egens peccator est. 1483.B
Misericordia qui non habent opus. *Ibidem*
Misericordiæ domini multæ sunt. 1593.B
Misericordiarum diuitiæ. 1996.B
Misericordiarum duo fontes. 724.C
Mithra, eadem & Venus. 573.B
Mnarum mysterium in euangelio. 1768.D
Moabitæ quandiu ab ecclesia domini excluderentur. 1412.B
Moderatio, naturalis est. 1132.D
Modestia portio est dei. 11.B
Modestia quantum prosit. 2070.A
Modestia vnde dicta. 12.B
Modestia dines apud deum. 11.B
Moduli quid significent. 1566.C
Modus sit in omnibus. 1759.A
Mœstitia mensuram habere debet. 177.A
Mola quid sit. 1155.C
Mola asinaria ad collum religata. 700.B
Molæ Euangelicæ expositio. 721.D. *& dein.*
Molares lapides duo testamẽta significant. 722.A
Molentes duæ. 694.D
Molere quibus constet. 721.D
Molimina sera dominus condemnat. 1797.A
à Monasteriis discedentium vita. 1309.C
Monialium honos. 1465.A
Monica Augustini mater. 795.B
Monitio sine asperitate sit. 15.B
Monitores quales esse debeant. 2008.D
Μονότης *singularitas.* 335.C
Montani hæresis. 1227.C
Mons, Christus dicitur, & quare. 1769.C
Mons quẽ fides perfecta transferre potest. 1396.B
Mons modicus, & mons magnus. 1218.D
Mons Sion quomodo facti simus. 1401.C
Montis eminentia quid significet. 1009.D. *in fi.*
Montem ascendere. 1685.B
in Montem fugere. 1760.B
de Monte ad Montem volare quid sit. 766.B
Montes qui sint. 1463.A
Montes qui sint. 1759.B
Montes aromatum. 1612.B
Montes cadere quid. 310.D
Montes dicuntur seruuli Christi. 1401.D
Montes quomodo sint conturbati. 1397.A
Montium translatio mystica. 1396.A.B
Monumentum quid sit. 1794.C
Monumentum Christi nouum. 100.B
Moralis doctrina. 1037.C.D
Morathi quid interpretetur. 541.B
Morbi varij à Christo sanati. 103.D
Mores sint honesti. 1990.B
Mores vxorij emendandi. 1753.D
Mori à morte dictum. 911.B
Mori in Christo quis dicatur. 1590.A
Mori legi quid sit. 1835.A. 1979.B
Mori mundo quid sit. 1831.D
Mori natura. 1758.A
Mori nobis lucrum. 213.D
Mori non potest, quem virtus suis humeris portauerit. 1610.A
Mori quibusdam reis satius sit quàm nexos catenis in pompam duci. 1592.B
Mori pro Christo glorioſius est quàm regnare in hoc seculo. 214.C
Mori quotidie quid sit. 1336.B
Mori peccato. 471.A. *in prin.* 1831.A
Mori peccato quomodo possumus. 1832.A
Mori seculo nos oportet. 1783.C
Morientis anima paulatim se exuit vinculis corporis. 213.C
Morituri benedictio, quantæ virtutis sit. 222.C
Morituri, tactu charorum pignorum delectantur. 1092.D
Morituris Christus manum non imponit. 1093.A
Morituros filios plus diligimus. 1001.A
Mors & vita contraria sunt. 911.B
Mors quid sit. 212.D. 214.B. 222.A. 470.D. 926.A. 950.D. 1832.C
Mors quomodo acquiratur. 1834.B
Mors vnde Adæ acciderit. 908.B.C
Mors æqualis omnibus. 466.D
Mors animæ. 47.A
Mors, animæ nihil nocet. 112.C
Mors per baptismatis sacramentum. 912.B
Mors bona, mala, media. 213.A
Mors quomodo bonum sit. *Ibid.*C
Mors corporalis non lugenda. 466.C
Mors generaliter neque bona neque mala, sed in specie & optima & pessima. 222.A
Mors omnes dolores corporis aufert. 950.D
Mors duplex. 1720.B. & 1834.A
Mors Christi quid nobis profuit. 1826.B
Mors Christi, iustificatio peccatorum. 1979.D
Mors Christi omnibus vtilis. 1997.C
Mors Christi, vita est. 1306.B
Mors quomodo dominata sit in Christũ. 1578.C
Mors communis. 912.B
Mors corporalis quomodo bona. 1416.D
Mors corporis non est timenda. 1346.B
Mors culpæ refuga. 471.A
Mors quare sit data. *Ibidem*
Mors dissolutio corporis est. 1826.D
Mors Græcis à fine dicitur. 222.A

Mors finis peccati. 216.D. 449.D. 1242.D. 1831.C
Mors iusto non naturæ finis, sed culpæ. 1417.C
Mors naturæ finis non pœnæ est. 1731.A
Mors in natura non fuit. 472.B
Mors honesta. 1336.B
Mors improbis prodest. 1570.B
Mors quomodo introducta. 1242.D
Mors intrauit in mũdum per mulierem. 2054.B
Mors inuidia diaboli intrauit. 915.A
Mors iustis quietis portus. 221.C
Mors mala. 216.B.912.B
Mors malum non est. 469.A
Mors martyrum. 472.A
Mors metuenda non est. 217.B.1456.B
Mors duabus ex causis ab insipientibus timetur. 221.D
Mors mystica. 213.A
Mors naturalis. Ibidem
Mors nemini nocet. 1601.B
Mors peccati. 213.A
Mors ex peccato. 1928.B
Mors peccatorum pessima. 222.A
Mors piis non timenda, sed potius optanda. 449.D
Mors non pœna, sed remedium. 471.A
Mors, pœna æterna. 2004.C
Mors prima & secunda. 1828.A
Mors quomodo regnabat. 1827.C.D
Mors in quo non regnauit. 1828.A
Mors non in omnes regnauit. 1829.A
Mors est quæ mundum redemit. 217.A
Mors fugienda non est. 472.B
Mors pro remedio data est. 471.A
Mors, requies corporis: animæ vel libertas vel absolutio. 1050.B
Mors sola, requies est viro. 216.A
Mors, sæua & intolerabilis pœna peccati. 1370.B
Mors secunda. 1824.B.1826.D
Mors sepultura vitiorum. 217.A
Mors somnus appellatur. 222.A
Mors spiritualis, naturalis, & pœnalis. 47.A
non Mors terribilis, sed opinio de morte. 220.D
Mors non terribilis. 1731.B
Mors tertia. 213.A.1720.C
Mors triplex. 470.D. in fine
Mors, turpis vita. 1832.C
Mors vera. 200.A.763.B
Mors quomodo victa. 2066.A
Mors vilis. 1732.A
Mors est vitæ excessus. 471.A
Mors, vitæ testimonium. 222.B
Mors vnde sit. 1944.A
Mortis destructio. 2053.D
Mortis exitus, in manu vitæ. 1336.B
Mortis lucrum. 1216.D
Mortis meditatio quid sit. 470.D
Mortis metus vt leuetur. 1715.B
Mortis metus ad quid referendus est. 221.C
Mortis periculo soluimur per Christum. 1055.B
Mortis pœna, misericordiæ precium. 1139.C
Mortis tria genera. 213.A.470.D. in fi. 1720.C
Mortis stipendium. 1289.C
Morti quis addicitur. 1948.B
Morti quare concesserit se dominus. 1972.B
Mortem æternam nescire, est esse in regno dei. 309.B
Mortem deus non fecit. 216.A.1284.D
Mortem illusit Christus. 1802.D
Mortem quomodo possumus fugere. 1715.B
Mortem gustare quid sit. 1715.C
Mortem Iesu in corpore nostro circunferamus. 214.D
Mortem imitari. 215.A
Mortem non esse lugendam. 466.C
inter Mortem & sortem nihil distat. 1145.D
Mortem sibi inferentes, quomodo veniam mereantur. 181.C
Mortem timere, est communis affectus. 1353.A
Mortem frustra homines timent. 216.D
Morte Christi liberati sumus. 1819.B
Morte filiorum grauius puniuntur parentes. 1029.D
Morte mori, aliud est quàm mori. 911.B.C.D
in Morte quotidie versabatur Paulus. 1390.C.D
à Morte secunda alieni. 1834.B
Morte viuere quid. 911.D
Morte vnius aliquando multi liberati. 472.A. 1714.D
Mortalitas vnde exorta. 263.C
Mortales qui dicantur. 1832.B
Mortua mundo. 141.D
Mortuus quis verè sit. 1980.A
Mortuus legi quis sit. 1601.B
Mortuus morti, & mortuus peccato. 912.A
Mortuus peccato. 182.A
Mortuus præfertur viuenti. 1570.C
Mortuus, tactu corporis Heliſæi suscitatus. 1628.D
Mortui locus qui sit. 1319.C
Mortuo præfertur qui natus non est. 1570.C
Mortuum tangere quid sit. 1437.C
Mortui qui dicantur. 1995.C
Mortui sumus cum Christo. 208.B
qui Mortui deflendi. 193.D
Mortui iusti pro viuentibus habentur. 949.C
Mortui quomodo dicantur peccatores. 1931.D
Mortui quando simus. 1687.B
Mortui quomodo simus peccato. 1480.C
Mortui seculi qui sint. 1317.D
Mortui sine baptismo, pereunt. 264.D
Mortui quomodo mortuos sepeliant. 1720.B
Mortui quomodo dicantur viuentes. 1461.A 1715.D
Mortuorum iustorũ merces cur differatur. 224.D
Mortuorum regio. 1438.D
Mortuorum vita. 912.A
Mortuis inhærendum diutius non est. 1002.B
Mortuis quantum satis est officij deferendum. 1003.B
Mortificatio Christi quid sit. 217.A
Morsus suauis & morsus amarus. 596.B
Morsus octo hominum. 596.A
Motus animi quomodo vincatur. 13.D
Motus verè beatus. 1334.B
Motus gemini. 15.A
Motus proximi corporis sunt animæ aduersarij. 543.D
Motus sensitiui irrationabiles ad petram Christum tanquam paruuli elidendi. 194.C
Motus temperandus consilio. 1687.B
Moueri malum. 1417.B
Mouit dominus bis terram. 1415.A
Moyses vnde dictus. 801.D
Moyses typus populi & legis. 1370.B.1480.B. 1630.B.C.1716.D
Moyses Aaronis consiliũ probat præ suo. 510.D
Moyses Ægyptium interfecit. 944.C
Moyses Ægyptiorũ diuitias contempsit. 1479.D
Moyses eruditus in omni sapientia Ægyptiorum. 878.C
Moyses abiecit Ægyptiorum sapientiam. 1027.B
Moyses æstimatus est supra homines. 42.C
Moyses contra Amalech bellum gerit. 751.A
Moyses quomodo non confusus. 587.C
Moyses deus Pharaoni factus. 1480.A
Moyses dextera populi fuit. 697.C
Moyses docuit populum insurgere in proximos. 615.B
Moyses ductor Israel. 1452.B
Moyses elegit Iosue & Caleb. 1431.C
Moyses in monte Sina legem accepit. 1182.D
Moyses in ocio negotiabatur. 59.C
Moyses philosophicas quæstiones de sphærarum motu tanquam inutiles præteriit. 878.C.D
Moyses plebi libertatem reddidit. 19.D
Moyses orauit pro salute aliorum, & exauditus est. 174.A
Moyses pro hoste orauit. 72.B
Moyses se pro populo offerebat. 42.B
Moyses verus fuit pauper. 587.C
Moyses in periculis non desperauit salutem. 39.D
Moyses in quibus prælatus, in quibus Aaron. 510.C
Moyses semper præliatus. 1603.B
Moyses multa prohibuit propter duritiam Iudæorum. 1897.D
Moyses magnus propheta. 510.B
Moyses non sponsus Ecclesiæ. 306.D
Moyses rex esse noluit. 479.D
Moyses in silentio loquebatur. 59.C
Moyses quare terram promissionis non est ingressus. 1603.B
Moyses quæ vidit & operuit. 35.C
Moyses quomodo viderit dominum. 1480.C. 422.A
Mosis admiranda. 1350.D
Moysi affectus. 1481.B
Mosis ascensus in mõtem, & ingressus ad deum. 1375.D.& 1378.D
Moysi consilia. 45.C
Mosis descriptio mundi. 801.C
Moysi & Christi collatio. 2091.D
Moysi facilitas erga omnes. 42.C
Moysi manus quam in sinum bis misit, mystica interpretatio. 72.C
Moysi manus graviores. 521.C
Moysi ieiunium. 658.A.720.A
Moysi periculum. 1555.C
Moysi sapientia. 18.A
Moysi velamen quid indicaret. 1568.A
Moysi verecundia. 10.D
Moysi vox gracilis. 1580.D
Moysi vultus. 1567.D
Moysi manna data est. 40.A
Moysi in rubo apparens quis fuerit. 1372.A.B
Mosis sepultura ignota. 926.A.2076.D
Moyses per triginta dies lugetur. 492.B
Mulier quid in sac. literis. 100.D.& 132.D. 1904.A
Mulier vocabulũ sexus est, non corruptelæ. 134.B
Mulier errorem significat. 1959.D
Mulier Ægyptiorum procax. 1083.A
Mulier atrocitate spiritum exhalauit. 75.B
Mulier bona. 534.C
Mulier capillis suis tergens pedes domini. 124.C
Mulier discere magis quæ diuina sunt studeat, quàm docere. 1639.A
Mulier, Ecclesia. 1748.A
Mulier Ecclesiæ gratiam figurat. 132.C.D
Mulier, Ecclesiæ typus. 1128.B
Mulier Eua vocata extra paradisum. 134.B
Mulier ex costa Adæ, non ex anima sumpta. 913.D
Mulier à domino ædificata. 134.B.913.D
Mulier excusationem in peccato habet quam vir habet. 132.D
Mulier fermentum abscõdens in Ecclesia. 694.C

Mulier

Mulier fluxum sanguinis habẽs duodecim annis. 1705.D
Mulier fortis, ecclesia. 1754 D
Mulier illusa ad mortem vsque. 628.D
Mulier in ciuitate peccatrix. 1156.A
Mulier in quo non habeat locum. 1877,D
Mulier intra paradisum facta est. 904.B
Mulier latus viri. 1401.C
Mulier quare latus viri dicatur. 1401.C
Mulier quare vocetur Maria. 134.A
Mulier mariti electionẽ parẽtibus deferat. 1005.C
Mulier non concupiscenda. 1484.B
Mulier ornata horrenda. 2054.A
Mulier portio corporis viri. 2009.C
Mulier prima vidit mysterium resurrectionis domini. 996.B
Mulier similaginem offert. 996.A
Mulier peccatrix typus Ecclesia. 1502 D
Mulier quomodo delectet virum. 988.C
Mulier quare virum gubernatorem assumere debet. 858 D
Mulier quare subiecta viro. 2009.B
Mulier Zelum deponat. 992.C
Mulieris accusatio. 858.D
Mulieris aspectu quàm citò quis capitur. 1404.C
Mulieris auaræ impotentia. 1113.C
Mulieris culpa. 904.B
Mulieris faciem depingentes taxantur. 82.B
Mulieris quæ hospitio Helisæum suscepit, merces. 995.C
Mulieris incautè visæ malum. 1200.D
Mulieris iniuria stupro illata. 74.D
Mulieris lapsus in peccatum excusatur. 132.D
Mulieris lasciuæ vitandus occursus. 1201.A
Mulieris malæ cõsortium q̃ periculosum. 1120.A
Mulieris nomine etiam virgo intelligitur. 134.B
Mulieris origo. 1913.D
Mulieris partes 12 per tribus Israel missæ. 628.D
Mulieris primæ multiplex peccatum. 906.D
Mulieris species illecebra decepit etiam fortiores maritos. 1004.A
Mulieris tenuis sed pudicæ labor, ac solatium. 875.A
Mulieri authoritas deneganda. 2054.B
Mulierem audire vir iubetur. 133.C
in Mulierum insolẽtia mariti notantur. 1926.A
sine Muliere non laudatur homo. 132.C
Mulieres non accusandæ quòd Eua erroris causſam inuexerit. 131 D
Mulieres cupidæ sunt discendi, cum iudicium non habeant probandi. 2070.C
Mulieres debent esse comatæ. 1914.C
Mulieres discant diligere viros. 992.C
Mulier non debet docere. 536.D
Mulieres duæ nobis cohabitant inimicitiis dissidentes. 927.D
Mulieres humiles esse debent. 2009.B. in fine
Mulieres in Ecclesia nõ præsumãt loqui. 1925.D
Mulieres in omni loco orare non debent. 1255.B
Mulieres quomodo orare debeant. 2054.A
Mulieres Romanæ vino non vtebantur. 2033.D. in fine
Mulieres sequebantur Apostolos. 1907.B
Mulieres in ecclesia taceant. 536.C
Mulieres sanctæ viris suis velut dominis subiectæ. 904 C
Mulieres temulẽtæ quomodo inducantur. 1131.D
Mulieres turturum pudicitiã vix implẽt. 870.D
Mulieres debent esse velatæ in Ecclesia. 1914.C
Mulieres etiam virgines dicuntur. 1904.A
Mulieres vti veste virili prohibitum. 536.B
Mulierum bona cum vltimis virginum. 81.D
Mulierum fletus ineptus. 467.D
Mulierum habitus. 2054.A
Mulierum improbitas in exigendo à maritis mũdo muliebri. 1110.A
Mulierum inaures quales esse debeant. 1005.A
Mulierum lenocinius irretiti viri strenuissimi. 1201.C
Mulierum miseriæ. 82 A
Mulierum ornatus. 82.C
in Mulierum superfluum ornatum. 124.D
Mulierum peccatum contra naturam. 1808.D
Mulierum sumptus pauperes maritos sæpe perdunt. 1110.B
Mulieribus honorẽ impertiri debent viri. 904.C
Mulieres à virtutis officio sexus infirmitas reuocare non debet. 160.A
Mulieribus fucum arguit. 888.B
Multa immutata ad sensum humanum. 1828.D
Multiloquium cauendum. 935.D
Multorum fletu Christus mouetur. 192.D
Multorum sententiæ paucorum anteponendæ sententiis. 1884 B
Multum interest inter legem & legem. 1939.D
Mũda & immũda induci in arcam quid repræsentet. 963.C.D
omnia Munda sunt saluatoris beneficio. 1871.B
Mundamur esca spirituali. 1559.B
Mundare quomodo nos debeamus. 1423 A
Mundari quomodo quis potest. 1740.D
Mundatio peccatorum qui fiat. 1189.C
Mundi secundum deum qui sint. 1949.C
Mundus duplex. 1896.B
Mundus quid significet. 2031.B
Mundus pro hominibus. 1860.C
Mundus, angeli, & homines. 1892.C
Mundus iste dicitur ager. 745.D
Mundus agon plenus certaminum. 591.D
Mundus hic Christianis pelagus est. 1845.D
Mundus consummauerat malitiã suam. 1525.D
Mundus cui crucifixus. 1702.C
Mundus crucifixus in suis illecebris. 399.C
Mundus per crucem liberandus. 356.A
Mundus à deo habuit gratiam. 810.A
Mundus ex contrarijs continetur. 976.C
Mundus deserto comparatur. 1694 D
Mundus ipse distinctè factus est. 947.C
Mundus in tres diuisus quibusdam. 8.A
Mundus verbo factus est. 1675.B
Mundus quare infidelitas dicatur. 1892.C
Mundus quando iudicatur in nobis. 1896.C
Mundus pistrinum est. 1761.A
Mundus quibus plenus est. 1424 D
Mundus quare non habet vitam æternã. 378.D
Mundus ex magna parte saluabitur. 1860.C
Mundus sole illuminatur. 1010.A
Mundus superior deus. 1009 C
Mundus totus quomodo sit sapientis. 1017.A
Mundi velut per membra distributio. 1022.A
Mundi figura siue forma quo præterit. 1903.D
Mundi partes quatuor. 1025.A
Mundi perpetuus atque idem ordo. 1517.B
Mundi tempora, annus vnus est. 475.A
Mundi tempora quatuor. 903 B.C
Mundi prudentes stulti. 1842.C
Mundo toto eget, cuius non capit mundus cupiditates. 1114.D
Mundo toto quis fugiat. 1114.D
à Mundanorum spe abstinendum. 2031.C
Mundanus ciuis sapiens. 600.D
Munificentia dei larga in homines. 486 D
Munus sponsalium Christi. 1041.C
Munera Abel & Cain. 258.A
Munera excæcant oculos, & vim authoritatis inclinant. 1952.D
à Munere suo deus nullum voluit esse alienum. 1943.B
Munitiones quæ sint. 1957.D
Munus dei. 1047.D
Murena, quæ noxium aliquid habet, esca pretiosior. 855.A
Muri Hierusalem. 1197.C
Murmurare quid sit. 1910.D
Mus elephanto terribilis. 885.A
Musica cœlestis. 816.A.B.C
Musicæ ac tantus efficacia. 1474.B
Mustela marina & terrena. 855.A
Mustũ reficiens & inebrians Christianũ. 708.B
Mutare in melius quæ facta sunt deus potest. 1496.A
Mutari in peius graue. 508.D
Mutat dominus sæpe sententiam. 70.C
Mutationi omnia subiecta sunt. 850.D
Mutus qui sit. 1630.B.1722.B
Myricarum mirum. 839.C
Myrocles episcopus. 578.D
Myrrha quid repræsentat. 1574.C
Myrrham stillant animæ manus. 106.A
Mysterium de Christo. 1885.A
Mysterium sacramenti in quo sit. 2027.D
Mysterium vocationis gentium prophetis & apostolis cognitum. 261.D
Mysterium vocationis gentium quomodo reuelatum. 2027.B
Mysterij reuelatiõis vitiũ quadripertitũ. 1433.B
Mysteria adulterij Dauid, & homicidij Vriæ. 1206.D
Mysteria Christianorum antiquiora sunt quàm Iudæorum. 1247.C
Mysteria diuina prodenda non sunt. 1433.C
Mysteria nullis manifesta. 1195.B
Mysteria prophanis auribus temere non inuulganda. 996.A
Mysteria veritatis comprehendenda. 1405.B

N

Naaman Syrus leprosus aqua mundatus. 184.A.1239.A.B.1673.C
Naason quid interpretetur. 1435.B
Nabal insipiens interpretatur. 533.D
Nabal inhumanitas. 533.D
Nabuchodonosor Assyrius bonis ĩsidiatur. 1382.B
Nabuthe, interpretatur, venit à patre. 119.C
Nabuthe quare inter sanctos habeatur. 1301.B
Nabuthe honestas imitanda. 68.A
Nabutha pauper, suo palmite contentus, ditior rege Achab. 526.B
Nabuthe lapidatus, & quare. 68.A.40.C.578. C.D.1114.B.1772.D
Nabuthæ sanguinem canes linxerunt. 1114.C
Nabuthæ multi. 1100.C
Nadab, igne cœlesti absumptus. 511.B
Nain quid interpretetur. 1132.B
νάφθα vndè dicta. 958.B
Narcissus presbyter. 1877.C
de Naribus & odoratu. 893.B
Nares simæ contra naturam videntur. 959.B
Nares quare tãgit episcopus in baptismo. 1238.A
Nares animæ. 1458.B
Nares ecclesiæ. 1458.B.C
Nares spirituales. 383.A.1407.A
Narratores superfluj sicut hirundines. 1513.A
quomodo Nascamur. 926.C
Nasci & mori naturale est omnibus animalibus. 1360.A
Nasci malorum omnium esse principium. 470.B
Nasci est miseria. 470.A
Nasci nõ prodesset, nisi redimi profuisset. 1640.C
Nasci de spiritu. 1401.C

Nasci secundum spiritum quid sit. 382.D
Natalem domini quomodo suscipere debeamus. 705.A.B
Nathan cognouit quod Dauid nesciebat. 1519.B
Nathanael sanctus. 798.B
Nathanael visus sub arbore. 1048.A.1768.C
Nationũ populus quomodo acquisitus est. 1573.C
Natiuitas quorum sit. 1445.D
Natiuitas Christi primò nunciata est pastoribus. 703.B
Natiuitas Christi sol nouus appellatur. 706.D
in Natiuitate Christi dies crescunt. 702.A
in Natiuitate Ioan. Baptistæ dies decrescũt. Ibid.
Natiuitati Christi famulantur omnia. 702.D
Natiuitas nostra qualis sit. 926.C.D
Natiuitas omnis carnalis vnde sit. 2032.A
Natiuitatum qualitates exprimere, impossibile est. 844.D.& 849.C.& dein.
Natura bona & mala. 1996.A.B
Natura omnis bona est. 1825.D
Natura quomodo agnoscit creatorem. 1812.B
Natura ferarum simplex est. 881.D
Natura ius commune generauit. 19.B
Natura immutari nō potest, sed voluntas. 1851.C
Natura membra corporis verecunda abscondit. 12.A
Natura nihil imperfectum in homine generauit. 640.C
Natura omnes pauperes generat. 1106.D
Natura humana qualis sit sine gratia. 243.C
Natura irã. 1996.A
Natura, verecundiæ magistra. 12.A
Natura veritatis magistra. 881.C
Natura vna corporis in viro & muliere. 913.A
Naturæ alienæ non potest esse capax deus. 1744.D
Naturæ bonum omnibus inest. 954.D
Naturæ est incidere in culpam. 1183.D
Naturæ ius barbari & muta animalia norunt. 989.A.B
Naturæ ius, pascere alios. 62.B
Naturæ opifex decori obseruator. 12.B
Naturæ simplicis est deus. 281.D
Naturæ admiranda virtus. 881.C
Naturæ vsui deputata, non coinquinant hominem. 938.A
Naturæ quatenus indulgendum. 1747.A
Naturam vincit institutio. 940.A
Naturam vitiatam mutat deus. 538.A
in Natura quid habeamus. 1833.C
Naturalia pulchra sunt & honesta. 31.C.& deĩ.
quæ contra Naturam sunt, turpia sunt. 31.D
Naufragium quis non timeat. 1134.G
Naufrago an tabula è manibus extorquenda. 62.D.*in fine*
Nauigantium mare, timor. 1670.C
Nauigare bene qui dicantur. 1403.C
Nauigationis pericula. 1134.B
Nauis dominica. 113.C
Nauis, ecclesia est. 113.C.1227.B
Nauis Iudæa. 1778.B
Nauis fluctibus operta. 1391.A
Nauis Petri. 1677.A
Nauis sine arbore infirma est. 750.D
Nauis spiritualis descriptio. 1227.C
Nauim in mari aliquando recturus, vt se exerceat. 5.C
Naues, corpora humana intelliguntur. 1403.C
Naues Tharsis quæ sint. 1161.D
Naues Tharsis corpora nostra vt fiant. 1403.D
Nauicula, eadem tranquillitatem donat & metum. 701.C
Nauicula Simonis Petri. *Ibid.*A
Nauiculæ duæ quid obumbrant. 701.A
Nautæ ab echino discunt tempestates imminere. 860.B.C
Nautarum pericula. 1844.D
Nazarij martyris natalis. 795.D.& dein.
Nazaræus. 1777.B
Neemias sacerdos. 73.C
Necessitas inuito imposita, fastidium affert. 867.D
Necessitate nemo peccat. 948.D
ex Necessitate quid facere. 1539.A
Necessitatem peccandi deus non imponit. 909.C
Necessitates quærunt iustum. 1578.A
Nectar ex vino & melle. 219.A
Negatio Petri qualis fuerit. 1785.D.& deinceps copiosè
Negligentes deus deserit. 1505.A
Negligentia quo iudicio damnetur. 1432.D
Negocia secularia. 2067.B
Negociatio marina quàm periculosa, atque adeò auara. 1134.C.D
Negociatio magna. 772.A
Nemo debet facilè se alteri credere. 904.C
Nemo à peccato est immunis. 604.D
Nemo grauius moritur, quàm qui peccato viuit. 962.B
Nemo glorietur in operibus. 639.D
Nemo iustificatur ex lege. 1681.D
Nemo laudat deum nisi perfectus. 1763.B
Nemo liber. 1054.B
Nemo salutandus in via. 1724.A
Nemo sine peccato, nisi vnus deus. 408.C
Nemo sine peccato. 1609.C
Nemo sine lapsu est. 1118.B
Neomeniæ quid significent. 1984.B
Nemroth quid interpretetur. 986.B.1487.A
Neophyti vnde dicantur. 748.C
Neophytus prohibetur ordinari. 664.B
Neophyti tanquam aquilæ. 748.D
Nephthæ templum. 73.C
Neptalim quid interpretetur. 526.C
Neptalim, palmes abundans. 1101.D
Neptuni & Dianæ fabula. 93.D
Nequiores homines, tectiores. 1016.C
Nequitia legitimum successorem non habet. 1410.A
Nequitiæ spiritales sunt etiam in cœlestibus. 1491.A
Nero Christianorum persecutor. 246.D.*in fi.*
Nerui à cerebro sunt. 892.D
Neruus Iacob cur obstupuerit. 1372.D
Neruum non manducent filij Israel. *Ibidem*
Nicanor regis Demetrij dux. 29.A
Nicenum concilium. 311.C
Nicodemus primus lauacri mysterium audire meruit. 106.A
Nicolaitarum doctrina. 175.B
Nidus velut quidam attextum est corpus nostrum. 957.D
Nihil, id est malitia. 203.B
Nihil à sapientibus nisi quod honestum sit expetendum. 63.B
Nihil adimitur Ecclesiæ quod pietati acquiritur. 554.B
Nihil affectatum attentandum. 12.D
Nihil deum latere potest. 8.B.C
Nihil est, quidquid diaboli est. 1066.D
Nihil fœmineum attentandum. 12.D.& seq.
Nihil proprium habemus in mundo. 2063.A
Nihil sine Christo plenum. 1879.B
Nilus dicitur Ægyptus. 1026.B
Nilus fluuiorum maximus. 816.C
Nilus quando exundet. 966.D
Nimis custodire mandata quid sit. 1425.C
Niniue fleuit agendo pœnitentiam. 188.B
Niniuitæ per ieiunium liberati. 655.B
Niniuitarum ieiunia. 734.B
Niniuitarum rex deum humilitate vicit. 734.C
Nix citò nigrescit. 1247.A
Nix intelligibilis quæ sit. 1193.D
Niuibus sermo dei comparandus. 1717.C
Nobiles qui erant. 1563.D
Nobiles contra Christum. 1892.D
Nobilibus fortuna lapsis maior misericordia debetur. 1563.D
Nobilitas à parẽtibus trahitur. 1624.D.& dein.
Nobilitatem generis an Christus quæsierit ad saluandas animas. 1381.B
Nobilitate generis gloriandum non esse. 1646.B
Nobilitas in quo consistat. 1115.D
Nobilitas quomodo iuuat. 1430.C
Nobilitas nulla carnalis, immaculatæ originis est. 1205.D
Nobiscum deus Christus. 1400.B
Nocere alteri est naturam violare. 62.C
Nocte media tentationes maximè vigent. 1487.D.& 1488.D
Nocte orandum. 1582.C
Noctua, Hæreticorum est figura. 738.D
Noctua quomodo non est imitanda. 738.D
Noctuæ proprietas. 875.A
Noe quid interpretetur. 954.C
Noe Adæ similis. 982.A
Noe quare gratiam apud deum inuenerit. 956.D
Noe ad semen futurorum reseruatus. 1350.C
Noe sapientia in fabricanda arca. 17.D
Noe quare ædificauit aram deo. 975.C
Noe tempore diluuium abscondit montes. 825.D
Noe arca est Petri ecclesia. 701.C
Noe prasio lapidi comparatur. 904.A
Noe iustus. 903.C 904.A.& 962.C
Noe sanctus. 954.B
Noe feracis vineæ plantator. 608.B
Noe primus vineam plantauit, & quare. 982.C
Noe vino inebriatus. 840.B.998.D
Noe ebrietas quid significet. 1124.A.1350.C
Noe nudatus non erubescebat. 588.C
Noe se nudum non sentiebat. 983.D
Noe quatuor virtutes. 17.D
Noemi destituta marito & filiis. 158.C
Noli me tangere, quid. 101.B
Nomina sine ratione veteres non imposuerunt. 1801.C
Nomen à deo sancti accipiunt. 1638.B
Nomen appellatiuum. 2017.D
Nomen bonum quibus paratur. 126.D
Nomen Christi quomodo agnoscatur. 408.B
Nomen dei quõ sanctificatur in nobis. 1256.A
Nomen cuiusque quod sit. 1373.D
Nomen dei verum. 622.C
Nomen sibi mutans episcopus Arianus. 579.B
Nomen super omne nomen. 2017.D
Nomen suum vt homo perdat. 1499.D
Nomen vnum est in quo baptizari nos oporteat. 1243.B
in Nomine Christi quid sit. 1711.D
Νόμῳ, id est legi synagoga quasi masculo copulata. 1384.C
Non esse dicuntur iniusti. 1318.D
Non nasci melius, quàm improbè agere. 1570.C
Non peccare impossibile est. 1827.D.*in fi.*
Nona visio. 1134.A
Noscere se quid sit. 1430.B
Nosse dei & non nosse quod sit. 1220.A.B
Nosse teipsum, cuius sit dictum. 885.C.D.1430.B.1499.A

Nostra

Nostra quæ sint. 1367.B.*in fi.*
Notitia dei ex quibus manifesta sit. 1806.D
Notitia veteris testamenti prodest. 2071.B
Noua nouorum quid significent. 946.A
Nouatianus schisma composuit. 180.D.1921.A
Nouatiani praua expositio. 2069.B
Nouatiani error de domo magna. 2069.B
Nouatiani hæresis. 170.A
Nouatiani in ecclesiam nõ conueniunt fidelium. 180.D
Nouatiani mundos se appellant. 168.C.173.B. C.& 174.A.B
Nouatiani spem veniæ negant. 172.A
Nouatianorum doctores, & eorũ error. 168.C.D
Nouercalia odia. 855.D
Noui facti in Christo. 2033.A
Nouissimus in seculo, primus apud Christum. 1377.B
Nouit deus mutare sententiam, si tu noueris emẽdare delictum. 1638 D
Nouum testamentum in 39. psalmo annũciatur. 1349.D
Noui testamenti eminentia. 2080.A
Nũς. 593.C.601.A
Nũς, *viri figura,* ἀΐσθησις, *mulieris.* 901.C
Nox quæ dicatur. 964.D.1749.D.*in fi.*
Nox est contraria diei. 1488.D
Nox ad quid data est. 814.A
Nox etiam sua carmina habet. 874.D
Nox peccatis magis accommoda. 1475.B.C
Nox perfidis semper est. 1721.D.*in fi.*
Nox tentationum. 1489.B
Nox veterem hominem significat. 1869.B
Nox vmbra terræ est. 844.B
Nox quare præcesserit. 747.A
Noxius qui dicatur. 112.C
Noxia in terris, in aquis innoxia. 855.A
Nubes apparens in transfiguratione. 1718.B
Nubes diuersæ. 1780.C.D
Nubes graues. 120.B
Nubes leuis. 1451.D.1780.D
Nubes, & quidem leuis, Maria dicitur. 119.D
Nubes quæ susceptit saluatorem. 756.B
Nubis columna quid significet. 709.D.1240.A
Nubis nomine, baptismus significatur. 421.D
Nubis vmbraculo à Christo qui protegantur. 756.C
Nubem quomodo deus expanderit. 756.C
Nubes sunt sancti viri. 1780.D
Nubes sunt quæ nupserunt. 120.B
Nubendi causa. 1631.B
Nubentium verbum vnde tractum. 120.B
Nucina virga quæ sit. 1210.A
Nudam esse, virtutis indicium. 1209.A.C
Nuditio sapientis gemina. 983.A.B
Nudus qui dicatur. 1082.A.1704.A
Nudi Adam & Eua. 918.C
Nudi quare nascimur. 699.D
Nudi in seculo nascimur. *Ibidem*
Nudi accedimus ad lauacrum. 699.D
Nuditas spiritalis. 1704.A
Nuditatem suam quando perceperit Adam. 1207.D
Numerandi cura quò tendat. 718.D.
Numerare pro eligere. 990.C
Numerus quinquagesimus. 1188.D
Numerus secundus quare non plenus. 963.C
Numerus septimus. 595.A
Numerus septimus quietis. 950.C
Numerus septimus plenus. 963.D
Numerus septimus sacer. *Ibid.*C
Numeri mystici. 1655.D
Numeris iisdem quibus aliqua incipiunt, resoluuntur. 970.D
Nummularij qui sint. 1771.C
Nummus vberior est è paruo, quàm thesaurus è maximo. 157.C
Nun, quid interpretetur. 1533.B
Nuptiæ vnde dictæ sint. 1005.D
Nuptiæ bonæ. 1698.D
Nuptiæ non damnandæ. 102.B
Nupturæ quid primùm concupiscunt. 83.B
Nuptiæ inuitæ solent malos habere prouentus. 1905.A
Nuptiæ Moabitarum prohibitæ. 1659.B
Nuptiæ primæ & secundæ. 1905.B
Nuptiæ secundæ permissæ. *Ibidem*
Nuptiæ secundæ non benedicuntur. 2056.A
Nuptiis primis quantum deferendum. 166.C.D
Nuptiæ secundæ an prohibitæ episcopis. 2054.D
Nuptiarum secundarum incommoda. 166.C
Nuptias secundas Ambrosius non improbat. 163.A
Nuptiæ spiritales verbi & animæ. 1042.D
Nuptiæ votiuæ. 775.C
Nuptiarum benedictio. 1660.A
Nuptiarũ dissuasores damnat Ambrosius. 83.A
Nuptiarum solennitatem Beniamitæ amiserunt. 74.C.D
Nuptiarum studium neminem à fide deflectat. 1004.B
Nuptiarum vincula bona. 102.C.& 163.A
Nuptiarum vincula. 163.A
Nuptiis maturarum indicia. 1610.C.D
Nuptias pro remedio suasit Paulus. 155.C
Nuptias verecundia præcat. 1005.B
Nuptias Ambrosius laudat. 83.A
Nuptias illicitas Ambrosius prohibet. 99.D
Nuptias inhoneſtas perpeti Ioannes Bapt. non potuit. 71.D
in Nuptiis, tempore Ambrosii saltarunt. 775.C
Nuptiales symphonias puellæ fugiant. 96.C
Nutrimenta animæ. 939.C
Nutrimentis etiam lethifera commista nascũtur. 831.B
Nux amaritudines significat. 1046.C
Nympha deuota mulier. 2036.D
Νυκτάλεων *quid sit.* 1448.B

O

OBdormire quibus videtur Christus. 1391.D
Obediendum est Christo. 1833.C
Obedientia cœlestium præceptorum, omnium virtutum fundamentum. 1691.B
Obedientia Christi qualis fuerit. 1414.A.B
Obedientia mortis Christi. 293.A
Obedientiam Christi demonstrauit Apostolus. 1591.B
Obedientia descendit de paradiso. 1576.C
Obedientia præ cæteris reformãda Christo fuit. 1413.A
Obedientiæ vis. 1053.C
Oblationis affectum, non munus probat dominus. 424.B
in Oblatione iustitia significatur & veritas. 2006.C
Oblationes pro defunctis. 453.C
Obtulit Ambrosius hostiam pro fratre. 465.D
Obtulit se Christus deo. 2006.C
Obliuio an cadat in deum. 1220.A.B
Obliuio nulla in deo. *Ibidem*
Obliuio citò irrepit auditui. 770.D
Obliuio irrepit ingrato viro. 1009.D
Obliuiſci quid potest homo. 1573.C
Obliuiscitur quomodo deus à nobis. 932.D. & 933.A
Oblocutores taxantur. 1608.A
Obscuritas multa in scripturis ꝓpheticis. 1491.C
Obsequium voluntarium acceptius. 773.A
Obsequia quibus refundenda. 1946.A
Obseruantia legis qualiter abolita. 1209.D
Obseruantia religiosæ mentis. 671.C
Obsonatorum cura. 1125.D
Obstetricis officium. 624.D
Obtrectandi locus non est dandus. 13.C
Occasio quomodo datur diabolo. 1832.C
Occulta cordis vidit Ioannes. 1647.E
Occulta dei sacramenta. 1395.A
Occultà sapientiæ. 1390.B.& 1394.A
Occulta sapientiæ premenda. 1390.B
Occultorum mysteria in quibus psalmis tractẽtur. 1395.D
Ociȳ mala. 669.A
Otia quantum periculosa sint. 1514.C
Otiosi iudicandi non sunt, qui sapientiæ student. 1727.A
Otiosi, reprehensibiles. 2049.B
Otiosorum modus. 2048.D
Otiosum, non omne criminosum. 1339.C
Octaua dies, eadem & prima. 1400.C
Octauæ munus. 597.A
Octauæ mysterium. 1686.C
Octaui diei mysterium. 1028.D
Octaua, noui testamenti est. 595.C.596.D
Oculus quando sit cæcus. 1509.C
Oculus & mens carnis. *Ibidem*
Oculus mentis & oculus carnis quomodo vnus sunt. 1510.B.C
Oculus, fons generationis. 1554.A
Oculus generationis. *Ibidem*
Oculus gratiæ. 1557.C
Oculus interior. 1389.C
Oculus malè videns. 202.C
Oculus noster quo pascatur. 1534.A
Oculi cordis. 875.A
Oculus meretricis laqueus est. 219.C
Oculus mundus. 1559.C
Oculus mysticus, qui. 1509.C
Oculus nihil delinquit, sed mens. 1553.D
Oculus peccatoris tenebrosus, innocẽtis splendidus. 1389.C
Oculus sapientis in capite eius. 958.D
Oculus simplex, & oculus nequam. 1262.B
Oculus suppliciorum, & oculus gratiæ. 1557.C
Oculus tentationis. 1553.D
Oculus vitulæ. 1554.A
Oculus turbatus quomodo sedatur. 1439.D
Oculi officium. 1553.C
Oculum vtrunque habet anima. 1557.C
Oculo vno videtur Christus. 1509.C
Oculi animæ quandam passionem sufferunt. 1440.A
Oculi dei lux sunt. 1305.C
Oculi diuersi. 1553.C
Oculi in Christum deficientes. 1557.A.& C
Oculi in eloquium dei deficientes. *Ibid.*B
Oculi fœminarum cauendi. 1081.C
Oculi mentis. 1509.C
Oculi mundi, sol & luna. 959.A
Oculi mystici. 1457.C
Oculi primo diei lumine pascuntur. 1010.B
Oculi debent esse pudici. 164.D
Oculi quos viros significent. 1547.D
Oculi tui stagna in Esebon. 1554.C.*in fi.*
Oculorum dolor in lachrymis. 1568.D
Oculorum laus. 891.A
Oculorum mira vis. 1502.D
Oculorum orbes. 892.C
Oculorum situs. *Ibid.*A

Oculorum situs in corpore nostro. 958.D
Oculos aperire non omnibus vtile est. 918.B
Oculos deficere quid sit. 1509.D
Oculos leuare quid sit. 1686.B
Odio habendi non homines iniqui, sed sermones. 1549.C
Odio qui habentur. 2071.A
Odio haberi gratis. 1336.C
Odio haberi inique. 1336.C
Odia inter se fratrum vnde maximè. 980.A
Odisse quid sit. 233.D
Odisse Christum quis dicatur. 315.D
Odisse quæ possumus. 1533.A
Odisse quos debemus. 1549.B
Odium, exitialis res. 42.A
Odoratus. 893.B
Odor agri pleni, qui sit. 1396.B
Odor bonus. 1365.D
Odor bonus deo quis sit. 1938.A.*in fine*
Odor & gustus quò prosint. 1022.A
Odor, fructuum nuntius. 932.A
Odor malus deo quis sit. 1938.B
Odor mortis quis sit. 1938.B
Odor notitiæ dei vnde sit. 1938.A
Odor orationis piæ. 1041.A
Odor terræ simplex ac sincerus quid significet typice. 840.C
Offendiculum Ecclesiæ quomodo fit. 1913.A
Offensio Græcis quomodo fit. 1913.A
Offensio Iudæis quomodo fit. 1913.A
Offensio posita in Sion. 1855.B
Offerre nos debemus Christo, & in quibus. 1598.A
Offerre sacramenta. 894.B
Officium vnde. 4.D
Officium duplex. 6.A
Officium primum est linguæ moderatio. 5.B
Officium suum cuique innatum. 30.D
Officio sibi congruo quemque studere debere. 30.C.D
Officia alia prima, alia media. 60.C
Officij diuisio. 4.D
Officia quomodo excusanda, aut non. 1539.D
Officia humanæ deuotionis tria requiruntur. 931.D
Officia humanitatis defunctis collata, præstantissima. 1139.D
Officia media quæ. 6.A
Officia perfecta quæ. 6 B
Officiorum genera à quatuor virtutibus nascuntur. 17.A
Officiorum libros quare scripserit Ambrosius. 4.B
Officiis plurimi obligandi. 53.D
Ogdoes quid significet. 595.C
οἰκουμένη, orbis terrarum. 1406.D
Olea & pinus indumẽtum suum semper seruat. 840.A
Oleæ folia & ramusculi ad quid prosint. 831.B
Oleæ ramusculis ceruus æger curatur. 831.B. 883.A
Oleaster perfidiam significat. 1861.D
Olei natura. 368.B
Olera non omnia esse homini accommoda. 978.C
Oleum lætitiæ. 1128.B.2082.C
Oleum lætitiæ spiritus sanctus est. 368.B
Oleum nostrum quod esse debet. 1534.B
Oleum spirituale. 1589.B.*in fine*
Oliua fidem repræsentat. 1861.D
Omnis plerunque ad partem refertur. 238.D
Omnes in Adam damnationi obnoxij. 680.A
Omnes in Christo vnum sumus. 116.A
Omnes pro aliquibus. 1817.D
Omnes sub peccato, sub morte sunt. 1362.C
Omnia Christo subiecta. 1995.B
Omnia fiunt iudicio dei. 1503.C
Omnia in mensura & pondere fiunt. 1595.B
Omnia quomodo licent. 1912.B
Omnia manifesta domino. 604.C
Omnia simul facta. 808.B
Omnia subiecta esse homini. 19.B
Onera grauiora quæ sint. 1320.C
Onera grauia quæ sint. 1386.A.*in prin.*
Onesimus à Paulo baptizatus. 2078.B
Oniæ sacerdotis precibus Heliodoro sacrilego vita restituta est. 57.D
Onus grauius quod sit. 541.D
Ooliab, spiritu diuino impletus. 1439.C
Opem vnde speremus. 1540.D
Opes non præiudicant fidei. 1363.C.*in fi.*
Operari tota mente quis dicatur. 2034.B
Operandi pro faciendi. 1907.B.*in fine*
Opes simul non effundendæ. 21.D
Operandi ratio in electis est. 269.D
Operandi viros dominus dat. 933.A
Operantur etiam qui verbo student, & eruditioni. 1510.C
Operari quid sit. 904.D
Operari terram & excolere differunt. 982.B
Operari terram, magis seruile quàm liberum est. 982.B
Operatio erroris. 2047.C
Operatio virtutis. 1998.D
Operationes quibus non impediuntur. 1060.B
Operator quid quærit. 982.B
Opus agnoscit opificem. 1887.B
Opus quod ardere dicitur. 1889 C.*in fi.*
Opus nostrum Christus. 1510.C
Opus dei homo. 1872.A
Opus dei non metiendum humanis rationibus. 817.A.B.& dein.
Opus suum diligit deus. 1996.B
Opus hominis. 1647.D
Opus in præcepto. 1679.B
Opus ministri ecclesiæ publicam attestationem habeat. 34.C
Opus contra authorem queri non potest. 1853.A
Opus pingue quomodo dicatur. 945.C
Opus est etiam sapientia. 1510.C
Opus vnum patris & filij. 1936.A
Opus sextum. 1683.A
Opus textile. 285.D.*in fine*
Opus suum Paulus vocat Corinthios. 1907.A
Operis boni vsus quomodo inolescat. 1468.A
Operis mundani principium & finis. 592.C
Operis voluntarij & coacti præmia. 1539.A
per Opera bona ambulandum est. 247.A
Operum bonorum nos non sumus authores. 932.D
Opera carnis. 1869.D
Opera carnis quare sic dicantur. 1990.A
Opera Christi nobis profuerunt. 711.A
Opera quibus Dauid texit peccatum suum. 1185.B
Opera dei in fide. 278.D
Opera dei quomodo consideranda. 817.A.B
Opera dei nos ipsi operemur, non aliis delegemus. 1001.B.*in fine*
Opera quæ deum nesciunt. 2075.A
Opera diaboli facere. 1912.A
Opera domini quæ sint. 1865.B
Opera domini diuersa. 240.D
Opera epulatoria. 512.B.*in prin.*
Opera sine fide sunt vana. 1730.B
Opera gratiæ & dona variantur. 256.D
Opera libera non seruilia probantur deo. 527.C
Opera lucis. 2008.A.*in prin.*
Opera manũ & digitorum sunt eadem. 397.C
Opera misericordiæ quibus præcipuè impendenda. 47.A.B
Opera spiritus. 1990.A
Opera vel studia nostra vt probari à deo cognoscere possimus. 946.A.*in prin.*
Opera quæ sunt relinquenda. 942.B
Opera magis suadent quàm verba. 2048.D
Opera tenebrarum quæ sint. 1869.B
Opera tenebrarum. 2008.A
Operum bonorum retributionem sperare à Christo. 1544.D
Operum merces hic non quærenda. 38.B
Operum necessitas. 2089.D
Operibus bonis deus ad misericordiam compellitur. 705.D
Operibus bonis exerceri debemus. 1876.A
in Operibus nemo gloriatur. 1758.B
Operibus nostris compellitur dominus. 705.D
ex Operibus suis artifex cognoscitur. 1402.A
Operibus suis vnusquisque iustificabitur aut condemnabitur. 1868.A
Opiliones. 940.B
Opij vsus. 831.D
Opima hostia quæ dicatur. 945.C
Opinio humana sibi tanquam dei lexe st 910.A
Opinio nostra legem sibi facit. 909.D
Opobalsamum quid sit. 1436.C
Oportet quomodo accipiatur. 1914.D
Opprobrium à domino est. 1346.D
Opprobrium aliquando prodest. 1346.C.D
Opprobrium Christi. 1460.A
Opprobrium pati pro nomine Iesu, glorioſum est. 1444.A
Opprobrio esse Christo. 1444.A
Opprobria nostra quotidie aufert à nobis Christus. 1460.B
ὀφὲ. 1795.D
Opulentia est captiua. 1115.B
Orabat Christus in cruce. 448.A.B
Orandum duplici genere. 2011.D
Oracula dei vera & discenda. 1598.B
Oracula diuina non impedienda. 94.C
Orandum quomodo sit. 1456.D
Orandum frequenter dominus monuit. 936.B
Orandum est secretè. 1255.A
pro quibus Orandum. 239.B
pro quibus e Orandum. 936.C
Orandum pro iis qui in sublimitate sunt. 239.B
Orandum pro inimicis. 1341.A
Orandi studium ex præscientia dei non tollitur. 270.B
Orandum pro mortuis. 523.D
Orandi etiam voluntas ac modus à deo nobis datur. 684.A
Orans quale ostium claudere iubetur. 935.C
Orantis affectum semper habere debemus. 1582.C
Orantium disceptatio inordinata. 1255.C
Orant pro nobis sancti. 161.A.B
Orantium varij affectus. 1255.C.D
Orare quid sit. 1913.C
Orare quid debemus. 1487.D
Orare vbi debemus. 1254.B
Orare quomodo in omni loco debeamus. 2053.D
Orare maximè debemus in aduersis. 1585.C
Orare debet homo semper. 1585.B
Orare in carne. 2011.D
Orare in spiritu. 2011.D
Orare non debent mulieres in ornamentis. 1255.C

Orare possunt sancti pro peccatis nostris. 161. A.B
Orat Christus non tanquàm infirmus. 1685.C
Oratio qualis esse debeat. 15.C.946.C.D
Oratio quid continere debeat. 1255.D
Oratio, postulatio, gratiarum actio. 130.D
Oratio à diuinis laudibus inchoanda. 130.D
Oratio ad vitam, oratio in peccatum. 1605.D
Oratio quomodo à deo accipiatur. 1581.C
Oratio quæ ascendit ad deum. 1605.B
Oratio Israel ascendit ad deum. 1605.C
Oratio quo euehatur ad deum. 1605.B
Oratio appropinquat deo. 1605.B.C
Oratio non affectu sed ratione promi debet. 3.A
Oratio à Christo quare facta. 1680.A
Oratio crebra nos debet commendare deo. 95.C
Oratio commendanda. 131.A
Oratio continua & iugis. 947.A
Oratio omnibus momentis fiat. 1727.B. in fine
Oratio pro defunctis. 453.C
Oratio non est diuulganda. 935.C
Oratio dominica omnia comprehendit. 131.A
Oratio dominica frequenter dicatur. 95.C
Orationis dominicæ breuis expositio. 1251.D
Orationis dominicæ expositio. 1256.A. & dein.
Oratio frequens disciplinam orandi operatur. 947.A
Oratio Helisæi cæcitate alios percussit. 59.D
Oratio potest iniuste fieri. 1625.D
Oratio quo in loco fieri debeat. 2053.D. in fine
Oratio quomodo longè fiat à deo. 1605.B
Oratio cum misericordia. 130.D
Oratio necessaria. 1865.D
Oratio pacificum animum habeat. 2053.D
Oratio quomodo pingueſcat. 947.B
Oratio piorum, efficax. 174.C
Oratio præclara. 1331.A.B
Oratio sancti nubes penetrat. 1164.C
Oratio peccatum faciens. 1685.B
Oratio scutum bonum est. 448.A.669.D
Oratio dat nobis spem intrandi. 1728.A
Oratio omni tempore deferenda. 95.C
Oratio secreta efficacior. 1255.A
Oratio cum verecundia & sobrietate. 11.B
Oratio vnde debeat procedere. 1254.D
Oratio vtilis. 1251.D
Orationis decorum. 15.C
Orationis dignitates vnde sumantur. 1607. A.B
Orationis dominicæ vel symboli mysteria incautè non sunt diuulganda. 935.D
Orationis efficacia. 797.C
Orationis inchoatio. 1255.D
Orationis principium quale esse debeat. 1255.D
Orationis medium & finis. 1256.A
Orationis piæ odor. 1041.A
Orationi non vacat, qui eo tempore corporeæ conuentionis vsum exercet. 1192.D
Orationem non affectus promat sed ratio. 3.A
Orationem commendat humilitas. 935.A. & deuotus animus. 1804.A
ad Orationem nocte surgendum. 1582.C
Orationem præcedat modestia. 11.B
in Oratione est clamandum. 1381.D
in Oratione contrahere peccatum quàm graue sit. 935.D
in Oratione ordo seruandus. 130.D
in Oratione pernoctauit Christus. 1487.C
Orationes sanctorum Satanam excludunt. 901.B
Orationes solemnes cum gratiarum actione. 95.C
Orationibus insistendum est. 269.B
Orationibus & meritis prophetarum cœlestia patribus affuere præsidia. 160.C
Orbis terrarum. 1406.D
Orbis terrarum aliquando soluendus, & quare. 1135.B.D
Ordo deificus ad quæ mala voluitur. 1262.A
Ordo temporum certus à domino instituitur. 976.D
Ordo tempus & numerum requirit. 595.A
Ordo vitæ tenendus. 30.B
Ordinis ignorantia conturbat negociorum naturam. 1447.D
Ordinem Tullius putat in decoro seruandũ. 12.D
Ordinum sacrorum origo & varietas in primitiua ecclesia. 2002.C.D
Oreb quid interpretetur. 666.A
Orgia liberi libidinosa. 80.D
Origani vsus testudini. 880.D
Origenes citatur. 1448.C
Origenes minor in nouo testamento quàm in veteri. 641.C
Origo veræ vitæ & iustitiæ. 243.A
Originale peccatum. 1192.C
ab Originis mortalis contagio quis fuerit immunis. 1192.D.1193.A
ὁρμὴ quid. 32.B.1020.D
ὁρμητικὴ. 1020.D
Ornamentum in quibus existat. 523.B
Orti gratia. 1743.B
in Orto Christus & captꝰ & sepultꝰ est. 1743.A
Orti virtutum. 1734.C
Oris nostri clauis. 1686.B
de Oris officio & cibo & potu. 893.B
Ori ostium ponendum. 2.D
ὄρη montes. 1401.D
Os animæ. 1564.D
Os quid sit. 1564.D
Os Christi quomodo apertum sit. 1686.B
Os dei propheta intelligitur. 1434.B
Os hominis quid sit. 894.B
Os iusti quod meditabitur sapientiam. 1314.D
Os maleuoli. 604.B
Os peccatoris deus claudit. 1197.A
Os aperuit Iudæorum populus in Christum. 1563.C
Os suum ponere in cœlum quid sit. 1175.A
Osanna quid sit. 1771.A. in fine
Osculum, amoris mutui indicium. 1700.C
Osculum insigne est charitatis. 190.C
Osculum, pacis insigne. 1352.C
Osculum oris, pietatis est pignus & amoris. 894.A.1748.C
Osculum sanctum. 1878.A
Osculum verbi. 1034.B.C
Osculum tribuere, insigne pacis. 184.C
Oscula carnalia & oscula sancta. 2044.D
Oscula spiritalia. 1970.B
Osculatur nos deus verbum. 1034.C.1423.A
de Ossibus. 895.A
Ossa arida reuiuiscunt. 476.B.C.& 477.A
Ossa, diuersa significant. 1194.A
Ossa humani corporis, caua. 958.A
Ossa humiliata quid. 1194.A
Ossa interiora & exteriora. 1327.D. & dein.
Ossa omnia neruis reuincta. 895.A
Ossa populi ecclesiarum. 1194.A
Ossa virtutis. Ibidem
Ostium duplex. 1254.D
Ostium arcæ Noe cur ex transuerso factum. 12.B
Ostium ex aduerso in arca factum quid significet. 959.D
Ostium nostrum quid sit. 935.C
Os nostrum quomodo aperire debeamus. 1686.B
Ostium nostrum quomodo sit claudendum. 935.D
Os nostrum quo pascatur. 1534.A
Ostium quod nobis aperiri cupere debeamus. 1727.D
Ostium sit ori. 2.D
Ostium verbi. 935.D
Ostreæ pleniores sunt lunari globo adolescente. 850.B
Ouis pro ouium grege accipitur. 1434.D
Ouis errabunda à Christo requisita. 1604.D. 1748.A. & dein.
Ouis Christus. 1212.A
Ouis, fructuosum animal. 942.A
Ouis inexplebilis hyeme instante. 881.B
Ouium munera. 594.A
Ouium natura. 881.A
οὐρανὸς, cœlum dicitur, & vnde sit. 873.A
Ousia. 311.C
Ousia substantia. 283.D
Ouum appositum ingratis comedens diues, quòd pullum diceret occidi. 1109.A

P

Padus fluuius. 818.C
Pædagogus noster lex erat. 1523.A
Pædagogus, doctor est pueri. 640.A
Pædagogi quales esse debent in pueros. 885.B
Pædagogis gratiæ habendæ. 1523.A.B
Pædagogi paruulis amari videntur. 885.B
Pæderastæ. 1808.D
παιδεία κύρου cur scripta. 987.C
παίδευσις. 1325.B
Palati & animæ functio quæ sit. 2095.C
πάλη quid sit. 1311.B
Palæstæ qui sint. 1311.A.1343.D. & 1344.A
Palladij hæresis. 274.D
Pallium virginum. 109.C
Pallium quod à nobis auferetur. 104.C
Pallium quod dedit nobis Christus. 104.C
Pallio quomodo Ecclesia nudatur. 1476.B.C
Palma ad quid apta. 835.C
Palma beatitudinum. 1688.A
Palma, mas & fœmina. 836.A
Palma semper viret. 840.A
Palma cui detur. 9.B
Palma paucorum est. 1749.D
Palma præmium martyrij. 715.D
Palmæ septuaginta quid significent. 716.B
Palmes elatus. 681.A
πάμμαχοι. 1311.A
Panætius de officiis scripsit apud Græcos. 4.B
Panis qui sit. 1755.D
Panis angelorum quare sic dictus. 1910.A
Panis bonus. 911.A
Panis cœlestis, dei verbum est. 1706.D
Panis quem dedit deus. 620.D
Panis ἐπιούσιος. 311.C
Panis est caro. 292.B
Panis quem frangit Christus, dei verbum est. 1710.D
Panis quomodo sit remissio peccatorum. 1101.C
Panis, verbum dei. 1710.D
Panis verbi, vt mel, vt vinum, vt lac. 1042.B
Panis vitæ. 1575.D
Panis viuus & cœlestis. 911.A
Pani assimilatur cibus mysticus. 1532.A
Panem manducare. 922.D
Panem de cœlo quomodo manducemus. 1715.C

Panem sacerdos consecrat. 1101.B
Panes cur hordeacei. 1709.D
Panes quos esurit iustus. 1687.C
Panes tres qui sint. 1727.C
Panum & piscium refectio. 1707.D. & deinc. copiosè
Pantomimus vanitas est. 1457.A
Parabola quid sit. 432.C.1382.D
Parabolæ de filio prodigo enarratio. 184.B
Parabola ouis perditæ, & eius reductione accommodata ad Dauid. 1184.B.C
in Parabolam gentibus positi sunt Israelitæ seu Iudæi. 1382.D
in Parabolam quare Iudæis Christus factus. 1383.B.C
Parabolæ velut sunt omnes res Iudaicæ. 1382.D
Parabolarum ratione spiritualiter regnum cœlorum subsistit. 694.A
in Parabolis cur loquebatur Iudæis Christus. 1382.D
Paracletus qui sit. 1254.B
Paracletus alius quis intelligatur. 2000.B
Paracletus quomodo dicatur filius. 371.D
Paracletus quomodo dicatur spiritussanctus. 371.D
Paracletus quomodo missus à patre & filio. 292.A
Paradisus Græcè, Latinè ortus dicitur. 590.D
Paradisus quid, qualis, & vbi sit, & quis intelligatur. 590.B.C. 598.D. & dein. 899.B.C. 1016.B
Paradisus duplex. 1896.B
Paradisus intelligibilis quo fluuio irroretur. 1397.A
Paradisus anima hominis. 900.A.913.A
Paradisus, sacræ literæ. 598.D
Paradisi plantatio mysticè. 899.D
in Paradiso erit adhuc pugna serpenti cum angelis. 1533.C
in Paradiso esse, quid sit. 1353.B.C
de Paradiso variæ opiniones. 1599.B.C
Paralytici curatio. 1680.A
Παράνομος, exlex. 1549.B
Parcus auarus dicitur. 1955.C
Pardus colorem varium habet. 880.A
Pardi vocibus reuocantur. 594.A
Parens in filiis agnoscitur. 222.A
Parentis contumelia morte luitur. 1767.B
Parentes an inter filios plus vnum quàm alium diligere possint. 1077.B
Parentes quomodo sint amandi. 1549.B
Parentes quare & quomodo sint honorandi. 1094.A.B.1736.A.B.1766.B
Parentes carnales thesaurizant. 1967.C
Parentes Christianæ filias suas gentilibus ne locent. 1003.D
Parentes non ridendi. 984.B
Parentes pascendi à filiis. 1766.A.B
Parentes pauperes quid filiis relinquant. 1094.B
Parentum affectus qualis esse debeat. 1077.A
Parentum amor sæpe nocet liberis. 1077.A
Parentum cultui ac honori promissa longæuitas quæ sit. 1369.A
Parentum cura in citoniis. 868.B.C
Parentum est filiabus dare maritos. 1005.B
Parentum laus in filios redundat. 1624.D
Parentum prærogatiua, filiorum disciplina est. 1094.A. in fine
Parentes honorare quare primum mandatũ promissionis. 2010.D
Parentibus quàm obnoxij liberi. 1764.B.C
Parentibus quanta sit reuerentia deferenda. 1094.A
à Parentibus Ioseph præ cæteris dilectus. 1077.A. & dein.
Pariendi tempora. 595.B
Paries dealbatus non bonus. 1658.C
Paries quædam eminentia delictorum est. 1415.C
Paries, inimicitiæ in carne, &c. 1658.A
Parricida terrarum fœcunditatem fugit. 948.B
Parricidæ vbi insidias struant. Ibidem
Parricidium deo non probatum. 99.B
Parricidium otiosis auribus non audiendum. Ibidem A
Pars pro toto. 237.D
Partes duæ vbi manet pax dei. 1992.C
Partes duæ in populo sunt. 1936.D.1817.D
Participes Christi. 1489.C.D
Parturientis dolores. 1403.A
Parturire quid sit. 1845.B
Partus animæ. 938.B
Partus, gratia est nuptiarum. 1632.A
Partus mulieris in iuuentute, fortiores sunt partibus senectutis. 224.D
Paruulus an culpæ obnoxius sit. 906.D.& 907.A. & quis intelligatur. Ibidem B
Paruuli qui sint. 1564.C
Paruuli Christo oblati. 102.A
vt Paruuli sapere ac loqui fugere debemus. 10.A
Paruuli sumus in hac vita. 1921.D
Paruuli quales esse debeamus. 1724.D
Paruuli quidam cur salui fiant renati, aly pereant non renati. 245.A
Paruulorum nostrorum quantam curam habemus. 865.D
de Paruulis non baptizatis quid sentiendum est. 245.A
Pascere agnos, & pascere hœdos, quid differunt. 1429.C
Pascha quid interpretetur. 934.B
Pascha quid significat. 1238.D
Pascha, immolatio est, non transitus. 1895.B
Pascha transitus dicitur. 747.D
Pascha duplex celebratum à Iudæis. 1523.B
Paschæ nomen vnde descenderit. 439.A
Pascha domini quare dicatur. 934.B
Pascha vbi dominus faciat. 1781.B
Pascha Iesu Christi. 804.C
Pascha quando celebretur. 497.C
Pascha quomodo celebrandum. 672.A.& 1523.B
Paschæ lex. 672.B
Paschæ solennitati duo obseruanda. 672.A
Pascha celebrantes quid debeant meminisse. 1523.C
Pascha celebraturo quid deceat. 184.D
Pascha quomodo patres iubentur epulari. 506.D
Pascha quomodo à patribus manducaretur. 934.B
Pascha vnde descendat. 439.A
Paschalis celebritas. 671.A
Paschalis temporis commendatio. 439.B
Pascua bona. 1533.C.D
Pascua fidei. 527.B
Pascua fidelium quæ sunt. 1533.C
Pascua nostra quæ sint. 1534.A
Passer bonus & malus. 1732.A
Passeri anima comparatur. 1731.D.& homo. 732.A
Passeres quinque quid obumbrent. 1731.C
Passeres quorum sunt typi. 1731.C.& dein.
Passio omnis seruilis est. 1064.B
Passio Christianis vita est. 2072.C
Passio Christi annunciata. 1545.D
Passio Christi imago fuit regni cœlestis. 1544.B. in fine
Passio Christi non egebat adiutore. 136.A
Passio Christi nobis sufficit ad salutem. 762.A
Passio Christi omnes homines quomodo purget. 369.C
Passio Christi quid attulerit nobis. 1056.C.D
Passio domini quid sit. 1980.A. in princ.
Passio domini æmulos habet. 1782.B
Passio quomodo sit diuina consolatio. 1505.C
Passionis humilitas est sacramentum salutis. 1763.D
Passionum duces. 1052.B
Passionum tolerantia difficilis. 1526.B
Pastor bonus dicitur Christus. 1593.D
Pastor, Christus. 1748.A
Pastoris boni munus. 1532.C
Pastor gregis Christiani quando lacte reficiatur. 781.C
Pastor reliquit nonagintanouem oues. 1604.D
Pastores qui sint. 1013.D
Pastores qui sint propriè. 1013.D.& 2002.C.D
Pastores iumentorum typici. 1013.D
Pastores sensuum qui sint. Ibidem
Pastores ouium Ægyptiis abominationi erant. 932.B
Pastores septem qui sint. 596.A
Pastores sunt lectores. 2002.C
Pastores vigilantes super gregem suum. 703.C
Pastorum custodia necessaria. 1013.D
Pater magis dolet iniuriis filij. 985.A.B
Pater, filij nequitia grauatur. 983.C
Pater filium coactus vendere à diuite. 1109.B
Pater filiam suam & coæqualem eius obtulit viris iniquitatis. 75.A
Patris compassio de filio phrenetico. 1472.C.D
Pater impiorum, diabolus. 1412.A
Pater non ridendus, sed verendus. 984.C
Pater vnus est. 137.C
Pater, deus. 1748.A
Pater claritatis & Christi. 1994.D
Pater Christi quare faber. 1652.B
Pater noster deus quomodo. 101.B.C
Pater Christi quomodo pater noster. Ibidem
Paternus in deo affectus. 1057.A
Pater quid concesserit filio. 2017.B
Pater genuit filium extra tempus. 322.D
Pater sine filio nihil facit. 1593.D
Pater quomodo sit in filio. 1946.C
Pater meus, & pater vester. 101.B
Pater sicut operatur, operatur & filius. 328.A
Pater quomodo debet rogari. 272.A
Pater dicitur spiritus. 368.C
Pater super omnia est. 2001.D
Pater quomodo suscepit filium nubis vmbraculo. 756.C
Pater trahit ad filium. 295.A
Pater quomodo veniat. 370.B
Pater quomodo videtur. 1627.C
Patres qui sint. 1367.C.D. in fi.
Patres quos asserimus. 1024.C
Patres & non patres quo pacto. 2088.D
Patres nostri qui censeantur. 1024.C
Patres profecti de terra Ægypti. 1451.C
Patres quomodo quotidie filios suos offerunt. 1002.B

Patria dulcis quodammodo est mater. 784.A
Patria nulla varior quàm fides. 1563.B
Patria sapienti totus mundus est. 600.D
Patriæ charitatem Christus non dedocet. 1673.A
Patriarchæ excusantur à culpa. 1078.D
Patriarchæ exierunt de terra sua. 480.A
Patriarcharum institutio. 999.A
Patriarcharum seculum. 903.C
Patrimonium quid sit. 126.D
Patrimonium non est perfectum bonum. 1410.A
Patrimonium inter fratres pietas sequestra diuidat. 1733.A.*in fine*
Patrimonium nostrum paupertas Christi. 1640.B.*in fine*
Patrimonium quomodo dicatur substantia. 1018.C.D
Patrimonium quis prodegit. 1748.D
Patrimonium diuinum petentibus datur. 1748.D
Patrueles fratres coniugia contrahere vetantur. 631.B
Patiendum est pro Christo. 1844.D
Patientia, bona custos innocentiæ. 1064.D
Patientia dei. 1853.B.C
Patientia dei non præiudicat veritati. 1175.C
Patientia hæreticorum. 2069.D
Patientia, humilitatis iudicium. 1497.C
Patientia saluat homines. 1947.C
Patientiæ exemplum Dauid. 4.A
Patientiæ exemplum Iob. 1537.A
Patientiæ forma. 1338.A
Patientiæ radix, spes. 1550.C
de Patientia episcoporum quidam conqueruntur. 761.B
Pauimentum terram significat. 1445.D
Paulinus venditis facultatibus eus in pauperes contulit. 587.A
Paulus quare se dicat abortiuum. 1926.D.*in fi.*
Paulus quomodo sciebat abundare. 50.B
Paulus & adolescens & vir dictus. 1311.A
Paulus adiuuari cupiebat in mysteris sacræ scripturæ elucidandis. 1380.D
Paulus quo affectu Iudæos diligebat. 1860.C
Paulus fuit agricola quo ad deum. 328.D
Paulus quomodo Apostolus est factus. 1049.A
Paulus à deo Apostolatum accepit. 389.D
Paulus quare vocatus Apostolus. 1801.D.& 1880.A
Paulus quibus Apostolus erat. 1907.A
Paulus quomodo se Apostolum probat. 1907.A
Paulus quare Christi Apostolus. 2065.A
Paulus prudens architectus. 1601.A
Paulus quare ascendit Hierosolymam. 1502.B
Paulus quæ audiuit in cœlo ineffabilia. 552.D
Paulus de tribu Beniamin. 2020.A.*in fine*
Paulus ciuis Romanus. 1998.A.2072.B
Paulus clauem scientiæ à Christo accepit. 761.C
Paulus consolatur & terret. 3003.D
Paulus quomodo contemptibilem se volebat videri. 1892.A
Paulus consilia dabat. 49.C
Paulus resedit apud Corinthios annum vnum & menses sex. 1879.C
Paulus quare corpus suum castigabat. 656.D 1521.C
Paulus emendator morum dicitur. 1604.C
Paulus Esdræ secutus est dicta. 226.B
Paulus non discordauit ab Euangelio. 1975.D
Paulus cur excæcatus adhuc persecutor. 1354.A
Paulus flagellatus secũdum legem Moysi. 1963.D
Paulus in peccato flebat alieno. 1472.C
Paulus quare fugerit. 250.C
Paulus in quibus gaudeat. 2014.B
Paulus quomodo hæbeat gloriam in Christo. 1874.D
Paulus humanæ sapientiæ non placuit. 1885.C
Paulus ieiunauit. 659.D
Paulus vt pius pater ingratis bene optat. 1892.B
Paulus interpres Christi. 1254.C
Paulus iuris peritus. 1540.B
Paulus vbi lapidatus. 1963.D
Paulus quomodo dicatur latus & mons. 1401.D
Paulus quomodo se liberum ostendit. 1907.A
Paulus, lupus rapax. 1104.D 1464.B
Paulus persecutor. 542.C
Paulus cur primo nomen suum ponat in epistolis, quàm eorum ad quos scribit. 1933.C
Paulus nouit quid loquatur singulis. 1433.B
Paulus magister gẽtibus datus. 1875.B.2053.D
Paulus mansit in carte ad fidelium profectum. 2014.D
Paulus quare missus ad gentes docendas. 1999.B
Paulus duplici modo missus. *Ibid.*A
Paulus omnibus non eadem disputat. 1405.D
Paulus quomodo omnibus omnia factus sit. 1539.B
Paulus quomodo domini pecuniam dispensauerit. 1308.C
Paulus peccatorem se fatebatur. 1459.D
Paulus quare cum Petro diebus. 15. manserit. 1052.B.
Paulus quare promptus ad omnia tolleranda. 1943.A
Paulus quomodo purgamentum se esse dicit. 1478.B
Paulus quatuor modis scribit Romanis. 1801.A
Paulus quo consilio suæ genti scripserit. 2079.B.D
Paulus quomodo segregotus de vtero. 1974.C
Paulus quare dicatur seruus Iesu Christi. 1801.D
Paulus quomodo seruus factus est oĩm. 1908.D
Paulus & Silas quomodo de carcere liberati. 1488.C
Paulus vbi ponebat spem suam. 940.B
Paulus vas electionis à domino dictus. 763.D 1105.A
Paulus venit in charitate, & venit in virga. 179.D
Paulus quomodo venerit ad Philippenses. 2012.C
Paulus ad quid vocatus. 1977.D
Paulus viuebat non sibi, sed omnibus. 617.D
Paulus vxorem non habuit. 1900.B
Pauli authoritas. 1978.A
Pauli conuersio. 717.C.960.B
Pauli dolor de Galatis. 1403.A
Pauli epistolæ melle dulciores. 764.B
Pauli exultatio. 1952.A
Pauli humilitas. 50.A.1590.D
Pauli prædicatio qualis fuerit. 1087.A
Pauli raptus. 1035.B.C
Pauli turbatio. 1023.B
Pauli vocatio, Ecclesiæ firmitudo. 1038.D
de Pauli ore quid exibat. 935.D
Paulum multum dilexit Christus. 177.C
Paulus capite amputato lac emisit. 764.A
Pauo speciosus. 867.A
Pauor est sanctorum. 1476.D
Pauper qui sit. 1107.E
Pauper mysticus. 1308.B
Pauper fuit Christus. 447.D
Pauper consolatur. 890.A
Pauper coram deo qui sit. 191.D
Pauper quare æstimatur execrandus. 1478.C
Pauper nemo nascitur, sed fit. 667.D
Pauperes omnes natura generat. 1106.D
Pauperis sensus. 191.D
Pauperi ministrandum. 161.B
Pauperes ieiunij tempore pascantur. 726.C
Paupeeres plus reddit quàm acceperit. 54.D
Pauper quotidie occiditur. 1106.C
Pauperes qui dicantur. 1956.B
Pauperes abundant. 1117.B
Pauperes alios ditant. 667.C
Pauperes beati, non maledicti sunt vt egeant: ac proinde iis dandum est contra quosdam. 1112.D
Pauperes boni & mali. 1687.A
Pauperes Christi, ærarij piorum. 581.B
Pauperes, ecclesiæ thesauri. 56.D
Pauperes quomodo nobis consortes. 705.A.B
Pauperes ex diuitibus facti, iuuandi. 47.B
Pauperes quomodo simus facti nimis. 1356.A
Pauperes, imago sunt dei, ac proinde honorandi. 1503.A
Pauperes ac tenues quomodo libertatem suam non amitant. 2048.D
Pauperes quotidie occiduntur. 1106.C
Pauperes spiritu. 1687.A
Pauperum consolatio. 890.B.C & deinceps.
in Pauperum contemptores. 1115.D
Pauperum cura commendatur. 6.B
Pauperum sit delectus. 48.A.B
Pauperum ætas, debilitas, verecundia, considerandæ sunt. 22.D
Pauperum non vna mens. 675.D
Pauperum salus ne includatur loculis. 48.C
Pauperum subuentio quàm salutaris. 6.B.C
Pauperibus beneficia eroganda, magis quàm diuitibus. 54.C.D
Pauperibus quod datur, debitum est. 1115.C
Paupes nemo contemnat. 1503.A.B
Pauperies glorioſa. 1722.D
Paupertas quomodo accepta sit à deo. 1443.C
Paupertas adiumento est ad vitam æternam. 40.B
Paupertas beata. 1393.B 1722.D
Paupertas bona. 1211.C.D
Paupertas in moribus bona. 1356.C.D
Paupertas Christi. 1356.B.C
Paupertas dies sanctis. 789.A
Paupertas non omnis sancta. 55.B
Paupertas dum saturari cupit, à iustitia declinat. 2043.C
Paupertas laudatur. 667.C
Paupertas libera est. 1115.B
Paupertas media est. 1687.A
Paupertas mercedem suam reseruat. 890.C
Paupertas quò prosit. 1671.D
Paupertas viris sanctis semper est dies. 789.A
Pax duplex. 1174.A
Pax duplex. 1970.B
Pax Christi non debiti est, sed meriti. 703.B
Pax Christi super omnem sensum. 277.A
Pax quæ sit. 1302.C
vbi Pax est iracundia locum non habet. 1092.A

Pax cum quibus sit. 1803.B
Pax dilectionis ianua. 2012.B
Pax domini vbi. 101.C
Pax dux ad æternam vitam. 2049.B.*in fi.*
Pax tranquillitas perfectorum. 1067.C.D
Pax fidei, corruptelæ materia est. 1513.D
Pax Iacob considerauda. 14.A
Pax in cœlo est. 203.D
Pax inter circuncisionem & præputium. 1997.A
Pax peccatorum fugienda. 1174.A
Pax plena quando est fideli populo. 596.A
Pax super omnem mentem. 1067.C
Pacis fructus. 1067.C
Pacis ocia periculosa. 1513.D
Pacis studium sapienti. 1014.A
Pacis via. 1817.C
Paci studendum est. 2008.D
ad Pacem conciliandam quæ necessaria. 14. A.B
Pacem episcopo porrigere. 727.A
Pacem habere quid sit. 1565.C
Pacem cum deo habere quid faciat. 1824.C
in Pace vocati. 1925.A
Pacificus cum deo. 1992.C
Pacificus qui. 1866.D
Pe, quid interpretetur. 1563.A
Peccandi causa etiam iustos sæpe decepit. 85.C
Peccandi consuetudo quantam vim habeat. 1277.C
Peccandi natura in omnibus lubrica. 1200.B
Peccandi nulla nobis affertur necessitas. 948.D
Peccandi studium vnde incipiat. 976.B
Peccans in dominum, remedium ab illo solo expectet. 151.D
Peccãtium multitudo non facit impunitatem criminum. 152.A
Peccantibus lex absens est. 928.B
Peccaui, tres syllabæ. 195.A
Peccauit Eua sciens & prudens. 907.C.D
Peccauimus omnes in vno homine. 1214.C
ne Peccem, angeli præsidium ferre non possint. 1677. A
Peccare quid sit. 1284.B
Peccare nihil stultius. 1842.B
Peccare in cœlum. 1750.C.1552.B
Peccare in Christo & in Christum quid sit. 1906.D
Peccare in deum & in hominem. 1756.D
Peccare in lege qui dicantur. 1906.D
Peccare contempto deo qui dicantur. 1827. D. & deinceps.
Peccare nolle, virtus. 1763.A
Peccator eget semper. 1308.C
Peccator excluditur à facie dei. 1195.B
Peccator latere cupit. 988.B
Peccator quando inuenitur. 1115.A
Peccator quomodo iuuatur. 1609.B
Peccator quare à domino iubeatur tacere. 1513.A
Peccator quomodo sit seruus. 1064.B
Peccator non debet vsurpare sacramenta. 194.A.B
Peccatoris mors misera. 7.B
Peccatoris timidi velut desperabundi consolatio. 1056.D.& 1057.A.B.C.D
Peccatoris vita vt somnium. 7.B
Peccatori parcere debemus. 949.C
Peccatorem non statim punit deus. 997.A
Peccatores cur abundent. 9.A
Peccatores authores dominici generis. 1205.D
Peccatores cœli, & peccatores terræ. 1552.A
Peccatotes emendandi, non abiiciendi. 168.B
peccatores quomodo pereunt. 1318.A
peccatores quomodo pios prouocent. 3.C
Peccatores recipiunt peccata sua duplicia. 1366.B
Peccatores an à deo repellantur. 1375.C
Peccatores, membra sunt diaboli. 1322.D
Peccatrix quomodo glorificetur. 1700.D
Peccatrix mulier Simonis domum ingressa. 1699.B.& dein.
Peccatrix Simoni prælata. 190.C
Peccatum à muliere cæpit. 1637.B
Peccatum & iniquitas differunt. 1194.C
Peccatum quid erat. 1465.B
Peccatum quid sit. 909.D
Peccatum ad mortem. 175.A
Peccatum ad mortem remissibile. 184.C
qui Peccatum ad mortem fecerunt, non deserendi sunt. 177.A
Peccatum seu culpa quid agat. 1417.C
Peccatum confundit. 1190.B.C
Peccatũ quare Christus sit factus. 524.C.580.A 1070.D.1578.C.1946.D
Peccatum omne caro dicitur. 1843.C
Peccatum quid appellet Paulus. 1872.D
Peccatum quomodo contrahitur. 1029.A
Peccatum à saluatore triplici genere damnatum. 1841.D
Peccatum quare damnatum. 1841.D
Peccatum diabolum significat. 1837.B
Peccatum quibus dominatur. 1832.D
Peccatum aut donatur, aut deletur, aut tegitur. 1194.C
Peccatum donatur per gratiam. 1194.C
Peccatum equo simile. 1018.B
Peccatum gelicidio comparatur. 1511.D
Peccatum quomodo habitat in carne. 1838.C
Peccatum in homine punitur. 1499.C
Peccatum non fuit ignotum ante legem inter homines. 1827.A
Peccatum non imputabatur antequàm lex daretur. 1827.C
Peccatum per imprudentiam, & peccatum per scientiam. 982.B
Peccatum omne, iniquitas est. 1194.C
Peccatum vtrum maius, non fidere Christo, an ei manus afferre. 1764.B
Peccatum quomodo dicatur esse mortuum. 1836.D
peccatum quomodo sit mundandum. 511.C
peccatum omne, palam fieri timet. 2008.A
peccatum præuaricationis quàm magnum fuerit. 263.B
peccatum primum ex voce processit. 1338.D
peccatum aliquando prodest. 1181.D
peccatum quomodo proditum. 1054.C
peccatum in deum non referendum. 948.D
peccatum quomodo regnauit. 830.C
peccatum quando citius relaxatur. 1483.C
peccatum quomodo remittatur. 1029.A
peccatum reuixisse quomodo dicatur. 1837. A
peccatum seruile est. 1080.C
peccatum primi hominis vbi natum. 1843.C
peccatum vnius quomodo multos contaminat. 1895.A
peccatum vnda abluit. 828.A
peccatum quo remedio tollatur. 559.B
peccatum pœnitentia & lachrymis tollitur. Ibidem.
peccatum omne voluntarium est. 1053.C
peccati authorẽ cur damnauerit dominus Iesus. 207.A
Peccati causa morbi infliguntur aliquando. 2052.C
Peccati prima causa. 1809. A
Peccati cognitio erat etiam ante legem. 1827. A.B
Peccati confessio rara. 510.D.& dein.
Peccati excusationes friuolæ. 919.A.B
Peccati fructus. 1834.A
Peccati ianuæ, deliciæ. 2060.B
Peccati origo, delectatio. 921.C
Peccati quæstus. 1834.A
Peccati ruina vt non sit grauis. 1335.A
Peccati vulnus sentire bonæ mentis est. 1190.B
Peccato alieno quomodo non coinquinatur quis. 1991.A
Peccato mori. 369.A
Peccato qui mortui sint. 1480.C
Peccato esse subiectum quid sit. 1838.B
Peccato nemo caret. 926.D
Peccato quomodo renunciandum. 803.D
Peccatum alienum deflet Paulus. 1472.C
Peccatum cogitare. 190.D
Peccatum magis cognoscimus post perpetrationem, quàm ante. 910.B
Peccatum condemnare debemus, non defendere. 947.D
Peccatum quomodo damnauerit Christus. 1321.D
Peccatum quomodo damnemus. 1842.A
Peccatum declinans dicitur beatus. 1061.D
Peccatũ dimittit pater filius & spiritus sanctus. 1243.B
Peccatum donare, & misericordiæ & iustitiæ est. 1482.A
Peccatum nõ facere, & sine peccato non esse quomodo simul stent. 684.D
Peccatum quod voce pudor est confiteri, lachryma lauat. 741.A
Peccatum superari posse Abraham docuit. 1402.B
ad Peccatum viuere. 220.D
Peccato commisso quidam diligentiores fiunt. 1323.B
in Peccato condemnari, bonum. 920.C
sine Peccato esse hominem quid sit. 1625. A.B
de Peccato nè gloriemur. 1199.B
Peccato sunt etiam obnoxij pueri. 976.B
à Peccato originali quis fuerit immunis. 1192.D
in Peccato parentum an concipiamur. 119. C.D
Peccata aliorum non sunt ferenda. 64.B
Peccata clamant ad dominum. 997.A.B
Peccata sunt confitenda. 1162.D
Peccata quomodo nobis donantur. 1366.C
Peccata in baptismo donantur. 408.D
Peccata ex parte carnis de foris oriuntur. 1990.A
Peccata diabolo occasionem dant. 1832.C
Peccata per spiritum sanctum donantur. 408.D
Peccata sunt fugienda. 201.D
Peccata grauia in beatis viris cur inueniantur. 1660.D
Peccata sanctis prouidentia dei obrepunt. 1181.D
Peccata grauia in iudicium præcedentia. 1380.B
Peccata grauissima. 980.D
Peccata implenda sunt. 1025.D
Peccata quibus non imputentur. 1994.A

Peccata nostra in pectore ac cõscientia nostra scribuntur. 1213.D
Peccata, mentis & corprris sunt communia 1647.D
Peccata multa. 1585.C
Peccata Stoicis paria sunt. 168.C
Peccata quando probantur. 2008.A
Peccata quommo puniantur. 944.D
Peccata aliquando puniuntur per populos. 944.D
Peccata quibus rebus redimenda. 1135.D
Peccata quomodo remittantur. 944.D
Peccata remittuntur etiam per officium sacerdotis. Ibidem
Peccata quomodo homines remittant. 409.D
Peccata præterita non damnant hominem conuersum ad deum. 1977.C
Peccata vt mundentur. 1189.C
Peccata separant inter deum & hominem. 718.C
Peccata seruum faciunt. 1902.B
Peccata quandam verecundiam habent. 948.D
Peccata quomodo videantur. 2008.A
Peccata solus Christus aufert. 1704.D in fine
ad Peccata cor hominis propendet. 976.A
Peccata omnium deleuit Christus. 712.C
Peccata qui dimittat. 1680.D
Peccata omnia dominus donauit. 168.C
Peccata donat spiritussanctus. 409.D
Peccata fides obruit. 740.A
Peccata per ignem exuri. 74.A
Peccatorum omnium auctor. 1542.B
Peccatorum clamoribus deus excitatur. 997.B
Peccatoeum confessio quò prosit. 1214.A
Peccatorum formæ seu species tres. 1275.A 1671.B.1968.D
Peccatorum indulgentia quibus danda. 181.C
Peccatorum mensuram implere quid sit. 997. A.B
Peccatorum remissio deo possibilis. 184.A
Peccatorum remissio omnibus data per Christi passionem. 1490.D
Peccatorum remissio typus magni sabbati. 669.C
Peccatorum remissio nulla post mortem. 213.D
Peccatorum supplicia quomodo leuanda. 965.B
Peccatorum venia adscribitur iustitiæ. 1482.A
à Peccatis abstinere quid faciat. 2034.A
de Peccatis alienis non gaudendum. 191.A.B
Peccatis nostris misericordia dei auertitur. 955.D
Peccatis nepo gaudeat. 1190.A
Peccatis obligatus non potest exire de inferno. 2025.A
Peccatis obnoxia creatura. 409.D
Pecora corporales sensus repræsentant. 1012.A
de Pectore. 894.C
Pectus quid significet. 922.A
Pectus, recessus quidam sapientiæ. Ibidem
Pectus, sacrarium sapientiæ. 959.D
Pecunia domini quæ sit. 1771.C
Pecunia fœneratoris nunquam quiescit. 1141.D
Pecunia fœnoris. 1314.A
Pecunia quid homini. 603.D
Pecunia insufficiens. 50.A
Pecunia non danda ad vsuram. 633.A
Pecunia bonas vsuras habens. 1152.C
Pecunia temporale patrimonium est. 1238.C
Pecunia verus fructus non est, sed auari fructus. 1410.A
Pecuniæ accipitres. 462.C
Pecuniæ contemptus. 55.C
Pecuniæ lucrum nescit pietas. 1077.A
Pecunia redempti rarò fidem seruant. 53.C
Pecuniis magis quàm operibus bonis homines deferunt. 1062.D
Pelagia virgo apud Antiochiam. 97.C
Pelagia volens moritur. 522.A
Pelargo, ciconia dicitur. 869.A
Pœna quodammodo generat. 2046.A
Pendens in ligno quare maledictus. 580.A
Penetrans est verbum dei. 1586.C
Penitus derelinquere, & derelinquere differunt. 1426.C.D
Pennæ cœlestis volatus. 1542.D
Pennæ quomodo sint boni mores. 718.B
Pennarum natura. 112.B
Pentecoste vt celebranda. 1757.D
Pentecostes dies. 684.B
Pentecostes solennitas. 754.C.& dein.
Penula B. Pauli. 2072.B
Per ipsum quid sit. 385.B
Περάσωσι quid sit. 1399.C
Percutit deus peccatores vt sanet. 719.B
Perdices astutæ. 867.A
Perdix à perdendo dicitur. 611.C
Perdicis astutia quid obumbret. 879.C
Perdicis natura. 611.B.879.D
Peregre profectus filius prodigus. 184.B
Peregrini antiqui ritu pro hostibus. 20.C
Peregrinari à domino quid sit. 1944.C
Peregrinus quis verè sit in hac terra. 1442.A
Peregrini à veterano defensi. 66.A
Peregrini sunt veri Christiani. 746.B
Peregrini vt simus in hoc mũdo. 470.C.1349.C. 1474.D
Peregrinis alimonia subministranda. 51.D. 66.A
Peregrinis Christi sepultura promittitur. 746.B
Peregrinos tempore famis vrbe non arcendos. 65.D
Perfecta virtus. 1763.A
Perfectio, disciplinæ nostræ ac studiorum finis. 117.C
Perfectio perfecta in Euangelio. 1026.C.D
Perfectionis forma duplex. 60.D
Perfectionis summa in quo consistat. 1936.A
ad Perfectionem quid necessarium. 6.A
Perfecta prudentia vnde sit. 600.B
Perfecta vita quæ sit. 1058.A
Perfectum beatum. Ibidem
Perfectus qui sit. 1059.D.1319.D
Perfectus non dormitat. 1448.B
Perfectum esse quid sit. 1065.D
Perfectus nemo est sine fauore dei. 1426.C
Perfectus sensu quis sit. 1923.C
Perfecti est non deflectere. 1008.C
Perfecti viri dotes. 1060.A.B.C
Perfecti qui sint. 1885.C
Perfectorum proprium. 1067.C
Perfidia quid significet. 1995.D
Perfidia est amara. 1369.D
Perfidia quomodo sit inclinata. 1398.B. in fi.
Perfidia quomodo pertineat ad veniam. 549.C
Perfidia totius sceleris mater. 1996.A
Perfidia vbi est, quid habemus. 1588.B
Perfidia dies minuuntur. 1368.D
Perfidiæ gemina causa. 1731.A
Perfidiæ cæcitas adiucta est. 493.B
Perfidiæ Iudæorum non congratulandum. 1862.D
Perfidorum colloquia vitanda. 1787.B
inter Perfidos quomodo conuersandum. 2008.C
Pericula iustorum. 1540.D
Per pericula properatur ad Christum. 742.C
Pericula neminem à Christo reuocare debent. 1057.D
Periculis nemo se temere offerat. 27.A
Perire quid sit. 1751.C
non Perit qui agnoscit errorem. 1609.C
Permanere cum sole. 782.A
Pernoctabat Christus in oratione. 1594.A
Perpetua quomodo succedant. 1179.A
Persarum apostolus Matthæus. 1399.C
Persarum gens bellica. 884.B
Persarum leges grauissimæ. 872.A
Persecutio iusta. 1514.A
Persecutionem pati gratis quid sit. 1599.D
Persecutiones multæ, multæ probationes. 1595.D
Persecutiones augent populum dei. 259.D
Persecutio multiplex. 1513.C
Persecutiones quæ meritoriæ. 1595.D.1599.D
Persecutiones necessariæ. 1513.C
Persecutionibus ecclesia domini non vincitur, sed probatur. 1369.B
Persecutores multi sunt. 1513.C
Persecutores nostri graues. 1596.B
Persecucores quare deus sit passus esse. 1537.C
Persecutores suos Christus liberare voluit. 1363.A
Persecutiones probant hominem. 1595.D
Persequi gratis, quid. 1599.D
Perseuerare quid sit. 250.A
Perseuerantia est dei donum. 250.A.B.C
Perseuerantiæ exemplum. 1071.D
Perseueraturos quomodo promiserit deus. 237.A
Personarum acceptor non est deus. 1851.B
Persicus mos in poculis. 1131.C
Personæ auditorum considerandæ. 1714.A
Personarum distinctio non est apud deum. 1984.A
Personis quidam seruiunt. 2067.A
Perturbatio constantiam tollit. 32.C
Perturturbationes multæ in hac vita. 1158.B
Pes superbiæ. 1530.D
Pedes quid. Ibidem
Pedum officium. 895.B
Pedes animi. 105.D.714.C
Pedes Apostolorum aduentum significant. 1857.B.
Pedes auium differentes. 873.A
Pedes auium quales. 866.D
Pedes diuersi siue multiplices. 1530.D
Pedibus carentia animalia. 866.C
Pedas benedicentium. 1417.B
Pedes Christi qui sint. 1156.A.B
Pedes hominis duo. 895.B
Pedes homini cur duo tantum. Ibidem
Pedes hospiti lauandi. 1244.D
Pedes lauare. 105.C
Pedes non lauantur in baptismo. 1244.D
Pedum lotio quid mysterij habeat. 1245.A
Pedes nostros lauare vult Iesus. 356.D
Pestilentiæ amuletum. 1714.D
Pestilentiæ cathedra. 1276.B
Pestilentia grassante, quæ animalia primùm moriantur. 961.D
Petitio superba & stulta. 1846.C
Petitoriæ orationis artificium est in oratione dominica. 1251.D.& 1255.D
Petra, caro Christi. 592.D

Petra Christum significat. 1226.D
Petra nostra fides, nostra est, mens nostra est. &c. 1712.C
Petræ aquam manantis mysterium. 1250.B
Petrus quomodo petra dicatur. 741.D
Petrus, petra super quam ecclesia ædificatur. 763.D
Petrus à petra Christo dicitur. 783.C
Petrus quomodo conuersus. 1379.B
Petrus quare abscidit aurem serui pontificis. 1784.C
Petrus ambulans super aquas. 741.D
Petrus in mari titubans. 864.A.173.B
Petrus Ananiam & Saphiram quare mori voluit. 21.B
Petrus primus inter apostolos. 1974.D
Petrus quomodo à deo Apostolatum acceperit. 386.D
Petrus apostolus per ignem & aquam transiuit. 1590.A
Petrus quare deplorat & ingemit. 1402.D
Petrus deuicit Simonem magum. 577.D
Petrus dubitauit. 1694.A
Petrus non dubitauit de Christi munere. 186.D
Petrus fidei fundamentum in ecclesia tenet. 763.D
Petrus quare plantas lauare debebat. 1233.B
Petrus primatum accepit ad fundandam ecclesiam. 1977.D
vbi Petrus, ibi ecclesia. 1363.B
Petrus ab Herode incarceratus. 557.D
Petrus liberatur. 577.D
Petrus lapis aureus dicitur. 1547.C
Petrus negat Christum, & vbi. 1785.A & deinceps
Petrus quomodo aboleuit culpam. 330.D
Petrus quomodo lapsum suum aboleuit. 1185.D
Petrus fluit & tacuit. 741.A
Petrus quare fleuerit. 1787.A
Petrus paratus animo erat martyrium subire. 1799.C
Petrus quomodo sua reliquerit. 293.D
Petrus quid pro relictis obtinuerit. 115.A
Petrus à Paulo reprehensus. 1978.B
Petrus pro socru rogat. 161.A
Petrus sacerdos meritò electus. 1373.A
Petrus Romanæ ecclesiæ sacerdos fuit. 1245.A
Petrus solus. 598.D
Petrus tentationem præsumptionis incurrit. 469.C
Petrus cur tentatus. Ibidem
Petrus Thabitam surgere præcepit. 478.A
Petrus quomodo ventilatus. 1379.B
Petrus ad quid vocatus. 1977.D
Petrus vos viuificet, quomodo intelligendum. 115.A
Petrus crucifixus fuit. 764.A.1603.C
Petri auctoritas. 1978.A
Petri cor conturbatum. 266.B
Petri & Christi de iteranda crucifixione colloquium. 578.A
Petri & Pauli apostolorum natalis seu passio. 761.C.D.& dein.
Petri fides defectura fuerat, &c. 266.B
Petri fides super aquas ambulauit, non corpus. 490.D
Petri fletus. 1398.A
Petri hæreditatem non habent, qui fidem Petri non habent. 173.A
Petri ieiunium, oratio, esuries, refectio. 658.A 762.C.D
Petri lachrymæ & pœnitentiæ. 1787.A.B.C
Petri periurium defenditur. 1783.D.& dein.
Petri reprehensio tacita. 1402.D
Petri sermo titubantis fidelior quàm doctrina multorum. 1398.A
Petri tentatio nostra est instructio. 469.C
Petri titubatio super aquam. 1786.C
Petro fugienti Christus apparuit. 578.A
Petrum mulier quare prodit prima. 1785.B
Phamenoth mensis. 673.A
Phanatici qui dicantur. 1887.A
Phanum quid dicatur. 562.C
Phares quid interpreteur. 1385.D.1657.C
Pharao nomen erat regum apud Ægyptios. 1852.B. in fine
Pharao Ægyptius. 1523.C
Pharao à Mose reprehenditur. 935.A
Pharao ad quid sit seruatus. 1852.C
Pharao quomodo derelinquendus. 804.C
Pharao quomodo dimittat nos. 1556.D
Pharao quare vexabat Iudæos. 1399.D
Pharao quare cum suis submersus. 1571.C
Pharfar fluuius Damasci. 1673.D
Pharisæi quare sic dicti. 1657.C
Pharisæi qui dicantur. 1385.D.& 1386.A
Pharisæus & publicanus orantes in templo. 1443.A
Pharisæi iactantia, virtutes omnes illius obtenebrabat. 1588.C
Pharisæus quare reprehensus. 935.A
Pharisæus superbus contempus. 11.B
Pharisæorum sæuitia in Christum. 259.D
Pharmutius mensis. 672.D
Phasis fluuius. 818.C
Phene auis, quæ & fulicæ. 870.C
Philemon vir bonus. 2078.A
Phyletus de Saducæorum secta. 2069.A in fine
Philon intra moralia se continuit. 904.D
Philo spiritalia Iudaico non capiebat affectu. Ibidem.
Philosophia mortis meditatio. 470.D
Philosophia fallax & inanis. 2029.A
Philosophia in Ægypto abundauit. 1027.B
Philosophia inter pocula prædicatur. 1126.B
Philosophia mentes à verò traducit. 1066.A
Philosophia mundana lutum versat. 1288.A
Philosophiæ mundanæ subtilitates semel captum agrè dimittunt, & ob hoc pernicioſæ. 2028.D
Philosophia quid scrutetur. 1606.A
Philosophia quos seducat. 2028.A 1606.B
Philosophia terrenæ. 2027.D. in fi. & dein.
Philosophia à veritate transducens. 1369.D
Philosophia vera. 928.D
Philosophia gemina species in verbo. 1021.A
Philosophiæ retia. 1606.A
Philosophiæ supercilium pressum. 1690.B
Philosophiæ pallium tollendum. 110.A
Philosophus ex ebrio factus. 1129.D
Philosophi cuiusdam exemplum. 1555.B
Philosophi altitudinẽ animæ nescierunt. 1047.B
Philosophi beatitudinem in quibus constituant. 39.B
Philosophi quomodo se arbitrabantur sapientes. 1807.B
Philosophi volunt credi. 478.C
Philosophi quare præmium æternum non habuerint. 234.A
Philosophi quidem negant deum curam habere hominis. 980.C
Philosophi quibus rebus orbem ligarunt. 279.C
Philosophi seculares nostris posteriores. 1016.D & 1017.A
Philosophi seculares posteriores Abraham. 1026.D
Philosohi vnde septem stellarum motum habeant. 816.A.B
Philosophi taxantur. 1029.B
Philosophorum argumenta vanescere. 39.B
Philosophorum Græciæ & Christianorum collatio. 521.D
Philosophorum de anima commenta. 224.C.D
Philosophorum humana ingenia. 234.A
Philosophorum dicta præstantißima, nostra sunt. 226.B
Philosophorum vanitas. 1640.C
Philosophos obcæquauit superbia. 234.B
Philuminaris Epicuri sectator. 657.C
Phinees Zelus. 633.C.1572.A
Phison fluuius interpretatur oris mutatio, & est prudentiæ figura. 902.C.D.1281.C
Φλὲψ quid. 979.A
Phlomos herba. 880.D
Phœben quare sororem communem dicat Paulus. 1876.C
Phœnix auis Arabiæ. 474.B
Eius natura. Ibid.& 874.A
Phœnix coitus corporeos ignorat. 1581.D
Pœnicis longæuitas. 874.A
Photini error. 1203.D
Phrenetici filij cõmiseratio apud patrẽ. 1472.C.D
Phreneticorum compassio. Ibidem
Phrygia sacra. 80.D.1834.A
Phrygij vates. 573.B
Pia auis, Ciconia. 868.C
Picea. 833.C.836.D
Pictores, vmbras primum pingere cœperunt. 844.B
Pictura olim in ecclesia sententiæ pulchræ ex bibliis diuinis. 149.D
Pictus est homo, sed à deo. 888.B
Pietas vera. 615.B
Pietas commendatur. 1746.B
Pietas, crudelitatis est domina. 1064.B
Pietas fundamẽtum est omnium virtutum. 18.D 1579.A.1600.A
Pietas quomodo debeat nos exercere. 26.C.D
Pietas laborem leuat. 1069.B
Pietas tacito vultu frequenter offenditur. 984.B
Pietas ordo mirabilis. 1679.C.D
Pietatis perfectiones. 1579.A
Pietatis primus gradus. 1766.B
Pietatis rapina bona. 1063.D
Pietati mensura ordinis non præponderat. 1069.B
Pietatem vnde discant homines. 868.D
Piger non est, qui mandata dei custodit. 1490.C
Pignus quid sit. 1153.A
Pignus triplex. Ibid.& dein.
Pignus quod lex iubet reddi ante solis occasum. 1153.A
Pignora recipere an liceat mutuum danti. 1150.D
Pignora specialia interdicta. 1151.A
Pilatus quorum iudicum typus sit. 1788.C
Pilatus Christum occidit. 744.B
Pilatus lauit manus, sed non cor. 1507.B 1788.C.
Pingue opus quod dicatur. 945.C
de Pinguedine sacrificiorum & hostiarum. Ibidem
Pinna templi. 717.A
quomodo de Pinna tentamur. 718.B
Pinus. 833.C.& 839.C
Pinus lachrymula vulpes sibi medetur. 880.D in fine.
Piratæ spirituales metuendi. 736.D

Piraterium Latinè experimentum dicitur. 736C
Piraterium habitaculum piratarum. 736.C
inter Piraterio esse. 736.C
Pius vere quis sit. 1579.A
Piorum domus ecclesia, patria cœlum est. 1410.B
Piorum proprium. 235.A
Piscina probatica. 1231.D. & 1241.A.B
Piscatio spiritualis. 113.C
Piscator Euangelista factus. 115.A.B
Piscatores à Christo electi. 1882.C
Piscatores iidem, qui & venatores & messores. 1462.B
Piscis est homo. 857.C
Piscis miraculum. 1244.C
Pisces boni & mali. 857.D
Pisces dulceis aquas aliquando amant. 862.B
Pisces extra aquam vltro moriuntur. 856.B
Pisces humanitatis affectum imitantur. 855.D
Pisces præscripta domicilia habent. 861.A
Pisces quomodo esse debeamus. 1244.C
Piscium in catulos pia natura. 855.D
Piscium genera diuersa quàm plurima. 854.D 855.C. & dein.
Piscium natura. 862.A.B
Piscium quorundam stata tempora euagandi. 861.D
Piscium rapinæ nobis exemplo sint. 857.A
Pistrinum quid significet. 1761.A
vt Placeas omnibus, quid agendum est. 61.B
Placere deo quid potest. 2034.D
qui deo Placere non possunt. 1481.A
Placere per omnia omnibus quid sit. 1913.A
Planetæ nihil in nos iuris habent. 846.C
Plantare quid sit. 1888.D
Platanus quid repræsentet. 1065.B
Plateæ fugiendæ. 104.C
Πλατεια, latitudo est. 1526.C
Plato Dauide multo posterior. 1288.A
Plato in Ægyptum profectus est, & quare. 1570.C
Plato Mosen legisse potuit. 959.D. & 960.C
Plato & è Geneси & è Canticis quædam mutuatus est. 218.B
Plato vnde ediderit dialogum de virtute. 1570.C
Plato Philosophiæ pater. 1017.A
Plato Philosophorum princeps. 987.B
Plato quid senserit de mundo. 801.B
Plato tria principia constituit. 801.A
Plato cœlum currum volucrem esse dixit. 1021.C
Plato inducit quendam disputantem contra iustitiam. 7.A
Platonis poculum. 209.D
Platonis pudor in absurdis quæ poneret. 7.A
Platonis præstantia inter philosophos. 1288.A
Platonici. 987.B
Platonici epulatores. 219.A
Platonicus hortus. 218.A
Plausus bonus. 1698.D
Plebs non repulsa. 238.B
Plebs præscita. 238.B
Plebem Iudæorum an repulerit dominus. 134.D
in omni Plebe pars firma & infirma. 2040.C
in Plebe omni est diuersitas. 2048.B
Plenitudo est & manet in Christo. 2026.A
Plenitudo Euangely. 596.A
Plenitudo sapientiæ dilectio. 1598.B
Plenitudo temporis quæ sit. 1984.C
Plenitudo virtutis & fidei. 1411.B.C
Plenitudinem iusti vita habet. 1637.D
Plumbum iniquitatis graue. 1527.B
Plus in anima quàm in carne sumus. 1559.D
Pluuia siue ros in vellus quid sit. 156.C 703.D
Pluuia super omnes cadit. 1490.D
inter Pocula Philosophantes. 1126.B
Pœna corrigit errantem. 1570.B
Pœna digna auarum consumit & auaritiam. 1114.C
Pœna grauior non est interioris vulnere conscientiæ. 62.C
Pœna criminis ex tempore legis est. 992.A
Pœna peccati quibus reponitur. 996.D. in fine.
Pœna quodammodo generat. 2046.A
Pœna vnius, metus multorum. 753.D. in fine
Pœnæ vnusquisque sibi est author. 1704.B
Pœna viuere quid sit. 912.A
Pœnitentes quomodo peccatorum remissionem acquirant. 1821.B. in fi.
Pœnitentiæ definitio. 1320.C
Pœnitentia post Baptismum extremum remedium. 150.D
Pœnitentia propter quod agitur. 184.C
Pœnitentia quando agenda est. 195.C
Pœnitentia quomodo agi debeat. 151.A
Pœnitentia non solum solicite sed & mature est agenda. 182.B.C
Pœnitentia hominem alium facit. 193.B
Pœnctentia, delinquentis remedium. 188.A
Pœnitentia non differenda. 193.C
Pœnitentia non habet excusationem, sed confessionem. 1951.B
Pœnitentia quomodo habeat fructum. 1937.A
Pœnitentia falsa & infructuosa. 192.B
Pœnitentia est cum humilitate facienda. 192.D
Pœnitentia Iudæ infructuosa. 186.A
Pœnitentia publica non est in ecclesia iteranda. 193.B
Pœnitentia est magnum remedium. 188.A
Pœnitentia est peccati remedium. 192.C
Pœnitentia necessaria. 150.D
Pœnitentia rara. 510.D
Pœnitentia quorundam seria. 181.C
Pœnitentia radix correptionis. 972.D
Pœnitentia sui, prudenti cauenda. 667.B
Pœnitentia debet esse syncera. 186.B
Pœnitentia tarda est dubia. 195.B
Pœnitentia vera. 1937.A
Pœnitentia vera quæ non sit. 193.B
Pœnitentiæ fletus. 188.D
Pœnitentiæ magnitudo secundum conscientiæ molem exhibenda. 151.A
Pœnitentiæ medicina quanta sit. 188.B
Pœnitentiæ sacrificia. 559.A
Pœnitentiam agens opprobria sufferre debet. 1323.B
Pœnitentiam agentes Nouatianis fastidio sunt. 173.C
per Pœnitentiam opus non esse mundari Nouatiani affirmant. 174.A
Pœnitentiam dare possum, securitatem non possum. 195.C
Pœnitentiam nulli denegat deus. 170.D
Pœnitentiam exigens deus veniam pollicetur. 174.B
Pœnitentiam docuêre Apostoli. 186.D
Pœnitentiam raro reges agunt. 1200.A
post Pœnitentiam bene viuere quid sit. 195.B
qui veraciter egerit Pœnitentiam, saluabitur. 195.B
ad Pœnitentiam exhortatio. 194.D
Pœnitere de peccatis non docuit Dauid. 1320.B
Poetæ quæcunque præstantiora locuti sunt, de nostris habuere. 520.D
Poetarum fabulæ. 221.D
Poetarum versiculi scripturis diuinis inserti. 299.B
Poetica figmenta de inferis. 221.D
Poeticæ comparationes ad informationem vitæ possunt induci. 299.C
Πολυήμερος, multorum dierum. 1369.A
Poculum secreta mentis mundans. 209.D
Polypi ingenium fraudulentum. 859.C
Politia hominum ab auibus accepta. 867.C
Pompeius iunior in Hispaniis debellatus. 1399.B
Pondus æquum. 68.B
Ponere in cœlum os, quid. 1175.A
Ponti commoditas. 862.A.B
Pontificis munia quæ fuerint. 2093.A.B
Populus ad quid apta. 835.C
Populus & salix mysticè. 835.C
Populus Christianorum quomodo emptus. 1379.C
Populus Christianus prius cœpit, quàm populus Iudæorum. 1247.D
Populus dei habet plenitudinem suam. 237.B
Populus primus dei à quo regebatur. 257.D
Populus dei vbi inueniatur. 1463.A
Populus domini quomodo sit fundatus. 1378.B
Populus diues, & populus pauper, qui sint. 1211.C
Populus gentilis quomodo Christi hostia. 943,A
Populus grauis qui sit. 1355,A
Populus Iudaicus typus fuit, Populus Christianus veritas. 1452.B
Populus Israel incredulus. 1858.C
Populus Iudæorum à deo condemnatus. 400.A
Populus Iudæorum quare derelictus. 188.A
Populus Iudæorum indocilis. 1530.A
Populus Iudæorum quomodo venditus. 1379.C
Populus nationum quomodo acquisitus. 1573.C
Populus Synagogæ primus. 1740.B
Populi duo semper in vna plebe. 1817.D
Populi duo suscepti à Christo. 1998.B
Populis duobus in vna plebe Paulus scribit. 1880.C
Populi duo in vtero Rebeccæ qui. 1588.D
Populorum inter se bella. 1776.C
Porci qui sint. 1704.C
Porci quos repræsentant. 1749.B
Porci marini Iudæis grati. 855.C
Porci caput in templum proiecerunt Romani. 1777.C
Porta cœlestis quàm angusta sit diuiti. 699.C
Porta quæ erat clausa in Ezechiele. 655.A
Porta hominis per quam Christus ingreditur. 136.B.C
Porta nostra quæ sit. 314.A.B
Porta ventris. 136.D
Portæ æternales. 314.C
Portæ criminum. 228.A.
Portæ Ecclesiæ. 1712.B
Portæ quomodo eleuantur. 314.B
Portæ inferi. 228.A.1712.C
Portæ iustitiæ. 228.A.1712.D
Portæ nostræ Christo sunt aperiendæ. 315.A
Portæ nostræ sunt custodiendæ. 1330.D
Portæ mortis. 1712.C.D
Portare deum quid sit. 1899.B
Portenta mendacij. 2047.B
Portio bonorum Christus. 668.A
Portio nostra debet esse Christus. 121.B.C
Portio Christi. 1555.D
Portio dei deum curare debet. 198.B

Portio nostra dominus. 1477.A
Portionis diuinæ fructus. *Ibid.*C
in Portione diuina gemitus & labor. 1479.C
Portitores funeris nostri. 1692.C
Possessio bona & preciosa. 2.C
Possessio bona. 668.A
Possessio Christi. 121.B
Possessio nostra. 2.C
Possessio vera. 943.B
Possessione seculi nihil nobis sit commune. 120.D
Possessiones hæreditariæ. 990.A
Possessionum iura distribuit auaritia. 1482.A
Possidere renes. 121.A
Posteritatis propagandæ studium commendabile antiquitus. 992.B
Postes illiti quid Iudæis profuerint. 1528.B
Potentium sacramenta. 1132.D
Potatio Iesu. 1791.C.D
Potentes de quo sint arguendi in iudicio. 10.A.B
Potentibus ira sua grauis est. 1162.A
Potentia seculi somnium est. 1083.C
Petestas est deo vincere. 1669.B
Potestas à diabolo non est, sed obnoxia tamen insidiis diaboli. 1670.B
Potestas quomodo significat velamen. 1914.A
Potestas decipit. 1537.D
Potestas ligandi atque soluendi. 169.A.& 173.A
Potestas non est mala. 1670.A
Potestas secularis nihil prodest, sæpe etiam obest. 1200.B
Potestatis insolentia. *Ibidem*
Potestati subiectus quis sit. 1867.D
in Potestate nostra cor nostrum non est. 197.A
Potestates quæ sint. 1999.B.*in fi.*
Potestates aduersariæ quomodo conturbatæ. 1398.B
Potestates contrariæ sunt subiectæ animæ nostræ. 1512.B
Potestates non irritandæ. 30.A
Potiones nobis bibendæ. 1280.C
Potus fidem excludit. 1133.A
Potus necessarius. 982.D
Potus omnis inebrians, siceræ nomine vocatur. 1131.D
Præcipitium quod dicatur. 1295.A
Præceptum quare datum sit. 682.A
Præceptum dei cordibus nostris impressum tenemus spiritu dei. 909.D
Præceptum dei, lex mundi. 731.C
Præceptum & consilium differunt. 163.D.& 164.A
Præceptum præceptorum. 1456.A
Præceptum saluatoris talentum est magnum. 772.A
Præcepti obedientia an semper sit necessaria. 906.C
Præcepta Christi, arma sunt Christianis. 784.D
Præcepta dei iusta sunt. 1833.C
Præcepta dei non habentes, legem non habent. 1577.D
Præcepta legis veteris & Euangelij differunt. 1506.C
Præcepta maiorum sunt seruanda. 311.C
Præcepta perfectiora Euangelio reseruata. 1557.B
Præcepta sublimia & alta. 1405.D
Prædicantium gloria. 2039.C
cur Prædestinantur aliqui in futurum seculum. 1847.A
Prædicat Ambrosius inuitus pauco auditorio. 688.C.D
prædicatio quare ordinata. 1883.B
prædicatio Apostolica quomodo in omnem locum peruenit. 1857.D
prædicatio Christi non ita indiget cultu sermonis. 1882.C
prædicatio Christiana non indiget pompa. *Ibidem*
prædicatio crucis Christi. 1806.A
prædicatio de Christo vera. 1938.A
prædicatio Euangelij. 1751.A.B
prædicatio Euangelij, sermo sanctorum est. 1511.A
prædicatio Ecclesiastica quibus proficit. 1999.C
prædicatio in plebe quid operetur. 688.B
prædicatio noui testamenti. 1939.C
prædicatio Pauli quid profecerit. 2013.D
prædicationi fidem præbere. 2052.B
prædicator verbi neminem nominet. 782.D
prædicatoris fidelis signum. 2038.C
prædicatores ex Iudæis electi. 1994.B
prædicatores gratiæ. 233.A
prædicatores quales esse debeant. 1935.C
prædicta per prophetas, in Euangelio sunt completa. 1564.B
prædonum reliquiæ nen rapiendæ. 754.C
prægnantes quibus væ dicitur. 1778.C
prægnantium cognatarum curam sanctæ mulieres habeant. 1636.A
prægnantibus honor exhibendus. 1636.A
prælium cum quantis nobis sit. 1486.A.B
præmia & supplicia quæ nunc habent defuncti. 225.A
præmia quibus pollicentur. 927.C
præmia in cœlo cæteris præstantiora habentes. 118.B
præparare quid sit. 1853.C
præpositus vini Pharaonis. 1083.B
præpositi personam accepit Christus. 1594.B
præputium quos repræsentat. 1820.A
præputia corporis circuncidenda. 1528.B
præscientia quid sit. 1851.B
præscientia brutorum certior quàm hominum. 560.B.C
præscientia dei non incerta. 236.C
in præscientia dei non est personarum acceptio. 1851.B
præsentia est veritas. 1935.B
præsepe & præsepium idem. 1640.C
præsepe domini agnoscendum. 671.D
præsidium animæ vbi locandum est. 1540.D
præsidium nostræ salutis. 90.D
præsidia dei quibus adesse assolent. 1067.A
præsul & custos coniugij deus. 998.B
præsumendum non est in sua operatione. 1371.C
præsumere non debemus quod implere non possumus. 1352.A
præterire ac stare. 1417.A.B
præterita plerunque ponit scriptura pro futuris vel præsentibus. 1001.A
prævaricatio peccatum est. 906.D
prævaricatio Adæ. 225.A
prævaricatio hominis in paradiso vt fuerit facta. 901.C
prævaricatio prima vnde cœperit. 916.B
prævaricationis primæ incommoda. 235.C
prævaricatione primi hominis incolumitatẽ perdidimus. 235.C
prævaricaturam mulierem deus præsciuit. 905.C
prævaricator quis dicatur. 1551.D.& dein.
prævaricator quare Latinè transgressor nominetur. *Ibidem*
Prævaricator legis. 1814.B
Prasius lapis. 902.C
ad Precandum quomodo impellamur. 184.C
Precatio omnium spirituum nota est deo. 1846.C *in fine*
Precationis genus pingue & adipale. 947.B
Precatores nobis necessarij. 1680.B
Preces multorum impossibile est vt non impetrẽt. 1876.B
Precium nostrum. 1086.D.1418.A
Precium nostrum sanguis est Christi. 943.A
Precium nostræ liberationis. 648.B
Precium redemptionis nostræ. 114.C
Precium quo redempti sumus. 1086.A
Precij diuersitates non solum quantitatis habent, sed etiam numeri expressionem. 1079.B
Precio caro empti sumus. 1902.B
Πρέσπον. 5.B
Presbyteri primi episcopi appellabantur. 2003.A *in fine*
Presbyteri apud Ægyptum consignant in absentia episcopi. *Ibid.*B
Pressuras passus est Paulus. 1934.B
Prima quæ sint. 1016.A
Prima coniugij fides quæ sit. 1002.D
Prima dies eadem quæ & octaua. 1400.C
Prima sabbati, eadem vna sabbati. *Ibid.*D
Primatus qui sint. 1588.D
Primi resurrecturi qui sint. 483.C.D
Primum peccatum ex voce processit. 1339.A
Primus & nouissimus quare dicatur filius. 1634.A
Primus & octauus dies idem. 1134.B
Primitiæ quæ sint. 550.D
Primitiæ tempore æstimentur, an sanctitate. 941.B
Primitiæ animæ quæ sunt. 937.A
Primitiæ spiritus. 550.D
Primitiæ quiescentium, Christus. 479.B
Primitiarum vis quæ sit. 941.B
Primitias cordis ac vocis quotidie deo debemus. 1583.D
Primitias spiritus habentes qui sint. 550.D
Primitiuus quis verè sit. 535.D
Primitiua nostrorum sensuum. 940.C.D
Primogenita quare offerebantur. 1421.C
Primogenita & primitiæ an distant. 551.A
Primogenita seculi. 535.C
Primogenitus quomodo dicatur. 804.D
Primogenitus, Christus. 1847.A
Primogeniti quomodo sancti. 535.C
Primogenitus non omnis sanctus. 535.B 941.B
Primogenitus quare dictus Ioseph non Ruben. 1372.C
Princeps qui sit. 1064.C
Principes qui sint. 1999.C
Princeps sui est, qui iustus ac integer est. 1383.A
Princeps huius mũdi, Christi gloriam videre non potuit. 203.D
Princeps mundi in Christo nihil inuenire potuit. *Ibidem.*A
Princeps potestatis. 1995.C
Princeps sacerdotum Christus. 1601.D
Principes sacerdotũ de tribu Leui sunt. 1096.A *in fine*
Princeps Tyri, diabolus. 900.D
Principes diuersi mali. 1444.C.D
Principes gratis non persequentes. 1599.D
Principes gratis non persequentes. *Ibidem*
Principes huius seculi qui sint. 1886.A
Principes seculi Christũ non cognouerunt. 1632.C

Principum vera laus. 493.C.D
inter Principes bonos & malos quid interſit. 560.C
Principij multiplex acceptio. 803.C.805.A
Principium anni quod ſit. 970.C.D
Principium quomodo dicatur Chriſtus. 804.C.D
Principium Eccleſiæ ac finis. 1588.B
Principium noſtrum & finis à deo & in deum eſſe debet. 1012.C
Principium vbi eſt, finis quæritur. 976.D
Principium dei. 1598.B
Principia tria poſuerunt philoſophi. 801.A
Priores facti ſunt qui retro erant. 960.C
Priſcilla. 1876.D
Probari à deo opera vel ſtudia noſtra vt cognoſcere poſsimus. 946.A
Probari nos per ignem oportet. 1590.A
Probatio fidelium. 2000.A
Probatio ſpem facit. 1436.A
Probationes credentium diuerſæ. 2019.B
Probatus habitabit in tabernaculo domini. 174.B
Probra, à deſtitutis maritali auxilio arcenda. 1554.B
Proceſſus quatuor animæ. 1042.C
Prodeſſe vni non poteſt, quod omnibus eſt inutile. 62.D
Prodigalitas fugienda. 52.C
Prodigus benigne à patre receptus. 602.A
Proditionem ſuam Iudas ipſe ferre non potuit. 1352.D
Proditores etiam in ipſos pius eſt dominus. 1542.B
Profectus ex deo eſt. 249.D
Profeſsio prima mentium. 1639.C
Profeſsionem duplicem habere non cõuenit vnum. 2067.C
Profluuium nocturnum. 532.A
Profunda quomodo ſcrutetur ſpiritus. 1886.D
in Progeniem patris intrare quis dicatur. 1412.B
Proiici bonum, & proiici malum. 1220.C.D
Proiiciendi qui ſint extra Eccleſiam. 1226.B
Prolapſionis noſtræ cauſa quæ ſit. 1173.D
Promiſſa dei etiã circa impios ſeruantur. 1120.A
Promiſſa deo, citò ſoluenda. 932.C
Promiſsio Abrahæ facta. 259.A. Eius hæredes. 1982.C
Promiſsio in Iſaac facta eſt. 1850.A
Promiſsiones patris duæ. 2099.C
Promiſſum ſoluere, nonnunquam contra officium eſt. 36.B.70.C
Promiſſum tardare, ingrati eſt. 932.C. in fi.
Promiſſum temere non præuaricandum. 99.B
Prope eſt dominus omnibus. 1586.A
Prope ſe facere ad dominum. 1593.A
Prophetare quid ſit. 1913.C
Prophetia quid ſit. 1905.A.2058.D
Prophetia vt dabatur. 1864.C
Prophetia quibus negatur. 1643.C
Prophetia Pauli. 2070.A.B.2071.C
Prophetiæ conſuetudo. 280.D
Prophetiæ virtus. 1271.D
Prophetæ qui dicantur. 1922.B
Prophetæ duplici genere intelliguntur. 1919.A.C
Prophetæ dicebantur videntes. 1365.D.1509.D
Prophetæ quomodo cernant occulta cordium. 1647.C
Prophetæ falſi. 885.D
Prophetæ falſi mentem ſubruunt. Ibidem
Propheta verus quis ſit. 1489.C
Propheta prius legitur, & apoſtolus, deinde euangelium. 1564.D
Propheta ſit ſpiritalis per gratiam ſpiritus ſancti. 1501.B
Prophetæ mens quando excedat. 1023.A
Prophetam falli impoſsibile eſt. 2074.B
Prophetæ quid annunciauerunt. 541.A
Prophetæ explanatores ſunt ſcripturarũ. 2002.C
Prophetæ explanatores ſcripturarum. 2002.C
Prophetæ in captiuitatem ducti, nullam fidei captiuitatem pertulerunt. 1377.C
Prophetæ quare cum populo Iudæorum in captiuitatem ducti. 951.A
Prophetarum arcana vt poſsint intelligi. 1491.C
Prophetarum cibus. 1645.D
Prophetarum dominus, Chriſtus. 1696.B
Prophetarum merita in apoſtolis fuerunt. 1719.B
Prophetarum mos. 1490.D
Prophetarum obſcura, manifeſtata ſunt dominicæ paſsionis effectu. 1383.C
Prophetarum veterum velut inſania quædam. 1350.B
Prophitis occulta cordis manifeſtata. 1647.B in fine.
Prophetauerunt etiam mali. 1920.D
Propheticæ ſcripturæ multa obſcura habent. 1491.C
Propitiatio omnium Chriſtus eſt. 1409.B
Propoſitum dei. 1884.C
Propoſitum Pauli iuxta carnem. 1974.A
Propria verba magis ſectantur Philoſophi, etiam ſi minus recepta. 1640.D
Proprium dei ſemper eſſe. 1373.D
Propugnacula fidei quæ ſint. 1467.C
Proſcriptionis laqueus quàm grandis. 1542.A
Proſcriptus Chriſtus. 1979.D
Proſperitatem citò ſequitur inuidia. 1000.A
Prouerbium, Aut picem olet, aut florem. 855.B
Prouerbium, Sicut Nemroth gigas venator ante deum. 986.B
Prouerb. Publica via ne ambules. 515.C
Prouerbia Salomonis. 1037.C
Prouerbia moralem locum exprimunt. 1422.B
in Prouerbiis myſtica pleraque reperies. 1422.B
Prouidentia dei. 7.C.D
Prouidentia dei. 1883.A
Prouidere quid ſit. 1866.C
Prouidentia magnum munimẽ fortitudinis. 27.B
Prouocare ſe inuicem qui ſolent. 2068.C
Proximus qui ſit. 1004.A.172.A
Proximus vt quis eſſe poſsit. 176.B
Proximum miſericordia facit. 1726.D
Proximi deo quomodo eſſe poſſumus. 735.A
Proximi ſeminis noſtri non deſpiciendi. 21.D
Proximi ſponſi qui ſint. 218.D
Proximos quid facit. 161.A
Prudens quis. 17.A
Prudentis officium. 461.A
Prudentis eſt cauere, ne frequenter eum pœniteat ſui. 667.B
Prudentis eſt non penitus declinare. 1008.C
Prudentes mundo qui ſint. 1892.D
Prudentes ſicut ſerpentes. 207.A
Prudentia vbi conſtituenda. 16.D.112.D
vbi poſsideatur. 109.C
Prudentia ad interitum. 1606.A
Prudentia cana. 1530.A
Prudentia in quo conſiſtat. 17.B
Prudentia omnibus virtutibus aſſocia. 46.D
Prudendia carnis duplex. 1842.A.B
Prudentia mundi religioni inimica. 1885.B
Prudentia huius ſeculi. 1606.A
Prudentia prudentium quomodo reprobatur. 1882.D
Prudentia ſpiritus. 1842.B
Prudentia ſpiritualis. 1259.C
Prudentia ſumma. 1864.B
Prudentia vera & Chriſtiana. 1827.C
Prudentia ſine iuſtitia nocet. 1026.C
Prudentiæ amictus. 1066.A
Prudentiæ tempus. 903.C
Prudentiæ vſus. 902.C
Pſalmi cantati tempore Ambroſii. 562.C
Pſalmi omnes Dauidici medicamenta conſcientiæ peccatricis. 1320.B
Pſalmi tempore tribulationis dicti. 585.A
Pſalmorum liber in ſac. lit. dulciſsimus. 1270.D
Pſalmorum liber vnus eſt, omnes orationis virtutes continens. 1256.B
Pſalmorum omnium corpus vnum eſt. 1295.D
Pſalmorum tituli, in finem, & intellectus, quid ſignificent. 204.B.C
Pſalmorum virtutes. 1256.B
in Pſalmis profectus eſt omnium. 1271.C
Pſalmus quid ſit. 1272.A
Pſalmus dicitur interdum in perſona vnius, interdum in perſona aliorum. 1386.C
Pſalmi octaui artificium. 1256.B
Pſalmi noni contenta. 1395.A
Pſalmus. 36. moralibus præceptis refertus. 661.C
Pſalmus. 38. non ſolum ſilentij laude, ſed etiam rerum contemptu valde eſt mirabilis. 4.B
Pſalmi quadrageſimi myſterium. 1355.C
Pſalmus. 50. quibus legendus. 152.B
Pſalmus. 75. ad Aſſyrium ſcriptus. 1117.B
Pſalmi. 93. inſcriptio. 1024.D
Pſalmus. 118. cur per Hebræorum literas diſtinctus. 1421.col.1.& 1533.C
Pſalm. 118. profectum hominis ſignificat. 1604.B
Pſalmi centeſimi decimioctaui pſtantia. 1421.B.C
Pſalterium vnum & quinque libri. 1365.A.B & deinceps
Pſalterium eſt homo conſummatus in Chriſto. 1366.A
Pſaltria Herodis filia. 760.B
Pſeudoapoſtoli cauendi ſunt. 1878.B
Pſeudoapoſtoli Chriſtum prædicabant duplici genere. 1882.C
Pſeudoapoſtoli quomodo nomen Chriſti prædicabant. 1880.B
Pſeudoapoſtolorum gloriæ. 1961.D
Pſitacus. 867.A
Πτώματα. 1310.A
Publicanus quare iuſtificatus. 11.B
Publicanus humilitate iuſtificatus. 1588.C
Publicanus quare prædicatus. 935.A
Publicani myſtica vocatio. 1681.A
Publicani Ioannem niterrogant. 696.A
de Pudendis. 895.A
Pudendæ corporis partes à natura abſconditæ. 12.B.895.A.1918.D
Pudicitia annorum. 80.C
Pudicitia mulierum propugnanda. 1554.B
Pudicitia neſcit eſſe captiua. 86.B
Pudicitiæ fructus quàm dulcis. Ibid.A.
Pudicitiæ remuneratio. 989.C
Pudor corrector eſt noſtri. 1506.B
Pudor eſt fœminis, nuptiarum præmia non habere. 1631.B
pudor peccatorum in iudicio. 1213.D
pudoris cura etiam apud barbaros. 989.A
pudoris fama lubrica. 1631.D
puellæ etiam rarius ad Eccleſiam procedant. 125.D
puellæ iudicium parẽtum ſpectare debent in ſpõſalibus. 1005.B
puellæ mortem appetentes. 522.A
puellarum figura. 1665.C
puer quis ſit. 1628.B
puer nomen ætatis. 433.B

Puer quæ proponitur discipulis imitãdus. 748.B
Puer imitandus Apostolis Christi quis sit. 1763.A
Puer in deliciis quis sit. 1628.B
Puer quomodo natus sit nobis. 304.D
Puer officiis qui dicitur. 997.A
Puerulus Barbarus mansit immobilis, adusto corpore. 94.C
Pueri moues. 996.B
Pueri quare apti ad regnum cœlorum. 1762.C
Pueri non contemnendi. 14.B
Pueri Hebræi patrio cibo & aquæ potu vtebantur. 659.C
Pueri à rege in camino ignis incluſi. 766.D
Pueri quomodo esse debeamus. 14.B
Pueri Sodomorum cur etiam cum cæteris ablati. 998.A
Puerorum commotiones innoxiæ. 14.B
Puerorum indoles. 798.B
Puerorum peccata, quasi infirmorum. 976.B
Puericia habet innocentiam. 1163.A.B
Puerpera à sacrificio feriata. 1192.D
Pugnam diei solennitate detrectantes. 28.C. *nihil pugnare cunctantes.* *Ibidem*
Pulchritudo corporis, virtus non est. 12.D. *& deinceps.*
Pulchritudo magis in vitium trahit, quàm deformitas. 909.A
Pulchritudo mulieris non tam virum delectat, quàm virtus eius & grauitas. 988.C
Pulchritudo vera. 83.C
Pulchrum quomodo possit acquiri. 32.A.B
de Pulchro & honesto. 31.A
Pulus asinæ, populus gentilis. 641.B
Pullum asinæ per Apostolos Christus iussit sibi adduci. 577.A
de Pulmone. 894.C
Pulmo spiritus receptaculum. 958.A
Pulsamus manu, digito, &c. 1606.C.D
Puluis in quid abeat. 1284.C
Pulueri comparati impij. 986.A.B
Punitionis significatio. 2068.A
Pupillæ oculorum. 892.C
Pupillarum pili. *Ibidem*
Purificari nos oportet. 1437.C
Purgatio perfecta quomodo est consequenda. 1007.D
Purgatio plena est in baptismate. 1421.C
Purgatio solennis quare octaua die. *Ibid.*B
Purgatio trium dierum. 645.C
Purgatio septem dierum. *Ibidem*
Purgatus per ignem quomodo fit saluus. 1889.D
Purpura marina. 855.
Pusillus quis dicatur. 1628.B
Pusilli qui dicantur. 700.A
Pusillorum est scandalizari. 1603.A
Puteus aquæ viuæ qui sit. 1037.B
Puteus vt corrumpatur, & vt melior fiat. 1115.B
Putei mysterium. 1395.B
Putei diuersi. 1037.A.B.C. *& dein.*
Putei tres. 1619.B
Puteorum aqua quomodo fit salubris. 779.B
Puteos fodit Isaac. 1037.A
Πύκται. 1311.B
Πυκτεύειν quid sit. *Ibidem*
Pylades & Oreſtes. 29.D
Pythagoras ex genere Iudæorum. 515.C
Pythagoras Socrate antiquior. 5.B
Pythagoras philosophiæ inuentor. 1017.A
Pythagoras quid senserit de mundo. 801.B
Pythagoræorum discipulorum silentium. 1428.B
Pythagoræi duo morti se offerunt alter pro altero. 70.C.D
Pythagoræa virgo. 81.A
Pytho vates. 1887.A
Pythonem à puella eiecit Paulus. 2038.C

Q.

Quadragenarij numeri mysterium. 965.A.B
Quadrageſima ieiunanda. 717.B
Quadrageſimale ieiunium non totum obſeruare, ſacrilegium eſt. 730.D
Quadraginta dierum numerus vnde habeat exordium. 727.D
Quadrans balneatoribus dabatur. 1739.C
Quadrantis figura quid ſibi velit. *Ibid.*B
Quadratum quid appellemus. 957.C.D
Quadrupedia quid habent imitabile. 880.B
Quæ à nobis ſunt, excuſationem non habent. 948.D
Quærendum quid ſit ſemper. 1455.B
Quadrageſima non ieiunabatur ſabbato tempore B. Ambroſii. 1127.C
Quadrageſimæ numerus myſticus. 727.D
Quærere non ſatis eſt, niſi intelligas quod requiris. 1455.B
Quærere bene vbi debemus. 1039.D
Quærere Chriſtum in cubili. 1040.A
Quærere Chriſtum in noctibus. *Ibidem*
Quærendus in noctibus Chriſtus. 1475.C
Quærere quæ ſunt Chriſti. 1524.D
Quærere dominum quomodo debemus. 1476.A
Quæritur Chriſtus per diem. 103.D
Quæſtio, an Chriſtus nobilitatẽ generis electi ad ſaluandas animas quæſierit, quòd dicat, Non ſum miſſus niſi ad oues, &c. 1381.B
Quæſtiones circa lignum vitæ diſcuſſæ. 905.B C. *& dein.*
Quæſtiones circa obeditionem & cognitionem præcepti ſoluuntur. 906.C.D
Quæſtiones hominum animalium. 396.C
Quæſtiones in rebus diuinis vitandæ. 823.C
Quæſtiones inſenſatæ & ſtultæ fugiendæ. 297. A.2069.D.2076.C. *in fi.*
Quæſtiones turbarunt ſcripturam. 1828.D
Quæſtionum incidentium circa creationem Euæ, ſolutio. 912.C
Quæſtus nõ modicus clericatus officium. 772.A
Quæſtuoſa ſola nominat bona auarus. 1112.A
Qualitas & quantitas dei non requirenda. 419.A
Quartæ lunæ periculum non eſſe. 851.D
Quaſi, vt, & huiuſmodi particulæ quomodo accipiendæ in ſcript. 610.A
Quaternarij numeri myſterium. 1024.D. & 1025.A
Quatuor mundi tempora. 903.B.C
Quatuor quibus terra diſtinguitur. 483.D
Querela vbi non ſit. 1626.A
Quies beatorum. 1441.C
Quies huius temporis quo precio comparatur. 676.C
Quies neceſſaria. 2053.A
Quies vbi non ſit. 1565.C
Quietis ordo. 225.B
Quietis & pacificis etiam angusta abundant. 1013.C
Quinquagenarius numerus eſt remiſſionis. 1188.D
Quinquageſimam quidam inſtituerunt. 726.D
Quinquageſimus pſalmus ad quid ſcriptus. 1188.C
Quinque iuga boum quid repræſentant. 1746.D
Quinque panum & duorum piſcium commeatus quàm multis ſuffecerit. 1707.D. *& dein.*
Quinque paſſeres, & duo paſſeres. 1731.C
Quinta vſia. 1022.B
Quinque ſenſus triplicem collectionem habent. 968.B
Quis & quid in ſacris literis quomodo accipiuntur. 174.B.C
Quinque diuiſi. 1736.B.D
Quotidie ſumenda euchariſtia. 1252.C
Quomodo omnes condemnationem meruerunt. 1829.B.C

R

Raab exploratores ſuſcepit. 1228.C
Raab coccum in feneſtra ligauit. 343.B
Raab quomodo fidem induit. 1360.D
Raab meretrix fuit. 90.A.1759.C.1852.C
Raab meretrix eccleſiam figurauit. 1657.B. 1228.C
Rabinorum vanitas. 1319.B
Rachel abſcondit ſimulachra patris. 204.A
Rachel à Iacob obſculata fleuit. 94.B
Rachel, eccleſiæ typus. 1066.D.1323.A
Rachel parturiens moritur. 542.B
Rachel in via ſepulta. *Ibid.*D
Rachelis pudor extorto oſculo. 94.B
Rachelis & Lyæ myſterium. 1066.D
Raguel iuſtus tenuit honeſtatem. 72.D
Rami arboris ſinapis. 1744.A
Ramorum fragmina extenſa. 1770.D
Rana decora in aquis. 855.A.
Ranæ iuſſæ ſilere, ſiluere. 94.D
Radere caput & ſupercilia, quid. 587.B
Raphaim quis dicatur. 1369.D
Raphidin quid interpretetur. 1452.B
Rapina quomodo ſit bona. 1063.D
Rapina laudabilis. 1377.D
Rapinam arbitrari. 2016.A
Rapitur Chriſtus, & quomodo. 1697.A
Raptores boni quomodo ſimus. 706.B
Raptoribus obiiciendum in iudicio. 10.A
Raptus Pauli duplex. 1965.D
Rarus delinquit, cui deeſt illecebra peccati. 1747.A
Ratio, quæ & logos apud Græcos dicitur filius dei, multis nominibus appellatur. 419.B
Ratio cibus mentis eſt. 1737.B
Ratio omnia mollit. 1051.C
Ratio eadem martyrẽ ſuſcitat, quæ & dominum ſuſcitauit. 769.B
Rationis vis. 1052.D
Rationem noſtræ naturæ capeſſunt irrationalia. 940.A
Ratione nomina componebantur apud veteres. 1801.C
Ratione præſtamus cæteris animantibus. 18.B
Rationabilis vir teſtamentum dei. 962.D
Rationabilis noſtri diuiſio. 1022.A
Rebaptizandos fideles Auxentius putat. 582.A
Rebecca animam repræſentat. 1032.C
Rebecca Eccleſiam ſignificat. 1448.A
Rebeccæ inaures & viriæ. 1005.A
Rebeccæ pudor in nuptiis ſuis. 94.B
Rebeccam quomodo imitari debeant virgines. 1005.D
Recedere à lege dei qui dicantur. 1854.A
Recedens à verbo dei, eſurit. 1749.A
Recipiens Chriſti imaginem aut imitatorẽ, Chriſtum recipit. 1718.D
Recipere propria corporis. 548.D
Reconciliationis ſuffragia. 1492.D
Rectorem non habere, quàm graue ſit. 950.A
Rectores quare dati. 1868.A
Rectores tenebrarum. 2011.A. *in fi.*
Redarguendi affectus, non perſonæ prodendæ. 101.C

Reddendum non semper est quod acceperis. 36.B
Redempti sumus ad quietem. 1537.D
Redemptio animæ hominis. 505.D
Redemptio nostra quæ sit. 1884.D
Redemptio omnium Christus est. 1409.B
absque Christi Redemptione nullus saluatur. 261.A
ad Redemptionem Christus adiutore opus non habuit. 670.C
Redemptio peccatorum nostrorum propter quid facta sit. 1784.B
Redemptio sanguinis Christi. 242.A
Redemptionis nostræ spes fuit apud veros Israelitas. 259.B
Redimere quomodo dicatur. 1884.D
Redimimur omnes per vnum. 180.B
Redhibitio gratiæ quantum valeat apud deum. 23.C
Resloreſcere quid dicatur. 749.A
Refrigerium duplici gene intelligẽdum. 2066.D
Refugij 6. ciuitates, sunt 6. dies mundi formationis. 198.D
Refugia diuersa nobis proposita. 198.D
Regenerati in Christo sanctificati sunt. 1880.B
Regeneratio quid sit. 1244.B
Regeneratio, opus est spiritus sancti. 382.D
Regio, quid. 1016.A
Regio longinqua. 1748.D.*& dein.*
Regio viuorum & mortuorum. 228.B. 1438.D
Regnare quid sit. 1892.B
Regnum in hoc seculo somnium est. 1084.B
Regnum quibus intercluditur. 1746.D
Regnum vnum est patris & filij & spiritus sancti. 1414.C
Regnum Christi quod sit. 1662.C.D. 1830.D
Regnum Christi indiuisum est. 1543.D. *non habet finem.* 1654.A
Regnum cœlorum, regnum Christi. 345.A
Regnum cœloium dicitur Christus. 705.D
Regnum cœlorum quibus acquiritur. 1433.C
Regnum cœlorum cui comparatum. 1025.C
Regnum cœlorum quomodo dicatur cogi. 705.D *& 1696.C*
Regnum cœlorum est peccatoris redemptio. 180.C
Regnum cœlorum indiuisum est. 1025.C
Regnum cœlorum regnum filij est. 309.A
Regno cœlorum quid potest comparari. 1433.C
Regum cœlorum clausit perfidia. 1137.C. *aperuit fides.* 1137.C
Regnum cœlorum quomodo vim patiatur. 706.A. *quomodo rapiatur.* 1696.D
Regno cœlorum qui sint apti. 1747.B
Regnum culpæ. 1018.A
Regnum dei quomodo commendatur. 1893.D
Regnum dei in simplicitate fidei est. 274.C
Regnum dei in quo sit. 1371.C.D.*&* 1728.D
Regnum dei quomodo intra nos sit. 1036.C
Regnum dei, pax est. 1857.C
Regnum dei quando veniat. 1252.B
Regnum dei intrare quis dicatur. 1871.D
quid est esse in Regno dei. 309.B
Regnum diaboli. 1830.D
Regna diaboli cadentia. 310.D. *inclinata.* 1398.B
Regnum prius ecclesiæ quàm synagogæ in prædestinatione delatum. 1063.D
Regnum Ecclesiæ manebit in æternum. 1728.B
Regnum Iudæorum an sit æternum. 1728.B
Regnum iustum à Dauid cœpit. 1655.D
Regnum mortis. 1828.B.C.D
Regnum peccati graue. 1398.B
Regnum trinitatis indiuisum. 272.A
Religio nostra ad libertatem aduocat homines. 2048.D
Religio nostra omnium sublimior, & quàm potens. 2010.C
Religionis caput. 1921.B
Religionis causa potior quàm reuerentia paterna. 1066.D
Religionis in causa fides sedem iudicij habeat. 1066.D
Religionis fundamentum. 1921.B
Religionis insignia, arma sunt sacerdotis. 1725.C
de Religione qui sint consulendi. 565.D
Religiosus in sua religione à diabolo supplantatur. 1666.D
Reliquiæ quæ dicantur. 1319.D. 1853.D. *in fi.*
Reliquiæ Iudæorũ quomodo saluæ factæ. 1386.C
Reliquiæ iustorum, virtutes. 1319.D
Reliquiæ martyrum quàm efficaces ac honorandæ. 686.A.B.*& dein.*
Reliquiæ reproborum. 1319.D
Reliquiæ sanctorum honorandæ. 798.A
Remedium nostrum. 471.C
Remedia virgultorum. 831.B
Remedia sunt bestiis. 883.A
Remedia sex conta peccata. 198.D
Remissio apud Iudæos, mendax erat. 1577.D
Remissio peccatorum liberos facit. 2025.A
Remissio peccatorum oĩa tollit peccata. 1840.A
Remissio simulata. 52.D
de modo inter Remissionem & seueritatem cõseruando. 52.D
Remittendum ei qui nos læserit. 666.D
Remittere & non imputare peccata idẽ. 1821.B
Remunerationis æqualitas pro actibus hominis. 1760.D
Remunerationem Dauid pro laboribus postulat. 1435.D
Renasci quid sit & quomodo renascimur. 382.D
Renes animæ. 1177.D
Renouamur per lauacrum. 183.B
Renouari debemus vt Aquilæ. 217.C
Renouari spiritus mentis. 382.D
Renouatio nostra multiplex. 1223.D
qui Renouatur, semper in luce est. 1390.D
de Renũtiatione sui ipsius & pristinæ vitæ. 193.B
Repelli quid sit. 1432.C
Repellere quando dicatur deus. 1375.C. *quis est qui repellitur à deo.* 1391.D
Repellit deus aliquando sequentes. 1431.D
Repelluntur à mandatis quidã ad tẽpus. 1342.C
Repulsus pro nobis Christus. 1392.A
Repetitio confirmatio est. 227.A. *in fi.*
Repetitio trina & vna laudatio. Sanctus, sanctus, sanctus. 295.B
Repetitio trina interrogationis Petro à domino factæ quid sibi voluerit. 1955.A
Repudiati à Christo, non sunt. 1380.A
Reprehẽdi ab inferiore, grauis verecũdia. 1211.B
Reptilia quæ sint. 854.C
Reptile nõ omne accõmodum ad vescẽdũ. 974.C
Reptilia alia venenata, alia mansueta. 978.A
Requies triplex. 2088.C
Requies bona quæ sit. 496.A.B
Requies domini quibus detur. 496.A
Requies in verbo dei. 1468.C
Requies nostra Iesus Christus. 596.C
Requies vera. 1400.D
in Requiem domini qui ingredientur. 496.A
Requiescientes in sinu Abrahæ. 226.C
Requiescere in deo. 208.C
Requiescit deus, & in quibus 889.A
Requieuit deus in condito homine. 895.C
quid Requirat dominus à nobis. 205.B
Res quid interpretatur. 1587.D
Res magis quàm verba spectanda. 1640.C
Res patris quid significet. 533.D
Res quæ amittitur, salua non est. 1894.D
Res vxoria in mũdo sola cæteris grauior. 1903.D
Res ante verba sunt. 1885.C
Res secundæ in hoc seculo, somnia sunt. 1083.C
Res secundæ plurimos supplantauerunt. 1522.C
Res humanas deum curare manifestum. 1827.B
Respicere dei. 1398.A
Respublica Platonis ficta & adumbrata. 987.B
Reipublicæ vsus. 871.C
de Re militari qui sint consulendi. 565.C
Resina spiritualis. 1079.D
Respicere Christum, emendari est. 101.A
Respicere dei quid sit. 1565.B
Resurgentes Angelis adæquati. 1591.D
Resurgentes in iudicio qui sint. 1460.D
Resurgentium ætas. 489.A
Resurgere debemus cum Christo. 208.B
Resurgere in incorruptela quid sit. 1931.A
Resurgere quomodo possimus feliciter. 1831.C
Resurrectio quid sit. 1244.B
Resurrectio vnde sit. 1944.A
Resurrectio, dei munus est. 473.B
Resurrectio duas habet formas. 2032.A
Resurrectio ante Christi admentum. 134.D
Resurrectio Christi quid nobis profuit. 1826.B
Resurrectio corporũ cuiusmodi futura sit. 488.A
Resurrectio domini quãtopere celebrãda. 1757.B
Resurrectio generalis credenda. 874.A
Resurrectio mortuorum quadruplata. 1184.D
Resurrectio omnẽ triũphũ ĩimici abolet. 1364.B
Resurrectio spiritalis peccatorum. 189.A
Resurrectio quatenus suspendatur. 2054.C
Resurrectionis annus millesimus. 474.C
Resurrectionis duo genera. 1286.D
Resurrectionis fides exẽplis astruitur. 473.C.D *& dein.*
Resurrectionis fides tribus colligitur. 473.A
Resurrectionis fide solari debemus. 1058.C
de Resurrectionis hora. 1795.A
Resurrectionis nomen. 489.D
de Resurrectionis qualitate Thomas dubitauit. 1797.D
Resurrectionis spes ostenditur. 1680.D
in Resurrectionem Christi credere maximum est fidei fundamentum. 1092.B
Resurrectionẽ Christi angeli ignorabant. 134.C.D
Resurrectionem Christi primo virgines viderunt. 100.B
in Resurrectione Christi elementa omnia gloriantur. 747.B
Resurrecturi in aduentu domini qui sint primi. 2042.B
Resurrecturi quali in corpore venient. 1734.D
Resurrexisse in Christo, quid. 2032.A
Resurrexit nobis Christus. 481.A
Resurrexisse omnes in Christo. 1926.C
quomodo Resuscitamur cum Christo. 1174.B
Resuscitati ex mortuis. 477.C.D
Resticula quid significet. 1574.B
Rete, regnum cœlorum est. 113.D
Retia Apostolorum. 1677.D
Retia auibus iniuste non tenduntur. 1543.A
Retia nobisipsis tendimus. 179.A
Retributio, medium verbum est. 1364.A
Retributio eorũ qui faciũt misericordiã. 1876.A
Retro bonum, & retro malum. 1417.C
Retrorsum q sint. 1362.C. *ĩ fi. qui cadãt.* 1363.A
Reuelare viam suam quid sit. 1299.A
Reuelari, quid. 1811.A
Reuelatio mysterij iniquitatis. 2047.B
in Reuelationibus non gloriandum est. 1307.D
Reuerentia & terror vt paretur. 1480.A

Reuerti in se. 1749.C
Reuiuiscit solus homo. 1360.A
Reuocare se à vitio quàm difficile. 1604.D
qui Reuocentur à misericordia. 6.C
Reum esse corporis & sanguinis domini quid sit. 1915.D
Rei quomodo sub lege. 1822.C
Reorum pœna, quædam absolutio est delictorum. 1592.B
Rex quis verè dicatur. 1467.D.1540.D
Rex cum deo compositus in oppressione pauperis. 1114.B
Rex ebriosorum. 1129.C
Rex impune delinquit. 1560.A
Rex legibus solutus non est, sed leges suo soluit exemplo. 1200.B
Rex in aurũ mutans quicquid tangebat. 1711.A
Rex inter apes quis & quomodo deligatur. 871. D. & deinceps.
Rex plus debet, quia illi plus commissum est. 1560.A
Regis Achab abiectio coram Helia. 1115.A
Regis cor in manu dei. 1200.C
Regis institutio in παιδείᾳ κύρ. 987.C
Regis institutio. 1200.C
Regi omnia seruanda in victoria. 991.A
ad Regem quomodo itur. 1807.C
Reges boni & veri. 1402.B
Reges ex Abraham, qui sint. 1028.A.B
Reges quomodo sint liberi. 1191.B
Reges mentis. 1028.B
Reges munera sapientiæ offerẽtes in Hierusalem. 1467.D
Reges non temere iniuria afficiendi à sacerdotibus. 1333.D
Reges peccare solent, non pœnitentiam agere. 1200.A
Reges quatuor quid significent. 1017.D
Reges quinque quid repræsentent. Ibidem.
Regum lapsus, pœna populorum. 1211.B
Regali potestati sibi quisq; quõ præsideat. 103.C
Rhenus fluuius. 818.C
Rhodanus fluuius. Ibidem
Rigare quid sit. 1888.D
Rigor peccati ferreus. 1527.B
Ridendum est cum maledicitur nobis. 1168.A
Risus Abrahæ qualis fuerit. 994.D
Risit Sara. 996.D
Risisse se negat Sara. 126.B
Risus lætitiam declarat. 1030.D
Risus euitandus. 15.C
Ritus gentilium quomodo solutus. 1398.D
Risus iusti quid declaret. 1030.D
Risus stultorum. 126.B
Roboam iuuenum consilio deceptus. 50.C
Rogare quid sit. 301.A
Roma, caput nationum. 761.D
Romanæ ecclesiæ typum in omnibus sequebatur Ambro. 1244.D
Romanam ecclesiam Ambrosius non in omnibus est secutus. 1244.D
Romanæ leges magnæ auctoritatis. 1976.A
Romanæ mulieres priscæ abstemiæ. 2033.A.in fi. & dein.
Romani imperij tota orbe diffusi commoditas ad prædicationem euangelij. 1399.B.C
Romani caput omnium gentium. 1801.A
Romani ciues quæcunque gens oblatis donis siebant. 1997.D.2072.B
Romani faciles fuerunt ad credendum. 1800.D
Romani vnde legem nossent. 1834.C
Romani multi in Iudæa legem obseruabant incircuncisi. 1988.A.B
Romani pueri non lauabant cũ parentibus. 12.C
Romanorum auctoritas. 1976.A
Romanorum ciuilia bella. 1399.B
Romanorum dij. 569.D
Romanorum dux noluit fraude vincere. 72.A
Romanorum pudor. 12.C
Romphæa ignea quando cœpit esse. 1437.D
Ros quid significet. 475.D
Ros cœli. 107.A
Ros Christi. Ibidem
Ros in vellere. 356.A
Rosa. 1533.D
Rosa, humanæ vitæ speculum præfert. 833.D
Rosarum spinæ. 1734.C
Rotæ currus. 110.C
Rota in medio rotæ. 113.B.412.B
Rota super terram. 113.B
Rota quomodo sit vita super terram. 1021.C
Ruben benedictio. 1095.A
Rubi foliorum vis. 831.B
Rubus Moysi. 372.D
Rubus Mosi quare vrebatur, & non exurebatur. 1372.B
in Rubo quare dominus Moysi visus. 844.A
Rubicundus fratruelis in canticis. 489.D
Rudes in malum qui sint. 1878.B
Ruffus quare vocetur electus. 1877.D
Ruina quid sit. 1411.B.C
Ruina & resurrectio. 1411.C
Ruina felix quæ reparatur in melius. 1353.C
Ruina mortis perpetuæ. 1362.D
Ruminatio bonorum. 1474.A
Ruminat scarus piscis. 857.A
Ruris oblectamenta ab ecclesiæ visitatione remorantur. 1563.A
Rure pleno quid suauius 840.C
Rusticus inuenit quod philosophus ignorauit. 273.D
Ruth alienigena Iudæo desponsatur. 1659.B
Ruth & Booz historiæ mysterium. 306.C

S

Salin quid interpretatur. 1558.B
Sabaoth quomodo interpretetur. 314.D
Sabbatum quid sit. 1320.C
Sabbatum quid repræsentat. 1984.B
Sabbatum quare institutum. 640.D
Sabbatum magnum quando Christianis. 1601.D
Sabbatum δευτερόπρωτον. 1400.C
Sabbatum futurarum typus feriarum. 1742.B
Sabbatum typus mundi. 1756.D
Sabbatum primum. 1684.A
Sabbatum secundum. Ibidem
Sabbatum secundo primum. 1684.A.1400.C
Sabbatum legale in spirituale commutatum. 640.A
Sabbatum mensium & annorum. 1756.D
Sabbatum verum Iudæi non vident. 1438.D
Sabbati obseruatio apud Iudæos quanta. 1757.B
Sabbati prima. 1400.D
Sabbati secunda quid sit. Ibid.C
Sabbati superstitionem tulit Christus. 1658.A
Sabbato pugnam detractantes. 28.C. capessentes. Ibidem
Sabbato Christus passus est. 1757.A. in fi.
Sabbato & dominica non ieiunabatur in quadragesima. 1127.C
Sabbatismus. 2090.C
Sabellianorum error & hæresis. 296.A.305.A 341.A
Sabinus episcopus. 587.A
Samech quid interpretetur. 1545.A
Sacerdos habeat Zelum. 1572.B
Sacerdos ne habeat nomen inane. 1258.D
Sacerdos magnus. 199.D
Sacerdos negligens repellendus. 1432.B.C
Sacerdos pro aliis supplicet. 35.B
Sacerdos verus. 1441.D
Sacerdos sacerdotem consecrare debet. 663.B
Sacerdos sorte querebatur. 1626.B
Sacerdos vera dicat omnibus. 561.A
Sacerdotis arma, insignia religionis. 1725.C
Sacerdotis castigatio patienter ferenda. 761.B
Sacerdotis cibus. 511.D
Sacerdotis filia adultera grauius quàm cæteræ punienda. 1281.D
Sacerdotis fuga. 198.B
Sacerdotis officium, munus spiritus sancti. 169.B
Sacerdotis officium. 67.B.C.& 561.B
Sacerdotis est liberalem esse. 47.A
Sacerdotis est velle prodesse omnibus. 67.B
Sacerdotis peculiaris functio. 2087.A
Sacerdotis petitio, doctrina pietatis est. 601.B
Sacerdotis vita debet præponderare. 664.B
Sacerdoti quid commissum est. 35.D
Sacerdoti etiam confitenda peccata. 195.B
Sacerdoti quid conueniat. 52.D
Sacerdotem quibus fauere conuenit. 53.D
Sacerdotes sunt omnes filij ecclesiæ. 1684.B.in fi.
Sacerdotes iustitiæ omnes sumus. 1762.B
Sacerdotes sui officij admonentur. 1505.D
Sacerdotes in causa religionis consulendi. 565.D
Sacerdotes de sacerdotibus iudicent. 574.C
Sacerdotes mundiores debẽt esse cæteris. 2056.B
Sacerdotes nulles noceant. 67.C
Sacerdotes quid suscipere debeant. 1329.C.D
Sacerdotes quales esse deceat. 13.D
in Sacerdotes ambitiosos inuehitur. 2093.C
Sacerdotes multos habebat Synagoga. 1441.D
Sacerdotum abusus. 48.A
Sacerdotum administratio, mercimonium. 772.B
Sacerdotum arma. 576.B
Sacerdotum auaritia taxatur. 696.B
Sacerdotum bona, pauperum sunt. 582.C
Sacerdotum brachæ. 12.C
Sacerdotum multitudo in lege. 2056.A
Sacerdotum classes quot constituit Dauid. 2056.A
Sacerdotum dignitas. 1345.C
Sacerdotum est castimoniam vindicare. 1095.D
Sacerdotum examen habuit Ambrosius. 782.B
Sacerdotum inopia. 571.C
Sacerdotum officia non merita consideranda. 1232.C
Sacerdotum portio deus. 1653A.
Sacerdotum principis mors. 200.D
Sacerdotum vindicta. 695.A
Sacerdotibus quæ conueniant. 584.B
Sacerdotibus priscis cur permissum fuerit habere vxores. 2056.A
Sacerdotibus solis ius est ligandi & soluendi. 168.D
Sacerdotibus nihil excellentius. 1258.C
Sacerdotibus reuerentia debetur. 699.B
Sacerdotes veros ecclesia habet. 169.A
in Sacerdotibus diuina operatur gratia. 663.A
Sacerdotium à quibus sit. 3000.C
Sacerdotij Christi & legalis discrimen. 3003.B
Sacerdotiorum emptores taxantur. 1260.D
Sacerdotalis est populus Christianus. 1245.D
Sacerdotalis virtus. 663.C
Sacerdotalem vitam imitari debemus omnes. 1684.B
Sacerdotale iudicium sit prouidum. 511.B
Sacrum commercium humanitatis cum diuinitate in Christo. 486.D
Sacramentum custodire, nonnumquam contra officium

ficium est. 36.B
Sacramentum nullũ, ubi vsus naturæ est. 938.A
Sacramentum dei intra hominem absconditur. 1942.B
Sacramentum conficit sermo Christi. 1248.A
Sacramenti altaris consideratio. 1248.A.B & dein.
Sacramenti consecratio. Ibidem
Sacramenti forma & virtus differunt. 680.A
Sacramentum mysterij dei. 2056.D
Sacramenta aurum non quærunt. 56.B
in Sacramentis lucrum nemo quærat. 1674.A
Sacramenta Ecclesiæ antiquiora sunt quàm Synagogæ. 1234.D
Sacramenta Christi & Ecclesiæ. 1328.A
Sacramenta Christianorum antiquiora sunt sacramentis Iudæorum. 1238.D.& 1247.D
Sacramenta Christi Paulus dispensabat. 1891.A
Sacramenta corporis & sanguinis domini. 325.B
Sacramenta corporis domini quotidie sumenda. 1252.C.D
Sacramenta dei occulta. 1395.A
Sacramenta dominicis diebus data. 688.D
Sacramenta quid conferant. 679.D
per Sacramenta mens renouatur. 1761.B
Sacramenta sunt pascua. 1533.D
Sacramenta, pœnitentium remedia sunt. 192.C.
Sacramenta rerum spiritualium facilè publicari non debent. 2040.A.1433.C.D
Sacramenta salutis æternæ. 1352.B
Sacramenta sapientiæ Christi vera. 1193.C
Sacramenta spiritalia discenda. 1674.A
Sacramentorum auctor est Christus. 1248.A
Sacramentorum gratia esse non potest, nisi vbi est venia peccatorum. 373.A
Sacramentorum ornatus. 56.B
Sacramentorum vis. 1550.D
Sacramentis animæ substantia firmatur. 1236.B
à Sacramentis quando abstinendum. 496.D
Sacraria quid repræsentent. 1908.A
de Sacrificatis quare non expetit edere. 1912.D
Sacrificia commendantur quatuor generibus. 946.A
in Sacrificio quatuor consideranda. 3004.C
Sacrificium celeritate commendatur, & gratia. 932.C
Sacrificium deo acceptum. 511.D.& dein.
Sacrificium quomodo fiat acceptum. 945.C
Sacrificium patri acceptum. 2006.C.in fi.
Sacrificium Christi acceptabile. 1197.D
Sacrificium Christi verum. 870.D
Sacrificium dei verum. 424.C
Sacrificium laudis. 130.D
Sacrificium sapientiæ. 209.D
Sacrificium simplex oratio. 559.D
Sacrificium sine ministro non offerebatur. 29.C
Sacrificium obtulit Ambrosius. 559.C
Sacrificium perfectum. 214.C
Sacrificium pingue. 945.D
Sacrificium primitiuum. 946.A
Sacrificium pro resurrectione domini. 671.A
Sacrificium vespertinum quid nos admoneat. 1488.C
Sacrificij Abrahæ interptatio..1020.B.& dein.
à Sacrificio feriati dies. 1192.D
Sacrificia gentilitatis quomodo abolenda. 355.D
Sacrificia inutilia. 1356.C
Sacrificiorum ritus tubæ sonitu celebrandi. 1373.C
Sacrificiorum ritum Aaron docuit. 1529.C
Sacrilegus qui sit. 1814.A
Sacrilegi vltio. 57.C
Sacrilegium detestabilius est ad diuinitatem referre quæ carnis sunt, &c. 302.D
Sacrilegia mentis. 588.D
Sacrilegium in creatorem. 781.D
Sacy, duc te, interpretatur. 1468.B
Sagitta est Christus. 124.B
Sagittæ domini, 1326.C
Sagittæ de vulnere resilientes. 832.A
Sagittæ perfidorum. 1303.A
Sagittæ quid in sacris literis. 1325.D
Sal Britannicum. 863.B
in Salis soliditatem vertitur aqua. Ibidem
Salamitis quid interpretetur. 1047.A
Salem, Hierusalem. 3000.B
Salim quid interpretetur. 1321.A
Salice Christi. 1462.B
Salix ad quid apta. 835.C
Salix an semen habeat. 83.B
Salomon, quomodo dei filius, aut quomodo pacificus. 1202.C.D.& dein.
Salomon quare nec diuitias nec paupertatẽ quæsiuit. 1485.C. sed sapientiam. 1225.A. 1432.A. 1579.A
Salomon cognouit naturas animalium. 611.B
Salomon templum dei condens, sui corporis templum perdidit. 1201.C
Salomon secundum fabulas ope dæmoniorum tẽplum ædificauit. 2076.D
Salomon quare vestigia aquilæ volãtis, vias serpentis super petram, semitas maris nauigantis, &c. ignorarit. 1225.D.& dein.
Salomonis cum Hiram rege cõmercium. 1404.A
Salomonis & reginæ Saba interpretatio mystica. 45.A
Salomonis vnum Canticum in ecclesia receptum 1271.B
Salomonis nobile iudicium. 44.A.398.B
Salomonis lectus quid significet. 95.D
Salomonis libri, morales, naturales, mystici. 1037.C.1619.B
Salomonis libri tres quid significent. 1619.B
Salomonis sapientia. 470.A.1017.B
Salomoni tria impossibilia ad intelligendum. 1339.B
in Salomone intellectus dei æstimatus est esse. 44.B
Salomon quomodo insipiens factus sit. 1549.A 1654.B
Salphe vmbra oris significatur. 537.D
Saltauit Dauid ante arcam domini. 1474.C
Saltabat spiritualiter Paulus. 187.D
Saltare ne doceantur puellæ. 97.B
vbi Saltatur, nihil est verecundiæ. 96.D
Saltatio bona & mala. 187.D
Saltatio corporis in dei honorẽ laudatur. 1474.C
Saltatio glorioſa. 588.A
Saltatio honestæ. 1698.D
Saltatio lasciua. 587.C
Saltationis auctor. 96.C
Saltationem à nobis requirit dominus. 775.C
Saltationum procacitas. 1133.D
Saltatio mulierum turpis. Ibid.C.D
Saltationes improbat Ambrosius. 96.C.D
Saltatricis præmiũ, caput Ioãnis Baptistæ. 96.C
Saluos omnes quomodo fieri deus velit. 239.B & dein. 2053.B
Saluabitur magna ex parte mundus. 1860.C
quomodo Saluamur. 264.D.265.A
Saluandus est nemo secundum legis literam. 1386.B
Saluator in cœlestibus quærendus. 753.B
Saluator quomodo interpellat p nobis. 1847.C.D
Saluator quare sub lege factus sit. 1984.C
Saluator quare nobis relictus. 1854.B
Saluator in aliena sepultura ponitur. 752.A
Salus in quo perfecta sit. 1889.B
Salus quomodo longè sit. 1593.A
Salus maxima quæ sit. 1351.C
Salus nostra. 369.A
Salus nostra ex fide euangelica pendet. 2079.C
Salus nostra precio sanguinis Christi redempta 745.D
Salus vbi sit. 1371.D
Salus vnde constet patriæ. 565.A
ad Salutis humanæ vsum tria proficiũt. 1665.D
Salutis via quærenda præ omnibus scientiis. 18.A
Salutem quare Iudæi non receperunt. 1593.A
Salutem quomodo consequitur creatura. 1854.A
Salutem suam quærentes magis quàm dei salutare. 1608.D
Saltare neminem in via. 1720.C.& 1724.A & B.
Salutare dei. 1461.D
Salutare dei quærere. 1608.D
Salutatio ecclesiastica. 1970.B
Samaritanæ historia vtcunque exposita. 336.A 723.A
Samaritana typum Ecclesiæ gerebat. 724.A. 1038.B
Samaritana quinque viros habuit. 1774.C
Samaritanus quis. 176.A
Samaritanus, custos dicitur. 1725.D
Samaritanus, Christus. Ibidem
Samaritanus duo æra stabulario dedit. 128.C
Samaritani oleum. 1534.C
Samaritani solam legem recipiunt. 1909.A
Samaritanorum origo. Ibidem
Samuel etiã post mortẽ futura prædixit. 1628.D
Sanatus quomodo quis ostendatur. 1673.B
Sanati à Iesu. 644.A
Sanctum quare super frænum. 499.B
Sancta, primitiua sunt. 940.C
Sancta sanctorum, cælum. 3006.C
Sanctus, sanctus, sanctus, cur ter repetitum. 406.D
Sanctus ad iudicium venit, impius non venit. 1592.C
Sanctus cur in iudicium resurgere desiderat. 1164.B
Sanctus quomodo iuuatur. 1609.B
Sanctus quomodo dominus. 1643.A.B
Sancti quid significent. 1933.D
Sancti à deo nomen accipiunt. 1638.B
Sancti ascendunt ad dominum. 530.D.in fi.
Sancti in aduersis fortiores sunt. 1166.D
Sancti conuersatione in cælo sunt. 1481.A
Sancti, corpus & membra sunt Christi. 1322.D
Sancti ac iusti citò absoluẽtur in iudicio. 1592.B
Sancti etiam egent gloria dei. 1819.A
Sancti quomodo fugerint. 201.C.D.& dein.
Sancti quomodo honorandi. 695.B.C
Sancti humiliores cæteris sunt. 54.B
Sancti non sunt in carne, sed spiritu. 1481.A
Sancti in quiete maxima operantur & mira. 59.B.C
Sancti iuxta mundum qui sint. 1949.C
Sancti pro sacerdotibus. 1933.B
Sancti spiritalibus semper intendunt. 1519.D
Sanctorum ciues. 1998.A
Sanctorũ clamor. 1580.D.& 1581.A.& dein.
Sanctorum cultus. 695.B
Sanctorum fides nos seruat. 997.C
Sanctorum generatione lætandum est. 1627.D
Sanctorum lapsus ad quid vtilis. 1181.D.& 1787.B
Sanctorum semen maius est in fide, quàm in generatione.

neratione. 1662.D
Sanctorum patientiam imitemur non vitia. 1076.D
Sanctarũ vita est cæteris viuendi norma. 1076.B
Sanctis temerè non derogandum. 997.C
Sanctificari nomen dei, quid sit. 1252.A
Sanctificatio animæ & corporis. 1745.C
Sanctificatio diuina quanta sit. 1360.C
Sanctificatio infunditur. 271.B
Sanctificatio vna in trinitate. 397.C
Sanctitatem spiritus perficere quid sit. 1949.C
Sanguis mysticè. 979.B
Sanguis quomodo anima carnis. 1761.D
Sanguis Christi melius loquitur quàm Abel. 205.A
Sanguis Christi purpura est. 1566.D
Sanguis Christi inficit sanctorũ animas. 1566.D
Sanguine Christi pacificata sunt omnia. 1252.B
Sanguinem Christi potando quid significamus. 1915.B
Sanguis domini precium vitæ nostræ. 745.D
Sanguis hominis quomodo dicatur clamare. 760.A.771.A.794.C
Sanguis iusti vel mortui clamat.. 951.B
Sanguis effusus super altare paßionem Christi significat. 510.A
Sanguis quo liberamur, qui sit. 1409.D
Sanguinis precium. 1788.A
Sanguis preciosus. 1379.D
Sanguis taurinus haustus lethalis. 832.B
Sanguinis cibus. 1761.D
Sanitas quæ firmior olim haberetur. 836.D. in fi.
Sanitate corporis an sapiens delectetur. 1059.A
Sanson mater ieiunio est fœcundata. 1124.D
Sanson de tribu dan fuit. 1100.A.1361.D
Sanson spiritum comitantem habebat. 375.D
Sanson asini maxilla. 1000. viros occidit. 636.A
Sanson leonem occidit. 376.A.634.C
Sanson leonem suffocare potuit, amorẽ suum non potuit. 1201.C
Sanson fauũ in ore leonis offendit. 376.A.634.C
Sanson verbo victus est. 1168.A
Sanson per vxorẽ proditus & captus est. 633.C. 1549.A
Sanson attonsus. 376.D
Sapereret dupliciter dicitur. 60.D
Sapere idem. 197.B
Sapere quantum debeamus. 1864.B
Sapere secularia stultitia est. 1438.D
Sapere verè quis dicatur. 1727.B
Sapiens qui sit. 517.C.519.B
omnis Sapiens diues. 525.B
Sapiens quid consideret. 984.B
Sapiens nunquàm inanis. 1066.D
Sapiens vtrum liberis delectetur. 1059.A
Sapiens vtrum sanitate corporis delectetur. 1059.A
Sapiens peccata sua semper in memoria habet. 1190.B
Sapientis definitio. 1208.A
Sapientis sermo consideratus. 5.D
Sapientis lapsu lætantur improbi. 984.A
Sapientis omnia esse, non primi dixere Stoici. 1016.D
Sapientis quomodo totus sit mundus. 1017.A
Sapienti omnia præsto sunt, deest nihil. 1016.D
Sapienti pacis est studium. 1014.B
Sapienti spes impunitatis innocentia est. 63.C
Sapienti totus mundus patria est. 600.D
Sapientes qui sint. 1885.C.& 1887.C
Sapientes in seculo. 1805.D
Sapientes non confunduntur. 1884.B
Sapientum Græciæ dicta, Abraham facto præ- uenit. 987.D
Sapientia duplex. 1027.B
Sapientia triplex. 1619.A
Sapientia communis quid, quid item perfecta. 525.C
Sapientia aliter in Daniele, aliter in Salomone. 60.D
Sapientia attrahenda. 122.C
Sapientia quomodo sit deus. 1697.D
Sapientia à deo est. 248.A
Sapientia quæ ex deo est sequenda. 60.C
Sapientia fundamentum est. 36.A
Sapientia est futurorum interpres. 1028.A
Sapientia humana assuta. 692.C
Sapientia non potest esse sine iustitia. 44.D
Sapientia sola libera. 518.D
Sapientia non est malorum. 46.C
Sapientia à Mose reprobata. 18.A
Sapientia omnium mater. 1017.B
Sapientia etiam opus est. 1510.C
Sapientia quo magis quæritur, eo profundior iudicatur. 1380.D
Sapientia vbi requirenda est. 1171.B
Sapientia nullũ consortiũ cum vitiis habet. 46.C
Sapientia carnis non sequenda. 60.C
Sapientia carnis inimica est deo. 915.A
Sapientia carnis inflari non debet. 1341.D
Sapientia carnis legi dei nõ est subiecta. 1544.D
Sapientia quomodo Christus sit. 1879.B
Sapientia dei quomodo abscondita. 1885.D
Sapientia diuina inconsuta, humana consuta est. 692.C
Sapientia diaboli quibus comparetur. 922.A
Sapientia futuri seculi & non huius. 1885.C
Sapientia mentis. 1341.D
Sapientia huius mundi, stulta apud deũ. 678.A 1883.A
Sapientia mundana reprehenditur. 1890.B
Sapientiæ mũdanæ disciplina euacuatur. 1619.A
per Sapientiam mundi deo placere non possumus. 676.B
Sapientia sapientium quomodo perditur. 1882.D
Sapientia vera quæ sit. 1165.C.1459.A
Sapientiæ initium seculo renunciare. 1458.D
Sapientiæ summus finis. 1602.C
Sapientiæ plenitudo. 1541.A
Sapientiæ prima pars. 1812.B
Sapientiam dei curiosè inquirentes reprehenduntur. 1164.D
Sapientiam vitiosos homines sibi vindicare non debere. 46.C
Sara primùm, postea Sarra dicta est. 1030.B. eius interpretatio. Ibidem
Sara typum ecclesiæ geri 994.C. Hierusalem cœlestis. 1987.C. veræ virtutis. 1027.A
Sara fide non dispar Abrahæ. 996.A. in prin.
Sara afflixit Agar. 993.A
Sara quære coarguta. 588.D
Sara libertatem habet. 1383.A
Sara propter risum incredulitatis coarguta. 588.D.
Saræ pudicitia tentata. 999.A
Saræ sedulitas in domo. 995.D
Sartagines in quibus frigantur animæ peccatorũ. 1347.D
Satanas quomodo amiserit dominiũ suũ. 1841.C
Satanas quare de cœlo ceciderit. 1517.C
Satanas habet cornua sua. 1373.A
Satanas quomodo hominem in possessionem habebat. 1827.C
Satanas in homine apparebit. 2047.B
Satan quando maximè insidietur. 3.A
Satan morbos infert. 177.D.& 2052.C
Satanas quare occidit Christum. 1947.A
Satanas quomodo subuertit animam. 2060.D
Satanæ tradi quid. 179.D
Satanæ cur traditus Corinthius. 1556.A
Satio bona in vidurum corde. 1112.C
Satisfactionẽ Petri non legit Ambrosius. 741.A
Saturi & pleni de continetia disputãtes. 1126.B
Saturitas spiritalis. 50.B
Saul ieiunio Allophylos superauit. 717.B
Saul aliquando electus. 1851.B
Saul ad Idololatriam se contulit. 1911.C
Saul quare Ionatham percutere voluerit. 43.B
Saul ab Idolis auxilium requisiuit. 1852.B
Saulis & Iudæ lapsus etiam fortes viros terreat. 1402.D
Saulis impietas. 1852.B
Saul quare veniã petens non est assecutus. 1851.D
Saulis negligentia mandati diuini quomodo puniita. 1119.C
Saulus & Paulus quid. 1801.C
Saulus stimulatus à domino. 603.A
Sauli turbatio in conuersione. 1023.B
Scabellum dei. 402.B.& dein.
Scala Iacob, crux Christi. 480.D
Scala Iacob. 1274.C
Scandalizari quid sit. 1965.A
Scandala, pusillorum sunt. 1603.A
de Scandalo in Christo cauendo. 1694.C
Scandalizantibus Christianis quæ pœna data sit. 700.B
Scarus piscis solus ruminat. 857.A
Sceptrum quid. 2082.C
Schin quid interpretetur. 1598.D
Schismatici ab Ecclesia dei separati. 1729.A
Scientia quid sit. 220.D.1494.B
Scientia aut ex natura aut ex disciplina est. 350.C
Scientia boni & mali quare prohibita. 906.C.D
Scientia boni & mali quò conferat. 900.C
Scientiæ boni & mali duplex intellectus. 906.D
Scientia doloris adiectio est. 220.D
Scientia duplex, perfunctoria, & operatoria. 906.D
Scientia charitati, se debet subiicere. 1905.D
Scientia quando sit magna & vtilis. 1905.C
Scientia intemperata superbum facit. 1905.C
Scientia si non fuerit temperata, quid potest parere. 1906.C
Scientia quibus modis colligatur. 351.C
Scientia quomodo non inflatur. 1922.A
Scientiæ genus quod sit. 1905.B
Scientiæ studia sine factis nihil prosunt. 18.C
Scire Christum. 1720.D
Scire Christum Iesum in se esse. 1969.C
Scire quid dicatur deus. 1945.A
Scire deum Abrahæ qui possunt. 2075.A
Scipio nunquam ociosus. 59.C
Scorpena castitatem connubij seruat. 856.A
Scorpionis aculeo leo exagitatur. 885.B
Scriba velociter scribens qui sit. 1197.A
Scribæ qui dicantur. 1385.D.1386.A
Scribæ de tribu Simeon sunt. 1096.A. in fi.
Scribæ & Pharisæi frustra laborant. 1409.C
Scribæ profitentur docere, sed non docent. 1529.B
Scribarum authores. 1095.D
Scribere secundum artem. 621.D
Scribere spiritu dei. 1213.C
Scribi in cœlo, & scribi in terra. 616.D.& 1219.D
Scripta propter humanam fragilitatem, non sunt à deo scripta. 1754.C
Scriptores comœdiarum aut tragœdiarum alij erant, alij cantores. 1338.B
Scriptura vnde sumpsit exemplum. 977.A

Scriptura duplex. 1213.C
Scriptura quare data. 2071.B
Scriptura dei arte non caret. 621.D
Scriptura diuina semper clamat & loquitur. 760.A
Scriptura diuina multiformis, & quæ quibus in libris explicata. 1295.D.*& dein.*
Scriptura diuina est mare. 602.D
Scriptura omnis diuina, quæ est. 1295.D
Scriptura plerunque ponit præterita pro futuris. 1001.A
Scriptura sacra multa habet quæ ratio non capit. 2029.A
Scriptura vtilis quæ sit. 2071.B
Scripturæ diuinæ consuetudo peculiaris. 134.C. 186.C.305.B.C.353.A.815.C
Scriptura vitiur diabolus. 1669.B
Scripturæ animam confirmant. 946.C
Scripturæ diuinæ summa diligentia legendæ. 1585.B
Scripturæ sanctæ. 1802.B
Scripturæ vt adulterentur. 1828.D
Scripturarum loca difficilia vt tandem intelligantur. 1462.D
Scripturarum memores esse debemus. 1435.C
Scripturarum cœlestium patrocinium in sua furta detorquent hæretici. 1513.A.B
Scripturarum sermo alius mysticus, alius suasorius ethicus. 1532.A
Scripturas in ecclesia explanare quibus primum concessum. 2003.A
in Scripturis diuinis quæ non intelligimus, non facilè reprehendamus. 900.C
Scyphus in sacco, quid significet. 1088.C
in Scripturis diuinis quid considerãdum. 1763.D
Scythæ. 546.B
Sebastiani persecutio. 1596.A
Seboim vrbs ex Sodomorum vicinia. 171.A
Secretum quod sit. 1565.A
Secreta mysteria non vulganda. 1433.B
Secretorum proditionis vitium. 1433.B
Sectæ duæ, sed cõtrariæ in Cain & Abel. 924.C
Sectæ humanæ quare inuentæ. 2062.D
Sectæ multæ temporibus Pauli. 1880.A
Secula & seculum. 813.D
Seculum quando nobis incipiat. 543.A
Seculum non est diligendum. 1533.A
Seculum fugiendum. 197.D
Seculum fugere est abstinere à peccatis. 201.C
Seculi huius homines vitandi. 143.D.*& dein.*
Seculum est mare. 1244.C
Seculum vnum quid repræsentet. 813.D
Seculi bona sunt amara. 1493.A
Seculi illecebræ. 197.B
Seculi huius partus comparati vtero mulieris. 224.D
Seculi præsentis malignitas. 1972.B
Seculi quæ sunt, non loquenda neque audienda. 1608.A
Seculi finis quare futurus. 1792.B
Seculi vnda omnes turbauit. 1165.B
Secula & præterita & præsentia & futura sunt. 351.A
Secularis homo plures dominos habet. 1524.A
Secularia iudicia. 1896.C
Secularia sapere, stultitia est. 1458.D
Secunda sabbati quæ sit. 1400.C
Secunda quæ sint. 1016.A
Secundi resurrecturi. 483.D
Secundo primum sabbatum. 1400.C
Secundum verbum tuum quid sit. 1606.C
Securitas vbi non sit. 1565.C
Sedemus in Christo. 538.A
Sedendi honor. 755.A
Sedere qui dicantur. 1277.C
Sedere Christi. 1204.A.B.D
Sedere Christi ad dexteram dei. 755.A
Sedere in cœlestibus. 538.A
Sedere singulariter quid sit. 1492.C
Segor per Loth liberatur. 784.C
Seleucis auus. 874.*in fine*
Selmon, vmbratio. 1218.B
Sem Noe primus filius. 3000.B
Sem, nomen interpretatur. 608.B
Sem quid repræsentet. 954.D
Sem familia in dei possessionem adscita. 1704.A
Semei Dauid maledixit. 1497.D
Seminare quid sit. 1931.A
Seminare quomodo debeamus. 829.C
Seminare secundum animam, quid. 1169.A
Seminare in aqua. 1135.A
Seminare in benedictione. 1955.D
Seminare in ignominia. 1931.A.*in fine*
Seminare in infirmitate. 1931.B
Semen, aut virtus seminaria nascẽtibus omnibus inest. 830.B
Semen vt ad frugem perueniat. 1025.B
Semen Abrahæ qui sint. 1084.A
Semen Abrahæ Christus est. 1002.C
Semen, Christus est & doctrina eius. 1854.B
Semen Christi. 832.D
Semen diaboli. 833.A
Seminum Christi & diaboli diuersitas. *Ibidem*
Semen iusti quod est. 1313.B
Semen peregrinum in hac terra. 1023.C
Semen pessimum. 1996.B
Semen promissum quod reseruauit deus. 1854.B
Seminis fructus quis sit. 1854.C
Semina quæ de cælo in terris seruntur. 1517.A
Seminum diuersorum cõmistio in brutis. 856.A
Semitæ Christi. 1509.B
Semper, plus est quàm die ac nocte. 1551.B
Sempiternus est filius. 275.D
Semiuius quis dicatur. 176.A
Senescere bene quid sit. 1024.C.D
Senectus ætatis vt præueniatur. 1582.C
Senectus animæ bona. 939.C
Senectus bona, non longa. 1024.C
Senectus à crimine non immunis. 222.B
Senectus honorabilis. 2059.A.*in fine*
Senectus in moribus. 927.A
Senectus mentis bona. 1799.B.*in fine*
Senectus miseriarum veterana est. 951.B
Senectus habet prudentiam. 1163.A.B
Senectutis incommoda. 951.B.1576.B
Seniori locus deferendus. 1089.C
Seniores mali. 1530.A
Seniores quales debent esse. 2075.B
Seniores habuit Synagoga. 2059.B
Seniores habuit ecclesia. *Ibidem*
Senones anseris strepitu proditi. 570.A
Sensibilis nostri diuisio. 1022.A
Sensus carnis. 1884.C
Sensus carnalis quis sit. 1835.C
Sensus dei quis sit. 1887.D
Sensus, tanquam in cauernis corporis. 202.B.C
Sensus nostri circuncidendi. 1029.C
Sensuum genus quoddam domitum, aliud indomitum. 940.B
Sensuum omnium moderatio sit acuta. 1029.D
Sensuum nostrorum velocitas. 1020.D
Sensuum vsus. 1022.A
Sensuum omnium naufragium. 967.B
Sensuum nostrorum procliuitas in voluptates seculi. 1018.A
Sententia decreti quæ fuit. 1826.D
Sententia solet superiora absoluere, non futura. 1160.D
Sentire, vitalis vigoris ac muneris est. 1490.C
Separatus à Christo. 1748.D
Separatus à sacerdote quis dicatur. 733.B
Sepeliendi defuncti inhumati. 1139.C.D
Sepelire qui possunt Christum. 1794.D
Sepes quid sit. 1657.D
Sepes vineæ circundata. 1772.C
Sepis vtilitas. 1658.A
Sephora Moysi vxor. 1555.C
Septem & octo, numeri. 595.D
Septem Græciæ sapientibus senior & Abraham, & Moses. 1008.B
Septem hominis viscera interiora, & septem exteriora. 597.A
Septem virtutes principales spiritus. 1245.B
Septem virtutes spiritus sancti principales. 595.B
Septenarij & octonarij mysterium. 1709.C.D
Septenario vniuersitas significatur. 1729.A
September, septimus mensis. 970.C
Septentrio vnde dictus. 595.B
Septimestris partus vitalis, octimestris letalis. *Ibidem*
Septimus numerus. 595.A
Septimi diei & octaui diei mysterium. 645.D
Septuaginta duo discipuli à Christo recesserunt. 1847.B
Septuaginta interpretum sententiam magis sequitur ecclesia. 1494.C
Septuagies septies. 1757.A
Sepeliendi munus in Tobia laudatur. 72.D. 1139.C
Sepelire corpus sine capite. 1588.A
Sepulchrum quid sit. 1794.C
Sepulchrum patens. 751.D
Sepulchrum nostrum. 1692.C
Sepulchrum Adæ. 545.D
Sepulchrum Agnetis visitatur. 792.C
Sepulchrum Christi quare nouum. 100.B
Sepulchrum Mosi ignoratur, & quare. 42.C.& 926.A.B.& 2076.D
Sepulchra vbique pro vilibus scriptura ponit. 1410.A
Sepulchra fidelium, templa dei vocantur. 1003.B
Sepulchra preciosa taxantur. 224.C
Sepulchra quisque inspiciat. 890.A
ad Sepulchra martyrum calices olim portarunt. 1133.A
Sepulchrorum propria loca tempore Ambrosii. 1003.B
Sepulti in baptismate. 2029.C
Sepultura Christi. 746.B.1793.D
Sepultura Christi manifesta. 926.B
Sepultura in Christo. 746.B
Sepultura nobis Christi baptismus. *Ibidem*
Sepultura iustorum, &c. 1721.A.B
Sepultura martyrum duorum inter sepulchra Iudæorum. 116.C
Sepultura peregrinorum. 745.C
Sepulturæ cura. 1002.B
Sepulturæ insignia. 1087.A
Sepultura dignati sunt Iudæi martyres. 116.C
Sepulturæ diuitum, damna viuentium sunt. 1106. D
Sequere deum, à quo primùm dictum. 1008.B
Sequi & subsequi quantum differãt. 1336.C.D
quid Sequendum sit. 1368.C
Sequendus est Christus. 111.C
Sequendi se Christus vires dat. 613.D
Sequi Christum, quid. 1179.A.1702.C.*in fi.*
Sequendus est Iesus. 613.D

Sequens deum, tutus semper est. 989.B
Seraphim quomodo mittatur. 369.D
Sermo in duo diuiditur. 15.A
Sermo Christi. 1280.D
Sermo Christi quàm operatorius sit. 1248.A
Sermo Christianis indignus. 1510.D
Sermo dei. 2091.C
Sermo dei, virtus naturæ. 817.B
Sermones dei pleni veritatis. 1191.D
Sermones dei stimuli. 603.A
Sermones dei transfigurati videntur, cùm leguntur in euangelio. 1439.A
Sermo diuinus vrit, & non exurit. 1574.A
Sermo familiaris ne sit pertinax. 15.B
Sermo diuinus qualia munera præparat. 778.D
Sermo forensis. 1511.A
Sermo grauis mentem confirmat. 944.A
Sermo habena est. 1770.C
Sermo malus quomodo mortuus. 1687.B
Sermo menti propinquus. 615.C
Sermo noster, laqueus diaboli. 3.B
Sermo oris. 894.B
Sermo noster qualis esse debeat. 15.B
Sermo apud Atheniẽses à Paulo habitus. 1713.D
Sermo sanctorum. 1511.A
Sermo scripturarum alius mysticus, alius suasorius ethicus. 1532.A
Sermo sine vita, non est sermo dei. 1686.D
Sermo tædiosus vitandus. 15.B
Sermonis etiam, non operis solius, ratio reddenda est. 980.B
per Sermonem multi decepti sunt. 1168.A
in Sermone quæ formula est tenenda. 15.B
Sermones, cibi sunt. 218.C
Sermones multiplices sunt. Ibidem D
Sermones, panes æstimandi sunt. 1709.B
à Sermonibus nostris obseruandum. 980.B
Sero, varia significata habet. 1795.D
Serpens à serpendo dicitur. 866.C
Serpens quare reptat corpore & ventre. 922.D
Serpens bonus. 1464.A
Serpens cauendus. 181.D
Serpens æneus cur in eremo suspensus ac crucifixus. 750.A.& 1226.C
Serpens æneus, imago crucis. 399.C
Serpens æneus, typus corporis Christi. 1226.C
Serpens figura est diaboli. 900.D.& 1227.A
Serpens tentator Euæ atque Adæ, voluptas. 600.A.1657.D
Serpens, delectationis illecebram figurabat. 921. B.C.1270.C
Serpens gulæ persuadet. 1123.B.in fi.
Serpens idololatriæ est auctor. 918.C
Serpens auctor prænaricationis Euæ. 1425.B
Serpens à posteriore cœpit. 1273.D.in fi.
Serpens quomodo angui fœminæ misceatur. 1320. C
Serpens quare dicatur bilinguis. 915.C
Serpens fœniculi pastu cæcitatem repellit. 880.D
Serpens ieiuni hominis sputo extinguitur. 883.C
Serpens rubi foliis sibi superiectis interimitur. 831.B
Serpẽs in virgã versus quid repræsentet. 1440. C
Serpens inflare voluit Paulum. 1443.B
Serpens quomodo peccatũ introduxerit. 1442.D
Serpens quare dicatur sapientior omnibus bestiis. 915.D
Serpentis astutia sequenda. 600.B
Serpentis cornua, duo testamenta. 1464.A
Serpentis damnati sententia. 178.B
Serpentis maledictio in hominẽ cõuertitur. 208.A
Serpentis natura. 207.B.1322.C
in Serpentis naturæ mysterium est fidei. 1322. C
Serpentis ruina, hominis resurrectio. 179.D
Serpentis species quid significet. 1007.B
à Serpente circunuenimur. 181.D
de Serpente remedium vt fiat. 1322.D
Serpentes cur creati. 885.B
Serpentes verè Christiano parum noceant. Ibid.C
Serpentes Euangelici. 311.D
Serpentes quibus flagella sint. 885.B
Serpentum astutia. 1646.B
Serpentum diuersa pariendi tempora. 1147.B
Serpentes quomodo tulerint apostoli. 1216.B
Seruiendum deo in spiritu. 1804.A
Seruit imprudens prudenti. 1064.A
Seruire conscientia impura. Ibid.B
Seruitium coactũ non vult deus. 1137.C.1953.B
Seruire deo. 1501.B
à Seruitio immunes sacerdotes in Ægypto. 518.B.C
Seruire, libertas sapienti. 520.B
de Seruitute. 517.B.C.& deinc.
Seruitus duplex. 520.C
Seruitus quomodo sit beata. 1081.A
Seruitus beata. 1436.A
Seruitus bona. 1289.C
Seruitus vera. 166.B
Seruitus charitatis. 547.A
Seruitus consolabilis. 1522.B
Seruitus, dei donum est. 921.A
Seruitus diuersorum dominorum. 1203.D
Seruitus gloriosa. 116.B.1436.A
Seruitus honorata. 547.A
Seruitus, in lege. 520.A
Seruitus libera. 546.B
Seruitus liberis omni supplicio grauior. 73.A
Seruitus misera. 1110.D.1111.A.& 1770.A
Seruitus miserabilis. 1411.A
Seruitus preciosa. 1054.A.1556.C
Seruitus quibusdam remedium est. 517.D
Seruitus redimitur. 47.B
Seruitutis iugum. 546.C
Seruitutis profectus. 1064.C
Seruitutis sarcina grauis. 522.D
Seruitutis speciale. 1080.D
Seruitutis stipendium. 1289.C
Seruitutem sedulam quid faciat. 1521.B
Serui qui dicantur. 1902.A
Serui etiam pueri dicuntur. 1003.C.D
Seruus quomodo quis fiat. 1902.B
Serui ex peccato fiunt. 2016.B
Serui nomen quis primus acceperit. 2016.B
Seruum quid faciat. 1064.B
Seruum facit insipientia. 518.A
in Seruum venundari. Ibid.B
Seruus apud deum quis sit. 2035.C
Seruus gratia frater. 726.A
Seruus domini nihil debet alienis. 1556.C
Seruus domini non potest esse seruus peccati. 1560.B
Serui domini in sorte sunt Christi. 1154.C
Seruus est, qui mortem reformidat. 521.A
Seruus est peccator. Ibidem
Seruus est, qui in peccato est. 1300.B
Seruus Hebræus septenni seruitio liberãdus, quis intelligatur. 1441.C
Seruus idoneus quomodo probatur. 2038.A
Serui idonei. 1973.C.2065.A
Seruus in reatu est. 1409.A
Seruus timet, amicus diligit. 1461.A
Serui boni propria. 1560.B
Serui cuius dicimur. 1833.B
Serui hominum qui sint. 1902.B.in fi.
Serui probi quid dominis fœnerantur. 1064.B
Serui quomodo dominis debeant seruire. 670.C
Seruuli senioris ætatis, pueri à dominis dicuntur. 1002.B
Seruorum consolatio. 1081.A
Seruorum officium. 670.C.D
Seruulorũ conditio melior quàm diuitũ. 1110.D
Seruulorum iurgia non despicienda. 989.D
Seruos omnes esse stultos. 2035.C
Seuerus episcopus. 616.D
Sesostris Ægyptius. 825.A
Seth. 1664.B
Seueritas dei erga homines. 719.B
Seueritas vbi exercenda est, soli assunt ministri, deest Iesus. 997.D
Seueritas quibus est exhibenda. 182.A
Seueritas dura non sit, neque remissa. 53.D
Sex diebus mundus factus est. 594.D
Sexagesimæ portiunculæ astrologorum. 845.C
Sexto die factus est homo. 1683.A
Sexus diuersitas in resurrectione. 488.B
Sexus muliebris propter Euam non culpandus. 131.D
Si, quid significet in sac. scrip. 2090.A.B
Sibyllarum vaticinia à quo fuerint. 1887.A
Sicera ebrietatem facit. 1131.D
Sichem quid interpretetur. 988.B.1009.A. 1078.A
Sicima quid interpretetur. 1096.A
Sicima quæ sit. 1218.D
Sicut fulgur Satanas, & sicut fulgur aduentus filij hominis. 207.A
Sicut luna mutari. 781.D
Sidon primitiuus filius Cham. 1099.B
Signaculum promissionis dei. 2068.D
Signaculum spiritale. 365.A
Signati ad imaginem & similitudinem Christi. 1584.C
Signati sumus in spiritu. 85.A
Signum quid. 994.A
Signum aduentus domini. 1647.C
Signum crucis. 750.D
Signo Christi omnia auspicanda. 738.A
Signum regi Achaz propositum. 1485.B
Signum incarnationis. 354.D
Signũ quare posuit dominus super Cain. 950.C
Signum non frustra positum supra Cain ne occideretur. 206.D
Signum saluatoris omnibus operibus nostris anteferre debemus. 738.A
Signa facta in Christi passione. 1792.B.C
Signa futuræ consummationis. 844.C
Signa propter incredulos facta. 2073.A
Signorum bellicorum vsus. 1221.B
Silere à bonis. 3.D
Silentium in ira est. 2.B
Silentium magnum & negotiosum. Ibidem
Silentium pudorem commendat. 127.D
Silentium quando exercendum. 3.C
Silentij commodum. 1338.C.D
Siliquæ quid significent. 1749.B
Siloa fons. 1218.B.vide Syloa
Silurus piscis. 857.B
Similaginis tres mẽsuræ quid repræsentẽt. 996.A
Similaginis mensura siclo. 75.D
Similem esse dei. 201.D
Similes radij vbique æquales. 849.B
Similes quomodo deo futuri sumus. 1831.C
Similitudo carnis peccati. 169.D
Similitudo dei non punitur. 1499.C
in Similitudinem fieri alicuius. 2017.D
Similium consuetudo iucunda. 226.B
Simon Antiocho pecunias Hierosolymis prodidit. 57.B
Simon Magus. 851.D

Simon magus non ex fide credidit. 186.B
Simon magus ascendere voluit in cœlum. 762.A
Simon magus volauit in cœlum. 1848.C
Simon magus à Petro condemnatus. 185.B
Simon quare nuncupatus Petrus. 783.C
Simpliciani studium. 509.A
Simplicitas quid. 461.D
Simplicitas spiritalis. 1298.A
Simplicitatis diuitiæ. 1418.A
Simplicitatis illecebra maxima. 1731.A
Simulacrum quid sit. 1911.D
Simulacrum sacrilegum. 401.A
Simulacri exosculatio infanti non permittenda. 1029.B
Simulacrorum cultus quando est imminutus. 1398.B
Simulacris aureæ paterę adimuntur. 92.A
Simulata, diuturna esse non possunt. 53.A
Simulatio Petri & Bernabæ. 1978.C
Simulationis vitium. 2057.C
Sina mons. 1452.B
Sina quid interpretetur. 1383.A.1587.B
Sinapis grano regnum dei comparatur. 688.D 1742.D
Sinapis grani & fidei comparatio. 689.B
Sinapis proprietas 689.A.690.A.B.& dein.
Sinapis granum martyres fuerunt. 1743.A
Sine corpore homo non adiudicabitur bono aut malo. 1944.D
Sine peccato non esse, & peccatum non facere, quomodo simul sint. 684.D
Singula per ordinem facta. 947.C
in Sinistra quæ sunt. 1015.D
Sinus Abrahæ. 1012.D
Sinus Christi. 709.B.C
Sinus patriarcharum quis sit. 452.D
Sinus patris. 1103.A.B
Sion quare dicatur excelsa. 1855.B.in fin.
Sion mons qui sint. 1401.C
Sirenæ, & earum filiæ. 299.B.1142.A
Sirenæ quæ fuerint. 1388.B
Sirenarum dulcis cantus. 749.B
Sirmiensis ecclesia. 400.D
Sisara prostratus. 160.C
Sitiebat Christus, & quid. 723.A
Sitis domini beata. 1416.A
Sitis fidei, & sitis perfidiæ. 1418.B
Sitis perfidorum misera. 1416.B
Sixtus episcopus ad martyrium ductus. 29.C
Sobrietas diuersimode accipitur. 126.D
de Sobrietate. 47.D.& dein. 1134.A.in prin.
Sobrietatis bonum. 1348.A
Sobrietatis gratia quanta. 1398.A
Sobrietas mentis, medicina est corporis. 963.B
Sobrietas iustitiam requirit. 1026.C
Sobrius & non iuste sobrius qui sit. 1506.C
Sobrij debemus esse. 2008.D
Sociatus martyri, tartaro non tenetur. 771.D
Societas Christi esca est Christiani. 756.A
Societas fraternitatis quæ sit. 1881.A.in fi.
Societas lucrum dans non irrogans dispendium. 1065.D
Societatis ratio in duas diuiditur partes. 19.B
Socrates honorem sibi vsurpauit. 1555.B
Socrates Mosem legisse potuit. 959.D
Socratis dictum de morte sua. 226.B
Socratis festinatio ad suos deos. 226.B
Socoth quid interpretetur. 1452.B
Socrus Simonis febricitans. 161.A
Sodoma quid interpretetur. 973.A
Sodoma legem nesciens deliquit. 152.C
Sodoma si habuisset decem iustos, poterat non perire. 997.C
Sodomæ & Gomorrhæ interitus à quo detectus. 1809.D.1827.B
Sodomam fugere quid sit. 998.C
Sodomam venerunt Angeli vesperi. 997.C
Sodomitæ sæui & peccatores ante dominum. 1016.B
Sodomiticum peccatum. 1809.C.D
Sol bonus ministerio, non imperio. 842.B
Sol ad præceptum Iesu Naue quomodo steterit. 1203.B
Sol author non est nascentium. 828.C
Sol & luna fœcunditatis authores non sunt. 843.A
Sol diem clarificat, lux facit. 813.B
Sol suo lumine cuncta penetrat. 8.D
Sol omnia mire penetrans. 1586.B.C
Sol igneus est. 843.D
Solem quidam negant esse calidæ naturæ. 819.A
Sol madidus & rorans. 818.D
Sol iustitiæ quibus oriatur. 1068.B
Sol quare noctibus non videtur. 1519.D
Sol terrarum colores velut immutat. 1568.C
Sol & luna in annos ordinati. 848.D
Solis & Lunæ cursus. 848.D
Solis & Lunæ magnitudo. 849.A
Sol est Christus. 707.B.C
Sol mysticus. 1490.D
Solis mystici ortus & occasus. 1520.A.B
Sol quomodo dicatur nouus, & quomodo vetus. 707.B
Sol oculus est mundi. 841.D
Sol & luna oculi cœlestis firmamenti. 842.B
Sol quibus nunquàm occidit. 1521.B
Sol quomodo sit præueniendus. 1585.A
Sol refulget super iustos & iniustos. 1429.B
Solis claritati qui comparandi. 1930.D
Solis radius nos non debet conuenire in stratis. 1583.C
Soli diuinum honorem gentes deputant. 828.C
cum Sole permanere. 782.A
Solstitialis annus. 846.D
Solatij genus est à culpa vacare. 1160.A
Solatij genus in erumna constitutis. 1160.A
Solicitudo alia mulieris, alia virginis. 1904.A
Solitudinis bonum. 598.D.& dein.
Solon ætatum ordines decem fecit. 596.D
in Solo gignendorum progressus per quaternarium. 1025.A.B
Solus deus sine peccato est. 1609.C
Solus quomodo dicatur de personis diuinis. 1218.C
Solus quomodo dicatur pater. 1634.A
Solus redimere quare dicatur Christus. 1408.C
Solus nunquam est sapiens. 1060.C
Solus vt ne sis cum solus es. 58.C
Soli deo seruiendum. 138.A
Soluere calciamenta pedum quid sit. 203.C
Somnium Pharaonis Ioseph enarrat. 48.D
Somnus quibus dulcis. 1111.A
Somnus vnde irrepit. 1448.C
Somni pauci esse debent viri Christiani. 1475.A
Somnus mentis discutiendus. 1202.A
Somnus pro morte. 222.A.B
Somnus spiritalis. 1316.C
Somnum Christi dormire. 1118.A
Soni consternatio. 959.B
Sonum quærit diabolus, Christus silentium. 1396.D
Sophistæ Græcorum eleuantur. 1976.A.B
Sordida vestimenta Iesu quæ fuerint. 1452.A
Soreth vinea. 1301.C
Soror quare magis quàm vxor appellata Rebecca. 1037.A
Soror sponsa spiritualis cur dicatur. 1042.D
Sortis nomen. 1141.C
Sors declaratur. 537.D
Sortes duæ in Leuitico leguntur. 1154.C
Sors domini quomodo simus. 1479.C
Sors euangelica. 121.A
Sors euangelistarum. 1154.A
Sors Leuitica. 121.A
Sors malorum. 1142.A
Sors mala fœneratorum. 1141.C
Sors quæ cecidit super Matthiam. 1154.A
Sors veluti diuino pendet examine. Ibid.
Sortis euentus vnde. 121.C.D
Sorti quicquid accedit, vsura est. 1148.D
Sortem hæreditatis petierũt filiæ Salphæ. 537.D
Sorte quæritur sacerdos. 1626.B
Sorte terra diuisa. 120.D.121.A
Sortes inter quas dormiendum est. 1142.B
Sortitio spiritalis. 121.A
Sortitio vetus. Ibidem.
σωτὴρ quid significet. 1462.A
Soteris martyr. 98.B.127.A
Spadones se castrantes propter regnum cœlorum. 102.A
Spadones facientes. 856.B
Spadonum status. 1083.A
Spartum triplex non rumpitur. 1748.A.in prin.
Species nihil potest sine materia. 1045.D
Species secularis illecebræ declinanda. 1037.D
Spectaculo qui facti fuerint. 1892.C
Spectacula ab ecclesiæ visitatione reuocant. 1562.D.in fine.
Spectaculorum vanitas. 1457.A
Spectare turpia, horrendum est. 12.A
Spectatores ociantur. 9.D
Spectatorum domus. Ibidem.
Spelunca latronum quomodo fit. 1573.B
Spernere sacerdotem, est Christũ spernere. 729.D
Sperans in iudiciis dei potest seruare verbum veritatis. 1466.C
Sperare in Christum. 1549.D
Sperare in idolio quid sit. 1911.C
Speramus in hac vita & in futura. 1927.D
Sperandum quomodo sit. 1550.C
Sperandum in arcu dei. 1374.A
Sperandum in deo. 2064.B
Speremus per Iesum misericordiam inuenire. 1590.C
Spes confidentiam facit. 1436.A
Spes quando sit consolatoria. 1469.C.D
Spes credentium beata. 2076.A
Spes hominum in hoc seculo vanæ. 605.D
Spes in quo non est, pro mortuo habendus est. 1896.A
Spes integra in Christo. 1802.A
Spes iustificationis. 1988.B
Spes est nobis necessaria. 1550.B
Spes præcedit. 105.B
Spes promissionis firma. 2011.A
Spes vera vbi sit. 551.C.D
Spei fixæ index. 1824.D
Spem periculis emere. 1715.B
sine Spe aliquid agere. 2038.D
qua Spe laboratur. 1907.D
Sphæra quomodo concludatur. 2000.C
Spinæ quibus aures sunt sepiendæ. 1608.A
Spinæ cordis. 768.D
Spinæ corporis. 730.B
Spinarum natura. 126.B
Spiritus quomodo adorandus est. 410.B
Spiritus aëris. 1995.D
Spiritus sæpe charitas dicitur. 897.C
Spiritus creator est, & non creatura. 410.A

Spiritus qui datur in baptismo. 1922.D
Spiritus datur domini voluntate. 1195.C
Spiritus datus est sicut filius. 395.B
Spiritus quare datur homini. 2044.C
Spiritus ad iustificationem datur. 1843.A
Spiritus quare descendit vt columba. 1242.B
Spiritus, digitus dei est appellatus. 396.C
Spiritus diuidit prout vult. 289.A
Spiritus ponitur pro gratia spiritali. 402.B
Spiritus habet nomen super omne nomen. 411.A
Spiritus idem prophetarũ & apostolorũ. 1439.D
Spiritus quem induxit dominus vt aquæ cessarẽt quis fuerit. 969.C.D
Spiritus quando integer. 2044.C
Spiritus quomodo pro nobis interponit se. 1846.D
Spiritus, id est lex fidei. 1939.C
Spiritus à quo loquatur. 390.B
Spiritus malus quid operetur in homine. 1444.D
Spiritus patri bene commendatur. 1792.A.& dein.
Spiritus vbi permaneat. 1888.A
Spiritus quomodo postulet pro nobis. 552.B
Spiritus principalis. 1195.D
Spiritus quomodo dicatur subiectus. 1925.A
Spiritus sanctorũ etiam absentia nouit. 2028.B
Spiritus super Christum. 393.B
Spiritus est tentatus secundum Apostolũ. 399.D
Spiritus vadens, & non rediens, vt intelligatur. 235.D
Spiritus quomodo veniat. 370.A
Spiritus nunquam sine virtute est. 1629.A
Spiritus virtus. 377.D
Spiritus viuificat mortuos. 411.B
Spiritus & creaturæ nullum consortium. 368.A
Spiritus auctoritate Paulus Corinthiis aderat, licet corpore abesset. 1894.B
Spiritus operatio est diuina. 387.B
Spiritus gratiæ præsentia quàm efficax. 1628.D
Spiritum extinguere quid sit. 2044.A
Spiritum filius & filium spiritus misit. 395.A
Spiritu ambulare quid sit. 1990.B
in Spiritu esse. 141.A
Spiritu viuere quid sit. 1990.B
Spiritus dicuntur etiam venti. 381.A
Spiritus probandi. 2044.B
Spirituum immundorum metus in aduẽtu Saluatoris. 1396.D
Spiritus immundos quare iubeat Christus tacere. 1713.B
Spiritus consilij atque virtutis. 1403.C
Spiritus dei datus est nobis. 1887.A
Spiritus dei docuit nos. 1886.D
Spiritus dei in quibus permanet. 886.A. 1888.A
Spiritus dei inest credentibus. 1980.B
Spiritus dei nescit peccare. 1843.A
Spiritus dei sempiternus est. 367.D
Spiritu dei g. 1843.D
Spiritus dominus. 377.D
Spiritus domini qui non sunt. 181.B
Spiritus filij hominis quid conferat. 19.B
Spiritus malus multos excitat ad malum. 1444.D.& dein.
Spiritus mundi. 1887.A
Spiritus nequam corpora mouet. 1132.B
Spiritus principalis quis sit. 1196.A
Spiritus rectus quis dicatur. *Ibidem.*
Spiritus sanctus quomodo accipitur. 1980.B
Spiritus sanctus æternus est. 381.A
Spiritus sanctus auctor est Prophetarum. 391.C
Spiritus sanctus bonus est. 363.D
Spiritus sanctus an Christo sit maior. 1732.C
Spiritus sanctus contristatur in nobis. 2005.D
Spiritus sanctus gaudet in salute nostra. *Ibid.*
Spiritus sanctus dat plenitudinem & fiduciam. 366.B
Spiritus sanctus datus Apostolis. 365.C
Spiritus sanctus qua ratione hominibus detur, non autem permaneat. 955.D
Spiritus sanctus quare descendit vt columba. 712.D.1232.B.1242.B
Spiritus sanctus non in veritate columbæ descendit, sed in specie columbæ. 1239.C
Spiritus sanctus in specie linguarum ignearum. 684.B
Spiritus sanctus duabus ex causis deserit hominem. 1842.B
Spiritus sanctus quomodo diuidat omnia. 361.C
Spiritus sanctus cur incumbere & cadere dicatur super prophetas & viros sanctos. 1023.B
Spiritus sanctus omnia operatus est cum patre & filio. 379.B.C
Spiritus sanctus παντοδύναμος *&* πᾶν ἐπίστασθαι *à Salomone dictus.* 413.A
Spiritus sanctus peccata condonat. 368.B
Spiritus sanctus potestati alienæ non subiectus. 358.C
Spiritus sanctus à patre procedit. 359.B
Spiritus sanctus replet omnia. 365.B
Spiritus sanctus quomodo non à semetipso loquatur. 389.D
Spiritus sanctus est signum credentium. 1824.B
Spiritus sanctus super omnia est, non inter omnia. 358.C
Spiritus sanctus testis est filij. 361.B.C
Spiritus sanctus omnia viuificat. 379.C
Spiritus sanctus vnus est. 137.C.362.C
Spiritus sancti θεότης. 400.D
Spiritus sancti infusio. 1628.D
Spiritus sancti opus, regeneratio. 379.D
Spiritus sancti templum sumus. 404.B.C
Spiritus sancti magna virtus. 1212.D
Spiritus sanctus sempiterna virtus patris. 395.D
Spiritus sancti virtutes principales septem. 595.B
Spiritui sancto quomodo seruiendum. 380.C
Spiritum sanctum ducem habens non errat. 1989.D
Spiritum sanctum pater effudit super omnem carnem. 367.A
in Spiritu sancto nullus error est. 2044.B
Spiritu sancto repleti ebrij putabantur. 1772.C
Spiritus sapientiæ quibus infunditur. 1315.C
Spiritus timoris. 1844.A
Spiritus veritatis. 405.C
Spiritus vitæ. 373.C
Spiritus vitæ, & spiritus gratiæ. 1628.D
Spiritualis qui sit. 1407.A
Spiritualis homo. 1888.B. *in fine.*
Spiritalis quando dispositum non implet. 1935.B
Spiritales in cœlis agere dicuntur. 2021.D
Spiritalia quæ sint. 1973.D
Spiritalia sapere. 2021.D
Spiritaliter viuere. 1957.C
σπιζαμὴ. 1344.B
Spolia Iudæorum habemus. 1601.A.B
Sponsus animæ. 428.B
Sponsæ thalamus. 1462.B
Sponsi decore nuptura sciactant. 83.B
Spurij testes sunt adulterij paterni. 761.A
Spurcitiæ apud Phryges in sacris. 1834.A
Sputũ hominis ieiuni serpentem extinguit. 883.C
Squillæ folia fugit lupus. *Ibidem.*
Stoici vnde hauserint. 1016.D
Superbus peccatũ suum difficile agnoscit. 683.C
Superbia omni peccato nocentior. *Ibidem.*
Stabularij apostoli. 1726.B
Stabulum quod sit. *Ibid.*A
Stagna in Esebon. 1554.D
Standum est Christianis, non sedendum. 1750.D
Standum vbi sit. 1715.B
Standi firmitas. 1521.A
Stantem Mariam iuxta crucem Ambrosius legit, sed flentem non legit. 449.A
Stare quid sit. 1277.B
Stare ac pertransire. 1417.A.B
Stare cum domino. 661.A.B
Stare in Ecclesia quid sit. 661.B
Stater in ore piscis inuentus. 507
Statera quid significet. 507.B
Statera adultera. 68.B
Statera bona & mala. 604.C
Statera singulorum opera pensantur. 1595.A
Statuam imperatoris contemnens, imperatorem videtur contemnere. 1503.A
Stationes vnde dictæ. 716.C
Statiuæ filiorum Israel. 1451.C
Statuere plus est quàm stare. 1536.C
στάξειν, *stillare.* 1448.B
Stellæ ἀπλανεῖς. 595.B
Stellæ, iusti dei. 1368.D
Stellarum ad terrena compassio. 1009.C
Stellis clarioribus qui comparandi, qui mediocribus, qui infimis. 1931.A
Stellas differre à stellis quid sit. 488.D
Stephanæ domus. 1882.B
Stephanus lapidum ictus non sentiebat. 588.C
Stephanus hamo captus. 113.C
Stephanus vidit Iesum stantem. 656.C
Stephanus orauit pro inimicis, & est exauditus. 174.B
Stephani fides immobilis. 1417.B
Stercoris vis. 1741.B
Sterilitas & fœcunditas à deo sunt. 998.D
Sterilitas soli auaro est quæstuosa. 1112.A
Sterilitas odium antiquitus. 992.C
Stigmata faciei suæ inarans adolescens, ne adamaretur. 127.A
Stigmata Pauli testimonia sunt. 1992.C.D
Stillicidia eiiciunt hominem in die hyemali de domo sua. 141.D.1448.C
Stimulus mentis quis sit. 1010.C
Stimuli spiritales. 1552.D
Stipendium quid sit. 1961.B
Stipendia cur militibus constituta. 1647.A
Stipendia matrimonij quæ sint. 1628.A
στοιχεῖα, *Latinè elementa dicuntur.* 826.D
Stoicorum de peccatis iudicium. 168.D
Stoicorum sententia, omnia sapientis esse. 1016.D
Stoicis quæ placuerunt. 19.B
Stola quid sit. 1751.A
Stola bona caro Christi. 1098.B
Stola est insigne coniugij. 1774.D
Stola, torques & currus data Ioseph. 1085.C.D
Stola Esau induitur Iacob. 1063.B
Stola mulieris piæ operationis studio contexta. 141.B
Stolam proferre. 184.C
Stolæ binæ. 1091.D
Stomachus capiti compatitur. 959.D
Stomachus conscius secretorum capitis. *Ibid.*
Stomachus vter superior. 961.A
Stomachi officium. 894.D
Storax quid repræsentet. 1065.B
Strenuos non sexus sed virtus facit. 160.A
Stridor dentium. 1747.D.733.D
Studiosi lucubrare debent. 1475.A.B
Studiosorum hominum ruminatio. 1474.A

Studium omne dilatione torpescit. 181.B
Studium operi manuali præfertur. 1510.C
Stulta quæ sint dicenda. 2076.D
Stulta mundi quæ sint. 1884.B
Stultum dei. 589.B.1883 D
Stultitiæ quis rectè arguatur. 1112.D
Stultus qui sit. 1409.D
Stultus sibi soli stultus est, sapiens sibi & aliis sapit. 962.D
Stultus & insipiens differunt. 1409.D
Stulti mundi qui sint. 1892.C.*in fine.*
Stulti sumus in hoc seculo. 1606.A
Stultorum risus. 126.B
Stuprum deorum olim cultum fuit. 80.D
Stuprum omne adulterium est. 992.C
Sturni conio vescuntur. 831.C
Sua quæ habuerit Ioannes in quæ reciperet matrem domini. 120.A
Suauitas naturaliter infusa nostris sensibus. 881.C
Suauitatum varietas. 838.B
Sub euangelio existens, pacem audit. 1603.C
Sub lege existens, agitatur incertis. *Ibidem.*
Sub lege reuerti post gratiam quantus error. 1972.B
Sub pedagogo esse. 1983.D
Sub peccato omnes sumus. 1191.D
Subcinericia ἐγκρύφια dicuntur. 996.A
Subditus quomodo sit quis deo. 1299.D
Subditi quare esse debemus. 1868.B
Subdoli qui sint. 1961.D
Subiectio bona. 1299.D
Subiectio Christi. 1414.C
Subiectio Christi ad deum patrem. 346.B.C
Subiectionis piæ interpretatio. 349.C
Subiectus qui sit. 1925.A
Sublimis dominus in excelsis. 1399.D
Subsidia muri tui. 1467.C
Substantia gemina in Christo. 1103.B
Substantia dei quid sit. 417.D.436.C
Substantia dei quare natura dicitur. 2018.A
Substantia vera sit. 1018.C
Substantia visibilis vel sensibilis terra est, cœlum vsia intelligibilis. 1019.B
Substantia vitæ nostræ. 590.D
Substantiuum verbum dei vnum est. 1104.A
Subueniendum suis. 21.D
Subuenire non habenti, humanitatis est. 62.A
Subula auris seruorum perforanda. 1528.B
Subulæ vulnus in quo maneat. *Ibid.*C
Suffocare quid sit. 1148.B
Suffragatore opus non est ad deum promerendum, sed mente deuota. 1807.C
Suillæ carnis esus quàm inuisus Iudæis. 1071.C
Summum quid sit. 1330.B
Sumptus à Corinthiis quare non acceperit Paulus. 1898.A
Sũptus oblatos quare refutauerit Paulus. 1961.A
Sunamitis quid interpretetur. 532.D
Super asinam quare Christus sederit. 1770.B.C
Super pennas ventorum ambulare quid sit. 718.B
Superædificia quæ sint. 1889.B
Superbia exposita. 968.D
Superbia à diabolo sumpsit exordium. 678.C
Superbia quomodo amaritia. 678.D
Superbia quãtorum sit causa delictorum. 1470.B
Superbia hominem prima deiecit. 1538.A
Superbia omnis velut insania habetur. 1945.C
Superbia peccatũ maximum in nomine. 1470.A
Superbiæ auctor est diabolus. 1442.D
Superbiæ crimen quantum sit. 1443.B
Superbiæ virus quomodo excludendum. 1470.C
Superbiæ vitium taxatur. 678.C
Superbium hebetat lex dei. 1470.C
Superbia nihil deterius. *Ibid.*B
Superbus immundus est in conspectu dei. 1551.B
Superbi pro nihilo à deo æstimantur. 1443.D
Superborum mens. 1945.C
Superborum processibus prosperis multi tentantur. 1470.C
Superborum retributio. 678.A
Superbis conuenit nimia iniquitas. 1470.C
in Superbis quanta sit vis mali. *Ibidem.*
Superciliorum vsus. 949.A
Superextendi quid sit. 1959.A
Superioris est inferiorem ad colloquium prouocare. 1088.C
Supersperare quid sit. 1549.D
Superfluũ est quicquid supra mensurã est. 1132.D
Superflua audienda non sunt. 1608.A
Supplantare quid sit. 1361.C
Supplicationes. 2052.D
Supplicia inaudita plus terrent reprobos. 1763.D
Supplicia meritorum post mortem manere. 9.B
Supra mundum multa sunt. 112.A
Supra terram iacere quid sit. 1710.A
Surdi & muti labia cur Dominus tetigerit. 1355.D
Surgendum est nobis & quare. 1489.A
Surgendum media nocte. 1487.C
Surgere in gloriam. 1931.B
Surgere in virtute. *Ibidem.*
Surgere quomodo debeant Christi ministri. 162.D.& 163.A
Susannæ historia. 398.C.D
Susanna seruauit innocentiam. 521.C
Susanna hostia pomerij claudi iubet. 625.D
Susanna maluit honesta morte vitare opprobrium, quàm studio salutis turpem vitam subire. 71.D
Susanna silendo vicit. 2.B.1788.B
Susannæ castitas. 71.D.*verecundia.* 11.A
Susannæ de stupro compellatæ angustiæ. 210.B
Susannæ deus semper affuit. 1016.C
Susannæ reæ & Christi collatio. 744.B.& 1334.B.C
Susceptio Christi. 1364.B
Susceptio matutina. 691.A
Susceptor quare dicatur Christus. 1219.D.& dein.
Suscipere dei. 1219.C
Suscitari & resuscitari. 1455.A
Suspicioni locus non dandus. 13.C
Suspicionibus impij affliguntur. 1067.C
Susurratio suspecta. 1350.C
Sycomorus quid repræsentet. 1769.C
Syllæ monstrum, & eius pericula. 274.D.951.B
Syllæ & Marij pugna. 1399.B
in Syllabis nulla discretio. 383.B.C
Syloa, missus. 644.B.1246.A
Symmachiani hæretici. 1970.D
Symbolum quotidie mane recensendum. 95.D
de Symbolo fidei. 733.A
Symeon expectauit domini aduentum. 1591.D
Symeonis desiderium. 1834.B
Symeonis gaudium mors. 213.C
Symmachus vnitatem patris & filij videre non potuit. 905.D
Symmachi scriptum de idolorum cultu inuehendo. 567.B.& dein.
Symmachi versionem Ambrosius citat, & aliorum. 3.A.*in fine.*
Symphonia quid sit. 1752.A
Synagoga vnde principium sumpserit. 1234.D
Synagoga quare decora in mulieribus. 125.A.B
Synagogæ caput lex. 1546.C
Synagogæ princeps, lex. 1705.B
Synagoga legi tãquam masculo copulata. 1384.C
Synagogæ caput mortuum. 1546.C
Synagogæ sponsus mortuus. 307.A
Synagoga septem viros habuit. 1774.C
Synagoga quare condemnata. 1297.A.B
Synagoga propter meretricios mores à domino damnata. 1297.B
Synagoga est expulsa. 1659.A
Synagoga libera esse non potuit. 1385.A
Synagoga nec principium nec finẽ habet. 1588.B
Synagoga nox est. 114.B
Synagoga nullum fructum habuit. 1741.A
Synagoga quando partus habere desinit. 998.D
Synagoga sæpe repudiata inducitur. 1774.D
Synagoga quomodo subintrauerit. 1063.D
Synagogæ structura quomõ dissoluatur. 1776.A
Synagogæ traditio. 1924.D
Synagoga quando saluanda. 1429.D
Synagoga incensa ab episcopo. 561.C
Synagogam quid fecerit inutilem. 1741.C
Synagogam quomodo non deseruit Christus. 1386.B
de Synagoga ad ecclesiam transire. 1705.A
Synodus Ariminensis. 575.C.579.D
Synodus Capuensis. 651.C
Synodus Nicena. 671.A
Syracusani cuiusdam fabula mire festiua. 69.B
Syricij papæ epistola. 653.A
Syrus consonat Hebræo. 810.C
Syri ab Heliszeo cæcitate percussi. 20.B

T

Græca litera trecentos significat. 990.C
Tabernaculum bonum. 1397.B
Tabernaculum deo facere. 1718.A
Tabernaculum est figendum. 1452.A.B
Tabernaculum sanctorum, animæ. 3004.A
Tabernacula pastorum, regna terræ. 1430.D
Tabernacula tria. 1394.C
Tabernaculum secundum quod erat. 1246.C
Tabernaculum testimonij. 1536.A
Tabesces propter amores vitiosos. 597.C
Tabescere quis dicatur. 1597.C
Tabescit anima quomodo. 1347.C
Tabulæ cordis spiritusancto inscriptæ. 1286.C
Tabulæ legis cantico firmatæ. 1271.A
Tabulæ Mosi digito dei conscriptæ. 396.A
Tabulæ primæ à Moyse fractæ. 396.A.615.A.965.D
Tacendum quando sit. 1387.C
Tacendi virtus rarior, quàm loquendi. 1770.C
Tacendo Christus vincit. 743.C
Tacendo fugimus periculum, & discimus rectè dicere. 1.C
Tacens Moyses auditur, & clamans populus non auditur. 1581.B
Tacere non est mediocris virtus. 130.B
Tacere se confitentibus dæmonijs cur iusserit Christus. 1533.B
τάχα, fortè. 186.C
Taciturnitas pueri cuiusdam barbari inter sacrificia, cum vreretur. 94.C
Taciturnitas quàm bona sit. 1167.D.& dein.
Taciturnitas medicina est. 1333.A
Taciturnitas pro consensu. 743.B
Taciturnitatis exemplum. 81.A
Taciturnitatem moderandam esse. 2.B
de Tactu. 893.B
Tactus, reliquis quatuor sensibus admixtus est. 1022.A
Tactus interior. 1365.D
Taifali populus. 1776.C
Talenta credita. 78.C.D

Talentorum diuersorum parabola. 255.B.C
Tangens mortuum, immundus est, tangens viuentem saluus est. 228.B
Tangendus est Christus fide. 100.C.1797.C
Tangi quare Christus noluerit. 1797.C
Tangit nos Christus, & quomodo. 1441.D
ταπεινότης quæ intelligatur. 1589.D
Tardare quibus videtur Christus. 106.D
Tau quid interpretetur. 1604.B
Taurus quo ecclesia figuratur. 1096.B
Taurus ferociam habet. 641.B.in fin.
Tauro comparatus Christus. 1372.C
Taurini sanguinis perfusio. 1356.C
Taurini sanguinis potus lethalis homini. 832.B
Tectum quod sit. 1759.C
Tectum sublime animæ fastigium. 1759.C
Tectum humani corporis. 974.B
Tegere peccata, quid sit. 1821.B
Tela diaboli tria. 1668.B
τελευτὴν Græci mortem appellant. 222.A
τέλος. 1412.D.1525.C
Telum diaboli. 1777.A
de Temperantia & eius partibus. 30.B.112.D
Temperantia vnde originem sumat. 1051.C
Temperantia vbi constituenda. 17.A
Temperantia est seruanda. 1052.C
Temperantia iustitia moderatur. 1026.C
Temperantia laudabilis. 659.D
Teperantia vera. 26.D
Temperantia virtus est fœminarum. 159.C
Temperantiam primis parentibus mandauit deus. 1053.A
Temperantiæ seculum. 903.C
Tempestas sæua in tribulationibus quando sit. 1394.D
Tempestas est vbi Iudas adiungitur. 701.D
Templum habet deus. 404.B.in fine.
Templum magnum. 1441.B
Templum dei quod sit. 1203.A.1404.A.B.C
Templum dei nos sumus. 708.C.1890.A
Templum spiritus sancti sumus. 404.B.C
Templum dei admirabile. 1397.B
Templum dei quomodo ornari debeat. 52.D
Templum verum vbi dominus in spiritu adoratur. 1769.C
Templum domini ab Assyriis spoliatum. 56.B
Templi futura destructio. 1776.A
in dei Templo tuta custodia. 57.B.C
de Templo quos eiecit Christus. 579.B
Templo exire qui debeant. 579.B
Templa idolorum ex manubiis condita. 561.D
in Templis pecunia deponebatur. 56.B.C
Tempus aduentus domini. 1560.C
Tempus breuiatum & reliquum. 1903.A
Tempus quare conceditur vitæ. 1991.C
Tempus faciendi. 1560.C
Tempus lætitiæ. 975.A
Tempus mœroris. Ibidem.
Tempus loquendi. 1560.C
Tempus secandi. 1466.A
Tempus omne opportunum ad indulgentiam. 1137.C
Tempus omni rei. 1387.C
Tempus tripartitum, prudentiæ primum, temperantiæ secundum, fortitudinis tertium. 933.C.D
Temporis obseruatio necessaria in medicina tam corporali quàm spiritali. 1333.A.B
Tempori seruire quid sit. 1865.C
Tempore deus non indiget vt quid faciat. 595.A
Tempora quæ sint. 847.C
Tempora mundi, annus vnus. 475.A
Tempora mundi quatuor. 903.B.C
Tempora, in mundo sunt. 1825.B
Tempora nostra deo & seculo danda. 1585.B
Tempora obseruare qui dicantur. 1985.B
Temporibus corruptis multa corrumpuntur. 976.C
Temporaria à perpetuis discernenda. 2050.D
Temulentiæ proprium. 1129.C
Tenebræ quæ dicantur. 1869.C.2007.D
Tenebræ vnde nascantur. 1389.C
Tenebræ quid repræsentent. 2043.A
Tenebræ quomodo erant super abyssum. 810.B
Tenebræ cordis quæ sint. 1390.B
Tenebræ exteriores. 1747.B
Tenebræ iis non sunt qui viderit lucem. 1535.A
Tenebrarum filij. 2043.A
Tenebrarum locus. 812.C
Tenebrarum occulta quando illuminabit dominus. 1390.B
Tenebrarum opera. 1869.B
Tentamenta diaboli plena sunt mendacij. 918.B
Tentamenta duo maxima. 1485.C
Tentamenta excludere non poterat legis typus. 1603.B
Tentamenta grauia quibus Christus remedium attulit. 1485.B.C
Tentamenta mundi sunt fugienda. 890.D
Tentantes Christum. 1910.C
Tentare dominum qui videntur. 1911.A
Tentari nos quare deus sinat. 1571.A
Tentamur diuersis modis. 583.C
Tentamur fictis & compositis. 1000.D
Tentat homo, & quare. 1969.C
Tentat Deus & tentat diabolus, sed aliter. 1000.C
Tentatur Christus à Saducæis. 1774.C
Tentati, adiutorium à deo petant. 1397.D
Tentatio & calumnia quid. 1567.B
Tentatio pro probatione accipitur. 1969.C
Tentatio Christi prima. 1668. B. secunda. Ibid. D. tertia 1669.C.D
Tentatio Christiani quæ sit. 1448.A
Tentatio Dei ad quid sit. 1503.C
Tentatio diaboli. 1969.C
Tentatio vehemens diaboli. 1522.D
Tentatio sæpe documentum salutis. 458.C
Tentatio erroris author. 98.D
Tentatio est fidei exercitium. 1703.C
Tentatio est hominis vita. 516.B
Tentatio hominum prior quàm natura. 854.B.
Tentatio humana. 1567.B
Tentatio humana quid sit. 1911.A
Tentatio Iob qualis fuerit. 1537.B
Tentatio vel fortissimum quemque mouet. 1387.D
Tentatio nostra vnde sit. 1010.C
Tentatio prodest. 901.A
Tentatio vt nihil in nos possit. 1523.A
Tentationis nemo potest esse expers. 1488.A
Tentationis stimulo nullus caret. 684.D
Tentationem timere non debemus. 1071.C.& 1672.B
Tentationes asperiores. 583.D
Tentationes dei. 1948.B
Tentationes diaboli nobis bono cedunt. 178.A
Tentationes diaboli plenæ mendacij. 918.B
Tentationes in tormentis. 1071.C.D
Tentationes maxime media nocte vigent. 107. D.& 1488.D
Tentationes multæ. 121 D
Tentationes patrum. 1522.A
Tentationes propter peccatum nascuntur. 1494.C
Tentationum duplex species. 76.A
Tentationum causæ & finis. 1671.A
Tentationum finis, finis cupiditatum. 1671.A
Tentationum laquei varij. 1603.B
Tentationum species duplex. 766.A
Tentationum tempus quod tempus sit. 1469.D
Tentationes quis non timeat. 1537.C
Tentationibus humiliamur. 1469.D
Tentationibus probatur homo sicut aurum igne. 1494.D
Tepiditas deo odibilis. 1865.B
Tepidus quis sit. 1432.B
τέρατα Græcè, admiranda Latinè. 1399.B
Ternarij numeri mystrium. 1001.C
Tergiuersatorum mos. 2046.C
Terra quomodo apparuerit. 982.B
Terra bona. 1135.A
Terra clementia dei relaxatur. 828.C
Terra cœli comparatione quid sit. 1285.B
Terra tanquàm fundamentum est. 1519.D
Terra vbi situata sit. 806.D
Terra in medio suspensa. 86.D.1818.A
Terra inhabitanda quæ sit. 1298.C
Terra à nauigantibus fugitur in tempestate. 1319.B
Terra fidelis depositaria. 830.D
Terra interiori igne animatur. 1818.B
Terra neglecta, succum tamen suum non amittit. 182.B
Terra fructus suos nobis ministrat. 777.D
Terra nihil inane generat. 831.C
Terra propriam habet qualitatem. 826.C
Terra sine sole fœcunda. 842.B
Terra mater nostra. 182.A
Terra hæc, non nostra est. 1023.C
Terra humanitatis exemplum suggerit. 23.B
Terra testis & iudex. 949.C.D
Terra quam benedici expostulat psalmista. 1461.C
Terra quomodo dicatur fuisse corrupta. 956.D
Terra quando degenerare cœperit. 966.D
Terra in quo maledicta. 208.A
Terra ad quid maledicta. 922.D
Terra non in vniuersum maledicta est. Ibidem.
Terra in Adam maledicta, quando cœpit habere beatitudinem. 1423.C
Terra locus tentationum est. 956.C
Terra quid repræsentet. 967.B
Terra figuratè anima dicitur. 1013.D
Terra materialia significat. 1445.D
Terra, caro nostra est. 982.B
Terra, virtus intelligitur. 1017.C
Terra ferrea. 613.A
Terra repromissionis. 1370.D
Terra repromissionis patribus promissa. 764.A
Terra visibilis substantia est celum vsia intelligibilis. 1019.B
Terra viuentium. 223.A
Terræ benedicta possessio. 1308.C.D
Terræ circuitus. 878.C
Terræ diuisio velut in membra. 1022.A
Terræ fertilitas etiam hodie. 833.B
Terræ filij. 956.A
Terræ duo genera. 986.A
Terræ habitator quis intelligatur. 1018.A
Terræ hæres Iesus Christus. 1017.D
Terræ motus quid sit fidelibus. 1795.A
Terræ motus imperitis quid sit. Ibidem.
Terræ nascentia specialem quandam rationem habent. 831.C
Terræ pars pro tota terra interdum ponitur. 237.D
Terræ stabilitatis ratio voluntas dei. 806.D
Terram manducare quid sit. 922.B

Terram generare spinas & tribulos, quid sit. 730.B
Terram quomodo deus fundauerit. 1519.D
Terram quomodo perambulare potuerit Abraham. 1017.C
Terram quærentes. 120.D
in Terram omnia resoluuntur. 474.A
de Terra exire quid sit. 1007.C
in Terra qui scribantur. 1219.D
Terræ multæ, variis nominibus. 825.C
Terrarum genera melius est scire quàm spatia. 878.C
Terrarum natura imitanda. 23.B
Terris vnde tanta mala inuecta. 1517.C
Terrena in momento tẽporis monstantur. 1669.D
Terrena omnia mala sunt. 1454.D
Terrena omnia diluuio moriuntur. 962.C
Terrena possessio viris sanctis non ambienda. 1023.D
Terrena sapere. 2021.D
Terrenæ sapientiæ studentes. 2031.A
Terrenus in terram cadit, cœlestis cœlo inhæret. 1363.B
Terrigena qui sit. 1407.A
Terrere per epistolas. 1958.B
Terror quidam naturalis animalibus insitus. 906.C
Terrori quomodo quis possit esse peccatoribus. 1480.A
Tertia quæ sint. 1016.A
Tertius, scriba epistolæ Pauli. 1878.C
Tertij resurrecturi. 483.D
Tertullianus non paruæ scientiæ fuit. 1921.A.
tamen in schisma versus est. 1921.A
Tesseras & arma simul portant Hunni. 1146.D
Testamentum quid. 933.B
Testamentum quomodo dicatur. Ibidem.
Testamentum defuncti quomodo non potest scindi. 1982.A
Testamentum quare sanguine constitutum sit. 1915.C
Testamentum lex dicitur. 1855.A
Testamentum nouum omnes possident. 1543.D
Testamentum nouum quomodo fuit in veteri testamento. 1450.D
Testamentum vetus, fidei firmamentum est. 1756.B
Testamentum vetus in typo, nouum in veritate. 933.B
Testamentum vetus Christus venit implere, & nouum certificare. 1577.C
Testamentum vtrunque, vnius auctoris. 909.B
Testamentum vtrunque Christi sanguine confirmatum. 962.D
Testamenta diaboli quomodo cognoscenda. 917.B
Testamenta duo quid repræsentent. 1383.A
Testamenta duo, duo sunt coniugia. 1384.C
Testamenta habent perpetem firmitatem. 492.C
Testamenta hominum quid efficiat. 1031.A
Testamentis duobus vulnera nostra curantur. 1771.C
Testator æternus. 1544.B
Testator, Christus. 1773.A
Testimonium Christi quomodo confirmatum in Corinthiis. 1880.D
Testimonium Christi quomodo verbum. 343.B
Testimonium generationis dei. 1643.B
Testimonium à quibus habeant sancti. 1632.A
Testimonia dei mirabilia. 1563.D. & dein.
Testis locupletior. 1596.C
Testis est nobis spiritussanctus. 1544.A
Testes falsi contra Susannam. 623.D
Testes quos deus quærit. 1596.C
Testes tres in baptismate, vnum sunt. 1231.B
Testibus duobus multi innocentes oppressi. 1114.B
Testudo in vsum canendi aptatur. 1224.A
Testitudinis natura. 880.D
Teth quid interpretetur. 1492.A
Tetras omnibus numeris apta. 1024.D
Thalassometræ taxantur. 861.A
Thales ex aqua omnia constare asseruit. 801.D
de Thamar conceptu & geminis eius. 1655.D
Thamar iustificata. 191.B
Thamar duo filij quid figurant. 1183.A
Thanata vrbs. 634.B
Tharsis quid sit. 1403.D
Theclæ virginis martyris res præclaræ. 89.B.C 103.C.522.A.660.B
Theodosius imperator patrueles & consobrinos vetuit ne coniugia inter se facerent. 631.C
Theodosius publicè in ecclesia defleuit peccatum suum. 496.D
Theodosij crudelitas in Thessalonicenses. 558.C
Theodosij fides. 492.D
θεοπνευστος dicitur scriptura diuina. 407.A
Theotimi impotens libido. 1676.B
Theriacum antidotum de corpore serpentis conficitur. 917.B
Thesaurus quid repræsentat. 1942.B
Thesaurus absconditus in agro qui sit. 1433.C
Thesaurus domini. 56.B
Thesaurus domini verus qui sit. Ibid.C
Thesaurus in nobis dei verbum est. 113.C
Thesaurus noster qui sit. 1516.A.B
Thesaurus quis quærendus. 1299.A
Thesaurus quid sit luxurioso. 930.A
Thesauri Ecclesiæ sunt pauperes. 56.D
Thesauri iustitiæ. 1255.D
Thesauris Ecclesiæ quomodo non sit parcendum. 56.A.B
Thobias qualis vir fuerit. 1139.C
Thomas quomodo dubitauit. 1797.D
Thomas quomodo confessus sit Christi diuinitatem. 1401.A
Thronum suum quando diabolus ponit super sydera. 1556.D
Throni duodecim quomodo intelligantur. 1782.A
Thymallus seu Tithymallus. 855.B
Thymiamaterium quid sit. 1246.D
θυμὸς quid. 1325.B
θυμικὸν animæ. 1021.C
Tibicines quare adhiberentur funeribus. 1706.C
Ticinensis episcopus viduæ depositum seruat. 58.A
Tigris fluuius. 902.A.& 903.A
Tigridis delusio. 881.C.D
Tigridis pietas in prolem. Ibid.C
Timendi qui non sint. 1066.D
Timens Christum, non timori est subditus, sed deuotioni. 1461.D
Timentes deum beati sunt. 1476.D
Timentium deum merces. 223.B
Timere bene. 1531.C
Timere & cognoscere differunt. 1504.A
Timere deum, sapientia est. 1165.D
Timere virtutis est. 1490.C
Timor duplex. 675.D
Timor vnde nascatur. 1445.D
Timor vbi sit. 1950.B
Timor à peccatis abstinere facit. 2034.A
Timor dei beatificus. 265.C
Timor dei virtutum de numero est. 1053.B
Timor dei secundum scientiam. 1459.A
Timor disciplina sapientiæ est. 1304.C
Timor domini. 1.A
Timor domini quomodo prodest. 1459.D
Timor domini sanctus. 1476.D
Timor insipiens. 1459.C
Timor irrationabilis. Ibid.A
Timor iusti quomodo tribunal sit & basis. 1459.B
Timor legis est charitas euangelij. 547.A
Timor ante dolorem est. 1052.B. in fi.
Timor sanctus. 1490.C
Timor sanctus basis est. 1459.A
Timor sanctorum. 1600.A
Timor quibus non sanctus videatur. 1490.C
Timor verbi. 1459.B
Timori dei quis subiectus. 2062.C
Timorem domini ante oculos non habere. 1817.D
Timore diuino totus orbis replendus. 1502.A
Timotheus quis erat. 1976.D
Timotheus à Paulo circunciſus, & quare. 1878.C.1976.C.1979.A
Timotheus consors laborum Pauli. 1878.C
Timotheus quomodo filius Pauli in fide. 2050.A
Timothei abstinentia. 2067.C
Tinea quid repræsentet. 375.A
Tinea hæreticum significat. 1624.B
Titanum vallis. 299.B
Titulus Christi, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. 1790.B
Titus Pauli socius. 1954.C
Titus incircuncisus. 1976.B
Tityi vultur. 221.D
Tobias honestatis formam tenuit. 72.D
τοκος quare dicatur vsura. 1147.B
Tolerandi virtus à Christo præbetur. 1966.C
Tollere lapidem quid sit. 189.A
Tonitrui filij. 1715.D
Tonitrua. 820.A
Topazius lapis, & eius historia. 1561.C
Torcular quid sit. 1772.C
Topazius duorum colorum est. 1561.D
Torcularia Iudæorum. 1772.D
de Torcularibus quidam psalmi inscripti. 1772.C
Torques sunt insignia victoriæ. 452.C
Torques ornamenta bellatorum. 1566.C
Torrens tentationem grauiorẽ significat. 1294.C
Torrens tentationes tolerabiles signat. 1046.C
Torrens voluptatis. 1294.C
Torturæ adhibentur negantibus. 948.D
Tractati qui sint inique. 1951.C
Tractus patris qui sit. 265.D
Tradere quid sit. 1808.B
Tradere dei. 2006.D
Tradere regnum deo & patri. 1928.C.D
Tradidit deus filium. 2006.D
Tradidit pater filium. 371.A
Tradidit semetipsum filius. Ibidem.
Traditio dei. 1767.A
Traditio hominum. Ibid.B
Traditio humana. 2031.D
Traditiones Pauli. 1913.B
Tradi Satanæ. 2052.C
Traditum quicquid non est ab Apostolis, sceleribus plenum est. 1892.B
per Traducem fit omnis caro peccati. 1839.B
qui Trahantur à domino. 265.D
Tranquillitas est vbi solus petrus nauigat. 701.D
Tranquillitas animi. 26.D
Tranquillitas mentis, iustitiæ fructus. 667.B
Tranquillitas mentis vbi non sit. 1565.C
Transfiguratio Christi. 1394.B.1716.D
Transire ac stare. 1417.A

Transire in bonam & malam partem accipitur. 1546.A
Transire & pertransire. 107.A
Transire de hac vita quid sit. 1024.C
Transire per flammas oportet. 1590.A
Transitus bonus. 747.D
Trepidare infirmitatis est. 1600.A
Trepidatio bona. *Ibidem.*
Tres mensuræ similaginis. 933.D
Tria impossibilia Salomoni ad intelligendum. 1339.B
Tria sunt maximè in viro Christiano. 643.B
Tria in homine. 487.D
Tria ad vsum proficiũt salutis humanæ. 1665.D
Tria in ratione vitæ spectanda. 15.D.*& dein.*
Tria incredulitati condigna. 1811.B
Tria proponuntur Dauid. 1324.A
Tria secundum legem, scilicet vmbra, imago & veritas. 482.C
Tria vitiorum genera præcipua. 1671.A
Tribuere simpliciter. 1864.D
Tribulatio bona. 1578.D
Tribulatio velut quædam gratia est. *Ibid.*A
Tribulatio non inanis. 2026.D
Tribulationes bonæ. 1393.B
Tribulationes coniugum. 1903.A
Tribulationes hominum variæ. 1162.A.B
Tribulationes maiores quid prosint. 1396.A
Tribulationes Iob & Petri. 1671.C
Tribulationes non quorumcunque sunt, sed iustorum. *Ibidem.*
Tribulationem quæsiuit Dauid. 1578.C
Tribulationes quærunt iustum. 1578.A
Tribulationum vtilitas. 1280.A
Tribulationibus crescunt merita Christianorum. 1377.C
in Tribulationibus est gloriandum. 1824.D
Tributa quare præstantur. 1868.B
Tricias quid sentiat de anima. 978.D
Tricesimi septimi psalmi energia. 1320.C
Triduum Christi. 672.C
Trinitas omnia diuidens, sola indiuisa. 1022.B
Trinitas perfecta. 272.A
Trinitas principium omnium. 137.D
Trinitas sola, materialis compositionis immunis. 1022.B
Trinitas rumpi non potest. 540.B
Trinitas vnius potestatis maiestatis atque virtutis est. 1214.D
Trinitatis mysterium. 1917.B.C
Trinitatis regnum vnum est. 1025.C
Trinitatis sumus templum. 404.C
Triplex ordo bonorum. 1016.A
Tristis quomodo fuerit anima Christi. 1217.C
Tristis secundum deum quis sit. 1951.B
Tristitia gaudium operatur. 1948.B
Tristitia nimia pœnitentibus non inferenda. 181.C
Tristitia secũdum mũdum quid operetur. 1951.B
Tristitia vtilis. 922.B.C
Tristitia quomodo vtilior sit. 1517.B
Tristitiæ incommodum. 1567.D
Tristitiam comitatur grauitas. 1517.B
Tritici germinatio. 830.B
Triumphantium currus, pompa captiuorum præcedebat. 757.C
Triumphi mundani quales sint. 1789.D
Triumuiri apud Romanos inter se infidi. 1399.B
Trophæum nostrum, pascha Christi est. 1121.D
Tructæ pisces oua generant. 855.C
Tuba canere ad bellum. 1121.D
Tuba quare cecinerunt patres cum ingrederentur bellum. *Ibidem.*
Tuba cornea. 1104.D
in Tuba dei descendere. 2042.C
Tubæ salutares. 482.D
Tubæ quatuor. 483.C
Tubæ septem. 481.C
Tuba septima hebdomadis quid significet. 482.B
Tumultus bellici. 1776.C
Tumultus quibus paratur. 1794.B
Tumulus noster. 1692.C
Tumuli nostri & parentum vbi ædificandi. 1002.B
Tunica duplex. 1154.A.*& dein.*&* 1760.A.B
Tunica Christi. 1154.A
Tunica quæ inhonesta operit nostra. *Ibid.*B
Tunica Ioseph quare varia. 1077.B
Tunica mala. 1209.A
Turba quæ sit. 1768.B
Turba agnoscit deum. 1771.A
Turbantis insimæ mentis infantiam pœna grauis. 1603.A
Turdi autumni fine abeunt. 866.D
Turris in vinea ædificata. 1772.C
Turtur castæ hostiæ munus. 870.D
Turturis propietas. 870.D
Turturis astutia. 883.C
Turturis castimonia. 1021.B.1581.D
Turturis fides,& castitas. 870.D
Turturis vox, pudicitia. 1216.A
Turtures viduis imitandæ. 870.D
Turtur piscis mortuus nocet. 863.A
Tuus sum ego, qui perfectè deo dicere possunt. 1523.D
Tuus sum ego, quomodo possit quis ad Christum dicere. 1523.D.*& dein.*
Tigris quid interpretetur. 1004.C
Tigris fluuius. 1281.C
Tymallus piscis. 855.B
Tympana quid mystice. 1575.A
Typus, vmbra est veritatis. 308.B
Tyrannis sacerdotis. 585.A
Tyrus vrbs luxuriosa. 1134.A
Tyrij negociatores. 47.A.*in prin.*

V

Vacatio bona. 1399.D
Vacca bona. 1085.B
Vaccæ pingues fertilibus annis comparatæ. 945.D
Vacuitas animi. 26.D
Vacuus nemo in conspectu domini appareat. 158.B
Vacuus quis non est. 1597.D
Vacuum quid dicatur moraliter. 1411.B.C
Vada quid significent. 1665.C
Vades tres ecclesiæ. 105.B
Valde apostoli. 1966.D
Valentinianus baptismum non accepit. 450.C
Valentiniani mores & virtutes. 445.C.D
Valentiniani Augustini decessus. 585.D
Validius est naturæ testimonium quàm doctrinæ argumentum. 881.B
Vana gloria est fugienda. 682.C
Vana sunt omnia quæ in mundo nascuntur. 1845.A
in Vanum incipere animam quid sit. 220.C
Vallis corporalium delectationum. 531.C
Vanitas calcanda. 33.D
Vanitas est idolum. 1817.B
Vanitas Idolorum cultura. 2007.D
Vanitas nihil prodest. 197.C
Vanitas seculi à Dauid declarata. 1172.B
Vanitas sensuum. 1457.C
Vanitas omnia in mundo. 34.A.B.197.C
Vanitati subiecta anima. 548.D
Vanitati subiectus homo. *Ibidem.*
in Vanitate currere. 1458.A
Vanitates aspicere. 1456.D
Vanitates in carne sua quomodo Christus crucifixerit. 1456.D.*in fine.*
à Vanitatibus quomodo oculi auertendi. 1457.A
Vas diaboli quomodo caro nostra. 1600.D
Vas electionis quomodo caro nostra. *Ibidem.*
Vas velut linteum Petro delatum. 762.C
Vas malitiæ describitur. 207.C
Vasa aurea & argentea. 1024.A
Vasa Ecclesiæ quando liceat confringere. 57.A
Vasa fictilia quæ sint. 1005.B.1942.B
Vasa fictilia omnes sumus. 1219.D
Vasa in corpore humano gemina. 979.A
Vasa mystica Ambrosius fregit vt captiuos redimeret. 56.A
Vasa preciosa. 56.C
Vasa templi nullus auferat. 151.D
Vaticinia gentilium à quo fuerint. 1887.A
Vau quomodo interpretetur. 1461.B
Vbera tumentia maturitatis nuptialis indicia. 1610.C.D
Vbera sunt dogmata. 1034.D
Vbera quomodo sint duo testamenta. 1102.D.*in fine.& 1103.A.in prin.*
Velamen manens supra cordis oculos quomodo auferetur. 1440.A.B
Velamen auferri, quid. 1940.D
Velamen quod in facie Moysi ponebatur. 1567.D
Velamen quare posuerit Moyses. 1940.C
Velamen quandiu Moyses habuit. 1568.A
Velamine obnubit caput suum mulier. 178.C
Velamina bona, ac vera. 142.C
Velare caput non debet vir. 1913.D
Velare caput suũ debet mulier,& quare. 1914.A
Velari debent mulieres in ecclesia. 1925.D
Velatarum puellarum honos. 1465.A
Velle Christi commune in omnes est. 1441.D
Velle Christi, fecisse est. 227.A
Vellus aureum aqua nutrit. 863.B
Vellus Gedeonis. 156.B.356.A
Velum in malo nauis suspensum in formam crucis quàm vtile. 750.C.D
Venator iustus in Scripturis non inuenitur. 1487.A
Venatores inutiles. *Ibidem.*
Venatorum labor. 725.C
Venditi à domino qui sint. 1379.C.D
Venditi sub peccato quomodo simus. 1838.A
Venditio propter quid facta sit. 1784.B
Venditores ouium & boum. 1771.D
Venenatorum poculorum cognitio medicis necessaria. 1054.D
Venenatis abstinendum. 978.C
Venenatis sagittis vtentes venatores. *Ibidem.*
Venenum est omne quod nocet. 1131.A
Venenum ceruis cibus est. 832.A
Venenum dentium. 600.A
Venenum veneno excluditur. 1135.D
Venenum vino excluditur, non contrà. 1131.A
Veneno hostem tollere noluit dux Romanus. 72.A
Venena cur creata. 885.B
Venena ac lethalia cur nascantur inter alimenta ac salutifera. 831.B
Venena non eadem omnibus. 831.C.D
Venena quibus non noceant. 885.C
Venerarium quid sit. 1401.D
de Venis. 895.A
Venæ & Arteriæ. 979.A
Venia vnde speranda. 1590.C

venia in confessione est. 1346.C
venia peccatorum hic petenda. 1349.B
venia peccatorum speranda, eaque procliuis. 1750.C
veniam dare peccantibus quid sit. 1859.A. in fin.
veniam non negat Christus non custodientibus mandata sua. 176.D. in fin. & 177.A
veniam non omnes assequuntur qui petunt. 1851.D
ad veniam peruenire quos negat Christus. 185.B
venia ne dignus sit qui nescit bonum & malum, si mandatum non seruat. 907.B
venialia errata. 983.D
veniendum quomodo sit ad Christum. 1578.B
de ventre. 894.C
venter & vterus. 207.C.D
venter inferior, & venter superior. 961.A
venter mentis. 1354.B.C
venter insatiabilis. 1126.B
venter quorum sit deus. 2049.A
ventris cura. 1125.D
ventilabrum quid repræsentet. 1648.B
ventilare quid sit. 1379.A
ventilare quæ animalia dicantur. 1372.A
ventus quem cessare præcepit Iesus. 1703.D
venus pro diuersitate nominis colitur. 573.B
venere mentem intelligit Plato. 218.A
ver initium anni æstimatur. 970.C
ver quando nobis est. 847.D
verbera grauiora. 127.D
verbum bonum subministratio est spiritus sancti. 248.C
verbum quare caro factum. 1437.A
verbum Christi. 176.C.D
verbum dei, amictus bonus. 1154.B
verbum dei ἀποτέλεσμα est. 622.A
verbū dei quomodo cogatur ab hominibus. 705.D
verbum dei diues. 641.B
verbum dei factum est nobis omnia. 1394.D
verbum dei quomodo factum. 303.A
verbum dei, fides nostra est. 1729.C
verbum dei habet epulas suas. 1607.C
verbum dei quomodo sit inuestigandum. 917.B
verbum dei iustitia est. 1482.B
verbum dei lucerna est. 1388.B. & 1534.A
verbum dei lux est, verbum dei nix est. 1717.C
verbum dei quomodo lux sit. 1534.B
verbum dei quomodo nobis moriatur aut viuat. 200.A. 533.B
verbum dei cur à doctis seculi negligatur. 2028.A
verbum dei pascitur animæ virtutibus. 218.B
verbum dei prædicandi vis. 688.D
verbum dei nos deiectos prouocauit ad gratiam. 1468.C
verbum dei pulsat ianuam nostram. 1586.D. in fine.
verbum dei repulsorium tædiorum est. 1448.C
verbum dei quomodo sit sumendum. 1528.D
verbum dei non perfunctorie tractandum. 917.A
verbum dei vita est. 1305.D
verbum dei viuit. 200.A
verbum dei vocat nos ad se. 1468.C
verbi dei sententia. 1483.C
verbo dei nihil addendum. 916.B
verbo dei semper est inhærendum. 1361.B
verbum dei non omnes audiunt qui videntur audire. 1359.A
verba dei adulterare. 1941.B
verba dei inuertentium pernicies. 2069.A
verbi diuini fures. 1513.B
verbi diuini gladius. 109.D
verbum domini Christus. 729.A
verbum domini est operans. 934.C
verbum quomodo erat apud deum. 276.A
verbum permanet in cœlo i. in patre. 1519.B
verbum domini permanere in æternum quid sit. 1516.D
verbum domini est seruandum. 1516.B
verbum cibus est. 1463.C
verbum gladius est spiritus sancti. 399.A.B
verbum multiplex. 1439.D
verbum otiosum quid sit. 1607.D
verba otiosa. 2.A
verbum periculosum. 1607.D
verbum prolatum in tempore. 3.A
verbum quomodo tollatur ex ore. 1466.B
verbum veritatis. 1948.A
verbum veritatis an possit auferri à corde. 1466.C
verbum vnum multa sunt, & contrà. 1439.B
verbum vitæ quid est. 373.C
verbum suum quare miserit deus. 1395.A
verbi minister ac doctor honorandus. 1727.A.B
verbi quanta bona. 528.C
verbum cognoscere maius opus est quàm ministrare. 1510.C
verbum ligantes. 1784.C
ex verbo dei quatuor flumina procedunt. 1397.A
verba adolescentis vincula sunt amoris. 178.D
verba delictorum. 1352.B
verba euangelij mundant & illuminant. 1352.C
verba humanæ sapientiæ. 1887.B
verba quæ non licet homini loqui. 1307.C
verba præcipitationis. 2.A
verba prophana. 2057.D
verba, speculum mentis. 10.D
verborum circunscriptione nemo inducēdus. 70.A
verborum non tam habenda cura, quàm mysteriorum. 1640.D
verborum vis expendenda. 624.D
vercellensis ecclesia. 664.B
verecundia. 1.B
verecundia adolescentibus peculiaris. 10.C
verecundia dote naturæ commendatur. 10.C
verecundia in quibus plus emineat. 12.D
verecundia tenenda in motu, gestu & incessu. 11.B
verecundia quædam in peccatis. 940.B
verecundia quibus apta. 12.C
verecundia pudicitiæ comes. 11.A
verecundia sanctorum. 10.C
verecundia, virginis ornatus. 624.A.B
verecūdia virginibus quomodo seruāda. 1005.D
verecundia Isaac & Ioseph. 10.C
verecundiæ bonum. 10.D. & dein.
verecundiæ magistra natura. 12.A. in fine.
verecundiæ scopuli. 13.B
vera caro quomodo sit panis Christi. 1253.C
vera non sunt insinuanda quibus non oportet. 1433.B
verum omne à sancto spiritu dicitur. 1916.D
verum immutare in falsum quid sit. 1808.B
verum inuestigare inest omnibus hominibus. 18.B
à vero semel deuians, alieni erroris nexibus se inuoluit. 1214.D
veritas quæ sit. 1884.C. 2003.D. 2052.C
veritas in cœlestibus. 33.D. 1345.B
veritas semper in deo est. 1935.D
veritas vnius dei manifestata. 2075.D
veritas Christus est. 333.B
veritas, per Iesum Christum. 482.D
veritas est in veteri testamento. 1519.B
veritas quando ad Ecclesiam venit. 1519.C
veritas, fidei fundamentum. 1598.B
veritas quando à Iudæis recessit. 1519.C
veritas in iudicio. 482.C
veritas non verba perpendenda. 435.B
veritas omnis euangelio continetur. 1577.C.D
veritas tota hic non potest comprehendi. 1439.A
veritatis inuestigatione quid seruandum. 18.A
veritatis columna & fundamentum ecclesia est. 1065.D
à veritate discedere non est boni viri. 69.D
vermis vnde generetur. 692.A
vermis idem & iudex. 692.B
vermis Indicus. 873.D
vermis infernalis. 1747.C
vermi dominus comparatur. 691.D
vermes in puerorum visceribus vt extinguantur. 1128.D
vernarum consolatio. 1081.A
vernaculi qui sint. 1029.A
vesper mysticus. 997.C
vespertilionum proprietas. 875.B
vespertinæ vigiliæ tempore Ambrosii habitæ. 526.D
vespertina mundi tempora. 1025.D
vestales puellæ. 571.A
vestimentum bonum lux. 1123.D
vestimentum malum iniquitas. 1174.D
vestimentum quo indutus est Adam. 1123.C
vestimentum inconsutile quid significet. 692.C
vestimentum nuptiale seruandum. 314.D
vestimentum sapientiæ. 1154.D
vestimentum scindere. 1624.B
vestimento candido infantes post baptismum induebantur. 1233.C
vestimentum vetus quod sit. 1682.C
vestimenta Christi quare facta sint alba. 1511.B
vestimenta domini sunt prophetiæ. 692.B
vestimenta domini diuiduntur. 1790.C.D
vestimenta, humana corpora significat. 1695.C
vestimentum Iesu sordidum quid sit. 304.B. 1452.A
vestimenta lauare quid sit. 35.A
vestimenta propria substernunt Christo Apostoli. 1770.B
vestimenta verbi quæ sint. 1717.B
vestimenta virtutes sunt. 1770.B
veste alba induitur Christus ab Herode. 1788.D
vestis indiuisa. 1791.A
vestis nuptialis. 704.D. 1747.B
vestis seruanda. 1682.D
vestem mutant Christiani. 587.B
vestitus ecclesia. 1793.D
vestitus prudentiæ ac iustitiæ. 1066.A
vestitus quo Noë pudenda cooperta sunt. 1154.B
vetus est quod assuitur. 1163.D
vetus creatura quomodo renouetur. 247.A
vetus creatura sermone Dei noua fit creatura. 1248.B
vetus homo expurgandus est. 180.A
veteris hominis vestimentum quomodo depositum. 1605.A
vetus lex in tabulis lapideis. 1836.A
veteris ac noui testamenti idem est Deus. 1215.A. 1672.C
veteris & noui testamenti doctrina debet concurrere. 946.A
veteris testamenti notitia multum prodest. 2071.B
veteris testamenti scriptura sacra. Ibidem.
veteribus quare multa tradita sint. 1801.B
vexilla & arma mentis fidelis. 1018.B
via quæ sit. 1423.C
via angustior quæ ad vitam ducit. 1484.B

Via bona. 1546.B.1604.B
Via quæ nobis esse debet. 1452.C
Via Christi quæ ducit æd templum. 716.A
Via deserenda. 515.C
Via fidelibus Christus est. 101.D
Via hominis vbi erat. 957.B
Via iniquitatis. 1449.C
Via iustitiarum. 1455.C
Via mandatorum. 1455.C
Via quam præparauit nobis Christus. 1454.A
Via recta est tenenda. 1382.A
Via regni cœlorum. 699.C
Via requirentium deum. 1509.B
Via sequenda. 516.B
Via superna dei virtus. 304.B
Via testimoniorum. 1455.C
Via veritatis. 1450.A
Via vitæ ignota ante Christum. 769.B
Viam domini pergere. 1447.B
Viam homo adoriri non potest nisi præuiante domino. 1648.D
Viam suam corrigere quis dicatur. 1427.B
Viam rectam sequi. 2004.D.*in fine.*
Viam transire. 1546.B
Viæ duæ. 1641.B.C
Viæ duæ, iustorum vna, altera peccatorũ. 1276.D
Viæ aliæ sequendæ aliæ custodiendæ. 2.A
Viæ carnis aliæ sunt à viis dei. 1447.B
Viæ domini quæ sint. 304.B
Viæ à domino notæ. 1287.C
Viæ errantium non cognoscuntur. 1431.A
Viæ hominis præcauendæ. 1339.A
Viæ multæ ad salutem. 617.A
Viæ mysticæ. 1287.A
Viæ quæ peruersæ & malæ sunt. 1484.B
Viæ viri à domino diriguntur. 1648.D
Viæ viri in iuuentute ignotæ. 1430.D
Viarum lex. 1451.D
Viarum & principium & finis est Christus. 1455.C.1456.B
Vias dei ambulare quid sit. 1447.B
Vias hominum ambulare quid sit. 1447.B
Viandi lex. 1451.B
Viatores in via incognita quid agant. 1008.C
Viatores quas vias sequantur. 1483.D
Vicini qui fuerint tribubus Iudæorum. 1381.A
Victima omnium maxima, Christus. 1372.D
Victor quis dicatur. 1884.A
Victoria Christi, victoria libertatis. 364.A
Victoria, dea credita. 573.B
Victoria est deo deferenda. 990.D
Victoria de serpente. 1397.A.*in princip.*
Victoria insignis. 28.C
Victoria non solum in armis est. 788.A
Victoria in viribus bellatorum. 550.A
Victoria nostra est crux Christi. 1121.D
Victoria sanctorum opus dei est. 250.C
Victoria turpis inhonestè quæsita. 72.A
Victoria vera. 728.C
Videre dei. 815.C
Victorinus. 1829.A
Videri deum. 1622.B
ad Videndum deum quid à nobis exigatur. 1481.D
Videt omnia deus. 1424.B
Vidua adolescentula parentibus indicet se marito indigere. 1005.C
Vidua bella disponens. 160.A
Vidua Ecclesiæ quæ dicatur. 2059.C
Vidua quæ sit eligenda. 2060.A
Vidua lx. annorum eligenda. 155.A
Vidua quàm misericors in pauperes esse debeat. 157.C
Vidua duo æra minuta mittens diuitibus à deo prælata. 128.C.157.C.192.A.645.B
Vidua Noemi spicilegio se sustentabat. 158.C
Vidua quomodo sperat in deo. 2059.D
Vidua Sareptana ecclesiam figurat. 156.A
Vidua virtute designatur. 154.D
Vidua vna inter cæteras prælata. 155.D
Viduæ Debboræ forte factum. 160.A.B
Viduæ pignus non detrahendum. 1155.D
Viduæ quæ hospitio suscepit Heliam merces. 995.C
Viduam accedit Helias. 154.B
Viduam quid faciat. 155.A
Viduæ adolescentiores vitandæ. 155.B.C
Viduæ quales debent esse. 156.D
Viduæ quæ sunt honorandæ. 2059.B
Viduæ ab episcopis honorandæ. 155.A
Viduarum cura. 47.C
Viduarum & pupillorum victualia. 57.B
Viduarum deposita intemerata maneant. 57.A
Viduarum aut virginũ domus vt adeantur. 13.C
Viduarum infirmitatibus non desunt subsidia. 161.A
Viduarum regula à Paulo data. 155.B
Viduarum virtus. 154.A
Viduarum filios bene educantium prærogatiua. 128.C
Viduis quid inesse debeat. 154.D
Viduis in promptu debent esse lachrymæ. 159.A
Viduis ministrandum. 47.C
Viduitas bona. 165.D
Viduitas non fugienda pro supplicio. 166.A
Viduitatis pœnæ apud veteres. 165.D
Viduitatis affectum etiam secundæ nuptiæ habent. 155.B
Viduitatis gratiam mulieres à turturibus discant. 870.D
Viduitatis laus. 154.B
Vigilandum quare sit. 1930.A
Vigilandum est, & quare. 1735.A.1930.A
Vigilandum perpetuo etiam sanctis. 905.A. 1727.D
Vigilant quidam dormientes. 1542.D
Vigilare qui dicantur. 905.A
Vigilare in tumulo. 10.A
Vigiliæ ad quid valeant. 719.D
Vigiliæ multæ Pauli. 1964.C
Vigilius sacerdos. 632.C
Vigintiquinque milia de Beniamin cæsa. 629.B
Vincere diabolum quî possimus. 1669.A
Vincere malum quid sit. 1867.C
Vinciri peccati caussa opprobrium est. 2077.D
Vinculum charitatis bonum. 118.C
Vincula charitatis gratiora. 1543.B
Vincula Christi. 1487.A
Vincula Christi bona. 835.C
vincula pro Christo sustinere, gloria est. 2077.D
vincula diaboli. 1486.D
vincula diaboli dirumpenda. 1542.C
vincula complura sunt in hoc seculo. 1443.B
vincula corporis huius. 213.C
vincula Iudæorum mala. 1784.C.*in fin.*
vincula quibus ligamur. 1486.D
vincula quibus ligatus vnusquisque inclinatur. 1486.D
vincula peccatorum. *Ibid.*B.C
vincula quomodo sint rumpenda. 1486.D
vincula sceleratorum. 1487.A
vincula venatorum. *Ibid.*B
vincula vitæ. 214.B
vindemia fidei. 1760.A
vindemia nostra. 1773.C
vindemia nostra. 573.A.1773.C
vindemia superna. 1517.A
vindicauit semel dominus, & quare. 975.B
vindicta ira dicitur. 1325.C
vindicta non sit festina. 126.C
vindicta dei qualis sit. 975.D.& 976.A.B
vindicta dei seuera. 1176.D
vindicta fugienda. 667.A
vindicta legis ad quid proficiat. 975.D
vindicta peccatorum quomodo sit exercenda. 997.A.B
vindicta vera. 667.A
vindictæ & vltioni modus adhibendus. 1867.A
vindictam quis petat. 1719.B
vinea quæ sit. 1429.C
de vinea & operariis. 242.C
de vinea plantata & colonis locata. 1772.B.& deinceps.
vinea mystica. 1301.C.D.1773.A
vinea quos repræsentat. *Ibidem.*
vinea figurat plebis ecclesiam. 834.B
vinea in cordibus fidelium. 1301.C
vineam Christi qui despoliant. 1546.A
vinea dei quomodo simus. 768.C
vinea Iudæorum quare relicta. 1301.D
vinea Naboth. 68.A
vinum Angelis non proposuit Abrahã. 1124.B
vinum cauendum est. 179.C.1201.D
vinum commendatur. 840.B
vinum & adolescentia duo sunt incendia. 93.D
vinum & aqua quomodo sit verus sanguis Christi. 1253.C.D
vinum est in iucunditatem creatum. 982.C.& 1129.C
vinum propter quid bibendum. 659.C
vinum non stillauit petra à Mose percussa, sed aquam, & quare. 1124.C
vinum, veneno draconum comparatum. 1131.A
vinum vetustate proficit. 713.B
vinum ex aqua mutatur in ecclesia. 773.A
vini gratia preciosa in ecclesia abundat. 772.D
vini maior vis quàm veneni. 1131.A
vini incommoda. 179.C
vini mutati natura melior quàm nati. 1711.A
vini odore feræ asperiores redduntur. 1131.A
vini tormentum. 1133.A
vini vis in Noë. 85.C.840.B
vini vsus. 659.B.C.840.B
vini vsus mulieribus olim interdictus. 2033.D
vini vtilitas. 840.C
vini vis quanta. 85.C
vino arcana effluunt. 1133.B
vino comparatur fidelis. 713.C
vino modico vtendum. 93.D
vino modico virgines vtantur. *Ibidem.*
vina bibere potentes prohibentur. 1126.C
violentia beata. 706.A
violentiores in infirmiores irruunt. 1022.C
vipera serpens astutus. 858.C
viperam copulam murenæ marinæ requirit. *Ibid.* & 859.B
viperæ partus. 1289.D
vipera Paulum momordit innoxia. 885.C
vipera in Paulum innoxia. 1216.B.C
viperæ os quàm nociuum. 863.A
viperæ quare dicti Iudæi. 1646.B
vipera est adultera. 859.B
viperarum comparatio cum Iudæis ad quid referenda. 1646.B
vir est, qui credit: mulier, quæ non credit. 100.D
vir quare dicatur beatus. 1273.B
vir coniugis mentem tentat opprobriis. 1062.D
vir & mulier quomodo sibi sint debitores. 1899.D

Vir excusationem non habet in peccato. 132.D
Vir extra paradisum factus est. 904.B
Vir lugens ac mœrens, muliebri veste induendus, ut effœminatus. 467.A
Vir non debet esse comatus. 1914.C
Vir perfectus quis dicatur. 1628.B
Vir perfectus quid facere debeat. 1059.C
Vir præcelsus. 46.D
Vir præfertur mulieri. 2054.B
Vir prudens in quibus sperat, & in quibus confidat. 1959.B
Vir publicis officiis, mulier domesticis ministriis habilior. 913.D
Vir pudoris causa fuit. 920.C
Vir sapiens quomodo subditus legi. 1279.A
Vir semel eligendus est. 858.D
Viri sancti propositum cuiusmodi sit. 1471.C
Viri sapientis consuetudo. 972.A
Viro bono insunt quatuor. 1014.D
Viro non licet, quod mulieri non licet. 992.C
de Viro duas vxores habente, scilicet vnam odibilem, alteram amabilem. 535.A
Viri debent diligere vxores. 2009.B.C
Viri diuitiarum qui sint. 1117.D
Viri in omni loco orare debent. 1255.B
Viris magnis cadentibus fortes etiam viri trepidant. 1402.D
Viros emasculantes & castrantes. 856.B
Viros indui stola muliebri prohibitum. 536.B
Virilis paßio quando incipiat flagrare. 1028.D
Virilis permixtio interdicta. 975.B
Viriliter in omnibus actis agendum est. 12.D
Virga quid sit. 1723.B
Virga duplex. 1213.C
Virga floruit in arca veteris testamenti. 78.D
Virga æquitatis. 2082.B
Virga erat Maria. 730.C
Virga Moysi in serpentem versa quid indicarit. 72.B.476.D.1226.C.1440.C
Virga runcina quid obumbret. 1065.B.1218.A
Virgæ vsus. 1772.A
Virga recta, & virga ferrea. 1213.C
Virgam Paulus ex lege assumpserat. 1723.D
in Virga venire. 177.B
Virgilij locus. 1002.C
Virgo à Christo electa qualis sit. 107.C
Virgo apud seculares nihil quærat. 144.A
Virgo Christum vbi inquirere debet. 108.D
Virgo coniugatis præfertur. 654.C
Virgo de nece certans. 91.A.B. & *dein.*
Virgo debet esse taciturna. 108.C
Virgo desponsata multo tempore qualiter erga sponsum affecta. 1422.C
Virgo in quibus cognoscitur. 1633.B
Virgo habitu tantum, bis adultera est. 149.B
Virgo morsu sibi linguam præcidens in martyrio. 81.A
Virgo non eligat maritum. 1005.B
Virgo non est, quæ metu cogitur. 80.D
Virgo non solum carne, sed mente integratur. 100.C
Virgo prudens, & virgo stulta, qui discernantur. 1534.D
Virgo quæ vitare debet. 94.A
Virgo quibus se defendere debeat refugiis cùm de stupro solicitatur. 149.B.C
Virgo quid significet. 1904.A
Virgo quomodo orare debeat. 146.A.B
Virgo secularium hominum consortia deuitet. 143.D.144.A.B. & *dein.*
Virgo tria in se seruare debet. 131.C
Virgo transit & pertransit. 119.C
Virginis Antiochenæ grande certamen. 89.C.D
Virginis conuiuia, salutationes, visitationes, cibi sermo. &c. 94.A
Virginis corpus dei templum est. 89.A.B
Virginis corruptæ increpatio. 147.C
pro Virginis deo dicatæ corruptione lugendum est. 147.A
Virgini corruptæ remedium adhibendum. 150.C.D.
Virginis cuiusdam exemplum. 86.D
Virginis & apiculæ comparatio. 111.D
Virginis & mulieris collatio. 81.D. *in fi. & dein.*
Virginis partus. 83.D
Virginis partus in lege promittebatur. 1643.A
Virginis pudor. 83.D
Virginis verecundia lubrica. 1631.D
Virgini defert spiritussanctus regnum, aurum & pulchritudinem. 83.C
Virginem permanere bonum est. 1902.C
Virginem perseuerasse domini matrem Mariam negantium confutatio. 133.C.D
Virginem quid faciat. 100.C
nihil sanctius in Virgine, quàm verecundia. 624.B
Virgines angelis comparatæ. 80.B
Virgines quare ascendunt in cœlum. 85.C
Virgines beatæ. *Ibidem.*
Virgines Bononienses & Mauritanæ. 86.A.B
Virgines deputatæ in templo Hierosolymitano. 80.B
Virgines dicuntur lilia Christi. 140.B
Virgines domini resurrectionem præ Apostolis viderunt. 100.B
Virgines euangelicæ accensis vel extinctis facibus sponsum expectantes, quæ intelligantur. 901.C
virgines cuius ætatis assumendæ. 103.B
virgines non attrectandæ aut inspiciendæ ob calumniam. 623.B.C. & *dein.*
virgines orbatæ parentibus, connubio elocandæ, &c. 47.C
Virgines Palladis & vestæ. 8.C
virgines prophetantes. 2002.C
virgines pudicitiam suam defendant vel vsque ad mortem. 149.B
virgines admonentur Mariam imitari. 1636.A
virgines velatæ & sacratæ olim fuerunt. 86.A
virgines non temere velandæ. 103.B
virgines olim victum operibus exercebant. 86.B
virgines viuunt cœlestem vitam in terris. 84.D
virginum consecratione non minuitur genus humanum. 102.D. & 103.A
virginum custodes angeli. 85.B
virginum eruditio. 1636.A
virginum nostrarum victoria. 81.A
virginum ornatus. 82.C.D
virginum speciale præsidium. 85.B
virginum speculum Maria virgo. 87.C
in virginum velatione solita seruari. 149.A
virginum vota an improba & inutilia. 101.D
virginibus nupturis symbolum. 1610.C.D
virginibus solis palmam publicæ salutis scriptura dedit. 119.B
virgines an inspici liceat. 623.B. *per totam epist.* 64.
in virginibus videtur angelorum vita in terris. 142.A
virginitas, angelorum vita in terris. 142.A
virginitas animæ immaculatæ. 1667.C
virginitas apibus comparata. 83.D
virginitas cœlesti voce probata. 102.B
virginitas publicæ saluti dicata. 568.B
virginitas gentibus venerabilis. 100.A
virginitas Heliæ prophetæ. 80.B
virginitas laudabilis. *Ibidem.*
virginitas Mariæ nubes leuis. 139.A
virginitas Mariæ vt seruata. 1632.A
virginitas Mariæ perpetua. 134.B.C
virginitas Mariæ fefellit Satanam. 1632.A
virginitas melior quàm coniugium. 654.C
virginitas tanquam in imagine descripta. 87.C
virginitas non imperatur, sed optatur. 81.D
virginitas precio non emitur. 581.A
virginitas tentatur à plerisque petitoribus. 121.D
virginitas vera. 571.A
virginitatis quid boni sit. 119.B
virginitatis dos. 130.B
virginitatis imago. 88.D
virginitatis laus. 654.B.C
virginitatis magisterium viduarum valescit. 154.A
virginitatis merita. 81.C
virginitatis, viduitatis & coniugij præmia sunt. 661.A
virginitatis sanctitas aspectu violatur. 660.B
virginitatem professa, marito nubens adulterium committit. 149.B
virginitatem professuras nõ debere compelli à parentibus. 148.D
virginalis castitas quid. 81.B
virgultorum remedia. 831.A
viror, viuorum est, ariditas mortuorum. 902.C
virtus æterna Christus est. 1807.A
virtus dei, Christus est. 1898.B
virtus dei, quæ. 1806.A
virtus dei quomodo erat in Apostolo. 1948.A
virtus dei non est vacua. 316.D
virtus diuina operatur meridiano tẽpore. 1488.D
virtus, doctrinæ testis. 1803.A
virtus est docibilis. 1051.B
virtus in dolore. 39.D
virtus domini studiis humanis cooperatur. 1649.A
virtus & vxor & soror nostra sit. 1011.A
virtus etiam quæ videtur, sine cultu veri dei peccatum est. 235.D
virtus gemina in homine perfecto. 1623.A
virtus nihil habet simulati. 53.A. *in prin.*
virtus in infirmitate consummatur. 811.D
virtus non sine labore. 942.A
virtus materia virtutum. 1688.D
virtus mensuram gratiæ nescit. 1690.A
virtus nunquam sine spiritu est. 1629.A
virtus omnium sensuum in capite est. 1547.C
virtus per columbam significatur. 971.D
virtus perfecta. 1763.A
virtus quomodo perfecta dicatur. 1027.D
virtus perfecta quid habeat. 1067.B
virtus præmiis prouocatur. 165.A
virtus prima quæ sit. 1279.B
virtus rara. 1585.C
virtus se humiliat. 1016.A
virtus sine exercitatione esse non potest. 927.C
virtus sola comes est defunctorum. 1733.B
virtus summum bonum est. 40.B
virtutis disciplina, commune bonum. 973.C
virtutis incentiuum maximum. 1270.B
virtutis nostræ auctor Christus. 304.B
de virtutis occursu saucium & casurum miserantis. 929.A
virtutis pueritia. 1628.A
virtutis totius finis. 1602.C
virtuti lumen familiare. 972.D
virtuti propriæ nemo confidat. 1660.D
virtutem bellicam nostris non inusitatam. 28.B
virtute nihil perfectius. 955.C
virtutes, animarum genus. 956.D

UNIVERSIDAD INTELECTUAL - PALENCIA - BIBLIOTECA
Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD

virtutes bonæ,& virtutes malæ. 1396.C
virtutes cœlorum. 1780.C
virtutes corporis seruandæ. 1026.D
virtutes iustitia temperat. Ibid.C
virtutes principales quatuor. 946.D
virtutes principales quatuor,quatuor mundi tempora incluserunt. 903.B.C
virtutes principales in patribus consummatæ. 17.A.B
virtutes cardinales quatuor. 1688.C
virtutes omnes ad spiritum pertinent. 1245.B
virtutes omnes indiuiduæ. 44.C.D
virtutes quæ in Esaiæ libro loqui dicũtur. 1541.D
virtutum duo genera in deo. 944.D
virtutum dona à deo disponuntur. 247.B
virtutum omnium deus auctor. 247.B.C
virtutum finis. 168.A
virtutum fundamenta permaxima. 4.B
virtutum inter se connexio. 903.D
virtutum parentes. 462.B
virtutum portio vnde habeatur. 685.A
virtutum principium, profectus & consummatio ex deo est. 249.D
virtutum species in vna virgine emicantes. 88.D
virtutibus propriis nemo sibi quicquam arroget. 932.D
vis duplex. 32.B
vis facienda regno cœlorum. 1753.B
vim domino quomodo faciamus. 706.A
viscera misericordiæ domini. 243.D
viscera animæ. 1195.A
viscera ecclesiæ. Ibidem.
viscera septem hominis meliora. 597.A
viscera spiritalia. 1692.D
visio cæteris sensibus præstabilior. 971.A
visitatio domini quibus exhibetur. 996.D
visus & auditus mentem adiuuant. 1021.A
visus magis tendit in amatum. 1088.C
visus mira vis. 1502.B
visus humani infirmitas. 849.B
visus præ libidine contemptus. 1676.C
visus senum hebescere solet. 1001.C
visum magicum quomodo videamus. 1309.B
vita quid sit. 212.D.1832.C
vita actiua tria necessaria habet. 15.D
vita æterna quæ. 378.D.1991.B
vita æterna in quibus mandatis sit. 1478.D
vita æterna quomodo acquiratur. 1834.B
vita æterna remissio peccatorum. 213.D
vita arguit animos degeneres. 46.B
vita beata honestate acquiritur. 38.A
vita beata,quæ. 38.B.950.D
vita beata in quibus sit. 1058.A
vita beata in cognitione diuina pro bonis operibus consistit. 38.D
vita beata variis modis à Philosophis æstimata. 38.C
vita bona. 9012.A
vita bona alsecondi non potest. 2062.A.in fine.
vita bona & sine doctrina habet gratiã. 1422.A
vitam beatam scriptura vitam æternam appellat. 38.A
vita bona Christiani quod signum sit. 1869.B
vita bonorum ac iustorum morte non interrumpitur. 1715.D
vita Christi quibus abscondita. 2032.B
vita Christiana quomodo gubernanda. 2039.B
vita erat in paradiso. 216.B
vita dicitur cursus. 1276.B
vita & mors media aut communis. 912.A.B
vita filij qualis sit. 324.D
vita futura Christianis promissa. 1979.C
vita hæc quid est. 216.A
vita hæc communis non custodit cœleste mandatum. 1515.B
vita hæc imperfecta est,& in vmbra. 1458.D
vita hæc non est loco præmij. 1437.B
vita hominis piraterium. 736.B
vita hominis in cælo. 216.A
vita hominis in terra. Ibidem.
vita hominis tentamentum in terra. 1159.A
vita hominis est in virtute. 921.B
vita hominis sicut fœnum. 829.C
vita hominis sub lege naturæ est. 1834.C
vita hominis super terram. 117.D
vita hominis vanitas est. 549.A
vita humana quibus gubernatur. 2023.D
vita humana quomodo fornax fumigãs. 1025.D
vita in corpore,vmbra est & imago non veritas. 1438.C
vita ista est misera. 213.B.C
vita longa non semper salutaris, sed aliquando vindicta. 951.B
vita maiorum quomodo imitanda. 17.A
vita mori,quid. 911.C
vita mortuorum. 912.A
vita non est desperanda. 449.D
vita nostra Christus est. 1715.B.2032.B
vita non vnica est hic in terris. 951.B
vita obscura. 2066.C
vita nostra vnde cœperit. 1500.B
vita noua. 1831.B
vita perfecta quæ. 1058.C.D
vita quæ est ex fide. 1806.C
vita quomodo illuminetur. 2066.C
vita quæ in vmbra est. 1609.A
Vita præsens ad laborem est data, & non ad requiem. 736.B
Vita præsens nullam requiem habet. 736.B
vita prius quàm doctrina quærenda est. 1422.A
vita sanctorum in cælo est. 449.D
vita vera quæ sit. 1461.A.2064.B
vita vnde dulcior,mors amarior. 881.C
vitæ æternæ fundamentum. 39.A.pro quo suppositum est. 47.A
vitæ æternæ maximus fructus. 1670.B
vitæ beatitudo vbi sit. 1057.D
vitæ dulcedo. 1715.B
vitæ huius incommoda. 469.A
vitæ huius solatium. 77.B
vitæ principium est mortis exordium. 263.C
vitæ spes in Christo est. 2030.C
in vitæ actu omni quid cauere debeamus. 15.B
vitæ mori,& morti viuere. 911.B.C
vitæ viuere, quid. 911.D
vita viuere,aliud quã viuere. 911.B.C.1442.C
vitam nostram abscondamus Christi exemplo. 64.C
vitam bonam & mundam habere. 2033.B
vitam qui non habeant. 1832.C
vitam in hoc seculo vnicam dicentes,redarguuntur 951.A
vitalis seruus Agricolæ,martyr. 115.D
vitalis & Agricolæ martyrum gesta. Ibidem.
vitis à Noë plantata. 840.B
vitis cultor Noë,non author. Ibidem.
vitis commendatio. 834.A
vitis emeritæ ætatis crepat. 95.A
vitis est Christus. 1773.A
vitis odor quàm suauis. 840.C
vitis odore nil gratius. 834.A
vitis sapientiam significat. 1350.C
vitium à muliere inchoatum. 916.C
vitium voluntatis & naturæ. 2015.D
à vitio se reuocare plus est,quàm propè vitia ipsa nescisse. 1604.D
vitia carnalia. 1991.B
vitia corporis perimenda. 1864.A
vitia & virtutes hominis quadam necessitudine sibi copulantur. 1014.C
inter vitia rara iactantia. 679.A
vitia multos decipiunt. 1562.C
vitia quomodo operantur in membris. 1835.C
vitia patriarcharum quare scripta. 998.D
vitia virtutibus vicina. 1562.D
vitiorum incentiua vnde nascantur. 82.B
vitiorum tria genera. 1671.A
vitia virtutibus obliterari. 68.B
vitula indomita loco retrahitur. 1486.B
indomita vitula lora trahit,nõ suscipit. 1554.A
vitulæ oculi. 1554.A
vitulus adoratur in deserto. 174.C
vitulus animal aratorium. 1020.A
vitulus immolatur ad cœnam,& cum lacte mãducatur. 996.C
vitulus sacerdotalis est victima. 1620.D
vitulus saginatus occiditur. 1751.B
vituli caput comminuit Moyses. 615.A
vituli lasciuia. 187.A
vituli immolatio speciem habet passionis domini. 184.B
vituli aurei. 187.A
vituli marini. 855.B
vituperatio patris,detractio filiorum est. 1959.D
viuimus hic in vmbra. 1438.D
viuere à vita dictum. 911.B
viuere Christus est. 213.D
viuat quomodo Christus in nobis. 1979.C
viuere deo quomodo possumus. 1093.A.1832.A
viuere in æternum. 1550.B
viuere peccato. 1831.A
viuere secundum carnem. 1843.C
viuere sibi quid sit. 1369.C.1870.C
vixisse sine lege quid sit. 1836.D.in fine.
viuendi bene quæ sit caussa. 1057.D
viuentes mortui. 1715.D
viuentes quomodo mortui dicantur. 1461.A.B
viuentes velut in sepulchro qui sint. 1410.B
viuentium terra. 223.A
viuus in infernum descendens. 1715.D
viuificare quid sit. 289.B
viuificamur per Christi passionem. 289.B
viuificatio animæ. 1447.A
viuificatur seruus. 379.A
vltio in aduersis pro victoria habetur. 629.B
vltionis studiũ non habet perfectavirtus. 1719.A
vlysses. 1665.B
vlysis fabula. 749.B
vlyssem subindicat. 299.B
vmbra bona Christus. 1453.A
vmbra bona verborum dei. 1438.D.in fine.
vmbra Christi & sanctorum. 1580.B
vmbra crucis. 848.B
vmbra domini. 1580.A
vmbra futurorum. 2030.D
vmbra in lege. 33.D.482.C.1345.B
vmbra naturaliter corpori adhæret. 844.B
vmbra,per hominem. 482.D
vmbra relinquenda. 204.A
vmbra sub qua reclinare debemus. 1449.A
in vmbra mortis esse quid sit. 906.A
in vmbra vitæ esse quid sit. 906.A
vmbræ variæ futurorũ apud Hebræos. 1453.B.C
vmbrarum varietas secundum tempus & loca. 848.B.C
vna sabbati quare diceretur. 1400.D.1932.B
vncti sumus reges. 1936.A
vnctionis propheticæ ac regiæ sacramenta ministrauit Samuel. 1529.C

Vngere caput vt debeamus. 1534.D
Vngimur in regnum dei. 1233.A
Vnguentum quid significet. 190.C
Vnguentum animæ. 1128.B
Vnguentum Christi. 368.C
Vnguentum defert Ecclesia. 1700.C
Vnguentum quare in capite recipimus dum baptizamur. 1244.A
Vnguentum quo vngi debemus. 106.C
Vnguentum misericordiæ. 1065.D
Vnguentum mulieris peccatricis. 1702.D
Vnguentum sobrietatis. 1128.A
Vnguenta spiritalia. 189.D. & dein.
Vnum esse debemus, vt supra mũdũ simus. 112.B
Vnum Baptisma, & nõ plura baptismata. 183.D
Vnum nos esse præcepit deus. 905.B
Vnus, duo, tres, quatuor, his numeris decas consurgit. 1025.A
Vnius exemplo plures corriguntur. 1692.D
Vnius Iudæ peccato cuncti periclitantur apostoli. 701.D
Vnicornuus inter generationes ferarum an inuenitur. 1104.A.B.C
Vnicornuus qui sit. 1373.A
Vnitas vbi sit. 2041.A
Vnitas coercet omnia. 1421.B
Vnitas diuinitatis. 388.C
Vnitas nescit ordinem. 407.C
Vnitas operationis non facit pluralem diuinitatem. 273.B
Vnitas nõ in persona est, sed in substãtia. 2041.A
Vnitas proprietatem habet. 406.D
Vniuersitatis cura deo est. 912.D
Vocare quid sit. 1847.A
Vocare dei. Ibidem.
Vocati qui dicantur. 1803.B
Vocatio gentium. 262.A
Vocatio gentium prophetis cognita. 261.D. & patriarchis. 1653.C
Vocatorum genus. 238.A
qui vocantur secundum propositum. 1846.D
Vocatio sancta. 2066.A
Volandi gratiam natura nobis dedit. 1731.C
Volandi nobis data copia. 113.A
Volatilia quid repræsentent. 975.D
Volatilia. 436.D
Volatilia cœli. 914.A
Volatilia suas habent artes. 612.A
Volatus hominum spiritualium. 1542.D
Volatus Icarei vitandi. 113.A
Volucres cœli. 1021.B. 1720.A
Volucres cœli spiritalium nequitiæ. 1022.C
Voluntarius minister. 1539.A
Voluntarium oris sacrificium. 1539.B
Voluntatis vitatæ descriptio. 234.D. & dein.
Voluntas animalis. 235.A
Voluntas bona. Ibid.B
Voluntas alia dei, & alia hominis. 289.C
Voluntas dei, cognitio dei. 1731.D
Voluntas dei immobilis. 1416.D & 1417.A
Voluntas dei, mensura rerum est. 815.C
Voluntas dei non potest esse irrita. 241.C
Voluntas dei, potestas. 1697.B
Voluntas dei prouida. 1804.B
Voluntas dei vna est. 289.B
Voluntas dei quæ sit. 511.D
Voluntas qualis fuerit in Christo. 1352.A
Voluntas bona, germen virtutum. 235.B
Voluntas gratiæ coniuncta. 265.C.D
Voluntas hominis natura erat bona. 235.D
Voluntas inest omni animæ. 233.C
Voluntas in lege, non solum in studio, sed etiam in facto est. 1279.B.C
Voluntas nostra, causa peccati est. 1053.C
Voluntas præuia esse debet operationibus. 1279.B
Voluntas reuocat rationem. 1051.B in fi.
Voluntas sensualis. 233.D
Voluntas vltima habet perpetem firmitatem. 492.C
Voluntas quomodo vritur. 1900.C
Voluntatis arbitrium deprauatum, nõ ablatum. 236.A
Voluntatis duo genera. 233.D
Voluntatis sanitate priuati sumus. 235.D
Voluntati nostræ soli culpa nostra adscribenda est. 1053.C
Voluntatem bonam amare. 235.A
ex Voluntate quid facere. 1539.A
Voluptatis descriptio. 928.B & dein.
Voluptas carnalis à diabolo est. 1894.C
Voluptas carnis. 1995.D
Voluptas fugienda. 601.A
Voluptas maxima. 1030.C.D
Voluptas melior quæ sit. Ibidem.
Voluptas reiicienda. 657.D
Voluptas quomodo dicatur sapiens. 914.D in fi.
Voluptas, serpentis similitudine expressa. 600.A
Voluptas, serpens tentator. 657.D
Voluptatis retia. 928.A
Voluptatis suasiones fallaces. 928.A. & dein.
Voluptatis vincula mala sunt. 929.B
Voluptatis vis. 1665.C
Voluptati prodigæ nihil satis est. 1749.B
à Voluptate remedium non quærendum. 95.C
Voluptates diuisæ vnde dicantur. 1022.D
Voluptates mouet caro. 968.B
Voluptuariorũ hominũ mores. 1125. & dein.
Vomitus commodum. 930.A. 1432.D
Votum soluere, nonnunquam contra officium est. 36.B
Votum Iephthe incautum. 70.B
Voti prima gratia quæ sit. 933.C
Vota, cito reddenda sunt. 932.C
Vota, id est nuptiæ. 775.C
Vota quæ nolis exoluere, satius erat non vouisse. 70.C
Votorum solutio melior. 935.B
Vox quid sit. 1622.B
Vox quæ esse debeat. 15.D
Vox qualis esse debeat. Ibidem.
Vox clamantis in deserto. 759.B
Vox cordis, & vox sanguinis. 1580.D
Vox dei, efficiens natura est. 824.A
Vox dei vt audiatur. 919.D
Vox dei prima. 2.A
Vox suauior in collo proceriori. 873.B
Vox & sensus Cruditate eripitur. 930.B
Vox operum. 1630.B
Vox sanguinis de terra clamans. 949.A
Vox suauis. 1467.C
Vocis & verbi similitudo. 712.D
Vrbs quomodo augeatur aut solidetur. 944.A
Vrbis perituræ indicium. 943.D
Vri quid sit. 1900.C
Vrias, lux mea interpretatur. 1209.D
Vrias, vir religiosus & castus. 1209.C
Vriæ occisores interfecti sunt. 1206.B
Vrihel angelus. 301.A
Vrsæ medendi industria. 880.D
Vrsæ pietas in suos partus. Ibidem.
Vrsus æger formicas deuorat. 883.A
Vrsi vocibus reuocantur. 594.A
Vsia quid sit. 436.C
Vsia dicitur substantia. 283.D
Vsia dei. 436.C
Vsia intelligibilis cœlum. 919.B
Vsura vnde dicatur. 1147.C
Vsuræ nomina quàm varia. 1147.A
Vsura à fratre non est poscenda. 1149.C
Vsura ab aleatoribus extorta. 1146.B
Vsura Christiano exercenda non est. 633.A
Vsura conditæ frugis multiplicata. 65.B
Vsura est diuina lege prohibita. 1148.A
Vsura, diuitum vitium. 1149.A
Vsura vbi erat exigenda. Ibidem B
Vsuræ ibi ius est, vbi est ius belli. 1149.B
Vsura iniquissima. 61.D & dein.
Vsura laudabilis. 1150 B
Vsura preciosa. 518.D
Vsura semper crescit. 1147.D
Vsuræ inferunt seruitutem. 1141.C
Vsuras lex prohibet. 1140.B
ex Vsuris liberari quid sit. 1141.B
Vsurarius Euangelicus. 65.C
Vsurarij lucra, damna publica sunt. 65.C
Vsurpatio ius fecit priuatum. 19.B
Vsus artem fecit. 1320.C
Vsus citò inflectit naturam. 13.B
Vsus orandi, docibiles dei facit. 947.A
Vsus perfectæ virtutis. 85.C
Vsum naturalem immutare in eum qui est contra naturam quid sit. 1808.D
Vtens alieno, suum negligit. 48.C
Vter vnde fiat. 1511.A
Vter corpus hoc significat. Ibidem.C
Vter in gelicidio. 1511.C
Vterus dei quomodo intelligatur. 321.D
Vterus Mariæ beatus. 141.A
Vterus paternæ substantiæ. 321.D
Vterus virginalis electus ad partum dominicum. 1841.B.
Vterus spiritalis. 1028.C
in vtero suo ambulare quid sit. 921.C
in vtero existentes. 1778.D
Vteri cordis duo sunt. 958.A
Vtile quid. 5.A
Vtile & inutile. 42.A
Vtile iustum & honestum. 41.B
Vtile vnde metiantur Christiani. 5.A
Vtile vulgo dictum. 41.L
Vtilitas quomodo accipiatur. 1456.C
Vtilitas duplex. 41.D
Vtilitas alia corporalis, alia pietatis. Ibidem.
Vtilitas plena honestatis. 41.C
Vtilitas quibus metienda. 42.A
Vtilitas vera. 41.D. 65.D
Vtilitas vulgaris. 68.B
Vulnerari pro Christo. 1454.C
Vulgus insultans alicui sibilat. 1546.A
Vulnus quid sit. 1599.A
Vulnus corporis, & vulnus mentis. Ibidem.
Vulnus intus serpens vt curandum. 1482.D
Vulnus Iudæorum manet. 1528.C
Vulnus nostrum quare Christus mũdarit. 1413.A
Vulnus quo ecclesia vulneratur. 1454.B
Vulnus sentire peccati, bonæ mentis est. 1190.B
Vulneris acerbitatem non sentientes. Ibidem.
Vulneri medicamentum necessarium. 192.C
Vulnera vt tractanda. 1333.A
Vulnera amantis. 76.D. 109.D
Vulnera charitatis. 124.B
Vulnera sua Christus in suo corpore reseruat. 1798.A
Vulnera grauiora quomodo curentur. 1342.C
Vulnera optanda. 1208.D
Vulnera quæ osculis præferuntur. 1553.
Vulnera verbi, & vulnera amantis, bona. 109.
Vulneratæ charitatis esse. 109.
Vulpes animal fallax. 1719.

Vulpis natura. 773.B
Vulpes pœnus lachryma prolongat vitam. 880.D
Vulpis fraudulentia quid significet. 879.C
Vulpes Herodes dictus. 1427.C
Vulpes dicuntur hæretici. 774.B. 1515.C. 1719.D & 1721.C
Vulpes, persecutores repræsentant. 1515.B
Vulpes trecentæ quas Sampson alligauit. 1515.B.C
Vulpium astutia. 1426.C
Vultures hominis mortem annuntiant. 874.C
Vultures centesimum annum attingunt. 871.B
Vultures sine masculo semine concipiunt. Ibidem.
Vultures transmarina cadauera olfaciũt. 490.D
Vulturum natura. 871.B
Vultus humani excellentia præ cæteris membris. 1392.A
Vultus iræ domini. 1327.C.D
Vultus patris Christus. 1392.B
Vultus patris filius. 1568.B
Vultus Moysi quid sit. 1567.D
Vultum domini videre magnum est. 1481.D
Vulua animæ. 938.B
Vulua corporis. 938.A.B
Vulua patris. 1103.B
Vrsatius & valens. 400.D
Vxor à domino præparatur. 1004.A
Vxor quare ducatur. 1900.A
Vxores qmodo quærendæ. 1764.C
Vxor qualis sit ducenda. 988.C.& 1002.D
Vxor non solum censu & decore, sed & moribus ornata quærenda. 988.C
Vxor & maritus, domus quædã perfectio. 913.D
Vxor animum viri sæpe exagitat. 1602.C. in fi.
Vxor viro peregrinante pudica maneat. 858.C
Vxor defuncto cõiugi fidem seruet. 42.A. in prin.
Vxor in probro deprehensa si sit, quid agat maritus. 1632.D
Vxor non dimittenda. 1753.C
Vxor in vet. testa. soror dicta. 631.C
Vxoris erga maritum officium. 858.D
Vxor Loth quare perdiderit naturæ suæ munus. 1760.B
Vxoris Loth peccatum. 963.A
Vxoris malæ pernicies. 1120.A
Vxoris vox quomodo audienda marito. 1000.A
Vxorem ducenti inconsultis parentibus vt ignoscendum. 601.B.C
ab Vxore quid exigendum. 996.D
in Vxore quid quærendum. 1004.A
Vxore carens est quasi sine domo. 913.D
Vxores alienæ nulla occasione cuiquam sunt appetendæ. 988.D
Vxores vt diligendæ. 1351.B
Vxores maritos suos quales quales expectent. 858.C
Vxores Saram moribus referant. 133.B
Vxores verecundiam à Sara discant. 996.C
Vxores Zelotypæ taxantur. 992.C
Vxorum parandarum consilia. 629.C.D
Vxoribus ancillæ pareant. 993.A
Vxores duas habuit Dauid. 533.C
Vxores filiis suis prouidere patres debent. 1002.B
in re Vxoria quomodo conueniendum. 1899.D
Vxoria res sola in hoc mũdo grauissima. 1903.D
Vxorius vsus q̃ parcus esse debeat. 1900.A

X.

Xenocratis historia citatur. 1561.C
Xenophon Socraticus. 987.B

Y.

Ὕλη, materia. 621.D

Z.

Zabulus. 354.C
Zabulon quid significet. 532.A. 1098.D
Zacharias occisus inter templum & altare. 1444.C
Zacharias pater Ioan. Bapt. summus sacerdos erat. 1626.B
Zachariæ quomodo apparuit angelus. 1627.C
Zachariæ taciturnitas quid obumbret. 1630.C
Zacharias quare vocem receperit. 1646.A
Zachæus quare pusillus dictus. 1768.B
Zachæus Christum ex arbore vidit, & vocatus est. 1767.C.& 1768.C
Zachæus anaritiæ renunciauit. 21.B. Christum excepit. 945.& quid ab eo impetrauit. 934.B.& 981.A
Zadich quid interpretetur. 1569.D
Zain quid interpretetur. 1468.B
Zara quid interpretetur. 1657.A
Zaræ manus typus Christi. 1659.A
Zebedæi filij. 336.C
Zebedæi filiorum mater piè errauit. Ibid.D
Zelandi qui sint in bono. 58.B
Zelare sacerdotis est. 1572.B.C
Zelotes Christi apostolus Iudas dictus. Ibid.C
Zelus aliud, aliud paraZelus. 1297.A
Zelus ad culpam, & Zelus ad gratiam. 1573.B
Zelus ad vitam, & Zelus ad mortem. 1572.A
Zelus charitatis durus. 1553.A
Zelus dei qui sit. 1572.C
Zelus dei inter nos esse debet. 58.B.C
Zelus dei quàm salutaris. 1572.B
Zelus Iudæorum non secundum scientiam. 1459.A
Zelus sanctorum. 1572.C
Zelus super omnia consumit hominem. 1858.B
Zeli mensura. 1573.B
Zelum deponat mulier. 992.B
Zelum excitare inter fœminas quid. 1296.D
Zelum quomodo sit passus Satanas. 1946.D
Zena legisperitus. 2077.A.B
Zenon Stoicorum magister Salomone posterior. 1016.D
Zizania quæ appellentur. 832.D
Zona Ioannis pellicea quid repræsentat. 760.C
Zorobabel quid significet. 532.A

FINIS.

RERVM AC VOCVM MEMORABILIVM QVÆ IN EXPOSITIONE B. AMBROSII SVPER APOCALYPSIN continentur, Index.

Abimelech fuisse saluatum putat. 3071.B
Accusatio in conspectu Dei quomodo fiat. 3089.A
Adoratores diaboli. 4005.B
Aduersa præuisa minus molesta. 3026.A
Aegyptus & Sodoma ciuitas diaboli. 3083.C
Amatores seculi. 4010.C. 4016.B
Amicitia falsa. 3023.D
Amicitia diaboli qualis. 3088.B
Amicus personatus hostis pessimus. 4029.A
Amor & ira mentiri faciunt. 4030.B
Angeli ad custodiã ecclesiæ deputãtur. 3046.B
Angeli in mundo ministrantes. 3067.C
Angelum cur voluerit adorare. 4043.C
Animæ peccatricis cõsolatio in scripturis. 3035.C 3036.D
Animæ nutrimentum. 3052.C. 3058.B
Animæ sanctorum in gloria. 3063.A.D. 3085.B
Animæ sanctorum virgines dicuntur. 3096.C
Animæ impiorum immortales. 4026.D
Antichristus adorabitur. 3091.D
Antichristus cur tam multos decipere permittetur. 3092.C
Antichristus pro deo habebitur. 3093.D
Antichristus homines interficiet. 4004.B
Antypas martyr. 3025.C
Apocalypsin apocryphan putãtes arguit ignorãtiæ. 4043.A
Arcæ Noë significatio. 3047.B
Archidiacono muneribus corrupti adulteros iustificant. 4014.C
Arius confutatur. 3022.D. 3026.C
Arma ecclesiæ verbum dei. 3035.C
Arma diaboli. 3074.D
Aspectus mulierum impudicarum quàm periculosus. 3025.D
Assiduitas mentiendi. 4030.D
Astutia & crudelitas antichristi. 3091.C
Auaritia. 4014.B. 4029.A
Auaritia nutrix luxuriæ. 4015.A
Auaritia generat timorem. 4027.D
Augusto regnante pax per orbem. 3068.D

B.

Babylon ciuitas diaboli. 3083.C
Babylonis ruina duplex. 4012.D
Babylone mente exeundum. 4013.B
Balaæ impium consilium. 3025.D
Baptismus. 3055.C. 3057.A. 3062.A
Beati qui verè sint. 3016.C
Beatitudo cœlestis nisi à fruentibus nõ potest percipi. 3027.B
Beatitudinis tres species. 3016.B
Beatæ virginis typus. 3053.B
Benedictiones septem, septem ætatibus applicatæ. 4001.D
Blasphemia. 3091.C
Blasphemiæ antichristi. 3092.B
Blasphemiæ persecutorũ contra Christũ. 4009.A
Boni soli nomen Dei nouerunt. 3027.A
Bonorum paucitas cum natus est Moses. 3048.C
Bonorum imitatio. 3057.D
Bonorum & malorum sors diuersa. 4000.B
Bona opera. 3057.D
Bona opera post preces sequi debent. 3052.B

C.

Calamitates Iudæorum. 3064.D
Cœlestem vitam in terris agentes. 4037.C. 4038.C
Cœlum aperire & claudere quid. 3083.A
Cœli & terræ mutatio. 4025.C
Cantica fidelium. 3095.D
Charitas. 3022.B
Charitas præcepta ad iustificationem necessaria. 3051.A
Charitas sine cæteris virtutibus esse non potest. Ibid.C
Charitas à contemplatione ad proximi curam reuocat. Ibid.D.& 3072.A

Charitas in cœlo perfecta. 3068.B
Charitas vt fine mundi refrigeſcet. 3092.C
Charitas ſignum Dei. 3074.B
Charitas excuſat officioſum mendaciũ. 4029.D
Charitas aſperam vitam ſuauem reddit. 4035.A
Chriſtianus ſine charitate mortuus. 3029.C
Chriſtus quomodo primogenit⁹ mortuor. 3017.B
Chriſtus lignum vitæ. 3024.C
Chriſtus quomodo ſcripturas claudit & aperit. 3031.A
Chriſtus cur dicatur Leo. 3043.D
Chriſtus quomodo mors reproborum dici poſſit. 3062.C
Chriſtus ante legem præfiguratus. 3071.B
Chriſtus quomodo occiſus ab origine mundi. 3092.D
Chriſtus aliter ab impiis, aliter à iuſtis in iudicio videndus. 4000.A
Chriſti ſanguis nos angelis ſociauit. 4018.A
Chriſtus habet clauem inferni. 4020.D
Circunciſio cordis. 3028.B.3055.B
Ciuitas diaboli. 3098.C.4009.C
Clamor eccleſiæ pro peccatorum ſalute. 3086.D
Cognitio Dei humilitatem docet. 3023.C
Comminationes Prophetarum. 3072.B
Commiſſarij venduut diabolo fornicatorum animas. 4014.C
Conſenſus fidelium. 4024.C
Concupiſcentiæ flamma oratione extinguitur. 3052.A
Confeſſio. 3066.B
Confeſſio peccatorum & pœnitentia. 3050.D
Confuſio Antichriſti. 3082.D
Conuerſio peccatoris ad Deum. 3037.B
Conuerſatio noſtra in cœlis. 4019.D
Corda noſtra quotidie Chriſtus pulſat. 3033.C
Corda peccantium an ſint in manu Dei. 3069.B
Correctio quando iuſta. 3023.D
Crux Chriſti legem ſuauem facit. 3055.D
Cryſtallus. 4001.C.4041.D
Cuſtodia cordis. 4039.D

D.

DÆmones cuſtodes impiorum. 4013.A
Damnatio impiorum. 4025.B
Declinare à malo & facere bonum. 3052.B
Defenſores vitiorum. 4027.*& ſeq.*
Deriſio inuidiæ filia. 4030.A
Deſideria carnalia. 3090.A
Deus ab impiis quantumuis ſint eruditi, non cognoſcitur. 3026.C
Deus cur non niſi à piis cognoſcatur, ſimilitudine declarat. *Ibid.*D
Deus pios ex nomine cognoſcit. 3030.C
Deus propter opera præuiſa diligit. 3050.C
Deus in quibus habitet. 3067.A
Deus bonorum quæ facimus author. 3069.D
Deus fideles ab hæreticis ſubuerti non ſinet. 3074.A
Deus in ſanctis cognoſcitur. 4019.A
Dei iuſtitiam tollentes. 4017.D
Diabolus pugnat contra bonos tantum, quia malos captiuos tenet. 3037.D
Diaboli malitia in ſcorpione adumbrata. 3073.D
Diabolus impios interficeret, ſi Deus permitteret. 3074.B
Diaboli capita ſeptem. 3087.A
Diabolus ea ratione virtus, qua vincere putauit. 3088.B
Diaboli character impœnitentia. 4005.A
Diabolus loquitur in membris ſuis. 4007.B
Diabolus per Chriſtum vinctus. 4021.A
Dies iudicij. 3098.B
Dies iudicij numeri iuſtorum completionem expectat. 3063.D
Dies iudicij peccatoribus prædicandus. 3085.C
Diſcipuli antichriſti laudatores vitiorũ. 3094.A
Diſcipuli antichriſti, ranis ſimiles. 4007.B
Diſcordiæ authores. 4028.B
Diſcretio quæ in paſtore requiritur. 3081.C
Diuerſitas pœnæ impiorum. 4024.D
Diuerſitas præmij. 4042.B
Diuiſio impiorum. 4024.C
Diuitiæ nutrimenta vitiorum. 4015.B
Doctores eccleſiæ. 3059.A.
Doctores eccleſiæ in ſeptem ætates diuiſi. 3071.A
Doctores errorum in impietate alios omnes excellunt. 4010.D
Doctrina gentilium. 3061.C
Doctrina & exemplis bonorum multi ſaluati. 3071.B
Doctrina hæreticorum per patrum doctrinam euaneſcit. 3073.C
Doctrina hæreticorum ſublata blaſphemia, bona eſſet. 3076.C
Doctrina poëtarum & philoſophorum mẽdaciis plena. 3078.B.4010.A
Doctrina Antichriſti per omnes gẽtes ſpargetur. 4022.D
Donum prædicandi non debet abſcondi. 3082.B
Dona ſpiritus lucernæ nobis ſunt in nocte huius ſeculi. 3036.A
Donorum Dei reddenda ratio. 4008.D

E.

EBrietas pro omni malitia. 4009.C
Eccleſia ex latere Chriſti, & Eua ex latere Adam. 3046.C
Eccleſia in perſecutionibus creuit. 3078.D
Eccleſia mundum ſub pedibus calcat. 3086.C
Eccleſia infideles cum dolore parturit. 3086.D
Eccleſia quotidie parit filios. 3087.D
Eccleſia thronus dei. 4008.B
Eccleſiam perſequentes pugnant cum Chriſto. 4011.D
Eccleſia recipit bonos & malos. 4017.D
Eccleſia in hac vita propter mixta Zizania, imperfectè cognoſcitur. 4032.B
Eccleſia ex omnibus gentibus collecta. 4033.D
Electi quomodo è cœlo deſcendunt. 3032.A
Electi per ſeptem ætates diuiſi. 3044.B
Electi non inuenientes ſucceſſum in malis ad pœnitentiam reuertuntur. 3075.A
Electorum probatio. 3092.C
Electorum numerus paruus. 3097.A
Electi ſacerdotes dicti. 3017.C.4022.C
Eleemoſyna. 3037.C.3069.C.4036.D
Eloquentia ſecularis. 4010.A
Enoch & Heliæ prædicatio. 3082.A
Epiſcopus portabit iniquitatem malè ſub eo miniſtrantium. 3114.C
Eſau & Iacob myſterium. 3050.A
Errores gentilium. 3098.C
Euangeliſtæ quatuor animantibus comparati. 3039.C
Euangelium. 3098.A
Euangelium virga ferrea. 3028.D
Euangelij doctrina concors. 3076.D
Euangelij prædicatio initium iudicij. 3098.B
Euangelium patefacit regnũ tenebrarũ. 4012.D
Expoſitor fidelis nihil addit aut minuit. 4045.A

F.

FAbricatores errorum. 3074.D
Falſi prophetæ & reges populum deceperunt. 3087.B
Falſi Chriſtiani. 4001.A
Fama diluuij & incendij Sodomæ. 4017.B
Fames animarum ſanctarum. 3068.B
Fœminæ virili fortitudine præditæ. 3087.C
Fides ſine charitate mortua. 3032.B
Fides mater virtutum. 3040.C
Fideles dicuntur ſacerdotes, & quare. 3045.A
Fides murus contra hoſtes inuiſibiles. 3055.D
Fides nunquam deficiet in eccleſia. 3061.D
Fides captiuam ducit rationem. 4018.C
Fideles adhuc in terris poſiti, in cœlo verſantur. 3096.A
Fideles mirantur duritiem & cæcitatem impiorum. 4010.B
Figuræ mortis Chriſti. 3092.D
Flagitia occulta in iudicio omnium oculis patebunt. 3027.D.3031.C.4007.D
Finis mundi. 3080.C
Fornicatio. 4028.A
Fornicatio ſpiritualis. 3027.C
Fortitudo à Deo multis precibus ambienda. 3037.D
Fundamentum ciuitatis diaboli, mali doctores. 4010.D

G.

GAudium Eccleſiæ. 3089.C
Gaudium iuſtorum in fine mundi. 4015.D
Gaudium fidelium in interitu impiorũ. 4020.C
Gaudium ſanctorum commune. 4021.D
Gentes ciuitas diaboli. 3060.D
Gentiles per Euangelium ab erroribus purgati. 3029.C
GieZitæ paſtores, & eorum pœna. 3062.A
Gloriam huius ſeculi, futuræ gloriæ præponunt reprobi. 3024.C
Gloriam mundi quærentes. 3016.B.3027.A
Gloria ſanctorum non omnibus æqualis. 3033.D.4035.C
Gloria inanis. 4030.C
Gloria ſanctorum. 4031.C
Gloria cœleſtis. 4027.B
Gog & Magog. 4022.D

H.

HAgiomachi. 3094.B
Hæretici vitandi. 3023.D
Hæretici negantes Eccleſiam ex omni gente collectam. 3045.A
Hæretici ante lapſum doctrina illuſtres. 3073.B
Hæreticorum perſecutio tyrannos præceſſit. *Ibi.*C
Hæretici dæmonibus ſimiles. *Ibid.*D
Hæretici quomodo patrem diabolum imitentur. 3075.A
Hæreticorum conuenticula. 3076.A
Hæretici poteſtates ſeculares ſibi adiungere ſtudent. *Ibid.*B
Hæreticorum princeps diabolus. 3076.C
Hæretici ſunt ſedes diaboli. 4006.C
Hæretici ſe inuicem confutant. *Ibid.*D
Hæreſis millenariorum ex locis Apocalypſis malè intellectis. 4043.D
Hæreſes extirpandas curat Deus. 3091.D
Hæreſeõn inuentores pauci pœnitentiam agunt. 4006.D
Helias & Enoch. 3081.A
Herodes tres. 3059.B
Hieruſalem electos ſignificat. 3032.A
Hiſtoria in ſcripturis primò cognoſcenda. 3082.A 4040.D
Homicidæ. 4027.D
Homicidij ſtipendium. 4005.D
Honor prædicatorum. 4039.D
Hoſtes eccleſiæ qui ſint. 3073.A
Hoſtes inferni. 4045.C
Hoſtes Romani imperij. 4011.C
Humilitas nutrit amorem Dei. 3044.D
Humilitas prædicatorum. 3045.D

Humilitatis custodia reminiſci peccata. 3051.B
Humilitas custos virtutum. 3053.B.4002.D
Humilitas præclara doctrina ꝓ pastorib⁹. 3054.B
Humilitas sanctorum. 3042.B.3085.B
Hypocrisis. 3091.C
Hypocritæ doctrinam sanã non recipient. 3084.A

I.

Iactantia mendax, peccatum duplex. 4030.D
Idololatria. 3078.A
Idololatriæ irrationabiles sunt. 3061.B
Idololatria fornicatio dicitur. 4028.B
Ieſabelis impietatẽ imitãs, Ieſabel dicitur. 3027.B
Ignis purgatorius. 3095.B.4022.C.4034.D
Imagines loqui faciunt Magi. 3093.D
Imperatores Romanos ad perſecutionem eccleſiæ diabolus excitauit. 3089.D
Imperatoribus credentibus error gentilium euanuit. 3059.C
Impij quomodo Chriſtum in iudicio videbunt. 3017.C
Impij licet baptizati Deũ nõ cognoſcũt. 3026.D
Impij Deum non laudant. 3045.C
Impij quomodo diem Domini, & damnationem ſuam deſiderant. 3063.C
Impij ſunt equi diaboli. 3077.C
Impij in infernum ſe præcipitant. 3083.C
Impij exẽplis & verbis alios corrũpunt. 3085.D
Impij ſeinuicem in exitium trahunt. 3098.C
Impij ne ab hominibus vincãtur, diabolo ſe ſubdunt. 4005.A
Impij in peccatis dormiunt. 4007.D
Impij ſcientia abutuntur in malum. 4016.B
Impij peccando præſentiã Dei non timẽt. 3099.A
Impiorum requies vita præſens. 3040.D
Impiorũ corda ſanctorũ verbis feriuntur. 3071.B
Impiorum cruciatus in hac vita. 3074.C
Impiorum induratio. 3082.D
Impiorum ſtudia. 4013.B
Impiorum lætitia breuis, luctus ſempiternus. 4026.C
Infernus. 4016.A.4025.B
Infernus luctus Ieſabelis. 3027.B
Infideles ab eccleſia præciſi. 3075.D
Infirmi ſuſtinendi. 3080.B
Intelligentia ſpiritualis. 3039.A.3047.A.3060.C
Ioannes Euangeliſta Martyr ſine gladio. 3064.A
Ioannes Euangeliſta per hæreticos ad ſcribendum prouocatus. 3080.D
Ioannes Euang. exul in pathmos. 4011.A
Ioannes Euang. Apocalypſin ſcripſit. 3016.A
Iram ſub correctionis ſpecie exercentes. 3023.C
Iudæi veri & falſi. 3025.A
Iudæi à ſeipſis maledicti. 3046.D
Iudæi à Chriſto longè erant. 3049.B
Iudæi medicos ſuos prophetas occiderunt. 3053.C
Iudæi in fine mundi conuertentur. 3054.C
Iudæi ex præceptu legis faciũt mẽdacia. 3060.C
Iudæi olim clari, facti odioſi cunctis nationibus. 3064.B
Iudæi propter ſanguinem Chriſti deleti. *Ibid.*
Iudæi in odium Chriſti ſenſum ſcripturæ ſuis fabulis deprauant. 4029.A
Iudæi atrociter puniti peiores euadunt. 4006.C
Iudæorũ maxima calamitas, vermis conſcientiæ. 3065.A
Iudæorũ cõuerſio & ſalus in fine mũdi. 3082.A 3084.D
Iudæorum magna pars Antichriſtum ſequetur. 3093.B
Iudaiſmus poſt Chriſtũ ſeruitus diaboli. 3028.A
Iudicium impiorum. 3098.D
Iudices impij. 4016.B
Iudices timentes homines magis quàm Deum. 4027.C
Iuſtorũ cõſolatio in præſentis vitæ malis. 3074.D
Iuſtorum luctus breuis, gaudiũ perenne. 4026.C

L.

Laus Dei & viſio. 3095.B
Leproſi mundatio cum ceremoniis annexis, quid ſignificent. 3056.D
Lex ſpiritualiter intelligenda. 3058.D
Lex in corde ſcripta. 4017.A
Legis præcepta quædam iuxta literam videntur abſurda. 3046.B
Legem amarã dulcẽ reddit crux Chriſti. 3055.D
Legis præuaricatores. 4005.B
Liberum arbitrium. 3041.B
Liberum arbitrium in malo. 3073.C
Liber vitæ. 3092.D
Libido luxuriæ membrum. 3090.D
Libri conſcientiarum. 4024.C
Literatus malè viuens Chriſti myſteria non cognoſcit. 3026.D
Lux Chriſti quõ lippiẽtes magis excæcat. 3072.D
Luxuria in omnibus ſenſibus. 4015.A

M.

Magog hypocritas ſignificat. 4022.D
Magorum præſtigium. 3093.D
Magiſtratus virum probat. 4005.C
Magiſtratus conniuentes peccatis propter precium aut fauorem. 4014.C
Maledictio generis humani. 4042.C
Mali quidã tolerãdi, quidã nõ tolerãdi. 3023.C
Mali ſua culpa pereunt. 3041.C
Mali & boni in eccleſiam inducti. 3048.B
Mali ante conuerſionẽ quomodo filij Dei. 3070.A
Mali ad piorum exercitium à Deo relinquuntur. 3074.C
Mali nunquam ceſſant bonos perſequi. 3077.C
Mala vita prædicationis lumen offuſcat. 3082.C
Mandata Dei quis ſeruet. 4043.A
Manna ſapientiam ſignificat. 3026.B
Manus Moyſis leproſa quid ſignificet. 3054.C
Mare penitus delendum. 4025.D
Martyrum conſtantia. 3077.B
Martyres. 4018.D.4037.C
Memoria in Deo quid. 4008.C
Mendacium. 4028.B
Mendacium gratiſſimum. 3097.B
Mendacium pro quouis peccato. 4040.C
de Mendacio tractatus. 4028.C.D. *& ſequ.*
Mendacia ex inuidia. 4030.A
Mendacia officioſa. 4029.C
à Mendaciis neminem in totũ abſtinere. 4028.B
Mercatores ſancti, & impij. 4016.B
Merces vitæ æternæ gratis data. 4027.B
Merces operum. 3099.C
Merita bonorum operum. 3030.D
Mille anni regni Chriſti quid ſignificent. 4021.D
Miracula falſa Antichriſti. 3093.C
Miſericordia. 3061.A.3066.C
Miſericordia Dei omnibus perſpicua. 3035.B
Monachi. 3041.A
Mors Petri & Pauli. 3069.A
Mors prima & ſecunda. 4022.B
Mori peccato & diabolo. 3071.D
Moyſes inuit⁹ adpaſtoris mun⁹ trahitur. 3054.A
Moyſis natiuitas myſticè exponitur. 3053.B
Mulieres laſciuæ retia diaboli. 3026.D
Mulier viro inferior à viro regenda. 3096.D
Mundus in dies deterior. 4000.C
Mundus per ignem delendus. 3099.D
Mundus purgabitur eiectis impiis. 4025.D
Mundi rebus ad neceſsitates tantũ vtuntur ſancti. 3052.C
Mundo morientes b a i. 3099.B
Mundi fine ingruẽte diabolus pl⁹ ſæuit. 3089.D
Mundani nunquam vellent ab hoc ſeculo diſcedere. 3089.B.4016.B
Munerum corruptela. 4014.B
Myſterium Trinitatis. 3041.C.4032.C
Myſterium paſſionis. 3049.B
Myſterium numeri 666. 3094.C
Myſteria euangelij non patent, niſi cui Dominus aperit. 3026.C
Myſteria veteris teſtamenti quomodo Chriſtus aperuit. N. 3044.C
Nemo ſine macula in hac vita. 3097.B 4022.B
Nemo repente fit optimus. 4037.D
Neronis perſecutio. 3069.A
Nicolaitæ. 3025.D
Nomen Chriſti ſancti ex parte ignorant. 4018.C
Noui teſtamẽti præcepta magis auſtera veteribus. 3029.A
Nouum teſtamentum aperit vetus. 3062.D
Numerus ſeptenari⁹ religioſè obſeruatur. 3016.D
Nuptiæ Chriſti & Eccleſiæ. 4017.C

O.

Obdurati in malitia. 4027.D
Oblatio Iſaac exponitur. 3049.A
Obſeruatio legis ſpiritualis. 3057.B
Obſeruationes legales non repetendæ. 4033.B
Opera bona dat Deus quæ remuneret. 3042.C
Opera charitatis. 3047.D
Opera bona veſtes animæ. 4007.D
Opera præuiſa Deum reſpicere. 3028.C.3050.A
Oppreſſores pauperum. 3041.A
Orare ſine intermiſſione quid. *Ibid.*
Orandum pro aduentu Chriſti. 4045.B
Orantes quotidie, & vitam non emendantes, quales. 3041.A.B
Oratio fidelium & verbis & factis conſiſtit. 3069.C
Oratio inutilis cum verbis facta reclamant. *Ibid.*
Orationes ſanctorum. 3044.D
Origines. 3031.D
Originale peccatum. 3056.A
Ornamentũ prædicatoris fideles per eum conuerſi. 4036.C
Ornamenta eccleſiæ. 4026.A
Oſtentatores. P. 4030.D
Paſtores hæreticorũ ſocietatem vitẽt. 3023.D
Paſtor negligens. 3030.C
Paſtoris officium. 3039.B.3071.A
Paſtores eruditi eſſe deberent. 3057.B
Paſtores mali & eorum ſupplicium. 4001.A
Patientia ſanctorum. 3093.A
Pati iniuriam melius quàm inferre. 4002.D
Patres ante legem acceperunt S. ſpiritũ. 3048.C
Patres antiqui, & præſentes & futuras hæreſes extirpandas curarunt. 3091.C
Pauperum cauſæ non audiuntur. 4014.B
Pax bona & mala. 3052.D
Pax omnibus optata. 3065.C
Pax ad Euangelij prædicationem vtilis. 3077.B
Pacem per orbe fuiſſe in aduentu Chriſti. 3065.D
Peccatis aliorum delectari diabolicum. 3023.C
Peccata deſerenda. 3066.C
Peccata ſeptem principalia. 3090.D.4003.B
Peccatorum memoria impios torquebit. 4015.C
Peccatorum duo genera. 4028.C
Peccatorum omnium remiſsio in morte Chriſti. 3038.C
Peccator orans luctatur vt Iacob. 3052.A
Peccans ex nulla occaſione. 4031.A
Peccantes quotidie quotidiana egemus medicina. 4044.A

Perfectio ecclesiæ. 4035.B
Persecutio probat fideles. 4036.C
Perseuerantia. 3024.D.3055.B
Petrus fundamentum ecclesiæ. 4034.A
Philosophi & poëtæ errores seminarunt. 3061.B
Pluuiæ generatio. 4022.C
Pœnitentia sera. 4014.A
Pœnitentiã recusantes tandẽ deseruntur. 3027.D
Pœnæ impiorum differentes. 4003.B
Potestas ciuilis ad promouendam Christi religionem conducit. 3059.C
Potestas secularis quibus mortifera. 4009.D
Potestas sanctorum ab vno Christo. 4044.C
Prædestinatio. 3028.C
Prædicatores. 3022.A.3023.B.3061.A
Prædicator ad minas se conuertit cum blanditiis nihil agat. 3035.C
Prædicator scribit verbũ Dei in cordibus. 3080.A
Prædicator sapiens cõtra errores munit. 4003.D
Prædicator est os Dei. 4019.B
Prædicatoris merces. 3061.D
Prædicatoris cura. 3067.D
Prædicatori non tacendum. 4043.D
Prædicatores columnæ ecclesiæ. 3031.D
Prædicatores stulti vitandi. 3056.C
Prædicatores ante legem quid docuerint. 3071.A. 4004.D
Prædicatores sunt Dei milites. 3075.C
Prædicatores à Deo mittendi. 4003.A
Prædicatores inobedientibus iram Dei coaceruãt. 4004.A
Prædicatores qui dicunt & non faciũt. 4034.C
Prædicatores sancti. 4037.A.4038.C
Principes per montes designati. 4008.C
Principes deprædantes pauperes. 4015.C
Principum serui muneribus inhiant. 4014.B
Procrastinatio in peccatis. 3056.B
Prudentia pastoris. 3039.B
Pseudoapostoli etiam Apostolorum tempore non defuerunt. 3024.A.3028.A

Q.

Quatuor animalia quatuor euangelistis variè applicata. 3039.C
Quatuor monarchiæ. 3065.C.3076.D
Quinque ætates humanæ vitæ. 3074.C

R.

Rectores ecclesiæ. 3023.A
Regnum Romanorum. 3065.C
Regnum Dei & regnum diaboli. 3085.B
Reprobi non per ostiũ in Ecclesiã intrarũt. 3034.
Reprobi quomodo in Ecclesia Dei. 3048.B
Reprobi impugnant Ecclesiam. 4023.B
Reprobi sub finem mundi multiplicabuntur. 3090.B
Reprobi nonnunquam profitentur euangelium. 3097.C
Reprobi cur vocati. 4012.A
Reprobis cur prædicandum. 4004.C
Requies sanctorum post labores. 3068.B
Requies nostra & sabbatum Christus. 3068.D
Resurrectio. 4022.A
Resurrectio prima & secunda. *Ibid.*B
Resurrectio generalis. 4024.A
Resurrectionis tempus. 3084.A
Resurrectionem non credentes. 4027.C
Roma olim Ecclesiam persequens meretrix dicta. 4009.B
Romani vindices mortis Christi. 4006.B
Romani imperij ruina. 4011.C
Romanorum crudelitas. 3065.C
Romanorum feritas coercita. 3077.A
Rubus ardẽs nec combustus, beata virgo. 3053.C

S.

Sabbatismus Christianorum per totam vitã abstinere à peccatis. 3028.B
Sacerdotes peccandi licentiam ab archidiaconis ementes. 4014.C
Sacrificium laudis. 3017.C
Sacrificia Christianorum. 4039.B
Sancti, reges dicti. 3017.B
Sancti ab impijs contempti. 3072.C
Sancti vt animas saluare, sic hæretici perdere quærunt. 3076.A
Sancti vndique oculati. 3040.C
Sancti in sermone & moribus praui. 3041.B
Sancti laudes hominum detestantur. 3042.C
Sancti diem Domini desiderant. 3063.B
Sancti quomodo vltionem malorum desiderant. *Ibid.*C
Sancti omnes mundo mortui. 3064.A
Sancti quomodo animas suas non diligant. 3089.A
Sancti contemnunt mundum. *Ibid.*C
Sancti interdum damnant, quos Deus recipit, & contrà. 3097.A
Sancti quotidie orant pro die iudicij. 4000.D
Sancti in perditione malorum laudant iudicium Dei. 4005.D
Sancti æquales Angelis erunt. 4036.B
Sancti, sedes Dei. 4042.C
Sanctorum victoria Christus. 3033.C
Sanctorum corda sedes Dei. 3034.D
Sanctorum gesta veraciter proferenda. 4029.B
Sapientia vera ex scripturis est. 3032.D
Sapientia seculi, stultitia. 3075.D
Sapientes. 4037.C
Satanas soluetur. 4010.C
Scientia humana in bonis & malis, scientia Christi in bonis solum. 3036.D
Scientia sine pietate, stultitia. 3037.C
Scientia mali, pœna peccati. 4043.A
Scopæ Dei & scopæ diaboli. 3091.B
Scriptura romphæa bis acuta. 3025.B
Scriptura dulcis & amara. 3080.D
Scriptura quò familiarior, eò dulcior. 3081.A
Scriptura sancta resecat vitia. 4019.B
Scripturarum scientiam non habent hæretici. 3075.D
Scripturis in futura vita non erit opus. 4041.C
Seculi dignitas. 4024.B
Seculo renuntiantes frustra. 4030.C
Septem dona S. spiritus Christo applicantur. 3036.B *& seq.*
Seruitus Dei. 4042.C
Signum crucis Christi. 3094.A
Simõ magus finxit se mori & resurgere. 3093.D
Simonia. 4014.B
Simplices per signa facilius decipiuntur. 3094.B
Smaragdus misericordiã Dei repræsentat. 3035.B
Socij in peccatis, socij in tormentis. 4025.A
Somnus peccati. 3030.B
Spes sine fide inanis. 3048.A
Spes, aspera in hac vita reddit suauia. 3058.B
Spes Christum semper intuetur. 3079.A
Spiritus sanctus. 3094.D
Spiritus sanctus cum Apostolis tunc erat, cum promittebatur. 3070.A
Sponsus sanguinum Christus. 3055.C
Superbia & crudelitas Antichristi. 3092.B

T.

Talentum defodere. 4008.D
Tenebræ præsentis vitæ. 4004.A
Terræ habitatores propter amorem dicũtur impij. 3073.A.3098.A
Testamentum vetus spiritualiter intellectum idẽ cum nouo. 3043.D
Testamentum vetus vmbra noui. 3079.D
Testamentum vetus fidem Christi confirmat. 4033.C
Testamentum vetus sine nouo intelligi nõ potest. 4038.B
Testamenti veteris apertio. 3086.A
Testamenti veteris 24. libros numerat. 3040.B
Testamẽtũ vetus in tres partes diuisum. 3058.C
Testamentum vetus munimentum contra hæreticos. 3035.C
Testamenta duo sunt alæ ecclesiæ. 3089.D
Testamenta duo luminaria ecclesiæ. 4039.C
Timor bonus & malus. 4027.C
Timor peccatoris desinit in amorem. 3066.D
Timor obedientia dicitur. 3037.A
Traditio Iudæorum. 3053.A
Traditiones Iudæorum non tenendæ. 3056.C
Tres damnationes diaboli. 4020.D
Tribulationes sanctorum. 4037.D
Trinitatis mysterium. 3017.A
Tyrannorum furor contra Christum, & mẽbra eius. 3078.B

V.

Vendentes animas diabolo grauissimè peccãt. 4014.C
Venefici. 4028.A
Veneficia sunt errores. 416.C
Vera scientia. 3037.C
Verbum Dei inutiliter audientes. 3016.B
Verbum Dei tuba. 3085.A
Verbum etiam reprobis annuntiãdum. 4004.C
Verbi Dei effectus in nobis. 3080.D
Verbi dei dulcedo spiritum delectat, carnem affligit. 3081.B
Via seculi lata ducit ad mortem. 4023.A
Victoria sanctorum. 3067.B
Victoria Christi contra diabolum. 3088.A
Victoria infælix victori exitium afferẽs. 4005.B
Vigilia Christianorum. 3030.A
Vigilia sanctorum. 4007.D
Vinum mentes alienat. 3099.D
Virga in colubrum versa quid significet. 3054.B
Virginitas. 3095.C
Virginitas perpetua beatæ Mariæ. 4033.A
Virginitatis præmium. 3097.D
in Virtute promouendum. 3066.A
Visio Dei. 4042.C
Vita quadruplex. 4022.A
Vita præsens transitus per desertum. 3026.B
Vita præsens sanctis longa videtur. 3052.B
Vita præsens quasi mors. 4022.B
Vita iustorum & vita impiorum. 4020.B
Vitæ præsentis sanctos tædet. 4000.B
Vitæ futuræ amor generat fastidium præsentis. 3091.A
Vitium insanabile. 4005.A
Vitia per contrarias virtutes pelluntur. 3033.A
Vitia sunt nobis peiora diabolo. 3091.B
Vitia simul omnia relinquenda. 3038.B
Vitiorum fuga sine intellectu in vitium demergit. *Ibid.*A
Volũtas Dei in scripturis sæpe pro comminatione. 3054.D
Voluntas nocendi in impijs. 3077.C
Voluntas mala si impeditur, ex gratia Dei venit. 3075.A
Voluptas & licentia hæreses facilè spargunt. 3025.D
Voluptatibus indulgere sine peccatis nemo potest. 3052.B
Vox prædicatoris vulnerat contemnẽtes. 4004.C

FINIS.

A

A. 11

D. Ambrosij
Opera

S. Ambrosio
Opera Omnia

2.425


OPA·AMBROSII·